



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

194 A-1

JOH. JACOBI HOFMANNI

SS. Th. Doct. Profeſſ. Hiſtor. & Graec. Ling. in Academ. Baſil.

LEXICON
VNIVERSALE,

HISTORIAM SACRAM ET PROFANAM
Omnis aevi, omniumque Gentium;
CHRONOLOGIAM AD HAEC VSQVE TEMPORA;
GEOGRAPHIAM ET VETERIS ET NOVI ORBIS;
PRINCIPVM PER OMNES TERRAS FAMILIARVM
Ab omni memoria repetitam
GENEALOGIAM;
Tum
MYTHOLOGIAM, RITVS, CAERIMONIAS,
Omnemque Veterum Antiquitatem, ex Philologiae fontibus hauſtam;
VIRORVM, INGENIO ATQVE ERVDITIONE CELEBRIVM
Enarrationem copioſiſſimam;
Praeterea
ANIMALIVM, PLANTARVM, METALLORVM, LAPIDVM, GEMMARVM,
Nomina, Naturas, Vires,
Explanans.

EDITIO ABSOLVTISSIMA,
Praeter Supplementa, & Additiones, antea ſeorſum editas, nunc ſuis locis ac ordini inſertas,
VBERRIMIS ACCESSIONIBVS, IPSIVS AVCTORIS MANV
noviſſime lucubratis, tertia parte, quam antehac,
AVCTIOR, LOCVPLETIOR:
INDICIBVS ATQVE CATALOGIS
REGVM, PRINCIPVM, POPVLORVM, TEMPORVM, VIRORVM
ET FEMINARVM ILLVSTRIVM, ANIMALIVM, PLANTARVM;
Tum praecipue
NOMINVM, QVIBVS REGIONES, VRBES, MONTES, FLVMINA, &c.
in omnibus terris, vernacula & vigenti hodie ubique lingua appellantur;
Caeterarum denique rerum memorabilium,
ACCVRATISSIMIS INSTRVCTA.

TOMVS SECVNDVS

Literas D, E, F, G, H, I, K, L, continens.



KONINKL. BIBLIOTHEEK 'S HAGE.

LVGDVNI BATAVORVM,
Apud JACOB. HACKIVM, CORNEL. BOVTESTEYN, PETR. VANDER AA, & JORD. LVCHTMANS.
M DC XCVIII.
Cum peculiari Praepott. D. D. Ordinum Hollandiae & Weſt-Friſiae Privilegio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2



D Una ex mutis, olim per tres aſteriſcos in triangulo collocatos repræſentabatur, unde Græci majuſculum ſuum *D.* ita formarunt Δ : ab Ægyptiis occaſione ſumtâ, apud quos litera hæc hieroglyphica erat, & Deum ſignificabat, an quia obſcura illis, per traditionem, Trinitatis notitiâ? In inſcriptionibus antiquis varia ſignans; quingenta, ſeu Dimidium mille in numeris notat. Vide Pierium *Hierogl. l.* 47. *c.* 30. & *l.* 38. *c.* 46. Muret. *var. lect. l.* 15. *c.* 19. Martin. *in Etymol.* Ex ד. *daleth* Hebr. inverſo autem Δέλτα factum Græcorum, è quo rotundato *D.* effictum. Quòd enim Scaliger rotundiorem hanc figuram Romanorum, figurâ Græcorum triquetrâ antiquiorem eſſe, ex Farneſiana viæ Appiæ columna contendit, in aſſenſum non pertrahit Voſſium, qui ſub Marco demum & Pio Antoninis monumentum illud ab Herode Attico extructum eſſe docet. Nec *D.* ſed *IC.* quingenta ſignificaſſe; pro quibus imperiti *D.* ſcripſerint, vult Franc. Gouldmannus *in Lexic. Lat. Gr. Angl.* In notis antiquorum *D. Divus*, vel *Decimus*, vel *Devotus* vel *Diebus* vel *Diutius*, vel *Dedicavit*. *D. A.* denotat *Divus Auguſtus*: D. Æ. *De Ærario*. *D Aug. Divo Auguſto*: D. B. M. *Diis bene merentibus*. D. C. P. *datum* CP. in *extr. præf. Inſtit:* apud Calvin. *Lexic. Jurid.* D. C. S. *de Conſilii ſententia*: D. D. *Decimus* vel *Dedicatio*. vide Cal. ex Magn. Sig. D. M. *Deorum Manium*, uti in antiquis libris Plinii. ubi de anagogitide gemma, *l.* 37. *c.* 11. ſcriptum eſſe, unde alii *Deorum* fecerint, monet Salmaſ. *ad Solin. p.* 1091. &c.

DAÆ, *Dahæ* Plinio, *Dai* Herodoto, pop. Scythiæ ex genere Nomadum, apud Caſpium mare incolentes. Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 728.

Indomitique Daæ, & pontem indignatus Araxes.

Lucanus *l.* 2. *v.* 295.

O ſuperi, motura Daas, ut clade Getaſque.

Δάαι etiam Steph. dicuntur. *Nic. Lloyd.* Eorum regionem à mari Caſpio incipere, & Orientem verſùs tendere, Auctores tradunt; ipſi verò cum Bactrianis ſubjugati ab Alexandro Mag. Græciæ demum innotuêrunt. Græcè Δάαι & Δάοι, unde ſervi in Comœdia nova Attica Δάοι, Latinè *Davi* dicti ſunt. Veriſimile enim eſt, Alexandrum, gente hac ſubjugatâ, frequentes in exercitu ſuo inde loci feciſſe ſervos, ac poſtea in Græciam eorum nomen & uſum tranſlatum fuiſſe. Unde apud Menandrum, Apollodorum, alios, qui poſt Alexandri Mag. ætatem fabulas in ſcena dictavêrunt. *Davi* & *Getæ* frequentia ſervorum nomina ſunt: cùm in veteri Comœdia Ξανθίαν; Λυδὸς, Φρὺξ, Τίβιος & alia hujuſmodi nomina iis impoſita legantur. Apud eosdem *Daas*, Callaïnam gemmam naſci, habet Plin. *l.* 37. *c.* 8. vide plura de iis, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 796. & *ſeqq.*

DABÆI, vide NUBÆ, niſi legendum eſt *Nabæi*, ut alibi docuimus. *Nic. Lloyd.*

DABANEGARIS, regio Arabiæ. *Plin.*

DABERETH, vel DABRATHA, & DABERATHA, civitas quæ de tribu Iſſachar data fuit Levitis. Joſ. *c.* 19. *v.* 12. Lat. *verba*, ſive *res*, vel *apes*, aut *ſubjectio*, & Syriacè *ductrix*. Inclyta refugii urbs. vide *Daberatha.*

DABIR, vel DEBIR, Rex Eglon, Joſ. *c.* 10. *v.* 3. & 38. Nomen urbis in tribu Judæ, & Simeonis, Joſ. *c.* 11. *v.* 21. quæ & *Cariathſepher*, i. e. urbs literarum: An quia ibi Chananæi characteres primùm inventi, ut Liranus vult, an quia Chananæorum hîc Academia, ut Saliano, &c. placet? dicitur Joſ. *c.* 15. *v.* 7. & 15. & *Cariathſenna*, Joſ. *c.* 15. *v.* 49. Capta à Joſua, poſtea à Calebo, Joſ. *c.* 11. *v.* 21. Jud. *c.* 1. *v.* 11. In hanc confugiebant, qui homicidium perpetrarunt. 1. *Par. c.* 6. *v.* 58. Eſt & altera in tribu Gad, Joſ. *c.* 13. *v.* 26. Lat. *oratorium*, ſive *verbum*, &c. aut Syriacè *ductor*. Aliis *Debir*, eſt civitas Amorrhæorum.

DABIRA, villula Judæorum in monte Tabor, regionis ad Diocæſaream pertinentis. In tribu Zabulon. Hieronym. *in Loc. Heb.*

DABRONA, & DAURONA, Ptol. fluv. Hiberniæ in Momonia regione, *Broodwater* nunc, olim *Aven-more*, i. e. flumen magnum, dictus. Oritur in confinio Daſmoniæ Comitatus, & per Corcagienſem Comitat. fluens, Liſmoniam rigat, dein in mare Verginium ſe exonerat, juxta Jogalliam, Sanſon. Camdeno Dabrona nunc eſt *Saveren* fluv. & Corcagiam urbem alluit, quæ quibuſdam Dabrona etiam dicitur.

DABUH, Arabibus hyæna dicitur, ſicut *Jeſef* Afris, de cujus animalis natura & captura apud Turcas, habes apud Busbequium *in Epiſtolis Legat.* ut & infrà, in voce *Hyæna.*

DABULUM, urbs munita Indiæ citer. in regno Decani, ad oſtia fluv. *Halevache*, in confin. regni Guzaratæ. Cum portu capaci, in ora Oceani Ind. ſub Luſitanis. Media inter Damanum ad Boream & Goam ad Auſtrum.

DACÆ, vide DACI.

DACHARENI, pop. Arabiæ, à Nabato *Nabatæi* dicti. vide Steph. Σημαίνει (inquit) τὸ Δαχαρηνοὶ ἀρσενικῶς, lege ἀρσενικοὺς, ut in Euſtathio habetur. *Nic. Lloyd.* Aliter *Nabatæi*, quibus nomen fecit Nabajoth, fil. Iſmaëlis primogenitus; ut ſecundus Cedar, Cedarenis: quæ ambæ gentes conjunguntur Eſaiæ *c.* 60. *v.* 7. *Omnes oves Cedar congregabuntur ad te, arietes Nebaoth tibi ſervient*: utpote rei pecuariæ famâ celeberrimæ. Extulêrunt autem ſeſe *Dacharenorum*, h. e. ἀρσενικῶν, ſeu *maſculorum* nomine Nabathæi uſque adeò, ut hodieque intima Deſerti ſui *Phelath midſchar*, id eſt, *deſertum maſculum*, vocent Arabes, tanquam ſolis maribus penetrabile. Bochart. *Hierozoici Part. prior. l.* 11. *c.* 48.

DACHEM, Civitas inſulæ Sumatræ, ad primum ejus punctum ſub quarto cum dimidio gradu Boreali, cujus Rex, omnium Regum illius inſulæ potentiſſimus eſt, & Luſitanorum hoſtis implacabilis. Joh. *Matal. Metell.*

DACHINABADES, regio Indiæ citer. ab oſtio Indi fluv. in Auſtrum extenſa. *Indoſtan*, teſte Ortel. ſeu *Malabar*, ut aliis videtur.

DACI, pop. erant *Transrhenani*, Danubio fluv. & Anartibus, ſylvæque Hercyniæ finitimi, quos olim Hungariæ partem habitaſſe plerique tradunt, & pòſt in maritima loca Norvegiæ proximè ceſſiſſe. Lucan. *l.* 2. *v.* 53.

Hinc Dacus, premat inde Getes.

Stat. l. 4. *Sylv. Car.* 2. *v.* 66. & 67.

Cùm modò Germanas acies, modò Daca ſonantem
Prælia, palladio tua me manus induit auro.

Virgil. *l.* 11. Georg. *v.* 407.

Aut conjurato deſcendens Dacus ab Iſtro.

Idem Stat.

Hæc eſt, quæ victis parcentia fœdera Cattis,
Quæque ſuum Dacis donat clementia montem.

Cur *montem* diſertè nominat? ſicut in eadem iſta re,

Tu civile nefas, tu tardum in fœdera montem
Longo Marte domas.

Quiane montana Dacia? ita eſſe ſcio: tamen opinor, in re occultius aliquid deſignari, ἑνικῶς enim & unum montem duntaxat appellitat. Aſpectum igitur à poëtâ cenſeo ad ridendam & miri ſtuporis ſuperſtitionem Dacorum, quibus Sacerdos in monte quopiam Deus habebatur, & mons ipſe ſacer. Strab. *l.* 7. Παρὰ δὲ τοῖς Γέταις ὁ ἱερεὺς ὠνομάζετο Θεὸς, καὶ τὸ ὄρος ὑπελήφθη ἱερὸν, καὶ προσαγορεύουσιν οὕτως. Diſce. Getarum populum Dacos eſſe, ex Dione ac Strabone. Etiam Appianus notat, Getas ultra Danubium à Romanis Dacos appellari. Addo etiam Cappadocibus montem pro Deo fuiſſe. Tyrius Maximus: Ὄρος Καππαδόκαις καὶ θεὸς καὶ ὅρκος καὶ ἄγαλμα. Lipſ. *ad Tac. hiſt. l.* 1. Olim Straboni *Davi* appellati. Ex quo apud Athenienſes *Davorum* nomina ſervilia. Hinc factum eſt, ut in Comœdiis ſervi introducantur *Davi* & *Getæ* dicti. *Nic. Lloyd.* Sub Regibus erant, uſque ad Trajanum, qui victo Decebalo, quem Domitiani ignavia ſuperbiſſimum reddiderat, provinciam ex Dacia fecit. A.C. 106. Poſtmodum ſuperati à Conſtantino Mag. à Gothis, Sarmatis, Hunnis, &c. Saxones dein à Carolo Mag. victi, maluerunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

runt huc commigrare, quàm victoris imperio ſubeſſe. Sævi & crudeles. A. S. Nicetа converſi dicuntur. vide Plin. *l.* 4. *c.* 12. Ptol. *l.* 3. *c.* 8. Dion. Caſſ. *l.* 68. Cluver. Eorum regio *Dacia*, quæ hodie diviſa eſt in *Tranſylvaniam*, *Zypſerlandiam*, *Ruſciam*, *Serviam*, *Septemcaſtra*, & *Bulgariam*. vide infra Cæterum uxores illorum compungi conſueviſſe, ex Val. Flacco conſtat, & Phanocle, his verſibus, de Thracum gente,

> Ποινὰς δ' Ὀρφῆι κτεινομένῳ σίζουσι γυναῖκας
> Εἰσέτι νῦν, κείνης εἵνεκεν ἀμπλακίης:

ubi, ob Orphei necem, in pœnam id factum, ait. Imò & Daci ἐστίζοντο, ſi Plinio fides, *l.* 22. *c.* 1. *maresque etiam apud Dacos corpora ſua inſcribunt.* Quam in rem vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 38. & 39. Apud eosdem, honoratiores pileatos, viliores verò comatos, fuiſſe, docet Petrus Patricius *de Legationibus*, vide quoque in vocibus *Comati* & *Pileati*. Quòd verò *Daci*, Græcè Δάκοι, iidem fuerint qui Δάοι antiquis, negat idem Salmaſ. variis rationibus, allatis, quas videre eſt ubi ſupra *p.* 795. hinc *Dacicus* denominativum, quod cognomen trophæi loco uſurparunt Romanorum aliquot Imperatores, victoriâ ex Dacis reportatâ. Juvenal. *l.* 11. *ſat.* VI. *v.* 204.

> —— *Tunc lance beatâ*
> *Dacicus, & ſcripto radiat Germanicus auro.*

DACIA Antiqua, ultra Iſtrum fuit, à Trajano, ut dictum, Imperatore redacta in provinciam, Aurelianus ejus incolas cisIſtrum tranſtulit, & inter Mœſias collocavit. Hæcque Dacia Cis-Iſtrienſis dividebatur in *Daciam Ripenſem*, quæ & Pannodacia, *Erdel*, & *Mediterraneam*, quæ nunc Tranſylvania, *Sibenburgen*, quod diſcrimen niſi obſervetur, ſumma ſæpe oritur ambiguitas. *Dacia Alpeſtris* eſt ipſa *Valacchia*. Ferrar. Baudr.

Urbes clariores Daciæ.

Acmonia.	Ramidava.
Alba, Julia.	Tiriſcum ſeu Taros.
Auguſtia.	Zarmiſogetuſa, olim metropolis Daciæ, à Trajano *Ulpia Trajana*, aliàs *Varheli* dicta.
Marcodava.	
Napuca.	
Nentidava.	Zeugina.
Patruiſſa.	Zurobara.
Phrateria.	Zuzidava.

DACIA Aureliana, ab Aurel Imp. nomen accepit. Vopiſcus in *Vita* ejus, *provinciam trans Danubium* Daciam, *à Trajano conſtitutam* --- *reliquit* --- *abductosque ex ea populos in Mœſiam collocavit, appellavitque ſuam Daciam, quæ nunc duas Mœſias dividit*: Quod ipſo vivo tantùm obtinuit. Hanc poſtea recentiores in duas provincias diviſêrunt, fecêruntque *Daciam mediterraneam*, quæ interior eſſet longiuſque à Danubii ripa remota: & *Ripenſem*, quæ ad ripam Danubii attingeret. vide Salmaſ. *Not. ad h. l.*

DACIA Petrus, vide PETRUS.

DACIANUS, Præfectus Hiſp. ſub Dioclet. & Maximiano, Chriſtianos crudeliter perſequutus eſt. Prudent. *Petr. Steph. Hymn.* 4. & 5. *in Laud.* 18. *Mari. Ceſar. Aug.* &c.

DACICIANI Milites, apud Treb. Pollion. *in D. Claudio*, *eum facias à Grato & Herenniano placari, neſcientibus hoc militibus* Dacicianis, *qui jam ſæviunt, ne graviter ferant*: Daci ſunt, ut enim *Germanus*, *Germanicus*, *Germanicianus*, unde *Germaniciani exercitus*, apud Jul. Capitol. *Clodio Albino*: *Pannon*, *Pannonicus*, *Pannonicianus*, apud Spartian. *in Severo Imp.* ſic *Dacus*, *Dacicus Dacicianus*: Salmaſ. *ad Pollion.* Sed & *Daciſciani*, legi poſſet; à *Daciſcis*, h. e. *Dacis*, quâ formâ populorum nomina efferre tunc ſolebant. Sic *Daciſci equi*, pro *Dacis*, in libro *Notitiæ*, Salmaſ. *ad Capitolin. in Maximinis* & *Trebellium*.

DACIUS, Epiſc. Mediolan. cives, ut ſtrenuè contrà Gothos defenderent, fruſtra cohortatus, expugnatâ direptâque crudeliter urbe, in Græciam ſe recepit. Obiit A. C. 555. Greg. *dialog. l.* 4. *c.* 4. Chronicon ſcripſit, Baron. *A. C.* 538. 539. 546. &c. Bellarm. *de ſc. Eccleſ.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 19. Procop. *de bell. Goth. l.* 2. Miræus. *Ferdinandus Ughel.* Hiſt. Mediolan. &c.

DACNADES vel DACNIDES Pomponio avium genus, quas Ægyptii inter potandum cum coronis devincire olim ſunt ſoliti, quæque vellicando, morſicandoque & canturiendo aſſiduè, non patiebantur dormire potantes. Heſych. Δακνίς, εἶδος ὀρνέου. Nempe ἀπὸ τοῦ δάκνειν, quod *morſicare* eſt, nomen accepêre. vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. l.* 3. *c.* 44.

DACRIANUS, Abbas Benedict. circa *ſec.* 8. Scripſit ſpeculum Monachorum, & Documenta vitæ ſpiritualis, Vol. 5. Bibl. PP. Poſſevin. *in Appar. ſacr.*

DACTONIUM, opp. Callaicorum Lucenſium, in Hiſp. Tarracon. *Montforte de Lemos* hodie, opp. Gallæciæ, ad fluv. *Cabe*, Brietio, Sanſoni. 10. leuc. à confin. Aſturiarum in Occid. 10. à limite Portugall. in Boream, 16. à Ripavia in Auſtr. Baudr. long. 11. 50. lat. 42. 15.

DACTYLI, Græcè Δάκτυλοι, recentioribus Græcis dicti ſunt, quos *balanos palmæ* vocat Plin. *l.* 13. *c.* 42. Ita enim propriè appellati palmæ communis fructus; abuſivè poſtea qualibet palmulâ ſic nominatâ. Unde hodieque Ægyptiis arbor βαλανηφόρος, *dactylifera*, *Dachel* dicitur, quod ex Δάκτυλος deflexum eſt. Propriè itaque hujus communis palmæ & Ægyptiæ pomum appellarunt Veteres βάλανον, recentiores δάκτυλον, utrumque à figura; *prælonga* ſc. *gracilitate*, ut habet idem Plin. quo pacto glans iſta palmæ exilior & procerior, ad inſtar *digitorum*, nomen hoc meritò ferat. At pomum caryotiferæ palmæ citrium malum maximum exæquans formâ & magnitudine, longè ab hac glande & dactyli imagine ac ſignificatione recedit; Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1320. & *ſeqq.* Nempe δάκτυλος, primo ſignificatu *digitus* eſt: unde *Dactyli Idæi* & *Digiti Idæi*, iidem, uti infrà videbimus. Indidem δακτύλιος, *digitulus*, apud Ariſtoph. Θεσμοφοριαζ.

> Πρὸ τοῦ μὲν οὖν ἦν αὐτ' ὑποῖξαι τὴν θύραν
> Ποιησαμέναισι δακτύλιον τριωβόλου.

Ubi voce hac indigitatur digitulus ferreus ſeu uncinulus, quo in foribus dolo aperiendis fures ac ſuppilatores hodieque utuntur, *Luſciniolos* Galli vocant. Dicere nempe volunt feminæ illæ apud Comicum, antequam ſignacula foribus appenderentur, potuiſſe ſe facto digitulo ferreo triobolari ſubaperire fores, etiam Laconicis clavibus, quæ tamen vaferrimi inventi erant, clauſas, & quæ vellent cunque viris inſciis ſuffurari. Item *annulus*, qui digito inſeritur. Unde *Dactyliotheca*, ex Græco Δακτυλιοθήκη, annulorum iſtiusmodi repoſitorium; de qua ſonat Mart. in apophoret. *Epigr.* 123.

> *Sæpe gravis digitis elabitur annulus unctis:*
> *Tuta mea fiet, ſed tua gemma fide.*

Cujuſmodi *dactyliothecam* primus omnium habuiſſe privignus Syllæ Scaurus Romæ legitur, apud Plin. *l.* 37. *c.* 1. Gorlæi verò *Dactyliotheca* libri nomen eſt, ut notum: quemadmodum Menandri fabularum una, Δακτύλιον dicta, memoratur Athenæo *l.* 6. quam Plaut. cùm vertere vellet, *Condalium* nominavit, à voce priſca *condalus*, i. e. *annulus*, ex Gr. κόνδυλος, quod *digiti articulum* ſignificat &c. vide Joh. Kirchmann. *de Annulis c.* 1. & de corona è *Dactyli* gramine, Car. Paſchal. *Coronarum l.* 1. *c.* 15.

DACTYLI Idæi, iidem qui & *Curetes*, & *Corybantes*: de quibus ſuis locis, ut & infrà, ubi de *Dactylicis tibiis*.

DACTYLICÆ Tibiæ, ad ὑπορχήματα olim adhibitæ, ſicut Spondaicæ ad hymnos Deorum, inæqualia habuêre intervalla, qualia ſunt in temporibus *dactyli* pedis, unde iis nomen. Jul. Cæſ. Scalig. *Poetic. l.* 1. *c.* 20. Inventum autem *dactylus* Idæorum Dactylorum dicitur Diomedi Gramm. verbis his, *Hi namque in inſula Cretæ Jovem cuſtodientes ne vagitu ſe parvulus proderet, luſus excogitato genere, clypeolis æneis inter ſe concurrentes, tinnitu æris illiſi, rhythmicâ etiam pedis* dactyli *compoſitione, celavêre vocem infantis.* Quæ cauſa, quòd Muſicæ ſtudium ex Creta Inſ. ortum fuiſſe, vult Solin. *c.* 11. ad quem locum vide Salmaſ. *p.* 171. Indidem Δάκτυλος dicta eſt pars quinta & ultima Πυθικοῦ Νόμου, in quo argumenti ratio ac tractus totus Apollinis pugnam, quinque partibus conſtantem, complectebatur; Erant autem illæ Ἀνάκρουσις, Ἄμπειρα, Κατακελευσμὸς &c. poſtrema Δάκτυλος, à temporum numero; ab imitatione verò ſibilantis inter moriendum ſerpentis, σύριγξ quoque dicta. vide eundem Scalig. ubi ſuprà *l. eod. c.* 24.

DACTYLIOMANTIA, Græcè Δακτυλιομαντεία, divinatio quæ *annulo* peragebatur. Cujus exemplum inſigne apud Amm. Marcellin. extat *l.* 29. ubi de Valentis ſucceſſore à Patricio & Hilario ſic quæſitum refert: *Conſtruximus* —— *ad cortinæ ſimilitudinem Delphicæ, diris auſpiciis, de laureis virgulis, infauſtam hanc menſulam* —— *& imprecationibus carminum Secretorum, choragiisque multis ac diuturnis ritualiter conſecratam tandem. Movendi autem* —— *erat inſtitutio talis. Conlocabatur in medio domus, emaculatæ odoribus Arabicis undique lance rotundâ purè ſuperpoſita, ex diverſis metallicis materiis fabrefacta: cujus in ambitu rotunditatis extremo elementorum* XXIV. *ſcriptiles formæ inciſæ perite disjungebantur, ſpatiis examinatæ dimenſis. Has linteis quidam indumentis amictus, calceatusque itidem linteis ſoccis, tonſo capite circumflexo, verbenas felicis arboris geſtans, litato conceptis carminibus Numine, præſcitionum auctore, ceremoniali ſcientiâ superſiſtit,* penſilem annulum librans arctum, *ex Carpathio filo perquam levi, myſticis diſciplinis initiatum: qui per intervalla diſtincta retinentibus, ſingulis literis incidens ſaltuatim, nervos efficit verſus interrogationibus conſonos, ad numeros, & modos plenè concluſos, quales leguntur Pythici vel ex oraculis editi Branchidarum. Ibi tum quærentibus nobis, qui præſenti ſuccedet Imperio quoniam omni ex parte expolitus fore memorabatur,* adſiliens annulus duas perſtrinxerat ſyllabas: *& cum adjectione literæ poſtrema exclamavit præſentium quidam,* Theodorum *præſcribente fatali neceſſitate portendi. Nec ultra ſuper negotio eſt exploratum; ſatis enim apud nos conſtabat, hunc eſſe qui poſcebatur. Cumque totius rei negotium ita ſignatè ſub oculis Judicum ſubjeciſſet, adjecit benevolem, id Theodorum penitus ignorare. Poſthac interrogati, an ex fide ſortium, quas agitabant, ea præſcierint, quæ ſuſtinerent, verſus illos notiſſimos ediderunt, clarè pronuntiantes, capitalem eis hanc operam ſcrutandi ſublimiora citò futuram; nihilominus tamen ipſi quoque cum cognitoribus? Principi* —— *furias, imminêre: quorum tres ponere ſufficiet ultimos,*

> Οὐ μὴν ἀτιμώρητοί γε σὸν ἔσσεται αἷμα, καὶ αὐτοῖς
> Τισιφόνη βαρύμηνις ἐφοπλίζουσα κακὸν οἶτον,
> Ἐν πεδίοις, Μίμαντος ἀλλὰ καιομένοιο κάρη.

lege quoque *l.* 31. ubi Valentem verſum hunc ultimum, quod eſſet inconſummatus & rudis, inter initia quidem contempſiſſe, poſtea verò ejuſdem ſortis recordatione Aſiæ nomen; ubi Erythræo opp. montem Mimanta ſuppoſitum, doctis referentibus ex Homero & Cicerone, didiciſſet, horruiſſe notat. vide quoque ſuprà ubi de *Annulis*.

DACTYLIOTHECA, vide paulo ſuprà, nec non ubi de *Annulis*.

DACTYLIS, ſculptor inſignis, cujus laudata opera in hortis Servilianis haberi refert Plin. *l.* 36. *c.* 5.

DADA, urbs Piſidiæ, *Adada* Ptol. *Adadata* Straboni.

DADAI, montes Indiæ, olim Cleopidis regiæ propinqui.

DADAN, vel DEDAN, filius Jecſan. Gen. *c.* 25. *v.* 3. & filius Regma. Gen. *c.* 10. *v.* 7. i. e. *mamilla, dilectio, patruus*, vel *judicans*.

DADAS, vide THEMISSAS.

DADASTANA, Bithyniæ urbs. *Ptol.*

DADDALA, vide DÆDALA.

DADES, Cypri prom. *Ptol.*

DADICÆ, pop. Scythiæ Aſiaticæ. Herod. *l.* 4. Steph. ſunt pop. Perſiæ ex Herod. *l.* 7.

DADO, vel AUDOENUS, Arch. Rotomag. in aula Dagoberti I. ma-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

magni habitus. Obiit A.C.677. Vitam ejus verſibus ſcripſit Frigedodes, Angl. De ſcriptis illius, vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.2. c.26.p.266. & c. 40. p. 346.*

DADOCERTA, Caſtell. magn. Armen. *Steph.*

DADUCHI, Gr. Δᾳδοῦχοι, Lat. *Faciferi*, & Ἱεροφάνται Δᾳδοῦχοι, *Doctores ſacrorum faciferi*, recepta in ſacris Cereris ſeu Theſmophoriis olim vocabula, Jul. Pollux *Onomaſt. l. 1. c.1. n.31.* Sic Calliam Cereris Sacerdotem Δᾳδοῦχον vocat Plutarch. *Ariſtide*. Stat. *l. 4. ſylv. 8. v. 657.*

Tuque Actæa Ceres, curſu cui ſemper anhelo
Votivam taciti quaſſamus lampada myſtæ.

Origo ritus ab exemplo Cereris quæ ſub noctem quærendæ filiæ laborem, accensâ face, exorſa eſt: unde ſive locata ſive picta, ſemper cum face cernitur. Martian. *de Nupt. l.2. In eo ſiſtra Nilotica, Eleuſiniaque lampas.* Et Dianæ Segeſtanæ ſimulacrum dextrâ facem præferebat. Lact. Firmian. *l. 1. c. 21. Quia facibus ex Ætnæ vertice accenſis Proſerpinam Ceres quæſiſſe in Sicilia dicitur idcirco ſacra ejus ardentium tædarum jactatione celebrantur.* Cum iſtis faculis itaque, luto & furfure obliti currebant, obſervante Brodæo. Nec unus geſtabat facem, ſed currentes ſibi mutuò tradebant, hoc modo: Unus ab ara facem accenſam manu comprehendens ad certum in templo locum currebat, quò cùm perveniſſet, alteri ſucceſſuro & ſimiliter curſuro eandem tradebat, cum verbis, *Tibe trado*, i.e. *Tibi*. Quod tamen non de ſacris Cereris tantùm intelligendum; Athenienſes enim tria alia feſta cum facibus ſeu lampadibus agebant; Panathenæa; Vulcanalia & Promethea: primusque iis, in ſacrificiis uſus Vulcanus fertur, quòd is ignis uſum primus reperiſſet & mortalibus oſtendiſſet, ut ſcribit Iſter apud Suidam in voce λαμπάδος. Imò in omnium ſacerdotum initiationibus, earum uſum viguiſſe, diſcimus ex Heliod. *l. 9.* Interim communior & receptior conſuetudo fuit, in Cereris Myſteriis faces geſtare. vide Th. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l. 2. c. 11.* Hinc itaque inter ſymbola Eleuſiniorum ſacrorum, *Hierophantæ*, Δᾳδοῦχοι, *Præcones*, Alii, recenſentur Clem. Alex. quem laudat Salmaſ. *ad Solin.* ubi multa hanc in rem. Atque hi Miniſtri erant perquam honeſti; ſicut contrà contemti vileſque οἱ Μητραγύρται, i. e. *famuli Idææ Matris*, de quibus vide infrà, in voce *Metragyrtæ*; aliquid etiam, ubi de *Numenio Nigrino*: plura in voce *Eleuſis*. Eſt autem δᾲς, unde voci origo, propriè τὸ λιπαρώτατον ξύλον, *pinguiſſimum lignum*, pini & piceæ, id quod, multo unguine piceo imbutum ac plenum, eò cædebatur ad lumina accendenda & faces, in Sacris inprimis, quas inde δᾷδας quoque appellarunt, Salmaſ. ubi ſuprà *p. 505.* Unde & in Nuptiis Δᾳδοφόροι Græcis vocitati ſunt, qui cum facibus Sponſam ad lectum uſque antecedebant, uti dicemus infrà, ubi de *Nuptiis* &c.

DADUCUS, maximus Sacerdos Herculis apud Athenienſes. Alex. ab Alex. *l. 2. c.8.* Aliis Δᾳδοῦχοι ſunt, qui in Eleuſiniis Cereri faces ferebant, vide ſuprà.

DADUS, Alberto Acariſio, qui Latinè *Datus* Gallis *dé*, teſſera videtur eſſe à *dando*, quòd, qui in ſcrupulis calculum promoverat, *dare* dicebatur. Ovid.

Tu malè jactato, tu male jacta dato.

Et Auſon.

Narrantem fido per ſingula puncta recurſu
Quæ data per longas, quæ revocata moras.

vide infra in *Decius*, item in verbo *Dare*.

DÆDALA, mons & urbs Lyciæ, *Urlic*, à *Dædalo* ibi ſepulto cùm eum coluber aquaticus ex amne Nino in paludem, in quam Dædalus commeabat, egreſſus momordiſſet. Plin. *l.5. c.27.* Quanquam Diod. *l. 5.* eum in Sicilia à Cocalo Rege ſuffocatum tradit. Cariæ attribuit Ptolom. item Demoſth. *in Bithyniacis*, Δαίδαλα Μαυζωλῶν, ubi Μαυζωλοὶ ſunt Cares, uti adnotat Salmaſ. *ad Solin. p. 782.*

DÆDALA, Rhodi civitas, ſive regio; alia Indiæ, & alia Cretæ. *Ptol. Steph.*

DÆDALI, montes Ind. citer. ad Indum fluv. *Amy* Boccatio, ſupra Niſam urbem.

DÆDALIA, urbs Italiæ, à *Dædalo* condita. *Steph.*

DÆDALIDE, tribûs Cecropidis in Attica vicus. *Steph.*

DÆDALION, Luciferi fil. Ceycis frater, filiam Philonidem; ſeu Chionem habuit, cum qua unâ nocte concubuêrunt Apollo & Mercurius, & ex Apolline Philammonem, ex Mercurio Autolycum peperit. Hygin. Hujus mortem, cui linguam Diana telo transfixerat, tam ægrè tulit, ut è Parnaſſi culmine ſe præcipitem dederit, ab Apolline in falconem commutatus. Ovid. Metam. *l.11. f.8.*

Cum ſe Dædaliôn ſaxo miſiſſet ab alto,
Fecit autem, & ſubitis pendentem ſuſtulit alis,
Oraque adunca dedit, curvos dedit unguibus hamos,

DÆDALUS, faber Athenienſis, Micionis fil. artificum omnium ſuæ ætatis ingenioſiſſimus, ut qui primus ſerram, aſciam perpendiculum, terebram, glutinum, & lithocollam dicatur inveniſſe, primuſque omnium vela, & antennas navi impoſuiſſe: Unde fortè fabula *alarum Dædali*, nam Virgil. *l. III. Æneid. v. 520. Velorum pandimus alas.* & alibi: *Remigio alarum.* Statuis quoque immobilibus oculos induxit, & abditis quibuſdam nervis effecit, ut huc atque illuc moverentur, adeò ſcitè, ut ſpectantibus vivere viderentur. Hinc famam meritus, viſo, ex fratre nepotem rotam figulinam inveniſſe, ne ab illo ingenio olim vinceretur, timens, de feneſtra miſerum præcipitavit, fugâque cum filio Icaro ad Minoëm ſe recepit, Cretæ Regem. Hîc Labyrinthum conſtruxit multiplici & intricatâ viarum perplexitate irremeabilem, in qua ipſe unà cum Icaro filio à Minoë fuit incluſus, eo quòd vaccam ligneam feciſſet, cui incluſa Paſiphaë tauro ſe commiſcuerat. Quare cùm terrâ marique effugium ſibi negatum videret, fugam ſibi per aërem tentandam duxit. Aſſimulans itaque ſe munus conficere velle, quò Regis animum placare poſſet, pennas & ceram popoſcit, quibus impetratis, ſibi, & Icaro filio alas confecit, atque è Creta evolavit. Quod propterea confictum, quia tam ingenioſâ ſe fugâ liberavit, ut alis evolaſſe crederetur. Deinde & Cumas delatus eſt, ubi Apollini templum erexit. A Cocalo Siciliæ Rege benignè exceptus, mox Minois iram verito, in balneo ſuffocatus eſt. Diod. Sic. *l. 4.* Euſeb. *A. Abrah. 726.* Pauſ. *l. 7.* Ovid. *Metam. l. 8.* Plin. *l. 7. c. 56. & l. 36. c. 13.* Hygin. Apollod. &c. vide *Icarus*. Lucian. *in l. de Aſtrol.* ſcribit, Dædalum fuiſſe Mathematicum, & filium Icarum docuiſſe Aſtrologiam, ſed eum juvenili ardore & perſuaſu Doctrinæ elatum aberraſſe à vero, & decidiſſe in mare rerum immenſæ profunditatis. vide Diod. *l. 5.* Hinc adjectivum *Dædalus*, ut *Dædala*, *tellus* apud Lucret. pro terra floribus variegata. *Dædala tecta*, apud Virgil. pro domibus artificioſè elaboratis. Item *Dædalæus*, ut apud Horat. *l. IV. od. 11.* in initio.

Pindarum quisquis ſtudet æmulari,
Jule, ceratis ope Dædalâ
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.

Idem,

Jam Dædalæo ocyor Icaro.

Item *Dædaleus*. Propert. 2. 15.

Dædaleum Lino cum duce rexit iter.

Nic. Lloydius.

DÆMOGORGON, Lat. dicitur *Deus terræ* (nam Dæmon, *Deus*, ut ait Lactant. gorgon, *terra*.) ſeu potius *ſapientia terræ*; quo nomine veteres intelligebant Naturam, rerum omnium matrem & altricem.

DÆMON, à Græco Δαίμων, quaſi Δαήμων, i. e. *ſciens*. Ita, Plato *in Cratylo*. Lactant. *l. 2.* & Chalcidius *in Timæum Platonis*, *Dæmones* genii ſunt, μυσαγωγοὶ τοῦ βίου, ut Menander inquit. *Domini Vitæ*; *Lares* Cicer. aliis etiam *Manes* ac *Lemures*: Genii boni, & mali, qui ἀλάστορες ſunt ac Diaboli. Cæterùm de varia hujus vocis ſignificatione vide Dauſqueium *in Baſil. Seleuc. p. 62. & ſeqq.* Porro Aſtrologis *Dæmon* appellatur undecimus ab Horoſcopo locus, ἀγαθοδαίμων Græcè dictus. Julius Firmic. *l. 2. c.19.* Ut de *Dæmonibus malis* Gentilium aliquid addam, illis Oracula adſcribere Porphyr. diſcimus ex Euſeb. *Præparat. Evang. l. 4. c. ult.* ubi Porphyr. aſſerit, *quæcunque Oracula ullibi reddita fuêrunt, ea non per Deos ſed per* malos Dæmonas *reddita: quorum Principem ait eſſe Serapim.* Atque hinc cauſam deducit, unde homines per Oracula illa fallantur, imò ad omnia prava ac ſceleſta, homicidia, adulteria &c. perducantur, nihil adjumenti verò ſed plurima nocumenta ac damna creduli homines per ea ſemper acceperint. vide Ant. van Dalen *De Orac. Ethnic. Diſſertat. 1. p. 22. & 23.* Quam Porphyrii ſententiam Chriſtiani veteres amplexi ſunt plerique Athenagor. Origen. Euſeb. ipſe, Firmic. Alii. vide Tertullian. *Apologet. c. 22.* & Minuc. inprimis Felic. in *Octavio*. Certè, vox, quanquam in medio ſignificatu ab antiquis crebrò uſurpetur, tàm de bonis quàm de malis Geniis ſeu Angelis, unde Stoici illos definierunt οὐσίας ψυχικάς *Subſtantias animales*, apud Plutarch. *de placit. l. 1. c. 8.* tamen contendit Euſeb. προπ. *l. 4. c.3.* & ex eo Danæus, vocem Δαίμων in malam ſemper partem ſonare, undecunque demum ejus origo arceſſatur. Notus parentum primorum error, qui à Satana ad majorem ſcientiæ gradum affectandum ſeduci ſe paſſi ſunt, unde ipſe Dæmon ſimili peccato ſe perdidiſſe arguitur. Dicantur ergò *Dæmones*, quaſi Δαήμονες, erunt idem quod ידעני Levitici *c. 20.* Imò ipſe Apollo, id eſt, Δαίμων interrogatus, quomodo ſibi ſupplicari velit, reſpondit,

Πάνσοφε, παιδοδίδακτε, ἐνολοισεφθε, κέκλυθι Δαίμων.

Et σοφὲ Δαίμων, apud Lactant. *l. 1. c. 7.* Eandem ob cauſam *Dæmonum* inventa Aſtrologia & Aruſpicina & Auguratio & Oracula & ars Magica, ac mille Divinationis ſpecies ſunt. Interim mavult eos Euſeb. προπαρ. *l. 4. c. 3.* ſuprà laudato, à δαιμαίνειν, i. e. *terrendo*, nuncupatos, unde & in S. Scriptura שעירים appellantur. Utrumque non ſine ratione conjungit Georg. Horn. *Hiſtor. Philoſ. l. 1. c. 2.* ubi plura in hanc rem. Sunt autem *Dæmones*, Moſaicis temporibus jam in Palæſtina culti: Namque Deuteron. *c. 32. v. 17.* ut grande peccatum refertur, *Sacrificium Dæmonibus factum*, ubi vox in Hebr. eſt לשדים *Laſchedim*, quam LXX. reddunt δαιμονίοις, Vulgata ſimiliter, item Vatablus, Junius, alii, *Dæmonibus* vel *Dæmoniis*: origo eſt à שדד *abolevit*, *perdidit*, *vaſtavit*. Levitici quoque *c. 17. v. 7.* interdictum reperitur, Ne ſacrificetis לשעירם *Laſchirim*, ubi LXX. vertere ματαίοις, hoc eſt, *vanis*, *futilibus*, ſive *non Diis*. Sed Aquila magis inſtitit vocis proprietati, reddit enim τετριχιῶντες, uti Ar. Montan. *piloſos*; quia hirſuti ſunt ſordidique. Et certè per *hircos* hos etiam *Dæmones* intelligunt R. David Kimchi *Radic.* & Maimonides *More Nevochim l. 3. c. 47.* cauſam adferentes, quia Satanas præcipuè in hirci figura ſe hominibus ſoleat offerre. Unde Gentiles & inter Numina retulêre Faunos ſive Ægipanas: pro quo *Capripedes Panes* ait Propert. *l. 3. Eleg. 17.* uti *Capripedes Satyros* Lucret. *l. 4.* Nec ſanè alii ab his Sileni &c. vide infra. Ex Gentium Scriptoribus, apud nullos de Spirituum cultu tam multa reperias, quàm apud Platonicos, quorum opinio erat, *Spiritus procurari certis precatibus*, ut habet Apulejus *de Deo Socratis*. Sed in quæſtione eſt, ùtrùm bonos coluerint Spiritus, an malos: Et certè, quin propoſitum iis fuerit bonos venerari, nullum eſt dubium; ſed præ bonis ſe mali Spiritus oggeſſerunt. Boni enim cultum ejusmodi, ut Deo proprium, averſabantur: & agnoſcit Porphyr. eos, quibus ſacrificarent, libamine carnium delectari, imò fumigatione nidoreve vivere ac pingueſcere; quæ ridicula quidem ſunt, interea tamen, cujuſmodi coluerint Spiri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

tus, oſtendunt &c. Spiritus quoque illos, qui Delphico & cæteris oraculis præſiderent, malos fuiſſe, hinc conſpicuum eſt, quòd ludos, lectiſternia & alia, nunc Jovis, nunc Apollinis, nunc aliûs Numinis honori, exegêre. Quò ſpectat & μυςικὴ Veteribus θυσία, *myſticum* ſive *arcanum ſacrificium*, ſic enim in Chriſtianorum opprobrium (quibus ita Euchariſtiæ Sacramentum dicitur) nominarunt abominandum ſacrificium ſuum; quantum colligere eſt ex ſermone illius Thracis, apud Michaëlem Pſellum *de operat. Dæmon. p.* 18. Quo in ſacrificio quandoque etiam mactabatur (dictu horrendum) infans materno exſectus utero, uti legas apud Baptiſtam Carmelitam *invita S. Catharinæ*, & multo jam antè apud Lucan., *l.* 6. *v.* 562.

Vulnere ſi ventris, non qua Natura vocabat,
Extrahitur partus, calidis ponendus in aris &c.

Sed & hodie in Oriente Calecutenſes, Deum quidem Mundi conditorem agnoſcunt, *Temerani* eum appellantes; interim eum ajunt, quò curæ expers mundanæ ſuaviùs vitam ageret, Vicarium Orbi regundo præfeciſſe *Dæmonem* nomine *Deumum*: cujus ſimulacrum quàm horribile habeant, & quomodo Sacerdotes, qui illis *Bramini* dicuntur, ſacra faciant, legere eſt apud Lud. Varromann. Patric. Rom. *Navigat. l.* 5. *c.* 2. Japoni etiam *Dæmoni* fana extruunt luculenta, cui Reges illorum in prœlium ituri magnam pecuniæ vim vovent, vota etiam plebeji, in periculo conſtituti ſimpliciter faciunt. Similis cultus in India Occid. ubi Mexicanis nulla quidem ſolicitudo alterius vitæ eſt: pro bonis tamen temporalibus *Dæmoni* ſupplicant: tum etiam, ne noceat ſaltem, Acoſta *rer. Americ. l.* 5. *c.* 27. De Tapujis vide infra, aliiſque gentibus ejuſdem Indiæ, apud Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 8. Addam tantùm ex medio ævo, de Saxonibus priſcis, & illis *Dæmonas* fuiſſe cultos. Iis namque, ante tempora Caroli Mag. præter Finnum Deum & Deam Sibam, malus Deus, quem *atrum* ajebant, colebatur, ne noceret, ut eſt apud Georg. Fabric. *Orig. Saxon. l.* 1. Similiter Ungaris eandem ſuperſtitionem fuiſſe, legimus: quorum etiam Rex Vata, in Belo oppido natus, ſe iis devovit, honori illorum caput more Scythico raſit, tres cincinnos pagano ritu pendulos demiſit, ut hodieque Turcis eſt conſuetudo, vide Anton. Bonfin. *Ungar. l.* 12. Atque hic apertus *Dæmonum* cultus eſt; præter quem alter eſt, uſque adeò occultus, ut ipſi, qui eum colunt, neſciant: ac propterea vel mortem potiùs oppetant, quàm ut hujusmodi quid profiteantur. Tales nempe, qui multa videntes agere alios ex pacto cum Diabolo, ea ipſi citra pactum, ſaltem expreſſum, imitantur; ſic quoque reſpondente eventu: Item, qui iſta ab aliis pacti neſciis didicêrunt, ac tam miranda fieri putant, non vi dæmoniacâ, ſed Naturæ: quippe longè potentioris, quàm vulgò credatur. Quò referendi, qui res vim humanæ poteſtatis exſuperantes agunt verbis aut characteribus quibusdam ignotis, quibus fortaſſe Diabolorum nomina & eorum invocationem ſignavêre illi, qui primi illis ex pacto cum Dæmone uſi ſunt. Plin. *l.* 28. *c.* 1. *Dixit Homerus, profluvium ſanguinis vulnerato femore Ulyſſem inhibuiſſe carmine; Theophraſtus Iſchiadicos ſanari; Cato prodidit, luxatis membris carmen auxiliari, M. Varro podagris.* Unde Vindicianus Comes Archiatr. ad Valentin. Imper. apud Marcell. Empir.

Gramine ſeu malis ægro præſtare ſalutem,
Carmine ſeu potiùs. Namque eſt res certa, ſaluti
Carmen ab occultis tribuens miracula rebus.

Nec ignotæ ſunt Magicæ medendi formulæ, inter quas *Abracadabra* inprimis (unde Baſilides ſuum *Abraxas*, quem pro ſummo Numine coluit, hauſiſſe videtur) apud Cœl. Aurelian. *in Chron. c.* 1. Myrepſ. *ſect.* 2. *antidot.* 298. 405. 419. *& alibi*, ac apud alios, ſed hac de re plura vide apud Voſſ. *ubi ſuprà*, adde Barth. *Animadverſ. ad Stat.* paſſim. & quæ dicemus voce *Magia*, uti de *Dæmonum lapſu*, etiam Ethnicis non ignorato, *Optioncus*; eorum reſponſis, *Oracula*. Hinc *Dæmoniaci*, apud Agobard. *Epiſt. ad Barth.* iidem, qui aliâs *Energumeni*, Δαιμονάεροι, Nicetæ *in Iſaacio Angelo*: κατεχόμενοι ὑπὸ δαίμονος, Strab. χειμαζόμενοι, in Concil. Ancyr. *can.* 16. h. e. *tempeſtate jactati*, uti reddidit Iſidor. Mercat. quo loco Cellot. *Hierarch. l.* 6. *c.* 19. §. 1. Χειμαζομένους cenſet eſſe *pœnitentes*, qui extra Eccleſiam ſtabant, pluviæ & hyemi obnoxii, in quos tempeſtates & aëris injuriæ omnes depluebant. Sed Pœnitentes, etſi extra Eccleſiam, ſtabant tamen ſub porticu, non ſub dio, uti apud Car. du Freſne vidêre eſt.

DAES, Colonis oriundus, Hiſtoric. *Strab.* Voſſ *l.* 4. *p.* 511.

DÆTA, Thyeſtis ſoror, cum quâ congreſſus Thyeſtes Enorchum Dæmonem ſuſtulit. *Rhodig. l.* 7. *c.* 13.

DÆTAS, pater Macherei ſacerdotis illius Delphici, qui Pyrrhum Achillis filium interfecit. Vide Pind. *Schol.*

DÆTOR, vir Trojanus apud Hom. *Iliad.* ϑ.

DAGALESSUS, Armeniæ min. urbs. *Anton.*

DAGASAIPHUS, Conſ. cum Severino, A. U. C. 1214.

DAGASCALCI, ſeu DAGESCALCI, inter miniſtros Monaſteriorum, *foris ubique per villas poſitos*, recenſentur, in *Charta* Henrici IV. Imp. A. C. 116. apud *Zylleſium.*

DAGASIRA, locus Carmaniæ ad mare. *Arrian.*

DAGEL, vide GALLIUS TUSCUS.

DAGHESTANIA, prov. Aſiæ, prope mare Caſpium, cujus incolæ Tartari proprios habent Principes, inter ditiones Regis Perſiæ & magni D. Moſcoviæ. Extenditur ad 40. leuc. Germ. eſtque pars Albaniæ antiquæ. Ejus urbs prim. *Tarku*, *Olear.*

DAGHOA, Inſ. Livoniæ, in mari Balt. prope Oſilam, cui ad Boream adjacet, ad oſtium ſin. Rigenſis, ubi opp. *Paden* & *Dageroort*, in parte Auſtr. Sub Sueciæ Rege Vulgò *Dago.*

DAGOBERTUS I. fil. Clotarii II. ex Bertrude, IX. Rex. Franciæ. A. C. 628. cùm vivo Patre Rex Auſtraſiæ eſſet, ab A. C. 622. Ariberto fratri inſigne apennagium conceſſit, quod, illo mortuo, brevi recepit. Thuringiâ à Dalmatis infeſtatâ, fil. Sigebertum Auſtraſiæ Regem creavit, qui Barbaros fortiter repulit. Vicit dein Britones, & Vaſcones rebelles, pace Galliæ redditâ. Ultrajecti conditor, A. C. 642. Obiit A. C. 644. æt. 42. Primus Auriflammâ dicitur uſus, ſed vagis amoribus virtutes polluit. Repudiatâ, ob ſterilitatem, Gomatrude, *Nantildam è Monaſterio raptam ſibi junxit*, Aimon. *l.* 4. *c.* 19. quamvis Chronicon manuſcriptum Bezæ, in Biblioth. Regia habeat, *Miniſterio.* Ex hac Clodovei II. parens, ſicut ex Ragnetrude Sigeberti III. Auſtraſiæ Rege &c. Fredegar. *Chron. l.* 17. *& ſeqq.* Henſchen. *de* 3. *Dagobertis.*

DAGOBERTUS II. cognom. *Junior.* fil. Childeberti Juſti, A. C. 711. in nomen Regis, non regnum ſucceſſit. Pipino Craſſo A. C. 714. mortuo, nepos ejus Theobaldus Præfectum palatii ſe fecit, cujus avia Plectrudis, omnia gubernare volens, Carol. Martell. generum Coloniæ in vinculis tenuit. Ex alia parte Rainfredus, à quibuſdam electus, cum Ratbodo Friſone fœdere inito, ſub Dagoberti nomine, omnia miſcuit. Obiit hic A. C. 716. ex Clotilde, Theodorici pater. Greg. Tur. *app. c.* 103. Aimon. *l.* 4. *c.* 49. 50. 51. *&c.*

DAGOBERTUS, fil. Sigebertii III. Auſtraſiæ Rex, à perfido Grimoaldo raſus, ut hic filium ſuum in thronum eveheret. Vide *Childebertus.* Item, fil. Chilperici, ex Fregedonde. Obiit A. C. 580.

DAGON, idolum Philiſtinorum, cecidit coram arca, 1. Sam. *c.* 5. *v.* 4. *Dagonem*, & *Atergatim* idem fuiſſe numen docti aliqui ſtatuunt, adeoque *Atergatin* corruptè ſcribi pro אדיר דג *addir dag*, h. e. *magnifico piſce*, vel אדיר דגון *addir Dagon*, *magnifico Dagone.* Sed Bocharti judicio potior eſt Veterum ſententia, quâ Dagon & Atergatis vel Aſtarte planè diverſa ſunt numina. Quod planum ex Theologia Phœnicum, apud Philonem Byblium, ubi Dagon frater eſt, & Aſtarte Saturni uxor. Ibidem Dagon redditur Σίτων *Frumentarius*, quia דגון *Dagon* Ebræis eſt *frumentum*, & additur cauſa nominis; Ἐπειδὴ εὗρε σῖτον καὶ ἄροτρον, ἐκλήθη Ζεὺς ἀρότριος. *Nic. Lloydius.* Judic. *c.* 16. *v.* 23. Et certè, qui piſcis habuiſſe formam idolum hoc volunt, Rabbinis Doctoribus uſi dicunt, ab umbilico deorſum versûs piſcem, ſurſum hominem extitiſſe, quod colligunt ex ſicque per hunc Deaſtrum Philiſtæorum Neptunum vel Tritonem intelligunt. Et certè, ſi verum eſt, quod de Oanne animali bicipite, ex mari Erythræo emerſo & Babylonem quotidie perveniente, ubi omnifarias artes, literas, agriculturam, ædium conſecrationes, architecturam & leges Politicas homines docuerit, occidente verò Sole in Oceanum reverti ſolito, Beroſ. Apollodor. & Polyhiſtor referunt, probabile eſt Satanam in forma piſcis appariuſſe hominibus, & ut divinitatis ſibi conciliaret Famam, magnam eruditionem ac ſapientiam præ ſe tuliſſe, unde tandem ſub *Dagonis* nomine cultus, & *Adardag*, i. e. *magnificus Dag* dictus eſt. Certè non abſimili modo Triton deſcribitur,

Frons hominem præfert, in piſcem deſinit alvus.

Pierius *Hieroglyph. l.* 1. *c.* 28. Secundùm Voſſ. complexu ſuo is continebat tum Lunam ſive Lunum, ut principium activum; tum Mare, ut paſſivum. Ratione prioris maſculum erat Numen Hebræis, ac ſimiliter LXX. Hinc & Sanchoniathonis Interpres Philo, apud Euſeb. *Præpar. l.* 1. Δαγὼν ὅ ἐστι Σιτών, *Dagon qui eſt Siton*, ubi unum ex quatuor eum Cœli filiis facit ac credit ei nomen eſſe, à דגן *dagan* i. e. *frumentum*; ſed de iſto fallitur, quia planè à דג *dag* h. e. *piſcis*: ut meliùs dicturus fuerit Ἰχθυών, q. d. *Piſcis*, ſeu *Piſcinus.* Namque & figura ejus ſuffragatur, erat enim ſemihomo ac ſemipiſcis, ut dictum &c. vide Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 76. *ſub fin.* Eodem facit, quòd Salmaſio *Dagon* eſt ἡ Κητώ, ſeu ὁ Κητών, quòd *ceti* figuram habuerit; cui proin idem *Dagon* Azotiorum & *Ceto* Joppenſium, & *Derceto* Aſcalonitarum. vide eum *ad Solin. p.* 574. & ſuprà in voce *Ceto.* Adde Joh. Selden. *de Diis Syris Syntagm.* 2. *c.* 3. & quæ dicemus infrà, in voce *Piſces.*

DAGONIA, Armeniæ min. opp. *Ptol.*

DAGRÆ, Tyanitidis reg. in Cappadocia opp. *Ptol.*

DAGSBURGUM, caſtellum Germaniæ in Palatinatu inf. munitiſſimum: à quo illuſtriſſimæ olim Familiæ nomen, cujus Autor Hugo fuit, filius medius Hugonis I. Comitis, Eberhardo juniore geniti, de quo alibi. Fuit enim filius hujus Hugo Pater Gerhardi Metenſium Comitis, à quo Lotharingiæ hodierni Duces: Hugonis II. Comitis, qui Comites *Dagsburgicos*, & Guntrani cognomen *Divitis*, qui Habſpurgios, à quibus Auſtriaci Archiduces, dedêrunt, atque adeò communis trium familiarum ex Alſatica veteri procedentium, genitor. Ex Comitibus verò illis *Dagsburgicis* Leo IX. Pontifex Rom. fuit. Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Hiſt. in Fam. Auſtriaca.* Sed & *Dagsburgica*, una ex Familiæ illuſtris Comitum Leiningenſium lineis, dicitur. Hæc enim in Friderici Comitis filio Friderico & Joffrido, in Leiningenſem & *Dagsburgicam* dividi cœpit, circa principium ſeculi XIV. quarum hæc, priore extinctâ jamdudum, agnatorum jure ſibi vindicato, adhuc durat. In qua, qui nunc vivunt communem omnes agnoſcunt Patrem Emiconem Catharinæ Naſſaviæ (à qua Sarwerdenſis prætenſio illis obtigit) maritum, extinctum A. C. 1541. A quorum majori filio. Joh. Philippo Hartenburgica linea cœpit, ſed à minore *Dagsburgico Falckenburgius* ramus ortus eſt: cujus ſurculi ſunt *Heidershemius* & *Falkenburgius* ſeu *Dagsburgius*, in quo ſuperſunt Joh. Caſimirus (n. A. C. 1619.) & Anna (uxor Joh. Comitis Naſſovii Sarb. *in Izſtein*) liberi Philip. Georg. Com. Liningenſis & Dagsburgii (ex Anna Erpachia) Emicone præfato (qui obiit A. C. 1593) ex Urſula Fleckenſtenia, geniti. Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Part. I. p.* 152. & *in Indic.* vide & infra, ubi de Familia *Leiningenſi.*

DAGUS, ἐπισέλλιον, in *Gloſſario* Gr. Lat. Meurſio Gallica vox eſt, *Dais*, tapes nempe, qui ſellæ inſternitur. At Galli ita vocant um-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

umbellam, quæ Regio Throno interponitur, unde legendum *ſuperſellium* videretur: cujus quidem vocis *Dais* meminit Matth. Pariſ. in *Vitis* Abbat. S. Albani *p.* 92. *Solus in refectorio prandebit ſupremus*) loquitur de Abbate recens electo) *habens vaſtellum, Priore prandente ad magnam menſam; quam* Dais *vulgarior appellamus.* Hodieque *Dais* Galli vocant umbraculum, quod capiti ſedentis aut cibum capientis ſuperponitur. vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & infrà *Dai*.

DAGUSA, Græcè Δαγȣ́σα, urbs Melitenes ad Euphrat. in min. Armen. Ptol. quam vocem pro *Daſcuſa*, apud Plin. *l.* 5. *c.* 32. reponit Salmaſ. *ad Solin. p.* 620. vide *Daſcuſa*.

DAHÆ, pop. Scythiæ Aſiatic. apud Solin. *c.* 15. ob notas, quibus ſe compungebant, Gelonorum & Agathyrſorum Inſtar, *virgati* Poëtis paſſim. Aliàs *Daæ* vel *Dai*, Græcis Δάοι vel Δάαι; de quibus, vide Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 796. retro in voce *Daæ*.

DAHIPPUS, ſtatuarius nobilis, cujus opera enumerat. Plin. *l.* 34. *c.* 8.

DAI, Perſar. pop. omnes paſtores. *Herod. l.*2.

DAIBERTUS, vel THEOBERTUS, primus ex Latinis Patr. Hieroſolymit. A. C. 1099. poſtquàm Arnulphus inde pulſus eſſet. Cum Balduino Rege ipſi non bene convenit, hinc artibus Arnulphi remiſſus, in Italiam cum Boëmundo, Principe Antiocheno, qui conſtantiam Philippi I. Gall. Regis ducturus erat, venit & à Paſchali II. in ſedem ſuam redire juſſus, in itinere obiit, in Sicilia. A. C. 1107. Guil. Tyr. *l.* 8. 9. 11. &c.

DAICLES, Meſſenius, vixit regnante Athenis Charope. Solin. *c.* 2.

DAJENUS, apud Vital. Epiſc. Oſcenſ., Judex eſt, Judæis Hiſpanicis ſic dictus: an ex Hebr. *Dan. Gloſſæ Baſilic.* Δὰν, ὄνομα μεγάλης ἀρχῆς κατὰ Πέρσας, *Dan nomen magni Principatus, ſecundùm Perſas, apud Eundem.*

DAIMACHUS, Equitum præfectus Syracuſis, per quem Hermocrat. Soſiſtrat. ſervorum ducem in poteſtatem redegit. Vide Polyæn. *l.* 1. *in Hermocrate.*

DAIMACHUS Platæenſis, legatus ad Allitrochad. Androcoti fil. de quo Juſtin. *l.*15. Indiæ Rex Scripſit hiſtoriam Indicam, ſed ob imperitiam Mathematicæ, parum feliciter. Strab. *l.* 1. Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 1. *c.* 12.

DAIMENES, Achæorum dux. *Pauſan.*

DAIMENES, à Dionyſio cruci affixus, quòd, natione Græcus, Carthaginienſibus contra Siculos militaſſet, Olymp. 95. A. C. 4.

DAIRA, Oceani filia ex Mercurio Eleuſim ceu Eleuſinum, qui poſtea urbi nomen dedit, peperit. Pauſan. *in Att.*

DAIRI, Monarchæ Japonenſium. Hi enim, à Sinenſibus ante 8. circiter ſecula orti, cùm Japoniam hactenus incultam occupaſſent, Regna in ea 53. conſtituerunt, quæ univerſa uni parebant Monarchæ, quem *Dairum* apellabant, ac Numinis inſtar venerabantur. Sed ab A. C. 1500. ob inteſtina diſſidia decreſcente indies *Dairorum* potentiâ ac auctoritate, Reges provinciarum rebellare paſſim ac ſuo arbitrio regnare cœpêrunt. Quorum præcipuus Nubunanga, Rex Voaris, urbe Meaco captâ A. C. 1570. potentiſſimus totius Japoniæ Rex evaſit: ita tamen ut *Dairi* auctoritatem adhuc agnoſceret; quod & ſub ſucceſſore obtinuit. Sed qui hunc excepit Taikoſamma, A. C. 1600. à *Dairo*, ſponte ſe abdicante, Imper. Japon. declaratus, novam Monarchiam condidit. vide Georg. Horn. *Orb. Imp.*

DAIVA, vel DAHIUD, in tribu Juda. Hier. in *Lat. Hiſt.*

DALACARIZA, urbs Ponti. Lib. *Notit.*

DALANDA, Armeniæ min. urbs. *Ptol.*

DALASARBA, Thraciæ opp. *Procop.*

DALASIS, Ciliciæ reg. *Ptol.*

DALBODIUM, ſeu DALBUTH villa, aut DALBUED Baronia Galliæ, *in literis* Rhicardi II. Nortmannorum Ducis & Alexandri III. Pontif. Rom. memorata, vulgò *Daubeuf* dicitur. Sicut Elbotum *Elbeuf*, Guellebotum ſeu Guellebodium *Guillebeuf*. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* in voce *Elbotum*.

DALDIS, Libyæ urbs. *Suidas.*

DALE, opp. in Teuthrania reg. Plin. *l.* 5. *c.* 30.

DALEBURGUM, opp. Sueciæ, in Veſtrogothia, & in Dalia prov. juxta Vuenerum lacum, in ejus ora Occid. 11. leuc. Germ. à Bahuſio in Boream.

DALECARLIA, prov. Sueciæ ampla. Habet ab Occid. & Septentr. Norvegiam, ab Ortu Helſingiam, à Merid. Vermolandiam: versùs montes extenſa. In hac nulla ſunt oppida magni momenti, Gentem moribus aſperrimam, è Danica captivitate elapſus Guſtavus Ericſonius, è nobili Trollorum familia, ad arma contra Chriſtiernum II. Daniæ Regem ſumenda patriamque in libertatem vindicandam, cùm concitaſſet, magnâ mox Sueciæ parte pulſis Danis, communi Ordinum ſuffragio Rex electus eſt, Suecicæque potentiæ, qualis hodie eſt, prima jecit fundamenta. Georg. Horn. *ubi ſupra.* vide quoque in voce *Guſtavus I.*

DALECHAMPIUS Jacobus. vide JACOBUS.

DALEMUM, opp. munitum Belgii, cum caſtro, in Ducatu Limburg. ad Bervin. amnem, ſub Holl. 2. leuc. à Leodio in Cæc. 3. à Falcomonte in Merid. 3. ab Aquiſgrano.

DALFINATUS, Valeſio primùm, quaſi *Alpinatus*, cùm tota ferè provincia in montibus poſita, urbéſque ejus Vienna, Ebrodunum, Valentia, Dea, Grationopolis, Auguſta Tricaſtinorum, Vapincus ac Brigantio montibus cinctæ ſint: & Crojerio quaſi *Dealpinatus* dictus eſt Poſtea mutavit prior ſententiam, poſtquam didicit, Guigonem VII. filium Guigonis Craſſi, *Dalfinum* cognominatum eſſe circa A. C. 1130. ab eoque Guigone Dalfino Viennenſi, inſequentes *Dalfinos*, qui ſe *Dalfinos Viennenſes*, & Albonis Comites vocavêre, *Daufins de Viennois*, & *Comtes d'Albon*, nuncupatos & Comitatum Principatumve eorum *Dalfinatum* dictum, qui antea Viennæ & Albonis Comitatus, vel Albonis & Gratianopolis Comitatus vocatus eſt. Reperitur etiam *Dalfinus*, proprium viri nomen, apud Bedam Guil. Malmesbur. qui Dalfini Epiſc. Lugdun. ante Annos 1000. occiſi meminêre. Corruptè ergo pro *Dalfino* Dalphinus, poſtea Delphinus dici cœpit, maléque creditum, à marino piſce regionem mediterraneam, ejúsque dominos nomen inveniſſe, unde utriſque Delphinus piſcis pro inſigni attributus. *Dalfinum* Alverniæ memorat Joh. Pariſienſis. Manſit dein *Dalfini* cognomen primogenitis Galliæ Regum, poſt quam Regio donationis titulo in horum jura tranſiit, ut videre eſt in voce *Delphinatus*, ita enim vulgò provincia hæc appellatur, Gall. *Dauphiné*. Conſtat illa ex quatuor provinciis non totis, nimirum ex Viennenſis provinciæ urbibus Vienna Allobrogum, Valentia Segalaunorum, Dea Vocontiorum & Gratianopoli ſeu Cularone Allobrogum; ex Metropoli Alpium Maritimarum Ebroduno, ex Vapinco civitate provinciæ Aquenſis ſeu Narbonenſis 2. & ex provinciæ Arelatenſis civitate Tricaſtina: Continebaturque olim partim Sabaudiæ, partim Provinciæ nomine: quæ paulo antequam Galliæ Regno accederet, dominus ejus *Dalfinus agri Viennenſis, Princeps Brigantionenſis, Dux Campiſauri, Marchio Ceſanenſis, Comes Palatinus Viennæ, Albonis, Pagi Gratianopolitani, Ebroduni & agri Vapincenſis, Baro Turris Pinus, Medullionis* Meüillon, *& Montis Albani* appellitatus eſt; quibus titulis acceſsêre poſtea Comitatus Valentinus & Deenſis, Ludovico tum Dalfino Caroli VII. filio legati. In hac reg. ſupra Vocontios ad Ortum habitare Meminos vel Mimenos, ubi locus hodieque *Mens en Trieves* dictus nomen gentis ſervet, & eis vicinos eſſe Tricorios, in quorum finibus ſint loca Corpum, Campus Sori & Digueriæ, ait Holſten. Addunt alii Medullorum eſſe Medullionem opp. *Meüillon*; Sicoriorum locum *Sigoiers*; Ucenorum opp. *Oiſans* Garocelorum Goncelinum, 4. à Gratianopoli lapide; Caturigum Caturigas cum Ebroduno: ibidem Caſſenaticum eſſe *Saſſenage*, Veriacum, Clariacum, Altam Ripam, Montemferratum, Podiumcraſſum, *Pié gros*, Montem Canutum, *Montchenu*, Antonem, Caſtrum S. Georgii de Vandanis *S. Joire*, Caſtrum Crepulum *Crepol*, Caſtellum S. Eulaterii *S. Latier*, caſtrum Veterisvillæ *Vireville*, Urſolis *Roſſilon* Comit. &c. vide Had. Valeſ. *Notit. Gall.* & infra in voce *Delphinatus*.

DALIA, prov. Sueciæ, in Veſtrogothia, inter Bahuſ. præfecturam & Vuenerum lac. ubi opp. præc. Daleburgum. Aliàs Norvegiæ contermina, nunc limites paulò remotiores.

DALILA, ſeu DELILAH, mulier quam amavit Sampſon, cujuſque operâ periit. Judic. *c.*16. *v.*18. Lat. *paupertas*, aut *ſitula ejus*, aut *ramus ejus*, ſive *exhauriens* aut *macilenta*. In Græcis eſt Δαλιδά. Joſeph. *Dalale* ſcribit. Fuit autem זונה *Zonech*, i. e. *meretrix*, quod Targum & Kimchi pro *caupona* accipiunt. Lyra quærit Judæane, an Palæſtina fuerit? Et exiſtimat Palæſtinam fuiſſe, quæ in valle Sorek habitarit. Uxorem Sampſonis fuiſſe, præter Sulpic. Sever. etiam Chriſoſtom. Caſſian. S. Ephræm & Pererius affirmant. Contrà meretricem, & quidem è pauperioribus fuiſſe, Joſeph. Ambroſ. Hieronym. Abulenſis, Serarius, & alii volunt. Quomodo enim auſi fuiſſent Philiſtæi principes tam fidenter & primo agreſſu, ſolâ ſpe lucelli, ſollicitare uxorem ad prodendum maritum? quomodo toties & tam diu latuiſſent tot armati in domo propria Sampſonis, nec ipſo, nec ullo familiarium conſcio?

DALION, ſive DALLON, de gentibus prodidiſſe aliqua videtur. Plin. *l.* 6. *c.* 30. Sed ab eodem in Elencho auctorum libb. 20. 21. 22. & 23. inter medicos reponitur, & *l.* 20. *c.* 27. *herbarius* vocatur. Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 3. *p.* 350.

DALISANDA, Vide LALISANDA.

DALLÆUS Johannes, Eccleſiæ Reformatæ Pariſienſis, quæ Carentone ſuos cœtus habet, Paſtor, Theologus pietate & eruditione nulli ſecundus. Scripſit *de Patrum uſu, Fides ex Scripturis demonſtrata, de Patrum fide circa Imagines, de Pœnis & Satisfactionibus humanis, Pſeudepigrapha Apoſtolica, de Jejuniis & Quadrageſima, de Confirmatione & Extrema Unctione, de Confeſſione Auriculari, de Cultus religioſi objecto, de Cultibus Latinorum religioſis*, &c. Item *Conciones in Epp. ad Philippenſes, Coloſſenſes, Titum, in utramque ad Timotheum, quæ* 10. *volum. in* 8. *partim Pariſiis, partim Genevæ prodière*: ut alia omittam. Obiit admodum ſenex, paucos ante annos: Pater filii cogn. ejuſdem Eccl. Paſtoris eximii. vide Elenchum Scriptorum ejus hactenus editorum, in fronte operis poſthumi, cui titulus: *De Cultibus Rel. Latinor. Genevæ, A.* C. 1671.

DALLUUNTUM, Dalmatiæ opp. *Anton.*

DALMANA, Dalmatiæ urbs. *Caſſiod.*

DALMANNIO, vulgò *Daumignon*, fluv. Galliæ, in Viromanduis, alluit Viromandum Monaſterium *Vermand*, Textricium *Tertri*, vel *Teſtri ſur Daumignon*, Montiacum *Monchi* vel *Mouſſi la Gaſſé*, Attejamque *Attie*, præter alios vicos, atque inter Hammum & Peronam in Suminam influit, Hadr. Valeſ. in voce *Textricium*.

DALMANUTHA, regio Judeæ Lat. *pauperis hæreditas*, ſeu *portio*. Marc. *c.*1.

DALMATÆ Equites, apud Treb. Pollion. in *Claudio*, *In quo bello, quod geſtum eſt, Equitum* Dalmatarum *ingens extitit virtus*: nempe in militia Romana ex hac provincia Equites per multa ſecula fuêre, ut ex Hiſtoria ſciri poteſt & *Not.* Imperii. De Marco Antonino certè Jul. Capitol. *Latrones etiam*, inquit, *Dalmatiæ atque Dardaniæ milites fecit.* Ubi *Latronum* nomine totam eam intelligere gentem, latrociniis deditam, docet Caſaub. Meminit quoque *Dalmatarum militum* vetus Inſcript. Mogunt. cujus initium:

PLASSI F. DIOCLEAS.
MIL. EX COHORTE. V.
DALMATARUM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

DALMATENSES Singillones, apud Trebell. *l. c.* Salmaſ. ἀπλοΐδες ſunt; à *ſingulum* enim *ſingillum*, *ſingillo*; Idem tamen σιγιλλίων apud Gregor. Naz. cùm reperiſſet, *ſigilliones ſeu ſigiliones* hîc legi poſſe putat, intelligique veſtes *Dalmatarum ſigillatas vel clavatas*, Veſtium enim clavos σφραγῖδας etiam, i. e. *ſigilla*, Græcis dici, notum. Clavatas autem fuiſſe iſtas *Dalmatenſes tunicas*, quibus olim non niſi molles ac delicati, poſtea Epiſcopi quoque Sacerdotesque uſi ſunt, diſcimus ex Iſidoro: *Dalmata, veſtis Sacerdotalis candida, cum clavis purpureis.* vide Salmaſ. *Not. ad Trebell.* & infrà, ubi de veſtium *Sigillis*. Cœpêrunt autem Epiſcopi Presbyterique *Dalmaticas* pro colobiis habere, à quo palliis depoſitis, ἀσκήσει relictâ, communi uſui ſeſe accommodantes de communi veſtiti ſunt. Tum *birrus & dalmatica* eorum quoque habitus fuit; hæc interior, ille exterior: certumque eſt, in eadem veſte primum & publicum frequentaſſe & ſacram liturgiam celebraſſe; donec mutatâ ſenſim ſeculari veſte, priſtinam retinuêre præcipuè in celebrandis ſacris Sacerdotes. Jam verò ante Sylveſtr. Pap, Epiſcop. *Dalmaticis* uſos fuiſſe, contra quam docet Anſelm. diſcimus ex Auctore *Vitæ* Cypriani, ubi ait: *Cùm ſe* dalmaticâ *expoliaſſet, ad lineam ſtetit, cœpit ſpeculatorem ſuſtinere* &c. vide Salmaſ. *ad Tertull. de Pallio*, & in *Dalmatica*.

DALMATIA, Illyrici pars, Liburn. contermina versùs Occaſ. cujus incolæ *Dalmatæ* vocantur, Auguſti olim auſpiciis Romano imperio ſubjecti. Dionyſ. v. 26.

> Δεξιτερὴν κατὰ χεῖρα φαείνεται Ἰλλυρὶς αἶα,
> Δαλματίη δ' ἐφύπερθεν, ἐνυαλίων πέδον ἀνδρῶν.

Populi Græcis Δαλμάται, καὶ Δαλματεῖς, qui, teſte Flor. plerumque ſub ſylvis agunt, inde in latrocinia promptiſſimi, quique armis ac opibus potentes, confidentiores erant, ſæpius Romanis rebelles, & eorum finibus graves. Strab. *l.* 7. Ἔστι δὲ τῶν πολλῶν χρόνων πολεμήσάντων πρὸς Ῥωμαίους τὸ ἔθνος τοῦτο. Tertull. *de Anima, Tamen vulgata jam res eſt gentilium proprietatum. Comici Phrygas timidos illudunt, Salluſt. feroces Dalmatas pulſat.* Aliqui, pro *Dalmatis*, apud Cæſar. *Delmatis* reponunt, & ita antiqui lapides & Faſti Capitol. in quibus eſt *Delmaticus*, non *Dalmaticus*. Velius item Longus, ex authoritate Varron. ita præcipit ſcribendum, quoniam à Delminio maxima civitate tractum nomen exiſtimatur. Euſtath. Ἡ δὲ πόλις αὐτῶν Δάλμιον ἢ Δελμίνιον ἢ Δέλμινον. Idem ferè habet Appian. Sic & Joh. Lucius, Vir doctiſſ. Dalmata: cùm ait: A Dalmio, vel *Delmatia*, à Delminio, civitate Illyrica, ſic dicta eſt *Dalmatia*. Cùm enim, regnante Gentio, Illyricor. Rege Dalmitani ſe in libertatem vindicaſſent, vigintique oppida in ſua ditione haberent, regionem *Dalmatiam* dixêre. Dein aliis ſexaginta ſibi aſcitis, cùm ad mare perveniſſent, Tragurinisque & Epetinis infeſti evaſiſſent, hinc ortum primum bellum Dalmatic. Et nunc Dalmatia in provinciam redacta eſt à Romanis. Poſtea verò, Dalmatæ Liburnis ab Occid. agrum ademerunt, Romanis verò Illyric. propr. ita ut à Titio fluv. uſque ad Drilonem fines ſuos protulerint; & ſic Liburnia etiam in Dalmatia incluſa fuit. Dein ſe extendit regio poſt Imperii inclinationem, ab Ichia Dyrrachium uſque. Poſtmodum à parte Orient. reſtricta eſt ad flumen Bolianam, talesque fines nunc ſervat. Magna ex parte *Schiavonia* dicitur. Genuit hæc regio Diocletianum, virum crudeli & exitiali in Chriſtianos animo, quippe qui præter tormenta, quibus carnificinam exercuit, in libros etiam & ſcripturas ſæviit. Protulit & S. Hieronymum Stridone natum, quem Latinorum nemo lucubrando vicit. A Juſtiniano, Gothis ſubactis, recepta A. C. 540. Evagr. *l.* 17. *c.* 19. A Carolo Hung. Rege, unà cum Croatia, Servia, Ruſſia & Boſnia, &c. Hungariæ adjecta eſt, A. C. 1310. Bonfin. *in Hiſt.* Iterum à Ludovico Rege, victis Venetis, recuperata, A. C. 1358. hodie poſſidetur partim à Venetis, quibus ibi *Zara, Sebenico, Spalatro* prope Salonam, quò Diocletianus ſe receperat, cùm Imperio ſe abdicaſſet, *Nona, Trau, &c.* Partim à Turcis, qui ibi habent *Scardone, Saſſo, Cliſſo, Laurana, &c.* Ibidem Raguſia, veteribus Epidaurum, Libera Reſp. Urbes tamen S. Viti & *Zeüg* Auſtriaci ſunt juris. Quo pacto ad Auſtriacam Familiam pervenerit, vide in voce *Hungaria*. Namque Dalmatia, Croatia & Sclavonia, communi olim *Pannoniæ* nomine, confuſis Illyrici Pannoniæque limitibus, comprehenſæ, & Croatia, ad ſuperiorem Pannoniam, Sclavonia, cujus pars etiam *Dalmatia*, ad inferiorem pertinuêre, ſiequemagis pro acceſſione Regni Hungarici, quàm propriis Regnis, habendæ ſunt. Tob. Pfannerus *de præcipuis Germaniæ Principp. gentibus c.* 1. Incolæ bellicoſi, ſed in ludis ridiculi. Ptol. *l.* 2. *c.* 17. Boter. *Rel. P.* 1. *l.* 1. Niger, *Eur. Com.* 6. *&c.* Ad fidêm converſi ſunt, per Methodium, operâ Ludovici Regis Cromer. *l.* 3. A. C. 866. Regnum ſub Demetrio duce facta hæc regio, A.C. 1076. Concilium ibi A.C. 1199. in urbe præcipua Antibari, quæ hodie ſub Turcis. Plurimi hîc Albigenſium ſeu Valdenſium, ut & in Bulgaria, Bohemia, Croatia, Germania cœtus erant, quibus Bartholomæus quidam Superintendens præerat, A. C. 1230. Matth. Pariſ. *in Henr. III.* Hinc *Dalmatica veſtis*, quæ eſt tunica ſacerdotalis candida cum clavis ex purpura, quia hîc primùm texta. vide infrà. *Dalmaticus* dictus fuit L. Metell. à *Dalmatis ſubactis*, qui & Caſtoris ædem vetuſtate collapſam refecit, teſte Cic. 3. *in Verrem*, itemque *pro M. Scauro*.

DALMATICA, veſtis longa & candida, ſine manicis, purpureis clavis diſtincta. Primò in uſu, apud Dalmatiæ ſacerdotes: tanti fuit in primitiva Eccleſia, ut Eutychianus P. conſtituerit, *Martyrem nullum ſine Dalmatica ſepeliendum eſſe.* Quod cùm ſuperſtitionem olere ſentiret Gregor. Magn., non tantùm privatorum feretris, ſed ipſorum quoque Pontific. *Dalmaticas* aut colobia inſterni vetuit, ut in Edicto ejus habetur Regiſt. *l.* 4. *c.* 48. juxta Binnium & Baron. Concil. *Tom.* 1. *p.* 216. *a.* Olim nec Archidiaconis licuit, nec ipſis Epiſcopis Dalmatica veſtiri, ſine Papæ licentia. Poſtea ejus uſus ad Diaconos quoque tranſiit. Fuit autem veſtis Regia, nec hodiernæ incognita ſolennitati. Fortè à Commodo Imp. primùm recepta, qui, teſte Lamprid. *præter ſolitum, dalmaticatus in publico proceſſit.* Pertinac. quoque, ejus ſucceſſorem, inſignem facit Capitolin., *lacernis & chirodotis Dalmatarum.* Lacerna autem alia veſtis fuit candida, qua in ſpectaculis uſi ſunt; togæ ſuperinduta. vide Martial. *l.* 4. *Epigr.* 2.

> *Spectabat modo ſolus inter omneis*
> *Nigris munus Horatius lacernis.*

Idem in Apophoret. *diſtich.* 137. & 139.

> *Amphiteatrales nos commendamur ad uſus*
> *Cùm tegit algentes noſtra lacerna togas*
> *Jungere neſciſti nobis ô ſtulte lacernas*
> *Indueras albas, exue Callaicas.*

Hinc apud Imperatores Orientales permanſiſſe *Dalmatica* videtur, atque inde à Carolo Calvo ad Francos, A. C. 986. traducta, vide Sigebert. *eo anno.* Apud Anglos quoque Eduardo Confeſſori, inter ſacras veſtes fuit, eaque ipſa, quæ ejus olim amplexa eſt corpus, per Succeſſorum ſeriem deducta, hodiernum Regem in ſuæ conſecrationis ſolennibus inſignivit. Hujus *Dalmaticæ* meminit Thom. Walſingham. in unctione Richardi II. A. C. 1377. vide Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.* De illa ſic Oct. Ferrar. *de re Veſt. l.* 1. *c.* 39. *Eam in ſacris adhibitam conſtat, ejuſdem etiam extra ſacra uſus primò quidem promiſcuus, deinde in Diaconis, mox in Presbyteris, tandem in ſolis Epiſcopis, (ex Walafrido Strab. c. 24. de rebus Eccl. ubi addit, à Rom. Pontifice earum uſum aliis Epiſcopis permiſſum aliis interdictum: ſuâ verò ætate omnes Epiſcop., & nonnullos Presbyteror., ſub caſulis* Dalmaticas *geſtaſſe)* Et *l.* 3. *c.* 9. *Sylveſtri Pontif. tempore, in locum Colobiorum, in ſacris, Dalmaticæ venêrunt, id eſt, tunicæ manuleatæ, quas Chirodotas Dalmatarum appellat Capitolin. in Pertinace, vide Alcuin. de divinis officiis, ubi ait fuiſſe illam ad inſtar crucis, habuiſſe in ſiniſtra parte fimbrias, fuiſſe inconſutilem, ac largè manuleatam: habuiſſe lineas coccineas, vel ut alii, purpureos tramites, vel clavos pariter purpureos, ut tunicæ Senatorum* &c. Et paulo infra, *Licèt Dalmaticæ à Colobiis diſtinguerentur, tamen pro eadem re aliquando ſumtas notavit Salmaſ. ex Niceta Theſ. Orthodoxi l.* 1. Olim infames fuêre, unde Principes *Dalmaticatos* in publico conſpectos, pro magno dedecore poſuêre Scriptores, Lamprid. *in Commodo, Heliogabalo* &c. non aliam ob cauſam quàm quia manuleatæ, quibus nonniſi mulieres ac viri effœminati tunc uſi. Quare Baronium dicentem, *Reges Dalmaticâ aliquando uſos*, idem Auctor pluribus refellit, oſtendens præter Commodum & Heliogabalum nullum eam Principem geſtaſſe. Quod enim de Pertinace ex Capitolino affert Baron., ad rem non facit: Tantùm enim meminit Dalmaticarum, quæ Commodi fuerant, cujus rerum auctio ſub Pertinace facta eſt. Idem eundem purpuratum, *Dalmaticam* cum Chlamyde, cum Colobio, cum Toga quoque & quidem Triumphali confundentem redarguit ibid. Porro, ut & hocce dictis adjungam, *Dalmatica* veſte hac, non uſos eſſe Diaconos, niſi in majoribus feſtivitatibus, colligit du Freſne ex Conc. Salegunſtadienſi *can.* 2. docetque maximè Diaconorum Eccleſ. Rom. propriam, neque cæteris, niſi ex indultu Pontificis, eâ uti fas fuiſſe: ex Cypriano in *Vita* S. Cæſarii Arelat. *Speciali quodam privilegio pallii uſum ei permiſit, & Diaconos ejus, perinde ut Romanæ Eccleſiæ Diaconos*, Dalmaticis *uti voluit.* Jacobus Card. *de Coronat.* Bonifacii VIII. *l.* 1. *c.* 8.

> *Nos Levitarum cuneus, nos illa Senatus*
> Dalmaticas *veſtita togas* &c. vide quoque ſuprà.

DALMATIUS, vel **DELMETIUS** fil. Conſtantii Chlori, ex Theodora, meruit purpuram, & Nobiliſſimi axioma. Zoſim. *l.* 2. J. Cæſ. Bulenger. *Imp. Rom. l.* 2. *c.* 10. Filii ejus, Dalmatius, qui Cæſar dictus A.C. 336. ſed Conſtantii, conſobrini juſſu, occiſus eſt A. C. 338. & Annibalin. Hieron. *in Chron.* Eutrop. *l.* 10. Oroſ. *l.* 7. *c.* 28. Victor. *epit.*

DALMATIUS, vel **DALMATIANUS**, Epiſcop. Cyzicenus, interfuit concilio Epheſino, ſcripſitque acta Concilii Niceni. Item, Eremita, qui cùm per 48. annos in cœnobio ſuo delituiſſet, prodiit, ut Neſtorio ſe opponeret, condemnatione ejus auditâ vehementer lætatus. A. C. 431.

DALOMENA, Aſſyriæ regio. *Strabo.*

DALPURG Wolphgangus, vide **WOLFGANGUS.**

DALTERNI, Galliæ Narbonenſis populi ad Rhodanum. *Sext. Avien.*

DALTINI, apud Stanihurſtium *de Reb. Hibern. l.* 1. Hiberni ſunt ſcurræ, velites, ſeu ſervi à pedibus, du Freſne *Gloſſar.*

DAMA Olivier, vide **OLIVIER.**

DAMA, Pythagoræ filia, & ipſa philoſophiæ ſectatrix, quæ ingenium ac doctrinam in exponendis paternis ſententiarum involucris exercuit. Cæl. Rhodig. *l.* 4. *c.* 1. vide & *Damo.*

DAMA, inter ſemifera animalia memoratur Plin. *l.* 8. *c.* 53. *ſunt capreæ ------ ſunt & damæ & pygargi & ſtrepſicerotes, multaque alia haud diſſimilia.* Gallis *Iſarus* hodie, ſeu *Sarrius*, ex Græco ἴξαλος, ἴξαλος αἰγός. Πηδητικὴν interpretantur Grammatici ἴσαλον dixêre recentiores. At quos *Damas* Galli vocant, platycerotes ſunt Veterum, cervorum genus. Salmaſ. ad *Solin. p.* 224. Cæterum damæ *timidi* Poëtis audiunt, vulgato epitheto. Virgil. *Georgic. l.* 3. *v.* 539.

> *--- timidi* damæ, *cervique fugaces.*

Stat. *Achill. l.* 2. *v.* 408.

> *Nunquam ille imbelles Oſſæa per avia lynces*
> *Sectari, aut timidos paſſus me cuſpide* damas
> *Sternere &c.*

At quàm fortia tentent prælia, innuit Martial. *l.* 4. *Epigr.* 35.

> *Frontibus adverſis molles concurrere* damas.
> *Vidimus, & fati ſorte jacere pari*

Et *l.* 4. *Epigr.* 74.

> *Aſpicis, imbelles tentent quàm fortia* damæ
> *Prælia? tam timidis quanta ſit ira feris?*
> *In mortem parvis concurrere frontibus audent*
> *Vis, Cæſar*, damis *parcere? mitte canes.*

Quaſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Quaſi plus periculi ipſæ ſibi mutuò creent, quàm canes infeſtiſſimi, &c. Plura de illis vide apud Sam. Bochart. *de Animalib. S. Script. Part. prior. l.III. c.27.* uti & ſuprà voce *Algazet.*

DAMA, Arab. Fel. vicus. *Ptol.*

DAMÆI, pop. juxta Ichthyophagos. *Steph.*

DAMÆTHUS, Cariæ Rex.

DAMAGETUS Rhodius, Jalyſi *Rex*, ex oraculo ſciſcitans, unde Sibi uxor ducenda eſſet: reſponſum accepit, ut illius filiam duceret qui eſſet τῶν Ἑλλήνων ὁ ἄριστος, *Græcorum fortiſſimus.* Itaque Ariſtomenem Meſſenior. Imp. de filiæ nuptiis compellavit, qui ipſemet eam ad maritum deduxit Rhodum, atque inde Sardeis profecturus, in itinere obiit Pauſan. *Meſſeniacis.* vide *Ariſtomenes.*

DAMALIO, apud Lamprid. *in Alexandro Sev. Non quidem vilitatem* (carnis bubulæ atque porcinæ) *propoſuit, ſed juſſit, ne quis ſuminatam occideret, ne quis lactantem, ne quis vaccam, ne quis* damalionem: in genere bucerino differt à vacca, quemadmodum in genere porcino, *lactans*, h. e. tener porculus. à *ſuminata*, i. e. ſcrofa. Nempe, qui vilitati carnis bubulæ volebant conſultum, hi nec vaccas nec *Damaliones* comedebant; tauris autem, & bobus & vitulis parcebant minimè: ut de Ægyptiis & Palæſtinis quoque Hieronym. ſcribit. Contrà eſt cùm agriculturæ ratio habetur, tunc enim *damalionibus* & vaccis paſſim veſci permittendum, vitulis verò nequaquam; unde lex Valentis, *Ne quis vitulos conſumeret.* Salmaſ. *ad Lamprid.*

DAMANIA, Hedetanorum in Hiſpan. urbs. *Ptol.*

DAMANUM, urbs munita Indiæ citer. in regno Guzaratæ, in ora littor. ſinus Cambajæ, 20. leuc. Gall. circiter à Surata in Occaſ. 25. à Baſaino in Boream, cum portu commodo ſub Luſitanis.

DAMARATUS Andreas, vide ANDREAS.

DAMARIS, mulier Attica, quæ ad prædicationem Pauli Chriſto credidit. Actor. *c.17. v.34.* Ambroſ. *ep. ad Verſol.* Auguſtin. *Serm.* Chryſoſt. *de Sacerd. &c.*

DAMAS, Hiſtoricus, vitam Eudemi Rhodii ſcripſit, ut ait Simplicius *in Com. Phyſ.* pro quo perperam *Menodemus* legitur apud Agell. *l.13. c.5.* vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. l. 3. p. 350.*

DAMASCENE, Syriæ pars, quæ & *Cœle* ſive *Cava* dicitur circa Libanum, à *Damaſca* civitate dicta.

DAMASCENI Senes, apud Martial. *l. 5. Epigr.* 18.

Quòd tibi Decembri menſæ, quo volant mappæ,
Gracileſque ligulæ, cereique, chartæque
Et acuta ſenibus teſta cum Damaſcenis,
Præter libellos vernulas nihil miſi:

Pruna ſunt Damaſcena, quòd ſiccata vetuſtateque in rugas contracta, de quibus idem in Xeniis *Epigr.* 29.

Pruna peregrinæ carie rugoſa ſenectæ
Sume: ſolent duri ſolvere ventris onus.

Atque à *Damaſco* Syriæ ſic dicta, unde, in maſſam condita, afferebantur, ſicut ficus, cottana, caryotæ. Hinc *globus prunorum* apud Stat.

Nusquam turbine conditus ruenti
Prunorum globus, atque cottanorum.

Ubi *globus* eſt παλάθη, i. e. *maſſa*, item *offa*. Cujuſmodi παλάθας de prunis Ægyptiis ſiccatis, & à nucleo liberatis, fieri ſimiliter, ſcribit *l. 4.* Propriè tamen vox παλάθη de caricis obtinuit, uti docet Salmaſ. *ad Solin p.* 1019. vide eum quoque *p.* 1325. ubi de Iſidoro Myxa cum *Damaſcenis* confundente pluribus agit. At *Damaſcenæ Roſæ*, Gall. *la Roſe de Damas*, pulcherrimam deſcriptionem habes, apud Franc. Pomey *Diverſ. Deſcript.* ubi inter alia, *Exilis hæc roſa*, inquit, *in hirſuto enaſcitur arbuſto, crebris obſito ſpinarum aculeis. Ramuſculis nihil aſperius, nihil tortuoſius & magis abnorme; Frondes temerè diffuſæ incompoſitéque digeſtæ. Ipſemet flos quàm ſpecie inconcinnus! quàm efformatus negligenter! Quaternis quiniſque conſtat foliolis, parùm venuſtè in orbem & per oram explicatis, plura alia tenuioraque ambientibus inſcitè corrugata, & concinnata deformes in cirros. In umbilico, minitula extant ſtamina auro præpilata, criſpæ tæniolæ ſegmentis haud abſimilia; Præterea nihil. At, quod mireris — flos inter formoſiſſimos tamen præclariſſimoſque jure numeratur, quòd egregio ſplendidoque candore niteat; quòd odore cohoneſtetur adeò ſuavi, itaque jucundo, ut nihil aut afflari ſuaviùs, aut odoratu percipi jucundiùs poſſit.*

DAMASCENUS Johannes, pater Eccleſiæ ac Hiſtoricus, de quo vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.2. c. 24.* Floruit ſub Leone Iſaurico. Patriam Damaſcum habuit, vixitque, ut Petrus Martyr contra Gardinerum probat, circa A. C. 740. Philoſophus inſignis ut ex ejus rudimentis logicis patet Scholaſticorum apud Græcos, quemadmodum Petr. Lombard. apud Latinos, caput fuit. Ejus opera Syriacè ſcripta cùm ex Oriente attuliſſet Guil. Poſtellus, oppigneraviſſe ea cum aliis *MSS.* Ottoni Henrico, Electori Palat. ſcribit G. Horn. *Hiſt. Philoſ. l. 6. c. 2.* vide & *Janus*, & *Johannes.*

DAMASCENUS Nicolaus, Philoſophus Peripateticus, Auguſto Cæſari familiaris, vir planè ſummus & undecunque doctiſſimus. vide *Nicolaus.*

DAMASCENUS Jupiter, in veteri *Inſcript.* apud Salmaſ. *ad Spartian. in Hadr.*

DAMASCIUS, Stoicus Philoſophus, Simplicii familiaris, floruit ſub Juliano. Scripſit commentaria in Platonem, & alia quædam quæ enumerantur à Suida. *vide infra.*

DAMASCIUS, Damaſco oriundus, vixit ſeculo 6. tempore Juſtiniani Imp. Scripſit *Inopinator. libb.* 4. Quorum primus agebat de fictionibus incredibilibus, Secundus de narrationibus Dæmonum incredibilibus Tertius de apparitionibus incredibilibus Ultimus de rebus naturæ captum ſuperantibus. Phot. *Bibl. codic.* 130. Vitam porrò Iſidori, *cod.* 180. & 242. Idem cum Philoſopho Syro, de quo Suidas, Agathias, *l.* 11. vide ſuprà. Scripſit quoque vitas & ſententias Philoſophorum, Voſſ. *de Hiſt. Gr. l. 2. c.22. p.* 272. 273. Nic. Lloydius.

DAMASCUS, Syriæ urbs antiquiſſima, ditiſſima & clariſſima, olim Regum ſedes, palmulorum fertiliſſima, & prunorum, quæ inde *Damaſcena* vocantur. Lucan. *l.* 3.

Et felix, ſic fama, Ninos, ventoſa, Damaſcus:

Hanc veram Jovis urbem, totiusque orientis oculum vocat, Julian. *in Epp.* Sic autem dicta eſt, uti volunt, ab *Aſco* quodam Gigante, qui Dionyſium vinctum illic cum Lycurgo in fluvium injecit: vel quòd *Damaſcus*, Mercurii & Halimedæ nymphæ filius, ex Arcadia in Syriam profectus, urbem ſui nominis condiderit, vel quòd Dionyſ. ibi perſecutus ſit & excoriaverit *Damaſcum* quendam, qui vineta ſecuri exciderat. *Syriæ nobiliſſima civitas* vocatur à Juſtin. *l.36. c.2.* qui addit: *Nomen urbi à Damaſco Rege inditum.* Verùm hic *Damaſceus*, ab aliis *Damas* vocatur. Etymologicum magnum: Δαμασκὸς, πόλις Συρίας περὶ τ Ἀντιλίβανον. Εἴρηται ὅτι Δαμὰς τραγῳδῶν μετὰ Διονύσου, ἐκεῖσε σκηνὴν πηξάμενος, ἱδρύσατο ἐκεῖ Συρίας Θεοῦ ξόανον. Ab Omaro Abubecheris ſucceſſore, A.C. 636. capta. Vilh. Tyr. *l. 1. c. 2.* Sedes unius ex tribus Saracenorum Amiris facta eſt, A. C. 813. altero Babylone, tertio in Africa reſidente: poſtmodum à Mohammede l. Bagdadum ſ. Babylonem tranſlata, Saracenis verò pulſis, ex Turcis Sultanos habuit, *Doldequinum*, & *Noharadinum*; quibus ſucceſſit *Saladinus* Ægyptius. Uti & Aleppum, & Nicæa, & Iconium & Ninive, ſub propriis tum Sultanis fuêre. Fruſtra, ob ſociorum lites, à Conrado III. Imp. tentata, A. C. 1147. Trithem. *in Chron.* Olim nona metropolis, ſub Patr. Antiocheno erat. Ab Us, fil. Arami, conditam vult Joſeph. *Antiq. l. 1. c. 6.* Evangelii luce colluſtrata eſt à Paulo, qui ibi ab Anania baptizatus eſt: inde, cùm inſidias ſenſiſſet, à Diſcipulis emiſſus, Actor. *c.9. v.15.* Miræus *Geograph. Eccleſ.* Bellon. *l. 2. obſerv. c. 91. & ſeqq.* vide & Voſſ. *ad Juſt.* Nunc paucos habet incolas, quibus *Scham* vocatur; Sub Turcis, Baſſæ ſedes, ab 154. Ann. cùm antea pareret Sultano Ægypt. Alipienſis hoc ſeculo Baſſa rebellis, victo Achmeris Imperatoris Turcarum Duce Ali Baſſa eam cum Tripoli & theſauris Vezirii occupavit, ſed rediit poſtea urbs ſub obſequium Imperat. quò cùm ſub prætextu Imperatoriæ Mecham peregrinationis, ſedem Imperii Oſmannus transferre voluiſſet, à Janizeris in carcerem conjectus, & juſſu Muſtaphæ patrui ſtrangulatus eſt, A. C. 1622. Media eſt inter Hieruſalem ad Auſtr., & Antiochiam ad Bor. 240. mill. ab Aleppo in Auſtr. Baudr. *in Lex. Geogr. Ferrar.* vide inprimis Petrum de Valle *itiner. t. 1. & 4.* Addo ſaltem, quod de ea Plin. *l. 5. c. 18.* inter alia, *Damaſcon Eupotoni riguis ex amne Chryſorrhoa fertilem*: uti legi jubet Salmaſ. Ex cujus ſententia Plin. verba Græci Auctoris, quo uſus eſt, ſic accepit, quaſi Δαμασκὸς εὔποτος cum adjuncto vel epitheto diceretur, ad diſcrimen alterius cujuſdam Damaſci. Atqui εὔποτος idem, quod δίποτος, *irrigua* & rivis bene ſatura eſt. Chryſorrhoas enim amnis totus fere in rigua & rivorum deductiones convertebatur, & Damaſcum præcipuè rigabat ac εὔποτον reddebat: hinc nomen fortè adeptus, quòd ſc. fertilem eam urbem redderet. vide illum *ad Solin. p.*617. uti de vett. *Damaſci*, ſeu *Syriæ Damaſcenæ* regionibus infrà voce *Rezon.*

DAMASCUS, filius procuratoris domus Abraham. Geneſ. *c.15. v.2.* Egregium σφάλμα. Diſpenſator ſiquidem Abrahami Eliezer fuit ex Damaſco.

DAMASIA, opp. Rhætiæ in Vindelicorum finibus, *Dieſſen*, teſte Lazio. Cluver. autem aliiſque fuit arx Lycatiorum, in Vindel. ad Lycum fluv. ubi dein Auguſta Vindel. *Dieſſen* autem opp. antea *Pontes Teſſenii* dicebatur. vide *Aug. Vindelicor.*

DAMASIAS, Athenis annuum magiſtratum geſſit. Dionyſ. Halicarn. *l.* 3. Eo anno, qui fuit primus Olympiad, 35. ſeptem Sapientes nomen ex numero invenêrunt, & inter eos primus judicatus Thales eſt; uti ex Euſebio docet Salmaſ. *ad Solin. p.*843.

DAMASIAS, ob putrem & faſciis circumvolutam tibiam traducitur à Comicis. vide Ariſtophan. *Aves* 614. *A.* 1.

DAMASIPPUS, Dux in exercitu Philippi Macedonis luxurioſus, & ideò ab eo finibus regni proſcriptus. vide *Æropus.*

DAMASIPPUS, alio nomine *Lucinius* Senator, Jubam Regem victorem Uticam ingredientem comitatus. Cæſ. *l.2. de Bello civil. ſub finem.* Poſtea in eadem Africa cum Scipione periit.

DAMASIPPUS, vir ignobilis apud Rom. qui nobiliſſimos cives, qui partibus Syllanis faverant, inter victimas tanquam belluas enecavit, nec non Arvinæ Tribuni Plebis truncum in ſublime elatum per ora vulgi deferri juſſit, tandem à victore Sylla obtruncatus.

DAMASIPPUS, hiſtrio, cujus meminit Juven. *l.*111. *Sat.*8. *v.* 185. & 186.

Conſumptis opibus vocem, Damaſippe, locaſti
Sipario, clamoſum ageres ut Phaſma Catulli,

DAMASIPPUS, ſignorum & vaſorum antiquorum mercator, apud Horat. *Serm. l.2. Sat. 3. v.*64.

Inſanit veteres ſtatuas Damaſippus emendo.

Ubi Lambinus eundem eſſe ſuſpicatur, de quo Cic. *epiſt. l. 7. ep. 24. ad M. Fab. Gall.* qui mandato Ciceronis quædam ei ſigna emerat, haud illi grata, *Bacchas* nempe, & *Martis* ſignum. Verba ejus apponam, *Sed tamen, ſi iſta mihi ſint habenda, certiorem velim me facias, ubi ſint, quando arceſſantur, quo genere vecturæ, ſi enim Damaſippus in ſententia non manebit, aliquem Pſeudodamaſippum, vel cum jactura reperiemus.* Nic. Lloydius.

DAMASITHYNUS, unus è Ducibus Xerxis. Herodot. *l.*7. Polyæno *Damaſithymus*, præfectus claſſis Perſicæ, mollis & ignavus, *l.* 8.

DAMASTES, Sigeenſis, fil. Dioxippi, Hellanici antiqui (erat enim & Hellanicus junior Grammaticus, Ptolemæi Ariſtarchi Præceptor, teſte Suida in Ἀνδοκύδης, & Πτολεμαῖος) diſcipu-

lus

lus tempore Herodoti, paullo ante bellum Peloponneſiacum Olymp. 87. A. C. 2. inchoatum floruit, juxta Dionyſ. Halicarn. *l. de Thucyd. charact.* & Suidam Δαμάστης. Ejus meminêre Strab. *l.* 14. Valer. Max. *l.* 8. *c.* 13. Plutarch. *in Camillo*, & Steph. in Ὑπερβόρεοι; Nec non Rufus Avienus in ora maritima, *Quin & Damaſtes nobili natus Sige.* Scripſit genealogiam eorum, qui Trojam obſedêrunt, Catalogum urbium, gentium, Poëtarum, Sophiſtarum, &c. Reliquitque inter alia, librum περὶ Ποιητῶν καὶ Σοφιστῶν, teſte Suidâ; niſi juniori cuidam potius hic liber tribuendus erit. Diverſus ab hoc eſt Democriti Philoſophi, & Herodoti frater, apud Suid. in Δημόκριτος; qui *Damaſus* dicitur Plin. *l.* 18. *c.* 35. Laërt. *l.* 9. *in Democrito*, & Heſych. Mileſ. *in eod.* In quo latens mendum alii jamdudum obſervarunt. Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 1. *c.* 2. *l.* 4. *c.* 5. *de Math. c.* 69. §. 3. Idem *Nic. Lloyd.*

DAMASUS I. Hiſpanus, poſt Liberium, cum Urſicino de ſede certavit, *ut implerentur ſanguine occiſis* 130. *hominibus orationum loca.* Ammian. Marcell. *l.* 29. Cauſa quia *adepti*, ut idem inquit, *feliciſſimi ſunt, eorumque convivia regales ſuperant menſas.* A C. 367. Proin Prætextatus, urbis Præf. ludens Papæ huic dicere ſolitus eſt, *Facite me Rom. Epiſcopum, & ero protinus Chriſtianus*, Hieron. *ad Pammach. ad Nepotian. ad Euſtach. in c.* 2. *Mich. &c.* A Valentin. confirmatus, paulo pòſt adulterii accuſatus eſt; Sed abſolutus, indixit Synodum contra Auxentium, ad quam Orientales Epiſcopos vocavit, *tanquam filios*, qui ipſi & cœteris ibi congregatis, *velut fratribus & collegis*, reſcripsêre, A. C. 382. Platina *in vita ejus.* Aliam Synodum contra Apollinar. habuit. Obiit A. C. 384. Epiſc. 17. Opera ejus, Romæ impreſſa, A. C. 1639. cum notis Marci Mileſ. Saracen. In Occid. Pſalmodias introduxit, primusque Hallelujah, etiam extra Paſcha, cani juſſit. Hier. *de Script. Eccleſ. c.* 103. *& Chron.* Athanaſ. *ep. ad Afr.* Ambroſ. *epiſt.* 30. Optat. *l.* 2. Ruffin. *l.* 2. *c.* 10. Auguſtin. *epiſt.* 164. *Sulpit. Sev. Socr. Sozom. Theodoret.* Ciaccon. *in Damaſo*, Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 8. *p.* 200. Ei ſucceſſit Syricius.

DAMASUS II. priùs *Papa*, Epiſc. Aquileienſis, Romam miſſus, ab Henr. III. Imp. egregio jurium Imperialium vindice, tempore quo Benedict. IX. in Papalem ſedem ſe denuo intruſerat, poſt Clement. II. huic ſucceſſit, per 23. ſolùm dies. Obiit A. C. 1048. Benedicto adhuc impietate ſuâ ſedi illudente. Leo Oſtienſ. *l.* 2. *c.* 82. Herman. *Chron. Onuphr. Genebr. Ciacconius*, &c.

DAMASUS, poëta Hiſpanus, qui floruit tempore Eutropii & Oroſii: Hic complures hymnos ſcripſit. vide Suidam, & paulo pòſt.

DAMATRIS. Vide DAMIA.

DAMBEA, regn. Abyſſiniæ, juxta lacum cognom. *Iſaac. Voſſ.* verſus fontes Nili & Agaos pop. *Baudr.* Sedes magni Neguzi. Marmol. *l.* 9.

DAMBEA, lacus Abyſſin. valdè extenſus & celebris, undique montibus cinctus, ex quibus innumeri rivi amnesque labuntur, qui lacum hunc efficiunt. Longus eſt 22. leuc. Germ. latus 15. Inſulas continet 21. quarum præcipua *Dek*, juſtæ magnitudinis. Septem quoque ſunt aliæ, magnificis Religioſorum Cœnobiis olim exornatæ. Per eum Nilus labitur, cujus fontes in vicinia ſunt. *Iſaac. Voſſ.*

DAMEAS, nobilis ſtatuarius. Plin. *l.* 34. *c.* 8.

DAMFRONS, caſtrum Galliæ, in Cenomanis, ad amniculum Varennam in Meduanam effluentem, vulgò *Damfront*, vel *Danfront en Paſſais.* Dictum eſt quaſi *Dominifrons*: quòd eſſet in confinio Normanniæ & Cenomaniæ, à Comitibus Cenomanorum conditum & *Domino Regi* Anglorum ac Duci Normanorum oppoſitum, in limite, atque frontis inſtar adverſæ objectum, Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

DAMIA, cognomen Cybeles, & *Damatris* ejus ſacerdos. Sacrificium quoque Deæ huic Kal. Mai fieri ſolitum, *Damium* appellatum fuiſſe, docet Feſtus; à Græca voce Δῆμος, *populus*, quia pro populo fiebat. Unde Juven. III. *ſat.* x. *v.* 117.

Pro populo faciens, quantum Sauſeja bibebat.

Joſ. Scalig. *Not. in Feſt.* vide quoque ubi de *Bona Dea.* ſic *Damiurgi*, qui & *Demiurgi*, apud Dorienſes ii dicti ſunt, qui publica negotia reſque civitatis adminiſtrabant, ſimiles Athenienſium Demarchis *Heſych.* vide Turneb. *adverſar. l.* 14. *c.* 11. laudatum Joh. Calvino *Lexic. Jurid.* Meminit eorum Livius *l.* 38. *c.* 40.

DAMIANISTÆ, Acephalorum ſectatores. Niceph. *l.* 18. *c.* 49. Baron. Annal. 535.

DAMIANUS, Epheſius, ſophiſta nobilis circa M. Antonini Imp. tempora, divitiis ac potentiâ inter ſuos præditus, Remp. Dianæ templum, viros doctos liberalitate proſecutus eſt. Philoſtrat. in Sophiſt. *l.* 2.

D. DAMIANUS, frater. D. Coſmi Medici, & ipſe Medicus.

DAMIANUS, cum Fugatio, ad preces Lucii Regis, ab Eleuther. Epiſc. Rom. in Britanniam miſſus eſt, ut ibi Evangelium annuntiaret. A. C. 177. 181. Hi eum cum tota domo, populoque univerſo, baptizarunt, ſublatoque malorum dæmonum cultu gentem modum veræ pietatis colendæ docuêrunt. Polyd. *Hiſt. l.* 2. vide & *Petrus.*

DAMIATA, urbs Archiepiſc. Ægypti, in ora maris Mediterr. ad oſtium rami orientalior. Nili; aliàs *Peluſium*, ſeu mel. *Thamiatis*, ex adverſo Peluſii, è cujus ruinis crevit. Sub Saracenis, idem, cum reliquis Regni hujus, Fatum ſubiit. A Chriſtianis A. C. 1218. obſeſſa, an. pòſt in eorum poteſtatem, egregiâ Harlemenſium immanes catenas, quibus portus claudebatur, nave ſubrus ferrarâ perfringentium, operâ, venit. Reddita Sultano A. C. 1221. poſtquam tantis aquis circumfuſi eſſent, ut pereundum illis fuiſſet, niſi hanc & alia occupata deſtituiſſent: pace octenni initâ. Blond. *dec.* 2. *l.* 7. A Ludovico IX. recepta A. C. 1249. qui eam captus Barbaris lytri loco reſtituit, ab his crematam, ut quidam dicunt, ne porro bellorum materia eſſet. Jac. Vitriac. *Hiſt. Or. l.* 3. Antonin. *tit.* 19. *c.* 3. Blond. *l.* 2. *dec.* 7. P. Æmyl. Sanut. *l.* 3. *par.* 12. *c.* 4. Monach. Patav. *in Chron. l.* 2. Miræus *Geogr. Eccl.* vide *Thamiatis.*

DAMIGELLA DE. S. ANGELO Lat. *Domnicella*, Sebuſiana, ſequentis avia, ſcientiâ & pietate illuſtris. *Hilar.* Coſtus, *Eleg. fem. Ill. tom.* 1.

DAMIGELLA TRIVULTIA, Joh. ex Angela Martinenga, filia Græcè Latineque doctiſſima, nec minùs Philoſophiæ perita. Coram Papis & Præſulibus orationibus habitis inclyta. *Joſeph. Betuzzius*, & Capracius, *in ejus elogio.*

DAMIGERO, Magus vide ARMENIUS.

DAMIPPUS, Spartiata, Syracuſis enavigans à M. Marcello interceptus eſt. A quo hic didicit, turrem quandam negligentius cuſtodiri, plurimorum virorum capacem, atque ab ea murum non difficilem habere aſcenſum. Cujus verbis edoctus Marcellus ſcalas applicuit urbemque cepit. vide *Polyæn. l. VIII.*

DAMIS, Aſſyrius, familiaris Apollonii Thyanei, de diſputationibus & prophetiis ejus librum compoſuit. Philoſt. *l*, 1. *de vita Apollonii. Suid. Euſeb.* Item, *Philoſophus quidam.*

DAMIUM, ſacrificium Damiæ Deæ minimè publicum vide DAMIA.

DAMMÆ, apud Solin. *c.* 5. ubi de Sicilia, *Laudant alios montes duos, Nebroden, & Neptunium — Nebrodem* dammæ *& hinnuli gregatim pervagantur*: ſunt quæ Δορκάδες Græcis & Κεμμάδες: Siculis Καμμάδες, unde Latini *Tammas* & *Dammas*, cum duplici *m.* fecêre, ut vult *Salmaſ.* vide ſuprà ubi de *Damis*, & Salmaſ. *ad h. l.*

DAMMONA, Græcè Δάμμονα, Indiæ opp. de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1005.

DAMNA, civitas in tribu Judæ, Joſ. *c.* 15. *v.* 49. Alia in tribu Zabulon data Levitis.

DAMNA, apud Papin. Stat. *Theb. l.* 6. *v.* 83.

---- ---- *cuncta ignibus atris*
Damnat atrox, ſuaque ipſe parens geſtamina ferri,
Si damnis *rabidum queat exſaturare dolorem:*

Profuſiones ſunt ſpontaneæ. Sic Petron.

Damna *placent* -----

Et idem edit. Boſch. *c.* 79.

---- ---- *inque Lucrinis*
Eruta littoribus vendunt conchylia cœnas,
Ut renovent per damna *famem* ----

Quem acutum ſermonem à nemine hactenus ſatis enarratum, ait Caſp. Barth. *ad Statii locum.* Hinc *damnare*, quod pro *donare*, ut contra, ſæpe in libb. vitio Librariorum, reperiri, notat Cujacius. Certè Solin. *c.* 25. de elephantis, *Cùm*, inquit, *venatu premuntur, pariter affligunt utroſque* (dentes) *ut ebore* damnato *non requirantur: hanc enim cauſam ſibi ineſſe periculi ſentiunt.* i. e. venatu preſſi gnarique propter ebur ſe peti, ſponte illud abjiciunt ac donant venatoribus, ne requirantur. Salmaſ. *ad h. l.*

DAMNABA, villæ hujus nominis duæ, in tribu Gad, tempore Hieron. *in Lat. Hiſt.*

DAMNÆ, *Serica* gens, & DAMNA apud eoſdem urbs. *Ptol.*

DAMNANITANI, Hiſp. Tarracon. pop. *Plin.*

DAMNARE, Cervum augerale, de quo vide infrà ubi de *Soliſtimo tripudio.*

DAMNATI ad beſtias, vide ſuprà, in voce *Beſtiarii*, item ubi de *Ludis.*

DAMNIA, Arabiæ Fel. reg. *Plin.*

DAMNII, Albionis inſulæ pop. verſus Boream. *Ptol.* quorum regio nunc *Weſtmorland* vocatur. Baudrando pop. Scotiæ Auſtralis, ubi nunc prov. *Sterling*, *Menteith*, & *Cluydesdale*, ex Camd. longè à Weſtmaria in Bor.

DAMNONII, pop. Albion. in Occid. vergentes. *Ptol.* quorum regio nunc *Devonshire*, & *Cornwall.* Inde *Damnonium* prom. *S. Michael's mount*; Camd. verò *The Lizards point.* Eorum urbes fuêre *Iſca*, *Voliba Uxella.* Baudr.

DAMNONIUM prom. quod & *Ocrinum*, nunc *Lezard point*, eſt pars prom. in Occid. vergens, quæ enim in Orient. tendit, *The Manacles point* dicitur; Eſt autem prom. Cornubiæ in Auſtr. extenſum, 12. mill. Angl. à monte & arce D. Mich. in Auſtr. 17. à Bolerio prom. in Eurum. *Baudr.*

DAMO, fil. Pythagoræ, cui pater non ſolùm omnia Philoſophiæ arcana recluſit, verùm etiam ſcripta ſua moriens commendavit, hac conditione, ne unquam vulgaret. Quod illa religioſè ſervavit, omnibus mundi bonis etiam in ſumma inopia, paternæ voluntati poſthabitis. Diogen. Laërt. *in Pythagora, l.* 8.

DAMOCLES, unus ex aſſentatoribus Dionyſii Siciliæ tyranni. De quo hiſtoriam ſequentem narrat Cic. *Tuſcul.* 5. *Cùm quidam ex Dionyſii aſſentatoribus Damocles commemoraret in ſermone copias ejus, opes, majeſtatem dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negaretque unquam beatiorem quenquam fuiſſe. Viſne igitur*, inquit, *ò Damocles, quoniam hæc te vita delectat, ipſe eandem degustare, & fortunam experiri meam? cùm ſe ille cupere dixiſſet, collocari juſſit hominem in aureo lecto, ſtrato pulcherrimo, textili ſtragulo, magnificis operibus picto: abacosque complures ornavit argento, auroque cælato. Tum ad menſam eximiâ formâ pueros delectos juſſit conſiſtere, eoſque ad nutum illius intuentes diligenter miniſtrare. Aderant unguenta, coronæ; incendebantur odores, menſæ conquiſitiſſimis epulis extruebantur. Fortunatus ſibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari ſetâ equinâ appenſum demitti juſſit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos adminiſtratores adſpiciebat, nec plenum artes argentum,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

gentum, nec manum porrigebat in menſam: jam ipſæ diffluebant coronæ; denique exoravit tyrannum, ut abire liceret, quòd jam beatus nollet eſſe. Horat. *Carm. l.* 3. *Od.* 1. *v.* 17. & ſeqq.

Diſtrictus enſis cui ſuper impia
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem,
Non avium citharæque cantus
Somnum reducent.

Nic. Lloydius.

DAMOCRITA, matrona Romana, Alcippi civis clariſſimi uxor, quæ cùm virum ab iis, qui contrarias in Rep. partes fovebant, in exilium actum ſequi prohiberetur, filiæque jam viro maturæ edicto publico nubere vetarentur, ne ex iis quiſpiam Alcippi ultor naſceretur; concepit animo facinus ſupra omnem muliebrem audaciam. Nam cùm ex more fœminæ primariæ noctu ſacrorum causâ conveniſſent, Damocrita à filiabus adjuta, magnam vim lignorum, quæ ad ſacrificia parata erant, ad fores congeſſit, ignemque injecit, ut intus omnes exureret. Accurrentibus deinde auxilio viris, illa filias primùm, deinde ſeipſam interfecit. Plutarch. *in Paral.* c. 5. *de narrat. amator.*

DAMOCRITUS, Hiſtoricus, geminum opus conſcripſit, unum de inſtruendis aciebus, alterum de Judæis, in quo prodidit eos caput aſini adorare ſolitos fuiſſe, etiam ſeptimo quoque anno peregrinorum aliquem, quem cepiſſent, ſacrificaſſe, carne ejus minutatim diſſectâ. Suid. Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 3. *p.* 350.

DAMOCRITUS, DEMOCRITUS vel DAMOCRATES, tractatum de Medicina verſibus ſcripſit. Galen. Plin. *l.* 14. *c.* 2. *l.* 20. *c.* 5. *l.* 25. *c.* 2. *l.* 26. *c.* 4. *l.* 28. *c.* 1.

DAMOETAS, nomen Paſtoris apud Virgil. *in Bucol. Ecl.* 3. in init.

Dic mihi Damœta cujum Pecus.?

DAMON, Centuripinorum Princeps, cum quo Meſſenii ſocietatem inierunt. Diodor. *l.* 14.

DAMON, Athenienſis Pſaltes, qui remiſſam harmoniam reperit. Cæl. Rhodig. *l.* 9. *c.* 3. An idem cum illo, apud Platon. *de Rep. l.* 4. qui dixit, Muſicam non poſſe immutari, niſi immutato Reip. ſtatu?

DAMON, Cyrenæus, de Philoſophis monumentum ingenii ſui conſignavit, ut conſtat ex Laertio *in Thalete.* Athen. *l.* 10. illum Byzantinum facit. Plutarch. *in Theſeo & Numa*, ejus meminit, ut & Plin. *l.* 7. *c.* 2. vide Voſſ. *Hiſt. Gr. l.* 3. *p.* 351.

DAMON, & PYTHIAS, Pythagoræi, hoc animo (inquit Cic.) inter ſe fuêrunt, ut cùm eorum alteri Dionyſius tyrannus diem necis deſtinaſſet, & is, qui morti addictus eſſet, paucos ſibi dies commendandorum ſuorum causâ poſtulaſſet, vas factus ſit alter ſiſtendi ejus, ut ſi ille non revertiſſet, moriendum eſſet ipſi, qui cùm ad diem ſe recepiſſet, admiratus eorum fidem tyrannus, petivit ut ſe ad amicitiam tertium adſcriberent. vide Val. Max. *De Amicitia*, *l.* 4. *c.* 7. *ex.* 10. *Athen.* &c.

DAMON, Thurius, ſtadii victor, Olymp. 101. & 102.

DAMOPHILA, Græca è Lesbo mulier, uxor Pamphili, ſocia Sapphûs poëtriæ, poëmata multa conſcripſit, partim amatoria, partim in Dianæ laudes. Philoſtr. *in vita Apollonii.*

DAMOPHILUS, ſophiſta; quem nutrivit Julian. Conſ. ſub M. Antonino, ſcripſit ad Lollium Maxim. de vita priſcorum, & quædam alia. Suid. Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 14. Item plaſtes quidam ac pictor. Plin. *l.* 35. *c.* 12.

DAMOSTRATIA, concubina Commodi primùm, inde Cleandro nupta, apud Lamprid. *Commodi.*

DAMOSTRATUS, Philoſophus, ſcripſit de piſcibus libb. 20. Suid. Halieuticôn quoque ejus meminit Ælian. *l.* 13. *c.* 21. Item *l.* 15. 4. & 9. *adhuc c.* 19. *ejuſdem l.* ubi de eo ſic ſcribit: καὶ λέγει Δημόστρατος, ἀνὴρ ὃς καὶ τοῦτο λέγει τῆς ἐκ τῆς Ῥώμης τῆς βουλῆς γενόμενος, καὶ ὅτι πολὺ διαβέβληται ἤδη τεκμηριῶσαι ἱκανός. Δοκεῖ δέ μοι ἐπιστήμης τῆς ἁλιευτικῆς εἰς ἄκρον ἐλάσαι, καὶ ὅσα ἔγνω, εἰπεῖν κάλλιστα.

DAMOXENUS, Athenienſium Comicus, cujus fabulæ nonnullæ commemorantur ab Athen. *l.* 3. Ubi loci coquum Epicuri doctorem facit. Vixit ſub Ptol. Philadelpho, Olympiade 127.

DAMPETIA, Brutiorum urbs in Calabria. *Torano* Barrio. vide *Clampetia.*

DAMPETRA Johannes, vide *Johannes.*

DAMPOLIS, Thraciæ caſtell. *Cedren.*

DAMVILLERIUM, opp. munitum Duc. Lucemburg. inſertum Lotharingiæ, 5. leuc. à Virduno, in Arctos, Malmedium verſus, à quo 4. leuc. abeſt. Captum à Francis A. C. 1637.

DAMUM, opp. permunitum Flandriæ, recèns extructum ad tutelam Brugarum. 1. leuc. à Brugis *Clauſulas* verſùs, in confin. dit. Holland. ſub Hiſp.

DAMUM, opp. munitum Pomeraniæ, ad Oderam fluv. è regione Stetini. à quo 1. leuc. abeſt. Sub Suecis.

DAMUTUM, regnum Æthiopiæ ſuper. aliàs ſub Abyſſinorum Rege nunc ab ejus imperio avulſum, Voſſ. Inter Gafates & regnum Naream. *Baudr.*

DAMYNDAS, vir Macedo. *Plutarch.*

DAMYRIAS, fluv. Siciliæ. Plutarch. *in Timoleonte.*

DAMYSUS, Gigantum omnium ſuo tempore velociſſimus, cujus effoſſi talum Chiron Centaurus Achillis pedi adaptavit, in locum tali illius, quem ignis abſumpſerat, cùm mater Thetis illum in ignem pro more conjeciſſet: adeò ſcitè, ut irrevulſus perpetuò hæſerit, donec ab Apolline Achilles fugeret, quo tempore vinculis laxatis & revulſo talo, Achilles cecidit & interfectus eſt. Ptolemæus Hephæſtio apud Photium.

DAN, i. e. *judicans*, vel *judicium*, Gen. *c.* 30. *v.* 6. quintus Jacobi Patriarchæ ex Bala, ancilla Rachel, uxoris ſuæ, filius, ita progeniem ſuam ampliavit, ut de tribu ejus ad montem Sinai numerati ſint viri bellatores 62. millia, ſeptingenti, quibus omnibus in deſerto mortuis, eorum filii 64. millia quadringenti terram promiſſam ingreſſi, Joſ. *c.* 19. *v.* 40, 47, 48. Judic. *c.* 18. *v.* 29. pro hæreditate & poſſeſſione ſua cis Jordanem de terra tribui Judæ prius aſſignata ad mare magnum poſſeſſionem conſecuti ſunt. Natus eſt A. M. 2286. A Patre benedicente ſerpenti & ceraſtæ comparatus eſt, an ob Simſonem, Chriſti figuram? vide Gen. *c.* 49. *v.* 16, 17. Obiit A. M. 2412. æt. 127. Item opp. Palæſt. in Cœleſyria ad fontem Jordanis fluv. minorem, in agro compaſcuo & fœcundo, ac omnibus generibus fructuum affluenti, à Ptolemaide 14. m. p. à Paneade quarta milliarii parte diſtans. Hodie *Belenas* Bridenbachio. Terminus terræ Iſraël ab Aquilone fuit. Hîc Jeroboam rex Iſraël vitulum aureum adorandum erexit. 1. Reg. *c.* 12. *v.* 29. 30. Joſeph. *l.* 8. *Antiq.* ubi de Jeroboami vitulis: τὸ ἕτερον ἐν Δάνῃ, ἡ δέ ἐστι πρὸς ταῖς πηγαῖς τοῦ μικροῦ Ἰορδάνου. Baudr. Dan, quæ & *Laiſa*, & *Paneas*, & *Cæſarea Phil.* erat in tribu Nephthalim; 35. mill. ab ora maris Med. & à Tyro in Ort. vix 8. à monte Libano.

DAN, Tribus Judææ, in ora littor. maris Medit. Habet ad Ort. Trib. Judam, ad Auſtr. Trib. Simeonis. Ejus præcipua urbs eſt Joppe, in ora littorali.

DAN, viculus eſt, in tribu Nephthalim, qui uſque hodie, inquit Hieron. ſic vocatur, in quarto ab urbe Paneade miliario, Panio antro, fontique Dan adjacens. Hieron. *de loc. hebr. lit. D. dict. Dan.*

DAN, mons ſuper viam, quæ ducit Samariâ in Sichem. Eſt in tribu Ephraim.

DANA, Taprobanæ opp. Lunæ ſacrum. Ptol. Item Cappadociæ urbs, quam Xenoph. *l.* 1. *de Exped. Cyri* μεγάλην, καὶ εὐδαίμονα vocat.

DANABA, Palmyrenæ urbs. Ptol. Phœniciæ eam aſcribit Lib. Notitiarum.

DANABE, Perſarum opp. *Zoſim.*

DANAE, filia Acriſii, Regis Argiv. ex Eurydice, filia Lacedæmonis, qui cùm oraculo monitus eſſet, fore, ut à nepote occideretur, filiam munitiſſimæ turri incluſit: cujus amore captus Jupiter in imbrem aureum ſe convertit, & per tegulas in puellæ gremium ſe dimiſit. Quo ex coitu illa gravida effecta Perſeum peperit. Quamobrem indignatus Acriſius, filiam unà cum recens nato nepotulo arcæ includi juſſit, atque in mare projici. Verùm id longè aliter cecidit. Nam arca ad Dauniæ litus delata à piſcatore reperta eſt; in qua cùm Danaen cum filio reperiſſet, utrumque Pilumno Regi obtulit, qui cùm genus ac patriam ejus didiciſſet, Danaen quidem in uxorem duxit, Perſeum verò Polydectæ Seriphi inſ. Regi educandum tradidit, qui poſtea adultus, cùm Argos veniſſet, Acriſium avum, oſtenſo Meduſæ capite, in ſaxum convertit. Ovid. *Met. l.* 4. *v.* 610.

——— *Neque enim Jovis eſſe putabat*
Perſea, quem pluvio Danae conceperat auro.

Fabulam explicat Horat. *l.* 3. *Carm. od.* 16.

Incluſam Danaen turris ahenea,
Robuſtæque fores, & vigilum canum
Triſtes excubiæ munierant ſatis
Nocturnis ab adulteris:
Si non Acriſium virginis abditæ
Cuſtodem pavidum Jupiter & Venus
Riſiſſent, fore enim tutum iter & patens
Converſo in pretium Deo.
Aurum per medios ire ſatellites
Et perrumpere amat ſaxa potentius
Ictu fulmineo. ———

Lepidum etiam extat epigr. Pauli Silentiarii *Antholog. l.* 7.

Χρύσεος ἀψαύστοιο διέτμαγεν ἅμμα κορείας
Ζεύς, διαδὺς Δανάας χαλκελάτους θαλάμους.
Φαμὶ λέγειν τὸν μῦθον ἐγὼ τάδε, χάλκεα νικᾷ
Δάπεδα καὶ δεσμοὺς, χρυσὸς ὁ πανδαμάτωρ.
Χρυσὸς ὅλους ῥυτῆρας, ὅλας κληῖδας ἐλέγχει.
Χρυσὸς ἐπιγνάμπτει τοὺς σοβαροβλεφάρους.
Καὶ Δανάας ἐλύγωσεν ὁ δὲ φρένα, μή τις ἐράστης
Διοσέσθω Παφίαν ἀργύρεον κατέχων.

Nic. Lloyd. Cæterum illam *Artemon pinxit, mirantibus eam prædonibus*, Plin. *l.* 35. *c.* 11. ubi *prædonibus* exponit *piſcatoribus* Dalechampius. Nec omittendum, quòd *Danaen* in Italiam veniſſe, cum duobus filiis, Argo & Argeo, & ab Argo *Argiletum* dictum fuiſſe Romæ, notat Serv. *ad Æneid. l.* 8. At Poëta ipſe Ardeam à Danae conditam ſcribit *l.* 7. *v.* 409.

------- ------- *quam dicitur olim*
Acriſioneis Danae *fundaſſe colonis:*

ubi *Acriſionei* dicuntur *coloni*, ab *Acriſione*, i. e. filia Acriſii, Danaë. Salmaſ. *ad Solin. p.* 57.

DANÆUS Lambertus, Aurelianenſis: Cùm præter Artium Encyclopædiam, variarum rerum atque ſcientiarum cognitionem adeptus eſſet, primò Juri operam ſub Anna Burgio, poſtea Martyre, Aureliæ dedit: pòſt ſacris ſe tradens, ſummâ induſtriâ id obtinuit, ut inter exercitatiſſimos Theologos fuerit habitus. Genevæ, Lugd. Bat. Gandavi, in Navarræ denique Acad. Ortheſiana docuit. Obiit A. C. 1596. æt. 70. Circiter. Ejus extant: *Harmoniæ ſeu tabb. in Prov. & Eccl.* Item *Explicatio locorum aliquot Danielis difficilium: Comm. in Matth. Quæſtiones & Scholia in Marc. Comm. in pr. ad Tim. In* 3. *Joh. & Judæ: Ethica Chriſtiana*, &c. *In Partibus & Scholaſtica Theol. ita verſatus, ut facilè omnibus palmam præripuerit.* Meurſ. *Athen. Bat. Libello ejus de Antichriſto nihil brevius ſimul & luculentius.* Zanch. *Vir apprime eruditus, & de inſtruendis aliis optimè meritus, Phyſicam ſuam Theol. ex utroque Codice non inutili labore extruxit*, Tycho Brah. Chr. Rothm. vide quoque Melch. Adami, Verheiden, Meurſ. *Athenis Batavis* Hornbeek. *Summâ Controv. p.* 44. ubi *Elenchum Hæreticorum* ejus ſummopere laudat, & Anton. Teiſſier *Elogiis Part.* 2.

DANAI, pro Græcis, apud Poët. à Danao Rege vide *Danaus.*

DANAIDES, vide *Belides*, in voce. *Danaus.*

DANALA, unum ex tribus caſtellis Galatiæ. Strab. *l.* 12.

DANASUM, opp. Pedemontii.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

DANAUS, Ægypti frater, Argivorum Rex IX. Danaidum pater, qui Sthenelo Rege, vel hujus fil. Gelanore, expulſo, Argos tenuit, ibíque quinquaginta annos regnavit. Ab eo Græci qui *Pelaſgi* prius *Danai* dicti, literas Græcas reperiſſe dicitur. Euſeb. *in Chron.* Apollod. *Bibl. l.* 11. Plin. *l.* 7. *c.* 56. Euſt. *in Hom.* Dionyſ. Alex. *Geogr.* Hygin. *Mythol f.* 168. 177. Marm. Arundel., &c. Ægyptium & quidem hemnitam fuiſſe, urbe Chemmi in Thebaide ſitâ oriundum, Herodot. refert *l.* 2. *c.* 91. ac tertiam, poſt Cecropem nempe & Cadmum patruelem ſuum, Ægyptiorum Coloniam in Græciam deduxiſſe, Marshamus docet; qui *Danai adventus* celebris eſt Græcorum epocha: contigit autem is, A. 72. poſt Cecropem; A. 4. Erichthonii Athenienſium Regis Navis, quâ vectus eſt, *prima* Apollod. *l.* 2. (eò quòd ante illum ratibus navigaretur, Plin. *l.* 7. *c.* 56.) in marmore præf. πεντηκόντορος dicitur, à numero filiarum ejus. Cum verò Athenas perveniſſet, *omine tauri à lupo ſuperati*, Gelanore cedente, regnum obtinuit, in cujus rei memoriam Apollinis λυκίου templum, cum ſtatua, erectum, & *lupi protome* imposterum in nummis Argivorum ſculpta eſt. Uti porrò Cecrops Cecropiam, Cadmus Cadmeam, ſic *Danaus* Argivorum ἀκρόπολιν (arcis nomen) condidiſſe perhibetur. Filiæ verò ejus, inter quas Amymone, B... Helice & Archedice, memorantur in marmore (ubi lectæ à cœteris filiabus in Lindo ſacrificaſſe dicuntur) *ob puteorum inventionem* templa ſummoſque honores adeptæ ſunt: eædem *initiationem Cereris*, quam Θεσμοφόρια Græci vocant, ex Ægypto attulêrunt: maritos ſuos occidêrunt, Lynceo excepto, cujus priori uxor Hypermneſtra à patre accuſata & abſoluta templum. Ἀρτέμιδος Πειθοῦς, *Dianæ Suadæ*, & Ἀφροδίτην Νικηφόρον, *Venerem Victricem*, dedicavit; ipſa apud Argos ſacerdotio Junonis functa &c. vide hanc in rem plura apud Joh. Marshamum *Canone Chron. ad Sec. IX.* & ſuprà voce *Belides*. ei ſucceſſit Lynceus gener, quem vide.

DANCALUM, vulgò DANCALI, regnum Æthiopiæ ſup. in ora maris Rubri, è regione Arabiæ, verſus Fretum *Babelmandel*.

DANCKO, filius Taſſilonis, quem Caroli Mag. militem in Suevia ſedem fixiſſe dicunt, Zolleriorum Auctor eſt; tenuitque arcem Zolleranam circa A. C. 829. Ejus poſteri iſtâ graduum ſerie enumerantur: Rudolfus ſub Henrico Aucupe, Otto Wolphgangus, Fridericus I. Fridericus II. Fridericus III. Burcardus, cæſus ex partibus Rudolfi Anticæſaris, ad Mersburgum A. C. 1080. Fridericus III. (alii enim priorem Fridericum omittunt) Rudolfus II. frater Friderici V. Fridericus VI. Comites Zollerani, à patre in filium tranſmiſsâ ſucceſſione. Hujus filii, Fridericus primus, poſt Eberhardum ex Voburgiis ultimum, Burggraviatu Norimb. ſeu Franconiæ Ducatu ab avunculo Rudolfo I. Imp. auctus, hodiernos Brandeburgicos: & Eitelfridericus, Zollerenſes Principes, ſivêre. Ex fratre verò *Danckonis* Gotbaldo, Comites Saulgaviæ, Sigmaringæ Landenbergæ & Pfullendorfii, non incelebres & affinitatibus illuſtres, ortum duxêre. Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Hiſt. in Fam. Zollerio-Brandenburgica*.

DANDACE, Tauricæ Cherſoneſi urbs. *Ptol.*

DANDACENA, Cappadociæ opp. *Anton.*

DANDAGULA, Indiæ opp. intra Gangem. *Plin.*

DANDARI, Plin. qui DANDARIDÆ Tac. Ann. *l.* 12. *c.* 15. Circa Caucaſum habitare videntur. regionem eorum Dandaricam vocat, Tacit. ibid.

DANDARII, pop. Aſiæ circa Caucaſum. Steph. Sanſoni Mæotarum pars, juxta paludem Mœotidem.

DANDAXINA, Armeniæ min. urbs. *Anton.*

DANDOLUS, vel DANDULUS Andreas, Dux Venetus, ſucceſſit Barth. Grandonico, A. C. 1342. Fœdere cum Clemente VI. inito, ingentem exercitum in Orientem miſit. Succinctum Chronicon, de rebus Venetorum præclarè geſtis, Petrarchæ, Blondo, Juſtiniano, Sabellico, Leandro & Cuſpiniano laudatum ſcripſit. Vide & Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 9. *p.* 798. Obiit A. C. 1354. Petrus Marcell. *in vitis Principp. Venetorum.* Sanſovin. *l.* 2. *Chr.* Merula *P.* 2. *Ital.* Gaſp. Contarenus, *de Rep. Ven.* Ex eadem familia Duces, *Henricus*, expugnatâ Conſtantinopoli, Obiit A. C. 1203. *Joh.* rebellibus Iſtrianis bellum movit, & primus ducatos cudit, Obiit A. C. 1290. *Franciſcus*, cogn. *Canis* ad Clem. V. excommunicationem patriæ deprecaturus, Avenionem venit, quem Papa, ad pedes ſuos provolutum, canis inſtar, ferreaque catenâ revinctum, ſubter menſam, jacere paſſus eſt. Plurimas urbes Reip. adjunxit. Obiit A. C. 1339. vide & *Andreas*.

DANDON, Illyricus, vixit Annos 500. Plin. *l.* 7. *c.* 48.

DANDUTI; Germaniæ pop. *Ptol.*

DANEBERGA, opp. Duc. Luneburg. Caput Comitatus cognom. ad Tetzam amnem, 1. leuc. ab Albi fluv. ut & Domitio in Occ. Cum arce munita. Diſtat 5. leuc. ab Ultza in Ort. 7. à Luneburgo in Eur.

DANEON, portus ad ſinum Arabicum, ex quo navigabilem alveum perducere ad Nilum Seſoſtris Rex cogitavit. Plin.

DANESIUS Petrus, Ep. Vaurenſis, Pariſinus, diſcipulus Budæi, Laſcaris, &c. Sub Franc. I. Hebr. Ling. Profeſſor, ſub Henrico II. Delphini inſtitutioni admotus. Miſſus ad Concil. Tridentin. cùm Guidoni Fabro, Legato Caroli IX. reformationem Eccleſiæ urgenti, & in mores Cleri acriter invecto, Itali Præſules illuderent, dicentes, *Gallus cantat*: graviter & ſeriò reſpondit, *Utinam hoc Gallicinio Petrus ad pœnitentiam & fletum excitetur.* Dedicavit huic Epiſc. Genebrardus librum ſuum de Trinitate A. C. 1575. eumque funebri oratione laudavit. vide Turneb. Thuan., A. C. 1577. quo obiit, San Marth. *Gall. Chr. tom.* 2. *p.* 1143. Thevetum *Vie des Hommes Illuſt.* Anton. Teiſſier *Elogiis Part.* 1. &c.

DANGARA, Metropolis regni Nubiæ, incolis frequentiſſima, quorum domus, uti pleræque Nigritarum, cretaceæ, tectis ſtramineis. Joh. Matal. Metel.

DANGEOLUM, caſtrum Galliæ in Cenomanis, memoratum Orderico Vitali *Hiſt. l.* 10. vulgò *Dangeul*, vel *S. George Dangeul*, aliàs *S. George de Dangeul*: locum habet ſibi proximum *S. Martin de Dangeul* à Patrono pictum. Hadr. Valeſ. in voce *Majatum*.

DANGULÆ, pop. circa Arachoſiam. *Plin.*

DANGUTUM, caſtrum Galliæ, in Veliocaſſibus, olim clarum, prope Giſortium ad Ittam fluv. hodieque *Dangu*. Ejus meminit Guil. Britto *l.* 5. de Philippo Auguſto loquens:

Dangutum multis legionibus obſidet.

DANHAVERUS Joh. Conradus, Kundringâ Briſigavus, fil. Conradi ibidem Paſtoris, Lauream Poëticam primus in Academia Argentinenſi nactus, ibi Eloquentiam docuit publicè, A. C. 1631. dein Theologiæ Profeſſor, A. C. 1634. ac Paſtor in ſummo Templo factus eſt A. C. 1658. Obiit A. C. 1666. æt. 64. Scripſit *Philologica*, *Philoſophica*, *Theologica* plurima, quorum indicem exhibet Paul. Freherus *Theatro Viror. eruditione clarorum.*

DANI, pop. Germ. ad Septentriones, in Cimbrica Cherſoneſo & propinquis inſulis incolentes, qui & *Nortmanni* ab Eginartho vocantur: Horum regio *Dania*, vulgò *Denmark*, Regnum in prædicta Cherſoneſo, & circumjacentibus inſulis contentum nominatur. Cujus urbes *Hafnia*, primaria ad Sundicum fretum, vulgò *Coppenhagen*, Academ. & ſede regiâ inſignis, *Roſchildia* Epiſc. in Silandia, *Lundis* metropolis in Scania, *Othonia* in Fionia, *Sleſvicum*, *Ripæ*, *Viborgia & Arhuſia* in Cimbrica, primariæ continentur. Ferrar. Baudr. Dani fuerunt maximè extenſi, utpote qui Angliam & Scotiam pluries devaſtarunt, ipſiſque aliquandiu potiti ſunt. Eorum regnum *Dania*, vide infra, olim diviſum in tres partes: Nempe *Cimbricam Chers.* ubi Jutia Sept. & Mer. Holſatiaque prov. ſatis amplæ; *In Inſulas*, ubi Zelanda, Fionia, Lalandia, Falſtria, Langelandia, Boringia, aliæque min. notæ; & in *Scaniam*, ubi Scania propr. pulcherrima & ditiſſima, Blekingia & Hallandia, prov. Nunc anguſtius eſt, cùm hæ tres ultimæ jam ſub Suecis ſint. Habet ad Auſtr. Germaniam, verſus Holſatiam; in aliis partibus circumcingitur mari Germ. & Baltico. Sed & Regnum Norvegiæ, cum Iſlandia, Schetlandicis Inſ. & ora littor. Grœnlandiæ Daniæ Regi ſubeſt. vide præter Auctores infra laudandos B. Rhenan. *Rerum Germ. Nov. Antiqq. l.* 1. ubi *de Danorum in Cimbriam Cherſoneſum* migratione, & *ad illum Notas* Cl. Ottonis J. C.

URBES DANICI REGNI CLARIORES:

Aelburgum Cimbricæ, *Aelburg.*
Arhuſia Cimbricæ, *Arhuſen.*
Calmaria Scaniæ, *Calmar*, *nunc Sueciæ.*
Coldinga Cimbricæ, *Koldingen.*
* Corona Scaniæ, *Landſcroon*, *nunc Sueciæ.*
* Elſenoria Silandiæ, *Elſeneur.*
* Elſingoburgum Scaniæ, *Elſinburg*, *nunc Sueciæ.*
Haderſlebia Cimbricæ, *Haderſleben.*
* Hafnia Acad. & regia Silandiæ, *Coppenhagen.*
* Lundis Scaniæ, *Lunden*, *Lund nunc Sueciæ.*
Malmogia Scaniæ, *Elbogen*, *nunc Sueciæ.*
Nicopia Cimbricæ, *Nicoping.*
* Ottonium Fioniæ, *Odenſee.*
Ripæ Cimbricæ, *Ripen.*
Ricopinga Cimbricæ, *Rincoping.*
* Roſchildia Silandiæ, *Roſchilt.*
* Sleſuicum, olim Heideba, Cimbricæ, *Schleſwick.*
Varemburgum Silandiæ, *Warburg.*
Venſiſla Cimbricæ, *Wenſyſſel.*
* Viborgia Cimbricæ, *Wiburg.*

DANIA, vulgo *Dennemark*, Septentrionalis Oceani peninſula, nomen habet à *Dano* quodam, filio Humblei Selandiæ, Falſtriæ, Lalandiæ, & Monæ dynaſta, potente athleta ac pugilum maximo: qui Rex creatus eſt à Gothis, propter confuſam plebis democratiam Regulorumque de ſumma rerum inter ſe concertantium oligarchiam. Is felici fortunæ aurâ ad poteſtatem regiam evectus, de ſuo ipſius nomine regno nomen in perpetua hæſurum memoria dedit, & ut imperium ſuâ virtute conſtabilitum, & in formam ſolido fundamento redactum poſteris cum nomine relinqueret, Danos, non Gothos, Daniamque non Gothiam, per omnem inſequentem ætatem, in ſui nominis ſempiternam memoriam dici præcepit. Non deſunt, qui Daniam quaſi *prolificam parentem*, *plurimorum bonorum datricem* appellari autumant. Nonnullis ſubtilior notatio vocabuli *Marchiæ* arridet, qua *maris archia*, quæ ſanè etymologia, idem ſonans, quaſi maris principatum dicas, cum re non pugnat. *Danomarchiæ* quoque etymon ad Danicæ Linguæ proprietatem accommodatum tolerabile eſt, & non malè quadrat. Compoſitum enim revera videtur à *Dan* & *March*, idem patrio ſermone ſignificans, quaſi *Dan regis ager*, vel *campus*. Aliqui eos ab aquis dictos volunt, quia *Aha* apud illos fluvium ſignificat, & ipſi ſe *Daneman* quaſi viros aquaticos & fluviales vocant. Porro Daniæ regnum nulla penè ſui parte continenti junctum, ſed in creberrimas inſulas disjunctiſſimas diſpertitum, hinc Oceano ad Occaſ. circumfuſum, hincque ad Ort. mari Balthico interclusum eſt; unde hæc regio à veteribus *Scandinavia* fuit appellata, quòd iter in ea ultrò citroque facturi naves frequenter conſcendant. Plurimis in locis paſcuis abundans, & frugum ferax eſt. Ejus limites vide in *Dani*. Contra hos Hamburgum muniit Carolus Mag. A. C. 809. Crantz. *l.* 2. Anglia fere tota, victo pulſoque Alvredo, potiti ſunt, A. C. 876. mox ab eodem inſidiis ſtructis, ſuperati. Polyd *l.* 5. Hujus fil. Eduardus poſtea Danorum inſtinctu & armis à fratre Adelvaldo oppugnatus, fratrem proſtravit, totumque regnum, Northumbriâ exceptâ, quam Dani tenebant, recuperavit. A. C. 910. Idem ibid. Cujus quoque ſucceſſor Adelſtanus eoſdem Scotis junctos vicit, Northumbriâ ademtâ, A. C. 924. Idem *l.* 6. Sub tributum ab Henrico Aucupe, duce tum Vormio ſunt ſubacti, A. C. 932. ut & ab Ottone Mag. ſub Haraldo Principe, A. C. 949. Similiter Otto II, Danum terruit, A. C. 976. & cum ipſo Viſmariæ tranſegit, de pace & de finibus ac jure obligationis ad Imperium. Sueno poſt hæc, ex exule Rex, miſerè Angliam iterum vaſtavit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſtavit, A. C. 989. poſt quem Canutus trium regnorum Dominus, filiis Suenoni Norvegiam, Canuto Daniam, Haraldo Angliam reliquit, A. C. 1035. quorum medius, poſt Orchades & Iſlandiam devictas, vaſtatamque Angliam, inde ejectus, ac à ruſticis Danis ob gravitatem tributorum rebellibus, occiſus eſt, A. C. 1070. Ericus VIII. quoque Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ Rex proclamatus eſt, A. C. 1396. &c. Sub hiſce, è quibus Petro Duci axioma regium conceſſiſſe dicitur Fridericus I. Imp. eorumque ſuceſſoribus electivum cùm Regnum eſſet, poſt Hafniam, hoc ſeculo, integro biennio, contra Suecorum acerrimos inſultus, Hollandorum ope, fortiſſimè à Friderico III. defenſam, hæreditarium haud pridem factum eſt. Ortus eſt Rex hic, ex Comitum Oldenburgenſium familia quorum primus Chriſtiernus I. poſt Chriſtophorum III. Palatinum, electus eſt, A. C. 1448. Hujus filio Jun. Friderico, qui poſtmodum Rex fuit, Holſatiâ apennagii loco conceſsâ. Mercat. *Atlas mundi*. Golnitz. *Geogr. l.* 2. *c.* 10. Jonas Koldin. *Hiſt. Danic.* Familiæ hiſtoria paulò altius repetita hæc eſt. Prima origo ex Witikindi Saxonis poſteris deducitur, è quibus Elricus, Comes Oldenburgicus, pater fuit Ottonis, cui à ſpectro mirabile cornu, quod adhuc aſſervatur, oblatum narrant. Inter hujus poſteros Chriſtianus, rami Dano-Holſatici, fraterque hujus Gerhardus Oldenburgici, qui in Antonio Gunthero haud pridem deſiit, auctores fuêre. Chriſtianus, Rex Daniæ & Norvegiæ coronatus, vide ſupra: etiam a Suecis receptus eſt, A. C. 1457. cui Slesvicenſis quoque Duc. cum Holſatia acceſſit, A. C. 1459. Obiit A. C. 1482. pater Margaretæ, quæ Jacobo III. Scotiæ Regi nupta, Orcades dotis loco marito attulit; Johannis cujus poſteritas in Chriſtierno II. fil. crudelitate & calamitate celebri, extincta eſt, A. C. 1559. & Friderici: qui, à Jutis, depoſito Chriſtierno, Rex electus, libertatis Danicæ, inprimis apud nobilitatem, auctor: per filios Chriſtianum III. lineam Regiam Holſaticam, & Adolphum, Gottorpinam propagavit. Quorum ille, poſt non exiguam difficultatem, Rex dictus: Hafniam, quæ ſola adhuc renitebatur, fame domuit, A. C. 1536. Megapolitano, Oldemburgico, Lubecenſibus, qui pro Chriſtierno captivo ſatagebant, in ordinem coactis: à Bugenhagio dein coronatus, A. C. 1537. Euangelium in regno publicavit: nomine quoque fœderi Smalcaldico dato, A. C. 1545. Mortuus A. C. 1558. pietatis laude inſignis, Thuan. *l.* 22. reliquit filios tres, Fridericum II. Mag. qui Livoniæ Rex à Moſco creatus, Obiit ἄπαις, A. C. 1583. & Johannem, E quibus hic Sonderburgicæ, Nordburgicæ, Glucſpurgiæ & Arnſpeckiæ familiarum ſator eſt. Fridericus verò, rebus contra Suecos variâ Fortunâ geſtis, celebris Tychon. Braheum fovit, Formulæ Concordiæ non ſubſcripſit, Obiit A. C. 1588. Princeps magni animi & ſinceri judicii, inſignis inprimis literatorum Fautor. Ejus fil. Chriſtianus IV. cum Carolo Sueciæ Rege & Guſtavo Adolpho, hujus fil. Cæſare item & Hollandis rem habuit. Mortuus A. C. 1648. Cujus fil. Fridericus III. bello difficili cum Suecis implicitus, obſidionem biennalem fortiter feliciterque ſuſtinuit. Mortuus haud pridem. Ei ſucceſſit fil. Chriſtianus V. qui ex conjuge Haſſo Caſſellana egregiæ ſobolis parens, contra Suecos rem geſſit nupero bello. Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal.* Hodierno verò, inter Confœderatos & Galliæ Regem, quieſcit. Ad fidem Chriſti, A. C. 826. ope Anſcarii converſa Dania. Haraldo cum Proceribus Moguntiæ baptizato, mox ad vomitum rediit, & Diis ſuis 99. homines, 99. equos, 99. canes, 99. gallos, pro more, ſacrificare perrexit. Saxo Gramm. *l.* 9. Tandem A. C. 950. ab Ottone Mag. armis adacta, & à Papa Monacho, ferrum candens ſine damno diu geſtante, miraculosè convicta, ſeriò Chriſto nomen dedit. Crantz. *l.* 3. *c.* 25. Lotharius dein Imp. operâ Canuti Wandalorum Regis, hîc Epiſcopos inſtituit, A. C. 1133. Sed quòd Sacerdotes uxoratos eſſe voluêrunt, excommunicati à Papa Dani, A. C. 1196. Sub Friderico I. tandem; de quo ſupra, Chriſtierni I. fil. Lutheri doctrinam amplexa, illam etiamnum tenet. Fridericus II. tamen, ſub pœna exilii, formulæ Concordiæ ſubſcriptione ſuis interdixit, præt. ſec. Cœterùm *Daniæ* nomine Viro Erudito veniunt Cherſoneſi Cimbricæ pars maxima, & Inſulæ ad ingreſſum maris Balthici ſitæ, ut habet Auctor Anonym. *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ.* Continet autem Cimbrica Cherſoneſus Jutiam Septentr. & Merid. Ditmarſiæ partem, cum parte Stormariæ, in qua Glucſtadium; Crempa, ad ipſum Hamburgum uſque, cui adſitum, oppidul. Altena Regi Daniæ ſubeſt. Ex Inſulis maris Balthici Danici juris ſunt Selandia, Fionia, Falſtria, Lalandia, Langelandia, *Aar*, Taſſinga, quæ ad Fioniam referuntur. Alſena verò eidem adſita Holſatiæ Ducum eſt. Nobilitat *Daniam* non minùs ac Norvegiam, quæ illius imperium agnoſcit, celebris variorum generum piſcatura, in qua & ſuperiorum ſeculorum Reges ſibi plausêrunt. Hinc Chriſtianus I. cum A. C. 1474. Romam proficiſceretur, Pontificem & Proceres Eccleſiæ Harengis, Aſellis & Hermelinis pellibus, tanquam donis Regno ſuo propriis, donaſſe legitur, apud Hamelmann. *Chron. Oldenb. part.* 3. *p.* 208. Fuit olim *Daniæ* regnum ampliſſimum. Gotricus enim Rex 51, Gormonis Regis filius, cum Carolo Mag. bellum geſſit victriciaque ad Rhenum uſque, ſubjugatis Friſiis, arma circumtulit. Factæ dein in pleraſque politioris Europæ partes excurſiones Normannicarum nomine celebres, ſub Ducibus, gentem ubique formidabilem reddidêrunt. Et Haſtingus quidam in Italiam uſque penetrans Lunam Liguriæ civ. diripuit: Alii Duce Sigfrido A. C. 887. Lutetiam Pariſ. obſedêrunt, totâ Carolo Calvo Neuſtriâ extortâ. Angliæ Regem, ejecto Ethelredo, ſe pronuntiari curavit A. C. 1113. Sueno Rege cujus ſucceſſor Canutus fil. *Magni* emeruit nomen, ſed præpollentium Regnorum, (præter Angliam Daniamque, Norvegiæ, & magnæ partis Sueciæ, dein Slaviæ & Sembiæ, quæ in tractibus Vandalicis fuiſſe videntur) Dominus. Ad ſimilem magnitudinem ſequentibus temporibus aſpiravit ſub Margarita Arctoa Semiramide, quæ Alberto Megapolitano Sueciæ Rege victo *Daniam*, Norvegiam ac Sueciam in unum redegit Regnum; donec Chriſtiani II. tyrannide alienati Sueci, unione ſublatâ, Reges ſibi peculiares conſtituêrunt. Status Regni quatuor ſunt, Nobiles, Eccleſiaſtici, Civici & Ruſtici: habetque id peculiare, quòd dignitates Ducum, Comitum, Baronum, fere nullas hactenus admiſerit, ſolo Nobilitatis titulo contenta; Ranzoviis exceptis, qui à Ferdinando III. Imp. Comitum titulo ornati ſunt. Multum autem Nobilium decrevit potentia, à quo Regnum A. C. 1660. Hereditarium factum eſt. Sancitum enim tum inter alia, ut Codanoniæ, Falſtriæ, Lalæ & Mœnæ ruſtici, quos Nobiles hactenus mancipiorum habuerant loco, libertatem acciperent: Nobilium verò nemo, niſi de Rep. optimè meritus atque Baronis liberi titulo à Rege cohoneſtatus, vitæ ac mortis poteſtatem in aliquem haberet, vide Thulden. *ad A.* C. 1660. *p.* 391. *& ſeqq.* In Regum titulo hoc memorabile eſt, quòd *Daniæ*, *Norvegiæ*, *Vandalorum*, *Gothorum Reges* ſcribantur. Ubi notandum I. & Duces Holſatiæ ſe à Norvegia denominare, ſed ſingulari *Hæredum* nomine. II. Vandalorum & Gothorum titulum etiam Sueciæ Reges admittere, ſed inverſo ordine, ut non Vandalorum & Gothorum, ſed Gothorum & Vandalorum Reges ſe ſcribant: quemadmodum idem Rex, ratione Pomeraniæ, & Elector Brandeburgicus, Vandalorum Duces, Duces Megapolitani verò eorundem Principes appellantur. Inſignium, quæ numeroſis imaginibus abundant, hanc explicationem reddit Schwaningius: Denotari *Leone* 9. corda tranſiliente Cimbriam Septentr. & Gothiam; *Agno* Amalonico Albo Gothlandiam; *tribus Leonibus*, quibus ſingulis tria corda adjecta, Daniam; *Dracone* fulvo & aureo in ſolo rubro, Regionem Vandalorum; *Leone cum Bipenni* Norvegiam; *Piſce* Coronato Iſlandiam: *Coronis* Tribus, unionem 3. Regnorum Daniæ, Sueciæ ac Norvegiæ; Geminis *Trabibus* Oldenburgam: *Cruce Albâ* Delmenhorſtum: *Leonibus* Binis cœruleis in ſolo luteo Cimbriam Mer. & Ducatum Sleſvicenſem: *Urticâ* Albâ in ſolo rubro Holſatiam; *Cygno* Candido in rubro ſolo, cujus collum Aureâ inſignitur Coronâ, Stormariam: *Equite* tandem Cataphracto, albo inſidenti equo, in Solo rubro, Dithmarſiam. De Scriptoribus rerum Danicarum, ut & aliis huc pertinentibus, vide Autorem prædictum *Hiſt. Orbis Terr.*

VIII. REGNI DANIÆ DYNASTIÆ, EX SWANINGIO ET PONTANO.

I. Danorum ſeu Selandorum, à *Dano* primo Regni Conditore, ad Hotterum Sueco-Danum, fuit Annorum 513. Regum 13. quorum ultimis Rolvo ex poſteris Dani fuit.

II. Sueco Danorum, ab Hottero præfato, ad Unguinum Gothlandum Regem triceſimum tertium, Annorum 672. Regum 19. quorum ultimus fuit Haldanus. II. cognom. *Biergamus*.

III. Gothlandorum, ab Unguino ad Brochardum, Annorum 55. Regum 4. quorum ultimus Sivaldus II.

IV. Scanorum, à Burchardo Illuſtri Scaniæ viro, ad Olaum Vegetum, Annorum fuit 126. Regum 4. quorum ultimus Ringo ſeu Haquinus dictus eſt.

V. Norvegorum prior, ab Olao Vegeto ad Sivardum Ring. Regem Annorum 485. Regum 12.

VI. Norvegorum poſterior a Sivardo II. ad Suenonem Eſthritium, Regum octogeſimum, Annorum 237. Regum 17.

VII. Anglo-Danorum ſeu Suenonidarum, à Suenone præfato, ad Chriſtianum I. Oldenburgicum: quorum primus Sueno, ultimus Chriſtophorus Bavarus fuit, quo cum extincta eſt vetuſtiſſima Aboriginum Daniæ Regum proſapia, A.C. 1448. Regni Daniæ conditi 2488.

VIII. Oldenburgica tandem, à Chriſtiano I. Comite Oldenburgico fundata, A. C. 1448. cujus poſteri fuêrunt Joh. Chriſtianus II. tyrannide contra Suecos inprimis exercitâ, famoſus & proin à Danis pariter Suecisque Regno ejectus: Fridericus I. Chriſtiani I. fil. ſecundò-genitus, ſub quo Pontificia Religio exulare cœpit: Chriſtianus III. Bibliis in Danicam linguam tranſlatis inprimis clarus, Fridericus II. Dithmarſiæ Domitor: Chriſtianus IV. Fridericus III. ſub quo Regnum hæreditarium factum eſt & Chriſtianus V. hodie regnans.

DANIA Nova regio Americæ recens detecta, verſus terras Arcticas, à Munkio Dano. vide *Nova Dania*.

DANICA Sylva, nemus Angliæ inter Gloceſtriam & Briſtolium urbes, *Anderwalt* Anglicè. *Coed-Andres* Brittannicè. Aliis *The foreſt of Dean* dicitur, antiquum nomen retinens. Ante aliquot annos malè habita & vaſtata, nunc indies deficit. Baudrand.

DANIEL, propheta, quem Præpoſitus Eunuchorum Nabuchodonoſor, vocavit *Baltaſar*. Dan. *c.* 1, *v.* 7. &c. *c.* 5. *v.* 12. Obiit centenarius, A. M. 3535. Regum ſepulchris illatus. De vita rebusque geſtis ejus ſcripſerunt ex antiquis, Joſeph. *l.* 10. *c.* 14. Epiphan. *de vitâ & interitu Prophetarum c.* 10. Dorotheus *in Synopſi. c.* 17. Iſidor. *de vita & obitu Sanctorum. c.* 40. Hieron. *Præf. Comm, in Daniel.* Pererius *Comm. in eund.* Petavius, *de Doctr. temp. l.* 12. *c.* 32. vide etiam Ezech. *c.* 14. aliosque & Sanctium *Prolegom.* in *Danielem*. In *Prophetiam* ejus, 12. capp. conſtantem, vel partes, extant: Alcaſar. Alſtedii *Trifolium*. Quart. Angelocratoris *Concion.* Germ. Quart. Caſſell. 1639. Aquinas. Auguſtini *in. c.* 3. Binderi *Exercitationes in. c.* 9. Tubingæ 1614. Brightmannus. Broughtonus. Bullingeri *Expoſitio*, fol. Tig. 1576. Calvinus. Coccejus. Danæus. Draconites. Dreſſeri *Tractatus*, *de Monarchiis*, Lipſ. 1581. Eglinus. L'Empereur *Verſio cum Annotat.* Ephrem. Fabri *Comm.* Gejeri *Prælectiones* Quart. Lipſiæ 1668. Gernleri *Lectiones*, propediem edendæ, Baſil. Geſneri *Diſputationes*. Octav. Witeb. 1609. Graſeri *Comm. in Apoc. & Dan.* Quart. Tiguri 1614. Grynæi *Explanatio*, *in capita* 5. *pr.* Octav. Baſileæ 1587. Haymo. Heilbrunerus. Helvici *Epidromus*, *c. Angelocr.* Octav. Gieſſæ 1624. Hieronymi *Comm.* Joachimi itidem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Ven. 1519. R. Jehuda Valerius. Don Joſeph. aben Jechija. Don Iſaac Abarbenel. Junii *Expoſitio* Quart. de Lapide. Lechem Sethaim, Hebr. Lutheri *Comment*. Lyſerus Maldonatus. Marcellinus. Medi *Hebdomadæ*, &c. Melanchthon. Montanus. R. Moſes alſchicch. Nigrini *Comm. & Homiliæ*, Quart. Franc. fol. Urſellis 1574. Oecolampadius. Pappus. Paulutius. Pembelii *Explicatio*, Angl. Londini 1658. Pererius. Pintus. Piſcatoris *Com*. Octav. Polani *Comm*. Octav. Rhumelii *Paraphraſis*, Norib. 1616. Rollocus. Sanctius. Schröderi *Comm*. Germ. Gieſſæ 1673. Quart. Selneccerus. Strigelius. Swaningii *Comm*. 3. tom. fol. Hafniæ. Toſſarius. Varenii *Collegium*. Veldius. Wigandus Joh. Waldh, Willetus, &c. vide Crowæi *Elenchum*. Addo quòd. hunc Prophetam, propter ſomnii expoſitionem à Nebucadnezare conſtitutum legimus רב כגנין על כל חכימי בבל: qui proin inſtituit puriores Sapientiæ Scholas in Perſide, rejectis vel correctis priſcorum Magorum placitis. Unde ingens ejus auctoritas, ſubinde florentibus qui *Danielis* placitis contra Veterum errores ſtarent: & remanſiſſe hujus Scholæ rudera uſque ad CHRISTI tempora, patet ex Magis, qui venêrunt ex Oriente Meſſiam adoratum vide Bezam ad *c*. 2. *Matthæi*, *v*. 2. Georg. Horn. *Hiſt. Philoſ. l*. 5. *c*. 2. &c.

DANIEL, Sacerdos in Regem Francorum eſt electus, mutatoque nomine Chilpericus vocatus. Regn. annos 3. vide *Chilpericus II*.

DANIEL, Monachus Raïthenſis, prope mare rubrum, ſcripſit vitam Joh. Climachi. Item Monachus imitator Simeonis Stylitæ. Baron. A. C. 446. *n*. 19. 460. *n*. 20. 489. *n*. 4.

DANIEL Angelocrator, Chronologiæ, quam Autopticam vocat, auctor; ſub initium ſeculi hujus. Voſſ. *de Math*. *c*. 68. §. 18. *p*. 402. & *c*. 71. §. 24. *p*. 425.

DANIEL Barbarus, Venetus, Mathematicus inſignis, obiit A. C. 1569. æt. 49. ſcripſit. *La Prattica della Perſpettiva*, & commentarios in Vitruv. Idem *c*. 26. §. 12. *p*. 111. *c*. 61. §. 7. *p*. 355. *c*. 71. §. 24. *p*. 425. vide quoque *les Eloges* Antonii Teiſſier. *Vol*. 1.

DANIEL Ceretus, Medicus, vide Ceretus.

DANIEL Chamierus, inſignis Theologus, Paſtor Montalbanenſis, Panſtratiâ contra Pontificios editâ, inclytus. Obiit, cùm in vallo obambularet, globo ictus, poſtquam amico interroganti, an poſtridie concionaturus eſſet reſpondiſſet, *An neſcis, craſtinum diem quietis meæ eſſe?*

DANIEL Daugæus, Profeſſor regius linguæ Gr. plurimos tractatus Patrum vertit. Verderius *Biblioth*. *p*. 248.

DANIEL Santbechius, Mathematicus Neomagenſis, curavit Baſileæ imprimi, A. C. 1561. Problemata Aſtronomica & Geometrica, in 7. ſectiones diviſa. Item 5. libros demonſtrationum triangul. Regiomontani. Voſſ. *de Mathem*. *c*. 65. §. 38. *p*. 382.

DANIEL Tilenus, Sileſius, Theologus Sedanenſis, in Arminii partes propenſior, veritatis acrem hyperaſpiſtem P. Molinæum ſenſit. Circa A. C. 1613.

DANIEL Vinceſtrienſis, Ep. hujus urbis in Anglia, Bedæ σύγχρονος, quædam hiſtorica ſcripſit. Voſſ. *de Hiſt. Lat*. *l*. 2. *c*. 28. *p*. 278. 279. Obiit A. C. 746. Epiſc. 42. Epiſtolam ejus ad S. Bonifacium, pro inſtructione infidelium; laudat Baron. *tom*. 9. A. C. 724.

DANIGELDUM, vox Saxonica tributum Anglis indictum, aliàs ob pacandos Danos, aliàs ob arcendos: *Tributum Danicum*. Sævientibus enim per Angliam Danis, Edelredus Rex in extremas redactus anguſtias, quinis vicibus 113000. libras dependit, conceſſitque præterea tributum annuum 48000. librarum, ab omni populo eradendum, *Danegeldum* propterea nuncupatum, teſte Florent. Wigornienſi. Alii non Danis hoc tributum, ſed Angliæ Regibus, ad conducendum militem contra illorum irruptiones, conceſſum, illudque poſtea, etiam ceſſante periculo, ab iis exactum eſſe, probant ex LL. Eduardi Confeſſoris. *c*. 12. Qui cùm, teſte Ingulpho, dæmonem ſe vidiſſe, ſuper acervo *Danigeldi* exultantem; proteſtatus eſſet, aſpectumque exhorruiſſet, collectum ilico reſtitui juſſit, & retenta ne jota uno, feram exactionem in perpetuum relaxavit, *A. ſc*. 38. *ex quo tempore Regis Ethelredi patris ſui, Suanus Rex Danorum ſuo exercitui illud ſolvi ſingulis annis imperavit*. Sed revixit tributum, & ſub Guilielmo jun. in quadruplum excrevit: quod Stephanus Rex regnum iniens, in æternum ſe condonaturum vovit, Hoveden. Poſt quod ſeculum *Danegeldi* nulla amplius mentio, non tamen penitus deſiit, ſed mutato nomine Tallagium, juxta vulgare Normannicum, appellari cœpit, Anglis aliter *the Taxe*: quod tamen annuò ſolutum non eſt, ut ſub Regibus Anglo-Saxonicis, ſed ut inſtituit Guilielmus Sen. cùm ab exteris gentibus bella timebantur: conſultis etiam Magnatibus Regni & Parlamentariâ demum auctoritate. vide Henric. Spelmann. *Gloſſar. Archæol*.

DANNA, id eſt, *judicium*, vel *judicans*, civitas in tribu Juda, Joſ. *c*. 15. *v*. 49.

DANNEBERGA, urbs & Comit. in inf. Saxonia; Luneburgenſium Ducum è quibus, ſortitus eſt Principatum hunc Henricus, fil. Major natu Erneſti D. Lunæburgici extincti A. C. 1546. ex Sophia Megapolitana, auctor ſic lineæ *Dannebergicæ*, quæ nunc *Wolfenbuttelana* dicitur. Succeſſionis in Grubenhagenſis partem, Philippo ultimo illius lineæ A. C. 1596. mortuo, ab agnato Henrico Julio fruſtra petiit: ejus poſtea filius Jul. Erneſtus *Dannebergæ* præfuit. ſed nullo maſculo relicto A. C. 1636. vitâ exceſſit: ſucceſſione ad minimum natu Auguſtum, (medius enim non procul Argentorato torrente Renchâ hauſtus, Franciſci nomine) qui Friderico Ulrico Brunſvicenſis lineæ ultimo extincto in Principatu quoque Wolffenbuttelano ſucceſſit, devolutâ. Wilhelmus autem Henrici præfati frater minor natu Cellenſem lineam orſus eſt. vide Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Hiſtor*. & quemque horum Principum, *ſuo loco*.

DANNHAVERUS, vide *Danhauerus*.

DANTES Aligerius, Poëta & Philoſophus inſignis Florentinus, Regum & Principum amicitiâ clarus, cujus vitam ſcribit Volater. *l*. 12. Fuit unus ex Præfectis Florentiæ, vigentibus factionibus. Nigrorum ſeu Guelphorum & Alborum ſeu Gibellinorum plerunque. Carolus Valeſius à Bonifacio VIII. A. C. 1301. miſſus, ut has turbas ſedaret, impedire non potuit, ut Albi à Nigris non proſcriberentur, ædesque illorum ſubverterentur. Sic Dantes, licet Guelphus aliàs, cùm de factione Alborum eſſet, inter proſcriptos, in Carolum Valeſium, invectus eſt. Cum Marſilio Patavino accerrimè vitia cleri inſectatus, Pontificiæ ſedis odium in ſe concitavit, Ravennæ tandem mortuus, cùm fruſtra reditum in Patriam tentaſſet. A. C. 1321. æt. 56. Villanius *l*. 9. *c*. 135. Petrarcha, *rerum memorab*. *l*. 2. *c*. 4. P. Jov. *Elog*. Rubeus, *hiſt. Raven*. *l*. 6. Bartol. *l*. 1. *de inquir. reis*. *l*. &c. adde Paul. Freherum *Theatro Viror. eruditione clarorum*.

DANTHELITICA, Thraciæ præfectura. Ptol. Hujus populos *Denſelitas* vocat Plin. teſte Villanovano: *Dantheletæ* ſunt, apud Steph.

DANTISCUM, Poloniæ urbs: ad Viſtulam fluv. munitiſſima, advectis mercibus clariſſima, & opulentiſſima, vulgò *Dantzig*. Malè, inquit Ferrar. à Steph. in Polonia collocatur, cùm ſit urbs ac emporium Ruſſiæ, una ex 4. præc. Hanſeaticis. Vocatur & *Gedanum*: Unde cives *Gedanenſes* & *Dantiſcani*. Hanc adverſus Crucigeros munivit Primiſlaus Polon. Rex A. C. 1295. Cromer. *l*. 11. Prodita eſt Marchionibus Brandeburg. à Petro Cancellario Pomeraniæ Regi Uladiſlao Loctico irato: mox arx à Crucigeris occupata, quorum ope Rex illam tuiturus erat. Qui cùm poſtulatam immenſam pecuniæ vim ſolvere recuſaret, illi urbem inſuper, ſummâ cum ſanguinis effuſione, expugnando rapuerunt, A. C. 1310. Cives Sigiſmundus Auguſtus, ob non admiſſos Legatos ſuos, qui plebem cum Optimatibus conciliarent, portorii dimidiâ parte multavit; cauſasque majoris momenti, non obſtante Caſimiri privilegio, ad Senatum regni tranſtulit, A. C. 1569. Proſcripſit urbem Stephanus Rex quòd ſubjectione ſibi denegatâ, Auſtriacis adhæreret, urbemque obſedit, mutuâ clade: Donec Principum interventu, urbi pax & religionis libertas conceſſa eſt, A. C. 1597. Cum urbe quoque de vectigalibus controvertit Vladiſlaus IV. Cœtera, Religio Proteſtantium in urbe viget, in Senatum nemo niſi qui Auguſtanæ Confeſſ. eſt, legitur, Reformatorum hîc ingens numerus, Paſtores ſemper eximios habent: Jeſuitis templum Marianum & Cœnobium S. Brigittæ adjudicatum quidem A. C. 1596. ſed inde Senatus Urbis edicto intra triduum diſcedere coacti ſunt. Chytræus *Chr. Saxon. par*. 5. longitud. 41. 30. lat. 54. 20.

DANUBIUM, apud Steph. corruptè legas pro *Lanuvium*.

DANUBIUS, fluvius, ſi quis alius, veterum atque recentiorum Græcorum, Latinorumque literis, monumentiſque valdè celebratus, ita ut Eratoſthenes & Apollod. *l*. 2. *de navibus* meritò poëtarum Philoſophorumque principem Homerum reprehendiſſe videantur, quòd, cùm plurimos fluvios, qui Oecano immerguntur, commemoret, hunc ſilentio prætermiſerit. Meminit verò illius Heſiodus *in Theog*.

Στρύμονα, Μαίανδρόν τε ϗ Ἴστρον καλλιρέεθρον.

Duo illius præcipua ſunt nomina, unde Ovid. *l*. 1. *de Pont. Eleg*. 9. *v*. 605. *eum binominem* vocat,

Stat vetus urbs ripæ vicina binominis Iſtri.

Ea autem ſunt *Danubius* & *Iſter*, quæ, licèt ambo nomina univerſo fluvio à capite uſque ad finem ab authoribus tribuantur, tamen quibuſdam in locis magis verſùs fontes *Danubius*, in aliis magis verſus oſtia vergentibus *Iſter* nominatur. Hinc Mela, *Alio, quàm deſinit, nomine exoritur, Nam per immania* (loca ſc.) *magnarum gentium diu Danubius eſt, deinde aliter appellantibus incolis, iſter fit*. Strab. etiam *l*. 7. ſuperiores illius partes verſùs fontes, uſque ad præcipites ejus decurſus, quos catarractas vocant, *Danubium* ſcribit vocari, quæ maximè per Dacorum agrum delabuntur, alias verò inferiores uſque in Pontum per Getas, *Iſtrum*. Huic ſuffragatur Ptol. qui ad Axium uſque Myſiæ infer. civitatem, ubi ejus ſunt catarractæ, *Danubium*, inde verò ad illius uſque oſtia, *Iſtrum* ſcribit appellari. Plin. *Primò Danubius, ubi primum Illyricum alluit, Iſter dicitur*. Quin & Appian. *in Illyricis*, iis in locis, ubi Savus Iſtrum influit, Danubium, nec multis deinde inferius elapſum uberioribus aquis, pro Danubio *Iſtri* nomen aſſumere teſtatur. Antiquitus, teſte Steph. hunc fluvium *Matoam* Scythæ appellarunt, quæ vox Græcè reddita ἄτιον, hoc eſt, *innoxium*, ſig. propterea quòd creberrimè illum licèt trajicerent, nihil tamen quicquam damni acciperent. At verò cum ſemel in ejus trajectu, damnum quoddam feciſſent, mutato nomine Δάνουβιν, ſive Δάνουζιν vocabant, quod nomen *calamitatis authorem* ſignificat. Hæc Steph. Quæ opidò quàm fabuloſa, atque falſa. Cato in *Originibus*, à *Danis* ejus accolis ſic dictum fuiſſe teſtatur. Nonnulli, teſte Franciſco Irenico, illum à ſono hoc nomen (quaſi dicas *Tonnaw*) ſortitum eſſe volunt. Hinc forſan Mantuanus *ſonantem*, & Bartholinus *undiſonantem* appellant. Rhenanus ac Vadianus *Danubium* exiſtimant dici, quaſi *Abnobium*, ſeu *Abnovium*, à monte *Abnoba*, unde eum nonnulli oriri contendunt. Hanc conjecturam probabiliorem facit priſcum vocabulum vernaculum *Abnaw*, cui Germani *D*. literâ articuli loco additâ, *Danaw* vulgò, quod nomen hodiè obtinet, nominarunt, pro *die Abnaw*, colliſione literarum Germanis uſitatâ. Denique Iſid. Danubium vocari dicit, à nivium copia, quibus maximè augetur, quaſi dicas *Danivium*. Et certè Herodot. quoque *l*. 4. crebriores apud Danubium nives, quàm pluvias eſſe dicit. Addi poſſet, hinc dici aliis, quòd ſurſum fluat, quaſi *Danuſ*. Sic rectè in monumentis antiquis ſcriberetur *Danuvius*. Et cùm Venius Flaccus, apud Feſt. *Danubium* dictum eſſe *Adduanum* ſcribit, an non in mente habuit *Adduam* fluv. Ortum ejus quod attinet, plurimæ de illo ſunt authorum ſententiæ. Eratoſthenes ac Scymnus, in deſertis locis, illius fontes eſſe tradidêrunt, qui certè minimè à vero videntur aberraſſe, quippe cum loca illa, in quibus fontes illius à pleriſque recentiorum demonſtrantur, olim inculta, horrida, atque deſerta fuerint. Apollon.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

lon. *l.* 4. ex Riphæis & Hyperboreis montibus illum vult promanare,

——— Πηγαὶ γὰρ ὑπὲρ πνοιῆς Βορέαο
Ῥιπαίοις ἐν ὄρεσσιν ἀπόπροθι μορμύρουσιν.

Strab. *l.* 7. illum ab extremis Germaniæ partibus, ab occaſu, non procul à ſinu Adriatico 1000. circiter ſtad. intervallo originem ſuam habere teſtatur. Hinc Mela illius fontes in Germania aperiri, & Solin. illum Germanicis jugis oriri ſcripſit. Senec. *l.* 4. *Nat. Qu.* falsò nonnullos philoſophos tradidiſſe dicit, Danubii ignotos fontes eſſe: Nam *caput ejus*, inquit, *in Germania comperimus*. Idem tamen fluv. rectè & Germaniæ, ortûs nimirum ſui ratione, itemque Scythiæ, finis atque exitûs reſpectu, adſcribitur. Hinc *Lucanus*, *l.* 2. *v.* 50.

——— Maſſagetas Scythicus non alligat Iſter.

Herod. *l.* 4. eum ex Celtarum urbe Pyrrhenâ Πυῤῥήνα, oriri ſcribit. Hos Celtas autem extra Columnas Herculis Cyneſiis finitimos, omnem in Europa ad occaſ. habitantium poſt Cynetas poſtremos eſſe dicit. Ariſtot. illum ferè ſecutus *l.* 1. *Meteor.* *c.* 13. (ubi oſtendit maximos fluvios è maximis oriri montibus) Iſtrum ἐκ τῆς Πυρήνης, i. e. Pyrenæo monte, originem ſuam trahere teſtatur. Hîc obiter notat quidam Eruditus, Loritum putare *Prygnis* & *Pregen* eſſe duos Danubii fontes, unde ſciolus aliquis apud Ariſtot. illud commutaverit, in *Pyrenen*. Nicephor. Gregoras ex iiſdem Alpibus, ex quibus Rhenus, illum erumpere tradit. Ælian. *de Animal.* *l.* 14. *c.* 23. ſub radices Alpinorum montium verſus Boream, ſub Urſa Europæorum Iſtrum fluvium maximum ortum ſuum habere teſtatur, ubi gens rei equeſtris perita habitet. Quorum ſententias expendentem vide Guil. Stuck. *ad Arriani Peripl.* *p.* 164. *&c.* Atque hactenus de Danubii fontibus in genere. Ad ſpecialiores jam deveniamus. Ariſtot. *in l. Admirabil.*, Iſtrum ἐκ τῶν Ἑρκυνίων καλουμένων δρυμῶν fluere teſtatur. Strab. *l.* 4. Iſtri fontes juxta Suevos & Hercyniam ſylvam eſſe tradit. Idem habet *l.* 7. Elegans extat Auſonii epigramma gratulatorium, de fonte Danubii per Valentinianum & Gratianum reperto, occaſione victoriæ cujuſdam de Alemannis: *epigr.* IV.

Danubius, penitis caput occultatus in oris,
Totus ſub veſtra jam ditione ſuo.
Qua gelidum fontem mediis effundo Suevis,
Imperiis gravidas qua ſeco Pannonias.
Et qua dives aquis Scythico ſolvo oſtia Ponto.
Omnia ſub veſtrum flumina mitto jugum.

Claudian.

——— Sublimis in Arcton
Prominet Hercyniæ confinis Rhætia ſilvæ,
Quæ ſe Danubii jactat, Rhenique parentem,
Utraque Rhomuleo prætendens flumina regno.

Ammian. Marcellin. *l.* 23. *Amnis verò Danubius oriens prope Rauracos montes, confines limitibus Rhæticis per latiorem orbem protenſus, ac ſexaginta navigabiles penè recipiens fluvios*, &c. Plin. l. 4. c. 12. *Ortus hic in Germaniæ jugis montis Abnobæ ex adverſo Raurici Galliæ oppidi, multis ultra Alpes millibus*, &c. Tacit. quoque ex *mollis & clementer edito montis Arbonæ jugo*. Danubium ortum ſuum habere teſtatur. Hinc Dionyſ. quoque Halicarn. *Arbonam* montem, *Iſtri patrem*, appellat ſecundùm interpretes Latinos. In Græco enim nil tale legitur. Martian. Capella: *Hiſter*, inquit, *fluvius ortus in Germaniâ de cacumine montis, ad novem ſexaginta amnes aſſumens etiam Danubius vocatur*. Ubi Rhenanus pro *ad novem*, *Abnovam* legendum eſſe acutè, rectéque tradit. Progreſſum ejus quod ſpectat, incredibile dictu eſt, quàm longinquum per innumeras gentes, regioneſque curſum conficiat. Herodot. *l.* 4. Poſt ortum ſuum, inquit, totam emenſus Europam, ex adverſo Scythiam ingreditur. Hinc Tacit. illum *plures populos adire*, Amm. Marcellin. *per latiorem orbem protendi*, Mela. *per immania gentium delabi* teſtantur, antequam in Euxinum perrumpat. Val. Flaccus *l.* 8. *v.* 218.

Torvus ubi & ripa ſemper metuendus utrâque,
In freta per ſævos Hiſter deſcendit Alanos.

Arrian. *l.* 1. *de Geſtis Alexandri Magni*: Ἀπὸ δὲ τῆς μάχης τρίτῃ ἀφικνεῖται ἐπὶ τὸν ποταμὸν Ἴστρον, ποταμῶν τῶν κατὰ τὴν Εὐρώπην μέγιστον ὄντα, καὶ πλείστην γῆν ἐπερχόμενον, καὶ ἔθνη μαχιμώτατα ἀπείργοντα, τὰ μὲν πολλὰ Κελτικά, ὅθεν γε καὶ αἱ πηγαὶ αὐτῷ ἀνίσχουσι. Vide Euſt. *in Dionyſ.* ubi omnium diligentiſſimè nationes, per quas Iſter labitur, commemorat. Baudrando, ortus ex monte Abnoba, in Sylva nigra, in Comit. *Bar*, prope Villingam opp. Sueviæ, rigat Dutlingam, Fridingam, Ehingam, Ulmam, ubi recipit Ileram fluv. ab Auſtro, ut & Mindelam, paulo ſupra Dilingam, & Bernicum, ad Donavertam; poſtea relictâ Suevîâ, per Bavariam labitur, ubi primum Licus fluv. ſe in eum exonerat, ad locum *Lechmund*. Inde juxta Neoburgum & Ingolſtadium fluit; auctuſque fluviis Almono, juxta vicum *Kelheim*, Nabo & Regno, ad Ratiſbonam, rigat, Straubingam, & recipit Iſaram, fluv. rapidum ad *Deckendorf*, ut & Oenum, fluv. magnum ad Patavium. Ibi, relictâ Bavariâ, & rigato Lintio, Auſtr. urbe, auctus fluviis Ilza. Trauna, Enezo, aliiſque minor. juxta Viennam labitur. Dein, recepto Moravo, in Hungariam tendit; ubi auctus Leitha. Wago, Arrabone & Granâ, rigat urbes Poſonium, Arrabonem, Komariam, Strigonium; & mutato curſu à Septentr. in Merid. fluit. Hinc juxta Vacciam, Budam & Coloczam labens, Dravum flumen recipit, ut & Tibiſcum & Savum, qui juxta Taurunum ſeu Albam Gr. Danubio miſcetur. Dein, relictâ Hungaria, jam *Iſter* & in Ortum tendens, recipit fluv. Moſchum, Alutam, Ciabrum & Hieraſſum: quibus auctus aliiſque plurimis inter Valachiam, Moldaviam & Bulgariam labitur, & demum, verſus Beſſarabiam ſe in Pontum Euxinum exonerat per 6. oſtia, tanta cum rapiditate, ut dulcedinem ſuam, ad 20. leucas, in mari ſervet. Ortel. Cluver. Fuit hic fluv. ſecundùm communem omnium ferè ſcriptorum ſententiam, Imperii Romani limes atque terminus. Ejus rei teſtes ſunt Appian. Alexandr. Dio Caſſius, Varro ac Salluſt. Seneca *l.* 4. *Nat. Qu. Medius inter pacata & hoſtilia fluit Danubius & Rhenus alter Sarmaticos impetus cohibens, alter Germanos, avidam gentem belli repellens*. Idem teſtatur Gellius *l.* 10. *c.* 7. Quò alludit Ovid. *l.* 2. *Triſt.* *v.* 192. & 203.

Ne timeam gentes, quas non bene ſummovet Iſter,
Danubii mediis ne prohibentur aquis.

Idem *ibid.* 197, 198, 199.

Hactenus Euxini pars eſt Romana ſiniſtri,
Proxima Baſternæ Sauromatæque tenent.
Hæc eſt Auſonio ſub jure noviſſima,

Sidon. Apollin. *Paneg. ad Majoranum Aug.*

Illic aggrederis, quod nullus tempore noſtro
Auguſtus potuit, rigidum Septemplicis Iſtri
Agmen in arma rapis. ——— ———

Egimus huc uſque de Danubii *nomine*, *ortu* ac *progreſſu*; proximo in loco de *quantitate* ejus agendum eſt: Ab initio ortûs ſui perquam eſt exiguus, ita, ut quemadmodum Cuſpinian. inquit, & Stuck. ipſe vidit, vix ſit anſeribus navigabilis. Hinc Arrian. quoque *l.* 8. duobus in locis, nec non Ælian. veriſſimè *fontem* illius *parvum* dixerunt eſſe, & Auſon. hunc pariter atque Rhenum *fontes breves* appellat. At verò paulatim aliis, atque aliis allabentibus auctus fluminibus, mox in immenſam magnitudinem excreſcit. Herodot. *l.* 4. Omnium, quos ipſe quidem norit, maximum illum ſibi videri ait. Unde Arrianus ποταμῶν τῶν κατὰ τὴν Εὐρώπην μέγιστον vocat. Et Ælian. *l.* 14. *de Anim.* Εὐρωπαίων ποταμῶν μέγιστος Ἴστρος. Idem plures alii teſtantur. Cùm verò 3. ſint quantitatis dimenſiones, longitudo ſc. latitudo & profunditas, ſecundùm illas omnes Danubium cæteris Europæ fluviis antecellere plerique ſcriptores tradunt. Quoad *latitudinem* εὐρὺς ab Apollon. *latus* ab Ovid. quaſi κατ' ἐξοχὴν appellatur. Sic enim ille *Triſt.* *l.* 5. *Eleg.* VII.

Latus ubi æquoreis Iſter aditur aquis.

Quin & Oppian. Κυνηγ. γ.

Ἴστρῳ ἐπ' εὐρὺ ῥέοντι κυάνεος ἐξ ὑπάτοιο.

Illius præterea *longitudinem*, à fontibus uſque ad oſtia, Jornandes mille ducentorum millia paſſuum eſſe colligit. Denique ejuſdem *profunditatem* idem Jornandes pluribus in locis 200. pedum eſſe ait. Unde non immeritò ab Apollon. προβαθὴς, & ab Horat. *l.* 4. *Carm.* Od. 15. *v.* 21. & 22. καὶ ὑπεροχὴν *profundus* dictus eſt,

Non qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Julia.

Hinc Pindar. *in Olymp.* Od. 3. Ἴστρου ἀπὸ σκιερᾶν παγᾶν, ubi Smidtius commentator *fontes Iſtri umbroſos* à poëta appellari putat, propter profunditatem. Quamvis melius hoc dici poterit reſpectu olearum; vel oleaſtrorum copioſè ibi naſcentium, ut etiam ipſe ibidem rectè annotavit, unde Lycophroni *niger* dicitur: Ὑπὲρ κελαινὸν Ἴστρον. Herodot. *l.* 2. illum dicit Nilo comparari, & Mela ſoli Nilo Danubium cedere teſtatur. Idem ſenſêrunt Jornandes & Claudian. cui *ingens* vocatur. Quibus aſtipulatur Auſon. *Epigr.* 3.

Illyricis regnator aquis, tibi, Nile, ſecundus.
Danubius lætum profero fonte caput.

Alii tamen Iſtrum Nilo magnitudine haudquaquam cedere exiſtimarunt. Ovid. *de Triſt.* *l.* 3. *Eleg.* X. *v.* 529, 530.

Ipſe, papyrifero qui non anguſtior amne,
Miſcetur vaſto multa per ora freto.

Idem *de Pont.* *l.* IV. *Eleg.* X. *v.* 625.

Innumerique alii, quos inter maximus, omnes
Cedere Danubius ſe tibi Nile negat.

Scalig. *de re Poët. Lucanus verò*, inquit, *inſanit in alia collatione (Danubium ſc. comparans cum Pado.)*

Nec minor hic Iſtro, niſi quòd, dum permeat orbem
Iſter, caſuros in quælibet æquora fontes
Accipit, & Scythicus ſolus non exit in undas.

Jam de *Qualitate* aquæ Danubii pauca dicemus. Eum verò lactis diluti ſive ſeri colore eſſe, etiam quâ parte Vindeliciam & Noricum à Germania dividit, teſtis eſt Agricola *l.* 1. *de natura eorum, quæ effluunt e terra*. Virgil. *Georg.* *l.* 3. *v.* 350. *turbidum* vocat:

Turbidus & torquens flaventes Iſter arenas.

Seneca *torrentem*, in Medeæ *Act.* III. *Choro.* 3.

Properatque torrens
Iſter, & junctos vetat eſſe pontes.

Aquam illius ad potandum pariter, atque balneandum ſuavem, utilem ac ſalubrem eſſe inter omnes ferè conſtat. Piſces quoque optimos ac plurimos alit. Ælian. *de Anim.* *l.* 14. *c.* 23. Γίνονται δ' ἐνταῦθα ἰχθύων γένη διάφορα: Eorum autem quoſdam eſſe mortiferos author eſt Plin. *l.* 31. *c.* 2. Præterea Danubius congelationibus vehementer obnoxius eſt, ac proinde Ovid. *de Pont.* *l.* 2. *Eleg.* IV. in initio *gelidum* vocat.

Accipe colloquium gelido Naſonis ab Iſtro.

Idem *l.* 3. *Eleg.* 3. *v.* 26.

Et coit aſtrictis Barbarus Iſter aquis.

Idem *in Ibin*, *v.* 68.

Dum tepidus Ganges, frigidus Iſter erit.

Idem *alibi*.

Quæque aliæ gentes, ubi frigore conſtitit Iſter,
Dura meant celeri terga perennis equo.

Plin. *in Panegyrico, Cùm Danubius ripas gelu jungit, auratuſque glacie ingentia tergo bella tranſportat*. Unde à Nonno *in Baſſaricis* ὑγροπαγὴς, *ex humido compactus* dicitur. *Mart.* *l.* VII. *Epigr.* 6.

Et ungularum pulſibus calens Iſter.

Jam poſtremo de Danubii *exitu* ac *oſtiis* paucula ſunt dicenda. Et hîc, inquit Stuck. duæ ſunt opiniones. Alii enim illum in duo maria Ægæum & Ponticum, alii verò in Ponticum tantùm exire voluêrunt. Plures prioris ſententiæ authores enumerat Stuk. Duos tantùm hic in medium proferam, Lucan. ſc. & Val. Flaccum. Prior *l.* 2. *v.* 420.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

——— *Scythicas exit non ſolus in undas.*

Atqui τὸ *non ſolus* ibi referri debet ad fluvios iſtos, quos ſecum in Pontum defert Iſter, non ad Pontum ipſum. Poſterior *l.* 8. *v.* 188.

——— *Inde ſequemur*
Ipſius amnis iter; donec nos flumine certo
Perferat, inque aliud reddat mare.

Verùm hanc ſententiam Plin. ceu falſam rejicit *l.* 3. *c.* 19. *Nullus enim ex Danubio amnis in mare Adriaticum effunditur.* Plerique itaque Iſtrum in ſolùm Ponticum mare ſentiunt evolvi. De numero autem, nominibus, atque etiam ſitu ac ordine oſtiorum non minus quàm de illius fontibus variæ admodum ſunt ac diſcrepantes authorum ſententiæ. Nam quoad numerum, alii quinque illius oſtia tradunt Arrian. *l.* 1. Ἔς τε ἐκβολὰς ἵνα ἐκδιδοῖ κτ. πέντε ϛόμαϛα εἰς τ Εὔξεινον Πόντον. Incertus author, Ὁ ὗτ۞ Ἴςϱ۞ ποταμὸς ὁ καὶ Δανοῦβις καλέμϱ۞, κατέοχεῖαι ἀπὸ τ Ἑσπεϱίων ὅπων τὴν ἐκβολὴν πέντε ϛόμασι ποιέμϱος. Dionyſ. *v.* 398.

Ῥήϊων δ' ἑξείης ἐπιτέλλεται ἱερὸς Ἴϛρος,
Ἴϛρος ἐς ἀντολίην τε ἐρχομένος ἄγχι θαλάσσης
Εὐξείνε, τῶ πάντων ἐρεύγεται ὕδατος ἄχνην
Πενταπόροις προχοῇσιν ἑλισσόμεν۞ περὶ Πεύκην.

Claudian. *in Stilicone.*

Thracia quinque vadis Iſtrum vocat.

Alii verò 6. verbi gratiâ Plin. ac Tacit. ac Ptol. Reliqui autem ac plerique ſeptem, ut Strab. qui ἑπτάϛομον vocat. Ovid. *l.* 2. *Triſt. Eleg.* 1. *v.* 189.

Solus; ad ingreſſus miſſus ſeptemplicis Iſtri,
Parrhaſiæ gelido Virginis axe premor.

Val. Flac. *Argon. l.* 4. *v.* 718.

Non ſeptem gemini memorem quas exitus Hiſtri,
Quas Tanais, flavuſque Lyces, Hypaniſque Melaſque
Addat opes,

Idem *Ibid. l.* 8. *v.* 185.

Haud procul hinc ingens Scythici ruit exitus Hiſtri,
Fundere non uno tantum quem flumine cornu
Accipimus: ſeptem exit aquis, ſeptem oſtia pandit.

Lucan. *multifidum* appellat *l.* 3. *v.* 200.

Et barbara Cone,
Sarmaticas ubi perdit aquas, ſparſamque profundo
Multifidi Peucen unum caput abluit Iſtri:

Et hanc ob cauſam Nilo comparatur. Hinc Mela: *Danubius eorum fluminum, quæ in noſtrum mare deſinunt, tantùm Nilo minor, totidem quot ille oſtiis, ſed tribus tenuibus, reliquis navigabilis effluit.* Hæc diverſitas autem opinionum inde evenit, quòd quintum & ſextum oſtiorum Danubii languidiora ſint cœteris, ſeptimum verò, ut Solin. Iſid. & plerique alii tradunt, pigrum eſt ac paluſtre, non dignum, ut amni comparetur. Plin. tamen ſex vaſtis fluminibus illum in Pontum fluere teſtatur. Verùm de horùm oſtiorum ſitu ac nominibus vide Guil. Stuck. *ad Arriani peripl. p.* 185. *&c.* Nic. Lloydius. Baudrando per 6. oſtia, ut dictum, in Euxinum Pont. ſe exonerat; quorum nomina, apud antiq. *Thiagela*, *Borea*, *Falſum*, *Pulchrum*, *Narecium* & *Sacrum*. Sed ex hìs oſtiis duo tantùm ſunt navigabilia, aliis ſenſim oblimatis aut arenâ oppletis. Hunc fluvium Trajanus Imp. contra Decebalum movens ſumtuoſiſſimo ponte junxit, A. C. 103. Sigiſmundus Hungar. Rex in ejus ripa à Turcis ingenti ſtrage fuſus, vix ipſe Danubium tranavit, A. C. 1401. Joach. quoque Neuhuſius Bohemiæ Cancellarius, Viennam properans, ut diplomata de *Fratribus* omni perſecutionis genere infeſtandis ab Imp. ſubſcriberentur, ponte hic rupto, undis hauſtus eſt, A. C. 1565. Laſic. *l.* 7. Plura de celebri hoc fluvio, apud B. Rhenan. *Rer. Germ. Nov-Antiqq. l.* 3. Richard. Bartholin. *l.* 4. *Auſtriad. in Hodœporico*, Zeiler. *Itinerario Germ.* Jac. Otton. JC. *Notis ad Rhenan.* Alios.

DANUIBUS, in num. Trajani, pro *Danubius*.

DANUM, Angliæ opp. Anton Brigantum olim, *Doncaſter* Camd. Ad Danum fluv. in Eborac. prov. 19. mill. Angl. ab Eboraco in Auſtr. 22. à Lindo in Circium. Paucis incolis conſtat. *Doncaſtel* Scotis.

DANUM, portus Flandriæ, Rigordo memoratus, ad A. C. 1213. olim magni nominis, 2. mill. Brugis diſtans. Guil. Britto *Philipp. l.* 9.

Portum læta ſubit à damno nomen habentem;
Qui tam latus erat, tantæque quietis, ut omnes
In ſe ſufficeret noſtras concludere naves.
Quo valde ſpecioſus erat Dan nomine dictus,
Lenifluus jucundus aquis, &c.

Hodieque locus *Dam* dicitur. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

DANUS, *Dun*, Eboracenſis prov. fluv. Danum opp. rigat, poſt in Humbrum ſe exonerat.

DAONA, Indiæ extra Gangem urbs. *Steph.* vide infra.

DAONA: forſan *Keccio*, urbs Regni Tunchini, & *Daonnæ* pop. ubi hoc regnum, juxta ſinum magnum, inter ſinus & Conguſinam.

DAONIUM, Thraciæ opp. maritimum. *Nicetas.*

DAORIZI, pop. Illyrici, in Dalmatia, inter Ceraunios & Vardiæos, Meminit *Plin. l.* 3. *c.* 22.

DAPALIS *Jupiter*, à Latinis vocatus. Dictus videtur, quòd ei ſacra dapali epulo fierent. Sicuti enim dicimus cœnam dapalem, Marcello teſte, quæ amplis dapibus plena eſt: ita & *Dapalem Jovem* appellatum exiſtimamus. Εἰλαπιναςὴς etiam Ζεὺς colebatur à Græcis, h. e. *convivalis*, vel *Dapalis Jupiter*. Εἰλαπίνη enim magnificum convivii apparatum ſignificat.

DAPES, Regia vox nonnullis, *ad Virgilian. illud Æn. l.* 1. *v.* 214.

Illi ſe prædæ accingunt dapibuſque futuris.

Sed Cyclopis idem *dapes* vocat, *l.* 3. quæ tamen eſſent immanes. Neque illis favet origo vocis: quippe de feris dicunt δάπτειν, & δαρδάπτειν. J. C. Scalig. *Poëtic. l.* 4. *c.* 16. Inde tamen *Dapifer*, eximiæ in Principum Aulis dignitatis nomen, vide in hac voce.

DAPHA, Arabiæ deſertæ urbs. Ptol.

DAPHIDAS, Sophiſta quidam, Oraculum Delphicum luſurus quæſivit, an equum impetrare poſſet? Reſpondit illud, utique poſſe, ſed ab illo excuſſum iri. Hinc irriſo Oraculo, in Attalum Regem de quo ſæpe maledixerat, incidit, qui ipſum de rupe, cui Equi nomen, præcipitem dari juſſit. An idem cum poſteriori? vide Voſſ. *de Poet. Gr. p.* 88.

DAPHITAS, Grammaticus, qui in Thorace monte cruci affixus eſt, quòd Reges maledicis carminibus inceſſeret.

DAPHNÆUS, Syracuſanorum & Italorum, adverſus Carthaginenſes, Dux. De quo vide Polyæn. *l.* 5. Fortaſſe is ipſe eſt, quem Dionyſ. calumniis inſectatus, in tantam produxit invidiam, ut imperium ei abrogatum in Dionyſium transferretur. Ariſt. *l.* 5. *Polit.* 5.

DAPHNE, Penei ſive Ladonis fluv. filia, quæ cum Apollinis vim effugere non poſſet, implorato paterni numinis auxilio in laurum commutata eſt. Ovid. *l.* 1. *Met. v.* 504 & 521. *Laurum* Daphne ſig. ac fingitur Penei fluv. filia, eò quod ripæ ejus lauro abundant; tum amata ab Apolline, quia hæc arbor præbet medicinæ magnum uſum; eſtque ſpectatiſſima apud Delphos, ubi Apollo colebatur. Ipſius verò Daphnes in arborem ſemper virentem commutatio, docet immortalem gloriam eſſe paratam virginibus pudicitiam conſervantibus.

DAPHNE, Tireſiæ vatis filia, apud Delphos quibus conſecrata erat, carmine uſque adeò excellenti vaticinata eſſe dicitur, ut Homer. ipſe multa ex illius carminibus in ſuum poëma tranſtulerit. Diod. Sic *Bibl. Hiſt. l.* 4. *c.* 68.

DAPHNE, cujus amator Leucippus, non vulgari fabulâ nobilitata eſt, à Pauſania *l.* 8.

DAPHNE, Strab. nemus apud Antiochenſes. Capitolin. *in M. Antonino, In deliciis apud Antiochiam & Daphnen vixit.* Quod autem in Italia Bajæ, ad Alexandriam Canopus, id erat in Syria ſuburbium Antiochiæ Daphne. Locus ita infamis voluptatibus, ut modeſtioribus ac frugi propè inacceſſum ſcribat Chryſoſt. *Serm. in Babylam martyrem*, Εἶδεν, inquit, τὸ χωρίον ὑπὸ τ τ νέων ἀσελγείας τυραννέμϱον καὶ κινδυνῶδες ἄβατον εἶναι τοῖς σεμνοτέροις, καὶ ἐπιεικῶς βιῶναι βελομένοις ἰδών. Quem locum imitans Sozomen. Τῷ προσελθεῖν τῇ Δάφνῃ ἐπιβαίνειν τοῖς ἐπιεικέσιν αἰσχρὸν ἐνομίζετο. Natum ex eo proverbium, *Daphnicis moribus vivere*, quod de luxuriâ diffluentibus uſurpabant: ut Marcus Antoninus *in Epiſtola*, quam reſcripſit Vulcatius, qui etiam narrat edictum aliquando à Caſſio, *ut ſi quis cinctus apud Daphnen inveniretur, diſcinctus rediret.* Erant ſanè omnia ibi ad amœnitatem comparata: cœli aëriſque temperamentum maximum; ſolum & naturâ & arte deliciis hominum τρυφητῶν accommodum. Sed duo fuere inprimis, quæ in admirationem & amorem Daphnes cunctos raperent, arborum umbriferarum, & optimarum, aquarum copia. Procop. *Perſicor. l.* 2. Τότε μὲν ἦν εἰς Δάφνην ἀνέβη, τὸ Ἀντιοχείας προάςειον; Ἔνθα δὴ τό τε ἄλσ۞ ἐν θαύματι μεγάλῳ ἐποιήσατο, καὶ τὰς τ ὑδάτων πηγὰς, ἄμφω γὰρ ἀξιοθέατα ἐπιεικῶς ἐςί. Hic famoſum Apollinis idolum, cui quo pacto Gallus Cæſ. ſilentium impoſuerit, vide apud Sozomen. *l.* 5. *c.* 18. Hujus reliquias cùm aliò transferre poſtmodum Julian. conaretur, miſſo cœlitus igne arſiſſe, refert Chryſoſt. *tom. in Gent.* Baron. A.C. 351. 362. Nic. Lloydius. Addo, quòd præcipuæ arborum lauri & cupreſſi erant, quas multis *Conſtitutionibus* cædere Impp. vetuerunt, ut ex *Codicis* titulo novimus. Erant & arbores aliæ multæ, quæ totum lacum inſtar pergularum tegerent, quas moris eſt in hortis pomariiſque è vitis arbore aliiſque conficere. Accedebat gratia florum, quos ſub illis arboribus terra edebat, & aſpectu & odoratu ſuaviſſimos, pro anni tempore alios atque alios, & ut loquitur Sozomen: ἀμοιβαδὸν τ ὡρῶν, &c. A Pompejo fuiſſe conſecratum hunc lucum, addito nemore, ſcribit Sext. Rufus: Strab. tamen & *Daphnæ* appellationem, & religionem ejus luci, ut antiquam commemorat & totâ Syriâ celebrem. Sequentibus temporibus abolito priori nomine *Nero* dici cœpit, h. e. *aqua*, ob aquarum ibi copiam νερὸν enim Græcis vulgaribus & barbaris *aqua* eſt: non tam Syriaco נר ſeu Hebr. נהר. quàm ab antiquiſſima Græciæ purioris voce νηρὸν, h. e. *humidum* & *aquaticum.* vide Caſaub. ad *Capitolin. in Marco Antonino Phil.* & Salmaſ. *ad Treb. Pollion. in Baliſta.* Ibi fuiſſe illam nobilem Judæorum Synagogam, quæ dicebatur Σπήλαιον τ Ματρώνης, *Spelunca Matronæ*, cujus toties meminit Joh. Chryſoſtom. in *Orat.* quas Antiochiæ contra Judæos & Ἰεδαΐζοντας Chriſtianos habuit, ut & *Homil.* 3. *in Tit.* addit idem Caſaub. Sed & *Daphne*, locus Ægypti eſt prope Peluſium, unde Δαφναῖ۞, Steph. hodieque *Daſni*, nomen eſt celebris Monaſterii Calocerorum, in Attica, medio inter Athenas & Eleuſinem ſitu, à *Rhododaphne*, quæ ibi ubertim creſcit, appellati, de quo vide Jac. Spon. *Itinerar. Græciæ Part.* 2. *p.* 275. ut & in voce *Daphne.*

DAPHNEPHORIA, nomen feſti, de quo vide aliquid infra in voce *Tempus.*

DAPHNIDIS inſula, apud Troglodytas. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

DAPHNIS, juvenis Siculus, Mercurii fil. Bucolici carminis inventor. Hic cùm formoſiſſimus eſſet, cum nympha quadam, quæ mutuo ejus amore tenebatur, ita pepigit, ut qui prior fidem violaſſet, utroque lumine orbaretur. Cujus ſponſionis immemor Daphnis, cùm novis ſeſe amoribus implicuiſſet; irati Dii, quos ſtipulationis ſuæ teſtes illi adhibuêrunt, Daphnin excæcarunt. Suid. Verſuum Bucoliorum auctor habetur. *Diodor. Sic. Bibl. Hiſt, l.* 4. *c.* 86.

DAPHNIS, & Idæus, filii Paridis ex Oenone.

DAPHNIS, cubicularius Nicocratis, Cyrenenſis Tyranni, à fratre hujus Leandro, in cædem heri corruptus Polyæn. *l.* 8.

DAPHNIS, Grammaticæ artis Magiſter, memoratur Plinio *l.* 7. *c.* 39. *Pretium hominis in ſervitio geniti maximum ad hanc diem, (quod equidem compererim,) fuit Grammaticæ artis* Daphnidis Cn. *Piſaurenſi vendente, & M. Scauro Principe Civitatis III. M. DCC. ſeſtertiis licente.* vide & Suet. *l. de Grammat. & Rhetor.* ubi eum à Lenæo Meliſſæo

Παιδὸς

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Πανὸς ἄγημα, *per cavillationem nominis*, dici conſueviſſe, addit. *Daphnis* enim, ille fabulis decantatus, Panis fuit delitium. Meleager,

Αἰπολικαὶ σύριγγες ἐν οὔρεσι μηκέτι Δάφνιν.
Φωνεῖτ' αἰγιβάτῃ Πανὶ χαριζόμεναι.

Pan autem pecoribus præerat; & pecorum Magiſtris; Virg. *Bucol. Eclog.* 11. v. 33.

Pan curat oves, oviumque magiſtros.

unde per cavillationem nominis Πανὸς ἄγημα eum dicebat, non Panis delitias, ut Daphnis fuit, ſed pecus. Salmaſ. *ad Solin. p.* 41.

DAPHNIS, Mileſius, & Pænius Epheſinus, ædem Mileſii Apollinis ſymmetriis Ionicis inſtituêrunt, teſte Vitruv. Nempe poſtquam Apollinis Didymæi templum, quod in Mileſiorum agro fuit, à Xerxe combuſtum eſſet, à Mileſiis id refectum eſt, operi præfectis Pænio & Daphnide. vide infrà *Pœnius*.

DAPHNIS, Lyciæ regio & opp. Ægypti ad Peluſium Herodot. Item, regiunc. Theſſaliæ, quam Peneus fluv. perluit, ubi Daphne à Phœbo amata. Fuit etiam ſuburbanum in ora Ponti ad ſiniſtram, quod *Sergium* vocant, & in ipſis Ponti faucibus ad dextram navigantibus portus. *Steph.*

DAPHNIS, Græcè Δαφνὶς, item Δαφνίτη, *Daphnitis*, Plin. Inſ. Æthiopiæ, in Arabico ſinu, unde Caſia *Daphnitis* fortè dicta, quòd ex ea afferebatur, ut omnium præſtantiſſima, quippe proximè accedens ad cinnamomum, & ob id ἰσοκιννάμωμον quoque appellatum. Ei proin pretium à Mangonibus ad trecentos denarios factum eſſe, ſcribit Plin. vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1306. De *Daphnoide* verò vide ſuprà ubi de *Alexandrea Lauru*.

DAPHNIS, vel DAPHNE, fons qui in tribu Nephthalim aquis abundantiſſimis Reblatam urbem irrigat, atque, inſtar celeberrimi ac delicioſi illius Daphnes, Antiochiæ ſuburbani, ac tuti aſyli, frequentiſſimis lauris & amœnitate inclytus eſt.

DAPHNIS, fons in delitioſo Antiochiæ nemore, de quo ſuprà. Quem cùm multi *Caſtalium* appellarent, horum errorem acriter reprehendit Guil. Tyrius, fontem hunc Muſis ſacrum Poëtisque decantatiſſimum, non in Syria, ad Orontem fluv. ſed in Phocide Græciæ reg. ad montem Parnaſſum, fuiſſe docens. Obtinuit nihilominus non apud vulgus ſolùm, ſed etiam apud Eruditos, ut & montem Antiochiæ imminentem *Parnaſſum* vocarent & fontem, è radicibus ejus manantem, *Caſtalium*, ut ex Sozom. & Marcellino docet Caſaub. *ad Spartian. in Hadr.* Agathias *Epigramm.* Poëta,

Μηδὲν ἀπαγγείλας εἰς Ἀντιόχειαν ἐθίζειν,
Μὴ πάλιν οἰμώξῃ χεύμασι Κασταλίης, &c.

vide ſuprà in voce *Daphne*.

DAPHNUS, Medicus, cœnam prandio præferre ſolitus eſt, eò quod Luna concoctionem juvaret. Athen. *l.* 7.

DAPHNUS, urbs Phocica. Item fluv. ac tribus Ceæ vicina. *Steph.*

DAPHNUS, portus Ægypti, cujus gentile Δαφνούντιος. Idem *ibid. p.* 402.

DAPHNUSA, Inſ. parva maris Ægæi, inter Samum & Lesbum. Quæ *Thaluſa*.

DAPHNUSI, pop. prope Olympum Bithynum. *Steph.*

DAPHNUSIUM, prope Rhegium eſt, Thracibus vicinum. Eſt & Ægypti vicus. *Steph.*

DAPIFER, ſummus Officialis fuit, cùm in aulis Principum, tum in privatorum hoſpitiis: hoc tamen nomine haud minus antiquioribus incognitus, quàm recentioribus munere. In palatio Caroli Mag. ejus non meminit Hincmarus: ſub Ottonibus verò celebris extat, & jam inter Electores. Nomen à ferendis dapibus quod manifeſtum in Palatino Comite, Dapifero vel Archidapifero Imperii, cujus eſt, ſolemni Imperatoris inauguratione prima fercula, equo elatum, Imperatoriæ inferre menſæ. Tribuitur verò hujuſmodi Miniſtro multiplex nomen, ex multiplici munere: *Eleater* olim, Gr. ἐλεάτρος, quòd miniſtros παρὰ τὸ ἐλεὸν, i. e. ad menſam coquinariam, cibos inde ad menſam Regis delaturos, convocabat. Sed mox toti hic cibario miniſterio præfectus eſt, Athenæo demum *l.* 4. ὅλης διακονίας ἐπιστάτης: Sic Ptolomæus Soter Alexandri Mag. *Eleater* fuit. *Dipnocletor* & *Convocator*, à convocando miniſtros & convivas: *Trapezopœus* & *Architriclinus*, à curanda menſa: à prægustando, *Progeuſta*, *Protogeuſta* & *Prægustator*: qualis Britannnico fuit apud Tac. & Claudio Cæſ. apud Suet. *in Claudio c.* 44. Apud inferiores in Oriente: *Domeſticus*, *Megadomeſticus*, *Oeconomus*. In Occid. *Major Domus*, *Seneſcallus*, *Scalcus*, *Gaſtaldus*, *Aſſeſſor*. Interdum *Præfectus menſæ*, *Princeps Coquorum*, *Magyrus*: qui omnes aliquatenus inter ſe differunt, ſed ab Auctoribus per tranſennam inſpecti, confunduntur ſæpiſſimè. vide Codin. *de Offic. Conſtantinop.* In aula Caroli Mag. Andulphus quidam, qui ab Imp. miſſus Britones Armoricanos domuit, A. C. 786. Caroli *Seneſcalus* vocatur, Sigeberto: *Regiæ menſæ præpoſitus* Aimoini continuat. *l.* 4. *c.* 78. Reginoni *Princeps coquorum*: quo ipſo officio functos, ſub tertia Regum familia, ex vetuſtiſſimis carminibus vernaculis obſervat Falcet. *Orig. l.* 1. *c.* 10. etiam plures tunc extitiſſe, majorem verò *Dapiferum* appellatum, regium vexillum in acie detuliſſe: Poſt Caroli enim tempora nomen *Dapiferi* clarè emicuit, quem primas in regno obtinuiſſe, notat Hier. Bignonius. *Dapifer*, etiam infimi Baronis & cujuſvis Nobilis, cognovit olim de litibus ad juriſdictionem Domini ſui pertinentibus, præeratque ejuſdem ſubditis inſtar Juſticiarii ſeu Judicis capitalis: Mutato verò demum nomine, minutaque in pluribus auctoritate, *Seneſcallus Curiæ Baronis*, & *Seneſcallus Manerii* appellatus eſt. Hinc Robertus de Novo Burgo, apud Sigebert. A. C. 1160. *Dapifer & Juſtitiarius totius Normanniæ* dicitur. Et non dedignatus eſt olim Dux Sueviæ, Monaſterii S. Galli *Dapifer* dici, ejuſdemque Abbati, dum in Aula Imp. Princeps creatur, miniſtrare, ut refert Conradus de Faburria *Rer. Alamann. Tom.* 1. *part.* 1. In officio quoque *Dapifero*, ut dictum, fuit, Vexillum Domini ſui geſtare: fortè quòd ad evocandos ducendosque familiares & ſubditos Domini ſui aptior viſus eſt: quod apud Gallos de ſummo ſolùm Dapifero intelligendum. In palatio Regum Anglo-Normannicorum, non adeò illuſtres fuiſſe videntur *Dapiferi*, ac in exterorum, cùm in Hiſtoriis ejus regni rarioris ſint nominis, & in Chartarum ſubſcriptionibus, locum ſubmiſſiorem teneant. Fortè ſecundi ordinis, non primi; Domeſtici & hoſpitii Regis Seneſchalli, non Megadomeſtici, fuêre, vide Henr. Spelman. *Gloſſar. Archæol.* & infrà in voce, *Seneſcallus*. Addo, quod de ſynonymia vocum *Dapifer* & *Seneſcallus* dictum, confirmari ex ſerie eorum in Franciæ regno, à Car. du Freſne exhibita, in voce *Seneſcalcus*, in qua modò hoc, modò illo nomine, promiſcuè appellantur. Sic autem iſta habet:

SERIES DAPIFERORUM FRANCIÆ.

Guilielmus *Seniſchalcus* in *Charta* Henrici *I.* A. C. 1060.
Radulfus *Dapifer*, in *Charta* Philippi Regis A. C. 1065.
Balduinus *Dapifer*, A. C. 1069.
Fridericus *Seneſcalcus*, ſub eodem Rege A. C. 1071.
Robertus *Dapifer*, ſub eodem A. C. 1078.
Adam *Dapifer*, A. C. 1080.
Hugo *Dapifer*, A. C. 1083.
Guido de Monteleherici Comes de Rupiforti, A. C. 1092.
Paganus de Garlanda *Dapifer*, *Regis Francorum*, interfuit expeditioni ſanctæ, A. C. 1096.
Hugo de Rupe forti Comes Creciacenſis, Hugonis *Dapiferi* filius, A. C. 1107.
Anſelmus de Garlanda, *Dapifer*, A. C. 1110 ---- 1120.
Guilielmus de Garlanda *Dapifer*, frater ejus: ut
Stephanus de Garlanda (Archidiaconus Paris. Decanus Aurelian. dein Belvacenſis Epiſc.) *Dapifer*. A. C. 1120 ---- 1126.
Radulfus Comes Viromandenſis & Vadenſis, *Dapifer* uſque in A. C. 1152.
Theobaldus Comes Bleſenſis, *Dapifer Regis*, uſque in A. C. 1191. quo in Acconenſi obſidione interiit. Ex hinc nulli *Dapiferi* occurrunt; imò *Chartæ* Regiæ omnes præferunt *Dapifero nullo* uſque ad A. C. 1262. Unde colligitur, dignitatem hanc non omnino extinctam, tametſi ad eam nemo poſtea provectus fuerit, huicque ſucceſſiſſe *Magni Magiſtri Hoſpitii Regii* dignitatem, penès quem eſt Aulæ & Palatii, atque adeò Familiæ Regiæ cura. De *Dapiferis* verò prædictis vide Auctores Car. du Freſne ſuprà laudato citatos.

DAPIFERI, ſive *Truchſeſſii in Waldburg*, nomen illuſtris in Germania Familiæ: quibus nonnulli Gebhard Romuli D. Sueviæ ſub Conſtantino Mag. *Dapiferum*, originem dediſſe fabulantur: referuntque etiam, *Dapiferos* hos Walpurgios, Pincernas *de Winterſtetten* & Dominos *de Thanne*, à tribus fratribus eſſe ſatos, ſed tranſeant hæc. Certiora an æquè incerta ſunt, quòd Babonem ſub Carolo Martello & Mangoldum ſub Carolo Mag. A. C. 801. *Dapiferos* ac Dominos *de Waldburg*, notant? Inde Eberhardum Friderico I. Imp. *Dapiferum* adſignant. Inprimis autem celebris eſt Henricus, qui A. C. 1268. à Conradino, ultimo Sueviæ Duce, in pegmate ferali datum annulum vel chirothecam, in hæreditatis indicium, Aragoniæ an Caſtellæ (variant, enim, qui referunt) Regi attuliſſe, ac in hujus rei memoriam, Leones Suevicos, inſignis loco, ut nunc quoque ſervantur, obtinuiſſe dicitur. In Johannis poſtea, qui deceſſit A. C. 1403. filiis, tres lineæ cepêre. Prima in Eberhardo Sonnenbergenſium Comitum, quæ præterito ſeculo defecit. Altero Wolfeccia, in Georgio, quæ nunc quoque ſupereſt, atque iterum in duos ramos diſpeſcitur, Comitum in *Wolfeck* atque Comitum *in Zell*. Tertia demum, *Scheerenſis*, in Jacobo cœpit, quæ nunc denuo in duas ſecta abiit: quarum priorem Comites Trauchburgenſes in *Scheer* conſtituunt, alteram Comites *de Fridberg & Trauchburg*. Et quidem, quod Wolfeccios Comites attinet, Georgius præfatus, qui obiit A. C. 1531. ex Maria Oetingenſi, genuit Georgium, ex Johanna Rappolſtenia, extincta A. C. 1569. patrem Jacobi extincti A. C. 1589. quo & Johanna Zimmerenſi, natus Henricus, obiit A. C. 1637. ſuſceptis ex Maria Jacobe Zollerana, Johannâ Eufroſynâ (ux. Hugonis Comitis Montfortii) Johanne Epiſc. Conſtantienſi (nat. A. C. 1598. & den. A. C. 1644.) Maxim. Wilibaldo (nat. A. C. 1604. den. A. C. 1667. cui uxor fuit Magdalena Juliana Hohenloica; & poſt hanc Iſabella Clara Arſchottana) Annâ Mariâ (uxore Wilh. Henrici Truchſeſſii) & Jacobo Carolo, vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. tom. II. p.* 38. Quod Comites *in Zeil* ſpectat, præfati Jacobi, Johannæ Zimmerenſis mariti, filius alter Frobenius, ex Maria *de Torringen*, Joh. Jacobum Com. *in Zeil* genuit, quo, & Annâ Wolckenſteniâ, natus eſt Paris Jacob & Germani. Idem *p.* 18. Porrò Comites in *Trauchburg*, *Fridburg & Scheer*, Jacobus præfatus dedit, ex Urſula, filia Wilhelmi March. Hochbergæ & Rœteliæ, obiitque A. C. 1460. Ejus filius Johannes *Dn. de Waldburg in Scheer* extinctus A. C. 1507. ex Anna Oetingenſi, genuit Wihelmum defunctum A. C. 1517. quo & Sybyllâ Sonnenbergiâ, natus Wilhelmus obiit A. C. 1566. pater ex Joh. Furſtenbergia Chriſtophori, defuncti A. C. 1612. cui Anna Maria Furſtenbergia Wilhelm. Henric. peperit Com. *de Fridberg & Scheer*, cujus, ex Juliana Sultzenſi, filius ſupereſt Otto (nat. A. C. 1615 ux. Maria Sidonia Schlickia) cum fratribus. In eadem linea Gebhardus fuit Archiepiſc. quondam & Elector Colonienſis, qui Evangelicam doctrinam amplexus, poſt grave bellum, in Belgium tandem ſe recepit, uti de eo *ſuo loco* diximus. *Dapiferorum* autem ſive Truchſeſſiorum nomen gentile, à dignitate initio omnes hi ſortiti fuêre, cùm *Dapiferi* ſint Imperii ſub Archidapiferis Palatino-Bavaricis. vide iterum Phil. Jac. Spener. *tom. III. p.* 9. & *utroque tomo cit. in Indic.*

DAPSA, ſacrificii genus, quod fiebat hyeme ſæviente.

DAPSILES Coronæ, apud Plaut. *Pſeud. Act.* 5. *ſc.* 1. *v.* 21.

Unguenta, atque odores, lemniſcos, corollas dari dapſiles.

Paſchalio ſunt coronæ, à mulieribus uſurpatæ, quæ faciem tegerent, pudori velando. Δασεῖς στεφάνους, *coronas denſas* & vultus inumbrantes vocat Plutarch. *Pelopida*, ubi invehitur in viros, thoracibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

cibus ſuperponentes muliebria indumenta καὶ διαζώς στεφάνες. vide Car. Paſchal. *Coronar. l.* 2. *c.* 2.

DARA, & Derach fil. Zaræ. 1. Par. *c.* 2. *v.* 6. Item civitas ab Arſace condita. Juſtin. *l.* 41. *c.* 5. Et Carmaniæ fluv. *Ptol.*

DARABA, civitas Arab. non procul à Sabæis. *Strab.*

DARABES, pop. Bactrianæ Gangaridis vicini, quorum urbs *Darapſa*. Eorum mem. Val. Flac. Argonaut. *l.* 6. *v.* 66. & 67.

Miſit in arma Darabs, acies quem Martia circum
Gangaridum; &c.

DARADI, pop. Libyæ inter. circa Darat fluv. Plin. *l.* 5. *c.* 1. *Daratitæ, Ferrar.*

DARADUS, Libyæ fluv. Ptol. hodie *Daras*. vide *Daras*.

DARÆUM Caſtellum, multis locis memoratum Procopio in *Perſicis*, ab ipſo in monte collocatur 28. ſtadiis à finibus imperii Rom. & Perſicis, centum plus minus ſtadiis à Niſibi: ibidem urbem ab Anaſtaſio conditam munitiſſimam, addit. Plin. *Daræon* vocat, Δαρὰς Stephan. Juſtin. *Daras* &c. Unde Δαρεῖτις Ptolom. Regio circumjacens, quam in Media ponit, ubi & Tapyros & Anariacas recenſet. An Plin. *Dariis* eadem? *l.* 6. *c.* 23. vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 983. & 984. ut & in *Daretis*.

DARANISSA, Armeniæ maj. opp. *Ptol.*

DARAPS, Gangaridarum Rex, gravi Perſarum bello implicitus ac periculosè in eo vulneratus, miſit tamen cum copiis Præfectum ſuum Datin, auxilio Perſæ contra Æeten & Argonautas. Val. Flac. Argonaut. *l.* 6. *v.* 67. Paulò pòſt tamen *v.* 573. illum prælio interfuiſſe ejusque dextrâ Latagum cecidiſſe canit, Zeten verò fugatum.

DARAPSA, urbs in Bactris. *Steph.*

DARAS, Parthorum vicus. *Thara* corruptè apud Juſtin. *l.* 11. *c.* 15. Etymol. magnum, Δάρας παρὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ χωρίῳ συλληφθῆναι, Δαρεῖον ὑπὸ Ἀλεξάνδρυ. *Daricum* Plin. ac aliis appellatur.

DARAS, ſeu DARADUS fluv. nunc *Senega*; pars eſt, Nigri fluv. magis in Bor. extenſa. Exonerat ſe in Ocean. Atlant. 60. mill. à prom. Heſperio in Sept. Hinc regio adjacens inter Gambeam fluv. & ipſum *regnum Senegæ*, ubi *Jalofes* pop. in Nigritia.

DARBIA, Comit. ſeu prov. Angliæ, in tractu, ubi Coritani pop. alias ex parte, inter prov. Nottingamiam ad Ort. Staffordiam ad Occaſ. Liceſtriam ad Mer. & Eboracenſem, ad Sept. Hujus caput.

DARBIA, urbs, ad Derventionem fluv. ſatis parva, 40, mill. Angl. à Notingamia, in Occid. 17. à Liceſtria in Bor. 22. à Staffordia in Ort.

DARCAN: & Darcon. nomen viri. Eſdr. *c.* 2. *v.* 56. Lat. *generationis vel habitationis poſſeſſio*, vel *emptio*, aut Syriacè *draco*.

DARDÆ, Indiæ pop. qui ſub *Deriade* contra Dionyſ. pugnarunt. *Steph.*

DARDANARII, qui omnia præemunt, ut carius vendant; à *Dardano*, quodam contaminatiſſimo, & profligatiſſimo mago dicti. Vide Turneb. *Adverſ. l.* 2. 4. & *c.* 9. *l.* 17. Eorum avaritiæ obviam itum apud Athenienſes lege Solonis, *Μηδένα τῶν ἐν τῇ πόλει πλειω σίτον, πεντήκοντα φορμῶν συνωνεῖσθαι*, *Nemo eorum qui Athenis degunt, frumenti plus quinquaginta phormis coëmito*, memoratâ Lyſiæ κατὰ Σιτοπώλων. Apud Romanos tam mandatis, quàm conſtitutionibus, Romanorum Principum, *l.* 6. *ff. de extraord. crim. l.* 38. *ff. de pœnis* &c. vide hîc paſſim ubi de *Foro*, *Frumento*, *Pantapolis*, nec non voce *Ingreſſator*.

DARDANELLÆ, arces firmiſſimæ Turcarum, juxta Helleſpontum, olim Seſtos & Abydos, nunc *Seſto* & *Avido*, 1000. p. à ſe invicem diſcretæ. Hîc tormenta inuſitatæ magnitudinis, quamcunque navem, invitis cuſtodibus tranſituram everſura. Cum valido Turcarum præſidio. vide Nic. Lloyd. Ad harum alteram, Abydum nempe, ſingulæ Chriſtianorum naves, antequam Conſtantinopolim petant, appellere ac Præfecto caſtelli 100. aureos perſolvere coguntur, hac ſimul conditione, ne quinarium numerum unâ vice excedant, vide Thulden. *ad A. C.* 1656. *p.* 256.

DARDANELLÆ aliæ, arces duæ probè munitæ, ad fauces ſin. Corinthiaci, prope Patras, ſic dictæ à ſitu, quia ſunt ab utraque parte freti, ſub Turcis. Vulgò *les Dardanelles* vel *les Chateaux de Lepante*, ab urbe in viciniis. Suntque ubi aliàs Rhium prom. & Anti-Rhium.

DARDANI, vulgò *Dardanii*, Strab. quorum regio *Dardania*, pars Mœſiæ ſuper. ubi dein Dacia Mediterr. & nunc Servia, verſus Auſtr. & Herzegovina. Ejus urbes præcipuæ fuêre Neſſus & Scupia. *Chlamydem Dardanicam mantuelem*, h. e. chlamydem in modum manti factam, vel ad formam manti accedentem, inter dona Gallieni, ad Claudium placandum, miſſa, memorat Treb. Pollio *in Claudio*.

DARDANUS, Magus vide ſuprà *Armenius*.

DARDANIA, vetus nomen Samothraciæ. Steph. Item opp. Troadis. Plin. Unde Trojani apud Virgil. *Dardani* & *Dardanidæ*.

DARDANIA, regiunc. Aſiæ in Trojano regn. ad Bor. Troadis, inter Helleſp. & fontes Granici fluv. ubi aliàs *Dardania* vetus, opp. ad fontes Simois, 12. mill. à Troja in Bor. & *Dardanium* prom. medium inter Trojam. & Abydum. *Baudr.*

DARDANIÆ *Artes*, apud Columell. pro magicis, *l.* 10.

At ſi nulla valet medicina repellere peſtem,
Dardaniæ veniant artes. -----

A Dardano quodam Mago, de quo aliquid ſuprà, in voce *Armenius*.

DARDANIUM, genus ornamenti, de quo ſic Plin. *l.* 33. *c.* 3. *Cujus ſceleris nos coarguimus illum primum, qui auro dignitatem per annulos fecit, ut habeant in lacertis jam pridem & viri, quod è Dardanis venit, itaque & Dardanium vocabatur.*

DARDANUM, Indiæ prom. *Strab.*

DARDANUS, qui & *Poliarches*, Jovis fil. ex Electra, Atlantis filia. Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 31. & 32.

Dardanon Electrâ quis neſcit Atlantide natum?
Scilicet Electram concubuiſſe Jovi.

Hic cùm Jaſium fratrem interemiſſet, ex Creta, vel ut alii, ex Italia, in Samothraciam fugit, poſtea verò in Aſiam venit, locaque tenuit Helleſponto proxima, urbemque de nomine ſuo dictam condidit, regionemque totam *Dardaniam* nominavit, quam poſtea *Tros* Erichthonii filius *Trojam* appellavit. Ab hoc Dardano originem duxit Priamus, Virgil. *Æneid. l.* VIII. *v.* 134.

Dardanus, Iliacæ primus pater urbis & autor.

Regnavit, Ann. 31. ab A. M. 2574. Duravitque regnum hoc, Annos 296. *Euſeb.*.

DARDANUS, Scotiæ Rex. initio regni laudatiſſimus, poſtea in vitia, crudelitatem inprimis, ſic degeneravit, ut à ſubditis, tanto onere levari anhelantibus, occiſus ſit. Dempſter. Buchan. *hiſt. Scotiæ.*

DARDANUS Claud. Poſthum. præfectus Prætorii in Gallia. Ejus operâ tyrannus Jovinus, ab Ataulphi amicitia abſtractus, necique datus eſt. Proſper *in Chron. Extr. Olympiodori*. Codex Theodoſ. *l.* 117. Honorii, *de Decurion.* Prope Ciſteronem, in Provincia, Inſcript. ejus. Sirmond. *Notis in Sidon. Apoll.* Boucheus, *hiſt. Prov. l.* 2. *S.* 3. *p.* 569. Auguſtin. & Hieronym. ſcripſêrunt ad hunc Dardanum, Sidon. Apoll. ejus meminit *l.* 5. *ep.* 9. non cum laudis præfatione.

DARDANUS Magus, vide *Dardaniæ Artes*.

DARDANUS, Apuliæ urbs. *Lycophr.*

DARDARII, gens quædam apud Mœotidem paludem. *Plutarch.*

DARDI, Apuliæ Dauniæ populi.

DARE, apud Ovid. ubi præcipit amanti cum amica ſua ludenti, ut & malè teſſeras jactet, & malè calculos moveat, ſicque de induſtria perdat, *de Arte amandi*, *l.* 2. *v.* 203.

Seu ludet, numeroſque manu jactabit eburnos,
Tu malè jactato, tu malè jacta dato:

Græcis θέσθαι eſt, & dicitur de calculis, in Tabulæ ludo ſicut *jactare* de teſſeris. *Dabantur* autem calculi, cùm movebantur; quod ex ſolius artis præſcripto fiebat: cùm in jactandis teſſeris fortuna dominaretur. Itaque malè jactabat, qui in teſſerarum jactu fortunam parùm habebat faventem; at malè calculum *dabat*, qui malè ludebat & imperitè nec ex arte calculum promovebat. Interim etiam, qui malè jactaſſet, bene tamen calculum dare & ſic fortunam corrigere poterat, in qua artificii ſumma. Sed &, quotiescunque aliquis calculum dediſſet, & mox pœnitentiâ ductus *datum* reducere vellet ac revocare, licebat hoc ei facere, modò fieri concederet quicum ludebat: quod Græci ἀναθέσθαι ψῆφον, Cic. *reducere calculum* ait, unde ἀναθέσθαι βίον, elegantiſſimâ tralatione, *vitam in melius mutare*, apud Antiphontem περὶ ὁμονοίας. Inde calculi *dati*, teſſeræ verò *jactæ*, quod invertentes hodiè Galli *datos* vel *dados* teſſeras, *jactus* verò vel *jactones* calculos nominant. Salmaſ. *ad Vopiſcum in Proculo.* vide quæ infrà *Schola*. In vett. Romanorum Sacris, *Dare* quoque ſolenne vocabulum. Senec. *Hercule Fur. Act.* IV. *v.* 918.

Dare *thura flammis* -----

Pro quo Plin. *Ingerere thura aris* dixit, *l.* 12. *c.* 14. vide Delrium *Not. ad Oedip. Senec. Act.* II. *v.* 306.

Jam thura Sacris cœlitum ingeſſi focis.

DARE Staticulos, apud Catonem Macrobio laudatum, ubi de Cœlio Sen. *Deſcendit de cantherio, inde ſtaticulos dare* &c. eſt χορδίζειν, *motus ſaltatorios* edere. vide infrà in voce *Staticuli*.

DAREMÆ, Troglodytica gens in Æthiopia. *Plin. l.* IV. *c.* 12. *l.* V. *c.* 5. & 8.

DARENSE Regnum, à metropoli *Dara*, in Africa eſt, Fezzano & Maroccano vicinum, Georg. Horn. *Orb. Polit.*

DARES, Phrygius, Sacerdos Trojanus, Homero celebratus, hiſtoricus, ſcripſit bellum Trojanum Græcè, in quo & ipſe militavit, ut ait Iſid. Captâ Trojâ cum Antenoris factione manſit, ut ſcribit Corn. Nep. qui opus ejus è Græco in Latin. ſermonem convertit, Salluſtioque dicavit. Ita quidem vulgò creditum. Atqui ſcriptor eſt, in quo neque eruditionem, nec judicium neque ullam elocutionis elegantiam invenias, ut nimis impudenter feciſſe videatur, qui Corn. Nep. nomen ementitus eſt, quaſi inficetæ verſionis authoris. In enarratione totius hiſtoriæ ferè ubique abit ab antiquitate, pauca ſimilia vero de ſuo adſtruit, abſurda & inconſequentia plurima; ut vel id, quod de variis plurium annorum ac menſium induciis affingit, quò ad decennium perveniat. Nec quicquam in toto libello ſingulare, præter Theſeidarum mentionem (quos unà cum Anio rem frumentariam curaſſe ſcribit) & ineptos illos Trojanorum, Græcorumque ducum ac mulierum formæ, morumque characteres, quibus ſimilia deliramenta è Græcorum Neotericorum nugis edidêrunt nuper viri docti. Genuinum itaque Daretis opus, quod adhuc tempore Ælian. *hiſt. Var. l.* 11. *c.* 2. Vide & Phot. *Bibl. cod.* 190 ſuperfuit, amiſſum eſt. Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 4. *c.* 1. *p.* 428. 429. *de Lat. l.* 3. *p.* 701. & Lud. Vives, *de trad. diſcipl. l.* 5. Præter eum verò & Syagrus, & Helena & Phantaſia, aliique ante Homer. *de rebus Trojanis* ſcripſêre, ut videre eſt hîc paſſim, & apud Joh. Marsham. *Canone Chron. Seculo* XV. ubi de *Heſiodo Poeta*. Item *Dares*, pugil apud Virgil. ignavus quidem, ſed oſtentator maximus; *Æn. l.* V. *v.* 456. 460. 463. 476. 483. Nic Lloyd.

Præcipitemque Daren ardens agit æquore toto.

DARETIS, regio in Macedonia. Polyb. Altera in Media. Ptol. cui Δαρεῖτις dicitur. Manuſcr. Seldeni Δαρεῖτις.

DARGIDUS, Bactrianæ fluv. *Ptol.*

DARGOMANES, fluv. Bactrianæ vide *Dorgamanes*.

DARHA, prov. reg. Biledulgerid, cum urbe primar. cognom. & fluv. *Darha*, inter Segelmeſſam reg. & regnum Maroci, ſub Tafiletæ Rege.

DARIA, Meſopotamiæ civitas, 98. ſtad. à Niſibi diſtans. Procop. *l.* 1. *de bello Perſico*. Dicta quoque *Anaſtaſia*, utpote ab *Anaſtaſio*, Imp. conſtructa.

DARIA, vicus Cœleſyriæ, in tribu Manaſſe, ad merid. Damaſci in plano agro ſitus, quatuor aut vix quinque à Damaſco milliaribus diſtans, unde tota Damaſcena civitas, atque adeò tota regio ex plano videri poteſt.

DARIAVES, Perſic. nomen, pro quo Græci Δαρεῖον, *Darium* dicebant. Strab. *l.* 16. Αἱ δὲ τῶν ὀνομάτων μεταπτώσεις, καὶ μάλιστα τῶν βαρβαρικῶν πολλαί, καθάπερ τὸν Δαριαυήν Δαρεῖον ἐκάλεσαν κτλ. vide in voce *Darius*.

DARICUS; moneta olim Perſica, par Attico ſtateri, viginti drachmarum argenti fuit. Unde *triginta illa* millia *Daricorum* quibus ex Aſia ſagittariis expelli ſe querebatur Ageſilaus, faciunt ſexcenta millia drachmarum; quæ ſunt ἑξήκοντα μυριάδες, talenta centum, vicies quater ſeſtertium, coronatorum 60. m. florenor. millia 180. *Quadragies centena millia* Pythii, apud Herodot. ſunt octingenties centena millia drachmarum, ὀκτακισχίλιαι μυριάδες, ter millies ducenties ſeſtertium, octogies centena millia coronatorum: Cui ſummæ quæ deerant *ſeptem millia Daricorum*, ſunt 140. m. drachmarum, quatuordecim myriades quingenta ſexaginta ſeſtertia, quatuordecim millia coronatorum. vide Joh. Frid. Gronov. *de Pec. vet. l.* 3. *c.* 7. Nomen à *Dario*, qui, ut memoriam ſui inſigni aliquo opere ad poſteros tranſmitteret, ex auro puriſſimo monetam hanc, imagine ſui inſculptâ, percuſſit, Heſych. vide & infrà *Siclus*.

DARIDÆUS Rex Perſarum, Tiberii & Claudii Impp. temporibus. Philoſtr. *in vita Apoll. Tyanei.*

DARIDNA, urbs Paphlagoniæ. *Steph.*

DARIENE, urbs Amer. merid. in prov. Terræ Firmæ, juxta Sin. Urabæ & mare Bor. aliàs munita. Nunc paucorum incolarum. Sub. Hiſp.

DARINI ſeu DARNII, pop. Hiberniæ fuêre, verſus Scotiam extenſi, inter Robogdios ad Bor. & Voluntios ad Auſtr. & Occ. in ora littorali maris Ivernici, ubi nunc Comit. Dunenſis in Ultonia. vide & *Darinum*.

DARINUM, vulgò *Eſtanford*, opp. Hib. in ora Bor. Ultoniæ apud Rhobogdium prom. *Darnii* Ptol. & in cod. Pal. *Darini*, horum forſan opp. *Strangford* hodie, port. in Comit. Dunenſi. *Ferrar.*

DARIORIGUM, ſeu VENETI, Galliæ urbs. Ptol. *Vannes* Cænali & Villanovano. Urbs Gall. Celt. in Britannia min. & ora Oceani Aquitan. Ep. ſub Arch. Turonenſi. 24. leuc. à Nannetibus in Occ. & à Rhedonibus in Afr. 10. ab oſtio Ligeris. *Baudr.*

DARISTANE, urbs Perſica. *Steph.*

DARITÆ, pop. Perſiæ. *Herodot.*

DARIUM, Phrygiæ opp. *Steph.*

DARIUS, cognom. *Medus*, occiſo Balthaſare, Babylone regnavit. Ab hoc creditur Daniel Proph. primò in foveam Leonum præcipitatus, dein ad ſummas dignitates evectus. Cyrum in Babylonio Regno ſucceſſorem habuit. Hunc Darium, quidam Nabonnidem faciunt, eique Regnum tribuunt, ab A. U. C. 198. uſque ad A. C. 215. cùm Cyrus, Babylone captâ, Perſicæ monarchiæ initium fecit. Joſeph. Sulpic. Sev. Scalig. Petav. &c. Alii eum Aſtyagis fil. fuiſſe dicunt, avunculum Cyri, quem Cyaxarem appellant, & cum Cyro Chaldæis imperaſſe volunt; ad minimum ſic explicant quòd dicitur ſucceſſiſſe Balthaſaro, A. æt. 62. Torniel. Salian. &c. vide Perer. *Comm. in Dan. l.* 7. Joſeph. *antiq. l.* 10. *c.* 12. Hieron. *in Dan. c.* 5. & 9. Langium, *de annis* J. C. *l.* 2. *c.* 12. Ricciol. *Chron. reform. t.* 1. *l.* 5. *c.* 6. *p.* 233. *& ſeqq.* Joh Marsham: filium docet fuiſſe Cyaxaris I. Medorum Regis cui pater adhuc vivens Perſas regendos dederit, unde Medo-Perſarum eum Regem primum facit: Babylone verò non regnaviſſe, ſed, Suſis expugnatis, (quod factum eſt forſan annis dementiæ Nebucadnezaris II. An. paulò antè) dici *regnaviſſe ſuper Regnum Chaldæorum*, quòd maximo hoc Chaldaici Imperii propugnaculo expugnato, Chaldæos totâ Suſianâ exuerit, ac Chaldaici territorii ditione primùm potitus ſit. Perſarum enim Regem illum perpetuò vocant, Suid. in Δαρ. in Μηδ. Scholiaſt, Ariſtoph. in Ἐκκλης. Xenoph. it. & Æſchyl. qui ipſis Perſarum temporibus vixêre. Et quidem Æſchyl. ſub perſona Darii Hyſtaſp. contra quem ipſe Marathone pugnaverat, ſic habet *in Perſeis*:

> Μῆδος γὰρ ἦν ὁ πρῶτος ἡγεμὼν στρατοῦ,
> Ἄλλος δ' ἐκείνου παῖς τόδ' ἔργον ἤνυσε,
> Τρίτος δ' ἀπ' αὐτοῦ Κῦρος ----
>
> *Medus erat primus dux exercitus,*
> *Alter ejus filius* (Cyaxares nempe II.) *opus perfecit,*
> *Tertius ab illo Cyrus.* ----

Nec ſucceſſionis argumentum eſt, quòd poſt narratam Balthaſari necem, *Darius* dicitur *ſuſcepiſſe Regnum*, Dan. *c.* 5. *v.* 30. Verba enim iſta nec electionem ſapiunt, nec ſucceſſionem: Sed introductio ſunt hiſtoriæ ſequentis; & in editione VI. Capiti rectè præfiguntur. Daniel namque, quid ſub Regibus Babylonicis primùm, dein quid ſub Medo-Perſicis ſibi contigerit narraturus, poſt recitatos honores à Nebucadnezare & Balthaſaro in ſe collatos, capite VI. tranſit ad III. Viratum à ſe geſtum in Medo-Perſide. *Darius*, inquiens, *Medus*, *cùm eſſet* LXII. *annos natus*, *ſuſcepit regnum*, i. e., regni ſui rationem: juvenis ampliavit Imperium, ſenex vectigalia. Hinc conſtituti CXX. Præfecti ſeu Procuratores Regii, hisque præpoſiti tres Principes, ſeu Tribuni ærarii, quorum unus Daniel, paulo pòſt calumniis impetitus, leonibus objectus & miraculosè ſervatus, Dan. *c.* 6. *v.* 17. & 23. Qua arte autem hic Darius uſus ſit, Polyæn. docet *Strategem. l.* 7. *c.* 11. *Darius primus tributa gentibus impoſuit. Verum --- non ipſe exegit, ſed Satrapas conſtituere juſſit. Quibus ingentia tributa deſcribentibus, ipſe ſubſcripſit, dimidiam partem remittens ſubditis; qui libentibus animis dimidium pependêrunt, quaſi magno jam beneficio à Rege affecti.* vide præf. Marsham. *Canone Chron. Sec.* XVIII. & ſuprà, in voce *Aſtyages alter* (nam & hoc Dario nomen erat) ubi eum filium habuiſſe Cyaxarem II. & ex Mandane filia Cyri avum fuiſſe, qui avunculi tandem unicâ filiâ ductâ Regnum hoc Medo-Perſic. reliquæ ſuæ ditioni adjecerit, ex eodem; tradidimus.

DARIUS *I.* Satrapas inter Perſas nobiliſſimus, qui poſt mortem Cambyſæ, à nobilibus aliquot Perſis adjutus, occiſo Pſeudoſmerdi, Perſarum Regnum è Magorum manibus vindicavit, equique ſui hinnitu declaratus Rex eſt, A. M. 3532. Olymp. 64. U. C. 231. A. C. N. 521. Paulo poſt Oreten, Sardium præfectum, qui Polycratem, Samium tyrannum, cruci affixerat, neci dedit. Zorobabelem, in templo extruendo, plurimum juvit, Eſr. *c.* 5. *v.* 2. & 6. *v.* 14. Haggæus, *c.* 1. & 2. Zachar. *c.* 1. *v.* 16. Joſeph. &c. Samum Syloſonti, à quo olim purpureo pallio donatus erat, reddidit. Babylonem, per Zopyrum, cepit. Scythas Boſphoro Thracio ponte juncto non adeo feliciter oppugnavit. Contra Jonas movit, ab Athenienſibus, Miltiade duce, Marathoniâ clade affectus, imperii A. 31. Ægyptios rebelles coërcuit; Xerxen, ſibi jam Regi natum, Artabazane primogenito excluſo, ſucceſſorem declaravit, Obiit A. M. 3567. Imper. A. 36. Joſep. *Antiqq. l.* 3. *c.* 1. Herodot. *l.* 3. 4. 5. 6. Juſtin. *l.* 1. & 2. Oroſ. *l.* 2. *c.* 8. Thuc. *l.* 1. Plutarch. *in Ariſtide & Camillo*. C. Nep. *in Miltiade*. Dion. Halic. *l.* 5. A. Gell. *l.* 17. *c.* 21. Euſeb. *in Chron.* Scal. *de Emend. Temp. l.* 5. Beda *de* 6. *æt.* Torniel. Salian. Spond. A. M. 3532. Duas uxores, Cyri filias, habuit. Herodot *l.* 3. Latinè. *coërcitor*. Herod. *l.* 6. Δύναται δὲ κατὰ Ἑλλάδα γλῶσσαν Δαρεῖος Ἑρξίης. Atqui apud Barn. Briſſon. *coërcitus* perperam redditur. Cteſiæ Δαρειαῖος dicitur, quæ formâ propius accedit ad Perſicam *Darjaves*. Origo nominis à *coërcendo* vel *prohibendo*. Nam in lingua Perſarum דריוש eſt ἔρξις, ut Scalig. notat. Heſych. verò: Δαρεῖος ὑπὸ Περσῶν ὁ φρόνιμος, ὑπὸ δὲ Φρυγῶν Ἕκτωρ.

DARIUS *II.* cognom. *Nothus*, ex Coſmartidene Babylonia Artaxerxi Longimano natus, fratri Sogdiano ſucceſſit A. C. 3631. Ex Paryſati, ſorore patris, Arſacis, qui Artaxerxes Mnemon dein dictus eſt & Ameſtris, cùm adhuc privatus eſſet, parens; poſt Regnum occupatum, Cyri Jun. aliorumque 13. filiorum. Per Duces, Cyrumque fil. aliquot expeditionibus obitis, obiit A. Regni 19. Salian. *A. M.* 3631. Phot. *p.* 135. Juſtin. *l.* 5. *c.* 11. Diod. Sic. *l.* 13. Addo & Euſeb. *Chron.* &c. vide ſupra. Hunc Sulpic. Sever. *hiſt. ſacr. l.* 2. & *Scalig. de Emend. Temp. l.* 6. Zorobabelem juviſſe, in templo extruendo, volunt, alii ut dictum, Dario I. id adſcribunt.

DARIUS *III.* Arſamis fil. ex Siſygambe, Oſtanis, qui frater erat Artaxerxis Ochi, nepos, ultimus Perſarum Rex, cogn. *Codomannus*. Coronam à Bagoa Eunucho accepit, qui Arſen, minimum Ataxerxis Ochi fil. neci dederat. Mox ab eodem veneno petitus, ſcelus in auctorem retorſit, & hanc regiæ familiæ ſtragem ſuſtulit, A. M. 3718. U. C. 417. Olymp. 111. Dein Alexandri adoleſcentiam deſpectui habens, bello eum aggreſſus eſt, ab eoque, quamvis exiguis copiis, tribus ingentibus præliis ad Granicum, ad Taurum, ad Arbelam tandem, victus, d. 1. Octobr. 11. dieb. poſt Eclipſin Lunæ, Diod. *l.* 17. Plin. *l.* 6. *c.* 19. & *l.* 36. *c.* 18. Ptol. *Coſmogr. c.* 4. memoratam, cùm ſe fugâ victori eripere conaretur, à ſuis comprehenſus eſt, ac trucidatus, A. M. 3724. Regni 16. poſtquam Monarchia Perſica duraſſet Ann. 230. Euſeb. *in Chron.* Juſtin. Arian. Curt. Plutarch. Salian. Torniel. &c. Claudian.

> *Darium manibus famulûm doluiſſe peremptum*
> *Dicitur.*

Templum Hieroſolymitanum Judæis edicto ſuo reſtaurari permiſit ſumptibus propriis. Eſr. *c.* 1. *v.* 2, 3, 7. *LLoyd.*

DARIUS, Artabani fil. Vitelliano fœdere cum Artabano, obſes miſſus Romam, Joſ. *l.* 18. *c.* 4. Is eſt, quem nominat Suet. *Calig. c.* 19.

DARIUS Tibertus Poëta & eques Ceſenâ Italus, ſcripſit A. C. 1492. epitomen vitarum Plutarchi.

DARMASCUS, ponitur pro *Damaſcus*. 1. Par. *c.* 18. *v.* 5. & 6. Hebræis enim *Darmeſek* dicitur.

DARMILLE, fructifera vallis in Naxo Inſ. ad montium pedes *Joh. Mat. Metell.*

DARMSTADIUM, opp. Palatinatus inf. in Strada montana, 2. leuc. à Rheno, 3. à Francofurto ad Mœnum in Auſtr. Sub Principe proprio, ex Famil. Haſſiaca. Caſtrum habet ſatis munitum, eſtque Caput regiunc. adjacentis: Captum fuit, principatu Philippi Magnanimi, juſſu Cæſaris, à Comite Burano, A. C. 1547. Hujus Philippi fil. minimus Georgius I. frater Wilhelmi Caſſellani, *Darmſtattinam* lineam orſus, pater fuit Ludovici I. Philippi & Friderici, è quibus hic Homburgios ſevit, iſte improlis obiit: ille patris ſucceſſor *Fidelis* cognomen, ob fidem in Cæſarem, meritus, cum fratribus pactum Primogenituræ, in hanc lineam, introduxit, ob hæreditatem patrui cum Mauritio agnato litigavit, Gieſſenſem Academiam inſtituit, fœdus Unionis diſſolvit, tranſlationem Electoratus in Bavarum improbavit, Obiit A. C. 1626. Eo, ex Magdalena Brandeburgicâ nati Johannes, qui Breubacum incoluit, Henricus, Fridericus Cardinalis, & major his Georgius II. qui de cauſa Marpurgenſi cum Agnatis A. C. 1627. tranſegit: repentinâ morte oppreſſus A. C. 1661. Ei ſucceſſit ex Soph. Eleonora Saxonica, fil. Ludovicus II. cui aliqua contentio cum Electore Palatino A. C. 1662. ob jus Eccleſiaſticum Umſtadii orta eſt. Pater hic ex Eliſabetha Holſatica Georgii & Ludovici; Frater autem ejus junior Georgius, Suecorum in bello Danico miles, Iteram à patre habitandam nactus eſt. vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſtor.* item in voce *Haſſia.*

DARNA, Aſſyriæ urbs. *Ptol.*

DARNIENSIS Pagus, memoratus Fulcuino *in geſtis Abbatum Laubienſium*, tractus eſt Belgii, Gemblacum Monaſterio vetere clarum, & Villare, *Wiler*, locum Nivialæ proximum, præ cæteris continens. Hadr. Valeſ. *Not. Galliæ* in voce *Sabis fluv.*

DARNII, Hiberniæ pop. *Ptol.*

DARNIS, Vide *Zephyrium.*

DAROCA, opp. Aragoniæ, ad Xilocam fluv. 5. leuc. à Bil-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

bili in Auſtr. 12. à Cæſaraugusta in Occ.

DAROCANA, Paropaniſi urbs. *Ptol.*

DAROMA Interior & Exter. in tribu Juda, utriuſque ſæpe meminit Hier. *in Lat. Hiſt.*

DARON, opp. Ægyptiorum in Arabico latere. *Plin. l.6. c.30.*

DARRHÆ, pop. juxta Rubrum mare. *Steph.*

DARSANIA, urbs Indica, ubi uno die mulieres veſtem contexunt. *Steph.*

DARSII, Thraciæ pop. *Steph.*

DARVERNUM, ſeu mel. *Durovernum*, *Darvenum* Ptol. Angl. portus, unde in Galliam trajicitur, vulgò *Dover*. Aliis eſt *Cantuaria*, urbs Archiep. in Cantio, ad Stouram amnem, 6. mill. Angl. ab ora littor. 12. à Dubri portu, qui *Dover*. vide *Durovernum.*

DARUS, Pannoniæ ſup. fluv. per Stiriam fluens, qui vulgò *Muer* dici putatur. Sed *Darus* potius *Dravus* eſt.

DASÆ, qui *Dai* dicuntur *Steph.*

DASCÆ, Arcadiæ urb. *Steph.*

DASCON, Siciliæ regio. vide Cluver. *de Sic. Ant. l. 1, c. 13.* & Boch. *de Phœn. col. p. 556.* Sinus quoque prope Syracuſas. Diod. *l. 13.* & 14.

DASCUSA, & DASOUSA, urbs Armeniæ min. in confin. maj. ad Euphratem, media inter Zimaram, & Melitenem, quæ nunc *Arſingan* dicitur. P. Gyllio, aliiſque teſtibus. vide plurima de hac urbe apud Salmaſ. *ad Solin. p. 620.*

DASCYLEUM, ſeu DASCYLIUM, & DASCYLOS, Bithyniæ urbs ad Propontidem; *Diaſquillo* Villanovanò; *Diaſchilo* autem Nigro.

DASCYLIUM, urbs Cariæ in finibus Epheſiæ à *Daſcylo* filio Periandri. Eſt & alia poſt bellum Trojanum condita. Tertia Joniæ, quæ μεγάλη nominatur, utpote major aliis. Quarta Æolidis, & Phrygiæ. Eſt & *Daſcylites*, ſive *Daſcylia* palus. *Steph.*

DASCYLOS, Gygis Regis pater.

DASEM, in Bibl. ubi alii legunt *Reſem* ſeu *Reſen*, Benjamino Tudelenſis eſt *Getiagan*, urbs Babyloniæ, inter Niniven & Chale. *Ferrar.*

DASIS, unus è ducibus Darii, qui bello apud Marathonem victus eſt. Herod. *l. 6.*

DASIUS, nomen Principis Salapiæ, apud Liv. *l.26.c.38.* *Salapiæ principes erant* Daſius & *Blaſius: Daſius Annibali amicus; Blaſius, quantum ex tuto poterat, rem Romanam fovebat.* vide quoque Valer. Max. *l. 3. c. 8.*

DASIUS, Medicus, cujus mem. Mart. *l.* VI. *Epigr.* 70. cujus Epigraphe ad Martianum.

Oſtendunt digitum ſed impudicum
Alconti, Daſioque Symmachoque.

DASSARETÆ, ſeu DASSARITÆ, DASSARENI, ac DASSARITII Steph. *Daſſaretii* Ptol. *Daſſarenſes* Liv. *l.27.c.34.* pop. Illyrici, ſive Macedoniæ. Mela *l.2.* Horum urbs *Lychnidus*, & lacus eodem nomine, vulgò *Lago d'Ochrida.* Habitarunt circa lacum Lychnidem & Drilonum, fluenta, intra Scardi montis juga; ex Liv. Baudr.

DASTRACHUS, mons Armen. min. ad quem Pompejus caſtra Mithridatis obſidione concluſit. Oroſ. *l. 6. c. 4.*

DASUMIUS, pater Malennii, Salentinorum ſive Japygiæ Regis qui Lupias condidit, inter progenitores Marci Imp. memoratur Jul. Capitol. Ab eo *Daſumiorum* appellatio inter gentes Romanas; quos alioquin obſcuriſſimos nobilitat *SC. Daſumianum*, cujus fit aliquoties mentio in *tit.* Pandect. de *Fidei commiſſ. Libertat.* Extat & Lapis Romæ, L. DASUMIO JANUARIO poſitus; in alio nominatur DASUMIA THAIS ancilla, quæ in alia vet. *Inſcr.* corruptè *Baſumia* dicitur, Caſaub. *ad Capitolin.*

DASYPODIUS Conradus, vide *Conradus.*

DATA, Aſſyriæ urbs. *Ptol.*

DATA, Gloſſ. vett. δῶμα, Græcis δαζμὸς, Gall. *Dace*, Ital. *Datio*, apud recentiores Scriptores, tributum eſt, penſitatio, vectigal; eo quòd tributa primitus gratuita eſſent, & ultro Dominis *darentur* ac penſitarentur. Sic *Datio* Dalmatis Croatiſque notabat dona ſeu xenia, quæ bis quotannis dabantur Bannis, Comitibus & Caſtellanis, diebus ſc. Nativitatis Domini & Paſchatis, uti auctor eſt Joh. Lucius *de Regno Dalm. l. 8. c. 1.* apud du Freſne *in Gloſſ.* vide & hic infra.

DATALARIA & PATALARIA, inſ. maris Afr. inter Siciliam & Afr. Aliis *Coſſyra*, aliis *Paconia.* vide ibi.

DATAMES, fil. Camiſſaris, ex matre Scythiſſa, Cariæ præfuit. Poſtea Dux Exercituum ſub Artaxerxe, rebus prudenter fortiterque geſtis clariſſimus evaſit. Hinc æmulorum obtrectatio, & ejus ex aula fuga. In qua cùm diu egregiè ſe tueretur, à Mithridate tandem, ſimulatâ amicitiâ, perfidè interfectus eſt. C. Nep. *in Datame. c. 10.*

DATAPHERNES, unus ex præcipuis amicis Beſſi, per quem & Catenem Spitamenes illum comprehendit & Alexandro tradidit. Curt. *l. 7. c. 5.* Pòſt iterum defecit ab Alexandro; ſed Dahæ, Spitamenis cæde compertâ, eum vinctum Alexandro dediderunt. *l. 8. c. 3.*

DATARIUS Papæ, officium magnæ æſtimationis eſt, Prælatitium plerumque, nonnunquam & Cardinalitium; à *data*, & ſignatione ſupplicationum expediendarum: ejus domus *Dataria.* Antiquitus ad Archidiaconum id officii ſpectaſſe legitur in *de Offic. Archidiac. c. 7.* Eſt a. *Data* ſeu *Datum*, anni, menſis, dieique & loci Diplomati ſeu Chartæ adſcripta notatio. Suid. & *Gloſſ. Baſil.* Δατὸν, παρὰ Ῥωμαίοις, σημασία τῆς ἡμέρας καὶ τοῦ καιροῦ κτλ. Origo vocis inde, quòd Impp. Conſtitutionibus, quæ Præfectis Prætorio aut aliis Magiſtratibus in provincias mittebantur, dies, quo datæ eſſent iis, à quibus perferebantur, annotaretur, ut & dies, quo *acciperentur* ſeu reciperentur. Unde crebrò in *Conſtitut.* illis legitur, *Data* tali die, *Accepta* tali die, vide quoque in *Epiſt.* Anaſtaſii ad Hormiſdam Pontif. *Data quinto Kl. Januarias Conſtantinopoli Senatore V. C. Conſule. Accepta pridie Idus Maii Florentio V. C. Conſule.* vide Baron. *A. C.* 314. *n.* 72. 319. *n.* 30. 331. *n.* 23. & Jac. Gothofred. *Prolegom. ad* Cod. *Theodoſ. c. 9.* laudatos Carolo du Freſne, in voce *Data* Adde Maeros Fratres in *Hierolexico*, ubi quid inter *Actum* & *Datum* diſcriminis ſit, exponitur fuſiùs.

DATHAN, i. e. *ritus* aut *lux*, filius Eliab, qui cùm inſurrexiſſet in Moſen & Aaronem, hiatu terræ abſorptus eſt. Num. *c. 16. v. 30.* A. M. 2548. Torniel. Salian. vide Joſeph. *Antiqq. l. 4. c. 3.*

DATHEMA, nomen urbis. 1. Mach. *c. 5. v. 9.*

DATHUS Auguſtinus, Senenſis, Orator, Philoſophus & Hiſtoricus, tempore Pii II. plurima ſcripſit, inprimis Hiſtoriam patriam, & Principum Plombinenſium. Vitam ejus Nicolaus filius ſcripſit.

DATHUS, ſeu DATUS, urbs Thraciæ, juxta Strymonem fluv. Thaſiorum colonia ditiſſima, ob venas auri. Hinc Prov. *Dathus bonorum*, i. e. ingens copia.

DATI, in *Conc.* Senonenſi A. C. 1269. *can. 6.* qui aliàs O *lati* & *Donati*, in Monaſteriis. vide ibi.

DATICHA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

DATII, Gall. Aquitan. pop. Ptol. quorum urb Taſta, *Dax*, ad Aturum fluv 25. leuc. Vaſcon. ab Auſciis in Occ. 10. à Bajona, in Ort. Quibuſdam *Aqua Tarbellica. Baudr.*

DATINORUM Navale, Antiſara eſt. *Steph.*

DATIS, Legatus Darapis Gangaridarum Regis, quem auxiliaribus copiis Perſæ miſſis præfecit. Valer. Flacc. Argon. *l. 6. v. 67.*

Gangacidum putaque Gerys quos efferos unda.

DATISMUS, Datidis imitatio, dicitur de dictione pluribus verbis idem repetente & quidem σολοικῶς, proverbio ſumpto à *Datide* quodam Perſa, qui cùm Satrapas eſſet in Græcia, Græceque loqui affectaret, dicebat: ἥδομαι, καὶ τέρπομαι, καὶ χαίρομαι, *delector, gaudeo, lætor*, pluribus ſuper eadem re coacervatis ſynonymis, & Barbarè poſito χαίρομαι, pro χαίρω, ingratò ſimul ſono τοῦ ὁμοιοκαταλήκτου. Hunc *Datiſmum* Ariſtoph. *in Pace*, Δάτιδος μέλος vocat. Nic. Lloyd.

DATTHA, Mediæ opp. *Ptol.*

DATUS, Thraciæ urbs, quæ aurifodinas habet. Suid. vide *Dathus.*

DATYLEPTI, pop. Thraciæ. *Steph.*

DATYLUS, vir Athenienſis, qui ad ſummos honores evectus eſt. Unde Proverb. *Datyli dies.*

DAVARA, nomen collis, in minori Aſia, circa Taurum montem. Tacit. *Ann. l. 6. c. 41.*

DAVARES, Mauritaniæ pop. *Amm. Marcell.*

DAUBRAUCA, fil Boleſlai Bohemi, nupſit Miecziſlao, Zemomiſſi filio, Poloniæ Principi, eâ lege, ut religionem ille Chriſtianam ſuſciperet, A. C. 965. Ita *cæca Polonia*, quod in Ducis infantia præfiguratum erat, *viſum ſalutiferum accepit.* M. Cromer. *Hiſt. Pol. l. 3.*

DAUCHILÆ, Libyæ inter. gens.
DAUCHIS, Æthiopiæ inter. mons.
DAUCIONES, Scandiæ pop.
DAUDIANA, Armen. maj. opp.
} *Ptol.*

DAVE, Arabiæ urbs. *Steph.*

DAVELLI, Æthiopiæ ſub Ægypto pop. *Plin. l. 6. c. 30.*

DAVENANTIUS Johannes, vide *Johannes.*

DAVENTRIA, urbs, Tranſiſalanæ reg. caput, intra Zutphaniam ad Auſtr. & Zuoliam ad Bor. 10. luc. ab Ultrajecto in Ort. Libera jam olim Anſeatici fœderis civitas: Belgico fœderi acceſſit præt. ſec. A Wilhelmo Stanleio Anglo, Hiſpanis accipientibus perfidiam & tamen averſantibus, prodita, A. C. 1587. poſtmodum, virtute Mauritii Principis, recepta eſt: A. C. 1591. Ab illo tempore, ſub Batavis: donec A. C. 1672. à Gallis capta eſt, quibus tamen inde vertente fortunâ & anno recedentibus ad Batavos rediit, A. C. 1674. Aquis eſt undique cincta, probeque munita, in confin. Gueldriæ infer.

DAVERNUM, Vide *Darvernum.*

DAUGÆUS, Daniel, vide *Daniel.*

DAVID, i. e. *dilectus*, filius Iſai, minimus, ex tribu Juda, A. M. 2980. Rex Judææ potentiſſimus, idemque Propheta, inſignis Jeſu Chriſti typus. De quo vide 1. Reg. à *c. 6. ad fin.* 1. Sam. *c. 17. v. 12.* 1. Paral. *c. 2.* & 11. *uſque ad* 29. Joſeph. *Antiqq.* 6. 7. 12. Suid. qui ſua hauſit ex Joſepho, ut & Sulpic. Sever. *hiſt. Sacræ l. 1.* Obiit, Salomone fil. ſucceſſore declarato, A. M. 3020. æt. 70. Regni 40. Euſeb. & Genebr. *in Chron.* Spond. Torniel. Salian. *in Annal. Sacris.* De quæſtione, An omnium Pſalmorum ipſe auctor? Vide Athanaſ. *in Syn.* Hilar. *prol. in Pſal.* Hieron. *ep.* 133. & 139. Iſidor. *l. 6. Eth. c. 2.* Liranum, &c. Contrà, Auguſt. *de Civ. Dei. l. 17. c. 14.* Ambroſ. *in Pſalm.* 43. & 47. Baſil. *in Pſal.* 44. Nazianz. *Orat. in encæn.* & *or. ad Naz.* Epiphan. *adv. Origen.* Chryſoſt. *in* 1. & 2. *prol. ſup. Pſalm.* Theodoret. Caſſiod. Bed. &c.

DAVID Comnenus, ultimus Imperator Trapezuntius, poſt Joh. fratrem. Cum Uſuncaſſane, Perſarum Rege fœdus iniit, elocatâ ipſi ex fratre nepte. A Mahomete II. de throno deturbatus, cùm Conſtantinopolim ab ipſo pollicitatione aliarum ditionum, loco amiſſi Imperii, pellectus eſſet, & perfidè ejus juſſu, cum filiis ſuis, peremtus eſt, A. C. 1461. Chalcondylas *l. 9.* Crantz. *l. 3. c. 27.*

DAVID *I.* Scotiæ Rex fil. Malcolmi III. Alexandri I. fratri ſucceſſit, A. C. 1125. Regnavit feliciſſimè, bello contra Stephan. Angliæ Regem finito, & fundatione 4. Epiſcopatuum, quos tam amplis reditibus donavit, ut ipſe ad pauperiem deveniret, inclytus. Obiit A. C. 1153. Buchan. & Dempſt. *Hiſt. Scot.*

DAVID *II.* fil. Roberti Bruſſii, Joh. Balliolo in regno antelati, A. C. 1229. æt. 8. Rex coronatus eſt, res prudenter adminiſtrante duce Thomâ Ranulpho. Ab Eduardo Balliolo, fil. Joh. jus paternum in Scotiam urgente, pulſus, cum uxore, in Galliam ſe recepit: pòſt à ſubditis reſtitutus. Qui cùm eum contra Anglos, Eduardi fautores, concitaſſent, ab his captus, poſt decennium, grandi pecuniâ libertatem redemit. Obiit A. C. 1268. æt. 47. Juſtitiæ, clementiæ prudentiæque laude florentiſſimus, non æquè tamen felix. Major *l. 5.* Buchan. *l. 8. c. 9.* Leſleus l. 7.

DAVID, fil. Roberti III. Scotiæ Regis, à fratre fame confectus, quod ſcelus Scotia magno luit. Boëth. *l. 15.* Spond. A. C. 1402. *n. 4.*

DAVID,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

DAVID, Æthiopum Rex patri Nahu, ſucceſſit A.C. 1507. ſub tutela Helenæ matris. Bello contra hoſtes felix ad Emanuelem Luſitaniæ Regem filiumque ejus Joh. dein ad Clementem VII. legatos miſit. Obiit poſt Ann. 36. Regni. P. Jov. *hiſt. l.* 8. Franc. Alvares, & Damian. Goëzius, *de ſcr. Eth. tom.* 2. *rerum Hiſpan.* & 1. *navig. Ram.* Marmol. *l.* 1. *c.* 20. hos titulos ab ipſo uſurpatos refert: David, Deo dilectus, columna fidei, ex ſanguine & cognatione Juda, fil. Davidis, fil. Salomonis, fil. columnæ Sionis, fil. ſeminis Jacobi, fil. manus Mariæ, fil. Nahu ſecundùm carnem, Imperator magnæ & excelſæ Æthiopiæ, omniumque Regnorum, inde dependentium, Rex &c.

DAVID, Ægyptiis eſt Archimandrita aut quivis Monaſterii præfectus; unde cùm aliquem cum ſyſtaticis ſive formatis mittunt, ipſe Præfectus Monaſterii nomen iis ſubſcribit, hoc modo, *Ille David illius loci.* Cujus priſci moris veſtigia ſupereſſe in *Decreto* Gratiani *de Formatis*, in quarùm fine *David* ponitur, adnotavit Scalig. Idem nomen Axumitarum Regi, ad fidem converſo, de quo ſuprà in Abyſſini.

R. DAVID, auctor *Laſon Lamade*, vixit tempore R. Abarbanelis. vide *Ibi.*

R. DAVID Abidarham vel Abidraham, auctor libri *Pirusch tephilot* & *Seder Hibbur*, h. e. ordo intercalationis, Ann. 101. Millenar. VI. juxta R. Ganz.

DAVID Beton, Scotus, eruditione inſignis, à Jacobo V. ad Franciſcum I. miſſus, A.C. 1534. Cardinalis à Paulo III. factus A.C. 1538. hinc legatus in Scotiam, ubi Arch. Andreanus evaſit, omni ope renaſcentis Evangelii primordia impedire conatus eſt. Cum Comite Leſleo diſſedit. Occiſus A.C. 1546. corpore ejus, purpurâ induto, & de feneſtra palatii ſuſpenſo. Leſl. *l.* 9. & 10. *hiſt. Scot.* P. Jov. *Buchan.* &c.

DAVID Chambræus, Scotus, epitomes hiſtor. Regum Franciæ, Angliæ & Scotiæ auctor, &c.

DAVID Chytræus, Theologus & Hiſtoricus, auctor Chronicorum Sax. & eruditi in Apocalypſin commentarii. Natus A. C. 1530. Mentzingæ, Sueviæ oppido. Notanter obſervavit, A. C. 666. qui numerus Beſtiæ eſt, donatione Pipini, auctas Papatus opes. vide Voſſ. *de Mathem. c.* 68. §. 7. *p.* 399.

DAVID Dinantius, Almarici diſcip. Deum eſſe primam materiam aſſeruit. Sub initium ſec. 13.

DAVID El-David, Pſeudo Chriſtus, inſurrexit contra Perſiæ Regem qui cùm ab illo peteret ſignum, reſpondit is, *ut præcideret ſibi caput, & ſe revicturum.* Quod dixiſſe ne gravibus tormentis excruciaretur, legas in epiſtola Rambam, quam integram exhibet Vorſtius *ad Chronol. R. Ganz. ad* A.C. 4095. Judæi verò pleriſque in locis magnâ propterea pecuniâ mulctati atque in miſerrimam conditionem conjecti ſunt. vide *Ibidem*, ubi & de aliis hujuſmodi impoſtoribus non pauca.

DAVID Fabricius, Mathematicus, prognoſtica ſcripſit, ſub initium hujus ſec.

DAVID Finarenſis, Medicus: Auctor Epitomes Aſtrologicæ, &c.

DAVID Georgius, Hæreſiarcha, vitriarius, vel ut alii pictor, Gandavenſis, nautæ fil. A. C. 1525. cœpit ſe verum Meſſiam venditare, miſſum qui cœlum vacuum dignis poſſeſſoribus impleat. Cum Sadduceis negavit Reſurrectionem; cum Adamitis conjugium rejecit, cum Mane negavit, animam peccato coinquinari poſſe, abnegationem Jeſu Chriſti pro ludo jocoque habens, Martyres riſit, &c. Coactus in Friſiam tranſire, hinc Baſileam conceſſit ſub Joh. Bruckii nomine latens. Obiit ibi A. C. 1556. poſt triennium reſurrectionem ſuis diſcipulis clandeſtinis pollicitus. Nec omni ex parte falſus vates, hoc enim tempore exacto, cùm innotuiſſet Ampliſſ. Magiſtratui, quid monſtri aluerit, refoſſus, & cum vaferrimis ſuis ſcriptis, carnificis manu combuſtus eſt. Ejus hodieque in Holſatia, Fridericopoli inprimis, non exiguæ reliquiæ, inter Arminianos ibi habitantes. vide Alex. Roſſæum, *in ejus hiſtoria.* Gautier. *in Chron. ſec.* 16. *c.* 8.

DAVID Haddajanus, Grammaticus Hebr. ſec. 12.

DAVID Kimchi, Grammaticus Rabbinus, ſec. 13. frater Moſis *Kimchi*, qui compoſuit librum Grammaticum, dictum *Mahalah Schabile dahat*, profectio per itinera ſapientiæ. vide R. Dav. Ganz. *Chronologiâ Rabbinor. ad A. M.* 4950.

DAVID Morganenſis, circa A. M. 1480. Scripſit antiquitates Walliæ principatus, cum Geographica ejus deſcriptione.

DAVID Origanus, Sileſius, Ephemeridum volumina 3. ſcripſit.

DAVID Ritzius, citharœdus Italus, Mariæ Scoticæ adeò placuit, ut præ illo Henricum Stuartum, Scotiæ Regem maritum, ſperneret, in diplomatibus ejus nomen ſubſtitueret; & cùm interfectus à Proceribus eſſet, necem ejus non ſolùm ſerverè ulciſceretur, ſed & cadaver in ſepulchris Regum reconderet. vide Thuan. *l.* 37. *c.* 40. Buchan. *hiſt. Scot.*

DAVID Scotus, Mariani Scoti familiaris, ludimagiſter primò Herbipolitanus, hinc in Henrici V. Imper. aulam tranſlatus, vitam hujus ſcripſit. An idem cum Scoticarum rerum Scriptore? Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 48. Conradus, Abbas Urſp. *in Chron.* Trithem. *in Cat. Aventinus*, &c.

DAVILA, ſive *Avila*, Familia Hiſpaniæ vetus, ex urbe Avila oriunda. Ejus duæ præcipuæ ſunt lineæ, primogenitorum, qui Domini *de las Navas* & *Villa Franca* fuêre; in quibus ſub Joh. I. Rege claruit Petrus *Gonſalez Davila*: & altera Dominorum de S. Romano & Villa nova. Ex illa Petrus I. Davila Comes *del Riſco* creatus eſt A. C. 1475. cujus filius Steph. per alterum filium Petrum II. Marchion. *de las Navas* reliquorum Comit. ac Marchion. *del Riſco de las Navas* (in quibus etiam Henric. *Davila* & *Guzman* March. *de Povar* titulum geſſit) fuit auctor. Hinc enim Petrus ex Maria Cordubenſi genuit Petrum III. patrem ex Hieronyma Henricia Guzmanna Petri IV. Stephani, quo & Johannâ Manriciâ nati ſunt Anton. Com. *del Riſco*, Petrus Stephan. Garſias & Hieronyma (ux. Hieronymi *Ruiz de Corella* Com. *de Cocentayna* March. *de Almenara*) omnes Nominis *Davila March. de las Navas* vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. tom. II. p.* 63. Alter verò Stephani præfati fil. Ludovic. ab uxore Maria *de Zuniga Manuel & Sotomayor*, Mirabellum, ac illo nomine à Carolo V. titulum Marchionis obtinuit: Qui quamvis tantùm fœmellas genuerit, cùm Hieronyma hæres patrueli Alfonſo *de Zuniga* & *Corauba*; ac iterum hujus filia Franciſca, ſuo patrueli Antonio *de Toledo* & *Davila* nupſerint, in Davilenſi ſtirpe dignitas illa permanſit. Fuêre autem nati his ultimis, Anton. Henric. & Balthaſ. nominis *de Zuniga* & *Davila* March. Mirabelli: quorum poſtremus natus eſt A.C. 1620. Idem *p.* 69. In hac, Sanromanenſi nempe linea, plures ordine ſibi invicem ſucceſſêre, Domini *de Santroman* & *Villa nova de Gomez*, quibus titulis *Velada* acceſſit, ex Davilenſi linea à conjuge Sancio *Sanchez* Davilæ allata: Hujus filius pro Velada Marchionis titulum geſſit, eum à Philippo II. nactus: pronepos verò Antonius *d'Avila* & *Toledo*, March. *de Santroman* dignitatem priori junxit, maritus Conſtantiæ Oſoriæ, filiæ Petri Alvari March. *de Aſtorga*; frater Antoniæ, quæ Joh. Ludovico *de la Cerda* D. *Medinacelio*, nupſit. Idem *p.* 104. Præter hos Comites *de Punnoenroſtro*, ex familia Ariarum, *Davilenſi* quoque cognomine utuntur, fortè ob conjugium Gonſalvi Ariæ *de Arguello*, & Violantæ *Gonſalez Davilenſis*. vide eundem *Auctorem tom. præfato in Indic.*

DAVIUS, ſive *Davyus.*

DAULIA, vulgò *Eladaſagni*, teſte Mol. urbs Maced. mediterr. Scampi finitima, ab ea in Auſtr. parum diſtans.

DAULIS, nympha à qua Daulidi urbi nomen, quæ *Daulia* Strab. ac Liv. dicitur, & eſt urbs Phocidis in Achaja, olim ſub ditione Terei Regis Thracum, unde Philomela ab Ovid. *Daulias* dicitur, quòd in hac urbe in avem ſui nominis fuerit converſa. Ovid. *Conſol. ad Liviam. v.* 206.

Deflet Threiciam Daulias ales Ityn.

DAULIUM, opp. olim Græciæ, ad pedem Parnaſſi verſùs Cæciam, à Lebadea 5. aut 6. mill. Nunc vicus quadraginta circiter aut quinquaginta domiciliis conſtans, hodieque *Daulia.* Ibi aliquot Græcorum templa, cum meſquita Turcica, rudera item caſtelli in clivo quodam exiſtentis. Jac. Spon. *Itiner. Græc. P.* 2. *p.* 348. vide in voce *Daulis.*

DAUNI, Italiæ pop. à *Dauno* duce Diomedis ſocero victi. Horum opp. eſt *Salapia*, Annibalis meretricio amore inclytum. Plin. *l.* 3. *c.* 11. Regio *Daunia*, provincia regni Neapolit. *Daunium* Steph. & *Apulia Daunia*, Incolis *Puglia piana*, nunc *Capitanata*. Ejus limites. fuêre ab Occ. Frento fluv. quo à Frentanis dividebatur, & mons Apenninus, quo ab Hirpinis; à Mer. Aufidus fluv. quo à Peucetiis dividebatur, A Sept. verò & Or. mari Supero ſeu Adriatico alluebatur. Ejus urbes & loca nunc, *Apenneſtæ*, dein *Veſta*, *Aſculum*, *Bovinum*, *Larinum*, *Leſina*, *Manfredonia*, *Mons Corvinus*, & *Garganus*, *Salapia*, *Severopolis*, *Sipontum*, nunc diruta, *Thermulæ*, *Troja*, olim Ecæ; *Vultura* ſeu *Vultuaria*. Interiêre *Sipontum*, *Salpia*, *Argyripa*, *Tuanum*, *Herdonia*. Ferrar. *Baudr.*

DAUNIA, Familia Equeſtris Germaniæ, inter Rhenanas celebris ſemper habita eſt, è qua, ſi ex inſignibus collectio facienda, ramus ille prodiit, qui Falkenſtenios dedit Comites. Cœterùm illis etiam gratiâ Imperiali Comitum dignitas acceſſit, in Wilhelmo Johanne, Philippi Erneſti, ex Maria Urſula *Groſchlagin de Diepurg*, filio. Hic ex Anna Magdalena Com. *de Althan*, Wiricum, Philippum, & Michaëlem Euſtachium Com. *Daunios* genuit, vide Phil. Jac. Spener. *Theat. Nobil. tom. III. p.* 62. & 71. ubi de altero quoque Philippi Erneſti præfati filio marito N. Com. Preuneriæ agit. Sed &, in Rhingraviorum ſeu Comitum Rheni familia, *Daunium* habemus ramum. Philippus enim, Johannis, ex Johanna Sarwerdenſi, filius alter *Daunicum* emiſit ramum, qui iterum in tres præcipuè palmites abiit: Principum nempe Salmenſium ſeu *de Neuville* eorum qui Grumbachii habitant, & *Daunenſium*, quorum poſtremorum progenitores ſic habent. Philippus prædictus, qui obiit A. C. 1521. ex Antonia Novocaſtrenſi, genuit Philippum Franciſcum, extinctum A. C. 1561. quo & Mariâ Ægyptiacâ Oetingenſi natus Adolph. Henric. obiit A. C. 1606. ex Juliana Naſſovia pater Wolphgangi Friderici, qui, ex Eliſabetha Solmenſi, ſuſcepit Joh. Ludovic. (nat. A.C. 1620. cui uxor obtigit Eliſabetha Agnata, & poſt hanc Dorothea Hohenloica) Annam Ludovicam (nat. A. C. 1622. uxor Adolphi agnati) Amaliam Julianam (nat. 1625. Canonicam Gandersheimenſem) & Luiſam (nat. A. C. 1631.) Comites Sylvarum & Rheni ſeu Wild- & Rhingravios &c. *In Daun.* Idem *tom. I. p.* 155. E quibus Joh. Ludovic. ex priore conjuge, liberos habuit Frideric. Philipp. (nat. 1644.) Joh. Philipp. (nat. 1645.) Henric. Ludovic. (nat. ac den. 1646.) Leopold. Wilhelm. (nat. 1647.) & Annam Sybillam Florentinam (nat. 1648.) E poſteriore, Ludovic. Eberhard. (nat. & den. 1651.) Dorotheam Walpurgin (nat. 1655.) Wolphgang. Philipp. (nat. 1657.) & Julianam (nat. ac den. 1658.) idem *tom. II. p.* 23. & 123.

DAUNUS, fil. Pilumni, & Danaës, Turni avus, qui in Apulia regnavit, à quo, ut quidam volunt, *Daunia* regia dicta. Alius ejuſdem nominis, prioris fil. ex Venilia ſorore Amatæ Latini Regis uxoris, qui Turnum ſuſcepit.

DAUNUS, fluv. Apuliæ. Horat. *l.* 3. *Carm. Od.* 30. *v.* 11.

Et quà pauper aquæ Daunus agreſtium
Regnavit populorum. -----

DAVOSIUM, vicus Rhætiæ non obſcurus, in Fœdere decem juriſdictionum, ubi curia eſt hujus Fœderis, & omnium juriſdictionum comitia habentur. Caput primæ Juriſdictionis, quod cum Prælongana juriſdictione plurimis immunitatibus, ac privilegiis fruitur. Non enim idem & par jus Auſtriæ duces in juriſdictiones octo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

priores habent, ſed cuivis ſua privilegia & conſuetudines ſunt, quorum omnium tabulæ in archivo Davoſiano aſſervantur. vide Simler. *de Rep. Helv.* & infra in voce *Juriſdictionum* 10. *Fœdus*

DAURATUM, caſtrum Galliæ, in Marchia Lemovicenſi, vulgò *le Dorat*, non procul à fluv. Vartimpa *Gartempe*; Hujus Abbas Ramnulfus, in Lemovicenſem cathedram intruſus, lapſu equi miſerè periit. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

DAURIFER, vel DAURIFES, unus ex Darii ducibus fortiſſimis, qui per inſidias à Cariis cæſus eſt. Herod. *l. 6.*

DAUS, Servi Comici nomen.

DAUSARA, urbs circa Edeſſam. *Steph.*

DAUSDAVA, Myſiæ infer. opp. *Ptol.*

DAUSSENOVIA, opp. Wetteraviæ, Naſſovicæ ditionis, communis cum Idſtenio juris. Cyr. Lentul. *Delineat. Urb. & Agror. Naſſovicæ ditionis MS.*

DAUTONA, ſeu AUDANTONIUM, Pannon. urbs. Anton. *Tiſer.* ſive *Rhain* vulgò dicitur. Baudr. opp. Saviæ, in Pannon. inf. unde Andiantes pop. 10. mill. à Savo fluv. in Bor. in tractu, ubi nunc *Chaſina* opp. versùs Colapis in Savum confluentias, in Sclavonia. Sed 9. leuc. Germ. abeſt ab opp. *Rain*, olim *Noviodunum*, *Sanſoni.*

DAVUS, vide *Daæ.*

DAVYUS Jac. Perron. Normann. ex Reformato Pontificius, Henrico III. ab Henrico Deſporteo, Abbate Tyronenſi, commendatus, Reginæ Scotiæ parentavit, dein Ronſardo, poſt Joyeſio D. mortuo idem fecit. Occiſo Rege ad Cardinal. Bourbon. ſe recepit, fidelibus pervertendis omnem operam navans. Ab Henrico IV. poſtquam is *regnum Galliæ miſſâ dignum* judicaſſet, cum Oſſato, ad Clement. VIII. miſſus, Ep. Ebroicenſis fit. In Galliam reverſus Mornæi inſignem de Euchariſtia librum aggreſſus, caſtratis mutatiſque editionibus cœtui impoſuit, Mornæo edito ſcripto cauſam ſuam defendente. Hinc Cardinalis, A. C. 1604. & Archiep. Senonenſis, Jacobo Regi reſpondere paravit. Inde iterum Romam miſſus, ad pacem inter Paulum V. Venetoſque conciliandam. Redux obiit, A. C. 1618. Plurimis ſcriptis editis, proſâ verſuque, Thuan. *Hiſt.* Oſſatus, *l. 1. ep. 26. & 28. l. 2. ep. 41. & 43.* &c.

DAVYUS Joh. Perron. prioris frater, Arch. poſt eum Senonenſis, obiit A. C. 1621.

DAXARENI, Arabiæ gens. *Steph.*

DAXATA, *Serica* urbs. *Ptol.*

DAZA, vide *Maximinus Daza.*

DE die ſumta convivia; apud Catull. ſunt convivia ſumptuoſiora, quæ diebus feſtis ac ſolennibus ſolito maturius inſtitui ſolebant. Uti enim legitimum cœnæ tempus (*honeſtam & ſalubrem horam* vocat Tertull. in *Apologet.*) apud Atticos erat, quum δεκάπουν aut δωδεκάπουν eſſet στοιχεῖον, at diebus feſtis τὸ ἑξάπουν aut ἑπτάπουν obſervabant: ita Romani communiter epulabantur circa horam nonam, aut decimam, at in conviviis ſolennibus & feſtivis proximè horam quintam aut ſextam accumbebant, cui utcunque ἑξάπουν στοιχεῖον vett. Atticorum reſpondit. *De die epulari* idem vocat Liv. *de meridie*, alii: Nam abſolutè *diem* pro *meridie* dicebant, cùm eo tempore dies maximè ſit: Itaque *de die* tempus erat, quod ſtatim ab ſexta hora ſeu meridie incipiebat: uti *de media nocte* Cenſorin. tempus, quod mediæ nocti proximum eſt, dicitur. Salmaſ. *ad Solin. p. 648.* vide infrà, ubi de *Tempeſtivis Conviviis*, it. verbo *Præveniri.*

DEA, Gentilium nomen; apud quos ſexus in divinitate diſcrimen habitum eſt: imò & Dii ἀῤῥενόθηλεις conficti, unde *Luna* & *Lunus*, Minerva, it. *Mithra* mas & fœmina apud Perſas, Venus quoque ambigui ſexus, ut & Vulcanus, uti infra videbimus, &c. Hincque tam numeroſa Numinum Heroumque ſoboles, apud Heſiod. *in Theogonia* alibique, cùm Dii Deabus, vel alterutri eorum hominibus ſe miſcuiſſent: quorum hos *Semideos* quoque appellatos eſſe, diximus in voce *Heroës*. Ridet hanc ſexus in Diis diſcrepantiam facundè Arnob. *adv. Gentes l. 3. Adduci --- hoc ut credamus, non poſſumus, immortalem illam, præſtantiſſimamque naturam diviſam eſſe per ſexus, & eſſe partem unam mares, partem eſſe alteram fœminas. --- Quid ergo? dicemus Deos procreare? deos naſci & idcirco his additas genitalium membrorum partes, ut ſufficere prolem poſſent*, &c. Prudent. item περὶ στεφάν.

Jubes relictis Patris & Chriſti ſacris
Ut tecum adorem fœminas mille ac mares.
Deos, Deaſque, deque ſexu duplici
Natos, nepotes, abnepotes editos,
Ac tot ſtuprorum ſordidam proſapiam,

Et quæ ſeqq. Imò ex Gentilibus non pauci, Cic. inprimis fœdum hunc errorem rejecêrunt, Arnob. ubi ſuprà, *Quem quidem locum plenè jam dudum homines pectoris vivi tam Romanis literis explicavêre, quàm Græcis: & ante omnes Tullius Romani diſertiſſimus generis, nullam veritus impietatis invidiam ingenuè, conſtanter & liberè, quid ſuper tali opinatione ſentiret pietate cùm majore monſtravit.* Quam ob cauſam fuiſſe, qui abolenda hæc ejus ſcripta clamarent, mox addit: dignus eſt locus attentà lectione, ad quem vide accuratas *Obſervationes* & *Animadverſiones* Gev. Elmenhorſtii & Deſid. Heraldi. Redeo ad fictitias haſce veterum Gentilium Deas. Pertinet huc formula, *ſi Deus, ſi Dea*, de qua infrà dicemus: vocibus *Si* & *Sive*. Earum vehicula hoc vet. *Epigr.* enarrantur:

Matronam magni vehit ardens pavo Tonantis,
Ad Veneris currum juncta columba cygno eſt.
Pallada bubo vehat, ſed eam rota nulla figurat,
Anguibus alma Ceres, Perſephoneque venit.
Delia cum Luna eſt gemina provecta juvencâ,
Venatrix cervas virgo Diana tenet:

apud Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Papin. Stat. Thebaid. l. 4. v. 430.*

—— Inque novæ melior redit ora Dianæ.

Sed & nihil novum armare *Deas* ſuas Poëtis. De Junone, iracundo & irritabili Numine, de Minerva, de Diana, nota res. Venerem pari etiam modo traductam, inſigni exemplo & eloquentiâ oſtentat Val. Flac. *Argonaut. l. 2.* Plura vide infrà in voce *Dii*, nec non ubi de *Dearum* qualibet ſuo loco, etiam aliquid in voce *Virago.*

DEA vel DIA, vide ibi, urbs Gall. Narb. Anton. vulgò *Die*. Epiſc. ſub Arch. Viennenſi, cum Acad. ubi Vocontii aliàs. Hinc *Dea Vocontiorum* Anton. & *Dea Auguſta*. Imo in inſcr. lapidis Arelatenſis, *Colonia Dea Auguſta Vocontiorum*. Urbs vetus eſt, & fortè Liviæ ſeu Juliæ, Auguſti uxori, in Divas relatæ, conſecrata: quemadmodum Lucus Auguſti alterum Vocontiorum caput, municipium fuit Auguſto dicatum. Hinc in priſco marmore, apud Gualther. legitur, *Liviæ Aug. Deæ municipium*. In vett. Not. inter prov. Viennenſis civitates 14. quinto ponitur loco, vocaturque *Civitas Deenſium*. Fortè *Virdunum* olim Gallicè. Verſus montes, ad amnem Drunam, vulgò *la Drome*, qui Rhodanum auget. 12. leuc. à Gratianop. in Auſtr. Videtur ſucceſſiſſe in locum Vaſionis, quod opp. cum Luco Auguſti, caput erat Vocontiorum civitatis fœderatæ, primaſque tenebat olim. Valentinam *Deenſemque* Diœceſes, tametſi diſtinctas, diu unus rexit Epiſc. è quorum ſerie Marcellus, vir miræ ſanctitatis, memoratur Greg. Secularius ſubſcripſit Concilio Epaonenſi, Lucret. Aurelian. quinto & Pariſienſi 2. & 4. Paulus, per miſſum, Matiſconenſi 2. vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

DEA, Angliæ fluv. vide *Deva.*

DEABOLIS, Macedoniæ caſtell. *Cedren.*

DEABUS, tyrannus apud Celtiberos. Beroſus. Aliàs *Geryon* dicebatur.

DEÆ, caſtrum Galliæ, memoratum Gregorio Turon. *l. 3. c. 21.* in pago Bitterrenſi, Blondello hodie *Montadié*, Hadr. Valeſ. *Dioæ* eſſe videtur, *in Not. Gall.* in voce *Capraria*. Item nomen Monaſterii, in pago Herbatilico ejuſdem Regni, in Pictonibus; quod *Monaſterium St. Filiberti* recentiores dixêre, & *de Grandilaeu* cognominavêre, *S. Filibert de Grandlieu*. Idem in voce *Herbatilicum.*

DEALBATORES, inter Artifices, qui à publicis muneribus excuſantur, recenſentur *l. 1. de Excuſat. Artific. l. 10.* Ubi Cujac. eos ab *Albinis* ibidem memoratis ſic diſtinguit, ut *Albinos* parietes dealbaſſe; *Dealbatores* alia quælibet dicat. Utroſque Salmaſ. à *Tectoribus* diſtinguit & *dealbare* proprium albarii operis, tectorii verò *linere* & *polire* eſſe docet. Græci tamen κονιατὰς tam Albarios, quam Tectores vocant, vide eum *ad Solin. p. 1229.* & ſuprà ubi de *Albario opere*, infrà item ubi de *Gypſo.*

DEAMBULATORIUM, in Gloſſ. *MSS. peribulum*, h. e. ſolarium vel mœnianum, quòd in mœnianis vel ſolariis ambularent. Unde illud Auguſti, *Quid? ego, ut me populus dicat bene cultum, in ſolario ambulaturus ſum.* Nempe, cùm duplicis generis tecta haberent Vett. *plana*, aut *inclinata* ad ſtillicidia deducenda; hoc genus *faſtigium* aut *culmen* Latini; ἀετὸν & ἀέτωμα, Græci: illud *mœnianum*, aut *ſolarium* dixêre; propriè tamen mœnianum περίβολος vel podium erat, in circuitu ſolariorum poſitum, ne facilis in præceps lapſus eſſet, Hieron. *Ep. ad Suniam & Fretellam.* vide infrà, ubi de *Mœnianis*, & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Spartian. in Peſcennio Nigro.* In his itaque mœnianis ſeu peribolis ſolebat ambulari. In *Vita* Geraldi Abbatis Grandis --- Silvæ *num. 12. Deambulatoria Eccleſiarum* occurrunt, quæ ſunt porticus Ædis ſacræ corpus ambientes, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

DEAURANDI Capillos artificium, indigitatur Valer. Flacc. *Argon. l. 6. v. 710. & ſeqq.*

---- ---- ---- ſanguine vultus,
Et gravidæ maduêre comæ, quas flore Sabæo
Nutrierat, liquidoque parens ſignaverat auro.

A quo χρύσωσις illa diverſa, quâ intertexturâ aurearum bractearum barbam inauraſſe Perſarum Reges Joh. Chryſoſtom. memorat *in ad Coloſſ. c. 3.* Ut & illa, de qua dictum ſuprà ubi de *Auri ſcobe*. Neque hoc adeò mirum videri debet: nam & alias corporis partes *deaurabant*; ut papillas. Juven. de Meſſalina. *l. 2. Sat. VI. v. 123.*

---- ---- tunc nuda papillis
Conſtitit auratis ---- ----

Item ungues. Virgil. *l. VIII. Æneid. v. 553.*

---- ---- præfulgens unguibus aureis,

Ubi Serv. *ungues*, inquit, *ſolent deaurari.* Stat. *l. 6. Theb. v. 721.*

---- Et extremos auro manſueſerat ungues.

Quod hodieque Turcis in uſu &c. vide Salmaſ. ad *Capitolin. In Vero*: ut de capulorum, ſtatuarum &c. *deauratione*, ſuprà ubi de *Auro vinctis*, item in phraſi *in Auro* vel *ſub Auro*. vide quoque, *in voce Cornua*, & infrà *Paries*, it. *Tigris*, & *Unguis*. Hinc appellati *Deauratores*, qui inter Opifices, immunitatis gaudentes jure, recenſentur, *l. 1. C. de Excuſ. Artiſ. l. 10.* Ubi Cujac. alios eſſe ait *Deauratores*, alios *Aurifices*, χρυσωτὰς & χρυσοχόους, in vett. *Gloſſ.* du Freſne. Sed & inter *Inauratores* ac *Deauratores* diſtinguit Salmaſ. cùm *Cameras inaurari per bracteas, pelles & argentea vaſa deaurari per liquationes, conſueviſſe*, ait, *Not. ad Vopiſc. in Aurelian.*

DEBA, Commagenæ in Syria urbs. Ptol. Alia Meſopotamiæ eidem.

DEBÆ, Arab. Fel. pop. apud quos fluv. aureæ arenæ. Diod. *Debata* vocat.

DEBASCIUS Matthæus, vide *Matthæus.*

DEBBA, vulgò *Dunſtaburg*, à S. Dunſtano Ep. opp. Albionis, mel. *Bebba*, Camd. in Northumbria, in ora, inter Bervicium ad Bor. & Tinnemuth. ad Merid. vide *Ferrar.*

DEBBASHETH, civitatis in tribu Zabulon. Joſ. *c. 19. v. 11.*

DEBERA, nomen loci. Joſ. *c. 15. v. 7.*

DEBITUM, apud Romanos probabatur vel Expenſi latione; (Cùm enim creditor pecuniam numeravit ex arca ſua, nomen illius cui eam dederat, in tabulis, cum ſumma debiti, perſcribebat: quæ tabulæ etſi domeſticæ, in judicio fidem faciebant pecuniæ

niæ creditæ) vel Menſæ rationibus, cùm nimirum creditor per Argentarium ſive Trapezitam nomine ſuo id fieri curabat: (Tum enim Trapezita in rationes ſuas referebat, ſe nomine & mandato Sempronii Titio tantam pecuniam numeraſſe, quæ *ex menſa* ſive *ex menſæ ſcriptura* dari dicebatur.) vel Chirographi exhibitione, vel Tabularum obſignatione i. e. per ſyngraphas obſignatas, vel denique Teſtium interceſſione (ſolebat namque aliquando etiam pecunia mutuò dari, ſolis teſtibus præſentibus abſque ulla ſcriptura.) vide A.Gell. *l.* 14. *c.* 2. ſub calcem Salmaſ. *de M.Uſur.c.* 10. & 11. &c. Confeſſi igitur æris ac debiti judicatis triginta dies *juſti* dati ſunt, ad conficiendam pecuniam, quo tempore in jus vocari non poterant, ſed juſtitium quoddam i. e. juris inter eos interſtitium ac ceſſatio erat. His exactis, niſi diſſolverent, ad Prætorem vocabantur, & ab eo, quibus erant judicati, addicebantur, hinc *addicti*, appellati, nervoque aut compedibus vinciebantur apud Creditorem. Veteribus enim Romanis domi ſuæ privatos habere carceres permiſſum erat, in quibus vinctos detinere poſſent debitores ſibi, quòd ſolvendo non eſſent, addictos, unde illæ querelæ apud Liv. *l.* 6. *c.* 36. ſub calcem. *Et gregatim quotidie de foro addictos duci & repleri vinctis nobiles domos & ubicunque Patricius habitet, ibi carcerem privatum eſſe.* vide quoque eum *l.* 2. *c.* 23. Sic vinctis libræ farris ſingulæ in ſingulos dies dabantur, quod ſervorum fuiſſe diarium, docet Horat. *Serm. l.* 1. *Sat.* 5. *v.* 67. 68. 69:

---- ---- ---- ---- Rogabat
Denique cur unquam fugiſſet, cui ſatis una
Farris libra foret, gracili ſic, tamque puſillo?

(Far autem de pulte farrea, qui antiquus Romanorum victus fuit domi militiæque uſurpatus, capiendum putat Oiſel. eratque puls hæc farina cocta cum aqua & ſale.) Ita enim lex XII. Tabb. *Æris confeſſi debitique jure judicatis triginta dies juſti ſunto. Poſt deinde manus injectio eſto, in jus ducito, ni judicatum faciat aut quis endo em jure vindicet, ſecum ducito, vincito aut nervo aut compede, quindecim pondo ne majore aut ſi volet minore vincito, ſi volet ſuo vivito, ni ſuo vivit qui em vinctum habebit, libras farris in dies dato, ſi volet plus dato.* Erat autem jus interea paciſcendi, ac niſi pacti forent, habebantur in vinculis dies ſexaginta; inter eos dies trinis nundinis continuis ad Prætorem in Comitium producebantur, quantæque pecuniæ judicati eſſent, prædicabatur. Tertiis autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant & extra fines, ut mancipia educebantur ac ſerviebant, quod venditionis genus atrocius ac durius Græci πωλεῖν ἐπ' ἐξαγωγῇ dicebant, aut ſi plures forent, quibus reus eſſet judicatus, ſecabantur, partem quovis creditorum ſibi ſumente: juxta legem iterum XII. Tabb. *Tertiis nundinis partis ſecanto, ſi plus minuſve ſecuerint, ſe fraude eſto.* Quod tamen nunquam factum legitur, quemadmodum nec Tranſtiberinæ venditionis exemplum uſſibi extat, aut capitis pœnæ: Hinc apud Liv. & Dionyſ. Halicarn. addictos nihil aliud quàm deplorare ſuam ſervitutem & quæ ſervitutem comitari ſolebant; cruciatus, tormenta, vincula, ergaſtulum, carnificinam, legimus. Ita enim apud Liv. *l.* 2. *c.* 23. *ille magno natu, qui ſe cum veſte ſqualida, promiſſâ barbâ, capilliſque ſpeciem oris efferantibus ac omnium malorum ſuorum inſignibus, in forum projecerat. Ductum ſe ab creditore, non in ſervitium, ſed in ergaſtulum & carnificinam eſſe*, &c. exclamat. Hactenus de *addictis*. *Nexi* dicebantur *Debitores*, non qui vinciebantur; Non enim lex XII. Tabb. *Nectito*, ſed *Vincito*, dixit: *Sed liberi, qui ſuas operas in ſervitute pro pecunia dabant, dum ſolverent*, ut loquitur Varro *l.* 4. *de Ling. Lat.* i. e. obligati corpore, vel oppignorati. Eodem namque modo *nexus* ipſe debitor dicitur, cujus corpus pro pecunia credita obnoxium eſt, quemadmodum bona *nexa* quæ obnoxia & oppignerata ſunt. Utrique cùm debitum exolvebant ſeu pecuniâ ſeu operâ ſuâ, recuperabant libertatem dicebanturque *nomina ſua liberare* &c. vide Oiſel. *Notas in A. Gellii locum ſupra laudatum*, Sigon. *de jur. Rom. l.* 1. *c.* 31. Michaëlem Toxitam *Orat. pro P. Quintio*, Fr. Sylv. *in Ep. Vir. Illuſtr.* Cœl. Rhodig. *l.* 12. *c.* 20. &c. Poſtmodum verò id abolitum, legeque cautum, ne *Debitoris* corpus in poſterum obnoxium creditori eſſet, docet Liv. *l.* 8. *c.* 28. *Eo anno plebi Romanæ velut aliud initium libertatis factum eſt, quòd ligari nexi deſierunt: mutatum autem jus ob unius fœneratoris ſimul libidinem, ſimul crudelitatem inſignem. L. Papirius is fuit l.* 2. *c.* 2. &c. vide lectu dignam ibi hiſtoriam, ut & infrà *Proſcribere*, it. *Reſcripti*, *Soter*, *Sulpitia lex*, *Tabula*, ubi de variis *Debitum* probandi modis, *Tatia*, *Typus*.

DEBLATHAIM, vide BETHDIBLATAYMA civitas in terrâ Moab. Jerem. *c.* 48. *v.* 22.

DEBOMA, Macedoniæ opp. Ptol. *Dardaſſi* Moletio.

DEBORA, nutrix Rebeccæ, A. M. 2304. Gen. *c.* 35. *v.* 8.

DEBORA, uxor Lapidoth, Iſraëliticum populum judicavit A.M. 2659. A. C. N. 1303. Aliis ab A. M. 2760. Hæc Baracum exercitui ſuo præfecit, atque unà cum eo adverſus Siſaram, ducem exercitus Jabin, Regis Chananæorum, commigravit, fusâ ac proſtratâ adverſariorum acie: Siſara ipſe præceps de curru delapſus, fugam arripuit, atque à muliere Jaël ſuſceptus, & ſtatim epoto lacte obdormiens, defixo per tempora clavo, ab eadem caput conſuitur, ſomnoque ſoporiferum lethum adjicitur. Judic. *c.* 4. *v.* 21. Sulpic. Sev. *Hiſt. Sacræ l.* 1. Petav. *de Doct. Temp. l.* 1. Latinè *apis*. Nec tantùm judex erat, ſed etiam propheta, Lapidoth autem Ebræi putant fuiſſe Baracum, in quo ſignificatio fulguris; nec alienum ab eo vox לפיד quæ ſæpe de fulgore uſurpatur. Sed obſtat huic opinioni, quòd Baracum aliunde advocavit; nam ſi maritus ejus eſſet, ſimul habitaſſent. Ideo in Midraſh exponitur *mulier lychnaria*, quòd lychnos, i. e. לפידים conficeret ad uſum ſanctuarii. R. Salomo, R. David, Lyra. *Nic. Lloyd.*

DEBORÆ *Palma*, ubi Debora prophetiſſa judicabat Iſraëlem, & mittebat Barac ad pugnandum contra Siſaram in monte Tabor: eſt verſus Rama, quæ & Silo, in tribu Ephraim.

DEBORUS, urbs Macedoniæ in Pæonia reg. *Ptol.*

DEBRIS, Ptol. *Bediron*, opp. Garamantum in Libya, ubi fons interdiu frigens, noctu fervens. Plin. *Sol.*

DECADES Chartarum, ſæpius occurrunt apud Anaſtaſ. in *Vitis* Pontific. pro chartæ ſcapis, quòd plures ſc. ſcapus tunc non haberet: cùm Plinii tempore plagularum, quas ſcapus tunc vulgò continebat, legitimus numerus vicenarius eſſet, vide infrà, in voce *Scapus*. Sic res aliæ multæ, per *decurias*, venditæ. Treb. Pollio in *Claudio*, *Pellium tentoriarum decurias triginta* &c. Salmaſ. *ad h. l.* vide quoque infra.

DECADUCHI, ſeu DECADARCHI, nomen Magiſtratus, à Lyſandro, poſt Athenienſes ad Ægos flum. ſuperatos inſtituti, in civitatibus, qui Athenienſibus prius ſuberant. C. Nepos *in eo c.* 1. *Undique qui Athenienſium rebus ſtuduiſſent, ejectis*, Decem *delegerat in unaquaque civitate, quibus ſummum imperium committeret. Horum in numerum nemo admittebatur, niſi qui aut ejus hoſpitio contineretur aut ſe illius fore proprium fide confirmaret. Ita* Decemvirali poteſtate *conſtitutâ, ipſius nutu omnia gerebantur.* Δεκαδαρχίας *communiter Græci appellant*, *Iſocrates Panegyr.* & *ad Philippum*, Diod. *l.* 14. Xenoph. Ἑλλην. *l.* 3. Alii. In ipſa verò Athenarum urbe XXX. Viros, at in Piræo ſimiliter. *Decem* conſtituit, Plutarch. *in eo*: quos ambos ab amneſtia poſtmodum excluſos diximus ſuo loco. vide Juſt. quoque *l.* 5. *c.* 10. xxx. *ſe Dominis, non civitati ſe bellum inferre.* vide infra l. & c. eod. xxx. *tyrannos æmigrare Eleuſinâ juberet.* Decem-viros quoque à Pauſania ſurrogatos, hoſque mox iterum pulſos, ait; C. Nep. in *Thraſyb. c.* 9. *ut à triginta oppreſſam tyrannis.* vide infra *ne qui præter triginta tyrannos, & decem, qui poſtea prætores creati, &c.* Meurſ.

DECAENNEACUBITA, locus C. Poli juxta Hippodromum, Luithpr. memoratus. vide ſuprà *Accubita*.

DECALITRON, monetæ genus, apud Æginetas, ſtaterem valebat Corinthium, Polluce teſte: ſeu decem obolos Æginæos, ſexdecim obolos Atticos cum beſſe ſeu duobus trientibus ejuſdem oboli Attici: non ſolùm cum triente uno, ut vult Salmaſ. *de M. Uſur. c.* 6. quippe cùm ſex oboli Æginæi decem Atticos æquarent, unus Æginæus continebant Atticum unum, & præterea ejus beſſem ſeu duos trientes. Itaque *Decalitron* excedebat duas drachmas Atticas, quæ 12. tantùm obolos Atticos haberent, contra quàm ſenſere quidam. Idem erat *Decalitron* Corinthiacum & Syracuſanum, cujuſmodi pondere ſupra didrachmam, & ſemidrachmam atque aliquid amplius excurrentia, reperiri hodieque in capſis Antiquariorum, teſtis eſt *dicto loco* Salmaſ. Unde non niſi per abuſum vocis *Decalitron* drachmam aliquando vocari, patet. vide Joh. Frid. Gronov. *l.* 3. *de Pec. vet. c.* 3.

DECALOGUS, quid apud Chriſtianos ſignificet, notum. *Decem* nempe *capitibus* divina Lex abſolvitur, quem numerum etiam Gentiles advertiſſe, ſunt qui conjicere audeant. Refertur certè apud Platon. ex narratione Eris Armenii, de iis, quæ mortuus apud Inferos viderat, inter alia, *Quoſque aliis injurias intuliſſe conſtaret, pœnas ſingulatim pro quolibet decies reddidiſſe, ut animæ injuriæ* decuplam *darent pœnam. Itaque, ſi qui cædis multorum cauſa fuerint civitateſque & exercitus prodiderint, vel homines in ſervitutem egerint, vel alicujus alterius flagitii & ſceleris conſcii fuerint, in his omnibus pro quolibet facinore pœnas* decuplas *pendere.* Quibus Platonem Moſaicum *Decalogum* forſan imitatum, Marſil. adnotat; qui etiam cùm arbitratus ſit, eum quodammodo in omnia *divinæ Legis decem præcepta* ſimul delinquere, qui unum aliquod ex illis violaſſent, jure *decies* puniendum judicaverit. vide Platon. *de Rep. l.* 10. cum *Argum. & Commentar.* Marſil. Ficini, laudatum Tobiæ Pfannero *Syſtem. Theol. Gentil. c.* 11. §. *ult.* De præcepto verò undecimo à Samaritanis *Decalogo* addito, vide infrà voce *Lithoſtrotus*. Sed & *Decalogi Moſaici tabularum* Onomacrit. meminiſſe, videbimus infra, ubi de *Orpheo*.

DECALVATIO, pro pœna vel ignominia & injuria per abſciſſionem capillorum illatâ, frequenter occurrit apud Scriptores. Quippe, ut ait Conſtantin. Afric. *Pantechn. l.* 2. *c.* 16. *Capilli caput cuſtodiunt, honeſtant & defendunt: quibus ſi careat, maxima eſt inhoneſtas.* Hinc de Epiſcopis in Africa vexatis, *Appendix Cod. Theod. Conſtitut.* 14. *Alios ad ſolam divini cultus injuriam, avulsâ capillorum parte fœdatos* &c. Fuit autem pœna vulgaris, quâ in ſontes olim ſæviebant Gothi, Hiſp. & Franci: Latrones præſertim, fures, ſeditionumque incentores, ut videre eſt, apud Autorem *Vitæ* S. Bavonis *c.* 10. Orderic. Vital. *l.* 8. & Luc. Tudenſ. pejerantes item, vide infrà de Juramento. Childeric. Regem Franc. *ignaviſſimum depoſitum & decalvatum* eſſe, ſcribit Monach. Sangallenſ. *in Carolo Mag. l.* 1. *c.* 10. Quendam *condemnatum à Synodo, calvariâ acceptâ in capite expulſum, ſegregatumque* fuiſſe *à Congregatione*, legimus in *Vita* S. Leodegarii *c.* 14. &c. Sed & Hungaris peculiare eſſe hoc pœnæ genus, docet ex *Decretis* S. Stephani Regis Hungar. *l.* 2. *c.* 8. & S. Ladiſlai, *l.* 2. *c.* 11. Car. du Freſne in *Gloſſario* hac voce. vide eum quoque in *Capillus*, *Crines*, *Depilare*.

DECAMNICHUS, Archelai Aulicus, qui aliquando Euripidi fœtorem oris vitio dedit, ac ab eodem, id permittente Archelao, plagis multis percuſſus eſt, quod indignè ferens, in Archelaum graſſantibus ducem ſe præbuit, ac necis illius extitit cauſa graviſſima. Cæl. Rhodig. *l.* 24. *c.* 10.

DECANICA, in *Nov.* 79. loca ſunt publica, quæ tamen non ſunt carceres, licèt in ea rei quandoque conjiciantur, cuſtodiæ causâ, cùm & haberi in iis conventus ſoleant & recondi res pretioſæ, Cujac. *ad Nov. d.* apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Carolo du Freſne *Decanicum*, Carcer eſt Eccleſiaſticus: *Carcer Canonicalis* diſciplinæ, in *Concil.* Colonienſi A. C. 1260. *can.* 1. 2. Quemlibet enim Epiſc. in Epiſcopatu ſuo unum vel duos habere carceres, *pro Clericis flagitioſis*, jubet Concil. Lambeth. A. C. 1260. *Diaconica* eadem dici alibi adnotat Gothofred. *ad d. Nov. c.* 3. vide C. du Freſne *De ſcr. S. Sophiæ n.* 84.

DECANUM, regnum ſatis amplum, in India citer. Habet ad Occid. Oceanum Ind. ad Bor. regnum Guzaratæ; ad Ort. regnum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Golcondæ; ad Merid. Regnum Biſnagaris; Ejus Rex *Idalcan* dicitur. Regni primaria antea fuit Goa, emporium celeberr. in ora littor. Urbs Arch. ſub Luſitanis ab 160. Annis. Hodie Decanum ſedes Regum eſt: Urbes Hamedanager, &c. Texeira, *l.* 1. *c.* 22. Joh. Barrius, *l.* 9. *c.* 1. *P. de ia Valle.*

DECANUS, Gr. Δέκανος, à δεκὰς, in militia dictus eſt, qui 10. militibus: in Monaſteriis qui 10. monachis in Eccl. majori, 10. præbendis ſeu Canonicis, plerunque Presbyteris: ideoque & ipſe Archiepresbyter habetur: in Epiſcopatus diviſione 10. Clericis ſeu parochiis: in Centuriæ diſtinctione, Decaniæ ſuæ ſodalibus præfuit. De *Decano* militari, vide Veget. *l.* 2. *c.* 8. *Erant Decani, denis militibus præpoſiti qui nunc caput conturbernis vocantur.* De Monaſtico, Auguſtin. *de morib. Eccl. Cathol. l.* 1. *c.* 31. è quo loco candorem illius ævi, & poſterioris deliquium, Lector agnoſcas. *Decanus* in maj. Eccleſia Capituli caput: quorum duo apud Anglos genera. Alterum, ex antiquo ritu, in quo Decanum eligit Capitulum, impetratâ Regis veniâ: Alterum, ab Henrico VIII. poſt everſa Monaſteria, introductum, qui in Cathedralibus Eccleſiis, ubi Abbatem & Monachos deprehendit, eoſdem in Decanum & Capitulum, variato nomine, mutavit, Decanumque Regum diplomatibus conferendum ſtatuit. Præter hos dicti ſunt in Eccleſ. Conſtantinopolitana, *Decani libitinarii*, qui in ſepeliendis mortuis curam agebant: numero primùm incerto, ſed à Conſtantino Mag. 950. inſtituti: poſtea 1100. è quibus, qui in maj. Eccleſia inſerviebant, immunitate donati ſunt. Epiſcoporum *Decani*, al. *Rurales*, ſunt Decani temporales, ad aliquod Miniſterium, ſub Epiſcopo vel Archiepiſcopo exercendum conſtituti: quo nomine etiam Chorepiſcopus & Plebanus dictus eſt. Apud Gallos *Decani* appellati ſunt, qui ſub Magnatibus Regni, Abbatiarum curam gerebant. Erat autem *Abbatis* titulus ſecularium olim apud Gallos, æquè ac Eccleſiaſticorum; etiam Baronibus, Comitibus, Ducibus, Principibus attributus. Hinc Carolus Calvus fratrem uxoris ſuæ Boſonem, mox Regem futurum, Abbatiâ S. Mauritii donaſſe; & Robertus Comes Pariſienſis, ſub exceſſu Caroli Simplicis A. C. 921. Hugo Mag. dux Francorum ſub ingreſſu Rodulphi Regis A. C. 923. ac Hugo Capetus, qui Rex Franciæ evaſit, A. C. 987. avus nempe, pater & filius, Abbatum titulum aſſumſiſſe leguntur. Hi itaque occupatis Abbatiis, cui mori vehementer ab Eccleſiaſticis reclamatum eſt, illas non delevêrunt, ſed cum Abbatis nomine, Monachis extorsêrunt Abbatiarum proventus, atque pinguedinem; prædiis inter milites ſuos diſpartitis, *Decaniſque* aliquando ſubſtitutis, qui Abbatiarum curam ſatis frugaliter adminiſtrarunt. vide Aimon. *l.* 5. *c.* 34. 43. 44. donec circa A. C. 999. ſenſim ſeculares hi Abbates abiêre. In Scotia nihil ominus priſci moris ſupereſſe veſtigia, docet Henr. Spelman. *Gloſſar. Archæol.* In quibuſdam Eccleſiis Cathedralibus, *Decanos* ſuperpellicio indutos, gladio cinctos, perâ inſtructos, calcaribus aureis pedes revinctos, cum accipitre ſuper pugno, dignitatis ſuæ poſſeſſionem inire, docet Car. du Freſne ex *Hiſt.* Eccl. S. Amani *Aurelian.* & *Probat.* vide plura hanc in rem, apud eum in *Gloſſar.* & Macros Fratres *in Hierolexico*: aliquid etiam ſuprà in *Abbaconites.*

DECANUS, ex Græco Δεκανὸς, ex Aſtrotheologiæ veteris diſciplina, appellatus eſt ὁ ὡροσκόπος, h. e. *nativitatis tempus inſpiciens* Deus, qui naſcentiæ præerat. Heſych. ὡροσκόπος, ὁ σκοπῶν τὰς ὥρας, ubi ſupple, ὁ Θεὸς vel Δεκανὸς. De iis Manil.

> *Quin parte in decima dixêre* Decanon *agentem,*
> *A numero nomen poſitum eſt, quòd partibus aſtra*
> *Condita tricenis triplici ſub ſorte feruntur.*

Nempe uniuscujuſque ſigni cœleſtis partes tricenas, in tres decurias ac tres *Decanos* fuêre antiquitus, ab hujus artis peritis, contributæ. Et quidem tribus prioribus decem partibus unus Decanus præerat, qui & *primus Decanus* dicebatur: tribus ſequentibus, *ſecundus*; tribus poſtremis, *tertius*. Sic quicunque naſceretur, aliqua ſigni parte exoriente, neceſſe erat eum ex tribus his. Decanis aliquem pro horoſcopo habere, cùm per decem ſigni partes unus eorum valeret ac poteſtatem haberet: uti tradit Hephæſtion. In ſolis ſignorum interſtitiis, quæ Græci μετοβολήματα dixêre, nullos inveniri Decanos, qui nomen ſuum ac poteſtatem exerant, adeoque in illis genitos pro infeliciſſimis haberi, addens. Qua de re paulo aliter Firmic. quem vide. Singulis porrò Decanis terna Numina attribuêrunt quos appellavêre Λειτουργοὺς, i. e. *Munifices*, qui novem Liturgi Dii rurſus per infinitas alias Numinum poteſtates fuêre diviſi. Sic ut nulla pars ſigni Deo ſuo vacaret, ſed in qualibet earum exoriente, Deus aliquis ſive Decanus conſtitutus, in illo puncto naſcentium tempus inſpectare & vitam fortunaſque conſtituere crederetur. Quin & Decani ipſi *Dii* dicebantur, ut dictum, unde *Numen Decanorum* paſſim apud Firmic. imò Δεκανοὶ ubique Θεοὶ appellati Hephæſtioni. Fuitque hæc eorum obſervatio vetuſtiſſima, & cum ipſis Genethlialogiæ incunabilis nata, apud Græcos & Chaldæos: nam & Necepſo & Petoſiris eos novêrunt, deque iis ſcripſit jam Teucer Babylonius. Nomina ipſorum apud Firmic. *Aſican, Senacher & Sentacher*, apud alios alia: Græci antiquiſſimi πρόσωπα dixêre, ut & Judæi & Arabes, פָּנִים i. e. *facies*. Iidem verò & ſtellis deputabantur: Sic primus Arietis Decanus, Marti deputabatur; ſecundus Soli, tertius Veneri. Hinc primus ille πρόσωπον Ἄρεως, ſecundus πρόσωπον Ἡλίου, tertius πρόσωπον Ἀφροδίτης, vocabatur. Ratio nominis, quòd ſtellæ, cui deputati erant, perſonam quiſque ſuſtinere illamque repræſentare credebatur. Qua de re Firmic. *Sunt autem infinitæ poteſtatis --- & qui fata hominum ſuâ auctoritate deſignent. Sed & ipſi Decani ſingulis ſtellis deputantur, & ſi in ipſo Decano ſtella fuerit, licèt ſit in alieno domicilio, ſic eſt habenda, quaſi in ſuo ſit domicilio.* Nempe quia Decanus ejus perſonam ſuſtinebat. Pingebantur autem variâ ſpecie habituque; imò figuras eorum in annulorum ſculpturis vulgò imprimendas curabant, ut amuleta eſſent: quas figuras ex Indorum, Perſarum, Chaldæorum, Ægyptiorum ſententiis receptis, Albumaſar & Abeneſra tradidêre.

Earum verò ratio primaria habita, quà ex Orientis Horizonte aſcendebant, ſicque hæc Numina Παρανατέλλοντα, *coorientia ſideribus* erant. Unde anſa ſingularis versùs Orientem adorandi, apud Gentes, quibus diſciplina illa admiſſa &c. Ab aſtris poſtmodum vox ad caſtra deſcendit, pro eo, qui poteſtatem in dena capita exerceret, qui & *caput contubernii* dicebatur: inde in Eccleſiam tranſlata eſt, ut vidimus, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 653. & *ſeqq.* ut & infrà aliquid, in voce *Perſona.*

DECANUS Operis, vide infrà *Operanus.*

DECAPOLIS, Reg. Paleſtinæ, ſic dicta à *decem urbibus* quibus conſtabat, ita verò ab Ebræis enumerantur: *Sephet, Tiberias, Nephtali, Azor, Cæſarea Philippi, Capernaum, Bethſaida, Chorazin, Bethſan,* & *Jotopata.* Ejus longitud. 30, mil. latitudo minor.

DECAPROTI, *leg.* 3. §. *decaprot. ff. de muner.* & *honor. leg.* 10. *ff. de pollicitat. l. ult.* §. *mixta ff. de mun.* & *honor.* Latinè *Decemprimi*, Cic. *pro Roſcio*, *Decretum Decurionum, ſtatim fit, ut decemprimi proficiſcantur*: erant Decemviri, ex Decurionum ordine conſtituti, qui tributorum exactioni ita præerant, ut, ſi qua detrimenta Fiſcus defunctorum culpâ contraheret, ipſi ſuis ſumptibus reſarcirent. Arcad. *leg.* 18. §. 3. *Decaproti & Icoſaproti tributa exigentes, & corporale miniſterium gerunt & pro omnibus defunctorum fiſcalia detrimenta reſarciunt.* Officium eorum *Decaprotia* dicitur *l. ult.* §. *mixta*, Lat. *Decemprimatus*, leg. 1. *ff. de muner.* & *honor*, &c. Barn. Briſſon. apud Joh. Calv. *Lexic. Jurid.* vide infrà.

DECARCHONTES, Tribuni dicebantur Romæ à Populo creati, tempore Joh. XII. Macer *in Hierolex.* Docet nempe Sigon. *de Regno Italiæ* l. 6. pulſo Hugone Comite Arelatenſi, qui cum Berengario juniore de Regno decertaverat, Reip. Rom. formam tum immutatam eſſe, novis Magiſtratibus, *Decarchonum* nomine lectis, cùm ait: *Conſulum renovatum nomen efficit, ut mutatam ſub hoc tempus Romanam Remp. arbitrer. Romani certè, Regibus Pontificibuſque contemptis, novum ſtatum Civitatis invexiſſe hac tempeſtate videntur. Argumento eſt, quòd Ducis aut Magiſtri Militum magiſtratus, à quibus, Exarchis & Pontificibus civitatem tenentibus, urbs Roma diu eſt gubernata, per hæc tempora celebrari deſiit ac pro eis Præfectus Urbis, Conſules & Tribuni Pl. inducti ſunt, qui* Decarchonum *nomen tulêrunt.* Meminit eorundem Blond. *Dec.* 2. *l.* 2. *Romæ enim duo Conſules ex Nobilitate quotannis tunc fiebant, & Præfectus item ex Nobilitate creatus, populo jus dicebat: ex plebe autem creati ſingulis annis duodecim, quibus* Decarconibus *erat appellatio, Senatus, vicem in conciliis & deliberationibus obtinebant.* vide Bœcler. *in Ottone I.*

DECARGYRUM, Græcè Δεκάργυρον, monetæ majoris ſpecies eademque cum ea, quæ *Majorina* dicta, ex leg. 2. *Codicis Theodoſ. Si quis pecun. conflav.* vide infrà *Majorina.* Sic a. appellata eſt quòd *decem argenteis* minutioribus æſtimaretur proindeque ſexta argenti libræ pars eſſet: quippe *argenti libra una in argenteos ſexaginta dividebatur*, l. 1. *eod. Cod. de expenſ. Lud.* du Freſne. At Δεκάνουμμος, *denarius* eſt, ſicut ὁ μονόνουμμος, *aſſarius*, *Salmaſ.* ubi ſuprà.

DECASTIDIUM, Calabriæ urbs. Anton. hodie *S. Anna Barrio.*

DECATARA, Dalmatiæ urbs. *Cedren.*

DECEATES, pop. Gall. Narbon. quorum opp. *Draguinien* in Provincia, teſte Cænali. Alii horum opp. ſeu pag. *le Bourg de Duyſans* eſſe malunt. *Datiatii* quibuſdam, verſus oram erant maris Mediterr. ubi nunc Diœceſis Graſſenſis, in parte Or. Provinciæ. Eorum prim. fuit Antipolis. Diſtabant autem aliquantulum à Draguignano in Ort. longius autem à vico *le bourg d'Oyſans*, in Delphinatu. *Baudr.*

DECEBALUS, Rex Dacorum, fortis & prudens, qui non ſolùm uti victoriâ, ſed & omnia adverſa in ſuum uſum convertere ſciret. Domitiani duces Oppium Sabinum, & Cornelium Fuſcum devicit; à Trajano ſuperatus A. C. 103. pacem impetravit. Quâ violatâ, cùm gravis ei Imperator, quem necare fruſtra quæſivit, immineret, mortem ſibi ipſi conſcivit. A. C. 106. Dio. *l.* 68. Suet. *in Domit. c.* 6. *In Dacos duas, primam Appio Sabino Conſulari oppreſſo: ſecundam Cornelio Fuſco præfectos cohortium* Prætorianarum *cui belli ſummam commiſerat.* Plures alios ejuſdem gentis Reges *Decebali* nomen habuiſſe, notat Caſaub. *ad Trebell. Pollion. in Regilliano.*

DECECIA, vel DECETIA, opp. Galliæ, in inſ. Ligeris. Saxea ac velut ſcrupea & in rupem elatâ, vulgò *Dexiſe*, vel potius *Deſize*: 7. leuc. ab urbe Niverno. Hîc in Eccleſiola, ab Euphraſio & Auxilio Eremitis, condita, aſſervatur corpus S. Aregii *S. Are*, Ep. Nivernenſis, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

DECELIA, una ex 12. urbibus, quas Cecrops digeſſit. Strab. Item pars tribus Hippothoontidis. *Steph.* Hujus cives primos Nemeis ludis præfuiſſe, poſtea Corinthios, ſcribunt nonnulli. Alii tamen Cleonæos primos fuiſſe volunt, uti adnotat Jul. Cæſ. Scalig. *Poet.* l. 1. c. 25. vide de Nemeis Ludis ſuo loco. Inſcriptiones aliquot vett. hujus demi memoriam ſervantes, eaſque antiquiores Duillianâ Romæ ipsâ, exhibet Jac. Spon. Itiner. *Part.* 3. *p.* 108.

DECELUS, Caſtori & Polluci Helenam ſororem, quam Theſeus rapuerat, inveſtigantibus Aphidnis ſervari indicavit, ut refert Herod. quanquam alii id ab Academo factum velint. vide *Plutarch* & *Pauſan.*

DECEM Nummi, apud Romanos, ſingulis Equitibus, in Spectaculis deſidentibus, dati ſunt olim, ad vinum & bellaria; ſeſtertii ſcilicet, quorum quivis aſſem cum dimidio faciebat, ut infrà videbimus. Unde Mart. *l.* 1. *Epigr.* 12. *cujus Epigraphe ad Sextilianum potorem.*

> *Cùm data ſint Equiti bis quina numiſmata, quare*
> *Bis decies ſolus, Sextiliane, bibis?*

Idque è gradibus Theatri ſeu Amphitheatri, ut idem *l. eod. Epigr.* 27. *cujus Epigraphe ad Sextilian.*

> *Nec conſeſſorum vicina numiſmata tantùm,*
> *Æra ſed à cuneis ulteriora petis.*

Ad quæ loca vide Salmaſ. cui adde Hadr. Turneb. *Adverſ. l.* 18. *c.* 30. Lipſ. *de Amphith.* c. 13. Bulenger. *de Circo* c. 34. &c. uti de Decem

hominibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

hominibus parochiam conſtituentibus, in Jure Can. infrà, voce *Parœcia*: apud Judæos, in *Proſeucha*. vide quoque *Paſcha*, *Reus*, *Viginti*, *triumvirale Synedrium*, ubi de X. rebus, quarum ſi una pluresque civitati deeſſet, illa conſeſſui huic idonea non erat; *Vir*, ubi de *Decem obligationum* generibus, quibus apud Hebræos maritus uxori tenebatur; *Virgo*, ubi de *Decem hominibus* iiſque majoribus ætate & ingenuis, qui apud eoſdem adeſſe Benedictioni nuptiali tenebantur; *Zelotæ*. De *Decemjuge* verò *curru*, quo Nero Olympiis aurigavit, Sueton. *c. 26. in eod.*

DECEMBER; menſis nomen ſic dicti, quòd decimus eſſet à Martio, quem anni primum habuere Romani. Ab adulatoribus Commodi Imp. *Amazonius* vocatus eſt, in honorem concubinæ ejus Martiæ, quam pictam in Amazone diligebat, ut ex Ælio Lamprid. diſcimus: ſed hanc appellationem diu non retinuit. Fuit in Veſtæ tutela, habuitque ex ordinatione Romuli dies 30. ex Numæ conſtitutione 29. ex Julii Cæſaris inſtituto 31. Feſta hoc menſe celebrata ſunt varia; Kalendis peractum fuit primum ſacrum Fortunæ muliebris, quod tamen inde translatum eſt in 2. Non. Quintileis: Nonis Fauni feſtum erat: 3. Idus Agonalis: 18. Kal. Januarii Saturnalia: 14. Kal. Jan. Opalia ſeu feriæ Opis: 13. Kal. Januarii Sigillariorum feſtum incipiebat. 12. Kal. Jan. Divalia erant ſeu Angeronalia: quo die Herculi quoque ac Cereri mulſo libari & ſue prægnante ſacrificari conſuevit: 11. Kal. Jan. feriæ erant Laribus dedicatæ: 10. Kal. Larentinalia: 9. Juvenales ludi erant. Celebratum quoque hoc menſe feſtum fuit, quod *Septimontium* dicebatur, ſed quo die, incertum: Poſt Laurentialia ejus Varro meminit, *l. 5. de Ling. Lat.* vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 4. c. 16.* Apud Athenienſes Ποσειδεὼν dictus eſt, à Ποσειδῶν i. e. *Neptunus*, huic enim Kalendæ ejus ſacræ erant, Caſaub. *in Theophr. Char. ult.* proin vocatæ Ποσειδῶνος ἡμέρα i. e. *Neptuni dies*. Hujus menſis die 5. Δήνεια ſeu Dionyſia τὰ κατ᾽ ἀγροὺς; & d. 16. Ἁλῶα in Cereris honorem, obière, vide Franc. Roſſæum *Archæologiæ Att.* l. 2. c. 10. Apud Hebræos, ante captivitatem Babylonicam, *Menſis nonus*, poſt illam *Chiſleu* dictus eſt. Thom. Godwynus *de ritibus Hebr.* l. 3. c. 1. Eum *gravidum mero* Papin. Stat. *l. 1. Syl. 6. v.* 5.

Et multo gravidus mero December,

ob Saturnalia aliaque feſta præfata, & curam Genii ad forum uberem hyemali tempore. Accedit quòd tota hyems ſacra erat Liberæ, quam Liberi ſeu Bacchi ſororem ſanctè cultam docet Cic. *de Nat. Deor. l. 2.* & ex toreumate argenteo vetere, cui inſculpta quatuor anni tempora commentario illuſtravit Steph. Pigh. Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat.* Hinc *Decembrica* Libertas, apud Durandum *Ration. l. 6. c. 8.* vide infrà *Kalendæ*.

DECEMPAGI, Germ. urbec. inter. Argentoratum ac Divodurum, Anton. Hodie *Dieuſe*, in Lotharingia, Simlero. Ad Selnam fluv. ubi exit è lacu Duodeciaco, vulgò *le lac, ou l'eſtang de Lindre*. Malè haud pridem habita. 10. leuc. à limite Alſatiæ in Occ. 2. à Marſalio in Ort. 10. à Metis in Eur. 7. autem à Nancejo in Ort. Baudr. Valeſ. diſtat à civitate Mediomatricorum circiter 12. mill. paſſ. inter Tabernas & Divodurum; 20. mill. paſſ. utrinque, diciturque Germanis, *Duoye in Lothringen*. Huc cùm perveniſſet Attila, cum Hunnis ſuis, dicuntur miraculo facti mitiores, Auctorem Mediomatricorum Epiſcop. captivoſque omnes Mettenſes ſolviſſe, P. Longobardus *de Epiſc. Mettenſibus*.

DECEMPEDA, apud Horat. *l. 2. Carm. Ode* 15. *v.* 14. & *ſeqq.* ubi de vett. Roman. continentia:

------------ *nulla* decempedis
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton:

Interpreti veteri eſt, *regula decem pedum, quâ ab artificibus menſura fabricæ colligitur*. Nempe apud Caſcos illos Romanos, quum ædificiorum privatorum magnificentia nondum publicorum mœnium ſumptum ſuperabat, nulla porticus tam longa fiebat, ut gromis & decempedis perducenda eſſet ac dirigenda ejus longitudo, ſed in ſolis porticibus publicis metandis gromæ tum locum & uſum habuêre. Ubi verò porticus privatorum & xyſti ampliores laxioreſque facti ſunt, quàm publici, tum privatis decempedis ac gromis, ad eas metandas fuit locus. Græcis Δεκάπους, item Ἄκαινα 10. erat pedum regiorum, duodecim verò pedes habuit Italicos. vide de illa fusè agentem Salmaſ. *ad Solin.* p. 683. & hìc in ubi *Acena*, nec non de *Pœnis milit.*

DECEMPRIMI nobilium Civitatum, apud Cic. *pro Roſc.* *Maximarum Civitatum Decemprimi Juridici*, apud Firmic. *l. 3. c. 7.* & *Popularium Civitatum Principes vel Decemprimi*, c. 12. iidem cum Decaprotis ſunt, de quibus *Decemprimi Scholarum*, in *l. 10. Cod. Theodoſ. de Domeſt. & Protect.* qui in ſingulis Scholis Domeſticorum & Protectorum, poſt Primicerium, ex decem ſequentibus erant, & ad eum gradum *temporis prolixitate* pervenêrunt, quem *Decemprimatum* vocat *lex 7. & 8. Cod. Theod. eod. tit.* du Freſne *Gloſſar.*

DECEMVIRI, Magiſtratus Rom. cuſtodes 12. tabb. Cum enim Conſulum Tribunorumque diſſidiis urbs laboraret, Hermodorus Epheſius, conſuluit Romanis, ut tres legatos in Græciam mitterent, illorum mores conſuetudineſque addiſcendi causâ. Quod factum, & ex farragine illa peregrinarum legum 12. tabulæ conflatæ ſunt, A. C. 303. Sed triennio poſt, Decemviralis poteſtas, inprimis ob Appii Claudii laſciviam, ſublata. Liv. *l. 3.* Dionyſ. *Antiqq. Rom. l. 10.* Flor. *l. 1. c. 24.* Cic. *l. 2. de fin.* Erant & Decemviri militares. De prioribus addo: Legati illi erant Sp. Poſthum. Serv. Sulpit. & A. Manlius. *Decemvirorum* nomina, Ap. Claud. T. Genut. P. Sext. Sp. Vetur. C. Jul. A. Manl. Serv. Sulpit. P. Curiat. T. Romul. Sp. Poſthum. qui omnes Conſulari poteſtate functi erant. Eorum creandorum occaſionem primam dedit C. Terent. Arſa Tr. Pl. legem ſe promulgaturum, de Quinqueviris legum de Conſulari imperio ſcribendarum causâ creandis: profeſſus A. C. 291. Coſſ. L. Lucret. Tricipitin. & T. Veturio Gemino. Cui cùm acriter Patres & Præfectus urbis Q. Fabius reſtitiſſent, perlata ea non eſt. Inſequenti autem anno P. Volumnio & Servio Sulpitio Camerino Coſſ. collegium Tribunor. ad populum tulit de *Decemviris legum ſcribendarum* creandis, idque in annum unum, quod demum A. C. 303. effectui datum eſt, creatique ſunt præfati Viri cum ea poteſtate, quam modo Conſſ. olim Reges habuiſſent, ceſſantibus interea omnibus reliquis Magiſtratibus, & provocatione ſublatâ. *Hi* itaque, verba ſunt Dionyſ. Halicarn. *l. 10.* *aſſumtis civitatis gubernaculis, talem Reip. formam conſtituêrunt: Penès unum illorum faſces erant & reliqua Conſularis poteſtatis inſignia. Is Senatum convocabat, decreta confirmabat, cæteraque Prætoris munia exſequebatur; reliqui ad minuendam poteſtatis invidiam non multùm à privatis differebant habitu. Deinde alius in poteſtatem ſuccedebat ſervatis vicibus atque ita annuum imperium adminiſtrabatur, ſtato quodam dierum numero.* Sic decimo die jus populo ſinguli reddebant eoque die penès Præfectum juris faſces duodecim erant: collegis novem ſingulos ſolùm Accenſos habentibus. Finito annuo illorum imperio, cùm videretur aliquid deeſſe legibus, etiam in ſequentem annum *Decemviri* creati ſunt, tribus è plebe in loca aliorum ſurrogatis: Verùm cùm hi ſtatim initio adminiſtrationis ſuæ de imperio retinendo conjuraſſent, adeoque tyrannicè multa agerent, accedente inprimis cæde L. Siccii ſeu Sicinii Dentati viri fortiſſimi (qui in eorum invidiam ſermones ad populum, de creandis Tribunis Pl. ſeverat.) & Virginiæ judicio, damnati ſunt & poteſtas in univerſum ſublata, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 7. c. 19.* Leges autem ſuas *Decemviri*, Centuriatis Comitiis, poſt peracta ſacra plebiſcito confirmatas, æreiſque inciſas columnis 10. una ſerie propoſuêrunt in loco fori maximè conſpicuo: quibus cùm poſtea duæ aliæ acceſſiſſent, hinc XII. Tabb. leges ortæ ſunt, norma in poſterum juſtitiæ apud Romanos obſervandæ, Dionyſ. Halicar. *l. præfato*. Fuêre & *Decemviri Coloniæ deducendæ*, & *Decemviri Epulones* de quibus vide ſuprà in voce *Colonia*: & infrà in *Epulones*. Item *Decemviri litibus judicandis*, qui adhibuêrunt haſtam Prætoriam atque eâ poſitâ judicarunt exercueruntque ea judicia, quæ *Centumviralia* dicta ſunt, vide Joh. Roſin. *Antiqq. Roman. l. 7. c. 30.* Fuêre & *Decemviri ſacris faciundis*, qui primitus Duumviri à Tarquinio Sup. inſtituti poſtea à Sulla in Quindecimviros converſi ſunt: Hi cuſtodiebant & interpretabantur libros Sybillinos, ab anu quadam prædicto Regi magnâ pecuniæ ſummâ venditos, erantque partim ex Patriciis, partim ex plebe lecti. vide Feneſtellam *de Sacerd. c. 13.* Joh. Roſin. *Antiqq. Roman. l. 3. c. 24.* &c.

DECENA, vel DECENNA Bractono *l. 3. tr. 2. c. 10.* §. 1. dicitur *Decuria* ſeu *Decemvirale Collegium*, cui præerat Decanus Friborgi; de quo ſuo loco. In Valleſia, pars ejus ſuperior, quam liberi Valleſiani incolunt, ubi olim Viberi ſeu Juberi & Seduni, in ſeptem Conventus dividitur, quos *Decenas* ſeu *Decenas*, Germ. *Zenden*, hodie vocant, vide *Valleſia*.

DECENNALIA, vide infrà *Ludi Decennales*, it. *Votivi nummi*.

DECENSIUM, & DECIA, *Die* Cœnali. vide *Dea*.

DECENTII, Pannoniæ pop. à *Decentio* ſic dicti. *Steph.*

DECENTIUS Magnus, Cæſar à Magnentio fratre factus A. U. C. 1105. Apud Senonas, audito fratris fato, laqueo vitam finivit, A. C. 373. Pompon. Aurel. Victor, *epit. Cæſ.* Hieron. Euſ. Idathius, *in Chron.* Socr. *l. 2. c. 7.* Zoſim. *l. 2. ſub fin.* Eutrop.

DECERNERE digitis, apud Calpurn. *Ecl.* 2.

Et nunc alternos magis ut diſtinguere cantus
Poſſitis, ter quiſque manus jactate micantes,
Nec mora, decernunt digitis:

ad digitum pugnare, dicitur Quintil. *l. 8. c. 5.* uno verbo, *micare*, notum ludi genus eſt, vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino* & infrà in *Dimicare*.

DECETIA, Gall. Lugd. opp. Anton. vulgò *Deciſe*. Baudr. opp. Vadicaſſium, in prov. Nivern. ubi *Airon* amnis ſe in Ligerim exonerat, 7. leuc. à Molino in Bor. 8 à Niverno in Eur. Ligeri fluv. maj. ex parte cingitur, cum ponte lapideo.

DECIA, Lex, de Duumviris navalibus, lata à M. Decio Tribuno Pleb. C. Junio Bubulco II. Q. Æmilio Barbulâ II. Coſſ. A. U. C. 442. Liv. *l. 9. c. 30.* *Ut Duumviros navales claſſis ornandæ reficiendæque causâ populus juberet.*

DECIANA, Endigetorum in Hiſpania Tarraconenſi urbs. *Ptol.*

DECIANI, Calabriæ pop. *Plin. l. 3. c.* XI.

DECIANUS, viri proprium ex Emeritâ Hiſp. opp.

DECIATIUM, Reg. Gall. Narbon. *Plin. l. 3. c. 4.*

DECIDIANA, vide *Domitia*.

DECIDIUS Saxa, prænomine *Lucius*, ex ultima Celtiberia prognatus, Cæſaris caſtrorum metator fuit, cujus beneficio poſtea Tribunus plebis factus eſt. Cæſ. 1. *Civil.* Cic. *Philipp.* 10. 11. 13.

DECIES, in ratiocinio vett. Romanorum, vide *Seſtertium*.

DECIETUM, urbs Italiæ. *Steph.*

DECII, Romani fortiſſimi; tanta patriam charitate complexi, ut pro ejus ſalute ſe Diis manibus devovere non dubitarint. Pater quidem *Decius Mus*; bello Latino; Filius autem bello Hetruſco; Nepos verò, eo bello, quod Pyrrhus pro Tarentinis geſſit. Cic. 1. *de Divinat.* Liv. *l. 8. 9. & 10.* Val. Max. *l. 5. c. 6. ex 5. & 6.* Polyb. *l. 2.* Diodor. *l. 12.* Aurel. Victor *de Viris Illuſtr. c. 26. 27.* Virg. *Æn. l. 6. v.* 825.

Quin Decios, Druſoſque procul ſævumque ſecuri.

Juven. *Sat.* VIII. *v.* 258.

Pluris enim Decii, quam qui ſervantur ab illis.

Decii quoque Tacit. meminit, Annal. *l. 2. c. 52.* qui Tacfarinati, Africam populanti, ſtrenuè ſe oppoſuit, in eo perſequendo occiſus. vide infrà *Decius*.

DECII ARA, locus paludinoſus Mœſiæ, prope Abrittum urbi ubi Decii Impp. ſe devovêre, ut ſcribit ex Jornande Pompon. Lætus. Hunc locum videtur Caſſiod. *l. 2. Var.* *Decennonias paludes* vocare.

DECII, duo Coſſ. imperante Valerian. Treb. Pollio, *in Valeriano patre & filio*: *Duobus Deciis Coſſ. VI. Cal. Novemb. die, quum ob Imperatoris literas in æde Caſtorum Senatus haberetur, ireturque per ſenten-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſententias ſingulorum , cui deberet Cenſura deferri (nam id Decii poſuerant in Senatus ampliſſimi poteſtate) ubi primùm &c.

DECIMA, nomen unius è Parcis : Ita enim Cæſellius Vindex apud A. Gell. *l.* 3. *c.* 18. *Tria*, inquit *nomina Parcarum ſunt*, *Nona*, Decima & *Morta*. Fuit quoque nomen ſacrificii apud Athenienſes, Gr. Δεκάτη, unde δεκάτην θύειν vel δεκάτην ἑστιᾶν, à die *decimo* nativitatis, quo nomen imponi infantibus & ſacrificium offerri moris erat, ſicut apud Romanos in Nominalibus fiebat. vide Franc. Roſſæum *Archæol. Attic. l.* 5. *c.* 5. & ſuprà in voce *Cunabula*, nec non infrà *Nomen*.

DECIMA, legitima cœnæ, apud Romanos, hora. Mart. *l.* 7. *Epigr.* 50. & *l.* 10. *Epigr.* 70.

> *Hunc licet à* decima *(nec enim ſatis antè vacabit,)*
> *Sollicites : capiet cœnula parva duos.*
> *Balnea poſt* decimam *laſſo, centumque petuntur*
> *Quadrantes : fiet quando Potite liber?*

Nempe homines negotioſi actioſique ϗ ἄσχολοι vel in ipſa, vel poſt eam, cœnam inibant ad veſperam ſc. inclinato die; quod *labente die* dixit Virgil. *Æneid. l,* 4. *v.* 77.

> *Atque eadem labente die convivia quærit.*

Moriente die, Stat. *l.* 4. *Sylv.* 6. *v.* 3.

> *Jam moriente die, rapuit me cœna benigni*
> *Vindicis* ----

Non longè ſc. ab occaſu Solis. Sol enim poſt undecimam occidebat, & ad duodecimam (quæ ultima diei hora erat) nunquam perveniebat, quæ proin nec in Horologiis notari conſuevit. Itaque qui poſt *decimam* cœnabant, unâ horâ ferè Solis occaſum præcipiebant. Unde Antoninus Philos. qui ſtudioſiſſimus corporis curandi erat, & diligens horarum obſervator, longis diebus quidem, occidente Sole, circa corporis curam verſabatur ungendo, lavando, cœnando; longiſſimis verò nonâ aut decimâ, Galeno teſte Ὑγιειν. *l.* 6. At eam anticipabant homines otioſi & gulæ dediti, pro lubitu. Sed & feſtiva convivia maturiùs inibantur, ut diximus ſuprà ubi *de Die ſumptis conviviis*. vide quoque ubi de *Cœna*, *Tempeſtivis Conviviis* &c. plurâ verò hanc in rem apud Salmaſ. *ad Vopiſcum in Floriano*. Addam ſaltem etiam *decimâ horâ* Ludos ceſſaſſe, Suet. *l.* 6. *c.* 21. Unde Caligula, inter plebem & equitem cauſam diſcordiarum ſerere cupiens, *teſſeras decimâ maturiùs dabat, ut Equeſtria ab infimo quoque occuparentur*, Apud Eund. in eo *c.* 26. Sed & ad *decimam* uſque tempus, quo res aguntur in Foro, producit *Paulus* JC. vide Caſaub. *ad l. h.*

DECIMÆ, ſeu DECIMA, Hebr. מַעֲשֵׂר i.e. *unum de decem*: Fuêre vel arbitrariæ, quales Melchiſedeco Abrahamus de præda hoſtium perſolvit, Gen. *c.* 14. *v.* 20. & quales Jacobus in Meſopotamiam proficiſcens Deo voviſſe legitur Gen. *c.* 28. *v.* 22. vel conſtitutæ ac determinatæ in Lege Ceremoniali, de quibus vide Exod. *c.* 12, Levitic. *c.* 27. *v.* 30. Numeri *c.* 18. *v.* 21. Deuter. *c.* 14. Hæque iterum in multiplici fuêre differentia. Dari ſolebant tum ex fructibus terræ tum ex pecudibus, ne menthâ quidem, aniſo & cumino exceptis, Matth. *c.* 23. *v.* 23. Item ex præda, ſed de prioribus hîc ſermo. Itaque *Decima* prima dabatur Levitis ad alimentum: *Decima ex Decima* à Levitis ſolvebatur Sacerdotibus, filiis Aaron. Erat alia *Decima*, quam ex ſuis novem partibus reliquis poſt decimationem, reponebant ſibi Iſraëlitæ, quam comederent aſcendentes temporibus diebuſque indictis ad Templum, ibique invitarent Levitas & Sacerdotes, quæ *Decima ſecunda* vocabatur. Erant præterea *Decimæ* ab Anno remiſſionis, tertio quoque Anno, de quibus Deut. *c.* 14. *v.* 28. vide A. Rivet. *Exercit.* 88. *in Geneſin.* Et quidem peractâ meſſe & collectis frugibus, Paterfamiliâs primitias illarum primò ſeorſim poſuit, èque reliquo decimam partem, Hebr. מַעֲשֵׂר ראשון *Magnaſcher riſchon*, i. e. *primam decimam*, Levitis, Tobiæ *c.* 1. *v.* 7. in ſua quiſque civitate, Nehem. *c.* 10. *v.* 38. Sixtinus Amama tamen *l. de Decimis*, primas has *Decimas* à colono ipſo aut ejus vicario Hieroſolymas fuiſſe deportandas, contendit. Ex his Levitæ decimam iterum portionem Sacerdotibus decerpsêre, מעשר מן המקשר, *Magnasher min Hammagnasher*, i. e. *Decimas Decimarum* dictam, Eadem *Decima Sanctitatum* appellata eſt, 2 Chron. *c.* 31. *v.* 6. Hanc in Templum afferre Levitæ tenebantur, reſiduum in alimentum iis ceſſit. vide Numer. *c.* 18. *v.* 31. Primis ſic *Decimis* ſolutis, è reliquo *Decimas ſecundas* perſolvit, eaſque vel in ſpecie, ut vulgò dicunt, vel in numerata pecunia, quo caſu tamen non decem de centum, ſed duodecim dare neceſſe habebat. Has Hieroſolymam afferebat Paterfamiliâs, inſtitutaque Agape Sacerdotes ac Levitas invitabat, excepto tertio quoque Anno, quo eas domi Levitis, orphanis, viduis ac pauperibus diſtribuit, Deut. *c.* 14. *v.* 22. & 23. Tertium autem illum Annum numerabant ab Anno Sabbathico, quo terra quievit : itaque *Secundæ Decimæ* tertio quovis ſextoque Anno domi diſtribuebantur : Dicebantur illæ מעש־ שני *Magnaſcher ſcheni*, i. e. *Secundæ decimæ*, Tobiæ *c.* 1. *v.* 7. מַעֲשֵׂר עני *Magnaſcher gnani*, ſeu *Decimæ pauperum*. Πτωχοδεκάται & מַעֲשֵׂר שלישי *Manaſcher Schibeliſchi*. i. e. *Decimæ tertiæ*, Tobiæ *c.* 1. *v.* 6. Annuſque ille tertius propterea dictus eſt *Annus Decimarum*, Deut. *c.* 26. *v.* 12. Eadem ratione pecudum quoque Decimæ ſolvebantur : Levit. *c.* 27. *v.* 32. & 33. *Omnium decimarum boum aut gregum eorum, quæ tranſeunt ſub virgam : decimum quodque eſto ſanctum Jehovæ. v.* 34. *Ne diſquirat inter bonum & malum, neque commutet ipſum: quod ſi ullo pacto commutabit ipſum, tum erit illud & quod ſuffectum eſt pro eo, res ſancta erit, ne redimitor.* Ubi quidam *ea quæ tranſeunt ſub virgam*, explicant, quæ ſub virga ſeu cuſtodia paſtoris degunt; alii potiùs ritum hîc reſpici, quo decimum quodque, per anguſtum aditum intromiſſis agnis vel bobus, decimantis virgâ tangi, ſicque Domino ſegregari ſolebat, ex Hæbræorum ſcriptis docent, vide Sol. Jarchi & Maimon. *de Primogen. c.* 7. *ſect.* 1. 5. Hodieque Judæi, licet patriâ extorres, & Levitico Sacerdotio deſtituti, loco *Decimarum* pauperibus largiuntur decimam proventuum ſuorum partem; ſi non omnes, ſaltem ii, qui cœteris volunt haberi religioſiores. Namque & Ezechiæ Regis jam tempore ita neglectim ſolvi *Decimæ* cœpêrunt, ut Inſpectores quidam eligi neceſſe habuerint. 2. Chron. *c.* 31. *v.* 12. Quorum vel incuriâ ſequentibus temporibus, vel populi avaritiâ factum, ut 130. Annis A. C. N. dari planè deſierint; pauciſſimis exceptis. Unde Moſes Kotſenſis, *in diebus Johannis Sacerdotis, qui ſucceſſit Simeoni Juſto*, magnum Senatum *Sanhedrim* dictum ſanxiſſe, ut in poſterum majoris fidei ac diligentiæ viri ei negotio præficerentur, refert &c. Cùm autem de pecudibus decimas ſolvebant Hebræi, numerare ſoliti ſunt Annum à menſe *Elul* ad menſem *Elul*. i. e. ab Auguſto ad Auguſtum : Cùm de frumento, leguminibus & oleribus, à *Tiſri* ad *Tiſri*, i. e. à Septembri ad Septembrem : Cùm de arborum fructibus, à *Schebat* ad *Schebat*, à Januario ad Januarium, vide Buxtorf. *Synagoga Jud.* c. 12. Thom. Godwyn. *de ritibus Hebr. l.* 6. *c.* 3. Sextin. Amamam *de Decimis* &c. Quibus adde Franc. Burman. *Synopſi Theol. Chriſtian. Part. prior. l. IV. c.* 12. §. 11. & *ſeqq.* ubi tum primitiarum, tum decimarum proventu, dicatos Sacerdotes & Levitas partem fructuum ferme ſextam juxta Scaligerum & Amamam; quintam juxta Schikardum, poſſediſſe, adjicit. Myſticam *Decimarum* ſignificationem quod attinet, nil aliud illæ erant quàm tributum annuum, quod populus Deo penſitabat, ut terræ, quam incolerent, ſummo Domino; ſtipendium item Levitarum pro ſacra eorum militia; & figura Chriſti, à quo omnis Eccleſiæ ſanctitas ac decus, quemadmodnm *decimæ* univerſam maſſam ſanctificabant; Fideliumque, ejus, qui è Mundo edecumati univerſæ iſtius maſſæ flos ac libamen ſunt &c. Ab Hebræis ad Gentes quoque ritus hujus aliquam umbram ſparſam eſſe, docet Flor. *l.* 1. *c.* 12. ubi ex Vejentina præda *Decimas* Pythio Apollini, cujus ope conſilioque ſe hoſtes viciſſe opinati ſunt Romani, miſſas eſſe refert. Sed & Carthaginenſes Herculi Tyrio omnium, quæ in proventuum rationes cadebant, mittere *Decimas* fuiſſe ſolitos, narrat Diodor. Sicul. *l.* 20. Imò & privatis fuiſſe moris, *Decimas* bonorum ſuorum interdum aut Herculi pollucere, aut in ſimiles uſus impendere, diſcimus ex Cic. *de Offic. l.* 2. ut de aliis taceam. Addam ſaltem in Eccleſia Rom. hodieque *Decimis* locum eſſe : Apud quos porrò occurrit, *Decima* pauperum, in *Charta* Birgeri Sueonum Ducis A. C. 1252. item in alia alterius Birgerii A. C. 1299. *in Chartis* Jacobi Archiep. Upſalienſ. A. C. 1280. Erici & Waldemari Ducum A. C. 1307. aliiſque apud Joh. Scheffer. quæ pars tertia eſt Decimarum Eccleſiaſticar. pauperibus primitùs addicta, Car. du Freſne *Gloſſar.* vide quoque infrà *Inteſtatus*. Sic *Decimæ* Militares in *Charta* A. C. 1204. in *Chronol.* Epiſc. Lodovenſ. eædem videntur quæ *infeudatæ*, Gallis vulgò *Diſmes infondées*, quæ à Militibus ſeu Laïcis nobilibus poſſidentur. Quârum quidem originem Carolo Martello nonnulli adſcribunt : Arnoldus verò Lubecenſis *l.* 3. *c.* 18. earum hanc refert originem : *Scimus autem Decimas & oblationes à Deo Sacerdotibus & Levitis primitus deputatas. Sed cùm tempore Chriſtianitatis ab adverſariis infeſtarentur Eccleſiæ, eaſdem Decimas præpotentes & nobiles Viri ab Eccleſiis beneficio ſtabili accepêrunt, ut ipſi Defenſores Eccleſiarum fierent, quæ per ſe obtinere non valerent.* Quibus conſona habet Crantzius *Metrop. l.* 1. *c.* 2. vide ſuprà in *Abbas-Miles*, & plura de *Decimarum* in Eccleſia Rom. uſu ac ratione varia, inprimis *de Decimali ſubſidio proventuum Eccleſiaſticorum*, ſemel atque iterum Regibus Galliæ à Pontificibus conceſſo, modoque *Decimas* illas ab Eccleſiaſticis exigendi, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* &c. In Eccleſia Græca, qui *decimas* Patriarchæ colligit, Ἐξάρχου appellatione venire dicemus infrà.

Decimæ apud Hebræos hoc modo datæ ſunt.

6000. Manipuli cùm provenêrunt Patrifamiliâs.
100. decerpebantur, ut Primitiarum loco Deo offerrentur.
5900. ſic remanebant Patrifamiliâs, è quibus duplices ſolvebat *Decimas*.
590. Levitis dabantur, *Primæ* nempe *Decimæ*.
59. à Levitis ſolvebantur Sacerdotibus, ſeu *Decimæ Decimarum*.
5310. cùm ita reſidui eſſent, inde Paterfamiliâs *ſecundas Decimas* exolvit.
531. videlicet, quibus omnibus ſolutis
4779. Patrifamiliâs remanebant, in uſum proprium : Itaque cùm
1121. manipuli, in utramque *Decimam*, impenderentur, manifeſtum eſt, ultra ſextam totius proventus partem, i. e. nonam decimam partem de centum in uſum ſacrorum fuiſſe expenſam. Sixtinus Amama ex Scaligero.

DECIMÆ, Saladinæ, al. *Saladinides* dicuntur, quæ in Concilio Baſil. A. C. 1188. Philippo Francorum Regi in oppugnationem Saladini, Mahometani Principis, fuêrunt conceſſæ. Hujuſmodi etiam obtinuit Rex Angliæ Richardus I. teſte Mathæo Pariſ. A. C. 1189. & ab exemplis iſtis poſteri ſæpe Reges. Henr. Spelman. *Gloſſ. Archæol.*

DECIMANUS, ſeu DECUMANUS limes in *Charta* Aiſtulfi Longob. Regis A. C. 753. apud Ughell. *Ital. Sacr. Tom. II. p.* 105. maximus inter agrorum limites, qui ab Oriente in Occid. ducebatur, ſicut Cardo à Meridie in Septentr. Salmaſio nomen habet ab hora *decima*, i. e. veſpertino tempore, quòd ad Occidentem ſpectaret. Sed & *Decumanus*, à magnitudine dici potuit, cùm longior latiorque Cardine fuerit, utpote cujus latitudo ex lege Auguſti fuit, pedum 40. cùm Cardinis ſaltem 20. haberet. Idem *Gallicus* quoque dicebatur, quia Gallia ab Occid. eſt Italiæ; *Montanus* item, à Gallicis Alpibus : ſicut in Italia *Maritimi* Cardines vocabantur, quòd à Meridie & Septentrione, uti hic limes duci ſolebat, mare haberet Italia. His namque duobus limitibus, quaſi viis ampliſſimis ac Regiis in decuſſem ſeſe invicem ſecantibus, tota territorii aſſignati ac diviſi limitatio dirimebatur, & quatuor regiones univerſæ perticæ fiebant. Porrò *primus maximus* appellabatur, ut & Cardo, quòd latitudine cœteros limites præcederent. Imò & *Duo-*

decimanum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

decimanum Veteribus dictum eſſe ab hora 12. ſeu ſuprema, qua Sol occidit, docet idem *ad Solin. p. 676. & ſeqq.* ubi de Vett. Re Agrimenſoria pluribus agit.

DECIMATIO, pœna fuit apud Romanos militaris, cum integra Legio officium non feciſſet, etiam apud alias gentes in more. Ejus antiquiſſimum exemplum extat apud Liv. *l.2.c.59.* ab Appio Claudio Conſ. ferociſſimi ingenii viro incertum an primùm editum, non multis poſt Reges exactos annis. Verba ejus ſunt: *Appius Claudius Conſul advocata concione invectus haud falsò in proditorem exercitum, militaris diſciplinæ, deſertorem ſignorum; ubi ſigna, ubi arma eſſent, ſingulos rogitans, inermes milites, ſigno amiſſo Signiferos, ad hoc Centuriones dupliciarioſque, qui reliquerant omnes, virgis cæſos ſecuri percuſſit, cætera multitudo, decimus quiſque ad ſupplicium lecti.* Rationem reddit Cic. *pro Cluentio*: *Statuêrunt.* inquit, *ita Majores noſtri, ut ſi à multis eſſet flagitium rei militaris admiſſum, ſortitione in quoſdam animadverteretur, ut metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perveniret. Nam miles, qui locum non tenuit, qui hoſtium impetum vimque pertimuit, poteſt idem poſtea miles eſſe melior & vir bonus & civis utilis: quare ne in bello propter hoſtium metum delinqueret, amplior ei mortis & ſupplicii metus eſt à Majoribus conſtitutus: Ne autem nimium multi pœnam capitis ſubirent, idcirco illa ſortitio comparata eſt*, vide Carol. Sigon. *de antiquo jur. Civ. Roman. l. 1. c. 15.* Alex. ab Alexandro *Genial. dier. l. 2. c. 13.* Joh. Roſin, *Antiqq. Roman. l. 10. c. 26.* &c. Aliquando Ducis clementiâ mitigata pœna, & loco *Decimationis* viceſimatio vel centeſimatio Legionis inſtituta eſt. Quanto atrocior ille fuit, qui *Decimationem* ſic interpretatus eſt, ut novem ad ſupplicium raptis decimum quemque ſolùm vivere permitteret: & Baſil. Imp. Græcus, qui cùm Bùlgarosv iciſſet, 15000. captivorum oculos eruit: ſingulis ſaltem centuriis unoculum concedens, qui cœteros domum reducerent, apud Georg. Cedren. *in Hiſt.* circa A. C. 1002. &c.

DECIMUS Pacarius, Corſicæ Procurator, qui cùm odio Othonis Vitellium juvare Corſorum viribus ſtatuiſſet, Tacit. *Hiſt. l. 2. c. 16.* & *dilectum agens inconditos homines fatigare muneribus cœpiſſet, inſidiis in balineis interfectus eſt.*

DECINEUS, inter celebres olim divinatores ac vates, memoratur Strab. *Geogr. l. 16. p. 762.* ubi ait *Talis fuit Amphiaraus -- apud Getas olim Zamolxis Pythagoreus, ætate noſtrâ* Deceneus, qui Byrebiſtæ vaticinatur, & apud *Boſporanos Achaicarus, apud Indos Gymnoſophiſtæ, apud Perſas Magi ---- apud Aſſyrios Chaldæi, apud Romanos Hetruſci haruſpices. Talis erat Moſes & Succeſſores ejus: qui ab initiis non malis poſtea degeneravêre.* In Græco eſt, καθ' ἡμᾶς ᾗ ὁ τῷ Βυρεβίσᾳ θεσπίζων, Δεκαίνεος.

DECIUS, nomen pl. Tribuni, qui C. Marcio Coriolano diem ad populum dixit, quòd gravi annonâ advectum è Sicilia frumentum, magno precio dandum populo curaſſet.

DECIUS, Conſul cum Longino. A. U. C. 1139.

DECIUS, Conſul ſolus, A. U. C. 1280.

DECIUS, apud Jac. de Vitriaco *Hiſt. Occid. c. 10. Ea quæ turpiter in Eccleſiis lucrabantur, in tabernis & ludis deciorum --- turpiùs expendebant*, & in *Edicto* S. Ludovici Regis Fr. apud Nangium, *Scholas etiam* deciorum *prohibemus omnino. ita ut tenentes eas diſtrictè puniantur. Fabrica verò deciorum prohibeatur ubique*: talus ſeu taxillus eſt, Gallis *Dé*. Quos non fuiſſe quadratos olim, uti nunc ſunt, diſcimus ex pſeudo. Ovid. *de Vetula l. 1.*

Cùm decius ſit ſex laterum, ſex & numerorum
Simplicium, tribus in deciis ſunt octo decemque,
Quorum nonniſi tres poſſunt deciis ſupereſſe &c.

Vocis etymon nonnulli arceſſunt à *dare*, teſſeraſque hujuſmodi quaſi *datas* volunt appellatas, vide ſuprà in *Dadus*. Alb. Acariſius *Dados* dictos vult, q. *ditos*, i. e. digitos, horum enim in hoc ludi genere præcipuus uſus, Gallique *Dex* etiamnum Digitalia appellant. Car. vero du Freſne *ludum Deciorum* nuncupatum putat, ex vet. Gallico, *Jus de Dé*, h. e. *Judicium Dei*, ſeu ſortes per teſſeras aleatorias jactæ, vide eum in *Gloſſario*. plura vide hanc in rem infrà, ubi de *Talis Teſſeriſque*.

DECIUS Auſonius, vide Auſonius.

DECIUS Auſonius Gallus, Coſ. cum Olybrio A. U. C. 1134.

DECIUS Brutus Julianus, Coſ. cum M. Æmilio Mamerco, A. U. C. 677.

DECIUS Haterius Agrippa, Coſ. cum C. Sulpitio Galba, A. U. C. 774.

DECIUS Junius Brutus, Coſ. cum Pub. Scipione Naſica, A. U. C. 616. Luſitaniam domuit.

DECIUS Junius Brutus Scæva, Coſ. cum. L. Furio Camillo, A. U. C. 430.

DECIUS Junius Brutus Scæva Coſ. cum Q. Fabio Maximo, A. U. C. 641.

DECIUS Junius Bubulcus, Magiſter equitum. Samnites vicit, A. U. C. 445.

DECIUS Junius Pera, Coſ. cum Marco Fabio Pictore, A. U. C. 487.

DECIUS Junius Syllanus, Coſ. cum L. Muræna, A. U. C. 692.

DECIUS Junius Syllanus, Coſ. cum Q. Haterio Antonino, A. U. C. 805.

DECIUS Lælius Balbus, Coſ. cum C. Antiſtio Vetere, A. U. C. 748.

DECIUS Meſſius Quintus Trajanus, Bubalo oriundus, in infer. Pannonia, miſſus à Philippo ad comprimendos motus Mœſiacos, ut primùm provinciam attigit, Imp. omnium conſenſu dicitur, A. M. 4212. A. C. 250. A. U. C. 1003. Hic civiles in Gallia motus ſedavit, prius quàm ad urbem rediret, adverſus Scythas ad liberandas Thracias cum filio profectus, unà cum Decio Hetruſco filio, victo proditione Treboniani Galli, periit & loco, & fato adverſantibus. Equo ſedens ne in manus hoſtium veniret, in paludem inſiliit, A. C. 251. nec cadaver uſquam inventum eſt. Imperavit Annis duobus, vixit, quinquaginta, inter optimos annumeraretur, ſi à cruciatibus Chriſtianorum, quibus ſeptimam perſecutionem crudeliſſimam movit, temperaſſet. Pompon. Lætus. Aur. Victor, *epit. Cæſ.* Oroſ. *l. 7. c. 21.* Euſeb. *l. 1. 6. c. 29. 32. 34.*

DECIUS Mus. vide *Publius*.

DECIUS Philippus, vide *Philippus*.

DECIUS Pyrrhicus, vide *Publius*.

DECIUS Calpurnianus, tanquam adulteriorum Meſſalinæ conſcius & particeps, occiſus. Tacit. *Ann. l. XI. c. 35.* Vigilum præfectus à Claudio.

DECOCTORES, apud Athenienſes olim infamiâ notati: Ex lege Solonis, Ὁ τὰ πατρῷα κατεδηδοκὼς, ἢ ὧν ἂν κληρονόμος γένηται, ἄτιμος ἔστω, *Decoctores paternæ aut alterius cujuſvis hæreditatis, ignominioſi ſunto.* Legem deſcripſit Diogen. Laërt. in *Solone*, & Æſchines *in Orat. c. Timarch.* inter cœteros, quos orare Leges non ſinebant, recenſet εἰ τὰ πατρῷα κατεδηδοκὼς, ἢ ὧν ἂν κληρονόμος γένηται. Sam. Petitus *Comm. in LL. Atticas* l. 5. tit. 2. Orabant enim aliàs & ſuffragabantur in Concione omnes Athenienſes, primò quidem ſeniores, deinde minores, pro ætatis uniuſcujuſque ratione atque ordine, ab anno ætatis viceſimo, ex quo Lexiarchico fuerant inſcripti: quo honore infamiâ notati atque inter hos, *Decoctores*, ex prædicta lege carebant. vide eundem Petitum *Ibid.* l. 3. tit. 1. Adrianus Cæſ. *Decoctores*, ſi ſuæ auctoritatis eſſent, catomidiari in Amphiteatro & dimitti juſſit, apud Spartian. vide ubi de hac pœna. De iiſdem Scaliger *Poëtic. l. 1. c. 21. Voluntarios* decoctores, *qui ganeâ; quive aleä. aut ſcorto aut luxu rem feciſſent deteriorem quique ſeſe ære obligaſſent, Athenienſium ſequutus morem* (Otho Trib. Pl.) *toto Theatro abſtinere juſſit. Qui verò non ſponte decoxiſſent, certa iis loca attribuit.* Adde quæ dicta in *Chrenecruda*, ubi de *Claves remittendi uſu* de *ſervo decoctore*, vide infrà in voce *Veſpertilio*.

DECOLLATIO, inter Vett. pœnas, vide infrà ubi de iis, it. verbo *Rotare*, & voce *Scrobiculus*; nec non *Gladius*, *Humi* ac *Securis*, ubi de *Supplicio more Majorum*.

DECRESCERE, apud Tertullian. *de Pœnit. c. 11. Ad omnem occurſum majoris cujuſque perſonæ decreſcentes*: eleganter, pro corpus inclinare, ſe ſubmittere, venerationi teſtandæ, Græcæ ταπεινοῦσθαι, ὑποπίπτειν & ὑποκύπτειν: quibus opponit Diod. ὑπερέχειν ubi diſcipulos μήθ' ὑπερέχειν μήθ' ὑποπίπτειν ἄλλον, vùlt. Hoc enim plerumque adulatores ſolent & qui magnam animi abjectionem teſtantur. Arnob. *adv. Gentes l. 1. Si ſe ſibi aliquis adulatoriâ humilitate ſubmittat.* Et *l. 7. Tum deinde ſalutet aulinis, ancillæ aut ſervuli pavibundas trepidationes imitatus.* Cujuſmodi adulatoris imaginem habes in Steph. cujus ψευδομαρτυρίαν pulſavit Demoſthenês. Sic nempe de eo Orator *Accuſ. 1.* Οὗτος γὰρ, ἡνίκα συνέβαινεν εὐτυχεῖν Ἀριστολόχῳ τῷ τραπεζίτῃ, ἵνα βαίνειν ἐφεδίζειν ὑποπεπτωκὼς ἐκείνῳ. *Hic enim quum res Ariſtolochi Trapezitæ florerent, eum aſſectabatur, & continuis atque æquis paſſibus comitabatur, ei ſeſe demittens ac ſubjiciens.* In Nicia item, apud Plutarch. *in eo* ubi Phrynichi verſus hi,

Ἦν γὰρ πολίτης ἀγαθὸς ὡς, εὖ οἶδ' ἐγὼ,
Κοὐχ ὑποταγεὶς ἐβάδιζεν, ὥσπερ Νικίας.

Sic Ariſtoph. *in Equitibus Act. 1. Sc. 1.* de tali,

Ὁ βυρσοπαφλαγὼν ὑποπεσὼν τὸν δεσπότην
Ἤικαλλ', ἐθώπευ', ἐκολάκευ', ἐξηπάτα.

Vide deſid. Heraldum *Animadverſionibus Arnobianis adlib. citatos.*

DECRETA, dicuntur Jurecoſſ. quæ Princeps cauſâ cognitâ ex utraque parte pronuntiat. *Gloſſa Baſilic.* Δέκρετον, ἀπόφασις βασιλέως ἢ ἄρχοντος. Poſtea in Eccleſia, cùm Canones Conciliorum duplicis eſſe cœpiſſent generis, eos, quibus mores & diſciplina Eccleſiæ regebatur, peculiari appellatiòne, *Canones*; quibus verò fidei determinabantur capita, Δόγματα Græci, *Decreta* Latini quoque appellarunt. Hinc in Juſtiniani *Nov. 131. c. 1.* Δόγματα & Κανόνες diſertè à ſe invicem diſtinguuntur, & apud Euſeb. *Hiſt. Eccl. l. 6. c. 35.* ubi de Concilio agitur c. Novatum, quod Epiſcopi cœterique decrevêrunt, *de pœnitentia lapſis concedenda*, Δόγμα vocatur, δόγμα παρέστη τοῖς πᾶσι, *Decretum ab omnibus factum eſt.* Quod tamen diſcrimen perpetuum non eſt; maximè ſequiori ævo, quo indifferenter omnia decreta, ſive dogmata fidei, ſive cerimonias Eccleſiaſticas reſpicerent, *Canones* dici cœpêrunt, item *Decreta* & *Capitula*, ut ex Conciliorum inſcriptionibus liquet. Hæc in unum corpus, ſub certis titulis, redegere Regino, Burchardus Wormacienſis, Anſelmus Lucenſis & Ivo Carnotenſis; deinde Gratian. qui ſub Eugenio III. vixit, & opus ſuum *Decreta* appellatum evulgavit, A. C. 1141. Henr. Gandavenſis *de Scriptor. Eccl. c. 44. Gratianus Monachus Bononiæ habitans*, Codicem, *quem* Decreta *vocant, compilavit*: In quo unà cum Canonibus ſeu *Decretis* Conciliorum *Decretales* quoque Pontificum *Epiſtolas* junxit, de quibus infrà. In ſpecie *Decretum* dicitur Epiſtola Cleri & populi Eccleſiæ Epiſcopalis miſſa ad Metropolitanum & Epiſcopos diœceſeos Metropolis, quâ eum, quem Epiſcopum elegerant, ab iis ordinari & conſecrari poſtulant: Τῆς χειροτονίας τὸ ψήφισμα, Palladio in *Vita* Chryſoſt. Cujuſmodi Epiſtolæ formula extat, in *Ordine* Rom. hoc lemmate: *Decretum; quod Clerus & Populus firmare debet de electo Epiſcopo.* Atque hoc modo, qui à Clero & Plebe legitimè electus eſt, poſteaque à Metropolitano & Epiſcoporum conſeſſu publicè decernitur Epiſcopus, viſo electionis *decreto*, ab omnibus ſubſcripto *per Decretum fieri* dicitur Epiſcopus. vide C. du Freſne *in Gloſſ.* & *Notis ad Cinnamum.*

DECRETALES, dictæ ſunt Epiſtolæ Romanor. Pontific. quibus reſpondent iis, qui aliqua de re illos conſulunt. Incrementum enim Pontific. Rom. ex ſplendore, qui ſucceſſu temporum acceſſit, & dominio Urbis, quod ſibi accepêrunt, multos, qui in rebus controverſis conſilia petebant. ad Romanos Epiſcopos conſulendos exivit; qui petentibus reſcribebant. Quod & Epiſcopi in Oriente & Occid. facere ſunt ſoliti: quorum Epiſtolæ tamen hominum negligentiâ interiêrunt. Et quidem, cùm hæc Epiſcoporum ac Metropolitanor. reſcripta primùm conſilia ſolùm eſſent, circa finem

ſeculi V. in Eccleſia inprimis Romana, majoris auctoritatis ac pretii eſſe, & inter PP. ſcripta haberi cœpêrunt. Hinc in Synodo Rom. ſub Gelaſio A. C. 494. à LXX. Epiſcopis inter alia & hoc decretum: *Item Decretales Epiſtolæ, quas beatiſſimi Papæ pro diverſorum PP. conſultatione, dedêrunt, venerabiliter ſuſcipiendæ ſunt.* vide c. *ſancta Romana.* diſt. 15. Quo decreto PP. illi nondum quidem auctoritatem Canonis Epiſtolis illis dedêrunt; in cenſum tamen eorum librorum illos retulêrunt, qui à Chriſtianis tutò legî poterant; quoſque *Eccleſiaſticos liberos* nonnulli vocarunt. Quam ob cauſam, in *d. c.* hæ *Decretales*, poſt opuſcula PP. *quæ in Eccleſia recipiuntur*, ante Martyrum monumenta recenſentur: Primuſque qui eas collegit Dionyſ. Exiguus ſeculo VI. ineunte (à Syricio collectionem ſuam orſus, quia ultra eum genuinas nullas invenit) ſingulari eas & à Canonibus ſeparato volumine complexus eſt. Poſtmodum verò inter Canones receptæ ſunt, quem locum primus illis Creſconius dedit: Orientali Eccleſiâ nequicquam obluctante. A quo tempore Collectores eas catervatim Collectionibus ſuis inſeruêrunt; omnes, quas habere potuit, etiam ſpurias, ſuæ farragini inferente Gratiano. Poſt quem *Decretales* ſeparatim à Canonibus colligi cœpêrunt: primuſque qui hîc operam, ſed privatam, impendit, Bernardus Circa fuit. circa A. C. 1191. *Secundæ* collectionis tres fuêrunt auctores, Gilbertus, Alanus & Joh. Galſenſis ſeculo XIII. *Tertiam* incepit Bernardus Major Compoſtellanus, quâ offenſi Romani ab Innocentio III. impetrarunt, ut Pontificiâ autoritate aliqua Collectio ederetur; cui rei Petrus Beneventanus Notarius præfectus eſt, à quo primùm publicâ auctoritate *Decretalium* collectio facta eſt, circà A. C. 1210. *Quartæ* Collectioni anſam præbuit Concilium Lateran. in quo idem Innocentius capita 71. edidit, quibus adjectæ ſunt aliæ *Decretales* & Reſcripta, quæ per quinquennii ſpatium poſt tertiam Collectionem editæ erant. Atque has quatuor Collectiones edidit Antón. Auguſtinus. Ilerdenſis Epiſc. & *Notis* illuſtravit. *Quinta* Collectio Honorii III. Conſtitutiones habet, à Tancredo Bonon. Archidiacono collectas, ſub ipſius Pontificis nomine: quam edidit Innocentius Cironus. Hanc tandem excepit *Sexta*, juſſu & auctoritate Gregorii IX. facta, à Raimundo de Pennaforti Papæ Capellano A. C. 1230. A quo in colligendis *Decretalibus* ceſſatum, uſque ad Bonifacium VIII. qui tribus Cardinalibus commiſit Compilationem *Decretalium*, quæ poſtea *liber ſextus Decretalium* vocata eſt, quòd aliis quinque Gregorii eſſet addita: in Gallia autem non receptam eſſe, docet Duarenus *Præf. l. de Sacr. Eccl. Miniſtr.* Acceſsêre dein *Clementinæ*, & *Extravagantes*, ſub Clemente V. & Joh. XXII. quo pacto Jus Pontificium ad umbilicum perductum eſt. Ut enim Gratiani Decretum Juris Civilis Pandectas, ſic *Decretales* Codicem; Sextus Clementinæ & Extravagantes, Novellas repræſentant. Judicium *de Decretalibus* Franc. Duareni h. e. *l. cit.* ubi de Collectione Gregoriana: *In eo* Decretalium *volumine multa intuèri licet quæ à priſca illa diſciplina, quam Decretorum liber à Gratiano editus continet, multùm degenerent: Atque hinc natum eſt illud inter noſtrates tritum ac vulgò jactatum, malê cum rebus humanis actum eſſe, ex quo Decretis alæ acceſſêrunt. Eſt enim hæc rerum humanarum conditio, ut fere in deterius prolabantur* &c. Alludit nempe adverſus hanc in rem linguâ vernacula factos, jam ante bina ſecula; in quibus Decreta vocantur *Decrets*, & intelliguntur Decreta Gratiani; à Gregorio autem dicuntur additæ *alæ*, i. e. ex *Decrets*, fecit is *Decret-ales*: vide illos ut & plura hanc in rem, apud Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccl. n.* 336. *& ſeqq.* & hîc paſſim, inprimis ubi *de Canonico Jure*, *Compilatione Decretalium* voce Regeſta, & Collectoribus prædictis.

DECRETORIA Arma, vide ſuprà *Ad acuta*, infrà *Pugna.*

DECRIUS, caſtello, juxta Pagydam fluv. præpoſitus, impiger manu, exercitus militiâ: Qui cùm à Tacfarinate, unà cum ſua cohorte, obſideri cœpiſſet, Tacit. *Ann. l. 3. c.20. illam obſidionem flagitii ratus, aciem pro caſtris inſtruxit, Ubi, primo impetu pulsâ cohorte, inter tela occurſans fugientibus, ſimul excepta vulnera, & quanquam transfoſſo oculo, adverſum os in hoſtem intendit; neque prælium omiſit, donec deſertus ſuis caderet.*

DECTADAS, Hiſtoricus à Parthenio laudatus *Eroticôn c.* 13. ubi de Harpalyce.

DECULÆ, cognomen gentis Tulliæ plebejæ.

DECULANI pop. in 2. Reg. Italiæ. Plin. *l.* 3. *c.* 11.

DECUMA, Hiſp. opp. in conventu Cordubenſi.

DECUMANA, nomen portæ apud Romanos, quæ à tergo caſtrorum erat, ſic dicta, quòd ampla eſſet ac patens. Ex ea deſertores ac facinoroſi, in quos jure militari animadvertendum erat, educebantur, pœnis coërcend. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 12. Ad eandem Extraordinarii tendebant, fuitque Prætoriæ portæ oppoſita, Salmaſ. *ad Solin.* p. 671. Apud eoſdem Romanos *Decumani* dicti ſunt Publicani, quòd *Decumas*, ſic vectigal vocabatur frumenti, quod Provinciis tributi loco inter alia impoſitum erat, colligerent. Idem Roſin. *cod. l. c.* 22. Frumentum verò *Decumanum* dicebatur hæc decuma, quam quiſque arator ſine pretio dare cogebatur: quæque vel Romæ à Cenſoribus, vel in provincia, à Magiſtratu Rom. vendebatur Publicanis, ut pro ea certam pecuniæ ſummam populo Rom. repræſentarent. Unde phraſes apud Ciceronem, *Emere & vendere decumas*, quorum illud fuit Publicanorum conducentium, hoc Ærarii locantis. Imò fuit & frumentum *Decumanum emptum*, quod ex alteris item decumis pretio perſoluto aliquando accipiebatur. Idem *ibid.* vide quoque Joh. Frideric. Gronov. *de Pecun. vet.* & ſuprà in voce *Decimæ*. Sed & *Decumanus* limes, in re Agrimenſoria maximus dicebatur, qui cùm Cardine ſtellam efficiebat, & viæ regiæ ac militaris obtinebat locum. Ab eo etiam minores, illi paralleli, nomen accipiebant, *prorſi* aliàs dicti. Et ſic cùm Decumanus & Cardo maximi ac primi centurias non clauderent, ſecundi Decumani & Cardines eas primi includebant. vide Salmaſ. ubi ſuprà p. 632. *& ſeqq.* ut & ſuprà in voce *Decimanus*. Ut & hoc addam, *Decumani Canonici*, in Eccleſ. Mediolan. circa A. C. primùm occurrunt dicti, quos hodie *Capellanos Titulares* vocant, ut auctor eſt Joh. Puricellus *in Monum. Baſilicæ Ambroſianæ* p. 375. & 376. in Gallia *Canonicos Vicarios* appellari, ait Car. du Freſne. Numerus eorum XXIV. eſt, quos *à B. Simpliciano in Eccleſia majori ordinatos eſſe*, legitur in libro, cui tit. *Flos Florum*, apud eundem, qui, *Decumanorum* horum crebram in veteribus Tabellis mentionem fieri addit.

DECUMANI, Galliæ pop. Plin. *Mela.*

DECUMANUS, fluctus ponitur pro ingenti, ſive ab obſervatione; quòd *decimum* quodque magnitudine ſoleat ſuperare, ſive potius à Pythagoræorum ſuperſtitione, qui magnificè admodum de hoc numero ſenſêre. Feſtus: *Decumana ova dicuntur, & fluctus decumani quia ſunt magna: Nam & ovum decimum majus naſcitur, & fluctus decimus fieri maximus dicitur.* Teſtantur id paſſim poëtæ Latini. Ovid. *Met. l.* 11. *v.* 531.

Vaſtius inſurgens decimæ ruit impetus undæ:

Idem *Triſt. l.* 1. *Eleg.* 2. *v.* 49. & 50.

Qui venit hic fluctus, fluctus ſupereminet omnes,
Poſterior nono eſt, undecimoque prior.

Lucan. *l.* 5. *v.* 672.

Hæc fatum decimus, dictu mirabile, fluctus
Invalida cum puppe levat.

Senec. *in Agamemnone*, *v.* 501. & 502.

Hæc onere ſidit, illa convulſum latus
Summittit undis, fluctus hanc decimus tegit.

Val. Flacc. *Argon. l.* 2. *v.* 54.

Incaſſum decimæ cecidit tumor arduus undæ.

Silius Italic. *l.* 14. *v.* 122, *& ſeqq.*

Non aliter Rhodopes Boreas à vertice præceps
Quum ſeſe immiſit, decimoque volumine pontum
Expulit in terras. ———

Nic. Lloydius.

DECUMATES, agri in Germ. ſunt Tacito, de moribus & popul. Germ. *c.*29. ubi Hodie Wirtembergenſis ducatus eſt, Willichio teſte. Iidem *Caritini* ſunt *Ptol.* ut Melanchthon & Peucerus exiſtimant.

DECUNI, Dalmatiæ Populi. Plin. *l.* 3. *c.* 22.

DECURIA, in vet. *Inſcr.* Romæ, honori Herculis Somnialis factâ:

V. F.
CVLTORES. HERCVLIS.
SOMNIALIS. DECVRIA. I.
DIS. MANIBVS.
SIBI. ET. POTERISQVE. SVIS.
II. QUI. INFRA. SCRIPTI. SVNT.
Q. CECILIVS. Q. GAL. LVCCEIANVS.
Q. CECILIVS. A. MVNDVS. &c,

vide integram apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 351. Gr. Δεκὰς eſt, à *denario* numero dicta. Hujuſmodi enim corporatorum Collegia, uti & poſtmodum officia Domus Auguſtæ, per *Decurias* deſcribi conſueviſſe, notat idem *Ibid.* Hinc Columella *l.* 1. *c. ult.* *Claſſes verò non majores, quam decem hominum faciendæ, quas* Decurias *appellavêrunt Antiqui.* Quæ vox manſit quoque cùm amplior, imò ſæpe minor numerus eſſet, Gronov. *de Pec. vet. l.* 1. *c.* 1. vide inprimis hac de re Caſaub. *ad Suet. Aug. c.* 32. ubi *de tribus Judicum decuriis* agens, quibus quartam adjecit Auguſtus, voce λεύκωμα ſeu *album* (in quo fortè milleni) indigitari, is ait. Ibidem & de *Equitum Decuriis* varia. Sed & *Decuria* Servorum occurrit apud Senec. *Epiſt.* 47. *Retulit illi gratiam ſervus ille in primam decuriam conjectus, in qua vocem Præco experitur.* Plaut. *gregem venalium* vocat; *Aulul.* Sc. 3. Act. 3. Nempe rejicula mancipia *per decurias* veniebant; turdorum inſtar, quorum *decuriæ* ſeu *coronæ* meminit Mart. *in Xeniis, Epigr.* 50. cujus lemma in nonnullis codd. eſt *Turdorum corona*; in aliis, *Turdorum decuria*: in Arondelliano utrumque, *Turdorum decuria ſive corona.* Epigramma verò hoc,

Texta roſis, fortaſſe tibi, vel divite nardo,
At mihi de turdis facta corona placet.

Sic *decuriæ pellium tentoriarum triginta*, apud Treb. Pollion. *in Claudio* &c. vide quoque ſuprà *Decades.*

DECURIA ſeu DECENNA, decemviralis erat ſocietas in Anglia, in qua ſinguli reliquorum fidejuſſores extitêre erga Regem, de ſe bene gerendo, ita ſc. ut delinquentem quemlibet cœteri novem in judicio ſiſterent, fugientemque intra 31. dies redderent, vel ipſi lege tenerentur. Aliter *Friborgus.* Vide ibi. *Decuriæ* præfectus *Borsholder*, q. fidejuſſor primarius, dicebatur. Alvredus autem Rex, qui floruit circa A. C. 880. Angliam totam in Comitatus, hos in Centurias, iſtas denique in Decurias & Decennas, diviſit. Vide Henr. Spelman. *Gloſſ. Achæol.*

DECURIONES apud Romanos dicti ſunt, decem Equitum præfecti; quemadmodum enim Centuriæ peditum in Contubernia, quibus præerant Decani, ita turmæ Equeſtr. in *Decurias*, qui parebant Decurionibus, erant diſtributæ. Item Coloniarum & Municipiorum Senatores, in quibus legendis ſummam curam adhibitam eſſe, docet Cic. *in Epiſt. ad Leptam l.* 6. ubi *eos*, inquit, *qui præconium facerent, vetari eſſe in Decurionibus; qui feciſſent, non vetari.* Ex horum ordine Decemviri legebantur, qui tributorum exactioni ita præerant, ut ſi quid detrimenti fiſcus mortuorum causâ contraheret, ipſi ſuis ſumptibus reſarcire tenerentur. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 24. At *Decurio Palmyrenus*, apud Sext. Ruf. *Princeps civitatis*, eſt Trebellio Pollioni, *unus ex Principibus civitatis*, Fl. Vopiſco in *Aureliano*, Odenatus ſc. qui, priuſquam Imperium raperet, unus τῶν πρωτοπολιτῶν, ſeu *Principum civitatis*, Palmyrenorum erat. *Decuriones* ſc. ſeu Curiales in unaquaque urbe, Principes civitatis erant, & quaſi Senatores: quorum primos *Principales* dictos eſſe, notum eſt. Salmaſ. *ad Vopiſc. l. cit.* vide quoque ſuprà ubi *de Curſu Publico*, & *Decaprotis.*

DECURSIO Exercitus, à Scipione exhibita, memoratur Liv. l. 29.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

l. 29. c. 22. *Venientibus eis* (Romanorum Legatis) *Syracuſas , Scipio res , non verba , ad purgandum ſeſe paravit , exercitum omnem eò convenire , claſſem expediri juſſit , tanquam dimicandum eo die terrâ marique cum Carthaginienſibus eſſet. Quo die venêrunt ,* hoſpitio comiter exceptis, *poſtero die terreſtrem navalemque exercitus , non inſtructos modo , ſed hos* decurrentes , *claſſem in portu , ſimulacrum & ipſam edentem navalis pugnæ oſtendit.* Apud eundem , ſub conſimilis *Decurſionis* prætextu , Tyrannum , qui Lacedæmonem occupaverat , ab Alexamene occiſum habes *l.* 35. *c.* 35. Gracchus quoque *juſſo ornari copias peditum equitumque omnes & decurrere armatas* , Celtiberos ab auxilio circumſeſſæ urbi Certimæ ferendo deterruit , ibidem *l.* 40. *c.* 47. &c. Et quidem non duces ſolùm , ſed & quiſquis in bellorum hujuſmodi ſimulacris atque militaribus exercitationibus *decurreret* , priſco more coronatus fuit , uti docet Xenoph. *Hellenic. l.* 3. ubi de Ageſilai exercitu , & Virgil. *Æneid l.* 5. *v.* 553. *& ſeqq* ubi de Equeſtri Decurſione puerorum , juſſu Æneæ factâ , ait ,

Incedunt pueri , pariterque ante ora parentum ,
Frænatis lucent in equis : quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit Trojæque juventus.
Omnibus in morem tonſa coma preſſa coronâ :

Atque hinc mos ortus milites , in rei bene geſtæ præmium , coronis donandi. Car. Paſchal. *Coronar. l.* 7. *c.* 2. Hodie in Regum Principumque Aulis , *Decurſio Equeſtris ad annulum* frequens eſt , cujus deſcriptionem hanc exhibet Fr. Pomey : *Equo cœpit invehi mollique greſſu ſpatium emetiri , velut exploraturus ſtadii menſuram ; propiuſque accedens ad columnam , annulum inde penſilem recto ſtatuit ſitu , itaque direxit , ut aſpectu non emineret altiùs. Tum porrectam ---- ſumit lanceam , deinde pari , quo venerat , gradu , redit ad ſtadii carceres. Hic , dato ſigno per Regios tubicines , Africanum ſuum dimidium agit in gyrum , admotiſque calcaribus admittit eâ velocitate , ut fulgur videatur aſſequi. Itaque , quam initio curſûs , totâ explicati brachii porrectione , haſtam tenuerat ſublimem , ſenſim acclinatam , arrectamque in annulum , haud ſolerter minùs , quàm feliciter , inſerens , palmam primâ hac decurſione reportat , equo ad metam derepente inhibito , poſt aliquos ex arte in ſublime ſaltsu. repetitâ decurſione parem retulit pari felicitate laudem ; quam tertiâ tantiſper imminuit , annulo duntaxat perſtricto ; cùm priùs ſemel iterumque abſtuliſſet lanceæ cuſpide. Ejus contrà æmulus , nimio actus victoriæ deſiderio , victoriam amiſit , collineavit nunquam rectâ haſtâ , aut in obliquum , aut in ipſum longurium annularem tantùm non impactâ* , in *Deſcript. div.* Galli iſtiuſmodi exercitium vocant *Courſe de Bague* , Germ. *Ringel-rennen* : quod in Torneamentorum locum ſucceſſiſſe, diximus in hac voce. vide quoque infrà *Quintana*. De *Decurſionibus* vett. circa rogum, jam ab antiquo ævo fieri ſolitis, alibi.

DECUTES Togæ , Feſti abbreviatori ſunt detritæ ; quemadmodum Græci quoque συγκεσσὰ ἱμάτια interpretantur , ὧν ἡ κροκὺς ἀνατέτριπται , *quorum detriti ſunt flocci* : Salmaſ. verò eædem ſunt , quæ & *concutes* & κρεστὰ ἱμάτια dicebantur ; nam *decutere*, in *Gloſſ.* κερκίζειν, eſt *percutere ſeu concutere τῇ κερκίσει* , i. e. *radio textorio* , vide ſuprà.

DEDAN , urbs , Jerem. *c.* 25. *v.* 23. vide Boch. *Phaleg. l.* 4. *c.* 6. In tribu Juda.

* DEDANIM , filii Dedan.

DEDECUS Canum , pænæ genus , medio ævo in uſu , de quo vide ſuprà , ubi de *Canem ferendi ritu*.

DEDICANDI Ritus , antiquiſſimo in uſu. Et apud Hebræos חנך & חנכה ; apud Græcos ἐγκαινίζειν & ἐγκαίνια & ἐγκαινισμὸς , idem, quod Latinis *Initiare* ac *Initia*, ſeu *Initiamenta* ac *dedicare* & *Dedicatio* eſt , conſecratio ſc. ſeu uſibus ſacris cultuique divino addictio , ſive prima, ſive denuo inſtaurata: quod Græci quoque ἀφιερῶσαι & ἀνατιθέναι τῷ Θεῷ dixêre. Qui ritus ab Hebræis tranſiit ad Gentiles , apud quos proin mos inolevit , ut Ædes eorum ſacræ , Aræ , Deorum ſtatuæ , ambituſque circumjacentes per ſolennia ſacra , quæ tum Euchariſtica eſſent , tum Propitiatoria , ac veluti התודות ſeu Sacrificia illa , quorum in Hebræorum *Dedicationibus* mentio , dedicarentur , uti & interdum transferrentur , ampliarentur reficerenturve. Et quidem Græci vett. ſacrificiis ſumptuoſioribus , ut victimis , pro arbitrio , Aras , Templa , Statuas Deorum dedicabant : ſed verò , qui manu etiam tenaciore in *Dedicationem* offerebant , χύτρας *ollas* adhibebant , more ſolemni à mulieribus ſuper capita circumferendas , in quibus Πανόσπερμα ſeu leguminum omnigenûm elixorum mixtio , unde libatio fieret ἀφιδρυμένοις Diis *dedicatis* Euchariſtica & Propitiatoria , vide Ariſtoph. *Pluto Act.* 5. *Sc.* 3. Hoc tamen temperamento adhibito , ut ſacrificii ſive genere ſive modo , Deo ipſi dedicando neutiquam idoneo , non omnino uterentur : Proin cùm ſacrificia tam multiplicia eſſent , quàm ipſa Numina , videtur in ipſa *Dedicatione* ſaltem plerunque , idem exhibitum , quod poſtmodum ſingulis in uſu , utcunque pro ſacrificantis liberalitate ultronea ſubinde auctum. Quò ſpectat *Dedicatio* Philoctetis aræ templique , in Caſſandræ vaticinio apud Lycophron. ,

Ἐν δ' αὖ Μακάλλοις σηκὸν ἔγχωροι μέγαν
Ὑπὲρ τάφων δείμαντες , αἰανῆ θεὸν
Λοιβαῖσι καὶ θύσθλοις βοῶν.
In Macellis (Italiæ urbe,) *tandem templum indigenæ magnum*
Super ſepulchrum extruentes , æternum Deum
Libationibus honorabunt , & boum ſacrificiis.

Simile apud Eundem habes , de Parthenopes templo extructo & libationibus ſacrificiiſque annuis honorato , i. e. iiſdem *Dedicationi* adhibitis & poſtmodum quotannis iteratis. Atque ita quidem Salomo , Zorobabel , Judas Maccabæus , Herodes , ſacrificiis , quæ DEO. OPT. MAX. ex ſe idonea fuêre in *Dedicationibus* pro libitu & variatim utebantur. Quibuſnam verò ex auſpiciis & quorum auctoritate publicâ , an Pontificis an Magiſtratus alicujus , hæc initiamenta penderent , apud Græcos non adeò liquet. Interim , cùm Areopagitæ aliive ; quibus permiſſa erat poteſtas publica , jus haberent ſoli adprobandi ἐπιθέτου ſeu *novi Numinis* , etiam & veteris ſeu jam ἐγχωρίου ac publici qualemcunque *Dedicationem* in uſum publicum nullam ſine eorum auctoritate pro legitima Athenis habitam fuiſſe , veriſimile eſt. Ut enim alia omittam , cùm Imperatores , eorumque interdum delitiæ , ut Antinous , in Deos referendi erant apud Græcos , Romanis parentes , id non ſine publica Provinciarum Urbiumque auctoritate , permiſſu Principis P. Q. R. nixâ factum eſſe , ex Hiſtoria Auguſta obvium eſt , vide Tacit. *Ann. l.* 1. *&* 4. Vetuſtiſſima autem Græcorum in *Dedicationibus* vox , ut ex marmoribus quibuſdam ſcriptiſque eorum conſtat , fuit ἀνέθηκε , ut in Tripodum Epigraphis tribus , in literis Jonicis , apud Herodot. *Terpſich.* &c. Aliàs ἱδρύσατο & ſimilia reperies. Fiebantque illæ nunc metro (quod rarius) plerunque proſâ ; interdum etiam interſertis , quæ à Numine eo nomine deſiderabantur ; ut in *Dedicatione* fundi haud procul ab Urbe in Triopio , facta ab Herode ſive Rege ſive Rhetore , in quam Caſaub. & Salmaſ. edidêre notas. Cauſa item acceſſit in turris Phari , velut Aræ , Soſtrati Cnidii dedicatione , apud *Strab. l.* 17.

ΣΩΣΤΡΑΤΟΣ ΚΝΙΔΙΟΣ
ΔΕΞΙΦΑΝΟΥΣ
ΘΕΟΙΣ ΣΩΤΗΡΣΙΝ
ΥΠΕΡ ΤΩΝ ΠΛΩΙΖΟΜΕΝΩΝ.

Soſtratus Cnidius , Dexiphanis fil: Diis Servatoribus , pro navigantibus. Frequentiùs verò ΑΠΟΛΛΩΝΙ , ΑΡΤΕΜΙΔΙ , aliis , inſcriptæ ſunt Aræ , citra *Dedicandi* verbi aliuſve tantumdem innuentis cauſæve adjectionem. Etiam in pagis Atticis olim reperiebantur Βωμοὶ ἀνώνυμοι , *Aræ ſine nomine* Dei alicujus : quemadmodum Romani , *ſi Deus , ſi Dea* , H. Grot. *ad act. Apoſt. c.* 17. *v.* 23. In quibus omnibus non dubitandum , quin tum Sacrorum , quæ poſtmodum Diis continuanda eſſent , tum rituum aliorum , ſolennitas (plerumque ſaltem) annua , etiam *Dedicatonis* nomine celebraretur &c. Atque his analoga obtinuêre pariter , apud Gentes alias , quotquot Templa Ædeſque ſacras aris ſtatuiſque ornatas admisêre. In ſcriptis certè tum chartaceis , tum marmoreis Romanorum , habentur frequentiſſimæ Templorum *Dedicationes* ſolennes , quarum etiam , illis in uſu, jura rituſque expreſſiùs occurrunt. Injuſſu Populi aut ſine Plebis ſcitu aut Senatus conſulto , quod Plebiſcitum ſæpius ſupplebat , aut demum Principis indultu (uti , apud Hebræos , juſſu Synedrii Mag.) Ædes , Terra, Ager, ritè dedicari nequibant , ut de ædibus ac templis maximè liquet ex Liv. *l.* 9. *c.* 46. *ſub fin. ubi* Corn. Barbat. Pontificem Max. ait , *negaſſe , niſi Conſulem aut Imperatorem poſſe Templum dedicare ; atque ex autoritate Senatus latum ad Populum fuiſſe , ne quis Templum Aramve , injuſſu Senatus , aut Tribunorum Pl. partis majoris dedicaret.* Scilicet A. U. C. 450. Poſtmodum verò ex auctoritate Pontificibus permiſſa , atque lege Papiriâ , nec Ædium , nec Terræ , nec Agri , *ſine Populi juſſu aut Plebis ſcitu* , legitima fiebat dedicatio , ut videre eſt apud Ciceronem , jus *Dedicationum* ſui ævi copioſiùs explicantem , *Orat. pro Domo ſua* & *ad Attic. l.* 4. *Epiſt.* 1. nec non infrà *Sulpitia lex.* Sed & de SCti hîc auctoritate impetrata , non ſemel Liv. Et demum , ex Lege Regia , & Cæſarum Pontificatu Max. penès eos erat , ut rerum aliarum , ita *Dedicationum* poteſtas & permiſſio , ante quam Legem , quæ Veſpaſiani tempori tribui ſolet Senatu P. Q. contradicente , ne illis quidem id licebat , ut ſatis elicitur ex eo , quod habet Tertullian. *Apologetic. c.* 5. & *adv. Nat. l.* 1. *c.* 10. de Deo Alburno & de Jeſu Chriſto , quem cùm amplecti vellet Tiberius , reſpuente Senatu , receptus non eſt. Interim in cauſis ſacris , adeoque & *Dedicationibus* , plurimum auctoritatis ſæpius Pontificibus minoribus , eorumque Collegio, Quindecimviris Sacris faciundis & Auguribus permiſiſſe tribuiſſeque Imperatores , etiam poſt Legem præfatam , reperimus , vide Lamprid. *Alex. Sev.* &c. Atque , ut *Dedicationes* fiebant ſic recèns *extructarum* Ædium ſacrarum , aliorumque , ita & *reſtitutarum* , quemadmodum in Encæniis Zorobabelianis , Maccabaicis & Herodianis : & Templi veteris , ideò tantùm diruti , ut denuo extrueretur , ſpatium ſive area , tametſi non ampliata aliterve mutata , denuo , interdum etiam , antequam reædificaretur , dedicabatur. Cujus rei egregium ac ſingulare exemplum habemus , in Capitolio ſub Veſpaſiano reſtituendo , apud Tacit. *Hiſt. l.* 4. ubi Prætor *dedicat* , præeunte verba Pontifice , & Auſpices ſiſtunt & effantur ſpatium. Nec legitimum erat Templum , quod non per Augures & Auſpices conſecraretur : itaque Magiſtratus ſummi , Pontifices , Augures , Auſpices , *Dedicationibus* apud eos , ſimul cum *Dedicante* præerant , ut apud Hebræos Rex , Pontificis Oraculum, Propheta. Ritus ac formulæ *Dedicationis* , uti & perſonæ , quæ ei præeſſent , apud eoſdem multiplices fuêre , & ritibus perſoniſque Hebræorum analogæ. Verbis de Ædibus, Arearumque finibus & legibus , juxta quas ſacrarentur , conceptis , præibat Pontifex, quem ſequebatur Magiſtratus ſeu alius , qui dedicaret. Varro de *Ling. Lat. l.* 4. *Ædis ſacra , à Magiſtratu , Pontifice præeunte , dicendo dedicatur &* Effata *dicuntur quod Augures finem auguriorum cæleſtium extra Urbem agris ſunt effati. Hinc effari Templa dicuntur ab Auguribus ; Adfatus qui in his fines ſunt.* Ritibus autem in illis , præter precationes, Auguralis Siſtendi ſive Effandi munus & ſacrificia , ſingularis erat ille , *Dedicaturum* , dum verba præibat , poſtem oſtii Templi manu tenuiſſe , illamque ei ſic impoſuiſſe , ut tum certò indicaret , Ædem ſic uſibus ſacris addicendam , tum in eoſdem , ex auctoritate publica dedicaret. Sic in Jovis ædibus , in Capitolio , dedicandis , *Poſtem tenuit* Horat. Pulvillus Conſ. *inter precationem* ut Liv. ſeu *inter nuncupationem ſolennium verborum* , apud Liv. *Dec.* 1. *l.* 2. & Val. Max. *l.* 5. *c.* 10. Cui apud Hebræos ſimile id fuit , cùm poſtes ædium novarum Mazuzis , de quibus infrà ex Lege ornabantur. Sed nec Sacra fuiſſe ulla , ſine foco accenſo , docet Varro apud Serv. in *Virgil. illud Æneid. l.* 3. *v.* 133. *&* 134.

---- ---- *Et lætam cognomine gentem*
Hortor amare focos ,

Porrò , qui *Dedicationem* ſive Ἀνιέρωσιν hujuſmodi , etiam & Ἐπιγραφὴν ſeu *Inſcriptionem* , ad eam pertinentem , pariter procurabat, teſte Dionyſ. Halicarnaſ. *l.* 5. Haud parum verò gliſcente tandem in his *Dedicationibus* magnificentiâ , acceſſere eis , præter Sacrificia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

pulvinaria, Ludi, epulæ, largitiones publicæ, alia. Feſta inſuper Dedicationis anniverſaria celebrabantur: ſcilicet, ut Urbium, Principum, privatorum natalitia redeuntia, feſta agebantur annua, ita & Templorum conſecrationes; quemadmodum de Encæniis Maccabaicis apud Hebræos infrà videbimus. De peculiaribus ſacrificiis in dedicationibus aliquot Deûm Magnorum, Matris Deûm & Attidis, offerri ſolitis, quæ alibi, quàm in ſaxis, perrarò occurrunt, dicemus ſimiliter infra, in voce *Taurobolium*. Plura vero hac de re; ut & de Chriſtianorum veterum *Dedicationibus*, vide apud Joh. Selden. *de Synedriis vett. Hebr. Part.* 3. *toto capite* 14. & 15. Car. Paſchal. *Coronar. l.* 4. *c.* 15. ubi coronatos fuiſſe, qui aliquid Deo *dedicatum* irent, addit, Alios; nec non, ubi ſuprà de *Conſecratione*, item in voce *Anathema*.

DEDICATIO, in Eccleſia Rom. dicitur dies feſtus Sancti alicujus, Eccleſiæ vicanæ Patroni, qui non ipſorum duntaxat vicanorum, ſed etiam vicinorum pagenſium concurſu celebrari ſolet: unde Regiis olim ſecuritatum privilegiis munitus legitur. *LL.* Eduardi Confeſſ. *c.* 3. *Ad* Dedicationes, *ad Synodos, ad Capitula venientibus —ſit ſumma pax.* Concurſum ad annuas has feſtivitates populorum, indigitat Gregor. Mag. *Homil.* 14. *in Evang.* & Auctor *Vitæ* S. Popponis Abb. *n.* 44. In ejuſmodi verò *Dedicationibus*, ſolennes epulas celebratas fuiſſe, docemur ex Sidonio *Ep. l.* 4. unde poſtmodum, quòd, qui ad hujuſmodi feſta in vicos ire ſolent, non tam pietatis, quàm commeſſationibus & ludicris indulgendi gratiâ, eò coibant, vox in malam partem trahi ac pro commeſſatione publica uſurpari cœpit. Certè hac notione *Dedicationem* uſurpavit Cæſar. Heiſterbach. *l.* 12. *c.* 41. *Miles quidam erat —ſic totus deditus vino, ut diverſarum villarum* dedicationes, *tantùm propter bona vina frequentaret.* Quas quidem commeſſationes attigit etiam Paulin. *Nat.* 9.

Sed rurſum redeamus in atria, conſpice rurſum
Impoſitas longis duplicato tegmine cellas
Porticibus, metanda bonis habitacula dignè,
Quos huc ad Sancti juſtum Felicis honorem
Duxerit orandi ſtudium, non cura bibendi.

Et infrà,

Verùm utinam, ſanis agerent hæc Gaudia votis,
Nec ſua liminibus miſcerent pocula ſanctis.

Atque inde eſt, quòd etiamnum Gallis, *faire la Dedicace*, eſt *genio & ebrietati indulgere*. Nec multùm juvit, quòd *convivia* hujuſmodi *ſabbatorum voluptaria*, ut Auguſtin. *Ep.* 56. ſeu *ſabbatarium* hunc *luxum*, ut Sidon. *l.* 1. *Ep.* 2. vocat, abrogatum voluit Romana Synodus, ſub Eugenio III. *c.* 35. Concilium Cabilonenſe *can.* 19. & Edgarus Rex *in Can. Saxonicis c.* 28. hodieque enim ſatis notabilia priſcæ hujus ἀταξίας veſtigia ſupereſſe, nemo ignorat. vide Car. du Freſne. *Gloſſar.* ubi ſuprà.

DEDITAMENES, ex amicis Alexandri Mag. cui ab eodem Babylonia, Mazæo mortuo, ſubjecta eſt. Curt. *l.* 8. *c*, 3.

DEDITI, non ſemper recipi conſuêvere; ut in pugna ad Granicum Græci, qui Perſæ militabant: apud Tacit. *Ann. l.* 12. Uſpenſes, veniam liberis corporibus orantes; *quod aſpernati ſunt victores, ut belli potiùs jure caderent.* Sed & acceptos in deditionem ſine conditione legas interfici, ut à Romanis Pometiæ principes, à Sulla Samnites, à Cæſare Numidas & ipſum Vercingetorigem: imò mos hic fermè perpetuus Romanorum in hoſtium duces ſive captos, ſive deditos, ut triumphi die occiderentur; quemadmodum Cic. nos docet 5. *in Verr.* Liv. tum alibi, tum *l.* 28. Tacit. ubi ſuprà, Alii. Eodem Tacito memorante Galba decimari juſſit, quos deprecantes in fidem acceperat, *Hiſt. l.* 1. & Cæcina, in deditionem accepto Aventico, in Julium Alpinum è principibus, ut concitorem belli, animadvertit: cæteros veniæ vel ſævitiæ Vitellii reliquit. Cujus rei cauſæ vel ad talionem, vel ad terroris neceſſitatem, vel ad reſiſtendi pertinaciam, ab Hiſtoricis referuntur. Sed hæc non ſufficere ad juſtam cædem, inter alia, inde liquet, quòd à captivis & *deditis*, ſeu *dedere* ſe cupientibus, periculum non eſt: ut ergo juſtè occidantur, crimen antecedat oportet, & quidem tale, quod æquus Judex morte vindicandum cenſeret. Unde *dedititiis* parci voluiſſe Divinam Clementiam, Jure Sacro militari diſcimus. vide hanc in rem plura, apud Hug. Grot. *de Jure Belli & Pacis* paſſim, inprimis *l.* 3. *c.* 4. & *l. eod. c.* 11. Cæterùm, uti Supplices, ſic *Dedititios*, coronam nonnunquam iis obtuliſſe, quibus ſeſe permittebant, ſæpius apud Polyb. *in Eclogis Legat.* &c.

DEDO, filius Theodorici, ex Witikindea familia oriundi, cui à matre Juditha Mersburgica agnata ille Comitatus, præter avita *Sorbeck, Wethin, Wirtenberg, Budſez*, ab Ottone III. Imp. collatus: Cæſus eſt A. C. 1009. in prælio adverſùs Wernerum Marchionem. Filii *Dedonis*, Fridericus Palatinos Saxoniæ ſevit; Theodoricus vero, gener Eccardi Marchionis Miſniæ, Marchionatu Landsbergenſi & Comitatu Euſenburgico, ac Seuſelicenſi ab Henrico II. auctus, inter alios *Dedonem* genuit Luſatiæ, poſt mortem agnati Ottonis, ac Miſniæ Marchionem, Henrici IV. Imp. hoſtem, cujus proſapia brevi extincta eſt: Thiemone fratre ſtemma propagante, cujus filio Conrado Otto dives proſatus, Saxonicos Principes hodiernos ſevit. vide Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Hiſtor. in Fam. Witikindea Saxonica.*

DEDUCERE, verbum nuptiale de Sponſa, quum ad Sponſum à Nymphagogo ducebatur. Papin. Stat. *Theb. l.* 8. *v.* 235.

--- ------ *illi Cythereia laudant*
Connubia: & multâ deductam *lampade fratrum*
Harmonien ------

Petronio *producere* eſt, *perducere* aliis, vide Joh. Paſſerat. *ad Propertium Eleg.* 3. *l.* 4. & plura de hoc ritu infrà, in voce *Deductio Nuptialis*. Aliâ notione vox occurrit, apud eundem Poëtam *Achilleid. l.* 1. *v.* 5. & 7.

(*Sic amor eſt*)
------ *totâ juvenem* deducere *Trojâ.*

Ubi vetus Scholiaſtes *omnem ejus hiſtoriam decantare*, exponit. *Ducere eum* (Achillem) *primùm ad Trojam, & dein omnes ejus res geſtas, mortemque perſequi.* Totius enim Achillis deſcriptio fuit Achilleis Papinii, non eorum tantùm, quæ bellum Trojanum anteceſſêrunt, ut nonnullis viſum, compendium: adeoque ſimplicem & quaſi manu comprehensâ deductionem, ab exordio ad finem vitæ Achillis, Poëta loquitur. vide de *ducendi* & *deducendi* Heroas, Poëtico verbo, Paſſeratium præfatum ubi ſuprà *l.* 2. *Eleg.* 1.

DEDUCTIO *Nuptialis*, בניסה לחופה ſeu *Deductio in Domum* aut *Thalamum* Hebræis dicebantur Nuptiæ, à Sponſalibus diſcriminatæ, cùm viz. poſt hæc Nuptiæ perfectæ fiebant ac abſolutæ. Cujus diſcriminis veſtigia apparent in lege illa militari Deut. *c.* 20. *v.* 7. *Vir ille, qui deſponſavit uxorem & nec dum duxit eam abiens revertitor domum ſuam, ne moriatur in hoc prælio, & vir alius ducat eam.* Ita autem Sponſa *deducta*, neque antè, vocabatur נשואה, i. e. *Nupta*: poſt deductionem verò, per ſeptem epuli nuptialis dies (de quibus infrà) Sponſus חתן Sponſa כלה ab omnibus; imò & poſt illos expletos, ſemper à Parentibus appellabantur. *Deductio* verò ita habebat: Sponſalia peracta ſequebatur pactum dotale, Deductio item atque Nuptiæ, interim præſtitutum ſeu permiſſum erat; puellis deſponſatis ante Deductionem, moræ tempus, XII. nempe menſium, à pubertatis die putandorum, ubi ipſo plenæ pubertatis exactæ die; aut poſtea intra annum, ab eodem die Sponſalia inita erant; ſi verò annus à pubertatis plenæ die præteriiſſet ante Sponſalia, & demum Deductionem poſtularet Sponſus XXX. duntaxat dierum: quo tempore parabat ſe Sponſa & caſtitas utrinque ſervabatur. Quòd ſi eo exacto Sponſus à deductione abſtineret, alimenta inde ab eo Sponſæ erat præſtanda: Sin Sponſa contumax ritè deduci nolebat, eadem ipſa agendi formula Sponſo competiit, quæ in uſu erat, ubi uxor contumax copiam ſui marito denegaret. Hoc verò moræ tempore, ſeu ante Deductionem. Pacta etiam dotalia erant ineunda & Dos Sponſæ conſtituenda à Sponſo; ut ferè ἀντιφέρνη ſeu Donatio propter Nuptias, jure Cæſareo appellari ſolita, Aliàs, ubi Sponſam ante dotis conſtitutionem Sponſus deduxerat, oportuit eum denuo ei dotem conſtituere, ſi Sponſalia infirmari nollet. Dote conſtitutâ, & temporis moræ ratione habitâ, deducere Sponſam Sponſo licuit illis diebus, qui deductioni erant apti, nec enim Sponſalia, nec Deductio, omnibus horis ritè fiebat. Quibus autem diebus deducere non licuerit, dicemus infrà, ubi de *Nuptiali tempore*. Deductio verò non ita intelligenda eſt, ut omnino neceſſum eſſet, Sponſam ex ædibus ſuis ſive paternis in Sponſi aliaſve, adeoque in Thalamum aliarum ædium deduci: æquè enim illa fieri potuit, in ipſis ubi Sponſalia inibantur ædibus ac in ædes Sponſi aliaſve. Ante deductionem autem in thalamum, adhibenda erat Benedictio ſolennis, quæ ritè adhibebatur tam in domo, ubi Nuptiale epulum celebrabatur, & ubi Thalamus erat, in quem Sponſa deducenda, quàm in alio quovis loco ex more huic rei præſtituto. Nam recentioribus Judæis locus benedictionis fere atrium Synagogæ eſt, ſed de hac benedictione, plura infrà, in voce *Hierologia Nuptialis*. Epulum, cujus modò mentio facta, per dies à deductione minimum ſeptem, ubi virgo erat ſponſa; per triduum minimùm, ubi Vidua ſeu Vitiata ducebatur, lætè lauteque celebrandum erat. vide quæ ſuprà diximus, ubi de *Lætitia Nuptiali* & *Nuptiali Epulo*: In horum dierum primo, ſequebatur *Deductio in Thalamum* ſeu *Introductio in Chuppam*, ut vocant, ante quam Nuptiæ non habebantur perfectæ. Unde Maimonides, *Non benedictio Sponſorum facit Nuptias, ſed Deductio in Thalamum.* Scilicet, ſi vinculum matrimonii ſpectes, in quantum planè perſonale erat, ex ipſis Sponſalibus ſeu pactione firmum habebatur ac ratum: ſed ſi etiam dotis incrementum, ſucceſſionem unde Vir, etiam cohabitationem aliave ejuſmodi invicem commoda, jura ac officia conſideres, non eadem erat illis Sponſalium ratio ac vis antè, quæ poſt deductionem. Atque ad Deductionem hujuſmodi & ſolenne convivium (quo durante Sponſi è Thalamo ſuo, tum ſplendidis veſtibus, tum nuptialibus comitum officiis, ornati progreſſus comparatur Soli Pſal. 19. *v.* 6.) ſpectat illud in Evangelio, Matth. *c.* 25. *v.* 10. de decem Virginibus. *Et quum irent ad emendum, venit Sponſus: & quæ paratæ erant, intravêrunt cum eo in domo nuptiarum & clauſa eſt janua.* Omnibus ſc. convivis futuris Sponſus & Sponſa, quæ jam deducebatur in Nuptias, ſollicitè expectandi erant obſervandique. Namque locum hunc de Sponſo ſimul & Sponſa venientibus, quemadmodum in Deductione, capiendum eſſe, oſtendit Syri comma primum ejus capitis, quo pro eo, quod eſt in Græco, εἰς ἀπάντησιν τȣ̃ Νυμφίȣ, habent, *in occurſum Sponſo & Sponſæ*. Similiter de convivis ſeu miniſtris, quorum officia Nuptialia Sponſis, toto illo Lætitiæ Nuptialis tempore præſtanda erant, intelligendum illud; Matt. *c.* 9. *v.* 15. *Num poſſunt filii Thalami lugere, quamdiu cum eis eſt Sponſus.* Inter hos autem præcipui fuêre Paranymphi, qui bini minimum fuêre, שושבנים, i. e. *Socii, Comites, Amici*, Sponſorum dicti; alter Sponſæ, Sponſo alter. Quorum officium ſingulare erat antiquitus, decubitus locum perſcrutari, eadem in domo eodemque in conclavi cum Neogamis pernoctare, officiosè quæ nocte Deductionis Sponſi fecerint obſervare, adeoque non tantùm illis in Deductione, ſed etiam in ipſo cubili ſeu thalamo, totâ illa nocte, inſervire, ne fraus alterutrinque de virginitate ſeu floris virginei teſtimonio committeretur. Plura de iis dabimus infrà, ubi de *Paranymphis*. Ab Hebræis tranſiit mos hic lætitiæ ac *Deductionis* in Orientem vicinum, uti diſcimus ex Hiſtoria Haſmoniaca, 1. Maccab. *c.* 9. *v.* 39. ubi filios Jamri facturos Nuptias, duxiſſe Sponſam è Madaba, filiam Chananæi cujuſdam Principis, cum pompa magna, legimus: *Ecce turba & apparatus multus procedente Sponſo cum Amicis ſuis & fratribus obviam illis cum tympanis inſtrumentiſque Muſicis & armis multis.* Diſertè etiam memorat Joſeph. *l.* 13. *c.* 1. Sponſam & ipſam deductam à Sponſo, cum frequenti amicorum comitatu, οἷον εἰκὸς ἐν γάμοις, *ut fieri ſolet in Nuptiis.*

Quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Quo pacto apud Græcos Romanoſque Deductio fuerit peracta, dicemus in voce *Nuptiæ*. De Mahumedanis Africanis, ut ex Joh. Leone aliquid addam, poſt celebrata in Templo Sponſalia. Deductio ſequitur in domum, nec ſine facibus; & Sponſa matri mariti traditur: Quamprimùm verò Sponſa cubiculum ingreditur, maritus pede ſuo uxoris pedem tangit, ſtatimque ambo recluduntur. Epulæ dein nuptiales aliaque, pro Sponſorum conditione, ſolennia varia, vide illius *Deſcript. Africæ l. 3. qui in Matrimon. conſecrandis* &c. Etiam de Moriſcis ſcribit Jac. Bleda *in Defenſ. Fid. c. 14. Indic. 87. Quamvis in facie Eccleſiæ matrimonium contrahant, non reputant verum eſſe matrimonium; donec expletis cunctis ſectæ cerimoniis, domum propriam aut conductam, aut alias ambo ſimul inhabitent*, &c. vide. Selden. *l. 2. c. 1. 7. 11. 12. 13. 27.* & hîc paſſim, inprimis infrà, ubi de *Nuptiali Thalamo* & *Nuptiali velandi more*.

DEDUCTIO Thenſarum, inter Imperatorum prærogativas. vide infrà *Tenſa*.

DEERA, campus Suſianæ Reg. *Ptol.*

DEES, Arab. Fel. opp. *Ptol.*

DEFÆCANDI Nivem Vinumque, h.e. ſacco tranſmittendi & percolandi, mos Veteribus magnâ curâ obſervatus, vide infrà ubi de *Nive* ac *Vino*.

DEFENSIVÆ, apud Radulfum de Diceto A. C. 1153. Vicecomites dicuntur, quibus locorum ſeu Comitatuum vel provinciarum cura commiſſa erat, quò vim & injuriam propulſarent, latrocinia compeſcerent, pacem publicam cuſtodirent, & ab omni injuria regios ſubditos conſervarent; ſic idem A. C. 1198. *In Marchia principales* Defenſivæ *locorum — ad pugnam accincti concurrerunt hoſtiliter*, apud Car. du Freſne in *Gloſſar*.

DEFENSOR, cogn. Herculis; vide infra *Deſanaus*. Item nomen officii, in *Aul. Rom.* de quo vide ſuprà voce *Adminiculator*.

DEFENSOR Fidei, vide *Defenſores*.

DEFENSORES, multiplices ſunt & pluribus nominibus cogniti, tum in Eccleſia, tum in Rep. Dicti, quòd innoxiè tueantur, ut ait Caſſiod. *l. 9. c. 25.* Sub Cœleſtino & Bonifacio, circa A. C. 423. initium ſumſit *Defenſor Eccleſiæ*, è Concilio Africano *Can.* 42. Hinc *Defenſor Monaſterii*, & ex eodem fonte *Defenſores Patrimonii S. Petri*, qui à Pontificibus in provinciis conſtituuntur, ad tuendum curandumque patrimonium Eccleſiæ Rom. De quibus crebra apud Gregor. mentio, *in Epiſt.* unde officium liquet, & è Pelagii P. *Epiſtolis*. Hinc & *Defenſores Eccleſiarum parochialium* deinceps inſtituti ſunt, quos hodie *Gardianos* vocant. *Defenſoris* civitatis meminit Caſſiod. *l. 7.* cùm dicit: *Imples revera boni* Defenſoris *officium, ſi cives tuos nec legibus patiaris opprimi, nec charitate conſumi*. Hic, dùm plebis rationem habet, *Defenſor plebis* etiam dictus eſt. Cognovit hic de cauſis pecuniariis, uſque ad aureos 300. nec non de criminibus levioribus: Teſtamentorum inſuper & donationum inſinuationes, coram ipſo, factæ ſunt, ut & teſtationes ac depoſitiones, ſuumque ideò ſcrinium habuit ſeu Archivum & exceptores. vide Novell. 15. *Defenſores Eccl.* de quibus ſupra, etiam *Advocati* dicti ſunt: qui duplices, alii cauſarum Eccleſiæ, alii ſoli. Hi hæreditarii, illi dativi. Priores à Principe dabantur, ad reſpondendum in colloquiis judicialibus. Can. 99. Synod. Carthag. *Poſt Conſulatum Stiliconis, inducta eſt Advocatorum defenſio, pro cauſis Eccleſiæ*. Cujus inſtitutionis exemplar & formulam veterem, exhibet è præcepto Chlotarii Regis in Chron. Beſuenſi, Bignonius. Hi poſtea *Oeconomi* dicti ſunt, & *Vicedomini*, nec cauſarum tantùm curam gerebant, ſed earum etiam, quæ ad vitæ alimoniam & cenſum Eccleſiæ pertinebant. Poſteriores, ſunt ipſi fundatores & hæredes ejus. Eccleſiarum Parochialium Advocatos, hodie *Patronos* dicimus. In genere autem Advocatum *Defenſorem* denotare, elucet hinc, quòd & Romani Carolum Mag. *Advocatum S. Petri*, contra Reges Longobard. ſibi elegêrunt, apud Engoliſm. *in vita ejus*: & hodie in Inauguratione, Imperator *Advocatum Eccleſiæ* ſe profitetur: ſicut Angliæ Rex *Fidei Defenſorem* ſe dicit, qui titulus à Leone X. decretus, & per auream bullam Clementis VII. Henrico VIII. delatus, quòd is Regio calamo partes Eccleſiæ Rom. contra Lutherum defendiſſet, potiori nunc jure ſucceſſoribus ejus hodierno inprimis Guilielmo III. fortiſſimo veræ Fidei Vindici competit. vide Henr. Spelman. *Gloſſar. Arch.* De *Defenſoribus Civitatum*, vide Senatorem *l. 7. Epiſt.* 11. ubi Formulam habes huc pertinentem, ut & infrà in voce *Ecdici*. At *Defenſores* Regionarii, in *Ordine* Romano dicuntur, *Defenſores Romanæ Eccleſiæ* aliàs appellati; quorum (cùm munus eorum eſſet potiſſimùm pauperum & Eccleſiarum defenſioni ac commodis invigilare, in provinciis implorantibus Curiæ Rom. auxilium adeſſe, patrimonia quoque, ut vocant, Eccleſiæ Rom. in diverſis provinciis conſtituta, curare) numerum Romæ ad VII. auxit Gregor. Mag. eoſque VII. Regionibus aſſignavit, ut ipſe teſtatur *l. 7. Ind. 1. Epiſt.* 17. ubi de eorum Officio ac Privilegiis, pluribus agit. Horum qui ordine primus eſt, *Primus Defenſor* ſeu *Primicerius Defenſorum*, dicitur eidem *ibid.* Græcis Πρωτέκδικος, de qua dignitate multa congeſsêrunt, Gretſerus, Meurſius, Goarus, Alii. vide Car. du Freſne *Gloſſar.* Hodie *Advocatos Conſiſtoriales* nuncupari, & ad numerum XII. auctos eſſe, a Sixto IV. docent Macri Fratres in *Hierolexico*; ex Libro Fratrum de Rubeis, cui tit. *Defenſor redivivus*. Ubi etiam addunt, vitas illorum ſcriptas eſſe erudito calamo Car. Carthari Advocatorum Decani. Sed & *Defenſor*, it. *Defenſor Romanorum*, inter titulos Francicis quibuſdam Regg. collatos, ut videbimus infrà, ubi de *Patriciis Rom.* vide quoque in voce *Syndicus*

DEFIGERE, Phrygionis proprium. Sic *defigere pulvinar & foliar* dicitur *Phrygio*, Varroni apud Nonium, h.e. διακεντεῖν: quam vocem ſatis intelligunt, qui, quid Græci appellent τὸ πολυκέντητον & πολύκεστοι, norunt. Nempe variis argumentis veſtes, pulvinaria, ſtragula & cætera id genus depingere acu, *defigere* eſt, Græcis κεντεῖν, & καταστίζειν. Unde à punctis, *Contrapunctores* hodie ejuſmodi Artifices Galli vocant, vide infrà paſſim, inprimis in voce *Phrygio*; & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Lamprid. in Heliogabalo* & *Fl. Vopiſc. in Carino*. Idem verò Magicæ vanitatis verbum eſt, unde *defixio*, Græcè πῆξις, cùm quis in aliquo actu verbis herbiſque aut alio quodam modo à naturali aliqua functione impeditur, fixuſque ac immobilis hæret, non ſecus ac calamus aucupatoribus (de quo ſuprà) ſeu arundo creſcens aves quas tangebat; velut fixas vinctaſque capiendas dabat: unde quoque verbum tranſlatum eſſe ad Magos, vult Salmaſ. *ad Solin. p.* 1088. ubi plurima hanc in rem. Imprimis verò *Defixio*; πῆξις ſeu κατάδεσμος, de Veneris nodo ſeu Ligulæ nodo, dici conſuevit, de quo vide infrà. Aliud eſt *Defingere*, in *verſu* illo Naſonis,

Sagaque phœniceâ definxit Numina cerâ.

Idem ſc. quod *fingere*. Cereas enim imagines intelligit, quas Veneficæ fingebant, Sagis etiam noſtris hodie non incognitas: cujuſmodi icunculis ad *defixiones* illis uti mos. Salmaſ. *ibid.*

DEFINITOR, officium Monaſtic. Viſitator. Gregorius IX. in *Conſtit.* pro Benedictinis *p.* 837. apud Brol. *Omnes verò Abbates & Priores, annis ſingulis ad Capitulum venientes*, diffinitiones, *ſi quæ factæ fuerint, in ſuo reditu habeant bis in anno, in ſuis Capitulis & viſitationis tempore, nihilominus recitandas*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

DEFLENDI Cognatos, qui obiêre, magna olim Veteribus religio fuit. Auſon. de ſuis *Parentalibus*, quæ hac ratione inſtituit: *Habet*, inquit, *hoc opuſculum mœſtam religionem, quâ Carorum meorum obitus triſti affectione commemoro. Epigr. 1. v. 1.*

Nomina carorum jam condita funere juſto,
Fleta priùs lachrymis, nunc memorabo modis.

Uſque eò, ut infelices putarentur etiam à morte, qui *indefleti* manſiſſent. Virgil. *Æneid. l. XI. v.* 372.

Nos animæ viles, inhumata infletaque turba,
Sternamur campis ——

Unde magnæ calamitatis loco habitum, non poſſe accedere & noſtros *deflere*, vel hoſtium immiſericordiâ, vel loci diſtantiâ prohibitos. Stat. *Theb. l. 12. v. 150. & ſeqq.*

—— —— *ſtat pervigil illic*
Umbrarum cuſtos, inhumataque corpora Regi
Adnumerat. nuſquam lacrymæ, procul uſque fugati
Acceſſus hominum ——

Tales enim velut inſepulti æſtimati, ut ex Virgil. *cit. l.* diſcimus Quam ſuperſtitionem (disertè quamvis ab Apoſtolo prohibitam) Chriſtianis etiam hæſiſſe, docet objurgatio Prudentii *Cathemerin. Hymn.* X. *v.* 112. &c.

Quid turba ſuperſtes, inepta
Plangens ululamina miſces
Cur tam bene condita jura,
Luctu dolor arguit amens?
Jam mœſta quieſce querela:
Lacrymas ſuſpendite matres:
Nullus ſua pignora plangat;
Mors hæc reparatio vitæ eſt.

Propriè autem *Defletus* dicebatur, qui, quum cadaver rogo imponeretur, ultimò deflebatur, poſtquam binâ jam vice conclamatus eſſet. Ovid. *Faſt. l. 4. v.* 853.

Tum juvenem nondum facti flevêre Quirites,
Ultima plorato ſubdita flamma rogo eſt

Terent. in Andr. *Act. 1. Sc. 1. v.* 123. &c.

—— —— *Funus interim*
Procedit: Sequimur: ad ſepulchrum venimus.
In ignem poſita eſt. Fletur.

Et Tibull. *l. 3. Eleg. 2. v.* XI.

Ante meum veniat longos incompta capillos,
Et fleat ante meum in caſta Neæra rogum.

Barth. *ad Sat. d. l.* 1. vide quoque hîc paſſim, inprimis ubi de *Conclamandi ritu, Lacrymatoriis* & *Præficis*.

DEFOSSIO, pœna apud recentiores recepta: Furum, in *Conſuetudd.* Arkenſibus A. C. 1231. in *Tabulario* S. Bertini: *Adulterarum*, apud Hungaros &c. vide quoque in voce *Hovia*. Sed & olim, apud Romanos, Veſtales, ſi inceſtûs eſſent convictæ, vivæ defodiantur. vide ibi, ut & ſuprà, in voce *Campus Sceleratus*.

DEFRUTUM, apud Mart. *l. 4. Epigr.* 45.

Hos faſtus animoſque dat Sabello
Farris ſemodius, fabæque freſſæ &c.
Et nigri Syra defruti *lagena*:

muſtum eſt ad dimidiam decoctum, vel & vinum: Quo modo quia *Defrutum* lentius craſſiuſque fiebat, *lutoſa*, i.e. glutinoſa, illa vocat Stat. *l. 4. Sylv. 9. v.* 38. & 39.

Vel Paſſum Pſythiis ſuis recoctum.
Dulci defruta *vel lutoſa cœno.*

Quorum uterque de Saturnalibus agit, quibus inter pauperiorum xenia etiam hoc erat. Voci origo à *defervendo*. Pallad. *l. XI. c.* 18. *Defrutum à defervendo dictum, ubi ad ſpiſſitudinem fortem ter deſpumaverit effectum eſt.* vide quoque Colum. *l. 12. c.* 21. Plin. *l. 14. c.* 6. &c. nec non infra aliquid in voce *ſapa*.

DEFUNCTI, quî curati ab antiquis, vide hîc paſſim; inprimis ſuprà, ubi de *Cadaverum cura*. Addam hîc ſaltem, ad mentionem eorum veniam præfari conſueviſſe Romanos, ex Plinio *l. 28. c. 2. Cur ad mentionem* defunctorum, *teſtamur memoriam eorum à nobis non ſollicitari?* Et Plutarcho *in Cic.* Ῥωμαῖοι μὴ βουλόμενοι δυσφημεῖν, ἐξιέναι λέγουσι τὸ τεθνάναι, *Romani ne malè ominatè loquantur, abire dicunt, pro mori*; ſicut Græci ejuſdem εὐφημίας causâ, ἀποιχομένους: à mortis mentione abſtinentes. Unde lethum ἀπὸ τῆς λήθης, quòd ii minimè ſollicitandi, & à quiete avocandi. Quam ob cauſam porrò μακαρίτας Græcis bonæ ſcævæ omine, & πλείονες potiùs, quàm νεκροὶ, appellati ſunt &c. Dalechamp. *Not. ad l.* De phraſi, *Defunctos abſolvere*, vide ſupra. ubi de duplici auctoramento

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

moribundorum apud Gentiles, quo *Defunctorum* gregi adſcribebantur, infrà phraſi *Poſte notare*: de litera Θ verò *Defunctorum* nominibus apponi ſolita, in *Th*.

DEFUNDERE, apud Cic. *de Finib. l.* 2. quibus *vinum defuſum ſit è pleno Oenophoro*: Græcè κατερᾶν eſt & κατασαμνίζειν, diciturque de vino, quod è doliis (in quibus vinum non ſervabant Veteres) in amphoras, cados, & urceos; è cadis etiam urceiſque in crateres & pateras infundebatur, ut in illis conditum ſervaretur, in his propinaretur bibituris. A quo *diffundere* diverſum, quod Græcis διαχέειν eſt, uti apud Poët.

------ *dederatque comam diffundere ventis.*

Nempe eadem differentia inter *diffundere* & *defundere*, quæ inter *digredi* & *degredi*, & ſimilia: ut enim *degredi* eſt καταβαίνειν, ſic *defundere*, καταχέειν. Unde *defuſum* meritò apud Cic. reponit Salmaſ. pro *diffuſo*, quum ibi agatur de vini è majori vaſe, puta dolio, in alia minora infuſione. vide eum *ad Solin. p.* 468. & 984. Inde ad unguenta vox tranſiit, quæ dicebantur κατασαμνίζεσθαι cùm, poſtquam decocta eſſent & expreſſa, vaſis reponerentur & defunderentur aſſervanda. *Ibid*.

DEFUNCTI Hæretici, in communione Rom. pœnam nondum effugêrunt, quin contra illos, in tribunali Inquiſitionis, triplicem ob hunc finem proceditur; ut *memoria eorum damnetur*; ut *bona illorum per fiſcum* ab hæredibus defunctorum ſeu à quibuſlibet aliis poſſeſſoribus *auferantur*; ac tandem, ut defunctus *exhumetur*, extra locum ſacrum projiciatur ac comburatur, uti ſtatuit *Inſtructio prima Hiſpalenſis* A.C. 1464. *c.* 20. Et quidem olim pater præſumebatur in *hæreſi* defunctus, quando decumbens & æger ab Albigenſi quodam petiit conſolamentum per impoſitionem manuum: quare filii, ne paternâ hæreditate excluderentur, ſæpius excepêrunt, patres ſuos ſanæ mentis non fuiſſe, cùm conſolationem illam peterent. Exempla *exhumatorum* complura extant: hodie *ſtatua* etiam defuncti, nomine ejus inſcripta, comburitur, vide quoque ubi de *Linteo Infami*. Celebre hoc ſeculo ſententiæ in defunctum latæ exemplum habemus in M. Anton. de Dominis, uti prolixè exponit Phil. à Limborch *Hiſtoriâ Inquiſit. l.* 4. *c.* 38. ubi plura hanc in rem.

DEGENFELDIA Familia, antiqua admodum & in Helvetiæ olim illuſtrioribus; unde Stumpfio memoratur A. C. 850. aliquis Baro *de Degenfeld*, qui Epiſc. Lauſannenſem occiderit. Mentio etiam fit circa A. C. 1200. cujuſdam Romanæ *de Degenfeld* Abbatiſſæ in Alſatia; & circa A. C. 1240. Ulrici Baronis ex eadem familia, Epiſc. Curiæ Rhæticæ & S. Galli Abbatis. Exin relictâ; ob domeſticas turbas, patriâ, in Sueviam conceſſêre, novo non procul. Gemundâ condito caſtro, cui itidem nomen *Degenfeld* indidêre. Primus verò dicitur A. C. 1360. ex Helvetia, in Sueviam, conceſſiſſe Conradus Dorotheæ *de Welwart* maritus. Cùm verò avitus titulus, cui fortuna non reſpondere videbatur, aliquandiu fuiſſet intermiſſus, Chriſtophorus Martinus *à Degenfeld*, Cæſari ſuam ex Helvetiæ illis Baronibus deductionem demonſtravit, atque ita Baronum titulum renovari obtinuit: Cæſareis, dein Suecicis, tum Gallicis, demum, cùm mandatis Imperialibus avocatus eſſet, Venetis auſpiciis, armis circumlatis, & rebus multis præclarè geſtis. Dalmatiâ inprimis contra Turcas ſtrenuè defensâ, inclytus. Fuit is Conradi, ex Margareta *de Zülnhart* filius, obiit A. C. 1653. Pater ex Anna Maria Adelmanni *de Adelmansfelden*, Adolphi Guſtavi (extincti A. C. 1659.) Adolfi, Chriſtophori, Maximiliani, Hannibalis, & Sophiæ Eleonoræ. vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Eur. Tom.* III. *p.* 65. Ex hac verò ejus filia, cui Raugraviæ dignitas collata, ſuſcepit Carolus Ludovicus Elector Palatinus utriuſque ſexus liberos, Carolum Ludovicum, Carolam, Luiſam, Ludovicum, Ameliam, Eliſabetham. Idem *Syllog. Geneal. Hiſt. in Fam. Palat.*

DEGIA, Aſſyriæ urbs, *Ptol.*

DEGIS, Decebali Dacorum Regis frater, legatus ad Domitianum Imp. memoratur Mart. *l.* 5. *Epigr.* 3.

Accola jam noſtræ Degis, Germanice, ripæ,
A famulis Iſtri qui tibi venit aquis.

DEGRADATIO, in Communione Romana, Depoſitione longè gravior, eſt pœna Eccleſiaſtica, quâ Clericus, oblatis ordinis Inſignibus, ab Epiſcopo, coram Judice Seculari, cui poſtmodum traditur, privatur titulo Clericali: Epiſcopis verò *degradatis* diſrumpitur veſtimentum Sacerdotale, uti Hebroinum Leodegario feciſſe legitur in *Vita* S. Leodegarii *c.* 14. Quo ſpectat Liber, cui tit. Διόπτρα, ſeu, *Diſput. Animæ & Corp.*

Ὡσαύτως νόμον ἔχουσι, ἐν ταῖς ἐκκλησίαις,
Ἀρχιερεῖς, Ἐπίσκοποι, σὺν τοῖς Μητροπολίταις,
Καὶ ὅταν πταίσῃ Ἱερεὺς εἰς ἔγκλημα τι μέγα,
Ἐν πρώτοις τούτῳ αἴρουσι τὴν στολὴν τῆς ἀξίας,
Καὶ οὕτως αὖθις σχίζουσι τοὺς χιτωνίσκους, οἴ μοι,
Καὶ οὕτω ὥστε τὸν αὐτὸν ὡς μὴ παπᾶν κολάζειν.
Sic Legem habent in Eccleſiis,
Archiepiſcopi, Epiſcopi, cum Metropolitis,
Et cùm impegerit Sacerdos in crimen quoddam ingens,
Primùm ei tollunt ſtolam dignitatis,
Et ſic rurſus ſcindunt tunicas, væ mihi,
Atque ita tunc illum tanquam non Sacerdotem puniunt.

Alias cerimonias, in Clericorum & Presbyterorum *Degradatione* fieri ſolitas, qui volet, legat in *Concilio* Tolet. IV. *can.* 27. Lemovicenſi A. C. 1031. *ſeſſ.* 2. *in Pontificali* Rom. apud Luitprand. *l.* 6. *c. ult.* &c. Car. du Freſne *Gloſſar.* Sed & inter militares pœnas, *Degradationis*, apud Aragonenſes, meminit Jacobus I. Aragon Rex in *Foris* Oſcæ A. C. 1247. *fol.* 16. *de Degradatione Militis*, ubi ſic deſcribitur: *Cùm perventum fuerit ad ejus depoſitionem, ipſemet cingat ſibi enſem; quo facto Princeps terræ, accepto cultello, in poſteriori parte, i. e. ſuprà renes, ſcindat enſis corrigiam omnino, de qua eſt accinctus, ita ut corrigiâ incisâ enſis per ſe cadat in terram; & ſic ille, qui antè Miles erat, pravis ſuis meritis exigentibus, de Militiâ, quâ priùs decoratus extiterat, perpetuò ſit depoſitus & damnatus.* In *Charta* Caroli Calvi, *Degradare* eſt beneficia Militibus auferre, apud Eundem, in *Addendis*. vide quoque infrà *Regradatio*.

DEGRADATIO, in inquiſitione Rom. cùm Sacerdos vel cujuſcunque Ordinis reus plectendus eſt, vel eſt *Actualis*, & in crimine hæreſeos locum habet, ſi ſit tradendus Curiæ ſeculari, vel *Verbali*, quæ adhibetur ſi carceri perpetuo ſit includendus. Prior fit ordine & ritibus collationi Ordinum directè oppoſitis, cujus rei inſigne exemplum habemus in *Libro Sententiar. Inquiſitionis Tholos.* in Joh. Philiberto Presbytero, qui Valdenſibus ſe junxerat, ac proin Curiæ Seculari tradendus erat. Poſtquam enim conſtitutus fuit in veſtibus Sacerdotalibus, omnia illi ornamenta, *Calix & Patina*; *Stola Sacerdotalis*, *Dalmatica*; *Liber Evangeliorum*; *Stola Diaconalis*; *Calix*, *patina*, *urceolus*, *aquamanile*, *manutergium*; *Tunica Subdiaconalis*; *Manipulus*; *Liber Epiſtolarum*; *Ceroferarium*; *Urceolus*; *Liber exorciſmorum*; *Liber cum quo fuit Lector*; & *Claves*, certâ verborum unumquodque formulâ, cujus initium ubique, *Auferimus tibi* &c. ablata ſunt: poſt hæc *raſum* ipſi *caput*, & brachio ſeculari ad ſupplicium traditus eſt, *fol.* 137. Sic itaque *Degradatione* factâ, ſententia in reum pronunciatur, ipſeque de foro Eccleſiaſtico projicitur & in poteſtatem Magiſtratus Secularis permittitur. vide Phil. à Limborch *Hiſtoriâ Inquiſitionis l.* 4. *c.* 34. ubi *de Terminatione proceſſus contra Relapſum pœnitentem*: nec non ſuprà.

DEHENBARTIA, Cambriæ Regio, Comitatus titulo inſignita, ad Merid. ſita eſt, ac ab Oceano & Vaga fluv. clauditur: ſubque ea ſunt ſeptem alii Comitatus. Joh. Matal. Metell.

DEICOLÆ, apud Martin. Epiſc. in *Epiſt.* ad Mironem Regem Galliciæ, Monachi ſunt. Id. vide *Culdei*.

DEJECTIO è Rupe Tarpeia, vide infrà *Pœna*, it. *Tarpeia rupes*.

DEIFER, Gr. θεοφόρος, epitheton Apoſtolorum eſt, in *Epiſt.* Ludovici II. Imp. ad Baſil. Imp. CP. apud Baron. Item Polycarpi, & inprimis Ignatii Mart. apud Dionyſ. de eorum martyrio loquentem. Anaſtaſius *ad Action. l. VIII. Synodi*, *Tradunt Græci, quòd parvulus, quem Dominus advocatum ſtatuit in medio, dicens, Niſi converſi fueritis & efficiamini, ſicut hic parvulus* &c. *Iſte Ignatius fuit, & idcirco hunc* Deiferum *nuncupant*. vide Joh. Baptiſt. Coteler. *ad Epiſtolam ejuſdem Ignatii ad Epheſ.* laudatum Carolo du Freſne *in Gloſſar.*

DEI-GRATIA titulus, quo olim uſi ſunt, non ſolùm Archiepiſcopi, Epiſcopi, Duces: ſed etiam Abbates, Priores, Comites, minimi interdum Magiſtratus & Legati. Comites præſertim, jura Regia obtinentes, & Abbates mitrati, vulgò Angl. *Abbots Souverains*, Indignantibus verò interea Regibus, ipſumque, uti Majeſtatis ſpecimen, vendicantibus: vel omiſſum paulatim eſt omnino vel tranſmutatum. Ludovicus XI. Gall. Rex hoc de ſuis reſcriptis detrahere juſſit Franciſcum Ducem Armoricanum, ut refert Bodin. *de Rep. l.* 1. *c.* 10. Quod cùm ſeculo hoc iterum uſurparet unus ex filiis nothis Henrici Mag. qui Mercurii ducis filiæ maritus, Armoriacanum Ducatum nactus erat, Majeſtatis poſtulatus eſt, à Ludovico XIII. Duarenus *in Comm. ad Conſuet. feud. c.* 1. *n.* 5. *Igitur ſcribit*, inquit, *Gallorum Rex in titulo ſuo*, Dei gratiâ, &c. *quaſi nullius hominis, ſed ſolius Dei gratiâ Rex ſit.* vide Henr. Spelman. *Gloſſar. Archæol.*

DEIANIRA, Oenei Ætoliæ Regis filia, primùm Acheloo, mox Herculi deſponſata; qua de cauſa exorto inter rivales diſſidio, Achelous ſingulari certamine ſuperatus Herculi concedere coactus eſt. Porro cùm Hercules tranſiturus eſſet Evenum, Ætoliæ fluvium, qui tunc temporis maximè excreverat, Neſſus Centaurus ſeipſum ultro obtulit ad tranſvehendam Deianiram, quam cùm illi commiſiſſet, ipſe primus intrepidè tranavit fluvium: Sed cùm Neſſus, qui in altera permanſerat ripa, novæ nuptæ vim inferre pararet, ægrè id ferens Hercules, ſagittâ Hydræ ſanguine infectâ Centaurum transfixit, qui ſe moriturum ſentiens, ut hoſtem ulciſceretur, Deianiræ veſtem proprio ſuo ſanguine perfuſam dono dedit: aſſerens ei vim amatoriam ineſſe, quâ ſi ejus maritus indueretur, ipſum ab aliarum mulierum amore avocatum iri. Mulier itaque nimis credula munus accepit, cùmque audiſſet maritum ſuum in Eubœa amore Joles Euryli filiæ detineri, veſtem Neſſi ſanguine imbutam Lichæ famulo tradidit Domino perferendam. Hercules igitur nihil mali ſuſpicans cùm ſacrificaturus eam induiſſet, tantis cruciatibus affectus eſt, ut in furorem verſus Licham in mare dejecerit, qui in ſcopulum mutatus eſt. Ipſe autem Philoctetæ arcu & ſagittis commiſſis ſe in ardentem pyram in Oeta monte conſtructam conjecit. Quod audiens Deianira, dolore percita, mariti clavâ ſe interfecit, ex cujus ſanguine poſtea nata eſt herba, quæ Nymphæa & Heracleon dicitur. Ovid. *Metam. l.* 8. *fab.* 1, 2, 3, 4. vide Diodor. *l.* 5. Et Sen. *in Hercule Oetæo.*

DEIDAMIA, filia Lycomedis Regis Scyri inſulæ, quàm Achilles, cùm inter Regis filias ſub muliebri habitu lateret, gravidam fecit, & ex ea Pyrrhum genuit. Prop. *l.* 2. *Eleg.* IX. *v.* 16.

Scyria nec viduo Deidamia toro.

DEIDAMIA, filia Pyrrhi, ab Epirotis, per Milonem quendam occiſa. Polyæn. *l.* 8. *c.* 632.

DEJICERE, verbum Sacrificiorum, pugnæ, venationis, palæſtræ. Flaccus *Argonautic. l.* 1. *v.* 189. & *ſeqq.*

----- *tibi cæruleis in littore vitis,*
Et Zephyris, Glaucoſque bovem, Thetidique juvencam
Dejicit Ancæus -----

Et *l.* 2. *v.* 329. &c.

Protinus ingentem Procerum ſub nomine taurum
Dejicit -----

i. e. mactat, immolat. Hinc ad Critiam eleganter tranſlatum, à Corn. Nep. *Thraſybulo c.* 3. Tyrannos enim, *ut pacis victimæ trucidantur* Juſtin. ait. *l.* 5. *c.* 10. De pugnis verbum uſurpat Curtius *l.* 3. *c.* 16.

Non:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Non ab hoſte dejectum.
Claudian. it. *de Bello Getico v.* 164.
----- *Qualem Stitico* dejecerit *hoſtem.*
De venatu, iterum Curt. *l.* 8. *c.* 1. *Ille quatuor millibus ferarum* dejectis, *in eodem ſaltu --epulatus.* Et Phædr. *l.* 2. *Fab.* 1.
Super juvencum ſtabat dejectum leo.
De palæſtra, vide hîc paſſim. Ei reſpondet Græcorum καταβαλλειν, quo primùm in ea ſignificatione Homerus uſus *Rhapſ.* 11. Hinc invictus, qui à nullo eſt q. dejectus ac humi ſtratus, ἀκαταβλητος apud Ariſtoph. *Nub.* ἀκατάβλητος, ὁ μηδενὶ καταβαλλόμενος. Et comparativus, καββαληκώτερος, in illo Laconis, apud Plutarch. apophthegmate, de quo infrà dicemus in verbo *Sternere.*

DEILEON, Comes Herculis in expeditione contra Amazonas; conjunxit ſe juxta Sinopen Argonautis, Val. Flacc. Argon. *l.* 5. *v.* 114.
Autolicum, Phlogumque & Derleonta ſecutos
Herculis arma viros:

DEILI, fratres Palicorum, quorum lacus in Sicilia hoc exigendi ſacramenti miraculo claruêre, ut fures, qui ſacramento raptum negarent, lumina aquis attrectantes, confeſtim fierent cœci, *& capti oculis admiſſum tenebris faterentur*, Solin. *c.* 4. ubi tamen Sardiniæ adſcribit, quod Siciliæ debebat. Aliis *Delli.* vide Salmaſ. *ad d. l.* & plura hanc in rem in voce *Palici.*

DEILOCHUS, Herculis fil. ex Megara Creontis Thebani Regis filia. Hom. *in Odyſſ.*

DEILOCHUS, ab Apollonii Scholiaſte *l.* 2. ἐν πρώτῳ περὶ Κυζίκου citatur. vide Stephan. in Λαμψακὸς, ubi vulgò corruptè Δηίλοχος legitur.

DEILOQUUS, θεολόγος, cognom. Gregorii Naz. apud Petr. Damian *l.* 1. *Ep.* 9.

DEINSA, oppidul. Flandriæ, in tractu Corteriacenſi, ad Legiam fluv. 2. leuc. à Gandavo in Occ. ſub Gallis ab A. C. 1667.

DEIOCES, quintus Medorum Rex, fil. Arbianis, quem quidam Arphaxad eſſe volunt, prudenter Medorum diſſidia compoſuit, Ecbatana condidit, Herod. *l.* 1. c. 98. Diod. Sic. *l.* 2. Regn. An. 54. Melius. *Deioces*, conſtituit Regnum Medorum primò juſtitiâ & æquitate popularium favorem promeritus, mox aſtu arce in Ecbatanis exædificatâ Dominum ſe fecit, teſte Polyæn. *l.* 7. pr. Aliis *Deïoces.* vide Herod. *Clio &c.* Nempe, dum Anno 39. poſt conditum à Nabonaſſaro Babylonis Regnum; dum Mardocempado ſucceſſit Arkianus; dum in urbe Nino, ob cædem Sennacheribi, à filiis interempti, eorumque fugam, res Aſſyriorum inteſtinis turbis confuſæ fuêrunt, *Primi ab Aſſyriis defecêrunt, Medi, & in libertatem ſe aſſeruêrunt*, Herodot. *l.* 1. *c.* 5. cumque Præfecti & Satrapæ aliquandiu Mediæ civitatibus αὐτονομίᾳ ſuâ utentibus præfuiſſent, ſub unius poteſtatem Regiam *Dejoces* tandem omnia reduxit, Mox Ecbatana, in Medorum Regum ſedem, condidit, urbemque mœnibus ſplendidiſſimis exornavit, Herod. *ibid. c.* 98. ac primum Solis Medis imperavit, quorum gentes ſunt Buſæ, Parætaceni, Struchates, Arizanti, Budii, Magi, Id. *l.* 1. *c.* 101. Poſtea, Anno Nabon. 60. qui eſt à Medorum epocha 22. Regnum novum per Armeniam & Cappadociam protulit, uſque ad Halym fluv. qui ab illo tempore Medici Lydicique Imperii terminus fuit. Sicque Medi Aſiæ dominati ſunt omni, ſupra Halym fluv. per Annos 128. (excepto tempore, quo Scythæ in ea rerum potiti) donec Aſtyages à Cyro devictus eſt. Obiit Anno Regni 53. quo ſpatio τῆς αὐτονομίας etiam tempus comprehenſum vult Joh. Marſhamus *Canone Chronico ad Sec.* XVII. ubi de *Dejoce Rege* Succeſſit Phraortes fil. quem vide

DEIONE, mater Mileti ex Apollinis concubitu, unde Miletum *Deionidem* vocat Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 543.
Tunc erat invalidus, Deionidenque juvenis.

DEIONEUS, pater Cephali.

DEIOPEIA, una Junonis Nympharum, quam illa apud Virgil. *Æneid. l.* 1. *v.* 71. *& ſeqq.* Æolo uxorem pollicetur,
Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore Nymphæ,
Quarum, quæ formâ pulcherrima, Deiopeam
Connubio jungam ſtabili, propriamque dicabo:

DEIORATES, Gallogræciæ tetrarcha, A. U. C. 680.

DEIOTARUS, Armeniæ min. & Galatiæ Rex, à ſenatu Rom. juvante Pompeo factus in bello Civili, ejus poſtea partes ſecutus eſt. Poſt pugnam Pharſalicam domum ſe recepit, deinde ad Cæſaris clementiam confugiens, bella gerenti ſubſidia miniſtravit; quare âb eo demiſſus eſt, parte tamen regni multatus. Tandem accuſatus à Philippo quodam, quod Cæſari apud ſe divertenti inſidias conſtruxiſſet, à Cicerone defenditur. Alii accuſatum illum cædis filiæ & generi Caſtoris, qui Hiſtorici pater, dicunt. Strab. *l.* 12. Suid. Ejus mem. Lucan. *l.* 5. *v.* 55.
------ *Fidumque per arma*
Deiotarum. ------
------ *Jubet ire in devia mundi*
Deiotarum. ------
Ei ſucceſſit Amyntas.

DEIOTARUS Adramyttenus, Ludi litterarii Magiſter apud Gargara Troadis. Steph. ubi tamen Græcè Δηίοταρος dicitur. Item *Deiotarus* Caſtoris filius, cognomento Φιλάδελφος. Strab. *l.* 12.

DEIPARA, Græcè Θεοτόκος, vide infrà *Mart.* in Byzantinorum Impp. nummis, utpote Patrona ac Tutatrix urbis CP. habita, frequenter conſpicitur. In eorum enim æreis primùm litera M. cum ſubjecta litera A. *Mariam* omnino ſeu *Deiparam*, denotavit; quam in Anaſtaſii Dicori perinde æreis primùm licet obſervare, more hinc ad Succeſſores derivato. Ipſam dein in nummis repræſentare incepêrunt: Namque habetur Romani Diogenis aureus, in quo ab ipſa *Deipara* diademate ornatur, quod ei acceptum tuliſſe, docet adſcriptum lemma, ΘΕΟΤΟΚ. ΡΟΜΑΝΩ ΔΕΣΠ. h. e. Θεοτόκος Ῥωμανῷ δεσπότῃ. Alium ferè ſimilem itidem æreum Octav. Strada exhibet. Eodem ſpectat æreus alter ab eodem deſcriptus, cujus facies una Deiparam Chriſtum infantulum in ſinu ſuo complectentem exhibet, cum ſolitis characteribus præpoſtero ordine collocatis, ΥΟ-ΙΗ. cùm ſcribi debuerint ΜΡ. ΘΥ. i.e. Μήτηρ Θεοῦ. In altera verò, habentur exarati hi characteres, ΘΗΚΟ ΡωΜΑΝω ΔΕCΠΟΤΗ Τω ΔΙΟΓΕΝΕΙ; ubi indubiè ſcriptum ΘΚΕ ΒΟΗΘΕΙ, ut in nummo alio aureo ejusdem Diogenis, & in Nicephori Botaneiatæ Imp. jaſpide, à Joh. Chiffletio juri publico donatâ A. C. 1661. in qua efficta Deipara, utraque palmâ ad pectus extensâ, quemadmodum etiam ſtans exhibetur, in achate Orientali, apud eundem Chifletium, cum bina *Inſcr.* perpendiculari, ab altera parte ΜΗΤΗΡ, ab altera ΘΕΟΥ, ut & in nummo æreo, quem du Freſne exhibet, inter Zimiſcianos, & in alio Iſacii Angeli. In jaſpide verò habentur ſoliti characteres, ΜΡ ΘΥ. In circulo autem, qui imaginem ambit, ΘΚΕ ΒΟΗΘΕΙ ΝΙΚΗΦΟΡΩ ΦΙΛΟΧΡΙΣΤΩ ΔΕCΠΟΤΗ ΒΟΤΑΝΕΙΑΤΗ. Interdum verò Chriſti effigies in ſcuto vel clypeo efficta, ab ipſa *Deipara* utraque manu in ſinu tenetur, ut in nummis ejuſdem Romani Diogenis & Iſaacii Angeli, videre eſt. Id enim apud Græcos mos invaluit, ut Sanctorum imagines, in clypeis ſeu tabellis orbicularibus, Vett. imitatione, depingerentur, unde ἀσπίδας ὀμφαλοέσσας vocat P. Silentiarius, *ſcuta*, Anaſtaſ. Bibl. vide ſuprà in *Clypeus.* Alium modum effingendi Deiparæ imaginem, tradit Scylitzes in Romano Argyro *p.* 729. ubi ait, inventam fuiſſe in æde Blanchernenſi tabellam B. Virginis, Chriſtum ad pectus applicatum tenentis. Sed & aliter nonnunquam, & ut Latini ſolent, in ulnis ſc. Chriſtum geſtantem, eam à Græcis depictam, colligit ex Theophane Ceramco & Theod. Studita du Freſne præfatus. Diogeniano autem ſimiles habentur aurei Joh. Comneni nùmmi, in quibus idem diadema à *Deipara* excipit, cum his literis, ιω ΔΕCΠΟΤ, in facie verò altero effingitur Chriſtus ſedens. In altero ejuſdem Auguſti Deipara crucem ipſi duplicem porrigit, cum lemmate, ιω ΔΕCΠΟΤ; ſupra caput, & ad latus Deiparæ, ΘV. ΜΡ. In alio præterea, in quo ſtat ipſe Joh. cum Narthece & globo crucigero, hiſque literis ιω ΔΕCΠΟΤ ΠΟΡΦΥΡΟΓΕΝΝ. averſa facies S. Virginis pronomen præfert, cum utroque brachio extenſo, ut in aliis inter Zimiſcianos & Manuelis, Andronici Tyranni & Iſaacii Angeli, ſolitiſque characteribus ΜΡ. ΘV. In alio denique ejuſdem Manuelis ſtat facie luſcâ, brachiis pariter erectis, in precantis ſpeciem: quaſi ad Deum preces funderet, pro imperii vel Urbis incolumitate. Car. du Freſne *Diſſertat. de Infer. ævi numiſm.* De hymno Græcorum, cui à *Deipara* θεοτοκίου nomen vide infrà *Triadica.*

DEIPHOBE, Sibylla Cumana, Glauci filia, quæ Æneam ad inferos duxit. Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 35.
------ *Phœbi Triviæque ſacerdos*
Deiphobe Glauci. ------

DEIPHOBUS, Priami ex Hecuba fil. qui interempto Paride, Helenam uxorem duxit, cujus tamen dolo ac proditione interfectus eſt à Græcis, quos illa in cubiculum dormientis intromiſit. Therapnæis olim cultus eſt, teſte Ænea Gazæo, qui in *Theophraſto* ſcribit, *Menelaum, Paridem ac Deiphobum, Therapnis Laconicis*, in veneratione fuiſſe, apud Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 13. Pictus ab Antiphilo: de quo Plin. *l.* 35. *c.* 11. *Laudatur --- numeroſâ tabulâ, in quo ſunt Priamus, Helena, Credulitas, Ulyxes*, Deiphobus, *Dolon.*

DEIPHONTES, Dux Dorienſium; qui appellens ad collem, ubi conſpici non poſſet, ſubmiſſo falſo ſpeculatore, nunciandum Argivis curavit, Dorienſes eſſe prædatum egreſſos: Adverſus quos Argivi deſertis caſtris exeunt. Tunc Deiphontes cum ſociis navibus egreſſus vacua defenſoribus capit. Argivi parentibus, liberis & conjugibus captis, ut illos & regionem ſervarent, urbes Dorienſibus tradidêrunt. vide Polyæn. *l.* 2.

DEIPNIAS, Theſſaliæ vicus apud Lariſſam. *Steph.*

DEIPYLE, Adraſti filia, Tydei uxor, ex quo Diomeden ſuſcepit, qui in bello Trojano primus poſt Ajacem & Achillem ab Homero deſcribitur. Diod. *l.* 4.

DEIPYLUS, Stheneli fil. Capanei in bello Trojano amicus fidiſſimus. Hom. *Il.* 5.

DEIPYRUS, unus ex principibus juventutis Græcorum. Hom. *Il.* 8.

DEIRA, vulgò *Darham*, urbs Angliæ, Regni olim cognominis caput. Eaſt-Saxonum enim Regnum, fundatum ab Ina A. C. 547. ſubdiviſum poſtea eſt, in Regnum *Deiræ* & Berwiciæ. Georg. Horn. *Orb. Imper.*

DEIRADES, tribûs Leontidis vicus. Steph. Item prom. & urbs Æthiopiæ.

DEIS, genus menſæ in Monaſteriis, in *Vitis* Abbatum S. Albani: fortè ejus, cui ut honoratiori umbraculum, quod *Dais* Gallis, imminebat. vide ſuprà *Dagus.*

DEITANIA, Hiſpan. citer. regio circa Carthag. novam. Plin. *l.* 3. *c.* 3.

DELA, Arab. Fel. urbs. *Ptol.*

DELAS, & Tygris minor. fluvii, qui Apameam Meſenorum civitatem circumdant. *Steph.*

DELATORES, vide de iis hic paſſim, inprimis in vocibus *Auſcultatores, Cognitores, Portarius, Relegatio, Sycophantæ, Vetus Conſuet.*

DELBENUS, Franciſcus, vide *Franciſcus.*

DELCINUS Novarienſis, juxta Gerardum Sagarellum Parmenſem, doctor Fratricellorum, qui ſummâ tum crudelitate in Italia exterminabantur, A. C. 1300. Blond. *dec.* 21. *l.* 9. Pantal. *Chron.*

DELCOS, ſeu DELTA, urbs Thraciæ, in Urbana Reg. verſus oram littor. Ponti Euxini, 30. mill. à Byzantio in Circ. Hinc lacus *Delcos* adjacens, & fluv. cognom.

DELDON, Myſorum ac Baſternarum Rex, quos cùm M. Craſſus præliis ſequentibus edomuiſſet, illorum tandem Regem Del-

dona

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

dona ſuâ manu interemiſſe fertur. Dio & Cæl. Rhodig. *l.* 18. *c.* 23.

DELEAN, civitas in tribu Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 38.

DELEGATUS Apoſtolicus; idem cum *Reſponſali*, *can. Frater.* 16. *quæſt.* 1. vide *Reſponſalis* : At *Delegatio*, certus acquirendi in Re monaſtica modus, de quo vide infrà in voce Mediatores.

DELESSA, maris Ægæi inſula. *Anton.*

DELETITIA Charta, vide *Opiſthographum.*

DELGOVITIA, Angliæ urbs. Anton. *Godmundingham* in ditione Eboracenſi. *Camd.*

DELIA, urbs Cariæ. *Steph.*

DELIA, celebre Athenienſium feſtum, in Apollinis, quem eximiè coluêre honorem inſtitutum; quorum toto tempore ſacris operata Urbs noluit quenquam capitis damnatum, dum Delum ibant redibantque Theori, pœnas dare: lege latâ, Δημοσίᾳ μηδένα ἀποκτιννύναι πρὶν ἂν εἰς Δῆλον ἀφίκηται τὸ πλοῖον, καὶ πάλιν δεῦρο, *Deliorum feſtos dies, dum Delum itur, reditur, damnatorum ſuppliciis ne funeſtato.* Cujus legis meminit Xenoph. ac Plat. qui obſervant, Socrat. triginta dies in carcere & in expectatione mortis exegiſſe poſt damnationem, quia *Delia* feſta intervenêrunt. Datum id autem honori Apollinis, ne hujus feſti dies ultimo damnatorum ſupplicio polluerentur, non enim omnibus id diebus feſtis obſervatum. Hinc Phocion quando ex plebiſcito veneno ſublatus eſt, feſtus erat dies, Jovi ſacer. vide Plutarch. *in Phocione.* Qui ſacra hac legatione defungebantur, Δηλιασταὶ, item Θεωροὶ dicebantur, quorum Princeps Ἀρχιθέωρος appellatus eſt; cui addebantur duo Paraſiti ſeu Epulones ex Cerycum genere. qui illo Anno ſuum ibi munus obirent. Unde lex : Καὶ τὼ κήρυκε ἐκ τοῦ γένους τῶν κηρύκων τοῦ τῆς μυστηριώτιδος, τούτους δὲ παρασιτεῖν ἐν Δηλίῳ ἐνιαυτόν, *Duo Ceryces ſunto è gente Cerycum Myſticorum; iidemque Annum in Delio templo Paraſiti ſunto.* Fuêre autem illi Ceryces, inter antiquiſſimas gentes populi Athenienſium, non caduceatores, neque præcones, ut quidam volunt, ſed ſacrorum Miniſtri. vide Sam. Petit. *Comment. in leges Atticas l.* 1. *tit.* 2. Navis, quâ vehebantur Theori, ſimiliter Θεωρὶς, item Δηλιὰς dicta, à Sacerdote Apollinis floribus ſertiſque exornari ſolebat : eratque illa ipſa, ut vulgò credebatur, quâ Theſeus virgines, quæ Minotauro quotannis offerendæ in Cretam mittebantur, olim, monſtro ſublato, in patriam incolumes revexerat, ludis hinc feſtoque *Deliaco* inſtituto. Ipſi Legati lauro ibant coronati : Unde Apollon. *l.* 2. *Argonaut.*

Ξανθὰ δ' ἐρεψάμενοι δάφνῃ καθύπερθε μέτωπα.

Quæ ad feſti ſolennitatem illuc mittebantur, πομπεῖα dicta ſunt: Ibi enim primùm ſacrificatum, dein circum altare Virgines Γέρανον ſaltabant, de quo vide infrà in voce *Grus*, & plura in hanc rem, in voce *Theori* : De *Deliis* vide *virginibus*, comam reſectam Opi Deæ, cùm nupturæ erant conſecrantibus itidem infrà in voce *Opis.*

DELIACA Suppellex, Cic. appellata, in qua erant triclinia & lecti, cum pedibus & fulcris, ex *ære Deliaco* factis, Baifius *l. de Vaſculis*, apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Sic meminit *Deliacorum* Æl. Lamprid. *in Alexand. Sever. Iſium & Serapium decenter ornavit, additis ſignis & deliacis & omnibus myſticis*, h. e. vaſis *Deliacâ* ſpecie, aut quæ *Deliaca* imitarentur, uti loquitur Plin. *l.* 34. *c.* 2. Caſaub. *add.* De ære autem illo ſic habet *Antiquiſſima æris gloria* Deliaco *fuit, mercatus in Delo concelebrante toto orbe, & ideo cura officinis triclineorum pedibus fulcriſque. Ibi prima nobilitas æris, quæ pervenit deinde ad Deûm ſimulacra, effigiemque hominum & aliorum animalium. Proxima laus Æginetico.*

DELIACI, memorati Plin *l.* 10. *c.* 50. gallinarii erant Mercatores, quos *gallinas ſaginare primos cœpiſſe*, ſcribit. Eorundem meminit Cic. *in Lucullo*, *Quoniam gallinarium inveniſti* Deliacum *qui ova cognoſceret.* Item *Orat.* 2. *pro C. Cornelio*, apud Aſcon. Columella quoque *l.* 8. *c.* 2. Iidem ex gallis faciebant capones : quò Petron. alludens, de hominibus etiam dixit, *Deliaci manu reciſi*, h. e. *ſpadones.* Quàm verò Romani vett. hujuſmodi gallinarum delicias refugerint, docet Plin. cùm poſt verba proximè memorata ſubjungit : *Interdictum lege C. Fannii Conſ. XI. annis, ante tertium bellum Punicum, ne quid volucrum poneretur, præter unam gallinam, quæ non eſſet altilis : quod deinde caput tranſlatum per omnes leges ambulavit : inventumque diverticulum eſt, in fraudem earum, gallinaccos quoque paſcendi lacte madidis cibis.* vide Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l.* 3. *c.* 91.

DELICATI, Latinis dicebantur, qui Græcis τὰ παιδικὰ ſeu ἐρώμενοι, quos & *delicias* dixit Cic. *pro Cœlio.* Æl. Spartian. *in Hadr. Corrupiſſe eum Trajani libertos, curaſſe* delicatos, *eoſdemque ſæpe leviſſe per illa tempora--- opinio multa firmavit.* Sed & *delicatæ* quoque, h. e. dilectæ, in vett. *Inſcr.* in æde Cathedrali Pergami, ATESTIA. I. D. L. ATESTIÆ. TERTIÆ. PATRON. BENEMERENTI. ET. CAPITONI. BINETÆ. ET. MARTIÆ. ET. PRIMUL. DELICATIS. ET. TELAMIO. CELERI. AMICO. CARISSIMO. ET. ATESTIÆ. EGNATIÆ &c. vide Caſaub. *ad Spart.* & Car. du Freſne *Gloſſar.* ut & hîc infrà. Feſto *delicata* primitus dicebantur, quaſi *dedicata*, h. e. Diis conſecrata; unde *delicatus debitor*, i. e. luxui conſecratus : à *delico*, pro *dedico* &c. At *Deliciæ*, apud Catull. *carm.* 2. & 3.

Paſſer delitiæ *meæ puellæ.*

& imitatione hujus, *Delicium*, apud Mart. *l.* 1. *Epigr.* 8.

Stellæ delicium. *mei columba*:

aliosque melioris ævi Scriptores, res eſt quæ oblectat, quòd facilè eâ homines *laciantur* ſeu *deliciantur* & ineſcentur. Unde *Deliciæ Orbis*, notum Titi elogium. Sic porrò dicuntur interiores amici, quos *dulces* Stat. Sulpic. Sever. Salvian. Egeſipp. *delicioſos* appellavit recentior ætas, uti ex Anaſtaſ. Biblioth. ad notat Barth. *Animadverſ. ad Stat. Thebaid. l.* 11. *v.* 369. & *Adverſ. l.* 6. *c.* 20. Sed & obſcœnam notionem vox habuit, uti diſcimus ſuprà ex Cic. exempla habes, ubi de *Antinoo* & *Daphnide* Apud Comicos delicioſa nomina, *Storax*, *Pægnium* &c. Jul. Cæſ. Scalig. *Poet. l.* 1. *c.* 13. Caſaub. *Deliciæ* Latinis dicti ſunt propriè pueri minuti & procaces, ac *garrulitate ipsâ amabiles*, ut ait Suet. *Aug. c.* 84. *Pronuntiabat dulci proprio quodam oris ſono.* quos vett. Romani magno ſtudio conquirebant, ex Syria inprimis, Alexandria & Mauritania, domeſticæ oblectationis ergò. Qualem habuit Auguſt. Sarmentum, apud Plutarch. *in Antonio*, ubi δηλίκια illum Cæſaris vocat, qualemque indigitat Jeremias, *c.* 31. *v.* 20. voce *Jeled ſchahaſchuhim*, quem παιδίον ἐντρυφῶν Græci vertunt. Fortaſſe & Salomon Prov. *c.* 8. *v.* 30. *& ſeqq.* Atque ſic in antiqq. lapp. pleriſque *Deliciæ* & *Delicium* accipere mavult. Stat. *Epicedio in Fil.* eos ſic deſcribit, *v* 66 *& ſeqq.*

Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces
Delicias, *doctumve ſui convicia Nili*
Infantem, linguaque ſimul ſalibuſque protervum
Dilexi ------

Vide ſuprà in voce *Cubiti.* At *Delicati* eidem, quos nequiſſimi Græci παιδικὰ dixêre, item παῖδας ἁπαλὰς, quos κομᾷν ὄπισθεν, *in ſyncipite comam alere* ſolitos, Dio Chryſoſt. *de Regno* ait. Interim confundi has voces ſæpe, non negat. vide illum *ad Suet. d. l.*

DELIOLI, horti ſunt prope Neapolim. *Poggio Reale*, *Fabricio.*

DELIUM, opp. Bœotiæ in Tanagra. Steph. Juxta Euripum, medium inter Chalcid. ad Bor. & Tanagram ad Auſtr. verſus oſtia Aſopi fluv. Nunc in ruinis. Baudr. Item Apollinis templum. *Strab.*

DELIUS, unus ex ducibus Antonii, miſſus ad accerſendam Cleopatram, mulieri perſuadet, monetque Homerico verſu, ut ad judicium proficiſcatur quàm maximè ornata. Plutarch. *in Anton.* Idem eum hiſtorias deſcripſiſſe tradit. Meſſala Corvin. hunc *deſertorem bellorum civilium* vocat, quia à Dolabella ad Caſſium tranſiit, à Caſſio ad Antonium, noviſſimè ab Antonio ad Cæſarem. Scripſit quoque laſcivas Epiſtolas ad Cleopatram. vide *Adelphus.*

DELIUS, vide *Delos.*

DELLI, lacus breviores non longè à Catana, miræ profunditatis, quos incolæ *crateras* vocant. vide *Palici.*

DELLI, vide *Deili.*

DELLIUM, urbs ampla Indiæ Or. ſub Magno Mogole, caput Regni cognom. ad Geminum amnem, 100. mill. circiter ab Agra in Boream, Lahorium verſus, Sedes Amazonum olim, quibuſdam. Davity, *Aſiæ p.* 1. *p.* 663.

DELLIUS, memoratus Hegeſippo, *l.* 1. *c.* 30. *Dellius in hos ipſis eſt directus ab Antonio*; ita enim *MS.* habet, uti Joſeph. cùm vulgò *Gellius* legatur, eſt ille ipſe deſultor bellorum civilium, cujus apud A. Senec. mentio. Ejuſdem meminit quoque *c.* 37. Hegeſippus, ubi tamen error eſt Auctoris, bis tribuentis Soſſio, quod *Dellii* eſt apud Joſeph. ut quidem judicat Joh. Frid. Gronov. *Obſerv. in Eccleſiaſt. c.* 24.

DELMATIA, vide *Dalmatia.*

DELMENHORSTIUM, opp. & Comit. Germ. in dit. Comitis Oldenburgenſis antea, nunc ſub Daniæ Rege. Ad Delmam amnem, qui paulo infra in Viſurgim cadit, 3. leuc. Bremâ in Occ. 4. ab Oldenburgo in Ort. Oppidi hiſtoria hæc : Arx primò fuit, ab Ottone II. Com. Oldenburgico, condita, A. C. 1247. ab hujus dein ex fratre Chriſtiano nepote, Ottone III. urbs facta eſt. Huic nati Joh. Oldenburgicæ, & Chriſtianus (doctiſſimus) *Delmenhorſtanæ* lineæ. conditores fuêre : quo cum fratre à Butjadis cæſo, filius Otto ſimplex, Bremenſibus Comitat. aſſignavit, ſi ſolvendo non eſſet, illique filium Archiep. crearent. Sic electus eſt Nicolaus filius, A. C. 1421. ſed ſororis ejus Adelheidis maritus Theodoricus Fortunatus Oldenburgicus, nihilo ſecius Comitat. ſibi vindicavit. Huic filii fuêrunt Chriſtian. Maurit. & Gerhard. quorum medio *Delmenhorſtum* aſſignatum eſt, ſed liberis ejus impuberibus à Gerhardo ereptum. Chriſtianus I. Dano-Holſaticæ familiæ auctor fuit. Gerhard. verò Bellicoſ. Oldenburgios continuavit : qui cùm vicinos vexare non deſineret, Epiſcopi Monaſter. & Brem. Delmenhorſtum A. C. 1482. cum Comite cepêrunt. Filius Joh. interea adminiſtrationi admotus Butjados & Statlandos A. C. 1499. devicit, arce Rodekercken cervicibus, illorum impoſitâ, quâ deſtructâ A. C. 1513. iis denuo ope Brunſuicenſium victis arx Ovelgun impoſita eſt. Ejus filius minimus natu Anton. A. C. 1529. ex reſignatione fratris Joh. adminiſtrationem ſuſcepit. Hic A. C. 1547. Delmenhorſtium diu à Monaſterienſibus detentum, vi cepit, & munivit, Pater Joh. rurſus Oldenburgenſis rami, & Antonii, Delmenhorſtani, auctorum, quorum hujus familiâ in liberis extinctâ, illi Comitatus accrevit. Hoc natus Anton. Gunther. prudentiſſimè ultra 60. Ann. Provinciam rexit, in medio belli æſtu ſemper neutrarum partium : Quo ultimo ſuæ gentis haud pridem extincto, agnatus Daniæ Rex. Comit. qui familiæ proprii, vindicavit. Jeverenſem Joh. Princeps Anhaltin. Serveſtanus, ex ſorore nepos, nactus eſt : Kniphuſium dominium Anton. fil. naturalis, ex Ungnadia ſuſceptus, obtinuit. Vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.* Cæterum, poſt præf. ultimi Comitis fata, hæreditatem inter Daniæ Regem atque Holſatiæ Gotorpienſis proſapiæ Principem ita diviſam eſſe, ut Regi Oldenburgum, *Delmenhorſtum* Duci cederet; litem dein utrique obortam cum Joach. Erneſto Duce Plœnenſi, reque delatâ ad Cæſarem, pro hoc pronunciatum, cui poſtea cum Rege convenerit, conditionibus non niſi fortè paciſcentibus notis, tradit Tob. Pfanner. *de præcipuis Germ. Principum Gentib. c. ult.* ex *Recapitul.* aliiſque *Actis* apud *Caſtel. p.* 685. & 692.

DELMINIUM, nunc *Dumno*, Joh. Lucio, non Almiſſa, Slavè *Omiſc*, quod maritim. eſt opp. Baudr. vide *Peguntium* & *Dalmatia.*

DELOS, Inſ. maris Ægæi, Cycladum omnium clariſſima, in quâ Latona Apollinem ac Dianam dicitur enixa, unde Diis illis ſacrata putatur, tantumque religionis ei ſemper fuit, ut ne Perſæ quidem, quum bellum toti Græciæ, Diis hominibuſque indixiſſent, & mille numero navium claſſem ad Delum appuliſſent,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſent, quicquam conarentur aut violare, aut attingere. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 73. *& ſeqq.*

Sacra mari colitur medio gratiſſima tellus
Nereidum matri, & Neptuno Ægæo:
Quam pius arcitenens, oras & litora circum
Errantem, Gyaro celsâ Myconoque revinxit,

Stat. *l.* 3. *theb. v.* 438.

------ Ipſa tua Mycono, Gyaroque revelli
Dele, times, magnique fidem teſtaris alumni.

Juſtin. *l.* 3. *c.* 6. *Totius Græciæ emporium erat & ærarium Græcorum.* Ibi opp. præcipuum *Delos*, poſtea *novæ Athenæ Hadrianæ*. Nunc *Sdilles*. Dicta ἀπὸ τοῦ δήλου, quod cùm antea mari tecta eſſet, Latonæ locum ad pariendum quærenti, repentè ſe oſtenderit: Priùs *Ortygia* dicebatur, *Aſteria*, *Cynthia*, *Lagia*, *Chlamydia*, *Gynethus*, & *Pyrpile*, ab igne ibi primùm reperto. Virg. *l.* 3. *Georg. v.* 6.

Cui non dictus Hylas puer & Latonia Delos?

Hæc inſula olim per mare vagabatur. Ovid. *Met. l.* 6. *v.* 334.

------ Quam vix erratica Delos
Errantem accepit, tunc cùm levis inſula nabat.

Stat.

------ Nec inſtabili famâ ſuperabere Delo.

Claudianus, d. *R. Proſerp. Carm.* 35. *v.* 34.

------ Motoque in ſtamine Delos
Errat, & aurato trahitur circumflua Ponto.

Hinc à Callimacho Πλαζομένη dicitur, & à Virgilio *errans*. Ariſtid: etiam oratione in Aſclepiadas Δῆλον φερομένην dixit. Plin *l.* 4. *c.* 12. *Ipſaque longè clariſſima Cycladum media, templo Apollinis, & mercatu celebrata, Delos: quæ diu fluctuata, ut proditur, ſola motum terræ non ſenſit ad M. Varronis ætatem.* Adi Strab. qui *l.* 10. eadem narrat ex Pind. Edidiſſe hîc Oracula Apollinem ſex menſibus æſtivis ferunt, Pataram Lyciæ urbem ſex hybernis reliquis ſe contuliſſe: Hinc Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 143.

Qualis ubi hybernam Lyciam, &c.

Poſtea verò immota facta eſt, & à Virg. ſic dicta. Hinc Herod. in *Erato*, tale oraculum narrat:

Κινήσω καὶ Δῆλον ἀκίνητόν περ ἐοῦσαν.
Concutiam & Delum, quamvis immobilis hæc ſit.

Proinde Callimach. *in Hymno ad Delum*, eam vocat ἄτροπον *immutabilem*, i. e. ἀκίνητον καὶ ἄτρεστον, inquit Scholiaſt. qui addit: Καὶ Θουκυδίδης σεισμὸν γενόμενον μέγαν βουλόμενος ἐξηγήσασθαι, φησὶν, οὐκ ἔσεσθαι ἐν μεγας, ὥστε τὴν Δῆλον σεσεῖσθαι. In ea canem nullum alere, aut cadaver ſepelire licuit, poſtquam Athenienſes eâ potiti, Thucyd. *l.* 3. Strab. *l.* 10. Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Inopus fons ſunt verba plerique eodem quo Nilus modo, ac pariter cùm eo decreſcit, augeturque.* Plin. *l.* 2. *c.* 103. Nic. Lloydius. Hodie *Sdille* hæc Inſ. dicitur, neque quidquam habet celebre, præter nomen. Videturque nunc gemina, ob Rheniam, in qua olim cadavera ſepulta, ei conjunctam; & Pars, quæ olim Rhenia erat, *Fermene* vocatur ab indigenis. Parvi circuitus eſt, ſub Turcis, 60. mill. ab Eubœa Inſ. in Ort. Ferè deſerta, Baudr. Ind. *Delius*, & *Delia*, Apollinis ac Dianæ epitheta. Item *Deliacus*, ut *vaſa Deliaca*, de quibus Plin. *l.* 34. *c.* 2. *Deliaci autem Jupiter in Capitolio in Jovis Tonantis aede* & Cic. pro Roſc. Amer. *Delius*, inquit Bochart. factum ex דחל *daal*, quomodo *Belus* ex בעל *Baal*. Syris autem דחל *daal* eſt *timor*, deinde Deus qui timetur, juxta illud, Petron. in fragm. *p.* 347. Edit. Boſchii.

Primus in orbe Deos fecit timor.

Et hoc ob Apollinem ac Dianam, quorum natalibus erat celebris. Idem Lloyd. Addo quod hodie docente Sponio. *Dili* Græcis, in numero plurativo, eo quòd hoc nomine etiam Rheniam Inſ. comprehendant, quæ procul aſpectantibus cum *Delo* eadem eſſe Inſula videtur. Interim cùm ſeparatim de alterutra loquuntur, hanc *magnam Delon*, (non *Fermene*, quod nomen eſt Inſ. Thermiæ 30. mill. inde diſtantis) illam *parvam* appellant. Eſt autem hæc Inſula deſerta hodie, &, quia ſub ruderibus tota jacet, penitùs inculta, leporum ſaltem cuniculorumque, copiâ abundans, unde *Lagiæ* nomen inter alia Inſulæ tributum diximus. Coturnices verò, unde & *Ortygia* illa quondam, nullæ ibi hodie, nec palmeta ulla, quibus olim nobilem fuiſſe, Herod. tradit. Lentiſcum ſolùm fert, quæ maſtichem ſtillat. Porrò hodieque ibi viſuntur plurima Antiquitatis λείψανα; Gymnaſii ſc. rudera. cujus memoriam ſervant duæ *Inſcriptiones*, quarum una Mithridati Evergetæ, altera Mithridati Eupatori, Ponti Regibus, dedicata eſt, unde piratæ Chriſtiani Inſulam *Scholas* etiamnum nominant. Porrò Naumachiæ ibi Theatrique reliquiæ: & truncus Apollo, è marmore, humi proſtratus, cujus quod reſtat, coloſſeam idoli magnitudinem teſtatur; haud procul Centauri Neſſi, Dejaniræ raptoris, & quatuor itidem ex marmore leonum, quædam ſuperſunt, qui, utpote Apollini ſacri, ornatui Templi inſerviſſe videntur. Imò vett. in hac Inſ. marmorum (quæ omnia ex Inſ. Paro petita) tanta ſtrages, ut ſub iis tota velut ſepulta lateat. Sub monte Cyntho, qui exiguus eſt, *Deli* urbis veſtigia ſuperſunt, ubi *Inſcr.* votum factum Serapidi, Oſiridi, Anubi, & Harpocrati, quibus fortè ibi loci ædes olim ſacra, continens; Dianæ verò, quæ alterum fuit Numen, juxta Apollinem fratrem, hîc cultum, nihil plane reſtat, ut videre eſt apud Jac. Spon. *Itiner. Græciæ Part. I. p.* 172.

DELPHACIA, Propontidis Inſ. *Plin. l.* 5. *c.* 32.

DELPHI, urbs Phocidis in Achaja ad Parnaſſum mont. oraculo Apollinis & templo ejus, pòſt à Gallis, Brenno Duce, direpto clariſſima. Cujus hiſtoria paucis ſic habet: Caprarum grex aliquando ad antrum hoc accedens ingentem clamorem ſuſtulit. Id miratus Paſtor Coretas, cùm illuc ſe conferret, vaporibus inde prodeuntibus impletus, vaticinari incepit. Hinc alii atque alii huc venêrunt, ſed, quia plurimi imprudenter in voraginem prolapſi periêrunt, tripodem ibi ſtatui placuit, cui impoſterum vates inſideret. Hic honor virginibus primò, in Dianæ honorem obtigit, donec raptâ ab Echecrate Theſſalo Phœbade, quinquagenariæ adhibitæ. Et quia oraculum hoc toto orbe celebre fuit, templum divitiis ſcatens, ſæpe præda ceſſit Eubœenſibus, Phlegyiis, Pyrrho Achillis filio, Xerxi, Phocæenſibus, Gallis, Neroni tandem, qui 500. inde ſtatuas cupreas rapuiſſe dicitur, diſtributo militibus territorio Cyrrhææ, Apollinis domanio, & antro, unde Oracula prodibant, occiſorum hominum cadaveribus obſtructo, Strab. *l.* 9. Pauſan. *l.* 10. Diod. *l.* 62. Diod. Plutarch. Juſt. Oraculum hoc, nato mundi Servatore obmutuiſſe, poſtquam Auguſto, cauſam roganti, hæc reſpondiſſet:

Me puer Hebræus, divos Deus ipſe gubernans
Cedere ſede jubet, triſtemque redire ſub Orcum, &c.

referunt Niceph. *l.* 1. *c.* 17. Cedren. *in Comp.* Suid. *in Aug.* Oroſ. *l.* 1. *c.* 18. qua de re adi Anton. van Dalen *de Oraculis Diſſertat.* 1. *Delfo* etiamnum, *Caſtri* Sophiano & *Saona* Nigro, qui eandem frumenti feracem eſſe tradit. Magis rupibus, ac loci naturâ quàm humanâ arte munitur. *Umbilicus terræ* dicebatur à Græcis, referente Plutarch. *l. de Oracul. defectu.* Strab. *l.* 9. Εκάλεσαν τῆς γῆς ὀμφαλόν. Liv. *l.* 38. *c.* 48. *Etiam Delphos, quondam commune humani generis oraculum, umbilicum orbis terrarum, Galli ſpoliavêrunt.* Hinc eſt illud Claud. *in Prologo ad Manl. Theod. Coſ.*

Jupiter (ut perhibent) ſpatiumque cùm diſcere vellet
Naturæ, regni neſcius ipſe ſui,
Armigeros utrinque duos æqualibus alis,
Miſit ab Eois occiduiſque plagis:
Parnaſſus geminos fertur junxiſſe volatus:
Contulit alternas Pythius axis aves.

Ovid. *Met. l.* 10. *v.* 168.

In medio poſiti caruerunt præſide Delphi.

Cœterum quinque templa *Delphica*, i. e., in eodem loco Delphis ſucceſſivè extructa fuiſſe leguntur. Primum ex lauri ramis, ex agro vicino petitis. Secundum è cera & apum alis, a quodam cui *Pteras* nomen: Tertium ex ære (quemadmodum Spartæ templum erat Minervæ Χαλκιοίκου) extructum; quod igne colliquefactum, vel, ut alii, terræ motu abſorptum legitur: Quartum è lapidibus conſtabat, architectis Trophonio & Agamede, primo Anno quintæ Olymp. in cineres redactum: Quintum ſeu ultimum ab Amphictyonibus conditum è ſacro ærario, per Spintharum, in loco maximè declivi, aditum habebat impeditum admodum & magnopere anguſtum. Huc cùm Athenienſes mittebant Legatos, qui Oraculum conſulerent, dicebantur illi ἀναβαίνειν, adhibebanturque iidem ferme ritus, qui in annua legatione ad Deliacum feſtum uſitati erant. vide in voce *Theori*. Oraculum, poſtquam hîc obmutuerit, ad Hyperboreos Scythas ſe contuliſſe fertur. Claudian. de ſexto Conſ. *Honor. Carm.* 28. *v.* 26.

Luſtrat Hyperboreas Delphis ceſſantibus aras.

Unde Abaris Scytha, de ejus adventu & reſponſis librum edidiſſe, & Athenienſes, per totam Græciam peſte horribiliter graſſante inde moniti fuiſſe, ut reliquorum nomine vota preceſque facerent, leguntur. Quare, ſicut priùs Delphos, ita ab illo tempore dona eò mittere ſoliti ſunt. De ceſſatione Oraculi *Delphici*, egregiè Prudent. canit in Apoth. *v.* 502. & ſeqq.

Ex quo mortalem præſtrinxit ſpiritus alvum
Spiritus ille Dei, Deus, & ſe corpore matris
Induit atque hominem de virginitate creavit.
Delphica damnatis tacuerunt ſortibus antra.
Non tripodas cortina regit, non ſpumat anhelus
Fata Sibyllinis fanaticus edita libris.
Perdidit inſanos mendax Dodona vapores,
Mortua jam mutæ lugent oracula Cumæ:
Nec reſponſa refert Lybicis in Syrtibus Ammon.

Vide Franc. Roſſæum *Archæol. Atticæ l.* 7. *c.* 2. & infrà in voce *Oracula* Rudera verò Templi & urbis hodieque viſuntur, ſervatque inſuper memoriam hujus *Inſcr.* quæ in pagi *Caſtri* (quem incolæ vet: eſſe urbis *Delphorum* λείψανα tradunt) templo Græco *Agios Helias* ſupereſt, & inter alia hæc continet, ΚΑΤΑΠΕΡ ΕΝ ΔΕΛΦΟΙΣ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΘΟΙΝΙΩΝΟΣ &c. Item alia, in Monaſterio 400. p. inde diſſito, in qua legitur, ΔΕΛΦΩΝ ΠΟΛΕΩΣ ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΥ. Fuit autem hæc urbs primitus extructa, à Neptuni & Cleodoræ Nymphæ filio Parnaſſo, qui monti Muſarum ſede inclyto nomen dedit. Eâ verò diluvii Deucalionæi undis obrutâ, qui ſupererant incolæ, luporum ululatum ſecuti, in culmine Parnaſſi *Lycoream* condidêrunt, à qua etiamnum culmen illud *Liacoura* Græci appellant. Nomen *Delphorum* quod attinet, *Delphum* quendam Apolline & Thyâ Sacerdote, filiâ Caſtalii, genitum, originem nomenque ei dediſſe volunt: Delphi autem filium Pythin *Pythonem* eam appellaſſe. Nunc ad exiguitatem vici redacta eſt, de quo vidimus. Plura hanc in rem inprimis de fonte Caſtalio, antro Corycio, ruderibus Gymnaſii, Stadii, aliiſque huc pertinentibus, vide apud Jac. Spon. *Itiner. Græc. Part.* 2. *p.* 54. & *ſeqq.* Idem nummi meminit Fauſtinæ, in cujus poſtica parte Templum Apollinis (quod non adeò videtur fuiſſe magnificum, utpote in quo 5. ſolùm columnæ viſuntur) cum voce ΔΕΛΦΩΝ, *Part.* 3. *p.* 172.

Nunc viculus in planitie eſt, 9. mill. ab ora Sinus Corinthiaci, in Bor. ſub Turcis, Baudr. de *Delphica umbra*, adagium idem cum illo, *De Aſini umbra*, i. e. de re nihili. Cùm enim, orante Demoſthene, judices dormitarent, is fabulam, de eo, qui aſinum Athenis Delphos onuſtum ducens, in maximo æſtu, ſub aſini umbra æſtum declinare volebat, agaſone ſibi obſiſtente, & dicente, ſe illi aſinum, non umbram aſini locaſſe, recitavit. Cui fabulæ cùm ſe judices attentos oſtendiſſent, & Demoſthenem rogarent, ut fabellam totam referret; is, *De umbra Aſini*, inquit, ſeu *De umbra Delphica audire cupitis, non cauſam, in qua de vita hominis agitur?* *Delphicus* quoque *gladius* apud Eurip. & Ariſt. *Pol. l.* 1. in proverbio eſt, de re in diverſos uſus accommodabili, uti gladius apud Delphicos, quo victimas cædebant, ac noxios interficiebant. Hinc *Delphicus* Apollo dictus, licèt Macrob. à priſca Græcorum voce Δελφὸς derivare maluit, quæ *ſolum* ſig. eo quòd interdiu ſtellis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

omnibus obſcuratis, ſolus luceat. quâ ratione *Sol* à Latinis eſt appellatus.

DELPHI; urbs Hollandiæ nitida, tertium tenens locum, à rivo *Delf.*, quo interluitur, dicta, cereviſiâ & ædificiis inclyta, in qua Guilielmi Arauſ. Principis, ibi A.C. 1583. interfecti, ut & Architalaſſis Trompii, celeberrimum monumentum. Dicitur & *Delfium*; eſtque ex præcipuis Hollandiæ. Vix 1. leuc. ab Haga Comitis. 3. à Lugd. Batav. in Auſtrum, totidem à Roterodamo in Occ. Creſcit. indies. Hîc Cornelius Honius, & Gnapheus Hagienſis, Euangelium annuntiarunt, A.C. 1521. qui junctâ cum Jac Præpoſito, qui Antverpiæ: Joh. Rhodio, qui Trajecti: Martino Dorpio, qui Lovanii docuêrunt, operâ, N.T. poſt Biblia in idioma Belgicum tranſtulêre, &c. Seditionis à fœminis, ob novum in frumenta tributum, excitatæ ibidem, A.C. 1616. hiſtoriam habes, in Supplem. Thuan. Collatio Delphenſis Orthodoxorum cum Arminianis, A.C. 1617. effectu carens, deſcribitur in libro, cui tit. *Henoticum Belgii diſſecti*. Guicciard. *Belg.*

DELPHICÆ Menſæ & *Delphicæ* ſimpliciter, Lat. Græc. Δελφίδες τράπεζαι: quòd imitarentur figuram τ̃ δελφίδος ſeu τ̃ δελφικῆς, ſeu, ut recentiores Græci dixêrunt, τ̃ δέλφικος τ̃ Α'πόλλωνος, *tripodis Apollonis*, qui Delphis erat, ſic dictæ ſunt. Itaque rotundæ facturâ erant, cujuſmodi fuiſſe Δελφικὰς τρίποδας notiſſimum eſt, unde *orbes* dictæ Juven. *l.* IV. *Sat.* XI. *v.* 173.

Qui Lacedæmonium pytismate lubricat orbem

Ubi *Lacedæmonius Orbis* menſa eſt, ex Lacedæmonio marmore, vel abacus. Horat. *l.* 1. *Sat.* 6. *v.* 116. *& ſeqq.*

—— —— —— lapis albus
Pocula cum cyatho duo ſuſtinet:

Ad quæ verba vetus Interpres, *Menſa*, inquit, *marmorea*, *quam* Delphicam *vocant*. Proſtabant ſc. pocula omne genus in illis Delphicis expoſita, & ibi pytiſſabant, abacumque ut & pavimentum effuſionibus rejectionibusque lubricabant, vide Salmaſ. *ad Spartian. in Peſcennio Nigro.* Dicitur & *Delphicum*, eadem notione, apud Heſych. Sed & ſic triclinium appellatum eſt, in Majori Palatio C. Politano, in quo epulari conſueverat Imperator, uti ex Victore Tunn. in *Chron.* diſcimus, ubi hîc loci Vitalianum Juſtiniani Patricii factione occiſum narrat. Vim vocis & originem diſertè exponit Procopius *de Bello Vandal. l.* 1. *c.* 21. à *Delphica* nempe, ſeu abaco miniſtratorio. Α'ϛγέλον illud Triclinium vocat Anna Comnena *Alexiad. l.* 14. *p.* 138. ad quam vide *Notas* Car. du Freſne. *Delphicæ* ſive Abaci, Varro quoque meminit *de Ling. Lat. c.* 8. *Itaque, ſicut Abacum argento ornari videmus, ut alia paria ſint, alia diſparia, ſic in oratione.* E quo loco oſtendit Salmaſ. non ſemper in Delphica pares ſcyphos, h.e. σύνδυο, poni, conſueviſſe, uti vult Agrœcius: *Quia*, inquiens, *vaſa in Delphica paria ſemper ſunt, unde ipſe Cic. Scyphorum paria compluria.* vide eum *ad Solin. p.* 1047.

DELPHICUM Templum, oppidul. Gall. Narb. fortè ubi nunc *les Trois Maries*. De *Delphico* verò *Templo*, ubi oraculum olim edebatur, ſuprà.

DELPHIDIUS Atticus Tyro, Rhetor Burdigalenſis, ſec. 4. Auſon. *Carm.* 5. *de Profeſſ. Burdigal.* celebratus.

Facunde, docte, Lingua & ingenio celer
Jocis amæne Delphidi.

Vide Sidon. Apollinar. *l.* 5. *ep.* 10. ubi *Delphidii abundantiam* laudat. Hieron. *in Chr. A.* 360.

DELPHIN, vel DELPHIS, item DELPHINUS, inter cete minora, à Gr. δέλφαξ, quibuſdam, i. e. *porcellus*, ſeu *porcella*, quòd interiora porco ſimilia habeat, nomen accepit. Unde *marſuinum* hodie Gallorum, h. e. *maris ſuem*, Vett. ὕαιναν dictam, *Delphinem* eſſe putat Scalig. Sed ὕαιναν Veteres & δελφῖνα diverſum faciunt, & leve à nomine argumentum eſt: cujus originem alii ex Hebr. לויתן *Leviathan*, arceſſere malunt. Cæterum *velociſſimum eſt omnium animalium — & niſi multum infra roſtrum os illi foret, medio pene in ventre, nullus piſcium celeritatem ejus evaderet — tanta vi exiliens, ut plerunque vela navium trans volet.* Iidem *pariunt catulos decimo menſe —— nutriunt uberibus, ſicut balenæ, — pro voce gemitus humano ſimilis, dorſum repandum, roſtrum firmum ——* Porrò hoc *non homini tantùm amicum animal, verùm & Muſicæ arti, mulcetur ſymphoniæ cantu, & præcipuè hydrauli ſono. Hominem non expaveſcit, ut alienum: obviàm navigiis venit, alludit exultans, certat etiam & quamvis plena prætterit vela — Eſt — in Nemauſenſi agro ſtagnum Laterra appellatum, ubi cum homine delphini ſocietate* (mugiles) *piſcantur. — Quæ de eodem genere piſcandi in Jaſſio ſinu Mucianus tradit, hoc differunt, quòd ultro neque inclamati præſtò ſint, parteſque è manibus accipiant & ſuum quæque cymba è delphinis ſocium habeat, quamvis noctu & ad faces* &c. Plin. *l.* 9. *c.* 8. Ubi quod de φιλανθρωπίᾳ delphinorum ait, illuſtrat exemplo pauperis cujuſdam pueri, ex Bajano Puteolos in ludum literarium itantis; alterius item, in Africo litore Hipponis Diarrhyti degentis; pueri porrò in Jaſſo urbe; alteriuſque cui *Babylonis*, & *Hermiæ* nomen &c. quorum hiſtorias ibidem vide. Adde *Delphinum Palæmonis* aqud Pauſan. *in Atticis*, & quæ affert hanc in rem Ælian. *Hiſtor. Animal. l.* 6. *c.* 15. idem Pauſan. *l.* 3. *ſub fin.* Alii. Utut autem homini benevolum animal naturâ *Delphinus* eſt, ex eventu tamen accerrimus fit hoſtis: novit enim olfactu hominem, qui ex Delphini carne guſtavit, quem ubi deprehendit, devorat, Alberto Magno teſte. Fabula ex Tyrrhenis hominibus *Delphinos* factos, à Baccho tradit: unde *Tyrrheni greges* Statio *Achilleidos l.* 1. *v.* 55.

Armigeri Tritones eunt, ſcopuloſaque Cete,
Tyrrhenique greges, circumque infraque rotantur.

Eadem in vectura Thetidis illos ponit. Ovid. *Metam. l.* XI. *v.* 236. *& ſeqq.*

Eſt ſpecus in medio — quà ſæpe venire
Frænato Delphine ſedens, Theti, nuda ſolebas.

Vide Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Pap. Stat. Achill. l.* 1. *v.* 221.

Elicit inde fretis, & murice frenat acuto
Delphinas bijugos, quos illi maxima Tethys
Gurgite Atlanteo pelagi ſub valle ſonora
Nutrierat.

& plura de celeritate, ſaltibus, ac tota natura delphinorum ſanè per omnia admirabili, apud Oppian. Ælian. Alios. Addam ſaltem, uti balænis, ſic *delphinis*, branchias non eſſe, ſed fiſtulis ſpirare, quæ illis ad frontem; his à tergo ſunt, ex Auctore Anonymo *Sinæ & Eur. c.* 42. Quòd verò peculiare *Delphinum* genus in Nilo eſſe, quorum dorſa ſerratas habeant criſtas, à quibus interimantur crocodili, contendit Solin. *c.* 32. refellitur à Salmaſ. delphinos illos non eſſe Nili indigenas, ſed è mari immeare, neque quidquam privi habere, præter cæteros delphinas, quorum omnium ſint illæ criſtæ dorſuales, docente ex Salmas. præfato *ad Solin. p.* 447. vide quoque infrà, ubi de *Simonis* vocabulo. Hinc Δελφινοφόρος ναῦς, ab effigie *delphi*, quam præferebat in prora apud Pollucem. Sed & ſic navis dicebatur, ab inſtrumento navali ſeu machina, in hoſtes emitti ſolita; cui δελφὶς quoque nomen. Cujuſmodi *delphines* ex plumbo erant, & in ſummitatem mali ſuſtollebantur, ut cum majori pondere ex alto dejicerentur, in naves adverſariorum: ut ex illo Ariſtophanis colligitur,

Τὰς δελφῖνας μετεωριεῖς, καὶ τὰς ἀκατίους ὀρθώσεις.

Qua de re eundem vide Salmaſ. ubi ſupra *p.* 570. & 571. uti de *Delphino* inter ſacra Apollinis recepto & hinc XV. virorum cortinis in ſummo honore, apud Rom. poſito, infrà in voce *Quindecimviri.*

DELPHINA, inſ. maxima Afr. in Oceano Ind. aliter *Madagaſcaria*. Vide ibi.

DELPHINATUS, nomen dignitatis in Gallia, quâ donabantur olim Comites Viennenſes; eò quòd complures ex iis, qui primò Comitatum hunc poſſederant, hoc nomine appellarentur. Hinc inter Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Principatus, Vicecomitatus, & Baronias, *Delphinatum* quoque poſuêre Raynaudus & Roſentallus. In *Charta* A.C. 1285. apud Ducheſnium: in horum Comitum *Stemmate*, occurrit *Andreas quondam Delphinus Viennenſis & Albonis Comes*: à quo complures alii, Humbertus, Joh. Guigo & Humbertus II. eadem dignitate donati leguntur. Quorum poſtremus quâ occaſione & conditione Galliæ Regi Principatum ſuum donaverit, diximus ſuo loco. vide quoque Dionyſ. Salvagn. Boiſſ. *de Uſu feud. c.* 1. & hîc infrà.

DELPHINATUS, provincia Galliæ celeberrima, ad Mirid. adhæret Provinciæ, ad Septentr. Sabaudiæ & territorio Breſſiæ, interfluente Rhodano: Ad Occ. Rhodanus fluv. eſt, quo dividitur ab Occitania, & Lugdunenſi prov. quâ Or. conregionalia jacent Pedemontium & Sabaudia: lat. 43. 46. long. 26. 29. nomen illi volunt ab Caſtello *Delphîni*. Hîc floruêrunt olim præter Allobroges, Viennenſes, Caturiges, Ebrodunenſes, Segalauni, Valentini, Vocontii, Deenſes, Gratianopolitani, Tricaſtini, Wapincenſes, & Brannovii. Provincia hæc non armis Coronæ Franciæ parta, ſed amicitiæ vinculo eidem annexa fuit, abſque ſubjectione tamen & ſervitute, eaque conditione, ut nullo apanagii jure, ulli regis Franciæ filio, quàm Primogenito, qui propterea *Delphini* nomen geſtaret, dari poſſit: hoc ita ſapienter cautum proviſumque fuit ab Humberto Delphino Viennenſi, ex ejus Conſiliariorum authoritate, qui hanc pulchram provinciam, hæreditatis diviſione in partes diſcerpi nolebant, vulgò *Dauphiné*. Metel. Merula. Ejus primaria urbs eſt Gratianopolis. Epiſc. & Parlamenti ſedes, ad Iſaram fluv. Hiſtoria paulò fuſius ſic habet: Provincia hæc ex pluribus ſtatibus, poſt Regnum Burg. deſtructum, reunitis conſtat: Cum tit. Comit. primò: Sub Guidone, circa A. C. 889. cujus ſucceſſores omnes idem habuêre nomen, & Comites Albonenſes ac Gratianopolitani antiquitus, ex in Comites Viennenſes, poſtquam Bertoldus Zeringhius jure ſuo in hanc urbem ceſſiſſet Guidoni VIII. dicti ſunt. Guido VII. cogn. Senior, *Delphini* nomen aſſumſit, cujue poſteri id primò familiæ, dein dignitatis, tandem totius Provinciæ nomen fecêre. Beatrix Delphina, filia unica Guidonis VIII. Soror Guid. IX. ſine prole defuncti, nupſit Hugoni III. Burg. D. ex Gallorum Regio ſanguine, A.C. 1194. quorum fil. Andreas II. Guidonis X. & Delphini nomine ſumptò, nomen inſigniaque Burgundica omiſit. Ex hujus fil. Guidone XI. nata Anna Delphina nupſit Humberto Turrio, quorum nepos Guido XII. cui improli frater Humbertus II. ſucceſſit, qui, cùm filium infantem, cum quo ad feneſtram luſerat, infelici caſu è manibus amiſiſſet, hærede deſtitutus, Philippo Valeſio, iis conditionibus, Principatum donavit, quæ, dictæ ſupra, A.C. 1349. In hac provincia ſeptem admiranda, aliaque recenſet Chorerius, *in hiſt. hujus Provinciæ*, ut & Guil. Canonicus Gratianop. *in vita Margaretæ, fil. Stephani Comitis Burgundiæ, uxoris Guidonis Sen.* Sunt illa Turris ſine veneno, Mons inacceſſus, Fons ardens, Labra & gemmæ Saſſenagenſes, Manna Brigantina, Antrum Balmenſe, &c. Vide & Morerium *in Diction. Hiſt.* & ſuprà in voce *Dalfinatus*, nec non *Delphinatus*, *nomen dignit.*

DELPHINI GALLIÆ.

Carolus fil. Philippi Valeſii, dein quintus nomine.
Carolus prioris fil. dein ſextus hujus nominis Rex.
Carolus, Ludovicus, Joh. & Carolus, filii Caroli VI. quorum prioribus mortuis ultimus Carol. VII. Gall. Rex evaſit.
Ludovicus fil. Caroli VII. undecimus dein hujus nom.
Joachimus & Carolus, poſtea VIII. Rex filii Lud. XI.
Caroli duo, filii Caroli VIII. ut & duo, Ludov. XII.
Franciſcus, fil. Franciſci I. Regis.
Henricus, poſtea II. hujus nominis Galliæ Rex.
Franciſcus, fil. Henr. II. ſecundus poſtea nominis hujus Rex qui ductâ Mariâ Scotiæ Reginâ, dictus fuerat *Rex Delphinus*.
Ludovicus fil. Henrici IV. dein XIII. hujus nominis Rex.
Ludovicus fil. Ludovici XIII. hodie feliciter regnans.
Ludovicus: primogenitus Chriſtianiſſimi Regis filius.

DELPHINATUS URBES, CASTELLA, ET LOCA CELEBRIORA.

Alta Ripa, *Hauterive*.
Caſſenaticum, *Saſſenage*.

Anto-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Anto. *Anton.*	Goncelinum.
Brigantium. *Briançon.*	Gratianopolis urbs Epiſc. *Grenoble.*
Canutus mons, *Montchenu.*	Medullio *Meüillon.*
Caſtellum S. Eulaterii, *S. Latier.*	Montilium Audomari, *Montelimar.*
Caſtrum Grepulum, *Crepol.*	Monsferratus *le Chaſteau de Montſerra.*
Caſtrum S. Georgii de Vandanis *S. Joire.*	Næomagus, *Nions.*
Caſtrum vet. villæ, *Vireville.*	*Oiſans* opp. Ucenorum.
Caturigæ. *Le Gapençois.*	Romanum, *Romans.*
Clariacum *Clerieu.*	Sicoriorum locus *Sigoiers.*
Corpum *Cors.*	Sori Campus.
Creſtidium. *Le Creſt.*	Tricaſtina civ. *le Tricaſtin.*
Dea *Die.*	Valentia, *Valençe.*
Digueriæ.	Vapincum *Gap.*
Ebrodunum urbs Archiep. *Anbrun.*	Vienna Archiep. *Vienne.*
Fanum S. Marcellini & S. Pauli, *S. Paul Troiſchaſteaux.*	Viriacum aut Veriacum *Virieu.*
	Urſoli, *Roſſillon* Comit.

DELPHINI, apud Juvenal. *l. 2. Sat. 6. v. 587. & ſeqq.*

Plebeium in circo poſitum eſt, & in aggere fatum,
Quæ nudis longum oſtendit cervicibus aurum,
Conſulit ante Phalas Delphinorumque *columnas.*

Columnæ erant in medio Circo, inter metas, cum aliis Circi ornamentis & columnis poſitæ. In Euripo illos locat Caſſiod. cùm de Circo loquens, *Euripus*, ait, *maris vitrei reddit imaginem, unde illum Delphini quaſi æquorei interfluunt*: ubi nomine *Euripi* quid veniat intelligendum, infrà dicemus. Erat nempe inter alias Circi columnas quædam, quibus inſculpti *delphini*, vel quibus *delphini* pro baſi fuère. Unde Tertullian. *de Spectac. Delphinos Neptuno vomunt columnæ. Seſſias à ſementationibus* &c. Auctorem & uſum indigitat Dio, ubi de Agrippa, cùm videret in Circo homines ſæpe errare circa numerum ſpatiorum decurrendorum, τούς τε δελφῖνας, inquit, καὶ τὰ ᾠοειδῆ δημιουργήματα κατεστήσατο, ὅπως δι' αὐτῶν αἱ περίοδοι τῶν περιδρόμων ἀναδεικνύωνται, *Delphinas & ovales fabricas conſtituit, quibus circuitus curriculorum notarentur ac numerarentur.* vide infrà, ubi de *Ovis Circi.* Ibidem viles & triviales Aſtrologos conſulebant mediocres & plebejæ fœminæ, ſpatium utrinque metarum ſeu intermetium perambulantes, ut ex Juven. verbis citatis liquet &c. Salmaſ. *ad Solin. p. 909. & ſeqq.* Sed & *Delphini*, miniſteriis Eccleſiæ accenſentur, Gregor. Mag. *l. 1. Ep. 66.* Anaſtaſ. *in Sylveſtre, Hilario* alibíque: ubi ornamenta majorum lychnuchorum denotari, ait Car. du Freſne *Gloſſar.* de Tribunali Athenienſium τῷ ἐπὶ Δελφινίῳ, vide infrà in voce. *Dicaſte.*

DELPHINI Portus, pagus oræ Or. Liguſticæ, à Genua 15. m. p. in ortum 4. milliar. à Rapallo in Occ. diſtans, *Portoffin*, vel *Fino* Leandro. Sub Rep. Genuenſi. Cum portu tuto, & arce munita, in clivo. Ei adjacet prom. *Cap di Porto fino.* Baud.

DELPHINIUM, qui & *Sacer portus*, in Bœotia eſt, è regione EubϾ inſ. *Strab.*

DELPHINUM Apollo, ſic dictus, quòd delphinum amiſerit, quem conſecuti ſunt Cretenſes. vide Cæl. Rhodig. *l. 8. c. 6.* Δελφινίου Ἀπόλλωνος ἱερὸν memorat Strab. *l. 4.* vide Plutarch. *in Theſ.* Pauſ. *Att.* Polluc. & alios. Nic. Lloydius.

DELPHINUM, locus Athenis ab Ægeo Rege Apollini Delphinio, ac Dianæ Delphiniæ, teſte Polluce, conſecratus, in quo cauſam dicebant, qui cædem ſe feciſſe, ſed jure feciſſe faterentur. Itaque Theſeum narrat Pauſanias, cùm Pallanta ejuſque filios res novas adverſùs ſe molientes interemiſſet, ibi eſſe abſolutum, cùm ante Theſeum interfector exilii causâ ſolum veteret, aut talionis pœnam ſubiret. vide ubi de *Dicateriis* Athenienſium, infrà.

DELPHINUM, caſtell. Chiorum.

DELPHINUS, Gall. *Dauphin*, cognomen primogeniti filii Galliæ Regis. vide in voce *Delphinatus.*

DELPHINUS, Joh. Antonius, vide *ibi.*

DELPHINUS, piſcis. vide *Delphin.*

DELPHINUS, ſyderis nomen. Varro *de R. Ruſtic. l. 2. c. 5.* Stellas ejus Aratus 4. tantùm numerat, Ovid. verò novem. Atque hæ Romæ olim oriebantur heliacè 5. Iduum Januarii, teſte Ovid. *l. 1. Faſt. v. 462.*

Interea Delphin clarum ſuper æquora ſidus
Tollitur: & patriis exſerit ora vadis.

Occidebant autem ibidem 3. Non. Feb. eodem teſte *Faſt. l. 2. v. 79.*

Quem modò celatum ſtellis Delphina videbas,
Is fugiet viſus nocte ſequente tuos.

Vide Cæſii *Cælum Aſtron. Poet. c. 21.*

DELPHON & DALPHON, i.e. *Stillicidium*, aut *pauperiem*, ſive *exhauſtum*, aut, *macilentum reſpiciens*, fil. Aman. Eſth. *c. 9. v. 7.*

DELPHUSA, fons in Delphis. *Steph.*

DELPHUSIA, urbs Arcadiæ, *Steph.*

DELRIO, Martin. Antonius. vide *ibi.*

DELTA, à figura triangulari, pars Ægypti infer. inter Nili foſſas extremas, h. e. Canopicam, & Peluſiacam, verſùs oram maris Mediterr. inter Alexandriam, ad Occ. Damiatam ad Ort. Cariam ad Mer. vide Ptol. *Geogr. l. 4.* qui duplicem facit, Strab. *l. 15. & 17.* & Plin. *l. 5. c. 9.* Herodot. *l. 2.* de templo urbis Buſiridis, in media hac regione, loquitur, inde probaturus, Ægyptios primos feſta celebraſſe. *Sabid.* vulgò, *Mabelech*, teſte G. Tyrio, dicitur. Baudr. ibi nunc pars eſt regionis *Errif* dictæ ab incolis, cùm *Sabid* ſit Ægyptus ſuperior. Item opp. Ægypti Deltæ reg. *Menuti* teſte Ortelio. Eſt etiam Indiæ cit. inſula Arriano, apud Indum fluv. cum urbe munitiſſima, *Diu* dicta, ſub Luſitanis: Eadem cum Patala apud Plin. & Ptol. Baudr. quid ſit, non conſtat. *Diu* enim ab aliis *Burace* dicitur. Cœterum, triplex in Ægypto *Delta* habet Salmaſ. Unum nempe, ubi Nilus in duas partes ſcinditur: alterum, *minus* dictum, ubi Bubaſtiacus fluv. fit dividuus in Buſiriticum, qui per Pathmiticum oſtium in mare abit, tertium, ubi idem Bubaſtiacus amnis ſe in alia duo deverticula findit, quorum alterum per Athribin urbem, alterum per oſtium Pineptimi, in mare effunditur. Cæterùm ad ipſum *Deltæ* verticem, aliæ duæ fiunt ectropæ à majori flumine, quæ rectà Septentrionem petunt, quarum una eſt Thermutiacus fluv. qui per Sebenniticum oſtium exoneratur alteri nomen eſt Τάλυ, quæ per Bolbitinum exit. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p. 477.* adde Joh. Marshamum *Canone Chronico Sec. XV.* tit. *Ægyptus inferior.*

DELTHANII, Peloponneſi urbs, inter Laced. & Meſſenios. *Steph.*

DELTOTON, ſidus à figura triquetra τοῦ Δ. Cic. *in Aratæis.*

Andromedæ ſignum, Deltoton dicere Graii
Quod ſoliti, ſimili quia formâ litera claret.

Vide Hygin. *l. 2.* & 3. Commentatores quoque *in Aratum.*

DELUBRUM, dictum fuiſſe fuſtem delibratum vel decorticatum, quem pro Deo antiqui venerati ſint, tradit Paulus Feſti Pompeji abbreviator: cui Serv. adſtipulatur dicens: *Delubrum dictum propter lacum, in quo manus abluuntur; vel propter tectum conjunctum; aut certè ligneum ſimulacrum Delubrum dicimus, à libro, h. e., à raſo ligno factum, quod Græcè Ξόανον dicitur;* Varro *Rer. Divinar. l. 7. Delubrum*, ait, *alios æſtimare in quo præter Ædem ſit area aſſumpta Deûm cauſa, ut eſt in circo Flaminio Jovis Statoris: alios, in quo loco ſimulacrum Dei dedicatum eſt.* Additque, *Sicut locum, in quo figerent candelam, Candelabrum appellatur, ita in quo ponerent Deum, nominatum Delubrum.* Quæ Varronis verba nobis ſervata ſunt à Macrob. *Saturn. l. 3. c. 4.* qui adjicit: *His à Varrone præſcriptis intelligere poſſumus id potiſſimùm ab eo probatum, quod ex ſua conſuetudine in ultimo poſuit, ut à Dei dedicato ſimulacro* Delubrum *cœperit nominari. Virgil. tamen utramque rationem diligenter eſt exſecutus.* Vide & reliqua, quæ ſequuntur, uti etiam Serv. *ad iſtud l. 4. Æneid. v. 56.*

Principio delubra *adeunt, pacemque per aras*
Exquirunt:

Ita ergo *Delubrum* fuit ſanctior pars templi, in qua Idolum: Gloſſæ antiquæ, *Delubrum*, καθίδρυμα, ξόανον, ἀνάθημα. Hæc in ſolemni victoria & triumpho coronabantur. Sil. Ital. *Punicorum l. 13. v. 741.*

Inque vicem amplexi permixtâ voce triumphum
Tarpeji clamant Jovis & delubra decorant.

Ubi fœdè à librario erratum, legendum enim *coronant.* Ibidem captabantur ſomnia; In templis enim, prævio ſacrificio, incubare hoſtiarum pellibus, ſicque ſopitos ſomnia, quibus de futuris certiores redderentur, captaſſe homines, Virgil. *Æneid. l. 7. his verbis* docet: *v. 86. & ſeqq.*

----- ----- -----. *Huc dona ſacerdos*
Cum tulit, & cæſarum ovium ſub nocte ſilenti
Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſque petivit;

Meminit horum in *Delubris* ſomniorum Juven. *Sat. 6.*

Somnia, quæ humanas ludunt evanida mentes,
Non delubra Deûm, nec ab æthere Numina mittunt,
Sed ſibi quiſque facit.

Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 2. c. 2. cum Paralipom.* Thomæ Dempſt. Jac. Ouzelium *ad Minucium Fel. p. 40. & 41.* Alios. In iiſdem homines *pericula ſua diluere*, i.e. ſolvere denarium in memoriam periculi ſuperati, fuiſſe ſolitos, unde *Delubrum* dictum, notant alii. Suſpendebant autem ibi pileum, vel ſcutum, vel alia ſuſcepta votis. vide Martin. *in Lexic. Philol.* ut & infrà *Penetrale ſacrum.*

DELUDERE, Gladiatorum verbum. Varro apud Plin. *l. 36. c. 27. Lix cinis eſt*, inquit *foci inde enim cinis lixivus potus medetur: ut licet videre gladiatores, cùm deluſerint, hac juvari potione.* Nempe, ludo finem imponere notat ſeu catalyſin facere, quod Græci καταλύειν dixêre. Hinc *Deludium*, apud Horat. *Ep. l. 1. Ep. 19. v. 47.*

------ ------ *clamo*, & diludia *poſco*:

eſt ceſſatio à ludo, vel κατάλυσις ludi. Salmaſ. *ad Solin. p. 429.*

DELVENTINUS, Caſinienſium, idolum Tertullian. *Apologet. c. 24.*

DELUS, vide *Delos.*

DELY, Regnum Indiæ procul in continenti ſitum, Septentrionem verſus, & Coraſonem uſque extenditur: Frigida admodum eſt regio, nivibus & gelu per hyemem divexata. Garcias ab Orta *l. 2. hiſt. aromat, c. 28.*

DEMADES, ex nauta orator Athenienſis, plurimùm potentia, & opibus valuit, quòd nihil præter Macedonum & Antipatri gratiam in Rep. quæreret. Philippum Macedonem, victis ad Cheroneam Athenienſibus ſuperbum, mitigavit. Eidem, cùm Regifico elatus luxu captivis inſultaret, interrogavit, An Therſitem agere velit, cùm eum fortuna Agamemnonem fecerit. Ingentes divitias per luxum ac libidinem perdidit: Cùmque eſſet ætate confectus, & luxu ſimul ac avaritiâ perditus, in eum ſolebat Antipater cavillari, nihil ei, ſicuti & cæſis victimis præter linguam & ventrem ſupereſſe. Plutarch. *in Phocione, in Demoſt. Apophth.* ac Suid. Caſſandri juſſu, cum filio, ob proditionis ſuſpicionem, vel Antipatri patris, ob interceptas ad hoſtem literas, necatus. Vide etiam Diod. Sic. *l. 17. 18.* Cic. *in Orat.* Phot. *Bibl. cod. 92. ex Ariano, cod. 245. ex Phocione.* Athen. Stobæum, &c.

DEMANETUS, Æſculap. dictus, à *Demaneto* ejus templi conditore.

DEMÆNETUS, Rhetor ac Sycophanta Syracuſanus, Timoleonti infeſtus: à Plutarcho vocatur Διμαίνετος. Sed rectiùs vocatur Δημαίνετος. Nic. Lloyd.

DEMAGOGI, Græcè Δημαγωγοὶ, Athenis Oratores dicti ſunt publici, teſte Polluce: quorum in Republica illa ſummam fuiſſe poteſtatem, ex antiquis monumentis ſatis perſpicuum eſt. Hinc Diog. Laërt. Demoſth. Δημαγωγὸν appellat: & Δημαγωγεῖν apud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Iſocrat. *ad Nicoclem*, non quavis oratione populum ducere flectereque, quod cujuſvis Oratoris eſt, ſed Populum Rempublicamque moderari, denotat. Non tamen omnes *Demagogi* Oratores erant, namque & exercitus Ductores, & qui principem in Rep. locum obtinebant, ita quoque appellari ſolebant. Hinc Heſych. Δημαγωγὸς ἄρχων, ἐκ τοῦ τὸν δῆμον ἄγειν καὶ διοικεῖν. Nonnunquam tamen δημαγωγεῖν turbas movere & concitare in populo, ſignificare, idem teſtatur; abuſu poteſtatis in abuſum vocis tranſeunte. Vide Loënſem *Miſcellan. l.* 9. *c.* 16.

DEMAGORAS, adulator, quem Athenienſes 10. talentis multarunt, quòd Alexandrum Deum appellaſſet. Item Hiſtoricus, qui ſcripſit de fundatione Romæ, & laudatur Dion. Halicarn. *l.* 1. *Antiq. Rom.* Ubi & ille, & Agathyllus, de tempore conditæ Romæ, conſenſiſſe dicitur cum Cephalone Gergithio. Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. p.* 351.

DEMARATUS, Lacedæmoniorum dux, fil. Ariſtonis Regis ei ſucceſſit, ex Proclidarum ſeu Eurypontidarum Familia Rex XV. quaſi Spurius ejectus Cleomenis ex altera Familia Regis, qui Leotychidem ex eadem ſtirpe ei ſuffecit, fraudibus, cùm exularet apud Perſas, bellicumque contra patriam cerneret apparatum, plus ſe debere patriæ, quàm Perſis exiſtimans, clam Lacedæmonios certiores fecit; Cepit enim tabulam ceræ expertem, cui literas inſcripſit; dein cerâ obductam per cuſtodes perferendam curavit. Vixit Philippi Maced. Regis temporibus. Conſiliis, rebus geſtis, quadrigarum victoriâ, quod nulli Spartan. Regum contigit, illuſtriſſimus. Herod. *l.* 6. Juſt. *l.* 2. *c.* 10. Pauſan. *in Lacon. l.* 3. Plutarch. *in Alex.* vide quoque *Leotychides.* Item Corinthius quidam negotiator dives, qui ob ſeditiones domo profugus tyrannidem Cypſelli fugiens, ut ſcribit Cic. 5. *Tuſcul. Quæſt.* in Hetruriam commigravit, comparatis opibus luculentis, & à Tarquinienſibus Hetruriæ populis acceptus, Tarquinium Priſcum. Pop. Rom. Imp. ex illuſtri Hetruſca uxore genuit, iiſque, ad quos confugerat, literas dediſſe fertur. Dion. Halicarn. *Antiq. Rom. l.* 3. *c.* 10. *Demaratus* etiam quidam libros in publicum edidit, cùm de Phrygia, tum de fluminibus, teſte Plutarch. Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. p.* 352.

DEMARCHI, Græcè Δήμαρχοι, dicebantur in eadem Rep. præfecti τῶν Δήμων, quos illi, quando neceſſe erat, convocabant, eâdem poteſtate, quam priùs Ναυκράροι vel Ναυκλάροι habuerant, (ut ſcribir Harpocration in *Lexico*, & Scholiaſtes Ariſtophan. *ad hæc verba Act.* 1. *Sc.* 1. *in Nubibus*, Δάκνει με δήμαρχός τις) inſtructi. Iidem quiſque per ſuum Δῆμον cenſum & facultates populi deſcribebant, ad ſolvenda publica debita: Lexiarchicum album aſſervabant eique inſcribebant tum alios, tum eos, qui jam ſuæ tutelæ facti erant, uti dicemus infrà, voce *Lexiarchi* &c. A Cliſthene inſtitutos affirmat Ariſtot. *de Rep. Athen.* Erat nempe urbs in Κώμας, ager verò in Δήμους diviſus, Iſoc. *in Areopagit.* ubi Interpres malè Δήμους *municipia* vertit, ſecundùm Oiſel. *in A. Gell. l.* 3. *c.* 13. Φρατρίας καὶ δήμους conjunxit Plato *de leg. l.* 6. Quidam φυλὴν ſeu tribum cum Δήμῳ confundunt: ſed rectè Ubbo Emmius inter φυλὰς i. e. tribus, φρατρίας i. e. curias & Δήμους i. e. populos, in quos populus univerſus diviſus erat, diſtinguit: hinc Phylarchi, Phratriarchi, Demarchi. Vide Poſtell. *de Rep. Ath.* Itaque Δήμους interpretatur quidem *Populos*, Fr. tamen Roſſæus meliùs per *oppida* ſeu *urbeculas* exprimi ſentit, ex Cic. *l.* 7. *ep.* 3. ubi de vocis hujus genuino ſignificatu prolixè agit. Ante Cecropis Regnum plurimi τῶν Δήμων peculiares habuêre Reges, teſte Pauſan. *in Atticis l.* 42. *p.* 30. nec mirum, cùm urbes ſæpe æquarent aut ſuperarent, uti diſcimus ex Ariſtid. *in Panath. T.* 1. *p.* 326. Olimque Ναυκραρίαι dicebantur, auctore Solone, qui cuilibet Tribui duodecim nauclarias attribuit: poſtea à Cliſthene, de quo retro, in Δήμους verſæ ſunt, Schol. Ariſtoph. *in Nub.* Numerus illorum, Euſtath. *in Il.* β. *ex Strab.* & Caſaub. *in Athen. l.* 6. *c.* 9. fuit 174. quorum quidam cognomines, ſaltem ratione ſitus καθύπερθεν & ὑπένερθεν, *ſuperioris* ac *inferioris*, diſtinguebantur. Diviſi erant omnes in *Majores* & *Minores*, quorum ſeries infrà. In cunctis templa erant, teſte Liv. *Dec.* 4. *l.* 1. ubi ait: *Templa pagatim ſacrata.* Et paulo pòſt, *Delubra ſibi fuiſſe, quæ quondam pagatim habitantes, in parvis illis caſtellis vicìſque conſecrata, ne in unam quidem urbem contributi Majores ſui deſerta relinquerent.* Similiter Pauſan. *in Atticis* teſtatur, quemque eorum peculiare quoddam Numen coluiſſe, univerſos tamen τὴν Ἀθηνᾶν ἄγειν ἐν τιμῇ, *Minervam magno in honore habuiſſe.* Habebant etiam illorum quidam feſta ſibi propria: Sic Brauron *Brauronæa* &c. celebrabat. Notitia horum Δήμων non exiguum apud Auctores uſum habèt, cùm de legibus, contractibus aliiſque illorum ritibus certi quiddam reſcire cupimus: ubi admodum exactæ reperiuntur formulæ, quibus ſibi cavebant, ne ullâ ratione decipi aut iniquè taxari poſſent &c. Vide Fr. Roſſæum *Archæologiæ Atticæ l.* 1. *c.* 6. Meurſ. & Jac. Spon. *peculiari tract. de Populis Atticæ, in Itiner. Græciæ Part.* 3.

Series Demorum Atticæ, ſec. literarum ordinem.

Ἀγγελὴ, *Angele*, ad tribum Pandionidem pertinens.
Ἀγνοῦς, *Agnus*, ad Demetriadem vel potiùs Attalidem.
Ἄγραι, *Agræ*, à vett. Scriptoirbus inter populos hos non memorantur; locus fuit prope urbem venationi deſtinatus.
Ἀγραυλὴ, *Agraule*, ad tribum Erechtheidem,
Ἀγχεσμὸς, *Anchesmus*, ſcopulus potiùs, quàm demus.
Ἀζηνιά, *Azinia*, ad tribum Hippothoontidem.
Ἄθμονον, *Athmonon*, ad Cecropidem.
Αἰγιλία, *Ægilia*, ad Antiochidem.
Αἰθαλίδαι, *Æthalidæ*, ad Leontidem.
Αἰξωνή, *Æxone*, ad Cecropidem.
Ἁλαὶ Αἰξωνίδες, *Alæ Æxonides*, ad eandem.
Ἁλαὶ Ἀραφηνίδες, *Alæ Araphenides*, ad Ægeidem.
Ἁλιμοῦς, *Alimus*, ad Leontidem.
Ἀλωπεκή, *Alopece*, ad Antiochidem.
Ἀμαξάντεια, *Amaxantia*, ad Hippothoontidem.
Ἀμφιαλή, *Amphiale*, prom. potiùs.
Ἀμφιτροπή, *Amphitrope*, ad Antiochidem.
Ἀναγυροῦς, *Anagyrus*, ad Erechtheidem.
Ἀνακαία, *Anacæa*, ad Hippothoontidem.
Ἀνάφλυστος, *Anaphlyſtus*, ad Antiochidem.
Ἀπολλωνιεῖς, *Apollonia*, ad Attalidem.
Ἀραφὴν, *Araphen*, Ἀραφὴν, ad Ægeidem.
Ἀργιλία, *Argilia*, incertum quò pertinuerit.
Ἅρμα, *Harma.*
Ἀτηνὴ, *Atene*, ad Attalidem.
Ἀφίδνα, *Aphidna*, ad Leontidem.
Ἀχάρνα, *Acharna*, ad Oeneidem.
Ἀχερδοῦς, *Acherdus*, ad Hippothoontidem.
Ἀχραδοῦς, *Achradus*, ad quam, incertum.
Βατή, *Baite*, ad Ægeidem.
Βέλβινα, *Belbina*, ſcopulus maris.
Βερενικίδαι, *Berenicidæ*, ad Ptolemaidem.
Βῆσα, *Biſa*, ad Antiochidem.
Βουτάδαι, *Butadæ*, ad Oeneidem.
Βραύρων, *Brauron*, ad eandem.
Βριλησσὸς, *Brileſſus*, mons potiùs.
Γαργηττὸς, *Gargettus*, ad Ægeidem.
Δαιδαλίδαι, *Dædalidæ*, ad Cecropidem.
Δειράδες, *Deirades*, ad Leontidem,
Δεκέλεια, *Decelea*, ad Hippothoontidem.
Διόμεια, *Diomea*, ad Ægeidem.
Δρυμὸς, *Drymus*, opp. inter Bœotiam & Atticam.
Ἐδαπ.εων.
Εἰρεσίδαι, *Ereſidæ*, ad Acamantidem.
Ἑκάλη, *Hecale*, ad Leontidem.
Ἐλαιοῦς, *Elæus*, ad Hippothoontidem.
Ἐλεοῦσα, *Eleuſa*, ad Hadrianidem.
Ἐλευσίς, *Eleuſis*, ad Hippothoontidem.
Ἔννα, *Enna*, quò referenda, incertum.
Ἐπιεικίδαι, *Epiicidæ*, ad Cecropidem.
Ἐπικηφισιά, *Epicephiſſia*, ad Oeneidem.
Ἐρεχθία, *Erechthia*, ad Ægeidem.
Ἐρικεία, *Ericia*, ad eandem.
Ἑρμος, *Hermus*, ad Acamantidem.
Ἐροιάδαι, *Erojadæ*, ad Hippothoòntidem.
Ἐρχιὰ, *Erchia*. ad Ægeidem.
Εὐκονθεὺς, *Eucontheus*,
Εὐπυρίδαι, *Eupyridæ*, ad Leontidem.
Εὐώνυμος, *Euonymus*, ad Erechtheidem.
Ἐχελίδαι, *Echelidæ*, quorſum? ignoratur.
Ζωστὴρ, *Zoſter*, prom. potiùs.
Ἡφαιστιὰ. *Hephæſtia*, ad Acamantidem.
Θήβη, *Thebe*, quò referenda, incertum.
Θημακὸς, *Themacus*, ad Ptolemaidem.
Θοραὶ, *Thoræ*, ad Antiochidem.
Θορικὸς, *Thoricus*, ad Acamantidem.
Θρία, *Thria*, ad Oeneidem.
Θρίων, *Thrion*, ad eandem.
Θυμοιτάδαι, *Thymœtadæ*, ad Hippothoontidem.
Θυργωνίδαι, *Thyrgonidæ*, ad Ptolemaidem.
Ἰκαρία, *Icaria*, ad Ægeidem.
Ἱπποταμάδαι, *Hippotamadæ*, ad Oeneidem.
Ἰτέα, *Itea*, ad Antiochidem.
Ἰωνίδαι, *Jonidæ*, ad Ægeidem.
Καλὴ, *Calé.*
Κειριάδαι, *Ciriadæ*, ad Hippothoontidem.
Κεραμεικὸς ὁ ἐντὸς, *Ceramicus intra* urbem.
Κεραμεικὸς ὁ ἔξω, *Ceramicus extra*, cum Academia, ad Acamantidem.
Κεφαλὴ, *Cephale*, ad eandem.
Κηδαὶ, *Cidæ*, ad Erechtheidem.
Κηττοὶ, *Citti*, ad Leontidem.
Κηφησία, *Cephiſia*, ad Erechtheidem.
Κίκυννα, *Cicynna*, ad Acamantidem.
Κοθωκίδαι, *Cothocidæ.*
Κοίλη, *Cœle*, ad Hippothoontidem.
Κολλυτὸς, *Collytus*, ad Ægeidem.
Κολωνὸς Ἵππιος *Colonos Hippius*, clivus extra urbem.
Κολωνὸς Ἀγοραῖος, *Colonos Agoræus.*
Κονθύλη, *Conthyle*, ad Ptolemaidem.
Κορυδαλλὸς, *Corydallus*, ad Hippothoontidem.
Κριῶα, *Crioa*, ad Antiochidem.
Κρωπιὰ, *Cropia*, ad Leontidem.
Κυδαθήναιον, *Cydathenæum*, ad Pandionidem.
Κυδαντίδαι, *Cydantidæ*, ad Ægeidem.
Κύθηρον, *Cytherum*, ad Pandionidem.
Κυνόσαργες, *Cynoſarges.*
Κυρτιάδαι, *Cyrtiadæ*, ad Acamantidem.
Λακιάδαι, *Laciadæ*, ad Oeneiden.
Λαμπρὰ καθύπερθεν, *Lampra ſuperior*, ad Erechtheidem.
Λαμπρὰ ὑπένερθεν, *Lampra inferior*, ad eandem.
Λάρισσα, *Lariſſa.*
Λαύρειον, *Laurium*, argentifodinâ nobile.
Λέκκον, *Leccum*, ad Antiochidem.
Λευκόνιον, *Leuconium*, ad Leontidem.
Λευκοπύρα, *Leucopyra*, ad Antiochidem
Λήναιον, *Lenæum.*
Λίμναι, *Limnæ.*
Λουσία, *Luſia*, ad Oeneidem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Μαραθών, *Marathon*, ad Æantidem.
Μελαιναι, *Melænæ*, ad Antiochidem.
Μελίτη, *Melite*, ad Cecropidem.
Μειλιτον, *Miletum.*
Μολπ☉, *Melſus*, ad Æolidem.
Μουνυχία, *Munychia.*
Μυῤῥινȣς, *Myrrhinus*, ad Pandionidem.
Ζυπέτη, *Xypete*, ad Cecropidem.
Ο'α, *Oa*, ad Hadrianidem.
Οη, *Oe*, ad Oeneidem.
Οον Δεκελεικὸν, *Oeum Deceleicum*, ad Hippothoontidem.
Οἶον Κεραμεικὸν, *Oeum Ceramicum*, ad Leontidem.
Οἰνόη, *Oenoe*, ad Æantidem, alia ad Hippothoontidem.
Παιανιὰ καθύπερθεν, *Pæania ſuperior*, ad Pandionidem.
Παιανιὰ ὑπένερθεν, *Pæonia inferior*, ad eandem.
Παιονίδαι, *Pæonidæ*, ad Leontidem.
Παλλήνη, *Pallene*, ad Antiochidem.
Παμβωτάδαι, *Pambotadæ*, ad Erechtheidem.
Πάνακτ☉, *Panactus*, caſtrum Atticæ.
Πάρνης, *Parnes*, mons.
Πειραιεὺς, *Piræus*, ad Hippothoontidem.
Πεντελή, *Pentele*, ad Antiochidem.
Περγασή, *Pergaſe*, ad Erechtheidem.
Περιθοῖδαι, *Perithoidæ*, ad Oeneidem.
Περῤίδαι, *Perrhidæ*, ad Antiochidem.
Πέλεκες, *Peleces*, ad Antiochidem.
Πίθ☉, *Pithos*, ad Cecropidem.
Πλωθεία, *Plothia*, ad Ægeidem.
Πνὺξ, *Pnyx.*
Πόρ☉, *Poros*, ad Acamantidem.
Ποταμὸς, *Potamos*, ad Leontidem.
Πρασιαὶ, *Praſiæ*, ad Pandionidem.
Προβάλινθος, *Probalinthus*, ad eandem.
Πατρόκλȣ Νῆσος, *Patroclia.*
Πρόσπαλτα, *Proſpalta*, ad Acamantidem.
Πτελέα, *Ptelea*, ad Oeneidem.
Ραμνȣ̃ς, *Rhamnus*, ad Æantidem.
Σημαχίδαι, *Semachidæ*, ad Antiochidem.
Σκαμβωνίδαι, *Scambonidæ*, ad Leontidem.
Σκίρον, *Sciron.*
Σȣ́νιον, *Sunium*, primùm ad Leontidem, inde ad Attalidem.
Σπόργιλος, *Sporgilus.*
Στειριὰ, *Stiria*, ad Pandionidem.
Συβρίδαι, *Sybridæ*, ad Erechtheidem.
Συπαληττὸς, *Sypalettus*, ad Hippothoontidem.
Σφηττὸς, *Sphettus*, ad Acamantidem.
Τίθρας, *Tithras*, ad Ægeidem.
Τιτακίδαι, *Titacidæ*, ad Æantidem.
Τρικόρυθος, *Tricorythus*, ad eandem.
Τρινεμεῖς, *Trinemeis*, ad Cecropidem.
Τυρμίδαι, *Turmidæ*, ad Oeneidem.
Υ'βάδαι, *Hybadæ*, ad Leontidem.
Υ'δρȣ̃σα, *Hydruſa*, ſcopulus.
Υ'μηττος, *Hymettus*, mons habitatus.
Υ'σίαι, *Hyſiæ*, prope Oenoën.
Φάληρον, *Phalerus*, ad Æantidem.
Φαρμακȣ̃σαι, *Pharmacuſæ*, duo ſcopuli.
Φηγαία, *Phegæa*, duplex; una ad Ægeidem, altera ad Pandionidem ſpectans. Sed prior Hadrianidi poſtea tributa.
Φηγȣ̃ς, *Phegus*, ad Erechtheidem.
Φιλαΐδαι, *Philaidæ*, ad Ægeidem.
Φλυα, *Phlya*, ad Ptolemaidem.
Φορμίσιοι, *Phormiſii.*
Φρεάῤῥιοι, *Phrearrii*, ad Leontidem.
Φρίττιοι, *Phrittii.*
Φυλὴ, *Phyle*, ad Oeneidem.
Φυρν - - *Phyrn* --- in marmore XIII. Tribuum, apud Sponium, ad Antiochidem.
Ψαφίδαι, *Pſaphidæ*, ad Æantidem.
Χιτώνη, *Chitone*, locus feſto Dianæ Chitones nobilis.
Χολαργὸς, *Cholargus*, ad Acamantidem.
Χολλίδαι, *Chollidæ*, ad Ægeidem.
Ω'ρωπὸς, *Oropus*. De quibus omnibus (aliiſque nonnullis controverſi juris) Vide Auctores præfatos & hìc paſſim ſuis locis.

DEMARCHUS, athleta nobilis Parrhaſius, quem ferunt guſtatis pueri, qui immolabatur, extis, in lupum commutatum, decimoque poſt Anno formæ priſtinæ reſtitutum.

DEMARCHUS, Hiſtoricus, ſcripſit περὶ τ̃ Διονυσιακῶν ἀγώνων. Vide Scholia *in Ariſtoph. Aves.*

DEMARCHUS, apud Spartian. *in Hadr. Per Lat. oppida Dictator, & Ædilis & Duumvir fuit. Apud Neapolim* Demarch. *in patria ſua* &c. Nomen erat præcipui ac ordinarii Magiſtratus Neapoleos, ab antiquo, uti docet Strab. *l.* 5. Vide quoque infrà in voce *Magiſter limitum.* In *Præcepto* Caroli Simpl. pro Monaſterio S. Dionyſi. *Comitem* vox notat, apud Car. du Freſne in *Gloſſar.*

DEMARISTE, Uxor Timæneti Corinthii, mater Timoleontis.

DEMAS, viri nomen. Coloſſ. *c.* 4. *v.* 14. 1 Tim. *c.* 4. *v.* 10.

DEMENSUM, vide infà *Prorogator*, it. *Servi.*

DEMERLENUS Joh. vide *Johannes.*

DEMETÆ, Albionis inſ. pop. Ptol. qui & *Dimetæ*: *Weſt-wales* Anglicè, *Dyfed* Britannicè vocatur eorum Regio: Lhuydo teſte. Habebant Ordovices, ad Bor. Silures ad Ort. Ab Occ. & Mer. mari Hibernico cingebantur. Eorum urbs primaria erat Maridunum. *Baudr.*

DEMETER, dicta eſt Ceres, qu. *Gemeter*, i. e. *Terræ mater*. Δημήτερ *ſ* ἀκτὴ Græcè *panis* dicitur.

DEMETRIANUS, poſt Fabium, Antiochiæ Epiſc. A. C. 254. Succeſſit Paul. Samoſatenus, A. C. 263. Euſeb. *hiſt. l.* 6. & *Chron.*

DEMETRIAS, filia Olybrii, ex illuſtri Aniciorum familia, cum matre Juliana, & avia Proba, in Africam, Gothorum furorem vitatura, abiit: ubi, audito Auguſtino, virginitatis propoſitum amplexa, Sponſum deſerere conſtituit. Vide Hieron. *ep.* 8. Auguſtin. *ep.* 143. 179. &c. Ambroſ. *ep.* 84. Hanc cùm Pelagius, ſub verborum floſculis veneno abſcondito, ſeducturus videretur, Auguſt. *ep. ad Julianam*, ei occurrit. Baron. A. C. 410. 413.

DEMETRIAS, Theſſaliæ opp. quod prius *Pagaſa* Plin. dicebatur. Pagaſæ proximum, Ferr. In regiunc. Magneſia, juxta Sinum Pelaſgicum; Fuit aliquamdiu Macedonum Regia & navale. Vix 30. mill. à Thebis Phthiotidis in Cæc. Baudr. Nomen autem accepit à Rege *Demetrio*, qui in eo regnavit, & urbes ſub Pelio ſitas evertit. Situm eſt inter Eubœam, & Phocidem. Secundum eſt Macedoniæ, Tertium Perſidis juxta Arbelum. Item una Cycladum, quæ & *Paros* dicitur. *Steph.*

DEMETRIUM, locus juxta Theſſaliam, circa campum Crocotum, & Amphryſum fluv. Eſt etiam Æolidis civitas. Steph. Item portus Samothraciæ, ad prom. ejuſdem. *Ferrar.*

DEMETRIUS *I.* Antigoni Regis fil. cognomento *Poliorcetes.* Prælio victus à Ptolemæo, prope Gazam, victorem mox ſuperatum, Halicarnaſſi obſidionem ſolvere coëgit. Dein à Patre miſſus, Pyreæum occupavit, Munichiam ſolo æquavit, Demetrioque Phalereo pulſo, cum Athenienſibus fœdus iniit, qui proin diem ingreſſus ejus in urbem σωτήριον, ipſum verò σωτῆρα appellarunt. Ab Antigono patre revocatus, Menelao, Ptolemæi duce, in Cypro, devicto; mox Ptolomæo ipſo navali prælio ſuperato, Cyprum recepit. In Rhodi obſidione, non adeò felix. Græciæ civitatibus quibuſdam libertate datâ, occupavit Corinthum & Sicyonem, partemque inſuper Peloponneſi, ſimulans ſe oppreſſis auxilio venire. Dein Græcorum Generaliſſimus Dux declaratus, ſuperbiâ, ſacrilegio & avaritiâ, præclarum nomen non parum maculavit. In cruento ad Ipſum in Phrygia prælio, patre occiſo, ipſe Epheſum, hinc in Græciam confugit, ab Athenienſibus non admiſſus. Quare biennio pòſt urbem aggreſſus, eam expugnavit, in victos clemens. Rex Macedoniæ (occaſione diſſidii inter Antipatrum ſeu Antigonum I. & Alexandrum, Antipatri filios, bene uſus) declarari voluit, A.M. 3760. U.C. 459. Olymp. 121. A.C.N. 293. tenuitque Regnum, donec, Ptolomæo Lagi, Lyſimacho & Pyrrho contra Macedones moventibus à ſubditis pulſus, cùm in Græcia non ſatis tutus eſſet, in Seleuci Syriæ Regis manus ſe ipſum tradidit. A quo cuſtodiæ triennali traditus eſt, promiſſo tamen Regio ſumptu, mollique victu, venationibus, omnibuſque voluptatibus, quibus ille uſus, minimùm de ſalute anxius, in morbum ob incontinentiam incidit, ex quo periit. A M. 3769. U. C. 468. Olymp. 123. Plutarch. *in vita ejus.* Diodor. *l.* 19. & 20. Juſtin. *l.* 16. & *ſeqq.* Appian. Alex. *de bello Syr.* Regum ſui ævi pulcherrimus. Cum M. Anton. à Plutarcho comparatur. Philam urbem in Macedonia a matris nomine condidit. *Steph.* Eum excepit fil. Antigonus.

DEMETRIUS *II.* fil. Antigoni, cognom. *Gonatas*, à loco natali in Theſſalia, patri ſucceſſit, A. U. C. 512. Juſtin. *l.* 26. *c.* 2. *Demetrius, puer admodum abſente patre, reparato exercitu, non ſolum amiſſam Macedoniam recipit: verum etiam Epiri Regno Alexandrum ſpoliat.* Obiit, poſt Regnum A. 12. Philippo filio relicto. Polyb. *l.* 2. Euſeb. *in Chron.*

DEMETRIUS, Philippi hujus fil. Romæ obſes, Patrem coram Senatu accuſatum, modeſtiâ ſuâ, abſolvit. Poſt reditum in Macedoniam, tantis plauſibus exceptus à populo eſt, ut invidiâ percitus frater ejus Perſeus, per ſubornatos falſos teſtes, Patri eum ſuſpectum reddiderit, qui nimium calumniæ credulus, veneno filium ſuſtulit; cujus innocentiâ ſerò cognitâ, præ mærore obiit, Perſeo exhæredato Liv. *l.* 40. *c.* 20. Polyb. *frag.* Juſtin. *l.* 32. *c.* 3.

DEMETRIUS *I.* Soter. Syriæ Regis fil. Seleuci Philopatoris, à quo Romanis obſes erat datus. Quo tempore, Seleuco mortuo, hujus frater Antiochus Epiphanes, dein fil, ejus Antiochus Eupator, Regno potiti ſunt. Hoc ille cùm aliquandiu patienter tuliſſet, poſt mortem Epiphanis patrui, jam Ann. 25. natus, venationem ſimulans, Româ refugit, A. M. 3893. U. C. 392. Regnoque potitus, Antiochum Eupatorem, cum Lyſia, neci dedit. Ab Alcimo, qui ab Eupatore Pontificatum Judæorum magno emerat, perſuaſus, Nicanorem Bacchidemque in Judæam miſit, qui, regione vaſtatâ, incolas graviter afflixérunt: Judâ Maccabæo, in prælio, contra Bacchidem interempto. Interea, cùm intolerabilis viciniis evaſiſſet, ab Alexandro Bala, qui Epiphanis ſe filium ferebat, prælio victus & interemptus eſt, A. 11. Regni 1 Macc. *c.* 7. *v.* 1. 4. & 2 Macc. *c.* 14. *v.* 1. 4. 5. 26. Joſeph. *Antiq. l.* 13. *c.* 1. 2. 7. 8. 16. Appian. *de B. S.* Juſtin. *l.* 34. & 35. Strab. *l.* 16. Polyb. *fragm.* &c.

DEMETRIUS *II.* Nicanor, Soteri patri ſucceſſit, ope Ptolomæi Philometoris, qui, pulſo ſuo genero Alexandro, filiam ſuam Cleopatram huic tradidit. Paulò poſt, Diodorus cognom. Tryphon, filii Alexandri Balæ auſpiciis, Syriam occupavit, illo poſt annum ſublato. Cui ut Demetrius occurreret, cum Judæis fœdus iniit, inde in Perſiam profectus: Ubi captus, Phraatis Parthorum Regis filiam Rhodogynem duxit, quo audito, Cleopatra Antiocho VII. Sideti, fratri Demetrii nupſit. Sed eo mortuo; in Regnum reverſus, nimio faſtu odium ſubditorum in ſe concitavit, qui, impetrato à Ptolomæo Phyſcone Ægypti Rege Alexandro Zebennâ, Demetrium pepulêrunt. Occiſus eſt in fuga ab inimicis, an Cleopatræ, inſtinctu? A. M. 3929. U. C. 628. 1 Macc. *c.* 13. *v.* 34, 35 36. *c.* 14. *v.* 1, 2, 3. *c.* 15. *v.* 1. Joſeph. *Antiq. l.* 13. *de B. J. c.* 1. Appian. *de Bell. Sac.* Juſtin. *l.* 36. *c.* 1. *l.* 38. *c.* 9. & 10. *l.* 39. *c.* 1. & 2. Torniel. & Salian. *in Annal.*

DEMETRIUS *III.* cognom. *Eucærus*, fil. quartus Antiochi Gryphi Fratrem Philippum, qui partem Syriæ occupaverat, imitatus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

tus, Ptolomæi Lathuri ſuaſu, Gnido egreſſus A. M. 3963. Damaſcum invaſit. Junxit ſe Judæis, contra Alexandrum Janneum, dein ad Berœam fratrem vicit, poſtea captus à Parthis & ad Mithridatem, fratrem & ſucceſſorem Phraatis deductus eſt, ubi morbo obiit. A. M. 3968. Joſeph. *Antiqq. l.* 13. *c.* 21. 22. *l.* 1. *de B. J. c.* 3. Torniel. Salian.

DEMETRIUS, Croatiæ & Dalmatiæ D. à Gregorio VII. Regis titulo ornatus. Gregor. *l.* 7. *ep.* 4. Baron. *A.* C. 1076.

DEMETRIUS *I.* Magnus Moſcoviæ D. ſucceſſit Georgio I. Georgii II. prædeceſſor. Circa A. C. 1230.

DEMETRIUS *II.* fil. Joh. Tartaros vicit, relicto Baſilio fil. circa A. C. 1400. Sub initium ſeculi hujus 17. poſt Joh. Baſilium, A. C. 1584. & fil. ejus Theodorum, A. C. 1598. mortuum, Borio Hodrino regnante, *Demetrius* quidam, quem alii Theodori filium, alii Monachum nomine Griskam vel Greg. Strepium vocant, res miſcere cœpit, & Borio apoplexiâ, A. C. 1605. extincto, thronum invaſit, ſed anno pòſt, quòd nimium Polonis faveret, & Lat. ritus introducere conaretur, à Moſcis occiſus eſt. Succeſſit Suitkius, contra quem iterum aliquis *Pſeudodemetrius* inſurrexit. Spond. *Annal.*

DEMETRIUS, Patr. Alexandrinus, poſt Julianum, A.C. 190. Euſeb. Cæſar. *Chron.*. Origenis evirationem reprehendit, inque ejus opera cenſurâ ſtrictâ, quòd errores ſequeretur, eum excommunicavit. Præfuit Ann. 43. Succeſſit Heraclas, A. C. 234. Onuphr. *in Chron.* Euſeb. *hiſt. l.* 5. & 6.

DEMETRIUS, Cynicus, ſub Caligula, Senec. *de Benef. l.* 7. *c.* 8. & 11. ſummopere laudatus. Muneribus à Caligula tentatus, *Toto fui illi experiendus imperio*, reſpondit. Neroni mortem minitanti, *Minaris mihi mortem, at tibi Natura*, repoſuit, Arrian. A. Veſpaſiano pulſus, Corinthi diu egit. Diſcipulus Apollonii Thyanæi, Philoſtr. *l.* 4. *c.* 8. *vitæ hujus.* Cum Thraſea; ad mortem condemnato, de animæ natura diſſeruit. Tacit. *l.* 1. *Annal. c.* 16. *l.* 4. *Hiſt. c.* 34. 35. Phavorin. *in Orat.*

DEMETRIUS, inter corporis cuſtodis Alexandri Mag. conjurationis in Regem particeps Dymno Curt. *l.* 6. *c.* 7.

DEMETRIUS, Cineæ frater, Athenienſis, qui in prælio Mantinenſi contra Thebanas ceciderat. Polyæn. *l.* 2.

DEMETRIUS, Grammaticus, aliquoties laudatus, à Scholiorum auctore, in Ariſtoph. fabulas. vide in *Veſp.* 446. *A. Aves* 614. *A.* 2.

DEMETRIUS, de Regibus Judæorum, deque captivitate eorum, ſcripſit. Hieron. *Cat. c.* 38. Clem. 1. *Strom.*

DEMETRIUS, Magus è Græcia, cui Hadrianus VI. Pontifex Rom. ad avertendam peſtem, quæ graviſſimè in urbe ſæviebat, conceſſit, ut ſylveſtrem taurum Diis Gentilium, ad placandum eorum iram, mactaret: Quo facto lues ceſſavit, Jov. *tom.* 2. *l.* 21. Circa A. C. 1522.

DEMETRIUS, Dianæ ſervus, & Pœnius, manum ſummam templo Dianæ Epheſiæ impoſuêrunt, Vitruv. *l.* 7. *Præfat.* Græcè Ἱερόδουλος, & ὑπόπολος τῆς Ἀρτέμιδος. vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 814. De *Demetrio* verò νεωποιῷ, cujus mentio in Actis, infrà, in voce *Templum.*

DEMETRIUS Chalchondylas, Conſtantinop. patriâ à Turcis captâ, in Italiam tranſiit. Florentiæ, poſt Chryſoloram, Præcept. Petri & Laurentii Medicæi, docuit. Inde à Politiano pulſus, Mediolanum ſe contulit, incitatus à Ludov. Sfortia. Quâ urbe occupatâ, à Ludov. XII. Rege Gall. unà cum Laſcari, in Galliam pellectus eſt. Scripſit Grammaticam Gr. impreſſam Pariſiis, A.C. 1525. & Baſileæ, A. C. 1546.

DEMETRIUS Cidonius, Theſſalonic. Latinè Græceque doctiſſimus, Thom. Aquin. contra Nicol. Cabaſilam, amicum ſuum, tuitus eſt, ejus Summâ in Gr. linguam converſâ. Idem quædam Auguſtini opera Græcè reddidit, &c. Obiit in Creta. Joh. Cantacuzen. *hiſt. l.* 4. *c.* 16. *&c.* Geſner. *Bib.* Volaterr. *anthropol. l.* 15.

DEMETRIUS Magnes, Ciceronis tempore, hiſtorica & Philologica plurima ſcripſit. Cic. *ep. ad Attic. l.* 8. *ep.* 11. Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 1. *c.* 33.

DEMETRIUS Pepagomenus, Medicus Michaëlis Palæologi, A. C. 1261. ſcripſit, hujus juſſu, de Podagra, qui liber Gr. Latinéque Pariſiis prodiit, operâ Guil. Morelli. vide Plin. *l.* 28. *c.* 6.

DEMETRIUS Phalereus, Theophraſti auditor, Philoſophus Peripateticus, Phanoſtrati fil. ob eximias virtutes Athenienſibus præfuit Annis 10. ac 360. ſtatuis æreis honoratus eſt. Poſtea, invidiâ æmulorum, abſens capitis damnatus, & ſtatuæ ejus dejectæ ſunt. Hinc ad Caſſandrum, exin ad Ptolom. Lagum ſe contulit, cui cùm ſuaſiſſet, ut Philadelpho ex Berenice præterito, priores ex Euridice filios Regno admoveret, mortuo Lago, à Ptol. Philadelpho pulſus, aſpidis morſu interiit. Proſâ verſuque libris editis omnes ſuæ ſectæ longè ſuperavit. Diog. Laërt. *in vita ejus & Thaletis.* Cic. *in Bruto, & de Offic. l.* 1. Joſeph. *contra Appion. l.* 1. *&* 2. Plutarch. *in Lyc. Solone, Demoſthene, &c.* Varro, &c. Hic, teſte Plutarch. monebat Ptolemæum Regem, ut de Regno imperioque libros ſibi compararet, atque perlegeret: Quæ enim amici non audent monere Reges, hæc in libris ſcripta eſſe. Hic quoque Demetrius (ut quidam exiſtimant, nonnulli alium Demetrium fuiſſe dicunt) Ptolem. Lago perſuaſit, ut ſacra Biblia ex Hebræo in Græcum ſermonem converterentur. Joſeph. *Antiqq. l.* 12. *c.* 2. Sic dictus à *Phalero* eſt, Atticæ portu. Ejus ſcripta lege apud Geſnerum *in Biblioth.* ac vitam apud Suid. & Volat. Apud Phædr. Fabulatorem *l.* 5. *fab.* 1. legitur,

D.metrius qui dictus eſt Phalereus,
Athenas occupavit imperio improbo.

Confundit is Demetrium Phalerea, cum Demetrio Rege, eumque vocat tyrannum, ſed neuter potuit Tyrannus eſſe. Phalereus quidem, quòd præfectus urbi fuit à Caſſandro, non autem tyrannidem invaſit. Alter autem, quòd Athenas à tyrannide Caſſandri liberavit. Cæterùm de variis Demetriis, vide Diog. Laërt. qui 20. illorum numerat, Voſſium, Plin. *l.* 34. *c.* 8. ac Jonſium. Nic. Lloyd. De Demetrio Phalereo, præter ſupra dictos, etiam Morer. *Dict. Hiſt.*

DEMETRIUS Triclinius, Mathematicus, auctor Sphæræ, quod Empedocli alii tribuunt. Voſſ. *de Mathem. c.* 33. §. 10. *p.* 150. Item, nomen Mathematici Alexandrini, ſec. 5. Blancan. *Chronol. Mathem. p.* 53. Item Epiſcopi Philipp. qui A. C. 532. interfuit Concilio Conſtantinop. Ab Imp. Juſtiniano, inter 5. Præſules, numeratus, qui cum Severianiſtis congreſſi ſunt, & ad Johannem II. cum Hypatio Epheſino miſſus eſt. Item Ducis Rom. qui Romæ à Totila obſeſſæ ſuccurrere fruſtra conatus eſt. Procop. *de B. G. l.* 3. Item Theſſalonicenſis quidam, cujus objectionibus contra Proceſſionem Spir. S. Balaamus reſpondit. A. C. 1332.

DEMETRIUS, nomen etiam argentarii cujuſdam, Act. *c.* 19. *v.* 24. Plurimi præterea *Demetrii* fuêre, de quibus doctiſſimus Menagius, *ad Laërt. p.* 132. ad quem ſtudioſum lectorem remitto.

DEMIANUS Claudius, vide *Claudius.*

DEMINSII, Myſiæ infer. pop. *Ptol.*

DEMISSIO Manus, in pugilatu pancratio & cæſtuum ludo, argumentum diffidentis ſuis viribus, ſeque fatentis victum, vide hic paſſim, inter alia in voce *Pollex.*

DEMIURGUS, ſummus erat magiſtratus in quibuſdam Græciæ civitatibus. Liv. Vide Martinii *Etymologicon*, & ſupra.

DEMO, Græcè Δημὼ, nomen Sibyllæ Cumanæ, apud Pauſan. in *Phocicis*, de qua vide eundem Salmaſ. ubi ſupà *p.* 647.

DEMOCEDES, Crotoniata, fil. Calliphontis, Polycratis Samii familiaris, Medicus illuſtris, qui, cùm inter Darii captivos eſſet, & Darius ipſe ob inverſum pedem graviter ægrotaret, ita ut jam nunc ſeptem noctes inſomnis exegiſſet, nec à medicis ſuis vel parum juvaretur, ductus in medium, ut erat vinctus, Darium penitus liberavit, dein Atoſſæ carcinoma ſanavit, ab hoc tempore maximo in honore apud Regem, & Perſas omnes habitus. Darii contra Græciam apparatus bellicos avertit, tandem è Perſia in patriam profugus, Milonis gener evaſit. Herod. *l.* 3. *&* 4. vide Ælian. *Var.* 8. *c.* 18.

DEMOCHARES, orator Athenienſis, Demoſthenis ex ſorore vel ex filia, ut Plutarch. *de decem Orat.* ait, nepos, miſſus cum aliis ad Philippum Regem legatus, expoſitis mandatis, petenti Regi, quid gratum Athenienſibus facere poſſet, reſpondit, *Suſpendere.* Indignantibus ob eam rem cæteris, Rex demiſit incolumem. *Vos* (inquit) *rogate ab Athenienſibus, quos cenſeant ſuperiores, qui talia dicant, an qui audiant patienter?* Sen. *l.* 3. *de Ira.* Hic etiam hiſtoriam earum rerum, quæ geſta erant ſuâ ætate Athenis, non tam hiſtorico, quàm oratorio genere ſcripſit. Cic. *in Bruto* & 2. *de Orat.* Vide plura de illo apud Ælian. *Var.* 3. 7. 8. 12. Diog. *in Arceſilao & Zenone.* Timæum. Polyb. *l.* 12. Athen. *l.* 6. *c.* 11. & 13.

DEMOCHARES, Solenſis, Comœdiam de Demetrio Poliorcete compoſuit. Plutarch. *in hujus vita.* Voſſ. *de Gr. P. p.* 88. Alius, ſtatuarius, ex monte Atho admirandam ſtatuam ſe fabricaturum Alexandro Mag. pollicitus. Vitruv. *in præf. l.* 2.

DEMOCLES, legationem obiens, cùm à reliquis legatis accuſaretur, magis Dionyſii rebus obſtitiſſe, iraſcente tyranno: Mihi cum his, inquit, controverſia fuit, quòd poſt cœnam Steſichori & Pindari Pæanas canerent: ego verò eos, quos tu compoſuiſti; atque ſimul ejus carmina cecinit. Dionyſ. lætitiâ affectus, non ampliùs ob crimina ejus ſuccenſuit. Polyæn. *l.* 5.

DEMOCLES, vide *Damocles.* Item puer quidam ingenuus ac formoſus, qui cùm à Demetrio Poliorceta ad ſtuprum traheretur, neque vim tyranni poſſet effugere, famæ, pudicitiæque ſtudioſus in proximum aquæ ferventis lebetem ſeipſum conjecit, atque ibidem interiit. Plutarch. *in Demetrio*: Item, hiſtoricus Gr. diu ante Peloponneſiac. bellum.

DEMOCLIDES, Medicus, qui Polycratem Samiorum tyrannum talentis 2. curavit, ſcripſitque libr. de Medicina. Suid.

DEMOCOON, Priami nothus, qui velociſſimos patris equos apud Abydum cuſtodiebat. Hunc Ulyſſes in bello interemit. Hom. *Iliad.* 4.

DEMOCRATES, architectus Alexandrinus. Item athletes, qui facto in ſtadio circulo conſiſtens à nullo dimoveri poterat. Ælian. *Var.* 4. 15. Tertius Medicus, qui invenit herbam hyberidam. Plin. *l.* 25. *c.* 2.

DEMOCRATES, Athenienſis, ex iis, qui Dario militarunt, exceptus in Hyrcania Curt. *l.* 6. *c.* 5. *qui maximè Macedonum opibus ſemper obſtiterat; deſperata veniâ, gladio ſe transfigit.*

DEMOCRATES, Androcrates, Cyclæus & Leuco, à Pythia Græcis colendi dati ſunt, maximè Plâtæenſibus. Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 13.

DEMOCRITUS, Mileto oriundus, Leucippi diſcipulus, Philoſophus Abderites, quia Abderæ degebat, acceptâ à fratribus natu majoribus paternæ hæreditatis portione, cognoſcendarum rerum cupiditate accenſus, bonam orbis partem Ægyptum nempe, Perſidem, Chaldæam, Indiam, &c. peragravit. Poſtea in patriam reverſus cum ſumma inopia oſtenſo magno Diacoſmo, librorum ſuorum excellentiſſimo, à rigore legis, eos qui nimias impenſas feciſſent, ſepulturâ privantis, abſolutus, & quingentis è publico talentis æneaque ſtatuâ donatus, in hortulo juxta ſuæ urbis muros, ſe ad ſolas rerum naturas contemplandas contulit, à quibus, ne externis objectis avocaretur, æneæ pelvis fulgore ſeipſum occæcavit. Quod tamen Laber. Poëta ideo factum ait,

Malis benè eſſe ne videret civibus.

Ut ipſe loquitur. vide Gell. *l.* 10. *c.* 17. Sed dubitavit de eo Cic. *l.* 5. *de Fin.* Plutarch. verò plenè falſitatis arguit. *l. de Curioſitate.* Civibus ſuis, ob ſeceſſionem ejus, pro phrenetico habitus fuit. Ad quem curandi causâ miſſus cum eſſet Hippocrates, & cum eo collocutus fuiſſet, reverſus ſapientiſſimum ipſum dementeſque illos pronunciavit, qui eum ſtultitiæ accuſarent. vide Ep. Hippocratis.

Dario,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Dario, uxoris obitum lugenti impensè, illam ſe reſuſcitaturum pollicitus eſt, nominibus trium hominum in regno Perſico, quibus nihil unquam adverſi contigiſſet, monumento ejus inſcriptis. Sed cùm nemo talis reperiretur, Regem ad patienter ſuam ſortem ferendam graviter hortatus eſt. Omnia fieri ex atomis dixit, ac plures eſſe mundos eoſque corruptibiles. Fertur Theologiam, ac Aſtrologiam dedicisse à Magis ac Chaldæis; cum Gymnoſophiſtis quoque congreſſus eſt. Lac ſibi, in congreſſu Hippocratis modò memorato, allatum, ſtatim agnovit eſſe capræ nigræ & primiparæ: puellæque vitium ſolo aſpectu deprehendit. De inſtituto autem ejus præter Laertium, Cic. *l.* 5. *de Fin.* & Orig. *l.* 2. *contra Celſ.*, perſtringit quoque. Ælian. *hiſt. Var. l.* 4. *c.* 20. Valer. Max. *l.* 8. *c.* 7. Plin. *l.* 21. *c.* 11. *&* *l.* 18. *c.* 35. Horat. *l.* 1. *Epiſt.* 12. *v.* 12.

Miramur ſi Democriti pecus edit agellos.

Strab. *l.* 1. *c.* 15. Celſ. *l.* 2. *c.* 5. Suid. Euſeb. *Chr.* Voſſ. *de Phil. c.* 11. §. 14. *de Philoſophis*, *c.* 1. §. 10. *&* 21. *& c.* 7. §. 8. *& ſeqq. de Mathem. c.* 39. §. 9. *&c.* de *Hiſt. Gr. l.* 4. *c.* 2. *p.* 437. Idem Cic. *l.* 1. *Tuſc. & l.* 1. de *Nat. Deor. magnum virum* appellat. Plin. *virum ſagacem, & vitæ utiliſſimum* fuiſſe refert. In riſum pronum fuiſſe vulgò dicitur. Juv. *l.* 4. *Sat.* 10. *v.* 83.

Perpetuo riſu pulmonem agitare ſolebat
Democritus. ------ -----

Horat. *de arte Poët.* *v.* 296.

----- Excludit ſanos Helicone Poëtas
Democritus. ------ ------ ------

Patrem ejus opulentiſſimum fuiſſe ex eo patet, quòd Xerxis exercitui epulum aliquando dederit. Agebat autem 99. Annos, cùm mortuus eſt. Diogeni 109. Aliis 104. Olymp. 104. A. U. C. 392. A. M. 3693. &c. Nic. Lloydius.

DEMOCRITUS, Epheſius, libros edidit de templo Dianæ Epheſiæ, ex cujus operis *l.* 1. quædam de Epheſiorum in veſtitu mollitie ac luxuria narrat, Athenæus *l.* 12. Aliorum quinque Democritorum meminit Diog. Laërt. *l.* 9.

DEMODOCUS, Citharœdus, quem Hom. *Odyſſ.* 8. inducit in convivio Alcinoi Regis Phæacum citharam pulſantem, & ſimul accinnentem. Item Hiſtoricus, qui *l.* 1. de Heraclea citatur à Plutarch. *l. de Flum.* cæterùm ſolutâ ne oratione, an carmine ſit uſus, non ſatis liquet. *Voſſ.*

DEMOGORGON, Magus tam excellens, ut præeſſe larvis diceretur, ac illas pro nutu cogere, & ſi errarent, acerrimè plectere.

DEMON, Grammaticus, quem laudat auctor Scholiorum, in Ariſtophanis Ranas, in explicatione proverbii, *Jovis Corinthus*.

DEMONA Vallis, pars Siciliæ; aliter, *Vallis Nemorenſis*, in Bor. & Ort. maximè tendens, verſus Calabriam. Ubi Urbes, Meſſana, Catania, Cephalæda, Pactæ & Tauromenium, cum monte Ætna.

DEMONACTES, Præfectus Armeniæ, fuſus à Mithradate, ſub Claudio. Tacit. *l.* XI. *c.* 9.

DEMONAX, Adriani temp. Philoſophus Cyprius, ex nobili & opulenta familia, Agatobuli, Demetrii, Epicteti & Timocratis Heracleotæ familiaris, nulli ſectæ nomen dedit, plurimum tamen Socrati tribuit. Hic non, ut plerique, ſolitudinem ſectabatur, ſed nihil potius habuit, aut putavit inter homines amicitiâ, omnemque hominem ſibi familiarem exiſtimabat. Nullum ſibi unquam viaticum præparavit, ſed cùm eſuriret, quam proximam domum apertam videbat, in eam ingrediebatur, & victum ſibi quæritabat. Centenarius deceſſit, poſtquam præſentium plauſum, utpote fabulâ exactâ, periiſſet, elatus publico ſumptu. *Lucian.*

DEMONESUS, Inſula Propontidis ante Nicomediam, *Chalcis* Gyllio, qui *Chalcitem* Stephani eſſe putat. Ibi cyanus lapis, Chryſocolla, & aurum reperiuntur. *Steph.* Juxta Chalcedonem, in qua χαλκεῖον, *Æraria fodina* nobiliſſima. Unde Δημονήσιος χαλκὸς, *Demoneſium æs*, magnâ apud Græcos famâ. Vide ſuprà, ubi de *Ære*.

DEMONICA, mulier quæ auri aviditate urbem Epheſum Brenno duci prodidit. Plutarch. *in Paral.*.

DEMONICON, Artifex, qui ſimulacrum Dianæ Epheſiæ dedolavit, memoratur Muciano ter Conſuli apud Plin. *l.* 16. *c.* 40. mirantem, Mucianum edere nomen Artificis ſimulacri, quod antiquius eſſe non modò Libero patre, ſed etiam Minervâ, prodiderit, quod inſuper nullius Artificis manu factum, cœloque lapſum credebatur, h. e. Διοπετὲς, uti dicitur in Actis, ex ſententia incolarum. Vide Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 816.

DEMONICUS, vulgo DOMOCHI, Urbs Theſſaliæ Epiſc. olim ſub Ar. Lariſſæo, nunc Metropolis. *Ferr.*

DEMONIDAS, Pædotriba claudicans, qui cùm crepidas amiſiſſet, imprecabatur furi ut pedibus ejus convenirent. Rhodig. *l.* 7. *c.* 3.

DEMOPHILUS, Archon Athenis. Olymp. 99. An. 4.

DEMOPHILUS, Sophiſta, qui ſcripſit ad Lollium Maximum, de vita priſcorum. Item, nomen pictoris, Plin. *l.* 35. *c.* 9. *&* 12.

DEMOPHILUS, Semi Arianus, obtulit confeſſionem Fidei Syrm. Liberio Papæ. Poſtea Patriarcha Conſtantinop. Athanaſium perſecutus, ei tamen cedere tandem coactus eſt. Interfuit quoque concilio Conſtantinop. Tandem Conſtantinopoli, ubi docebat, quod doctrinam Concilii Niceni amplecti nollet, exturbatus eſt à Theodoſio Mag. dicente: *Si pacem & concordiam fugis, te ab Eccleſiis fugere mando.* Subſtitutus ei ad tempus Greg. Nazianzen. Circa A. C. 380. Socr. *l.* 5. *c.* 3. §. 7. Epiphan. Sozomen. Baron. A. C. 357. 359. 370. 378. 383.

DEMOPHILUS, filius Ephori, Hiſtorici, ſcripſit, tempore Alexandri Mag. bellum ſacrum, quod Pater ipſius prætermiſerat, orſus ab occupatione & ſpoliatione templi Delphici, facta à Philomelo, A. U. C. 398. Diod. *l.* 16.

DEMOPHON, Dux Athenienſibus auxiliorum, Bœotis Cadmeam oppugnantibus, miſſorum, conſtitutus.

DEMOPHOON, Theſei ex Phædra fil. Rex Athenarum XII. poſt Meneſtheum, per An. 33. qui ab expeditione Trojanâ rediens, adverſis ventis pulſus in Thraciam, ibique à Phyllide Lycurgi Regis filia hoſpitio, ac lecto ſuſceptus eſt: apud quam cùm aliquandiu delituiſſet, Athenas abiit; ibique mortuo patre, imperium ſuſcepit, oblitus Phyllidis. cui intra paucos menſes ſe rediturum juraverat. Quapropter illa videns ſe derelictam, amoris impatientiâ de amygdalo ſe ſuſpendit. Ovid. *ep.* 2. Vide *Phyll.*. Ejus tempore *Oreſtes* cauſam egit in Areopago, quâ vicit, & *Teucer* in Cypro ſedes poſuit: circa tempora Abimelechi & Tholæ Judicum. Illi ſucceſſit Oxyntes, quem vide, & plura hanc in rem apud Joh. Marshamum *Canone Chron.* ex Epochis Marmor. Item Vates qui periculum Alexandro imminens prædixit. *Curtius.*

DEMOPOEETUS Sicionius, plectri officium, in cithara, ad ſolam manum primus tranſtulit; cùm priùs altera manu plectro eam pulſarent, alterâ nervos premerent certo intervallo. Quod tamen alii Epigono Ambraciotæ attribuunt. J. Cæſ. Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 48.

DEMOPOLIS, & Neocles, Themiſtoclis filii, cùm apud Athenienſes mentionem feciſſent legum, quæ adverſus exules latæ erant, à paternis inimicis lapidibus obruti ſunt. Rhodig. *l.* 8. *c.* 12.

DEMOS, apud Plin. *l.* 35. *c.* 10. *Paraſius ---- pinxit &* Demon *Athenienſium, argumento quoque ingenioſo. Volebat namque varium, iracundum, injuſtum, inconſtantem: eundem exorabilem, clementem, miſericordem, excelſum, glorioſum, humilem, ferocem, fugacemque & omnia pariter oſtendere.* Vulgus eſt, ex Græco ὁ Δῆμος, de quo vide infrà ſuo loco, item in voce *Populus*. Aliam vocis notionem vidimus ſuprà.

DEMOS, locus in Ithaca, quem Steph. quoque *Crocyleum* vocat. Hujus mentio eſt apud Homer. *in navium catalogo*, & Thucyd. *ad fin. l.* 3.

DEMOSTHENES, civis Athenienſis, Græcorum omnium orator longè eloquentiſſimus, patre cultellario Demoſthene, ex matre Cleobula natus, triennio poſt Ariſtotelem, uno Anno ante 100. Olymp. Dionyſ. Halicarn. Dempoplito Archonte: Septennis autem ab eo relictus in hæreditate locupleti, Tutorum fraude ac negligentiâ, direptis bonis vix habuit, unde præceptoribus mercedem ſolveret. Verùm multo ſtudio ac labore in clariſſimum Oratorem evaſiſſet; præceptoribus uſus Iſocrate, Platone & Iſæo, apud quem quadriennium hæſit, Æt. An. 17. Tutores ſuos accuſavit, quibus, ut 30. ei talenta redderent, condemnatis, ipſe tamen nihil nactus eſt. Poſtea acerrimus extitit libertatis Græciæ defenſor, gravibus concionibus Philippum, ut publicæ libertatis inſidiatorem, identidem inſectans. Prælio ad Chæroneam aufugiens, ſe hoc feciſſe ideo dixit, ut aliâ vice rurſus pugnare poſſet. Prius Oratione de Cor. ſibi à populo decretâ, ſuaſu Cteſiphontis defunctus. Poſt ejus mortem, quòd ab Harpalo corrumpi ſe paſſus eſſet, patriâ pulſus, tandem revocatus eſt. Sed jam mortuo Alexandro, & Antipatro rebus Græciæ præpoſito, cùm certam ſibi necem imminentem videret, relictis Athenis, in Calauriam inſulam, ubi (ut ſcribit Suid.) aſylum erat, Neptuno ſacrum, conceſſit. Quò cùm veniſſet Archias mimus tragœdus, qui ab Antipatro miſſus erat, ut Demoſthenem comprehenderet, primùm ei perſuadere conatus eſt, ut unà ſecum ad Antipatrum ſe conferret, nihil moleſtiæ ab eo perpeſſurus. Cujus fraude intellectâ, Demoſthenes, *Nihil eſt*, inquit, *Archia, quod coneris. Neque enim in ſcena mihi unquam placuiſti mimus, neque nunc perſuadebis legatus.* Cùm autem Archias ſe per vim eum detracturum minaretur, *Tandem*, inquit, *Macedonica oracula aperuiſti, nam priùs, tanquam hiſtrio ſimulabas. Verùm age, parumper expecta, dum pauca domeſticis ſcribo*; Hæc locutus, ſumptis codicillis tanquam ſcripturus calamum ori admovit, hauſtoque, quod eum in uſum ſervabat, veneno, necem ſibi conſcivit. d. 16. Pyanepſionis, ſeu 10. Novembr. Olymp. 114. U. C. 432. Plutarch. *in vita ejus. c.* 65. Orationes ab eo ſcriptas refert, quas Photius maxima ex parte ſe legiſſe fatetur, Cod. 265. *Bibl.* Vide etiam Plutarch. *de* 10. *Orator. c.* 8. Hic cùm ab ætatis initio eſſet balbus, neque literam *R*. pronuntiare poſſet, quibuſdam calculis in os conjectis prope maris litus declamans, naturæ vitium emendavit, ut poſtea eloquentiſſimus evaſerit: Præterea ad ingens ſpeculum perorare ſolitus eſt, ut eò accuratius geſtuum decorum tenere diſceret. Plurimus paſſim Tullius eſt in laudando Demoſthene. Tamen, *uſque adeò* (inquit *in Oratore*) *difficiles & moroſi ſimus, ut nobis non ſatisfaciat ipſe Demoſthenes: qui quanquam unus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non ſemper implet aures meas.* Orare cœpit Annos natus 17. Juven. *l.* 4. *Sat.* 10. *v.* 118.

Eloquio, ſed uterque perit Orator; utrumque
Largus, & exundans letho dedit ingenii fons.

Et poſtea de Demoſthene. *ead. Sat. v.* 126. *& ſeqq.*

----------- Sævus & illum
Exitus eripuit, quem mirabantur Athenæ
Torrentem, & pleni moderantem fræna theatri.
Diis ille adverſis genitus, fatoque ſiniſtro,
Quem pater ardentis maſſæ fuligine lippus
A carbone & forcipibus gladioſque parante
Incude, & luteo Vulcano, ad Rhetora miſit.

Nic. Lloydius. Athenienſes ſtatuam ei æream poſuêrunt, cum inſcriptione hâc,

Εἴπερ ἴσην γνώμῃ ῥώμην Δημόσθενες εἶχες,
Οὔ ποτ᾽ ἂν Ἑλλήνων ἦρξεν Ἄρης Μακέδων.

Quod ſic reddi poteſt:

Si tibi par menti robur; vir magne, fuiſſet,
Græcia non Macetæ ſuccubuiſſet hero.

DEMOSTHENES, dux Athenienſium in bello Peloponneſiaco; Muniit Pylum, Patriæ inſigni operâ præſtitâ. Dein ingreſſus Siciliam, poſt Epidauriorum vaſtatos agros; ſucceſſit Alcibiadi, domum revocato, ob Hermas in tota urbe dejectos. Sed Syracuſis, à Nicia collega, fruſtra obſeſſis, copiis inſuper amiſſis, ab hoſtibus cum illo interemptus eſt. Thucyd. *l.* 4. 5. 6. 7. Plutarch. *in Nicia*, Diodor. *l.* 13.

DEMOSTHENES, genere Thrax, Grammaticus, Iliada Homeri,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

meri, & Heſiodi Theogoniam in proſam Orationem convertit. Suid. Alius ab eo eſt *Demoſthenes* Bithynus, qui rerum Bithyniacarum libros conſcripſit, quorum 4. 9. 10. & 12. citat Steph. Κτίσεις quoque ſcripſit, h. e. urbium, & locorum origines, quarum idem Steph. meminit in Ὀλίζων. Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 3. *p.* 354.

DEMOSTHENIS Laterna, vulgò τὸ φανάρι τοῦ Δημοσθένους hodiernis Græcis, exigua turris eſt Athenis, è marmore, ſex columnis ſtriatis innixa, in Capucinorum Hoſpitio: cui ſe magnum hunc Oratorem barbâ ſemiraſâ incluſiſſe, ut ſic in publicum prodire prohibitus eò majori attentione ſtudiis ſuis vacaret, communiter tradunt. Sed potiùs monumentum fuiſſe honori alicujus Olympionicæ dicatum, ex figuris ei inſculptis, & comparatione conſimilium in eadem urbe turrium, contendit Jac. Spon. *Itiner. Græc. Part.* 2. *p.* 172. ubi cum iconem, tum deſcriptionem illius accuratam habes.

DEMOSTRATUS, Olymp. 96. Anno 4. Archon Athenis. Iterum Olymp. 97. An. 3.

DEMOSTRATUS, Scriptor, qui de Scipione Africano, primam illum Sardoniam gemmam habuiſſe refert. Plin. *l.* 37. *c.* 6.

DEMOTELES, unus erat ex 12. illis, quos de pyramidibus Ægyptiis ſcripſiſſe. Plin. docet, *l.* 36. *c.* 12.

DEMOTIMUS, ex parte Sicyoniorum miſſus, ad componendam inter Athenienſes & Lacedæmonios controverſiam, octavo belli Peloponneſiaci Anno. Scholia *in Ariſtoph. Equites p.* 336. G. Fuit verò filius Naucrati.

DEMPSTERUS Thomas, vide *Thomas.*

DEMUS, de rebus Atticis commentatus eſt, ſi vera eſt lectio apud Athen. *l.* 14. ubi Caſaub. jubet legere Κλείδημος. Sanè *Clidemus* Atthidem ſcripſit, ut ex eodem Athenæo apparet. Fortaſſe tamen & *Demetrius* quiſpiam hanc materiam tractavit, eoque ex nomine hoc nomen fuerit corruptum, uti factum apud Dion. Halic. in judicio de Dinarcho, ubi citatur Δῆμος ὁ Μάγνης, qui omnino eſt *Demetrius.* Voſſ. Nic. Lloydius. De *Demis* verò Athenienſium, vide ſuprà in voce *Demarchi.*

DEMYNUM, opp. Pomeraniæ Joh. Matal. Metel.

DENABA, urbs in Edom, in qua regnavit Bela. lege *Dinhaba.*

DENARIUS, non unius apud omnes gentes valoris. Hodiernus Anglicus Scoticum ſolidum æquiparat: antiquus autem tribus potior fuit. Hujus enim pondus exhibet Spelman. è ſtatuto Anni 51. Eduardi I. *Denarius Angliæ, qui nominatur Sterlingus, ponderabit* 32. *grana frumenti in medio ſpicæ & 20. denarii faciunt unciam & 12 unciæ libram.* Fuit autem *Denarius* alius ex ære, qui *niger*, alius ex argento, qui *albus* nuncupatus eſt. Græcis inferioribus Δηνάριον λευκὸν ἔκλευκον καὶ ἄσπρον. Joh. Matal. Metel. Quirin. *Ecc.* 3. *argenti dedit albos.* Quod nomen quoque monetæ argenteæ fuit, in Britannia Armoricana, tempore Alani Ducis, A. C. 1087. valenti 6. denarios Turonenſes. Erant & *Denarii* aurei. Didymus Claudius *de Analog. Rom.* Τὰ δὲ χίλια στις ἔχια ποιεῖ Δηνάρια πεντήκοντα δηνάρια ἀργυρᾶ, δέκα δὲ χρυσᾶ, *Denarius S. Petri.* Vide *Romeſcot*, infrà. *Denarius tertius*, pars olim mulctarum forenſiumque emolumentorum, quæ in Comitatu cedebat Comiti, Rege reliquas duas percipiente. Hinc *Denarialis*, dictus is, qui jactato coram Rege denario, lege Salicâ & aliarum gentium Boreal. manumittebatur. Vide in voce *Homo Denarialis*: & plura apud Henr. Spelman. *Gloſſar. Archæol.* Subintelligitur nummus. Fuitque, teſte Flav. Soſipatro *l.* 1. apud Romanos antiquos, *decem aſſium. Ideoque*, inquit, *in rationibus faciendis Denarium decuſſi inducto notamus ... cujus quarta pars, dupondius ſemis, ſeſtertius dicitur, quòd de tribus aſſibus ſemis deficiat.* Priſcian. *Denarium* per X. perſcriptam notari dicit. Vocatus eſt itaque *Denarius* nummus vel aſſis, quòd taxaretur aſſibus libralibus decem, ſeu 10. libris æris. Æreus autem ipſe nullus fuit, ſed Conſulum & primorum Cæſarum temporibus ex argento conſtitit; drachmæ reſpondens. Unde, etſi pro copiis Reip. & pro innocentia aut avaritia Triumvirorum ac officinatorum Monetæ in pondere variarum nonnihil videri poſſet, mox tamen poſtquam flari cœptus eſt argenteus nummus, in eo conſtitêrunt *Denarii*, ut centum putarentur in argenti libra Romana, quemadmodum centum drachmæ in libra Attica. Liv. *l.* 22. narrat de permutandis captivis conveniſſe inter Duces Romanum Pænumque, ut quæ pars plures reciperet, quàm daret, *argenti pondo bina & ſelibras in* militem præſtaret: quas Plutarch. *in vita Maximi*, drachmas quinquaginta ultra ducentas, i. e. totidem *Denarios*, vertit. Sic cùm quindecim millibus æris gravis damnatus Furius Camillus dicitur Liv. auctore *l.* 5. Plutarch. id vertit, mille quingentas drachmas, quibus mille quingenti *Denarii* reſpondent &c. Veteres enim drachmâ æſtimaſſe *Denarium*, etiam ante illos, quos vocant *Denarios Imperatorios*, pluribus docet Gronov. licèt non diffiteatur, ſubtili examine ut minam à libra, ſic drachmam à denario differre. Unde & hodie *Denarios* reperiri, qui eodem cùm drachma ſint pondere; docet Agric. teſtaturque Scalig. omnes fere, qui hodie ſuperſunt, ejuſdem ponderis eſſe, neque Regalem Caſtilianum excedere. Quare cùm Principatu Claudii, Annius Plocamus manceps vectigalium rubri maris Aquilonibus raptus ad inſulam Taprobanam neceſſariò applicuiſſet, admiratum fuiſſe loci Regem juſtitiam Romanorum inde Plin. *l.* 6. *c.* 22. *quòd pares pondere* Denarii *eſſent in captiva pecunia, cùm diverſæ imagines indicarent à pluribus factos, refert.* quo illi refelluntur, qui Claudium leviores feciſſe hos nummos aſſertum eunt. Nec *Denarii* pondus pretiumve mutatum eſt, cùm æri aliquid detractum eſt, ſed ei auctior aſſium, in quibus mutatio acciderat, numerus redditus eſt. Proin, dum librales fuêrunt aſſes, decem illorum valuit, quemadmodum dena pondo æris; mutato pondere aſſium nihil additum argento denarii, ſed detractum multum æri aſſis effecit, ut ille in argenti uncia eadem pars, quæ quondam, nempe octava, fieret aſſium ſedecim. A quo tempore, æs excurrens partibus aſſis exprimi cœpit. Quando cudi cœperit *Denarius*, incertum: Nummum enim illum argenteum, quem Serv. Tull. primus flaſſe dicitur Varr. apud Soſipatr. ſeptem ſcriptulorum, *Denarium* fuiſſe, non eſt extra controverſiam. Dein certum eſt, eum nummum non fuiſſe publici uſus, ſed notam memorabilis alicujus eventus, quod ne nunc quidem in Imperiis, urbibus, familiis ceſſat. Argentum publicè primùm ſignari cœpit A. V. C. 574. Q. Ogulnio Gallo, C. Fabio Pictore Coſſ. quinque ante Punic. bellum, 260. poſt Reges ejectos Annis. *Cùm denis indiem aſſibus animam ſuam & corpus æſtimari* queruntur milites apud Tacit. teſtatur Plin. decem aſſes in ſtipendio militari diurno *Denarii* nomen retinuiſſe, ubi vox *Denarii* abuſivè ſumitur: revera enim, cùm *Denarius* tum 16. aſſes valeret, ſtipendium id, cujus Auguſtus auctor, faciebat in menſem denarios octodenos & dodrantem, i. e. duodecim aſſes. Hinc de Domitiano Zonaras ait, illum ad tres aureos, ſive ſeptuagenos quinos denarios (quod quadrimeſtre ſtipendium fuit) adjeciſſe aureum unum ſive 25. denarios. Aurei *Denarii*, quorum Plin. meminit, & quos apud Petron. movit pro calculis Trimalcio, non erant ordinarii nummi Romani, ſed ἡμίχρυσοι peregrini vel dimidiati ſtateres Græcorum: nullum enim niſi argenteum *Denarium* Romanis fuiſſe, probat Gronov. Ejus ſexta pars obolus erat, pondus trium ſcriptulorum fuit, *capita* & *navem* ſigna impreſſa habuit: ut colligitur ex Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 7. *Æs ita fuiſſe ſignatum hodieque intelligitur in aleæ luſu, cùm pueri denarios in ſublime jactantes, capita aut navim exclamant.* E quibus verbis malè colligunt quidam, antiquitus *Denarios* æreos fuiſſe. Nam ære rudi & poſt ſignato, dum libralis as fuit, habitas maſſas, quæ denos æris valerent, uti non negatur, ita certum, hos non denarios, verùm *decuſſes* & *dena æris* vel *deni æris* appellatos eſſe: qui in argento faciebant denarium nummum. Cum hodierna pecunia comparatus *Denarius* facit Schellingum Belgicum, denos Bajoccos, quadraginta Marvedes, octo nummos Anglicos *eight pence* &c. *Denarium* hujuſmodi, cùm virilem togam ſumerent Romæ, quiſque in ædem Juventutis eo die deferre tenebantur, de quo ritu ſic Dionyſ. Halicarn. *l.* 4. *Tradit L. Piſo*, inquit, *Annalium primo, voluiſſe eum & urbanæ multitudinis ſcire numerum, tum naſcentium, tum morientium, tum* τῶν εἰς ἄνδρας ἐγγραφομένων, *qui virilem togam ſumerent, ſtatuiſſeque quanti pretii nummos pro ſingulis inferre deberent cognati, in ærarium Ilithyiæ pro naſcentibus; in Veneris ærarium in luco ſitum, quam Libitinam appellant, pro defunctis: in Juventutis, pro virilem togam ſumentibus: unde poterat noſſe, annis ſingulis, quantus eſſet in univerſum numerus civium, tum quàm multi ex his eſſent per ætatem militiæ idonei &c.* Pondus *Denarium* in argento ſignato valuit decem libras argenti, & ex conſequenti mille denarios nummos. *Sic in Lege LXXXVIII. π. X. D. de leg.* 11. *depoſita apud me à Seleuco patruo meo denaria tria*, pro tribus millibus *denarium*; & in vet. lapide *denaria quinque*, pro quinque millibus denarium legimus. vide plura apud Joh. Frid. Gronov. *de Pec. Vet. paſſim*: è quo *l.* 4. c. 13. prioribus adde, Conſtantinum Mag. veterum inſtitutorum mutatonibus gaudentem, etiam *Denarios* veteres aboleviſſe, in quorum locum *milliarenſes* introduxit, graviores denario, 28. ſiliquarum & quatuor quintarum ſiliquæ, ſeu ſcriptulorum quinque ampliùs, cùm *Denarius* octodecim tantùm ſiliquarum, ſeu trium ſcriptulorum fuiſſet. Interim notat idem *l.* 4. *c.* 15. ipſum veterem denarium *Milliarenſis* nomen primùm tuliſſe, quia milleſima pars ſeu milleſimus nummus hujus generis erat in libra auri, vel unus ex illis, quibus argenteis millenis auri libra penſabatur: ſed poſtea Milliarenſis pondus auctum eſſe, vide eum omnino ibi, & aliquid quoque infrà in voce *Milliarenſis*: adde quæ dicemus in voce *Minuti*: item ubi de *Drachma.* Nec omittendum, Romanos ad exemplum Siculi decalitri ſuum formaſſe *Denarium*, non tamen ejuſdem ponderis fuiſſe; Namque longè pretioſius & æs & argentum erat Romæ, quàm Syracuſis, quum illi non niſi ære hactenus in pecunia fuiſſent uſi, argentum pro gemma ducerent, hi jamdudum & argenteo & aureo nummo uterentur: Et vocabula quidem Siculorum adoptavêre Romani, ſed non ut eandem omnibus partibus rem ſignificarent, ſed ut multùm diverſas, propter quandam analogiam, *l.* 3. *c.* 9. Francorum priſcorum *Denarius* nomine *Sterlingi*, vel *Eſterlingi* veniens, duodecimus erat in ſolido argenteo, viceſimus in unica, 240. in libra argenti. Ad ſimilitudinem enim aurei ſolidi, qui ſub Conſtantini Mag. ſucceſſoribus fuit, & 12. milliarenſibus vertebatur, percuſsêrunt Franci & hæ nationes argenteum, quem 12. æſtimabant denariis ſive ſterlingis. Viginti ſolidi faciebant libram argenti, ut Romani 60. milliarenſes: ſolidus igitur erat milliarenſium trium & Romani quadrans ſolidi. Inde in legibus Friſonum *tit.* 16. ſolidus, *qui tribus denariis conſtat*: ſcilicet Romanis, qui proximâ ætate fuerant milliarenſes. Itaque duodecim *Denarii* Francorum & tres Romanorum poſtremorum, iidem qui milliarenſes, pretio univerſo nihil differebant. Idem *l.* 3. *c.* 6. Apud eoſdem Francos, ſequenti ævo, *denarii* nomen de aurea, argenteaque moneta, frequens occurrit: Et quidem *Denarii auri puri, Denarii cum Agno, cum Cathedra* ſeu *ad Cathedram, cum Corona, cum Leone, cum Liliis, cum Maſſa, cum Papilione, cum Regina, cum Scuto*: Item *Denarii argentei cum Corona, cum Cauda, cum Lilio, cum tribus Liliis, cum Scuto, cum Stella* &c. à Philippo IV. uſque ad Carolum IX. cuſi memorantur ac deſcribuntur Car. du Freſne in voce *Moneta*, quem vide. Quid autem ſit *per Denarium manumiſſio*, vide infrà ubi de *Manumiſſione*: nec non voce *Inveſtitura.* Nec omittendum, quod idem Auctor de *Denarium calefactum fronti eorum, qui denarios bonos rejiciebant, imprimendi*; de *Denarium complicatum ex voto ad tumbam Sancti offerendi*; de *quatuor item Denarios ſuper re, quam ut ſuam quis vindicabat, coram Judice ponendi*, ritu affert, ex *Capitulis* Caroli C. *tit.* 28. Rudolfo *in Miracul. Richardi Epiſc. Ciceſtr.* & *Stabilimentis Ludovici IX. l.* 2. *c.* 12. De *Denariis argenteis aureiſque* pro calculis albis nigriſque à Petroniano Trimalcione, adhibitis, in XII. ſcriptorum ludo, vide aliquid infrà, ubi de *Latrorum luſu*: uti de *triginta Denariis*, quibus Servator noſter venditus, in Portugalliæ Regum inſignibus, infrà voce *Portugallia.*

DENARIUS, S. Petri, pecunia, quæ ab Anglis quotannis Sedi

Romanæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Romanæ penſitabatur à temporibus Inæ Weſt-Saxonum Regis ſeu ut aliis placet, Offæ Merciorum Regis ſeu Ethelwolfi, ut nonnullis viſum: quorum ſententias ſic conciliat Polydor. Virgil. ut à tribus iſtis Regibus *Denarium S. Petri* viciſſim conceſſum dicat. Exigebatur is in ſingulas domos; At *LL.* Edwardi. *c.* 10. & Gul. Nothi. *c.* 18. ab iis tantùm, *qui haberent* 30. *denariatas vivæ pecuniæ in domo ſua*. Neminem certè ab hac penſitatione fere fuiſſe immunem, diſcimus ex *Vita* Offæ II. & Matthæo Weſtmonaſter. A. C. 704. *Summonebatur* autem is Denarius, *in Feſto Apoſtolorum Petri & Pauli*, & colligebatur, in Feſto Vinculorum S. Petri; idque ab ipſis Prælatis. Non tamen *in tributum*, licèt ita apelletur à Malmesburienſi *l.* 2. *c.* 2. ſed *in eleemoſynam* penſitabatur: unde *Regis Eleemoſyna* dicitur, in *LL.* Edwardi. *c.* 10. ac *Eleemoſyna S. Petri*, in *Charta* Paſchalis Papæ, apud Eadmer. *Hiſtor. Novor. l.* 5. *p.* 113. Verùm, quod gratuitò priùs dabatur, poſtmodum Eccleſiaſtici patrimonii vicem obtinuit, *cenſusque Eccleſiæ* appellatus, ad cujus exactionem etiam cenſuras Eccleſiaſticas adhibitas eſſe, legitur apud Innocent. III. *l.* 16. *Ep.* 173. tandem tamen is ad certam ſummam, ſc. 200. *l.* 26. *ſol.* ab Epiſcopis colligendam, redactus eſt. Sic porro diſpenſata hæc annua penſitatio eſt, ut una ejus pars in Romani Pontificis uſus, altera in uſus, Fratrum Eccleſiæ S. Mariæ, quæ *Schola Anglorum* vocatur, deferretur, ut videre eſt apud Lanfrancum *Ep.* 7. Orderic. Vital. *l.* 3. *p.* 465. Alios. Reliqua invenies in voce *Romeſcot*. Sed non in Anglia modò, *Denarius S. Petri*, verùm & in aliis Regnis, exactus legitur. In Gallia enim penſitatum eſſe, auctor eſt Gregorius VII. *l.* 8. *Ep. ult.* ubi à qualibet domo *unus denarius annuatim* exactus dicitur. In Polonia, *de unoquoque humano capite denarium S. Petri decimaliter ſolvere cœpiſſe*, Lokottum Sendomiriæ D. poſtquam à Papa coronam obtinuiſſet, diſcimus ex *Chronico* Aulæ Reg. *c.* 9. *ad* A. C. 1320. De Bohemia Carolus IV. Imp. in *Vita* ſua iſta habet: *Proceſſi cum ipſo versùs Avenionem ad P P. Benedictum XII. ad concordandum cum eo* de Denario S. Petri, *qui datur in Diœceſi Wratiſlavienſi*, apud Car. du Freſne *in Gloſſario*.

DENASATUS, in *Chron.* Montis Sereni apud Eund. dicitur, cui *naſus abſciſſus* eſt, pœna apud Occiduas gentes. Imò & Orientales olim. Perſarum enim Regem quendam totius populi nares recidiſſe in Syria, hincque *Rhinocoluram* loci nomen eſſe, tradit Senec. *de Ira l.* 3. *c.* 20. In Walachia verò priſci moris eſſe, ut affectati Principatus rei, reciſâ nare dextrâ, in perpetuum infamiæ ſignum notentur, & hac oris deformitate omnis imperii illis præcidatur ſpes, habet Loccen. ad *Curt. l.* 5. *c.* 5. &c. vide infra in *Nares* vel *Naſus*.

DENBIGA, Urbs Angl. in Wallia Bor. unde regio adjacens *Denbigenſis Comit.* 50. mill. à Fano S. Aſaphi in Auſtr. 10. ab ora littor. maris Hibern. 15. à Ceſtria in Occ. Paucis conſtat incolis, ad amnem Cladam.

DENDA, municipium Rom. in Macedonia. Plin. *l.* 3. *c.* 23.

DENDRACHATES, nomen gemmæ, ex achatis ſpeciebus, *arbuſculâ* (δένδρον enim Græcis *arbor*) *inſignis*, ut vult. Plin. *l.* 37. *c.* 10. Imò non unâ, ſed pluribus, adeò ut viridarii vel nemoris ſpeciem præferat, ut canit Orpheus verſibus hiſce:

> Εἰ καὶ δενδροφόροιο φέροις τρύφος ἐν χερὶ πέτρης.
> Μᾶλλον καὶ τέρποις θεῶν νόον αἰὲν ἐόντων.
> Δένδρεα γὰρ μάλα πολλὰ κατόψεαι ὡς ἐνὶ κήπῳ
> Ἀνθεμόεντα κλάδοισιν ἐπασσυτέροις κομόωντα.
> Τοὔνεκα οἱ καὶ φῶτες Ἀχάτῃ δενδρήεντι
> Θῆκαν ἐπωνυμίην, ὅτι οἱ τὸ μὲν ἔπλετ' Ἀχάτης,
> Ἄλλο δ' ἔχει λαΐνης ὕλης δέμας εἰσορόωντι.

Ubi δενδρίτης Ἀχάτης & δενδροφόρος πέτρη idem planè eſt cum *Dendrachate* Plinii, quamvis hic à dendrachate ſeparet eos achates, qui nemorum inſtar in India reddunt. vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 133. & 134.

DENDROLIBANUS, coronamentis omnium Deorum olim adhiberi conſuevit, Qua de re ſic ex Conſtant. *l.* 11. *c.* 16. Paſchal. *Exiſtimabant, coronam, quæ ex hac arbore Diis offerretur, quovis ſacrificio gratiorem eſſe. Ratio eſt, quòd Libanus, qui Syriæ mons eſt, priùs fuit juvenis frequens Deorum cultor. Hic à quibusdam ſceleratis ob invidiam occiſus vitæ quidem, ſed non--- benevolentiæ divinæ jacturam fecit. Certè Dii ei monti id nominis indidêrunt; eamque frondem, quæ ibi provenit, gratam ſibi eſſe, multis argumentis oſtendêrunt.* vide eum Coronar. *l.* 4. *c.* 2.

DENDROPHORI, nomen religionis vel ſuperſtitionis. Cod. *Theod. tit. de pag. & templ. l.* 20. *Omniaque loca, quæ Frediani*, Dendrophori, *quæ ſingula quæque nomina & profeſſiones gentilitiæ tenuêrunt epulis vel ſumptibus deputata, fas eſt hoc errore ſubmoto compendia domus noſtræ ſublevare.* Dicti autem ſic, qui in honorem alicujus Dei, ut Bacchi, vel Matris Deûm vel Sylvani, arbores ſtirpitus exciſas per urbem humeris ferrent, Artemid. *l.* 2. *c.* 42. Quam δενδροφορίαν ſic expreſſit Commodian.

> *Egregios Proceres currum ſervare Cybellæ,*
> *Quem traheret conducta manus Megalenſibus actis,*
> *Arboris exciſæ truncum portare per urbem,*
> *Attin caſtratum ſubitò prædicere Solem.*

Uti verò in Choro Bacchico Bacchæ propriè θυρσοφορεῖν, ita Sylvanus δενδροφορεῖν. Hinc *Dendrophorus Sylvanus* in vet. Saxo.

SYLVANO. DENDROPHORO. SACRUM.
M POBLICIUS. HILARUS. MARGAR.
Q. Q. P. P. CUM. LIBERIS. MAGNO.
ET. HERMONIANO. DEN-
DROPHORIS.

A quo etiam, intexto in vexillis Corporatorum, de quibus mox, *Dendrophoros* dictos putat Scalig. *l.* 3. *Ep.* 105. Conficiebant namque *Dendrophori* corpora etiam & Collegia in civitatibus, quæ *frequentiâ hominum multiplicari expedire*, ait Conſtantinus Imp. in *l.* 1. C. *Theod. de Centonar.* & *Dendrophoris*, in qua *Centonariis* & *Fabris* junguntur, ſed quæ eorum fuerit ars, non omnino conſtat, tametſi videntur fuiſſe occupati rei militari. Fortè fuêre qui tentoriorum ligna & *arbores* conficiebant; aut, qui ligna, arbores, materiasque ligneas ad ædificia conſtruenda vendebant &c. vide Salmaſ. *ad Spartian. in Anton. Caracallo* & Car. du Freſne *Gloſſ.* Voſſ. inprimis ſic dicti ſunt Cybeles ſacerdotes Galli, quòd in ejus ſacris pinum geſtarent. Namque inter alios ritus eorum & hic erat ut pinum ſtatuerent, in memoriam pinûs, ſub qua ſeſe caſtraverat Attin: rami autem pinus coronis ornabantur, quia Cybele eam ſic honoraſſet; ſtipes lanâ velabatur, eò quòd Cybele exanimati Attidis pectus lanâ velaſſet, ad teporem conciliandum. Unde Arnob. *l.* 5. *Quid ſibi vult illa pinus, quam ſemper ſtatis diebus, in Deum Matris intermittitis ſanctuario? Nonne illius ſimilitudo eſt arboris, ſub qua ſibi furens manus & infelix adoleſcentulus intulit, & genitrix Divûm in ſolatium ſui vulneris conſecravit.* Atque hanc pinus geſtationem Δενδροφορίαν dictam, teſte Strab. *l.* 10. quique eam geſtarent, *Dendrophoros*, docet. Sed & in *Inſcript.* antiquis ſæpius inveniri Cybelem turritam & Attin cum pinu, notat Voſſ. *de Orig. & Progr. Idolol. ubi de Cybele.*

DENDROS, Inſ. parva Peloponn. in ſinu Saronico, apud Spiræum prom.

DENEGONTIUM, vulgo *port de Digoins* aut *Digoine*, cum Baronatus tit. in agro Galliæ Quadrillenſi, ad Aroti *Arou* fluv. Auguſtodunenſis & Ligeris confluentes. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

DENGHINI Regnum, in Nubia, verſus Nilum, & confinia Abyſſiniæ. Iſ. *Voſſ.*

DENICALES Feriæ, apud Romanos peractis ad ſepulchrum juſtis, Silicernio item & Viſceratione exhibitis, celebrabantur, ad defuncti familiam purgandam. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c. ult.* ex A. Gellio *l.* 2. *c.* 22. vide quoque infra *Exverræ*.

DENIZES, Saracenorum Rex, A. C. 777.

DENNA, Æthiopiæ ſub Ægypto opp. *Plin. l.* 6. *c.* 29.

DENOTANDI Idola ritus, Gentilibus olim in uſu, indigitatur Minucio Fel. apud quem Octavius eorum ſuperſtitiones irridens, *Et eoſdem*, inquit, *aſinos cum Iſide religiosè denotatis.* Aſinum ſignificans Iſidis gerulum, qui ſimul cum Iſide à ſuperſtitioſis religioſâ *denotiatone* colebatur, unde Prop. ὄνος ἄγων μυστήρια. Sunt tamen qui *decoratis*, quique *devotatis*, ibi legant, ut videre eſt apud Minucii Commentatores. Idem verò ſuprà, *Cæcilius*, ait, *Simulacro Serapidis* denotato, *ut vulgus ſuperſtitioſus ſolet, manum ori admovens, oſculum labiis preſſit.*

DENS, quaſi *edens* dictus eſt. Sunt autem *Dentes*, minime extra curam à Vett. habiti: Hinc ridet Maximinam Mart. *l.* 2. *Epigr.* 41. quòd eos haberet ſordidos, nigroſque,

> *Et tres ſunt tibi Maximina dentes.*
> *Sed planè piceique buxeique.*

Et Horat. *l.* 1. *Ep.* 18. *v.* 6.

> *Aſperitas agreſtis & inconcinna graviſque*
> *Quæ ſe commendat tonsâ cute, dentibus atris.*

Itaque, fricabantur lavabanturque quotidie. Plin. *l.* 8. *c.* 18. quod fieri ſolitum vel ſpinâ argenteâ, Petron. *Satyr. ut deinde ſpinâ argenteâ dentes perfodit*: vel lentiſco. Mart. *l.* 3. *Epigr.* 80. cujus epigraphe *in Zoilum*.

> *Stat exoletus, ſuggeritque ructanti*
> *Pinnas rubentes cuſpideſque lentiſci.*

Idem *l.* 14. *Epigr.* 22. cujus epigraphe, *Dentiſcalpium*:

> *Lentiſcum melius, ſed ſi tibi frondea cuſpis*
> *Defuerit, dentes penna levare poteſt.*

Fricabantur etiam certo pulvere, qui nativos dentes candefacere aptus fuit: vide Mart. iterum *l.* 14. in apophoret *Epigr.* 56. cujus epigraphe *Dentifricium*, ut & infrà *Halimum*. Imò ne urinâ quidem aliiſque rebus putidiſſimis illos levigare, dummodo nitidiores redderentur, eos puduit, L. Apulejus *Apologiæ l.* 1. ex *Catullo*, *carm.* 39.

> ------ ------ ------ *ſuâ ſibi urina*
> *Dentem atque ruſſam pumicare gingivam;*
> *Miſi, ut petiſti, munditias dentium,*
> *Ni telas oris ex Arabicis frugibus*
> *Tenuem, candificum, nobilem pulviſculum,*
> *Complanatorem tumidulæ gingivulæ,*
> *Converritorem pridianæ reliquiæ,*
> *Ne qua viſatur tetra labes ſordium,*
> *Reſtrictis fortè ſi labellis riſerit.*

Cùm igitur proprii vitiati erant, eburneos emebant, quorum ſæpiſſime meminit Mart. inprimis *l.* 12. *Epigr.* 23. cujus epigraphe in *Læliam*.

> *Dentibus atque comis; nec te pudet, uteris emptis,*
> *Quid facies, oculo, Lælia? non emitur?*

Tortilique filo vinciebant. vide infrâ *Filum*. Præcipuus nempe *dentium* ornatus candor eſt & æqualitas. Unde Sponſæ dentes gregi *tonſarum*, ſeu potiùs *dedolatarum* ovium, uti vocem Hebræam exponit Bochartus, conferuntur, Cantici. *c.* 4. *v.* 2. Dicuntur autem *cæſæ* ſeu *dedolatæ* oves, cùm inter ſe tam ſunt ſimiles; quàm ſi ex ligno, aut ære, ad eundem typum effictæ fuiſſent & fabrefactæ. Cujusmodi dentes κατ' ἴσα ὅρμῳ ἐκ τῶν στιλπνοτάτων καὶ ἰσομεγεθῶν μαργαριτῶν, *monili pulcherrimo ex nitidiſſimis & magnitudine paribus margaritis* conſtanti, comparat *in Imaginibus* Lucian. In Medicina, primus *dentem* Æſculapius evulſiſſe dicitur. Sed & *Dens*, in pœnam olim evulſus. Ditmarus *l.* 8. *initio*, *Quicunque poſt ſeptuageſimam carnem manducaſſe invenitur, abſciſſis* dentibus *graviter punitur*, apud Polonos. Sic *in Conſuetud. MSS.* Solemniaci in Arvernis, *dentis amiſſio*, pœna erat raptorum ex horto, vel vinea alterius fructuum, poterat tamen illa redimi 7. *ſolidis Podienſibus*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* &c. De eorum in auguriis uſu, vide Plin. *l.* 7. *c.* 16. *Quin & augurium in hac eſſe creditur parte. Per dentes* jurare ſolitus Joh. Angl.

Rex legitur *Dentibus literas ſcindendi* ritus, occurrit in *Chron.* Montis Ser. A. C. 1214. Et ut addam de *ferarum dentibus* aliquid: Dentes apri Calydonii ulnâ longiores aſſervati, in templo Minervæ Halææ, Romam divictis Tegeatibus ab Auguſto tranſlati ſunt. Nec pretioſius quidquam elephantorum dentibus, vide infrà, ubi de *Ebore*: uti nihil fortius dentibus leonis. Namque, ut canit Anacr. *Od.* 5.

> Φύσις κέρατα ταύροις
> Ὁπλὰς δ᾽ ἔδωκεν ἵπποις,
> Ποδωκίην λαγωοῖς,
> Λέουσι χάσμ᾽ ὀδόντων·

Unde, cùm Syro ſermone fera quævis vocetur *Animal dentis*, potiſſimùm hoc nomine intelligitur leo, Apocal. *c.* 6. *v.* 8. *c.* 11. *v.* 7. & *c.* 13. *v.* 1, 2, 4, 11, 14, 15, 17. Bochart. *Hierozoici Parte prior. l. III. c.* 2. vide quoque infrà de dentibus *Hippopotami*, & de *alveolis dentium* voce *Mortariolum*. De Vett. more, *Dentes*, feris nobilioribus, quæ in venatu occiſæ, excuſſos, galeis inſerendi, dicemus ſuo loco uti de ſue λυκοβορείῃ *edentanda*, legem Salaminiorum videbimus infrà, voce *Porci* de Braſilianorum torquibus, quos è *dentibus* devictorum hoſtium concinnare ſolent, voce *Semiunitum*: de *dente* ſimiæ, ſeptingentis ducatorum millibus æſtimato, voce *Simia. Dentes calceati*, apud Plaut. captiveis. *Act.* 1. *ſc.* 2. *v.* 83.

> *Nunquam iſtoc vinces me Hegio, ne poſtules;*
> *Cum calceatis dentibus veniam tamen.*

ſunt expediti & ad convivium præparati &c. vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 36. Nec omittendum, quod Thom. Bartholin. notat, Veteres infantes demortuos *ante dentes natos* urere non ſolitos eſſe, ex Plin. *l.* 7. *c.* 16. vide eum *de Puerperio Vett.* ut & infrà, ubi de *Infantibus*, nec non ſuprà *Cynodontes*.

DENSELETÆ, pop. Thraciæ, apud Solin. *c.* 10. *Strumonem accolunt dextro latere* Denſeletæ: *Beſſorum quoque multa nomina* &c. Græcis Scriptoribus Δανθαλῆται, Ptol. Δανθηλῆται, Laconibus Δανζαλῆται, dicti ſunt: è quo poſtremo *Denſeletas* fecêrunt Romani. Salmaſ. *ad Solin. p.* 158.

DENTATUS, M. Curii cognomen, quòd cum *dentibus* natus eſt. *Plin. l.* 7. *c.* 16.

DENORES Jaſon, Nicoſiâ Cyprius, genere illuſtri, à Turcis captâ Cypro, bonis omnibus exutus pulſuſque, Paravium conceſſit ibique 13. Annos Ethicam docuit. Scripſit complura, inter quæ *Rhetoricam* ejus, Judicibus, quippe Oratoribus, Legatis Principum & præcipuè Concionatoribus utiliſſimam, commendat Poſſevin. præ reliquis, *Biblioth. Tom.* II. *l.* 18. *c.* 9. Obiit præ mœrore ex filii exilio concepto, A. C. 1590. Vide Anton. Teiſſier *Elogiis Part.* 2.

DENTER Romulius, à Romulo urbis cuſtodiæ impoſitus. Tacit. *l.* 6. *c.* 11. Rectiùs tamen fortaſſe *Dentrix Romilius* vocatur. Aliquot Annis pòſt Liv. & Cæcil. cognominati *Dentrices* fuêrunt.

DENTRIFICIUM, Mart. in apophor. *l.* 14. *Epigr.* 56. cujus epigraphe *Dentifricium* quod ſic habet.

> *Quid mecum eſt tibi? me puella ſumat,*
> *Emptos non ſoleo polire dentes.*

Quo nomine pulvis denotatur; quo nativos dentes candefacere puellæ ſolitæ erant. Inprimis autem Arabicus lapis huic uſui idoneus habebatur. Plin. *l.* 36. *c.* 21. *Arabicus lapis, ebori ſimilis, dentifriciis accommodatur crematus.* Et Dioſcorid. de eodem, Ὀδόντων δὲ σμῆγμα γίνεται καυθεὶς κάλλιστον. Hinc Appulejus *Apolog.*

> *Calpurniane ſalve properis verſibus,*
> *Miſi, ut petiſti, munditias has dentium,*
> *Nitelas oris ex Arabicis rupibus.*

Dentifricium utique ex Arabico lapide intelligens, qui crematus & in pulverem tritus, terſui dentibus comparabatur. *Nobilem pulviſculum* ibidem vocat. Salmaſ. *ad Solin. p.* 665.

DENTRIA, in vet. *Inſcr.*

DENTRIÆ. L. F. POLLÆ
SACERDOTI. DIVÆ
AUGUSTÆ.

DENTRIANUS, apud Spartian. *in Hadr. Cæſ. Fecit & ſui nominis pontem — & coloſſum ſtantem atque ſuſpenſum per* Dentr. *Architectum de eo loco, in quo nunc templum Urbis eſt, ingenti molimine, ita ut operi etiam XXIV. elephantes exhiberet*, tranſtulit. Ubi antiqui libri habent, *Detrianus*; quaſi eſſet ex Græco Δαιτρειανός. Salmaſ. *ad. h. l.*

DENUNTIATIO Belli, etiam ubi jus naturæ non requirit, honeſtè tamen & laudabiliter interponitur, putà ut ab offendendo abſtineatur, aut delictum pœnitentiâ & ſatisfactione expietur. Namque,

> *Extrema primò nemo tantavit loco.*

Unde Hebræis præceptum à Deo, ut civitatem oppugnandam priùs ad pacem invitarent, legimus Deuteron. *c.* 2. *v.* 9. de quo vide Joſeph. *Antiqq. l.* 5. *c.* 2. Et Cic. *Offic. l.* 1. *c.* 11. *At belli quidem æquitas ſanctiſſimè fetiali populi Romani jure perſcripta eſt? ex quo intelligi poteſt, nullum bellum eſſe juſtum, niſi quod aut rebus repetitis geratur, aut denuntiatum antè ſit, & indictum.* Hinc *promulgata prælia* dixit Enn. Quò faciunt, caduceus apud Græcos; ſagmina & haſta ſanguinea apud Æquicolas & Roman. porrò renunciatio amicitiæ & ſocietatis, poſt res repetitas 30. dies ſolennes; haſtæ miſſio iterum, & alia id genus. Quorum tamen magnam partem ſuo tempore uſurpari deſiiſſe, docet nos Arnob. c. *Gent. l.* 2. imò jam Varron. ævo quædam fuiſſe omiſſa, diſcimus ex illo, *de Ling. Lat. l.* 4. vide hanc in rem Hug. Grot. *de jure Belli & Pac. l.* 3. *c.* 3. §. 5. cum *ſeqq.* ut & ſuprà in voce *Clarigatio*, item ubi de *Fecialibus*: de *Denuntiatione*, vide in Gentilium Sacris uſitata, infrà voce *Prorrheſis*.

DENUNTIATORES regionum urbis, memorantur in *Inſcr.* vett. apud Grut. 250. 254. 4. *Denuntiatio novi operis per jactum lapilli*, occurrit apud Rollandin. *in Summ. Notar. c.* 6.

DEO, Ceres à Græcis ſic dicta, παρὰ τὸ δηεῖν *ab inveniendo*, eò quod frugum inventrix fuerit. Hinc *Deois* filia ejus Proſerpina.

DEOBRIGA, in Luſitania Vettonum urbs, & alia municipium Autrigonum. Ptol. In Hiſp. Tarr. Fortè nunc *Miranda de Ebro*, opp. Caſtellæ vet. ad Iber. fluv. in confin. Biſcajæ, 2. leuc. à Pompeiopoli in Occaſ.

DEOBRIGULA, Murbogorum opp. in Hiſp. Tarrac. *Ptol.*

DEODANDA, Scriptoribus Anglis appellantur bruta omnia & inanimata, quorum impetu vita hominis tollitur, v. g. *bos cornupeta, equus calcitrans, trabis aut domi caſus, vel ruina navis in flumine fractæ* &c. quòd eorum pretium in pios uſus erogaretur & Deo donaretur, Bracton. *l.* 3. *Tract.* 2. *c.* 5. *n.* 8. Apud Athenienſes verò, canis qui momorderat, noxæ datus eſt, lege Solon. apud Plutarch. in *eo.* Apud eundem Draco etiam τὰ ἄψυχα, putà *ligna, lapides, ferrum*, quibus quis læſus eſſet, ὑπερορίζειν, *finibus ejicere*, juſſit. Sed & Thaſii pugilis Theagenis ſtatuam, latâ ſententiâ, ideò in mare dejecêre, quòd ruinâ ſuâ quempiam oppreſſiſſet: apud Pauſan. *Atticis & Eliacis poſterioribus*. vide quoque hîc paſſim, inprimis ubi de *Bove Cornupeta*, & *De ferris Altiorum ſtrum*.

DEODATUM, vulgò, *Tatta*, opp. Pannoniæ ſup. inter Veſprinium & Taurunum.

DEODATUS, vel *Deus dedit*, Romanus, fil. Steph. Subdiaconi, poſt Bonifac. IV. Papa, A. C. 614. Obiit A. C. 617. Anaſtaſ. decimus oct. *in vitis Paparum*, Succeſſit ei Bonifacius V.

DEODATUS Joh. Italus, Paſtor Genevenſis celeberrimus. Ejus prodiêrunt *Biblia ſacra, in linguam Italicam & Gall. eleganter verſa, cum annotationibus, in fol. Anno* 1607. 1641. Has Vedelius *aureas* vocat. Ipſum auctorem, *Virum jampridem optimè de Eccleſia doctiſſima verſione Gallica, & notis meritum*, prædicat Coccejus *Præfat. ad Job.* Obiit A. C. 1649. æt. 74. fil. Caroli, Patricii Lucenſis, quem emendatæ religionis ſtudium Genevam adduxerat. P. Freherus *Theatro Viror. clar.*

DEOGRATIAS, Carthaginenſis Ep. rogatu Valentin. Imp. qui urbe hac Præſule, per An. 13. viduatâ, à Genſerico obtinuit, ut hunc Eccleſiam ibi curare pateretur. Sanctimoniâ, ac pietate hîc clarus, urgente ſummâ neceſſitate, ingruenteque perſecutione, univerſa ſacri miniſterii vaſa aurea, & argentea, in captivorum, Roma ab eodem Genſerico exportatorum, redemptionem vendidit. Vide Victor. *de Perſecut. Vandal.* Obiit A. C. 456.

DEOGRATIAS, formula ſalutationis vett. jam Chriſtianis uſitata, ut teſtatur, Auguſtin. *in Pſalm.* 132. & *Ep.* 77. Quem morem cum deriderent Donatiſtæ, dicentes, *quid eſt Deo gratias* reſpondet Auguſtin. *Itane ſurdus es, ut neſcias, quid ſit Deo gratias? Qui dicit, Deo gratias; agit gratias Deo. Vide ſi non debet frater Deo gratias agere, quando videt fratrem ſuum; non enim eſt locus gratulationis, quando ſe invicem vident, qui habitant in Chriſto: & tamen vos* Deo gratias *noſtrum ridetis.* Hodie, in Communione Rom. inter Religioſos & in ſacris Officiis, frequens hujus formulæ uſus eſt, qua de re vide Dominic. Macr. *in Hierolex.* Sed & inter *acclamandi* formulas hæc quoque fuit, uti diximus ſuprà.

DEONANTUM, opp. ad dextrum Moſam, Monulfi Tungrorum Ep. donatione, ad Eccl. Leodicenſ. pertinens, *Dinant* vulgò, oppoſitum caſtello Bovinnæ *Bovingne*, ſiniſtræ ripæ fluminis adſidenti. Bello hoc varia paſſum. Ab eo videntur dicti circumcelliones quidam, qui capite operto, barbâ tortâ, nigro birrotalari tecti ac nudipedes incedebant, & à Gallis *Deonandi* vulgò vocitabantur. Horum meminit Guibertus Abbas Novigenti *l.* 2. *de vita ſua.* Et quia horum ſpeciem ſæpe induebant Dæmones, proin & hi *Deonanti* vocati ſunt, hodieque *Diantres* cluunt. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* Vide *Dinantum*.

DEONARII, Hæreticorum ſecta, ex Manichæis ſeu Paulicianis apud Autorem *Hiſt. Vezeliacenſis l.* 4. *p.* 644. Fortè iidem qui, hodie *Deiſtæ* Gallis dicti, omni religione poſthabitâ, *ſolam divinitatis eſſentiam ore confitentur*, *Ibid.* Cujuſmodi hominum turbam hoc tempore ingentem in eo Regno alibique paſſim eſſe, & quotidie incrementa capere, fama fert.

DEOPALE, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

DEORUM Currus, Libyæ interioris mons. Plin. Mela, Ptol. Hodiè *ſierra Laona*, ubi Regis Luſitanici aurifodinæ ſunt. Aliis *la punta di Lopez Gonzales*. Græcè Θεῶν ὄχημα. Nunc Sanſ. prom. Palmarum, *Capo das Palmas* Luſitanis, in ora Occ. Guineæ, in Africa.

DEORUM Inſulæ, *Iſlas de Bajona* Mor. Inſulæ Hiſp. in Gallæciæ ora 5. leuc. ab oſtiis Minii fluvii. In Oceano Occid. ante Bajonam urbem.

DEORUM Portus, opp. Mauritaniæ Cæſarienſis, *Mazzagran* teſte marmolio.

DEORUM Veſtitor, apud Firmic. Vide *Veſtitor*.

in DEOS referendi viros benemeritos mos, memoratur Suet. *in Julio c.* 88. *Periit — atque in Deorum numerum relatus eſt.* Quod enim in antiquiſſimis Græcis hiſtoriis dici ſolet, aliquem à morte τετυχέναι τιμῶν ἡρωικῶν, vel ἰσοθέων vel ἰσολυμπίων, id Latini multo inverecundius dixêre, *in Deorum numerum referri* vel *conſecrari*. Fere autem conditoribus urbium aut aliis de publica re bene meritis, honores Heroici decerni ſoliti, donec paulatim pro Diis habiti etiam iſti, uti de Lampſace ait Plutarch. *in Mul. præcl. factis*, cujus moris extat gravis cenſura apud eundem in *Romulo*. Dixêrunt illud Græci ἐναγίζειν, iſtud ὡς θεῷ θύειν: atque iſtiuſmodi adulatione reliquos mortales Attici cives ſuperarunt. Romani ante Impp. hanc inſaniam parciùs publicè inſanivêre. Solus è Regibus Romulus conſecratus eſt, & poſtea pauci alii: privatæ tantùm ἀποθεώσεις fiebant, parentum per liberos conſecratorum, & domeſticâ religione cultorum, ut Plutarch. docet in *Quæſt. Rom.* Unde orta poſtmodum ἀποθέωσις Impp. tanquam Patrum Patriæ, initio in Cæſare ab Auguſto facto, quem propterea κορωπλάθην vocat Juliani Silen. hincque ad reliquos omnes ritu propagato. Sed & Ptol. Ægypti Regem à filio, & Aratum Ducem, ab Achæis, *in Deorum numerum relatos*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

es, legimus in *Idyllio* Theocriti 17. & apud Polyb. *l.* 9. &c. Imò primis jam temporibus talium nomina poſt obitum in Rituales libros referri, & anno vertente memoriam eorum celebrari conſueviſſe tradit Cedren. de antiquorum Aſſyriorum ἀποθεώσεως verba faciens: qua de re vide plura apud Caſaub. *ad Suet. d. h. l.* & Athen. *l.* 6. *c.* 14. nec non hîc paſſim. Cùm autem *Deorum* cuique ſui eſſent πάρεδροι; Jovi οἱ δώδεκα θεοὶ, ſex mares, ſex fœminæ, quos proptèrea *Conſentes* appellabant, i. e. σύνεδροι, *eadem ſede præditi*: Matri Deûm, Idæi Dactyli; Æſculapio Ὑγίεια, Ἰασὼ & Τελεσφορίων, aliis alii. Inde Poëta de Aug.

> *Tuque adeò, quem mox, quæ ſint habitura Deorum*
> *Concilia, incertum eſt:*

i. e. quibus Diis πάρεδρος ſis futurus. Et de Antinoo Trajani delicio, Tertullian. *Synhodi Deorum* factus eſt, i. e. in Synhodum & Concilium Deorum cooptatus, &c. Apellati nempe *Paredri* ſunt, qui beneficio Principis alicujus, aut propriæ virtutis merito, Numinis dignitatem erant adepti: qui, cùm nil ſit eſſe Deum niſi Dei quoque officio fungatur, ſomniis & oraculis reſponſa dare & curationes facere credebantur, quod in Æſculapio, Amphiarao, Trophonio. Hephæſtione, aliis ſtùlta credidit antiquitas. Unde & πάρεδροι Δαίμονες dicti, quos ad futura prænoſcenda Magi evocabant, vide Salmaſ. *ad Spartian. in Hadr. Cæſ.* & infrà in voce *Dii*, *Paredri*, item *Synodus*.

DEPELLENTES, Dii, vide ſuprà *Averruncus* & infrà *Oſtenta*.

DEPILARE, injuriæ ſpecies, in *Spec.* Saxon. *l.* 3. *tit.* 37. §. 1. Item pœnæ genus, Perſis olim, & infrà *Tiara* idem Hungaris familiare, quemadmodum legimus in *Decretis* S. Steph. & S. Ladiſlai Hung. Regum, vide ſuprà *Decalvatio*. Olim vero mollitiei argumentum, vide hîc paſſim, ubi de *Alipilariis*, *Lictipilariis*, *Palæſtricis* imo *Pſilothris*, *Vellendi more* &c.

DEPORTATIO, vide infrà *in Inſulam deportatatio*, it. voce *Relegati*, & ſuprà ubi de Athenienſium ἀπενιαυτισμῷ ſeu *Abannatione*.

DEPOSITIO, inter ritus Vett. funebres. Nempe quamprimum expirarat mortuus, conclamabatur à domeſticis; deinde *deponebatur* humi. Artemid. *Oneirocrit. l.* 1. *c.* 14. Οἱ δ' ἀποθνήσκοντες ἐγχωρίοις ἐντιθέμενοι, ἐώκασιν ὡς τὰ βρέφη ἐν χαμαὶ τίθεσθαι. *Exponere* vocat Zeno Veron. *de Contin. Tunc non illa es, quæ mariti corpus expoſitum lavaſti lachrymis: oſculis deterſiſti.* Atque tum *ſupra terram eſſe* dicebatur defunctus, ut docet Servius. Ad quem morem reſpicit Lucan. *l.* 2. *v.* 21.

> ------ ------ *Sic funere primo*
> *Attonitæ tacuere domus quum corpora nondum*
> *Conclamata jacent.* ------ ------

Nempe *nondum ſecundâ vice conclamata*, ut ſuprà vidimus. Advolvebantur tamen ſic *depoſito* propinqui, & *lachrymas ei dabant*, ut ait Arnob. *l.* 5. ſeu ἐπεδάκρυζαν κειμένῳ τῷ νεκρῷ, ut Philo *Diſſertat. de Joſepho*: ac oſcula Zenod. *l.* Poſtquam verò aliquot dies aſſervatus eſſet, & componeretur: ac pararetur jam pompa funeris, ultimùm conclamabatur, ut ſuo loco dictum. Tandem cùm igni imponeretur, deflebatur. Hinc *Depoſitus*, pro deſparato. Ovid. *Triſt. l.* III. *Eleg.* 3. *v.* 152.

> ------ *Depoſitum nec me qui fleat, ullus erit.*

Et de Ponto *l.* 2. *eleg.* 2. *v.* 44.

> *Jam prope depoſitus.* ------

vide Deſid. Heraldum *ad Arnob. l.* 5. & hic infrà.

DEPOSITIONIS in Academiis Ritus. Fuit antiquiſſimis jam temporibus moris, eos, qui in diſciplinam Philoſophorum ſe darent, certis quibusdam ritibus officii admonere, & velut initiare. Quo ſpectabat Pythagoræorum ἐχεμυθία: Cavilli & ludibria auditorum, quibus Sophiſtarum tempore Studioſi novitii excipiebantur, apud Eunap. *in Sophiſtis*: λοῦτρον inprimis, i. e. *Balneum* Athenienſium, quod Nazianzen. vocat Νόμον Ἀττικὸν καὶ παιδιὰν σπουδῆς σύμμικτον, *Legem Atticam & ludum ſerium* & deſcribit *Orat. in laudem Baſilii Mag.* verba Latinè ſic habent: *Primùm*, inquit, de initiando loquens, *apud eorum aliquem, qui priores ipſum* (juvenem nempe peregrinum accedentem) *arripuerint, hoſpitio accipitur, vel amicorum, vel propinquorum, vel qui ejuſdem ſunt patriæ, vel qui artem Sophiſticæ apprimè callent, ac lucra Magiſtris conciliant &c. Deinde à quovis volente cavillis laceſſitur; quod quidem, ni fallor, eò faciunt, ut novitiorum faſtum & ſuperbiam retundant atque à principio ipſos in poteſtatem redigant. Laceſſitur autem ab aliis impudentius atque audacius, ab aliis eruditius, prout ille vel ruſticis & ineptis moribus, vel urbanitate fuerit præditus. Atque id ignaris quidem terribile atque inhumanum videtur: iis autem perjucundum ſuavitatiſque plenum; quibus non ignota eſt ea conſuetudo. Plus enim terroris habet hæc minarum oſtentatio, quàm res ipſa. Tum per forum ad* Balneum *cum pompa deducitur. Pompa autem hoc modo ſe habet: Qui deducendi juvenis munere funguntur, ordine diſpoſiti atque æquis ſpatiis diſtributi bini eum ad balneum antecedunt. Cùm autem propiùs acceſſerint, quaſi fanatico furore correpti clamorem ingentem tollentes, (hic autem clamor jubet, ut ulteriùs progredi deſinant --- tanquam eos Balneum minimè admittat ſimulque fores pulſantes & juvenem ſtrepitu perterrentes, ac deinde introeundi ipſi poteſtatem facientes, ita demum eum in libertatem aſſerunt, atque à balneo redeuntem deinceps ut æqualem ac ſocium accipiunt. Atque hoc ipſis eſt totius ceremoniæ jucundiſſimum, nimirum ab his qui moleſtiam exhibent, quamprimum liberari.* Solus autem fere ex omnibus, qui ſtudiorum causâ Athenas veniebant, communi hac lege ſolutus fuit Baſil. quòd majorem honorem, quàm novitii conditio ferre videbatur, jam conſecutus eſſe crederetur: de quo ita ſonat tetraſtichon Theod. Prodr.

> Καὶ νῦν τὸ λοῦτρον τοῖς Ἀθήνησι ξένοις
> Ὡς πλῆκτρον, ὡς φόβητρον, ὡς καινὴ θέα.
> Ἀλλ' ἀγκάλη αὐτὰ τοῦ σοφοῦ Βασιλείου
> Μόνῳ θυρώνυσι τὰς νεηλύδων νόμους.
> *Ingens Athenis hoſpites ex balneo*
> *Timor obſidebat, & novo ſpectaculo.*
> *At, in perito & moribus laudabili,*
> *Hujus Baſilio ſolvitur legis rigor.*

Eſſeni quoque; qui vel ſoli Philoſophorum nomine digni apud Judæos fuêre, non ſtatim; ſed poſtquam foris Anno integro iisdem vixêre moribus, diſcipulos ſuſceperunt. Imò nec poſtquam recepti erant, cum illis vivere poterant, niſi duobus aliis Annis patientiæ ſigna dediſſent, Porphyr. apud Euſeb. πρ. *l.* 8. *c.* 1. Tranſiit ritus, per reliquorum ſeculorum ſeriem, ad noſtram usque ætatem, & in Germaniæ inprimis Helvetiæque Academiis, ſub *Depoſitionis* nomine, laudabiliter viget. Cujus finis uſuſque; ut ſit quædam initiatio, per quam cooptentur in collegium hoſpites, quò privilegiorum & immunitatum fiant participes: ut ſit examen ac exploratio ingenii & morum: ut novitiorum faſtus ac φιλαυτία excutiatur: ut ſit ſimulacrum patientiæ ab eruditis uſurpandæ: utque variis ſymbolis Hieroglyphicis officii initiandus admoneatur & ad alacritatem in tuenda profeſſione inflammetur. Abuſus tamen effecit, ut in Italia, Hiſpania, Gallia, Anglia ampliùs non frequentetur, è Belgio quoque exulare hic ritus juſſus ſit: quem deſcriptum pluribus vide apud Olympiod; judicium de eo Lutheri apud Zeiller. *Ep.* 246. laudes apud Hoffm. *Orat. de laude Depoſitionis*, Joh. Volck. Bechman. *de Privilegiis Studioſorum*, quibus adde Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 69. In Communione verò Romana, *Depoſitio*, pœna eſt Eccleſiaſtica, quâ Clerici gradu ſuo ejiciuntur, vel ſuſpenduntur, degradatione minor, in *Vita* Lud. Pii A. C. 818. alibique, vide ſuprà *Degradatio*. Item, dies obitus, quo mortuus terræ mandatur, vel quo quis vitam deponit; cujus appellationis cauſam fusè explicat Ambroſ. *Serm.* 70. Vetus *Inſcr.* Eboræ, apud Reſend. *Depoſitio Pauli, famulus Dei vixit annos L. & uno requievit in pace D. III. Id. Martias æra DLXXXII.* Atque hinc dies obitus anniverſarius, apud Ioh. Episc. Abrinc. de *Offic. Eccl.* in ſpecie verò feſtum S. Joh. Evangeliſtæ, quæ vulgò appellatur *Depoſitio*, *quia locum ſepulturæ vivus intravit, & ita ſeipſum depoſuit*, Durand. *l.* 7. *c.* 1. *n.* 19. vide quoque infra in voce *Dies*.

DEPOSITIONIS ſacrarum Veſtium & Zonæ B. Virginis, Feſtum Græcè Καταθέσια, in Eccleſia Græcanica, menſe Auguſto, die ultimo, celebrari ſolitum, memorantur in *Menologio*, ubi in Junio, Εἰς τὴν δευτέραν τὰ Καταθέσια τῆς τιμίας ἐσθῆτος τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου ἐν Βλαχέρναις. Et in Auguſto, Εἰς τὴν λα' τὰ Καταθέσια τῆς τιμίας ζώνης τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου. vide Cl. Suicer. *Theſauro Eccl.* in voce Καταθέσιον.

DEPPA, vulgò *Diepe*, Urbs Gall. probè munita, in Normannia, cum portu capaci, in ora littor. maris Brit. ad Acri fluv. oſtia, in Caletenſi tractu. 10. luc. à Rothomago in Bor. 18. à Portu Gratiæ in Ort. Emporium celebre. Capta fuit hæc urbs & direpta, ab Anglis, ſub Philippo Aug Reformatorum, bellis civilibus primùm, dein Henrici Mag. aſylum, qui prope hanc urbem Meduanium D. vicit. Florales ludos incolæ feſto N. C. & Aſſumpt. B. Virginis, celebrant. Duchen. *de urb. Galliæ*, *l.* 7. *c.* 5.

DEPRECATORIÆ Epiſtolæ in vet. *Cod.* Canon. ex Bibl. Reg. in Concilio Antioch. *can.* 8. *ſimplices* dicuntur ad marg. & opponuntur *formatis*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

DEPULSORIUM Sacrificium; dicebatur olim apud Romanos, cùm ſolenne ſacrificium faciebant, quo procurabantur oſtenta & fulgura. *Plin. l.* 28. *c.* 2. *Alia ſunt verba impetrantis* (Sacrificii) *alia depulſoris, alia commentationis.* Ad quem locum vide Salmaſ. *Exercitat. Plinian. p.* 585. plura vide infrà, ubi de *Oſtentis*.

DEPUTARE, vide ſuprà, *Coinquere*.

DEPUTATI, vulgò olim teſte Nonio dicti, Accenſi, qui ut plurimum *deputabantur* ad obſequium Tribunorum, de quibus vide Veget. Vexillarii item ſeu Triarii veterani, de quibus Valerianus Imp. apud Vopiſc. *in Probo*, in Ep. ad hunc, *Veſtes tibi triplices dari juſſi, ſalarium duplex feci, Vexillarium deputavi.* vide Salmaſ. *ad l.* In *leg.* 8. C. *de ſervis fugit. Fabricis & aliis operibus publicis deputati*, Ὁπλοποιοὶ ſunt, qui numeri cujusque arma procurabant, *Fabricenſes*. Peculiari verò ratione *Deputati* dicti, quòd eſſent ἐν τοῖς ἀριθμοῖς συγκαταλεγόμενοι, ut eſt in *Nov. Juſtin.* 85. §. 2. & annonas de publico ſumerent, perinde ac milites ipſi: unde *Statuti numerorum* vocantur Juliano Anteceſſori *Conſtit.* 79. §. 2. *Gloſſ. Baſil.* λειτουργοὶ, Δεπουτάτοι, ἀφωρισμένοι. Cujusmodi ſunt, qui in *Not. Imp.* dicuntur, *Deputati Scholæ Agentium in rebus*, & *Deputati Domeſticorum*, & *Deputati Equitum & Peditum*. vide Jac. Gothofred. *in Paratit. ad tit. de Re militari l.* 7. *Cod. Theodoſ.* Poſtmodum verò ſequiore Græciâ, ſelecti quidam ex ſingulis ordinibus viri aliquot alacres, ex iis potiſſimum, qui minus locupletes erant, *Deputati* vocati ſunt; quorum munus erat, vulneratos in prælio reficere collapſos ab equis erigere, laborantes è certamine aſportare: quo fine, in dorſo equi ſui ad ſellæ lævam, quisque horum ſcalam ferebat exiguam, de quibus copiosè Rigalt. *in Gloſſar.* ex *Tacticis* Mauricii ac Leonis. Sed & in Eccleſia Græca *Deputati*, officiales erant, qui Patriarchâ procedente, è via populum abigebant. Ordo M. Eccleſiæ, Ὁ Δεποτάτος ὁ τῶν δεποτατῶν ἐμπροσθεν τοῦ Ἀρχιερέως καθαρίζει τὸν λαὸν ἀπὸ τὴν στράταν. Quibus paria habet *Catal. Official.* M. Eccleſiæ, apud Goarum in *Euchołog. Græc.* ubi *Deputati* & *Ceroferarii* ordinatio ita refertur, quaſi idem fuerit miniſterium Car. du Freſne *Gloſſar.* Hinc ad *Deputatum* pertinuiſſe, luminibus accenſis Evangelium aſſociare ac ſacra dona, quando ad Altare proceſſionaliter deferebantur; indutum autem eum in hac ceremonia *Magnus Introitus* Græcis dictâ) manto ſimili Epiſcopali, ſed abſque virgatis coloribus ſeu fluminibus; hocque officium porrò exercuiſſe ipſum Imper, die coronationis ſuæ; antiquitus tandem *Deputatum*, in eadem Eccleſia, fuiſſe ordinis minoris, i. e. Acolythi, officium, refert Dominic. Macer in *Hierolex.* ex Simeone Theſſal. *Dial. de Myſter. Eccl. Ritualibus antiquis* & Petro Arcud. *Concord. l.* 5. *c.* 9. Adde Cantacuzen. *l.* 1. *c.* 41. Codin. *de Officiis*, & Meurſ. Hodie *Deputati*, inter Legatos illi dicuntur, qui à ſubditis ad Principem ſuum, aliquo in negotio, mittuntur: de quorum jure vide Vicquefort. *Tr. Gall. de Legatis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

DERA, Iberiæ urbs, ſive regio. *Steph.*

DERADIOTES, Apollo dictus à loco, ut ait Pauſan. cujus vaticinium etiam ſuâ tempeſtate durare aſſerit, eoque ritu fieri, ut à viro mulier ſecubaret, & ſingulis menſibus noctu, ut de agno rem ſacram faceret, cujus agni ſanguine epoto, numinis Apollinei inſtinctu reſponſa daret.

DERADRÆ, Indiæ intra Gangem pop. *Ptol.*

DERÆ, locus in Meſſenia, ubi Anno 1. Olymp. 24. Meſſenii (anno primo poſt defectionem) ſigna contulêre cum Lacedæmoniis, ac Ariſtòmenes, ob præclara facinora, poſt pugnam Rex à Meſſeniis ſalutatus eſt; quod cùm is recuſaſſet, *Στρατηγὸν αὐτοκράτορα*, *Imperatorem*, eum elegêrunt. Sequuta eſt Anno pòſt pugna, ad Apri monumentum, vide ſuprâ, & plura hanc in rem apud Joh. Marsham. *Canone Chron. Sec.* XVII. ubi *de Bello Meſſeniaco* II.

DERANGÆ, pop. Indum fluv. accolentes, aliis *Drangæ.*

DERANOBILA, Carmaniæ opp. *Ptol.*

DERASIDÆ, inſulæ juxta Magneſiam. Plin. *l.* 2. *c.* 89. *l.* 5. *c.* 29.

DERBE & DERBEN Lycaoniæ civitas. Act. *c* 14. *v.* 6. *Dervaſe* teſte Leunclavio. In Piſidiæ & Cappadociæ confin. verſus montes, 40. mill. ab Iconio, in Auſtr. 30. ab Iſauria in Ort. uti 80. ab Antiochia Piſidiæ. Nunc quid ſit, non conſtat. *Baudr.*

DERBICES, pop. juxta Caucaſum. Hi ſupra Stoicam ſeveritatem minimum quodque delictum pœnâ capitis puniunt, Terram venerantur, fœmininum animal neque edunt, neque ſacrificant, eos qui 70. Annos exceſſêrunt, jugulant: cognatorum carnes vorant, anus ſtrangulant, obeuntes non edunt ſed humant. Strab. Dicuntur *Derbies* item ſeu *Derbiæ*, & *Derbii. Derbicii* Dionyſ. ubi *Dercebii* maluit Salmaſ. *in Plinian.* quem vide.

DERCE, fons frigidiſſimus æſtate, inter Bilbilin, & Segobrigam in ripa ferè Salonis amnis. *Dercenna* Mart. *l.* 8. cujus Epigraphe *ad Licinian. Epigr.* 50.

Avidam rigens Dircenna placabit ſitim.

DERCETAS Philaſius, nomen Comicum, Ariſtoph. *l.* 4. *ſc.* 5. qui per Bœotos amiſerat boves ſuos.

DERCETO, vel DERCETIS, fabuloſa Dea, quæ apud Ioppen, authore Plin. *l.* 5. *c.* 13. & 23. aut, ut Diod. *l.* 1. placet, juxta Aſcalonem colebatur, humanâ facie, reliquo corpore piſcis. Hanc Syri *Atergatin* vocant. Ovid. *Met. l.* 4. *v.* 44. *& ſeqq.*

------ De te, Babylonia, narret
Derceti, quam verſâ ſquamis velantibus artus
Stagna Palæſtini credunt celebraſſe figurâ:

Fabulam narrat Diod. Sic. *Ceto* etiam dicta, Salmaſ. *ad Solin. p.* 574. Filiam habuit Semiramidem, quam à columbis educatam ferunt. Syris autem aves illæ ſacræ. Tibull. *l.* 1. *eleg.* VIII. *v.* 18.

Alba Palæſtino ſancta columba ſuo?

DERCILLIUS, trigeſimus primus Aſſyriorum Rex.

DERCULUS, Caupo ſeu ebrioſus Athenis, de quo Schol. *in Ariſtoph. Veſpas.*

DERCYLIUS, unus ex præfectis Pyrrhi. *Plutarch.*

DERCYLLIDAS, cognom. *Syſiphus*, Lacedæmoniorum Dux Thimbroni, minus ex ſententia res in Aſia gerenti, ſuffectus, Troadis urbes plures Hamaxiton, Colonas, Ariſben impetu cepit: poſtea Ilion & Cerebreniam & omnes alias partim dolo, partim vi, in poteſtatem redigit: inducias cum Pharnabazo, à quo cùm olim Athenienſibus militaret clypei ſupra brachium elati infamiâ notatus fuerat, octimeſtres pactus, Thraces circa Bithyniam colentes populationibus vexavit. Cherſoneſum à Thracum incurſionibus vindicavit, muro à mari in mare interſepiens. Scepſéis libertatem reſtituit, Gergitem ſubegit; undecim Iſthmi civitates muro cinxit, Atarneam occupavit. vide Diod. *l.* 14. & Xenoph. *Hiſt. Gr. l.* 1. 3. *&* 4. Quomodo Scepſéis libertatem reſtituerit, vide Polyæn. *l.* 2. Inter alia ejus memorabilia, octo diebus 9. urbes cepit, animo excelſo præditus. A. U. C. 356. An. 2. Olym. 95. è Cherſoneſo in Cariam profectus, cum Perſis de pace egit, ejus articulis Spartam & ad Artaxerxem perlatis.

DERCYLLIDAS, nomine Antipatri, Atticæ præfectus.

DERCYLLUS, hiſtoricus, de quo videndus Voſſ. *de Hiſt. Gr. p.* 354.

DERDAS, Puer quidam videtur aut adoleſcens obnoxius Amyntæ min. Quod cùm ipſum gloriaretur, ſublatus eſt. Ariſtot. *l.* 5. *Pol.* 10.

DERE, it. DIRE Strab. Æthiopiæ emporium ad ſinum Arabicum, *Zeila Moletio.*

DEREA, urbs Arcadiæ. *Steph.*

DERECTARII, vide infrà *Directarii. Derelictæ* ſeu *Deperditæ*, Res, vide infrà ubi de *Occupatione.*

DERELICTORIA Virga, in *Tabula* S. Aniani Aurelian. videtur illa eſſe, quâ utebantur vulgò in inveſtituris ſeu traditionibus rerum, quas *Eccleſiis* derelinquebant, & quam ad id in manus donatorum aut reſtituentium Canonici vel Monachi tradebant, Car. du Freſne *Gloſſ.*

DEREMISTÆ, pop. Illyrici, quorum urbs *Drivaſto* putatur.

DEREMMA, Meſopotamiæ opp. *Ptol.*

DERENUS, apud Rainald. A. C. 1323. *n.* 9. moneta eadem fortè, quæ *Taronus* vide ibi.

DERETINI, Dalmatiæ pop. Plin. *l.* 3. *c.* 22.

DERIA, ſeu DERRIA, urbec. Hibern. in Ultonia, in Inſ. *Inis Owen*, in Comit. Tyrnoceliæ, Ep. ſub Arch. Armachano.

DERIADES, Vide *Dardæ.*

DERIDENDI, apud Vet. modi varii, vide infrà *Manus geſticulatio*, it. in voce *Nutus.*

DERMONES, Libyæ interioris gens. *Ptol.*

DERNES, unus è 7. Perſis, contra Magum conjuratis. Cteſias.

DEROGARE, vide infrà *Erogare.*

DERPATUM, ſeu TORPATUM, DERPT, urbs Livoniæ Ep. ſub Arch. Rigenſi, ad fluv. Beccum, *Embeck*, cum arce munita, in regiunc. *Oldenpoa*, inter lacus Werezerum & Perbum, verſus Moſcoviam. Munita eſt, paretque jam diu Suecis.

DERRA, Laconiæ locus. Steph. urbs Macedoniæ, Plin. *l.* 5. *c.* 10.

DERRHÆ, Thraciæ pop. Steph. Herodotus *Derſeos* vocat. Item Arabiæ Fel. gens. *Ptol.*

DERRHIMA, Chalybonitidis in Syria urbs. *Ptol.*

DERRHIS, Marmaricæ prom. Ptol. *Dercat. Mercatori.*

DERSÆI, ſive DERSES, vide *Derrhæ.*

DERTONA, Gall. *Tortone*, civitas Lombardiæ Ciſpadanæ, probè munita, cum arce valida, in Apennini flectentis ſe jugi cubito, ita Plin. *l.* 3. *c.* 5. qui coloniam nuncupat in Liguribus Ciſapenninis, itemque Antonino Ptolemæoque dicta, ſed Strab. cui *πόλις ἀξιόλογος* dicitur, *Darthona.* Capta eſt à Gallis A. C. 1642. ſed ſequente Anno ab Hiſp. recepta. Aliqui tradunt eam à Liguribus ortam: ſed Hieronymus Albertutius quoſdam velle à Gallis conditam, appellatamque primùm ab illis *Antiliam* ſcribit. Alii *Tertonam*, quod in Apennini dorſo ſeu tergo ſita ſit: Nonnulli priùs *Antiliam*, dein *Terdonam*, à tribus donis quæ habebat, quorum primum erat ſaxum in loco Pæna copioſè oleum emittens, alterum fons prope Garbanianum, quotannis feſto natalis D. Joh. Baptiſtæ largiſſimè fluens, tertium, quòd paulò ante quam nobiles aliqui viri mortem erant oppetituri, juxta Petram Biſſariam panis ſectus ſanguinem ſtillaverat: quapropter & urbis ſigillum hanc tenet inſcriptionem. *Pro tribus donis ſimilis Terdona leonis.* Sub Hiſp. 8. mill. à confin. dit. Genuenſis in Bor. 45. à Placentia in Occ. A Friderico Ænobarbo Imp. everſa, à Mediolan. inſtaurata eſt, nunquam tamen in magnitudinem priſtinam rediit.

DERTOSA, Hiſp. Tarracon. opp. Hodiè *Tortoſa.* Urbs aliàs Illercaonum, nunc Cataloniæ, ſatis munita, juxta Iberum fluv. qui 4. leuc. Hiſp. infra ſe in mare Medit. exonerat. 4. leuc. à confin. Valentiæ Regni, 14. ab Ilerda in Auſtr. Cum caſtro ſatis firmo, & ponte ad Iberum fluv. Deficit in dies. Capta eſt à Gallis, A.C. 1649. ſed recepta ab Hiſp.

DERVENSIS Saltus, vulgò *Der*, ſilva exciſa & culta, ubi *Dervum* Monaſter. *Monſtier en Der*, in diœceſi Catalaunica & pago Pertenſi, non longè ab amne Vigera, *la Voire.* Conditum id à Berchario, & immunitatibus à Childerico Rege donatum eſt: quibuſdam *Montirandel.* Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

DERVENTIO, opp. & fluv., Angliæ, *Derwent*, *Derbii* civitatem præterfluit, teſte Talboto. Camd. autem *Derventio* eſt opp. in Orientali parte Eboracenſ. Comitat. nunc *Auldby*, ad fluv. etiam Derventionem. Hic fluv. in Ouſam fluv. effluit, & cum ipſo poſtea in Album æſtuar. cadit. Opp. autem, nunc *Auldby* i. e. antiqua habitatio, Camd. eſt vicus tantùm; & 2. mill. infra, nempe ad locum *Stanfordbridge*, Haraldus Angliæ Rex Haraldum Norwegum, qui 200. navibus Angliam infeſtabat, magna Danorum ſtrage occidit. Quod prælium vix 9. dies ante Gul. Normanni adventum accidit. Diſtat autem Derventio locus 50. mill. Angl. à Darbia in Bor. *Baudr.*

DERVISII, quinam apud Turcas, vide *Muſlimi.*

DERUSICI, pop. Perſiæ; Steph. Oratores Perſici Herod. *l.* 6.

DESANAUS, epitheton Herculis Phœnicii. Euſeb. *Chron. ad n.* 497. *Hercules*, inquit, *cognomento* Deſanaus, *in Phœnice clarus habetur. Unde & ad noſtram uſque memoriam, à Cappadocibus & Elienſibus, Deſanaus adhuc dicitur.* Quæ verbis iiſdem legas, apud Marian. & Florentin. Wigornienſem. Apud Georg. Syncell. verò, qui Euſeb. exſcribere ſolet, pro Elienſibus *Ilienſibus* & pro Deſanaus Διωσάς legimus. Etiam *Deſani* vocem ſuſpectam reddit mira Latinorum Euſebii codicum, & ejus exſcriptorum, inconſtantia. Quorum quidam *Doſinaus*, quidam *Deſinas*, ut alia omittam, habent, unde ſuſpicatur Voſſ. hæc ex Δοςσάνης, quo nomine Hercules apud Indos audiit, teſte Heſych. eſſe corrupta. *Dorſanes* autem vicinum eſt Chaldaico דְּרַס *daras*, i. e. *calcare, premere, incidere*: quod inter præcipuas Herculis laudes ponitur, ut qui Tyrannos calcarit & oppreſſerit. Etiam Perſis Σάνδης dicebatur, auctore Agathiâ, ad quod poſterioribus ſyllabis multum accedit Δοςσάνης, &c. Interim nec illud damnari poteſt, quod nonnulli *Deſanaus* vel *Deſanes* legunt: præſertim cùm vicinum ſit דָּשֵׁן *daſchen*, h. e. *pinguis*, & per tralationem *pollens*; cujuſmodi appellatio optimè conveniat fortiſſimo Herculi: qui idcirco in antiquis etiam *Inſcr.* *Pollens* vocatus reperitur. Ut iſthac Interamnæ Nahartium in Umbria, apud Gruter. *Inſcr.* 315. 7.

LOCUS
SEPULTURÆ
CULTORUM
HERCULIS
DEFENSORIS
POLLENTIS
INVICTI.

Dici etiam poſſit, *Deſanaas* conflari ex duobus vocabulis, quorum prius ſit דָּשֵׁן, quod *pinguem* vel *opulentum* ſignificare diximus & עַז, *ai*, quod *fortem* notat, ut Geneſ. *c.* 49. *v.* 3. ubi id nomen à Jacobo tribuitur Rubeni primogenito: ſicque Herculi nomen id impoſitum ſit ab opibus & fortitudine. Vide Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l.* 1. *c.* 22.

DESARENA, Indiæ intra Gangem Regio. Arrian. *in Periplo.*

DESCENDERE, apud C. Nep. *Ariſtide c.* 1. *Nam poſtquam Xerxes in Græciam deſcendit*: idem quod movere, expeditionem adornare bellum inferre eſt. Quo ſenſu & καταβαίνειν Græcis uſurpatur. Diod. Τεθαῤῥηκότως καταβαίνειν εἰς τὸν πόλεμον. Sed & ἀναβαίνειν, ſimile quid. Unde Ἀνάβασις illa inclyta Cyri: propriè de expeditione navali, ut apud Hom. & Xenoph. videre eſt. Vide Herod. *Uran.* Juſtin. *l.* 2. *c.* 6. in fine.

DESCENSIONES, Latinis quæ Græcis ἐμβάται, recentioribus σκάφαι, item πύελοι vel πυελίδες, alvei ſunt in balneis. Salmaſ. *ad Jul. Capitolin. in Clodio Albino.* Apud Anaſtaſ. *in Hiſt. Eccl.* ubi Theophanes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

phanes Anno 5. Leonis Iſauri κα᾽ἀᾶάσιν habet, *Deſcenſus* eſt Latinis *Confeſſio*, ſeu locus ſub altari, ubi recondebantur Sanctorum reliquiæ, & in quem gradibus deſcendebatur. Vide ſuprà in voce *Confeſſio*, & in hanc rem plura, apud Car. du Freſne *in Gloſſar.*

DESCENSOR, cogn. *Jovis*, de quo vide ſuprà *Aræ pro terminis*.

DESCRIPTOR, in *Gloſſario* Arab. Latin. *qui populum per centurias & tribus dividit*, apud *Eund.*

DESENSANUM, oppid. Venetorum in Brixiano agro, in ora lacus Benaci. 10. mill. à Piſcaria in Occid. 18. à Brixia in Ort. Valde lepidum eſt & cultum, in planitie,

DESERTA Bojorum, *Wienerwald*, Lazio, tractus Norici, olim à Vindelicis per Noricos Pannoniam uſque protenſus, *Strab.*

DESERTORUM Bellum, apud Lamprid. *in Commodo*, *Ante bellum deſertorum cœlum arſit*: illud eſt, quod excitavit Maternus, Militiæ *deſertor*, quodque unus Herodian. deſcribit. Spartian. meminit in *Peſcennio Nigro*, *Peſcennius Severo, eo tempore, quo Lugdunenſem provinciam regebat, amiciſſimus fuit: nam ipſe miſſus erat ad comprehendendos deſertores, qui innumeri Gallias tunc vexabant.* Caſaub. *ad h. l.* De *Deſertorum* pœna, infrà ubi de *Excubiis*, & *Militaribus pœnis*.

DESERTUM Bethlehem, ſolitudo erat in tribu Juda, vaſtiſſima, in qua leones erant, urſi, aliæque feræ: tempore Hieronymi plena erant omnia ferocium barbarorum, quas indicat poëta, quum dicit,

------ *Lateque vagantes Barcæi*,

ab opp. *Barcæa*, quod ibi ſitum eſt.

DESERTUM Engaddi, in tribu Juda: Hic David aliquando latuit, cùm à Saul hoſtili animo ad mortem inquireretur. 1. Sam. *c.* 24. *v.* 1. 2.

DESERTUM Hai, Joſ. *c.* 7. *v.* 2. *c.* 12. *v.* 9. Joſeph. *l.* 5. *Antiqq.* in tribu Benjamin.

DESIDERATA, in *Gloſſ.* Lat. Gr. λειτουργία, τελετὴ, Scalig. & Caſaub. eſt, initiatio in Chriſtianiſmo, i. e. Baptiſmo; inprimis verò S. Euchariſtia, teletarum teleta, ſacramentorum ſacramentum: de quo peculiariter uſurpari verbum *deſiderare*, apud Lat. PP. iiſdem obſervatum. Quo pertinet locus elegans Gregorii Mag. *l.* 7. *Ep.* 24. de Judæorum quorundam converſione loquentis, *Si ſanctum Paſcha elegerint expectare, iterum cum Epiſcopo loquere, ut modo quidem catechumeni fiant atque ad eos frequenter accedat geratque ſolicitudinem & animos eorum admonitione ſuæ adhortationis accendat, ut quanto expectatur eis longa feſtivitas, tanto ſe præparare & eam deſiderio fervente debeant ſuſtinere.* Vox è ſacris Gentilium, ut aliæ non paucæ, petita, quâ illis epopta, ultima myſteriorum pars, fuit denotata. Ad hanc dum toto quinquennio præparabantur, docebantur hoc temporis ſpatio futuri epoptæ ardentiſſimo deſiderio & cùm *ſuſpiriis* (quorum meminit Tertull. *c. Valentinianos*) ἐποπτείας diem expectare. Similiter ergo in Eccleſia erudiebantur Catechumeni, ut magna cum aviditate S. Communionem peterent, unde illis *Competentium* nomen, ſicut docent Auguſtin. Iſid. Alii. Extant certè PP. quà Græcorum, quâ Latinorum, Homiliæ non paucæ ad Catechumenos, in quibus multa dicuntur, ad excitandam hanc in illorum animis cupiditatem. Vide Caſaub. *Exercitat.* XVI. §. 43-45. Propriè autem *Deſiderare*, ſignificat finem & exitum tempeſtatis vel *ſideris*, quod deſiit χειμάζειν, ſeu *ſiderare*: unde *deſiderari* res dicta, quæ abiit, nec amplius extat. Salmaſ. *ad Solin. p.* 425.

DESIDERATA, una ex Antillis, ſub Francis, parva ſed fertilis & probè culta. 10. leuc. ab Inſ. Gundalupia in Or. Sic dicta à C. Columbo, qui primus eam detexit, cùm rurſus in Americam tenderet.

DESIDERII Fanum, opp. Campaniæ in Gall. Vulgò *S. Didier*. Metel. & Merula. Valeſ. *S. Deſiderii* opp. vulgò *S. Dizier*, à Deſiderio Lingonum Epiſc. à Vandalis, ſub Honorio Galliam depopulantibus, jugulato, nomen accepit: ex Uſuardo & Sigeberto *in Chr.* Ibi Matrona ponte jungitur.

S. DESIDERII vicus vulgò *S. Geri*, locus eſt Galliæ, prope urbem Cadurcos, à Deſiderio Cadurcorum Epiſcopo, quem *S. Geri* vocitant, cognominatus. Hadr. Valeſ. *Not. Galliæ* in voce S. *Gaudentii Caſtrum*.

DESIDERIUS, XXI. & ultimus Longobardorum Rex poſt Ataulphi, S. Aiſtulphi, cujus Comes ſtabuli erat, obitum ei ſucceſſit A.C. 756. Fautore uſus eſt Stephano III. contra Bachin, monachum, præcedentium Regum fratrem, hac lege, ut Romanæ ſedi ditionibus quibuſd. cederet. Sed promiſſis minimè ſtans, Italiam ſibi ſubjecturus, Adrianum Papam infeſtavit, plurimis Exarchatus urbibus captis, Romæque viciniâ vaſtatâ. Quare imploratus à Pontifice Carolus Mag. in Italiam properavit, captoque primum Adalgiſo fil. Deſiderii; dein ipſo Deſiderio, in Galliam abducto & raſo, A. C. 774. poſt Regnum Anno 18. Longobardorum Regno finem impoſuit, quod duraverat Ann. 206. Aimon. *l.* 4. *c.* 69. 70. Egmhart. *in vita Caroli Mag.* Acciajolus itid. *in Carolo Mag.* Sigebert. & Ado *in Chron.* P. Diacon. *de geſtis Longob.* Sigon. *de Regno Italiæ l.* 3. & 4.

DESIDERIUS, Arch. Viennenſis, à Brunehilde, in cujus vitia acriter invectus erat, in exilium pulſus, A. C. 603. & tandem ejus juſſu, interfectus eſt. Ad illum Gregorius Mag. tres epiſtolas ſcripſit. Aimon. *l.* 3. *c.* 90. Fredegar. *addit. ad Gregor. Tur. c.* 32. Sigebert. Ado *Chron.* Gregor. Mag. *l.* 7. *ep.* 117. *l.* 4. *ep.* 62. & *l.* 10. *ep.* 39. &c.

DESIDERIUS, Ep. Cadurc. poſt Ruſticum fratrem, educatus fuit, in aula Regis Dagoberti; præfuit Eccleſiæ ab A. C. 635. uſque ad A. C. 660. San Marth. *Gall. Chriſt. & Catal. Epiſc. Cadurc. tom.* 2. *p.* 460. *Morerius*.

DESIDERIUS, Abbas Montis Caſſini. Vide *Victor* III.

DESIDERIUS Eraſmus Roterodamus, à ſolo natali: *Varro ſui ſeculi & Cicero Germaniæ*, Jovio: *Alterum orbis jubar, maximumque rei literariæ decus*, Giſanio: *Ingenioſus vett. Scriptorum cenſor*, Lud. Viv. *Vir ubique magnus*, Aliis dicitur. Contra *inter Latinos aliquando Germanus*, Giraldo *de Poet. ſui temporis*, videtur Haleſ. verò *notis in Chryſ. ad Hebr.* acumen & certitudinem ejus cenſuræ, quam in Latinis præſtitit, in Græcis deſiderat. In religionis negotio his *Deſiderium*, illis *Eraſmum* eſſe voluiſſe, queritur Jac. Verheid. Imo Eduard. Leigh, *Res & verba*, inquit, *Philippus*, *Res ſine verbis Lutherus*, *verba ſine re Eraſmus*: In quo judiciorum æſtu, quid de Viro, omnium ſuffragiis maximo, ſentiendum, ut ipſe noris, adi ipſiuſmet Deſiderii hujus ſcripta, & vide quæ infra addentur in voce *Eraſmus*.

DESIDERIUS Lombardus, paupertatis votum, tanquam inutile & illicitum, rejecit. Sec. 13. Genebr. *in Clemente* 4.

DESIDERIUS Spretus, Ravennas, patriæ ſuæ hiſtoriam condidit. Contemporaneus Leandri Alberti. Vide hunc *de ſcr. Ital. p.* 310. *edit. Ven.* An. 1581.

DESIDIATES & DESITIATES, Liburniæ pop. in conventu Narbonenſi, Plin. *l.* 3. *c.* 22. Δαισιτιᾶται Strab. *l.* 7. Ubi ait, Batonem quendam Deſitiadarum ducem fuiſſe. Fortè verò Batonem eum intelligit, de quo Dio *l.* 55. multa narrat & appellat Dyſidiatum, ἐνάγοντα, ait αὐτοὺς ὅτι μάλιστα Βάτωνος τοῦ Δυσιδιάτου. *Nit. Lloydius.*

DESIGNATORES, apud Romanos dicti ſunt, qui conſtituendæ funebri pompæ præerant, unicuique incedendi locum ordinemque præſcribentes, Sext. Pompejus. Sic *Deſignator*, in *l. Athl. in princ. ff. de his, qui not. infam.* illum ſignificat, qui decernit ac diſponit loca ſedentium: hodie *Ceremoniarum Magiſter*; Carolo Macro *in Hierolex.* Vide quoque Corraſ. *Miſcellan. l.* 4. *c.* 24. & infra *Occanus*. Præerant nempe hi cuicunque pompæ, & locum ordinemque incedendi, ſedendique deſignabant. Plaut. *in Prolog. Pœnuli v.* 19.

Neu Diſſignator *præter os obambulet*,
Neu ſeſſum ducat, dum Hiſtrio in ſcena ſiet.

Horat. *l.* 1. *Ep.* 7. *v.* 5.

------ ------ *Dum ficus prima, calorque*
Deſignatorem *decorat lictoribus atris.*

DESPONSATIO, vide infrà *Nuptialis annulus*.

DESILI, Thraciæ pop. *Steph.*

DESITIATES, pop. Illyrici fuère, in Dalm. Sanſoni. Vide *Deſidiates*.

DESLAN & DESSAU, nomen Caſtelli, 2. Mach. *c.* 14. *v.* 16. Aliis *Doſſura*.

DESMONIA, vulgò *Deſmound Countie*, prov. Hibern. in Momonia reg. in Auſtr. maximè extenſa. Habet ab Occid. Oceanum, & à Mer. ab Ort. Corcagienſem Comit. à Sept. Kerrienſem Com. Ibi aliàs *Iverni* pop.

DESPAUTERIUS Joh. celebris Grammaticus præteriti ſeculi, Linguam Lat. plurimis egregiis ſcriptis illuſtravit. Circa A.C. 1539. Trithem. 2. *add. Chron.* Vide & *Johannes*.

DESPERATI, vide ſuprà *Confectores*. Hinc appellatio per convitium, ad Chriſtianos tranſlata à Gentilibus. Lactantius *l.* 5. *c.* 9. *In eos vero totis carnificinæ ſuæ viribus velut ſanguinem ſitiant, incumbunt & deſperatos vocent, quia corpori ſuo minime parcunt: quaſi quicquam deſperatius eſſe poſſit, quam torquere ac dilaniare eum, quem ſcias eſſe innocentem. Adeo nec pudor ullus apud eos ſupereſt, à quibus abeſt omnis humanitas: & retorquent in homines juſtos convitia ſibi congruentia.* Nempe, quòd Chriſtiani cùm quiete vivere & liberè ſine noxa abire negato Chriſto poterant, torqueri & mori maluerint, *ſtultos* & *deſperatos* Gentilibus vocari ſolitos fuiſſe, Origenes quoque *c. Celſum l.* 7. & Tertull. *Apologet. c.* 50. ubi Deſid. Heraldum vide, notant.

DESPOSYNI, qui juxta carnem Chriſto cognati, apud Euſeb. *Hiſt. Eccl. l.* 1. *c.* 7.

DESPOTES ſeu DESPOTUS, dignitas maximæ æſtimationis in Aula CP. ex Græco Δεσπότης, *Dominus*; quâ donatos præſertim Imperatorum filios & conſanguineos, ex Scriptoribus Byzantinis diſcimus. Joh. Laſcaris dignitatem hanc Regiæ æqualem, Imperatoriæ proximam fuiſſe, docet. Poſtquam enim vox Βασιλεὺς, quâ olim Reges deſignabantur, Imperatorum Græcorum propria eſſe cœpit; nomen *Deſpotæ* Regibus tributum in Græcia, qui poſt Imperatorem cœteris omnibus præferebantur, quemadmodum in Occid. poſt Imperator. nomen Regium præcellit. Hinc Cæſares Σεβαστοκράτορες aliàs ab Auguſto appellati, ſicque ad majorem dignitatem evecti, *Deſpotæ* dicti ſunt: quemadmodum, qui primus ex Palæologis Imperium occupavit, Joh. fratrem, quum is adverſùs Ætoliæ ſeu Acarnaniæ *Deſpotem* ſtrenuè ſe geſſiſſet, eadem dignitate ornavit, ne Duci hoſtium inferiorem dignitate Ducem opponeret, ratus optimè dictum, *ad deſtruendum Regem altero Rege opus eſſe*. Inprimis autem, uti dictum, Imperatorum filii hoc titulo, inſignibuſque, nulli alii Principi conceſſis, ornabantur; Aliquando tamen extranei quoque Principes, cum quibus vel affinitas vel fœdus initum, uti de Serviæ ſeu Triballorum Exarchis legimus. Alloquentes *Deſpotam*: ἡ βασιλεία σου, eum compellabant; ſicut uxorem ejus Βασίλισσαν: ipſe verò *Deſpotes* Imperatoris uxorem Δεσποίνας appellatione ſalutabat. Poteſtatem Deſpotarum quod attinet, Regna eorum in Græcia duo fuère, Peloponneſi; quæ nunc *Morea*, & Ætoliæ pariter ac Acarnaniæ, cum circumjacentibus Inſulis; quorum illud non niſi à filio fratreve Imperatoris tenebatur: iſtud hodieque *Deſpotatus* peculiari nomine appellatur. Hactenus Laſcaris præfatus ad Card. de Aragonia in *MS.* Latini Latini Viterbienſis, quod *Hierolexico* ſuo inſeruère Macri Fratres. Sed & ipſos Impp. hanc appellationem ambiiſſe, ex nummis eorum diſcimus, in quibus non Βασιλέως, ſeu Δεσπότου, titulum deſcribi curarunt, ut potiſſimùm obſervare eſt, in Alexii & Manuelis Comnenorum nummis aureis. Habetur enim quidem aureus Nicephori & Stauracii, in cujus altera facie ipſe Nicephorus, cum *Inſcr.* NIKH-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ΦΟΡΟC BASILEU, in averſa verò Stauracius, cum lemmate STAURACIb DESPOT. unde eâ ætate Δεσπότη appellatio, Βασιλέως; ſeu Imperatoris nomine, inferior fuiſſe colligitur: Subſequentes tamen Impp. aliquot, ſe ipſos Δεσπότας in nummis inſcripſêre, Conſtantinus vel Michaël Ducas, Nicephorus Botaniates, Romanus Diogenes, Alexius, Joh. & Manuel Comneni, Iſaac. Angel. Alexius Angel. quique pòſt imperarunt Auguſti qui hacce nomenclaturâ à ſubditis vulgò etiam compellabantur, cum adjectione Sanctitatis hoc modo, Δεσπότα μου ἅγιε. Vide Car. du Freſne *de Inferioris ævi Numiſm. n.* 35. & *Notis ad Cinnam. p.* 468. ubi titulum hunc, in locum *Domini*, Latino idiomate exoleſcente, invectum & proprium primò Imperatorum; inde honoris causâ cum affinibus proximioribus communicatum (quod à Michaële Duca primùm Avunculo factum) tandem in Palatii præcipuam dignitatem, de qua retro dictum, migraſſe, tradit: de qua ſententia quid judicandum, ex dictis non obſcurè colligas. *Raſciæ Deſpotam* idem habet, ex *Decretis* Alberti Hung. Regis A. C. 1439. in *Gloſſar.* De primo *Deſpotæ*. Vide infrà in voce *Umbella*. Hinc Δεσποτικὰ in formula jurisjur. *Novell. Juſtiniani* 8. quà voce deſignantur pecuniæ, quæ ab Impp. cùm honores deferebant, accipiebantur, ut videbimus infrà in voce *Suffragium*.

DESPUERE, apud Minuc. Fel. *in Octavio*, *Deos deſpuunt, rident ſacra*, Chriſtiani ſc. de quibus Cæcilio ibi ſermo; extremi contemptus ſignum eſt, uti diximus ſupra in verbo *Conſpuere*.

DESSAVIA, opp. munitum, Anhaltini Princ. caput, ad Albim fluv. Ibi recipit Multam, medium inter Vittebergam ad Ort. & Magdeburgum ad Bor. 4. leuc. à Bernaburgo in Ort. Arcem habet nobilem. Hic Mansfeldius, ab Alberto Wallenſtenio victus eſt, A. C. 1625. &c. *Deſſavienſem* lineam, diviſione factâ, orſus eſt Joh. Georgius (filius Joachimi Erneſti, qui unus poſt plura ſecula totius principatus poſſeſſor fuerat, & mortuus eſt A. C. 1586.) De lite ejus, cum Saxonibus Vide Thuan. *l.* 130. Ei ſucceſſit Joh. Caſimir. pater ex Agnete Haſſiaca Joh. Georgii, qui natus A. C. 1627. Brandeburgico Electori gratus, ejuſque Vicarius, Henr. Catharinam Arauſionenſem conjugem habet, ditioneſque poſt patrem regit. Reliqui quatuor Joachimi Erneſti filii, Bernburgicam, Plæzkenſem, Serveſtanam & Cöthenſem lineas orſi ſunt vide Philipp. Jac. Spener. *Syllog.*

DESSOBRICA, urbs inter Aſturicam & Tarraconem. *Anton.*

DESTICO, inſ. exigua Thraciæ adjacens, non procul à Cherſoneſo. Plin *l.* 4. *c.* 12.

DESTINARE, digito, apud Tertull. de *Pallio*, Græcè δακτυλοδεικτεῖν, contumeliæ genus, de quo vide infrà *Manuum geſticulatio*.

DESUDABA, Medicæ reg. urbs *Liv. l.* 44. *c.* 26.

DESULTORES, Gr. μεταβάται, dicti olim qui ex equo in equum tranſiliebant, non ſine arte: Origo à barbaris gentibus, quibus in bellis equorum mutatio probata, ut uno equo feſſo aut ſudante in alium ſiccum validumque celeriter tranſire poſſent. Tales Scythas fuiſſe, docet Amm. Marcell. *l.* 22. Indos Herod. *l.* 7. Numidas Strab. & ante illum Liv. *l.* 23. *c.* 29. ubi *nec omnes Numidæ*, inquit, *in dextro locati cornu, ſed quibus deſultorum in modum binos trahentibus equos inter acerrimam ſæpe pugnam in recentem equum ex feſſo armatis tranſſultare mos erat*. Uſus eorum apud Romanos in curulibus & Circenſibus ſtadiis, ubi non quadrigæ ſolùm, ſed & *Deſultores*, qui uno tantùm equo uterentur, certare ſolebant. Liv. *Dec.* 5. *l.* 4. *Semel quadrigis, ſemel deſultorio miſſo*. Horum officium deſcripſit Hyginus *l. de fabulis c.* 80. *Unde etiam Romani ſervant inſtituta*, cùm Deſultorem *mittunt: Unus duos equos habet, pileum in capite, ex equo in equum tranſilit*: cui ſuffragatur Iſid. *l.* 18. *c.* 39. Deſultor, *cùm ad finem curſus veniſſet, deſiliebat, & ex equo in equum tranſiliebat*. Vide quoque Suet. *in Cæſare c.* 29. Varron. *de Re Ruſt. l.* 2. *c.* 7. Cic. Orat. *pro L. Muræna* &c. Manil. *Aſtronomic. l.* 5.

> *Nec non alterno* Deſultor *ſidere dorſo*
> *Quadrupedum & ſtabiles poterit defigere plantas,*
> *Per quos vadit equos, ludet per terga volantum,*
> *Aut ſolo vectatur equo, nunc arma movebit.*
> *Nunc licet in longo, per curſus, præmia Circo,*
> *Quidquid de tali ſtudio formatur, habebit.*

Propert. *l.* 4. *eleg.* 2. *v.* 35.

> *Eſt etiam aurigæ ſpecies Vertumnus, & ejus*
> *Trajicit alterno qui leve pondus equo.*

Græcè ἵππον κέλητα ἐλαύνειν, *equum deſultorium agitare* dicunt, Interpreti Artemidori *Oneirocritic. l.* 1. qua de re vide ſuprà in voce *Celes*; item infrà in voce *Pararius*, it. *Singulator*, & ubi de *Sarmatico Ludo*. Eorundem, ut & gladiatorum, porrò in funebribus ludis uſus erat. Feſt. Pomp. *l.* 17. *Simpludiaria funera ſunt, quibus adhibebantur D. T. ludi corbitoreſque quidam ea dixêrunt eſſe, quibus neutrum genus intereſſet ludorum. Nam Indictiva ſunt, quibus adhibebantur non ludi modò, ſed etiam* Deſultores, *quæ ſunt ampliſſima* &c. Neque verò binos ſolùm, ſed & quaternos & ſenos tranſire aut tranſilire nonnunquam dicebantur, ut de Teutobocho legimus, apud Flor. Hom. *Deſultoris* meminit, qui quaternos tranſiliret. *Il.* δ. quod difficile admodum eſſe, notat Euſtath. Hinc *Vertumnus*, à vertendis alternandiſque equis, Propertio iſtiuſmodi *Deſultor* dictus eſt, ut vidimus. In quo equeſtri ludo, quia Sarmatæ præcellebant, *Sarmatici* nomen accepiſſe videtur, ut notat Salmaſ. *ad Vopiſcum in Carino*; ubi de *Deſultoribus* quoque, qui in Circô olim exhibebantur, ut miſſus nuntiarent, varia addit ex Caſſiod. *Variar. l.* 3. *Ep.* 51. Hygin. Iſid. Aliis. Hinc *Deſultorium ingenium* Prov. pro inconſtanti & in horas mutabili. Vide Thom. Dempſt. *Paralipomena in Roſini l.* 5. *Antiqq. Rom. c.* 24.

DESUVIARII, Galliæ Narbon. pop. Plin. *l.* 3. *c.* 4.

DETRIANUS, Architectus inſignis, apud Spartian. *in Hadr.* Vide ſuprà *Dentrianus*.

DETMOLDIA Linea, illuſtris Comitum Lippienſium in Germania Familiæ eſt; Ex hac enim qui nunc ſuperſunt, omnes à Simone, A. C. 1614. mortuo ſati ſunt. Nam ab hujus filiis, Simone, linea *Detmoldia*, Ottone, *Brakenſis*; demum Philippo, *Backenburgica*, deſcendit. Natus hic Simon Patri, ex Eliſabetha Schauenburgica, genuit ex Anna Catharina Naſſovia Hermann. Adolph. cum fratribus ſororibuſque illius: qui ex Erneſtina Iſenburgica, ſuſcepit Simon. Henric. (*nat.* A. C. 1648. ux. Amelia Burggravia *de Dhona*,) Mariam Magdalenam, Sophiam & Johannam, Comites Lippæ *in Detmold.* Sed & *Detmoldii* rami ſurculus Biſterfeldius eſt. Eodem enim Simone præfato, Simonis filio, ex Maria Magdalena Waldeccia, geniti ſunt Jodoc. Hermann. (ux. Eliſabetha Juliana Sayno Witgenſtenia) & Sophia Eleonora (quæ nupſit Georgio Vilhelmo Com. Leiningenſi *in Weſterburg* &c.) qui *Comites Lippiæ lineæ Detmoldiæ in Biſterfeld* dicuntur. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatro Nobil. Eur. tom. I. p.* 22. & *tom. III. p.* 31. & 84. ut & *Artis Heraldicæ Parte poſter.*

DETRAHENDI clypeos imagineſque damnatorum, mos priſcus indigitatur Suet. *Domit. c.* 23. *Contrà Senatus adeò lætatus eſt* (morte Domitiani) *ut ſcalas etiam inferri, clypeoſque & imagines ejus coràm* detrahi *& ibidem ſolo affligi juberet* &c. Nempe clypei & imagines dedicabantur ſublimes, ut cuilibet notum, quæ proin in ignominiæ notam *detrahebantur* ſcalis admotis ac refigebantur, ut hîc clypeis ac imaginibus Domitiani, quæ in Curia erant, factum. Sic Juſtin. *l.* 38. *c.* 8. ſub calcem *tunc populus Alexandrinus ſtatuas & imagines ejus detrahit*. Et inter Senatus acclamationes, extincto Commodo, fuit hæc, *Gladiatoris ſtatuæ detrahantur*. Vide Caſaub. *ad Suet. l. cit.* uti de *Detractione*, inter exercitationes Vett. infrà ubi de *Gymnaſtica*.

DETRUSIO in Monaſterium, qualis pœna, in Communione Rom. vide infrà *Relegatio*.

DETUNDA, Turdulorum in Bætica opp. *Ptol.*

DEVA, vulgò *Cheſter*, urbs ampla Cornaviorum, in Anglia. emporium eſt celebre, ad æſtuarium Devæ fluv. in limite Vualliæ Bor. Cum portu commodo. Urbs ipſa quadrata, caſtrum habet munitum; 14. mill. Angl. ab ora maris Hibern. in Auſtr.

DEVA, fluv. Hiſp. Tarr. per Vardulos in Ocean. Cantabr. ad opp. cognom. fluens.

DEVA, fluv. Albionis, per Walliam in Bor. fluens, *Dyfy* Lhuydo, Britannicè: *Dea* vel *Dee* Angl. mari exceptus ad Ceſtriam Urbem.

DEVADÆ, inſ. Arab. Fel. in Indico mari. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

DEVANA, Ptol. urbs Angliæ, hodiè *Cheſter*. vide *Deva*.

DEVANA, Incolis *Aberdeen*, urbs aliàs Verniconum pop. in Albione ulter. nunc Scotiæ, in Marria prov. ad oſtia Divæ fluv. Camd. etiam *Divana*. Vide *Aberdonia*.

DEUCALEDONIUS Ocean. mare Caledonium, Scotiam alluens. Δουηκαληδόνιος m. *Seldeni*.

DEUCALIONES fuêre quatuor. Unus, Minois fil. de quo Pherecydes, pater Idomenei, Homerico carmine inclyti. Alter, de quo Hellanicus. Tertius Abantis fil. de quo Ariſtippus *in Arcadicis*. Quartus, omnium antiquiſſimus ex Prometheo Japeti F. & Pandora natus, ut ſcribit Heſiod.: qui primus, Apollon. teſte, Urbes condidit, & ædes Deorum conſtruxit, primuſque omnium mortalium regnavit. Huic adulto Epimetheus patruus Pyrrham filiam conjugio junxit, è quo Hellen genitus, Dori pater, Tectami Cretæ Regis avus. Hic cùm apud Teſſalos regnaret, ingens diluvium univerſum terrarum orbem inundavit, genuſque humanum ad internecionem delevit, Deucalione tantùm & Pyrrhâ ſervatis, qui in Parnaſſum montem naviculâ delati, ubi primùm aquæ deceſſiſſent. Themidis oraculum conſuluêrunt, quanam ratione genus humanum poſſet reparari, acceptoque reſponſo, ut magnæ matris oſſa poſt terga projicerent, lectos humi lapides (eos enim magnæ matris, h. e., terræ oſſa interpretabantur) poſt terga jactabant: qui protinus naturali poſita duritie, in utriuſque ſexûs homines ſunt commutati. Ovid. *l.* 1. *Met. v.* 318. & *ſeqq.*

> *Hîc ubi Deucalion (nan cætera texerat æquor.)*
> *Cum conſorte tori parvâ rate vectus adhæſit;*
> *Corycidas Nymphas, & numina montis adorant,*
> *Fatidicamque Themin;*

Idem. *Ep.* xv. *v.* 167.

> *Hinc ſe Deucalion Pyrrhæ ſuccenſus amore*
> *Miſit, & illæſo corpore preſſit aquas*
> *Nec mora: verſus Amor tetigit lentiſſima Pyrrhæ*
> *Pectora; Deucalion igne levatus erat*
> *Hanc legem locus ille tenet. pete protinùs altam*
> *Leucada; nec ſaxa diſſiluiſſe time.*

Virgil. *l.* 1. Geogr. *v.* 61. & *ſeqq.*

> ——— *Quo tempore primùm*
> *Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem;*
> *Unde homines nati, durum genus.*

Juven. *l.* 1. *Sat.* 1. *v.* 81.

> *Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor*
> *Navigio montem aſcendit, ſorteiſque popoſcit,*
> *Paulatimque animâ caluerunt mollia ſaxa,*
> *Et maribus nudas oſtendit Pyrrha puellas:*

Inde *Deucalionei imbres*, pro ingentibus. Lucan. *l.* 1. *v.* 648.

> *Deucalionæos fudiſſet Aquarius imbres.*

Porrò reparatio hominum adſcribitur Deucalioni, nempe quòd Gentes ab eo edoctæ retinuerint memoriam diluvii. At hæc fabula Poëtica, ſub verborum, & nominum involucris veram univerſalis diluvii à Moſe Dei ſervo deſcriptam hiſtoriam propoſuit; & artibus Satanæ factum eſt, ut quæcunque in ſacra hiſtoria occurrerent,

Ethni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Ethnicorum figmentis in fabellas verterentur. Apud Lucian. *libello, de dea Syria*, extat locus, ex quo manifeſtum eſt, per Diluvium Deucalionis, intelligi non inundationem illam, quâ olim Græcia abſorpta eſt, ſed diluvium univerſale, quod fuit Noæ temporibus. Quin etiam Plutarch. *de Animalium Induſtria* ſcribit, columbam in arca Deucalionis emiſſam attuliſſe indicium recedentis diluvii. Noë dictus Δευκαλίων, quod ante diluvium prophetabat hominibus dicens, Δεῦτε, καλεῖ ὑμᾶς ὁ Θεὸς εἰς μετάνοιαν. Theophil. *l.* 3. *ad Autolycum*. Cæterum hoc diluvium, quod illuſtris eſt Epocha, auctor quidam vetus, apud Clem. 1. *Strom.* accidiſſe ait, A. 330. ante captam Trojam, adeoque A. M. 2540. A.N.C. 1514. poſt diluvium Noachi A.884. poſt Ogygium A.248. A.4. ante exitum Iſraëlitarum, ex Ægypto, Anno 77. Moſis, A.44. regni Cecropis. Qui epochas Chronol. Euſebii ſequuntur, adſcribunt illud A. M. 2530. Hieron. *in Chron.* Cyrill. *l.* 1. *c. Jul.* Aug. *de C. D. l.* 18. *c.* 10. ſub Cecrope contigiſſe aſſerunt. Varro in Cranai ſucceſſoris tempora refert. Georg. Syncell. Cedren. &c. ſimiliter incerti hærent. Ubbo Emm. *Vet. Gr. l.* 1. ad 349. An. ante Trojam captam rejicit. Marm. Arundel. à Seld. publicata, hanc Epocham Ann. 16. anticipant. P. Oroſ. æquo recentius facit. Petav. *P.* 2. *l.* 2. *c.* 9. *rat. Temp. & in Chron.* Ricciol. *Reform. Chr. tom.* 1. *l.* 3. *n.* 6. *p.* 125. Nic. Lloydius. Porrò de hoc diluvio vide Apollod. *l.* 1. Diod. *l.* 4. Strab. *l.* 9. Pauſ. *Att.* & Cononem, apud Phot. *Cod.* 186. *narr.* 27.

DEUCALION Pellæus, unus ex Argonautis; Deucalioni ſimilimus, ut dignoſci non potuerit. Val. Flacc. Argon. *l.* 1. *v.* 366. Hypſonis. fil.

Tænaron Euphemus: mollique a Littore Pellæ
Deucalion certus jaculis; & comminus enſe
Nobilis Amphion pariter quod edidit Hypſo.

DEUDORIX; Bætoritis fil. magni apud Cheruſcos nominis, ductus intes cæteros captivos Germanico juniori clariſſimum triumphum præbuit. Strab. *l.*

DEVELTUM & DEULTUM Ptolemæo Δεϐελτὸς Κολωνία, opp. Thraciæ Mediterraneum, Lacum habens ejuſdem nominis. Plin. *l.* 4. *c.* 11.

DEVERRA, Dea ab antiquis putata eſt, quam venerabantur, ut ſcopis domum verrere poſſent.

DEVIA, vulgò *Bladnoch*, Albionis fluv. in Scotia, ad Leucopibiam opp. in mare labens, ad Occ. *Ferr.*

DEVINCIRE, verbum Magicum, vide ſuprà *Defigere*, & infrà ubi *de Devovendi ritu.*

DEVIUM Scortum, apud Horat. *Carm. l.* 2. *ode* XI. *v.* 21.

Quis devium ſcortum eliciet domo
Lyden?

Vide ſuprà in voce *Catacliſtus*, inſuperque Barth. *ad Stat. tom. II. p.* 1273. & *III. p.* 1091. *l.* IV. *Theb. v.* 797.

—— & opaca virentibus umbris
Devia pars cingant, pars arcta plebe ſequantur;

l. IX. *theb. v.* 804.

In latus atque avidam tranſmiſit devius haſtam.

DEUNANA, Albionis urbs in Cornaviis. Ptol. vulgò *Doncaſter*, teſte Villanovano.

DEUNX, apud Mart. *l.* 6. *Epigr.* 78. cujus Epigraphe ad Aulam de luſco.

Miſceri ſibi protinus deunces,
Sed crebros jubet ——

Scyphus eſt undecim cyathorum capax: ſicut *ſextans*, duorum cyathorum, apud eundem *l.* 12. *Epigr.* 28. cujus epigraphe in Cinnam,

Poto ego ſextantes, tu potas, Binna deunces.
Et quereris, quod non Cinna, bibamus idem.

metaphorâ ab aſſis partibus deſumptâ, *deunx* enim propriè aſſis eſt demptâ unciâ, ſeu undecim unciæ. Vide ſuprà ubi de *Aſſe*, & ratione Veterum *Bibendi.*

DEVONA, Germ. urbs. *Newmark* Pet. *Apiano.*

DEVONIA, reg. & Comitatus Angliæ, vulgò *Devonshire* inter Somerſetenſem agrum, & Cornubiam. Baudr. in parte mer. Angliæ, inter Cornubiam ad Occid. & Dorſetiam ad Ort. Ubi aliàs pars Occid. Damnoniorum. Ejus præcipua Urbs eſt Exonia, verſus oram Oceani Brit.

DEVORARI à piſcibus, pro infortunio inſigni multis Auctoribus habitum, de quo vide notata Paſſerat. & Gebhard. *ad Propert. l.* 3. *Eleg.* 6. nec non infrà, ubi de *Naufragio*. A terra autem *devorari*, ſumma execrationum, aut infelicium votorum fuit. Dido apud Virgil. *Æneid. l.* 4. *v.* 24. *& ſeqq.*

Sed mihi vel tellus optem priùs ima dehiſcat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentes umbras Erebi noctemque profundam,
Antè pudor quàm te violem, ——

Vide Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat: Theb. l.* 9. *v.* 860.

—— cupit hiſcere ripam.
Strymonos, & trepidas in pectora contrahat alas.

Cujuſmodi pænam divinitus inflictam legimus Koracho, Dathani & Abiramo, qui contra Moyſen inſurrexerant, Num. *c.* 16. *v.* 31. *Fuit quum abſolveret eloqui omnia verba hæc, ut finderetur humus, quæ ſuberat illis; v.* 32. *& aperiens terra os ſuum abſorberet eos & domos eorum.* Quo pacto illos *vivos in ſepulchrum deſcendiſſe*, dicitur *v.* 33.

DEVOTA, apud medii ævi Scriptores, fœmina ſeu virgo, quæ caſtitatem Deo vovit. Hodie Monialis, apud Macr. *Hierolexico.* Vocis origo ex veteri ævo, quo *devoti* dicebantur, qui debitam *devotionem* Majeſtati Imperatorum præſtarent: unde in vett. Saxis, *Numini Majeſtatique ejus devotus*, Græcè ἀφοσιωθεὶς quod qui facere detrectarent, *indevoti* & læſæ Majeſtatis rei dicebantur, Græcè ἀκαθοσίωτοι, Salmaſ. *ad Trebell. Pollion. in Gallienis.* Vide quoque infrà *Majeſtas*. Imò jam antea, & quidem propriè *Devoti* milites dicti: ut qui ſe devoverent, ſeque totos Reip. ac poſtmodum Cæſari conſecrarent. Quare illi apud Dionem *l.* 53. οἱ καθωσιωμένοι, & *devotio militis* tam frequens, in Cypriani Scriptis; quam in rem vide infrà aliquid voce *Sacramentum*, plura apud Deſid. Heraldum *ad Arnob. l.* 3. De *devotione verò devotiſque* varii generis, apud Hebræos, vide Joh. Selden. *de Jure. N. & Gent. juxta diſciplinam Hebr.* & ſuprà ubi de *Anathemate* &c. Ita *Devotiſſimus*, καθοσιωμένος, titulus honorarius, conceſſus *Domeſticis & Protectoribus*, *in leg.* 6. 8. 9. Cod. Theod. *hoc tit.* Item *de Agentibus in rebus*, *Collat.* Carthagin. A. C. 411. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* *Silentiarii* quoque, vide infrà.

DEVOVENDI ſe ritus, apud vett. Romanos, talis erat: Cùm periculum aliquod imminere videbatur, & Auſpices nuntiabant, Deos placatos non eſſe, tum unus aliquis ex Romanis ſeſe pro exercitu ſuo & ſimul exercitum hoſtium *devovebat*. Licebat autem, Conſuli Dictatorique & Prætori devovere legiones hoſtium & ſe vel alium quem vellet, ex legione Romana ſcripta, civem. Liv. *l.* 8. *c.* 10. *Si is, qui devotus eſſet, moreretur, tum probè factum videbatur: ni moreretur, ſignum ſeptem pedes altum aut majus in terram defodi & piaculum hoſtiâ cædi oportebat: neque ubi illud ſignum defoſſum eſſet, eo Magiſtratum Rom. deſcendere fas erat. Qui vero ſeſe devovere volebat, niſi moreretur, neque ſuum, neque publicum divinum jure facere poterat: qui ſeſe devoverit. Vulcano arma, ſive cui alii Divo devovere volet, ſive hoſtia, ſive quo alio volet, jus eſto. Telo, ſuper quod ſtans Coſ. precatus eſt, hoſtem potiri, fas non eſt: ſi potiatur Marti ſuovetaurilibus piaculum fieri.* Ratio cerimoniæ & & verborum formula ex eodem. ubi de Decio Coſ. loquitur, hæc: ibid. c. 9: *In hac trepidatione, Decius Coſ. M. Valerium magna voce inclamat: Deorum*, inquit, *ope, Valeri opus eſt, agedum Pontifex publicus populi Rom. præi verba, quibus me pro legionibus devoveam. Pontifex eum togam prætextam ſumere juſſit, & velato capite manu ſubter togam ad mentum exertâ, ſuper telum ſubjectum pedibus ſtantem, ſic dicere: Jane, Jupiter, Mars Pater, Quirine, Bellona, Lares, Divi Novenſiles, Dii Indigetes, Divi, quorum eſt poteſtas noſtrorum hoſtiumque, Diique Manes vos precor, veneror, veniam peto feroque, uti Populo Rom. Quiritium vim victoriamque proſperetis: hoſteſque Populi Romani Quiritium terrore, formidine morteque afficiatis. Sicut verbis nuncupavi, ita pro Republica Quiritium exercitu, legionibus, auxiliis Pop. Romani Quiritium, legiones auxiliaque hoſtium,* mecum, Diis *Manibus Tellurique devoveo. Hæc ita precatus, lictores ire ad T. Manlium jubet: matureque collegæ ſe devotum pro exercitu nunciare. Ipſe incinctus cinctu Gabino, armatus in equum inſiluit, ac ſe in medios hoſtes immiſit.* (dicebantur autem in ſacris *velati*, cùm *caput cinctum licio laneo* habebant. Varro *de Ling. Lat l.* 4.) vide quoque Flor. *l.* 1. *c.* 14. *Alter quaſi monitu Deorum capite velato primam ante aciem Diis manibus ſe devoverit.* ubi notat Salmaſ. ex Liv. Deorum monitu id factum, cùm utrique Conſuli viſa ſpecies viri ſupra humanum habitum denuntiantis, ex una acie exercitum, ex altera Imperatorem Diis Manibus Terræque deberi Patris exemplum poſtea filius imitatus eſt itidem Conſul, pugnâ in agro Sentinate in Hetruria commiſſâ, ut victoriam exercitui ſuo damno lucraretur, Liv. *l.* 10. *c.* 28. *P. Decius ad Veſerim bello* Latino ſe juſſerat *devoveri*. & Florus *l.* 1. *c.* 17. *more patrio devotum Diis manibus obtulit caput.* quem, quòd *intra Ciminios ſaltus* id contigiſſe referat, in tanta eruditionis luce, talia in hiſtoria Rom. peccare potuiſſe, ſtupet Salmaſ. Idem multis pòſt ſeculis feciſſe Claudius Imp. legitur apud Victor. *de Cæſaribus*, *c.* 34. vide Dreſſer. *in Milien. IV. p.* 450. Etiam Urbes exercituſque hoſtiles, poſt ritè evocatos Urbium gentiumque Deos; devoviſſe ſolitos eſſe Romanos, narrant Hiſtoriæ; Formula hæc: *Dis pater ſive Jovis manes, ſive quo alio nomine fas eſt nominare, ut omnes illam urbem* (Carthaginem) *exercitumque, quem ego me ſentio dicere fugâ, formidine, terrore compleatis, quique adverſus legiones exercitumque noſtrum arma, telaque ferent, uti vos eos exercitus, eos hoſtes, eoſque homines, urbes agroſque eorum & qui in his locis, regionibuſque, agris urbibuſque habitant, abducatis, lumine ſupero privetis: exercitumque hoſtium, urbes agroſque eorum, quos me ſentio dicere, uti vos eas urbes, agroſque, capita ætateſque eorum devotas, conſecrataſque habeatis, illis legibus, quibus quandoque ſunt maximè hoſtes devoti: eoſque ego vicarios pro me fide Magiſtratuque meo & populo Rom. exercitibus legionibuſque noſtris do, devoveo: ut me, meamque fidem, Imperiumque legiones exercitumque noſtrum, qui in his rebus gerundis ſunt, bene ſalvos ſinatis eſſe. Si hæc ita faxitis, ut ego ſciam ſentiam intelligamque: tum quiſquis votum hoc faxit, rectè factum eſto, ovibus atris tribus Tellus Materque teque Jupiter obteſtor.* Hæc fatus, cùm Tellurem dicebat, manibus terram tangebat, cùm Jovem, manus ad cœlum tollebat: cùm votum recipere dixit, manibus pectus tangere ſolitus erat, Macrob. *Saturnal. l.* 3. *c.* 9. *ex l.* 5. *Rer. reconditarum Sammonici Sereni.* Inveniuntur autem hæc Oppida *devota*, Stonii, Fregelli, Gabii, Veji, Fidenæ, Carthago & Corinthus. Multos quoque exercitus, oppidaque hoſtium, Gallorum, Hiſpanorum, Afrorum, Maurorum aliarumque gentium, hoc modo Diis Manibus devotos, priſci loquuntur Annales. De ritu verò *devovendi* ſe pro ſalute novi Principis, item pro ægris, vide Caſaub. *ad Suet. Caligulâ cap.* 14. & hîc paſſim. In genere autem *Devovere*, diris & imprecationibus defigere ac devincire eſt, ſive ſe, ſive alium. Qui enim *vota* facit ac ſe *devovet*, ligare ſe intelligitur. Sidon. *l.* 8. *Ep.* 6. *Ligant votis, ſolvunt victimis.* Sed & qui alium *devovent*, diris eum defigunt ac devinciunt. Quod & *obſecrare* dixêre; cujus contrarium *reſecrare*, quod eſt ſolvere obſecratione ac devotione liberare. Imò *devovere, defigere, obligare*, verba ſunt apud Vett. Magicæ artis propria; quæ incantationibus, deprecationibus, diris, herbis, faſcinationibus, animum ejus ac mentem, quem devovet, ita præpedit & extra ſe ponit, ut ſui officii meminiſſe amplius non poſſit, aut muniis naturalibus defungi. Unde *Devoti* appellati priſcis, qui maleficâ arte defixi ad conjugii munera obeunda inepti reddedantur, Salmaſ. *ad*

Solin

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Solin. p. 1087. *& ſeqq.* Sed ſanctior voci notio impoſita à Chriſtianis eſt, ut vidimus. De variis *devovendi* apud Judæos modis, vide ſuprà in voce *Anathema.*

DEURIOPUS, vel DEURIOPUM, reg. & opp. Macedoniæ. *Strab. Steph.*.

DEUS, laudandus ſuper omnia in ſecula. Ac *Dei* quidem laus ſemper in toto animo, univerſaque noſtra cogitatione verſari debet. Quidquid ſine Ejus communione facias, id verò factum ne putes. Quanto magis appellendus animus ad eas modulationes, quæ quantum illius complectuntur, tantum Ejus concipiunt Divinitatis: fiuntque illorum affines concentuum, qui cœleſtibus anfractibus atque rotationibus ſunt ab Opifice attributi. Dicitur autem Dei laudatio à Græcis ὕμνος, à Latinis *celebratio.* Unus igitur. Ille cùm ſit, idemque Trinus, vel ut ſolum canere, vel perſonas ſeorſim celebrare jus eſt homini Chriſtiano: additis verecundè proprietatibus Non ut diſputatores moroſi, ſed ut pii Poëtæ facere conſuevêre. Id quod poſt alios multos nos quoque conati ſumus. Namque in Deum Patrem hymnum cùm ſcriberemus: tanquam rerum omnium conditorem, ab orbis ipſius creatione ad nos noſtraque duximus. Deum verò Filium, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, tanquam humani generis Servatorem. In quo abduximus animum noſtrum à corporis carcere ad liberos campos contemplationis, quæ me in illum transformaret. Tum autem Sanctiſſimi Spiritus ineffabilis vigor ille tanto ardore celebratus eſt, ut, cùm leviſſimis numeris eſſet inchoatus hymnus, repentino divini ignis impetu conflagrarit. In Deo quidquid eſt, ipſemet eſt Deus: cognitionis autem noſtræ imbecillitate, horum inferiorum exemplo atque imagine, quaſi multa diſtinguuntur: Intellectus, à quo Voluntas; poſt quam Potentia. Verùm neque antè neque pòſt quicquam. Sed non ſolùm, verùm etiam unum. A' quo duo duxêrunt Veteres maxima rerum actionumque omnium principia, Naturam & Fortunam. Natura enim eſt, Potentia Dei: Fortuna verò Voluntas &c. Verba ſunt Jul. Cæſ. Scalig. *Poët. l. 3. c. 112.* Quid autem de ſe ſciri quove modo â nobis coli velit unicum hoc noſtrum σέβασμα, ex Verbo ejus petendum Rom. *c. 1. v. 16. eſt virtus dei in ſalutem omnium credentium in ipſum ſive ex Judæis primum ſive deinde ex gentilibus.*

DEUS Deorum inter Jani cognomina, vide infra.

DEUS Vult, clamor bellicus Peregrinorum Hieroſolymitanorum, ſeu omnium, qui in Bellis ſacris contra Saracenos, alioſque hoſtes militabant, Car. du Freſne *ad Joinvill. Diſſertat.* 11. Vide ſuprà, *Bellum Sacrum.*

DEUS-DEDIT, 66. Rom. Pontifex, A. 616. vide *Deodatus.*

DEUS-DEDIT, Rom Eccleſ Presbyter Cardin. ſcripſit, *de Privilegiis Rom. Sedis & Collectionem Canonum*, inſcriptam Victori III. Gerh. van Maſtricht *Hiſt. Juris Eccl. n.* 273.

DEUTERIA, uxor Theodeberti I. Metenſium Rex. ex eo mater Theobaldi, Auſtraſiæ Regis &c. filiam, ex priore marito ſuſceptam, ob formam ejùs Zelotypa, currui à quatuor indomitis equis raptato impoſitam Moſâ merſit. Quare à populo commotus Rex, illâ repudiatâ, Wiſſigradam, Lachonis Longob. Regis filiam, jam prius deſponſatam, duxit. Greg. Turon. *l. 3. c. 23. & 26.* Aimon. *l. 2.* vide & *Maria.*

DEUTERIARIUS, vide *Secundarius.*

DEUTERIUS, Ep. Arianus, Barbam quendam baptizaturus, In nomine patris, per Filium in Spir. S. aquam diſparuiſſe vidit. Sigebert. A. C. 504.

DEUTERONOMIUM, quintus Moſis liber. Hebræis *Ellehaddebarim*, quaſi recapitulatio Legis. Compoſitus A. M. 2583. & à Joſua 12. lapidibus inſculptus, qui ultimum caput adjeciſſe videtur. Alii hoc Eſræ aſcribunt. Auguſtin. *de Mir. Scr. l. 1. c. 35.* Sixtus Sen. *Bibl. l. 2.* In S. hunc librum extant: Auguſtin. Bugenhagii *Commentarii*, Octav. Baſileæ An. 1524. Ferus. Frantzii *Diſputationes*, Quart. Wirteb. An. 1608. Garardi *Comment.* Quart. Gregorius Nyſſ. *de vita Moſis*. Janſenii *Commentaria*, Quart. Loyanii An. 1641. Janſſonii *in c.* 32. Lorini *Com.* 2. Tom. fol. Lugd. An. 1622. Lutheri *Annotationes*. Macchabæi *Enarratio*. Octav. Lond. An. 1563. Mongeorgius. Paez. *in c.* 32. Pelargi *Comm.* Quart. Magdeb. Ann. 1609. 1622. Purmanni *Quæſtiones & Reſp.* Belgicè de Quiros. Roverii *Harmonia cum Com.* Siphre Hebr. Titelmanni *Elucidationes c.* 32. Wolfii *Sermones*, fol. Tig. An. 1585. Vide Crowæi *Elenchum.*

DEUTEROSEON Volumen, vide infrà *Miſna.*

DEWA, vulgò DEA, & DEE, fluv. Scotiæ merid. in Gallovidia prov. In mare Hibern. labitur, 16. mill. Angl. à Monæda Inſ. in Bor. totidem à Carbantorigo in Occ. 12. à Leucopibia in Ort.

DEXAMENE, pars Ambraciæ. Steph. Item una ex nymphis marinis, à δέχομαι, i. e. *recipiendo* dicta.

DEXARI, pop. Chaonum, Encheleis proximi. *Steph.*

DEXICRATES, Athenienſis, Poëta Comic. Fragmentum ex ejus *Extravagantibus*, Athen. & Suid. habent.

DEXICREONTIS, Venus dicta, à *Dexicreonte* circulatore, qui Samias mulieres luxu, petulantiâque perditas, ſacris quibuſdam piacularibus expiavit, vel potius à *Dexicreonte* nauclero, qui, cùm Veneris juſſu aquam tantam in navim impoſuiſſet, ut ex ea mercatoribus, nautiſque ſitientibus diſtractâ dives factus eſſet, Veneri ſtatuam grati animi indicem poſuit, quam à ſuo nomine *Dexicreontem* appellavit. Cæl. Rhodig. *l. 29. c.* 18.

DEXIMONTANI, Carmaniæ pop. dextram ripam Granii amnis accolentes. Plin. *l. 6. c.* 23.

DEXIPHANES, pater Soſtrati architecti. *Steph.*

DEXIPPUS, Herennius appellatus, orator Athenienſis, ſub Valerian, uſque ad Aurelianum. Nic. Lloyd. Sub Galieno & Probo, Eunap. *in vita Porphyrii.* Inſignis inſuper Philoſophus & Hiſtoricus. Scripſit 4. libb. de rebus poſt Alex. Mag. geſtis, epitomen uſque ad Claud. de Scythis, &c. Lampr. *in Severo.* Capitolin. *in Maximo jun. Galienis, Maximo & Balbino.* Pollio, Suid. Phot. *Bibl. Cod.* 82. Item alius Medicus Cous, Hippocratis diſcipulus, ſcripſit de Medicina librum unum & de Prognoſticis duos. A' Rege quodam rogatus, ut filios ſuos ægros curaret, parere noluit prius quam Rex promiſiſſet, ſe Dexippi patriam bello non infeſtaturum. *Suid.* Addo, de priore, quòd non Rhetor ſolùm & Hiſtoriarum Scriptor, ſed & Dux ſtrenuus erat; cujus ductu victos Gothos, cùm vaſtarent Achajam & Athenas petiſſent, narrat Pollio *in Gallienis* Ejus ſæpe meminit Georg. Monach. Excerpta quædam ex hiſtoriis illius in altero Tomo Πρεσβειῶν, quem poſtea edidit David Hoeſchel. laudat Caſaub. *ad Lamprid. in Sev.*

DEXITHEUS, Archon Athenis, Olymp. 98. An. 4.

DEXITHEUS, Citharœdus optimus & victor in Pythiis, cujus meminit Ariſtoph. *Acharnenſ. initio.* Scholia ibid. *p. 371. B.* notant ab aliis citharœdum frigidum haberi.

DEXTER, Coſ. collega Fuſci, A. U. C. 977.

DEXTER Flavius, Barcinonenſis hiſtoricus, qui omnimodam hiſtoriam ſcripſit, à Sophronio græcè verſam. Fil. Paciani, Ep. Barcinonenſis, Præfectus Prætorii, contemporaneus Prudentii, ſub Theodoſio Mag. Ei Hieronym. opus *de Scr. Eccl.* dedicavit. vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 2. c.* 10.

DEXTER Maximus, vide *ibi.*

DEXTRA, fidei ſymbolum: Certè in toto penè orbe ἔθος ἐπὶ πίστει καὶ συνθήκαις βεβαίως τὰς δεξιὰς διδόναι ἀλλήλοις, Schol. *in Ariſtoph. Nub.* Inprimus apud Perſas, quibus omni juramento fides dextrâ data fuit Sanctior. Diod. *l.* 16. Quos imitatus Alexander, apud Curt. *l. 6. c.* 20. An verò Reges præſentibus, quibus fidem ſuam obſtrictum ibant, *dextram dextrâ* jungerent, an veriùs *Dextræ* ſimulacrum donarent, ſic in eum uſum more gentis fabrefactum, non adeò liguet. Junxiſſe dextras dextris, cogitur ex Joſepho, ubi de Artabano. Quomodo v. abſentibus dextram dabant? num per eós, qui ad eam accipiendam miſſi? Stabilire hoc videtur Xenoph. *Cyropæd. l.* 6. δὸς δεξιάν, ἵνα φέρωμεν καὶ τοῖς ἄλλοις ταῦτα, ἅπερ ἂν αὐτοὶ λάβωμεν, ἀπὸ σοῦ. Et Polyæn. *l.* 7. Δεξιὰν αὐτοῖς ἔπεμψε νόμῳ Περσικῷ. Utroque verò clariùs Juſtin. *l. 11. c.* 15. *In quam rem unicum pignus fidei Regiæ* dextram *ſe ferendam Alexandro dare.* Vide Gebhard. *Not. ad C. Nepot. in Datame c.* 10. & Barth. *Adverſar. l. 52. c.* 14. & de phraſibus, *Renovare dextras*, Tac. *Ann. l. 2. c.* 58. *mittere dextras*, *Hiſt. l. 1. c.* 54. Proin illam Gentiles Deæ Fidei conſecrarunt; quemadmodum iidem caput Jovi, Neptuno pectus, frontem Genio, ſupercilia Junoni, oculos Cupidini, aurem Memoriæ, locum retro aurem *dextram* Nemeſi, dorſum & poſticas partes Plutoni, renes & inguina Veneri, pedes Mercurio, genua Miſericordiæ, talos plantaſque pedum Tethidi, digitos Minervæ, os Suadæ &c. deferre ſoliti ſunt, vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 2. c.* 19. Propriè tamen, non in vola manus, ſed in junctura, Fidei fuiſſe ſedem, Euſtat. docet. Unde *fallere Dextram*, pro *fallere fidem*, apud Virgil. *Æneid. l. 6. v.* 612.

Quique ob adulterium cæſi: quique arma ſequuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras:

In quæ verba Serv. *Quid eſt*, quærit, *fallere dextras Dominorum*, *quàm fidem dominis promiſſam fallere? Nam dextra olim fidei conſecrata fuit: unde* jungere dextram, *&* dextræ dextram committere, *apud Poetas ſæpe reperies*, *pro* paciſci & fœdus ferire. Ovid. *Ep. 2. v.* 31.

Jura vides, ubi nunc? commiſſaque dextera dextræ?

Virg. *l. 1. Æneid. v.* 412.

------ ------ ------ *Cur dextræ jungere dextram*
Non datur,

Ait: *Majorum hæc fuit ſalutatio: cujus rei* τὸ αἴτιον, *i. e. cauſam, Varro, Callimachum ſecutus, expoſuit: aſſerens, omnem eorum honorem dexterarum conſtitiſſe virtute: ob quam rem hâc ſe venerabantur corporis parte.* Eandem oſculari, in honore alicui habendo, antiquiſſimus mos fuit. Vide Muret. *l. 10. Var. lect. c.* 1. Lipſ. *Electorum l. 2. c.* 9. & Giphan. *in Schol. ad Odyſſ.* π. Docet autem Plin. *l. 11. c.* 45. *Sicut Dextra oſculis averſa appetitur in fide porrigitur*, i. e. partem ejus exteriorem: quod tantùm de manus alienæ oſculo capiendum. Nam propriæ pars adverſa, ſive interior, adorari, h. e. ori admoveri ſolebat. Reges inprimis, Principeſque, præcipuè verò Tyrannos, hoc modo venerabantur ſubditi: Eum enim honorem ſolis potentioribus, tanquam demiſſionis notam & propriè fere Dominis à ſervis delatum conſtat. Nec falluntur, inquit, Laurent. *ad Phædr.* qui à Candidatis Magiſtratuum iſtud natum autumant, quos etiam manus potentiorum, eorumque, quorum captabant gratiam, frequentiùs prenſaſſe conſtat. Meminit moris Suet. *in Caligula* c. 56. ubi Imperatorem Chæreæ *agenti gratias oſculandam manum offerre, formatam commotamque in obſcænum modum*, ſcribit. *in Domit. c.* 12. Idem prodidit, Domitianum *Cœnidi, patris concubinæ ex Iſtria reverſæ* oſculumque *ut aſſueverat, offerenti, manum* (averſam ſcilicet) *præbuiſſe*; Porrò *Dextram* ſupplices, quemadmodum mentum quoque & genua, tetigêre antiquitus: unde potiùs ad ſequentia ſecula ritum deduxero. Docet enim Euſtath. *in Il. α. v. 427. qui incipit,*

Καί μιν γουνάσομαι,
Et ejus genua prehendam,

i. e. ei ſupplicabo: Tria fuiſſe hominis membra, quæ à ſupplicibus contingi fuerint ſolita; Caput, ſeu mentum, διὰ τὸ ἡγεμονικόν; *Dextram*, διὰ τὸ πρακτικόν, & Genua, διὰ τὸ βαδιστικόν. Interim omnem illum ſupplicantium geſtum, verbo γουνάζεσθαι, expreſſum fuiſſe, quoniam licèt fortè ii, quibus ſupplicabatur, caput averterent, & *Dextram* occultarent, unde Eurip. Ὁρῶ σε δεξιὰν κρύπτοντα, καὶ πρόσωπον ἔμπαλιν στρέφοντα, ὡς μήτε προσθίγω γενειάδος, tamen ultima anchora ſupplicibus reſtabat: genua nempe, quæ quò minus tangerentur, impediri vix potuit &c. Neque verò *dextram* ſolùm *manum*, ſed & *dextrum pedem*, & *dextram genam* Impp. CP. Proceres certo anni tempore oſculari conſueviſſe,

dicemus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

dicemus infrà, ubi de ritu *Pedes lavandi*. Et *dextrum latus* plerumque honeſtius, & auſpicatius habitum. Unde occurſum, aut converſationem malè ominoſorum hominum, *flexo in dextrum corpore*, declinaſſe Vett. tradit Lucian. & pocula quoque in *dextrum latus* circumdari ſolita, habet Critias apud Athen. *l.* 10. unis Spartanis exceptis, qui ad lævam ſolebant κύκλον κυκλεῖν, *potionum uſum in circulum dirigere*, vide quoque infrà ubi de *Sternutatione*. &c. Ita ergo *Dextra* magno fuit in pretio; unde apud Græcos Δεξιοὶ οἱ ἀγαθοὶ, & δεξιὸς ὁ εὐπορούμενος: Imò Telemachus ab Antinoo *Dextram* ſuam per ludum tangi non ſuſtinuit, illam non ſine ſtomacho retrahens, quoniam non decebat ὁ ἥμων παίζειν, uti loquitur Commentator laudatus *in Odyſſ*. ubi plura in hanc rem egregia. Ut de ornatu *dextræ* aliquid addam: Hac manu Annulos olim geſtatos, evidenter Jerem. oſtendit, cùm *c.* 22. *v.* 24. Deum ſic introducit loquentem: *Etiamſi eſſet Conia, filius Joacim Regis Juda, annulus ſignatorius in manu dextra mea, inde evellam eum*. Sirach. quoque *c.* 49. *v.* 13. *Quomodo amplificemus Sorobabel? Nam & ipſe quaſi ſignum in dextra manu Iſrael*. Ita apud Hebræos, apud Romanos vero, ante gemmarum uſum (ſi Atteio Capitoni apud Macrob. *l.* 7. fides habenda eſt) cùm ſculptura adhuc annuli materiæ imprimebatur, ſive ex ferro foret, ſive ex auro, *geſtabatur*; *ut quiſque vellet*, *quacunque manu*: donec, poſtquam gemmæ etiam addi cœperunt, ſiniſtra potiſſimum manus huic geſtamini deſtinata eſt. Interim & tum homines ſupra modum molles ac luxuriæ dediti, etiam *dextram* in ſubſidium vocaſſe leguntur, ſi fors ſiniſtra ferendo oneri non eſſet: id quod ſubindicare videtur Lucian. *Navig*. apud quem cùm Timolaus multos ſibi annulos optaſſet, quærit ex ipſo Lycin. *Cur tandem non unus annulus omnia tibi iſta* (quæ petebat) *poteſt, ſed tam multis revinctus ſiniſtrà gravata per ſingulos digitos? Imò vero excedit numerus & neceſſe etiam erit* dexteram *ferendo oneri ſuccedere*. Vide Joh. Kirchm. *de Annulis c.* 4. Ideo autem hoc onere, ſequiori ævo, *Dextra* levata eſt, quòd ſiniſtrâ magis occupata ſicque officium ejus non ſolùm annulorum geſtatione impediri, ſed & ipſi annuli crebro motu facilè potuiſſent lædi. Idem *ibid*. Vide quoque ubi de *Annulis* & *Siniſtra*. De alio vide dextræ ornatu, infrà in voce *Dextrocherium*: uti de more honeſtiorum inter Græcos pallium ſic geſtandi ut ſola *dextra* ad pectus extaret, ubi de *Pallio*: de eadem exſerta protenſaque in variis actibus, ubi de *Pedeſtribus ſtatuis* &c. Contrà *dextra* nonnunquam inuſti ſervi fugitivi, vide infrà *Inſcripti*; & *dextrarum* abſciſſione, monetam adulterantes puniri leguntur apud Matth. Paris. A. C. 1125. quo de pœnæ genere vide Car. du Freſne *Not. ad Alexiad. Annæ Comnenæ*, & infrà in voce *Manus* &c. uti de verbo medii ævi *Adextrare*, hinc orto, ſuprà.

DEXTRA ſurgere, apud Stat. *Theb. l.* 9. *v.* 270.

> *Surgentem dextra Chalcium vidit, que minantem.*

geſtus militaris eſt, de quo vide infrà verbo *Surgere*.

DEXTRÆ Tibiæ, Vide infrà ubi de *Tibiis*.

à DEXTRA ad lævam ſcribendi mos vetus, & Hebræis, Syris omnibuſque Orientalibus, Ægyptiis quoque in uſu. Neque abſimile vero eſt, à Græcis initio receptum fuiſſe etiam, & ſatis diu retentum. Certè Olympiæ, Agamemnonis ſtatuæ adſcriptum eſſe, nomen, γεγράφθαι δὲ καὶ τοῦτο ἐπὶ τὰ λαιὰ ἐκ δεξιῶν, *id autem ſcriptum eſſe à dextra ad lævam*, i. e. ſiniſtrorſum, ad morem ævi, in quo vixerat, tradit Pauſan. Qua vero ratione ſcribendi ſenſim deſueſcente, βουστροφηδὸν poſtea ſcribere cœperunt; lineis ſc. alternè ſiniſtrorſum & dextrorſum ſcriptis, ὁμοίως τοῖς βουσὶ ἀροτριῶσι, *inſtar boum arantium*, unde nomen, Heſych. in βουστροφηδόν. Sic in Arca Cypſeli Olympiæ. dicata inſcriptiones inciſæ: Sic Leges Solonis, Axones & Cyrbes ſcripti, apud Suid. in Νόμος, Harpocrationem in Κύρβεις &c. Vide infra ubi de tota *Scribendi* ratione.

DEXTRALIA, eadem cum *Dextrocheriis*, vide ibi, ut & Salmaſ. ad *Capitolin. in Maximinis* & *Trebell. Pollion. in* XXX. *Tyrannis*, nec non ſuprà, in voce *Brachiale*: ac infrâ *Spatale*.

DEXTRARII, apud Recentiores paſſim, dicuntur equi majores & cataphracti, quibus utebantur potiſſimùm in prælius & bellis. Vide Guil. Neubrigenſ. *l.* 2. *c.* 11. Auctorem *Chron*. Colmarienſ. A. C. 1298. Radulf. de Diceto A. C. 1198. Alios. Δεξιοί, Scriptoribus Byzantinis, vide Leon. Gramm. *in Michaële p.* 469. Quòd *dextrâ* ducerentur, donec tempus prælii adeſſet, nomen adepti: Byzantinis hinc ſequioribus, συρτὸν ſeu συρτά, ut docent Codin. *de Offic. c.* 5. *n.* 7. & Anna Comnena *Alexiad. l.* 1. *c.* 12. Παρίπποι Evagrio *l.* 6. *c.* 14. & 15. ut obſervat Henr. Valeſ. apud Car. du Freſne *Gloſſar*. Horum unus Ordinis Templariorum olim fuit δεῖγμα. Ita enim Matth. Paris. *in Chron*. de iis, *Primo adeo pauperes, licet ſtrenui, fuerunt, quod unum ſolum dextrarium illi duo* (Hugo ſc. de Paganis, & Godefredus de S. Æodemaro, Ordinis conditores) *habuerunt: unde propter primitivæ paupertatis memoriam, & ad humilitatis obſervantiam, in ſigillo eorum inſculpti ſunt duo unum equum equitantes*. Vide quoque infrà, *Equi qui in nummis*.

DEXTRATIO, apud Solin. *c.* 45. ubi de quadriga Ratumannæ, *relicto*, inquit, *certamine ad Capitolium proſiluit, nec ante ſubſtitit — quàm Tarpejum Jovem tertiâ dextratione luſtraret*: motus eſt ſeu converſio, quæ fit à ſiniſtra ad dextram. Sic enim adorantes facere ſolitos, Plin. *l.* XI. *c.* 45. tradit, *In adorando dextram ad oſculum referimus totumque corpus circumagimus. Quod in lævam feciſſe Galliæ religioſius tradunt*. Et Plaut. *in Curcul. Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 69.

> *—— —— quò me vortam neſcio:*
> *Si Deos ſalutas, dextrovorſum cenſeo.*

In qua circumactione corporis *dextra* pro centro eſt, & *dexter gyrus* interior propriorque centro, ſiniſter verò exterior. Itaque *dextratione ædem luſtrare*, eſt dextro interiore gyro eam circumire. Quomodo etiam aras circumiri conſueviſſe, diximus ex Ariſtoph. *Pace*.

> Ἄγε δὴ τὸ κανοῦν λαβὼν σὺ καὶ τὴν χέρνιβα
> Περίιθι τὸν βωμὸν ταχέως ἐπὶ δεξιά.

Contrario modo luſtrabant rogos in decurſionibus funebribus, & in Circenſibus metam circumibant quadrigæ, uti videre eſt *ſuo loco*. Plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 936. & Barth. *ad Stat. Theb. l.* 6. *v.* 223.

> *Dextri gyro, & vibrantibus haſtis*
> *Hac redeunt,*

Sed & in *Dextrum latus*, communiter olim circumdabantur pocula, ut infrà videbimus, ubi de *Poculis*.

DEXTRI, apud Recentiores, nomen ſpatii ſeu paſſuum certorum: Inprimis ſic appellantur Eccleſiarum atque adeò locorum, qui aliquâ immunitate aut aſyli jure gaudent, definita legibus circa eos ſpatia, quæ fere ſemper 30. paſſuum eſſe dicuntur. Unde per apocopen *Dex*, pro Banleuca ſeu diſtrictu Urbis vel Opp. qui eadem, quâ Urbes & Oppida, immunitate fruitur, apud Occitan. uti du Freſne docet. At Catell. *in Hiſtor. Toloſ. p.* 194. voce hac terminos Toloſæ ſeu Urbium, à crucibus, quæ limitum vice ſunt, inſignitos putat, quod crux figuram decimi numeri X. effingat, qui *Dex* Occitan. dicitur. Quo pacto non à *Dextris* potius, quam à *decuſſi*, etymon arceſſendum erit. Nam lapidibus, aut arboribus, *decus* ſeu *decuſſis* appoſitus, termini ac limitis vicem præſtabat. Vide Car. du Freſne *Gloſſar*.

DEXTRIANUS, Architectus nobilis, ſub Hadr. Imp. apud Spartian. in *Vita* ejus: ubi tamen antiqui libri omnes *Detrianus* habent. Vide ſuprà.

DEXTROCHERIUM, apud Capitolin. in *Maximinis*, *Erat magnitudine tanta, ut octo pedes digito videretur egreſſus; pollice ita vaſto, ut uxoris dextrocherio uteretur pro annulo*. Treb. Pollion. in *Quieto*, *Alexandrum Mag.* — *mulieres in reticulis & dextrocheriis & in annulis — exſculptum ſemper habuerunt*: Alios: vox hybrida eſt, ex Græco Latinoque nomine compoſita, & armillarum ſpeciem notat, quam *Dextrale* quoque Latini dixerunt. Solebant enim Vett. ſæpe altero tantùm brachio armillas geſtare, (*monocheria* hinc dicta in *Gloſſ*.) & quidem lævo interdum, ut de Sabinis notiſſima hiſtoria fidem facit; interdum *dextro*, ut nomen hoc declarat, quaſi δεξιόχειρον dictum, idque frequentiùs. Plus enim in dextris erat decoris, ſi ſolæ ornabantur. Geneſ. *c.* 24. *v.* 22. Num. *c.* 31. *v.* 50. 2 Sam. *c.* 1. *v.* 10. Jeſ. *c.* 3. *v.* 20. Ezech. *c.* 16. *v.* XI. *tanquam armilla impoſita brachio dextro*: quia *dextra* virilis fortitudinis nota eſt. Cujus egregium, apud Saxon. Gramm. extat documentum, de Wiggone *dextrocherio*, à Rolfone Rege, donato. Erat namque id ornamenti genus utrique ſexui commune, & *ante manicam portari*, ibique *uno clavo* jungi conſuevit; Iſid. *l.* 19. *c.* 31. i. e. in manus cum brachio commiſſura, ut Caſaub. ſeu carpo, ut Barthol. exponunt. Quo nomine à brachialibus propriè ſic dictis *Dextrocheria* diverſa, quòd illa totum brachii progreſſum complecterentur, uti docet Xenoph. *Pæd. l.* 6. ubi inter βραχιόνια & ψέλια ſic diſtinguit; licèt Strab. τὰ ψέλια & carpo & brachio latiùs aſſignet. Quod verò de clavo dictum, *copulam* vocat idem Capitolin. ubi ſuprà, de arrhis ſponſalitiis Juniæ Fadillæ loquens, *detrocherium cum copula de hyacinthis quatuor*: hic enim *copulam* explicat Salmaſ. eam partem dextrocherii, quâ jungebatur & copulabatur; vel potiùs tæniam utraque dextrocherii parte pendulam, quâ illud alligabatur. Principibus autem familiaria fuiſſe, ex præcedd. diſcimus. Sed & in Cari Imp. dextra *gemmas fulgentes*, ſeu *dextrocherium*, adumbrat Chryſoſtom. *in laudat. Babylæ*; in Conſtantini, Lucifer. Calarit. *de non parcendo delinqu.* &c. Vide hanc in rem plura apud Thom. Bartholin. *de Armillis Vett*. Caſaub. & Salmaſ. *ad Capitolin.* & *Pollion. d. l.* nec non ſuprà, ubi de *Armillis*.

DIA, Deæ nomen, quæ apud Sicyonios & Phliaſios colebatur, eadem fuiſſe creditur cum Hebe Juventutis Dea.

DIA, inſ. maris Ægæi, una Cycladum à Delo 17. m. p. diſtans. Plin. *l.* 4. *c.* 12. In hac Liber pater Ariadnem à Theſeo deſtitutam uxorem duxit, qua de cauſà etiam Baccho ſacram eſſe volunt. Ovid. *Met. l.* VIII. *v.* 174.

> *Protinus Ægides, raptâ Minoide, Diam*
> *Vela dedit: —— ——*

Idem *de arte amandi l.* 1. *v.* 530.

> *Qua brevis æquoreis Dia feritur aquis.*

Stephano quatuor ſunt hujus nominis inſulæ, quarum prima *Naxus* dicitur, 2. prope Miletum eſt, tertia vicina Sarmoſſo, 4. prope Gnoſſum Cretæ. Theocriti Interpres Diam inſulam eſſe prodit circa Melum, & aliam circa Amorgum & Cherſoneſum in Co, & in Peloponneſo ſimiliter nominari.

DIA, urbs Theſſaliæ ab Æaco condita. 2. Thraciæ juxta mont. Athon. 3. Eubœæ. 4. Peloponneſi. 5. Luſitaniæ ad Ocean. 6. Italiæ juxta Alpes. 7. Scythiæ juxta Phaſin. 8 Cariæ. 9 Bithyniæ juxta Pontum.

DIA, urbs Epiſc. Delphinatus: olim una ex præcipuis, inter 19. Vocontiorum urbes, dein Colonia Rom. Hinc ſub Longobardis, A. C. 574. poſtea caput regiunculæ Dienſis, tandem, Regno Arelat. vel Burgundiæ deſtructo, Comitatus. Ludovic. Pictav. Comes Valent. & Dienſis, Carolo Delphino, poſtea 7. Rege ditionibus ſuis ceſſit, quæ ab eo tempore Delphinatui innexæ. In bello civili plurima paſſa. Primum Ep. Martium habuiſſe creditur. Nomen urbis quod attinet, Sicyonii Diam, vide ſupra, adorarunt olim, unde dubium non eſt, quin nomen hoc urbis græcum, ipſaque à Græcis, ſicut Maſſilia, condita ſit. Columb. de *Ep. Dienſ*. Chorer. *hiſt. Delphin. l.* 4. 9. &c. Chenius *de Urb. antiq*. Gaſſend. *l.* 2. *de vita Peir.* vide *Dea*.

DIABAMBYLUM, candelabrum bimyxon, quod Patriarcha CP. ſolebat præferri, eo die, quo creabatur, Imperatoris conceſſu: cùm aliàs *monobambylon* ſolùm ante eum ferretur. Pachymer. *Hiſt. Tom. II. l.* 2. *c.* 28. *At ille recepto Paſtorali baculo ab Imperatore, ut fieri ſolet, honoratur Diabambylo*. Dominic. Macer. *in Hierolexico*. Vide

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

de ſuprà *Bammulum* & infrà *Dibambylum*, quo modo vox rectiùs ſcribitur.

DIABATE, inſ. parva admodum juxta Sardiniam. Ptol. Prope Hermæum prom. Nunc *Faluga*, Brietio aliiſque 20. mill. à Tilio in Auſtr. 25. à Gorditano prom. etiam in Auſtr. 28. ab Herculis Inſ. quæ nunc *Zanara*. *Baudr.*

DIABATHRARII, memorati Plaut. *Aulul. Act.* 3. *Sc.* 5. *v.* 39. ubi, fœminei luxus inſaniam prolixè traducens, inter alia ait,

Sedentarii ſutores, Diabathrarii

quid eſſent, declarat Feſt. cùm ait; *Diabathra genus fuiſſe ſolearum Græcanicarum, quarum confectores diabatharii.* Næv. apud Varron. *de Ling. Lat. l.* 6. *Diabathra in pedibus habebat & erat amictus Equivoco.* Vide Oct. Ferr. *de Re Veſt. l.* 3. *c.* 21.

DIABATINA, Sacrificia apud Græcos, quæ in tranſitu fiebant. Plutarch. *in Lucullo.*

DIABETÆ, inſulæ circa Symen. *Steph.*

DIABETE, inſ. occidentalior, quàm Sardinia, & Corſica. *Steph.*

DIABIES, fil. Atholis II. Thebanorum in Ægypto Rex IV. exponitur φιλέταιρος, *amicus amicorum*. Regnavit Annos 19. Venephe apud Thinitas Achide apud Memphitas, imperantibus. Illi ſucceſſit frater Pemphos, vide *ibi*.

DIABLINTRES, ſeu DIABLINDI, Plin. *l.* IV. *c.* 18. *Diaulitæ* Ptol. pop. Gall. Celticæ in Armoricis ſeu in Britannia minori, prope Dolam Urb. quorum tractus hodiè *Diableres* nominatur. Cæſar. *l.* 3. Ibi & familiæ *les Diables*. Inter Curioſolites, & Redones. Aliis pop. fuêre Galliæ Lugd. qui & *Aulerci Diablintes*, quorum tractus nunc *le Perche*, inter Belſiam ad Ort. & Cenomanenſem prov. Eorum caput eſt Noviedunum vulgò *Nogent le Rotrou*. Baudr. Sed prior ſententia potior Hadr. Valeſ. videtur.

DIACÆNISIMUS, Græcè Διακαινήσιμος, uti Codin. Curopalata *de offic. CP. c.* 14. omneſque *Rituales* Græcorum libb. habent, dicta eſt apud Græcos tota Hebdomas Paſchalis, quæ Feſtum Paſchæ, quo Reſurrectio Domini ſolenni cerimoniâ celebratur, proximè ſequitur; à *renovatione*, Dominic. Macer ubi ſuprà: eò quòd ſanctiſſimo Reſurrectionis Chriſti triumpho omnia renovantur, inſtaurantur & ad meliorem ſtatum reducuntur. Unde & in ipſa diebus ſingulis ἑωθινὰ ἀναςάσιμα εὐαγγέλια, *matutina quæ de Reſurrectione tractant Evangelia*, legebantur, ut ex *Typico* diſcimus: & γονυκλισία, omittebatur, ut videbimus infrà, ubi de *Ingeniculatione*: & totam eam Conſtantinus Mag. feriatam eſſe juſſit, Alexander Mon. *Orat. de Invent. Crucis.* Νέα Ἑβδομὰς eadem Joh. Cantacuzeno dicta *Hiſt. l.* 1. *c.* 18. &c. Plura apud Meurſ. *in Gloſſar.* & Allat *de Dominicis & Hebdomadibus Græcorum.*

DIACECAUMENE, Gr. Διακεκαυμένη, Reg. Æthiopiæ vicina, Solin. *c.* 32. *Ægyptium limitem, quà ad* Diacecaumenem *tendit, incolunt populi, qui momentum, quo reparari mundum ad motus ferunt annuos hoc ſtudio deprehendunt* &c. Marcian. Capella *Cecaumenem* vocat, ut & Serv. qui Garamantes populos, inter Libyam & Africam, juxta illam locat: Diod. Καϑακεκαυμένην. Quorum nominum eadem ratio, quam Hygin. tradit his verbis, *Quæ finis eſt ab æſtivo circulo ad hyemalem, ea terra à Græcis* Diacecaumene *vocatur, quòd neque fruges propter exuſtam terram naſci, neque homines propter nimium ardorem durare poſſunt.* Itaque quaſi exuſta dicta eſt, *Ignea* hinc quoque, ſeu *Torrida Zona* Latin. Arnob. *Age nunc veniat quæſo per igneam Zonam magus interiore ab orbe Zoroaſtres.* Hic enim ſecundùm quoſdam ex interiore Libya vel Æthiopia τῆς Κεκαυμένης vicina oriundus fuit. In illa Atheos quoſdam reperiri, memorat Strab. *l.* 15. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 473. & ſuprà *Catacecaumene*.

DIACHARENI, pop. Arabiæ, à Nabaro Nabaræi. *Steph.*

DIACHERSIS, Ptol. *Carcora*, teſte Marmol. opp. Cyrenaicæ reg. in ora littor. ad Bor. apud Boreum prom. & Berenicen urbem. *Ferrar.*

DIACITRINUS, citrini coloris intenſioris, apud Monach. Sangal. alioſque paſſim.

DIACONIA & *ium*, hoſpitium excipiendis pauperibus & infirmis conſtitutum; dictum à præfecto ejuſdem *Diaconò*: Xenodochium, Hoſpitale. Bibliothecar. *in Greg.* 2. *A.C.* 714. Car. du Freſne *Diaconiæ* dicuntur loca, in quibus, per *Diaconos regionarios*, pauperes viduæ, pupilli & ſenes propriæ regionis alebantur: publicæ quodammodo pauperum hoſpitales domus, quæ Oratoria & Sacella adjuncta habebant, in quibus à Diacono egenis neceſſaria ſubminiſtrabantur. Erant enim *Diaconi* iſti, ut verbis utar Cujac. *ad Nov.* 3. ἀγαπῶν *Miniſtri* i. e. menſarum, quæ apponebantur egenis, viduis, orphanis: quæ convivia agitabantur domi, adhibitis precibus. Erant autem ejuſmodi hoſpitales domus Romæ, in regionibus omnibus, quarum uſu præcipuo exoleſcente, ipſiſque ædibus dirutis, *Diaconiæ* nomen ipſis Sacellis & Oratoriis manſit, à quibus earum præfecti, *Diaconi Cardinales Urbis Romæ*, eidem dicti ſunt. Atque hac poſteriore notione vox occurrit ſæpius, apud Anaſtaſ. cùm ait, vela Tyria, ſtauracina, veſtes, coronas ſeu pharos, vaſa Eccleſiaſtica, aliaque hujuſmodi, quæ templa ipſa ſpectant, *Diaconiis* elargitos eſſe Pontifices, *p.* 89. 110. 113. 117. 119. 130. 136. 137. &c. meminitque Synod. Rom. ſub Leone IV. *c.* 39. apud Holſten. *Titulorum vel Diaconiarum Eccleſiæ*, de quibus aliquid infrà. Nec verò Romæ ſolùm, ſed & in provinciis, extitiſſe *Diaconias*, idque ex inſtituto Gaji, contendit Idem, ex *Ep. ejus Decret. c.* 6. *Diaconiæ* certè *B. Andreæ Neapoli*, meminit *Epitaphium* Theodimi Subdiaconi, item *Inſcr.* Græca, quæ extat in æde SS. Joh. & Pauli, in eadem Urbe. De *Diaconia Piſaurenſi*, agit Gregor. Mag. *l.* 4. *Ep.* 24. &c. At, ſi Baronio fides, erant eæ tantùm in locis, in quibus Eccleſia Rom. patrimonia poſſidebat. Vide omnino Car. du Freſne præfatum in *Gloſſar.*

DIACONIÆ ROMÆ, QUÆ, PRÆ COETERIS, RECENSENTUR AB ANASTASIO BIBL.

Diaconia S. Agathæ.
Diaconia S. Archangeli.
Diaconia S. Bonifacii.
Diaconia SS. Coſmæ & Damiani.
Diaconia S. Euſtachii.
Diaconia S. Georgii.
Diaconia S. Hadr. Mart. ab Hadr. I. Pontif. Rom. inſtituta.
Diaconia S. Luciæ.
Diaconia S. Mariæ.
Diaconia S. Mariæ in Atriano.
Diaconia S. Mariæ, quæ dicitur *Antiqua*.
Diaconia S. Mariæ, in caput Porticus.
Diaconia S. Mariæ ad Coſmedin.
Diaconia S. Mariæ, quæ dicitur *Dominica*.
Diaconia S. Mariæ in Via Lata.
Diaconia S. Martini.
Diaconia S. Nerei & Achillei.
Diaconia S. Sergii & Bacchi.
Diaconia ad Solia ſeptem, Baron.
Diaconia S. Sylveſtri juxta Hoſpitale S. Gregorii.
Diaconia S. Theodori Mart.
Diaconia S. Viti Martyris. Hodiè verò ſunt.
Diaconiæ XIV. quæ Cardinalibus *Diaconis* attribuuntur. vide Friſon *Appar. ad Galliam Purpur. c.* 4.

DIACONICON, Locus in circuitu Eccleſiæ, conſervandis vaſis dominicis & ornamentis Eccleſiæ deputatus. Aliàs *Secretarium*, item *Sacrarium*. Conſil. Laodicen. circa A. C. 368. *Can.* 21. vide Spelman. *Gloſſar. Archæol.* Item liber Eccleſiaſticus apud Græcos, quo omnia, quæ ad *Diaconi* munus obeundum in agenda re divina requiruntur, & eorum ſingulà officia, uno velut faſce, continentur, ut monet Allat. *Diſſertat* 1. *de Libris Eccleſ. Græcor.* qui putat illud idem eſſe, quod Βιβλίον τῆς Διακονίας à Joh. Euchaïtarum Ep. Sed & Διακονικαὶ dicantur preces quædam, quæ à Diaconis decantantur & Εἰρηνικὰ, i. e. *Pacifica*, vocantur, de quibus Liturgia Præſanctificat. Car. du Freſne *De ſcript. Ædis S. Sophiæ n.* 84. *in Gloſſar.* item Macri in *Hierolexico*, ut & ſuprà in voce *Decanicum*.

DIACONISSA, in Eccleſia celebris fuit, ſub ipſis Apoſtolis, ut ex Rom. *c.* 16. *v.* 1. patet, ubi Phœben commendat Paulus, οὖσαν διάκονον τῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Κεγχρεαῖς. Has Græci πρεσβύτιδας ἤτοι προκαϑημένας etiam vacabant: Latini *Presbyteras*, *Viduas*, *Univiras*, *Matricurias*, *Monachas*. Gregorius III. in Synodo Rom. A. C. 733. *Diaconæ*, *Presbyteræ*, *Monachæ* meminit. Sed à veteribus *Diaconiſſis* plurimùm differre videmus Monachas ſeu Moniales hodiernas: ſuccreviſſe tamen ex iſtarum inſtitutione probabile eſt. Vide Epiphan. ſui ſeculi, i. e. quarti *Diaconiſſam* deſcribentem, *l.* 3. *tom.* 2. *hær.* 79. Has tanquam Ordinatas, non recipit Concil. Laodic. Ordinem tamen in Eccleſia vocat Epiphan. Accepiſſe illas manuum impoſitionem & nuptiis arceri, clarum eſt è Concil. Wormatienſi *c.* 45. ubi & tempus ordinationis An. 40. æt. definitur. Juſtinian. autem vetuit *Diaconiſſas* ordinari minoris ætatis, quàm 50. Annor. Sed & ſumitur hæc vox, pro uxore *Diaconi*: de qua, quinto Apoſtolorum canone, conſtitutum eſt, ut *Epiſcopus aut Presbyter, aut Diaconus, ſuam uxorem non ejiciat causâ religionis*: quod & ſexto Synodo confirmatum eſt, & in Orientali Eccleſia ſuo ævo obſervatum eſſe tradit Steph. Papa. vide Spelman. *Gloſſar. Archæol.*

DIACONUS, quid ſub Apoſtolis deſignarit, notum. Refert Chryſoſt. *ep. ad Philipp. c.* 1. *v.* 1. *Diaconos*, Presbyteros & Epiſcopos, primò communicaſſe invicem ſua nomina, ex 2 Tim. *c.* 4. *v.* 5. Hinc fortè, & quòd menſuras ſub Epiſcopo Presbyteris dividebat aliquis è Diaconis, elatius ſe erga Presbyteros Diaconi gerebant: atque inde enatus Concilii Niceni *canon.* 20. quo Presbyteris ſubjiciuntur. Numerum & miniſterium primitivum diu retinuit *Diaconus*; illum in ſeptenario: iſtud in curandis menſis, pecuniâ publicâ, viduis & pauperibus. Sed operam interea navat, extra parietes Eccleſiæ: ingreſſus prædicantem Epiſcopum cuſtodit, parteſque obtinet in celebratione divinorum. Et quia ſeptem Romæ urbis regiones, hinc & ibidem totidem *Diaconi*, cum æquali Subdiaconorum numero. Conſtantinopoli duo erant *Diaconorum* ordines: Unus majorum, qui ἀρχοντικοὶ Διάκονοι, n. 6. de quorum officio. Vide Meurſ. Alter minorum, quorum in magna Eccl. erant 100. Juſtin. *Novell.* 3. quos Heraclius ad 150. extendit, qui Subdiaconorum 60. tantùm eſſe voluit, cùm priùs 90. eſſent. In Blanchernarum verò Eccleſia *Diaconi* tantùm erant 12. *Diaconiſſæ* 6. (cum in Mag. Eccleſia harum eſſent 40.) & *Subdiaconi* 8. atque occupabantur circa ambonem lectionemque ſacram Evangelii. Solùm ab Epiſcopo ordinandus eſt *Diaconus*, at juxta Concil. Carthag. *can.* 16. non ante 25. Ætatis Annum. Exinde ſecundùm Concil. Conſtantinop. 8. *Can.* 5. εἰς τὴν ἀρχιερωσύνην, ad Archipresbyteratum vel Epiſcopatum aſcenderet, ſed exactis jam prius in *Diaconatu* Annis 3. in *Subdiaconatu* 2. & in officio lectoris uno. Cæterum de officio *Diaconi*, vide Raban. Maur. *de Inſtitut. Cleric. l.* 1. *c.* 7. & *ep. ad Reginbald.* Durand. *de div. off. l.* 2. *c.* 2. Hieronym. *l. de* 7. *Ordinibus Eccleſ. c. de quinto gradu.* Iſidor. Jun. &c. Reperitur quoque in Eccleſia prima *Archidiaconus*, qui & *Archilevita* dicitur: Sic Laurentium, qui A. C. 260. paſſus eſt, Archidiaconum fuiſſe, refert Anaſtaſ. *in Sixto*; cui fidem facit multo antiquior Aur. Prudent. ejus munus ita deſcribens, vel περὶ ςεφανῶν, *v.* 277.

Hic primus è ſeptem viris,
Qui ſtant ad aram proximi,
Levita ſublimis gradu,
Et cæteris præſtantior:
Clauſtris ſacrorum præerat,
Cœleſtis arcanum domus,
Fidis gubernans clavibus,
Votaſque diſpenſans opes.

De hujus inſtitutione, Hieron. *ep. ad Evagr.* ait, *Diaconi eligant de ſe, quem induſtrium noverint, &* Archidiacon. *vocent*. Inferiori ſeculo evocabatur ad hoc munus, præ ceteris antiquior. Conſtantinopoli eligebatur ab Imperatore, ex 6. Catacœlorum ordine, i.e. ab Rectoribus ſex Principalium Eccleſiarum. Sed hic *Archidiaconus* Pr

latinus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

latinus fuit, non Eccleſiaſticus; clerumque palatii tantùm regebat, non Eccleſiæ, quæ ſuo tum caruit Archidiacono, ut refert Codin. *in Offic. Conſtantinop.* Pari elatione reperitur *Archipater*, pro Archiepiſcopo Rhemenſi: *Archiprior* pro militiæ templi præfecto, &c. vide Spelman. *Gloſſar. Archæol.* Cæterùm, *Diaconi Regionarii* quinam dicti ſint in Eccleſia Rom. ex ſuprà dictis liquet; nempe qui ſingularum Urbis Regionum, quæ VII. erant, *Diaconiis* præficiebantur. Horum VII. fuiſſe docet & Anaſtaſ. *in S. Evariſto*: munus eorum, cantare quoque Evangelium in Stationibus, refert vetus *Ceremoniale*, apud Baron. A. C. 1057. n. 22. ubi XII. illorum fuiſſe additur. Præter hos, Diaconi erant, Palatini vel Baſilici, dicti 4. ex 18. Cardinalibus Diaconis, quòd in Palatio & baſilica Lateranenſi Papæ miniſtrarent, inquit Onuphr. Panvin. At idem *Ceremoniale* VI. eorum fuiſſe, habet. Munus illorum Evangelium in Æde Lateranenſi; ut Subdiaconorum Palatinorum, Epiſtolas & Lectiones ibidem, cantare. De *Diaconis Stationariis*, quo modo appellarentur, qui Pontifici ad ſtationem aliquam profectò miniſtrarent, quorumque munus temporarium erat, vide Car. du Freſne *in Gloſſar.* ut & *de Diaconis Teſtimonialibus*, qui Ep. prædicantem cuſtodiebant, in hac voce, it. in voce *Syncellus*: Sicut *de Diacono Perſcrutatore*, ſuprà in *Circumitor*. Hinc *Diaconale*, in *Chron.* Abbatum Gemblac. veſtis Diaconorum. Et *Diaconale officium*, in Eccleſia CP. de quo vide infrà in voce *Hieromnemon*.

DIACONUS Johannes, vide *Johannes*.

DIACONUS Paulus, vide *ibi*.

DIACONUS Petrus, vide *Petrus*.

DIACOPENE, reg. Cappadociæ ad Halym fluv. Strab. *l.* 12.

DIACREA, mons Atticæ, Pallantis ſedes. *Steph.*

DIACRII, Athenis erant, qui montana incolebant loca, Oligarchici, diſcordes Pediacis: His ſecundùm Solonis leges præerat Piſiſtratus. Fertur tamen Pandion regionem Diacriam diſtribuiſſe filiis ſuis & Lyco principatum dediſſe. Ægeo regionem quæ circa oppidum & arcem Pallanti Paraliam, & Niſo Megaricam. Scholia *in Ariſtoph. Crabron.* p. 518.

DIACTOR, quaſi *internuntius*, Mercurii cognomen. Hinc διακτορία in Muſica, τῇ πλάσει oppoſita, nomen accepit; quarum iſta varietatem, flexumque ſonorum & luxuriam cantus, illa claram & elatam ſimplicemque pronuntiationem, ἀπαγγελίαν, quali antiquitus fuit, denotat. Ut viz. ſolent nuntii, quos διακτόρας Græci dicunt, qui res non ſolum ſimpliciter & apertè narrant, ut geſtæ ſunt, ſed etiam clarâ & elata voce. Salmaſ. *ad Solin.* p. 121.

DIACUISTA, inſignis urbs inter Placentiam, & Genuam. Strab. *l.* 5.

DIACUM, Myſiæ infer. opp. *Ptol.*

DIACYNTHINUS, apud Leon. Oſtienſ. *Chron. Caſin.* l. 3. c. 19. jacynthini coloris intenſioris eſt, Car. du Freſne *in Gloſſar.*

DIADÆ, Athenæ ſic dictæ, à Cecrope conditore, quam urbem Euboici *Orchomenon* appellarunt.

DIADEMA, Græcè διάδημα, faſcia fuit candida ut plurimùm & lata, quâ Reges olim Principeſque caput evinciebant. Unde Senec. *in Thyeſt. Act.* 2. *in Choro.*

Non frontis, nota Regiæ,

item *vinculum*, Stat. *Theb. l.* 12. *v.* 89.

Accipe, nate, tui nova libamenta triumphi
Accipe & hoc regimen dextræ, frontiſque ſuperbæ
Vincula, ——.

Ubi *diademate* & ſceptro porrecto, dignitas regia collata intelligitur. Dixi *candidam ut plurimùm*, namque aliquando fuiſſe coloris purpurei meliniqne, i. e. flavi, lutei, flammei. Darii, ab Alexandro victi, Curt. *l.* 3. *c.* 3. *Cidarim Perſæ Regum capitis vocabant inſigne; hoc cærulea faſcia albo diſtincta circuibat*. Interim candida plerumque erat, unde λευκὴν λευκὴν vocat Lucian. *vittam albentem* Sil. *faſciolam candidam* Ammian. &c. Lata dein fuit, quales erant Sacerdotum infulæ: *Infulam* autem Grammatici interpretantur *faſciam in modum diadematis, ex qua vittæ utrinque dependent, quæ plerumque lata eſt, plerumque tortilis ex albo & cocco*. Item tæniæ, quibus Hieronicæ coronabantur. Erat autem ex linea tenuique materia, cui unguentum è myrrha & odore illo, quem *Labyzon* dixére, addidiſſe Perſarum Reges, tradit Athen. *l.* 12. Geſtabaturque à Regibus perpetuò: unde in quotidiana pompa & comitatu Regis deſcribendo occupatus, Lucian. *Somn.* ſeu *Gall.* memorat τὴν ἐφεστρίδα, τὸ διάδημα, τοὺς δορυφόρους κ.τ.λ. Quare & *perpetui* cognomen ei tribuit Victor in *Conſtantino*: & cum Rege victo ſæpe in victoris poteſtatem pervenit. Stat. *Theb. l.* 2. *v.* 456.

------ ------ *quin auſa luas, noſtriſque ſub armis*
Captivo moribundus humum diademate pulſes.

Quo caſu, triumpho illud circumferri ſolitum eſt, uti de *Diademate* Cleopatræ factum ab Auguſto, memorat Zenob. *Cent.* 5. *Adag.* 24. Neque verò unum ſolum diadema Reges capite ferebant, ſed multiplicabant ea pro numero Regnorum. Sic Ptol. 1 Maccab. c. 11. v. 13. *duo diademata capiti ſuo, Ægypti & Aſiæ*, impoſuiſſe legitur. Vide quoque Herodian. *l.* 6. ubi de Artabano. Porrò Plin. *l.* 7. *c.* 56. *Liber pater. Idem diadema, Regum inſigne & Triumphum invenit.* Barbaris Regibus priſcis uſitatum ac familiare: ſerò ad Græcos pervenit; apud quos Alexandrum Mag. ad primùm uſurpaſſe, ex Juſtino diſcas *l.* 12. *c.* 3. *Poſt hæc Alexander habitum Regum Perſarum & diadema inſolitum antea Regibus Macedonicis, velut in leges eorum quos vicerat tranſiret, aſſumit.* Romanis antiquitus exoſum, poſtmodum in frequenti uſu eſſe cœpit: & quidem Salmaſ. Julio, Victor modò Caligulæ, modò Aureliano; Jornand. Diocletiano; Cedren. & Falſi Siculi Conſtantino illud primùm tribuunt. Fortè minus conſtans & interruptus per intervalla, pro imperantium ingenio, mos, poſteris occaſionem dedit, ut primos ejus rei inventores crederent, penès quos primùm illius uſum viderant.

Primus certè Heliogabalus *gemmatum* uſurpavit, quod poſt Diocletian. reliqui omnes Impp. imitati ſunt. Erat id autem ex duplici linea margaritarum, & Græcis recentioribus ςέμμα appellari cœpit, infrà *Stemma*. Coronæ dein ſociatum eſt, unde cum corona ſæpe confunditur. Aliud fuit *diadema*, quod ſolennibus diebus geſtabatur, & quoties Rex undique ſuâ Majeſtate circumfuſus, ſe in publico, non tam aſpiciendum, quàm colendum, præbebat. Hoc *Sceptriferum* dicitur Martiano Capellæ, quòd non gereretur, niſi cum reliquis quoque inſignibus Regiis, ſceptro inprimis; & texebatur è pretioſiſſima quaque materia. Ovid. *de Ponto l.* 3. *Ep.* 4. *ad* Rufin. *v.* 109.

Barbara jam capiti poſcent inſignia Reges,
Textaque fortunâ divitiora ſuâ.

Inſuper, uti priſcum illud religabatur in occipitio caputque geſtantis evinciebat, ita hoc non tam caput redimiebat, quàm capiti imponebatur, aut circumponebatur, quod [illegible] dixit Plutarch. de Attalo loquens *in Apophth. Reg.* &c. Quam in rem vide plura apud Car. Paſchal. *Coronarum l.* 9. *toto*, ubi *de Coronis & Diadematibus Regum*, Anſ. Soler. *de Pileo*, ſ. 9. ubi tum puri, tum *gemmati Diadematis* iconem addit, Alios: ut & infrà *Faſcia*, *Labyzos*, *Sardonyx*. *Diadema* Regis Sinarum, ex corio duriſſimo undiquaque deaurato, quo & loco coronæ utuntur, viſitur in Muſeo Kircher. Aliam vocis notionem vide infrà in voce *Lorum*.

DIADEMATUS L. Metelli cognomen, quòd diu circumligatâ fronte, cùm in ea ulcus haberet, deambulaſſet. Plutarch. *de cognominibus Græcor. & Romanor.* Fuit verò Q. Metelli filius, ac Conſularis, ſummæ auctoritatis.

DIADES, nomen dedit DIADI urbi in Lycia, quam condidit. *Steph.*

DIADOCHUM, Perſiæ urbs non procul à Cteſiphonte. *Steph.*

DIADOCHUS, Ep. Potic. in Illyria, ſec. 4. ſcripſit de Perfectione. Bibl. PP. Phot. *cod.* 201. 231.

DIADUMENI, complures in vett. monumentis, inprimis in *Volum. Antiq. Inſcr.* occurrunt à *diademate naturali*, quo nonnulli inſigniti naſcuntur, ut videtur, nomen adepti: inter quos Antoninus eminet *Diadumenus* Imp. quem *Diadematum*, cùm adhuc puer eſſet, appellatum, Æl. Lamprid. in *Vita* ejus narrat: *Solent deinde*, inquiens *pueri pileo inſigniri naturali, quod obſtetrices rapiunt & Advocatis credulis vendunt, ſiquidem Cauſidici hoc juvari dicuntur: at iſte puer pileum non habuit, ſed diadema tenue, ſed ita forte, ut rumpi non potuerit, venis intercedentibus ſpecie nervi ſagittarii.* Vide in voce *Diadumenus*. Talis & ille fortè fuerit, Theodorus Dux, inter Chriſtianos milites clarus, quem venientem ad ſe his verbis excepit Licin. Imp. ſeu Tyrannus, [illegible], *congenitum tibi diadema: quam ob rem, ut Regem, juxta me conſidere oportet.* Vide Salmaſ. *Not. ad Lamprid.* Apud Plin. verò *l.* 34. *c.* 8. *Polycletus Sicyonius, Ageladi diſcipulus.* Diadumenum *fecit* (ex ære) *molliter juvenem, centum talentis nobilitatum*: vox mitratum ſeu faſciatum denotat, quales fuêrunt Perſarum nobiles, [illegible], *qui diademate caput evinciront.* Quidam verò legunt *Diadumenon*, i. e. diademate ſeu Regio capitis inſigni ornatum, uti docet Dalechamp. *Not. ad l.* Vide hîc infrâ.

DIADUMENUS, juvenis ſpecioſus, fil. Macrini Imp. qui patre ab Heliogabalo victo, unà cum eo eſt interfectus. A. C. 218. Diademate cinctus in mundum venerat Jul. Capitolin. *in vita Macrini.* Lamprid. *in Diadumeni.* Item nomen amaſii, Martialis *l.* 3. *Epigr.* 65. cujus epigraphe ad Diadumenum.

Hoc tua, ſæve puer Diadumene baſia fragrare.

Ibid. *l.* 5. *Epigr.* 47. cujus Epigraphe ad Diadumenum:

Ut te ſæpe rogem, cedo Diadumene ſæpe,

Ibid. *l.* 6. *Epigr.* 34. cujus Epigraphe ad Diadumenum.

Baſia da nobis Diadumene &c.

DIÆTA, vel etiam *Commoda Diæta*, nova methodus, ad Proteſtantes ad Eccleſiam Rom. loco Inquiſitionis, retrahendos, vide ſuprà *Commoda Diæta*.

DIÆTA, Salmaſ. mel. *Dieta*, parva cœnatio eſt, recentioribus *Zeta*. Vet. *Inſcr.* GUSTATIO. CIRCINI. A. DIETA. APOLLINIS. AD. EANDEM. DIETAM. Vide in vocibus *Dieta* & *Zeta*.

DIÆTETÆ, Græcè Διαιτηταὶ, Lat. *Arbitri*, apud Athenienſes erant, in quos litigatores de privatis contractibus, pro lubitu compromittebant: Horum ſententiæ ſtandum erat, nec appellari poterat, ut legi: [illegible], *Arbitri compromiſſi ſententia rata eſto*, Vide Demoſth. *in Midiana* & Lucian. *Abdicato.* Idem apud Romanos obtinebat, *Quare ſtari debet*, inquit Ulpian. *l.* 13. *ad Edictum*, *ſententiæ Arbitri, quam de re dixerit: ſive æqua, ſive iniqua ſit: & ſibi imputet, qui compromiſit* Præterea erant *Arbitri* apud Athen. ſorte capti, quos Διαιτητὰς κληρωτοὺς vocavit Demoſth. Hi ſortitò dabantur è ſingulis tribubus, ſexagenariis non minores, integri vitæ ſceleriſque puri: erantque numero quatuor & quadraginta è ſingulis tribubus ſive in univerſum 440. Vide Ulpian. *in Midian.* Pollùc. *l.* 8. *c.* 10. Suid. qui illos ſolitos fuiſſe docet [illegible]. Nam peregrinis non dabatur apud eos diſceptare, ut ſequitur ibidem: [illegible]. His ſortè diſtribuebantur lites, de quibus ſententiam dicerent: is verò, qui ſententiam de controverſia, quæ illi ſortitò obtigerat dirimenda, dicere noller, ignominioſus habebatur. Pronuntiabant olim de omnibus controverſiis, ſi rei, qua de diſceptabatur, æſtimatio eſſet major drachmis decem; quæ infra hanc ſummam erant, [illegible] relictis. Exceptione ſori tamen adversùs *Diætetas* uti licuiſſe, docet Ulpian. *ad Midian.* quod argumento eſt, illorum non fuiſſe hanc controverſiam judicare. Dicebant ſententiam jurati, juxta legem: [illegible], cujus meminit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Demoſth. *cont. Callip.* quomodo etiam compromiſſi Arbitri jurati pronuntiabant, ut eſt in Reſcripto Juſtin. Imp. ad Demoſth. PP. Suprema illis tempeſtas Sol occaſus erat: quare ſi is, qui fugiebat, arbitrio ſe non ſteterat ad hanc horam, *Diæteta* præſenti tum litem addicebat, ſecundùm legem, Ulpiano in Demoſth. *Midian.* memoratam: Τὸν Διαιτητὴν μέχρι ἄχρι τ' ἑσπέρας, μὴ φανέντος τοῦ φεύγοντος, καταδικάζειν τὴν καταδίκην. Sententiæ ab illis latæ ſubſcribebant Archontes, Demoſth. *in Midian.* Reddebant autem illi in locis publicis judicia, ut & ſacris: quinetiam ſingulis Tribubus aſſignata videntur fuiſſe loca, in quibus eas διαιτῶντες ſederent, Demoſth. *paſſim.* Accipiebant ab Actore drachmam, quam διάστασιν nominabant, cùm adverſarii nomen deferret apud illos atque litem æſtimaret: etiam ab adverſario, cùm de calumnia juraret, tantundem capiebant, Pollux *l.* 8. *c.* 10. Sed ab iis, ad Judices lege dabatur provocatio, Ἀπὸ τῶν κληρωτῶν Διαιτητῶν εἰς ἕτερον ἐφέσιμον δικαστήριον. At verò illi litis inſtrumenta in echino reponebant, & obſignabant, ne quà poſſent ſurripi, donec reſignarentur apud Judices: quin etiam ipſi aliquando litigantes ad Judices jubebant ire. Quòd ſi quis *Diætetam* vel gratiæ dantem, vel ſordibus corruptum, adverſario litem addixiſſe accuſaret, atque apud Iudices probaret, notabatur is infamiâ. Præterea rationes ſuas referebant hi Arbitri affecto Anno, apud Logiſtas, menſe undecimo, nempe Thargelione. &c. Vide iterum Demoſth. *in Midian.* & de his plura apud Sam. Petit. *Comm. in leg. Attic. l.* 8. *t.* 5. In Dicaſterio, quòd ἐπὶ Λύκῳ, *ad Lycum* dicebatur, cauſas ſolitos fuiſſe agere Diætetas, ſcribit Poſſard. *de Mag. Athen. p.* 540. Emmius tamen inter quatuor præcipua Judicia illud recenſet, *De ſcr. Reip. Athen. p.*41. Nec ulla olim cauſa, quæ 10. excederet drachmas, ad Judices delata erat, niſi priùs à Diætetis ventilata, Pollux *l.* 8. *p.* 407. quod tamen ἐν τοῖς ἱεροῖς, *in ſacris*, locum ſolùm habuiſſe videtur, Franc. Roſſæus, *Archæolog. Atticæ l.* 3. *c.* 4. qui coronidis loco Bunæ Athenienſis meminit, quem cùm Elei & Calydonii *Diætetam* ſive Arbitrum, in gravi, quæ inter utramque gentem agitabatur, controverſia elegiſſent, ille utraque parte ſatis ſuperque auditâ, ſententiam in mortem uſque diſtulit. Unde Prov. Βύνας δικάζει, *Bunas judicat*, de iis uſurpari ſolitum, qui cunctabundi ſunt & ſemper in ſuſpenſo negotia tenent, nil auſi definire, apud Zenob. Vide quoque ſuprà *Compromiſſum.*

DIAGON, vel DIAGUM, Peloponneſi fluv. à merid. in Alpheum influens, & Piſam ab Arcadia terminans. *Pauſan.*

DIAGORAS, quia repulſam, ut videtur, alii aliam injuriam in uxore paſſus fuerat; Oligarchiam Eretrienſem diſſolvit. Ariſtot. *l.* 5. *Polit. c.* 6.

DIAGORAS, Philoſophus Athenienſis, Teleclyti fil. Genus Melius, qui *Atheos* cognominatus eſt, i. e. *negans Deos*; poëta Melicus poſt Pindarum, & Bacchylidem, quem Democritus, ob phyſiognomiam, cùm ſervus eſſet, emit 1000. drachmis, ut diſciplinis erudiret. Sic myſteria contempſit, ut etiam ea ſectantes averteret. Quare ab Athenienſibus pulſus eſt, qui talentum polliciti ſunt, qui eum interfeciſſent: Duo, qui vivum adduxiſſent. Hocque ut cæteri Peloponneſii facerent, auctores extitêrunt. Vixit Olymp. 74. Euſeb. Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 4. *c.* 2. idem videtur cum eo, qui ab Athenienſibus, ob detecta myſteria, punitus eſt, Tatian. *c. Græcos.* & qui de Cybeles ſacris ſcripſit. Vide Cicer. *de Nat. Deor. l.* 1. Valer. Max. *l.* 1. *c.* 2. *ex.* 7, Lactant. *Inſt. l.* 1. *c.* 2. *de Ira Dei*, *l.* 1. *c.* 9. Theodoret. *Therap. c.* 6. *Suid.*

DIAGORAS Rhodius, 3. filios adoleſcentes habuit, unum pugilem, alterum Pancratiaſten, tertium luctatorem, eoſque omnes vidit vincere coronarique eodem Olympiæ die, cujus rei causâ gaudio nimio effuſus animam efflavit, Cic. 1. *Tuſc. Qu.* Gell. *l.* 3. *c.* 15. Plutarch. *in Pelopida.* Pauſ. *Eliac.*

DIAGRAPHICE, vide infrà *Pictura.*

DIALECTICI, qui & *Contentioſi*, Gr. Ἐριστικοὶ, Philoſophorum genus de quibus vide infrà in voce *Megara.*

DIALIS, DIALE, qui vel quod Iovis eſt. Unde flamen *Dialis* Jovis miniſterio aſſignatus eſt à Numâ. Liv. *l.* 1. Dictus an à Dio, à quo vita dari hominibus putabatur, an à Jove, qui ſit Dijovis, ut vult Ter. Varro? Certè huic ut aſſiduè præſtò eſſet eique ſacra faceret, à Numa conſtitutus eſt. Cerimoniæ, quæ obſervare cogebatur, recenſentur ab A. Gell. *l.* 10. *c.* 15. *Equo Dialem Flaminem vehi religio eſt. claſſem procinctam extra pomœrium*, i. e. *exercitum armatum videre. idcirco rarenter flamen Dialis Conſul creatus eſt, quum bella conſulibus mandabantur. item jurare Dialem fas nunquam eſt. item annulo uti, niſi pervio caſſoque fas non eſt. Ignem è flaminia*, i. e. *Flaminis Dialis domo, niſi in ſacrum, efferri jus non eſt. vinctum, ſi ædes ejus introirit, ſolvi neceſſum eſt: & vincula per impluvium in tegulas ſubduci, atque inde foras in viam dimitti. Nodum in apice, neque in cinctu, neque alia in parte ullum habet. ſi quis ad verberandum ducatur, ſi ad pedes ejus ſupplex procubuerit, eo die verberari piaculum eſt. capillum Dialis, niſi qui liber homo eſt, non detondit. capram & carnem incoctam, & ederam & fabam neque tangere Diali mos eſt, neque nominare. propagines è vitibus altiùs prætentos non ſuccidet.* (nefas enim Flaminem inebriari:) *pedes lecti, in quo cubat, luto tenui* (in ſignum fortè originis humanæ) *circumlitos eſſe oportet: & de eo lecto trinoctium continuum non decubat: neque in eo lecto cubare alium fas eſt: neque apud ejus lecti fulcrum capſulam eſſe, cum ſtrue* (genus eſt libi, cujus in ſolo tracta farinacea multa, velut toruli aut digiti, ordine ſtructa & ſerie conjunctâ ponebantur) *atque ferto* (etiam libi genus, quod Salmaſ. *bonum* dicitur) *oportet. Unguium Dialis & capilli ſegmina, ſubter arborem felicem* quæ ſpinas non fert, nec fructum baccamque nigram producit) *terrâ operiuntur: Dialis cottidie feſtatus eſt* (alii legunt *fertatus*: i. e. fertis inſtructus: Item *fertarius*, i. e. ferta ſeu liba ad ſacra ferens:) *Sine apice ſub divo eſſe licitum non eſt: ſub tecto uti liceret, non pridem à Pontificibus conſtitutum.* Addit hîc A. Gell. *Maſſur. Sabin. ſcripſit, & alia talia remiſſa, gratiamque aliquot cerimoniarum factam dicit. Farinam fermento imbutam attingere ei fas non eſt: tunicam intimam, niſi in locis tectis, non exuit, ne ſub cælo, tanquam ſub oculis Jovis, nudus ſit:* (neque etiam poterat inungi, tanquam in conſpectu Jovis.) *ſuper Flaminem Dialem in convivio, niſi Rex ſacrificulus, haud quiſquam alius accumbit. uxorem ſi amiſit, flaminio* (i. e. Sacerdotio ſuo) *decedit: matrimonium flaminis niſi morte dirimi non eſt jus. locum in quo buſtum* (i. e. cadaver combuſtum) *eſt, nunquam ingreditur. mortuum nunquam attingit. funus tamen exequi non eſt religio. Eædem ferme cerimoniæ ſunt, quas flaminicas Diales ſeorſum ajunt obſervitare.* de quibus vide infrà, in voce *Flaminica.* Addit Plutarch. *in Qu. Rom.* 40. *non potuiſſe hunc Flaminem plus tribus noctibus urbe abeſſe, neque pileum vel apicem uſquam deponere.* Idem Gell. paulo pòſt ſubjicit, *verba Prætoris ex edicto perpetuo de Flamine Diali & ſacerdote Veſtæ adſcripti:* SACERDOTEM. VESTALEM. ET. FLAMINEM. DIALEM. IN. OMNI. MEA. JURISDICTIONE. JURARE. NON. COGAM. Addit etiam verba Varron. *ex l.* 2. *Rer. divin. Is ſolus album habet galerum*; (qui *Albo-galerus* Paulo) *vel quòd maximus eſt; vel quòd Jovi immolata hoſtiâ albâ fieri oporteat.* Nec ommittendum, quod Plutarch. *Qu. Rom.* 113. ſuperioribus adjungit: *Non poterat Flamen Dialis antiquitus aut Magiſtratum petere aut capere, ne à ſacris avocaretur & multa contra religionem facere cogeretur.* Cæterùm à Numa uſque ad Marii & Sullæ tempora, perpetuâ & continuatâ ſerie *Flamines Diales* fuêre, uſque ad L. Corn. Merulam, qui in ſeditione civili L. Corn. Cinnæ & Cn. Octavii, A. U. C. 666. in Magiſtratu fuit occiſus. Poſt quem, cùm C. Jul. Cæſar, qui poſtea Dictator fuit, id ſacerdotium conſecutus fuiſſet, non longè pòſt à victore Sulla & ſacerdotio & uxoris dote mulctatus eſt: à quo tempore uſque ad finem imperii Auguſti Imp. per Annos plus minus 100. Sacerdotium illud vacavit: donec *Flamen Dialis* iterum inauguratus eſt Sext. Corn. Maluginenſis, poſt quem perpetuo ordine multi rurſus fuêre, uſque ad noviſſima Imperii tempora, quibus cum reliquis Socerdotiis veteris ſuperſtitionis, ab Imp. Theodoſio etiam hoc funditus ſublatum eſt. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 16.

DIALLUS, Athenienſis, Hiſt. Gr. circa Olymp. 120. A. U. C. 454. libris 26. memorabilia ſui temporis executus eſt. Diod. Sic. *fragm. c.* 5.

DIALOGISTA, ab Avidio Caſſio per contemptum, appellatus Marc. Antoninus Imp. apud Vulcat. Gallican. *Nec defuêre, qui illum Catilinam vocarunt: quum & ipſe ſe ita gauderet appellari, addens futurum ſe Sergium, ſi* Dialogiſtam *occidiſſet, Antoninum hoc nomine ſignificans: qui tantum enituit in Philoſophia, ut iturus ad bellum* &c. Quam interpretationem ut Vulcatius adjiceret, non magnopere opus erat; non enim obſcurum eſt, Marcum intelligi à Caſſio: qui in *Ep.* ad generum, *Marcus Antoninus*, ait, *philoſophatur & quærit de clementia, & de animis & de honeſto & de juſto*, quibus verbis vox *Dialogiſta* exponitur. Sed magis Marc. ipſe nobis aperit, qui ſe puerum *Dialogos* teſtatur ſcripſiſſe, Παρὰ Διογνήτου τὸ γράψαι διαλόγους ἐν παιδί. Verùm pœnituiſſe eum ſcripti ejus poſtea videtur, quòd id ſcriptionis multa habeat φαντασιοπληκτα & ad oſtentationem comparata, ut ibidem ſubjicit, Caſaub. *ad h. l.* Cum Vulcatio verò pugnat Dio, qui diſertim ſcribit, ne leviſſimâ quidem unquam contumeliâ aut minimo maledicto perſtrictum à Caſſio Marc. uti nec ipſum Caſſium à Marco convitiis ullo modo laceſſitum, niſi quòd *ingratum* eum ſæpius compellaverit, vide illum.

DIALOGUS, cognomen Gregorii Mag. quo à Græcis, ob compoſitionem libri (cui is titulus) à Zacharia Papa in Græcam linguam tranſlati, ſolebat appellari, Anaſtaſ. Bibl. *in Zacharia.* Quod cùm non ſatis attenderent nonnulli, Gregorio II. id cognominis attribuêrunt, ut notat Baron. A. C. 726. *n.* 30. Eundem errorem in Cedreno miratur Fronto Ducæus &c. Sutliv. verò *Dialogos* hos Gregorii Mag. eſſe negat. Vide Joh. Forbeſ. *Inſtruction. Hiſt. Theologic. l.* 5. *c.* 13. §. 44. Antiquitus autem *Dialogus*, ſoluta oratio dicta eſt, in qua ſermo plurium refertetur: cujuſmodi ſermones *Diverbia* in Comœdiis vocat T. Liv. *l.* 7. *c.* 2. *inde ad manum cantari hiſtrionibus cœptum diverbiaque; tantum ipſorum voci relicta.* Inventor eorum Alexamenes Tejus; nobilitavit poſtea hoc dicendi genus & argumentis illuſtribus & divinâ oratione diſtorſit ad Mimicam atque etiam Momicam laſciviam, Lucian. Ac quemadmodum eam ſolutam dictionem coluêre, poſtea metris incluſam, quibus ederent fabulas: ita primus Crates Athenienſis illis exolvit vinculis, Fabulaſque ſine metro dedit. Quod genus Διαλογικὸν, etiam ab geſtu & actione Δραματικὸν appellatum eſt &c. Vide Jul. Cæſ. Scalig. *Poëtic. l.* 1. *c.* 3.

DIAMASTIGOSIS, ſacri genus apud Lacedæmonios, in quo ante aram nobiles adoleſcentes ſeſe mutuis verberibus afficiebant, adſtantibus propinquis. Philoſt. *in vitâ Apol.*

DIAMICHIUS, idem qui *Chryſor.* vide ſuprà.

DIAMUNA, Indiæ fluv. in Gangem influens. *Ptol.*

DIANA, Jovis filia ex Latona, eodem cum Apolline partu edita. Hæc, ob virginitatis amorem, fertur hominum conſortia fugiſſe, & ut à ſe libidinis pruritum amoveret, venando ſylvas incoluiſſe. paucarum virginum comitatu contenta. In inferis Hecate, in ſylvis Diana, in Cœlo Luna, Phœbe, Delia, Cynthia dicta. Sub Lucinæ nomine, à parturientibus invocata eſt, Horat. *Carm. l.* 3. *Od.* 22. *v.* VI.

Montium Cuſtos, nemorumque virgo;

Et alibi, in Carmine ſeculari. *v.* 6.

Phœbe, ſylvarumque potens Diana.

Catull. ſecul. *Carm.* 34. *v.* 9. *& ſeqq.*

Montium Domina, ut foret
Sylvarumque virentium.
Saltuumque reconditorum
Amniumque ſonantium.

Inde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Inde *turba Diania*, apud Ovid. Faſter. *l.* 5. *v.* 141.

Exagitant & lar & turba Dianiarſtes:
Pervigilantque lares; pervigilantque canes.

pro canibus, & *Arma Dianæ* pro inſtrumentis venatoriis Gratio dicuntur. *Integræ Tentaret Orion Dianæ*, i. e. Caſtæ. Laudatiſſimum templum habuit apud Epheſ. 127. columnis, à totidem Regibus ſubſtructi, in nixum, quod die Alexandri Mag. natali arſit: Cultu ejus, uſque ad Apoſt. Paul. tempora perdurante. Vide Actor. *c.* 19. *v.* 24. 27. 28. 34. 35. aliud item in Taurica Reg. ubi carne tantùm humanâ litabatur. Lucan. *l.* 1. *v.* 441.

Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Sic dicta, ab Jana, ſi Macrob. credimus, d. literâ additâ: Jana enim Luna eſt. Alii à Διὸς eam appellatam volunt, h. e. à Jove, quaſi *Joviana*, quia Jovis filia: quidam quaſi *Devianam* vocant, quoniam venantes per ſylvas & devia errare ſolent. Triplex Cic. eſt *l.* 3. *de Nat. Deor.* Prima Jovis & Proſerpinæ filia, pennati mater Cupidinis: Secunda, quæ celebratiſſima, & à Græcis primò dein Romanis, ſummis honoribus culta, de qua hic: Tertia, cujus patrem Upin vocant, matrem Glaucen. Pingebatur *Diana*, ſpecie fœminæ comâ diſſolutâ, quæ arcum tenebat & ſagittam, cervos quoque cornutos in venatione inſequi videbatur, hodieque in nummis antiquis cernere eſt. Addita quoque ſimulacro retia, tanquam neceſſaria venatus inſtrumenta, ut & venabula, lineæ verſicolores, caneſque catenati. *Dianæ* Segeſtanæ ſimulacrum etiam dextrâ manu facem præferebat, M. Tull. 6. *Verrin.* Venerationis indicium inſigne, quòd ſolenne juramentum per illam olim concipeietur. Primum ei templum Romæ in Aventino monte extructum fuit à Latinis, Servio Tullio regnante: qui populis Latinis in unum corpus collectis, fœderis leges civitatibus conſcripſit, conditoque templo, ritus celebrandi feſti atque fori conſtituit: cujus rei memoria ne ullâ temporum injuriâ aboleretur, in ærea columna decreta concilii & civitates ejus conventus participes incidit. Columnam autem in templo Dianæ dedicavit, inſcriptam literarum characteribus Græcanicis, teſte Dionyſio. Huic templo boum cornua fuiſſe affixa, cùm reliquis Deæ fanis cervorum affigerentur, tradunt Liv. atque Plutarch. *Fuërunt* & ædes *Dianæ* in Cœlio, quæ hodie S. Joh. Evang. ſacra eſt: item in Subura. Cervâ illi litabatur, incidebantque ejus ſacra in d. 2. Martii, & 13. Aug. ſeu Idus. Mart. *l.* 12. *Epigr.* 68. cujus epigraphe de Idibus Maronis,

Majæ Mercurium creaſtis Idus,
Auguſtis redit Idibus Diana.

Tum mulieres voti damnatæ ac compotes, ab Urbe ardentes faces in nemus Aricinum, ubi religioſiſſimè fictitium hoc Numen colebatur, ferebant. Ovid. *in Faſtis*, *l.* 3. *v.* 270.

Sæpe potens voti frontem redimita coronis
Fœmina lucentes portat ab urbe faces.

Venatores quoque eôdem faces ſpicatas deferebant, caneſque ſuos morbo ac ſcabie affectos, infulis velatos, Deæ ſiſtebant, omni inſtrumento venatorio ante illam collocato, Grot. *de Venatione*. Imo ipſa Diana his feriis vacare credebatur. Stat. *l.* 3. *Sylvar.* 1. *v.* 57.

------ ------ ------ Ipſa coronat
Emeritos Diana canes, & ſpicula tergit:
Et tutas ſinit ire feras.

Vide Adr. Turneb. *Adverſ. l.* 7. *c.* 26. *Græcis* Ἄρτεμις dicta, Athenis in Munychia, portu Atticæ Piræeo proximo, templum habuit, unde feſtum ei ſacrum Μουνύχια, quod incidebat in d. 16. Aprilis, hinc Μουνυχιὼν vocati. Apud Epheſios autem inprimis culta eſt, ubi triplex templum habuiſſe, legitur: Quorum primum, cujus architectus Cherſiphron fuit, ab Heroſtrato, ipſo Alexandro Mag. natali die, incenſum eſt, Olymp. 106. Idem ſecundum quoque alioquibus dicitur, quia poſtquam à prædicto *Cherſiphrone Gnoſio & filio ejus Metagene ædes inſtituta eſt, Demetrius poſtea ipſius Dianæ ſervus & Poenius perfecère.* Vitruv. Poſtquam verò flammis datum eſt templum, novam & meliorem ejus ſtructuram, collatis tum ex propriis facultatibus, tum ex mundo muliebri, ſumptibus, fabricatam, refert Strab. Dinocrate ejus architecto. De quonam horum templorum, intelligendus ſit Plin. *l.* 36. *c.* 14. *Magnificentiæ vera admiratio extat templum Epheſiæ Dianæ ducentis viginti annis factum à tota Aſia* &c. ubi magnificentiam ejus prolixè perſequitur, dubitant Eruditi; ſed ultimum intelligi vult Oitel. *Notis ad A. Gellii l.* 2. *c.* 6. *uti nomen ejus, qui templum Dianæ Epheſiæ incenderat, nequis ullo in tempore nominaret.* Vide quoque Salmaſ. *ad Solin.* p. 814. & in voce *Templum*. Quid intelligendum per ναοὺς ἀργυροῦς Ἀρτέμιδος, Actor. *c.* 19. *v.* 24. *templa argentea Dianæ*, dubitant Eruditi. Eraſm. *in Annotat.* hoc vocabulo ſignificari ædiculas ſeu thecas templi effigie, in quibus ſtatuæ reponebantur, admonet. Simili ratione Chryſoſtom. κιβώτια μικρὰ, i. e. *parva ſcriniola*, explicat. Et Ναΐδια appellari, *armaria* Plin. *l.* 35. *c.* 2. *Imaginum amorem flagraſſe quondam teſtes ſunt Atticus ille Ciceronis*; vide infrà *ſed & aliquo modo Imaginibus non paſſus intercidere figuras, aut vetuſtatem ævi contra homines valere* &c. è quibus Majorum depromebantur imagines, apud Polyb. deprehendimus. Beza verò, Demetr. *Templa argentea Dianæ* procudere fuiſſe ſolitum ait, i. e. aut in nummis, aut aliis imagunculis celeberrimi illius templi typum repræſentare ac peregrinis adventantibus divendere, ut etiamnum hodie faciunt ejuſmodi Artifices iis in locis, ubi ſolent à nonnullis religionis causâ vota ſuſcipi. Iſtæ igitur imagunculæ ſeu nummi, ab ea figura quam repræſentabant, *Templorum* cognomentum retulêrunt, ſicuti ſimili prorſus ratione Deliorum ſeu Athenienſium nummos quoſdam *Boves*: eorundem Athenienſium alios quoſdam Κόρας i. e. *puellas*: alios Corinthiorum Πώλους, i. e. *pullos*: alios Peloponneſiorum Χελώνας; *teſtudines* vocabant. Sic apud Rom. *Naves* quidam nummi dicti reperiuntur. Additque idem Beza, duos iſtiuſmodi nummos pervetuſtos ſe inſpexiſſe, in quorum altera parte Epheſinæ illius Dianæ πολυμάστου, in altera templi imago, cum his literis DIAN. EPHES. ſculpta fuerit &c. Habuiſſe *Dianam* Gentilium cum Jemima, filia natu maxima Hiobi multum affinitatis, primò nomen docet: Ἡμέρα enim, i. e. *dies*, quod inter cognomina Dianæ fuiſſe docet Heſych. Hebræis, Syris, Arabibuſque eſt יממה; quin Latinorum *Diana* à die convenienter deducitur. Dein ſedes utriuſque: Nam & *Dianam Perſicam* finxêre & quæ vagaretur circa Euphratem, i. e. veriùs Arabica, quàm Perſica, *Agreſtem* fecêrunt quoque montium & nemorum cuſtodem, i. e. quæ in Arabia Deſerta, quam incultam credidêrunt, ſedem habuerit ſuam. Formæ inſuper præſtantiâ *Diana* inclyta legitur, unde Ἡμέρας & Εὐκλέας nomen, quod Jeminiæ appoſitè convenit. Spanhem. *Hiſt. Jobi.* Unde fortè ſuperſtitionis origo: quamvis & *Dianæ* nomen aliis quoque adaptatum eſſe notum ſit; quemadmodum plures Veneres, plures Hercules &c. Antiquitas habuit. Plura vide apud Joh. Gerhard. Voſſ. *de Orig. & Progr. Idololat. paſſim*, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 7. *cum Paralipom. Th. Dempſt.* &c. Addam ſaltem, omnium cæterorum Numinum juramenta faciliora violari habita, quàm hujus Deæ, utpote cujus odium acerbiſſimum putabatur. Sed & multa fabulatorum commenta afferri poſſe, quibus neque ἀειπαρθένος illa ſemper virginitatis admodum cauta demonſtrari poſſit, docet Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Pap. Stat. Theb. l.* 4. *v.* 256. De Templi ejus, quo olim Epheſus ſuperbiebat, ruderibus, qualia hodieque viſuntur, vide Jac. Spon. *Itiner. Græc. Part. I. p.* 332. *& ſeqq.* Idem *Inſcriptionem* Latino-Græcam *Dianæ Epheſiæ*, Cæſari Auguſto, Tiberio Cæſ. filio ejus, & Civitati Epheſo, factam & conſecratam à Gajo Sextilio Pollione, 2. leuc. ab urbe, aquæductus, qui Epheſum pergebat, ponte ſtrati monumentum, etiamnum extantem, exhibet *Part. III. p.* 135. Apud Plin. *l.* 35. *c.* 10. Apelles inter alia pinxiſſe *Dianam*, *ſacrificantium virginum choro miſtam, quibus vuiſſe Homeri verſus videtur idipſum deſcribentis*, (*Il.* ζ.) Item *Megabyzi Sacerdotis Dianæ Epheſiæ pompam*, &c. Vide quoque infrà *Mucianus*. Addo, quòd producit primam ſyllabam. Virgil. *Æneid. l.* 1. *v.* 499.

Exercet Diana Choros;

Horat. *l.* 1. *od.* 21. *v.* 1.

Dianam teneræ dicite virgines.

Vide porrò *Dictynna*, *Hecata*, *Lucina*, *Luna*, *Noctiluca*, *Proſerpina*, *Trivia*. Item Ovid. *Metam. l.* 3. *v.* 156.

Nomine Gargaphie, ſuccinctæ ſacra Dianæ,
Cujus in extremo eſt antrum nemorale receſſu.

Ibid. *v.* 163.

Hic Dea venatu ſilvarum feſſa ſolebat.
Virgineos artus liquido perfundere rore

Ibid. *v.* 181.

Implevere nemus: circumfuſæque Dianam
Corporibus texere ſuis.

Ibid. *v.* 185.

Is fuit in vultu viſæ ſine veſte Dianæ.

Ibid. *v.* 252.

Ira pharetratæ fertur ſatiata Dianæ.

Heſiod. *Theog.* Plin. *l.* 7. *c.* 38. *Mentori Capitolinus & Diana Epheſia, quibus fuère conſecrata artis ejus vaſa.* Ibid. *l.* 16. *c.* 40. *Cedrumque claro de omnibus materiis judicio in templo Epheſiæ Dianæ.* Vide infrà *eod. l. &c. De ipſo ſimulacro Deæ ambigitur.* Vide infrà *eod. l. c. Et in Hiſpania Sagunti ajunt templum Dianæ a Zacyntho advectæ cum conditoribus annis ducentis ante excidium Trojæ.* Diod. Sic. *l.* 16. Solin. Euſeb. Plutarch. Pauſ. Strab. Natal. Com.

Epitheta Dianae varia.

Æthiopica.
Agrotera ſeu Agreſtis; dicta eſt, quòd in agris verſaretur.
Alphea.
Aricina, vide *Nemus*.
Amphipyros.
Ἀρισόβουλος, templum Melite habuit, in quo ſepeliebantur, qui carnificis manu erant interempti. Vide infrà *Melite*.
Bendis, apud Thraces; quæ Μεγάλη θεὸς, item Δίλογχος Heſych. Cratino *Thriſſis*, appellata eſt, vide infrà *Thraces*.
Bubaſtis, ab opp. Ægypti nobili, ubi culta.
Caryatis.
Chiton, quaſi *Tunicata*, quòd puerperæ doloribus defunctæ veſtimenta ei ſua conſecrarent.
Cynegetis, q. *Canum actrix*.
Dictynna, à retibus.
Enodia.
Epheſia.
Εὔκλεια.
Hecate.
Ἡμέρα, ob formæ, quâ excellebat, pulchritudinem.
Hymnea.
Ilithyja.
Lephria.
Leucophrys, cui cùm ſacrificaret Themiſtocles, contra Patriam, pro Perſarum Rege, expeditionem ſuſcepturus, Val. Max. *l.* 5. *c.* 6. *exceptum paterâ tauri Sanguinem hauſit; & ante ipſam aram quaſi quædam pietatis clara victima concidit.* Vide Eruditorum *Notas ad C. Nep. in eo c. ult.*
Lochia, a levando ſeu curando partu.
Lucina, quòd in lucem fœtum produceret.
Luna, ſub cujus Numine omnes Deas cultas fuiſſe; docent Eruditi.
Lye.
Multimammia, vide infrà in hac voce, it. *Trivia*.
Munychia, apud Athenienſ. culta.

G 3 Nocti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Noctiluca.	Sciluntia.
Ops, quæ parturientibus pariter & Venatoribus præerat.	Scythica.
Orthia, it. Ortheſia.	Taurica, Ταυροβόλος, Ταυροπόλος, & vide infrà.
Pergæa.	Trivia.
Proſerpina.	Virago vide infrà.
Regina Cœli, apud Iſraëlitas.	

A' Diana, dictus eſt quandoque *Mons Dianæ* Romæ, qui aliàs Aventinus appellatus communiter eſt: quia in eo præter altare Herculis, templaque Junonis, Minervæ ac Lucinæ conſecrata, *Diana* quoque ibidem ſuum fanum habebat, ut ſuprà diximus. Quemadmodum idem mons *Murcius* quoque vocitatus legitur, à Murciæ, i. e. Veneris templo, vide Joh. Roſin. Alex. *Genial. dier. l.* 9. *c.* 11. Thom. Godwyn. *Anthologiæ Romanæ l.* 1. *ſ.* 1. *c.* 7. &c. Sic *ad Dianam*, locus eſt juxta Spalatum, versùs Occid. portûs partem, in Tab. Peutingeriana, ubi hodie Ædes S. Georgio dicata, quòd ibi loci fortè fanum aliquod hæc Dea habuerit; uti adnotat Spon. ſuprà laudatus *l.* 1. *p.* 104.

DIANA, legitimata Filia Henrici II. Gall. Regis Horatii Farneſii, Ducis Caſtr. dein Franc. Ducis Montmorantii, Mareſchalli Franciæ, uxor. Obiit A. C. 1619. Æt. 82.

DIANA Pictav. Henrico II. grata, in cujus gratiam, pro ſymbolo uſus eſt, Lunæ bicornis icone, cum lemmate, *Donec totum impleat orbem. Mez. rai.*

DIANA, fluv. Hiſp. Tarraconenſis. *Ptol.*

cum DIANA equitare, ſortilegii ſpecies. *Fragm. Capitular.* edita à Steph. Baluz. *c.* 13. *Illud etiam non omittendum, quòd quædam ſceleratæ mulieres, retro poſt Satanam converſæ, dæmonum — illuſionibus & phantaſmatibus ſeductæ, credunt ſe & profitentur nocturnis horis* cum Diana *paganorum Dea & innumera multitudine muliërum equitare, ſuper quaſdam beſtias & multa terrarum ſpatia intempeſtæ noctis ſilentio pertranſire, ejuſque juſſionibus, velut Dominæ, obedire* &c. Adde *Capitula* Erardi Ep. Turon. *c.* 3. laudata Car. du Freſne *Gloſſar.*

DIANÆ Fanum, Bithyniæ prom. Ptol. Baudr. opp. Bithyn. poſtea *Chryſopalis*, è reg. Conſtantinop. ex altera parte Boſphori Thracii. *Sanuti Sophiano.*

DIANÆ Fons, pagus Siciliæ ad Camarinam urbem. Hujus fontis aqua vino non miſcetur. *Solin.*

DIANÆ Oraculum, urbs Arab. Fel. Ptol. *Curiale*; teſte *Moletio.*

DIANÆ Portus, locus Corſicæ in ora orientali. Ptol. *Stagno de Diano* incolis lacus eſt, prope Aleriæ urbis rudera, in ora Or. ibi in mare Thuſcum ſe exonerans. Caret nunc portu; eſtque aëris gravioris. *Baudr.*

DIANENSES, Hiſp. citer. pop. in conventu Carthaginenſi. Plin. *l.* 3. *c.* 3.

DIANES, pop. Galatiæ. *Steph.*

DIANIUM, Hiſp. Tarracon. opp. in ora maris Balearici: Ptol. inter Edetanorum oppida enumerat. *Denia* vulgò. Baudr. eſt opp. Conteſtanorum in ora maris Medit. & Sinus Sucronenſis, cum portu cognom. Medium inter oſtia Sucronis fluv. & Artemiſ. prom. hinc *Dianium* dictum, quod 4. leuc. in Auſtr. ab oppido diſtat. Opp. verò 8. leuc. à Sætabi in Ort. 9. ab Alone, 4. à Gaudia, ſub dominio utili Ducis Gandiæ, è gente Borgia. Item inſ. maris Tyrrheni juxta Corſicam. Plin. *Giannti*, teſte Nigro. Satis montuoſa, ditionis Senenſis, ſub magno Duce: 9. circiter mill. ab Ægilio in Ort. 6. à monte Argentario in Auſtr. Baudr. Item opp. Liguriæ vino abundans. Item, opp. Pedemontii, in læva Borbi torrentis.

DIANIUM, opp. Lucaniæ, introitum in vallem Dianiam offert: ea naviculæ formam convenientiſſimam habet puppi proraque diductiore, ventre verò capaci, panditur enim in longum 20. M. P. in latum quatuor. Ad dexteram aditus ſtagnum illud apparet, ſeu palus, ut accolæ vocant, unde aquæ proficiſcuntur, quæ per ſpecum erumpentes Nigro fluvio principium dant.

DIANIUM, prom. quod & *Ferraria*, & *Artemiſ.* nunc *Cabo Martin*, & *Punta del Emperador*, in Mare Mediterr. excurrit, inter ſinus Succronenſem & Illicitanum, 9. leuc. ab Alone in Ort. Contra Ebuſum Inſ. à qua diſtat 10. leuc. in Occ. In regno Valentiæ. Vide *Dianium* opp.

DIAPASMA, apud Mart. *l.* 1. *Epigr.* 88. cujus Epigraphe ad Feſcenniam.

Quid quòd olet gravius miſtum diapaſmate *virus,*
Atque duplex animæ longiùs exit odor?

medicamentum eſt; cui odores immiſcebantur, quod Feſcennia ebria, (de quà hic ſermo) cùm vini odorem ſupprimere vellet, unà cum aromatis & paſtillis voraverat, à διαπάσσω, i. e. *conſpergo.* E tuſis autem & in pulverem redactis ſiccis aromatibus fiebant *Diapaſmata*, quibus & lecti geniales ac diſcubitorii reſpergebantur, Plin. *l.* 21. *c.* 19. *& quæ ad cohibendos ſudores in balneis corporibus inſpergebantur.* Sic de baccare. *conditur cum diapaſmate; Veſtibus odoris gratiâ inſeritur.* Et de agallochi ligno, quod eſt aloë, ὅλȣ δὲ τȣ͂ σώματος διάπασμά ἐστι, *totius corporis diapaſma eſt*, ait Dioſcorid. itidem nempe tuſum & in pulverem redactum. Quo pulvere cum myrrha mixto, etiam mortuorum corpora perungi conſueviſſe videntur: Hoc enim propriè οἱ μυρεψοὶ faciebant, quòd ξηροῖς ὑγρὰ, *ſiccis humida* miſcerent &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1058. De iis Plin. *l.* 13. *c.* 2. *Regale unguentum appellatum quoniam Parthorum Regibus ita temperatur: conſtat myrobalano, coſto, amomo* &c. *Siccis odoribus conſtant, quæ Diapaſmata vocantur.*

DIAPHANES, Ciliciæ fluv. ab aquæ perſpicuitate ſic dictus. Plin. *l.* 5. *c.* 27.

DIAPHENUM, Arabiæ urbs. Lib. Notit.

DIAPOLITUS, Ægyptiorum Rex cui & nomen *Amaſis*, ſub quo fuit fames magna. Oroſ. *l.* 3. *c.* 31.

DIAPSALMA, apud Optat. *l.* 4. *Legimus quadrageſimo nono Pſalmo, ſub ſecundo* Diapſalmate *Spiritum S. dixiſſe* &c. quid propriè notet, quærunt Eruditi. Eberhard. Betunienſis in *Græciſmo c.* 10.

Quod canitur, Pſalma eſt: interpoſitum Diapſalma:
Eſt in pſallendo ſimpſalma innexio vocum.
At quidam Diapſalma *vocant exordia ſenſus*
Alterius: quidam pauſam ſpiraminis eſſe
Sancti: ſed quidam, quòd ſit mutatio metri
Dicunt: ac quidam, quòd ſit diſtinctio rythmi.

Hieronymo vox hæc Hebraica videtur, & *ſemper* denotare; ita ut, quibus illa connectitur, ſempiterna eſſe confirmet. Solent enim Hebræi, in fine librorum, unum ex his tribus ſubnectere, *Amen*, *Sela* aut *Solam*; è quibus *Sela* idem eſt, quod *Diapſalma.* Igitur, ut ait Hieronymus, ut ſolemus nos completis opuſculis, ad diſtinctionem rei ſequentis, medium interponere, *Explicit* aut *Feliciter*, aut aliquid iſtiuſmodi; ita & Hebræi, quæ ſcripta ſunt, roborentur, facere ſolent, ut dicant *Amen* aut *in Sempiternum*; aut ſcribenda commemorant, ut ponant *Sela*; aut transacta feliciter proteſtantur, *Solam*, h. e. *pacem*, in ultimo ſubnotantes. Sententiam ſuam Origenis verbis fulcit, qui inter alia Theodorionem, Symmach. & LXX. Interpp. vocem *Selah*, ſemper Διάψαλμα, reddidiſſe, addit. Quid alii ſentiant, vide apud Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macros Fratres in *Hierolexico*, Andr. Rivet. inprimis, *in Pſalmos.*

DIARBECHIA, prov. Aſiæ, inter Euphratem & Tigrim, ubi aliàs Meſopotamia, quod vide ſub Turcis.

DIARIUM, vide *Pr[illegible]*.

DIARREUSA, inſ. Chio finitima. Plin. *l.* 5. *c.* 31.

DIARRHOEA, Cyrenaicæ reg. portus, Ptol. *Zanara Marmolio.*

DIAS, Sophiſta Epheſ. Philippi Regis temp. *Philoſt.*

DIAS. urbs Lyciæ, quàm Diades condidit. *Steph.*

DIASIA, Jovis feſta apud Athenienſes, teſte Suidâ, & Lucian. *in Charidemo*, meminit eorum & Ariſtoph. Agebantur autem, ut Heſych. ſcribit, cum peculiari quadam triſtitia.

DIASPHENDONE, à Græcò verbo διασφενδονάω, h. e. *violenter diſpungo, diſſipo*, patibulum erat inter duas inclinatas arbores, in quibus Martyrum corpora ligata, arboribus in priſtinum ſitum maximâ vi redeuntibus, in partes diſcerpebantur, Macri Fratres *in Hierolexico.* Vide infrà *Lacer.*

DIATHYRA, Διάθυρα Græcis, quæ *Prothyra* Latinis, de quibus vide Vitruv. *l.* 6. *c.* 10.

DIATRITA & DIATRITARII, in vett. Libb. pro *Diatreta & Diatretarii*, dicebantur autem *Diatreta* vel *Diatreti* calices, non qui torno formabantur, ut nonnulli volunt: ſed qui ſculpebantur cælabanturque magna arte nec minori periculo, nam ſæpe inter ſculpendum frangebantur, Unde Mart. *l.* 14. in apophoret. *Epig.* 115. cujus Epigraphe: calices vitrei.

Aſpicis ingenium Nili: quibus addere plura
Dum cupit, ah quoties perdidit auctor opus.

Erant nempe calices vitrei, cavati perforatique, h. e. ſculpti: à διατρῆσαι *perforare* ſeu *cavare.* Salmaſ. *ad Flav. Vopiſc. in Saturn.* Seu potiùs cryſtallini cælati: è cryſtallo enim conſtitiſſe, pluribus docet Bochart. *Hierozoici Part. poſter. l.* 6. *c.* 16. Vide iterum Salmaſ. *ad Solin. p.* 204. & ſuprà ubi de *Aceutetis.* Διάτρητοι verò dicebantur in Circo fores carcerum cancellatæ & reticulato opere factæ, aliter hinc Δικτυωταὶ, Lat. propriè *Transennæ.* Et in genere διάτρητον id omne opus eſt, quod viſum transmittit, & δικτυωειδὶς atque καγκελλωτὸν quoque dixêre, *ibid. p.* 921. De cujuſmodi foribus vide hic ubi de *Cancellis*, item in voce *Tranſenna.*

DIAULA, una ex 4. porticibus Romæ, quæ ad meridianas regiones ſpectabat.

DIAULIA, vide *Daulis.*

DIAULITÆ, vide *Diablintres.*

DIAULUS, de quo Mart. *l.* 1. *Epigr.* 31. cujus Epigraphe de *Diaulo* Medico.

Chirurgus fuërat, nunc eſt veſpillo Diaulus
Cœpit, quod poterat clinicus eſſe modo.

Ibid *l.* 1. *Epigr.* 48. cujus *Epigraphe de Diaulo Medico.*

Quod veſpillo facit, fecerat & Medicus.

DIAULUS, ſpecies curſus, in Vett. Gymnaſiis. Quamvis enim Antyllus hoc exercitationis genus triplex ſolùm fecerit, in anteriora, in poſteriora & in orbem, currendi: apud Galen. tamen & Dolich. & *Diaulum* quoque reperimus, quorum alterum ait Græcis continuatum diu curſum ſignificare, quem tamen major pars Auctorum duplicis ſtadii ſpatium extitiſſe cenſet; alterum verò definiunt fere omnes fuiſſe curſum, quo ſtadium ſemel currebant & recurrebant. Itaque *Stadium*, erat curſus unius tantùm ſtadii: *Dolichus*, duplex uno curſu ſtadium: *Diaulus* duplex & ipſe ſtadium, ſed reflexo curſu; Ut fieri poſſe credat Mercur. periſtylii interioris ambitum, quem *Diaulum*, ob duorum ſtadiorum menſuram, vocatum tradidit Vitruv. *l.* 5. *c.* 11. hujuſcemodi curſui inſerviſſe. Hieron. Mercur. *de Arte Gymnaſt. l.* 2. *c.* 10. Vide quoque eum *l.* 1. *c.* 11. ubi de Palæſtrarum ædificatione, & variis Gymnaſiorum partibus verba facit. Iſtiuſmodi autem Curſores, qui ſc. decurſum relegerent ſpatium, ſine intermiſſione tactâ metâ ad ἀφετηρίαν i. e. *carceres* recurrendo, διαυλοδρομοῦντες, *diaulodromi*, dicebantur. Unde pereleganter Philo Lunam, poſtquam plena fuit, διαυλοδρομεῖν καὶ τὴν αὐτὴν ὁδὸν, *recurrere eadem via*, *l.* Περὶ Κόσμȣ, ubi totum hoc negotium accuratè perſequitur. Vide plura apud Car. Paſchal. *Coron. l.* 6. *c.* 13. Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 22. ubi *de Ludis*, Alios. Hinc Δίαυλον carmen idem Scalig. vocat id, in quo per eadem elementa recurritur cujus exempla habes apud eum ubi modò *l.* 2. *c.* 30.

DIAZIUS Joh., Cuenzâ Neapolitanus, juvenis Lutetiæ Pariſiorum ultra 13. Annos commoratus, inſignem eruditionem, Hebraicæ inprimis Linguæ peritiam, ſibi acquiſivit. Ex S. Scripturæ lectione veritatis cæleſtis cognitione ibidem hauſtâ, Genevæ Calvinum, Argentinæ Bucerum, audiit; huicque ad Colloquium Ratisbonenſe Comes à Senatu datus eſt, A. C. 1546. quo finito Neoburgum diſceſſit, ut ibi quendam Buceri librum typis exſcribendum curaret; ſed nefariâ Alfonſi fratris trucidatus fraude, propoſitum perficere non potuit. Factum autem id A. C. præf. die 27. Martii. Jac. Verheiden *de Theologis, qui Papam oppugnar.*

DIBAMBYLON, Græcè διβάμβυλον, apud Codin., vide infrà *Monobambylon*, it. *Stephanomata*: & ſuprà *Diabambylum*, it. *Bammulum*. Addo hîc ſaltem, in Concilio Florent. *S.* 4. *c.* 23. *p.* 99. Ἐπέζευξε ἤ, ἵνα κατέχωσι καὶ τὸ διβάμβυλον καὶ τὸ δεκανίκιον ἔμπροσθεν αὐτοῦ, voce hac *papilionem æſtivum* deſignari. Sic enim verba Latinè habent, *Mandavit inſuper; ut æſtivus papilio & pedum Patriarchale ipſi in altum præferrentur.* Ubi quidem διβάμβηλον mallet Cl. Meurſ. quaſi *dibamvelum*. Sed διβαμβύλου vox huc tranſlata, quòd velum hujuſmodi, dum umbram arcet à conto longiori ſupra capitis faſtigium explicatum, incurvi & camerati fornicis inſtar præbet: dum verò rurſus ad contum reducitur, ventoſam lagunculam aut ampullam repræſentat. Certè & διβάμπυλοι nonnunquam ſcribi, Cl. Suicer., docet in hac voce. Vide plura apud Rob. Creyghton. *Not. ad Concilii præfat S.* 3. *c.* 17. & *S.* 4. *c.* 23. Vide & *Diabambylum.*

DIBAPHUM, purpuræ apud Vett. epitheton, quia bis tingebatur. Horat. *l.* 2. *Od.* 16. *v.* 35.

------ ------ Te bis Afro
Murice tinctæ
Veſtiunt lanæ.

Non tamen, quod purpurâ, ut apud Græcos, ſed quod cocco bis tinctum eſt; apud Hebræos id ſonat, quibus שני *ſani* dicitur: à verbo שנה, quod iterare & duplicare eſt. Vide ſuprà. De iſtiuſmodi purpura Plin. *l.* 9. *c.* 39. *nec multo poſt rubra, Tarentina, huic ſucceſſit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi. Hac P. Lentulus Spinter, Ædilis curulis primus in prætexta ujus improbabatur: quâ purpurâ quis non jam triclinaria facit?* Fuit autem is Spinter Ædilis A. U. C. ſeptingenteſimo, Cicer. Cos. &c. Caſp. Barth. *ad Stat. Theb. l.* 9. *v.* 690.

Ipſe bis œbalio ſaturatam murice pallam,
Lucenteſque auro tunicas.

DIBAUDIUS Chriſtophorus, vide *Chriſtophorus.*

DIBICTUS, frater Artabazi. Polyæn. *l.*7.

DIBON, urbs magna & munita, quæ cùm priùs fuiſſet filiorum Moab, & pòſt eam Seon Rex Amorrhæorum belli jure tenuiſſet, eo pulſo à filiis Iſraël capta, & tribui Gad attributa eſt. Vide Joſ. *c.* 13. *v.* 9. & 17. *c.* 15. *v.* 2.

DIBON-GAD, locus in quo Iſraëlitæ fixêre tentoria profecti de Oboth. Num. *c.* 33. *v.* 43, 44. & 46.

DIBRÆ, Epiri, opp. à Turcis, in unicum urbis puteum cadavere canis injecto, captum: cùm, Petro Perlato præf. coram civibus aquam inde hauſtam bibente, hi tamen illam averſati, libertatem mallent amittere. Circa A. C. 1442. Martin. Barilet. *in Hiſt. Scanderbegi l.* 2. & 3.

DIBUTADES, Sicyonius, primus figulus Corinthi, qui ex creta docuit pingere, primuſque perſonas tegularum extremis imbricibus impoſuit. Plin. *l.* 35. *c.* 12. *Dibutades ſicyonius figulus primus invenit Corinthi filiæ opera.*

DICÆA, urbs Thraciæ.

DICÆA, quæ & *Dicœarchea*, nunc *Puteoli*, quod ea civitas quondam *juſtiſſime regebatur.* Sil. Italic. punic. bell. *l.* 13. *v.* 384.

Forte Dicarcheâ juvenis conſedit in urbe
Scipio. ------ ------

Strabo *l.* 5. *Cumanorum navale Dicæarchia, à Samiis condita, quam Romani, deductâ eo coloniâ, Putèolos vocarunt. Poſt* Dicæarchiam *eſt Neapolis* &c. Vide *Puteoli.*

DICÆARCHUS, Diſcip. Ariſtot. Mathematic. Hiſtoric. & Philoſoph. Meſſen. qui opinatus eſt hominum exordium nullum extitiſſe. Scripſit de Rep. Spartana; de gentibus & antiquit. Græciæ urbium. Hieron. *l.* 2. *c. Jovin.* Ei etiam de montibus liber attribuitur, & Strab. inter Geographos refert. Compoſuit 3. libros, in quibus ſcripſit animam nihil aliud eſſe, quàm vim quandam, atque potentiam æquabiliter fuſam, tam in corporibus brutorum, quam hominum, quæ à corpore foret inſeparabilis, ut à morte nullus ſenſus ſuperſit, ſed omnia cum anima moriantur. Vide Cic. *l.* 13. *ep.* 32. *ad Att.* Tertull. *de Anima, c.* 15. *n.* 178. *edit. Pamel.* Athen. *l.* 11. 13. *&c.* Diog. Laërt. *in Platone & Thalete.* Plutarch. *in Theſeo, Ageſilao,* &c. Aul. Gell. *l.* 4. *c.* XI. *ita hæc remotiora ſunt his, quæ Clearchus, & Dicæarchus memoriæ tradidèrunt.* Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 1. *c.* 9. *de Mathem. c.* 43. 59. & 69. &c. Cenſorin. *de dic nat. c.* 4. Strab. *l.* 1. Steph. Byzant. &c. Idem Ægyptiaca tempora tractavit, Syncello quidem non memoratus, ſed ex vetuſtiſſimo Apollonii Rhodii Scholiaſte ſupereſt egregium ejus Fragmentum, quod profert Joh. Marsham. *Canone Chron. ad S.* x. Alius Lacedæmonius Grammaticus Ariſtarchi auditor. Suid. Vide Jonſ. *de Script. Hiſt. Philoſ. l.* 1. *c.* 16.

DICÆARCHUS, laudatur περὶ μουσικῶν ἀγώνων, ab Auctore Scholiorum in Ariſtoph. *Ranis Act.* 5. *Sc.* 2. 273. *D.* Item *in Crabron. p.* 519. *E.*

DICÆOGENES, Poëta, ſcripſit Tragœdias, & Dithyrambos. Suid. *Harpocration.*

DICASMUTA, locus Flandriæ, nunc *Dixmude.*

DICASTERIA, Athenis à Solone inſtituta ſunt, ut ſic æquam omnibus ſuis civibus libertatem conſtitueret, quod tum demum fore cenſuit, ſi à populo judicia redderentur. Itaque provocationem à Magiſtratibus ad Judices hâc lege dedit: Περὶ ἐκείνων, ὅσα αἱ ἀρχαὶ κρίνωσι, εἰς τὸ δικαστήριον ἐφέσεις εἶναι εἰς [illegible], *A Magiſtratuum ſententia ad Judices provocanto*, Plutarch. *in Solone.* Inter Judices autem, allegebantur omnes ex æquo cives Athenienſes, ſine ullo cenſus diſcrimine: nam etiam Θῆτες Solonis lege, τῷ συνεκκλησιάζειν καὶ δικάζειν μόνον μετέχον τῆς πολιτείας, *in Comitiis & Judiciis partem habebant*, modò eſſent famæ integræ, Annos triginta nati, neque relati inter ærarios; quanquam poterant ex lege capi in Judices etiam illi, qui Senatu moti fuerant, contrarium obtinente apud Rom. Legis verba, Ἐξεῖναι ἐν τῷ δικαστηρίῳ καταδέχεσθαι τοὺς ἐκφυλλοφορηθέντας, *In judices allegere eos qui Senatu moti ſunt, fas eſto.* Capiebantur v. Judices ſorte, è lege Solonis, qui Dicaſteria κληρωτὰ fecit: Πάντας Ἀθηναίους λαχεῖν εἰς τὰ δικαστήρια, *Athenienſes in ſua quiſque fora diſtribuuntur*; cujus legis mentio apud Demoſth. *c. Ariſtogit.* Horum Tribunalium ſeu *Dicaſteriorum* fuiſſe decem, docent Comici Interpretes *ad Plutum*, inſcripta ſingula unâ harum decem literarum, Α. Β. Γ. Δ. Ε. Ζ. Η. Θ. Ι. Κ. Athenienſes, itaque, qui vellent judiciis reddundis vacare, nomina ſua dabant tabellæ inſcriptæ, adſcripto Patris Populique nomine: totidem etiam tabellæ erant, quarum aliæ aliis harum decem literarum eſſent notatæ, pro numero ſc. eorum, qui in hoc vel illo Foro eſſent judicaturi: Atque ita fiebat, ut prout quiſque hanc aut illam literam ſortiretur, ita huic aut illi Foro judex traderetur. Quicunque autem literæ ſortem nactus erat, Fori ejus præconi oſtendebat: tum ei tabellam dabat Præco, in qua nomen illius itemque Fori inſcriptum, virgam item cum eodem Fori nomine, quibus poteſtatem judicandi καὶ τὸ δικαστικὸν nanciſcebatur. Quod ſi quis, qui non ſortitus eſſet, inter Judices ſedere vellet, multabatur: In frontiſpicio autem cujuſque *Dicaſterii* rubris literis ſcriptum erat ΑΛΦΑ. vel ΒΗΤΑ &c. quo nomine nempe quodvis veniebat. Ab hoc numero denario Tribunalium ortum Prov. eſt, Λύκου δεκάς, Lyci enim Herois ſtatua, lupi ſpecie, in Athenienſium *Dicaſteriis* collocata erat. Olim quinque περὶ φονικῶν πραγμάτων *de criminalibus* judicabant, quibus tum adſcripti erant Ephetæ, de quibus vide *infrà*: poſtea Areopagitico, uni ex his 5. adſcripſit Solon Judices, qui *Areopagitici* dicti ſunt, ita ut quatuor tantùm reliquis Ephetas adſcripſerit, qui cùm non multo pòſt deridiculo fuerint, quatuor his Tribunalibus alii dati ſunt Judices ſorte capti. Ita inter decem illa *Dicaſteria*, quorum Judices ſorte legebantur, recenſenda ſunt quatuor iſta, περὶ φονικῶν πραγμάτων, Nempe τὸ ἐπὶ Παλλαδίῳ, τὸ ἐν Δελφινίῳ, τὸ ἐπὶ Πρυτανείῳ, & τὸ ἐν Φρεαττοῖ. Præterea ſex erant Tribunalia, quæ περὶ δημοσιακῶν πραγμάτων, *de rebus civilibus*, ſententiam ferebant: Nempe Heliæa, Trigonum, Parabyſtum medium, Parabyſtum majus, Eorum ad Lycum & tribunal Metichi: quibus ſeptimum addit Ariſtoph. *Veſpis*, τὸ Καινὸν dictum. Ex his Parabyſtum medium, (in quo Undecimviri, non ſedentes, quemadmodum in reliquis *Dicaſteriis*, judicabant res minimi momenti, quæ ne tantillum quidem pretio unum ſuperabant Choëm, i. e. duodecimam partem metretæ vini ſeu drachmam) expungi vult Petit. ita ad denarium redibitur. Vide Sam. Petit. *Commentar. in leges Attic. l.* 4. *t.* 1.

SERIES DICASTERIORUM IN ATHENIENS. REPUBLICA.

Τὸ ἐπὶ Παλλαδίῳ, *juxta Palladium*, cui nomen à Palladio ibi loci conſecrato. Hic cædes per ignorantiam commiſſæ diſceptabantur, primuſque in hoc Dicaſterio judicatus legitur Demophoon.

Τὸ ἐν Δελφινίῳ *juxta Delphinium*, ſic dictum in honorem Apollinis Delphinii ac Dianæ Delphiniæ. Hîc judicabatur de cædibus, quas reus jure feciſſe ſe dicebat: Primuſque Dicaſterio huic ſe ſtetit Theſeus.

Τὸ ἐν Πρυτανείῳ, *in Prytanæo*; Hîc actum de cædibus, quarum cauſæ fuiſſent inanimatæ res, ligna, lapides, ferrum &c. ſi fortè in hominem fuiſſent prolapſa, ſive ab aliquo, ſed qui ignorabatur, in eum projecta. Judices hujus Dicaſterii Φυλοβασιλεῖς dicti: cauſa cædis exilio multata, Æſch. *c. Cteſiphontem.* Primùm hîc judicata fuit ſecuris, quâ Sacerdos, quem Βουφόνον vocavêre, bovem ad Jovis Poliæi altare, tempore Erechthei Regis mactavit.

Τὸ ἐν Φρεαττοῖ, *in Phreattye*: locus erat in parte Piræi mari proxima, cui à Phreato Heroë nomen. Hîc judicabatur, ſi quis ob involuntariam cædem aliunde huc delapſus, tempore exilii ſui ſciens volenſque homicidium commiſiſſet. Cogebatur autem in navigio cauſam dicere, τῆς γῆς οὐχ ἁπτόμενος, *terram minimè attingens.* Coram his Judicibus primus comparuit Teucer, innocentiam ſuam probaturus ob cædem Ajacis, ut ſic reditum in Patriam, è qua ejectus propterea fuerat, impetraret.

Heliæa, ſex ultimorum maximum, de pluribus cauſis cognoſcebat & gravioribus quàm reliqua: Conſtabat ex 500. Judicibus, ſicut & de duobus aliis legitur, Poll. Unde mille quingenti Judices, tribus nempe Tribunalibus in unum convenientibus, coacti leguntur, apud Dinarch. Habuêrunt hi, *Heliaſtæ* dicti, juramentum quoque peculiare, neque Apollinem Patrium, ut in reliquorum jurejurando, ſed Neptunum in teſtem ac vindicem appellabant.

Trigonum, à figura triangulari appellatum, ut videtur.

Παράβυστον μεῖζον καὶ μέσον, *Parabyſtum majus & medium*; Erat in loco admodum obſcuro; & hoc inprimis, ut ſuprà dictum, de rebus leviſſimis judicabat. Unde ἐν παραβύστῳ, apud Ulpian. pro *clam*, ſed *privatim*, Proverbialiter ſumptum, reperitur.

Τὸ ἐπὶ Λύκῳ, *Forum ad Lycum*, ſic nominatum à ſtatua Lyci Herois; & Junonis, quorum uterque lupina facie ibi figurabatur. Aliàs Lyci ſtatua omnibus Dicaſteriis erat communis. [illegible] etiam templum prope hoc

Forum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Forum Lyco ſacrum, in quo Judices diurnam mercedem, tres nempe drachmas in diem, capiebant.

Μητίχου δικαςήριον, *Metichi* Dica-*ſterium*, ſeu *Tribunal*, cui nomen à Meticho Architecto: amplum admodum erat, & admittebat Judices, qui triginta Annis majores, claris parentibus, nec ærarii erant.

Τὸ Καινόν, vide ſuprà.

His addidêrunt quidam τὸ ἐν Ἀρδήττῳ, *Tribunal Ardettum*; occaſione verborum Pollucis *l.* 8. *p.* 406. ἐν Ἀρδήττῳ δικαςηρίῳ, ſed legendum: ὤμνυον ἐν Ἀρδήττῳ οἱ δικαςαί. *Jurabant in Ardetto Judices.* Locus is autem erat prope fluv. Iliſſum, dictus ab *Ardetto* cive nobili, qui populum ſeditione colliſum, ad mutuam concordiam, juramento ibi adegit: Unde factum; ut ibidem loci poſtmodum Judices *per Apollinem Patrium, Cererem ac Jovem Regem*, juramento ſe ſolenni adſtringerent, ſe ſententiam laturos ſecundùm receptas leges. Fuêre autem multa omnibus Judicibus communia, in quæ omnes jurabant: inprimis Caput iſtud, quod poſt exactos 30. Tyrannos adſcriptum fuit, habeturque apud Andocid. ἐν τῷ περὶ τῶν Μυςηρίων: Καὶ οὐ μνησικακήσω οὐδ' ἄλλῳ πείσομαι. Ψηφιοῦμαι δὲ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους, *Neque præteritorum in malum meminero, neque alteri meminenti aſſenſum præbebo: ſed ſententiam feram ſecundùm receptas leges.* Pauſan. *in Atticis*, inter minus celebria Dicaſteria Trigonum refert, ubi etiam Βατραχιοῦν καὶ Φοινικιοῦν, à coloribus ſic dicta, memorat, verùm hæc fortè non erant diverſa à decem præfatis; ſed ita appellata ſunt ea, quæ his coloribus (ſuus enim cuilibet *Dicaſterio* color) erant inſignia; Ita enim Ariſtot. *de Athen. Rep.* Τοῖς γὰρ Δικαςηρίοις γράμμα ἐπιγέγραπται ἐφ' ἑκάςῳ ἐπὶ τῷ σφηκίσκῳ τοῦ εἰσόδου, ἡ χαλῶν τὸ δικαςήριον ἑαυτοῦ καὶ εἰς δικαςήριον τὸ ὁμόχρουν τῇ βακτηρίᾳ, ἔχει τὸ αὐτὸ γράμμα ὅπερ ἐν τῇ βαλάνῳ. Plura vide apud prædictum Petit. Fr. Roſſæum *Archæologiæ Att. l.* 3. *c.* 3. & *ſeqq.* Poſſard. *de Magiſtr. Athen.* Emm. *de ſcript. Reip. Athen.* Meurſ. *Athen. Ar. l.* 2. *c.* 12. &c.

DICATIO, in *l.* quadam Conſtantini *Cod. Theodoſ. Edictum autem continens indulgentiam noſtram ad devotionem tuam miſimus, ut tua* dicatio *& alii cuncti recognoſcant, quid præſtitimus memoratis*: idem quod *Devotio* eſt, Græcis ἀφοσίωσις, καθοσίωσις, titulus honorarius, quo Principes erga ſibi ſubjectos uti ſolebant. Hinc in vett. ſaxis, *Numini Majeſtatique Principis* dicatus *& devotus* &c. Salmaſ. *ad Treb. Pollion. in Gallien.* Vide quoque ſuprà; in voce *Devotio.*

DICDICA, Africæ propriæ urbs. *Anton.*

DICE, Dea & præſes judiciorum apud antiquos credebatur, cujus miniſtri dicebantur Δικαςαὶ, i.e. *litium diremptores.* Virgo dicebatur, quia judices puri, integrique eſſe debent. Jovis verò filia, quia Jupiter eſt Nomothetes, princeps ac Imp. univerſorum. Cæl. Rhodig. *l.* 23. *c.* 16.

DICEBAM, exprobratio non creditæ veritatis eſt. Stat. *l.* 4. *Sylv.* 3. *v.* 124. ubi de Sibylla,

Tunc ſi virgineo profatur ore;
Dicebam, *veniet (manete campi,*
Atque amnis.) veniet favente cœlo,
Qui fœdum nemus & putres arenas
Celſis pontibus & via levabit.

Idem *Theb. l.* 12. *v.* 333.

------ ------ ubi inclyta famæ
Antigone? mihi nempe jaces: mihi victus es uni.
Dicebam, *quò tendis iter? quid ſceptra negata*
Poſcis?

Quaſi diceret, *utinam mihi paruiſſes. Dicebam enim tibi; Mane hic* &c. Vet. Schol. Auſon. *Epigr.* 13. ad Gallam puellam jam ſeneſcentem.

Dicebam *tibi: Galla, ſeneſcimus. effugit ætas.*

Vide Joh. Paſſerat. *Not. ad Propert. l.* 1. *Eleg.* 9. ad Ponticum *v.* 1.

Dicebam tibi venturos, irriſor, amores,

Ibid. *v.* 6.

Dicere, quos juvenes quæque puella domet,

Ibid. *v.* 34.

Dicere quo pereas ſæpe in amore levat.

Similiter *Dicite* exprobrantis eſt, apud eundem Stat. *l.* 5. *Sylv.* 5. *v.* 5. ubi in Muſas invehitur Poëta,

------ ------ quæ veſtra ſorores,
Orgia, Pieriæ, quas inceſtavimus aras?
Dicite: ------

Juven. item *Sat.* 6. *l.* 11. *v.* 264.

Dicite vos neptes Lepidi, cæcive Metelli,

Infra *v.* 279.

Dic aliquem ſodes hic Quintiliane colorem.

Infra *v.* 392.

Dic mihi nunc, quæſo dic antiquiſſime Divûm,

Infra *v.* 477.

Dicitur, & pœnas alieni pendere ſomni,
Cogitur.

Infra *v.* 642.

----- Quicquid de Colchide torva
Dicitur,

Claudian. *de Laud. Stil. l.* 1. Stat. rurſum *Theb. l.* 5. *v.* 115.

Dicite, vel juſſos cujus pulſantia menſes
Viſcera tument?

ubi vide *Animadverſ.* C. Barth.

DICELICTÆ, apud Spartan. ſic dicebantur, qui luſus comicos leves, & tenues obibant. Cæl. Rhodig. *l.* 6. *c.* 17.

DICENEUS Boroiſta, vir doctiſſimus, Gotthorum conſiliarius, omnem eos edocuit philoſophiam, & Theologiam, ſacella fieri juſſit, ſacerdotes inſtituit. *Jornandes.*

DICERIUM, Græcè Δικήριον, dicebatur in Imperio Græco bulla cerea duplex, rubra & praſina, quâ utraque utebatur Imp. ut innueret, ad ſe pariter atque ad Patriarcham, docendi munus, pertinere. Balſamo *de privilegiis Patriarch. p.* 444. Ἐντεῦθεν γὰρ οἱ πιςοὶ Δεσπόται καὶ Αὐτοκράτορες κατηχητικῶς ὁμιλοῦσι τῷ χριςωνύμῳ λαῷ καὶ θυμιῶσιν ὡς ἱερεῖς καὶ μετὰ δικηρίου σφραγίζουσι, i.e. *Hinc enim uſu venit, ut fideles Principes & Imperatores catechetico more cum Populo Chriſtiano colloquantur, aut ſuffitum faciant more Sacerdotùm & cum cera duplici obſignent.* Sed Patriarcha praſinam ſolùm adhibuit: itaque legitur bis *in Solutionibus quarundam quæſt.* Manuëlis: εἶχε τῷ μηνὶ Γαλιλαίῳ ἐπινεμήσεως ἢ καὶ τὴν κηρίνην πρασίνην σφραγῖδα. Vide Joh. Kirchm. *de Annulis c.* 8. Salmaſ. Δικήριον explicat, de ſigno utrinque ſeu utroque latere expreſſo, quod & δίπτυχον βοῦλλαν & δίπτυχον κηρίουλλον Græcis, *duplicem Bullam*, Latini vocaverint; quemadmodum *ſimplex Bulla* dicta eſt, ubi ab una tantùm parte ſignum erat impreſſum. Idem Δικήριον id duplex facit, rubrum & praſinum, *de Subſcr. & Subſign. Teſtam. p.* 330. Quod non alienum à more bullandi Pontificum Rom. qui ante coronationem ſubſcribunt, *Datum Anno I. die tertio*, ſuſcepti à nobis officii Apoſtolatus; tùncque bullam ſolùm ſimplicem adhibent, h.e. ab una tantùm parte DD. Petri & Pauli imagines, in plumbo, habentem; alterâ parte planâ exiſtente: poſt coronationem autem, *Dicerio* utuntur, cum prædictis ſc. imaginibus ab una, & nomine Pontificis ab altera parte. Gerh. von Maſtricht *Hiſt. Juris Eccl. n.* 402. Idem Salmaſ. *Dicerati* nomine poſtulaſſe exactores folles ſexdecim. ait *Not. ad Tertull. de Pallio*, ubi quid *Dicerati* nomine intelligat, vide: illud enim Græcis δικέρατον eſt.

de DICETO Radulphus, vide *Radulphus.*

DICIS causâ, apud Plin. *l.* 28. *c.* 2. *Sub calcem ſi Pontifici accidat* Ditis causâ *epulanti, in menſa utique id reponi, adolerique ad Larem, piatio eſt*: eſt boni ominis cauſa. Cùm enim inaugurationes & ſacra fierent, epulis intereſſe ſolebant quondam Pontifices, atque ad vetuſtatis memoriam & imitationem quibuſdam in ſacris epulatio retinebatur, quod ajebant, *Dicis causâ fieri.* Ἀφοσιώσεως ἕνεκα, δίκης vel δικαίου χάριν, exponit Conſtantinus, nim. ut omen triſte averterent, ſacris ritè peractis, quum epulabantur. Duaren. *Adv. l.* 1. *c.* 47. *non ſeriò, non verè, ſed perfunctoriè tantùm, & per ſimulationem*, interpretatur. Et quidem in mancipationibus olim interveniebat, & commodabatur pecunia nempe ſeſtertius nummus, ut *dicis gratiâ* numerationis loco intercederet, præſertim in donationibus, quæ fiebant per emancipationem, Gr. νόμου χάριν, *ut ſatisfiat juris ſolennitatibus*, vel λόγου χάριν, *ut dicere poſſent ſe emiſſe*, vide Cujac. *Obſerv. l.* 10. *c.* 37. At Arnob. *princ. l.* 4. *c. Gent. Dicis cauſâ*, clariſſimè uſurpat, pro *boni lætique ominis gratia.* Dalechamp. *ad l. h.*

DICON, Syracuſanus, vicit ſtadium, Olymp. 99.

DICTA, quando Virgo olim appellata, vide infrà in *Pacta.*

DICTÆ, ſive *Dictæus mons.* Plin. *l.* 4. *c.* 12. mons Cretæ, *Laſthi* ſeu *Laſſiti* nunc; in parte Orient. inter Gnoſſum ad Occ. & Samonium prom. ad Ort. nunc ſub Turcis, cum toto illo tractu. Habet duo brachia, quorum alterum procurrit ad prom. Samonium, alterum ad prom. Siderum in Bor. Baudr. hinc *Dictæus* pro *Cretenſis.* Virgil. *Eclog.* 6. *v.* 56.

Dictææ Nymphæ nemorum jam claudite ſaltus.

Ovid. *Met. l.* 3. *v.* 2.

Se confeſſus erat, Dictæaque rura tenebat.

DICTÆUS, Jupiter vocatus, à *Dicto* vel *Dicte*, monte Cretæ. Utroque enim modo dicitur. Fuit & *Dictæum ſpelæum*, dicti montis. Alii Δίκτην inſulam eſſe ajunt à piſcatoribus derivatam, δικτύων, ubi imberbe Jovis ſimulacrum fuit, quod *Dictæum* dicebatur. *Nic. Lloyd.*

DICTAMNUM, & Dictynna, Cretæ opp. Ptol. Nunc *Dictamo*: in territ. Cydoniæ, ſub Turcis. Baudr. Inde *dictamnus* herba. Virgil. *Æn. l.* 12. *v.* 412.

Dictamnum genetrix Cretæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis, & flore comantem
Purpureo; non illa feris incognita capris
Gramina, cùm tergo volucres hæſere ſagittæ.

Ariſtot. *l. de Mirabil. auſcult.* Αἱ ἐν Κρήτῃ αἶγες, ὅταν τοξευθῶσι, ζητοῦσι τὸ δίκταμνον, τὸ ἐκεῖ φυόμενον; ὅταν γὰρ φάγωσιν, εὐθὺς ἐκβάλλουσι τὰ τοξεύματα. Tertul. *de Pœnit. c.* 11. *Cervus ſagittis transfixus, ut ferrum & immedicabiles moras citus de vulnere expellat, ſcit ſibi dictamno medendum.* Idem habent Cic. *l.* 2. *de Nat. Deor.* & Plin. *l.* 8. *c.* 27. Sat. *l.* 1. *Sylv.* 4. *v.* 595.

—— Idæâ profert quam Creta ſub umbra
Dictamni florentis opem.

Nic. Lloydius, vide & hîc infrà.

DICTAMNUM, herba odorata, Lucinæ olim coronamentum fuit. Euph. de Lucina,

Στεψαμένη θαλεροῖσι συνήθεα δικτάμνοισι,
Coronata florentibus ornabatur dictamnis.

Conveniebat enim Deæ, quæ parientibus præeſſe credebatur, herba quæ confert πρὸς τοὺς τόκους τῶν γυναικῶν, *ad partus mulierum*, uti loquitur Theophraſt. *de Plant. l.* 1. Plin. *l.* 25. *c.* 8. *Illam autem oſtendere cervæ vulneratæ, paſtu ſtatim decidentibus telis. Non eſt alibi, quàm in Creta --- nec ibi ſpatiosè naſcitur: mireque capris expetitur --- Qui legere eam, in ferula vel harundine condunt, præligantque, ne potentia evaneſcat* &c. Vide Paſchal. Cor. *l.* 4. *c.* 2.

DICTARE ad memoriam, apud Vopiſc. *in Caro*, dicebatur, qui *Memoriæ dictator erat*, Græcis Ὑπαγορευτὴς τῆς μνήμης: quemadmodum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

dum & *Dictator Epiſtolar.* ὁ Ἀντιγραφεὺς τῶν ἐπιστολῶν &c. Quatuor enim erant *Dictatores* ſeu Ἀντιγραφεῖς, Libellorum, Memoriæ, Epiſtolarum & Diſpoſitionis, totidemque ſcrinia; à *Dictando* dicti: & ſub ſe ſcribas habebant, ut diximus ſuprà in voce *Antigrapheus.* Atque hinc factum, ut recentiores Græci ſummi Imperii Magiſtratum in veteri Rep. h. e. *Dictatorem* Ἀντιγραφέα dixerint, cùm ille tamen nihil minùs fuerit quàm Ἀντιγραφεὺς. Hinc ille in *Chr. Alex.* [illegible], quod ineptiſſimum eſt. *Dictator*, qui epiſtolis aut libellis dictandis mediâ ætate dabat operam, is propriè eſt, qui Græcis ἀντιγραφεὺς: Sed *Dictatorem*, qualis apud Vett. fuit, de quo infrâ, ſummæ nempe & regiæ poteſtatis Magiſtratum, nemo ſanus verterit Ἀντιγραφέα: Dionyſ. aliique Græci vett. Μόναρχον interpretantur. Sed & *Dictatores* pro ipſis Scribis infima ætas poſuit; & *dictare*, pro *ſcribere* uſurpavit *Epiſtola* Gregorii, quæ in vett. & plurecariis libris reperitur & præfixa legitur *Notis* Tironis ac Senec. *per dictatos* (h. e. Dictatores ſuos) *ſcribendum curavit* &c. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Caro.* In vett. *Inſcr.* apud Gruter. *p.* 214. *Dictator*, nomen eſt Magiſtratus municipalis &c. Aliam verbi notionem vide infrà, *Reſcripti ad ſignum.*

DICTATA dare, propriè dicebantur Laniſtæ, quando tironibus illa dabant præcepta, quæ Hirtio commemorantur *de Bello Af.* Suet. *Julio c.* 26. *Tirones neque in ludo neque per laniſtas, ſed in domibus per Equites Romanos, ac etiam per Senatores armorum peritos, erudiebat; precibus enitens quod Epiſtolis ejus oſtenditur, ut diſciplinam ſingulorum ſuſciperent, ipſique* dictata *exercentibus darent*: ad quem l. vide *Caſaub.*

DICTATOR, ſummus Magiſtratus, apud Rom. A' Conſulibus, periclitante Rep. nominatus. Primus F. Lartius Flavus Conſul, A. C. 256. qui ſeditionem ſedaverat: Adjunxit ſibi Spurium Caſſium, Equitum Magiſtrum, qui juſſa exequeretur. Dignitas ſemeſtris tantùm, ſed à Sulla & Cæſare perpetua facta eſt. Securibus 24. Dictator uſus, abſolutè imperabat, ceſſantibus reliquis omnibus Magiſtratibus, Tribunis Pl. exceptis. Polyb. *l.* 3.. Vide & Pompon. Læt. *de Magiſtr.* Rom. *c.* 16. Sic autem dictus eſt, teſte Varrone *Ling. Lat. l.* 4. vel quòd à Conſule *diceretur*; vel quod ejus *dicto* omnes audientes eſſent. Alio nomine *Magiſter populi* eſt appellatus, ſicut is, quem ipſe *Dictator* poſtea aſcivit, *Magiſter equitum* vocatus eſt. Et primò quidem ſeditionis ſedandæ & rei gerendæ cauſâ hic Magiſtratus eſt inſtitutus: Poſtea verò propter alia etiam ardua negotia creatus *Dictator* eſt: ut clavi figendi, Comitiorum habendorum, Latinarum feriarum, Senatus legendi &c. cauſâ. Conferebatur dignitas hæc alicui viro Conſulari ſpectatæ virtutis, non à populo, aut per ſuffragia, nec à Senatu, ſed a Conſule, viva voce (rariùs per literas:) Quæ cùm regulariter ſemeſtris eſſet, ad annum tamen, neceſſitate poſcente, continuata eſt Camillo, bis L. Papyrio Curſori & Q. Fabio Maximo. Hinc illa Cic. lex: *Aſt quando duellum gravius, diſcordiæve civium creſcunt, unus ne amplius ſex menſes, niſi Senatus creverit, idem juris, quod duo Conſules, teneto, iſque ave ſiniſtrâ dictus populi Magiſter eſto.* Quin etiam de pluribus legitur, quòd ante legitimum tempus, decimoquarto vel quinto die, poſtquam *Dictaturam* adepti fuerant, eandem depoſuêrunt. De *Dictatore* porrò notandum, non licuiſſe illi equum, niſi ituro ad bellum, conſcendere, aut ullos ſumptus facere ex ærario, ſine Senatus, (quem convocandi jus habebat) conſulto vel populo juſſu: Proditque Dionyſ. *l.* 5. *Neminem Dictatorum in hoc Magiſtratu geſſiſſe ſe immodeſtè vel inciviliter; vulgoque fuiſſe creditum, unicum id eſſe cujuſvis inſanabilis mali remedium: & extremam hanc ſalutis ſpem reliquam, ceteris deficientibus.* Donec *quadringentis annis elapſis à T. Largii vel Lartii Dictatura, L. Corn. Sulla primus & ſolus acerbe crudeliterque eâ uſus effecit, ut tum primum ſentirent Romani, quod ſuperioribus temporibus ignoraverant, Dictaturam eſſe Tyrannidem.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 17. Stad. *Notis in Flor. l.* 1. *c.* 11. *ut quod vi & injuria occupaverat imperium, religione atque juſtitiâ gubernaret* &c. Quo factum eſt, ut quemadmodum olim Regnum, propter tyrannidem Tarquiniorum, ita *Dictatura*, propter odium dominationis Sullanæ, adde & Julianæ, ſub titulo poteſtatis hujus exercitæ, in flagrantiſſimam omnium deteſtationem pervenerit: atque, uti Regnum inſtituto Valerii, ita *Dictatura*, lege Antoniâ ex Rep. in perpetuum quaſi exilium fuerit relegata. Itaque *Dictaturam*, *quam pertinaciter ei deferebat populus, conſtanter repulit* Auguſtus, apud Vell. Paterc. *Hiſt. Rom. l.* 2. *c.* 89. Vide Bœcler. *Notis in h. l.* Interim ſub *Dictaturæ* nomine & honore eum regnaſſe ex Eutrop. *ad l.* 1. docet Schegkius.

Dictatorum apud Romanos series.

- T. Lartius primus Dictator A. U. C. 256. Magiſter Eq. ei additus Sp. Caſſius.
- A. Poſthumius A. U. C. 257. Mag. Eq. T. Ebutius.
- M. Valerius Voleſi fil. A. U. C. 260.
- L. Q. Cincinnatus A. U. C. 294. L. Tarquinius, Mag. Eq.
- L. Q. Cincinnatus A. U. C. 316. Magiſter Eq. C. Servilius Hala.
- Mamercus Æmilius A. U. C. 318. L. Q. Cincinnatus Mag. Eq.
- A. Servilius Priſcus vel Structus, A. U. C. 319. Mag. Eq. A. Poſthumius Ebutius Helmus.
- Mamercus Æmilius iterum, A. U. C. 321. Mag. Eq. Poſthumius Tubero.
- A. Poſthumius Tubertus A. U. C. 324. Mag. Eq. Julius.
- Mamercus Æmilius denuo A. U. C. 329. Mag. Eq. A. Cornelius.
- Q. Servilius Priſcus, cujus fil. C. S. Hala Mag. Eq..
- P. Cornelius A. U. C. 342. C. Servilius Hala Mag. Eq.
- M. Furius Camillus A. U. C. 358. M. Eq. P. Cornelius Scipio.
- M. Furius Camillus iterum. Mag. Eq. L. Valerius, A. U. C. 365.
- M. Furius Camillus Dictator tertium, Mag. Eq. C. Servilius Hala A. U. C. 366.
- A. Cornelius Coſſus, T. Q. Capitolinus Mag. Eq.
- T. Quintius Cincinnatus A. U. C. 375. Mag. Eq. A. Sempronius Atracinus.
- M. Furius Camillus iterum, Mag. Eq. L. Æmilius.
- P. Manlius, ſtatim poſt Camillum: Mag. Eq C. Licinius.
- M. Furius Camillus Dictator quintum, A. U. C. 380. Mag. Eq. T. Quintius Pœnus.
- L. Manlius Imperioſus Dict. clavi figendi, A. U. C. 391. Magiſter Eq. L. Pinarius.
- Appius Claudius, paulo pòſt.
- T. Quintius Pœnus A. U. C. 393. Magiſter Eq. Sergius Cornelius Maluginenſis.
- Q. Servilius Hala A. U. C. 396. T. Quintius Mag. Eq.
- C. Sulpitius. A. U. C. 397. Mag. Eq. Marcus Valerius.
- Cn. Marcus Rutilius primus Dictator de plebe, A. U. C. 399. Mag. Eq. etiam de plebe C. Plautius.
- T. Manlius L. fil., Mag. Eq. A. Cornelius Coſſus.
- C. Julius; Mag. Eq. L. Æmilius.
- M. Fabius Dict. Quintus Servilius Mag. Eq.
- L. Furius Camillus Dict. P. Corn. Scipio Mag. Eq.
- T. Manlius Torquatus Dict. A. Cornelius Coſſus Mag. Eq.
- L. Furius Camillus II. Dict. Cn. Manlius Capitolinus Mag. Eq.
- P. Valerius Publicola Dict. feriarum, Q. Fabius Ambuſtus Mag. Eq.
- M. Valerius Corvinus Dict. L. Æmilius Mamercus Mag. Eq.
- L. Papyrius Craſſus Dict. L. Papyrius Curſor Mag. Eq.
- P. Philo Dict. Junius Brutus Mag. Eq.
- Claudius Regillenſis Dict. C. Claud. Horrator Mag. Eq. vitio creati.
- L. Æm. Mamercus Dict. Comitiorum cauſâ, P. Philo Magiſter Eq.
- P. Corn. Ruffinus Dict. M. Antonius Mag. Eq. vitio creati.
- M. Papyrius Craſſus Dict. P. Valerius Publicola Mag. Eq.
- Cn. Quintius Dict. clavi figendi, L. Valerius Mag. Eq.
- M. Claudius Marcellus vitio creatus Dict. Spur. Poſthumius Mag. Eq.
- L. Papyrius Curſor, Dict. Q. Fabius Max. Rutilianus Mag. Eq.
- Q. Cornelius Arvina Dict. M. Fabius Ambuſtus Mag. Eq.
- Q. Fabius Amb. Dictator, Q. Æmilius Pætus Mag. Eq. vitio creati.
- M. Æmilius Pap. Dictator, L. Val. Flaccus Mag. Eq.
- L. Æmilius Dict. L. Fulvius Mag. Eq.
- Q. Fabius Dict. A. Cæretanus Mag. Eq. in prælio moritur, ſuccedit Fabius.
- G. Menenius Dict. quæſtionibus exercendis, M. Follius Mag. Eq.
- C. Petilius Dict. M. Follius Mag. Eq.
- C. Jun. Bubulcus Dict.
- L. Papyrius Curſor III. Dict. C. Jun. Bubulcus Magiſter. Eq.
- P. Cornelius Scipio Dict. P. Decius Mus Magiſter Eq.
- C. Junius Bubulcus Dict. M. Titinius Mag. Eq.
- M. Valerius Maximus Dict. M. Æmilius Paulus Mag. Eq.
- L. Cornelius Sulla Dict. perpetuus.
- C. Julius Cæſar ſimiliter. Poſt quem
- Auguſtus Imp. Dictaturam à populo oblatam recuſavit, vide ſuprà.

DICTATOR Imperii, ſuo tempore dictus vulgò eſt Alb. Wenceſlaus Euſeb. ex Comite Wallenſtenio Dux Fridlandiæ, qui meritis in Ferdinandum II. eò potentiæ aſcendit, ut bis *ſummus Imperatorii exercitus Præfectus, cum ampliſſima poteſtate*, renuntiaretur. Et quidem, cùm Imperii Ordinibus ob nimiam potentiam aſperoſque hinc mores & æqualium neglectum, jam dudum ſuſpectus, primâ vice imperium militare deponere juberetur, non moleſtè id viſus eſt: ferre, ut qui fortè brevi ad ſe rediturum proſpexerat. A. C. dein 1632. cùm Cæſareis rebus Lipſienſi prælio attritis, novus Militiæ Dux poſtularetur, renuit primùm oblatam denuo dignitatem accipere; ab Eggenbergio dein Principe animum ſuum expugnari paſſus, ſuſcepit quidem illam, ſed iis conditionibus, *ut ſuo arbitratu bellum gereret, hoſpitia & hiberna pro lubitu adſignaret, pacem cum quibus viſum eſſet faceret, neque eorum quæ gereret rationem reddere cogeretur*: quod quid aliud, quàm ut *Dictator Imperii* eſſet. Quo facto, Cæſaris rem non parùm quidem refecit, tandem tamen cùm novo ſacramento omnes primorum ordinum Duces obſtrinxiſſet, *Ne paterentur ſibi invito imperium abrogari*, exitium ſibi maturavit, & Egræ Leſleo auctore, à præſidiariis loci Scotis & Hibernis, cum conſiliorum complicibus, trucidatus tragicum tantæ potentiæ habuit exitum, variantibus de ejus delicto vel innocentia judiciis, Brahel. *Hiſt. noſtri temp. l.* 5. Phil. Jac. Spener. *Artis Herald. Parte II. l.* 2. *c.* 108. §. 4. *&c.*

DICTATUS, nomen Legum ſeu Canonum, quibus Gregorius VII. ſub quo Pontificia auctoritas ad apicem pervenit, potentiam Sedis Romanæ in poſterum ſtabilitam voluit: *Privilegia Apoſtolicæ Sedis & Romani Pontificis*, vocat Baron. *in Ann. ad A.* C. 31. 32. & 33. ubi de iis ipſius Gregor. VII. *l.* 2. *Ep.* 55. laudat, & ex iis *Dictatus Papæ* appellatos ſcribit. Nempe à *Dictatura* (quo nomine quid priſcis Romanis fuerit indigitatum, conſtat) *Dictatus* hi appellati ſunt, ex quibus Jus Canonicum in immenſum crevit, uti diximus ſuprà, ubi de *Canonico Jure*: & audientia Epiſcoporum in juriſdictionem, voluntaria aditio in neceſſitatem, arbitrium in legem tranſiit. Unde non immeritò Auctor *Apologiæ* Cleri Leodic. dixit, *ultimam manum ſacris Canonibus impoſuiſſe ſolum Hildebrandum.* Quales autem illi fuerint, infrà videbimus. De iis judicium Onuphr. Panvin. h. e. in *Vita* hujus Pontific. *Gregorio in media quadrageſima Romæ, in Baſilica Lateranenſi, quæ Conſtantiniana appellatur, primò Synodum generalem multorum Epiſcoporum — congregavit; in qua circa triginta edidit Capitula ſeu Canones, quos* DICTATUS *appellavit: quorum major pars antea parùm in uſu fuerat, & à nemine prædeceſſorum ſuorum unquam attentata: verùm ad firmiſſimum Eccleſiæ ſtatum jaciendum & ad omnia tentanda, quæ animo agitabat, idonea.* Vide

Gerh. von Maſtricht *Juris Eccl. Hiſt. n.* 257. *& ſeqq.* de ipſo verò Gregorio hoc VII. qui priùs *Hildebrandus* dictus erat, ſuo loco.

DICTATUS GREGORII VII. VIGINTI SEPTEM.

I. Quod Romana Eccleſia à ſolo Domino ſit fundata.

II. Quòd ſolus Romanus Pontifex jure dicatur Univerſalis.

III. Quòd ille ſolus poſſit Epiſcopos deponere, vel reconciliare.

IV. Quòd Legatus ejus omnibus Epiſcopis præſit in Concilio, etiam inferioris gradus & adverſus eos ſententiam depoſitionis dare poſſit.

V. Quòd abſentes Papa poſſit deponere.

VI. Quòd cum excommunicatis ab illo, inter cætera, nec in eadem domo debeamus permanere.

VII. Quòd illi ſoli licet, pro temporis neceſſitate, novas leges condere, novas plebes congregare, de Canonica Abbatiam facere & è contra, divitem Epiſcopatum dividere & inopes unire.

VIII. Quòd ſolus poſſit uti Imperialibus inſigniis.

IX. Quòd ſolius Papæ pedes omnes Principes deoſculentur.

X. Quòd illius ſolius nomen in Eccleſia recitetur.

XI. Quòd unicum eſt nomen in Mundo, *Papæ* viz.

XII. Quòd illi liceat Imperatores deponere.

XIII. Quòd illi liceat de ſede ad ſedem, neceſſitate cogente, Epiſcopos tranſmutare.

XIV. Quòd de omni Eccleſia, quocunque voluerit, Clericum valeat ordinare.

XV. Quòd ab illo ordinatus alii Eccleſiæ præeſſe poteſt, ſed non militare, & quod ab aliquo Epiſcopo non debet ſuperiorem gradum accipere.

XVI. Quòd nulla Synodus abſque præcepto ejus debet *Generalis* vocari.

XVII. Quòd nullum Capitulum, nullúſque liber Canonicus habeatur, abſque illius auctoritate.

XVIII. Quòd ſententia illius à nullo debeat retractari; & ipſe omnium ſolus retractare poſſit.

XIX. Quòd à nemine ipſe judicari debeat.

XX. Quòd nullus audeat condemnare Apoſtolicam ſedem appellantem.

XXI. Quòd majores cauſæ cujuſcunque Eccleſiæ ad eum referri debeant.

XXII. Quòd Romana Eccleſia nunquam erravit, nec in perpetuum, Scripturâ teſtante, errabit.

XXIII. Quòd Romanus Pontifex, ſi Canonicè fuerit ordinatus, meritis Beati Petri indubitanter efficitur Sanctus, teſtante Sancto Ennodio Papienſi Epiſcopo, eíque multis ſanctis Patribus faventibus, ſicut in Decretis beati Symmachi Papæ continetur.

XXIV. Quod illius præcepto & licentiâ ſubjectis liceat accuſare.

XXV. Quòd abſque Synodali conventu poſſit Epiſcopos deponere & reconciliare.

XXVI. Quòd Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Eccleſiæ.

XXVII. Quòd à fidelitate iniquorum ſubjectos poteſt abſolvere.

DICTE, vel DICTÆUS, inter montes albos Cretæ, in Orient. ejus latere, mille ab Idæo paſſibus: à quo *Dictynnæus* diverſus, qui ad Occid. eſt. Dicæarchus *de Creta* [illegible].

Ὄρος τε Δικταῖον ἐπὶ ὀσφύος φέρει.

Et in hoc *Dictynnæ* fuit templum, de qua diximus ſuo loco. *Dicte* autem, Græcè Δίκτη, Arato Δικτὸς dicitur, ſolenni Poëtis enallage. Sic enim is,

Δίκτῳ ἐν εὐώδει ------
Dicte in fragranti.

In medio utriuſque montis Ida mons eſt, ad Septentrionale latus Inſulæ, uti videre eſt apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 171. & 391.

DICTIDIUM, Græciæ opp. Thucyd. *l.* 5.

DICTIS, urbs Galatiæ. *Ptol.*

DICTUM, Britanniæ opp. Lib. Notit. *Diganway* Camd. Opp. fuit Comit. Denbighenſis, in ora Walliæ littorali, apud *Conovium* opp. inter Aſaphopolin, & Bangoriam. Ante aliquot ſecula fulmine deflagravit, nunc vix rudera ſuperſunt. *Speedus.*

DICTUM, apud Solin. *c.* 9. *Macedonem Caranus inſequitur, dux Peloponneſiæ multitudinis, qui juxta reſponſum dictum Deo, ubi caprarium pecus reſediſſe adverterat, urbem condidit*: eſt *quod dixit Deus*, & propriè de Oraculi reſponſo accipitur. Unde & *dictio*, pro oraculo, ὁ χρησμὸς. Pacuv.

Flexa, non falſa autumare dictio *Delphis ſolet.*

Et apud Accium, *aperte fatur dictio*, ὁ χρησμὸς. Sic dictum, τὸ χρησθέν. Salmaſ. *ad d. l. Solin. p.* 156. In Sacris, *Dictum Domini*, frequentiſſimum, ut conſtat. Alia notio vocis in *Fragm.* Corneliano, ex C. Nep. Epiſtol. *l.* 2. apud Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 2. *Itaque noſti cùm omnia, quæ dixiſſemus, dicta eſſent; quæ facetè & breviter & acutè locuti eſſemus, ea proprio nomine appellari* Dicta *voluerunt.* Ubi Schottus *Dicteria* reponit, ut & Pontanus. Sed in optimis editionibus *Dicta* excuſum cernitur, Boſius *ad l.*

DICTYNNA, Nympha Cretenſis, quæ caſſes venatorios prima creditur inveniſſe; unde *Dictynna* dicta, cùm antea *Britomartis* appellaretur. Ferunt autem, hanc in Creta Dianæ conſuetudine familiariſſimè uſam fuiſſe, quæ ipſa ob id à Poëtis nonnunquam *Dictynna* dicitur. Sunt qui Dictynnam à Minoe adamatam ferunt, ejuſque vim cùm alioqui effugere non poſſet, ex edita rupe ſe in mare præcipitaſſe, retibuſque piſcatoriis exceptam fuiſſe, indeque nomen accepiſſe. Item Cretæ urbs, à qua mons *Dictynnæus* & prom. *Dictynnæum.* Strab. Vide *Dictamnum.*

DICTYNNÆUS mons & prom. Cretæ, ad Occid. latus Inſulæ, in quo olim *Dictynnæ* templum, uti vidimus ſuprà in voce *Dicte.* Δίκτεμον dicitur Ptol. corruptè pro Δικτυνναῖον, ſicque etiamnum montem Græci appellant. Vide Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 891. ut & in voce *Dictynna.*

DICTYS Cretenſis, Hiſtoricus, qui cum Idomeneo Trojam profectus totum illud bellum Phœnicum literis deſcripſit *l.* 9. quem Hom. ſecutum Tzetzes, *Chil.* 5. *hiſt.* 30. memorat. Quod ſub nomine Q. Septimii hodie venditatur, ὑποβολιμαῖον eſt. Lud. Viv. *de trad. diſcipl. l.* 5. Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 4. *c.* 1. *de Lat. l.* 3. *c.* 2. Vide quoque Joh. Marsham. *Canone Chron. Sec. XV.* ubi de *Heſiodo Poëta* agens, catalogum contexit illorum, qui ante Homer. *de Bello Trojano* ſcripſêrunt, ut & hîc paſſim vocibus *Corinnus*, *Helena*, *Palamedes Theb. Siſyphus Cous* &c. Item Centaurûm unus, Pirithoi manu, in Hippodamiæ nuptiis interfectus. Ovid. *Met. l.* 12. *v.* 334.

Victori titulum quam Dictys Helopſque dederunt

Ibid. *v.* 337.

Dictys ab ancipiti delapſus acumine montis.

Denique piſcator quidam, qui Perſeum educavit. Stat. *l.* 11. *Sylv.* 1. *v.* 95.

Fluctivagus volucrem comebat Perſea Dictys.

DIDA, Pæoniæ præfectus, Demetrium Philippi fil. veneno ſuſtulit. Item pugil nobilis. *Pauſan.*

DIDACI-ROI, Inſ. in mari Æthiop. verſus Mauritiam Inſ. ad Ort. Madagaſcariæ, à *Didaco Roiz* Luſitano, inventore ſic dicta.

DIDACUS, Ep. Oſmæ, in Caſtella nova, eruditione & virtute clarus. Ab Alphonſo IX. ad Innocent. III. miſſus eſt, A.C. 1206. qui eum, inter Infideles concionaturum, abdicato Ep. prodibant. Albigenſibus ſe oppoſuit, junctus quibuſd. Abbatibus, Ordinis Claræval. Vide infrà.

DIDACUS, Ep. Oxonienſis, potiùs Oſmenſis; ab Innocent. III. cum Dominico Monacho & Abbate Ciſtercienſi, contra Valdenſes, quorum florentiſſima jam Eccleſia erat, in Galliam miſſus, A.C. 1205. Inter hos colloquium inſtitutum Carmanii primò, dein Apameæ. Tandem crux in eos ſumpta. Morn. *in Myſter.* Sigon. *l.* 16, &c.

DIDACUS Covarruvias, diſcip. Navarri, Ep. Segoviæ. Obiit A. C. 1577. poſtquam interfuiſſet Concilio Trid. *Did. Bæza.* S. Scripturam interpretatus eſt. *Did. Hurt. de Mendoza*, Hiſtoricus. *Did.* monachus Franciſc. obiit A. C. 1463. ſanctis annumeratus, à Sixto Vide Vitam ejus P. Galeſin. compoſuit.

DIDASCÆ, Æthiopiæ ſub Ægypto pop. *Ptol.*

DIDATTIUM, Sequanorum in Belgio urbs: *Tachsfelden* Rhenano. *Talenberg* Lazio, *Haſenburg* Villanovano. Baudr. quid ſit non conſtat. Nec *Tachsfelden* vel *Talenberg.*, aut *Haſenburg* in toto eſt Burg. Comit. ubi Ferrar. locat. Vide *Dittaſium.*

DIDAUCANA, Bithyniæ opp. *Ptol.*

DIDEMARII, apud Commodian. *de Simulacris Deorum*,

Deludunt vos pauci ſcelerati,
Extricare ſuam dum quærunt vitam,
Subornant aliis eſſe ſub myſterio, falſum
Indiſſimulantes, concuſſi Numine quodam,
Majeſtatemque colunt & ſe ſub figura fatigant.
Vidiſtis ſæpe Didemarios, *quali fragore*
Luſorias incant, dum furias fingere quærunt,
Aut cùm dorſa ſua allidunt parca bipenne,
Cùm doctrina ſua ſervant, quod cruore ſanant.

Forſan *Dindymarii* ſunt, Rheæ ſ. Cybeles, quam *Dindymen* & Δινδυμήνην vocabant, à *Dindymo* Phrygiæ monte, ubi ei ſacra fiebant, cultores ac Sacerdotes, aliàs *Galli* quoque, quia caſtrati: & *Corybantes* dicti, quòd, cùm inſaniam ac belluinam quandam rabiem imitarentur, capita inſanorum more projicerent, cujuſmodi *Didemarii luſorias facere* indicantur à Commodiano, Car. du Freſne *Gloſſ.*

DIDIA Clara, filia P. *Didii* Salvii Juliani Severi Aug. ex Manlia Scantilla Aug. Cornelii Repentini, Præfecti Urbis, uxor, unà cum matre *Auguſta* appellata eſt. Vide Spartian. in *Didio Juliano.*

DIDIA Lex, à *Didio* lata poſt Fanniam 18. Annos ſecuta eſt, cujus ferendæ duplex ratio fuit. Primo, ut non ſolùm urbs Romana, ſed univerſa Italia lege ſumptuariâ teneretur. Secundo, ut non modò, qui convivia majore ſumptu feciſſet, ſed etiam qui ad ea vocati eſſent, atque omnino interfuiſſent, pœna legis tenerentur. Macrob. *Sat. l.* 3. *c.* 57.

DIDIUS, dux Romanus ſub Claudio, Tacit. *Ann. l.* 12. *c.* 15. *poſtquam Didium Ducem Romanum roburque exercitus abiiſſe cognoverat.* fortè Britanniæ præfuit. Agricol. *l.* 14. vocaturque *Didius Gallus.*

DIDIUS, prænomine *Aulus*, à Claudio in locum Oſtorii in Britannia defuncti ſubrogatus. Tacit. *Ann. l.* 12. *c.* 40.

DIDIUS Julianus qui & M. *Salvius Severus Commodus* dictus eſt, Mediol. 20. Rom. Imp. A. U. C. 945. fil. Petronii Didii Severi, ex Clara Æmilia, nepos Salvii Juliani. In domo Domitiæ Lucillæ, matris M. Aurelii educatus; egregia munia obivit. Pertinace mortuo, à militibus imperium emit, cumque non eſſet ſolvendo, illorum in ſe odium concitavit. Uſque adeò parcus, ut porcellum, atque lepuſculum ad ſe dono miſſum in triduanas partiretur cœnas; pranderetque interim paucis oleribus, ac herbulis contentus. Ejus hic fuit vitæ exitus, ut à Septimio Severo ſucceſſore ſuo, in abditas Palatii balneas ductus, extentâ damnatorum more cervice ultimum diem obierit. A. C. 193. Sext. Aurel. Sic Imperium, quod per ſcelus, necis Imper. conſcius, & primus licitator nactus eſt, intra tertium menſem, à nece Pertinacis, cum vita ſimul amiſit. Aliis aliter. Spartian. Dio *in Julian.*

DIDIUS Proculus, frater major natu Didii Juliani Imp. fil. Petronii *Didii* Severi & Æmiliæ Claræ, apud Eund.

DIDIUS Scæva, Tribunus, à Vitellianis, in Capitolium irrum-

pen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

pentibus, obtruncatus. Tacit. *Hiſt. l. 3. c. 73. Caſperius Niger, Didius Scæva, pugnam auſi obtruncantur.*

DIDIUS Vinius, vide *Titus.*

DIDO, ſive *Eliza*, Beli vel Metræ Tyriorum Regis filia, quæ primis nuptiis Sichæo Herculis ſacerdoti juncta fuit; quem cùm Pygmalion, Elizæ frater, theſauris ejus inhians ante aram obtruncaſſet, illa in ſomniis monita, cum iis, quibus Pygmalionem inviſum eſſe ſciebat, effoſſis clam theſauris, navem conſcendit, & in eam Africæ partem, quæ Zeugitana dicta eſt, delata tantum ſibi ſoli emit, quantum taurino corio poſſet circumdare. Virg. *Æn. l. 1. v. 371.*

Mercatique, ſolum facti de nomine Byrſam,
Taurino quantum potuit circumdare tergo.

Sil. Italic. Bell. Punic. *l. 1. v. 24. & 25.*

Tum pretio mercata ſolum nova mœnia ponit,
Cingere quà ſecto permiſſum litora tauro.

Appian. *in Libycis*, Ἐδόθη δ' αὐτῇ χωρίον εἰς συνοικισμὸν λαβεῖν ὅσον ἂν βύρσα ταύρου περιλάβῃ. Dionyſ.

Καρχηδὼν, ἣν μῦθος ἐοικότα βοὶ μετρηθῆναι.

Quo in loco cùm corium in tenuiſſimas partes diſſecuiſſet, locumque ſatis amplum complexa eſſet, urbem condidit, quam Carthaginem appellavit, vel ad minimum arcem in medio urbis, quam à Corii bubulo *Byrſam* vocavit. Anno 20. poſt adventum ſuum A.M. 3156. poſt Trojam, 296. A.U.C. 135. ſi verè Joſephus, id accidiſſe, ſcribat, An. 144. poſt fundamenta templi à Salomone jacta. Deinde cùm Jarbas Gætuliæ Rex nuptias ejus ambiret, recuſantemque vi, armiſque cogeret, ſibi ipſi manus intulit, præferens nimirum morte occumbere, quàm prioris lecti jura ſecundis nuptiis polluere. Virgil. *Æn. l. 1. & 4.* fabulatur Æneam, captâ Trojâ, à patria profugum, vi tempeſtatis Carthaginem fuiſſe delatum, Elizamque amore ejus captam, & cùm præter ſpem ab eo deſereretur, mortem ſibi conſciviſſe. Quod tamen graviſſimorum Hiſtoricorum fide facilè refellitur, qui Carthaginem tradunt ſeptuageſimo demum Anno poſt Romam Conditam, ab Eliſa condi cœpiſſe. Ab Æneæ verò in Italiam adventu, uſque ad U. C. numerantur Anni ampliùs, quàm 330. quibus Albæ regnatum eſt. Hac de re extat elegans apud Auſon. Epigr. Vide Menandr. *Hiſt. Regum Tyr.* apud Joſeph. *Antiq. l. 1. & l. 8. c. 13. Appian.* Juſtin. *l. 18.* Solin. *c. 30.* Macrob. *Saturn. l. 1. c. 24. & l. 5. c. 17.* Hieron. *ep. ad Geroniam. & l. 1. adv. Jovin.* Petav. *Rat. temp. P. 1. l. 2. c. 4.* Ricciol. *t. 1. Chron. Reform. l. 5. c. 8. p. 239. Dido* Hebræis דידה *dilectulam* notat. Eſt enim diminutivum à דוד h. e. *dilectus.* De quo tamen aliter vett. ſuo more; Euſtath. ſiquidem in Dion. Perieg. Διδὼ exponit Ἀνδροφόνον. Serv. in *l. 1. Æneid. v. 689.*

Ut cum te gremio accipiet lætiſſima Dido

l. 4. v. 335.

----- nec me meminiſſe pigebit Eliſæ.

ait linguâ Punicâ notare *viraginem.* At Etymologus & Varrin. Διδὼ interpretantur πλανῆτιν, h. e. *vagam*, ſeu *erraticam*, quomodo dictam arbitrantur, quia Tyro profuga variè eſſet vagata. Nic. Lloyd. Cæterùm: Carthaginenſibus pro Dea fuit, teſte Juſtin. *l. 18. c. 4. Rex Tyro decedit filio Pygmalione & Eliſſa filia, inſigni formæ Virgine, heredibus inſtitutis. & c. 6. Quamdiu Carthago invicta fuit, pro Dea culta eſt.* Quam *Eliſſam Tyriam quidam Dido autumant.* Velleius Paterc. *l. 1.* Priùs nempe vocabatur *Eliſſa.* Idque quia urbem eorum condidiſſet, cui, cùm ſolum ab Afris emere coacta eſſet, hinc Carthaginenſes quotannis pro ſolo Urbis (*ſolarium* id Ulpian. *l. 2. §. 11. ff. ne quid in loc. publ.* vocat) ſolvere cogebantur: quod cùm potentiores jam facti intermitterent, bellum inter utroſque coortum eſt, Juſtin. *l. 19. c. 2. Itaque & Mauris bellum illatum & adverſus Numidas pugnatum, & Afri compulſi ſtipendium urbis Conditæ Carthaginienſibus remittere* Vide hac de re Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l. 1. c. 32.* Euſeb. Ὀρίγω, Origo, primitus dicta eſt. Salmaſ. *ad Solin. p. 323.*

DIDRACHMUM, vide infrà *Drachma.*

DIDUGUA, Babyloniæ urbs. *Ptol.*

DIDURI, pop. in confinio Albaniæ prope Labienos, quorum meminit. *Plin. l. 6. c. 10.*

DIDYMA, locus Thebaidis in Ægypto. *Anton.*

DIDYMA, locus, & oraculum Mileti, Jovi & Apollini ſacrum, ſunt etiam fonte Theſſaliæ. Item duæ parvæ inſulæ juxta Scyrum. Et montes prope Laodiceam. *Steph.*

DIDYMÆ, inſula Siculi maris, Æolidum una. Eſt & urbs Libyæ, Steph. Siciliæ item opp. vide *Didyme.*

DIDYMÆUS, Apollo dictus eſt, quòd geminam ſpeciem ſui numinis præferat, illuminando, formandoque Lunam. Ex uno enim fonte lucis gemino ſidere ſpatia diei, ac noctis illuſtrat. Macrob. Hic Licinio, de rerum ſuarum ſucceſſu, ſciſcitanti, his Homeri verſibus reſpondiſſe legitur:

Te Juvenes, grandæve pater, vexare feroces
Certum eſt: Te infirmum manet ærumnoſa ſenectus.

Victus eſt autem Licinius, à Conſtantino Mag. poſt excitatam diriſſimam contra Chriſtianos perſecutionem, in Bythynia, ad Hadrianopolim, A.C. 320. Vide Euſeb. *de vita Conſtantin.* & in *Hiſt.* nec non hic infrà

DIDYMÆUS, nomen quo Luna & Sol ſimul Veteribus culti ſunt. Macrob. *l. 1. c. 17.* Ἀπόλλωνα Διδυμαῖον *vocant, quòd geminam ſpeciem ſui Numinis præfert, ipſe illuminando formandoque Lunam. Etenim ex uno fonte Lucis gemino ſidere ſpatia diei ac noctis illuſtrant. Unde & Romani Solem, ſub nomine & ſpecie Jani, Didymæi Apollinis appellatione venerantur.* Vide de *Didymæi Apollinis* Oraculo Plin. *l. 5. c. 29. Nunc Didymæi Apollinis a litore ſtadiorum viginti.* Reddebat enim Apollo hic vocem, qualem Pythia reddebat, idque Mileti, ut diſcimus ex Origene *c. Celſum l. 6. ſub fin.* & Steph. qui uno templo in hac urbe utrumque Numen cultum eſſe tradit. Seu potiùs, in Mileſiorum agro, ut oſtendit Salmaſ. Hoc à Xerxe combuſtum, poſtea à Mileſiis refectum eſt, cui operi Pœnis & Daphnis præfuiſſe videntur eidem. Idem Μαντεῖον *Didymæi Apollinis* quoque ἐν Βραγχίδαις dicebatur, uti habet Pompon. Mela *c. 17.* Vide C. Barth. *Animadverſ. ad Stat. Theb. l. 8. v. 199.*

Nec Clarias hac luce fores, Didymeaque quiſquam
Limina,

& Salmaſ. *ad Solin. p. 810. & ſeqq.*

DIDYMAON, armorum artifex eximius. Virgil. *l. 5. Æneid. v. 359.*

Et clypeum efferri juſſit, Didymaonis artes,
Neptuni ſacro Danais de poſte refixum.

DIDYMARCHUS, libro 3. Transformationum citatur ab Antonio Liberali *narratione* 23. quæ eſt de Batto. Sed ab interprete ſcriptores, ex quibus ea hauſta eſt narratio, prætereuntur. *Voſſ.*

DIDYME, una Cycladum. Ovid. *Met. l. 7. v. 468.*

At non Oliaros, Didymeque & Tenos, & Andros.

Item urbs Siciliæ, vel inſ. *Saline*, Leandro. Ovid. *Faſt. l. 4. v. 473.*

Himeraque & Didymen, Acragantaque Tauromenonque.

Denique inſ. Gaditanæ. opp. *Strab.*

DIDYMEUM, templum Apollini dicatum apud Milet. Plin. *l. 5. c. 31. Strab.*

DIDYMI, mons Aſiæ min. Ptol. Strab. *Dindymum* vocat.

DIDYMOTICOS, Thraciæ opp. in prom. ſitum, ſub quo lapidicinæ. Gregoras. Item Cariæ locus. Suid. Et in Aſia minori circa Æoliam. *Polyb.*

DIDYMUS, libertus Tiberii, obſervator dictorum factorumque Druſi, Germanici filii, à Tiberio conſtitutus. Tacit. Ann. *l. 6. c. 24. niſi quod Ælii Centurionis & Didymi liberti epiſtolæ, ſervorum nomina præferebant.*

DIDYMUS, ſic vocabatur Thomas Apoſtolus. Joh. *c. 11. v. 16. c. 20. v. 24.*

DIDYMUS, vir Alexandrinus, qui licèt à puero oculis captus foret, divinas tamen literas optimè callebat, & inter Eccleſiaſticos ſcriptores illuſtris fuit. Vixit *ſec.* 4. in humanis quoque ſcientiis, Mathematicis inprimis, verſatiſſimus. Plurima compoſuit, quorum præter tractatum de Spiritu S. & quaſdam enarrationes, in Epiſtolas nonnullas Canonicas, in Volum. 9. Bibl. PP. *col.* 23. & 53. *edit. An.* 1624. item librum c. Manichæos, ab Henr. Caniſio, *t. 5. antiq. Lect.* evulgatum, nihil reſtat. Hieronymi præceptor, Obiit An. æt. 83. Sed, quòd Origenis errores amplexus, condemnari Synodo. 5. gener. meruit, Niceph. *hiſt. l. 17. c. 27.* Cedren. *Ann.* & à Martino Pont. Concilio Later. *S. 5. can.* 18. Vide Hier. *de Scr. Eccl. c. 109. in Chron. An. 376. ep. 33. 51. 65.* &c. Ruffin. *hiſt. l. 2. c. 7.* Socr. *l. 1. c. 5.* Theodoret. *l. 4. c. 27.* Sozom. *l. 7. c. 14.* &c.

DIDYMUS, Alexandrinus alius, ſalſamentarii filius, quo nemo, ut Quintilian. inquit, plura ſcripſit. Grammaticus fuit, & ad Auguſti tempora pervenit, atque ob aſſiduam circa libros moram Χαλκέντερος & πονηρὸς eſt appellatus: nam ad tria millia librorum, & quingentos ſcripſiſſe dicitur. Hinc & Βιβλιολάθας Athenæo dictus: quòd numerum librorum ſuorum ignoraret. Grammaticorum doctiſſimus, Macrob. *Saturn. l. 5. c. c. 12.* Vide Amm. Marcell. *l. 22. c. 16. eminuit Didymus, multiplicis ſcientiæ ſcriptis memorabilis.* Senec. *ep.* 88. Athen. *l. 4.* Phot. *cod.* 279. ubi 10. proverbiorum libros ejus citat, Euſeb. *Chron. ad Ann.* 661. Hieron. *ep. ad Marcellam.* Lactant. *l. 1. c. 22.* Suid, Voſſ. Geſner. &c. *Didymus* alius, Monachus, maximus contemplationum doctor cognominatus. De quo vide Hiſt. Tripart. *l. 8. c. 1. Didymus*, poëta, Georgica ſcripſit. Alius etiam Philoſophus Academicus. Alius, fil. Heraclidæ, Muſicus, Neroni gratus.

DIDYMUS Alexandrinus, alius, Grammaticus, de orthographia & veriſimilibus ſcripſit. Alius, Grammaticus, cognom. *Claudius*, de erroribus Thucydidis epitomen Heraclionis, &c. ſcripſit. Item Mathematicus Gnidius, in Aratum commentaus, Item agnatus Honorii, quem Conſtantinus tyr. fil. Conſtantini tyr. cum Veriniano & utriuſque uxoribus necavit. Caſſiodor. Proſper, *Chron.* Oroſ. *l. 7. c. 40.* Sozom. *l. 9. c. 11.*

DIDYMUS, Argiæ vicus. *Pauſan.*

de DIE ſumpta convivia. Vide *De.*

DIEDUS Franciſcus, Venetus, Philoſophus, Orator & Juris utriuſque peritiſſimus. Scripſit epiſtolas, Orationes, & vitam S. Rochi. Obiit A.C. 1483. Pajarinus, *l. 2. Hiſt. Vincent.* Trithem. *Catal.* Vide & *Franciſcus.*

DIELCYSTINDA, exercitationis apud Vett. genus, quod *Ludum diſtractorum* Mercurial. vocat. Ejus meminit Jul. Pollux his verbis: Ἡ δὲ Διελκυστίνδα παιδιὰ, γίνεται μὲν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἐν ταῖς παλαίστραις, ἤδη δὲ καὶ ἀλλαχόθι. Δίχα δὲ μοῖραι παίδων εἰσὶν ἕλκουσαι τὰς ἑτέρας οἱ ἕτεροι, ἕως ἂν καθ' ἓν μετασπάσωσι παρ' αὐτοὺς οἱ κρατοῦντες. Vide Hieron. Mercurial. Forolivienſ. *de Arte Gymn. l. 3. c. 5. Dielcyſtinda autem plerumque in palæſtris luditur, veruntamen etiam alibi. Duæ autem ſunt puerorum partes, alii trahentes alios, ſique ad illam partem tranſmigraverint, penès illam victoria eſt.* Ad eundem ludum reſpicere videtur Socrat. apud Platon. *Theætet.* Κατὰ σμικρὸν γὰρ προϊόντες λελήθαμεν ἀμφοτέρων εἰς τὸ μέσον πεπτωκότες, καὶ ἂν μή πῃ ἀμυνόμενοι διαφύγωμεν, δίκην δώσομεν ὥσπερ οἱ ἐν ταῖς παλαίστραις διὰ γραμμῆς παίζοντες, ὅταν ὑπ' ἀμφοτέρων ληφθέντες ἕλκωνται εἰς τἀναντία, i. e. *Paulatim enim procedentes in medium amborum ignoranter cecidimus, & niſi aliquo modo noſmet ipſos defendentes evadamus; pœnas luemus, perinde atque illi, qui in palæſtris in linea ludunt, quando ab utriſque capti in contraria diſtrahuntur.*

DIEMENI Regio, pars terræ Auſtr. recèns detecta, ab *Antonio Diemene* Batavo. Utrum autem Inſ. ſit, an continens, nondum conſtat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

DIENSES, Macedoniæ pop. Plin. *l.* 4. *c.* 10.

DIEPHOLTIA, opp. Weſtphaliæ, Comitatus, cognom. caput, ſub Duce Brunſuicenſi, ad Huntium amnem, cùm exit ex Dummera lacu. Medium inter Bremam & Oſnabrugum. Malè habitum fuit ultimo bello Germanico. Olim ſub proprio Comite, cujus Familiæ originem à quodam Ludolfo derivari legimus, cujus nepos Godſcalcus Oſnabrugenſis vitâ functus eſt A. C. 1119. Alii præterea Epp. Mindenſes, Ultrajectini, Oſnabrugenſes, ex eodem ſanguine oriundi fuêre. Maſculorum ultimus Frideric. Comes *Diepholtii* exceſſit vitâ A. C. 1585. unde ad Lunæburgicos Comitatus delatus eſt. Fuit autem Frideric. hic Com. *Diepholtinus* & Bronchorſtius, fil. Rudolphi ex Margareta Hojenſi, nepos Friderici &c. atque ex Anaſtaſia Waldeccia, quæ biennio ante maritum eſt extincta, præter filium, qui ilico obiit, filiam habuit Annam Margaretam, quæ nupta Philippo Landgravio Haſſiæ *in Butsbach*. obiit A. C. 1629. ſicque gentem terminavit. Phil. Jac. Spener. *Theatro Nobilit. Europ. Tom. II. p.* 21. Vide quoque *Indic.*

DIEPPA, vide *Deppa*.

DIERNA, Daciæ urbs. Ptol. *Torrenburg* Germanis. Niger *Chelo* malè interpretatur, Steph. Nunc Tranſylvaniæ Baudr. *Torda* incolis, *Thur* Germ. oppidul. ad amnem *Aranyos*, 3. leuc. Germ. à Claudiopoli in Ort. 6. ab Alba Julia in Bor.

DIES, alius *Civilis*, qui 24. horis, quibus cœlum vel potiùs terra, ſi Copernico fides, circumrotatur, finiebatur: alius *Naturalis* qui in 12. horas dividi ſolitus, quæ pro ratione dierum creſcebant vel decreſcebant. Imò cùm nondum adhuc horarum uſus eſſet, in duodecim tamen partes, etiam Herodoti ætate, Dies dividebatur, verùm Æquinoctiali. Unde Salmaſ. *ad Solin.* inquit, *Ad Æquinoctialis diei partes duodenario numero æqualiter dividendas, Babylonii Græcique omnes Aſtrologi vett. & Gnomonici rationes ſuas accommodarunt. Poſt repertas dein horas & horologia inventa, quum horæ ipſæ variarent, & pro dierum ratione modò breviores, modò longiores ponerentur, Aſtronomi tamen Aſtrologique omnes & Gnomonici, inſuper habitâ horarum civili obſervatione, æquinoctiales ſolas ad uſum ac rationes ſuas obſervabant* &c. Et paulò infrà, *Quin etiam ad dierum augmenta vel decrementa per ſingulos menſes indicanda, non aliis horis quàm Æquinoctialibus vett. Calendariorum auctores uſi ſunt.* Eodem modo clepſydris dies breviores & longiores metiebantur, duodecimque horis definiebant: quale horarium ex aqua primus fecit Romæ P. Corn. Naſica; ſed longè ante ipſum apud Græcos & Cteſibius. *Diei* initium Romani à media nocte, Babylonii ab Or. Umbri à Merid. Athenienſes ab occid. Sole exorſi ſunt. Apud Hebræos *Dies* erat vel *Naturalis*, continens horas 24. tanquam Νυχθήμερον, vel *Artificialis*, qui cum Sole ortus cum eodem occidit, vide Joh. *c.* 19. *v.* 18. Priorem ſubdividebant in *Civilem*, operibus hujus vitæ deſtinatum, Angl. à *Working day*, quem ab Ortu Solis ad ſequentis diei Ortum extendebant, Matth. *c.* 28. *v.* 1. & *Feſtalem*, Angl. *a Feſtival or Holy-day*, quem rebus ſacris dicatum, ab Occaſ. ad Occaſ. continuabant. *Diei* partes apud Romanos primùm duæ erant, *Ante Merid.* & *Poſt Merid.* Dein in quatuor partes, quemadmodum & nox, diviſus eſt; id quod teſtatur conſuetudo militaris, cùm dicitur: *Vigilia prima, ſecunda, tertia & quarta.* Tandem verò plura Noctis & *Diei* tempora notata & propriis diſcreta nominibus, apud vett. inprimis Poëtas paſſim deprehenduntur, de quibus vide infrà. Apud Hebræos in 4. itidem partes *Diem* diſtributam fuiſſe legimus, Matth. *c.* 20. *v.* 3. & ſeqq. quarum 1. incipiens à ſexta matutina ſe ad nonam uſque extendebat. 2. finiebat horâ duodecimâ. 3. ad tertiam pomeridianam pertingebat. 4. verò ſextâ veſpertinâ finiebatur. Harum prima pars ſeu primus ternarius dicebatur hora prima quandoque, ſecundùm Toletum: ſecundus ſecunda, & ſic conſequenter. Hoc certum, horas apud Hebræos fuiſſe vel minores, vel majores, quarum illæ 12. hæ 4. fuêre, quâ diſtinctione obſervatâ probè, non difficile erit inter ſe conciliare varia loca, quæ ſibi in Hiſtor. Evang. contrariari primâ fronte videntur. Priores dictæ leguntur *Horæ Diei*, poſteriores *Horæ Templi*, vel *Horæ Precationis*, de quibus vide infrà in voce *Hora*. Quot apud varias gentes quivis annus habuerit *Dies*, vide ſuprà in voce *Annus*. Hoc obſervatu dignum, quòd qui per Occaſ. in Indiam Or. navigant, *Diem* è numero dierum anni omittant: Dum enim Sol nautis hujuſmodi ſemper ſeriùs & occidit & oritur, tandem abſolutâ totâ navigatione, & tot minutis, quibus Sole quotidie ſeriùs fruuntur, in unum aliquem Numerum majorem coëuntibus, tota dies efficitur, Chr. Beckmann. *Hiſt. Orb. Terr. Geogr. & Civ. c.* 1. Cæterùm non omnes *Dies* apud Rom. unius erant generis, ſed varia eorum fuêre diſcrimina ac diverſitates. Numa primus, cùm annum in 12. diſtribuiſſet menſes, eundem etiam in certa *Dierum* genera diviſit, ita ut quidam eorum eſſent *Feſti*, alii *Profeſti*, alii *Interciſi*: Feſti iterum dividebantur in Sacrificia, Epulas, Ludos & Ferias. Profeſti in Faſtos, Comitiales, Comperendinos, Statos & Præliares. De quibus, ut & aliis huc pertinentibus vide apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 3. Porrò *Dierum* periodus ſeptenaria, nulli non genti jam ab antiquo videtur cognita. Unde Joh. Philopon. *de Mundi Creat. l.* 7. *c.* 14. Συμπεφώνηται πᾶσιν ἀνθρώποις ἑπτὰ μόνας εἶναι ἡμέρας, αἳ εἰς ἑαυτὰς ἀνακυκλούμεναι τὸν ὅλον ποιοῦσι χρόνον, *In illud certè omnes homines conſentiunt, ſeptem ſolos eſſe dies, qui in ſeipſos revoluti totum tempus conſtituunt.* Quibus ſubjungit, Τίνα δὲ τούτου λόγον ἐστὶν εἰπεῖν ἕτερον ἢ μόνον, ὃν εἴρηκε Μωϋσῆς, *Hujus rei quam certè aliam rationem dare poſſumus, præter illam ſolam, quam Moſes deſignavit?* Nempe in Creationis hiſtoria numero ſeptenario ſignatâ. Et de cycli dierum ſeptenarii apud Gentiles uſu aliquo, ſaltem notiores pleroſque, teſtimonium perinſigne exhibet Theoph. Patr. Antioch. *l.* 2. *ad Autolyc.* Certè Planetarum VII. nominum diebus hebdomadis adjectio ejuſque obſervatio ſimiliter ex intima petitur antiquitate. Dio Caſſ. *Hiſt. l.* 36. de bello Judaico, *fol.* 37. ubi verba Latina ſic habent *Quod autem dies ad ſeptem ſidera illa, quos planetas appellarunt, referuntur; id ab Ægyptiis haud ita dudum ut paucis dicam, inſtitutum ad omnes homines dimanavit. Nam priſcis Græcis, quantum mihi conſtat notus is mos non fuit.* Imò jam in vetuſto Apollinis Oraculo legitur ex Porphyr. apud Euſeb. *Præpar. Evang. l.* 5. *c* 14.

Κλήιζειν Ἑρμῆν ἠδ' Ἠέλιον κατὰ ταὐτά
Ἡμέρῃ Ἠελίου, Μήνην δ' ὅτε τῆσδε παρείη
Ἡμέρη, ἠδὲ Κρόνον ἠδ' ἑξείης Ἀφροδίτην.
Invoca Mercurium, & pariter Solem,
Die Solis, Lunam itidem, cùm aderit ejuſdem
Dies, & Saturnum ſimili modo ac Venerem.

E quibus, ait Joſ. Scalig. *Prolegom. de Em. Temp. demonſtratur, quòd vetuſtiſſima ſit appellatio dierum à Planetis, etiam apud Græcos:* Ubi etiam adnotat, in Oraculi explicationem, vulgus credidiſſe, Planetas apparere quemque die ſuo; nempe omni die Martis ipſum Planetam ſui videndi poteſtatem facere, & ſic de cæteris: *Idque*, inquit, *planè Orpheus deſignavit* in Ἔργοις καὶ Ἡμέραις,

Πρῶτα μὲν εἰ πρώτῳ ἐνὶ ἤματι φαίνεται Ἄρης,
Μήνης δ' ἐστ' ἀρχὴν ἐπιτέλλεται, ἴσχεο δ' ἔργων.

Nam diſertè intelligit, ſi Neomenia τῆς Σελήνης *inciderit in diem Martis, i. e. feriam tertiam, abſtinendum ab omnia opere.* Quin & origo rei hujus, ab Scriptore vet. Græco nondum edito, Zoroaſtris & Hyſtaſpis Scholæ Chaldaicæ & Ægyptiacæ tribuitur, apud Andr. Rivet. in *Diſſert. de Orig. Sabbat. c.* 5. Fuit autem Zoroaſter Magus nonnullis Abrahæ ipſi coætaneus. Oraculi etiam verſibus modò citatis, continenter iſta ſubjunguntur.

Κλήιζειν ἀφθέγκτοις ὡς εὗρε Μάγων ὄχ' ἄριστος
Τῆς ἑπταφθόγγου βασιλεὺς, ὃν πάντες ἴσασιν.
Vocibus arcanis, quas Maximus ille Magorum
Septiſonæ Dominus reperit, notiſſimus orbi.

Quibus verbis ab Oraculo deſignari Hoſtanem ſeu Oſtanem dixêrunt, qui præſentes fuêre. Is verò itidem in Magia eo uſque familiam duxit, ut *Hoſtanæ* apud Perſas dicti ſint ipſi Magi, Suid. in voce Ὀστάνες. Dicitur autem is *Septiſonæ Rex*, h. e. *Concentus Septiſoni* (ſeptem viz. Planetarum) *dominus*, vel τελετῆς ἑπταφθόγγου, *ritus Septiſoni*; ritus nempe ἀστροθυτᾶις, ſeu *Aſtrorum Sacrificulis* ſolennis, ſepties Deos illos ſeu Planetas verbis arcanis invocandi: *Septies*, ſive ipſorum ſpectes per ſingulorum *dies* numerum, ſive ritus ejuſmodi ſolennis ſeptemplicem cuilibet repetitionem. Nam & ea videtur fuiſſe in Oſtanis diſciplina hac Magica: quod elicere eſt ex verſu, quem ſimul ac nominatus eſt ab audientibus Oſtanes effutiit Oraculum;

Καὶ σφόδρα καὶ καθ' ἕκαστον ἀεὶ θεὸν ἑπτακιφώνῳ forte ἑπταχα φωνεῖν)
Et valde & ſingulatim ſemper Deum ſeptemplici voce (vel *quemlibet ſuo die ſepties altâ voce invocabis.*)

Invocabantur nempe Dii velut, Planetæ, quales exiſtimari eos voluit antiquitas Gentilis. Unde etiam feriæ ſeu dies ſeptimanæ, apud Aſtrologos, diu poſtea ἡμερῶν τῶν θεῶν, *dierum Deorum*, nomen retinuêre. Lemma eſt apud Petr. Alexandrin. *Iſag.* εἰς τὴν ἀποτελεσματικὴν, περὶ τοῦ γνῶναι, ἑκάστην ἡμέραν τίνος τῶν θεῶν ἐστὶν, *ut ſciatur; quælibet dies cujuſnam Deorum ſit*; i. e. cuinam in Orbe hebdomadico Planetæ ſit aſſignanda, ſeu, quomodo ordine feriarum ſit denominanda. Nec prætermittenda eſt hæreſis illa vetuſta, quæ dixit. *Nomina dierum, Solis, Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris, Saturni, à Deo ita poſita ab origine Mundi, non hominum variâ præſumptione nuncupatâ*, ut refert Philaſtr. *de Hæreſ. n.* 111. qui, dum ejuſdum falſitatem deteſtatur, originem interea ejuſmodi denominationi Planetariæ Hermeti Ægyptio tribuit. Quin nec deſunt in Magiſtris priſcis, qui illud Decalogi, *Memento diei Sabbati, ut ſanctifices eum*, ſic ſeorſim intelligi velint, ut etiam tunc temporis velut monitum haberetur, ne numerarent dies hebdomadis more eorum, qui Planetarum nomina iis indiderant, ſed quemlibet ipſius *Sabbati* vocamine denotarent, quemadmodum cùm dicunt, *Primâ Sabbati, Secundâ Sabbati, Tertiâ Sabbati* &c. Plura hanc in rem vide apud Selden. *de Jure Nat. ac Gent. juxta Diſcipl. Ebr. l.* 3. *c.* 19. *& ſeqq.* Salmaſ. *ad Solin. pag.* 637. *& ſeqq.* nec non infrà, ubi de *Hebdomade & Planetis*; item literâ H. ubi de compoſitis ex Græco Ἡμέρα. Inter Numina *Diem* quoque relatum dicemus, ubi de *Dis*.

Diei Civilis partes apud Romanos.

Diluculum Angl. *the break of Day.*
Manè *the full morning.*
Ad Meridiem, *The fore-noon.*
Meridies, *Mid-day, Noon.*
De Meridie, *After-noon.*
Solis Occaſus, *Sun ſetting.* Hactenus Lux, ſequitur Nox.
Crepuſculum, *The Dusk of evening.*
Prima fax, *Candle tinding.*
Veſper, *The nigt.*
Concubium, *Bed-time.*
Nox intempeſta, *The firſt ſleep.*
Ad mediam noctem, *Towards mid-night.*
Media nox, *Mid-night.*
De media nocte, *A little after mid-night.*
Gallicinium, *Cock-crowing.*
Canticinium, *All the time from Cock-crowing to the break of Day.* Vide Cenſorin. Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 3. qui has νυχθημέρου XVI. partes ad numerum duodenarium redigit, Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 1. *c.* 12. *l.* 4. *c.* 20. nec non uti de antiquiore in partes VIII. diviſione infrà.

Variæ Dierum apellationes.

Ægyptiaci *Dies* dicebantur, quolibet menſe, dies duo infauſti, Ægyptiorum ſuperſtitione, habiti, quos obſervari vetatur *Decret.* 26. *q. cauſ.* 7. *c.* 16. vide *Atri*.

Albi, nominati ſunt, quos pro faſtis atque auſpicatis habebant: à Scythis, qui Creſsâ notâ iſtiuſmodi dies notabant, voce mutuatâ.

Amphidromius, vide ſuo loco.

Annales, vide infrà *Feſta annalia*.

Atri dicti ſunt, Græcè Ἀποφράδες, quaſi *nefandi*, qui infauſti habe-

habebantur: ut *Dies* poſtridie Calendas, Nonas & Idus, unde & *Poſtriduani* vocitati ſunt.

Baronum, in vet. *Charta*, quibus ſc. Barones convenire ſolebant, ad dijudicandas vaſſallorum lites.

Biſſextus, Græc. Ἐμβόλιμος, dictus *Dies* eſt, qui quarto quoque anno addi ſolebat, ex horis quolibet Anno reſiduis conſtans.

Boni, apud Sidon. *l.* 5. *Ep.* 17. i.e. *dies feriati*. Sic Gallis, Feſta majora, *les Bons jours*.

Cenſorius, *dies ſupremi judicii*.

Cinerum; Syn. Benev. Anno 1091. *can.* 4. caput jejunii.

Civilis; vide ſupra.

Comitiales, dicti ſunt, quibus vadimonium licebat dicere; Hi iterum in triplici erant differentia.

Communes, feſtis opponuntur, *l.* 10. *C.* 10. *de Imag. Imp.*

Comperendini, quibus vadimonium juberi licet. Græc. Κυρίαι ἡμέραι. i.e. ſtaturi dies.

Condictus, id. cum *Stato*. Vide ibi.

Conſecrati, in *Concil.* Sueſſion. Ann. 853. *can.* 7. &c. illi dicuntur dies, quos in Natali Domini celebrari præcipiunt *Capitularia* Caroli Mag. *l.* 2. *c.* 35.

Conſuetudinales, in vet. *Charta*, apud Guichenon. *in Bibl. Sebuſ. pag.* 325. dicuntur, quibus *conſuetudines*, h. e. tributa, vel cenſus exiguntur. Apud Græcos vide ἐπώνυμος ἡμέρα eſt *dies ſolemnis*, ἑορτή.

Dies Coronæ, vide ſuprà *Curia Coronata*.

Depoſitionis, ſeu τῆς τελειώσεως cujuſque Martyrum: cujus appellationis cauſam fusè explicat Ambroſ. *Serm.* 70.

Faſti, quibus Prætori licebat fari tria verba ſolennia, *Do*, *Dico*, *Addico*. Hos in triplici differentia ponit Manut.

Feriati, qui & *Feſti*, & *Feriæ*, erant Dies ſacri, quibus *ferire* victimas ſolebant.

Feliciſſimus, apud Commodianum, *Inſtruct.* 75. *dies Paſchatis* eſt.

Interciſi, Deorum hominumque communes erant: in quorum horis quibuſdam licebat jus dicere, quibuſdam minimè.

Innominales, fuére dies non præliares, ante quartum Kal. Nonas, Idus.

Dies Iræ, dies illa vide infrà in voce *Proſa*.

Juſti, dicebantur dies 30. qui debitori, ad conficiendam pecuniam, dabantur, jure interea ſilente: Item dies 30. cùm, exercitu imperato & vexillo in arce poſito, non licebat hoſtem laceſſere.

Legitimus aperiendarum tabularum Teſtamenti, poſt mortem teſtatoris, apud Paul. *Sent. l.* 4. *tit.* 6. intra triduum vel quinque dies fuit.

Ligati, in *Spec.* Saxon. *l.* 2. *art.* 10. §. 1. feriati ſunt & opponuntur legalibus.

Dies Magnus, vide infrà.

Dies Marchiæ, apud Thom. Walſingham. in *Richardo II. p.* 278. dies eſt condictus Anglis & Scotis, ad conveniendum invicem in *marchis* & limitibus utriuſque Regni, pro pace firmanda.

Natalis, antiquis dictus eſt, propter lætitiam aliquam inſignem ſolennis: unde in Hiſtoriis ejuſdem Principis, tot natales, *nativitatis*, *delati Imperii*, *adoptionis*. Apud Chriſtianos quoque *natalis ordinationis*, *natalis Epiſcopi ſummi Sacerdotii*, τῆς τελειώσεως ſeu *depoſitionis* &c. Caſaub. *ad Spartian. in Hadr.* Vide infrà *Natalis*.

Nefaſti; quibus non licebat Prætori fari: ut *dies pridie Cal. Januarii*, *Rerum prolationes*, *Meſſium*, *Vindemiarum* & *Dilationum cauſa*: *Faſti civiles & Nundinæ*.

Negotioſi vocitati ſunt, qui, hominum causâ conſtituti, eorum negotiis impendebantur. Hi duplices erant, *Faſti* & *Nefaſti*, de quibus Vide *ſupra*.

Neophytorum, apud Auguſt. *Ep.* 119. *c.* 17. qui inter Magn. Paſcha & Paſcha clauſum intercedunt, in quibus recèns baptizati albis induebantur.

Palmarum, vide *Ramiſpalmæ*.

Paluſtres, apud Guil. Tyr. *l.* 21. *c.* 25. & Perſ. *Sat.* 5. *v.* 60.

Tunc craſſos tranſiſſe dies, lucemque paluſtrem,

craſſi, quibus homines feriantur & genio vacant.

Perendinus, dicitur *Dies* ab hinc tertius.

Poſtridiani dicti ſunt, dies atri atque Ægyptiaci, quòd dies poſtridie Kal. Nonas atque Idus pro talibus haberentur.

Præliares, quibus fas erat repetere res, vel hoſtem laceſſere: His *Non-præliares* oppoſiti, *Juſti* viz. *Atri*, *Innominales*, & *Feriæ Latinarum*, *Saturnaliorum*, *Ditis* ac *Proſerpinæ*.

Profeſti, quaſi *procul à feſtis*, dividebantur in *Faſtos*, *Comitiales*. *Comperendinos* & *Statos*.

Sacri, Deorum cauſa inſtituti, nefaſti omnes, quibus inſunt *Sacrificia*, *Epulæ*, *Ludi*, *Feriæ*, hæque vel *publicæ*, vel *privatæ*.

Sancti, dicti dies Quadrageſimæ, vide Baron. Ann. 519. *n.* 42. *Dies Sanctus* verò apud Alcuin. *dies Dominicus* eſt.

Sanguinus, quo Bellonæ miſſo ſanguine litabatur, Caſaub. *ad Lamprid.*

Stati, nominati ſunt, qui judicii causâ cum peregrino inſtitui ſolebant.

Tertius *Dies*, id. cum perendio.

Dies Tinearum vel murium, apud Audoën. in *Vita* S. Eligii, in quibus ſuperſtitioſi vana quædam obſervabant faciebantque, ne tineæ aut mures nocerent frugibus & ſegetibus &c. vide Alexandr. ab Alex. *Genial. Dier. l.* 1. *c.* 12. Berſmann. *Annot. in Calend. Rom.* Th. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 3. *ſ.* 1. *c.* 1. Car. du Freſne in *Gloſſario*, & Alios.

Dies, inter otium & curas antiquitus diviſus, Sen. *de Tranquill. Vitæ l.* 1. Nempe ſex ſeptem horas negotiis tribuebant plerique, reliquas otio & curæ corporis. Plutarch. *Quæſt. Rom.* ἡ μεσημβρία τοῖς πολλοῖς ὅρος τῶν σπουδαίων πράξεων, *Meridies pleriſque negotiorum ſeriorum terminus eſt*. Unde Romanos poſt merid. neque fœdera, neque pactiones, facere ſolitos addit. Et Poëta Epigrammatarius,

Ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται· αἱ δὲ μετ' αὐτὰς
Γράμμασι δεικνύμεναι ΖΗΘΙ λέγουσι βροτοῖς.

Alii, ut idem inquit Senec. *medio die interjungebant*. h. e. peractis majoris momenti negotiis, circa Merid. cibum ſumebant, ſed leviter; deinde meridiabantur, ac pauliſper conquieſcebant, quod Græcis quoque μεσημβριάζειν: poſtmodum ad negotia redibant, ſed *quæ leviori ſere operæ erant*, Id. Sed *diem totum* curis impendebant Philoſophi, & qui occupatiorem vitam vivebant. Horat. *Serm. l.* 2. *Sat.* 3. *v.* 257.

Poſtquam eſt impranſi correptus voce Magiſtri

Nec dies ſuffecit quandoque, ſed maturiùs evigilandum erat; ut infrà dicemus in hac voce. Vide plura hanc in rem, apud Caſaub. *ad Suet. Aug. c.* 78. *Ibi donec reſidua diurni actus, aut omnia, aut ex maxima parte conficeret, ad multam noctem permanebat. In lectum inde tranſgreſſus, non amplius, cum plurimum quam ſeptem horas dormiebat: ac ne eas quidem continuas, ſed ut illo temporis ſpatio ter aut quater expergiſceretur.* qui ad eundem paſſim varia quoque, *de Dierum ſuperſtitioſa obſervatione*, *apud Rom. de Die*, *qui aditum ad honores patefeciſſet*, *Natali prælato*, aliaque in hanc rem adnotavit. De certorum *Dierum* eventibus obſervatis, memorabilia non pauca collegit Chriſtoph. Forſtnerus *Notis ad Tacit. l.* 1.

Dies Magnus, paſſim, Græcis μεγάλη ἡμέρα, item μεγάλη ἑορτή, Feſtum Paſchatis. Vide infrà *Magna dies*. In Campania verò Gallica, *Dies Magni Trecenſes*, dicebantur Aſſiſiæ publicæ & generales, quas Comites Campaniæ tenebant, ad dirimendas & dijudicandas ſupremo judicio majoris momenti controverſias & quæ per appellationem ab Aſſiſiis Bailiviarum eo devolvebantur, inprimis verò lites baronum Campaniæ, qui Comiti immediatè ſuberant: idque ter aut quater quotannis. Poſtquam verò Campania Galliæ Regibus acceſſit, miſſi identidem Trecas Judices, dicti ſunt *Magiſtri Tenentes magnos Dies Trecenſes*. Etiam Rex Philippus Pulcher bis *Dies* illos teneri quotannis præcepit, *Edicto* Anni 1302. Sed & *Magnos Dies* vocarunt Galliæ Reges placita extraordinaria, quæ in Regni provinciis remotioribus cogebantur, delegatis ad ea tenenda ſelectis Judicibus, qui ſupremo judicio lites dirimebant, & in reos, quos regionis longinquitas in perpetrandis criminibus reddebat audaciores, ſeveriùs inquirebant: cujuſmodi erant Miſſi Dominici, qui à Regibus *ad Juſtitias faciendas* in remotiores Regni partes mittebantur, ſub altera nempe Regum Franciæ ſtirpe. Nomen autem his Conventibus inditum à *Magnis Trecenſibus Diebus*, de quibus ſuprà: adde ſaltem, interdum id privilegiis Regii Sanguinis Principibus quoque à Regibus indultum, ut *Magnos* iis perinde *Dies* cogere liceret &c.

DIES, Nicanoris, Feſtum Judæorum, de quo infrà in voce Judith.

Dieſpiter, Jupiter, quaſi *diei*, i.e. *lucis pater*, uti Macrob. interpretatur. Horat. *l.* 1. *Carm. od.* 34. *v.* 5.

------ ------ *Namque Dieſpiter*
Igni coruſco nubila dividens.

Et idem *l.* 3. *Carm. od.* 2. *v.* 29.

------ *Sæpe Dieſpiter*
Neglectus, inceſto addidit integrum.

DIESSENHOVIUM, opp. ad Rhen. inter Scaphuſiam & Steynam in Turgovia reg. Hîc præter VII. Pagos veteres, penes quos Turgoviæ dominium eſt, Berna quoque & Scaphuſium juris aliquid habent: ſed tamen *Dieſſenhovani* octo tantùm Pagis juramento adſtringuntur. Interim privilegiis ſatis amplis fruuntur, habentque peculiarem Senatum & Sculterum, ut vocant; quinetiam juriſdictio aliquot pagorum in vincula ad ipſos pertinet; verùm omnes in præfectura Turgeæ ſeu Turgoviæ cenſentur, & unà cum reliquis, ſub oppidi tamen ſui ſigno, Helvetiis militant. Simler. *de Rep. Helvet.*

DIESTA, opp. Brabantiæ, ad Demeram fluv. in confin. dit. Leodienſis; 4. leuc. à Lovanio in Ort. 2. ab Arſcotio, ſub dominio utili Principis Auriaci, in ditione tamen Hiſp. alias munitum.

DIETA, & ZETA, mel. quàm *Diæta* & *Zeta*, Salmaſ. *ad Hiſt. Aug.* Vide ſuo loco. Eodem nomine in Communione Romana venit, Curſus Eccleſiæ ordinarius ſeu officium, quod quotidiè celebrari ſolet in Matutinis horis. Sic Beletus *de Div. Offic. c.* 21. in noctibus iſtorum dierum, qui ſolennes non ſunt, Pſalmos 12. quos vulgus *Dietam* vocat, cum ſex antiphonis cani ait, ac tres lectiones, totidemque reſponſalia &c. Vide quoque Durand. *l.* 5. *c.* 3. *n.* 29. Unde *Dietarius*, qui ad officium Eccl. ſtatâ die deligitur, Gall. *qui eſt du jour*, Car. du Freſne.

COMITES FRISIÆ, ITEM NASSOVIÆ,

DIETERICUS, vir nobilis & ſtrenuus, origine Friſius, *Comitatus* titulo magnam antiquæ Friſiæ & Bataviæ partem, terras Normannorum quotidianis incurſionibus ferè vacuefactas, accepit à Carolo Simplice Gall. Rege; eâ conditione, ut contra Barbaros eas tueretur. Et quidem ditio hæc *Friſiæ* ſeu *Weſtfriſiæ Comitatus* dicta eſt, uſque ad *Dietericum* ejus nominis quintum, erantque ſub eo, præter Friſiam, Hollandia, Zeelandia, Trajectum & aliæ ditiones, uſque ad urbem Neomagum, priſcum Regni Friſiæ limitem. Poſtea verò *Hollandiæ Comites* iſti Comites appellati ſunt. Georg. Horn. *Orb. Imp.*

DIETERICUS, primus Naſſoviæ Comitum memoratur Textori: antiquior Adolfo, qui A. C. 682. Naſſoviæ regendæ præfectus, aliis primus dicitur; ex Clodunda Weibrechti Saxoniæ Ducis fil. pater inter alios, *Dieterici* Succeſſoris. Cui è Gertruda Engelberti Altorfii Com. filia nati ſunt, Otthò, patris in Comitatu hæres, Engelbertus &c. Præfuit *Dietericus* hic, circa A. C. 703. per Annos 15. ut alios ejuſdem familiæ omittam, Cyr. Lentulus *Geneal. Principum Comitumque Naſſoviæ MS.*

DIETERICUS Cunradus, Gemundâ Haſſus, Hypodiaconus Marpurgi A. C. 1599. Theologiæ Profeſſor Gieſſæ, A. C. 1605. Ulmenſis Eccleſiæ Superintendens A. C. 1614. Gymnaſium ibi inſtituit ejuſque Director per 17. Annos fuit, extinctus A. C. 1639. Æt. 63. Scripſit *Philoſophica*, *Politica*, *Theologica* non pauca, de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

quibus Vide Magi. *Eponymol. Crit.* Spizel. *Theatro Hon. Paul.* Freherum *Theat. Viror. eruditione clarorum.*

DIETGREMUS, fil. Witikindi Jun. (qui Carolo Mag. contra Scotos militaverat) pulſus Saxoniâ ab Ottone D. agnato, pater fuit Dietmari & Friderici, quorum hic Marchionum Brandeburgicorum primorum (ex quibus Sigfridus ab Henrico Aucupe illi ditioni præfectus creditur) aliquorum Miſniæ & Oſtlandiæ Marchionum, & Mersburgiorum Comitum ſator fuit: Ille, quòd Henricum præfatum à Cunrando Imp. obſeſſum liberaverit, ab hoc bonis reſtitutus creditur. Vid. Phil Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Hiſt. in Familia Witikindea Saxonica.*

DIETHERUS, fil. Walravii Com. Naſſoviæ, qui Stemmatis Weisbadenſis fuit auctor, ex Adelheida (Dieterici Com. Cattimeliboci fil.) matre non conſultâ, Prædicatorum ordinem Moguntiæ ingreſſus, voluntate Bonifacii VII. reclamante licèt Canonicorum Collegio, Trevirorum Archiepiſcopus creatus eſt. Ob bellum poſtea Confluentinis illatum, cùm apud Clementem VII. accuſatus eſſet, in itinere morbo correptus deceſſit, poſtquam præfuiſſet Annos ſeptem. Cyr. Lentulus ubi ſuprà.

DIETHMARUS, fil. Sigifredi, Comitis Sax. Ep. Mersburgenſis. Scripſit Chronicon 7. libris, de Henr. I. & II. Ottone I. II. & III. Imper. Anno 1017. orſus. Præclaræ fidei hiſtoricus. Obiit Anno Æt. 41. Ep. 11. A. N. C. 1018. Paul. Lang. *Chron. Citi.* Georg. Fabric. *Hiſt. Saxon.*

DIETHUSA, inſ. Thraciæ adjacens, non procul à Cherſoneſo. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

DIETRICHSTENIA, Familia Germaniæ illuſtris: in qua mentio alicujus Ruperti à *Dietrichſtein*, jam circa A. C. 1088. ab Ottone verò II. Domino *de Ditrichſtein* continuâ ſucceſſione genealogia oſtendi poteſt. Præcipua familiæ diviſio ſuperiori ſeculo facta eſt, in Pancratii filiis, Franciſco & Sigiſmundo, è quorum utroque multa progenies derivatur: qui Principum partim, (hi à Sigiſmundo deſcendunt) partim Comitum & Baronum titulis inſignes ſunt. Et quidem Principalem lineam quod attinet, præfatus Sigismundus, qui obiit A. C. 1538. ex Barbara *à Rothal*, genuit Adamum, Patrem, ex Margareta *de Cardona*, Sigiſmundi Comitis *Dietrichſtenii*: quô, & Johannâ de Scala, genitus Maximiliann*s* Princeps Dietrichſtenius, obiit A. C. 1655. ex Anna Maria Liechtenſtenia ſuſcepitis, Annâ Franciſcâ (ux. Walteri Com. *de Lesle*) Johannâ Beatrice (ux. Caroli Princ. Liechtenſtenii) Eleonarâ (ux. Wilhelmi Com. *de Kaunitz*) Mariâ Annâ Cæciliâ, Franciſcâ Antoniâ, quæ ambæ extinctæ; Mariâ Clarâ (ux. Friderici Com. Trautmansdorfii) Ferdinando (cui obtigit uxor Maria Eliſabetha, fil. Joh. Antonii Princ. Eggenbergii) Maximiliano, Margaretâ & Carolo, qui obiit. Vide Phil. Jac. Spener. *Theat. Nobil. Europ. tom. II. p.* 72. Ex altera verò uxore Sophia Agnete, Com. Mansfeldia, ſuſcepit idem Maximilian. Franciſc. Anton. Mariam. Thereſiam, (ux. Caroli Adami Com. Mansfeldii, extinctam) Joſeph. qui obiit, Philipp. Sigismund. & Sophiam. Idem *tom. III. p.* 88. Franciſci autem præfati poſteros quod attinet, is ex Barbara *ab Erolzheim* genuit Leonard. quo & Luciâ *de Lindeck* natus Seifridus *de Dietrichſtein*; Pater fuit ex Urſula *de Hegerſdorf* Eraſmi *de Dietrichſtein*; cujus ex Juliana Wagnia *de Wagensperg*, fil. Sigismund. Ludovic. *de Dietrichſtein*, genuit ex Anna *de Meckau*, Sigismund. Franciſc. & Siegfrid. Comites *Dietrichſtenios*. Vide eundem *tom. III. p.* 16. & utroque *Indic.*

DE DIEU Johannes Vide *Johannes.*

DE DIEU Lodovicus, vide *Lodovicus.*

DIEUCHES, Medici nomen. Plin. *l.* 20. *c.* 5. *Radicem ejus Dieuches contra jocinoris ac lienis, ilium, lumborum & renum vitia ex aqua mulſa dari jubet.*

DIEUCHIDAS, hiſtoriam Megaricam conſcripſit, ut ex Harpocratione & Clem. 1. & 6. *Strom.* conſtat. apud quem corrupte interdum Δευχίδας legas. At fœdius etiam corruptum id nomen apud Schol. Apollonii. *l.* 1. *Argon.* ubi Διερχίδας legitur.

DIEZA, ſeu DECIA urbs Germaniæ, in Wetteravia, ſub proprio Comite ex familia Naſſovica, ad Lanum fluv. ubi primum navigari incipit. Paret Gulielmo Friderico; Erneſti Caſimiri fil. unà cum Naſſovia, Dauſſenovia, Emſia, Cattimelibocenſis Comit. parte, Beilſtenii dominio & majori Weſterwaldiæ parte, Lentul. Olim verò proprios Comites habuit, quorum ultimo Gerlaco ſive Gebhardo mortuo A. C. 1388. ad Cattimelibocenſes Comites, ut videtur, tranſiit, quem, his quoque extinctis, cum Cattimelibocenſi Guljelmus Jun. Haſſus avitis terris adjecit. Inde lite cum Naſſoviis ortâ, contra Philipp. Cattum ſententiam tulit Car. Imp. A. C. 1551. qui cùm captivitate ſe excuſaret, tandem quartâ ejus parte Naſſoviis ceſſâ, reliquum ſibi Haſſiæ Landgravii ſtabilivêre. Pfanner. *de præcipuis Germaniæ Principum Gentibus. c.* 8.

DIFFAMATI de Hæreſi, *Concil. Tholoſ. c.* 16. ſunt *contra quos publica ſama clamat; vel de quorum diffamatione apud bonos & graves coram Epiſcopo loci legitimè conſtiterit.* Talium pœna, purgatio eſt Canonica; & alia pœna ordinaria, juxta *c. Excommun. itaque. Extrav. de Hæret.* §. *Adjicimus.* Vide infrà *Purgatio Canonica*, & plura de iis, apud Phil. à Limborch *Hiſtoriâ Inquiſit. l.* 3. *c.* 12. & *l.* 4. *c.* 28.

DIFFIDATIO, & DIFFIDENTIA, pro Clarigatione, i. e. belli denuntiatione. Erat autem Romanis in more poſitum, cùm bellum ſuſcepturi eſſent, Fæcialem ſeu Patrem patratum ad hoſtem mittere: qui, injecto in ejus ſolum telo, ſolenni formulâ hoc indiceret, cauſamque ſimul denuntiaret: Formulam apud Aul. Gell. habes *l.* 16. *c.* 4. *Quod. Populus. Hermundulus. Homines. Que. Populi. Heumunduli. adverſus. Populum. Romanum, Bellum. Feccere. Delinquerunt. Que. Quod. Q. Populus. Romanus. Cum. Populo. Hermundulo. Hominibus. Q. Hermundulis. Bellum. Juſſit. ob. Eam. rem. Ego. Populus. Que. Romanus. Populo. Hermundulo. Hominibus. Que. Hermundulis Bellum. Judico. Facio. Que.* Dicebabatur *Clarigatio*, quòd clarâ voce fiebat. Priſcum morem imitatæ cæteræ gentes, ignavi puſillanimique eſſe duxêrunt, quempiam vi opprimere, cui inimicitias prius non denuntiaſſent. Proin Stephano Angliæ Regi ignominiæ verſum, quòd Ceſtriæ Comitem fratremque ejus, omiſſo hoc ritu, obſidione cinxerat Lincolniæ apud Malmesberg. *Hiſt. novell. l.* 2. Nec ſuffecit *diffidaſſe* quempiam, ni cavendi pariter idoneum tempus *diffidato* concederetur, etiam in privatis inimicitiis: unde conſtitutio Friderici I. Morem hunc à Saxonibus manaſſe, docet Theodor. de Nihem, *in de Juribus Imperii.* Vide Spelman. *Gloſſar. Arch.* Per viros primarios, non verò per præcones, ſeu feciales aut heraldos, fieri conſueviſſe, docet Car. du Freſne, ex Villharduino *n.* 112. Sæpe etiam, per Epiſcopos & Abbates, ex Matth. Pariſio A. C. 1233. Scripto plerunque ad hoſtem miſſo, medio ævo, *ex Foris* Oſcæ A. C. 1247. *fol.* 26. aliiſque Auctoribus, quos magno numero laudatos vide apud Eundem. Aliter vox ſumitur, apud Suarez. *l.* 6. *c.* 6 *S.* 24. ubi ſub voce *Excommunicationis comprehenditur Depoſitio ſeu* Diffidatio, *quæ per ſententiam Canonicam interdum fit, ſic veritatem continere illam propoſitionem, impunè deponi vel occidi à quibuſcunque poſſe.* Sic in *Excerptis* ex libro Directoris Inquiſitorum F. Nic. Exmerici, cum *Comment.* Franc. Pegne ad Gregor. XIII. Venet. apud M. Ant. Zalter. 1607. *Hæreticos* diffidamus *atque bannimus.* Ubi Gloſſa, *diffidare & bannire, ſignificant ſtatuere vel præcipere, ut impunè poſſint interfici* &c. In Eccleſia verò Rom. *Diffidatio* pœnæ genus eſt, Hæreticis irrogari ſolitum, ut diximus ſuprà ubi de *Banno.*

DIFFISSIO, ſeu DISSECTIO, ſupplicii genus, de quo vide ſuprà in voce *Crux* & infrà in voce *Stipes.*

DIGAMI, non coronati olim, Vide ſuprà, ubi de *Corona Nuptiali*: nec non voce *Bigami.*

DIGENA, Arab. Felicis urbs. *Ptol.*

DIGENTIA, Italiæ fluv. Horat. *l.* 1. *Ep.* 18. *v.* 105.

Me quoties reficit gelidus Digentia rivus.

Rivo del Sole Leandro.

DIGERI, Thraciæ pop. *Steph.*

DIGESTA, pro ſcriptis, ſæpe apud Tertullian. Vide Salmaſ. *Not ad Pall.* In ſpecie ſic vocatur opus Pandectarum juris Civilis, *quia omnes diſputationes ac deciſiones in ſe habent legitimas, & quod undique fuit collectum, hoc in ſinus ſuos recepêrunt*, Juſtinian. *Ep. ad Sen. quæ hodie ſecunda eſt in tit. de vet. jure enucl.* Vulgò Opus hoc duplici ff. ſignatur, qua de re varias eruditorum ſententias, vide apud Pratejum JC. laudatum Joh. Calvino *in Lexic. Juric.* qui majuſculo D. rectius notari aſſerit. Et in Corpore Juris Can. reſpondet Decretum Gratiani. Vide infrà in voce *Pandectæ.* Ab eodem verbo, *Digeſtus opum*, apud Stat. *l.* 3. *Sylv.* 3. *v.* 87.

—— —— Jam creditur uni
Sanctarum digeſtus opum, partæque per omnes
Divitiæ populos ——

eſt Redituum Imperatoriorum adminiſtratio, quæ penès Præfectum primò Ærarii, poſt Comitem Sacrarum Largitionum fuit. Vide Sitzmann. *ad Itiner. Rutilii Numatiani l.* 1. *v.* 581. Emeric. Crucejum, & Barth. *ad Sat. d. l.* nec non hîc paſſim. Sed & *digeſti capilli* occurrunt apud Ovid. *Amor. l.* 1. *Eleg.* 14. *v.* 19.

Sæpe etiam nondum digeſtis manè capillis,
Purpureo jacuit ſemiſopita toro.

h. e. *collecti & ordine poſiti*, item *poſiti in mille modos*, ſeu *compoſiti*, ut idem loquitur *ibid. l.* 2. *Eleg.* 8. Initio

Ponendis in mille modis perfecta capillis,
Comere ſed ſolas digna Cypaſſi Deas.

& Juven. *l.* 11. *Sat.* 6. *v.* 489.

Diſponit crinem laceratis ipſa capillis.

de quo Ornatricum officio hîc paſſim.

DIGITI Idæi, apud Cic. *de Nat. Deor.* iidem qui *Dactyli Idæi*, Græcis Δάκτυλοι Ἰδαῖοι, *Digitos Samothracios* Arnob. appellat, *l.* 3. ubi de Laribus, *In diverſis Nigidius ſcriptis modò tectorum domuumque Cuſtodes, modò Curetas illos, qui occultaſſe perhibentur Jovis ædibus aliquando vagitum, modò* Digitos Samothracios, *quos quinque indicant Græci, Idæos Dactylos nuncupari.* Et *in fine libri*, *Aut ſi Curetas pro Laribus invocaro, quos* Digitos Samothracios *pars veſtrorum aſſeverat auctorum.* Uti utrobique veram lectionem ex optimo exemplari Regiæ Bibliothecæ & membranis reſtituit Salmaſ. quem vide *Exercit. ad Solin. p.* 64. ubi alios ab his *Digitios* eſſe apud Auctor. *c.* 2. & *Igidios*, pro *Icidios*, legendum, hoc autem nomine Deos οἰκιδίους, *Penates* ſeu *Lares Familiares*, intelligendos docet. Vide in voce *Dactyli.*

DIGITULUS ferreus ſeu uncinus, ſeris ſubaperiendis excogitatus, Gall. *Luſciniolus*, vide ſuprà *Dactyli.*

DIGITUS, an ex *digerendo* an ex Græco δεικνύειν? Primore *digito* in erectum pollicem reſidente, Deos olim à Gentibus ſalutatos docet Appul. *Metam. l.* 4. *Et admoventes oribus ſuis dexteram, primore digito in erectum pollicem reſidente: ut ipſam prorſus Deam Venerem, religioſis* adorationibus *venerabantur.* Ita nempe, primore digito pollicem premente, hunc ori admovebant ſicque Solem aliaque ſua Numina Vett. honorabant. Ritus eo recentior, quo iidem in adorando, dexteram ori admovebant, cujus jam mentio, imò jam Pſalmo 17. *v.* 7. & 18. *v.* 36. & 1. Regum *c.* 2. *v.* 19. Prov. *c.* 2. *v.* 16. Jeſ. *c.* 41. *v.* 10. Zach. *c.* 3. *v.* 6. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol, l.* 2. *c.* 3. In certaminibus *digiti ſublatione* victos ſe fatebantur iidem, Sidonius *Narbone*, *Palmam tu* digito *dares Menander*: quod δάκτυλον ἀνατείναι Græci dixêre, & in Pugillatu ac Pancratio fieri ſolebat: quæ proin Lacedæmoniis improbata eſſe, tradit Plutarch. In his enim uſque ad ἀπαγορεύειν certabatur, & vel confeſſio vocis, vel ſine voce digiti ſublatio, inferiorem oſtendebat, Senec. *de Benef. l.* 4. *c.* 3. In Lucta verò non item, ibi namque ter dejectus ab adverſario victus habebatur. Vide quoque P. Fabrum *Agoniſtici l.* 1. *c.* 8. vide quoque & infrà ubi de *Gladiatoriis ludis*; it. *Pancratio*, in quo certaminis genere [illegible] & δακτύλων κάμψεις, *digitorum inflexiones*, imprimis fuiſſe in uſu, dicemus. At *digito monſtrari*, ſignum εὐδοξίας habebatur. Mart. *l.* 9. *Epigr.* 99. ad Julium.

Rumpitur invidia, quòd turba ſemper in omni
Monſtramur digito rumpitur invidia.

De

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

De qua re vide Caſp. Barth. *Adverſ. l.* 5. *Sylv.* 3. *v.* 139. quos ambos Diogeni Cynico Diogenis Laërtii illuſtrando integros impendit. Contrarium notavit oſtenſio *digiti medii* ſeu *impudici*, de qua idem Mart. l. 1. *Epigr.* 93. cujus Epigraphe ad Mamurianum.

> *Sæpe mihi queritur non ſiccis Coſtus ocellis,*
> *Tangi ſe digito, Mamuriane, tuo.*
> *Non opus eſt digito,*

Ibid. *l.* 2. *Epigr.* 28. cujus Epigraphe in Sextillum

> *Rideto multum, qui te, Sextille, cinædum*
> *Dixerit, & digitum porrigito medium.*

Vide quoque infrà, uti de *loquela Digitorum*, ubi de *Pantomimis*; it. in voce *Signum*: & de *Digitorum iradendis* in funeribus *ritu*, infrà in voce *Rogus*: de more item *Digito elato*, in ſectionibus, licendi, in voce *Sector.* &c. Ornatum *Digitorum* quod attinet, in Annulis eſt. Et quidem de *digitis*, quibus annuli inſeri ſoliti, copioſè Plin. *l.* 33. *c.* 1. *Singulis primo digitis geri mos fuerat, qui ſunt minimis proximi: Sic in Numæ & Servii Tullii ſtatuis videmus. Poſtea pollici proximo induere, etiam Deorum ſimulacris: dein juvit & minimo dare. Galliæ Britanniæque in medio dicuntur uſi. Hic nunc ſolus excipitur: cæteri omnes onerantur*, unde videmus, inter *digitos*, qui annulo inſigniebantur, primum fuiſſe eum, qui minimo proximus eſt, dictus ob id Δακτυλιώτης vel *Annularis*. Macrob. *Medicinalem*, Auctor ad Herenn. *l.* 3. *Medicum* vocat: ubi de memoriæ artificio tractans, ita imaginem quandam inſtituit: *Et reum ad lectum ejus ſtatuemus, dextra poculum, ſiniſtra tabulas, medico teſticulos arietinos tenentem.* Nemini dubium eſt, quin *digito* hoc ſuſpenſas haberi velit ſcorteas, i. e. è teſticulis arietinis pelliceas crumenas, ut locum hunc interpretatur Politian. *Miſcellan. c.* 62. Eidem ſponſalitium annulum inſertum, dicemus infra in voce *Sponſa*. Vide quoque ubi de *Nuptiarum Vett. ritibus*. Cur autem communi conſenſu in hoc digito, & manu præſertim ſiniſtra, annulum ſibi geſtandum perſuaſerit, idem Macrob. *dicto l.* prolixè exequitur, duas aſſerens rationes, Hetruſcam unam, *quia otioſior cæteris*: Ægyptiacam alteram, ex Anatomices fundamentis depromptam. Aul. Gell. *l.* 10. *c.* 10. quòd *nervus quidam de corde natus ad eum pergat*. Vide quoque Joh. Salisberienſ. *Polycrat. l.* 6. *c.* 12. Iſidor. *de div. Offic. l.* 2. *c.* 19. &c. Quæ tamen opinio jam pridem exploſa eſt, à Medicis recentioribus, qui nullo peculiari privilegio aut naturæ indulgentia hunc digitum gaudere, ex diligenti & accurata corporum humanorum ſectione obſervarunt. Porrò eundem annuli honorem *Indici* tributum, cui qui inſerebatur, peculiari nomine Κοράκιος Græcis dictus eſt. Jul. Pollux *l.* 5. *c.* 16. Κοράκιον ἐκαλεῖτο τῷ λιχανῷ περιτιθέμενον. Sed de hoc pauciora extant, plura de *minimo*, de quo Plin. *ibid.* *Sunt qui tres uni minimo congerant: alii vero & huic unum tantum, quo ſignatorem ſignent. Conditus ille, ut res rara, & injuria uſus indigna velut e ſacrario promitur; & unum in minimo digito habuiſſe, pretioſioris in recondito ſupellectilis oſtentatio eſt.* Et notat Gorlæus, pleroſque annulos ſigillaritios, qui hodie repertiuntur, circumferentia adeò eſſe arctâ, ut, niſi raro admodum, alii quàm minimo digito, aptari non poſſint: Dicebatur autem hic annulus Ἀγκτήρ. Medium *digitum* Plin. excipit, quamquam Gallis olim Britannisque morem fuiſſe aſſerit, ut eo annulos geſtarent; cujus tamen rei teſtimonium vix alibi legitur. Romani verò videntur ideo vitaſſe, quòd hic *digitus* infamis vulgò & Impudicus cenſeretur, ut legimus apud Perſ. *Sat.* 2. *v.* 33.

> ----- *Atque uda labella,*
> *Infami digito.*

Interim prodidit idem Plin. *l.* 28. *c.* 6. ſingultum & ſternutationem ſedari, *Si quis annulum è ſiniſtra in longiſſimum dextræ digitum transferat.* Pollicem Plin. præterit: ſed tamen eo etiam geſtatos interdum annulos fuiſſe, non obſcurè indicat Jul. Capitolin. qui Maximinum Cæſarem aſſerit fuiſſe *pollice ita vaſto, ut uxoris dextrocherio pro annulo uteretur*, Vide Joh. Kirchmann. *de Ann. c.* 4. Præterea *Digitis* computandi ratio vetus admodum fuit, cujus origo ad Janum refertur, de quo ſic ſæpius jam laudatus Plin. *l.* 34. *c.* 7. *Præterea Janus geminus à Numa Rege dicatus, qui pacis belique argumento colitur, digitis ita figuratis, ut trecentorum ſexaginta quinque dierum nota, per ſignificationem anni temporis & ævi, ſe Deum indicaret.* Quod etiam Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 9. & Suid. traditum eſt in Ἰανουάριος. Quorum verba ſic capi debent, non quaſi hunc dierum numerum manui haberet impreſſum, ſed quia ad numerorum indicia *digiti* vel aperti eſſent, vel variè complicati, flexique: quam computandi rationem ſæpius tangunt Vett. paulo fuſius verò expreſſit B. Hieronymus *adv. Jovinianum*, at accuratiſſimè omnium Beda *de Computo*. Ex recentioribus Vide Lil. Girald., *Ænigmat. Dialog.* 2. Colv. *in Apulei Apolog.* 2. Savaron. *in Sidon. l.* 9. *Ep.* 9. Wouwerium *Polymathiæ c.* 7. laudatos Voſſ. *de Idol. l.* 2. *c.* 16. & hic paſſim, vocibus *Abacus*, *Numerarii* &c. Certè *Digitis* numerandi, apud Vett. mos frequens, quos numeros etiam maximos iis expreſſiſſe conſtat. Hinc *aureos digitis populo oſtendiſſe*, legitur Didius Julianus apud Spartian. *In Capitolium pergenti populus obſtitit, ſed ferro & vulneribus & pollicitationibus aureorum, quos digitis oſtendebat ipſe Julianus, ut fidem faceret, ſummotus eſt.* Vide Caſaub. & Salmaſ. *ad l.* Simili modo apud Hebræos ſacrorum miniſteriorum ſortitiones factæ ſunt. Conveniebant enim primum in numerum aliquem, tum miniſterii: dici integri, tum ſortitioni, aliorumque: ſorte mox inibantur quatuor, de Altari ſc. purgando, apparando igne ſacſtruendo; de Immolationibus dividendisque ſacrificiorum ſiderendis; de Suffimentis & de Membris ſacrificii in altare levandis. Tunc exclamante Præfecto הצבי [illegible] *Digitos extendite*, cuiſque porrigebant extendebat *digitum*, five duos, five tres (pollici, & tertii nulla ratione habita) ac dum [illegible] mo ſic extenderat. Numerari inde digitis extenſis, uſque dum complerent numerus, in quem erat conſenſum, is qui numerum illum digitorum geſtu compleverat, primus erat ex ſorte in miniſterium futurum &c. Vide Joh. Selden. *de Synedriis Vett. Hebræor. l.* 3. *c.* 11. *n.* 4. qui numerandi hanc, non perſonas, ſed *digitos* extenſos, rationem, adhibitam fuiſſe ex eo, quòd receptum erat, Iſraëlitas, velut capite cenſos, aut per ſe, numerari fas non fuiſſe, addit *n.* 5. &c. Nec omittendum, quòd *Digiti mutilatio* inter pœnas à Lege ſtatutas, memoratur Walſinghamo *p.* 124. De *Digiti* verò *crepitu* ſigno apud Romanos olim delicatulos, in conviviis, adhibito, Vide Mart. *l.* 3. *Epigr.* 82. cujus Epigraphe *in Zoilum*:

> *Digiti crepantis ſigna novit Eunuchus,*
> *Et delicatæ ſciſcitator urinæ.*

Id. *l.* 6. *Epigr.* 89. cujus Epigraphe *de Panaretio potore.*

> *Cum peteret ſeram media jam nocte matellam*
> *Arguto madidus pollice Panaretus.*

Ib. *l.* 14. in Apophoret. *Epigr.* 119. cujus Epigraphe Matella fictilis.

> *Dum poſcor crepitu digitorum, & verna moratur,*
> *O quoties Pellex culcita facta mea eſt.*

nec non Petron. ubi de Trimalcione, *digitos*, inquit, *concrepuit.* De more eorundem, *digitos* in capite ſervorum tergendi, dicemus aliquid, in voce *Puer* qua de re infra dicemus, ubi de Hebræorum *Numerandi ratione*: &c. Hinc *Digitale*, cujuſmodi ex argento, quarum extrema muniebantur pennarum cuſpidibus, Citharœdos uti conſueviſſe, dicemus infrà, in voce *Plectrum Digitalis*, vide ſupra &c.

DIGITUS Aquæ fluentis, Gr. ὕδατος τοῦ ῥέοντος δάκτυλος, vide infà fons, it. *Silani.*

DIGITUS Impudicus, apud eundem Poëtam *l.* 6. *Epigr.* 70. cujus Epigraphe ad Martianum.

> *Oſtendit digitum, ſed impudicum,*

medius intelligitur, de quo *ſuo loco*. At *Digitis* impudicitiam oſtentare apud Lamprid. *in Heliogabalo*, *Neque enim unquam verbis pepercit infamibus, quum & digitis impudicitiam oſtentaret, nec ullus in conventu eſſet pudor*, eſt digitos ita formare, ut obſcœnam figuram oſtendant, Salmaſ. *ad l.* Sed & *LL.* Angliorum & Werinorum *tit.* 5. §. 8. ut & apud Verpum Catul. *Carm.* 2. *v.* 3.

> *Qua primum digitum dare adpetenti*

Id. *Carm.* 23. *v.* 23.

> *Non unquam digitum inquinare poſſis.*

Id. *Carm.* 43. *v.* 3.

> *Nec longis digitis, nec ore ſicco,*

Id. *Carm.* 64. *v.* 313.

> *Formabat digitis: tum prono in pollice torquens.*

Digitus impudicus dicitur, qui aliàs *Medianus*, *Medicus*, *Medius*; quo præcipuè improbi & obſcœni deridebantur, ut & manibus ſimiliter obſcœnum in modum formatis. Quemadmodum viri, quorum uxores mœchabantur, corniculorum oſtenſione, h. e. duobus *digitis*, corniculorum inſtar erectis, deridebantur, uti ſuprà ſuo diximus loco. Vide Salmaſ. *ad Lamprid.* & Tertull. *de Pallio c.* 4. ut & infrà, in voce *Sanna*: De *Digitorum* verò *micatione* in voce *Dimicare*

DIGLITTO, appellatur Tigris fluv. ubi tardior fluit, h. e. uſque ad Medorum fines.

DIGMA, dicta pars olim Piræei, cujus præter Grammaticos meminerunt, Xenoph. *Ellen. l.* 5. & Polyæn. l. 6. *in Alexandro Pheræo.*

DIGNATIO, titulus honorarius, in *Epp.* S. Auguſtini, Ruricii, Arnolfi Lexovienſis, aliorumque frequens. Guil. Brito *Philippid. l.* 6. apud Eund.

> *Audiat & noſtris placidè ſermonibus aurem*
> *Inclinare velit* Dignatio *veſtra benignam.*

DIGNITAS, titulus itidem honorarius eſt, quo compellari Reges ſolebant apud Beſl. *in Comitib. Pictav. p.* 257. & Caſaub *ad Pollion.* In Eccleſia Romana, *Dignitas* dicitur in Eccleſiaſticis beneficiis, quando beneficium habet adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum cum juriſdictione: vel ex eo, quòd habet nomen dignitatis cum prærogativa, in Choro & Capitulo: denique, quando Conſtitutio vel Conſuetudo Eccleſiæ habet, quod beneficium habeatur & reputetur pro *dignitate*, Archidiac. *de Conſuet. l.* 6. *c.* 1. apud Car. du Freſne. Sed & in eadem Communione notum vulgariter functiones ſacras diſtribui, in Ordines & *Dignitates*; de quorum illis vide infrà. Iſtæ ſunt *Epiſcoporum*, *Metropolitanorum*, *Archiepiſcoporum*, *Patriarcharum*, *Cardinalium & Papæ*. *Dignitatum* gradus, in Rep. Rom. qui fuerint, memorat Trebell. Pollio in *Vita* Cenſorini, quos hic percurrit omnes à ſummo incipiens hoc modo: *Cenſorinus --- bis Conſul, bis Præfectus Prætorii, ter Præfectus Urbis, quartò Proconſul, tertio Conſularis, legatus Prætorius ſecundo, quæſtorius tertio, ædilitius quarto.* Nempe aſcendentium ad Conſulatum hi gradus erant: *Quæſtor*, *Ædilis*, *Prætor*, *Conſularis*, *Proconſul*, *Præfectus Urbi*, *Præfectus Prætorio*, *Conſul*. Hic apicem omnium dignitatum & culmen obtinebat. Eodem ordine iſtas *dignitates* recenſet vetus *Inſcr.* Romæ in *Hortis* Matthæiorum, illuſtris etiamnum familiæ:

VETTIO. ABORIO. PRÆTEXTATO
QUÆSTORIO. CANDIDATO
PRÆTORI. URBANO
CORRECTORI. TUSCIÆ. ET. UMBRIÆ
CONSULARI. LUSITANIÆ
PROCONSULI. ACHAIÆ
PRÆFECTO. URBI
PRÆFECTO. PRÆT. II. ITALIÆ. ET. ILLYRICI.
CONSULI. DESIGNATO

apud

apud Salmaſ. *Not. ad Trebell.* Sub poſtremis Impp. *Dignitatum* quatuor fuiſſe legimus genera, *Perfectiſſimatum*, quæ dignitas prima erat, ad quam cuivis, niſi ſordidæ conditionis eſſet, aditus patebat: *Clariſſimatum*, quâ qui præditi erant, prioribus quidem digniores erant, at reliquis inferiores. Tertium enim gradum conſtituebant *Spectabiles* Magiſtratus, Proconſules, Auguſtales, Comites Orientis &c. Quartum *Illuſtres*; quibus licet Conſules & Patricii ſuperiores eſſent, nulla tamen iis dignitatis nota ſolebat attribui, Juſtiniano proin ſic indigitati, *Qui ſupra Illuſtres ſunt*, *l.* 26. C. *de uſur.* &c. Vide Gothofred. *ad l.* 100. *de verbor. ſignific.* Cujac. *ad tit. de Dignit.* Goth. *ad Nov.* 20. *c.* 3. & hic paſſim inprimis ubi *de Officiis.* Alia vocis notio infrà in *Venuſtus.*

DIGSIUS Leonhardus, vide *Leonhardus.*

DII, ingenii ab *Unius* notitia exerrantis figmentum, tot fuêre apud Gentiles, quot deprehendêrunt vel uſui ſuo, vel terrori, vel admirationi apta inſtrumenta; omiſſo Eo, qui ſolus horum Auctor, naturâ ſuâ inviſibilis, per viſibilia hæc ſua opera ipſis, ni vana mens fuiſſet, cognoſcendum ſe liberaliter ſuggeſſit. Unde Lactant. *l. de Ira Dei c.* 11. *Ii omnes*, inquit, *qui coluntur ut Dii, homines fuêrunt & eorum primi ac maximi Reges: ſed eos aut ob virtutem, qua profuerant humano generi, aut ob beneficia & inventa, quibus humanam vitam excoluerant, immortalem memoriam conſecutos quis ignorat? nec tantùm mares, ſed & fœminas.* Theophil. Antiochen. contra *l.* 1. *ad Autolyc.* Deos hos ſceleratos ut plurimùm fuiſſe docet: quod Cyprian. quoque *tr. de vanit. Idolor.* oſtendit. Ab hominibus ad bruta, ad olera herbaſque, apud Ægyptios inprimis, quorum,

> ------ ------ ------ *Naſcebantur in hortis*
> *Numina;*

Ad inanimatas etiam res, metalla, mineralia, lapides: imò ad vitia morbos aliaque innumera, ſe vero vacua Deo mentium inanitas hominum devotio ſubmiſit. Nulli tamen creaturæ plus venerationis, quàm Soli Lunæque, unquam exhibitum: Quare non malè ſub *Sole* omnes Deos mares, ſub *Luna* omnes ſequioris ſexus, cultos docent Eruditi. Unde ad Græcos hæc Deorum multitudo confluxerit, an ab Ægyptiis, ut Herod. vult: an à Thracibus, ut Plutarch. contendit, & ipſa vox θρησκείας indigitare videtur diſputent Eruditi, hoc certum non aliunde Deos omnes antiquiores, quàm ex Aſia ac Oriente petendos eſſe. Priſci enim illi mortales, contemplationibus dediti, à reipſa nomen invenêre מחקרים dicti: ita namque vocabantur θεωρητικοί. Hi cùm jam cœlo recepti Indigetes eſſent, Μάκαρες ex Hebr. origine, vocati ſunt, quo nomine nullum frequentiùs & magis propriè apud antiquos Poëtas Diis tribuitur. Denotat autem propriè eos, qui ſagaci indagine in res etiam abſtruſiſſimas penetrant & omnia etiam intimè latentia in lucem eruunt. Latini *Beatos* ſeu Felices poſtea tales dixêre, quam vocem Horat. *l.* 1. *Serm. Sat.* 9. *v.* 28.

> *Omnes compoſui.* Felices. *Nunc ego reſto.*

ad mortuos tranſtulit: quòd hoc ſoluti corpore, in melioris vitæ poſſeſſionem veniſſent, ubi eadem ibi ſtudia eos tractare perſuaſi priſci illi erant, &c. Vide Georg. Horn. *Hiſt. Philoſ. l.* 1. *c.* 4. *ubi Nectar Ambroſiamque Poëtarum, cum reliquis huc facientibus, ex eodem fonte eruditè arceſſit.* Cui adde Joh. Gerh. Voſſ. celeberrimum *tr. de Orig. & Progr. Idolol.* Variæ autem diviſiones *Deorum* fuêre, cum apud Romanos, tum apud Græcos, ut alias gentes tacitus prætercam. Quidam *Conſentes*, quaſi *conſentientes* dicti ſunt, quòd ſine illorum conſilio nihil gravioris momenti ſuſciperet Jupiter: horum duodecim erant, de quibus vide ſuprà in voce *Conſentes.* Iis apud Athenienſes reſpondêrunt celebres illi *Duodecim Dii*, quos peculiari veneratione proſequuti ſunt: præter quos iidem *Aſcriptitios* Deos habuêre quàm plurimos, domeſticos ac peregrinos, notos atque *Ignotum* illum cujus in Actis Apoſt. mentionem Paulus facit. *Cœleſtes* ſeu *Majorum gentium* vocavêre, qui ſemper in cœlo fuiſſe crediti ſunt: hi iidem cum Conſentibus. Ovid. *Nobiles* appellantur, habitique ſunt pro Penatibus illis XII. quos Æneas, è Trojæ ruderibus ſecum in Italiam detulit, Alex. *Gen. Dier. l.* 6. *c.* 6. Alios appellavêre *Semideos*, item *Indigetes*, quos in cœlum merita vocarunt: Hi prioribus, *Cœleſtibus* nempe & *Selectis* inferiores erant, & propriè non *Dii*, ſed *Divi* dicebantur, ut Serv. obſervat *in Æneid. Virg. l.* 5. *v.* 56.

> *(Haud equidem ſine mente, reor, ſine Numine Divûm)*
> *Adſumus,*

Ibid. *v.* 234.

> *Fudiſſetque preces Divoſque in vota vocaſſet.*

Eoſdem *Animales* etiam appellatos eſſe deprehendimus, *quoniam animæ humanæ verterentur in Deos*, Ibid *in Æneid. l.* 3. *v.* 114.

> *Ergo & agite Divûm ducunt quà juſſa ſequamur.*

Ibid. *v.* 148.

> *Effigies ſacræ Divûm, Phrygiique Penates*

Ibid. *v.* 363.

> ------ *cuncti ſuaſerunt Numine Divi.*

Ibid. *v.* 370.

> *Exorat pacem Divûm, vittaſque reſolvit.*

Ibid. *v.* 526.

> *Induit, implevitque mero; Divoſque vocavit*

Ibid. *v.* 717.

> *Fata renarrabat Divûm, curſuſque docebat.*

His addicti *Semones*, de quibus vide *ſuo loco*: qui omnes *Minorum gentium Dii* nuncupati ſunt. Porrò *Patrii* ſeu *Tutelares* ſunt vocati, ſub cujus tutela urbes genteſque erant: *Peregrini*, qui ab aliis gentibus colebantur: *Communes*, quibus ara communis, vel qui utrique parti communes erant, quales *Mars*, *Bellona*, *Victoria* &c. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* x. Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 2. *ſec.* 1. *c.* 2. Franc. Roſſæum *Archæol. Atticæ l.* 2. *c.* 1. *& ſeqq.* E quibus verò entium claſſibus *Deos* ſibi ſuperſtitio creaverit paucis ex Voſſio ſubjungam: à Spiritibus incipiendo, inter quos ante animas humanas Angelos; ante Angelos bonos, Principem malorum, quem κατ' ἐξοχὴν *Satanam* dicimus: non ſolùm tamen, ſed unà cum Deo, boni ominis fonte, divino affectum fuiſſe honore contendit. Addam ſaltem priùs, de Diis *Animalibus*, *Conſerentibus*, *Indigetibus*, *Localibus*, *Diis Manibus*, Ὀνειροπομποῖς, Παρέδροις, *Syris*, *Vialibus*, præter prædictos Auctores accuratè agere Salmaſ. *ad Solin. p.* 64. 71. 350. alibique paſſim, Selden. Jac. Ouzel., *de Diis topicis* inprimis ſeu municipibus, *ad Minucium Fel. p.* 29. *& ſeqq.* &c. de ratione eos *ad ſedes ſuas*, *quarum non unam habuêre, feſtis diebus evocandi, hiſque peractis iterum dimittendi,* infrà in voce *Epidemiæ*: de eorundem *famulitio*, *lacrymis*, *pondere*, *ſexu*, *ſtatuis*; de ritu eorum *comas lavandi ſacris ſibi amnibus*; de hominum priſco more *encomia illorum decantandi ſuper epulas*, *effigies* item *pro tropæo figendi*, contra *conviciis illos, rebus non ex voto fluentibus, petendi*, aliiſque huc pertinentibus, Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat.* inprimis *Commentario Superſtitionum*, ubi totam hanc priſcæ Dæmonolatriæ Camarinam eruditè movet, & hîc paſſim: de omni verò eo, quod ſub his fabulis boni latebat, Voſſ. *præfato Op.* & Tob. Pfanner. *in Theologia Gentili pur.*

Tabula Πολυθεΐας *Ethnicæ.*

Dii Gentilium ex Spirituum claſſe.

I. Principium duplex, unum *Bonum*, alterum *Malum*, apud antiquiſſimos, inter Gentiles, Legiſlatores, Sacerdotes, ac Philoſophos, venerationem invenit. Perſæ, qui errorem hunc à Zoroaſtre hauſêrunt, Bonum *Oromaſden*, quod alii *Lucem*: Malum *Arimanium*, quod Artaxerxes apud Plutarch. *in Themiſtocle* τὸν πονηρὸν Περσῶν δαίμονα, alii *Ditem*, *Tenebraſque*, vocarunt. Ægyptii (exceptis Thebaidos incolis) in Bono, Patrem, Matrem & Prolem colentes *Oſirim*, *Iſin & Orum* nominarunt: Malo *Thyphonis* nomine impoſito. Græcorum quidam, à Pythagora edocti, Bonum τὸ πέρας, item Concordiam: Malum τὸ ἄπειρον, item Rixam dixêre. Sic & Romani Græcique reliqui, Deos omnes, pro malo bonoque effectu diſtinxêre. II. Angeli, quos *Genios*, item *Dæmonas* nuncupavêre, tanquam precum ſuarum apud Deum interpretes, divinæ voluntatis internuntios, & humanarum rerum cuſtodes, coluêre Platonici inprimis hos ſequuti vett. quidam Chriſtiani. In ſpecie Bonorum cultus in Phrygia & Piſidia viguit, vide Coloſſ. *c.* 2. *v.* 8. Hæretici dein *Angelici* dicti, eandem ſuperſtitionem amplexi ſunt. Malis, præter Bonos, ſacra fecêrunt olim Saxones, Ungari: ipſi quoque Platonici. Hodiè Calecutenſes, Japonii, Mexicani, Tapujæ &c. III. Anima humana, non ſolùm apud Augilas delubra ſibi quæſivit & aras, ut Mela & Plin. credidêre: ſed & apud Naſamones, ut Herod. oſtendit. Imò eouſque poſtea ſe earum cultus extendit, ut apud omnes Gentes nihil eo fuerit frequentius. Et quidem Romani animas conſecrarunt vel privatâ auctoritate: unde Lares, Larvæ, Lemures, Manes orti. Vel publicâ ἀποθεώσει Diis intulêrunt, unde Indigetes innumeri & Penates. Inter quos Æneas, Quirinus, Semo Sancus, Faunus, Carmenta, Acca Laurentia, Flora, Anna Perenna, Romulus, Julius &c. Græci ſimili modo præclarorum virorum Animas pro Diis habuêrunt: Unde Anius Elienſium, Ariſtæus Arcadum, Dioſcuri Heroës Argivorum, Laconum, Sicyoniorum &c. Cretenſes itidem, unde illorum Jupiter, &c. Phryges Cybelem cum Attide, Silenum, Hectora, Sarpedona, Proteſilaum, Homerum, Alexandrum Mag. &c. coluêrunt. Cilices Amphilochum & Mopſum, Nioben item venerati ſunt. Cypriis Venus in honore fuit. Phœnices pro Diis habuêre Saturnum, Rheam, Jovem, Junonem, alios. Syrorum Numen Atergatis erat, ſive Derceto, quam Parthi quoque coluêre. Indi, Ægyptii, Pœni, Celtæ, Scythæ, Iberi, Galli, Britanni, Germani &c. non minùs, plurimas ſuorum Animas divinis affecêre honoribus.

Ex Cœleſtium corporum claſſe.

I. Sol, antiquiſſimis temporibus, pro Deo habitus eſt, ut patet ex Deuter. c. 4. *v.* 19. Eum Syri ſub nomine *Bal*, ſeu *Bel*: Phœnices ſub *Beel-Samen*, *Adon* ſeu *Adonidis*: Amonitæ ſub nomine *Molochi*: Emeſſeni ſub *Alagabali*: Aſſyrii ſub *Beli* & *Adad* adorarunt. Idem à Moabitis & Madianitis *Baal-Peor* & *Beel-Phegor*: ab Ægyptiis *Orus* & *Oſiris*: ab Arabibus *Urotali*; à Perſis *Mithras*: ab Æthiopibus *Aſſabinus*, & *Ammon*: à Pœnis *Saturnus*: à Græcis *Apollo*, *Dionyſius*, *Bacchus* ſeu *Jacchus*, *Hercules*, &c. à Romanis *Hercules*, *Mars*, *Janus* &c. ab Aquilejenſibus *Belenus*, ut & Aremoricis ac Noricis, vocitatus eſt. Eidem & Maſſagetæ equum mactarunt, & Indi, Haaulitæ, Germani, Sarmatæ: hodierni quoque Americani non uno in loco litare leguntur. Imò ſunt; qui omnium Deorum marium cultum, ut ſuprà dictum, ad unicum referre Solem contendant. II. *Luna*, poſt Solem, præcipuum cultum meruit. Hanc Orientales, ut & Afri Οὐρανίαν ſive *Cœleſtem*: Phœnices ac Syri *Aſtarten*, *Beltin*, & *Salambonem*: Babylonii atque Aſſyrii *Mylittam*: Perſæ *Anaitidem* ſeu *Zaretim*, Arabes *Alilat* vel *Alittam*, *Chinæque*: Ægyptii *Iſidem*: Græci Ἀστάρτην, Οὐρανίαν, *Dianam*, *Venerem* &c. Romani ſimiliter *Dianam*, *Janam*, *Junonem*, *Ilithyjam*, *Cererem*, *Rheam*, *Suadam*, *Bellonam*, *Venerem*, *Proſerpinam*, *Hecaten*, &c. appellavêre. Imò huc tota Dearum claſſis relata creditur. III. Venus ſive Heſperus, quæ unà cum Luna quoque Φωσφόρος ſive *Luciferi* nomine culta eſt. Et Lucifero quidem Deſultorii in ludis Circenſibus equi: aliàs equus albus, ſicut Heſpero furvus, ſacer fuit. Inde *Phoſphoria* feſtum, apud Plutarch. Phoſphori templum apud Gaditanos &c. Coluêre antiquiſſimis temporibus ſtellam Venerem Iſmaëlitæ; hinc Saraceni, qui oſcula dant lapidi, quem Veneris dicunt: ut alias gentes omittam. Ipſi hodie Peruani Luciferum

col-

religioſo honore dignantur. IV. Mercurius, in Oriente itidem primò cultus eſt, ubi tamen per eum potiùs Sol, imò quandoque & Luna eſt intellecta, prout rationem vel orationem Mercurius ſignabat. Sed & ſtella Mercurialis, in honore fuit, apud Babylonios, ſub *Seches*, *Mercolis* & *Mangenah* nominibus: Eadem Græcis Ἑρμῆς & Στίλβων: Edeſſenis Μόνιμος: Germanis *Wodan*, *Teutates*, *Ermenſul* &c. nominata eſt. Vide Saturnus, cum Jove, idem Numen Orienti, nempe Solis, fuit: ſed Aſtrologi varia unius Solis nomina inter Planetas partiti ſunt. Dictus eſt *Phaeton* & *Lampon*: item *Nemeſis* idem creditus eſt: & præter alias gentes etiam Celtis in veneratione fuit, qui eum *Satur* vel *Sater*, item *Crodo*, quod ex *Crono* fortè corruptum, vocavêre. VI. Jupiter ſtella, aliàs *Phaeton*: Celtis vett. *Taranis*, q. Βροντῶν ſeu Tonans, in Germania, & omni Septentrione latiſſimè cultus eſt. Bohemi illi, ut & Marti, Bellonæ, ac Plutoni, aſino litarunt: Succos illi ſerviiſſe Saxo Grammatic. refert *l.* 13. &c. VII. Mars, *Pyrois* cognominatus, *Herculis ſtella* quandoque dictus: apud Græcos ſub Ἄρεως: apud Babylonios ſub Θούρας: apud Germanos ſub *Heſi* nominibus cultus, in variis Germaniæ vicinarumque regionum locis templa habuit. Hungaris quoque unà cum Hercule, in veneratione fuit, teſte Bonfinio *Hung. rer. l.* 15. VIII. Stellæ fixæ, ſub nomine *Militiæ cæli*, etiam ab Iſraëlitis idololatris cultæ leguntur. Præterea, Orionis, Arcturi, Pleiadum &c. nomina, idololatrico cultu fuiſſe profanata, docet Hieronym. *l. de veſte Sacerdot.* Præcipua inter fixas Numina, ſequentes fuere: IX. Canis ſeu Sirius, inter ſtellas fixas, ad divinum honorem primus evectus eſt, ab Ægyptiis Heſpero quoque prælatus, dignatuſque nomine Iſidis. Romani rufas ei canes immolabant, ad portam Catulariam: unde facile patet, cur Deo Robigo ſive Rubigini, præter ovem, etiam canem menſe Aprili immolarent. X. Piſcis, Græcè dictus Νότιος, Germanico *Magnus*, à Syris cultus eſt; in hunc enim Phacetis, Veneris filia cùm in ſtagnum decidiſſet, transfigurata legitur. Hinc Aphacitis Venus, memorata Euſeb. *in Vita Conſtant. l.* 3. *c.* 53. XI. Geniculator ſeu ἐν γόνασιν, quibuſdam Theſeus, aliis Orpheus, nonnullis Thamyris, Panyaſi Herculès exiſtimatus eſt. XII. Ophiuchus, Hercules quibuſdam, aliis Æſculapius fuit. XIII. Aries habitus eſt Jupiter Ammon: etiam Minervæ ſymbolum fuit. XIV. Taurus, ab Ægyptiis, ſub nomine Oſiridis vel Mizraim, cultus eſt: Quidam Joſephum quoque Patr. ob Ægyptum in fame ſervatam bovis meruiſſe ſymbolum & in eo tandem divinos eſſe honores nactum aſſerunt. XV. Gemini Gr. Δίδυμοι, receptiori Aſtrologorum opinione, fuêre Caſtor & Pollux: aliis tamen fuêre Hercules & Apollo: quibuſdam Triptolemus & Jaſon. XVI. Virgo, ex vulgari ſententia, fuit Aſtræa, ſive Juſtitia & Æquitas: Ægyptiis Iſis, Ceres Romanis: aliis Concordia vel Pax, quæ etiam *Panda*. XVII. Piſces duo, à Vett. dicuntur Dii Syri, nempe Venus & Cupido, vide Scalig. *ad Manil.* & Salmaſ. *in Solin. Polyhiſtora.* XVIII. Cœlum ipſum ſeu Æther, *Cœlus* Romanis, *Uranus* Græcis, his gentibus pro Numine fuit. Aliquando pro Saturno cultum eſt. Uſitatè Græci Romaniq́ue per Jovem Cælum intellexêre: quod factum imitatione Orientis, inque his Perſarum, de quibus vide Herod. *l.* 1. & Strab. *l.* 16. Imò ipſe Plato, & qui eum hîc præivit, Pythagoras, Cœlum pro Deo agnovêre. Idq́ue ob duas inprimis cauſas, quia judicarunt illud materiæ eſſe perennis, ac incorruptibilis, & animâ præſtantiſſimâ vegetari. Inſuper divinitatem ei adſtruxêrunt Vett. quòd omnia Lunæ ſubdita gubernare dicatur. Hinc, quia res in terra triplici modo fieri videbant, ratione, fortunâ & neceſſitate, tria pro iſtis Numina introducta ſunt. Cœlumque cultum ſub *Minervæ*, *Fortunæ*, *Fati*, ſeu *Parcarum* nominibus. *Minerva* dictum eſt Cœlum, quatenus ab atherea natura, unde decerpta eſſe anima humana à multis credebatur, provenit tum Ratio, tum voluntas, quâ liberè homo ſecundùm rectam rationem vivere poſſit. Hæc Græcis Ἀθηνᾶ, à Chaldæo נזה, *meditatus* eſt, *ſtuduit*, Ægyptiis *Neith*: magno in honore in Oriente primùm, dein in aliis Gentibus fuit. Sed notandum, cùm per illam Cœlum intelligitur, inprimis ſignari Æthera ſupremum & cum ea Mentem ſummi ætheris præſidem, & Mentis hujus prudentiam: interim cum ſummo Æthere Solem quoque ac Lunam in conſiderationem venire; quia ab his ingenium ac hominum ſagacitas. *Fortunæ* nomen accepit Cælum, quatenus ſpectabatur, ut cauſa per accidens rerum inprimis humanarum, quæ cœco ferri caſu videbantur. Inprimis autem Luna hoc nomine venit, quam non ſolum credebant cauſam eſſe, ut res generentur & corrumpantur: ſed etiam naſcentibus vim quandam imprimere, pro cujus diverſitate variet temperamentum, mores, fortunæ. Coluêrunt Cœlum ſub hoc nomine Græci præcipuè, & in Italia Antiates ac Prænelſtini, Romani quoque eidem ædem trans Tiberim ſtatuêre. *Parcæ* tandem Aſtrologis ad Æthera reducebantur ac ſiderum poſituram. Nempe Parca iis vis fuit cœleſtis vitæ productrix & conſervatrix ad certum uſque ſpatium, quod à nemine excedi poſſit. Interim, ſicut Fortunam, ita & Parcas, ad Lunarem potiùs poteſtatem particulatim retulêre. Idem verò ſunt Parca, Fatum, Neceſſitas; imò & Nemeſis ac Adraſtia. Quorum quantum habitum fuerit Numen, abunde illud arguit, quòd Jovem ipſum Fatis ſubjecerint, non Poëtæ ſolùm, ſed & Philoſophi, Stoici inprimis. Verùm de his omnibus prolixè & accuratè agentem vide Voſſ. præfat. *de Orig. & Pr. Idol. l.* 2. *c.* 44. *& ſeqq.*

Ex Elementorum Claſſe.

I. Elementa in genere, communem cœlis apud vett. Philoſophos nacta honorem, à Prodico inprimis Ceo cum Sole & Luna Pro Diis habita ſunt. Empedocles Agrigentinus Elementa, cum lite & concordia inter Numina retulit. Integræ gentes, Græci Romaniq́ue *Rheæ*, *Neptuni*, *Junonis*, aliiſque nominibus Elementa ſignabant. Idem de Perſis poſterioribus apud Herod. *l.* 1. & Strab. *l.* 15. legimus. In ſpecie, Tellus ex elementis, divinos ante alia obtinuit honores, & primò quidem laxè eâ voce acceptâ, ut ſignat globum terræ aquæ permiſtum, cœleſti ſeu æthereo aëreoq́ue oppoſitum; Sic Sapientes in Tellure univerſam coluêre naturam, quatenus ea ut fœmina conſideratur: maſculâ vi cœleſtibus corporibus attributâ: Proin, quemadmodum hanc *Oſiridem*, *Saturnum*; aliiſque nominibus vocarunt: ita illam *Iſidem*, *Opim* &c. dixêre. Gliſcente dein Deorum Dearumq́ue numero, ſeparato cultu Terram & Aquam, ut & Ætherem ac Aërem dignati ſunt. Ita Tellus à Phrygibus culta eſt, ſub nominibus *Rheæ*, *Cybeles*, *Matris Deûm*, *Majæ*; Δήμητρος, Φερεφάττης: à Syris dicta eſt *Venus Byblia*, *Juno Aſſyria*, *Atergatis*; quæ nomina Telluri cum Luna fuêre communia: ab Ægyptiis *Iſis*, cujus ſacra in honorem tum Lunæ, tum Telluris itidem fiebant: Apud Samothraces, ſub *Mercurii terreſtris*: à Thracibus ſub Dianæ ſeu Bendis nomine culta eſt: Græci eam Δήμητρα, Ῥέαν, Ὦπιν, item ſuo nomine: Romani itidem modò *Tellurem*, modò *Cererem*, modò *Opem*, modò *Veſtam*; *Junonem*, quoque, *Venerem*, *Proſerpinam*; modò Infernalium Deorum Nominibus inſigniêrunt &c. Galli eam ſub nomine *Ditis*: Germani ſub nomine *Herthæ*: Scythæ ſub *Apiæ*: Tartari ſub *Kyrgiſſis*: Peruani ſub *Pachamamæ* nominibus venerari leguntur. III. Ignis cultum Nimrodus inſtituiſſe creditur: cujus ſacerdotes nomen dedêre civitati *Ur* vel *Uroë*, ut & regioni *Orchoë*. Ei ſacra fecêrunt Perſæ, Medi, Cappadoces, Phryges, Macedones. Etiam in inſulis Chenerag obtinuit ætate Benjamini Tudelenſis hic cultus. Ægyptiis Vulcanus creditus eſt, utriuſque ſexus, Solis pater: Romanis Græciſque junioris Veſtæ nomine, in eximia veneratione fuit. Sarmatis quoque ignem pro Deo fuiſſe, & inter alios Lituanis, quibus *Znick* dicebatur, refert Alex. Gaguinus *de priſca Lituanor. religione.* Ignem in Libya pro Deo habitum, refert Scalig. *Exerc.* 258. *ſ.* 1. IV. Aquam cunctarum gentium præcipuè venerati ſunt Ægyptii & Perſæ. Unde tantus Nilo, (quem Oſirim quoque dixêre) & Canopo, apud illos honor: ut apud hos *Atergati*, (quo nomine Lunam & Mare intellexêrunt) apud Palæſtinos *Dagoni*, apud Babylonios *Oanni*. Apud Græcos Romanoſq́ue diverſorum ſexuum variis nominibus culta eſt aqua: In Numinibus Aquarum maſculis principatus ceſſit Oceano & Neptuno; in muliebribus familiam duxêre Tethys & Amphitrite. Ut de fluviorum, fontium &c. Diis nil dicam. Vett. Scythæ *Thamimaſadem* coluêre, qui idem ac Romanorum Neptunus. Fontibus & lignis ſacrificarunt Heſſi ac Bohemi: Peruani Mare, ſub nomine *Mammacocha*, flumina item ac fontes hodieq́ue pro Diis habent. V. Aër, pro Numine habitus eſt ab Anaximene Mileſio & Diogene Apolloniata. Similiter ſapuêre Aſſyrii & Arabes, quibus per *Venerem cœleſtem* tum Luna tum aër ſubjectus intelligebatur. Item Ægyptii, qui eum *Minervam* dixêre. Apud Græcos Romanoſq́ue dupliciter cùm conſideraretur, partim ratione potentiæ activæ, partim paſſivæ: Priori reſpectu dictus eſt *Jupiter*, ad quem *Dijovis* & *Dieſpitris* referenda nomina; Poſteriori *Junonis* adeptus eſt nomen. Quamvis enim utrique genti Lunam quoque ac Terram, ut ſuprà vidimus, Juno indigitet, ut plurimum tamen Ἥρα ſive Juno eſt aër: Imò Ἥρα ſolùm trajectis literis ex Ἀήρ factum videtur. Hæc cauſa, cur Juno *Soſpita* nuncupata eſt; quòd nempe in aëre, quem attrahimus, valetudo multum ſita eſt. Aërem autem Græci Romaniq́ue marem dixêre, quatenus eſt ſpiritus vegetans ac movens: fœminam autem, quatenus recipit exhalationes & quæ inde generantur. Quemadmodum hodieq́ue Perſæ, non tantùm in animalium, ſed etiam in plantarum, ac inanimatarum rerum omni genere, ſexum diſtinguunt.

Ex Claſſe Meteororum.

I. Ventus à Perſis pro Deo cultus: Eis in Phœnicia templum Uſo olim ſtatuit. Græcos quoque ventis ſupplicaſſe legimus: Apud Sicyonios aram fuiſſe ventorum, refert Pauſan. Ipſe Aug. Imp. Circio ſacrificavit. Huc pertinet Boreæ Orithyjam rapientis, Æoli, Titanum &c. fabula. Quid quòd flatus ventris Gentilibus in Deorum numero fuiſſe Clemens Rom. docet *in* 5. *Recognit. ubi de Ægyptiorum Diis agit.* II. Fulmen ac tonitru, *Geryonis* nomine cultum eſt. Apud Romanos, ſi non pro Deo, ſaltem pro re ſacra ac divina fulmen eſt habitum. Pro Numine id habuêruut Novogrodienſes, quibus *Perun* dicebatur. Ingæ, Peruviæ olim Domini, Tonitru divino honore, ſed minore quàm Solem, venerati ſunt. III. Cometæ ab omnibus iis pro Diis ſunt habiti, qui ſtellas putatunt Deos: namq́ue & Philoſophorum multi in harum cenſum Cometas retulêre. Anima inprimis Jul. Cæſaris, in Cometam, ut creditur, verſa, ſecutâ mox ejus apotheoſi, eorum cultum aſtruit. IV. Caſtor & Pollux, item Helena, qui inter ignea meteora, eximiè apud Græcos inprimis culti ſunt. V. Ros, ne ſegeti vitium afferat, Robigus Deus à Gentilibus imploratus eſt. Ei cùm mel debeat originem, non abs re erit Ariſtæi meminiſſe, qui ob hoc inventum in Deorum numerum relatus eſt. VI. Nubes, ſi Ariſtoph. credendum, à Socrate divinis affecta eſt honoribus: quod idem Chriſtianis objectum fuiſſe memorat Tertull. *Apologet. c.* 24. VII. Iris non incelebris Poëtarum gregi Dea fuit, ab iis *Thaumantias* quoque dicta. Eidem purpureus aurigantium color in Circo Romano ſacratus fuit. Peruani illam pro Numine habentes, eam cum duobus à latere ſerpentibus effingere dicuntur: ut non Ægyptiis modò vel Phœnicibus ac Græcis, ſed his quoque ſerpentes ſymbolum divinitatis eſſe appareat.

Ex Foſſilium Claſſe.

I. Lapis Βαιτύλος, in quo dormiens Jacob Patriarcha ſcalam vidit, magna in veneratione Iſraëlitis fuit, uſque dum divino coli honore à cultus neſciis cœpit. Hinc Βαιτύλας & βαιτύλια vocarunt lapides rudes, quos ſeu ſymbola Numinis credebant, ſeu etiam animatos & verè Deos Ethnicis *Abaddir* dictus eſt; Poëtæ illum pro Jove ob-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

jectum fuiſſe Saturno fabulati ſunt. II. Lapis *Brachtham*, ab Arabibus pro Deo habitus eſt, in quo Abrahamum cum Agare congreſſum finxêre. Alii camelum ei, cùm Iſaacum ſacrificaturus eſſet, alligaſſe commenti ſunt. Hunc religioſè oſculari eos ſolitos eſſe, refert Euthym. Zigabenus *in Panoplia*. Iidem jugum locumque Arabiæ altiſſimum, nomine *Dyſarem*, pro Numine, ut & Dachareni, coluêre. III. Silicem Peſſinuntios pro Deûm matre veneratos eſſe, teſtatur Arnob. *l. 6.* Quem à Legatis Romanis Romam deportatum, tradit Liv. *l. 29. c. 9.* & 10. IV. Pyramidem albam pro Venere coluêre Paphii, apud Max. Tyrium *Orat.* 38. V. Saxum ingens, ſeu prom. ad naſi ſimilitudinem in mare prominens, hinc *S. Naſus* dictum, ante ſeſquiſeculum adhuc à Finlandis pro Deo ſub nomine *Semis* cultum eſſe, refert Baro Herberſten. *Comm. rerum Moſcoviticar.* Propitiabant hunc, avenæ farinam butyro permixtam ſuper eum fundendo. VI. Ferrum pro Numine: acinacem Scythæ coluiſſe leguntur, eiq́ue ſacrificaſſe. Hinc & per acinacem jurat apud Luc. Toxartes. Securim geminam Tenedi incolæ venerati ſunt. VII. Aurum atque argentum, ſtultorum mortalium Numen eſſe; docet eleganti carmine, apud Stobæum, *ſerm.* 89. Menander. Hæc pro Diis habita, ſequentia Diis dicata ſunt, hoc modo. VIII. Æs Veneri ſacrum fuit: æreus tripus Apollini quoque conſecratus eſt: Æſculanus Deus ſimiliter inde originem apud Rom. habuit. IX. Ferrum Marti ſacrum fuit, ut & Vulcano: Namq́ue & ferro pugnatur & igni ferrum mulcetur, h. e., mollitur, unde *Mulcibris* Vulcano nomen. X. Gemma dicta *Beli oculus*, Belo Aſſyriorum Deo conſecrata fuit, teſte Plin. *l. 37. c.* 10. Similiter Soli, qui non *Belus* modò, ſed & *Adad* Aſſyrius vocatus eſt, tres hæ gemmæ fuêre dicatæ, Adadi nephros, Adadi oculus, & Adadi digitus, eodem auctore. Apud Perſas, ubi idem *Mithra* dictus eſt, Solis gemma *Mithrax* vel *Mithridax* fuit. Etiam Jovi Ammoni ſacra fuit gemma, quam *Ammonis cornu* vocarunt, quia is cum cornibus arietis fingeretur &c. Imo nec metalla ſolùm, ſed etiam vaſa inde fabricata, alia huic, alia alii Numini fuêre conſecrata: Quomodo ſcyphus erat ſacer Herculi, & cantharus Libero, ut ex Athen. & Macrob. liquet. Præterea foſſilia cultui Gentilium in ſacris locis, rebus ac perſonis multipliciter inſerviêrunt, Æs inprimis, è quo templorum valvæ, Deorum ſtatuæ, candelabra ſacro uſui deſtinata, pectoris tegmen & ſcuta, quæ Salii ex Numæ inſtituto geſtabant &c. Sic lapidis uſus in ſacris Cybeles, eo ſeſe evirantibus Gallis, ſic alia.

Ex Claſſe Plantarum.

I. Allium cepaſq́ue inter Deos habuit Ægyptus, Plin. *l. 19. c. 6.* Eoſdem olera in hortis veneratos eſſe, docet Prudent. *l. 2. contr. Symmach.* Item frumentum, Oſiridem colentes. II. Arbores ac ſylvas coluêre Sclavi, Lituani, Celtæ, (quibus altiſſimam quercum Διὸς ἄγαλμα, *Jovis ſimulacrum haberi*, refert Max. Tyr. *Orat.* 38.) Gandenſes, Vandali, Indi, Peruani hodierni, Samogitæ &c. Alii, ſi arbores non habuêrunt pro Diis, habuêre tamen pro Deorum receptaculis: unde Dryades & Hamadryades. III. Quercus inprimis apud Germanos, Gallos, Romanos magna in veneratione fuit, Lipſio teſte *in Tac. de morib. Germ.* Vide & infrà. IV. Far, frumentum, ſemina, ſub Cereris Proſerpinæq́ue nominibus apud Græcos Romanoſque culta ſunt. Unde Clem. Alexandr. Δηὼ *Ceres*, interpretatur ἀπὸ τῆς σίτου *frumentum*, &c. Acceſſit alterum Idololatriæ genus quo plantis Gentiles certa Numina præfecêrunt: Sic Ceres frugibus præfuit: Seia & Segeſta ſeu Segeſia à ſerendo ac ſegete dicta eſt: Tutullina ſegetis tutatrix fuit: Occator, Sarritor & Sterculinius ab officio quiſque ſuo nomina habuêre. Nodinus curabat nodos & genicula culmorum: Hoſtilina ſegetes novis ariſtis æquavit. Lactucina præfuit lacteſcentibus frumentis: Patulena folliculis pateſcentibus, ut ſpicæ exirent, opitulata eſt: Runcinæ curæ erat runcatio: Fornax torrendis frugibus præfuit. Robigus robiginem arcere creditus eſt, quemadmodum hodie de S. Judoco Latinis ritibus addicti opinantur. Arboribus præfuêre: Puta, à putando dicta: Spinenſis Deus, qui eradicaret ex agro ſpinas: Pomona, cui pomorum cura obveniſſet: Flora invocata eſt, non ut frumenta modò, ſed & arbores floreſcerent. Ciceris inventor Neptunus habitus eſt: Sirupos, qui è plantis fiunt, Serapis excogitaſſe dicitur: Arbores glandiferæ omnes Jovi, laurus Apollini, olea Minervæ, myrtus Veneri & Baccho, populus Herculi, vitis Libero, pinus Cybeli, Fauno & Pani: Ficus Baccho iterum: Cupreſſus Diti, palma Soli, buxus Cybeli, roſa Veneri &c. ſacra fuêre. Plura vide apud præfatum Voſſ. *toto l. 5.*

Ex Aquatilium Claſſe.

I. Piſces pro Diis habuêre Syri inprimis ac Ægyptii. è quibus Oxyrynchum coluêre Oxyrynchitæ: latum Latopolitani: nonnulli lepidotum; Syenitæ phagrum: Elephantinæ incolæ Mæoten: alii anguillam, quem cultum Antiphanes & Anaxandridas Comici facetè riſêrunt. Et de Syris, notum eſt grande illorum Numen Atergatis ſeu Derceto. Apud Lydos quoque piſces quoſdam ſacros fuiſſe memorat Varro *de R. Ruſt. l. 3. c. ult.* In ſideribus porrò delphinus, & piſces duo, inter XII. ſigna Zodiaci: item piſcis magnus, cujus hi nepotes dicuntur: Adhæc cetus & hydra, cujus caudæ corvus inſidet: piſcium divinos honores ſatis ſuperq́ue loquuntur. Et quid aliud in mari Triton Nereïdeſq́ue, quàm piſces fuêre. Eodem Sirenes quidam referunt: quos quidam verè piſces ſeu ſemipiſces, aut planè mulieres, ſed mutas ac penè brutas cenſent. Ut de aliis marinis monſtris nil dicam. II. Serpentes, in Diis culti ſunt, apud plùrimas gentes. Aſpides *vehementer venerati ſunt Ægyptii*, ut loquitur Ælian. *de Anim. l. 17. c. 5.* Boruſſi, præter feras arboreſq́ue, etiam ſerpentes coluêre, teſte Eraſmo Stellâ *de Antiqq. Boruſſiæ l. 1.* Samogitis ſerpentem pro Deo eſſe, tradit Baro Herberſten. Idem de Lituanis ſcribit Alex. Gaguinus *de Sarm. Eur.* in provincia Calecuto, pro Numine ab Rege ſerpentes vaſtiſſimo capite coli, docet Scalig. in *Hiſt. Anim. l. 2.* Et quid aliud docuit Æſculapius, ſub ſerpentis imagine, tanto in honore olim habitus? III. Canthari ſive ſcarabæi, divino cultu apud Ægyptios honorati ſunt, iiſq́ue templa dicata. IV. Formicas Theſſali coluêre, quoniam Jupiter, ſub formicæ ſpecie, ex Eurymeduſa genuerit Myrmidonem. V. Muſcis bovem in Acarnania, ubi templum eſt Apollinis Actii, ſacrificatum eſſe, tradit ex Heraclide Clemens. Niſi fortè hæc ſacra potiùs Apollini, ſicut Jovi Apomyio, muſcarum depulſori fuiſſe oblata dicas. Interim ſi iis in Palæſtina ab Accaronitis ſacrificatum eſt, quòd mirum de Acarnanibus. Cenſet illud Philaſtrius, cùm ſcribit *c. 13. Sunt qui muſcam colunt, in civitate Accaron dicta*: quod collegit ex nomine *Beelzebub*, Numine Accaronitarum; illud enim conflatum ex *Baal*, i. e. *Dominus* & *zebub*, quod eſt *muſca*. Sed, ut verum fuerit hoc idoli, nomen; quod Scalig. (illud *Baal Zebaum* i. e. *Deum victimarum* vero nomine appellatum fuiſſe aſſerens) negat: Non Deus *Muſca*, ſed Deus *muſcæ* ſive *muſcarius*, h. e. *Abactor muſcarum*, quod idem eſt ac ἀπόμυιος dictus fuiſſe cenſendus eſt. Quò facit Plinian. *l. 10. c. 28. Invocant Cyrenaici Achorem Deum, muſcarum multitudine peſtilentiam adferente: quæ protinus intereunt, quà litatum eſt illi die.* Ubi *Achorem Deum* Voſſ. pro *Achoron* ſive *Accaron*, ſeu *Accaronitarum Deum* dictum vult. Cùm enim, quæ Plin refert, conveniant nomini *Beelzebub*, Accaronitarum Numini, cujus tantum erat apud Palæſtinos nomen, ut Judæi etiam Principem dæmoniorum ſic dixerint: planè credibile eſt, Palæſtinos in Cyrenaicam hunc cultum attuliſſe. Solitos autem fuiſſe Gentiles Numinibus ſuis nomina ab inſectis, quibus ſe eorum ope liberari credebant, ridere, arguit etiam Trachiniorum Hercules Κορνοπίων, ſic à fugandis locuſtis, ſeu potiùs pulicibus. Item Erythræorum Hercules Ἰποκτόνος, i. e. interemptor vermiculorum &c. Alia omittam, non tamen hoc, Crocodilum hodieq́ue in certa Indiæ gente divinis affici honoribus & tanquam oraculum conſuli: Plura. Vide Voſſ. *toto l. 4.* Ut & paulo infrà ubi de *Quadrupedibus*.

Ex Volatilium Claſſe.

I. Ciconia, pro Numine; culta eſt à Theſſalis, auctore Clem. Alexandrino *in Protreptico*. Sed negat hoc Voſſ. oſtendens non alio Clementem fundamento niti, quàm quòd ſeverè animadverterint, in eum qui ciconiam necaſſet: quo honore illas mactatas ab eis vult, quia regionem à ſerpentibus expurgaſſent. Eandem avem ab Ægyptiis quoque divinis honoribus affectam, Lucian. *in Deorum concilio* refert. II. Corvum, pro Deo, ab iiſdem Ægyptiis habitum eſſe, docet Ambroſ. *in Ep. ad Rom. c. 1.* unde Κοράκινα ſeu *Corvina* ſacra, prope Coptum celebrari ſolita. III. Accipitres coluêre, in eadem Ægypto, Tentyritæ, teſte Ælian. *Hiſt. Anim. l. 10. c. 24.* De Philarum incolis idem refert Strab. *l. 17.* Unde & apud Hermopolim ſimulacrum fuit Typhonis equi fluvialis, cui accipiter inſiſteret cum ſerpente depugnans. Contrà Coptitæ, crocodilos venerati, accipitres egêrunt in crucem, Veluti Numinis ſui hoſtes, teſte Æliano ſuprà laudato. IV. Ibin cultam ab Ægyptiis Lucian. *in Deorum concil.* quoque refert: cui aſtipulantur Cic. *l. 1. de Nat. Deor.* Juv. *l. v. Sat. 15.* Initio.

Ægyptiis portenta colat? crocodilon adorat
Pars hæc: illa pavet ſaturam ſerpentibus Ibin.

& Plin. *l. 10. c. 28.* Eandem contra ſerpentes, ab iis invocatas eſſe, narrat Herod. *in Euterpe.* V. Aquilam venerati ſunt Thebæi, *tanquam animal Regium & majeſtate Jovis dignum*, ut docet Diod. Sic. *l. 1.* VI. Gryphes porrò ab Ægyptiis, pro Diis habiti, teſte Plutarch. *Sympoſiacôn l. 4. quæſt. 5.* ubi tamen alii legunt γυπὸς, *vulturis*, cujus pennis Iſidis ſtatuam exornaſſe leguntur. Quòd ſi prior lectio vera, & è vulgo Ægyptio non defuêre, qui tam ſtultè ſaperent: At Sacerdotes, & alii, qui paulum videre ſupra vile vulgus, non habuêre aves eas alio loco; quàm pro Deorum ſymbolis, ut ſentit Voſſ. Gryps enim ſacer fuit Apollini ſive Soli, Deorum ſummo; unde ſub figura & nomine ejus Apollinem coluêre, quòd & de reliquis dici poteſt. VII. Veſpertilionem pro Numine adoraſſe Mexicanos narrat Paul. Gyrald. *Hiſt. Ind. l. 3.* &c. Pertinet ad hunc Avium cultum tota doctrina Auguralis, ſeu ſcientia ex oſcinum captu, præpetum volatu, & pullorum tripudio futura prædicendi. Vide Voſſ. *Part. 2. l. 3. c. 76.*

Ex claſſe Quadrupedum.

I. Bos geminus Ægyptiis cultus, Heliopoli unus, Memphi alter: utrumque *Apim* dixêre, teſte Plin. *l. 8. c. 46. Bos in Ægypto etiam Numinis vice colitur Apim vocant.* Ita vulgus: Sapientiores verò illum habuêre pro ſymbolo Solis, iſtum pro Lunæ. Ab Ægyptiis Bovis cultus ad Indos manavit, teſte Scalig. *Exercitat. l. 258. ſec. 1.* quem ibi hodieq́ue vigere docet pluribus P. de la Valle. *Itin, tom. IV.* II. Canem iidem coluêre Ægyptii, ſed Cynopolitani præ reliquis, ut Cl. Alexandrin. *Admonit. ad gentes* docet. III. Felis ſive Ælurus ſimilem in eadem gente venerationem meruit: quam mortuam domi, ſolitam ſaliri, atque ita Bubaſtim deferri, ut ſacra in urbe ſepeliretur, tradit Herod. *in Euterpe.* IV. Ovem Saitæ ac Thebani coluêre: ſub ariete quòque Jupiter Ammon cultus eſt. Samiis etiam ovem in veneratione fuiſſe, apud Clementem legas. V. Lupus pro Numine à Lycopolitanis eſt habitus, teſte eodem. Delphis quoque eundem fuiſſe cultum, refert Ælian. *Hiſt. Anim. l. 12. c. 40.* VI. Cynocephalus, quod ſimiæ caudatæ genus eſt, Hermopolitarum fuit Numen. Sed nec inter Vett. convenit, utrum Cynocephalus habitus ſit ipſe Anubis, vel ejus ſymbolum: an potiùs Mercurius, vel ejus ſymbolum. Nam & Mercurio, ob ſagacitatem canem ſacravit antiquitas, unde huic quadrupedi nomen. VII. Cercopithecus, ſub *Cebi* nomine, apud Ægyptios ite-

eum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

rum, in honore fuit, Juven. *l.* 5. *Sat.* 15. *v.* 4.

Effigies ſacri nitet aurea cercopitheci,

Lucian. *in Conc. Deorum* &c. Gr. Κῆβον vocat Ariſtot. VIII. Leonem venerati ſunt Leopolitani: Perſæ quoque Deum ſuum Mithram ſeu Solem leoninâ effinxêre facie. Ambraciotæ leænam, velut vindicem ſuæ libertatis, coluêre. IX. Hircus, Mendeſiis pro Numine fuit. Etiam capras divino affecêrunt honore incolæ urbis Copti. Pan quoque, ut Græcis ita Ægyptiis, pingi ac ſculpi caprinâ facie & hircinis cruribus, ſolitus eſt. X. Mygalem, quaſi Μυογάλην, animal partim murem, partim muſtelam referens figurâ ac colore, ab Ægyptiis cultam teſtatur Plutarch. *Sympoſiacôn. l.* 4. *quæſt.* 5. XI. Ichneumona pro Deo Heracleotæ habuêre, teſtibus Æliano *de Animal. l.* 10. *c.* 47. & Clar. Alexandrino *Admon. ad Gentes.* XII. Crocodilus, ab omnibus Ægyptiis, non minùs ac Dii Olympii à Græcis Romaniſque, eſt cultus, teſte eodem Æliano. Etiam Arſinoë, quæ prius *Crocodilorum urbs* dicta, mirum in modum eum venerata eſt, Strab. qui addit, à peregrinis ad locum venientibus placentis, carne ac mulſo eum donari fuiſſe ſolitum. Nec deſunt hodie inter Indos, qui eodem cultu beſtiam afficiant. Vide *ſuprà, ubi de Reptilibus.* XIII. Aſini ſuiſque cultus etiam Judæis, à Plutarch. & Tacito, ſed malè tribuitur. Gnoſticos utrumque animal coluiſſe, vel ſaltem Deum Sabaoth utrâque expreſſiſſe figurâ, indicat *Epiphan.* Imo de Aſini capitis cultu calumniam in veros quoque Chriſtianos derivatam eſſe, innuit Minuc. *in Octavio.* XIV. Suem venerati Cretenſes ſunt, ut auctor eſt Athen. *l.* 9. ſed an tanquam Numen ipſum, an velut ſymbolum Numinis, in incerto eſt. XV. Simias Pithecuſii in Ægypto coluêre, Diod. *l.* 20. nec ullum hodie apud Indos Orient. ſacratius Numen, ut docet Petr. de la Valle *Itin. tom.* 4. Fanum ibi ſimiæ pulcherrimum memorat Maffæus *Hiſt. Ind. l.* 1. Simiæ dentem, in ciſtula auro gemmiſque inſigni, religiosè aſſervatum in templo verticis *Pico d'Adam*, Luſitani, magno cum Regulorum loci dolore abſtulêre A. C. 1554. pro quo oblata iis ſeptingenta ducatorum millia. XVI. Muſtelæ, pro Diis habitæ ſunt à Thebanis. XVII. Echinum terreſtrem tota Zoroaſtris ſchola venerata eſt. XVIII. Sorices mureſque apud Muſoritas, Troadis incolas, Tenedioſque in veneratione fuêre: an per eos Apollo cultus? Vide Voſſ. *l.* 3. *à c.* 50. *uſque ad c.* 76. *P.* 2.

Ex Hominum Claſſe.

I. Apud Babylonios Nabuchodonoſor, quem puduit mandare, ut ſibi ſacrificarent ſuperſtiti, fieri juſſit ſacra ſuæ ſtatuæ. II. Ad Medos hinc cum imperio tranſiit adorandi Regis conſuetudo, ut tantum ut Reges colerent, ſicut Deum ipſum. Perſæ eandem à Medis accepere, Strab. *l.* 11. Vide Barn. Briſſon. *Regn. Perſ. l.* 1. Hinc Cleo Alexandri adulator, eorum exemplo Macedonas hortatus eſt, ad eundem cultum ſuo Regi præſtandum, Curt. *l.* 8. *c.* 5. *quonam modo cæleſtes honores uſurparet infra.* [illegible] *conſiderarentur; Perſas quidem non pie ſolum, ſed etiam prudenter Reges ſuos inter Deos colere.* III. Parthis, in minori Aſia Lydis, in Africa Ægyptiis, Vide Virg. *Georg. l.* 4. *cum Serv. notis*, ut & *l.* 8. IV. Æthiopes publicè pro Diis habuêre Reges ſuos ac privatim etiam alios, qui beneficêrunt. Strab. *l.* 17. Apud Libyas Pſaphon pro Deo cultus eſt: quem apud Pœnos quoque ambiit Anno. V. Græci, qui Aſiam peninſulam habitarunt, feſtos ſtatuêre dies Romanorum illis, qui juſtè ſancteque provinciam adminiſtraſſent. Id factum fuit Q. Mutio Scævolæ, in cujus honorem *Mutia* celebrarunt, Cic. *in Verr. l.* 2. Iidem in Luculli honorem *Lucullea* inſtituêrunt. Vide Plutarch. *in eo* & Appian. *in Mithrid.* VI. Græci Europæi non minùs hic impegêre: quorum plurimi Alexandrum Mag. divinis affecêre honoribus. Athenienſes non Demetrium ſolùm Poliorcetam, ſed & adulatores ejus divino proſequuti ſunt cultu, Burichemque, Adimanti & Oxythemidi, (quod nomen illis) *& aras & ſacella & ſacra* ſtatuêrunt, Athen. *l.* 6. Idem honos Pyrrho Epirotæ habitus. VII. Apud Romanos primus, dum viveret, divino honore Auguſtus eſt affectus. Hinc ei Lugduni ac Narbone ara: Templa paſſim in provinciis: Sacerdotes *Auguſtales* dicti &c. Tiberium Cæſ. *Deum ſuum* vocat Scribonius Largus *Ep. ad Jul. Calliſt.* Cajus Caligula ſibi ipſi templum condidit, apud Suet. Claudius etiam vivus in Britannia cultus eſt. Quouſque Domitiani proceſſerit impudentia, notum. VIII. Chriſtiani Imperatores ipſi, etſi gentilem illum non admitterent cultum, modos tamen loquendi reſervarunt. Hinc de Conſtantino Mag. Amulin. *Scripta cæleſtia Majeſtatis veſtræ accepta atque adorata.* De Theodoſio Pacatus, *Deum dedit Hiſpania.* Paria de Honorio Claudian. Ipſi Theodoſius & Valentinianus *noſtram divinitatem*: Honorius & Theodoſius *Noſtrum Numen* dixére &c. IX. Germanis Velledam pro Numine habitam fuiſſe, monet Tac. *Hiſt. l.* 4. *c.* 61. cùm ait: *Munius Lupercus, legatus legionis, inter dona miſſus Veledæ. Ea virgo nationis Bructeræ, late imperitabat: vetere apud Germanos more, quo pleraſque feminarum fatidicas, & augeſcente ſuperſtitione arbitrentur Deas.* Sed non eam fuiſſe opinionem omnium, vel majoris partis, alibi docet. X. Apud Hungaros, Janus, fil. Vathæ, de caſtro Beli, qui primus Hungarorum dæmoniis ſe dedicarat, pro Dea coluit *Raſdi*, quæ capta à Chriſtiano Rege Bela carcereque concluſa fuit, uſque dum proprios devorans pedes moreretur, Joh. de Thwrocz *in Chron. Hung. Parte* 2. *c.* 39. Eandem *Varaſolo* nominat Bonfinius *rer. Hungar. l.* 12. &c. XI. Barbari hodierni eodem fere honoris gradu plurimis in locis Principes ſuos venerantur. Et quorſum ſpectat, quòd Moſci halitum ſuum, quo vivunt ſpirantque, Imperatori ſuo ferunt acceptum, ipſeque omnium Ruſſorum conſervatorem ſe appellat. De iiſdem narrat Thuan. *Hiſt. l.* 21. *ad* A. C. 1558. *Moſcos, ex Religionis ſuæ inſtituto, eandem quam Deo omnipotenti deferunt fidem, ſe Principi ſuo debere exiſtimare.* Ut de aliis gentibus nil addam. XII. Nec homines ſolùm, ſed & omnia ferme ejus: Labor, Quies, Somnus, Affectus, Juventa, Senectus, Mors, Virtutes, vitiâ quoque, Opera, alia, inter Deos relatata plurimas apud Gentes reperiuntur, ſed de his infrà agetur. Ipſe Homerus non alium Jovem, quàm mentem ſuam: non aliam Palladem, quàm ſuam prudentiam: non alium Apollinem, non Mercurium, quàm ſuam eruditionem ſuam facundiam &c. Orbi adorandos propinaſſe creditur. Vide Euſtath. *Comm. in eum paſſim*, & plura de his apud Voſſ. *Part. II. l.* 3. *à c.* 1. *uſque ad c.* 49.

Ex Affectionum Accidentiumque numero.

I. Terminum cùm viderent habere Gentiles, omnes res naturales, ipſam Tellurem, Oceanum ac Mundum, inter Deos eum retulêrunt, quod primus Tatius Sabinus, Varroni: Numa Pompilius Dionyſio feciſſe dicitur. Quemadmodum initium rerum ſub *Jani* nomine coluêrunt. II. Tempus ab Orphicis pro Deo cultum eſt; ſub nomine Phanetis: à Græcis & Romanis, ſub nomine Saturni: Tenebræ intra Terram *Erebi*: ſupra terram *Noctis* nomine, inter Deos relatæ ſunt, & huic quidem Gallum ſacrificavêre Romani: Diem Deorum numero addidit Plaut. *prologo Menæchm.* Diluculum ac Aurora, ſub *Leucotheæ* & *Matutæ* appellationibus, templa araſque habuerunt. Quatuor anni tempeſtates *Horarum* nomine cultæ ſunt. III. Locus, à nonnullis *Chaos*, ab aliis *Erebus* dictus, ac ſub utroque nomine pro Deo habitus eſt. IV. Numerus, Pythagoricis res ſacra, & Deorum nominibus appellatus eſt. Quaternarium inprimis coluêre, per quem etiam jurare ſoliti ſunt. V. Vis generatrix, nunc *Priapi* nunc *Veneris*, nunc *Genii* nomine, adorata eſt: Fœcunditati Poppææ, adulatio publica, in gratiam Neronis, ædem extruxit, apud Tac. *Ann. l.* 14. *c.* 61. VI. Infantia, in plura Numina: Vagitanum, Levanam, Ruminam, Eduſam, Potinam, Cubam, Cuninam, Cunam, Oſſilaginem, Statulinum, Fabulinum, Nundinam &c. diviſa fuit. Quibus adde Intercidonam, Pilumnum & Deverram. VII. Juventus *Hora* dicta eſt, item *Hebe*: ædem habuit Romæ in Circo Max. VIII. Senectuti apud Gaditanos ara poſita legitur, apud Philoſtr. *de vita Apollonii l.* 5. *c.* 1. IX. Sanitas, *Salutis* nomine, Æſculapio ſæpius juncta reperitur, habuitque templum Ægii, Achæorum urbe: Signum inauratum Romæ. Eadem ſub *Junonis Soſpitæ*, *Juturnæ*, *Iaſonis*, aliiſque nominibus, culta eſt. X. Morbi quoque pro Numinibus habiti ſunt: Febri Romæ fanum in Palatio habuit, Pavorem Hoſtilius atque Pallorem coluit. Tuſſim, ſub *Dianæ Chelytidis* nomine coluêre Argivi ac Lacedæmonii. Scabiem divinis honoribus affectam fuiſſe, tradit Prudent. Mors Lacedæmoniorum Phœnicumque fuit Numen. Eadem una cum *Vita*, ſub *Parcarum* nomine, venerationem invenit. XI. Anaſtaſin Reſurrectionem è mortuis Deam eſſe opinati ſunt Athenienſes, audito Paulo Apoſt. XII. Sonus *Echo* appellatus eſt: quam flantibus ventis adorarunt. Dodonæ cultam Philoſtratus habet *l.* 2. XIII. Memoria per *Mnemoſynem* culta eſt: Ipſa Oblivio inter Numina fuit. Et cùm Vigilia Diis addita non fuerit, Somnus tamen *placidiſſimus Deorum* vocatur Ovid. & Papin. cui ove litatum. Eidem unà cum Muſis ſacra Trœzenii fecêrunt. Filii ejus Morpheus, Icelos ſive Phobetor & Phantaſus ſimiliter Diis leguntur accenſiti. XIV. Fames, inter Deos Inferos fuit. Amor, Cupido, notiſſima Gentilibus Numina. Gaudium in primis Orci faucibus collocatur à Marone. Dolor quoque in Diis inferis fuit. Indignatio, ſub *Nemeſis* nomine culta eſt, apud Romanos æquè Græcoſque. Spes ædem habuit Romæ, in Foro Olitorio: Audacia, *Martis* nomine, venerationem nacta eſt. Timor inter Numina infera à Virg. reponitur: Romanis quoque pro Numine. Nec minùs Pudor, & quod mireris, Impudentia inter Deos relata eſt: cùi ut & Injuriæ aram conſecravit Athenis Epimenides. Ira, modum non tenens, *Furoris Furiarumque* nomine culta: Miſericordia quoque pro Dea fuit, Vide infra. XV. Alacritas ſive Ὁρμὴ, Athenis aram habuit: & ſub *Agenoriæ*, *Hortæ Numeriæ*, *Stimulæ*, *Agonii* nominibus, invocata eſt. Labor ipſe in Diis Infernalibus, & Otium ſub *Quietis* & *Vacunæ*, nomine fuit. Auxilium Deum in ſcenam Plaut. inducit *in Prol. Ciſtellariæ*: in Aulul. *Act* 1. *Sc.* 1. *v.* 11. quò *Axites* Dii quoque referri poſſunt. Ad ſucceſſum laboris *Vertumni* Numen pertinet. XVI. Actioni pinſendi præfuit Pilumnus: itinerationi Dii Ἐνόδιοι Græcis, Latinis *Viales* & *Semitales*: quales fuére inprimis Mercurius & Trivia. XVII. Opinio pro Dea fuit: multo magis Scientia, Prudentia & Ars, quæ ſub *Minervæ* nomine fuêre cultæ; item *Bonæ Mentis Deique Catii*, quibus Dea Furina oppoſita eſt. Eloquentia ſeu facundia Poëtica per *Appolinem* ac *Muſas*: Oratoria per *Palladem*, *Mercurium* ac *Suadam* fuit culta. Arti Gaditani aram poſuêre. XVIII. Virtutis Romæ primus fanum poſuit Scipio Numantinus: Virtuti & Honori Marcellus: Anaxagoras Veritati aram extruxit: Romæ Juſtitiam conſecravit Auguſtus: pietatem Manius Acilius Glabrio: Euchariſtia, ſeu Gratitudo tribus Gratiis denotata eſt. Fides ædem in Capitolio habuit; eadem ſub *Jovis Fidii* vel *Sancti Fidii* homine in cultu fuit. Juſtitia, per *Mercurium Nomium* ſeu *Eunomiam*, *Themidem*, *Dicem*, *Irenem*, *Nemeſin* quoque culta eſt. Temperantia à Theognide inter Divas memoratur. Pudicitiæ gemina Romæ fuit ædes. Clementiæ Romani in Jul. Cæſaris honorem templum decrevêre. Fortitudo ſub *Virtutis*, & *Deæ Streniæ* nomine venerationem meruit, ſacellumque Romæ habuit. XIX. Semivirtutes quoque in Deorum numero. Verecundiæ ara Athenis fuit: Miſericordia ibidem culta eſt. Indignatio, contra Superbiam, invocata, eademque ſub *Adraſteæ*, *Rhamnuſiæ*, *Nemeſiſque* nominibus, variis in locis divinis honoribus eſt affecta. XX. Vitia quinetiam ſuos habuêre idololatras. Pro Numine Contumeliam vel Injuriam fuiſſe, ex Theophraſto, Clemente, Cicerone ac Zenodoto diſcimus. Calumniæ aram erexêre Athenienſes: Momus, maledicentiæ Deus fuit. Comeſſationes ac conviviorum luxus, ſub *Comi* nomine, in pretio fuêre &c. XXI. Felicitas, cum Priapo & Cloacina culta eſt, Auguſtin. *de Civit. Dei l.* 4. *c.* 23. Honori templum Romæ dedicavit Q. Maximus: Famam Athenienſes coluêre. Loquela, ſub *Aii*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Locutii ac *Mercurii*, nomine in veneratione fuit. Silentium per Angeronam, Harpocratem ſeu Sigalionem cultum eſt. Riſûs, ut Numinis, meminêre Pauſan. & Apulej. XXII. Societatem Oeconomicam quod attinet, Lautitas pro Numine fuit, & Εὐημερία: Conjugalis vita ſub *Junonis Gameliæ*, aliorumque innumerorum Deorum nominibus in veneratione fuit. Sub *Orbonæ* nomine orbitas culta eſt. Abeundi & adeundi libertas *Abeonæ* & *Adeonæ*, nomine pro Dea eſt habita. Amicitia per *Jovem* Ὁμόγνιον ſeu *Gentilitium*, Φίλιον & Ξένιον: Opes per *Maimonam*, apud Syros, *Plutonem* ſeu *Ditem* apud Græcos Romanoſque, *Opem* etiam, *Tellurem* ac *Rheam*, fuêre in veneratione: Quò pertinuêre quoque *Pecunia*, *Æſculanus Deus* & *Argentinus* &c. Ipſa Paupertas pro Numine fuit. Ut de domo, partibus ejus, utenſilibus aliiſque huc ſpectantibus nil addam. Vide Voſſ. *l.* 5. *c.* 17. XXIII. Civilem quod ſpectat ſocietatem, non ſolùm civitates urbeſque Genios habuêre ſuos, ſed Roma quoque ipſa in Diis habita eſt, teſte Liv. Unde Suet. Auguſtum non paſſum fuiſſe ſibi templum extrui, niſi *nomine Romæ pariter & ſuo*, docet Suet. *in Aug. c.* 52. *Templa quamvis ſciret etiam proconſulibus decerni ſolere: in nulla tamen provincia, niſi communi ſuo, Romæque nomine recepit.* XXIV. Legiſlatoria poteſtas *Themis* dicta eſt, cujus tres filiæ *Eunomia*, *Juſtitia* & *Pax*, Orpheo Heſiodoque memoratæ. Ipſæ Pœnæ, aliàs *Furiæ*, item *Erinnyes*, pro Diis fuêre. XXV. Libertati ædem fecit T. Sempr. Gracchus, eidem ut & Jovi Victori ſacræ fuêre Idus Apríleis. Imò in gratiam Julii Cæſaris, qui libertatem oppreſſerat, Libertatis templum publica adulatio extruxit. XXVI. Concordia templum Romæ habuit, non uno loco. Cui oppoſita Diſcordia, inter inferorum fuit Deas: à bello *Bellona* dicta. Et quia rerum gerendarum nervus pecunia eſt: Ideò. XXVII. Monetæ Junoni templum Romæ vovit L. Furius Camillus Dict. quæ hinc dicta eſt, quòd in ejus fano pecunia cuderetur. XXVIII. Bellum quoque in Diis, ſed inferis fuit, etiam ſub *Martis*, *Bellonæ*, *Enyus* &c. nominibus in veneratione erat. *Veneris* quoque Συμμαχίας nomine venit, apud Mantinenſes, teſte Pauſ. *in Arcadicis*. Facit huc *Pellonia* & *Feſſonia*, quarum illa in pellendis hoſtibus, iſta in viribus militi laſſo affundendis, auxiliari credita eſt. XXIX. Victoria, non minùs Deorum numero fuit adſcripta. Aram ejus inſtaurari à Theodoſio popoſcit Symmachus, quod non minori eloquentia Auguſtinus diſſuaſit. Nec *Venus Victrix* alia, quàm Νικηφόρος fuiſſe videtur, quam cum pomo & palmæ ramo effinxere Romani. Ad militiam quoque pertinet *Fortuna Equeſtris*, cui à Fulvio, Flacco vota ædes Pauſæ pugnandi præfuere Dii *Pauſi* &c. XXX. Triumphus Deus, in denariis argenteis Vulſonis apparet: in aliis quoque reperies icones Virtutis, Pietatis, Æternitatis, Religionis, Fidei, Concordiæ, Pacis, Spei, Juſtitiæ, Æquitatis, Clementiæ, Conſtantiæ, Securitatis, Munificentiæ, Indulgentiæ, Annonæ, Monetæ, Salutis, Lætitiæ, Hilaritatis, Juventutis, Pudicitiæ, Fœcunditatis, Nobilitatis, Honoris, Libertatis &c. XXXI. Pax Athenis aram; Romæ templum, habuit. Eadem *Pandæ* nomine culta videtur; item *Empandæ*, cujus Feſt. meminit. Sic autem dicta eſt, quia pacis tempore pandantur urbium portæ. Sunt tamen, qui Cererem per Pandam intellectam velint, ut Æl. Stolo Præconin. Varron. Præceptor, ſed aliter Varro ipſe. XXXII. Salus publica, quæ ultimus civilis vitæ finis ſtatuitur, & ipſa apud Romanos ædem meruit: quam extruxit Junius Bubulcus, depinxit C. Fab. hinc *Pictoris*, ut videtur, nomen adeptus. Ab ea vicina porta *Salutaris* accepit nomen. Nec à Salute populi diverſa eſt Felicitas publica, prout nominatur in nummo Juliæ Mammeæ Auguſtæ. Illi ædem condidit L. Licinius Lucullus: & narrat Dio *l.* 44. ut Jul. Cæſar iſtic loci, ubi fuerit Curia Hoſtilia, decreverit erigere templum Εὐτυχίας ſeu Felicitatis, ac poſt ejus exceſſum M. Lepidus illud abſolverit. XXXIII. Ceterùm apud Feſtum etiam Dii Anculi, h. e. miniſtri: item Anculæ, quæ id in Deabus, quod in hominibus ancillæ &c. Vide Voſſ. *toto l.* 8. & *in Orig. libb.*

Cultus rei partim ſpiritualis, partim corporeæ &c.

I. Adamus in Saturno cultus eſt, ſicut Saturnus in Natura, quod idem de Noacho etiam dici poteſt. In Natura autem per Saturnum præcipuè ſignabatur Sol, à quo temporis menſura eſt: Nec Saturnus alius quàm Phœnicum Molochus, qui idem ac Natura & præcipuè Sol. Ita ergo Heros cum Naturæ genio in Saturno venerationem nactus eſt. II. Tubalcainus in Vulcano, ſicut Vulcanus in igne, cultus eſt: ut eâdem voce & naturâ Ignis & artis ferrariæ ac ærariæ repertor fuerit adoratus. III. Chami & Solis ſimiliter cultus apud Ægyptios ac Libyes mixtus fuit. Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 21. *Ideo & Hammonem quem Deum, Solem occidentem Libyes exiſtimant, arietinis cornibus fingunt, quibus maximè id animal, valet, ſicut Sol radiis.* IV. Javan, ſive Janus, Ionibus Ἴων, parens Græcorum, à Latinis, qui ab eo orti, pro Numine habitus eſt, ſed ſic, ut unà cum eo Solem colerent, *Janum* quoque dictum. Vide Mitſraim, Chami fil. Ægyptiorum genitor, ſub *Oſiridis* nomine apud poſteros in veneratione fuit, ſed quam cum Sole haberet communem. Porro, ut Oſiris & homo & Sol, ſic etiam Adonis: unde & Alexandrinis unus Oſiridi Adonidique fuit honor. VI. Nimrodi ſeu Beli cum Sole itidem diviſa devotio. Pertinet ad mixtum hunc cultum, quòd Ægyptii in duorum boum ſymbolis coluêre cum Solem Lunamque, tum Regem Ægyptium & Joſephum Patriarcham. Apis quoque ſymbolum fuit cum Lunæ, tum Joſephi, ut hic quoque Numen geminum, unum naturale, alterum animale fuerit. Idem de Mnevi bove, in quo cum Sole Mitſraim quoque cultus, dici poteſt. VII. Uranus, cum cœlo ſive æthere communiter cultus eſt. Mixtus etiam fuit cœli & Regis Cretici, i. e. Jovis Cretenſis ſenioris, qui Onoſum condidit. Spartæ uno cultu affecti ſunt Agamemnon Rex & Jupiter, ac cum utroque cœlum ſeu æther. VIII. Mars non ſolùm Nimrodus fuit, ſed etiam Ninus & Thurras, itidem Aſſyriorum Reges. IX. Liber uterque Ægyptius & Thebanus, cum Numine Solis & Liquoris in vite à Sole excocti, mixtam nactus eſt venerationem. Cum Sole etiam cultus Hercules, cùm antiquior ille Ægyptius ſive Tyrius, tum recentior ſive Thebanus. X. Æſculapii non minùs mixtus cultus fuit: Animalis quidem, quatenus id Meſſenio illi Epidauri incolæ nomen fuit: Naturalis, quatenus vim ſignificavit ſalubrem de ſubſtantia Solis nobis ſubvenientem. XI. Ariſtæus an cum cœlo, an cum Apolline, i. e. Sole, cultus fuerit, in incerto eſt. XII. Cum Tellure interiori divinum cultum ſortitus eſt Aidoneus ſive Orcus Moloſſorum Rex qui Proſerpinam in campis rapuit Ennenſibus, ac ob præclarum ſcilicet facinus cum Dite ſive Plutone meruit honorari. Ab Heroibus ad Heroinas tranſeo. XIII. In Minerva colebatur cum ſummus Æther, tum virgo Bœota; quàm Ogygis Thebani Regis fil. educarat. Heroinarum aliæ ſortitæ ſunt cultum cum Luna, Heſpero, aut Tellure; de quibus pauca quædam ſubjungam. XIV. Iſis à morte cum Luna culta eſt, unde & capiti ejus cornua addebantur, XV. Europa, Agenoris fil. cum Aſtarte, i. e. Luna, communem nacta eſt venerationem. XVI. Venus, Cinyræ Cyprii Regis amica, cum vi Naturæ generatricis, vel Luna, aut Heſpero mixtum habuit cultum. XVII. Atergatis ſeu Derceto, Syriæ Heroina, Semiramidis mater, poſt mortem culta eſt cum Lunæ Numine: item cum Numine Telluris & Aquæ, quatenus Lunarem vim recipiunt. XVIII. Ceres, Heroina Sicula communem habuit cum Luna, Terræque vi frugiferâ venerationem. Quemadmodum filia ejus Κόρη ſeu Libera aut Proſerpina, cum Terra inferiore, imò & cum Luna infera culta eſt. XIX. Ino filia Cadmi, cum Lucifero, vel potiùs Diluculo ſeu Aurora, eſt culta. XX. Semiramis Regina & Tellus, tanquam unum Numen colebantur: Eandem Suid. *Rheam* vocatam ſcribit. XXI. Acca Larentia in Flora, & Flora in Acca Larentia, i. e. cum illa Tellus florifera ſive vis naturæ, per quam plantæ florent, culta eſt &c. Prætereà XXII. Sol & Nilus, res ætherea & elementalis in eodem Oſiride apud Ægyptios culti ſunt. Quemadmodum in Iſide ſimul Luna & Terra. XXIII. Sol & Humor, apud Thebanos, in Baccho divinis honoribus ſimul affecti ſunt. XXIV. Luna & Aër, in Junone convenêre &c. Addam etiam hîc quædam de cultu mixto ſeu ſociato rei Æthereæ & Ætheriæ. XXV. Lunam & Heſperum, ſive Dianam & Venerem, uno cultu venerati leguntur Perſæ apud Strab. *l.* 15. Hinc Anaitidos templum, quod in Lydia Perſarum ritu extructum erat, Dianæ appellat Pauſan. *in Laconicis*: Veneris Agath. *Hiſt. l.* 2. Perſas ſecuti Arabes eodem cultu utrumque hoc ſidus ſimiliter complexi ſunt: à quibus ea religio ad Saracenos derivata eſt; cujus reliquiæ etiamnum apud Muhammedanos ſuperſunt. Hi enim & ſextâ die, Veneri ſacrâ, feriantur & Lunulis ſuis ſuperbiunt: Etiam precatiunculæ eorum, *Deus Deus major & magna, nempe Luna & Venus Deus*, meminit Georg. Cedren. quam aliter paulo recenſet Conſtantin. Porphyrogennetes Vide Voſſ. *l.* 7. *paſſim.*

Mundi tandem Univerſi cultus.

I. Naturam Deum credidêre Chaldæi, Medi & Aſſyrii, ſed ita, ut non omnes ejus partes æquè eſſe divinitatis participes ſtatuerent: verùm cœlum cœleſtiaque corpora potiſſimùm. Hinc Beli apud Aſſyrios, Molochi apud Phœnices, Saturni, qui idem cum Jove & Apolline, apud Græcos Romanoſque, cultus. II. Ægyptii ſub nomine *Amûm* ſive *Ammonis* omnem rerum Naturam venerati ſunt: Nihilque aliud apud ipſos Jupiter Ammon, quàm apud Arcades Pan fuit: & apud Aſſyrios Belus. Vide *ſuprà*. Iidem hanc occultam Naturæ vim etiam *Minervam* ac *Iſidem* dixêre, Nec obſtat, quòd Iſis Lunam denotaverit, namque & hæc *Natura parens* dicitur Apul. *Metam. c.* xi. Dixêre eandem *Oſiridem* quoque, diverſo reſpectu, utrumque ſexum illi tribuentes. III. Pan, vetuſtiſſimum Arcadum Numen, quid aliud fuit, quàm τὸ Πᾶν, h. e. *Omne* ſeu *Univerſum*: & quia Sol in omnem Naturam imperium habet, Pan quoque Sol dicitur Macrob. Hinc apud Athenienſes, cùm triplex eſſet certamen, in quo lampadem alter alteri tradebat; unum in Piræeo Minervæ, alterum in Ceramico Vulcano, tertium Prometheo in Academia ſacrum; univerſa tamen referebantur in honorem Panos, tanquam Numinis univerſa reliqua complexi. Interim non ſemper Panos nomine ipſam rerum Naturam, ſed & Spiritum illum Mundi hujus effectorem ac conſervatorem adoratum eſſe, patet ex Plutarch. *l. de defectu Oracul.* IV. Jupiter, ut Græcis, ſic Romanis, cœlum quidem vulgò ſeu æthera, & aërem, inſuper autem terram & aquam, & quidquid videmus, ſignificavit. V. Apollo non ſemper Solem denotavit ſolum, ſed quandoque etiam totum mundum, unde κόσμου δύναμις, κόσμου πνεῦμα, κόσμου φῶς Macrob. dictus eſt & Orpheo omnia fuit. VI. Janum *alii cœlum, alii dixerunt eſſe mundum*, verba ſunt Auguſtini *de Civ. Dei l.* 7. *c.* 28. VII. Saturnus quoque, cùm fil. Urani dictus eſt, totius Naturæ vim ac virtutem, indigitavit: quem ex Ope, tanquam principio Naturæ corporeæ paſſivo, generaſſe fabulati ſunt filios tres Jovem, Neptunum, Plutonem: totidemque filias, Junonem. Veſtam, Cererem, in quos tota rerum Univerſitas diviſa eſt. Aliter dein conſiderarunt quoque eum, quatenus tempus eſt temporumque converſio. VIII. Per Minervam etiam intellexiſſe Veteres Mentem divinam ſeſe extendentem per Naturam univerſam, docet Athenag. *in Apologia*. Quæ omnia ex Stoicorum placitis illuſtriora fiunt: Illis enim Mundus ſive rerum Natura animal fuit divinum, conſtans mente divinâ & corpore mundano, cujus ſingulæ etiam partes Dii, vel Dei membra forent, quia divina illa mens partes ſingulas permearet. In rerum dein Natura omnium generationem ac corruptionem attendêrunt, quæ converſio cùm eſſe non poſſit abſque principii activi & paſſivi operatione, ratione activi conſiderarunt Naturam ut marem, ratione paſſivi verò, ut fœmi-

fœminam. Cùm verò dicerent, Mundum eſſe magnum ac divinum animal, unum quidem Numen agnoſcebant; illos verò plurimos, quos vulgus venerabatur, ſtatuebant eſſe Dei ſeu animæ mundanæ ſectiones, mundano corpori permixtas, ac pro corporibus diverſis diverſa nomina ſortiri. Sed ſatis de his: plura vide apud toties laudatum Voſſ. *de Orig. & Prog. Idol. l. 7. à c. 1. uſque ad 8.* Quis verò tantam Deorum turbam non miretur, imò obſtupeſcat? Quis etiam non rideat, an lugeat ſtultitiam Gentium, ubi videat admixta tot Numina vel ridicula, aut minuta, vel ſordida quoque aut obſcœna? Nec tamen æquè hac parte inſanivêre univerſi, vera enim ejuſmodi Numina non eſſe vidêre ſapientiores Gentilium. Interim nulli propiùs acceſſerunt ad veritatem Athenienſibus, qui cum præter ſibi nota Numina etiam IGNOTO DEO aram poſuiſſent, occaſionem præbuêre Gentium Apoſtolo, ad ſe de VERO DEO, verba faciendi: cui *Uni, qui ſolus eſt* OMNIA IN OMNIBUS, *ſit honos, laus, gloria, decus, in ſempiterna ſecula!*

DII, Thraciæ pop. Rhodopen incolentes. Thucyd. *l. 2.* Παρεκάλεσε [illegible], *ubi Portus* [illegible]. Tacit. *Ann. l. 3. c. 38.* ubi inter Thraciæ gentes enumerantur Cœlalétæ, Odryſæque & alii, Lipſ. legit *Dii*, *in Epiſtolis*. Nam Strab. *l. 7.* inter Thracas nominat *Dios*; Sed *in Comment. ad Tacit.* mavult *Dii.* Διοὶ, eos vocat Thucyd. ubi ſuprà. *Nic. Lloyd.*

DII Adelphi, Philadelphus, Ægypti Rex & Arſinoë ſoror ejus ac conjux, ob eodem ſanguine ac connubio, in nummis & marmoribus, cum inſcr. ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ comparent. Nempe exemplum ab Iſide, quæ fratri Oſiridi nupſerat, inter Macedonas invaluit: imò & ab aliis Deaſtrorum Gentilium apud Ovid. *Metam. l. 9. v. 597. & ſeqq.*

> *Dii melius: Dii nempe ſuas habuere ſorores:*
> *Sic Saturnus Opim junctam ſibi ſanguine duxit,*
> *Oceanus Tethyn, Junonem rector Olympi.*

DII bene, formula apud Gentiles exclamandi, cum bona ominatione, quam *ominationem* dictam eſſe, contrariam *abominationi*, docet ex *Gloſſario* vet. inedito Barth. necdum verò talium conſtitutionibus, notatam miratur, cùm illud alterum hinc aſcendens, *Dii meliora!* longis logis illis illuſtratum ſit. Stat. *Theb. l. 2. v. 170.*

> *Di bene, quòd tales ſtirpemque animoſque venitis.*

Contrarium; *Dii male*, cùm rem propoſitam non probarent. Idem *Theb. l. 12. v. 99.*

> *Dii malè, quòd poſitos humus alma dieſque reſolvit.*

Ad quem utrumque locum vide præfati Auctoris *Animadverſ.*

DII Manes, Δαίμονες, etiam unius defuncti. Liv. *l. 3.* *Calleg. deor. manes*, [illegible] δαίμονα. Gentiles enim defunctos Deos appellabant. Cic. *de LL. l. 2.* *Deorum manium jura ſancta ſunto. Hos letho datos divos habento.* Vide quoque Plin. l. 7. c. 4. Unde Arnob. *adv. Gentes l. 2.* *Si aut Deos eos ſuſceperit, aut ab omnium redegit corruptionis diſſolutione permiſerit.* Et Prudent. *contra Symach. l. 1. v. 484.* Deos haberi, defunctos Gentilibus. Deos haberi probat.

> *Ecce* Deos Manes *cur inficiaris haberi?*
> *Ipſa Patrum monumenta probant: Diis Manibus illic*
> *Marmora ſecta lego; quæcunque Latina vetuſtos*
> *Cuſtodit cineres, denſiſque Salaria buſtis.*

Vide Deſ. Herald. ad Arnob. *d. l.* & infrà *Manes*.

DIITICUM, inſignis Monaſterii nomen, quod à *S. Dio* Archimandrita Conſtantinopoli fundatum, *Dii* etiam nomine veniebat. Meminit Sancti hujus *Menologium* Græcum *ad d. 19.* Julii & *Martyrologium* Rom. 8. Februar. apud Macros Fratres *in Hierolexico*.

DIITREPHES, homo ex humili loco ad magnas opes, rapinâ aliiſque malis artibus, provectus Athenis, quem Plato Comic. ut peregrinum, inſanum & Cretenſem ſugillat. Vide Ariſtoph. *Avibus & Scholia, p. 578. Item p. 608. F. 1.*

DILA, ſeu DILIS, portus Gall. Narbon. 12. mill. p. à Foſſis Marianis, Anton. In Provincia, in ora littor. maris Mediterr. Nunc *Port de Verdos*; ubi aliàs Delviates pop. *Baudr.*

DILAIAH, vel DELAIAH, nomen viri. 1. Paral. *c. 24. v. 18.*

DILAMINARE, ludi genus, de quo vide infrà in voce *Nux*.

DILECTI, & Æ, quinam olim dicti. Vide ſuprà in voce *Agapeta*.

DILHERR Joh. Michaël, Themaræ opp. Comit. Hennebergici natus, fil. Joh. JC. per varias anguſtias eluctatus, Eloquentiæ primùm, inde Hiſtoriarum & Poëſeos, tandem Theologiæ Profeſſor Jenæ conſtitutus A. C. 1642. Sexennio poſt Norimbergæ Joh. Sauberto in Paſtoratu ad S. Sebaldum & Bibliothecarii officio ſucceſſit. Leopoldum Aug. Epigrammate inſigni ad portam Bibliothecæ ſalutavit A. C. 1658. Numiſmatum Librorumque ingentem vim collegit, quam moriturus Collegio Sebaldino legavit, in Scholas quoque & Studioſos munificus. Obiit A. C. 1669. Æt. 65. Scrip. ejus magno numero, enarrat. Paul. Freherus *Theat. Viror. eruditione clarorum.*

DILINGA, urbs Sueviæ, ad Danub. Fluv. in dit. Ep. Auguſtani, 4. leuc. ſupra Donavert. in Occ. Ulmam verſus, 3. à Burgavia in Bor. cum Univerſ. à Cardin. Ottone Truccio, Ep. Aug. ſub Julio III. A. C. 1549. fundata. Parva & malè culta.

DILLEMBURGUM, opp. Wetteraviæ Reg. in Franconia, ad Dillam fluv. cum caſtro munito. Hinc Comites Dillenburgici, è genere Naſſovia, de qua vide in voce *Herborna*. 5. leuc. à Marpurgo in Occ. 4. à Wetzlaria, in Sept. Comitum hæc Naſſoviæ, per multas ætates, ſedes, Auriacorum Principum eximio pari, Gulielmo & Mauritio, incunabula præbuit. Arx inter munitiſſimas Germaniæ, ſitu & operâ humanâ, meritò referenda; cum armamentario inſtructiſſimo, in excelſa rupe: imminet oppido in valle ad Orient. Solem ſubjecto. Nomen à præterfluente *Dila* fluv. Familiam Comitum quod attinet, linea *Dillenburgica* omnium ſtirpis Naſſoviæ linearum præcipua, A. C. 1292. cœpit, ab Othone Henric. I. Divitis fil. majori natu, cui *Dilleburgum* ceſſit, Walravio fil. min. Weisbadenſem Comitatum ſortito. Pater fuit is Otho, *Dillenburgi* ſedem qui primus fixit, ex Agnete Solmenſi, inter alios Henrici, qui arcem non tam vetuſtate, quàm incendio collapſam, ampliorem multo ac ſpecioſiorem reddidit: Pater ex Adelheida Com. Arembergia, Othonis & Henrici, quorum hic Beilſtenium obtinuit, ille *Dillenburgenſem* lineam continuavit, Comitatu Viandenſi, Baronatu S. Viti & parte dominii Grimbergenſis; patrimonio aucto. Obiit autem A. C. 1369. relicto Joh. qui ex Margareta fil. Engelberti Com. Marcarum & Cliviæ liberos ſuſcepit, Adolphum & Engelbertum: quorum is Dietzam aviæ ditioni adjecit, ductâ Juttâ, Gerhardi Com. Dietzenſis filiâ ac hærede. Sed à filia eorum Jutta, Comitatus hic marito Com. Diepſtenio ac Coninckſtenio allatus eſt. Alter Joh. fil. Engelbertus, ductâ Johannâ, Joh. Leccæ & Bredæ Toparchæ, fil. Baronatum Bredæ, à Joh. Brabantiæ D. emptum, ditioni aviæ adjunxit; defunctus A. C. 1446. Ex genitus Joh. Comes Naſſoviæ, Viandæ, Baro Bredæ, Toparcha Leccæ, Præfectus Brabantiæ; junctâ ſibi Mariâ, Joh. Comit. Leccæ ac Heinsbergæ fil. ditiones iterum varias, ac inter eas, tertiam Juliaci agri partem, nactus eſt: Pater, inter alios, Engelberti ac Joh. inter quos, cùm paternam creviſſent hæreditatem, convenit, ut utercunque hæres maſculus defuturus eſſet, ejus ditiones alterius lineæ accreſcerent. Quo factum, ut Engelberto, qui non modò Brabantiæ, ſed omnium per Belgium munitionum Præfectus, aurei velleris in domum Naſſovicam decus intulit, Maximiliano I. Imp. percharus, ſine liberis defuncto, A. C. 1504. Joh. in omnia ejus bona, quæ recentiora & in Gallico ſolo poſita erant, ſuccederet: Cattimelibocenſi inſuper Comitatu & reducto Dietzenſi, avitis ditionibus adjectis. Pater hic ex Eliſabetha Haſſiaca, Annæ Comit. Cattimelibocenſis hæredis filia, Henrici fuit, qui ditiones patrui Engelberti, ac Gulielmi, qui *Dillenburgum & cætera in Germanico ſolo* loca paterna nactus eſt. Quorum ille Arauſionenſem lineam primam orſus eſt, ex media uxore Claudia Auriacâ Renato Caſtillonenſi ſuſcepto: Iſte Carolo V. Cæſ. à conſiliis, Gulielmi qui Auriacam gloriam in *Dillenburgicam* familiam intulit, genitor, obiit A. C. 1559. Æt. 79. Ex Walpurgi, Joh. Egmondani filia, Eliſabethâ, & Magdalenâ; ex Johanna verò, Bothonis Comit. Stolbergici nata, Gulielmo Auriaco, Joh. ſuo in Germania ſucceſſore, aliiſque utriuſque ſexus ſuſceptis. E quibus Gulielmus Renati Caſtillonenſis ultima voluntate hæres Arauſionenſis Principatus, hodiernorum Auriacorum Principum auctor eſt. Joh. belli pacíſque artibus clarus, Illuſtrem Scholam Herbornenſem fundavit, Religionemque nuper reputatam ad exteros uſque promovit: defunctus *Dillenburgi* A. C. 1606. Æt. 71. Ei ex Eliſabetha Liechtenbergica, nati ſunt Wilhelmus Ludovicus, Friſiæ, Groningæ, Tencterorum & Tubantum Præfectus, Joh. Georgius, Philippus, Mechtilda, Erneſtus, Caſimirus & Ludovicus Guntherus, præter filias adhuc aliquot: ex Cunegunda Jacoba Friderici III. Elect. Palatini filia Amalia & Cunigunda, quarum illa Gulielmo Com. Solmenſi nupſit: ex Johanna denique Ludovici Senioris Witgenſtenii fil. Joh. Ludovicus, & quinque filiæ. Inter quorum maſculos hæreditas ſic diviſa eſt, ut Gulielmo Ludovico *Dillenburgum*, Herbornâ, Dingenſtenio, Ebersbachio, & Hegerâ adjectis, Joh. Sigena; Georgio, Weſterwaldia; Erneſto Caſimiro Dietza & Naſſovia, Joh. tandem Ludovico, Hadamaria obveniret: quo pacto *Dillenburgenſis* linea in quinque Comitatuum flexus fiſſa, tot ſedes Principatuum titulo futuras nobiles extruxit. Sed Gulielmo Ludovico, poſtquam ex Anna Gulielmi Auriaci filia nullam ſuſcepiſſet prolem, Leowardiæ Friſiorum A. C. 1620. Æt. 60. extincto; Sigenenſi linea, cujus Joh. auctor, inter Naſſovicas, præcipua eſſe cœpit: Georgius verò hodiernos *Dillenburgicos* ſevit, defunctus A. C. 1623. Is enim, ex Anna Amalia Naſſovia, genuit Ludovic. Henric. Principem Naſſoviæ *in Dillenburg.* quo, & Catharinâ Sayno-Witgenſteniâ; (quæ novem annis ante maritum obiit A. C. 1651.) nati ſunt Anna Amalia (*nat.* A. C. 1616. ux. Ludovici Com. Wiedani primò, dein Chriſtiani Com. *Saynæ*) Georgius Ludovic. (*nat.* 1618. den. 1656. ux. Anna Auguſta Brunſv.) Eliſabetha (*nat.* 1619.) Juliana (*nat.* 1620. den. 1621.) Albertus (*nat.* 1621. den. 1622.) Catharina (*nat.* 1622. den. 1631.) Ludovica (*nat.* 1623. den. 1666. Uxor Ludovici Com. Iſenburgici) Henricus Wilhelmus (*nat.* 1626. den. 1627.) Magdalena (*nat.* 1628.) Adolphus (*nat.* 1629. ux. Eliſabetha Carola Hatzfeldia) Philippus (*nat.* 1630. den. 1657.) & Maria Eleonora (*nat.* 1632. den. 1633.) omnes *Principes ac Comites Naſſoviæ &c. in Dillenburg.* E quibus Georgius Ludovicus, ex Anna Auguſta uxore, ſuſtulit Eliſabetham Catharinam (*nat.* 1639. den. 1641.) Sophiam Eleonoram (*nat.* 1640.) Henricum *nat.* 1641. ex ux. Dorothea Eliſabetha Lignicio-Brigenſi, patrem N. Principis) Carolam (*nat.* 1643.) & Ludovicam (*nat.* 1652. Vide Phil. Jacob. Spener. *Theat. Nobilit. Europ. tom. I. p. 82.* & 163. Cyriac. Lentul. *Princip. Naſſoviæ Geneal. MS.* &c.

DILLIUS Aponianus, Tertiæ legionis Tribunus, in partibus Veſpaſiani. Tacit. *Hiſt. l. 3. c. 9.*

DILLIUS Vocula, duodeviceſimæ legionis, in Germanico exercitu inferiore, legatus. Tacit. *Hiſt. l. 4. c. 24.* Militibus conſenſu eum ducem poſcentibus, Hordeon. Flaccus, ſummam rerum ei permiſit, *c. 26.* Mox à militibus interfectus. *c. 59.*

DILORIS, apud Vopiſc. *in Aureliano, Paragaudas veſtes ipſe primus militibus dedit: quum antea non niſi rectas purpureas accepiſſent, & quidem aliis monolores, aliis* dilores, *trilores aliis* &c. dicitur à numero lororum. Sunt autem *lora* in hoc genere tunicarum ſegmenta veſtibus adtexi ſolita: *ſegmenta* dico; Nam Latini hac voce intelligunt lora aurata vel faſcias auratas, veſtibus & præcipuè muliebribus prætexi conſuetas & eas maximè, quibus ſumma veſtis ora prætexebatur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

batur. Aliter *panni* dicuntur, de qua voce vide infrà. Duo itaque panni ſeu lora veſti adſuta, *dilorem* eam faciunt, ut in illo Horat.

Purpureus latè qui ſplendeat, unus & alter
Adſuitur pannus.

Sic apud Virgil. chlamys præmium victori datur, duplici mæandro purpureo ornata, *Æneid. l. 5. v. 250.*

------ ------ ------ quam plurima circùm
Purpura mæandro duplici Melibœa cucurrit, &c.

Atque hujuſmodi tunicæ vett. jam cognitæ fuêre, trilores verò, & quæ plures in circuitum zonas haberent prætextas, vel adtextas, non niſi ſequior ætas admiſit. Salmaſ. *ad Vopiſc.*

DILUTIUS Color, aliàs, *blandus*, Græcè ὑδαρέστερος, auſtero & meraco opponitur. Vide ſuprà in voce *Auſterus.* Metaphora deſumpta à vino: unde etiam *ebriæ* & *ſaturæ* dictæ lanæ, quæ multum potavêre. Mattius *in Mimiambis*,

Et tonſiles tapetes ebrii fuco.

Alius Poëta,

Vellera, quæ Tyrios epotavere cruores &c.

Eſt autem *dilui*, Græcè καταχλύζεσθαι, unde *Diluvies* & *Diluvium*, κατακλυσμὸς &c. Vide plura hanc in rem, apud Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 268. 345. &c. de *Diluvio* verò, in vocibus *Deucalion*, *Noë*, *Ogyges*, item *Pyrrha*: Hujus enim potiùs, quàm *Deucalionis*, nomine ſæpe apud Scriptores venit illud, quod in Theſſalia, Crotopi tempore, eodem cum Phaëtontis incendio, contigiſſe legitur. Unde *poſt Pyrrham*, apud Stat. *Theb. l.* XI. *v.* 469.

Quum bene poſt Pyrrham tellus pontuſque vacabant?

i. e. pòſt diluvium; *Pyrrhæ ſecula*, apud Claudian. *Bello Gildon. Carm.* XV. *v.* 43.

Remorumque ſonos, & Pyrrhæ ſecula ſenſi.

C. Barth. *ad Stat. loco cit.* Addo ſaltem, quòd M. Anton. Delrius *ad Troades Senecæ Act.* 4. *v.* 104. præter generale Noachi diluvium, quod pulchrè deſcribit Alcimus *l.* 4. & Seneca *Natur. Quæſt. l.* 3. *c.* 27. varia particularia commemorat. Primum in Ægypto, Promethei, & Herculis tempore, menſtruum, apud Diod. *l.* 1. Secundum, in Attica, bimeſtre, Rege Attico Ogyge, de quo Pauſan. Atticis & Diod. *l.* 6. Tertium, in Theſſalia, ætate Deucalionis, quod integrà hyeme duravit, teſte Ariſtot. *Meteor.* Virgil. *Georg.* Ovid. Aliis. Quartum, Pharonium, in Ægypto, imperante Proteo, de quo Lucan. *Civil. Bell. l.* X. *v.* 509.

Tunc clauſtrum pelagi cepit Pharon. inſula quondam
In medio ſtetit illa mari, ſub tempore vatis
Proteos: at nunc eſt Pellæis proxima muris.

DIMACHÆRII, Gladiatorum genus, vide infrà: uti de *Dimachis*, militum genere, in voce *Hamippi*; it. *Milites.*

DIMALES, Illyriæ civitas ab Æmilio capta, A. U. C. 535.

DIMAS, curſor nobilis. Stat. *l.* 6. *Theb. v.* 558.

------ Alipedumque fugam prægreſſus equorum
Ante Dimas,

DIMASSUS, inſ. circa Rhodum. Plin. *l.* 5. *c.* 31. Item mons in inſula Mycono, maris Ægæi, cujus incolæ omnes calveſcunt. *Plin.*

DIMICARE, propriè eſt ſorte ac *micatione* finem imponere controverſiæ. Et quidem *micare* de ea ſorte dicebatur olim, quæ fit per digitos ſubitò ſub certo numero expanſis: cujuſmodi morem eleganter exprimit Nonnus *l.* 23. deſcribens certamen inter Cupidinem & Hymenæum, quos inducit miro jaculationis genere, Ganymede Brabeutâ, certare. Fuit autem *micationis* frequens uſus apud Vett. in controverſiis: nam etiam in contractibus, ſi de pretio aliave qua re non conveniret, *micatione* controverſiam tollebant; ſic res in foro, ſic carnes de lanio emebantur. Quod poſtea jure mutatum, cautumque eſt, ut ſub exagio, h. e. πρὸς σταθμὸν, non *micatione*, carnes emerentur, auctore Aproniano Præfecto urbi, uti docet vett. *Inſcr.* cujus initium, *Ex Auctoritate Turci Aproniani V. C. Præfecti Urbis. Ratio docuit utilitate ſuadente, conſuetudine micandi ſummotâ, ſub exagio potius pecora vendere, quàm digitis concludentibus tradere* &c. Vide Caſaub. *ad Suet. Aug. c.* 13. Inde vox extenſa, ad deciſionem controverſiæ qualiſcunque, etiam quæ pugnis, unde πυκτεύειν Græcis, & ferro fieret. Hinc *Dimicatio ſingularis*, pro monomachia, quam vocem vide. Sed & *Micatio digitorum* nonnullis luſus genus, frequens apud Græcos olim, quibus ἐπαλλαγὴ δακτύλων, de quo aliquid ſuprà, in verbo *Decernere.*

DIMIDIUM, vox in re monetaria non antiqua; quæ cùm nummi ſpeciei præponitur, *dimidium* de eo demendum docet. E. g. *Quintus dimidius ſolidus*, in *L.* Ripuar. *tit.* 20. eſt quartus ſolidus cum dimidio, & ita de cœteris. Simili planè modo Græci τρίτον ἡμιωβόλιον dicebant, pro *duobus obolis & ſemis*; ἕβδομον ἡμιτάλαντον, pro *ſex talentis cum dimidio*, uti obſervavit Caſaub. *ad Theophraſti Characteres.* Vide Jac. Gothofred. *ad L.* 4. *C. Th. de Suariis*, ubi *de Semidecima*, laudatum Car. du Freſne *in Gloſſario.*

DIMINIA, vicus Bœotiæ, à Græco δίμηνον, *bimeſtre*, nomen nactus, quod in ejus agro ſemen in terram jactum non niſi duos menſes ſub illa lateat, memoratur Jac. Spon. *Itin. Græciæ l.* 2. *p.* 89.

DIMINUTIO Capitis, vide infrà *Caput.*

DIMISSIO Ignominioſa pœna militaris, vide infrà *Milites.*

DIMISSORIÆ Literæ, quarum mentio in *Canonibus* Concil. Afric. *can.* 106. alibique paſſim, ἀπολυτικαὶ Synodo Trullanæ *can.* 17. erant, quas Clerici ab Epp. impetrabant, ut in alienam diœceſin tranſirent, in ea manerent, aut ab aliis Epp. ordinarentur. Vide Sirmond. *ad Sidon. l.* 6. *Ep.* 8. Ferrar. *de Antiqq. Eccl. Ep. l.* 1. *c.* 8. Car. Labbeum *ad Synopſ. Baſil. p.* 199. & *ſeqq.* Alios, laudatos Car. du Freſne, ubi ſuprà: quibus adde Cl. Suicerum *Theſauro Eccl.* voce Ἀπολυτικὸς, ubi, inter alia, literas has quoque Ἐπιστολὰς εἰρηνικὰς, κανονικὰς & συστατικὰς dictas, quæ tamen ultimæ propriè loquendo tantùm ad tempus migrantibus concedi fuerint ſolitæ: porrò ſine Ἀπολυτικαῖς illis & commendatitiis, in Eccleſiæ alterius clerum aut monaſterium neminem recipi potuiſſe, docet ex Balſamone *ad Concil. Trall. can.* 17. Meurſio, Fabroto *ad Balſamonem*, Aliis.

DIMOERITÆ, à voce Græca Διμοιρία, i. e. *diviſio*, cognominati ſunt Apollinariſtæ Hæretici, quòd, cùm priùs cum Arianis aſſeruiſſent, Verbum Divinum in Incarnatione Animam non accepiſſe, poſtea ex textu Evangelii convicti, faterentur quidem ſuſcepiſſe Animam, ſed intellectu carentem, cujus vicem Divinitas ſuppleret, hinc Chriſtum *Dominicum Hominem* appellantes, Gregor. Naz. *Ep.* 1. *ad Claudin.* apud Car. Macrum *Hierolex.* Vide quoque Joh. Forbeſ. *Inſtruct. Hiſtorico-Theologic, l.* 1. *c.* 1. §. 6. & ſuprà, ubi de *Chriſtomachis.*

DIMONA, civitas in tribu Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 22.

DIMOTO, incedere, apud Lactant. quid ſit, vide infrà *Summoto.*

DIMUM, Mœſiæ infer. urbs, *Anton.*

DIMURI, Indiæ pop. circa Indum fluv. Plin. *l.* 6. *c.* 20.

DINAH, i. e. *judicium*, vel *judicans*: Jacobi A. M. 2289 ex Lea uxore filia. Vide Gen. *c.* 30. *v.* 21. Hanc Sichem ſtupro ſubdidit, quod malum Jacobo immiſſum putant Rabbini, quòd in occurſu Eſavi fratris filiam occultaret, ne eam in uxorem peteret. Joſeph. *Antiq. l.* 19. Παρῆλθεν εἰς τὴν πόλιν, ὀψομένη τὸν κόσμον τῶν ἐπιχωρίων γυναικῶν.

DINANNUM, locus Britanniæ min. à tribus ſedibus Epiſcopalibus, Maclovienſi vel Aletenſi, cui attribuitur, Dolenſi ac Redonenſi non multùm diſſitus. Prioratus S. Maclovii de Dinanno, memoratur in Poliptycho Monaſter. Fr. Ager vulgò *le Dinannois.* Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

DINANTIUM, opp. Britanniæ min. ad Rinctum fluv. aliàs munitum; 5. leuc. à Macloviopoli in Ort. quondam in ditione Britanniæ Ducibus. Joh. Matal. *Metell.*

DINANTIUM, opp. Leodienſis dit. ad Moſam fluv. cum ponte, pluries captum & dirutum, nunc reparatum; in confin. Namurcenſis Com. 12. leuc. à Leodio, 2. à Carolomontio in Bor. 4. ferè à Namurco in Auſtr. Vide quoque *Deonantum.*

DINANTIUS David, vide *David.*

DINARCHUS, Corinthius, unus è legatis Gr. Polyperch. miſſis, in itinere morbo correptus, diuque Elateæ moratus, juſſu Polyperchontis jugulatus eſt. *Plutarch.*

DINARCHUS, fil. Soſtrati, Athenienſis, vel, ut aliis, Corinthius, Orator, Auditor fuit Theophraſti, cùm Alexander Mag. in Aſiam iret. Plurimas opes arte ſuâ comparavit, accuſatus colluſionis cum hoſtibus Reip. in Chalcidem ſe contulit, An. 15. pòſt revocatus. Plutarch. *de* 10. *Orat.* Orationum ejus 64. numerat, quas à ſe lectas Photius teſtatur, *Cod.* 267. Vide Amm. Marcellin. *Hiſt. l.* 30. *c.* 4. Dionyſ. *in Dinarchis.*

DINARCHUS, Delius, Cretenſes fabulas collegit, ut cognoſcimus ex Dion. Halic. *in Dinarcho oratore*, ubi ex Demi, vel potius Demetrii libro de ejuſdem nominis viris, quatuor *Dinarchos* enumerat. Videtur idem ſignari ab Euſeb. *l.* 1. *Chron.* ubi de Bacchi geſtis loquens ait, *Ut Dinarchus loquitur, non ille orator ſed poëta.* Voſſ.

DINARETUM, Cypri prom. maximè Orient. Plin. *l.* 5. *c.* 31.

DINCHESPILA; ſeu DINKESPILA, urbs Sueviæ, juxta Vernitium amnem, Imperialis eſt & libera, ſed parva. 4. leuc. Germ à Nerolinga in Bor. Capta pluries ultimo bello à Suecis & Gallis, ſed reddita.

DINDARI, Dalmatiæ pop. Plin. *l.* 3. *c.* 22.

DINDLOCHUS, Syracuſanus, vel Agrigentinus, Comicus, circa 72. Olymp. 14. comœdias compoſuit. Fil. an diſcipulus, an antagoniſta Epicharmi? Ælian. *de animal. l.* 6. *c.* 51. *Suid.*

DINDRYME, urbs Macedoniæ. *Steph.*

DINDYMA, montes Troadis. Steph. Theſſaliæ item, & Phrygiæ magnæ; Ferr. Unde *Dindymene* Cybele dicitur. Emendandus Heſych. Δινδύμην, μήτηρ θεῶν ἀπὸ Δινδύμων ἱερῶν τῆς Φρυγίας. Reſcribe Δινδύμη, vel Δινδυμήνη, μητέρα, &c. Horat. *Carm. l.* 1. *Od.* 16. *v.* 5.

Non Dindymene, non adytis quatit
Mentem ſacerdotum incola Pythius, &c.

Virgil. *Æn. l.* 9. *v.* 617.

O verè Phrygiæ (neque enim Phryges) ite per alta
Dindyma, ubi aſſuetis biforem dat tibia cantum:
Tympana vos, buxuſque vocat Berecynthia matris
Idææ: ---- - ------

Propert. *l.* 3. *Eleg.* 22. *v.* 3.

Dindymus, & ſacræ fabricata inventa Cybele.

Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 247.

Dindymon & Cybelen & amœnam frondibus Idam.

Nic. Lloydius. *Sacrum* ſpeciatim hunc montem vocat Papin. Stat. *l.* 1. *Sylv.* 1. *v.* 9.

Dardanii miretur equi, cui vertice ſacro
Dindymon,

quòd in eo primùm homines ἤρξαντο θεοῖς κάτοχοι εἶναι, *Numine afflati* perhibeantur. Biceps autem is, cum quo proin minimè confundendus mons unius verticis in Cyzico Inſ. ei cognominis, eidemque Numini ſacer; uti videre eſt apud Scholiaſtem Apollonii *l.* 1. *v.* 985. Vide de utroque Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. dict. l.*

DINE, Arcadiæ locus, aquæ dulcis, juxta mare. *Pauſan.*

DINGELFINGUM, opp. Bavariæ Infer. Joh. Matal. *Metell.*

DINGLA, urbs Hiberniæ, in Momonia & Comit. Kerryenſi, cum portu; unde & ſinus *Bay of Dingle*, in quem cadit Mangus fluv. 7. mill. à Corcagia in Occ. 25. ab Ardato in Auſtr.

DINIA, Item, *Digna*, *Dina*, *Civitas Dinienſium*, *Dienenſium*, Gall. Narbon. urbs, primum memorata Plin. *l.* 3. *c.* 4. hodie *Digne ſur la Bleone*, urbs Sontionum, Baudr. Valeſ. Bodiontiorum olim vel Sentiorum:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

niorum:& priorum nomen videtur hodieque ſervare vicus *Bajons*, ſeu Bodiontium, 5. à Dinia leucis provincialibus. In vett. Not. inter octo provinciæ Alpium Maritim. civitates ſecundo loco ponitur, in Not. recentioribus ſub Ebrodunenſi Metrop. primus Coepiſcopus Dinienſis collocatur. In Provincia ad amnem Bledonam, vulgò *Bleone*, qui in Druentiam delabitur, ſita eſt: diviſa quondam in Civitatem, & Burgum, è quibus illa ad radicem montis, tres portas habet, tria ſuburbia, ac mœnia quadratis ornata turribus: hic in convalle ſitus, quam Mardaricus fluviolus præterlabitur, non procul à civitate Bledonam aucturus, vix 200. paſſibus civitate ſuit minor, muris quoque ſuis, portiſque tribus inſtructus. Et nunc quoque in Burgo eſt major Eccleſia B. Virgini ſacra. Solebant etiam ibidem quotannis binæ vetuſtiſſimæ nundinæ celebrari, quas Renatus Rex A. C. 1437. in civitatem tranſtulit. Nunc Burgus deſertus vix, tres vicos reliquos habet. Urbs *Dinia* peſte A. C. 1629. adeò exhauſta, ut ex incolarum millibus X. vix 1500. ſupereſſent, Burgus autem bello civili quater direptus eſt, inprimis A. C. 1562. & 1591. Diſtat 7. leuc. à Seguſterone in Ort. & à confin. Delphinatus, 9. à Regio in Bor. 3. à Sanitio, verſus montes, Ep. ſub Arch. Ebrodunenſi. Ex ejus Epiſcopis Pentadius Concilio Agathenſi, Hilarius Aurelianenſi ac Arelatenſi 5. Heraclius Pariſienſi 4. & Matiſconenſi 1. ac 2. regnante Guntchramno, nepote Chlodovei Mag. interfuére. Continet Epiſcopatus Eccleſias, quas vulgò *Cures* vocant, non amplius 27. Cellas ſeu Prioratus 12. hinc Glannatevâ & Sanitio, inde Seguſterone & Ebroduno Diœceſeos ejus fines prementibus. Ad urbem Diniam quatuor Monaſteria ſunt, virorum duo, puellarum totidem. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* Thermis celebris eſt. Caſp. Allemann. *de hac urbe*. Seb. Richard. & D. Loteret, *de eadem*. Ptol. *l.* 2. *c.* 10. Gaſſend. *notit. Eccl. Diniens.* Columb. Papyrius Maſſon. *notit. Epiſc. Gall.* Bouchæus, *hiſt. Prov. l.* 4. *c.* 3. §. 2. &c.

DINIÆ, Phrygiæ locus. Liv. *l.* 38. *c.* 5.

DINIAS, Hiſtoricus res Argolicas conſignavit. Citatur ab Apollonii Scholiaſtæ *l.* 2. Ἐν πρώτῳ Ἀργολικῶν. Mentionem quoque Diniæ facit Plutarch. *in Arato*, & Eurip. Schol. *in Oreſte*, & Sophoclis Interpres *in Electra*, qui ſeptimum Argolicorum citat.

DINIAS Pheræus, Theleſippi fil. qui Cranone, in paludibus & fluv. aviculas captando vitam toleravit; Deinde vigiliarum curam civibus locando, tandem aſtu ſummo tyrannidem Cranoni invaſit, de quo vide Polyæn. *l.* 2.

DINIS, unus Thracum montanorum, contra Tiberium rebellium, Dux; qui à Poppæo Sabino cum ſociis, in monte, acri obſidione ac ſiti preſſus, Tac. *Ann. l.* 4. *c.* 50. *Verum è Ducibus, Dinis provectus ſenecta & longo uſu vim atque clementiam Romanam edoctus, ponenda arma, unum adflictis id remedium diſſerebat. Primuſque ſe cum conjuge & liberis victori permiſit: ſecuti ætate aut ſexu imbecilli, & quibus major vitæ quàm gloriæ cupido..*

DINOCHARES, celebris Architectus, Templo Dianæ Epheſiæ ultimam manum impoſuit, ſub Alexandro Mag. cùm priùs, quod Heroſtrati ſcelere conflagraverat, à Chteſiphonte fuerit extructum. Idem paucis pòſt annis Alexandriam in Ægypto metatus eſt, hinc *Ptolemaicæ aulæ conditor* Auſon. in *Moſella*, *v.* 3XI.

> *Conditor hic forſan fuerit Ptolemaïdos aulæ*
> Dinochares: *quadro cui in faſtigia cono*
> *Surgit, & ipſa ſuas conſumit Pyramis umbras.*

Etiam Arſinoës Templum inchoavit Plin. *l.* 34. *c.* 14. *Eodem lapide* (magnete) *Dinocrates Architectus Alexandriæ Arſinoes templum concamerare inchoaverat, ut in eo ſimulacrum ejus è ferro pendere in aëre videretur. Interceſſit mors & ipſius Ptolemæi, qui id ſorori ſuæ juſſerat fieri.* Alii *Dinocratem* vocant, ſed meliores libri Plinii, præter locum modò dictum, ut & Auſon. ut vidimus, *Dinocharem* appellant. Vide de eo plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 812. & *ſeqq.*

DINOCRATES, primus à Phocenſibus, in locum Phalæci, Dux conſtitutus. Olymp. 108. A. 2.

DINOCRATES, Dux Agathoclis, apud Polyæn. *l.* 5. *comm.* 2.

DINOCRATES, Meſſenius, Romæ in convivio temulentus muliebri ſaltavit habitu, poſtero die cùm ab Achæorum imperio Meſſanam ad defectionem ſollicitare vellet, peteretque propterea præſidium a Tito Flaminio, de his reſpondit Flaminius, Videbimus; Te verò miror vina tractare, ac ſaltare, & fœminam mentiri poſſe, quum res ejuſmodi moliri audeas. *Plutarch.*

DINOCRATUS, Alex. Mag. Architectus, Alexandriam opp. Ægypti, ædificavit. Plutarch. *in Alex.* Vide *Dinochares.*

DINOGETIA, Mœſiæ ſeu Scythiæ inſer. urbs, Ptol. Nigro *Drimago* dicitur. Nunc in Bulgaria, ad Iſtrum fluv. 25. mill. à Succidava in Ort. 90. ab oſtiis Iſtri in Occaſ. *Baudr.*

DINOLOCHUS, curſor velociſſimus. *Pauſan.*

DINOMENES, Syracuſanorum tyrannus. Pauſan. Item. Statuarius. nobilis. *Idem.*

DINOMENES Syracuſanus, Pater Gelonis Tyranni.

DINON, Prætor Ptolemæi, præſidens Damaſco, quam amiſit, remiſſis vigiliis, ſuperante Antiocho. Polyæn. *l.* 4.

DINON, pater Clitarchi, celebris auctor Hiſtoriæ Perſicæ, tempore Alex. Mag. Laërt. *in Prolegom. & Protag.* Athen. *l.* 2. Plutarch. *in Alexandro.* Ælian. *de Animal. l.* 17. *c.* 10. *& var. Hiſt. l.* 7. *c.* 1. Plin. *l.* 10. *c.* 49.

DINOSTHENES, Olympionica ſtatuam ſibi fecit. *Pauſan.*

DINOSTRATUS, Mathematicus, Tetragoni quandam ſpeciem invenit, & Geometriam inſigniter excoluit. Poſt Pythagoram vixit.

DINUMIUM, ſeu DINUMMIUM vectigal, quod fiſco vel Reip. præſtabatur Alexandriæ, pro mercibus, quæ importabantur vel exportabantur, à præſtationis quantitate & modo, ut videtur, appellatum, in *l. un. C. de Alexandr. Primat. l.* 11. *Gloſſæ* vetr. *Binio*, δίνυμα. Gall. *Double.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1169.

DINUS, portus & locus in Lycia.

DINUS de Garba, Florentinus, Medicus præſtantiſſimus. Sub finem *ſec.* 13. fil. Bruni, Chirurgi famoſi. Scripſit in Hippocratem, Galenum & Avicennam. Item, de ponderibus & menſuris. Volaterr. *anthrop.* Trithem. *Catal.* Geſner. *Bibl.* Leand. *deſcr. Ital.* Petrarcha, *l.* 2. *viror. ill. c.* 3. *de facetiis*, & 4. *de Iron.* Euſeb. Chronici continuator.

DINUS Mugillanus, JC. Bononienſis. A. C. 1300. celeberrimus ſui ſeculi, ſcripſit Comment. in 6. librum Decretalium ſyllogen Conciliorum, &c. Cardinalatum meritis quæſitum; quòd obtinere non poſſet, præ mœrore obiit A. C. 1303. Trithem. *Catal.* Leand. *deſcr. Ital. in Hetr. medit.*

DIO; Coſ. Romanus, Euſeb. *Dio* Caſſius, Hiſtoricus, & Coſ. Romanus, de quo vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 15. & *Dion.*

DIOBESI: Thraciæ pop. quos Neſtus amnis præterfluit. Plin. *l.* 4. *c.* XI.

DIOBULIUM, opp. prope Pontum. *Steph.*

DIOCÆSAREA, Cappadociæ urbs. *Plin.* in Aſia min. verſus Lycaoniam, 50. mill. ab Iconio, 65. à Cæſarea in Occ. Nunc ſub Turcis, paucis inhabitata, in Caramania Reg. *Baudr.*

DIOCÆSAREA, urbs Ciliciæ Aſperæ, inter Philadelphiam & Aphrodiſiam, 20. mill. ab ora maris Mediterr. in Bor. 10. à Seleucia, in Occaſ.

DIOCÆSAREA, urbs Aſiæ min. in Phrygia combuſta, 20. mill. ab Apamea in Bor. Salmaſ. eadem videtur eſſe cum Laodicea ad Lycum, quamvis diverſas illas faciat Ptol. Et quidem primò Διόπολιν, dein Laodiceam, tandem Διοκαισάρειαν, compoſito nomine ex *Jove & Cæſare*, à Polemone, Zenonis Rhet. filio, in gratiam Aug. dictam eſſe, docet *ad Solin. p.* 828. Vide in vocibus *Dioſpolis & Laodicea.*

DIOCHARES, Cæſaris libertus. Meminit Cic. *ad Attic.*

DIOCHITES, vicus Ægypti, in quo ſepultus eſt Oſiris *Steph.*

DIOCLEA, Vide *Doclea.*

DIOCLES, primus Rex Medorum. *Euſeb.* Vide *Dejoces.*

DIOCLES, Heros, cultus apud Megarenſes, in cujus honorem inſtitutus agon *Dioclea* vocata, quem primus huic *Diocli* inſtituit Alcathus, Pelopis fil. Vide Schol. in Ariſtoph. *Acharn.* 409. *B.* 1.

DIOCLES, Athenienſium Dux, in hoſtili ſolo militibus nullo ordine diſperſis, teſſeram datam ſæpe commutavit. Milites arbitrati non longè hoſtes abeſſe, receptis armis, inſtructâ acie profectionem faciebant. Polyæn. *l.* 5.

DIOCLES, amicus & inſidiator Agathoclis. Vide *Anthropinus.*

DIOCLES, Athenienſis comicus, poëta antiquus, cujus fabulas nonnullas commemorat Athen.

DIOCLES, Hiſtoricus, primus Græcorum, de origine urbis Romæ ſcripſit, Plutarch. *in Romulo.* Item, Eleeus Muſicus.

DIOCLES, Medicus Caryſtius, Darii Hiſtaſpis temp. Reliquit & ipſe commentarios. Suid. Cæterùm de variis hujus nominis hominibus videatur Voſſ. *de Mathem. Poëtis & hiſt. Gr. p.* 355.

DIOCLES Olympionices, delicium Philolai Corinthii, amatorem relictâ patriâ Thebas ſecutus, ibique mortuus eſt, de quo vide Ariſtotel. *l.* 2. *Polit. c. ult.*

DIOCLES, unus ex quatuor fratribus Syris, qui ſub Perſæo Philoſopho & Archelao duce, inter præſidiarios Acrocorinthi ab Antigono impoſiti erant. Vide Polyæn. *l.* 6. *in Arato.*

DIOCLES, Agitator celebris, in vett. *Inſcr.* in qua trigarum, in curuli certamine, mentionem factam, obſervat idem Autor *Ibid. p,* 100. Item nomen ſervi, qui poſtmodum Imp. factus. Diocletianus, voluit appellari. Vide hîc infrà in voce, *Valerius.*

DIOCLETIANOPOLIS, urbs Theſſaliæ inter Ediſſam & Theſſalonicam. Polyb. Anton. Item urbs Palæſtinæ, quæ & *Baſchat*, inter Hieroſolymam ad Bor. & Hebron ad Auſtr. Nunc in ruinis.

DIOCLETIANUS Jovius, 38. Rom. Imp. Erat oriundus Dioclea, Dalmatiæ urbe, libertus Senatoris Annulini, fortitudine & bellicæ rei gloriâ inſignis. Tranſeunti in Galliam, fatidica quædam anus imperium prædixit, ſi Aprum interfeciſſet. Hinc Imp. Apro, Numeriani ſocero, occiſo, ſucceſſit, A. U. C. 284. ſtatimque Maximianum, ſucceſſorem deſignatum, Cæſarem fecit: Exin Galliâ à prædonibus liberatâ, ſed majore rerum mole mox ingruente, in eadem, in Magna Britannia, Africa, Ægypto, Oriente, conſortem Imperii Maximian. Conſtantin. verò Chlorum, & Galer. Armentar. iſti Valeriâ, illi Theodorâ, Maximian. privignâ, in matrimonium elocatâ, Cæſares fecit. Sic rebelles domiti, & pax Imperio data. Ipſemet in Ægyptum profectus, Achileum vicit, neque unquam major armorum, apud Romanos, gloria. Cultus ſic à Maximiano, ab utroque Cæſare, parentis loco, honoratus, in ſuperbiam incidit, pro Deo adorari volens, pedibus ad oſculum porrectis. Inde in ſævitiam, quâ Chriſtianos, quos ab initio jam Imperii ſe non amare teſtatus erat, An. Imperii 19. crudeliſſimâ perſecutione afflixit, de extincto Chriſtianiſmo, per tropæorum vaniſſimas inſcriptiones, quæ hodieque in duabus Hiſpaniæ civitatibus videntur, ſibi gratulatus. Sed creſcens ſub malis Chriſtianorum copia, unà cum ſenectutis infirmitatibus, in cauſa fuêrunt, ut Imperio ſe Nicomediæ abdicaret, exemplum imitato Maximiano, cui prior ætas ſimile non habuit. 1. April. A. C. 304. Sic cùm 22. annis, quibus in Imperio fuit, res magnas geſſiſſet, depoſito Imperio, Salonicæ ruri vitæ reliquum egit, non minori libertate, quàm rei familiaris tenuitate. Obiit in hac ſolitudine, A. C. 316. poſtquam irritos ſuos in Eccleſiam conatus deploraſſet, quam, è fuſo tam ubertim ſanguine, lætius effloruiſſe, vidit. Ut & hoc addatur, ſub initium Imperii, priſco per Coſſ. numerandi mòre abolito, ab annis Imperii ſui Epocham duci voluit, quæ *Diocletiana* dicta, ſcriptoribus Eccleſiaſticis, uſque ad Juſtinian. Imp. uſurpata, ſub quo Dionyſ. parvus, à Chriſti nativitate, Annos numerare cœpit. Cæterùm Princeps erat ingenio excelſo, moderatione animi, ſi odium Chriſtianorum excipias, conſiliorum ſublimitate, modeſtiâ, inter paucos. Euſeb. *l.* 8. Niceph. *l.* 6. & 7. Vopiſc. *in Caro & Carino.* Caſſiodor. *in Faſtis.* Evagr. *l.* 3. Procop. *l.* 7. Amm. Marcellin. A. Victor, Oroſ. Panvin. Theodor. Onuphr. *in Faſtis.* Muler. *in tab. Fric. p.* 494.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

p.494. Chriſtmann. *de Conn. Ann.* p.422.430. Kepler. *in tab. Rodolph.* Crucius, *de Æra Diocl.* Langius, *de Ann. Chriſt*, l.1. c.1. Petav. *de Doct. Temp.* l.11. c.29. 30. & 33. Ricciol. *Chron. Ref.* t.1. l.4. c.9. n.17. Godeau, *Hiſt. Eccl.* l.3. & 4. Coeffetau, *Hiſt. Rom.* l.10. &c. Palatii ejus, quod ampliſſimum habebat Spalati, rudera egregio commentario illuſtravit Jac. Spon. *Itin. Part.* 1. p. 103. & *ſeqq.* ubi delineationem quoque ejus æri inciſam exhibet.

DIOCLEUS, Orſilochi fil. *Hom.*

DIOCLIA, vel DOCELA, urbs Phrygiæ magnæ Epiſc. ſub Archiep. Laodiceno, urbi Laodiceæ proxima. Midajo & Armorio.

DIOCMITÆ, apud Capitolin. *in Marco*, *Latrones etiam Dalmatiæ atque Dardaniæ milites fecit. Armavit &* Diocmitas. *Emit & Germanorum auxilia* &c. Amm. Marcell. l.27. e.g. Scalig. pro *Docimitæ*, à Docimeo, Phrygiæ urbe; Salmaſ. verò, dicti ſunt ἀπὸ τοῦ διωγμοῦ ſicque appellati videntur levis armaturæ, adeoque expediti, & ad perſequendum fugitivos, aut latrones, idonei milites: quos & Διωγμίτας appellabant. Certè Amm. Marcell. *loco citato genus ſemiermium*, inquit, *hominum*, *quos* Diogmitas *appellavit.* Salmaſ. *ad Capitol.* Διωγμίτας vocat Metaphraſt. *in Vita* Athanaſ.

DIODORI inſ. *Babelmandel*, teſte Rhamuſio, in ore ſinus Arabici, *Primera* Belloforeſtio. Ptol. Plin. l.6. c.29. Arr. *in Periplo.*

DIODORUS, qui & Tryphon, 14. Syriæ Rex. Liv. l, 44. c.44.

DIODORUS, è Ducibus Demetrii, per quem recepit Sicyonem. Poſtea, Epheſo præſidere juſſus, agitavit de urbe Lyſimacho prodenda, conſilia; Sed præventus à Nicanora & ipſo Demetrio pœnas dedit perfidiæ. Polyæn. l.4. *in Demetrio*, *com.* 4.

DIODORUS, Antiochen. Tarſenſis Præſul. Hieronym. Poſt mortem accuſatus eſt, quòd Neſtorii præceptor fuerit. Cyrillo proin *in Ep.* ad Joh. Antiochen. & Acaſ. Meliten. *hoſtis gloriæ Chriſti* dictus Contrà Athanaſ. Baſil. & Chryſoſtom. ejus diſcipuli, tanquam ſanctiſſimum Ep. & fortiſſimum Fidei defenſorem, ſummis evehunt laudibus. Talis certè, dum viveret, habitus, at ſcripta ejus poſt obitum iis referta erroribus deprehenſa ſunt, qui damnationem merebantur. Theodoret. *hiſt.* l.4. c.23. 24. 25. l.5. *c. ult.* & *in Philoſ.* c.2. & 8. Socr. l.6. c.3. Sozomen. l.8. c.2. Baron. *An.* 370. 392. 428. 435. Vide & Phot. *Bibl. cod.* 18. 85. 102. 223.

DIODORUS, Ep. ſapientiſſimus, velut quidam fluvius perſpicuus atque torrens, oves quidem proprias irrigabat, luporum verò blaſphemias penitus abluebat; ac generis ſui nobilitatem ſpernens, libenter ſuſtinebat quamlibet pro Fide calamitatem Sozom. l.8. c.3. *Trip. Hiſt.* An idem cum Tarſenſi Præſule, de quo prius?

DIODORUS, Alexandrin. fil. Pollionis philoſophi ejus, qui compoſuit Dictionarium Attic. floruit Adriani temp. Suid. *Diodorus* præterea duos è Lydia Tiberii temp. Strab. commemorat, ambos oratores.

DIODORUS & DIODOTUS, Grammatic. bella Attica ſcripſit. Item diſcipulus Ariſtoph. Alius Arythræus, Athen. l.10. Item Medicus, cognom. *Petronius*, Plin. l.20. c.8. Item Epicureus αὐτόχειρ. Sen. *de V.B.*

DIODORUS, cognomento *Chronus*, fil. Amenii, Dialecticus ex Jaſſo Aſiæ civitate fuit, Platonis temp. Euclidemque audivit. Dictus *Chronus*, ab Apollonio *Chrono*. ejus præceptore, cujus ut famam obſcuravit, ita & cognomen uſurpavit. *Dialecticus* autem, quia, teſte Laërt. primus involutum diſſerendi genus invenerit. Apud Ptol. Soterem commorans, cùm, inter epulas, à Stilpone ſermones quoſdam dialecticos propoſitos ex templo nequiviſſet exſolvere, ob id à Rege per jurgium *Chronus*, i.e. cunctator, ut alii, duabus prioribus literis omiſſis, ὄνος appellatus, conviviumdeſeruit, accedito per otium ſuper ea propoſitione libro, ex animi mœrore exinctus eſt. Plin. l.7. c.53. Diog. Laert. *in vita ejus.*

DIODORUS, Comicus poëta, cujus fabulas enumerat. *Athen.*

DIODORUS, Echeanactis fil. cum fratribus Anaxagora & Codro Hegeſiam Epheſi tyrannum obtruncavit. Qui tres fratres à Philoxeno, Alexandri Mag. præfecto, ob iſtud facinus in carcerem tracti ſunt, vinctique in arce Sardiana catenis retenti. Ubi diu multumque cruciati ſeipſos expedivêrunt carcere; acceptâ ab amico limâ, cujus adjutorio vincula diſrupêrunt, & ſervili habitu fallentes per noctem, ac quaſi ſervi à carcere egreſſi, fune & veſtimentis in longitudinem diſſectis ea connexuêrunt, ſeque de mœnibus dimiſêrunt. *Diodorus* ſubitò ex alto delapſus clauduſque factus, in eo loco deprenſus à Lydis & ad Alexandr. miſſus eſt, ut ſupplicium lueret. Alexandro verò Babylone mortuo, Epheſum ad Perdiccam miſſus eſt, ut legum judicium ſubiret. Anaxagoras verò & Codrus Athenas digreſſi, poſt mortem Alexandri Epheſum reverſi, etiam fratrem ſuum *Diodorum* liberarunt. Polyæn. l.6.

DIODORUS, Epheſ. Anaximandri vitam ſcripſit. Diog. Laërt. *in hujus vita.* Item Sardibus oriundus, orator, tempore belli Mithridatici. Pater Diodori, Oratoris, Poëtæ & Hiſtorici. Strab. l.13.

DIODORUS, Periegetes, terras deſcripſit, ut ex cognomine colligi poteſt. Idem de monumentis tractavit. Plutarch. *in Themiſtocle.* Meminit & idem hujus ſcriptoris *in Theſeo*, *ac Cimone.*

DIODORUS, Philoſoph. Socratic. Hieronym. Quinque filias dialecticas inſignis pudicitiæ habuiſſe narratur. De quibus & Philo Carneadis magiſter pleniſſimam ſcribit hiſtoriam.

DIODORUS Siculſs. Res interim (inquit Voſſ.) apertior eſt de ætate Diod. Sic. Antiquiorem paulo eſſe aliquis dicat, quia, tempore Jul. Cæſaris vixiſſe Euſeb. *in Chron.* tradat: atque adeò ipſe Diod. non uno hoc loco de ſeſe teſtetur. Sed non malè propterea Suid. qui ſub Auguſto vixiſſe dicit. Natale ei ſolum Argyrium, ſive Angyrium; Siciliæ opp. ut quidem vulgò legitur apud ipſum Diod. vel potius Agyrium, quod verum eſſe oppidi nomen probat Cluver. qui illud hodie *San Filippo d'Agyrone* dici ait. Scripſit βιβλιοθήκην ἱστορικὴν, in qua agit de Ægyptiis, Aſſyriis, Medicis, Perſicis, Græcis, Romanis, Punicis, atque aliis. Conſtabat verò opus hoc libb. 40. quorum argumentum ipſe in Præfatione recenſet. Multa ejus ſphalmata ſunt in Olympiadum Annis & Romanis magiſtratibus, ut planè veriſimile ſit corruptis ac mutilis faſtis uſum eſſe. Cætera ſi ſpectes, magna ejus φιλοπονία fuit, ut qui 30. Annorum operam in hanc ſe hiſtoriam impendiſſe ſcribat in præfatione ſua. Ubi & quanto veritatis ſtudio laborarit, oſtendit peregrinatione ſuâ in Aſia atque Europa; nempe periculis vel ærumnis nullis territus fuit, quò minus loca ipſa luſtraret, de quibus ſcripturus eſſet. Romæ inprimis commoratus, ut inde variarum rerum notitiam eò certius hauriret. At egregium hoc Diod. opus non τοῖς ἔξωθεν modò, ſed etiam Juſtino Martyri ac Euſebiolaudatum, non caruit ſeculo noſtro reprehenſoribus ſuis, ſeu rem ſeu dictionem ſpectes; Rem ipſam culpat Lud. Vives; qui *in quinto de tradendis diſciplinis*; refert *nihil Diodoro eſſe nugacius*: Contrà profectò quàm Plin. judicarat, qui *in Præfatione* ſcripſerat, cùm Græcorum alii magnificis titulis ſuperbiant, Diod. qui ἁπλῶς βιβλιοθήκην vocat, *primum Græcorum deſiiſſe nugari.* Quemadmodum verò ipſam rem Vives, ita dictionem Diod. arrodit Bodin. *in Meth. Hiſt.* Quanto melius de eo cenſuit Phot. Patriarcha μυριοβίβλου ſuæ. c.70. ubi ipſum ait φράσει σαφεῖ τε καὶ ἀκόμψῳ, καὶ ἱστορίᾳ μάλιστα πρεπούσῃ. Addit, non affectare nimis dictionem Atticam, ſed neque devolvi ad vulgarem ac tritam dicendi formam, verùm mediocri genere gaudere. Quæ ſanè majoris, quàm Bodini judicium fieri debere, nobiſcum fatebitur. qui vel de ſtylo judicare per ſe poſſit; vel, quàm exquiſito in talibus judicio Phot. fuerit, intelligat. Geſner. *Biblioth.* Voſſ. *de Hiſt. Gr.* l.2. c.2. *Nic. Lloydius.*

DIODORUS, Stoicus, Cicer. Præceptor in Dialecticis, ut *in Bruto* ſcribit ipſe, *Eram*, inquit, *cum Stoico Diodoro: qui cùm habitaviſſet apud me, mecum vixiſſet, nuper eſt domi meæ mortuus*: à quo cùm in aliis rebus tum ſtudioſiſſimè in dialectica exercebatur.

DIODORUS, Theban. multiforatilis tibiæ auctor, Polluci: quod inventum alii Pronomo, nonnulli Antigenidæ, Thebanis itidem, tribuunt. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p.120.

DIODORUS Tryphon, piratici dominatus primus auctor Cilicibus, ab Antiocho Demetrii in caſtello quodam concluſus & ad mortem adactus eſt, Strab. Manſit tamen hæc πειρατεία Cilicum & in tantum progreſſu temporis crevit, ut Romani miſſis exercitibus & Imperatoribus ſuis eam evertere dignum habuerint. Salmaſ. ubi ſuprà p.770. & 771.

DIODOTUS, unus ex Politicis Athenienſium, qui crudele decretum, de exſcindenda ob defectionem Mitylene, mitigavit. Vide Schol. *in Ariſtoph. Equit.*

DIOECESIS, Græcè Διοίκησις, dicebatur plurium provinciarum inter ſe copulatarum præfectura. Balſamon *in can.* 9. *Concilii Chalcedon.* Διοίκησις δὲ ἐστιν ἡ πολλὰς ἐπαρχίας ἔχουσα ἐν ἑαυτῇ: quarum quælibet ſuas habebat Metropoles: quæ ſingulæ regebantur à Comitibus & Vicariis; plures verò unà & ſimul à Præfecto Prætorio. Earum mentio frequens in *Cod. Thedoſ.* & *Juſtin.* apud Amm. Marcellin. item, qui *Tractus* vocat. Autor Conſtantin. Mag. fuit, qui totum Imperium Rom. in IV. *Diœceſes* diſtribuit, nempe *Italiæ*, *Illyrici*, *Orientis & Africæ*; è quibus vet. Imperium CP. duas medias integras comprehendit, Macedoniam nempe, Daciam, Orientem in ſpecie ſic dictam; Ægyptum, Aſiam, Pontum & Thraciam: hodiernum verò Turcicum, tertiam inſuper, Africam ſc. complectitur. Vide Berten. l.1. *Pith.* c.2. & Jacob. Gothofred. *ad* l.3. *Cod. Th. de Med.* & *in Topogr. ejuſdem Cod. part.* I. Atque inde manavit ut *Diœceſes* dicerentur potiſſimùm provinciæ, quibus præerant Metropolitani vel Archiepiſcopi, ut in *Concilio* Chalcedon. *can.* 28. Has inſtituiſſe S. Dionyſ. Ep. Rom. dicitur Anaſtaſ. in *Vita* ejus. Poſtmodum verò abuſivè ſic dici cœpêrunt Epiſcoporum diſtrictus: qui proprio vocabulo *Parochiæ* indigitantur paſſim. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* Hinc *Diœcetes*, Gr. Διοικητὴς, apud Hegeſipp. cui *Diœceſes* à Conſtantino, ut diximus, inſtitutæ, notiores erant, quàm procurationes apud vet. Aulam Rom. eſt Diœceſeos alicujus adminiſtrator, Prætorio Præfectus, l.1. c.44. Vide Joh. Frideric. Gronov. *Obſerv. in Eccl.* c.16. Minoris dignitatis erant *Diœcetæ*, de quibus Anaſtaſ. *in Eccl. Hiſt.* ubi vox *Adminiſtratores* in genere notat. *Diœcetæ Ergaſiotanorum*, l.5. *Cod. de Epiſc. aud.* & *in* l. *Cod. Th. de Alexandr. pleb.* *Primat* vocantur, qui operariis & artificibus præerant. Sed & *Diœcetæ*, publicani, h.e. Collectores tributorum ac vectigalium ſunt, Leoni *Nov.* 61. Theophani *in Chron.* Aliis. Unde legimus in *Ep.* Hadr. Pontif. ad Carolum Mag. in Cod. Carolino 92. *Miſſi Græcorum duo Spatharii Imperatoris cum Diucitin, quod Latinè diſpoſitor Siciliæ dicitur* &c. His præerat Μέγας Διοικητὴς, cujus dignitatis meminit Cantacuzen. l.3. c.14. & Codin. *de Offic.* Vide Jac. Gothofred. *ad* l.1. *prædictam.* Car. du Freſne *Gloſſar.* At Διοικητὴς in vett. Ægypti Regum aula quantæ dignationis fuerit munus, indigitavimus ſuprà in voce *Chiliarchus.*

DIOETAS, Achæorum Dux, qui Heræeam civibus recuperavit, duobus argutis & ſcitis ſtratagemate. De quo vide Polyæn. l.2.

DIOGENES, Apolloniates, Anaximenis auditor, fil. Apollothemidis. Phyſicarum rerum notitiâ celebris, Rhetor & Philoſophus inſignis. Tempore Anaxagoræ viguit, ab invidis, in periculum mortis, Athenis adductus. Demetr. *in Apol. Socr.* Aërem elementum eſſe, quo condenſato vel rarefacto mundi infiniti fiant; vacuum eſſe infinitum, ex nihilo nihil fieri, nihil in nihilum reſolvi, terram in medio mundi conſiſtere, immobilitatem ſuam à calore circumfuſo, ſpiſſitudinem verò & ſoliditatem à frigore habere, aſſeruit. Diog. Laërt. *in ejus vita* l.9. *in Cynic.* l.6. Clemens 1. *pædag.* & 1. *Strom. Suid.*

DIOGENES, Babylonius, quia haud procul degebat, Stoicus Philoſophus, Chryſippi diſcipulus præceptor Antipatri. Cic. *in de Officiis.* Seleuciâ oriundus, P. Scipione & M. Marcello Coſſ. tempore Punici belli ſec. cum Carneade Academico & Critolao Peripatetico, ab Athenienſibus Romam miſſus. De Nobilitate ſcripſit, Athen. l.4. Porro Cic. *in Lucul.* l.6. *de fin.* l.4. *Tuſc.* & l.1. *de Nat. Deor.* A. Gell. l.7. c.14 Macrob. Sat. l.1. c.5. Seneca, *de Ira*, l.3. c.38. Diog. Laërtius, *in Diogene Cyn.* Quintilian. l.1. c.1.

DIOGENES, Cyzicenus, vel *Diogenianus*, Grammaticus. Vide iba-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ibi. Reliquit 7. libros de patriæ ſuæ inſulis, teſte Steph. in Βέϱβιχ☉-. Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. l. 2. c. 13. p. 221. & l. 3. p. 356.* ubi hunc cum Diogeneto vel Diogene Suidæ, qui librum de Patria ſua compoſuit, eundem facit. Item alius Tragicus Poëta.

DIOGENES, vel DIOGNETUS, Erythræus, Hygin. *in poët. Aſtron. in Piſc.* Alias Smyrnâ oriundus, Philoſophus, diſcipulus Metrodori Chii, Præceptor Anaxarchi. Clem. 1. *Strom.* Voſſ. *de Hiſt. Gr. l. 3. p. 356. 357.* Item, pictor, Plin. *l. 35. c. XI.* Vide quoque *Romanus IV.*

DIOGENES Antonius, vide *Antonius.*

DIOGENES Laërtius, ſive, ut Tzetzes vocat, *Diogenianus*, Epicureus, cujus decem libros habemus de vitis Philoſophorum. Parum idoneè de eo judicat Barthol. Keckermann. vir cæteroquin eruditus, ſed novellorum ſcriptorum, quàm antiquitatis ſtudioſior, uti notat Voſſ. Ait ille *libro ſuo de Hiſtoria*, ſcripſiſſe Laërtium *languidè & frigidè, ſæpe tamen non inutiliter.* Quæ profectò frigida laus eſt operis utiliſſimi, & auro contra non cari. Quippe ex quo diſcere ſit, cum alia tam multa ad hiſtoriam temporum pertinentia, tum præclara tot vet. apophthegmata; quorum Keckermann. malo ſanè exemplo, Eraſmum laudare mavult authorem, quàm Plutarch. Laërt. & ſimiles. Quin, quod caput eſt; diſcrepantes ex eodem Laërtio ſectarum ſententias dicimus. Multa ex hoc opere ſuis doctrinæ variæ eclogis inſeruerat Sopater, teſte Phot. *Tmem.* 161. Atque hinc liquet vixiſſe Diogenem ante tempora Conſtantini Mag. à quo Sopater iſte Apamenſis, ſive potius Alexandrinus, interfectus fuit, ut Suid. narrat in Ἀλέξανδρ☉-. At junior omnino eſt Trajano. Siquidem *in Speuſippo*, atque item *Anaxagoræ vita*, Plutarch. meminit, qui Trajani, atque etiam Hadriani tempore floruit. Præterea *in Timone*, mentionem facit decem librorum Sexti Empirici, item Saturnini, qui Sextum audivit. Nempe vixit ſub Antonino Pio, vel paulo poſt, quemadmodum oſtendit Voſſ. *de Nat. & Conſt. Rhetoricæ c. 9.* Hoc opus à Laërtio ſcriptum fuiſſe ad fœminam, rectè tradit Lud. Vives *l. 5. de trad. diſciplinis*, quæ Arria fortè, Imperatoribus grata, cujus meminit Gal. *de Theriac.* Antiquiſſimus eorum, qui hujus ſcriptoris meminérunt, eſt Steph. in Ἐνετοὶ & Δ... Reliquit quoque epigrammata omni genere metrorum: Unde hoc opus ... inſcripſit; multaque de Philoſophis epigrammata inde adducit, & Ἐπιγραμματογράφον ex eo vocat Tzetzes *Chil. 3. c. 61.* Voſſ. *de Hiſt. Gr. l. 2. c. 13. Nic. Lloyd.*

DIOGENES Sicyonius, qui Peloponneſiaca ſcripſit. Vide Voſſ. *de Hiſt. ...* 356.

DIOGENES, Sinopenſis, Iceſii fil. Philoſophus Cynicus celeberrimus, Antiſthenis Diſcipulus, ἐφήμερ☉-, h. e. *in diem vivens*, vulgò appellatus, quòd, omni abjectâ ſollicitudine, cibum ſuum in ſingulos dies emendicaret. Hibernavit in portarum veſtibulis, & porticibus civitatum, cumque ſe contorqueret in dolio, volubilem ſe habere domum jocabatur, & ſe cum temporibus immutantem. Hyeme enim os dolii vertebat in Me id. æſtate ad Septentr. & ubicunque ſol ſe inclinaret, Diogenis prætorium vertebatur. Obiit fermè nonagenarius, moriéque vicinus juſſit cadaver ſuum inhumatum abjici; quærentibuſque amicis, volucribuſne & feris corpus ſuum dilaniandum vellet relinqui? *Minimè*, inquit; *ſed bacillum apud me, quo illas abigam, ponitote.* Irridens nimirum amicorum præpoſteram curam, qui tantopere de humatione cadaveris, omnis ſenſus expertis erant ſoliciti: quaſi magnum quiddam intereſſet, à feriſne, an à vermibus abſumeretur. Cùm in patria adhuc eſſet, Pythiam conſuluit, quonam modo poſſet excellere, reſpondet: *Si nummos adulteraret.* Quo ille facto patriâ pulſus; Athenas venit: jam ſenex à Scytalo piratâ captus; venundatuſque Xeniali Corinthio eſt, qui cum manu miſit, eique liberos ſuos ad erudiendum tradidit; apud quem Diogenes vivere voluit, cùm poſſet ab amicis redimi. De eo ſcribitur, quòd cùm Antiſthenes nullum diſcipulorum reciperet & perſeverantem Diogenem removere non poſſet, noviſſimè clavâ minatus ſit, niſi abiret; cui ille ſubjeciſſe dicitur caput, atque dixiſſe, *Nullus tam durus baculus erit, qui me à tuo poſſit obſequio ſeparare.* Ferunt cùm in ſuburbio quodam Corinthi degeret, accedentem Alexandrum rogaſſe, ne ſibi apricanti à Sole obſtaret. Plutarch. *in Apophth.* Juven. *l. v. Sat. XIV. v. 31.* & ſeqq.

> *Senſit Alexander, teſta cum vidit in illa*
> *Magnum habitatorem, quanto felicior hic, qui.*
> *Nil cuperet, quam qui totum ſibi poſceret orbem.*

Patriâ Sinopenſis fuit, ut dictum, teſte Suidâ. Ovid, *de Ponto*, *l. 1. v. 299.*

> *Non doluit patriâ Cynicus procul eſſe Sinopeus.*

Morali Philoſophiæ unicè deditus, riſit Grammaticos, Muſicos, Oratores, Avaros. De ingenioſè dictis ejus videatur Diog. Laërt. *in ejus vita l. 6.* Obiit, vel bilis exundatione, quam bovini pedis crudi eſu ſibi contraxerat, vel morſu canis. Alii ſponte retento ſpiritu exanimatum dicunt. Æt. An. 80. Nic. Lloydius. Vide Plutarch. *in Alex. l. 8. Simp. qu. 1.* &c. Baſil. *l. de leg. Gentil. libr.* Hieron. *l. 2. c. Jovin. c. 9.* Valer. Max. *l. 4. c. 3. ex. 19. &c.*

DIOGENETUS, Pictor inſignis, ſub quo pingendi artem didicit Marcus Imp. Capitolino: an idem cum *Diogneto* Philoſopho, cujus ipſe Marcus meminit *de Vita ſua.* Vide Caſaub. & Salmaſ. *ad Capitolin.* ut & in voce *Diognetus.*

DIOGENIANUS, Tzetzi in *Vitis* Philoſophorum citatur, qui vulgo *Diogenes.*

DIOGENIANUS, ex Heraclea, Grammaticus ſub Adriano Principe, ſcripſit Dictionarium per ordinem literarum, multaque alia in arte Grammatica. Item de fluv. lacubus, montibus, & tabulam urbium. Diligens, elegans, ingenioſus, Suid. Parœmias ejus A. Schottus primus edidit. Eraſm. *præf. adag.* Vide & *Diogenes Cyzicenus.*

DIOGENIS, Æthiopiæ prom. ad ſinum Arabicum. *Ptol.*

DIOGENUS, conſpirationis contra Alexandrum Mag. in Arius factæ particeps Dymno. Curt. *l. 6. c. 7.*

DIOGNETUS, VII. Athenienſium Judex ſeu Archon τ̃ διὰ βίȣ, poſt Megaclem: ſub quo Homerus Poëta Floruit, Anno Attico 676. Annis poſt Trojæ caſum 302. ante olympia ab Iphito & Lycurgo inſtaurata 23. circa Amaziæ in Juda, & Rhamſis in Ægypto tempora, uti ex Epochis Marmoreis docet Joh. Marsham. *Canone Chron. ad Sec. XV.* Eum excepit Phericles, quem vide. Alius itinerum Alexandri Regis menſor, quem Plin. *l. 6. c.* 17. ſe ſequi teſtatur. Tertius, Pictor egregius Antonini Imp. temp. Jul. Capitolin. A quo Imp. Graphicen diſcere voluit. Antonin. *in ſua vita.* Quartus Clitomachi pater illius Pœni, qui ſucceſſit Carneadi, vocatus antè Aſdrubal.

DIOGNETUS, Megarenſium Princeps, quem Gelon aſtu, impoſito gravi tributo, evertit. Vide Polyæn. *l. 1.* Fortè is ipſe eſt, quem commemorat miro aſtu quandam urbem cepiſſe. *l. 5.* 407.

DIOGNETUS quoque Erythræorum dux, quem captiva Polycreta ab exitio ſervavit. Polyæn. *l. 8.* 608.

DIOGNETUS, pugil, Cretenſibus olim in veneratione fuit; teſte Ptolemæo Hephæſtionis *l. 5.* qui addit, honore hoc eum dignatos, quia non alia de cauſa excidiſſet coronæ præmio, quàm quia adverſarius, quem viciſſet, nomen habuiſſet Herculis. Tanti enim illis Hercules erat, ut etiam ad ignominiam ejus pertinere arbitrarentur, ſi aliquis vinceretur *Herculi* cognominis. Vide Voſſ. *de Idolol. l. 1. c. 14.*

DIOLCOS, Heſych. Δίολκ☉- ὁ ἀπὸ Λεχαίȣ ἕως Κεγχρεῶν τόπ☉-. Vide Voſſ. *ad Melam l. 2. c. 3.*

DIOMEA, Ægeidis tribus municipium. Schol. *in Ariſtoph. Acharn.*

DIOMEDA, Phorbantis filia, quam Leſbo abduxerat Achilles: & cum qua poſt raptam Briſeida dormire conſueverat. Homer. *Iliad. 9.*

DIOMEDEA, urbs Dauniorum à *Diomede* condita. Eſt & *Diomedea* prope Argyripam. *Steph.*

DIOMEDEÆ, inſulæ 2. Plin. è regione Gargani, quarum altera habitatores habet, altera deſerta eſt, ubi diſparuiſſe ajunt Diomedem, & ſocios ejus ob dolorem in aves converſos, quæ ob id Diomedeæ vocitatæ ſunt. Has aves Juba *Catarractas* vocat: Dentes eis eſſe dicuntur, oculi igneo colore, cætero corpore candidæ ſunt, quæ in ſola Diomedea inſ. viſuntur. Ferrar. quinque ejus nominis inſulas enumerat, quarum nomina ſunt 1. *S. Maria de Tremiti*, 2. *S. Domino*, 3. *Gattizzo*, 4. *Caprara*, 5. *Credazzi.* Vide Euſtath. ad illud Dionyſii. v. 483.

> Δηεις ἰφθίμȣ Διομήδε☉- αὐτίκα νῆσον.

Baudr. hæ Inſ. *Iſole di Tremiti*, tres ſunt præcipuæ, nempe *S. Nicola de Tremiti*, cum arce probè munita, & cœnobio Canonic. 2. *San Domino*, oblonga, cum aliquot villis 3. *la Caprara*, abſque incolis *Il Credaſcio*, potius ſcopulus eſt parvus, inter Tremitum & S. Domino, ut & ſcopulus *Vecchia* dictus. Pendent hæ Inſ. ab Regno Neapol. Vide Ortel. ex vert. in ſuper Plin. *l. 3. c. 26. l. 10. c. 44. l. XI. c. 22.* Strab. *l. 4. & 6. &c.* Ut de præfatis avibus addam verbum. Specie & magnitudine erodiorum eſſe illas, ab omnibus traditum. Forma earum, juxta Ovid. Met. *l. 14. v.* 509.

> *Ut non cygnorum, ſic albis proxima cygnis.*

Imò non erodiis ſolùm ſimiles: ſed & *erodios* ... eſſe, legas apud Steph. item Antigon. *In Mirabil.* Unde Serv. *hodieque Latinè Diomedeæ vocantur. Græci erodios dicunt.* Vide de illis Auctorem ſæpius laudat. ubi ſupra *p.* 92. &. 93. Ἀ... Græcis eædem aves dictæ ſunt, quòd ſanguine ſuo quotannis manibus *Diomedis* parentarent. Sic enim vocabantur Græcis, qui pro alio devovebantur & alieni Fati vicarii ſua ſponte mortem obibant, *animam pro anima* reddentes. Salmaſ. *ad Spartian. in Hadr.* Plura de his avibus vide apud Sam. Bochart. *Hierozoici Part. poſter. l. 2. c. 37.* ubi illas ἐρωδιȣς ſeu *ardeas* eſſe, eruditè probat.

DIOMEDEI CAMPI vocati ſunt in Apulia, qui in diviſione Regni, quam cum Dauno feciſſe dicitur, Diomedi ceſſerunt.

DIOMEDES, Rex Ætoliæ, Tydei & Deipylæ fil. qui cum reliquis Græcis ad Trojam profectus adeò ſtrenuè ſe geſſit, ut poſt Achillem & Ajacem Telamonem fortiſſimus haberetur. Nam præter occiſos à ſe Reges, & ſingulares pugnas adverſùs Hectorem & Æneam alioſque inſignes Trojanorum Principes, & captos Rheſi equos, Palladiumque Trojanis ſubtractum, Martem quoque in bello vulneravit, Veneremque dextrâ manu, dum Æneam protegere vellet. Id quod ipſe teſtatur Virg. *Æn. l. XI. v. 276.*

> ------ *Cùm ferro cœleſtia corpora demens*
> *Adpetii, & Veneris violavi vulnere dextram.*

Quamobrem Dea indignata Ægialem uxorem ejus tantâ libidinum turpitudine involvit, ut ejus cauſâ patriam exoſus Diomedes, domum reverti noluerit, ſed in Apuliam profectus, regni partem à Dauno acceperit, ibique Arpos condiderit. Quidam ferunt, Diomeden ab Ænea dolo occiſum, ejuſque ſocios doloris impatientiâ in aves Diomedeas eſſe commutatos. Juv. *l. 1. Sat. 1. v. 54.*

> *Aut Diomedeas, aut mugitum Labyrinthi.*

Horat. *l. 1. Serm. Sat. 5. ubi de Canuſio, v. 93.*

> *Qui locus à forti Diomede eſt conditus olim.*

Idem *l. 1. Carm. Od. 6. v. 14.*

> *Ope Palladis*
> *Tydidem ſuperis parem?*

Virg. *Æn. l. 1. v. 96.*

> ------ *O Danaûm fortiſſime gentis*
> *Tydide.* ------ ------

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Ovid. Metam. *l.* 14. *v.* 461.

Auxiliumque petit; vires Ætolus heros.

Dicitur, *Calydonius heros* Stat. *l.* VIII. Theb. *v.* 580.

------ tandem invalidos Ætolus ad ictus
Forte refert oculos.

Item, *Ætolus dux.* Conon. *narr.* 4. apud Phot. *Cod.* 186. Nic. Lloydius. Hic Ludorum Pythiorum perhibetur auctor. Trojâ enim rediens ac tempeſtate elapſus, Apollini Epibaterio delubrum dedicavit; & in Apollinis honorem Ludos Pythios primus omnium inſtituit, Pauſan. *Corinthiacis.* Καὶ Πυθίῳ Ἀπόλλωνι τὸν χαλκοῦν τρίποδα ἀνέθηκεν, ὃν ἐν τῷ ἐπὶ Πατρόκλῳ ἀγῶνι ἐνίκησεν Ἀχιλλεύς. *Et Apollini Pythio tripodem æneum dicavit, quem Achilles ei dederat in agone ad Patrocli tumulum,* Euſt. *ad* Il. φ. teſtante Inſcriptione:

Χάλκεός εἰμι τρίπους, Πυθοῖ δ' ἀνάκειμαι ἄγαλμα·
Καί μ' ἐπὶ Πατρόκλῳ [illegible] θῆκεν Ἀχιλλεύς,
Τυδείδης δ' ἀνέθηκε βοὴν ἀγαθὸς Διομήδης,
Νικήσας ἵπποισι [illegible] Ἑλλήσποντον.

E quibus tamen poſterioribus verſibus ſatis liquet, hoc epigramma eſſe Homero recentius. Cæterum antiquiſſimum in his ludis certamen fuit, Hymnum in Apollinem canere, cui primò ἆθλα propoſita. Primus autem in iis cecinit & cantu vicit Chryſothemis, ut viſum. Sed & ipſe juxta oſtium Timavi nemus ac templum habuit. Strab. *l.* 5. ἐν αὐτῷ δὲ τῷ μυχῷ τοῦ Ἀδρίου καὶ ἱερὸν Διομήδους ἐστὶν, ἄξιον μνήμης, τὸ Τίμαυον. Qui paulo pòſt ſubdit, *Diomedi* apud Venetos equum album ſacrificari conſueviſſe. Eundem, in Picena quoque regione pro Numine fuiſſe, Scylax Caryandenſis auctor eſt *in Periplo*, Μετὰ δὲ Δαυνίτας ἔθνη ἐστὶν Ὀμβρικά· καὶ πόλις ἐν αὐτῷ Ἀγκών ἐστι. Τοῦτο δὲ τὸ ἔθνος τιμᾷ Διομήδην εὐεργετηθὲν ὑπ' αὐτοῦ καὶ ἱερόν ἐστιν αὐτοῦ. *Poſt Daunitas, gens eſt Umbrorum: inque ea eſt Ancon urbs. Hæc verò gens colit.* Diomedem, *cui ille bene fecit: ac ibidem ejus eſt Fanum.* Imò & in inſulis quinque, quæ ex adverſo Marucinorum ac Pelignorum ſitæ ſunt, atque ab eo nomen accepêre, *Diomedeæ* dictæ, cultum eſſe, diſcimus ex Theophraſto *Hiſt. Plant. l.* 4. *c.* 7. ubi platanum non eſſe in Adria, præterquam circa *Diomedis* delubrum tradit. Vide quoque Plin. *l.* 10. *c.* 44. *velut generi Diomedis hoc tribuentes; ædemque eam quotidie pleno gutture madentibus pennis perluunt, atque purificant, unde origo fabulæ, Diomedis ſocios in earum effigies mutatos.* Et Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 8. *c.* 16. qui poſterior de eo ſic habet: *Diomedem fecêrunt Deum, quem pœnâ divinitus irrogatâ, perhibent ad ſuos non revertiſſe: ejuſque ſocios in volucres fuiſſe converſos. Quin etiam templum ejus eſſe ajunt in Inſula Diomedea, non longè à monte Gargano, qui eſt in Apulia: & hoc templum circumvolare atque incolere has alites, tam mirabili obſequio, ut roſtrum aquâ impleant & aſpergant: & eò ſi Græci venerint, vel Græcorum ſtirpe progeniti non ſolum quietas eſſe, verum & ſupervolare: ſi autem alienigenas viderint, ſubvolare & capita eorum, tam gravibus ictibus, ut etiam perimant, vulnerare.* Nempe, ob adulterium uxoris cùm domum reverti nollet, in Italiæ loca varia conceſſit, inque Apulia conſedit: ubi Argyrippam ſive Argos Hippium ſive Arpos (uti & in Hirpinis Beneventum ad Equum Tuticum) condidit. Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 40.

DIOMEDES, Thraciæ Rex, qui cùm equos ſuos humanâ carne aleret, ab Hercule, cui hic laborum nonus, victus, equis ſuis in pabulum eſt objectus. Ovid. *in Ibin. v.* 381.

Ut qui Threicii quondam præſepia Regis
Fecerunt dapibus ſanguinolenta ſuis.

Idem *ibid. v.* 401.

Ut qui terribiles pro gramen habentibus herbis,
Impius humano viſcere pavit equos.

Idem *Met. l.* IX. *v.* 194. & *ſeqq.*

Quid? cum Thracis equos humano ſanguine pingues,
Plenáque corporibus laceris præſepia vidi,
Viſáque dejeci, dominúmque ipſóſque peremi.

Idem ep. IX. *v.* 67.

Non ubi ſuccurrit crudi Diomedis imago.

Lucan. *l.* 2. *v.* 162.

Non Thracia tantùm
Vidit Biſtonii ſtabulis pendere tyranni.

Seneca,

Si quis Iſmarios greges Thracis cruenti vindicat.

Claudian. de Rapt. Proſerp. Carm. 24. *v.* XI.

Diráque ſanguinei vertit præſepia regis.
Et Diomedeos gramine pavit equos.

Idem in Ruf. *v.* 254. & *ſeqq.*

O mites Diomedis equi, Buſiridis aræ
Clementes. ------

Nic. Lloydius.

DIOMEDES, Grammaticus, multi ingenii vir.

DIOMEDIS Cuſtodia, carcer in Urbe CP. ſtante Imperio Græcorum, *Exilium* S. Martini Papæ *in Collectaneis Anaſtaſii Biblioth. à Sirmondo in* 8. *edit. p.* 94.

DIOMEDIS Templum, *S. Giovanni*, pag. Carnorum, apud ort. Timavi fluv. ab Aquileja 7. m. p. Tergeſte in Ort. verſus.

DIOMEDIS *Promontorium*, vel *Syrtis*, nunc *Planca*, prope prom. penínſ. Hyllidis, in Illyrico. Baudr. Vide *Hieraſtamnæ.*

DIOMEDON, unus ex iis Prætoribus, quos Athenienſis pop. re apud Arginuſas malè geſtâ, ſupplicio ſubjecit. Vide Schol. in Ariſtoph. *Ranas. Act.* 5. *ſc.* 1.

DIOMIA, pars tribus Ægeidis, Vide *Steph.* Nomen ei à *Diomo* Herculis familiari, qui ibi Templum & Feſtum habuit ſuo honori dedicatum. Gr. Διομεια, Vide Meurſ. *de Pop. Attic.*

DION, Laconiæ Rex, Orphes, Lycus & Caryæ pater ex Iphithea, memoratur Serv. *ad Eclog.* 8. Vide ſuprà *Carya.*

DION, Alexandrinus Philoſophus præſtantiſſimus, qui cùm à quodam probris ac conviciis graviſſimè fuiſſet laceſſitus, ne verbo quidem maledictis reſpondit, ſed hoc tantùm, Ne gry quidem. Unde Proverb. *Dionis gry.*

DION, Syracuſanus, fil Hipparini, apud cives ſuos potentiâ & facultatibus, præditus, Platonem primò Syracuſis audivit, dum illic apud Dionyſ. ageret, apud quem ipſe quoque in honore fuit. Sed poſtea (quòd eſſet ei propinquus & familiaris) cùm eum ſæpè ad liberandas Syracuſas, tum per ſe, tum Platonem hortaretur, in ſuſpicionem tyranno venit; quare in exilium actus, Athenas navigavit: quo tempore Platoni, ludorum præfecto, impenſas de ſuo ſuppeditavit. Poſtea à Platone, ut creditur, inductus, patriam tyrannide liberavit, exacto Dionyſ. Plutarch. *in Dione.* Tandem à quodam Callippo, proditoriè interfectus. Diod. Sic. *l.* 16. Corn. Nep. *in Dione.*

DION, urbs Eubœæ ad Cynnæum. Cael. Rhod. *l.* 15. *c.* 24.

DION, Ptolomæo *Dium*, opp. Syrorum juxta Pellam, quod Judæorum Rex Alexander Jamneus vi ſubegit, atque in Judæorum ditionem redegit.

DION, Cretæ inſ. prom. Ptol. Nunc *Capo Saſſoſo*, maximè in Bor. excurrit, inter Matin. ad Ort. Rythimnam ad Occ. 5. mill. in Circium diſtans à prom. *della Fraſchia.* Baudr. Urbs ibidem in mediterraneis. Plin. Epiri urbs. Strab. Theſſaliæ opp. Steph. Item Italiæ, Piſidiæ, Thraciæ, & Cœleſyriæ.

DION Caſſius, cognom. *Coccejus* & *Coccejanus*, Nicæâ Bithyniæ oriundus, fil. Aproniani, Conſularis, præfecti Dalmatiæ, Proconſulis Ciliciæ: Bis Coſ. cum Alexandro Imper. Mammææ fil. Præfectus Pergami & Smyrnæ, in Africa item & Pannonia cum imperio fuit: Hiſtoriam Rom. ſcripſit An. 22. indefeſſo labore, libris 80. in 8. decadas diviſis, è quibus 34. priores amiſſi, à lib. 35. ad 60. vix quidquam deeſt, ultima ex Xiphilini epitome petenda. Ab Ænea orſus in Severo finit, Cæſari contra Pompejum, Antonio & Ciceroni, nimium favit, Senecam male tractavit. Clarior Thucydide, Phot. quem in Orationibus imitatus eſt, è quibus Agrippæ & Mæcenatis ad Aug. de retinendo vel deponendo Imperio, admirationem merentur. Suid. eidem vitam Arriani Phil. geſta Trajani & quædam itineraria tribuit. Raph. Volaterran. *l.* 15. *col.* 451. inſuper, 3. libb. de Principe, & quoſdam tractatus morales. Sub finem vitæ in patriam ſe recepit. Phot. *Bibl. cod.* 71. Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 14. Geſner. *Biblioth. tom.* 1. &c. Nic. Lloyd. Vide *Dio.*

DION Pruſiæus, Sophiſta, & Philoſophus, cognomento *Chryſoſtomus*, ex ſuavi, vividáque ejus oratione. Fil. Paſicratis. Prodibat majoris gravitatis ergò, in publicum, amictus pelle leonis. Apud Trajanum plerunque vixit, cujus familiaris fuit, eodémque curru dignatus eſt. Orationes 80. conſcrpſit. Alia quoque eidem tribuuntur. Syneſ. *in Dione*, eum Aquilam ſimul ac Cygnum, i. e. Philoſophum & Oratorem, vocat. Vide Phot. *Bibl. cod.* 219. Volaterr. *anthrop. l.* 15. *col.* 451. Suid. &c.

DIONE, nympha Oceani ac Tethyos filia, Veneris autem mater ex Jove. Inde *Dionæa* Venus. Virg. *l.* 3. *Æn. v.* 19.

Sacra Dionææ matri, diviſque ferrebam
Auſpiciis cœptorum operum; &c.

Idem *Eclog.* IX. *v* 47.

Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum:

i. e. Leonis ſignum, quod in Julio oritur, qui menſis à Cæſare nomen accepit, cùm antea Quintilis diceretur; Cæſaris autem origo ad Venerem refertur. Ovid. *Faſt. l.* 5. *v.* 308.

Hippolyte infelix velles coluiſſe Dionen:
Cùm conſternatis diripereris equis.

DIONIA, urbs Cypri. *Steph.*

DIONYSIA, martyrio apud Alexandriam ſub Decio coronata, A. C. 251.

DIONYSIA, matrona Chriſtiana, perſecutione Hunerici Vandalorum Regis unà cum filio Majorico, ad necem quæſita, hunc ad mortem raptum ſic conſolata eſt, *Memento Fili, te baptizatum eſſe, in nomine Patris, Filii & Spiritûs S.* Greg. Turon. *Hiſt. l.* 2. *A. C.* 483.

DIONYSIA, urbs Italiæ, Steph. Item Ægypti, Ptol. Inſ. Naxus quoque ſic dicta eſt, ob vinearum fertilitatem.

DIONYSIA, quæ & *Bacchanalia*. apud vett. varia fuêre; *Antiquiſſima*, *Recentiora*, *Majora*, *Minora*, *Aſtica*, *Ruralia*, *Lenæa*, *Verna*, *Autumnalia*, *Omophagia*, *Nocturna*, *Brauronia*, *Theœnia.* *Antiquiſſima* die duodecimo menſis Antheſterionis acta, in Limnis, Atticæ loco, ubi templum Bacchi fuiſſe docet Ariſtoph. Scholiaſtes in *Ranis*: Λίμναι, χωρίον τῆς Ἀττικῆς, ἐν ᾧ Διονύσου ἱερόν. De hoc feſto agit Thucyd. *l.* 2. Τὰ γὰρ ἱερὰ ἐν αὐτῇ τῇ Ἀκροπόλει καὶ ἄλλων θεῶν ἐστὶ, καὶ τὰ ἔξω πρὸς τοῦτο τὸ μέρος τῆς πόλεως μᾶλλον ἵδρυται, τό τε τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου, καὶ τὸ Πύθιον, καὶ τὸ τῆς Γῆς, καὶ τὸ ἐν Λίμναις Διονύσου, ᾧ τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια τῇ δωδεκάτῃ ἐν μηνὶ Ἀνθεστηριῶνι. Hæc autem in Limnis ſacra peragebant mulieres, quæ Γεραιραὶ vocabantur. Harpocration: Γεραιραὶ, αἱ τῷ Διονύσῳ ἱερώμεναι γυναῖκες. Hæ numero fuêre quatuordecim. Heſych. Γεραιραὶ ἱέρειαι κοινῶς· ἰδίως δὲ αἱ τῷ Διονύσῳ τῷ ἐν Λίμναις τὰ ἱερὰ ἐπιτελοῦσαι, τῷ ἀριθμῷ δεκατέσσαρες. Quas à Rege deſignari Pollux author eſt, *l.* 8. Αὗται ἄρρητα Διονύσῳ ἔθυον μετ' ἄλλης θεωρίας, καὶ ἡ τοῦ βασιλέως [illegible]. Quippe Regi cerimoniarum cura, & ſacrificiorum incumbebat, ejuſque uxor, quæ Regina dicebatur, occulta, & maribus non inviſa ſolùm, ſed etiam inaudita procurabat. Demoſth. *Orat. contra Neæram*: Τὰς δὲ θυσίας ἁπάσας ὁ Βασιλεὺς ἔθυε, καὶ τὰς σεμνοτάτας καὶ ἀρρήτους ἡ γυνὴ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ἡ γυνὴ αὐτοῦ ἐποίει, εἰκότως βασίλισσα ἦτα. Hinc non niſi ſpectatæ probitatis virum ſacræ dignitati præficiebant: uxoris etiam indubitata caſtitas requirebatur; nam quæ alterius viri thorum experta fuiſſet, à Regis connubio lege arcebant: Τὸν μὲν Βασιλέα ὅσιον εἶναι, ὁ δῆμος ᾑρεῖτο ἐκ προκρίτων καὶ ἀνδραγαθίαν χειροτονῶν. Τὴν δὲ γυναῖκα αὐτοῦ νόμον ἔθετο ἀστὴν εἶναι, καὶ μὴ ἐπιμεμιγμένην ἑτέρῳ ἀνδρί, ἀλλὰ παρθένον γαμεῖν, ἵνα κατὰ τὰ πάτρια θύηται τὰ ἄῤῥητα ἱερὰ ὑπὲρ τῆς πόλεως, καὶ τὰ νομιζόμενα γίγνηται τοῖς θεοῖς εὐσεβῶς, καὶ μηδὲν καταλύηται, μηδὲ καινοτομῆται. Legem verò columnæ lapideæ inſcriptam, in vetuſtiſſimo Bacchi templo ad Limnas collocarunt: Καὶ ταῦτα, inquit Demoſth. ἐν τῷ ἀρχαιοτάτῳ ἱερῷ τοῦ Διονύσου ἐν Λίμναις ἔστησεν, ἵνα μὴ πολλοὶ εἰδῶσι τὰ γεγραμμένα. Ἅπαξ γὰρ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἑκάστου ἀνοίγεται, τῇ δωδεκάτῃ τοῦ Ἀνθεστηριῶνος μηνός. Ipſi etiam Regis uxori, ante aram & caniſtra Γεραιραὶ jurejurando ſuam fidem aſtringere debebant, antequam ſacra attrectare poſſent. Cujus ritus adminiſter erat, quem Ἱεροκήρυκα nuncupabant. Sacramenti verò formula hæc eſt apud Demoſth. Ἁγιστεύω, καὶ εἰμὶ καθαρά, καὶ ἁγνὴ ἀπό τε τῶν ἄλλων τῶν οὐ καθαρευόντων, καὶ ἀπ᾽ ἀνδρὸς συνουσίας, καὶ τὰ Θεοίνια, καὶ Ἰοβάκχεια γεραιρῶ τῷ Διονύσῳ, κατὰ τὰ πάτρια, καὶ ἐν τοῖς καθήκουσι χρόνοις. Bacchanalia *Recentiora* nobis indicant Scholia Thucydidis, ad locum antea productum: Ἀρχαιότερα εἶπε, διότι ἔστι καὶ νεώτερα ἄλλα. Sed an ab aliis, de quibus mox dicturi ſumus, hæc diſtinguantur, aſſerere nolim, niſi quando celebritatis variare tempora deprehenduntur. *Majora* ſunt eadem cum Antiquiſſimis, nam Ulpian. *in Orat. Demoſthenis contra Leptinem*, eodem tempore celebrari notat: Τοῖς μεγάλοις Διονυσίοις Ἀνθεστηριῶνος μηνός, πλεονάκις χρώμενος δαπάναις, εἰς χορηγὸν ἑκάστης φυλῆς καθιστᾶς. Veris autem initio celebrabantur. Interpres Ariſtoph. *in Aves*: Λήγοντος τοῦ χειμῶνος, ἀρχομένου δὲ τοῦ ἔαρος γίνεται τὰ Διονύσια. Nam quoties Attici ſcriptores *Dionyſia* ſolum dicunt, ſine alterius particulæ adjectione, de *Majoribus* & *Antiquioribus* accipiendi ſunt. Per hæc feſta ſocii tributum Athenienſibus ferebant. Scholia Ariſtoph. *in Acharn.* Διονυσίων ἑορτὴ ἐν τῷ ἔαρι ἐπιτελεῖται, ἐν ᾗ ἐκόμιζον τοὺς φόρους οἱ σύμμαχοι. *Minora* ſunt, tanquam præparatio ad altera Liberalia Majora; nec differunt à *Ruralibus*, & in menſem Poſeideona incidunt. Theophraſt. *in deſcript. hominis garruli*: Ποσειδεῶνος τὰ κατ᾽ ἀγροὺς Διονύσια. Heſych. Τὰ μὲν κατ᾽ ἀγροὺς μηνὸς Ποσειδεῶνος. Eadem quoque Λήναια ſunt. Ariſtoph. *in Acharnan.*

Ἄξω τὰ κατ᾽ ἀγροὺς εἰσιὼν Διονύσια.

Ubi Schol. Διονύσια, τὰ Λήναια λεγόμενα, ἔνθεν τὰ Λήναια, καὶ ὁ Ἐπιλήναιος ἀγὼν τελεῖται, τοῦ Διονύσου. Λήναιον γάρ ἐστιν ἐν ἀγροῖς ἱερὸν τοῦ Διονύσου διὰ τὸ πλείστους ἐνταῦθα γεγονέναι, ἢ διὰ τὸ πρῶτον ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ ληνὸν τεθῆναι. Steph. Λήναιος ἀγὼν Διονύσου ἐν ἀγροῖς, ἀπὸ τῆς ληνοῦ. Sed alii menſe Gamelione celebrari ſolita tradunt. Heſych. autem cùm dixiſſet Ruralia Liberalia menſe Poſeideone agi, deinceps addit: Τὰ δὲ Λήναια μηνὸς Ληναιῶνος. At Proclus *ad Heſiod.* à Bœotiis ait Lenæona vocari, quando Sol Capricornum ingreditur, incipiente jam poſt vindemiam hyeme. Cæterùm Lenæa in Autumno curabantur, atque ab iis peregrini arcebantur. Scholia *in Acharn.* Τὰ δὲ Λήναια ἐν τῷ μετοπώρῳ ἤγετο, ἐν οἷς οὐ παρῆσαν οἱ ξένοι. Ideoque Demoſth. *in oratione contra Neæram*, graviter exaggerat, quod peregrina Regi nupta ſacrorum arcana luſtraſſet, & obiviſſet: Καὶ αὕτη ἡ γυνὴ ὑμῖν ἔθυε τὰ ἄῤῥητα ἱερὰ ὑπὲρ τῆς πόλεως, καὶ εἶδεν ἃ οὐ προσῆκεν αὐτὴν ὁρᾶν ξένην οὖσαν. Καὶ τοιαύτη οὖσα εἰσῆλθεν οἷ οὐδεὶς ἄλλος Ἀθηναίων τοσούτων ὄντων εἰσέρχεται, ἀλλ᾽ ἡ τοῦ Βασιλέως γυνή. Verùm ab his diverſa fuêre Liberalia Ἀστικὰ ſive *Urbana*, quæ vere quidem acta. Ariſtoph. Interp. *in Avibus*: Τῷ ἔαρι ἐν ἄστει τελοῦσι τὰ Διονύσια. Sed menſe Elaphebolione. Heſych. Τὰ δὲ ἐν ἄστει Ἐλαφηβολιῶνος. Erantque non annua, ſed trieterica. Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 301.

------ Qualis, commotis excita ſacris
Thyas, ubi audito ſtimulant trieterica Baccho
Orgia, ------

Ubi Serv. *Liberi ſacra tertio quoque anno invocabantur.* Lucan. Civil. bell. *l.* 5. *v.* 74.

Delphica Thebanæ referunt trieterica Bacchæ.

Atque hæc Bacchus inſtituiſſe traditur ad Callirhoën, ut eſſent monumentum expeditionis Indicæ, in qua triennii ſpatium abſumpſit. Cic. *l.* 3. *de Nat. Deor.* quinque Dionyſios enumerat, quintúmque Nyſo natum, & Thyone, *à quo Trieterides conſtitutæ putantur.* Alia etiam fuêre quinquennalia, de quibus Schol. Ariſtoph. *in Pacem.* Διὰ πενταετηρίδος χρόνου ἤγοντο αἱ θεωρίαι τῶν Διονυσίων. *Brauronia*, à *Braurone*, opp. Atticæ, in quo Liberalia libidinis ſcenam exhibebant. Schol. Ariſtoph. ubi ſupra. Βραυρών, πόλις τῆς Ἀττικῆς ἐν ᾗ τὰ Διονύσια ἤγετο, καὶ μεθύοντες πολλὰς πόρνας ἥρπαζον. Idem habet Suid. in Βραυρῶν. Liberalium arcana noctu peragebantur. Eurip. *in Bacchis*:

Τὰ δ᾽ ἱερὰ νύκτωρ, ἢ μεθ᾽ ἡμέραν τελεῖς;
Νύκτωρ τὰ πολλά· σεμνότητ᾽ ἔχει σκότος.

Unde, ut notat Serv. *in Æn. l.* 4. *Ipſa ſacra Nyctelia dicebantur.* Ipſáque adeò maximâ ſilentii religione continebantur. Pauſan. *in Atticis*, ſacra Bacchi ad Alcyoniam paludem commemorans: Τὰ δὲ ἐς αὐτὴν Διονύσῳ δρώμενα, ἐν νυκτὶ κατὰ ἔτος ἕκαστον οὐχ ὅσιον ἐς ἅπαντας ἦν μοι γράψαι. Θεοίνια dicebantur à Bacchi nomine Θεοίνου. Heſych. Θεοίνια, θυσία Διονύσου Ἀθήνησι, καὶ Θεὸς Θεοίνιος. Ea per vicos ſive populos actitabantur, & tum Γενῆται ſacrificabantur: Τὰ κατὰ δήμους Διονύσια, Θεοίνια ἐλέγετο, ἐν οἷς οἱ Γεννῆται ἐπέθυον, τὸν γὰρ Διόνυσον Θεοίνιον ἔλεγον. Γεννῆται vero apud Athenienſes vocabantur οἱ τοῦ αὐτοῦ γένους κοινωνοῦντες. *Omophagia* Dionyſia, Latinè *crudivora*, ac appellabantur, quòd Myſtæ furentes, & pleni Deo; quoque præſentius Numen oſtentarent, anguibus redimiti, crudas carnes ore dilaniarent. Catull. de Nuptiis Pelei & Thetidos carm. 64. *v.* 257.

Pars è divulſo raptabant membra juvenco;
Pars ſeſe tortis ſerpentibus incingebant.

Clem. Alex. in Προτρεπτ. Διόνυσον μαινόλην ὀργιάζουσι Βάκχοι, ὠμοφαγίᾳ τὴν ἱερομανίαν ἄγοντες, καὶ τελίσκουσι τὰς κρεωνομίας τῶν φόνων, ἀνεστεμμένοι τοῖς ὄφεσιν, &c. Arnob. *l.* 5. *Bacchanalia etiam prætermittimus immania, quibus nomen Omophagiis Græcum eſt. In quibus furore mentito, & ſequeſtrata pectoris ſanitate, circumplicatis vos anguibus, atque ut vos plenos Dei numine ac majeſtate doceatis, caprorum reclamantium viſcera cruentatis oribus diſſipatis.* Bacchanalia in Ægypto nata Melampus in Græciam tranſtulit, teſte Herod. *l.* 2. Porro Dionyſia apud Athenienſes inprimis celebria fuêrunt, ut ſic eorum intervallis tempora diſtinguerent, quæ poſtea per Olympiadas numerari cœpêrunt. Suid. Ἔθος ἦν Ἀττικοῖς λέγειν τὰ ἔτη, καὶ τὴν ἀπὸ τῶν ἀριθμὸν ἀπὸ τῶν Διονυσίων. Præterea Bacchi ſacerdos in ſpectaculis principem locum obtinebat. Commentator Ariſtoph. *in Ranas*: Παρὰ ταῖς θέαις προεδρίαν ἐπεδίδου ὁ ἱερεὺς τοῦ Διονύσου. His adde, quòd ſummus in Rep. magiſtratus illorum curator eſſet. Pollux. *l.* 8. Ὁ Ἄρχων διατίθησι Διονύσια. Pompa Dionyſiorum antiquitus ſimplex, & ſumptuum expers erat, donec opum affluentia ſacris etiam, mores ſuos, luxumque immiſit. Plutarch. *l.* Περὶ Φιλοπλουτίας. Ἡ πάτριος τῶν Διονυσίων ἑορτὴ τὸ παλαιὸν ἐπέμπετο δημοτικῶς, καὶ ἱλαρῶς, ἀμφορεὺς οἴνου, καὶ κληματίς, εἶτα τράγον τις εἷλκεν, ἄλλος ἰσχάδων ἄῤῥιχον ἠκολούθει κομίζων, ἐπὶ πᾶσι δὲ ὁ φαλλός. Ἀλλὰ νῦν ταῦτα παρορᾶται, καὶ ἠφάνισται, χρυσωμάτων περιφερομένων, καὶ ἱματίων πολυτελῶν, καὶ ζευγῶν ἐλαυνομένων καὶ προσωπείων. Et quantum prima rudis ævi ſimplicitas mutarit, ex Athenæi *l.* 5. manifeſtum eſt, ubi Choragium Bacchi deſcribit. quod magnifico prorſus apparatu Antiochus inſtruxit. Apparatus pompæ conſtabat Myſtis & ferculis. Myſtæ autem ſunt Bacchantes, & ſacris initiati. Eorum ornatus Nebrides, Sindones, Mitræ, Thyrſi, Ferulæ, Pampini, Hedera, Tympana, Tibiæ, Fiſtulæ, Tintinnabula; de quibus paſſim Poëtæ, eaque diligentiſſimè tractarunt Lilius Gyraldus, Natalis Comes, & noviſſimè in unum non pauca congeſſit Dempſter. *ad Roſin. l.* 2. *c.* XI. Porro Bacchantum alii Silenorum, alii Satyrorum, atque Panum habitu procedebant. Sic Plutarch. Antonium Liberi Patris æmulum non nullas civitates obiviſſe prodidit, atque Epheſum acceſſiſſe Bacchicâ pompâ, Εἰς γοῦν Ἔφεσον εἰσιόντος αὐτοῦ γυναῖκες μὲν εἰς Βάκχας, ἄνδρες δὲ καὶ παῖδες εἰς Σατύρους καὶ Πᾶνας ἡγοῦντο διεσκευασμένοι, κιττοῦ δὲ καὶ θύρσων καὶ ψαλτηρίων, καὶ συρίγγων, καὶ αὐλῶν ἡ πόλις πλέα. Rurſus alii aſinis inſidebant, alii hircos ducebant, quos immolarent, quorumque pellibus ad Aſcolia uterentur. Hoc ornatu inſtructi utriuſque ſexus homines, lymphato curſu ferri, vario motu (ut videre eſt in Θεσμοφοριαζούσαις Ariſtophanis) Choreas ſive Thiaſos ductare, tremulis ululatibus æthera complere, caput jactare, quod huic ſacro fuiſſe velut proprium animadvertas, unde Euripid. bacchantis geſtum ait κρᾶτα σείειν & Pind. tales ῥιψαύχενας vocat. In iſta capitis jactatione crines effundebantur, quos Baccho alere ſolebant. Euripid.

Ἱερὸς ὁ πλόκαμος, τῷ θεῷ δ᾽ αὐτὸν τρέφω.

Virgil. *Æn. l.* 7. *v.* 391.

Te luſtrare choros, ſacrum tibi paſcere crinem.
Fama volat:

Et apud Val. Flacc. Argon. *l.* 2. *v.* 265. Hypſiphile patrem ſuum Bacchi cultu exornans, ut Lemniadum furori eripiat,

Serta patri, juvenemque comas, veſteſque Lyæi
Induit: ------

Porrò conciti furore, Deoque pleni acclamabant, Εὐοῖ, Σαβοῖ, Εὐοῖ Βάκχε, ut ex Demoſth. Plutarch. & poëtis, eruditi poſſunt obſervare. Dionyſ.

Καὶ μετ᾽ Ληναίων ἱερὸν χορὸν ἐστήσαντο
Ζώματα καὶ νεβρίδας ἐπὶ στήθεσσι λαβόντες
Εὐοῖ Βάκχε λέγοντες. ----

Atque hinc Εὐάζειν, & *Evare*. Fuit & illa acclamandi formula Ὦ Ἴακχε, quam Athen. *l.* 5. ἱερὰν τοῦ Βάκχου φωνὴν appellat. Proclus *in Chreſtomathia*: Ἰόβακχος ἐν ἑορταῖς, καὶ θυσίαις Διονύσου ᾀδόμενος πολλῷ φρυάγματι. Agmen Bacchantium fercula ſequuntur. Vas aquarum primo loco ferebatur. Plutarch. *l. de Iſ. & Oſ.* Καὶ τῶν ἱερῶν αἰεὶ προπομπεύει τὸ ὑδρεῖον ἐπὶ τιμῇ τοῦ θεοῦ. Deinde Virgines procedebant Κανηφόροι .i.e. *ciſtarum geſtatrices*, in quibus omnium fructuum primitiæ, Deo ſacratæ, claudebantur. Ariſtoph. *in Acharn.*

Κατάθου τὸ κανοῦν ὦ θύγατερ ἵν᾽ ἀπαρξώμεθα.

Ubi Schol. Κατὰ τὴν Διονύσου ἑορτὴν παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις αἱ εὐγενεῖς παρθένοι ἐκανηφόρουν, ἦν δὲ ἐκ χρυσοῦ πεποιημένα τὰ κανᾶ, ἐφ᾽ ὧν τὰς ἀπαρχὰς ἁπάντων ἐτίθεσαν. Sed non ſolis fructuum primitiis ciſtas illas refertas fuiſſe putandum eſt, quas tanto horrore venerati ſunt, ut his omnes Cerimoniæ contineri videantur. Catull. Carm. 64. de Nuptiis Pelei & Thetidos. *v.* 259.

Pars obſcura cavis celebrabant orgia ciſtis;
Orgia, quæ fruſtra cupiunt audire profani.

Val. Facc.

------ Tacita plenas formidine ciſtas.

Non potuére tamen Orgiorum arcana latere SS. PP. qui ſuperſtitionem, tenebrarum fide ac ſilentii ſe defendentem, protulêrunt in lucem, ut ejus partim vanitas, partim fœditas à pertinacia ſtolidi erroris animos hominum averteret. Clem. *in Protreptico*, Οἷαι δὲ καὶ αἱ κίσται αἱ μυστικαί; Δεῖ γὰρ ἀπογυμνῶσαι τὰ ἅγια αὐτῶν, καὶ τὰ ἄῤῥητα ἐξειπεῖν. Οὐ σησαμαῖ ταῦτα, καὶ πυραμίδες, καὶ τολύπαι, καὶ πόπανα πολυόμφαλα, χόνδροι τε ἁλῶν, δράκων τε, ὄργιον Διονύσου Βασσάρου; οὐχὶ δὲ ῥοιαί; πρὸς τοῖς δὲ κραδίαι, νάρθηκές τε καὶ κιττοί; πρὸς δὲ καὶ φθοῖς, καὶ μήκωνες; ταῦτ᾽ ἐστὶν αὐτῶν τὰ ἅγια. Apud Plutarch. *in Alex.* Olympias Bacchi ὀργιασμοὺς repræſentans. Ὄφεις μεγάλους ἐκ τῶν κιττῶν καὶ τῶν μυστικῶν λίκνων παραδυομένους, ad augendam venerationem oſtentabat. Poſt Κανηφόρους ibant Φαλλοφόροι. Ariſtoph.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Ω᾽ Ξανθία σφῷν δ᾽ ἐςὶν ὀρθὸς ἑκτέος
Ὁ φαλλὸς ἐξόπισθε τῆς κανηφόρου.

Φαλλὸς autem eſt ξύλον ἐπιμήκης ἔχον ἐν τῷ ἄκρῳ σκύτινον αἰδοῖον. Unde ipſam ſolennitatem Theodoret. *l.* 3. *Græc. Affectionum*, φαλλαγωγίαν appellat. Vocarunt etiam Περιφαλλίαν. Heſych. Περιφαλλία, πομπὴ Διονύσῳ τελουμένη τῶν φαλλῶν. Sequebatur deinde chorus cantantium φαλλικὰ ᾄσματα, i. e. ut notat Ariſtoph. enarrator, τὰ ἐπὶ τῷ φαλλῷ ᾀδόμενα μέλη. Ariſtoph. *in Acharn.*

Ἐγὼ δ᾽ ἀκολουθῶν ᾄσομαι τὸ φαλλικόν.

Phallophororum ornatum deſcribit Athen. *l.* 14. *hoc modo*, Οἱ δὲ φαλλοφόροι προσωπεῖον μὲν οὐ λαμβάνουσι, προπόλιον δὲ ἐξ ἑρπύλλου περιτιθέμενοι, καὶ παιδέρωτας ἐπάνω τούτου ἐπιτίθενται, στέφανόν τε δασὺν ἴων, καὶ κιττοῦ, αὐνακάς τε περιβεβλημένοι παρέρχονται. Et paulo poſt: Ὁ δὲ φαλλοφόρος ἰθὺ βαδίζων, καταπλήσσει αἰκ[illegible]. Phalli pompa, ut & aliæ Religionum, doctrinarumque perverſitates ab Ægyptiis fluxêrunt. Qui tamen in eo differunt à Græcis, quòd vice pudendorum ex ligno dependentium homunciones circumducerent eximiè peculiatos, quorum muto tantum moveretur. Herodot. *l.* 2. Ἀντὶ τῶν φαλλῶν ἄλλα σφι ἐςὶν ἐξευρημένα, ὅσον τε πηχυαῖα ἀγάλματα νευρόσπαςα, τὰ περιφορέουσι κατὰ κώμας αἱ γυναῖκες, νεῦον τὸ αἰδοῖον οὐ πολλῷ τέῳ ἔλασσον ἐὸν τοῦ ἄλλου σώματος. προηγέεται δὲ αὐλὸς, αἱ δὲ ἕπονται ἀείδουσαι τὸν Διονύσιον. Διότι δὲ μεῖζόν τε ἔχει τὸ αἰδοῖον, καὶ κινέει μοῦνον τοῦ σώματος, ἐςὶ λόγος περὶ αὐτοῦ ἱρὸς λεγόμενος. Eadem habet Lucian *de Dea Syria*, & Schol. Ariſtoph. *in Nebulis*. Igitur Melamp. qui Græcos Liberalia docuit, ſtatuas omiſit, & Phallos retinuit. Herodot. Ἕλλησι γὰρ Μελάμπους ἐςὶν ὁ ἐξηγησάμενος τοῦ Διονύσου τό τε οὔνομα, καὶ τὴν θυσίαν, καὶ τὴν πομπὴν τοῦ φαλλοῦ. Cauſam φαλλοφορίας, ut oſtendit Herodot. arcanam Myſtæ jactabant, cujus majeſtatem augere ſilentio volebant. Atque hinc plerumque authores, cùm ritus ſacrorum enarrant, ipſa myſteriorum penatralia non aperiunt, à quibus ſe religionis metu prohiberi profitentur. Diod. Sicul. Oſiridem eundem cum Baccho ſtatuens, hanc refert originem. Oſiridem, duce Typhone, conjurati fratres dilaceratunt, membra partiti, quo fidem inter ſe firmarent, & mors occultior foret. Virile membrum omnes aſpernati in Nilum abjecêrunt. Poſtea Iſis mariti necem ulta, partes omnes recuperavit, excepto pudendo: quod ubi deeſſe vidit, imaginem ejus formavit, & in ſolatium doloris. tanto honore proſecuta eſt, ut illi ſacra cærimoniaſque inſtituerit, in quibus Phallus appellaretur. Plutarch. hujus fabulæ turpitudinem quodam interpretationis velo tegere conatur, Oſiridis aut Bacchi nomine rerum intelligi principium, quod vi generandi multiplicat ea, quæ ex illo producuntur. Atque eam ob cauſam, non modò Phallos, ſed etiam Bacchi imaginem circumferri, cujus triplex eſt pudendum. Addit præterea: Καὶ γὰρ ὁ προσιςορούμενος τοῖς μύθοις λόγος, ὡς τοῦ Ὀσίριδος ὁ Τύφων τὸ αἰδοῖον ἔρριψεν εἰς τὸν ποταμὸν καὶ ἡ Ἶσις οὐχ εὗρεν, ἀλλ᾽ ἐμφερὲς ἄγαλμα θεμένη, καὶ κατασκευάσασα, τιμᾶν καὶ φαλλοφορεῖν ἔταξε, ἐνταῦθα δὲ περιχωρεῖ, διδάσκων ὅτι τὸ γόνιμον καὶ τὸ σπερματικὸν τοῦ θεοῦ πρῶτον ἔσχεν ὕλην τὴν ὑγρότητα, καὶ δι᾽ ὑγρότητος συνεκράθη τοῖς πεφυκόσι μετέχειν γενέσεως. Par eſt ratio, cur in pompa præferretur aqua & ficus folio Regem depingerent, quòd illam videlicet omnium rerum materiam exiſtimant, hujus autem forma partem generationi dicatam repræſentaret. Cæterùm Diod. narrationem reſpexit Clem. Alexand. *in Protreptico*; & Arnob. *l.* 5. cujus hæc ſunt verba, *Sed & illa deſiſtimus Bacchanalia altera prædicare, in quibus arcana ac tacenda res proditur, inſinuaturque ſacratis, ut occupatus puerilibus ludicris, diſtractus à Titanibus Liber ſit, ut ab iiſdem membratim ſectus, atque in ollulas conjectus coqueretur, quemadmodum Jupiter ſuavitate odoris illectus, invocatus advolarit ad prandium, compertaque re gravi graſſatores obruerit fulmine, atque in imas Tartari præcipitaverit ſedes*, &c. Verum Ariſtoph. Scholiaſtes aliam narrat φαλλοφορίας occaſionem: Ἴσασι δὲ φαλλὸς τῷ Διονύσῳ κατά τι μυςήριον, περὶ δὲ αὐτοῦ τοῦ φαλλοῦ τοιαῦτα λέγεται. Πήγασος ἐκ τῶν Ἐλευθερῶν (Ἐλευθεραὶ δὲ πόλις εἰσὶ Βοιωτίας) λαβὼν τοῦ Διονύσου τὰ ἀγάλματα ἧκεν εἰς τὴν Ἀττικήν. Οἱ δὲ Ἀττικοὶ οὐκ ἐδέξαντο μετὰ τιμῆς τὸν θεόν. Ἀλλ᾽ οὐκ ἀμισθί γε αὐτοῖς ταῦτα βουλευσαμένοις ἀπέβη· μηνίσαντος γὰρ τοῦ θεοῦ νόσος κατέσκηψεν εἰς τὰ αἰδοῖα τῶν ἀνδρῶν, καὶ τὸ δεινὸν ἀνήκεστον ἦν, οἱ δὲ ἀπεῖπον πρὸς τὴν νόσον κρείττω γενομένην πάσης μαγγανείας καὶ τέχνης, ἀπεστάλησαν οὖν Θεωροὶ μετὰ σπουδῆς. Οἱ δὲ ἐπανελθόντες, ἔφασαν ἴασιν εἶναι μόνην ταύτην, εἰ διὰ πάσης τιμῆς ἄγοιεν τὸν θεόν, πεισθέντες οὖν τοῖς ἠγγελμένοις οἱ Ἀθηναῖοι, φαλλοὺς ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ κατεσκεύασαν, καὶ τούτοις ἐγέραιρον τὸν θεόν, ὑπόμνημα ποιούμενοι τοῦ πάθους. Sed Chriſtiani Doctores altius arcana rimati, propudioſam fœdiſſimi ritus originem invenêrunt, utque deteſtandæ ſuperſtitionis fundamenta ſubruerent, ex occulto in aperta protulêrunt. Theod. *l.* 7. *Græcanicarum affectionum, ſive Serm. de Martyribus*: Ἀλλ᾽ ὅμως καὶ οὗτος θείας ἠξιώθη τιμῆς, γυνὶς ὢν καὶ θηλυδρίας, καὶ ἀνδρόγυνος. Καὶ γὰρ τοῖς ἐπικουροῦσι μισθὸν ὑπέσχετο δώσειν, οὐ χρυσὸν, ἢ ἄργυρον, ἀλλὰ τὴν ὕβριν τοῦ σώματος, καὶ οὕτως περὶ τὴν βδελυρὰν ἐκείνην ὑπόσχεσιν ἐγένετο φιλαλήθης, ὡς τὸν βεβοηθηκότων τετελευτηκότων πρὶν ἢ δέξασθαι τὴν πολυθρύλητον ἐκεῖνον μισθὸν, ἑτέρως ἐπινοῆσαι τὴν τῆς ἐπαγγελίας ἐκπλήρωσιν. Καὶ σιωπῶ τὸ σύκινον πέος, καὶ τὰ ἐπὶ τούτῳ τελούμενα αἰσχύνομαι λέγειν, ἐφ᾽ οἷς ἐπανηγύριζον οἱ Ἕλληνες. Arnob. *l.* 5. *Ithyphallorum, illa, faſcinorumque ſubrectio, quos ritibus annuis adorat & concelebrat Græcia, nonne illius facinoris ſimilitudinem refert, quo ſe a debito liberavit?* Phallorum pompam excipiebant Ithyphalli muliebrem veſtem induti. Heſych. Ἰθύφαλλοι, ἐπίορχοι, καὶ ἀκολουθοῦντες τῷ φαλλῷ γυναικείαν ἔχοντες στολήν. Hos Athen. deſcribit *l.* 14. Οἱ δὲ Ἰθύφαλλοι καλούμενοι προσωπεῖον μεθυόντων ἔχουσι, καὶ ἐστεφάνωνται, χειρῖδας ἀνθινὰς ἔχοντες, χιτῶσι δὲ χρῶνται μεσολεύκοις, καὶ περιέζωνται Ταραντῖνον καλύπτον αὐτοὺς μέχρι τῶν σφυρῶν. Quo ordine vannus geſtaretur haud liquet; ſed abſque ea Bacchi ſacra non fuiſſe celebrata, conſtat, unde Virgil. *Georg. l.* 1. *v.* 166.

Arbuteæ crates, & Myſtica vannus Jacchi.

Ubi Serv. *Myſtica Jacchi ideo ait, quòd Liberi patris ſacra ad purgationem animæ pertinebant; & ſic homines ejus myſteriis purgabantur, ſicut vannis frumenta purgantur. Hinc eſt, quòd dicitur, Oſiridis membra à Typhone dilaniata Iſis cribro ſuperpoſuiſſe: nam idem eſt Liber pater, in cujus myſteriis vannus eſt, quia, ut diximus, animas purgat; unde Liber, ab eo quòd liberet dictus, quem Orpheus à Gigantibus dicit eſſe deſcriptum. Nonnulli Liberum patrem Λικνίτην appellant. Vannus autem apud eos λικνὸς nuncupatur, ubi de more poſitus eſſe dicitur, poſtquam eſt utero matris editus.* Hactenus Serv. Et certè Bacchus à Plutarch. Λικνίτης nominatur *l. de Iſ. & Oſ.* Athen. quoque *l.* 5. in pompa Bacchi deſcribenda mentionem palàm facit τῶν λικνῶν. Hæc autem qui ferebant, λικνοφόροι dicebantur. Harpocrat. Τὸ λικνὸν πρὸς πᾶσαν τελετὴν καὶ θυσίαν ἐπιτήδειόν ἐστι, ὁ τοῦτο οὖν φέρων λικνοφόρος λέγοιτ᾽ ἄν. Multa dicta, viſuque fœda ad animos populi diffundendos in pompa Myſtæ perpetrabant. Quos propterea D. Gregor. Naz. *Orat.* Εἰς τὰ ἅγια φῶτα, eſſe dicit αἰσχρὸς καὶ τοῖς σώμασι, καὶ τοῖς πράγμασι. Auguſtin. quoque *de Civ. Dei l.* 6. *c.* 21. turpitudinis licentiam, & exultantem in propatulo nequitiam gentibus exprobrat, matronam facere in publico, quod nec meretrici, ſi matronæ ſpectarent, permitti debuit in theatro. Et graviſſimè Theodoret. Εἰς δὲ ταύτας τὰς [illegible] πᾶν εἶδος ἀκολασίας ἀδεῶς ἐτολμᾶτο. Καὶ γὰρ αἱ τελεταὶ, καὶ τὰ ὄργια, τὰ τούτων εἶχεν αἰνίγματα. Τὸν κτένα μὲν Ἐλευσὶς, ἡ φαλλαγωγία δὲ τὸν φαλλόν. Ἀτὰρ δὲ καὶ δίχα τῶν αἰνιγμάτων τὰ παρὰ τῶν ὀργεαςῶν δρώμενα, εἰς πᾶν εἶδος ἀσελγείας τοὺς ὁρῶντας ἠρέθιζε. Τίς γὰρ ἄγαν λαγνιςάτων, ἔνδον ἐν τῷ θαλάμῳ τετόλμηκε τοιαῦτα, ὁποῖα τῶν Σατύρων ὁ χορὸς ἠσέλγησε δημοσίᾳ πομπεύων: Nam & Satyri arrecto veretro in hanc pompam producebantur, quod tamen ipſi rei divinæ ſignum autumabant, ut author eſt Aretæus *l.* 2. *acutorum c.* 12. Quàm fœda porro civitatis facies, ubi tanta laſciviæ irritamenta, quæ pravis religionibus captas hominum mentes, velut furialibus ſtimulis ad omne ſcelus, omnemque libidinem agerent. His adde ludos voluptatum illices, & nova comœdiarum ſpectacula, in quibus etiam flagitioſa jocorum libertas, plauſum merebatur. Jam commeſſationes adeò inſanæ, ut ſobrius pro tetrico, nimiumque ſevero haberetur. Certè Plato *l.* 1. *de Legg.* dicere non erubeſcit: Πᾶσαν ἐθεασάμην τὴν πόλιν περὶ τὰ Διονύσια μεθύουσαν. Hic in publico furor: quid igitur corruptelæ defuiſſe putemus, ubi licentia tenebrarum acceſſerat. Facundiſſimè Liv. *l.* 9. *Decad.* 4. *Ex quo promiſcua ſacra ſint, & permiſti viri fœminis, & noctis licentia acceſſerit, nihil ibi facinoris, nihil flagitii prætermiſſum, plura virorum inter ſeſe, quàm fœminarum eſſe ſtupra. Si qui minus patientes dedecoris ſint, & pigriores ad facinus, pro victimis immolari nihil nefas ducere: hanc ſummam inter eos religionem eſſe. Viros velut mente captos cum jactatione fanatica corporis vaticinari; Matronas Baccharum habitu, crinibus paſſis, cum ardentibus facibus decurrere ad Tiberim, &c.* Quamobrem jure merito Romana gravitas illam ſcelerum officinam S. C. ſuſtulit, & curavit, ut omnia Bacchanalia Romæ primùm, deinde per totam Italiam diruerentur. Caſtell. *Nic. Lloydius.*

DIONYSIACA Saltatio, quæ aliàs *Pyrrhica*, quoque dicta eſt, quòd in ea Liberi Patris apud Indos geſta ſaltarent: poſtquam viz. eam nimis laborioſam priùs, poſteri mitiorem fecêre, pro lanceis, thyrſos, pro jaculis ferulas atque etiam lampadas, adhibentes, accinenteſque ſimul pulcherrima carmina, nec non ex tibiis ὀρθιον νόμον. J. C. Scalig. *Poetices l.* 1. *c.* 18.

DIONYSIADES Inſulæ 2. circa Cretam, Diod. Baudr. 3. Inſulæ parvæ, inter partem Oriental. Cretæ & Carpath. Inſul. Dicuntur *Dioniſſiades*, *Cazucai*, & *Paxumadochea*. Sub Turcis, paucorum incolarum propter piratarum frequentes excurſiones.

DIONYSIADES, Africæ urbs D. Auguſtinus. *Joſiana* aliis, & *Coniſiana* Victori Uticenſi.

DIONYSIAS, inſ. quam aliter Napum vocant, à vinearum fertilitate ſic dicta. Eſt & gemma quædam. Plin. *l.* 37. *c.* 10.

DIONYSIAS, gemmæ nomen, apud Plin. *l.* 37. *c.* 10. *nigra ac dura, miſtis rubentibus maculis: quæ ex aqua trita, ſaporem vini facit, & ebrietati reſiſtere putatur*, Ad quem locum vide Salmaſ. *Exercitation. ad Solin. p.* 718.

DIONYSIDES, Poëta Tragic. ex Tarſo civitate, cujus mem. Strab. *l.* 14.

DIONYSII *Columnæ*, locus Aſiæ, ad Edmod. montem, terminus peregrinationis Bacchi. *Euſt.*

DIONYSII Fanum, Gallicè *S. Denis*, urbs Inſul. Franciæ, olim *Catuliacum*, à Catulla quadam fœmina. Nundinis & Abbatiâ. à Dagoberto I. fundatâ, ubi Regum monumenta, memorabilis. Aimon. *Hiſt. Gall. l.* 4. *c.* 33. Merula, Doublet. *Hiſt. hujus Abbatiæ.* Duchen. *de urb. Gall. c.* 9. Hîc Concilium A. C. 834. quo Ludovic. Pius, qui a liberis ſuis throno deturbatus fuerat, populi Galliæ conſenſu reſtitutus eſt. Nithard. *Ann.* Regina, &c. A. C. 995. A. C. 1053. ab Henrico I. Rege, celebratum, ubi de S. Dionyſii cadavere actum, &c. Prope urbem hanc, conflixit Annas Mommorantius, Regiarum copiarum Dux, cum Proteſtantibus, quorum anteſignani erant Princeps Condæus & Colinii fratres: Sed victus ex vulnere accepto obiit, ex Condæi parte pluſquam 50. de præcipua nobilitate interemtis. A. C. 1567. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 44.

DIONYSIODORUS, Geometra nobilis, in cujus mortui ſepulcro, affines reperiſſe dicuntur epiſtolam, Plin. *l.* 2. *c.* 109. *Ejus nomine ad ſuperos ſcriptam, perveniſſe eum à ſepulcro ad infimam terram, eſſeque eò ſtadiorum* 43. millia. Item tibicen nobilis; Idem. *Plin.*

DIONYSIODORUS, Bœotus, Hiſtoric. ſcripſit An. 4. Olymp. 104. in Philippo Mac. finiens. Diod. *l.* 15. *ſub fin.*

DIONYSIODORUS, Tarentinus, ſtadii victor, Olymp. 100.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

DIONYSIOPOLIS, vulgò *S. Denis*, urbec. Gall. prope Lutetiam. Vide *Fanum S. Dionyſii*.

DIONYSIOPOLIS, quæ & Nagara, & Nyſſa Juſtin. urbs Indiæ citer. apud Indum fluv. inter illum & Cophen. Ptol. & Arrian. *Nerus* hodie ex tab. recent. Idem alia urbs Myſiæ infer. Anton. vulgò *Varna*. Urbs Bulgariæ Baudr. ad amnem Zyram, vulgò *Varne*, verſus oram littor. Ponti Euxini celebris infelici Hungarorum pugnâ, ubi & cæſus Ladiſlaus Poloniæ & Hungariæ Rex A. C. 1444. Paucis leuc. à confin. Thraciæ in Bor. *Crunos* olim, teſtibus Plin. ac Steph. Pop. *Dionyſiopolitæ* Cic. *l.* 1. *Ad Quint. fratr.* Item Phrygiæ, Plin. Lybiæ quoque urbs. *Steph.*

DIONYSIUS, qui & *Bacchus* dicitur, vites & vini uſum, atque cæterarum arborum fructus inveniſſe fertur. Vide *Bacchus*, *Lenæus*, *Liber*, *Lyæus*, &c. nomen quod attinet, Nonnus Panopolitan. à Νῦσος derivare videtur, quod eſt claudus, rationemque vocis iſtius reddit *Baſſaricon l.* 8.

------ Λοχευομένῳ δὲ Λυαίῳ
Πατρῴην ἐπέθηκεν ἐπωνυμίην τοκετοῖο
Κικλήσκων Διόνυσον, ἐπεὶ ποδὶ φόρτον ἀείρων
Ἤϊε χωλαίνων Κρονίδης βεβαρηότι μηρῷ,
Νῦσος ὅτι γλώσσῃ Συρακοσίδι χωλὸς ἀκούει.

Optima autem proculdubio Etymologia eſt *Du*, vel *Dy*, *Dominus*, & *Nyſa* per Metatheſin pro *Sina*, ut ſit *Dominus Sinæ*. Δεῦνος certè apud Indos Regem ſignificat. Δεῦνον γὰρ τὸν βασιλέα λέγουσιν οἱ Ἰνδοί, inquit Juba apud Etymologum. Et Tzetzes, Κατὰ Ἰνδοὺς ὁ Διόνυσος. Δεῦνος καὶ ἄναξ Νύσσης. Cæterùm de variis Dionyſiis antiquis vide Virum clariſſimum. D. Langbainium *Not. in Dionyſ. Longinum.* Nic. Lloyd.

DIONYSIUS I. Siciliæ tyrannus, fil. Hermocratis, civis Syracuſani, qui, quòd nudo enſe urbem ingreſſus eſſet, occiſus eſt, primò Syracuſanorum Dux, contra Carthaginienſes, dein his pulſis, occupatoque totius Inſulæ imperio, copias in Italiam trajecit adverſus Græcos, qui proxima Italiæ litora tenebant. Itaque Locros prius expugnat, deinde Crotoniatas aggreditur, qui Locris auxilium tulerant. In Rhegium, poſt 11. menſes expugnatum, ſæviſſimus. Is deinde Dionyſius, quem paulo antè non Italia, non Sicilia capiebat, aſſiduis belli certaminibus à Carthaginenſibus victus, inſidiis ſuorum interficitur. Juſtin. ex Trogo. A. U. C. 385. ætat. 63. Olymp. 103. Sed de mortis genere variant auctores. Vide Diod. Sicul. *l.* 13. 14. 15. Plutarch. *in vita ejus*. Juſtin. *l.* 20. *c.* 1. 5. Xenoph. *Hiſt. l.* 2. & *ſeqq.* Euſeb. *in Chron.* C. Nep. *in Dione*. *c.* 1. 2. 3. 4. 5. Poëſeos famam fruſtra affectavit, Græcis publicè irriſus, quod cùm ulciſci aliter non poſſet, in ſubditos acrius deſæviit. Sacrilegiis infamis, Jovem pallio, Æſculapium barbâ exuit, malæ conſcientiæ Furiis eouſque exagitatus, ut ne uxori quidem, nec filiabus ſuis fideret. Aliquot Comœdiarum & hiſtorici cujuſdam operis auctor, Suidæ dicitur.

DIONYSIUS II. ſuperioris fil. natu maximus inter fratres, Patri militum favore ſucceſſit, qui initio tyrannidis populum ſibi libertate concilians, tria millia captivorum è vinculis exire permittit. Tributa inſuper populo per triennium remittit, ſublatiſque fratribus ac propinquis, quos metuebat, paulatim in cæteros graſſatur. Itaque ob crudelitatem inviſus Syracuſanis, bello expugnari cœptus, in arcem ſe recepit. Legatos dein Syracuſanos de pace, contra jus gentium, retinuit. Tandem vi pulſus ex arce profugus clam in Italiam, Locros conceſſit, qui ſub ejus erant poteſtate. A Locrenſibus verò ignaris, quòd exul eſſet, exceptus, ſolitam quoque in eos exercuit ſævitiam ſex annis, rapinis, ſtupriſque omnia complendo. Deinde Locrenſium conſpiratione civitate ejectus, in Siciliam rediit, ibique Syracuſas, ſecuris omnibus, poſt longum pacis intervallum, per proditionem recepit. Cumque gravior eſſet, iteratâ conſpiratione duce Dione Syracuſano, cùm Corinthiorum auxilio obſideretur, depoſito imperio, arcem Syracuſanis tradidit, atque in exilium Corinthum profectus eſt, ibique ludimagiſtrum agens pueros in triviis docuit. Erat enim eruditus, utpote olim Platonis auditor. Interrogatus jam exul, quid ei Philoſophia profuiſſet: Reſpondit, ut æquo animo ferrem talem Fortunæ mutabilitatem. Regnavit Annis 38. Plutarch. regiam ejus pulverulentam fuiſſe ait, propter eorum multitudinem, qui Geometricas in pulvere figuras deſcribebant. Hujus Dionyſii cùm omnes Syracuſani interitum optarent, quædam anus ſola quotidiè Deum orabat, ut ipſe diu incolumis ac ſuperſtes eſſet, quod quidem audiens tyrannus admirabatur, & cauſam quærit. Ait illa, cùm Puella eſſem, & gravem tyrannum haberemus, carere eo cupiebam, ac ſucceſſit illi gravior; & cùm illo iterum carere cupiebam, tertium Te importuniorem excepimus; Timens ergo deteriorem ſuccedere tibi, caput meum pro tua ſalute devoveo. Tam facetam mulieris audaciam tyrannus erubuit. Hic Dionyſius, acceptâ Tragœdiarum victoriâ, indeque nimio gaudio perfuſus expiravit. Plin. *l.* 6. *c.* 17. Diodor. Sicul. *l.* 16. Juſtin. *l.* 21. *c.* 1. 2. 3. 5.

DIONYSIUS, Luſitaniæ Rex, fil. Alphonſi III. ex Beatrice, filia notha Alphonſi X. Caſtellæ & Legionis Regis, ſucceſſit Patri, A. C. 1279. prærerito Roberto fratre, ex Mathilde priori conjuge, qui Comes dein Bononiæ fuit. Duxit Elizabetham, filiam Petri III. Arragoniæ Regis, ex ea pater Alphonſi IV. Succeſſoris, & Conſtantiæ, quæ Ferrando IV. Caſtellæ Regi nupſit. Initio Regni neque cum Clero, neque poſtmodum cum filio ipſi bene convenit, ſed turbæ prudentia uxoris ſopitæ. Condidit vel reparavit 44. in Luſitania urbes, inſtituit ordinem militarem Jeſu Chriſti, obiit feliciſſimus ſui ſeculi Principum, A. C. 1325. Ær. 63. Regni 46. Mariana *l.* 14. & 15. Duard. *Geneal Regum Portugalliæ.*

DIONYSIUS, Græcus, in Epiſcopatu Romano Sixti II. Succeſſor, A. C. 261. Synodo convocatâ, Dionyſ. Alexandrin. defendit, ſcripſit contra Sabellium, & P. Samoſaten. Tam Presbyteris urbis Romæ, quàm aliarum gentium, templa, cœmeteria, ac parochias diviſit. Præterea Epiſcopis Diœceſes diſtribuit, mandavitque ut unuſquiſque ſuis finibus, limitibuſque contentus eſſet. Platina. Obiit A. C. 272. Athen. *c. Arian.* & *de ſent. Dion. c. Arian.* Eum excepit Felix I.

DIONYSIUS, Clearchi fil. Timothei frater, tyrannidem ſuſcepit, defuncto fratre, Olymp. 110. A. 3. Heracleæ in Ponto.

DIONYSIUS, Heracleonis fil. tyrannus apud Heracleam regnavit. Strab. *l.* 16.

DIONYSIUS, Hammonis Regis Libyæ & Amaltheæ fil. *Beroſus.*

DIONYSIUS, Lyſimachia oriundus, Dux Antiochi Hieracis, qui à fratre Seleuco defecerat. Polyæn. *l.* 4.

DIONYSIUS, Phocenſ. dux, A. U. C. 251.

DIONYSIUS, Coſ. cum Florentio, A. U. C. 1182.

DIONYSIUS. Patriarcha CP. Peloponneſo oriundus, Marci Epheſii diſcipulus. Ab æmulis accuſatus, quòd abnegatione Chriſtianiſmi libertatem redemerit, innocentiam ſuam egregiè probavit. Bzov. A. C. 1489. Malaxus *Hiſtor. Patr. l.* 2. *Turcogr.*

DIONYSIUS, Præſul Alexandrin. poſt Heraclam, Origenis diſcipulus, in deſerta Libyæ relegatus, à Valerio Præſide. Scripſit *c.* Origen. Novat. Sabell. quem dum oppugnat, Ario faviſſe viſus, accuſatur & abſolvitur: Sub Galieno, in exilium pulſus, revocatur, Chiliaſtas convertit, multa paſſus, &c. Ejus operum meminit Hieronym. *Cat. c.* 69. *Præf. l.* 18. *Comm. in Eſa. l.* 2. *c. Ruffin.* & *ep. ad Pammachium* Euſ. *l.* 6. & 7. *Hiſtor.* Athan. *de Sent. Dion.* & *in Comm. de Syn. Nic. Decr.* Baſil. *c.* 29. *l. de Spirit. S. ep. ad Amphil.* & *ep.* 41. Obiit A. C. 265. Alius ab eo, qui in Dion. Areopagitæ ſcripta commentarios edidiſſe dicitur, Sixt. Senenſ. *l.* 4. *Bibl.* Succeſſorem Maximum prior habuit.

DIONYSIUS, Corinthior. Præſul ſub M. & L. Antoninis, vir doctrinâ & ſanctitate clarus, ſcripſit epiſtolas quaſdam valdè laudatas. Hieron. Pinyt. graviter monuit, *ne grave ſervandæ caſtitatis onus fratribus imponeret.* Euſeb. *l.* 4. *c.* 22. A Tatiano enim ſeducti plurimi tum cœlibatum urgebant. Vixit A. C. 166.

DIONYSIUS, Ep. Mediol. Athanaſii condemnationi, ab Arianis circumventus, ſubſcripſit. Cujus pœnitentiâ cùm eum ſerò duci videret Euſeb. Vercellenſ. dolo ingenioſo, Arianis ſcriptum hoc extorſit. A. Conſtantino Imp. in exilium miſſus, ibi obiit. Ambroſ. *ep.* 82. *ad Vercel.* Athanaſ. *ad Solit.* Ruffin. *l.* 1. *c.* 20. Sulp. Sever. *hiſt. S. l.* 2. Socr. *l.* 2. *c.* 29. Sozom. *l.* 4. *c.* 8. Baron. *A. C.* 355. 356.

DIONYSIUS, Perſica conſignavit. Tull. *l.* 1. *de Divin.*

DIONYSIUS, cogn. *parvus Abbas*, Scytha, vixit Romæ, ſec. 6. ſub finem Regni Theodorici, & nepotis ejus Athalarici. Ingentes animos in parvo pectore verſans, Græcè Latineque doctiſſimus, Canones collegit, tranſtulit, correxit. Cyclum Victoris renovavit, non per Olympiades, vel Conſulatus, neque etiam per Epocham Diocletiani, ſed Jeſu Chriſti nativitatem, Annis numeratis. Obiit A. C. 540. Caſſiodor. *div. Inſt. c.* 23. Beda, *hiſt. Eccl. l.* 5. *c.* 22. & *de R. T. c.* 45. Sigebert. *de Viris Ill.* Martian. Scot. *A. C.* 532. Genebr. *in Bonif. II.* Ciacc. *in Felice IV.* Blancan. Petav. Calviſ. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l* 2. *c.* 19. & *de Mathem. c.* 34. §. 12. &. *c.* 40. §. 11. &c. vide & *Exiguus.*

DIONYSIUS, fil. Glauci, diſcipulus Chæremonis, cui ſucceſſit, Alexandrinus Grammaticus, pervenit ad Trajani tempora, cujus bibliothecæ & epiſtolis præfuit. Suid. Præceptor Parthenii fuit. Vide Athen. *l.* 11. Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 1. & 3. *de Poet. c.* 9. *p.* 72. 73. Vide infrà.

DIONYSIUS Alexandrin. Poëta inſignis, tempore Veri Imp. Salmaſ. *ad Spartian. in Sev.*

DIONYSIUS Areopagita, præſul Athenienſis, D. Pauli diſcipulis, ut ſcribitur in Actis App. Solus Paulo concionanti, è philoſophis qui aderant, credidit. Hic cùm eſſet in Ægypto, Heliopoli, quò ſe diſciplinæ cauſâ contulerat, videretque eclipſim nulla ratione, cùm Chriſtus paſſus eſt, unà cum Apollophane Sophiſta præceptore ſuo dixiſſe fertur: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diſſolvetur.* Scripſit (ut quidam exiſtimant) ad Timoth. Epheſi Præſulem, de Divinis nominibus libb. 12. De Hierarchia cœleſti, de cœleſtibus ordinibus, præterea alia complura opuſcula teſte Suidâ. Vide Niceph. *l.* 2. *c.* 20. & Metrodor. *in ejus vita.* De ſcriptis ejus ita Morer. Ante A. C. 532. nullus ſcriptorum horum meminit, Severianiſtæ primi produxêrunt. Dein Gregor. Mag. Martini I. Sophron. Maxim. &c. illa citarunt, huicque Dionyſio adſcripſêrunt. Plurimi credunt, ante finem ſec. 4. vel ante condemnationem Eutychis, in Concil. Chalced. A. C. 451. non fuiſſe compoſita. Vide etiam Phot. *c.* 1. *Sigeb.* &c.

DIONYSIUS, Argivus, quid de Ilii capti tempore prodiderit, legere potes apud Clem. Alex. *l.* 1. *Strom.*

DIONYSIUS, Byzantius ἀνάπλουν Βοσπόρου citatur à Steph. in *Chryſopoli*. Omnino alius eſt à Dionyſio Periegetâ. Ejus mem. Suid. ac dicti operis. prætereaque panxiſſe ait Threnos, poëma epicediis refertum. Vide Plin. *l.* 6. *c.* 27. *Hoc in loco genitum eſſe Dionyſium, terrarum orbis ſitus recentiſſimum auctorem conſtat*, Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 3. & *l.* 3. *p.* 357. & *de Mathem. c.* 69. §. 10. Geſner. Suid. &c. *Nic. Lloydius.*

DIONYSIUS Carthuſianus, vulgò *de Richel*, Leodienſ. doctrinâ & pietate illuſtris. Innumera ſcripſit; ob aſſiduam meditationem *Doctor Extaticus* dictus. Obiit A. C. 1471. Æt. 69. Trithem. & Bellarm. *de Scr. Eccleſ.* Poſſevin. *Appar.* S. Petrejus *Biblioth. Carthuſ. p.* 49. & *ſeqq.* Dorland. *l.* 7. *Chron. Carthuſ.* Simler. Loër. *in vita ejus.* &c. Dictus *de Leewis*, alias *Richelius*, ex opp. ejuſdem nominis, Hasbaniæ municipio, ditionis Leodicenſis, juxta S. Trudonis opp. Carthuſianus profeſſione domûs Bethleem in Ruremunda. Operæ ejus 12. Volum. extant. De eo Swertius, *Tanta*, inquit, *fuit operum ejus moles ut multitudine librorum ſuperaverit S. Auguſtin.* & *quod mirens, propria omnia manu.*

DIONYSIUS, Chalcidenſis, Κτίσεις, ſive Origines *civitatum* complexus eſt libris quinque, teſte Marciano Heracleotâ in περιηγήσει. Benè antiquum eſſe authorem, illud indicio eſſe poteſt, quòd eo teſte utatur Dion. Halic. *l.* 1. *Ant.* Suid. Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 3. *p.* 358.

DIONYSIUS, Corinth. terram verſu deſcripſit. An. fil. Diogenis?

DIONYSIUS, Dialecticus è Bithynia. Strab. *l.* XI.

DIONYSIUS, Exiguus, vide ſuprà *Dionyſius*, cognom *parvus Abbas*, it. voce *Exiguus*.

DIONYSIUS, Glauci fil. diſcip. Chæremonis philoſophi, cui etiam Alexandriæ ſucceſſit, præceptor verò Parthenii Grammatici. Vixit Neronis temporibus uſque ad Trajan. præfuit bibliothecis, fuit ab epiſtolis, & à reſponſis, & legationes varias obiit. Suid. Vide ſupra.

DIONYSIUS Gorgyenſis, in Gorgya Sami loco colitur. *Steph.*

DIONYSIUS, Halicarnaſſ. Hiſtoric. laudatur à Strab. *l.* 14. ubi de Halicarnaſſo Cariæ civitate ſic ſcribit: Ἄνδρες δ' ἐγένοντο ἐξ αὐτῆς, Ἡρόδοτος ὁ συγγραφεὺς· καὶ Ἡράκλειτος ὁ ποιητὴς, ὁ Καλλιμάχου ἑταῖρος, καὶ καθ' ἡμᾶς Διονύσιος ὁ συγγραφεύς. Vixit ſub Epiph. & Philomet. Ptolomæis, Polyb. *l.* 14.

DIONYSIUS Halicarnaſſ. Auguſti temporibus floruit, quod ſatis indicat Strab. ejuſdem temporis ſcriptor. Sic enim ille *l.* 14. Καὶ καθ' ἡμᾶς Διονύσιος ὁ συγγραφεύς. At ne alium hunc Dionyſium putes, ipſe in præfatione ſcribit, in Italiam ſe veniſſe; ſimul ac Cæſar Aug. finem impoſuit bello civili; ubi per An. 22. addiſcendæ linguæ Lat. & evolvendis ad ſuum ſcopum facientibus libris, incubuit. Ut omnino aliud egerit vir eruditus Barth. Keckerm. cùm in ſuo de hiſtoria opere tres eſſe ſcribit, qui acrius in Plutarch. cenſuram exerceant, eoſque inter eſſe principem Dionyſ. Halicarnaſſ. Subjungit poſtea Dionyſ. noſter, ex eo tempore, quo Romam venit, uſque ad illud, quo iſtud ſcriberet, exactos eſſe annos viginti duos, quibus Romæ egerit, Urbiſque didicerit ſermonem, ac partim eruditorum hominum conſuetudine, partim lectione Porcii Catonis, Fabii Maximi, Valerii Antiatis & aliorum hiſtoriam iſtam ſcripſerit. Ac primùm, ut, unde Romani genus ſumpſerint, liqueat, ea refert, quæ de Aboriginum populo, & priſcis Italiæ incolis, ferebantur. Pertexuiſſe verò ſe hiſtoriam dicit uſque ad primum bellum Punicum, ſive A.U.C.488. vel, juxta alios 490. unde Polybium incipere ait. Opus hoc ipſe vocat Ἀρχαιολογίαν Ῥωμαϊκὴν, niſi is titulus proprius ſit priorum librorum, quos ante cæteros, ut totius operis guſtum haberent Romani, editos fuiſſe, rectè obſervavit Hen. Steph. Hodie ex 20. libris (quot à Dionyſio ſcriptos fuiſſe etiam Phot. dicit, illos omnes ſe legiſſe teſtatus,) tantùm extant undecim; quibus pervenit uſque ad ſublatum Decemviratum, plebeios ad tribunatum militarem admiſſos, eamque poteſtatem abrogatam, & Coſſ. ex ordine patritio iterum electos, quod factum eſt A. U. C. 312. Ex poſterioribus libris qui periêrunt, Steph. περὶ πόλεων citat aliquos, ut decimum ſextum in Αἴκαλον, & undevigeſimum in Κωνσέντεια. Quare ut tacuiſſet Dionyſ. quouſque hiſtoriam ſuam perduxiſſet: tamen ex Ἐθνικῶν ſcriptore ſatis conſtaret, Gelen. falli, qui putabat Dionyſ. operi iſti immortuum eſſe, nec plura ſcripſiſſe, quàm hodie habemus. Euſeb. *Præp. Evangel. l.* 4. *c.* 16. vocat Διονύσιον τὸν Ἁλικαρνασσέα, ἄνδρα τῆς Ῥωμαϊκῆς ἱστορίας ἀκριβῶς τὴν γραφὴν ἅπασαν ἐκδέμενον. Et ſanè Dionyſ. huic laudem eam tribuit Scalig. *in Animadverſ. Euſebian.* quod accuratius ea tempora nemo obſervarit. Hac quoque parte Liv. præfertur, quòd & plura & accuratius, multa tradat, quæ ad Romanas Antiquitates pertinent. Qua de re H. Steph. vide, *operæ primæ in Dionyſ. c.* 10. Stylus quoque ut Phot. loquitur, eſt καινοπρεπὴς, atque, ut idem ait τὸ κομψὸν τοῦ λόγου, τῇ τε κατὰ μέρος ἀφηγήσει, καὶ τῇ παρεκβάσει κεκραμένον, τὴν ἐπὶ τὸ τραχύτερον ῥέπουσαν θεραπεύει συνέπειαν. Horùm 20. libror. σύνοψιν ſcripſit ipſe auctor, eodem Phot. *Bibl. cod.* 83. 84. teſte: addit autem in ea ſolùm neceſſaria expoſuiſſe, eoque utilem magis fuiſſe operam quàm ſuavem. Nec bonus tantùm Hiſtoricus fuit, ſed etiam Rhetor & Criticus nobiliſſimus, quod oſtendunt Rhetorica & Critica ejus opuſcula quæ ſuperſunt: præter quæ alia ejus generis elaboraſſe, cognoſcimus inde, quòd in iſtis multa è ſuis hujus argumenti citet, quæ hodie non habemus. Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 3. Motha Vayer. *jud. de Hiſt. Nic. Lloydius.*

DIONYSIUS, cogn. *Muſicus*, Halicarnaſſ. junior, ſub Adriano claruit. Edidit Hiſtoriæ Muſicæ libros 36. in quorum uno omnia Reip. Platonis loca explicuit, aliaque, de quibus Suid. ſis adi. An idem cum Atticiſta, dictionum Atticarum Lexicographo, qui Ælius Photio dicitur, *cod.* 152.

DIONYSIUS, Heracleotes, Philoſoph. cogn, *Methatemenes*, diſcipulus Heraclidæ, dein Menedemi & Alexini, tandem Zenonis Stoici auditor, qui cùm renum, vel, ut alii, oculorum morbo laboraret, cruciareturque dolore intolerabili; ſuccumbens dolori clamabat, Falſa eſſe quæ à Zenone didicerat. Zeno enim & Stoici omnes hoc habent dogma: Dolorem non eſſe malum, ſed indifferens. Poëſin amavit, Zenonis ſcholâ relictâ ad Cyrenaicos tranſiit, & voluptatem ſummi boni loco habuit. Obiit An. 70. fame voluntariâ enectus. Opera ejus recenſet Diog. Laërt. *in ejus vita, l.* 7. Athen. *l.* 7. *&* 10.

DIONYSIUS Lambinus, Monſtrolienſis, Græcè Latinèque doctiſſimus, cum Cardin. Fr. Turnonio diu in Italia verſatus, poſt reditum in Galliam, Humaniorum artium Profeſſor Regius, *in Plautum* & *Horatium* commentarios ſcripſit. Poſt Rami, amici ſui, obitum, mœrore extinctus. Ex Urſina pater filii, qui poſthuma quædam ejus opera edidit. San Marth. *Elog. Vir. Ill. l.* 2. Ejus in *Horatium* Commentarium modò dictum Eruditi, atque in his Joſ. Scaliger, magni æſtimant, non item *Emendationes* ejus ac *Adnotationes in Cic.* ut quas *invitis & repugnantibus libris omnibus* ſe feciſſe ipſemet dicere ſolitus eſt, haud dubiè ſui ipſius deceptor, uti judicat Andr. Scottus, *Vita Car. Langii.* Cæterorum ejus Scriptorum elenchum habes apud Anton. Teiſſier *in Elog. Part.* 1. Vide quoque Heinſ. *Præf. in Horat. Scaliger.* Henr. Steph. *Pſeudo-Cicerone*, Alios.

DIONYSIUS Longinus Caſſius, celebris Criticus, hæres Frontonis Emiſeni, Porphyrii Præceptor, à quo, in Plotini vita, miris modis laudatur. Philoſophus Suidæ, viva Bibliotheca Eunapio dictus. Plurima ſcripſit, de quibus nihil reſtat, niſi de ſublimi dictione, & fragmentum quoddam, in Plotini vita, & apud Euſeb. *l.* 15. Zenobiæ Reginæ quoque præceptor cùm eſſet, ab Aureliano occiſus eſt, quòd crederetur auctor epiſtolæ, quam Syriacâ linguâ ad Imp. Zenobia ſcripſerat, Vopiſc. *in Aurel.* magno animo mortem ſuſtinuit, Zoſim.

DIONYSIUS Magn. Ep. Sylvanect. Joh. Galliæ Regis Confeſſionarius. Poëta non vulgaris, de Accipitrum venatione librum edidit. Obiit A. C. 1354. Gaſto Vinius, San Marth. *Franc. Chriſt. tom.* 2. *p.* 1021.

DIONYSIUS Mileſ. Hiſtoric. ſcripſit res Perſic. & ea quæ poſt Darium ſecuta ſunt. Suid. Philoſtrat. eum ſcribit, Adriano Principi ob ingenium acceptum fuiſſe, à quo ſatrapes factus ſit, adſcriptuſque inter equites. Vide Volaterran. *Anthrop. l.* 1. *c.* 454. Sed hic alius à priore, qui ante Herod. vixit. Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 1. *c.* 2. *p.* 12. *l.* 2. *c.* 3. *p.* 174. *l.* 4. *c.* 3. *p.* 441. *de Mathem. c.* 69. §. 4. *Nic. Lloyd.*

DIONYSIUS Mileſ. Κυκλογράφος, ſtylo pedeſtri mythiſtoriam continuavit, Poëta falsò doctiſſimis creditus. Ejus meminêre ſæpius Apollod. & Scholiaſt. Apollonii. Vide quoque Tzetzem *Chil.* 12. & plura de eo apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 847.

DIONYSIUS, Mitylenæus, poëta epicus, qui σκυτοβραχίων & σκυτεὺς vocatus eſt, præter Bacchi & Minervæ expeditionem, etiam Argonautica 6. libb. ad Parmenonem ſcripſit oratione ſolutâ. Diod. Sic. *l.* 2. Auctor quibuſdam hiſtoriæ Lydorum, quæ Xantho attribuitur. *Suid.*

DIONYSIUS, Muſonii fil. ſacerdos templi Solis, qui inſigniter hic cultus, Vide Solin. *c.* 27. nonnullis Samius, aliis Rhodius fuiſſe exiſtimatur, teſte Suidâ, qui autor eſt compoſuiſſe hiſtorias τοπικὰς libris 6. orbis deſcriptionem, & hiſtoricæ inſtitutionis libb. decem. Tertull *de Anima, c.* 46. *n.* 526. *edit. Pamel.*

DIONYSIUS, natione Pergamen. cognomento Attic. diſcipulus Apollodori Pergameni, Rhetoris ejus, qui Auguſto Cæſari familiaris adeò fuit, & à quo condita eſt ſecta Apollodorea, quæ Theodoreæ opponitur, authore Strab. *l.* 13. ubi & Dionyſ. hic vocatur σοφιστὴς ἱκανὸς, συγγραφεὺς, καὶ λογογράφος. Memini hujus Dionyſii etiam Suid. Strab. *l* 13. Geſner. Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 3. *&* 12. *de Math. c.* 59. §. 15. *Nic. Lloyd.*

DIONYSIUS Periegetes, temporibus Auguſti, ſcripſit Geographiam verſibus hexametris Græcis, quæ hodiè extat: quod opus ἱστορικὸν καλεῖν οἱ παλαιοί: ut ait Euſt. Schol. Idem vixiſſe eum ait οὐχ ὑπὸ τῶν ὑπάτων, ἀλλ' ἐπὶ τῶν ἀνάκτων, *non ſub Conſulibus ſed ſub Imperatoribus*, atque hoc ipſum de ſe ſcribere dicit, ſignat verò locum iſtum:

Ἐκ Διὸς Αὐσονίης αἰεὶ μέγα κοιρανέοντες.

Et inprimis verſus iſtos,

Ῥώμην τιμήεσσαν ἐμῶν μέγαν οἶκον ἀνάκτων,
Μητέρα πασάων πολίων, ἀφνειὸν ἔδεθλον,

Ubi Euſt. monet, cùm dicit ἐμῶν ἀνάκτων, ſatis oſtendere, non ſub Conſulibus ſe iſta ſcribere, ſed ſub Impp. Quod verum eſt. Sed quo ſub Imperatore, minus liquet. Antoninorum temporibus vixiſſe, cenſet C. Barth. *Adverſ. l.* 58. *c.* 5. atque eos per ἄνακτας intelligendos putat. Severi temporibus claruiſſe dicit Cl. Salmaſ. *in Solin. p.* 628. Imò & Scalig. *Euſebianis Animadverſion. ad A. C.* 2215. ubi per ſuos ἄνακτας intelligere ait Sever. cum filiis Getâ & Caracallâ, quos ipſos per *triplicem imperii virtutem* ſignat Tertull. *l. de Pallio.* Sed ſi, quia ἄνακτας dicit, plures deſignantur; quid prohibet, ut Divos fratres M. Aurelium & L. Verum intelligamus? At multo antè vixiſſe putat Euſt. nempe ſub Nerone; imò Auguſto, juxta quoſdam: cujus etiam mentionem eidem facere videtur, cùm, poſtquam de Parthorum ferocia dixiſſet, addit.

Αὐσονίου βασιλῆος ἐπιπρηΰνεν ἀκωκή.

Sanè Conſſ. nunquam ἄνακτας vocaſſet. Quòd verò Parthos Auſonii domini haſtâ coactos ferociam depoſuiſſe ait, id optimè convenire Auguſto, oſtendit Tranquill. *in Aug. c.* 21. Quod ſi quis, quia Euſt. dubitare videtur, Num ſub Nerone, an Auguſto floruerit, eo & ipſe ambigat, ſub utro vixerit: at omnem ſcrupulum tollit illis temporibus proximus Plin. Secund. ex quo etiam patriam dicimus fuiſſe Alexandriam, non illam Ægypti aut Syriæ, ſed opp. Suſianæ ad ſinum Arab. inter Tigrim & Eulæum ſin. quod ut ſæpe nomen mutarit, idem Plin. refert. Adſcribam ea ſolùm verba; quibus ſub Auguſto claruiſſe, atque Alexandriæ Suſianæ natum eſſe cognoſcimus. Locus eſt *Nat. Hiſt. l,* 6. *c.* 27. ubi cùm de eo Suſianæ opp. egiſſet, ſubjungit iſta. *Hoc in loco genitum eſſe Dionyſ. terrarum orbis recentiſſimum auctorem, conſtat; quem ad commentanda omnia in Orient. præmiſit Divus Auguſtus, ituro in Armeniam, ad Parthicas, Arabicaſque res; majore filio.* Quare omnino inanis eſt conjectura Suid. cùm Dionyſ. ſi vulgata lectio vera eſt, Byzantium fuiſſe arbitratur, propter ea quæ de fluv. Rheba canit. Sunt verò hæc,

Ἄγχι δὲ Βιθυνοὶ λιπαρὴν χθόνα ναιετάουσι.
Ῥήβας ἔνθ' ἐρατεινὸν ἐπιπροΐησι ῥέεθρον,
Ῥήβας, ὃς Πόντοιο παρὰ στομάτεσσιν ὁδεύει.
Ῥήβας, οὗ κάλλιστον ἐπὶ χθονὶ σύρεται ὕδωρ,

Nimirum putavit Suid. niſi Rhebas patrium ſolum interluiſſet, nunquam illuſtri adeò elogio fuiſſe dignaturum. Porrò ex Euſt. diſcimus, alia etiam huic Dionyſio tribui ſolere, ut Λιθιακὰ, Ὀρνιθιακὰ, Βασσαρικά. Ac idem Λιθιακὰ quidem Dionyſii hujus eſſe agnoſcit, propter ſimilem ſtylum. Ὀρνιθιακὰ verò à doctioribus tribui dicit Dionyſio Philadelphenſi. Βασσαρικὰ verò, quia ſtylum habeant incultum, eo indigna eſſe viſa ait, quæ Dionyſii hujus crederentur; ſed potius adſcribenda eſſe Dionyſio Samio. Cæterùm, præter hunc Dio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Dionyſ. [illegible], quem habemus, fuère etiam alii ejus nominis, qui ſimiliter [illegible] ſcripſerunt. Unus Mileſ. fuit, qui Herodoto ipſo antiquior eſt, de quo Voſſ. de Hiſt. Gr. l. 1. c. 2. Vide ſupra. Alter, utrum Samius, an Rhodius fuerit; non ſatis conſtat. Rhod. vocat Tertull. l. de [illegible], c. 46. At Samium diſerte appellat Euſt. Vide inſ. à Nic. Lloyd.

DIONYSIUS, Philadelphia oriundus, Dionyſiaca ſeu res geſtas Bacchi, ſcripſit, &c Voſſ. de Hiſt. [illegible] l. 2. c. 3. p. 174.

DIONYSIUS, Samius, Scripſit [illegible] [illegible].

DIONYSIUS Sylveſtr., Campan. Hiſtoriograph. Henrici II. Galliæ Regi. Annales Nicolai Ægidii & hiſtoriam Froiſſardi conte[illegible] T. Jov. Gall. tranſtulit, &c. Verder. biblioth. p. 255.

DIONYSIUS Simon Marquemont. Pariſin. Card. Archiep. Lugdunenſis, comes Perronii, in legatione Rom. Dein Sillerii, in Hetruria, ubi Maria Medicæa Henrico IV. uxor conciliata, a Ludov. XIII. ad Urbanum VIII. miſſus, &c. Inter alia congregationem Doctorum inſtruxit, ſingulis hebdomadibus, ubi de Dioeceſeos negotiis actum. Obiit Romæ A. C. 1626. Mercure.

DIONYSIUS Sulechar. de renunciatione bonorum, charitate & perfectione amoris, diverſum ab aliis ſentiens, condemnatus eſt, a Theologis Pariſ. A. C. 1369. Alius Dionyſius, Vide apud Suid. Geſner. Vignier. Simler. Voſſ. &c. Addatur unus.

DIONYSIUS Thrax, patria Alexandrin. ſeu Rhod. vulgò dictus, quia Rhodi habitaret. Strab. l. 14. Ariſtarchi, qui Romæ, tempore Pompeii, docuit, diſcipulus fuit, variaque grammatica, & commentaria ſcripſit, teſte Suida: Inter ea hiſtoricum opus [illegible], cujus meminit Steph. in [illegible]. Vide Clem. 1. Strom. Voſſ. de Hiſt. Gr. l. 1. c. 23. & l. 2. c. 3. Geſner.

DIOPE, urbs Arcadiæ. Steph.

DIOPHANES, Mitylenæus Rhetor, Gracchi præceptor. Cic. in Bruto. Al. Diophantus, vide illi.

DIOPHANES, Bithyniæ. Uticenſ. Dionyſ. Pœni Magonis librorum de Agricultura interpretem, per multa diffuſum volumina, ſex epitomis circumſcripſit.

DIOPHANTUS, Archon Athenis, Olymp. 96. An. 2.

DIOPHANTUS, Athenienſis, mercenariorum Nectanebo, Ægypti Rege militantium è Græcia, Dux, Diod. l. 16.

DIOPHANTUS, Lacedæmonius, condidit libros Antiquitatum 14. teſte Fulgentio Mythol. l. 1. A[illegible] autor eſt, & Cephiſſe eam terram [illegible] ſubjectas; Aſt alius eſt Diophantus Syracuſan. Philoſoph. Pythagoricus, cujus de mundi ortu ſententiam affert Theodoret. [illegible] l. 4. [illegible] & Mundo, Voſſ. de [illegible] l. 2. Alius eſt etiam Diophantus Alexandrin. qui de Arithmetica ſcripſit, libros 13. Algebræ inventor. Horum, qui in Bibl. Vatic. Xylander 6 Latinè vertit, & notis illuſtravit. À Joh. Patr. Hier. Pythagoræ comparatur in vita Joh. Damaſceni. Sub Antonino eum vixiſſe, Raph. Bombel. & P. Billius in præf. Algebræ, tenent. Vide Blancan. Chronol. Math. XI. [illegible] 2. p. C. [illegible] 51. Regiomont. [illegible] in Alg. Voſſ. de Scient. Mathemat. c. 10. §. 3. p. 37. & alib. p. 432. Nic. Lloydius.

DIOPHANTUS, Mitylenæus Orator. Gr. circa 156. Olymp. diſertiſſimus ſui temporis habitus. Præceptor Tiberii Gracchi, Cic. in Bruto, memoratus.

DIOPITHES, manibus ac pedibus captus, qui ab Ariſtoph. E-[illegible] furti traducitur: Sodalis fuit Niciæ. Vide Schol. p. 351. C. At in Veſparum Fabula indigitatur furioſus Rhetor, qui [illegible] taſſe is eſt, quem Phrynichus in ſcenam induxit. Ampſias in [illegible] (barbâ) eum ut furentem & [illegible] deſcribit. Symmach. ipſum Rhetorem facit verè [illegible], ut in Amphictyonis oſtendit Teleclides. De hoc Diopithe tradit Suid. eum olim legem tuliſſe, ut damnatus eſſet mortis, qui urbe egreſſus in Piræeo manſiſſet. Poſtea ipſe Legiſlator, cum ſerius aliquando conſiſtere, vocatus eſt in jus ab adverſariis. Vide Ariſtoph. Scholia in Aves p. 589. [illegible] Nic. Lloydius.

DIOPOENUS, nobilis ſculptor Cretenſis. Plin. l. 36. c. 4.

DIOPOLIS, Armeniæ min. urbs à Pompejo Mag. ſic nominata, cùm prius Cabira vocaretur; poſtea verò [illegible], ſive Auguſta dicta eſt. Strab. l. 12.

DIOPTÆ, Græcis [illegible] & [illegible], iidem cum Curioſis & Speculatoribus, quos vide.

DIOPTRA, Græce [illegible], inſtrumentum varii uſus, ab Hipparcho excogitatum, memoratur Plin. l. 2. c. 26. Illius ope & faſtigium aquæ explorabant, eamque librabant, & propugnaculorum ac turrium altitudinem venabantur, ſingularumque ſtellarum loca atque magnitudines, & invicem diſtantias ſignabant Vet. Quod cœlum metari dixit Ovid. [illegible] Virg. Sic & groma inſtrumentum [illegible] fuit, quo ſecturas limitum ac viarum, tam in caſtrorum, quam in agrorum metatione inſtituenda, dirigebant. Unde [illegible] & [illegible] rigoris, tam frequens apud Agrimenſores mentio, in ea menſuræ ratione. Propriè verò [illegible] vitrum eſt [illegible] ſpecular, quod [illegible] facit, uti nomen ipſum indicat, unde [illegible], lapis, [illegible] lar, perſpicuum; [illegible], Specular eſt. Nempe [illegible] eſt ſpecu[illegible], illud [illegible] facit. Hinc de vitreo ſpeculari Sympoſ. in [illegible] Ænigm. 68.

Perſpicior penitus, nec lumina [illegible],
Tranſmittens oculos [illegible] meantes,
Nec me tranſit hiems, ſed Sol tamen emicat in me &c.

Salmaſ. ad Solin. p. 259. 672. & 821. Idem [illegible], tertiam Aſtronomiæ partem, à quibuſdam conſtitui, monet p. 656. In Muſeo Kircheriano Romæ, varia exhibentur Dioptrica experimenta. [illegible] verba ſunt Georgii de Sepibus in Deſcript. ejus p. 39. ubi Dioptricam, Optices ſpeciem, perſequitur. Vide quoque ſupra in voce [illegible], & infra ubi de Mechanice it. voce [illegible], & Optice.

DIORDULI, Taprobanæ inſ. pop. Ptol.

DIORES, vir quem Turnus interfecit. Virg. Æn. l. 12. v. 509.

Turnus equo dejectum Amycum, fratremque Diorem,
Congreſſus Pedes, hunc venientem cuſpide Longâ,
Hunc mucrone ferit.

DIORYCTICOS, nomen inſulæ, i. e. continenti abſciſſa.

DIORYCTUS, locus Acarnaniæ 3. ſtadiorum longitudine, ubi Leucadia inſula olim opere accolarum, à continenti fuit abſciſſa, eidemque reddita, ventorum flatu congeriem arenæ accumulantium. Plin. l. 4. c. 1. [illegible] Dioryctos, [illegible].

DIOS-HIERON, i. e. Jovis templum, opp. Joniæ inter Lebedum & Colophonem. Steph.

DIOSCORIDES, Hiſtoric. de Rep. Lacedæmon. ſcripſit, cujus ſecundum librum laudat Athen. l. 4. Dubium vero, idemne, an alius ſit, cujus epigrammata in Anthologia habentur: Idem is, cujus memin. Apollon. Schol. l. 1. Is denique cujus [illegible] citat Ariſtoph. Schol. ad [illegible], nec non Suid. voce [illegible]. Meminit quoque ejus Plutarch. Lycurgo & Agiſilao. Vide & Voſſ. de Hiſt. Gr. l. 3. p. 359. Dioſcoridis cujuſdam [illegible] advocat ad Solonis vitam tradendam Laërt. l. 1. Nic. Lloyd.

DIOSCORIDES, Antigoni ex fratre nep. Vide Diod. Sicul. l. 19.

DIOSCORIDES, Athenienſis, fil. Dionyſii, curator teſtamenti Theoph. Laërt. l. 5.

DIOSCORIDES Cypr. unoculus, diſcipulus Timonis Pyrrhonii, vixit ſub Ptol. Philadelpho. Laërt. l. 9.

DIOSCORIDES, Iſocratis diſcipulus, verſus quoſdam aliter legendos eſſe cenſet apud Athen. l. 1. Idem fortè, qui de Amphionis lyra egit, teſte Apollon. Schol. l. 1. Alius Aſtrolog. de quo Cenſorin. c. 17. Cæſar. l. 3. [illegible] *[illegible] & Serapion qui [illegible] magnam apud Ptolemæum auctoritatem habuerunt ad Achillem pervenerunt. Quos ille cum in conſpectum ejus [illegible] cujus rei cauſa miſſi eſſent [illegible]*. Alius ſculptor Auguſti coætaneus. Plin. l. 37. c. 1. [illegible] Dioſcorides. Alius Apollonii Neapolit. pater, de quo Gruter. inſcript. [illegible] 86.

DIOSCORIDES, Medic. Herophileus, cognomento Phacas vel Lentinus, à lente in facie, dictus fuit, mem. Galen. præfat. Gloſſar. Hippocr. Idem fortè quem Alexandrin. appellat, in [illegible]. Vixit tempore Antonii & Cleopatræ, teſte Suida. Scripſit de nominibus medicinarum, ſicut & Mnemitheus, Andreas, Chryſaris, & Xenocrates, teſte Galeno, præf. gloſſ. Hippocr. Voſſ. de Phil. c. XI. §. 40. Nic. Lloydius.

DIOSCORIDES Pedac. Anazarbeus, ab Alexandrino diſtinctus, teſte Galen. locis cit. Scripſit de materia medica, & Alexipharmacis; quæ etiamnum ſuperſunt. Vixit ætate Neronis, quod ipſe indicat, dum præfatione librorum de re medica, Licinii Baſſi ſe æqualem eſſe dicit. Atqui Licinius ille Baſſus Coſ. fuit, cum Craſſo Frugi ſub Nerone A. U. C. 816. teſte Frontin. de Aquæductibus. Vide Galen. præf. l. 6. ſimpl. medicam. & l. 4. de Comp. med. Phot. Bibl. Cod. 178. P. Caſtellan. de Medicis Ill. Jonſium de Script. Hiſt. Phil. p. 146. Morer. diction Hiſt. Dioſcoridem Olymp. 186. vixiſſe, Antonii Cleopatræque Medicum, refert. Sed id priori convenit. Idem Nic. Lloyd.

DIOSCORIDIANI, Hæretici, vide ubi de Eutychianis.

DIOSCORIDIS Inſ. Zocotora; in Afr. in mari Azanio, ubi deſinit Erythræum. 100. circiter mil. à prom. Aromatum in Ort. Longa eſt 80. mill. Lata 60. Sub proprio Principe. Hic aloes ingens copia. Ei adjacet altera Inſ. minor, dicta [illegible] Abbadal Curia ab incolis, ſed parvi momenti. Vide Plin. l. 6. c. 28.

DIOSCORON, inſ. in finibus Italiæ, è regione Lacinii prom. Plin. l. 3. c. 10.

DIOSCORUM, vicus in Libya, ubi Dioſcuri Paridem conſecuti ſororem Helenam rapuerunt. Steph.

DIOSCORUS, I. Patriâ Alexandrin. Eutychianos errores ſecutus, Epheſi ſynodo Lyſtri a dicta, A. C. 449. condemnavit Flavian. Ep. CP. ibi calcibus occiſum: Alexandriam reverſus, excommunicavit, Leonem Ep. Regium à Synodo Chalcedonenſi 600. Epiſcoporum damnatus, A. C. 453. & in Paphlagoniam relegatus, ibi miſerè obiit. Theodoret. ep. 86. ad Flavian. Niceph. l. 14. c. 47. &c. Morer.

DIOSCORUS II. cognom. Junior, poſt Joh. Machiotam, Patriâ Alexandrin. A. C. 517. hæreticus hæretico ſucceſſit. Excitatâ à populo ſeditione, in qua multi occiſi, quòd electio non eſſet pro more, ab Epiſcopis Clero & Populo peracta, nihilominus ſedem tenuit, uſque ad A. C. 519. Liberat. Brev. c. 12.

DIOSCORUS, Antipapa, Bonifacio II. oppoſitus, A. C. 530. Athenaricum defenſorem habuit, ſed paulò pòſt mortuus, à Bonifacio excommunicatus, ob Simoniam, hujus verò ſucceſſore Agapeto, abſolutus eſt. Eum ab Hormiſda P. ad Juſtinian. miſſum autumat Baron. A. C. 530. Anaſtaſ. in Agapeto. Juſtinian. edict Joh. I.

DIOSCORUS Coſ. coll. Eudoxii A. U. C. 1195. Item martyr, ſub Decio apud Alexandriam A. C. 251. Denique nomen menſis. 2 Mach. c. 11. v. 20.

DIOSCURI, à Græcis dicuntur Caſtor & Pollux, quos antiquitas credidit ſalutares eſſe navigantibus, ſi Gemini apparerent

apparens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

(apparent autem ignis ſpecie antennæ aut malo inſidentes) contrà triſtes, ſi ſinguli. Dioſcuri apud Græcos, inquit Cic. *l.* 3. *de Nat. Deor.* multis modis nominantur. Primi tres, qui appellantur Anaces, Athenis ex Rege Jove antiquiſſimo & Proſerpina nati, Tritopatreus, Eubuleus, Dionyſ. Secundi Jove tertio nati ex Leda, Caſtor & Pollux. Tertii dicuntur à nonnullis Aleo, Melampus & Emolus, Arei filii, qui Pelope natus fuit. Ædem ſeu templum iis Romæ vovit extruxitque bello Latino A. Poſthumius Dictator, A. U. C. 257. quòd victoriæ auctores ac nuntii Romanis fuiſſent. Conditum autem in Foro fuit, ubi viſæ eorum imagines, vicinuſque fons iis ſacer dictus eſt. Ædem dein vetuſtate collapſam refecit de manubiis hoſtium L. Metellus, à Dalmatis ſubactis, *Dalmaticus* dictus. Quamvis autem utrique conſecratum templum eſſet, tamen vulgò plerumque Caſtoris tantùm aut Caſtorum templum fuit appellatum. Unde jocus M. Bibuli, apud Suet. qui, cùm C. Cæſaris in Conſulatu collega eſſet, & cum eo communi impenſâ venationes ac ludos ederet, omnium autem illarum impenſarum ac munificentiæ gratiam ſolus caperet Cæſar; dixiſſe fertur: *idem ſibi, quod Polluci eveniſſe.* Hiſtoriam apparitionis *Dioſcurorum* in prælio, de quo ſuprà, prolixè refert Dionyſ. *l.* 6. Vide quoque Liv. *l.* 2. & Flor. *l.* 1. *c.* XI. *pactuſque victoriam templa promiſit; & reddidit.* Iidem etiam aliàs pro Romano Imperio excubuiſſe crediti ſunt. Unde in bello Macedonico, *eodem die quo victus Perſes in Macedonia, Romæ cognitum eſt*, verba ſunt Flori *l.* 2. *c.* 12. *Duo juvenes candidis equis apud Juturnæ lacum pulverem & cruorem abluebant: hi nuntiavêre. Caſtorem & Pollucem fuiſſe creditum vulgò* &c. Cujus dæmoniaci miraculi, ut loquitur Freinshem. *in h. l.* meminêre & Lactant. *l.* 2. c. 8. Val. Max. *l.* 1. *c.* 8. *ex.* 2. Plutarch. *Æmilio* &c. quibus adde Plin. *l.* 7. *c.* 20. & Suet. *in Nerone, à princ.* Rei memoriam quoque ſervant vett. denarii & nummi A. Albini C. T. quos percuſſerat in memoriam illius A. Albini, qui Dictator A. U. C. 257. Latinos devicit. Nam in altera parte referunt Romæ Deæ caput, cujus comam laurea cingit, cum inſcriptione, *Roma.* In altera viſuntur Caſtor & Pollux pileati, ſtantes cum haſtis erectis, ex cratere ſive fontis receptaculo potum equis ſuis præbentes: cum inſcriptione, *A. Albinus Six. Fil.* Quales ſe Delphis vidiſſe, memorat Blanckard. *Notis in Flor. l.* 1. *c.* XI. Tigurino quoque bello, *eodem die*, inquit idem Flor. *l.* 3. *c.* 3. *Quippe eodem die quo geſta res eſt, viſi pro æde Caſtoris & Pollucis juvenes laureati Prætori literas tradere: frequenſque in ſpectaculo rumor, Victoriæ Cimbricæ feliciter dixit* &c. Nec omittendum, quòd Gemini hi navis, in qua Paulus Apoſtolus vectus, tutela & paraſemon fuêre, unde & Διόσκουροι ea vocata eſt, Actor. *c.* 28. *v.* XI. Vide infrà in voce *Paraſemon*, item *Tutela.*

DIOSCURIAS, quæ & Σεβαστόπολις Ptol. ac Arriano, Colchidis ad oſtia Coraxi urbs, ubi Ponti Euxini intimus receſſus, inter Phaſian. mare & Caucaſeum, prope pop. Abaſcios, 9. mill. ab oſtiis Phaſidis fluv. in Bor, ſed ante paucos Annos aquis abſorpta eſt. Erat autem Epiſc. Baudr. quondam *Æa* dicta, Steph. Plin. tamen hæ diverſæ ſunt. Habet & Steph. quoque eodem tractu *Æam* aliam à Dioſcuriade: *Savoropoli* Caſtaldo, *Sevaſtopoli* Joſ. Barbaro. Item una ex Leucis inſulis in Africa. Eſt etiam inſ. in mari Rubro: Steph. Et Italiæ prom. *Diod. Sic.*

DIOSPAGE, Meſopotamiæ opp. in campeſtribus ſitum. Plin. *l.* 6. *c.* 26.

DIOSPOLIS, Ægypti civitas, quæ olim Hecatompylos. Plin. *l.* 5. *c.* 9. Strab. *l.* 17. Steph. vide infrà, ubi de *Thebis Ægyptiacis*, quæ uti Homero Ἑκατόμπυλος, ita à Ptolemaicis temporibus *Dioſpolis*, quæ *Jovis Urbs*, dicta. Unde Manethoni, Africano, Euſeb. Reges Thebani *Dioſpolitani* nuncupantur. Vide infrà *Hamon-No.* Sunt & aliæ quatuor in Ægypto præter hanc puſillæ civitates, item in Lydia & Palæſtina. Apud Steph. Arabiæ civitas eſt, poſtea *Berytus* dicta. Item Bithyniæ urbs ad Pontum. Ptol. *Chio Nigro* dicitur. *Port de Haſſio* Theveto. Baudr. prope Heracleam Ponti, juxta Sinum Meriandin. 30. mill. ob oſtiis Sangari fluv. in Bor. cæterum in celebri illa Ægypti urbe, vitrum murrinum, ad imitationem murrinorum verorum, fieri ſolitum, diſcimus ex Arriano, ubi ὑαλῆς μοῤῥίνης meminit, quæ ibi confieri aſſueverit. Quod non de illa pretioſa murra, quæ ex Carmania & India advehebatur, ſed de vitro veram murram mentiente, intelligi omnino convenit. Salmaſ. *ad Solin. p.* 204. Sed & *Dioſpolis* primùm vocata eſt urbs Phrygiæ, quæ poſtea Laodicea dicta, tandem Diocæſareæ nomen accepit. Namque quòd eam *Jovis juſſu*, oraculo Apollinis vel ſomnio monitus, Antiochus condiderit, Διόσπολις, q. *Jovis civitas*, appellata eſt: ab ejuſdem poſtea uxore Laodicea, nomen nacta; tandem verò in Auguſti honorem *Diocæſarea* vocitata eſt, uti vidimus ſuprà, in voce *Diocæſarea.*

DIOSPOLIS, quibuſdam Lydda, vel S. Georg. aliis Rama, urbs Epiſc. Palæſtinæ, ſub Patr. Hieroſolymitano, Miræus, *Geogr. Eccl.* Hîc Concilium, A. C. 415. contra Pelagium, qui ibi præſulibus tam ingenioſè impoſuit, ut abſolutus diſceſſerit. Adde, quòd nec accuſatores ejus comparuerint, nec PP. qui Latinæ linguæ rudes erant, propoſitiones ex illius libris extractas, ſatis dextrè intellexerint. Hinc infelix hic cœtus dictus, Hieron. *Ep.* 74. *ad Aug. & Alip.* Vid. Auguſt. *l. Retract.* 2. *c.* 47. *l.* 1. *c. Julian. c.* 5. *&c.*

DIOSPYROS, apud Plin. *l.* 27. *c.* XI. ex Græco Διὸς πυρὸς, *Jovis frumentum*, genus cerasi, quòd Romanis *duracinum*, Gallis *bigarreau* dicitur. Huic enim principatum ii, non ſecus ac Romani, inter cætera dedêre, unde tam nobile nomen. Quemadmodum iidem Διὸς βαλάνους, *Jovis glandes*, vocavêre caſtaneas, ut in glandium genere excellentiſſimas. Et Διὸς γάλα, *lac Jovis*, Euripidi lac præſtantiſſimum dicitur:

> Καὶ πυρὸς πίων ἐστὶ καὶ Διὸς γάλα.

Excellenti certè & eximiâ ſuavitate fructus id cerasi genus inſigne eſt. quod *duracinum* Latinis, quia & carnem & nucleum cæteris ceraſorum generibus duriorem habet. Salmaſ, *ad Solin. p.* 958.

DIOSTECNOSIA fons in Andro inſ. qui quotannis Nonis Jan. vini ſapore fluit. Plin. *l.* 2. *c.* 103.

DIOSTRA, lucta vett. Græcis dicta eſt, ἀπὸ τοῦ διωθεῖν, ut ἔξωστρα; ab ἐξωθεῖν; ὠθισμοὶ enim in lucta præcipuè locum habebant; imò lucta nil aliud eſt, quam ὠθισμός. Hinc ζώστραν recentiores fecêre Græci & ξῦστραν, unde Gallicum *jouſte.* Salmaſ. *ad Capitolin. in Pio.*

DIOTIME, mulier Philoſophiæ ſectatrix, cujus lectionibus intereſſe non erubeſcebat Socrat. Plato *in Sympoſ.*

DIOTIMUS, Archon Athenis, Olymp. 106. An. 3.

DIOTIMUS, Athenienſis, qui cognominabatur *Chone.* Cæl. Rhodig. *l.* 29. *c.* 1.

DIOTIMUS, Navarchus Athenienſis, rei nauticæ peritiâ celeber, utpote ingenio plurimas de Lacedæmoniis victorias in mari conſecutus: de quo Vide Polyæn. *l.* 5.

DIOTREPHES, vir peſſimus, φιλοπρωτεύων, uti teſtatur B. Joh. Ep. 3. *v.* 9. *&* 10.

DIOXIPPUS, Athen. poëta Comic. cujus fabulas commemorat Suid. Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. p.* 359. Item nobilis Athleta. Plin. Item. Alex. Mag. miles, mirâ fortitudine, provocatus à Corrago (quem Horratum vocat Curt.) milite item Macedonico, clavâ eum occidit. Ælianus & Curt. *l.* 9. *c.* 7. Item Medicus, A. Gell. *l.* 17. *c.* XI. laudatus.

DIOXIPPUS, inter Alcimachi, clari Pictoris, opera memoratur Plin. *l.* 35. *c.* XI. *Alcimachus Dioxippum, qui Pancratio Olympiæ, citra pulveris jactum, (quod vocant aconiti) vicit*; ſub. *pinxit.* Vide de hoc *Dioxippo* Ælian. *Hiſt. l.* 10. *c.* 22. & *l.* 12. *c.* 58.

DIPÆA, urbs Arcadiæ. *Steph.*

DIPHILAS, tertius ex iis, quos Lacedæmonii Rhodum, ad exſtinguendos eos, qui factionis erant Athenienſium, miſêrunt Diodor. *l.* 14.

DIPHILUS, Athenienſis Imp. A. U. C. 311. Item architectus in perducendis ad finem operibus tardiſſimus, adeò ut locum fecerit proverbio, *Diphilo tardior.* Cic. *ad Qu. fratrem l.* 3.

DIPHILUS Sinopenſis, Comic. paulo junior Menandro. Vide Voſſ. *de Poët. Gr. c.* 8. *p.* 60. & 61. nec non *de Hiſt. Gr. l.* 3. *p.* 360.

DIPHRI, urbs Phœnic. *Steph.*

DIPHTHERA; propria ſervorum olim, cum exomide, veſtis fuit. Unde apud Ariſtoph. *Veſpis* conqueruntur urbani ſenes, Philocleonem herum à ſervis ſuis domi clauſum, ſub cuſtodia teneri, oblitis munerum quæ ab eo acceperant; neque enim illos ſubire memoriam Διφθερῶν καὶ Ἐξωμίδων, quas ipſis emerat &c. Ubi *Diphtheram* quidem Vett. Grammatici veſtem ex corio ſive pellibus interpretati ſunt, quæ propria Paſtorum & Agricolarum. Idem Comicus *Nubib. Ubi grandior eris, capellas agito è Phelleo, ut & Pater tuus* Διφθέραν ἐνημμένος, *ſcorteam veſtem indutus.* Ubi Scholiaſtes περιβόλαιον ποιμενικὸν ἐκ δέρματος, reddit, i. e. *ſagum ex pellibus, quod exomidi injiceretur.* Quòd autem viliorum tegmen eſſet, propterea chlamydi, ut & ῥάκος & tribonium, opponebatur, Lucian. *Timone, Pro molli chlamyde hanc* Diphtheram *ſibi paupertas circumponit.* Ibi enim Timon ad inopiam redactus, ἐναψάμενος διφθέραν, terram exercet: atque idem infrà à Jove ὑποδίφθερος, item διφθερίας dicitur, h. e. *ſago pelliceo amictus.* Vide quoque Dion. Chryſoſtom. *Orat.* 72. & Philoſtratum *in Heroic.* Polluci tamen. *l.* 7. *Diphthera dicitur tunica ſtricta cucullum habens.* Sed potuit quidem & tunica ex corio confici, propriè tamen de ſago ſive veſte exteriori *Diphtheræ* nomen ſonat: quam Βαίτην quoque vocat Theocrit. *Idyll.* 3. &. 5. Has verò pelles caprarum fuiſſe, docet Varro *de Re Ruſt. l.* 2. *c. ult.* Fuitque harum veſtium uſus in ingenuis quoque tempore pluviæ, ut ſcorteæ pænulæ, apud Romanos. Unde Anaxagoram profectum in Olympiam, ſudo ac ſereno cœlo, ſediſſe ἐν δερματίνῳ, quaſi brevi erupturâ pluviâ, ſicque eveniſſe, narrat Laërt. Philoſtrat. eandem rem referens *l.* 1. *c.* 2. ὑποκώδιον vocat. Vide Ferrar. *de Re Veſt. p.* 208.

DIPLOIS, Gr. Διπλοΐς, *pallium duplex*, Cynicorum olim veſtis. Antipater *de Diogene* (cui hinc Διπλοείμων dictus eſt) *Cui una pera, una Diplois.* Et infrà, *Baculus & pera*, καὶ διπλόον εἷμα. Latini *duplicem pannum* vocarunt. Horat. enim *l.* 1. *Ep.* 17. de eodem Diogene, *v.* 25.

> *Contra quem duplici, panno patientia velat.*

Quid autem pallium διπλῶσαι, ſeu *duplicare*, dixerint Græci, exponit Oct. Ferrar. *de Re Veſt. Part.* 2. *l.* 4. *c.* 19. Cùm nempe tunica Cynici carerent, neceſſe habuêrunt, cum humero brachium exerentes, totam pallii partem dextram ſiniſtro humero injicere, ut retro ad pedes caderet atque ita totum corpus involveret & conſtringeret, ut, niſi detraheretur, dilabi non poſſet. Quod *duplicare pallium* vocarunt, quemadmodum fusè ad Tertullian. Viri docti demonſtrarunt. Habitus auctorem primum fuiſſe Antiſthenem, docet Laërt. ubi Diogeni tunicam petenti, mandaſſe πτύξαι θοἰμάτιον, i. e. *complicare* ſeu *duplicare*, ait. Idem tamen ex aliorum ſententia Diogenem moris auctorem facit, primumque eum pallium duplicaſſe, *ob neceſſitatem*, uti dictum, *& ut in eo cubaret*, narrat &c. Interdum tamen *Diplois* pro pallio communi uſurpatur. Ita enim Euſeb. *l.* 7. *c.* 18. de ſtatua Chriſti Domini atque Hæmorrhoiſſæ, Διπλοΐδα, inquit, κοσμίως περιβεβλημένον. *Diploidem ſeu Pallium decenter indutus.* Figuram Cynici duplicato pallio involuti, Româ ab Illuſtri Puteano ſibi tranſmiſſam, inſeruit idem libro præfato.

DIPLOMATA, apud Suet. *Aug. c.* 50. *In Diplomatibus libelliſque & epiſtolis ſignandis initio Sphinge uſus eſt*: literæ ſunt indices ac teſtes conceſſi beneficii ab eo, qui præeſt Reip. Sic *Diplomata civitatis Rom.* dicuntur eidem *Nerone*, codicilli, quibus delatum erat jus civitatis: Et Apollon. Tyaneus *Diplomata* vocat, quibus Euphrates commendabatur Regionum & Urbium Præfectis. *Ep. ad eum*: Græcè διπλᾶ. Maximè verò ſic appellabantur literæ, propter publicum curſum dari petique ſolitæ. Nomen inde, quòd formabantur in modum tabellarum duplicium: cùm aliæ literæ Principum,

quibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

quibus aliquid jubebatur aut vetabatur, ἅπλα γράμματα dicerentur, unde ἥπλωσε βασιλικὰ γράμματα, & ἥπλωσε βασιλικὰ διατάγματα, apud Euſeb. *l.* 8. In illis porrò, quidquid occaſione illorum acciperetur, adnotari ſolebat, ut ex *Ep. Apollon. cit.* diſcimus; neque encauſto ſolum decorabantur, ſed etiam ex ſolida materia, putà argento vel auro, nonnunquam fiebant, unde appellata χρυσόδετα; & δέλτοι σφυρήλατοι, apud Themiſt. *Orat.* 4. &c. Vide Caſaub. *ad Suet. d. l.* & infrà *Logotheta*, item *litium*, *Præceptum*, *Sacra*, *Sigillum*.

DIPNIAS, urbs Theſſaliæ circa Lariſſam, ubi ajunt Apollinem primùm eſſe pranſum, cùm ex Tempe purgatus rediit. *Steph.*

DIPODIA, virile calceamentum, vide infrà *Vir.*

DIPOENA, Arcadiæ opp. *Pauſan.*

DIPOENUS, & *Scyllis*, marmore ſculpendo primi omnium inclaruêrunt. Hi Sicyonem ſe contulêre, quæ diu fuit officinarum omnium metallorum patria. Plin. *l.* 36. *c.* 4.

DIPOLIS, Lemnos vocatur, habet enim in ſe Hephæſtiam & Myrinam. Item civitas Emporienſibus vicina, quam murus dividit, quoſdam ex Indigetibus inquilinos prope ſe habens, qui etſi per ſe ſuam agerent Remp. communia tamen habere mœnia cum Græcis tutelæ gratiâ voluêrunt, Strab. *l.* 3. cujus verba ab hujus Lexici compilatore malè ſunt concepta. Nihil enim aliud ſibi voluit Strab. quum de Emporio dixit, Δίπολις ἐστι, quàm quod Liv. *l.* 26. *c.* 19. & *l.* 28. *c.* 42. & *l.* 29. *c.* 25. dicit, Emporias duo fuiſſe oppida muro diviſa. Vide Caſaub. *ad locum.*

DIPOTAMUM, vulgò *Meſanacta*, Turcicè *Dipnanos*, Leuncl. caſtrum Phrygiæ. *Cedren.*

DIPPO, Hiſp. urbs inter Cordubam & Emeritam. *Ant.*

DIPSACUS Vett. aliàs Διψὰς ἄκανθα, *Spina ſitiens*, quæ quòd in confinio Arabiæ & Ægypti naſceretur, modò *Arabica*, modò *Ægyptia* dicta eſt, caput echinatum ſeu echino ſimile habuit, & proin carduus fullonius nonnullis creditur eſſe, quam *virgam paſtoris* vulgò vocant. Recentiores certè Græci vocem ſic uſurparunt. Nicomedes, Δίψακος, ἀκανθοχλένιον, ὥσπερ ἔχινον ἐκ Καμελαύκιν, vide de illo Plin. *l.* 14. *c.* 13. & Salmaſ. *ad Solin. paſſim.* Aliàs *Dipſas* anguis genus eſt ſeu ſerpentis aquatilis, cujus morſus inextinguibilem ſitim affert vix ullis remediis ſedandam, de quibus eundem, vide Plin. *l.* 24. *c.* 13. & *l.* 27. *c.* 19. ut & in voce *Dipſas.*

DIPSAS, *adis*, lena, quam Ovid. inſectatur, quòd puellam ſuam meretriciâ arte inſtrueret. Locus eſt, *l.* 1. *Amor. Eleg.* 8. Initio.

> *Eſt quædam (quicunque velit cognoſcere lenam,*
> *Audiat) eſt quædam nomine Dipſas anus.*
> *Ex re nomen habet nigri non illa parentem*
> *Memnonis in roſeis ſobria vidit equis.*

Item *Dipſas* ſerpentis genus; Lucan. *Bell. Civ. l.* 9. *v.* 610.

> *Aſpides, in mediis ſitiebant* Dipſades *undis.*

In Ægypto & Arabia, frequens, morſu *ſitim* excitat inexplebilem, unde nomen. Eſt autem viperæ ſimilis, vix dodrantalis, albo corpore, caudâ gracili, duabus lineis nigris inſigni, quam incedendo ſurſum attollit; Aliter *cauſon*, & *preſter* & *melanurus* & *ammobates* & *centrides*, dictus: de quo, præter Nicandr. & Medicos, vide Ælian. *Hiſt. l.* 6. *c.* 51. Lucian *de Dipſadibus*, Nazianzen. *Iambico* 22. Epiphan. *in Marcoſiis*, Iſid. qui *ſitulam* Latinè vocat; Solin. qui in genere aſpidum perperam eum cenſet, Sam. Bochart. *Hierozoici Parte poſter. l.* 3. *c.* 8. ubi vocem Hebr. *tſimmaon*, Deut. *c.* 8. *v.* 15. non eſſe *Dipſadem*, ſed δίψαν, *ſitim* vel *ſiticuloſum locum*: pluribus docet &c.

DIPSAS, *ſantis*, fluv. Ciliciæ ex Tauro profluens. Lucan. *Bell. Civ. l.* 8. *v.* 255.

> *Jam Taurum, Tauroque videt* Dipſanta *cadentem.*

DIPSON, Arabiæ locus montibus aſper, & aquarum inops, unde hoc nomen traxit. Plin. *l.* 4. *c.* 5.

DIPTAGUS, in *Chart*, quibuſdam vett. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* pro δίπτυχον, *Diptychum*, occurrit. Erant autem Δίπτυχα, tabellæ plicatiles, geminas ſe pandentes ac porrigentes: *in quibus amores ſcribebantur*, Papias. Quem in uſum triplices etiam tabellæ fuêre, imò & polyptychæ, unde Gallorum *Puletica* vel *Puleta*. De duplicibus certè Ovid. ubi conqueritur, inanes ſuas tabellas rediiſſe, Amor. *l.* 1. *Eleg.* XII. *v*, 27.

> *Ergo ego vos rebus duplices pro nomine ſenſi.*

Poſtea *Diptycha* Coſſ. Quæſtorum & majorum Magiſtratuum, eorum nominibus inſcripta & imaginibus adornata, tabellæ erant, quas ipſi ad amicos mittebant, vice apophoreti, in Magiſtratus initi ſymbolum. Cujuſmodi *Diptycha* tria repræſentat, cum imaginibus eorum ac inſcriptionibus, Alex. Wilthenius *Comment. de Diptycho Leodienſ. c.* 1. & 7. & aliud egregium Conſulare Car. du Freſne *in Syntagm. de Nummis Impp.* CP. Eccleſiæ tandem vox propria facta eſt, obſervataque doctis tria *Diptychorum* in Eccleſia Græca genera, *Epiſcoporum* nempe *Vivorum* & *Mortuorum*. Et quidem *Diptycha Epiſcoporum*, aliis *Tabellæ Epiſcopales*, Synod. Laod. 24. *Kanon*, Cyrillo ἱεραὶ δέλτοι, item κατάλογος τῶν Ἐπισκόπων, dicebantur, in quibus Epiſcoporum vitâ functorum, qui Eccleſiam ſanctè rexerant, nomina exarabantur; eorum præſertim, qui præ aliis vitæ innocentiâ inclaruerant, aut martyrii gloriam fuerant adepti. Horum memoria in ſolennibus precibus celebrabatur, ad ſuperſtites in imitationem eorum accendendos: unde ſequiori ævo divorum invocatio occaſionem traxit, vide ſuprà in voce *Canon*. Quia igitur ſcribi in *Diptychis*, erat quodammodo inter Sanctos collocari; ita ex iis deleri, erat aboleri ex hominum memoria & perpetua infamiâ notari: quod in Hæreticis potiſſimùm aut Schiſmaticis, vel etiam aliquâ vitæ labe infectis (qui Epiſcoporum ὁμοιοπαθῶν errore in *Diptycha* irrepſerant:) contigit, ut de Cyro; Sergio, Paulo, Pyrrho, Petro, Athanaſ. in *Agathone*; de Theodoro Mopſveſt. Juſtinian. *in Edicto de Fide Orth.* de Teorgaudo & Gunthario. Hincmarus Rem. *Opuſc.* 17. ad Nicolaum Pontif. teſtantur. Sed & interdum Eccleſiarum Præſules, vel hæreſi infecti vel odio ducti Orthodoxorum Epiſcoporum nomina, viciſſim eraſêrunt. Ita apud Victorem Tunn. in *Chron.* Petrus Patr. Antiochen. *nomina Proterii & Salaſatiarii de Eccleſiaſticis Diptychis ſuſtulit & Dioſcori & Helluri, qui Proterium interfecerant*, eorum loco inſcripſit: quod poſtmodum Synodi CP. decreto iterum mutatum. *Diptycha Vivorum* dicebantur ea, in quibus exarabantur nomina eorum, qui Eccleſiaſticam aliquam functionem obibant; Impp. item. Auguſtarum, & aliorum dignitate conſpicuorum; eorum porro, qui oblationes faciebant; plebis tandem populique mentione additâ. Quibus ſucceſſu temporis acceſſêre *Diptycha Mortuorum*, eorum nempe omnium, qui in fide obdormierant; pro quibus Deum orabant. Quorum nomina recitabantur, non tamen omnium, ſed eorum ſolùm, quæ Sacerdoti à Diacono indicabantur. *Liturgia S. Marci*, Ὁ Διάκονος τὰ Δίπτυχα τῶν κεκοιμημένων, *Diaconus Diptycha eorum, qui obdormierant*, ſc. legit. Cui ſacerdos ſe inclinans, apprecatur, Καὶ τούτων, dicens, πάντων τὰς ψυχὰς ἀνάπαυσον δέσποτα Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐν ταῖς τῶν ἁγίων σου σκηναῖς &c. *Et horum omnium animabus dona requiem dominator Domine Deus noſter, in ſacris tuis tabernaculis.* Quem uſum mox amplexata eſt Romana Eccleſia, ut teſtatur Alcuin. *Poſt illa verba, quibus dicitur, In ſomno pacis, uſus fuit antiquorum, ſicut etiam hodie Romana agit Eccleſia ut ſtatim recitarent à Diptychis nomina defunctorum.* Memoria verò illa, quæ in Communione eadem hodieque peragitur. in Miſſa, poſt conſecrationem, in hæc concipitur verba: *Memento etiam Domine, famulorum famularumque tuarum ill. qui nos præceſſêrunt cum ſigno fidei & dormiunt in ſomno pacis. Ipſis Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus, locum refrigerii, lucis & pacis, ut indulgeas, deprecamur*, apud Gregor. Mag. *in libro Sacram.* Quæ quidem oratio à Sacerdote ſacra faciente, inter ipſa Miſſæ ſolennia, recitatur; At in Eccleſia Græca legebantur *Diptycha*, à Diacono; ad Altare: quibus lectis Sacerdos adprecabatur iis, quorum nomina recitata fuerant, ut vidimus: variè autem, pro varia Diptychorum parte. Nam cùm vivorum & defunctorum recitabantur nomina, Sacerdos pro iis Deum deprecabatur: cùm v. Præſulum aut aliorum pietate illuſtrium virorum, tunc Populus iis acclamabat, dicendo, *Gloria tibi Domine*, ut videre eſt in *Synodo* V. Oecum. &c. Nec omittendum, in *Diptycha* quoque relata fuiſſe IV. prima Concilia, i. e. eorum titulos, *Nicenum* viz. I. *Conſtantinopolitanum* I. *Epheſinum* & *Chalcedonenſe*, uti docent Acta Synodi CP. è quorum Canonibus conflatus eſt Codex Canonum Eccleſiæ Catholicæ, de quo ſuprà. Erant & alia verò *Diptycha*, ut recèns baptizatorum & ſuſceptorum &c. ſed de illis vide Gerh. von Maſtricht JC. *in Schediaſmate de Suſceptoribus infantium ex Baptiſmo*: item Roſweid. *in Onomaſtico ad Vitas PP.* Cardin. Bona *Rer. Liturgic. l.* 2. *c.* 12. & Steph, Baluz. *ad Capitul. p.* 1129. laudatos Car. du Freſne *Gloſſar.* qui inter alia de *Diptychis* hiſce egregia, voce *Diptycha*, caſulam quoque ſeu planetam, veſtem Sacerdotis ſacra peragentis, nonnunquam intelligi, docet ex Hier. Rubeo *Hiſt. Ravenn. l.* 3. *ſub Ann.* 515. ubi de caſula Diptychorum imaginem referente, quæ in ſacrario Claſſenſi aſſervetur, multa. His autem *Diptychis inſerere* vel *inſcribere*, Græcè περιπτυσσεῖν dici *Nov.* 115. *c.* 4. §. 14. *pr.* contendit idem Gerh. von Maſtricht *Hiſt. Jur. Eccl. n.* 47. Vide quoque infrà, *PP. Canones*, it. ubi de *Polyptychis*, *Pugillaribus tabulis* in voce *Regula*.

DIPTYCHA, vide hîc ſuprà.

DIPYLON, una ex Athenarum Urbis portis, quæ *Porta Thriaſiæ* priùs, quòd per eam illò iretur, dicta eſt. Vide de illa Jac. Spon. *Itin. Gr. Part.* 2. *p.* 195. præter Autores cæteros, qui de rebus Atticis ſcripſêrunt.

DIRÆ, Æthiopiæ ſub Ægypto urbs in Nili ripa. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

DIRADES, pars tribûs Leontidis à *Dirade* quodam dicta. *Steph.*

DIRADIOTES, Apollo dictus eſt, à *Dira* loco, ubi vaticinabatur. Dabat ibi mulier oraculum, ſed prius eam viri concubitu abſtinuiſſe oportuit. Singulis autem menſibus agnum noctu immolabat, cujus ſanguinem cùm epotaret, repentè Dei numine afflari credebatur. *Pauſan.*

DIRÆ, quaſi *Deorum iræ*, Acherontis & Noctis filiæ, animorum ſibi malè conſciorum exagitatrices. Virgil. *l.* 4. Æneid. *v.* 473.

> *Cum fugit, ultriceſque ſedent in limine Diræ.*

Idem Ibid. *v.* 610.

> *Et Diræ ultrices, & Dii morientis Eliſæ.*

Idem *l.* 8. *v.* 701.

> *Cælatus ferro, triſteſque ex æthere Diræ:*

Serv. *in illud* Æneid. *l.* 12. *v.* 668.

> *At procul ut Diræ ſtridorem agnovit & alas,*

Idem Ibid. *v.* 845.

> *Dicuntur geminæ peſtes, cognomine Diræ,*
> *Quas & tartaream Nox intempeſta Megæram*
> *Uno eodemque tulit partu: paribuſque revinxit*
> *Serpentum ſpiris, ------ -----*

Papin. Stat. *l.* 1. *Theb. v.* 52.

> *Sæva dies animi ſcelerumque in pectore Diræ.*

Diras eaſdem facit cum Furiis, & in cœlo Diras quidem vocari ait, in terris Furias, & Eumenides, apud inferos autem Stygias canes. Ex Græco Δεῖναι, *n.* in *r.* mutato; Græcis tres, geminæ Latinis erant, & precibus evocabantur in hoſtium perniciem. Unde carminis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

minis genus, quod imprecationes explicaret, eodem nomine nuncupatum eſt. Itali vocant *Deſperatum carmen*: Cujuſmodi permulta gravia legimus atque illuſtria, inprimis apud Virgil. *ad Battarum* Ovid. *in Ibin*, Catull. in Ariadnæ conqueſtione. Vide etiam in *l.* 4. *Æneid.* & quæ fundit Statian. Oedipus, ſumpta de Græcis Tragicis. Item Senec. Theſeus ex Euripide; Hypſipyle Jaſoni in Medeam &c. *Feralia vota*, Stat. appellat *Theb. l.* XI. *v.* 343.

Non ego te contra Stygiis feralia ſanxi:
Vota Deis, cæco nec Erinnyas ore rogavi.

Eorum enim votum omne in malis, monſtris, morbis, ſuppliciis, exiliis, interitu, Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 53. Formula ſolennis, quâ inimicos ſuos diſcedentes proſequebantur, *abeas nunquam rediturus*: Sic *dirarum* adventitiâ Solem ortum excepiſſe, & ſimilibus imprecationibus digreſſum ejus & occaſum laceſſiviſſe, Atrantes vel Atarantes pop. Africæ, refert Mela &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 411. infrà in voce *Execratio*; uti *de Augurio ex Diris*, ſuprà.

DIRBÆ, locus Scythiæ, in quo Teos civitas eſt, ſi rectè legitur apud Steph. Τέως. *Nic. Lloyd.*

DIRCE, Lyci Thebarum Regis uxor, quam ille, repudiatâ Antiope, duxerat, quæ cùm Antiopen gravidam eſſe animadverteret (nam poſt repudium, à Jove compreſſa fuerat) ſuſpicata virum ſuum clam cùm illa conſueſcere, in vincula eam conjecit. Verùm inſtante jam partus tempore, Jovis miſeratione vinculis ſoluta, in Cithæronem montem confugit, ubi Amphionem & Zethum gemellos peperit, qui poſtea Lycum interfecêrunt, Dircen verò caudæ indomiti tauri alligarunt, quæ diu ita per terram raptata tandem Deorum commiſeratione in ſui nominis fontem converſa eſt, non procul à Thebis. Prop. *l,* 3. *Eleg.* XV. *ad Cynthiam v.* 37. *& ſeqq.*

Tu reddis pueris matrem, puerique trahendam
Vinxerunt Dircen ſub trucis ora bovis.
Antiope cognoſce Jovem; tibi Gloria, Dirce

Cadmæa Dirce, Lucan. *Bell. Civil.* dicitur *l.* 4. Cujus nomen (inquit Bochart.) palam factum eſt Arabico זרקא *zirca* vel *zarca*, permutatione literarum *z.* & *d.* quod *cærulum* ſonat, quod ipſiſſimum Dirces epitheton eſt apud Papin. Stat. *l.* 1. *Theb. v.* 38.

Cærula cùm rubuit Lernæo ſanguine Dirce.

Idem Ibid. *v.* 152.

Dumque uter anguſtæ ſquallentia jugera Dirces.

Ovid. Metam. *l.* 2. *v.* 239.

Deflevere comis: quæritur Bœotia Dircen,

Hinc Ælian. Varro *l.* 12. *c.* 57. Δίρκη καθαρῷ καὶ ἡδεῖ ῥέουσα ὕδατι, *Dirce pura ac dulci aqua fluens*; Et *in Euripidis Phœniſſis*, eidem tribuitur καλλιπόταμος νοτὶς, i. e. *pulchrifluus humor.* Hinc *Amphion Dircæus* pro Thebano apud Virg. & *Cygnus Dircæus* pro Pindaro *apud Horat.* Lucan. *Bell. Civil. l.* 4. *v.* 549. & *ſeqq.*

—— Sic ſemine Cadmi
Emicuit Dircæa cohors, ceciditque ſuorum
Vulneribus, dirum Thebanis fratribus omen.

Claudian. *l.* 1. in pr. Conſulat. Stiliconis Carm. 21. *v.* 320. & *ſeqq.*

—— Dircæis qualis in arvis
Meſſis cùm proprio mox bellatura colono
Cognatos ſtrinxit gladios, cùm ſemine jacto
Terrigenæ galeâ matrem naſcente ferirent,
Armiger & viridi floreret milite ſulcus.

DIRCE, de forma cum Pallade contendens, in piſcem mutata eſt. Ovid. Metam. *l.* 4. *v.* 726.

Nunc laterum coſtas nunc qua tenuiſſima cauda,
Deſinit in piſcem, falcato vulnerat enſe.

DIRCENNA, fons Hiſpaniæ gelidiſſimus non procul à Bilbili. Mart. *l.* 1. Epigr. 50. cujus Epigraphe ad Licianum de Hiſp. locis.

Avidam rigens Dircenna placabit ſitim

DIRCHOVIA, vulgò DIRSCHOW, opp. Poloniæ, in Pruſſia Reg. ad Viſtulam fluv. 3. leuc. Pol. à Mariæburgo in Occ. 6. à Gedano in Mer. Polonicè etiam *Tſcozow*; Aliàs munitum. Quibuſdam eſt Dirſavia.

DIRE, prom. & urbs ejuſdem nominis juxta Æthiopiam. Steph. Item civitas Athenienſium ſocia. Idem. Ex Græco: Δειρή, i. e. *Cervix.* Sed & τὰ στενὰ κατὰ Δειρὴν dicebantur fauces & anguſtum Arabici Maris, à quibus adhuc conductum mare, uſque ad prom Moſſylum, ubi trajectus 200. fermè ſtadiorum eſt: Tum demum mare expanditur & aperitur ingens. Patebant illæ non plus, quàm in ſtadia ſexaginta, h. e. octo millia paſſuum. Strab. *l.* 16. Atque hucuſque progreſſus eſt Seſoſtris, non verò uſque ad Moſſylicum Sinum, uti tradit Plin. *l.* 6. *c.* 29. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1265. ubi Promontorio huic Δειρῇ, ex adverſo in Arabico littore, Ocelim reſpondere, addit.

DIRECTANEUS, in *Reg.* S. Aureliani ad Virg. *c.* 40. *Ad Lucernarium*, directaneus *parvulus*, *i. e. Regina terræ cantate Deo* --- *Quotidianis verò diebus ad Nocturnos inprimis* directaneus *dicatur*, *Miſerere mei Deus*, alibique paſſim: dicitur Pſalmus vel Hymnus, unico vocis tono, ſine modulatione dictus pronuntiatuſque; quem pſallendi modum primitivam Eccleſiam maximè probaſſe, docet Iſid. *de Eccl. Offic. l.* 5. *c.* 5. & Joh. Satisberienſis *Policratici l.* 1. *c.* 6. quorum hic, *Proinde quidam*, ait, *venerabilis vir: circiter ſeptingentarum Monialium Pater, hanc Monaſteriis ſuis præſcripſit Legem, ut omnia earum cantica totius melicæ pronuntiationis exuant modos, & ut ſolâ Pſalmorum ac Laudum ſint ſignificativâ pronuntiatione contentæ: Suſpecta equidem fuit Viro ſancto voluptati cognata mollities* &c. Hinc *Pſalmus in directo* dictus, eſt qui non ſolenniter, ſed ſine modulatione antiphonæ pronuntiatur, apud Amalar. *l.* 4. *c.* 48. & in *Statutis* Sempringham. apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

DIRECTARII, dicti qui in alienas ædes *dirigebant*, furandi gratiâ. Gloſſæ, *Directarius* ὁ εἰς τὰς ἀλλοτρίας ἕνεκεν τοῦ κλέψαι εἰσερχόμενος οἰκίας, quæ interpretatio ab Ulpian. eſt, qui *l.* 9. *de Offic. Proc. Directarios* ita expoſuit. In iiſdem Gloſſis, *Derectarii*, exponuntur εἰσπηδήσαντες & εἰσπηδηταὶ & θυρεπανοῖκται. *Dirigere* nempe abſolutè poſitum eſt in medium procedere. Vopiſc. *in Probo*, *Occiſi ſunt præterea multi* (leones) *qui dirigere nolebant, ſagittis.* Tertullian. *in Scorpiaco*, *Nam & rurſus ad Apoſtolos dirigit.* Sic apud Appul. *in aſpectum dirigere.* Nec multo ſecus apud Manil. *l.* 1.

In cujus caudam contento dirigit arcu
Mixtus equo, volucrem miſſurus jamque ſagittam.

Idem *alibi*,

Cancer in adverſum capricorni dirigit aſtrum,

Vide Salmaſ. *ad l. cit. Vopiſc.* & infrà *Haſpatici.* Propriè verò διχοτομεῖν, *in duas rectas & æquales partes ſcindere*, ac diſſecare. Plaut. *in Curcul. Act.* 3. *v.* 54. *Clypeatus elephantum ubi macharâ diſſicit.* Titinn. apud Nonium, *pernam totam dirigit* &c. Unde Feſti abbreviator, *dirigere apud Plaut. invenitur pro diſcindere.* Hinc itaque potiùs *Directarii* dicti, qui fores effringerent ac dirigerent: Διορύκται Baſilio *in Ep.* uſque eos cum latronibus jungit. Idem *ad Solin. p.* 1191.

DIREPTIO, aliquando militi conceſſa, aut in populatione, aut poſt prælium oppidive expugnationem, ut ſigno dato diſcurreretur, antiquis ſeculis rariùs occurrit. Occurrit tamen. Namque Sueſſam Tarquinius militi diripiendam dedit: caſtra Æquorum Q. Servilius Dictator Vejos urbem Camillus: caſtra Volſcorum Coſ. Servilius. Permiſit & *direptionem* L. Valerius in agro Æquorum, Q. Fabius fuſis Volſcis, captaque Ecetrâ, mox alii ſæpe. Victo Perſeo Paulus Coſ. ſpolia jacentis exercitus peditibus, equitibus prædam circumjacentis agri permiſit. Idem ex S. C. diripendas dedit militi Epiri urbes, ut Athenas Sulla; Lucullus Tigranocerta, Severus Cteſiphontem &c. apud Liv. Dion. Appian. Ponitque Cic. inter modos acquirendi, dominii, ſi quid ex hoſtibus captum ſit, cujus prædæ ſectio non venierit, *de Invent. l.* 1. Qua de re quid ſentiendum, vide Hug. Grot. *de Jure Belli & Pacis l.* 3. *c.* 6. §. 18. Interdum verò conceſſa *direptio*, quòd impediri non poſſet. Sic in expugnatione Cortuoſæ, Hetruſcorum oppidi, narrante Liv. *l.* 6. *c.* 4. *Publicari prædam Tribunis placebat: ſed imperium, quàm conſilium ſegnius fuit dum, jam militum præda erat; cunctantur, nec niſi per invidiam adimi poterat.* Gallogræcorum quoque caſtra à C. Helvii agmine *direpta*, contra Ducis voluntatem, legimus apud eundem *l.* 38. &c. Ad hujus verò direptionis militaris imitationem, *Direptionis venatio* inſtituta eſt, Heliogabalo auctore, de quo Spectaculi genere, vide infrà in voce *Sylva.* Sed & ſi quis Conſuli aut Prætori non obtemperabat, apud Romanos, lictores mittebantur, qui *ſupellectilem* ejus *diriperent*, ſicque *damno eum coërcerent*, ut ait Cic. è quo inſuper diſcimus, fabros, ſi aditus non pateret, ſolitos adhiberi & publicis operis omnia diſturbari. Ad quem coërcitionis modum reſpicit Suet. *in Cæſare c.* 17. *Vettium pignoribus captis & direptâ ſupellectile malè multatum ac pro Roſtris in concione pæne diſcerptum conjecit in carcerem*, ubi vide Caſaub. Medio ævo, Epiſcoporum, ſtatim poſtquam obiiſſent, domos expilari, ipſorumque bona *diripi* conſueviſſe, liquet ex *Actis* Synodi Rom. ſub Joh. IX. A. C. 904. *can.* 12. ubi id prohibetur. Vide quoque infrà in voce *Vicedominus.*

DIRGUS, vulgò *Lough Dirgh*, lacus Hiberniæ, in Ultonia & Comitatu Dungalenſi. In ejus Inſ. eſt locus dictus *S. Patricii Purgatorium*: de quo mira indigenæ narrant.

DIRIBITORES, dicti ſunt olim Romanis, qui in Comitiis tabellas miniſtrarent populo ſuffragium inituro; quarum unâ ſcriptum erat: *Uti rogas*, duobus tantùm primis elementis *U. R.* Alterâ *Antiquo*, unicâ etiam literâ *A.* idque hoc ordine. Sortitione inter Tribus & Centurias de prærogativa factâ, Magiſtratus in Tribunali, quod erat in campo Martio, ſedens, per præconem vocabat Prærogativam centuriam ad ſuffragium: quæ de loco, in quo conſiſtebat, in ſeptum prope Tribunal, *Ovile* dictum, diſceſſura ibat per pontes, qui erant anguſtæ viæ eò ferentes. Horum in initio ſtabant *Diribitores*, qui tabellas præfatas ſingulis miniſtrabant. Tum ingredientibus in Ovile Rogatores proponebant ciſtam, in quam conjicerent eam, quam vellent tabellam. Poſtquam dein totius centuriæ tabulæ collectæ, tum educendis ſuffragiis Cuſtodes adhibebantur, quorum erat deſcribere ſuffragia, i. e. tot puncta in tabella notare, quot tabellæ ſimiles reperirentur &c. Nomen itaque iis à *diribendo*; i. e. diſtribuendo. Tranſlata dein in convivia vox, & *Diribitores* apud Appul. *Mileſiar. l.* 2. audiunt, qui aliàs *Structores* & *Carptores* dextrè diſſectos cibos conviviis dividerent. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 14. & Thom. Dempſter. *Paralipom. in ejuſdem l.* 5. *c.* 29. nec non infrà, in voce *Penis*, it. *Sciſſor.* Hinc *Diribitorium*, quale Romæ ab Agrippa mirandæ artis, inchoatum, perfecit poſt ejus obitum Auguſtus & publicavit, Dio *l.* 55. *ad* A. U. C. 757. locus Plinio, ubi luſtrabantur milites. In vetuſtiſſimo *Lexico*, in quo ſtipendia militibus perſoluta. Primitus pars domus, quæ *Pædagogium* alias, quòd ſeorſim in ea pueri à reliqua familia *diriberentur* ac ſecluderentur, vide Hadr. Junium *ad Nonium* & G. Stewech. *ad Arnob. l.* 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

DIRINI, pop. in 2. reg. Italiæ. Plin. *l.* 3. *c.* XI.

DIRIS, mons Mauritaniæ, quem propter altitudinem *cœli columnam* vocavêrunt. Ex eventu ab Atlante Rege in eum mutato *Atlas* nunc vocatur.

DIRIS, Vitruv. fluv. eſt, qui ex montis Atlantis Septentrionali latere ortus, in decurſu, *Nigri* nomen aſſumit, Salmaſ. alius à Nigro, & ipſe tamen ingens per Garamantas Æthiopas fluit, & ſub terram abſconditus Nubam paludem efficit. *Giris* auctori Tabulæ Peut. aliis *Siris*, Ptolomæo Γεὶρ. Vide Autorem præfatum, *ad Solin. p.* 420. & 421. ubi hæc nomina *Nigris*, *Giris*, *Diris* & *Siris* ſæpe confundi, ſeu potius hæc flumina cum Nilo, & ex Hebr. שחור *Schicor*, quo Nilus indigitatur, Æthiopes linguâ ſuâ feciſſe *Schichri*, hincque *Siris* & *Giris* vel etiam *Diris* corrupta eſſe, contendit.

DIRPHYS, mons Eubœæ, ubi *Dirphya* Juno colitur, ut apud Steph. videre eſt.

DIS, Jovis & Neptuni frater, Inferorum Deus, qui & Pluto, utroque nomine à *divitiis* deducto, quæ ab *inferis*, h. e. ex intimis terræ viſceribus eruuntur. Vide Voſſ. *Theolog. Gentil.* Item *Dis*, qui & Samothes, Noë fil. primus omnium Celticas colonias fundavit. Cæſ. *de Bell. Gall. l.* 6. *c.* 4. *Galli ſe omnes ab Dite patre prognatos prædicant*: Tacit. *l.* IV. *Hist. c.* 84. *Plurimi Ditem patrem insignibus quæ in ipſo manifeſta, aut per ambages conjectant.*

DISAN, vel DISHAN, fil. Seir Horræi, Gen. *c.* 36. *v.* 21. i. e. *trituratio* ſive *pinguedo*; vel *cinis*, *dens*, vel *ebur abundans*.

DISARES, memoratus Tertull. *Apologet. c.* 24. *Unicuique etiam provinciæ & civitati, ſuus Deus eſt: ut Syriæ Aſtartes, ut Arabiæ Diſares*: Arabum fuit Numen, *Duſares* Steph. ſive Hermelao Byzantio dictus, ubi ait, Δουσάρη, σκόπελος καὶ κορυφὴ ὑψηλοτάτη Ἀραβίας· εἴρηται δὲ ἀπὸ τοῦ Δουσάρου· Θεὸς δὲ οὗτος παρὰ Ἄραψι καὶ Δαχαρηνοῖς τιμώμενος, *Duſare, locus Arabiæ ſublimis. Sic verò à Duſare vocatus, qui Deus Arabibus & Dacharenis cultus.* Qui Dachareni Felicis Arabiæ populus, aliter *Nabathæi* dicti ſunt. Ejuſdem Numinis, ac pariter Obodæ, meminit idem Tertullian. *adv. Nation. l.* 2. *c.* 8. quem Obodam Numen animale, ac Regem in Deos relatum fuiſſe, docet Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 8. *ſub fin.* Vide quoque in voce *Dyſares*.

DISCALCEATI, Vide infrà *Nudipedalia*.

DISCALTIUS Othoniel, Vide *Othoniel*.

DISCEDITE, formula dimittendi concionem, apud Romanos: ſicut, *Nihil vos moramur Patres Conſcr.* Senatum. Extat apud Tull. & Tit. Liv. non ſemel. Caſaub. *ad Capitolin. in Marco.* De carmine, quo *Diſcedentes* proſequimur amicos, vide infrà *Propemptione*, muneribus, qui iiſdem præbemus, voce *Vale*: uti de S. C. per *Diſceſſionem* facto, voce *Senatusconſultum*.

DISCERA, natio in Cyrene, quam Corn. Balb. cum pleriſque aliis duxit in triumpho. Plin. *l.* 5. *c.* 5.

DISCERNENTES, Sectarii in Hiſpania memorati in L. Wiſigothorum *l.* 12. *tit.* 2. §. 2. ubi diſputationes de Fide prohibentur: *Nullus antiquorum PP. impugnationibus ſuis ſacras definitione irrumpat: nullus modernorum* Diſcernentium *congruentes fidei tractatus ſpernat.* Sic Διακρινομένους quoſdam habet Codin. *in Origin. CP.* apud Car. du Freſne *Gloſſario*.

DISCERNICULUM, apud Lucill.

Euplocamo digiti, diſcerniculumque capillo:

Nonio *acus* eſt, *quæ capillos mulierum ante frontem dividit.* Aliàs *diſcriminalis acus*, vide ſuprà in voce *Acus*. Ornatus autem ipſe, quo capilli ſic dividantur, *Diſcrimen* appellatum eſt, ut infrà dicemus.

DISCINCTI, Vide ſuprà *Cincti*, *Cinctas*, *Cingula*, *Citharœdus*.

DISCIPLINA, index doctrinæ eſt, Tertull. *de Præſcript. c.* 43. Hinc illa aſtricta olim admodum & ſevera in Eccleſia fuit, cujus ordinem ſic deſcribit Cyprian. *Agunt pœnitentiam juſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad exomologeſin veniunt, & per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri jus communionis accipiunt*, *l.* 3. *Ep.* 14. Diſtinctiùs Concilium Quini Sextum *c.* 87. ubi 4. pœnarum Canonicarum gradus recenſentur: *A Patribus noſtris ſtatutum eſt, ut qui ſunt ejuſmodi, Annum defleant*, ἐνιαυτὸν προσκλαίειν; *biennio audiant*, διετίαν ἐπακροᾶσθαι; *triennio, ſubſternantur*, τριετίαν ὑποπίπτειν; *& ſeptimo cum fidelibus conſiſtant*, καὶ τῷ ἑβδόμῳ συνίστασθαι τοῖς πιστοῖς. *Et ſic oblatione digni habeantur*, καὶ οὕτω τῆς προσφορᾶς καταξιοῦσθαι. Quod de pœnitentibus intelligendum. Impœnitentes autem tum *Abſtentione* tum *Excommunicatione* feriebant, quâ ii, poſt multiplices ac fraternas admonitiones totque amoris circa fratrem laborantis ſpecimina & formas, per Scripturarum ἔλεγχον tandem peracta, *ligati* eouſque detinebantur, donec reſipuiſſent: quo caſu per gradus præfatos in Eccleſiæ ſinum recipiebantur denuo. *Clavium poteſtatem* Spiritus S. vocat in Evangelio, ſimilitudine ab Oeconomorum & Adminiſtratorum domus Eſ. *c.* 22. *v.* 22. aut à Doctorum Legis, qui inter alia *clavium traditione* creabantur, Luc. *c.* XI. *v.* 52. aut etiam à Janitorum officio, deductâ, Ezech. *c.* 44. *v.* 5. Vide de illa Joh. Forbeſ. *Inſtruction. Hiſt. Theologic. l. XII.* Franc. Burmann. Alios. De *Diſciplina* verò *Domeſtica*, & *Militari*, infrà in voce *Oeconomia*, & ubi de *Militibus*. In *LL.* Wiſigothorum vox paſſim occurrit, pro flagellatione vel alia pœna, ex Judicis decreto infligi ſolita. Apud Monachos itidem flagellatio eſt, interdum virgæ ipſæ. *Flagelli diſciplina*, in *Reg.* S. Aureliani *c.* 41. De qua ſic Liber Ordinis S. Victoris Pariſienſis MS. *c.* 33. *Si aliquis* diſciplinam *accipere debeat; erigens ſe ſuper genua, modeſtè veſtimenta ſua exuat, deinde procumbens à cinctura deorſum eiſdem veſtimentis tectus remaneat, & ſic jacens aut prorſus taceat, aut hoc ſolummodo dicat, Mea culpa, ego me emendabo. Sed neque alius interim loquatur, niſi forte aliquis de Prioribus pro eo intercedat, uſque ad juſſionem Abbatis. Qui dum ceſſaverit, adjuvet illum fratrem ad induendum: qui indutus & erectus non ſe moveat, donec Abbas dicat, Ite ſeſſum: & tunc inclinans eat in locum ſuum. Hoc etiam ſciendum, quod ille, qui inferioris gradus eſt, non debet verberare ſuperiorem --- ſed æqualis æqualem, vel ſuperior inferiorem* &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.*

DISCIPULI, Græcè Μαθηταὶ, dicti ſunt, qui poſtmodum *Chriſtianorum* accêpere nomen. Actor. *c.* XI. *v.* 26. Ἐγένετο --- χρηματίσαι τε πρῶτον ἐν Ἀντιοχείᾳ τοὺς μαθητὰς Χριστιανούς, *Factum eſt --- ut* Diſcipuli *nominarentur primùm Antiochiæ Chriſtiani.* Ad differentiam ſc. aliorum Diſcipulorum Hæreticorum, ut refert Athanaſ. *quia Doſitheus, Juda & Joh. qui antea fuerant Apoſtolorum Diſcipuli, invenêrunt falſa dogmata, Religioni Chriſtianæ contraria* &c. Vide Macros Fratres in *Hierolexico*: & de *Diſcipulorum gradibus*, apud varias gentes infrà, ubi de *Gradibus Acad.* item in voce *Lecticula in Rab.*

DISCOBOLI, dicebantur olim, qui *diſco* viciſſent, quod unum erat è quinque ludis, in ſtadio exerceri ſolitis. Se exercebant autem *Diſco* & Milites, uti Homer. de Myrmidonibus, quos Achilles ducebat, ſcribit. *Il.* μ. & Athletæ, tum in Gymnaſiis, tum in publicis certaminibus: quod ut meliùs percipiatur, notandum, penès Scriptores varia *diſcum* ſignificaſſe. Suid. fuit inſtrumentum rotundum, quod aliquando adeò grave erat, ut vix ab uno homine elevari poſſet. De quo videtur locutus Solon apud Lucian. ubi interrogatus, numquid *in Gymnaſio globum quendam jacentem æneum atque teretem, in parvi ſcuti figuram formatum, neque lorum neque balteum habentem*, vidiſſet, *qui gravis & comprehenſu difficilis* erat; *cum manu ſurſum extortum in aërem aliquos jaculari conſueviſſe*, ſubjungit. Aliquando figuram Solis corpori ſimilem habuit, unde *Diſcus Solis* apud Alexandr. Trallian. *Probl.* 2. Eadem voce dicta eſt quadra rotunda, quâ epulæ in menſas ferebantur, unde Δισκοφόροι. Poſtremò, inſtrumentum ſignificabat, de quo hîc ſermo. Quod quale fuerit, exponit Euſtath. ὁ Παρεκβολίστης *ad Il.* λ.

Δίσκοισιν τέρποντο:
Ludebant diſcis:

ubi inquit. Δίσκος ἐστὶ λίθος βαρὺς, ὃν ἐρρίπτουν οἱ γυμναζόμενοι· τὸ γὰρ σιδηροῦν σόλον προσαγορεύουσι, *Diſcus fuit lapis gravis, quem exercentes ſe projiciebant; ferream enim maſſam vocabant.* Cui ſuffragari videtur Mart. *l.* 14. in Apophoretic. Epigr. 164. cujus epigraphe Diſcus.

Splendida cùm volitant Spartani pondera Diſci,
Eſte procul pueri: ſit ſemel ille nocens.

Alii, quibus Mercurialis accedit, credunt *Diſcum* fuiſſe laminam quandam trium vel quatuor digitorum craſſitie, longiorem paulò plus pede, aliàs lapideam, aliàs ferream, (æneam quoque, ex ſepulchro Marci Mannii Philopatris Athletæ, In via Salaria) cujuſmodi majorem partem, ne, dum ex alto rueret, frangeretur; fuiſſe putant planam, quaſi lentis ſpeciem referentem, quam in aërem projiciebant, ſed modo à jaculorum miſſione diverſo. Siquidem in mittendis jaculis brachia pandebant, mox prorſum impellebant; contrà in *Diſco* manu ad pectus adductâ, atque extorſum & deorſum reductâ, rotationis inſtar illum in aërem ejaculabantur, uti docet Propert. *l.* 3. Eleg. 14. *v.* 9.

Miſſile nunc Diſci *pondus in orbe rotat.*

Figuram hanc præter Dioſcorid. lenticulam Δίσκος nominantem, probat *Diſcoboli* marmorea ſtatua, quæ hodie Romæ, in ædibus Joh. Baptiſtæ Victorii ſervatur: Alterius item *Diſcoboli* brachium lapideum, hodie in Magni Tuſciæ Ducis ædibus *Pittis* vocatis aſſervatum: è quibus ſimiliter ejaculandi modum intelligere licet. Quibus ſtatuis ſimiles alias duas *Diſcobolorum* fuiſſe veriſimile eſt: quarum unam ex ære Myronem finxiſſe, aliam Tauriſcum pinxiſſe, refert Plin. *l.* 35. *c.* XI. Interim non unam *Diſcorum* formam fuiſſe, ex eo conjicias, quòd Cyprian. *de Spectac.* Diſcum vocat *orbem æneum*: & in Marc. Aurel. Imp. nummis quibuſdam Apolloniæ Illyrici excuſis, hujuſmodi luſus repræſentatur, in quo *Diſcum* quadram quandam orbiculatam & in medio perforatam fuiſſe, apparet, ut ex quatuor Δισκοβόλων icone, apud præfatum. Mercurial. *de Arte Gymnaſt. l.* 2. *c.* 12. videre eſt. Neque illud prætereundum, in hoc luſu, artificio, ut Pindari oſtendit Interpres, fuiſſe omninò opus, ne jaculatores laude fruſtrati deriderentur, & damna afferrentur ſpectatoribus; uti inter alia Hyacintho contigit, quem à Phœbo hoc modo interfectum eſſe, docet idem. De *Diſci* Medico uſû, vide apud eundem Mercurial. *l.* 5. *c.* 10. Simile huic, alterum fuit exercitationis genus, quod ἁλτῆρες Græci, Latini etiam *Halteres* appellarunt; de quo dicemus infrà *ſuo loco*. Hîc ſaltem, *Diſci* Halterumque diverſam figuram, Haltereſque variis contorſionibus altiùs actos; *Diſcum* verò etſi in altum projiceretur, tamen longitudinem ſpatii jactatione peracti potiùs menſum fuiſſe, eo ferme pacto, quo hac tempeſtate faciunt, qui ſeſe in lateribus oblongis projiciendis exercent, monuiſſe ſufficiat. Vide infrà.

DISCOPHORUS, cognom. Abacuc Propheta, apud Hieronym. & Sebaſtiani, inter Sanctos relati, in *Vita* S. Deicoli Abbatis Lutr. *c.* 1. *n.* 4. quòd ille Danieli, iſte pauperibus ſanctiſque cibos attulerit. Eſt enim *Diſcophorus*, ſeu *Diſcifer*, idem quod *Dapifer*, in *Gloſſis* Ælfrici, Gall. *Maître d'Hoſtel.* Sic *Diſcoferæ*, in Monaſteriis fœminarum dicuntur miniſtræ menſarum, diſcos ferentes. *Diſcus* enim quid ſit, notum: Cæſarius Arelat. Ep. *ad Oratoriam Abbatiſſam*, apud Car. du Freſne; ubi ſupra. Vide quoque Macros Fratres in *Hierolexico*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

DISCORDIA, à pagana antiquitate Dea exiſtimata fuit, eamque formavit in formam Furiæ. Deſcribitur à Virgil. & Petron. Arbitro *in Satyrico*, ubi de bellis civ. Cæſaris & Pompeii: ex editione Boſchii *p.* 289. ex Edit. Goniali di Salas. *p.* 68.

Intremuêre tubæ, ac ſciſſo Diſcordia crine
Extulit ad ſuperos Stygium caput, hujus in ore
Concretus ſanguis contuſaque lumina flebant:
Stabant ærati ſcabra rubigine dentes,
Tabo lingua fluens, obſeſſa draconibus ora,
Atque intertorto laceratam pectore veſtem
Sanguineam tremulâ quatiebat lampada dextrâ.

DISCRETÆ, in Monaſteriis Sanctimonialium, quibus rerum ſecretiorum incumbit cura, quæ ad ſecretiora conſilia admittuntur: ut *Fratres maturi*, in Virorum, apud eundem *Gloſſarii* Auctorem.

DISCRIMEN, apud Ovid. *de Arte Amandi l.* 3. *v.* 137.

Longa probat facies capitis diſcrimina *puri.*

Græcè διάκρισις & διάκρισμα, ſimpliciſſimus fuit ornatus capitis, capillis in duas partes per medium caput tæniis diviſus. Hinc *puri capitis* addit, ut caput ſic ſimpliciter diſcriminatum ab alio mulierum ornatu operoſiore diſtingueret, qui etiam diſcrimen acus admittebat. Nempe, ut ex Tertull. *de Virgin. vel.* diſcimus, mulieres omnes crines à fronte diviſos geſtabant (quo à Virginibus diſtinguebantur, quæ cirratæ erant) nec omnes tamen *diſcrimen* illud *puri capitis affectabant.* Sed & verba hæc accipi poſſunt de capillo tantùm pexo ac dentibus pectinis diſcriminato; πεκτὴν καὶ ἀνεπιζευγμένην τρίχα Græci dicunt: quæ alium non admiſit ornatum, præter pectinis diſcriminationem, non calamiſtris intorta, non in cumulum nodata, non ſpiris convoluta, nec ſtructuris ædificata, quæ omnia comendi crinis genera longam faciem non decent. Sic *terram diſcrimine pectitam* vocat Columella *in Horto*, quæ raſtri dentibus, quaſi pectine, polita ac diſcriminata eſt:

Verùm ubi jam puro diſcrimine *pectita tellus*
Depoſito ſquallore nitens ſua ſemina poſcit.

Certè ornatum hujuſmodi capillorum, διάκρισιν καὶ ἐψηνισμένων τριχῶν vocat Pollux, in deſcribendo habitu perſonarum Comicarum, quibus τὰς πεπλεγμένας καὶ ἀλωθείσας opponit. Sic tribus generibus διάκρισις crinium fiebat, *vittâ, acu, pectine.* Et quidem eadem acu capillum diſtinxiſſe & à fronte diviſiſſe, moxque comptum ac diſtinctum per annulos & ſertas crinium fixâ eâ & inſertâ, ne diſſiparetur tota compago, retinuiſſe comptiores videntur. Iſidor. verò acum *diſcriminalem* à *crinali* diſtinguit. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 759. & *ſeqq.* nec non ſuprà paſſim: item infrà in voce *Promulſi.*

DISCUM, Græcè δίσκον & δισκάριοι, dicitur Græcis, vas ſacrum, in quo hoſtiam, ut vocant, conſecrandam & conſecratam ponunt Presbyteri, quod Latinis *Patena* vocatur: ſed Græcorum *diſcus* lancis profundioris figuram habet, vide *Liturgiam* S. Chriſoſt. Joh. Damaſcen. *in Synodica ad Theophil. Imp. Chron.* Alexandr. *p.* 892. &c. Hinc δισκοκάλυμμα, *operculum diſci*, velum quo ſacer diſcus operitur, apud Anonym. *in Deſcr. S. Sophiæ.*

DISCUMBENDI ritus, Vide ſuprà *Accumbendi ritus.*

DISCURRERE, dicuntur Miſſi, qui mittuntur in provincias, qui inde *Miſſi diſcurrentes* paſſim appellantur, item *Diſcurſores*, in *Edicto* Chlotarii II. Regis apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Sic Rectores *diſcurrere* dicuntur *l.* 5. *Cod. Theod. de Off. Rect. prov.* cùm intra provinciæ ſuæ fines per villas, ad querelas provincialium excipiendas ſeſe conferunt. *Diſcurſus Judicum*, memorat Senator *l.* 5. *Ep.* 14. apud *Eund.*

DISCUS, cujus jactu in ludis ſolennibus olim apud Græcos certatum, in Pentathlo inprimis, ſeu Quinquertio, erat βαρὺς λίθος, *gravis lapis*, ut habet Gloſſogr. Græcus, ſeu rotunda quædam moles ſaxea, vel etiam plumbea, ſive ferrea, quam qui altiùs in ſublime, aut longius in tractu ultra deſignatam projeciſſet metam, victor fuit. Videtur fuiſſe figurâ planâ ac rotundâ, quali Solis corpus nobis apparet, quod Græci quoque Δίσκον propterea vocant. Hunc itaque ſaxeum plerunque orbem nudi oleoque peruncti; ut & reliqui omnes athletæ, in altum contorquebant. Propert. *l.* 3. *Eleg.* 14. *v.* x.

Miſſile nunc Diſci *pondus in orbe rotat;*

Torquebatur autem amento è crinibus facto, ut Claudian. innuit *l.* 2. *in Eutr. Carm.* 20. *v.* 359. & *ſeqq.*

Quis meliùs vibrata puer vertigine molli
Membra rotet? verrat quis marmora crine ſupino?

Totam luſus hujus rationem eleganter expreſſit Ovid *Metam, l.* 10. *v.* 175.

Corpora veſte levant, & ſucco pinguis olivæ
Splendeſcunt, latique ineunt certamina diſci,
Quem prius aereas libratum Phœbus in auras
Miſit & oppoſitas disjecit pondere nubes.
Decidit in ſolidam longo poſt tempore terram
Pondus: & exhibuit junctam cum viribus artem.

Ejus jactu Hyacinthum ab Apolline, vel potius Zephyro hujus rivali, qui vehementi flatu diſcum in pueri caput diverterat, occiſum ibidem Poëta refert. Vide Thom. Dempſter. *Paralip. in Joh. Roſin. Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 1. Meminit quoque Δισκοβολίας hujus Horat. *Carm. l.* 1. *Od.* 8. *v.* 11.

------ ------ ------ *ſæpe diſco,*
Sæpe trans finem jaculo nobilis expedito?

Ludi enim hoc genus Romani à Græcis accepêrunt: cujus certamen apud Homer. habes *Iliad.* ψ. *ſub finem* ubi Ajacem à Polypœta victum refert: & *Odyſſ.* θ. ubi Ulyſſes in hoc ludi genere Phæacenſes exſuperaſſe legitur. E' jactu *Diſci* crepitus edebatur aëre cedente, cujus auditu diſcipulos ab auditione Philoſophorum, qui in locis vicinis profiterentur, avocari ſolitos fuiſſe, refert Cic. *de Orat. l.* 2. *Auditores Philoſophorum audire diſcum, quàm Philoſophum, malunt.* Vide quoque Lucian. *in Anacharſide*, & plura de hoc luſu, apud Fabr. *Agoniſtic. l.* 2. *c.* 1. Barth. *in Stat.* paſſim, & ſuprà in voce *Diſcoboli.* Nomen παρὰ τὸ δίκειν, quod eſt βάλλειν, *projicere:* Uſus verbo eſt Pindar. *Olymp* Od. 10. *antiſtr.* 4.

Μᾶκος δ' Ἐνικεὺς ἔδικε πέτρῳ
Χέρα κυκλώσαις ὑπὲρ ἁπάντων,
Καὶ συμμαχίᾳ θόρυβον
Παραίθυξε μέγαν.
Sed longè Eniceus projecit lapidem
Diſcum, rotatâ manu ſuper omnes,
Et ſodalitio tumultum
Commovit magnum.

DISCUS, pro lance, κύκλος, Græcis πεζογράφοις, Polluci, Heſych. aliis; in Sacris Vett. Vide infrà *Victima*: hincque propter clypeorum (κύκλος enim Græcis Poëtis etiam *clypeus* eſt) & *diſcorum* ſimilitudinem, clypeata imago. Et quidem *cyclum* ejuſmodi imaginem vocat Pollio *in Tetrico Jun.* δίσκον Paulus Silentiar., in *Ecphraſi* Templi S. Sophiæ, ubi *diſcorum* meminit, in quorum medio erant Chriſti D. N. imagines: Μινσώρια ἀργυρᾶ ἀνάγλυφα, *miſſoria argentea anaglypha*, vocat Conſtantin. Porphyrog. Vide Salmaſ. *ad Treb. Pollion. l. c.* ut & *in Claud.* ac ſuprà in voce *Clypeus.*

DISCUSSORES, in *Gloſſis* Iſid. *Examinatores*, dicti ſunt Cognitores & Diſceptatores rerum Fiſcalium ab aliis tractatarum, ſeu qui in provincias extra ordinem mittebantur, examinaturi & inviſuri, quid tributorum nomine eſſet exactum, quid in reliquis reſideret, quique adeò provinciales ad reliquorum ſolutionem cogerent, de quibus plenè in *Cod.* Theod. & Juſtin. *tit. de Diſcuſſoribus*, qui ab *Inſpectoribus* fortè non alieni, de quibus infra. In *L.* Wiſigoth. *l.* 2. *tit.* 1. §. 34. *Diſcuſſores* juramenti ſunt, miſſi à Principe in provincias, ad excipienda ſubditorum ſacramenta fidelitatis, cùm de novo ad Regale faſtigium eveheretur, apud Car. du Freſne *Gloſſ.* Gerh. von Maſtricht JC. & Logothetas in Imperio CP. politicos, qui rationes fiſcales ſeu publicas cognoſcebant; diſceptabant & diſcutiebant, *Diſcuſſores* nonnunquam appellari, ait *Hiſt. Jur. Eccleſ. n.* 292.

DISEMUM, apud Plin. *l.* 37. *c.* 7. genus ſardæ, à magnitudine ſic dictum, ex Græco δίσημον, quod duæ σφραγῖδες ex eo fieri poſſent: σημεῖον namque & σφραγὶς idem, & σημεῖον, annulli gemma, Heſych. Certa nempe magnitudo deligebatur in gemmis, ut ad annulos aptari poſſent, uti docet ex Theophraſto, ubi de chalcedoniis gemmis, Salmaſ. *ad Solin. p.* 183.

DISERTI, ſæpius victores, coronatis foribus, olim ornabantur. C. Paſchal. *Cor. l.* 8. *c.* 7. Vide infrà ubi de *Rhetoribus.*

DISHYPATUS, nomen nobiliſſimæ Familiæ Byzantinæ; ortum ex dignitate hujus nominis illuſtri in Imperio CP. de qua tamen Eruditis non multum liquet. Suid. Dictatori Rom. eam appellationem tribuit, q. *duplicem poteſtatem habenti.* Διςύπατος enim vi vocis *Bis-Coſ.* eſt. Vide infrà *Diſſipatus.*

DISLOCENSE, apud Plin. *l.* 9. *c.* 37. ubi purpuram pelagiam in varia genera dividit, pabulo & ſolo diſcreta, *Lutenſe --- Algenſe --- Tenienſe --- Dialuctenſe --- Et longè optimum purpuris* Dialutenſe, *i. è. vario ſoli genere paſtum*: Purpuræ genus eſt, quod vagum fertur & ſedes ſubinde mutat; cumque lutenſe in luto ſemper hæreat, algenſe circa algam ſolùm vivat, tenienſe melius utroque ſed etiamnum vilius ac dilutius calculenſi, calculenſe optimum conchyliis tingendis fuerit, quæ dilutior, ac pallidior erat purpurâ: ad purpuras inficiendas optimum *Diſlocenſe* omniumque præſtantiſſimum habitum eſt. Vide ad hunc locum, Salmaſ. *Exercitat. ad Solin. p.* 1133. & infrà ubi de *Purpura.*

DISOMUM, ex Græco δισώματον, q. *duplicis corporis*, frequens in antiquis monumentis, Romæ præcipuè, vide ſuprà *Biſomaton.*

DISORÆ, pop. Thraciæ, *Steph.*

DISPARAGARE, apud Matth. Paris A. C. 1236. *Puellas nobiles --- wardis, ac maritagiis, quas dant ſuis, diſparagant*: eſt imparis conditionis generiſque duos matrimonio copulare. Invaluit enim jam olim apud Romanos, alioſque conſuetudo, ut viri nobiles uxores ſibi non jungerent, niſi pari natalium ſplendore illuſtres, ne, ſi abjectæ conditionis fœminis commiſcerentur, generis nobilitatem turpi contubernio commacularent: imitatione vett. Romanorum, ut videre eſt in *Nov. Theod. de Mulieribus, quæ ſe propriis ſervis junx.* Hinc apud Wiſigothos lex fuit, *ut puella nobilis, quæ honeſtatis ſuæ oblita --- ad inferiorem fortè maritum devenerit, portionem ſuam --- quam de facultate parentum fuerat conſecuta, vel conſecutura, amitteret.* Quod ipſum de Saxonibus teſtatur Adam Bremenſis *c.* 5. de Francis, Gregor. Turon. *Hiſt. l.* 3. *c.* 31. de aliis Alii. Et quidem *LL.* Francorum, ut & Anglorum, Scotorum aliorumque, licebat Domino Feudali ſuperiori puellam nobilem, cujus ex lege Tutor erat, cùm ad legitimam ætatem perveniſſet, quæ ad Annum 14. definiebatur, matrimonio, dummodo compar eſſet, copulare. *Charta.* Libertatum Angliæ A. C. 1215. apud Matth. Paris: *Hæredes maritentur ſine diſparagatione.* Apud Lithleton. *ſ.* 103. *Si hæres ſeu pupillus nobilis infra ætatem* 21. *Annorum ſit, Dominus tutor illius erit, & illum elocare poterit* &c. Quòd ſi Dominus ſecus feciſſet, hæredemque puerum ſeu puellam impari matrimonio junxiſſet, mulctabatur, apud Eund. *ſ.* 107. Sed & per *Statuta* Hieroſolym. ſeu *Aſſiſias c.* 109. & *ſeqq.* poterat Dominus mulierem viduam vel puellam, quæ 12. Ætatis Annum exceſſerat & feudum Militare, aut corporali, ut ajebant, ſervitio obnoxium, poſſidebat, ad matrimonium compellere, dummodo non impar eſſet &c. Vide Car. du Freſne *in hac voce*; & infrà *Pariare.*

DISPARGUM, ſeu DISPORUM, Urbs Tencterorum, ad Rhenum. Quibuſdam eſt *Duysbourg*: Aliis *Duſſeldorp*, urbs Ducatus Bergenſis prim. in Germ.

DISPARITIO, Græcè Ἀφανισμὸς, pars altera Sacrorum Adonidis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

dis, de qua vide infrà in voce *Thamuzi*.

DISPENSATIO, Latinis quibuſdam PP. Hilar. *l.* 12. *de Trinit.* Vigil. Tapſenſi *l.* 1. *c. Eutychetem*, Joh. Antiochero, apud Facundum Hermian. *l.* 7. *c.* 5. Alios, per excellentiam dicitur, quæ *οἰκονομία* eodem modo Græcis, *Oeconomia* quoque Hieronymo *Ep. ad Oceanum*; diſpoſitio nempe Dei & providentia, quâ vocare Gentes ad verum ſui cultum & Eccleſiam ſuam, per Incarnationem, Nativitatem, Mortem & Reſurrectionem Chriſti, ſalvam facere decrevit. Vide quæ de voce *Οἰκονομία*, adnotavit Henr. Valeſ. *ad Euſeb. Hiſt. Eccl. l.* 1. *c.* 1. Aliter vox ſumitur, apud Auguſtin. *Ep.* 8. 9. & 19. ubi diſſerit contra Hieronymi interpretationem, de Petro reprehenſo à Paulo, id quod non verè, ſed ſimulatoriè. & per quandam *honeſtam diſpenſationem* & *diſpenſatoriam* quandam *hypocriſin*, geſtum ſcriptumque eſſe, ſcripſit Hieronym. *ad Galat. c.* 2. & *Ep. ad Auguſtin.* Item apud Leontium, ubi Dominum, *ſe neſcire diem judicii* dicentem, *κατ᾽ οἰκονομίαν*, *per diſpenſationem* quandam id dixiſſe, à nonnullis ſtatui, tradit *l. de Sectis act.* 10. Expoſitionem nempe talem notat, è qua varia abſurda & inexplicabilia mala, inevitabiliter ſequi, demonſtrat Auguſtin. *d. l.* Unde ad Acephalum illum, hoc vocabulo, eo ſenſu, utentem, inquit Diacon. Ruſtic. *Dial. c. Aceph.* *Ergo diſpenſatio & hypocriſis nihil ab invicem differunt, & erit idem ſecundum idem & bonum & malum.* Vide Forbeſ. *Inſtruction. Hiſt. Theologic. l. XIII. c.* 20. §. 35. de *Diſpenſationibus* verò *Epiſcoporum* per indulgentias ſeverioris diſciplinæ, erga Lapſos pœnitentes, in vett. Eccleſia, eundem *l. XII. c.* 7. & *hic paſſim*, ubi de *Excommunicatione*, *Lapſis*, *Pœnitentia* &c.

DISPENSATORES, ſequioribus ſeculis *Rationales* appellati, à rationibus quibus præerant, in principio ſingulorum erant apud Romanos civium & Principum. Unde Aur. Caſſiod. *l.* 6. *Ep.* 8. *Per Rationalium*, inquit, *curam quondam Principum privatam fertur gubernaſſe ſubſtantiam.* Dein ad publicum tranſlatum officium eſt. Et privatorum quidem *Diſpenſatores* rei domeſticæ curam agebant. Suet. *in Galba c.* 12. *Diſpenſatori breviarium rationum adferenti paropſidem leguminis pro ſedulitate & diligentia porrexit.* Petron. *p.* 16. Edit. Gonſali di Salas. Suet. in Oth. *c.* 5. *C. Pompejo. Trimalcioni VI. viro. Auguſtali. Cinnamus. Diſpenſator.* Iſid. in Gloſſis, *Arcarius diſpenſator.* Hi ſingulis noctibus domino ſeu patrifamiliâs totius diei expenſas offerebant conſiderandas, ut docet vett. Scholiaſtes Juv. *Satyr.* 6. *v.* 482. *Ratiocinium diurnum accipit in transverſa charta ſcriptum.* Ipſe Satyric.

—— Longi relegit tranſacta diurni.

Ut proin conſtaret, rationes eſſe redditas, antequam cubitum iret dominus, rationibus à ſervo (ex horum enim numero *Diſpenſator* erat) ſibi oblatis ſubſcribebat, computatis diligenter ſingulis & expunctis: quod uſque adeo religiosè obſervatum eſt, ut ſervus, qui à rationibus domino fuiſſet, teſtamento ab eodem manumiſſus, potuerit ab hærede in ſervitute retineri, niſi ſubſcriptione probatas rationes oſtendiſſet. Scævola JC. *l.* 41. *ff. de fideicommiſſ. libertat.* *Poſt mortem teſtatoris Tutores Cupito exactionem commiſerunt, iſque nummos redactos expenſavit eiſdem Tutoribus, dein filius impubes deceſſit, cui mater hæres extitit, & Tutorem tutelæ judicio filio condemnatum habuit. Cupitus ad libertatem proclamavit eo tempore, quo ſi viveret Martianus, Annos ſedecim habiturus eſſet, offerens rationem unius Anni in diem mortis teſtatoris, quod cæteræ ſubſcriptæ fuerunt: quæſitum eſt, an eas quoque rationes, quas Tutores periculo ſuo egerunt, Cupitus reddere compelli debeat? Reſpondit, eum conditioni rationis reddendæ ita videri paruiſſe, ſi omne ex eo, quod geſſit, & rectè deſiderari poſſit, reddiderit.* Fortè iidem *Cellarii* quoque & *Cellarienſes* dicti ſunt, quos Plaut. *Condos promos Procuratoreſque peni* vocat. Vide quoque infrà in voce. *Rationes*. Publicum verò Urbis provinciarumque proventum *Diſpenſatores* publici curarunt, inſtituto admodum antiquo: Namque & ſtante Republicâ ſumptus annui ſive cenſus Civitatis, in foro poſitâ haſtâ, à Conſule exigebantur. Cujus moris meminit Ovid. *de Ponto l.* 4. *Eleg.* 5. *v.* 19.

Aut populi reditus poſitam componet ad haſtam,
Et minui magnæ non ſinet urbis opes &c.

Sed de his plura vide infrà, in voce *Prorogatos*. Item *Rationales*. Addam ſaltem, quòd *Diſpenſatores* Cæſarum & Augg. frequenter occurrunt, in vett. Saxis, quos non unius generis, in domo Auguſta, docet Salmaſ. *ad Lamprid. in Antonino Diadum.* quodque idem nomen, manſit in Regum poſtea Aulis Principumque, quos *Majores Domus* aliter, Galli *Maiſtres d'Hoſtel* vocant. Sic *Diſpenſator Domus Regiæ*, occurrit apud Biancam *Commen. Rer. Aragon. p.* 782. quod officium ſuſtinuit Vitalis Ep. Oſcenſ. *Azo, Regis Francorum Diſpenſator*, dicitur in vett. *Charta* apud Car. du Freſne. Nec ſemel in Palatiis Regum Angliæ *Diſpenſatores* memorantur, in qua gente notiſſima quoque *Diſpenſatorum*, ſeu *des Deſpenſiers*, familia, quæ ab hoc munere nomen adepta eſt. *Spenſeri* dicuntur Hiſtoricis Angliæ, vide in voce *Juſtitia*, & plura de hac voce apud Car. du Freſne, ut & ſuprà *Coſſrarius*, ac infrà *Nomicus*. De *Ταμίαις* verò Græcorum, iis viz. qui ad cogendam adminiſtrandamque pecuniam eligi ſolebant, Bœclerum *ad iſta Nepotis in Conone c.* 4. *Rex — ei permiſit, quem vellet eligere, ad diſpenſandam pecuniam*: & Donat. *in Suet. Auguſt. c.* 67.

DISPENSATORIUS Panis, idem cum eo, quem *Fiſcalem* vett. Interpres Perſii, alii *Gradilem* dixêre, ſc.

------ populo gradibus diſpenſus *ab altis*:

dictus eſt, qui populo gratis dividebatur, uti hîc paſſim viſum. Eundem cum *ſecundo* facit vet. Interpres Horat. cum enim eſſe ſeribit (de ſecundo pane loquens) qui non ſit ſiligineus, non primus, non poſtremus, ſed *diſpenſatorius*. Quod mireris, cùm vel à prima ipſa inſtitutione, quæ Aureliano Imp. vindicatur, populum Romanum ſiligineos panes, h. e. primos & mundos, accepiſſe conſtet. Sed fuiſſe tempus, in quo non mundos panes è Fiſco percipiebat Populus, verùm ſordidos comparabat, oſtendit *l.* 5. *Cod.* Theod. *de pane grad.* è qua colligas, mutaſſe id Valentinianum, vel potiùs in antiquum ſtatum redegiſſe, ut populo de prima nota ſeu mundi panes iterum diſtribuerentur; quos ante ipſum de ſecunda nota, nec gratuitos, ſed pretio è Fiſco comparabat. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aurel.*

DISPERSÆ Inſ. à Joh. Luſitaniæ Rege occupatæ, A. C. 1415. Mariana *de Rebus Hiſp.*

DISPHENDONE, ſupplicii genus. Vide infrà *Lacer*, & ſuprà *Diaſphendone*.

DISPOSITIO, variè ſumitur. Apud Lamprid. *in Alex. Sev.* ubi de bellicarum ejus expeditionum ratione, quid ſignificet, facilè ex his noſcitur: *Tacebantur ſecreta bellorum: itinerum autem dies publicè proponebatur, ita ut edictum penderet ante menſes duos; in quo ſcriptum eſſet: Illa die, illa hora ab Urbe ſum exiturus, & ſi Dii voluerint, in prima manſione manſurus: deinde per ordinem manſiones, deinde ſtativæ, deinde ubi annona eſſet accipienda: & id quidem eouſque quamdiu ad fines Barbaricos veniretur. Jam enim inde tacebatur, & omnes ambulabant, ita ne* Diſpoſitionem *Romanam Barbari ſcirent.* Sic apud Jul. Capitol. *in Gordiano III. Cujus viri tanta in Republ.* Diſpoſitio *fuit, ut nulla eſſet unquam civitas limitanea potior, quæ non poſſet exercitum Pop. Rom. ad Principem ferre* &c. Nempe *Diſpoſitiones* hic ſunt, quæ à Principe ad Reip. adminiſtrationem *diſponebantur*, pro urgentibus rerum neceſſitatibus, velut ſi in bellum profecturus eſſet, itinera annotarentur, & metationes, annona curaretur, aliaque: Quarum quidem *Diſpoſitionum* ſcrinium peculiare erat, cui præerat *Magiſter & Comes Diſpoſitionum*, de quibus copiosè Jac. Gothofred. *ad l.* 1. *Cod. Theod. de Proxim.* Vide quoque infrà *Itinerarium*. Hinc tranſlata vox ad Adminiſtrationes ipſas & Magiſtratus videtur. Ita enim Lamprid. paulo poſt, *quum diceret, Nolle ab aulicis ſuis vendi* Diſpoſitiones: *quod factum fuerat ſub Heliogabalo, cum ab Eunuchis omnia venderentur.* Mox, *quia de publicandis* Diſpoſitionibus *mentio contigit, ubi aliquos voluiſſet vel Rectores provinciis dare vel præpoſitos facere, vel procuratores, i, e. rationales, ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut ſi quis quid haberet criminis: probaret manifeſtis rebus* &c. Formula certè frequens in *Not.* Imp. & alibi: *Sub diſpoſitione viri inluſtris Præfecti Prætorio.* Quæ tamen forte non incommodè ad priorem notionem firmandam quis referat. Vide infrà ubi de *Proximis* & *Scriniis*. At *Diſpoſitus* Romaniæ, *in Areſto* A. C. 1400. apud Ducheſnium *in Prob. Hiſt. Caſtilion.* idem quod *Deſpotes*.

DISPUNCTOR in vett. Gloſſis, *Donator*. Quæ. n. commoda militiæ *Solatia* Impp. in *Cod.* Juſtinian. etiam *puncta* dixit *Cod. de adv. div. Jud.* Inde *adpunctari* vulgò Gallis, cui ſalarium conſtitutum eſt, dicitur, & *diſpungere* donare eſt, Salmaſ. *ad Spartian. in Hadr.* Sic Matricularii, cùm eis diſtribuebatur, cujus gratiâ nomina eorum in matriculam perſcripta erant, *diſpungi* pro *expungi*, dicuntur. Optato *l.* 3. antecedenti poſito pro conſequente *Diſpungere* enim *rationes*, eſt ſubducere propriè & ſummam facere, id quod præcedit, & ideo fit, ut accipiant, quod ipſis convenit, & expungantur. Sic Loth, hoſpitibus acceptis,

------ ------ pia pignora menſæ
Officiiſque probis ſtudio diſpungit *amico*:

in *Carm.* Cyprian. *de Sodoma*, h. e. exſolvit, exhibet, præbet pignora ſuæ pietatis atque humanitatis, menſâ hoſpitali & probis ſeu ſedulis officiis &c. Joh. Fred. Gronov. *Obſerv. in Eccleſiaſt. c.* 8. & 19.

DISQUISITORES, vide infrà *Syzetetæ*.

DISSECANDI Victimam ritus, in Sacris Vett. uſitatus, indigitatur Hom. *Iliad. α*.

------ κὴ ἔσφαξαν κὴ ἔδειραν
Μηρούς τ᾽ ἐξέταμον ------
Et jugularunt & excoriarunt
Femoraque ſecuêrunt.

Vide quoque Dionyſ. Halic. *l.* 1. Apollon. *Argon. l.* 1. Alios. Unde Levit. *c.* 1. *v.* 6. *Et nudabit pelle holocauſtum, & illud fruſtatim concidet.* Nempe poſt victimæ jugulationem, ſequebatur excoriatio, inde *diſſectio*. Quod tamen in holocauſtis non ſemper obſervatum, quæ cum ipſa pelle nonnunquam in ignem conjiciebantur. Exod. *c.* 29. *v.* 14. Levit. *c.* 4. *v.* 3. Numer. *c.* 19. *v.* 5. &c. Vide quoque Plutarch. de tauro Bubroſti Deæ oblato, & Lucian. *de Sacrificiis*. Fuit autem *diſſectio* non temerè facta, ſed cum arte, & induſtria, ut colligitur ex eo, quòd in Poëta ſæpe legitur.

Μίστυλλόν τ᾽ ἄρ᾽ ἐπισταμένως ------
Diſſecabantque ritè aut doctè ------

Unde ex ſacrificiis petita videtur vox *ὀρθοτομεῖν*, cùm dicit Paulus, *ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας*, 2. Tim. *c.* 2. *v.* 15. Et Senior. *ἵνα ὀρθοτομῇ τὰς ὁδούς σου*, Prov. *c.* 3. *v.* 6. Et, *δικαιοσύνη ἀμώμους ὀρθοτομεῖ ὁδούς*, Prov. *c.* XI. *v.* 5. Quam in rem vide plura apud Dilherrum Tract. *de Κακοζηλία* Gentilium. At in Bacchi Sacris conſcindebantur pecora, ut dicemus infrà in voce *Pecora*. Alia fuit ratio *diſſecandi* bovem vel vitulum, in percutiendo fœdere; porcum item, porcamque: inſuper canem, in luſtrando exercitu, Vett. itidem uſitata, de qua vide ſuprà ubi de *Bobus*, item in voce *Canis* & *Vitulus*. adde Sam. Bochart. *Hierozoici Parte priore l. II c.* 33. & Caſp. Barth. *Commentar. de Superſtitionibus*. De *Diſſectoribus* verò, Medicorum genere infrà in voce *Medici*.

DISSENIUS, Henricus, vide *Henricus*.

DISSEUS Gualterus, vide *Gualterus*.

DISSIPANDI Cadavera mos atrox, occurrit apud Spartian. *in Sev. Senatorum deinde, qui in bello* (contra illum) *erant interempti, cadavera* diſſipari *juſſit*. Vide quæ ſuprà diximus, in voce *Cadaver*, ut & quæ dicemus infrà, in vocibus *Hoſtis* & *Inſepulti*, item ubi de *Gladiatoriis ludis*, & *Tractione*.

DISSIPATUS, ſeu DISHYPATUS, in aliquot *Chartis* Italicis, ubi

ubi *Richardus Judex Auguſtalis Diſſipatus*, ſub Alexio Comneno Imp. & *Joh. fil. Urſi Imperialis Diſſipati*, ſub A. C. 1178. occurrunt: Græcè Διϋπατος, dignitas fuit in Imperio CP. de qua Eruditis parum liquet Suid. Δικτάτωρ ὁ διπλασίαν τὴν ἀρχὴν ἔχων, ὁ παρὰ Ῥωμαίοις Δισύπατος καλούμενος, ἢ ὁ μονάρχης, ὁ πάντα κρατῶν, *Dictator eſt, duplex habens imperium, apud Romanos Bis-Coſ.* (hoc enim vox Δισύπατος indigitat) *dictus, vel Monarcha, ſummam rerum in ſua poteſtate habens*. Id conſtat, nobiliſſimæ familiæ Byzantinæ nomen dediſſe, ex qua memorantur, *Thomas Dishypatus*, ſub Leone Bardæ fil. *Dishypatus* alter, ſub Alexio Comneno; *Georg. Dishypatus*, Lector Eccleſiæ Sophianæ: *Manuel Dishypatus*, Archiep. Theſſalonic. ſub Theod. Laſcari, & *David Dishypatus*, cujus Scripta c. Barlaamum & Acindynum aſſervantur in Bibliotheca Regia, uti habet Car. du Freſne *Gloſſar*.

DISSOLUTI, delitiis & voluptatibus dediti homines, Græcè διαλελυμένοι, quorum vita ὑγρὸς βίος, *madens ac mollitie diffluens*; unde *fluxus*, Tertull. *de Spectac.* c. 10. & *liquoris feminei laxitas*, Arnob. *l.* 6. ubi Deſid. Herald. vide, & quæ infrà dicemus, de *Menandro*, it. voce *Mollis*, ubi Libero Venerique mollitiem dedicatam videbimus. Et quidem hi Bacchi cultores plerumque olim coronati conſpiciebantur, uti inprimis exemplo Herculis docet Tertullian. *de Pallio* & Lucian. *Quomodo ſcrib. Hiſt. ſit*. nempe poſtquam ille, apud Omphalem deſidens, priſtinæ virtutis oblitus eſt. Sic Arnutii cujuſdam filia, μεθύσαντα τὸν πατέρα καὶ στεφανώσασα, *poſtquam capiti patris à ſe inebriati coronam impoſuiſſet*, eum perductum ad aram interfeciſſe legitur, apud Plutarch. *Parallel. Græc.* Et nota ἀκρατοποσίας corona, quam ab Alexandro Mag. Ducibus propoſitam, Promachus emeruit, ſibi exitialem, apud Plutarch. *in Alex.* Neque in conviviis ſolùm tales erant, ſed & menſis ſublatis, per urbem coronati incedere ſoliti ſunt, ſervantes eas coronas, quas in convivio acceperant. Plaut. *Menæchmi*, *Act.* 4. *Sc.* 2.

Capiam coronam mi in caput; aſſimulabo me eſſe ebrium.

Et alibi,

Non ego te modò hîc ante ædes cùm corona florea
Vidi adſtare ------

Florea enim hujuſmodi corona fuit. Quod ipſum proin Horat. vocat, *piare Genium floribus & vino*. Porrò ſic incedentes ab injuria omni tuti erant. Quâ fiduciâ ſervus ille apud Ariſtoph. *Pluto* ait, ad dominum,

Οὐ γὰρ μὴ τυπτήσῃς στέφανον ἔχοντά γε.
Non enim me verberabis, coronam habentem.

Quiſquis namque coronam geſtabat, pro ingenuo habebatur; Neque verò ſolùm is, qui in convivio celocem oneraſſet, ſibi ipſe aliiſque coronam imponebat, ſed ſæpe aliam accipiebat, ut ſtrenuus athleta Bacchi; inprimis ſi alium in hac palæſtra victum dediſſet, qua ſuper re citat Euripid. *in Oeneo*. Athen. *l.* 15. Quem morem ad mulieres quoque tranſiiſſe, diſcas ex Ælian. *Hiſt. Var.* *l.* 1. *c.* 18. &c. Hinc itaque συστεφανηφορεῖν, *ſimul coronam*, eſt convivari, apud Alcman. *in Carm.* & στεφανούμενος, *coronatus*, intemperantem ac *diſſolutum* notat Syneſio *Ep.* 32. Vide C. Paſchal. *Coron. l.* 2. *c.* 7. & 8. & ſuprà ubi de *Convivialibus Coronis*.

DISTA, Ariæ Reg. opp. *Ptol.*

DISTEGA, ædificia ſunt duo tecta ſeu contignationes habentia, Græcè δίστεγα, ſicut τρίστεγα, quæ ternis contignationibus conſtabant: στέγη enim *tectum* eſt. Cujuſmodi διστεγίας in ſcena quoque memorat Scalig. *Poëtic. l.* 1. *c.* 21. *Scenarum quoque facies auctæ --- ac poſtea caſæ cum cellis, poſtremo ad magnificentiam auctæ ſunt projectis & mœnianis in Comœdia, in Tragœdia verò etiam prætoria, & palatia, regiæ, turres. In regiis διστεγίαι & δίῤῥες δωμάτων: quanquam privatis quoque in ædibus invenimus διστεγίας, è quibus πορνοβοσκοὶ & aniculæ mulieres proſpectabant, captantes negotiorum ſuorum occaſiones.*

DISTINCTUM, apud Plin. *l.* 8. *c.* 18. *Nabin Æthiopes vocant, collo ſimilem equo pedibus & cruribus bovi, camelo capite, albis maculis rutilum colorem diſtinguentibus, unde appellata Camelopardalis*: de maculis dicitur longis & lineatim ductis, quales ſunt maculæ camelopardalis, quas ῥαβδωτοὺς σπίλους, h. e. *virgatas maculas & in longum ductas*, vocat Strab. *l.* 16. Sicut contrà *ſtellatum* & *ſuperſperſum*, de rotundis maculis & in vortices ſparſis, quales pantherarum ſunt. Salmaſ. *ad Solin. p.* 388.

DISTORTI, inter delitias divitum, apud Romanos. Quintilian. *Declamat.* 298. *Gratus eſt ille debilitate, ille ipſa infelicitate diſtorti corporis placet. Inſtitut.* item *l.* 2. *c.* 5. *Diſtortis & quocunque modo prodigioſis corporibus apud quoſdam majus eſt pretium &c.* Nempe primitus Romani miniſteria & pædagogia habuêre formâ exquiſitiſſimâ: poſtea luxus invexit conſuetudinem querendi *diſtortos* & quocunque modo prodigioſis corporibus inſignes. Hi maximè placebant & in pretio erant. Cujuſmodi fuerit puerulus portentoſo capite, quem Domitianus ſecum coccinatum ſolitus eſt circumducere, teſte Tranquillo. Vide Clementem Alexandr. de ſui temporis mulieribus, & Amm. Marcellin. *l.* 14. ubi de comitatu matronarum Romanarum. At Aug. Imp. *pumilos atque* diſtortos --- *ut ludibria naturæ malique ominis abhorrebat*, apud eundem Tranquill. *c.* 83. ubi Caſaub. vide, & hîc paſſim, ubi de *Fatuis*, *Nanis*, *Spadonibus*, &c.

DISTRACTORM, Ludus, vide ſuprà *Dielcuſtinda*.

DISTRIBUENDI Coronas, in conviviis mos, Vett. uſitatus, vide ſuprà ubi de *Coronis* & *Conviviis*: Panes, aliaque, vide infrà *Diviſio*.

DISTRICTUS, eſt quidquid loci, in quo *diſtringendi* quis poteſtatem habet: ut Comitatus Comitis; territorium, Civitatis; Manerium, domini feudalis, &c. Dicitur autem *diſtringere* dominus in feudo, Magiſtratus in territorio, cum bona, ceu pignus & vadem, alicujus prendit, ut ſic eum ad debitum quidpiam præſtandum coërceat: puta ad apparendum in Curia; mulctam ſolvendum, ſervitium exhibendum, & ejuſmodi. Vide Henric. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.*

DITHMARSIA, ſive DIETMARSIA, provincia Daniæ, nomen habens à paludibus, quæ in ea frequentes ſunt: ſita eſt in ipſo Cimbricæ Cherſoneſi introitu, ad Albis fluv. oſtia, ſeparaturque à Dania flumine Eydero. Inferiori Saxoniæ adcenſetur, etiamſi nunc Daniæ Regum Imperio ſubſit, quorum Fil. primogenitus hîc ex lege habitat. Bertius. Hujus incolas, qui Holſatorum imperio ſe eximebant, debellaturus Joh. Rex maximâ ab iis clade affectus eſt: periit enim Holſaticæ nobilitatis flos, Rexque ipſe vix evaſit, à paucis agreſtibus victus. A. C. 1500. Chytræus *par.* 1. *Sax.* Poſtea verò, auſpiciis Friderici II. duce Adolpho Holſato, triplici prœlio ſuperatis Ditmarſis adempta eſt barbara libertas, quam 400. Annis tuiti ſunt, illique ſub jugum redacti, A. C. 1559. Idem. Cæterum huic genti, quamvis libertatem profeſſa ægerrimè dominos ferret, antiquiſſimis jam temporibus, Bremenſium Pontifices imperitavêre. Caroli Mag. largitione, qui juxtà cum Stadenſi Comitatu Eccleſiæ adſignavit. Verùm eos tuendæ à Danorum Normannorumque incurſionibus provinciæ impares experti Impp. in Saxonum Duces contulêrunt. Henrici Aucupis ætate, Henricum cogn. *Calvum* ſeu *Pinguem*, Comitem accepêre, A. C. 921. Rediit poſtea Comitatus ad Eccleſiam, & quæ portio ejus cenſebatur, *Ditmarſia*, Henrico IV. imperante, Udoni Saliſquellenſi Marchioni clientelæ jure permiſſa eſt. Inde ad Eccleſiam reverſam Hartwicus, ex Udonis, ut videtur, proſapia, Eccleſiæ Bremenſis Præſul, recepto familiæ nomine Stadenſi Comitatu, *Ditmarſiam* reddidit, tædio gentis, in quam nunquam ſine tumultu imperium eſſet; improbante Henrico Leone Saxonum Duce, qui Feudi Dominum ſeſe gerebat. Is Reinaldum Comitem impoſuit: ſed Henrico apud ſocerum Britannum exule, Adolphus V. Holſatiæ Com. occupavit ditionem; poſtea cum Hartwico II. Archiep. tranſactum, ut reſtitutâ eâ Eccleſiæ, Comites certum inde annonæ modum perciperent. At *Ditmarſi*, morem gerere detrectantes, ad Woldemarum Sleſvici tum Præſulem verſi, Dani ſubire clientelam: mox pòſt prœlium ad Bornovedam, ad Adolphum reverſi, circa A. C. 1189. Pòſt ad Bremenſes utcunque reditum, & cum Holſatiæ Comitibus varia pacta inita, A. C. 1227. quæ cùm non ſanctè ſatis colerent, Comites non unâ vice ipſos aggreſſi, fruſtra tamen fuêre. Etiam à Friderico Imp. obſequium induere juſſi, recuſavêre, Bremenſi Eccleſiæ ſe ſubjectos cauſati. Inde bellum non ab uno Rege, cui à Friderico II. Dano & Adolpho Holſato Gottorp. renovato à Carolo V. Imp. jure, demum finis impoſitus, iis conditionibus, ut *Ditmarſi* veniam orantes, traditis belli inſtrumentis, Præfectis Principum poſt hæc obtemperarent & in ſingula agri jugera, florenum annuum quiſque perſolveret, A. C. 1559. À quo tempore, imperio Holſatorum ſemel bonâ fide admiſſo, quietiùs egêre: jure, quod in illos adhuc Bremenſes Præſules prætendebant, à Suecis, Rotſchildenſi atque Hafnienſi pactione, Daniæ Regibus remiſſo. Vide Tob. Pfanner. *de præcipuis Germaniæ Principum gentibus c.* XI.

DITHYRA, Græce Δίθυρα, januæ ſunt quadrifores, quarum ſingulæ tabellæ duplicantur, vel Δικλίδες, quæ in ſingulis partibus, ima & ſumma duplices habent tabulas, hinc *Quadrifores* dictæ Vitruv. ubi de foribus, Græcis aliter Συνδεδρμάδες. À quibus diverſæ valvatæ, Græcis διάπτεισοι, quæ ſemel tantùm plicantur, ut infrà videbimus. Erant itaque in Διθύροις revera duæ θύραι (unde etiam nomen) in ſuis quæque cardinibus vertentes, & in medio conniventes, ubi jungebantur: δίπτυχοι etiam dici queant, quemadmodum pugillaria, δίπτυχα, quæ & δίθυρα, *bipatentia*. Salmaſ. *ad Solin. p.* 927.

DITHYRAMBUS, Bacchi apud Græcos cognomen, quod ei datum volunt, vel quòd in antro διθύρῳ ſeu bifori nutritus fuerit, vel quòd bis natus binas fores tranſierit, alvum matris videlicet, & femur Jovis, ut in fabulis eſt; cui originationi tamen quantitas ſyllabæ repugnat; nam vocula δι, binarium numerum, ſeu reiterationem denotans, primam ſemper corripit, quæ contrà in *Dithyrambus* producitur. Hinc *Dithyrambus*, hymni genus dicebatur, quod Baccho cani ſolebat. Nam quòd à quodam Thebano, qui item Dithyrambus dictus fuerit, idque invenerit, dictum volunt nonnulli, approbari ſatis non poteſt. Nam ſi ita ſe habuiſſet res, Pindarus certè inter cæteras laudes patriæ ſuæ hoc inventum non tacuiſſet, quin vel magnificè extuliſſet. Nunc verò tantùm abeſt, ut unquam meminerit, ut laudem & inventionem Dithyramborum potius Corinthiis diſertè aſcribat: Erat autem hoc carminis genus ita compoſitum, ut inventione, dictione, & numeris à caſtigata ratione abiret longius, & miram licentiam, audaciamque cum tumore quodam referret; ut non tam à ſanis & ſobriis, quàm furore Bacchico concitatis ſcriptum videretur, naturamque Dei, cujus honori dedicatum erat, imitaretur. Inde Horat. *Carm. l.* 4. *od.* 2. *v.* 10.

Seu per audaces nova Dithyrambos
Verba devolvit. ------ ------

Benè *audaces*, propter τὸ ὕψος. Galen. mem. *l.* 1. *Therapeut. meth.* ὥσπερ μελοποιὸς καὶ Πίνδαρος ἀσαφῶς ὑψηλῶς ἐν διθυράμβοις πάλαι τὸν Διόνυσον. Ὕψος verò illud in licentia & audacia rerum ac verborum. Rerum, qui Dithyrambici περὶ μετεώρων καὶ τῶν νεφελῶν λέγουσι πολλά, teſte Suid. in Διθυραμβοδιδάσκαλοι. Verborum autem, quia σύνθετοι eorum καὶ πολυπλόκοι λέξεις, *juncta & contortuplicata verba*. Interpres Ariſtoph. *in Nebul.* Quemadmodum & Demetrius Phaler. *l. de Interpr.* juncturam verbi audacem vocavit διθυραμβώδη δίπλασιν. Et ille apud Suid. in Διθύραμβος: λόγου ἰδέα διθυραμβώδης καὶ φλεγμαίνουσα ποιητικοῖς ὀνόμασι. Hinc & Cic. *l.* 3. *de Orat. Licentior, & divitior Dithyrambus*. Huc facit Epicharmi verſus in Philoctete apud Athen. *l.* 14.

Οὐκ ἔστι Διθύραμβος, ἂν ὕδωρ πίῃς.

Vide

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Vide Scalig. *Poët l.* 1. *c.* 44. Schott. *Chreſtomathiam Procli*, virumque eruditiſſ. Eraſm. Schmidh. *peculiari diatribe de Dithyrambis*, quam Pindari commentario ſubjunxit. *Nic. Lloyd.*

DITIONES, Dalmatiæ populi. Plin. *l.* 3. *c.* 22.

DITMARUS, vide *Diethmarus.*

DITTANI, pop. Hiſp. Celtiberis ab Auſtro proximi. *Strab.*

DITTASIUM, inter oppida Sequanorum, Ptol. Hodie, an *Haſenburgum* Sequanorum, arx Tulingis proxima: an vicus in eodem tractu, *Tachsfelden* dictus, in ditione Ep. Baſilienſis, Gall. *Tavanne*? Vide B. Rhenan. *Rerum Germanic. Nov-Antiqq. l.* 3. cum Notis Cl. Ottonis. JC.

DITYLAS, nomen ſervile. Ariſtoph. *Ranis*, *Act.* 2. *Sc.* 6.

DIU, vel DIVA, Inſ. Ind. poſt Ormuzium celeberrima, prope ſinum Cambaiæ, ubi in Ocean. ſe Indus exonerat. Vix leucæ longitudine, latitudine adhuc minor. Oſor. *l.* 9. Maffæus *l.* XI. & 15. Fruſtra obſeſſa à Turcis, A. C. 1538. & 1546. Goez. *tom.* 2. *rer. Hiſp.* Vide *Dium.* Plin. *l.* 4. *c.* XII. & 17.

DIU, torquendi mos atrox & in Chriſtianos potiſſimùm uſitatus, indigitatur Arnob. *adv. Gentes l.* 2. *Vos flammis, exiliis, cruciatibus beatis, quibus corpora laniatis & diu vexatis noſtra, non vitam eripitis nobis* &c. Pagani nempe totius carnificinæ viribus in Chriſtianos ſæviebant, diutinéque illorum corpora lancinabant; ideo, ut ſi ſacramentum cæleſte deſerere noilent & ſacra ſacrilegiis omnibus tetriora percelebrare, eò perirent miſerabilius, & *mori ſe ſentirent*, quæ veteris Tyranni vox fuit. Cyprian. ad Demetrian. *Nec ſaltem contentus es dolorum noſtrorum compendio, & ſimplici ac veloci brevitate pœnarum: admoves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis viſceribus nova ſupplicia, nec feritas atque immanitas tua uſitatis poteſt contenta eſſe tormentis excogitat novas pœnas ingenioſa crudelitas.* Prudent. Περὶ ςεφανῶν. *Laurentio Archilevitæ Hym.* 12.

> *Perire raptim non dabo,*
> *Vitam tenebo & differam*
> *Pœnis morarum jugibus,*
> *Et mors inextricabilis*
> *Longos dolores protrahet.*

Idem Ibid. *Hym.* X. *Romani Mart.* ſupplicium

> *Tentemus igitur antè partem quampiam,*
> *Truncare ferro corporis ſuperſtitis,*
> *Nec morte ſimpla crimino ſus multiplex*
> *Cadat, vel una perfidus cæde oppetat,*
> *Quot membra geſtat tot modis pereat volo.*

Vide G. Elmenhorſt. *ad Arnob.*

DIVA, cogn. Veneris, vide infrà *Devi.*

DIVA, olim *Deva*, vulgò *Dive*, fluv. Galliæ, in Neuſtria, memoratus Orderico Vitali *Hiſt. l.* 5. Lexovios à Bajocaſſibus dividens, alluit Cambovium *Chamboy*, & Thronum *Trun*, Burgum Divæ *S. Pierre ſur Dive*, municipium S. Barbaræ *S. Barbe en Auge*, Pontem Divæ, & habet ad oſtium locum ſui nominis, Monaſterio vet. illuſtrem, in Algia, S. Salvatoris ad Divam, vulgò *S. Sauveur de Dive*, portum exiguum ad mare. Reperiuntur & Devæ vett. urbes in inſ. Britannia, Gallicis coloniis plena. Eſt etiam in Vardulia Regione Hiſp. Tarrac. fluv. *Deva* Mellæ & Ptol. notus: qui Tritium Toboricum i. e. Nageram attingit & non procul à Deva opp. in eundem, cum Diva hac Normannica, Oceanum effluit. Item fluv. in Toëdum effluens, in confinio Pictonum & Andicavorum, poſtquam Moncontorium alluit. Had Valeſ. *Not. Gall.*

DIVA, Albionis inſ. fluv. in Scotia, per oram ad ort. fluens, & in mare ad Aberdoniam urbem deſinens, vulgò *Dee.*

DIVÆ Memoriæ, titulus Impp. defunctis conceſſus vide infrà.

DIVALE Nomen, apud Spartian. *in Anton. Caracal. Habet templum, habet Salios, --- qui Fauſtinæ templum &* Divale *nomen eripuit, idem.* Sic *Divale Præceptum*, *Divalis Lex*, *ſanctio Divalis Lex*, *ſanctio Divalis*, pro Edicto Imp. non ſemel in *Codice* Theodoſ. & Juſtin. At *Divalia*, feriæ erant Divæ Angeronæ, alio nomine *Angeronalia.* Inſtitutæ ſunt à Romanis, cùm anginâ omne genus animalium conſumeretur; Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 12. incidebantque in 12. Kal. Januarii, quò die à Pontificibus ſacrum fiebat in ſacello Volupiæ, quam Verrius Flaccus Angeroniam dictam eſſe ait, quòd angores ac animorum ſolicitudines propitiata tolleret. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 16.

DIVANA leg. XX. victrix. Vide *Devana.*

DIUDURUM, urbs 15. m. p. à Lutetia diſtans. *Anton.*

DIVENTUM, in *Ep.* Michaëlis Imp. in Conventu Paris. A. C. 530. *Miſimus per prædictos Miſſos noſtros -- blattas duas, dirodina duo, diventa duo.* An idem cum *divellium*? Certè διβέλλιον occurrit apud Codin. *de Officiis Aulæ CP. c.* 5. *n.* 63. & *c.* 6. *n.* 26. vexillum Impp. quod Scutarius ſive Armiger Imp. deferebat ante illum, cum ejus clypeo: dictum quaſi *duplex velum.* Quod tamen non probat Car. du Freſne *in Gloſſar.*

DIVERTICULUM, in Gloſſis, ἐκτροπὴ, καμπὴ ὁδοῦ, i. e. ſemita quales à via regia ſecantur aliorſum. Hinc ad fluvios vox traducta. Geographus ineditus Salmaſ. de Nilo, *Currit per millia* DXX. *nullum oſtendit* diverticulum. Ubi *diverticuli* nomine intelligit minores fluvios, in quos *Auctor alveus*, uti eleganter vocat Ammian. *Magiſtrum flumen* vocant Galli, ſcinditur. Κέρατα Græci, Latini *cornua* quoque, *brachia*, *crines* &c. appellant. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 478. & 479. nec non *p.* 622. ubi de *divertigio Euphratis*, uti vocant Geographicarum Tabularum concinnatores, ſententiam ſuam pluribus exponit.

DIVES, cogn. Craſſi, de quo ſic Plin. *l.* 33. *c.* 10. *Non erat apud antiquos numerus, ultra centum millia --- Poſtea* Divites *cognominati, dummodo notum ſit; cum, qui primus acceperit hoc cognomen, decoxiſſe creditoribus ſuis.* Vide quoque eum *l.* 21. *c.* 3. Initio. & Valer. Max. *l.* 6. *c.* XI. Quis verò hoc nomine dignus tum viſus, exponit

idem, cùm pergit: *Ex eadem gente M. Craſſus negabat locupletem eſſe, niſi qui reditu annuo legionem tueri poſſet.* Exempla dein varia ſubjungit, tum ex Romana, tum ex reliqui Orbis hiſtoria; Populum Romanum ſtipem primùm Sp. Poſthumio. Q. Marcio Conſulibus ſpargere cœpiſſe, addens &c. Vide quoque infrà *Patrimonium.*

DIVI, propriè qui ex hominibus Dii facti, quales erant Heroës, Penates & Lares, aliique Indigetes. Arnob. *l.* 1. *Appellatis Indigetes ac Divos.* Serv. de Cæculo, & Præneſtina urbe: *Ibi erant Pontifices & Dii indigetes, ſicut etiam Romæ: erant etiam duo fratres, qui Divi appellantur. Horum ſoror, dum ad focum ſederet* &c. Ubi *Divos fratres* appellatos ſcribit, quos Græci οἰκιδίους dixêre, h. e. Lares familiares. Et hi erant, quos *Animales Deos* vocabant, & *Conſerentes*, ut ex Labeone, eodemque Arnob. quem modò laudavimus, docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 64. Hinc Impp. poſt conſecrationem, *Divi* dicti. Petron. de Jul. Cæſare, *Specimine Belli Pharſal.*

> *Quid porro tu, Dive, tuis cunctaris in armis?*

Et de eodem Virg. *Æneid. l.* 6. *v.* 793.

> *Auguſtus Cæſar*, Divûm *genus* -----

Etiam Suet. initio operis, *Julius Cæſar* Divus, *ætatem agens XVI. Patrem amiſit.* Θεοὶ Græcis it. Ἥρωες. Unde Tzetzes *Hiſt. p.* 307.

> Ὅθεν θεὸς Ἰούλιος ἐκλήθη τοῖς Ῥωμαίοις,

quem Ἥρωα Ἰούλιον Dio vocat *l.* 51. Imò Tacit. *fine Ann. l.* 15. *c.* 74. *Cerialem Anicium Conſulem Deſignatum pro ſententia dixiſſe, ut templum Divo Neroni quam maturrimè publica pecunia poneretur*, in Commentariis Senatus reperiſſe ſe, tradit. Vide de Cæſare Jovis ſermonem, apud Sil. Ital. *Punicor. l.* 3. *Nec Stygis ille lacus.* &c. Ovid. *Metam. l.* 15. & plura hanc in rem, apud Caſp. Barth. *Animadverſ. l.* 11. *c.* 10. *l.* 12. *c.* 4. *l.* 16. *c.* 7. *l.* 49. *c.* 15. & *Adverſ. ad Stat. l.* 2. *Sylv.* 7. & *Theb. l.* 5. *v.* 242. ubi *Divæ* epitheto, velut ſingularem Deam, Venerem gaudere, apud Poëtas, adnotat. At pro *Divi Lapides*, apud Æl. Lamprid. *in Antonino Heliogab. Lapides, qui divi dicuntur, ex proprio templo Dianæ Laodiceæ afferre voluit*; lege *vivi* &c. Vide infrà.

DIVICO Helvetius, Princeps legationis ad Cæſarem miſſus. Cæſ. *de Bell. Gall. l.* 1. *c.* 13. *cujus legationis Divico Princeps fuit.*

DIVIDENDI prædam, mos priſcus, indigitatur Liv. *l.* 5. alibique paſſim. Præda enim militi conceſſa, aut *dividebatur*, aut diripiebatur: illud fiebat vel ſtipendiorum vel meritorum ratione. Et quidem ſtipendiorum ratione *dividi* prædam Appius Claudius. volebat, ſi illud obtinere non poſſet, ut redacta inde pecunia in Ærarium deferretur. Ut autem id ordine fieret, in dies aut vigilias pars exercitus altera aut minor, ad comportandam prædam mittebatur: & quod quiſque reperiſſet, ad juſſum in caſtra deferebat, ut per Tribunos æqualiter divideretur, vocatis ad partem etiam his, qui caſtra ſervarent (quod & apud Hebræos in uſu fuiſſe, legimus 1. Sam. *c.* 30. *v.* 24.) quique per valetudinem aut delegata miniſteria aberant: uti videre eſt apud Polyb. *l.* 10. Quæ proportio porrò in *dividendo* obſervata, aliaque huc pertinentia, infrà perſequemur plutibus, ubi de *Præda.* Villanorum verò Collateriorum & *de Paruda* ſervitus apud Hiſpanos atrox, qui etiam inter filios dominorum ſuorum ducebantur gladio *dividendi*, ut ſuprà vidimus in voce *Collaterii*; more ex vett. fortè Romanorum rigore orto, qui debitorem ſolvendo imparem, ſi plures creditores haberet, in partes ſecari, & unicuique ſuam tradi voluêrunt, ut ſuprà itidem vidimus in voce *Debitum.* Sed quanto vetuſtius id, quod facto huic morique ſimile de Salomone legimus, 1. Reg. *c.* 3. *v.* 16. & *ſeqq.* Vide quoque infrà *Diviſio*, it. *Sectio.*

DIVINATIO, Græcis Μαντεία vel Μαντικὴ, (nempe ut volunt à μανία, quia cauſa ſit externa incorporeaque ac ut Gentes putarunt divina; quo nomine etiam Dæmones complectebantur) Platoni definitur ἐπιστήμη προδηλωτικὴ, πράξεως ἄνευ ἀποδείξεως, *Scientia præſignificatrix rei alicujus abſque ratione id demonſtrante.* Ubi rationem excludit, oſtendens de *Divinatione* naturali, qualis eſt in Prognoſticis, quæ principia cauſaſque in natura habet, adeoque ad Scientiam naturalem pertinet, non loqui: ſed nomine hoc ſe complecti eam, quæ vel tota, vel ex parte humanum captum excedit. Talis *Divinatio*, vel planè divina eſt, ut illa quæ à Deo inſpiratur, cujus generis complura in Scripturis exempla habemus: vel ſi non tota, ex parte ſaltem nititur commercio Dæmonum: vel ut nullum appareat cum malo Spiritu conſortium, tamen vana eſt ac ſuperſtitioſa. Cui arti quantopere vacarint Gentiles, ex innumeris *Divinationis* apud Græcos Romanoſque ſpeciebus apparet. Quamvis enim 4. ſolùm earum recenſeat Propert. *l.* 4. *Eleg.* 1. *v.* 103. & *ſeqq.*

> *Hoc neque arenoſum Libyæ Jovis explicat antrum,*
> *Aut ſibi commiſſos fibra locuta Deos,*
> *Aut ſi quis motas cornicis ſenſerit alas,*
> *Umbraque nec magicis mortua prodit aquis.*

Ad quem locum vide *Commentarium* Joh. Paſſeratii, longè plures tamen fuêre, ut mox videbimus. E quibus duæ inprimis excellebant, *Augurium* & *Extiſpicina.* Unde Cic. *de Divin. l.* 1. *Quæ eſt autem gens*, inquit, *aut quæ civitas, quæ non extis pecudum aut Augurum aut ſortium prædictione moveatur?* In quarum illa Phryges, Cilices, Arabes, Piſidii ac Umbri eminebant: Lacones quoque, apud quos tanta artis fuit veneratio, ut nunquam Augur à latere Regis illorum diſcederet. Iſta Elide maximè exercebatur, à Jamidis & Clytidis, quæ duarum erant familiarum, huic arti ſoli deditarum, nomina, Pind. Sed & ex ſomniis celebre admodum divinandi genus erat, vide infrà in voce *Oneirocritice.* Adde quæ dicemus de *Sortibus*, it. in voce *Vera.*

SERIES

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

SERIES CELEBRIORUM DIVINATIONIS SPECIERUM, APUD GENTILES.

ex Anima in corpus revocata futura ſciſcitandi ars ψυχομαντεία, ſeu Σκιομαντεία dicta eſt: Ejus meminit Horat. in verbis, *Animas reſponſa daturas*, & Herod. *l.* 6. ubi cauſam exponit, cur Meliſſa à Periandro marito, hoc pacto interrogata, reſpondere recuſaverit.

ex Annulis Δακτυλιομαντεία, quali divinationis genere Gyges uſus eſt.

ex Aqua marina Υ'δρομαντεία, ex fontana Πηγομαντεία. Fiebat autem id vel bibendo ex illa vide Ariſtid. *Orat. de Puteo*: vel projiciendo aliquid in eam, ubi notabant, ſupernatetne an mergatur (ſic in puteum Inus placentæ conjiciebantur) vel imagines rerum cupitarum in iis venando, quod factum in fonte Apollinis Phryxæi in Achaja: vel immergendo phialam vitream, ut ex aquæ in illa extractæ limpiditate aut turbiditate de ægrorum valetudine edocerentur, vel tandem ternos in aquam lapides ſpargendo, ubi obſervatum, quibus orbibus in fundum deſcenderent: Loco aquæ vino quandoque ac oleo utebantur, quo in pelvim infuſo, Λεκανομαντεία dici ſolita eſt.

ex Avibus Ο'ρνιθομαντεία, Gr. *Augurium* Latinis: quod divinandi genus primus dicitur inveniſſe Car, adjeciſſe poſtea ex reliquis animalibus Orpheus. Vide in voce *Augur.*

è Clavibus Κλειδομαντεία.

è Cribro Κοσκινομαντεία, quod filo ſuſpenſum vel forfici impoſitum in orbem vertebatur, nominato interea eo, qui furti arguebatur, vel alterius cujuſdam criminis. Vide Theocrit. *Edyll.* 3.

è Dicto ſeu voce, Κληδονισμός; *Pythagorei non ſolùm voces Deorum obſervabant, ſed & hominum*; Cic. *de Div. l.* 1. Hinc infortunatum cenſebatur, ſi in convivio nominaretur *Incendium*: & proin abſtinentes à vocibus malè ominatis, pro δεσμωτήριον, i. e. *carcer*, dicebant οἴκημα i. e. *domicilium*: pro *Erinnyes*, *Eumenides*: & Cic. inquit, *Nulla ſpes Reip. dicere non licet*, *Ep. ad Caſſium* &c. Vide quoque infrà *Sortes.*

ex Eclipſi, quod genus divinationis cùm, neglexiſſet Pericles, infelicem habuit navigationem: cùm obſervaſſet contrà Nicias, miſerabili ac turpi clade cum toto exercitu cæſus eſt.

ex Extis, *quibus omnes fere uti* inquit Cic. vide infrà in voce *Extiſpicina.*

ex Facto: Sic infauſtum habebatur in convivio, ſi bibente aliquo menſa tolleretur. Felix contrà, ſi caſu aliquid vini in veſtes fuiſſet infuſum.

è Farina, Α'λφιτομαντεία vel Α'λευρομαντεία.

è Flamma, in ſacrificiis hac ratione futura divinabant: Si admota flamma victimas ſtatim corriperet: Si tranquilla, pura, perſpicua ac nitida, recto ductu turbinatæ pyramidis inſtar attolleretur & inſurgeret: Sique non niſi totâ victimâ depaſtâ moreretur, fauſtum habebatur. Contrà ſi fieret, infelix omen erat.

è Fonte Πηγομαντεία, vide ſuprà in voce *Aqua*, infrà *Fons*, it. *Sortes.*

è Fulmine Κεραυνοσκοπία: Ita infortunatum cenſebatur, ſi caſtra vel ædes ſacræ de cœlo tangerentur.

è Fumo Καπνομαντεία; Hic notabant, quas vertigines facerent, quantumque ſe attollerent, & quo motu, rectóne an obliquo vel in orbes contorto aut complicato, agglomeratione quadam in tortiles ſpiras, & quo redolerent nidore, alienóne an eo, qui è carnibus toſtis effumaret. Deſcriptionem ejus, ut & Hieroſcopiæ, ſeu Extiſpicii, it. Pyromantiæ ſeu Igniſpicii accuratiſſimam deſcriptionem, cui ſimilem apud alios Scriptores ægrè invenies, habes apud Senec. *Oedipo Act.* 2. *v.* 309. & *ſeqq.*

è Gallo gallinaceo Α'λεκτρυομαντεία; Sic Liban. Sophiſta & Jamblich. inquiſituri, quis Valenti ſucceſſurus eſſet, 24. literas inſcripsêre pulveri; unicuique tritici vel hordei grano impoſito. Tum admiſſo gallo, carmina quædam recitantes, attendêrunt quæ grana is comederet. Primùm comedit ex Θ. tum ex Ε. inde ex Ο. hinc ex Δ, Itaque collegêrunt inde regnaturum, cujus nomen inciperet à ΘΕΟΔ. apud Zonar.

ex Hominum occurſu: Ita infelix erat, ſi Æthiops occurreret, aut mulier inter ambulandum rotans fuſos.

ex Igne, quod vocabant, δὶ ἐμπύρων μαντεύεσθ. Accendebant autem eum plurimis in locis ad Solis radios, eumque ſolicitè peculiari in loco conſervabant. In Ægypto *Seraphim* habuêrunt, & Perſæ ſub nomine *Orimaſda* talem ignem venerabantur. Athenis ſimiliter in templo Minervæ Pollados perpetua ardebat lampas, non minus ac Delphis & Romæ in Veſtæ templo. Sed inprimis in hac Πυρομαντεία flammas obſervabant, vide ſuprà,

è Lapidibus Λιθομαντεία: Ita Sideritis, lapidis genus, aquâ fontana ablutus, infantis inſtar, futura vagiebat: quo pacto Helenum Trojæ ruinam didiciſſe referunt.

è Lucerna, Λυχνομαντεία: cujus mentionem facit Plin. *l.* 30. *c.* 11. & Aratus *in Prognoſticis.*

è Mortuis Νεκυομαντεία, vel Νεκρομαντεία, ubi vel ex oſſibus futura vaticinabantur, quod Theſſalis inprimis erat in uſu: vel fervidum cadaveri infundendo ſanguinem, reſponſum inde petebant; quemadmodum Ericto apud Lucian. *Dum vocem defuncto in corpore quærit, Protinus adſtrictus caluit cruor atraque fovit vulnera.*

ex Olla fictili in quam tabellæ ventus fatidicos continentes conjectæ, vide infrà *Sortes.*

ex Onirocritica, vide *ſuo loco.*

ex Ovis Ὠοσκοπεία, de quo vaticinandi genere integrum volumen ob Orpheo compoſitum eſſe Suid. tradit.

è Pelvi, Λεκανομαντεία, vide ſuprà in voce *Aqua.*

è Phialis Γαστρομαντεία.

è Pice, quæ ex tædis colligitur, comminuta in pulverem, & hoc in ignem conjecto, futura venabantur, obſervando: An exardeſcens inde flamma coeat, nec diſpergatur: an dividatur contrà aut diſſiliat, quorum illud fauſtum, hoc ſecus habebatur. Pugnans, deductus in diverſa, procumbens in focum, crepitans, ægris malus: evaneſcens, iis mortem minitari putabatur.

è Quadrupedibus Aruſpicum erat judicare: cujus artis Tages inventor. Vide ſuprà in voce *Aruſpex*, & infrà in *Extiſpicina.* Nec ex fibris ſolùm, ſed & occurſu eorum divinatio fiebat. Ita ſi lepus in caſtris, vel urbe viſus incolumis evaderet: ſi domum ingrederetur ater alienus canis, infauſtum habebatur. At felix erat indicium, ſi cerva lupum evaderet; ſi lupus ad dextram prætercurriſſet hianti ore. Etiam ex hinnitu equorum divinabant, quod apud vett. Germanos uſitatum, Sed præcipuè huc pertinebat, ſi quid in animantibus contigiſſet præter naturæ ordinem, ut ſi bos locuta eſſet aut mula gemellos peperiſſet.

Saliſſatio vocabatur ſeu Παλμὸς, cùm ex membri alicujus palpitatione futura diſcebant. Hinc *Saliſſatores* dicti Iſid. *Orig. l.* 8. *c.* 9. *qui dum eis membrorum quæcunque partes ſalierint, aliquid ſibi exinde proſperum ſeu triſte prædicebant.* Meminit hujus artis Plaut. *Pſeud. Act.* 1. *ſc.* 1. *Ita ſupercilium ſalit.* Theocrit. *Edyll.* 3. *Salit mihi dexter oculus.* Alius, *ſalit mihi aliquid in lævæ parte mamillæ*, i. e. cor. Scripſiſſe Παλμικὰ Melamp. & Poſidon. Suid. dicuntur.

è Securi vel dolabra Α'ξινομαντεία.

è Sortibus, vide *ſuo loco.*

è Speculis Κατοπτρομαντικὴ vel Κρυσταλλομαντικὴ: Sic Noſtradamus Catharinæ Mediceæ de filiorum fortuna ſolicitæ futura prædixiſſe fertur ſec. præt.

è Sternutatione divinatio frequens admodum & celebris erat. Poſt meridiem ſternutaſſe felix, matutino tempore infauſtum habebatur: ad dextram, fauſtum, ad ſiniſtram ſecus erat. Hoc omine Themiſtoclem Euphrantides ad pugnam animavit: Xenophon ab exercitu Dux electus eſt &c. Timotheus verò illud riſit, ſed & Cic. *ſternutamenta obſervari* præcepit, *de Divin. l.* 2.

è Talis in menſam conjectis, vide infrà *Sortes*: è *Talis aureis* in fontem Aponi conjectis, voce *Fons* vide & *Tal.*.

è Thure incenſo ita divinabant; ſi ignis mox illud arreptum diſſolutumque in fumum verteret & ſuffitum cieret gratum, læta: ſi refugerer, aut fœdum odorem exprimeret, abominanda oſtendi credebantur: Sic Dion meminit loci quem *Nymphæum* appellat; in quo ex ſuffito thure de omnibus rebus reſponſa fuerint petita, præterquam de morte & conjugio.

è Tinnitu auris dextræ felicia, ſiniſtræ infauſta omnia fore augurabantur. Hinc vetus Epigramma:

Garrula quid toties reſonas mihi noctibus auris?
Neſcio quem dicis nunc meminiſſe mei.

Meminit hujùs divinationis Plin.

è Tonitru; Si ad lævam tonuiſſet, aut impare numero, felix augurium erat: ſi cœlo ſereno tonuiſſet, cenſebatur infauſtum.

è Ventre, Γαστρομαντεία. Sic.

è Vini conſecrati ablibationes & ex ſacræ aquæ, quâ abluebantur & decoquebantur victimæ, colore, ſapore, motu, ſtrepitu, ſubitis mutationibus argumenta eventuum colligebant: Tum molas, & libamenta, & præcipuè materiam eorum, ut hordeum, far, & inde confectas farinas, quibus conſpergebantur victimæ, ſcrutabantur & expendebant.

Per Virgas, vide infrà *Tenus.*

è Vocibus puerorum ludentium, vide infrà in voce *Sortes.*

è Voluminibus Poëtæ alicujus, vel auctoris Sacri, ibid. in Specie, ubi de *Sortibus Virgilianis*, & in voce *Rhapſodomantia.* Sed quis omnia enumeret? Quare, cui tanti iſta, adeat Camerar. Peucer. Raguſejum, qui eruditè de *Divinatione* ſcripſêrunt. Refutat eandem Joh. Sariſberienſis *Policratici l.* 1. & 2. Habes & de *Divinatione* judicium Camilli Franchini *Ep. ad Eraſtum centur. Ep. editâ* è *Goldaſto*: quibus adde Joh. Gerh. Voſſ. *de Philoſ. c.* 22. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* XI. & Franc. Roſſæum *Archæologiæ Atticæ toto l.* 7. Addam ſolùm apud A. Gell. exemplum perfidiæ Haruſpicum Hetruſcorum, cum eorundem pœna; unde verſus ille ſcitè factus & pueris decantatus fluxit: *Malum conſilium conſultori peſſimum.*

DIVINATIONIS NOVEM APUD ISRAELITAS GENERA: QUORUM 7. PRIORA *Deut. c.* 18. *v.* 10, XI. *octavum Hoſ. c.* 4. *v.* 12. *ultimum Ezech. c.* 21. *v.* 21. *prohibetur.*

Planetarius, Hebr. מערנו dicebatur, qui ex Planetarum vel nubium inſpectione dies horaſque fauſtas vel minùs fauſtas, negotio alicui aptas aut minus faventes, augurabatur. Obſervabant autem ſtellarum nubiumque colorem ac motum: & cùm huic rei vacabant, ſtabant facie Ortui, tergo Occaſui, dextro latere Auſtro & ſiniſtro. Boreæ obverſo.

Conjector, מנחש *Menacheſch*, vulgò *Augur*, erat qui ex eventuum experientia regulas divinandi colligens, prout volarent, clamarent paſcerenturque aves: ſi *mica panis ex ore excideret: ſcipio manibus elaberetur: cantaret gallus: præteriret capra: ſerpens ad dextram incederet, vel vulpes ad ſiniſtram* hoc vel illud faciendum aut omittendum judicabat. D. Kimchi. Hinc apud Gentiles dierum in atros candidoſque: menſium etiam in fauſtos ac infauſtos diviſio. Ovid. *Faſt. l.* 5. *v.* 489.

Menſe malum Majo nubere vulgus ait,

Conabantur autem infauſta indicia avertere, vel lapidibus petendo avem aut animal infauſtum: vel vocem infelicem in eum, qui illam præferebat retorquendo, verbis: Εἰς κεφαλήν σοὶ, *In caput tuum recidat omen* &c.

Præſtigiator מכשף *Mecaſcheph*, propriè vi vocis erat, qui hominum ſenſus formas rerum immutando falleret. Tales e-

rant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

rat, qui hominum ſenſus formas rerum immutando falleret. Tales erant Exod. 7. v. 9. Ægyptii illi, qui Moſi, vera patranti coram Pharaone miracula, præſtigiis ſuis obnitebantur. Horum præcipui ab Apoſtolo *Jannes* & *Jambres*, 2. Tim. c. 3. v. 8. in Talmud *Johanne* & *Mambre*, à Numenio Pythagoræo *Jannes* & *Mambres*: à Plin. *l.* 30. *c.* 1. *ſub finem. Eſt & alia Magices factio à Moſe & Jamne & Jotape, & Judæis pendens*, appellitantur. Græca verſio illos reddit φαρμακοὺς *Unguentarios* ſive *Seplaſiarios*. Cujuſmodi impoſtoribus eleganter comparat Paul. falſos Doctores, *qui habentes formam pietatis, ſed vim ejus abnegantes, captivas ducebant mulierculas*, 2. Tim. c. 3. v. 5, 6. Incantatur חובר *Chober* vocabatur, finitore Maimonide *tract. Idol. c.* 11. *ſ.* 10. 12. qui in lingua peregrina ſibique ignota verba quædam obmurmurans, iſta vim aliquam habere ſibi erat perſuaſus. Sic ſerpentem iſtiuſmodi vocibus alloquentes, vim ei nocendi adimere ſe poſſe opinabantur: aut contrà hominem, contra ſerpentum morſus præmunire. Iidem loco aliquo Scripturæ eum in finem abuſi, librum legis aut phylacteria infantibus imponere &c. ſoliti ſunt. Nomen in lingua originali à fœdere habent vel ſocietate, an quia commercium illis cum Satana? an quia frequenter conveniebant, epulantes invicem ac ſaltantes, ut docet Bodin. *Mag. Dæmon. l.* 1. *c.* 6. qui de eodem hominum genere loquens *l.* 2. *c.* 1. refert, recitatione verſiculi alicujus è Pſalmis, mulierem in butyro conficiendo impediri, qui ſi retrorſum pronuntietur, nil moræ eſſe, quin feliciter pergere poſſit.

Requirens Pythonem שאל אוב *Scheel Ob*; i. e. *conſulens lagenam*: qui enim iſtiuſmodi Spiritu inſeſſi ſunt, tanquam è lagenâ ſubmiſſam, & velut è cavo prodeuntem vocem edebant. Græci Ἐγγαστριμύθους tales; h. e. *Ventriloquos* vocant, quia è ventre oracula fundere credebantur. Exemplum in puella habemus, de qua Act. *c.* 16. *v.* 16. ubi *Spiritum Pythonis* eundem judicat fuiſſe, cum *Spiritu Ob* Hebræorum, Auguſtin. *de doctr. Chr. l.* 2. *c.* 23. Pythoniſſa quoque, quam Saul rogavit, ut Samuelem vocaret, *Ob* conſuluiſſe legitur.

Ariolus ידעני *Jiddegnoni*, Gr. Γνώστης, quæ utraque vox à *ſcientia*, quam tales ſe habere jactabant, dicta eſt. Rabbini verò nominis originem arceſſunt à voce *Iadua*, quâ beſtiam quandam hominem referentem indigitari ajunt: cujus oſſe intra dentes comprehenſo vaticinia ſua edere iſtiuſmodi deceptores ſoliti ſint. Athen. illam καζαβλεπάδα vocat. Etiam Magos præcipuas beſtiarum, quas vaticinatrices eſſe rentur, partes comedere ſicque per metempſychoſin animas earum, in corpora ſua demigrare opinari, docet Perer. *de Mag. p.* 57. Vide quoque Bodin. *Mag. Dæmon. l.* 1. *c.* 6.

Necromantes, Hebr. *Doreſch el hammethim*, Græcè Ἐπερωτῶν τοὺς νεκροὺς, i. e. *interrogans mortuos*, nuncupabatur is qui è Diabolo ſub cadaveris forma futura ſcire conabatur. Cujus rei memorabile exemplum extat 1. Sam. *c.* 29. in Saule, qui è Samuele mortuo ſcire cupiebat belli cum Philiſtæis eventum: Sed ejus loco Satanas apparuit. Prophetæ formâ ſpecieque aſſumtâ.

Conſulens baculum שאל מקלו *Scoel maklo*, Hoſ. *c.* 4. *v.* 12. quem divinandi modum ita exponit Hieronym. *Quoties*, inquit, *ambigebant quamnam ex pluribus urbibus primùm aggreſſuri eſſent; baculos ſumebant, quorum unicuique inſcribant illarum civitatum nomina: Dein baculos ſic inſcriptos pharetræ immittentes illos agitabant concutiebantque, quorum qui primus exiliiſſet urbem indicabat primo inſultu petendam*. Druſius verò *in Deuter. p.* 592. iſtiuſmodi homines baculos ſpithamâ vel digito metiri ſolitos refert, alternatim dicendo: *Faciam, non faciam*: donec ad extremitatem ejus pervenientes ultimam vocem pro Oraculo habuerint. Ῥαβδομαντεία vel Βελομαντεία Gr.

Inſpector jecinoris ראה בכבד *Roe baccabed*, Ezech. *c.* 21. *v.* 21. Ibi enim Nebucadnezar in bivio, terſit cultros, imagines conſuluit, inſpexit jecur. Quod divinandi genus apud Gentiles frequentiſſimum, Græci Ἡπατοσκοπίαν vocavêre: quæ pars erat Extiſpicinæ, ſeu artis ex viſcerum inſpectione vaticinandi: Ubi colorem, locum, numerum obſervabant. Julio Cæſari duo boves, à Sacerdote diſſecti, cùm corde carere deprehenderentur, exitium prædixêre, vide Thom. Godwyn. *de Rit. Hebr. l.* 4. *c. ult.* &c.

DIVINATRIX Machina, in *Muſeo* Kircher. exhibetur, quâ ad progreſſum unius ſtatuæ in linea recta, ad diverſa interdiſtincta ſpatia cæleſtium Planetarum characteres arbitrarios ſtare juſſa ſtat & duo Genii cerei circumſepti globo ſuis fulcris pari motu ſe in ſphæræ centro contorquentes cum ſuis indicibus, quos ceu lancem in manu geſtant, ad cognomina ſigna, in ſphærarum circumferentia inſcripta, ſe quoque ſiſtunt, etiamſi unus ab altero per decem palmos diſtet, uterque autem à Magica ſtatua per palmos quinque. Quâ ratione tota Aſtronomia divinatoria includi poteſt, tantâ induſtriâ, ut curioſus hominis actus & paſſiones morales, putà virtutes & vitia, inclinationem, averſionem, alia, ſpectatori palàm legenda exponat. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S. I. Muſeo p.* 60. Ibid. Typhis Magneticus proſtat; ad clavum cymbæ cryſtallinæ, ſedens, qua, inter alia, machina efficitur, ut ſpectatoribus intra circumferentiam deſcripta nomina aut etiam mente concepta Geniolus, non ſine ſuſpicione Magiæ, dicto citiùs indicet & quod propoſitum erat, vaticinetur, uti Auctor pluribus docet in *Arte Magnetica*. Vide infrà *Typhis Magneticus*.

DIVINITAS præſens mortalibus, titulus Antonino Coracallæ Imp. tributus in marmore antiquo, quod Tuſculi viſitur, memoratur Jac. Spon. *Itin. Part.* 1. *p.* 298. ubi eundem alio non minus inſolenti, *Dominum Terræ Mariſque* in *Inſcr.* Gr. Thyatiræ ſuperſtite, appellati, addit. Nempe *divinitatem* affectarunt etiam ſceleratiſſimi Principes, vel adulatores eam illis affingebant, uti alibi diximus, inprimis ſuprà in voce *Divi*. Habebantur autem *Divinitatis* notæ, ſomnia, *curationes*, *oracula* & ἐπιφάνειαι: uti videre eſt, apud Lucian. *de Hephæſtione in Divos referendo*, Ὑπολαμβάνοντες δὲ οἱ κόλακες τὴν μειρακιώδη αὐτὴν τοῦ Ἀλεξάνδρου ἐπιθυμίαν, προσεξέκαιον εὐθὺς καὶ ἀνεζωπύρουν ὀνείρατα διηγούμενοι τοῦ Ἡφαιστίωνος ἐπιφανείας τινὰς καὶ ἰάματα προσάπτοντες αὐτῷ καὶ μαντείας ἐπιφημίζοντες, καὶ τέλος ἔθυον παρέδρῳ καὶ ἀλεξικάκῳ θεῷ. Cujuſmodi curationes verò plerumque per ſomnia fiebant, ut in Æſculapii Templis: quemadmodum & ἐπιφάνειαι quoque in ſomnis frequentes, quum *Divus* apparere dormientibus viſus hæc & illa præcipiebat ſanitati vel tuendæ, vel ex morbo recuperandæ, qualia remedia συνταγαὶ vocabantur. Atque hi divi ἀλεξίκακοι præcipuè habiti &c. Vide quoque infrà, ubi de *Paredris Diis*, & *Somniali Hercule*, it. in voce *Propheta*, *Propitii* &c.

DIVIO, urbs celeberrima & metropolis Burgundiæ ducatus, qu. *Diviopolis*, ut quidam volunt, i. e. *Divorum*, ſeu *Deorum civitas*. Hanc olim Hedui, ſeu Sequani occupabant, vulgò *Diion*. long. 20. 26. lat. 46. 50. Baudr. urbs aliàs Lingonum, nunc Burg. caput & Parlamenti à Lud XII. inſtituti ſedes, ad fluv, Oſcaram *Ouche*, qui poſtea in Ararim ſe exonerat. Ampla cum caſtro munito, 14. leuc ab Auguſtoduno in Cæc. totidem à Lingonibus in Auſtr. Hanc Aurelian. deſtructâ arce *Burgus Deorum* dicta, Deorum iram veritus, matris fatidicæ conſilio, condidiſſe dicitur. Morer. Valeſio non extructa quidem, novis tamen mœnibus turritis, ab Aureliano Imp. cincta templiſque ornata eſt. Vide Vopiſc. Gregor. Tur. qui urbis ſitum graphicè deſcribit *Hiſt. l.* 3. *c.* 19. Aimon. *l.* 2. *c.* 24. Aucta dein & amplius exornata eſt, ab Hugonis Capeti liberis, qui priſcis ducibus Burg. ſuccedentes, hîc ſedem fixêrunt, ob id *Duces Divionenſes* ſæpe tum dicti. Plurimis Principibus in locum ſepulturæ placuit, uti inter alios cuidam Poloniæ Regi. Abbatiis compluribus, egregiiſque tum ſacris tum prophanis ædificiis, inclyta. In marmore Rom. haud pridem effoſſo memorantur fabrii ferrarii DIBIONE CONSISTENTES. Olim ſub Comitibus, etiam Ducum Burg. tempore: à Ludov. XI. arcem accepit, ut urbem Provinciamque in obſequio teneret, quæ ultimo Duce mortuo in ejus tutelam, operâ Joh. Cabill. Principis Arauſionum, &c. ſe credidit. Præterito ſeculo Evangelii lux ei affulgere cœpit, ſed A. C. 1562. Regio edicto, Reform. religionis exercitium inhibitum eſt, cultoribus exarmatis, & ex parte pulſis. Pagi cognominis vulgô *le Dijonnois* caput eſt, videturque à fontibus iſtis pretioſis, quos circa ſe habebat, potiùs nomen accepiſſe. *Diu* enim Gallis fontem fuiſſe, indicant nomina, Divodurum, Divio & Divona, Cadurcorum caput, ac Divona fons Burdigalenſis, de quo Auſon. de claris urbibus *Carm.* XIV. *v.* 32.

Divona *Celtarum linguâ fons addite Divis*.

Certè eſt Divione fons, qui opp. irrigat, & in Oſcaram defluit, vulgô *la fontaine des Raines*, i. e. fons Ranarum dictus Oſcara autem pago Oſcarenſi ſeu Comitatui Uſcarienſi, priſcis ſæpe memorato, nomen dedit & augetur Suſione rivo vel amniculo, *Not. Gall.* Prope urbem duo montes ſunt parvi, celebres, alter munimento *de Talan*, alter arce & vico Fontium; loco natali S. Bernardi. Belleforeſt. Paſquier. Guaguin. *Hiſt. Fr.* Merula *Geogr.* P. de S. Juliano, *Ant. Burg.* Chenius, *de Urb. l.* 6. *c.* 2. & *Hiſt. Burg.* Chaſſanæus, Jod. Sincer. &c. Hic Concilium, A. C. 1075. contra Simoniacos, Labbæus, *tom.* 1. *Bibl. Mſcr. p.* 196. A. C. 1196. ob Iſemburgen Danicam, uxorem Philippi Auguſti, quam Mariâ Agnete, Berchtoldi Meraniæ D. filiâ ductâ, repudiaverat, &c. Vide Rigord. & Gul. Briton. *in Phil. Aug.* Belleforeſt. *l.* 3. *c.* 69. Innocent. III. *l.* 1. *ep.* 4. 171. 346. 347. & *l.* 2. *ep.* 186. Roger. *Morerium*, &c.

DIVIPOTES, Dei, quos, ut Varro ſcribit, Augurum libri ſcriptos habent, ſunt pro his, quos Samothraces vocabant, Θεοὶ δυνατοὶ, vel ut Latini codices habent, *Theædinatæ* hæc duo cœlum & Terra, anima & corpus, humidum & frigidum.

DIVISIO, panis aliorumque miſſilium, populo olim Romæ ac CP. ubi fieri ſit ſolita, videre eſt hîc paſſim, in vocibus *Auguſteon*, *Miſſilia*, *Panis*, *Sparſio* &c. Sed & *Diviſiones*, Natali die, factæ nonnunquam. Marcian. *in l.* 23. D. *de ann. leg. Cum quidam Decurionibus* diviſiones *dari voluiſſet die natalis ſui; Divi Severus & Antoninus reſcripſerunt, non eſſe veriſimile, teſtatorem de uno anno ſenſiſſe, ſed de perpetuo legato*. Ubi *Diviſiones* ſunt viſceratio, cruſtula & mulſum, quæ viritim convivis dividebantur, ut patet ex *Inſcr.* quæ Spoleti eſt: TRIB. MILIT. LEG. XV. APOLLINARIS. ET. LEG. V. MACED. HIC. LEGAVIT. TESTAMENTO. MVNICIPIBVS. HS. LXVI. G. MONET. VT. EX. REDITV. EIVS. SVMMÆ. QVOTANNIS. VIII. IDVS. NOVEMB. NATALE. SVO. MVNICIP. EPVLVM. ET. CRVST. ET. MVLSVM. DARETVR. Item alia vet. Reatinâ.

HIC ARCÆ. AVGVSTALIVM. SE.
VIVO. HS. SE. VIVO. DEDIT.
XX.
VT. EX. REDITV. EIVS. SVMMÆ.
DIE. NATALI. SVO. IIII. KAL. FEBRV.
PRÆSENTES. VESCERENTVR. ET. OB.
DEDICATIONEM. STATVÆ. DECVRIONIBVS.
ET. SEVIRIS. ET. IVVENIBVS.
SPORTVLAS. ET. POPVLO. EPVLVM. ET.
OLEVM. EADEM. DIE. DEDIT.

At *Diviſio*, in Tabulario Laſcarrenſis Eccleſiæ A. C. 1101. apud Marcan *Hiſt. Benearm. l.* 5. *c.* 10. pro examine eſt ferri candentis vel aquæ calidæ: vel ſorte quavis. Nam & *ſors* diviſionem ſignificat. Joh. Saresberienſis *Policratici l.* 10. *c.* 12. & Petrus Bleſenſis *de Præſtigiis fortunæ*, *Sortilegi ſunt, qui ſub nomine fictæ religionis---rerum pollicentur eventus, quod genus ſortes Apoſtolorum & Prophetarum &* dividentium *& inſpectio tabulæ appellatur*, apud Car. du Freſne in *Gloſſario*. De *diviſione pecorum* in voce S. Sacris, vide ſupra ubi de *Diſſecandi ritu*: uti de *diviſione ungulæ in duas partes*, munditiei in quadrupedibus olim notâ, infrà in voce *Ungula*.

DIVISIO Apoſtolorum, Feſtum eſt, cujus mentio in *Martyrologiis* Bedæ, Uſuardi & aliorum, d. 15. Julii, quo ſc. Apoſtoli in diver-

diverſas orbis provincias profecti ſint ac diſperſi. *Chron.* Elwangenſe & *Compilatio* Chronol. *A.* C. 1291. *Rex Romanorum Rodolphus obiit in Diviſione Apoſtolorum.* Dicitur *Feſtum de Diſperſione Apoſtolorum*, apud Albert. Stadenſ. *A.* C. 1098. Quò reſpexit Paulin. *Natali* 9.

------ ------ Lux populis feſtiva recurrit,
Quâ ſanctus quondam cœlo demiſſus ab alto
Spiritus *ignito diviſit fulmine linguas* &c.

apud Car. du Freſne ubi de *Feſtis*.

DIVISORES, dicti ſunt apud Romanos, qui pecuniam, quâ Candidati populi ſuffragia emturi erant, ſingulis diſtribuebant. Quemadmodum Interpretes erant, qui pactionem faciebant, & Sequeſtres, apud quos pecunia deponebatur. Vide Cic. *de petit Conſul. & alibi*, Aſcon. Plutarch. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.7.c.*8. &c.

DIVITENSES & DIVITENSE monim. *Tuitium* Ruperto Abbati loci, *Deutſch*, pag. Germ. inf. cum cœnobio Benedictinorum, ad Rhenum, ex adverſo Coloniæ Agrippinæ. Ferrar. Erexerat munimentum hoc Imp. Cæſar. M. Fl. Val. Conſtantinus, in terra Francorum, uti patet ex lapidea tabula illic aliquando reperta, Abb. Ruperto auctore Tuitienſi, qui tot Commentarios in S. Literas ſcripſit. Et ab hoc præſidii loco forſan *Milites Divitenſes* traxêre nomen, apud Amm. Marcellin. *l.* 27. *Adſcito in ſocietatem laboris Severiano itidem Comite; qui apud Calidona* Divitenſibus *præſidebat, etiam tunc Græcanus*. Vide B. Rhenan. *Rer. Germ. Nov-Antiqq. l.*3. & ad eum *Notas* Ottonis J. C.

DIVITES, Homines, vide infrà *Rici Homines*.

DIVITIACUS, Æduus, hoſpes & laudator Ciceronis & Cottæ, Principatum in civitate ſua obtinuit, cui Cæſar ex aliis Gallis maximam fidem habebat, Romanorum adventu, in antiquum locum gratiæ atque honoris reſtitutus eſt. Ejus ſummum erat in Populum Romanum ſtudium. Itaque ipſius ſuaſu Cæſar de Gallia occupanda conſilium ſumpſit. Meminit ejus Cic. *l.* 1. *de Divinat*. Naturæ rationem is ſibi notam eſſe profitebatur, & partim auguriis, partim conjecturâ, quæ eſſent futura, dicebat, Idem.

DIVITIS Johannes, vide *Johannes*.

DIUM, vel DIU, Inſ. parva, diſtat à flumine Indo 70. milliaribus ac Terræ firmæ adjacet, olim Regi Cambaiæ paruit: in regno enim illius jacet: Cum Urbe cognom. permunita & marit. Portus huic urbi eſt commodiſſimus, ac frequentiâ mercatorum nobilis. Pauci fructus. Urbs opportunitate ſitûs inter Cambajam & Sindam, ditiſſimas regiones, celebratur. Optimum hîc & lucroſiſſimum Regi Portugalliæ vectigal ſolvitur. Civitas à Luſitanis habitatur, admixtis incolis. Inſ. plena eſt & fœcunda rerum neceſſariarum. Incolæ carnem fumo indurant, quæ viatoribus ad ſuſtentationem eſt commodiſſima Joh. Matal. Metell. 60. leuc. diſtat urbs à Surata in Occ. ad fauces ſinus Cambaiæ, ſub Luſitania Annis 152. circiter. Baudr. Vide *Diu*.

DIUM, urbs Maced. ad oſtia Milis amnis, in ora littor. ſinus Thermaici, 15. mill. à Pydna in Auſtr. Aliàs probè munita. Incolæ *Dienſes* dicti. Eſt & prom. Cretæ, apud Cyreum urb. *Capo Fraſchea* vulgò, in ora Bor. Vide *Dion*.

DIUM, Græcè Δῖον, Eubœæ opp. ubi aquæ calidæ, memoratur Plin. *l.* 31. *c.* 2. ubi pro *Delio* Salmaſ. *Dion* reponit: quem vide *ad Solin. p.* 177. ut & in voce *Dion*.

DIUM Fulgur, Feſto fulmen diurnum eſt, quod Jovi olim attribuebant: *Dium fulgur appellabant diurnum, quod putabant Jovis, ut nocturnum Summani.* Imò *Dium*, pro *Diali*, i. e. Joviali, ut *Dialis Flamen*. Et Apulejo, *Diale fulmen*, τὸ Δῖιον. Sic *Dius Fidius*, ὁ Δῖιος υἱός, unus ex Diis illis, qui templi tegmine nolebant integi, ſed tectum perforatum habebant, inter quos & Terminus. Inde & *ſub Dio*, quod alii dicunt *ſub Jove*. Sed & Δῖιον templum Jovis, & Δῖος quoque Græcis, h. e. *divinus*, quaſi Δῖιος, ut exponunt Grammatici. Vide Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 1143.

DIVODORUM, Ptol. à Gallis dictum, quaſi *Aqua fontis*, Gallicâ enim linguâ *Dür* vel *Durum* aquam olim ſonuit: vel à Belgis, quaſi *Divina aqua*, vel *Sacrum oſtium*, ad os quippe Saliæ poſitum, fluvii ſale & ſalinis ſuis, quæ olim inter ſumma Deorum beneficia Galli Germanique numerabant, inclyti. Urbs quondam clariſſima & maxima Auſtraſiæ, nunc Lotharingiæ metropolis, alio nomine *Mediomatrici* à gente, cujus caput fuerat. Item *Mettis*, quo nomine ante A. C. 400. dici cœpit, in Not. vett. in prov. Belgica prima ſecundo loco numerata. Huc Auguſtoduno tranſlati Gynecæi, in Not. Imp. & inter legiones Pſeudo Comitatenſes, intra Gallias, *primæ Flaviæ Metis*, mentio fit. Habuit olim ſtante Imperio Amphitheatrum extramuranum, & Palatium, fuit enim ſedes Regum Auſtraſiorum undecim, quos vulgò *Mettenſes* vocant, à morte Chlodovei Mag. ad obitum Dagoberti jun. per Annos circiter 170. Vide Greg. Turon. *Hiſt. Fr. l.* 8. *c.* 36. Walafrid. Strabon. *in vita S. Galli*, &c. Eadem fuit & Lotharii & Zuventibaldi Regum, qui Regnum Lotharii obtinuêre, Regia. Epiſcopalis eſt, fueruntque olim quidam Præſules ejus Archiepiſcopi vocati, quòd more Archiepiſcoporum ſeu Metropolitanorum Antiſtitum Pallium tulerint, ab Urbicio 15. Antiſtite, non jure ſedis ſuæ, ſed merito ac dignatione perſonarum. Vulgò *Mets en Lorraine*. Baudr. Urbs ampla & dives, intra fines Lotharingiæ comprehenſa, ſita ad Moſellam fluv. ubi recipit Selnam vel Saliam, 10. leuc. à Viroduno in Ort. 11. à Tullo in Bor. 5. à Theodonis villa in Auſtr. ſub Galliæ Rege ab A. C. 1552. cùm antea libera eſſet civitas. Arcem habet validam, habuitque, ut dictum, Reges proprios, ſub prima ſtirpe Franciæ Regum. Nunc Parlamenti ſedes eſt in hoc tractu. Regio adjacens, Metenſis tractus, *le païs Meſſin*, Germ. *Mettingow*, non Ornam modò fluv. ſed etiam Alſuntiam, quem Auſon. Aliſontiam *Alſitz* vocat, olim attigit, cùm Luciliburgum caſtrum in eo collocet Sigifrid. Comes *in litt*. A. C. 963. Ejus pars inter Moſellam & Saliam, à ſitu appellatur Inſula, *Liſle de Mets*: pars trans & ad Moſellam, Vallis Metenſis *le Val de Mets*: pars denique inter amnes Saliam & Nitam *le Nied*, Salinenſis ager *le Saunois*. Brouverius *Metingouvam* Arduennenſi pago ac Luciliburgenſi Ducatu, atque valle Alſontienſi, quam Alſontia Luciliburgenſis fluviolus irrigat, terminari ait. In Numidia etiam civitas *Metæ* fuit, ſedes Epiſcopatûs. Vide Vict. Uticenſ. *de perſec Afric. l.* 4. & Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* Alii *Divodorum* Theonis villam, vulgò *Theonville* eſſe putant.

DIVONA, aliis DUIONA, fons Burdigalæ Urb.

DIVORTII duæ apud Romanos ſpecies erant: Repudium, quod in Sponſalibus & *Divortium* propriè dictum, quod in conſummatis valebat nuptiis. Prioris formula erat: *Conditione tua non utor*. Poſterioris, *Res tuas tibi habeto*, vel *Res tuas tibi agito*. Utraque dicebatur *Matrimonii renuntiatio*, de qua legem tulit Romulus teſte Plutarch. *quâ mulieri maritum relinquendi poteſtas adimebatur: viro autem ejicere uxorem concedebatur, ſi veneficio circa prolem fuiſſet uſa, aut alienam pro ſua ſubdidiſſet, aut adulterium commiſiſſet: quòd ſi quis alia de cauſa repudiaſſet conjugem: cavit ut ejus bona partim uxori cederent, partim Cereri ſacra forent: & qui uxorem dimiſiſſet, is Diis Manibus ſacram rem faceret.* Poſtea quoque, in XII. Tabb. permiſſum fuiſſe *Divortium*, ex eo licet ſuſpicari, quod inquit Cic. *in Philippicis* de Antonio: *Frugi factus eſt, mimam illam ſuam ſibi res habere dixit ex XII. Tabulis, claves ademit, exegit.* Interim ab A. U. C. uſque ad A. C. 520. nullum *Divortium* Romæ interceſſit, primuſque id fecit S. Carvilius Ruga, M. Pomponio, C. Papirio, vel ut aliis placet M. Attilio, P. Valerio Coſſ. qui, verba ſunt Valerii Maximi, *uxorem ſterilitatis causâ dimiſit: Qui quanquam tolerabili ratione motus videbatur, reprehenſione tamen non caruit: quia nec cupiditatem quidem liberorum conjugali fidei præponi debuiſſe arbitrabantur.* A. Gell. *l.* 4. *c.* 3. & Dion. Halicarnaſſ. *l.* 2. à Cenſoribus eum coactum fuiſſe jurare ſcribunt, *Se liberûm quærendorum gratiâ matrimonium colere.* Ab eo tempore rei uxoriæ cautiones Romæ neceſſariæ ſunt viſæ, cùm antea nullæ fuiſſent: dimittique uxores cœpêrunt, etiamſi nihil gravioris cauſæ ſubeſſet. Unde P. Æmylius cùm Papyriam dimitteret, non tam pulchram quàm fœcundam, cauſam quærentibus amicis, non aliam attulit, quàm *ab ea ſe læſum eſſe*. C. Sulpic. Gallus cum uxore divortium fecit, quòd eam *foris capite nudo converſatam* reperiſſet: Q. Antiſtius Verus, quòd *cum libertina quadam vulgari ſecreiò fuiſſet collocuta*. Sempron. Sophus, quòd *uxor ludos ſpectaſſet ſe ignorante*, Plutarch. in *Romulo* & in *Probl. Romanis*: Caj. Julius Cæſar Pompejæ nuncium remiſit, ob adulterii cum Clodio nudam ſuſpicionem, &c. Vide Car. Sigon. *de antiq. jure civ. Rom. l.* 1. *c.* 9. Ratio autem *Divortii* hæc erat: Cùm vel moroſior erat, vel ſterilis uxor, *amici rogabantur vellent conſilio*, intereſſe, Valer. Max. *l.* 2. *c.* 4. unde L. Antonius à M. Valerio Max. & C. Junio Bubulco Cenſoribus, Senatu motus legitur, *quod uxorem virginem ductam repudiaſſet, nullo amicorum conſilio.* Sic probatis in privato amicorum conſeſſu rationibus, *Jusjurandum præſtabatur Cenſoribus, legitimas fuiſſe divortii cauſas*, A. Gell. *l.* 17. *c.* 21. Dein, ut nuptiæ firmabantur ſcriptis tabulis, ita fractis diſſolvebantur. Juv. *l.* 3. *Sat.* 9. *v.* 74.

------ ------ Fugientem ſæpe puellam
Amplexu rapui: tabulas quoque ruperat, & jam
Signabat, totâ vix hoc ego nocte redemi,
Te plorante foris.

Tum maritus vel præſens uxorem exturbabat ædibus, vel per nuntium abſenti libellum mittebat, quo legitimæ continebantur cauſæ, Vide Iſid. *Orig. l.* 10. *c.* 8. ubi inter alia & teſtium meminit, ex *lege* 9. *ff. de divortiis*, quos numero ſeptem, puberes civeſque Romanos, uti in ſignandis tabulis dotalibus, eſſe oportebat. Mittebatur verò libellus hic vel per aliquem è libertis, vel per Procuratorem, vide Suet. *in Tib. c.* 11. Nec mariti modò, ſed & patres, impudicitiâ filiarum offenſi, ut ex hoc Suet. loco patet, libellum hunc mittebant: ac multò vehementius crudeliuſque Caligula, qui *quibuſdam, abſentium maritorum nomine, repudium ipſe miſit, juſſitque in acta referri*, Suet. *in vita ejus c.* 36. Exeunti, quæ priùs uxor fuerat, reddebatur quidquid in domum mariti ſecum attulerat. P. Ovid. *de Rem. Am.* & Joh. Badius Aſcenſius *not*.

Tutius eſt, aptumque magis, diſcedere pace,
Quàm petere à thalamis litigioſa fora.
Munera quæ dederis, habeat ſibi lite jubeto,
Eſſe ſolent magno damna minora bono.

Adimebantur autem claves, quæ poſt conclamatum Hymenæum intranti in domum fuerant commiſſæ. Unde Ambroſ. *Ep.* 65. *Mulier offenſa claves remiſit domum revertit*: & *in legg. Xviral. Res ſuas ſibi habeto, claves adimito*, &c. Vide Thom. Dempſt. *Paralipom. In caput Roſini ſuprà laudatum.* Apud Athenienſes tam vir quàm mulier poterat alter alteri dicere, ut res ſuas ſibi haberet; quin nomina illius rei propria jure Attico prodita erant, ut ſi vir diſcederet ab uxore, hoc diceretur ἀποπομπὴ; ſi uxor diſcederet à viro, ἀπόλειψις. Scribebatur autem libellus *Divortii* apud Archontem à viro ipſo; ſive uxore, non autem per alium, ex hac Solonis lege: Τὴν γυναῖκα τὴν ἀπολείπουσαν τὰ τῆς ἀπολείψεως γράμματα, παρὰ τῷ Ἄρχοντι θέσθαι, μὴ δι' ἑτέρων, ἀλλ' αὐτὴν παροῦσαν, *Uxor, quæ à viro divertit, libellum divortii ipſa, non per alterum, Archonti præſens offerto*, ut nempe hoc modo, ſi fieri poſſet, coràm ſarciretur odium & utriuſque iniretur gratia: Legis meminit Plutarch. *in Alcib.* Et Archon quidem, ſortiebatur Judices, qui hac de re diſceptarent, an legitima eſſet nec ne τῆς ἀποπομπῆς, vel τῆς ἀπολείψεως cauſa ulla: atque Judicibus illis dicentibus ſolvebatur matrimonium, hinc apud Pollucem δίκη ἀποπομπῆς & δίκη περὶ τοῦ ἀνδρὸς ἀπολείψεως, Vide Sam. Petit. *Comm. in Leg. Att. l.* 6. *tit.* 3. Interim, quamvis per leges licebat, turpe nihilominus apud Græcos habebatur, ſi quis uxorem ejeciſſet, vel ſi quæ reliquiſſet maritum. Apud Spartanos inprimis, ubi tamen non adeò ſancta matrimonii jura erant, mulctam Lyſandro Ephori impoſuêrunt, quòd uxorem ſuam repudiaſſet: Sed gravior ignominia uxori erat maritum relinquenti, quàm marito expellenti uxorem. Unde Medea apud Euripid. *v.* 236.

------ Οὐ γὰρ εὐκλεεῖς ἀπαλλαγαὶ
Γυναιξὶν, οὐδ' οἷόν τ' ἀνήνασθαι πόσιν.

------ Non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

------ *Non enim laudabiles mutatiõnes*
Fæminis, non licet inficiari maritum.

Ubi inter maritorum privilegia recenſet, poſſe uxorem quæ diſpliceret dimittere: uxori contra nullâ maritum ingratum permutandi ſpe, niſi in morte, relictâ. Interim magnâ ferebatur apud omnes gloriâ maritus, qui unâ uxore contentus vixiſſet, & calamitas credebatur ingens, ad ſecundas nuptias, non poſt *Divortium* modò, verùm etiam poſt mortem conjugis, convolaſſe, ut apparet, ex Euripide *in Alceſt.* v. 464. ubi Chorus in maritum, etiam mortuâ uxore, aliam ſibi jungentem, his verbis invehitur,

Εἰ δ' ἐς καινὸν ἔλοιτο πόσις λέχος,
Ἦ μάλ' ἐμοί γ' ἂν εἴη στυγηθείς.
Si autem novum elegerit maritus thorum,
Sanè perquam mihi fuerit exoſus.

Vide Franc. Roſſ. *Archæologiæ Attic.* l. 4. c. 11. Apud Hebræos, propter duritiem cordis eorum, permiſſum erat marito, uxorem quæ diſplicebat, dimittere, dato ei libello repudii, qui ipſis ספר כריתות *Sepher Kerithuth*, i. e. *libellus abſciſſionis*, hoc enim pacto de familia mariti quaſi abſcindebatur uxor, Gr. βιβλίον ἀποστασίου, dictus eſt. Sed cautè admodum id fiebat, nec niſi ſi decem hæc requiſita adeſſent. 1. Oportebat id à marito fieri ſponte. 2. Non aliter quàm ſcripto. 3. Cauſis divortii in eo expoſitis. 4. Quas inter maritum & uxorem interceſſiſſe erat neceſſe. 5. Idque nomine ejus appoſito. 6. Poſt ſcriptum libellum nihil omittendum erat eorum, quæ libelli traditionem ſolebant pro more præcedere. 7. Ita à marito uxori tradebatur. 8. Coram teſtibus. 9. Secundùm leges. 10. Si maritus præſens non erat, dabat libellum alius ejus loco. Formula divortii ex Moſe Cotſenſi *fol.* 133. talis erat: *Tali Hebdomade, tali menſe, tali anno à creatione mundi, ſecundum computandi rationem uſitatam in hac civitate N. ſita ad fluvium N. Ego è regione N. filius Rabbi N. è regione N. Ego inquam, habitans in tali loco, prope talem fluvium, propoſui mihi ſponte, nemine cogente, imò repudiavi, dimiſi atque expuli Te, Te inquam, Te meam uxorem N. è regione N. filiam Rabbi N. habitantem in tali regione, & degentem in tali vel tali loco, juxta talem fluvium, quæ prius uxor mea fuiſti: Verùm nunc ego te repudio, dimitto & expello, ut res tuas tibi habeas, teque ad alium, cui nubas, conferas pro lubitu: neque mei causâ alterius nuptias recuſes, ab hoc die in perpetuum. Hoc tibi licitum ſit, per me, quo fine trado tibi libellum ſeparationis, libellum repudii & literas dimiſſionis, ſecundùm legem Moſis ac Iſrael.*

N. filius N. teſtis.
N. filius N. teſtis.

Aliud apud eundem exemplar habetur, vide quoque. Moſen Ægyptium *parte* 2. *fol.* 59. unde deſumpta eſt hæc teſtium ſubſcriptio, quam appoſuimus. Scribi autem hic libellus ſolebat à ſcriba ſeu Notario publico. Dimiſſa hoc modo uxor, quemadmodum & vidua, non poterat ad ſecundas faces tranſire, niſi poſt nonaginta dies à die repudii effluxos, ut interea, an fortè è priori marito prægnans eſſet, fieret palàm, utque eo certius pateret, proles ne, quæ ex illa naſcebatur, prioris an alterius mariti eſſet, vide Salomonem Jarchi *in Hoſ.* c. 1. v. 10. & Maimonidem *de Divortiis* c. 11. ſ. 18. Circa tempora SERVATORIS noſtri, apud Romanos, non tam à parte mariti, quàm à parte uxoris, *Divortium* frequentiſſimum erat, dimiſſóque priore marito, contra Romuli inſtitutum & priſcam conſuetudinem, (Selden. tamen & olim permiſſum fuiſſe contendit) uxores, prout libido ipſis ſuadebat, alios ſibi aſciſcere maritos neutiquam erubuêre. Unde Juv. l. 2. *Sat.* 6. v. 228.

------ ------ ------ *Sic fiunt octo mariti*
Quinque per autumnos.

Et Mart. l. 7. *Epigr.* 7. cujus epigraphe de Theleſina.

Et nubit decimo jam Theleſina viro.

Senec. quoque l. *de Beneſic.* 3. c. 16. *Non Conſulum*, inquit, *ſed maritorum numero Annos ſuos computant*, &c. Libelluſque, quem uxor marito dabat, Γράμματα ἀπολείψεως, vocabatur: Idem hodiéque in Perſia obtinere, docet P. de la Valle *Itin. tom.* 2. & 3. Quod apud Hebræos quoque invaluiſſe, diſcimus ex Marci c. 10. v. 12. *Si quæ uxor reliquerit maritum ſuum, aliumque ſibi aſciverit* &c. Non tamen, ſilentibus quamvis civilibus legibus, propterea etiam lege divinâ iſtiuſmodi repudiandi licentia conceſſa erat, quæ non niſi adulterium, docente CHRISTO, legitimam repudii cauſam admiſit. Itaque & conjugia cum ita relictis vel repudiatis inita illicita erant: utpote cum tales pro digamis haberentur. Hinc in Ep. inter alia, requirebatur, ut μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ, *unius uxoris vir* eſſet, 1. Tim. c. 3. v. 2. & in vidua ad ſacros uſus elegenda, ut fuerit ἑνὸς ἀνδρὸς γυνή *unius mariti uxor.* 1. Tim. c. 5. v. 9. i. e. ut Ep. poſt temerè dimiſſam uxorem, non aliam duxerit: neque vidua, poſt priorem relictum alii marito nupſerit. Quòd enim Digamia ſucceſſiva, quâ nempe ad ſecundas nuptias morte alterutrius conjugis intercedente tranſitur, his locis prohibita non ſit, oſtendi poteſt ſimili phraſi etiam apud Scriptores profanos uſitatâ: Ita Horat. l. 3. *Carm. od.* 14. v. 5.

Unico gaudens mulier marito,

Vide Thom. Godwyn. *de ritib. Hebr.* l. 6. c. 4. Joh. Buxtorf. *de Sponſalib. & Divortiis* &c. De Hebræis ut aliquid addam, licet, ut diximus, *Divortium*, lege apud eos permiſſum eſſet, duplex tamen Uxorum genus eo ejici non poterat; quorum alterum erat earum, quæ præreptæ virginitatis falſo, idque in judicio capitali, fuêre accuſatæ: alterum illarum, quæ vi comprimentibus nuptæ, de quibus perpetuò retinendis expreſſa ſunt legis verba, vide Maimonid. *halach Naira Bethula* c. 2. & 3. Reliquæ, ob triplex cauſarum genus, dimitti poterant, de quibus, vide Selden. *Uxor Hebr.* l. 3. c. 18. Interim per 700. à Lege lata aut circiter Annos, *Divortii* mentio non occurrit, raráque alicubi etiam pòſt ejuſdem veſtigia. Quod enim apud Fl. Joſeph. legimus; inverſi illud omnino juris eſt. ubi nempe Salome, Herodis Regis Antipatri fil. ſoror, Annis aliquot A. C. N. libellum repudii miſiſſe Coſtobaro marito legitur. Similiter, quod ex eodem elicitur *Archæol.* l. 18. c. 7. de Herodiade, maritum ſponte relinquente, nec illud huc facit, cùm nec illa origine Hebræa fuerit. Sed & *Divortii* libellum, ejuſque uſum quod attinet ante Eſaiam Prophetam, nomen ejus in Hiſtoria ſacra ſimiliter non occurrit, ſc. non ante 700. à Lege de eo lata ampliùs Annos elapſos. Uſurpatur autem ab Eſaia, ut à Numine dictum de Eccleſia Hebraica, c. 50. v. 1. Vide etiam c. 54. Sub centeſimum abinde Annum apud Jerem. mentio iterum legis Repudii, c. 3. v. 1. & 6. Vide quoque Malach. c. 2. v. 16. E quibus interim locis patet, rem illam in uſu aliquo, atque inde non è ſanctione ſolùm ſacra, ſed & vulgo, notam fuiſſe. Vide iterum Selden. c. *ſeq.* Hunc Hebræorum morem aliæ gentes certatim ſequutæ, ut vidimus. Et ut Sectarios illos primitivi ſeculi, Cataphrygas, Montaniſtas, alios quos λύσεις γάμων, *ſolutiones Nuptiarum* docuiſſe traditur, omittam: Ruthenos & Moſcos *Divortia inter ſe frequentes celebrare*, ſcribit Alex. Guagninus *Sarmat. Eur.* ubi & modum addit: *Cùm ſibi Vir & uxor utrinque diſplicent, tunc extra pagum in trivium ambo prodire ſolent, mantili accepto, quod inter ſe manibus tenendo per medium diſcindunt, viro uxori dicente, VADE TU HAC, EGO ILLAC PERGAM.* Adjicit autem, *Sed hic perverſus divortii modus nunc prorſus abolitus eſt.* Idem de Æthiopibus legitur, apud quos Franc. Alvareſ. qui ævo floruit præt. matrimonia ita contrahi ait, ut pignore utrinque ſive pœnâ caveri ſoleat, ne alterutrinque fiat *Divortium*, Vide eum *Reb. Æthiop.* Unde perſpicitur, *Divortia* apud illos in uſu, & quidem frequenti, fuiſſe. De Habaſſenis ſeu Abiſſinis, qui & ipſi Æthiopes, Orientalem ſimul atque Auſtraliorem ſeu interiorem ſub Euronoto, ultra Ægyptum, Africæ partem poſſident, ſimilia tradunt Auctores, liberrimum nempe & inter illos, qui Hieratici generis non eſſent, Repudiorum fuiſſe uſum. Ut de Mahumedanis aliiſque in præſens ſileam, de quibus omnibus, ut & plura in hanc rem, vide apud ſæpius præfat. Joh. Selden. l. c. *ut & capp. ſeqq.* &c.

DIUR, Maurit. Tingit. fluv. Ptol. vulgò *Teculet.*

DIURNALES, apud Lanfranc. *in Decretis pro Ordine S. Benedict.* c. 1. alibiúque paſſim, dicuntur calcei, quibus interdiu utuntur Monachi; cùm *Nocturnales* crepidas de nocte adhibeant.

DIURNARII, qui *diurna* conſcribebant, efficiebant & quod *dietim* fiebat vel decernebatur, in Diariis deſcribebant. Junguntur illi Subſcribendariis, Logographis, Cenſualibus, in *leg.* 8. *Cod. Th. de Cohort.* Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & infrà, ubi *de Ephemeridibus Vett.* item in voce *Opiſtographum*, & *Prorogator*, ac *Rationes.* At *Diurnus*, apud Ivonem Carnot. *Ep.* 58. dicitur liber, in quo Conſuetudines Romanæ Eccleſiæ continebantur. In quas novus Pontifex tenebatur jurare, Car. Macer in *Hierolexico.*

DIUS, Hiſtoricus, de rebus Phœnicum conſcripſit. Ea ex hiſtoria fragmentum, de Solomone & Hiramo, conſervavit nobis Flav. Joſeph. l. 1. *contra Ap.* Item 27. Hieroſolymorum Ep. A.C. 205. cui Germanion ſucceſſit. Euſeb. *Chron.*

DIUS, vide ſuprà *Diiticum*, & *Divum.*

DIVUS, dicebatur in uno latere Tabulæ luſoriæ locus, cui opponebatur *Antigonus.* Agath.

------ ------ μονάδα δ' ἄλλην
Ψῆφον τὴν πυμάτην ἀμφιέπεσκε Δῖος.

Et paulo poſt,

Δίζυγες Ἀντίγονον διεκόσμεον ------

Ubi Δῖος Latinum nomen eſt, *divus*: quo Impp. Rom. poſt mortem appellatos eſſe, nemo neſcit. Vide ſupra in voce *Apotheoſis.* Cùm itaque hic tabulæ ludus ad imaginem planè belli compoſitus eſſet, nigrique vel ruſſei calculi cum albis certarent, in uno latere tabulæ locus erat, qui dicebatur *Divus*, quaſi Regis Romani ſedes: in altero oppoſitus, *Antigonus*, quod eſt nomen Macedonum Regis; quos ſemper Romanis adverſos contrarioſque fuiſſe, conſtat. Erat autem *Divus*, in dextro latere, ubi calculi ſtatuebantur; in ſiniſtro, ubi nigri, Antigonus. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Proculo.*

DIVUS Fidius, vel *Dius Fidius*, item *Sanctus*, Sabinorum fuit Deus, primum apud Reatinos cultus, ubi quoque editus credebatur, teſte Dionyſ. Halicarn. l. 2. qui eum *Sabum* alio nomine appellatum eſſe, ex P. Catone ibidem refert. Ejus ædes in urbe dedicata eſt à Sp. Poſthum. Coſ. A. U. C. 297. Nonis Junii, in loco Bellonæ, locata ab ultimo Regum Tarquinio, non tamen ab illo conſecrata, vide eundem Dionyſ. l. 9. ubi addit, eo demum Anno ex S. C. ædem hanc à Poſthumio dedicatam eſſe, ex inſcriptione patere.

DIXI, uſitatiſſima clauſula, in fine orationum, tam Græcarum, quàm Latinarum. Aſcon. 2. *Verr. Moris Vett. fuit, quum ſatis viſum eſſet fluxiſſe verborum, hanc ſibi neceſſitatem finiendæ orationis imponere, ut dicerent ad ultimum, Dixi.* Nempe, Orator, ſi poſt ſe neminem ſperaret dicturum, oratione finitâ hanc vocem ſubjiciebat, quâ tota cauſa velut obſignabatur. Unde Sophocl. *Electrâ*, Εἴρηκα μὲν νῦν ταῦτα· *Dixi nunc quidem iſta.* Et Lycophr. *Caſſandra*, Τόσ' ἠγόρευε, *Tantum loquuta eſt.* Neque aliter Terent. *Phormione*, *Dixi, Phormio.* Quo vocabulo vulgò etiam terminant Panegyricas, aliaſque Declamationes, ſed præter conſuetudinem Vett. qui eam tantùm adhibuiſſe videntur in cauſis Forenſibus. Quin nec in omnibus orationibus hujus generis id fiebat; ſed in poſtrema duntaxat, cùm neminem præterea, dicturum crederent, ac Judicibus tantummodo danda eſſet ſententia, uti docet Pollet. *de Hiſt. Fori Rom.* l. 1. c. 12. eſtque hanc rem confirmare Luciani Dialogo, in quo de præſtantia rerum geſtarum Hannibal, Alexander & Scipio,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

apud Minoëm contendunt. Neque enim Hannibal, qui primus cauſam dicit, claudit hac voce orationem; ſed Alexander qui ſecundus eſt, ac neminem alium poſt ſe dicturum putabat. Idem quoque comprobant orationes adverſariæ in *Pis-accuſato* &c. Non tamen Orator ſolùm eam vocem adhibebat, verùm & habitâ ab utraque parte oratione, per Prætorem pronuntiari ſolebat, *Dixêrunt*: quâ voce auditâ, in conſilium mittebantur Judices, h. e. ad ſententiam ferendam dimittebantur. Gerh. Joh. Voſſ. *Inſtit. Orat. l.* 2. *c.* 6. §. *ult.* Uti verò Oratores ſuam habebant clauſulam: Sic Hiſtriones, Comici inprimis, diſcedentes voce *plaudite* fabulam claudebant; Πόδα κηρύκων vocat Lucian. *in Demonacte*. Rhapſodorum clauſula erat, Σὺν δὲ θεοὶ μάκαρες: Citharædorum, ἀλλ' ἄναξ μάλα χαῖρε; Tragœdorum eadem cum Rhapſodorum nonnunquam fuit &c. uti videre eſt apud Caſaub. *ad Suet. Aug. c.* 99.

DIXMUDA, opp. munitum Flandriæ, in regiunc. *Franconatu* ad Iperlam fluv. medium fermè inter Ipras & Oſtendam, ſub Hiſp. 3. leuc. à Novoportu in Auſtr. Ipras verſùs, in ipſo limite dit. Francicæ. Jam ſub *Gallis*. Nic. Lloyd.

DIYLLUS Athenienſis, Hiſtoricus, libris 27. complexus eſt, poſt bellum ſacrum, illuſtres per Græciam ac Siciliam res. Vide infrà.

DIYLLUS, Hiſtor. Athenienſis, orſus, unde Ephorus finiit, uſque ad finem Regni Philippi Macedonis. Diod. *l.* 16. Athen. *l.* 13. &c. Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. p.* 360. Item ſtatuarius, cujus opera commemorat Pauſan. *in Phocicis*.

DIZERUS, urbs Illyriæ, ἀπὸ τοῦ δίζεσθαι τὴν Μήδειαν, quòd illic quæſita ſit Medea. *Steph.*

DIZOATRA, Armeniæ min. opp. *Ptol.*

DOANA, Vide *Douana*.

DOANUS, Indiæ fluv. extra Gangem. Ptol. *Doani* populi ibid.

DOBERÆ, Thraciæ pop. *Herod.*

DOBERUS, urbs Pæoniæ. Steph. Ferrario urbs Maced. intra montes; in Pannon. ſeu Myſiæ confinio, quæ *Deborus* Ptol. dici videtur.

DOBRINUM, vulgò *Dobricinum* & *Dobrizinum*, opp. Plo. maj. Dobrinienſis terræ caput, in Palatinatu Plocenſi, in ſcopulo, ad Viſtulam fluv. medium inter Plociam & Vladiſlaviam.

DOBUNI, Angliæ pop. verſus Sabrinam fluv. & fontes Tameſis. Baudr. quorum urbs Ptol. *Carinum* dicitur. Regio eorum nunc eſt *Glouceſtershire*, & pars Comit. *Oxfordshire*.

DOCANA, Græcè Δόκανα, quaſi *Trabica*, vocârunt Spartani vetuſta Caſtorum ſimulacra. *Erant autem duo ligna æqualiter diſtantia, duobus aliis tranſverſis conjuncta*, Plutarch. *Philadelph. p.* 478. *initio*. Qualis eſt Aſtrologis *Geminorum* character ♊ Joh. Marsham. *Canone Chron. Sec. IV.* ubi de *Idololatriæ vetuſtate*, & Deorum Bætylis, h. e. lapidibus rudibus & ſtatuis impoſitis.

DOCH, arx ſupra Jericho, in edito monte, in tribu Ephraim. 1. Mach. *c.* 16. *v.* 15.

DOCHI, Æthiopiæ ſub Ægypto pop. Plin. *l.* 6. *c.* 30. Habebant ad Ort. Catieuchlanos, ad Bor. Cornavios, ad Occ. Siluros, ad Auſtr. Belgas Artabares. *Baudr.*

DOCIMÆUM, urbs Phrygiæ magnæ. Steph. ad fontes Hermi & Sangarii fluv. 40. mill. à Sinnada in Circ. 30. ab Eucarpia. *Baudr.* Græcè Δοκίμιον, Scalig. *Docimeum*. Incolæ *Docimenſes* aut *Docimeni*, Steph. Δοκιμηνοὶ, apud Salmaſ. *Not. ad Capitolin. in Marco*. Strab. vicum Phrygiæ hoc nomine habet, ubi Synnadici marmoris lapidicinæ fuêrunt, quod hinc *Docimites* quoque dictum eſt. Ita enim is, Ἐπέκεινα δέ ἐστι Δοκιμία κώμη, καὶ τὸ λατόμιον τοῦ Συνναδικοῦ λίθου. οὕτω μὲν Ῥωμαῖοι καλοῦσιν, οἱ δὲ ἐπιχώριοι Δοκιμίτην καὶ Δοκιμαῖον &c.

DOCIMUS, videtur nomen fuiſſe illius Tarentini, quem Philippus Amyntæ fil. militari dignitate exutum caſtris exegit, quòd calidis lavacris uſus fuerat. Polyæn. *l.* 4. Ejus quoque mentio *in Antigono*.

DOCIRAVA, Lazio *Rana*, opp. Hung. ſuper. prope fontes Tibiſci, verſus montes Carpathos. Aliis eſt *Zatmarbania*, opp. Tranſylv. ad fluv. *Zeuſch*, verſùs montes, in ipſo limite Hung. vix 5 leuc. Germ. à *Rena* in Auſtr. 13. à Claudiop. in Bor.

DOCLEA, Dalmat. urbs, hodie *Antivari*. Pop. *Docleatæ*. Plin. *l.* 3. *c.* 22. *Medon* Nigro, opp. ejuſdem tractus dicitur. Sanſoni eſt *Cataro*, ad Rhyzonicum ſin.

DOCREUS Joh. ſcripſit A. C. 319. de S. Dionyſ. Poſſevin. *appar. ſacr.*

DOCRUM, in *Charta* Gennadii Ep. Auſturic. æræ 953. nomen libri, in quo *Vitæ PP.* ſcriptæ; fortè *Geronticum*, uti legendum putat; Car. du Freſne *Gloſſar.*

DOCTOR, pro eo, qui hoc gradu in Academia inſignitur, vide Magiſter, & B. Rhenan. *in ſuis ad Tertull. in præfat.* qui dicit, quòd cum liber ſententiarum Petri Lombardi Ep. Pariſienſ. primùm ederetur; circa A. C. 1140. hi qui eum publicè legebant, *Doctores* primùm appellati ſunt. S. Bedam primum Cantabrigiæ, & S. Joh. Beverlacenſem, qui obiit A. C. 721. Oxonii primum *Doctorem* quidam ſuggerunt, ſed Spelman. illos rejicit; qui inſuper affert ex libro Stat. Univerſitat. Oxon. Statutum A. C. 1384. promulgatum, quo *Doctores* Medicinalis ſententiæ Juris Civilis Doctoribus præferuntur, regnante Richardo. *Doctores* à Magiſtris diſtingui cœpêrunt, tempore Lotharii Imp. Apud Anglos *Doctoris* nomen & gradus, ſub ævo Joh. Regis innotuiſſe circa A. C. 1207. videtur. Henr. Spelman. *Gloſſ. Archæol.* Sed & jam olim, apud Romanos *Doctoris* appellatio perhonorifica fuit, nec niſi inſignibus tribuebatur viris. A. Gell. *l.* 13. *c.* 21. *initio*. *T. Caſtritius Rhetoricæ diſciplinæ Doctor*: & *l.* 18. *c.* 2. *quique eaſdem auditiones eoſdemque Doctores colebamus.* A Perſ. *Sat.* 6. *v.* 38.

------ ------ ------, Sed Beſtius urget
Doctores Grajos.

Vide quoque ſuprà, *Cyliſtræ*. Apud Hebræos *Doctoratus* inſigne clavis fuit cum pugillaribus: quò CHRISTUS alludit Lucæ *c.* XI. *v.* 52. *Væ vobis legis interpretibus quoniam ſuſtuliſtis clavem cognitionis & ipſi non introiſtis, & eos qui introibant prohibuiſtis*: ubi de Legis peritis ei ſermo. Hinc de Rege Samuele ſcriptum: *Eo mortuo, clavem ejus & pugillares in loculo fuiſſe reconditos, eo quòd filium non haberet*, Camero *in Myrothec.* ad Matth. *c.* 22. *v.* 35. *Tunc interrogavit eum quidam ex ipſis legis interpres tentans eum & dicens.* Denotavit autem myſtica illa clavis, *Doctores* omnem ſcientiam in pectore ſuo reconditam habere, quam diſcentibus aperiant: Vocatur enim apud Luc. Κλεὶς τῆς γνώσεως, *Clavis ſcientiæ*. Unde notanter de Chriſto, cœleſti DOCTORE noſtro; Apoſtolus Coloſſ. *c.* 2. *v.* 3. Ἐν ᾧ εἰσὶ πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι; *In quo omnes theſauri ſapientiæ & notitiæ abſconditi ſunt*, vel etiam clavis iſta ſecreta Scientiæ deſignavit, non reſeranda profanis. Quò reſpexiſſe Horat. videtur, *l.* 1. *Ep.* 20. *v.* 3.

Odiſti claves & grata ſigilla pudico:

Vide Georg. Horn. *Hiſt. Philoſ. l.* 7. *c.* 16. & infrà in voce *Paſtor*, it. *Pater Synedrii*. Sed & *Doctor* ſimpliciter, item *Doctor cohortis*, in vet. *ſaxo*, pro Armidoctore vel Campidoctore, Vide ibi. In *Inſcr.* alia Romæ, *Doctor Sagittariorum* memoratur, apud Jac. Spon. *Itin. Part.* 3. *p.* 36. &c. De *Doctorali pileo* vide infrà *Pileus*, *Quadratus*: *Rotunda fig.* nec non aliquid in voce *Veſpaſia*.

DOCTOR. Noſter, tit. inter Judæos recens, in Germania, ortus, ex imitatione Chriſtianorum, ob rationem, *quod illo tempore multi eſſent operam navantes adminiſtrationi libellorum repudii & Sponſalitiorum, etiamſi non rectè ſcirent illorum conſtitutiones, proin excogitata eſt iſta inauguratio --- ut quicunque non eſſet creatus Morenis* Doctor noſter, *illi non poteſtas eſſet agendi de libellis repudii & Sponſalitiis*, R. Levi Aben in *Theſcheva ſua*. Primus qui hoc titulo inter eos ornatus ſit, vide infrà in voce *Maharil*.

DOCTRINA Chriſtiana, congregatio religioſa, in Commun. Rom. cujus ſcopus, Catechizare populum. Vide Morer. *in Diction. Hiſt.*

DODAN, & *Dodau*. i. e. *dilectio*, aut *mamilla* ejus, vel *patrum ejus*, nomen viri. 2. Par. *c.* 20. *v.* 37.

DODANIM, filius Javan. Gen. *c.* 10. *v.* 3. 1. Par. *c.* 1. *v.* 7. Aliis *Rhodanim*, à quo *Rhodii*. Vide Bochart. *Phaleg. l.* 3. *c.* 6.

DODECAGONUM, figuram XII. Ventorum complectens ad exemplum Octagoni. ab Andronico editi, exhibetur à Salmaſ. *ad Solin. p.* 1252. Poſt priſcam enim primamque rationem, quæ ventorum quaternionem ponebat & antiquiſſimorum fuit temporum, ſequenti ætate duæ maximè receptæ fuêrunt, octonaria & duodenaria, aliis hanc aliis illam magis probantibus. Et quidem octonaria duodecimaria antiquior fuit (contrà quàm ſentit Plin.) ut quæ nondum Ariſtoteli innotuit, qui 8. ventos tantùm principales memorans, κυκλώδη illa vocat & διωρισμένα πνεύματα. Unde longè eo poſteriorem eſſe Scriptorem libri *de Mundo*: ut qui partitionem in XII. ventos agnoſcit, manifeſtum eſt argumentum. Nomina illorum ſunt, *Favonius* Ζέφυρος; *Chaurus*, Ἀργέστης, Ἰάπυξ, Σκυλλητῖνος; *Thraſcias*, Κερκίας, Θρασκίας, Στρυμονίας; *Septentrio*, Ἀπαρκτίας, Βορέας; *Aquilo*, Βορέας, Μέσης, Καικίας; *Cæcias*; Καικίας, Θηβαίας; *Subſolanus*, Ἀπηλιώτης, Ποταμεὺς, Συριάνας: *Volturnus*, Εὖρος, *Euronotus*; Φοινικίας, Εὐρόνοτος, Καύστας; *Auſter*, Νότος; *Libonotus*, Λευκόνοτος, Λιβοφοίνιξ; & *Africus*, Λίψ. E quibus *Thraſciam*, *Cæciam*, *Phœniciam* & *Libonotum*, octo prioribus additos ait Plin. *l.* 2. *c.* 47. qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1241.

DODECANISUS, Gr. Δωδεκάνησος, nomen frequentiſſimum apud Græcos, quo Inſulæ Sporades, & Cyclades omnes, ut & inſulæ propriores præter Cyprum & Cretam olim dicebantur: Lat. *Duodecim inſulæ*. Unde præfectus Callipolitanus, cujus nutui parebant, titulum habuit *Præfecti Dodecaniſi*: quemadmodum hodienum Turcæ Sanzacko Callipolitano curam harum Inſularum committere ſolent. Status earum hodiernus inquietus admodum ac turbulentus eſt, variiſque jam Turcarum, jam Venetorum invaſionibus obnoxius, quo fit, ut utriſque pareant. Et Veneti quidem quotannis tributum 150. mill. Imperialium circiter ab iis exigunt, & *Cerigo* ac *Tino* fortalitiis ſuis firmatas tenent: Turca verò Tenedum muniit, Lemnum, *Negroponte*, *Lango*. Rhodum, vide Caſtlemanii Angli *deſcr. Candiæ*, *ad Regem Mag. Britanniæ*, *in append. ad Diarium Eur. Contin. Part.* 16. *p.* 21. 22. ut & Auctorem Anonym. *Hiſt. Geogr. & Civ. Orbis Terr*, *c.* 5. Ex inſulis Aſiæ propioribus huc pertinent Tenedos, *Tenedo*, *Lesbius*, *Chius*, *Scio*, Icaria *Nicaria*, Samus *Samo*, Pathmus *Palmoſſa*, Cous *Coa*, Carpathos *Scarpantho* & Rhodus, Idem.

DODECARCHIA Ægypti. Poſt Sabaconis ſeu *Soi*, aut *Sua* (uti vocatur 2. Reg. *c.* 17. *v.* 4.) Æthiopis, qui Ægyptum occupaverat per 50. Annos, diſceſſum, Ægyptii *libertatem adepti XII. Reges conſtituêrunt*, Herod. *l.* 2. *c.* 147. Νομάρχας vocat Diod. *l.* 1. Nempe, ante Sabaconis invaſionem. Πολυκοιρανίη, fuit, poſt Thuorim, ultimum Thebarum Regum, qui in Aſia quoque imperarunt. Quis fuerit contemporaneorum verò horum regnorum numerus, non eſt facilè definire: hoc certum, labente jam tandem fortunâ, immenſam illam potentiam intra Ægypti limites rurſus redactam; & imperium toto orbe ſplendidiſſimum, in minutulas quaſdam dominationes, diſſipatum eſſe. Herod. *l.* 2. *c.* 135. *Aſychin* habet & *Anyſin*. Diod. Sic. his omiſſis, *Bocchorim* habet & *Sabaconem*, *l.* 1. Nec *Bubaſticarum* Dynaſtiam, inter Thebanos & Æthiopas, ſtationem ſuam ſervare, incongruum eſt. Sed & *Saitæ* Reges ante Æthiopas locandi: *Nechus* enim, Pſammetichi pater, Bocchoridi fuit æqualis, Herod. *Ibid. c.* 152. Porrò Thebanorum Regnum, ſi qua fides Africano, & ipſum nondum deſiit, licèt hiſce temporibus valdè imminutum, & intra anguſtos limites fortè redactum. Certè non unus fuit illorum temporum ſtatus, nec longus multiplica-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſorum Dominorum principatus, Ægyptus disjunctis viribus, externos impetus avertere non valuit, ſed ab hoſtibus oppreſſa, ſub jugo aliquandiu fuit: cedente Sabacone, rediit Πολυκοιρανίη, donec tot Regulorum potentia cito *Pſammeticho* ceſſit. At de cauſis horum motuum ſiletur apud Vett. obſcura eſt Regulorum horum origo; neque ſatis conſtat, quo caſu contigerit rerum Thebanarum converſio. Fortè Milites illi (quorum ordo à Seſeſtri inſtitutus in Nomis inſer. Ægypti Collocatus & feudis patrimonialibus donatus eſt, vide ubi de *Calaſiries* & *Hermotybies*) opulenti jam, ſuperbi, ſeditioſi, ſibimetipſis Nomos hos aſſeruêrunt, & ſpretâ Majeſtate Thebanâ, poteſtatem regiam uſurparunt: præſertim cum illi in urbe Sai, in Bubaſti, aliiſque inf. Ægypti partibus Regnorum ſuorum ſedes habuerint, quæ ab Æthiopibus diſſipata ſunt. Illis cedentibus, jam renovati ſunt Regulorum iſtorum principatus: è quorum numero fuit præf. Anyſis cæcus, apud Herod. *l.* 2. *c.* 137. Pſammetichus Saites, *c.* 152. Tementhes, Polyæn. *Stratag. l.* 7 §. 3. Sethon Vulcani Sacerdos, Herod. *ibid. c.* 141. &c. Verùm poſt vix 15. Annos, ortis inter Regulos hoſce jurgiis turbiſque civilibus, ad quas reſpicitur Eſ. *c.* 19. *v.* 2. Pſammetichus, Jonum Carumque ope, rerum ſummam ad ſe tranſtulit, à quo res Ægypti certiùs Græcis innotuêrunt. Reguli cæteri, partim cæſi, partim pulſi, *in Libyæ latere, à Meroe dierum* 12. *itinere, oppidum* Eſar *condidêrunt, ubi produntur* ... 300. *habitaſſe*, Plin. *l.* 6. *c.* 30. regionem *Teneſin* vocat, dictos *Sebites*, i. e. advenas; reginam habuiſſe; ſub quâ Meroë Strab. refert *l.* 16. Vide Joh. Marsham. *Can. Chron. Sec. XVII.* & hic paſſim, de Regibus præfatis. item in voce *Bubaſtus*, *Sais*, &c.

DODECATHEOS, herbæ nomen apud Plin. *l.* 26. *c.* 11. *Remedia hæc communia invenio. Ante omnes potam* dodecatheum --- *Deum panacis omnium generum radices*: ex Græco Δωδεκάθεος. A *duodecim* ... *Diis* majorum gentium ſive Conſentibus, primæ auctoritatis & dignitatis inter Numina Gentilium, nomen accepit. Ita enim idem *l.* 25. *c.* 4. *Ab ea* (herba moly) *maxima auctoritas eſt herbæ, quam* dodecatheon *vocant, omnium Deorum majeſtatem commendantis*. Intellige, *præcipuorum*, & vide de ea plura *ibid.* Sed & ſic dicta famoſiſſima cœna Octavii juvenis, de qua ſic Suet. in Aug. *c.* 70. *Cœna quoque ejus ſecretior in fabulis fuit, quæ vulgo* Δωδεκάθεος *vocabatur: in qua Deorum Dearumque habitu diſcubuiſſe convivas & ipſum pro Apolline ornatum, non Antonii modo epiſtolæ, ſingulorum nomina amariſſime annumerantis, exprobrant, ſed & ſine auctore notiſſimi verſus*:

Cùm primùm iſtorum conduxit menſa choragum,
Sexque Deos vidit Mallia, ſexque Deas:
Impia dum Phœbi Cæſar mendacia ludit,
Dum nova Divorum cœnat adulteria.
Omnia ſe à terris tunc Numina declinarunt:
Fugit & auratos Juppiter ipſe thronos.

Auxit cœnæ rumorem ſumma tunc in civitate penuria ac fames. Acclamatumque eſt poſtridie, frumentum omne Deos comediſſe: *&* Cæſarem eſſe planè Apollinem, ſed Tortorem, *quo cognomine is Deus quadam in parte urbis colebatur*. Eam tamen voluiſſe æmulari videtur Verus Imperii conſors à Marco dictus, *cujus notiſſimum fertur tale convivium, in quo primùm* (fortè Capitolino in mentem ſcribenti hæc non venerat factum Octavii) *duodecim accubuiſſe dicitur --- Omne autem convivium æſtimatum* dicitur *ſexagies centenis millibus H S. --- quod poſteaquam Marcus audivit, ingemuiſſe dicitur & doluiſſe publicum fatum*, Capitolin. in *Vero*, ubi omnem convivii apparatum & dona *duodecim* illis *convivis* data, ordine exponit. De *Duodecim* verò *Diis*, quos iſti repræſentare voluêrunt, tum Romanorum, tum Athenienſium, vide in voce *Conſentes*, item *Duodecim*.

DODECHINUS, vel DUDECHINUS, Germ. Abbas, circa 12. ſec. Scripſit Itinerarium Terræ S. & continuationem Chronici Mariani Scoti, ab A. C. 1084. ad A. C. 1200. Trithem. Cat. A.C. 1140. Bellarm. *de ſcr. Eccl. in Mar. Scoto.*

DODO, Frater Alpaidæ, quam Theodoric. Franc. Rex Plectrudi conjugi ſuæ, ſuperinduxit. Lamberto Trajectenſi Ep. qui cenſurâ id Theodorici factum notaverat, occiſo, paulò poſt, à vermibus corroſus, ob fœtorem ſeipſum in Moſam dedit præcipitem. A. C. 698. Pap. Maſſon. *in Hiſt.*

DODOEMSIUS Rembertus, vide *Rembertus.*

DODONA, civitas Epiri, in regiune, Moloſſia, juxta quam propinquum erat nemus Jovi ſacrum, querneum totum, ubi Jovis Dodonei templum fuiſſe dicitur, & in eo oraculum omnium, quæ apud Græcos fuêrunt, vetuſtiſſimum: Quod autem columbas in ea ſylva vaticinantes fingunt, hanc habet rationem, quòd mulieres fatidicas, ſeu divinatrices linguâ ſuâ Theſſali vocarunt Πελειάδας, h. e. columbas, ita Herod. Alii arbores ipſas vocales fuiſſe volunt, & conſulentibus oracula edere ſolitas. Ovid. *Tr. l.* 4. *Eleg.* 8. *v.* 43.

Hæc mihi ſi Delphos, Dodonaque diceret ipſa:
Eſſe videretur vanus uterque locus.

Prop. *l.* 2. *Eleg.* 21. *v.* 3.

Sed tibi jam videor Dodonâ verior augur.

Hinc *Dodonæum æs*, tintinnabuli quoddam genus, die noctùque continuò crepitans, unde & ad homines juſto loquaciores proverbiali metaphorâ transferri ſolet. Virgil. *Æn. l.* 3. *v.* 466.

------ Dodonæoſque lebetas.

Auſon. *Ep.* 25. *v.* 23.

Nec Dodonæi ceſſat tinnitus aheni.

Hinc *Dodonius*, Claudian. de Rapt. Proſerp. *Carm.* 33. *v.* 31.

Ceſſerit inventis Dodonia quercus ariſtis.

Item *Dodonis.* Val. Flacc.

------ Dodonida quercum
Ingredior. ------

Nic. Lloyd. Fuit hæc urbs juxta fluv. Dodonen, qui poſtea cadit in Acheloum, 20. mill. ab Ambracio ſinu in Ort. Nunc quid ſit, non conſtat. Baudr. Vide infrà, in *Dodone.*

DODONÆUS, cogn. Jovis, vide *Jupiter.*

DODONÆUS Rembertus, Mechlinienſis, Maximiliani II. & Rodolph. II. Impp. Medicus, poſtmodum Lugd. Batav. docuit, & ſcriptis quamplurimis, *Hiſtoria* imprimis *Plantarum*; inclaruit. Obiit A. C. 1585. Ætat, 68. Indicem librorum illius exhibet *in Elogiis* Anton. Teiſſier *Part.* 2.

DODONE, Jovis & Europæ filia. Item fons, qui cùm ſit gelidus, immerſas faces extinguit, ſi extinctæ admoveantur, accendit. Idem meridie ſemper deficit, qua de causa Anapauomenos dicitur Plin. *l.* 2. *c.* 103. *l.* 4. *in præf. l.* 36. *c.* 13. Strab. *l.* 7. Lucr. *l.* 7. Claud. *d.* 3. Conſulat. Honor. *Carm.* 7. *v.* 117.

Celſaque Dodone ſtupuit, rurſuſque locutæ.

DODONIDES, Nymphæ, Liberi patris nutrices, quæ & *Atlantides* dicuntur.

DODONIS Curtis, vulgò *Doncourt*, vel etiam *Doncourt aux Templiers*, locus Galliæ, in agro Virdunenſi memoratus in tabulis A. C. 821. apud Hadr. Valeſ. *Not Gall.* in voce *Vabrenſis pagus.*

DOEANTES, campus & urbs Phrygiæ. *Steph.*

DOEG, i.e. *ſollicitus*, ſive *piſcator*, homo calumniator, & ſanguinarius, unus ex paſtoribus Saulis. Vide 1 Sam. *c.* 22. *v.* 9, 10, 18. 19. Contra hunc David compoſuit, Pſalm. 52. *v.* 2. Vide porro Joſeph. *Antiqq. l.* 6. *c.* 14. Torniel. A. M. 2974. *n.* 8.

DOESBURGUS, opp. munitum Zutphaniæ Comit. ad Iſalam fluv. vix 3. leuc. ab Arenaco in Ort. totidem à Zutphania in Auſtr. Sub Batavis.

DOGMA, quid propriè ſit, & quomodo à *Decreto* differat, vide ſuprà in hac voce. Macri Fratres, regulas ſeu canones, à Conciliis ſancitas, *Dogmata*; à Pontificibus, cum Cardinalium Conſiſtorio ſtabilitas, *Decreta*; ſolius Papæ ordinationes, *Decretales*, dici ajunt in *Hierolexico*. Vide quoque infrà *Ritus*: uti de *Dogmaticis*, Medicorum genere, in voce *Medici.*

DOGMATISTÆ, ſeu DOGMATIZATORES, in Foro Inquiſitorum Eccleſiæ Rom. hodiè, qui olim *Hæretici perfecti*, Hæreſiarchæ dicuntur, qui hæreſes excogitarunt, aut inventas alios docuêrunt, & ſic erroris Magiſtri facti ſunt. *Veſtiti* quoque appellantur *Concil Biterr. c.* 16. Hos, abjuratione factâ, perpetuo carceri includi voluit, *Concilium Tarracon.* vel arbitrarias pœnitentias iis injungebant olim. Ad pœnitentiam enim illos recipiebant; tum ob alias cauſas, tum quia exemplo ſuo multos converſuri credebantur. Inprimis id obſervari volebant, cùm talis eſſet magnæ auctoritatis, doctrinæ aut dignitatis: qualis Berengarius fuit, qui propterea in vita conſervatus eſt. Hodie verò, omnes tales ſine miſericordia tradendos Curiæ ſeculari, Doctores Pontificii pleruṉque ſentiunt, de quo tamen, nullo adhuc jure cautum eſt. Sponte venientes, admittendos, non tamen niſi ſub graviſſimis pœnitentiis, judicat Pegna *Praxi Inquiſit.* Vide & Eymericum *Directorio Inquiſitor.*

DOJI, Arab. Fel. gens in Panchæa Reg. *Diod.*

DOLA, vulgò DOLE; ad fluv. Dubim, qui ibi Inſulam efficit, poſita eſt, ubi Frideric. I. Imp. palatium miræ amplitudinis ſibi extruxit. Vide *Dolenſis.*

DOLABELLA, familiæ Romanæ nomen. Lentulorum gentis fuiſſe dicuntur. Legimus namque apud Aſcon. Pedian. & Macrob. Pub. Lentul. generum Ciceronis fuiſſe, exiguæ ſtaturæ hominem, quem longo accinctum gladio Cicero videns, jocosè, quis illum alligaſſet gladio, quæſivit. At hunc Dolabellam dictum, apud quem Tullia ex partu deceſſit, conſtat ex *epp. Cic.* & Plutarch. *in Ciceronis vita.* Ex hac familia *Dolabelliana pyra*, de quibus Plin. *l.* 15. *c.* 15. *Dolabelliana longiſſimi pediculi.* Corneliorum quoque gentis hoc nomen fuiſſe Morer. oſtendit.

DOLABELLA, Tacit. *Hiſt. l.* 1. *c.* 88. *Ab Othone, in Coloniam Aquinanem ſepoſitus, neque artâ cuſtodia neque obſcurâ, nullum ob crimen, ſed vetuſto, nomine & propinquitate Galbæ monſtratus.* Ibid. *l.* 2. *c.* 63. *Poſtea ab Vitellio occiſus, quòd occiſo Othone urbem introiit, tanquam ruptâ cuſtodiâ Ducem ſe victis partibus oſtentaſſet, accuſante Plautio Varo.*

DOLABELLA P. Cornel. Tuſcos Boiis, Gallicæ genti, junctos devicit, A. U. C. 471. Item, Coſ. cum Antonio, Præfectus dein Syriæ, hoſtis Patriæ judicatus, quòd Smyrnæ C. Trebon. unum ex Cæſaris percuſſoribus, occidi juſſiſſet. A Caſſio Laodiceæ obſeſſus, ſibi ipſi mortem conſcivit. Item, Procoſ. Africæ, Tacfarinatem provinciam vaſtantem exiguâ manu aggreſſus, occidit: ſed negatus ei triumphus, Polyb. *l.* 2. Apian. *l.* 4. *de B. C. p.* 622. Tacit. *l.* 4. *Ann. c.* 23.

DOLABRÆ, vallo diruendo, memorantur Liv. *l.* 9. *c.* 37. *Dolabræ calonibus dividuntur ad vallum proruendum, foſſaſque implendas: intra munimenta inſtructas acies: delectæ cohortes ad portarum exitus collocantur.* refringendæ portæ, Ibid. *l.* 28. *c.* 3. *& aliis partibus ſecuribus dolabriſque cædebantur & refringebantur portæ.* Inde *Dolabellæ*, Nobiles Romanis & inter Flandriæ olim Comites *Dolabra* cognomen Balduini, qui Carolum Daniæ Regis Canuti filium, amitinum ſuum hæredem ſcripſit &c. de *divinatione Dolabra*, vide ſuprà: cum *hamis & dolabris* coërraſſe in Urbe Vigilum præfectum, & curaſſe omnes inquilinos admonendos, ne incuriâ ali-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

quâ incendium oriretur, dicemus infra ubi de illo. Erat autem *Dolabra* diſtincta à ſecuri, licèt formâ ſecuris; unâ namque & ſimplici acie, parte alterâ in mucronem acuminatâ: quapropter maximè muris diruendis, ut ſecuris vallo & lignis cædendis, idonea, Lipſ. In ſcuto Crojæ Ducum, *Dolabræ 3. rubeæ in argento*, Rentiacum dominium deſignant, Familiæ illatum ab Iſabella *de Renty*, quæ nupta Gulielmo Crojæ Domino, Joh. peperit, prælio Azimurtio interemptum, A.C. 1415. & hodiernorum Crojenſium S. Croviacorum parentem. Phil. J. Spen. *Artis Herald. Parte II. l. 3. c. 10.*

DOLATES, Umbriæ pop. qui *Salentini* cognominantur. Plin. *l. 3. c. 14.*

DOLBA, urbs Adjabenæ. *Steph.*

DOLENSIS, urbs quæ & *Dola*, vulgò *Doll*, urbs Gall. Celt. in Britannia minore, *Neadunum* vett. teſte Cænali, dicta. Vide Argentræum, *Hiſt. Brit. l. 3. c. 69.* Aug. Pas. *Hiſt. Brit.* &c. long. 18. 30. lat. 49. Baudr. urbs aliàs Rhedonum, nunc Epiſcopal. ſub Archiep. Turonenſi; ſed non exempta. 2. leuc. à littore Oceani Brit. In locis paludoſis, parvi circuitus, cum caſtro, 4. leuc. à Macloviopoli in Ort. 10. à Rhedonibus in Boream. Eſt & *Dola*, vulgó *Dole*, urbs Sequanorum primaria, ubi conventus juridicus & Academia, à Philippo Bono fundata, A.C. 1426. florentiſſima A.C. 1484. ſub Margareta filia Maximiliani I. long. 20. 40. lat. 44. 46. A Divione 9. leuc. in Ort. 10. à Veſuntione in Occaſ. abeſt. Quibuſdam eſt *Didattion*. Ptol. *l. 2. c. 9.* Alduaſdubis fluv. in duo brachia diviſus, inferiorem ejus partem quaſi ulnis complectitur. Joh. Matal. Metel. Merula. A Carolo V. muris cincta. Hinc A.C. 1636. à Gallis fruſtra obſeſſa; ante aliquot Annos tamen in illorum poteſtatem venit, reddita pace Aquisgrani initâ. Ab iiſdem verò A.C. 1674. rurſus occupata, illis pace Neomagenſi, cum tota Burgundia Comit. manſit.

DOLENSIS Vicus, Galliæ, in Biturigibus, memoratus Gregorio Turon. *l. 2. c. 18.* Riothimi Brittonum Reguli clade & Monaſterio, nobilis eſt: Vulgò *Deols* vel *Bourg de Deols*. Inchoavit hoc Cœnobium in honorem B. Virginis Ebo Bituriensis, perfecit fil. ejus Radulphus: proximum Caſtro Radulphi, Andriâ interfluente. Eſt in Vicaria Brivenſi, vulgò *Brivez*. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

DOLETUS Stephanus, Vide *Stephanus.*

DOLICÆ, inſulæ Arab. Felicis in Indico mari. Plin. *l. 6. c. 28.*

DOLICHÆUS, Jupiter ſic cognominatus, à Dolichena urbe, unde Inquilini *Dolicheni* dicuntur.

DOLICHE, Ptol. Pelagoniæ præcip. in Macedonia opp. *Alchriæ* hodie Villanovano, *Techala* Mercatori. Senſim deficit, 10. mill. ab Azoro in Bor. & ſita eſt verſus montes Cambuvios. Baudr. Hanc cum Pithio, & Azoro, tria in orbem ſita oppida Liv. *l. 42. c. 53. l. 44. c. 2.* *Tripolim* vocari ſcribit. Item Inſ. Maris Ægæi, quæ & *Macris* & Ichthyoeſſa dicebatur. Item urbs Syriæ in Commagena reg. quæ Δολιχηνὴ Steph. dicitur: Ad Marſyam fluv. qui pòſt in Euphratem cadit. 20, mill. à Deugma in Occ. Antiochiam verſus, totidemque à Germanicia in Or. Baudr. *Doliche* quoque Strab. *Dulichium* dicitur. Vide ibi.

DOLICHISTE, inſ. è Regione Chimæræ Lycii montis. Plin. *l. 5. c. 31.* Ex Græco Δολιχίςη, i.e. Μηκίςη, *longiſſima*, à *longitudine* ſic dicta. Μηκίςην autem eam vocat Strab. Δολιχὴν ſimpliciter, i.e. *longam*, Steph. Δολιχὴ νῆσος πρὸς τῇ Λυκίᾳ, ὡς Καλλίμαχος. Ἀλέξανδρος δ' ὁ Πολυίςωρ αὐτὴν φησι. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 785.*

DOLICHODROMI, Curſorum genus, de quibus hîc infrâ.

DOLICHUS, Galen. *de tuenda valet. l. 2. c. xi.* ut & *Diaulus*, curſus fuêre genera, in Vett. Gymnaſiis exerceri ſolita: quorum illum refert, Græcis *continuatum diu curſum* ſignificare; cùm tamen major Autorum pars duplicis ſtadii ſpatium extitiſſe eum, cenſeat: alterum definientes curſum, quo ſtadium ſemel currebant. Secundùm hos ita Stadium erat curſus, unius tantùm ſtadii; *Dolichus*, duplex uno curſu ſtadium; *Diaulus* duplex & ipſe ſtadium, ſed reflexo curſu, cui ambitus periſtylii interioris, quem *Diaulum* ob duorum ſtadiorum menſuram vocatum refert Vitruv. *l. 5. c. xi.* inſerviiſſe videtur, Quapropter falſum; quod apud Suid. legitur, *Stadiodromos longiorem tractum metiri curſu Dolichodromis*; cùm contrarium manifeſtè ſuggerat Parmenonis *Epigr.*

> Φημὶ πολυςιχίην ἐπιγράμματος, οὐ κατὰ Μούσας,
> Εἶναι, μὴ ζήτει ἐν ςαδίῳ δόλιχον.
> Πολλ' ἀνακυκλεῖται δολίχου δρόμος. ἐν ςαδίῳ δὲ
> Ὀξὺς ἐλαυνόμενος πνεύματος ἐςὶ τόνος.

Idem ex Proverbio, Μὴ ζήτει ἐν ςαδίῳ δόλιχον, *Ne quære in ſtadio dolichum*, Polluci *l. 3.* citato, confirmatur, quo innuitur, non eſſe rem majorem in minori quærendam. Vide Hieron. Mercur. *de Arte Gym. l. 2. c. 10.* Scalig. Δόλιχον majoris fuiſſe laboris, quàm Δίαυλον, ex Platone *de LL. l. 8.* notat *Poetic. l. 1. c. 22.* Idem hinc Δολιχούρους verſus vocat, verſus hypermetros, quibus eſt quod demas, atque induas in ſequentis ſyllabam per concretionem. Ut apud Virg. Georg. *l. 1. v. 295.*

> *Aut dulcis muſti Volcano decoquit humorem,*

DOLIENUS, decimus Hieroſolymorum Ep. A.C. 174.

DOLIOLUM, Romæ tumulus in reg. Aventina. *P. Victor.*

DOLIONES, incolæ Cyzici, aliàs *Dolici*, vel *Dolionii*. *Steph.*

DOLIONIA, Dolionum Regio. *Strab.*

DOLIUM, vini receptaculum eſt: & quidem *Dolia*, Græcè πίθους, ſic à cadis diſtinguit Salmaſ. ut cados ex ligno: dolia fictilia fuiſſe dicat. Hinc Græcorum Prov. Ἐν πίθῳ τὴν κεραμείαν μανθάνειν. Vide eum *ad Vopiſc. in Carino*, ubi de *Doliaribus Tibicinibus*, quos quidam fingunt, *Pithaulas*, pro *Pythaulas*, apud hunc Autorem legentes, multa, ut & infrà in voce *Pithaules.* In horteis autem defodi *Dolia*, moris fuiſſe, notum è Scriptoribus *Rei Ruſtic.* Poëtis & Jurecoſſ. Hinc Jul. Capitolinus, *in Pio*; inter omina Imperii, *in Hetruria*, inquit, *Dolia, quæ defoſſa fuerant, ſupra terram reperta ſunt.* Vide ibi Caſaub. *Circa Alpes* tamen, *ligneis vaſis condunt, circuliſque cingunt*, ait Plin. *l. 24. c. 21.* ubi de Romanorum more vina in *Doliis* colligendi, multa. Non enim in iis illud aſſervabant, ſed inde in plura minora defundebant, ut amphoras, cados, urceos, quò ibi ſervaretur & inveteraſceret, quod proin *defuſum vinum* inde appellatum eſſe ſuprà diximus. Vide Pignor. *de Servis*, ubi de Cella vinaria agens, vett. circa Alpes doliorum, quorum Plin. meminit, iconem exhibet, ut & hic paſſim in vocibus *Cupa*, *Vinum* &c. Cæterùm infundendo in *Dolia* vinum numerantes menſuras, in principio numeri, non *unum*, ſed *multa*, dixiſſe Vett. videbimus infrà, in voce *Wyrieles*; uti de feſto Athenienſium die, quo *Dolia* retinebant, ubi de *Pithœgiis ſacris*; & de pittaciis, iis adfigi ſolitis; quibus vini patria & ætas indicarentur, in voce *Pittacium*. Sed & *Dolium*, machina militaris, apud Liv. *l. 38. c. 7.* ubi de Ambraciæ obſidione, *Nova etiam haud magni operis adversùs eos* (Romanos) *qui in cuniculo erant, excogitata res eſt, Dolium à fundo pertuſum, quâ fiſtula modica inſeri poſſet, & fiſtulam ferream operculumque dolii ferreum, & ipſum pluribus locis perforatum fecêrunt, hoc tenui plumâ completum dolium ore in cuniculum verſo poſuêrunt. Per operculi foramina, prælongæ haſtæ, quas ſariſſas vocant, ad ſummovendos hoſtes eminebant, ſcintillam levem ignis inditam plumæ, folle fabrili ad caput fiſtulæ impoſito flando accendêrunt. inde non ſolùm magna vis fumi ſed acrior etiam fœdo quodam nidore ex aduſta pluma quum totum cuniculum compleſſet, vix durare quiſquam intus poterat.* Vide quoque infrà *Ona*, ubi latentes in *doliis* inſidias, alio ſtratagematis genere, habes: it. *Ventriloquus*, ubi de ſpiritu è *dolio* ſeu aliquo quopiam vaſe reſponſa promente. Nec omittendum, quod non in prædiis ſolùm ſua habuêre viridaria Vett. ſed & in *Doliis* aggeſtâ terrâ defodêrunt uti diſcimus ex *l. 26. ff. de inſtr. vel inſtru.* Vide quoque infrà in voce *Viridarium.*

DOLLARTIUS Sinus, pars Oceani Germ. inter dominium Groningæ, & Friſiam, Or. extenſa, ad oſtia Amaſis fluv. prope Embdam urb. ubi A.C. 1277. maris inundatione 33. pagi periêre.

DOLO. apud Suet. *Domit. c. 17. Steph. --- ſiniſteriore brachio, velut ægro, lanis faſciiſque per aliquot dies, ad avertendam ſuſpicionem obvoluto, ad ipſam horam* dolonem *interjecit --- & attonito ſuffodit inguina*, ſicæ vel pugionis genus eſt, intra lignum latentis, Heſych. Δόλωνες, ξιφίδια ἀποκεκρυμμένα. Serv. *Dolo eſt flagellum, intra cujus virgam latet pugio.* Plutarch. in *Gracchis*, λῃςρικὸν ξιφίδιον, *gladiolus, quo latrones utuntur*, exponit. Sic apud eundem Suet. *Claud. c. 13. reperti equeſtris ordinis duo in publico cum* dolone *ac venatorio cultro præſtolantes, alter ut egreſſum è Theatro --- adoriretur* &c. Vide Caſaub. *ad locum prior.*

DOLOMENA, Aſſyriæ Regio. Strab. *l. 16.*

DOLOMITÆ, gens Perſidis, inter mercenarios olim Romanorum. Vide Procop. *l. ult.*

DOLON, vir Trojanus egregiâ pedum pernicitate præditus, qui, cùm in caſtra, Græcorum ſpeculator miſſus eſſet, à Diomede & Ulyſſe deprehenſus, conſilia Trojanorum ſpe conſervandæ vitæ illis aperuit: quem tamen, ut proditorem falsâ ſpe deluſum, occidêrunt. Ulyſſes ipſe apud Ovid. *Met. l. 13. v. 244. & ſeqq.*

> *Auſum eadem, quæ nos, Phrygia de gente Dolona*
> *Interimo: non antè tamen quàm cuncta coëgi*
> *Prodere, & edidici, quid perfida Troja pararet.*

DOLONCUS, Saturni fil. ex Thrace Titanide; frater Bithynis, quem eadem ex Jove ſuſcepit: *Doloncis* pop. Thraciæ, quos Δολόγκους Steph. Δολόγκας alii vocant, nomen dedit. Salmaſ. *ad Solin. p. 158.*

DOLOPES, Theſſaliæ pop. in extremis finibus Phthiotidis, quibus Peleus (cujus imperio parebant) Trojani belli tempore Phœnicem præpoſuit, ut ex Hom. refert Strab. *l. 9.* Plin. *l. 4. c. 2.* eos Ætoliæ annumerat, Epiro verò Ptol. Regio eorum *Dolopia* Strab. & Thucyd. Eorum meminit Virg. *Æn. l. 2. v. 6. & ſeqq.*

> *------ Quis talia fando*
> *Myrmidonum, Dolopumve aut duri miles Ulyſſei*
> *Temperet à lacrymis?*

Idem ibidem, *v. 785.*

> *Non ego Myrmidonum ſedes Dolopumve ſuperbas,*
> *Aſpiciam, &c. -----*

Hinc *Dolopeius*. Val. Flac. *l. 2.*

> *----- Vidiſſe putant Dolopeia buſta.*

Nic. Lloyd.

In DOLORIBUS veris, Deos accuſandi Vett. mos, memoratur Mart. *l. 2. Epigr. 65. v. 3.* cujus epigraphe in Saletanum.

> *O grande fati crimen! ô gravem caſum!*

Quod jam ex Hom. notiſſimum. Neque verò accuſabant ſolùm, ſed & ſtatuas eorum cœno inquinabant, aut lapidabant, ut infrà dicemus. Vide Caſp. Barth. *ad Claudian.* & *Stat.* Imò & ipſum inter Numina *Dolorem* fuiſſe diximus ſuprà ubi de *Diis*. De feſto *Dolorum B. Virginis.* Vide ſuo loco.

DOLOSITAS, finitore Auguſtino eſt *fraus in verbis, aliud promendi, aliud ſentiendi, in Pſ. 49.* quam *Æquivocationem* hodie vocant. Eam docuêre olim, Simon Magus & Corpianus, qui negabant, *Martyria eſſe debere*. Helceſaitæ porrò, qui tempore perſequutionis, *idola adorari, fidemque ore negari poſſe*, citra labem, modò id ex animo non fieret, ſtatuebant. Baſilidiani item, & Priſcillianiſtæ,

quorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

quorum dogma erat, *Jura, perjura, ſecretum prodere noli.* Valentiniani inſuper, Maſſiliani ſeu Euchitæ, Origeniſtæ tandem & Rhetoriani: de quibus vide Tertullian. *de Præſcr.* c. 48. Optatum Milev. *c. Parmenianum l.* 4. Auguſt. *Hær. l.* 16. & 70. Irenæum. *l.* 1. *c.* 23. Tertullian. iterum *c. Valentinianos* c. 1. Alios, laudatos Joh. Forbeſio *Inſtructionum Hiſtorico-Theolog. l. III. c.* 20. §. 37. & 38.

DOLUS Mendeſius, Ægyptiæ gentis author memorabilis dicitur Columellæ *l.* 7. Citatur etiam ab eodem iterum *l.* 11.

DOLUS, locus Britanniæ min. ex Monaſterio evaſit Ep. ſedes, faciente Nomenojo Principe (qui ibi Epp. ſuis congregatis Regem ſe inungi curavit. Poſita eſt urbs inter Abrincatuorum & Aleienſium ſeu Maclovienſium fines, Vaſtata à Normannis A. C. 944. vulgò *Dol.* Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* & ſupra in voce *Dola.*

DOMA, vulgò DOME, caſtrum Galliæ, olim nobile & fortiſſimum, teſte Petro *Hiſt. Albig. c.* 80. Locus eſt ad Duranium, à Sarlato flumine interfluente diviſus. *Idem.*

DOMA, Papiæ *tectum vel atrium, quod non tegitur.* Sic vocem ſumit Hieron. *in Sophon. c.* 1. *Qui in domatibus odorant militiam Cœli, Solem & Lunam, aſtra reliqua* &c. Cujuſmodi tecta in Oriente, hodiéque in Melita Inſ. in uſu, Gallis quoque *Domes.* Abbo *Bell. Pariſ. l.* 1.

Ergo bis octavis faciunt, mirabile viſu,
Monſtra rotis ignara modi compacta triadi
Roboris ingentis ſuper argete quodque cubante,
Domate *ſublimi cooperto.*

Ex Græco Δῶμα, Æol. δῶ. Vide infrà *Tecta.*

DOMACIA, Theſſaliæ urbs. Laonicus.

DOMACUS Rogerius, vide *Rogerius.*

DOMADA; opp. Arabiæ. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

DOMANA, Armeniæ min. urbs, Antonino. Et Arabiæ Felicis *Ptol.*

DOMANETICA, Ponticæ provinciæ Regio ſatis ferax, per quam Amnias fluv. illabitur. Strab. *l.* 12.

DOMAZANES, Arabiæ pop. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

DOMBEC, Liber Judicialis Anglo-Saxonum, ex *dom*, judicium & *bec* liber; memoratur Eduardo Confeſſori *in LL. c.* 1.

DOMBENSIS tractus, fertilis regiunc. Gall. inter Breſſiam prov. & Ararim fluv. ſeu inter Matiſconem & Lugd. Principat. tit. gaudens, & proprio Domino parens è Borbonia familia. Hiſtoria paucis ſic habet. Olim familiæ Bellijoc. Gall. *de Beaujeu*, hoc dominium erat, ob affinitates cum familia Sabaudica, Sebuſiana & Baugiacenſi. Humbertus IV, dominus Bellijoci, ejus partem nactus eſt, ex matrimonio Margaretæ, fil. Guidonis Baug. Eduardus II. dein Ludov. Borbonio Princ. hunc dono dedit, tranſiitque per Suſannam Borboniam Carolo D. Borb. Conneſtabili nuptam, in familiam Montpenſeriam. Maria Henrici D. ultimi filia fuit, ex Gaſtone Aurelian. D. filio Henrici IV. Annæ Mariæ, hodie Dombenſis Principis, mater. Guich. *Hiſt. de Breſſe.* Morer. Caput ejus Trivoltium, 5. leuc. ſupra Lugd. in Bor.

DOMESDEI, liber cenſualis apud Anglos, *Rotulus Regis* etiam dictus, monumentum totius Britanniæ auguſtiſſimum: duobus voluminibus magnis, Angliæ deſcriptionem continet, inchoatam A. 14. Regni Gulielmi Sen. & finitam A. ejus 20. h. e. ultimo, & A. C. 1087. A ſimilitudine antiquioris ab Alvredo confecti, *Rotulus* vel *Liber* Wintoniæ interdum, item *Liber Judiciarius* nuncupatur. In hoc per ſingulos Comitatus, Rapas, Lathas & Centurias, civitates, burgos, opp. caſtra, villas, &c. deſcriptum eſt, quid in prædiis, & domibus; quid in terris dominicalibus & tenementalibus; quid in campis arabilibus, pratis, paſcuis, ſilvis, ſaltibus, piſcariis, palludibus, communiis, &c. continebatur. Quot homines & ejus conditionis, milites, colonos, mancipia, operarios, villa quælibet aleret; quid in tributo, cenſu, reditibus, ſervitiis & conſuetudinibus, de præſenti valebat reddebatque, quid in ævo ſub Eduardo Confeſſore elapſo. Series operis juxta Comitatus diſtinguitur, in quorum unoquoque, ab initio, catalogus exhibetur omnium capitalium dominorum, qui in eodem Comitatu quidquam poſſident, primò Rex, dein Proceres, ſecundum claſſes ſuas, & dignitates: Uſus eſt ad id Vilhelmus quinque Juſtitiariis ſuis, quos miſit per univerſam Angliam, ad deſcriptionem iſtam, per provincialium jurajuranda conficiendam. Nomen ei *Domeſday*, i. e. Dies judicii, per metaph. ſicut enim diſtincti & terribilis examinis illius noviſſimi ſententia, nullâ tergiverſationis arte valet eludi, ſic ortâ in Regno contentione, libri hujus ſententia declinari non poteſt. Hinc non diſſimilis hujus libri reverentia, Sibyllini Romæ, quindecimvirali olim curæ demandati: ſeu Pandectarum apud Florentinos, qui à Wernhero repertus ſub Lothario II. in palatio Ducis hodie cuſtoditur, niſi accenſo cereo indictaque cerimoniâ non producendus, de quo vide Caſſiod. *var. form. l.* 3. *c.* 52. Eſt item ad ſimilitudinem libri cenſualis Remenſis, & conſervatur in theſauro Regii Scaccarii, ſub tertia claſſe ſc. Theſaurarii & duorum Camerariorum, inſpecturis tamen ſatis præſtò, ſed denumerantibus priùs 6. ſolidos & 8. denarios, pro ſola inſpectione: tranſcriptio verò uniuſcujuſque lineæ dragmâ præterea penditur. Henr. Spelm, *Gloſſ. Arch.* Vide infrà quoque in *Rotulus Wintoniæ.* Sic olim apud Romanos extitêre deſcriptiones accuratiſſimæ omnium Imperii provinciarum & prædiorum in iis contentorum, quæ & limites & poſſeſſorum nomina comprehenderent, ad quas ortâ lite ibatur. Aſſervabantur illæ in ſacrario Principis. Siculus Flacc. *de condit. agror. p.* 19. *Quod ſi quis contradicat, ſanctuarium Cæſaris reſpici ſolet: omnium enim agrorum & diviſorum & aſſignatorum formas, ſed & diviſionem, & Commentarios & Principatus in Sanctuario habet,* &c. Cujuſmodi Commentariorum etiam meminit Frontin. *de Aquæductibus l.* 1. Vide ſuprà *Beneficiorum liber* & infrà *Rationarium Imperii.*

DOMESTICI, apud Scriptores rerum cum Roman. ævi poſterioris, tum Francicarum, crebro occurrunt. Et quidem apud Romanos ſic prætoriani Milites dicebantur, quorum munus fuit Imperatorii corporis cuſtodia, Gr. Οἰκεῖοι & Οἰκειακοί, *Protectores domeſtici*, dicuntur Amm. Marcell. *l.* 14. & 15. nec non in *Collat.* 1. Carthagin. c. 1. ubi *Devotiſſimi* indigitantur. Erant autem tum pedites, tum equites, uti docet Senator *Var. l.* 1. meminitque Amm. idem Joviani, *Domeſticorum ordinis primi l.* 25. quam dignitatem Valeriano quoque tribuit *l.* 27. Cohors eorum *Domeſticorum Schola* dicta eſt eidem *l.* 26. Τῶν οἰκείων τὸ τάγμα, Julian. *Ep.* 22. Illis præerat *Comes Domeſticorum*, idem *Domeſticus Excubitorum* dictus. Δομέστικος τῶν ἐξκουβίτων, apud Theophan. *p.* 383. &c. Ex his quòd Impp. Principeſque deligerent, præcipua in Palatiis, Caſtris, Provinciis, munera obituros, videtur fluxiſſe, quòd Joh. Ep. Citri *Reſp. ad Latin. Domeſticum* idem ſonare ait, quod *Præfectum, Capitaneum, Ducem*, Ἐξάρχοντα, προηγούμενον, ἐπιστάτην. Quemadmodum de iis, quos in Aula Francica ſequioris ævi *Familiares* Reges appellatos notum, legimus. Neque verò Impp. ſolùm, ſed & Præfecti provinciarum, urbium, exercituum &c. ſuos Domeſticos habuêre, unde *Domeſticus Præfecti Prætorio, Ducis, Comitis* &c. crebrò occurrit. Quam dignitatem gradumque illuſtrem fuiſſe hinc liquet, quòd Heraclianus Comes Africæ, Sabinum Domeſticum ſuum, generum ſibi elegiſſe; & ipſi omnium fere conſiliorum participes fuiſſe leguntur, apud Oroſ. *l.* 7. & Procop. *Vandalicor. l.* 1. *c.* 4. &c. Sed & in Galliæ Regum Palatiis, *Domeſticorum* crebra mentio, apud Fortunat. Greg. Turon. Fredegar. Alios; quorum munus ſic adumbrat Fortunat. *l.* 7. *Carm.* 16. ubi de Condone Domeſtico,

Tedebertus enim Comitivæ præmia ceſſit,
Auxit & obſequiis cingula digna tuis.
Vidit ut egregios animos meliora mereri,
Mox voluit meritos amplificare gradus.
Inſtituit cupiens, ut deinde Domeſticus *eſſet*
Creviſti ſubitò, crevit & aula ſimul.
Florebant pariter veneranda Palatia tecum,
Plaudebat vigili Diſpoſitore domus.

A' quibus patet, *Domeſtici* dignitatem non illuſtrem modò fuiſſe, cùm Comitis dignitatem longè excederet, ſed etiam idem muneris obiiſſe, quod apud Byzantinos *Cura Palatii*, atque adeò Aulæ Regiæ Curam habuiſſe: cujuſmodi miniſterium hodie commiſſum fortè iis eſt, qui *Magni Hoſpitii Magiſtri* Gallis dicti: qui ut cœteris *Hoſpitii Magiſtris* inferioribus præſunt, ita olim majores *Domeſtici*, cœteris ejuſdem nominis ac tituli in Aula Proceribus præerant. Plures enim hac ſimul functos dignitate, in Palatio conſtat; qui omnes Supremo & *Magno Domeſtico* ſuberant. Ex horum porro claſſe ſeligebantur qui cœtera in provinciis Palatia Regia, Villas Regias & Fiſcos publicos eorumque reditus curarent; ipſas interdum provincias regerent; & Judiciis intereſſent, ut pluribus accuratè docet Car. du Freſne *Gloſſ.* qui *Magnum Domeſticatum* à Majordomatu diverſum fuiſſe, etiam colligit ex *L.* Ripuar. *tit.* 88. *Jubemus, ut Optimates, Majores domus, Domeſtici, Comites, Grafiones --- munera ad judicium pervertendum non recipiant*, vide quoque *Domeſticus.*

DOMESTICUS, aliàs *Seneſchallus, Dapifer, Major Domus.* Vox Latina, ſed novatâ ſignificatione Græcis etiam inferioribus uſitatior: Δομεστίκους enim miniſtros & officiales dixêre, quos Romani Comites: verùm hoc præſertim, cùm nomen dignitatis factum eſſet Comes, potiùs quàm Miniſterii. In Jure igitur Civ. *Domeſtici* propriè appellantur omnes adjutores, ſive adminiſtri legitimè inſtituti ab juſtis functionum principibus, cùm in Palatio, tùm in Foro, & Eccleſia. In Palatio erant ſeqq. *Magnus Domeſticus*, qui & *Megadomeſticus*, & per eminentiam *Domeſticus*: Hic circa menſam Imp. miniſtrabat, vide ſupra in *Dapifer*, & exercitum educebat, militiamque curabat: Ita in Imperii adminiſtratione terreſtri præfuit militiæ, caſtris & ſtativis, quæ ipſi *foſſatum* appellabant, ſicut magnus Dux mari præerat, Codin. ſeu Curopalat. *de Off. Conſtantinop. p.* 50. Luitprand. *Hiſt. l.* 6. *c.* 5. Joh. Meurſ. &c. In Occ. Magnus Seneſchallus, & Major Domus dictus. Dein *Domeſticus Menſæ*, & *Domeſticus rei Domeſticæ*, qui Seneſcalli etiam & Dapiferi munere circa menſam Imp. fungebantur: Ille Magno Domeſtico propior; hic remotior. Utriuſque munus continebatur olim in officio & appellatione Comitis Caſtrenſis. Item *Domeſticus Scholarum*, qui præfuit Scholis Palatinis, i. e. Ordinibus militaribus, ad capeſſenda Imp. juſſa vacantibus, quarum 8. in Or. 6. in Occ. erant: prius merentes ſub alterutro Magiſtro officiorum. Eam adminiſtrationem poſtea Megadomeſticus habuit. Porro *Domeſticus Legionum*, idem cum priore. *Domeſticus murorum*, qui curavit, ut oppida, caſtra, munitiones inſtaurarentur. *Domeſticus* tandem *regionum*, ſc. Or. vel Occ. qui curabat negotia, ad publicum pertinentia. In foro Domeſtici erant Judicum Adminiſtri ſeu Aſſeſſores: Item qui cum ipſis Judicibus habitabant, qui vulgò Graphiarii, Cancellarii vocantur, Droſæus *in method. Jur.* In Eccleſia denique erant, *Domeſticus Chori*, qui locum ſecundum tenebat in ſeptimo quinario Officialium Eccl. Conſtantinopolitanæ. Hujus munus non explicavit Curopalates, &c. *Domeſticus januarum*, noni ſeu ultimi quinarii primus; Hic cuſtos & Oſtiarii adminiſter ac adjutor fuit, Æditũs. Extra Imperium reperiuntur quoque *Domeſtici*, quinto ſeculo, & ſeqq. qui videntur fuiſſe à Concilio Principis. *Domeſticus villæ* & *Domeſticus regionis*, omnia ſub Rege curabant, hic in regione, ille in villa fiſcali, ſub Comite. Tum enim ipſi Reges villas & prædia ſua colebant, ſuorum ipſorum colonis, mancipiis, animalibus, ſæpe quoque & utenſilibus. Unus autem *Domeſticus* ſuper pluribus villis fuit conſtitutus, ut Seneſchalli potius, quam Ballivi locum tenuiſſe videatur. Vide Henr. Spelm. *Gloſſar. Arch.* Car. du Freſne quoque memorat *Domeſticum Icanatorum*, ſeu cohortium militarium, quæ dignitas inſtituta eſt à Nicephoro Generali Imp. in gratiam Nicetæ ejus ex filia Michaëli Rhangabi nuptâ nepotis, poſtmodum Patriarchæ CP. ex Niceta Paphlag. in *Vita* Ignatii Patr. *Domeſticum Numerorum*, ſeu *Scholarum*, qui cohortibus præerat, ex Eodem *ibid. Domeſticum Optimatum,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

matum, qui copiis militaribus Thematis, quod Ὀπτιμάτων vocabant, erat præfectus, de quibus vide infrà: *Domeſticum Stratorum*, ex Anaſtaſ. *Hiſt. Eccl. p.* 127. *Domeſticum Thematum tum Orientalium, tum Occidentalium*, ex Codino *c.* 5. *n.* 92. Et de dignitate hujus nominis Eccleſiaſtica monet binos fuiſſe, unum in dextro Choro, alterum in ſiniſtro, ἐπιστάτας τῶν μελῳδῶν ſeu ὀρχῳδῶν, qui in Eccleſia poſt Protopſaltem cantui præfuerint, ex Conſtantino *de Admir. Imp. c.* 50. Scylitze, Joh. Cantacuz. *Hiſt. l.* 1. *c.* 41. Aliis. Domin. Macer triplicis generis hos *Domeſticos* faciens, primum Clero patriarchali, ſecundum Clero, Capellæ Imperatoris tertium clero Cappellæ Imperatricis, *Deſpinicum*, à *Deſpina* Imperatricis titulo dictum, præſediſſe, ſcribit *in Hierolexico*.

DOMESTICUS Presbyter, vide infrà *Presbyter*.

DOMETIOPOLIS, Iſauriæ urbs. Steph. *Domezopoli* vulgò.

DOMICELLUS, appellatio, quâ olim Galli filios quoſvis Regis, ſed Optimatum Primogenitos tantùm ſalutabant: ſicut Angli Regni ſucceſſorem Æthelingum vocabant & Clitonem: quo tamen poſteriore nomine omnes Regis filios aliàs inſigniebant. Marculfi ævo, nec *Dominus* nec *Domicellus* dicebatur, ſed *Domnus*, quod vide, & *Domnicellus*: etiam hoc de filio Regis, *l.* 2. *form. ult.* Hodie quoque Galli *Damoiſel* dicunt, pro nobili juvene gladio militari nondum accincto. Vide Henr. Spelm. *Gloſſ. Archæol.* Apud Danos & Suecos ſimiliter, Regum filios *Domicellos* nuncupatos, diſcimus ex Iſ. Pontano *Hiſt. Danic. l.* 7. & 8. & ex Erico Upſalenſi *Hiſt. Suec. l.* 3. Liberos Mauritii Imp. *Parvulos dominos* vocat Greg. Mag. *l.* 6. *Ep.* 23. Apud Byzantinos quoque Auguſtos, ſequioris præſertim ævi, eorum filii *Deſpotæ*, h. e. *Domini*, Principis indultu dicebantur; aliàs non δεσπόται, ſed Δεσποσῦνοι i. e. *Domicelli* dicti: ut de Conſtantino Andronici Sen. filio legimus, quem, negatâ à Patre Deſpoticâ dignitate, τῶν Ῥωμαίων Δεσπόσυνον, *Romanorum Domicellum*, vocitatum eſſe, tradit Pachymeres *l.* 8. *c.* 26. *extremo*. Poſtea titulus etiam cum Magnatum Baronumque filiis communicatus: quo præſertim donati Militum filii, nondum Militari ſeu Equeſtri Cingulo, accincti, uti annotat Chifletius *in Veſontione Part.* 1. *c.* 26. cùm ſolis militibus honorifica *Domini* compellatio competeret. Sic Theodoricus Com. Hollandiæ, nondum ſui juris factus, *Domicellus* appellatur, apud Joh. Bekam *in Vilhelmo Ep. Traj.* obſervatque Marca in *Hiſt. Benearn. l.* 6. *c.* 24. Nobiles illius tractus vulgò diſtribui in 3. ordines, Baronum, Militum *Cavers*, & Domicellorum, *Domengers*; quorum hi ut plurimùm iidem ſunt cum iis, qui in cœteris provinciis *Scutiferi* nuncupantur. At poſtremis ſeculis, *Domicellorum* in Regum Principumque filiis exolevit appellatio, obtinuitque ut *Domini* dicerentur, præfixo tamen nomine proprio, ut *Joh. Dominus*, *Richardus Dominus* &c. Eodem planè modo, *Domicellæ* dictæ ſunt univerſæ filiæ, Principum, Magnatum, Baronum, Militum, innuptæ; cùm uxores eorum *Dominæ* dicerentur. At in Francia uſus invaluit, ut cœterorum quidem quantumvis Regii ſtemmatis Principum filiæ *Domicellæ*, Regum verò filiæ *Dominæ* compellentur. Unde notat Tillius, contra receptum hunc in Gallia morem, Franciſcum II. Britanniæ Armor. Ducem in fœdere cum Carolo VIII. Rege ſancito A. C. 1488. Annam & Iſabellam filias, *Dominas* appellaſſe. Sed & *Domicellas* ac *Dominas*, Canonicas in Germania ſeculares dici, refert Jac. de Vitriaco *Hiſt. Occid. c.* 31. ubi de veſtimentis earum convictu in Eccleſia &c. multa habet. Vide ſuprà *Canonicæ Seculares* & plura hanc in rem, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

DOMICILIUM, ex *domo* & *colo*, pro *Domicolium*; nam *colere*, habitare eſt: Unde *coligo* Arnòb. habitatio. *Ædicilium* dicitur Plin. vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 587. & 950. Apud Liv. *Domicilium Plebis Romanæ*, carcer dictus eſt, ab App. Claud. X. Viro ædificatus, uti in ſua contra illum invectivâ docet Virgin. *l.* 3. *c.* 57. Ad cujus imitationem Cic. *Verr.* 5. *Carcer*, inquit, *ille qui eſt à crudeliſſimo tyranno Dionyſio factus Syracuſis, quæ Lautumiæ vocantur, in ipſius imperio domicilium Civium Romanorum fuit.* Vide de App. Claudio & Virginio ſuis locis.

DOMICOENIUM, triſte Romanis habitum. Mart. *l.* 5. *Epigr.* 79. cujus epigraphe ad Turanium.

Si triſti domicœnio *laboras*,
Turani; potes eſurire mecum.

Nempe non pauperibus ſolùm, ſed & ditibus; ut qui *domi* inter familiares ſuos minus voluptatis caperent, quàm inter ſodales foris. Hinc, Idem *l.* 2. *Epigr.* 69. cujus epigraphe in Claſſicum.

Ipſe quoque ad cœnam gaudebat Apicius ire,
Cùm cœnaret, erat triſtior ille, domi.

Et quidem domino ſic foris cœnanti *Adverſitores* ſervi advorſum ibant, officii & tutelæ gratiâ: *Accerſitores* verò domini adventum prænuntiabant, uti infrà dicemus, in voce *Foris*.

DOMIDUCA, Juno dicta eſt, quia veteri ritu ſponſas ad ſponſos ducere primâ nocte conſuêrunt, nuptiis a. Juno præeſſe credebatur.

DOMIDUCUS Deus, eodem fine apud Romanos, quo *Domiduca Juno*, colebatur. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom.* Vide ubi de *Nuptiis*.

DOMINA, apud Poëtas, præcipuè de Proſerpina. Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 375.

Hi Dominam *Ditis thalamo deducere adorti.*

Apollon. Rhod. *Argon. l.* 1.

Eumenidum Domina *Stygio caput exſerit antro.*

Ubi *Ditis* cum *ſolio* & *Eumenidum* cum *antro*, conjungendum eſſe, monet Barth. *Dominam* verò abſolutè pani, *Animadverſion. Stat. l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 23.

Excipis & Dominæ *niveis à vultibus obſtas:*

Idem *Theb. l.* iv. *v.* 430.

Effugit, inque novæ melior redit, ora Dianæ:

Aliàs *Dominæ*, Reginæ, & in univerſum uxores, uti docet Hadr. Turneb. *Adverſ. l.* 21. *c.* 6. Amicæ item, uti paſſim videre eſt, apud Mart. apud quem *Domini* quoque pro amaſiis: quæ aliàs vox in ſalutationibus, poſt libertate multatam Remp. frequens eſſe cœpit. Vide Poëtam hunc *l.* 11. *Epigr.* 73. *l.* 12. *Epigr.* 52. *v.* 14. &c. Apud medii ævi Scriptores, *Domina*, undè, Deipara, hinc *Miſſa de Domina*; in *Chron.* Archiep. Upſal. Item Principum Magnatumque uxores, vide hîc ſupra. Canonicæ quoque Seculares *Dominæ* dicuntur; item Sanctimoniales omnes, in *Reg.* Clariſſarum: quod tamen uſurpare vetantur, quæ Benedictinum inſtitutum ſequuntur, in *Statutis* Joh Arch. Cantuar A. C. 1279. apud Car. du Freſne.

DOMINA Noſtra, Δέσποινα ἡμῶν, Græcis B. Virgo dicitur. Sic *Actiones* omnes Synodi CP. ſub Menna celebratæ oriuntur. Poſt Conſulatum, προκαθεζομένου τοῦ δεσπότου ἡμῶν --- Μηνᾶ, ἐν τῷ Μεσαύλῳ τῷ δυτικῷ τοῦ σεβασμίου οἴκου τῆς Δεσποίνης ἡμῶν κτλ. *Præſidente Domino noſtro --- Mennâ, in meditullio aulæ occiduo venerabilis ædis Dominæ noſtræ* &c. Nempe Sec. VI. & VII. etiam, inoleverat conſuetudo, ut pronomen *noſter* & *a*, adderetur nominibus dignitatis *Dominus* vel *Domina*; quibus aliàs ſimpliciter indigitabantur, quos cupiebant honoratos: uti hîc videre eſt, in his vocibus. Sic in modò *cit. loco.* Mennas Δεσπότης ἡμῶν, *Dominus noſter*, appellatur, & Cyrus Patriarcha Alexandrinus Sergium, CP. vocat ἴδιον Δεσπότην, *proprium Dominum*, apud Cl. Suicerum *Theſauro Eccl.* in voce Μαρία.

DOMINA, machinæ bellicæ ſpecies. *Id.*

DOMINÆDIUS, ab *Domnædius*, unâ voce, pro *Dominus ædium*, Gr. σταθμοῦχος, proprii nominis vicem ſubiit, ſicut *Dominus* & *Domina*, & quæ hinc contracta, *Domnus* & *Domna*. Inprimis ſic fere ſemper S. Felicem vocat Paulinus Ep. Nol. quaſi *Dominum Ædis*, cui ipſe præſidebat *Ep.* 1. *Venientem in gremio jam communis patroni* Dominædii *mei Felicis excipiam*, Ita *Ep.* 9. 10. 12. & 28. & *Natali* 7. Id.

---- - ------ ------ *Quàm quid mihi teſtis*
Ipſe meis, quibus eſt idem Dominædius *egit.*

Quemadmodum Martyres *Dominos ſuos* non ſemel vocat Sugerius *de Confecr. Eccl. S. Dionyſii.* Hanc porrò vocem Domnædius, reſtituit apud Autorem Rhetoricæ ad Herenn. Salmaſ. *l. de Jure Att. p.* 73. *Domnidius* habent *Notæ* Tyronis. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macrum *Hierol.*

DOMINATIO, titulus honorarius Regg. in *Epp.* Francicis alibique paſſim. Græcis Κυριότης, formula loquendi, hodieque Italis in uſu, *voſtra Signoria.* Guil Britto *Philippidos l.* 6. *v.* 156.

Veſtra quidem plenè Dominatio *novit, ut à quo*
Tam laudabiliter regitur tam nobile regnum &c.

DOMINE, labia mea aperies, vide infrà *Verſus aperitionis.*

DOMINE Miſerere, vet. formula precandi in Eccleſia, Κύριε ἐλέησον Græcis, nec gentilibus planè fuit ignota. Si enim non antè, ſaltem jam Hadriani Cæſaris temporibus qui à nato CHRISTO 120. Annis claruit, ſimiliter Deo ſupplicaſſe legimus ſapientiores. Tangit eum ritum nobilis illius temporis Scriptor Arrian. *Diſſertat. Epicteti l.* 2. *c.* 7. Τὸν θεὸν ἐπικαλούμενοι δεόμεθα αὐτοῦ, Κύριε ἐλέησον, *Deum invocantes, precamur eum, Domine miſerere noſtri.* Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. & progr. Idol. l.* 1. *c.* 2.

DOMINI appellatio, in ſalutationibus frequens, apud Romanos. Martial. *l.* 6. *Epigr.* 88. cujus Epigraphe ad Cæcilianum.

Manè ſalutavi vero te nomine caſu,
Nec dixi Dominum, *Cæciliane, meum.*

Et ante eum Senec. ignotos ſic appellari ſalutarique ſolitos teſtatur. Quemadmodum Δεσπότην Græci uſurparunt, in eodem officio occupati.

DOMINI, & DOMNI, Sancti paſſim appellati Scriptoribus medii ævi obſervatque Joſeph. Scalig. *Not. ad Fragm. vett. Scriptor. poſt libros de Emend. temp. p.* 36. Chaldæos Chriſtianos, præcipuorum Sanctorum, ut Apoſtolorum, nominibus, vocem *Mar*, quæ *Dominum* ſonat, ſimiliter præponere, ut *Mar Marcos*, *Dominus Marcus.* &c. Epp. item, etiam non adjectâ dignitatis nomenclaturâ, ſed Epiſcopatus ſolùm nomine expreſſo, ut *Domino Mizenatis Eccleſiæ*, apud Gregor. Mag. *l.* 4. *Ep.* 27. Porrò, præcipui è Nobilitate, in *Annal.* Colmarienſibus, *Part. I.* A. C. 1248. *Eodem die Curiam habuit Rex Rudolfus cum gloria Dominorum.* Impp. præcipuè & Reges, qui *Rerum Domini* apud Symmach. Caſſian. Cyprian. Aimoin. Sidon. Gregor. Mag. paſſim, Alioſque audiunt. *Dominus Orbis terrarum*, apud Alyp. Antiochen in deſc. orb. *c.* 17. §. 6. *Domini terrarum*, apud Arnulph. Lexov. *p.* 31. Δεσπόται τῆς οἰκουμένης, paſſim in *Actis* Concilii Chalcedon. οἱ γῆς καὶ θαλάττης καὶ πάντων ἀνθρώπων ἔθνους: καὶ γένους δεσπόται, *Terræ Mariſque & univerſæ humanæ gentis generiſque Domini*, apud Phot. Baſſian. & Eunom. ad Valentin. & Marcian. in eod. Concil. *Act.* 5. 12. 13. *Terræ mariſque Dominus*, de Conſtante in *Ep.* African. Ep. *Dominus totius Orbis*, de Conſtantino, apud Ammian. Marcell. *l.* 15. &c. legitur Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide ſuprà in voce *Deſpota*, *Divinitas*, ut & in *Domnus.*

DOMINIA, Vett. dicebantur convivia hilariora. A. Gell. *l.* 2. *c.* 24. *Principes civitatis, qui ludis Megalenſibus antiquo ritu mutitarent, i. e. mutua inter ſeſe* Dominia *agitarent.* Nomen iis à Domino ſive præbitore convivii: cujus idem meminit *l.* 13. *c.* xi. cùm inquit: *Dominum autem inquit convivii eſſe oportet non tam lautum, quàm ſine ſordibus.* Latinis *Convivator* dicitur, utpote qui amicos aut hoſpites convivio excipit: Horat. *Parochus* & *Herus*, *l.* 2. *Serm. Sat.* 8. *v.* 35.

------ ------ ------ *Vertere pallor*
Tum Parochi faciem nil ſic metuentis, ut acres
Potores.

Ibid. infra,

------ ------ *Sub hoc Herus, hæc gravida, inquit,*
Capta eſt deterior poſt partum carne futura.

Græcis vocatus eſt, ὁ συνιστὰς συμπόσιον, *qui extruit convivium*, & Ἑστιάτωρ, *Epulo*, qui dat epulum: Item Συμποσίου ἄρχων, Συμποσιάρχης.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

φιλόξενος, ἑστιάτωρ, qui domo & menſâ excipit. Mart. *l.* 12. *Epigr.* 48. *v.* 5. cujus Epigraphe in lautum Invitatorem.

Lauta tamen cœna eſt: fateor lautiſſima ſed cras
Nil erit, immo hodie protinus immo nihil.

Idem infra *v.* 15.

Convivas alios cænarum quære magiſter.

Cænarum Magiſter. Aliàs tamen propriè *Magiſter convivii*, à Patrefamilias diſtinctus, dicebatur is, qui *Arbiter bibendi*, item *Rex convivii* dici ſolitus eſt. Hic talorum jactu creatus, certas bibendi leges præſcribebat, quas obſervare ſingulos erat neceſſe. Vide Plutarch. *Problem.* 4. *l.* 1. *Sympoſ.*

DOMINICA, uxor Valentis Imp. quæ Gotthos ad evertendam Conſtantinopolim irruentes pacavit. Cæterùm Ariana cùm eſſet, permovit maritum, ut Orthodoxos acerrimè perſequeretur: Hinc Galatæ filii jacturà, & viſionibus horrendis turbata quies. Vide Theod. *l.* 4. *c.* 12.

DOMINICA, una ex Antillis Inſ. ſub Caribis, ſic dicta, quia detecta eſt ab Hiſp. die Dominicâ. Circuitus eſt 20. circiter leuc. Inter Guadalupiam ad Bor. & Martinicam ad Auſtr. à qua vix diſtat 8. leuc. Fertilis eſt & rigua.

DOMINICA, ſeu *Dies Dominicus*, prima hebdomadis dies, *Dies lucis* & *Dies panis* Chriſoſt. *de Reſurr. Regina & princeps dierum*, Jacobo; *dierum Domina* Sophron. *Dies pacis.* Theod. Studitæ: Græcis Κυριακὴ, Ἀναστάσιμος, βασιλὶς καὶ ὕπατος τῶν ἡμερῶν, CHRISTO potiſſimùm, qui *Domini* in Eccleſia vet. nomine nudè appellari ſolebat, apud Chriſtianos dicata eſt; quòd maximis myſteriis, præ aliis, inſignis eſſet. In ea enim creavit Deus univerſum, Manna pluit in deſerto, Iſraëlitæ tranavêre Jordanem, Chriſtus natus eſt, & à Joh. baptizatus: Idem in ea aquam in vinum in Galilææ nuptiis mutavit, eadem reſurrexit, miſit Spiritum S. Joh. in Inſ. Pathmo apparuit eique futurum Eccleſiæ ſtatum variaſque ejus uſque ad alterum adventum ſuum periodos revelavit &c. Quibus de cauſis moti Apoſtoli, diem hanc, in locum Sabbathi, Judaici, divino cultui à Chriſtianis peragendo conſecrarunt, uti Auguſtin. teſtatur *Serm.* 25. *de Temp.* Conſtantin. dein Mag. ad ejus obſervationem, Gentiles quoque coëgit, ut ex *Cod.* Theod. colligitur: & Honorius Imp. piè conſtituit, ut in omnibus *Dominicis*, captivi è carceribus educerentur, à fidelibus eleemoſynas accepturi, *Cod. l.* 7. *de Reor. Cuſt.* Hinc ab omni opere eo die ſemper ceſſatum. Theod. Ep. Cantuar. *in Capitul. c.* 7. *Græci & Romani in die Dominica non navigant, nec equitant, panem non faciunt, nec in curru ambulant, niſi ad Eccleſiam tantùm: nec balneant ſe Græci, non ſcribunt publice* &c. Incipiebat autem obſervatio ejus jam olim à nona ſeu veſpera præcedentis diei, Concil. Ffort. A.C. 794. *can.* 21. unde in plerifque vett. *Statutis* MSS. pro Artificibus Pariſienſis Civ. id potiſſimum caveri, ut nemo quicquam artis exerceat diebus Dominis, *ne au Samedi depuis le derrenier coup de Veſpres ſonné*, obſervat Car. du Freſne. Quia verò dies hæc primum in hebdomade ſibi locum, ut dictum, vindicat, hinc hebdomas ſæpe nomen ſumit à *Dominica* præcedente, ut *hebdomada Paſſionis*, à *Dominica* præcedente, quæ *Paſſionis* dicitur: At Græci hebdomadis à ſubſequente Dominica appellationem deſumunt. v.g. *Palmarum hebdomadem* vocant, non eam quæ ſubſequitur *Palmarum Dominicam*, ſed quæ præcedit, quæque Latinis *Paſſionis* eſt. Ita quarta Hebdomas Quadrageſimæ illis eſt, quæ *Dominicam* quartam antevertit &c. Excipiuntur tamen eæ hebdomadæ, quæ à Paſchate ad Pentecoſten excurrentes, à præcedente nomen *Dominica* trahunt. Appellationes cujuſque *Dominicæ* per totum fere Annum, & *Introitum* ut vocant. qui ad Miſſam dici ſolet, in Communione Romana, & Græca, ex Car. du Freſne *in Gloſſar.* & Macris Fratribus *in Hierolexico*, hîc ſtrictim ſubjiciemus.

NOMINA ET INTROITUS DOMINICÆ CUJUSVIS IN ECCLESIA LAT. ET GRÆCA.

Dominica prima Adventus Domini, à qua Eccleſiaſtica Officia incipiunt, quarta eſt à Natali DNI. Ejus Intr. eſt, *Ad te levavi.* Græci vocant κυριακὴν δεκάτην τοῦ Λουκᾶ, i.e. *Dominicam* ex iis, in quibus *S. Lucæ* Euangelium, per Lectiones ad Miſſam & inter Officia legitur, nempe *de Muliere habente, Spiritum infirmitatis.* Vide Allat. *de Dominicis Græcorum.*

Dominica ſecunda Adventus, Introitum habet: *Populus Sion*, Græcis *Dominica XI. Lucæ* ſeu *de vocatis ad Nuptias.*

Dominica III. Adventus: Cujus Intr. *Gaudete in Domino ſemper & iterum dico Gaudete*; Græcis *Dom. XII. Lucæ* ſive *de Decem*, *Leproſis*, appellatur.

Dominica IV. Adventus: Intr. *Memento noſtri Domine.* Græcis Κυριακὴ πρὸ τῆς Χριστοῦ γεννήσεως.

Dominica infra Octavam Natalis Domini. Intr. *Dum medium ſilentium*: Græcis, Κυριακὴ μετὰ τὴν Χριστοῦ γέννησιν.

Dominica; infra Octavam Circumciſionis, Græcis, Κυριακὴ πρὸ τῶν φώτων, nuncupatur.

Dominica I. poſt Epiphaniam cujus Intr. *in Excelſo throno* &c. Græcis, Κυριακὴ μετὰ τὰ φῶτα. Illi n. Baptiſmum Chriſti φωτισμὸν vocant, ut notum.

Dominica II. cujus Intr. *Omnis terra*, Græcis *Dominica* XV. *de Zacchæo*, dicitur. Vide infrà, *Feſtum Architriclini.*

Dominica III. cujus Intr. *Adorate Dominum*, Græcis *Dominica XII. Lucæ* ſive τελώνου, item προφωνήσιμος, ut & quæ antecedit hebdomas; in qua jejunant Armeni, quod jejunium ἀρτζιβούριον vocant.

Dominica IV. V. VI. poſt Epiphaniam.

Dominica Septuageſimæ, cujus Intr. *Circumdedêrunt me.* Græcis Κυριακὴ τοῦ ἀσώτου, ſeu *de Prodigo.*

Dominica Sexageſimæ, cujus Intr. *Exurge.* Græcis Κυριακὴ τῆς ἀποκρεὼ, i.e. *Carniſprivii.*

Dominica Quinquageſimæ, cujus Intr. *Eſto mihi*: Græcis Κυριακὴ τῆς τυροφάγου, & τυρινὴ, quòd poſt eam *caſei* & ovorum eſum intermittant, jejunium 40. dier. auſpicantes.

Dominica I. Quadrageſimæ, cujus Intr. *Invocavit me.* Græcis πρώτη τῶν νηστειῶν. Vide infrà *Orthodoxus.*

Dominica II. Intr. *Reminiſcere.*

Dominica III. Intr. *Oculi mei.*

Dominica IV. Intr. *Lætare Hieruſalem.* Hâc Cardinales veſtibus roſeis induuntur & Pontifex fert manu Roſam auream benedictam, quam poſtmodum Regi alicui ſeu Magnati, magni muneris loco, ſubinde mittit.

Dominica in Paſſione Domini, ſeu V. Quadrag. à qua Paſſionis Officium incipit, Intr. habet, *Judica me Deus*: Græc. dicitur πέμπτη τῶν νηστειῶν, *quinta jejuniorum.*

Dominica in Palmis ſeu *Oſanna*, ſeu VI. Quadrageſ. Vide ſuo loco. Ejus Intr. *Domine ne longè.*

Dominica ſancta in Paſcha ſeu *Dominica S.* nudè, Vide *Paſcha.*

Dominica I. poſt Paſcha, ſeu *Octava Paſchæ* ſeu *Dominica poſt Albas.* Gr. Καινὴ & νέα Κυριακὴ & Κυριακὴ τοῦ Ἀντίπασχα, & δευτεροπρώτη Κυριακή.

Dominica II. cujus Intr. *Miſericordia Domini*, Græcis Κυριακὴ τῶν ἁγίων μυροφόρων, quòd in ea feſtum celebrent trium mulierum, quæ coëmtis aromatibus ad Chriſti ſepulchrum acceſſêrunt, ut eum ungerent.

Dominica III. cujus Intr. *Jubilate terra*, Græcis dicitur Κυριακὴ τοῦ παραλύτου.

Dominica IV. cujus Intr. *Cantate Domino*; Græcis dicitur Κυριακὴ πέμπτη τῆς Σαμαρείτιδος vel μεσοπεντηκοστῆς.

Dominica V. quæ & *Dominica Rogationum*, Græcis Κυριακὴ τοῦ τυφλοῦ.

Dominica poſt Aſcenſionem, cujus Intr. *Exaudi Domine.* Græcis Κυριακὴ τῶν ἁγίων τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ θεοφόρων πατέρων τῶν ἐν Νικαίᾳ.

Dominica ſancta Pentecoſtes.

Dominica I. poſt Pentecoſtem, quæ & *S. Trinitatis*, Græcis Κυριακὴ τῶν ἁγίων πάντων ſeu πρώτη τοῦ Ματθαίου. Vide *Feſtum S. Trinitatis.*

Dominica II. cujus Intr. *Factus eſt Dominus Protector meus.* Græcis *Dominica* II. *Matthæi de Chriſto docente.*

Dominica III. Intr. *Reſpice me.* Græcis III. Matthæi.

Dominica IV. cujus Intr. *Dominus illuminatio mea*, Græcis *Dominica* IV. *Matthæi* ſeu *de Centurione.*

Dominica V. Intr. *Exaudi Domine*; Græcis V. *Matthæi*, *de Vexatis à Dæmone.*

Dominica VI. Græcis VI. *Matthæi*, ſeu *de Paralytico.*

Dominica VII. Intr. *Omnes gentes*, Græcis VI. *Matthæi*, ſive de *de duobus cæcis.*

Dominica VIII. cujus Intr. *Suſcepimus, Deus.* Græcis VIII. *Matthæi*, ſeu *de* 5. *panibus* & 2. *piſcibus.*

Dominica IX. cujus Intr. *Ecce Deus, adjuva me!* Græcis IX. *Matthæi*, ſive *de Lunatico.*

Dominica X. Intr. *Deum clamarem.* Græcis X. *Matthæi* ſeu *de Lunatico.*

Dominica XI. Intr. *Deus in loco ſancto.* Græcis XI. *Matthæi*, ſeu *de Parabola Regis.*

Dominica XII. cujus Intr. *Deus in Adjutorium.* Græcis XII. *Matthæi*, ſeu *de interrogante Jeſum divite.*

Dominica XIII. Intr. *Reſpice, Domine.* Græcis XIII. *Matthæi*, ſive *de Parabola vineæ.*

Dominica XIV. Intr. *Protector noſter.* Græcis XIV. *Matthæi*, ſive *de Vocatis ad nuptias.*

Dominica XV. Intr. *Inclina aurem tuam.* Græcis XV. *Matthæi*, ſeu, *de Interrogante Jeſum-Juriſconſulto.*

Dominica XVI. Intr. *Miſerere mei Domine.*

Dominica XVII. cujus Intr. *Juſtus es Domine.*

Dominica XVIII. Intr. *da pacem.* Græcis *Dominica* I. *Lucæ*, ſive *de venatione piſcium.*

Dominica XIX. cujus Intr. *Solus populi ego ſum.* Græcis II. *Lucæ*, ſive *de Amandis inimicis.*

Dominica XX. cujus Intr. *Omnia quæ.* Græcis III. *Lucæ*, ſive *de Filio viduæ.*

Dominica XXI. poſt Pentecoſtem, Græcis IV. *Lucæ* ſive *de Parabola ſeminis.* Ex his porro *Dominicæ principales* & *ſolemnes* dicuntur V. illæ, in quibus officia mutantur, ſc. *Dominica* I. *de Adventu*, *Dominica in Octavis Paſchæ*, *Dominica in Octavis Pentecoſtes*, *Dominica*, quâ cantatur, *Lætare Hieruſalem* & *Dominica in Ramis palmarum*, Durand. *l.* 7. *c.* 1. *n.* 4. *Privilegiatæ Dominicæ* dicuntur, quibus Hiſtoriæ ſunt appropriatæ, apud eund. *ibid. n.* 14. *Dominicæ* vero *vacantes*, ſeu *Vacat*, dicuntur in *Sacramentar.* Gregor. Mag. IV. *Dominicæ*, quæ jejunia 4. temporum maximè ſubſequuntur; eo quòd propriis careant officiis, Vide Rupert. *de Div. Offic. l.* 3. *c.* XI. Obſervat quoque Macer in *Hierolexico*, in *Dominicæ in Albis* hebdomade Papam albo birro indui; in *Dominica* III. *Adventus*, nec Diaconum, nec Subdiaconum caſulà indui: *Dominicam* I. *Quadrag.* Græcis dici, *Dominicam Orthodoxiæ*, ob reſtitutum à Theodora Aug. poſt Theophili mortem, Imaginum cultum: in *Dominica Palmarum*, Competentibus prædicari Symbolum: in nulla *Dominica* jejunari & cujuſvis *Dominicæ* vigiliam quoque ſacram eſſe &c.

DOMINICA Oratio; Vide infrà *Pater noſter.*

DOMINICALIA Evangelica, aliàs *textus & lectiones Dominicales*, *Poſtilla*, *Homiliæ*, &c. dicuntur, ſuntque periochæ excerptæ ex libris Evangeliorum, ſingulis Dominicis proponi, prælegi & explicari ſolitæ. Et primò quidem in Eccleſia libri ſacri integri lecti & ordine explicati ſunt, Juſtin. Martyr, Orig. *Homil.* 15. *in Joſ.* Socr. *l.* 5. *Hiſt. Eccl. c.* 21. Iſid. *de Off. Eccl.* quod etiam diu duravit ſub Papatu, ut colligere eſt ex *Diſt.* 15. Gratiani, Can. *Sancta Romana Eccl.* Interim textus peculiares proponebantur in Feriis Natalitiis, Paſchatis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, textu ordinario ad tempus ſepoſito, quod patet ex Auguſt. *in* 1. *ep. Joh. initio.* Paulatim verò ſelecti & alii textus in Feſtis SS. Præterea cœpêrunt pro tempore etiam diſtingui, nim. ut ex integris Evangeliſtarum ſcriptis ſelectæ quædam lectiones excerperentur, ac certis anni tem-

poribus accommodarentur: ut videre eſt apud Auguſtin. *de Temp. Serm.* 256. Gregor. Mag. *l. ad Secundin. Laurin. Ep.* & Bedam. Is vero ordo *lectionum Dominicalium*, qui hodie conſpicitur, ab aliis ad Alcuinum Caroli Mag. Præceptorem, ab aliis ad Paul. Diacon. refertur, ſed non alio argumento, quàm quòd homilias certas PP. particulis illis Euangeliorum accommodavit ac ſubjecit: unde diſtributio illa textuum antiquior apparet. Vide Henr. Alting. *Theolog. Problem. loc.* 2. *problem.* 29. *ubi de abuſu harum lectionum in Eccleſia Latina aliiſque egregiè diſſerit.*

DOMINICALIS, in *Concilio* Autiſiodor. *c.* 24. *Ut unaquæque mulier, quando communicat*, Dominicalem *ſuum habeat*, quo Mulieres caput tegebant, ex Lini Ep. Rom *Conſtitut.* Car. du Freſne in *Gloſſario.*

DOMINICANI, ſeu PRÆDICATORES, Ordo relig. in Comm. Romana, fundatus à Dominico Calarogenſi, Hiſpan. qui Toloſæ 12. An. contra Albigenſes voce & ferro pugnavit. Ab Innocentio III. non admiſſus, Honorio conſtitutionem ſui debet, circa A. C. 1216. Joh. Baleus *l.* 7. poſtquam ſe Auguſtini regulâ contentum fore pollicitus eſſet. Hujus inſtitutum & *Dominicanæ*, ſeu Catharinæ Sen. ſectatrices adoptarunt. In Gallia *Jacobini* dicuntur à vico S. Jacobi. A Joh. Michaelis reformatus eſt Ordo initio hujus ſeculi. Ferdin. Caſtellanus. Anton. Flaminius, *Hiſt. hujus Ordinis.* Hi B. Virginem ab originali peccato non immunem, contra Franciſcanos, cum S. Scriptura tenent; prærogativam miraculoſæ conceptionis ſoli Agno Immaculato vindicantes Vide & *Dominicus.*

DOMINICI Johannes, vide *Johannes.*

DOMINICOPOLIS, vulgò S. DOMINGO, urbs Archiep. Hiſpaniolæ, in parre ejus Auſtr. cum portu commodo & arce munita. Extructa fuit à Chriſt. Columbo, A. C. 1494. ad oſtium fluv. *Ozama*, captaque ab Anglis, Duce Franciſco Drako, A. C. 1586, ſed mox derelicta. Sub Hiſp. Hinc Hiſpaniola à Francis & Anglis ſæpe dicitur S. Dominici Inſ. P. Martyr, *de O. N. l.* 8. *Dec.* 2. Miræus *Geogr. Eccl.*

DOMINICUM. vox Eccleſ. pro Cœna Domini, apud Cyprian. *Serm.* 1. *de Eleemoſyna.* Item pro Templo, Eccleſia, Baſilica & loco, in quem ad ſacros conventus celebrandos fideles convenire ſunt ſoliti. Græc. κυριακὸν, apud Euſeb. *in Orat. de laud. Conſtantini*: ubi B. Rhenanus annotavit, apud primos Chriſtianos *Domini* vocabulum paulo frequentius fuiſſe, quàm Chriſti, juxta morem Apoſtolicum & modum hiſtoriæ Evang. proin loca ſacra *Dominica* appellata eſſe. Hinc Germanis Epiſcopalia templa hodieque *Dom*, Belgis *Kyrik*, per ſyncopen *Kyrk* à Græco κυριακὸν: Anglis *Church.* Scotis juxta primitivum quoque *Kyrk* dicuntur: quod innuere videtur, hos prima religionis ſemina à Græcis, illos à Romanis auſpicatos. Antiochiæ nobiliſſimum templum, à Conſtantino Magno inceptum, & à Conſtantio abſolutum *Dominicum aureum* dictum eſt, apud Hieron. *in Chron.* Sed & vox forenſis *Dominicum* eſt, Gallis *Domanium*, & patrimonium Domini ſinificat. Etiam in legg. & chartis antiquis occurrit *Dominicus*, aliàs pro *Imperatorius*, aliàs pro *Regius*, appellanturque *res Dominicæ*, quæ ad Imp. ſpectant. Vide Henr. Spelman. *Gloſſar. Archæol.*

DOMINICUS, Cardin. à Clemente VII. Antipapa. in Hiſp. miſſus, ut diſſidia inter Clerum & Henr. III. Regem orta componeret, Mariana, *l.* 17. *c.* 18. & *l.* 19. *c.* 1. Item, Cardinalis Raguſinus, Gregorii XII. depoſiti defenſor. Spond. *A. C.* 1409. *n.* 19.

DOMINICUS, Carthuſ. Trevirenſis, ſcripſit varia. Poſſevin. *A. S.* Theod. Petræus *Bibl. Carth. p.* 85. Dorland. *Chron. Carthuſ. l.* 7. *c.* 2. 3. 4. Obiit A. C. 1461. Æt. 73.

S. DOMINICUS, Ordo mil. ab eodem, contra Albigenſes, inſtitutus. Inſigne eorum crux candida & nigra, liliis diſtincta.

DOMINICUS Bannes, Dominicanus, plurima ſcripſit.

DOMINICUS Baudius, Belga, inſignis Poëta.

DOMINICUS Capranica, Rom. Card. cujus merita Martin. V. agnovit, Eugenius IV. timuit, Nicol. V. amavit, ab hoc ad Alphonſum V. Caſtell. miſſus Obiit A. C, 1458. Ciaccon. *in addit.* Victorel. & Onuphr. *in Mart. V.* Platinâ, *in Calixto III. &c.*

DOMINICUS Catalufius. Lesbi Princeps, Lesbo à Mahomete occupatâ. cæſus, A. C. 1462. Leuncl. *Cuſpin.*

DOMINICUS, Floccus Andreas, Florentinus, diſcip. Chryſoloræ, ſcripſit de Magiſtratibus Rom. quod L. Feneſtellæ attribuitur. Inter præcipuos ſui ſeculi, quod erat 15. Volaterr. *l.* 21. *Comm. urb.* Blondus, *in Hetrur.* Lil. Girald. *de Poët. dial.* 4. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 19. & *l.* 3. *c.* 7. Leander. *deſcr. Ital.*

DOMINICUS Fontanus, auſpiciis Sixti V. molimine memorabili obeliſcum Romæ tranſtulit, hominum 907. equorum 75. operâ, uſus, Caſaub. *ad Spartian. in Hadr.*

DOMINICUS, Fulgoſus, primus Genuenſium Dux, electus circa *A.* C. 1327. Horn. *Orb. Imp.*

DOMINICUS de S. Geminiano, vico Tuſciæ oriundus, JC. floruit, A. C. 1440. Idem.

DOMINICUS Gimnaſius, Cardin. in Pſalmos Commentarium ſcripſit, A. C. 1527.

DOMINICUS Grenerius, Toloſanus, Ep. Apamienſis, poſtillarum in Pentateuchum, libroſque hiſtoricos auctor. Circa A. C. 1326. J. Michael Pius, *de Vir. Ill. ord. Prædicat. P.* 2. *l.* 2. Nic. Bertrand. *Comm. de geſtis Toloſ. &c.*

DOMINICUS Grimanus, Venetus, Cardinalis, & Patr. Aquilejenſis, amore erga Patrem Antonium, ob rem contra Turcas malè geſtam, à Senatu in vinculis detentum, memorabilis. P. Jovius, *elog. l.* 5. Juſtinian. *Hiſt. Ven. l.* 12. Ciacon. *in addit. Alex.* VI.

DOMINICUS Guſmannus, Calarogenſis, Hiſp. Tholoſæ, 12. An. contra Albigenſes, docuit & certavit, Inquiſitoris in Languedocia munere fungens, ibi prima Ordinis Dominicani ſeu Prædicatorum fundamenta jecit: eodem ferè tempore, quo Franciſcus Aſſiſius Ordini minorum initia dedit. His duobus mira aſcripſêre, qui Scenæ tum miniſtrabant, ut *quòd B. Virgo, volente Chriſto Orbem plectere, hos duos ei obtulerit, quibus mundum convertere poſſet.* Item, *quià Dominicus Diaboli manus ambuſſerit, lucernam, uſque ad conſumtionem, ei detinere imperans, &c.* In *Hiſt. Lomb.* Ant. Flor. *p.* 3. *l.* 23. *c.* 1. §. 38. Matt. Par. *in Henr. III.* Melch. Canus *l.* 11. *Theol.* Confirmationem Ordinis apud Innoc. III. fruſtra quæſitam, ab Honorio obtinuit, A. C. 1216. Id. Cui perſuaſit, ut Magiſtrum S. Palatii crearet, in quem S. Scripturam interpretandi; & libros ſub cenſuram vocandi onus devolveret. Ipſe primus id muneris obiit, à Paulinarum epp. explicatione orſus, deceſſit Bononiæ; A. C. 1221. Sanctis Commun. Rom. annumeratus à Gregorio IX. A. C. 1234. Theod. Podius, *in vita ejus.* Gerſon & Leand. *de Vir. Ill. Ord. Dom.* Ferdin. Caſtell. *Chr. Dominic.* &c. Primus fuit *Inquiſitor*, unde ejus imago hodieque in vexillo Inquiſitionis, de quo ſuo loco, conſpicitur. Uti vero is Waldenſium, ſic qui ex ejus famila prodiêrunt, Proteſtantium fuêre acerrimi hoſtes, Indulgentiarum propolæ M. Leydecker. *Notis & Obſervat. ad Hiſt. Eccl. Hornii p.* 282. 283.

DOMINICUS Jacobatius, Rom. Cardinalis à Leone X. creatus A. C. 1517. ſcripſit de Conciliis. Ciacconius *in Leone X.*

DOMINICUS Jeſu Maria, Franciſcanus Hiſp. tuba Pragenſis prælii, Ludovicum XIII. quoque in Reformatos concitavit. A. C. 1625. &c.

DOMINICUS Malateſta, Italus, vir clarus, nullis relictis liberis obiit.

DOMINICUS Maria, Bonon. Mathematicus inſignis, præceptor Copernici, ſec. 15.

DOMINICUS Marius Niger, Venetus, circa A. C. 1490. Geographiæ auctor, in qua Americæ nondum meminit. Impreſſa eſt Baſileæ. A. C. 1557. à W. Weiſſenburgo correcta.

DOMINICUS Maurocenus, Venetorum Dux, A. C. 1149.

DOMINICUS Michaël, Venetorum dux præclariſſimus, de quo vide Blond. *Dec.* 2. *l.* 5.

DOMINICUS de Piſis, Dominicanus, cum Hier. Savanarola, & Sylveſtro Flor. ob veritatis amorem crematus, die 23. MaI. A. C. 1498.

DOMINICUS Roverius, Cardin. Sixto IV. gratus. Obiit A. C. 1501. Ciaccon. *addit. in Sext. IV.* Ughel. *de Arch. Taur.*

DOMINICUS Sotus, Segov. Caroli V. Confeſſionarius, interfuit Conc. Tridentino, ſcripſit complura, Obiit A. C. 1560. Sixtus Sen. *Biblioth. l.* 4. Poſſevin. Simler. Alfonſus Fernandus, Bibliotheca Hiſp.

DOMINICUS Spazzarinus Joh. Patavinus, auctor hiſtoriæ Venetæ, imitator Salluſtii. Obiit A. C. 1519. Æt. 90. Scardeonius, *rerum Patavin. l.* 3. *c.* 43. *&c.*

De DOMINIS Marcus Antonius, vide *Antonius*; it. *Marcus Antonius.*

DOMINISSIMUS, in aliquot *Chartis* Hiſpaniæ, titulus Regum. Car. du Freſne *Gloſſar.*

DOMINIUM Martini, aliis *caſtrum Domni Martini*, vulgò *Dommartin.* in diœceſi Meldenſi Galliæ. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

DOMINUS, appellatio fuit, quâ Impp. olim inſigniebantur, Alex. tamen Sev. eam repudiante: quemadmodum & Auguſtæ, ſeu uxores earum, *Dominæ* dictæ ſunt, quæ quando & quam ob rem in *Domnus* & *Domna* tranſierint, vide ſuprà in *Domicellus* & *Domini*, item in voce *Domnus.* Sed & Cantabri non niſi *Dominum* agnoſcunt, ut vidimus; & *Dominus Hiberniæ* Angliæ Rex, appellari voluit, infrà voce *Ororicius.*

DOMINUS Terræ Mariſque Græcè Ο' γῆς ϗ θαλάττης δεσπότης Caracalla in vett. nummo appellatur de quo vide infrà voce *Thyatira.*

DOMINUS Vobiſcum, ſalutatio in Eccleſia Rom. Sacerdotalis, ut vocant, de qua Macri in *Hierolexico.*

DOMITIA Calvilla, Calviſii Tulli bis Conſulis vidua, mater ex Annio Vero, Marci Imp. Capitolin. in *Marco.* Eadem Lucilla dicitur, apud Spartian. *in Didio Juliano.*

DOMITIA Decidiana, ſplendidis orta natalibus, Agricolæ uxor, C. Cornelii Taciti ſocrus.

DOMITIA Lepida, minore Antoniâ genita avunculo Auguſto, Agrippinæ ſobrina prior ac Cnæi Domitii mariti ejus ſoror; ab Agrippina muliebri æmulatione, paulò ante finem Claudii, perdita. Tacit. Ann. *l.* 12. *c.* 64. *Enimverò certamen acerrimum exſtiterat, amita potius an mater apud Neronem prævaleret. Nam* Lepida *blandimentis & largitionibus juvenilem animum devinciebat; truci contra ac minaci Agrippinâ, quæ filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat. Cæterum objecta ſunt, quòd conjugem Principis devotionibus petiviſſet, quodque parùm coërcitis per Calabriam ſervorum agminibus, pacem Italiæ turbaret. Ob hæc mors indicta.*

DOMITIA Lucilla, vide hîc ſuprà.

DOMITIA Paulina, uxor Ælii Hadr. & ex eo mater Hadriani Imp. apud *Spartian.*

DOMITIÆ Horti, in reg. Urbis XIV: Victori, & Capitolino in *Pio.* ac Vopiſco *in Aureliano*, memorati: quorum is reliquias Hadriani in illis collocatas; hic Aurelian. Imp. potiſſimum ibi verſatum, tradunt.

DOMITIANA, Via, in Camp. à Via Appia, apud Caſilinum incipiens, inter Vulturnum & Puteolos, per Linternum 20. mill. paſſ. extenſa. *Cittadin.*

DOMITIANUS, Coſ. duodecies, quo & Dolabellâ collegâ natus Pius Imp. apud Capitolin. *Flavii* prænomen quidam codices tribuunt, Caſaub. & Gruter. *ad Capitolin.*

DOMITIANUS, Dux Aureoli fortiſſimus, qui originem ſe à Domitiano Imp. atque à Domitilla trahere ajebat, vicit Marcian. Tyrannum. Vide Trebell. Pollion. *in Gallien.* & *Marciano.*

DOMITIANUS, Grammatici nomen apud Romanos, ita dictus, quòd eſſet intractabilis, & valdè moroſus.

DOMITIANUS, Flavius Veſpaſ. fil. poſt fratrem Titum veneno ſubla-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſublatum, Rom. Imp. A. M. 4044. A. C. 82. nec quicquam amplius quàm muſcas captabat, ac ſtylo præacuto configebat, ut non abſurdè reſponderit Vibius Criſpus, *Ne muſcam quidem cum Cæſare eſſe.* Variùm ſe præſtitit aliquandiu, mixturâ quadam inæquabili virtutum ac vitiorum: Bonas quaſdam leges ſanxit, Bibliothecas auxit: donec virtutes quoque in vitia deflexit. Philoſophos toto imperio pepulit, ſuperbi ingenii naturam, inopiâ rapax, metu ſævus. Flav. Clem. patruelem ſuum, (cujus filios etiam parvulos ſucceſſores palam deſtinaverat) interfecit, diſcipulum Pantomimi puberem occidit, nullam aliam ob cauſam, quam quòd magiſtro formâ ſimilis eſſet. Metium Pompoſianum quod habere imperatoriam genituram ferebatur, & alias quaſdam ob cauſas levicula, necuit. Chriſtianos paſſim ſecundus à Nerone crudeliter perſecutus eſt. In exilium D. Joh. Evangeliſtam pepulit. Suet. *in Domit.* c. 6. De Cattis, *Dacique poſt varia prælia duplicem triumphum egit: de Sarmatis Lauream Capitolino Jovi retulit.* Superbus hic tandem Dominum & Deum ſe appellari coegit: nullam ſibi niſi auream & argenteam ſtatuam poni paſſus eſt, crudelis etiam conſobrinos, item nobiliſſ. ex Senatu interfecit. Per hæc terribilis cunctis & inviſus, multis vulneribus, non ſine miris prodigiis, confoditur, ſuorum, uxoris quoque conjuratione A. C. 96. Æt. 45. imperii 15. Funus ejus per veſpillones cum ingenti dedecore exportatur, & ignobiliter ſepelitur: radendum ejus nomen Senatus decernit, omniaque ejus acta reſcindit. Eutr. l. 7. Aur. Vict. *de Cæſarib.* Philoſtr. *in vita Apollon.* l. 8. Xiphilin. Petav. *Riccioliis*, &c.

DOMITIUM, opp. permunitum Germ. in Ducatu Megapolitano, ad Albim fluv. ubi Eldam amnem recipit. 1. leuc. à Danneberga, 8. ſupra Lauenburgum.

DOMITIUS, nomen illuſtris apud Rom. familiæ, quæ in Calvinos & Ænobarbos diviſa. Vide infra.

DOMITIUS, de adventu Æneæ in Italiam ſcripſit, Auctor *de orig. gentis Rom.* Item Grammaticus cogn. *Inſanus*, apud A. Gell. l. 18. c. 7. initio. Domitio *homini docto celebrique in urbe Roma Grammatico; cui cognomentum inſano factum eſt, quoniam erat natura intractabilior & moroſior.*

L. DOMITIUS Ænobarbus, rure rediens, obvios habuit duos inſigni formâ juvenes, qui ipſi juſſo victoriam Romanis annunciare barbam permulſerunt, colore nigro in rufum mutato: unde ipſi poſteriſque agnomen, & ferme barbæ color. Coſ. ſepties, bis triumphavit: Bis Cenſor fuit, Patritius inſertus. Vide & *Lucius*.

CNEUS vel GNEUS *Domitius* Ænobarbus, cujus Pater cogn. claſſi præfuit, pro Caſſio & Bruto, dein Antonium ſecutus, tandem ad Auguſtum ſe applicuit Ædilis, Coſ. Prætor, Neroni pater, L. Domitio ex Antonia majore filia Octaviæ, ſororis Auguſti & M. Antonii natus, omni parte vitæ deteſtabilis, primum occidit libertum, quòd portare quantum jubebatur, recuſarat: deinde in vir Appiæ vico, repentè puerum citatis jumentis haud ignarus obtrivi: & Romæ medio foro cuidam equiti Rom. liberius jurganti oculum eruit. Perfidiæ atque avaritiæ maximæ fuit: argentarios pre iis rerum coëmptarum, aurigarios mercede palmarum fraudavit. Majeſtatis quoque & adulteriorum, inceſtique cum ſorore Lepida ſub exceſſu Tiberii reus, mutatione temporum evaſit. Huic Tiberius Germanici filiam Agrippinam Junio Silano, Silio Nervâ Coſſ. in ſeceſſu Campaniæ coram tradidit atque in urbe nuptias celebrare juſſit. Fuit Pater Neronis Principis. Deceſſit morbo aquæ intercutis, *ſuſcepto, ex Agrippina Germanico genita, Nerone, malo ovo ex malo corvo.* Suet. *in Nerone.* Bello Germanico triumphum meruit, quod unicum in ipſo laudis argumentum. Tacit. *Ann.* l. 4. c. 75. Dio, Eutrop. Liv. *Caſſiod.*

C. DOMITIUS Ænobarbus. Trib. P. Pontificibus offenſus, jus ſacerdotes ſurrogandi ad pop. tranſtulit. Coſ. Avernates & Allobroges vicit. Suet. *in Neron.* Claud. c. 2. De illo Licinius Craſſus, habuiſſe *os ferreum, cor plumbeum.* Fil. ejus Prætor & Coſ. in pugna Pharſalica, pro Pompejo occubuit. Vide & *Cneus*.

DOMITIUS Afer, qui ſummis honoribus & multâ eloquentiâ viguit, moritur C. Vipſanio, Fontejo Coſſ.

DOMITIUS Afer Nemauſenſis, Tiberio Cæſare regnante cœpit inclareſcere. Sub Cajo reus præter ſpem abſolutus eſt, quod illi accuſanti nihil reſpondiſſet, dicens ſe Cajum oratorem magis, quàm Cæſarem expaveſcere. Unde non modò judicio liberatus, ſed & Coſ. renunciatus eſt. Auctor Dio. Scripſit de Teſtibus libb. 2. Fab. l. 4. c. 7. Sunt & urbanè dictorum ab eodem editi libri, Fab. l. 6. c. 4. Mortuus eſt in cœna, ex cibi redundantia, ſub Nerone, teſte Euſeb. Quintil. l. 5. confitetur, ſenem Domitium ſibi adoleſcentulo cultum, ſed priore authoritate multùm imminutâ, Sueton. & Dion. *in Calig.* Hieron. *in Chron.* Euſeb. A. C. 46. Tacit. *Ann.* l. 4. c. 52. Vignerius, A. C. 44. *Nic. Lloyd.*

DOMITIUS Balbus; Prætorius, longa ſenectute, ſimul orbitate ac pecuniâ illexit Valerium Fabianum ad ſubdendum teſtamentum. Tacit. *Ann.* l. 14. c. 40.

DOMITIUS Cæcilianus, ex intimis Thraſeæ amicis, qui ei quid Senatus cenſuiſſet expoſuit. Tac. *Ann.* l. 16. c. 34.

DOMITIUS Caliſtratus, Hiſtoriæ Heracleoticæ auctor.

C. DOMITIUS Calvinus, primus Coſ. cum C. Coſſo Arvina, A. U. C. 422. ſub quo Romani, cum Alexandro Epiri Rege pacem iniere. Liv. l. 8. c. 17. Caſſiod. *in Chron.* Item, Coſ. cum P. Corn. Dolabella, A. U. C. 471. cùm Tuſci Bojis juncti cæſi ſunt. Item, Coſ. cum Val. Meſſalla, A. U. C. 701. & cum Aſinio Poll. A. U. C. 714. Vide & *Cneus*.

DOMITIUS, Calvinus, vide *Sextus*.

DOMITIUS Calvus, vide *Cneus*.

DOMITIUS Claudius, vide *Claudius*.

DOMITIUS Corbulo, litteris armiſque inclytus, ſub Caligula, à quo, licet epigrammate ejus offenſo, Coſ. factus eſt: Claudio, à quo in Belgium miſſus, ne otio torperet miles, *Foſſam Corbulonis* duxit, inter Moſ. & Rhen. nunc loca Witek & Crimpen, & Nerone ſub quo contra Parthos pugnavit, Armeniæ Procoſ. hujus invidiâ ſublatus. Scripta ejus amiſſa. Tac. *Ann.* l. 3. c. 31. l. XI. c. 18. l. 13. c. 35. l. 14. c. 26. l. 15. c. 3, 5, 6, 9, 13, 17, 25, 28, 30. *Hiſt.* l. 2. c. 76. Plin. l. 2. c. 70. l. 5. c. 24. l. 6. c. 8. l. 7. c. 5. Dio. l. 60. Xiphilin. &c. Vide *Corbulo*.

DOMITIUS Deus, apud antiquos colebatur, ut eſſet in domo nova nupta. Fuit itaque in numero Deorum conjugalium, invocabatur olim, ut nova nupta domi maneret: quemadmodum *Domiduco* vota fiebant, cùm domum deduceretur. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom.* l. 5. c. 37.

DOMITIUS Dexter Coſ. cum Meſſala Priſco, A. C. 196. Præfectus Romæ; ſub Severo Imp. Spartian. *in hujus vita*, c. 8.

DOMITIUS Labeo, JC. famoſus, ſub Hadriano. Rutilius, *in vita celebr. Juriſconſ.* p. 60.

DOMITIUS, prænomine *Lucius*, cujus Pater bello civili maris potens erat, donec Antonii partibus, mox Cæſaris miſceretur. Avus Pharſalicâ acie pro optimatibus ceciderat. Ipſe electus, cui major Antonia Octavia genita in matrimonium daretur. Poſt exercitu flumen Albim tranſcendit, longius penetratâ Germaniâ, quam quiſquam priorum; eaſque ob res inſignia triumphi adeptus eſt. Mortuus eſt Cornelio Coſſo, Aſinio Agrippa Coſſ.

DOMITIUS Marſus, Poëta Lat. Horatii *συγχρονος*. Scripſit de Amazonibus, & narrationes fabuloſas. Ejus 4. in mortem Tibulli verſus ſuperſunt.

Tu quoque Virgilio comitem non æqua Tibullo, &c.

Vide Ovid. *de Ponto* l. IV. *Eleg.* 16. v. 5.

Cum foret & Marſus Magnique Rabirius oris,
Iliacuſque Macer ſidereuſque Pedo.

A. Martiali, Perſio poſtpoſitus. Vide infrà.

DOMITIUS Marſus poëta, ſcriptor Epigrammatum. Idem compoſuit bellum Herculis contra Amazones, Et de urbanitate. Vide ſupra, & Voſſ. *de Hiſt. Lat.* l. 1. c. 16

DOMITIUS Nero Imp. Romanus, vide *Nero*.

DOMITIUS Sabinus, Primipilaris è cohortibus Prætoriis. Tac. *Hiſt.* l. 1. c. 31.

DOMITIUS Statius, vide *Statius*.

DOMITIUS Ulpianus, Juriſperitus, Alexandro Imp. à conſiliis, A. U. C. 976. Papiniani diſcip. fuit. Vide *Ulpianus*.

DOMNA, Severi Imp. uxor Martia, ſic dicta ab Oppiano *Cyneg.* 1. Vide illic Rittershuſ. *Nic. Lloyd.* Nempe.

DOMNA: ſeu DOMINA, Auguſtarum appellatio, de qua vide in voce *Domnus*. Hinc & apud Gregor. Turonenſ. legas, *Domnæ Brunechildis*: cujus vocis reliquiæ apud Italos ſuperſunt in nomine *Donna*. Fuit vero & nomen proprium, uxoris Severi Imp. cujus meminit Oppian. præf. *Cyneget.* l. 1.

Τὸν μεγάλη μεγάλῳ φυτεύσατο Δόμνα Σεβήρῳ.
Quem magna è magno procreavit Domna Severo.

Ubi Rhittershuſ. vocem *Domna* appellativam eſſe contendit, ſed conſtat ex nummis Græcis ac Latinis, in loco Oppiani *Δόμναν* proprium eſſe nomen Imperatricis. In iis enim hæc inſcriptio, ΙΟΥΛΙΑ ΔΟΜΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ: in his, JULIA DOMNA AUG. Faber *Notis in Phædr.* l. 2. *fab.* 4. Verum & Salmaſ. potius cognomen videtur, ut & Δόμνος, quæ ambo eâ tempeſtate non ſolùm apud Latinos, ſed Græcos quoque, Syros & Ægyptios, multo in uſu fuêre. Etiam prius de Magnatum uxoribus & Sanctimonialibus, uti ex Salviano *de Gubern.* l. 7. & Ugutione docet Car. du Freſne, & poſterius de Viris ſanctitatis opinione claris, ut mox dicemus. Vide Salmaſ. *ad Spartian. in Sev.* uti, de Severi uxore præfata, infrà quoque aliquid, lemmata *Veſta nova*.

DOMNÆDIUS & DOMNIDIUS, vide ſuprà *Domini ædius*.

DOMNIM, quæ & *Phesdommin* & *Aphesdommin*, in tribu Juda, 1. Samuel c. 17. v. 1. 1. Paral. c. 11. v. 13. Hieron. *in Loc. Hebr. literâ A.*

DOMNIO, Vide *Domnus*.

DOMNIZUS, Scripſit Comitiſſæ Mathildis vitam verſibus. Sub Henr. IV. & Henr. V. Impp.

DOMNULUS, Afer, ſcriptis clarus. Auctor *vitæ S. Hilarii Arelat.* Sidon. Apoll. l. 9. ep. 13. 15. &c. & l. 4. ep. ult.

DOMNUS, ſeu DOMINUS, appellatio ſacra, Deo & Chriſto propria, Tertull. *in Apolog.* c. 34. qui proin Auguſtum laudat, quod *ne Dominum quidem ſe dici volebat*, quem & alii Impp. pagani ſequuti ſunt. Sed eo inſolentiæ proceſſit Domitianus, ut *non Dominus ſolum, verum & Deus appellari* vellet. Suet. *in vita ejus* c. 13. More dein per viciſſitudines fluctuante, à Chriſtianis etiam Impp. admiſſus & inter titulos, *Dominus*, ſed media vocali *i* exemptâ, cujus priſci uſus hodieque manent veſtigia, in ſemivocabulis *Cyr*, vulgò *Syr*, à Gr. Κύριος, pro Κύριος, apud Gallos & Anglos: *Don* & *Dom*, à Lat. *Dominus*, apud Italos & Hiſpanos. Vide Spelman. Inprimis Eccleſiaſticâ dignitate aliquâ aut vitæ ſanctimoniâ inſignibus, id nominis tributum legimus. De Epiſcopis paſſim Gregorius M. Paulinus, Ennodius, Alii. Pontificibus præcipuè Rom. vindicat Onuphr. Inde ad Abbates, & Monachos tranſiit hodieque Benedictinis, Carthuſienſibus, Cluniacenſibus Monachis in uſu eſt. Sed & Franciæ Reges peculiariter, *Domnos* appellatos eſſe, auctor eſt Landulfus Sagax & Rabanus Maurus ad Othgarium &c. Diſcrimen verò inter *Dominum* & *Domnum*, Franci vett. quoque obſervaſſe videntur, cum ſolum Deum *Dames*, quoſvis verò alios, in dignitate conſtitutos, voce *Dam* ſalutare ſolitos, tradit Car. du Freſne in *Gloſ.*

DOMNUS I. fil. Mauritii, Papa, poſt A Deo datum A. C. 676. Sub illo trimeſtris Cometa, triennalis ſiccitatis, ut & peſtis horribilis, nuntius, Obiit A. C. 678. Anaſtaſ. *in Domno*. Beda *Hiſt.* l. 4. c. 12. Platina & Onuphr. *in ejus vita*, &c. Eum excepit *Agatho*.

DOMNUS II. poſt Joh. XIII. A. C. 972. Iidem, ut & Volaterr. Anth. l. 22. Naucl. t. 2. *Chr. gen.* 31. Obiit 3. menſe, poſt electionem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Illi ſucceſſit Benedictus VI. Vide & *Donus.*

DOMNUS I. Demetriani Ep. fil. damnato, ejecto, & excommunicato Paulo Samoſateno, Antiochiæ Eccleſiæ præfectus eſt. Euſeb. *l.* 7. *c.* 23. & 26. Obiit A. C. 275. quinto ſedis Anno.

DOMNUS II. poſt avunculum Joh. A. C. 436. Depoſitus, ſurrogato Maximo. Cyrill. *in vita Eutymi.* Liberatus, *Brev. c.* 12. Evagr. *l.* 1. *c.* 10. Acta Conc. Chalc. *Seſſ. l.* 2. *&* 9. &c.

DOMNUS III. poſt Ephremum, A. C. 546. Interfuit Synodo Conſtantinop. 3. Sedit An. 14. *Baron.*

DOMOCUS & DEMONICUS, DOMOCHI, urbs Theſſaliæ, Lormiæ urbi finitima & Pharſalo.

DOMODOSCELLA, opp. Lombardiæ Tranſpad.

DOMUM, referendi defunctorum peregrè Regum cadavera, Lacedæmoniorum mos vet. occurrit apud C. Nep. *in Ageſilao c. ult. Ibi cum amici, qui Spartam facilius perferre poſſent, quòd mel non habebant cerâ circumfuderunt, atque ita domum retulerunt.* Nec mos ſolùm, ſed & lex fuit quâ adſtricti Lacones domum Reges ſuos, etiam mortuos, domum reducere cogebantur, cæteros duces non item. Vide Hadr. Turneb. *Adverſ. l,* 26. *c.* 33.

DOMUS, ſeu Ædificium, primùm hominibus, ut ſe tutarentur adversùs Solis ardores & tempeſtatum injurias, vel ſpelunca erat vel tectum è frondibus. Ingenioſiores dein furcas erexêre, virgultoque interſerto & luto inducto, parietes ſtruxêre. Poſtea non neceſſitati ſolùm, ſed etiam commoditati conſultum: Tandem in rerum affluentia, ſummoque otio, etiam voluptati & elegantiæ eſt inſervitum. Ac primò in templis & ædificiis publicis, mox in privatis etiam receſſum à priſca frugalitate, eoque tandem deventum, ut quiſque ſe tantò majorem viſum iri crederet, quantò magnificentius habitaret. Ædificium primùm ex luto fuit, quod inveniſſe dicitur teſte Plin. *l.* 7. *c.* 56. *Gellio, Doxius Cœli fil. lutei ædificii inventor placet, exemplo ſumpto ab Hirundinum nidis.* Poſtea partim utilitas, partim luxus plurimùm excitavit ingenia, ut Architectonicem magis magiſque excolerent, nonnulli etiam hac de Arte commentarios poſteris relinquerent. Quales è Græcis Agatharchus, Democritus, Anaxagoras, Cteſiphon, Metagenes, Ictinus, Carpion, Philo, Hermogenes, Argelius, Satyrus, alii: è Latinis Fuffitius, Varro, P. Septimius, Cornelius Celſus, &c. Quorum hodie vix quidquam ad nos pervenit, præter libros 10. Vitruvii *de Architectonica.* Vide Joh. Gerh. Voſſ. *de Philoſ. c.* 15. Et quidem *Domus ſeu ædes Tullianæ,* conſtitêre ſeſtertio tricies quinque, ut ipſe refert *l.* 5. *famil. Ep.* 6. i. e. ſcutatum octoginta ſeptem millia quingentis, ſecundùm calculum Gronovii: quas ut emeret, vicies mutuum ſumpſiſſe, teſtatur A. Gell. Has tamen ſuperavit Antroniana domus Meſſallæ Coſ. cujus item Cic. meminit *l.* 1. *ad Attic. Ep.* 13. quæ empta fuit ſcutatum 92. millibus & quingentis. Imò & M. Cœlius adoleſcens equeſtris, fil familiâs, patre ſi non parco, at qui multis parùm ſplendidus videbatur, habitavit, poſtquam ab eo ſemigrarat, *decem millibus,* h. e. conductum habuit ex ædiculis inſulæ P. Clodii & tantùm non pauperis cellam annuis 250. Philippeis ſive ſcutatis, ut quidem adfirmat ipſe Cic. nam adverſarii criminabantur *trigınta millibus,* i. e. 750. ſcutatis. His addatur, quod meritò ſtupeas, ex Plin. *l.* 36. *c.* 15. *P. Clodius quem Milo occidit, ſeſtertium centies & quadragies octies domo, empta habitaverit* i. e. trecentis ſeptuaginta millibus ſcutatorum emptos lares incoluiſſe. Vide Frid. Gronov. *de Pec. vet. l.* 3. *c.* 16. plura verò hanc in rem, ſuprà in voce *Ædes infrà habitatio.* &c. Addam quædam, de *Domos obſignandi, luſtrandi* ſeu *purgandi, coronandique* more, apud Vett. recepto. Et quidem *Domos* quoque olim annulis legimus obſignatas. In Elide certè obſignatam fuiſſe illam domum, in qua tres vacui lebetes Dionyſio collocabantur, qui paulo pòſt ſigillo, quod integrum manſerat, revulſo, ab ingreſſis vino pleni reperti ſint, tradit Ariſtot. *miracul. Audit.* ubi verba Latinè ſic habent: *In Elide ædificium eſt, ut ferunt, ſtadiis diſtans octo ab urbe, in quo collocantur tres Dionyſio lebetes vacui, vocatiſque peregrinis, quibus ſcrutari hæc libeat, januarum clauſtra ſigillis obſignant, quæ deinde reſerant. Porro lebetes vino plenos cernunt, pavimento & parietibus omnibus integris & illaſis, ut artis ſuſpicio doloſæ facilè abeſſe videatur.* Vide ſuprà in voce *Annulus,* & infrà *Thya.* Ipſæ porrò *Domus,* quoties fiebat res ſacra, luſtrabantur ſulphure ſale mixto, & coronabantur virenti lauro, uti docent verba Tiraeſiæ alloquentis Alcumenam, apud Theocrit. Εἰδ. κδ'.

------ Καθαρῷ ἢ πυρώσατε δῶμα θεείῳ
Πρᾶτον, ἔπειτα δ' ἅλεσσι μεμιγμένον (ὡς νενόμισται)
Θαλλῷ ἐπιῤῥαίνειν ἐστεμμένον ἀβλαβὲς ὕδωρ.

------ *Puro autem luſtrate domum ſulphure*
Primùm, deinde ſale mixtam (ut conſuetum eſt)
Ramoque virenti coronatam aſpergite purâ aquâ &c.

Vide quoque Plin. *l.* 5. *c.* 5. *Domos ſale montibus ſuis exciſo, ſeu lapide conſtruunt.* Idem *l.* 7. *c.* 56. *Laterarias, ac domos conſtituêrunt primi Euryalus & Hyperbius fratres Athenis: antea ſpecus erant pro domibus.* Ære verò alieno obſtrictæ, à Creditoribus ὅροις apud Athenienſes ſignabantur, ut dicemus infrà in voce *Tabula.* At cùm inhabitatores in patriam peccaſſent, ipſæ cum iis *Domus* apud Romanos olim ſunt ſubverſæ. Sic *interemto Manlio,* qui fortiter defenſam libertatem nefariè opprimere conatus fuerat, *domum ſuperjecit S. P. Q. R. ut penatium quoque ſtrage puniretur. M. quoque Flacci & L. Saturnini ſeditioſiſſimorum civium corporibus trucidatis, penates ab imis fundis eruti ſunt,* apud Val. Max. *l.* 6. *Exempl.* 16. Quam hodieque ſeveritatem in Majeſtatis reos exerceri notum. Imò moris veſtigia in Sacris jam reperiri, videbimus infrà in voce *Tignum* &c. Nec omittendi *Domuum Genii* Auſon. *Tectorum Domuumque cuſtodes,* Arnob.; θεοὶ καλιδιοι Philoxeno, οἱ κατ' οἰκίαν Ἥρωες, Dionyſ. Halic. *l.* 4. memorati, Lares viz. qui proin pellibus caninis velati ſtabant, adſtante iis cane, animali φυλακτικῷ, atque ita ſtatuti *Præſtites* dicebantur, q. προεστῶτες, ut Plutarch. docet. Eorum meminit vet. *Inſcr.*

LARIBUS
PRO SALUTE ET INCOLUMITATE DOMUS
Q. SERTORII.

apud Ger. Elmenhorſt. *Obſervationibus ad Arnob. l.* 3. *ſub fin.* adde *Animadverſ. Deſid.* Heraldi, & quæ hîc paſſim de *Geniis Laribuſque,* it. lemmate, *Iſidii Dii,* & voce *Vicus.* Sed & de Aulis Impp. vox apud Auctores Latinos in frequenti uſu. Unde Phæd. *l.* 5. *fab.* 7.

Superbiens honorem vidit divinæ domus.

Ubi notat Laurent. *Divinæ domus, i. e. Auguſtæ, Imperatoriæ, Principalis:* ex Ulpian. *l.* 12. *ff.* ad SC. *Turpil. Quæ domus æternabilis dicta.* in *l.* 5. *de loc. fund. jur. emp.* in Cod. *Theodoſ. Domus Auguſta:* alibi *Dominica, Regia* &c. De Familia item. Ovid. de Philemone & Bauci, *l.* 8. *Metam. v.* 639.

Tota Domus *duo ſunt* ----.

hodieque apud Germanos, de Principum Regumque familiis. Unde *Domigenæ,* familiares, in *Hiſt.* præcipuè Normannica &c. Plura vocis ſignificata paſſim apud Barth. *ad Stat.* Nec hoc tamen omittendum, quòd Δόμος Græcis ipſe Ναὸς, *Templum,* ſeu ædes ſacra dicitur. *Dionyſ.*

----- ἱερὸν δόμον εἴσατο Βήλῳ.

Unde πρόδομος, tum in Procerum & Principum privatis ædibus, tum in ſacris; & ὀπισθόδομος; quorum ille in fronte, iſte in poſtico ædium erat, uti docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 1216. & *ſeqq.* De antiquiſſima verò & primigenia vocis notione, dicemus infrà, in voce *Oecus.*

DON, fluv. à quo *Dodonam* aliqui dictam volunt *Steph.*

DONA & DONUM, Græcis ἅγιον Δῶρον, ſeu τὰ ἅγια Δῶρα, item τὸ Δῶρον, *Donum,* apud Cyrill. Alexandr. *c. Antropomorph. c.* 12. dicitur Corpus Chriſti, cujus in S. Euchariſtia participes redduntur fideles. In *Liturgia* S. Chriſoſt. tributa, Sacerdos ait. Ἀξίωσον προσενεχθῆναί σοι ὑπ' ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ καὶ ἀναξίου δούλου σου τὰ Δῶρα ταῦτα & mox vocem hanc explanans, ſubjungit, Σὺ γὰρ εἶ ὁ προσφέρων καὶ ὁ προσφερόμενος, *Tu enim idem es qui offers & qui offerris.* Hildebert. Cenoman. *Carm. de Myſterio Miſſæ.*,

Interea veniens in ſacra veſte Sacerdos,
Altaris dextram, Dona daturus adit,

Vide infrà in voce *Munus,* item *oblatio.* Apud Scriptores Francicos, *Dona Annua* ſeu *Regia,* dicuntur, quæ quotannis Regibus à ſubditis in Campo Martio, de quo ſuprà, offerebantur, aut in Conventu Generali, *causâ ſuæ defenſionis ac Reipublicæ,* ut inquit Hincmarus *in Quaternione p.* 406. apud Cellot. quibus ne quidem Monaſteria eximebantur, ut eſt in Synodo Vernenſi A. C. 755. Vide Oderic. Vital. *l.* 4. *p.* 523. & ſuprà *Data.* Sed & *Dona* appellabantur munera, quibus ſeſe invicem proſequebantur Principes, aut cùm Legatos mitterent, aut cùm ſeſe inviſerent; quod jam olim obtinuiſſe, & etiamnum obtinere, apud Turcicos Sultanos, docet Car. du Freſne *ad Alexiad. p.* 286. Ut alias ſignificationes vocis omittam, de quibus idem videatur in *Gloſſario.* Plutarch. de *Donis,* & quidem de iis, quæ Numini offerre mos, vide infrà in voce *Donaria*; de iis; quæ Principibus infra, ubi de muneribus: quæ benemeritis, ſupra in hæc voce: quæ Militibus Victoribuſque, ſimiliter ſuo loco: quæ Neogamis, infrà ubi de Vett. *Nuptiis.* quæ à Parentibus luſtricis in Baptiſmo, Filiolis ſuis, itidem in hac voce quæ à Pontifice, maximè cùm inaugurantur, diſtribui ſolita, voce *Presbyterium* &c. Addam hîc ſaltem Plin. locum *l.* 18. *c.* 3. *Dona ampliſſima Impp. ac fortium civium,* (apud vett. Romanos) *quam tum quis uno die plurimum circumaraviſſet. Item, quartarii farris, aut heminæ, conferente populo— Quin & in ſacris nihil religioſius confarrationis vinculo erat:*)&c. Vide & in voce *Præſens.* Quia verò Senatores Romani eo tempore, quo vetiti erant creditæ pecuniæ uſuras exigere, *Domi* ſeu muneris nomine aliquid à debitoribus accipiebant, ſuſtulit illud Alexand. Sev. apud Lamprid. uti dicemus infrà ubi de *Uſura.*

DONACESA, Phthiotidis mons. Plin. *l.* 4. *c.* 8.

DONALDUS I. Rex Scotiæ, poſt fratrem Satraëlem *ſec.* 3. Primus Chriſtianam fidem Scotiæ Rex amplexus, Obiit A. C. 216. *Dempſter.*

DONALDUS II. ſucceſſit fratri Findocho, occiſo ab Hebridum Domino, ab eodem victus.

DONALDUS III. uſurpator Regni ſævus, paulo pòſt, à Cratintho, Findochi fil. ſublatus, A. C. 277.

DONALDUS IV. poſt pacificum An. 15. Regnum, dum piſcaretur, merſus, A. C. 647. Succeſſit ei Fergulıardus, fil. prædeceſſoris ſui.

DONALDUS V. fatrem Kennetum excepit, ignavus & mollis, bello contra Britones Saxoneſque infelix. Hinc à ſubditis in vincula conjectus, ſibi necem attulit, A. C. 860. Regni 5.

DONALDUS VI. fil. Conſtantini II. ſeditionibus, pacatis, obiit A. C. 903. Regni 12.

DONALDUS VII. poſt Malcolmum fratrem, pulſus, receptuſque, obiit in vinculis, A. C. 1103. Leſlæus, Boëthius, Dempſter, Buchan. Belleforeſt. *Hiſt. Scot. Epit. & Geneal. Reg. Scot.*

DONARIA, propriè loca ſunt, in quibus dona reponebantur Deorum, abuſivè templa, ut loquitur Serv. *ad illum v. Virg. Georg. l.* 3. *v.* 533.

Imparibus ductos alta ad donaria currus.

Poſtea nomine hoc accipi cœpêre ipſa dona, quæ Diis dicata & conſecrata ex tholis, parietibus aut columnis ſuſpendebantur. Ita Macrob. *Sat. l.* 3. *Ornamenta verò ſunt clypei, coronæ, atque hujuſmodi donaria.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

donaria. Hæc ritè per Pontificem conſecrabantur more Majorum: & quia poſtmodum Principes Pontificum nomen aſſumpſêre, teſte Dione *l.* 43. inde illud quoque jus uſurparunt *l.* 6. *D. A. R. D. leg.* 8. *de Relig. & ſumptu fun. l. ult. ut in poſſeſſ. Legat.* niſi hoc ita intelligendum, ut Principum auctoritate Pontifices conſecrarent. Sicut olim per legem Papyriam non licebat rem ullam, ſine injuſſu populi, conſecrare, ut teſtatur Cic. *pro Domo.* Vide autem de ritu veteri conſecrandi, Alexandr. ab Alex. *Genial. Dier. l.* 6. *c.* 14. & Connanum *l.* 3. *Comm.* 1. Theophil. hæc donaria vocat Δῶρα, Græci generali nomine Ἀναθήματα: qualia apud Græcos *tripodes Delphici, & coronæ aureæ, aliaque multa ac pretioſa munera, pro actione gratiarum: ob recuperatam ſalutem*, Phalar. *ep.* 84. De iis Lucan. *l.* 9. *v.* 515.

Non illic Libycæ poſuerunt ditia gentes
Templa: nec Eois ſplendent donaria gemmis.

Mart. Capella *de Nuptiis Mercurii l.* 1. *Prænitens ſpeculum, quòd inter donaria ejus adytis. Sophiæ defixerat, quo ſe renoſcens etiam vellet originem inquirere* &c. Eadem & *Dona* Latinis. Stat. *Achilleid. l.* 1. *v.* 424.

----- ----- ----- *Flammiſque liqueſcunt*
Dona Deum:

Erant hæc velut argumenta caſuum præteritorum. Nam emeriti milites ſua arma: qui naufragium evaſiſſent, veſtes in tabella depictas Diis, Iſidi vel Neptuno, dedicare ſolebant. Horat. *l.* 1. *od.* 5. *v.* 13. & *ſeqq.*

------ *me tabula ſacer,*
Votiva paries indicat uvida
Suſpendiſſe potenti
In Veſtimenta maris Deo.

Virgil. *Æneid. l.* 6. *v.* 32.

Bis conatus erat caſus effingere in auro,

Gladiatores, arma Herculi appendebant. Similiter Duces defuncti arma Diis, quos coluiſſent, ſuffigenda relinquebant: Parthenius moriturus, apud Papin. *Stat. Theb. l.* 9, *ſub finem.*

Hæc autem primis arma, infelicia caſtris,
Ure, vel ingratæ munus ſuſpende Dianæ.

Et reduces ab expeditione Ovid. *Ep.* 13. *v.* 50. *Laodamia, Proteſilao.*

Et ſua det reduci vir meus arma Jovi.

Inſcribebantur verò donariis iſtis tituli ac elogia, ut patet ex Stat. *l.* 5. *Sylv.* 3. *v.* 147.

Belligeris hæc dona Deis, hæc tela dicavit.
Cernis adhuc titulos; &c.

Sed & Servi & captivi, in libertatem aſſerti, catenam Laribus offerebant. Horat. *l.* 1. *Serm. Sat.* 5. de Sarmento diu ſervo,

------ ------ *donaſſet jamne catenam*
Ex voto Laribus, quærebat. ------

Qui porrò à morbo convaluêre, membrum, quo laborarunt, ex argento vel auro, unà cum remedio, cujus ope ſanitati reſtituti ſunt, publicè Diis ſuſpendêre: quam ob cauſam longè celebrius, quam ob ſtructuræ magnificentiam, Templum Epheſinum fuit; è quo, antequam in artis regulas Medicina ab Hippocrate redigeretur, morbis remedia petere hoc pacto illius ævi homines ſolebant. Tibull. *l.* 1. *Eleg.* 3. *v.* 27.

Nunc Dea; nunc ſuccurre mihi: nam poſſe mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Suffigebant nempe hæc omnia tum tholis, ut modò dictum, tum parietibus & columnis Templorum, tum arboribus conſecratis, ut hîc paſſim videre eſt, inprimis in voce *Tholus.* De arboribus loquitur Arnob. *quoque adverſus gentes l.* 1. *picturatas in conſecratis arboribus tænias ſi fortè conſpexeram,* & quæ ſeqq. Ubi Herald. *arbores,* inquit, *dicit, in quibus ſpolia ſuſpenſa erant & Diis conſecrata. Nam in ipſis donariis & anathemati tæniæ & aliquid inibi depictum:* additque locum Plutarch. *in Timoleonte,* & alia de hujuſmodi arboribus nonnulla. Triumviros *Donis præſignandis* apud Romanos, habes infrà. Gentilium æmulos Chriſtianos, quinto poſt Chriſtum ſeculo, ſimiliter cœpiſſe *Donaria* in templis appendere, imaginem habentia partium, quæ aliquo morbo afflictæ convaluêrunt, diſcimus ex Theodoret. *in l.* 8. *Therapeutic.* cujus verba Latinè ſic habent: *Quod verò votorum compotes fiunt, qui fideliter promittunt, palàm teſtantur eorum ἀναθήματα τὴν ἰατρείαν δηλοῦντα, donaria curationem indicantia. Alii enim oculorum, alii pedum alii manuum effigies offerunt ex auro vel argento confectas.* Vide Sam. Bochart. *Hierozoici Parte prior. l.* 2. *c.* 36. ubi de *murium & mariſcarum imaginibus,* ex ſolido auro, à Philiſtæis, Deo Iſraëlis, *oblatis,* prolixè agit: plura verò hanc in rem, apud Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. l.* 2. *c.* 2. ut & aliquid infrà in voce *Muſach,* item *Theſaurus Corinthiorum, Vitis aurea, & Votivæ tabulæ.* Addam ſaltem, ex Phædro, *Munera* quoque dicta fuiſſe hæc dona. Ita enim ille *l.* 4. *fab.* 10.

Lucernam fur accendit ex ara Jovis,
Ipſumque compilavit ad lumen ſuum.
Onuſtus qui ſacrilegio quum diſcederet;
Repente vocem ſancta miſit Religio:
Malorum quamvis iſta fuerint munera,
Mihique inviſa &c.

In quæ verba Schefferus: *Munera,* inquit, *vocat donaria, quæ vulgo dari Diis & in templis eorum ſuſpendi ſolebant. Dona templorum dixit Tac. Ann. l.* 5. *c.* 6. *&c.* De *Donariis* Mahometanorum Principum, dicemus infrà in voce *Muſlimi.* De *Donariis,* ſpargi apud Romanos ſolitis, in Ludis publicis, vide hîc paſſim inprimis infrà in voce *Miſſilia.*

DONATI, in quibuſdam provinciis nothi ac ſpurii dicti ſunt. Sic Humbertus Delphinus, Amadeum *donatum* ſuum, ad ordinem Militarem promoviſſe ſe ait in *Charta* A. C. 1351. apud Duchenium *in Delphinis Vienn.* In Eccleſia verò Rom. ſic Laici dicuntur, qui ſe & bona ſua Monaſteriis offerebant. His, ut eſt in *Præceptis Synodal.* Petri de Collemedio Archiep. Rotom. A. C. 1245. *Jubentur, ut aliquod ſignum in eminenti loco portent & religioni congruentia indumenta, ut per hoc diſtinguantur ab aliis* &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & infrà in voce *Oblati,* it. *Redditi.*

DONATICA Haſta, eadem cum *haſta pura,* quæ ſic dicebatur, quòd ſine ferro eſſet, alio nomine *graminea,* quemadmodum exponit Turneb. *l. Adverſ.* 29. *c.* 21. donari ſolebat apud Romanos, viris fortibus, in rei præclarè geſtæ præmium. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 26. Sic Feſto *Donaticæ coronæ dictæ ſunt, quòd his Victores in ludis donabantur; quæ poſtea magnificentiæ cauſa inſtitutæ ſunt ſuper modum aptum capitibus, quali amplitudine ſunt, cum Lares coronantur.* Et quidem hæ tanti æſtimabantur, ut ille cœtera frugi Hippolytus cogatur fateri, ſe in Græcanicis certaminibus primum eſſe cupere, quamvis in civitate non recuſet ſecundum locum, apud Eurip. *in Hippol. Act.* 4. Ajax verò ad patrem Telamonem, ſine iſtiuſmodi corona, non auſus fuerit redire, apud Sophocl. *in Ajace Flagell.* Qua de re vide Car. Paſchal. *Coron. l.* 5. *c.* 7. uti de *Donaticis Ludis* infrà.

DONATIONES Scenicæ, olim in auro fiebant, accipiebantque Hiſtriones, præter mercedem Lege definitam aut pacto convento, loco antiquarum coronarum ſcenicarum, quæ viles admodum erant, coronas ex auro, item argento, uti quidem Caſaub. monet *ad Lamprid. in Alex. Sev. Scenicis nunquam aurum, nunquam argentum, vix pecuniam donavit.* Sed *auri* nomine *aureos* intelligit hic Salmaſ. ex Spart. in *Marci vita, Temperavit etiam ſcenicas donationes, jubens ut quinos aureos Scenici acciperent: ita tamen, ut nullus Editor decem aureos egrederetur.* Quâ Marci lege *donationes* Editorum circumſcriptæ ſunt. Sed & jam olim Cato Utic. quum Favonii curaret ludos, hanc luxuriam exemplo ſuo corrigere eſt conatus: Dans iis, ut Plutarch. habet, δῶρα ἀντὶ τῶν πολυτελῶν, τοῖς μὲν Ἕλλησι τεῦτλα καὶ θρίδακας καὶ ῥαφανίδας καὶ ἀπίους· τοῖς δὲ Ῥωμαίοις οἴνου κεράμια καὶ κρέα ὕεια καὶ σῦκα καὶ σικύους, καὶ ξύλων ἀγκαλίδας, ὥστε τὴν εὐτέλειαν οἱ μὲν ἐγέλων, οἱ δὲ ἥδοντο. Vide Deſid. Herald. *Animadverſ. ad iſta Arnob. l.* 4. *Exoletis atque irriſoribus Numinum dona inſtituuntur & munera, ab officiis otium publicis, immunitas & vacatio cum coronis.* Impp. verò ſolebant in Theatro Scenicis placentibus *donare.* Suet. *de Galba, c.* 12. *Cano autem choraulæ mire placenti, denarios quinque donaſſe, prolatos manu ſua è peculiaribus loculis ſuis. in* Claud. *c.* 54. *proditurum ſe partæ victoriæ ludis, etiam hydraulam, & choraulam, & auricularium &c.* At Alexand. *l. cit.* ne argenteos quidem vel denarios Hiſtrionibus donabat, ſed æreos (qui nomine *pecuniæ* hic intelligendi) idque raró. Ratio, *ne in delectationes ſuas & ſuorum converteret, quod Provinciales dediſſent:* aurum autem & argentum inferebant. Vide Salmaſ. *ad Lamprid.*

DONATISTÆ, Donati ſectatores, ex ſchiſmaticis hæretici. Vide *Donatus.* Præterea, negabant in Eccleſia bonos reperiri, ſeductos rebaptizabant, Sacramenta conculcabant, in clerum & vaſa ſacra crudeles. Diviſi in Circumcelliones, Montanos, &c. Vandalis juncti, fideles affligebant: Ab Auguſtino, poſtquam publicis Synodis non ſemel damnati eſſent, convicti, egregiis ejus ſcriptis, Aug. *hær.* 69. *ep.* 48. *ad Vinc. Rogat. l. de Bapt. c. Donat. l. c. litt. Petil. ep.* 18. Optat. *l.* 1. 2. *& ſeqq.* Hieronym. *de ſcr. Eccl. & Chron. A. C.* 331. 360. Quinam illis hodie ſimiles, hinc facilè liquet: Refugiebant Donatiſtæ S. Scripturas, *ut latro crucem,* ſic loquente Auguſt. *Ep.* 165. moratoriis tergiverſationibus in colloquiis tempus extrahebant, ne ad interiora cauſæ perveniretur: authoritate ſuos premebant & continebant in officio: controverſias examinari prohibebant: Eccleſiam Africæ alligabant: Orbem damnabant: abutebantur præſcriptionibus: Donatum, ut ſuum caput, colebant: jactabant omnia, viſiones, miracula: armis ſuas opiniones propagabant: alios occidebant diſſentientes, ceu Deo exoſos & damnatos, adeoque pro tali Auguſt. cùm haberent, illi ad plebes viſendas eunti inſidias armati ſtruebant. Unde non mirum, illum quid durius de affligendis & coërcendis Hæreticis ſcripſiſſe *ad Vincentium,* quod ultra mentem ejus extendi non debet. Vide Georg. Horn. *Hiſt. Eccl. cum Notis Leydeckeri,* it. hîc & in *Contin.* paſſim, ubi de *Circumcellionibus, Cutzupitis, Rupitanis.*

DONATIUS Valens, Centurio duodeviceſimæ legionis, in inferiore Germania; cùm protegeret Galbæ imagines, impetu militum abreptus vinctuſque eſt. Tacit. *Hiſt. l.* 1. *c.* 56. & à militibus, initio Imperii Vitellii, occiſus. *c.* 59.

DONATIVUM, apud Æl. Lamprid. *in Heliog. Poſt concionem pronuntiavit his quaſi militibus, ternos aureos donativum:* quæ *Donativi* ſumma legitima erat, Salmaſ. *ad Lamprid. in Alex. Sev.* Caſaub. Pertinacem in ſingulos denarium trina millia promiſiſſe, docet *ad Capitolin. in Vita ejus.* Idem, vicena millia quaſi legitimum fuiſſe modum Donativi cuique militum Prætorianorum præſertim dari ſolita, poſt ſuſceptum Imperium at Centurionibus duplum datum, Tribunis verò & Præfectis alarum adhuc alterum tantum, *ad Suet.* obſervat *l.* 1. *c.* 38. Atque h. e. quod *pro rata,* vocat Capitolin. *in Pio, Actis igitur, quæ agenda fuerunt, pariter* (Antoninus, Pius & Verus) *caſtra prætoria petiverunt & vicena millia nummum ſingulis ob participatum Imp. militibus promiſerunt, & cæteris pro rata.* Vide eundem Caſaub. *ad Capitolin.* nec non *ad Suet. Jul. c.* 38. *Veteranis legionibus prædæ nomine in pedites ſingulos ſuper bina ſeſtertia, in Equites Vicena quaterna millia nummûm dedit, aſſignavit & agros. Populo præter frumenti denos modios ac totidem olei libras trecenos quoque nummos quot pollicitus olim erat, viritim diviſit? & hoc amplius centenos pro mora. Annuam etiam habitationem. Romæ uſque ad bina millia nummûm, in Italia non ultra quingenos ſeſtertios remiſit.* Uti autem *Donativum* militibus, ſic *Congiarium,* dabatur populo. Vide ibi.

DONATUS, Ep. in Berœa, multa edidit miracula, inter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

quæ iſtud, quod ſequitur, hujuſmodi fuit. Draco circa pontem in via publica jacens, cibum habebat oves, capras, equos, boves: Homines etiam abripiens devorabat. Ad quam beſtiam Donatus, ſine gladio, ſive aliquo jaculo veniens, cùm illa levaſſet caput, quaſi voratura virum, tunc ille vexillum crucis ante faciem ejus digito deſignans in aëre, in os ejus expuit. Beſtia verò ſputum mox ore ſuo ſuſcipiens, expiravit, quam 8. paria boum in vicinum campum traxêrunt, ubi igne combuſta eſt; ne aërem fœtore corrumperet. Euſeb. *Hiſt. Eccl. l. 9. c. 46.*

DONATUS, Ep. Numidiæ, ſchiſmatis Africani auctor, cujus amici Cæciliano Ep. Carthaginenſi electo, Majorinum, Lucillæ. domeſticum ſurrogarunt. A Donatiſtis non agnoſcitur. Auguſt. *de hær. c. 69. & br. coll. di. 3. c. 12. 13. 18. 20. ep. 162. ad Ep. Don* Theodoret. *de Rer. fab. l. 3.* Baron. A. C. 306. 313.

DONATUS, Hæreticus, natione Afer, Ep. Carthag. poſt Majorinum. Donatiſtarum ſectæ Auctor, eloquens at ſuperbus adeò, ut pro Deo à ſuis haberi, & per nomen ſuum jurari voluerit. Pro immuni ab omni peccato à ſectatoribus habitus eſt, cùm tamen vita ejus criminum perpetua eſſet ſeries. Hic dicebat Filium eſſe minorem Patré, & Spiritum ſanctum Filio. Obiit A. C. 368. Auguſtin. *de hær. c. 69.* Optat. *l. 1. & 2. c. Parm,* Hieronym. *Catal.*

DONATUS Acciajolus, vel Accievolus, fil. Nerii, Florentin. Scripſit in Ethicam Ariſtot. Ex Plutarch. vitas quaſdam Latinè vertit, Caroli Mag. à ſe additâ. Miſſus in Galliam, obiit Mediolani, A. C. 1471. Ab A. Polit. Epitaphio honoratus: *Donatus nomen, Patria eſt Florentia, &c.* Eraſm. *in Cic.* Volaterran. Verin. *l. 2. Flor. illuſtr.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 3. c. 8.* Leander. Alb. P. *Jov.* &c.

DONATUS Ælius, Grammaticus doctiſſimus, *ſec.* 4. Romæ vixit, D. Hieronymi præceptor, Hieron. *in Chron.* A. C. 360. Dubitatur à nonnullis, utrum is Donatus Hieronym. Præceptor fuerit, qui in Terentium commentarios ſcripſit. Quod omnino tamen veriſimile videtur, ſiquidem *in Comment. in Eccleſiaſ.* Hieronym. teſtatur, ſe audiviſſe Donatum Terentii fabulas exponentem. Scripſit de octo partibus Orationis, quem librum emendatum operi ſuo Grammatico Diomed. adjunxit. Vide Æl. *Donat.* & Voſſ. *Orat. Inſtit. l. 6. c. 2. de Hiſt. Lat. l. 1. c. 31. & l. 3. c. 2.* &c.

DONATUS Baſſius, Mediolanenſis, Auctor Chronici, à condito mundo. Scripſit quoque de Præſulibus Mediol. A. C. 1489. Trithem. *addit.* 2.

DONATUS Hieronymus, vide *Hieronymus.*

DONATUS Junius, vide *Junius.*

DONATUS Leonardus, Venetorum Dux, excommunicationem Reipub. à Paulo V factam, *brutum fulmen* vocavit: Imitatus Nicolaum Pontanum ſuum Anteceſſorem, qui cenſuram Pontificiam gladium vaginâ tectum dixit, & temerè diſtringi non debere, ne diſcerent homines ejuſmodi telum contemnere: minatus inſuper Gregorio XIII. verendum eſſe, ne qui Græci olim fuiſſent, è Latio in Græciam remigrarent.

DONATUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

DONATUS Marcellus, vide *Marcellus.*

DONATUS Mon. Monachalem vitam in Hiſpaniam infert. A.C. 567.

DONATUS Paulus, vide *Paulus.*

DONAVERTIA, urbs Sueviæ, cum ponte ad Danub. ubi Vernitium recipit. Dicta à Danubio & Wernico fluv. qui urbem interluit, vel à Danubio *Donaw* & *Werd*, i. e. inſ. quòd Danubius terram, in qua civitas condita, in formam inſ. vel peninſulæ cingat. Ex caſis piſcatoriis in vicum, ex vico in oppidi formam redacta, quondam ad Dillingæ, vel Kyburgii Dominos pertinuit: his extinctis ad Sueviæ Ducatum pervenit, imperante Henrico VI. qui ex horum Ducum familia. Oppignorata Ducibus Bavariæ, A. C. 1266. Dein unita Imperio: A Carolo IV. iiſdem Ducibus pignori data reddita. Imperialis eſt, & libera aliàs, ut viſum, nunc Electori Bavariæ ſubeſt, ab A. C. 1607. poſtquam libertate, quam, à Cæſarianis Germanico bello capta, pace Paſſavienſi recuperaverat, petulantius uſa eſſet. Turbas has, ex religionis odio erga cives & Magiſtratum, qui Proteſtantium doctrinæ addictus erat, ortas, narrat Thuan. *l.* 138. Vide Limnæum Enucl. *l. 4. c. 13.* *Munſter.* &c.

DONCANONIUM, caſtrum Hiberniæ in Lagenia prov. & Comitat. Vexfordienſi, infra Suirii & Byrgi confluentes, vix 6. mill. à Waterfordia in Ort.

DONCHERIACUM, opp. munitum Gall. in Campania, & tractu Retelenſi, ad Moſam fluv. in confin. Ducatus Luxemburgici. Aliter *Doncherium*, vulgò *Donchery*, Comitatui Caſtrenſi attribuitur *in litt. Caroli Craſſi*, ubi is *villam ſuam Dominicalem ſuper Moſam fluv. ſitam in Comitatu Caſtrenſi, Doncherium nomine, Monachis cœnobii S. Medardi conceſſiſſe dicitur.* Mercatûs in hac villa ædificati, mentio fit in *Literis* Henrici Regis datis A. C. 1005. Vide Hadr. Valeſ. in voce *Caſtrenſis pagi.*

DONELLUS Hugo, Cabillone Burgundus, JC. inſignis, docuit Burdigalæ primùm, dein poſt Lanienam Pariſienſem Heidelbergæ, inde Lugduni Batav. donec, quòd ſuſpectus eſſet rerum novarum Altorfium conceſſit. Memoriæ tam felicis, ut totum Juris Corpus à capite ad calcem memoriâ teneret. Scripſit, plurima, omnium optimè *de Teſtamentis.* Obiit A. C. 1591. Ætate Cujacii, cujus famam omni ope ibat imminutum. *Hiſt. l.* 78. Thuan. Laur. Craſſus, & Anton. Teiſſier *in Elog.* Hugo Grot. *Ann. l.* 5.

DONETTINI, Gens Moloſſorum, *Steph.*

DONGALUS, Scotiæ Rex Salvatii fil. Congalo ſucceſſit, A. C. 824. per An. 6. Merſus, A. C. 830. cùm Alpino Pictorum Regi iret ſuppetias. Dempſt. & Buch. *Hiſt. Scot.*

DONGARDUS, Scotiæ Rex, poſt Eugenium II. fratrem. Obiit in prælio c. Britones, A. C. 465. Regni 4. *Buchan.*

DONGUM, opp. Japoniæ, in ora littor. partis *Xicoco*, in Occ. Brietio teſte.

DONI Antonius, vide *Antonius.*

DONILAUS, Dynaſta Gallogræciæ; qui cum Tarcundatio Caſtore 300. Equites, auxilio contra Cæſarem Pompejo adduxit, Cæſar *l. 3. de bell. Civ. c. 1.*

DONINCUM Ambianorum, caſtellum vel municipium Galliæ, à Rodolpho Rege captum ac dirutum, A. C. 931. Hodie *Doulens* Picardis, aliàs; ſed corruptè *Dourlens*, ad fluv. Albejam. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

DONLUSA, vulgò DUNLUCE, caſtrum probè munitum Hiberniæ, in parte Boreal. Ultoniæ, in Antrimenſi Comitat. in rupe, ad oram littoral. & foſsâ à Continente ſeparatum, ad oſtia amnis *Boyeſſ.*

DONONIUM, vulgò DENAIN, locus Hannoniæ, non longè ab opp. Valentianis. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

DONOTAURUS, vide *Caburus.*

DONUM, vide *Dona.*

DONUM DEI, DUNDÉE, urbs Scotiæ Bor. in Anguſia prov. ad Tavi æſtuarium, 6. mill. ab Andreapoli in Bor. 12. à Perthia in Ort. ſatis munita.

DONUS, 66. Romanorum Ep. A.C. 334. Item alius 134. Pontifex Rom. A. C. 634. *Nic. Lloyd.* Vide *Domnus.*

DONUS, Moloſſiæ fluv. *Steph.*

DONUSIA, inſ. parva Rhodi, in quam Dionyſ. Ariadnen ex Naxo tranſtulit, cùm Minos pater eam perſequeretur. Unde corruptum vocabulum videtur pro Dionyſia. *Steph.*

DONUSSA, Achajæ caſtell. inter Ægyram & Pallenem. *Steph.*

DONYSA, inſ. in mari Ægæo, Cycladum una, in qua viride marmor naſcitur. Virg. *l. 3.* Æn. *v.* 125.

Bacchatamque jugis Naxon, viridemque Donyſam.

DONZIACUM, vulgò DONZI, caſtrum Galliæ, ad amnem, qui apud Condate *Coſne*, in Eigerim defluit: caput pagi cognpago Nivernenſi conjungi ſoliti, *Donziois.* Ab illo 10. vel 12. mill. p. diſtat *Domitiacum*, vulgò *Dommecy*, vicus proximus Choræ *Cure* vico, cognomini flum. inſidenti. Ambo hi vici in Duc. Nivernenſis ſunt finibus, quâ Antiſſiodorenſem agrum attingunt. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

DOR, i. e. *generatio* vel *habitatio*, civitas Palæſtinæ maritima, *Dora* Ptol. In tribu Manaſſe, in ora littor. 5. mill. à Cæſarea in Bor. Nunc diruta. *Baudr.*

DORA, inſ. in ſinu Perſico. Steph. Item Fons Arabiæ Plin. *l.* 6. *c.* 28.

DORACHIUS, Sacerdos Gallus, ſcripſit Hiſt. Galliæ, ſub Duce Marcomiro II. Texeira, *in Odemaro.* Genebr. *in Sixto* I.

DORACTE, inſulæ in ſinu Perſico, cui Mazena quidam præfuit, à quo Miſtropaſtes Satrapa, Darium fugiens, hoſpitio acceptus eſt, navigationis ducem poſtea ſeſe illi præbens, quò in patriam, quod quærebat, remearet. Strab. *l.* 16.

DORAM, opp. Phœniciæ, prope Carmelum; item Idumææ, Δῶρα Joſeph. *Antiqq. l. 13. c. 11.* Ἀδωρα, *Ibid. c.* 17. Vide Bochart. *Hierozoici Part. prior. l. 2. c. 18.*

DORANÆ, Galariæ urbs. *Anton.*

DORATH, Mauritaniæ opp. *Ptol.*

DORATUS Johannes, vide *Johannes.*

DORCADES, inſ. maris Atlantici. Vide *Gorgones.*

DORCAS, i. e. *caprea*, vel *damula*, nomen mulieris, quæ & *Tabitha* Syriacè dicebatur, à D. Petro Apoſtolo à mortuis excitata, Joppe civitate, Act. *c. 9. v.* 36.

DORCAS, apud Mart. *l.* 10. *Epigr.* 65. *v.* 12. cujus Epigraphe *in Carmenionem.*

Tam diſpar aquilæ columba non eſt,
Nec dorcas *rigido fugax leoni:*

inter capreas ſylveſtres numeratur; magis tamen ad cervum accedit. A Græco δέρκω, *video.* Cujuſmodi animali nullo canum terrore, ſed ſolâ togarum jactatione, à ſpectatoribus, in arena agitari, inſuperque à Romanis in puerorum oblectationem manſuefieri conſueviſſe; docet Mart. *l.* 13. in Xeniis. *Epigr.* 98. cujus Epigraphe *Dorcas.*

Delicium parvo donabis dorcada *nato:*
Jactatis ſolet hanc mittere turba togis.

Color earum rufus communiter; at in illarum genere platycerotes aliquando totæ albæ ſunt, ut docet Bochart. *Hierozoici Part. prior. l. 3. c. 26. & 27.* Plura vide ſuprà ubi de *Capreis*, ut & in voce *Dorcas.*

DORCATIUS, Poëta Latinus, Iſid. *in voce Pileus. l. 18. orig. c.* 69,

DORCESTRIA, vulgò DORCHESTER, opp. geminum in Anglia, unum apud oram auſtralem, inter Wintoniam ad Ort. & Exoniam ad Occ. Comitatus, qui *Durſetſhire* vocatur, caput. Ad fluv. Varum, *Frome.* Aliàs *Dunovaria*, & *Durnovaria*, & *Durnium*, urbs Durotrigum, antiq. monumentis clara. 4. mill. Angl. ab ora maris Brit. 40. à Vintonia in Occ. & 30. à Vecti Inſ. ſimiliter in Occaſ. Baudr. Vide *Dorſetia* & *Dunum.* Alterum *Dorcheſter*, prope Oxonium, inde 7. mill. paſſ. in Ort. Londin. verſus, ad Iſis & Tamæ amnium confluentiam, olim ſedes Epiſcopalis, quæ poſtea ad Lincolniam transferebatur. Guil. Malmesbur. *l. 4. de geſtis Epp. Angl.* Baudr. nunc vicus, in Oxon. Comit. 9. mill. ab Oxonio in Auſtr. totidem à Readingo in Bor. 2. mill. ſupra Callevam Atrebatum.

DORCEUS, Muſicus Regis Cyzici, à Polluce, in conflictu nocturno interemptus.

DORCEUS, inter canes Acteonis ab Ovid. numeratur. *Met. l. 3 v.* 210.

Pamphagus, & Dorceus & Oribaſus Arcades omnes,

DORDA, i. e. *habitaculum* vel *generatio ſcientiæ*, fil. Machol. 1. Reg. *c. 4. v.* 31,

DOR-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

DORDERACUM, urbs Hollandiæ præcipua & magnifica, cum jure monetæ cudendæ, quod illi ſoli tributum. Olim ſedes Comitum, hodie emporium mercium in peregrina loca mittendarum, prima ex 6 urb. in Conventu Stat. Holl. & inſ. nunc aquarum inundatione A. C. 1421 à reliqua Inſ. ſeparata. Synodo contra Remonſtrantes à Reformatis A. C. 1618. & 19. celebrata inſignis, qualem quidem Eccleſia Chriſtiana à multis retro ſeculis non viderat ullam. Interfuêre illi Theologi, non modò ex Fœderatis provinciis, verùm etiam ex Britannia, Palatinatu, Brandenburgo, Haſſiâ, Embda; Helvetia item, aliiſque compluribus evocati: ac cœpta Kal. Nov. A. C. 1618. feliciter abſoluta eſt Seſſionibus CLIV. Condemnati errores *Quinque Articulorum*: approbata & confirmata *Confeſſio belgica* ac *Catecheſis Palatina*: *verſio* Bibliorum *nova* decreta: denique, quidquid hactenus turbarum afflixerat Eccleſiam Belgicam, ſopitum ſublatumque eſt. Extant *Synodi* hujus *Nationalis* celeberrimæ (quam ipſe Paulus Servita, ut *Apoſtolicam*, ob decreta, laudavit, *Ep. ad Heinſium*) *Acta & Hiſtoria*, quæ videri poterunt, Galli quidem non adfuêrunt, prohibente Rege: at ſcripſêrunt ſuum de Arminianis judicium, & poſtea Canonibus Dordracenis in ſua Synodo Nationali ſubſcripſerunt, Arminianiſmum viam ad Papatum ſternere judicantes, A. C. 1626. *Acta* Referente Baudartio. Quo pacto *Oecumenicæ* naturam Synodus hæc, utpote Reform. Theologis ex omni Europa invitatis approbantibuſque, induit, certè cum omnibus Oecumenicis facilè comparanda. G. Horn. *Hiſt. Eccl. cum Notis* Leydeckeri. Cæterum Urbs diſtat 7. leuc. à Lugd. Batav. in Auſtr. 3. a Roterod. in Eur. 5. à Breda in Bor.

DORDINGUM ad Urbiam, *Dourdan ſur Orge*, municipium olim in Gallia Regium, ubi Hugonem Mag. Ducem & Principem Francorum Rotberti Pſeudo Regis fil. patrem Hugonis Regis deceſſiſſe tradunt, A. C. 956. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

DORDOMANA, urbs Parthiæ. *Deizer. A. Theveto.*

DORDONIA, vide *Duranus.*

DORDRACUM, vide *Dorderacum.*

DORES, Herod. *l.* 1. populi Cariæ, in Aſia, quos Crœſus ſubegit.

DORES, populi Doritæ juxta Ætoliam. Pop. Achajæ in Græcia, *Baudr.*

DORFFMANNUS Johannes, vide *Johannes.*

DORGOMANES, fluv. ingens Bactrianorum. *Obengir.* ex tab. recent. *Ferrar.*

DORHINUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

DORIA, & DORICA, nomina partis Achajæ, quæ propinqua eſt Athenis. Plato *de Legg. l.* 3. *Achivi Troja redeuntes, ſuaſque domos, urbeſque repetentes, a popularibus male excepti mulctatique fuere.* Οἱ πάλιν ἐκπεσόντες κατῆλθον, μεταβαλόντες ὄνομα, Δωριεῖς ἀντ' Ἀχαιῶν κληθέντες, διὰ τὸ τὸν συλλέξαντα εἶναι τοὺς τότε φυγάδας Δωριέα, i. e. *unde patria profugi, mutato Achivorum nomine, Dores dicti ſunt, à Dore, qui maximam fugitivorum illorum partem collegerat.* Serv. verò in *l.* 2. *Æn. Dorica*, inquit, *v.* 27. Ovid. *l.* 13. *Metam. v.* 743

At mihi cui Pater eſt Nereus, quam cærula Doris.

Id. Ep. Heroid. xv. ſub calcem.

Aut cedent, Marti Dorica caſtra meo.

à *Doro Neptuni filio dicitur.*

DORIA Andreas, vide *Andreas.*

DORIA Joſephus, vide *Joſephus.* it. *Auria.*

DORIAS, Indiæ extra Gangem fluv. *Ptol.*

DORICA Harmonia, *magnifica olim, ſublimis, gravis, contenta, nihil habuit fuſum, nihil ſolutum, nihil molle; ſed plenum, vehemens, paucis modiciſque flexibus bellicis conveniens numeris & motibus, Pannonum & Getarum Scytharumque --- talem audivimus in Dalmatia ac Tranſylvania & Myſia ſuperiore. Exultationem addiderunt Æoles, tumidamque fecerunt atque audacem: quanquam veterem ſimplicitatem retinuêre, neque, fregêre, ſicut Jones. Talis eſt Germanorum & bello apta, nec inepta conviviis, neque ab amoribus aliena --- utrinſque affinis --- ὑποδώριος --- Jones autem ſuis moribus ſimilem effecêre mollem fluxamque* &c. J. C. Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 19. ubi de *Modis & Tibiis.* Vide quoque Salmaſ. *ad Solin. p.* 119. & *ſeqq.* nec non infrà ubi de Vett. *Muſica.*

DORIENSES, Cretæ inſulæ & Cyrenaicæ Reg. populi. *Callimach.*

DORIEUM, Phrygiæ civitas. *Steph.*

DORION, opp. Peloponneſi in tractu Meſſeniaco, juxta quod Thamyras citharœdus Muſas ad certamen provocavit. Plin. *l.* 4. *c.* 5. Lucan. *l.* 6. *v.* 352.

----- Pteleoſque & Dorion ira
Flebile Pieridum; - ---- -----

DORIS, nympha marina, Oceani & Tethyos filia quæ Nereo fratri nupta immenſam vim nympharum marinarum peperit, quæ à nomine patris, *Nereides* appellatæ ſunt. Prop. *l.* 1. *Eleg.* 17. *v.* 25.

At vos æquoreæ formosâ Doride natæ,
Candida felici ſolvite vela choro.

Ponitur nonnunquam pro ipſo mari. Virg. *Bucol. Eclog.* x. *v.* 4.

Sic tibi, cùm fluctus ſubterlabêre Sicanos,
Doris amara ſuam non intermiſceat undam.

DORIS, Locrenſis Xeneti ſplendidiſſimi inter ſuos civis filia quam Dionyſ. ſuperior, Rheginis ejus conditionem aſpernantibus, Olympiadis 95. A. 3. cum Ariſtomache Hipparini filia eodem die uxorem duxit. Cic. *Tuſc.* 5.

DORIS, Græciæ Regio, juxta ſinum Maleacum, à tergo habens Oetam montem, à *Doro* Neptuni & Alopes fil. dicta. Baudr. inter Phocidem ad Ort. Epirumque ad Occ. verſus montes & fontes Cephiſi fluv. Dicta etiam *Tetrapolis*, Briet. à quatuor Urbibus, nempe Pindo, Eripeo, Cytinio & Bojo, quibus adjectæ fuêrunt Lilæa & Sperchium. An hodie *Val de Livadia*? Ex hac Regione qui originem traxerunt, quacunque terrarum in parte conſederint, *Dores* appellati ſunt. Unde Dorica, min. Aſiæ Regio. Nempe *Dorienſes*, poſt Codri ultimi Athenienſium Reg. qui ſe prælio contra illos pro patria devoverat, digredientes finibus Atticis, Megaram (mediam Corintho Atheniſque urbem) condidêrunt, & incolas Δωριέας ἀντὶ Ἰώνων, *Dorienſes ex Jonibus* fecêrunt: neque in Atticam amplius reverſi ſunt, uſque ad Piſiſtratidarum tyrannidem, Strab. *l.* 9. Pauſan. *l.* 1. Herod. *l.* 5. *c.* 76. Neque vero omnes Megaræ manſerunt, ſed pars illorum cum Althæmane Argivo in Cretam migrarunt; pars in Rhodum inſ. Halicarnaſſum, Cnidum & Coum diſperſi ſunt, unde *Dorienſium* Ἑξάπολις orta, de qua vide infrà in voce *Triopium.* Atque hæc una fuit ex tribus Græcorum celeberrimis in Aſia Coloniis, Joh. Marsham. *Canone Chron. ad Sec.* XIII. Hinc *Doricus*, quod pro Græcanico poëtæ nonnunquam uſurpant. Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 27.

------ juvat ire & Dorica caſtra
Deſertoſque videre locos, littuſque relictum.

Ibid. *l.* 6. *v.* 88.

Non Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica caſtra
Defuerint:

Dorica Muſa Proverb. apud Ariſtoph. *in Cleonem*, qui non aliud genus harmoniæ didicerat, præter Doricæ, alludens ad Δῶρον, quod *munus* ſignificat, eum munerum avidum denotans. Aliud adagium eſt *Doricè concinere*, apud Plutarch. *in Lachete*, in eos qui aliud verbis, aliud vero factis faciunt, *Dores* etiam, præſertim virgines, diſcincti, & ſine tunica quandoque interdum incedere ſolebant. Unde Proverb. *Doricè incedere*, in eos, qui depoſitis veſtibus magna ex parte nudi incedunt. Sic apud Pauſan. & Æl. Dionyſ. Neſcio an huc alludat Juven. quando ait, *Sat.* 3. *l.* 1. *v* 94.

Uxorem comœdus agit, vel Dorida nullo
Cultam palliolo. ------ -- ---

Iidem *Dores* erant naturâ loquaces. Unde apud Theocr. *Doribus Doricè loqui*, adagium eſt in eos, quorum oratio moribus & ingenio reſpondet, vel in naturâ loquaces. Vide Strab. *l.* 10. Ptol. *l.* 3. *c.* 15. *Nic. Lloyd.*

DORISCI, gens circa fontes Indi fluv. Plin. *l.* 6. *c.* 23.

DORISCUM, ſeu Doriſca, Ptol. locus, vel Præfectura Thraciæ in ora apud Hebrum fluv. ubi Xerxes Perſarum Rex exercitum, qui 170. myriadibus conſtabat, h. e. decies ſepties centenis millibus militum, recenſuit. Vide Plin. *l.* 4. *c.* xi. Eſt & prom. Atticæ à Piræo 42. m. p. recedens.

DORISSUS, quintus Lacedæmoniorum Rex. Vide *Doriſſus.*

DORIUM, in Peloponneſo, Eubœa, à Thracia opp. Strab. Meſſeniæ urbs Pauſan. & mons circa Cnidum; Pyli etiam opp. *Heſych.*

DORIUS, Luſitaniæ fluv. Ptol. Et alius Indiæ extra Gangem. Id.

DORLANDUS Petrus, Prior, Carthuſ. in Diœceſi Deod. prope Dieſtam. in monaſter. Zeelhem. Scripſit Chronicon ſui ordinis. &c. Vide Petrejum, *Biblioth. Carthuſ. p.* 252. & *ſeqq.* Poſſev. *in App. ſacro.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 6. Obiit A. C. 1507.

De DORMANS Johannes vide *Johannes.*

DORMANUM, locus Galliæ, ad Matronam, inter Sparnacum & Caſtrum Theodorici, vulgò *Dormans.* Hinc nobili familiæ nomen. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* *Domnamantum*, in Trecenſis urbis diœceſi, vocatur in *Vita* S. Bernardi. Vide Hadr. Valeſ. in voce *Trecæ.*

DORMIO, quaſi *Dermio*, à Græco δέρμα, i. e. pellis: quemadmodum ex *bonus*, bonus, ex *hemo*, homo; ex Κερκύρα, *Corcyra* factum, Nempe vett. hæc in pellibus *dormiendi* conſuetudo eſt: in ſacris inprimis, quod propriè *Incubare* Vett. dixêrunt. Tantopere namque malignus Spiritus illuſit Gentilibus, ut remedia in ſomnis indicaret, quibus ſanitati reſtituerentur, ſicque ii in templis pernoctando futurarum rerum eventum ſciſcitarentur. Captabant autem hæc ſomnia in ea parte templi, quam *Delubrum* dixêre & quidem prævio ſacrificio ac peculiari diætæ curâ. Mactabantque plerumque Græci arietem Amphiarao, atque pelli ejus ſeu exuviis incubabant. Strab. *l.* 6. Ἐναγίζουσι δ' αὐτῷ μέλανα κριὸν οἱ μαντευόμενοι, ἐγκοιμώμενοι ἐν τῷ δέρματι, *Sacrificant autem illi nigrum arietem vaticinia captantes; & ſomnum capiunt in pelle.* Similiter Calabri ſuis μηλωταῖς, ſeu ovium pellibus indormiêrunt, ad ſepulchrum Podalirii. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 86. & *ſeqq.*

------ ------ ------ Huc dona ſacerdos
Cum tulit & cæſarum ovium ſub nocte ſilenti
Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſque petivit.

In porticu quoque Apollinis Palatini fuiſſe Danaidum effigies, & contra eas ſub divo totidem equeſtres filiorum Ægyſthi, è quibus ſtatuis oracula per ſomnum poſtulantibus data fuerint, tradit Acron. Unde Perſ. *Sat.* 2. *v.* 56.

------ ------ ------ Nam fratres inter ahenos
Somnia pituita qui purgatiſſima mittunt,
Præcipui ſunto.

Idem in templo Serapidis fieri ſolitum legimus: Lacedæmonii in Paſitheæ fano ſomnia vatidica venabantur, nec ægris præſentius remedium viſum eſt, quàm in Æſculapii Fano dormiviſſe, de quo vide Ariſtoph. *Pluto*, *Act.* 2. *ſc.* 3.

------ Κατακλινεῖν αὐτὸν εἰς Ἀσκληπιοῦ
Κράτιστόν ἐστι.

Cubitum eum reponere in Æſculapii fano
Optimum eſt.

Plaut. item *Curcul. Act.* 1. *ſc.* 1. Cic. de *Divin. l.* 2. Jamblich. *de myſter. Ægypt. ſegm.* 3. *c.* 3. ac alios: nec non infrà in voce *Tholus.* Unde apud Herodian. *l.* 4. legimus, Antoninum Caracallam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

lam Pergamum Aſiæ, ut Æſculapii curationibus uteretur, fuiſſe profectum. Eundem morem in Amphiarai templo apud Oropios viguiſſe, habet Pauſan. *Attic.* In fauni templo, Virg. *Æn. l.* 7. in Capitolio, Serv. *ad h. l.* ubi, *Ille incubat Jovi, i. e. dormit in Capitolio, ut reſponſa accipere poſſit*, inquit. Neque neſcivit hanc in pellibus incubationem Hieronym. *ad illud Eſai. c.* 65. *v.* 4. *qui habitant in ſepulchris & in delubris idolorum.* Imò quàm latè ea patuerit, argumento eſt, quòd & prope mare Caſpium in Anariacæ Urbe, nomine Ναβάρκη, monſtraretur Μαντεῖον ἐγκοιμωμένων, *Oraculum incubantium*, teſte Strab. *l.* xi. ac duraſſe apud Romanos, temporibus etiam Gratiani ac Theodoſii Impp. indicat Prudent. *in Hamartig.* Aliquando porrò lauro coronati ſomnum in iſtiuſmodi locis ſacris capiebant, ſomniorum præſidi, quam Βριζὼ dixêre, priùs ſacrificio oblato, &c. Sed & accuratam hoc tempore victus habere rationem ſunt ſoliti: jejunabant pridie, & per integrum triduum à vino abſtinebant: à fabis quoque & immaturis crudiſque fructibus, ſibi cavebant ſolicitè. Unde Ariſtot. negat fidem adhibendam φθινοπωρινοῖς ἐνυπνίοις, *ſomniis Auctumnalibus*: & Plutarh. *Sympoſ. l.* 9. veſcentium fructibus ad maturitatem probè perductis inſomnia, dicit eſſe ἧττον ἀπατηλὰ *minus fallacia.* Piſcium quidam optimi, quidam peſſimi habebantur: Polypi inprimis caput quam vim habere creditum fuerit, vide apud Plutarch. *l. ſuprà laudato*, & Cœl. Rhodig. *l.* 27. *c* 10. Nec veſtium nulla habebatur ratio: Quare στολὴν λευκὴν κάλλιστον ἐν ὕπνῳ φέρειν inquit Suid. ita enim ſomnia clariora fore credebant. Tempus, quo maximè veracia habebantur ſomnia, matutinum erat, proximè Auroram præcedens, dictum Homero νυκτὸς ἀμολγὸς, *Odyſſ.* δ.

Ὥς οἱ ἐναργὴς ὄνειρος ἐπέσσυτο νυκτὸς ἀμολγῷ.

Unde Theocrit.

------ ------ ------ ἔγρυθι δ' ἠὼς
Εὖτε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων.

Quæ verba tantùm non παραφράζει Ovid. *Ep.* 18. *Hero Leandro v.* 195.

Namque ſub Aurora jam dormitante lucernâ:
Tempore quo cerni ſomnia vera ſolent.

Primus autem ex ſomniis divinandi ſcientiam condidiſſe dicitur Amphictyon, Deucalionis fil. Plin. *l.* 7. *c.* 57. Amphiaraus verò Pauſan. *in Attic.* & Rhodig. *l.* 27. *c.* 14. *Antiq. Lect.* de quo vide infrà quoque in voce *Oneirocritice.* Interim exibilat horum hominum vanitatem, ipſe Juv, *l.* 2. *Sat.* 6. dum ait,

Non delubra Deûm, nec ab æthere Numina mittunt,
Sed ſibi quiſque facit &c.

Plura vide apud Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. l.* 3. *c.* 35. & infrà ubi de *Melotis*; ac *Somniis*: de annulis verò à *dormiturientibus* ſeponi olim ſolitis, apud Kirchmann. *de Ann* uti alia in hanc rem hîc paſſim, ubi de Vett. *Cubitu*; *Lectis* &c. item in voce *Somnus*.

DORMITIO S. Mariæ, *Pauſatio*, in vetuſtiſſ. Kalendario Allatiano, feſtum eſt Eccleſiæ Rom. quod *Deiparæ Aſſumtio* dicitur, Græcis quoque Κοίμησις. Domnizo *de Vita Mathildis l.* 2. *c.* 14. apud Car. du Freſne.

---- *Sanctæ* Dormitio *Virginis atque*
In medio menſe, qui ſextus noſcitur eſſe,
Tunc celebrabatur.

Vide ſuprà in voce *Aſſumtio*.

DORMITORIUM in *Gloſſ.* S. Benedicti ἐγκοίμητρον, genus veſtis eſt cubitum euntium. Apud Plin. *l.* 2. *c.* 17. Cubiculum eſt. Scriptoribus medii ævi ſumitur pro Monaſteriorum conclavi, in quo plures ſunt lecti, pluresque cellæ Monachicæ, ubi decumbunt, vulgo *Dortoir*. Hæc feneſtrata & patula fuiſſe, ut Monachi habere ſomni vel cubiculi inſpectores arbitroſque poſſent, docet Vadian. *de Monaſter. Germ. l.* 1. Non verò ſemper iſtiuſmodi *Dormitoria* in cellulas diſtincta, ſed in eodem conclavi fuiſſe multos lectos, in quorum medio Abbatis, colligitur ex *Regula* Benedicti *c.* 22. & aliis Scriptoribus, quos vide apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Hujuſmodi *Dormitorii* curam qui gerebat, *Dortorarius* dicitur, in *Statutis* Ordinis de Sempringham, apud Eund.

DORNACUM, vel DORNEGGUM, vulgò DORNECK, arx agri Raurici, haud procul Baſileâ, ſecundùm Birſam, quam à Bernardo de Efringen, cive Baſil. A. C. 1484. Solodurenſes ſibi compararunt; Auſtriacorum ſtrage Anno pòſt decimo quinto ab Helvetiis factâ, memorabilis. Urſtiſ. *Epit. Hiſt. Baſil.* Hoc poſtremo prælio fractis Auſtriorum animis Suevico fœderi, belloque, cujus ſemina Fridericus III. Imp. jecit, Maximilianus verò I. fil. ejus geſſit, finis factus, & operâ ac interceſſione Ludovici Sfortiæ Mediolani Ducis, miſſo ad id Galeacio Vicecomite, pax inita eſt, quâ Helvetiis libertas ſua intacta, illique in poſſeſſione omnium locorum, quæ antehac Auſtriis ademerant, confirmati ſunt; præfectura quoque Criminalium in Turgea, quæ hactenus penes Conſtantienſes fuerat, his addita eſt. Ita hoc (excepto Rhetorum bello cum Joh. Jac Medicæo Muſſii domino) ultimum bellum fuit, quod Helvetii pro libertate geſſêrunt. Simler. *de Rep. Helvet.*

DOROBIZA, Illyris fluv. & urbs. Laonicus.

DOROCOTTOROS, urbs Galatarum Aquilonarium. *Steph.*

DOROMELLUM, vulgò *Dormeille*, vicus eſt Galliæ; ad Aroannam fluv. vulgò *Ouaine*: ad quem, non procul Doromello, Chlotarius Jun. à Theodebertò, ac Theodorico Regibus victus eſt acie, A. C. 599. ut Fredegarius docet.

DORON, Ciliciæ urbs. Plin. *l.* 5. *c.* 27.

DOROS, Phœniciæ, & Cariæ urbs. *Steph.*

DOROSTORUS, Vide *Duroſtolon*.

DOROTHEA, puella Alexandrina, nobili orta familiâ, ingentibus divitiis, & propinquis nobilibus pollens; ſed in ea ingenii, atque induſtriæ bonum, cæterarumque honeſtarum artium ſtudia magis, quàm hæc vigebant. Formæ verò ac decoris gloria tanta ei fuit, ut mirum ac ſpeciale in ea Dei figmentum crederetur. Sed illa, quæ religione animi, & honeſtate vitæ pulchrior, quàm vultu corporis eſſe ſtuderet, æquiſſimo mentis judicio, quod pulchrum, ac decorum inter homines videbatur, id potius Deo conſecrare, quàm uſui humano indulgere ſtatuit, ut virgo Deo ſacra perſiſteret. At tyrannus ad contemerandam virginem, ac polluendam ejus caſtitatem animum intendit. Comperto verò, quòd Chriſtiana eſſet: quæ ſecundùm ſua edicta pœnæ magis, quàm libidini ſubjicienda videretur, in ambiguo poſitus, æſtuare cœpit, & in quam ſe partem verteret, ignorare; Sed ubi dubios animos libido, quæ ei latiùs dominabatur, obtinuit, & expectantem virginem pro martyrio ad ſupplicium rapi, per occultos nuncios de ſtupro interpellavit: Illa æquè ſibi nefas eſſe reſpondit templum ſui corporis, quod ſemel Deo conſecraverat, idolorum cultu, ac libidinis contagione polluere, Proinde ſe quidem ad mortem paratam eſſe. Ad quæ reſponſa Tyrannus libidine accenſus, cùm acrius incaleſceret, & niſi verbis acquieviſſet, vi agere decerneret, omnibus, virgò pudiciſſima, facultatibus ſuis, domoque ac familiâ, derelictâ, noctu clam cum paucis fideliſſimis famulis, & cum amiciſſima comite caſtitate diſceſſit, atque illuſum tyrannum reliquit. Euſeb. *Hiſt. Eccl. l.* 8. *c.* 17.

DOROTHEUS, Armeniæ Prætor, A. C. 29.

DOROTHEUS Aſcalonita, ſexto hiſtoriarum de rebus geſtis Alexandri citatur ab Athen. *initio l.* 7. Idem, ſeu alius in primo rerum Siculatum adducitur à Stobæo, loco de vituperio tyrannidis. Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. c.* 3. *p.* 361.

DOROTHEUS Leucadius quidam gubernator, De quo Polyæn. *l.* 5. Item, cognom. *Sidonius*, Medicus Aſcalonita. Item auctor Lexici, Phot. *cod.* 156. Item, JC. *ſec.* 5. Rutil. *in vita Jurecoſſ.* Item, Abbas, Eutychianiſmi accuſatus, *in Conc. Chalced. Seſſ.* 4. Item, præfectus Palæſtinæ, turbas ab Eutychianis & Pſeudoep. Theodoſ. datas compoſuit, A. C. 452. Evagr. *l.* 2. *c.* 5. Niceph. *l.* 15. *c.* 9.

DOROTHEUS Tyrius, qui ſub Diocletiano vixit, & ſub Juliano multa perpeſſus fuit, creditur à multis author eſſe libelli de vita & morte Prophetarum, Apoſtolorum, & Diſcipulorum Chriſti: Sed non pauca in eo ſunt tanto viro indigna. Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 18. Proin alii id cuidam Sacerdoti Antiocheno, Diocletiani amico, Euſebii Præceptori, aſcriptum eunt. Vide Blondel *app. pro S. Hieron.* Euſeb. *Hiſt. l.* 7. *c.* 26. Niceph. Callixt. *l.* 6. *c.* 37. &c.

DOROVERNUM, Vide *Darvernum*.

DORPIA, Vide *Apaturia*.

DORPIUS Martinus, vide *Martinus*.

DORSALE, apud Durand. *Ration. l.* 1. *c.* 3. *n.* 23. *Dorſalia* --- *in choro pendentia, à dorſo Clericorum*: pallium eſt, ſive aulæum, quod parietibus appenditur. *Dorſile pallium*, Ekkehardo Jun. *de Caſibus S. Gall. c.* 1. ubi Goldaſtus id exponit, tapetium retro Principum ac divitum hominum ſellas, arcuatum & parietibus appenſum. Cujuſmodi *veſtem de dorſo ſuo oxydeauratam*, i. e. ὀξυχρυσέην, *auro ſplendente obductam*, S. Benedicto miſiſſe Alexius Imp. legitur, apud Petr. Diacon. *Chronici Caſin. l.* 3. *c.* 17. Sed & *Dorſualia* vocabant pelles, quibus equorum terga Vett. inſternebant. Trebell. Pollio, *Proceſſerant etiam altrinſecus centeni* --- *dorſualibus ſericis diſcoloribus præfulgentes, in Gallieno.* Quemadmodum equum ſuum Volucrem ſagis fuco tinctis cooperiebat Verus, Commodus pelle inaurata equum Pertinacem integebat. Quæ *Scordiſca* etiam dicta fuiſſe, notat Salmaſ. *ad Capitolin. in Vero.* Vide infrà *Scordiſca*, it. *Sella Equ.* uti de more ſtrata equorum tintinnabulis exornandi, Francis inprimis in uſu vide in voce *Tintinnabulum*.

DORSANES, Hercules apud Indos ſic dictus Heſych. Δορσάνης ὁ Ἡρακλῆς παρ' Ἰνδοῖς. Difficile eſt Indicæ hujus appellationis cauſam adducere. Cæteroquin vicinum eſt Chaldaicum דרס *daras*, h. e. *calcare*; *premere*. Et in præcipua Herculis laude ponebatur, quòd Tyrannos calcarit, & oppreſſerit.

DORSENUS Fabius, poëta Comicus, cujus teſtimonio ac verſibus utitur Plin. *l.* 14. *c.* 13.

DORSETIA, prov. ſeu Comit. Angliæ Auſtr. verſus oram maris Brit. inter Devoniam ad Occ. & Hantoniam ad Or. à Bor. Somerſetiam habet. Ibi aliàs *Durotriges* pop. Provinciæ primaria nunc eſt Dorceſtria.

DORSTA, urbs Weſtphaliæ, ad Luppiam fluv. in dit. Archiep. Colonienſis, ſatis munita, in confin. Diœceſis Monaſter. & Ducatus Clivii. 5. leuc. Germ. à Veſalia in Ort. Pluries capta ab Haſſis Sueciſque bello Germ.

DORSUM rumpere, in *L.* Baiwar. *tit.* 6. *c.* 2. §. 2. *Rumpatur dorſum ejus* 50. *percuſſoribus*: pœnæ genus eſt. Vide hic ubi de *Humeris*, *Scapulis*, *Tergo*: ubi de more *in dorſo aquilam figurandi* ſuprà.

DORTICUM, Myſiæ ſup. civitas juxta Danubium. *Ptol.*

DORTMUNDA, Lat. *Tremonium*, civ. Imperii, cives habet in toto Imperio à vectigalibus immunes; tenetque in feudum ab Imperio Comitatum Dormundanum, cum omni jure & libertate, quibus olim uſi Comites Dormundani. Vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 15.

DORVENTANI, pop. Albionis, Lhuydo *Derbienſes*, quaſi Derventani: tametſi diverſi videntur; hi à Derventione, illi à Dorvento deducti.

DORUS, fil. Epaphi, filium habuit Pygmæum, à quo *Pygmæi* dicti. Steph. Item Neptuni fil. qui regnavit in parte Græciæ, à quo *Dores* dicti. Serv. *in* Virg. *l.* 2. *Æn.* Urbs etiam Phœniciæ, incolæ *Doritæ* & *Dorienſes* Pauſan. Eſt itidem Cariæ urbs. *Steph.*

DORYAGUS Lacedæmonius, Heraclides, fil. Leobotis, pater Ageſilai, avus Archelai. Herodot. *l.* 7.

DORYCLUS, fil. Priami nothus, ab Ajace in bello Trojano interfectus. Hom. *Iliad.* 11.

DORY-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

DORYCLUS, frater Phinei Regis Thraciæ. Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 620.

> *Fit Beroë Iſmarii conjux longæva* Dorycli:

Ibid. *v.* 646.

> *Non Beroë vobis, non hæc Rhœteïa matres,*
> *Eſt* Dorycli *conjux*:

DORYCLUS, primus cæſti victor in Olympicis. *Cæl.*

DORYCTETA, Aſiæ min. regio ad Ægæum pelagus. *Diod.*

DORYLÆUM & DORYLÆUS, magnæ Phrygiæ civitas Ptol. Plin. *l.* 5. *c.* 29. eandem *Dorylaum* vocat, juxta quam oritur Hermus amnis. Δορυλάειον Steph. dicitur. In confin. Bithyniæ inter Agrillium & Midajum, prope fontes Aſcanii. *Baudr.*

DORYLAS, Naſamon quidam potentiſſimus, unus ex iis, qui Perſeo in aula Cephei vim inferre conati ab illo ſunt interfecti. Ovid. *l.* 5. Metam. *v.* 130.

> *Et Naſamoniaci* Dorylas *ditiſſimus agri,*
> *Dives agri* Dorylas: *quo non poſſederat alter*
> *Latius, aut totidem tollebat farris acervos.*

DORYLAS, Centaurus. Ovid. *Metam. l.* 12. *v.* 30.

> ------ *Additus his*
> Dorylas: *qui tempora tecta gerebat.*

DORYLAUS, rei militaris peritiſſimus, magnâ familiaritate Mithridati Evergetæ devinctus. Strab. *l.* 10.

DORYLEUM, fluv. in Phrygia, & urbs, *Tzadurile Leunol.*

DORYLIUS, legatus Deiotari Regis ad Cæſarem.

DORYPHORI, Perſicæ militiæ genus. Curt. *l.* 3. *c.* 3. ubi de Darii exercitu, *Doryphori vocabantur, proximum his* (*Cognatis Regiis* ſic dictis) *agmen, ſoliti veſtem excipere regalem, hi currum Regis anteibant; quo ipſe eminens vehebatur.* Ex Græco Δορυφόροι, aliter Αἰχμοφόροι, Lat. *Haſtiferi* ſeu haſtati; etiam Μηλοφόροι, quòd aurea *mala* haſtis præfixa *ferrent*, dicti ſunt. Sumebantur illi ex *Immortalium* cohorte, & non temerè aut ſorte, ſed ἀριστίνδην, legebantur, idque ex Perſarum potiſſimùm gente. Excubabant autem in Regis aula, ejuſque latus magno agmine muniebant; Excipiebant porrò veſtem Regalem, Etiam unus ex iis, ſellæ aureæ pedibus Regis, è curru deſcendentis, ſubjiciendæ causâ, regium currum conſequi ſolebat, teſte Athen. *l.* 12. ---- Quare honori non modico ducebatur, in hujuſmodi ſpiculatorum numeros referri. Erat porrò illis Præfectus, ſub quo militabant: neque ii æs merebant, ſed à Rege capiebant annonas, eiſque ex Regalis menſæ reliquiis cibaria præſtabantur, Briſſon. *ad l.* Mille numero fuiſſe, teſtes eſt Athen. *l.* 13. *c.* 3. & ex iis *Chiliarchum* ſumptum credunt Eruditi, uti vidimus ſuprà, in voce hac. Veſtis illis purpura auroque diſtincta, ſeu ſtola Medica, quâ à Rege donabantur, more hodieque inter Turcas, Tartaros, Perſaſque vigente, apud quos nemo ad Principem admittitur, niſi hujuſmodi honorariâ veſte donatus. Γάμβελον στολὴν Athen. vocat, ubi de muneribus, quibus Themiſtocles ab Artaxerxe donatus fuerat, ei ſermo eſt. Idem cum Æliano πορφυρᾶς καὶ μηλίνας στολὰς illis tribuit: unde Μηλοφόρων nonnullis appellatio. Vide infrà, ubi de *veſte Medica*: ubi de eadem Satellitibuſque Medis ſeu *Doryphoris* (namque & hi Σωματοφύλακες *Satellites* dicti) quibus Pauſanias, à patriis moribus degenerans, uti cœpit, Corn. Nep. *in eo c.* 3. & ad hunc Keuchenii aliorumque *Notas*. Δορυφόρημα verò dixêre Græci hominem qui liberos non relinqueret, ut de Epaminonda ſcribit. Corn. Nep. *c. ult.* Sic venuſtè Julianus de Claudio & Plutarch. de Andæo, *in fine Alexandri*. In proverbio, ἐστὶ γὰρ ἐκείνων δίχα ταῦτα τῆς τραγῳδίας τὸ δορυφόρημα μισθοῦ δέω φάσμα καὶ ἄψυχον. Idem Keuchenius *ad. l.* Cujuſmodi *Doryphorus viriliter puer*, ut habet Plin. inter opera ex ære Polycleti, Cteſilai item & Ariſtodemi, celeberrimorum Artificum, ei memoratur *l.* 34. *c.* 8. Alii ab iis Δωροφόροι fuêre, hoc enim nomine, quaſi *Donatarios*, Mariandynos ſervos ſuos, appellaſſe Heracleotas, ἀφαιροῦντας τὸ πικρὸν τῆς προσηγορίας, *parcentes acerbitati nominis*, tradit *ad Ariſtoph.* vetus Interpres Calliſtratus. Vide Hug. Grot. *de Jure Belli & Pacis l.* 3. *c.* 13. §. 5.

DORYPHORUS, libertorum unus Neronis è præcipuis, quem, quaſi adverſatum nuptiis Poppææ, veneno interfecit P. Mario, L. Aſinio Coſſ.

DORYSSVS, Lacedæmoniorum Rex, ab Euryſthene V. patrem Labotam excepit, haud ita multo pòſt in tumultu occiſus cultro popinario, Pauſan. *l.* 3. ut perperam ipſi Euſebius attribuat Annos 19. *Chron. n.* 1031. An inde Theopompo anſâ Ephoros inſtituendi ſumptâ, ut regnaret tutius? Lycurgus tum Charilli tutelam gerebat, ut ſuo loco dicemus. Vide Pauſan. *d. l.* Ei ſucceſſit fil. *Ageſilaus* I.

DOS, illud propriè, quod maritus cum uxore accipit. *Doarium* verò *Dotarium*, *Dotalitium*, &c. quod, in remunerationem dotis, reportat uxor. Prius Græci φερνὴν & προῖκα, poſterius ἀντιφέρναν & ἕδνον item ὑπόβολον nuncupant, quod Romani, uxoribus dotes non retribuere ſoliti, proprio nomine non inſigniunt. Hinc de Germanorum moribus mirabundus Tacit. *Dotem*, inquit, *non uxor marito, ſed uxori maritus affert, boves* nempe, *& frenatum equum & ſcutum cum framea gladioque*: quibus Hiberni, Germanorum tradux, citharam addunt. Angli quoque contra morem Reip. Rom. uxores munificentiſſimè dotant, Germanos etiam, imò Græcos antiquiſſimos & Hebræos imitati. Exod. *c.* 22. *v.* 16. & 17. 1 Sam. *c.* 18. *v.* 22. & 24. 1 Reg. *c.* 9. *v.* 16. Pſalm 16. *v.* 4. Tob. *c.* 8. *v.* 18. Sic Gen. *c.* 34. *v.* 11. & 12. Sichem Dinæ dotem offert: Vulcan. apud Homer. Od. 8. Venerem, Pluto apud Claudian. Proſerpinam dotaſſe leguntur. In nupt. Honor. & Mar. Carm. x. *v.* 281.

> ----- *toto pariter dotabere mundo.*

Idem Ibid. *v.* 272.

> *Dotali potuit cælum ſignare coronâ.*

Idem de Rapt. Proſerp. *Carm.* 33. *v.* 27.

> ------ *quos ducta ferox Proſerpina raptu*
> *Poſſedit* dotale *chaos*.

Idem Eidyllia Magnes Carm. 48. *v.* 30.

> ------ *& Thalamum* dotalis *purpura velat.*

Idem de 4. Conſul. Honorii Carm. 8. *v.* 646.

> *Et toto* dotanda *mari?*

Idem laus ſerenæ Reginæ Carm. 29. *v.* 43.

> *Seque minus jactet Libycis* dotato *Tropæis*

Idem Ibid. *v.* 180.

> ------ *Et regni* dotes *virtute paravit*:

De Gallis Vide Cæſ. *l.* 2. de Cantabris Strab *Geogr. l.* 3. de Gothis, Alamanis, Saxonibus, Longobardis, Neapolitanis & Siculis, Auctores Spelmann. laudatos. In arbitrio autem id viri erat, variis in locis, tantum dare, quantum vellet. Angli verò & Scoti, more Siculorum tertiam ſtatuunt: Cantiani tamen & Burgi quidam, medietatem conferunt, quod etiam Gallica quædam faciunt municipia, *Gloſſar. Archæol.* Uxorem *Dotis* datio dictio à concubinis ſecernebat, apud Athenienſes: Unde in palliato Plauti *Trinumm.* act. 3. *ſc.* 2. *v.* 63.

> *Sed ut inops infamis ne ſim. ne mihi hanc famam differant,*
> *Me germanam meam ſororem in concubinatum tibi*
> *Sic* ſine dote *dediſſe magis, quam in matrimonium.*

In Perſ. *act.* 3. *ſc.* 1. *v.* 68.

> *Cum hac dote poteris vel mendico nubere.*

Nuptiarum enim legitimarum certiſſimum argumentum erat dos, cùm *dotatas eſſe fœminas ad ſubolem procreandam replendamque liberis civitatem, maximè ſit neceſſarium*, inquit Pompon. Quare eleganter Artemidor. filiam cum creditore comparat, quæ *Dotem* poſcit grandis: negavitque meritò Iſæus, Nicodemi ſororem legitimam uxorem Pyrrhi fuiſſe, quia ſorori Nicodemus dotem non dixit, non dedit. Hinc etiam qui ἄπροικον, *ſine dote* uxorem ducebat, inſtrumentis dotalibus tamen acceptam dotem ferebat, cavebatque, ut idem docet Iſæus *in Orat.* ὑπὲρ τῆς Πύῤῥου κλήρου. Virginum autem quædam totam hæreditatem in dotem adferebant, ut orbæ, ſeu ἐπίκληροι, hinc *Dotales* dictæ: reliquæ tres tantùm veſtes & quædam modici pretii vaſa non elaboratæ artis ad maritum ſecum matrimonii ergò deferre Solonis lege juſſæ ſunt. Non quòd præter hæc, nullam aliam dotem ſponſa marito attulit, ſed excreſcenti ſuorum luxui obviam iturus cavit ne ſolenni illâ pompâ, quæ poſtridiè nuptiarum inſtitui ſolebat, tribus veſtibus plures deferrentur, neve hæc Ἐπαύλια, uti vocabantur, quæ in dotem cedebant, magno conſtarent. Præter hæc ulterius in dotem cedebant dona ea, quæ ſponſæ à marito ejuſque ſodalibus ac cognatis dabantur, ἀνακαλυπτήρια Græcis, θεώρητρα Alexandrinis vocata. Ipſam *Dotem* quod attinet, modum ejus non præſcripſit Solon, proin dicebatur dabaturque pro unius cujuſque cenſu & fortunarum modulo. Unde apud Terent. *in Heaut.* Act. 5. *ſc.* 1. *v.* 15. & 18.

> *MEN. Quid* dotis *dicam te dixiſſe filiæ?*
> *CHRE. Duo talenta pro re noſtra ego eſſe decrevi ſatis*:

Verùm ita, ut decima ſaltem bonorum paternorum pars filiæ in dotem daretur. Minima autem *Dos* videtur illa fuiſſe, quam præcepit dandam virginibus egenis, ταῖς Θήσσαις, Solon à Zygitis, tres ſeſquiminæ ſeu centum quinquaginta drachmæ. *Dotem* divertens à marito uxor repetebat, poſtquam profeſſa eſſet apud Archontem, non futuram ſe ampliùs in ædibus mariti: Repetebatur autem per eum, qui mulierem elocaverat ſeu deſponſaverat, aut qui tutor datus fuerat; qui ſi dotem quam repetebat, non accepiſſet, dicam τῆς προικὸς σίτου ſcribebat, interea ſingulis menſibus novem oboli ei pendebantur: quod intelligendum de minima dote, cujus paulo ante mentio facta eſt; Nam luculentiores dotes majus etiam pariebant fœnus pro rata. Cùm ſine prole obiit uxor *Dos* redibat ad illum, qui deſponſaverat; Si quis uxorem dimiſerat, *Dotem* ſimiliter reddere lege tenebatur, niſi redderet, uſuram menſtruam pendere neceſſe habuit & tutori mulieris pro ea de victu ad Odeum dabatur actio: hæ enim controverſiæ in Odeo, ubi jus dicebat Archon, diſceptari ſolebant. Vide Sam. Petit. *Com. in Leges Attic. l.* 6. *tit.* 2. Apud Romanos, ad maritum uxore mortuâ delatam *Dotem* eſſe, docet Pſeudocornutus *ad A. Perſii Sat.* 2. *v.* 14.

> ------ *Nerio jam tertia conditur uxor.*

ubi Nerium morte conjugum locupletatum eſſe refert. Hinc Matt. *l.* 10. *Epigr.* 43. cujus epigraphe ad Philerotem.

> *Septima jam Phileros tibi conditur uxor in agro,*
> *Plus nulli Phileros, quam tibi, reddit ager.*

Si item in adulterio maritus uxorem deprehendiſſet, dote eam mulctare poterat. Unde Acron ad *Q. Horat.* inquit, *antea adulteræ dotem tantùm perdebant.* Ipſe Satyric *Serm. l.* 1. *Sat.* 2. *v.* 128. *& ſeqq.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Janua frangatur: latret canis: undique magno
Pulſa domus ſtrepitu reſonet: vepallida lecto
Deſiliat mulier: miſeram ſe conſcia clamet:
Craribus hæc metuat Doti *deprenſa; egomet mi:*

A' dote dicta ſunt *Dotalia pacta* ſive tabulæ, quibus dote dictâ ſignabantur. His cùm dicta fuerat dies, auſpices noctu & ſub auroram, auguriis operam dabant: Ipſa non priùs ſignabantur, quàm ſolennis ſtipulatio fuiſſet interpoſita, qui ritus colligitur è Plauti *Curculione Act.* 5. *ſc.* 2. *in fine.* v. 62.

------ *ego dotem dabo.*

Signatis acclamabatur, *Feliciter.* Juv. *l.* 1. *Sat.* 2. v. 119.

Signatæ tabulæ: dictum feliciter.

Talis enim erat fauſtæ ominationis exclamatio, quâ bona quæque ominabantur, & auſpicatum contractus initi eventum apprecabantur neogamis &c. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 37. *cum paralipom.* Joh. Dempſt. & infrà *Pacta dotalia.* Tempore nuptiarum apud Hebræos dotem offerebant ſponſi, & ſponſæ quiſque ſuæ tabulas dotales, à Scriba conſignatas in manus tradebat: Si virgo eſſet, ducentos denarios ſeu 50. ſiclos: ſi vidua centum denarios ſeu 25. ſiclos; infrà quam ſummam dos non æſtimabatur, excedere autem & uſque ad talentum auri extendi poterat. Exemplum iſtiuſmodi contractus habes in Apocryphis, Tob. *c.* 7. *v.* 16. *Deinde vocavit Hednam uxorem ſuam, & accipiens libellum ſcripſit inſtrumentum conventionis, atque obſignavit.* Aliud à Bertramo è Babylonico Thalmud deſumptum, ita habet: *Sexto die hebdomadis, quarto menſis Sivan,* A. M. C. 5250. *juxta computandi rationem uſitatam Maſſiliæ, civitate martitima, Sponſus Rabbi Moſes, fil. Rabbi Judæ, dicit Sponſæ Claronæ, filiæ Rabbi Davidis, filii Rabbi Moſis, civi Olyſſiponenſi; Eſto uxor mea; ſecundum legem Moſis & Iſraëlis, & ego, ſecundùm verbum Dei, venerabor, honorabo, tuebor & regam te; pro more maritorum apud Judæos uſitato, qui venerantur, honorant, tuentur & regunt ſuas uxores fideliter. Ita ego polliceor tibi dotem Virgini debitam, nempe ducentos denarios argenteos, qui ad te vi legis ſpectant: inſuper cibum, veſtitum, & neceſſaria quævis: tandem commercium conjugale, pro more totius Mundi.* Vide Thom. Godwyn. *l.* 6. *de ritibus Hebræorum. c.* 4. & Joh. Selden. *Uxor. Hebraic. l.* 2. *c.* 9. & *ſeqq.* uti de iis quæ præter *dotem* viris deferuntur, infrà in voce *Parapherna*, de *quaſi Dote* verò Pellicum, ubi de iis.

DOSA, Aſſyriæ urbs, & Indiæ intra Gangem opp. *Ptol.*

DOSARENI, Arabiæ Felicis gens. *Ptol.*

DOSARON, Indiæ intra Gangem fluv. *Ptol.*

DOSCI, Aſiæ ad Pontum Euxinum pop. *Strabo.*

DOSIADAS, condidit è verſibus Βωμὸν, ſive Aram, à figura ſic dictam. Meminit ejus Lucian. *in Lexiphane.* Patriâ Rhodium fuiſſe, liquet ex Græcis Scholiis *ad Ovum Simmiæ.* Primus edidit Salmaſ. ac eruditis Scholiis emendavit. At altera ara, quæ Theocrito ſolet ſubjungi, nec Theocriti, nec Doſiadæ eſt, ut eidem Salmaſ. oſtenſum. *Nic. Lloydius.*

DOSIADES, de rebus Creticis libros edidit. Plin. *l.* 4. *c.* 12. Fortaſſe idem eſt ac *Doſidas*, ex quo à Clemente *in Protrept.* quiddam de Lesbiorum ſacrificiis adfertur. Idem.

DOSITHEI, unus ex quatuor ramis Sectæ Samaritanæ, inter Judæos, cujus auctor Doſitheus, qui longo jejunio enecatus ridiculè & impiè, periit. Epiphan. *in panar. l.* 1. *c.* 13. Origen. *periar. l.* 4. Ab eſu animatorum abſtinentes, Sabbathum immoti colebant. Monogamiæ, & cœlibatus cultores. Item, Diſcipuli Simonis Magi. Theodoret. *Hær. fab. in Sim.*

DOSITHEUS Hiſtoricus quem teſtem ſæpe adhibet Plutarch. *in Paral. Min.* Alius eſt *Doſitheus* Aſtrologus, cujus meminit. Plin. *l.* 18. *c.* 31. Item nomen Ducis. 2 Macch. *c.* 12. *v.* 19.

DOSITHEUS, cognom. *Studites* Monachus, Iſacio Angelo perſuadens, Fridericum I. in Orientem moviſſe, ut Conſtantinopolim caperet, Patr. Hieroſolymitanus factus eſt: ad Conſtantinop. cùm aſpiraſſet, utroque excidit. Nicetas, *in Iſacio Ang.* 1193.

DOSO, cognomen populare Antigoni Demetrii nepotis, inde tractum, quòd benignè omnibus promitteret, nec promiſſa præſtaret. Ille enim quidvis petentibus reſpondere ſolebat Δώσω, i. e. *Dabo*, unde natum proverbium, *Doſones.*

DOTHAIM, opp. tribus Zabulon, 5. mill. à Bethulia in Bor. 12. à mari Tiberiadis in Occ. 30. autem à Samaria in Bor. Agrum habuit fontibus irriguum, paſcendiſque pecoribus aptiſſimum.

DOTHAN, i. e. *ritus*, aut *lex*, locus in Judæa, ubi Joſeph reperiit fratres ſuos pecora paſcentes. Gen. *c.* 37. *v.* 16. & 17. qui etiam Hieronymi temporibus ſupererat, in duodecimo à Sebaſte miliario contra Aquilonis plagam, 2 Reg. *c.* 6. *v.* 13.

DOTIDAS, Rex Meſſeniorum, Iſthmio ſucceſſit, Polydecte apud Spartanos regnante. Eum excepit Sybotas. Pauſanias *Meſſeniacis.*

DOTIUM, urbs Theſſaliæ. Vide *Steph.*

DOTO, Nympha marina, Nerei ac Doridis filia Virg. Æneid. *l.* 9. *v.* 102.

------ *Qualis Nerëia* Doto,

Meminit ejus Valer. Flacc. *Argon. l.* 1. *v.* 134.

Hanc Panope, Dotoque *ſoror, Lætatáque fluctu.*

DOUÆUM, opp. Andegavenſis prov. trans Ligerim, ubi amphitheatrum penè integrum. 3. leuc. à Salmurio in Auſtr. 7. ab Andegavo in Eur. prope amnem *Layon.*

DOUANA, apud Saracenos, Sultanorum Palatium, ubi theſauri eorum aſſervabantur, Vicent. Belvac. *l.* 31. *c.* 145. Atque hinc ædes, quibus Fiſcales reditus, vectigalia, portoria, & cætera id genus tributa pro mercibus earumque transvectione inferuntur, apud Hug. Falcand. *de Calam. Sicil.* Vox Gallis Italiſque etiamnum eâ notione in uſu.

DOVARNENA, opp. Galliæ munitum, in Britannia inf. in Cornubia tractu verſus Occ. Unde ſinus adjacens *Baye de Douarnene*, cum portu capaci. 4. leuc. à Coriſopito in Circ. versùs Gobæum prom. à quo 9. leuc. diſtat in Eur.

DOVEONA, ſeu DEVEONA & DIOLINDUM, Cadurcorum in Gallia urbs, Ptol. *Cahors. Dove*, vel *Douve* pagus Lipſio in Amphitheatro: Vineto *Donvelle*, 1. leuc. infrà ad Occ.

DOUGLASSIUS Galvinus, vel Gavinus, Ep. Dunkeldienſis, ex illuſtriſſima apud Scotos familia, carmina Scoticâ linguâ ſcripta dedicavit Jacobo IV. ſcripſit etiam hiſtoriam Scot. &c. Polydori Virgilii amicus, hujus *hiſt. Angl. l.* 3. Obiit Londini A. C. 1521. Nomen familia habet, à caſtro cognom. in Com. Cliddeſdalia. Vide *Duglaſium.*

DOUSA Janus, Nordvicus, urbis Lugd. Batav. præfectus, in memorabili illa Hiſpanorum obſidione, A. C. 1575. operâ ſtrenuè navatâ, condendæ ibi Academiæ Gulielmo Arauſionenſium Principi celeberrimo auctor, primus ejus Rector & per A. 29. Curator extitit, ſicque Muſis cum Marte optimè convenire ſuo exemplo docuit. Vir tantâ doctrinâ, ut *Bataviæ Varro & Academiæ commune Oraculum* haberetur. Pater Jani, excellenti ingenio & doctrinâ inclyti, qui Anno 24. æt. A. C. 1596. Lugd. Batav. obiit, redux ex perigrinatione, cum Philippo Mornæo fil. & Petro Perillæo, per aliquot regna & regiones obitâ. De utroque ſic Grot. *in Hiſt. l.* 5. *Douzæ genus geſtique honores, & toleratum Lugduni obſidium, apud poſteros, gloriâ carminum prementur: in queis tamen ejuſdem nominis filius præcellit, idem patri Annalibus Hollandiæ condendis ſocius, & par majoribus meditamentis, ni mors immatura juvenem ſummæ eruditorum expectationi abſtuliſſet.* Alius Jano fil. Georgius fuit, itinere Conſtantinopolitano celebris: peſte, in expeditione Batavorum ad Canarias, extinctus, A. C. 1599. Quem ſequutus eſt Pater A. C. 1604. Vide & Melch. Adami *Vitis Jurecoſſ.* Baudium *Ep.* 42. *cent.* 1. & 41. *cent.* II. *Bibliogr. Curios.* Scaligerian. Anton. Teiſſier *in Elogiis*, ubi utriuſque Jani libros in lucem editos enarrat, ac quoque aliquid in voce. *Janus*, it. *Theodorus.*

DOXANDER, ob non obtentas filiis ſuis in matrimonium Timophanis locupletiſſimi Mitylenenſium relictas filias, Seditionem excitavit, Patriamque bello, advocatis Athenienſibus, involvit. Vide Ariſtot. *l.* 5. *Polit.* 4.

DOXIUS, Cœli fil. lutei ædificii inventor, exemplo ab hirundinum nidis ſumpto, Plin. *l.* 7. *c.* 56.

DOXOLOGIA, Græcè Δοξολογία, i. e. *Glorificatio*, in Eccleſia dicitur Hymnus hic glorificationis, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto: ſicut erat in principio & nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum, Amen:* quem uſurpabant Vett. in fine Hymnorum & Pſalmorum, quò clariùs Deitatis unitatem, in Trinitate perſonarum, & unam Trinitatis gloriam, honorem eandemque glorificationem, palàm profiterentur, Vide Baſil. M. *de Sp. S. c.* 27. & 29. ubi antiquâ conſuetudine populum Chriſtianum, pro veſpertino lumine, gratias agere ſolitum hacce formulâ, Αἰνοῦμεν πατέρα, καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, addit. Fuit autem Hymnus ille diligenter in Eccleſia retentus, pro cuſtodia doctrinæ Nicenæ, contra Arianos, qui æqualem eandemque Filio & Spiritui S. gloriam cum Patre tribuere recuſantes, hanc *doxologiæ* formulam adhibebant: Σοὶ τῷ Πατρὶ, ἡ τιμὴ καὶ ἡ δόξα, διὰ τοῦ μονογενοῦς σου Υἱοῦ, ἐν τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, *Tibi Patri honor & gloria, per unigenitum tuum Filium, in Sancto Spiritu*, teſte eodem ubi ſuprà, *c.* 25. Unde Leont. Arian. Ep. Antiochen. in recitanda glorificatione, cùm alii canerent, *Gloria Patri & Filio;* alii, *Gloria Patri per Filium in Spiritu S.* ut fraudem abſconderet, doxologiam tacitè recitaſſe, ut ultima ſaltem verba, *in ſecula ſeculorum*, ab iis qui prope erant, audirentur, refert Theodoret. *Hiſt. l.* 2. *c.* 24. Tempore verò Conſtantii Imp. eoſdem glorificaviſſe, Πατέρα ἐν Υἱῷ, *Patrem in Filio*, refert Sozomen. *Hiſt. Eccl. l.* 3. *c.* 19. Vide quoque Niceph. Call. *Hiſt. Eccl. l.* 9. *c.* 24. &c. In Eccleſia Rom. Hymni hujus originem Hieronymo tribuit Remigius Antiſſiodor. Ita certè Hieronym. ad Damaſ. Ep. Rom. *Tom. I. Concil. p.* 625. *Col.* 1. *edit. Pariſ. Precatur ergo Cliens tuus, ut vox iſta pſallentium in ſede tua Romana, die noctuque canatur & in fine Pſalmi cujuslibet, ſive matutinis, ſive veſpertinis horis conjungi præcipiat Apoſtolatus tui ordo, Gloria Patri & Filio & Spiritui S. Sicut erat in principio & nunc* &c. uti ſuprà diximus, Vide Joh. Forbeſ. *Inſtruct. Hiſt. Theologic. l. I. c.* 22. *toto.* Apud Græcos duplex eſt, Μεγάλη, i. e. *magna*, nempe Hymnus Angelicus, *Gloria in Excelſis*, & Μικρὰ, *i. e. parva*, quæ ſæpius in fine Pſalmorum repetitur, Trinitatis Glorificatio, *Gloria Patri & Filio* &c. Vide Germanum Patr. CP. *Hiſt. Eccl. p.* 154. Jac. Gothofred. *ad Philaſtr. p.* 147. Meurſ. *in Gloſſar.* Goarum *ad EuchＯlog. Gr. p.* 58. &c. laudatos Car. du Freſne *Gloſſar.* ut & infrà in voce *Hymnus.* In genere verò, primam cujuſcunque orationis partem apud Vett. Chriſtianos Δοξολογίαν fuiſſe, cui ſubnexam Εὐχαριστίαν, Ἐξομολόγησιν, ac Αἴτησιν, Tandemque in Δοξολογίαν iterum precationem terminatam, docet Origenes περὶ Εὐχῆς, nuper à Cl. Wetſtenio. Juv. cum *Verſione* ac *Notis* emendatius in lucem datus, *Baſileæ.*

DRABESCUS, Thraciæ regiuncula. *Steph.*

DRABUS, fluv. Norici. Vide *Dravus.*

DRACÆ, Aſiæ pop. circa Caucaſum. *Trogus.*

DRACANUS, mons ubi Jupiter Bacchum è femore natum edidit. Theocritus in Lenis, ſive Bacchis *Idyll.* 26.

Χαίροι μὲν Διόνυσος ὃν ἐν Δρακάνῳ νιφόεντι
Ζεὺς ὕπατος μεγάλαν ἐπιγουνίδα θήκατο λύσας.

Vide Nat. Com. *p*, 513. & Palmer. *p.* 813.

DRACHINÆ, Ariæ gens. *Ptol.*

DRACHMA, Gr. Δραχμὴ, genus nummi, quod interdum λεπτὸν ὁλκὴν, ὀβολὸν, δηνάριον, quoque iidem dicebant, Romanis *Denarius* fuit, h. e. ſeſtertii quatuor. Quod ad pondus, ſeptem drachmæ unciam incurrunt; unde conſequitur, cùm libra ſit 12. unciarum, 84. drachmas fore in libra. Hinc Scribon. Larg. *Ep. ad Calliſtum: Erat autem nota denarii unius pro Græca drachma,* Æque cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

enim in libra octoginta quatuor apud nos, quot drachmæ apud Græcos incurrunt. Vide Oiſelium *Not. in A. Gell. l.* 1. *c.* 8. *μυρίας δραχμὰς ἢ ἀπαλλάσ. φοροῦσι* infra *μυρίων δραχμῶν μεταμελῆσαι*. Verùm ſubtili examine minam à libra, *Drachmam* à denario differre, docet Budæus: interim cùm ad ejus pondus proximus accederet denarius, utrumque par fuit ratio habita. Octavam unciæ partem fuiſſe, aſſerit Joh. Frid. Gronov. ex Iſid. *l.* 14. *c.* 24. *Drachma octava pars unciæ eſt, & denarii pondus, argenti tribus conſtans ſcrupulis. i. e. octodecim ſiliquis.* Hinc Fannius.

Uncia ſit drachmis bis quatuor: unde putandum
Grammata dicta, quod hæc viginti quatuor in ſe
Uncia habet.

Et Voluſius, *Drachmæ uncia in ſcripula viginti quatuor.* Idem Joh. Frid. Gronov. contra Hotomann. non 84. ſed nonaginta ſex drachmas libram efficere, probat. Namque & Fannius Remmius, modo laudatus:

Accipe præterea parvo quam nomine Graji
Mnan vocitant, noſtrique minam dixere priores:
Centum hæ ſunt drachmæ. Quod ſi decerpſeris illis
Quatuor, efficies hanc noſtram denique libram.

Et Priſcianus *habet autem mina drachmas habet nonaginta ſex* &c. Valebat *Drachma* Attica ſex oboles, ſicut Æginæa decem: porrò habebat 48. chalcos, & argentea decima pars fuit ſcutati aurei. Nam in argento & auro, non in ære, vetuſtiores drachmam ponebant, vide Joh. Frid. Gronov. *de Pec. vet. paſſim.* Nomen quod attinet, *Drachma* à *δράττεσθαι*, i. e. *continere* dicitur: quia comprehendit tantum *κέρματα* ſive *κερμάτων*, (ſic Græci vocabant exiguos nummulos æreos, quos cum Seneca *minutias æris* vocare poſſumus) quantum manu quis in pugnum contracta capere ac continere poſſit. Cùm antiquam *ὀβολῶν*, tum hanc *Drachmæ* originationem didicimus, partim ex vett. Grammaticis, partim illo Plutarchi loco *in Lyſandro*: *Καὶ ἄλλως δὲ τὸ νόμισμα ἀρχαῖον ὡς ἔοικεν, ὀβελίσκοις χρωμένων σιδηροῖς: ἐνίων δὲ χαλκοῖς, ἀφ' ὧν παραμένει πλῆθός τι τῶν κερμάτων ὀβολοὺς καλεῖσθαι. δραχμὴν δὲ τοὺς ἓξ ὀβολούς. τοσούτων γὰρ ἡ χεὶρ περιεδράττετο. Videtur autem omnino vetus moneta ſe ſic habere, quia ὀβελίσκοις utebantur* (i. e. nummis obeli figuram imitantibus) *ferreis, quidam etiam æreis. Unde permanet, ut hodieque multitudo minutiarum æris oboli vocentur: Drachmæ autem ſex oboli, quia tantum manus comprehendebatur.* Oiſelius verò *loco ſupra laudato* ab Hebræo דרכון idem ſignificante vocem deducit: Invenias Nehem, *c.* 7. *v.* 70. Vide Voſſ. *in Etymol.* Mentio *Drachmæ* in N. T. Lucæ *c.* 15. *v.* 8. *Aut quæ mulier habens drachmas decem* &c. item Act. *c.* 19. *v.* 19. ubi *ἀργύριον argenti* nomine venit. Erat autem apud Judæos quarta pars ſicli. Hinc *Δίδραχμον*, *Didrachmum*, Matth. *c.* 17. *v.* 24. ubi Syriaca verſio habet *Duo Zuzin*, qui idem valuêre apud Hebræos, quod Denarius apud Romanos duplex. Iſtiuſmodi Didrachmus nummus ſeu ſiclus dimidius olim apud Iſraëlitas quotannis templo pendebatur, ab omnibus viceſimum Annum egreſſis, Vide Exod. *c.* 30. *v.* 13. quod tributum poſtea à Cæſare in ſuos uſus converſum, occaſionem dedit Judæis, quærendi è Servatore noſtro: *An liceat Cæſari tributum ſolvere?* Quibus Chriſtus reſpondit, *Reddite Cæſari quæ Cæſaris ſunt: & Deo quæ Dei ſunt.* Itaque religioſiores ex illis, utrumque pependêrunt, Cæſari ſuum & Templo ſuum *Didrachmum*: donec, everſo templo, Veſpaſianus Capitolio id pendi lege juſſit. Vide infra *Semiſiclus*. Apud Græcos *Didrachmus aureus*, Gr. *χρυσοῦς*, pro argenti valebat drachmis viginti: quot drachmas fecêre decem Didrachmi argentei &c. Vide Thom. Godwyn. *de ritib. Hebr. veter. l. ult. c. ult.* &c. ut & infrà, in voce *Minuti*, it. *Oratori Quadrantes*.

DRACHONUS, ſeu DRACONUS, quod vide fluv. Gall. Belg. per Auſtraſiam, ſive Lotharingiam in Moſellam influens, Auſ. Moſella. *Edyll.* 10. *v.* 365.

Prætereo exilem Leſuram tenuemque Drahonum.

Hodiè *Drava*, vel *die Draven*, dicitur. *Drapponus* legit Scalig. Item fluv. Auſtriæ, cum opp. cognom. *Drava*. Vide *Dravus*.

DRACKIUS, Franciſc. Angl. circumnavigato, ſub Elizabetha, orbe inclytus: itinerarii ipſe auctor. *Camden.*

DRACO, antiquiſſimus Athenienſium legiſlator ante Solonem, cujus leges Solon ipſe, præterquam quæ de cæde erant conſtitutæ, abrogandas curavit, propter ſeveritatem. Nam una omnibus pœna conſtituta erat; ut etiam qui deſidiæ damnati eſſent, aut qui olera ſurripuiſſent, capite plecterentur. Ob quam cauſam Demades dicere ſolebat, *Draconem non atramento, ſed ſanguine leges ſcripſiſſe.* A. Gell. *l.* 11. *c.* 18. Et Herodicus, non hominis, ſed Draconis leges ajebat eſſe. Cujus rei cauſam cùm ab eo quidam quæſiſſet, reſpondiſſe fertur, parvas quidem ſe culpas eâ pœnâ dignas exiſtimaſſe, magnis verò quam majorem conſtitueret, non habuiſſe. Plutarch. Obitus hujus felicitate pariter ac miſeriâ, admirabilis fuit. Cum enim in Æginæ theatro, propter latas leges, lætis acclamationibus celebraretur, pluribus petaſis, tunicis & veſtibus lætitiæ ſignis, capiti ſeni, injectis ſuffocatus interiit, & in ipſo theatro ſepultus eſt. Scripſit 3000. verſ. Tatian. *c. Gentes* Clem. 1. *Strom.* Diog. *in Solone.* De Legibus ejus Joſephus *c. Apionem l.* 1. *In ſcriptis publicis* (Græcorum) *nihil vetuſtius fuit Draconis Legibus*: Scriptæ autem circa Olymp. 39. tam ſero Græci res ſuas literis mandare cœpêrunt, Joh. Marshamus *Canone Chron.* in *περὶ γραμμάτων*.

DRACO, fil. Hippocratis, Medicus inſignis. Item, homo quidam ſceleratiſſimus. Vide *Pythia*.

DRACO, Gr. *Δράκων*, per metatheſin, ut vult Feſtus quaſi *Δαρκών*, à *δέρκω*, video: Cæterì Scalig. dictus à *δρᾶν ἄκος*, *facere dolorem*; Voſſ. *ἀπὸ τοῦ δρᾶν ἄκος*, *facere medicinam*; nempe, quia innoxii ſunt. *Veris enim draconibus ora parva, & ad morſus non dehiſcentia*, Solinus *c.* 30. ubi etiam *non in dentibus, ſed in cauda vim habere, & verbere potius, quam ictu, nocere*, addit. Et ſi enim illis morſus eſt, nil nocet, quod veneno careant: unde Veteribus in deliciis & oblectamentis, qui eos *agathodæmonas*, *ἀγαθοὺς δαίμονας*, vocabant. Serv. *ad Poetæ verſum illum*, de vipera,

---- cœlumque exterrita fugit:

Tectis, inquit, *gaudet*, *ut ſunt ἀγαθοὶ δαίμονες*, *quos Latini genios vocant.* Inde *innoxia Numina* Lucan. *l.* 9. *civ. bell. v.* 727.

Vos quoque qui cunctis innoxia Numina terris
Serpitis aurato nitidi fulgore dracones,
Peſtiferos ardens facit Africa,

Vide etiam infrà in voce *Dracontio*. Certè inter Deos *dracones* ab Ægyptiis relatos eſſe, docet Martian. Capella *l.* 1. ubi de Saturno, quem, *draconem caudam*, proin vocat Albricus. *Draconis* enim *caudam vorantis* hieroglyphico Tempus huic genti denotatum eſſe, notum. Sic *Draconem luci Nemeæi*, pro Numine habitum, diſcas ex Lucan. *l.* 3. Saltem ſanctos fuiſſe *dracones* & angues priſcis certum eſt, quos recenſere longa ſit ſeries: Nec ullus majorum gentium Deaſter, cui non conſecratus aliquis talis. Qua de re pluribus agit Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. Theb. l.* 5. *v.* 400. & 511. Omnes autem Æſculapio, præcipuè qui ſunt fulvo colore, adſeribit Pauſan. *l.* 2. Quæ altera ratio eſt, qua etymon ſuum roboret Voſſ. Nam & Æſculapii filia *Panacea* dicta eſt ex *πᾶν* & *ἄκος*, *omne & remedium*, ut ipſo nomine omnium morborum remedia promittat, Plin. teſte *l.* 24. *c.* 4. Ideo autem Æſculapio olim *Dracones* dicati, quia Medicum *ἄγρυπνον* ac *circumſpectum* eſſe oporteat; quæ virtus cum in militia quoque ſit eximia, poſterioribus Romani Imperii temporibus, *Draco* ſingularum erat cohortium ſignum, ut infrà videbimus.

De DRACONE Baccho ſacro, qui 5. terræ jugera corpore æquabat à quotidianis victimis colebatur ab Indis, vide Maximum Tyr. *Diſſert.* 33. & Freinshemium *ad Curtium l.* 9. *c.* 1. Porrò *Dracones* non Dii ſolùm, vel ſaltem Diis ſacri, habiti ſunt, ſed & eorum ſpecie Deaſtros, Geniſium apparere gaviſos frequenter legimus. Ac tum floribus ſparſis, quà ſerperent, culti fuêre. Ovid. Metam. *l.* 15. *v.* 683. & *ſeqq.*

Annuit his; motiſque Deus rata pignora criſtis,
Et repetita dedit vibrata ſibila lingua.
Tum gradibus nitidis delabitur, oraque retro
Flectit, & antiquas abiturus reſpicit aras.
Aſſuetaſque domos, habitataque templa ſalutat.
Inde per injectis adopertam floribus ingens
Serpit humum, flectitque ſinus,

Vide quoque Papin. Stat. *Theb. l.* 5. *v.* 580.

Floribus & vernis adſpectæ ſpargere Nymphæ.

Et de hoc aſperſorum florum honore, Barth. *præfat. ad Claudian.* &c. Quod verò illis jubas criſtaſque affingunt Poetæ convincuntur teſtimonio Jubæ Regis. Cornificius tamen *ad Herenn. l.* 4. *draconem* neſcio quem, Romanum Forum circumvolitantem, *jubatum draconem* vocat. Sed & qui ipſi Orientem luſtrarunt, *criſtatos dracones* viſos teſtantur, inter quos Jac. Vitriac. *l.* 1. *c.* 89. Unde Juba de Africanis ſolùm (qui etiam ſoli ab æſtu regionis venenum trahunt) intelligendus eſſe videatur. *Jubas* autem infra & ſupra dracones, os habere auctor eſt Ælian. *l.* 10. *c.* 25. at fœminas carere hoc ornamento, idem docet *l.* 11. *c.* 26. De alis eorundem diximus ſuprà, in voce *Alati*. Vide iterum Barth. ubi ſuprà, *Theb. l.* 2. *v.* 279.

------ viridumque Draconum
Lucentes a fronte jubas: hic flebile germen,

Ut pauca addam, illorum criſtis Bacchum fuiſſe olim inſignitum; Hecatem item dracone coronari ſolitam, diſcas ex Car. Paſchalio *Coronar. l.* 1. *c.* 16. & *l.* 7. *c.* 12. Etiam Minervæ *Draconem* Sacrum fuiſſe, dicemus ſuo loco. Eoſdem multa egregiè ad Medicinam facientia, præcipuè Magicam in ſe habere vim, multis adſtruit Plin. *l.* 29. *c.* 4. *Draco non habet venena, Caput ejus limini januarum ſubditum propitiatis adoratione Diis, fortunatam domum facere promittunt,* Infrà, *Draconum adipem venenata fugiunt.* Sed & Theſaurorum cuſtodes olim fingebantur, quia ibidem vigilantiâ opus &c. Vide Phædr. *l.* IV. *Fab.* 19.

Pervenit ad Draconis ſpeluncam ultimam,
Cuſtodiebat quid Theſauros abditos.

Et Voſſ. *de Idol. l.* 4. *c.* 54. Adde Salmaſ. *ad Solin.* ubi de draconibus, quos *elephantias* quoſque *chamædracontes* hic Auctor vocat, *p.* 307. 308. 343. Sam. Bochart. *Hierozoici Parte poſter. l. III. c.* 4. & quæ hic paſſim, inprimis in voce *Serpens*.

DRACO, Aſiæ minoris mons in Tmolo deſinens. Plin, *l.* 5. *c.* 29.

DRACO, ſigni ſeu vexilli ſpecies. *Perſici Dracones* capti ſub Aureliano memorantur Vopiſco *in Divo Aureliano*, *Tunc illæ veſtes, quas in templo Solis videmus, conſertæ gemmis, tum Perſici dracones & tiaræ* &c. Inter ſigna nempe Perſarum, eâ quidem ætate, *Dracones* fuêre; paulo verò antè Parthorum, qui in Oriente rerum erant Domini, & apud quos, cùm cohortes millenariæ eſſent, cuique cohorti ſuus *draco* erat. Erant autem hi *dracones* ſimulacra verorum draconum eâ arte expreſſa ad terrorem hoſtibus inferendum, ut vulgò apud Romanos aliquando crederetur, viva ipſa animalia, non illorum imitamenta, ad bellum ferre Perſas: quæ in conflictu hoſtes appeterent, & miſerè vorarent. Quam falſam auditionem ridiculè ſecutus erat Hiſtoricus ille, cujus ineptias exagitat Lucian. *de conſcrib. Hiſt.* Præter Parthos, Perſaſque Indi quoque, ac Scythæ, *draconibus* uſi, ut ex Suid. diſcimus. Ad Romanos à Parthis tranſiiſſe, vult Caſaub. *ad Vopiſc.* Ab Aſſyriis, Codin. *de Offic. Conſtantinop.* Sed hos ſpectaſſe aliò vult Voſſ. Nam *draco* illis vel Numen Bel, vel Numinis ſymbolum fuiſſe videtur, vide Hieronym. *Præfat. in Daniel.* Alii verò iſtiuſmodi vexilla primùm cœpiſſe deferri, apud Romanos, tradunt, poſtquam Trajanus Dacos vicit, qui ſignis ejuſmodi ſimiliter utebantur. Erant autem *draconum* effigies depictæ, in ipſis vexillis lineis aut ſericis,

cis, cæſque purpureæ, Ammian. Marcell. *l.* 15. *c.* 16. Claudian. *in Ruffin. l.* 2. Alii. Neque ſolùm in militia, ſed & in pompa, præferebantur. Trebellius *in Gallienis*; ubi de Gallieno Decennia celebrante, inter alia, *Haſtæ*, inquit, *auratæ altrinſecus quingenæ, vexilla centena, quæ collegiorum erant, dracones, & ſigna templorum omniumque legionum ibant* &c. Hinc nomen Δρακοντεῖον, vexillo illi, quo in cerimoniis ſuis utebantur Byzantini Auguſti recentiores, de quo aliiſque eorum ornamentis accuratè agit Car. du Freſne *ad Alexiadem*. A Romanis porrò *Draconem* fortè accepêre, in præcipuum exercituum ſuorum vexillum, Impp. Occidui. Certè Gul. Brito, Carocium Othonis deſcribens, *Draconem* eidem pro ſigno impoſitum fuiſſe, diſertè memorat *Philipp. l.* 2.

Erigit in carro palum, paloque Draconem
Implicat, ut poſſit procul hinc, procul inde videri,
Hauriat & ventos caudâ tumefactus & alis,
Dentibus horreſcens, rictuſque patentis hiatu,
Quem ſuper aurata volucer Jovis imminet ala.

Imò & Saxonibus, inter militaria fuiſſe *Draconem* ſigna, docet Witikindus *Geſtor. Saxon. l.* 1. & Anglis, ubi ab ineunte fere Regni origine ad hæc uſque tempora præcipuum inter Regalia habeatur ſigna, non ſecus ac *Auriflamma* olim in Gallia, oſtendit Car. du Freſne: origine moris hujus ab Uterpendragone petitâ, quem, cùm ſtellam Draconis ignei effigie horridam in cœlo conſpexit, futuri Regni omen, duos *Dracones* ex auro confieri, unumque horum in Æde Wintonienſi collocari juſſiſſe, altero in præliis uſum eſſe, tradit Matth. Monaſterienſis *A.* C. 498. De Ducibus Normanniæ, idem docet Car. du Freſne ex vet. quodam *Regeſto* Fœderum Franciæ: De Flandriæ Comitibus vide *Chronic.* Andrenſe *p.* 491. De omnibus tandem penè nationibus, *le Roman de Garin*, apud Car. du Freſne *Gloſſ.* Sed & *Draco* in Eccleſ. Rom. dicitur effigies *Draconis*, quæ cum vexillis, in Eccleſiaſticis proceſſionibus, deferri ſolet, quâ vel Diabolum ipſum, vel hæreſim triumphatam deſignari ajunt. *Conſuetudines* Cœnobii Floriac. *Dominicâ in Ramis Palmarum duæ fiunt proceſſiones: poſterior ad Floriacum, præeunt vexilla & Draco.* Alibi: *Ad proceſſionem portatur aqua benedicta & thuribulum ſine igne, & Crux &* Draco *in pertica. Unus verò de infantibus in conſa, à Magiſtro ſuo præparata, affert candelam accenſam, ut præſtò ſit ignis, ſi extinguatur, qui in ore Draconis portatur. Ipſo die portatur Draco à Theſaurario* &c. Vide Beletum *de Divin. Offic. c.* 123. & Durand. *Rat. l.* 6. *c.* 89. *n.* 12. & *c.* 102. *n.* 11. laudatos, *in Gloſſ. cit.*

DRACO ſubverſus, Ordo Eq. inſtitutus, à Sigiſmundo Imp. A. C. 1418. poſt concilium Conſtantienſe: quaſi in ſignum debellatæ in Joh. Huſſo & Hier. Pragenſi, veræ fidei defenſoribus ſtrenuis, perfidè necatis, hæreſeos. Bonfin. *Hiſt. Hung.* Favin. *theatro hon. & Eq.*

DRACON; fluv. ad radices Veſuvii montis. Procop. Juxta Nuceriam labitur. *Dragone* vulgò.

DRACONARII apud Petr. Diacon. *Chron. Caſin. l.* 4. *c.* 39. ubi Henrico Regi, Romam adventanti, obviàm iiſſe ſcribit *Bajulos, Cereoſtatarios, Stauroforos, Aquiliferos, Leoniferos, Draconarios* &c. Græcè quoque Δρακοντάριοι, ut liquet ex Leonis *Conſtit.* 3. & Δρακοντειοφόροι, quod eſt in *Gloſſis* Græco Latinis, dicti ſunt qui *dracones*, vexilla ſc. de quibus modò dictum, geſtarent. Sed & Vopiſc. jam eorum meminit in *Aureliano*, *Aquilifer legionis tertiæ, cum Vexilliferis & Draconariis.* Apud Romanos namque *Dracones* per ſingulas cohortes ad prælium ferebant. Lapſo enim penè imperio aquilis dracones ſucceſſêre. Sidon. Apollin. *Carm.* 2. *v.* 232.

Ut primùm veſtras aquilas provincia vidit,
Deſiit hoſtiles confeſtim horrere dracones.

Ubi hoſtibus illos tribuit, aquiliſque opponit: ſed utroſque conjungit Vopiſc. *d. l.* & Claudian. *de Nuptiis Honorii & Mariæ.*

Carm. x. *v.* 193.

Stent bellatrices aquilæ, ſævique dracones.

Idem *de.* 4. *Conſul. Honor. Carm.* 8. *v.* 544.

——— ——— *Ferventeſque tument poſt terga* dracones.

Atque hi quidem non è metallo aliquo formati, ut aquila, ſed vel picti, vel intertexti, & in *linteo*, ut Tertullian. refert, *depicti*. Hinc vento moveri dicuntur Ammiano Marcell. *l.* 14, & Sidon. Apollinar. *Cam.* 5. *v.* 409. ſic canit:

------ ------ ------ *Textilis anguis*
Diſcurrit per utramque aciem, cui guttur adactis
Turgeſcit Zephyris, patulo mentitur hiatu
Iratam pictura famem.

Color iſtiuſmodi vexillo purpureus, teſte Iſid. *l.* 14. *c.* 41. Alioquin equitum cœruleum; peditum erat roſeum vexillum. Vide Thom. Dempſter. *in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 10. *paralipom.* & plura ſuprà.

DRACONIGENA, à poëtis dicebatur urbs Bœotiæ, à Cadmo, cum quinque viris ex Dracone ab ipſo interfecto natis, conſtructa, dicitur & *Thebæ*.

DRACONIS, inſ. in Libya. *Steph.*

DRACONIS Sanguis, concreto ſucco rubens, inter viſus obſonia, quibus Mariam Mediceam Galliæ Reg. Amſtelodami excepit Societas Indiæ Orientalis, memoratur Car. Barlæo in *Medicea*. Vide quoque ſuprà in voce *Cinnabari*.

DRACONITES Joh. Coroloſtadio oriundus; Latinè, Græcè, Hebraicè & Chaldaicè doctiſſimus. Theologiam primò Marpurgi; inde Roſtochii docuit, factus dein Sambiæ Ep. in Pruſſia Ducali. Unde tamen Wittebergam conceſſit, ut editioni, quam moliebatur, Bibliorum V. lingg. ad imitationem Origenis, alteriuſque Alcalenſis editionis, ibi vacaret. Verum morte præventus tantum opus abſolvere non potuit, factum id autem A. C. 1566. æt. 72. Melch. Adami *Vit. Theolog.* Thuanus, Anton. Teiſſier *in Elogiis Part.* 1. ubi Scriptorum ejus Catalogum exhibet.

DRACONON, vel DRACONUM, opp. & mons Icariæ, inſ. Steph. Sed Plin. *l.* 4. *c.* 12. eſt inſ. maris Ægæi deſerta.

DRACONTIA, nomen gemmæ, apud Plin. *l.* 37. *c.* 10. *Draconites ſive Dracontia è cerebro fit draconum*: hic, *Exciditur è cerebris draconum dracontias lapis, ſed lapis non eſt, niſi detrahatur viventibus.* Et ex eo Solin. *c.* 30. quorum is, Græcè ἡ δρακονῖτις, unde *dracontitis* apud Plin. reponit Salmaſ. & ἡ δρακοντίας, ſub. *gemma*. Nempe creſcit & coaleſcit gemma hæc in capite draconis, quam ut conſequantur incolæ (in India id fieri idem Plin. habet) dormientibus his animalibus capita amputant. Quâ arte autem dracones à venatoribus ſopiantur, idem Solin. mox ita exponit: *Præſtantiſſimi audaciâ viri explorant anguium foveas & receptus: inde præſtolati ad paſtum exeuntes, prætervectique percitis curſibus, objiciunt gramina medicata ---- ad incitandum ſoporem: ita ſomno obſopitis, è capitibus exſecant lapides* &c. Paulo aliter venationis hujuſce modum enarrat Philoſtrat. *Apollonii l.* 3. ubi de paluſtribus montaniſque draconibus prolixè diſſerens, in horum capitibus *ineſſe lapillos* hujuſmodi tradit, *ſpecie adſpectuque jucundos, neque non coloribus aut tincturis ſplendorem inducentes, effectu virtuteque admirandos*; uti ex Græco reddit Barth. qui totam hanc hiſtoriam, lectu jucundiſſimam, Latinè à ſe tranſlatam, inſeruit *Animadverſionibus ſuis ad Papin. Stat. Theb. l.* 5. *v.* 510. At de gemma iſta Solin. iterum, *Uſui ejus Orientis Reges præcipuè gloriantur, quanquam nullum lenocinium artis admittat ſoliditate; & quidquid in eo nobile eſt, non manus faciant, nec alterius quàm naturæ candor ſit, quo reluceat*: ad quem locum vide *Exercitationes* Salmaſ. *p.* 387. & *ſeqq.*

DRACONTIDES, Athenis quidam ſceleſtus, & multis damnationibus obnoxius, ut Plato *in Sophiſtis*. Calliſtrat. unum putat eſſe è 30. tyrannis vel ejuſdem nominis. Scripſit enim ſcitum de Oligarchia illorum triginta, ut Ariſtot. autumat *in Polit.* Vide Schol. *in Ariſtoph. Veſp.*

DRACONTIUS, Hiſp. Sacerdos, incertæ ætatis Poëta, hexaemeron, ſive de opere 6. Dierum, ſcripſit carmine heroico. Primi è Bibliothecâ S. Victoris edidêre Pariſienſes, poſteaque mendis aliquot ſublatis Georg. Fabric. hinc Bibliothecæ SS. PP. à ſe editæ *editione ſecundâ*, *Tom.* 8. inſeruit Margarinus de La Bigne. Notas in eum ſcripſit Joh. Weitzius. Lloydius ex Voſſ. Eugenius II. Ep. Tolet, correxit & auxit, rogatu Chindaſindi Regis, Vixit ſub Theodoſio Jun. Morer. ex Ildefondo, *de Viris Ill. c.* 14. Iſid. *c.* 24.

DRACONUM Sylva, vide *Cinnabari*.

DRACONUS, nunc TRAEN Cluver. amnis parvus agri Trevirenſis, qui poſt aliquot mill. in Moſellam ſe exonerat, juxta Noviomagum vicum 3. leuc. infra Treviros. Ad hujus & Moſellæ confluentes. Mediolanum eſt, vulgè *Bergcaſtel*, à Nicetio Ep. Trev. muro, 30. turribus aulaque marmoreis columnis fulta cinctum & ornatum. Vide & *Trahonus*.

DRACUINA, Rhætiæ in Suevia Ciſdanubiana, *Trauburg* Lazio. Baudr. in Vindelicia, nunc *Ehingen*, ſeu locus in ſuburbiis, ex altera parte Danubii. Oppidul. nullius momenti. 3. leuc. ſupra Ulmam in Occ. In Suevia.

DRACUNCULI, apud Æl. Lamprid. *in Heliogabalo*, *Ægyptios* dracunculos *Romæ habuit, quos illi agathodæmones vocant*: erant parvi dracones, delitiarum aut ſuperſtitionis causâ domi ali ſoliti: qua de re multa adnotavit, in altera Suetonii editione, *ad l. ejus* 3. *c.* 72. Caſaub. plura Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 4. *c.* 58. quorum is non ab Ægyptiis, quod dicit Lamprid. ſed à Phœnicibus, *Agathodæmonum* nomen illis eſſe inditum, docet *ad eum d. l.* Cum iiſdem infantes in cunis jacentes luſitare conſueviſſe, diximus ſuprà ubi de *Cunabulis*. Nec fortè aliunde fabula orta de Alexandro, Scipione, Auguſto & aliis, ex matrum cum draconibus congreſſu genitis; cùm etiam in lectos ſeſe inſinuare iſtiuſmodi animalia, & juxta homines accubare innoxii conſueverint. Vide illuſtrem hac de re Luciani locum in *Alexandro*, nec non ſuprà in voce *Draco*. Eſt & *Dracunculus*, Græcè Δρακόντειον, nomen herbæ, quam cum colocaſia, quæ κιβώριον fert & fabam Ægyptiam, confundit Plin. *l.* 25. *c.* 2. cum aro eandem facit Salmaſ. & radicem quidem *Arum*, caulem verò *Draconion* dictum ait, quòd varietate inſignitus eſſet, ſerpentum maculis ſimili. Vide ipſum Plin. id confirmantem *l. eod. c.* 3. Oſtenſam eam herbam oraculo Herculi, ut ulceribus ſuis diù inſanabilibus ea tandem medicaretur, legas apud eundem Plin. & certè τῶν κακοήθων ἑλκῶν ἄριστον φάρμακον, *medendis ulceribus malignis & inveteratis efficaciſſimum remedium*, Theophraſtus vocat &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 973. & *ſeqq.*

DRACUNTEUS, ſive DRACUNTUS, DRACONTIUS Ptol. Africæ propriæ adjacens inſ. *Chelbi* Nigro dicitur, in mari Mediterr. nunc *Galata*, Baudr. 30. mill. ab ora regni Tunetani in Bor. paulo amplius à Tabraca inſ. *Chelbi* autem ſeu *Chirbi* ſunt 4. ſcopuli exigui, longius in Bor. verſus Bonum Caput, à quo 45. mill. diſtant in Circium.

DRACUS, Achæorum dux, à L. Mummio Romanorum duce victus. Liv. *l.* 52.

DRACUS, dæmonum, qui circa Rhodanum fluv. viſuntur, forma hominis & in cavernis manſionem habent, ſpecies; de quibus multa habet Gervaſ. Tilleber. *in l. MS. de Otiis Imper. Deciſ.* 3. *c.* 87. Certè Occitanis etiamnum *Drac* ſeu *Drago*, eſt nympha Gall. *une fée*. Hinc iiſdem *fa le Drac*, h. e. *Dracum ſe præbere*, Goudelin. apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

DRACYLLUS, nomen Comicum, apud Ariſtoph. *Acharnan.*

DRAGAMUTINA, Slavorum urbs, in Germ. nunc *Travemund*, ſeu Travæ oſtium, ubi in mare Balt. ſe exonerat. Arx Holſatiæ eſt, in Vagria regiunc. in confinio Ducatus Megalopolitani 2. leuc. à Lubeca in Ort. Dicitur etiam *Treva.*

DRAGMUS, urbs Cretæ. *Steph.*

DRAGOGI, Aſiæ pop. quos Arrianus *l.* 3. *de geſtis Alexandri, Mag.* cum Drangis numerat.

DRAGOMANNUS, ſeu DRAGUMANNUS, vox quâ medii ævii Scriptores Græcanicum vocabulum Δραγούμανος, quod *Interpretem linguarum Exoticarum* notat, ἑρμηνεία γλωσσῶν, Paulo dictum 1 Cor. *c.* 12. *v.* 10. efferunt; Michaël Dragumanus, in *Charta* Rogerii Duc. Sclavoniæ A. C. 1180. apud Joh. Lucium *de Regno Dalmat l.* 3. *c.* 10. Erant nempe hujuſmodi Interpretes, inter Principum Officiales, in Aula inprimis CP. quibus qui præerat, Μέγας Διερμηνευτὴς dicitur Pachymeri *l.* 5. *c.* 6. & Codino: *Maximus Palatinorum Interpretum*, Tyrio *l.* 17. *c.* 20. &c. Italis hodieque *Torcimano*, Gallis *Trucheman*, inde in uſu eſt. Vocis originem nonnulli à Germanico arceſſunt; alii ex Chaldaico *Targum*, de qua voce infrà, & vide Iſaac. Caſaub. *Exercit.* 16. *in Baron.* Car. du Freſne *Dragumani* ſeu *Turchimanni* ſic enim etiam tales dicti, ipſi *Turci* ſunt, quibus vox *man*, i. e. *vir*, adjecta: adeoque eidem, qui *Turcorum* ſuâ linguâ loquentium Interpretes erant, *Turcimanni* Europæis appellati ſunt, in *Gloſſar.* Vide de hujusmodi Interpretibus Car. Paſchal, in *Legato c.* 49. Addo ſaltem, & Perſiæ olim Reges iſtiuſmodi miniſtris uſos, ut ex Curt. diſcimus *l.* 5. *c.* 13. *Ibi Melon Darii Interpres, excipitur*: & Herod. qui Syloſontis Samii verba à Dario per Interpretem exaudita refert, *l.* 3. *c.* 140. Plutarch. item, qui Themiſtoclem quoque ubi primùm in Artaxerxis conſpectum colloquiumque venit, non aliter loquutum narrat, *in eo*, *c.* 47. Plura apud Barn. Briſſon. *de Perſ. rit.* ut & infrà aliquid, in voce *Interpres.*

DRAGUINIANUM, urbs Provinciæ, in Gall. verſus montes. 5. leuc. ab ora littor. maris Mediterr. in Bor. totidemque à Foro Julio in Occ. 7. à Fano S. Eutropii in Bor. Optime ſita, ſolo fertiliſſimo, ſed bellis deformata. Ejus inſigne, Draco, cum lemmate, *Alios nutrio, meos devoro.* Bouch. *hiſtor. Prov. l.* 4. *c.* 2. §. 6. & *l.* 10. *Morerius.*

DRAHONUS, fluviolus Germaniæ, in agro Trevirenſi, aliàs *Draconus*, vide ibi, vel *Drachonus*, ſed minùs benè, vulgò *die Droan*, aut *Dron*: Fortunato *l.* 3, *Carm.* 12. vocatur *parvus Rhodanus*: ad cujus & Moſellæ confluentes Mediolanum caſtellum Nicetii Trevirici Ep. poſitum in monte fuiſſe tradit, hiſce:

Quem Muſella tumens, Rhodanus quoque parvulus ambit,
Decertantque ſuo paſcere piſce locum.

Auſon. *tenuis* idem dicitur, in *Moſella.* Edyll. x. v. 365.

Prætereo exilem Leſuram, tenuemque Drahonum.

Vide Hadr. Valeſ. in voce *Rhodanus*,

DRAMA, urbs Thraciæ, in Macedoniæ confin. *Curopal.*

DRAMATIS Canticum, dicitur in Eccleſia Rom. Officii Antiphona, apud Macrum *in Hierolexico.* Apud Vett. verò Δραματικὸν genus dicendi appellatum eſt, à geſtu & actione, quod aliter Διαλογικὸν vocabatur. Cùm enim hoc ſolutâ oratione primùm conſtaret, dein metris incluſâ, quibus fabulæ ederentur; primus Crates Athenienſis illis exolvit vinculis, fabulaſque ſine metro dedit, & Δραματικὸν appellavit, δρᾶν enim Doricè *agere* eſt. Quamvis enim & ſedendo quædam partes expediantur, à majori tamen parte genus hoc dictionis nominandum fuit: ſed & in ſeſſione quoque actio eſt. Genera ejus complura: antiquiſſimum *Paſtorale*; poximum *Comicum*, è quo *Tragicum* natum; miſtum autem, *Epicum*, de quibus omnibus vide ſuo loco, plura autem hanc in rem, apud J. C. Scaliger. *Poet. l.* 1. *c.* 3.

DRANCES, unus ex Latini Regis proceribus, eloquens quidem, ſed imbecillis, Turno Rutulorum Regi infenſiſſimus. Virgil. *Æneid. l.* 11. *v.* 122.

Tum ſenior, ſemperque odiis & crimine Drances.

Ibid. *v.* 220.

Ingravat hæc ſævus Drances: *ſolumque vocari,*
Teſtatur,

Ibid. *v.* 336.

Tum Drances *idem infenſus, quem gloria Turni.*

Ibid. *v.* 383.

--- -- ----- *meque timoris*
Argue tu Drance.

Ibid. *v.* 443.

Nec Drances *potius, ſive eſt hæc ira Deorum.*

DRANGÆ, pop. Perſici, unde fœmininum *Drangeis*, & regio *Drangiana.* Steph. Quæ Carmaniâ def. ab Occaſ. à Septentr. Ariâ, & Bagoa monte, ab Or. Arachoſiâ, à Merid. Gedroſiâ terminatur. Joh. Matal. Metell. *Sigiſtan*, Mercatori, & Caſtaldo. Maximè Orientalis eſt totius Perſiæ. In ea Urbes olim claræ Prophthaſia & Ariaſpe. Vide *Prophthaſia*, à qua hodie regioni nomen. Ferr. & *Sigiſtanæ.*

DRANSI, Thraciæ pop. Herod. *l.* 5. ad editum puerorum ſedentes plorant, & quaſcunque neceſſè ſit illi, qui vitam ingreſſus eſt, perpeti humanas calamitates, recenſent. Fato functos magnâ lætitiâ ſepeliunt. In exemplaribus emendatioribus legitur [illegible] *Trauſi.*

DRAPES Seno, ut primùm Gallia defecit, collectis undique perditis hominibus, impedimenta & commeatus Romanorum intercepit. Hirtius *l.* 8. *de B. G. c.* 30. Captus à Caninio paucis diebus ſeſe cibo abſtinuit atque ita interiit. Ibid. *c.* 44.

DRAPSACA Bactrianæ urbs. Arrian. *Hiſt. l.* 3.

DRASOCA, Paropaniſi, & Indiæ intra Gangem opp. *Ptol.*

DRATYGENIA, Aſiæ regio. *Polyb.*

DRAUCA, Cretæ civitas. Iſacius *in Lycophr.*

DRAUDACUM, caſtell. Peneſtiæ regionis. Liv. *l.* 43. *c.* 19. & 20.

DRAUSI, Vide *Dranſi.*

DRAVUS, Pannoniæ fluv. quem Danubius excipit. *Darus* dicitur Ptol. *Drabus* Strab. vulgò *Dra.* Lloyd. Germ. fluv. Oritur ex Alpibus, in confin. Tirolis & Diœceſis Salisburgenſis, juxta vicum *Innichen.* Dein in Carinthia, auctus Geyla, Lavanto & Mura fluv. inter Stiriam & Hungariam fluit; ubi Sala aliiſque min. receptis, in Danubium labitur, paulo infra Eſechium, ad opp. *Erdwdy*, aliàs *Teutoburgium. Trab*, Hungaris, Baudr. Hunc fluv. junxit Solimannus Imp. Turcarum ponte admirandi operis, ultra milliare porrecto XXV. M. hominum ad id operâ uſus, A. C. 1565. ſecundâ ſuâ in Hungariam expeditione, in qua tamen paulo poſt, Sigetho capto, Obiit A. C. 1566. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 39.

DRAXUM, Siciliæ locus ſacer, ubi agricolæ dona offerebant. *Heſych.*

DRECANUM, locus Coæ inſ. verſus occid. & pagus. *Strab.*

DRELINCURTIUS Carolus Sedanenſis, Paſtor Eccleſiæ Reformatæ Pariſienſis, quæ Carentone ſuos cœtus habet, pietate, eruditione & ſcriptis celebris. Inter quæ eminent: *les Conſolations de l'ame fidele, contre les frayeurs de la mort: plurimæ, in varios N. T. libros, Homiliæ: Catechiſmus*, Aſſertio veritatis contra Erneſtum Haſſiæ Landgravium, &c. Obiit haud pridem. A. C. 1669. æt. 75. Miniſterii 52. in quo adeo ſedulò verſatus eſt, ut *ſepties uno die* nonnunquam fuerit concionatus. Paul. Freherus *Theatro Viror. erudit. claror.*

DRENTIA, regiunc. Belgii, in parte Septentr. Tranſiſalanæ prov. ſub Hollandis, inter Friſiam Occ. & inferiorem partem Diœceſis Monaſterienſis, ubi Concordia, Urbs in limite Germ.

DREPANA, urbs Lyciæ.

DREPANA, pl. num. vel DREPANUM, prom. & urbs Siciliæ, trans Lilybæum, non procul ab Eryce monte, ita dicta quòd δρεπανοειδὴς ſit, h. e. *in modum falcis incurvata*; vel ab eo quod Saturnus, amputatis virilibus paternis, illuc falcem projecerit. Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 472.

Quique locus curvæ nomina falcis habet.

At verò in portu Drepanitano terra non curvatur in falcis modum, ſed in acumen deſinit. Ac proinde *Drepano* videtur nomen feciſſe Punicum דרבן *Darban*, i. e. *aculeus*, quod extat in Hebræo Scripturæ textu, 1 Sam. *c.* 13. *v.* 21. Bochart. Baudr. urbs eſt in valle Mazarana, ad radices montis S. Juliani, permunita, cum arce valida, *la Columbara*, & portu capaciſſimo, cùm aliàs eſſet in monte Eryce, ubi nunc rudera, *Trapano del monte o vechio* dicta; 12. mill. diſtat à Lilybæo prom. 60. à Panormo in Auſtr. 22. à Mazara in *Bor.*

DREPANIUS Florus Franciſcus, ſub Clodovæo II. Pſalmos, hymnos, &c. compoſuit, Bibl. *PP. t.* 8. *edit.* 2.

DREPANIUS Latinus Pacatus, Auctor Panegyrici Theodoſii, Aquitanus. Sidon. Apoll. *l.* 8. *ep.* 11. *ad Lupum.* Auſon. Ludus ſeptem ſapientum initio.

Attento Drepani, *perlege judicio.*

DREPANUM, urbs in Bithynia ad ſinum Aſtacenum, poſtea *Helenopolis*, in honorem Helenæ Conſtantini Mag. matris appellata; media fere inter Nicomediam ad Bor. & Nicæam ad Merid. Niceph. *Calliſtus.*

DREPANUM prom. tergeminum. Unum in Cyrenaica regione, in illius & Africæ confinio ad Syrtim magnam, apud Automalam opp. *Punta Sabia*, teſte Marmolio. Alterum Cretæ, in ora Boreali, inter Cydonem & ſinum Amphimalum; *Capo Melechia* Moletio. Tertium in ora Cypri occiduâ apud Paphum urbem, *Capo di Baſſo.*

DREPSA, Ptol. Sogdianæ regionis metropolis. *Darapſa* Strab. eſſe vult Villanovanus, à Strab. tamen hæc Bactrianæ attribuitur.

DRESA vel DRESDA, vulgò DRESEN, vel DRESDEN, Miſniæ in ſup. Saxonia caput; opp. ſitu aſpectuque amœniſſimum, valido murorum circuitu, foveis, ac propugnaculis à Carolo Mag. contra Bohemos, A. C. 800. & poſtea à Principibus ſuis, probè munitum; publicorum, privatorumque ædificiorum nitore cum præcipuis Miſniæ urbibus decertat. Ab Albi fluv. qui eam in duas partes ſecat, irrigatur, cujus margines pons, ſtupendâ ad longitudinem ſerie, ex ſaxo duriſſimo fornicatus conjungit, habens in citeriore latere Dreſam antiquam, frequenti habitatione celebrem. Duces Electores Saxoniæ hîc ſedem, & Armamentarium amplum poſuêrunt, cum arce munitiſſima. 3. leuc. ſupra Miſnam in Ort. 5. à confin. Bohemiæ. Hîc, ortâ, poſt mortem Melanchthonis, inter Flaccianos & Wittembergenſes Theologos; contentione, cui colloquium Aldenburgenſe A. C. 1568. habitum mederi non potuit, Auguſtus Elector A. C. 1571. conventum indixit, ubi *Conſenſus Dreſdenſis* conſcriptus eſt, ſed & hunc Jenenſes Theologi carpebant. Conventum ergò Torgæ, & ex Flaccianorum opinione, A. C. 1574. formula Concordiæ conſcripta eſt, ad quam approbandam omnes Theologi adacti, Wittembergenſibus Profeſſoribus, quòd eam recuſarent, primò ſub cuſtodiam, dein in exilium miſſis. Hoſpinian. *l. Con. c.* 2. 3. &c. Ibidem Fratribus è Bohemia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ejectis, à Ferdinando II. Imp. tutum hoſpitium, ut & Pirnæ, Electoris Joh. Georgii benignitate patuit: A. C. 1628. reliquis in Polonia, apud Raphaelem Comitem Leſnenſem, Palatinum Belzenſem, Leſnæ inprimis ac Vlodavia, effugio conceſſo. Apol. Fratr. *contra Sam. Marcin.* Lætus *Comp. Hiſt. Univerſ.*

DRESDENSIS, vide *Drepanum.*

DRESIA, urbs Phrygiæ. *Steph.*

DRESSERUS Matthæus, vide *Matthæus.*

DRICCA, Scythiæ fluv. *Jornand.*

DRIEDUS Johannes, vide *Johannes.*

DRIENCURIA, nunc DRANCOURT, nobile quondam in Gallia caſtrum Comitum Augenſium, ad fluv. Earam, 5. ab Augaleucis, Ejus meminit Vilh. Britto Armoricus *Philipp. l. 6.*

DRIESCHIUS Jacobus, vide *Jacobus.*

DRILLÆ, pop. Cappadociæ in ora maris Euxini, inter Trapezuntios & Colchos, Macronibus finitimi, teſte Arriano *in Periplo.* Sed apud Xenophontem inter Ceraſuntem, & Trapezuntem urbes.

DRILLOPOTÆ, dicti Vett. de quibus Juv. illud ſonat, *Sat.* 2. *l. 1. v. 95.*

Attollens oculos: vitreo bibit ille priapo.

Vide Salmaſ. *ad Capitolin. in Pertinace*: & infrà, in vocibus *Obſcœnum, Turpia, Varpus*, ubi de voce Græca δρίλος ſeu δρίλλος è qua & verbo, πίνω, compoſitum hoc ortum.

DRILO, fluv. Illyrici, DRINAX Nigro, nunc DRINO, duplex. Alter ex Scardo monte ortus, *Albus* dicitur; Alter verò, qui ex Lychnide palude, *Niger*: qui ſimul coëuntes, antequam ad mare perveniant, & iterum ſe dividentes, Inſ. efficiunt, & duobus oſtiis prope Liſſum urb. *Aleſſio*, in Mare Adriat. exeunt. J. Lucius. Hinc ſinus Illyricus modernis *Sinus Drilonis*, *Golfo dello Drino*, unde imperiti finxêrunt *Golfo di Lodrino.* Baudr. Ejus meminit Nicander,

------ ------ Δρίλων, καὶ Νάρωνος ὄχθη.

Vide Bochart. *de Col. Phœn. p. 503. Nic. Lloyd.*

DRILONIUS, urbs maxima Celticarum. *Steph.*

DRILOPHYLITÆ, Indiæ intra Gangem populi. *Ptol.*

DRIMACHUS, dux fugitivorum à Chiis ut Deus cultus, hic ſenex puero ſe jugulandum dedit, ſepultus, à Chiis, ſacello erecto.

DRIMÆA, Græciæ regio juxta Parnaſſum montem, Plinio *Daulia* appellata. In ea Dauli urbs eſt apud *Ptol.*

DRIMATI, pop. Arabiæ Felicis. Plin. *l. 6. c. 28.*

DRINGENSTENIUM, Germ. DRINGENSTEIN, opp. Germaniæ, in Comit. Naſſav. Dillenburgico, cum caſtro præcelſo, Dillenburgo 1. mill. German. diſtans. Cyr. Lentulus *Geneal. Princ.* N[illegible].

DRINIUS, vel DRINUS, fluv. geminus, ut videtur; unus Macedoniæ, ex Lychnido lacu manans, & oblique fluens in mare, ad Liſſum urbem labens, *Boliana* Dalmatis dictus, teſte Nigro, ac idem eſt cum Drilone, ut aliquibus placet. Alter ex monte Scardo inter Illyricum, & Myſiam ſuperiorem, in Savum fluv. delatus. *Drino, la Drina*, & *Caradrina* dictus. Baudrando Drinus fluv. Illyrici, *Drino*, ex Scardo monte ortus, auctusque aliquot fluminibus, Drinopolim rigat, & Boſnam à Servia diſterminat, dein in Savum fluv. ſe exonerat. 15. leuc. Germ. ſupra Taurunum.

DRINOPOLIS, quæ fortè & *Sidrona*, urbs aliàs Illyrici, nunc Serviæ, ad Drinum fluv. in confin. Boſniæ, 20. mill. à Savo fluv. in Auſtr. 26. à Sarajo in Ort. ſub Turcis; *Drina War.*

DRINUS ſeu DRINAJUS, KIRI vulgò, rivulus eſt, ex Or. parte Civit. Scodræ fluens; eſtque Clauſula Livii teſte J. Lucio.

DRIODONES, Dii Lacedæmoniis ſic dicti. Heſych. Δριοδόνες, θεοὶ παρὰ Λακεδαιμονίοις.

DRIOPIDES, unus ex Athen. legatis, quos illi ſocietatis (cum Alexandro ictæ) fide violatâ, ad Darium miſerunt, captus ante Damaſcum à Parmenione. Curt. *l. 3. c. 13.*

DRIOS, Arcadiæ mons. *Diod.*

DRISTÆ urbs Myſiæ inf. in Bulgaria vide. *Triſtia.*

DRIVASTUM, ſeu TRIVASTUM, urbs Albaniæ Epiſc. ſub Archiep. Antibarenſi. Turcis paret, raroque habitatur. Juxta Labeatin paludem 5. mill. à Scodra.

DRIUS ſeu DRUYS quartus Rex vett. Gallorum, cui Samothei fil. Japheti originem dediſſe dicunt. Literatus, & Druidum, juxta quosdam, auctor. Beroſ. *l. 5.* Dupleix *Mem. Gall. l. 2. c. 5.* Vide *Druidæ & Druys.*

DROBETA, Daciæ urbs. Lib. Notit.

DROCUM, vulgò DREUX, urbs Gall. in Bleſia, & tractu Carnutenſi, ad amnem *Blaiſe*, qui paulo infra cadit in Eburam. Cum caſtro munito antea in colle, nunc ſemidiruto: Prælio, inter Reformatos & Pontificios, A. C. 1562. ut & Henr. IV. contra Ligiſtas, famoſa. Antiquiſſima totius Galliæ, à Drio IV. Rege, condita. Ibi aliàs Druidæ & Druides, vide ibi, quibuſdam etiam Durocaſſes.

DROGHEDA, urbs Hibern. in Ultonia, in Comit. Lugenſi, ad Bavindam fluv. verſus ejus oſtia, cum portu ſatis capaci: non procul à mari Hibernico; *Droghdagh*, ſeu *Tredagh.*

DROGO, Dux Britanniæ, Alano Patri, adhuc infans ſucceſſit. A. C. 959. fervidâ aquâ à Matre, Fulconis Andeg. poſtmodum uxore, interemtus. Mezeray *ep. hiſt. Gall. p. 287.* Item Ep. Metenſis, fil. nothus Caroli Mag. Obiit A. C. 855. Sirmond. *t. 3. Conc. Gall.* Chenius, *t. 2. hiſt. Fr. Script.* &c. Item, Archiep. Lugdun. ſec. 12. Item Præſul Oſtienſis, Gautier, *in Chron.* Bibl. *PP. tom. 2. col. 656. edit.* 1624. Item fil. Pepini Craſſi, obiit ante Patrem, A. C. 708. ex Auſtrude, filia Waratonis, pater Hugonis Archiep. Rotomag. &c. SanMarth. *Geneal. fam. Gall.*

DROGO, Flander, Ep. Theruan. poſt Balduinum, A. C. 1036. Scripſit vitam S. Godolenæ, S. Oſvaldi, Northumbriæ Regis &c. A. C. 1078. obiit. Mejer. *Fland. Annal. l. 3.* Siml. *append. Geſneri.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 2. c. 45.* Vincent. *l. 29. c. 13. &c.*

DROGO, Apúliæ comes.

DROMADES, ex tribus Camelorum ſpeciebus Leoni Africano memoratis, *Raguahil* Arabibus: Graciles ſunt exiguæque ſtaturæ, qui, ſarcinis gerendis inferiores, reliquos tantâ pernicitate ſuperant, ut diei unius ſpatio ampliùs centum paſſuum millia conficiant, iter modico viatico ad dies 8. vel 10. per deſerta perpetuantes. Iis nobiliores Numidiæ Arabes & Afri Lybici uti ſolent. Cumque Rex Tombuti magnâ celeritate alicujus momenti negotium Numidis mercatoribus indicare cupit, non alio jumento utitur. Indis *Bacambal* dicuntur, quos cum domino camelarium ferentes & viaticum neceſſarium, leucas 50. in diem facile conficere, ſcribit Vinc. le Blanc *Itin. Part. 2. c. 22.* Eſaiæ *c. 66. v. 20. Circuroth* dicti videntur Bocharto *Hierozoici Part. prior. Lib. II. c. 4.* quem omnino de hoc animali vide. Addam, quod apud Strab. legitur *l. 15.* eos, quos è Drangis Ecbatana miſit Alexander, ad Parmenionem conficiendum, ἐπὶ δρομάδων καμήλων, *camelis dromadibus vectos, iter dierum trigenta aut quadraginta; etiam* ἑνδεκαταίους διανύσαι, *undecim diebus peregiſſe*, illuſtre velocitatis eorum argumentum. Vide quoque infrà in voce *Gaugamela.* De Zenobia tamen, cùm hoc camelorum genere uteretur in fuga ad Perſas, capta. Vide Vopiſc. *in Aurel.*

DROMÆUS, Apollo Cretenſ. & Laced. dictus. Plutarch. *Symp. l. 6. c. 4.* Πύθιον μὲν Ἀπόλλωνι Δελφοὶ, Δρομαίῳ δὲ Κρῆτες ἱερεύουσι, καὶ Λακεδαιμόνιοι.

DROMEUS, Paraſitus quidam, interrogatus, An apud Chalcidem lautum pararetur convivium; reſpondit, jucundius ſibi videri Chalcidenſis cœnæ procemium, oſtreorum numero, & varietate.

DROMICHÆTES, Dux Thracum in partibus Antiochi, Cypſela oppugnantis, quos aureis torquibus & argenteis armis ornatos ante aciem duxit, & ſic ſpe paris felicitatis in partes ſuas traduxit. Polyæn. *l. 4. in Antiocho. L. 7.* vocatur Rex, qui aſtu Acthæ ducis ſui, Lyſimachum cum omnibus ſuis copiis, (erant autem 100000.) internecioni dedit. *p. 514. & 515.*

DROMICUM Templum apud Phoc. *c. 29. Ubi & ſacrum illius ſepulchrum & templum* Dromicum *eſt*; & Codin. apud Leonem Allat. *de Templis Græc. In magna Eccleſia S. Sophiæ, quæ prius* Dromica *erat*: dicitur Ædes, tectum laqueatum non habens, ſed anguſtum ſolùm pontem, ex aſſeribus, ſuper trabes, per latitudinem porrectum, ut adhuc Romæ in Templis S. Pauli, S. Cæciliæ, aliisque: Cujuſmodi pontes *Corridori* Italis dicantur. Dominic. Macer *in Hierolexico.* Salmaſ. verò ſic vocatur Templum, quod laqueatum eſt, ex Conſtantino *de Imperio*, ubi εἰλημαtικοὺς ναοὺς, h. e. *templa, quorum culmen totum erat ex apſide*, ἀπὸ τῶν δρομικῶν diſtinguens, in hiſce ξυλογραφίαν appellat laquearia picta & cælata. Δρομικοὺς autem vocat, an quia fornicem oblongam & rectâ ſerie *currentem* abſque ullis finibus haberent? An quia ſimiliter eſſent tecta, ut ſunt porticus illæ, quas Græci δρόμους ὑποστέγους appellant? Idem Εἰλημαtικοὺς καμάρας appellat, quæ ex ſtructura factæ eſſent & concavos receſſus haberent, ad diſcrimen τῶν Δρομικῶν, quæ erant formâ ſemicylindri & oblongæ. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 1219*,

DROMISCOS, inſ. Mileto conjuncta. Plin. *l. 2. c. 89.*

DROMOCHETIS, Getarum Rex, qui Lyſimachum hoſtem bello captum mirâ clementiâ illæſum remiſit. Aliis *Dromochetes.*

DROMONES, naves curſoriæ, longæ & expeditæ, apud Iſid. *Origin l. 19. c. 1.* Ælfricum *in Gloſſis*, Procop. *Vandalic. l. 1.* Alios, à velocitate *curſus*, qui Græcis δρόμος dicitur. Certè primus eorum uſus fuit, ad curſum publicum; quem non equis tantùm, vehiculisque, ſed navigiis etiam ac *dromonibus*, per flumina, lacus, ſinus, ut res tulit, diſpoſitis, ſteriſſe diſcimus ex *Tab. Itiner.* quæ iter Veronâ Ravennam per Hoſtiliam deſignans, Hoſtiliis Ravennam per Padum iter faciendum notat: & ex Senatore, apud quem Theodoricus Rex *Dromonariorum Hoſtilienſium*, in hunc uſum, meminit, *l. 2. Ep. 31.* Sic Leonem Imp. navigia fabricari juſſiſſe, quibus uteretur, cùm peregrè proficiſci & navigare neceſſe eſſet, aut cùm in Palatia ſuburbana vel Aſiatica, mari emenſo, vellet tranſire, legimus apud Conſtantinum *de Admir. Imper. c. 41.* ubi. Βασιλικὰ δρομώνια illa vocat, ſicut *Curſorias* Sidon. *l. 1. Ep. 5.* &c. Sed & ad onera deportanda illorum uſum, huicque potiſſimùm *Dromones* addictos fuiſſe, teſtatur idem Senator *l. 5. Ep. 16.* Unde onerarias fuiſſe naves, ὁλκάδας Græcis dictas, innuit Theophylactus Simocatta *Hiſt. Mauric. l. 7. c. 10.* qui prom *Dromonem* illum, quem Mauritius, ſaluti ſuæ conſulens, in portu CP. conſcendit, ὀπηρετικὴν ὁλκάδα appellat, *l. 8. c. 9.* At poſtmodum tranſiit appellatio, ad majores naves bellicas, ut videre eſt apud Leonem *in Tacticis*, Annam Comnenam, Gul. Tyrium, Thom. Walſinghamum, Alios. Scribitque Phil. Pigaferta *in Notis Ital. ad Leonis Tactica p. 292.* quæ in maris tractu CP. Theſſalonicam navigia decurrunt, etiamnum *Dromonia* appellari Car. du Freſne *Gloſſar.* Hinc *Dromonarii*, ſimiles claſſiariis, quorum meminit Suet. *Veſp. c. 8. Claſſiarios vero qui ab Oſtia, & Puteoli. Romam pedibus per vices commeant.* Sed non idem. Vide de illis Caſſiod. *l. 2. & 4.*

DROMORIA, urbs Ep. Ultoniæ, in Comit. Dunenſi, ad Laganum fluv. 25. mill. ab Armaco in Ort. 18. ab Antrimo in Auſtr. ſub Archiep. Armachano.

DROMOS ACHILLIS, inſ. maris Euxini, aut potius peninſ. Sarmatiæ. *Fidoniſi* Nigro, & Caſtaldo; ſic dicta, quia Achilles illuc uſque Iphigeniam à Diana raptam, ne immolaretur, eſt amanter perſequutus. Cæl. Rhod. *l. 14. c. 4.* Vide *Achillea.*

DRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

DRONGILUM, regiuncula Theſſaliæ. *Steph.*

DROPAX, apud Mart. *l.* 3. *Epigr.* 7. *v.* 21. Cujus epigraphe in Gargilianum.

> *Pſilothro faciemque lavas &* dropace *calvam*
> *Nunquid tonſorem, Gargiliane, times?*

Unguentum eſt depilatorium, quo piloſa loca, hîc faciem: brachia: Idem *l.* 2. *Epigr.* 29. cujus epigraphe ad Rufum.

> *Cujus olet toto pinguis coma Marceliano*
> *Et ſplendent vulſo brachia trita pilo.*

apud Auſon. *Epigr.* 131. inguina;

> *Inguina quid calido, levas tibi* Dropace *cauſa eſt.*

apud eundem Mart. *l.* 10. *Epigr.* 65. crura; cujus epigraphe, in Carmenionem.

> *Levis* Dropace *tu quotidiano*
> *Hirſutis ego cruribus genîſque.*

alibi alas &c. lævia ac glabra luxurioſi olim inter Romanos reddebant, quod δρωπακίζειν proin dixêre. Vide ſuprà ubi de *Alipilis* &c.

DROPICI, Perſici populi. *Herod.*

DROPIDES, frater Solonis, Poëta, non tamen par fratri. Ex hoc mater Platonis orta. Voſſ. *de G. P. c.* 3.

DROSACHE, Serica urbs. *Ptol.*

DROSICA, Thraciæ præfectura. *Ptol.*

DROSSATUS Regni, apud Ericum *Hiſtor. Suec. l.* 3. *p.* 81. Gubernator eidem eſt, *l.* 4. *p.* 121. Princeps Senatus, Joh. Loccenio.

DROTIUS, Scalig. qui eo Nitiobriges à Petrocoriis dividi tradit, *Dragutus* fluv. Galliæ, vulgò *le Drot*, alluit Caput Drotii *Capdrot*, Bironem, Villam Regalem *Villereal*, Caſtelliones *Caſtillones*, Salvitatem *la Salvetat*, Duratium *Duras*, Montemſecurum *Monteſeur*, & inter Gerundam ac *Cauderot* vicos in Garumnam devolvitur. Apud Aimoin. in *Vita* Abbonis, ubi, inter Dornoniam fluv. & Monaſterium Regulæ *Arot* ſeu *Codrot* torrentem aut fluviolum occurrere ait, legi vult Hadr. Valeſ. *Drot* ſeu *Codrot torrens*: ita ut *Drot* ſit nomen fluvii; *Codrot* appellatio vici ad ejus oſtium poſiti, & ita dicti, quaſi *Cauda Drotii*: quæ duo, nimirum flumen & rivum, Aimoin. in unum confudit; vide Hadr. Valeſ. in voce *Garumna.*

DRUENTIUS vel **DRUENTIA** Liv. Plin. ac aliis, qui longè omnium Galliæ fluminum difficillimum tranſitu commemorant. Italis *Durance* ac *Durenza*, fluv. rapidiſſimus Gall. Narbon. ex Alpibus ex adverſo Padi oriens, ac per Delphinatum & Provinciam in Rhodanum labens, Strab. *l.* 4. Liv. & Silius navium patientem eſſe negant: cùm tamen in vet. marmore *Naviculariorum Druentiorum* fiat mentio, unde Romanorum induſtriâ navigabilem factum apparet. Ejus meminit Sil. *l.* 3.

> *Turbidus hic truncis, ſaxiſque* Druentia *lætum*
> *Ductoris vaſtavit iter.*

Baudr. oritur in Delphinatu, Valeſio è colle Crucis *col la Crois* monti Veſulo proximo defluens, Villam veterem, Montem Bardonis, vicos S. Clementis & S. Andreæ, Ebrodunumque rigat & verſus Vapincum labitur. Dein per Provinciam, rigatis, poſt Talartium & Ventavonem, Siſterone, Caſtello Arnolphi, Monteforti, Manoſca, Caprariis, ubi Virdonem recipit, Pertuſo, Villa laureâ, Roccâ, Laureto, Mirandulo, labens, hîc in duos alveos ſcinditur, quorum major, cui Orgo adſidet *la Durance*, minor *Durenſole* accolis: in media hac inſ. monti inſidet Cabellio Cavarum. Poſtquam rurſus coiit, Calvum montem, Bonum paſſum & Novas prælabitur, & apud Barbantanam caſtrum monti impoſitum, 1. leuc. infra Avenionem in Auſtr. Rhodanum ſubit. Huc Maſſiliâ uſque habere ſedes Salyos ſcribit Strab. *Notit. Gall.* Incertum hunc fluv. vocat Auſon. quòd nullis coërceatur ripis, & pluribus ſimul alveis fluat. Hannibali obſtitit olim, hodie navigabilis non eſt, & pontibus caret.

DRUGERI, Thraciæ populi, Hebrum accolentes, ut vult Plin. *l.* 4. *c.* XI.

DRUJAS, apud Lamprid. *in Alex. Sev. Mulier* Drujas *eunti exclamavit* &c. alibique paſſim apud Scriptores *Hiſtoriæ Aug.* corruptè pro *Dryas*, Salmaſio Judice; *Dryades* enim ſemper ſcribuntur in membranis; quæ quam cognationem cum antiquis Gallorum *Druidis* habuerint, oſtendere non liquidum eſt. *Druidarum* religionem penitùs aboleviſſe Claudium, ſcribit Suet. qui tamen fortè non omne illud genus extinxerit; Nam & *Druidarum* apud recentiores mentio, & ſtirpe eorum ſati quidam in Galliis dicuntur, apud Auſon. Profeſſ. IV. *v.* 7.

> *Tu Bajocaſſis ſtirpe* Druidarum *ſatus*,

Verùm præfati Auctores *Druidarum* virorum nuſquam, mulierum tantùm *Dryadum* meminêrunt, quæ ferè ſemper fatidicæ introducuntur & vaticinatrices & ſagæ, videnturque nominatiſſimæ fuiſſe, ut quæ conſulerentur in rebus divinis, uti olim Delphica oracula: Sic de Aureliano Vopiſc. de Diocletiano Idem, de aliis alii. Fortè iſtæ, quod plurimùm in lucis, *Druidarum* antiquorum imitatione, verſarentur, ibique ſacris operarentur, vel quòd ex eorum ſtirpe oriundæ crederentur, id nominis adeptæ ſunt. Certè fatidicæ fuêre & ſortilegæ, cujuſmodi mulierum artem in uſu fuiſſe, apud antiquos Gallos Germanoſque notum: apud Plutarch. enim legimus, in exercitu Cimbrorum & Teutonum mulieres fuiſſe, quæ ex verticibus aquarum & fluminum eventum pugnæ certò ſuis prædicerent. Nec diverſi generis fuêre *Fatæ* illæ, Gall. *Fees*, de quibus multa Francici Romanenſes fabulantur. Salmaſ. *ad Lamprid.* A voce Celt. *Trewe*, i. e, *fides* ſeu *Drut*, i. e. *amicus*, etymon arceſſit Bucher. &c. Vide infrà *Fææ.*

DRUIDA, caſtell. Umbriæ, ad Tiberim.

DRUIDÆ, ſive **DRUIDES**, Cæſari, & Ciceroni *de Divinat.* ii erant apud Gallos, & Britannos, qui Græcis Philoſophi, Perſis Magi, Indis Gymnoſophiſtæ, Aſſyriis Chaldæi: uti ſcribit *in Proœm.* Diogen. Laërt. *Euhages* Amm. Marcell. *l.* 15. *c.* 9. & *Saronidæ* Diod. *l.* 6. *c.* 9. & 12. Originem nominis à Græcis petit, Plin. *l.* 6. *c.* 44. ubi ſic ſcribit: *Nihil habent Druidæ (ita ſuos appellant Magos) viſco, & arbore in qua gignantur (ſi modo ſit robur) ſacratius. Jam per ſe roborum eligunt lucos: nec ulla ſacra ſine ea fronde conficiunt, ut inde appellati quoque interpretatione Græca poſſint Druidæ videri.* Nimirum ſenſit eſſe à Græco Δρῦς, i. e. *quercus*: quia, ut inquit, *roborum eligunt lucos*, Itemque hoc Cæſ. *l.* 6. *bell. Gall. Is certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, conſidunt in luco conſecrato.* Sic eum locum rectè corrigit Caſaub. *notis ad Laërt.* In vulgatis enim pro *luco*, eſt *loco.* Ex hac arbore viſcum unus ex Sacerdotibus falce aureâ colligere ſolitus, illud candido panno excepit, duobus albo colore tauris mactatis, qui nunquam ſub jugo fuiſſent, tandem convivio toti pompæ finis factus eſt. Potu ſumptum videbatur omne animalium genus fœcundare, & venena pellere. Quidam ab Hebræo *Deruſſim*, *Druſſim* vel *Driſſim*, i. e. contemplatores dictos, volunt. Diod. inſuper Theologos eſſe dixit. Pherecydes, Pythagoræ præc. primus publicavit Druidarum argumenta, pro Animæ immortalitate, qui proin faciles pecuniam mutuò dabant, modo in altero mundo redderetur. Aſtrologiæ, Geographiæ, Geometriæ, Politicæ inprimis periti, hinc rerum Arbitri omnium. Ex illis *Euhages* dicti, contemplationi, *Semnothei* ſacris vacabant, ſub uno Capite. Cæſ. *de Bell. Gallic. l.* 6. Libris non uſi, ſolâ memoriâ docti evaſere, Mela *l.* 3. *c.* 2. 24000. millibus verſuum, inſignium virorum geſta, poſteris tradentes. Ova ſerpentium, ad animos Principum conciliandos, & felicem rerum ſucceſſum rati efficaciſſima, Plin. *l.* 16. *c.* 44. *l.* 24. *c.* 11. *l.* 29. *c.* 3. *l.* 30. *c.* 1. Vide infrà. Sed quod ad etymon (quod Becmanus quoque ſequitur, ac Fungerus) placet ſapiens Strab. conſilium, qui negat in appellationibus gentium barbararum quærendas eſſe Etymologias Græcas. Mirum verò, doctiſſ. Camd. *in Brit.* ſua ſubſcribere Plin. cùm idem auctor, ſit Alfricum prodere, *Magum* Saxonibus *Dry* vocari. Nam veriſimile magis ab hoc eſſe *Druidæ*, quàm hoc à *Dryidis.* Adde quòd *Druidarum* nomen inde eſt, unde diſciplina, at Cæſ. *l.* 6. ac Tac. *Ann. l.* 14. *c.* 30. auctores ſunt, Druidarum diſciplinam eſſe è Britannia, ubi nullam unquam Græcorum coloniam deductam conſtat. Non igitur à Græcis ea vox, ſed Britannis, quibus Germ. lingua in uſu fuit, teſt. Tac. ac Cæſ. Ille enim habitantibus Caledon. quæ Scotia hodiè, Germ. originem tribuit: Hic in Britan. colonos tranſiſſe ait ex Belgica, in qua eodem auctore, Germani Cis-Rhenani. Quare ingenioſè Gorop. Becanus *l.* 1. *Gallic. Druis* Germ. eſſe putat, quaſi *trowis* & Britannicè *truwis.* i. e. *Veritatis ac fidei doctor. Wis* enim, ſeu *Wys*, ſi verbum eſt, notat *oſtendere*, (Belgis *Wyſen*) ſin nomen, ſignificat *ſapiens*, *intelligens*: Prior *tru*, ſive *trou* ſignat *fidem*, unde & Deus priſcis Germ. *Drutin*, vel *Trutin*, quaſi *fidelis* vocatur. Voſſ. *Druidæ* autem extincti ſunt ſub Tiberio Cæſ. Plin. *l.* 30. *c.* 1. *Tiberii Cæſaris principatus ſuſtulit Druidas eorum.* Dicuntur etiam *Druydæ*, *Druydes*, & *Dryidæ*; ſecundùm quoſdam à Druyde, Sarronis fil. quarto Celtarum Rege ſic dicti, quòd is Philoſophus fuerit peritiſſimus. Vide *Druys.* Humanis hoſtiis ſacrificare Mercurio ſoliti fuêrunt, quam religionis immanitatem improbavit Auguſtus, puniit graviter Tiberius, ſuſtulit Claud. teſte Suet. *in ejus vitâ.* Amm. tamen Marcell. Tac. *l.* 13. Lamprid. *in Alex.* ejus adhuc meminêrunt. Cæterùm non virorum ſolùm hoc nomen, verùm & fatidicarum fœminarum. Vopiſcus, *in Aurel. Dicebat quodam tempore Aurel. Gallicanas conſuluiſſe Dryadas.* Monuit quoque una ex his Alex. Severum Imp. ad Germ. proficiſcentem bellum, *ne victoriam ſperaret, neque militi ſuo crederet*: qui quoque his neglectis jubente Maximino mox Moguntiæ interfectus eſt. A. C. 237. Et Diocletianus Druidas magni habuit, ex quarum prædictione Imperium aſſecutus legitur, apud Vopiſc. *in ejus vita.* Aur. Victorem, Eutrop. *l.* 9. *&c.* Vide Eliam Vinet. *ad Profeſſores Auſonii*, Cluver. *l.* 1. *de Germ. Ant. c.* 30. Merul. *Coſmogr. ſuæ parte* 2. *l.* 3. *c.* 11. Diod. Sic. *l.* 6. *c.* 9. & 12. Steph. *de Urb.* Strab. *l.* 4. Vopiſc. *in Numeriano.* Cœl. Rhod. *l.* 18. *c.* 21. Rouillard. *hiſt. Carnut. c.* 1. *n.* 5. *&c.* Lucan. *l.* 1. *Bell. Civil. v.* 450. *& ſeqq.*

> *Et vos barbaricos ritus, moremque ſiniſtrum*
> *Sacrorum* Druidæ *poſitis repetiſtis ab armis.*
> *Solis noſſe Deos, & cœli numina vobis,*
> *Aut Solis neſcire datum: nemora alta remotis*
> *Incolitis lucis, vobis auctoribus, umbræ*
> *Non tacitas Erebi ſedes, Ditiſque profundi*
> *Pallida regna petunt: regit idem ſpiritus artus*
> *Orbe alio: longæ (canitis ſi cognita) vitæ*
> *Mors media eſt.* ——

Et Conradum Celten. in deſcr. Nurembergæ. *Nic. Lloyd.* De iis ita Amm. Marcellin. *l.* 15. *c.* 9. *Per hæc loca*, inquit, *hominibus paullatim excultis viguêre ſtudia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos & Euhages & Druidas. Et Bardi quidem fortia illuſtrium virorum facta heroicis compoſita verſibus, cum dulcibus lyræ modulis, cantitarunt: Euhages verò ſcrutantes ſeria & ſublimia naturæ pandere conabantur. Inter hos* Druidæ *ingeniis celſiores, ut auctoritas Pythagoræ decrevit, ſodaliciis adſtricti ac conſortiis, quæſtionibus occultarum rerum altarumque erecti ſunt, & deſpectantes humana pronuntiarunt animas immor-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

immortales. Interim eas de corpore in corpus tranſire opinati ſunt, teſte Cæſare *l.* 6. Georg. Horn. ſtatuit, *Druydum* Philoſophiam ab Aſſyriis Magis fluxiſſe, qui Germanicâ linguâ hodieque dicuntur *Trutten*, vel *Truttner*. Sicut igitur vox *Magus*, quam olim boni ſignificatûs fuiſſe contendunt, nunc in malam partem accipitur: ita & *Druydas* nunc idem vult dici, qui Diabolicis artibus dediti præſtigiis hominibus illudunt. Unde hodieque à Friſiis dæmonem *Druſs* vocari, refert Suffridus Petri: qui apud priſcos Friſones *Druydas* quoque ſeu *Druyſas* fuiſſe (quorum inde ab antiquo Friſonis ævo ad Radbodum II. atque ultimum gentis Regem, decem hos, ſed interruptâ ſerie recenſet: Hajonem, Vithonem I. Serapionem, Harconem I. Synnam, Harconem II. Vithonem II. Popponem, Sivardum & Occonem) *in Annalibus Friſiorum* narrat, vide G. Horn. *Hiſt. Philoſ. l.* 2. *c.* 12. Eoſdem, ut & Gymnoſophiſtas, obſcurè ac per ſententias philoſophatos eſſe, docet Laërt. *l.* 1. Lucan. Bell. Civ. *l.* 1. *v.* 449.

Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.

DRUIDES, ſeu Æ, pop. Galliæ, pars Carnutum, ubi nunc Comit. Drocenſis in Belſia, quorum opp. prim. Drocum, 7. leuc. à Carnuto. Fuêre & Magi, qui in roboribus ſacris, ubi nunc vicus *Rouures*, ſacrificabant, ad Vegram amnem, dimidiâ leuc. ab Ebura fluv. 3. à Draco in Bor. 14. à Lutetia in Occ. Robertus, fil. Ludovici Craſſi, hunc Comitatum obtinuit, caput Comitum: Unde & Duces Britanniæ orti. Petronella & Margareta, hæredes Simonis Thuartii, hunc Comit. Carolo V. ceſſêrunt. *Morerius*.

DRUNA, vel. DRUMA, fluv. Gall. in Delphinatu, qui tribus à Valentia leucis in Auſtr. Rhodanum ingreditur, & hodiè *la Drome* vocatur, primùm Auſon. *in Moſella*. Edyll. x. ſub finem.

Te Druna, *te ſparſis incerta* Druentia *ripis*,
Alpini colent fluvii,

memoratus. Oritur 7. leuc. à Vapinco in Occ. rigatque Diam & Creſtidium, Baudr. Valeſ. oritur in Alpibus Vocontiis ex ingenti fonte vel potius lacu, alluitque Bellummontem, & vicum S. Deſiderii *S. Diſier*, nec procul à Bellagarda & à monte, in quo Lucus municipium Vocontiorum fuit, lapſus, mox Aquas *Aix*, tum Deam Vocontiorum attingit, (*Die*) Salientes *Saillans*, Criſtam *Creſt*, Laureolum *Lauriol*, Vallem Drunæ *Vau Drome*, ac demum in Rhodanum defluit inter Valentiam Segalaunorum & Montilium Ademari, tribus leucis ab urbe Valentia, ut dictum. Laureolum porro quidam *Aureolum* alii *Aureolos* vocant, & *Prioratum S. Joh. de Oreolis* in Polyptychis reperio: quibus ſi accedimus, *l'Auriol* aut *l'Oriol* ſcribi convenit. Eſt alter ejuſdem nominis fluv. in Aquitania, *Druna* & *Drona* Larinis ſcriptoribus dictus, accolis *Droune*: qui Corterate alluit *Coutras*, & ab Ella *l'Ile* in Duranium defertur. Eſt & Druma *Drome*; quem Aura *Aure*, in tabulario Eccleſiæ Baiocaſſinæ Aurea nuncupatus accipit, *Not. Gall.*

DRUNCIANUS, gener Caſſii Imp. cui poſt Caſſii mortem ita pepercit Marcus Imp. ut tamen defuncti ejus bona fiſco vindicaret, *l.* 7. *Cod. ad L. Jul. Maj.* & apud Capitolin. *in M. Anton.* Vulcat. *Druentianum* vocat. Caſaub. *ad Capitolin.*

DRUNGARIUS, præfectus DRUNGI. DRUNGUS autem Græcobarb. Δροῦγγος, globus militum, vel pars quædam exercitus eſt, ſub adulto Imperio vox nota Romanis, quâ tamen primitus non de ſuis, ſed de gentium militibus uſi ſunt, vide Vopiſc. *in Probo*, Veget. *de re milit. l.* 3. *c.* 16. *Scire Dux debet, contra quos drunges, h. e. globos hoſtium, quos Equites oporteat poni* &c. Dein in ipſius Orient. Imperii militiam irrepſit, ut ex Codin. Leonis Imp. Tacticis patet: ubi conſtat, *Drungum* etiam fuiſſe numerum aliquot Comitum i. e. Cohortibus præfectorum, ſub *Drungario* merentium. Leunclavio *Drungus*, non pauciores quàm mille, nec plures quàm 4000. milites continebat. Græcis olim χιλιαρχία, Italis, Gallis, Germanis *Regimentum*. Fuit autem in exercitu *Drungarius*, i. e. Tribunus ſeu Chiliarcha, tertius: Hoc enim ordine à Leone militiæ gradus numerantur, Imp. Metarchæ, Drungarii, Comites, Centuriones, Decani, Quintani & Quartani. Δροῦγγος Leunclavio, apud Græcos recentiores, uti *Agla*, apud Turcos, baculum vel ſceptrum officii ac dignitatis ſignificat, an à Lat. *trunco*? Spelmann. verò Saxonica videtur vox, & confertam multitudinem, hodieque Anglis *throng* denotare. In infer. Imperiò Conſtantinopoli clarus fuit *Magnus Drungarius*, qui duplex, Biglæ & Claſſis. Prior vigiliæ & excubiarum erat Præfectus, meruitque in Caſtrenſi militia ſub Magno Domeſtico: gerebat hic ſceptrum judiciale, poſt ſuperiorem condylum, qui in omnibus inauratus erat, aureum & coccineum, ad imum uſque accuratè ornatum: vide de juriſdictione ejus Manuelem Comnen. *Novellâ* 2. de Præfecto verò Vigilum ab Auguſto conſtituto, *ff. l.* 1. *tit. de off. præf. vigil.* Poſterior in re marina, magno Duci fuit ſubjectus. Præerat hic Amiralio, Protoconniti, Drungariis & Comitibus i. e. Cohortium præfectis, habebatque ſceptrum è ligno lævi, aliquando abſque judiciali ſceptro erat. Notat Meurſ. à Leone Naumach. navalem hanc præfecturam primitus fuiſſe, & poſtea ad militiam terreſtrem eſſe tranſlatam. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* Addo, quòd *Magno Drungario* Claſſis, præ aliis ſuberat δεύτερος Δρουγγάριος τοῦ στόλου; ut eſt apud Annam Comnenam *Alexiad. l.* 12. *p.* 369. Apud Cedren. memoratur quoque *Drungarius Cibiræotarum*, in *Leontio*; Apud Auctorem *Hiſt. Miſc. l.* 23. *Drungarius* Δωδεκανήσου &c. Vide *Gloſſarium* Meurſii & Myrepſum *l.* 1. *c.* 443. laudatos Car. du Freſne *in Gloſſario*. Originem vocis quod attinet, Græcam illam eſſe, ſed barbarefactam à Græcis recentioribus, vult Salmaſ. Ρύγχος enim *roſtrum* eſt; quod vulgares Græci jam olim dixêre δροῦγγον: qui militum multitudinem cuneatim roſtratimque pugnantium, fronte ſc. in anguſtum deſinente, videntur ſic appellaſſe; nam & *capita porcina* hujuſcemodi cuneos fuiſſe vocatos, notum & Vegetio & Ammiano. Vide eum *Notis ad Vopiſc. in Probo* (ubi tamen, *drungos* quandoque à *cuneis* diſtiugui, & apud Veget. ubique *globos* exponi, Græc. σωρηδὰς, hocque pugnæ genus uſitatum maximè Barbaris non it. inficias) & *ad Solin. p.* 311. & 364. etiam aliquid infrà in voce *Oſſa*.

DRUPHEGIS Daciæ urbs, *Ptol.*

DRUSCI, pop. Syriæ ad montem Libanum, ſub proprio olim Principe ſui juris: hodie ſub Turcis degunt. Vide de *Druſcorum* expugnatione Thuan. *l.* 84. & Rauwolf *in Itin.* Plura autem de iis in voce *Druſi*. Georg. Horn. duos in Aſia Principatus agnoſcit. *Sidonis* & *Druſcorum*, & Fachreddinum priorem tenuiſſe docet. *Orbis Polit. Part.* 2.

DRUSI, populi quidam habitantes ad fines Joppes & Damaſci, qui hic remanſêrunt poſt expeditionem à Francis in terram ſanctam ſuſceptam, ducunt vitam prorſus Barbaram, circunciduntur tanquam Mahumetani, bibunt vinum tanquam Chriſtiani, quales haberi volunt, commiſcenturque propriis filiabus tanquam belluæ: vivunt inter Turcas, hos tamen & Judæos maximè averſantes, ſub Principibus ſui generis, bello aſſueti, audaces & obſtinati ſunt. Pugnant ſclopeto gladioque incurvo, aliqui etiam lanceis & ſagittis. Joh. Matal. Metell. Hoc ſeculo celebres illos reddidit Emir Fechreddin, Princeps eorum. Eugen. Roger. *deſcr. Terr. Sanct. tr.* 2. *c.* 2.

DRUSI Monum. *Eychelſtein*, moles teſtacea, in ſuburbio Moguntiæ *Urb.*

DRUSIANA, à Joh. Apoſtolo, ad decretum Nervæ Imp. è Pathmico exilio revocato, in ingreſſu Epheſi, à mortuis excitata. A. C. 96. *Joach.* Camerar *in vita Joh.*

DRUSIANA foſſa, pars Rheni, poſt ejus ſciſſionem, in Germ. inferiori dextra, *Yſel* nunc dicta, incipiens apud *arcem Druſianam*, vulgò *Doesburg*.

DRUSIANA Vallis, in Rhætia, vulgò *Walgow*, per quam fluv. *Langarus*, ex Rhæticone ortus, labitur.

DRUSIANUS, Medicus ſec. 14. celebris.

DRUSIAS, Judææ urbs. *Ptol.*

DRUSILLA, ſoror Caligulæ Cæſaris, primùm L. Caſſio, poſtea M. Æmilio Lepido nupta, urbes per omnes divinis, poſt obitum, honoribus coli juſſa eſt. Nec defuit Senatorii Ordinis vir Liv. Geminius, qui juraret, ſe eam vidiſſe in cœlum aſcendentem, cumque Diis converſantem: ac exitium ſibi familiæque imprecaretur, ſi calleret, teſtes Deos & in his *Druſillam* invocans. Quo etiam juramento, quemadmodum Numerius Atticus ſimiliter de Auguſto jurans, ſeu potiùs pejerans, decies ſeſtertium meruit, ut auctor eſt Dio *l.* 52. ex quo etiam cognoſcimus, eam habitu Veneris, cognomine *Pantheæ*, conſecratam, quò proin J. Liſp. refert veterem hanc Inſcr.

VENERI COELESTI
AUGUSTÆ SACR.
MUMMIA C. F. DORCAS
S. P. F. C.

Vide Voſſ. *de Idol. l.* 1. *c.* 12.

DRUSILLA, Agrippæ Jun. ſoror, primò deſponſata filio Antiochi Epiphani, dein Aziazi Emeſorum ſive Amazorum Regis data eſt. Hanc cùm pulchritudine cæteris præſtaret, Felix concupivit: quare miſſo nuntio, qui erat Judæus Magus, Simon, Cypro oriundus, eam in ſuam partem flexit: nam hæc ſponte relicto priore marito, & religione ſuâ, hujus nuptias ſecuta eſt. Vide Joſeph. *Antiq. l.* 20. *c.* 9. Hujus mentio fit Actor. 24. *v.* 14. *Felix cum* Druſilla *urore ſua quæ erat judæa, accerſivit Paulum, & audivit eum de fide quæ eſt in Chriſtum.*

DRUSILLA etiam dicta eſt Livia uxor Aug.

DRUSILLA, filia Germanici, ex Agrippina, nepte Auguſti, nupſit L. Caſſio primùm, dein M. Lepidio. Tacit. *Ann. l.* 6. *c.* 15. *Huic* Druſillam *Vinicio Juliam Germanico genitas conjungit.*

DRUSILLANUS, nomine Rotundus, ſervus Claudii Imp. Diſpenſatorque Hiſpaniæ citerioris. Plin. *l.* 33. *c.* XI.

DRUSIPARA, Thraciæ urbs. *Ptol.*

DRUSIUS Johannes vide *Johannes*.

DRUSO, imperitus Hiſtoricus; ſub Auguſto, debitores ſuos hiſtorias à ſe ſcriptas audire coëgit, ſpretas reliquis. Horat. *l.* 1. *Serm. Sat.* 3. *v.* 86.

Odiſti & fugis, ut Druſonem *debitor æris, &c.*

DRUSOMAGUS, urbs Rhætiæ. Ptol. hodiè Campidonæ: alii *Kempten*, alii *Memmingen* eſſe hodiè dicunt.

DRUSORUM Familia, ramus Claudianæ erat, & licet plebeja, 8. tamen Conſulatibus, 2. Cenſuris, 3. triumphis, Dictaturâ, Equitum Magiſterio, &c. inſignis. Clariſſimi Salinator & Druſus, cui nomen ab interfecto Drauſo, hoſtium duce.

DRUSUS, vir Romanus, genere, & eloquentiâ magnus; ſed ambitioſus, & ſuperbus, Catonis avus. Cic. *l.* 4. *de Fin.* Interfectus eſt domi ſuæ. Idem *pro Milone*.

DRUSUS cognom. *Germanicus*, Liviæ Auguſtæ ex Tiberio Nerone fil. in Germania periit A. C. 30. de cujus morte extat, Ovidii carmen conſolatorium ad Liviam matrem. Frater Tiberii, ex Antonia jun. Germanici, Liviæ & Claudii pater fuit. Vide Dion. *l.* 55. Liv. *l.* 138. *& ſeqq.* Vellei. Suet. Tac.

DRUSUS, Tiberii ex Vipſania Agrippæ fil. quam, ut Juliam duceret, repudiavit. In Illyrico, & Germania militavit, inde redux Tribunus P. factus eſt, ob ſuperbiam populo exoſus, à Sejano veneno ſublatus. Pater duorum filiorum, quorum alter obiit in pueritia, alter juſſu Caligulæ occiſus eſt, & Juliæ Druſillæ, quæ primò Neroni, dein Rub. Blando nupſit.

DRUSUS Claudii, qui poſt Caligulam imperavit, fil. impubes Pompeiis obiit, pyro per luſum in ſublime jacto & hiatu oris excepto; cum ei Pater ante paucos dies Sejani filiam deſpondiſſet.

DRU-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

DRUSUS, Germanici & Agrippinæ fil. à. Sejano rerum novarum contra avum Tiberium delatus, & cuſtodiâ in Palatio attentus, exſtinguitur Ser. Galbâ, L. Sullâ Coſſ. Tacit. Annal. *l. 6. c. 23. cum ſe miſerandis alimentis, mandendo è cubili tomento nonum ad diem detinuiſſet.* Mox Pſeudo Druſus ortus, de quo vide *Annal. l. 4. c. 4.* Suet. *in Tiber.* Dion. *l. 57.*

Jul. DRUSUS Publicola, haud immeritò claruit, quòd domus ejus pluribus partibus vicinis conſpicua cùm pateret, & quinque eam talentorum omnino ſumptu faber quidam evertendam, atque commodius dirigendam ſuſcipere vellet; *Decem*, inquit, *dabo, ſi totam eam ita exponas conſpicuam, ut univerſi cives, nedum vicini perſpicere queant, qua domi meâ ratione vivatur.* Nempe vir erat modeſtus, ac frugi, nec ei fortè ejuſmodi domûs perſpicuitate opus erat, qui virtutis egregiæ ſpecimen, & præclaræ vitæ documenta erudítiſſima quotidie foris dabat. Plutarch.

M. Livius DRUSUS Salinator, unà cum Claudio Nerone collega ſuo in conſulatu Aſdrubalem vicit. Virg. Æn. *l. 6. v. 824.*

Quin Decios, Druſoſque procul, ſævumque ſecuri,
Aſpice Torquatum, & referentem ſigna Camillum.

Victoriam iſtam celebrat Horat. *Carm. l. 4. Od. 4.* ſub calcem.

------ *Aſdrubale interempto.*
Nil Claudiæ non efficient manus.

C. DRUSUS, hiſtoricus, cùm infans eſſet, è cunis amiſſus, poſtridie demum in celſiſſimo ædium loco, facie Soli obversâ, repertus eſt. Suet. *in Aug.*

DRUSUS, pulcherrima turris in honorem Druſi Cæſaris privigni immaturo fato defuncti, in portu Cæſareæ ab Herode exædificata. In tribu Manaſſe. Joſeph. *l. 15. antiqq. c. 12. & l. 1. bell. c. 16.*

DRUYS Sarronius, Sarronis fil. quartus Celtarum Rex. Ab eo ſapientum atque auguriorum doctore, philoſophi illi, quos *Druydas* vocamus, & originem & nomen primum ſumpſerunt. Regnum cum vita reliquiſſe fertur A. M. 2069. & A. C. N. 1901. cùm duodecim Annis gubernaſſet.

DRUZON, Phrygiæ major. opp. *Ptol.*

DRYADES, nymphæ ſilvarum præſides, ita dictæ à Græco nomine Δρῦς. Virg. *Georg. l. 1. v. 11.*

Ferte ſimul Faunique pedem, Dryadesque *puellæ!*

Calpurn. *Ecl. 2.*

Adfuerant ſicco Dryades *pede, Naïades udo.*

Claudian. de Rapt. Proſerp. *Carm. 36. v. 381.*

Faunorum, Dryadumque *dolor, complectitur verambas.*

Ovid. *in Ep.* 4. Phædra Hippolyto *v.* 50.

Aut quas ſemideæ Dryades *Faunique bicornes,*

DRYAENA, urbs Ciliciæ à *Dryæno* condita, *Chryſopolis* poſtea dicta. *Steph.*

DRYANDER Johannes, *Haſſus*, Medicinam ac Mathemata magnâ nominis ſui famâ docuit Marpurgi, novisque inventis ac Scriptis quàm plurimis rem literariam juvit. Obiit A. C. 1560. Vide Anton. Teiſſier *in Elogiis* ubi catalogus operum ejus quæ lucem viderunt, ut &, infrà *Johannes Dryander.*

DRYANTIADES, Lycurgus Thraciæ Rex, ſic dictus, q. Dryantis fil. qui cùm vites excindere vellet, ne Baccho in poſterum libaretur, tibias ſibi ſuccidit. Ovid. *in Ibin. v. 345.*

Utque Dryantiadæ *Rhodopeïa regna tenenti,*
In gemino diſpar cui pede cultus erat.

DRYAS, ANTIS, fil. Hippolochi, & pater Lycurgi, qui in bello Thebano Eteoclis partes ſecutus, quem in pugna Parthenopæum lethali ictu vulneraſſet, à Diana ſagittis occiſus eſt. Stat. *Theb. l. 7. v. 255.*

Promovet ecce Dryas, *hic cui nivea arma tridentem,*

Idem Ibid. *l. 1x. v. 857.*

Luce Dryas *tremor ora repens, ac viſcera torſit*
Arcados.

Idem Ibid. *v. 861.*

Sic Juvenem ſævi conſpecta mole Dryantis.

DRYAS, ADIS, Fauni filia, aſpectum virorum uſque adeò exoſa, ut in publicum prodire nuſquam viſa ſit. Quo factum eſt, ut ſit vetitum, ne ejus ſacris intereſſent mares. *Plutarch.*.

DRYAS, vide *Drujas.*

DRYAS, Theſſaliæ fluv. apud Anticyram, in mare, influens, apud Sperch. fluv. *Gyrald.*

DRYBACTÆ, Sogdianæ gens. *Ptol.*

DRYLÆ, vicus non procul à Pontica Trapezunte. *Ptol.*

DRYMÆ, urbs Lybiæ. *Steph.*

DRYMÆA, oppidul. Achajæ in Phocide mediterr. in tumulo, verſus montes, 20. mill. à Daulide in Bor. 6. à Cephiſſo fluv. Nunc quid ſit, ignotum.

DRYMIA, urbs Phocidis. *Steph.*

DRYMODIS, prius dicebatur, quæ nunc *Arcadia*, ſed deinde *Pelaſgis.*

DRYMUS, urbs inter Atticam, & Bœotiam. Suid. Δρυμὸς, ἐν τῷ παραπρεσβείας Δημοσθένης, πόλις [illegible] Βοιωτίας καὶ τῆς Ἀττικῆς, h. e. *Drymus in oratione Demoſthenis de Falſa Legatione, urbs eſt inter Bœotiam & Atticam.* Panacto vicinam fuiſſe docent hæc Demoſthenis, Περὶ Δρυμὸν, [illegible] ἐξερχόμεθα, *Circa Drymum & Panacti regionem cum armis prodiimus.* Græcè δρυμὸς eſt *Silva*; An ideo dicta eſt *Drymus*, aut à Phœnicio דרום *darom*, quod *meridiem* ſonat, quia *auſtrale* erat opp. Bochart. Alia fuit urbs Eubœæ inſulæ. *Strab.* Nic Lloyd. De priore addo, quòd Heſych. fuit Χωρίον τῆς Ἀττικῆς καὶ Φρούριον *regio Atticæ & caſtellum.* Vide Jac. Spon. *Itin. Græc. part.* 3. ubi de 174. *populis Atticæ.*

DRYMUSA, inſ. Joniæ. *Steph.*

DRYNÆMETUM, Galatiæ locus. *Strabo.*

DRYNOPOLIS, vide *Drinopolis.*

DRYOPE, nomen cujuſdam, qui Hylam rapuit.

DRYOPE, præcipua mulier Lemnia, cujus formâ aſſumptâ, Venus perhibetur verba ad congregatas Lemnias habuiſſe & conſilium ſopitos occidendi dediſſe. Val. Flacc. Argon. *l.* II. *v.* 174.

Hac inter medias, Dryopes *in imagine mæſtæ*
Flet venus: & ſævis ardens dea planctibus inſtat.

DRYOPE, Oechaliæ virgo ab Apolline compreſſa, pòſt Andræmonis uxor, tandem in lotum arborem converſa eſt. Ovid. Metam. *l.* 1x. *v.* 430.

Oechalidum Dryope: *quam virginitate carentem,*

Idem Ibid. *v.* 436.

Venerat huc Dryope *fatorum neſcia; quoque:*
Indignere magis,

Idem Ibid. *v.* 442.

Carpſerat hinc Dryope, *quos oblectamina nato*
Porrigeret, flores:

Idem Ibid. *v.* 464.

Et quærunt Dryopen: Dryopen *quærentibus illis*
Oſtendi Loton: tepido dant oſcula ligno.

Nomen à *quercu & voce* factum eſt. Fingitur autem in lotum mutata, hanc fortè ob cauſam, quòd inter quercum, & lotum aliqua ſit convenientia, voluitque Ovid. varias naturæ, rerumque vices eleganti admodum veteris philoſophiæ penicillo adumbrare, ut jucundior rerum ex elementis creatarum compoſitio, & conſideratio lectoribus appareret.

DRYOPE, urbs circa Hermionem. *Steph.*

DRYOPES, pop. Epirotici. Strab. *l. 8. & 15.* Sunt etiam *Dryopes* pop. juxta Parnaſſum, teſte Serv. Idem pop. circa Oetam, à *Dryope* Euripyli filia dicti. Steph. Regio eorum *Dryopia.* Virg. *Æneid. l. 4. v. 146.*

Creteſque Dryopeſque *fremunt, pictique Agathyrſi:*

DRYOPIS, Regio Tetrapolis dicta.

DRYPETIS, minor filiarum Darii ultimi, ab Alexandro Mag. elocata Hephæſtioni. Diod. *l.* 17.

DRYPHACTA, apud Cyprian. *Ep.* 20. quæ eſt Celerini Confeſſoris, *Nam ipſam Etecuſam ſemper appellavi ---- quia pro ſe dona numeravit, ne ſacrificaret, ſed tantum aſcendiſſe videtur uſque ad* Dryphacta *& inde deſcendiſſe*: vox eſt origine Græca, de qua Heſych. Δρύφακτον, inquit, αἱ τῶν δικαστηρίων θύραι ἢ κάγκελοι, [illegible], *Tribunalis fores ſunt ſeu cancelli, ſeu ſepes* Vide ſuprà in voce *Cancelli.*

DRYS, urbs Thraciæ, & Oenotrorum, & vicus Lyciæ circa Arum fluv. Steph. Epiri urbs, Suid. Emporium è regione Nicomediæ ſitum, Socrat. *l. 6. Hiſt. Eccl. c.* 14. Cedreno Suburbium Chalcedonenſe eſt, quem locum nunc *Ruffiniana* dici addit, cui ſuffragatur Calliſtus *l. 13. c. 15.* qui ait, Ruffini Conſularis appellationem ad hunc uſque diem obtinere. *Drys* quoque locus juxta Byzantium.

DRYUS, vide *Arytus.*

DRYUSA, Samos olim ſic dicta. *Steph.*

de DU Ludovicus, vide *ibi.*

DUACUM, vulgò DOUAY, olim caput Cattuagarum, nunc urbs permunita Flandriæ, ad Scarpam fluv. Academiâ A. C. 1562. à Phil. II. inſtitutâ celebris. 5. leuc. à Cameraco, & Lendio. Sub Gallis ab A. C. 1667. Guicciard. *deſcr. Belg.* Vide *Duagium.*

DUÆ Columnæ, opp. Inſubriæ, in agro Ticinenſi; *Gambulo* vel *Gambalo.*

DUÆUM, vide *Douæum.*

DUAGIUM Atrebatum, recentioribus *Duacum*, hodie *Douay*, opp. eſt diœceſeos Atrebatenſis, ad Scarpam fluv. qui Albiniacum, Arrebatas, Duagium & Marcianas Monaſterio S. Rictrudis illuſtres alluens, ad vicum Confluentem, *Conflan*, Scaldi recipitur. Captum eſt à Lotharienſibus A. C. 930. quod Hugo Rotgario conceſſit, A. C. 931. à quo Arnoldo redditum eſt, A. C. 941. juſſu Ludovici Regis qui hac lege Rotgarium dimiſerat. Iterum occupatum à Gallis eſt, A. C. 1667. Vide *Duacum.*

DUARENUS Franciſcus, Briocenſis, JC. celeberrimus, Biturigibus docuit, ſcriptis inclytus, ſed memoriâ infelix. Obiit A. C. 1559. Ær. 50. Genebr. *in Chron. in Paulo* Vide San Marth. *Elog. l. 1.* Balduin. libello ſuo *Chriſtiani JC.* nomine, Argentinæ edito A. C. 1556. Antonium Teiſſier *in Elogiis P.* 1. Alios.

DUARUS, ſinus Arabiæ Felicis. Plin. *l. 6. c.* 28.

DUBIA Cœna, vide ſuprà.

DUBIS, Gall. Belg. fluv. Ptol. vulgò. *Le Doux.* Malè, ut judicat Valeſ. qui illum *le Dou* vult dici. *Alduaſdubis* Cæſari, & *Alduabis.* Hic Veſontionem Sequanorum opp. penè totum cingit, Cæſar *l. 2. de bello Gallico.* Oritur in limite Helvetiorum ex Jura monte; dein rigatis Franciomonte *Franchimont*, opp. S. Hippoliti, Claromonte, Epomanduoro *Mandeure*, non procul à monte Piligardæ, Caſtello *Chaſtelet*, Inſula *l'Ile* & Claravalle *Clervaux*, caſtellis non obſcuris, Balmâ Nonnarum, Caſtellione, tum Veſuntionem interfluit; Rupemfortem dein &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Dolam præterlapſus, non longè ab urbe Cabillone & Latona caſtro, apud Viredunum caſtrum, in Ararim ſe exonerat, auctus præ cœteris, infrà Dolam Lupâ *la Louve*. Baudr. Hadr. Val. *Notit. Gall.* &c.

DUBITAPES, fictor egregius vaſa ex rubra creta primus effinxit.

DUBIUM, Perſidis Regio, tum cœteris, tum cœli & aquarum ſalubritate præſtans. *Procop.*

DUBIUS Avitus, vide *Vibius Avitus*.

DUBLINIENSIS Comit. prov. Hibern. in Lagenia Reg. juxta oram littor. maris Hibern. Ejus prim. urbs Dublinum, in ora, totius Inſ. caput.

DUBLINUM, Urbs Hibern. Archiep. totius Lageniæ prim. imo Hiberniæ, Regum olim, nunc Vice Regis ſedes, Academiâ celebris. ab A. C. 1320. Vide *Eblana*.

DUBLINUM, vulgò DOBLIN, urbs Curlandiæ ſeu Semigalliæ Duc. in Polonia, in confin. Samogitiæ. Aliàs *Dobelen*, 6. leuc. Germ. à Mittavia in *Auſtr.*

DUBRAVIUS Joh. Piſſonâ Bohemus, *SKala* antiquo familiæ nomine dictus, toga militiaque clarus, Hiſtoriam patriæ ſuæ cum laude Scripſit, Ferdinando Regi fidus, Olomucenſem Præſulatum obtinuit. Obiit A. C. 1553. Thuanus *Hiſt.* vide *Joh. Dubravius*.

DUBRIS. vide *Darvernum*.

DUCÆ, Mauritaniæ Cæſarienſis pop, *Ptol.*

DUCALEDONII, pop. vide *Caledonii*.

DUCALEDONIUS, & DUECALEDONIUS Oc. vide *Deucaledonius*.

DUCALIS Corona, utriuſque generis *Ducibus*, majoribus minoribuſque, quorum hi in ditione majoris poteſtatis ſunt, communis, à Regia parùm differt. Quippe in utriſque lamina aurea, quæ caput ambit, pretioſis quoque lapillis diſtinguitur. Ex ea exeunt flores & folia ſuâ ſerie laminam adumbrantia: Quâ ratione quercea olim, h. e. civica corona repræſentari ſolebat, ut ex numiſmatibus nonnullis Auguſti videre eſt. Interim *Ducalis* è ſuperiore parte tota patet, cùm Regum coronæ ſint clauſæ, Græcè hinc *ἐπανώκλειστοι* appellatæ. Quam in rem vide plura apud Car. Paſchal. *Coron. l. 9. c. 22.* Atque hæc pro recentiori vocis notione, quâ *Duces* denotantur, dignitate tales. Sed & *Duces* olim exercitus coronati erant, quoties exercitum luſtrabant. Stat. *l.* 4. Sylv. 3. *v.* 62.

Sæpe coronatis iteres quinquennia luſtris.

Unde Caſſio exercitum luſtranti lictor coronam inverſam repoſuiſſe legitur, apud Appian. Alex. *Bell. Civ. l.* 4. Coronabantur porro Duces, tum à Ducibus aliis, tum à militibus, uti docet Paſchal. ubi ſuprà, *l. 7. c. 5.* Et quidem lauro, poſt mortem. Val. Maxim. *l.* 1. *Annibal M. Marcellum interemptum legitimo jure elatum, Punico quoque ſagulo, & corona donatum aurea, rogo impoſuit.* Hinc de Polynice idem Stat. *Theb. l. 12. v. 64. & ſeqq.*

------ Hoſtiles ſuper ipſe ut victor acervos.
Paciferâ lauro crinem, vittaſque decorus
Accubat ------

Vide iterum Paſchal. *d. Op. l. 4. c. 5.*

DUCAS ſeu DUCCAS, Græcis Byzantinis Δούκας, apud Car. du Freſne *in Hiſt. Gallo-Byzant*, ubi de *Conventionibus* Michaëlis Palæologi Imp. & Genuenſium A. C. 1261. & in *Charta* Manuelis Imp. A. C. 1180. idem cum Latinò *Dux* eſt. Hinc Illuſtri inter Byzantinos familiæ nomen &c.

DUCATUS, appellata primùm moneta *Ducatûs* Apuliæ eſt, cuſa à Rogerio Siciliæ Rege A. C. 1240. uti docet Falco Beneventanus inde monetæ Veneticæ ſpecies, cui lemma:

Sit tibi Chriſte, datus, quem tu regis, iſte Ducatus.

Venetos enim *Ducem*, pro capite habere, nemo ignorat. Δουκάτον eſt apud Phranzem *l. 3. c. 27.* *Zecchinum* hodie vocant, ab officina monetaria, quæ *Zecca* Italis. Hi primùm cudi cœpêre, ſub Joh. Dandulo, qui *Ducatum* iniit A. C. 1280. uti refert Petrus Marcell. *in Princip. Ven.* Rhodienſium quoque Militum, in *Statutis* Ord. Hoſpit. S. Joh. Hieroſol. *tit.* 5. §. 42. ubi *Ducatus Rhodi* occurrit, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* &c.

DUCCALA, prov. Regni Marocci, in ora littor. Oceani Atlantici, inter oſtia Ommirabihi & Tenſiſti fluv. verſus caput Cantinum. Urbes præcip. Azafia & Azamurium.

DUCENARII, in vett. *Inſcr.* obvii non ſemel, dicebantur in militia, qui ducentos homines regebant, ut *Centenarii*, qui centum. Inter Procuratores ſic dicebantur, quibus ducena ſeſtertia in ſalarium erant conſtituta. In vet. *Inſcr.* Anquariæ Hiſpan. II. ITEM. PRO. AUG. PROV. BÆTI. AD. DUCEN. ACCIPIENDA. i. e. *Procuratori Auguſti Provinciæ Bæticæ ad ducena accipienda.* Quaſi dixiſſet, *Procuratori Ducenario.* Sic Pertinax, cùm apud Jul. Capitolin. *ad ſeſtertium ducenorum ſtipendium dicitur tranſlatus in Daciam*, Procurator Ducenarius Daciæ factus intelligi debet, Salmaſ. Atque hinc *Ducenarii* & Centenarii, in Schola Agentium in rebus, in qua *Ducena* gradus erat proximus Principi Agentium ſic ut è *Ducena* ad principatum Agentium promotio fieret Car. du Freſne. Sed & *Ducenarii equi*, ut & *Centenarii*, dicti ſunt, qui *ducenta* & *centum* ſeſtertia, in ludis olim Circenſibus merebant: *quadringenta* quoque habet Mart. *l.* 5. *Epigr.* 25. cùm legitimum præmium quinque eſſent aurei; ut docet Salmaſ. *ad. l.* Vide quoque infrà in voce *Miliarii*.

DUCENNIUS Geminus, vectigalibus à Nerone publicis præpoſitus, cum duobus itidem Conſularibus L. Piſone & Pompejo Paulino. Poſtea ſub Galba Præfectus Urbis. Tacit. *l.* 1. *Hiſt. c.* 14. *Mario Celſo conſule deſignato, ac Ducennio Gemino Præfecto urbis.*

DUCERE, Fatorum verbum eſt. Seneca Philoſ. *Ducunt volentem Fata, nolentem trahunt.* Tertullian. *in Jona*,

------ ------ ſi ſic tua dextera ducit &c.

de quo vocis ſignificatu vide Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. l. 1. Theb. v.* 302.

Hinc cauſam irarum certo reliquà ordine ducam.

Item Architecturæ, unde *muros ducere*, apud Pôëtam,

----- ----- *pars* ducere *muros*,
Molirique arcem ------

Foſſas ducere, quod Græcis ἐκφρεβολεῖν, apud alios. Et quidem muri *jaci* ac *duci* dicuntur, ut & aggeres, qui materiâ congeſtâ eriguntur: at foſſa duci, non *jaci* rectè dicitur; ducitur enim foſſa, in quâ jaciuntur fundamenta, quæ & ipſa ducuntur, ut & mœnia. Salmaſ. *ad Solin. p.* 309. Plura verbi ſignificata exequitur. C. Barthius *ad Stat. paſſim.* Apud Mart. *ducere*, pro exhaurire eſt, *l. 3. Epigr.* 22. cujus Eipgraphe de Apicio.

Summa venenum potione duxiſti.

DUCES, apud Judæos, è captivitate Babylonica reduces, dicti ſunt, qui, unà cum Pontificibus, Populum regebant: Poſtquam enim redux Eccleſia in patriam, varias ſubiiſſet vices ſub Perſis eorumque Satrapis Æchmalotarchis; Græcis, Lagidis præcipuè: tandem excuſſo jugo famuliſque lupatis, αὐτονομίαν ſibi recuperavit, quâ non niſi à Romanis tandem deturbata eſt. Et primò quidem *Duces* habuit, non *Principes*; quorum primus Zerubabel פחה *dux Judæ* appellatur, Hagg. *c. 1. v.* 1. 14. & *c. 2. v.* 22. qui præter familiæ ſuæ, Eſr. *c. 2. v.* 2. aut tribus ſuæ principatum, nullum Imperium, niſi Æchmalotarchæ ſeu Ethnarchæ, geſſit; unde plures ei adjunguntur ſocii, ejuſdemque dignitatis collegæ, Eſr. *c. 3. v.* 2. 8. & *c. 4. v.* 2. 3. *c. 5. v.* 1. 2. Cujuſmodi fuêre & Succeſſores ejus; ſicut Davidicorum *Ducum* ultimus. Janna Hircanus, ne quidem Hieroſolymis habitavit, ſed infeſtis ſibi fratribus & Simeone Pontifice, trans Jordanem conceſſit. Sub *Ducum* itaque horum regimine Status Ariſtocraticus fuit quidem, ſed tamen, ut non penès ſolos *Duces*, verùm Pontificem etiam, atque complures ſimul Sacerdotes, *Pontificum* nomine cenſeri ſolitos, ſumma rerum fuerit. Numerantur autem *Duces* ſequentes, *Zerubabel*; *Meſullamus*, *Hannania*, *Barachias*, *Haſadias*; poſt quem Aſmonæorum *Principum* imperium cœpit, licèt *Duces* Davidici non defuerint uſque ad Jannam Hyrcanum præfatum. Floruit hac periodo Ezras Scriba, auctor abſolutiſſimæ & omnibus ſeculis memorandæ reformationis Eccleſiæ illius temporis ad normam Legis & Moſaicæ doctrinæ, princeps Virorum Synagogæ Magnæ, cujus operâ *Canon conſtitutus* & in ſuas partes diſtributus eſt, aliaque facta, quæ *Maſoræ* nomine vulgò veniunt. Eodem tempore multis uſitata fuiſſe videtur *Paraphraſis V. T. Chaldaica*; ortaque hebdomadalis illa Sabbatina *Legis Prælectio*, in Judæorum Synagogis frequentata, cujus mentio Actor. *c. 15. v.* 21. Etiam *Verſio Septuaginta viralis*, ad hanc temporis periodum, licèt magis vergentem, referenda &c. Vide Franc. Burmann. *Synopſ. Theol. Chriſtian. Part. prior. l. IV. c.* 37. de Aſſanonæis verò, qui in *Ducum* horum locum ſucceſſêre, Principibus infrà in voce *Maccabæi*.

DUCES, & COMITES, ſub Impp. poſterioribus, iidem erant primò; Quos enim ad quamlibet provinciam defendendam milite credito peculiariter deſtinabat Imp. cùm *Duces* priùs vocarentur; *Comites* poſt Conſtantinum dicti ſunt, quòd ſub Comitivæ primi ordinis dignitate ducendis militibus ab Imp. præficerentur. Dein infimæ Latinitatis ævo, & illo tempore, quo jam nullum fuit in Occidente Imperium, *Duces* & *Comites* ſic ſeparati ſunt, ut *Duces*, quibus una tota provincia aut urbes plures adminiſtrandæ crederentur, appellarint; *Comites* verò ſingularum Urbium Judices & Rectores, Salmaſ. *ad Pollion. in Macriano.* Sic ſub prima Galliæ Regg. ſtirpe *Duces* dicebantur, qui multis civitatibus, quarum ſingulæ ſuos Comites habebant, erant præfecti. *Victorinum Ducem ſuper ſeptem civitates*, Eoricus Gothorum Rex *præpoſuit*, apud Gregor. Turon. *l. 2. c.* 20. Nicetius *in Urbe Arverna*, *Ruthena atque Ucetia, à Childeberto Rege ordinatus*, legitur apud Eund. *l. 8. c.* 18. &c. graduſque Comitatus ad *Ducatum* fuit. Fortunat. *l.* 10. *Poëm.* 22.

Qui modò dat Comiti, det tibi jura Ducis!

Cujus promotionis formula habetur, apud Marculf. *l. 1. Form.* 8. & Senatorem *l. 7. Ep.* 4. ubi, quale eorum fuerit munus, indicatur. Vide quoque Pithœum *Adverſ. l. 1. c.* 8. Hotomann. *de Verbis Feudal.* Marcam. *Hiſt. Benebarn. l. 1. c. 18. n. 5.* laudatos Car. du Freſne *in Gloſſar.* & in voce *Dux*. In ſpecie *Duces Francorum*, vocati ſunt Majores Domûs Regg. Franciæ, *Hiſt. Franc. Tom. II. p.* 659. ubi de Erkenoaldo: Item Pariſienſes Comites, aut qui regiones adjacentes vel *Comitis* vel *Ducis* titulo regebant, quòd ii præcipuam in Aula auctoritatem poſſiderent & Francorum in hiſce tractibus *Duces* eſſent; unde poſtea Pariſienſi tractui *Franciæ* peculiaris nomenclatura data eſt, quam hodieque *l'Iſle de France* appellari notum. Primus autem hac dignitate ornatus eſt, Robertus cogn. *Magnus*, A. C. 861. cui ſucceſſit fil. Hugo, cogn. itidem *Magnus* & *Abbas*: hunc excepit frater Odo, poſtmodum Rex Franciæ dictus A. C. 888. poſt quem frater ejuſdem Robertus, *Dux* primùm & *Marchio Franciæ*, poſtea *Rex* itidem appellatus eſt A. C. 922. Succeſſit Hugo Magnus Com. Pariſienſis, à Ludovico Rege *Dux Franciæ* dictus, A. C. 943. quem excepit fil. Hugo Capetus, A. C. 960. tertiæ Regiæ ſtirpis, quæ hodieque feliciter regnat, Autor. Car. du Freſne *Gloſſario*.

DUCHENIUS Andreas vide *Andreas*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

DUCIANI, in *l. un.* Cod. Juſtin. *de Litor. Cuſtod.* Officiales ſunt *Ducis* l·mitis, Id.

DUCONA, Cadurcorum in Gallia urbs, vulgò *Cahors en Querci.*

DUCTU ſuo bellum gerit, qui per ſe; *Auſpiciis ſuis*, qui per Legatos, illud obit. Hinc de Aug. Suet. *c.* 21. *Domuit autem partim ductu, partim auſpiciis ſuis, Cantabriam, Aquitaniam* &c. Et in vet. *Inſcr.* apud Plin. *l.* 3. *c.* 20. de eodem, QUOD. EJUS. DUCTU. AUSPICIISQUE. GENTES. ALPINÆ. OMNES. QUÆ. A. MARI. SUPERO. AD. INFERUM. PERTINEBANT. SUB. IMPERIUM. P. R. SUNT. REDACTÆ Senec. paulo aliter *Ep.* 33. de Epicureis, qui omnia ſemper ad unum ſectæ ſuæ ἀρχηγὸν referebant: *Omnia, quæ quiſquam in illo contubernio locutus eſt, unius* ductu & auſpiciis *dicta ſunt*. Vide Caſaub. *ad Suet. d. l.*

DUDERSTADIUM, opp. Germ. ad amnem *Wipper*, caput Regiunc. Eichfeldiæ, inter Thuring. & Duc. Brunſuic. ſub El. Moguntino.

DUDHAIM, Geneſ. *c.* 30. *v.* 14. *Quum autem abiens Ruben temporibus meſſis triticeæ, inveniſſet* dudhaim *in agro ---- dixit Rachel Leæ, da quæſo mihi de* dudhaim *filii tui*, *v.* 15. & 16. *propterea cubet ille* (Jacob) *tecum hac nocte pro* dudhaim *filii tui*; Tremellio & Junio redduntur in genere, *flores amabiles*, à דוד *dud*, i. e. amicus. *Joſeminum* in ſpecie, Hebræo Jarrio; *lilium*. Franciſco Georgio Veneto, *mandragora*, LXX. Interpp. Chaldæo Paraphraſti & vet. Latino Interpreti &c. Et quidem poſtrema expoſitio reliquis receptior, & vero ſimilior. Sed cur mandragoræ fructus tantopere Racheli expetitus fuerit, hærent Eruditi. Nam quòd conciliare ſomnum, quòd vim philtri habere, quòd fœcunditatem juvare dicitur, cum frigiditare ejus ſumma vix componi poteſt. Afferunt diſtinctionem locorum, conſtitutionum uteri & alia non pauca, de quibus ne cogitavit quidem unquam ſancta fœmina. Quòd enim putant, adeo fuiſſe ſollicitam, de quærenda fœcunditate, ut ad eam rem medicamentis uti voluerit, vix temporum illorum convenit ſimplicitati. De philtris, indignum refutatione. Placet itaque Auguſtini judicium *c. Fauſtum l.* 22. *c.* 56. *Dicam quid ſentiam ---- Cùm hæc mala* (mandragoræ ſc.) *vidiſſem & propter iſtum ipſum ſacræ lectionis locum, id mihi obtigiſſe gratularer* (*rara enim res eſt*) *naturam eorum diligenter, quantum potui, perſcrutatus ſum ---- Proinde rem comperi pulchram & ſuaveolentem, ſapore autem inſipido; & ideo, cur eam mulier tantopere concupierit, ignorare me fateor, niſi fortè propter pomi raritatem, & odoris jucunditatem*. Certè *novimus aliquando puellas & mulierculas, imò & viros, qui florem unicum quovis pretio redimere voluiſſent*; verba ſunt A. Riveti, cujus eruditam *in h. l. Exercitationem* quæ *n.* 130. eſt, vide: plura apud Jobum Ludolphum *Abyſſin.*

DUDIA, nomen viri. 2 Paral. *c.* 27. *v.* 4.

DUDINCKHUSA, opp. Comit. Waldeccenſis. Joh. Matal. *Metel.*

DUDINI, pop. Illyrici, quorum opp. *Nadin.* Pineto videtur, in Liburnia.

DUDITHIUS Andreas, Ep. Quinqueccleſienſis, vir in Concilio Tridentino clarus, ad Maximianum Cæſarem, cui gratiſſimus erat, *ep.* 1. de PP. ejus Concilii, inter alia ſcribit: *Erant utres: ruſticorum Muſicum Inſtrumentum, quos, ut vocem mittant, inflare neceſſe eſt. Româ reſponſa, tanquam Delphis aut Dodonâ expectabantur, &c.* Poſtea, uxore mirabili modo in aula Polonica ductâ, Proteſtantium doctrinam primò amplexus, dein inter eam & Sociniſticam. diu fluctuavit: hinc neutris acceptus, Libertiniſmum ſtrenuè propagavit, vide hac de re ejus & Th. Bezæ *Epiſtolas*. Tandem A. C. 1589. Vratiſlaviæ, cùm ſibi mortem ex ſcientia aſtrorum, cujus peritiſſimus erat, prædixiſſet, placidâ morte, *Chriſtum ſalutis noſtræ propitiatorem jugiter invocans*, deceſſit. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 96. & ſuprà *Andreas*: plura verò de illo, apud Quirinium Reuterum *Vitâ ejus*, ac Anton. Teiſſier. *in Elogiis*, ubi ſcripta ejus, quæ complura, enumerat *Part.* 2. *p.* 110. etiam in Hollandia quaſdam illius Epiſtolas, unâ cum Fauſti Socini operibus editas, addit *p.* 422.

DUDO, ex Neuſtria, ſcripſit Normannorum, in Gallia, progreſſus, Poëta magis quàm hiſtoricus, ſec. 10. Saxo Gramm. *l.* 1. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 41.

DUDUA, Galatiæ urbs. *Ptol.*

DUDUM, Libyæ interioris opp. *Idem.*

DUEL, pater Eliaſaph, principis tribus Gad. Num. *c.* 1. *v.* 14. Lat. *agnoſcite Deum*, aut *ſcientia Dei*.

DUELLIUM, Germ. HOHENTWIEL, arx Sueviæ probè munita, in arduo monte, in dit. Ducis Wirtemberg. pluries; ſed fruſtra, ab Auſtriacis obſeſſa.

DUELLONAM, antiqui *Bellonam* appellabant. Var. *l.* 4. *de Ling. Lat.*

DUELLI Judicium, ad veri probationem introductum; quo ambiguas controverſias mediæ ævo dirimi mos fuit, à Septentrionalibus populis traxit originem. Apud quos, cùm ab initio jam in uſu eſſet, *armis lites ſuas decernere*, ait Vell. Patercul. præſertim id invaluit, ex quo Gundebaldus Burgund. Rex in *LL.* ſuis *tit.* 45. ſtatuit, *Ut ſi pars ejus, cui oblatum fuerat jusjurandum, noluerit ſacramenta ſuſcipere, ſed adverſarium ſuum veritatis fiduciâ armis dixerit poſſe convinci, & pars diverſa non ceſſerit, pugnandi licentia non negaretur*. Quæ quidem lites dirimendi ratio recepta eſt poſtmodum, in *LL.* Alemannorum, Bajwariorum, Longobardorum, Danorum, aliorum. Potiſſimùm verò propria fuiſſe Francorum videtur, ex *Vita* Ludovici Pii A. C. 831. ubi de Bernardo: *Is ergo Imperatorem adiens modum ſe purgandi ab eo quærebat more Francis ſolito, ſcilicet crimen objicienti ſemet objicere volens, armiſque impacta diluere*. Ne que tamen cuivis ſuapte ſponte *Duello* contendere licebat, ſed neceſſe erat, ut de eo ſubeundo Judices decernerent. Quo facto decertaturi pignus apud eum deponebant, ut poſtmodum, pro damni ac jacturæ compenſatione, eo cederent victi, atque hoc *Duellum vadiare* dicebant. Interdum verò *Gagia duelli* ad Dominum ſpectabant: namque & in eum finem apud Judices vel Dominum deponebantur, ut in mulctam pars illorum cederet. Jam verò dicebatur is *falſum vadium* incurrere, qui cum reo, quem appellaſſet, duellum inibat, ante peracta coram Judice ſacramenta in hiſce occaſionibus fieri ſolita: ut &, qui eum, quem appellaverat, criminis non convicifſet, quod Gall. *Se mettre en faux gages*; uti contrà, qui rem, quam intenderat, probaſſet, dicebatur *ſe mettre en lojaus gages*. Sed & interdum ipſi parti *Vadium* dabatur, ex *L.* Bajwar. *c.* 17. §. 2. Quinimò is uſus invaluerat, ut appellans chirothecam ſeu rem quamvis aliam coram Judice projiceret eamque appellatus, Judicis priùs petitâ veniâ, è terra levaret, eoque facto duellum in ſe ſuſcipere profiteretur. Datis autem & receptis vadiis, jam non ampliùs pacem inter ſe Appellans & Appellatus poterant inire, inconſulto invitoque domino; quin ab hoc, ſi paci conſenſum præbere nollet, ad perficiendum duellum poterant conſtringi: Et tum dies pugnæ ad quadrageſimum ſolebat indici, uti docet Car. du Freſne ex *Aſſiſus* Hierotol. *MSS. c.* 95. Arma *Duello* certantium, ſi pedites eſſent, *Gladius & Clypeus* erant, *Specul.* Saxon. *l.* 1. *act.* 63. Si equites, armatura tum ipſarummet partium, tum equorum, longè erat operoſior, ut in iiſdem *Aſſiſiis* videre eſt, apud Eund. Per *Statuta* S. Ludov. *l.* 1. *c.* 8. Si *Miles* de crimine aliquo capitali appellaretur à *Villano* aut *Cuſtumario*, Militi liberum erat Equitem, contra, ſi Villanus à Milite appellaretur, Militi peditem pugnare. Ætas quâ quis duellum inire cogi poterat, erat 21. Annorum, juxta *Stabilimenta* ejuſdem Regis *l.* 1. *c.* 71. & 140. Eximebantur autem *Mulieres*, *Sexagenario majores*, *Ægroti*; *Sacerdotes* item, *Clerici ac Monachi*, quorum hi tamen *Vicarios*, & *Campiones* dare tenebantut. Pœna ſuccumbentium Duello fuit ultimum ſupplicium, ſuſpendium, capitis minutio, vel certè membri debilitatio pro criminis qualitate. Vide infrà in voce *Recrediti*. Erant tamen varii caſus, in quibus *Duello* non erat locus, quos vide apud Car. du Freſne laudatum &c. Hanc verò pravam lites dirimendi conſuetudinem, quam *impiam* vocat ipſe Luitprand. Longobardor. Rex in *LL. tit.* 91. §. 4. varia Concilia anathemate damnarunt, vel certe improbarunt: Reges quoque ac Principes penitùs abolere, in ſuis ditionibus, non ſemel anniſi ſunt, præſertim Henricus II. Angl. Rex vide infrà *Jurata* &c. Ludovicus IX. Franc. Rex, qui ibidem, duella omnia in ſuis terris fieri prohibuit; At cùm inveterata conſuetudo extirpari funditus non poſſet, eò tamen res deducta eſt, ut *Duella* non ſuſciperentur, niſi in 4. iſtis caſibus enarratis in *Arreſto* 22. Jul. 1422. quorum primus eſt, *Ut crimen capitale eſſet*. 2. *Ut de crimine perpetrato omnino conſtaret*. 3. *Ut accuſatus eo notorie infamaretur*. 4. denique, *Ut res per teſtes probari non poſſet* &c. Plura hanc in rem, vide apud ſæpius laudatum Car. du Freſne *in Gloſſ.* ubi præter auctores complures de *Duellorum Regulis*, *Ritibus ac Cerim.* ex profeſſo agentes, quos laudat, *Edictum* Philippi Pulchri Regis Franc. jam quidem ſemel à Savarone, atque iterum ab A. Favyno editum, è MS. longè emendatius exhibet, univerſam *Duellorum* uſus ac ritus ſeriem complexum: ut & ſuprà in *Campio*, item in voce *Campus*, nec non infrà ubi de *Monomachia*.

DUEONA, vide *Dovena.*

DUGLASIUM, caſtrum Scotiæ, in Lothiana prov. in confin. Marchiæ, verſus oram littor. maris Germ.

DUGLASSIUM, caſtrum Monædæ Inſ. Angliæ, in mari Hibern. in parte Or. Inſulæ, verſus Umbriam. Vide quoque *Douglaſſius*.

DUGLASSIUS, vide *Douglaſſius*.

DUGLOSSUS Joh. Longinus, Polonus, Archiep. Louv. A Caſimiro III. filiorum educationi admotus, ſæpius Legatus. Scripſit Vitam S. Staniſlai 3. libb. A. C. 1465. & Hiſtoriam Polon. uſque ad Annum mortis 1480. quæ manuſcr. Romæ aſſervatur. Æn. Sylv. *ep. ad Sbign. Card.* Cromer. *l.* 29. Hebr. Folſtinus, *præf. comp. Hiſt. Pol.* Michov. *l.* 4. *c.* 7.

DUILLIA Lex, auctore M. Duillio Trib. Pl. A. U. C. 304. L. Valerio Poplicola Potito, M. Horatio Barbato Coſſ. voluit, *Ut qui plebem ſine Tribunis Pl. reliquiſſet, quique Magiſtratum ſine provocatione creaſſet, tergo & capite puniretur*. Liv. *l.* 3. *c.* 35. Fuit & *Duillia Mænia* lex, quam M. Duillius, & Lacius Mænius Tr. Pl. Cajo Marcio Rutilo, Cn. Manlio Capitolino Imperioſo II. Coſſ. tulêre A. U. C. 396. *Ut fœnus ne majus unciario exerceretur*, Liv. *l.* 7. *c.* 16. quæ lex repetitio fuiſſe videtur legis Tabb. XII. à qua fœnus unciarium conſtitutum fuiſſe tradit Tacit. *Ann. l.* 6. Iiſdem auctoribus, eodem Anno ſancita lex fuit, *Ne quis poſtea populum ſevocaret: qui hoc faceret, capitale eſſet*. Vide Liv *l.* 7. ſuprà laudato.

DUILLIUS, Romanus, qui primus Romæ ex navali victoria triumphavit. Olymp. 130. A. U. C. 494. Liv. *l.* 17. *Brev.* Cic. *dial. de Sen.* Tacit. *Ann. l.* 1. *c.* 12. Hic jam ſenex & trementi corpore in quodam jurgio, audivit exprobrari ſibi os fœtidum, triſtiſque ſe domum contulit: Quumque apud uxorem queſtus eſſet, quare nunquam ſe monuiſſet, ut huic vitio mederetur; *Feciſſem* (inquit illa) *niſi putaſſem omnibus viris ſic os olere*. Idem de Hieronis uxore narrat Plutarch.

DUINA, vulgò DWINA, prov. Moſcoviæ Sept. verſus oſtia fluv. *Duinæ*, ubi urbs præc. Archangelopolis, emporium celebre prope mare Album.

DUINA, vulgò DUNA, fluv. Poloniæ, al. *Dzwina*. Oritur in Moſcovia, prope Volgam; dein per Lithuaniam fluit, ubi auctus fluviis aliis, Vitebſciam & Polotzam Urb. rigat, poſtea Duneburgum alluit in Livonia, & Rigam, infra quam in mare Balt. & ſinum Rigenſem ſe exonerat, ad arcem Dunemundam. Quibuſdam eſt *Rubo* fluv. antiquorum.

DUINA, vulgò DWINA fluv. ex præcipuis Moſcoviæ. Oritur in Vuologda prov. ſupra Urb. Wologdam, quam rigat, & poſt longum curſum, auctus plurimis flum. duplici oſtio in mare Album ſe exonerat, paulo infra Archangelopolim.

DUINUM, caſtell. Fori Julii.

DUIONA, vide *Divona.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

DUISBURGUM, urbs Duc. Clivenſis, ad Rœram fluv. qui paulo infra in Rhenum cadit, antea libera & Imper. nunc ſub El. Brandeb. 4. leuc. à Veſalia in Auſtr. 4. à Duſeldorpio in Bor. Celebris Academiâ haud pridem inſtitutâ. Hìc concilium A. C. 927. Flodoard. *Chr.* Rhegino.

DULCES, apud Sulpit. Sev. *in Dialogis* & alios Scriptores ejus generis, interiores ſunt amici, quos *delitioſos* appellabat recentior ætas; ut ex. Anaſtaſio Bibliothecario notat Caſp. Barth. *Adverſ. l.* 6. *c.* 20. *delicias* melior. Sulpit. *Dial. l.* 3. *Poſtremo Aurelius Presbyter, dulciſſimus meus, longiore viâ veniens, anhelus cucurrit.* Salvian. *Ep.* 8. *Domino & dulci ſuo Eucherio.* Et *in fine*, *Vale Dominus &* Dulcis *meus* &c. Sic *Dulcedo*, amabilitas morum, gratiâ ſingulari prædita converſatio, Ut *miræ Dulcedinis vir*, apud Hugon. Falcand. *Dulcedo Dei*, in *Capit.* Caroli Mag. &c. Vide Caſp. Barth. iterum *Animadverſ. ad Stat. Theb. l.* 11. *v.* 369.

DULCIA, vide infra *Dulciarius.*

DULCIANA, Muſici cantus dulcioris ſpecies. Aimericus de Peyrato Abb. Moiſiac. in *Vita* Caroli Mag. *MS.* apud Car. du Freſne:

Quidam pelvim modicam tinniebant,
Baculo ſonos properantes.
Quidam flautas dulcorabant,
Cæteris cunctis concordantes.
Quidam Dulcianam *anthoniabant,*
Melos ſuave concinentes.
Quidam, diaphoniam diſſonabant,
A dulciſono diſcrepantes &c.

DULCIARIUS, apud Treb. Pollion. *in Divo Claud.* ubi recenſentur ea, quæ Valerianus Imp. Claudio, tum Tribuno Martiæ quintæ legionis, tribui juſſit: *Piſcatorem unum*, Dulciarium *unum. Ligni quotidiani pondo mille* &c. & Lamprid. *in Heliogabalo*, Dulciarios *& Lactarios tales habuit, ut quæcunque coqui de diverſis eduliis exhibuiſſent, vel Structores, vel Pomarii, illi modò de dulciis, modò de lactariis exhiberent*: dicebatur, qui *Dulcia*, h. e. placentas vel liba, Græcè τραγήματα, ἡδύσματα, γλυκάσματα, πλακοῦντας, conficiebant. *Gloſſæ*, Πλακουντάριοι, *dulciarii, placentarii.* Juv. muſtacea *dulcia* interpretatur; ubi Interpres monet, conſueviſſe antea per nuptias *dulcia* recedentibus erogari, pro apophoretis. Græci etiam γλυκαντῆρας dixêre, unde vox vetus Latinorum *Lucunter* pro *Dulcio* &c. Vide Salmaſ. *ad. l. cit.* Fingebantur autem ex farina iſta opera, & mille modis figurabantur, ut placentæ, ſcriblitæ, cruſtula, lucunculi, hami, lacertuli, ſpicæ, globuli, enchyta, circuli, liba, aliaque plurima, Apulejo *Metam. l.* 10. aliiſque memorata. Sic Clemens Alex. *Protrept.* σησαμαῖ, καὶ πυραμίδες καὶ τολύπαι καὶ κόπανα πολυόμφαλα, Ubi τολύπαι idem Jo. à Wower *Not. ad Minuc.* quod *melliti globuli* Petron. *Mellitos verborum globulos & omnia dicta factaque, quaſi papavere & ſeſamo ſparſa.* Nam melle cum papavere mixto in condiendis *dulciariis* uſos Vett. auctor eſt Acro in *Horat. de Arte Poet.* Hinc Mart. *l.* 14. Epigr. 222. cujus epigraphe Piſtor dulciarius.

Mille tibi dulces *operum manus iſta figuras*
Extruit hinc uni parca laborat apis.

Vide quoque infrà in voce *Fictor*, it. *Panchreſtum*; *Piſtor.*

DULCINISTÆ à DULCINO quodam Novarienſi, Valdenſes dicti leguntur, apud Blond. *Dec.* 2. *l.* 9. *ad A.* C. 1307.

DULCINIUM, urbs Illyrici, in ora maris Adriat. ſub Turcis. Vide *Olcinium.*

DULCINUS, ſec. 14. ſe Regnum Spiritus S. prædicare jactans, ſceleratam vitam ſub prætextu impio abſcondit: In Alpibus. Cum uxore Margareta, ſub Clemente V. exuſtus, Genebr, *in Clem.* V. Gautier. *Chron.* 14. *ſec. c.* 2. Alii aliter de illo. Vide *Dulciniſtæ.*

DULCIS, fil. Gilberti, Com. Provinciæ, nupſit Raimundo Berengario I. A. C. 1102. Item *Dulcis Stephana*, uxor Godofredi, Com. Prov. Item fil. Raimundi Berengarii, promiſſa Raimundo V. Comiti Tholoſ. Noſtradamus, Saxy, Claperius, Piſanus, &c. apud *Morer.*

DULCITIUS, Tribunus & Notarius Imp. executor Imperialium juſſionum in Africa contra Donatiſtas. Auguſt. *Retractationum l.* 2.

DULCUMENSIS Pagus Galliæ, in diœc. Remenſi, memoratus Frodoardo *Hiſt. Eccl. Rem. l.* 1. vulgò *la pays de Dormois* dicitur: Promittebatur olim à Cernaco ad Moſam fluv. Baroniæ tit. illuſtri, ubi unus è 17. Decanatibus Eccl. Rem. caſtellumque Dunum ad Moſam, & villulam *Dulcon*, pagi olim caput, cum vico Sinduno ad Axonam, *Senuc* vulgò, Prioratu S. Oriculi nobili continebat. Hadr. Val. *Not. Gall.*

DULENDIUM, vulgò DOULENS, urbs Picardiæ, in limite Arteſiæ, ad Altiliam fluv. probè munita. 6. leuc. ab Ambiano in Bor. 7. ab Atrebato in Occ.

DULGIBINI, Germ. pop. Tacito ſunt, quos Althamerus Ptolemæi *Dulgumnios* eſſe putat, quorum urbs *Gottingen* hodiè dici eidem videtur, in Haſſiæ, & Saxoniæ confin. Baudr. erant inter Viadrum & Amaſiam fluv. ubi nunc Comit. Oldenburgenſis, Hoyenſis, Lingenſis, & pars Diœceſis Monaſter. & Mindenſis, in Weſtphalia; ex *Cluv.*

DULIANI, Græcè Δουλιανοὶ, Hæretici ex Arianis, qui Verbum Divinum, non Filium Æterni Patris conſubſtantialem, ſed *ſervum* eſſe aſſerebant. Dominic. Macer in *Hierolexico.* Vide *Chriſtianocategori.*

DULICHIUM, inſ. maris Jonii; una Echinadum, contra oſtia Acheloi fluv. non procul ab Ithaca, una ex iis, quibus Ulyſſes imperabat. Ovid. *Triſt. Eleg.* 4. *v.* 67.

Nec mihi Dulichium domus eſt, Ithaceve Sameve;

Hinc adject. *Dulichius* Virg. *Eccl.* 3. *v.* 76.

Dulichias vexaſſe rates, & gurgite in alto.

h. e. *Ithacenſes*, ita Serv. *Nic. Lloyd.* Spon. hodie videtur ea eſſe, quam *Thiaki* vocant, 3. ſolùm aut 4. mill. à Cephallenia diſtans, quam pro in *parvam Cephalleniam* appellant nonnulli; quamvis pro Ithaca hanc ſumat Strab. Sed Ithaca hodie *Jathaco* nuncupatur, & versùs Orientem ingens portus viſitur in Inſ. *Thiaki*, cum ruderibus urbis, quam hodieque *Dolicha* dicunt. Adde, qnòd *Thiaki* Inſ. altero tanto major ſit, quàm Ithaca Strab. fuiſſe dicitur. Sed nec *Dulichium*, una ex Echinadibus videtur, ſi Homero fides. Vide eum *Itin. Gr. Part.* 1. *p.* 132

DULKAK, apud Arabes Scriptores, monſtrum eſt marinum, animal viz. forma hominis ſtruthionem inequitantis, naves aggrediens, & vectores oppugnans, atque inclamans, *voce gloriationis ſeu lætitiæ*, h. e. læta & auribus gratâ, quo commento Sirenas illos denotare, conjicit Sam. Bochart. *Hierozoici Part. poſt. l. VI. c.* 15.

DULOPOLIS, i. e, *ſervorum civitas*, in Libya eſt, in quam ſi ſervus, quamvis peregrinus, lapidem intulerit, liber fit. Alia Hierodulorum eſt, in qua unicus liber eſt, cœteri omnes ſervi. Ajunt & in Creta *Dulopolum* eſſe mille virorum. Eſt etiam *Dulopolis* Aſiæ min. opp. prope Rhodum inſ. Plin. Eſt etiam parva Regio in Ægypto hujus nominis. *Steph.*

DUMA, Hebræis per aphæreſin dicitur *Idumæa*, vel à *Duma* Iſmaëlis filio, Gen. *c.* 25. *v.* 14. Item civitas in tribu Juda Jeſ. *c.* 21. *v.* 11. ubi Interpres ſcripſit *Ruma* ſecutus LXX. qui Ῥοῦμα ſcripſêrunt. Lat. *ſilentium*, vel *ſimilitudo.*

DUMANA, Aſiæ opp. ab Arabiæ latere. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

DUMATHA, urbs Arabiæ. *Steph.* Hinc *Dumatii*, ejus incolæ; qui κατ' ἔτος ἕκαστον ἔθυον παῖδα, *quotannis mactabant puerum, teſte* Porphyrio περὶ ἀποχῆς *l.* 2. §. 56. de ritus initio non conſtat. Cæterùm, apud Vett. moris fuiſſe, in magnis periculis, ut Reges urbium aut populorum filium maximè dilectum, vel alium chariſſimorum aliquem, ad id ſuffragiis publicis electum, pro calamitate publica mactandum darent, λύτρον τοῖς τιμωροῖς δαίμοσι, *ad placandam deorum iram*, tradit Philo Byblius *Hiſtor. Phœnicum l.* 1. apud Euſeb. *Præp. l.* 1. in ſpecie, *Saturnus*, Porphyrius *d. l.* ut qui παιδοθυσίας hujus primus auctor, vide infrà *Ilus.* Quæ nefaria religio cum Phœnicum coloniis, in Inſulas, in Europam, in Africam latè poſtmodum propagata eſt. De Cananæis, Molocho (qui idem cum Saturno) liberos ſuos igni comburentes offerentibus, res nota ex Sacris: de Sepharvæis, ex 2 Reg. *c.* 17. *v.* 31. In Ægypto verò mos iſte vetuſtiſſimus, Diod. Sic. *l.* 1. Vide Joh. Marsham. *Canone Chron. Sec.* V. ubi de παιδοθυσίᾳ.

DUMBARUM, (quaſi *Caſtrum Baræ*, ſeu *Varæ*, quæ æſtuarium eſt) opp. Scotiæ in ora Orientali ad oſtia Loxæ fluv. inter Bervicum ad merid. & Andræopolim ad Bor. In Lothiana prov. Baudr. in ora maris Germ. ubi Scoti grandi clade affecti ab Anglis, A. C. 1650. d. 23. Septemb.

DUMBLANUM, urbs Scotiæ merid. Epiſc. ſub Archiep. Andræopolitano, inde 25. mill. in occ. Glaſquum verſus 15. In Taighia prov. *Menteith*, ad Taichum fluv. qui paulò infra in Fortham cadit. 20. mill. ab Edimburgo in Occaſ. vulgò *Dumblain Baudr.*

DUMIUM, pag. cum cœnobio, apud Bracaram, urbem Archiep. Hiſpaniæ.

DUMMERA, lacus Weſtphaliæ 4. ditiones attingit, Monaſter. Oſnabruc. Mindenſ. & Diepholtenſem. Hic lacus opp. Diepholtiam rigat, & per ipſum labitur. Hunta fluv. Vulgò *Dummer-Zée.*

DUMNA, inſ. Scotiæ Bor. ferè adjacens, Norvegiam verſus, *Hoy* nunc, una Orcadum, juxta Picticum fretum ad Auſtr. Pemoniæ inſ.

DUMNACUS, Dux Andium, Anno 8. belli Gall. Lemovicum oppugnat. Hirt. *l.* 8. *c.* 44.

DUMNISSUS, locus Auſtraſiæ, ſive in Lotharingia apud Moſellam, ab Auſon. *in ſua Moſellana* memoratus, Edyll. x. *v.* 7. & 8.

Prætereo ardentem ſitientibus undique terris
Dumniſſum riguaſque perenni fonte tabernas,

Vulgo *Domniſſa.* Baudr. eſt *Denſen*, vicus infra opp. *Kirchberg*, 1. m. p. ſupra arcem Dumnum, in dit. El. Palatini Rheni, in Bor. paulo ampliùs à Moſella in Ort. in confin. dit. Trevirenſis; ex *Cluv.*

DUMNITONUS, locus Aquitaniæ. *Ferrar.*

DUMNONII, pop. Angliæ ad Occid. Vide *Damnonii*, quorum Regio *Devonia* Lelando dicitur. Ferrar. verò *Cornubiam* eſſe ſuſpicatur.

DUMNORIX Æduus, frater Divitiaci, Æduorum Principis, gratiâ & largitione apud Sequanos plurimum poterat *l.* 1. *Comment. c.* 9. Equitatui Æduorum præerat. In Cæſarem perfidus *c.* 18. ob rebellionem interfectus *l.* 5. *c.* 7. Germanicè *Thumrich.*

DUMNOTIRUM, Caſtr. permunitum Scotiæ Bor. in Marnia prov. & ora Occ. Germ. 10. mill. Scot. infra Alberdoniam in Auſtr.

DUMNUS, vulgò THAUN, arx Germ. ad Navæ Simeræque confluentes, in Palat. Rheni. 16. m. p. à Bingio in Occ. *Cluver.*

DUNAANUS, Judæus, Rex Homeritarum, populi Arabiæ fel. ſub Elesbaano; Æthiop. Rege Victus ingenti prælio, iram, in Chriſtianos ſuæ ditionis effudit: Sed à Rege Elesbaano, rogatu Patr. Alexandrini, occiſus. Zonar. Cedren. Niceph. Anaſtaſ. Theophanes, &c. A. C. 522.

DUNAX, Thraciæ mons, Strab. *Donuca* Liv. dicitur.

DUNBRITONIUM, caſtr. permunitum Scotiæ, in Levinia, ad confluentes Levinii & Glottæ 7. mill. à Glaſco in Occaſ. Aliàs *Dunbarte*.

DUNCANUS Martinus, vide *Martinus*.

DUNCHELDINUM, quaſi *caſtrum Caledonium*, vulgò *Dunkelden*, urbs Scotiæ ab Andræapoli 22. m. p. plus minus diſtans, ad Taum fluv. Pertho finitima, ad 6. mill. diſtans.

DUNCKELSBULA, Germ. DINCKELSPUL, à Germ. DINCKEL, triticum, quod affatim in urbis hujus agro naſcitur, & *bühel*, collis, quòd ad colles inprimis huic urbi vicinos, copia ingens hujus generis tritici naſcatur. Opp. eſt antiquum Imperii, in Suevia, ad amnem Wernicium. Primò villa fuit, dein vicus parvus, tandem oppidum factum eſt; quod tot ſtagna ac piſcinas, quot annos dies, habere dicitur. Inſignia ſunt, Imperii Aquila & colles, in quorum quolibet inaurata Zeæ ſpica. Plura Vide apud Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 14. & de Religione ac regiminis forma, Inſtr. Pacis, *art.* 5. §. *Deinde*. cujus executionem refert Knipſchild *l.* 3. *c.* 11. *n.* 30.

DUNEBURGUM, arx permunita Livoniæ, ad Duinam fluv. Nunc ſub Suecis. In limite Semigalliæ, vix 6. leuc. Ptol. à confin. Lithuaniæ in Bor.

DUNELMENSIS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

DUNELMENSIS Simeon, vide *Simeon*.

DUNELMUM, urbs Angliæ Sept. epiſcopalis ſub Archiep. Eboracenſi, vulgò *Durham*, vel *Dureſm*. Ad Vedriam fluv. 6. mill. Angl. ab Oceano Germ. in Occ. Hîc David Scotiæ Rex captus eſt à Philippa, conjuge Eduardi III. d. 20. Oct. A. C. 1346.

DUNEMUNDA, arx permunita Livoniæ, ad oſtia Duinæ, juxta ſinum Rigenſem, ſub Suecis.

DUNENSIS Comit. in Gallia, prope Belſiam, cujus caput Caſtrodunum, vide ibi. Guido fil. Ludovici Com. Bleſenſis illud vendidit Ludovico D. Aurel. fratri Caroli V. Regis Dein Apennagium fuit Joh. Com. Dunenſis, Baſtardi Aurel. cui tantum Gallia debet, ſub Carolo VII. A quo Duces Longavillani.

DUNENSIS Comit. prov. Ultoniæ, in Hibern. verſùs oram Or. ex adverſo Scotiæ. Urbs prim. *Dunum*.

DUNFREIA, vulgò DUNFREIS, urbs Scotiæ merid. in Nithia prov. ad Niddam fluv. 3. mill. Angl. ab ora Oceani Hibern. & æſtuarii Itunæ

DUNGA, Indiæ intra Gangem opp. Ptol. *Dabul* Caſtaldo ſub Luſitanis.

DUNGA, urbs Indiæ cit. juxta Barigazenum ſin. eſt *Goga*, Urbec. Guzaratæ Regni, ſub Mogole, 60. leuc. Hiſp. à Dabulo in Bor. *Baudr*.

DUNGALIA, urbs Hibern. in Ultonia, in ora littor. verſùs Occ. cum portu percapaci. Hinc Regio adjacens *Comit. Dungalenſis* ſeu *Tyrconenſis*.

DUNGALUS, Diaconus, ſub Carolo Mag. ad quem de Solari eclipſi ſcripſit. Dein Lothario Imp. librum de imaginum cultu, contra Claud. Taur. dedicavit. Verſus quoque compoſuit. Poſſevin. *A. S.* Bibl. *PP. p* 2. *col.* 145. *edit.* 1624.

DUNGARVANUM, opp. Hibern. permunitum, cum portu, in Vaterfordienſi Comit. Lageniæ, in ora littor. 18. m. p. à Vaterfordia in Occ.

DUNIUM, opp. Angliæ, Durotrigum, apud oram Auſtralem. Vulgò *Dorchester*. Camd. *Durnium* legit. In Dorſetiæ Comit. Sanſoni etiam *Durnovaria* dicitur vide quoque *Thunum*.

DUNKERANUM, vulgò DUNDALK, urbs Ultoniæ, in Hibern. in Comit. Lugenſi, cum portu capaci, in ora maris Hibern. ubi recipit Reſſanum amnem.

DUNKERKA, ab Eccl. in *Duno* i. e. monte poſita. Vide *Dunquerca*.

DUNNALLO Molmutius, Clotenis Cornub. Ducis fil. devictis Loegriæ, Cambriæ, & Albaniæ tyrannis, ſolus apud Britannos tertius & viceſimus Rex imperavit. Primus hic omnium in Britannia fuit, qui aureo diademata caput inſignivit regium. Multa pulchra ſtatuta edidit, quæ *Molmutina* dicebantur à Britannis. Obiit A. M. 3540. & A. C. N. 430. fuitque ſepultus Trenovanti; in templo Concordiæ quod condiderat.

DUNOVERTIUM, caſtrum probe munitum Scotiæ merid. in Cantieræ peninſ. Auſtrali receſſu, ex adverſo Hiberniæ, à qua 24. mill. abeſt in Cæc.

DUNQUERCA, urbs permunita Flandriæ, cum portu capaci, in ora littor. maris Germ. 3. leuc. à Gravelina in Ort. 6. à Caleto. 12. à Brugis in Occ. Hîc Parmenſis à Batavis obſeſſus eſt, A. C. 1588. ut claſſi Hiſp. ſe jungere non poſſet; quæ tum Angliæ inhiabat. Condita à Com. Balduino, Arnolphi fil. A. C. 966. Capta à Termæo, A. C. 1558. à Duce Parm. recepta, A. C. 1583. Iterum capta à Gallis, A. C. 1646. Recepta, A. C. 1658. & Anglis conceſſa, qui illam Gallis vendidêrunt, A. C. 1662. qui ibi nunc arcem inſignem exſtruxêre. Nomen fortè à templo *Kerke*, quod primum à nautis eminus conſpicitur. Plateæ hîc pulchræ, incolæ milites navales. Guicc. *Belg.* Strada *de Bell. Belg. dec.* 2. *l.* 5. Sarracinus, *rel. obſid. Dunkerkanæ*.

DUNS Scotus Johannes, vide *Johannes*.

DUNRODUNUM vulgò DORNOK, urbs Scotiæ Septentrion. in Suterlandia prov. in ora Or. Oceani Scotici. Cum portu capaci. Epiſc. ſub Archiep. Sant. Andræano. 8. mill. à Cromartio.

DUNSTABURGUM ſeu BEBBA, caſtr. Angl. Sept. in ora Oc. Germ. in Northumbria, 18. mill. Angl. à Bervico in Auſtr. 22. à Novocaſtro in Arctos.

DUNSTANUS, Anglus, Glaſconenſis Præſul doctiſſimus, junctus Ottoni Archiep. Cantuarienſi Cœlibatum ſacerdotum vehementer urſit: & Dunſtani quidem inprimis ſanctitatis ſpecie motus Eadgarus Rex permiſit ex Collegio Vintonienſi & Vigornienſi Preſbyteros uxoratos pelli: Sic eos brachio Regis exturbavit, cùm fabula ficta non valuiſſet. Finxerat enim antea Gabrielem Angelum 12. articulos contra conjugium Sacerdotum attuliſſe. Polydor. *l.* 6. *p.* 297. *edit. Grand.* Vide quoque in voce *Vintonia*.

DUNUM, Hibern. urbs Epiſc. Ptol. vulgò *Down*. Du Val, in Ultonia Scotiæ locat. Incolis *Dow-Phadrick*. Plurima oppida hoc vocabulo terminantur, ut *Noviodunum*, *Camalodunum*, &c. de quibus ſuis locis. Vide tamen pro omnibus reliquis *Lugdunum*. *Dunum*. Item aliud Opp. Gall. Celt. in finibus Carnutum *Chaſteaudun*. Denique ſinus Angliæ in Comitatu Eboracenſi *The Creek in Dunesbay*, teſte Camd. ad oſtia fluv. Tees, juxta caſtr. *Whitby*, & viculum *Dunesley*.

DUNUM, Caſtell. Galliæ, in Carnutibus, ad fluv. Lidericum, à ſitu dictum, utpote in edito eminens loco. Vulgò *Chaſteau-Dun*. Caput agri cognom. *le Dunois*, inter Durocaſſinum & Ebroicinum ſiti. De Promoto Ep. Dunenſi, quid factum ſit. Vide apud Gregor. Tur. & Hadr. Valeſ. *in Not. Gall.*

DUNUM Regis, *Dun le Roy*, opp. Galliæ in finibus Biturigum Cuborum, ad fluv. Utrionem *Orron*, qui apud Avaricum in Ararim labitur. Sedes olim regia, Joh. Matal. Metell. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

DUNUS fluv. alio nomine *Tala*, fluv. eſt Galliæ, in Caletis, vulgò *Dun en Caux*: Naſcitur apud vicum, quem à re Fontem Duni appellitant, *Fontaine le Dun*, & attingens vicum, S. Petri veteris *S. Pierre le vieux*, Dunum fluvii nomine clarum, *le Bourg-Dun*, Vallem Duni *Val-Dun*, ad vicum S. Albini decurrit in mare. Victriacum ſuper fluvio *Duno* & *Dunum* locum, memorat *Chronicon* Fontanellenſe. In *Literis* Caroli Calvi, *Dunus*, *tam ſuperior*, *quàm inferior*, deprehenditur; ubi Dunus Superior forte eſt *Bourg-Dun*, inferior *Val-Dun*. Richardus II. Normannorum Dux *in Duno terram* commemorans, & Geroldus Miles II. molas in villa dicta *Dun*, & mercatum, quem habebat, apud Dun, referens, ambo Burgum Dunum haud dubiè deſignant. Vide Hadr. Valeſ. in voce *Caleti*.

DUO, in vet. *Inſcr.* haud pridem detecta in Æde Monaſterii S. Acheoli juxta Ambianum, *Dua*:

PRO SALUTE ET
VICTORIA EXX G
APOLLINI ET UER
JUGODUMNO
TRIBUNALIA DUA
SETUBOGIUS ESUGGI
F. D. S. D.

apud Car. du Freſne.

DUO Maria, nomen Inſ. *Baharaim*; in ſinu Perſico, margaritarum piſcatione celebris, apud Andr. Bellunenſ. Vide ſuprà in *Baharaim*, & plura apud Bochart. *Hierozoici Part. poſter. p.* 678.

DUODECIACUM vulgò DIEUZE, oppid. Lotharingiæ, aliàs munitum 7. leuc. à confin. Alſatiæ in Occ. Aliis eſt *Delme*, in Lothar. Aliis *Duziacum*, vicus Campaniæ. Vide ibi.

DUODECIM, Græcè *οἱ Δώδεκα*, ſub *Dii*, Dii erant Conſentes & præcipuo honore Romæ ac apud Athenienſes culti, quorum picturæ ſeu imagines extabant in Ceramico. His altare ſacrum erat, dictum Βωμὸς δώδεκα θεῶν, in quo paulo ante Siculum bellum lapide quodam ſe ipſum homo aliquis mutilavit, quod mali ominis habebatur. Per eoſdem jurare ſoliti ſunt, in familiari colloquio: *Μὰ τοὺς Δώδεκα θεοὺς per Duodecim Deos*. Vide & infrà *Olympii*. Pauſaniam *in Atticis p.* 3. Plutarch. *in Nicia*, ſuprà in voce *Conſentes*. Iidem *Duodecim* ſimpliciter appellantur, apud Martian. Capellam *l.* 1. *de nupt. Merc. & Philot.* De his Suet. *in Aug.* intelligi poteſt, cùm *c.* 70. ait: *Cœna quoque ejus ſecretior in fabulis fuit, quæ vulgò Δωδεκάθεος vocabatur in qua Deorum Dearumque habitu diſcubuiſſe convivas, & ipſum pro Apolline ornatum, non Antonii modò Epiſtolæ, ſingulorum nomina amariſſimè enumerantis, exprobrant, ſed & ſine auctore notiſſimi verſus*:

Cùm primùm iſtorum conduxit menſa choragum,
Sexque Deos vidit Mallia, ſexque Deas.
Impia dum Phœbi Cæſar mendacia ludit,
Dum nova divorum cœnat adulteria.
Omnia ſe à terris tunc Numina declinarunt,
Fugit & auratos Jupiter ipſe thronos.

Et pergens addit: *Auxit cœnæ rumorem ſumma tunc in civitate penuria ac fames. Acclamatumque eſt poſtridiè, frumentum omne Deos comediſſe: Et Cæſarem eſſe planè Apollinem, ſed Tortorem.* Vide Thom. Dempſter. *Paralip. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 3. & Fr. Roſſæum *Archæol. Att. l.* 2. *c.* 1.

Nomina Duodecim Deorum.

Jupiter.	Juno.
Mars.	Veſta.
Mercurius.	Minerva.
Nuptunus.	Ceres.
Vulcanus.	Diana.
Apollo.	Venus.

DUODECIM Deorum Villa, vide infrà *Villa*.

DUODECIM Scriptorum luſus, vide infrà *Scripta, duodecim tabulæ luſoriæ*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

DUODECIM Tabulæ, præcipuum Romanæ Juriſprudentiæ caput, Jus Papirianum ſequutæ ſunt hoc modo. Initio civitatis populus ſine lege certa, ſine jure certo primùm agere inſtituit, omniaque manu Regis gubernabantur. Poſtea auctâ ad aliquem modum civitate, ipſe Romulus in partes 30. ſeu Curias populo diviſo leges quaſdam Curiatas ad populum tulit: tulêrunt & ſequentes Reges quas omnes Sext. Papirius, tempore Superbi, in unum collegit, unde Jus civile Papirianum ortum: de quo ſingularem ſcripſit librum Gran. Flac. Liciniatus, in quo Romuli, Numæ Pompilii, aliorumque Regum leges expoſuit. Exactis dein Regibus, lege Tribunitiâ in uſu eſſe jus Papirianum deſiit, omnibuſque Regiis legibus abolitis, Pop. Rom. iterum incerto magis jure & conſuetudine potius quàm lege, per 20. circiter annos uti cœpit. Itaque A. U. C. 291. C. Terentius Arıa Trib. Pl. Coſſ. L. Lucretio Tricipitino & T. Veturio Gemino, legem ſe promulgaturum profeſſus eſt, de Quinque viris legum de Conſulari imperio ſcribendarum causâ creandis. Sed reſiſtentibus acriter primùm Patribus, & Præfecto urbis Q. Fabio, deinde etiam Conſulibus, perlata ea non eſt. Verùm inſequenti anno, P. Volumnio & Servio Sulpitio Camerino Coſſ. legem Terentillam à toto Collegio relatam Liv. docet *l.* 3. *c.* 9. & 10. Dionyſ. verò *l.* 10. non relatam eam hoc Anno fuiſſe, ſed Collegium Tribunorum ad populum tuliſſe, de Decemviris legum ſcribendarum creandis, ex quorum præſcripto omnia tam privatim, quàm publicè gererentur, auctor eſt. Certatum exin aliquot Annos, inter Patricios & plebem de hujus legis promulgatione, donec tandem A. 299. Spurio Tarpejo, A. Æternio Coſſ. Senatus conſultum factum eſt, ut Legati mitterentur ad Græcas urbes, quæ ſunt in Italia: alii Athenas, qui peterent à Græcis leges optimas & inſtituto ſuo convenientiſſimas. Miſſi itaque ſunt Sp. Poſthumius, Ser. Sulpitius, A. Manlius, quibus Anno tertio reverſis, Tribuni Pl. urſêrunt ut Legumlatores crearentur: ſic ejurantibus Magiſtratum Ap. Claudio & T. Genutio, qui in ſequentem Annum Coſſ. deſignati erant, & Tribunorum, Ædilium, Quæſtorum Magiſtratu aliiſque ad tempus antiquatis, Comitiis centuriatis Decemviri creati ſunt, qui An. 302. aſſumptis civitatis gubernaculis Remp. conſtituere ſunt aggreſſi. Hi leges conſcriptas tum ex Græcorum jure tum è patriis conſuetudinibus propoſuêrunt in decem tabulis cognoſcendas cuilibet, ferentes admoneri ſe à privatis hominibus & hoc agentes, ut leges placerent omnibus: diuque conſultavêrunt cum Proceribus, revocantes ad exactiſſimum examen ſingulas. Ubi verò viſæ ſunt bene habere, primùm Senatu coacto, nemine contradicente, Senatusconſultum de iis fecêrunt: deinde Centuriatis Comitiis in præſentia Pontificum, Augurum, aliorumque Sacerdotum, à re divina exorſi, calculos dedêrunt Centuriis: tum plebiſcito quoque confirmatas, & in æreas columnas inciſas, unâ ſerie propoſuêrunt in loco fori maximè conſpicuò. Sequenti Anno 303. cùm adhuc Leges quædam deeſſe viderentur, ad perfectionem Juris, additæ ſunt ab iiſdem Decemviris adhuc duæ, ut ſic XII. Tabb. numerus conficeretur, de quibus ita Cic. *de Oratore*: *Plurima eſt in XII. Tabulis antiquitatis effigies, quòd & verborum priſca vetuſtas cognoſcitur, & actionum genera quædam Majorum conſuetudinem vitamque declarant. Sive quis civilem ſcientiam contempletur, totam hanc, deſcriptis omnibus civitatis utilitatibus ac partibus XII. Tabb. contineri videbit is: ſive quem iſta præpotens & glorioſa vita delectat (dicam audacius) hoſce habet fontes omnium diſputationem ſuarum, qui jure civili & legibus continentur. Fremant omnes licèt, dicam quod ſentio: Bibliotheca mehercule omnium Philoſophorum unus mihi videtur XII. Tabularum libellus, ſi quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere & utilitatis ubertate ſuperare.* Vide quoque eundem *l.* 2. *de Leg.* Liv. Dionyſ. &c. Quod magis dolendum eſt, earum nil niſi fragmenta quædam, hinc inde in Auctoribus diſperſa, ſupereſſe: in quibus colligendis primus operam ſuam collocavit Aymarus Rivallius Allobrox eaſque eſt interpretatus *Hiſt. Civ. l.* 2. Hunc ſequuti Oldendorpius Germanus & Franc. Balduin. quorum hic earum ſententiam prolixè oſtendit, & quomodo ex his tabulis Jus fluxerit civile, conferendo cum Pandectis declaravit. His ſucceſſêre Fr. Hotomann. Jac. Cujac. Jac. Ræyard. Pandulphus Pratejus, Adr. Turneb. Joſ. Scalig. & Juſtus Lipſius, nec non Lud. Cario & Joh. Roſinus *Antiqq. Rom. l.* 8. qui omnes utiliſſimis commentariis quidquid ex his Legibus reliquum eſt illuſtrârunt. Ipſas verò integras Jurecoſſ. veteres Sextus Ælius, Servius Sulpitius Labeo & Cajus, quorum vix nomina reliqua ſunt, eruditis ſcriptis ſuis explicuêre. Auſon. eorum tripartitam diviſionem fuiſſe ſcribit, ita ut prima pats egerit *de Jure ſacro*: Secúnda *de Jure publico*: Tertia *de Jure privato*: De Jure ſacro, unicum reſtat Caput: *Sacra privata perpetuò manento*: cœtera omnia de funeribus & ſepulchris agunr. De Jure publico paulo plura ſuperant, Tertiæ partis reliqui ſunt Tituli: *De Patria poteſtate, de Teſtamentis ac Tutoribus, de ſuſpectis Tutoribus, de legatis & hæredibus, de in Jus vocando, de Judiciis, de re judicata, de emptione venditione & uſucapionibus, de Collegiis, de Servitutibus & Finibus regundis, de Injuriis aliiſque delictis, de Furtis.* Vide Roſin. retrò laudatum. Primam omnium in XII. Tabb. legum ab hiſce verbis, *Si. in jus* vocat &c. incepiſſe docet J. Gothofred. *ad duod. Tabb.* cujus cùm tria aut quatuor fuerint Capita, horum ultimum laudat A. Gell. *l.* 20. *c.* 1. his verbis: *Verba ſunt hæc de lege, Si. in. jus. vocat.* Unde colligit Oiſel. vereribus in more fuiſſe, cùm è XII. Tabb. legis Caput aliquod referrent, ut legis principium ἀπὸ τοῦ κοινοῦ præmitterent: quemadmodum hodie adhuc quamplurimi, cùm legis caput, ſive paragraphum laudant, prima ipſius legis verba prænotare fermè ſolent. Vide eum *Notis in loc. Gell. præfat.*

DUODECIM Vitia, quorum unumquodque ſacrificium abominabile reddebat, vide infrà in voce *Vitia.*

DUODECIMA Hora, ſeu DUODENA, vide ſupra *Completorium*, & *Decima Hora.*

DUODECIMANUS Limes, vide ſuprà *Decimanus.*

DUODECIMVIRATUS, apud JC. Anglos, eſt duodecim hominum, qui in quolibet fere judicio, ſive civili, ſive criminali, de facto priùs decernunt, quàm Judex de jure pronuntiet, ubi docet Cowellus, quorum Sacramentum cujuſmodi fuerit, habent Forteſcutus, Bractonus & Fleta, laudati Car. du Freſne, in voce *Juratores*, ut & in voce *Duodena.*

Ad DUOS PONTES, Germ. *Zwei brucken* Gall. *Deux Pons*, opp. Germaniæ, in Palatinatu, ſedes Ducum Bipontinorum; in cineres à Gallis redactum A. C. 1677. Vide in voce *Bipontium.*

DUPLA, ſeu NOLULA, in tintinnabulis, quæ in Eccleſia pulſantur, recenſetur Durand. fortè ea quæ in Hierologio pulſatur, Fr. Dominc. Macer *Dupla* ſeu *Duplicia* ea monaſteria dicta eſſe ſcribit, in quibus Monachi Monachæque vel ſimul vel contiguè habitabant; in *Hierolexico.* Vide infrà *Ecetæ.*

DUPLAVONENSES, locus nativus Venantii Fortunati, in Venetia, apud Cenetam urb. *Ferrar.*

DUPLEX Aureus, Gall. *Double d'or*, nummus aureus Francicus. Vet. *Regeſtum* 20. April. 1340. *Fiebant duplices Anni de* 23. *Karaz ponderis* 36. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* inprimis in voce *Moneta.* At *Duplex* Bulla, Gr. Δίπλυχος βουλὴ, Δίπλυχον Κηρόβουλλον ſeu Διχήρουλλον, dicitur, quæ ab utraque parte ſignum impreſſum habet. Cujuſmodi bullâ Pontifex utitur, poſt coronationem, habente ab una parte SS. Petri & Pauli icones; ab altera nomen Pontificis. Vide ſuprà *Dicerium.*

DUPLEX Officium, in Communione Rom. dicitur, in quo Antiphonæ integrè *duplicantur*, ſeu cùm duo Cantores in Choro, pluvialibus induti, canunt verſiculos, & majori apparatu, candelis pluribus, tampanatumque numeroſiore pulſu feſtum peragitur: Hinc *Officium ſeptem candelarum* & *Annale*, quoque dictum. Cujuſmodi officio, Apoſtolorum, Euangeliſtarum & Confeſſorum præcipuas feſtivitates, celebrari, juſſiſſe Pontifices, docet Dominic. Macer *in Hierolexico. Quinque verò candelarum*, item *Semiannale* & *Succentoris* officium dici *Semiduplex* legas, apud Eund. Vide quoque infrà in voce *Feſta.*

DUPLICARII, qui reliquerant ordines, virgis cæſi, Liv. *l.* 2. *c.* 59. Ubi *Duplicarii* ſunt, quibus ob virtutem duplicia dabantur cibaria, Varr. *de Ling. Lat. l.* 4. Ita & Veget. *l.* 1. *c.* 7. *Torquati Duplares*, inquit, *Torquati ſimplares, quibus torques aureus ſolidus virtutis præmium fuit, quem qui meruiſſet præter laudem, interdum duplas conſequebatur annonas.* Idem *duplares armaturas* vocat, quæ duas annonas, *ſimplares*, quæ ſimplas, conſequebantur. Idem Liv. *l.* 7. Conſulem milites, qui in præſidio Decio fuerant, *duplici frumento* in perpetuum donaſſe, ait. Quem morem, duplicia cibaria virtutis ergò donandi vetuſtiſſimum eſſe ex Herod. conſtat *l.* 6. Hodie tales *Doppel-ſoldner* Germanis dicuntur.

DUPLICES, Latinis, πανοῦργοι Græcorum, homines verſipelles, ut Horat. *duplicem Ulyſſem* vocat. Iiſdem Græcis διπλοῖ quoque quos opponunt τοῖς ἀληθευτικοῖς, *veritatis amantibus minimeque fallacibus*, uti homines ſimplices honoſque appellat Cic. *de Officiis l.* 1. Euripides *Rheſo*, Φιλῶ λέγειν τ' ἀληθὲς ἀεὶ, κ' οὐ διπλοῦς πέφυκ' ἀνὴρ &c. Vide infrà *Simplices.*

DUPLIONES, in Gloſſis, διπλοῖ ſunt, qui aliàs *binarii* dicebantur, ut Græcis διπλοῖ χρύσινοι, ſeu δίχρυσοι, quaſi *duplices aurei.* Salmaſ. *ad Lamprid. in Alex. Sev.*

DUPORTUS Jacobus, vide *Jacobus.*

DUR, Hiberniæ fluv. Ptol. *Ledunus* nonnullis. Anonymum eſſe ait *Camd.*

DURA, vallis provinciæ Babylonis. Dan. *c.* 3. *v.* 1. Lat. *generatio*, vel *habitatio.* Item urbs Meſopotamiæ. Gentile *Durenus Steph.*

DURABA, Babyloniæ urbs. Ptol. *Der*, teſte *Moletio.*

DURACII, al. DURACIUM, eſt DURAS, caſtr. Aquitan. in Agennenſi prov. cis Garumnam, ad Drotium amnem, Duc. dign. nuper inſignitum.

DURACINA Ceraſa, vide ſuprà in voce *Dioſpyros*: de *duracinis* verò *Perſicis* & *duracinis uvis*, Salmaſ. *ad Solin. p.* 604. & 610.

DURACIUM, vulgò THOARS, urbs Pictavenſis prov. ad amnem *Toue*, Duc. tit. clara, cum recenti caſtro ſuperbiſſ. Tremolliæ Ducis: 6. leuc. à Salmurio in Auſtr. in confin. Andegavenſis provinciæ.

DURACIUS Picto, qui perpetuo in amicitia Pop. R. manſit, Hirt. *l.* 8. *de bel. Gall. c.* 26. Marlian. cenſuit oppidi, Ciaccon. vici nomen. Quod ridet *Glareanus.*

DURÆUS Joh. Scotus, Theologus doctiſſimus, & pacis Eccleſiæ amantiſſimus; à multis retrò annis Euangelicorum unioni intentus; Obiit haud pridem.

DURAMUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

DURANDAL ſeu DURANDART, nomen ſpathæ, quam Carolo Mag. Francici Romanenſes tribuunt, quam *Invincibilem* quoque dictam, cum cœteris Regalibus ornamentis, in Eccleſia B. Dionyſii in Francia aſſervari, ſunt qui tradant. Ejus meminêre *Geſta* Philippi III. Regis Franc. A. C. 1271. *Et quoniam à tempore Caroli Mag. conſuevêrunt Reges Franciæ Jocoſam ſpatham prædicti Caroli ----- in die coronationis ſuæ ----- à quodam de Nobilioribus ante ſe facere teneri & deferri: illam Roberto Comiti Atrebatenſi ---- tradidit illa die deferendam.* Vide Turpin. *c.* 18. & Lud. Moſcard. *Hiſt. Veron. l.* 4. Ad hujus fortè imitationem *Duriſſimus* appellabatur Spatha vel enſis Vilhelmi cognom. *Sectoris ferri* Com. Inculis menſis, apud Ademar. *in Chronico, Cum Rege eorum Storim ſingulari conflictu deluctans, enſe curto nomine* Duriſſimo, *quem Walander faber cuderat* &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & ſuprà in voce *Curtana.*

DURANDUS, Ep. Claromontanus, in Arvernia, eruditus: à Baldrico Abbate, ingenioſis epitaphiis honoratus, Chenius, *tom.* 4. *Script. hiſt. Gall.* Anſelmus, *t.* 4. *edit. Col.* 1612. &c. Obiit paulo ante Concil. Claromontanum, Hug. Flavinius *Chron.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

DURANDUS, Ep. Leodienſis, pauperrimis natalibus, Cancellarius Henrici II. fuerat. Quibuſdam auctor epiſtolæ contra Euſeb. Burnonum Andeg. & Berengarium creditur. Sed Moreriuſ illam vel Deoduino, Ep. Leod. vel Durando Abbati Truartii aſcribit. Vixit circa A. C. 1025.

DURANDUS, Doctor Pariſ. ſcripſit contra libellum de poteſtate Eccleſ. & Seculari, condemnatum in Concilio Senonenſi & Aquenſi.

DURANDUS Gulielmus, cognom. *Speculator*, Provincialis JC. celeberrimus ſui ſeculi 13. edidit *Speculum juris*, Rationale divinorum officiorum, repertorium Juris, & Comment. in Concilium Lugdun. Ep. Mimatenſis, ſub Martino IV. qui eum ad Ducem Spoletanum legaverat. Obiit Romæ A. C. 1296. Majolus, *in vita ejus*. Geſner. & Simler. *in Bibl.* Hottoman. *Comm. de Verbis Juris*. Panciroll. *de claris Jurecons*. Boucheus, *hiſt. Prov. l. 9. ſect. 3. §. 10.* Moreri.

DURANDUS Petrus vide *Petrus*.

DURANDUS de S. Porciano, Arvernas, Jacobinus, Ep. Meldenſis, ſcripſit in 4. libros ſententiarum, & de origine juriſdictionum. Obiit A. C. 1333. Trithem. *Cat.* Sixtus Sen. *Bibl. ſacr.* &c.

DURANDUS Villagagno, vide *Nicolaus*.

DURANDUS Waldachius, hæreticus, conjugium velut impurum rejecit, &c. A. C. 1117. Exuſtus cum ſocio. Gautier. *Chron.* 14. ſ. c. 1.

DURANGUM, opp. Biſcajæ ſatis cultum, 4. leuc. à Bilbajo in Ort. Placentiam verſus; à qua 6. leuc. diſtat, ut & 3. ab ora Oceani Aquitanici.

DURANGUM, urbs Novæ Biſcajæ, in Nova Hiſpan. verſùs Zacatecas, ad radices montium.

DURANIUS, vel DURANUS, fluv. Gall. Aquitanicæ, primùm Auſonio *in Moſella* memoratus; ex montibus Arvernorum, & quidem Cebennico *Durano* à fluv. dicto, vulgò *Momber* oriens. Alluit Balnea *Bains*, Muratum *Murat*, Bortum Lemovicum, Valetam *la Valette*, Auriacum, Argentadum *Argentat*, Bellum locum, *Belleve* incolis, Gallis *Beaulieu* dictum, veteri Monaſterio illuſtrem, Podium nigrum *Pecbrun* ad Saræ *Sere*, & Bavæ confluentes, Carennacum Cadurcorum, Variacum *Vayrac*, Solliacum Petrocoriorum *Souillac*, Montemfortem, Caſtellum novum *Caſtelnau*, caſtrum Limolium *Limeil* aut *Limeuil*, ubi Viſerâ augetur *Veſere*, de quo fluvio aliàs. Tum Brageracum vel Bragaracum in Petrocoriis attingit, *Bergerac*, opp. S. Fidis, *Sainte Foy*, in Nitiobrigibus, Gentiacum *Genſac*, Caſtellionem *Caſtellon*, caſtrum S. Æmiliani *S. Emilien*, Liburniam *Libourne*, olim Condate dictam ad Eilæ & Duranii confluentes, vicum S. Pardulfi *S. Perdoul*, vel *Pardoul*, Cavernas, Cuſacum, & Burgum Pontii Paulini, caſtrum Sidonio memoratum ac deſcriptum, *Bourg*: infra quem locum Garumna recipitur, jam antea ob æſtus Oceani, quibus augetur, Maris nomine honoratus: unde agrum inter Garumnam & Duranium vocitant pagum inter duo Maria, *le pays d'entre deux Mers*, & Burgum ad Mare multi cognominant, *Bourg ſur mer*, cùm ſit poſitus ad Duranium. Duranius ad Limolium recepto Viſerâ navigabilis redditur, Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* *la Dordonne* Vineto Auſon. *Edyll.* 10. in Moſella. *v.* 464.

Concedes gelido Durani de monte volutus
Amnis: & auriferum poſtponet Gallia Tarnem.

Fontes habet in Alvernia, *Dor & Dagne*, utrumque in monte Dorio: Excipitque poſt aliquot leuc. ex eadem Alvernia amnem *Serre*, qui rigat Orilliacum. Inde per Lemovices & Petrocorios, ubi recipit Vezeram & Coſerim, rigatque Marcellum, Limolium & Bergeracum, deinde Liburniam opp. & Franciacum, inter quæ recipit. Illam fluv. prope Burgum ad mare, in Garumna propria, in Garumnam labitur, è regione roſtri *Amberum*, & cum ipſa Girundam æſtuar. efficit, uſque ad ejus oſtia in Occean. Aquit. ubi *Corduenna* turris, aliàs *Andros* Inſ. *Baudr.*

DURANTIUS Stephanus, vide *Stephanus*.

DURAS, vulgò DRAUN, fluv. Norici, ex lacu, in tractu Saliſburgenſi, effluens, qui per Auſtr. in Bor. fluit, inque Danubium labitur, inter Lentiam & Amſum.

DURAS, vide *Durus*.

DURATEUS Equus, ponitur pro equo Trojano: quòd δούρειος, *ligneus*, eſſet; unde & *Durius* dictus.

DURBETA, urbs Meſopotamiæ juxta Trigrim. Ptol. *Dedu* videtur.

DURCLARUM, vulgò DUCLER, prædium Galliæ, memoratum Monacho Centulenſi *l. 2. Miracul. S. Richarii*, eſt in pago Rothomagenſi Ciſſequanico, Gemetico non procul. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall. in voce Rothomagenſis pagus*.

DURDANUM, opp. Inſ. Franciæ, in Hurepœſio tractu, ad amnem *Orge*. 13 leuc. à Lutetia, Aurelias verſus, 3. à Stampis in *Occaſ.*

DURDUM, Mauritaniæ mons. *Ptol.*

DUREI, vel DURI, in *Tab.* Peutingeriana, iidem fortè, quos *Buros* vocant Dio & Capitolin. in *Marco*.

DUREMUM, opp. Duc. Juliacenſis, ad Rœram amnem, celebre obſidione Caroli V. Vix 2. leuc. à Juliaco. Olim *Marcodurum Brietio*.

DURENSIS, S. R. *Iſaac Middura*, compoſuit *Aſur vehitar*, dictum *Sabare Dura*, i. e. portæ Duræ. circa A. C. 94. Milleuarii VI. juxta R Ganz.

DURERUS Albertus, pictor excellentiſſimus, Cardan. Natus eſt A. C. 1471. Deceſſit Norimbergæ, A. C. 1527. pietatis inſuper & ſapientiæ laude illuſtris. Vide Paul. Freher. *Theatro Virorum eruditione clarorum.*

DURESTALLUM, vulgò DURETAIL, opp. Andegavenſis prov. ad Lædum fluv. 4. leuc. à Flexia in Ort. 7. ab Andegavo in Occ.

DURETUS Ludovicus, Burgundus, Pariſios juvenis ſtudiorum venit cauſa, rudis admodum ac pauperrimus, poſtmodum vero eruditiſſimus ac ditiſſimus Medicus evaſit: à Carolo IX. ac Henrico III. primarii Medici dignitate honoratus, Henrico inprimis tanti habitus, ut filiæ illius nuptiis ipſe interfuerit, ac neogamos ampliſſimis donis excoluerit. Obiit A. C. 1596. æt. 59. tempore diu antè à ſe prædicto. Pater plurium liberorum, quorum unus Medicus quoque inſignis, reliqui ad dignitates varias evecti ſunt. S. Marth. *Elog.* Auctor *Academiæ Leid.* Anton. Teiſſier, qui ſcripta ejus enarrat. *Elog. P.* 1. vide & infrà *Ludovicus Duretus*.

DURGA, Africæ Propriæ urbs. *Ptol.*

DURHANIUS Laurentius, vide *Laurentius*.

DURGÆA, vide *Turgæa*.

DURIA, Angliæ Comit. vulgò *Dorſetia*, Angl. *Dorſetsbire*.

DURIA. Germ. DUREN ſeu DOREN, urbs Juliacenſis Duc in Diœceſi Col. Ibi Concilium opera Pipini, & Caroli Magni. A. C. 771. 775. & 779 habitum.

DURIA, villa olim Regia, in pago Ripuarienſi: hodie *Duren*. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Conventibus Francorum ac Synodis olim celebris, *Duria vicus* dicitur Poëtæ Saxoni; nunc in Ducatu Juliacenſi eſt, ad fluv. Ruram, ab ipſo Juliaco non procul. Olim *Marcodurum*, vide *ibi*.

DURIA, vulgo DORE, & DOIRE, fluv. Galliæ, in Arvernis, ad quem Magnum *Mantien* fuiſſe, memoratur *in Vita S. Boniti*. Influit in Elaver, poſtquam præ cœteris Curvam petram *Corpiere* alluit, Hadr. Valeſ. in voce *Magnus locus*.

DURIA, DORIA Ptol. fluv. Gall. Subalpinæ in Pedemontana reg. geminus: unus per Salaſſos in Padum influens, alter per Seguſium & Taurinos decurrens in eundem Padum labitur. Uterque vulgò *Doria*, & *Doira* nominatur, prior ex Grajis, alter ex Cottiis Alpibus profluens. Baudr. Major, *Doria Baltea*, oritur ex Alpibus Penninis, dein Auguſtam Præt. rigat & Eporediam; pauloque infra vicum *Rivarota*, in Padum ſe exonerat, inter Clavaſium ad Occ. & Creſcentinum ad Or. Duria verò Minor, ex Alpibus Cottiis ortus Seguſium rigat & Avilianam vicque dimidio mill. infra Taurinum in Padum cadit. Valeſio: *Duria* Seguſinus ab opp. Seguſione, vulgò *Suſa* Italis, *Suſe* Gallis dicto, quod aliunt, *Doire Suſine* Gallis dicitur, h. e. *Doria Seguſinus*, ut ab altero Duria diſtinguatur: ad urbem Taurinos auget Padum, qui poſt Sturam, dein Orgum, poſtea Duriam majorem accipit. Vide eum in voce *Seguſio*.

DURIAS It. TURIA Salluſtio, & Vibio Sequeſtri. *Guadalaviar*, teſte Cluſio, fluv. Hiſp. Tarracon. per regnum Valentiæ, in ſinum Sucronenſem fluens. *Turulis* Ptolemæo. Claudian. in laude Serenæ Reg. *Carm.* 29. *v.* 72.

Floribus & roſeis formoſus Duria ripis.

DURII, DORNO, pagus agri Ticinenſis. *Ferr.*

DURION, ſeu DURIUM, pagus Gall. Narbon. apud Rhodanum fluv. & Valentiam urbem in Delphinatu, ubi Iſara Rhodano miſcetur. *Doyre*, teſte Joh. Poldo. Aliis *Donzere* caſtrum Ep. Vivarienſis. Aliis *Siſteron*, urbs Prov. ad Druentiam fluv. Vide *Seguſtero*.

DURINE, Suſianæ opp. Plin. *l. 6. c.* 27.

DURIOPUS, urbs & regio Macedoniæ. *Steph.*

DURIS, Samius, Hiſtoricus exactus Ciceroni *l. 6. ad Att. ep.* 1. ſcripſit de Tragœdia, hiſtoriam Macedonicam, de Agathocle Syrac. &c. Plin. *l.* 8. *c.* 40. *l.* 34. *c.* 8. & *l.* 36. *c.* 12. Strabo *l.* 1. Clemens 1. *Strom.* Voſſ. *de Hiſt. Gr. l. 1. c.* 15. qui etiam Pictoris cognom. meminit. *p.* 98.

DURISSIMUS, nomen enſis Gulielmi Com. Inculismenſis, apud Ademar. *Chron.* Vide ſuprà *Durandal*.

DURIUS, celebris Agitator, apud Sil. Italic. *l.* 16. ubi ludos à Scipione celebratos in Africa memorat.

DURIUS, Doria Ptol. *Dorius* Appiano, vulgò *Duero*, fluv. Hiſpaniæ maximus, in Pelendonibus apud Numantiam urbem exciſam oriens. & Callaicos à Luſitanis disjungens in Occan. occident. ad Portum urbem delatus. Sil. Italic. *l.* 1 Bell. Punic. *v.* 234.

Hinc certant Pactole tibi Duriuſque Taguſque.

Duero vulgò. Baudr. oritur in Caſtella vet. verſus confinia Aragoniæ, ex monte Idiobeda. Alluit urb. Oxonam & Araiſdam in Caſtella, Septimancas, Taurum & Senticam, in regno Legionis; Mirandam, Lamecam & Portum in Luſit. auctuſque Piſoracâ. Eſlâ, Aguadâ & Tormi, cum aliq. minor. in Ocean. Atl. labitur, paulo infra Portum urb.

DURIUS Equus, vide *Durateus*.

DURLACUM, urbs culta Germ. ad radices montium, ubi palatium nobile: Caput eſt Marchionatus Baden-Durlacenſis. Attulit eam dotis loco, cum Pfortzhemio ac Ettlinga, marito Hermanno IV. qui mortuus eſt A. C. 1242. Irmengardis, fil. Henrici Brunſuicenſis C. Pal. Rheni. Ex ejus poſteris Heſſo, ibidem habitavit. Ramum dein Durlacenſem orſus eſt Erneſtus, fil. minor natu Chriſtophori; demortui A. C. 1527. frater Bernardi, qui Badenſis lineæ ſator fuit. Erneſtus is enim cum Hochbergenſi Marchionatu ac Rœtelana ditione inferiorem principatum, in quo *Durlacum*, tenuit, Euangelicæ religionis cultor. Ejus fil. Carolus, defunctus A. C. 1577. pater fuit Jacobi, qui ad Pontificios tranſiit, brevi mortui: Erneſti Friderici, qui ad Reformatam relig. animum applicuit, defunctuſque eſt A. C. 1604. & Georgii Friderici, qui nomine Unioni dato, infelici ad Wimpenam prælio à Tillio ſuperatus,

obiit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

obiit A. C. 1638. Pater Friderici, qui Pace Monaſter. in ſua reſtitutus, deceſſit A. C. 1659. Ex Barbara Wirtembergica ei natus Fridericus, Lohram aſſeruit, affini Sueciæ Regi contra Polonos militavit, Turcico bello, juxta cum Ep. Monaſter. Imperiali exercitui præfuit, hodieque ingens Confœderatorum contra Galliæ Regem exercitus pars eſt. Pater ex Chriſtina Magdalena Sueco-Palatina Friderici Mag. & Caroli Guſtavi. Alter Friderici Sen. fil. Carolus Mag. res plurimas bello, Suecicis auſpiciis, egregiè geſſit, &c. defunctus eſt A. C. 1658. relicto ex Maria Juliana Hohenloica fil. Car. Friderico. Tertius Guſtavus Adolphus Cardinalis eſt & Abbas Fuldenſis. Vide Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.* Diſtat autem urbs 2. leuc. à Rheno in Ort. 4. à Bada in Bor. 4. à Philippoburgo in Auſtr. Sed hodierno bello à Gallis miſerè devaſtata.

DURNOMAGUM, mel. fortè DRUSOMAGUM, à Druſo, quem conſtat 50. amplius caſtella per Rheni ripam erexiſſe. Flor. *l.* 4. *c.* 12. *Namque Rheni quidem ripam quinquaginta caſtella erexit.* Germ. infer. urbs, ubi Legio VII. Anton. hodie *Durnmagen*, infra Coloniam.

DURNOVARIA, vulgò DORCHESTER, etiam DUNIUM, olim Durotrigum urbs prim. nunc Dorſetiæ Com. caput, verſus oram littor. maris Britann. ad Variam fluv. Vide *Dorceſtria.*

DUROA, mons Mauritaniæ Tingitanæ. *Ptol.*

DUROBRIVÆ Catyeuchlanorum, opp. ad Avernam fluv. nunc dirutum. Locus ejus oſtenditur inter vicos *Caſter* Nortantoniæ, & *Cheſterton*, Huntingdonienſis Comit. 3. mill. à Petriburgo, in Occ. 12. mill. Angl. à Duroliponte in Bor. Lindum verſus. *Baudr.*

DUROBRIVÆ, & DUROCOBRIVÆ Trinobantum vel DUROBROVÆ, nunc *Hartford*, teſte Camd. opp. Angliæ inter Durolipontem 35. & Lindum 56. m. p. ad Leam fluv. in Comit. Harfordienſi, 15. mill. à Londino in Bor. Baudr. vel, teſte eodem Camd. *Dornford*, Talboto verò eſt *Stanford* opp. ejuſdem tractus. Apud Scriptores hæc loca confunduntur *Durocobrivæ*, *Durobrivæ*, *Durobrus*, & *Durobrovæ.* Sed *Durobrivæ*, vel *Durocobrivæ* idem ſunt *Dornford. Durobrovæ*, *Dornceſter*, vel *Caſter*, teſte Lhuydo apud *Wandlesford. Durobrus* verò teſte Camd. *Rocheſter*, h. e. *Roffa.* Licet Talbotus *Maydſton* eſſe contendat. Camd. *Durobrivæ*, *Dornford*, & *Caſter* duo viculi non procul à *Wandtesford*, vel *Wansford* in confin. comitat. Northampton. & Huntington. *Durocobrivæ* juxta *Flamſtead*, & *Redburn* in comit, Hertfordienſi. *Durobrus* verò & *Durobrovæ. Rocheſter* urbs ampla Ep. Cantii. Ad Medweagum fluv. 5. mill. Angl. ab æſtuario Tameſis in Auſtr. media ferè inter Cantuariam ad Ort. & Londinum ad Occ. Vide *Roffa. Baudr.*

DUROCASIS, Gall. Lugdun. opp. *Anton.*

DUROCASSES, videtur DREUX: Hinc pagus Durocaſſinus; vulgò *le Dreugeſin.* Vide *Drocum* & *Druides.*

DUROCOTALAUNUM, Belgicæ urbs. Anton. cui legio 12. attribuitur.

DUROCORNOVIUM, ſeu CORINIUM, Angliæ opp. Anton. vulgò *Cirenceſter.* Vide *Corinium.*

DUROCOTTORUM, Galliæ urbs in Belgica. Ptol. & Cæſar *l.* 6. *c.* 8. ubi primus hujus urbis meminit, docens Concilio Galliæ eò loci indicto, de conjuratione Senonum & Carnutum quæſtionem habitam, deque Accone ſupplicium more majorum ſumptum eſſe. Metropolis jam ætate Strabonis, poſtea prov. Belgicæ 2. caput & metropolis fuit, mater 11. civitatum, ad Vidulam fluv. ſita eſt. Frontoni Oratori, circa Trajani Adrianique tempora *Athenarum* elogio condecorata, ob literarum, quæ ibi vigebant, ſtudia: poſtea nomen gentis accepit, Remique dicta eſt. Hìc Valentinianus Major Aug. præter cæteros, aliquandiu moratus, Palatium ſuum habuit. Læti Gentiles dicti, ſub Honorio, cum ſuo Præfecto, ibidem ut & Silvanectis, in præſidio fuêrunt; Sarmatæ item Gentiles inter Remos & Ambianos. In vett. Notit. in prov. Belgica ſec. primas tenet, ſedes Auſtraſiorum quoque Regum, Theodorici, Theodeberti, Theodebaldi ac Sigeberti. Fabricæ *Remenſis* Spathariæ, unius ex Gallicanis Fabricis, ſub diſpoſitione VI. Magiſtri Officiorum, meminit Not. Imp. quemadmodum Procuratorem Gynæcei *Remenſis*, tertium inter 6. locum, ſub diſpoſitione VI. Comitis ſacrarum largitionum; & Præpoſitum Barbaricariorum ſive Argentariorum *Remenſium* inter tres medium eadem memorat. Portæ Remis celebriores fuêre, ad Ort. Trevirica, eadem Cereris & Regalis & porta Carceris, *Porte-Chartre* vulgò: ad Occ. porta Sueſſonica, eadem & Valeſia, Veneris & Vidulæ, hodie *porte aux Ferrons*: ad Auſtr. Collaticia, quæ & Baſilicaris, ad quam arcus triumphalis ex parte ſupereſt. Ad Occ. tandem porta Martis, quod nomen hodieque ſervat; ad hanc alter arcus cernitur triumphalis: extra illam autem Arenæ ſunt, Amphitheatri ſeu duplici hemicycli figurâ. Monetæ cudendæ jus Archiep. Artaldo conceſſit Ludovicus Transmarinus, A. C. 840. eumque Comitem fecit: & totum hunc Comitatum Eccleſiæ S. Mariæ metropol. donavit. Poſtea Archiepiſcopi Duces & Pares evaſêrunt, interque Eccleſiaſticos primas tenere cœpêrunt. Gallicè *Rheims en Champagne.* Aliis *Durocortorum.* Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* & in voce *Rhemi.*

DUROICOREGUM, in tab. Theodoſ. inter vicos Auſavam 12. & Marcomagum 28. leuc. diſtans, hodie *Ruë*, locus eſt ad oram Galliæ Belg. non incelebris, Cluver. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

DUROLEVUM, Angliæ opp. in agro Cantiano, *Lencham* teſte Camd. *Charing* vero *Talboto.*

DUROLIPONS, mel. DUROSIPONS, Angliæ opp. Catyeuchlanorum vulgò *Huntington* Talboto, Camd. verò *Gormonceſter*, pagus vicinus, qui & *Godmoncheſter* ſcribitur, ad Uſam fluv. ex adverſo urbis Huntingdoniæ, in Comit. cognom. Medius ferme inter Camboricum & Durobrivam.

DUROLITUM, pagus Angliæ inter Londinum, & Cæſaromagum 15. mill. paſſ. *Leiton* Camd. Sed aliis eſt *Oldford* opp. Eſſexiæ Reg.

DUROLORUM, Rhemorum in Gallia urbs. *Anton.*

DURONIA, Samnitum opp. *Liv.*

DURONUM, Gall. Belg. urbs. *Anton.*

DUROSTADIUM, opp. Germ. infer. in Geldriæ Ducatu, vulgò *Duerſtede*, vide *Batavodurum.*

DUROSTALLUM, vulgò DURTAL vel DURESTALL, quaſi aquæ manſio, vel aquatica manſio: *Durum* enim aquam, *ſtallum* manſionem Francis olim Germaniſque ſignificabat. Caſtellum eſt Galliæ, in Andibus, ad Lidericum fluv. à Fulcone Nerra, Comite Andecavorum extructum. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

DUROSTENA Jornandi, urbs Myſiæ infer. Ptol. vulgò *Dora*, teſte *Lazio.*

DUROSTOLUM, ſeu DUROSTORUS, Ammiano. Marcell. Urbs Mœſiæ inf. ad Iſtrum fluv. *Doroſtorum* Lib. Concord. Nunc *Duroſto.*

DUROTRIGES, pop. Albionis verſus Ocean. Brit. in ora Angliæ merid. vulgò *Dorſetia*, *Dorſetshire men.* Habebant ad Or. & Bor. Belgas, ad Occ. Damnonios. Eorum prim. Dunum ſeu Durnovaria, nunc Dorceſtria. *Baudr.*

DUROVERNUM, DARVERNUM, vel DOROBERNIUM, Angliæ urbs in agro Cantiano, vulgò *Caer-grant*, vel ut Camd. *Caer-Kent*, & *Cantewarberi*, & *Canterbury.* Vide *Cantuaria.*

DURRACCIUM, vide *Dyrrachium.*

DURUS, ſeu DURAS, fluv. Helvetiæ, Germ. *Thur*, vel *Dur.* Oritur in finibus diœceſis Curienſis, valle S. Joh. fluenſque per Toggios & populum, quem denominat *Durgow*, in Rhenum exit, circiter 2000. paſſ. ſupra opp. *Egliſow*, ditionis Tigurinæ. Paulo aliter Plantinus: Ortus, inquit, in montibus Werdemburgenſibus, ſeu Toggiis, ſupra pagum, qui Sylveſtris Domus nominatur & Zuingli patria fuit: à fonte Septentrionem verſus decurrit, Turgoviam irrigat: à Finibus dein *Pfin*, in Occ curvatur, inde multis interea minoribus fluv. auctior, ad Schellenbergam in Rhenum effluit. De eo ſic Glareanus *Panegyr. Helv.*

> *—— —— Duras, pleraque in parte vadoſus,*
> *Durus agris, pinoſque, & ſummo littore fagos*
> *Evertens, caulaſque trahens & ovilia ſecum,*
> *Terribilis lapſu, campos graſſatur in omnes.*

DURUS, propriè ὁ ἰσχυρὸς & καρτερὸς, ut *duri agreſtes*, *duri agricolæ*, apud Poëtam: quales quia ut plurimum laboris patientes, hinc *durare* & *pati* idem. Virg. *l.* 1. *Æneid. v.* 211.

> *Durate & vosmet rebus ſervate ſecundis.*

h. e. καρτερεῖτε. Et apud Comicum, *Quis heic* durare, *ſi ſic fit*, *poteſt?* Cujus loco *pati* abſolutè uſurpat, eodem ſignificatu, Idem *Ecl. c.* x. *v.* 52.

> *Certum eſt, in ſylvis, inter ſpelæa ferarum*
> *Malle pati* &c.

Inde *vinum* & *acetum durum* apellari cœpit, de valido & robuſto vel auſtero. Similiter *dura muria*, ἡ δριμεῖα, ſeu ἡ ἐπιτεταμένως ἁλυκὴ, *acerrima* ſeu *ſalſiſſima*, quæ liquidiſſima erat, Sic meminit *cæleſtis aquæ ſub dio ſalibus duratæ* Columella *l.* 7. *c.* 4. quâ greges perluebantur; Ubi *aqua durata ſalibus* eſt, quæ *dura*, i. e. ſalſa & acida evaſit, cui rei plurimum Sol confert. Alibi *durati piſces* occurrunt, i. e. ſale duro vel durâ muriâ ſalſi. Non enim duriores efficiuntur vulgato ſenſu piſces, qui ſaliti ſunt, ſed interdum etiam liquefacti in muria ſic vocabantur &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 345. & 346.

DURUS Panis, vide infrà *Mutorum pœna.*

DUSARE, ſcopulus, & vertex altiſſimus Arabiæ, ſic dictus à *Duſaro* Deo, qui apud Arabas, & Dacharenos colitur. Gentile *Duſareni. Steph.*

DUSIACUM, vulgò DOUZI LES PREZ, locus Galliæ, ad fluv. Charem, à Chlodoualdo Chlodometis Regis fil. Remenſi Eccleſiæ legatus. Ibi duæ Synodi, A. C. 871. & 874. habitæ ſunt. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

DUSII, Gallorum incubi dæmones, apud Auguſtin. *de Civ. Dei. l.* 15. *c.* 21. *Ficarii Fauni* Romanis, Rapiæ. Vide ibi.

DUSMENSIS pagus, LE DUESMOIS, memoratur in Capitulis Caroli Calvi, in quo villa Ampeliacum *Ampilly le ſec*, quæ ab Odone Vicecomite Belnenſi, unà cum Belnenſi Eccl. S. Stephani Divionenſi Eccleſiæ S. Benigni donata eſt. Ibidem ſunt Vilennæ *Vilennes*, ubi Hugo IV. Burgundiæ D. teſtamentum fecit, A. C. 1262. Item Aleſia Mandubiorum, ſecundùm Sanſon. ſic pagus Aleſienſis *l'Auxois* hujus portio fuiſſet. Certè quidam caſtellum *Duſiacum*, unde pago nomen, vocant *le Chaſteau de Dueſme en Auxois*, inquit Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

DUSSELDORPIUM, urbs prim. Duc. Montenſis, & Ducis Neoburg. ex familia Palatina, ſedes, ad Rhenum, 5. leuc. Germ. infrà Coloniam Agr. in Boream, totidem à Juliaco, in Occ. Munita & culta.

DUSSELDORPIUS Johannes, vide *Johannes.*

DUSTRIS, vel DOSTRA, vulgò DOUSTRE, amnis eſt Galliæ, in Vice-Comitatu Torinnenſi, qui pars eſt pagi Lemovicini, Cadurcini & Petrocorici, dictus à caſtro Torinna *Turenne*, vide Hadr. Valeſ. in voce *Torinna.*

DUTHMALA, fluv. Brabantiæ, vulgò *Dommele*, in vet. pago Taxandrio: per Burſtellam ſeu Boxtellam, & Sylvam Ducis, in Moſam defluit. Vide Hadr. Valeſ. in voce *Toxandri.*

DUVINA, urbs Moſcoviæ ſeptentrion. cum prov. & fluvio cogn. Urſinarum pellium emporium. Maginus & Ortel. *in Geogr.* Merc. *Atlas Mundi.*

DUUM-VIRI, Magiſtratus Romani, varii. Quidam ſacris ædibus reparandis præerant. Alii nauticæ rei curam gerebant, nonnulli Judicum inferiorum loco erant. Tit. Liv. *l.* 5. *& ſeqq.* *Duumviros* ſacris faciundis creavit ex numero Nobilium Tarquinius, hiſque addidit duos miniſtros publicos, & per hos cuſtodiri libros Sibyllinos voluit. Horum alterum M. Attilium, viſum non bonâ fide rem gerere & ab uno miniſtrorum delatum patricidii, in culeum inſutum projecit in mare. Sed poſt Reges exactos, quum Reſp. oraculorum patrocinium ſuſcepiſſet, nobiliſſimis viris quos eligebat, eorum committebat cuſtodiam: hi verò per totum vitæ tempus hoc munere funguntur, à militia & reliquis urbanis muniis liberi, nec ſine illis patiebatur quenquam oracula inſpicere. Atque hi præerant curæ munerique præfato usque ad A. U. C. 388. quo ad populum tulérunt Tribuni Pl. C. Licinius & L. Sextius, ut pro Duum-viris ſacris faciundis Decem-viri crearentur, quorum pars ex Patribus pars ex plebe eſſet, Liv. *l.* 6. Cumque libri, qui in templi Jovis Capitolini cella ſubterranea, arcæ lapideæ incluſi, hactenus aſſervabantur, bello Marſico, A.U.C. 663. cremato Capitolio, cum aliis donariis Jovis abſumpti igni eſſent; è multis locis alii comportati ſunt, partim allati ex Italicis urbibus, partim ex Erythris Aſiæ, ex S. C. legatis illuc ad tranſcribendum miſſis, partim aliunde, Dionyſ. *l.* 4. qui *Duum-virorum* curæ denuo committerentur. Quindecim-viri tandem à Sulla creati ſunt; imò ad ſexaginta cum tempore excreviſſe retenta tamen XV. Virorum appellatione notat. ad *Arnob.* *l.* 4. Heraldus ex Servio, *ad Æneid.* *l.* 6. *v.* 73.

-------- Lectoſque ſacrabo
Alma viros --------

Quod ſacerdotium Theodoſii Principatu, cum cœteris priſcæ ſuperſtitionis ſacris, abrogatum eſt, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom.* *l.* 3. *c.* 24. Horum itaque curæ, fatalia Reip. pignora, libri nempe Sibyllini Priſco ab anu quadam peregrina oblati committebantur inſpiciendi, ut, veluti Deorum oraculis præmoniti, malo obviam ire poſſent cives: In omni igitur prodigiorum relatione, ad *Duumviros* itum eſt, qui libris illis linteis inſpectis prodigia expiabant, Liv. *Dec.* 4. *l.* 1. *in limine* & *Dec.* 1. *l.* 3. &c. Vide Thom Dempſter. *Paralip. in loc. Roſini laudat.* & infrà *Quindecim-viri.* Addo hîc ſaltem locum Vopiſci *in Aureliano*, ubi ritus conſulendi libros præfatos clarius, quàm apud ullum alium vett. Scriptorum ob oculos ponitur, verbis Ulpii Syllani: *Agite igitur, Pontifices, qua puri qua mundi, qua veſtiti, animiſque ſacris commodi, veteranis manibus libros evolvite fata Reip. quæ ſunt æterna, perquirite: patrimis matrimiſque pueris carmen indicite: nos ſumptum ſacris, nos apparatum ſacrificiis, nos agris ambarvalia indicemus ----- Itum eſt deinde ad templum, inſpecti libri, proditi verſus, luſtrata urbs, cantata carmina, amburbium celebratum, ambarvalia promiſſa: atque ita ſolemnitas, quæ jubebatur expleta eſt.* Additur ibidem epiſtola Aureliani ad Senatum, quâ ſimiliter *caſtimoniam Pontificum* (h. e. XV. Virorum, ut infrà videbimus) *cærimoniaſque ſolemnes exigens, ſumptum quemlibet, cujuslibet gentis captivos animaliaque regia* eam in rem offert. Præter hos erant *Duum-viri ædium ſacrarum* locandarum, ædificandarum, conſecrandarum vel reſtituendarum: quos Populus ex lege Papiria deſignare ſolebat, de quibus vide Cic. *pro Domo ſua* & Liv. paſſim. *Duum-viri navales* claſſis ornandæ reficiendæque, itidem à Populo Tributis Comitiis creati, de quibus Liv. iterum vide *l.* 9. Factum id primùm eſt A. U. C. 542. C. Junio Bubulco III. & Q. Æmilio Barbulâ II Coſſ. bello cum Samnitibus fervente. Dein bello contra Ligures, item bello Illyrico, Liv. *l.* 40. & 41. Extraordinarius enim hic Magiſtratus fuit, neque definitam tempus habuit: ut docet Roſin. *l.* 8. *c.* 40. Etiam *Duum-viri perduellionis*, Magiſtratus inter Romanos extraordinarius fuit. Primùm creati à Tullo Hoſtilio Rege de Horatio, qui partâ de Curiatiis victoriâ ſororem, unum de hiſce lamentantem, interfecerat, judicarunt. Mos dein etiam poſt Reges aliquandiu retentus; donec obſoleſceret: quem tamen à Labieno Trib. Pl. poſtremis temporibus in Remp. relatum, Cic. graviſſimè queritur. Meminit eorum præter Liv. *l.* 1. & 5. ac Cic. *pro Rabirio*, Plutarch. quoque, ut & Suet. ac Dio *l.* 37.

DUX, olim nomen officiale, deinde honorarium, mox feudale & hæreditarium. Conſularibus ſeculis *Imperator* dictus eſt, ſed arrogato hoc titulo primùm triumphantibus, dein Cæſaribus; exercituum Præfecti rariùs Impp. *Duces* communiter appellati ſunt. Poſt adultum imperium, vox aliàs pro exercitus Præfecto, qui Græcis στρατηγός; aliàs pro *Ductore* non cujusvis, at inſignis alicujus partis exercitus, qualis iiſdem Μεράρχης; aliàs pro rectore provinciæ ἡγεμών; aliàs pro Satrapa, honorario hoc titulo illuſtri, Græcolatinè Δοῦκας, apud Auctores occurrit. *Duces* exercituum abſoluti, erant Septentrionalium & Barbaricarum gentium Duces, qui, relictis patriis ſedibus, novas quæſituri, invadebant exteras: hos *Duces, Regulos, Sub-Regulos, Regales, Reges*, promiſcuè Scriptores appellant. Sic antiquos Soprarbienſium Reges ante Inacum Ariſtum, nil niſi ſigniferos ductores, i. e. Duces, militares ſeu exercituum fuiſſe, aſſerit Hieron. Blancas. Sic Jornand. *rer. Goth.* *l.* 1, *c.* 4 Berig, primi Gothici exercitus Ducem, Regem vocat, &c. Dux exercitus delegatus, vel militiæ ſolummodò præerat, vel aliis pariter Provinciæ: & diſtinguuntur ſæpius, hic Provinciæ, ille Regis vel populi, cui militabat, nomine. Vide in voce *Herezochius.* Dux Legionis, pro Merarcha, ſeu inſignis exercitus partis ductore, Imperatori militiæ proximo: quales Romanis Tribuni legionum, inferioribus *Capitanei*; Græcis κεφαλάδες ſunt dicti. Centurionibus enim & minoribus ductoribus, *Ducum Capitaneorumque* nomina, ſub mediis ſeculis non competebant. *Dux Provinciæ*, unus ex duobus primariis magiſtratibus, (alter Comes erat) à priſcis Impp. ad regendas Provincias limitaneas miſſus, qui rem prorſus militarem tractaret, hoſtemque armis frangeret, Comite civilia curante, populumque tam legibus fovente, quàm provinciam milite defendente: ob quam geminam poteſtatem in Not. Imp. Comes Duci præponitur: interdum verò & *Duci* Præſidis provinciæ collatum eſt officium, & hoc nomine, inſtar civilis Magiſtratus, populo jus dicebat: provocabaturque jam ab eo ad Præfecturam, non ad Magiſtrum Officiorum & Quæſtorem Palatii, ut in ſimplici Duce obſervatum. Comites nihilominus ſecundi generis omnes ſequitur. Sed cognata adeo erant munera Comitis Provinciæ & *Ducis* provinciæ, ut eadem penè geſtarent inſignia, & in alterius locum alter ſæpe induceretur.

Ducum Nomina in Imperio Or. XIII.

Dux
- Libyæ, Thebaidis } per Ægyptum.
- Phœnices, Euphratenſis & Syriæ, Palæſtinæ, Oſrhoenæ, Meſopotamiæ, Arabiæ, } per Orientem.
- Armeniæ: per Ponticam.
- Mœſiæ ſecundæ, Scythiæ, } per Thracias.
- Daciæ Ripenſis, Mœſiæ primæ, } per Illyricum.

In Occidentali XII.

Dux
- Mauritaniæ.
- Tripolitanæ.
- Pannoniæ ſec.
- Valeriæ.
- Pannoniæ primæ.
- Rhætiæ.
- Sequanici.
- Tractus Armoricani.
- Belgicæ ſec.
- Germaniæ primæ.
- Britanniarum.

Duces Provinciarum ſub Imperio apud Germanos, antea Reges fuiſſe, tradit Speculum Saxon. *l.* 3. *Art.* 53. & Munſterus Coſmogr. *l.* 3. *c.* 20. ubi videtur illis integram regiam poteſtatem à Rom. ipſis Impp. collatam aſſerere, quod antiquè præter exemplum fuit. *Provinciarum* enim *Duces*, ad limitaneos populos milite coërcendos emittebant. Regna autem ab aliis quoque Principibus in *Ducatus* redacta ſunt, poteſtateque Regia Ducibus conceſſa. Sic à Francorum Regg. Clodovæo Alemannia, Clothario Burgundia humiliata, &c. Munus *Ducum Provinciarum* deſcripſit Hincmarus; *ep. ad Epiſc. Franciæ c.* 14. quales nomine ἡγεμόνων videtur intelligere Petrus 1. *ep. c.* 2. *v.* 14. Formulam confer. *Ducatus*, vide apud Marculfum & Caſſiodor. *l.* 7. *var c.* 4. Eligebantur interdum hi *Provinciarum Duces* ab ipſo populo. Videtur & apud Viſegothos in ſingulis provinciis ſingulos *Duces* conſtitui, qui cum Epp. & Comitibus judicia exercerent: è quibus Epiſcopum *Dux* adjunctum; Comitem verò ſubjunctum habuit, illumque quidem in foro ſolùm & civilibus, hunc præterea in exercitu & militaribus: de numero autem Comitatuum ſub uno Duce, nil certi ſtatui poteſt, licèt recentiores Ducatum metiantur 12. Comitatibus. *Duci* exercitus apud Germanos 12. Comites ex Tacito aſſignat Choppinus: de quo tamen alii ambigunt. Apud priſcos iterum Anglo-Saxonum ſcriptores, *Dux* pro Magnate & Magiſtratu, vix reperitur: apud inferiores crebro, ſed promiſcuè confundunt voces *Dux*, *Coſ. Comes*, *Princeps Regulus*, *Sub Regulus*. Ab ingreſſu dein Normannorum, cùm uſque ad Eduardum III. ſopitus latuiſſet iſte titulus, tunc illuſtrior cœpit reviviſcere. Antea munus ſolùm & arbitrio Regis adimendum, jam poſt Principis, dignitatum culmen, honos fixus & hæreditarius. Sic idem Rex, Eduardum fil. Walliæ Principem A. C. 1336. Cornubiæ *Ducem* creavit, huius in Anglia Claſſis, primicerium: deinceps quartum filium ſuum *Ducem* Lancaſtriæ, Cornubiamque & Lancaſtriam *in Ducatus* erigens, regalibus plurimis utramque exornavit: Lancaſtriam inſuper Palatinatus amplitudine. Poſtmodum multi Proceres adſcendêrunt faſtigium hoc regiis evecti codicillis, &c. *Ducis*, *Comitis*, &c. appellationes, cùm ad officia diu pertinuiſſent, honorariæ factæ ſunt in Germania ab Ottone M. Sigon. *de Regn. Ital.* *l.* 7. A. C. 970. Inter Longobardos, Autharis, factus Rex, triginta urbium Ducibus, qui regiam uſurparant poteſtatem, detractâ ſolùm parte vectigalium, uſum urbium, dominio & jure ſibi retento, reliquit, A. C. 585. neque ſucceſſores tradidit, niſi aut virili ſtirpe extinctâ, aut conflatâ defectione, Idem. In Gallia ſub Hugone Capeto res præcipuè invaluit, & feudalis evenit. Habentur porro *Ducum* tres ordines: Summus, qui planè regius, ut Dux Lotharingiæ, Sabaudiæ, &c. Secundus, qui in Ducatus ſui feudo, jura obtinet Regalia, feudali tamen Domino ſubjicitur, ut in Germania multi. Tertius honoratus ille, qui illuſtri ſolo titulo dignoſcitur, quales complures in Gallia & Hiſpania, olimque in Anglia. Expiravit autem hîc dignitas A. C. 1572. nec revixit hactenus, niſi in ſobole regia Henrico & Carolo. *Dux Magnus* in Or. Imperio, princeps & caput erat ad univerſum mare, cui magnus Drungarius claſſis, Ameralius, Protocomes, Drungarii & Comites ſubjecti. Hic conto prætulit imaginem Imperatoris equo elati: anteriùs in palla, ſtantis: ponè in throno ſedentis. *Dux Francorum* ſeu *Franciæ*, inter *magnos Duces* meritò numeretur, qui totius militiæ Gallicæ Præfectus ſummus, regiam poteſtatem, velut pupillarem coërcuit. Magni tamen cognomen non obtinuit: ſed idem cum Majore Domus cenſetur. Vide Flodoard. *in Chron. ſub* A. C. 943. ubi: Hugonis *Ducis Franciæ*, & Aimon. *l.* 5. *c.* 44. ubi ejuſdem mentio fit. Idem fortè cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Marchione Francorum, apud eund. *c.* 34. & Conſule Anglorum, apud Huntington. in *Cnuto Rege*. Conferebatur *Ducatus* feudalis, aliàs vexillo ſimpliciter; aliàs vexillo & enſe. Eduardus III. ſupra laudatus ſerto in capite, annulo in digito, & virga aurea uſus eſt. Pileo item, qui unà cum ſerto, in *Ducali* Auſtriæ habitu, ſub prima ejuſdem inſtitutione claruit. In Muſcovia, ubi à regio nomine abſtinetur, Dux ſummus; elatiori ſolùm pileo ab inferioribus diſcriminatur. Primi *Duces* recentioris ordinis fuére, in Anglia, Eduardus Dux Cornubiæ: apud Gallos Joh. Dux Britanniæ Armoric. conſtitutus à Philippo Pulchro, A. C. 1297. Apud Scotos, David, Dux Rothſaiæ, à Roberto III. Patre creatus, A. C. 1398. Apud Hiſpanos Caſtiliæ, Fridericus Dux Beneventanæ creatus ab Henrico II. In regno Neapol. Dux Beneventanus, inſtitutus A. C. 573. *Archiducis* tandem titulus, quo ſola ſplendet Auſtriaca familia, ei ob inſignem potentiam, (nam in regnum aliquando elatus erat à Friderico II.) delatus eſt. Primum Archiducem quidam Fridericum, Caroli V. proavum, alii Albertum, qui claruit A. C. 1430. faciunt: Wolfgangus Lazius, Albertum fil. Rodolphi Auſtriaci, circa A. C. 1298. Archiducem ſtatuit: contra Hieron. Hemingen, qui Rodolphum Ingenioſum, à Carolo IV. factum eſſe Archiducem, A. C. 1360. contendit. Vide Spelmann. *Gloſſ. Arch.*

DUX Ducum, in *Synaxariis* 4. Octobr. dicitur S. Andaoctus Epheſius, ὁ Δουκῶν κ̀ Ἔπαρχος Μαξιμιᾶς. *Dux Palatii* Sigeberti Regis Adalgiſus, occurrit apud Fredegar. in *Chron.* vide *Major Domus*. *Dux Imperialis Curiæ*, Acerbus Morena Laudenſis civis dicitur, in ejus *Hiſt. Rer. Laudenſ. p.* 118. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* &c. Vide ſuprà, in voce *Ducalis Corona*, item *Duces*. Addam hic ſaltem, *Ducis* vocem, de Imperatoribus, Regibus, Principibus, ſæpe occurrere apud Poëtas. Inprimis autem ſic vocabantur primores omnium militum, qui, criſtâ galeâque inſigniti, exercitu cœtero eminebant. Papin. Stat. *Theb. l.* 10. *v.* 39.

> ----- *Nuſquam capita ardua belli,*
> *Monſtrataque* Ducum *ſeptena per agmina criſtæ.*

Atque per arma noſcebantur. Idem *Theb. l.* 7. *v.* 241.

> *Conſcendunt muros, inde arma nitentia natis*
> *Et formidandos monſtrant ſub caſſide patres.*

Vide quoque infrà, in voce *Ferculum*, & plura hanc in rem, apud C. Barth. *Animadverſ. ad Stat. d. l.*

DUX Novitius, *Dux novitia*, Sponſus & Sponſa apud Moſcos, vide infrà ubi de *Nuptialibus moribus*.

DUZIACUM, ſeu DUODECIACUM, caſtrum in Diœceſi Remenſi, ubi Concilium A. C. 871. quo Hincmarus Laodunenſis, quòd ad Papam appellaſſet, accuſatus, condemnatus, excæcatus eſt. Item A. C. 874. Tom. 8. Concil. *Morerius*.

DYA, Inſ. Vide *Naxos*.

DYAGONDAS, Thebanus legiſlator, nocturna ſacra lege perpetuâ ſuſtulit, Cic. *de LL. l.* 2. Vide infrà ubi de *Nocturnis cœtibus*.

DYARDENES ultimæ Indiæ fluv. Q. Curtio *l.* 8. *c.* 9. *Dyardenes minus celeber auditu eſt, quia per ultima Indiæ currit cæterum non crocodilos modo uti Nilus, ſed etiam delphines ignotaſque aliis gentibus belluas alit.*

DYAS, principium parium numerorum, uti *trias* imparium; unde & ἀρχὴ & γένεσις dicta. Bis duo, primus quadratus; qui δύναμις dicebatur. Bis quatuor, primus cubus, ùt ex vett. Arithmeticis docet Salmaſ. Sic apud Geometras, quod in recto menſuram accipit, vocabatur *Numerus*; quod in plano, Δύναμις; quod in ſolido, *Cubus*. In numeris, *Dyas* lineæ reſpondet, quæ longitudinem habet tantùm; primus quadratus, præter longitudinem etiam latitudinem accipit & reſpondet embado ſive areæ; primus vero cubus ſolido æquiparat. Salmaſ. *ad Solin. p.* 699. Vide quoque infrà *Par numerus*.

DYKE Daniel & Jeremias, Theologi Angli, ſcriptis, aureo inprimis illo libro, cui titulus *Noſce te ipſum*, notiſſimi.

DYMAN, tribus Dorienſium, *Steph.*

DYMAS, nomen viri. Virgil. *Æn. l.* 2. *v.* 340.

> *Iphitus oblati per lunam, Hypaniſque*, Dymaſque.

Ibid *v.* 394.

> *Hoc Ripheus, hoc ipſe* Dymas;

Ibid. *v.* 428.

> Diis *aliter viſum. pereunt Hypaniſque* Dymaſque.

DYME, Heſych. Δύμη, ἐν Σπάρτῃ φυλὴ κ̀ τόπος.

DYME, urbs Achajæ ultima ad Occaſ. Vide Steph. Baudr. urbs Peloponn. nunc *Clarenza*, prope oſtia Acheloi, verſus mare Jonium. Antea magni nominis & reg. caput, *Ducatus Clarentiæ*, cùm Peloponneſus Principes haberet proprios. Nunc ſub Turcis, deficit ſenſim, raroſque habet incolas. Cum caſtro ſatis munito & commodo portu. Item Thraciæ urbs, *Dime Antonino*.

DYME, Vide *Thymbræ*.

DYMETHUS, Siciliæ mediterranea urbs. Ptol. hodie *Torre de l'Oliveto*.

DYMNUS, inter Comites expeditionis Alexandri Mag. contra eum cum pluribus, in Ariis, conjuravit. Curt. *l.* 6. *c.* 7. Ob id cùm ad regem arceſſeretur, gladio ſe graviter vulnerans merita ſupplicia voluntariâ morte effugit.

DYMUS, Sogdianæ fluv. *Ptol.*

DYNAMENE, Nympha marina; Nerei & Doridis filia; ita dicta ab eo, quòd in mari plurimum polleat. Heſiod. in *Theog.*

DYNAMERI, apud Fulgent. *l. de Continentia Virgiliana*; *Nec illa quæ Dardanus in* Dynameris, *aut Battiades in Paredris, aut Campeſter in Parabolicis Infernalibuſque cecinêrunt*: primi ſunt ex tribus Μαντικῶν Spirituum ſeu Dæmonum, quos ille facit, gradibus: Græcè Δυναμεροὶ, i. e. *potentes & magni Dii* vel Spiritus; quorum in Oraculis reddendis & ſomniis mittendis ſemper certior fides & effectus major habitus. Græci quoque Θεοὺς δυνατοὺς vocârunt: *Divi-potes* in Augurum libris; quos quidam de Penatibus accipiunt; Arnob. ex Etruſcorum diſciplina, Jovis eos conſiliarios & principes Deos habitos fuiſſe, ſcribit. Sed & *Dynameros*, apud Dardanum liceat interpretari, quos ſimpliciter Θεοὺς appellabant; qui diſtinguebantur in *Superos Inferos* & *Medioxumos*, Græcis autem εἰς οὐρανίους; αἰθερίους, ἐπιγείους, χθονίους & θαλαττίους: quorum quia poteſtas major, quàm Heröum, vel eorum, qui ex hominibus Divi facti ſunt, ideò Δυναμεροὶ dicti, apud Magicarum Artium peritos. Artemidor. eoſdem vocat μείζονας τῶν θεῶν κ̀ πρεσβυτέρους, κ̀ τῇ τάξει προτέρους, *Majores Deos & Seniores & ordine priores*, Salmaſ. *ad Spartian.*

DYNAMIS, ſeu DYNAMUS, in *Fragmentis Arithm.* Epaphroditi, *Decies in dynamum*; quid in numeris ſit, diximus ſuprà in voce *Dyas*. Numerus ſc. quadratus, ſeu τετράγωνος, quam Numinis loco Pythagoras habuit. Ejus meminit Diophantus hiſce *l.* 1. *def.* 2. Καλεῖται ὁ μὲν τετράγωνος δύναμις, *Vocatur quidem quadratus potentia*. Hero item Alexandrinus, Αὐτὸς δὲ ἀριθμὸς καλεῖται πλευρὰ τοῦ τετραγώνου, ὁ δὲ τετράγωνος δύναμις, *Ipſe numerus vocatur latus quadrati, quadratus verò potentia*. Vide Oiſel. JC. *Notis in A. Gell. l.* 1. *c.* 20. Sed & Δυνάμεις, τὰ φάρμακα apud Theophraſt. Unde Recentiorum τὰ δυναμερὰ, *drogues* Galli dicunt Poëta,

> *Scire poteſtates herbarum* -----

Sic ὀξυπόρους δυνάμεις vocat Dioſcorides compoſitiones, ex multis ſeminibus calidis conſtantes, quæ fiebant juvandæ concoctioni, & quibus acetum oleumque admiſcebatur. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1051. & 1273.

DYNAMIUS, Coſ. cum Sifidio, A. U. C. 1241. Patritius, præfectus Maſſiliæ, ſub Guntrano Rege ſub finem ſec. 6. cum Theodoro Ep. aliquid litis habuit. Compoſuit vitam Marii Ep. Item Maximi, unius ex prædeceſſoribus, fundavit ibidem monaſterium virginum, à Gregorio Mag. literis ſæpè ſalutatus, *l.* 2. *ep.* 33. *l.* 6. *ep.* 12. Barralis *Chron. Lir. in P.* 2. *n.* 120. Greg. Tur. *hiſt. l.* 6. *c.* 11. Barth. Adverſ. *l.* 59. *c.* 12. *Morerius*, &c.

DYNDASUM, urbs Cariæ, *Steph.*

DYNDIMA, vide *Dindyma*.

DYOS, Mauritaniæ Tingitanæ fluv. *Ptol.*

DYPTICA, duæ tabulæ, in antiqua Eccleſia, quarum una viventium, altera mortuorum nomina continebat, quæ in Miſſa recitabantur. Græc. Δίπτυχα, unde rectiùs *Diptycha*, vide Meurſ. Ekkehardus Jun. Caſ. S. Gall. *c.* 5. & ejus temporis auctores, ſic vocant libros Anniverſarios, quibus eorum inſeruntur nomina, qui pro remedio animæ ſuæ, monachis & clericis quippiam legaſſent, horumque *Dypticorum* cuſtodiæ capſæ deſignatæ ſunt. Vide ibid. Goldaſt. Recentius verò occurrit, pro tabella manuali. Spelmann. *Gloſſ. Archæol.* Plura diximus ſuprà, in voce *Diptagus*.

DYRAS, Trachiniæ fluv. *Strabo*.

DYRASPES, Scythiæ fluv. Ovid. *Pont. l.* 4. Eleg. 10. *v.* 610.

> *Cumque Boryſthenio liquidiſſimus amne* Dyraſpes.

DYRBÆI, pop. ad Bactros & Indiam pertinentes. *Steph.*

DYRIS, nomen quo montem Atlantem incolæ vocabant. Auctor *epitomes* Strab. Ὅτι τὸ ἐν Μαυρουσίᾳ ὄρος τὸν Ἄτλαντα Ἑλληνικῶς καλούμενον οἱ Βάρβαροι Δύριν καλοῦσι. Plin. *l.* 5. *c.* 1. *Mox amnem, quem vocat Fut, ab eo ad* Dyrim: *hoc enim Atlanti nomen eſſe, eorum lingua convenit*, CC. *M. P.* &c. Vide Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 305. Item nomen fluv. qui ex præfato monte *ortus, ex Septentrionali regione, progreditur, per Occid. ad lacum Heptabolum, & mutato nomine dicitur Niger*, Vitruv. de quo vide aliquid ſuprà in voce *Diris*, plura autem apud eundem Auctorem, *p.* 421.

DYRRACHIUM, urbs ampla in ea parte Macedoniæ, quæ mari Adriatico incumbit, diſtans à Brunduſio 220. m. p. trajectu. Dictam ita volunt à nomine ejus, qui ibi portum capacem adjecit: nam antea *Epidamnus* vocabatur. Plin. *l.* 3. *c.* 23. vulgò *Durazzo*. Condita à Corcyræis, A. U. C. 130. Afflicta ab exulibus A. C. 315. Corinthiorum opem imploravit, qui à Corcyræis devicti. Hinc Athenienſibus hiſce aſſiſtentibus bellum Corinthiacum conflatum, fomes Peloponneſiaci. Sub Chriſtianis Metropolitana fuit, à Mahomete Venetis erepta ſec. 15. Hanc urbem Cicero exilii ſui tempore amiciſſimam expertus eſt, & officioſiſſimam, in qua & commoratus eſt, donec Senatusconſulto revocaretur. Lucan. Civil. Bell. *l.* 6. *v.* 14.

> Dyrrachii *præceps rapiendas tendit ad arces.*

Ἡ πρὶν μητρόπολιν, vocat Euſtath. qui addit, ſic dictam eſſe, ἀπὸ τοῦ ῥήγνυσθαι τῆς τραχύτητος. Δυσραχίον γάρ ἐστιν, ὅ ἐστι δυσέξοχον. Ob intemperiem aëris parum habitatur. Thuc. *l.* 1. *& ſeqq.* Str. *l.* 5. Diod. Sicul. Euſeb. *Chron.* Magin. *Geogr.* &c. Baudr. urbs hæc pulcherrrima olim Albaniæ marit. ad oſtia fluv. *Argentaro*, in mare Adriat. Hinc Principes Dyrrachini dicti *Carlovicii*, ex ſanguine Franciæ Regum. Diſtat. 45. mill. à Liſſo in Auſtr. 70. à Aulone in Bor. Item *Dyrrhachium* Laconiæ urbs Stephano, una ex centum. Vide Voſſ. *ad Melam, p.* 158 Plin. *l.* 3. *c.* XI. & 23. *Nic. Lloydius*. Hodie vicus eſt, ubi arcis adhuc veteris rudera viſuntur. Jac. Spon. *Itin. p.* 1. *p.* 117.

DYR-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

DYRRACHUS, Epidamni ex filiâ nepos Neptuno genitus, qui portum urbi adjecit, quæ *Dyrrachium* appellatur. Deinde cum fratres adverſus illum bellum gererent, Hercules Erythiâ rediens, pro telluris parte, in eos depugnavit. Quamobrem Dyrrachii Herculem veluti telluris eorum ex parte incolam fuiſſe autumant: Dyrrachum non utique inficiantes, verùm ad Herculem tanquam ad Deum inclinantes. *Appian.*

DYRRODOTIS, amnis ad Caucaſeas portas, Plin. *l.* 6. *c.* XI.

DYRSELA, Pamphyliæ opp. *Ptol.*

DYRTA, Aſſacanorum urbs Indiæ. Arrian. *in Indicis.*

DYSARES, Arabum Deus, idem cum Dionyſio, ſive Sole. Vox uti ſuſpicatur Voſſ. ex [illegible] *dus* & [illegible] *ares*; quorum prius *gaudium*, alterum notat *terram*. *Dyſares* Tertulliano dicitur *Apolog. c.* 24. [illegible] *Deus eſt, ut Syriæ Aſtarte, Arabiæ Dyſares.* [illegible] in Aldina *Duſares*. Etiam apud Steph. eſt [illegible] Δουσαρης, Σουιδ. [illegible]. *Dachareni* autem Arabiæ Felicis pop. qui aliter *Nabatei*. Unde corruptus Heſychius ubi vulgo legitur [illegible], ἐν [illegible] Ναβαταῖοι ὡς φησιν [illegible]. Ubi *Nabataioi* legendum liquet. Aliud etymon hujus vocis petat, ſi velit lector ex Bocharti *Phaleg l.* 2. *c.* 19. *Nic. Lloyd.*

DYSAULES, in Eleuſiniis ſacris, vide Salmaſ. ubi ſupra *p.* 750. ex Clem. Alex. qui *Baubonem*, *Triptolemum*, *Eubuleum*, *Eumolpum*, *Dyſaules*, *Caduceatores*, *Hierophantas*, *Dadachos*, *Præcones*, & totam illam ſcenam *Eleuſiniorum*, facundè traducit. 5. *Strom.* Capellarum cuſtodem fuiſſe refert Arnob. *l.* 5. ſicut boum jugatorem, Triptolemum; porcorum cuſtodem Eubuleum, gregis lanitii Eumolpum, vide locum.

DYSIS, locus in Piceno, non procul ab Ancora. *Procop.*

DYSNICETUS, Archon Athenis, Olymp. 102. An. 2.

DYSORUM, Thraciæ mons in Pæonia reg. *Herod.*

DYSPONTIUM, urbs Piſææ, à *Dyſpontio* Pelopis fil. *Steph.*

DYSPORUM, vulgò DUISBURG, quod vide, ut & *Diſpargum.*

DYSRACHIUM, Vide *Dyrrachium.*

DYSTRUS, pro Martio menſe, apud Euſeb. *Hiſt. Eccl.* l. 8. *c.* 3. Vide Dominic. Maci. *in Hierolexico.*

DYSTUS, urbs Eubœæ. Steph. ex Theopompo.

E.

E. Una è vocalibus, in vocibus quibuſdam Latinis veteribus, latiùs ſonabat, ut poſterius *E.* in *bene*: in quibuſdam exiliùs & penè habebat ſonum vocalis *I.* h. e. medium inter *E.* & *I.* ut in *here*, cujus loco propterea *heri* ſcripſêrunt. Ita *ſibe* & *quaſe* in multorum libris ſe reperiſſe & his Liv. fuiſſe uſum, ex Pediano, qui & ille ipſum ſequeretur, ſe comperiſſe teſtatur Fabius, *E.* longum Græcis antiquis erat loco *H.* etiam poſt Simonidis. qui vocales H. & Ω. inveniſſe dicitur, ætatem: Unde in columna Farneſiana viæ Appiæ, prima in ΗΡΩΔΟΥ, per *E.* ſcribitur. Ac *E.* quidem prius vocatum fuit *EI.* (quamvis ſemper *E.* nunquam *EI.* ſcripſerint) teſte Euſtathio *in Iliad. E.* & Plutarch. qui toto illo libro, quem inſcripſit περὶ τοῦ *EI.* ἐν Δελφοῖς, haud aliter docet, quàm τὸ EI. Delphis dicatum eſſe quintam Græcorum literam. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 13. In lingua Gallica triplex *E.* ſæpe in eadem voce reperiri, docent Auctores *Methodi linguæ Græcæ Gall. ſcriptæ tr. de Literis.* Ut in vocibus, *Netteté*, *Fermeté*, *Breveté* &c. primum *E.* apertum eſt, alterum obſcurum & mutum, quod *fœmininum* vocant, tertium clarum vel clauſum, reſpondens Græcorum Εψιλῷ quod *maſculinum* quoque indigitant. Iidem aliud quoddam E. habent, ad A. proximè ſono accedens, unde *E.* in voce *Empereur*, tanquam *A.* pronuntiant: Latinos quoque in hoc imitati, apud quos *dicam* vel *dicem*, *faciam* vel *faciem* promiſcuè ſcriptum fuiſſe, docet Quintilian. Unde *A.* præſentis, ſæpe in *E.* præteriti verſum videmus: Sic *facio*, *feci*: *Ago*, *egi*: item in Compoſitis ex *Arceo*, *coërceo*: *Damno*, *condemno* factum &c. Nec omittendum, huic vocali cum O. & *U.* affinitatem etiam nonnullam fuiſſe. Unde *Diu*, pro *die*: *Lucu*, pro *luce*: *Neptunus* pro *Nuptimus* &c. dictum fuiſſe deprehendimus: quo quoque factum, ut verba in *Eo.* præteritum in *UI.* forment, *Doceo*, *docui*: *Moneo* &c. Apud Græcos ὢ Sæpius repetitum in luctu, dicemus infrà ubi de *Lugendi ritibus.*

EADIGA, Mahometi uxor vetula, cum qua ne ætatem contere-re cogeretur, polygamiam inter ſuos ſancivit.

EADMUNDUS, Rex Anglorum, cujus caput amputatum, lupus alioqui ſæviſſimus, intactum ſervavit & illæſum. Hiſt. Angl.

EALE, fera Æthiopiæ, de qua ſic Plin. *l.* 8. *c.* 21. *Magnitudine equi fluviatilis, caudâ elephanti, colore nigra vel fulva: maxillas apri, majora cubitalibus cornua habens, mobilia, quæ alterna in pugna ſiſtit variatque infeſta aut obliqua, utcunque ratio monſtravit.* Nempe cornua ejus ab radice mobilia ſunt, unde cùm à fronte pugna eſt, tum infeſta dirigit cornua: ſi à latere aggreditur hoſtis, tum ea obliquat. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1010.

EANES, quem Patroclum interemiſſe ferunt, ob idque domo profugum ad Peleum in Theſſalia venitaſſe, à quo & ſacellum, *Eanium*, & *Eanidem* fontem oſtendunt nominatum. Strab. *l.* 9.

EANTES, Hiſtoricus Cyzicenus, ætate quâ Pygmalion in Oriente regnabat.

EANUS, ab antiquis *Janus* dictus eſt, qui ſæpe *e* pro *i* uſurpant, quod docet Quintil. *l.* 5. *c.* 6.

EARA, fluv. Galliæ, in Caletis, nomine hoc genuino ac incorrupto, Orderico Vitali notus, aliis corruptè *Esra*, vulgò *Jere*, aut *la riviere d'Jere*, Latino *E.* in *I.* & *A.* in *E.* commutatis, ut ſæpiùs alias. Naſcitur non procul ab Alberti manſionili *Aubermesnil*, quod alluit: Attingenſque Fulcardi Montem *Foucarmont*, locum Abbatiâ celebrem Alnetum *Auney*, vicos SS. Richardi & Remigii, Bettonis chortem in pago Tellau *Betencourt*, Petreum Pontem *Pont-repont*, Grandem chortem *Grancourt*, Petram *la Pierre*, Vallem Regis *Val le Roy*, aliàs *Val du Roy*, Septem molas *Septmeules*, vicum ingentem, à numero molarum ſuarum ſeu vento ſeu aquâ agitatarum cognominatum; Tellejum *Tilly*, pagi veteris Tellau nomen ſervans, Alberti villam *Auberville*, vicum S. Sulpicii *S. Souplis*, aliàs *S. Supplis*: demum apud Criolium *Creil*, caſtrum in Chartario Fiſcamnenſi celebratum, devolvitur in Oceanum, 2. mill. à caſtro. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall. in voce Caleti*, & *Tellau*: ubi fluvium hunc *Telas* quoque olim fuiſſe dictum, colligit ex Chron. Fontanellenſi c. 12. ubi hæc habentur: *Item Chimram & VVinemannum* [illegible], *qui ſunt in pago Tellau, juxta fluvios Tellas & VVinianne* [illegible].

EARES, populi Indiæ, qui cum Deriade contra Dionyſ. pugnarunt. *Steph.*

EARINÆ Veſtes, dictæ ſunt olim, quæ ex viridis coloris lana conficiebant, verno tempori, unde apud Græcos iis nomen, convenientiſſimæ. Quemadmodum in Anglia etiamnum hodie videmus, ubi hyems frigora ſua remiſit & læniori facie terra aperitur, Regem totumque Procerum ordinem, venatum proficiſci, concolorem anni tempeſtati, neque minus tum, quàm ſaltus ipſos, ſylvam virescere, inquit Dempſterus. Meminit *Earinarum* ovium Tertullian. *l. de habitu mul. ad finem*, *Non placet*, inquiens, *Deo*, *quod non produxit*, *niſi ſi non potuit purpureas & Earinas oves naſci jubere. Si potuit ergo, jam noluit: Deus noluit, utique non licet fingi.* Dicuntur etiam *Arinæ*: quam vocem utramque junctam reperias *in Antholog. l.* 1. *c.* 60, *Epigr.* 12.

> Σὺ λαλὸν [illegible], [illegible]
> Τὸν ξένον [illegible], [illegible].
> *Vocalem vocalis, alatam alata,*
> *Hoſpitem hoſpes, vernam verna.*

Thalaſſinæ vocari videntur T. Lucret. *l.* 4.

> ------ ------ ------ *Teriturque Thalaſſina veſtis*
> *Aſſidue, & Veneris ſudorem exercita potat,*

Iſtiusmodi veſtes Græca in conſuetudine fuiſſe, teſtatur Conſtitutio Syracuſanorum, quæ floridas veſtes penitus prohibebat, apud Phylarch. *Hiſt. l.* 24. Neque minus lex Athenienſium, quâ ſcorta jubebantur Ἄνθινα φορεῖν, *Floridas veſtes geſtare*, ut ex Suid. clarum, in voce Ἑταιρῶν. Mollitiei enim non carebat ſuſpicione hic habitus, unde eo indutus Liber Pater inducitur, apud Diod. Sicul. *l.* 5. Interim Regibus quoque Perſarum in uſu fuiſſe, narrat Athen. & confirmant Euſtath. *ad Hom. Il. l.* 16. & Strab. *Geogr. l.* 15. Item Olympionicis de quibus infrà. Quid quod floridam hanc veſtem cum Tunica picta Romanorum eandem eſſe nonnulli crediderunt, vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 31. & ſuprà, ubi de *Aerinis.*

EARINUS, nomen formoſi pueri apud Mart. *l.* 9. *Epigr.* 12. 13. 14. à Vere ſic dictum. Fuit autem Eunuchus Domitiani, quem ideo Cæſareum puerum vocat Papin. Stat. *l.* 3. Sylv. 4. initio quæ eſt *de coma Earini.*

> *Ite comæ, facilemque precor tranſcurrite pontum:*
> *Ite, coronato recubantes molliter auro:*
> *Ite, dabit curſus mitis Cytherea ſecundos,*

Ibid infra.

> *Accipe laudatos, juvenis Phœbeje crines,*
> *Quos tibi Cæſareus donat puer, accipe* [illegible].

EASIS, Gedroſiæ metropolis. *Ptol.*

EASIUM, Achaiæ in Peloponneſo urbs. *Pauſan.*

EASO, civitas Hiſp. Tarraconenſis, Ptol. vulgò *S. Sebaſtian.*

EAST-ANGLIA, illa pars Angliæ, quam Angli Orientales incolebant, à Germ. *Eaſt*, ſeu *Oſt*, Oriens. Hi puerulos ſuos ſuper tecto ædium ſtraminco collocare ſoliti, eos qui timidè illis hærebant, vel ut caſuri ejulabant, puſillanimes fore pronuntiabant: qui verò comprehenſo ſtramine, alacriter prorepere & ſe fortiter ſuſtinere deprehendebant, plauſu magno *Stout heres*, i. e. magnanimos dominos futuros acclamabant, Henr. Spelmann. *Gloſſar. Arch.* Vide *Eaſt-Saxones.*

EAST SAXONES, ſeu SAXONES ORIENTALES, à voce German. *Eaſt*. ſeu *Oſt*, pop. Angliæ, quorum, ut & Merciorum regibus peremptis, regna cum magna Northumbriæ parte, Dani occuparunt, A. C. 827. victi poſtea ab Egberto, qui ad pellendos Barbaros ſubditis tributum *Dangieltum* impoſuit. A. C. 836. Ericus poſtmodum. Eaſt-Saxonum Rex ab Eduardo Rege cæſus eſt, A. C. 904. Polydor. *l.* 5. Vide *Saxones.* Addo hîc ſaltem, quod Regnum eorum fundatum ab Ina Rege A. C. 547. poſtmodum in Regnum Deiræ & Berviciæ ſubdiviſum eſt, unumque fuit ex VII. Anglo-Saxonum Regnis. Geo. g. Horn. *Orb. Imp.*

EBA, Tuſcorum urbs. Ptol. *Pitigliano* nonnullis. Aliis *Monte Merano*, caſtrum Thuſciæ, in agro Senenſi, verſus Albaniam fluv.

EBAL, fil. Sobal filii Seir. Gen. *c.* 36. *v.* 23. Lat. *acervus vetuſtatis*, vel *acervus defluens.* Deut. *c.* XI. *v.* 29. & *c.* 27. *v.* 13.

EBDOMUM, Byzantii ſuburb. à numero. *Cedren.*

EBELLANUM, opp. Vaſconum, nunc *Biel*, oppidul. Aragoniæ, ad amnem cognom. verſus montes, in Diœceſi Pampilonenſi, 6. leuc. à Jacca in Occ. 9. ab Oſca, 12. à Cæſar Aug. in Auſtr. Quibuſd. dicitur *Ebellinum.*

EBENNOZOPHIM, vel AZOPH, Arabs, ſtellarum fixarum cognitioni intentus A. C. 1161. Voſſ. *de Mathem. c.* 35. §. 7. Genebr. *in Chron.*

EBENUS, Hebr. הבנים *hobnim*, cum ebore, jungitur Ezech. *c.* 27. *v.* 15. quia utrique eſt extremus color, eodem excellentiæ gradu; ebori viz. pulcherrimi candoris, hebeno ſpecioſiſſimi nigroris. Utrumque politiſſimum, nitidiſſimum & incomparabili lævore conſpicuum. Unde eſt, quòd in eoſdem ferè uſus adhibentur & ex utroque arcus fiunt, pectines, tabulæ luſoriæ, cultrorum manubria, alia. Adde, quod in iiſdem locis naſcuntur, India ſc. & Æthiopia, quarum hæc *hebeni* nomine quandoque intelligitur: ut ex Virg. liquet, *Georg. l.* 2. *v.* 116.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

------ ------ *ſola India nigrum*
Fert ebenum.

Idem *l.* 4. *v.* 293.

Uſque coloratis amnis devexus ab Indis,

i. e. *ex intima Æthiopia.* Porrò *ebenus* & ebur unà cum auro, perpetuum fuit Æthiopum tributum, ab eo tempore, quo Ægyptiorum Rex Seſooſis (al. *Seſoſtres*) Æthiopes debellavit, Diod. *l.* 1. Poſtea eadem ab Æthiopibus Perſas exegiſſe, docet Herod. *Muſâ tertiâ*, *c.* 97. ubi *ducentas ebeni palangas*, in quodvis triennium, adferri ab iis in Perſiam conſueſſe, tradit. Eadem geſtaſſe Æthiopes dicuntur, in Ptolomæi Philadelphi pompa, apud Callixenum Rhodium. Unde in feſto Adonidis, Alexandriæ, ſub eodem Rege, magno apparatu celebrato, Syracuſanæ mulieres, viſo *ebeno*: auro, & ebore multo, in hæc prorumpunt verba, *Edyllio* 15. *v.* 123.

Ὦ ἔβενος, ὦ χρυσὸς, ὦ ἐκ λευκῶ ἐλέφαντος
Αἰετοί.
O ebenum, ó aurum, ó ex albo ebore
Aquilæ!

Vide Bochart. *Hierozoici Part. poſter. l.* 1. *c.* 20. & Salmaſ. *ad Solin.* nec non infrà in voce *Palangæ*. Ex hoc ligno porrò ſimulacra Deorum ab antiquis facta, memorat Pauſan. *in Arcadicis*, ubi materias enumerans, è quibus vulgò hujuſmodi ſimulacra fieri ſolerent, *ebenum* primo loco recenſet. Unde & Dianæ Epheſiæ imaginem inde factam, nonnullos tradidiſſe, refert Mucian. apud Plin. Vide quoque infrà *Arcanidas*. Sed & ad alia ejus uſus fuit. Solin. *c.* 52. *Hebenum ſola* (India) *mittit, nec tamen univerſa, verùm exiguâ ſui parte gignit hoc genus. Arbor eſt plerumque tenuis, & frequentior vimine, raro in craſſitudinem caudicis extuberatur, hiulco cortice & admodum venato, dehiſcentibus venis, adeo ut per ipſos ſinus pars intima vix tenui libro contegatur: lignum omne atque mediale eadem ferme & facie & nitore, qui eſt in lapide Gagate. Indi Reges ex eo ſceptra ſumunt & quaſcunque Deorum imagines* --- *Idem fermè materiâ ejus lignorum noxam non continere; & quidquid malignum fuerit, luce ejus averti: hac gratia pocula ex hebeno habent* ---- *Romæ Mithridatico triumpho id primum Magnus Pompejus exhibuit* ad quem locum vide *Exercitationes Plinian.* Salmaſii de eodem Plin. *l.* 12. *c.* 4. *Nuper allatam Neroni Principi, raram arborem* ebenum *Meroën uſque à Syene fine Imperii, per nongenta* XCVI. *M. paſſuum* --- *Accendi eam Fabianus negat: uritur tamen odore jucundo: Duo genera ejus: rarum id, quod melius arboreum mirè enodi, materiæ nigri ſplendoris, ac vel ſine arte protinus jucundi; trunco alterum fruticoſum cytiſi modo & totâ Indiâ diſperſum.* Sed non ſola *ebenum* India fert, verùm Æthiopia quoque & quidem Æthiopicæ primas dat Dioſcorid. *Meroëticam* vocat Lucan. Civil. Bell. *l.* x. *v.* 117.

------ *Hebenus Mareotica vaſtos*
Non operit poſtes ------

Idem Ibid. *v.* 303.

Ambitur nigris Meroë fecunda colonis
Læta comis hebeni.

Inſ. quoque Saronici ſinus, *Ebanoniſi* vulgò dicta, h. e. *Inſ. ebeni*, Gall. *l'Iſle des Aſnes*, uti docet Spon. *Itin. Græciæ P.* 2. *p.* 266. ubi foliis non carere hanc arborem, contra Pauſaniam addit. De montibus vicinis metropoli. Inſ. Hainan *Kiuncheu* in Sinis, idem habet Auctor Anonymus *Sinæ & Eur. c. de Arboribus*. Inprimis verò in Æthiopico mari ferax *ebeni* Inſ. Mauritia eſt, in qua ligno cædendo mancipia à Batavis (qui eam tenent) alioſque criminum damnatos, adhibitos fuiſſe (longè leviori triremium ſupplicio) donec, pretioſioribus lignis in notitiam adductis ebeni pretium eviluit, docet Joh. Baptiſta Tavern. *Tract. Gall. cui tit. la Conduite des Hollandois en Aſie c.* 5. ubi arborem hanc adeò gravem, firmiſque radicibus nixam eſſe inter alia ait, ut typhonibus etiam impetuoſiſſimis, qui certo anni tempore, cum omnium rerum arborumque aliarum ſtrage, inſulam perflant, reſiſtat ex facili. Ibidem arborum poſtquam in aſſeres diſſecta eſt, in terra ſubhumida, ad 7. aut octo pedum profunditatem, per biennium, aut ſi denſiores trabes ſint, triennium ſolere defodi, ſicque demum lignum artificis manui ſequax & longè nitidius evadere, legas. Unde diſcrimen operum ex ebeno, quæ ex India afferuntur quæque in Europa inde confiunt. Sed pro *ebeninis* nonnunquam venditari, quæ ex loto nigra, moro inveterata, cytiſo, ſpina Ægyptia, ſpinaque Indica fiant, monet Salmaſ. *ad Solin. p.* 1043. Vide quoque aliquidi infrà in voce *Loto*; it. *Saſem*, & *Seſamina ligna*, *Squartia* quoque ubi de *eboris* politura.

EBERHARDUS, fil. Alberici, Ethone ſive Hettone, filio Ethiconis ſeu Athici cognom. *Adelrici*. Alſatiæ Ducis, geniti, filium Ottopertum ſtemmatis Habſpurgici propagatorem, ſecundùm quoſdam, & præterea Theobaldum, Comitem Pfiretarum, ac Hugobertum ἄπαιδα habuit: Monachus tandem factus. Sed rectius, *Eberhardus* jun. ſtemma produxiſſe ſtatuitur, inquit Spener. qui Lutrenſe Monaſterium ad mortem uſque, quæ circa A. C. 900. eum rapuit, non deſiit vexare. Pater Hugonis, à cujus filiis Gerhardo, Lotharingiæ Duces: Hugone Dagsburgii & Guntramo natu minimo, Habſpurgii Comites orti ſunt. Fuit & *Eberhardus*, Adelberti eodem Ethicone, de quo retro, geniti fil. Alſatiæ Dux, fundator Murbacenſis Monaſterii A. C. 724. quem quidam improlem, alii ex filio Ruthardo Kyburgenſium, Thurgovienſium, Winterthuriorum, & Wendelburgiorum: ex Warino autem, Helfenſteniorum, primorum Guelforum, quin & Burgundiæ & Capetinorum Galliæ Regum auctorem conſtituunt. Ex primis verò Guelfis Duces Bavariæ, Alemanniæ, Comites Altorfios, Zollerios, Heiligenbergios, Dockenburgios, Ravenſpurgios, Oetingenſes, Wælpanos, Rhætos, Catimelibocenſes &c. nonnulli derivant.

EBERHARDUS, Comes Vohburgius, ultimus Norimbergæ Burggravius fuit: quo extincto Rudolfus I. Imp. Burggraviatum ſeu Franconiæ Ducatum contulit ſuo ex ſorore nepoti, Friderico Comiti Zollerano: in cujus familia, ab eo enim hodierni Principes Brandenburgici orti ſunt, adhuc durat. Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Hiſt. in Fam. Zollerio-Brandeburg-*

EBERHARDUS, fil. Ulrici, ex Irmengarde Burgovia, Comes Wirtenbergenſis, uxorem habuit Agnetem, filiam Bertholdi Zeringiæ Ducis, viduam Egonis Comitis Aûracenſis. Pater fuit Ulrici cui Uracum arx ab Henrico Comite Furſtenbergico vendita eſt. Hoc genitus eſt *Eberhardus* γαςρόςτμηλος cogn. Illuſtris vel Rixoſus. Qui Adolpho Imp. primùm, dein Henrico VII. obſequium negans. universâ ferè ditione ſuâ exutus eſt; Mortuus A. C. 1325. Ejus fil. Ulricus, pater fuit *Eberhardi* cognom. Contentioſi: qui multa memorabilia fecit & paſſus eſt, pater Ulrici: quo natus *Eberhardus* Dux, cognom. Mitis, A. C. 1395. Nobilitatis ſeditionem expertus eſt, & à conjuge Beatrice filia ultimi Teccenſium Ducis, hunc Ducatum obtinuit, A. C. 1417. Habuit is in Aula ſua 6. Principes, 8. Comites, 5. Barones & 70. Nobiles. *Eberhardus* Jun. fil. ejus, Comit. Montispelicardi, uxorio nomine, domui intulit: Pater Ludovici, qui Uracenſem & Ulrici, qui Stutgardianam lineam ſevit.

EBERHARDUS, cognom. Barbatus, fil. Ludovici, de quo ſuprà, Tubingenſem Academiam fundavit, A. C. 1477. in cujusvis ſubditorum ſinu placidè dormire ſe poſſe gloriatus. Illius ſepulchro aſtans Maximilianus I. Imp. mortuus autem eſt A. C. 1496. *Latere*, dixit, *in illo tumulo talem Principem, cui ſapientia multiſque aliis virtutibus parem in Imperio nullum noverit.* Obiit nullo hærede relicto.

EBERHARDUS jun. Ulrici, de quo antè, fil. patrueli Eberhardo Barbato ſucceſſit: ob multa protervè deſignata, pulſus à Maximiliano Imp. A. C. 1498. Obiit A. C. 1504. Heidelbergæ ſepultus. Ejus frater Henricus vitam finivit captivus Uraci, A. C. 1519. Pater communis duarum linearum à totidem filiis Ulrico & Georgio: quorum prioris poſteritas extincta eſt. A. C. 1593. in Ludovico Pio.

EBERHARDUS, Dux Wirtenbergicus, fil. Joh. Friderici, mortui A. C. 1628. natus eſt A. C. 1614. Poſt Nerolingenſe prælium, A. C. 1634. ducatu à Cæſareanis occupato, ipſe A. C. 1635. in Pace Pragenſi ab amniſtia eſt excluſus: reſtitutus tamen maximæ ditionum parti A. C. 1638. quæ nihilominus ſubinde gravia paſſæ, donec pace Monaſterienſi A. C. 1648. quies toti Ducatui obtigit. A quo tempore ſummo cum prudentiæ, juſtitiæ, & magnificentiæ elogio, ditiones rexit: Pater numeroſæ prolis. Mortuus A. C. 1675. Succeſſorem reliquit Vilhelmum Ludovicum, ex primo conjugio Annæ Catharinæ Com. Rhenanæ, ſuſceptum. Vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt. in Famil. Wirtenberg.*

EBERHARDUS Altahenus, Archidiac. Ratisbonenſis ſub Rodolpho I. Imp. Annales Ducum Auſtriæ, Bavariæ & Sueviæ ſcripſit. Ab A. C. 1273. uſque ad A. C. 1305. Henrici Steronis compilator, Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 62. Item diſcip. S. Harvici, Ep. Saltzburgenſ. A. C. 1024. hujus vitam ſcripſit. Idem *l.* 2. *c.* 43.

EBERSTENIUM, caſtrum Germaniæ, cum tit. Comitatus, unde Comites olim in Circulo Suevico celeberrimi. Jam verò inter titulos Marchionum Badenſium etiam hic comparet, primusque Fridericus, Rodolphi Sen. nepos, eo inſignitus legitur; an à matre Cunigunda, Ottonis Senioris *Eberſtenii* Comitis filia? Certum hoc, ex ditione *Eberſteinenſi*, per Hermannum fil. Rodolphi *Ratſiet* & *Cuppenheim*, Marchionatui acceſſiſſe. Tobias Pfanner. *de præcipuis Germaniæ Principum Gentibus c.* 9. Fuit autem *Eberſtenia*, Familia Germaniæ, inter illuſtriſſimas Suevici tractus ut dictum, jam olim numerata, & ab Henrici Aucupis genero, quem alii Eberhardum, alii alio nomine compellant, originem traxiſſe dicitur. Ordo eorum, qui ex ipſis *Eberſteniis* Comitatui præfuiſſe feruntur, ille eſt, ab iis ſubminiſtratus Spenero, & à vulgaribus tabulis differens. Philippus maritus Mechtildis Saxonicæ A. C. 933. Bertholdus Utæ Sinzenſis A. C. 1148. Bertholdus Agnetis Zolleranæ, A. C. 1182. Otto Margaretæ Hohenbergiæ, A. C. 1219. Sigebertus Hartmundis Naſſovicæ A. C. 1251. Otto Agnetis Bipontinæ A. C. 1272. Eberhardus Adelheidis Sponhemiæ A. C. 1293. Henricus Claræ Fronsbergiæ A. C. 1297. Vilhelmus Margaretæ Lichtenbergiæ, A. C. 1309. Otto Irmingardis Badenſis A. C. 1315. Joh. Eliſabethæ Bipontinæ A. C. 1327. Heintzmannus Margaretæ Oetingenſis, A. C. 1368. Bernardus Agnetis Vinſtingenſis, A. C. 1432. Joh. Mariæ Epſteniæ, A. C. 1450. ut recentiores omittam. Dicam ſaltem, Bernardum Comit. ex Cunigunda Truchſeſſia genuiſſe Vilhelmum, Patrem ex Johanna Hanoica, defuncta A. C. 1572. Joh. Bernardi, quô & Margaretâ Haſſiacâ natus Joh. Jacobus, pater ex Margaretâ Solmenſi, quæ obiit A. C. 1635. Joh. Friderici fuit, cujus ex Anna Amalia Criechingenſi, fil. Caſimirus, ultimus gentis ſuæ, familiam clauſit, A. C. 1660. Pater ex Maria Eleonora Naſſovia, Albertinæ Sophiæ Eſteræ, quæ poſthuma nata eſt A. C. 1660. Philip. Jacob. Spener. *Theatr. Nobilitat. Europ. P. II. p.* 11. Porrò ejuſdem ſtirpis creduntur ſurculi fuiſſe *Eberſtenii* in Ducatu Brunſuicenſi, quorum poſterior defecit A. C. 1435. Item *Eberſtenii* in Pomerania, Domini in *Neugarten*, è quibus Ludovicus *Com. Eberſtenius in Neugarten*, extinctus A. C. 1590. ex Anna Mansfeldia genuit Georgium Caſparum numeroſæ prolis patrem. Sed & *Eberſtenii* Barones in Welſeria familia lineæ Styriæ reperiuntur: Enrich enim *Welz in Spiegelfeld*, ex Johanna de *Kollonitſch*, Gothardum ſuſcepit *Dn. de Welz L. Baronem in Eberſtein*: quo & Roſinâ de *Eybiswal* genitus Joh. Felix, ex Amalia Sidonia *de Freiberg* pater fuit Gotthardi Helfrici (nat. A. C. 1654) Domini *de Welz* L. B. *de Eberſtein* &c. Vide iterum Spener. *p.* 60. *ut & in Indice.*

EBERUS Paulus, Kitzingâ Franco, Norimbergæ Joach. Camerarium, Wittenbergæ dein Melanchthonem audivit, huicque tam familiaris ac gratus evaſit, ut nihil magnæ rei ſine illo Melanchthon inciperet. Grammaticam inde publicè docuit, mox in profeſſione Theol. Forſteri ſucceſſor, tandem ad paſtoratum Eccleſiæ Wittebergenſis admotus eſt. Obiit A. C. 1569. æt. 48. In articulo de Cœna Domini cum Reformatis ſenſit, mentem tamen ſuam hac de re aperire non auſus, unde, mentem ſuam, coactus: cui reſpondit Joach. Camerarius. [illegible] P. II. p. 291. Vide quoque [illegible] Cucnſtedium [illegible] Oſiandrum [illegible] c. 65. [illegible] ſcriptorum ejus in lucem [illegible] habes [illegible] Teiſſier [illegible] I.

EBEZINTHIA, in tribu Juda. Hier. *in. L. H.*

EBIBAS, fil. Aphræ, [illegible] Abrahæ filii ex Ketura. Joſeph. *Antiqq. Jud. l.* 1. c. 1.

EBION, Hæreſiarcha, circa A. C. 72. divinitate Chriſti negatâ, ſcelera perpetravit, quæ Carpocratiani expoſuimus. A carne [illegible] abſtinebat, [illegible] Evangelio [illegible]. Samaritanorum & Nazaræorum dogmata, [illegible] Carpocratis & Cerinthi deliria miſcuit. Polygamiam ſui permiſit, Pſeudo-Apoſtolica Acta compoſuit, Canonem, [illegible] N. T. calcavit, ſolo Matthæi Evangelio, ſed depravato, [illegible]. Hunc contra Apoſt. Johannes divinum Evangelium ſuum ſcripſit, ut & Cerinthum, qui ſaltem in eo differebant, quod hic mundum ab Angelis, Ebion verò à Deo conditum [illegible]. Ignat. *ep. ad. Philad.* Tertull. *De Præſcr. c.* 48 Irenæum, *l.* 1. c. 26. Epiph. [illegible] 19. & 30. Aug. *de hær.* Euſeb. *eccl. l.* 3. c. 31. Theodoret. *hær. fab. l.* 2. Philaſtrius, *de hær. c.* 38. &c.

EBIONITÆ, Hæretici purum hominem ex communi nativitate è viro & muliere Chriſtum natum aſſerentes, legemque Moſaicam neceſſario obſervandam. Euſeb. *Hiſt. l.* 3. A. D. 81. Vide *Ebion.*

EBISMA, Arabiæ Fel. urbs. Ptol. *Ebiſama* legunt *Interpp.*

EBLANA, Albaniæ urbs. *Ptol.*

EBLANA, Hiberniæ opp. Ptol. hodie *Dublin*, Stanihurſtus. Urbs prim. Hibern. in Comit. cognom. ad oſtia Lifnii fluv. cum portu commodo, & caſtro permunito. Emporium celebre 25. mill. à Droghedâ in Auſtr. Hinc *Eblani* pop.

EBLES, vel EBLON, fil. Ranulphi I. Com. Pictav. Abbas S. Germani, [illegible] Odone Com. Pariſino, Pariſios contra Normannorum [illegible] ſtrenuè defendit, Monachi Abbonis elogio. Interfuit prælio, quo idem vicit, in obſidione caſtri Billaci, in Pictonibus occiſus. A. C. 892. Rhegino *in Chron.* Mezeriay. Item, Comes Pictav. & Dux Aquitaniæ, fil. Ranulphi. Cujus fil. cogn. Ep. Lemovic. fuit, qui obiit A. C. 975. Item Baro Roucius, dux famoſus, ſed latrociniis potius, quam rebus contra hoſtes geſtis, memorabilis. A Ludovico Craſſo, fil. Philippi I. in ordinem coactus A. C. 1103. Mezeray, *in Philippo I.*

EBLITÆI, montes in Arabia Felici. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

EBODE, opp. Arab. Fel. Plin. Item Arabiæ Petrææ urbs. *Ptol.*

EBODIA, vulgò ORNAY, Inſ. parva maris Brit. verſùs oram Normanniæ, tractumque Conſtant. vix 2. leuc. à prom. Hagæ in [illegible] 5. leuc. à Sarnia inſ. in Bor. 10. ab oſtio Sequanæ in Occ. [illegible] Longa circiter 2. leuc. Quibuſdam [illegible] dicitur; aliis Ridunum [illegible] ipſam & Gall. *le ras de Blanquert.* Ejus frequens eſt apud P. [illegible]

EBODURUM, Rhætiæ urbs. *Ptol.*

EBOLUM, al. EBURI, opp. Principatus cit. in Regn. Neap. cum Princip. tit. 6. mill. ab ora litt. ſinus Salernitani in Ort. 15. à Salerno.

EBON, vel EBES, obſcuriſſimo genere natus, collactaneus & condiſcipulus Ludov. I. Pii, Imp. [illegible] Paſchalis I. Normannorum Danorumque primo, poſtea Archiep. Remenſis, A. C. 822. Diſſidiis Ludovici & Lotharii filii [illegible] hunc contra patrem favit, effecitque ut Ludovicus, A. C. 833. deponeretur. Quo reſtituto ipſe depoſitus, apud Lotharium effecit, mortuo patre, ut redderetur ſedi ſuæ. Mox iterum pulſus in Germaniam ſe recepit, à Ludovico Germ. Abbas Hildesheimenſis factus. Obiit A. C. 851. Burchard. *l.* 6. *c.* 5. Annal. Fuld. A. C. 822. Flodoard. *l.* 2. *c.* 20. Hincmar. *c. Gothes*, *c.* 36. *T.* 7. & 8. *Concil.* &c.

EBONIÆ, Vide *Ebon.*

EBORA, Luſit. urbs, ampla & Archiep. in quam dignitatem, rogatu Joh. III. evecta eſt à Paulo III. *Ebora* Ptol. quæ & *Liberalitas Julia* Plinio nominatur. *Evora* hodie, provinciæ inter Tagum & Anam caput, intra colles. Academiâ à Cardin. Henrico primo Archiepiſcopo, poſtea Rege, inſtitutâ celebris. 16. leuc. à Pace Auguſta in Occ. 20. ab Ulyſſipone in Ort. 8. ab Anadio. Andreas Reſendius [illegible] edidit. Provincia, cujus caput Ebora, fertilitate ſoli, incolarum genio, victoriâ primi Portugalliæ Regis Alfonſi de 5. Maurorum Regulis A. C. 1139. partâ, & prom. ſacro, unde emiſſis claſſibus Henricus, Infans [illegible] Lusitaniæ regno ſubjecit, celeberrima eſt: Hiſp. [illegible]. Vide Sanſon. Da num. Strab. Steph. Item Beticæ urbs ad ſinum Gaditanum [illegible] ad oſtia Bætis fluv. Nunc S. *Lucar de Barrameda*, opp. celebre Vandaliæ, cum portu [illegible] 3. leuc. à Xera in Occaſ. 6. à Gadibus in Bor. 15. ab Hiſpali in Auſtr. Baud. Alia denique Turdulorum urbs, in eadem Bætica, ſed interius verſus Mediterranea. *Ptol.*

EBORA, Alta, caſtr. Luſitaniæ, in prov. inter Tagum & Anam, in colle, 5. leuc. ab urbe Ebora in Ort. 2. ab Extremis. Ibi Hiſpani grandi clade affecti à Luſitanis A. C. 1663.

EBORACENSIS Prov. Angliæ Septentrionalis, inter mare Germ. ad Ort. Lancaſtriam, ad Occaſ. Darbiam & Lincolnienſem prov. ad Mer. & Diœceſim Dunelmenſem ad Bor. Dividitur in 3. partes *Weſtriding*, *Eaſtriding*, & *Northriding*. Ibi olim Brigantes pop. maj. ex parte & Pariſii. *Camden.*

EBORACUM, ampla Septentr. Angliæ civitas, caput Brigantium, ſecunda totius Regni, *Caerbroc*, vel *Caer-Ebrauc* Camdeno Britannicè. Vulgo *Yorck*, prov. Eboracenſis caput, ad Urum amnem, *Oûſe*, ubi aliàs Legio 6. Victrix, cum Duc. tit. Hinc Eboracenſes Duces, è domo Regia, inter quos & Lancaſtrenſes; ſub nomine [illegible] de regno contendentes, Anglia diu exercita eſt, donec Henricus VII. victo & occiſo Richardo III. Eboracenſi [illegible] illam, in uxorem duxit, & [illegible] Eduardo Plantageneta, Eboracenſium ultimo, in vincul. Londini detento, finem [illegible] his [illegible] impoſuit. Vide Camden. *Hiſt.* &c. Hic colloquium [illegible] V. & Henricum VIII. illum Scotiæ, iſtum Angliæ Reges de finibus regni, inſtituum A. C. 1524. ſed ſine ſucceſſu, mox enim Scotus ab Anglo ingenti prælio victus eſt. Buchanan. *Hiſt. Scot. l.* 14. 15. 16. Abeſt 27. mill. Angl. ab ora litt. Oceani Germ. 35. à Lincolnia in Bor. 40. à Dunelmo in Auſtr. 120. à Londino, pauloque minus ab Edinburgo. J. Speed.

EBORES, Vide *Eburovices.*

EBOSIA, apud Papin. Stat. *l.* 1. *Sylv.* 6. v. 15.

> *Quod ramis pia germinat Damaſcus,*
> *Et quod percoquit* Ebuſia *Caunus:*

ubi *Ebuſia* legendum docet J. C. Gevart. eadem cum *Ebuſo*, ſeu *Ebuſia*, inſ. eſt longè fertiliſſima, unde præſtantiſſimæ & ampliſſimæ Romam apportabantur; Græcè [illegible] 938. ut & in voce *Ebuſus*. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 279. &

EBOSUS, vide ibidem.

EBRÆI, dicti ſunt poſteri Semi, eo quòd à Nimrodianis ſe ſeparaſſent: quorum promi errores ac placita rejiciebant, à Semo & Noacho meliùs edocti. Unde & Sethus *Pater omnium filiorum Eber* dicitur, Geneſ. c. 10. v. 21. de quo Interpretes variant: Sed nihil ſimilius vero, quam ita dici, quòd ſectatores ejus à Nimrodianis, qui Chamitæ & Japhetii erant, [illegible] diſtincti. Unde & nepos ejus *Eber* appellatur, & ipſi [illegible] leguntur: Hinc ſcribit Kimchi, quid [illegible] ſit עבר משפחה [illegible] tamen אבי item, quod *Præceptorem* & *Magiſtrum*, notat. In ſola hac *Eberi* familia aliquandiu ſincerior Philoſophia hæſit, donec & ipſa ceſſit ingruenti barbariei, Georg. Horn. *Hiſt. Philoſ. l.* 2. *c.* 2. Hinc *Ebræa* lingua, ab eodem [illegible] dicta, quòd, cum illa antiquiſſima eſſet ac ſanctiſſima, poſt Babylonicam confuſionem, penes domeſticos Eccleſiæ Dei Noachum, Semum, *Eberum* imprimis, fuerit recondita ac conſervata. Quare Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 16. *c.* 11. linguæ hujus conſervationem *Eberi* & piis ejus poſteris attribuit, ab eoque ſic dictam contendit: *Quia ergo*, inquit, *in illius familia remanſit hæc lingua, diviſis per alias linguas cæteris gentibus, quæ lingua prius humano generi* [illegible] *communis,* [illegible] *deinceps Ebræa eſt nuncupata.* Quæ etiam cauſa videtur eſſe, quod Geneſ. c. 10. v. 22. quum cœpiſſent enumerari filii Semi, qui ſinguli gentes ſingulas procrearunt, primus commemoretur *Eber*, quum ſit abnepos ipſius, fil. Shelah nepos Arphaxad, quem tertium Semus genuerat. Viguiſſe autem jam ante Diluvium linguam hanc, nomina propria Patriarchis ante diluvium data ſatis evincunt: Ipſam elegantiâ Græcam ac Latinam antecellere, prolixe oſtendit Erpen. *Orat.* 3. *de ling. Hebr.* p. 106. 107. Babylonem bina vice [illegible] experta eſt. Unâ, cùm univerſalis, ut dictum, omnium [illegible] eſſe deſineret, poſt extructam famoſam illam turrim: Alterâ, cùm etiam à Judæorum vulgari uſu removeretur, Judæis temporis captivitatis ſuæ linguam ex *Ebræa*, Chaldaicâ, & Syriacâ mixtam aſſumentibus. Dialecti illius ſunt, *Samaritana*, & duæ modò ultimò nominatæ: è quibus *Syriaca*, à *Chaldaica* haud multum abludens; SERVATORIS noſtri ac Diſcipulorum ejus vernacula fuit. Hujus Sub-Dialectos recenſet Waltonus *Babylonicam*, omnium puriſſimam, in qua ſcripta ſunt capita quædam Danielis & Eſdræ, Targum Babylonicum &c. *Hieroſolymitanam*, qua ſcripta ſunt Talmud & Targum Hieroſolymitanum: *Antiochenam ſeu Syriacam* in ſpecie ſic dictam, quam Chriſtiani per Orientem ſibi propriam fecerunt, dum V. T. verſiones hac habuêre Dialecto, ſacra quoque ſua hac linguâ celebrantes. Ejuſdem etiam [illegible] literas Chriſtiani Antiocheni, naſcente Eccleſiâ, introduxêrunt, ne quid eam Nazaræis & Ebionitis Judæis, commune haberent. Sed omnes hæ jam vulgò adhiberi, etiam cum matre ſua, fere deſierunt. Auctor Anonymus *Hiſt. Orb. Terr. Geogr. & Civ. c.* 9. *ſ.* 3. *de Linguis.* Vide quoque in voce *Hebræi*. De *Hebræorum* vero *Ritibus*, aliiſque ad eam gentem pertinentibus, vide Joh. Buxtorf. utrumque paſſim, inprimis *in Synagoga Jud.* Joh. Selden. *de Synedriis*, alibique, Th. Godwyn. Alios.

EBRAHEM, Calipha Saracenorum XVII. Succeſſit Jezido III. fratri, regnavit menſ. 4. nullo facto memorabilis. Eum excepit Marwan, quem vide.

EBRANCUS, fil. Mempricii, V. Angliæ Regis egregius, & bello contra Gallos Inclytus. [illegible] conditor fertur, eique poſt regnum An. 40. Brutus II. ſucceſſiſſe dicitur. Chenius, *Hiſt. Angl. l.* 2. [illegible] 11. [illegible] 61.

EBREMARUS, Patr. Hieroſolymitanus, Daiberto à Rege Balduino oppoſitus. Alberic. *in Chron.* Guil. Tyrius *hiſt. l.* 5. *c.* 4. Baron. A. C. 1107.

EBRIETAS, filia Veneris, apud Mythologos, uti verbis Praxillæ Poëtriæ Sicyoniæ docet Heſych. in voce Βάκχου Διώνης. Cujus ex ære ſimulacrum Praxitelis memorat Plin. *l.* 34. *c.* 8. Coronam ejus fuſe exequitur Car. Paſchal. *Coron. l.* 2. *c.* 6. & diximus aliquid de ea figura, in voce *Dionyſi.* [illegible] Æſchylus in ſcenam tragicam hujuſmodi ſpectaculum intulit, cùm in *Cabiris* introducit

Jaſonis comites ebrios: *ipſe fortaſſe haud multo minùs, cùm illa ſcriberet*; uti ait Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 16. Vide quoque infrà *Ithyphalli*. &c. Illam certè eleganter Bacchylides definit γλυκεῖαν ἀνάγκην σευομένων κυλίκων, quod mentem ſui compotem eſſe non patitur. Vide Plin. *l.* 14. *c.* 21. & Salmaſ. *ad Solin. p.* 1085. ubi de voce ἀνάγκη multis eruditè diſſerit, ut & hîc paſſim, inprimis ubi de Vett. *Bibendi* more, in voce *Lynx*, it. *Morbus S. Martini* & *Thyrſus*: uti de *Ebriorum* pœna apud Muhammedanos aliquid in voce *Verbera*.

EBRIMIRUS, Theodati gener, ad Beliſarium defecit, A. U. C. 1289.

EBRODUNTII Inalpini pop. à Galba Imp. Narbonenſi provinciæ adjuncti. Plin. *l.* 3. *c.* 4. & 31. Hodiè *Le pays d'autour d'Ambrun*.

EBRODUNUM, & EBORODUNUM, urbs Galliæ Narbonenſis in Delphinatu ad Druentiam fluv. probè munita, in colle, in finibus Caturigum. Vett. eſt *Ebrodunum Caturigum*, vel *Alpium maritimarum*, caput regiunculæ cognom. Ballivi & Præfecti ſedes eſt. Eccleſia, cujus primus Præſul S. Marcellinus fuit, Capitulo 24. Canonicorum, inter quos Rex quoque ſedem habet: & reliquiis gaudet variis, inter quas trabea Regalis eſt à Rege quodam Angliæ huc dono data, in qua omnes ejus Anteceſſores videre eſt. Morer. *Diction. Hiſtor.* Vulgò *Embrum* vel *Ambrun*. *Valeſio*. Caturigum caput, in Alpibus Cottiis, Κώμη i.e. *vicus*, impropriè Strab. dicta. Itinerarium à Burdigala Hieruſalem uſque *Manſionem Ebridunum* appellat: Manſio autem, Græcis μονὴ, militum iter facientium erat, mutatio curſus publici, Græcis ἀλλαγὴ. Vett. Not. *provinciæ Alpium Maritimarum Metropolim* faciunt: Nimirum *Ebrodunum*, quod cum Statione Martis & Brigantione ac Rame Caturigiſque in Alpibus Cottiis Vett. poſuerant, Alpibus Maritimis recentiores adſcripſêre, licet Ebrodunum à mari longiſſimè abſit. Sub ea, tanquam Metropoli, Gervaſius Tiſleberienſis, *Dignienſem*, *Nicienſem*, *Antipolitanum*, *Glandetenſem*, *Senecenſem & Vencienſem* ſuffragantes Epiſcopatus conſtituit. Pro Antipolitano Graſſenſem ponit Notitia paulo recentior: Hodieque Ebrodunenſi ſedi ſubjacent Dinia, Nicæa pro Cemenello, pro Antipoli Graſſa, Glannateva, Sanitium & Vincium. In concilio tamen Epaonenſi & in Matiſconenſi ſecundo, Ebrodunenſis cum Veſontienſi non inter Metropolitanos Epiſcopos; ſed inter provinciales tantùm locum habuit: Sic in Rejenſi Concilio Armentarius Ebrodunenſi Epiſcopatu dejectus eſſe dicitur, propterea quòd *ſine Metropolitani auctoritate* fuiſſet ordinatus. Unde pro Metropoli *Ebrodunum* eo tempore nondum fuiſſe habitum colligitur. Nomen habet à re. Poſitum enim eſt in monte ſeu *duno*, cujus radices alluit Druentia. Ab eo Dalfini *Comites Ebroduni* olim vocitati ſunt. In provincia Galliæ Ripenſi fuiſſe *Præfectum claſſis Bracatorum*, vel *Barcariorum Sapaudiæ*, docet Notitia Imp. Rom. Continebantur autem tum *Sapaudiæ* nomine pars Dalfinatus vel Delphinatus, ut portio provinciæ Viennenſis, ad ripas Rhodani, Iſaræ ac Druentiæ, & ad oram maris poſita, *Gallia Ripenſis dicebatur*. Hæc claſſis in Druentia ſtabat, à quo *nautæ Druentici* in priſcis lapidibus, Hadr. Valeſ. in voce *Caturiges*.

EBRODUNUM, opp. clarum Helvetiorum, olim Verbigeni pagi, nunc in finibus Bernenſium, vulgò *Yverdon*. Ad lacum Novicaſtri, ubi recipit Orbam fluv. 3. leuc. à confin. Comit. Burg. in Ort. In Notit. Imp. Rom. inter caſtra ponitur, teſte Gullim. qui id unum ex 12. Cæſaris oppidis fuiſſe credit, Romanoſque hîc habuiſſe præfectum, per quem curarint abietes ex monte Jura, ad navigationem parari dicit. Sed tempore Cæſaris fuiſſe hoc opp. mera conjectura eſt, nulli enim vett. ante Antoninum & libr. Notit. ejus meminêrunt. Prope Ebrodunum, in pagulo *Treycovagne*, inſcriptio in rotundo albi marmoris lapide reperta, ſic habet.

IMP. CÆS.
L. SEPT. SEVERO.
PERT. AUG. ARAB.
PAR. H. G. MAX. P. P.
IMP. CÆS. M. AUR.
- - - NON NO. POTE- - - -
COS. - - - - - - -
- - - - - - - - - -

Cùm quoque canalis inter Albonam & Ebrodunum, per mediam paludem, mercibus, præcipuè vino, huc uſque transvehendis opportunus, haud pridem conficeretur, inter rupes præſciſſas Serratæ, reperta eſt hæc in lapide inſcriptio, A. C. 1640.

IMP.
CÆS. TR. P. AILIO.
HADRIANO.
AUG. P. M. TRIB.
POT. COS. III. P. P.
AVENTICUM
M. P. XXXXI.

Vide Joh. Baptiſt. Plantin. *de ſcript. antiquorum Helvet. locorum*. Olim erat, ſub Sabaudiæ Principe, quibus ereptum eſt ab Helvetiis, fidemque cives Bernenſibus, Friburgenſibus & Soloduris jurare coacti ſunt, A. C. 1475. quam paulò pòſt fefellêrunt, intro receptis Caroli Burgund. D. amicis, verùm nullo ſucceſſu. Poſt prælium Muratenſe, reddita urbs à Friburgenſibus Sabaudis, A. C. 1476. Sed A. C. 1536. cum tota vicina regione, in Bernenſium manus pervenit: poſtquam à Barone de Laſerra Sabaudiæ Ducis præfecto, qui, amiſſis reliquis Vaudi oppidis, huc tanquam in ultimum Aſylum ſe receperat, fuiſſet deſerta. Vide Stumpf. *de Pago Aventic. c.* 13. &c.

EBRODUNUM, EBURODUNUM, ſeu ROBODUNUM, quod vide, celebris & munita Moraviæ, *Brin* vulgò, ad *Suartzahe* fluv. *Cluv.*

EBROICÆ, Vide *Eburovicæ*.

EBROICENSIS Matthæus, vide *Matthæus*.

EBROINUS, vir quondam apud Galliæ Reges potentiſſimus, idemque nequiſſimus. Annal. Franciæ. Præfectus palatii, ſub Clotario III. &c. Germanus, decem annos ſummæ rerum præfuit, magna cum laude. Poſtea, ut ſolus eſſet, Batilden Reg. removit; mox vitiis laxato fræno, & Proceribus primariis calcatis. Clotario mortuo Theodoricum ſuffecit, cui à Magnatibus, quibus domo egredi prohibuerat, Childericus II. oppoſitus eſt, Ebroino raſo, cum Theodorico: qui tamen Childerico mortuo, mox reſtitutus eſt; dato ei Leudeſio, Palatii præfecto. Sed Ebroinus, hoc occiſo, cùm non reciperetur à Rege, Clodovæum quendam ſuppoſuit, qui ſe filium Clotarii III. ferret. Hinc horribiles turbæ, ipſe victor, Pſeudo-Clodovæum à ſe amolitur, denuoque Præfectum palatii agit, ambitione ſævitiaque omnia miſcens. Tandem ab Hermenfrido quodam, quem contra fas bonis exuerat, occiſus, A. C. 688. Greg. Tur. *append. c.* 94. *& ſeqq.* Ado & Sigeb. *in Chron.* Aimon. *l.* 4. *c.* 44. 45. *& ſeqq.*

EBROLACUM, vel EBOROLACUM, Sidon. EUROGILUM, in Ludovici Pii Imp. *Vita*, unum fuit ex quatuor præcipuis Ludovici hujus palatiis villiſque: Erant autem hæc IV. majora Palatia Regis Regnique Aquitaniæ, Teoruadum, Caſſinogilum, Jocundiacum & Eurogilum: quod caſtrum poſitum in Arvernis, ad Sicaulam fluv. *Sioule*; vulgò *Ebreule* appellatur; Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

EBROMAGUM, Vide *Hebromagum*.

EBRON, Vide *Hebron*.

EBRUS, Vide *Hebrus*.

EBUDÆ, ſeu ÆBUDA Steph. *Hebudes* Plin. *l.* 4. *c.* 16. *Hebrides* & *Eboniæ* aliis, inſulæ 5. Scotiæ ad Occ. adjacentes, quarum 2. *Ebudæ* propriè nominantur: Orientalis ſcilicet, *Skye* Camdeno, & Occidentalis *Lewes*: 3. *Recina* vulgò *Racline*, 4. *Epidium*, *Ila*, 5. *Maleos*; *Mula* eidem Camdeno. Vulgus numerat. 44. ex quibus 10. præcipuæ. Suntque Ricina, vulgò *Raglins*, verſus Hibern. Epidum *Yle*. Jona, *Jura*. Maleos, *Mul*. Ebuda Or. *Skye*. Ebuda Occ. *Lewis*. Dein, *Euſt*, *Turiſ*, *Col*, *Colonſa*, &c, Has à Norvegis coëmêrunt Scoti olim. *Baudr.*

EBULUS, coronamentum Panis, apud Virg. *Ecl.* 10. *v.* 26.

Pan Deus Arcadiæ venit; quem vidimus ipſi
Sanguineis ebuli *baccis minioque rubentem.*

Car. Paſchal. *Coron. l.* 4. *c.* 2. Alii verò ſucco baccarum ejus Panis ſimulacrum tingi conſueviſſe, ante minii uſum inventum, adeoque huc à Poëta, non ad frondes fruticis hujus, reſpici ajunt. Certè Jovis ipſius faciem diebus feſtis minio illini ſolitam, legas apud Plin. *l.* 33. *c.* 7. *A Cenſoribus inprimis Jovem miniandum locari.* Ut de aliis taceam. Quod feciſſe Vett. ut Deos ſuos hoc pacto ad preces haberent magis propenſos, monet Bernard. Verzaſcha *Herbar. ſuo c. de Ebulo.* Sambuco autem ſimilis *ebulus*, & Græcis χαμαιάκτη dicitur, *Ibid.* Vide quoque Salmaſ. *ad Solin. p.* 1098. & 1280.

EBUR, Veteribus multiplici in uſu, in ſimulacris, quibus effingerent Deos: Hi enim ut plurimum ex ebore, Ovid. *Metam. l.* 15. *v.* 792. *Mille locis lacrymavit* ebur ---- Et de *Arte Am. l.* 1. *v.* 147.

At cùm pompa frequens cæleſtibus ibit eburnis.

Seneca *Thyeſte* Act. 4. *v.* 702.

------ *flavit in templis* ebur:

Ubi Delrium & Gruterum vide. In ſellis & ſceptris virorum Principum, in curribus triumphalibus, in tabellis, pectinibus & tot aliis, in uſum etiam privatum: In his, menſarum quoque pedibus, qui ſæpius pardos hiantes repræſentabant. Unde Juv. *Sat.* XI. *l.* 4. *v.* 123.

Grande Ebur *& magno ſublimis pardus hiatu.*

Multa quoque eburnea geſtamina è Romano ſolo in Britanniam invehi ſolita, Strab. docet *l.* 4. ubi ἐλεφάντινα ψάλια καὶ περιαυχένια inter ea nominatim memorat; *viriolas* exponit Salmaſ. aliter Gr. κρίκους, quas ex ebore plerùmque fieri ſolitas, inde docet. Quemadmodum eoſdem dentibus belluarum marinarum ad eburneam claritatem candicantibus, enſium capulos inſigniiſſe, Solin. habet *c.* 22. Imò & homibus dentes inde vide ſuprà. Sed & ſcriptitaſſe in *ebore* Vett. hinc inter alia docet Salmaſ. quòd *elephantinorum librorum*, quos cum *eboreis codicibus* apud Ulpian. eoſdem facit, mentio apud Vopiſc. *in Tacito* alibique apud Vett. paſſim. Quamvis enim idem hodiè tentanti vix ſucceſſerit, tamen id potuêre Vett. calamis de harundine & atramento à noſtro diverſo uſi. Nec dubio relinquit locum Mart. *l.* 14. *in Apophoretis*, cujus Epigraphe Eborei pugillares: Epigr. 5.

Languida ne triſtes obſcurent lumina ceræ,
Nigra tibi niveum litera pingat ebur.

Ubi apertiſſimè candidum & nudum ebur atramento pingi perſcribique indicat. Et alluſum eò fortè a Plaut. *in Moſtellaria*, cum dixit: Act. 1. ſc. 3. *v.* 102.

Unâ operâ ebur *atramento candefacere poſtules.*

Salmaſ. *ad Vopiſc. in Tacito*. De *Encauſtices* illo genere quod in *ebore* fiebat, dicemus infra &c. Jam verò Heroicis temporibus *eboris* uſum fuiſſe notiſſimum antiquiſſimæ Fabulæ docent: de humero Pelo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Pelopis eburneo, & eburnea Pygmalionis ſtatua, & ſomniis per eburneam portam immitti ſolitis. Unde ejus paſſim mentio, apud Homer. jam Heſiodumque; quorum ille tractandi eboris artem in Lydia & Caria vetuſtiſſimo ævo viguiſſe indicat, *Il. δ. v.* 141.

> Ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ.
> Μῃονὶς ἠὲ Κάειρα.
>
> *Ut cùm Lyda, vel Carica mulier aliqua* ebur *inficit rubro.*

Quod Virg. ſic imitatur *Æneid. l.* 12. *v.* 67.

> *Indum ſanguineo veluti violaverit oſtro*
> *Si quis* Ebur,

Idem Georg. *l.* 1. *v.* 87.

> *India mittit* Ebur.

Ovid. Amor. *l.* 2. *Eleg.* 5. *v.* 39.

> *Mæonis Aſſyrium fœmina tinxit* Ebur.

At in Scriptura nullus apparet *eboris* uſus, ante Salomonis tempora, qui cùm ex India elephantos & multum ebur curaſſet in Judæam advehi, grande ſolium inde ſibi conſtrui juſſit 1. Regum *c.* 10. *v.* 8. & *eburnea palatia*, Pſalmo 45. *v.* 9. ut habuit Menelaus *Od. δ.* Poſt quem Achab conſimile palatium extruxiſſe legitur. 1. Regum *c.* 22. *v.* 39. Sed & privatorum domus & lecti tales memorantur, Amos *c.* 3. *v.* 15. & *c.* 6. *v.* 4. Et Tyri tranſtra navium erant ex *ebore in buxo, ex inſulis Cittim*, Ezech. *c.* 27. *v.* 6. i. e. ex ebore, quod buxo Corſico incluſum fuit. Quem Prophetæ locum, non parùm illuſtrant hæc Poëtæ, *Æneid. l.* 10 *v.* 135.

> ------ *vel quale per artem*
> *Incluſum buxo, aut Oriciâ terebintho*
> *Lucet* Ebur: *&c.*

Atque ob hæc tam multa, dentium ſolùm gratia, venabantur elephantes in Lybia, quemadmodum Ælian. narrat, & Herod. auctor eſt Æthiopas, tributi loco, dentes hoſce Perſidis Regi pendere conſueviſſe. Nec tamen tam latè ejus uſus patuit, quàm putavit Oppian. *de Venatione l.* 2 ubi ſic canit:

> -------- -------- Ἐκ δὲ κεράων
> Τόξα τε κυκλοτερῆ καὶ μυρία τεύχεται ἔργα.
>
> *Ex cornibus verò*
> *Arcus rotundi & innumera fabricantur opera.*

Planè enim fallitur, cùm arcus ex *ebore* fieri credidit: quippe materies ejus rigida, non flexilis, eſt. Interim *eburneorum* annulorum meminit Artemid. *l.* 2. *c.* 5. & Suid. Vide Kirchmann. *de Ann. c.* 3. Sed nec ubique dentium iſtorum pretium grande, cùm vile ſit, ubi elephanti degunt. Hinc, ut Plin. *l.* 8. *c.* 5. ex Polybio, is autem ex Guluſſa Regulo, prodit, *in extremis Africæ, quà confinis Æthiopiæ eſt, poſtium vices in domiciliis præbent, ſepeſque in iis & pecorum ſtabulis, pro palis elephantorum dentibus fiunt.* Vide Voſſ. *de Idolol. Orig. ac progreſſu l.* 3. *c.* 50. *ſub fin.* Sunt autem dentes elephantini, ex quibus fit *ebur*, maribus ſurſum, fœminis deorſum inflexi, Ariſtot. *Hiſt. l.* 2. *c.* 5. quos cùm pro cornibus habeant multi, refellit eos Bochart. meritò: namque & Hebræi *ebur* שן *ſen*, i. e. dentem appellant: & Chaldæi *ſen dephil*, i. e. dentem elephantis. Porro elephantum arma pro dentibus habent, præter Herod. Ariſtot. *Hiſt. l.* 2. *c.* 5. Dionyſ. Perieg. *v.* 1116. Ovid. *Metam. l.* 8. *v.* 402.

> *Summa ferus geminos direxit in inguina dentes.*

Juv. Sat. XI. *l.* 4. *v.* 124.

> *Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes,*

Plin. *l.* 8. *c.* 3. *Hoc ſolum* Ebur *eſt, cætero & in his quoque qua corpus intexit, vilitas oſſea.* Claud. in pr. Conſ. Stilic. *Carm.* 22. *v.* 363.

> *Diva ſimul porrexit* Ebur.

Atque eam ſententiam multis rationibus confirmat. Philoſtrat. *Apollon. l.* 2. *c.* 6. Nempe dentium inſtar hæc oſſa ubique levia ſunt & perpolita: at cornua radici quotannis lineam quandam, ut torno impreſſam, obducunt, quod in capreis & ovibus & bobus videre eſt. Et cùm ii ſolùm animantibus creſcant cornua, quibus bifida eſt ungula; elephas habet multifidam. Denique ſolidi ſunt elephanti dentes, non cornuum inſtar concavi. Nec verum eſt; quod Oppian. credi voluit; partes has Eborario cornuum inſtar cedere, cum rigidiſſima ſit eboris materies, ut diximus. Scalpitur quidem & politur, ſed magno niſu, ut hippopotami dentes &c. Vide apud eundem Bochart. hanc in rem plura *Hierozoici Part. prior. l. II. c.* 24. nec non ſuprà in *Ebenus*: & de *eburnea cœna*, quâ Heliogabalus nonnunquam paraſitos ſuos excepit, vide *Lamprid. in Vita ejus*, uti de luxu Vett. in lignis tum operiendis, tum diſtinguendis, Plin. *l.* 10. *c.* 44. uti de cornibus *Vaccæ velocis*, apud Sinenſes, ipſo *ebore* candidioribus infrà.

EBURA, urbs Hiſp. Tarraconenſis ad Tagum fluv: in Caſtella nova à Toleto 12. leuc. in Occid. Ulyſſiponem verſus, teſte Mariana, vulgò *Talavera la Reyna*. Vide *Libora*.

EBURA, vulgò EURE, fluv. Galliæ. Oritur in Perticenſi prov: è ſylva Logniaca. Dein per Belſiam labens, variis urbibus rigatis, in Sequanam ſe exonerat, ſupra pontem Arcuenſem.

EBURACUM, Vide *Eboracum*.

EBURIACI, ſive EBURAICI, ſive EBROICÆ, vel EBROICI & EBUROVICES Cæſ. & Plin. *l.* 4. *c.* 9. pop. Gall. Celt. quorum urbs *Evreux* in Normandia, à Rothomago, & Lexoviis 8. leuc.

EBURICUS, Galiciæ Rex poſt Mironem A. C. 583. An. pòſt ab Anduca pulſus & raſus: qui, viduæ Mironis maritus, idem poſtea à Leuvigildo Gothorum Rege paſſus eſt. Greg. Tur. *l.* 6. *c.* 43. Joh. Gironus, *Chron.*

EBUROBRICA, locus Galliæ, prope Auguſtobonam Tricaſſium, vulgò *Brinon* vel *Bernon*, ad fluv. Hormentionem. Dicta quaſi *Eburovicum pons.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

EBUROBRITIUM, opp. Luſitaniæ. *Evora de Alcobaca*, teſt. Varrerio, & Vaſcone. Aliis *Alcobaca*, vicus cum cœnobio celeberr. Ord. S. Benedicti 4. leuc. à Leyria.

EBURODUNUM, Vide *Ebrodunum*.

EBURONES, pop. Belgii, Trevirorum clientes olim, qui nunc *Leodienſes* ſunt, quorum urbs hodiè *Leodium* ſive *Legia*, vulgò *Liege*, & Germanicè *Luyck*, ſive *Luttich*, ad Moſam, inter Coloniam Agrippinam, & Bruxellas ad Occ. 16. leuc. ſita. Dicti poſtea *Tungri*, quos vide. Fuêre inter Ubios & Menapios, ad Moſam fluv. Baudr. Morer. plura apud B. Rhenanum *Rerum Germ. Nov-Antiqq. l.* 1. & 3. ac ad eum Cl. Ottonem IC.

EBURONIA, urbs Germ. infer. Ortelio, Cluverio univerſa Eburonum regio.

EBUROVICÆ, ſive AULERCI EBUROVICES, inter Celtas pop. Aulercis, Cæſar, Plin. *l.* 4. *c.* 18. Eutrop. Lexoviis, Unellis, & Curioſolitis proximi, ex maritimis civitatibus Oceanum attingentibus. Vulgò *Ceux d'Evreux en Normandie.* Habebant ad Bor. Velocaſſes, ad Occ. Lexovios, ad Auſtr. Aulercos Diablintes, ad Ort. Carnutes. Baudr. Eorum urbs & caput *Mediolanum* in Gallia Lugdunenſi, Ptolem. *Mediolanum Aulercorum* Æthico, aliàs *Civ. Ebroicorum* Gall. *Evreux* dicitur: quæ diu ſub Comitibus è familia Normannorum, è quibus Rodolphus erat, cujus uxor Heſſelina, Itonæ fluv. cui urbs aſſidet, nomen dedit, teſte Gaguino: poſtea in manus Philippi Aug. pervenit, à quo tempore Comitatus hic in Apanagium ceſſit Regum filiis, uti Ludovico fil. Philippi Audacis Regis qui ex Margareta, Philippi Atrebatum Comitis filia, Philippum ſuſcepit, Navarræ Regem, maritum Johannæ, filiæ Ludovici Hutini. Poſt Carolum cognom. Nobilem, ſine prole decedentem, rediit ad coronam A. C. 1425. Primus Ebroicenſium Ep. Taurinus fertur, circa A. C. 260. Inter cujus ſucceſſores eminuêre Claudius Sanctius & Perronius Cardin. Vide Duchen. *ant. & recher. des villes de France*; Tilletum, *hiſt. de France.* Sammartan. *Gall. Chriſt. T.* 2. *p.* 571, *& Geneal. de la Maiſon de France*, Camulogenus Aulercus, dux Senonum, Pariſiorum, & finitimarum civ. contra Labienum, cujus Cæſar *l.* 7. meminit, haud dubiè fuit Aulercus Eburovix, Aulercorum enim nomine ſæpe Aulercos Eburovices vett. deſignavêre. Pagus *Ebroicinus*; cujus pars à ſilva locoque Utico *Ouche* vulgò dictis, vocatur Gallis *le Pays d'Ouche*, pagus Uticenſis. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall. in voce Aulerci.*

EBURUM, Ptol. urbs Germaniæ, vulgò *Olmutz* Pyramio. Moraviæ metropolis. Ad Moravum fluv. permunita, 6. leuc. à Bruna in Auſtr. 20. à Vienna in Bor. Baudr. Lazio verò eſt opp. Bohem. *Borowa* nomine.

EBUSOPIS, palatium Colchorum Regis, cujus cameræ aureæ & trabes argenteæ, ut & columnæ ac paraſtatæ, memorantur Eutychio, apud Bochart. *Hierozoici Parte poſterior. p.* 716.

EBUSUS, inſ. in mari Balearico, nullum animal noxium gignens Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Ebuſi terra ſerpentes fugat.* Habet hæc inſ. opp. ejuſdem nominis, à Phœnicibus, ut putatur, conditum, aut certe à Pœnis, quia Phœnicibus originem duxêrunt. Sil. Italic. Bell. Punic. *l.* 3. *v.* 363.

> *Jamque* Ebuſus *Phœniſſa movet, movet Artabrus arma.*

Statio *Ebuſia* dicitur, *l.* 1. *Silv.* 6. *v.* 15.

> *Et quas percoquit* Ebuſia *Cannas.*

Dionyſio Βοῦσος.

> Νῆσοι δ' ἑξείης Γυμνήσιαι, ἄγχι δὲ Βοῦσος.

Sed legendum ibi ἄγχι δ' Ἔβουσος, ut in Feſto, Mela, Plinio, &c. Vide Boch. *de Phœn. col. p.* 705. Livio *Pityuſa* dicitur. Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Inſulæ per hæc maria primæ omnium Pityuſæ a Græcis dictæ à frutice pineo. Nic. Lloydius.* Baudrando eſt una ex Pityuſis, in mari Mediterr. verſùs oram Regni Valentiæ & Dianium prom. à quo 10. leuc. Hiſp. diſtat in Ort. Majoricam verſus, à qua pari ſpatio in Occ. abeit. Caſtrum habet *Yviçó* in parte Auſtr. Inſ. Cum aliquot villis. Sub *Hiſpan.*

EBUTIANUS; mel. ÆBUTIANUS, Præfectus, juſſu Commodi interemtus eſt. Lamprid. in *Vita* hujus.

EBUTIUS, prænomine *Titus T. F. Elva*, Magiſter Equitum Dictatore A. Poſthumio: qui cùm, victoriâ nutante, ad Regilli lacum equis frenos detrahi juſſiſſet, irrevocabili impetu in hoſtem latus, aciem Latinorum fudit & caſtra cepit. A. U. C. 320.

EBUTIUS, veterator quidam Romæ, adverſus quem Cic. *pro Cæcina* peroravit.

EBUTIUS Helva, vide *Lucius*: It. *Poſthumius*, & *Titus.*

ECÆ, ſeu ECANA, quibuſd. eſt *Troja*, urbs Capitanatæ prov: ad Chilonium fluv. ad radices Apennini, 25. mill. à Benevento in Ort. 8. à Luceria in Auſtr. 18. ab Aſculo in Circ.

ECA-

ECALIDUS, ſcribunt Annius, & Leander fluv. Thuſciæ ab antiquis vocatum, quem hodie vulgò *Caudano* appellant.

ECAMEDA, Vide *Hecamede*.

ECBADUS, Vide *Parrhaſia*.

ECBATANA, plur. num. metropolis Mediæ, vel ut quidam exiſtimant, regia quædam magna à Dejoce rege Medorum. Strab. *l.* 11. Cæterum *Ecbatana* Polyb. *l.* 10. videntur πλούτῳ καὶ τῇ τῆς κατασκευῆς πολυτελείᾳ μέγα τι διαφέρειν ὡς ἄλλας διενηνοχέναι πόλεις, *urbes omnes alias opibus & operum magnificentiâ longo ſuperaſſe intervallo*, Diod. *l.* 17. ambitum conſtare dicit ſtadiis 150. & in ea haberi θησαυροὺς πολλῶν χρημάτων. Ecbatanis ſc. fuit θησαυροφυλάκιον, ut auhor eſt Iſid. Characen. Sed ſepulcra regum, & templum Anaitidis eandem urbem non parum nobilitarunt. Muri ejus deſcribuntur Judith. *c.* 1. *v.* 2. Tamen ſi Polybio credimus, urbs ipſa erat ἀτείχιστος, *ſine mœnibus*. Sed arcem habuit manufactam θαυμασίως πρὸς ὀχυρότητα κατεσκευασμένην, Herod. teſte, *ad firmitatem ad miraculum uſque munitam*. Illam ſc. ambibant muri 7. ſic conſtituti, ut extimus eſſet humillimus, & ſupra illum ſecundus, & ſupra ſecundum tertius totis pinnis prominerer, atque ita gradatim reliqui uſque ad ſeptimum: Adjuvante ipſo loci ſitu, ut qui collis eſſet ſenſim aſſurgens: Horum murorum ampliſſimus, teſte Herod. æquabat Athenarum ambitum, quem Thucyd. definit 178. Dio Chryſ. ſtadiis 200. Ariſtides diei itinere; Dion. Halic. cum Roma confert amplitudine, & Plutarch. cum Syracuſis, quarum mœnia ſtadiis 180. patuiſſe teſtatur Strab. Pinnæ murorum, quas deſcripſimus gradatim prominentes, coloribus diſtinguebantur. In extimo ſc. pinnarum color erat albus, in ſecundo niger, in tertio purpureus, in quarto cæſius, in quinto ſandaracinus, qui rubor eſt intenſiſſimus: Sandaracha enim illa maximè probatur, quæ eſt καλλιχρωτάτη πυῤῥὰ καὶ κινναβαρίζουσα τὴν χρόαν, *rubra ad ſatietatem, & colore Cinnabaris*. Dioſcorid. *l.* 5. Sextus denique argento, & ſeptimus auro fulgebant. Ab hac colorum varietate putat Bochart. *Ecbatana* dicta, quia Arabibus hodieque אגבת *agbatha* id ipſum ſignificat. Huc facit, quòd *Ecbatana* dicebantur ipſa mœnia tot coloribus interſtincta. Herod. ubi de conditore Dejoce, Οἰκοδομέει τείχεα μεγάλα τε καὶ κρατερὰ ταῦτα τὰ νῦν Ἐκβάτανα κέκληται. Quid quòd Steph. ex Herod. pro *Ecbatanis* legit *Agbatana*, voce quæ mere eſt Arabica, quomodo & multi vett. Idem Steph. Δημήτριος δέ φησιν Ἀγβάτανα διὰ τοῦ α, ἀπὸ τῆς Μηδείας, διὰ δὲ τοῦ ε Μηδίας. Scalig. compoſitam vocem eſſe aſſerit ex ignoto אכ *ac* vel אג *ag* & Chaldaico ביתן *bithan*, quod *palatium* exponit, cum *interius* ſonet potius, ut plerique reddunt Eſter. *c.* 1. *v.* 5. Alii *Ecbatana* volunt à Chaldæis dici אחמתא *achmatha*, pro quo Hieronymus habet *Ecbatanis* Eſdr. *c.* 6. *v.* 2. Et Græci Ἐκβατάνοις *l.* 3. Eſdræ. Taceo Fungeri ſomnium in Etymologico trilingui, *Ecbatana* deduci ab עוג *coxit* & בית *domo* & חנה *gratioſo*. Ecbatanorum regiæ conditor fertur eſſe Daniel Propheta. Joſeph. *Antiqq. l.* 10. *c.* 12. Ὠικοδόμησεν ἐν Ἐκβατάνοις τοῖς Μηδικοῖς βάριν, ὑπερήφανόν τι κατασκεύασμα, καὶ θαυμασίως πεποιημένον, ἣ μέχρι δεῦρο μένει ἔτι καὶ σώζεται. Tamen ædificii ſplendor & amplitudo videtur ſuperaſſe opes privati hominis. Nec virum ſanctum credibile eſt, in tam inſanæ molis ſtructuram pecunias ſuas temerè profudiſſe. Addo Danielem Suſis, non Ecbatanis fuiſſe ſepultum, ut ex Benjamine conſtat. Interim hanc de Daniele famam non eſſe planè futilem ſuadet, quòd ad ſuam uſque ætatem in more fuiſſe ſcribit Joſephus, regiæ illius cuſtodia Judæo ſacerdoti concrederetur: Ταύτην πεπιστευμένος Ἰουδαῖός ἐστιν ἱερεύς, καὶ τοῦτο γίνεται μέχρι τῆς σήμερον ἡμέρας. Itaque Darium Medum, cui idem opus alii tribuunt, in operis œconomia, & architectura crediderim Danielis operâ & conſilio uſum. Quo munere cùm vir magnus egregiè functus eſſet, Regem in gratitudinis monimentum hoc ſanxiſſe, ut Judæorum fidei regia deinceps committeretur. Alii *Ecbatana* recentiora faciunt. Nam juxta Plin. *l.* 6. *c.* 14. *Ecbatana caput Mediæ, Seleucus Rex condidit*, Viciſſim alii vetuſtiora. Sic in libro Judith Arphaxad Medorum Rex Nabuchodonozori æqualis Ecbatana condidiſſe narratur. In Chronico Euſebii Δηιόκης ὁ Μήδων βασιλεὺς ἔκτισεν Ἐκβάτανα τὴν μεγάλην καὶ περιβόητον, quod habetur ex Herod. Quin ſi Diod. credimus, qui Cteſiam ſe ſequi profitetur, Ecbatana jam extabant ævo Semiramidis, quam Oronte monte perfoſſo, ſtadiis 12. ab urbe diſſito, aquas ex magno lacu eò derivaſſe tradit. Supereſt de ſitu dicamus. Plin. *l.* 6. *c.* 26. Ecbatana opp. tranſlatum fuiſſe ait à Dario Rege ad montes. Alii tamen in planis locant. Ammian. *ſub Jaſonio monte* in terris Syromedorum. Polyb. Ὑπὸ τὴν παρώρειαν τὴν παρὰ τὸν Ὄρον. *ſub montana regione quæ eſt ad Orum.* Pro Oro Orontem ibi habet Ptol. Et Diod. ex Cteſia, poſtquam deſcripſit Ἐκβάτανα πόλιν ἐν πεδίῳ κειμένην, ſubjungit aliquanto pòſt: Τῶν γὰρ Ἐκβατάνων δώδεκα σταδίους ἀπέχον ἐστὶν ὄρος ὃ καλεῖται μὲν Ὀρόντης. Hæc ſunt apud Strab. ἐν ὑποκειμένῳ τῷ Ἐκβατάνων ὄρει. Itaque Ecbatana erant in plano fere ad radices montium, non in ipſis montibus. *Nic. Lloydius.* In hac urbe Cambyſes lethaliter vulneratus, Parmenio, juſſu Alexandri, occiſus, Hephæſtio mortuus eſt, & magnificè ſepultus. Vide Strab. *l.* 11. Plin. *l.* 5. *c.* 19. Curt. *l.* 4. *c.* 5. *l.* 7. *c.* 10. Hodie Ecbatana quibuſdam eſt *Eſpahan*, regia Perſarum. Aliis *Casbin*, urbs ampla in prov. *Ayrach*, & anteà Perſiæ regia, poſt captum à Turcis Tauriſium, à quo diſtat 250. mill. in Auſtr. 320. à Suſis, 450. à Seleucia M. in Cæc. Sed multum deficit à paucis annis. *Baudr.*

ECBATANA, urbs Phœniciæ in Carmelo. *Morerius.*

ECBATANA Syriæ, quæ Ἀγβάτανα propriè, memorat Steph. ex Herod. quum editiones Herod. hodiè legant Ἐκβάτανα. Sed & Mediæ metropolim quoſdam Ἀγβάτανα dixiſſe, ex Iſid. Characeno docet Salmaſ. qua de re vide in voce *Ecbatana*. Syriæ autem urbem hoc nomine poſtea Βατανέαν dictam eſſe, idem Steph. habet, vide in voce *Batanea*.

ECBOLIMA, vide *Embolima*.

ECCETAN, nomen viri, Eſdr. *c.* 8. *v.* 12. i.e. *parvus*, ſive *minimus*.

ECCION, Pater Cypſeli.

ECCIUS, vide *Eckius*.

ECCLESIA, Græc. Ἐκκλησία, occurrit apud Græcos vett. ut Curia & Senatus, apud Romanos; non ſolùm pro cœtu & congregatione, ſed etiam pro loco in quem convenitur. Lucian. Καὶ διεστρώσαντο τὴν Ἐκκλησίαν, i. e. ubi Eccleſiam ſc. Curiam in qua conſultant, undique ſtravero. Synodus Laodic. Ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ Ἐκκλησίᾳ τῆς ἁγιωτάτης μάρτυρος Εὐφημίας. Tertullian. *l. de fug. in perſecut. ſ.* 3. *Convenêrunt in Eccleſiam, confugiunt in Eccleſiam.* Hieronym. *in Eſajam c.* 60. *v.* 7. *Videmus Cæſares ædificare Eccleſias expenſis publicis.* Plura apud Bernhard. Decretorum *l.* 3. qui *de Eccleſiis* inſcribitur, & Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* Atque hac inprimis notione vox accipitur, in Communione Rom. Unde, primam *Eccleſiam* à B. Petro Romæ conſtructam & conſecratam, cujus dedicationem referant vett. Martyrologia ad Kalend. Auguſt. hodie ignorari: primam verò *Eccleſiam* palàm & publicè à Chriſtianis conditam, eam eſſe Romæ, quam *S. Salvatoris* vocent; primam denique in honorem Deiparæ ædificatam, fuiſſe Dioſpolitanam ſeu Liddenſem, 18. milliar. ab Hieroſolymis; ſecundum alios, Tortoſanam ſeu Antaradenſem in Syria, tradit Car. du Freſne. Vide omnino eum in *Gloſſario* & Macros Fratres *in Hierolexico*. Sed & faſtigium thuribuli, quòd in modum ædis ſacræ aſſurgat; ciborium item, quo Altare ibi tegitur, hoc nomine venire, idem Car. du Freſne addit, ex *Viſitat.* Theſaurariæ S. Pauli Londin. A. C. 1295. & Ademaro Caban. in *Abb. S. Mart.* Lemov. apud Labeum *Bibl. tom. II.* Vide & infrà, in voce *Ecdici*, locum Plinii Jun.

ECCLESIANI, appellati ſunt à Cæſarianis, qui pro Pontifice ſtabant, durante Schiſmate, *in Hiſtor. Trevir. p.* 225.

ECCLESIARCHA, Vide infrà *Præfectus*.

ECCLESIASTERIUM, apud Vitruv. *l.* 7. *c.* 6. parvum theatrum, in quo ſcena apud Alabandanos ab Apaturio concinnata, Joh. Calvin. *Lexic Jurid.*

ECCLESIASTES, Liber Canonicus S. Scripturæ, Hebr. *Coheleth*: A Salomone in ſenio ſcriptus, Hieron. *In. c.* 1. *Eccl.* Auguſt. *in Pſalm.* 126. & Philaſtrius, *c.* 132. &c. In *Eccleſiaſten* extant: Abini *Comm.* Baſil. An. 1521. Agathius. Alcuinus. Arboreus. Beda. Bezæ *Paraphraſis* in octav. Bonaventura, Brentius. Borrhai *Comm.* in fol. Baſil. An. 1564. Buceri item, An. 1532. Argentinæ & Broughtoni. Calovii *Annotationes*. Campenſis. Cartwrighti *Comm.* Cocht. Cope. Corranus. Coſtus, Danæus. Duporti Σολομῶν ἔμμετρος. Egardi *Theologia Pr.* An. 1622. Fabri *Comment.* Fayus, Genev. An. 1608. Ferdinandus. Ferus. Geieri *Comment.* in quart. Lipſiæ, An. 1653. Gregorius Nazianzenus. Neocæs. & Nyſſenus. Gulielmus. Hieronymus. Honorius. Janſenius. Jermini *Comment.* Angl. in fol. Londini An. 1639. Don Joſeph aben Jechija. R. Iſaac. ben Arama. de Lapide. Lavateri *Comment.* Lechem Setharim. Leigh *Annotationes*, Angl. Londini An. 1657. Lorinus. Lutherus; Maldonatus. Malvenda. Manſus. Matthiæ *Comment.* Baſileæ An. 1589. Melanchthonis *Explicatio*. Mercerus. Moringus. Oecumenius. Olaus. Olympiodorus. Oſorius. Pembelii *Expoſitio Anal.* Pinedæ, Antverpiæ An. 1620. Piſcatoris *Comm.* in 8. de Pomis. Porrus. Remus. Rupertus. Salonius. Sanchez. Sanctius. Sculretus, in 8. Heidelb. An. 1619. Serranus. Sidonius. Sixtus. Sen. Strigelius. Titelmannus. Tollenarius. Tuſa. Varenii *Gemmæ* de S. Victore. Viviani *Paraphraſis metrica* Cantabr. An. 1662. Werenfelſii *Conciones*, in quarto Baſileæ. Wolberonis *Commentar.* in quarto Coloniæ &c. Vide Crowæi *Elenchum*.

ECCLESIASTICÆ Literæ, apud Lupum, Ferrar. *Ep.* 122. eædem cum *Commendatitiis*, ac *Formatis*, vide ibi.

ECCLESIASTICI, ſervorum apud vett. Germanos genus inter *Fiſcalinos*, Germ. *Konigs-Leuth*, & *Mancipia privatorum* medium; vulgò *Gotts*, *Hauſs-Leuth*, *Cloſter-Leuth*, *S. Peters-Leuth des H. Creus-Leuth*, quos ipſe Rex, aut Dux aut Comes Monaſterio ſuæ Eccleſiæ donaſſet, vide *Teſtamentum* S. Remigii, apud Flodoardum *Hiſt. l.* 1. *c.* 18. *Capitular. l.* 5. *c.* 151. & Cl. Ottonem JC. *Notis ad* B. Rhenan. *Rer. Germ. l.* 2.

ECCLESIASTICI Libri, dicebantur olim, qui a Chriſtianis tutò & ſine periculo hæreſeos aut falſi dogmatis, poterant legi. Vide *c. ſancta Romana diſt.* 15. in quo Decretales Pontificum Epiſtolæ, poſt opuſcula PP. *quæ in Eccleſia recipiuntur*, ante Martyrum monumenta recenſentur: donec poſtmodum canonica illis auctoritas accreſcit, Gerh. von. Maſtricht *Hiſt. Juris Eccl. n.* 338.

ECCLESIASTICUS, liber apocryphus; qui licèt varia ſalubria monita complectatur, proin πανάρετος Græcis dictus, errorem tamen Judaicum errat, *c.* 48. *v.* 10. de Eliæ Thisbitæ reditu; contradicit iis, quæ de Sapientia perſonali & æterna, in Proverbiis dicuntur, *c.* 1. *v.* 4. & 10. Sapientiam creatam fuiſſe docens: Verum Samuelem à Pythoniſſa fuiſſe evocatum, aſſerit *c.* 46. *v.* 20. &c. A Jeſu Siracho collectus. Vide Frider. Spanhem. *Syntagm. Diſput.*

ECDAMNA, Galatiæ urbs. *Ptol.*

ECDICI, Gr. Ἔκδικοι, dicebantur olim defenſores civitatum, qui inprimis publicas pecunias curabant & perſequebantur. C. Plin. Cæc. Sec. *l.* 10. *Ep.* 111. *Ecdicus, Domine, Amiſenorum civitatis petebat apud me à Julio Piſone denariorum circiter quadraginta millia, donata ei publicè ante viginti annos & Bule & Eccleſiâ conſentiente; nitebaturque mandatis tuis, quibus ejuſmodi donationes vetantur.* Ubi habemus, nomen vetus & obliteratum perſequentem. Cic. *l.* 13. *fam. Ep.* 56. *Mylaſii & Alabandenſes pecuniam Cluvio debent. Dixerat mihi Euthydemus, cùm Epheſi eſſem, ſe curaturum ut* Ecdici *Mylaſii Romam mitterentur. Id factum non eſt: Legatos audio miſſos eſſe: ſed malo* Ecdicos, *ut aliquid confici poſſit.* Gloſſa vet. Ἔκδικος, *Cognitor*: qui cuſtos legum & defenſor ærarii, ſcitè à Manilio *Cognitor Urbis* dicitur, i. e. defenſor juris populi, cujus eſt ærarium: cujus commoda qui perſequitur, urbis cauſam ſuſtinet. Sic *Horat.*

Si quæret, Pater Urbium,
Subſcribi ſtatuis.

Sic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Sic Lucan. de Catone: *Urbi pater eſt urbique maritus.* Hos ærarium defendere Mart. ait *l.* 5. *Epigr.* 16. cujus Epigraphe ad Lectorem.

Nam ſi falciferi defendere templa Tonantis,
Sollicitisque velim vendere verba reis.
Plurimus Hiſpanis mittet mihi nauta metretas,
Et fiet vario ſordidus ære ſinus.

i. e. ſi velim patronus cauſas defendere in foro, ubi Saturno falcem ferentis ædes: intelligendum autem certum genus cauſarum & maximè fœcundum pecuniam tractantibus: quaſi diceret: Si *velim defendere ærarium Saturni*, i. e. cauſas agere, quæ ærarium locupletant; accuſare illos, à quibus mulcta, vel alio nomine ærario debitum petitur: aut iiſdem patrocinari. Fortaſſis etiam *falciferi* non *Tonantis*, ſed *Sonantis*, ſcripſit Martial. ob æs itidem numerari ſolitum. Hoc tunc promiſcuum erat & licebat occupanti, quum nullus eſſet Advocatus Fiſci, quem primus demum Hadrianus Imp. inſtituit, teſte Spartiano. Iidem *Sectores* quoque appellati nonnunquam, quia perſæpe, qui accuſaverant, permixti erant redemptorum ſocietatibus, unde *cognituras* & *ſectiones* conjunxit Suet. *in Vitellio c.* 2. Et Tacit. quem *ſectionibus apud ærarium famoſum* dicit, eundem *oblitterata ærarii nomina retraxiſſe* ait, quod proprium eſt Cognitoris ſeu *Ecdici*. Tandem, quia hi homines aliorum bona deferebant ad ærarium aut fiſcum, factum eſt, ut delatores, & quadruplatores & ἐνδεῖκ*) honeſtiore vocabulo dicerentur *Cognitores*, quod idem ac *Ecdici*, tanquam qui cauſas ærarii & fiſci, atque ita Populi & Principis, ſuſciperent ſpontè ac tuerentur, cujus operæ pretium partes de proſcriptorum bonis conſequebantur. Joh. Frid. Gronov. *de Pec. vet. l.*4.*c.* 3. Vide quoque ſuprà in voce *Cognitor*, & infrà *Protecdicus*, *Syndicus*, *Vindex*. Addo ſaltem, quem alii *Ecdicum*, hunc *Actorem* vocare C. Nepot. *in Attico c.* 3. *Hunc enim in omni procuratione Reipublicæ Actorem Auctoremque habebant.* Ubi *Actor* Eraſtio idem, qui Athenienſibus Ἔκδικος, Gajo JC. *Syndicus l.* 1. §. 1. *ff. Quod cujuscunque univerſ. nom. agatur.* Auctor verò ſecundus intelligitur; atque ſic egregiè cum voce præcedente convenit, *Auctores* autem *ſecundi* fidejuſſores erant, ob evictionem dati: quæ vox dein translata eſt ad omne procurationis genus, Idem.

ECDICIUS, fil. Aviti Imp. frater Papianillæ, quæ Sidonii Apoll. uxor fuit. Sub Anthemio Comes & Dux equitum, ſub Nepote Patritius. Claromontem in Alverma contra Gothos ſtrenuè tuitus, illo, initâ pace, reddito, ad Burgundos primùm, dein Romam ſe recepit. Sidon. Apoll. *l.* 2. *ep.* 1. *l.* 3. *ep.* 3. *ad Ecdic. l.* 15. *ep.* 16. *ad Papin.* & Carm. 20. *Natalis noſter Nonas*, &c. Liberalitas ejus erga fame preſſos, laudatur Greg. Tur. *l.* 2. *c.* 24. Marcellin. Caſſiod. *in Chron.*

ECDIPPA, ſeu *Ecdippos*, urbs Phœniciæ, olim *Acc.* Plin. *l.* 5. *c.* 19. Opp. tribus Aſer, vix 10 mill. à Ptolemaide in Bor. Etiam *Achzib* & *Achziba* dictum eſt, nunc *Caſtel Lamberto*, *Baudr.*

ECEBOLIUS, ſophiſta Conſtantinopolitanus, propter frequentem apoſtaſiam à fide Orthodoxa infamis. A. C. 362. Eccl. Hiſt. Poſt mortem Juliani Ap. à quo ſeduci ſe paſſus eſt, vel potius, quem ipſe cum Libanio Sophiſta & Maximo Philoſopho ad Gentiliſmum ſeduxit, Theod. *l.* 3. *c.* 3. ad fores Eccleſiæ, *Me quaſi ſalem infatuatum pedibus conculcate*, &c. exclamavit, recipi petens. Hier. *in Chr.* Socrat. *l.* 3. *c.* 11.

ECELESTA, inquit Cluſius, eſt in Inſcriptionibus antiquis marmoreis, ubi hodie *Medina Celi* urbs eſt. Hanc Medinam Mediolum Celtiberorum Ptolemæi eſſe nonnulli putant. Opp. eſt Caſtellæ vet. verſus fontes Salonis fluv. 4. leuc. à confin. Aragon. ut & Caſtellæ novæ, ad radices montium. *Baudr.*

ECELINUS, Pontificis exercitum cepit; Ei Brixiani ſeſe commiſêrunt. *Lloyd.* Vide infrà.

ECELINUS, tyrannus fuit, qui poſt infinita propè flagitia, & crudelitatis exempla, tandem in bello (quod contra Martinum Turianum, Mediolani principem ſuſceperat) vulneratus more frendentis belluæ vulnus diſcerpſit, eoque miſeram evomuit vitam. Hic cùm viveret, circa Tarniſum exercebat tyrannidem, pueros caſtrabat, ſtuprabat Virgines, matronis adimebat mammas, prægnantium ſecabat uteros, partus exemtos in ignem mittebat. *Volaterranus.*

ECESTIENSIS, Siciliæ pop. Plin. *l.* 3. *c.* 8.

ECETÆ, ex Gr. Οἰκεται, h. e. *Commorantes*: Monachorum fuit genus, qui cum Monialibus habitare conſueverant & cum iis ſaltare: hoc pacto ſororem Moyſis Mariam, quæ, poſt tranſitum Maris rubri, hymnum Deo cecinit choroſque duxit, imitari ſe dictitantes, Dominic. Macer *in Hierol.* Vide ſuprà in voce *Dupla.*

ECHAJA, nomen viri. Nehem. *c.* x *v.* 26. i. e. *frater Domini.*

ECHEANAX Epheſius, Pater Anaxagoræ, Codri & Diod. Polyæn. *l.* 6.

ECHECRATES, Theſſalus, qui cùm formoſam Phœbadem Delphis rapuiſſet violaſſetque, lege latâ ex eo ſancitum eſt, ut holmo præeſſet tantùm quæ quinquagenaria eſſet: quoniam mulieribus id ætatis oblatum vitium facilè celatur. Vide Diod. Sicul. *l.* 16. *p.* 524.

ECHEDÆ, Atticæ vicus. *Steph.*

ECHEDAMIA, Phocidis urbs. *Pauſan.*

ECHEDORUS, Macedoniæ fluv. prope Theſſalonicam in mare Ægæum influens. Ptol. Hujus aqua non ſuffecit Xerxis exercitui, Herod. teſte, cui *Chidorus* dicitur. *Calico* Sophiano, *Granea*, Nigro, *Veratasir Caſtaldo.*

ECHELA, villa in 7. ab Eleutheropoli mill. ubi abſconditus fuit David, juxta quam & ſepulcrum Abacuc oſtenditur. Hier. *in Loc. Hebr.* Eſt in tribu Juda.

ECHELATUS, fil. Penthili, Oreſtis nepos, Coloniam duxit in Cyzicenam, circa Daſchylium, Strab. *l.* 8. pater Graidis, quem vide, ut & ſuprà, ubi de *Æolum migratione.*

ECHELIDÆ, vicus in Attica ab *Echelo* Heroë, cui hoc nomen fecit ἕλος, locus inter Piræeum ac Tetracomum Heracleum; ubi Gymnici ludi in Panathenæis fiebant. *Steph.*

ECHEMENES, Hiſtoricus, in Creticis adducitur ab Athenæo *l.* 13. Fortè idem nomen reſtituendum Fulgentio 1. *Mytholog.* ubi *Euxemenes* in primo θεολογουμένων teſtis adhibetur. *Voſſius.*

ECHEMON, Priami fil. à Diomede occiſus. Hom. *Iliad.* 5.

ECHEMUS, fil. Eropi, poſt Lycurgum, Arcadiæ Regis Prope Iſthmum Dores, reditum in Peloponneſum parantes, ſub Hyllo, Herculis fil. devicit, duce occiſo. Item Arcad. Rex poſt fratrem, Polymeſtorem, junctus Ariſtomeni & Meſſeniis contra Spartanos. Pauſan. in *Arc.*

ECHENEIS, Gr. Ἐχενηΐς, Plin. *l.* 9. *c.* 25. *parvus admodum piſcis eſt, petris adſuetus, hoc carinis adhærente naves tardius ire credumtur, inde nomine impoſito, quam ob cauſam amatoriis quoque veneficiis infamis eſt, & judiciorum ac litium mora, quæ crimina una laude penſat, --- partusque continens ad puerperium. In cibos tamen non admittitur --- Mutianus muricem eſſe latiorem purpura, neque aſpero, neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte roſtro, ſed ſimplici, concha utroque latere ſeſe colligente: quibus inhærentibus, plenam ventis ſtetiſſe navem, portantem nuncios à Periandro, ut caſtrarentur nobiles pueri, conchaſque quæ id præſtiterint apud Gnidiorum Venerem coli. Trebius Niger pedalem eſſe, & craſſitudine quinque digitorum naves morari, præterea hanc eſſe vim ejus aſſervati in ſale, ut aurum, quod deciderit in altiſſimos puteos, admotus extrahat*, aliter *Remora*, quod vide.

ECHENEUS, omnium Phæacum generoſiſſimus. Hom. *Odyſ.* 7.

ECHESTRATUS, Hegeſis ſeu Agidis I. fil. Pater Leobatis, ex Herculis poſteris, Spartanus, Herod. *l.* 7. Regnavit poſt patrem A. 35. Plutarch. *in Lyc.* Diod. Ei ſucceſſit Leobates præf. ſeu Labotas. Cum ipſo verò ex Proclidarum familia regnavit Euryphon. Pauſan. *Laconicis.*

ECHETIA, urbs Italiæ, *Steph.*

ECHETIMIDES, unus ex iis Legatis, quos Lacedæmonii, octavo Peloponneſiaci belli Anno ad Athenienſes rei componendæ miſêrunt.

ECHETLA, Siciliæ urbs olim munitiſſima circa fontes Achatis fluv. quæ primi belli Punici tempore ſita erat, in confinio Syracuſanorum & Carthaginienſium, hodie *Ochula*, vel *Aquila* vocatur. De ea præter Steph. vide Polyb. *l.* 1. *Echetla* autem literis trajectis factum videtur ex אכחילא *Etchela*, quaſi *munitam* dixeris. Diod. de Agrigentinorum duce Xenodochô: Τὴν δ᾽ Ἔχετλαν χωρίον ὀχυρὸν ἐκπολιορκήσας, τοῖς μὲν πολίταις τὴν δημοκρατίαν ἀποκατέστησε, τοὺς δ᾽ Συρακουσίους κατεπλήξατο. Bochart. Vide ſis Cluv. *Sicil. Ant. l.* 2. *c.* 10. *&c. Lloyd.*

ECHETRA, urbs Italiæ. Steph. Olim caput Volſcorum. Nunc ne veſtigia quidem ſuperſunt.

ECHEVERENSES, Tegeatarum municipium in Arcadia. *Pauſan.*

ECHI, fil. Benjamin. Gen. *c.*46. *v.*21. 1. Paral. *c.*8. *v.*2. *Rapha* dicitur. Lat. *frater meus.*

ECHIDNE, Scytharum Regina, ex qua Hercules tres ſuſcepit liberos, Agathyrſum, Gelonum & Scytham, uno partu editos, quos cum eſſet enixa, ex Hercule quæſivit, quid de iis fieri vellet? Qui reſpondens ait. Cùm primùm in id ætatis, quâ arma ferre poſſent, perveniſſent, is qui arcum, quem ei reliquiſſet, cum baltheo, cui ex auro vaſculum appendebat, tendere poſſet, in regnum Scythiæ poſt eam ſuccederet. Horum itaque liberorum unus, nomine Scytha, qui ſolus arcum intendere potuit, regnum hâc ſorte conſecutus Scythiæ nomen dedit. Herod. *l.* 4.

ECHINADES, exiguæ 5. inſulæ Acarnaniæ adjacentes ex adverſo oſtii Acheloi fluv. natæ ex arena & limo impetu Acheloi convecto. Plin. *l.* 2. *c.* 85. Pap. Stat. *l.* 2. *Theb. v.* 731.

Turbidus objectas Achelous Echinadas *exit.*

Lucan. *Civill. Bell. l.* 6. *v.* 364.

------ *Et tuus Oeneu,*
Penè gener craſſis oblimat Echinadas *undis*:

Senecæ *Echinæ* dictæ;

Quolibet vento faciles Echinæ.

Ovid. *Metam. l.* 8. *v.* 590.

In totidem, mediis quot cernis Echinadas *undis.*

fingit Najadas nymphas ab Acheloo & Neptuno in inſulas Echinadas fuiſſe mutatas, quia vi aquarum vel interrumpente, vel aggerente terram inſulæ naſcantur. Inſulæ hæ vulgò *le Curzolari* vel *Cozulari* vocantur Sophiano. Hic Turcæ à Chriſtianis victi ingentique clade, claſſe amiſsâ, affecti ſunt A. C. 1571. Non. Oct. Duce Joh. Auſtriaco, Caroli V. fil. nat. Vide Thuan. *hiſt. l.* 38. & 50.

ECHINEUS, 15. Sicyoniorum Rex; regn. A. 55.

ECHINON, Thraciæ urbs. Mela *l.* 2.

ECHINUS, NI, vel NUNTIS, civitas vel inſ. in mari Ægæo. Cic. *in Aratæis*,

------ *Excelſis errans in collibus amens*
Quos tenet Ægæo defixa in gurgite Echinus.

Item Acarnaniæ opp. Plin. *l.* 4. *c.* 12. & Phthiotidis urbs. Strab. Etiam in Pentapoli Africæ regione civitas. *Ptol.*

ECHINUS, Sebaſtianus, Nobilis Venetus, ſub nomine *Erizzi* ſcripſit Italicè *de Nummis antiquis*; aliaque nonnulla, & *Timæum Pla-*

tonis in vernaculum ſermonem vertit. Obiit A. C. 1585. Anton. Teiſſier *Elogiis P.* 2.

ECHINUS Terreſtris, à Schola Zoroaſtris, pro Numine, teſte Plutarch. *Sympoſiac. l.* 4. *Quæſt.* 5. niſi potius, ut anathema ſolùm, vel ſymbolum Numinis, habitus eſt, Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 75. Præter hos *Echini marini* ſunt, lanugine pari obſiti, ac pinnæ vel conchæ margaritiferæ, quorum duo genera σπάταγοι & βρύττοι: unde βρύτλινον ὕφασμα ſeu πίνασμα, ab his poſterioribus, qui minores & lanuginem molliorem habent, vide Heſych. in βρύττοι, & Salmaſ. *ad Solin. p.* 1125. Inde vox translata ad caſtanearum operimenta & calicem, qua de re idem agit *p.* 175. & 601. *Ibid.* Vide quoque in voce *Erinaceus.*

ECHINUSSA, inſ. Eubœæ vicina, quæ poſtea *Cimolus* dicta eſt Plin. *l.* 4. *c.* 12.

ECHION, unus eorum, quorum operâ adjutus Cadmus Thebas ædificavit, unde & Thebani *Echionidæ*, & Thebæ *Echioniæ*. Ovid. *Triſt. l.* 5. *Eleg.* 5. *v.* 53.

> *Victor* Echionias *ſi vir penetraſſet in arces*:

Item curſor nobilis. Idem *Metam. l.* 8. *v.* 311.

> *Impiger Eurytion, curſuque invictus* Echion,

ECHION, Mercurii fil. Argonautarum præco Flacc. *l.* 1. *Argon. v.* 441.

> *Nuntia verba ducis populis qui reddit* Echion.

ECHITES, gemma vipereas habens maculas, unde nomen, memoratur Plin. *l.* 37. *c.* 11. ab ἔχις, Lat. *anguis*. Sicut *ophites* à ſerpentis ſimilitudine appellationem accepit: quid autem inter utrumque hoc genus diſcriminis ſit, vide ſuprà in voce *Anguis*.

ECHO, nympha Cephiſſi amnis accola, quæ Narciſſi amore capta, cùm ab illo ſperneretur, doloris impatientiâ contabuit, & corpore in ſaxum converſo, nihil præter vocem retinuit. Ovid. *Metam. l.* 3. *v.* 358.

> *Nec prior ipſa loqui didicit, reſonabilis* Echo.
> *Corpus adhuc* Echo, *non vox erat, & tamen uſum*
> *Garrula non alium, quam nunc habet oris habebat.*

Allegoricè ſig. *jactantiam*, hæc ſpreta mutatur in ſonum, h. e. in rem inanem. Significat etiam Echo *vocis repercuſſionem*; inde *reſonabilis* Ovid. & *reparabilis* Perſio *Sat.* 1. *v.* 102.

> ----- *reparabilis adſonat* Echo.

dicitur. Fit præcipuè in convallibus & locis concameratis, ubi ſcinditur reſultans aër; & acceptæ voces numeroſiore repercuſſu multiplicantur, nomenque *Echo* ejuſmodi voci Græcis datum eſt, ut ſcribit Plin. *l.* 2. *c.* 44. quoniam non eſt vagandi liberrimus campus, ſed objecta reflectitur. Quæ res etiam multas voces multis in locis reciprocas facit, ſicut in urbe Cyzico turres ſeptem acceptas voces multiplicant. Et Olympiæ porticus fuit, quam *Heptaphonon* appellabant, quoniam ſepties eadem vox ibi reddebatur. Lucret.

> *Sex etiam aut ſeptem loca vidi reddere voces,*
> *Unam cùm faceres, ita colles collibus ipſi*
> *Verba repulſantes iterabant verba referre.*

Eadem à Latinis dicitur *Imago*. Horat. *l.* 1. Carm. Od. 12. *v.* 3.

> *Quem Deum? cujus recinet jocoſa*
> *Nomen Imago.*

Val. Flacc. *l.* 3. *Argon. v.* 596.

> *Rurſus Hylan, & rurſus Hylan per longa reclamat*
> *Avia; reſponſant ſilvæ & vaga certat imago.*

Nic. Lloyd. vide & hic infra.

ECHO, Gr. ἠχὼ, *aëris & linguæ filia* Auſon. Varroni *in Seſquiulyſſe*, *Pieridum comes, quæ tenet cavata putri gelu montium ſaxa*, Latinis aliàs *imago*; oritur Plin. *l.* 2. *c.* 44. cùm *montium flexus crebrique vertices & conflexa cubito, aut confracta in humeros juga, concavi vallium ſinus ſcindunt inæqualiter inde reſultantem aëra*, Et quidem Metellæ Craſſi uxoris ſepulchri editiore Appiæ viæ in loco conſpicui effigiem edidit Lafrerius: id quod ita conſtructum eſt, ut *Echo* quinquies totidem verborum ſententiam regerat. Cyzici turris fuit, acceptæ vocis nomen numeroſiore repercuſſu ſepties multiplicans, quod ibi caſu contigit: Olympiæ autem arte, in porticu, quam ob id *heptaphonon* appellabant, quoniam tot vicibus eadem vox reddebatur, uti diximus jam ſuo loco. Caſp. verò Barthius in ripa Rheni, inter Confluentiam & Bingium, ſepties decies redditum ab *Echo* ſonum ſe numeraſſe, narrat *Animad. ad Stat. Theb. l.* 6. *v.* 30.

> *Multiplicantque ſonos* &c.

Echometra, in Muſæo Kircheriano, memorantur, Georgio de Sepibus *in Deſcript. ejus. p.* 17.

ECKARDUS, primus Abbas Vrangelianus, in Diœc. Herbipolit. ſub Conrado III. Chronicon, Epiſtolas & Sermones ſcripſit, ut & Facem monachorum. Circa A. C. 1130. Trithem. *Car. Poſſevin.*

ECKERARDUS, Decanus Sangall. auctor vitæ S. Notkeri, Caniſ. *t. antiq. Lect.* Latinè vertit vitam S. Galli, à Ratperto Germ. ſcriptam. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 57.

ECKIVS ſeu ECCIVS Joh. Theologus Ingolſtadienſis, obeliſcis notat Lutheri propoſitiones de Indulgentiis, A. C. 1518. Diſputat Lipſiæ cum eo de primatu Papæ, de Pœnitentia, de Purgatorio & de Indulgentiis, 4. Jul. A. C. 1519. coram Georgio D. Sax. victus exclamante Duce, *ſive ſit jure humano, ſive divino Papa, ipſe eſt Papa.* Cum Caroloſtadio, de libero Arbitrio, d. 27. Jun. ejuſdem Anni: Cum Melanchthone aliiſque Theologis, Wormatiæ, per triduum, de peccato originis, poſt Baptiſmum remanente, colloquitur, A. C. 1541. ſed Cæſareo mandato interrumpitur, confabulatio & Ratisbonam rejicitur, &c. Obiit A. C. 1543. Æt. 57. Auctor enchiridii. Vide Bucholceri *Chron.* Lætum, *Simler.* &c.

ECKLESTON, ſeu ECLESON, Minorita Angl. ſui ordinis Chron. ſcripſit. Item de perſecutione Jacobinorum contra Franciſcanos. Geſner. *Bibl.* Poſſevin. *App. ſacro.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c. ult.*

ECLECTICI, Gr. Ἐκλεκτικοὶ, dicti ſunt Philoſophi, ἐκλεξάμενοι τὰ ἀρέσκοντα ἐξ ἑκάστης τῶν αἱρέσεων, *ſeligentes quæ placerent, ex qualibet ſecta*, Suid. ex qualibet nempe, quod optimum videbatur: nullius in Magiſtri jurantes verba. Unde illos etiam Ἀναλογητικοὺς, ipſi autem ſeſe, teſte Laërt. φιλαλήθεις nuncupavêre. Origo ſectæ à Potamone Alexandrino, qui Cæſaris Auguſti ac Tiberii temporibus cùm viveret, pertæſus cum Pyrrhoniis ac Scepticis de omnibus ἐπέχειν, ſectam *Eclecticorum*, Lat. *Electivam* Voſſio, inſtituit. Præſtantia ſectæ ex eo elucet, quòd tanta ſit imperfectio humani intellectus, ut ex vetuſtis illis ſapientibus, nemo potuerit omne verum perſpicere: unde videndum, non quis aliquid dicat, quàm quid aliquis dicat. Itaque poſtquàm hoc philoſophandi genus à Potamone introductum eſt, fere præſtantiſſimi quique illud amplexi fuêre: In his Sorion, Senecæ Magiſter, Sen. *Ep.* 8. Ammonius Plutarchi Præceptor, qui vixit temporibus Neronis & Veſpaſiani. Nec Plotinus ab eo alienus fuit, Porphyr. *in vita ejus*. E Chriſtianis quoque non aliam philoſophandi rationem magis probavit. Clemens, ut patet *ex l.* 1. *Stromatum*. Imò & Origenem, quòd ex Philoſophis ſingulis verum excerpere ſoleret, laudavit diſcipulus ſuus Gregorius Thaumaturgus. Idem Lactantius laudat *Inſtit. Div, l.* 2. Sed ut optimum ac laudatiſſimum eſt, ita quoque difficillimum hoc Philoſophandi genus: quare hebetes & inertes facilè hæc ſecta arcet. At non item eos, qui ingenii acie & judicio valent, dummodo magno flagrent amore veritatis ac virtutis. In examine autem tot ſectarum, primùm videndum, quid quiſque dicat, cur ita dicat, quid adverſæ parti reſpondeat. Quibus perpenſis diſpiciendum, an partes conciliari poſſint: quod ſi fieri non poſſit, examinandæ illæ ſunt, nec cùm Epicureis ad ſolum ſenſuum κριτήριον, aut ad ſolam rationem, ſed ad utrumque, ut Potamo fieri jubebat. Quæ duo eò majori ſtudio jungenda, quòd videamus deceptos, non Philoſophos duntaxat, ſed quoſdam etiam ex magnis Eccleſiæ Doctoribus. Ut qui terram, quia ſic videatur, planam exiſtimantes, ſenſu decepti Antipodas negant. Præterea, Diſputationes inſtitui, quibus veritas examinetur, utiliſſimum: Ita ſi ſectam hanc ſequamur, futurum ut non Ionici ſimus, vel Italici, vel Eleatici; non Platonici vel Peripatetici; non Stoici vel Epicurei; non Sceptici, vel cujuſdam alterius ſectæ; ſed hæc omnia. Flores enim ex omnibus ſectis legemus & inde corollam plectemus capiti noſtro, quæ quanto plus traxerit ex vero bonoque, tantò erit pulchrior atque odoratior, tantò etiam minus marceſcens. Joh. Gerh. Voſſ. *Hiſt. Philoſ. l.* 3. *c. ult.*

ECLECTUS, unus ex Veri Imp. libertis, qui poſtmodum Commodum Imp. occidit. Capitolin. *in Vero*, *Habuit & alios libertos Verus improbos, Cœum & Eclectum, cæteroſque; quos omnes Marcus, poſt mortem Veri, ſpecie honoris abjecit*, Eclecto *retento; qui poſtea Commodum filium ejus occidit.*

Ex ECLIPSI Divinatio, vide ſupra *Divinatio*: aliquid etiam infrà in verbo *Rubere*, in voce *Tinnitus*, it. *Vince Lunæ.*

ECLOGARII, homines dicuntur eruditi, qui olim quidquid fere legebant librorum, ex iis ſelectiora in ſuos uſus excerpebant. Sic *Eclogæ* reperiuntur è Diod. & Polyb. è Cteſia & Theophraſto, è Strab. &c. Unde & Poëmata, imitatione expreſſa *Eclogæ* vocatæ ſunt; ut Bucolica Maronis è Theocrito. Sed & loci inſignes Ἐκλογαὶ nuncupantur, quòd excerpi notarique potiſſimùm ſoleant. Sic *in Vita Æſchyli*, Διὸ ἐκλογαὶ μὲν παρ' αὐτῷ κατασκευῇ διαφέρουσαι, πάμπολλαι ἂν εὑρεθεῖεν, ut annotavit Hadr. Turneb. *Ad. l.* 9. *c.* 15. apud Joh. Calvin. *Lex. Jurid.* Imò Caſp. Barthio omnes mediocres cantiones, quæ librorum titulos non ferrent, hoc nomine inſignire conſueviſſe Antiquitatem, notat *Animadverſ. ad Pap. Stat. l.* 4. *Sylv.* I. Ita Poëta hic *Ep. l.* 3. *Sylv.* præmiſsâ, *Summa eſt Ecloga*, inquit, *quâ ſecedere mecum Neapolim Claudiam meam exhortor.* Et *Præf. l.* 4. *Sylv. Juncta eſt* Ecloga *ad municipem meum Julium* Menecratem. Pariter de *Idylliis* ſuis Auſon. *Præfat. Cupidinis crucifixi, Verùm quid ego huic eclogæ ſtudioſè patrocinor? Certus ſum, quodcunque meum ſcieris, amabis.* Neque aliter Horatii *Satyras* in vetuſtiſſimis exemplaribus inſcriptas invenit Jac. Cruquius, ut in *Prolegomenis* earum longo ſermone teſtatur &c.

ECNEPHIÆ, vide in voce *Travados.*

ECNIBALUS, primus Tyriorum Judex. Apud hos enim, in Inſula, poſtquam urbs vetus à Nebucadnezare exciſa fuerat, aliquandiu, Regum loco, Δικασαὶ κατεστάθησαν, *Judices conſtituti ſunt*: quorum primus, poſt Baalem Regem *Ecnibalus Baſlachi*, judicavit menſes 2. *Chelbes Abdæi* m. 10. *Abbarus* Pont. Max. menſes 3. *Mytgonus & Geraſtratus* Abdelimi Annis 6. inter quos *Balatoros* regnavit, Anno uno. Vide *Fragmentum* inſigne *Annalium Tyrior.* apud Joſeph. *c. Apionem p.* 1046. & ſuprà in voce *Balatoros.*

ECNIPPA, vide *Ecdippa.*

ECNOMUS, mons Siliciæ, in ora maris Afr. ad oſtia fluv. Himeræ, ad quem Dædalium Phalaridis caſtellum, ubi bos æneus ſervabatur. Hodie *Monte d'Alicata*, in valle Neætina & limite vallis Mazaræ, Fazello. Medius inter Gelam ad Or. & Agrigentum ad Occ. 15. mill. ab utraque. *Baudr.*

ECNOMUS, propugnaculum in ora Siciliæ in Auſtr. apud Gelam urb. ubi & Phalarium alterum propugnaculum *Poggio Muciacco* Tho. Fazello. Vide ſuprà.

ECOBROGIS, Galatiæ urbs. *Anton.*

ECONIA, civitas Græciæ. *Plin l.* 4. *c.* 7.

ECPHANTES. Proavus Muſæi Poëtæ. *Suid.*

ECPHANTIDÆ cujuſdam meminit Ariſt. VIII. Polit. *c.* 6. E

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Et ita corrigit auctorem Scholiorum in Ariſtophanis Crabron. Florens Chriſtianus, eumque ait Satyros ſcripſiſſe. Vulgò legitur *Phantides*, p. 516. *A.*

ECPHANTUS, Equitatus Syracuſani Magiſter, cujus Equites muricibus induit, & per peltaſtas cecidit Nicias Athenienſis. Polyæn. *l.* 1.

ECPHANTUS, Syracuſanus, philoſophiam profeſſus, qui Deum mentem & animum eſſe exiſtimavit, ut Origines ſcribit.

ECPLETHRISSATIO, Græcè ἐκπλεθρισμὸς, xercitationis genus, de quo vide infra, in voce *Plethrum.*

ECTENÆ vel ECTENI, Græciæ pop. qui primùm Thebas incoluêre in Bœotia. Pauſan. Lycophr. Peſtilentiâ interiiſſe ferunt, Pauſan. *l.* 9. Eorum Regem Ogygem, à quo Thebæ poſtmodum *Ogygiæ* dictæ fuiſſe, docet ex eodem Marsham. *Canone Chron. Sec.* VI.

ECTHESIS, libri nomen. Cùm enim Sergius Conſtantinopolitanæ Eccl. præfuiſſet, Antiochenam verò Athanaſius, hæreſis Monothelitarum faber, regeret: errorem hunc iſte Heraclio Imp. propinavit, qui à Sergio & Cyro Alexandrino Patr. ſeductus, ipſe opinionem imbibit: mox Synodo coactâ à Sergio hæreſis publicata & *Ecthesis* in eam rem edita eſt, quam brevi tamen Italiæ & Africæ Epp. refutarunt. Circa A. C. 639. Eutrop. *l.* 18. Cedren. *in Hiſt. &c.* Hinc diſputationes acerrimæ, quas Conſtans, nepos Heraclii, ex conſilio Pauli Ep. urbis, edicto *Typo*, ſopivit, A. C. 648. Trullanâ poſtmodum Synodo, ſub Conſtantino Pogonato, hæreſis damnata eſt, A. C. 680. 681. Vide Signon. *Hiſt. l.* 2. *Collectanea* Athanaſii, edita à Sirmondo, & Joh. Forbeſ. *Inſtruction. Hiſt. Theologic. l.* 5. *c.* 1. §. 2. & 9. nec non *c.* 25. §. 35.

ECTINI, Alpini pop. ab Auguſto devicti. Plin. *l.* 3. *c.* 20.

ECTODURUM Sanſoni eſt *Leutkirch*, urbs Imper. & libera Germ. in Suevia, ad amnem *Eſchach*, qui paulo infra cadit in Ilarum fluv. 3. leuc. à Memminga in Auſtr. 6. à lacu Brigantino in Ort.

ECTRAPELI, apud Plin. *l.* 7. *c.* 16. ubi *de ratione partuum, Seſquipedales gigni, quoſdam longiores, in trimatu implentes vitæ curſum, haud ignotum eſt. Invenimus ------- Euthimenis filium, in tria cubita triennio adoleviſſe, inceſſu tardum, ſenſu hebetem; & jam puberem factum voce robuſtâ, abſumptum contractione membrorum ſubita triennio circumacta.* Ectrapelos *Græci vocant eos: in Latino non habente nomen;* quaſi τῆς κοινῆς ἀνθρώπων αὐξήσεως ἐκτρεπομένης, prodigioſo incremento augeſcentes, ſicque *ab uſitato noſtrorum corporum modo diſcedentes.* Hoc ſenſu ἐκτράπελα ζῶον occurrunt apud Hermogenem περὶ Πολιτικοῦ λόγου. Vide Dalechamp. *Not. ad l.*

ECTYPA, apud eundem Plin. *l.* 35. *c.* 12. ubi *de Plaſtices inventoribus, Primus* (Dibutades) *perſonas tegularum extremis imbricibus impoſuit, quæ inter initia protypa vocavit. Poſtea idem* ectypa *fecit:* Græcè ἔκτυπα, aliter ἐκφανῆ, dicuntur ſimulacra ſeu imagines; quæ totæ & apparentes ex omni parte eminerent; ſicut πρόσυπα, quæ velut adfixæ unum tantùm latus oſtenderent. Sic in cælatura Ἔκτυπον, *ſtans extra*, expoſuit Satyric. Juv. *l.* 1. *Sat.* 1. *v.* 75. ubi de capro, in vaſe illo Veterum carminibus nobilitato.

Criminibus debent hortos, prætoria, menſas,
Argentum vetus, & ſtantem extra pocula caprum.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1046. & ſuprà ubi de *Cælatura*, ac infra in voce *Pephana.*

ECULEUS, torquendi inſtrumentum, apud Vett. celebre. Cataſta fuit lignea, cochlea, ad intendendum ac remittendum apta; atque ad torquendos homines, ut facti veritas eliceretur, inſtituta. Tormenti verò genus erat hujuſmodi: ubi cataſtæ huic brachia pedeſque ejus, qui torquendus erat, nervis quibuſdam, quæ *fidiculæ* dicebantur, alligavêrunt; tum cataſta intenta atque in altum erecta, ut ex ea quaſi è cruce quadam miſer ille penderet, primùm compagem ipſam oſſium illius divellebant. Deinde candentibus ejuſdem corpori laminis admotis, atque biſulcis ungulis ferreis lateribus laniatis doloris acerbitatem augebant, Vide Sigon. *de Jud. l.* 3. *c.* 18. Sozomeno *Hiſt. Eccl. l.* 5. *lignum tortorium.* Prud. *in Hymno D. Vincentii, ſtipes noxialis* vel *carceralis* appellatur ſub calcem. Qui igitur in *Eculeo* torquebantur, pendebant brachiis pedibusque retortis extenti, nervis ſc. quibus devincta membra erant, propter ſummam intentionem crepantibus. Utque incitandi doloris causâ fidiculæ tendebantur, ſic ejuſdem remittendi eædem laxabantur. Extorquendæ autem de ſervis veritatis gratiâ Eculeum adhibitum fuiſſe, docet Cic. pro *Dejotaro*, & *pro Milone.* Translatus inde ejus uſus eſt, ad cruciandos homines, & acerbiore afficiendos ſupplicio, quod in Chriſtianis Martyribus inprimis patuit. Nomen ei ab equo, quaſi *Equuleus*, non quòd ei reus velut equo inſideret, ſed quòd ille funibus conſtrictus exiliret; ſic ut manibus anteriori, pedibus verò poſteriori Eculei parti alligatis in aërem elevaretur, ſimili modo, quo illi, qui cruci affiguntur, in ſublimi pendent. Vide Thom. Godwyn. *tr. Angl. cui titulus Anthologia Rom. l.* 3. *ſ.* 3. *c.* 7. & infrà in voce *Fidiculæ.*

ECUR, Indiæ intra Gangem opp. Ptol.

EDA, Meſſeniæ fluv. *Suid.*

EDANA, urbs juxta Euphratem, quam Phœnices habitarunt, ab *Edano* duce dicta. *Steph.*

EDAPTEON, Græcè Ἐδαπτεὼν, pop. Atticæ, cujus memoriam ſervat vet. *Inſcr.* haud procul Athenarum urbe,

ΧΑΙΡΕ
ΑΙΗΗΝΑΕΙϹ ΘΕΟΚΡΙΤΟΥ ΕΔΑΠΤΕΩΝ
ΦΑΥϹΤΟϹ ΛΕΟΝΤΟϹ ΜΕΙΛΗϹΙΟϹ.

apud Jac. Spon. *Itin. Gr. Part.* 3. ubi de 174. *Atticæ pop.*

EDBALDUS, Rex Cantii, poſt Ethelbertum Patrem, novercæ maritus, Paganiſmum, ſpretâ Chriſti fide, amplexus, in omnia vitia præceps ruit. Hinc phreneſi afflictus, poſtquam ad ſe rediit, vitiorum callem pœnitentia remenſus eſt. Obiit A. C. 640. Regn. 25. Beda, *Hiſt. l.* 2. *c.* 4. 5. &c. Polydor. Virg. *Hiſt. Angl. l.* 3.

EDBERTUS, 12. Cantii, poſt Withredum, Rex, per An. 23. Idem *l.* 4.

EDDARA, Arab. Deſertæ urbs. *Ptol.*

EDDO, nomen viri, Eſdr. *c.* 8. *v.* 17. Lat. *vapor*, vel *nubes*, aut *interitus ejus.*

EDEATRÆ, qui præerant Regiis epulis, fortè *Truchſeſſen* Germanis, memorantur Feſto, ex Græco Ἐδεάτραι. Vide Calvin. *Lex. Jurid.*

EDELFRIDUS, fil. Edelrici, Rex Anglorum Septentr. Britones ſæpius vicit, pulſus ab Edvino, cui Edelricus regnum rapuerat. Obiit ſub initium ſec. 7. Beda *l.* 1. *c. ult.*

EDELINGI, Vide *Laſſi.*

EDEMA, civitas in tribu Nephthali. Joſ. *c.* 19. *v.* 36. Lege *Adamah.*

EDEMUS, Cythniis olim in veneratione, Clemens Alexand. *Protrept.*

EDEN, i. e. locus deliciarum, ubi Paradiſus olim. Prope Meſopotamiam fuiſſe, aſſerit Torniel. *A. D.* 3. *n.* 22. 23. 24. Item orientalis regio. Iſa. *c.* 37. *v.* 12. 2. Reg. *c.* 19. *v.* 12. Inſ. Tigridis, infra Seleuciam M. 22. m. p. diſtans, circuitu 10. *Gezerta* Maſio. Eſt & nomen viri. 2. Par. *c.* 29. *v.* XI. Lat. *voluptas* vel *deliciæ.*

EDENBURGUM, Regni Scotiæ Urbs regia, Senatusque ſedes. Vide *Alata caſtra*, & *Edingburgum.*

EDER, fil. Muſi fil. Merari. 1. Par. *c.* 23. *v.* 23. Lat. *grex*, *defectio*, vel *privatio.* Idem urbs in tribu Juda. Joſ. *c.* 15. *v.* 21. & *c.* 19. *v.* 37.

EDER, turris, ubi filii Jacob tabernaculum fixerunt. Gen. *c.* 35. *v.* 21.

EDERA, fluv. Galliæ, *Ierre* vulgò, nonnullis contractiori nomine *Yer* dictus, nomen videtur ab edera inveniſſe, cujus more modoque ſerpit flexuosè potius quàm decurrit. Hic ortus in ſaltu Briegio, & quatuor rivis aut fluviolis auctior factus, vicos attingit Ebulum *Jeble*, lavat Solurram (*Soulare*) Ciconiolas, nonnullis corrupto Latino nomine Ceognolas dictas, *Segnolles*, præterlabitur Nucetum *Neiſy*, Cons, alia, Combisvillam (*Con-la ville*) Quintiacum majus *Quincy le Grand*, Quintiacum *Quinſy*, Bouci vicum; priſcum nomen totum & integrum hodieque retinentem, quibuſdam tamen *Boſy* nuncupatum. Tum amnem recipit ex Capriaco *Chevry*, Attiliaco *Attily*, Ferrolis *Ferolles* aut *Farcilles*, Liciniaco *Leſigny*, & Ambaella *Emboille* venientem: poſtea Ederam vicum Monaſterio Virginum ſacrarum inſignem, *Jerre*, cui nomen ſuum dedit, Bronacum vel Bronai, *Brunoy* vulgò, *villam Braunadum* in Geſtis Dagoberti dictum, & Cronam *Crone* alluit, atque apud Villam novam, Sancti Georgii Patroni ſui cognomine nunc inſignem (*Villeneuve S. George*) in Sequanam evolvitur. Eſt & *Edera* fluv. *Yerre*, in pago Dunenſi, qui alluit Fontanas *Fontaines*, & vicum S. Hilarii, ac in Lidericum defluit. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

EDERA, Dionyſ. ſacra & in ejus cultu adhibita, miræ tenacitatis eſt, unde non nemini viſa ab *hærendo* nomen accepiſſe. Certè Gell. refert, *l.* 10. *c.* 15. Flamini Diali non modò eam tangere, verùm & nominare, ominoſum fuiſſe, ne illigatus ullo modo videretur, ſed liberè ſacris operaretur, quia ſcilicet hedera arcto illo complexu neſcio quid laſciviæ præ ſe ferat. Alii inde nominatam volunt, quòd *edita* petat: ab *edendo* quidam probabiliùs, quòd parietes exedat. A Baccho uſus ejus ad convivantes tranſiit qui hederâ coronati accumbebant, ut vi illius frigidâ vim vini adſtringerent, reprimerentque. Ad Poëtas item, & Poetarum ſtatuas, ut qui curarum vacui, ſicque Bacchum ſemper juvenem æmulantes, conſtantem hederæ virorem mirè amarent &c. Quam in rem vide plura infra in voce *Hedera.*

EDERE, verbum ſacrum, de Decemviris, cùm libris Sibyllinis inſpectis reſponſa darent, frequens apud Liv. Sic *l.* 40. *Edidêre, quibus Diis & quot hoſtiis ſacrificaretur.* Et *l.* 42. *Ob hæc prodigia libri fatales inſpecti, editumque à Decemviris eſt, quibus Diis, quibusque hoſtiis ſacrificaretur.* Et *l.* 43. *c.* 14. *Publicorum prodigiorum causâ libris Decemviri aditis, quadraginta majoribus hoſtiis, quibus Diis Conſules ſacrificarent*, edidêrunt, *& ut ſupplicatio fieret* &c. Vide hic paſſim, de communi verò verbi notione ſuprà, ubi de *Accumbendi & Cibi capiendi. Vett. ratione*; de *Editoribus Ludorum* infrà in voce *Munerarii.*

EDERUS, decimus quintus Rex Scotiæ, fil. Dothani. Bredium, Principem Inſularem, qui exſcenſione factâ, Scotiam vaſtabat; devicit, navibus exuſtis. Boëth. & Buchan. *Hiſt. Scot.*

EDERUS Georgius, Vide *Georgius.*

EDESIA & BIBESIA, divæ quibus in conviviis Gentiles litabant. Vide ſuprà *Bibeſia.*

EDESSA, ſeu EDESA Strab. olim Antiochia Oſrhoënorum, & Callirrhoe à fonte dicta, teſte Procopio, & poſtea *Juſtinopolis*, urbs ampla & Archiepiſcopalis Syriæ ad lævam Euphratis ripam (ex quo etiam Meſopotamiæ tribuitur,) *Rhoas*, & *Rhoaſſe*, ac etiam *Rhoa* Nigro, *Orfa* P. Gyllio, & plerisque aliis dicta (variè enim nominatur) proxima Samoſatis, à quibus 12. m. p. recedit. Antiquiſſima urbs, utpote à Nembroth; teſte Iſid. condita. Abagari ſedes, Ephremi patria. In cœtum Eccleſiæ hîc convenientem, Valens Imp. cum ſævire ſibi propoſuiſſet, Modeſtus Præt. Præf. motus conſtantiâ mulierculæ, quæ gnara futuræ cædis, ad locum filiolum etiam raptabat, cædem diſſuaſit, A. C. 368. Rufin. *l.* 2. *c.* 5. A. C. 525. Terræ motu tantùm non corruit. Hinc à Juſtino reparatore *Juſtinopolis* dicta. Vide ſupra. Fruſtra à Choſroë obſeſſa. Capta eſt ab Haido, Abubecheris duce, A. C. 637. Vilh. Tyr. *l.* 1. *c.* 2. Iterum expugnavit eam Sanguinus, ingenti Chriſtianorum ſtrage, A. C. 1142. Paulus Æmil. *l.* 5. An *Rages* olim? Vide quoque Evagr. *l.* 4. *c.* 8. & 26, Procop. *de B. P. l.* 2. Euſeb. *in Chron.* J. de Vitriaco *hiſt. Or. l.* 1. *c.* 31. &c. Braudr. Urbs Meſopot. ad Chaboram fluv. nunc *Orfa*; & *Rohai Orrhoaique* Arab. media inter Aleppum ad Occ. & Amidam ad Or. longè ab Euphrate in Or. 40. mill. à Samoſatha in Or. 45. ab Hieropoli. Etiamnum ampla & elegans, è præcipuis Diarbechiæ, ſub Turcis.

EDETANIA, Hiſp. Tar. regio. Plin. *l.* 3. *c.* 3. hinc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

EDETANI, pop. circa ſinum Sucronenſem, ubi nunc pars Septentrionalior regni Valentiæ.

EDGARUS Etheling, Regni Anglorum hæres legitimus, cernens res patriæ undique perturbari, aſcenſâ navi cum Agatha matre ſua & ſororibus Margareta & Chriſtina, in Hungariam, ubi natus fuerat, reverti conabatur, ſed ortâ tempeſtate compulſus eſt in Scotiam applicare. Hac occaſione factum eſt, ut Margareta Regi Malcolmo nupta traderetur, ex qua nati ſunt 6. filii & 2. filiæ, quorum tres ſc. *Edgarus*, *Alexander*, ac *David* juxta generis ſui nobilitatem Reges fuêre. Hæc ex Mat. Pariſienſi. Eſt autem *Edgar* Saxonicè pro *Edig-ar*, i. e. *felix poteſtas*. *Eadig* legitur, Mat. 6. in Saxonico Teſtamento. *Ear*, ſive *Ar* eſt *honor*; unde *Arlic* & *Earlic Honoratus*, atque hinc factum eſt, ut Comites, qui cum Danis in Angliam venêrunt, *Earles* vocarentur. Camden. *Nic. Lloyd.*

EDGARUS, fil. Edmundi, Rex Angliæ, poſt fratrem Eduinum, *Pacificus* cognom. poſtquam Scotos vicit, Wallis tributum annuum lupinorum capitum imperavit, & Hiberniæ partem ſub jugum miſit. Exin regno exornando incubuit. Obiit poſt regnum An. 16. Vide Baron. A. C. 957. 959. Chenium *Hiſt. Angl.*

EDHILINGI, Nobilium claſſis, apud Saxones vett. Nithardus *Hiſt. l.4. Saxonica gens omnis, in tribus ordinibus diviſa conſiſtit, quorum nomina Edhilingi, Frilingi & Lazzi*; i. e. Nobiles, Ingenui & Servi. Aliàs *Adelingi*, &c. Pro regia ſobole iiſdem peculiariter uſurpata vox & Regio ſucceſſore: quem apud Marculfum Galli *Domicellum*, Scriptores Latini ejuſdem ætatis *Clitonem*, Britanni *Urchrichiad* vocarunt. Sed & *Adelingi* inter Saxones Anglos, dicebantur Regni Magnates: præſertim Comites & illuſtriores. Item Nobiles in genere, ut ex Nithardo oſtenſum. Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* Vide quoque infrà in voce *Seniores*.

EDI, Scythiæ pop. Ἠδοὶ Steph. ex Hecatæo.

EDICTUM, apud Odon. de Diogilo *de Profect. Ludovici VII. in Orient. l. 1. p. 15. Illo anno in quarta feria Pentecoſtes edictum accidit*: denotat nundinas Sandionyſienſes, à Dagoberto Rege an à Carolo Calvo inſtitutas, quæ alias *Indictum*, hodie Gallis *la Foire du Lendit* dicuntur. Vide Car. du Freſne in voce *Indictum*. Sed & *Edictum*, clarigationis ſpecies. Vide ibi: uti de *Edicto perpetuo*, in voce *Prætor*: & de *Edictis Regum* in mercatibus promulgari ſolitis, infra in voce *Mercatus*: it. de verbo huc pertinente. Præſcribere *Edictum* Fidei, in Foro Inquiſitorum Eccleſiæ Rom. quid ſit, vide infrà *Sermo de Fide*.

EDINGBURGUM, Scotiæ urbium primaria eſt, in Luthiana prov. & regia ſedes; ubi caſtellum eſt *Puellarum* à filiabus Regum ibi educari ſolitis, cognominatum, multoties authorum teſtimoniis celebratum, vulgò *Edingburg*. Ampla & magnifica, haud procul à mari ſita, vide Leſl. *deſcr. Scot.* Camden. *Britann.* Buchan. *l. 1. Rer. Scot.* Aurigat. *ſpec.* Ortel. &c. Capta eſt ab Henrico VIII. Angl. Rege imminente nuptiis Mariæ, A. C. 1544. quæ poſtea Franciſco Delphino elocata eſt. Tùan. *l. 1. 3. 20.* longitud. 17. 12. lat. 57. 10. Vide *Alata caſtra*.

EDISSA, i. e. *myrtus*, aut Syriacè *lætitia*, nomen mulieris, quæ & Eſther. Lege *Hadaſſa*.

in EDITO loco agendi, cum vel precibus vacare, vel ſine arbitris eſſe vellent, mos Vett. Vide ſupra *Cœnaculum*.

EDMERUS, vel JADMERUS, Anglus, Ep. S. Andreæ, in Scotia, ſub Henrico I. circa A. C. 1120. Scripſit de libertate Eccleſiæ, hiſtoriam ſui temporis, ab A. C. 1066. ad 1122. &c. Geſner. *in Biblioth.* Edidit hiſtoriam ejus Seldenus, A. C. 1623. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 2. c. 48.* Trithem. Catal.

EDMUNDUS, Rex Anglorum Oriental. pietate illuſtris, ſec. 9. Regni An. 16. à Dànis occiſus. Item Comes Richemontius, pater Henrici VII. Angliæ Regis.

EDMUNDUS I. Rex Angliæ, fil. Eduardi I. poſt fratrem nothum Adelſtanam. Northumbros domuit. Cumbriam Malcolmo Scoto, feudi nomine, conceſſit, regnum exornavit. A Leofo exule occiſus, A. C. 946. Regni 6. Relictis, Edvino & Edgaro, filiis, qui, poſt fratris Eldredi mortem, ſucceſsêrunt Frater erat Oginæ, matris Ludovici Ultramarini, in quo reſtituendo ſedulò laboravit. Polyd. Virg. Chenius, *Hiſt. Angl.*

EDMUNDUS II. cognom. *Lorica ferrea*, Angliæ Rex, fil. Ethelredi Regis mortuâ matre à Londinenſibus Rex ſalutatur. Pars Canutum Danum Regem elegêrunt: quem ſæpius victum victoremque demum ſingulari certamine Edmundus proſtratum conſortem imperii fecit. Tandem ab Edrico quodam, ignito ferro in anum adacto, occiſus, A. C. 1017. caputque ejus ad Canutum delatum eſt. *Eadmundus* Saxonicè dicitur, i. e. *felix pax*, nam *Ead*, vel *Eadig* eſt *felix*: *Mundi* autem *pacem* ſignificaſſe oſtendit leguleiorum vocabulum *Mundbrech*; i. e. *pacis violatio*. Sic *Ælmund tota pax*, *Ethelmund nobilis pax*, &c. Quidam verò *Mund* ajunt eſſe *Mouth*, ut *Pharamund*, *true-mouth*. *Camden.*

EDMUNDUS, cognom. *Virgo*, Archiep. Cantuarienſis, Henrici III. Regis offenſi iram veritus, in Galliam ſe recepit. Auctor *Speculi Eccleſiæ*, in Bibl. PP. Item, operis Gall. de Agnitione Dei. Obiit A. C. 1240. Vincent. *l. 31. c. 67. & ſeqq.* Polyd. Virg. Paris. T. V. Bibl. PP. *col. 765.* Simler. *in Bibl. Geſneri.* *Baleus.*

EDMUNDUS CAMPIANUS, Londin. Jeſuita, turbarum cauſâ, ad mortem damnatus, A. C. 1581. Auctor Chronol. Univerſalis & libri de Academiis Angliæ. Gautier. & Ricciol. *in Chron.*

EDMUNDUS GRIMUS, ſcripſit vitam Thomæ Cantuarienſis, Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 2. c. 52.*

EDMUNDUS RICHERUS; Syndicus Univ. Pariſ. ſub initium ſeculi hujus, ſcripſit librum de poteſtate Eccl. & Seculari, cenſura notatum Synodo Senonenſi, & Aquenſi. A. C. 1612.

EDNA, i. e. *voluptas*, aut Syriacè *tempus*, nomen viri. Eſdr. *c. 10. v. 30.* Item uxor Raguelis. Tobit. *c. 7. v. 16.* Item princeps militum in Manaſſe. 1. Par. *c. 12. v. 20.*

EDO, vide *Phago*.

EDO Stephanus, vide *Stephanus*.

EDOBOLA ſilva Galliæ, in Petrocoriis, memorata in rebus geſtis Pippini Franc. Regis hodie *la foreſt de Ver.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

EDOIA, Arabiæ Fel. urbs dicitur. *Diod.*

EDOM, ſic cognominatus fuit Eſau ob coctionem rufæ lentis, cujus edulio primogenituram perdidit. Gen. *c. 25. v. 30.* Joſephus à colluſoribus adoleſcentulis per ludibrium ſic dictum tradit; *l. 2.* Ἐντεῦθεν διὰ τὴν ξανθότητα τοῦ βρώματος ὑπὸ τῶν ἡλικιωτῶν Ἄδωμος καλεῖται, κατὰ παιδιὰν ἐπικληθείς, Ἄδωμα γὰρ Ἑβραῖοι τὸ ἐρυθρὸν καλοῦσι.

EDOM, regio in tribu Juda, quæ & *Idumæa*, 1 Reg. *c. XI. v. 14.* Iſai. *c. 34. v. 6.* ab *Edom*, h. e. *Eſau* dicta. Joſeph. *Antiqq. l. 2.* Τὴν δὲ χώραν οὕτως προσηγόρευσεν. Ἕλληνες δ' ἐπὶ τὸ σεμνότερον Ἰδουμαίαν ὠνόμασαν. Undiquaque munita faſtigiis montium & in ſciſſuris petrarum ſita. Ex 11. Judææ Toparchiis octava. Hæc in Syria ad merid. Judææ ſita habet Arabiam ad Auſtr. Phœniciam ad Bor. Aliàs porro *Gabalene*, & *Amalechitis* vocabatur, teſte Joſeph. *Antiqq. l. 2. c. 1.* qui tamen *l. 5. c. 3.* duplicem Idumæam ponit, Superiorem & Inferiorem. Superiorem elegit tribus Judæ, quæ in longum quidem extenditur uſque ad Hieroſolymam, latitudine verò uſque ad paludem Sodomæ conſtituta eſt. In hac autem ſorte civitates erant Askalon & Gaza. Iſtam Palæſtinam aliàs dicunt. Inferior Idumæa ſorte ceſſit Simeonis tribui. Hæc circa Ægyptum eſt, & Arabiæ montem. Hæc ille.

EDOMATOR vocis, apud Tertullian. *de Pallio c. ult. De meo veſtiuntur & primus informator literarum, & primus* Edomator *vocis & primus numerorum Harenarius, & Grammaticus & Rhetor* &c. non Phonaſcus eſt, ut quidam volunt; Huic enim pueros olim, inter prima illa rudimenta literarum, operam dediſſe, veriſimile non eſt, niſi ſi qui Cantores Tragici vellent eſſe, aut Comœdi: Sed is, qui pueris legendi & rectè pronuntiandi artem tradebat, fortè *Enodator vocis* legendus. Nam hic quo modo ſingula quæque verba, quâ voce, quo motu oris eſſent enuntianda, præcipiebat. Quintilian. *l. 1. c. 2. Non alienum fuerit exigere ab iis ætatibus, quò ſit abſolutiùs os & expreſſior ſermo, ut nomina quædam verſusque affectatæ difficultatis, ex pluribus aſperrimè coëuntibus inter ſe ſyllabis catenatos & velut confragoſos quàm citiſſimè volvant.* Nempe unus hic erat ex tribus primis Præceptoribus ac Ludimagiſtris, qui rudes pueros primis & elementariis literis erudiendos ſuſcipiebant, quos à Grammatico diſtinxit Tertullianus qui ſolidiore eos doctrinâ imbuebat. Primus informator literarum, harum formas & poteſtatem cognoſcere, ſcribendoque exprimere; *Primus vocis Enodator*, recte pronuntiare; & primus numerorum Harenarius calculare monſtrabat. Quæ tamen tria munera unius ejuſdemque Doctoris ferme fuêrunt, quem Γραμματιστὴν appellarunt Græci &c. Vide Salmaſ. *ad l.*

EDOMIA, in tribu Benjamin. Hier. *in L. H.*

EDON, Servio mons eſt Thraciæ, aut certè in ea parte Macedoniæ, quæ Thraciæ proxima eſt, qui à Plin. *l. 4. c. 11.* appellatur *Edonus*. Virg. *Æn. l. 12. v. 365.*

> *Ac velut* Edoni *Boreæ cùm ſpiritus alto*
> *Inſonat Ægæo*, ------

Stat.

> *Triſtius* Edonas *hyemes, Hebrumque nivalem*, &c.

Hinc *Edonides* dicuntur *Mænades*, ſive *Bacchi ſacerdotes*, quæ furore divino agitatæ myſteria Bacchi celebrabant, paſſis capillis more furentium huc illuc curſitantes. Prop. *l. 1. Eleg. 3. v. 5.*

> *Nec minus aſſidius* Edonis *feſſa choreis.*

Ovid. *Met. l. 11. v. 70.*

> *Protinus in ſylvis matres* Edonidas *omnes*
> *Quæ videre nefas, torta radice ligavit.*

Lucan. tamen corripuit *l. 1. Civ. bell. v. 674.*

> ----- *Nam qualis vertice Pindi*
> Edonis *Ogygio decurrit plena Lyæo.*

Ubi tamen aliqui *Odonis*. Sanè Steph. Ἠδόνες ἔθνος Θρᾴκης vocantur. *Nic. Lloyd*, Et quidem, Gentem celebrem fuiſſe arguunt veſtimenta ab ea dicta, quæ Thracibus in uſu fuêre. Suid. Ἠδωνά· ἱμάτια Θρᾳκικά. Ἠδωνίς, ἠδωνίδος, χώρα οὕτω λέγεται, καὶ Ἠδωνοί, ἔθνους ὄνομα. Vide Barth. *Animadverſion. ad Pap. Stat. Theb. l. 5. v. 78.*

> *Dulcius* Edonas *hyemes, Arctonque frementem*
> *Excipere*,

EDONIS, civitas Phrygiæ, Cimmeriorum olim ſedes, *Antandrus* poſtea dicta. *Steph.*

EDOSA, urbs in ſinu maris Troglodytici ex Africæ latere. Plin. *l. 6. c. 29.*

EDREI, urbs Regis Og in reg. Amorrhæorum, ubi ipſe contra Iſrael pugnavit, & cæſus eſt. Eſt & alia in tribu Nephthali. Joſ. *c. 18. v. 37.* Deut. *c. 1. v. 3.* Num. *c. 21. v. 23.* & *c. 19. v. 37.*

EDRI, inſ. juxta orientalem plagam Hiberniæ. Ptol. Plin. *Andros* dicta *l. 4. c. 16.*

EDRON, portus ad Padum fluv. Plin. *l. 3. c. 16.*

EDROS, ſeu EDRI, parva Inſ. Hiberniæ, Ferrar. ex Ptol. Vide *Hedrus*. Nunc *Bardeſey*, i. e. Avium Inſ. Angliæ adjacet, in ora littorali Valliæ Bor. & Arvoniæ Comit. vix 3. mill. Angl. à Gargano prom. 40. ab ora Hiberniæ in Ort. *Baudr.*

EDSARDUS I. Comes Friſiæ Or. fil. Ulrici, qui primus A. C. 1454. clam à Friderico III. Imp. in eum tractum, qui ab Amaſio ad Viſurgim mari prætenditur, acceperat nomen Comitis & jus, quantum libertas Friſia pateretur: decem pòſt Annis, publicatis tabulis. Huic ſuccedens fil. Edſardus, benignus in ſuos, mutuâ in ſe ſubditorum fide potens, horum ſpe Groningæ & annexi agri principatum ſperavit; tenuitque, donec eum Saxonica arma, fides mala Geldri, ac poſtremò cuncta invadens vix Auſtriaca trans Amaſium rejiceret. Huic fil. Enno I. impar patri, & ſic regens, ut ab aliis ipſe regeretur, haud longus vitæ atque imperii fuit: Quo tempore Emda Euangelium amplexa eſt. Anna tum Ol-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Oldenburgica alterius filii *Edſardi II.* nomine præfuit, civiliter uſa principatu jam increſcente. Secuta mox florentium populorum mala, ſuperbia apud ipſos & luxus, invidia apud dominantes. Nec tamen ad vim ventum, dum Edſardum aſperiorem frater minor conſiliis aut metu retinebat. At Joh. mortuo, Edſardus religionis diſcors, nam ipſe Auguſtanam, Reformatam Emdani profitebantur, magis ac magis ſuſpectam habuit horum felicitatem. Uxor inſtigatrix aderat regiâ Sueonum ſtirpe, regioque ingenio. Unde inter Comitem & Emdanos turbæ; de quibus vide Hug. Grot. *Hiſt. l.* 4. Origo Comitum è Grethana domo eſt; quæ per connubia & hæreditates aucta, Emdæ, ab aliis malè habitæ, tutelam priſco tempore ſuſceperat. Idem, Vide quoque in voce *Emda*.

Reges Angliæ, ante Normannorum imperium.

EDUARDUS I. Ejus nominis Angliæ Reges plures fuêre. Ante Normannorum Imperium: Primus Alfredi fil. *Senior* cognominatus, Patri ſucceſſit, A. C. 900. Scotorum Regem Conſtantinum primò, dein Britones, poſtea concitatos in ſe, à fratre Ethelvardo, Danos vicit, Orientalium Anglorum regnum ſuo adjecit; Edricio Rege à ſuis interfecto, Merciam quoque ſibi comparavit. Epiſcopatibus 5. conſtitutis, obiit A. C. 924. Ei ſucceſſit Adelſtanus fil. Gul. Malmesburius *hiſt. Angl.* Polyd. Virg. *Chenius.*

EDUARDUS II. Edgari fil. *Martyr* nuncupatus, poſt quadriennium à matre nothi fratris Ethelredi Alfreda crudeliter necatus. A, C. 979. Matth. Weſtmonaſter. *in Chron.* Addit. hiſt. Bedæ, *l.* 2. *c.* 12. Rogerus Hovedenus, *Polydor. Virgilius*, &c.

EDUARDUS III. *Confeſſor* dictus, Ethelredi fil. ex Emma, Vide ibi. ob caſtitatem erga uxorem, & munificentiam erga Eccleſiam mirificè celebratus. Hic, cùm prius in Anglia Dani, juxta Danicam conſuetudinem, Angli juxta Anglicam, & Mercii juxta Mercianam judicarentur: in uno regno triplicem Juſtitiæ lancem non ferens, denuo illas omnes leges recenſuit, ſuamque dedit parem omnibus ac communem, quæ à re *Lex Communis*; ab Auctore *Lex S. Eduardi* nuncupatur. Unde *Anglicanarum legum Reſtitutor* appellatus eſt, quamvis ſecundùm alios non ipſemet ejus inventor fuit, interim à diebus Avi ſui Edgari, qui illam inſtituiſſe dicitur, oblivioni datam in uſum revocavit, vide Ranulphum Ceſtr. *l.* 1. *c.* 50. Gemiticenſem *l.* 6. *c.* 9. aliosque laudatos Henr. Spelmanno *Gloſſar. Archæol.* Obiit A. C. 1066. Iidem. vide *Godwin.*

Reges Angliæ, poſt Conqueſtorem.

EDUARDUS I. Henrici Tertii Regis fil. quem pater Walliæ principem fecit, & Aquitaniæ præfecit. Hinc conſuetudo, ut Rex Angliæ fil. natu majorem Principem Walliæ dicat. *Nic. Lloyd.* Ante regnum cum Ludovico IX. expeditione ſacrâ defunctus eſt. Poſtmodum coronatus A. C. 1279. ingenti cum pompa, Leolinum Walliæ Principem, ſæpe victum, ſuſtulit: Hinc rebus ſuis in Gallia compoſitis, rurſus in Orientem profectus, in Sicilia Arragoniæ & Andegavenſis familiis liti ſe interpoſuit. Ortâ dein A. C. 1293. inter duos nautas, Anglum Gallumque, contentione, ingens bellum conflatum, quo Normanniam vaſtavit, claſſem Gallicam vicit, Aquitaniam amiſit. Pax dein mutuis conjugiis firmata. Poſt Alexandrum III. Scotiæ Regem cùm Joh. Balliolus & Rex Bruſſius de regno contenderent, ipſe ſuperveniens illo potitus eſt; priore grandi prælio victo & capto. Obiit A. C. 1307. Æt. 68. Regni 34. Hic etiam Judæos regno expulit, & Lutetiæ, clientem ſe Francorum, ratione ditionum, quas in Gallia poſſidebat, profeſſus eſt. Maſſon. *l.* 3. Polyd. Virg. *l.* 17. Chenius *hiſt. Angl. l.* 14.

EDUARDUS II. Primi Eduardi fil. *Carnavan* dictus, ob tyrannidem primò regnum amiſit, deinde vitam perdidit. Sub initium enim regni Gaveſtonem quendam, à Patre ejectum, revocavit, cujus conſiliis in Proceres ſævus, unde Gaveſtonis mors. Interea Scoti jugum excuſsêre. Mox Hugo Spenſerus, cum fil. cognomine animo Regis occupato, eum ita in tranſverſum egêrunt, ut & Edmundum fratrem, & uxorem Izabellam pelleret: quæ in Galliam ſe ad Carolum Pulchrum, fratrem ſuum recepit. Inde, ope Hannoniæ Comitis Procerumque Anglorum id effecit, ut Spenſeri capite plecterentur, Eduardus autem in vincula conjiceretur, filio ſurrogato. Paulo pòſt; ignito ferro per corneam fiſtulam in anum immiſſo, occiſus eſt. A.C. 1327. Regni 20. Thomas Morus, *in vita ejus.* Froiſſard. *l.* 1. Thom. Walſinghamus, *in Eduardo II. &c.* Ex Iſabella, pater Eduardi III. &c. Laſcivus, ignavus, infelix.

EDUARDUS III. Eduardi Secundi fil. regnavit Annis 50. Aureæ Periſcelidis Equitum Author, & Fundator fuit, Regum reliquorum omnium fortiſſimus, bonis tam animi quàm corporis egregiè ornatus. Statim ab initio regni, Robertum Bruſſium, Scotiæ Regem vicit, Philippi Valeſii, ob præreptam ſibi Galliæ ſucceſſionem, mortuo Carolo Pulchro avunculo, ſine prole maſcula, primò 300. navium claſſem ſuperavit, mox eum in Normannia ad Creſſiacum, clade in omne ævum memorabili, affecit: ubi præter alios, duo Reges occiſi, & Philippus *Fortuna Franciæ* factus eſt. A. C. 1346. Dein Caletum cepit, & per uxorem, Davidem Scotiæ Regem vicit cepitque. Buchan. *Hiſt. Scot. l.* 9. Wiclefo non adverſatus eſt: Per fil. Eduardum, invicti animi principem, Joh. Galliæ Regem ad Pictavium, vicit & in Angliam abduxit. Contra Carolum V. non æquè felix. Obiit A. C. 1377. Æt. 65. Succeſſit ei nepos ex Eduardo Walliæ Principe, de quo antè, Richardus. Walſingham. *in Eduardo* 3. Froiſſard. *l.* 1. Polyd. Virg. *l.* 19. Chenius, *l.* 15. Judicia Anglico in poſterum, non Gall. ſermone agi voluit. De Jubilæo ab ipſo inſtituto, vide in voce *Jubileus.*

EDUARDUS IV. Comes de *Marsh* plenis omnium ſuffragiis Rex electus, A. C. 1461. Fil. erat Richardi, Ducis Eboracenſis, qui Henricum II. victum in vincula compegit, ſed ab ejus uxore acie victus & occiſus eſt. Hujus mortem fil. ultus, pulſo Henrico, thronum conſcendit, A. C. 1461. quæ prima diſſidii inter Roſas ſcena. Dein, à Comite Warvicenſi, victus captusque eſt, ſed poſtquam evaſiſſet, hoſtem in Galliam compulit. A quo reverſo & opibus Ludovici XI. ſuffulto, in Hollandiam ſe recipere eſt coactus. Hinc redux, binis præliis victor, Comite occiſo, & Henrico Rege in carcere ſtrangulato, regnum obtinuit, recuperatum intra 20. dies, cùm intra 11. à Warvicenſi occupatum fuiſſet. Fratrem Georgium, Ducem Clarentiæ, *vino Malvatico ſic volentem ſuffocavit*, quòd à fratre, cui nomen à G. inciperet, ſibi cavere juſſus eſſet. Obiit A. C. 1483. Eo mortuo, Richardus, Gloceſtriæ Dux, nepotes ex fratre; trucidavit, ipſe à genero Eduardi Henrico Richemontio, occiſus. Polyd. Virg. *l.* 24. Phil. Comineus, *l.* 6. *c.* 9. Th. Morus, *Hiſt. Rich.* Chenius, *Hiſt. Angl. l.* 19. &c. Vixit Annis 50. regn. Annis 23.

EDUARDUS V. Eduardi Quarti fil. patri ſucceſſit, A. C. 1483. A Richardo Tertio vitâ privatus, poſtquam 2. menſes, & 18. dies regnaſſet. Iidem.

EDUARDUS VI. Henrici Octavi Regis fil. ex Johanna Seimera, patri ſucceſſit, A. C. 1547. Sub hoc Eduardus Seimerus, avunculus ejus, Protector, cum Thoma Cramero, puram religionem in regnum introduxit, Petro Martyre Argentinâ Oxonium, P. Fagio & M. Bucero Cantabrigiam indidem, Emdâ verò Joh. à Laſco Londinum vocatis. Obiit florentiſſimæ ſpei Princeps, A. C. 1513. Æt 16. Joh. Utenhovius, *in narr. Angl.* Thuan. *l.* 13. Chenius *hiſt. Angl. l.* 21. Regnavit ſexennio, quinque menſibus, & novendecim diebus.

Alii Reges & Principes.

EDUARDUS, Luſitaniæ Rex poſt patrem Joh. II. A. C. 1433. Judæum Medicum, Aſtrologiæ peritum, conſulens de rebus ſuis, inaugurationem manè cœptam, juſſus in meridiem differre, non paruit. Contra Mauros, in Africa, infelix. Obiit A.C. 1438. Æt. 47. ex Eleonora, filia Ferdinandi J. Arrag. Regis pater Alphonſi V. ſucceſſoris. Literatus, & fautor Literatorum: Scripſit de Arte regnandi, de Juſtitia, de re equeſtri, &c. Mariana, *l.* 21. *c.* 6. & 13. Garibajus, *l.* 35. *c.* 11. Duard. *Geneal. Regum Portugalliæ.*

EDUARDUS, Dux Gelriæ, ex Familia Naſſovica, fil. Rinaldi II. ex priore ejus uxore, Sophia, Florentii Bertholdi, poſtremi Machliniæ Dynaſtæ, filia, fratre majore natu Rinaldo III. cognom. *Craſſo*, poſt decennale bellum, victo & per alterum decennium in captivitate detento, Gelriam, Zutphamenſemque ditionem rexit, Heckeranorum & Bronchorſtiorum factionibus ferventibus. Contra Brabantos re non infeliciter per pluſculos annos geſtâ tandem, ab uno ex famulis ſclopeto trajectus, an prælio ad Baſiildam interemtus, ſtemmati ſuo finem impoſuit, ſub finem ſeculi XV. Sic Gelri Juliacenſibus ceſsêre, Gulielmo Duce, qui Mariam Rinaldi II. filiam duxerat, hæreditatis titulo, Rectore vacuos ſibi aſſerente. Cyr. Lentulus in *Geneal. Principum & Comit. Naſſov. MS.*

EDUARDUS, Sabaudiæ Comes, Amedeo V. patri ſucceſſit, A.C. 1323. priùs à Philippo Pulchro, cui auxilio venerat, eques factus. Poſtea à Delphino Guidone, prælio victus. Aſtuit Philippo Longo in Flandria, in prælio Moncaſtellano. Redux cum Delphino reconciliatus, ope Clementiæ Hungaricæ, paulo pòſt obiit, A. C. 1329. Æt. 45. princip. 6. Guicheno, *Hiſt. Sab. l.* 2. *c.* 21. Paradinus *Hiſt. Sabaud. l.* 2.

EDUARDUS, Dux Parmenſis, à Ludovico XIII. contra Hiſpanos adjutus, A. C. 1635. Item, fil. Joh. Ballioli, Rege Davide pulſo, Scotiæ Rex mox ipſe pulſus, jure ſuo Anglis ceſſit. Walſinghamus in *in Eduardo* 2. & 3. Polyd. *l.* 18. & 19. Boëth. *hiſt. Scot. l.* 19. Chenius, *hiſt. Angl. l.* 14. 15. &c. Item, Frater Roberti Bruſſii, Scotiæ Regis ſubjugatâ ſibi maximâ Hiberniæ parte, Regem ejus ſe fecit, ſed poſtea ab Ep. Armachano oppreſſus, & capite plexus eſt, A. C. 1317.

EDUARDUS CANTUARIENSIS, Benedictinus, ſcripſit vitam Thomæ Cantuar. cujus tempore vixit.

EDUCATOR, in Romanorum vett. miniſterio. vide infrà *Nutrix.*

EDUINUS, Edmundi fil. Anglorum Rex, poſt Edredum, ſucceſſorem Edmundi fratris. Vitiis infamis. Obiit, animi mœrore, cùm videret Eddarum, Principem prudentem, à ſubditis, ſibi ſurrogari. Osbert. *in vita Dunſtant. c.* 92. Gulielm. Malmesburius, Chenius, *Hiſt. Angl. l.* 8. *c.* 14. Regn. An. 4.

EDUINUS, Northumbriæ Rex Britones Saxonesque omnibus in M. Britannia terris exuit, Pictis Scotisque fortiter obnixus. Baptizatus ſuaſu Edelburgis uxoris, quæ Cantii Regis ſoror erat, A. C. 626. ſeptimo pòſt anno in prælo occiſus, contra Cadwalum, Walliæ Principem, à Rege Merciorum Pendo adjutum. Beda *de geſt. Angl. l.* 2. *c.* 8. 9. 17. *&c.*

EDULIUS, Hiſp. Tarraconenſis mons. Ptol. hodie *Moncayo.* Aliis *Medulius* dicitur. Baudrando, Durio fluv. imminet, *Manduria* accolis. Sed longè à *Moncajo*, qui Lat. *Caunus mons.* Aliis tamen Edulius eſt *Montferrat*, in Catalonia, prope Rubricatum fluv.

EDUMA, villa in Acrabatena, in tribu Ephr. Hier. *in L. H.*

EDUMÆI, populi Arabici. *Steph.*

EDUS, vulgò *Sadodela*, fluviol. Liguriæ, in fin. Genuenſium, in Portiferam fluv. influens, apud Pontem decimum. *Ferrar.*

EDUSA, ita ab *edendo* dixêrunt vett. Deam, quæ eſui præerat, quemadmodum Potinam, quæ *potui.*

EDYA, Nympha, Oceani & Tethyos filia. Heſiod. *in Theog.* Lege *Idyia.*

EDYLIUS, mons à quo egreditur fluv. Aſſus, quem occupavit Sylla, ut Chæronenſes populos illi monti vicinos facilius invaderet. Plutarch. *in Sylla.*

EDYME, urbs Cariæ. *Steph.*

EETION, pater Andromaches, & ſocer Hectoris, qui apud Thebas Ciliciæ imperabat. Hom. *Il.* 12. Hinc *Eetioneus* adject. Ovid. *Met. l.* 13. *v.* 110.

Ectioneas implevi ſanguine Thebas.

EETION, Athenienſis claſſis, quæ conſtabat centum ſeptuaginta navibus, præfectus, à Clito, Macedonicæ claſſis præfecto, ad Echinadas inſulas victus, Olympiadis centeſimæ decimæ quartæ Anno ſecundo. Vide Diodor. *l.* 18. *p.* 639.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

EETIONEA, alterum Piræi prom. ab *Eetione*. *Steph.*

EFEREM, vel EFREM, 13. Hieroſolymorum Ep. A. C. 126.

EFFASCINATRICES Familiæ, memorantur Plin. *l.* 7. *c.* 2. *in Africa, quarum laudatione intereant probata, areſcant arbores, emoriantur infantes: in Triballis & Illyriis, qui viſu quoque effaſcinent interimantque, quos diutiùs intucantur, iratis præcipuè oculis: in Scythia ſimiliter fæminæ quæ vocantur Bithyæ: in Ponto, Thibiorum genus --- quorum notas tradit in altero oculo geminam pupillam, in altero equi effigiem in Æthiopia, Pharnacum genus, quorum ſudor tabem contactis corporibus afferat: Haud procul urbe Româ, in Faliſcorum agro, familiæ Hirpiæ, quæ ſacrificio annuo, ad montem Soractem, Apollini fieri ſolito, ſuper ambuſtam ligni ſtruem ambulantes, non aduruntur* &c. ad quod vide *Notas* Jac. Dalechampii, ut & hic paſſim.

EFFATUM, vox auguralis, vide ſuprà *Dedicandi ritus*, item ubi de *Auguribus*.

EFFIGIES, apud Gentiles, primò Deorum, inde Hominum, ſolebant exprimi, ſed non Plin. *l.* 34. *c.* 4. *niſi aliquâ illuſtri causâ, perpetuitatem merentium, primò ſacrorum certaminum victoriâ, maximæque Olympiæ: ubi omnium, qui viciſſent, ſtatuas dicari mos erat. Eorum verò, qui ter ibi ſuperaviſſent, ex membris ipſorum ſimilitudine expreſſâ, quas iconicas vocant. Athenienſes neſcio an primi omnium Harmodio & Ariſtogitoni tyrannicidis publicè poſuerint ſtatuas ------ Excepta deinde res eſt, à toto orbe terrarum humaniſſimâ ambitione. Et jam omnium municipiorum foris ſtatuæ ornamentum eſſe cæpêre, prorogarique memoria hominum & honores legendi ævo baſibus inſcribi ne in ſepulchris tantùm legerentur. Mox forum & in domibus privatis factum, & in atriis. Honos clientum inſtituit ſic colere patronos.* vide quoque ubi de imaginibus ac *Simulacris*. Hinc *effigiare*, pro formare, in imaginem aliquam, adorationi expoſitam, Papias: de quo verbo multa Savaro *ad Sidon. Apollin. l.* 6. *Ep.* 12. aliquid etiam Geverh. Elmenhorſt. aliique *ad illa Minucii Fel. Lapides, effigiatos, & unctos & coronatos.* Cujuſmodi lapidibus *rudes* oppoſiti, quos tamen & ipſos adorationem inveniſſe, dicemus infra.

EFFORCIATI Nummi, in *Charta* Bernardi Ep. Santonenſis A.C. 1151. apud Sammarthanos dicebantur, quorum materia purior minuſque adulterata erat. Sic *Moneta fortis* vel *fortium, libræ fortes*, &c.

EFFRACTOR, apud Firmicum *Aſtronom. l.* 4. *c.* 50. *qui cum Effractoribus vel furibus conſcientiam jungunt*: plenius *Effractor domorum*, apud eundem *l.* 6. *c.* 3. *Famoſos domorum effractores reddet, & qui armati gladio quieſcentibus hominibus & patrimonii jacturam & vitæ diſcrimen infligant*: integrè, *domos qui effringit noctibus*, apud Arnob. *l.* 2. Græcè Θυρεπανοίκτης: Latinè porrò *Effractarius* quoque & molliori nomine *Apertulanus*, quod genus hominis, ex verbis inprimis ultimis Firmici clarum, Cujus criminis cognitio ad Præfectum Vigilum pertinebat, Paulus *in l.* 3. *ff. de Officio Præf. Vig.* pœna fuit mors, etiam ἐπ' αὐτοφώρῳ infligenda, ex Lege ſacra, & Tabb. XII. *Nocturnum furem quoquo modo &c.*

EFLIA, aliis EIFLIA pagus, inter Trevirenſes & Agrippinenſes, ſed Agrippinæ proprior, cui Tolbiacum, caſtrum ab Agrippina civ. leuc. 16. diſtans attribuitur. Tabulæ illum collocant circa Monaſteria Prumiam, Malmundarium & Stabulaus, non longè à Prumiæ & Celbis fluvii fontibus, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

EFFLUI, Germaniæ Septentrionalis pop. Tacito, Livones hodiè quibuſdam. Vulgò *Liflandt*.

EFFRONTES, Hæretici, circa A. C. 1534. qui frontem ſcalpello radentes, ſanguinem eliciebant, dein oleo vulneri illito, quod loco Baptiſmi illis fuit. Spiritûs S. divinitatem inſuper negabant. Eraſm. *ep. ad Luther.* Florimund. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 5. Gautier. *in Chron. ſec.* 16. *c.* 16.

EGA, Hiſp. fluv. Oritur in Alava prov. dein per Navarram, Eſtellâ rigatâ, in Iberum fluv. ſe exonerat, è regione Calaguris.

EGABRO vel ÆGABRO, CABRO, opp. Hiſp. aliàs urbs Ep. Sub Archiep. Hiſpalenſi.

EGARA, urbs aliàs Laletanorum, nunc opp. Cataloniæ, *Terraſſa*, verſus montes 6. leuc. à Barcinone in Bor. totidem à Minoriſſa in Eur. 3. à Rubricato fluv. in Ort.

EGATES, vide *Ægathes*.

EGBERTUS. Rex Cantii, in agnatos ſævus, Obiit A. C. 675. Regni 9. Item, Rex Northumbriæ, qui Pictis ſe oppoſuit, amicus Alcuini, Polydor. *l.* 4. Vide quoque *Egebertus*.

EGBERTUS, Weſt-Saxonum Rex, Anglo-Saxonum heptarchiam in Monarchiam commutavit, ac abrogato *Saxonum* nomine univerſam gentem appellari voluit *Anglos* & Regnum *Angliam*, A. C. 800. Georg. Horn. *Orb. Imp. p.* 314.

EGBERTUS, Marchio Saxon. à Gregorio VII. Victore III. & Urbano II. contra Henricum IV. Imp. ſuſcitatus. Idem Hermanni. Princ. Lucemburgici, contra Henricum, electi partes tuitus, eo occiſo, ſe Imp. fecit, A. C. 1088. paulò pòſt prope Brunſvicum, in molendino, ab Henrici militibus occiſus. Berthol. *Hiſt. ſui temp.* Sigebert. *in Chron.*

EGBERTUS, vel ECHEBERTUS, Abbas S. Florini, in diœceſi Trevirenſi. Sub Conrado III. & Friderico Barb. ſcripſit vitam ſororis ſuæ S. Elizabethæ, & 13. Sermones c. Catharos. Bibl. PP. *t.* 4. Phil. Bergamus. A. C. 1157. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 53.

EGEBERTUS, Rex Saxonum Occid. poſt Britricum, à quo pulſus, ad Carolum Mag. ſe recepit, inde, Britrico mortuo, à ſubditis receptus. Domitis Inſulæ Regulis primus Anglorum Rex Wallos domuit, Bertuſthum Merciorum, Ethelwolfum Cantianorum, Suthredum Saxonum Reges, & Northumbros vicit, quorum regna ſuo imperio adjecit. Primus omnium nomen Angliæ inſulæ impoſuit, ſub regni finem à Danis impetitus, Obiit A.C. 837. Regni 37. Gul. Malmesburius, *l.* 2. Polyd. Virg. *l.* 4. & 5 Duchenius *l.* 6.

EGELASTE, opp. Hiſp. citer. pop. *Egelaſtani* Plin. *l.* 3. *c.* 3. & Strab. hodie *Yniesta* Caſtellæ regni opp. *Cluſio*.

EGELIDUS, hunc Tuſciæ amnem eſſe, & hodiè *Freddano* dici fabulatur Leander ex Annio. Hunc enim *Egelidum* uterque citat ex Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 610.

> *Ut procul* Egelido *ſecretum flumine vidit.*

Sed ibi legendum *egelido* appellativè alii jampridem obſervarunt.

EGELOCHUS, unus ex Ducibus Alex. Mag.

EGEMMON, nonus Corinthiorum Rex.

EGEMON, Poëta, qui ſcripſit bellum Leuctricum Thebanorum & Lacedæmoniorum. Vide *Hegemon*.

EGEN Johannes, vide *Johannes*.

EGENORUM Jura, apud Hebræos olim inſignia fuêre. Eorum enim, quæ illis ex lege ſacra debebantur, genus faciunt ſeptuplex. Primum eſt *Angulus ſegetis*. II. *Spicilegium*. III. *Racematio*. IV. *Acini decidui*. V. *Quod per oblivionem relictum*. VI. *Decima pauperis*, & VII. *Eleemoſyna*: quæ cuncta nomine מתנות עניים *Munerum, quæ pauperibus danda*, veniebant. Xenodochia verò primus in ea gente Hyrcanus inſtituiſſe legitur, apud Hegeſipp. *l.* 1. *c.* 1. Unde de illo Joſeph. Antiqq. *l.* 13. *c.* 16. Πρῶτος Ἰουδαίων ξενοτροφεῖν ἤρξατο. Inſuper inſtituti ſunt qualibet in urbe ac oppido גבאי צדקה *Exactores Eleemoſynæ*, quemadmodum apud Chriſtianos fieri videmus; qui hebdomadatim ſeu à veſpera Sabbathi in veſperam eo nomine diligentius colligerent erogarentque nummos, alimenta id genus alia. Reponebant autem hi nummos in קופה *arca*, alimenta verò in תמחוי *ſcutella*: Collectam dein eleemoſynam, (quæ ſi non talis eſſe, qualis foro placeret: ſub plagarum pœna, exigebatur) erogabant & de aliorum quoque inopia, atque erogationis modo, decernebant, v g. *Qui haberet* (veſperâ Sabbathi) *duo prandia, ei non licuit ex ſcutella erogari. Qui habuerit quatuordecim, ei non licebat erogari ex arca*, non ſc. in alimenta, &c. Quouſque verò hæc jura extenderentur ad *egenos* Gentiles, ut & alia in hanc rem, vide apud Joh. Selden. *de Jure N. & Gent. juxta Diſciplin. Hebræor. l.* 6. *c.* 6. plura infrà, ubi de *Paupertate*.

EGERIA, Nympha, cui ſacrificabant prægnantes, quòd eam putabant facilè fœtum alvo *egerere*. Feſtus. Numa Pompilius, referente Plutarch. quo majore in veneratione eſſet apud populum, ſimulabat ſibi eſſe nocturnos congreſſus cum Egeria nympha, velut cum conjuge. Florus *ubi de Numa; l.* 1. *c.* 2. *Hæc omnia quaſi monitu deæ Egeriæ, quò magis barbari acciperent.* Juv. *Sat.* 3. *l.* 1. *v.* XI.

> ------- *madidamque Capenam*
> *Hîc ubi nocturnæ Numa conſtituebat amicæ.*

Ibid. *v.* 17.

> *In vallem* Egeriæ *deſcendimus.*

Hinc fingit Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 547. *& ſeqq.* Egeriam luctu, ob Numæ diſceſſum, converſam eſſe in fontem.

> *Non tamen* Egeriæ *luctus aliena levare*
> --- *donec pietate dolentis*
> *Mota ſoror Phœbi gelidum de corpore fontem*
> *Fecit*;

Græci nunc Ἤγερον, nunc Ἐγερίαν appellant. D. Auguſtin. *l.* 7. *c.* 35. *de* C. D. fontem ait fuiſſe ac ſpumam hydromantiæ. Erat autem Egeriæ lucus & fons Romæ extra portam Capenam. Vide Liv. *l.* 1. Flor. *l.* 2. *c.* 3. *Nic. Lloyd.*

EGERIA Vallis, ſive Aquæ regiæ, unus ex tribus conventibus Tuginorum Reip. Germ. *Egry*. Vide Stumpf. *l.* 6. *de Turgæa c.* 30. Simler. *de Rep. Helv.* Item lacus cognom. ibidem. Hîc Leopoldus Archidux A. C. 1315. d. 26. Nov. victus à Suitiis eſt; qui cùm lacus ab una parte, ab altera editiſſimi montes viam militarem cingerent, primùm ingentia ſaxa & vaſtas trabes è ſummo monte in exercitum Ducis devolvere lapideſque in hunc uſum congeſtos, in Equitatum ſpargere cœpêrunt. Mox copias hoſtium turbatas ex edito conſpicati, inſtructâ acie à fronte adorti ſunt, ingentique ſtragè affecêrunt, *Idem*.

EGERIUS Aruntis, Tarquinii Priſci Reg. fratris, fil. Damarati Nepos, qui natus poſt Patris mortem, cùm teſtamento ab avo præteritus eſſet, omniaque bona Tarquinio Priſco ceſſiſſent, ab inopia *Egerii* prænomen habuit; de quo vide apud Dionyſ. & Liv. plura. Is Collatiâ à Priſco Rege captâ, ibique in præſidio relictus, *Collatini* cognomen primus invenit, quòd diu *Collatiæ* præfuiſſet. Hujus fil. ſecundùm Liv. vel Nepos ſecundum Dionyſ. fuit *Luc. Tarquinius Collatinus*, Lucretiæ maritus.

EGESARETUS Lariſſæus, nobiliſſimus Theſſaliæ, tempore belli Civilis à partibus Pompeji contra Cæſarem, *l.* 3. *Civil. c.* 35. Ciceroni ad Serv. Sulpit. *Ep. l.* 13. vocatur *Hageſaretus*.

EGESIDEMUS, utrum hiſtoriam an aliud ſcripſerit, incertum eſt; hiſtoricum quidem eſt illud, cujus causâ laudatur Plin. *l.* 9. *c.* 8. & Solin. *c.* 18.

EGESINUS, Philoſophus, Evandri auditor. Cic. *Acad. Qu. l.* 4.

EGESIPPUS, Vide *Hegeſippus*.

EGESTA, filia Hippotis Trojani, quam, ne marinæ belluæ ob perjuria Laomedontis ſecundùm Apollinis reſponſa traderetur, pater impoſitam naviculæ miſit, quò fors tuliſſet; quæ tandem in Siciliam delata, à Criniſo fluv. in canem converſo compreſſa, Aceſten edidit. Vide *Criniſus*.

EGESTA, civitas in Sicilia, quam Æneas condidit, & ab Aceſtis matre *Egeſtam* nominavit, quæ poſtea *Segeſta* dicta eſt. Steph. ab *Egeſto* Troe ſic nominatam ſcribit, & calidas aquas ibi ſcaturire. Diod. *l.* 20. ſcribit, hanc ab Agathocle exciſam, & transfugis ad habitandum conceſſam, ac Dicæopolin ab eo appellatam.

EGESTUS, Numitoris fil. Frater Rheæ Sylviæ, ab Amulio cædi ſororis adjectus, ne quis ſtirpis virilis ſupereſſet.

EGEUS, vel HEGAI, Eunuchus Perſarum Regis. Eſth. *c* 2. *v.* 3. i. e. *mediatio*, ſive *loquela*, vel *gemitus*, aut *ablatio*.

EGGENBERGICA Familia Germaniæ, in Styria illuſtris, cui præcipuum axioma intulit Joh. Ulricus, officiis & gratiâ apud Ferdinandum II. Imp. celebris ac *Principis* & *Ducis Crumavienſis* titulum ab Imp. conſequutus: Cui dein A. C. 1654. jus ſuffragii & ſeſſionis acceſſit in Imperio, ob emtam Gradiſciam. Ipſe fatis conceſſit A. C. 1634. ex Sidonia Maria Thannhuſia, pater Principis Joh. Antonii defuncti A. C. 1649. quo & Annâ Mariâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Brandenburgicâ geniti ſunt Joh. Chriſtianus & Joh. Seifridus *Princ. Eggenbergii Duces Crumaviæ* &c. Ipſius verò Joh. Ulrici. pater fuit Seifridus D. *ab Eggenberg* nepos Chriſtophori, pronepos Andreæ. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatro Nobilitatis Europeæ Parte* I. *p.* 104. *ut & in hanc.*

EGGENSTORPIUS Michaël. Vide *Michaël.*

EGGYNA, urbs Siciliæ. Vide *Engyna.*

EGICA, in Hiſp. Gothorum. Rex XXXIV. duxit Cixilonem, filiam Ervingi, cui ſucceſſit: mox illam, ob Bambam, vel patrem, vel patruum ab Ervingo occiſum, repudiavit, filio ex illo Vitize in Gallicia educato. Judæis à Chriſtianiſmo iterum deficientibus & regno noxiis ſe oppoſuit, bonis illorum fiſco addictis, illiſque in ſervitutem redactis. Obiit A. C. 701. filio ſucceſſore relicto. *Concil. Tolet. l.* 16. *c.* 8. Tudenſis, &c. Hic Egica Faſillam ducem Tudenſem, (ut ejus uxore potiretur) necavit. Vide quoque Vaſæum *in Chron.*

EGIDIENSES Denarii, qui cudebantur, in civ. S. *Egidii*, vel nummi Comitum Toloſæ, qui *Comites S. Egidii* vulgò appellabantur. Car. du Freſne *Gloſſar.*

D. EGIDIUS, natione Lemovicus, religionis ac pietatis fulgor, Noviodunenſis Ep. Flandros, & Picardos, ad Chriſti fidem convertit, martyrumque ſanctorum plurima conſtruxit monumenta. B. Rhen. *l.* 1.

EGIDIUS, Hiſpanus Cardinalis, vir acerrimus, A. C. 1457. Vide *Ægidius.*

EGIDONA, Vide *Eidera.*

EGIDUS, Athenienſis, ſolitudinis ſtudio genus, patriam, & opes reliquit.

EGILIUM ſeu ÆGILIUM, Inſ. parva maris Tyrrh. aliàs ſub Senenſibus, nunc ſub magno Hetruriæ D. vulgò *Il Giglio.* Caſtrum habet cognom. ſatis munitum, contra piratas, cum oppidulo. Vix 10. mill. a monte Argentario & ab ora Hetruriæ. Tota montuola eſt, circuitu circiter 18. mill.

EGILVARDUS, Germanus, Buchardi Ep. Herbipol. vitam ſcripſit. Baronius A. C. 748. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 62.

EGINA Conradus, Vide *Conradus.*

EGINHARDUS, Secretarius Caroli Mag. & gener, Monaſterium Selinſtadienſe fundavit, cujus ipſe primus Abbas. Scripſit vitam Caroli, Annales Franciæ, ab A. C. 741. ad A. C. 829. &c. Epiſtolæ ejus à Chenio editæ, Pſalterii epitomen addidit Trithemius. Obiit A. C. 848. Ludus Ferr. *ep.* 1. Frotarius Tul. *ep.* 16. Sigebert. *de Viris Ill. c.* 16. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 33.

EGION. urbs inter Ætolos & Peloponneſum. *Pomp. Mela.*

EGIPSA, Hiſp. Rex. A. U. C. 1436.

EGIRA ſeu HEGIRA, Epocha Mahometanorum: Mahomet enim ſcelerum, & ſeductionis pœnam timens, ex Arabia Mecham confugit, à qua fuga ſectatores ejus annos, qui merè Lunares ſunt, numerare ſolent. Fixa eſt hæc Epocha die Veneris, 16. Jul. A. C. 622. ſub Clotario II. Heraclio Impp. & Honorio P. Vide Petav. *de Doct. Temp. c.* 50. *& l.* 7. *c.* 12. *Ration. temp.* 2. *P. l.* 4. *c.* 5. Scalig. *de Emend. Temp.* Ricciol. *Chron. refor. t.* 1. *l.* 2. *c.* 24. Chriſtmann. Mercatorem, &c. Significat vox Lunam.

EGIRTIUS, ſeu EGIRSIUS, & GERSIUS, fluv. Aquitaniæ influens in Garumnam, *Gers* Vineto. Oritur in ſup. Armeniaco tractu, dein Auſcios rigat & Lactorium, pauloque infra in Gar. labitur, è regione Agenni. *Baudr.*

EGITA, & ÆGITA, quæ aliis eadem cum *Igædita*, Marianæ *Guimaranes*, opp. Portugall. Damaſi Papæ patria *Ferrar.*

EGLA, uxor David. 2. Sam. *c.* 3. *v.* 5. i. e. *vitula*, ſive *currus*, vel *rotunda.* 1. Paral. *c.* 3. *v.* 3.

EGLINUS Raphaël Iconius, Germ. *Gotz von Munchhoff*, perantiquo ad Turgeram feudo oriundus, fil. Tobiæ V. D. M. Genevæ ſub Theod. Beza *de Prædeſtinatione*, Baſileæ ſub Grynæo *de Forma Dei & Serv.* juvenis diſputavit publicè. Inde Neoſtadium, ad Zanchium & Urſinum audiendum dum ſe accingit, à Rhætiæ Ordd. ad aperiendam III. Tœnum in Valle Tetina Sondiis Scholam vocatus eſt: quâ poſtmodum diſſipatâ, Tiguri Monaſterii maj. Diaconus, N. Teſt. Profeſſor & Canonicus, conſtitutus, Cantum Eccleſiaſticum primus, ex Senatus juſſu, in Eccleſiam introduxit. Poſt quæ Marpurgi Theologiæ Profeſſor, obiit A. C. 1622. Æt. 63. Scripta edidit *Exegetica*, *Dogmatica*, *Prophetica*, *Chymica* (quo in ſtudio infelix) V. P. Freher. *Theatro Viror. eruditione claror.*

EGLON, nomen urbis in tribu Judæ, cujus Regem Dabir cùm evocaſſet in auxilium contra Joſuam & Iſraelitas Adoni-Bezeck, Rex Jeruſalem, & profligati eſſent magno prælio, ſtante ad vocem Joſuæ Sole, ipſi verò Reges ſe abſcondiſſent in ſpelunca urbis Macedæ, juſſit eos ibi cuſtodiri, poſtea cæſis omnibus, eduxit quinque Reges & ſuſpendit ſuper quinque ſtipites, & fuèrunt ſuſpenſi uſque ad veſperum, Joſ. *c.* 10. *v.* 3. *c.* 15. *v.* 39. Eſt autem nunc villa prægrandis in 12. lapide Eleutheropoleos. Hieron. *in loc. Hebr.* Item Rex Moab, à cujus tyrannide Iſraëlitæ per Aodum liberati. Jud. *c.* 3. *v.* 12. Joſeph. antiqq. *l.* 5. *c.* 5. A. M. 2641.

EGMONDANA Familia Belgii, inter præcipuas, multis jam ſeculis floruit: in qua ſub principium ſeculi 15. diverſæ lineæ in Joh. & Mariæ Arculeæ filiis cœperunt. Ex illis enim prior Arnoldus D. Geldriam rexit, & filium nepotemque habuit ſucceſſores. Fuit is fil. Joh. Dni. *de Egmond*, qui obiit A. C. 1451. ex Maria præfata: atque ex Catharina Clivia ac Juliacenſi, Adolphum genuit Geldriæ & Juliæ Ducem; qui defunctus A. C. 1477. ex Catharina Borbonia, filia Caroli I. Duc. Borbonii reliquit Carolum *de Egmond* Duc. Gelriæ ultimum: Obiit autem is A. C. 1538. nulla ex Eliſabetha fil. Henrici Duc. Brunſvicenſis & Lunæburgenſis prole ſuſceptâ. Alter Joh. fil. Dn. Iſelſtenii iterum duos genuit, Joh. I. Com. *Egmondanum* & Fridericum Com. Buræ; cujus hæreditas, per proneptem, Vilhelmo Principi Arauſionenſi allata eſt. Illius ex Magdalena Werdenbergia, fil. Joh. II. obiit A. C. 1528. Pater ex Franciſca Lucemburgica Gaveræ Principe, Lamoralli, ſeu Amurathis Com. Egmondani, Principis Gaveræ, in Belgicis Annalibus celeberrimi, decollati Albani Ducis juſſu A. C. 1568. Quo, & Sabinâ Palatinâ, filiâ Joh. II. Com. Palatini Rheni *in Simmeren*, nati ſunt Philippus, qui obiit A. C. 1590. Lamorallus, Carolus, Eleonora, (defuncta A. C. 1582. ux. Georgii *de Horn* Com. *de Hautekerke*) Sabina (ux. Georgii, Eberhardi Com. Solmenſis) Maria Chriſtina (uxor Gulielmi Lalan. Com. *de Hochſtraten* primò, dein Odoardi Bornovill. Cappers. Com. Henin. tandem Caroli Com. Manſfeldii) Maria Monialis, Magdalena, Anna Monial. Joh. & Philippa. Vide eundem Spener. ubi ſuprà *tom. II. p.* 24.

EGNATIA Maximilla, Galli Glicii uxor, quæ virum indicio Quintiani in Piſoniana conjuratione & ob amicitiam Senecæ infamatum magis, quàm convictum, in exſilium comitata eſt magnis primùm & integris opibus, mox ademptis, Tacit. Ann. *l.* 15. *c.* 71.

EGNATIA, ſeu GNATIA, IGNATIA Strab. Peucetiæ in Italia opp. in ora maris Hadr. eſt, hodiè callapſum quidem, ſed ejus buſtum *Nazzo* vocari teſtatur Niger. Baudrando nunc vicus eſt regni Neap. in prov. Bariana, *Torre d'Anaſſo* vulgò. 5. mill. à Monopoli in Ort.

EGNATIUS, prænomine *Publius*, habitu & ore auctoritatem Stoicæ Sectæ prætulit; animo perſidioſus & ſubdolus avaritiam ac libidinem occultans, Bareæ Sorani cliens, vendidit pecuniâ falſum teſtimonium, ad opprimendum Patronum. Idem filiam Bareæ Sorani Serviliam, cùm ipſius hortatu ad magicam deſcendiſſet, Neroni detulit. Initio Imperii Veſpani à Muſonio Rufo in Senatu accuſatus. Tacit. *Hiſt. l.* 4. *c.* 10

EGNATIUS Capito, vir Conſularis, inter occiſos à Commodo Imp. apud *Lamprid.*

EGNATIUS Joh. Baptiſta, Venetus, virtute, probitate, eloquentiâ ac eruditione inclytus, diſcipulus Angeli Politiani, M. Anton. Sabellico in munere docendi publico ſucceſſit, ille per 40. Annos cum gloria defunctus Scripſit *de Principibus Rom.* aliaque bene multa. Obiit A. C. 1553. Æt. 80. Thuan. Eraſmus *in Cicer.* Poſſevin. *Biblioth. l. XVI. Sect.* 3. *c.* 4. Anton. Teiſſier *in Elogiis* &c. Vide & *Iohannes B. Egnatius.*

M. EGNATIUS Rufus, ædilis, ſub conjurationis crimine in Auguſtum oppreſſus.

EGNATULEIUS Honoratus, Nobilis Rom. ſine cauſæ dictione interemtus, juſſu Severi, Spartian.

EGOLISMA, Vide *Engoliſma* & *Inculiſma.*

EGONUM, pagus agri Ferrarienſis. Polyb. *Vicovenza* hodiè.

EGORIGIUM, Legio XII. nunc vicus *Rut*, ad fluv. Gelbim, in ditione Trevir. verſus confin. Duc. Juliacenſis, Cluver 8. leuc. à Treviris in Bor. 8. à Colonia Agr. in Auſtr.

EGOSA, opp. Caſtellanorum olim Hiſp. citer. in Catalaunia, nunc pagus *Gaudena*, teſte Moletio. Baudr. nunc *Caſtell Jollit*, oppidul. munitum Cataloniæ in colle, juxta Fluvianum amnem, 6. leuc. Hiſp. à Vico in Bor. paulo ampliùs à Gerunda in Circ.

EGRA, urbs permunita, à fluvio, cui adjacet, dicta: olim Imperio Romano, hodie Bohemiæ regno ſubjecta. Ptol. *Menoſgada* vocatur. In ejus arce occiſus eſt Fridlandiæ D. 20. leuc. à Praga, in Occ. 12. à Pilſena. Item urbs Arabiæ juxta ſinum Ælanitem. *Steph.*

EGRANNIA, aliàs EGRENNIA, recentioribus *Egrenius*, vulgò *Egreines*, quibusdam trunco nomine *Grane*, fluv. eſt Galliæ, unus ex quatuor illis, qui apud Abrincatuos, in colle Brimbalio, *la Bute de Brinbal*, orti, ſuo quiſque alveo in diverſa decurrunt. Attingit Longiledum Abbatiali Monaſterio clarum *Lonlé*, vicumque S. Marci ad Egranniam *S. Marc de Grane*, aut potiùs *d'Egrane*, ubi Varennâ excipitur, mox Meduanam aucturo. Reliqui amnes tres ſunt Seva, Viria & Nigra Aqua. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall. in voce Abrincatui.*

EGREGIATUS, ſeu EGREGII titulus honorarius, iis ut plurimum, qui in Palatio militaverant, conceſſus, aut quibus provinciæ fuerant commiſſæ; Primipilaribus item, poſt emeritam militiam & Cæſarianis, ut eſt in *Cod. Th. l.* 1. *de Honorar. codicill. l.* 3. *de Cohortal. l.* 1. *de Cæſarian. leg.* 5. *de Decurion.* ex quibus colligitur, *Egregiatum* dignitate Perfectiſſimatu fuiſſe inferiorem. Reſpexit huc Lactant. *Divin. Inſtitut. l.* 5. *c.* 13. *Nemo denique Egregius, niſi qui bonus: nemo Clariſſimus, niſi qui operâ miſericordiæ largiter fecerit: aut Perfectiſſimus, niſi qui omnes gradus virtutis impleverit*, apud Car. du Freſne *in Gloſſario.*

de EGRIGORIS, titulus libri, qui ſub nomine *Henochi* circumfertur, h. e. *de Angelis*: à Græco *γρηγορεῖν*, *vigilare.* Clemens Alex. *Pædagog. l.* 2. *c.* 7. *Beati enim, qui ad ipſum vigilarunt, ſe ipſos aſſimilantes Angelis, quos nos* Egrigoros, *h. e. Vigilantes vocamus.*

EGRITIA, Vide *Ægritia.*

EGURRI, ſeu EVOGARRI Plin. Hiſp. Tarrac. pop. Aſturibus vicini, quorum opp. *Forum Egurrorum*, *Medina de Rio ſecco*, teſte Vaſæo. Vide *Forum.* Aliis eſt *Monteſurado*, opp. Gallæciæ, ad Burniam fluv. longè à Methimna ſicca, in Occ. *Baudr.*

EGUSA, Vide *Æguſa.*

EGYPTIANI, mel. ÆGYPTIANI, Erronum impoſtorumque genus nequiſſimum. Italis *Ciani* & *Cingari*, Germ. *Zigeuner*, vulgò *Tartari* & *Gentiles*, quibuſdam *Saraceni*, Angl. *Ægyptii* & *Gypties*, Apparuêre primùm in Germania, A. C. 1417. Munſtero teſte, nigredine deformes, excocti ſole, immundi veſte, & uſu rerum omnium fœdi. Furtis inprimis dediti, præſertim fœminæ, quæ viris inde victum perhibent. Ducem, Comites, Milites inter ſe honorant, veſte præſtantes. Venaticos canes more Nobilium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

lium habent, equos ſæpe mutant, major tamen pars graditur pedibus. Fœminæ cum ſtratis & parvulis, jumento invehuntur. Literas circumferunt Sigiſmundi Regis, & aliorum Principum, ut innoxius ipſis permittatur tranſitus: Ferunt ipſi, ex injuncta ſibi pœnitentia, mundum ſe peragrantes circumire, atque è minori Ægypto primùm migraſſe. Sed fabula hæc, ut notat prædictus Munſterus *Georgr. l. 3. c. 5.* Oriuntur quippe in omni regione, & ſui ſimiles in gymnaſium ſceleris adſciſcentes, vultum, cultum, moresque ſupra memoratos ſibi inducunt: Linguam, quò exotici magis videantur, fictitiam blaterant, quam Germ. *Rotwelſch*, qu. Rubrum Wallicum, i. e. Barbariſmum, Angli *Canting* vocant; provinciasque vicatim pererrantes, auguriis & furtis, impoſturis & technarum millibus plebeculam rodunt & illudunt, Spelm. Vide & *Cingari*, alibique paſſim.

EHUD, Iſraëlitarum Judex, fil. Gera, liberavit Hebræos à tyrannide Eglonis Regis Moabitarum. Jud. *c. 3. v. 16. 21. 23. 26.*

EICETÆ, Hæretici, monaſticam vitam fœminis etiam allectis, profeſſi, ſaltando & choreas agendo Deum ſe laudare dicebant, ad modum Iſraëlitarum, poſtquam Ægyptii mari Rubro merſi periêre. Joh. Damaſcen. *l. de hæres.* Gautier. *in Chron. ſec. 7. c. 1.*

EICHFELDIA, tractus Germ. Brunſvicenſi ditioni ad Merid. Electoris Moguntini. Vallius *Georg.* Vide *Eiſchfeldia.*

EICHSTADIUM, urbs Bavariæ, cujus Ep. cum Herbipolenſi, inſtitutus eſt, A. C. 746. vulgò *Eichſtat*, quaſi *Quercopolis.* Vide *Aichſtadium it. Eiſtadum.*

EICHSTADIUS Laurentius, Vide *Laurentius.*

EICHSTADIUS Philippus, Vide *Philippus.*

EIDERA, fluv. Daniæ, *Epidora* Reginoni. Oritur ſupra Renſburgum, & Holſatiam Dithmarſiamque dividit à Sleſvicenſi Duc. Dein, infra Tonningam, mare Germ. ſe exonerat. Hinc regiunc. inter Tonningam & Huiſemum, *Eiderſtede* dicitur, ſub Sleſvic. Duce.

EIDOMENE, Macedoniæ urbs. *Steph.*

EILESIUM, nomen loci. Steph. ex *Homero.*

EILEITHYIA, urbs Ægyptiaca. *Steph.*

EILHUSA, arx ſitu ſpectabilis Comit. Waldecc. *Joh. Matal. Metell.*

EILOTÆ, Spartanorum mancipia, de quibus diximus aliquid, in voce *Elotæ.* Cogebantur illi pileum geſtare è canina pelle, ut & pelliceam veſtem veluti vilem & luctuoſam, adeoque teſtem illius miſerrimæ conditionis, cui eam gentem neceſſitas addixerat: εἱλωτείαν vocat Plato *de Legg. l. 6.* Vide quoque Athen. *l. 14.* & plura hanc in rem, apud C. Paſchal. *Coron. l. 9. c. 26.*

EIMINATIUM, Dalmatiæ urbs *Ptol.*

EINATUS, Cretæ urbs, alii fluv. & montem eſſe dicunt. *Steph.*

EION, emporium ad oſtia Strymonis fluv. Thucyd. 25. ſtadiis ab Amphipoli in Auſtr. Cherſoneſi etiam urbs, & circa Pieriam. Steph. Vid. Polyæn. *l. 7.* in Borge.

EIONE, Corocondæ prom. inter Pontum & Mæotim excurrens. Plin. *l. 6. c. 6. Punta di Matriga*, & Pineto *Capo di Croce.*

EIONES, Argiæ pagus fuit, poſtea navale Mycenarum. *Strabo.*

EIONEUS, unus è Græcorum Principibus, qui ad Trojam profecti ſunt, ab Hectore interfectus. *Hom. Il.* 8. Item alius Thrax, Rheſi Pater, qui noctu à Diomede, & Ulyſſe interfectus eſt. Hom. *Iliad.* 10.

EIRAS, mons in Meſſenia, in quo ſe Meſſenii 11. Annis contra Lacedæmonios defendêrunt *Nic. Lloydius.* Nempe, poſt prælium ad Magnam Foſſam, (V. ibi) Ariſtomenes reliquias copiarum collegit, & Andaniâ oppidiſque mediterraneis relictis, Ἐς Εἴραν, in *Eiran* montem ſe recepit, atque inde Lacedæmonios infeſtans multa illis damna intulit. Prælio mox congreſſus cum ambobus Lacedæmoniorum Regibus, & percuſſo ictu lapidis capite corruens, cum 50. de ſuis captus eſt: *reliqui in Eiran aufugêrunt*: ubi, ſicut hactenus poſt cladem ad Foſſam, 11. porrò annis ſe defendêrunt. Undecennalis enim obſidio ab Ariſtomenis captivitate numeranda, ut docet Marshamus, non à clade ad Foſſam, ut interpres Pauſaniæ ratus eſt. E' Cæada liber Ariſtomenes, ad ſuos tandem evaſit *in Eiram, jam obſeſſam*: noctuque adortus Corinthios Spartanis auxilio venientes, duces occidit, caſtra diripuit & Jovi Ithomatæ Ἑκατομφόνια iterum fecit. Undecimo demum anno, cum Ariſtomenes accepto nuper vulnere vigilias pro more circumire non poſſet & milites, qui excubabant per effuſiſſimos imbres ſtationem deſererent, re à bubulio adultero prodita, Lacedæmonii per imbres tenebrasque admotis Scalis muros tranſcendunt. Diu pugnatum fruſtra: tandem Ariſtomenes, uxoribus liberisque in medios ordines receptis, hoſtibus ſignum dedit ſe diſceſſionem petere, quam facilè impetravit. Atque ſic *Eirâ captâ*, bellum Lacedæmoniorum & Meſſeniorum II. (ſicut Ithomé captâ I.) finitum eſt, Anno I. Olymp. 28. obſidionis II. defectionis 18. Anno Attico 915. Archonte Athenis Autoſinere. Ex Pauſaniæ *Meſſeniacis* Joh. Marſhamus *Canone Chron. Sec.* XVII.

EIRESIA petra, in Inſ. Salamine, Schol. *in Equit. Ariſtoph.*

EIRESIDE, Tribus Acamantidis vicus. *Steph.*

EIRESIONE, Græcè Εἰρεσιώνη, fuit ramus permagnus, ἐξ ἐρίων ἔχων στέμματα *è lana habens ſtemmata*, ſurculos, caricas, & purorum fructuum ſeries; ſeu truncus oleæ, omnes fructus habens ſuſpenſos & ſtemma album ac purpureum, ut habet Auctor *Etymolog.* vel, ramus oleæ lanâ redimitus omnigenis repletus primitiis, ut Plutarch. *Theſeo*: quem pro foribus conſtituendi mos, apud Vett. celebris fuit, oraculo Athenienſibus inculcatus. Fortè enim & fame, & peſte univerſam terram affligente, conſultantibus, quo pacto malum averruncari poſſet, reſpondit Apollo, ſi ſacrificium ante ſulcamina terræ fieri ſuetum pro omnibus Athenienſibus fieret. Quâ re peractâ, lues ceſſavit: eâque re finitimi omnes gratulationis causâ omnium fructuum primitias Athenienſibus miſêre. Hinc itaque *eireſione* periculis hiſce avertendis, pro foribus in poſterum conſtituta eſt, menſe Pyanepſione, quo τὸ προηρόσιμον, h. e. *ſacrificium præſementitium*, paulo ante ſationem quoque peragebatur: idque in omen abundantiæ & fœcunditatis. Unde apud Ariſtoph. *Equit.* populus conſpicatus duos cives factioſos & protervos, qui fores ejus pulſaverant, indignabundus reſpondet, Τίνες οἱ βοῶντες; οὐκ ἄπιτ' ἀπὸ τῆς θύρας, Τὴν εἰρεσιώνην μου κατεσπαράξατε. *Qui hi clamantes? non abitis à janua; eireſionem meam fregiſtis.* Ac ſi dicat, mihi propter vos nulla annonæ abundantia, ſed ſterilitas potiùs eſt; turbatores eſtis mei & peſtes civitatis. Sed & ramo hoc ſupplicabant Apollini Athenienſes eo ipſo die, quo Theſeus unà cum ſociis periculo exemtus creditur: ſimulque bellaria & calicem vini effundentes, hos verſus canebant.

> Εἰρεσιώνη σῦκα φέρει, καὶ πίονας ἄρτους
> Καὶ μέλι ἐν κοτύλῃ, καὶ ἔλαιον ἀναψήσασθαι,
> Καὶ κύλικ' εὔζωρον, ὡς ἂν μεθύουσα καθεύδῃ.
> *Eireſione fert ficus & pingues panes,*
> *Et mel in catino & oleum ad detergendum,*
> *Et calicem purum, ut inebriata dormiat* &c.

Nomen vel à *lana*, Græcè ἔριον, quâ coronabatur; vel à complicandis ſeu commiſcendis fructibus, quomodo lana in glomos ſublata confunditur: vel ἀπὸ τοῦ ἐρωτᾶν, *ab interrogando*, quia Deum interrogabant, quid illo ramo poſt ſacrificium facerent. Eam verò & *corythaliam* dicebant. Voxque poſtmodum ad quævis virgulta ſeu ſurculos aut virgas extenſa eſt, unde πληγεὶς ταῖς εἰρεσιώναις, *verberatus virgis*, apud Ariſtoph. *Veſpis.* Vide C. Paſchal. *Coron. l. 5 c. 15.* & Salmaſ. *ad Solin. p.* 735. Simile quiddam fuit τέννος, quam *coronam oleaginam lanâ intextam* interpretantur, apud eundem Paſchal. *ibid.* de *Eireſione Judaica*, infrà dicemus, in voce *Oſanna.* Vide quoque *Ireſione.*

EISCADIÆ, Luſitaniæ urbs ſub Viriathi imperio à Serviliano capta. *Appian.*

EISCHFELDIA, tractus Thuringiæ, ſub El. Mogunt. juxta Ducatum Brunſvic. Ibi opp. præc. Duderſtadium.

EISENACUM, & ISENACUM, opp. Germ. in Thuringia, ad Neſſam amnem, cum Duc. tit. ſub Ducibus Saxo-Weimar. Arcem habet. 4. luc. à Mulhuſia in Auſtr. 7. ab Erphordia in Occ. Regiunc. adjacens ei paret. Vide *Iſenacum.*

EISENBURGUM, Arx Comit. Waldecc. *Joh. Matal. Metell.*

EISLEBIA, vel ISLEBIA, urbs parva Comitatus Mansfeldiæ in Saxonia ſup. metropolis, antiquitate & ſitu commendata: appellationem ab Iſide Ægyptiaca conſequuta putatur, quæ, Tac. teſte, oras Suevicas vicinaque loca poſt mortem mariti Oſyridis peragraverit, & Eiſlebiæ domicilium foverit. Situ eſt ſalubri & optimo, ſolum habens tam in ſuperficie quàm in fundo fertile. Joh. Matal. Metell. Lutheri patria, qui ibidem obiit. 1. leuc. à Mansfeldia opp. in Eur. 4. ab Halla in Occ. *Baudr.*

EISTADUM, urbs Bavariæ ſup. ad Alemannum fluv. ſub proprio Ep. 4. leuc. à Donaverta in Ort. 2. à Neoburgo in Bor. 8. à Norimberga in Auſtr.

EIZELOS, Siciliæ caſtellum. *Steph.*

EKELENFORDIA, urbs Duc. Slevic. Surrexit ex ruderibus vet. arcis *Ekerenborg*, ad brachium maris Balt. cum portu capaci. Mari cingitur maj. ex parte. Media ferè inter Sleſvicum & Chilonium.

EKESIUM, urbs Smalandiæ in Suec. verſus Oſtrogothiam. 5. leuc. Suec. à Vetero lacu in Ort.

ELA, i. e. *ilex*, vel *quercus*, aut Syriacè *Deus*, civitas Idumæorum. Gen. *c. 36. v. 41.* Item fil. Caleb. 1. Par. *c. 4. v. 15.* Pater Semi præfecti in Benjamin. 1. Reg. *c. 4. v. 18.* Filius Ozi. 1. Par. *c. 9. v. 8.* Fil. Baaſa Regis Iſrael. 1. Reg. *c. 16. v.* 8. & 10. Joſeph. *Antiqq. l. 7. c. 6.* A. M. 3105. Item quartus Rex Iſrael. Denique Aſiæ regio. *Steph.*

ELABACARE, locus Indiæ intra Gangem ad maris litus. Arrian. *in Periplo.*

ELABONTAS fluv. per Antiochiæ campum, qui Pagris ſubjacet, fluens Strab. *l.* 26. Exemplaria emendata legunt ὁ Λαβώτας *Labotas.*

ELACATÆUM, mons Theſſaliæ, in quo Jovis *Elacatæi* templum. *Steph.*

ELAD, i. e. *Dei æternitas*, aut *teſtimonium*, vel *præda Dei*, fil. Suthalæ. 1. Par. *c. 7. v.* 21.

ELADI-BILA, Saracenorum Calipha XXV. ſucceſſit Mahadi-Bilæ, regnavit ſubditis chariſſimus: victus in Cilicia ab Irene. Obiit A. C. 787. ſucceſſore Arachido ſeu Aarone, quem vide.

ELADUS Argivus, Magiſter Phidiæ, cujus opus eſt ſimulacrum Herculis in Melite. Vide Schol. in Ariſtoph. *Ran. Act. 1. ſc.* 1.

ELÆA, urbs Aſiæ in Æolica, Pergamenorum navale, quæ *Cidænis* nominabatur, à Mneſtheo condita. Steph. Item inſ. Propontidis. Plin. *l. 5. c.* 32. Et Phœniciæ urbs inter Tyrum & Sidonem. Steph. Item prom. Cypri in ora ad Ort. *Riſo Carpaſſo* Luſignano. Urbs etiam prope Myſiam, navale Bithyniæ. Steph. Vide infra. Denique urbs, & portus Æthiopiæ, & inſulæ tres. *Strabo.*

ELÆA & ELEA, urbs Myſiæ mai. 25. mill. à Pergamo in Occ. Hinc mare inter ipſam & Lesbum, *ſinus Elaticus.* 20. mill. à Mitylene in Ort. in confinio Æolidis. *Baudr.*

ELÆÆ, Thraciæ urbs. *Procop.*

ELÆON, mons Judææ Hieroſolymis imminens, qui & mons *Olivarum*, & *Olivetus.*

ELÆOPHORIA, hoſpitia dicta ſunt, ad quæ Alexandrini euntes olivam, in ſignum pacis, ferebant, Cotta in voce *Hoſpitat.* quod vide: Gothofredus *Not. ad* §. 19. *l. mun* 18. *ff. de muner.* Vide & Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.*

ELÆOTHESIUM, Vide ſuprà *Alipterium*, & infra *Unctuarium*.

ELÆUS Jupiter, qui & *Olympius* vocabatur, oraculo prius, mox ludis publicis celebratiſſimus fuit, in agro Piſano, apud Flin, unde illi nomen, cujus templum refertiſſimum donariis fuit: ibi enim ſol dum ex auro ipſius Jovis ſimulacrum, & Phidiæ eburnea ſtatua incredibilis magnitudinis.

ELÆUS Epiri portus. Ptol. prope oſtia Acherontis in Auſtr. Nunc quid ſit, ignoratur. Item vicus in tribu Hippothoontide. Steph. item urbs in Doridis ſinu. Plin. *l.* 4. *c.* XI. *l.* V. *c.* 29. Epiri item. *Ptol. Docnæ* Moler. & Calydoniæ. Polyb. & Helleſponti. *Steph.*

ELÆUS, fluv. Bithyniæ interioris, haud longè à Lilæo, memoratur Arriano in *Periplo*.

ELÆUSSA, inſ. Ciliciæ. Vide Steph. in Ἐλαιοῦσσα.

ELAGABALUS, ſive *Alagabalus*, nomen Soli ab Emeſſenis datum: pro quo Græci ac Romani, ut vox ea quodammodo barbariem exueret, *Heliogabalus* dicere maluêrunt: imò & Ἐλαιαγάβαλος pro eo apud Herodian. legas. Eum autem Solem eſſe, indicant tum Dio & Herodian. qui Ἥλιον exponunt; tum lapides; in quibus eſt, SOL ALAGABALUS: item nummus antiquus, in quo eſt SACERDOS DEI ELAGABALI. Nomen unde conflatum ſit, non convenit; præterquam de parte priori, quæ eſt אלה *elah*, ſive Arabicè *Alah*, Deumque ſignat. Quod ad alteram partem, variè de ea doctiſſimus Fullerus *in Miſcellan. ſacr. l.* 1. *c.* 14. Sed non dubitandum, ait Voſſ. quin illa ſit גבל *gabal* quod tamen quomodo capi debeat, controverſum. גבל enim principe ſignificatione ſumitur pro *finire* ſeu *terminum conſtituere*: ſed præterea notat, *fingere*, *figurare*, *formare*. Unde Schythis גבול *gabul*, Arabibus גאבל *gabil*, h. e. κτίστης ſive *Fictor*, *Conditor*: quæ ſententia Fullero inprimis placuit. Nempe ut *Elagabalus* idem ſit ac ὁ Ἥλιος δημιουργός, *Sol opifex*, ſive *Conditor Univerſi*, prout dicitur Porphyrio, apud Euſeb. *Præp. Evang. l.* 3. *c.* 4. qui cum convenit, quòd idem Sol Κτίστης τῆς οἰκουμένης, *Conditor Univerſi*, nominatur in obeliſco maximo, quem Conſtantinus Mag. Romam transferri juſſit: ut locuples nobis teſtis eſt Amm. Marcell. *l.* 17. *c.* 4. ubi Romam novam ſeu Conſtantinopolim intelligi, ex obeliſci inſcriptione hodieque extantis liquet. Sed præterea גבל *gebel* Arabibus. montem notat: ut *Elagabalus* ſit *Deus mons* ſeu *Deus Montis*, in quo ædes illius forent: unde & ſymbolum ejus erat lapis ingens in montis modum faſtigiati adſurgens &c. De Templo *Elagabli* illuſtris eſt Avieni locus, apud quem primùm ſic legas, de ſitu Orbis.

Urbs mediis Apamea dehinc conſurgit in arvis,
Et qua Phœbeam procul incunabula lucem
Prima fovent, Emeſæ faſtigia celſa renident.

Poſteaque de Templo ipſo:

Deniq;ue flammivomo devoti pectora Soli
Vitam agitant. Libanus frondoſa cacumina turget:
Et tamen his certant celſi faſtigia templi.

Ab hoc poſtea Numine Anton. Varius nomen *Heliogabali* accepit quia priùs Sacerdos fuiſſet Dei Heliogabali, ſive, ut Oriens efferebat, *Elagabali* aut *Alagabali*; idemque Deo huic templum Romæ conſtituit, teſte Lamprid. *in eo.* Vide quæ de hoc idolo eruditè *ad Euſeb.* Scalig. eruditiùs *ad Lamprid.* Caſaub. eruditiſſimè *ad eund.* Salmaſ. annotavit, verba ſunt Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 5. Addo ſaltem, quòd ejus ſimulacrum vehiculo impoſuit Anton. Aug. ejus Sacerdos. Λίθος τις ἐστὶ μέγιστος κάτωθεν περιφερὴς λήγων εἰς ὀξύτητα, *Lapis eſt Maximus ab imo rotundus, & ſenſim faſtigiatus* Herodian. *l.* 5. ſicut in Nummis hodieque cernitur, Decis Croy. t. 55. 20. Triſtan. II. *p.* 220. Vide quoque infrà in voce *Heliogabalus*, uti de rudibus hujuſmodi apud priſcos Deaſtrorum ſimulacris, ſuprà in voce in *Bætylus*.

ELAIRA, vide *Leucippides*.

ELAIS, Vide *Anius*.

ELAITES, nemus Ægypti ad dextram foſſæ Canopicæ. *Strab.*

ELAM, Fil. Semi. Vide *Elamitæ*.

ELAMITÆ, Perſarum principes, ab *Elam* fil. Sem. profanis ſcriptoribus Elymæi. Inter Perſiam & Babylonem habitabant, imo ex illis Perſas oriundos exiſtimat Joſeph. Vide Dan. *c.* 8. *v.* 2. Horum Rex erat Codorlahomor, ab Abrahamo cæſus, Gen. *c.* 14. *v.* 1. 4. 17 bellicoſi, Eſai. *c.* 11. *v.* XI. *c.* 21. *v.* 21. *c.* 22. *v.* 6. Jer. *c.* 25. *v.* 25. *c.* 29. *v.* 3. Act. Apoſt. *c.* 2. *v.* 9. Caput Elymais, ubi templum celebre Dianæ, quod Ant. Epiphanes diripere voluit. Joſeph. *Antiqq. l.* 1. *c.* 7. & *l.* 12. *c.* 13. Torniel. *A. M.* 1657. *n.* 19 1931. *n.* 50. 2105. *n.* 1. &c. Item Arabiæ pop. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

ELANA mel. *Ælana*, Arabiæ Petrææ urbs, cum portu, ad ſinum Arabicum. Ptol. *Aila* Nigro *Eylan* quibuſdam. Sub Turcis. 30. mill. ab urbe *Eltor* in Bor. Villanovano eſt urbs *Eltor* in Auſtr. *Baudr.*

ELANCORUM, Empor. Indiæ intra Gangem. *Ptol.*

ELAPHEBOLIA, feſta apud Græcos, quæ fiebant menſe Februario, in quibus cervi Dianæ *Elaphebolia* ſacrificabantur, unde & menſis ille *Elaphebolion* dictus eſt.

ELAPHIÆA, Diana dicta eſt ab *Elaphia* nutrice.

ELAPHITES, Adriatici maris inſ. 12. m. p. à Melito. Plin. *l.* 5. *c.* 31.

ELAPHONNESOS, una Sporadum inſularum cum urbe ejuſdem nominis. *Steph.*

ELAPHUS, mons Aſiæ, & Arcadiæ. *Pauſan.*

ELAPHUSA, inſ. in Adriatico mari. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

ELAPTONIUS, è puerorum nobilium Alex. Mag. cohorte, conjurationis in Regem particeps Hermolao. Curt. *l.* 8. *c.* 6.

ELASA, i. e. *Dei fictura*, fil. Saphan. Jer. *c.* 29. *v.* 3. Eſdr. *c.* x. *v.* 22. Item fil. Rapha, filii Baana. 1. Par. *c.* 8. *v.* 37.

ELATAS, Bithyniæ fluv. in Pontum decurrens. *Ptol.*

ELATEA, urbs maxima Phocidis ab *Elato* quodam. Item alia Theſſaliæ, & alia Theſprotiæ, quam etiam vocant *Elatriam Steph.*

ELATH, urbs regni Edom, in littore maris rubri ſita, unde & ex Ægypto in Indiam, & inde in Ægyptum, navigatur, quam tranſierunt filii Iſrael, de Heſiongeber. Deut. *c.* 2. *v.* 8. Lat. *cerva*, ſive *fortitudo*, aut *ilex*, vel *quercus*.

ELATITES, hæmatites dictus eſt, ſed crudus adhuc, à flavo *elates* colore, quâ voce integumentum fructûs palmarum, & fructum ipſum ſignificari, pluribus docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 409. Vide Plin. de hoc lapide *l.* 36. *c.* 20.

ELATIUM, urbs Decapolis, inter Jordanem fluv. ad Occaſ. & Philadelphiam ad Ort. verſus confin. Arabiæ deſ. 15. mill. à Philad. 90. à Damaſco in Auſtr. 90 à Petra in Bor.

ELATRIA, opp. Epiri in Theſprotia. *Ferrar.*

ELATUS, primus Spartæ. Ephorus. Plutarch. *Cùm Lycurgus regimen publicum temperaſſet, qui tamen ſucceſſêrunt ei, videntes Oligarchiam, inflatam & impetus plenam, Ephororum auctoritatem tanquam frenum, impoſuêrunt; Annis circiter* 130. *poſt Lycurgum; Elato conſtituto primo Ephoro; regnante Theopompo;* in *Lycurg. p.* 43. d. & *ad indoct. Princ. p.* 779. *c.* Vide quoque ubi de hoc Magiſtratu, it. in voce *Theopompus*.

ELATUS, Perræbus quidam, pater Cænei. Ovid. *Met. l.* 12. *v.* 497.

------ *Manet imperfoſſus ab omni*
Inque cruentatus Cæneus Elatejus *ictu*.

ELATUS, mons Aſiæ. Vide *Elaphus*. Zacynthi, Plin. *l.* 4. *c.* 12. *l.* 8. *c.* 58.

ELAVER, Galliæ fluv. apud Cæſarem. *Allier.* hodiè. Hunc non tranſiri ſolere vado, ante autumnum, ſcribit Cæſar *Bell. Gall. l.* 7. Oritur in Diœceſi Mimatenſi, ſeu in Occitania, è vico Condreſio, in radicibus Loſeræ altiſſimi montis Gabalorum, dein inter Gabalos & Velaunos labens, Alverniam bifariam ſecat, ut & pòſt Borbonienſem prov, ubi juxta Molinum labitur, tandem paulò infra Nivernas, in Nivern. prov. ad locum *Bec a' Allier*, in Ligerim cadit. Baudr. Valeſio ſurgit in Cebennis, in confinio Gabalorum & Vellavorum: & attingit Caſas Monaſterium, *les Chazes*, Langiacum, (*Lanjac*) Petrociam *Peyruſſe*, Volutam *la Volte*, Brivatem veterem *Brioude vieille*, Brivatem, *Brioude*; Iciodorum, *Iſſoire*, Pontem Caſtelli, *Pont du Chaſteau*, Viciacum *Vichi*, opp. S. Germani de Foſſis, *S. Germain des Foſſez*, Varennas, *Varennes*, & Molinas *Moulins* alluit, & infra Nivernum in Ligerim influit. Oſtium ejus vulgò *os Elaveris*, ſeu Bucca Elaveris dicitur, *le Bec d'Allier*. Accipit præter cæteros Alanionem *Alamion*; Dorium *Duore* vel *Dore*; Cicaulam, aliàs Seulum, *Siole* vel *Sioulle*, qui Bubulâ augetur *Bouble*. Apud Mabringas, *Mabringues*, qui locus eſt inter Pontem Caſtelli atque Viciacum, incipit navigari; Ligerimque auget ad 3. lapidem à Niverno, poſtquam pagum Nivernenſem à Burbonenſi diviſit per leucas 10. *Notit. Gall.*

ELAVIA, caſtell. Siciliæ. *Steph.*

ELBESTII, Libyæ pop. *Steph.*

ELBII Vicus, *Vico*, vicus parv. apud lacum Ciminium, inter Viterbium & Roncilonem opp. in via, quæ Romam ducit, occurrens.

ELBINGA, urbs munita Pruſſiæ reg. Hockerlandiæ tractus caput, emporium celebre, non longè à mari Balt. in Hanſeatico fœdere, prope lacum Drauſenum, ubi in Sin. *Friſch-haff* ſe exonerat, ad Elbingam fluv. in ſitu amœno. Pulchra & elegans, duplexque, nempe nova & vetus, A. C. 1239. condita. A. C. 1454. cum Gedano, Ordini Teuton. dejectâ arce, ſe ſubduxit, Polonorumque ſe tutelæ permiſſit. Ibi Academia erecta A. C. 1542. ab Alberto Brandeb. Pruſſiæ Duce. Capta. A. C. 1629. & 1655. à Suecis ſed reddita.

ELBO, inſ. quædam. *Steph.*

ELBODIUS, Brito, Ep. Vinceſtrienſis, ſec. 7. ſcripſit de celebratione Paſchatis, & hiſtoriam ſui temporis. Balæus, & Lelandus, apud Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 24.

ELBONTHIS, urbs inter Ægyptum, & Cyrenen. *Steph.*

ELBORA, urbs Hiſp. Tar ad Tagum fluv. vulgò *Talavera*.

ELBOTUM, hodie *Elbeuf*, ab altitudine Sequanæ, qui infra Elbotum nullius præter quam Biſelæ fluv. aquas accipit memoratu dignas Bot autem & *Bod.* vet. Gallicâ & Liguſticâ linguâ altitudinem ſignificat: hodieque Germani *Bodem*, Angli *Bottom* fundum appellant. Municipium Galliæ eſt, in diœceſi Rotomagenſi, in Ducale faſtigium evectum. Sub Principe, ex familia Lotharingica. Juxta id Prioratus S. Ægidii eſt, in Polyptycho Monaſter. Franciæ memoratus, Vide Hadr. Val. *Not. Gall.*

ELBOVIUM. mel. *Elbotum*, oppidul. Normanniæ, cum Duc. tit. ad Sequanam. 3. leuc. ſupra Rothomagum in Auſtr. Vide *Elbotum*.

ELBURGUM, Geldriæ opp. in littore Sinus Germ.

ELCANA, fil. Core. Exod. *c.* 6. *v.* 23. Lat. *Deus zelotes*, aut *Dei profeſſio*, vel *Dei calamus*, ſive *Deus nidus ejus*. Item fil. Jeroham, maritus Hannæ & Peninnæ. Pater Samuelis. Vide 1. Sam. *c.* 1. *v.* 4. Item fil. Aſir. 1. Par. *c.* 6. *v.* 23, 24, 25, 26.

ELCEBUS, ſeu *Helelius*, urbs Germ. Super. opp. Triboccorum, in Alſatia apud Rhenum. vulgò *Schleſtat*. Baudr. nunc vicus *Elle*, in Alſatia inf. ad fluv. cognom. 1. mill à Benfelda, 2. leuc, Germ. à Seleſtadio, 3. ab Argentina in Auſtr. 4. à Briſiaco in Bor. Hinc *Elces*, vernaculum regionis nomen, quod *primò tantum ei tractui, qui circa Ellum fluv. eſt tributum fuit, deinde toti regioni veteri Triboccorum nomenclaturâ abolitâ* ut diceretur provincia *Elſes*, quæ poſtmodum ætate Car. Mag. aut circiter *Alſatia* dici cœpit. B. Rhenan. *Rer. Germ. Nov. Antiqq. l.* 3. ad quem vide *Notas* Cl. Ottonis. JC. *p.* 531.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ELCESAITÆ, & *Sampſæi*, hæretici, tempore Origenis, ſectatores cujusdam Ἠλξαι, Euſeb. *hiſt. l.* 6. *c.* 31. dicti. Epiſtolis Pauli rejectis, Judaizabant; ſingulari veneratione librum venerati, quem ſibi cœlitus miſſum dicebant, &c. Fidem ore poſſe abnegari, duos Chriſtos eſſe docebant, cœleſtem & terreſtrem, de quo poſteriore mira ſomniabant. Aquam venerati; nudipedes incedebant, ab animatorum eſu abſtinebant, magiæ dediti, &c. Secta hæc mox evanuit, nihilominus, Martham & Marthanam, de hæreſeos hujus auctorum ſtirpe, ab his adoratas ſuo tempore refert Epiphan. *hær. l.* 19. *c.* 35. *&c.* Aug. *de hær. c.* 32. Euſeb. *hiſt. l.* 6. *c.* 31. Niceph. *l.* 5. *c.* 24. Baron. A. C. 105. &c. Vide etiam *Elxai*.

ELCETHIUM, Siciliæ urbs. *Ptol.*

ELCHOSUM, provincia regni Feſſani, continet tertiam ipſius ferè partem: namque in longitudinem centum nonaginta milliaria patet, nempe à fluvio Zha ad Ort. ad fluvium Gurgugara ad Occaſ. in latudinem verò milliaria centum ſeptuaginta. *Merc.*

ELCOBORIS, Luſitaniæ opp. *Ptol.*

ELCOSH. viculus in Galilæa, unde Nahum Propheta. Lat. *Dei durities*, vel *ſerotinus*.

ELCUS, in antiquo *Gloſſario* Bibliothecæ Puteanæ apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 229. tragelaphus eſt de quo Vide infrà ſuo loco.

ELDAA, fil. Madian filii Abrahæ. Gen. *c.* 25. *v.* 4. Lat. *Dei ſcientia*, aut *cognitio*.

ELDAD, nomen viri, ſuper quem requievit ſpiritus domini in caſtris. Num. *c.* 11. *v.* 26, 27. Hieron. *in* 1. *Paral.* Torniel. *A. M.* 2545.

ELDADUS Danius, Rabbinus, ſec. 13. Genebr. *Chr.*

ELDAMARII, Arabes circa Meſopotamiam. Plin. *l.* 6. *c.* 26.

ELDANA, Hiſp. urbs. Ptol. *Duennas*, teſte Goropio. Sunt quibus & Latinè *Donea* dicatur; Item Indiæ urbs extra Gangem.

ELDREDUS, Anglorum Rex, A. C. 940. Polydor. Virg. *l.* 6.

ELEA; civitas Lucaniæ, quam quidam Helam à fonte nominavêrunt, Alii à palude. dictam opinantur, quæ Græcis τὸ ἕλος dicitur. Steph. Βελέα. Item *Elea* Æolidis urbs. Mela *l.* 2. In ea natus eſt Zeno Philoſophus, qui *Eleates* dicebatur.

ELEALE, civitas Amorrhæorum in Galaitide reg. tribui Judæ adſcripta. Iſajæ. *c.* 16. *v.* 4. quam ædificavêrunt filii Ruben. Num. *c.* 32. *v.* 36. Lat. *Dei aſcenſio*, vel *holocauſtum*.

ELEALE, urbs validiſſima, ſita in terra fertili vinearum, in tribu Ruben: uſque ad Hieronymi ætatem villa oſtendebatur grandis, in primo miliario ab Esbus. Eadem cum præc.

ELEASARUS, Judæus, inſpectante Veſpaſiano Imp. annuli ſui ope multos à malo Genio obſeſſos, liberaſſe legitur; apud Joſeph. *Antiqq. l.* 8 *c.* 2. cujus verba Latinè ſic habent: *Vidi* ex popularibus meis *quendam* Eleazarum, *in præſentia Veſpaſiani, & filiorum, & Tribunorum reliquorum militum, multos à Dæmone correptos percurantem. Modus verò curationis erat hic: Admoto naribus Dæmoniaci annulo ſub cujus ſigillo incluſa erat radicis ſpecies à Salomone indicatæ, ad ejus olfactum, per naſum, extrahebatur Dæmonium: & collapſo mox homine, adjurabat id, ne ampliùs rediret, Salomonis interim mentionem faciens & incantationes ab illo inventas recitans. Volens dein* Eleazarus *his, qui aderant, oſtendere ſuæ artis efficaciam, non longe inde ponebat poculum aut pollubrum aquâ plenum imperabatque dæmonio homine exeunti, ut his ſubverſis ſignum daret ſpectantibus, quod reliquiſſet hominem.* Et certum eſt, Annulorum uſum, ab hominibus malè feriatis, qui hujusmodi annulos; ſtellâ aliquâ fortunatâ aſcendente, certis characteribus inſigniebant, iisque herbam vel lapidem, huic ſtellæ ſubditam, includebant, ad præſtigias & incantationes fuiſſe translatum. Quibus appenſis, hominem vel perpetuò victorem & ab omni veneno ferroque tutum fore: vel aliorum omnium amorem ac benevolentiam ſibi conciliaturum, ſpondebant? malos Genios inſuper pellere, morbis mederi aliaque, quæ fidem vix mereantur, præſtare iis poſſe jactantes: Græci φαρμακίδας ϗ γεγοητευμένους, Arabes *Taliſman* appellarunt. E qua claſſe, præter præfati Judæi, annulus fuit Gygis, cui eadem cum Orci galea fuit poteſtas, de qua Vide Andr. Schottum *Not. ad Zenobium*. Execeſti item, Phocenſium Tyranni, quorum ſtrepitu de rebus ſuis eum admoneri conſueviſſe, tradit ex Ariſtot. Clem. Alexandrin. 1. *Strom.* Ut & ſeptem illi annuli Jarchæ, Indorum ſapientiſſimi, Apollonio Thyanæo dono dati, quorum beneficio illum juventæ nitorem prætuliſſe, quamvis jam centenario majorem, auctor eſt Philoſtrat. *l.* 3. Quò referas annulum, cujus Lucian. meminit in *Philopſeude*: Brachialia Zipangrinorum, in quibus lapides quosdam fuiſſe, tam efficacibus incantationibus imbutos, ut nullo modo vulnerari potuerint, ſcribit M. Paulus Venetus *l.* 3. *c.* 3. Annulum fatidicum, quo de ſucceſſore Valentis Imp. quæſitum, apud Amm. Marcell. *l.* 29. *c.* 2. Annulum Dicæi, qui Judicum amorem conciliabat, apud Ariſtoph. in *Pluto*. Eos, qui morbis averruncandis geſtabantur, uti legere eſt apud Marcell. Empiric. *c.* 29. & Alex. Trallian, *de Colico aff. l.* 20. Eum, quo morbum Comitialem ſanare fuiſſe ſolitum S. Eduardum Angliæ Regem refert Cario *Chronic. l.* 3. Illum tandem, qui inventus fuit in ore cujuſdam mulierculæ jam mortuæ, cujus inſano amore Carolum Mag. Imp. olim captum fuiſſe memorant, ut diſcimus ex Franc. Petrarcha *l.* 1. *Ep.* 3. Vide Joh. Kirchmann. *tr. de Ann. c.* 20. ut & Steph. Paſchal. *l.* 1. *des Recherches de la France. c.* 31. ac infrà in voce *Jarchas* Vide & *Eleazar*.

ELEATICA Philoſophia, nomen Sectæ, cujus Xenophanes Colophonius; qui tempore Hieronis Regis Siculi, & Poëtæ Epicharmi, ut indicat Clemens, floruit, auctor fuit. Et res quidem ac dogmata ab illo, ſed nomen ab ejus diſcipulis Parmenide & Zenone, Eleatis ſectæ hæſit. Fuit autem Ἐλέα, Lat. *Velia*, Lucanorum opp. Cic. *Acad. Quæſt. l.* 4. *Nobilis diſciplina hujus, ut ſcriptum invenio, princeps Xenophanes, quem modò nominavi: deinde eum ſecuti Parmenides & Zeno. Itaque ab his Eleatici Philoſophi appellabantur.* Hic Xenophanes ſtatuit: *Quatuor eſſe elementa, mundos innumeros, nubes fieri, cùm vapor à Sole evectus cogitur: Animum eſſe ſpiritualis naturæ; Deum eſſe formæ rotundæ, totum videre, totum audire, non tamen reſpirare. eſſeque pariter mentem, prudentiam, æternitatem.* Vide Sextum Philoſ. & Athen. Ejus ſucceſſor Parmenides, in hoc à Præceptore abiit, quòd *duo tantùm elementa ſtatuit. Ignem & Terram*: Idem primus *Terram dixit globoſam, inque medio ſitam.* Hujus diſcipuli fuêre Meliſſus & Zeno Eleates: quorum is *Univerſum hoc infinitum & immobile: deque Diis nihil ſtatuendum* putabat; hic *plures ſtatuit Mundos, vacuum negavit, generationem eſſe ex miſtura quatuor primarum qualitatum, atque Animam etiam harum temperamento originem debere*, ſtatuit. Zenonem audivit Leucippus, qui primus *Omnia fieri ex atomis inter ſe complicatis* docuit: Leucippi diſcipulus in Phyſicis Democritus Abderita fuit, qui idem à Magis & Chaldæis Theologiam ac Aſtrologiam didicit, Geometriam verò ab Ægyptiis: imò & cum Gymnoſophiſtis Indiæ ac Æthiopiæ verſatus legitur. De rerum natura ita ſenſit: *Primordia omnium eſſe ab Atomis & inani: Finem vitæ τὴν Εὐθυμίαν ſive tranquillitatem* ſtatuit &c. Illius auditor Protagoras fuit, cùm prius bajulus fuiſſet: Item Bion Abderita Mathematicus, qui primus docuit: *Regionem eſſe, ubi ſex menſibus dies & totidem eſſet nox.* Ex *Eleatica* dein maximè ſecta. Epicurea fluxit; nemini enim plus quàm Democrito, Epicurus debuit. Vide Joh. Gerh. Voſſ. *de Sectis Philoſ. c.* 7.

Series Philoſophorum Sectæ Eleaticæ.

Xenophanes Colophonius.	Zeno Eleates.
Parmenides.	Leucippus.
Meliſſus.	Democritus Abderites.

Epicurus.

ELEAZAR, i. e. *Dei adjutorium*, ſive *atrium*, fil. Aaron. Exod. *c.* 6. *v.* 24. Patri ſucceſſit A. M. 2583. per 12. An. Ei fil. Phinees ſucceſſit. Num. *c.* 31. *v.* 21. 26. 31. 41. 51. 54. Deut. *c.* 10. *v.* 6. 1. Par. *c.* 9. *v.* 20. Jud. &c.

ELEAZARUS, patri Oniæ, cognominato *Juſto*, ſucceſſit in Pontificatu Judæorum, A. M. 3766. A. C. N. 271. ad hunc ſcripſit Ptolemæus Philadelphus, hic quoque ad illum: extant utriusque Epiſtolæ apud Joſeph. *l.* 12. *Antiqq. c.* 2. Miſit hic ad Ptolemæum libros Moſaicæ legis, atque ex unaquaque tribu ſenos viros interpretes, Hebraicè Græceque peritiſſimos. Conſulito D. Auguſt. *l.* 18. *civit. Dei c.* 42. Item Annæ fil. Pontifex conſtitutus A. C. 20.

ELEAZARUS, frater Simonis, ei ſucceſſit in Pontificatu. A. Ptolemæo Philadelpho, remiſſis 120000. Judæis, rogatus enixè eſt ut legis divinæ interpretes ſibi mitteret, quod factum. Joſeph. *Antiqq. l.* 12. *c.* 2. Sedit Annos 32. Salian. A. M. 3766. *& ſeqq.* Vide ſupra.

ELEZARUS, cognom. *Auranus*, quintus & ultimus fil. Mathatiæ, ſuffoſſo Elephanto inſigni, in prælio Judæ fratris, contra Antiochum Eupatorem, belluâ corruente oppreſſus eſt. 1. Macc. *c.* 2. *v.* 5. Joſeph. *Antiqq. l.* 12. *c.* 8. & 14.

ELEAZARIUS, fil. Eliud, in Genealogia Chriſti Matth. *c.* 1. *v.* 15. Alius, A. C. 90. prætulit mortem violationi legis, 2. Macc. *c.* 6. *v.* 18. Item Gigas 16. cubitorum, Joſeph. *Antiqq. l.* 18. *c.* 6. *&c.*

ELEAZARUS, quidam de gente Judæa, quonam pacto, Romanorum exercitu præſente, dæmones fugarit; vide in dictione *Solomon*.

ELEAZARUS Dinæi, princeps ſeditionis inter Judæos & Samaritas, ex qua latrocinia oborta ſunt. Quadratus ſeditionis principes cruci affixit. Joſeph. *Antqq. l.* 12. *c.* 11.

ELEAZARUS, Vide Eleaſarus.

ELEAZUS, Rex odoriferæ ſeu thuriferæ regionis, memoratur Arriano *Periplo Maris Erythr.* ubi de Dioſcordis Inſ. quæ huic Regi ſuberat. Sedem habebat Sabbathis, in quam urbem omne thus, quod in ea regione naſcebatur, convehi ſolitum, dicemus infrà, in voce *Sabbatha*.

ELECTA, mulier, ad quam ſcribit Joh. Epiſtolam ſuam ſecundam. Alii tamen interpretes *Electam* ibi non pro nomine proprio habent, ſed adjectivo, nec mulieris nomen eſſe volunt, ſed Eccleſiæ alicujus particularis, innominatæ tamen. *Nic. Lloyd.*

ELECTA, vulgò *Alet.* civ. Galliæ non vetus ad fluv. Atacem quarto loco in prov. Narbonenſi, poſt Narbonem, Toloſam & Agatham, in Not. prov. ſedes Epiſcopatus à Joh. XXII. P. facta eſt, cùm illi Limoſium caſtrum prius deſtinatum eſſet. Habet hodieque cum Tomeriis civ. quoque Epiſcopali, ſita ad fontem magnum, qui vicos aliquot præterlapſus in Obrim influit, Narbonenſem primam pro provincia, Narbonemque Martium pro Metropoli. Vide Hadr. Val. *Not. Gall.*

ELECTI, Hæretici quidam ex ſecta Manichæorum; qui nec carnibus veſcebantur, nec uxores ducebant; memorati Auguſtino *Ep.* 74. *deque mor. Manichæor. l.* 2. *c.* 13. 16. 18. 19. Poſſidio in *Vita* Auguſtin. *c.* 15. 16. Leoni I. Pontif. *Serm.* 5. *de Jejun* Proſpero Man. *in Anathematiſmo Manich. c.* 3. apud Sirmond. *Tom. I. Concil. Gall.* Hieronymo *Ep. ad Cteſiph. adv. Pelagium. c.* 2. Aliis, laudatis Car. du Freſne in *Gloſſar.* In *Cerimoniali* Rom. *l.* 1. *ſ.* 10. ſic vocantur *Promoti ad Eccleſias ſivè Monaſteria ante ſuam conſecrationem* &c.

ELECTORES, Principes in Imp. Rom. eminentiſſimæ dignitatis, quibus eligendi Imperatorem cùm nullus eſt: degradandi & removendi, cùm juſtæ adſunt cauſæ: durante interregno, imperium adminiſtrandi; vivo etiam Imp. varia obeundi, ad imperii ſalutem ſpectantia, jus eſt. Horum tanta dignitas, ut Regibus æquiparentur, atque in ipſos Majeſtatis læſæ crimen committatur; illique jura Archivi habent. Horum olim indefinitus erat numerus, namque Impp. etiam Ottonem III. ſecutos; ab univerſis Imperii Principibus, quos 54. fuiſſe ſcribit Bodinus, nec non à populis quibuſdam, Saxonibus, Suevis & Ba-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Bavaris electos legimus; apud Ottonem Freſing. Abbatem Urſperg. & Sigebertum. Et Joh. Pariſienſis *in Memor. Hiſtor.* inquit, *Eligitur autem Imp. à duodecim Proceribus Alemanniæ, qui vulgariter Pares;* (hoc tum iis nomen) *appellantur.* In quæ verba Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* ait, numerum illum duodenarium ad imitationem Parium Franciæ effictum eſſe, cum omnium tum Franciæ Orientalis ac Germaniæ Epiſcoporum ac Procerum ſuffragatione Reges Germaniæ eligi conſueverint. Alii tamen contendunt, jam Ottonis III. temporibus cognitum fuiſſe hodiernum VII *Electorum* ordinem, quòd in privilegio ejus præfixo Juri municipali Saxonico aperta fiat mentio *Electorum Eccleſiaſticorum & Secularium.* Auctoremque Ottoni præceptorem ejus Villigiſium, primum Archiep. Moguntinum fuiſſe, addunt. Plurimi tamen priſcam & notam ſanctionem *de Collegio Electorali* nullam extare, inde probabiliter colligunt, quòd Carolus IV. *in aurea Bulla*, nullam ejus faciat mentionem, ſed uſum duntaxàt longævum & conſuetudinem laudet. Interim certum eſt, jam Friderici II. tempore A. C. 1212. notas fuiſſe ſeptem familias ſuffragantes, &c. Horum *quatuor Seculares* ſunt: Rex Bohemiæ, Comes Palatinus, Dux Saxoniæ, Marchio Brandeburgicus: *Tres Eccleſiaſtici*, Archiep. Moguntinus, Trevirenſis & Colonienſis: quibus, bello Germanico, acceſſit octavus, Bavariæ Dux, ab A. C. 1628. Ex his Comes Palatinus & Dux Saxoniæ, vacante Imperio, Vicarii ſunt; hic quidem in locis jure Saxonico utentibus ille verò in reliquis circulis: qui quoque vivo Imp. judex eſt, coram quo Cæſar conveniri poteſt. Cæterum, Archi-epiſcopi Electores Archi-cancellarii Imperii ſunt, per Germaniam Moguntinus, per Galliam Trevirenſis, per Italiam Colonienſis: Comes Palatinus Archi-Theſaurarius, Dux Saxoniæ Archi-Mareſchallus, Brandeburgicus Archi-Camerarius, Bavarus Archi-Dapifer Imperii eſt. Plura Vide apud Limnæum *de Imp. Rom.* uti de IX. *Electoratu.* A.C. 1693. Celſiſſ. Branſvico Hanoverenſi Duci collata, *Scripta* hac de re edita edendaque.

ELECTRA, Atlantis & Plejones filia, quæ Corithi Italiæ Regis uxor fuit; inde in Samothraciam profecta ibi habitavit appellataque eſt ab indigenis *Strategis* atque *Electrione*, ut teſtatur Hellanicus.

ECECTRA, Nympa, Oceani & Tethyos filia, Atlantis uxor, cujus filia etiam *Electra* dicta fuit, quæ Jovi Dardanum peperit. Ovid. *Faſt. l.* 4. *v* 31.

Dardanon Electra *quis neſcit Atlantide natum?*

ELECTRA, Oreſtis, quem ad paternæ cædis ultionem impulit, ſoror, filia Agamemnonis, quæ cælibem multum ætatis vitam egit, unde etiam ab Helena apud Eurip. Πολυχρόνιος παρθένος, h. e. *annoſa virgo* per contumeliam vocatur, Inde aliqui *Electram* dictam volunt, quaſi ἄλεκτρον, h. e. *Sine thalamo*; quanquam aliis magis placet à flavo colore, electrumque referente ita fuiſſe appellatam. Vellej. Euſeb. Hygin, Eurip. Ovid. Item, ſoror Antigonæ, filiæ Oedipi.

ELECTRA, Meſſeniæ opp. & fluv. in Peloponn. Pauſan. Ad amnem cognom 15. mill. ab ora ſinus Cypariſſii, totidem à confin. Elidis & Arcadiæ, 30. fermè à Laconia in Occ. *Baudr.*

ELECTREI Nummi, apud Lamprid. in Alexandr. *Sev. Alexandri habitu nummos plurimos figuravit: & quidem* electreos *aliquantos, ſed plurimos tamen aureos*; h. e. *electrini*, nunquam enim aliter optimi Auctores. Sic *Electrina vaſa*, apud Marcell. Empir. ſæpe. Salmaſ. *ad l.* De *Electra* verò, ejusque triplici ſpecie, quarum una auro pretioſior, Vide Sam. Bochart. *Hierozoici Parte poſter. p.* 869. ut & hic infrà.

ELECTRIDES, inſulæ, in quibus Dædali & Icari ſtatuæ ſunt. Ajunt has inſulas juxta Eridani oſtia eſſe. Eſt etiam ſtagnum prope fluvium aquæ calidæ, unde tam gravis odor redditur, ut nullum animal inde bibat, & aves ſupervolitantes mortuæ decidant. Ambitus eſt ſtadiorum 200. Fabulantur autem Phaethontem fulminatum ibi decidiſſe, & plurimos ibidem populos provenire, ex quibus electrum manat, gummi ſimile, lapidis inſtar dureſcens. Incolæ loci, *Electritæ*, vel *Electrini*, Steph. Dicuntur etiam *Gleſſariæ*, Plinio teſte *l.* 4. *c.* 13. & 16. inſulæ, quæ ex adverſo Britanniæ & Hiberniæ in Germanico mari ſparſæ ſunt, quæ nunc fortaſſe *Hetland*, *Schetland*, & *Farc* dicuntur, teſte Ortelio. Meminit & Mela *Electridum* inſularum in Adriatico mari, prope Abſyrtides inſulas. Vide Luc. *in Dialogo de Electro, ſeu Cycnis.*

ELECTRINA Pocula, Magnatibus olim in pretio fuiſſe, docet Trebellius Pollio: *Quietus Tyrannus* electridem *pateram, quæ in medio vultum Alexandri haberet, & in circuitu omnem hiſtoriam contineret, ſignis brevibus & minutulis, Pontifici propinavit.* Lamprid. item *in Alexandro Sev. Helena dicitur Minervæ Lindiæ calicem ex electro conſecraſſe* &c. Ex eodem ſeu lapide ſeu gemma, etiam annuli fiebant, Artemid. *l.* 1. *c.* 5. & nummi, ut docet Savaro, & diximus paulo ante, ac ruſticarum fœminarum monilia, Iſid. *Etymolog. l.* 16. *c.* 8. Imò vaſa quælibet, Neratius JC. & vites. Sidon. Apollin. *Carm.* 24. *in fine.*

Quis pomaria priſca Regis Indi
His nunc comparet, aureasque vites
Electro *viridante pampinitas?*

Ædificiorum quoque columnæ. Claud. *de R. Proſerp. l.* 1. *v.* 254.

Atria cingit ebur, trabibus ſolidatur ahenis
Culmen, & in celſas ſurgunt electra *columnas* &c.

Sed quid propriè eſſet *Electrum*, & ubi terrarum naſceretur, non levis inter antiquos contentio eſt. Poëtæ ex ſucco populi arboris expreſſo illud generari ſtatuêrunt, unde nota Heliadum fabula, Ovid. *l.* 2. *Metam. v.* 364.

Inde fluunt lachrymæ, ſtillataque ſole rigeſcunt
De ramis electra *novis:*

Sed Lucian. totâ Italiâ luſtratâ, obitaque Eridani, in quem præcipitatus Phaëthon fingitur, ripâ comperit non modò ibi electrum non gigni, ſed nec populum Ullam eſſe, è cujus cortice deſtillaret, ut Viginerius notat *ad Philoſtrati icones.* Alii cenſent, metalli id eſſe genus, & ad argentum accedere: vel potiùs crama eſſe ex auro & argento, cujus quinta pars argentum ſit. Plin. *l.* 23. *c.* 4. *Omni auro ineſt argentum; ubicunque quinta portio eſt, electrum vocatur: fit & cura electrum, addito argento; quod ſi quintam portionem exceſſit, incudibus non reſiſtit.* Ubi duplex ſtatuit electrum, alterum naturale, alterum factitium. Imò triplex habet Serv. *ad Æn. l.* 8. *v.* 402. cùm ait: *Tria ſunt electri genera, unum in arboribus, quod Succinum dicitur: aliud quod naturaliter invenitur: tertium, quod fit de tribus partibus auri & una argenti.* Audi & Ambroſ. *Hexamem. l.* 3. *c.* 15. *Quòd electrum lacryma virgulti ſit, & in tantam materiæ ſoliditatem dureſcat, nec levibus id aſſeritur teſtimoniis: quando folia & minutiſſimæ ſurculorum portiones; aut exigua quædam animantium genera in electro ſæpe reperiantur, quæ videtur, cum adhuc gutta eſſet mollior, recepiſſe & ſolidam tenuiſſe.* Certè Daniel Hermannus Pruſſus, *ranam & lacertam* ſuccino Pruſſiaco inſitam.

Quæ Faſcus Gedani monumenta inſignia ſervat:

erudito carmine celebravit; quod Laurentius Scholtzius *Hiſtoriæ Succini* ab Andrea Aurifabro *Vratiſl. editæ l.* 5. *Ep, Medic.* adjunxit. Unde autem ille ſuccus, quærit Becmannus *de Orig. L. L.* Poëtis, ut dictum, ex populo arbore; Plin. *l.* 37. *c.* 3. *naſcitur defluente medullâ pinei generis arboribus, ut gummi in ceraſis, reſina pineis. Erumpit humoris abundantia. denſatur rigore vel tepore Autumnali.* Aliis ſuccus & quaſi ſudor quidam terræ aut ſaxorum eſſe creditur, & ad claſſem bituminis pertinere. Georg. Agricola *de Nat. foſſ. l.* 4. Quæ omnia ita concilies, ut ex arboribus quibusdam, quæ ſatæ ſunt in locis ſuccino abundantibus, illud manare dicas: quale enim ſolum, tales arbores, in quas è terra derivari, & inde iterum in terram deſtillare, docet Andr. Libavius *l. de Succino.* In diverſis autem illud mundi tractibus naſci ſcribunt Eruditi. In littore maris Britannici inventum refert Hector Boëthius *de rebus Scot.* in mari Gothico, Finnico, Livonicoque provenire, docuit Corn. Scribon. Gryphæus *in Epit. Hiſt. Olai M. l.* 12. *c.* 8. in Hiſpania Strab. *l.* 3. ad Padum inprimis, Priſcianus Cæſar. *Periegeſi.*

Hic electra legunt alvis fluitantia Celtæ,
Succina quæ memorant, mellis vinisque colore,
Quæ paleas rapiunt tractu, frondesque caducas. Vide ſuprà.

Autor Anonymus *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ.* maris Balthici, quà Pruſſiam alluit, ſpeciale facit donum: Concedit tamen, in littoribus quibusdam Hiberniæ etiam ejusmodi quid non ita pridem obſervari cœpiſſe, atque etiam ad Viadri ripam, juxta pagum *Schaumburg* haud procul Cuſtrino, ejus fruſta non pauca reperiri, *c.* 3. *de Hydrographia* &c. Idem videtur eſſe cum Lyncurio, cujus meminit Plin. *l.* 8. *c.* 38. & *l.* 37. *c.* 2. & 3. Cæterùm quod nomen *Electri* attinet, Græcis ἤλεκτρον dicitur, vel à fulgore Solis æmulo, quem iidem Ἠλέκτωρ vocant: vel quòd, fluidum cùm ſit naturâ, ad ejus occaſum indureſcat: vel παρὰ τὸ ἑλίσσω, ἢ παρὰ τὸ ἑλεῖν τὰ ἐκτὸς, quòd tritum, ubi incaluit, paleas vel alia minuta ad ſe rapiat. unde Ἅρπαξ quoque *Harpax* dicitur, Vide Auctores ſuprà laudatos, ut hic infra.

ELECTRIS, Inſ. ſinus Tarentini, in Regno Neap. nunc *Monte Sardo*; parva & montuoſa, cum turri tantum, & aliquot ædibus. 30. mill. à Tarento in Auſtr.

ELECTRUM, Græcis Ἤλεκτρον, vox eſt ἐκ τῶν πολλὰ σημαινόντων. Apud Ariſtophan. enim *Equit.*

Ἐκπιπτόντων τῶν ἠλέκτρων, καὶ τοῦ γόνυ οὐκέτ' ἐνόντος,

Ἤλεκτρα clavi ſunt ex *electro*, quibus muniebantur pedes lectorum. *Electrum* enim ſpuma auri ſeu purgamentum dictum eſt, μίγμα ſc. auri & argenti; quod in auro fundendo & excoquendo extra ejiciebatur, uti patet ex Strab. Heſych. Suid. Aliis. Atque ex hoc fiebant clavi in pedibus lectorum, apud Vett. Niſi malis hic ἤλεκτρα contractum eſſe ex ἡλοήλεκτρα, i. e. *clavi lectorum.* Quorum utrum ſit, ἤλεκτρον etiam *clavus* vel *nodus* eſt, Salmaſ *ad Solin. p.* 1079. Vide Bochart. ubi ſuprà. pud Dionyſ. ubi de Boryſthene, Panticape & Aldeſco, Scythiæ fluminibus.

Τῶν δὲ παρὰ προχοῇσι πεπηγότος ἔνθα τε πόντου
Ἡδυφαὴς ἤλεκτρος ἀέξεται ----

Euſtathio eſt lapis quidam, ſive calculus littoralis, Avieno cryſtallum; Salmaſ. ſuccinum candidum, οἷα τις αὐγὴ Μήνης ἀρχομένης, *qualis ſplendor Lunæ in cornua creſcentis*, ut apud Poëtam ſequitur. Certè in Scythia etiam naſci ſuccinum, ex Plin. diſcimus *l.* 37. *c.* 2. Et hæc communior vocis notio eſt. Recentiores Βερνίκην, Chymici τέλειον ξηρόν vocant, Heſych. eleganter ὑαλότυπον χρυσὸν appellat, i. e. *vitreum aurum*, quòd auri formam habet ſimul & vitri. Quod enim in oſtiis Padi colligi ſcripſère, χρυσαυγὲς erat, *cerei* vel *aurei coloris*: unde *ſuccini crines*, quos in Poppæa ſua Nero celebravit. Vide infrà. Hoc Poëtis lachryma eſt Phaëthontiadum; Philoſophorum quibusdam bitumen arborum, aliis maris liquidum bitumen, quod ex occultis fontibus in illud influat; Non nullis bitumen eſt & terræ pinguedo, quæ ex fiſſuris marinorum ſcopulorum erumpens in mare defluat, ibique aquarum ſibi inſitâ vi & Solis virtute, in gluten quoddam coaleſcat: id liquidum adhuc agitato ventis mari in littora ejectum, unà cum animalculis ei involutis, demum indureſcere ajunt. In ſuccineis enim ſeu electrinis maſſis, tanquam ergaſtulo condemnata, aut ſepulchro condita, varia animalcula viſuntur, muſcæ, apes, formicæ, culices, aliæ corticum item arboreorum fragmenta &c. Quæ longè nobilius ibi ſepulta, quàm Mauſoli oſſa in magnifico illo tumulo, quem magnâ ambitione marito Artemiſia extruxerat olim. Quò alludens Mart. *l.* IV. epigr. 32. cujus epigraphe De ape electro incluſa hoc Epitaphium api ſic ſepultæ erexit.

Ec latet, & lucet Phaëthontide condita gutta,
Ut videatur apis nectare clauſa ſuo.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum,
Credibile eſt ipſam ſic voluiſſe mori.

Idem de vipera ſimili modo condita, ubi rationem, quâ id fiat, exponit: Idem ibid. Epigr. 59. cujus epigraphe de vipera electro incluſa.

Flentibus Heliadum ramis dum vipera ſerpit,
Fluxit in obſtantem ſuccina gemma feram:
Quæ dum miratur pingui ſe rore teneri,
Concreto riguit vincta repentè gelu.
Ne tibi regali placcas, Cleopatra, ſepulchro.
Vipera ſi tumulo nobiliore jacet.

Certè & Aſdrubalem Hannibalis fratrem, in monte Floris ſuccineo in tumulo jacere, memorant ſecula noſtra, ut alia omittam. Uti autem Herculeus lapis ferrum, ſic *Electrum* ſtipulas, plumas, lanam, ligna, folia plantarum & leviſſima quæque corpora ad ſevi inſitâ rapit. Quinimò, ſi quamcumque rem pendulè & libero in aëre, filo alligatam pendere ſinas, omnia electrum, ſed priùs, calore affrictione prævia animatum, attrahere deprehendes: ita quidem, ut graviora quoque ligna, filo æquilibratè levigata & ſuſpenſa, ſimiliter venetur. Unde Ariſtoteles *Probl. L. omnia ad ſe attrahere* Electrum dicit; excipit ſolùm *ocymum* ſeu *herbam Baſilicam*: quod tamen & ipſum ſuccino non reſiſtere, Kircherus docet, multiplici experimento id confirmans. Reperiuntur autem ſuccina diverſi coloris, pleraque tamen fulvo auro ſimillima; Cryſtallum diceres glaucum; quæ vel intenſiora magis aut minùs reperiuntur: alia albicare comperiuntur, quæ uti rariora, ita cariora. Nigri quoque coloris nonnunquam viſuntur &c. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S. J. Muſæo p.*43.& 44. Vide quoque infrà in voce *Succinum*, it. ubi de fluv. *Radauno.*

ELECTRYON, Amphitryonis pater, fil. Alcæi. Heſiod. *in Aſp.* It. Mycenarum Rex III. à Perſeo Maſtori ſucceſſit, Alcmenæ pater: quem Sthenelus excepit. Marshamus *Canone* Chron. Sec. XI.

ELECTUS, Cubicularius Commodi, hoc interempto, unà cum Læto Præfecto Prætorio, ad Pertinacem, ad Imperium vocatum, venerunt, ut eum confirmarent, Jul. Capitolin. in *Vita* Pertinacis. Poſtmodum cum Pertinace ipſe interemptus eſt. Id.

ELEEMOSYNA, Vide ſuprà, ubi de *Egenis*, & infrà in voce *Ferto* item ubi de *Pauperibus*. At *Eleemoſyna*, apud Scriptores medii ævi, domus eſt Monaſterio vel Ædi ſacræ adjuncta, in qua *Eleemoſynæ* pauperibus erogabantur, ab eo, cui pauperum cura demandata erat: propriè *Hoſpitale Pauperum*. Eadem *Eleemoſynaria* quoque non rarò dicta occurrit: cui qui præerat hodieque in Monaſteriis præeſt, ac Monachorum eleemoſynas aliorumque pauperibus diſtribuit, *Eleemoſynarius* dicitur, de cujus officio prolixè agitur *in Libr. Ordinis S. Victoris Pariſ. MS. c.* 14. apud C. du Freſne, item à Lanfranco *in Decretis pro Ord. S. Benedicti c.*8. *ſ.*3. Udalrico *Conſuetudin. Cluniac. l.* 3. *c.* 24. Aliis. Decimas verò bonorum ſuorum ſeu redituum, Eccleſiarum poſſeſſores & Monachos pauperibus elargiri fuiſſe obſtrictos, docet P. Damianus *l.* 2. *Ep.*14. &c. apud eundem C. du Freſne: Vide quoque infrà. In Anglia verò *Eleemoſyna Carucarum*, ſeu *pro aratris*, dictus eſt olim denarius, in ſingula aratra vel in ſingulas carucas, impoſitus, pauperibus in eleemoſynam erogandus, Ethelredo, ut ferunt, Rege auctore. Vide *LL.* ejus *c.* 1. apud Eundem. De *Eleemoſyna Regis*, in eodem Regno ſupra ubi de *Denario S. Petri*, Vide quoque infrà *Regalia*: uti de *Eleemoſyna rationabili*, infrà itid. in voce *Inteſtatus*, ubi de more medii ævi, ſuprà memorato decimam bonorum partem in pios uſus diſtribuendi, bonaque eorum mobilia, qui abſque hujusmodi diſpoſitione mortem obiverant, in fiſcum redigendi, varia habes, de *Eleemoſynaria arca*, à duobus collectâ & à tribus erogandâ, apud Hebræos, in voce *Pauperes*, it. ubi de *Vigintitricemvirali Synedrio*, cui non idoneam civitatem habitam, quæ hujuſmodi arcâ careret, ibi dicemus; de *Eleemoſynæ Exactoribus*, in eadem gente & *Erogatoribus*, ibidem; in aliis, hic infrà. Nec omittendus ſtipem accipiendi modus, qui duplex; viliores enim cavâ manu, honeſtiores in expanſam chlamydem eam olim excipiebant, ut infrà videbimus in voce Vola.

ELEEMOSYNARIUS, quid propriè notet, Vide ſuprà in voce *Eleemoſyna*. Sic *Eleemoſynarii Epiſcoporum*, occurrunt in *Concilio* Oxon A. C. 1222. *can.* 2. *Eleemoſynarii Pontificum* in *Geſtis* Innocentii III. *p.* 150. *alibique*. Inprimis *Eleemoſynarii Regum Franciæ*, memorantur paſſim: quam dignitatem prorſus aliam fuiſſe, à Capellanorum dignitate, contrà quàm ſentit Friſonius, docet accuratè C. du Freſne. Et quidem *Eleemoſynarii* Ludovici IX. Regis, qui illius ſc. eleemoſynas erogabat, meminit Gaufridus de Bello loco, in *Vita & Converſat. S. Ludovici c.* 8. à quo tempore qui occurrunt Regum illorum *Eleemoſynarii*, ex C. du Freſne, hic infrà breviter ſubjiciemus, præmittentes hoc unum, auctam & novo titulo dignitatem hanc poſtmodum donatam eſſe, ſub Carolo VIII. Qui enim priùs nudè *Eleemoſynarius* audiit, ab eo tempore *Magnus Franciæ Eleemoſynarius* appellari cœpit: cujus quanta ſit hodie dignitas & prærogativa, Petrus Gallandius in *Vita* Petri Caſtellani, Matiſcon. Ep. hiſce exponit, *Eſt is honoris gradus omnium Eccleſiaſticorum in Gallia facilè princeps; quo qui donatus eſt, Regi è ſomno excitato, inter primos ſalutatores adeſſe ſolet & de eo cognoſcere, quo in loco & tempore rem ſacram peragi velit. Aulæ totius Regiæ unicus Ep. eſt: quocunque in loco per totum Regnum Rex verſetur, ab eo Sacramenta petere ſolet: Sacello Regis ordinando, Cantoribus ejusdem & Sacerdotibus omnibus Aulam ſequentibus præeſt: diſpenſatio Regiæ in pauperes beneficentiæ & pauperum omnium curatio ejus unius propria eſt; ad ejus etiam curam pertinet per univerſum Regnum iis omnibus pauperum domiciliis, quæ tum Ptochodochia, tum Xenodochia appellant, atque etiam iis, quæ leprâ infectis olim à Regibus attributa ſunt, adminiſtratores idoneos præficere, præpoſteros & mutilos loco movere---ejusdem eſt omnem animadverſionem ad ſe revocare, numerum leproſorum aut aliorum miſerorum explere, ad referendas rationes omne Procuratorum & Adminiſtratorum genus cogere, corruptè --- in ſuo munere verſatos exigere, aliosque in eorum locum ſubrogare: omnia quoque Sacerdotia, quæ Regiæ poteſtatis ſunt, quæ plurima ſunt, præter Epiſcopatus & Abbatias, donare & conferre. Ad ejus quoque officium pertinet; primo quoque Regis in oppida ingreſſu, maleficos --- regiâ veniâ illis conceſſa laxare & liberos impune emittere* &c. apud eundem C. du Freſne *in Gloſſario*. De *Baronibus eleemoſynariis*. Vide ſupra.

Eleemoſynarii Franciæ, apud Scriptores occurrentes.

Fr. Joh. *des Granges*, Prior Vallis Scholarium, ſub Philippo Pulchro, A. C. 1311.
Fr. Joh. *de Grandpré*, A, C. 1314.
M. Silveſter *de la Cervelle*, ſub Carolo V.
Ægidius *des Champs* poſtmodum Ep. Silvanectenſis, A. C. 1409.
Petrus *Cauchon*, Bellovac. Ep. A. C. 1431.
Joh. *d'Auſſi*, Ep. Lingon. ſub Carolo VII.
Joh. de Brevicoxa, poſtmodum Ep. Genevenſis.
Joh. Balua, Ep. Ebroic. ac demum Cardinalis, ſub Ludovico XI.
Joh. *d'Huillier*, Decanus Pariſ. ſub eodem & Carolo VIII. Cæteri qui ſequuntur, *Magni Franciæ Eleemoſynarii* dicti ſunt, uti monitum, facileque in Regum Aulis primas tenuêre.
Joh. *de Reli* Doctor Theologus, Carolo VIII. à Confeſſionibus, Ep. Andegavenſis.
Franciſcus *de Moulins*, Abbas S. Maximi in Aurelianis, A. C. 1500.
Goffridus *de Pampadour* in Camera Computorum Præſes, Anicienſis Ep. ſub Carolo VIII. & Lud. XII.
Adrianus *de Goufier*, Cardin. de Boiſſi, A. C. 1516.
Franciſcus *le Roy de Chauvigni* ſub Franciſco I.
Phillippus Coſſæus Ep. Conſtant. A. C. 1535.
Joh. *le Veneur*, Cardin. A. C. 1530.
Petrus Caſtellanus Ep. Matiſcon.
Antonius *Sanguin*, Cardin. de Meudon, ſub Henrico II.
Ludovicus *de Brezé*, Ep. Meldenſis, ſub eodem Rege.
Carolus *de Humieres*, Ep. Bajocenſis, A. C. 1578.
Jacobus Amiotus Melodunenſis, Ep. Autiſiodorenſis, Caroli IX. Præceptor, obiit. A. C. 1593.
Reginaldus *de Beaune*, Bituricenſis, ac deinde Senenonſis Ep. mortuus A. C. 1606.
Jacobus *Davy*, Cardin. Perronius, Senonenſis Archiep. ſub Henrico IV. & Ludovico XIII. obiit A. C. 1618.
Franciſcus Rupifulcaudius Cardin.
Alphonſus Lud. Cardin. Richelius A. C. 1632.
Antonius Barberinus, Archiep. Remenſis.
Emmanuel Theodoſius *de la Tour d'Auvergne de Bouillon*. A. C. 1672.

ELEEMOSYNARIUS, Radulphus Vide *Radulphus*.

ELEES, ſeu *Eleæ*, Italiæ fluv. prope Eleam in Lucania. Strabo. *Evoli* Nigro. Cis Apenninum. Nunc *Piſciota*, ad Veliam urbem cui & nomen poſtea dedit. In mare Tyrrh. ſe exonerat, prope prom. Palinurum, in Principatu cit Hinc *Eleates Sin.* & portus, qui & *Velinus*. Baudr.

ELEGANS, ad ætatem Catonis, non in laude, ſed vitio ponebatur Sic enim ille de ſeculi ſui moribus *Avaritiam omnia vitia habere putabant ſumptuoſus, cupidus, elegans, vitioſus.* Poſt in laudem vertit. C. Nepos *Attico c.*13. *Elegans, non magnificus, ſplendidus, non ſumptuoſus.* Vide A. Gell. *Noct. Attic. l.* 10. *c.* 2. & Joh. Bapt. *Plem Annotat. poſter. c.* 8.

ELEGARDA, Armeniæ majoris urbs. *Ptol.*

ELEGEA, regiuncula trans Euphratem.

ELEGIA, Armeniæ civitas, quam præterfluit Euphrates, occurrente illi apud eam Tauro monte, nec reſiſtente. Plin. *l.* 5. *c.* 24.

ELEGIA, in funeribus primùm dicta eſt, uti Ovid. in funere Tibulli innuit. Ejus inventorem neſcire ſe, confeſſus eſt Horat. Theoclen tamen quendam, ſive Naxius ille, ſive Eretrienſis fuerit, tradunt furentem hoc carminis genus primum effudiſſe. Nomen à *miſeratione*, ἐλεὸν λέγειν; unde *miſerabiles Elegos* appellavit Horat. An potiùs ab ἒ ἒ λέγειν, quæ interjectio, ut & αἲ αἲ, frequens omnibus Tragicis. Cantabatur autem ad tibias *Elegia*, unde illam θρῆνον ᾀδόμενον πρὸς αὐλὸν definit Scalig. &c. Poſtea uſus translatus eſt ad longè diverſiſſima: ſc. ad amores, non tamen ſine ratione. Nam & frequens conqueſtio in amoribus & veriſſima mors, quæ à nobis ſexui huic vivitur. Diffuſa tandem ſignificatio, ad eum quoque, qui potitus eſſet, veluti apud Ovid. Amor. *l.* 2. Eleg. 12. initio.

Ite triumphales circùm mea tempora lauri &c.

Idem Scalig. *Poëtic. l.* 1. *c.* 50. Unde amatorios Poëtas tres *Elegiacos* in unum volumen compulſos à vett. Criticis hodieque habemus. Sed & eodem carminis genere antiquos Poëtas multa l'σοελκομυθικὰ tractaſſe, Callimachum, Parthenium, Euphorionem, Alios, docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 851.

ELEI, pop. in Pelonneſo, clariſſimi propter delubrum Jovis Olympii, ludosque Olympicos, quorum præfecturam Elei habuêrunt, unde *Elei equi*, & *Eleus carcer* ſæpe leguntur. Virg. *l.* 1. *Georg. v.* 59.

Eleadum *palmas Epiros equarum.*

Horat. *ubi de Pindaro*: *l.* 3. Carm. Od. 11. *v.* 13.

Sive quos Elea *domum reducit*
Palma. ------ ------

Propert. *l.*3. Eleg. 9. *v.* 18.

Sunt quibus Eleæ *concurrit palma quadrigæ.*

Lucan. Civil. Bell. *l.* 1. *v.* 293.

Quantum clamore juvatur
Eleus *ſonipes.*

Nic.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Nic. Lloyd. Addo quòd Μύαγρον Deaſtrum pop. hi placarunt, de quo infrà.

ELELEUS, unum ex Bacchi cognominibus, ab ἐλελίζω quod ſig. *Vociferari*, quemadmodum prælio congreſſuri conſuevérunt. Ovid. *Met. l.*4. *v.*15.

Nyctéliusque Eleleuſque *parens.*

Hinc Bacchæ *Eleleides*. Ovid. *Ep.* 4. Phædra Hippolyto *v.*47.

Nunc feror ut Bacchi furiis Eleleides *act.c.*

Item Sol dictus eſt *Eleleus* ἀπὸ τῆ ἐλίσσεσθ περὶ τὴν γῆν, h. e. quòd æterno circa terram meatu volvi videatur.

ELEMENTA, non minus ac Cœlum & Sidera, & quidem poſt hæc, inter Vett. fuêre Deos; qui honor ſic primùm tributus eis, ut hunc cum cœlis haberent communem. Ita, cum Sole ac Luna, *Elementa* eſſe Deos, credebat Prodicus Ceus: & ſi in quorundam ſententia ſiderum cultus non exprimitur, hi videntur cœleſtes illos ignes intellexiſſe, uti fortè, cùm Empedoclem Agrigentinum pro Numinibus habuiſſe *Elementa*, cum Lite & Concordia, Simplicius ſcribit. Et hæc quidem Philoſophi: de Gentibus totis liquidior res eſt: Quemadmodum de Græcis & Romanis, qui Rheæ, Neptuni, Junonis, aliisque nominibus ea ſignabant. Item Perſis, qui, præter Cœlum, Solem, Lunam & Venerem, coluêre καὶ πῦρ καὶ γῆν καὶ ἀνέμους καὶ ὕδωρ, *& ignem & terram & ventos & aquam*, uti clarè dicunt Herod. *l.*1. & Strab. *l.*15. Diſſentit quidem Trogus, qui unum ait Solem coluiſſe, verùm illud de antiquis Perſis poteſt intelligi. Ex *Elementis* autem ante alia, Tellus prima videtur divinos hos honores obtinuiſſe; niſi quòd Aquam primùm Ægyptii videntur venerati: inde demum ad reliqua tranſitum, qua de re vide Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 52. & *ſeqq.* ut de concordi IV. *Elementorum* diſcordia ingenioſè figurata Orphei inſtrumento Muſico, quatuor chordis conſtante, infrà in voce *Tetrachordum*, de luxu Romanorum, qui ex omnibus *Elementis*, quod exquiſitiſſimum erat, gulæ parabant, infrà in voce *Tetrapharmacum*; & quodlibet Elementorum *ſuo loco.*

ELEMENTA Prima, apud Horat. Serm. *l.* 1. *ſat.* 1. *v.* 25.

---- *ut pueris olim dant cruſtula blandi*
Doctores, elementa *velint ut diſcere prima.*

Jul. Capitolino *in Pertinace* dicuntur literæ elementariæ; aliquando *Literæ* abſolutè: unde *Literatores*, qui illas docebant, qui & *Grammatiſtæ*, item *Calculones* aut *Cauculones*, ut in vetuſtis libris ſcribitur. Vetus *Epigr.*

---- *Docendam ſuſcepit cauculo pubem.*

Iidem enim fere, qui primas literas docebant, & calculo quoque pueros imbuebant &c. ut videre eſt ſuprà in voce *Edomator*. Vide Salmaſ. *Not. ad Capitolin.*

ELENA, civitas olim prov. Narbonenſis 1. vel Septimaniæ, in Comitatu hodie Ruſcinonenſi, Hiſp. *Elna*, Gall. *Elne*, ac nonnunquam *Eaune*, ad rivum ſeu amniculum, qui in mare effluit, prope Pyrenæos. Hic Conſtans Aug. Conſtantini Mag. fil. minimus à Gaiſone interfectus eſt, Anno æt. 27. Imp. 13. qui paulo antè viſus erat in ſomnis, in gremio aviæ ſuæ, cui *Helenæ* nomen erat, confodi: & ab hac civitati nomen, quod tamen plerunque ſine aſpiratione ſcribitur. Facta eſt ſedes Epiſcopatus, eodem quo Carcaſſo tempore, poſt Viſigothos ab Chlodovæo Aquitaniæ finibus expulſos & Toloſa Ucetiaque ſpoliatos: tum enim, ut Septimaniæ ſuum conſtaret nomen, à numero civitatum Narboni metrop. attributarum, Toloſæ & Ucetiæ, Septimaniæ urbibus, Carcaſſo & Elena ſubſtitutæ videntur. Hanc A. Elenenſis Ep. *in epiſt. ad Ludovicum VII.* ab Francorum Regibus, pulſis Saracenis Hiſpanienſibus, in integrum reſtitutam & prædiis, villisque fiſcalibus auctam fuiſſe, ſcribit. Poſtea verò ſedes Epiſcopatus Perpiniacum tranſlata eſt. Hadr. Val. *Not. Gall.*

ELENA, vicus in primis Atrebatum finibus, quâ Camaracenſes attingunt, Sidon. Apol. *in Paneg. Majoriani* memoratus, forſitan Lenſium eſt ad Deulam, vulgo *Lens*: quod eo ipſo nomine in Capitul. Caroli Calvi inter villas regias, ſilvis proximos memoratur. Hadr. Val. *Not. Gall.*

ELENCHUS, ſeu Titulus, genus Margaritæ, vide *Inauris*, item Unio.

ELEONORA, hæres Gul. X. ultimi Guiennæ D. ex Eleonora, filia, Ludovici VII. Jun. Galliæ Regis Comes mariti in expiditione ſacra, paulo liberiùs egit, proin hic redux divortium urſit, & obtinuit. Illa verò Henrico II. Angliæ Regi nupta, quòd fil. ejus rebellibus faveret, 16. Annos in vinculis fuit. Marito mortuo libera, in monaſterio obiit, A.C.1204. Chenius *Hiſt. Angl. l.* 11. & 12. Matthæus Pariſ. & Balæus. De literis ejus ad Henricum VI. Imp. Cæleſtinum III. ad filios, Vide P. Bleſenſem. P. Æmilium, *l.* 5. *&c.*

ELEONORA Auſtriaca, filia Philippi I. ex Johanna Caſtellana, nupſit primò Emanueli, Luſitaniæ Regi. Dein Franciſco I. Galliæ Regi pacis conciliatrix: quo mortuo à Fratre Carolo V. A.C 1555. in Hiſp. ducta, obiit An. æt. 60. Mezeray, *in vita ejus.*

ELEONORA, filia Raimondi Berengarii V. Com. Prov. uxor Hen. III. Angli, ex illo mater Eduardi I. &c. Obiit A. C. 1292. Item, filia Alphonſi IV. Luſit. Regis. uxor Petri IV. Arragonii. Item filia Mart. Alphonſi Tellefii, uxor Ferd. Luſit. Regis. Item, *Eleonora* Arragonia, ſoror Petri V. uxor quinta Raimundi VI. Comitis Toloſ. Item, filia Joh. Arragonii, ex Blanca Navarræa, uxor Gaſtonis IV. Com. Fuxenſis, qui ex Magdalena Francica genuit Franc. Phœbum, Navarræ Regem.

ELEONORA, filia Fernandi I. Imp. Gulielmo Mantuæ Duci nupſit. Vide Spener. *Sylloge Geneal. Hiſt. in Fam. Auſtriaca.*

ELEPH, urbs in tribu Benjamin. Joſ. *c.*18. *v* 28. Lat. *mille* ſive *doctrina. author* vel *dux.*

ELEPHANTARCHES, Græca vox, 2. Maccab. *c.* 14. *v.* 12. ubi ex *Elephantarcha* Nicanor Dux Jehudææ factus legitur: is dicitur, qui imperium habet in belluas, ut Craterus, quem Alexander elephantis ſuis præfecerat, apud Arrian. *l* 6. Quamvis enim in Æliani *Tacticis* is *Elephantarcha* propriè dicatur, qui 16. elephantos regit; ut *Ceratarcha*, qui 32. *Phalangarcha*, qui 64. tamen, latè ſumpto vocabulo, *Elephantarcha* dicitur, quisquis elephantis præficitur quamlibet magno ſint numero. Itaque Hermon, cui quingentos elephantos commiſerat Ægypti Rex Philopator, *l.* 3. Maccab. ſæpe *Elephantarcha* vocatur: Et Regi Seleuco id cognominis inditum à Demetrii adulatoribus, quod plures haberet elephantorum centurias. Aliud Ἐλεφαντάρχης Philoſopho *Hiſt. l.* 9. *c.* 1. nempe qui elephantò inſiliens illum καὶ δρεπάνῳ, *falce dirigit.* Is alio nomine vocatur Ἐλεφαντάγωγός, quem ab *Elephantarcha* Pollux ſic diſtinguit *l.* 1. *c.* 10. ut ab equiſone differt ὁ Ἱππάρχης ſeu *Magiſter Equitum.* Vide Sam. Bochart. *Hierozici Parte prior. l.* 11. *c.* 27.

ELEPHANTIÆ Dracones, memorati Solino *c.*27. quibusdam dicti ſunt, quòd *elephantiaſin* morbum morſu inducant. Salmaſio potius, quòd cum elephantis perpetuâ diſcordiâ pugnant, ut eorum ſanguinem ſorbeant, cujus ſunt avidiſſimi. Hi non humi tantùm ſerpunt, ut *Chamædracontes*, ſed arbores etiam inſcendunt, è quibus ſpeculati in elephantos prætereuntes ſe injiciunt. Verùm à venatoribus ſæpe deprehenſi, cum elephantis pariter occiduntur: *præmia capientibus ſunt oculi*, *pelles*, *dentes*, Philoſtr. *Apollon. l.* 3. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 343. Iſtiusmodi draconis ab elephante eliſi ſanguinem, *cinnabari* creditum eſſe Vett. diximus ſuprà.

ELEPHANTIALIS, Vide infrà *Lepra.*

ELEPHANTINA, urbs quæ diſtat à Thebis Ægyptiis viginti & octingentis ſtadiis. Herod. ubi maximum Nili incrementum ſit cubitorum XXVIII. ſicut minimum apud Mendelem & Nola, Plutarch. *de Iſide.* Inter Ægypti clariſſimas, & *Regni Elephantinorum*, quam velut quintam dynaſtiam Regum Ægypti inter Memphitarum Regem XVI. & XVII. intertexit Africanus caput. Inter quos tamen Reges & Thinitas cùm magna ſit nominum ſimilitudo, an hi Reges *Elephantini* ſint cum Thinitis iidem, an horum reliquiæ illi habendi, qui poſt regnum exciſum, in partes Auſtraliores, Æthiopiæ conterminas, ſeſe contulerint, diſquirit Joh. Marsham. *Canone Chron.* Certè ſola Regum nomina ſuperſunt: eorum verò res geſtæ penitus ignorantur. Vide etiam infrà *Elephantis inſ.*

ELEPHANTINE, Græcè, Ἐλεφαντίνη, item Ἐλεφαντίς, urbs Ægypti, ὅριον, ſeu μεθόριον potiùs, *terminus* Æthiopiæ & Ægypti, clauſtrum olim Romani Imperii, à qua & Catadupis Nilus incipit, ex adverſo Syenes poſita, quam cum Philis Plin. confundere, docet Salmaſ. *ad Solin. p.*436. Vide quoque *Elephantina.*

ELEPHANTINI, vel ELEPHANTIÆ, pop. Apuliæ.

ELEPHANTINI Libri, apud Romanos dicti ſunt, in quibus civium nomina inſcripta, unà cum Actis publicis, in ſanctiore Ærario, aſſervabantur: quod proin non rarò *Tabularium* vocatum reperitur apud Auctores. Meminit iſtiuſmodi librorum Vopiſcus *in Tacito*, ubi ait: *Habet Bibliotheca Ulpia in armario ſexto librum Elephantinum, in quo hoc SC. perſcriptum eſt: cui Tacitus ipſe manu ſua ſubſcripſit.* Sic dicti Oiſelio *in A. Gellii l.* 11. *c.*17. quòd elephanto, ſeu ebore ſectili conſtarent: & certè eboreorum codicum mentio quoque apud Ulpianum eſt *l.* 52. *D. de Legat.* 3. Scalig. tamen putat, ex omentis Elephantorum compoſitos fuiſſe, cui ſuffragatur Gerh. Joh. Voſs. qui tamen in ebore ſcribi potuiſse, non negat. Unde Mart. *l.* 14. de Apoph. *Epigr.* 3. cujus epigraphe pugillares eborei

Languida ne triſtes obſcurent lumina ceræ,
Nigra tibi niveum litera pingat ebur.

Nihilominus non deſunt, qui libros illos *Elephantinòs* dictos fuiſse contendant, non à materia, è qua conſtiterint, ſed à prodigioſa illorum magnitudine: quemadmodum, quidquid vulgarem longè excedit menſuram, *Elephantinum* appellamus. Vide Alexandr. *Genial. dier. l.* 2. *c.* 2. & de varia quâ ſcribebatur materia, infrà, in voce *Scribendi ritus.*

ELEPHANTIS, Poëtriæ nomen, quæ libellos ſcripſit, quibus varia genera concubitus, varioſque coëundi modos complexa eſt. Martial. *l.* 12. *Epigr.* 43. cujus epigraphe in Sabellum.

Nec molles Elephantidos *libelli.*

Memoratur *in Priapeiis*, nec non Tatiano Aſſyrio *adverſus Gentes.* Spiſsus eſt autèm error Jul. Cæſaris Capacii *l.* 2. *hiſt. Neapolitanæ*, ubi non poëtriam, ſed poëtam fuiſse exiſtimat.

ELEPHANTIS, Nili inſ. Ptol. & Plin. *l.* 5. *c.*9. *infra noviſſimum catarracten* 3000. *paſſ. & ſupra Syenen* 16000. *habitatur*, *navigationis Ægyptiæ finis.* Ibi Æthiopæ conveniunt naves: namque eas plicatiles humeris transferunt, quoties ad catarractas ventum eſt. Hujus ditionis non tantùm *Elephantine Thebaidis*, ſed forſan etiam *Elephantine Æthiopiæ*, ſive *Philæ* urbs, in Δωδεκασχοίνῳ regione, de qua idem Plin. *l.*24. *c.*17. Arabibus enim & Æthiopibus. *Phil.* eſt elephas, Bochartus *Geogr. Sacr. l.* IV. *c.* 26. §. 3. Vide quoque Marsham. ubi ſuprà, nec non in voce *Philæ.*

ELEPHANTOPHAGI, Æthiopes ſub Ægypto. *Strab.*

ELEPHANTUS, Ordo Eq. Daniæ, à Chriſterno I. inſtitutus, A. C. 1474 in nuptiis fil. Joh. Cujus inſigne Elephas, de torque pendulus. Solo inaugurationis die conferri ſolet. Crantz. & Joh. Magnus, *hiſt.* Favin. *theatr. hon. & Equ.*

ELEPHAS, quadrupedes inter principatum tenet; de quo ſic Hiob. *c.* 40. *v.* 10. *Jam ecce Behemoth, quem feci tecum, qui fœnum ut bos comedit*: Ubi voce generali *Behemoth*, per excellentiam *Ele-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

phantem ſignificari, Hebræi contendunt, quos & Thomas Aquinas & Nic. Lyranus ſequuntur. *Hunc*, inquit Deus *feci tecum*, h.e. eodem, ac te, die creavi, & in eadem, ac te, terra conſtitui. Addit, *boum more herbam comedere*: quaſi dicat, tam vaſtam belluam non incutere nobis metum, quia bovis inſtar iis contenta ſit, quæ in terra ſuccreſcunt. Et ſanè tantum abeſt, ut homini ſit metuenda, ut odore, quo plurimum valet, animadverſo hominis veſtigio, intremiſcat, uti Plin. teſtis eſt. Et quæ de robore ac magnitudine ejus ſequuntur. *Ipſe eſt principium viarum Dei, qui fecit eum: applicavit ei gladium ſuum.* Quibus verbis *Elephantum* inter animantia, ſtatuit eſſe opus Dei primarium; neque etiam eſſe opus hominis, eum interimere: ſed eſſe id Dei proprium. Quod de Jobi temporibus capiendum videtur. Nam ut Plin. habet. *l.* 8. *c.* 7. *Proboſcidem eorum facillimè amputari, Pyrrhi præliorum experimentis patuit.* Poſtmodo etiam reperta eſt necandi ratio: Nempe ſi, ut Liv. ait *l.* 27. *c.* 49. *fabrile ſcalprum ipſa in compage, qua jungitur capiti cervix, quanto maximo fieri poteſt, ictu mallei adigatur: primusque eam celerrimam montis viam in tantæ molis bellua inſtituerat Aſdrubal.* Aſdrubal ille, Annibalis frater non totis 50. annis cæſus, ante mortem Judæ Maccabæi adeoque 13 ſeculis Jobo, ſi is Moſi æqualis fuit, recentior. Magnitudinem quod attinet, variant Indici ac Libyci: de quo ſic Philoſtrat *l.* 2. *de vita Appollon. c.* 6. Ὅσον ἵππου Νισαίου μείζων ὁ Λιβυκὸς ἐλέφας, τοσοῦτον τῶν ἐκ Λιβύης οἱ Ἰνδοὶ μείζους. *Quanto eſt equo Niſæo major elephas Libycus, tanto Libycis elephantis majores ſunt Indici.* Et ante eum Plin. *l.* 8. *c.* 9. *Indicum Afri pavent, nec contueri audent: nam & major Indicis magnitudo eſt.* Præter magnitudinis diſcrimen, etiam animorum robore utrosque differre, ſcribit Liv. ubi Romanam adversùs Antiochum in Aſia aciem deſcribit, *l.* 37. Sunt vero Indici novem cubitorum altitudine, latitudine quinorum, ut refert Ælian. *de Anim. l.* 13. *c.* 8. atque addit, maximos Πραισίους, proximos magnitudine Ταξίλας vocari. Nec tamen in continente Indiæ omnium maximi: majores illi, imò & robuſtiores & dociliores magis, qui Inſ. Taprobana, ut proditum eſt eidem *l.* 10. *c.* 18. atque idem Luſitanorum navigationibus compertum. Vide quoque infra *Zeylan*. De robore eorum vel cognoſcere eſt ex eo, quòd turres geſtant, unde decem, vel quindecim milites mittant jacula, aut ſagittas, ut Philoſtrat. habet. Imò Maccabaicæ, ſive Aſmonæorum hiſtoriæ, *l.* 1. *c.* 6, *v.* 37. narratur, ut bello Antiochi Eupatoris adversùs Judæos, tergo in turribus ligneis ac validis geſtarint milites 32. cum Indo, belluæ Magiſtro, Vide quoque Oppian. *de Venat. l.* 2. *v.* 531. & *ſeqq.* Nec magni modò ſunt & robuſti, verùm etiam vivaces. Nam. 200. vel 300. annos vivere, teſtes ſunt Ariſtot. *Hiſt. Anim. l.* 8. *c.* 9. & *l.* 9. *c.* 56. Plin. *l.* 8. *c.* 10. Ambroſ. *Hexaem. l.* 6. & Nonnus *Dionyſiacôn l.* 26. De *Ajace*, Pari primum Indiæ Rege, dein, hoc devicto, Alexandri Mag. qui hoc nomen, magnum magno, impoſuit, *Elephantem*, quinquaginta ſuper trecentos annos pugnæ utriuſque Regis celeberrimæ ſuperfuiſſe, Philoſtrat. tradit. *l.* 2. *c.* 6. Laudatus Radero *ad Curt. l.* 8. *extremo*. Ex recentioribus, qui in India diu verſatus eſt, Joh. Baptiſta *Tavernier*, Gallus, *Itin. ſui part.* 2. *l.* 1. *c.* 18. ubi multa, aliisque non notata, de *Elephantis*: nunquam ſcribit exactè diſcere potuiſſe ex eorum Magiſtris, quousque ætatem extendere queant; conjicere ſe tantùm, ex dictis illorum ad 130. annos atque ulteriùs vivaces eſſe. At majus hiſce omnibus, quòd ſic excellant ingenio ac ſagacitate, qua de re præter Tullium *de Nat. Deor. l.* 3. Strab. *l.* 6. Philoſtrat. *de vita Apollon. l.* 2. *c.* 7. alios, Vide Lipſ. *Ep. de Elephantis*. E quibus unicum illud interſero, quod diſcant adorare Regem, ut ait Ariſtot. *Hiſt. Anim. l.* 9. *c.* 46. Ac fidem quoque facit, quòd Hier. Oſorius *de Geſtis Eman. Regis l.* 9. referit, ut A. C. 1514. Elephantus Indicus Romæ (ubi id animal, poſt inclinatam Imperii Rom. Majeſtatem, viſum nunquam erat) Leonem *X. Pontif. ter genibus flexis, & demiſſo corporis habitu, venerabundus ſalutarit.* Ubi cùm genua flexiſſe dicitur, hoc ſignificatur, leviter flexiſſe calcaneum. Nec enim elephantus ſtans genua valet flectere: unde & credo, inquit Voſſ. hæc bellua Ægyptiis (quod eſt apud Orum *Hieroglyph. l.* 2. *c.* 86.) ſymbolum erat. Regis: Nam Rex ſuplicat nemini. Paulò ſuprà memoratus *Tavernier* in Perſia, Regem ab *Elephantis*, anteriores pedes prorſum, poſteriores retro, quantum poterant porrigendo, ſalutatum ſe vidiſſe, & hanc eorum genuflexionem, quibusdam memoratam eſſe, ſcribit, *Itin. Perſ.* Imò *diſciplinam ſiderum eos ſervare*, & *Solis exortum, motibus quibus poſſint, ſalutare*, Solin. novaque Lunâ niteſcente, Plin. *l.* 8. *c.* 1. *deſcendere gregatim ad amnem quendam, ibique ſe purificantes ſolenniter aqua circumſpergi, atque ita ſalutato ſidere* (Lunâ) *in ſylvas reverti*, tradit. Qua de re Salmaſ. *ad Solin. p.* 206. Interim tam vaſta, tam valida, tam ſagax bellua, non ſolùm fraude capitur humanâ, de quo Ariſtot. *Hiſt. Anim. l.* 4. *c.* 1. & præfatus Tavernier: ſed & capta manſueſcit, ut canit Ovid. *Triſt. l.* 4. *Eleg.* 6. *v.* 7.

Quæque ſui juſſis obtemperat Inda Magiſtri
Bellua, ſervitium tempore victa ſubit,

Quin etiam regitur à tredecim annorum puero, ut eſt apud Philoſtrat. *de Vita Apollon. l.* 2. Jugum quoque ſubit ac currum trahit, quod non ſolùm ex Opp. ſed vett. pariter nummis videmus. Vide quoque infrà *Cn. Pompejus*. Arabicis inprimis, *quos nothos vocabant*, in agricultura pro bubus, Indos conſueviſſe uti, docet Plin. *l.* 8 *c.* 1. Ad bellum porrò aſſuefiunt, non ſolùm ut milites ferant, ſed & ut falcibus inſtructi ipſimet hoſtes lancinent, ut memorabili exemplo docet Tavernier præfat. *Itin. part.* 3. qui etiam in Regno Tunquinenſi omnium maximos, eosque tam expeditos agilesque, ut in terram ſe ſubmittentes ſeſſorem facilè recipiant, reperiri ait, in *Deſcr.* ejus. Et quidem cum belluis his jam olim acriter ſæpe certatum. Contra quas qui mittebantur, latiori ferro haſtas geſtaſſe videntur, ut in magnis corporibus majora forent vulnera. Quirimo & vetatis conjectis Romani pedites elephantos Hanibalis & divertere & inſecuti averſos, ſub caudis quà maximè molli cute vulnera accipiunt fodiebant, teſte Liv *l.* 30. Ignibus etiam ex caſtris Romanorum exactos, idem tradit *l.* 35. Multi ſecures extulêrunt, quibus pedes illorum amputarent Curt. *l.* 8. Gladios quoque habebant leviter incurvos, falcibus ſimiles, *Copidas* vocabant, quibus Belluarum præciſæ manus, Ibid. Sed & ſudibus armati in prima acie, ad terrendos eos prohibendosque conſtituti, apud Appian. Foſſas tandem tectas, illosque in eas illectos ſcribunt Auctores, Stewech. *ad Juſtin. l.* 15. *c. ult.* Quo pacto verò retroacti, cum regis à ſuis amplius non poſſent, occidi conſueverint, inventore Audrubale, vidimus ſuprà. Vide quoque de eorum pugna Amphitheatrali, à Jul. Cæſ. editâ, apud Suet. *in eo c.* 39. &c. Iidem ebur ſuppeditant hominum ambitioni, & tergore impenetrabili arma militibus; inde enim cetras paratas olim, apud Plin. habes. Carne eorum veſcuntur pop. inde *Elephantophagi* dicti, de quibus Vide ſuo loco. Ut alia omittam, de quibus præter Auctores jam laudatos. fusè agit. Bulengerus *de Venatione Circi tota c.* 16. Id. Gerh. Jo. Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l.* 3. *c.* 50. & Sam. Bochart. *Hierozoici Part. prior. l. II. c.* 23. & *ſeqq.* ubi nomine *Behemoth* apud Hiobum *elephantum* non intelligi poſſe, inter alia multis probat. Nomen quod attinet, *ab ejus loci, in quo naſcitur, populo*, illud *Elephantem traxiſſe*, dicit Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 389. Certè hoc nomine montem Æthiopiæ eſſe, vidimus ſuo loco. Vide quoque ſuprà, *Bos Lucæ*, & infrà *Therarchus*.

ELEPHAS, Scriptoribus Francicis, pro litui vel tubæ ſpecie, crebrò uſurpatur, *Olifant*. Sed & laudatur Olao Wormio *l. de Cornu aureo p.* 27. vetus cantilena Islandica Runica quam ſic Latinè vertit, *Per viginti milliaria Gallica audiebatur ſonus Olifanti, dum ſcutorum expugnator cornu inflavit duriſſimum*, Vide C. du Freſne *Gloſſ.*

ELEPHAS, mons Æthiopiæ ſub Ægypto apud ſinum Avalin Arrian. *Felles Gaſtaldo*.

ELEPHUS, mons Aſiæ, contra Lesbum; al. *Elatus*. Hic Alcibiades obiit, & cervæ aurem habent ſciſſam.

ELEPLA, vulgò *Niebla* Marianæ, opp. Hiſp. Bæt. apud oram Vandalitiæ, ab Hiſp. 9. leuc. in Occaſ. & Africum, ol. ſub Gothis, urbs Epiſc. Vide *Ilippa*.

ELEPORUS, M. Græciæ. fluv. inter Cauloniam & Crotonem. Polyæn. *l.* 5. *in Agathocle. com.* 2. Idem qui *Helorus*.

ELERIUS Cambrius, S. Weneſtidi vitæ ſcriptor, à Monacho Roberto compilatus. Circa A. C. 660. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 26.

ELESBAANUS, Rex Æthiopiæ, ſapiens & egregius, Dunaanum Judæum Homeritis præfecit, A. C. 522. qui in Principem rebellis, victus eſt, mox irâ in Chriſtianos ſibi ſubjectos effusâ. Quare Juſtin. Imp. per Aſterium. Alexandrin. Ep. Elesbaanum movit, ut ſævitiæ hujus tyranni frænum imponeret. Ita hic terrâ marique victus ac occiſus eſt. Vide Zonar. Cedren. Theophan. &c.

ELETE, Cœleſyriæ urbs. *Ptol.*

ELEVATIO, in Sacris, Vide infrà *Primitiæ*, it. *Tharuma*.

ELEVATIO Manuum, ritus antiquiſſimus, in juramentis & precibus uſitatus, Vide infrà ubi de ritu *Levatis in altum manibus precandi*.

ELEVATIO in Solium ſeu Thronum, hodie pro coronatione, in Or. Vide infrà *Solium*.

ELEUS, *untis*, Thraciæ urbs. Thucyd. *l.* 8. In intimo receſſu Thraciæ Cherſoneſi, in Auſtr. prope Eolium prom. nunc *Critea*, verſus oſtium Helleſponti. Dicitur & *Elæus*. Baudr. pop. *Eleuntii*. Item *Eleus* fluv. qui Mediæ magnam partem irrigat. Item, Inſ. parva Joniæ, ad Miletum urb.

ELEUSA, Ciliciæ opp. mediterraneum, Plin. Niger inſulam facit, & dicit hodiè *Corcu* vocari. Item inſ. ex oppoſito Cypri. Item Inſ. Aſiæ min. in mari Lycio, in ora, inter Rhodum ad Auſtr. & Lyciam ad Bor. eadem quæ *Syme*.

ELEUSA, Græcè Ἐλεοῦσα, ſcopulus in ſinu Saronico, cultus olim, & inter populos Atticæ recenſitus, ad Hadrianidem tribum pertinebat hodie *Eliſſo*, ut videtur, dictus. Inde oriundus Philodemus, Archon erat, uti ex vet, *Inſcr.* docet Spon. qui etiam aliam, ejusdem demi memoriam ſervantem, in qua *Hierophantæ*, *Daduchi*, *Hierocerycis*, *Cerycis*, *Epibomi*, *Grammatei*, *Archigrammatei*, *Programmatei*, περὶ τὸ Βῆμα, Ἱερέως, & *Hieraulæ*, qualia cuique Tribui munera erant, mentio fit, exhibet, *Itin. Part.* 3. ubi de 147. *Populis Atticæ*.

ELEUSIN, Theræ inſ. urbs. *Ptol.*

ELEUSINA, pag. Ægypti, in ora, apud Alexandriam, Liv. *Leuſina*.

ELEUSINIA. Inter omnia Græcorum ſacra, tanta ſemper fuit *Eleuſiniorum* religio, ut commune myſteriorum nomen illis veluti proprium ab Authoribus tribuatur, ideoque de iis paulo fuſius agendum. *Eleuſinia* verò ſic dicta ſunt, ab *Eleuſi* Atticæ opp. cujus appellationem, ab *Eleuſino* Mercurii fil. dèducunt. Harpocration: Ὠνομάσθη δὲ ἡ πόλις Ἐλευσὶς ἀπὸ Ἐλευσῖνος τοῦ Ἑρμοῦ. Eadem habet Suid. idque totidem verbis. Pauſan. *in Att.* memorat Ἐλευσῖνα ἥρωα, ἀφ' οὗ τὴν πόλιν ὀνομάζουσιν, οἱ μὲν Ἑρμοῦ παῖδα εἶναι, οἱ δὲ Δαείρας Ὠκεανοῦ θυγατρὸς λέγουσι. Alii ἀπὸ τῆς ἐλεύσεως, i. e. ab *adventu* dici voluêrunt, quòd Ceres poſt longos errores eò tandem allapſa filiam invenerit. Etymologicum. Ἐλευσὶν, δῆμος Ἀττικὸς, διὰ τὴν τῆς Δημήτρος ἔλευσιν, ὅτι ἐκεῖ ἐλθοῦσα εὗρε τὴν κόρην. Ariſtides in *Eleuſinia*: Ἃ δ' εἰς τὸ μέσον ποιηταί τε καὶ λογοποιοὶ καὶ συγγραφεῖς πάντες ὑμνοῦσι, κόρην τὴν Δήμητρος ἀφανῆ γενέσθαι χρόνον τινά. Δήμητραν δ' ἐπέρχεσθαι γῆν πᾶσαν, καὶ θάλατταν ζητοῦσαν τὴν θυγατέρα, τέως μὲν οὐχ οἷόν τε εἶναι εὑρεῖν, ἐλθοῦσαν δὲ εἰς Ἐλευσῖνα, τήν τε ἐπωνυμίαν ποιῆσαι τῷ τόπῳ, καὶ τὴν κόρην εὑροῦσαν ποιῆσαι τὰ μυστήρια. Diod. Sic. *l.* 5. nomen loco poſitum ait, ut eſſet monumentum advecti aliunde frumenti: Τὸν γὰρ τόπον τ

ἐξ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ἐξ ἀρχῆς δεξάμενον τὴν δωρεὰν ταύτην Ἐλευσῖνα προσαγορεύειν ἀπὸ τοῦ παρ' ἑτέρων τοῦ σίτου κομισθέντος. Primùm inſtituta volunt à Cerere, quæ ut benignitatem hoſpitii, qua fuerat ab Athenienſibus excepta, pariaret, uſum frumenti, & tacenda ſacra demonſtravit. Iſocrat. *in Panegyrico*: Δήμητρος ἀφικομένης εἰς τὴν χώραν ἡμῶν, ὅτε ἐπλανήθη, τῆς κόρης ἁρπασθείσης, καὶ πρὸς τοὺς προγόνους τοὺς ἡμετέρους εὐμενῶς διατεθείσης, ἐκ τῶν εὐεργεσιῶν, ἃς οὐχ οἷόν τε ἄλλοις, ἢ τοῖς μεμυημένοις ἀκούειν, καὶ δούσης δωρεὰς διττάς, αἵπερ μέγισται τυγχάνουσιν οὖσαι, τούς τε καρπούς, οἳ τοῦ μὴ θηριωδῶς ζῆν ἡμᾶς αἴτιοι γεγόνασι, καὶ τὴν τελετήν. At contra Diod. Sic. *l.* 6 Cererem hoc ſacrorum honore ab Athenienſibus affectam fuiſſe tradit, ut acceptam ab ea cultioris vitæ rationem gratâ recordatione teſtarentur. Idem tamen *l.* 1. narrat, inopinâ ſiccitate ad injuriam ſterilitatis ſolâ terrarum exaruiſſe; Ægyptum autem proprio ſemper amne perfuſam, nec alio genere aquarum ſolitam pingueſcere, ſquallentis cœli non ſenſiſſe damna: ſed tantis ſegetibus indutam ſteriſſe, ut Athenienſibus ob cognationem meſſes ſuas ultrò communicaret. Sublevatam, duce Erechtheo, annonæ penuriam: hunc verò tanti beneficii causâ Regem creatum, cerimonias docuiſſe, & myſteria Cereris, ritu quo apud Ægyptios agebantur. Idque non videtur alienum ab eo, quod Herod. *l.* 2. & ex eo Pauſan. aſſerit. Græcos ab Ægyptiis & Deos, & Deorum nomina ſumpſiſſe: Græcorumque Apollinem, eſſe Ægyptiis Horum, Dianam Bubaſtin, Iſida Cererem, quod etiam à Plutarch. demonſtratur. Quocirca Lact. *l.* 1. & Phornutus, ſacra Cereris Eleuſinæ non eſſe diſsimilia Iſidos oſtendunt. At Theodoret. *l.* 1. *Græcanicarum Affectionum* ex Plutarch. ac Diod. Sic. non ab Erechtheo, ſed ab Orpheo cerimonias Iſidos in Cereris ſacra commutatas refert: Ὀρφεὺς εἰς Αἴγυπτον ἀφικόμενος τὰ τῆς Ἴσιδος, καὶ τοῦ Ὀσίριδος εἰς τὰ τῆς Δηοῦς καὶ Διονύσου μετατέθεικεν ὄργια. Huc etiam facit Eurip. Schol. *in Alceſt.* Πρῶτος Ὀρφεὺς μυστήρια θεῶν παραδέδωκεν, ὅθεν καὶ Θρησκείας τὸ μυστήριον καλεῖται, ἀπὸ τοῦ Θρᾳκὸς Ὀρφέως. Aliter etiam Servius *ad* Virg. *Georg. l.* 1. quem falli puto, dum Eleuſinia cum Theſmophoriis conjungit. Primùm celebrari cœpta ad puteum Callichorum. Pauſan. Φρέαρ καλούμενον Καλλίχορον, ἔνθα πρῶτον Ἐλευσινίων αἱ γυναῖκες χορὸν ἔστησαν, καὶ ᾖσαν εἰς τὴν θεόν. Callimach.

Τρὶς δ' ἐπὶ Καλλιχόρῳ χαμάδις ἐκαθίσσαο φρητί.

Clemens: Καὶ φρέατι ἐπικαθίζει λυπουμένη: Eodem loco Deam excepit Metanira ut author eſt Nicander *in Theriacis*.

Καλλίχορον περὶ φρεῖαρ, ὅτ' ἐν Κελεοῖο θεράπναις

Ἀρχαίη Μετάνειρα θεὴν δείδεκτο περίφρων.

Ipſum verò ſaxum, cui inſidens quievit, ἀγέλαστον appellarunt Schol. Ariſtoph. *ad Equites*: Ἀγέλαστος πέτρα, ὅτι ἐκεῖ ἐκάθισεν ἡ Δημήτηρ κλαίουσα, ὅταν ζητεῖ τὴν κόρην. Ἐρασθεὶς γὰρ Περσεφόνης ὁ Πλούτων, ἥρπασεν αὐτὴν κρύφα. Δημήτηρ δὲ μετὰ λαμπάδων, νυκτός καὶ ἡμέρας, κατὰ πᾶσαν τὴν γῆν ζητοῦσα περιήρχετο, μαθοῦσα δὲ παρὰ Ἑρμιονέων, ὅτι Πλούτων αὐτὴν ἥρπασεν, ὀργιζομένη θεοῖς κατέλιπε οὐρανὸν, καὶ εἰκασθεῖσα γυναικὶ ἧκεν εἰς Ἐλευσῖνα. ἔνθα ἐπὶ πέτραν ἐκάθισεν τὴν ἀπ' ἐκείνης κληθεῖσαν ἀγέλαστον. Hinc, ut author eſt Zenobius, adagium uſurpatur de rebus, quæ dolorem conciliant. Hinc igitur ſedes myſteriorum Eleuſis, quæ tantâ fide coluit, ut ab Athenienſibus in ſummas anguſtias redacta, hoſtium arbitratu deditionem fecerit, niſi quòd ſacra ſibi retinuerit. Pauſan. Γενομένης δὲ Ἐλευσινίοις μάχης πρὸς Ἀθηναίους, ἀπέθανεν μὲν Ἐρεχθεύς, ἀπέθανε δὲ Ἰμμάραδος ὁ Εὐμόλπου. Καταλύονται δὲ ἐπὶ τοῖσδε τὸν πόλεμον, ὡς Ἐλευσινίους ἐς τὰ ἄλλα Ἀθηναίων κατηκόους ὄντας ἰδίᾳ τελεῖν τὴν τελετήν. Quamobrem meritò eam Ariſtoph. *in Nebulis* Μυστοδόκον δόμον appellat. Imò tanta Eleuſiniorum dignitas, ut iis alia omnia poſthabuerint. Idem Pauſan. *Phocicis*: Οἱ γὰρ ἀρχαιότεροι τῶν Ἑλλήνων τὴν Ἐλευσινίων πάντων ὁπόσα ἐς εὐσέβειαν ἥκει, τοσούτῳ ἦγον ἐντιμοτέραν, ὅσῳ καὶ θεοὺς ἐπίπροσθεν ἡρώων. Quippe non ceu privata illius civit. ſed quaſi communia omnium gentium ſacra obſervarunt. Ariſt. Κοινόν τε τῆς γῆς τέμενος, καὶ πάντων ὅσα θεῖα ἀνθρώπων, τοῦτον φρικωδέστατον καὶ φαιδρότατον. Et hanc ob cauſam ea templi magnitudo, ut ingentis turbæ capax eſſet. Strab. *l.* 9. Εἶτα Ἐλευσὶν πόλις, ἐν ᾗ τὸ τῆς Δήμητρος ἱερὸν Ἐλευσινίας, καὶ ὁ μυστικὸς σηκός, ὃν κατεσκεύασεν Ἰκτῖνος ὄχλον θεάτρου δέξασθαι δυνάμενον. Ritus ſacri conſiſtebant in imitatione eorum, quæ de Cereris erroribus fabulæ vulgarunt. Nam, ut inquit Lactant. *refertur in ſacris imago rei, quæ verè geſta eſt.* Quod antea præceptor ejus Arnob. ſpeciatim de *Eleuſiniis* dixerat: *Eleuſinia*, inquit, *illa myſteria, & ſacrorum reconditi ritus, cujus memoriam continent? nonne illius erroris, quo in filiæ conquiſitione Ceres feſſa, oras ut venit in Atticas, triticeas attulit fruges?* Ac cerimonias potiſſimum ad inventionem frugum fuiſſe relatas, author eſt etiam D. Auguſtin. *l.* 7. *de Civ. Dei c.* 20. *In Cereris autem ſacris* (inquit) *prædicantur illa Eleuſinia, quæ apud Athenienſes nobiliſſima fuêrunt; de quibus nihil iſte interpretatur, niſi quod attinet ad frumentum, quod Ceres invenit, & ad Proſerpinam, quam rapiente Orco perdidit.* Eleuſinia verò duplicia fuêrunt, Magna, ac Parva, Magnorum origo eſt ea, quam ſupra diximus. Parva hanc ob cauſam inſtituta. Cùm Hercules initiari cuperet, ac lex obſtaret, quæ peregrinis id concedi vetaret; nec tamen integrum Athenienſibus videretur, ejuſmodi Heroem voto ſuo fruſtrare, Parva Eleuſinia inſtituêrunt, ut & Herculi ſatisfacerent, & authoritatem tamen ſacrificii, legiſque vigorem conſervarent. Ariſtoph. Enarrator *ad Plut.* Μεγάλα καὶ μικρὰ μυστήρια ἐτελοῦντο ἐν Ἐλευσῖνι τῆς Ἀττικῆς. Μὴ ὄντων δὲ πρότερον μικρῶν, ἐλθόντος Ἡρακλέους, καὶ θέλοντος μυηθῆναι, ἐπειδὴ νόμος ἦν Ἀθηναίοις, μηδένα ξένον μυεῖν, αἰδεσθέντες τὴν αὐτοῦ ἀρετὴν. Καὶ ὅτι φίλος τε ἦν τῆς πόλεως, καὶ υἱὸς τοῦ Διὸς, ἐποίησαν μικρὰ μυστήρια, ἐν οἷς αὐτὸν ἐμύησαν. Ἦσαν δὲ τὰ μὲν μεγάλα τῆς Δήμητρος, τὰ δὲ μικρὰ Περσεφόνης τῆς αὐτῆς θυγατρός. Idem habet *ad Nebulas*, & Tzetzes *ad Lycophronem*, *p.* 195. Porro hæc minora Eleuſinia in Ἄγραις agebantur. Steph. Ἄγραι καὶ Ἄγρα, χωρίον, ἑνικῶς καὶ πληθυντικῶς. Ἔστι καὶ τῆς Ἀττικῆς πρὸ τῆς πόλεως, ἐν ᾧ τὰ μικρὰ μυστήρια ἐπιτελεῖται μίμημα τῶν περὶ τὸν Διόνυσον, ἐν ᾧ λέγουσι καὶ τὸν Ἡρακλέα μεμυῆσθαι. Diverſum quoque celebrandi tempus. Majora ſiquidem Boëdromione celebrantur. Plutarch. *in Demetr.* Ἐτελοῦντο τὰ μεγάλα μυστήρια Βοηδρομιῶνος. Minora verò Antheſterione. Plutarch. ubi ſupra: Τὰ μικρὰ μυστήρια τοῦ Ἀνθεστηριῶνος ἐτελοῦντο. Erant autem quaſi quidam gradus, in participatione myſteriorum obſervandi. Primum erat Purificatio; deinde ſequebantur myſteria parva, quibus inſtituebantur, & ad majora præparabantur. Ultimæ majorum cerimoniæ erant. Ἐποπτικὰ, ad quæ tandem per tot ambages admittebantur. Clemens 5. *Stromat.* Οὐκ ἀπεικότως ἄρα, καὶ τῶν μυστηρίων τῶν παρ' Ἕλλησιν, ἄρχει μὲν τὰ καθάρσια, καθάπερ καὶ τοῖς βαρβάροις τὸ λουτρόν. Μετὰ ταῦτα δὲ ἐστὶ τὰ μικρὰ μυστήρια, διδασκαλίας τινὰ ὑπόθεσιν ἔχοντα, καὶ προπαρασκευῆς τῶν μελλόντων. Τὰ δὲ μεγάλα περὶ τῶν συμπάντων οὐ μανθάνειν ἔτι ὑπολείπεται, ἐποπτεύειν δὲ καὶ περινοεῖν τὴν φύσιν, τὰ πράγματα. Et qui parvis initiati erant, Myſtæ: ad magna recepti *Epoptæ* nominabantur. Harpocration: Οἱ μυηθέντες ἐν Ἐλευσῖνι ἐν τῇ δευτέρᾳ μυήσει, ἐποπτεύειν λέγονται. Suid. Διαφέρει μύστης καὶ ἐπόπτης. Ac differentiam ex Symmacho, vetuſto admodum Grammatico, adſignat Schol. Ariſtoph. *ad Ranas*: Οἱ τὰ μυστήρια παραλαμβάνοντες μύσται καλοῦνται. Οἱ δὲ παραλαμβάνοντες αὐτὰ τῷ αὖθις ἐνιαυτῷ ἐφορῶσι τὰ μυστήρια, καὶ ἐπόπται. Igitur Epoptæ, aut Ephori erant inſpectores, h. e. quibus anno poſtquam initiati primum fuerant; inſpicere occultiores ſacrorum ritus & cerimonias concedebatur. Neque enim à parvis initiis illico patebat aditus ad majora, ſed annus experimenti causâ interponendus erat. Quamobrem in Demetrio notata exempli raritas, qui ſine ulla temporis intercapedine minora majoraque myſteria percipere voluit. Philochorus: Δημητρίῳ ἴδιόν τι ἐγένετο παρὰ τοὺς ἄλλους τὸ μόνον ἅμα μυηθῆναι, καὶ ἐποπτεῦσαι. Plutarch. *de eodem*: Τότε δ' οὖν ἀναζευγνύων εἰς τὰς Ἀθήνας, ἔγραψεν ὅτι βούλεται παραγενόμενος εὐθὺς μυηθῆναι, καὶ τὴν τελετὴν ἅπασαν, ἀπὸ τῶν μικρῶν ἄχρι τῶν ἐποπτικῶν παραλαβεῖν. Τοῦτο δὲ οὐ θεμιτὸν ἦν οὐδὲ γεγονὸς πρότερον. Ἐπόπτευον δὲ τοὐλάχιστον ἀπὸ τῶν μεγάλων ἐνιαυτὸν διαλιπόντες. Ubi non temerè τοὐλάχιστον ponitur, nam revera minimum ſpatium, quod interponi ſolebat, annus erat: nam quinto anno poſt parva, ut plurimum illa majora ſuſcipiebantur. Tertullian. *initio libri adverſus Valentinianos*: *Nam & illa Eleuſina hæreſis, & ipſa Atticæ ſuperſtitionis, quod tacent, pudor eſt. Idcirco aditum prius cruciant; diutius initiant, quam conſignant. Cùm Epoptas non ante quinquennium inſtituunt, ut opinionem ſuſpendio cognitionis ædificent, &c.* Initiati myrto coronabantur. Iſac. Tzetzes: Οἱ μυούμενοι μυρσίνῃ ἐστέφοντο. Cumque initiarentur, veſtem novam ac puram induebant, quam deinde nunquam exuebant, quoad tandem lacera geſtari non amplius poſſet. Schol. Ariſtoph. *ad Plut.* Ὃ γὰρ μυούμενος τὸ ἱμάτιον ὃ ἐφόρει ἐν τῇ μυήσει, οὐδέποτε ἀπεδύετο μέχρις ἂν τελέως ἀφανισθῇ διαρρυέν. Sed & à quibuſdam ad faſcias infantum fuiſſe reſervatas ait: Ἔνιοι δὲ τὰς τοιαύτας στολὰς εἰς τέκνων σπάργανα φυλάττουσι. At Melanthius libro quem *de Myſteriis* conſcripſit, memoriæ prodidit, in more poſitum fuiſſe, ut veſtem, in qua fuerant initiati, Cereri & Proſerpinæ conſecrarent, Παρὸν ἐστι ταῖς θεαῖς ἀνιεροῦν καὶ τὰς στολὰς τοῖς μύσταις, ἐν αἷς τύχοιεν μυηθέντες. Quòd verò tanti eſſet, participem fieri myſteriorum, perſuaſio faciebat, quâ exiſtimabant initiatos, non tantùm in ſumma tranquillitate vitam ducere, ſed & eam optato exitu eſſe terminaturos, ac poſt obitum quoque ſpem reſtare melioris. Iſocr. *in Panegyrico*: Τελετῆς οἱ μετέχοντες, περί τε τῆς τοῦ βίου τελευτῆς, καὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος, ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχουσι. Ariſtid. *in Panathenaica*: Ἀλλὰ μὴν τότε κέρδος τῆς πανηγύρεως, οὐχ ὅσον ἡ παροῦσα εὐθυμία, οὐδ' αἱ τοῦ προτέρου χρόνου δυσκολιῶν λύσεις, καὶ ἀπαλλαγαὶ ἀλλὰ καὶ περὶ τῆς τελευτῆς. ἡδίους ἔχειν τὰς ἐλπίδας, ὡς ἄμεινον διαπράξοντας, καὶ οὐκ ἐν σκότῳ τε καὶ βορβόρῳ κεισομένους, ἃ δὴ τοὺς ἀμυήτους ἀναμένει. Procurabat myſteria Rex; author eſt. Pollux, & Harpocration: Ἐπιμελητὴς τῶν μυστηρίων παρ' Ἀθηναίοις ὁ λεγόμενος Βασιλεύς. Regi adjungebantur 4. alii, quorum duo ex univerſo populo Athenienſium, ex Eumolpidarum gente unus, & ex Cerycibus alter eligebatur. Ariſtot. *de Rep. Athen.* Ὁ δὲ Βασιλεὺς πρῶτον μὲν τῶν μυστηρίων ἐπιμελεῖται μετὰ τῶν ἄλλων ἐπιμελητῶν, οὓς ὁ Δῆμος ἐχειροτόνει, τέσσαρες ἦσαν, δύο μὲν ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων, εἷς δὲ ἐξ Εὐμολπιδῶν, καὶ εἷς ἐκ Κηρύκων. In his erant Hierophanta, Daduchus, Præco. Ariſtides: Εὐμολπίδαι δὲ καὶ Κήρυκες, εἰς Ποσειδῶ τε καὶ Ἑρμῆν ἀναφέροντες Ἱεροφάνται, οἱ δὲ Δᾳδοῦχοι παρέχονται. Clemens: Τὸ Εὐμολπιδῶν καὶ Κηρύκων τὸ Ἱεροφαντικὸν τοῦτο γένος ᾤκησεν. Arnob. *l.* 5. *Ex quibus & gens fluit Eumolpidarum, & ducitur clarum illud apud Cecropios nomen, & qui poſtea floruêrunt Caduceatores, Hierophantæ, atque Præcones.* Una enim eademque gens erat Cerycum, & Eumolpidarum, ut ex Andro... Sophoclis Interpres oſtendit ad Oedipum Coloneum. Et Æſchines, *in Oratione contra Cteſiphontem*, Eumolpidas & Ceryces ubique conjungit. Atque hinc obtinuit, ut myſteria penes Eumolpidas eſſe dicerentur; Licèt præter hos ipſamet Dea alios etiam ſua initia docuiſſe crederetur. Homer.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Δεῖξεν Τριπτολέμῳ τε Διοκλεῖ τε πληξίππῳ,
Εὐμόλπου τε βίῃ, Κελεῷ θ' ἡγήτορι λαῶν
Δρησμοσύνην ἱερῶν καὶ ἐπέφραδεν ὄργια πᾶσι.

Cæterum Hierophanta, *ab oſtendendis ſacris* dictus, & ipſe ſacrorum Antiſtes, atque ut ait Heſych. Μυσταγωγὸς, Ἱερεὺς, τὰ μυστήρια δεικνύων. Cujus erat munus initiare, & myſteria, quantum fas, etiam profanis enunciare. Hinc inter captioſas Chryſippi argutias exemplum ponitur:

Ὁ λέγων τοῖς ἀμυήτοις, τὰ μυστήρια ἀσεβεῖ,
Ὁ Ἱεροφάντης τοῖς ἀμυήτοις λέγει,
Ἀσεβεῖ ἄρ' ὁ Ἱεροφάντης.

Daduchus facem ferebat. Nam ut Lactant. ait *l.* 1. quia Proſerpinam, *facibus in Ætnæ vertice accenſis, quæſiſſe in Sicilia Ceres dicitur; idcirco ſacra ejus ardentium tædarum jactatione celebrantur.* Atque in hujus rei memoriam non ſolum Daduchus, ſed reliqui etiam myſtæ faces inter currendum agitabant. Stat. *l.*4. Sylv. 8. *v.* 50.

Tuque Actæa Ceres, curſu cui ſemper anhelo
Votivam tacite quaſſamus lampada Myſtæ.

Senec. *in Hipp. Act.* 1. *v.* 107.

Jactare tacitis conſcias ſacris faces.

Claudian.

Sanctasque faces attollit Eleuſis.

Daduchus utebatur pellibus hoſtiarum, quæ Jovi fuerant immolatæ, vocabanturque Διὸς κώδια. Suid. Διὸς κώδιον, οὗ τὸ ἱερεῖον Διῒ τέθυται, θύουσι τε τῷ Μειλιχίῳ, καὶ τῷ Κτησίῳ Διΐ. Τὰ δὲ κώδια τούτων φυλάσσουσι Διὸς προσαγορεύοντες, χρῶνται δ' αὐτοῖς, οἵ τε Σκιρροφορίων τὴν πομπὴν στέλλοντες, καὶ ὁ Δᾳδοῦχος ἐν Ἐλευσῖνι, καὶ ἄλλοι τινὲς πρὸς τοὺς καθαρμοὺς, ὑποστρωννύντες αὐτὰ τοῖς ποσὶ τῶν ἐναγῶν. Ex quibus intelligimus profanos, & aliquo ſcelere contaminatos, non potuiſſe loca ſacra calcare. Et cùm nihilominus in ſacro peragenda eſſet expiatio, ne profanorum veſtigiis Religio templi violaretur, ſubſtratæ pelles, quibus inſiſtebant ſiniſtro pede, quoad purgati, luſtratique piaculari nexu exſolverentur. Heſych. Διὸς κώδιον, οὕτως ἔλεγον, οὗ τὸ ἱερεῖον ἐτέθη, ἐφ' οὗ καθαιρόμενοι ἱστήκεσαν ἀριστερῷ ποδί. Præco jubebat profanos abſiſtere, proclamans,

----- Ἑκὰς, ἑκὰς ὅστις ἀλιτρός.

Aut ----- Ἑκὰς, ἑκὰς ἐστὲ βέβηλοι,

Quod cauſæ fuit, cur ab iis abſtinendum Nero putavit. Suet. *c.* 4. *Peregrinationi quidem Græciæ, quorum initiatione impii & ſcelerati, voce præconis ſubmoverentur, intereſſe non auſus.* Lyſis Pythagoræus: Βεβάλοις τὰ ταῖς Ἐλευσινίαιν Θεαῖν μυστήρια οὐ διηγετέα. Et ad hunc morem reſpexit Orpheus,

Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστὶ, θύρας ἐπίθεσθε βεβήλοις.

Cæteros: i. e. initiatos, jubebat Εὐφημεῖν, i. e. *linguis favere*, uti interpretatur Horat. Cæterùm Hierophanta in ſpeciem Creatoris; Facifer, Solis; Miniſter ad Aram, Lunæ; Præco ſacrorum, Mercurii ornabatur. Euſeb. *l.* 3. *de Præp. Euang.* Ἐν δὲ τοῖς κατ' Ἐλευσῖνα μυστηρίοις, ὁ μὲν Ἱεροφάντης εἰς εἰκόνα τοῦ Δημιουργοῦ ἐνσκευάζεται, Δᾳδοῦχος εἰς τὴν Ἡλίου, καὶ ὁ μὲν ἐπὶ βωμῷ εἰς τὴν Σελήνης, ὁ δὲ Ἱεροκῆρυξ Ἑρμοῦ. Feſti ſolennitatem ad dies plures duraſſe certum eſt. Numerum tamen definire nondum queo: Duos hactenus inveni ſuis nominibus inſignitos, quorum prior Ἴακχος appellabatur. Heſych. Ἴακχον, τὸν Διόνυσον, ἢ μίαν ἡμέραν τῶν μυστηρίων, ἐν ᾗ τὸν Ἴακχον ἐξάγουσι. Qui verò pompam hanc comitabantur, Ἴακχον, Ἴακχον ingenti clamore perſonabant. Meminit Herod. *l.* 8. & ex eo verbum Ἰακχίζειν formavit Plutarch. *in Themiſtocle.* Via autem, quâ pompa deducebatur, ſacra vocabatur. Pauſan. Ἰοῦσι δ' ἐπ' Ἐλευσῖνα ἐξ Ἀθηνῶν ἣν Ἀθηναῖοι καλοῦσιν ὁδὸν ἱεράν. Dies ultimus myſteriorum Πλημοχόας, à quodam vaſis genere vocabatur. Duas enim Plemochoas vino repletas eo ſitu collocabant, ut ortum altera ſpectaret, altera occaſum, quas deinde recitato carmine precationum evertebant. Athen. *l.* 11 Πλημοχόη σκεῦος κεραμεοῦν, βεμβικῶδες ἑδραῖον ἡσυχῆ, ὃ κοτυλίσκον ἔνιοι προσαγορεύουσι, Χρῶνται δὲ αὐτῷ ἐν Ἐλευσῖνι τῇ τελευταίᾳ τῶν μυστηρίων ἡμέρᾳ, ἣν καὶ ἀπ' αὐτοῦ προσαγορεύουσι Πλημοχόας, ἐν ᾗ δύο Πλημοχόας πληρώσαντες, τὴν μὲν πρὸς ἀνατολὰς, τὴν δὲ πρὸς δύσιν ἀνιστάμενοι, ἀνατρέπουσί τε ἐπιλέγοντες ῥῆσιν μυστικήν. Ipſa verò pompa non uno tractu Eleuſinem ducebatur; nam aliquoties in itinere ſubſiſtebat. In quibus pauſis, & hymnos cantaſſe, & ſacrificaſſe cognoſcimus ex Plutarch. *in Alcibiade.* Nam cùm impeditâ viâ per mare pompa deferretur, aliquas cerimonias in via curari non potuiſſe refert. Et quidem in ponte, qui Cephiſſo inſternitur, ſubſiſtere ſolebant. In qua mora, quoſcunque paſſim contumeliis inceſſebant. Hinc à γεφύρα, i. e. *pons*, γεφυρίζειν *ſubſannare*, & γεφυριστὴς *convitiator*. Heſych. Γεφυρισταὶ, οἱ σκῶπται ἐπεὶ ἐν Ἐλευσῖνι ἐπὶ τῆς γεφύρας τοῖς μυστηρίοις καθεζόμενοι ἔσκωπτον τοὺς παριόντας: Sed & cùm ſacra reducerentur Athenas, pari modo pauſæ interponebantur. Ita ſubſiſtebant in ſuburbii loco, cui nomen ἱερὰ συκῆ *ſacra ficus*. Heſych. Ἱερὰ συκῆ, ἐν τῇ εἰς Ἐλευσῖνα ἀγούσῃ ὁδῷ. In his ſacris mira ſilentii fides: nam in eum, qui arcana divulgaſſet, pœnâ capitis animadvertebatur, ut liquet ex Andocyde περὶ μυστηρίων. Pauſan. non uno in loco de myſteriis agens, ſomnio ſe monitum ait, ne ſecreta proderet. Verba ejus ſunt *in Atticis*: Τὰ δὲ ἐντὸς τοῦ τείχους τοῦ ἱεροῦ τότε ὄνειρον ἀπεῖπε γράφειν· καὶ τοῖς οὐ τελεσθεῖσιν, ὅπως ἂν θέας εἴργονται, δῆλα δή που μηδὲ πύθεσθαι μετεῖναί σφισιν. Pauſaniæ ſomnio reſpondet ſomnium Numenii Philoſophi, qui Pyrrhonis Helienſis diſcipulus fuit, de quo Macrob. *l.* 1. *de Somn. Sc. c.* 2. *Numenio denique inter Philoſophos occultorum curioſiori, offenſam numinum, quòd Eleuſinia ſacra interpretando vulgaverit, ſomnia prodidêrunt. Viſas ſibi ipſas Eleuſinias Deas habitu meretricio ante apertum lupanar ludere proſtantes: admirantique & cauſas non convenientis numinibus turpitudinis conſulenti reſpondiſſe iratas, ab ipſo ſe adyto pudicitiæ ſuæ vi abſtractas & paſſim adeuntibus proſtitutas.* Et proſcriptus ab Athenienſibus Diagoras, quòd hâc in parte religionem violaſſet. Hinc etiam Horat. *Carm. l.* 3. Od. 2. *v.* 25. & ſeqq.

Eſt & fideli tuta ſilentio
Merces. vetabo qui Cereris ſacrum
Vulgarit arcanæ, ſub iiſdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat Faſelum. ---

At Auguſtus, teſte Suet. *c.* 93. *Namque Athenis initiatus, cum poſtea Romæ pro tribunali de privilegio Sacerdotum Atticæ Cereris cogniſceret, & quædam ſecretiora proponerentur, dimiſſo concilio, & coronâ circumſtantium, ſolus audiit diſceptantes*: Ne ſc. ad profanos quidquam emanaret. Exceſſit autem adyta ſuperſtitionis ſagacitas Chriſtianorum, qui, qualia hæc ſecreta fuerint, verbis minimè ambiguis expoſuêrunt. Tertullian. *l. adverſus Valentinianos*, nihil aliud, præter membrum virile fuiſſe tradit, quod tam anxiè tegeretur, & ad quod videndum, nemo, niſi interpoſitis tot cerimoniarum obſervationibus admitteretur: *Sequitur jam*, inquit, *ſilentii officium; attentè cuſtoditur, quod tardè invenitur. Cæterum tota in adytis divinitas, tot ſuſpiria Epoptarum, totum ſignaculum linguæ, ſimulacrum membri virilis revelatur.* Theodoretus verò naturæ muliebris imaginem arcanis Orgiis celari prodidit, idque magis convenit fabulæ, quam Clemens refert, & ex eo Arnob. quos qui velit conſulat. Litabant fœtâ ſue. Rationem reddit Phurnutus: Θύουσι δὲ ὗς ἐγκύμονας Δημήτρᾳ, πάνυ οἰκείως, τὸ πολύγονον καὶ εὐσύλληπτον καὶ τελεσφόρον καθιστάντες. Immolatorum autem nefas erat quidquam efferri. Schol. Ariſt. *ad Equites*, Οὐκ ἐξῆν τὰ θυόμενα Δημήτρᾳ καὶ Περσεφόνῃ ἔξω ἀφιέναι. Poſtero Myſteriorum die, Senatus ex lege Solonis Eleuſinem conveniebat. Andocydes: Ἡ γὰρ βουλὴ ἐκεῖ καθεδεῖσθαι ἔμελλε κατὰ τὸν Σόλωνος νόμον, ὃς κελεύει τῇ ὑστεραίᾳ τῶν μυστηρίων ἕδραν ποιεῖν ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ. Forſitan ut cognoſceret, an ſacra ritè peracta, num in ea commiſſum foret, nam quædam capitali ſupplicio ſancita fuiſſe, idem Andocydes in Orat. Περὶ μυστηρίων teſtatur, quod ſæpius repetit, qui talis culpæ velut affinis apud Senatum accuſaretur. Ex Caſtellano. Vide Pauſan. *in Att.* Plutarch. *in Demetrio*, Ariſtoph. *in Pluto*. Senec. *nat. quæſt. l.* 7. *c.* 31. Lact. *div. Inſt. l.* 1. *c.* 21. Serv. *in Æneid. l.* 4. *v.* 609.

Nocturniſque Hecate triviis ululata per urbem.

Nic. Lloyd.

ELEUSIS, Cic. & Strab. *Eleuſin*, vulgò *Lepſina* Soph. opp. Atticæ marit. inter Megaram, ſeu Nyſæam urb. & Piræum portum. Unde *ſinus Eleuſinius*, qui & *Saronicus*. Ovid. *l.* 4. *Faſt. v.* 505.

Fors ſua cuique loco eſt: qui nunc Cerealis Eleuſis.

Apulejo *Atticæ ſacrarium* dicitur, ob religioſiſſimum Cereris fanum, ubi plurima ſacrorum ornamenta, quæ non niſi diviſim temporibuſque diverſis oſtendebantur. Unde apud Senec. Prov. *Eleuſinis ſervat, quod oſtendat*, contra eos, qui unâ epiſtolâ vel oratione, quidquid ſciunt, effutiunt. Et quia in ſacris hiſce, de quibus vide ſupra, matronæ in curribus per jocum ſibi mutuò & liberè convitiari ſolebant, inde *de plauſtro loqui*, aliud Prov. pro liberè in quemvis invehi: quod alii tamen ad Comicos referunt. qui de plauſtro perſonati, non in alios ſolùm Comicos, ſed etiam in potentiores, ipſoſque adeò Deos dicebant, quæ vellent, Vide de opp. hoc etiam Xenoph. Ptol. &c. Ambitus ejus 2. mill. complectebatur, ſed jam in ruinis eſt, utpote ab incolis, quibus nimium infeſti piratæ Chriſtiani fuêrunt, penitùs deſerta. Vide ejus, ut & ruderum Templi Cereris Proſerpinæque accuratam deſcriptionem, apud Jac. Spon. *Itin. part.* 2. *p.* 279. & *ſeqq.* ubi ipſa Cereris ſtatua, ex candidiſſimo marmore, & baſin ejus, in qua pompa ſacrorum, cum verbis, ΝΟΥ ΝΙΓΡΕΙΝΟΣ ΙΕΡΟΚΗΡΥΞ, æri inciſa curioſo lectori ſiſtit. Idem varias *Inſcr.* quas ibi obſervavit, exhibet, *Part.* 3. ubi de 174 *Populis Atticæ*. Neque verò in hac urbe ſolùm, ſed imitatione ejus in aliis quoque Græciæ urbibus, *Cereris Eleuſinæ* Templa erecta, ac ſacra inſtituta eſſe docet, exemplo Pheneatum Arcadiæ, Salmaſ. ad *Solin. p.* 752.

ELEUSIUS, nomen viri, quem Ceres docuit omnem agriculturam, à quo *Eleuſis* civitas cognominata eſt. Item *Eleuſius*, Cyzici Ep. qui à fide Catholica ad Macedoniam hæreſin deſcivit: qui tamen poſtquam reſpuiſſet, & Epiſcopatu ſeipſum abdicaſſet, reliquo vitæ curſu ſolitarius vixit. Niceph. *l.* 11. *c.* 5. Aliter Socrat. *l.* 5. *c.* 8. Baron. A. C. 381. qui Eleuſium, Semi-Arrianorum caput, à Theodoſio Imp. rogatum, ut Conſubſtantialitatem admitteret, malle ſe Arrianis quàm Orthodoxis jungere, reſpondiſſe dicunt, ſicque Conſtantinopoli ſe ſubduxiſſe.

ELEUTHERA, civitas Cretæ mediterranea, Gortynæ proxima.

ELEUTHERÆ, urbs ſeu pag. Bœotiæ, apud Plateas, ubi Mardonius Perſ. Dux à Græcis victus eſt, 300000. militum cæſis. Al. *Eleuthræ*. Alia in Ponto juxta Iſtrum fluv. ſic dicta, quòd Jaſon Æetam fugiens timore illic liberatus ſit. Eſt etiam Lyciæ urbs à nympha quadam ſic dicta. Steph. Urbs item Cretæ mediterr. proxima Gortynæ *Eleuthernæ*. Plin. *l.* 4. *c.* 7.

ELEUTHERIA, feſta quaſi *liberatoria*, i. e. libertatis ſolennia. Plaut. *in Perſa, Act.* 1. *ſc.* 1. *v.* 29. *Baſilicè agito Eleutheria.* In his certamen armatorum currentium quinto quoque anno celebratur; quæ feſta nomen accepêrunt à Jove *Eleutherio*, qui templum habebat ad Plateas Bœotiæ civitatem.

ELEUTHERINÆ, urbs Cretæ. *Steph.*
ELEUTHERIS, urbs Bœotiæ. *Idem.*
ELEUTHERISCUS, urbs Macedoniæ. *Idem.*
ELEUTHERIUM, opp. Myſiæ. *Idem.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ELEUTHERIUS, Jupiter dictus eſt, quaſi *liberator*, quòd apud Aſopum Platearum amnem, Græcorum copiæ Mardonium, cum trecentis Perſarum millibus ad internecionem deleviſſent.

ELEUTHERIUS, Coſ. cum Evagrio, A.U.C. 1134.

ELEUTHERIUS, Exarchus, Italiæ Regem ſe dixit, quem milites duce, apud opp. Luceolum interfecêrunt: caputque tyranni Conſtantinopolin miſerunt. Blondus *l.* 9. *c.* 1.

ELEUTHERIUS, D. Dionyſii Areopagitæ & vitæ, & mortis ſocius.

ELEUTHEROCILICES, Aſiæ pop. Cic. 5. *ad Atticum*, *Eleutherocilices populi in Amano, ne regem quidem unquam paruerant.*

ELEUTHEROPOLIS, urbs Palaſtinæ, in tribu Juda, 8. mill. ab Hebrone in Occ. 20. ab Hieroſolyma Gazam verſus. Ab hac, tanquam celebri loco, multorum locorum diſtantias metitur Hier. *in loc. Hebr.*

ELEUTHERUS, duodecimus Romanorum Ep. Græcus natione, fil. Abundii, qui Diaconus Aniceti fuerat, Soteri ſucceſſit A. C. 177. Irenæo, à Chriſtianis, qui Lugduni Evangelii causâ captivi detinebantur, miſſo, ob Prophetiam quandam Montani, contra uſum carnis, reſpondit. Ad preces filii Coyli, Lucii Regis Britannorum, Fugatium & Damianum, evangelizatores, in Britanniam miſit. Sic Rex cum gente baptizatus, loco 3. Archiflaminum. 3. Archiepiſcopi, 28. Flaminum totidem Epp. creati, Idololatria ſublata, &c. A. C. 183. Obiit A. C. 192. Ep. 15. Irenæus, *l.* 3. *c.* 3. Auguſt. *ep.* 165. Ciacconius *in Eleuth.* 1. Tom. Concil. Euſeb. *hiſt. l.* 4. *c.* 21. *l.* 5. *& in Chron. A.* C. 179. Polyd. Virg. *Hiſt. l.* 2. Eum excepit Victor I.

ELEUTHERUS. fluv. Phœniciæ, juxta Ortheſiam urbem, in radice montis Libani. *Valania* Poſtello & Pineto. Aliis *Eleutherus*, fluv. eſt Syriæ, qui ex Libano monte in Ituræa prorumpit, & per regionem Emath & Roob atque Galilæam gentium fluens, Velanam urbem ac caſtrum Belcifort alluit: tandemque juxta civitatem Gorma, tribus ferè à Tyro Aquilonem verſus, duobus autem à Sarepta contra Auſtr. milliaribus mari magno miſcetur. Abundat hic fluv. teſtudinibus, eſt in monte Aſer. Item Siciliæ fluv. *Oldarati* Facello. Panormi urbis mœnia lambens. *Ponte rotto* Leandro. Cluverio aliiſque nunc *Bajaria* in mare Tyrrh. ſe exonerat, 8. mill. in Ort. à Panormo. *Baudr.*

ELEUTHO, Dea parturientibus aſſiſtere ſolita, ut ex Pindaro patet in *Olymp.* ubi eam & Parcas Apollo jubet adeſſe Evadnæ parturienti.

ELEUTHRÆ, Vide *Eleutheræ*.

ELEUTII, Apuliæ gens, quam Parthenius *Elephantidem* vocat.

ELFWARDUS, vel ETELWERDUS, ſub Gul. II. circa A.C. 1090. ex regia familia, ſcripſit ad Mathildem cognatam epiſtolas, & hiſtoriam 4. libb. à M. C. uſque ad finem regni Edgari. Gul. Malmesburius, *in prol. Hiſt. de reg.* Simler. *Voſſ.* &c.

ELGIS ſeu ELGIA, ELGIN, urbec. Epiſc. Scotiæ Septentr. verſus oram maris Germ. 3. mill. à littore ad Loxiam fluv. *Loſſye.* 6. mill. Scot. ab oſtio Speæ fluv. in Occ. 35. à Taxalo prom. 42. à Beruvio in Auſtr. Moraviæ reg. caput.

ELGOS, opp. Lyciæ. *Steph.*

ELGOVÆ, aliis SELGOVÆ, pop. Scotiæ mer. ubi nunc prov. Nidiſdalia, Eskia & Anandia, verſus confin. regni Angliæ. Vide *Selgovæ*.

ELHABETUM, ſeu HABAT, provincia regni Feſſæ, clauditur à Septentr. mari Mediterr. ab Occ. Algaræ paludibus, à Merid. Suarga fluvio, ab Ort. verò montibus Herculeo freto vicinis. *Merc.*

ELI, Vide *Heli*.

ELIA, urbs Epiſc. Angl. ſub Archiep. Cantuar. in Comit. Cantabrigiæ, & Inſ. cognom. ad Uſam fluv. vide *Elys*.

ELIAB, tribus Phallu, filii Ruben. Num. *c.* 26. *v.* 8. Primogenitus filiorum Iſai patris David. 1. Sam. *c.* 16. *v.* 7. *c.* 17. *v.* 31. Fil. etiam 1. Par. *c.* 2. *v.* 13. Helon, princeps tribûs Zebulun. Num. *c.* 1. *v.* 9. Lat. *Deus meus pater*, ſeu *Deus patris*.

ELIACA Secta, Vide infrà *Eleenſis*.

ELIAS Ehingerus, edidit *Codicem Canonum Eccleſiæ Orient.* ex Bibliotheca Auguſtana, Witteberge; A. C. 1614. poſt Joh. Tilium, qui eum Græcè, ex Bibliotheca Canonicorum Divi Hilarii Pictavienſis, primus ediderat A. C. 1540. Gerh. von Maſtricht *Hiſt. Juris Eccleſ. n.* 189.

ELIACIM, qui & *Joacim*, fil. Joſiæ, cùm imperaſſet frater nomine Joachaz Annos tres poſt Joſiam, ſucceſſit fratri in regno Judæ, A. M. 3326. A. C. N. 636. Nam Pharao Necao cum veniſſet Jeruſalem, vinxit Joacham, ac captivum duxit in Ægyptum, conſtituit in locum ejus Regem hunc Eliacim fratrem ejus ſuper Judam & Jeruſalem: & vertit nomen ejus, vocavitque eum Joacim: & condemnavit terram centum talentis argenti; & talento auri. Impiè egit Eliacim, ideò contra eum aſcendit Nabuchodonoſor, Rex Chaldæorum, & vinctum catenis, ut captivum traduceret Babylonem, interfici juſſit. Ad quam & vaſa Domini tranſtulit, & poſuit ea in templo ſuo. Imperavit Annos 11. Conſulito 2. Reg. *c.* 23. *v.* 34. & Joſeph. *Antiqq. l.* 10. *c.* 8.

ELIACIM, fil. Helciæ 2. Reg. *c.* 18. *v.* 18. præpoſitus domui Regis Ezechiæ. Pater Jona. Luc. *c.* 3. *v.* 30. Lat. *Dei reſurrectio*, vel *Deus reſurrectionis*. Item ſummus Sac. auctor quibuſdam libri Judith. Vide *Joachim*.

ELIADA, pater Razon. 1. Reg. *c.* 11. *v.* 23. Fil. David. 2. Sam. *c.* 5. *v.* 16. Lat. *Dei ſcientia*; vel *cognitio*.

ELIAM, fil. Achitophel. 2. Sam. *c.* 23. *v.* 34. i. e. *Dei populus*.

ELIAS *Thesbites*, Propheta fuit clariſſimus, floruit temporibus Achab & Ochoſiæ, Regum Iſraël. Vir fuit piloſus, zonaque pellicea accinctus renes, zelo maximo erga Dei cultum affectus, varia edidit miracula. In ſolitudine paſtus eſt à corvis, deinde ab Angelis: pluviam à Domino impetravit, Pſeudoprophetas increpavit ac interfecit. Quinquagenarii duo cum ſuis militibus, ad comprehendendum eum ab Rege Ochoſia fil. Achab miſſi, igne cœlitus emiſſo, ſubitò conſumpti fuerunt. Aquas fluvii Jordanis pallio ſuo percuſſis diviſit: denique per turbinem in cœlum raptus fuit curru & equis ignei. Vide *l.* 1. *Regum c.* 16. *v.* 35. *& ſeqq.* Auguſtin. *de Civ. D. l.* 20. *c.* 19. Torniel. *A. M.* 3139. Lat. *deus aut fortis dominus*.

ELIAS, Arabs, poſt Saluſtium, Ep. Hieroſolym. A. C. 492. pulſus ab Anaſtaſio Imp. ſuaſu Severi hær. A. C. 513. ſurrogato Sabanne, quem Sabas ad fidem perduxit. Obiit in ſolitudine, 10. die poſt mortem Anaſtaſii, quam prædixerat. Concil. 2. Nic. *act.* 1. Evagr. *l.* 3. *c.* 32. Niceph. *l.* 16. *c.* 34. Cyrill. *in vita Sabæ*, &c. Item Patriarch. Hieroſolym. ſub Saracenis gravia paſſus, miſſo legato, ad PP. Concilii Nic. 2. abſentiam excuſavit. Baron. *A.* C. 787.

ELIAS, Patriarch. Antiochen. Gallos populares ſuos in Orientem ſecutus, primus eorum hoc munus obiit A. C. 1247. Genebrard. *in Chron. in Innocent. IV.* Bartel. *de Ep. Regienſ. in Gulielmo II. p.* 207. Item Chriſtianus Jacobinus, etiam Patr. Antiochenus. *Genebr.*

ELIAS, Patr. Babylonius A. C. 1616. ad quem Paul. V. legationem miſit, à Petro Strozza deſcriptam, unà cum l. de fide Chaldæorum.

ELIAS, Monachus, non procul ab Antinoo civitate degebat in eremo, agens annum ætatis circiter centeſimum decimum, ad quam ætatem jejunando, & viriliter converſando pervenit. Sozomen. *l.* 8. *c.* 1.

ELIAS Barjoſius, nobilis provincialis, Auctor Poëmatis, de bello Comitum, Raimondi Berengarii I. & II. contra Steph. Vide Moreriium, Noſtradamum, *in vit. Poët. provinc. p.* 33.

ELIAS Capreolus, JC. & Hiſtoricus.

ELIAS Evehamius, Anglus, Benedictinus, auctor Chronici.

ELIAS Levita, Grammaticus Hebr. ſeculo præt. *Genebr.* Scripſit librum *Bachur* Romæ. It. *Maſora Maſoret.* Vide R. Davidem Ganz. *ad Ann.* 277. *Millenarii VI.*

ELIAS Mizrachi, Rabbinus celebris Conſtantinopoli docuit, Auctor *Elucidationis in Commentarium Raſi*, it. *Quæſtionum & Reſponſionum Libri* it. cujuſdam Arithmetici, circa A. C. 250. Millenarii VI. juxta calculum R. David. Ganz. *in Chronol. Rabbinorum.*

ELIAS Orientalus, de Geometria Hebræorum ſcripſit, *Simler.*

ELIAS Rabenus, Hebraicè Arithmeticam ſcripſit, à quodam Munſteri diſcipulo, Eraſmo Oſwaldo Latinè redditam.

ELIAS Reunerus, Genealogiarum auctor, ſec. præt.

ELIAS Trickinghamus, Benedictinus, Anglus, ſcripſit Angliæ Annales, ab A. C. 626. uſque ad A. C. 1270.

ELIAS vel ELION Villanovanus, Gallus, M. Magiſter Melit. *Felicis* nomen meritus. Vide Boſſium, *Hiſt. Melit. l.* 1. Gaſſend. *de Epiſc. Diniens.*

ELIAS Vinetus, Gallus, edidit Melam, ſcripſit antiquitates Burdigal. & Santon. vertit Procli Sphæram, &c. Vide Verdier. *Biblioth. p.* 274.

ELIASAPH, fil. Duel, Princeps tribûs Gad. Num. *c.* 1. *v.* 14. Lat. *Deus augens*, vel *finiens*.

ELIASIB, fil. Elionai, filii Naariæ. 1. Paral. *c.* 3. *v.* 24. Eſdr. *c.* 10. *v.* 6. *&c.* Lat. *Deus converſionis.* Sacerdos S. per An. 21. poſt Joachimum patrem. Ejus tempore Nehemias veniam obtinuit in patriam redeundi. Joſeph. *Antiqq. l.* 11. *c.* 7.

ELIATHA, nomen viri. 1. Par. *c.* 25. *v.* 4. Lat. *Deus meus tu*, vel *Deus meus venit*.

ELIBERRI, ſeu ILLIBERIS, Plin. *l.* 3. *c.* 4. *Iliberis* Liv. Hiſp. citer. opp. in ora littorali Catalauniæ, vulgò *Colibre*. Item Gall. Narbonenſis vicus. Ptol. Baudr. *Eliberis*, urbs Turdulorum in Hiſpan. Bæt. ad Singilim fluv. Nunc vicus eſt *Elvire*, in regno Granat. prope Granatum Urb. quæ ex ejus ruinis crevit. Ibi *Eliberitanum* Concil. A. C. 305. celebratum. Item *Eliberis*, mel. *Illiberis*, quæ & *Caucoliberis*, urbs Gall. Narbon. in ora littor. maris Medit. & ſinus Leonini, vulgò *Colliure*, parva, ſed munita, cum portu capaci, in Comit. Ruſcinonenſi & confin. Cataloniæ. Antea Hiſpaniæ annexa, nunc ſub Galiis ab A. C. 1641. Hic Concilium A. C. 305. *Morer.* ad reſtituendam collapſam diſciplinam lapſorum. Cui fini quoque in Oriente Petrus Alexandrin. Ep. eodem tempore ſcripſerat *Canones Pœnitentiales*, qui hodieque leguntur, *in Bibliotheca Patr. Tom. VII.* & apud Theodorum Balſamonem *in Nomocanonis fine*.

ELIBYRGE, urbs Tarteſſi. *Steph.*

ELICA, nomen viri. 2. Sam. *c.* 23. *v.* 25. Lat. *Dei pelicanus*, aut *fortis vomitus*.

ELICE, Vide *Helice*.

ELICERE, abſolutè, verbum Magicum. Tertullian. *de Anima. c.* 28. *Quid ſi ab aditu redempta clam inſpectione cognovit? Scimus enim Magos elicere explorandis occultis, per Catabolicos & Paredros & Pythonicos ſpiritus* ad quem locum vide de la Cerda. Unde unicâ huic rei voce, *eliciti Manes*, Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 413.

Tam penitùs, duræ quàm mortis limine manes
Elicitos *patuiſſe refert* ——

Quod quomodo quibuſque ſacris factum, exponit Stat. idem *eod. l.* fuſiùs quàm ullus alius fecit, ad quem vide *Animadverſiones* Caſp. Barthii. Quinam autem *elici* fuerint ſoliti, attigimus ſuprà ubi de *Aboris*.

ELICES, ſulci aquarii, ad ſiccandos agros, al. *Colliciæ*, vide ibi, ut & infra in voce *Nares canalis*: de *Elice* verò ſeu *Helice* infinita Archimedis, infrà aliquid ubi de *Nautica arte*.

ELICHRYSUS, Græcè Ἑλίχρυσος, item Ὀλόχρυσος, nonnullis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

idem cum *buphthalmo*, *chryſanthemo*, & *chryſantho*, flos aureus eſt luce coruſcâ & vegetâ, folio albo, in coronis olim, etiam Deorum, receptus. Plin. *l.* 21. *c.* 25. *Ad Solis repercuſſum aureæ lucis in orbem velut corymbis dependentibus, qui nunquam marceſcunt, qua de cauſa Deos coronant illo, quod diligentiſſimè ſervavit Ptolomæus Ægypti Rex.* Et quidem prima è flore hoc Dianam coronaſſe legitur Helichryſe Epheſia, unde flori nomen, *Etymol.* Eodem ſi ſe coronarent Magi, ad gratiam vitæ gloriamque pertinere, arbitratos eſſe, docet C. Paſchal. ex Dioſcoride, *Coronar. l.* 3. *c.* 15. Sed & ἑλίχρυσος, *auripigmentum* eſt, quo de Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 317. & 1229.

ELICIUS, Jovis cognomentum, qui in Aventino colebatur, ab *eliciendis*, h. e. evocandis fulminibus impoſitum. Ovid. *Faſt. l.* 3. *v.* 327.

Eliciunt cœlo te Jupiter, unde minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciumque *vocant.*

Nic. Lloydius. Aram ei in Aventino extruxit ac dedicavit Numa Pompilius, vide Liv. *l.* 1. *c.* 7. qui quo pacto artem Jovis eliciendi edoctus fuerit, docet Arnob. ut & Plutarch. *in Numa*: Huic cùm non ritè ſacrum feciſſet Tullus Hoſtilius, fulmine ictus cum tota domo conflâgraſſe legitur, adud eundem Liv. *l. præfato.* Vide quoque Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 5.

ELICO, Gallici tumultus auctor: Plin. *l.* 12. *c.* 1. *Produnt Alpibus coërcitas & tum inexuperabili munimento Gallias hanc primum habuiſſe cauſam ſuperfundendi ſe Italiæ, quod* Elico *ex Helvetiis civis earum fabrilem ob artem Romæ commoratus, ficum ſiccam & uvam, oleique ac vini præmiſſa remeans ſecum tuliſſet. Quapropter hæc vel bello quæſiſſe, venia ſit.* Vide quoque Plutarch. *in Camillo* & Liv. *Dec.* 5. *l.* 1.

ELICOCI, Gall. Narb. pop. *Ptol.*

ELICRANUM, Illyridis urbs. *Polyb.*

ELIDAD, fil. Chaſelon, Princeps tribus Benjamin. Num. *c.* 34. *v.* 21. Lat. *Dei dilectus*, vel *Dei dilectio.*

ELIDURUS, cognom. *Pius*, fratri Archigallo, ab Anglis pulſo, ſurrogatus, regnum ei reddidit, decennio poſt illius ſucceſſor. A Vigeno & Periduro, fratribus jun. ipſe quoque pulſus & in carcerem conjectus eſt, ſed poſt ſeptennium à Britannis liberatus, pacifice porro præfuit. Polydor. Virg. *hiſt. Angl. l.* 4. Chenius *hiſt. A. t.* 1. *l.* 2. *c.* 14. *p.* 68.

ELIEL, fil. Thohu, 1. Par. *c.* 6. *v.* 34. & *c.* 8. *v.* 20. 2. Par. *c.* 31. *v.* 13. & Hammachavim, 1. Par. *c.* 11. *v.* 47.

ELIENSIS, ſive ELIACA ſecta Philoſophorum, auctorem habuit Phædonem Elienſem, qui ſervus cum eſſet, Socrate hortante, emptus ſive ab Alcibiade, ſive à Cebete Thebano, Sapientiæ ſtudio ſe applicuit, ſectæ novæ conditor. Vide Strab. *l.* 9. Diog. *l.* 2. Heſych. & Suid. Phædonem hunc, Socratis diſcipulum & elegantium de Præceptore Sermonum auctorem, audivit Pliſtanus itidem Elienſis: Pliſtanum Menedemus Eretricus, à quo *Eretrici* dicti, qui *Eliaci* prius vocabantur. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Philoſ. ſectis c.* 10. & in voce *Elis.*

R. ELIZAR, Germanus, ſcripſit *Joſeph Lekach*, & *Mahaſe Adonai*: Obiit Cracoviæ, A.C. 346. *Millen.* VII. R. Ganz.

ELIESER. Iſmaëlis frater uterinus, & alter Abrahæ ex Agar Ægyptia fil. Comeſtor *in c.* 16. *Gen.*

ELIEZER, Damaſcenus, domus Abrahami Procurator. Gen. *c.* 15. *v.* 2. Et fil. Moſis. Exod. *c.* 18. *v.* 4. Et fil. Bechor filii Benjamin. 1. Par. *c.* 7. *v.* 8. Item fil. Joram. Luc. *c.* 3. *v.* 29.

R. ELIEZER, fil. Cherſon, habuit mille urbes in arida, & mille naves in mari: floruitque Antigoni Sochæi ætate. R. David Ganz *Chronol. Hiſt. ſub Templo* VI. *ad* A. C. 460. apud quem plures ejuſdem nominis habes, paſſim inprimis auctorem libri. *Leb Middot Lethora*, circa A.C. 3881.

ELIGERUS, Johannes, Vide *Johannes.*

ELIGIUS, Noviodunenſis Ep. cum antea aurifex celebris, hinc Dagoberti Theſaurarius eſſet, quicquid in ea arte lucri conſecutus erat, dabat pauperibus, A. C. 650. Obiit Calend. Decemb. A. C. 663. vitæ 80. Bucelinus *in Ann. Flandricus*, Morerius, Alii.

ELIGIUS, Hucarus, Gandav. compoſuit vitam Levini, Martyris, Bertulphique Confeſſoris, verſibus Elegiacis, &c. A. C. 1504. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 10.

ELIHOREPH, i. e. *Dei hyems*, vel *forte opprobrium* fil. Siſa, Princeps exercitûs Salomonis. 3. Reg. *c.* 4. *v.* 4.

ELII, pop. ſunt circa Aſtaboram & Aſtapam fluvios incolentes, qui etiam *Rhizophagi* dicuntur, propterea quod ex adjacente palude evulſis radicibus maſſulas conficiunt, quibus ad Solem coctis veſcuntur. *Strab. l.* 16.

ELIM, i. e. *arietes*, vel *fortes*, vel *cervi*, ſivè *valles*, civitas Moabitarum, non procul à limite: ad quam pervenêrunt filii Iſraël profecti de Mara. Exod. *c.* 16. *v.* 12.

ELIMANDI, Auri ars, vide ſuprà.

ELIMANDUS, vel ELINANDUS, Monachus Ciſtertienſis, in diœceſi Bellovac. vixit ſub finem ſec. 12. ſub Henr. VI. Imp. & Phil. Auguſto. Auctor Chronici, à M. C. ad ſua tempora, 48. libb. Vide Philipp. Bergam. *Chron. ſuppl. l.* 2. A. C. 1199. Simler. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 34. &c.

ELIMARUS I. Hajonis, Dynaſtæ Friſii, ex Rixa ſorore Hunonis *Glorioſi*, Comitis Oldenburgici, fil. Friderico avunculo, in Com. Oldenburgico ſucceſſit: controverſiam ei de heræditate movente Milone Com. Alvenslebio, cujus pater Theodoricus fil. erat Conradi, quem patruus Hunonis præfati progenuerat. Obtinuit nihilominus *Elimarus*: cujus fil. *Elimarus* itidem & Joh. duas dedêre lineas, (tertius Bernhardus Henrici Leonis miles fuit:) hic quidem Wildeshuſanam, quæ ſec. 14. extincta eſt, ille vero Oldenburgicam.

ELIMARUS II. fil. prioris, præter Ottonem, Præpoſitum Bremenſem, nepotum Chriſtiani & Mauritii tutorem, genuit Chriſtianum Bellicoſum & Henricum; quorum hic Brockhuſæ Comes novum ramum orſus eſt, in quo ultimus Conradus, à Butjadis cæſus A. C. 1358. filiam tantùm reliquit Margaretam Joh. Com. Diepholtani uxorem: Ille verò Oldenburgicos continuavit. Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt. in Fam. Oldenburgo-Danica.*

ELIMELECH, nomen Bethechemitæ cujuſdam; maritus Naomi. Ruth. *c.* 1. *v.* 2. Lat. *Deus meus rex.*

ELIMIA, urbs Macedoniæ, pop. *Elimiotæ.* Steph. Mel. *Elimea*, vide Ariſtot. *l.* 5. *Pol. c.* 10.

ELINI. Theſprotica gens, item *Elinia* regio. Eſt & Siciliæ urbs. *Steph.*

ELIOCROTA, quæ & *Ilorcis*, Hiſp. Tarracon. urbs. Anton. à Carthagine nova. 25. m. p. *Lorca* Cluſio, & Marianæ. Ad Guadalentium fluv. in confin. regni Granat. 10. leuc. Hiſp. ab ora maris Mediterr. & Sinus Vergetani in Bor. 10. à Baſti in Ort. Satis parva. *Baudr.*

ELIODES, pater Rezonis, 1. Reg. *c.* 11. *v.* 23. qui primus, poſt dominum ſuum Adad-ezerem à Davide Rege devictum, Syriæ Damaſcenæ regnum ſibi poſteriſque ſuis conſtituit. Vide *Hezion*, it. *Rezon.*

ELIOENAI, fil. Naariæ. 1. Par. 3. *v.* 23. Fil. item Bechor, filii Benjamin. 1. Par. *c.* 7. *v.* 8. *c.* 8. *v.* 20. Lat. *ad ipſum oculi mei*, vel *fontes mei*, aut *ad ipſum afflictio*, vel *paupertas.* Idem. *c.* 26. *v.* 3. Eſdr. *c.* 8. *v.* 4.

ELIONES. Africæ propriæ gens. *Ptol.*

ELIONORA, Angliæ Regis filia, Alphonſi, cognomento Boni, Hiſpaniæ Regis uxor. A. C. 850. Vide *Eleonora.*

ELIOTUS, Thomas, Vide *Thomas.*

ELIPA, Vide *Elepla.*

ELIPANDUS, Archiep. Toletanus, Felici Orgellorum Ep. junctus, Neſtorii errores incruſtare conatus eſt. Damnatus Synodo Forojul. A. C. 791. Ratisbonenſi, A. C. 792. Francofurtano Concil. A. C. 794. & refutatus à Carolo Mag. epiſtola ad Epp. Hiſp. Eginhartus, *in hujus vita.*

ELIPHALET, fil. David. 2. Sam. *c.* 5. *v.* 16. Fil. Eſec. 1. Par. *c.* 3. *v.* 6. & 8. & 1. Par. *c.* 8. *v.* 39.

ELIPHALU, nomen Sacerdotis. 1. Par. *c.* 15. *v.* 18. & 21.

ELIPHAZ, fil. Eſau ex Ada uxore. Gen. *c.* 36. *v.* 4. Lat. *Dei niſus* vel *conatus.*

ELIS, Regio Peloponneſi, inter Arcadiam, & Achajam, mareque Jonium ad Occ. *Elea* Polybio, cum urbe ejuſdem nominis, *Belvedere* Nardo, & Pineto. Ovid. *Met. l.* 5. *v.* 494.

Piſa mihi patria eſt, & ab Elide *ducimus ortus.*

Patria fuit Phædonis, Elidenſis Philoſophi, Platonis amiciſſimi, teſte Gellio *l.* 2. *c.* 18. Prop. *l.* 1. Eleg. 8. ad Cynthiam *v.* 36.

Et quas Elis *opes ante pararat equis.*

Vide Steph. Baudr. *Elis* reg. latius patet, nam continet Elidem & Meſſeniam. Sub Turcis à 200. Annis. *Elis* autem urbs, ad Peneum fluv. ampla, probe culta & in loco peramœno ſita, nunc etiam *Belvedere*, Græcis *Calloſcopium*, 15. mill. abeſt ab ora maris Jon. in Ort. 24. à Dyme ſeu Clarentia in Auſtr.

ELIS ſeu HELIS, nunc *Bebbu* Poſtello, locus Palæſtinæ, ubi Moſes 12. fontes invenit.

ELISA, fil. Javan. Gen. *c.* 10 *v.* 4. Chaldæis eſt אלם *Hellas*, Joſepho *Æoles*, Villalpando *Elyſii campi* in Fortunatis inſulis, Arabi Interpreti *Almeſiſa*, i. e. *Mopſueſtia* in Cilicia, Bocharto Peloponneſus, quem conſule, *Phaleg. l.* 3. *c.* 4.

ELISA, Vide *Eliſeus.*

ELISABETHA, Vide *Elizabetha.*

ELISAMA, fil. Ammihud, Princeps tribus Ephraim. Num. *c.* 1. *v.* 10. *c.* 2. *v.* 18. Fil. item David 1. Par. *c.* 3. *v.* 8. qui 2. Reg. *c.* 5. *v.* 8, 10, 16, 19, 20, 25. dicitur *Eliſua.* Sic nominabatur fil. Camia 1. Par. *c.* 2. *v.* 41. Lat. *Deus exauditionis*, vel *Dei exauditio.*

ELISARI, Arabiæ Felicis gens, *Ptol.*

ELISEUS, vel ELIZEUS, propheta, Eliæ diſcipulus, filii Saphat, duodecim miraculis inclytus, 1. Reg. *c.* 19. *v.* 16. & 19. *Dei ſalus*, vel *Deus ſalvans*, Eliæ in prophetico munere ſucceſſit; filium hoſpitæ ſuæ ſuſcitavit: Naaman Syrum à lepra curavit. Etiam, oſſibus ejus jam defuncti tactis, quidam revixit. 2. Reg. *c.* 5. *v.* 1. Luc. *c.* 4. *v.* 27 &c. De illo Joſeph. *l.* 8. & 9. Ἀνὴρ ἐπὶ δικαιοσύνῃ [illegible] καὶ φανερῶς σπουδασθεὶς ὑπὸ τοῦ θεοῦ, θαυμάσια γὰρ καὶ [illegible] διὰ τῆς προφητείας ἐπεδείξατο ἔργα καὶ μνήμης παρὰ τοῖς Ἑβραίοις ἀξιωθέντα. Ἔτυχε δὲ καὶ ταφῆς μεγαλοπρεποῦς καὶ οἵας εἰκὸς ἦν τὸν οὕτω θεοφιλῆ μεταλαβεῖν. Iſid. *in vita Elizei.* Nic. Lloyd. Torniel. Salian. Spond. *A. M.* 3124. & *ſeqq.* 3198.

ELISPHASII, Peloponneſi pop. Polyb. *l.* 11.

ELISSA, Tyria Juſtin. memorata *l.* 18. *c.* 4. Carthaginem condidiſſe dicitur, hinc *quamdiu Carthago invicta fuit, pro Dea ibi culta. Eam Dido quidam autumant* inquit Vellejus *Hiſt. l.* 1. Prius nempe vocabatur אלישה *Eliſſah*: cujus poſterior pars שה *agnus*; unde interpretantur, *Dei mei agnus.* Niſi idem nomen ac Prophetæ Eliſæi, אלישע, quod à ישע *ſalus*, ut ſit *Dei ſalus*, vel *Deus ſalvans.* Apud Euſeb. legas, Didoni priùs nomen fuiſſe Ὀεσγώ: quod unde hauſerit, incompertum. Διδὼ autem Hebr. דידה, *dilectulam* notat &c. Quia verò *Eliſſa* Tyria fuit, hinc natus Phœnicum, apud Appian. *initio Lybic. & Punic.* error, dicentium Xorum & Carchedonem urbem eam extruxiſſe. Nullus enim Xorus fuit, ſed fabula de hoc conditore ex eo cœpit, quòd Carthago Tyriorum eſſet colonia: at Tyrus, Phœniciâ linguâ צור *Tzor*, diceretur. Græcis quippe nulla vox incipit à *TS.* ſed pro duplici *Tſade* ſive *Ts*, habent KS. ſive Ξ. unde multo plurima inchoant. Ergo pro Τσῶρος dixêre Ξῶρος. niſi pro *Xoro* ſcribendum *Zoro*: quippe in Euſebii *Chronico* legas ex Philiſto, Zorum & Carchedonem eſſe Carthaginis conditores &c. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progreſſu Idol. l.* 1. *c.* 32. ut & in voce *Carthago.*

ELEI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ELISSUS, Arcadiæ urbs. Pauſan. Item Sycioniæ, & Elidis fluv. Strab. Pauſan. Item Atticæ fluv. Aliis *Iliſſus*, quod vide.

ELISUA, Vide *Eliſama*.

ELISUR, fil. Sedeur. Princeps tribûs Ruben. Num. *c.* 1. *v.* 5. Lat. *Dei fortitudo*, ſive *petra*, vel *plaſmatio*, *aut colligatio*.

ELIU, fil. Jeroham, patris Elcana. 1. Sam. *c.* 1. *v.* 1. Nomen Principis militiæ. 1. Par. *c.* 12. *v.* 20, *c.* 27. *v.* 18. Lat. *Deus meus ipſe*, aut *fortitudo ipſius*.

ELIUD, fil. Achim, inter progenitores Chriſti. Math. *c.* 1. *v.* 14. Natus A. M. 3809. Torniel. Lat. *Deus laudis*, vel *confeſſionis*, aut *Dei laus*, vel *confeſſio*.

ELIUS libertus, magnâ apud Neronem gratiâ, quique abeunte eo in Græciam cantillatum, præfectus manſit urbi Romæ. Dioni vocatur Ἥλιος.

ELIXA, dicuntur quæ in aqua coquuntur, ipſa verò aqua ſola quum fervet, *excoqui* & *decoqui* dicitur: inde Vett. *decocta*. Aliàs *elixa* etiam *decocta* vocantur. Et quidem parandi cibos modus hic recentior aſſatura eſt, unde Homerum Diis ſuis nunquam *elixas* carnes, ſed ſolùm aſſas, apponere videmus: qui modus longè ſimplicior. Sed & de Agno Paſchali legem habemus in Sacris, *Non comedetis coctum in aqua, ſed aſſum igne*: qua de re Vide Bochart. *Hierozoici Parte prior. l. II. c.* 50. ut & ſupra ſuo loco. Similiter in epulis ſacrificalibus Gentilium, carnem perpetuò toſtam vel aſſam fuiſſe, excepta arietinâ, quæ *elixabatur*, docet Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 4. *c.* 17. Ζῶμα autem Græcis dici liquorem in quo carnes decoquuntur dicemus infrà in voce *Succus*, it. *Zoma*.

ELIXOTA, inſ. Hyperboreorum minor quàm Sicilia, juxta fluv. Cerambicum. *Steph.*

ELIXUS, fluv. Cei inſ. *Strab.*

ELIZA, vel *Eliſa*, Vide *Dido*, it. *Eliſſa*.

ELIZABETH, uxor Aaron, filia Aminadab. Exod. *c.* 6. *v.* 22. mater Nadabi, Abihu, Eleazari & Ithamari. A. M. 2545. Torniel. Uxor item Zachariæ, mater S. Joh. Baptiſtæ, Luc. *c.* 1. *v.* 5. Lat. *Deus juramenti*, vel *Saturitatis*. Fuit etiam Hungariæ Regina, mulier ſanctiſſima inter divos relata. Vide infra.

ELIZABETHA, ſeu *Iſabella*, filia Jacobi I. Arrag. Regis uxor Philippi III, Galliæ Regis comes mariti in expeditione ſacra, Ludov. IX. auſpiciis ſuſceptâ. Quo mortuo, cùm Philippus regnum adiret, in Calabria equi lapſu læſa, obiit A. C. 1271. Mater Philippi IV. & Caroli, cujus fil. Philippus V. fuit. Mezerajus *Hiſt. Gall.*

ELIZABETHA, filia Stephani Jun. Bavariæ D. ex Thadæa filia Barnabæ, Vicecomitis Mediol. uxor Galliarum Regis Caroli VI. regiæ familiæ regnique Furia. Regias opes partim in patriam miſit, partim inutilter prodegit, hinc à Conneſtabili Armeniaco in ordinem coacta, & Turonibus in vinculis habita aliquandiu, poſtea Burgundiæ D. ope ſubnixa, Lutetiâ captâ, Armeniacos lanienæ expoſuit, Infirmitate mariti abuſa fil. Carolum Delphinum, à ſucceſſione regni excluſit, coronam in Henricum V. Angliæ Regem generum ſuum, transferre anniſa. Marito mortuo, A. C. 1422. in miſerrimum redacta ſtatum, inviſa Gallis; ab Anglis neglecta eſt. Obiit præ animi dolore, cruentis Anglorum dicteriis excruciata, qui Carolum VII. non ex Rege ſuſceptum ei in faciem exprobrarunt. Numeroſæ prolis mater. Joh. Juvenalis de Urſinis; Froiſſard. Monſtrelet. & Laborator *hiſt. Car.* VI. Joh. de Serres *hiſt. Gall. in eodem, &c.*

ELIZABETHA, filia Maximiliani II. Imp. ex Maria Auſtriaca, uxor Caroli IX. Gall. Regis virtute inclyta, mariti márociam ſæpe mitigavit, & de genibus imminentem Henrico Navarræo & Condæo necem deprecata eſt. Marito mortuo, Viennam rediit, ſecundas tum Philippi II. tum Sebaſtiani Luſit. nuptias averſata. Obiit A. C. 1592. Hilario Coſtus, *de fœmin. illuſtrib.* De Serres, *Mezeray*.

ELIZABETHA, filia Andreæ Hungariæ Regis ex Gertrude, filia Bertoldi Moraviæ Ducis. nupſit Ludovico, Thuringiæ Landgr. Quo mortuo propinquorum injurias admirabili conſtantia pertulit. Obiit A. C. 1231. à Gregorio IX. inter Sanctas relata. A. C. 1235. Joh. Montanus & Theodoricus Thuring. *in ejus vita*. Vide Caniſium *tom.* 5. *antiq. Lect.*

ELIZABETHA, filia Henrici VIII. ex Anna Bolenia, poſt Mariam ſororem, Angliæ regina, è vinculis thronum conſcendit, fruſtra Mariâ Scoticâ, Henrico II. Gall. & Philippo II. Hiſp. Regibus obnitentibus. Hæc decreta Mariæ reſcidit, idola templis ejecit, decrevitque, ne in poſterum Pontifici Rom. obtemperaretur. Philippi Hiſp. & Ferdinandi Ferdin. filii, ut & Regis Sueciæ nuptias recuſavit, juramento ſe obſtrictam prætendens, externo Principi non nupturam. Catharinæ Mediceæ fraudibus, ſpe conthrahendi cum Henr. Andio matrimonii, a nuptiis Navarræi Principis abſtracta: Leges Majeſtatis graviſſimas promulgavit. Hibernicos motus per Joh. Perotum & Henricum Sidneium compreſſit. A Pio V. excommunicata eſt, A. C. 1569. hinc Pontificiorum in ejus vitam & regnum, Jeſuitarum inprimis, perpetuæ inſidiæ: quibus ſuperior, in Jeſuitam Edm. Campianum, Comitem Northumbriæ, Norfolcii Ducem, alioſque idonea ſeveritate uſa eſt. Cum Albano inimicitias exercuit, Belgium fœderatum in patrocinium ſuſcepit. Novam ſeditionem Hibernicam per Arturum Grajum oppreſſit. Hiſpanis in America, per Franciſcum Dracum, plurima ademit, claſſem eorum in portu Ulyſſiponæ diripuit ac incendit: Mariam, Scoticam, Ordinum juſſu ſecuri percuſſam, indoluit, lugubribus ſumptis. Claſſem ſtupendam Hiſpanorum A. C. 1588. vicit; incendit, diſſipavit, dum Parmenſis Dux Dunkerkæ à Belgis, ne ſe Hiſpanis jungeret, impediretur: Hinc triumphus, priſco more, Londini celebratus. Draco in Americam rurſus miſſo, Virginiæ nomen dedit. Antonium Luſitan. in regnum reductura, ob militum aviditatem, capto jam Ulyſſiponæ ſuburbio, fruſtra fuit. Henrico IV. fideliſſimè opem tulit, ſumptibus militibuſque ſummiſſis. Robertum Eſſexium, caput conjurationis, ſupplicio affecit. Obiit A. C. 1603. Ætat. 70. Regni 45. ſcripto hærede Jacobo VI. Scoto. Fœmina ſupra ſexum prudens, erudita, religioſa ac felix: Semper Virgo. Thuanus, Joh. de Serres, Chenius *Hiſt. Angl.*

ELIZABETHA, filia Petri III. Arragoniæ Regis ex Conſtantia Manfredi fil. nupſit Dionyſio Luſitan. Regis ex eo mater Alphonſi IV. &c. Obiit A. C. 1336. Ætat. 65. Ab Urbano VIII. ſanctis annumerata. A. C. 1625.

ELIZABETHA Auſtriaca, filia Philippi Archid. & Regis Hiſpan. ex Johanna Caſtellana. Nupſit Chriſtierno II. Principi crudeli & luxurioſo, cui duobus regnis exuto & in diuturno carcere ſqualenti, fideliſſimè miniſtravit Obiit Gandavi A. C. 1525. Vide Thuani *Hiſt.* Hilar. Coſtum, *in ejus elogio, tom.* 1.

ELISABETHA Caſtellana, filia Joh. II. ex Elizabetha Luſit. uxor Ferdinandi Arragonii, poſt Patris mortem Caſtellam Arragoniæ uniit, hinc ambo Reges Hiſpaniæ dicti. Inquiſitionem inſtituit, poſt Joh. filii unici mortem, quatuor filiarum educationi ſolicitè intenta. Quarum maxima natu Elizabetha, ut & Maria tertia Emanueli Luſit. Regi nupſerunt. Johanna ſec. Philippo Auſtriæ Archiduci. Catharina ultima Henrico VIII. Anglo. Obiit A. C. 1504. Conſiliis ipſa ſemper interfuiſſe dicitur, in belli paciſque negotiis prudenter & animosè verſata. Mariana *hiſt. Hiſp. l.* 24. Lipſ. *Monit. Polit.*

ELISABETHA Eſtenſis, Marchioniſſa Mantuana. Hilario Coſtus *de fœm. Illuſt.*

ELIZABETHA Francica, filia Ludovici VIII. ex Blanca Caſtellana, Monialis. Obiit A. C. 1270. Sebaſt. Rouillardus, *in vita ejus*, Item filia Philippi Longi Regis ex Johanna Burgundica, uxor Guidonis VI. Delphini Viennenſis, &c. Item, filia Joh. Regis ex Bonna Lucemburgica, ex Joh. Galeatio, primo Mediol. Duce. mater Valentinæ. Obiit A. C. 1409. Item filia Caroli. VI. uxor Richardi II. Regis Angliæ, dein Caroli Aurelian. Obiit A. C. 1409. Item filia Ludovici Bavari, mater Henrici Jun. Siciliæ Regis. Item, filia Ottonis Bavar. Uxor Conradi IV. mater Conradini, Vide ibi. Item, filia unica Mainardi, Com. Tirol. ex Alberto I. Imp. numeroſæ prolis mater. Item filia Sigiſmundi Imp. uxor Alberti V. Archid. qui poſtmodum imperavit. Item filia Ferdinandi I. uxor Sigiſmundi Aug. Poloniæ Regis virtute inclyta. Item filia Petri Conimbric. Ducis ex Alphonſo V. Luſit. Rege mater Joh. II. Item, filia Ladislai Locticí, Polon. Regis uxor Charoberti, ſeu Caroli II. Roberi. Item, filia Stephani, Boſniæ Regis ex Ludovico, Hungariæ & Pol. Regis mater Catharinæ, Mariæ & Hedvigis. Cum filia Maria, uxore Sigiſmundi Imp. à Carolo Dyrrachino, regni uſurpatore, in vinculis detenta: dein hoc, à Nicolao Garo, occiſo, libera, paulo poſt ab Horvato, Croatiæ præfecto, Caroli amico, interfecta eſt, cadavere in profluentem conjecto. A. C. 1386. Bonfin. Thuroſius, Collenutius, &c. Item filia unica Com. Encoliſmenſis, uxor primò Joh. Angliæ Regis dein Hugonis Comitis Marchiæ, magnarum calamitatum cauſa. Item filia Ludvici IX. nupſit Theobaldo II. Navarr. Regi.

ELIZABETHA Francica, filia Philippi IV. ex Johanna, hærede Henr. I. Navarr. nupſit Eduardo II. Angliæ Regi A. C. 1308. A marito, quem Hug. Spenſerus, cum cognom. filio, in poteſtate habuit, pulſa; in Galliam ſe recepit. Unde cùm ſe ſubduxiſſet, ope Hannoniæ Comitis in Angliam reverſa maritum vicit, cepit, necavit, Eduardo III. fil. ſubſtituto. Poſt quæ liberioris vitæ & commercii cum Rogero Mortemerio Reginâ indigni, accuſata, hoc capite plexo, filii juſſu arci incluſa eſt, in qua morte acceleratâ obiit juſtiſſimè, niſi hoc filius feciſſet. Froiſſard. *hiſt. Angl.* &c.

ELISABETHA Francica, filia Henrici II. ex Catharina Medicea, Eduardo VI. primò promiſſa, nupſit dein Philippo II. à. filio ejus Carolo fruſtrà ambita. Hinc in Patrem indignatio & mox filii cædes. *Irene* dicta eſt, quòd matrimonio ejus pax Cameracenſis coaluit. Mater ex Rege Iſabellæ Claræ Eugeniæ, & Catharinæ, uxoris Caroli Em. Ducis Sabaudiæ. Obiit A. C. 1568. Hiſpali, prægnans, non ſine veneni ſuſpicione. Brantomus, *de fœm. Illuſtr. Thuanus*, &c.

ELISABETHA Francica, filia Henrici IV. ex Maria Medicea, nupſit Philippo IV. Hiſp. Regi A. C. 1615. Obiit A. C. 1644. Mater Mariæ Thereſæ, uxoris Ludovici XIV. Gall. Regis.

ELIZABETHA Gonzaga, Dux Urbin.

ELISABETHA Luſitanica, filia Emanuelis Regis ex Maria Caſtellana, nupſit Carolo V. pulchra, fœcunda, dilecta. Obiit in nixu, Toleti, A. C. 1538. Mariana *hiſt. Hiſp.* Vide *Franciſcus Borgia*.

ELIZABETHA Polonica, filia Sigiſmundi, ex Bonna Sfortia, nupſit Joh. Zapolio Vaivodæ Tranſylvaniæ, & poſt Ludovicum à Solimanno victum, Poloniæ Regi. Hinc bellum Ferdinandus Auſtriacus movit, qui ſororem Ludovici duxerat, ſed pace coalitâ, Elizabetha Joh. fil. peperit, marito mox amiſſo. Hinc Regens, rebus, à Gregorio Martinuſio Cardin. malè adminiſtratis, Turcarum opem, contra Ferdinandum, imploravit, à quibus ipſa regno exuta eſt. Vide Thuan. Iſtuan. *rer Hung. l.* 13, 14. Neugebauer, *rer. Polon. l.* 7. *&c.* Literarum non rudis.

ELIZABETHA Loſa, Cordub. Latinè, Græcè & Hebr. docta, in Academia locum tenuit. Poſt mortem mariti, vixit uſque ad A. C. 1546. Æt, 73.

ELIZABETHA Roſera, Hiſp. erudita admodum: ſub Paulo III. Franc. Aug. Chieſa.

ELIZABETHA Schonaugia, Abbatiſſa Ord. Benedictini, in diœceſi Trevirenſi, ſcripſit de origine, nomine, & inventione 11000. virginum. Obiit A. C. 1165. Vitam ejus frater Egbertus ſcripſit, A. C. 1628. Coloniæ impreſſam Trithem. Catal. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 50. *&* 53.

ELIZABETHA Tanfeldia, Angla, Hebræè, Græcè, Latinè, Gallicè locuta. Petroni Cardin. ad Jacobum Regem reſponſum Anglicè vertit. Obiit Londini A. C. 1639. *Æt.* 60. Hilario Coſtus, *elog. fœm. Ill. tom.* 2. *p.* 728. 729. 730. *edit.* 1647.

ELIZAPHAN, fil. Oxiel. Exod. *c.* 6. *v.* 21. Fil. item Pharnac, Num. *c.* 34. *v.* 25. Lat. *Deus Aquilonis*, ſive *Deus abſconditus*, vel *ſpeculator*.

ELLA, Scalig. & Vineto *Lila*, in tabb. *Lille*, vulgò *l'Ile*, fluv. Galliæ, alluit Macerias *Mazieres*, ubi ponte jungitur, deinde ſuperiorem Viſeram vel altum Viſeram accipit, *Haute-Vezere*, vel à ſitu vel ab altitudine aquarum ſuarum ita cognominatum. Tum Veſunnam Petrocoriorum attingit, caſtrum S. Carterii, Petrocoricæ urbis quondam Epiſcopi, *S. Chaſtier*, Mulcedonum *Mucidan*, Beneventum, Vallem Claram *Vauclere*; inde Drunam accipit, *Drone* aut *Droune*, *fluvium Dronam* in veteribus Galliæ Annalibus dictum, qui Monaſterium Brantoſmenſe in Petrocoriis, & Corterate *Courtras*, in tabula Peutingeriana memoratum, Henrici Magni victoriâ nobilem locum irrigat. Ella demum infra Frontiacum caſtrum, *Fronſac*, in Duranium labitur ad Liburniam vel Condate, *la Ille* Vaſconibus nuncupatus. Liburniam *Libourne*, ait Maſſonus dici nonnunquam *Ellæ limitem* ſive *bonnam*, quod ab Eduardo Rege Anglorum ad confluentes Ellæ & Duranii ſit condita: nuncupatam eſſe *Libourne*, aut *Liborne*, quaſi *la bourne* aut *la borne*. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

ELLEL, pater Abdon judicis Iſraël. lege *Hillel*.

ELLI, Vide *Ellopia* & *Selli*.

ELLIOTUS Joh. Anglus, Paſtor Eccleſiæ Ripenſis, in Nova Anglia, qui locus Baſtonio leucæ ſpatio diſſitus, ingenti Zelo convertendi Americanos ardens, labore immenſo Biblia Sacra Varios tractatus Theologicos, ac inprimis Catechiſmum & Rudimenta Religionis Chriſtianæ, in eorum Linguam tranſtulit, circa A.C. 1646. pauloque poſt in urbe Natika recens converſorum Indorum eximiam erexit Eccleſiam; quam quatuor aliæ in vicinia ſecutæ quibus ipſe primò per ſe, exin per Americanos Miniſtros, præfuit. Unde *Indorum Apoſtolus* dictus, Creſc. Matherio *Epiſt. ad Joh. Leusden ſcriptâ Baſtonio Nov. Angliæ* d. 12. *Jul.* A. C. 1687.

ELLOPIA, Regio Eubœæ, & ipſa inſ. ab *Ellope* Jovis fil. Sic etiam dicebatur regio juxta Dodonam, cujus incolæ *Elli*, & *Selli*. Etiam urbs circa Dolopiam, & regio circa Theſpias, teſte *Steph.*

ELLOPIUM, urbs Ætoliæ. *Steph.*

ELLOTIA, Græcè Ἑλλώτια, feſtum Europæ Agenoris Phœnicis filiæ, in Creta dicatum, Heſych. Nemp. Ἑλλωτὶς Europa Cretenſibus dicta eſt, teſte eodem. Quo etiam nomine corona venit, è myrto texta ambitu cubitorum viginti, quam in hoc Feſto in pompa, cum oſſibus Europæ, vehi conſueviſſe, Athen. tradit *l.* 15. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 172.

ELLUS, 5. Coſ. & ſolus A. U. C. 1231. Item fluv. omnium maximus qui ſe in Hermum exonerant. Herod. Vide infrà.

ELLUS Magiſter, miſſus à Zenone Imp. contra Leontium, huic ſe conjunxit contra Imp. Liberatus *Breviar. c.* 16. 17. & 18.

ELLUS, mel. *Hellus*, vulgò *Ill.* Oritur in Suntgovia, prope Ferretam opp. dein per Alſatiam fluens Mylhuſia, Enſishemio, Colmaria, Seleſtadio, & Benofeldâ, tandemque Argentinâ rigatis, paulo infra in Rhenum ſe exonerat. Hinc Alſatia regio, nomen *Elſas*, accepiſſe quibuſdam videtur.

ELLUS, fluv. Lydiæ. Aliis *Hyllus*; quod vide, paulo infra Tyatum ſeu Tyathiram in Hermum labitur. *Baudr.*

ELLYCHNIA, apud Stat. *l.* 4. *Sylv.* 9. *v.* 29.

Non ellychnia *ſicca, non replictæ*
Bulborum tunicæ, nec ova tantum?

ſtupæ ſunt tortiles, lychnis oleo plenis flammam alentes, Gr. ἐλλύχνια, item θρυαλλίδες, & φλογμοὶ, Pollus *l.* 6. *c.* 18. & *l.* 10. *c.* 26. Quem in uſum etiam adhibebantur *bulborum complicatæ tunicæ*, quas mox addit Poëta. Ex cicina uva præcipuæ claritatis fieri ſolita, ſcribit Plin. *l.* 23. *c.* 4. qui etiam *ellychniorum*, ex quodam ſulphuris genere, meminit *l.* 35. *c.* 15. Ex Caryſtio lapide quæ torquebantur, non conſumebantur ardendo. Sic Athenis lychnus aureus Minervæ conſecratus pendebat, à Callimacho factus, cujus ἡ θρυαλλὶς ex hoc lapide, Pauſan. *in Atticis*. Hodieque Tartari ex herba Sinenſi, quæ ſupra lapides naſcitur, *ellychnium* concinnant perpetuum, quod nunquam emungitur, ſed cùm ſordibus concreſcentibus aliquantum oppletur, conjicitur in ignem, putresque illi adhærentes fungi poſt uſtionem abſterguntur, quòd incorrupta in igne illius materia perſtet, ut refert Auctor Anonymus *Sinæ & Europ. c.* 32. &c. Vide quoque Salmaſ. *ad Solin. p.* 178. C. Barth. *ad Stat. d. l.* Alios: nec non hic paſſim, inprimis in voce *Linum*. Alias Goſſypii uſus in *ellychniis* frequens, de quo aliquid infrà in voce *Fumalis*. Vide quoque ubi de *Papyro*, item *Marino vellere*, *Pinuico*, in voce *Tythemius*, Sed & veſtes Sacerdot. apud Judæos ſordidiores factas aut inquinatas ad *ellychnia* ſepoſitas fuiſſe dicemus infrà in voce *Veſtiarium*. Producebantur autem *ellychnia* acu, uti *Moreti* Auctor habet de lucerna,

Et producit acu ſtupas humore carentes.

Quod περιωθεῖσθαι ἐλλύχνιον, item προωθεῖν λύχνον & προμύττειν (namque & μύξα ellychnium) Græci dixêre. Unde apud Heronem in *Pneumaticis* rationem tradi reperimus, quâ lychnus fiat ἑαυτὸν προβύσαν, *cujus ellychnium ſponte promoveatur & producatur*, Cujusmodi lychno uſus fuiſſe Caſſiod. legitur &c. Vide eundem Salmaſ. *ibid. p.* 132. ut & infrà Muxa. In palatio Pontificis Rom. *ellychnia* lucernis aptare *Fiacario* incumbit, de quo Vide infrà uti plura hanc in rem, ubi de Vett. *Lucernis*.

ELMANTICA, urbs Iberiæ, intra Iberum fluv. Steph. Vide an ſit Salmantica Ptolemæi.

ELMELECH, civitas in tribu Aſer, Lat. *Deus rex* vel *rex Deus*. Joſ. *c.* 19. *v.* 26. Hieronymo *Alimelec*. Aliàs *Elmeleth*.

ELMODAD, fil. Jectan. Gen. *c.* 10. *v.* 26. Lat. *Dei menſura*, vel *artium dilecti*.

ELNA, fluviol. Gall. Belg. al. *Liana*, oritur in confin. Arteſiæ, & juxta Bononiam in mare Britann. ſe exonerat.

ELNAEM, pater Iſaja, & Jeribai. 1 Par. *c.* 11. *v.* 46. Lat. *Dei pulchritudo*, ſive *Deus muniens eos*.

ELNATBAN, fil. Achbor. Jerem. *c.* 26. *v.* 22. i. e. *Deus dedit*, vel *Dei donum*.

ELNO, vulgò *S. Amand*, ab Amando Ep. Trajectenſi, qui ibi Cœnobium extruxit, prope Turnacum, opp. eſt Flandriæ, ad Scarpam fluv. qui paulo infra in Scaldim cadit. In confin. Hannoniæ, ſub Gallis ab A. C. 1667. Aliàs munitum.

ELOGIUM, Tertulliano *Apolog. c.* 11. & Suet. *in Calig.* appellatur titulus criminis, qui ad crucem damnatis præferri vel iis apponi, aut ipſi cruci inſcribi fuit ſolitus. Romanâ voce *Titulus*, quâ & Joh. *c.* 19. *v.* 19. uſus eſt. Atque item Nonnus, *in hoc caput*.

Γράμμα ὅπερ καλέουσι Δαλιίδι Τίτλον ἐωῆ.

Matth. *c.* 27. *v.* 37. αἰτίαν bene ac ſignanter vocat: Gloſſæ vett. *αἰτία, cauſſa. materia, titulus*. Eædem Latinæ; *Titulus* ἐλέγχιον. Latini etiam pro cauſa. Ut Ovid. Heroid. Ep. 7. Dido Æneæ. *v.* 76

Te ſatis eſt titulum *mortis habere meæ.*

Ἐπιγραφὴ τῆς αἰτίας dicitur Marci *c.* 15. *v.* 26. & ſimpliciter Ἐπιγραφὴ Lucæ. *c.* 23. *v.* 38. Hoc *Elogium* itaque, ſeu Titulus, ut dictum, aliquando præferebatur damnatis, ut docet Suet. *in Calig. c.* 38. *Præcedente titulo, qui cauſam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumducitur*. Sic Euſeb. *l.* 5. *c.* 1. de Attalo Martyre loquens: Περιαχθεὶς, inquit: κύκλῳ τοῦ ἀμφιθεάτρου, πίνακος αὐτὸν προάγοντος ἐν ᾧ ἐγέγραπτο Ῥωμαϊστὶ, Οὗτός ἐστιν Ἄτταλος ὁ Χριστιανός: *Circumactus per Amphitheatrum tabellâ ipſum præeunte, in qua Latinè ſcriptum*, HIC EST ATTALUS CHRISTIANUS. Aliquando appendebatur iis vel apponebatur: ut iterum Suet. in Domit. *c.* 10. *Patremfamilias detractum è ſpectaculis in arenam canibus objecit, cum hoc titulo*: IMPIE LOCUTUS PARMULARIUS. Ibid. *c.* 23. in Julio *c.* 59. Nonnunqam in capite crucis ſcribebatur, quod factum, cùm SERVATORIS crucifixi capiti ſuperaſcribi juſſit Pilatus: JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. Sæpe tamen neglecto aut ſpreto *Elogio* contenti Superdictione fuërunt, i. e. ut Præconis præeuntis voce populo id nuntiaretur. Vide Juſt. Lipſ. *de Cruce l.* 2. *c.* 11. & Thom. Godwyn. *Anthologiæ Rom. l.* 3. *ſ.* 3. *c.* 4. Sed & *Elogium* dicebatur epigraphe ſtelarum ſepulchralium. Vide ibi. Imò *Elogium* in genere nihil eſt aliud, quam titulus cauſæ, brevis explicatio, præfatio. Hinc de Calig. Suet. *c.* 24. *tres gladios in necem ſuam præparatos Marti Ultori, addito* elogio, *conſecravit* &c. Ex Græco ἐλλόγιον, quod propriè notabat ſcriptionem, cauſam pecuniæ expenſæ continentem, ſive præfationem ſummæ, quæ in rationes referebatur. Quacunque enim de cauſa pecuniam expendiſſent Vett. id in rationes referebant, ſingulis ſummis titulo ſeu *elogio* præpoſito, unde conſtaret impenſæ ratio. Cujusmodi ἐλλογίου, exemplum & formula eſt in illo Veſp. *c.* 22. apud eundem, *Veſpaſiano adamato* HS. CCCC. Item illo ex rationibus Periclis, exagitato à Comicis, Εἰς τὸ δέον ἀνάλωσα τοῦτο. Hinc ἐλλογίζεσθαι, inferre rationibus cum indicatione cauſæ, Lat. *imputare* &c. Vide Caſaub. *ad Suet. Julio. c.* 48. adde Jul. Cæſ. Scalig. *Poetic. l.* 3. *c.* 40. De *elogiis* verò *cuſtodiarum*, eidem Suet. memoratis, ſuprà.

ELOHIM, Hebr. אלהים, nomen Deo proprium; in quo enallage numeri plur. pro ſingulari; quæ etiam uſurpatur, ubi tantum de unica SS. Trinitatis perſona ſermo eſt, Vide Pſalm. 45. *v.* 7. 8. Hoſ. *c.* 1. *v.* 7. & *c.* 12. *v.* 3. Maxime autem Deo tribuitur, ubi reſpicitur ad ipſius fœdus cum homine, & ubi fidei noſtræ, per quam Deo juranti aſtipulamur, fit profeſſio, ut patet ex Geneſ. *c.* 17. *v.* 3. 7. & Deut. *c.* 29. *v.* 12. 13. Origo ejus, vel ab Arabico אלה *coluit*, quaſi σέβασμα *Nomen colendum*, ſeu *venerandum*; vel ab Hebraico אלה *juravit*, vel *adjuratio*. Analogicè nonnunquam Hominibus & Angelis tribuitur, quia nim. illis populus Dei ad tempus ſubjectus fuit, tanquam Θεοῖς λεγομένοις, 1. Cor. *c.* 8. *v.* 6. Vide quoque Pſalm. 82. *v.* 6. Μιμητικῶς autem & ironicè etiam Diis alienis. Exodi *c.* 20. *v.* 3. Sic Dagoni tribuitur, Judic. *c.* 16. *v.* 23. & Vitulo aureo, Exodi *c.* 32. *v.* 4. quia illi verò Deo ſubſtituebantur. ubi & ſimilis enallage obſervatur. Fr. Burmann. *Synopſi Theol. Chriſt. Part. prior. l.* 1. *c.* 16. §. 17. & *ſeqq.*

ELOLATH, in tribu Juda. Hier. *in Loc. Hebr.*

ELON, fil. Zebulum Gen. *c.* 46. *v.* 14. Judex Iſraëlis, Judic. *c.* 12. *v.* 11. Civitas in tribu Nephthali Joſ. *c.* 19. *v.* 43. Tale fuit nomen Baſemath & Adæ uxorum Eſau. Gen. *c.* 27. *v.* 34. & *c.* 38. *v.* 2. Lat. *ilex*, vel *quercus*.

ELONE, urbs Perrhœbiæ, quæ & *Limona* dicitur. *Steph.*

ELONGOSINE, locus Armeniæ major. in monte, ad Ortum Tigridis.

ELOPHAL, fil. Ur. 1. Par. *c.* 8. *v.* 11. i. e. *Dei miraculum*, vel *Dei judicium*.

ELOPS, Centauri proprium.

ELOPS, Græcè ἔλοψ, piſcis magni pretii, cum Acipenſere idem eſſe creditus Apioni Gramm. apud Athen. *l.* 7. Sed eum incognitum Romanis, ait Ovid. Halieutico fragmento. *v.* 91.

Et pretioſus Helops, *noſtris incognitus undis*;

Unde falli Apionem, arguit Plin. *l.* 32. *c.* 11. Rhodi certè optimus eſt, Plin. ibid. *Rhombus Ravennæ*, *Muræna in Sicilia*, Elops. *Rhodi*. Et Varro *in Sat.* περὶ ἐδεσμάτων, *Oſtrea Tarentina*, *Pectunculus Chius*, Ellops *Rhodius*. Archeſtratus tamen etiam commendat Syracuſis captum.

Τὰ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Τὸν δ' ἔλοπ' ἐσθ' μάλιστα Συρηκούσαις ἐνὶ κλειναῖς
Τόν γε κρατιστεύοντα -----

Surrentinum quoque Ennius *in Hedypatheticis*,

Surrentid Elopem *fac mas* ------

Cum Anthia & *ſacro ipſce* cognominato nonnulli eundem faciunt, alii itidem diverſum &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1316.

ELOQUENTIA, Vide infrà *Facundiæ corona*, *Materiæ infamis*, *Orator Rhetor*, *Sophiſtas*, *Virga*.

ELORINI, pop. Siciliæ. Cic. *l.* 5. *Verr. Eloronenſium* civitatem habet Libellus Provinciarum, in Novempopulana Provincia Aquitaniæ. *Iluro* Antonini eſt, & *Oloronenſis* civitas Sidonio, & *Olorino* hodie Scaligero. Vide infrà.

ELORONA, ſeu *Iluro*, urbs Tarbellorum, in Aquitan. ad Gabarum fluv. in Benearnia prov. ad radices Pyrenæorum. 4. leuc. à Palo in Occ. 6. à confin. regni Navarræ, 20. ab Auſciis in Afr. 11. à Tarba in Occ. *Baudr*.

ELORUM, *Elorus* Vib. Sequ. *Helorus* Silio Fluv. Siciliæ per oram ad Ort. inter Syracuſas, & Pachynum prom. fluens, qui intùs *Atellari*, & circa oſtium *Abyſo*, teſte Fazello, nominatur. Nunc *Accellaro*, in valle Neætina. Modicam rigat, & prope Neætum labitur, pauloque poſt in mare Jonium ſe exonerat, juxta rudera Elori urb. 10 mill. à prom. Pachyno in Bor. 30. à Syracuſis in Auſtr. Baudr. Item. opp. ad oſtium amnis nunc exciſum Sil. Ital. bell. Pun. *l.* 14. *v.* 270.

Atque unda clamoſus Helorus.

Hinc *Elorius* adjectivum. Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 475.

Hinc Camarinam adit, Thapſonque & Heloria Tempe.

Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 698.

Exupero præpingue ſolum ſtagnantis Elori.

Et *Elorinus*. Und. *Elorina ſtagna*, ubi piſces manſueſcunt, ut etiam cibos capiant de manibus hominum, Solin. inter Elorum & Pachynum apud Macharam urb. everſam, duo ſunt, *Lago di Lupo*, & *Ravetti*, Fazello. Nic. Lloyd. *Ferrar*.

ELOS, ancilla Athamantis, à cujus nomine dicta eſt urbs Achajæ, *Elos* vide *Helos*.

ELOTÆ, ita ſua publica mancipia appellabant Lacedæmonii, i. e. miniſtros publicos, ut ſunt apparitores, lictores, qui apud Theſſalos dicuntur *Peneſtæ*. Vide & *Helotæ*.

ELPENOR, unus ex comitibus Ulyſſis, qui à Circe cum aliis ſociis in porcum converſus fuit & deinde priſtinæ formæ reſtitutus delapſus de ſcalis cervicem fregit. Hom. Od. 10. Ovid. *Met. l.* 14. *v.* 252.

—— *Sors me fidumque Politen*
Eurylochumque ſimul, nimiique Elpenora *vini*
Biſque novem ſocios Circea ad mœnia miſit.

Juv. Sat. 15. *l.* v. v. 22.

Et cum remigibus grunniſſe Elpenora *porcis*.

Ovid. *Triſt. l.* 3. Eleg. 4. *v.* 19.

At miſer Elpenor *tecto delapſus ab alto*
Occurrit regi flebilis umbra ſuo.

Mart. *l.* xi. Epigr. 85. cujus epigraphe de Philoſtrato

Pæne imitatus obit ſævis Elpenora *fatis*
Præceps per longos dum ruit uſque gradus

ELPENORIS Tumulus, in Latio, apud Circæjos, in monte, ubi nunc vicus & ædes S. Felici ſacra.

ELPHAAL, fil. Metruſim. 1. Par. *c.* 8. *v.* 11. Lat. *Dei opus*.

ELPHINSTONUS Gul. Scotus, Ep. Aberdinenſis, Cancellarius regni, circa A. C. 1480. Sub Jacobo III. ſcripſit ſtatuta Conciliorum, Chronicon Scotiæ, &c. Boëthius *in præf. hiſt. Scot*. Vide & *Gulielmus*.

ELPHINUM, urbs Hiberniæ, in Com. Roſecomenſi, in Connacia. Cum Epiſc.

ELPIA, urbs in Dauniis, à Rhodiis condita. *Steph*.

ELPIDIUS, Ep. Laodicenſis, Chryſoſtomi partes invicto animo tuitus. Item, hæreticus Priſcillianiſta. Item Comes quidam Apoſtata. Baron. *Ann. ſec.* 4. & 5.

ELPIDIUS Cappadox, ſolitudinis amator, qui annis 25. in ſpelunca quadam vixit, ibique bis tantùm in hebdomade veſcebatur.

ELPIDIUS Ruſticus, Vide *Ruſticus*.

ELPINUS, Archon Athenis, Olymp. 106. An. 1.

ELPIS, uxor Boëthii, de qua hoc extat Epitaphium,

Elpis *dicta fui, Siculæ regionis alumna.*
Quam procul à patria conjugis egit amor.
Quo ſine mœſta dies, nox anxia flebilis hora,
Cumque viro, ſolum ſpiritus unus erat.
Lux mea non clauſa eſt, tali remanente marito,
Majoriſque animæ parte ſuperſtes ero.
Porticibuſque ſacris jam nunc peregrina quieſco.
Judicis æterni teſtificata thronum.
Neve manus buſtum violet, ne fortè jugalis.
Hæc iterum cupiat jungere membra cinis.

ELPISTICI, Græcè Ἐλπιστικοί, Philoſophorum genus, omnia *Spei* tribuentes, de quibus Vide Plutarch *Sympoſ.* adde quæ infra dicemus, in voce *Heſpis* item ſpes.

ELSATIA, regio Germaniæ ſuper. nobilis, quæ circa Caroli Mag. ætatem *Alſatia* dici cœpit. Vide *Alſatia*, it. *Elcebus*, unde regioni genuinum nomen.

ELSEBURGUM, Vide *Elzeburgum*.

ELSENORA, urbs Zelandiæ Inſ. in Dania, prope Sundicum fretum, & arcem Coronæburgum cum portu capaci, è regione Scaniæ & urbis Helſingoburgi.

ELTERI, ſeu *Abelteris*, & *Turres Albæ*, opp. aliàs Luſitan. in Scalabitano conventu, nunc *Alter*, ſeu *Aerra*: vicus Extremaduræ Luſit. ad amnem *Zaras*, medius inter Ulyſſiponem, & Portum alacrem.

ELTHECE, civitas in tribu Dan. Joſ. *c.* 19. *v.* 44. *c.* 21. *v.* 23.

ELTHECON, civitas in tribu Juda. Joſ. *c.* 15. *v.* 59.

ELTHEI, in tribu Juda, Hier. *in Loc. Hebr*.

ELTHOLAD, civitas in tribu Juda. Joſ. *c.* 15. *v.* 30. Et in tribu Simeon Joſ. *c.* 19. *v.* 4. Lat. *Dei generatio*.

ELTOR, civitas Aſiæ Petrææ, olim *Hermopolis* dicta, eo ferè loco, quo exitus fuit Iſraëli è mari Rubro: Emporium eſt earum mercium, quæ ex India ac Oriente apportantur, & inde in Ægyptum & finitimas provincias diſtrahuntur. Joh. Matal. Metel. Vide *Elana*.

ELVANGA, urbs Sueviæ, ad Jaxtum fluv. ubi Præpoſitura nobilis, cujus dominus Imperii Princeps. 5. mill. Germ. à Nerolinga in Bor. 2. à Dinchelſpila in Occ.

ELUCIDARIUM, tit. Libri, quem ſcripſit S. Anshelmus, ſeu quis alius Anonymus, *de Summa totius Chriſtianæ Theol*. Vide Dominic. Macrum *Hierolexico*.

ELUCUS, apud A. Gell. *l.* 4. *c.* 19. *Initio Pueros impuberes compertum eſt, ſi plurimo cibo nimioque ſomno uterentur, hebetiores fieri, veterni uſque aut* eluci *tarditatem*: quid ſit, exponit apud eundem Clodius Verus *l.* 16. *c.* 12. *tarditas quædam viz. animi & ſtupor*; ex Græco ἠλυγὸς, ut Salmaſ. viſum, h. e. ὁ ἐπισκιασμένος, *tarditate & ſtupore obſeſſus*, ſeu *ipſa* potiùs *tarditas animi & ſtupor*, maximè qui ex heſterno vino ſeu crapula procedit. Quo ſtupore Græci affectum ἔωλον appellant. Sic vocem uſurpat Tertullianus *de Cor. mil. Liberum --- Harpocration induſtriâ hederatum argumentatur, quod hederæ natura ſit cerebrum ab* eluco *defenſare*. Quaſi dicat, hederam conducere, ne quis ex heſterno vino capitis dolorem ſentiat. Apulejus item *Apolog. Craſſus ipſe ubi gentium eſt? an Alexandriam tædio domus remeavit? an, quod verius eſt, ex crapula* eluco *attentatur*. Heſych. χάσμησιν appellat, quia oſcitationem comitem habet. Unde Erotianus *in Lexico*, ἀλύκη, ἀπορία μετὰ χάσμης. Vide Salmaſ. *ad Solin p.* 1279. Ant. Thyſ. & Jac. Oiſel *ad Gellium d. l.*

ELUGERE, apud Senec. *Conſol. ad Polyb. c.* 35. de M. Antonio, *Eo ipſo tempore, quo M. Antonius civium ſuorum ſedit mortiſque arbiter, M. Antonii frater duci jubebatur. Tulit hoc tamen tam triſte vulnus eadem magnitudine animi, quâ alia omnia adverſa toleraverat: Et hoc fuit* elugere, *viginti legionum ſanguine fratri parentare*; eſt luctum ponere, & juſta facere amicis occiſis. Veterum enim ſuperſtitio fuit, interemtorum Manes quieſcere non poſſe, aut placari, niſi humanis victimis cæſis ad tumulos aut tumulis ab ultoribus. Hinc de Virginia Liv. *l.* 3. *Manes Virginiæ, mortuæ quàm vivæ feliciores, per tot domos ad expetendas pœnas vagati, nullo relicto ſonte, tandem quievêrunt.* Quare proximis eorum id muneris incumbere credebant, ut hoſtes mortuorum ulciſcerentur, quod *mactare in tumulos* vocat Stat. *Theb. l.* 5. *v.* 674.

Mactare in Tumulos (quanti pro funeris ultor!)

ſicque Manibus ſuorum placatis luctum deponerent. Quam in rem Claudian. pluchrè *de Laudibus Stiliconis l.* 1. *v.* 97. & *ſeqq*.

Pallantis jugulum, Turno moriente, piavit
Æneas, tractuſque rotis ultricibus Hector.
Irato vindicta fuit, vel quæſtus Achilli.
Tu neque veſano raptas venalia curru
Funera, nec vanam corpus meditaris in unum
Sævitiam, turmas equitum, peditumque catervas,
Hoſtileſque globos tumulo proſternis amici.
Inferiis gens tota datur ------

Vide Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. d. l.* alibique paſſim, ut & infrà in voce *Manes*.

ELUI, populi Aquitaniæ inter Garumnam, & Ligerim. Strab. *l.* 4.

ELUIA, Paphlagoniæ urbs. *Ptol*.

ELUIDIVS, Auxentii diſcipulus, fatebatur virginem peperiſſe, ſed poſtea cum viro congreſſam alios ſuſcepiſſe liberos fratres Domini. Inſanam ejus opinionem confutat *Hieronymus*.

ELUINA, dicta eſt Ceres ab *Eluia* opp. vel ab *Eluide* fluv. ubi colebatur. Juv. *Sat.* 3. *l.* 1. *v.* 320.

Me quoque ad Heluinam Cererem, *veſtramque Dianam*
Convelle à Cumis. ---

ELUL, i. e. *ululatio*, ſeu *pernoctatio*, nomen ſextæ lunationis apud Hebræos partim Auguſto, partim Septembri reſpondentis. 1. Macchab. *c.* 24. *v.* 27. Sigonius & Genebrard. *de Kalendis Hebræorum*. Torniel. *A. M.* 2545.

ELUL, in tribu Juda, fortè *Alul*. Hier *in Loc. Hebr*.

ELULEUS, Tyriorum Rex, deficientes Cyprios reduxit, claſſe eò profectus. Contra quos Salman-aſar. proin Aſſyriorum Rex miſſo exercitu Phœnicen totam invaſit, ac pace cum omnibus factâ domum reverſus eſt. Et quidem à Societate Tyriorum deficientes Sidon & Ace, aliæque urbes, ſe Regi Aſſyriorum dedidêrunt. Tyriis verò ſe non ſubmittentibus, Rex item contra illos venit, cum navibus 60. & remigibus 800. quos Phœnices illi auxilio miſêrunt. His Tyrii cum 12. navibus occurrentes, disjectâ claſſe hoſtili, cepêrunt captivos 500. eo facinore rei navalis gloriam apud omnes adepti. Quâ clade acceptâ Salman-aſar diſcedens, cuſtodias diſpoſuit ad fluvium & aquæ ductus, quæ Tyrios aquatum ire prohiberent: quod cum per quinquennium fieret, coacti ſunt, ἐκ φρε-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

φρεάτων ὀρυκτῶν, *ex puteis effoſſis ſe ſuſtentare*. Menander Epheſius *in Chronicis*, ex *Tyriorum Archivis* Græcè tranſlatis, quorum Fragmentum Conſervavit Joſeph. *Antiqq. l. 9. c. ult.* Regnavit autem *Elulæus* Annos 36. *Ibidem*: ſuitque hæc naumachia *ſeu* pugna inter Salmanaſarum & Tyrios mari commiſſa, omnium quas legimus antiquiſſima, utpote haud parum antevertens prælium navale Corinthios inter & Corcyræos depugnatum, quod Thucydides pro vetuſtiſſimo habuit, *l.* 1. Vide ſupra in voce *Amenocles*, it. *Anaxilas* & *Corcyra*.

ELVODUGUS Probus, Monachus Anglus, primus ſuæ gentis hiſtoriam, à fabulis repurgare aggreſſus. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 23.

ELURI, populi Scythici. *Steph.*

ELUSA, Gall. Narbon. urbs, Ammian. Direpta ab Evarico, Gothorum Rege ſub finem ſec. 5. non tamen vaſtata eſt, aut ſi hoc factum, Ep. ſedes aliò tum eſt translata. Clarus certè ſubſcripſit Concilio Agathenſi. A. C. 506. ante Ep. Auſcitanum, quem quidam Metropolitanum jam eo tempore fuiſſe contendunt, &c. Ab Abderamo demum, vel Normannis in Aquitaniam irrumpentibus deſolata, Auſcitanæ ſedi ceſſit, reditusque Epiſcopatus ejus huc juncti ſunt: quod fortè factum A. C. 879. ſub Joh. IX. Tenax olim orthodoxiæ civitas, nullâ ratione potuit, à Priſcillianiſtis Hiſpaniæ, infici veneno hæreticæ illorum pravitatis, uti teſtatur Sulpit. Sever. Hodie Burgus, prope veteris urbis rudera, conditus eſt, vulgò *la Cutat*. Vide Sidon. Apollin. *l.* 7. *ep.* 6. Gregor. Tur. *l.* 8. *c.* 22. Melam *l.* 3. *c.* 2. Amm. Marcellin. *l.* 15. *c.* 11. ubi hanc urbem Galliæ Narbonenſis Metropolim per errorem vocat, cùm Novempopulanæ provinciæ dicere debuiſſet, Flodoard. *Hiſt. Eccleſ. Rom l.* 2. *c.* 5. Oihenart *Notit. Vaſconiæ*. Sirmond. *Notis in Sidon*. Bajol. *Hiſt. Sacr. Aquitan l.* 2. *c.* 4. J. Filiſau *de Epiſc. auctor. c.* 10. *n.* 4. Dupleix *Mem. de France l.* 1. *c.* 6. & *Hiſt. en Child.* Joſ. Scalig. *Notit. Gall. & in Lect. Auſon. l.* 2. *c.* 7. &c. ut & in voce *Eluza*. Item urbs Palæſtinæ, olim verò Arabiæ. *Steph.*

ELUSA, Græcè Ἔλουσα, urbs Arabiæ olim, poſtmodum Palæſtinæ tertiæ, accenſita, Ptol. de qua Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 488.

ELUSABETRIS, civitas præcipua Auſcorum, Mela. *l.* 3. *c.* 2. vulgò dicitur. *Aux*.

ELUSATES, Aquitaniæ pop. Plin. *l.* 4. *c.* 19.

ELUSII, Mauritaniæ Cæſarienſis gens. *Ptol.*

ELUT, ſive *Elus*, cujus in ſacris memoria eſt. *Eluſa*, à Ptol. vocari docet Goropius, Idumææ urbs eſt.

ELUVA, ſeu *Aſaphopolis*, urbs Valliæ Bor. in Comitatu Flintenſi, ubi Elvus fluviol. in Cluidam ſe exonerat. 16. mill. Angl. à Ceſtria in Occ. 20. Bangorio in Ort. Vide *Aſaphopolis* & *Fanum S. Aſaphi*.

ELUZA, vulgò *Eauſe*, urbs Aquitaniæ, in Arminiaco tractu & confin. tractus Condomenſis ad Geliſam, aliàs ampla & Epiſcopal. imo Metropolis provinciæ Novempopulanæ, inter 11. civitates ſibi ſubjectas, civitatem Auſciorum noviſſimam habens: è cujus Præſulibus Mamertinus Concilio Arelatenſi, juſſu Conſtantini Magni habito, Clarus Agathenſi, Leontius Aurelianenſi 1. Aſpaſius Aurelianenſi 4. & 5. ut & Arvernenſi 2. Laban Synodo Pariſienſi quartæ, Senocus Concilio Remenſi, &c. ſubſcripſêre: Sed poſtea jure ſuo Metropolitano in Epiſcop. Auſcorum tranſlato, paret nunc civitati, cui antè imperavit, uno ex duobus veteribus Epiſcopatibus facto; eſtque parva & obſcura, antiquitate ſolâ celebris; inter Vazates ad Bor. & Auſcios (quorum Archiep. in urbe hac domum hodieque habet, quæ inſtar arcis eſt, ad fluv. Geliſam) ad Eur. 5. leuc. Condomio in Occ. Hinc populi adjac. *Eluſates*, quorum caput fuit. Patria Rufini, qui Magiſter officiorum & Coſ. dein Patricius & Præfectus Prætorio, imperium affectaviſſe dicitur, ut Claudian. *l.* 1. *in Rufin.* ſcribit: *v.* 137.

Invadit muros Elyſæ. *notiſſima dudum*

Eſt & *Eluſio*: manſio inter civ. Toloſam & Carcaſſonem, quibuſdam nunc vulgò *Alzonne*: Valeſ. verò hodie vicus *Luz* eſt; *Notit. Gall.* Vide quoque ſupra in voce *Eluſa*.

ELUZAI, nomen viri 1. Paral. *c.* 12. *v.* 5. Lat. *Dei fortitudo*.

ELXAI, Pſeudopropheta Judæus, cum fratre ſuo Joxæo, ſub Adriano Imp. errores ſuos diſſeminavit. Ejus ſectatores Elceſaitæ. Vide ibi, & Epiphan. *hær.* 19. Baron. *A. C.* 105. Diſcipulis ſuis ὅρκον εἰς λατρείαν, *jurationem religioſam* tradidit, *per ſalem & aquam & panem & cœlum & æthera & ventum*, quem ſequutus eſt Pſeudopropheta Muhamed, Joh. Forbeſ. *Inſtruction. Hiſtoric. Theologic. l. IV. c.* 5. §. 14.

ELYDNA, Indiæ extra Gangem urbs. *Ptol.*

ELYMÆ, regio Aſſyriorum juxta Perſidem. *Steph.*

ELYMA, Macedoniæ urbs. Ptol. Elymiotarum caput, ad Celydnum fluv. in Albania Merid. Alias *Ellyma* & *Elymæa*, Baudr. Siciliæ item Thucydidi. Illa *Caninna* hodiè Sophiano nuncupatur, iſta ab Ænea condita, ut Halicarnaſſeus tradit; hodiè *Palymitè Fazello*.

ELYMAIS, regio Perſidi vicina. Plin. *l.* VI. *c.* 25. 26, 27. Item civitas in Perſide. Maccab. *c.* 6. *v.* 1.

ELYMAS, ſeu potius *Bar-Jeſu*, nomen Pſeudoprophetæ & magi, de quo vide Act. *c.* 13. *v.* 8. Originis eſt Arabicæ, ut benè recentiores obſervarunt, & *Magum* ſignificat. Baron. An. 46.

ELYMI, Pœnorum ſocii, de quibus Thucydides: Μοτύην καὶ Σολόεντα καὶ Πάνορμον ἐγγὺς τῶν Ἐλύμων συνοικίσαντες ἐνέμοντο ξυμμαχίᾳ τε πίσυνοι τῇ τῶν Ἐλύμων. Hinc in Pauſaniæ *Phocicis*, qui Pachynum pro Lilybæo jam ſemel uſurpavit, Antiochus Syracuſanus inter cætera de Cnidiis refert, ὡς ἐπὶ Παχύνῳ τῇ ἄκρᾳ τῇ ἐν Σικελίᾳ κτίσαντες πόλιν αὐτοὶ μὲν ἐκπίπτουσιν ὑπὸ Ἐλύμων καὶ Φοινίκων πιεσθέντες. Hos Elymos plerique volunt Trojanæ fuiſſe originis, & partem habuiſſe Elymum Ægeſti, vel Aceſtæ ſocium, de quo Poëta paſſim. Thucydid. Ἰλίου δὲ ἁλισκομένου τῶν Τρώων τινὲς διαφυγόντες Ἀχαιοὺς πλοίοις ἀφικνοῦνται πρὸς τὴν Σικελίαν, καὶ ὅμοροι τοῖς Σικανοῖς οἰκήσαντες ξύμπαντες μὲν Ἔλυμοι ἐκλήθησαν. Dionyſ. Halicarn. de Ænea & ſociis: Κατάγονται τῆς νήσου καλούμενα Δρέπανα, ἔνθα περιτυγχάνουσι τοῖς σὺν Ἐλύμῳ καὶ Αἰγέστῳ προεξελθοῦσιν ἐκ τῆς Τροίας, οἳ ᾤκισαν περὶ ποταμὸν λεγόμενον Κριμισόν. Addit aliquanto poſt ab *Elymo* dictos *Elymos*, potius qum Ægeſtos ab Ægeſto, quia propter regium genus Elymi major erat dignatio. Sil. Ital. Pun. Bell. *l.* 14. *v.* 46.

Miſcuerunt Phrygiam prolem Trojanus Aceſtes,
Trojanusque Helymus.

De Elymo Trojano, quem Anchiſæ nonnulli volunt nothum fuiſſe filium, plura vide apud Strab. Serv. Iſacium & alios. Tamen Elymos in Sicilia Scylax à Trojanis diſtinguit. Et apud Dionyſ. Halicarn. eoſdem Elymos Hellanicus ex Italia deducit, tertiâ ætate ante Trajanum bellum. Et Steph. in Ἀσιανῇ Elymi cujusdam Regis Tyrrhenorum meminit, cujus fil. Ænam urb. in Macedonia condidit. Summo denique poëtæ *Elymus* licet Trojani Aceſtæ comes & ſocius, Siculus tamen, non Trojanus eſt. Virg. *l.* 5. Æn. *v.* 300.

Tum duo Trinacrii juvenes Helymus, *Panopesque*
Aſſueti ſylvis, comites ſenioris Aceſtæ.

Elymos itaque putamus Sicanorum fuiſſe partem quæ cum Pœnis iniit fœdus. Et Elymorum nomen ſumptum ex Phœnicio עלים *alim* vel *elim* ὑψηλῶν ἐγχωρίων, quo vel excelſa loca vel ii homines ſignificantur, qui in excelſis locis degunt. Ea enim eſt verbi vis. Et Elymi nullas urbes alibi habuêrunt quàm in montibus, v. g. Erycem, Ægeſtam & Entellam. Bochart. *Nic. Lloyd*.

ELYMIOTÆ, Macedoniæ populi. Ptol. *Placani* hodie eorum regio vocatur, Caſtaldo. Verſus Occ. & mare Adr. prope Taulantios. Ibi nunc pars Auſtralis Albaniæ propriæ. Eorum prim. erat *Elyma*, de qua vide.

ELYMNIUM, inſ. Eubœæ cum civitate. *Steph.*

ELYMOS, tibia Phrygia. Jul. Cæſ. Scalig. *Poëtic. l.* 1. *c.* 20. *E buxo primi Phryges excavarunt eam* (tibiam) *quæ Berecynthia cognominata fuit, quum antea* Elymos *diceretur*. Earum multum uſum fuiſſe, apud Alexandrinos, docet ex Athen. Salmaſ. *ad Solin. p.* 125.

ELYMUS, heros, *Elymæ* Macedoniæ civitati nomen dedit. *Steph.*

ELYRUS, Cretæ urbs. *Idem.*

ELYS, vulgò, *Elis*, urbecula Angl. in loco parùm ſalubri, 14. mill. Angl. ab Huntingdonia in Or. 14. à Cantabr. in Bor. Hinc regio adjacens inter Avonam & Uſam fluv. ac inter paludes *Wittleſey Mere* & *Rameſeu Mere*, partemque Occ. Germ. aliàs Metaris æſtuarium, dicitur *Elienſis* Inſ. Ubi Girvii pop. ol. Vide *Elia*.

ELYSII, Germaniæ populi. Mutius legit *Heliſios*. Bartholin. *Lyſios*, in *Elyſios* docti viri conſentiunt faciuntque *Sileſios*. Sed hoc vocabulum recenter fictum, nec ſatis ad primogeniam illius gentis appellationem exprimendam idoneum. In Annalibus Fuldenſibus *Sorabos* & *Siuslos* conjunctos invenias. Alibi etiam *Linones* & *Siuslos*. Quæ poſterior vox, ſi corrupta ſi integra ſit, Taciti *Elyſios* ſignificat. Quòd ſi aliquis *Sluiſos* potiùs fuiſſe, quàm *Suislos* velit, non repugnem. Nam ex *Sluiſiis*, vel *Sluiſis* poſtea molliori vocabulo procudêre nobis *Sileſios*. Si horum aliqua per Thuringiam migratio contigiſſet, poſſemus ab iis aptè opp. Franconici *Sluiſingæ* appellationem repetere. Baudr. *Elyſii*, qui & *Lugii Elyſii*. pop. Germ. verſus Sarmaticos montes: Ubi nunc pars Auſtr. parvæ Poloniæ, verſus Viſtulæ fontes. Eorum caput erat Carrodunum, nunc Cracovia, Poloniæ prim. Longè à Luſatia in Ort. protenſi, quam aliqui Elyſiorum reg. credidêrunt.

ELYSIUM, locus ubi piorum animæ habitant, ἀπὸ τῆς λύσεως, à *ſolutione*. Nam animæ poſt ſolutionem vinculi corporei deveniunt ad Elyſios campos. Quos fabulam eſſe Phœniciam patet ex ipſo nomine, quod ex Phœnicum lingua deſumptum. Hebraicè enim עלז *alaz*, עלץ *alats*, & עלס *alis* eſt *lætari*, & *exultare* Et עליז *aliz*, *lætus*, & עליזות *alizuth*, *exultatio*. Inde *Elyſius* ἀρχαϊκῶς A & E, permutatis, ut *Enakim* pro *Anakim*, &c. Itaque *campus Elyſius*, eſt lætitiæ locus, & voluptatis, quod divinaſſe dixeris vatem eximium, qui Elyſios campos *læta arva*, & *locos lætos* interpretatur: Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 638.

Devenere locos lætos, & amœna vireta,
Fortunatorum nemorum, ſedesque beatas.

Ibid. *v.* 743.

------ *Exinde per amplum*
Mittimur Elyſium, *& pauci læta arva tenemus.*

Vide Doctiſſimum D. Jacobum Windet *de vita functorum ſtatu. ſ.* 7. Fuêre etiam *Elyſii campi* in Bœotia. Idem. *Georg. l.* 1. *v.* 38.

Quamvis Elyſios *miretur Græcia campos.*

Idem. l. 5. *Æn. v.* 735.

Concilia, Elyſiumque *colo.*

Eos autem ita deſcribit Tibull. *l.* 1. Eleg. 3. ad Meſſalam *v.* 57.

Sed, me quod facilis tenero ſum ſemper amori,
Ipſa Venus campos ducet in Elyſios.
Hic choreæ, cantusque vigent, paſſimque vagantes
Dulcè ſonant tenui gutture carmen aves.
Fert caſiam non culta ſeges, totosque per agros
Floret odoratis terra benigna roſis.

Cui ſuccinit Prop. *l.* 4. Eleg 7. *v.* 60.

Mani-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Mulcet ubi Elyſias *aura beata roſas.*

Sed hi & reliqui, quicquid habent, ex Homero habuêre. Sic enim ille *Odyſſ.* 4. Ἠλύσιον πεδίον deſcribit:

> Οὐ νιφετὸς δ᾽, οὔτ᾽ ἂρ χειμὼν πολὺς, οὔτε ποτ᾽ ὄμβρος,
> Ἀλλ᾽ αἰεὶ ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας
> Ὠκεανὸς ἀνίησιν ἀναψύχειν ἀνθρώπους.

Vide Plutarch. *in Sertorio*, & *in Conſolatione ad Apollonium* ex Pindaro, ubi roſarum, & florum mentio. Nic. Lloyd. Adde quòd: Beroaldus campos Græcorum *Elyſios* nomen accepiſſe, ab Eliza vult, quem inter primos illos, qui poſt diluvium in Græciam venêrunt, fuiſſe, Æoleſque condidiſſe, tradunt Eruditi. Nec improbat ſententiam ejus Georg. Horn. *Hiſt. Philoſ. l.* 3. *c.* 2. ubi ait: *Nam hoc voce priſci Magiſtri agebant, ut perſuaderent ſuis, eſſe poſt hanc vitam piis Manibus paratas ſedes: ubi præmia benè actæ vitæ acciperent. Quis dubitet, quin idem fecerit Eliza? cui non poterat ignota eſſe, quæ de Paradiſo ſæpe multumque a Patribus acceperat. Talem igitur locum ſuis deſcripſit, eoque omnes pios abituros tradidit. Quin cum poſteri neque ubi eſſet, neque quod ejus nomen ſcirent, facili negotio Principis ſui nomine, à quo illa omnia acceperant, eum inſignivêrunt. Unde natum illud Poetis tantopere celebratum* πεδίον ἠλύσιον. Hactenus *Horn.*

ELZABAD, nomen Principis. 1. Paral. *c.* 26. *v.* 7. *c.* 12. *v.* 12. Lat. *Dei dotatio.*

ELZEBURGUM, urbs Scaniæ, Suecis à Chriſtiano III. adempta. A. C. 1563. Thuan *l.* 32. 36. Vide *Helſingeburgum.*

E. M. in notis Antiquorum, *Ejuſmodi*: item, ex *more* denotat. &c.

EMALCHUEL, nomen viri. 1. Macc. *c.* 11. *v.* 39. Lat. *rex Dei*, aut *regnum Dei*, vel *nuncius Dei.*

EMAN, fil. Zara. 1. Par. *c.* 2. *v.* 6. Lat. *multus*, aut. *tumultuans*, vel Syriacè *fidelis.*

EMANCIPATIO, quid Vide Jureconſ. & infrà aliquid, ubi de *Vendendi liberos jure*, Apud Francos quo modo peragi conſueverit, docet C. du Freſne, hanc ejus formulam exhibens, ex *Regeſto* Feodorum Burgundiæ, *Nos Hugo Dux Burgundiæ N. fac. præſentes literas inſpecturis, quod ------ Robertus Miles fil. noſter petiit emancipari a nobis, ſeu liberari a patria poteſtate. Nos vero videntes & attendentes ipſius Roberti conſenſum & voluntatem circa* emancipationem *habendam & dandam a nobis, mutuo conſenſu interveniente a parte noſtra & ex parte dicti Roberti, ipſum præſentem* emancipationem *acceptantem legitimè emancipamus a ſacris, ſeu a patria poteſtate. In cujus teſtimonium præſenti emancipationi ad requiſitionem dicti Roberti ſigillum noſtrum duximus apponendum. Dat. die Sabbathi poſt feſtum B. Lucæ Evangeliſtæ A. C.* 1272. Vide alia hujus ritus formulas *Spicilegii* Acheriani *Tom. VIII.* & apud Rollandinum *in Summa Notariæ c.* 7. *Rubr.* 5. In Monaſteriis *Emancipatio* dicitur, cùm Monachus ad aliquam dignitatem promovetur & eo ipſo ab obedientia Superioris eximitur. Sic Rogerus quidam in Abbatem aſſumptus, ab Alexandro Pontif. in ſignum *Emancipationis*, accepit *mitram*, *annulum & chirothecas*, apud Rad. de Diceto, *A. C.* 1179. neque prius benedictionem accipiebat Monachus in Abbatem alterius Monaſterii electus, quàm à ſuo Abbate fuiſſet emancipatus, cujuſmodi *emancipationis* formulam habes, apud eundem C. du Freſne, ex *Tabulario* Monaſterii S. Remigii Rem. Quin etiam, ſi Abbas ipſe ad majorem dignitatem. v. g. Epiſcopatum, proveheretur, totius Conventûs conſenſus requirebatur, ut ex Anſelmi *l.* 3. *Ep.* 6. & 7. colligitur. Porrò etiam Ordines Religioſi *emancipari* dicuntur, cùm Ordinariorum juriſdictioni exempti, Sedi Pontificiæ immediatè ſubjiciuntur, apud Joh. Sariſberienſem *Policrat.* *l.* 7. *c.* 19. ubi in ejuſmodi *emancipatos* graviùs invehitur &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & infrà *Gladius.*

EMANNA, ſeu *Emma* minor, fluv. Helvetiæ, in Urſam infra Lucernam influens, non minùs ac hocce flumen, aurum arenis trahit: magno argumento, in montibus Entlibuchianis, unde oritur, aurum naſci. Dicitur *minor* ad diſcrimen majoris, qui in ſup. valle Emmæ *Emmenthal* ortus, ſupra Tſchangnaviam, in montibus lacui Brientzenſi vicinis, Halbcheram verſus, per medium Argoviæ ſuper. fluit, & infra Solodurum Arolâ recipitur. Aurei ſabuli & hic ferax eſt, idque maximè, ubi rivus aurifer, vulgò *Goldbach*, ei ſe miſcet, ſupra oppidum Burgdorf, annotante Gaudardo. Vide Joſ. Simlerum *l. de Alp. & Rep. Helv.* ut & Joh. Bapt. Plantinum *Helv. nov. ant.*

EMANUEL *I.* Comnenus, Græcus Imp. fil. Joh. Comneni, ab eo, Iſaco primogenito, cui ingenium ferox, & in iram præceps, in imperio prælatus. Maritus Gertrudis, ſororis germanæ Conradi Imp. Occid. qui ut Aſiam ab infidelium vicinia liberaret, in Orientem cum exercitu profectus eſt, Ludovico Jun. Galliæ Regi junctus. Sed perfidus Græcus omnem movit lapidem, ut utriuſque vires attereret: imo gypſo calceéque farinæ immixtis dein falſis viæ ducibus in errorem & Turcarum manus, ſeducta Conradi copias eouſque imminuit; ut vix 10. pars ſupereſſet. Redeuntibus inſidias ſtruxit, quod Rogerius videns, Græcos Conſtantinopolim uſque perſecutus eſt. Dein à Venetis, Legato illorum violato, ad pacem petendam eſt compulſus. Bello contra Turcas Hungaroſque infelix, Aſtrologiæ judiciariæ impensè deditus. An Poſtmodum in melius mutatus ſit, non ita liquidum eſt. Obiit A. C. 1180. imper. 37. Nicetas *Chron. l.* 2. Otto Friſing. *de rebus geſtis Frid. l.* 1. *c.* 23. 24. & *l.* 7. *Chron.* Gul. Tyrius, *l.* 15. & 16. Baptiſta Egnatius, *in vita Cæſar.* &c.

EMANUEL *II.* Palæologus, Patri ſucceſſit, A. C. 1384. paulo pòſt, Conſtantinopoli à Turcis obſeſſa, cum Pera ejus ſuburbium Genuenſium eſſet, Bucicaldus Gall. Mareſchallus ipſi ſuppetias venit. Ipſe omnes Europæ aulas obiens, Pariſiis biennium vixit, Bajazete à Tamerlane victo, in Græciam reverſus. Sed non felicior. A. C. 1419. imperium filio Joh. tradidit. Obiit in monaſterio, quod, Matthæi nomine aſſumpto, ingreſſus erat, A. C. 1425. Theologus Philoſophuſque non vulgaris. Scripſit 20. dialogos, de Religione, & 100. præcepta, ad fil. quæ in Biblioth. regia Pariſiis aſſervantur. Beſſarion ei parentavit. Vide Bzov. *Annal.* *A.* C. 1472. *n.* 6. Phranz. *l.* 11. Juvenalem de Urſinis, *in Carolo VI.* Verdier, *Bibl. Gal. p.* 839.

EMANUEL, Luſitaniæ, poſt Joh. II. Rex, fil. Ducis Viſei Joh. nepos Eduardi A. C. 1495. Principis feliciſſimi elogium meritus. Judæos ad baptiſmum adegit, Mauros pepulit. In Africa plurimas cepit urbes; per Vaſcodum Gamam, Americum Veſputium, Alvarum Cabralum plurimas regiones, hactenus incognitas, detexit, & in Æthiopiæ, Regni Congi &c. oris, progreſſus habuit optatos. Quapropter regnum ejus An. 26. vocabant Luſitani *Ætatem auream*. Obiit A. C. 1521. *Æt.* 52. Iſabellæ & Mariæ, ſororum maritus, ex hac numeroſæ prolis parens. Succeſſit ei Joh. III. primogenitus ejus. Literatorum fautor, ipſe ſcripſiſſe dicitur Commentarios Indiæ. Hier. Oſorius, *in vita ejus* Vaſconcelles *in epit. hujus.*

EMANUEL PHILIBERTUS, Sabaudiæ Dux, cognomen. *Caput ferreum*, fil. Caroli III. ex Beatrice Luſitana. Primùm ſacris deſtinatus, poſtea præmortuis fratribus, à Patre, in arte regnandi erudiri cœpit. Ann. 20. natus, in Germaniam tranſiit, ubi à Carolo V. Eques aurei velleris creatus eſt. Plurima paſſim fortitudinis ſpecimina edidit, in obſidione Metenſi & prælio S. Quintiniano, Gallis funeſto, Imperialium copiarum Dux. Pace dein coalitâ, Margaretam, Franciſci I. filiam duxit, hoc conjugio, recuperatis ditionibus, quas Pater amiſerat. Prudens, felix, fortis, pietate inſuper, & in literatos favore illuſtris. Obiit A. C. 1580. fil. Carolo Emanuele ſucceſſore relicto. Guichen. *Hiſt. Sabaud. l.* 2. *c.* 22.

EMANUEL Calecas Græcus, Dominicanus, interfuit Concilio 2. Lugdun. unà cum Michaële Palæologo Imp. & Joſepho Patriarch. Conſtantinop. Scripſit 4. libros, contra Græcorum errorem, de proceſſione Spir. S. ab Ambroſio quodam latinè verſos, A. C. 1431. Sed editos demum, A. C. 1616. Ingolſtadii &c. Spond. A. C. 1397. *n.* 6. Poſſevin. *Bibl. Sacr.* Petav. *tom.* 2. *Theol. dogm.*

EMANUEL Chryſoloras, Byzantius, Græcas literas in Italiam reduxit, A. C. 1378. Platina. Vide *Chryſoloras.*

EMATH, i. e. *ira*, vel *indignatio*, aut *calor*, ſive *murus*, aut *uter*, ſive *lagena*, urbs Syriæ Damaſci. Jer. *c.* 49. *v.* 23. ubi hoſtes Iſraëlis remanſêrunt, Jud. *c.* 3. *v.* 3. Hæc Euſebio *Epiphania*, aliis *Antiochia* dicitur. Munitiſſima urbs eſt in tribu Nephthalim, Joſ. *c.* 13. *v.* 5. & *c.* 19. *v.* 35. antiquitate & claritate memorabilis: ſita eſt juxta montem Libanum in confiniis regionis Damaſci, à qua & circumjacens territorium *Terra Emath* vel *Amath* nominatur. Eſt verò urbs hæc Iſraëliticæ terræ ad Aquilonem terminus. Condidit & à ſuo nomine appellavit, atque inhabitavit hanc urbem Amathæus, undecimus fil. Chanaan.

EMATHIA, ſeu *Æmathia*, Europæ nobilis regio, Thraciæ finitima, poſtea *Macedonia* propr. dicta: nomen habet (ut quidam exiſtimant) ab *Emathione* Rege, fratre Memnonis Tithoni & Auroræ filii Plin. *l.* 4. *c.* 10. Habet ab auſtr. Theſſaliam; ab Ort. Pieriam, & ſin. Thermaicum, à Sept. Pelagoniam & Mygdoniam. Ejus primaria eſt Ædeſſa. Baudr. Poëtæ aliquando Emathiam uſurpant pro Theſſalia, ſuo quodam jure vicinorum locorum appellationes confundentes. Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 491.

> *Nec fuit indignum ſuperis, bis ſanguine noſtro*
> Emathiam, *& latos Æmi pingueſcere campos.*

Lucan. *l.* 1. Initio,

> *Bella per* Emathios *pluſquam civilia campos.*

Pharſalicos campos intelligit, qui ſunt in Theſſalia. *Nic. Lloyd.*

EMATHIUS, Noæ nepos *Emathiam* tenuit, ac de ſuo nomine vocavit. Beroſus. *l.* 4.

EMAUNI, Vide infrà *Imani.*

EMBAMMA, ab ἐμβάπτειν, *intingere*, quod propriè, dicemus infrà, in voce Oxydaphum: uti de embammate Judæorum, in quo herbas amaras, cum quibus agnum Paſchalem comedi mos, Canneth. illis dicto intingere ſolebant in ſpecie, in voce *Paſcha*. Vide quoque Intincta.

EMBARUS, inſanus olim, ac delirus vir in Piræeo qui ſolus in eadem regione repertus eſt, qui filiam ad Numen placandum, ob famem ibi graſſantem ſacrificaret: unde natum proverbium *Embarus ſum*; dictum de inſano deliroque. Eraſmus *in Chil.*

EMBASICOETAS, inter miniſtros Vett. nuptiales. Vide infrà, in voce *Fax.*

EMBATÆ, calceamenti virilis genus, de quo Vide infrà in voce *Vir.*

EMBATERIA, Græcè Ἐμβατήρια, carmina dicta ſunt Laconum ἐνόπλια qualia, Tyrtei, quæ in præliis concinere ſolebant. Iiſdem & tibiæ, & ſaltationes, quibus eadem fini utebantur, ἐμβατήριαι appellatæ. Jul. Cæſ. Scalig. *Poetic. l.* 1. *c.* 18. & 20.

EMBATUM, locus Erythrææ in Aſia, non procul à Chio. Steph. Thuc. Polyæn. *l.* 3.

EMBDA, ſeu *Emda*, urbs Germ. munita, emporiumque celebre, ad fluv. Amiſiæ oſtia, Friſiæ Occid. caput, aliàs ſub proprio Comite, nunc in ditione Batavorum, 6. mill. Germ. à Groninga in Ort. 15. à Brema in Occaſ. cum portu commodiſſimo. Hiſtoria urbis paucis hæc eſt: Vicus primùm fuit, dein opp. tenue, cujus durius ab aliis habiti tutelam ſuſcepit Grethana domus, è qua Ulricus, A. C. 1454. clam primò nobiles alios, clam populum,

à

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

à Friderico III. Imp. in eum tractum, qui ab Amaſio ad Viſurgim mari prætenditur, accepit nomen Comitis & jus, quantum libertas Friſia pateretur. Temperavit hic benignitate Imperium, multa populo Emdano, multa Magiſtratibus relinquens, aut largiens, magisque etiam fil. ejus Edſardus I. Huic fil. Enno I. impar patri, & ſic regens, ut ab aliis ipſe regeretur, brevi obiit. Quo tempore, cùm Orbis Chriſtianus religonum diſſidio concuti cœpiſſet Emda eam profeſſionem ſecuta, quæ alias per terras ferro atque igni petebatur, Belgas, Gallos, Anglos, vim magnam convenarum; opportunitate fluminis invitavit, aluitque. Idem pietatis ſtudium Annæ tum Oldenburgicæ, quæ filii Edſardi II. nomine præerat, cujus comitate & perfugio gentium, incredibile quantum urbs adoleverit, aucta non minus ſex hominum millibus. Secuta hinc florentium populorum mala, ſuperbia apud illos & luxus, invidia apud dominantes. Nec tamen ad vim ventum, dum Edſardum II. aſperiorem frater minor Joh. mitior conſiliis aut metu retinebat. At, Joh. mortuo, Edſardus religionis diſcors, nam ipſe Auguſtanam, Emdani Reformatam profitentur, magis ac magis ſuſpectam habere cœpit civium felicitatem: inſtigatus inprimis ab uxore Suecica: Hinc turbæ ſatis acres, compoſitæ tandem à Batavis, A.C. 1595. quorum præſidium hodieque urbem tuetur. Vide Hug. Grot. *Hiſt. l.* 4. Reformationis hiſtoriam alii ſic referunt: In Orientali Friſia Edſardus I Comes, Evangelii doctrinâ ex libris hauſtâ eam Auricæ, Leeræ, Nordæ, Emdæ proponi curavit: præ aliis doctoribus Georgii Aportani opera uſus. Sub ejus autem ſucceſſore Ennone I. vicini Lutherani abuſi bonitate Comitis, perturbant Eccleſias, iis Sacramentariâ lite motâ. Hinc Confeſſio Eccleſiarum 33. articulis conſtans, evulgata, ex qua pateret, Eos nec Verbum Dei, nec Sacramenta contemnere. Has lites anno vitæ ultimo, 1540. nempe, compoſiturus Comes, ſtatumque Eccleſiæ ex conſilio Joh.. à Laſco ordinaturus, morte præventus eſt. Demum ergo triennio pòſt, Laſconi omnium votis delata eſt Ephoria Eccleſiarum: qui gnarus, quantum in Diſciplina Eccleſiaſtica ſitum ſit, ut & in eruditione Paſtorum, *Collegium Paſtorum*, in quo in mores ſingulorum inquiſitio & de Articulis diſquiſitio haberetur, inſtituit: quò ſingulis hebdomadibus, Vere & Æſtate, feriâ 2. ſub multa gravi eoſdem confluere juſſit; qui ordo in hunc uſque diem obſervatur. Abr. Scultetus *Annal. Eccl.* Ubbo Emmius *Hiſt. Friſ. l.* 50. *c.* 53. Hinc ab Eduardo VI. Angliæ Rege à Comitiſſa impetratus ibi Reformationis quoque opus aggreſſus eſt, Eccleſiisque Belgicâ & Gallicâ Londini ordinatis, Superintendentis munus, auctoritate Regis obiit. In Comitatu dein Emdano ejectis ex Anglia Reformatis, ſub Maria Regina perfugium fuit, A. C. 1556. Inter urbis Theologos celebris inprimis Menſo Altingus, obiit A.C. 1612. æt. 72. Synodo Dordracenæ. A. C. 1618. 1619. habitæ, Theologi quoque hinc miſſi interfuërunt. Sub initia verò Reformationis ſtatim Melchior Hofmannus, ſtupenda de novo quodam regno ſomnians urbe ejectus eſt. Idem Ubbo Emmius. Vide quoque in voce *Edſardus & Friſia Or.*

EMBISARUS, Vide *Abiſares*.

EMBLEMA, ex Græco ἔμβλημα, quod operi cuipiam adjicitur, ornatûs grariâ. Fortunat. *de Vita Martini l.* 2.

Emblema, *gemma, lapis, toreumata thura, falerna*

Latinis *Inſerta*, inſerere enim eſt ἐμβάλλειν. Fiebat id per artem ἐμπαιστικὴν, quâ teſſellæ aureæ altè in argentum impreſſæ includebantur, quod & *auro cludere* ſeu *includere* & *auro vincire* ac *ligare* dicebant: opera verò χρυσοκόλλητα hinc & χρυσένδετα, Vide ſuprà paſſim. De vaſis propriè ac poculis, quæ ſi argentea erant, habebant *inſertas* ſeu *emblemata* ex auro; ſin aurea emblemata è gemmis erant. Uti autem *emblemata* in pocula, ſic planè ſpecula in parietes inſerebantur; item vitreæ iſtæ quadraturæ, quibus domum ſuam induxiſſe Firmus legitur, apud Vopiſc. in *Vita* ejus; quæ proin *emblemata parietum* non ſine ratione dicerenter. Sed &, uti ſigna poculorum *Emblemata* appellata ſunt, ſic ſigna quoque veſtium, h. e. clavi, *emblemata* appellari cœpêrunt & *inſertæ* &c. Salmaſ *ad Vopiſc. in Aurel. Firmo* &c. Idem tamen *ad Solin.* quaſi ſeipſum corrigens, negat *Inſertam* Latinis pro *emblemate* dictam eſſe: Aliàs enim *non quæſiſſet*. inquit, *in Senatu Tiberius, quo nomine dici poſſet, in Latio, Græcum* ἔμβλημα. Ideoque in Publii verſiculo legi vult;

Frugalitas inſerta eſt rumoris boni.

h. e. culpatur ab his, laudatur ab illis &c. *p.* 1122.

EMBOLA, Græca vox Ἐμβολὴ, in genere transvectio mercium eſt, quæ in navem ἐμβάλλονται, *injiciuntur*; In ſpecie ſic dicta eſt olim ſolennis & annua *publicarum ſpecierum transvectio*, quæ ex Ægypto fiebat; onus navium Alexandrinarum, quæ αἰσία ἐμβολὴ, in *Edicto* Juſtiniani 13. *c.* 4. §. 1. & *ſacra embola* dicitur, in *l.* 10. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* & *Nov.* 163. *c.* 2. Et quidem *Embola ſacra* appellabatur primitus certus frumenti modus, quem neceſſariò Romæ ſubminiſtrabat Ægyptus, jam Auguſti ævo: unde ab ejus temporibus frequens apud vett. Scriptores Alexandrinæ claſſis mentio. Poſt Auguſtum multi Principes cùm circa hanc claſſem aliquid innovaſſent, Aurelianus quoque frumentis Ægyptiacis alias ſpecies adjecit, quæ pars *embolæ ſacræ* cenſerentur. Fl. Vopiſc. in *Vita* ejus, *Vectigal ex Ægypto urbi Romæ Aurelianus vitri, chartæ, lini ſtupæ atque anabolicas ſpecies æternas conſtituit.* Ubi *anabolicas* ſpecies cum *embolicis* easdem eſſe, docet Salmaſ. Vide ſuprà in *Anabolicæ*. Poſtea id videtur iterum mutatum: nam *ſacram embolam* Græci Jurecoſſ. nominant τὸν τῆς αἰσίας ἐμβολῆς σῖτον *felicis embolæ frumentum*. Vide Caſaubon. & Salmaſ. *ad Vopiſc.* nec non infrà *Eutycheum*. Aliud eſt ἐμπολὴ & ἐμπολᾶν, *nundinæ* nempe & *emere*: quamvis Αἰγυπτίαν ἐμπολὴν. Euripides vocat *merces* Alexandrinas vel *Ægyptiacas*, minutas illas variasque, unguenta, colores vitra, pupas & imaguncuias puellarum, aliàs, quas qui vendebant, ῥωποπῶλαι & γελγοπῶλαι, Græcis, atque etiam παντοπῶλαι, nonnunquam dicti ſunt; quòd omne genus merces promercales haberent. Idem Salmaſ. Sed & *embolas parembolas paratheſes* & *Syſtaſes*, Luctæ veteribus terminos fuiſſe, dicemus infrà in verbo *Stare*.

EMBOLIARIA Mulier, apud Plin. *l.* 7. *c.* 48. *Galeria Copiola* Emboliaria *reducta eſt in ſcenam, Cn. Pompejo, Q. Sulpicio Coſſ. ludis pro ſalute Divi Auguſti votivis, annum centeſimum quartum agens* &c. ab emboliis ſeu ἐπεισοδίοις ſcenicis dicta eſt, quorum mentio apud Cic. *pro Sextio* & *Ep. ad Attic.* Salmaſ. *ibid.* Hæ autem nomine appellari ſolebant cantiones, quæ in media fabula à Mimis interponebantur, ut quieſcente Choro ſpectantium animi reficerentur, & ad ſequentia attentiùs audienda præpararentur. Illarum mentionem facit C. Plin. Sic in initio ludorum Cantiones. Ἔισοδοι ſeu *Introitus*: & in fine Dramatis Ἐξόδια decantari ſolebant. Vide Thom Dempſter. *Paralip. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 9. Propriè autem *Embolum*, Gr. Ἔμβολος, *axem rotis immiſſum*, quo tota currûs coagmentatio firmatur, ſignificat: unde Metaphoræ ratio patet.

EMBOLIMA, Indiæ urbs, Q. Curtio *l.* 8. *c.* 12. Vetuſtior codex legebat *Echolima*, Modius legit *Ecbolima*. Sed *Embolima* novit etiam Ptol. & Arrianus 4. *Alex.* In India haud procul ab Aorno petra.

EMBOLIS, & *Embolum*, Græcis Ἐμβολισμὸς, *additio, additamentum*; propriè quod Epiſtolæ jam ſcriptæ additur, vel quod extra præcipuum ejus argumentum ad calcem rejicitur, in *Ep.* Pauli Pontif. ad Pipin. Regem *Chartam inſertitiam* vocant Centuriatores Magdeburg. alii *Poſt-ſcriptum*. Apud Scriptores Eccleſ. ſic dicitur ſextæ petitionis in Oratione Dominica pars poſterior, *Sed libera nos à malo*; quia, ut ait Cyprian *Serm.* 6. & ex eo Amalarius *Eccleſ. Offic. l.* 3. *c.* 29. *in conſummatione orationis venit clauſula univerſas petitiones, & preces noſtras collectâ brevitate concludens*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Sic ἐμβόλιμοι μῆνες καὶ ἡμέραι, *intercalares menſes & dies*; ἐμβόλιμα item ἔπη, verſus Auctorum, quos *inſertitios* & ſpurios Critici judicabant, adeoque ἐμβολίμους faciebant. Salmaſ. *ad Solin. p.* 19. Vide quoque ſuprà *Computus*, & infrà ubi de.

EMBOLUS, in *Charta*, A. C. 1161. apud Ughellum in Archiep. Piſan. *Tibi concedimus Eccleſias, videlicet* Embolum *& Scalas, & Stateram, quæ ſunt in CP.* urbis angiportus eſt. Ita Cinnamus *l.* 6. *n.* 10. ab Alexio Comneno Imp. conceſſum ait Venetis στενωπὸν ἐν Βυζαντίῳ, ὃ Ἔμβολον ὀνομάζουσιν οἱ πολλοὶ, *angiportum Byzantii, quem Embolum vocat vulgus.* Sic autem appellabant Byzantini, ut plurimum porticus, quæ in urbe ſparſim erant; unde poſtea vox ipſa regionibus, in quibus eæ erant, attributa. Vide de hujusmodi porticibus, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1219. *Hinc Emboliti*, qui embolis præerant, in *Charta* cit. Sed & ἔμβολον dicebatur roſtrum navis, ſuper quod pars eminens in prora προεμβολίς. Inter utrumque erat ἡ στεῖρα, in quo loco effigies & protomæ diverſorum animalium locabantur, quæ navi nomen dabant, uti dicemus infrà ubi de *Paraſemis*. Sic δελφινοφόρων navium delphina ſupra roſtrum navis, inter ἔμβολον & προεμβολίδα collocat Pollux, uti videre eſt apud eundem *ibid. p.* 5. 570.

EMBRIMIUM, apud Cyrillum in *Vita* S. Euthymii Abb. *n.* 90. & in *Apophth. Patrum n.* 7. cervicalis ſeu pulvinaris erat ſpecies, ſuper quod Ægyptiaci monachi ſedebant & ad brevem ſomnum caput reclinabant, ex ſtramentis ſeu juncis conſtans. *Gloſſ. MSS. Mattam* exponunt *ex groſſo papyro tenuiter pectinatam.* Caſſian. *Collat. I. c.* 23. *Iiſdem ipſis, quibus inſidebamus pſiathiis admonens incubare*, embrimiis *pariter, capiti noſtro cervicalium vice ſuppoſitis, groſſioribus papyris in longos gracilesque faſciculos adaptatis.* Stoream fuiſſe, contendit Car. Macer. Ἀπὸ βρίζειν *dormire* & brevem ſomnum carpere, vocem deducit Caſaub. *Exercit.* 1. *ad Annal Baron.* Vide Macios Fratres *in Hierolexico*, & Car. du Freſne in *Gloſſar.*

EMELIA, urbs Hiberniæ, in Comit. Triperarienſi, ad amnem *Broodwater*, 15. mill. à Caſſilia in Occ. Paucos habet incolas, ſenſimque deficit.

EMENDATOR, nomen officii apud Cartuſienſes, de quo ſic antiqua *Statuta* ejusdem *Ord. c.* 40. *De Emendatore: in Eccleſia, in Refectorio & in Clauſtro, exceptâ recordatione, ille emendat, cui injungitur à Priore.* Emendator *emendat in omnibus, quæ ſoli dicimus, excepto quòd ad recordationem emendat ille, qui eſt juxta librum* &c. apud eund. Apud Vett. *Emendatores carminum*, non ratò coronati memorantur. Nec enim ſua tantùm ſcripta Poëtæ ad certamina deferebant, verùm etiam aliena dummodo acrimoniam ingenii & doctrinæ opes in illis *emendandis* promſiſſent, uti de *Emendatoribus* Æſchyli carminum docet Quintilian. *Inſtit. Orat. l.* 10.

EMER, nomen loci. Eſdr. *c.* 2. *v.* 36. & 37. i. e. *dicens*, aut *exaltatio*, vel Syriacè *agnus*.

EMERE, olim auferre, unde *eximere*; & *interimere*, q. ſæpius eximere Solin. *c.* 16. *Controverſum læta ſunt funera, adeò ut exemptos Gaudiis proſequantur.* Et Arnob. *adv. Gentes l.* 1. *Interemptos revocavit ad vitam.* Ubi non occiſos ſed ſimpliciter è medio ſublatos, intelligunt Eruditi. Poſtmodum rei dominium, dato pretio, in ſe transferre, verbum denotare cœpit, quod Liberi Patris inventum, Plin. *l.* 7. *c.* 56. *Emere ac vendere inſtituit Liber Pater.* Cui rei apud Athenienſes Agoranomi præfecti ſunt, quorum cura erat, ne imponerent & fraudem facerent, ſive venditores, ſive emptores, teſte Theophraſto *in Libris LL.* Quare re etiam nondum *emptori* traditâ, ſed arrhâ tantùm à venditore acceptâ; ſi venditor à contractu recedere vellet, adversùs hunc competebat ei βεβαιώσεως actio, ut ex Harpocratione diſcimus. Quanquam ſine præſenti pecunia vix quicquam in ea Civitate *emeretur*, ut videre eſt in Plauti *Aſinaria*. Ut autem obviam iretur Dardanariorum avaritiæ, lege cautum eſt, ne coëmerent, qui in Urbe erant, frumenti plus quinquaginta phormis quæ ut exactè obſervaretur, *Sitophylaces* conſtituti ſunt &c. Vide hic paſſim. ubi de *Foro*, *Pantopolis*, *Sitophylacibus* &c. uti *de ritu Sponſam emendi* ſuprà in voce *Coëmptio*.

EMERICUS, Hungariæ Rex. A. C. 1193.

EMERICUS, Ludovicus, Vide *Ludovicus*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

EMERITA, Lucii Angliæ Regis ſoror, quæ pro Chriſtiana pietate flammis extincta eſt.

EMERITA, Auguſta, urbs Hiſp. ad Luſitaniam ſpectans, Strabo. Eſt hæc urbs cocco celebris, quod eſt rubrum granum cujus ſucco vellera tinguntur, Tyrio ſplendori neutiquam cedentia. Plin. *l.* 9. *c.* 41. Nunc urbec. tenuis, tantiſper haud pridem munita, propter metum Luſitanorum. Sub Equit. S. Jacobi *de Spatha* Baudr. Archiep. ejus Compoſtellam, in Gallæcia, translatus eſt, à Callixto II. A. C. 1124. Hic Concil. ſub Receſuinto Rege A. C. 866. in templo *Hieruſalem dicto*. Morer. long. 13. 31. lat. 39. 38.

EMERITA, vulgo *Merida*, urbs nova Amer. Sept. in nova Hiſp. verſus Bor. & in fin. Mexicanum, Ep. ſub Archiep Mexicano.

EMERITI, militum genus, vide infrà *Milites*: ubi de *Emerito*, ſtipendii genere, quod militibus hujusmodi perſolvebatur, ubi de *Stipendio*, it. in voce *Veteranus*.

EMESSA, vel. EMISSA, Græcis, E'μεσσα, E'μεσα & A'μεσα, urbs Phœniciæ Libanenſis apud Stephan. πρὸς Ε'μεσῶν, ubi ab Aureliano Imp. contra Zenobiam de ſumma rerum pugnatum eſt, uti docet Flav. Vopiſc. in *Vita* Aureliani. Meminit ejus Feſtus Avienus cum ait:

> *Urbs mediis Apamea dehinc conſurgit in arvis,*
> *Et quà* [illegible]
> *Prima* [illegible], Emeſſæ *veſtigia certa* [illegible].
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> *Denique flammicomo devoti pectora Soli*
> *Vitam agitant.* [illegible] *ſumma turget,*
> *Et tamen* [illegible] *Templi.*
> *Hic ſe* [illegible] *tellurem* [illegible] Orontem &c.

Vide *Emiſa*.

EMEUM, locus Æthiopiæ, ſub Ægypto. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

EMICHS, in aliquot æreis infimæ ætatis nummis, in quibus nullum Imp. nomen adſcriptum eſt, in averſa parte, circa literam majuſculam *M.* legitur, quos quidem characteres *ſemiſſem æreæ alterius monetæ eſſe*, indicare docet Car. du Freſne *Gloſſar*.

EMINENTIA, titulus honorarius Impp. & Regg. *Epiſtolis* Franciscis, apud Nicolaum Pontif. *Ep.* 40. Gregorium VII. *l.* 1. *Ep.* 75. alibique paſſim: Papæ tribuitur ab Anſelmo *l.* 3. *Ep.* 37. noviſſimè vero, ut proprius, conceſſus eſt ab Urbano VIII. Decreto 10. Jun. A. C. 1630. Cardinalibus, Electoribus Imperii & Magiſtro Hoſpitalis Hieroſolymitani. Id. *Eminentia tua*, apud Sidon. *l.* 4. *Ep.* 17. Vide Barth. *ad Stat. l.* 1. *Sylv*.

EMIR, nomen Magnatum, & qui urbium ac oppidorum Præfecti ſunt, apud Turcas & Saracenos, Gul. Tyrius *l.* 10. *c.* 46. *l.* 15. *c.* 11. & *l.* 21. *c.* 23. Vide P. de la Valle & Joh. Bapt. Tavernier in *Itin*.

EMIR Emza Mirza, Muhamedis Hodabendæ Patris in Perſia ſucceſſor, octavo Imperii ſui menſe, manu tonſoris ſui, juſſu Procerum interemtus eſt: eum excepit Scha Abas, ſub initium hujus ſeculi. Georg. Horn. *Orb. imp.* p. 424.

EMIRELMUMENA, h. e. *Princeps credentium*, titulus apud Mauros Principum; ut & *Calipha*.

EMISA, urbs Phœniciæ. Steph. Al. *Emeſſa* nunc *Hems*. urbs Syriæ, ad Orontem fluv. inter Laodiceam ad Auſtr. & Arethuſam ad Bor. 43. mill. à Damaſco in Bor. totidem ab Apamea in Auſtr. ſicuti 80. ab Antiochia, & 60. à Palmyra in Occ. *Baudr*.

EMISSARII Dei, ἀποπομπαῖοι θεοὶ, quidam à Græcis appellati, qui & *Pompæi* dicti ſunt, unde dies, in quibus eis ſacra fiebant, ἀποπομπαὶ ſunt nuncupati: appellabantur etiam ἀλεξίκακοι, ἀποτρόπαιοι, λύσιοι, φύξιοι, h. e. *depulſores malorum, avertentes, fugantes mala.*

EMISSARII, Servi dicebantur apud Romanos, qui juvenibus amaſias & equos generoſos perquirebant, Pædiano *furtorum conciliatores* dicti; Item, qui rapinas & divitum bona, quæ poterant proſcribi, inveſtigabant: memorati Cic. 4. & 5. *Verr. Ep. ad M. Marium*, Suet. *Galba c.* 15. Ammian. Marcell. Aliis. Sed & in libris Regum eorum veſtigium aliquod. Vide Wolph. Lazium *Commentar. Reip. Rom. l.* 12. *c.* 5. & Tit. Popmam *de Operis Serv. p.* 59.

EMLIA, urbs Epiſcopal. Hiberniæ, ſub Archiep Casheliano, in Com Tipperarienſi.

EMMA, vel EMINA, filia Lotharii, Italiæ Regis ex Adelaide Burgundica, nupſit Lothario, Galliæ Regi mater ex eo Ludovici V. & ultimi ex Carolovingis. Item filia Roberti, uſurpatoris Galliæ, Hugonis Capeti amita, Rodolpho Burgundo, Regenti, vel ut alii volunt, Regi Gall. nupta. San Marth. *Geneal famil. Gall.* Mezerayus, *in Rodolpho & Lothario*.

EMMA, Vide *Emanna*.

EMMAUS, caſtellum & civit. inſignis, una ex 11. toparchiis, ordine ſexta, in tribu Juda: hanc aliqui collocant in tribu Dan. Diſtat ab Hieroſolymis, itinere ſeſqui horæ. Nobilitatus fuit hic locus miraculo Chriſti, quem in caſtello hoc diſcipuli duo cognovêrunt poſt reſurrectionem in fractione panis. Luc. *c.* 24. *v.* 13. Ep. olim. Alio nomine *Nicopolis*, Joſeph. *de Bell. Jud. l.* 7. *c.* 26. Χωρίον ἔδωκεν εἰς κατοίκησιν, ὃ καλεῖται μὲν Ἀμμαοῦς, ἀπέχει δὲ τῶν Ἱεροσολύμων σταδίους ἑξήκοντα. Miſer hodie pagus, Plin. *l.* 5. *c.* 14. Jul. Africanus, &c. Item locus prope Tiberiadem, in quo ſunt thermæ. Joſeph. *Antiqq. l.* 18. *c.* 3. ubi de Tiberiade prope lacum Geneſareth ab Herode condita: Θερμὰ δὲ οὐκ ἄπωθεν ἐστιν ἐν κώμῃ, Ἀμμαοὺς ὄνομα αὐτῇ. *Ammaus*, i. e. חמאי nomen ex חמי deflexum, quod *aquas calidas* ſonat. Joſeph. *de Bell. Jud. l.* 4. *c.* 1. Μεθερμηνευομένη δὲ Ἀμμαοὺς, θερμὰ λέγοιτ' ἂν· ἔστι γὰρ ἐν αὐτῇ πηγὴ θερμῶν ὑδάτων πρὸς ἄκεσιν ἐπιτήδειος. Nic. Lloydius.

EMMELIA, Græcè ἐμμέλεια, ſaltatio tragica, gravis & modulata, Oratorum geſtu propior. Unde Agamemnonem agens Hylas, cùm ſeſe feciſſet grandiorem, correptus eſt à Pylade præceptore, qui ipſum feliciùs expreſſit meditantem. Et Cephiſias tibicen diſcipulum, qui contentiùs inflaſſet tibias, cecidit, addito elogio ſanè divino: Οὐκ ἐν τῷ μεγάλῳ τὸ εὖ, ἀλλ' ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα. Inventum Bathylli ſecundum nonnullos: cujus varias ſchemas enarrat Scalig. χειροκαλαδίσκον, χεῖρα καταπρηνῆ, ξύλου παρακλάζειν, διπλῆν, [illegible] κτλ. Cùm armata priùs eſſet, poſtmodum exarmata eſt, ſic tamen ut prælii ſimulacrum retineret. Nam tametſi nudi puelli, unde γυμνοπαιδικὴ dicta fuit, ſeſe numeroſis motibus inſerebant, tamen corporis flexionibus brachiorumque jactationibus palæſtræ facies erat. Vide de ea plura apud Jul. Cæſ. Scalig. *Poet. l.* 1. *c.* 18.

EMMER, vel IMMER, pater Paſchur ſacerdotis. Jer. *c.* 20. *v.* 1. Pater item Moſollamith. 1. Par. *c.* 9. *v.* 12 & *c.* 24. *v.* 14.

EMMERICUM, urbs munita Germ. in Duc. Clivenſi, ampla & dives, ad Rhenum, 1. leuc à Schenkia arce in Ort. paulo amplius à Clivia. Juris eſt Brandeb. ſed præſidium habet Batavorum.

EMMIUS Ubbo, Vide *Ubbo*.

EMNI, Taprobanæ gens, *Ptol*.

EMODA, apud Val. Flacc. Argon. *l.* 6. *v.* 144.

> *Surgit opes* Emeda *ſuas*.

quibuſdam urbs eſt. Diod. *l.* 3. *Emodam* montem eſſe ait, Sacas ab India diſterminantem. Strab. & Plin. *l.* 5. *c.* 27. *l.* 6. *c.* 17. *Emodos* montes recenſent, qui nunc *Dalanguer*. Vide *Emeſus* & *Taurus*.

EMODÆ, vel EMODES, apud Melam, *ſeptem* Emodes, *triginta Orcades*. Inſulæ ſunt, quæ aliis *Ebudes*. Vide ibi.

EMODUS, ſeu HEMODUS, Ptol. EMODI plur. num. Plin. mons ingens Aſiæ, Tauri pars, Indiam à Scythia diſterminans. *Moghali* Caſtaldo, *Jeſhra* Judæis, *Bereſeth* Mengreliis, teſte *Tireveto*.

EMON, ſive ERMON, opp. bene munitum, in tribu Ephraim, amœno loco ſitum & abundans optimis terræ naſcentibus: diſtat à Sichem Jordanem verſus 4. leucis.

EMON, ſeu EMONA, urbs Pannoniæ ſuper. in finibus ejus ſita, quà in Noricum ibatur & Italiam, Ἤμωνα Herodiano Ἤμων Zoſimo *l.* 5. ubi habes de conditu hujus Urbis digreſſiunculam. Vide Caſaub. *Not. ad Capitolin. in Maximinis*.

EMONA, Vide *Emonia*.

EMONIA, Scotia Orientalis inſ. Mercator. *Maid*, teſte *Ortelio*.

EMPÆSTICA, Græcè, Ἐμπαιστικὴ, quid Artis ſit, Vide ſuprà, in voce *Emblema*.

EMPANDA, Paganorum Dea, quæ rebus patentibus præerat. Varro apud Nonium: *Hanc Deam Ælius putat eſſe Cererem: ſed quod in Aſylum qui confugerent, panis daretur, eſſe nomen fictum à pane dando pandere, h. e. aperire*. *Nic. Lloyd*. In Paganalibus ſacris hoc nomine Cererem appellari ſolitam fuiſſe, tradit Joſ. Scalig. *Conjectaneis in Varronem*. Vide quoque infrà *Panda*.

EMPEDO Fons in Attica, qui & *Clepſydra*. Vide Schol. *ad Crabr. Ariſtoph*.

EMPEDOCLES, Philoſophus, Hiſtor. & Poëta Agrigentinus, circa Olymp. 84. qui de rerum natura verſibus ſcripſit, ut apud Romanos Lucret. qui de eo *l.* 1. de rer. nat. *v.* 714.

> *Quorum Agrigentinus cum primis* Empedocles *eſt*.

Diſcipulus Telaugis, cujus præc. Pythagoras erat. Hic, teſte Hieronymo, omne quod vivit & movetur, non putavit edendum, ſicut & Pythagoras; & ex lite & amicitia inter ſe diſſentientibus cuncta conſtare dixit. Animam non in capite, nec in pectore, ſed in ſanguine diſſeminatam eſſe: ac illis partibus homines magis ſentire, quibus plus mentis ineſt, aſſeruit. Creditus eſt ab Ariſtotele Rhetoricam, Dominam rerum, primum noviſſe, quod etiam aliis ab aliis adſcribitur, ut Parmenidi, Cadmo Mileſio, Pherecydi Syro, & Hecatæo, qui primi ſolutâ oratione uſi ſunt. Egregiè cultus, & aureâ cinctus coronâ incedebat, præcipuum ſeculi ſui ornamentum. Lucretio, *l.* 1. *divinus* dictus. Scripſit hymnos de natura rerum, ut dictum ſupra. Tribuuntur etiam ipſi tragœdiæ quædam, quæ tamen nepotis ejus ex ſorore eſſe videntur: ut & Poëma, de Xerxis in Græciam tranſitu, quod tamen nunquam abſolutum, imò Hieronymus à quadam Empedoclis cognata illud combuſtum dicit: ejus fragmentum tamen Ariſtoteles citat. Liber de Sphæra, qui ejus eſſe creditus eſt, Demetrio ab eruditis vindicatur. Ferunt eum, cùm lacum Ætnæ montis inveſtigari contenderet, deciſſe in foveam igneam, & incendio conſumptum. Vel, ut alii, noctu à ſociis clam diſcedentem in ardentem caminum montis Ætnæ ſe demiſiſſe, ut pro Deo haberetur; Sed ferreas ejus crepidas ex camino per flammam rejectas rem patefeciſſe. Horat. *ad Piſones de arte Poëtica*. *v.* 465.

> ------ *Deus immortalis haberi*
> *Dum putat* Empedocles, *ardentem frigidus Ætnam*
> *Inſiluit*.

Claudian. de Conſ. Flav. Mall. Theod. Carm. 17. *v.* 75.

> *Alter in Ætneas caſurus ſponte favillas*
> *Diſpergit, revocatque Deum.*

Aliter de morte ejus Diog. Laërt. ſentit, *l.* 8. *in ejus vita*, qui eum jam decrepitum, in mari, periiſſe opinatur. Ariſtot. *in problem ſ.* 21. Cic. *in Lælio*. Plutarch. Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 4. *c.* 2. *de Mathem. c.* 33. §. 10 *de ſectis Philoſ. c.* 6. §. 33. *de Poet. Gr. c.* 6. Faber, *de Poët. Gr. p.* 74. *Nic. Lloyd*.

EMPELATHRA, urbs Indiæ intra Gangem. *Ptol*.

EMPENETICAM facere, apud Cœlium *in Ep. Ego qui ſcirem C. Pompejum Baulis* Empeneticam facere, *& usque eò, ut ego miſererer ejus eſuriei, non ſum commotus*: eſt ſtrenuè eſurire, & veluti eſuritionis artem exercere Ex Græco Ἐμπεινητικὴ, ſub τέχνη. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1005.

EMPHANISTICUM, Græca vox ab ἐμφανίζω, quod à Clericis ab Ep. ordinatis ex more dabatur Clericis aliis, quorum cura

erat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

erat Clericorum recens ordinatorum nomina in matricula deſcribere & *inſinuare*, quæ vis eſt vocis, quam habes apud Julianum Anteceſſorem. *c.* 131. & in Juſtiniani *Nov.* 56.

EMPHRACTÆ, Naves, quæ undique tectæ ac clauſæ, dictæ ſunt ab ἐμφράττω, *obturo*, *occludo*: cujusmodi naves à Thaſiis inventæ, teſte Plin. Liv. Cæſare, aliis, ſæpe memorantur. Iis oppoſitæ *Aphractæ* naves, ſeu abſolutè *Aphracta*, h. e. navigia aperta & intecta, quorum meminit Cic. *ad Attic. Nos Rhodiorum aphractis tranquillitates aucupati eramus*, Calvin. *Lex. Jurid.* Vide infrà ubi de *Navibus*.

EMPHYLETUS, nomen viri amici Phocionis. Sed interpretes arguunt eo loci Nepotem oſcitantiæ. Nam cùm Græcè ſcriptum eſſet, duobus vocabulis Ἐμφύλιός τις, i. e. *tribulis quidam*, vel *civis quidam*, legit uno nomine Ἐμφύλετος, quaſi proprium eſſet alicujus viri nomen. Fortaſſe etiam ſcriptum erat τῶν φίλων τις, i. e. quidam ex amicis: vel potius φυλέτης τις, i. e. tribulis quidam. Nepos aliud agens, quod interdum magnis viris accidit, putavit ſcriptum eſſe φύλετος ſeu ἐμφύλετος, idque exiſtimavit eſſe nomen proprium, fortaſſe etiam codice mendoſo uſus eſt. Lambin. *ad Nepot. Photion. n.* 54.

EMPIRICI, Medicorum genus, Vide infrà ubi de *Medicis*.

EMPLECTON, genus ſtructuræ, apud Plin. *l.* 36. *c.* 23. *Græci è lapide duro de ſilice æquato conſtruunt veluti lateritios parietes----quod genus ſtructuræ iſodomon vocant. At cùm inæquali craſſitudine ſtructa ſunt, pſeudiſodomon, Tertium eſt* emplecton, *tantummodo frontibus politis*, Ex Græco ἔμπλεκτον, Ἐμπλέκεσθαι nempe proprium verbum mulierum eſt, quæ capillos in fronte comunt. Et quia in ſuperficie tantùm ornati & implexi habentur, inde genus hoc ordinariæ ſtructuræ, quod frontes tantùm politas haberet, ἔμπλεκτον vocitatum eſt. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1231. Vide quoque eum, ubi de ἐμπλοκῇ, ſeu *ornatu muliebri p.* 763.

EMPLOCIA, feſta apud Athenienſes, in quibus mulieres plexis capillis procedere ſolebant. Heſych. Vide Meurſ. *Græc. Fer. p.* 108.

EMPOCLUS, hiſtoricus, ut videtur, Athen. *l.* 9. Ubi Caſaubonus malit *Poſidonius*.

EMPOLA, Græcè Ἐμπολὴ, *quæſtus* ſeu *captura*: unde *Empolaria mulier*, apud Plin. ſcenica eſt ſeu quæſtuaria; niſi malis *Emboliariam* legere, Vide ſuprà. Item merx, ſeu onus navis, quod propriè ἐμβολὴ ſeu ἀναβολὴ eſt: unde Αἰγυπτία ἐμπολὴ, ut vidimus in voce *Embola*; & Ἐμπολαῖος, inter cognomina mercaturæ Præſidis Mercurii, Vide infrà.

EMPONA, quod nomen Gallis Heroinam ſonat, uxor Julii Sabini Lingon. Tacito Hiſt. *l.* 4. *c.* 67. vocatur. *Epponina*. De fide ejus in maritum vide Eroticon Plutarchi extremo.

EMPORIA Punica, loca Syrtibus propinqua. Polyb. *Liv.*

EMPORIÆ, urbs Hiſp. Tarracon. Ptol. Indigetanorum olim. Nunc opp. Cataloniæ, in ora littor. maris Mediterr. Paucis conſtat incolis, 3. leuc. à Rhoda in Auſtr. 6. à Gerunda in Ort. 20. à Barcinone in Cæc. Hinc regiunc. adjacens *l'Ampurdan. Baudr.*

EMPORIÆ, al. TIBULA. nunc CASTEL ARRAGONESE, urbs munita Epiſc. Sardiniæ & prima, ab Aragoniis occupata, prope oſtia Termi fluv. qui *Aragoneſe* etiam 30. mill. in Auſtr. ab ora Corſicæ Inſ. 18. à Saſſari in Bor. 34. ab Algario, cum arce & portu capaci. Ejus Epiſc. nunc unitus dicitur Epiſcopatui alterius urbis ejuſdem inſ. *Terranova* dictæ.

EMPORICUS, ſinus GOLFO DI SALA, in regno Fezzano, ubi Sala urbs & emporium.

EMPORIUM, urbs Celtica, à Maſſilienſibus condita; altera Macedoniæ, tertia Siciliæ, quarta Campaniæ. Steph. Item caſtellum prope Placentiam magno opere munitum. Liv. Denique opp. juxta Tanais fluv. oſtia, *Steph.*

EMPORIUM, ſeu EMPOLIÆ: nunc EMPOLI, opp. agri Florentini, ad Arnum fluv. 20. mill. è Florentina in Occaſ. 30. à Piſis in Ort. ſub magno Duce.

EMPORIUM, vulgò PONTE NURA, pag. Æmiliæ, apud Placentiam, ad *Nuram* fluv. Baudr. Item urbs quævis mercimoniis florens.

Emporia hujus temporis clara.

Agra Indiæ citerioris, *Agra*.
Alba Græca Hungar. *Belgrado*.
Aleppum Syriæ, *Aleppo*.
Alexandria Ægypti, *Alexandrie*.
Amſtelodamum Holland. *Amſterdam*.
Antuerpiæ Brabantiæ, *Anvers*.
Arabia Arab. Felicis, *Laght*.
Archangelopolis Moſcoviæ, *l'Arcangel*.
Argentina Germ. *Strasburg*.
Armuzia Carmaniæ, *Ormuz*.
Aſpahamum Perſiæ, *Hiſpaham*.
Aſtracanum Moſcov. *Aſtracan*.
Auguſta Vindelicorum Germaniæ, *Augſpurg*.
Bantanum Indiæ, *Bantam*.
Barcino Hiſpaniæ, *Barcelone*.
Bardum Pomeraniæ, *Bardt*.
Baſilea Germaniæ, *Baſel*.
Batavia Indiæ, *Batavia*.
Bergæ Norvegiæ, *Bergues*.
Bocenum Com. Tirol. *Bolzan*.
Brema Germaniæ, *Bremen*.
Briſtolium Angliæ, *Briſtol*.
Brugæ Belgii, *Bruges*.
Burdigala Galliæ, *Bordeaux*.
Calecutum Indiæ citer. *Calecut*.
Caletum Galliæ, *Calais*.
Calmaria Sueciæ, *Calmar*.
Camboja Indiæ citer. *Cambaja*.
Cantanum, olim Cattigara, Sinarum, *Cantan*.
Carmana Carmaniæ, *Cherman*.
Cartagena nova, Hiſpaniæ novæ, *Cartagena, nuova*.
Cartago nova Hiſp. *Cartagena*.
Catiganum Indiæ cit. *Chatigan*.
Ceſtria Angliæ, *Cheſter*.
Colonia Germ. *Cologne*.
Conſtantinopolis Thraciæ, *Conſtantinople*.
Damaſcus Cœleſyriæ, *Damas*.
Dantiſcum Pruſſiæ *Dantzick*.
Deppa Galliæ, *Dieppe*.
Dominicopolis Americæ, *S. Domingo*.
Dublinium Hiberniæ, *Dublin*.
Dunquerca Galliæ, *Dunquerque*
Edimburgum Scot *Edimbourg*.
Elbinga Pruſſiæ, *Elbing*.
Embda Germaniæ, *Embden*.
Epidaurus Dalmatiæ, *Raguſe*.
Eſſedon Scythiæ, *Chialis*.
Francphordia Franconiæ. *Francfort ſur le Main*.
Gades Hiſpaniæ, *Cadix*.
Gedanum Poloniæ. Vide *Dantiſcum*.
Genua Liguriæ, *Genes*.
Glucſtadium Holſat. *Gluckſtadt*
Goa Indiæ cit. *Goa*.
Gripſwaldum Pomeraniæ, *Gripſualdt*.
Haſnia Daniæ, *Coppenhagen*.
Havana Americæ Septentrionalis *la Havana*.
Hamburgum Sax. *Hamburg*.
Hadrianopolis Thraciæ, *Adrianople*.
Holmia Sueciæ, *Stockholm*.
Hierapolis Syriæ. Vide *Aleppum*.
Hiſpalis Hiſp. Bæticæ, *Seville*.
Iconium Lycaoniæ, *Cogni*.
Inſula Belgii, *l'Iſle*.
Iſſedon. Vide *Eſſedon*.
Julia Cæſarea, ſeu Ruſucurum, Africæ, *Alger*.
Leodium Germaniæ, *Liege*.
Liburnus Italiæ, *Livourne*.
Lima ſeu Civitas Regum Peruviæ, *Lima ò los Reyes*.
Lipſia Miſniæ *Leipſik*.
Leopolis Ruthenor. *Lemburg*.
Loanda Afr. *S. Paul. de Loanda*.
Londinum Angliæ, *Londres*.
Lubecum Saxoniæ, *Lubeck*.
Lugdunum Galliæ, *Lyon*.
Lutetia Galliæ, *Paris*.
Macaſſaria in inſulis Moluccis, *Macaſſar*.
Macaum Sinarum *Macao*.
Macloviopolis Galliæ, *S. Malo*.
Malacca Indiæ ult. *Malacca*.
Manilla in inſulis Philippinis, *Manilla*.
Marochium Africæ, *Maroc*.
Maſilia Galliæ, *Marſeille*.
Meacum Japoniæ *Meacc*.
Meſſana Siciliæ, *Meſſine*.
Mediolanum Inſubriæ, *Milan*.
Metelburgum Zelandiæ, *Midelburg*.
Methymna Campeſtris Hiſpan. *Medina del Campo*.
Mexicum Americæ ſeptentrionalis, *Mexico*.
Moſcua Moſcoviæ, *Moſcou*.
Mozambicum Africæ, *Mozambique*.
Nangazachium Iaponiæ, *Nangazachi*.
Nannetæ Galliæ, *Nantes*.
Nanquinum Sinarum, *Nanquin*.
Neapolis Campaniæ, *Napels*.
Nidroſia Norvegiæ, *Drontheim*.
Noriberga Germ. *Nuremberg*.
Olyſippo Luſit. *Lisbone*.
Panama Americæ, *Panama*.
Panormus Siciliæ, *Palerme*.
Portus Portugalliæ, *Porto*.
Pruſa Myſiæ Aſiaticæ, *Burſia*.
Quebecum novæ Franciæ, *Quebec*.
Regiomons Pruſſiæ, *Konigsberg*.
Revalia Livoniæ, *Revel*.
Rhodus Aſiæ minoris, *Rhodes*.
Regia Livoniæ, *Riga*.
Roſtochium Ducat. Magnopolitani, *Roſtock*.
Roterodamum Hollandiæ, *Roterdam*.
Rothomagum Galliæ, *Roüen*.
Rupella Galliæ, *la Rochelle*.
Sala Mauritaniæ Tingitanæ. *Salé*.
Sancti Salvatoris Fanum, ſeu ſinus omnium Sanctorum Braſiliæ, *la Bahya de todos os Sanctos*.
Satiganum Indiæ citer. *Ghatigan*.
Siamum, Indiæ ulterioris, *Siam*.
Smirna Aſiæ minoris, *Smirne*.
Sundis Pomeraniæ, *Stralſund*.
Surata Indiæ citerioris, *Suratte*.
Tanais Sarmatiæ, *Aſac*.
Teredon Babyloniæ, *Baſſora*.
Theodoſia Tauricæ, *Caffa*.
Theſſalonica Macedon. *Salonichi*.
Toloſa Galliæ, *Toulouſe*.
Trapezus, Aſiæ minoris *Trebizonde*.
Tripolis Syriæ, *Tripoli de Sorie*.
Valentia Hiſpaniæ, *Valence*.
Venetia Italiæ, *Veniſe*.
Vlma Sueviæ, *Vlme*.
Vliſſinga Belgii, *Fleſſingue*.
Wiſmaria Duc. Magnopolit. *Wiſmar*.

EMPSERUS Hieronymus, Vide *Hieronymus*.

EMPTOR, in Fleta *l.* 2. *c.* 17. Officium aulæ Regiæ, cui incumbit *oves & boves & porcos emere, & inde forum Regis capere, ſed cum taxatione fide dignorum, quantum valet ad opus Regis, & quantum valuerint per quindenam, ante adventum ſuum, in partibus illis.* Vide quoque ſuprà in verbo *Emere*; ut & infrà in voce *Martius menſis*, cujus die 17. hedera coronatæ anus cum libris & foculo pro *emptore* ſacrificabant; it. in voce *Laurus*, ubi novam mercem, ut *emptori* feliciter eveniret, nova lauro aſpergi conſueviſſe, videbimus.

EMPULUM, vulgò S. *Lupedio* vel *S. Elpidio*, opp. amplum Piceni, apud oram, à Firmo urbe 6. m. p. in Occ. Lauretum verſùs, Aliis eſt *Clavello*, caſtrum ejuſdem oræ.

EMPUSA, genus larvæ ac terriculamenti, Hecatæ dicatum, & ab illa infortunatis immiſſum & viſum; quod in omnes ſe vertere figuras amat, q. ἐνίπους. Meridiano tempore etiam videtur conſpici cùm mortuis inferias dant. Quibuſdam eadem eſt cum Hecatè. Alii attribuunt ei crus aſininum, Alterum verò pedem æneum. Heſych. Ἔμπουσα, φάσμα δαιμονιῶδες ὑπὸ Ἑκάτης ἐπιπεμπόμενον, καὶ ὥς τινες, ἑνὶ ποδὶ χρώμενον. Ἀριστοφάνης δὲ τὴν Ἑκάτην ἔφη Ἔμπουσαν. Euſt. *in Odyſ.* λ.

Οἵτινες μὲν ὀνόκωλιν λέγουσιν, οἱ δὲ ὀνόσκελιν.

Dionyſ. *v.* 724.

Φύει δὲ χρύσαλλον ἰδ' ἠλιγοεσσαν ἴασπιν,
Ἐχθρὶν Ἐμπούσῃσι καὶ ἄλλοις εἰδώλοισι.

Ubi nos plura *Nic. Lloyd.*

EMPYLUS, Rhetor, M. Bruto familiaris, auctor libelli, de morte Cæſaris, cui *Bruti* titulus. Plutarch. *in Bruto.*

EMSIA, vicus Germaniæ, in Comit. Naſſoviæ, thermis ſuis nobilis diſtat Deciis in Occ. 3. mill. Naſſoviâ 1. Cyr Lentulus *in Geneal. Principum Naſſov. MS.*

EMUNCTIO Narium, Quæſtoris Caſtrici necis ſignum, apud Mart. *l.* 7. *Epigr.* 36. cujus epigraphe ad Caſtricum de Theta

Exprimeret quoties, rorantem frigore naſum,
Lethalem juguli juſſerat eſſe notam:
Turpis ab inviſo pendebat ſtiria naſo,
Cùm flaret madidâ fauce December atrox.
Collegæ tenuere manus: -----

Pro veteri ſc. condemnationis & mortis Θανάτου litera, Quæſtor hic novam commentus notam, *emuncto naſo*, ſignum occidendi hominis carnifici dabat. Itaque huic cùm aliquando opus eſſet naſum emungere, manum naſo admoturum impedierunt Quæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Quæſtores collegæ ipſius, quaſi daturum hinc cædis ſignum. Quæ occaſio Poëtæ in illum hoc *Epigr.* jocandi. Simile quid de Juſtiniano Rhinotmeto legimus, quem cùm Leontius naſo truncatum Imperio pepuliſſet, reſtitutus poſtmodum, *quoties truncas emungebat nares, unum aliquem e Leontii partibus mactari præcipiebat*, P. Diaconus *Longob. l. 6.* At emungi quidam Perſæ nunquam viſi, Plin. *l. 7. c. 19.* ut qui exercitationibus, quibus à puero aſſueverant, eam corporum ſiccitatem ſibi conciliaſſent, Varr. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 34.* Sed & *emungi*, de candelis: Unde *Emunctoria*, forcipes ad emungendum lychnum, inter vaſa & miniſteria ſacra, memorantur Durando *Ration. l. 3. c. 3. n. 28.* Imo & in ſupellectile Tabernaculi V. T. *Emunctoria* ſeu forcipes recenſentur, Exod. *c. 25. v. 34.* ubi poſtquam de Candelabro aureo prolixè Moſes egit, ſubjungit *v. 38. Facies* emunctoria, *&c., ubi quæ emuncta ſunt, extinguantur, fiant de auro puriſſimo.* Ubi Villalpandus cenſet, poſterius inſtrumentum vas fuiſſe aquâ mundâ impletum, in quam forcipes infunderentur, atque ita ſubmerſis, abſciſſis lucernarum fungis, & extinctis, nihil grave olens in domo ſacra ſentiretur &c.

EMUNDUS, Vide *Edmerus*.

EMUNDUS Dinterus, Secretarius quatuor Ducum Brabantiæ, dein Canonicus Lovan. ſcripſit hiſtoriam Ducum Brab. & opera quædam genealogica.

EMUNDUS Augerus, Jeſuita, Confeſſionarius Henr. III. varia ſcripſit.

EMUNDUS Bulajus, Ducum Lotharingorum genealogiam ſcripſit, &c. Verder. *Bibl. p. 275. 276.* Vide etiam *Eamundus*.

EN & ENA, voces Nobilium utriusque ſexus nominibus præponi ſolitæ, apud Bencharnos, uti ſcribit Marca *l. 7. c. 16. n. 5.* Item apud Catalanos & Aragonenſes, ut ex Raimundo Montanerio *in Chron. Aragon.* aliisque docet C. du Freſne. Significant idem, quod *Dominus* & *Domina*. Quò fortè ſpectat Epitaphium, quod deſcripſit Catellus *Rer. Occitanic. l. 2. p. 171.*

En *Ramon Arnaldus jacet hoc in marmore clauſus* &c.

apud C. du Freſne *Gloſſar.*

ENACIM, Gigantes quidam. Num. *c. 13. v. 22.* quos expulerant Chananæi. Deut. *c. 2. v. 11.* Lat. *torques*, vel *monilia*. Lege *Anakim*. Inde Græci ſuos Ἄνακας habuêrunt.

ENADDA villa, in tribu Juda uſque hodie oſtenditur in. 10. miliario pergentibus Aeleam, ut Hieron. author eſt *in loc. Hebr.*

EN-AGALLIM, nomen vici in principio maris mortui. Ezech. *c. 47. v. 10.* Lat. *fons*, ſive *oculus vitulorum*, vel *curruum*, aut *rotunditatum*.

ENAGORA, inſ. in Aſia. Plin. *l. 5. c. 31.*

ENAIM, villa in tribu Juda. Joſ. *c. 15. v. 24.* Hebræis *Enam*, i. e. *fons*, ſive *oculus eorum*.

ENAM, nomen villæ. Num. *c. 34. v. 9.* Ezech. *c. 48. v. 1.* Vide *Enan*. Item pater Achira principis tribûs Nephthali.

ENAN vel *Enam*, villa ſive vicus eſt in terminis regionis Damaſci ſita, in tribu Nephthalim, quæ à Septentrione terræ promiſſionis terminus eſt.

ENAPHOTI, apud Anaſtaſ. *in Paſchali Pontif. jam prædictus Pontifex caniſtra* enafoti *ex argento duo penſ. l. 10.* videntur caniſtra eſſe ἑνὸς φωτὸς, vel ἐννέα φωτῶν; *in Valentino* II. enim apud eundem *ennafodia* eſt, i. e. *unius* vel *novem luminum*, h. e. ἑνόφωτα vel ἐννεάφωτα *caniſtra uno* vel *novem luminibus, inſtructa*. Idem C. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà *Exafoci*.

ENARGINUM, ſeu URGONIUM, ORGON, opp. Gall. in prov. cum caſtro alias munito, in colle 2. leuc. à Cabellione verſus Aquas Sext. in Ort. 6. à Taraſcone etiam in Ort. uti 7. ab Arelate.

ENARIA, apud Solin. *c. 3. Enariam Inarimen ab Homero nominatam*: nonnullis eadem eſt cum Pithecuſa, quippe ab *enariis* i. e. *ſimiis*, nomen nacta, in quas Cercopes mutati finguntur. Servius, *Inarime, nunc Enaria dicitur---quia in eam ad contumeliam ſimiæ miſſæ ſunt, quas Grajorum lingua ἀῤῥίνας, i. e. enarias dicunt, ob quam cauſam Piethecuſam etiam vocitant.* Aliis diverſas eas facientibus. Vide in vocibus *Ænaria, Inarime, Pithecuſa*, & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p. 97.*

ENARRATORES, ſeu EXPLANATORES al. CIRCUMDUCTORES, Græcis, Περιηγηταὶ, uti diſcimus ex Plutarch. *de Pythiæ orac.* quinam in Græcia olim, illis inprimis locis ubi χρηστήρια ſeu *Mariſia* erant, dicti fuêrunt. Vide infrà in Voce *Periegetæ*.

ENAULUS, fluv. Thraciæ, in Euxinum mare, apud Anchialum Urb. fluens.

ENCÆNIA, feſta erant dedicationis apud Græcos, de quibus Lil. Gyraldus *l. 17. Hiſt. Deorum.* Item apud Judæos, celebrata d. 25. noni menſis, *Casleu* dicti: idque in memoriam templi à Juda Maccabæo repurgati, triennio poſtquàm ab Antiocho Epiphane pollutum erat. Joſeph. Antiqq. *l. 12. c. 15.* Vide Joh. *c. 10. v. 22.* Cyrill. *in Joh. l. 7. c. 9.* Auguſtin. *tract. 48. in eundem*, Bezam *in notis major.* Gr. Ἐγκαίνια, idem cum Dedicatione, de qua ſuprà: inprimis Feſtum erat anniverſarium, quo primæ dedicationis celebrabatur memoria. Sicut autem neque Urbs, neque atrium aliquod Templi ampliari citra Synedrii Magni decretum, apud Hebræos, poterat; Ita *Encæniorum* inſtitutio non aliunde pendebat: accedente inſuper Regis, ac Prophetæ Oraculique ſanctiſſimi auctoritate. Quod inprimis in Templi primi conditu eminuit. Vide 2. Sam. *c. 24. v. 19.* & 2. Paral. *c. 3. v. 1.* ut & Pſalm. 30. qui ex Hebræorum ſententia Conſecrationibus Dedicationibusque adhiberi ſolebat, ut nempe in Feſto Dedicationis anniverſario, ita & in ſolenni illa Primitiarum, ad Templum, dedicatione ipſa, ex lege Deut. *c. 26. v. 2.* inſtituta. Atque hæc prima loci, in Templum, dedicatio ſimul & ſanctificatio, non minùs Ἐγκαίνια dicta, quàm meræ profanati poſtmodum Templi reſtaurationes, ſeu in ſanctificationem priſtinam reſtitutiones. Attinebant autem hæc *Encænia* ad menſem *Ethanim.* i. e. *Tiſri*; ſeu ſeptimum à *Niſan.* q. Septembrem, atque ad tempora Scenopegiæ feſto proximantia, 1. Reg. *c. 8. v. 2.* adeoque ab Encæniis, quorum in Hiſt. Evang. mentio Joh. *c. 10. v. 22.* probè ſunt diſtinguenda, quippe quæ cum celebrarentur, χειμὼν ἦν *Hyems erat.* Ritus Urbis ampliandæ erat hic: Lex ſacra eſt de ſacrificio Euchariſtico, quod תורה Levit. *c. 7. v. 12.* dictum, ex placentis azymis & oleo confectis conſiſtente, præter panem adjectum etiam fermentatum, de qua prolixè Vide Maimonidem *Halach. Bith-habechira. c. 6. §. 10. 11. & 12.* Quo ritu peracto, locus deſignatus, parem cum Urbe ſanctitatem omniaque jura urbi ſingularia obtinebat. Similis ferme erat ſolennium ratio, quando Templi atrio quid eſſet adjiciendum, excepto quòd hic non Euchariſtici illius, ſed alterius ſacrificii, non admodum diſſimilis, reſidui, Levit. *c. 2. v. 1.* ſeu ejus quod ex eo non comburebatur, uſus erat: illius viz. quod מנחה dictum, frumentaceum erat, Vide Maimonidem ubi ſuprà, §. 13. & 14. Sub Eſra, Nehemia, cæteriſque Synedris Synagogæ Magnæ, qui Urbem, Muros Templumque inſtaurabant, rituum eorundem habemus expreſſa ferme exempla, Ezræ. *c. 6. v. 16.* & Nehem. *c. 12. v. 27.* ubi *Canticum* numero ſingulari expreſſum, videtur denotare Canticum dedicationis prædictum. Interim pronuntiant Magiſtri, quoniam deerat tunc Lex & Oraculum, ideo novam ſanctitatem non omnino loco alicui tunc acceſſiſſe, ſed tantummodo priſtinam ſeu veterem, velut deſignando ſolùm, fuiſſe inſtauratam. Vide de hac Dedicatione Eſraitica ſeu Zorobabeliana J. Bapt. Villalpandum *in Appar. Urbis & Templi part. I. l. 3. c. 27. & 28.* De *Encæniis* Maccabaicis, legimus Maccab. *l. 2. c. 1. v. 9. & 18. Facturi itaque quintâ & vigeſimâ die menſis* Casleu καθαρισμὸν τοῦ ἱεροῦ, *purificationem Templi, neceſſarium duximus, ſignificare vobis, ut etiam vos quoque* (Ægyptienſes intellige Judæos) *agatis feſtum*, quaſi aut inſtar *Scenopegiæ, & Ignis, quando Nehemias, ædificato Templo & Altari, obtulit ſacrificium:* & quæ ſeqq. Habuit autem feſtum hoc (in quo ſimiliter Pſalmi 30. uſus fuit, ut ex Ritualibus Judæorum Germanienſibus hodieque adſervatis patet) ex more patrio dies celebrationis octo, ac ſacrificiis hymniſque adhibitis, ſtante Templo, peragebatur, idemque omnino cum eo fuit, quod *Encæniorum* nomine habitum eſſe Hieroſolymis, memoratur in Evangelio, ubi D. N. J. C. veluti ſimul celebrans, ambulabat in Templo, in porticu Salomonis. Nempe Haſmoniacæ illius ſeu Maccabaicæ dedicationis, Templi ſecundi, poſt Antiochi profanationem, memoria hoc ritu quotannis recolebatur. Neque enim tempus Dedicationis Salomonicæ, quod incidit in Autumnum; uti diximus; aut Zorobabelianæ, quod ad menſem *Adar* attinens, æquinoctium paulo præcedebat vernum, *hyemis* partem in Evangelio memoratæ aliquam ſortiri potuit. Imò, utrum Haſmoniaca illa dedicatio, celebratio anniverſaria aliqua eſſet ſive Salomonicæ ſive Zorobabelianæ dedicationis, nondum liquet. Interim *Templum ſecundum* perpetuò ita vocatum eſt Zorobabelianum, ut non minùs id, quod ante Antiochi profanationem ſtetit, & quod exinde à Maccabæis inſtauratum eſt, quàm quod poſtea ſub Herode innovatum legimus, contineret denotaretque, idque usque ad excidium Urbis Templique. Neque enim Templum habebatur aliquod tertium, nedum quartum, ſed primum tantùm & ſecundum; licet hoc ita denuo dedicatum fuerit etiam & inſtauratum ſub Haſmonæis atque dein reædificatum ab Herode, qui, ſi Joſepho fides, *ſublatis fundamentis priſcis aliisque jactis, ſuper ea Templum extruxit.* Scilicet ampliavit paſſim celſiusque reddidit, neque omnino ex demolitione illa prioris Templi jugis ſacrificii aliorumque ſacrorum illic intermiſſio fuit ulla, ut pluribus docet Seldenus. Sed & in *Encæniorum* Maccabaicorum feſto λυχνοκαΐα ſeu *luminum accenſio*, non prætereunda: cui πυρσῶν *facularum*, feſtum, quod erat Argivis anniverſarium, teſte Pauſaniâ *Corinth.* ſeu Λαμπάδων, cujus nomine triplex erat Athenienſibus feſtum ſeu certamen; uti etiam in Chriſtianiſmo ritus ille quodammodo reſpondebat: quum feſto, quod Ὑπαντὴ & Ὑπαπαντὴ antiquitus, pro Simeonis & D. N. J. C. in Templo *occurſu*, poſtridie Kal. Febr. ex inſtitutione Pelagii I. ac Juſtiniani I celebrato, conjunctus tandem fuit καθαρισμὸς, qui tunc temporis evenit B. Virginis Luc. *c. 2. v. 22.* ſeu *Purificatio*, Syris dicta *Introitus Domini N. in templum.* Cui adjeciſſe dicitur Serguis circa A. C. 690. ſub Juſtiniano II. cereorum quotannis numeroſiſſimorum uſum ſolennem, velut ex ritu luminum in Lupercalibus & Februis, eodem menſe, pro luſtrationibus aut purificationibus adhibitorum paganico, Chriſtianiſmi feſtivitati aptatum, unde ei nomina, *Chandeleur, la Chandeleuſe*, & ſimilia in linguis provincialibus, Germ. & Belg. *Lichtmeſſe*, Angl. *Candlemaſſe*. Verùm de hac *luminum accenſione* in feſto illo Hebræorum, dicemus infrà ſuo loco. Vide plura hanc in rem, apud Joh. Selden. *de Synedriis Vett. Hebræorum Part. 3. c. 13. toto* Sed & *Encænia Urbium*, ut & eorum anniverſarii dies: *Thermarum, Statuarum* & aliorum de novo excitatorum operum publicorum, paſſim celebrata leguntur, quorum ritus & cerimonias pluribus deſcripſit C. du Freſne *in CP. Chriſt.* Templorum inprimis, quorum cùm ritus varii ſint in Eccleſia Rom. præcipuus is eſt, quòd Sanctorum reliquiæ recondantur ſub Altari. Porrò oleo ſacro inunguntur parietes: luſtrantur aquâ benedictâ interiùs & exteriùs; Epp. vicini ad ea invitantur: ſtrepunt convivia: deferuntur reliquiæ totius diœceſeos, quæ finitâ dedicatione in ſuas ædes referuntur &c. Car. du Freſne *Gloſſar.*

ENCARPI, apud Vitruv. *l. 4. c. 1.* ſunt corollæ ex omni genere fructuum compoſitæ, quibus columnarum frontes ornabantur: Παγκάρπους στεφάνους alias Græci vocarunt. Sic ἔγκαρ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

πον ἐλαίαν, dicebant olivæ ramum, ex omnigenis fructibus implexum, quem ante fores ſtatuebant Athenienſes & quotannis renovabant. Salmaſ. *ad Capitolin. in Gordianis.* Vide quoque ſuprà *Eireſione.*

ENCAUSTICE, Græce Ἐγκαυςική, Lat. *Ars cerâ pingendi*, celebris olim Nam ceram in hoc picturæ genere tabulæ inducebant, non quidem liquefactam, ſed cujuſmodi eſſet: inducebant autem eam diſcolorem, prout exigeret id, quod in tabula vellent pingere. Ceris dein ita inductis inſtratiſque, eas inurebant ac exæquabant; illud, quod ſic pingerent, ἐγκαυςὸν, q. d. *inuſtorium*, vocitantes: Meminit Artis Varro *l. de Re Ruſt. l. 3. c. 17. Nam ut Pauſias & cæteri Pictores ejuſdem generis loculatas magnas habent arculas, ubi diſcolores ſunt ceræ.* Item Mart. *l. 4. Epigr. 47. Cujus epigraphe, De Phaetonte.*

> Encauſtus *Phaethon tabulâ depictus in hac eſt,*
> *Quid tibi vis, dipyron qui Phaetonta facis?*

Et hæc una artis ratio fuit, nempe cerâ pigmentis variis tinctâ rem conficiens. Erat verò & alter cerariæ *Encauſtices* modus, qui fiebat ceris liquefactis: de quo ita Vitruv. *l. 7. c. 9. Ceram Punicam igni liquefactam paulo oleo temperatam ſeta inducat: deinde, carbonibus in ferreo vaſe compoſitis, eam ceram apprime cum pariete calefaciendo ſudare cogat, fiatque, ut peræquetur. Poſtea cum candelis linteiſque puris ſubigat, uti ſignina marmora curantur. Hæc autem* καῦσις *Græcè dicitur.* Salmaſ. ἔγκαυσις reponit. Id *Encauſtices* genus à priori diverſum fuit, eoque puppes navium pingebant. Præter quæ & tertium erat, ſed circa ceram, idque in ebore: quæ tria complexus eſt Plin. *l. 35. c. 11. Encauſto pingendi duo fuiſſe antiquitus genera conſtat cera, & in ebore ceſtro, i.e. vericulo* (igni calefacto) *donec claſſes pingi cœpêre. Hoc tertium acceſſit, reſolutis igni ceris penicillo utendi; quæ pictura in avibus nec Sole, nec ſale ventiſque corrumpitur.* Quo Salmaſ. interpretatur illud Ovid. Faſt. *l. IV. v. 274.*

> —— —— *Et picta coloribus uſtis*
> *Caeleſtum matrem concava puppis habet.*

Neque naves ſolùm, ſed etiam fornices ſive cameras, ſic pinxiſſe, Idem *Notis ad Flav. Vopiſc.* docet, ex Procopii *de ædif. Juſtin.* qui hanc Encauſticem factam ait κηρῷ συντακέντι καὶ διαχυθέντι, *cerâ liquefactâ & diffusâ* Et Plinii eſt *l. c.* ſed de priori ratione ceris pingendi: *Idem* (Pauſias) *& lacunaria primus pingere inſtituit & cameras, nec ante eum taliter adornari mos fuit.* In januis etiam & atriis, inurendi huic Arti fuiſſe locum, Auſon. innuit *Epigr. 26. v. 10.*

> *Ceris inurens januarum limina,*
> *Et atriorum pegmata.*

Item muris obducebant ceræ loricam inque ea pingebant. Etymolog. Ἐγκεκαυμένη, ἐζωγραφημένη· ἐπεὶ ἐγκαυταὶ λέγονται οἱ ζωγράφοι, οἱ διαγράφοντες τοὺς τοίχους, *Encauſta, picta: quia Encauſtæ dicuntur Pictores, qui muros pingunt.* Ubi judice Voſſio, melius dixiſſet, eſſe genus picturæ, quo muros & alia *ceris pingerent.* Unde aliter Κηρογραφίαν vocarunt, inter quam tamen & Ἐγκαυςικὴν id diſcriminis fuit, quòd prior illa etiam comprehenderit κεραωτὰ, ſive ebur aut cornu ignito vericulo depicta. Vide Voſſ. *de Idolol. l. 4. c. 91.* Quis autem artem hanc ceris pingendi, picturamque inurendi invenerit, auxeritque, Plin. docet *l. 35. c. 11. Ceris pingere ac picturam inurere quis primus excogitaverit, non conſtat. Quidam Ariſtidis inventum putant, poſtea conſummatum à Praxitele. Sed aliquanto vetuſtiores* Encauſticæ *picturæ exſtitêre: ut Polignoti & Nicanoris & Arceſilai Pariorum. Lyſippus quoque Æginæ picturæ ſuæ inſcripſit* Ἐνέκαυσεν: *quod profecto non feciſſet niſi Encauſtica inventa. Pamphilus quoque, Apellis Præceptor, non pinxiſſe tantum Encauſtica; ſed etiam docuiſſe traditur Pauſiam Sicyonium, primùm in hoc genere nobilem.* Imo & Nicias huc pertinet, de quo ſic idem *l. cit. c. 4. Idem* (Auguſtus) *quoque in Curia, quam in Comitio conſecrabat, duas tabulas impreſſit parieti. Nemeam ſedentem ſupra Leonem, palmigeram ipſam, adſtante eum baculo ſene, cujus ſupra caput tabula bigæ dependet. Nicias ſcripſit ſe inuſſiſſe: tali enim uſus eſt verbo.* Hodie utraque *Encauſtices* ratio, de qua ſuprà, exolevit penituſque ignoratur. Interim ſuam de hac inurendi ratione conjecturam affert Lud. Demontioſius *de Pictura p. 159. & ſeqq.* Proximè verò ad vett. *Encauſtum* accedit quòd *ſmaltum*, vocabulo ab Italis profecto, nuncupatur; quâ voce uſum etiam Anaſtaſium Bibliothecarium deprehendimus, eſtque ab ea Gallicum *émail*: unde qui id inurunt, *Emailleurs.* Gerh. Joh. Voſſ. *de Artibus popular. c. 5. §. 47. 48.* Vide quoque infrà *Limogia*, it. *Smaltum.*

ENCAUSTUM Sacrum, quo Imp. olim Orientis aureas Bullas ſubſignabat, memoratur Briſſon. *l. de verbor. ſignif.* Sed & Leo Imp. *leg. 6. C. de diverſis Reſcr.* diſertè vetat, ſacra Reſcripta alio colore, quàm purpureâ inſcriptione, luſtrari, & cocti muricis tritique conchylii ardore ea ſignari præcipit, atque hujus ſacri *Encauſti* confectionem privatis ſub gravi pœna interdicit. Etſi verò, quale id fuerit, liquido non conſtat; tamen ex his verbis patet, Imperialia Reſcripta purpureis literis & encauſto muriceo inſigniri conſueviſſe. Hinc præfatus Briſſonius ex *Epitome Chronicor.* Werveronis Monachi Leodienſis, Palæologum Imp. Eccleſiæ Rom. obedientiam ſpopondiſſe ſyngraphâ, cui conchylii ſanguine ſubſcripſerit, refert. Et nota ſunt illa in aureis bullis uſitata verba, δι' ἐρυθρῶν γραμμάτων τῆς βασιλικῆς χειρός. Nicetas in *Manuele Comneno l. 1.* ἐρυθροσημαντὰ γράμματα & ἐρυθροδιανωμένην βασίλειον γραφὴν vocat, ubi ſcribit Joh. Axachum Magnum Domeſticum cuſtodiæ Palatii intentum, atque id agentem, ut Manuel etiam à civibus Imp. ſalutaretur, literas rubras, aureoque ſigillo & ſerico munitas & conchæ ſanguine pictas Clero magni Templi obtuliſſe, &c. Vide eundem *l. 6.* ubi Sultanum narrat Imperatori exprobraſſe, quòd tam facilis eſſet in violandis fœderibus & retractandis magnis pollicitationibus, quas βασιλικαῖς quidem γραφαῖς καὶ βαφαῖς, *regiis rubricatiſque illis literis*, inſigniret, apud Joh. Kirchmann. *de Ann. c. 8.* Ab *Encauſti* hac voce eſt, quod Poloni colorem, quo ſcribitur, etiam atrum Synecdochicè appellant *incauſt*, ut Itali *inchioſtro.* Fortè & inde Belgarum eſt *inkei*: niſi potiùs *inct*, per aphæreſin ſit pro *tinct*, ex *tincta* vel *tinctura*, quia penna in eo tingitur. Voſſ. *de Arte Gramm. l. 1. c. 39.* Aliud eſt, cùm *encauſto pingere ſigninum opus camerarum.* Agrippam inveniſſe, ex Plin. docet Salmaſ. *ad Solin. p. 1215.* illud enim ad Encauſticem Artem pertinet, de qua dictum. Vide quoque infrà aliquid, in voce *Nigellum.*

ENCAUTARII, ſeu ENCAUTARIA, civitatum & provinciarum libri Cenſuales & publici ſunt, *in l. ult. Cod. Theod. de Cenſu & l. 9. de Agricol.* Sic *Encautii breves*, libri, in quibus nomina & modus cenſualis poſſeſſionis continebatur, in *l. un. eod. Cod. de Collegiat.* apud C. du Freſne *Gloſſar.*

ENCELADUS, Titanis ac Terræ fil. Gigantum omnium, qui adverſus Jovem conjuravêrunt, longè maximus; quem Jupiter fulmine ictum Ætnæ monti ſuppoſuit. Virg. *Æn. l. 3. v. 578.*

> *Fama eſt,* Enceladi *ſemuſtum fulmine corpus*
> *Urgeri mole hac, ingentemque inſuper Ætnam*
> *Impoſitam, ruptis flammam expirare caminis.*

Quintus Smyrnæus *l. 5.*

> Οἷος που τοπάροιθε Διὸς στονόεντι κεραυνῷ
> Ἐγκέλαδος δέδμητο, καί ἀκαμάτοιο θαλάσσης
> Τρινακρίης ὑπένερθεν, ὅλη δ' ὑπετύφετο νῆσος.

Idem *l. ult.*

> Εὖτε παρὸς μεγάλοιο καὶ Ἐγκελάδοιο δαΐφρων
> Παλλὰς ἀειραμένη Σικέλην ἐπικάββαλε νῆσον,
> Ἥ ῥ' ἔτι καίεται αἰὲν ὑπ' ἀκαμάτοιο γίγαντος
> Αἰθαλόεν πνείοντος ἔσω χθονός.

Corn. Severus *in Ætna*,

> *Gurgite Trinacrio morientem Jupiter Ætna*
> *Obruit* Enceladum, *vaſti qui pondere montis*
> *Æſtuat & patulis expirat faucibus ignes.*

Stat. *l. 3. Theb. v. 595.*

> —— *Aut ubi tentat*
> Enceladus *mutare latus, procul igneus antris*
> *Mons tonat.*

Idem *l. 12.* Theb. *v. 275.*

> Enceladus *ruptoque vias illuminat igni.*

Claudian. *l. 1. de Raptu, Proſerp. v. 154. & ſeqq.*

> *In medio ſcopulis ſe porrigit Ætna peruſtis,*
> *Aetna giganteos nunquam tacitura triumphos*
> Encladi *buſtum, qui ſaucia membra revinctus*
> *Spirat inexhauſtum flagranti pectore ſulphur.*

Nic. Lloydius.

ENCHELEÆ, opp. Illyridis, juxta quod Cadmus & Harmonia uxor ejus in ſerpentes verſi dicuntur. Lucan. *l. 3. Bell. Civil. v. 188.*

> *Et nomine priſco*
> Encheliæ *verſi teſtantes funera Cadmi.*

Hinc *Encheleæ* & *Enchelii*, pop. quorum opp. & regio Pineto *Eteſtia.*

ENCHIRIDION, Græca vox, quâ unum ex opuſculis ſuis Auguſtinus inſignivit; *Manuale* vulgò. Apud Græcos olim inter tralatitios librorum titulos. Plin. *Prologo op. Inſcriptionis apud Græcos mira felicitas.* κηρίον *inſcripſere —— alii* κέρας ἀμαλθείας *—— Jam Muſæ,* πανδέκτας, ἐγχειρίδιον, λειμὼν, πινακίδιον, *inſcriptiones, propter quas vadimonium deſeri poſſet.* Vide quoque A. Gell. *Præfat.* Sic notum Epicteti Ἐγχειρίδιον, notum Eraſmi *Enchiridium militis Chriſtiani.* Nempe ἐγχειρίδιον propriè *pugio* eſt, quòd ob brevitatem aptius manu geſtetur, quàm gladius. Iſtiuſmodi autem libelli, iis qui rectè ſtudent vivere & credere, non minùs in promptu ſemper paratique, quàm pugio militibus, eſſe debent. Gerh. Joh. Voſſ. *ad Gell. d. l.* At *Enchirium*, Græcè Ἐγχείριον, Hieronymo linteum eſt, quo Pilatus, poſt manuum lotionem, manus abſterſit: apud Dominic. Macrum *in Hierolexico.* Vide infrà quoque *Epigonation.*

ENCHORES Lapides, apud Frontin. *de Colonis, termini Tiburtini affixi ſunt, ſed & lapides* enchores *ſignati ſunt*: ex Græco ἔγχωροι, dicuntur lapides αὐτόχθονες, *in ipſo ſolo nati.* At ἐγχώριον appellarunt Recentiores, ordine compoſitam ſtructuram, ſive ex ſilice, ſive ex latere cocto fieret. Sic mentio ἐγχωρίου τοίχου apud Harmenopulum *l. 2.* Περὶ κοινοδοχείου: ubi lateritius intelligendus, quemadmodum & apud Auctorem vet. Suidæ laudatum de Semiramide. Sed apud Conſtantin. *c. 29.* lapidem vel ſilicem ordinarium vox notat. Etymon inde, quod ἐν χώρᾳ ſitis omnibus lateribus vel ſilicibus, in ordinem ſtructura compoſita eſſet. Niſi potior lectio ἐγχόρηγος, hinc dicta, quòd ἐν χοροῦ τάξει, *ad inſtar chori*, ordines lapidum habeat compoſitos. Chorus enim Gr. χορὸς, ordinabatur vulgò, κατὰ ζυγὸν καὶ στοῖχον unde χορὸς pro *ordine* Vitruv. de lateribus ædificii loquens, *l. 2. c. 3. Ergo ex utraque parte ad lineam cùm ſtruuntur, alternis* Choris *parietes alligantur* &c. Vide Salm. *ad Solin. p. 1233.*

ENCOLPIUM, ex Græco ἐγκόλπιον, apud Anaſtaſ. *ad Act. 5. VIII. Synodi: Crucem cum pretioſo ligno, vel cum reliquiis Sanctorum ante pectus portare ſuſpenſam ad collum, h. e. quod vocant Encolpium*: parva crux pectoralis Ep. item quodlibet pectorale reliquiarium eſt, Dominico Macro in *Hierolex.* De cujuſmodi *Encolpiis* plura dixit Car. du Freſne *ad Alexiadem Annæ Comnenæ p. 247. & 248.* Vide quoque infrà aliquid, ubi de nummis *Helenianis.*

ENCOLPIUS, Hiſtoricus, Alex. Severo familiariſſimus, cujus vitam ſcripſit. Lamprid. *c. 17. & 48.*

ENCOMBOMA, Gr. Ἐγκόμβωμα, genus veſtis puellaris, Nonio. Cato *de lib. educ. Ut puellæ*, inquit, *habent potius in veſtitu chlamydas, encombomata, & parnacidas, quàm togas.* Polluci palliolum. Sed Ferrario veriſimiliùs fuit ala, quæ ad inſtar pallioli in ſiniſtra parte fuerit, quò dextra liberior atque operi expeditior eſſet, *de Re Veſt. Parte 2. l. 4. c. 22.* Hinc verbum ἐγκομβώσασθε, *i. e. induite, innodate*, 1. Petri *c. 5. v. 5.* ex ἐν, *in*, & κόμβος, *nodus*, Vide Gomarum *ad h. l.*

ENC

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ENCRATITÆ, Hæretici à Saturnino, Marcione & Tatiano orti, vituperarunt conjugium & præcepêrunt ſuis continentiam ab uxoribus, & eſu carnium, unde etiam nomen habent. Vide *Tatian.* Tertullian. *de præſcr. c.* 52. Theodoret. *hær. fab. l.* 1. Epiph. *hær.* 46. Auguſtin. *hær.* 25. Iren. *l.* 1. *c.* 31. Euſeb. *l.* 4. *c.* 28. A. C. 174.

ENCRINOMENOS, inter Alcamenis ex ære opera, memoratur Plin. *l.* 34. *c.* 8. *Alcamenes fecit & æreum pentathlon, qui vocatur encrinomenos.* Ex Græco ἐγκρινόμενος, quâ voce denotatur is, qui athletis annumeratur & in eorum numerum recipitur, quod non ſine ſolenni ritu factum, & prævia probatione, ab eo qui Ἐγκριτὴς ἀθλητῶν appellabatur. Cic. *de Offic. l.* 1. *Atqui hoc idem Sophocles, ſi in Athletarum probatione dixiſſet, juſta reprehenſione caruiſſet.*

ENCYCLIA, Græcè Ἐγκύκλια literæ ſunt *Encyclicæ* ſeu *Circulares*, quibus, quæ in Conciliis ſeu Synodis acta erant, poſtquam confirmatione Imperiali obtenta fides à Synodis ſtabilita in legem ibat, per Eccleſias à PP. vulgabantur, atque obſervanda tradebantur. Franc. Burmann. *Synopſ. Relig. Chriſt. part. prior. l. VIII. c.* 8. §. 20. Vide Joh. Meurs. *Gloſſ.* Sic *Encyclius* Codex, dictus eſt liber in quo collectæ omnes *Epiſtolæ*, quas PP. Concilii Chalcedonenſis Leoni Imp. miſêrunt, circa ſenſa Timothei Alexandrini; E Græco idiomate in Latinum ſermonem tranſlatus, ab Epiphanio Scholaſtico. Dominic. Macer. *in Hierolexico.* At Ἐγκύκλια μαθήματα, item Κύκλια, Vett. dicta ſunt omnia, quæ τὸν Κύκλον παιδείας, i. e. *omnium artium liberalium orbem*, conſtituebant. Quo nomine *Grammaticam*, *Rhetoricam*, *Logicam*, *Arithmeticam*, *Muſicam*, *Geometriam*, & *Aſtronomiam* complectitur Tzetzes *Chil.* 11. Vide ſuprà ubi de *Cyclo Epico.* & infrà lemmate, *Orbis Mythologicus*, it. *Philologia* & *Polymathia.* De ordine verò diſciplinas haſce tradendi, aliquid habes, ubi de *Phyſica.* De *Encycleumate* verò, machina theatrali, infrà in voce *Tranſlatum.*

ENCYLISTIÆ Coronæ, ſeu *Cyliſtæ*, memoratæ Polluci *l.* 7. *c.* 30. Paſchalio videntur dictæ, quod ἐκ κυκλίων, *rebus orbicularis, & velut ad volubilitatem rotundatis*, conſtarent, pomis viz. & fructibus duriuſculis, quibus factum, ut poſſent κυλίεσθαι στεφόμενοι, *volvi, cùm impellerentur*, ut ait Euſtathius Odyſſ. ε. Appulejus certè *l.* 11. *Individuo nexu corona totis floribus, totiſque conſtructa pomis adhærebat.* Atque ſic ab herbaceis & foliaceis coronis fuerint diſtinctæ. Folia tamen ficus, ob ſcabritiem, in iiſdem videntur locum habuiſſe, idque ſingulari exemplo, fortaſſe imitatione ejus coronæ, quam Bacchus ſibi feciſſe dicitur è foliis ficulneis, cùm triumphavit inſidens currui, quem leones trahebant, Ariſtoph. *Equit.* Neque tamen in hoc tantùm nectebantur ut volverentur, ſed potiùs, ut ſuſpenderentur, ob pulchritudinem omnibus viſendæ. Id quod ſcire licet, è loco Alexis *in Scirone*, ὥσπερ κυλιστὸς στέφανος αἰωρούμενος, ut *corona cyliſta ſuſpenſa.* Cujuſmodi coronam è prunis maturis conſtantem, in Stadio, Athletæ cuidam obtigiſſe, memorat Hipponax apud Athen. *l.* 2. &c. Vide C. Paſchal. *Coronar. l.* 1. *c.* 13.

ENDELEICHUS, vel Severus Sanctus, Rhetor, Poëta Chriſtianus, Eclogæ *de mortibus boum* auctor. Edidit illam Pithœus, A. C. 1590. In hac introducit Ethnicum deplorantem jumentorum mortalitatem, & Chriſtianum, Providentiâ Dei propoſitâ, eum erigentem. T. 8. Bibl. PP. *edit.* 2.

ENDERA, Æthiopiæ ſub Ægypto locus. Strab. *l.* 16.

ENDERUM, Ilyrici opp. Ptol. *Endero* nunc, opp. Dalmatiæ, in mediterr. verſus Scardum mont. 50. mill. à Liſſo in Bor. Brietius, *Sanſon.*

ENDIDEIUM, Rhætiæ urbs. Anton. ſeu *Endida*, quibuſdam eſt *Neumarck*, ad Atheſim fluv. in Comit. Tirolenſi. Aliis *Bolzanum*, ad fluv. Eiſocum, qui mox in Atheſim cadit. *Baudr.*

ENDIGETI, Hiſp. Tar. pop. Ptol. Vide *Indigites.*

ENDOR, urbs tribûs Manaſſe, juxta Naim urb. ſita. Pſalm. 83. *v.* XI. Joſ. *c.* 17. *v.* XI. *fons*, ſive *oculus generationis*, vel *habitationis.* Item, urbs in tribu Iſaſchar; in monte Hermonio ſita. De artibus mulieris in *Endor* patratis in gratiam Saulis Regis 1. Sam. *c.* 28. *v.* 7. Anton. van Daalen, qui eas nullâ vi præternaturali effectas nec Dæmonem malum aut ejus præſtigias, hîc locum habuiſſe, ſed meram fuiſſe impoſturam hanc humanam, pluribus oſtendit. *Diſſertat. de Oraculis II. p.* 201. & *ſeqq.*

ENDOSIMUM, Græcè τὸ Ἐνδόσιμον, canendi ſignum eſt, quod in Choro pede percuſſo dabant Coryphæi, ſicque ſaltantibus ἐνρυθμίαν moderabantur. Hodiè idem manu datur. Vide hic paſſim, inprimis in vocibus *Meſochori*, *Pedicularii*, *Scabellum* &c.

ENDOTHYS, apud Hieron. Rubeum *in Hiſt. Ravenn.* qui ait, Maximianum Archiep. donaſſe Eccleſiæ Ravennenſi *Endothyn biſſinam pretioſiſſimam omnem Chriſti Dei hiſtoriam continentem*: præterea adjunxiſſe *ex auro aliam* endothyn, *in qua auro textili pictæ erant, omnium, qui illum præceſſerant, Archiepiſcoporum imagines*: mel *Endytes*, ex Græco ἐνδύτης, velum hîc videtur eſſe, quo Altaris pars anterior tegebatur. Aliàs Græci hoc nomine inſigniunt mappam Altaris majorem ſeu mantile, quod Altari inſternitur, uti diſcimus ex Goaro *ad Euchologium.* Vide. Car. du Freſne *in Deſcr. S. Sophiæ*, *n.* 16. & Dominic. Macrum *in Hierolexico.*

ENDROMIS, veſtimentum fuit Chlænæ non diſſimile, pingue, villoſum denſumque, cujus in palæſtra præcipuus uſus. Tertull. *de Pallio*, ubi de Cleomacho loquitur, qui ex pugile, turpiore palæſtra, intercutitus factus erat: *Utique*, inquit, *ſicut veſtigia cæſtuum viria occupavit, ita Endromidis ſolocem aliqua multitia ſyntheſi extruſit.* In quibus verbis *Syntheſi*, lineo mollique pallio, *Endromida* hirſutum, pinguemque & ſoloci filo contextam opponit. Athletarum fuit, & licèt *pauperis munus* Martiali dicatur, à divitibus quoque in Gymnaſiis adhibita eſt. Sumptam autem præcipuè ad pellendum frigus: Juv. docet *Sat.* 3. *l.* 1. cùm ait *v.* 102.

---- ---- igniculum brumæ ſi tempore poſcas,
Accipit Endromidem.

Ubi vet. Interpres, *Endromidem lodicem, quâ ſe cooperiat.* Nam, quemadmodum gauſape & chlæna, ſic & *Endromis*, quâ amiciendo, quâ inſternendo adhibebatur. Idem cùm mulieres perſtringit, quæ cum viris in palæſtra exercebantur, ait: *l.* 11. Sat. 6. *v.* 245.

Endromidas *Tyrias, & fœmineum ceroma*
Quis neſcit?

Tyrias, non quòd molliores eſſent, ſed quia divites, ut ſaltem colore diſtinguerentur, eas abſurdo luxu purpurâ fucabant: quales purpureas Homericorum Heroum chlænas fuiſſe ſcimus, qualem & Petronii coccinam gauſapinam & apud eundem Juv. coccinam læ nam. Dicta autem eſt *Endromis*, non quòd eo genere veſtis ἐν δρόμῳ, *in curſu*, ſive ſtadio ac palæſtra uterentur, quid enim currenti incommodum magis? Sed quod poſt curſum & quodlibet certamen uſui eſſet, ne frigus madidos ſudore artus penetraret. Cæterùm Græcis *Endromis*, non pro veſtibus, ſed pro calceis accipi, docti pridem obſervarunt ex Polluce *l.* 3. *c. ult.* *Endromidas appellant curſorum calceamenta* inquiente. Quò quidem trahunt illud Juv. *l.* 1. *Sat.* 3. *v.* 67.

Ruſticus ille tuus ſumit trechedipna Quirine.

Ubi *Trechedipna* interpretantur, Galliculas paraſitorum ad cœnam currentium. Sed Turnebus *l.* 3. *c.* 17. *Trechedipna* veſtes Gymnaſticas interpretatur & *Endromidem* intelligit, eò quòd Juv. hanc cum ceromate conjunxerit: vultque ideo ſic dictam, quòd Romani adeò Gymnaſticis exercitationibus fuerint dediti, ut ad eas tanquam ad cœnam currerent. Vide Octav. Ferrar. *de re Veſt. Part.* 2. *l.* 1. *c.* 11. Idem Pollux *ibidem*, αἱ δὲ ἐνδρομίδες, ait, ἴδιον τῆς Ἀρτέμιδος ὑπόδημα, *Endromides, proprium Dianæ calceamentum.* Venatorum certè curſorumque calceos ſic appellatos fuiſſe, notat vet. Callimachi Scholiaſtes *ad illud*,

---- ---- ---- λύσατο ταχείας
Ἐνδρομίδας ---- ----

Τροχάδας, ab eadem ratione eoſdem calceos appellabant, ἐξ αἰγείου δέρματος, *ex caprino corio*, Heſych. Latini *galliculas*, item *trechedipna* Salmaſ. quoque. Atque ita quidem Ἐνδρομίδα Græci, qui Athletis etiam illas tribuunt, nunquam de veſte, ſed de calceamenti genere, accipiunt. Latinis verò veſtis eſt craſſa & ſolox. Optimæ Gloſſæ, *Gauſapus*, ἐνδρομὶς &c. Vide eum *ad Tertullian. de Pallio. c.* 4.

ENDURA, ritus olim inter Albigenſes. Qui enim ab illis in communionem recipiebantur, uti diximus ſuprà in voce *Conſolati*; id quod non fiebat, niſi in extrema infirmitate, ne bonum quod acceperant, denuo amitterent: iis præſcribebatur, ut ſe ponerent in *Endura*, in inedia, quin & venæ ſectione & balneatione mortem ſibi accelerarent. Sic *in Libro Sententiar. Inquiſit. Tholoſ.* dicitur de muliere quadam, quòd in abſtinentia, quam ipſi vocant *Enduram*, *multis diebus perduraverit mortemque corporalem ſibi celeraverit, ſanguinem minuendo, balneum frequentando, potumque lethiferum ex ſucco cucumerum Sylveſtrium, immiſſo in eo fracto vitro, quo frangerentur ejus viſcera in fine, ut finiret celerius, petitum avidè aſſumendo.* De alia quòd *inhibita fuerit à ſocru, ne filiæ ſuæ parvulæ à Petro Sancii hæreticatæ, daret lac ad bibendum, atque ita filia illa mortua ſit.* Alia confitetur, *quod non viderit patrem ſuum, ex quo fuit hæreticatus, comedentem neque bibentem, niſi aquam frigidam.* Hugo autem quidam aliquot diebus in *Endura* perſeveravit, ſed poſtmodum ad inſtantiam matris ſuæ comedit & convaluit. Eodem anno illum Petrus Sancii invitavit, *ut ſe poneret* in endura *& faceret bonum finem*: *Verum tum non conſenſit, ſed quando eſſet in ultimo vitæ ſuæ.* Vide ſuprà *Bonus finis.* Non tamen omnes videntur duræ iſti legi ſeſe ſubjeciſſe. Legitur quippe mulier quædam noluiſſe filiam ſuam infirmam, ſi appropinquaret ad finem, recipi: *Quia oportuit, quod dicta filia ſua poneretur in endura.* Cum & legitur exemplum mulieris, quæ præ metu, ne ab Inquiſitoribus caperetur, ſe *in endura* poſuit, & adducto chirurgo venam ſibi ſecari juſſit in balneo; & poſt abitum chirurgi brachium deligavit in balneo, ut ſanguine copioſiùs exeunte ipſa citiùs moreretur: dein empto toxico mortem ſibi voluit conſciſcere poſtea ſubulâ, quam juxta ſeculi illius barbariem vocant alzenam, ſutoris latus ſibi voluit perfodere, ſed diſputarunt inter ſe mulieres, utrum cor eſſet in dextra an ſiniſtra parte: tandem exhauſto toxico poſtridie fuit mortua. Ex eodem *l.* ſuprà *cit.* apud Phil. à Limborch *Hiſt. Inquiſit. l.* 1. *c.* 8. Vide ſuprà *Bonus Finis.*

ENDYMION, paſtor quidem, Athlii fil. quem Jupiter ex Athlio nepotem in cœlum aſſumptum, cùm Junonem amaret, atque etiam cum Nube pro Junone concumberet, iratus rurſum dejecit, & perpetuo ſomno damnavit; unde provenit. *Endymionis ſomnum dormire.* Cic. 1. *Tuſc.* *Endymion verò, ſi fabulas audire volumus, neſcio quando in Latmo obdormivit, qui mons eſt Cariæ, nondum opinor experrectus. Num igitur eum curare cenſes, cùm Luna laboraret, à qua conſopitus putatur, ut eum dormientem oſculetur?* Idem ferè habes apud Lucian. *in Dialogo Veneris. & Lunæ.* Et Theocritus *Idyllio* 3. felicem exiſtimare videtur Endymionem, quòd ſemper dormiret, nec ullas ſentiret moleſtias,

Ζαλωτὸς μὲν ἐμὶν ὁ τὸν ἄτροπον ὕπνον ἰαύων
Ἐνδυμίων. ---- ----

Hujus poſtea amore capta Luna eum in Latmi Cariæ montis ſpecu occultavit, atque ibidem cum eo converſata eſt. Hic primus Lunæ curſum invenit, & Aſtronomiæ ſtudioſus eleganter à Poëtis fingitur Lunæ amaſius. Juv. pro pulchro poſuit. *Sat.* 10. *l.* 4. *v.* 318.

Sed tuus Endymion *dilectæ fiet adulter*
Matronæ. ---- ----

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Ovid. *Triſt. l.* 2. *v.* 299.

In Venerem Anchiſes, in Lunam Latmius *heros.*

Val. Flacc. Argonaut. *l.* 8. *v.* 28.

Latmius *æſtiva reſidet venator in umbra*

Mart. *l.* 10. *Epigr.* 4. cujus epigraphe ad Lectorem

Quid tibi dormitor proderit Endymion?

Propert. *l.* 2. *Eleg.* 15. *v.* 13. *& ſeqq.*

Ipſè Paris nudâ fertur periiſſe Lacæna,
Cùm Menelaeo ſurgeret è thalamo.
Nudus & Endymion *Phœbi cepiſſe ſororem.*
Dicitur, & nudæ concubuiſſe Deæ.

Ovid. *l.* 3. *de Art. Am. v.* 83.

Latmius Endymion *non eſt tibi, luna, rubori.*

Idem *in Ep.* 17. *Leander Heroni v.* 63.

Non ſinit Endymion *te pectoris eſſe ſeveri,*
Fac ſubeant animo Latmia ſaxa tuo.

Catull. *de Coma Berenices*: *Carm.* 66. *v.* 4.

Ut Triviam furtim, ſub Latmia *ſaxa relegans,*
Sævus amor gyro devocet aërio.

Hygin. *in Poet. Aſtronom.* Fulgentius *l.* 11. *Myth. c. ult.* Plin. *l.* 2. *c.* 9. *quæ ſingula in ea deprehendit hominum primus Endymion*: Apollon. *Argon. l.* 4. *Nic. Lloyd.*

ENECOPIA, vulgò *Enkopping*, opp. Sueciæ, in Uplandia prov. prope lacum Melerum, 4. leuc. Suec. ab Upſalia in Auſtr. 7. ab Holmia in Occ. Aroſiam verſus.

ENENTH-SEIR, ut Græci & Latini efferunt, *Enenthius*, Deus, vel Dæmon fuit Phœnicum.

ENERGUMENI, Papiæ *Dæmoniaci*, de quibus vide Concilium Carthagin. IV. *can.* 92. Arauſicanum I. *can.* 15. 16. Alia: locum quidem habebant in Eccleſia, *Can. omni die de conſecr. diſt.* 5. *Energumeni pavimenta domorum Dei intrent*; ſed cùm ſacra Myſteria celebranda eſſent, unà cum aliis, quibuſdam expellebantur, clamante Diacono: *Ite Energumeni*: Macri Fratres *in Hierolexico*. Plura apud Joh. Caſparum Suicerum *Theſauro Eccleſ.* in hac voce, & Tob. Pfannerum *de Ritibus* Eccleſiæ *vet. c. de Energumenis.*

ENETI, populi, qui olim juxta Paphlagoniam habitabant, unde Homerus ſilveſtres mulos educi ſcribit, ſic enim ille,

Ἐξ Ἐνετῶν ὅθεν ἡμιόνων γένος ἀγροτεράων.

Dicuntur & equæ *Enetides*, *Enetus* etiam poſſeſſivum eſt, & civitas Myrmecis Dialectici patria. Steph. Vide *Heneti.*

ENGADDI, h. e. *fons* ſeu *oculus hœdi*, vel *felicitatis*, eſt urbs ſita in montibus, quorum horrida ſanè & admiranda diſpoſitio eſt: nam cùm altiſſimi ſint, & ipſæ rupes præruptæ promineant, & quaſi ruinam minentur, mirè tranſeuntes perturbant, dum ſibi quiſque timet, ne in ſe & ſubjectas valles concidant. Ager olim egregius, gratiſſimum ſpirans odorem, multitudine arbuſtorum, & aliarum odoriferarum herbarum, maximè balſami, Reginæ Sabæ donum) quæ eo loci ubertim naſcuntur. Fuit Engaddi una ex præcipuis Judææ urbibus, una ſcilicet toparchiarum ordine nona, diſtans ab Hieroſolyma ſtadiis trecentis, ut Joſeph. author eſt. Atque etiamnum ſecundùm quoſdam oſtenditur vicus prægrandis Judæorum Engaddi, i. e. *fons* vel *oculus hœdi*, ut ſuprà, juxta mare mortuum, unde opobalſamum venit. Vineas Engaddi memorat Solomon *in Canticis. c.* 1. *v.* 14. In hujus vicinia David occaſionem habuit interficiendi Saulem. 1. Sam. *c.* 24. *v.* 1. Vide Joſeph. *Antiqq. l.* 8. *c.* 2. Brocard. *de terra S.* Torniel. *A. M.* 2976. *n.* 1. Hodiè vix rudera ſuperſunt. Morerius. Ἔγγαδδα Steph. in fœm. vel neut. genere.

ENGALIM, Palæſtinæ locus. Ezech. *c.* 47. *v.* 10. In principio maris mortui, in tribu Juda.

ENGANNIM, locus tribûs Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 34. Item civitas ſacerdotum in tribu Iſſachar. Joſ. *c.* 19. *v.* 21. Lat. *fons hortorum*, ſive *oculus protectionum*. Item civ. in tribu Manaſſe, trans Jordanem, circa Geraſam. Hier. *de Loc. Hebr.*

ENGASTRIMYTHI, Vide *Muſſare*, *Python*, *Ventriloquus.*

ENGELANES, pop. Illyrici, iidem qui *Enchèleæ. Steph.*

ENGELBERGA, filia Ducis Spoletani, Imperatrix aliis Ethiconis, Sueviæ D. nupſit Ludovico II. Imp. Continuator Aimonii, San. Marth. *Geneal. Galliæ Regg.*

ENGELBERTUS, fil. Joh. Com. Naſſovii Dillenburgicæ lineæ, ex Margareta, filiâ *Engelberti* Com. Marcarum & Cliviæ, frater Adolphi majoris natu, ductâ Johannâ, Joh. Leccæ & Bredæ Toparchæ filiâ, Baronatum Bredæ, a Joh, Brabantiæ D. emptum, ditioni avitæ adjunxit. Extinctus A. C. 1446. Ei ex uxore prædicta nati ſunt Joh. qui ductâ Mariâ Joh. Com. Lonæ & Heinsbergæ filiâ ditiones varias, interque illas tertiam Juliaci agri partem, nactus eſt: Henricus, Eliſabetha aliique.

ENGELBERTUS, fil. natu major Joh. præfati, cum fratre Joh. ne bona paterna fortunæ munere coagmentata divellerentur, pactum iniit, ut utricunque hæres deeſſet maſculus, ejus ditiones, alteri, vel poſteris ejus cederent: ipſe autem recentiora & in veteri Gallia poſita poſſidebat; vetera & in Germania ſita Joh. occupante. Fuit is non modò Brabantiæ, ſed omnium per Belgium munitionum, Præfectus: aurei velleris decus in domum intulit, Maximiliano I. Imp. & Carolo Pugnaci, ultimo Burgundionum Duci, mirè gratus. Bello inter Imp. præfatum & Ludovicum XI. Galliarum Regem fervente; cùm de Flandriæ jure agèretur armis & jam ſuperior res Gallica videretur, ipſe profligatum jam prælium reſtituit, victoriâ Gallis extortâ. Litem inter Cæſarem & Burgenſes ortam compoſuit, unde ab his arx, in honorem Naſſoviorum, Bruxellis extructa: Limites Rheni & Tranſmoſanam regionem in Cæſaris obſequium reduxit; cum Gul. Duce Juliacenſi Millam, Ganglam, Wertam, Dieſtam, Sichemo, Seelhemo & Vice-Comitatu Antverpienſi commutavit; Obiit A. C. 1504. hærede fratre, nullis ex Limburge, Marchionis Badenſis filia, liberis ſuſceptis. Cyr. Lentulus *Geneal. Principp. Naſſoviæ deſcr.*

ENGELBERTUS, Abbas Monaſt. cujuſdam in Sina, electionem Rodolphi I. Imp. verſibus proſecutus eſt. Scripſitque de initio & fine Imperii Romani, aliaque. Simlerus & Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 62. Item Abbas Ciſtertienſis, ſcripſit vitam S. Hiduvigis. A. C. 1250. Poſſevin. *App. Sacr.*

ENGERIACUM, opp. Santoniæ, ad Voltumnum fluv. *la Boutonne*, aliàs munitum. 2. leuc. à confin. Pictavenſis prov. Vulgò *S. Jean d'Angely*, à Monaſt. Regio, quod Pipinus, Aquitaniæ Rex fil. Ludovici Pii extruxit, in honorem S. Joh. Baptiſtæ, cujus reliquiæ ibi aſſervari dicuntur. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

ENGIBATA, icunculæ hydraulicæ, de quibus vide aliquid infrà, ubi de *Mechanice.*

ENGILINHEMIUM, vulgò INGELHEIM, villa olim fuit Regia, vel publica, Mogontiaco proxima, notiſſima Caroli Mag. poſteris. Hic Palatium fuit centum columnis innixum & ampliſſimum; habens æreos poſtes & aurea oſtia, teſte Helmoldo Nigello, qui ex milite Clericus, Ludovici Pii æqualis, hujus de vita 4. libros verſibus compoſuit. Id à Carolo Mag. inchoatum, à Ludovico verò Pio fil. abſolutum eſſe ſcribit *Eginhardus.*

ENGISTUS, Dux Saxonum novas ſedes quærentium in Britanniam applicuit; qui quanquam minimè Chriſtianus, à Vortigerno, in regni partem exceptus, auxilio ei contra Pictos & Scotos fuit. Didonis dicitur uſus aſtutia, & agrum mercatus, quantum pellis bubula operiret: Hac in tenues poſtea diviſâ partes, urbem cinxit in gyrum, quam ſuâ linguâ pellis nomine *Thoncaſtel* nominavit, quaſi Latinè dicas corrigiam caſtelli. Al. *Hengiſtus.* Vide ibi.

ENGLECHERIA, al. ENGLECERIA, fictitium ſubſtantivum q. *Anglietas*, vel nativitas Anglica, appellatio priſcæ apud Anglos legis. Cùm enim omnes, per univerſum Angliæ regnum, Dani, ſub prætextu inſpiciendorum armorum, uno eodemque die ab Æthelredo eſſent occiſi; Canutus dein Danorum Rex regni ſolium adeptus, quò ſibi ſuiſque in poſterum meliùs caveret, exercitum retinere ſtatuit. Quod cùm populo grave eſſet, Barones Angliæ, erga Regem fidejuſſores extitêre, Danos in poſterum ſecuros fore. Itaque aliquo occiſo, niſi conſtaret de ejus *Engleſcheria*, gravis pœna lege ſancitâ exigebatur: minus autem puniebatur reus, ſi Anglum fuiſſe, qui occiſus erat, conſtitiſſet. Sic lex hæc lata fuit, in præſidium extraneorum, videl. Danorum primò, & deinde, cùm ingreſſi eſſent Normanni, Francigenarum; quorum cædes multò gravius, quàm Anglorum plectebatur, ſed ſuſtulit legem Eduardus III, An. Regni 14. Vide Henr. Spelm. *Gloſſar. Archæol.*

ENGOLISMA ſeu INCULISMA, urbs Ep. Aquitaniæ, al. *Ratiaſtum* quibuſd. 12. leuc. à Mediolano Sant. in Ort. 16. à Lemovico in Occ. Cum caſtro munito & Duc. tit. Primus eam occupavit Chlodoveus I. victo Alarico, & muris ſponte corruentibus. Gregor. Tur. *Hiſt. l.* 2. *c.* 37. Poſtea, ſub Carolo Simplice, Præfecti quidam rerum hic potiti ſunt, donec poſt mortem Com. Guidonis, ad Philippum Pulchrum urbs rediit. Data dein Joh. filia Lud. Hutini, uxori Philippi Ebroicenſis, Anglis ceſſit, pace Bretiniacenſi. Sed ditionem recuperavit Carolus V. eamque fratri Joh. Duci Bituricenſi conceſſit, moxque ab eodem certâ pecuniæ ſummâ recepit. Fuit exin ſub Ludovico D. Aurel. fratre Caroli VI. & filio ejus Joh. cujus nepos Franciſcus, poſtea Rex, Comit. in Ducatum erexit, A. C. 1515. Vulgò *Angouleme*. Capta bello civili, A. C. 1562. & 1568. Primaria eſt *Engoliſmenſis agri*, vulgò *Angoumois*, prov. quæ prope Carentonium fluv. inter Marchiam Lemovic. ad Ort. & Santoniam ad Occ. ſita eſt. Vide quoque *Iculiſma.*

ENGONASIS, ſignum cœleſte, quod Latinè *Ingeniculus* dicitur, & eſt Hercules qui dextro genu nixus, ſiniſtro pede capitis Draconis dextram partem opprimere nititur. Cic. *l.* 2. *de Nat. Deor.*

---- *Id caput autem*
Attingens defeſſa velut mœrentis imago.

Quam quidam Græci

Engonaſin *vocitant, genibus quia nixa feratur.*

ENGUBIUM, urbs Ep. Ducatus Urbinenſis.

EUGUERRANDUS Marinius, Miniſter ſtatus, ſub Philippo Pulchro; Cui cùm ſucceſſiſſet Lud. X. Hutinus, huncque Carolus Valeſius excepiſſet, hic pecuniam ad Inaugurationem deeſſe ſentiens, quæſtoriæ rei adminiſtros, & inprimis caput eorum, Enguerrandum, ad rationes reddendas vocavit. Reſpondit impudens Carolum meliorem regiæ pecuniæ partem ipſum accepiſse, eum mendacii arguere non veritus. Hinc in vincula conjectus, &, poſtquam uxor ejus magicâ icunculâ Regis vitæ inſidias ſtruere convicta eſset, ſuſpenſus eſt, plurium criminum reus, A. C. 1315. de patibulo, quod ipſemet erigi curaverat. Haillan. Guaguinus, Mezeraius, Duplex, *in Phil. Pulchro & Lud. Hutino.* Chronic. *magnum S. Dionyſii*, &c.

ENGUERRANDUS Monſtreletus, Nobilis, Cameraci degens, duobus libb. deſcripſit bella inter Domum Aurelianenſem & Burgundicam, Anglorum in Gallia progreſsus; & reliqua memorabilia ſui temporis. Orſus ab A. C. 1400. ubi Joh. Froiſſardus deſiit, uſque ad A. C. 1467. Verder. *Bibl. p.* 276. 277.

ENGYUM, Siciliæ urbs Steph. non magna ſed perveturſta, καὶ διὰ Θεῶν ἐπιφάνειαν ἔνδοξος, ἃς καλοῦσι Ματέρας, *& Dearum apparitionibus nobilis, quas Matres vocant*, Plutarch. in *Marcello.* Vide infrà *Matres*. Per Timoleontem, tyrannide à Leptinis liberata, Olymp. 109. An. 3. Ejus meminit Sil. Ital. *l.* 14. *Punici belli. v.* 249.

---- *Romana petivit*
Fœdera Callipolis, *lapidoſique* Eugyon *artus.*

Ubi alii *Eugion Gange* Aretio, *Lognina* Fazello. Vide Cluv. *Sic. Antiq. l.* 2. *c.* 11. Græcè Ἔγγυιον;

EN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

EN-HADDA, civitas in tribu Iſſachar. Joſ. *c.*19. *v.*21. Lat. *oculus acutus*, ſive *lætus*, aut *fons acuminis*, vel *lætitiæ*.

EN-HASOR, civitas tribûs Nephthali. Joſ. *c.* 19. *v.* 37. Lat. *fons, vel oculus atrii*, aut *fontis fœnum*, vel *herba*.

ENHEIMUM, urbs Alſatiæ inf. parva, ſed libera & Imper. ad amnem *Ergel*, 3. leuc. ab Argentina in Afr. ſub client. Franciæ Regis pace Monaſter.

ENHIPPUS, fortè EUHIPPUS, Rex Argivorum miræ felicitatis, cujus clypeum, qui apud Græcos rem præclaram geſſiſſent, per urbem incedentes ferebant honeſtamenti causâ.

ENHYDRUS, Græcè Ἔνυδρος, apud Solin. *c.* 31. *Quod Enhydrus conſpicatur, Ichneumonum genus, penetrat belluam*; ut antiqui quidam libri habent: *aquaticus* eſt, ut ἔνυδρα ζῶα, *aquatilia animalia*. Sed ichneumonis tale genus dari, negat Salmaſ. qui proin vocem delendam è loco cenſet. Ἔνυδρος potiùs eſt, qui aliis ἐνυδρις, aliis ἐνύδρης, dicitur; Lat. *Lutra*, ab Attico ἐλύτρης, cujuſmodi animalia multa in Nilo, & ſacra Ægyptiis fuére. Herod. *Muſa* 2. Γίνονται καὶ ἐνύδριες ἐν τῷ ποταμῷ, τὰς ἱεροὺς ἥγηνται εἶναι. Sed crocodilo id neutiquam infeſtum: Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 446. Eidem auctori *Enhydros*, quoque gemma eſt, *c.* 37. *Enhydros exudat, ut clauſam in eo putes fontaneam ſcaturiginem.* Extimam nempe ejus ſuperficiem aquâ madefactam ſemper eſſe vult, velut clauſam intus contineat ſcaturiginem aliquam, ex qua ille humor erumpit. At Plin. *Enhydros*, inquit, *ſemper rotunditatis abſolutæ, in candore eſt levis, fluctuat intus in ea, velut in ovis, liquor.* Vide eundem Salmaſ. *ibid. p.* 770.

ENIENSES, Græciæ pop. *Herod.*

ENIMUNDUS Bonifidius, vulgavit typis Henrici Stephani, ſuam *Juris Orientalis Directionem* Græcè, additâ Latinâ ſuâ *Verſione* ac *Notis*, A. C. 1573. Gerhard. von Maſtricht *Hiſt. Juris Eccleſ. n.* 406.

ENINGIA, reg. Europæ ſeptentrionalior. Plin. *l.* 4. *c.* 13. *Finland* Zeiglero Mel. *Fenningia, Finnigia* & *Finnia*, quæ vide.

ENIOCHE, Nutrix Medeæ, apud Val. Flacc. *l.* 5. *Argon. v.* 357.

ENIOCHI, Vide *Heniochi*.

ENIOCHIDAS, Athenienſium Imp. A. U. C. 141.

ENIOPEUS, Hectoris auriga à Diomede lanceâ confixus. Hom. *Iliad.* 8.

ENIPEUS, fluv. Theſſaliæ, campos Pharſalicos irrigans, juxta quem Cæſar vicit Pompeium, lentus primò, ſed mixtus Apidano velociſſimus. Lucan. *l.* 6. Civ. bell. *v.* 373:

Apidanos nunquamque celer, niſi miſtus Enipeus.

Idem *l.* 7. *v.* 117.

Sanguine Romano quam turbidus ibit Enipeus

Idem Ibidem *v.* 224.

At juxta fluvios, & ſtagna undantis Enipei

Val. Flacc. Argon. *l.* 1. *v.* 358.

Segnior Apidani vires ubi ſentit Enipeus:

Ovid. *Met. l.* 1. *v.* 579.

---- *Et irrequietus* Enipeus.

Item Elidis fluv. recentiore nomine *Barnichius* dictus. Hom. 7. *Odiſſ.* narrat, ut Tyro, Salmonei fil. Enipeum fluv. amarit, utque ejus fluvii aſſumptâ formâ Neptunus amore puellæ potitus ſit, ex qua ſuſcepit liberos Peliam, & Neleum. Ovid. *Amor. l.* 3. Eleg. 5. *v.* 293.

Siccus ut amplecti Salmonida poſſet Enipeus.
Cedere juſſit aquam, juſſa recedit aqua.

Propert. *l.* 1. Eleg. 13. ad Gallum *v.* 21.

Non ſic, Æmonio Salmonida miſtus Enipeo,
Tænarius facili preſſit amore Deus.

Idem *l.* 3. Eleg. 19. ad Cynthiam *v.* 13.

Teſtis Theſſalico flagrans Salmonis Enipeo,
Quæ voluit liquido tota ſubire Deo.

Nic. Lloydius.

ENISIPIA, Mercatori *Iſola de Colombi*. Inſ. maris Afr. Ægypto ſeu Marmaricæ adjacens, *Æneſippa* Ptol. *Æneſipaſta*, *Strabon.*

ENISIS, Siciliæ parvus fluv. Fazello, quem hodiè *Niſi* appellari ſcribit. In valle Demonæ. Cadit in fretum Siculum ex adverſo prom. Leucopetræ, Idem Græcis *Chryſorrhoas*, quòd aurum deferat. Ibi opp. *Niſa*, ol. naturâ ſic munitum, ut ab Athenienſibus expugnari nequiverit. *Thucyd.*

ENISPE, urbs Arcadiæ, quæ non amplius extat. Steph. apud quem vetus Poëta,

---- Ἠνεμόεσσαν Ἐνίσπην.

Stat. *l.* 4. *Theb. v.* 286.

---- *Ventoſaque donat* Eniſpe.

ENNA, civitas inſignis in ipſo Siciliæ umbilico, auguſtiſſimo Cereris templo olim nobilitata (unde Ceres *Ennea* dicta) nemoreque ſacro, ex quo Proſerpinam raptam fuiſſe incolæ aſſerunt. Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 419.

Grata domus Cereri, multas ea poſſidet urbes,
In quibus eſt culto fertilis Enna *ſolo.*

Nobis indicare ſufficiet (inquit Bochart.) *Ennam* Punicè dici עין נעם *En-naam*, vel *Ennam*, h. e. *fontem amœnitatis*, idque jure meritiſſimo; cùm fontibus irriguus fuerit locus, & inſulæ totius cætera amœniſſimus. Diod. *l.* 5. *Raptam fabulantur Proſerpinam*, ait, ἐν τοῖς λειμῶσι τοῖς κατὰ τὴν Ἔνναν. Et paulo poſt, Ἔστι δὲ σχεδὸν μέσος ... ὁμαλὸς, καὶ παντελῶς ἔνυδρος. Cic. etiam *Verrinâ quartâ*, *aquas* ei tribuit *perennes*. Quin & Claud. *l.* 2. *de Rapt. Proſ. v.* 101.

---- *Curvata tumore*
Parvo planities, & mollibus edita clivis
Creverat in collem, niveo de pumice fontes
Roſcida mobilibus lambebant gramina rivis.

Baudr. in valle Nextina locat. Ejus arx etiamnum extat, in qua diu hæſit Frider. II. Ei adjacet lacus cognom.

ENNA, Græcè Ἔννα, pop. Atticæ, Scholiaſti Callimachi, qui ejus junctim cum Eleuſine meminit, indigitatus. Unde Ἔννιος pro quo Ἄννιος habetur in vet. *Inſcr.* hodieque haud procul Athenarum urbe, ſuperſtite:

ΜΟΣΧΟΣ
ΜΟΣΧΙΩΝΟΣ
ΑΝΝΙΟΣ.

apud Jac. Spon. *Itin. Part.* 3. *ubi de* 174. *Atticæ populis.* Sub qua Tribu fuerit, haud liquet.

ENNEACRUNUS, fons apud Athenas à Piſiſtrato conditus, à numero fiſtularum, quas Græci κρουνοὺς vocant, ſic dictus. Qui etiam *Callirrhoe* à Papin. Stat. vocari videtur hoc verſu Theb. *l.* 12. *v.* 629.

Et quos Callirhoë novies errantibus undis.

ENNEADECAETERIS, Gr. Ἐννεαδεκαετηρὶς, novem ac decem annorum circuitus eſt, quem Meton, Phaini auditor, acceptâ ab eo rectâ Solſtitii obſervatione, non compoſuit ſolum, ſed & publicè Athenis in Comitio monumentum erexit, quo populus doceretur, quibus anni Lunaris diebus obſervanda eſſent Solſtitia toto illo annorum decurſu, ſimulque omnium ſiderum errantium inerrantiumque ortus atque obitus & varias anni tempeſtates, ex eorum ortu & occaſu, prænuntiatas oſtendit, uti docet ex Arato Salmaſ. *ad Solin. p.* 741. Non tamen Cyclus hic in uſum vulgarem receptus eſt, neque Octaëteridis anomaliam, uti debebat, in feſtis celebrandis, ſuſtulit, uti patet ex *Nubibus* Ariſtophanis. Acta eſt fabula, Amyniâ Archonte, Anno 2. Olymp. 89. in qua ipſa Minerva Athenienſes increpat, illos

---- ἐκ ἄγειν τὰς ἡμέρας
Οὐδὲν ὀρθῶς, ἀλλ' ἄνω τε καὶ κάτω κυδοιδοπᾶν κτλ.
Nullos dies rectè tranſigere;
Sed ſurſum & deorſum omnia confundere.

Act. 1. *ſub fin.* Neque multo pòſt, Anno 4. Olymp. 91. Nicias Athenienſium Dux in Sicilia, Lunæ defectu ſuperſtitiosè territus, unà cum exercitu periit. Ex cœleſtium motuum ignorantia Superſtitio, ex Superſtitione clades, Joh. Marsham *Can. Chronic. Sec.* XVIII. Vide hic paſſim, inprimis in vocibus, *Heliotropium*, *Meton*, *Paravegma*, *Numerus aur.* *Octaeteris.*

ENNEAETERIS, quæ aliàs Ὀκταετηρὶς, quia primus ejus annus *nono quoque anno* redibat, circulus erat annorum 8. primumque Religiones ſpectabat, tandem intercalationem annique formam. Multæ ſanè in Græcia Religiones hoc intervallo temporis celebantur. Delphis quoque ludi, *Pythia* dicti, poſt octavum olim annum conficiebantur. Et jam Minos II. Leges ſuas κατ' ἐννεαετηρίδα promulgavit, tributumque Athenienſibus conſtituit, eodem annorum circulo ſolvendum. Sed & diu antea Cadmus *annum magnum*, i. octo annis conſtantem, Marti mercenarius fuit, Apollodorus *l.* 3. Verùm cùm progreſſu temporis periodi hujus fides ſuſpecta eſſe cœpit, Enneadecaëteride mederi ejus anomaliæ conati ſunt, de qua mox, Vide Cenſorin. *c* 18. alioſque laudatos Equ. Marshamio *Canone Chron. Sec.* XVIII.

ENNIA, Macronis uxor, quam Cajo Caligulæ, Tacit. Ann. *l.* 6. *c.* 45. *poſt mortem Claudiæ, maritus immiſit impulitque amore juvenem illicere, pactoque matrimonii vincire.*

ENNIANISTÆ, quinam olim Romæ dicti, vide infrà in voce *Vargacteus.*

Q. ENNIUS, Poëta antiquiſſimus, Rudiis Calabriæ oppido natus, circa A. U. C. 515. Qu. Valerio, & C. Manlio Coſſ. Ovid. de arte Amandi. *l.* 3. *v.* 389.

Ennius *emeruit Calabris in montibus ortus*
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.

A Catone Quæſtore diſcipulo, è Sardinia, in urb. adductus, in Aventino habitavit, ancillæ unius miniſterio contentus. Scripſit Annalium libros, Satyras, Comœdias ac Tragœdias, ex quibus ad nos nihil pervenit, exceptis aliquot verſibus à ſcriptoribus veteribus paſſim citatis. Scipionem Africanum maximè coluit, itaque viciſſim ab eo eſt adamatus ut alter ab altero ne ſepulturâ quidem divelli voluerit. Cic. *pro Archia poeta*: *In ſepulchro Scipionum putatur eſſe conſtitutus è marmore.* Liv. *l.* 38. *Romæ extra portam Capenam in Scipionum monumento tres ſtatuæ ſunt, quarum duæ P. & L. Scipionum dicuntur eſſe, tertia Poetæ Q. Ennii.* Vide Val. Max. *l.* 8. *c.* 15. A. Gell. *l.* 17. *c.* 21. Cic. *de Sen. & in Bruto.* Victor. *de Vir. Ill. c.* 47. Hier. *Chron.* & Solin. *c.* 7. Periit A. U. C. 585. Q. Martio Philippo, & Cneio Servilio Cæpione, Coſſ. morbo articulari, quem immodico vini uſu contraxerat. Unde Horat. *l.* 1. Ep. 19. *v.* 7. obiter eum tangit, tanquam vino plus ſati ; deditum,

Ennius *ipſe pater nunquam niſi potus ad arma*
Proſiluit dicenda. ---- ----

Ejus mem. Lucret. rerum natural. *l.* 1. *v.* 117.

Ennius *ut noſter cecinit, qui primus amœno*
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam.

Ibid. *v.* 121.

Ennius *æternis exponit verſibus edens*,

In Scipionum monumento conditus. Ennii perſtudioſus fuit Virgilius, nam plura ex eo ſumpſit, & in carmina ſua tranſtulit, quorum partem notavit Macrob. *l.* 6. *Sat. c.* 1. Idem quum aliquando deprehenderetur Ennii poëſin legere, interrogatus quid ageret, reſpondit; *Aurum ſe ex Ennii ſtercore colligere.* De Ennio quoque Ovid. ſcripſit *Triſt. l.* 2. *v.* 423.

Ennius *ingenio maximus, arte rudis.*

Ibid. Amor. *l.* 1. Eleg. 15. *v.* 19.

Ennius *arte carens, animoſique Accius oris*,

Sicut & *rudem Ennii Muſam* dixit Statius *l.* 1. *Sylv.* ad nomen patriæ *Rudiæ* nimirum alludens uterque. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 2. Alius *Ennius* de augurandi diſciplina ſcripſit. Vide Suet. *de Illuſtr. Grammat. c.* 1. *Nic. Lloyd.*

EN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ENNIUS, prænom. *Lucius*, Eques Rom. Majeſtatis ab Atejo Capitone poſtulatus, quòd effigiem Principis promiſcuum ad uſum argenti vertiſſet: Sed à Tiberio Cæſ. inter reos recipi vetitus. Vide Tacit. *l.* 3. *Annal. c.* 70.

ENNODIUS Marcus Felix, ex familia Conſulari, Ep. Ticinenſis, poſt Epiphanium, A. C. 490. Apologiam mox pro Synodo Rom. A. C. 503. habitâ & Symmacho Ep. contra Schiſmaticos ſcripſit. Ab Hormiſda, ad Anaſtaſium Imp. bis miſſus; Obiit A. C. 521. Valerio Conſ. Scripſit præterea 9. libros epiſtolarum, 10. tractatus de variis rebus, ut Panegyricum Theodorici, &c. 28. declamationes, librum Poëmatum, duos libb. Epigrammatum, quæ omnia edita, cum notis Sirmondi, A. C. 1611. Vide Trithem. *Cat.* Bernardin. Saccium, *hiſt. Tic. l.* 8. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 18. & *de Poet. c.* 5.

ENNON, corruptè pro *Hinnom.* Jer. *c.* 7. *v.* 31. & 32.

ENNOSIGÆUS, Neptuni cognomen, ab eo, quòd *terram concutiat* impoſitum, unde etiam *Enoſichthon* dicitur. Juv. *Sat.* 10. *l.* 4. *v.* 182.

Ipſum compedibus qui vinxerat Ennoſigæum.

ENOCH, fil. Cain, Gen. *c.* 4. *v.* 26. natus A. M. 131. Joſeph. *Antiqq. l.* 1. *c.* 3. Prima quoque mundi civitas ab ipſo Cain ædificata, & filii nomine appellata: in Tribu Aſer. Fuit alius fil. Jaredi, pater Mathuſalæ, natus A. M. 623. vir juſtiſſimus, qui cum Deo ambulavit, & ſublatus A. M. 987. evanuit. Hic quaſdam invenit literas, quoſdamque libros conſcripſit, qui periêrunt, Sixt. Sen. *Biblioth. ſanctæ l.* 2. Perer. *in Gen. l.* 7. (Prophetiæ illius D. Judas *v.* 14. meminit) Sub eo Adam mortuus eſt. Comeſtor *in c.* 3. *Gen.* Luculentum teſtimonium de illo profert Apoſtolus epiſtolæ ad Hebr. *c.* 11. *v.* 5. Πίστει Ἐνὼχ μετετέθη, τοῦ μὴ ἰδεῖν θάνατον, καὶ οὐχ εὑρίσκετο, διότι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ Θεός. Πρὸ γὰρ τῆς μεταθέσεως αὐτοῦ μεμαρτύρηται εὐηρεστηκέναι τῷ Θεῷ. Sed & ante illum Siracides cum non uno elogio exornavit Eccleſiaſtici. *c.* 44. Ἐνὼχ εὐηρέστησε Κυρίῳ, καὶ μετετέθη ὑπόδειγμα μετανοίας ταῖς γενεαῖς. Item *c.* 49. Οὐδεὶς ἐκτίσθη τοιοῦτος ἐπὶ τῆς γῆς οἷος Ἐνώχ, καὶ γὰρ αὐτὸς ἀνελήφθη ἀπὸ τῆς γῆς. Vide Druſii *Hanechum*, Auguſtin. *de Civ. D. l.* 15. *c.* 23. & *l.* 18. *c.* 38. Joſeph. Idololatriæ initium ad ejus tempora refert: *Homines*, inquiens, *per* VII. *generationes agnoviſſe Deum* Δεσπότην εἶναι τῶν ὅλων, *dein verò ab inſtitutis patriis degeneraſſe*, *Antiqq. l.* 1. *c.* 4. qua de re vide infrà in voce *Enos* Apocrypha Enochi de Angelis *Egregoris* apud Syncellum leguntur *p.* 11. & 24.

ENODATOR, vide EDOMATOR, Seldenus, 4. *v. ult.* Paraphraſten utrumque ſecutus & Rabbinos, de novorum Numinum initiis eum intelligentes, ſic vertit: *Tunc profanatum eſt invocando nomen Jehovæ.* i. e. nomen Dei rebus creatis impiè tributum eſt. *Proleg. de Diis Syris.* Quod vero demum ſub Enocho factum cenſet Joſeph. ut vidimus mel. fortè ad Serugi ætatem deſcenditur, vide ibi.

ENODIA, Hecate, quòd in via inventa ſit ab Inacho. Steph. Heſych. Ἐνοδία Ἄρτεμις.

ENODIUS, Græcè Ἐνόδιος, dictus eſt Ἑρμῆς, i. e. *Mercurius*, ſicut Diana quæ Luna eſt dicta fuit Ἐνοδία, quia Mercurium viarum Præſidem fecêrunt: qui honos planè videtur competiiſſe Mercurio potiùs, ut Solem ſignabat, quàm ſtellæ Mercuriali. Solari enim lumine vias die cognoſcimus, quod noctu Luna præſtat. Idem omnino fuit Apollo Ἀγυιεὺς, quem & ipſum Solem eſſe, nemini dubium eſt. Interea occurrit ratio, quâ etiam hoc decus ad Mercurii ſtellam referre poſſis. Nam hæc præerat loquelæ: at, ut cogitationis ſymbolum eſt loquela, ita loquelæ ſignum eſt ſcriptura vel aliud quod eandem habet vim. Quid mirum igitur, ſi & viæ monſtratio Mercurii ſtellæ ſit attributa, quando Mercurius fingeretur formâ capitis humani impoſitâ lapidi quadrato, cui inſcriptum foret quò via duceret. Ponebantur autem hujuſmodi Hermæ in biviis, triviis, quadriviis, quos magna ex parte truncavit Alcibiades, ut eſt apud Andocidem *Orat. de Myſteriis, item* Plutarch. & Corn. Nep. *Alcibiade.* At quia caput Mercuriale imponeretur cubo, eò Mercurius τετράγωνος dicebatur: à qua eadem cauſa eſt, quòd Mercurium appellarunt *lapidum congeriem* &c. Vide Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 32. ſupra in voce *Acervus* alibique.

ENOMIDES, ſcripſiſſe videtur de Deorum nominibus, natura & geſtis, teſte Etymologi Magni authore.

ENON, terminus Damaſci. Ezech. *c.* 47. *v.* 17. Item opp. juxta Salim, haud longè à Jordane, ubi Joh. baptizabat. Johan. *c.* 3. *v.* 23. Lege *Ænon.*

ENONA, mel. ÆNONA urbs Daciæ. Ptol. Aliàs Liburnorum, nunc Dalmatiæ, in ora littor. probè munita, & mari undique cincta, ſub Venetis 4. mil. à Giſſa Inſ. Vide *Ænona Baudr.*

ENOPE, urbs Peloponneſi juxta Pylum, ſub dit. Agamemnonis, Hom. *Iliad.* 9. Pauſan. putat *Geraniam* Homero *Enopen* vocatam. De *Enope* Strab. *l.* 8. *Enopen* putant alii *Pelanam*: alii locum quendam Cardamylæ vicinum; alii *Gereniam.*

ENOS, Sethi fil. Gen. *c.* 4. *v.* 26. *c.* 5. *v.* 6, 7, 9, 10, 11. natus A. M. 236. obiit A. C. 1140. Cainani pater: Luc. *c.* 3. *v.* 38. ad אנש *miſer fuit.* De eo vide locum Gen.

ENOSIS, inſ. juxta Sardiniam Plin. *l.* 3. *c.* 7. quæ Pineto *S. Pierre* dicitur. Parva & oblonga, in ora Auſtral. quæ etiam *Sulcitana* dicta: nunc *S. Antiochi* Inſ. Cluv. Habet in ambitu 25. m. p. ſed cum una alterave tantum villula, propter piratas. 4. mill. ab ora Sardiniæ prox. 12. in Ort. ab Inſ. Petri, quæ aliàs *Hieracum*, ſeu *Accipitrum* Inſ. *Baudr.*

ENOTICON, Vide *Henoticon.*

ENOTOCOETÆ, pop. ſunt, qui aures ad talos uſque dependentes habent, ut ſemper iis indormiant, adeò fortes, ut arbores evellant, & nervum frangant. Strab. *l.* 15.

ENSALMUS, incantatio, certis ſuperſtitioſis precibus conſtans; cujuſmodi fuit oratio illa, *Crux Chriſti ſalva me*, à quodam Græco Archiep. compoſita, de qua Diana *Part. IV. Tom.* 3. *reſol.* 62. Vide Hieron. Bardum. *Tract. Medico Polit.* & Kircher. *Magiæ Ægypt. Tom.* 2. laudatos Macro *in Hierolex.*

de ENSE Jacobus, Vide *Jacobus.*

ENSEMES, nomen loci. Joſ. *c.* 18. *v.* 17. i. e. *fons ſive oculus Solis.* In tribu Benjamin.

ENSIFERI, Ordo milit. Livoniæ. Ferunt enim Engilbertum, & Theodorum de Tyſſench, aſſumptis in conſortium quibuſdam è Germania mercatoribus opulentis, ut infidelibus in Livonia ſeſe opponerent, primitus coiiſſe, atque apud Albertum Bremenſem, Ord. Ciſtert Ep. tum Rigenſem, ſolenni voto ſeſe ad id muneris obſtrinxiſſe: Primus illorum M. Magiſter Vinno dictus eſt: confirmatus mox ordo ab Innocentio III. & Teutonico junctus eſt, A. C. 1237. cùm per ſe hoſtibus imparem ſe eſſe ſentiret. Cùm verò Albertus Magnus Mag. Ordinis Teuton. ſeu Crucigerorum, Evangelicam doctrinam amplexus eſſet. A. C. 1525. Enſiferi rurſus ſegregem habere ſocietatem cœpêrunt, electo in M. Magiſtrum Gualtero Plettenbergio, cui Gulielmus Furſtenbergius ſucceſſit A. C. 1535. qui à Moſcis poſtea, Livoniam vaſtantibus, captus eſt. Deſiit ſub Gothardo Ketlero, qui ſimiliter nomine Evangelio dato, in præſentia Principis Nicolai Radzivilii, Palatini Vilnenſis, & Commiſſarii Sigiſmundi Auguſti Poloniæ Regis ſolenniter ordini renuntiavit: tum huic jura & privilegia Ordinis, cum urbe Ripa, Gothardo verò Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ, ſub fide Regum Poloniæ, ceſſit. Inſignia erant, toga candida, & trabea nigra, in qua ad ſiniſtrum humerum enſis ruber nigro inductus; in pectore verò duo gladii ſimiles decuſſatim commiſſi erant, deorſum verſus cuſpides tenentes. Hinc illi *Fratres Enſiferi* dicti ſunt. Cromer. Michov. & Neugeb. *hiſt. Polon.* Alexander Guaguinus *deſcr. magn. Sarm.* Chytræus *Saxon. l.* 20. Bzovius & Spondus *in Annal.* &c.

ENSIS, Scythis olim pro Numine. Solin. *Populis iſtis Deus Mars eſt, pro ſimulacris enſes colunt* Ἀκινάκην Epiphan. vocat *l.* 1. ubi de Sauromatis Scythis. *Acinacem* quoque Arnob. *adv. Gentes l.* 6. *Ridetis temporibus priſcis Perſar. fluv. coluiſſe acinacem Scythiæ nationes.* Vide quoque infrà *Thiras.* Prætorianis apud Romanos militibus latere dextro geſtatus eſt; cùm cœteri milites lævo eos accinctos haberent. Joh. Antiochenſis περὶ Ἀρχαιολογ. & *Epit.* Dionis, Τῇ φυλακῇ τῇ βασιλικῇ ταχθέντες, οὐκ ἐν τῷ ἀριστερῷ μέρει, ἀλλ' ἐν τῷ δεξιῷ τὰ ξίφη διαζώννυσθε, *Cuſtodiæ enim Imperatoriæ deſtinati, non ſiniſtro, ſed dextero latere, enſes accingitis.* Nempe vetuſtiſſimis temporibus, miles Romanus dextro latere cinctum *enſem* gerebat, ut Polyb. ſcribit, ἅμα δὲ τῷ δεξιῷ μάχαιραν, ταύτην δὲ περὶ τὸ δεξιὸν φέρειν μηρόν. Poſtea, ut videtur, & ſub Impp. ſoli Prætoriani milites ita cincti, reliqui verò ſiniſtro *enſes* habuêre. Unde eſt, quòd in columna Trajani & Antonini, milites viſuntur ad dextrum femur gladio cincti; quos prætorianos eſſe inde colligere eſt. Salmaſ. *ad Spartian. in Severo Imp.* Vide & infrà *Statua*, ubi & de Perſis, Græcis, Gothis, Fuiſſe & *Enſium* quibuſdam celebrioribus nomina ſua propria, diximus ſuprà in voce *Curtana*, item *Duriſſimus*: Adde ex Juſtino pugionem, quo Philippus Macedo occiſus, *Myrtales* nomine inſignem &c. Poſteriori ævo celebris inprimis fuit Georgii Caſtriotæ, Epiri Deſpotæ, quem *Scanderbegum* vocant, enſis, in Urbini Ducis armamentario adſervatus, ejus ponderis, ut à viro aliquo uno vix tellure ſublevari poſſit, de quo vide Barth. *Animadverſion. ad Stat Thebaid. l.* 10. *v.* 252. ubi vett. Heroum enſes μεγάλας τε στιβαράς τε Homero, *graves* Poëtis Latinis paſſim, appellari notat: ut infrà in voce *Lancea*, ubi de *Enſe Caroli Mag.* inter munera ab Hugone Rege Francorum ad Adelſtanum Regem Angliæ miſſa. Tam nobile autem belli inſtrumentum *Enſis* eſt, ut modò militiæ ſignum, modò ordines & officia militaria, eâ voce indigitari deprehendamus. Papin. Stat. *l.* 5. *Sylv.* 1. *v.* 94.

Præterea fidos dominus ſi dividat enſes.

Et *in Lyrico*, ad Maximum Junium, *l.* 4.

Tu tuos parvo memorabis enſes,
Quos ad Eoum tuleris Orontem &c.

Vide quoque infrà in voce *Gladius*, item ubi *de Exercitio armorum*, etiam voce *Sacramentum*, ubi *enſes* juraturos vibraſſe videbimus, & mox elatis in altum manibus alacritatem ſuam fuiſſe teſtatos olim milites Romanorum: & *Xiphias*, ubi de apro & piſce, it. ſaltationis apud Vett. genere, quibus à Græco ξίφος, i. e. *enſis*, nomen datum.

ENSIS, Ordo eq. in Cypro, à Guidone Luſiniano, qui à Richardo I. Angliæ Rege inſulam emerat, A. C. 192. inſtitutus. Cujus inſigne, Enſis argenteus, cum lemmate, *Securitas regni.* Primum equitem creavit Almericum fratrem, & 300. regni Barones, A. C. 1195. Steph. Luſin. *hiſt. Cypr.* Favinus *Theat. hon. & eq.* Moretius. Vide *S. Jacobum de Enſe.*

ENSISHEMUM, urbs Alſatiæ, ad Helleſum fluv. Vix 2. leuc. à Neoburgo in Occ. 2. à Mülhuſio in Bor. 3. à Briſiaco in Auſtr. ſub Gallis, pace Monaſter. Olim caput Landgraviatus Alſatiæ ſup. ubi camera & ſedes juridica Briſigaviæ & Suntgaviæ.

ENTELLA, urbs Siciliæ, quam Campani genere habitabant, ſocii Carthaginenſibus. Steph. Sil. Italic. *Bell. Punic. l.* 14. *v.* 20. & *ſeq.*

---- *Largoque virens* Entella *Lyæo.*
Entella *Hectoreo dilectum nomen Aceſtae.*

Vide Cluver. *Antiq. Sic. l.* 2. *c.* 12. Populi *Entellini.* Plin. *l.* 3. *c.* 8. Item *Entella* Liguriæ fluv. Ptol. *Lavagna* Leandro. Oritur ex Apennino, vix 10. mill. à Genua; recipitque amnem *Granveglia*, dein in mare Mediterr. cadit inter Clavaram & Lavaniam, in ora Or. Genuenſi. Et nunc perſæpe *Entella* dicitur. *Baudr.*

ENTHECA, Græcè Ἐνθήκη, apud Auguſtin. *Serm. de diverſ.* 49. *c.* 4. *Enthecam nobis habere non licet, non enim eſt Epiſcopi ſervare aurum* &c. reconditorium eſt, & hinc pecunia repoſita ad quoſvis uſus, theſaurus. Apud Jurecoſſ. Ἐνθήκην, *fundum ſeu* [illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

fundi inſtructum ſignificare obſervat Salmaſ. *l. de Modo Uſurar. p.* 24. & 25. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.*

ENTHEI, Gentilium Vates. Firmicus. *Aſtronom. l. 8. c. 20. Vates faciet.* Entheos, *qui in templis conſueverunt vaticinari.* Et *c. 26. Entheos ſacerdotes faciet, dantes vera reſponſa quærentibus.* Item *l. 6. c. 3. Entheos faciet, templorum obſequiis deputatos, qui latenti divinitatis inſtinctu mutato mentis ordine & inſtantis religionis poteſtate poſſeſſi, petentibus hominibus futura prædicant.* Ex Græco Ἔνθεοι *q. à Deo inſeſſi.* Apud Minucium Cœcilius reddit, *pleni & mixti Deo vates.* Virg. *Æn. l. 6. Afflati Numine propiore Dei &c.* Unde ἐνθουσιάζειν, *Numine corripi*, quod lauro comeſtâ fieri credebant aliiſque modis. Sic progreſſos ad hiatum, in quo poſtea Delphici templi penetralia collocata olim homines mente ſtatim alienari ac ἐνθουσιάζειν Saitos legimus, ſpiritu qui exinde aſcendebat, hauſto. Poſteà cùm permulti in illo furore præcipites in voraginem ferrentur, vaticinandi munus Virgini datum, quæ ut eo perfungi tutè poſſet, machina extructa ſuper qua ſine periculo exultaret & oracula redderet, quæ *Tripodis*, propter tres quas habebat baſes nomen obtinuit. Huic feminibus diductis inſidebat Pythia poſtquam ex ſacro fonte bibiſſet laurumque manducaſſet, perque interfeminium ſe inſinuantem ſpiritum accipiebat, & eo tum, plena vaticinabatur, vel potius deliria effutiebat. Scholiaſtes Ariſtoph. Ἐπικαθημένη τῷ τρίποδι, καὶ διαιροῦσα τὰ σκέλη, πονηρὸν κάτωθεν πνεῦμα διὰ τῶν γεννητικῶν ἐδέχετο μορίων καὶ τὰς τρίχας λύουσα, καὶ ἀφρὸν ἐκ τοῦ στόματος πέμπουσα, καὶ μαίνουσα, τὰς μαντείας, καὶ μᾶλλον μανίας ἐφθέγγετο ut alia omittam. Nempe Prophetam veri Dei raptus hoc modo in Hypotheſis ſuis imitari utrunque & exprimere conatus eſt Satanas, ut infrà dicemus in *Inſania.*

ENTHRONISTICUM, in Eccleſia Rom. dicebatur olim penſio, quam non Clerici modò, ſed & Epp. beneficiorum ac Epiſcopatuum poſſeſſionem adituri, ſolvere tenebantur, ex Græco ἐνθρονιστικὸν, ab ἐνθρονίζειν, Macer. in voce *Xenium.* Vide quoque ſuprà *Cathedra* infrà *Inſinuativum* & *Inthroniſticum*, item in voce *Mutationes.* Sic *Inthroniſticæ*, Græcè Ἐνθρονιστικαὶ, dictæ ſunt Literæ, quæ *Synodicæ* alias, quibus Epp. præſertim magnarum Sedium, cùm in ſede Epiſcopali collocarentur, de onere ſibi impoſito, & fide, quam confiterentur, alios Epiſcopos certiores faciebant. Quæ, ſi orthodoxam confeſſionem continerent, literis ἀντισυνοδικαῖς ſeu ἀμοιβαίαις excipiebantur: ſin doctrinam exhiberent, à vera fide alienam, rejiciebantur, ab Epp. Catholicis, & ab iis tantùm recipiebantur, qui ejuſdem erant ſententiæ. Cujuſmodi literas Severus Patr. Antiochenus ad omnes Patriarchas miſit, quæ Alexandriæ quidem receptæ, à reliquis rejectæ ſunt, quòd in eis Severus anathema diceret Synodo Chalcedonenſi &c. Vide Evagr. *l. 4. c. 4.* & Nicephor. *l. 17. c. 2.* plura verò hanc in rem, apud Joh. Forbeſ. *Inſtruct. Hiſt. Theol. l. 3. c. 16. §. 4.* & Suicer. *Theſauro Eccl.*

ENTHUSIASTÆ, nomen Maſſalianorum hæreticorum, quibus Dæmon mirum in modum illuſit, quod illi pro divino raptu accipientes, ad ſaltandum proſiliêrunt, Diabolo rati ſe inſultare. Epiph. *hær.* 8. Auguſtin. *hær.* 57. Baron. A. C. 361.

ENTOLER, Hebr. אנטלר, in *Gemara* Hieroſolym. Pontificis Max. apud Hebræos, procurator eſt ſeu mandatarius, ex Græco Ἐντολεὺς, quæ vox hoc ſenſu occurrit, in *Baſilic. Tom. I. l. 8. tit. 2. §.* 55. alibique paſſim. Unde Ἐντολὴ ſeu Ἐντολινα, pro *mandato*, etiam Latinis uſurpatum. Luithprand. *Legat. ad Nicephorum Phocam*, Ἐντολὼ (alii legunt Ἐντολινα) i. e. *præceptum conſcripſit* (Otto Magnus) *quod & ſigillo ſignavit ſuo, ne ſecus facerem; Scis, domine mi Auguſte, quâ id fiducia dixerim.* Ἐντολὼ. Judæus autem, ſicut & Syri & Arabes aliique Orientis populi, voces non paucas aliunde in linguas ſuas admiſiſſe, notum. Vide de hac voce plura, ut & de Ἐντολέως hujuſmodi juramento in animam Domini procuratorio, Joh. Selden. *de Synedriis l. 2. c. 10. §. 7. & 8.*

ENTRIBÆ, pop. Thraciæ. *Steph.*

ENTYCHITÆ, Sectatores quidam Simonis Magi, deteſtanda ſacrificia offerentes, &c. Vide Epiph. *hær.* 21.

ENTYPA Simulacra, Græcè ἔντυπα, quæ intus depreſſa ſunt & inciſa, ſicut contrà ἔκτυπα, quæ prominent extantque: quorum hæc ad Sculpturam, illa ad Scalpturam pertinent. Scalpturæ enim propriè *Entypæ* ſunt, quæ impreſſas & refugientes in cavo præferunt figuras. Unde ἐντύπωμα de gemmis ſignatoriis, dixit Clemens, quæ cavatæ ſunt. Vide hîc paſſim, & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1100.

ENULUS, à Delphino ſervatus. Vide Hiſtoriam apud Plutarch. *circa finem libelli, Utra animalia plus ſapiant, & in convivio 7. Sapientum.*

ENYALIUS Bellonæ fil. Ἐνυοῦς υἱὸς, Martis quoque eſt epitheton ac interdum pro bello ponitur. *Nic. Lloyd.*

ENYALII *Jovis*, mentio apud Joſeph. ex Hiſtiæo Mileſio antiquiſſimo rerum Phœniciarum Scriptore, qui de campo Senaar, ubi Babylon condita, ſic ſcribit: Τῶν δὲ ἱερέων τοὺς διασωθέντας, τὰ τοῦ Ἐνυαλίου Διὸς ἱερώματα λαβόντας, εἰς Σεναὰρ τῆς Βαβυλῶνος ἐλθεῖν. *Qui verò ex ſacerdotibus conſervati eſſent, acceptis Jovis Enyalii ſacris, venire in Senaar Babyloniæ.* Ubi pro Ἐνυαλίου Joſeph. quidem legit Ἐνυαλίου. Sed Ἐνυαλίου rectè eſt, apud Syncellum, ex Euſebii *prior Chronic. libro*: prout editus eſt *in Theſauro Tempp.* Rufinus videtur, cum quid *Enyalius* eſſet, ignoraret, vocem eam prætermiſiſſe. Saltem nec in MS. Voſſii, nec in editis ullis, comparet. Sed inter Martis eſſe cognomina, auctor eſt Macrob. *Sat. l. 1. c. 19.* atque idem docet Euſtath. *ad Hom.* qui non ſemel uſurpat. Ut & alii Poëtarum, & in his Baſſus *Antholog. l. 1.* à quo Spartiani trecenti, qui fortiter pugnantes ceciderant, *Epigr. εἰς ἀνδρείαν*, vocantur,

--- ἀνικήτου δῆμος Ἐνυαλίου.
invicti populus Enyalii, &c.

Quis autem ille Hiſtiæi præfati Jupiter fuerit *Enyalius*, docet Voſſ. ubi Belum, Nini Patrem, Aſſyriorum Regem in ſacris *Nimrodum* dictum, eundem eſſe ac Martem, demonſtrat, in erudito opere *de Idolol. orig. & progr. l. 1. c. 16.*

ENYDRA, Caſiotidis in Syria urbs. *Strab.*

ENYO, Soror Martis, Latinis *Bellona.* Ponitur etiam pro *bello.* Mart. Spect. libr. Epigr. 24. cujus Epigraphe de Naumachia Domitiani.

Nec te decipiat ratibus navalis Enyo.

i. e. ναυμαχία; Heſych. Ἐνυὼ, πολεμικὴ θεὰ, ἡ μάχη.

EOA, Africæ propriæ urbs. Ptol. Mela habet *Oea.*

EOBANUS, Helius, Haſſus, Poëta celebris. Obiit Marpurgi, A. C. 1540. Æt. 53. Ejus Pſalterium extat in Octav. Lipſiæ.

EODANDA, inſ. Arab. Felicis. Plin. *l. 6. c.* 28.

EONE, arbor, ex qua Argo navis facta. Plin. *l. 13. c. 22. Alex. Corn. arborem eonem appellavit, ex qua facta eſſet Argo, ſimilem roboris viſcum ferenti, quæ nec aqua nec igni poſſet corrumpi ---- nulli alii cognitam, quod equidem ſciam*: ad quem *l.* Vide Dalechamp.

EORDÆA, urbs fuit Maced. in Mygdonia, unde regiunc. nomen prope Axium fluv. Cum Thracica non confundenda.

EORDÆÆ, duæ regg. Mygdoniæ. Item aliæ duæ, una Iberiæ, altera Thraciæ, ab *Eordo* quodam. Gentilia *Eordæus, Eordus, Eordiſta. Steph.*

EORDÆI, pop. fuêre Macedoniæ Occ. qui & *Eordeatæ.* Horum urbes Scampis, Lycus & Daulia verſus Aoum fluv. Ubi nunc pars Albaniæ Medit. *Tamoriza* dicta. *Baudr.*

EORDI, pop. Theſſaliæ. Steph. in *Amyro.*

EORITÆ, Arachoſiæ gens. *Ptol.*

EORLA, Coſ. Comes, vox Danica, & ab illis, quibus olim *ear*, & *ar* honorem deſignabat, ad Anglos delata: apud quos ſupremi ordinis Aldermannum, & ab ingreſſu Normannorum, ſolum Comitem ſignificare cœpit. Poſtquam autem Duces à Comitibus diſtingui cœpêre, prius enim Coſſ. Comites, Duces promiſcuè dicebantur, *Eorla* vel *Erle*, Ducem potius notavit, quàm Comitem. Sed nomen ſolum à Danis, non gradum accepêre Angli, cùm priores ne hodie quidem aut *Eorlas*, aut Comites, aut Barones noverint. Nihil autem vox propriè ſignificat, quàm Saxonibus Anglis *Alderman*, ſeniorem nempe, & per tranſlationem, honoratum, quia honorandi Seniores: ex quo & ipſi Reges hoc ſolo nomine ſub illis ſeculis dignoſcebantur, vide Aimoin. *l. 5. c. 24.* & Henr. Spelm. *Gloſſar. Archæol.*

EOS, à Græcis dicitur, quam Latini *Auroram* vocant. Mons item Ægypti. Plin. *l. 6. c.* 19.

EOSTRE, Germanorum olim Numen, de quo vide aliquid infrà in voce *Othan.*

EOUS, unus equorum Solis. Ovid. *Met. l. 2. v.* 153.

Interea volucres Pyroeis, Eous & Æthon
Solis equi, quartuſque Phlegon hinnitibus auras

EOUS Oceanus, ſeu Or. pars eſt Oceani, verſus ortum Aſiæ, prope Sinas, Japoniam, & Philippinas Inſ. Plin. *l. 2. c. 108. l. 6. c.* 13.

EPACRIA, urbs Atticæ, quam cum aliis duodecim ſic digeſſit Cecrops. *Steph.*

EPACTÆ, Latinis ſunt, *adjectiones annuæ lunareſque, per undenarium numerum uſque ad tricenarium in ſe revolventes, quas ideo adjiciunt, ut lunaris emenſio rationem Solis ſequatur. Luna enim juxta curſum ſuum 28. dies lucere cognoſcitur & fiunt in anno lunares dies* 354. *remanentque ad curſum ſolarem dies 11. quos adimunt: abſque iis enim non invenies lunam, quota ſit in quolibet anno, menſe vel die. Iſtæ* Epactæ *ſemper 11. Kal. April. inveniuntur, quo quota fuerit luna, tota erit* Epacta *eodem anno: continentur enim Epactæ circulo decemnovennali*, Papias. Ad invenienda Feſta mobilia & lunationes internoſcendas, earum notitiam multùm valere, addit Macer. *in Hierolex*, ſimulque regulam quolibet Martii menſe *Epactam* novam dignoſcendi hanc eſſe, adjicit: *In quocunque recenti anno XI. dies ſupra epactam anni præteriti adjungendi ſunt; at quando numerus excedit trigeſimum, tunc exceſſus trigeſimi, erit numerus recentis Epactæ.* Vide Dionyſ. Exiguum *de rat. Paſchæ*, Iſidor. & Compotiſtas: præterea ex Recentioribus, Joſ. Scaliger. *de Emend. Temp. l. 7.* & Gaſſendum *de Kalend. Rom.*

EPÆA, civitas Græciæ. *Epæi* cives, conſtra quos bella geſſit Neſtor.

EPÆNETUS, amicus B. Pauli, Rom. *c. 16. v.* 5.

EPAGATHUS Vettius, vide *Vettius.*

EPAGRIS, inſ. una Cycladum, ab Ariſtotele propter aquarum abundantiam *Hydruſſa* appellata, Plin. *l. 4. c.* 12.

EPAMANDUODORUM, Gall. Belg. opp. *Anton.*

EPAMINONDAS Thebanus, fil. Polymni, honeſto genere natus, Muſicam & Philoſophiam ſub Lyſide, Philoſopho Pythagorico, doctus, modeſtus, prudens, gravis, peritus belli, fortis manu, animo maximo, adeò veritatis amans, ut ne joco quidem mentiretur. Hic quindecennis luctando ſe exercuit, temperantiæ laude inprimis inclytus. Dein Lacedæmoniis, qui Thebanorum tum fœderati erant, militans, Pelopidæ in prælio 7. vulneribus onerato præſtò fuit, eique poſtea perſuaſit, ut patriam, occupatâ Cadmeâ, à Lacedæmoniorum jugo liberaret. Quod factum; inde exorto graviſſimo bello, cum apud Leuctra Lacedæmonios plagâ peſtiferâ adeò afflixiſſet, ut ex eo tempore Lacedæmoniorum opes corruerint, & principatum Græciæ amiſſum ultra reparare nequiverint, dicere ſolebat: Orbum ſe, non tamen ſine liberis, & ex ſe natam relinquere pugnam Leuctricam. Hic, poſt plurima alia ingentia facinora edita, extremo tempore apud Mantineam cùm acie inſtructa, & ducis optimi, & militis fortiſſimi officio fungitur, ſparo percuſſus, relatuſque in caſtra ſemianimus, requiſivit à circumſtantibus, Salvuſne eſſet clypeus? cùm ſalvum eſſe flentes ſui reſpondiſſent, allatum, veluti ſocium laborum gloriæque, oſculatus eſt. Iterum quæſivit, eſſentne fuſi hoſtes? cùm id quoque, ut cupiebat, audiſſet, evelli tum denique ſpiculum juſſit; ita multo ſanguine profuſo in lætitia & victoria mortuus eſt. Ejus morte

Thebanorum vires hebetatæ ſunt, ut non tam illum amiſiſſe, quàm cum illo interiiſſe omnes viderentur. Nam ante Epaminondam Thebani alieno imperio paruêrunt, & poſt interitum ejuſdem, in ſervitutem priſtinam revoluti ſunt, ut manifeſtum ſit gloriam Thebanam cum illo natam & extinctam fuiſſe. Steſimbrotum filium ſuum, quod contra mandatum cum Lacedæmoniis conflixiſſet, tametſi victor feliciter evaſiſſet, interfecit. Plutarch. *Paral.* Huic Thebani ſtatuam ferream dicarunt, ne erga tantum principem ingrati viderentur. Inter optimos Græcorum ſed pauperrimos ab Æliano numerantur. Sic enim ille: Πενέςατοι ἐγένοντο οἱ ἄριςοι τῶν Ἑλλήνων, Ἀριςείδης, καὶ Φωκίων, καὶ Ἐπαμινώνδας, &c. Vide plura apud Xen. *Hellen. l.* 6. *&* 7. Corn. Nep. *in ejus vita*, Diodor. *l.* 15. Polyb. *l.* 1. *Nic. Lloyd.*

EPANAGNOSTICON, Græcè Ἐπαναγνωςικὸν, nomen libelli, quem Baſilius Imp. in Concilio CP. IV. per Balianem Patricium, Vicarium ſuum obtulit. Anaſtaſ. Bibl. *ad Syn. VIII.* exponit *Scriptum quod palam legitur.* Hodiè *Manifeſtum* vocari, ait Macer. *in Hierolexico.*

EPANOCLISTUS, eſt ſuperiori parte clauſus & coopertus, ex ἐπάνω, *ſuprà*, & κλειςὸς, *clauſus*, epitheton coronæ, quam Chlodovæus Galliæ Rex ſeu Johanna utriuſque Siciliæ Regina, Papæ dono dedêrunt. Anaſtaſ. Bibliothec. *in Hormiſda*, *Regnum de auro puriſſimo epanocliſtum cum catenulis ſuis, habens in medio Crucem auream.* Figuram ejus eadem prorſus ratione, quâ hodieque in capite S. Petri extat ſupra ciborium Lateranenſis Baſilicæ, exhibet Car. Macer in voce *Bulla.*

EPANTETII, Italiæ pop. cum quibus bellum geſſiſſe Ligures, ſcribit *Liv.*

EPAO, Galliæ locus, qui *Epaonenſi* Concilio locum dedit. Huic Avitus Viennenſis Ep. inter alios, ſubſcripſit 17. *Kal. Octobr. Agapeto V. C. Coſ. Epaone, A. C.* 517. An *Evian* ad lacum Lemanum? ſed locus hic ignobilis ac minimè antiquus eſt. Aliàs quoque *Ebao* videtur dictus, cujus vici ante Ann. 800. mentio fit in litt. Bernvini Viennenſis Ep. quibus villam Sancti Mauritii ſeu maj. templi civitatis ſuæ, nomine *Ebaonem* ſive Tortilianum, Teutberto Comiti concedit jure hæreditario poſſidendam. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall. in voce Viennæ Allobrogum.*

EPAPHRAS, viri fidelis nomen. Coloſſ. *c.* 4. *v.* 12.

EPAPHRODITUS, Libertus & à libellis Neroni Imp. à Domitiano capitis damnatus, quòd Neronem in conſciſcenda ſibi nece ſuâ manu adjuviſſet. Vid. Suet. Claud. *Ner. c.* 49. *& Domit. c.* 14. Eſt ille ipſe, cui nobilis ſervus Epictetus fuit. Suid. & Arr. Item Grammaticus, patriâ Chæroneus, qui 30. millia optimorum librorum habuiſſe perhibetur. Vide Suid. & Ariſtoph. Schol. Item vir fidelis, de quo D. Paulus paſſim *in Epiſtolis.* Cœterum, Græcè Ἐπαφρόδιτος, *venuſtus*, i. e. non ſolùm formoſus, ſed & felix. Hinc Sulla, qui *Felicis* cognomen aſſumpſit, unde de eo Horat.

> ---- *& optivo cognomine creſcit:*

in iis literis, quas ad Græcos dabat, Ἐπαφρόδιτον, pro illo cognomento Latino ſeſe inſcribebat. Idem tropæa Mithridatica, & alia quæ in Græcia fixit, ſimiliter inſcribere ſolitus eſt. Rationem addit Plutarch. ſive quiſquis Auctor eſt libri *de Fortuna. Rom.* Πλεῖςον γὰρ Ἀφροδίτης ὄνομα κατὰ Μένανδρον ἀλλὰ τύχη καθέςηκεν. Potius Salmaſio, quòd Ἀφροδίτην in talorum jactu invocabant Vett. ut ſecundaret jactus, unde feliciſſimus horum *Venus* dicebatur. Hinc & *venuſtum* Latini, non tantùm formoſum & amabilem appellabant, ſed etiam felicem & cui omnia proſperè affluerent; Græci ſimiliter ἐπαφρόδιτον: quæ vox cùm propriè notaret τὸν εὔβολον, *cui Venus in talorum jactu favet*; quique Venerem frequenter jacit, ad alia poſtmodum traducta eſt, Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 54. & infrà *Venuſtus.*

EPAPHUS, Jovis ac Iûs fil. qui Memphin in Ægypto condidit. Vide Ovid. *Met. l.* 1. *v.* 749.

> *Hinc* Epaphus *magni genitus de ſemine tandem*
> *Creditur eſſe Jovis.*

Euſeb. *Chron.* Item Hiſtoricus, qui de templo Delphico quædam tradidit, citatur à Servio *Æn. l.* 3. & Macrob. *Sat. l.* 3. *c.* 6. Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 3. Adde de priore. Hunc Jovis & Jus filium Memphi cultum eſſe, Herod. tradit *l.* 2. Ὁ δὲ Ἆπις κατὰ τὴν Ἑλλήνων γλῶσσάν ἐςι Ἔπαφος, *Apis Græcorum linguâ eſt Epaphus*: quod repetit *l.* 3. confirmatque Ælian. *de Animal. l.* 11. *c.* 10. Sed addit. Ægyptios hunc ſermonem, ut mendacem, averſari; quia *Epaphus* multis poſt Apim ſeculis extiterit. Quam Ægyptiorum ſententiam probat Voſſ. cùm Epaphus ex filia Libya nepotem habuerit Agenorem, pronepotem Cadmum, de cujus ætate ſuprà diximus. Nimirùm ambitioſa Græculorum natio nihil æquè ſtudebat, quàm ut Ægypto etiam ac Orienti dediſſe Deos ſuos videretur: quod de Apide ſe conſequi videbat, ſi eum *Epaphum* faceret &c. Vide Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 15. & 29.

EPARCHUS, Græcè Ἔπαρχος, nomen Dignitatis, in Aula Impp. Græcorum, *Provinciæ præſes* ſeu *Prætorio Præfectus*: cujus edicta in libro, *Eparchicon* hinc dicto, conſignari conſuevêre. Codinus tamen Stabuli Præfectum hac voce indigitare videtur, cùm ait, equum, cui aliquando Theophilus Imp. inſidebat, à muliercula, cui *Eparchi* dolo ereptus fuerat, repetitum, eique redditum fuiſſe, hincque inoleviſſe morem, ut ſemper equos aliquos inanes in pompa Principes haberent &c. Meurſius inter magnum Pappiam & magnum Drungarium biglæ, *Eparchum* medium collocat, in *Gloſſar.*

EPARDUS, fluv. qui per Mardorum reg. fluit. *Arrian.*

EPARITÆ, pop. Arcadiæ. *Steph.*

EPASNACTUS Avernus, amiciſſimus Pop. Rom. qui Lucterium Cadurcum cepit, & vinctum ad Cæſarem adduxit. Hirt. *l.* 8. *c.* 44.

EPAUNUM, urbs Aquitaniæ ad montis Pyrenæi radices. Vulgò *Pau.* Sed falsò. Quibuſdam eſt Apamia, *Pamiers*, in Occid. Labbæo eſt *Jenne*, vicus Sabaudiæ, ad Rhodanum fluv. 2. leuc. à Bellico in Auſtr. Baudr. Hic Concilium, à Sigiſmundo Burg. Rege habitum, A. C. 517. *Collectio regia Conc. tom.* 8. *&* 10. Sirmondus *in Ennod. l.* 1. *ep.* 13. Vide *Morerium.*

EPEI, pop. in occidentali ora Peloponneſi, alio nomine *Elei* dicti. Plin. *l.* 4. *c.* 5. Cujus ſententiæ etiam Steph. ſubſcribit. Hom. tamen, *in Catalogo*, Epeorum urbem diverſam facit ab Elide, quam videtur Epeorum juri ſubjicere. Vide Strab. *l.* 9.

EPENDYTES, Græcè Ἐπενδύτης, tunica dicebatur apud Græcos, ratione interulæ, quam ὑποδύτην appellabant, & ſupra quam injiciebatur, non ratione pallii, cui ſuberat. Lat. *Superaria.* At Monachi Ægyptii, qui caprinam pellem ſeu melotem vel peram ſupra pallium (quod antiqui Monachi & præcipuè Græci, ut & horum Philoſophi, ſupra omnem veſtem injecerant) ſumebant, *pelliceum ependyten* illam vocabant, uti diſcimus ex Hieronymo *in Vita Hilarionis.* Vide Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio c.* 1. & infrà in *Epidecen.*

EPERIÆ, urbs munita Hungar. ad Tarizam fluv. verſùs montem Carpathum & confin. Poloniæ, ſub Imp. tanquam Hung. Rege, in Sarienſi Comitat. 6. leuc. Germanicis à Caſſovia in Boream.

EPETINI, Liburniæ pop. Plin. *l.* 3. *c.* 22.

EPETIUM, Illyridis opp. Ptol. *Spezza* Sophiano. Sed Joh. Lucio *Zarnouniza*, ad oſtia fluv. cognom, Fuit civ. prope Spalatum, cujus rudera adhuc cernuntur. Tabb. Peutingerianæ.

EPEUS, Endymionis fil. & Pæonis frater, qui primus in muralibus machinis equum reperiit, qui & aries dicitur. Plin. *l.* 5. *c.* 6. quæ res locum fecit fabulæ, Epeum fabricatorem fuiſſe equi lignei, quo Troja prodita eſt. Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 264.

> ---- *Et ipſe doli fabricator* Epeus.

Juſtin. *l.* 20. *c.* 2. Initio. *Metapontini interim, in templo Minervæ, inſtrumenta quædam aſſervant, quibus illum in equo Durio fabricando uſum fuiſſe dicunt.* Plin. *l.* 7. *c.* 56. Item *Epeus*, vir quidam timidiſſimus, de quo natum eſt proverb. *Epeo timidior.* Datum eſt hoc nomen Cratino Comico per alluſionem fortaſſis, quòd cùm Oeneidis tribus Princeps eſſet, in eo munere timidius ſe gereret. Eraſmus *in Chil.*

EPHA, fil. Madian. Gen. *c.* 25. *v.* 4. Item nomen loci Eſa. *c.* 60. *v.* 6. Fuit & nomen concubinæ filii Caleb. 1. Par. *c.* 2. v. 46. 47. Lat. *laſſus* vel *volans*, aut Syriacè *complicatus.*

EPHA, Hebr. עיפה, Arabicè *Ghaipha*, Græcis hinc Γαιφὰ, & corruptè γαιφὰς, oppid. provinciæ Madianitidis, vicinum urbi Madian notiſſimæ, in littore Maris Rubri, à conditore ſuo, filio Madianis primogenito, cujus mentio Gen. *c.* 25. *v.* 4. dicta. Camelorum ejus meminit Eſa. *c.* 60. *v.* 6. *agmen camelorum operiet te, Dromades Midian. & Hephae* Nullibi enim illi frequentiores, quàm in Madianitide Sam. Bochart. *Hierozoici Part. pr. p.* 82.

EPHALMATORES, apud Jul. Firmic. *Matheſ. l.* 8. *c.* 8. ſic dicuntur ludiones, qui ſaltu corpora ejaculabantur: à Græco ἔφαλμα. Vide Manilium *l.* 5.

EPHEBÆUM, mel. EPHEBEUM vel EPHEBIUM, ſecunda pars Gymnaſiorum apud Vett. ubi illi convenire, atque de præmiis & exercendi genere pactiones facere ſolebant, qui ſimul exerceri volebant atque certare: quanquam Philander in ea fuit ſententia, quòd in *Ephebeo* puberes exercerentur; qua in re ipſum ſequitur Mercurialis potiùs, quàm Gul. Choulum, qui *de Antiqq. exercitat.* in Ephebeo *juvenes ſtudendi gratiâ* ſediſſe ſcriptis mandavit. Utrum verò apud Romanos, qui cum Viris ante 16. annum pueros commercium ullum habere vetabant, hoc verum fuerit, liquidum non eſt. Neque interim negari poteſt, Galeni tempore, pueros exercere in palæſtra conſueviſſe, cùm is cujuſdam ægritudinis, quam Commodus puer, atque Imp. fil. in palæſtra acquiſierat, faciat mentionem, *l. de præc. ad Poſth.* οὕτω καὶ ὅςις ἀναῤῥιχᾶται διὰ σχοινίου, καθάπερ ἐν παλαίςρᾳ γυμνάζουσι τοὺς παῖδας εἰς εὐτονίαν παρασκευάζοντες, *Sic autem, & quicunque per funem ſcandit, quemadmodum pueros in palæſtra exercent, eos ad robur præparantes.* Ex quibus pueros in palæſtris exerceri ſolitos ſatis conſtaret, niſi id quoque *in Bacchid.* teſtatus eſſet Plaut. ubi Lycus Piſtocleri Pædagogus, patrum erga filios ſui temporis indulgentiam taxans, de anteacti temporis moribus ita loquitur: in Bacchide *Act.* 3. *ſc.* 3. *v.* 18. & ſeqq.

> *Nego tibi hoc annis viginti fuiſſe primis copiæ,*
> *Digitum longè à Pædagogo pedem ut efferres ædibus.*
> *Ante Solem exorientem niſi in palæſtram veneras,*
> *Gymnaſii præfecto haud mediocres pœnas penderes.*
> *Id quoi obtigerat, hoc etiam ad malum arceſſebatur malum,*
> *Et diſcipulus & Magiſter perhibebantur improbi,*
> *Ibi curſu, luctando, haſtâ, diſco, pugilatu, pilâ,*
> *Saliendo ſe exercebant magis, quàm ſcorto, aut ſaviis.*

Unde videre eſt, pueris ſummo manè palæſtras adeundi præceptum fuiſſe, ut virorum, qui tum non aderant, commercium vitarent, atque literarum etiam ſtudiis incumbendi otium ſupereſſet. Sed &, diu ante Neronis Principatum, Romæ Gymnaſia fuiſſe, ex iiſdem verbis colligi obiter poteſt. Vide Hieron. Mercurial. *de Arte Gymn. l.* 1. *c.* 8. Fuit autem *Ephebeum* (h. e. exedra ampliſſima cum ſedibus, tertiâ parte longior quàm lata) in duplici porticu, in medio inter Coryceum, cui proximè Coniſterium & in verſura porticus frigida lavatio, ad dextram; & Elæotheſium ſive Alipterium, ad ſiniſtram, uti diſcimus ex Vitruv. *l.* 5. *c.* 11. & videre eſt ex figura palæſtræ, quam ære expreſſam præfatus Mercurial. exhibet, *c.* 6. *l. citati.*

EPHEBI, apud Athenienſes dicti ſunt, qui nomina ſua inter *Ephebos*, i. e. puberes, profitebantur: cujus profeſſionis annus legitimus erat ætatis decimus octavus. Pollux *l.* 8. *c.* 9. καὶ εἰς μὲν τοὺς ἐφήβους εἰσῄεσαν ἐκτωκαιδεκαέτεις γενόμενοι. Cujus ætatis ut certius caperetur argumentum, ſolebant virilitatem explorare, an per ætatem ad publica munia, εἰς τὸ πολιτεύειν καὶ περὶ πόλιν φρουρεῖν, *ad cuſtodiam urbis agrique*, utiles eſſent: quod Δοκιμασία vocatum, cujus meminit

Ariſtopha-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

phanes: [illegible]. Albo dein *Ephebi* inſcribebantur, eodem die quo [illegible] ſolebant εἰς τοὺς [illegible] referri, nempe Apaturiorum die, qui Κουρεῶτις dicta eſt, quâ epulam quoque τοῖς Φράτορσι præbebant, hoc modo: Vinum, honori Herculis ſacrum, propinabant certum præcium, quem ritum Οἰνιστήρια appellavêre. Athen. [illegible]. Sic comam deponebant ipſo hoc die, hoſtiamque Dianæ mactabant, quæ hoſtia Κουρεῖον dicebatur. Quædam autem comam ſuæ patriis [illegible] [illegible], plerumque. Unde apud Pauſan. in [illegible]. [illegible] nus, Peleum crines ſuos Sperchio voviſſe, ſi Achilles ſalvus rediiſſet: idem de Memnone, qui Nilo comam ſacram fecit, narrat Euſtath. Contrarium juſſi ſunt facere Nazaræi, qui cæſariem ſuam in ignem conjiciebant, Num. c. 3. Sic poſtquam inſcripti ſunt, biennio expleto, anno nempe vigeſimo, accedebat iterum profeſſio apud populares, atque inſcribantur Lexiarchico, & deinde tunc erant juris, utrique ad negotia poterant, ac Teſtamenti habebant factionem, è Lege ſcilicet [illegible], qui [illegible], qui annos eſt natus viginti [illegible] [illegible]. Hoc vocabant Græci ἐγγραφῆναι εἰς ἄνδρας, quia tunc in viros transferebantur: dicebatur quoque [illegible] εἰς qui hunc albo inſcriptus eſt; quia prius Lexiarchico nemo inſcribi poterat, niſi conſtaret natum eſſe parentibus civibus Atticis aut ſecundùm leges adoptatum: itaque populares jurati inſcribendum judicabant. Jam verò [illegible], è popularium [illegible] ſententia, à Demarcho apud quem aſſervabantur, Lexiarchico inſcribebantur: idque ante Panathenæa, primis menſis anni diebus. Tum qui inſcribebantur, buxeam accipiebant tabellam, in qua nomen uniuſcujuſque & patris eorumque populi, ad quem ille pertineret, erat inſcriptum. Quibus omnibus ritè peractis, deducti *Ephebi* in ædem Agrauli, Cecropis filiæ, jusjurandum concipiebant in hæc verba: Οὐ καταισχυνῶ τὰ ὅπλα τὰ ἱερὰ [illegible] [illegible] ἀμυνῶ δὲ καὶ ὑπὲρ ἱερῶν καὶ ὑπὲρ ὁσίων, καὶ [illegible] [illegible] ἐλάττω παραδώσω, πλείω δὲ [illegible] [illegible] ἀναγνώσομαι [illegible] [illegible] Καὶ [illegible] Ἄγραυλος, Ἐνυάλιος, Ἄρης, Ζεὺς, Θαλλὼ, Ἡγεμόνη, i. e. *Non dehoneſtabo hæc ſacra arma: neque deſeram Protoſtatem, quiſquis ille ſit, cum in acie non excipiar. Pro aris & focis dimicabo, ſive ſolus ſive cum aliis multis. Patriam liberis non relinquam in deteriore, ſed potiùs in meliore ſtatu. Navigabo ad terram, quæ colam [illegible] illa ſit, quæ habenda nobis tradetur. Obtemperabo iis, qui judicia reddent prudenter. Parebo legibus, quæ obtinent, ceteriſque omnibus, quas populus univerſo conſenſu feret. Quòd ſi quis leges abrogare velit, populo non ſciſcente, minime feram: Vindicabo autem, ſive ſolus, ſive cum aliis omnibus. Patria ſacra colam: Teſtes Dii ſunto, Agrauli, Enyalius, Mars, Jupiter, Nu-* pita, quæ deſiderabantur, ex Ulpiano in [illegible] Or [illegible] acceſſere. [illegible] [illegible] [illegible]. O [illegible] tere [illegible] *terra dimicabo: Fines agri Atticæ ſtatuam, frumentum, hordeum, vites, oleas.* E quibus patet, quando hoc juramentum præſtabant *Ephebi*, fuiſſe inſtructos armis, quæ fortè in ipſa æde Agrauli aſſervata inde tanquam ex armamentario depromi [illegible]: quare etiam *ſacra* dicta ſunt. Quod de *navigatione in terram* additur, de Colonis intelligendum eſt, quas frequentes admodum Athenienſes deducebant, &c. Cæterum album Lexiarchicum, [illegible], in quo nomina *Ephebarum* ſcribi mos, qui ad eundem *Demum* pertinebant, [illegible] [illegible], i. e. [illegible], nomen accepit, quia ſui juris fiebant, rerumque ſuarum arbitrium conſequebantur, quorum nomina in illo ſcriberentur. Fœminas verò quod attinebat, non ullis adſcribebantur illæ Tribui, donec nubiles eſſent: tum etiam illarum nomina albo inſcrebantur, menſe Gamelione; quemadmodum *Ephebi* inſcribebantur menſe Pyanepſione: Paterque uniuſcujuſque [illegible] τοῖς Φράτορσι epulum [illegible] dictum præbere ſolitus eſt, Pollux, *l.* 8. *c.* 9. Romanorum moribus atque inſtitutis, parentes liberos ſibi natos profitebantur in Actis, apud Præfectos ærarii, ex quo cura tabularum publicarum à Quæſtoribus ad Præfectos ærarii translata eſt, quod factum Nerone imperante: quod ut in intra triceſimum diem fieret, primus M. Aurelius conſtituit, apud Capitolinum; ex qua natali profeſſione ætas probabatur. Quanquam pubertas non tantùm ex numero annorum, ſed etiam habitu corporis definiebatur, i. e. ex aſpectu corporis, pubis, quæ ſententia fuit Priſci, apud Ulpian. *in Reg. Iuris*, expreſſa à Servio ad hunc verſum Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 53.

Jam matura viro, plenis jam nubilis annis.

Vide Samuel. Petit. *Comm. in Leges Attic. l.* 2. *tit.* 4. & Franc. Roſinum *Archæol. Attic. l.* 5. *c.* 13. Ab *Ephebis* locus in Thebanis [illegible], ſeu *Ephebium* dictus eſt, è quo Juvenes ſpectabant, quemadmodum in Buleutico ſenes ſedebant. Julius Pollux *Onomaſtico l.* 4. *c.* 19. [illegible] [illegible] *Dicebatur etiam pars quædam Theatri Buleuticon & Ephebicum.* Vide quoque Cæl. Rhodigin. *Var. Lect. l.* 8. *c.* 8. & infrà *P*[illegible]. Sed & [illegible], nomen eſt jactus, in talorum ludo, quem expreſſum in cippo ſepulchrali Alexandri cujuſdam Chii & *Ephebi*, memorat Salmaſ. *ad Solin. p.* 1221. De *Ephebarum* veſte Vide ſuprà *Chlamys*, et *Ephebi* honorariis hodiernorum Magnatum infrà in voce. *E*[illegible], Vide infrà [illegible].

EPHEDRI, Gr. ἔφεδροι [illegible], quinam ex gladiatoribus olim dicti. Vide infrà in vocibus *Hordearium* & *A*[illegible], it. *Palus* ac *Sortes*: aliquid etiam ſuprà, ubi de Romanorum *Beſtiariis*.

EPHEMEREUTA, officium religioſæ Hebræorum familiæ, ex Græco ἐφημερία, eo quod per vices ad quemque perveniebat, fortè non diſſimile Hebdomadario, in Monaſteriis Chriſtianorum, officio. Philo *de V. M.* [illegible] *Candidati & Dei cum* [illegible] *gravitate ad* [illegible] Ephemerei [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Vide Macrum *in Hierolex.* Sed & Ἐφημερίαι dictæ ſunt [illegible] ſeu [illegible], in quorum 24. Sacerdotes ordinaries David diſtribuit, hebdomadatim in ſacro Miniſterio ſibi invicem ſucceſſuros. Horum 16. erant Eleazaridæ, 8. Ithamaridæ, 1. Paral. *c.* 24. *v.* 6. Dicebaturque cujuſque Ἐφημερίας caput [illegible] [illegible] [illegible]: unde plurium Ἀρχιερέων eodem tempore mentio fit Marci *c.* 14. *v.* 1. Sortiebantur autem non tantùm ipſæ Claſſes, ſed & cujuſque claſſis Sacerdotes, quo quiſque ordine quodque munus perageret. Sic Zacharias erat ex [illegible] Ἀβιὰ, Lucæ *c.* 1. *v.* 5. & ſortitò accepit munus τοῦ θυμιᾶσαι, *Suffitum adolendi*, *v.* 9. Quod quo modo fieri conſueverit diximus ſuprà in voce *Digni*. Vide quoque infrà, ubi de *Numerandi ratione*. Harum Porro *Ephemeriarum* cuilibet quaternas fuiſſe arculas, in Templo in quibus ſeorſim femoralia, cingula, pilei & tunicæ eorum reponerentur; inſcripto cuilibet tum Ephemeriæ, tum veſtimenti, nomine dicemus infrà in voce *Veſtiarium*. E qua Judæorum diſciplina ſimilem introductam eſſe, in Chriſtianiſmum, videbis in voce *Hymnus*. Plura apud Thom. Godwyn. *de Ritib. Hebr. l.* 1. *c.* 5. ut & infra, in voce *Epiſtratos* ubi de *Ephepavi Magiſtratum Athenis*.

Ab EPHEMERIDE, ſervi nomen apud Romanos, cujus mentio in vet. marmore: PROC. AB. EPHEMERIDE. PROC. A. MANDATIS &c. an idem qui, *à Rationario* alias dictus, *diurnum* in quod erogationes quotidianæ, ſervis factæ, referebantur, aſſervabat. Certè *quod Latini diurnum, Græci Ephemeridæ dicebant*, ait Iſidor. *Orig. l.* 1. *c. ult.* Aliæ erant, *Ephemerides* Principum, quæ laudantur antiquis Scriptoribus, more à Græcis ad Romanos tranſlato, quorum illi tamen his minus hac in re accurati fuêre, ut Caſaubonus adnotavit, *ad Suet. l.* 2. Sic Flavius Vopiſcus memorat *Ephemeridum* Aureliani. Imp. *Ephemeridas illius viri* [illegible] *habemus etiam bella Hiſtoriæ charactere digeſta*: Treb. Pollio Gallieni, quæ à Palfurio Sura factæ ſcriptæ; ſic Probi *Ephemeridem* compoſuit Turdules Gallicanus &c. Vide Caſaub. *ad Spartian & Vopiſcum*. De *Ephemero* vero herba, Claud. Salmaſ. *ad Solin. p.* 242. & *ſeqq.*

EPHER, fil. Madian. Gen. *c.* 25. *v.* 4. Fil. Ezar. 1. Paral. *c.* 1. *v.* 33. *c.* 4. *v.* 17.

EPHESIÆ Literæ, Græcè Ἐφέσια γράμματα, magicam virtutem habere credebantur, per quas quidquid optaret quis aſſequeretur & in omni negotio victor evaderet, Suid. Euſtath. *Odyſ.* 19. Diogenianus, & Eraſmus *in Adag.* Ejuſdem Gentium Exorciſtæ, qui plerumque Magi, à Dæmonibus obſeſſos recitare jubebant, illoſque hoc pacto liberabant. Plutarch. *Sympoſiac. l.* 7. *Quæſt.* 5. Οἱ Μάγοι τοὺς δαιμονιζομένους κελεύουσι τὰ Ἐφέσια γράμματα [illegible] [illegible] [illegible]. Erant autem hæ literæ ſcriptæ, ἐπὶ τῆς στεφάνης καὶ ζώνης καὶ τῶν ποδῶν τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος, *in corona, cingulo & pedibus Dianæ Epheſiæ*, unde nomen: idque [illegible], *enigmatice*, unde de obſcuro ſermone Proverbio dictum Ἐφέσια γράμματα, ut Euſtath. habet *d. l.* Inventio Idæis Dactylis tributa, ut eſt apud Clem. 1. *Strom.* quod velut fabuloſum meritò rejicit Jac. Ouzel. *ad Minuc.* cujus Superſtitioni, occaſionem potius ex Hebræorum *Ephod*, deſumptam fuiſſe conjicit Car. Macer *in Hierolexico*.

EPHESTIADES, Vide *Hephæſtiades*.

EPHESTRIA, Thebis feſta fuêrunt ob Tireſiam inſtituta, in quibus ipſius ſimulacrum, virilibus veſtimentis exuebatur, & muliebribus induebatur: moxque illis ademptis, iterum virilia imponebantur, alludentes ad ipſius Tireſiæ, fabulam.

EPHESTRIS, Græcè Ἐφεστρίς, veſtimentum fuit militare *Chlamys*, *Lacerna*. Heſych. Ἐφεστρὶς χλαμύς. [illegible] [illegible], quod reliquis veſtibus injicerentur, Athen. *l.* 3. [illegible], *Lacernam quam* [illegible] *induti*. Herodian. l. 7. de militibus Maximini, qui in Senatum explorandi cauſa ingreſſi fuêre, [illegible] μὲν γυμνοὶ, [illegible] [illegible], *Inermes*, *vulgari veſtitu*, *ſolis que chlamydes induti*: ubi malè quidam, *ſagis induti*. Perperam itaque pro quovis veſtimenti genere *Epheſtrida* ſumi nonnulli collegêrunt ex eodem Herodiano, qui eas Senatoribus tribuit, in funere Severi, cùm ait: ἐν μὲν λαιῷ μέρει πᾶσα ἡ σύγκλητος μελαίνας ἐφεστρίδας ἠμφιεσμένη. Ibi enim Senatus depoſitis luctûs cauſâ togis, in pullis lacernis ſive penulis erat, nam hæc vox de utroque veſtimento uſurpatur, quod non multum diſſimile eſſet: Itaque non *atris veſtibus*, ſed *pullis lacernis* aut *penulis* [illegible] erat. Octav. Ferrar. *de re Veſt. part.* 2. *l.* 1. *c.* 2.

EPHESUS, urbs Joniæ Emporium totius Aſiæ ci er. celeberrimum, Amazonum opus, quemadmodum & Juſtin. ſcribit *l.* 2. *c.* 4. & Plin. tradit *l.* 5. *c.* 29. Hæc cum alio loco olim habitata diluvium paſſa eſt, quo cum plurimi extincti eſſent, Lyſimachus civitatem in eum locum, ubi nunc eſt, tranſtulit, & ab uxoris nomine Arſinoen vocavit, ſed eo mortuo, priſtinum nomen receptum eſt. Porro *Epheſum* ita dictam, quod eam terram Amazonibus Hercules permiſerit [illegible] enim Græci permiſſionem dicunt) ſcribit Heraclides *de Polit.* Dianæ templo opimis nobilitata fuit hæc urbs: Strab. *l.* 14. Pauſan *l.* 4. Pomp. Mela *l.* 1. Plin. *l.* 36. *c.* 14. Solin. *c.* 53. Dionyſ. Perieg.

------ Βορειολέξου ἐσίδοιο
Παῤῥαλίου Ἔφεσον μεγάλου πόλιν Ἰοχεαίρης
Ἔνθα θεῆ ποτὲ νηὸν Ἀμαζονίδες τετύκοντο,
Πρέμνῳ ἐπὶ πτελέης περιώσιον ἀνδράσι θαῦμα.

Callimach. *Hymno in Dianam*,

Σοὶ γὰρ Ἀμαζονίδες πολέμου ἐπιθυμήτειραι.
Ἔν ποτε παῤῥαλίῳ Ἐφέσῳ βρέτας ἱδρύσαντο
Φηγῷ ὑπὸ πρέμνῳ.

Et mox,

------Τῶν ἔτι θεώτερον ὄψεται ἠώς,
Οὐδ᾽ ἀφνειότερον. ----------

Ac proinde Plin. *l.* 5. *c.* 29. *admirationem Græcæ magnificentiæ* vocat, ac inter mundi miracula numerat, *l.* 36. *c.* 14. Hoc A. U. C. 385. incenſum eſt quo die Alexander Mag. eſt natus, ab Heroſtrato, ut hoc facinore famam ſibi compararet: Cùm Xerxes, templis Deorum in Aſia olim deſtructis, huic tamen pepercisſet. Porro Urbem hanc Nero ornamentis ſuis privavit, Scythæ vel Gothi, ſub Galieno, illam planè deſolarunt. Apoſt. Paulus bis huc veniens per triennium hic Evangelium prædicavit & cum in vinculis eſſet, epiſtolam ad Epheſios ſcripſit: Vide infra. Ibidem & Joh. Apoſt. aliquandiu degit. Act. *c.* 19. *v.* 35. Baron. A. C. 56. & 57. Inter Epiſcopos urbs Polycratem habuit A. C. 190. octo ex progenitoribus Epp. prognatum. Euſeb. *l.* 5. *c.* 9. Ibidem Theodoſius Quæſtor Auguſtus creatus, cùm inaudiiſſet Leonem Iſaurium electum eſſe, Principatu ſpontè depoſito, nomen inter clericos, cum filio, dedit, A. C. 717. Hinc Ἐφέσια γράμματα, notulæ quædam, & voces magicæ. De quibus Vide Heſych. & Clem. Alexandr. *Strom.* 1. 18. ut & ſuprà aliquid. Hodieque Urbs eſt Aſiæ, min. in Jonia *Figena* Turcis, in ora littor. maris Ægæi & Sinus Jonii, verſus oſtia Cayſtri fluv. cum portu commodo & arce munita 25. mill. à Samo Inſ. Ort. 20 à Colophone in Mer. 40. à Smyrna in Auſtr. Sub Turcis. Ibi celebratum eſt Concil. gener. tertium, A. C. 431. Sub Theodoſio juniore contra Neſtorium. Ubi non χριστοτόκος ſolùm, ſed & θεοτόκος B. Virgo pronunciata, Neſtorius depoſitus, Pelagii hæreſis aliique errores de novo condemnati ſunt. Acta Concilii, *t.* 2. Cyrill. *ep. ap. ad Theod.* Socr. *l.* 7. *c.* 33. & Niceph. *l.* 14. *c.* 33, Aliàs variæ ibi Synodi particulares: A. C. 189. quâ conſtitutum, ut pro more priſco, 14. Lunæ Paſcha celebraretur. Euſeb. *hiſt. l.* 5. *c.* 23. & 24. A. C. 400. ad Aſiæ res componendas. Pallad. *dial. de vita* S. *Chryſ.* Socr. *l.* 6. *c.* 10. Sozom. *l.* 8. *c.* 6. A. C. 449. Lyſtrica Synodus hic à Doſcoro Patr. celebrata eſt, quâ Eutychianiſmus ſtabilitus, & Flavianus. Ep. Conſtantinopol. ad necem percuſſus eſt. Niceph. *l.* 14. Liberatus *c.* 12. Evagr. *l.* 1. *c.* 10. Acta Concilii Chalced. act. 13. 4. &c. In *Epiſtolam ad Epheſios* proſtant: Althoferi *Animadverſiones*: Amyraldi *Conſiderationes* octav. Salmurii. Batti *Commentarius*, quart. Gryphiswaldiæ A. C. 1619. Witeb, A. C. 1620. Bodii *Prælectiones* fol. Londini A. C. 1650. fol. Edinburgi A. C. 1652. Buceri *Prælect.* fol. Baſil. A. C. 1562. Calixtus, Coccei *Commentar. in principium Ep.* Crocii, & Lagi *Comment.* in octav. Meelfubreri ſimiliter, octav. & quart. Norimb. A. C. 1628. Muſculus, Nahumi *Explicatio Analyt.* oct. Hanoviæ, A. C. 1608. Rageri *Exegeſis*. Rollocus, in octav. Genevæ A. C. 1593. A. C. 1606. Sculteti *Ideæ Concionum*, quart. Weinrichii *Explicatio*, quart. Lipſiæ A. C. 1613. A. C. 1618. Welleri *Enarrationes*, octav. Norimb. A. C. 1559. Wigandi *Annotationes*, octav. Erfordiæ A. C. 1581. Zanchii *Commentar. abſolutiſſimus*, Zuinglii *Annotationes*, inter opera ejus. Conſule Gul. Crowæi *Elenchum Scriptorum in S. S. Epheſus* etiam Nili inſ. Steph. Addo de urbe tam celebri, quod: Variæ ejus appellationes, ut *Ortygia*, Πτελέα, *Samorna*, Σισύρβη, *Smyrna*, Τραχεῖα &c. quæ apud Auctores occurrunt, potiùs fuêre loca urbis diverſa, his nominibus inſignita, de quibus accuratè agit Salmaſ. *ad Solin. p.* 810. Vide quoque hîc paſſim. Hodie *Ajaſalouc* Turcis dicitur, teſte Sponio qui rudera ejus ac priſtini ſplendoris triſtes reliquias, quæ magno numero ſuperſunt, præſens luſtravit, ac diligenter exequitur, *Itin. Part. I. p.* 324. & *ſeqq.* Idem nummi Caracallæ, in cujus altera parte duo Templa, cum *Inſcr.* ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ: alterius, Antonini Pii, in cujus poſtica parte Diana Epheſia, inter Æſculapium & Smyrnam Amazonem media, cum lemmate, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΕΡΓ. ΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ: alterius, Marci Antonini, in cujus parte averſa junctæ manus, cum verbis, ΕΦΕΣΙΩΝ ΚΑΙ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ: alterius, Commodi, cum *Inſcr.* ΕΦΕΣΙΩΝ ΚΑΙ ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ: alterius Antonini Pii, cum verbis, ΕΦΕΣΙΩΝ ΝΑΩΚΟΡΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ: item, Lucii Veri, in quo Diana & Jupiter ſedens, cum lemmate, ΕΦΕΣΙΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡ. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ: Gallieni, in quo Diana & Æſculapius, cum verbis, ΕΦΕΣΙΩΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ: iterum Commodi, in quo expreſſus eſt currus à duobus Centauris tractus, in quo Jupiter, ſedet, iconem Dianæ Epheſiæ manu tenens, cum *Inſcr.* ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ. Fauſtinæ tandem Junioris, in quo Venus & Diana cervis ſuis ſtipata, cum *Inſcr.* ΜΕΙΛΗΣΙΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ: adeoque nemo jam fœderum, quæ civitati huic cum urbibus vicinis; conceſſu Impp. interceſſêre, ſervantium meminit, *Itin. Part.* 3. *p.* 76. & *ſeqq.* De *Epheſiæ Dianæ Templo* ter ædificato, *de Epheſino* item *Ep.* τῆς Ἀσιανῆς Διοικήσεως ἐξάρχῳ, Vide Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 806. & 812.

EPHETÆ, magiſtratus apud Athenienſes. Hi à Demophonte Rege inſtituti, 50. ex Athenienſibus, totidemque ex Argivis, ut in Palladio foro de inconſulta cæde cognoſcerent, majore deinde auctoritate, jureque ampliore à Dracone inſtructi ſunt; ſic enim inſtituti; ut 51. ex optimis eligerentur, qui de cauſis capitalibus judicarent. Non niſi 50. Ann. nati, moribusque probatiſſimis eligebantur. Pollux, Suidas. Adſcripti erant olim quinque Tribunalibus περὶ φονικῶν πραγμάτων, *de cauſis criminalibus*, ſententiam ferentibus. Ita enim de iis Pollux *l.* 8. *c.* 10. Ἐδίκαζον δὲ τοῖς ἐφ᾽ αἵματι διωκομένοις ἐν τοῖς πέντε δικαστηρίοις. *Judicabant autem homicidii accuſatos in quinque Tribunalibus.* Sed uni poſtea ex his quinque, nempe Areopagitico, adſcripſit Solon Judices, qui Areopagitici dicti ſunt, ita ut quatuor tantùm *Ephetis* relinquerentur: qui non multo pòſt deridiculo fuêre, teſte eodem. Itaque his quatuor Tribunalibus, nempe τῷ ἐπὶ Παλλαδίῳ, τῷ ἐπὶ Πρυτανείῳ, τῷ ἐπὶ Δελφινίῳ, & τῷ ἐν Φρεάττει, alii dati ſunt Judices ſorte capti, cùm *Ephetæ* ἀριστίνδην legerentur, Samuel Petitus *Comm. in Leges Attic. l.* 8. *tit.* 1. Vide quoque Franc. Roſſæum *Archæol. Attic. l.* 3. *c.* 3. ubi inter alia docet, ex Ubbone Emmio *de Rep. Athen. p.* 20. à Diacone, Senatus Areopagitici auctoritatem imminutam, & ad *Ephetas* translatam: ſed ſequenti tempore, his inſuper habitis, reſtauratam à Solone fuiſſe.

EPHIALTES, Neptuni fil. Gigas incredibili corporis robore, qui cùm ſingulis menſibus novem digitos creſceret, in tantam altitudinem evaſit, ut ſtaturâ ſuâ fretus, unà cum fratre Ocho ſuperis bellum inferret, quapropter à Jove fulmine ictus ad inferos eſt detruſus.

EPHIALTES, Athenienſis, robore corporis & audaciâ præſtans, in commilitio Perſarum, contra Alexandrum Mag. cecidit in prælio, ad Halicarnaſſum. Diod. *l.* 17.

EPHIALTES, Trachinius, nomen erat illi, qui ad Thermopylas Xerxi viam aliquam anguſtam monſtravit, per quam viginti millia hominum ſupra capita Græcorum mitteret. Polyæn. *l.* 7.

EPHIALTIUM, Carpathi inſ. prom. *Ptol*

EPHIPPIUM, Vide *Sella equeſtris*, it. *Unio*, & *Usbeckia*.

EPHIPPUS Cumæus, auditor Iſocratis, qui ſcripſit hiſtoriam ab excidio Trojæ usque ad ſua tempora, *l.* 30.

EPHOD, pater Hamiel Num. *c.* 34. *v.* 23. Lat. *ſuperhumerale*, aut *ornamentum*.

EPHOD, Vide infrà in voce *Humerale*, *Superhumerale*. it. *Pectorale*, *Rationale*.

EPHORISTA, in *Epit. Can. tit.* 5. *Sect.* 2. *tit.* 9. *Sect.* 1. idem quod *Eorciſta*. Vide in hac voce

EPHORI, apud Lacedæmonios tales erant magiſtratus, quales apud Romanos Tribuni plebis, qui à Theopompo occaſione ruinæ ſtatus Ariorum & Meſſeniorum, apud quos abſoluta Principum poteſtas, ſic oppoſiti ſunt Regibus, ut apud Rom. Conſulibus Tribuni. Ut enim à Conſulibus ad Tribunos, ita à Regibus ad Ephoros provocare quisque poterat. Olim pro miniſtris Regum fuêrunt, tandem eò potentiæ pervenêrunt, ut ſenſim à Rege proprium Magiſtratum conſtituerent, nomine *Ephoriam*. Plutarch. *in Lycurgo*, *Ariſt. Agide*, *Ageſilao*. Diog. L. *in Chilone*, *l.* 1. C. Nepos *in Themiſtocle c.* 7. Dicti ἀπὸ τοῦ ἐφορᾶν, quod eſt *intueri*, quòd ad civitatis ſalutem intentos haberent oculos.

EPHORUS, Hiſtoricus Cumanus, Iſocratis auditor, & condiſcipulus Theopompi. Scripſit libb. 30. res inter Græcos & Barbaros, per 750. Ann. geſtas. Inter Geographos quoque refertur. Suid. De illo Diod. Sic *l.* 4. *Ephorus* inquit *Cumanus cùm res publicè geſtas ſcribere inſtituiſſet, veteres quidem fabulationes omiſit; illa verò, duæ à Reditu Heraclidarum facta, colligens, hoc initium fecit hiſtoriæ ſuæ.* Item alius recentior. Scripſit hiſt. Galieni, Corinthiaca, &c. Voſſ. *Hiſt. Gr. l. c. p.* 37. *de Mathem. c.* 43. §. 1. *de Philol. c.* 11. §. 7. Strab. *l.* 1. 3. 13. Joſ. *c. App. Photius.*

EPHRA, civitas Gideonis. *Jud. c.* 6. *v.* 11. & *c.* 8. *v.* 32.

EPHRAEM, Poëta Hiſtoricus. Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 2. *Sect.* 14. Jambis ſcripſit Chronicon Impp. Conſtatinop. Allatius *l. de Pſellis p.* 113.

EPHRAIM, ſecundus Joſephi. fil. Gen. *c.* 41. *v.* 52. 1. Par. *c.* 6. *v.* 66. adoptatus in numerum filiorum Jacob, ita ſemen Abrahæ multiplicavit, ut de tribu ejus ad montem Sinai inventi ſint, virorum qui geſtandis armis eſſent idonei. 40. millia, quingenti, quibus omnibus, excepto Joſua, in deſerto mortuis, eorum fil. 32. millia quingenti terram promiſſionis ingreſſi, pro patre Joſepho citra Jordanem poſſeſſionem ſortiti ſunt. Erat tribus hæc valde montoſa, & propter divitiarum magnitudinem & terræ fertilitatem affluebat, atque ætate etiam Hieronymi quaſi luxuriabat. Et quia maxima erat & inſtar lapidis durioris invicta, aliquoties decem tribus Israel dictæ ſunt Ephraim & ſumitur pro decem tribubus ſive regno Iſrael. Inter alia Hoſeæ *c.* 5. *v.* 5. Eſt hæc tribus inter Tribum Benjamin ad Auſtr. & Tribum Manaſſes ad Bor. Ad. Occ. terminatur mari Syriaco, ad Ort. Jordane fluv. Baudr. Benedictionem accepit Ephraim, à Patre, præ Manaſſe ſeniore, an ut oſtenderet Spiritu Prophetico actus, Gentiles, per gratiam Evangelicam, Judæis olim præferendos? Jeroboamus & Nadabus Reges Iſraëlitarum ex hac tribu fuêrunt. Samaria & Sichem præcipuæ urbes. Gen. *c.* 48. *v.* 1. 14. 17. 20. Torniel. *A. M.* 2345. *n.* 3. 3058. *n.* 1. Genebr. *l.* 1. *Chron.* Vide Joſeph. *Antiqq. l.* 5. *c.* 3. Lat. *frugifer*, aut *creſcens*. Item mons, ſive montes & montana, quæ inter Herichuntem & Hieroſolyma extenduntur: Frequentia habitationibus. Longitud. 9. mill.

EPHRAIMUS, Prefectus Orientis, Euphraſio terræ motu, quod Antiochia intremuit, A. C. 526. oppreſſo, in ſede Antiochena ei ſucceſſit. Prudentiâ inclytus, cujus ſpecimen inſigne, quòd, Coſroë vaſtante Syriam, A. C. 544. ut Eccleſiam ac vicina loca ab igne conſervaret, undique eam exornavit ſacris monumentis, quò caſto loco eſſent, & ſic ab hoſtium violentia redimerentur: quod etiam factum eſt. Contra eundem tyrannum quomodo Thomas Ep. Apameam eodem tempore conſervaverit, Vide Evagr. *l.* 4. *c.* 24. & 25. & plura in vocibus *Ephremus* ac *Thomas*.

EPHRATA, i. e. *ubertas*, vel *incineratio*, uxor Caleb filii Heſron, 1. Par. *c.* 2. *v.* 19. & 24. Ab hac urbs nomenclaturam accepit, quæ eſt in tribu Judæ. Gen. *c.* 35. *v.* 16. *c.* 48. *v.* 7. Alias *Bethlehem* dicta.

EPHREM

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

EPHREM Syrus, vel EPHRÆM, *Magiſter mundi* dictus. Obiit A.C. 478. Opera ejus Baſilius mirè commendat, Hieronymus publicè prælecta dicit. Ex Syriaca lingua græcè ſunt verſa. Homilias 49. Photius vidit, millenarium numerum ſuperaſſe dicentibus Syris. Gerard. Voſſ. plurima ejus Latinè tranſtulit, vitamque ejus à græco Auctore conſignatam edidit. Impreſſa ſunt ejus opera, inter alia, Antverpiæ, A.C. 1619. Hier. *Cat. c.* 115. Amphilochius *comp. Baſil. & Ephrem.* Baſil. 2. *in Hexaem.* Greg Nyſſ. *in ejus vita.* Photius, *c.* 196. Gennad. *de Viris Ill. c.* 3. Sozomenus &c. Morerius. Vide & Voſſ. *De Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 18.

EPHREM, municipium in tribu Ephraim erat tempore Joſephi, ſubactum à Veſpaſiano, tempore Hieronymi vicus erat in quinto miliario Bethelis, reſpiciens ad Or. Joh. *c.* 11. *v.* 54. lege *Ephraim.*

EPHREMUS, præfectus Orientis, Patriarcha Antiochenus factus, urbem horrendo illo terræ motu A.C. 525. miſerandum in modum deformatam, reparavit. Obiit A.C. 546. Item, Patriarcha Hieroſol. ſec. 2. poſt Levi, ei Juſtus ſucceſſit. *Euſeb. Chron.*

EPHRON, Zohari fil. Gen. *c.* 23. *v.* 8. à quo civitas in tribu Juda, 2. Paral *c.* 13. *v.* 19. Item, Mons, in quo erant Urbes & vici. Joſ. *c.* 15. *v.* 45.

EPHRON, alias HEPHRON, EFFRON, & ENFRON, urbs magna eſt & munita valde, in tribu Manaſſe, ac melius bellicis machinis, telorumque apparatu inſtructa, ſita in via publica, non procul à Jordane, & penè è regione civitatis Bethſan ſive Scythopolis, quam montes utrinque ita circumvallant, ut non niſi per civitatem iter pateat.

EPHRON, civitas in tribu Ephraim, quam Iſraeli bello eripuit Abia Rex Juda: poſtea vicus magnus contra Septentrionem in viceſimo ab Ælia miliario.

EPHUDION, Mænalius nobilis, in ludis Olympiacis. Vide Schol. *in Ariſtoph. Crat.*

EPHYDRIADES, inter Nymphas, aquarum præſides, apud Poëtas, memorantur Alexandro Ætolo, apud Parthenium *in Eroticis c.* 14. *de Antæo.*

> Αὐτὸς δ' ἐς Νύμφας ὤχετ' Ἐφυδριάδας.
> *Ipſe iter ad Nymphas ivit* Ephydriadas.

Vide Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 78.

EPHYRA, inſ. ſinus Argolici, cum oppido cognomine. Steph. quem conſule, plures enim hujus nominis urbes recenſet.

EPHYRA, alio nomine *Corinthus* dicta, ab *Ephyra* Nympha ſic dicta. Ovid. *Met. l.* 2. *v.* 239.

> ------ *Quærit Bœotia Dircen,*
> *Argos Amymonen*, Ephyre *Pirenidas undas.*

Hinc *Ephyreus*, adjectivum 4. ſyllabarum. Lucan. Civil. Bell. *l.* 6. *v.* 17.

> *Inſedit caſtris*, Ephyreaque *mœnia ſervat.*

Item *Ephyreius*, adjectivum 5. ſyllabarum. Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 464.

> *Illuſasque auro veſtes*, Ephyreiaque *æra.*

Hinc etiam *Ephyreias*. Claudian. *de bello Getico*, *v.* 629.

> *Scilicet Argolicas*, Ephyreiadasque *puellas*
> *Cœperat, & pulchras jam faſtidire Lacænas.*

Nic. Lloyd.

EPHYRIS, opp. Laconiæ. *Herod.*

EPIACUM, opp. Angliæ, aliàs Brigantum, nunc in Cumbria reg. Ptol. *Papcaſtle* Camdeno. Ad Feventionem fluv. 3. mill. ab ora maris Hibern. 16. à Carleolo in Occ. totidem ferè à prox. Scotiæ littore in Auſtr.

EPIALTES, prodidit Xerxi tranſitum per Thermopylas. Vide Schol. *in Ariſtoph. Eq.*

EPIBATERION, carminis genus, Apobaterio oppoſitum. Cùm enim quis (de illuſtribus Viris dico) longam poſt peregrinationem, aut diuturno poſtliminio in patriam reverſus eſſet, certâ die civibus convocatis aut habebat orationem, aut canebat carmen, quo, poſt laudatum in prœmio Principem, aut Præfectum civitatis, Diis agebat gratias, pro felici reditu & cives benignè appellabat. Atque id Poëmatis genus ἐπιβατήριον Græcè dicebantur ὅτι ἐπιβέβηκεν εἰς τὴν πατρίδα *quòd rediiſſet in patriam*, unde Latina vox facta: quod quo pacto ſecundùm artem inſtitui poſſit, accuratè docet Scalig. *Poët l.* 3. *c.* 106. Contrà, quod diſcedentes, aut à patria, aut ab aliena regione, adhibebant, Ἀποβατήριον dicebatur, de qua idem agit *c. ſeq.*

EPIBATERIUS, Apollinis cognomentum, cui templum in Trœzene dicavit Diomedes, quòd in reditu ab Ilio evaſiſſet tempeſtatem, quâ Græcorum afflictæ ſunt opes. Cæl. Rhod. *l.* 11. *c.* 24.

EPICADIUS Cornelius, libertus Syllæ, annales ab hero cæptos abſolvit. Scripſit de Poëſi, cognominibus, &c. Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 11. Suet. *de Gramm.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 9.

EPICARIA, Dalmitia urbs. Ptol. *papadaros* Galeſio, Aliis eſt opp. Albaniæ, medium inter Liſſum, ad Bor. & Dyrrachium, ad Auſtr. *Baudr.*

EPICASTE, uxor Agamedis, quæ ex Appolline, ſecundùm quoſdam, Trophonium peperit.

EPICEDIA, carmina funebria, de quibus ſic Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 50. *Quæ ad rogum dicerentur, erant Neniæ: quæ ad tumulum, Epitaphia, quæ in exſequiis, cùm juſta perſolverentur*, Epicedia. κήδεσθαι *enim fuit curare exſequias.* Latinè *Funebres orationes* dicuntur, quæ ipſo in funere habentur, adeoque ſemel dicuntur: Cùm *Epitaphia* anniverſaria eſſe poſſint. Idem *l.* 3. *c.* 122. Cujusmodi *Epicedium*, in Euryalo Pallantis, habes apud Virgil. &c.

EPICEPHISSIA, Græcè Ἐπικηφισιά, pop. Atticæ, tribus Oeneidis, haud procul *Cephiſſia*, de qua ſuo loco.

EPICERDES, Cyrenenſis, ob ſingularem ſuam erga Athenienſes liberalitatem, ampliſſimis viciſſim ab illis honoribus eſt affectus. Demoſthenes *adverſus Leptinem.*

EPICHARIS, Tacit. Ann. *l.* XV. *c.* 51. & 57. *Mulier quædam vilis, quæ incertum quonam modo conjurationem in Neronem ſciſcitata accendit conſcios* & Chiliarchum in Miſenenſi claſſe Voluſium Proculum labefacere conata eſt. Hic verò audita ad Neronem detulit: ob id Epicharis accita & tormentis ſubjecta, nomina reorum reticuit. Et cùm dilacerata repetitos cruciatus perferre ſe non poſſe crederet, in geſtamine ſellæ fauces eliſit. Polyæn. *l.* 8.

EPICHARMUS, Tityri (ut Suid. ſcribit) vel Chimari fil. Siculus, Olymp. 84. Poëta Comicus, & Philoſophus, cui nonnulli inventum Comœdiæ tribuunt, Pythagoræ auditor. Horat. *l.* 2. Ep. 1. *v.* 58.

> *Plautus ad exemplum Siculi properare* Epicharmi.

Ὃς παισὶν χρήσιμα εἶπε, *qui pueris utilia præcepit*, quemadmodum de eo Theocritus dixit. Eum ſæpe commemorat Marcus Tullius, ejusque verſus non rarò producit, ut *l.* 1. *ad Attic. Ut crebro mihi vafer ille Siculus inſuſurret Epicharmus cantilenam illam ſuam*, Νᾶφε, καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν. Quæ verba ſic Latinè reddidit Qu. Frater *de petit. Conſul. ad Marcum, Quamobrem* Ἐπιχάρμειον, *illud teneto, nervos, atque artus eſſe ſapientiæ non temerè credere.* Et primo Tuſculanarum: *Sed tu mihi videris Epicharmi, non inſulſi hominis, ut Siculi, ſententiam ſequi. Quam? non enim novi. Dicam ſi potero Latinè, &c. Emori nolo, ſed me eſſe mortuum nihil æſtimo.* Plures comœdias ſcripſit, quas Platonem ſuum in uſum convertiſſe dicunt. Illum porro de natura rerum, ſententias, & de Medicina ſcripſiſſe refert, Diog. *in ejus vita.* Obiit Æt. 97. inventor literarum Θ & Χ Ariſtot. Plin. *l.* 7. *c.* 56. Vide Henr. Steph. *de Poet. Phil. fragm. Nic. Lloyd.*

EPICLERÆ, Græcè Ἐπίκληροι, dictæ ſunt apud Athenienſes, virgines, quibus fratres non erant: *Orbæ* veteribus Latinis vocatæ. Hoc nomine autem veniebant filiæ, licèt plures fuiſſent, dummodo nulli adeſſent virilis ſexûs liberi. Scholiaſtes Comici *ad hunc verſum, in Veſpis*,

> Κἂν ἀποθνήσκων ὁ πατὴρ τῳ δῷ καταλείπων παῖδ' ἐπίκληρον.

Καλοῦνται inquit Ἐπίκληροι, κἂν δύο ὦσι θυγατέρες, κἂν πλείους, *Appellantur* Epicleræ, *quamvis duæ pluresque ſint filiæ.* Nonnunquam tamen vox ſumitur, pro illa, quæ unica paternarum facultatum hæres eſt, Vide Polluc. *in Onomaſt. l.* 8. Unde in verba Menandri apud A. Gell. *l.* 2. *c.* 23. Ἔχω δ' ἐπίκληρον, *Locupletem intelligit*, inquit Jac. Oiſelius, *& unicam paternarum facultatum hæredem, ſive illi jam obvenit, ſive defunctis parentibus obveniet hæreditas.* Harpocration diſtinguit inter Ἐπίδικον, Ἐπίκληρον, Ἐπίπροικον, καὶ Ἐπικληρεῖτιν: vocatque Ἐπίκληρον pupillam & unicam hæredem, quæ & Ἐπικληρεῖτις dicitur Ἐπίπροικον, cui pars hæreditatis contigit (vel, ut alii, quæ vivente Patre cum certa dote elocata eſt, ad differentiam Ἐπικλήρου, cui tota obvenit hæreditas) Ἐπίδικος, quæ & aliquando Ἐπίκληρος, pupilla vocatur, de qua in judicio diſputabatur, cuinam in matrimonium cedere debeat. Proximus enim agnatus, vel cognatus, illam vindicare jure poterat, ut ex Iſæo ac Dinarcho patet. Magnæ hinc ſæpe contentiones, ſi locuples pupilla: ſin pauper, certâ pecuniâ honeſtè cogebatur elocare is, qui ſanguine illam proximè attingebat. Ita autem lex habuit: Ἣν ἂν ἐγγυήσῃ ἐπὶ δικαίοις δάμαρτα εἶναι, ἢ πατὴρ ἢ ἀδελφὸς ὁμοπάτωρ, ἢ πάππος ὁ πρὸς πατρὸς, ἐκ ταύτης εἶναι παῖδας γνησίους. Ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ τούτων, ἐὰν μὲν Ἐπίκληρός τις ᾖ τὸν κύριον ἔχειν, ἐὰν δὲ μὴ ᾖ, ὅτῳ ἂν ἐπιτρέψῃ, τοῦτον κύριον εἶναι, *Ex ea, quam in legitimam uxorem deſponſarit Pater, aut germanus frater, aut avus paternus, legitimos liberos tollunto: Si nullus horum ſuperſit, & Virgo orba ſit, nubito ei, qui judicio obtinuerit: Si orba non ſit, tutor eam deſponſato.* Ubi verborum Ἐὰν μὲν Ἐπίκληρος τις ᾖ, τὸν κύριον ἔχειν, hic ſenſus: Eam nubere illi, qui judicio expertus fuerit, & ſecundùm quem pronuntiatum fuerit. Nam Lex jubebat ἐπιδικασίαν εἶναι τῶν Ἐπικλήρων ἁπασῶν; atque hæc quidem de dotalibus Virginibus, i. e. quæ totam hæreditatem adferebant in dotem. Egenas quoque qui Judicum ſententiâ damnatus fuerat, aut ducebat ipſe aut alteri elocabat, dote dictâ datâ, Samuel Petitus *Comm. in Leg. Att. l.* 6. *tit.* 1. Solis verò gentilibus & cognatis nuptum erat danda virgo Ἐπίκληρος, ex hac lege: Μὴ ἐξεῖναι ταῖς ἐπικλήροις, ἔξω τῆς ἀγχιστείας γαμεῖν ἀλλὰ προσήκειν εἶναι αὐταῖς μετὰ τῶν χρημάτων τῷ ἐγγύτατα γένους συνοικεῖν, *Virgo dotalis extra cognationem ne enubito: ſed agnato proximo nubito, & omnia ſua bona in dotem adferto.* Debebat itaque è Lege, qui ad ſe delatas jure credebat Ἐπικλήρου Virginis nuptias, cœteros in jus vocare, ut ſciret, an vellent controverſiam ſibi de illa movere: Imò quanquam in mariti, qui eam ſibi adſeruerat, manum ἡ Ἐπίκληρος, μετὰ τῶν νόμων καὶ τῆς ψήφου conveniſſet; poterat nihilominus, qui ſibi factam credebat injuriam, in jus vocare illum, qui *Epiclerum* uxorem habebat judicio evictam & quæſitam. Citabatur tum apud Prætorem, isque qui cum eo agebat, deponebat ſacramentum quod Παρακαταβολὴν vocarunt, nempe decimam eorum partem bonorum, quæ talis fœmina ſecum ferebat; Sed fieri id intra quinquennium neceſſe erat, teſte Iſæo, &c. Plura Vide apud S. Petitum modò laudatum, *loco prædicto.* Ἐπικλήρους etiam Ariſtophanis Scholiaſtes Ἐπιπάμαλιδα καὶ Πατροῦχον appellavit: Euſtathius ſequioris ævi vocabulo Μάνδα appellat. Conſule quoque ſi libet Car. Sigon. *de Rep. Athen.* & Budæum *in Comment. linguæ Græcæ.* De ratione inſtiusmodi Virginum apud Hebræos aliàs agetur.

EPICLES, Citharœdus nobilis Athenienſis.

EPICLIDES, ex Euryſthenidarum familia, in Agidis V. ultimi Eurypontidæ ſeu Proclidæ, Veneno ſublati, locum intruſus eſt à fratre Cleomene III. Euryſthenidarum ultimo; quo victo Lacedæmoniorum Regnum, quod hactenus ſub Regibus ex utraque familia, Corn. Nep. *Ageſilao c. 1. è quarum altera in alterius familiæ locum fieri non licebat*, tot annos ſteterat, novi tyranni arripuêrunt: *Machanidas* cito ſublatus, & Nabis à Flaminio Romano duce, ac Philopœmene Græco pulſus. Quo pacto Spartani libertatem recuperarunt. Helvicus *Theatro Chronol. p.* 7[illegible].

EPICNEMIDII, par. Locrorum. Vide *Ozolæ*.

EMPICOMBIA, Græcis recentioribus quid notet, ex Cantacuzeno diſcere eſt *l.* 1. *c.* 41. *Die quo Imp. unctus erat, exit è Templo, ab aliquo ejus Optimatum, quem ad hoc delegerit, in populum jaciuntur epicombia.* (Græcè [illegible]) *Sunt autem faſciculi, ſegmentis linteis illigata habentes numiſmata aurea tria, totidem argentea, & obolos æreos totidem; ſparguntur hujuſmodi faſciculi circa decies mille, in veſtibulo præcipuè.* Vide quoque Curopalatam *de Offic. Aul. CP.* & Salmaſ. *Not. ad Vopiſc. in Aureliano*, ubi de his ſparſionibus multa paſſim.

EPICRATES, Mileſius, & ſervus Julii Cæſaris, de quo Polyæn. *l.* 6. Item, Ambraciota, Poëta mediæ Comœdiæ. Platonem & Speuſippum reprehendit, ob nimiam in inveſtiganda animalium plantarumque natura curioſitatem. Ælian. *hiſt. Anim* Argumentum duarum ejus Comœdiarum, recenſet *Suid.*

EPICTETUS, Philoſophus Stoicus, ex Hierapoli Phrygiæ urbe, Romæ Epaphrodito cuidam Neronis familiari ſervivit, atque ad Marci uſque Antonini tempora pervenit, Domitiano autem imperante, ejus dominatu offenſus, Româ Hierapolin migravit, ratus verum eſſe, quod eſt Tragicum, Patriam eſſe cujuſque, ubi quis rectè ageret. Eo mortuo rediiſſe fertur. Tanta verò apud omnes homines ejus vitæ admiratio extitit, ut Lucianus Syrus lucernam ejus fictilem tribus drachmarum millibus, ob ejus authoritatem, vœniſſe tradat. Enchiridion Græcè ſcripſit, in quod commentati ſunt Simplicius, & Arrianus. Hoc de illo extat diſtichon, tanquam à ſeipſo factum,

> Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σώματι πηρὸς,
> Καὶ πενίην Ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

Philoſophiam totam duobus verbis complexus eſt: Ἀνέχου, καὶ Ἀπέχου, *Suſtine*, & *Abſtine*. Vide A. Gell. *noct. Att. l.* 15. *c.* 11. *l.* 17. *c.* 19. Simplic. *in ejus vita*, & *Comm.* &c. *Nic Lloyd.*

EPICTITICUS Terminus, Vide *Inſtruere* alibique paſſim.

EPICUM Poëma, omnium princeps eſt, quia continet materias univerſas, utpote ex Paſtorali, Comico & Tragico genere mixtum. Inprimis verò argumentum ejus, *Dux, miles, claſſis, equus, victoria*, uti Horat. docet ad *Epicum* nobiliſſimum Vatium *Carmin. l.* 1. *od.* 6. Initio

> *Scriberis Vario fortis, & hoſtium*
> *Victor, Mæonii carminis alite*
> *Quam rem cumque ferox navibus aut Equis*
> *Miles Te duce geſſerit.*

Solis dactylicis ſenariis magniloquis enarrandum: quod carminis genus per excellentiam *Epos* dici meruit. Sumebant autem *Epica poëmata* Rhapſodi olim per partes cantillanda, unde iis nec erat finis, & initium ſæpe aliunde pendebat: Rhapſodis interdum de ſuo alterutrum aut etiam utrumque aſſuentibus. Uti porrò hircum Tragici, juvencam Lyrici, ſic taurum *Epici*, in certaminibus olim accipiebant, uti docet Scalig. ubi ſuprà, *l.* 1. *c.* 44. Vide. apud eundem plura hanc in rem paſſim, inprimis *l.* 3. *c.* 96. ubi *de Heroicis*: de *Epici* verò *Cycli* materia & ſerie, ſuprà in voce *Cyclus*.

EPICUREA, Secta Philoſophorum, auctore Epicuro, ex Eleatica maximè ſecta profluxit. Epicurus enim, qui ejus conditor fuit Olymp. 109. An. 3. ſeptennio poſt Platonis exceſſum, nemini plus quàm Democrito debuit. Unde Cic. l. 1. *de Nat. Deor. Democritus vir magnus inprimis, cujus fontibus Epicurus hortulos ſuos irrigavit.* Contempſit autem Rhetoricam & Dialecticæ loco Canonicam ſubſtituit: Matheſin quoque inſuper habuit; In Phyſicis verò, ubi Anaxagoræ dogmata maximè ſequebatur, atomos à Leucippo & Democrito mutuatus, magnus omnino ſuis viſus fuit. Quam naturæ ſcientiam univerſam ſex libris complexus eſt Lucret. ipſe *Epicureus*: è quibus perſpicuum eſt, quod Canonica contenderat, omnia ſenſibus dijudicaſſe; adeò ut ne, Solem quidem vel Lunam majorem putaret, quàm videretur. Itaque, ut Cleomedes *Meteorol. l.* 1. ait, etiam majorem eſſe Solem manè, quàm meridie fatebatur, quia ſic videatur ſenſui. Imò, quod magis ridiculum, eum manè accendi, veſperi Oceani aquis extingui opinatus eſt. Quod ad moralem Philoſophiam attinet, ſummum bonum in voluptate poſuit Epicurus, ubi cum Eudoxo ſenſiſſe multis videtur. Interim fœdus ejus error fuit, quòd negaret: *Deum mortalia curare.* Item, quòd *Animas cum corporibus interire* ſtatueret. Ei in ſchola hac ſucceſſit Mus, ſervus ille quidem Epicuri, ſed qui Diſcipulorum ejus omnium clariſſimus evaſit. Etiam inter ſectatores illius Zeno Epicureus, Hermachus, Lucianus: & apud Romanos Lucretius, Caſſius, qui Cæſarem ſuſtulit, Maro ſub vitæ finem, & Petronius Arbiter. Et hoc diſcipulorum Epicuri typhum fovit, quòd deficientibus ſectis aliis, Magiſtri ſui ſcholam, ſemper ſuccedentibus aliis atque aliis perſiſtere videbant. Gerh. Joh. Voſſ. *de Philoſ. Sectis c.* 8. Eadem cum Epicuro jam ſub mundi initia ſenſiſſe Cainum, & ſtatim à diluvio Chamum, oſtendit Georgius Horn. *Hiſt. Philoſ. l.* 1. *c.* 9. & *l.* 2. *c.* 8. Apud Judæos poſtea Sadducæi, Epicuri dogmata ſectati ſunt, ex diſciplina Zadoci conditoris ſui credentes: *Poſt hanc vitam neque præmia bonis, neque pœnas malis reſtare, ſed animam unà cum corpore interire.* Ex Hæreticis Valentiniani, & illi, contra quos Irenæus ſcribit. *Epicurei* erant ac Cynici, Iren. *l.* 1. *c.* 58. Vide quoque in voce *Epicurus*.

EPICURUS, Athenienſis, *Philoſophus Celebris.* fil. Neoclis ex Cherecrata, Gargetto oriundus, ex familia Philaidarum, ejus ſectæ author, quæ ab ea *Epicurea*, nominata eſt, Olympiadis 109. Anno tertio, ſeptennio poſt Platonis exceſſum. Obiit autem ex urinæ retentione, Ann ſecundo 127. Olymp. ſub Archonte Pitharato, cùm vixiſſet Ann 72. Nemini plus debuit quàm Democrito, cujus libris perlectis, cùm antea Grammaticam docuiſſet, ad Philoſophiam ſe applicuit, ubi [illegible] genus perdidit. Hinc Cic. *l.* 1. *de Nat. Deor. Democritus vir magnus inprimus cujus fontibus Epicurus hortulos ſuos irrigavit.* Antea quoque dixerat; *In Democritum ipſum, quem ſecutus eſt, fuit ingratus.* Rhetoricen contempſit, ut qui omnem ſermonis laudem in ſola perſpicuitate collocaret. Laert. *in Epicuro*: Κέχρηται λέξει κυρίᾳ [illegible]. Imò Epicurus *orationis ornamenta neglexit*, ut ait Cic. *l.* 8 *de Finibus*: *Neque literas didicerat*, ut ait B. Hieronymus *Ep. ad Magnum*. Dictionem autem hauſerat, ut Cleomedes ait *l.* 1. *Meteorolog.* [illegible], *ex proſtibulis & mendicabulis.* Dialecticen etiam parvo habuiſſe loco dicitur. Laertius ubi ſupra, Τὴν διαλεκτικὴν, ὡς παρέλκουσαν, ἀποδοκιμάζουσιν [illegible] *Dialecticam, tanquam pervertentem, repudiant. Aiunt enim ſufficere Phyſicis ſimplicia vocabula.* Etiam B. Hieronym. *adverſus Rufinum*, ait: *Quoniam Stoici Logicam ſibi vendicant, & tu hujus ſcientiæ deliramenta contemnis, in hac parte Epicureus es.* Et hujus ſtuporis argumentum eſto, quòd negaret, contradictoriarum alterutram, eſſe veram. Unde Cic. *l.* 1. *de Nat. Deor. Totum hoc, aut etiam, aut non, negavit eſſe neceſſarium: quo quid dici poteſt obtuſius?* In Phyſicis maximè amplectebatur dogmata Anaxagoræ; ſic tamen, ut in quibuſdam diſſentiret. Atomos verò ſuas accepit à Leucippo ac Democrito, teſte Lactantio *l. de Ira DEI.* Interim ſic Dialecticam contemnebat, ut in ejus locum ſubſtitueret Canonicam; de hac erat Epicuri liber, qui Κανὼν inſcribebatur. Is fuit, ut Laertius ait, περὶ κριτηρίου, καὶ ἀρχῆς, καὶ στοιχειωτικὸν, *de judicii norma, & principio, & opus prima tradens elementa.* Eo docebat normam omnis judicii non rationem eſse ſed ſenſum. Matheſin quoque inſuper habuit, teſte Plutarch. *l. contra Epicurum.* In Phyſicis verò & Ethicis magnus omnino ſuis viſus eſt, præcipuè Lucretio, qui univerſam Epicuream Naturæ ſcientiam 6. libris complexus eſt, quam tradiderat Epicurus ipſe libris triginta octo. Sic enim ille *l.* 3. *v.* 9. & *ſeqq.*

> *Tu pater, & rerum inventor, tu patria nobis*
> *Suppeditas præcepta, tuiſque ex, inclyte, chartis,*
> *Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant,*
> *Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta,*
> *Aurea perpetuâ ſemper digniſſima, vitâ.*

Ejuſdem ſunt iſta de Epicuro, *v.* 1056

> *Ipſe* Epicurus *obit decurſo lumine vitæ*
> *Qui genus humanum ingenio ſuperavit, & omnes*
> *Præſtrinxit ſtellas, exortus uti æthereus Sol.*

Quos verſus cùm attuliſſet Lactant. *l.* 3. *Inſtit. c.* 17. ſubjungit deinde: *quos equidem verſus nunquam ſine riſu legere poſſum. Non enim de Socrate & Platone hoc ſaltem dicebat, qui velut reges habentur philoſophorum: ſed de homine, quo ſano & vigente, nullus æger ineptius deliravit. Itaque poëta inaniſſimus leonis laudibus murem non ornavit, ſed obruit & obtrivit.* Imò ſectatores admiratione illius, quolibet menſe, natali ejus ſacrificabant, idque die vigeſimo: unde ferias haſce vocabant εἰκάδας. Tantus quoque Epicureis amor magiſtri fuit, ut ejus imaginem annulo inſculptam, boni ominis causâ, quocunque circumferrent. Auctor Plin. *l.* 35. *c.* 2. Quod ad moralem philoſophiam attinet, Epicurus ſummum bonum poſuit in voluptate, non tamen in ea, quæ ad corpus pertinet, quemadmodum Ariſtippus, ſed in voluptate animi, h. e. in abſentia omnium dolorum. Continentiſſimæ ſiquidem vitæ fuiſſe dicitur. Cibi tenuitatem non uno loco indicat Juv. *Sat.* 13. *l.* 5. *v.* 122.

> ------- ---- Nec Epicurum
> *Suſpicit exigui lætum plantaribus horti.*

Et *Sat.* 14. *v.* 319.

> *Quantum* Epicure *tibi parvis ſuffecit, in hortis.*

Horto ſiquidem delectabatur. Prop. *l.* 3. Elegia 21. ad Cinthiam *v.* 26.

> ------ ------ *Aut hortis, docte* Epicure, *tuis;*

Stat. *l.* 1 Silv. 3. *v.* 94.

> *Mallet deſerto ſenior Gargettius horto.*

Mart. *Cecropium* vocat, *l.* x. Epigr. 33. cujus epigraphe ad Numantium Gallum.

> *Cecrophium ſuperas qui bonitate ſenem.*

Huc pertinet, quod de eo ſcripſit Ælianus *l.* 4. ποικιλ. exclamare eum ſolitum: [illegible] ὑγιαίνειν, in Epiſtolarum egipraphe, [illegible]. Non deſunt tamen, qui alia ac diverſa planè de Epicuro ac libidinibus ejus tradidêrunt; ſed falsò, quod & Diogenes agnoſcit. Atque, quòd ipſe juxta & Philoſophia ejus malè audiit, diſcipuli ejus degeneres & intemperantes, ac eorum inprimis Metrodorus, fecêre, qui pravè detorſêrunt ejus dogmata, & quæ de pura illa, atque conſtante, & ſancta animorum voluptate tradiderat, ad ulam impuram, fugitivam ac pecuniam transtulêrunt. Itaque Seneca, [illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

dico, inquit; *quod plerique noſtrorum, ſectam Epicuri flagitiorum magiſtram eſſe. Sed illud dico, male audit, infamis eſt; & immeritò.* Significat nempe infamem eſſe Epicurum, & ejus ſectam propter voluptatis nomen infame. Vide ipſum *de beata vita c.* 13. Hinc *Sancta Epicuri, & recte præcipere Epicurum* ibidem ſcribit homo Stoicus, & voluptatis hoſtis profeſſus; ejuſque dicta paſſim laudat, commendat, inculcat. Epicureæ doctrinæ, atque auctoris ipſius laudem habes apud Lucian. *in Pſeudomant.* Nec repugnant, quæ in Βίων πρᾶσις ſcribit, ea enim ad degeneres diſcipulos pertinent, ut ſequens dialogus docet, quem *Piſcatorem* inſcripſit. Utcunque hoc ſit, fœdus ille & peſtilens error eſt Epicuri, quòd negaret Deum curare mortalia, animaſque ſimul cum corporibus interire putaret. Plura ſcripſit, quàm ullus alius Philoſophorum, & Chryſippum, paraſitum ſuum cognominatum, compilatorem habuit. Plura qui ſcire velit, Laërt. adeat, *l.* 10. *Lucret.* & Gaſſendum, *in vita Epicuri*, & *Philoſophia ejus.* Nic. Lloyd. Nec omittendum quòd ei feſtum à diſcipulis inſtitutum, dicemus infrà, in voce *Icadiſtæ* Ab iiſdem imagines ejus in cubiculis repoſitas, in voce *Imagines.* Sed & imaginem in annulis habuiſſe docet Cic. *de Finib. l.* 5. *Nec tamen* Epicuri *licet oblivi ſci ſi cupiam: cujus imaginem non modo in tabulis noſtri familiares, ſed etiam in poculis & in anellis habent.* Sic Commodus Imp. Amazoniâ (ea erat Martia concubina ejus, quam pictam in Amazone diligebat) Ariſtomenes Agathocle, Auguſtus Alexandro Mag. Cherſonitæ Conſtantino Mag. Princeps ille vetus, apud Euſtath. τον πωρεκδολίτην *in Hom.* Ulyſſe, ſignarunt. Kirchman. *de Ann. c.* 12. At in Scriptis Hebræorum hæreticus eſt, item Chriſtianus, qua de re Vide Joh. Selden. *de Synedriis vett. Hebræor. l. II. in Addendis p.* 744.

EPIDAMNUS, vel EPIDAMNUM, vulgò DURAZZO, opp. in ea parte Macedoniæ, quæ Adriatico mari incumbit, triſtiſſimo è Græcia in Italiam trajectu nulli non cognitum. Romani coloniam eò deducentes *Dyrrhachium* dicere maluêrunt, propter inauſpicatum nomen *Epidamni*, tanquam à *damno* deduceretur. Ad quod alluſit Plaut. *in Menæchmus*, cùm ait. *Act.* 2. *Sc.* 1. *v.* 42.

> ------ *Ne mihi damnum in* Epidamno *duis.*

Tanquam nomen inditum ſit *Epidamno*, Plin. *l.* 3. *c.* 23. quòd illuc nemo ſine *damno* divertat. Conditum eſt à Corcyræis, Phalio duce, illuc coloniam deducentibus. Vide *Phalius.* Illius verò navale *Dyrrachium* fuit, Joh. Marsh. Canone *Chron. Sect.* XVII. Conditum urbis Euſebius refert ad ann. 2. Olymp. 38. ſub initia Periandri Regis, verum ex ſupputatione Thucydidis prælium navale, quod diu poſt Epidamnum conditam inter Corinthios & Corcyræos commiſſum eſt, incidit in annum 1. Olymp. 29. ſive annum 260. ante belli Peloponneſiaci finem. Idem *ibidem.* Vide Thucydidem ei laudatum *l.* 1. ut & aliquid infrà hac de urbe, aut navali potius, in voce *Dyrrhachium.* Plin. *l.* 3. *c.* 23.

EPIDAPHNE, urbs in Seleucide Syriæ, quæ & *Antiochia* dicta, à *Daphne* vicino ſuburbano, quod locum habebat amœniſſimum. 89. ſtadiorum, & fanum Appollinis cum delubro Dianæ. Jul. Capitol. Vitam finiit hic Germanicus Druſi fil. Tacit. *Ann. l.* 2. *c* 83.

EPIDARUM, opp. Cypri medit. nunc *Pitarcvil* pagus.

EPIDAURIA, feſtum Æſculapio ſacrum, apud Athenienſes, Cic. *de Nat. Deor. l.* 3. & Pauſan. *l.* 2. *Illuſtriſſima Æſculapii ſacra ex Epidauro: Athenienſes diem Æſculapio feſtum vocant* Epidauria. *Archias in Epidauria ſanatus Dei cultum traduxit Pergamum; à Pergamenis accepêre Smyrnæi.* Demum *Anguis Epidaurius Romam advectus eſt*, Liv. *Epit.* XI. A. U. C. 462. Vide hic infrà: & plura de Æſculapio ſuo loco, ut & aliquid infrà in voce *Ophiuchus.*

EPIDAURUS, urbs Peloponneſi, Æſculapii templo celeberrima. Unde etiam Romani cùm gravi peſtilentia laborarent, conſultoque oraculo juberentur Æſculapium Romam advehere, triremem cum legatis ea de cauſa Epidaurum miſêre. Verùm cùm Epidaurii Deum opiferum à ſe inviti dimitterent, ferunt illis cunctantibus ingentem anguem ad Romanorum triremem adnavigaſſe, ſeſeque in puppi in gyrum complicuiſſe; quem illi Æſculapium arbitrati magna cum veneratione Romam advexêrunt. Vide Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 736.

> *Jamque caput rerum, Romanam intraverat urbem*
> *Erigitur ſerpens, ſummoque acclivia malo.*
> *Colla movet, ſedeſque ſibi circumſpicit aptas,*

Et hic ſuprà. Ad horum preces, Hilarion Monachus, mare, ingenti terræ motu poſt mortem Juliani exorto, terminos ſuos egreſſum, coërcuiſſe legitur. A. C. 368. ut & piratas, verbo, *Hucusque veniſſe ſufficiat*: apud Hieron. *in ejus vita.* Cæterùm Vide Scal g. *de triplici Epidauro*, *in Chron. Euſeb.* Miræum *Geogr. Eccl.* &c. Eſt etiam urbs Archiep. Dalmatiæ ad mare Adr. emporium celebre, vulgò *Ragusa*, vel *Raguſi.* Urbs ſui juris, & Reipub. caput, ritus Latini, cum portu capaci. Probè munita, cum arce valida S. Laurentii; Turcis tributaria. A. C. 1667. d. 6. Aprilis mirè conquaſſata fuit & deſolata, horrendo terræ motu, quo maxima pars civitatis periit. Huic Reipubl. ſubſunt Urbes Stagnum, Stabium, Tribinium & Mercæ, in viciniis, cum Inſ. Melita, Auguſta, aliiſque parvi momenti in mari Adr. 50. mill. à Narone in Auſtr. 200. à Jadera in Ort. ut 450. à Venetiis. 700. à Byzantio circiter in Occ. De priore Stat. *l.* 1 *Sylv.* 4. *v.* 99.

> *Si qua ſalutifero gemini Chironis in antro*
> *Herba, tholo quodcunque tibi Trojana recondit*
> *Pergamus; aut Medicis felix* Epidaurus *arenis*
> *Educat*; ------ ------

Et Q. Serenus voto ad Æſculapium,

> *Tuque potens artis, reduces qui tradere vitas*
> *Noſtri, atque in cœlum manes revocare ſepultos,*
> *Qui colis Ægeas, qui Pergama, quique* Epidaurum,
> *Huc ades* ------

Nempe Æſculapius in hac urbe genitus habebatur, ex Apolline & Coronide, ut teſtatur Oraculum apud Pauſan. *l.* 2. ubi & feſtum diem Athenienſibus fuiſſe *Epidauria* memorat. Inde *Epidaurius*, pro Medico celebri: Stat. iterum *Theb. l.* 3. *v.* 398.

> *Vulnera dum lymphis* Epidaurius *eluit Idmon,*
> *Nunc velox ferro, nunc ille potentibus herbis*
> *Mitior* ------ ------

Ubi Schol. vetus, *ut ab Æſculapio didiciſſe Medicinam indicet, patriam ei Epidaurum adſcripſit* &c. Cœterùm memorabilem in *Epidaurii Templi* foribus inſcriptionem memorat hanc Clemens 5. *Strom.*

> Ἁγνὸν χρὴ νηοῖο θυώδεος ἐντὸς ἰόντα
> Ἔμμεναι
> *Eſſe decet caſtum, ſancti qui limina templi*
> *Ingreditur.*

Nempe non Solis ſacrificiis rem peragi, ſed inſuper opus eſſe, ut ſacrificaturi puri ſint, & à ſceleribus abhorrentes, etiam Gentiles vidêrunt. Quam in rem non pauca congeſſit Briſſonius *Formul. l.* 1. Vide Tob. Pfanner. *Syſtem. Theol. Gentil. c.* 15. §. 8.

EPIDAURUS Limera, nunc *Malvaſia*, Urbs Archiep. Laconiæ, ad initium Sinus Argolici, ubi nobile vinum creſcit, cum portu capaci & munito. Sub Turcis. 50. mill. à Sparta, 65. à Scyllæo prom. in Auſtr. Cum Inſ. cognom. Strab. *l.* 8.

EPIDECEN, vel EPIDICEN, Ugutioni veſtis Monachorum eſt: corruptè pro *Ependytes.* Sic enim vocata ab Hieronymo eſt veſtis exterior Monachorum Ægyptiorum pellicea ſeu melotes, Occidentalibus ut plurimùm lanea: quam *ſuperariam* Latini, *Scapulare* nonnulli vocant. Vide ſuprà *Ependytes.*

EPIDELIUS, Apollo ſic dictus ab *Epidelia* vico, qui eſt juxta Maleam Laconiæ prom. ubi templum habebat. Nam poſt Delum everſam, cùm barbarus quidam Apollinis ſimulacrum per contumeliam in mare projeciſſet, poſteaque id ad Peloponneſi litus perveniſſet, à Laconibus magnâ veneratione ſuſceptum eſt, vocatusque Apollo *Epidelius*, quaſi ex *Delo* advectus.

EPIDEMIÆ, Græcè Ἐπιδημίαι, nomen feſti apud Delios & Mileſios, Apollini; apud Argivos, Dianæ ſacri: quaſi eo potiſſimùm tempore *inter eos* Numina illa *verſarentur*, nomen nacti, ex ἐπὶ & δῆμος. In cujus poſtremo die, quaſi abeuntes Deos ſuos, ad aras, certis hymnis proſequebantur qui hinc ἀποπεμπτικοὶ dicti, quemadmodum diſcedentibus amicis προπεμπτικοὶ dabantur. Eis opponebantur κλητικοὶ, Lat. *Evocatorii*, de quibus infrà. Nempe cùm multorum locorum patrocinium Dii Gentilium ſuſcepiſſent, parti ri tempora æquum fuit, ut alibi aliàs præeſſent ſedibus ſuis. Itaque certi dies feſti erant, quibus evocabantur, & quibus iterum, quaſi adveniſſent, poſtmodum compoſitis carminibus ad ſuam quisque patriam dimittebantur. Cujuſmodi hymnos à Bacchylide conſcriptos ajunt. Jul. Cæſ. Scalig. *Poët. l.* 3. *c.* 114.

EPIDII, pop. fuêre Albionis, in Scotia mer. verſus Hibern. ubi nunc *Cantyr* prov. prope Clotæ æſtuarium.

EPIDIPNIDES, apud Mart. *l.* XI. *Epigr.* 32. cujus epigraphe in Cæcilium. *v.* 6. ubi de ſordidè lauto Cæcilio, qui non niſi cucurbitas convivis apponebat, in fruſta diſſectas varieque apparatas:

> *Has cœna tibi tertia reponet.*
> *Hinc ſeras* Epidipnidas *parabit*:

dapes ſunt, ſeu bellaria, quæ ἐπὶ δεῖπνον, *poſt cœnam*, apponi diſtribuique conſuêvere. Vide de partibus Cœnæ apud Vett. *Antecœna, Cœnæ capite* ſeu *pompa*, & *Secundis Menſis*, ſeu *Bellariis*, Joh. Roſin, *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 29. ut & hic variis in locis.

EPIDIUM, Inſ. Albionis, in ora Occ. Scotiæ, una Ebudarum, vulgò *Yle* Habet duo caſtra & decem vicos: ambitus 24. mill. Scot. 20. mill. à littore Hiberniæ in Bor. 13. à prox. littore Scotiæ in Occ.

EPIDIUM, prom. Albionis in ora Scotiæ occidua, ante quod *Epidium* Inſ. Ptol. in *Cantira* prov. Baudr. Auſtraliſſimum Scotiæ, 10. mill Scot. ab ora prox. Hibern. in Cæc. vulgò *The mul of Cantyr.*

EPIDIUS, ſcripſit de prodigiis inuſitatis, ut de arboribus loquentibus, &c. Plin. *l.* 16. *c.* 25. Malè cum C. Epicadio confunditur. Fuit hoc nomen illuſtris familiæ, apud Romanos, unde Epidius Marullus, Tr. P. Suet *in Cæſ.* Alius, Coſ. A. C. 211 Vide inſuper Appian. *B. C. l.* 2. D. Caſſium, *l.* 44.

EPIDOTAS, Heſych. Ἐπιδώτας, Ζεὺς ἐν Λακεδαίμονι. Apud Pauſan. *in Laconicis* eſt Ἐπιδώτης, *& Genius quidam incertus* dicitur.

EPIES, maximus deorum apud Ægyptios interpres, cui attribuebant accipitris caput, aliaque permulta ſuperſtitioſa.

EPIGENES, Aſtrologus, & Hiſtoricus, cum Beroſo & Critodemo conjungitur Plin. *l.* 7 *c.* 56. ubi de illo, *Epigenes* inquit, *apud Babylonios* DCCXX. *annorum obſervationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptas docet, gravis auctor inprimis: qui minimum, Beroſus & Critodemus* CCCCLXXX. *annorum.* Vide Joh. Marshamum *Canone Chron. Sect.* XVII. ubi de *Æra Nabonaſſari* agens, in Artis Aſtrologicæ vetuſtatem, pluribus inquirit. Ætas ejus incerta; quòd ſi temporibus Auguſti ſcripſerit, bene ibi cum Beroſo convenit. Nam annus Nabonaſſari 720. eſt annus Auguſtorum 2. Idem *ibid.* Alius eſt *Epigenes* Sicyonius Poëta, non

qui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

quidem Comicus, ut Suid. putavit, ſed Tragicus, ut rectè eſt apud Michaelem Apoſtolium *Chil.* 25. *prov.* 13. Varia ejus citat Athen. & ex eo *Suid.*

EPIGINUS, Archon Athenis. Vide Schol. *in Ariſtoph. Acharn.*

EPIGONATION, veſtis ſacra Græcorum, Ἐπιγονάτιον, ad modum calicis burſæ formata, quam Epp. aliique in dignitate conſtituti, inter Sacra, geſtant ad genua usque pendulam, ad lævum latus: in memoriam lintei, quo Salvator in ultima cœna Diſcipulorum pedes loturus ſe præcinxerat, ut Balſamon habet. Simeon verò Theſſalonicenſis gladium divinæ prædicationis denotare ait: unde in eo effigies Seraphim depingitur, cum flammeo ac ancipiti gladio. S. Germano Patr. CP. ἐγχείριον dicitur, quâ voce etiam linteum, quo Pilatus poſt lotionem manus abſterſerat, inſignitur. In Eccleſia Lat. ſolus Papa in ſolemni celebratione id indumenti adhibet, quod in forma manipuli eſt, & in *Cerimoniali* Rom. *Subcinctorium* & *Subcingulum* appellatur, &c. Vide Macros Fratres *in Hierolexico*, ut & infrà, in voce *Præcinctorium.*

EPIGONI dicti ſunt authores ſecundi belli Thebani, quaſi fœtus illorum, qui primum confecerant bellum. Græcè ἡ γονὴ *fœtus* appellatur, & qui pòſt gignitur, Ἐπίγονος. Inde Euripides Tragœdiam hoc argumento compoſitam *Epigonos* ſcripſit. Sunt qui exiſtimant, Epigonos apud Strabonem eſſe populos, à quibus fabulæ nomen inditum ſit: cùm Epigoni dicti ſint generali vocabulo omnes illi, qui ex diverſis populis conflati ſecundum bellum Thebanum, duce Alcmæone, confecêrunt. Nam ex Statii lectione notum eſt, bellum Thebanum primum, & nomina Ducum, qui in eo loco occubuêrunt; quorum filii ut mortem parentum ulciſcerentur, decennio pòſt communi conſilio contra Thebanos iterum, arma movêrunt, qui accepêrunt reſponſum ab Apolline, eam ſe civitatem expugnaturos, ſi Alcmæonem Amphiarai fil. Imp. feciſſent. Igitur Alcmæon exercitu ex Græcia collecto contra Thebas duxit copias, acerrimâque commiſsâ pugnâ victoria potitus eſt, & Thebæ captæ, ac dirutæ ſunt, Tireſiâ cœco abducto, & filiâ ejus Manto Delphos miſsâ, ut Sacerdos Phœbi eſſet. Euſeb *in Ann.* 817. *Abrahami*, Pauſan. Diod. Hygin. &c. *Epigoni* etiam dicti ſunt ſucceſſores Macedonum veteranorum, qui ſub Alexandro Mag. ex Aſiaticis fœminis ſobolem ſuſcepêrunt. Hoc Rex *Paterna ſtipendia contrahere voluit* Supplem. Curt. *l.* 10. *c.* 4. ſicque vocavit, ut militiâ Macedonicâ quaſi in perpetuum ſtabilitâ, ætate aut vulneribus feſſi captivi ſubinde à poſteris ſuis, hoc enim ſunt *Epigoni*, exciperentur. Quod Veneti hodie imitantur illuſtri beneficentiâ, in omnium, eorum, qui vel in toga vel ſago utilem Patriæ operam præſtitiſſent, liberos utriusque etiam ſexus, uti Camerarius docet *Horarum Subciſio* Cent. 2. *c.* 56. quem vidiſſe operæ pretium erit. Plura Vide apud Cl. Freinshem. *Not. ad Supplementa Curtiana.* Aliquid quoque infrà, ubi de *Septem Ducibus.*

EPIGONIUM, organi Muſici genus, de quo Vide infrà aliquid, in voce *Organica.*

EPIGONUS, auctor hæreſeos Patripaſſianorum. Theodoret. *de hær. fab. l.* 3. Bar. *A.* C. 260.

EPIGORUS, Mathematicus, Ambraciota, Sycione habitavit, inventor *Epigonii*, quod Muſici inſtrumenti genus quoddam fuit. Ejus Sectatores *Ambraciotæ* dicti. Athen. *l.* 4. & 14. Jul. Pollux, *Onomaſt. l.* 4. *c.* 9. Ariſtoxenus *Element. harmon. l.* 1. Idem Hiſtoricus fuit. Alius hujus nominis Poëta, Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 3.

EPIGRAMMA, Græcè Ἐπίγραμμα, q. *Inſcriptio*, eſt Poëma breve cum ſimplici cujusdam rei vel perſonæ vel facti indicatione: aut ex propoſitis aliquid deducens. Nempe *brevitas* ejus proprium, *argutia* anima ac quaſi forma eſt. Nomen inde, quòd quæ ſtatuis, tropæis, imaginibus, pro *elogiis* inſcribebantur, ea primo veroque ſignificatu *Epigrammata* ſunt appellata. Sed nec donaria ſeu anathemata, ſine inſcriptione fuêrunt. Sic ipſum Poëma fuit ſtatuæ inſcriptio. *Ubi verò in librum transfertur, è contrario fit. Ipſa enim ſtatua inſcriptio eſt Epigrammatis --- Titulus ſc. quem Lemma vocat Martialis* &c. Jul. Cæſ. Scalig. *Poët. l.* 3. *c.* 126. ubi plura de hoc carminis genere. Vetuſtiſſimus Poëta Meleager, ex omnibus antiquis Epigrammatariis, Στέφανον Ἐπιγραμμάτων olim contexuit, ordine alphabetico poſitis eorum nominibus, ac ſingulis Poëtis cum totidem floribus compoſitis ac comparatis. Quem ſequutus eſt Philippus, utrumque Agathias, qui Κύκλον νέον Ἐπιγραμμάτων, ſeu Στέμμα ſeu Συλλογὴν (aliter enim atque aliter titulus is memoratur) ſimiliter concinnavit, uti pluribus docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 848. & 849.

EPIGRANEA, fons in Bæotia non procul à Dirce. Plin. *l.* 4. *c.* 7.

EPII, Ætoliæ & Elidis pop. Plin. *Dion. Halicar.*

EPIIEIDÆ, vicus in tribu Cecropide. *Steph.*

EPILEUCADII, urbs poſt Acarnaniam. *Idem.*

EPILOGORUM Dies, dicebantur apud Romanos, in quibus ad concitandam miſericordiam, parvuli etiam reorum filii producebantur: qua de re multa egregiè ſcripſit Quintilian. meminit & *Aſconius.*

EPIMACHUS, ſub Decio apud Alexandriam Martyr. A. C. 151.

EPIMANICION, Græca vox, ἐπιμανίκιον, ad inſtar ſemimanicæ eſt, ad cubitum usque pertingentis; cujusmodi manicis antiquitus ſolis Epiſcopis licebat uti, ut Balſamon teſtatur & Simeon Theſſalonic. idque in ſymbolum vinculorum Chriſti patientis. Hodie verò uſus ejus omnibus Sacerdotibus eſt conceſſus. In Cappella Papali, Diaconum & Subdiaconum, præter manipulum hujusmodi, geſtare in albæ manicis fruſtilla coloris currentis Feſti expanſa, juxta priſcum ritum, refert Dominic. Macer *ubi ſuprà.*

EPIMARANITÆ, Arab. Fel. pop. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

EPIMENES, è Puerorum nobilium Alexandri Mag. cohorte, conjurationis in regem particeps Hermolao. Curt. *l.* 8. *c.* 6. Sed pœnitentiâ mutatus, per fratrem ſuum Eurylochum indicium conjurationis fecit.

EPIMENIDES, Poëta Epicus, Solonis σύγχρονος, circa Olymp. 46. Patriâ Cretenſis. qui à patre Agiaſarcho in agrum ad cuſtodiendum pecus miſſus in quodam antro obdormivit Annos 75. Unde emanavit Proverbium, *Epimenidis ſomnum dormire.* Tandem expergefactus, cùm videret omnia mutata, domum reverſus, à fratre omnia didicit. Quamobrem pro Deo eſt habitus. Quod de ſomno commentum videtur à peregrinatione ejus diuturna originem traxiſſe. Idem Athenienſibus peſtilentiâ laborantibus dixit, Civitatem purgari, expiarique oportere. Itaque cùm rogatus eò veniſſet, juſſit oves albas, atque nigras apud Areopagum immolari; Rediens deinde domum, oblatam ab iis pecuniam reſpuit, Plato *in* 1. & 2. *De legg.* Epiphanius Mithræ ſacerdotem fuiſſe tradit, ἀρχαῖον ὄντα φιλόσοφον, καὶ Μίθρα τοῦ παρὰ Κρησὶν εἰδώλου ἱερέα. Climas apud Plutarch. ἀνέρα θεῖον vocat. Diod. Sic. θεολόγον. *l.* 5. Strab. de eo *l.* 10. καθαρμοὺς διὰ τῶν ἐπῶν ἐποιήσατο, idem habet & Suid. Plutarch. *in Solone* θεοφιλὴς καὶ σοφὸς περὶ τὰ θεῖα dicitur. Laërtius γνωστικώτατον appellat. Apuleius *Florid.* 2. *Fatidicum*, Max. Tyrius δεινὸν τὰ θεῖα. Denique Divus Paulus προφήτην Tit. *c.* 1. *v.* 12. Tribuitur ei opus de Curetum & Corybantum origine, Item Theogonia, &c. Vide pluribus Diog. Laërt. *in ejus vita.* Platon. *de leg.* 1. Max. Tyr. *ſerm.* 22. & 28. Pauſan. *in Corinth.* Valer. Max. *l.* 8. *c.* 13. Plin. *l.* 7. *c.* 48. Girald. *dial. hiſtor. de Poëtis.* Præter hunc 3. fuêrunt alii *Epimenides*, duo quidam, qui Genealogias ſcripſêre, tertius, qui Doricè Rhodi hiſtoriam condidit, uti ex Laërtio diſcimus. Denique *Epimenedis*, Gnoſſii cujusdam, meminit Plin. cujus anima ex ore, corvi effigie viſa eſt evolare. Plin. *l.* 7. *c.* 52. Sed is idem eſt cum ſuperiore. *Nic. Lloyd.*

EPIMETHEUS, Japeti fil. frater Promethei, qui cùm ingenio plurimum valeret, hominis ſtatuam primus ex luto finxit. Quamobrem indignatus Jupiter, eum vertit in ſimiam, atque in inſulas Pithecuſas relegavit.

EPIMETHIS, Pyrrha Epimethii filia, Deucalionis uxor.

EPINICIA, Græcis *primò* celebritates pro parta victroia; ut ſunt ignes nocturni, pyræque, quæ ad primum ſtatim victoriæ nuntium, in teſtimonium publicæ lætitiæ, accenduntur: Solennes præterea ſupplicationes, & aliæ id genus ſolennitates, quibus partæ victoriæ gaudium ſolemus teſtari: *Secundò* Epulæ poſt victorias uſurpari ſolitæ; Epinicia dictæ ſunt, quaſi *poſt-victorialia*, quorum paſſim exempla plurima apud hiſtoricos reperiuntur; cujusmodi fuit Cononis, qui cùm apud Cnidum Lacedæmonios bello navali ſuperaſſet, Pyræumque mœnibus muniiſſet, centum boves mactavit, atque omnes Athenienſes ad convivium vocavit: & Alcibiadis, qui cùm in Olympicis primus, ſecundus & quartus, curru viciſſet (quarum victoriarum Epinicium ſcripſit Euripides) Jovi Olympio ſacris factis, univerſo populo congregato, convivium magnificentiſſimum exhibuit. Idem fecit Leophron, Empedocles, Antiochus Epiphanes, & alii. Vide Athen. *l.* 1. & 12. *Dipnoſoph.* Quale fuêrit Nabuchodonoſoris poſt devictum Arphaxadum Medum, deſcribit Judit. *c.* 1. Maccab. *c.* 8. *v.* 33. *Tertiò* Epinicia vocantur carmina, in laudem victoris compoſita ad immortalitatem, quo ipſius res geſtæ magnificæ illuſtri præconio canebantur. Sic Suet. ait *in Ner.* Claud. *c.* 43. *Sequenti*, inquit, *die lætum inter lætos cantaturum Epinicia; quæ jam nunc ſibi componi oporteret.* Tale eſt canticum Moſis Pharaone ſubmerſo Exod. *c.* 15. *v.* 1. & Deboræ & Baraci devicto Siſerâ Jud. *c.* 5. *v.* 12. Simileque fuit illud, quo, Goliath cæſo, Iſraeliticæ mulieres Davidem celebrabant, in quo illud (quod intercalare fuiſſe carmen videtur) *percuſſit Saul mille, & David decem millia*, 1. Sam. *c.* 18. *v.* 5. His annumero, quæ in laudem præſtantium virorum, eorum inprimis, qui pro patria occubuiſſent, in conviviis cani ſolebant, de quibus vide Plutarch. *in Sympoſ.* Athen. *l.* 15. *c.* 21. Hunc ritum decantandi laudes & Heroum fortia facta, etiam populo Dei inter honeſtas ingenii exercitationes, atque in lætitia & conviviis uſitatum fuiſſe, colligere eſt ex Pſalmo 137. *v.* 3. & 4. Eph. *c.* 5. *v.* 18. & 19. Syrac. *c.* 32. *v.* 7. 8. 9. modò non à bene potis, & màgis oſcitantibus ac eructantibus, quàm cantantibus carmen inſtituatur. Graviſſimus quoque author Cato in originibus, morum apud majores hoc Exemplar fuiſſe dicit, qui accubarent ad tibiam, canerent majorum laudes. Cic. *l.* 4. *Tuſc. quæſt.* Hunc morem quoque obſervarunt Sueo-Gothi, qui Majorum ſuorum res geſtas decantare ſolebant, de quo ritu ſic Loccen. *in Antiq. Sueo-Goth. c.* 21. *fol.* 115. *Ille mos egregius, & qui à poſteritate retineatur meritò dignus eſt, quòd præclara majorum facinora à ſcaldis & cantoribus in conviviis & aulicis conventibus, vel aſſa voce, vel ad tibias aut lyram, decantabantur: ut ſic vivâ voce, velut naturali claſſico, ad majorum exempla incitarentur poſteri, & mores animi hac virtutis cote acuerentur: Inde etiam Huskarlahvot, i. e. Hoffmanna Hwasheed, aulicorum acumen, hujusmodi carmen incentivum veteres Scandi appellabant.* Pulcherrimum in hanc rem exemplum affert Priſcus *in hiſtoria Gothica: Adveniente*, inquit, *veſpere ſublatis epulis, duo viri Scythæ coram Attila prodiêre, & verſus à ſe factos, quibus ejus victorias & virtutes bellicas canebant, recitârunt, in quos convivæ, oculos vultusque defixêrunt, & alii quidem verſibus delectabantur, aliis bellorum recordatio animos exſuſcitabat aliis manabant lachrymæ, quorum ætas affecta reddiderat corpus effœtum imbecille: ex quo illorum pugnandi ardor & cupiditas quieſcere cogebantur*, Simon Battierius, J. U. D. & Phil. Pract. in Acad. Baſil. Prof. *Diſput. de Præmiis.*

EPINICIA, Græcè Ἐπινίκια, carmina erant epipompeutica, haud abſimilia Pæanibus, niſi, quòd his gratulabantur Diis immortalibus, pro victoria, in præliis obtenta; illa autem, in certaminibus, victori canebantur. Cujusmodi ſunt omnia Pindarica, quæ extant: uti ex ipſis titulis patet: ut in Sacris carmen Mariæ, ſororis Moſis, Deboræ; & illud πολυθρύλλητον de Saule ac Davide, Sa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Saül percuſſit millia, David decem millia. Gratulabantur autem in victoriis, vel cum acclamatione, vel laudes celebrabant ſine illa, uti videre eſt apud Scalig *Poet. l.* 1. *c.* 44. ubi plura de hac re. Vide quoque ſuprà item, in voce *Baliſtea.*

EPIOCHUS, Lycurgi & Antionës fil Ancæi frater, Heroicis honoribus apud Arcades cultus.

EPIPHANES, Gr. Ἐπιφανὴς i. e. *Præſens* ſive *Apparens*, epitheton Deorum apud Gentiles, inde ad Orientis Reges translatum, ut diximus etiam ſuprà lemmate, *Adventus Auguſti.* Certè Θεοπτία ſeu *viſio Dei* apud Syncellum, Manethonem alioſque, qui de Ægyptiorum Sapientibus agunt, frequens, uti in Sacris ἰδεῖν Θεὸν, Gen. *c.* 32. *v.* 30. ἰδεῖν τὸ πρόσωπον Θεοῦ, Exod. *c.* 33. *v.* 20. ubi non agitur de Eſſentia divina, ſed de loquendi formula, Ægyptiis ac Hebræis uſitatâ. Unde & Libani montis prom. τὸ τοῦ Θεοῦ πρόσωπον, *Dei facies*: & Baldaam *Apertus oculis*, Num. *c.* 24. *v.* 4. Prophetæ *Videntes*, 1. Sam. *c.* 9. *v.* 9. & Dionyſio Areopagitæ Sacerdotalis ordo Θεοπτικὸς dictus, quòd putarentur Deum conſpicari, *Vid. Zachar.* Vide Joh. Marsham. *Can. Chron. Sec. IV.* & hic infrà quoque.

EPIPHANES, h. e. *Illuſtris*, cognomen Antiochi Regis Syriæ, Vide ibi: urbem condidit, quæ ab eo *Epiphania* dicebatur. Nummus extat æreus, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, quod ſic integrum cognomen ejus fuit; ut viz. ſub nomine adj. Ἐπιφανοῦς intelligeretur ſubſt. Θεός. Rationem reddit Appian. Syr. *Antiochus, Antiochi Magni fil. Syria potitus, à Syris cognominatus eſt* Epiphanes, *quod expulſis Tyrannis, ipſe* βασιλεὺς οἰκεῖος ὤφθη, *Rex domeſticus* (quaſi Numen patrium) *apparuiſſet.* Nempe, à credit ſ Θεῶν ἐπιφανείαις ſeu Θεοφανείαις, *Deorum apparitionibus* ſeu *manifeſtationibus*, adulatio demum hanc ἐπιφανείας vocem ad Reges Orientis tranſtulit: nec ad Seleucidas ſolum, ſed & Lagidas, alioſque. Alius namque eſt nummus æreus Bithyniæ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΟΜΗΔΟΥΣ. Tigranes etiam Armenus, & Arſaces Parthus idem cognomen in nummis obtinent. Quorum exemplo Cajus Cæſar Petronio Syriæ Præf. ſtatuam Hieroſolymis ſibi poni, ſub nomine *Jovis Epiphanis*, h. e. *Præſentis S. Apparentis*, præcepit, apud Syncellum: & in numiſmatibus Romanis ADVENTUS AUG. eſt ἐπιδημία Numinis Majeſtatiſque Imp. Joh. Marsham. *Canone Chron. Sec. III.* ubi de Θεοπτίᾳ, & hic paſſim, inprimis in voce *Phanuel.*

EPIPHANES, Rex, in partibus Othonis, ad locum Caſtorum Tacit. *Hiſt. l* 2. *c.* 25. *à Vitellianis vulneratur, impigre pugnam ciens.* Item fil. Carpocratis à Cephalenis, adoratus. Clem. 1. *Strom.* Epiph. *hær.* 32.

EPIPHANIA, urbs Syriæ ad Orontem fluv. *Mapia* Cuſpiniano. *Aman* verò Nigro Media, inter Antiochiam ad Bor. & Damaſcum ad Auſtr. 80. mill. utrinque, uti 18. à Lariſſa in Auſtr. 70. à Seleucia ad Belum. Baudr. Altera Ciliciæ. Tertia Bithyniæ. Quarta juxta Tigrim. *Steph.*

EPIPHANIA, Feſtum, quod Chriſtiani celebrant ex ritu antiquo, de 6. Januar. ut ex Ammiano Marcell. *l.* 21. colligitur; tanti olim habitum, ut pro impiis haberentur Impp. qui ei intereſſe neglexiſſent. Quo factum, ut & Julianus, cùm in Galliis ageret, & alii quidam Auguſti, licèt Ariani, illud cum Chriſtianis celebrare voluerint. Ratio nominis variè redditur: Nonnulli id ſic putant dictum, quòd, cùm hac die Baptiſmatis Chriſti ſolennitas agatur, tunc primùm Chriſtus ἐπιφάνη, cœperit gentibus *manifeſtari*, imò ipſi ſuo præcurſori Joh. qui Joh. *c.* 1. *v.* 31. ait, *At Ego non noveram eum* Vide Hieronym. *in Ezech. l.* 1. *c.* 1. & Chryſoſtomum *Homil. de Bapt. Chriſti.* Iſid. verò Hiſpal. *de Offic. Eccl. l.* 1. *c.* 26. vult *Epiphania* appellata quoniam ſtella ἐπεφάνη, h. e. *apparuit* in cælo, quando ſc. Magi Chriſtum jacentem in præſepi adorarunt: Hac enim die non Baptiſmi ſolùm Chriſti. ſed & adorationis Magorum & primi in Cana miraculi, memoria recolitur. Alii cenſent, appellationem hanc abuſivè feſto inditam eſſe. Quippe cùm plurimæ Eccleſiæ in diem illum Natalem Domini & Baptiſmum ejus referrent, quod de Ægyptiacis disertè teſtatur Caſſian. *Collat.* 10. *c.* 2. de Græcis, Aſiaticis & Syris Epiphan. *in Panar. Hær.* 51. Natalis verò Chriſti ἐπιφανείας & ἐπιφανίων nomine donaretur à Patribus quia tunc primùm apparuit naſcendo Chriſtus, factum poſtea in Eccleſia CP. quæ, Romæ uſum amplexa, natalem Chriſti cœpit celebrare die 25. Decembr. ut priorem nomenclaturam diei ſextæ Januarii attribuerit, quæ priùs, tanquam natalis Chriſti, colebatur. Vide Caſaub. *ad Annal. Baronii Exercit.* 2. *c.* 11. & Jac. Gothofred. *ad l.* 5. *Cod. Theod. de Spectaculis*, nec non infrà, *Nativitas Dom.* it. *Paramonarii & Heortus.* Et quidem hac die Græci Baptiſmum inprimis Chriſti celebrant, atque in ejus memoriam multis cerimoniis conſecrant aquam, in quam poſtquam tribus vicibus crucem immerſerunt, inde poſtea domos infirmoſque aſpergunt. In Latina verò Eccleſia adoratio præcipuè Magorum recolitur, & hac die Sacerdos pluviali indutus ambonem aſcendit ac mobilia totius anni feſta annuntiat. Inſuper Dominicani magno luminum apparatu hac nocte matutinum ſuum celebrant inque eo genealogiam Chriſti ſecundum Lucam ad tertium nocturnum canunt &c. Vide Car. du Freſne *in Gloſſar.* & Macros Fratres *in Hierolexico.* Eadem die, vel etiam Chriſti Natalitio, in Eccleſia olim populo Epiſcopos denuntiaſſe, quis Paſchatis dies, vel principium Quadrageſimæ foret, videbimus infrà lemmate, *Paſchalis Epiſtola.* De ἐπιφανείαις, h. e. apparitionibus Deorum gentilium, Vide ſuprà in voce *Divinitas.*

EPIPHANIUS, Patrarcha. CP. poſt Joh. II. A. C. 520. Strenuus veritatis defenſor, inprimis contra Eutychem. Obiit. A. C. 535. Succeſſit Anthimus. Hormiſdas *ep.* 72. & 73. &c. *Baron.*

EPIPHANIUS, Salaminis in Cypro Ep. qui ſub Valente, & Gratiano, inprimis verò ſub Theodoſio Mag. floruit. Eleutheropoli Palæſtinæ oriundus, primò Judæus religione, à Cleobio quodam Chriſtiano, qui cum à vulnere, ex equi ferocia accepto, ſanaverat, converſus eſt. Romæ ſub Damaſo fuit, à Paula hoſpitio exceptus, Antiochiæ fidem Chriſtianam ab hoſtibus vindicavit, CP. contra Origeniſtas acriter pugnavit, ſenex Hieroſolymis concionatus eſt. Invaleſcentem, ſub finem ſec. 4. Imaginum uſum hiſtoricum, cum Baſilio, Cyrillo, Auguſtino, Chryſoſtomo cordatè rejecit, velo etiam, in quo Chriſti imago eſſe dicebatur, diſcerpto. Mart. Chemnit. *de Imagin.* Arnob. *l.* 8. Quinque lingg. peritus, miraculis etiam clarus, Morerio. Obiit A. C. 403. Opus de 80. hæreſibus reliquit, quod non hiſtoricum minus, quàm Theologicum eſt. Geſnerus meminit libri de vita Mariæ, qui temporibus ejus Epiphanio tribuebatur. Eum verò Epiphanii alterius eſſe putat Voſſ. Vitam quoque S. Hilarionis expoſuiſſe dicitur. Sed ea non extat. Eidem tribuitur vulgò hiſtoria de Prophetarum vitis. Attamen ejus libelli vett. non meminérunt, nec ſatis Epiphanio dignus videtur. Vide plura de inſigni hoc Patre, apud Hieron. *Ap.* . 2. *ad Ruf. c.* 114. *de Script. Eccl. in Ep.* Auguſtin. *de hær. ad Quod vult Deus.* Joh. Damaſc. *Orat.* 1 *de Imag.* Phot. *cod.* 122. 123. & 124. Suid. Socr. Sozomen. Theodoret. Niceph. Sixtum Sen. *in Biblioth.* &c. Item *Epiphanius* Petreus Sophiſta, qui ſcripſit paer exercitationes, & declamationes in genere demonſtrativo.

EPIPHANIUS, Ep. Ticinenſis, in Anthemio Imp. & Ricimero genero ejus reconciliandis laboravit. Dein legatus ad Theodoricum, hinc ad Gundebaldum, Burg. Regem miſſus eſt, ad captivos redimendos, felici ſucceſſu. Ennodius, *in vita ejus.*

EPIPHANIUS, Scholaſticus, amicus Caſſiodori cujus ſuaſu hiſtoriam Eccl. Theodoreti Socratis & Sozomeni latinè vertit: unde *Tripartitam* ſuam collegit. Caſſiodor. *præf. in hiſt. Tripart. & de divin. lect. c.* 17. Sigeb. *Catal. c.* 12.

EPIPOLÆ, regiuncula prærupta juxta Syracuſas. *Steph.*

EPIPOMPEUTICA, Græcè Ἐπιπομπευτικὰ, dicebantur carmina, quæ in pompis Veterum accini ſolebant, cujuſmodi *Seculare carmen* Horatian & *Epinicia*: de quibus Vide Scalig. *Poet. l.* 1. *c.* 44. & infrà, in voce *Lyra.*

EPIRUS, regio Græciæ finitima ad Ort. Acheloo fluv. diſcreta: ad Occaſ. Acroceraunüs montibus, quâ mari Adriatico incumbunt: Ad Septentr. Macedoniæ parte terminatâ: Ad Merid. Jonio mari abluta. Primùm *Moloſſia* dicta, deinde *Chaonia*, à *Chaone* Heleni fratre. Quondam urbibus, populiſque quorum Moloſſi, apud quos Dodona, clariſſimi, fuit frequentiſſima, ſed à Romanis ſubacta cùm ſæpius deficeret, penè in ſolitudinem redacta eſt. Hic concilium A. C. 516. ob Joh. Ep. Nicopolit. Vide infra. Aluit hæc regio equas præſtantiſſimas Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 59.

> *Eliadum palmas* Epeiros *equarum.*

Idem *l.* 3. *v.* 121.

> *Et patriam* Epirum *referat.* -----------

Tauros item. Ovid. *Met. l* 8. *v.* 281.

> ------ *Oeneos ultorem ſpreta per agros*
> *Miſit aprum, quanto majores herbida tauros*
> *Non habet* Epirus.

Item juvencos, Hom. *in Hymn.*

> Ἠ' μὰν ἂν Ἤπειρον πορτιτρόφον,

Frumenti quoque ferax fuit. Hom. Od. 1.

> Κεῖθ' ἀλὶ κεκλιμένη ἐριβώλακος Ἠπείροιο.

Idem. Od. ξ.

> ------ Οὔτ' Ἠπείροιο μελαίνης,
> Οὔτ' αὐτῆς Ἰθάκης. ------

Hinc *Epirota* & *Epiroticus.* Inſulas circa Epirum olim tenuiſſe Phœnices docet Bochart. Ab iisdem fortaſſe dicta fuit *Epirus*, non quia ἤπειρος *terra continens*, nihil enim hîc ſingulare, ſed quia terra אבירים *abirim*, i. e. *equorum & boum.*

Et Gratius ferè *in fine Cynegetici*:

> ------ *Quis Chaonias contendere contra.*
> *Auſit, vix meritâ quas ſignat Achaia palmâ?*

Chaonias (equas) i. e. *Epiroticas*; Chaonia enim eſt pars Epiri. Veget. *l.* 3. *Epirotas ac Siculos* (equos) *non deſpexeris ſi mores pulchritudo non deſerit.* Jam de Epiri bobus quis non meminit? Ubi teſte Pind.

> Βοῦται πρῶνες ἔξοχοι καλεῦνται,
> Δωδωνάθεν ἐρχόμενοι πρὸς Ἰόνιον πόρον,

Sed obſervanda inprimis hæc Philoſophi *Hiſt. An. l.* 3. *c.* 21. Αἱ δὲ Ἠπειρωτικαὶ βόες αἱ μεγάλαι βδάλλονται ἑκάστη ἀμφορέα, καὶ τούτου τὸ ἥμισυ ἐκ τῶν δύο μαστῶν. Ὁ δὲ βδάλλων ὀρθὸς ἕστηκεν, ἢ μικρὸν ἐπικύπτων διὰ τὸ μὴ δύνασθαι ἂν ἐφικέσθαι καθήμενος. Proinde Hecatæus apud Arrian. *l.* 2. *Anabaſeos*, aſſerit circa Epiri Ambraciam, & Amphilocum regnaſſe Geryonem, & inde Herculem boves abegiſſe. Quò pertinet, quòd in Epiro boves prægrandes Λαρινοὶ dicti, credebantur ex illorum eſſe genere, quos abegerat Hercules; & à bubulco *Larino*, Herculis abigeo, traxiſſe nomen. De his vide Athen. *l.* 9. & Suid. in Λαρινοὶ βόες, ubi citatur Poëta vetus Lycus Rheginus, Lycophronis pater. Vide item Ariſtoph. Scholiaſten in *Aves* Tzetzem *Chil.* 8. *Hiſt.* 186. Apoſtolium, &c. Nic Lloyd. Hæc Regio, ol. Reges habuit proprios, inter quos Pyrrhus & Alexander, celeberrimi, poſtea Macedoniæ annexa eſt. Dein ſub Romanis fuit, poſt quos Regulos iterum proprios habere cœpit, usque ad Joh. Caſtriotum, quem Croja urbe & filiis privavit Amurathes, Turc. Imp. A. C. 1434. ſed hic ab unico illorum, quem in vivis reliquerat, Georgio, à Turcis *Scanderbego* dicto illà rurſus exutus, A. C. 1442. Succeſſor quoque ejus Mahometes ſæpius victus eſt. Georgio verò hoc A. C.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

1468. defunćto, ſucceſſit quidem fil. Joh. ſed mox ſub jugum Epirus rediit. Ejus partes fuêre Chaonia, Theſprotia, Caſſiopæa Acarnania, Amphilochia, Athamania, Dolopia & Moloſſia, Briet. Nunc *Chimera* & *Larta*. Tota dicitur ſæpe Albania inf. ad differ. ſuper. quæ propria eſt. Subeſt Turcis, Corcyra Inſ & Parga opp. in continenti *Torone* aliàs dicto exceptis, quæ Venetis jam pridem parent. Ferrar. Baudr. Porro de Epiro in genere, Vide Plin. *l.* 3. *c.* 23. *l.* 4. *c.* 1. Strab. *l.* 7. Ptol. *l.* 5. Juſtin. *l.* 17. *c.* 18. Belon. *l.* 1. *obſ. c.* 64. *Tom.* 4. *concil.*

Urbes Epiri hac tempeſtate.

Acheloum.	Chimæra, *Chimera*.
Actium, olim colon. *Capo Figalo*.	*Corcyra inſ. & urbs, *Corfu*.
*Ambracia, *Larta*.	Dodona.
Anactoria, *Vodiza*.	Evoria, *S. Donato*.
Antigonia, *Argiro caſtro*.	*Johanna, & Johannina, metropolis, & caput regionis *Johannina*.
Argos, *periit*.	*Leucas inſ. & urbs metropolis, *S. Maura*.
Butrotum, *Butrinto*.	*Nicopolis, *Preveza*.
Caſſiope. Vide Johannina, ſeu Johanna.	

EPISCOPA, in *Inſcr.* vet. in æde Praxedis Romæ, *Quocirca & in ipſo ingreſſu Baſilicæ manu dextra, ubi utique benigniſſimæ Genitricis ſcilicet Dominæ Theodoræ Epiſcopæ corpus quieſcit* &c. apud Dominic. Macrum *in Hierolex.* Vide in *Epiſcopiſſa*.

EPISCOPALE Prognoſticon, Vide infrà.

EPISCOPI, Græcè Ἐπίσκοποι, Magiſtratus apud Athenienſes nomen; qui per provincias, & regiones ditioni ſuæ commiſſas excurrebant, quò illas in officio ac fide continerent. Latinis verò ſic dicebantur, qui pani præerant, *leg. ult.* §. 7. *D. de Muner. & Honor.* cujusmodi fortè fuit ille, cujus mentio eſt in vet. *Inſcr.* apud Joffredum *in Not. Urbis Niceenſis, p.* 6. De *Epiſcopis* Eccleſiæ Rom. varii generis, *Epiſcopis* ſc. *Abbatibus*, ſeu *Vagantibus*, qui nullas parochias habent; *Epiſcopis Cardinalibus*, h. e. propriis; item iis quibus id privilegii indultum, ut Cardinalibus accenſerentur, quemadmodum de Archiepiſcopo Magdeburgenſi legitur, apud Henr. Meibomium; iis porrò quibus jus Pontificem Rom. eligendi conceſſum eſt in Concilio Rom. A. C. 1059. *de Epiſcopis Cathedralibus*, quibus Chorepiſcopi oppoſiti de Epiſcopis commendatariis h. e. Cardinalibus, quibus non unus ſolum, ſed aliquando quatuor, quinque, ſex Epiſcopatus in commendam conceſſi ſunt, cùm ſedes Pontificum adhuc Avenione eſſet: de *Epiſcopis Palatii*, ſeu Archicapellanis, qui apud Gallos, Bohemos, Croatas, olim in aulis verſabantur, ut eſſent cum quibus de rebus Eccleſiaſticis Reges tractarent: de *Epiſcopis primæ ſedis* ſeu Primatibus: *de Epiſcopis* tandem *in partibus Infidelium*, qui Latinis Hieroſolymitano Regno pulſis, originem nacti ſunt, Vide pluribus agentes Car. du Freſne *in Gloſſario* & Macros Fratres *in Hierolexico*: adde infrà dicenda, in voce *Epiſcopi* Item *Magiſter*.

EPISCOPIUM, domus Epiſcopi, ubi non minùs, quàm in Monaſteriis, olim ſacra ſapientia tradebatur; quamvis hæc ſæpius *Epiſcopiis* eſſent contigua, aut etiam eadem cum illis. Monaſteria enim, Eraſmo judice, eâ ætate dicebantur Epp. ædes, in quas ſe recipiebant à popularibus feriati negotiis, & in quibus illi ſacras tum docebant literas, ac juventutem ad pietatem inſtituebant. Inde non ſolùm Monachorum Cœnobia, ſed & Eccleſiæ, quæ Collegia & Capitula habebant, *Monaſteria* & apud noſtrates *Munſter*, dicta ſunt. Ita ergo vett. Epp. prope ſuas Eccleſias, aut intra eas, Monaſteria, i. e. Collegia ſeu cœtus ſtudioſorum doctorumque virorum habebant, è quibus ad Eccleſiarum regimen qui apti videbantur, promoveri ſolebant. In quali Monaſterio Auguſtinus habitabat, ſic ut nec ipſe Monachus fuêrit, nec Monachi inde prodierint, cùm potius illi Clerici ac Presbyteri eſſent, qui ibidem in *Epiſcopio* docti, collegæ Epiſcopi in officio paſtorali erant, aut in Epiſcopos deligebantur. Quia autem non omnes Epp. apti erant, ut alios ad ſacra erudirent, operam deinceps dedêrunt, ut in Eccleſiis, ubi cathedra Epiſcopalis erat, talium Scholæ haberentur: Sic cœtus Canonicorum, qui iſtiusmodi Scholas regerent, emerſêre; ut, ſi Paſtor peteretur, in oculis Epiſcopi eſſent, quos mitteret probatos. Imò Cabillonenſi Synodo ſub Car. Mag. ſtatutum, ut omnes Epp. Scholas erigerent, in quibus bonæ literæ atque imprimis Theologicæ docerentur, legimus apud Baronium: & Tridentinum quoque Concilium ſollicitum fuiſſe, de reſtituendis prælectionibus in Eccleſiis Cathedralibus deque inſtituendis ſeminariis in Collegiis Eccleſiarum Epiſcopalium, ex hiſtoria ejus notum eſt. Vide Franc. Burmann. *Orat. Inaugur. de Collegiis*, & infrà in voce *Monaſterium*.

EPISCOPICELLA, Vide *Cella* Ep.

EPISCOPISSA, vox medii ævi, uxor Ep. aliàs *Antiſtita*. Vide quæ S. Bernard. *in vita Malachiæ*, refert de XV. uxoratis Epiſcopis, prædeceſſoribus ſuis, in Hibernia: etiam ſupra in voce *Corba*. Quòd autem Antiſtita, quæ nonnunquam occurrit, pro Archimandritiſſa, vel Abbatiſſa, olim quoque pro uxore Ep. ſumpta fuerit, patet & ex Hieron Heminge *Geneal Tabell. part.* 1. *p.* 302. *in Geneal. Rhetiæ Curienſis Principis &c.* Ubi inter alia ait: *Paſchalis, qui & Zacco Senior, Comes Brigantinus, Præſes Rhetiæ, & Ep. Curienſis* 14. *cum filio Victore, Monialium cœnobium Caczes vel Zacces in Tumiliaſca, ſuper Rhetiam ſitum fundavit, mortuus AC.... Uxor Eſcopeia al. Epiſcopa, Comitiſſa de Rhetia, quæ in fundatoriis literis monaſterii Zacces ſe nominat* Antiſtitam *Churienſem* Seculum quo Paſchalis ille vixerit, ex eo conjicias, quòd Tello ejus ex filio pronepos, obiiſſe illic dicitur, A.C. 784. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.*

EPISCOPIUS Nicolaus, Sebuſiahus, Typographus clariſſimus. Ob religionem, patriâ relictâ, Baſileam commigravit, ibique ductâ Juſtinâ Frobeniâ filiâ, Joh. Chalcographi celeberrimi, ſedem fortunarum fixit: plurimis egregiis voluminibus ſacris, profanis, Græcis, Latinis, nitidiſſimè excuſis, de re literaria præclarè meritus: Cum Hieronymo Frobenio, Eraſmi nuncupatus ſupremæ voluntatis vindex. Obiit ex artophia A.C. 1564. ſepulchrali marmore, & inſigni epigraphe honoratus. Pater fuit filii cognominis, itidem Typographi eximii, in flore ætatis extincti, A. C. 1566.

Quærere quis fuerim noli, quòd magnus Eraſmus
Me coluit, nonne eſt, jam tibi noſſe ſatis?

EPISCOPIUS, Simon, Amſtelodamenſis, Lugduni Bat. Gomari Trelcatii & Arminii, auditor, hujus ultimi ſententiam amplexus eſt. A Senatu Roterodamenſi, ad Eccleſiam Bleyswycenſem, A.C. 1610. à Leidenſis Acad. Curatoribus ad Profeſſionem Theologicam, morte Gomari vacantem, A. C. 1612. vocatus, *Comment.* edidit *in* 2. *&* 3. *c. Apocalypſeos, in* 1. *Ep. Joh. in Matthæum* alia. Fervente interea de Prædeſtinatione inter Belgii Theologos lite, & Remonſtrantibus exin in Synodo Dordracena damnatis Antverpiam primò, inde in Galliam ſeceſſit, atque utrobique varia porrò ſcripſit. Inde Roterodamum reverſus, A. C. 1626. ibi Eccleſiæ Remonſtrantium, poſt hæc A. C. 1634. Amſtelodami eorundem Seminario præfuit, variisque iterum libris in lucem emiſſis, obiit. A. C. 1643. Æt. 60. Steph. Curcellæus *Vitam* ejus deſcripſit, Operibus illius præfixam, Vide quoque Paul. Freher. *Theatro Viror. eruditione claror.*

EPISCOPUS, quid in S. Scriptura, quid apud Latinos ſignificet, nemini ignotum. *Archiepiſcopus*, ut & *Archiſacerdos*, *Archidiaconus*, &c. tituli ſunt, qui primùm videntur inſignioribus in ſuo ordine viris, non per Canonem, ſed ex placito delati; poſtea verò ab Eccleſia ſuſcepti, & in certos gradus conſtituti. Sic fortè Sozomen. *l.* 2. *c.* 8. Symionem, qui floruit tempore Conſtantini, Seleuciæ & Cteſiphontis *Archiepiſcopum* vocat, quòd primariarum in Perſide urbium eſſet Ep. B. Jacobus Hieroſolymorum primus Archiep. dicitur, Vide Baron. *A.C.* 508. *ſect.* 29. quem Niceph. *l.* 8. *c.* 36. & Sozomen. ſimpliciter *Ep.* vocavêre. Zephyrinus, Romanus Antiſtes, A.C. 203. *in pr. ſua ep. decretali*, ſi tamen germana ſit, primus omnium *Archiepiſcopi* titulum adoptavit. Sed Metropolitanos fuiſſe, tempore Niceni Concilii, A.C. 320. liquidò conſtat ex ejusdem Canonibus, *Archiep.* verò præſidere tam Metropolitanis, quàm Epp. cæteris, Iſidor. docet *Orig. l.* 7. *c.* 12. *& Diſtinct.* 12. *c. Cleros.* Invaluit autem *Archiep.* appellatio diu in Or. antequàm in Occid. penetraret. Primus in Anglia *Archiep.* fuit Theodorus Græcus, ſextus Auguſtini Monachi ſucceſſor, cui omnis Anglorum Eccleſia manus dare conſenſit. Beda *l.* 4. *c.* 2. Vide Spelmann. *Gloſſar Archæol.* Cæterum, cum Principibus viris obviam prodire olim mos eſſet *cum lumine multo & floribus votisque fauſtis*, ut ait Ammian. Marcell. *l.* 21. idem honos poſtea *Epiſcopis* exhibitus eſt, jam inde à temporibus primis florentis Eccleſiæ. Sic enim B. Cyrillus, ſe è Concilio Epheſino redeuntem, tantâ alacritate omnium exceptum eſſe, ut paſſim ſibi mulieres præirent, θυμιατήρια κατέχουσαι, *thuribula manibus tenentes*, narrat in *Ep.* ad Presbyteros Alexandr. quæ in Concilii *Actis* extat. Simile eſt, quod de cereis accenſis in Hiſt. Eccl. obſervat Caſaub. quos initio moris fuit rebus ſacris præferre. Sic B. Chryſoſtomo cum cereis obviam proceſſit populus CP. apud Theodoret. *l.* 5. *c.* 34. & hymnis, apud Sozomen. *l.* 8. & ſuffitibus, apud Gregor. in *Vita* ejus *c.* 100. Acceſſêre poſtmodum choreæ, cruces, alia, de quibus Vide Caſaub. *ad Suet. Cæſ.* *c.* 13. ut & infrà aliquid in voce *Poſtulatio*. Aliam notionem vocis habes in *Thalaſſiarchus*.

EPISCOPUS Abbas, in *Charta* Ludovici Pii apud Meuriſtium in *Ep. Meltens. Maguntbus Ep. & Abbas Monaſterii.* ſc. Gorzienſis; quid propriè, ambigit illuſtris *Gloſſarii* Auctor, ubi de *Epp. vagantibus*, iisque, qui nullus perinde parochiis donati concedebantur olim à Pontificibus, exemptis ab Ordinarii juriſdictione Monaſteriis, qui in iis munia Epiſcopalia exercerent, ex Monachis ab Abbate electi & in Epiſcopos, à regionum Epiſcopis conſecrati pluribus agit. Vide quoque ſuprà *Abbates, Epiſcopi*.

EPISCOPUS Palatii, vocatur Leo quidam, *Vita* S. Adelberti Ep. Pragenſis; idem fortè, qui *Ep. Regalis Capellæ*, apud Bohemos dicebatur. Sic autem videntur appellati, qui Pontificum indultu in Palatio Regum morabantur, ut. eſſent cum quibus ii de rebus Eccleſiaſticis conferentes uti ex *Can.* 55. Conc. Francof. diſcimus, ubi de Angilranno Ep. Metenſi, & Hildiltoldo Archiep. Colon. qui inſuper ad id delecti ſunt, ut Capellae Regiæ præeſſent, atque adeò Cleri Palatini curam gerentes Archicapellanorum munere fungerentur. Cujusmodi Epiſcopos etiam Regibus Croatiæ, it. Hungariæ fuiſſe, docet ex *Hiſt. Salonit.* Thomæ Archid. *c.* 11. & *Diplomate* Calomarii Regis. apud Jac. Lucium *Hiſt. Dalmat. l.* 2. *c.* 4. idem *Gloſſarii* Auctor; qui de *Epiſcopis, Cardinalibus, Cathedralibus Commendatariis Exerptis, in Partibus infidelium, Primæ Sedis*, & varia habet *Ibid.*

EPISCYNION, apud Suid. ex *Epigr.*

Γυμνώσαντα βίου παντὸς ἐπισκύνιον,
Nudato vitæ totius Epiſcynio:

tralatitium eſt, & propriè cilium *Gloſſar.* vett. *c. de membris*, Philoxeno ſupercilium, Tzetzi pars ciliorum, quam aliquando demittentes in loca palpebrarum, videmur ἄγριοί τινες εἶναι καὶ θηριώδεις, *ruſtici quidam eſſe atque ferini*; Scholiaſti vett. Homeri ad Il. ρ. v. 135. ubi de leone, pars ſupra oculos aut cutis, locus frontis in quo ſupercilia concurrunt; à σκύζεσθαι, *iraſci*, quòd in iratis hæc ſtatim pars afficitur. Aliis v. potiùs ipſa demiſſio ſuperciliorum, quam eleganti metaphorâ *nubem* vocat in *Phyſiognom.* Philoſophus, quippe irato animali, eo, & oculi pars obtegitur, & vultus tanquam nube obductus, fit triſtior, & moroſior. Quod dum leo facit, *abbas*, vel *abis* Arabibus dicitur, uti docet Samuel Bochart. *Hierozoici* *Parte prior l. III. c.* 2 ubi plura hanc in rem. Vide quoque infrà, *Nubes ſuper ſupercilia*.

EPISCYRUS, inter pilæ ludos apud Vett. memoratus Polluci, fiebat; *ubi paribus ad pares in duas Turmas diſpoſitis, media linea educebatur, quam Scyrum vocabant, cuique pilam impoſitam quisque contendebat, ut intra alias duas lineas poſt utrorumque ordinem deſcriptas adverſariorum, metas ſcilicet, immitteret, nimirum quibus contactis* ...

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

à pila victoria haberetur. Luſores hi, dum pilam capiebant, atque alteri mittebant, alterum fugiebant, alterum expellebant, alterum magnis vocibus elevabant, ſive evertebant veriſimile fit ſpectatores atque etiam ſe ipſos magnâ delectatione affeciſſe, eo magis quòd interdum motuum concinnitati dabant operam, ut ex Demoxeni verbis apud Athen. *Dipnoſophiſt. l.* 1. *c.* 11. colligere eſt. Sic in alio parvæ pilæ luſu, φαινίνδα dicto, alio ſimulantes in aliam partem mittebant, decipientes credulum &c. Vide Hieron. Mercurial. *de arte Gymnaſtic. l.* 2. *c.* 4. & infrà ubi de *Pilæ luſu.*

EPISTATES, dicebatur apud Athenienſes, Proëdrus qui ſuum imperaret diem Gr. Ἐπιστάτης, Cùm enim quinquaginta unius Tribus Prytanes ſimul non imperarent, ſed Prytaneiâ in quinque hebdomades, ut ex Ulpiano liquet, diſtributâ, in totidem decurias quinquaginta illi dividerentur, prima decuria ſuam imperabat hebdomadem, ſecunda ſecundam, atque ita deinceps ordine ſorte ducto: dicebanturque illi decem, qui in ſua hebdomade præerant, Πρόεδροι. Hi inter ſe ſortiebantur regna ſeptem illorum ſuæ hebdomadis dierum, quibus præerant: atque ita fiebat, ut è decem Proëdris tres ſupereſſent, qui ſuum non imperarent diem, reliquorum verò quiſque die ſuo *Epiſtates* vocaretur; quod ne binis vicibus contingeret, vetuit lex: Δὶς οὐκ ἔξεστι γενέσθαι τὸν αὐτὸν Ἐπιστάτην, *Nemini bis eſſe* Epiſtatæ *liceto*, apud Pollucem *l.* 8. *c.* 9. Habebat enim is penès ſe, quum regnaret, Ærarii claves, ut & Tabularii: item Sigillum publicum; unde metus erat, ne ſi pluries fieret *Epiſtata*, tyrannidem invaderet. Suid. Φυλάττει δὲ ὁ Ἐπιστάτης τοῦ ἱεροῦ τὰς κλεῖς, ἐν ᾧ τὰ δημόσια χρήματα, ἔτι νὴ καὶ δημοσίαν σφραγῖδα. Ab his Proëdris atque *Epiſtatis* alii quoque fuêrunt, eodem nomine dicti. Quotieſcunque enim Senatus habebatur, aut Concio, ὁ ἐν τῇ ἐφημερίᾳ, *eo die imperans* etiam *Epiſtates* dictus legebat novem Proëdros è ſingulis unum Tribubus, exceptâ illâ, penès quam Prytaneias erat imperium, teſte Ariſtot. *de Rep. Athen.* Quorum novem Proëdrorum unus ſimiliter *Epiſtata* dicebatur, ſorte ex illis novem ductus ab *Epiſtata*, penès quem erat illius diei regnum. Hi Proëdri Senatui & Concioni præſidebant, curabantque negotia: Relationem porrò faciebant eorum, quorum causâ convenerant, ſiſtebant in judicio coram populo &c. quas tamen partes fuiſſe præcipuè Proëdrorum *Epiſtatæ*, patet ex Suida. Vide Sam. Petitum *Commentar. in Leges Atticas l.* 3. *tit.* 1. Aliter vox ſumitur apud Plin. *l.* 34. *c.* 8. ubi Silamon *Epiſtatem athletas exercentem* ex ære feciſſe dicitur &c.

EPISTEMONARCHA, Vide infrà *Epiſtomonarcha.*

EPISTOLA, Græcè Ἐπιστολή, quaſi *miſſoria*, ἀπὸ τοῦ ἐπιστέλλειν Iſidor. interpretatur *miſſam*, *Orig. l.* 7.) aliàs *tabula*, *tabella*, *codicillus* quòd ante chartæ & membranarum uſum, in dolatis ex ligno codicillis perſcribebantur, Hieronym. *Ep.* 42 Vide quoque Homer. *Il.* 3. *v.* 169. ubi Prætus literas Bellerophonti tradit ſcriptas, ἐν πίνακι πτυκτῷ, *in tabella plicata.* Cujuſmodi tabellæ fieri ſolebant inductâ cerâ, è fago, abiete, buxo, tilia, acere, citro, ebore. Unde Plaut. *Epiſtolam* circumſcribens *Pſeudolo*, inquit, *Act.* 1. *ſc.* 1. *v.* 40.

Per ceram & linum, literasque interpretes,
Salutem mittit & ſalutem abs te expetit,

Uſi tamen & charta ad hanc rem, ut ex Mart. *l.* 14. in apophoretis cujus epigraphe *Chartæ Epiſtolares.* Epigr. XI.

Seu leviter noto, ſeu caro miſſa ſodali,
Omnes iſta ſolent charta *vocare ſuos.*

Diſcas: quod nomen hodieque Epiſtolæ tribuunt Hiſpani. Sed ſive tabella, ſive charta adhiberetur, pagellæ erant & ſpecies minuti libelli. Cic. *ad Cœlium l.* 2. *Ep.* 13. *Extrema pagella pupugit me tuo chirographo.* Et *l.* 11. *ad Brutum Ep.* 25. *Altera jam pagella procedit.* Niſi quòd publicas literas ad S. P. Q. grandiore formâ & transverſâ chartâ ſcribebant, ſc. quaſi hiſtorias, Suet. *Jul. c.* 56. ubi primum hunc epiſtolas ad Senatum in paginas & formam memorialis libelli convertiſſe addit: quas tamen & ex ſolida materia, putà auro ſeu argento fieri conſueviſſe, vidimus, in voce *Diplomata* Alia hodiè literarum ratio. Sed nec *Subſcriptio* Veteribus uſitata, niſi fortè in literis ad Impp. nec *Superſcriptio* frequens fuit. Dabant enim plerumque & mittebant per pueros ſuos aut tabellarios notos: nec aliud in exteriore epiſtola erat, quàm ſignum & linum; imago nempe vel propria, aut alicujus è Majoribus vel emblema aliquod, impreſſum ceræ ſeu cretæ, quod lino ſeu vinculo, quo Epiſtola obligabatur, imponi imprimique ſolebat. Uti pluribus videre eſt, apud J. Lipſ. *Inſtit Ep.* & infra in voce *Linum*, it. *literæ Syllabæ.* A communi uſu in ſcenam receptæ ſunt *Epiſtolæ*; in qua Tragœdo ſi quid eſſet, quod Principem Populumque vel monitos vel rogatos vellent, *Epiſtolam* exhibuiſſe, legimus, quam vocaliſſimus aliquis Curio clarâ voce legebat: quòd iis in dramatico Poëmate, quæ extra argumentum eſſent loqui non liceret, Vide hanc in rem Mart. *Ep. l.* 2. *Epigr.* Sed & *Epiſtolas*, minùs magnis libellis aut operibus præfigere perque eas ſcripta ipſa amicis aut fautoribus commendare, eo ævo, moris fuiſſe, indidem diſcas; cùm vett. ſequutique Poëtæ, extra quidem Auſon. pareſque alios, alio conſilio fuerint. Qua de re Vide Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. Ep. Sylv. l.* 1. &c. Idem porrò nomen fuit Comœdiæ, ab Afranio editæ, cujus Lipſ. meminit *d. l.* Cæterum quâ religione *Epiſtolas* ſuas legi voluerit Plato, Vide apud Marſil. Ficinum *Argum. in Ep. ejus* 2. & *Argumen. in Platonem de Republ. l.* 6. Plot. item uti *de animalibus* ἐπιστολοφόροις ſuprà in voce *Curſores.*

EPISTOLA, pro eo forenſes *Chratam* vocant, i e inſtrumento, quo prædia conceduntur pactioneſque firmantur: Tabellæ publicæ fidei. Superiores enim ætates ab inclinato Imperio, ſub *Epiſtolarum* ſpecie, hæc omnia peragebant, ut è Marculfi; veterumque formulis conſtat. Cœptaque res videtur ab ipſis Impp. & Longobardorum Regibus, ſtilo turgido, & ſæpe Majeſtate minus digno. Caſſiodor. videtur & Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.*

EPISTOLÆ, pars Novi Teſtamenti, à Paulo, Petro Joh. Jacobo, & Juda, Apoſtolis, Scriptoribus Θεοπνεύστοις, literis conſignatæ, generali vocabulo *Apoſtolicæ*, dicuntur: in quas omnes commentati ſunt, Bucerus, Dickſonus, Eſtius, Hemmingius, Hyperius, Lupinus, Muſculus. In ſpecie autem *Canonicæ* dicuntur ab Auctoribus, reliquæ omnes, præter Paulinas: Item *Catholicæ*, quia non ad peculiares cœtus, ſeu perſonas; ſed ad omnes fideles quorumcunque locorum directæ ſunt. In has extant: Alſtedius, Aretii *Iſagoge.* octav. Loſannæ A. C. 1569. Calvini *Comm.* Genevæ. Capitonis *Explicatio.* octav. Venetiis. A. C. 1561. Catharini *Commentar.* fol. Pariſiis & Romæ. Champerii *Theoremata Propoſitionum mirab.* Didymus, Dickſonus, quart. Glaſcuæ A. C. 1635. Eſtii *Commentar.* tom. 2. fol. Coloniæ, A. C. 1631. Felicianus, Ferus. Gomari *Explic. locor difficil.* Hemingius. Heſhuſius. Heſſelii *Commentar.* Ingolſtadii A. C. 1608. Hornei item, 4to. Brunſvigæ A. C. 1654. & Huſſi inter opera ejus. Imlerus. Juſtinianus. Lorini *in Ep. Canon. Joh. & Petri.* fol. Lugd. A. C. 1619. Lubini *Exercitationes Theolog.* Franc. A. C. 1612. Oecumenius. Prateolus. Pricæi *Annotata.* Primaticii *Ecphraſes.* quart. Senis A. C. 1573. Sarcerius. Seratius. Titelmannus. Turnemainus *in Jac. Petr. & Judæ*, quart. Francof. A. C. 1628. Vorſtii hær. *Commentar.* quart. Amſtel. A. C. 1631. In Paulinas autem *Epiſtolas* in univerſum prodiêrunt: Ambroſii *Commentarius*, Anſelmi *Enarrationes*, Pariſ. A. C. 1544. Amyraldi *Paraphraſis*, A. C. 1645. Arborei, Pariſ. & Balduini *Comment.* 2. Vol. fol. Francof. A. C. 1655. Bencii *Manuale*, duodec & octav. Lugd. A. C. 1626. Bugenhagii *Annotationes in II. Epiſt. poſter.* Baſileæ A. C. 1525. Calvini *Comment.* octav. Genevæ A. C. 1565. Catharini *Clavis*, fol. Pariſiis. A. C. 1567. Champerii *Theoremata propoſitionum mirabilium*, quart. Lugd. A. C. 1517. Chryſoſtomi *Homiliæ.* Crocius. Dickſonus, quart. Glaſcuæ A. C. 1645. Eraſmus, Baſileæ, A. C. 1522. Eſtius, tom. 2. fol. Duaci, A. C. 1616. Paris. A. C. 1653. Euthalii *Collectanea Gr.* Londini A. C. 1635. Guillebertus, octav. A. C. 1631. Guilliaudi *Collationes*, Lugduni, quart. A. C. 1555. Haleſii *l.* 14. Hemingii *Comment.* fol. Argentorati A. C. 1586. Heſhuſii ſimiliter, Lipſiæ A. C. 1605. Hunnii *Expoſitio Commentar. Exegeſis*, inter opera, 5. Vol. Fol. Francof. A. C. 1606. Witeb. A. C. 1608. Janſenii *Comm.* fol. Antverpiæ A. C. 1614. Laurentii *Paulus* δυσνόητος, quart. Amſtel. A. C. 1643. Lombardi *Collectanea*, fol. Pariſiis, A. C. 1555. Lubini *Exercitationes Theol.* Francof. A. C. 1612. Oecumenius. Oſiandri *Comment.* fol. Tubingæ A. C. 1591. Rabani *Allegoriæ*, inter opera ejus. Sasboldi *Explicatio.* Selnecceri *Comment. pleniſſimus*, fol. Lipſiæ, A. C. 1599. Serrarii *Comment.* fol. Moguntiæ. A. C. 1612. Spangenbergii *Interpretationes.* Theodoreti *Comment.* Theophylacti *Enarrationes.* Titelmanni *Collationes.* octav. Antv. 1529. Victorini *Declaratio difficultatum S. Scripturæ*; inter opera Vorſtii hæretici, *Comm.* quart. Amſtel. A. C. 1631. Weinrichius &c. Reliquos Vide apud Gul. Crowæum, *in Elencho.* Et de qualibet Paulinarum Epiſtolarum in ſpecie, Vide *ſuo loco.*

EPISTOLÆ, in Eccleſia Romana, ex more ab Alexandro Pontif. confirmato dicuntur omnes Lectiones, quæ ante Evangelium in Miſſa leguntur; cùm propriè loquendo ſolum Apoſtolorum ſint *Epiſtolæ*: quæ proin *Apoſtolus* dicuntur, in Concilio Toletano IV. Vide ſuprà. Quis autem *Epiſtolas*, & Evangelia per annum in Miſſa recitanda diſtribuerit, Vide apud Dominic Macrum *in Hierolexico*, qui, non fuiſſe Diaconi munus antiquitus, canere Epiſtolam, ſed Lectoris, quod etiamnum obtineat in Eccleſia Græca, aliaque huc pertinentia, addit *in Hierolexico.* Hinc *Epiſtolarum* ibidem, dicitur Liber Epiſtolarum S. Pauli, & aliorum, qui legitur in Liturgiis ejus &c. Vide quoque infrà ubi de *Lectione* & *Prælectione.* In Ritu Ambroſiano ejuſdem Communionis, *Epiſtolellam* dici capitulum, quod in horis Canonicis legitur ante Reſponſoria, refert idem *Hierolexici* Auctor.

EPISTOLÆ Decretales, pars Canonici Juris, Vide ſuprà *Decretales.*

EPISTOLÆ Formales, Græcis Ἐγκύκλιοι dictæ occurrunt apud Suet. *Domit. c.* 13. *Cùm procuratorum ſuorum nomine* formalem *dictaret* epiſtolam *ſic cœpit: Dominus & Deus noſter ſic fieri jubet.* Dabanturque ad Procuratores, quibus inſtar *formæ* erant, quas ſequerentur. Ad quod exemplum Eccleſiaſtico ritu olim Epiſtolæ formatæ, quarum genera duo. Nam aut de Eccleſiaſtico ritu præceptove aliquò mittebantur, ab Ep. per Eccleſias, eæque *Epiſtolæ ſolemnes* Caſſiano *c.* 11. *Coll.* 10. aut commendabatur ab Ep. ejuſmodi Epiſtolâ Clericus aliquis, de ſua Eccleſia in aliam proficiſcens, ut videre eſt apud Sidon. *l.* 6. *Ep.* 8. Neque fas Clerico ſine ejuſmodi literis proficiſci, *Capitular. Car. Mag.* Qui ritus hodieque in Eccleſia Orientis in uſu, dicunturque Ἀπολυτικὰ &c. Præter has *Epiſtolæ* erant, quibus Princeps reſcribebat aut Magiſtratui, ut Præſidi, aut privato conſulenti de jure, uti patet ex Epiſtolis Trajani ad Plin. *l.* 10. Vide Theod. Marcilium *ad Tit. Suet. c.* 6. ut & hic paſſim, ubi de *Diplomatis*, *Formatis*, *Inthroniſticis*, item in voce *Appares.*

per EPISTOLAM Manumiſſus, vide infra *Manumiſſio*; Ordinatio, apud Judæos ubi de *Manus Impoſitione.*

EPISTOLOGRAPHICA, Græcè Ἐπιστολογραφική, una ex triplici vett. Ægyptiorum docendi ratione, apud Clementem Alex. 5. *Strom.* vide ubi de eorum *Hierogrammatеis.*

EPISTOMONARCHA, mel. EPISTEMONARCHA, ex Græco Ἐπιστημονάρχης, doctrinæ Eccleſiaſticæ Præfectus, & rerum ad Fidem pertinentium Rector, officium fuit in Aula CP. ſimile ei, quod Magriſtri Apoſtolici Palatii eſt, uti vocatur, in Aula Pontificis Rom. apud Macrum ubi ſuprà:

EPISTRPOHUS Phocidis Rex, unus ex Græcorum ducibus, qui venérunt ad Trojam. Hom. *Iliad.*

EPITADES, qui Legem, quâ Lycurgus teſtamenta fieri prohibuerat, primus violavit. Hinc magna ſecuta bonorum inæqualitas. Plutarch. *Agide.*

EPITADIUS Conradus, Vide *Conradus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

EPITALIUM, urbs Triphyliæ. Steph. *Τηρυον* Hom. & *Thryoeſſa* Strab. hodiè *Zunchio*, teſte *Nigro*.

EPITAPHIA, carmina ad tumulum cantari ſolita, ſicut *Epicedia*, in funere ſeu exſequiis. Et quidem cùm hæc ſemel tantùm dicerentur, illa non raro anniverſaria fuêre, quemadmodum Athenis. Nam & Pericles dixit, ut videre eſt apud Thucydid. Plato quoque idem effecit, & Ariſtides tres ſcripti ſunt. Etiam orationem vel carmen ἐπιτάφιον, ad Mauſoli viri ſepulchrum, quotannis Artemiſia inſtituit &c. *Inferiarum carmen* idem & *Parentalia*. Sed & *Epitaphium* ipſum elogium dictum eſt, quod tumulo inſcribitur, vide ſuprà in voce *Epigramma*, & plura hanc in rem apud Jul. Cæſ. Scaliger. *Poët. l.* 3. *c.* 122. nec non infrà, ubi de Vett. *Parentandi ritu*.

EPITAUSA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

EPITENDESION, vox malè confecta, ex Græco ἐπὶ τῶ Δεήσεων, dignitas in Eccleſia C P. de qua videri poterit Codinus, & ejus Commentatores. *Epiſtola* Michaëlis Palæologi Imp. ad Joh. XX. Pontif. Rom. apud Waddingum A: C. 1277. *n.* 4. Et *honorabiliſſimo Archidiacono cœteri Imperialis Chori & Epitendeſion ejuſdem ſanctæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Georgio Metochitæ*, apud Car. du Freſne *Gloſſar*. Vide quoque infrà *Supplicatio*.

EPITEON, Nelei fil. Apollonii Scholiaſtes.

EPITHADAS, Lacedæmonius, qui filio iratus & implacabilis legem tulit, quâ liberam poteſtatem fecit donandi vel legandi ſuam partem agri, cui vellet.

EPITHALAMION, carmen eſt, quo nuptiæ celebrantur, à Græco θάλαμος, i. e. *cubiculum nuptiale*, aliter Γαμήλιον Græcis à voce γάμος, *nuptiæ*. Et quidem, cùm carmen in Nuptiis non unum eſſet, in convivio *Scolia* canebantur, poſt cœnam *Epithalamium*, quum in cubiculum deduceretur Sponſa. Tertium genus apud Poëtas, quo res ipſa deſcribitur: cujuſmodi eſt apud Muſæum de Leandro, apud. Ovid. in nuptiis Orphei, apud Stat. Stellæ, apud Claudian. ubi de Honorio & Maria, nec non operoſum illud Auſonii. Poſtremum genus miſtum eſt, & ex narratione, & ex cantione, quale pulcherrimum illud Catulli, quod malè inſcripſit *Argonautica*, cùm Pelei ſit *Epithalamium miſtum*. Vide de his omnibus prolixè agentem Jul. Cæſ. Scalig. *Poët. l.* 3. *c.* 101. ut & infrà, ubi de *Hymenæo*, ac *Nuptiis*.

EPITHERIA, civ. ad Sinum Arabicum, al. ARSINOE, quod vide.

EPITIMIUM, Græcè Ἐπιτίμιον, apud Anaſtaſ. *ad Synod. VIII.* Joh. Diac. *Vitæ* Gregorii Mag. *l.* 2. *c.* 45. alioſque recentiores, propriè pœna eſt legibus Eccleſiaſticis indicta Clericis delinquentibus. Hinc Ἐπιτίμιον τῶ Ἐκκλησιαστικῶ νόμου, Palladio in *Vita* Chryſoſtomi &c. Vide S. Baſilium & Anonymum, qui ei ſubjungitur, περὶ Ἐπιτιμίων. Pachymerem *l.* 6. *c.* 22. *l.* 9. *c.* 24. *l.* 11. *c.* 6. & Car. du Freſne *Notis ad Cinnamum p.* 458. nec non hic paſſim, inprimis infrà ubi *de Pœnitentibus*.

EPITRACHELIUM, Græcè Ἐπιτραχήλιον, iiſdem Græcis Scriptoribus *Rerum Eccleſ.* ſtolam notat; hodiéque Maronitæ, ac cæteri Arabes Chriſtiani hinc *Battirſcin* Stolam vocant Sacerdotalem. Dominic. Macer. *Hierolexico*.

EPITRAGIA, Venus dicta, quòd in formam capræ ſeipſam commutaverit. Nam cùm Theſeus in Cretam, ad Minotaurum interficiendum, navigaturus, Veneri ac Apollini Delphico pro ſua ſuorumque ſalute ſacra faceret, reſponſum à Deo accepit, ut Venerem ſibi itineris ducem aſſumeret, tum autem ei apparuit Venus in capram mutata. Rhodig. *l.* 29. *c.* 18.

EPITRAPEZIA Sigilla, quorum ut & Salini, appoſitu, menſas olim ſacras faciebant Gentiles, vide infrà *Euphrades*, it. *Menſa*.

EPITROPI, Græcè Ἐπίτροποι, dicuntur in Athenarum urbe Arbitri, quos è numero ſuo Chriſtiani incolæ eligunt mutantque quolibet ſemeſtri, ad dicendas quæ inter illos oriuntur lites, ut Turcici Judicis Tribunal hoc pacto quà pote declinent. Sunt illi octoni numero, è totidem parœciis ſelecti, & *Seniores* quoque vulgari linguâ *Vecchiardi*, appellantur. Inter quos plerunque *Benizeli*, *Palæologi*, *Limbonæ*, *Peruli*, *Cavalari* &c. nomina præcipuarum hodiè ea in Civitate familiarum Chriſti adhuc fidem profitentium. De quibus vide Jac. Spon. *Itin. Græc. Part.* 2. *p.* 237. Eodem nomine Latini Græciſſantes vocarunt, quem vett. *Villicum*, recentiores *Vicedominum* appellavêre, vide Auſon. *Ep.* 22. initio

Philon, meis qui vellicatus prædiis,
Ut ipſe vult, Epitropos.

& infra in voce *Villicus*. Apud vett. verò Perſas, annonæ militaris, quam illi ſummâ curâ in expeditionem parabant, præfecti Ἐπίτροποι vocantur Græcis Scriptoribus, Herod. & Xenoph. præcipuè, qui hac de re copioſè agunt, Raderus *Not. ad Curt. l.* 3. *c.* 8.

EPITU-YKIAKON, apud Anonymum Barenſem in *Chron. A. C.* 1032. *Et adduxit Anatoliki* Epitu-ykiakon, i. e. ἐπὶ τῶ Οἰκειακῶν, dignitas fuit in Palatio CP. qui Λογοθέτης τῶ Οἰκειακῶ dicitur Pachymeri *l.* 1. *c.* 13. *l.* 2. *c.* 21. *l.* 5. *c.* 13. &c. unde Magiſtratum hunc præfuiſſe Domeſticis Palatii conjecêrunt Viri docti. Car. verò du Freſne, eundem fuiſſe cum eo, quem Vett. *Comitem rerum privatarum* vocabant, pluribus oſtendit in ſua *CPoli Chriſtiana*.

EPITYMBIA, Venus dicta, ad cujus ſtatuam, quæ Delphis erat, in parentationibus, & libationibus manes elicere, ac evocare moris erat. Rhodig. ubi ſuprà.

EPITYNCHANUS, nomen proprium Viri, in vett. *Inſcr.* aliquoties obvium, Græcè Ἐπιτύγχανος. Salmaſ. *ad Capitolini Gordianos*.

EPIUM, Arcadiæ urbs, *Plin. l.* 4. *c.* 6.

EPIURUS, Græcè Ἐπίουρος, per jocum Secundus Sophiſta cognominatus eſt, quaſi *ligneus clavus*, quòd fabro patre natus eſſet; fortè alluſione etiam factâ ad dicendi genus, quo utebatur, duro atque ligneo, apud Philoſtrat. *de Vitis Sophiſtarum l.* 1. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1102.

EPIZEPHYRII, Locrenſes populi, apud quos ſi quis ſalutis causâ vinum hauſiſſet largius, medico non imperante, morte expiabatur libera illa compotatio, perinde ac grande aliquod ſcelus.

EPLA, Inſ. parva Sin. Nacon. *Lovo Nigro*.

EPOCHA, ab ἐπέχω, temporis periodus, ſeu ſtatio. Dividitur in *Sacram*, quæ ex ſacris deſumitur; à creatione, diluvio, nativitate Abrahami, exitu Iſraël ex Ægypto, templo Salomonis, reditu Iſraëlitarum ex Babylone, nativitate J. C. Aut ab aliis, à turri Babel deſtructa, migratione Jacobi in Ægyptum, vel alio quodam eventu memorabili: Et *Prophanam*, ab Ogygio diluvio, ab Olympicis ludis reſtauratis, ab U. C. à Conſulibus, ab imperio Jul. Cæſaris. Imo quælibet gens peculiares habet Epochas, ab origine ſui regiminis, à mutatione inſigni familiarum &c. Petav. *de Doctr. Temp.* Scalig. *de Emend. Temp.* Calviſ. *Chron.* Ricciolus *Chron. Ref.*

EPODOS, Græcè Ἐπωδὸς, dicebatur olim in Gentilium ſacris, qui, poſt cantiones aliquas ad aras Deorum expletas, accedebat ſacra certis verſiculis clauſurus, Galenus *de Offic. partium hum. l.* 17. Unde Horat. quum Odas ſcripſiſſet, quem illis librum ſuperaddidit, *Epodon* inſcripſit; uti Plato eum, quem poſt Leges ſtatuebat, *Epinomida*. Sed & in Choro, poſtquam ϛροφὴν & ἀντιϛροφὴν abſolviſſent, ſtantes terræ quietem repræſentabant, quo in ſtatu cùm diverſa à ſuperioribus accinerent Ἐπωδὸν nominarunt: uti docet Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 9. Vide quoque eum *l. eod. c.* 43. & *l.* 3. *c.* 97.

EPOISSIUS, ſeu EPOSIUM Greg. Turonenſi: *Epuſium*, Lib. Notit. ſeu *Ivodium*, opp. Belgii in ducatu Lucemburgenſi. *Juoix*, teſte Ortelio. In ipſo confin. Campaniæ. Aliàs permunitum. Subeſt Gallis, ab A. C. 1640. pace ad Pyr. 1. leuc. à Moſomio in Ort. ferè à Stenæo in Bor. 3. à Malmedio in Occ. 8. à Maceriis in Ort. Ducatus Cariniani Gall. tit. nuper inſignitum. *Baudr.*

EPOMANDUODURUM, aliter EPAMANDUODURUM, aut EPAMANTADURUM opp. olim Sequanorum, nunc vicus in Burgundia Comitatenſi; poſitus eſt ad Dubim fluv. non procul à caſtro Piligarda. Vulgò *Mandeurre*. Vide Hadr. Valeſ. in voce *Cambete*. Ab *equis* ei nomen, namque Epona equorum Dea olim Romanis: cujus nomine plurima loca inſignita eſſe, notum eſt. Sic *Eporedia*, in Italia Tranſpadana. *Epaunum*, *Epenburgum* in Bavaria &c. inde appellata. Vide in voce *Epona*.

EPOMEUS, collis in medio quondam inſ. Iſclæ in Tyrrheno mari, terræ motibus primùm vehementer concuſſus, mox incendia maxima aperto hiatu evomuit. Quibus conterriti Siculi, & opp. & inſ. deſeruêrunt. Sed & Lucio Martio & Sexto Julio Coſſ. & deinde Cæſare Auguſto, Tito Antonino quarto, atque Diocletiano imperantibus, plurimum arſit. Alberti præterea primi anno tertio, adeò vehemens ibidem profluvium ad menſes duos prorupit, ut in ſuum quodammodo exitium conſpiraſſe crederetur, cùm plurima bruta atque homines conſumpſerit, & cæteri fuga dilapſi in proximam Pandatariam vel Capreas vel Bajas ſe contulerint. Joh. Matth. Metell. *Epomeus*, Jul. Jazzolino *Monte di S. Nicola*, Plin. *l.* 2. *c.* 88. *Epopos*, mons Pithecuſæ Inſ. Sinus Puteolani, in Camp. *Ferrar.*

EPONA, puella formoſiſſima, ex homine & equa concepta hoc modo. Fulvius Stellus genus muliebre peroſus, cuidam ſe immiſcuit equæ, quæ ſuo deinde tempore formoſam admodum peperit puellam, quam tempeſtivè quidam *Eponam* appellarunt. Plutarch. *Paral.* Dea equorum credita & invocata: quod ingenioſè ridet Tertul. *apol. c.* 16. Juſtin. Martyr *apol.* 2. Minut. Felix in *Octav.* Apul. *de Aſino aur. l.* 3. Juv. *ſat.* 8. *l.* 3. *v.* 157.

Solam Eponam & facies olidæ ad præſepia pictas.

An hinc Epaunum urbs, quia ibi culta? Vide *Epaunum*, *Equeſtris*, & c.

EPONA, jumentorum, & mulionum Dea. Vide ſuprà, & in *Hippona*. Ferrario nomen Deæ, & loci, in Bavaria apud Novam Civit. *Pinburg* Aventino, *Epenburg*, aliis ſeu *Biburg*.

EPOPE, dicebatur Acrocorinthus, quòd Siſyphus illic Æginam à Jove rapi viderit. *Steph.*

EPOPEUS, decimus ſeptimus Sicyoniorum Rex.

EPOPEUS, vel EPOPUS, mons in Arimis ſub quo Typhoeum jacere ſingitur, & flammas ore eructare. Pind. Schol. Συμβαίνειν γὰρ αὐτόθι, &c. [illegible] *Ibi accidere ignis eruptiones, & Typhon projectus eſſe fingitur*. Strab. ſcribit, Eretrienſes terræ motibus, ignibusque & aquarum eruptione inde fuiſſe exturbatos: & id ipſum aliis accidiſſe, quos eò miſerat Hiero tyrannus Syracuſarum. Et apud Strab. Timæus paulò ante ſuam ætatem, τὸν Ἐπωπέα λόφον ἐν μέσῃ τῇ νήσῳ τιναχθέντα ὑπὸ σεισμῶν ἀναβαλεῖν πῦρ, καὶ τὸ μεταξὺ αὐτοῦ τῆς θαλάττης ἐξῶσαι πάλιν ἐπὶ τὸ πέλαγος: *Media in inſ. Epopeum collem motu terræ concuſſum, ignes evomuiſſe, & quicquid erat medii inter ipſum & mare, rurſus ad mare perpuliſſe*. Quod de ipſo colle perperam accepit Plin. *l.* 2. *c.* 88. qui ſic habet: *Montem Epopon* (faciunt) *cum repente flamma ex eo emicuiſſet, campeſtri æquatum planitie*. Docti videant, utrum huic monti Græcum ſit nomen ἀπὸ τῆς ἐπόψεως, quia ſpeculæ ſunt in montibus, aut Phœnicium ab הבהב *hibbub* vel *ibub*, i. e. *aſſatione* & *exuſtione* propter flammarum eructationes, quibus flagrat, atque exardeſcit. Bochart. *Nic. Lloyd.*

EPOPTA, apud Tertullian. *c. Valentinianos*, ubi totam myſteriorum Atticorum ſcenam & apparatum explicat, *Diutiùs initiant quàm conſignant, cùm Epoptas ante quinquennium inſtituunt*. Mox, *poſt tot Juſpiria Epoptarum, totum ſignaculum linguæ, ſimulacrum membri virilis revelatur*. Dicitur, qui *myſta* tantùm erat: quemadmodum alii quoque Auctores ἐποπτεύειν cum μυεῖσθαι loquendo confundunt. Aliàs μύησις propriè erat initiatio tum prima, quæ fiebat in *parvis Myſteriis*, Antheſtrione menſe, quâ præparabantur mentes & præpurgabantur, ad acceptionem majorum; tum ſecunda, quæ fiebat quinquennio pòſt, in *magnis* Boëdromione menſe: Ἐποπτεία verò, cùm intra ſacrorum ſecretum anno poſt ſecundam hanc initia-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

initiationem admittebantur. Quâ de re vide Salmaſ. *ad Spartian. in Hadr. Cæſ.* & hic paſſim, inprimis in voce *Myſterium* & ubi de *Os ſignandorum*. Adde, quæ dicta ſunt in voce *Eleuſinia*. Sed & E'πoπτικὰ titulus libri, cujus Plin. meminit *Præfat. ſub fin.*

EPORA, vulgò *Montoro*, opp. Hiſp. Bæt. 10. leuc. à Corduba, apud Lucenam: quibuſdam *Aldea del Rio*, oppidul. Vandalitiæ, ad fluv. Betim. 8. leuc. à Corduba in Ort. *Baudr.*

EPOREDIA, Salaſſiorum urbs. Ptol. hæc olim ex Sibyllinorum librorum oraculo à Romanis condita, & ab *Eporediis*, quos eo nomine Galli præſtante: *equorum domitores* ſuâ linguâ appellabant, nominata; ut non obſcurè innuit Plin. *l.* 3. *c.* 17. *Ivrea Leandro.*

EPOREDORIX, Æduus, ſummo loco natus adoleſcens & ſummæ domi potentiæ: qui de Principatu cum Viridomaro contendebat, Cæſ. VII. *Comment. c.* 39. quo duce ante adventum Cæſaris Aedui cum Sequanis bello contenderunt. *l.* 7. *c.* 67.

EPOS, Græcè E'πος, propriè Heroicum carmen; unde *Epici Poetæ*, *Epicus Cyclus* &c. Vide ſuprà *Epicum Poëma*, item ubi de *Cyclicis Scriptoribus*.

EPPSTENIA, Familia Germaniæ illuſtris, cujus origo à Sigfrido *Eppſteinio* arceſſitur, cujus fil. Sigfridus, ex Abbate Fuldenſi Archiep. Moguntinus electus eſt, A. C. 1059. Ejus ex fratre nepos, parenti dictus Sigfridus, gentem propagavit: in qua duo iterum Sigfridi, & alius Gerhardus, ſeculo decimo tertio, ſedem Moguntinam tenuêre, Nec minus Wernerus Falckenſtenius Archiep. Moguntinus *Eppſteniam* habuit matrem. Godofredus poſtea, qui deceſſit A. C. 1412. ex uxore Lucardi, filia Philippi junioris. Dn. *de Falckenſtein & Muntzenberg*, hæredem Kœnigſteniæ, pater fuit Godofredi atque Eberhardi: quorum ille ab uxore Juta Naſſovia titulum Comitatus Diezii familiæ intulit, ſed ejus nepos Godofredus, pater Agnetis, Emiconi Com. Leiningenſi nuptæ, lineam clauſit, A. C. 1520. cùm A. C. 1492. dimidiam dominii *Eppſtenii* partem Vilhelmo Landgravio Haſſiæ vendidiſſet. Hic (Eberhardus) Kœnigſteniam tenuit, & A. C. 1420. conſenſu fratris feudum Imperii fecit, atque primus Comitis titulum obtinuit; ex Anna Cronbergia pater Eberhardi II. Com. Kœnigſtenii, quo & Annâ Naſſoviâ genitus Philippus Comes, ex Luiſa Com. de Marca, ſuſcepit Eberhardum III. (qui extinctus A. C. 1535.) ex Catharina *Weinſperg* nullam prolem reliquit) Georgium (defunctum A. C. 1527.) Philippum Canonicum Moguntinum (qui obiit A. C. 1509.) atque Annam hæredem, (nuptam Botoni Com. Stolbergæ, extincto A. C. 1567. uno ante uxorem anno) E quo matrimonio natus Henricus Com. Stolbergæ, ex Eliſabetha Gleichenſi, fil. habuit Chriſtophorum, defunctum A. C. 1638. Cujus ex Hedwige Reinſteinia fil. Joh. Martinus, ex Agne e Eliſabetha Barbienſi, præter alios, genuit Chriſtophorum Ludovicum (nat. A. C. 1634.) patrem ex Luiſa Chriſtina Landgravio Haſſiæ Georgii (nat. A. C. 1666.) & Caroli (nat. A. C. 1668. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europææ Part. III. p.* 13. & *in Indic.* nec non *Part.* 1. *p.* 29.

EPTIACUM, villa olim Galliæ, vulgò *Ezich*, in pago Vabrenſ. ad fluv. Aliſontiam: memorata in *Literis* Audradi A. C. 786. apud Hadr. Valeſ. in voce *Aliſontia*.

EPRIUS *Marcellus*, à Lyciis repetundarum poſtulatus, pro quo eo uſque ambitu prævaluit, ut quidam accuſatorum ejus exilio mulctarentur, tanquam inſonti periculum feciſſent, Nerone ſecundum, L. Piſone Coſſ. Tacit. *l.* 13. *Ann. c.* 33.

EPTINGENSIS Vallis, in Sisgovienſi tractu agri Baſilienſis parte: arces habuit *Rencken*, *Eſchentz*, *Rich Eptingen*, &c. unde ampliſſima *Eptingerorum* familia nomen habet, quorum ſtirps in triginta circiter ramos dilatata fuit, ſolo caſſidum ornatu diſcrepantes: cujus ſpecimen ſepulturæ eorum ſupra viginti, in vicino Veſtalium cœnobio *Olſperg*, exhibent. Plurima hi apud Rauricos loca tenuêrunt, è quibus etiam Biſchoffſteinium fuit, cujus rudera ſupra Siſſiacum rotundo prom. impoſita patent, in quod nunc Offenburgii juris aliquid feudi loco poſſident. Vulgò *Eptingerthal*, ad modò dicti pagi principis in Siſgovia dextram. Vide Chriſtian. Urſtiſium *Epit. Hiſt. Baſil. c.* 4.

EPUIA, urbs quæ nunc *Ambracia* dicitur, olim *Paralia*. *Steph.*

EPULÆ, apud Vett. feſtis diebus maturius ſolito inſtitui, & diutius produci ſolebant, uti videre eſt hic, in voce *De die*, & ubi de *Tempeſtivis Conviviis*. Iiſdem honorari à Magnatibus Principibuſque Viris, magni ſemper æſtimatum eſt. Hinc Stat. *Præfat. Sylv. l.* 4.

Stat. *l.* IV. *Sylv.* 2. *v.* 5.

> *Aſt ego, cui ſacræ Cæſar nova gaudia cœnæ*
> *Nunc primum, Dominaque dedit conſurgere menſa.*

Primo autem ſeptimum decimum Germanici noſtri Conſulatum adoravi. Secundo gratias egi ſacratiſſimis ejus epulis honoratus. Et Mart. ipſius Jovis epulis Domitiani vocationem ſe prælaturum gannit, *l.* 9. *Epigr.* 93. Cujus epigraphe Adulator Domitiano.

> *Ad cœnam ſi me diverſa vocaret in aſtra.*
> *Hinc invitator Cæſaris, inde Jovis.*

Inprimis lepida id docet hiſtoriola, apud Suet. *Cal. c.* 39. *Comperat provincialem locupletem ducenta HS. numeraſſe vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur, nec tulerat moleſte tam magno æſtimari honorem cœnæ ſuæ. Huic poſtero die ſedenti in auctione miſit, qui neſcio quid frivoli ducentis millibus traderet, diceretque cœnaturum apud Cæſarem vocatu ipſius.* Ideo autem hic honor tantus fuit, quod nunquam aliàs cuiquam fas eſſet, ſedentem Principi loqui. Tunc verò etiam jacenti ſive accubanti id licebat, vide *Sylvam* 2. Statii *l. cit.* Plura vide hic paſſim, in vocibus *Cœna*, *Convivium*, *Euphrates*, *Menſa* &c. Peculiariter *Epulum* dicebatur convivium illud, quod Jovi aliiſque Diis parabatur, aliàs *Lectiſternium* appellatum. Moris enim apud Romanos, ut nonnunquam, placandæ alicujus Dei iræ, convivium in Templo illius exhiberetur, Diiſque, tanquam *epulaturis* aut accubituris; lecti ſternerentur. Sic meminit *Epuli Jovis* Valer. Max. *l.* 2. *c.* 1. nam *Jovis Epulo*, inquiens, *ipſe in lectulum, Juno & Minerva in ſellas ad cœnam invitantur.* Huic indicendo Triumviri vel Septemviri *Epulones* præerant: qui inde nomen accepêre, quòd *epulas* indicendi Jovi cæteriſque Diis poteſtatem haberent, uti legimus apud Cic. *Orat. de Haruſp. Reſp.* In Idus Novembreis *Epulum* indictum refert Kalendar. Rom. Vide Joh, Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 13. & infrà in voce *Epulones*, item *Lectiſternium*. Sed nec omittendæ *Epulæ* Collegiatorum, apud eoſdem, magnificæ ac ſumptuoſæ adeò, ut etiam annonam incenderent, teſte Varrone, vide Salmaſ. *ad Vopiſc. Divo Aureliano* item mutuæ, tum Patriciorum, tum Plebejorum, de quibus infrà ubi de *Ludis Megalenſibus* &c. Nec illud, quod *publicè epulandi facultatem*, inter præmia Militibus ob rem ſtrenuè geſtam, conceſſa recenſeri legimus, apud Liv. *l.* 24. *c.* 15. Vide quoque *Epulum* infrà.

EPULO, viri proprium. Virg. *Æn. l.* 12. *v.* 359.

> *Archetium Mneſtheus*, Epulonem *obtruncat Achates.*

EPULONES, dicti apud Romanos, qui à Pontifice eligebantur, ut Epulis, quæ Jovi aliiſque Diis certis temporibus indici ſolebant, ſacrificiiſque præeſſent. Hi tres primum creati ſunt, *Trium-viri Epulonum* hinc nuncupati, A. U. C. 553. L Furio Purpureone, M. Claudio Marcello Coſſ. erantque primi iſti: C. Ticinius Lucullus, T. Romulejus, qui legem de iis creandis tulerat & P. Porcius Lerca; quibus non minus ac Pontifici lege datum eſt togæ prætextæ habendæ jus. Vide Cic. *de Orat. l.* 3. ubi inter alia: *Sed*, inquit, *ut Pontifices vett. propter ſacrificiorum multitudinem tres viros* Epulones *eſſe voluerunt, quum eſſent ipſi à Numa ut etiam illud ludorum epulare ſacrificium facerent, inſtitui.* Poſtea *Epulones Septemviri* fuère, ut ex veteribus cùm ſcriptorum, tum lapidum monumentis perſpicuum eſt: quis autem eum numerum auxerit, ut pro Triumviris Septemviri crearentur, nemo tradit. A L. Corn. Sulla id factum fuiſſe, aliquot conjecturis ductus docet. Onuphr. Cæſar deinde Dictator aliis tribus ad Collegium eorum Septemvirale additis *Epulonum Decem viros* conſtituiſſe legitur, apud Dion. *l.* 43. Hos *Jovis paraſitos* appellavit Varro, quod in contemptum ludicrum exponit Auguſtin. *de Civ. D. l.* 6. *c.* 7. Sed ex Athen. & Heſych. liquet, Paraſitos propriè fuiſſe, qui victimæ partem cum Sacerdotibus caperent: *Epulones* autem illi ad Pontifices referebant, ſi quid prætermiſſum, aut commiſſum, aut pollutum eſſet, ut munus illorum explicat Cic. *Orat. de Haruſp. reſp.* Hi autem, ut cæteri Sacerdotes, à Collegiis ſubrogabantur, ante legem Domitiam, ut ex Liviana hiſtoria liquet. Poſt legem verò hanc, populi ſuffragiis is quoque honor mandari cœpit. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 28. & Sam. Petitum, qui Romanorum Epulones Viros, cum Paraſitis Athenienſium eoſdem facit, *Comment. in Leges Att. l.* 1. *tit.* 2. *de Sacrorum Miniſtris*. Aliud quid erant Athenis Ἑστιάτορες, quos *Epulones* etiam vocare poſſes, niſi vocem hanc ſacra ſibi vindicaſſent. Erat autem Ἑστιάτωρ, qui viſcerationem atque epulum ſuæ præbebat Tribui: ex inſtituto Legis, quæ epula quædam Φυλετικὰ, quædam Δημοτικὰ eſſe juſſit, Athen. *l.* 7. Horum fuiſſe ſorte captos alios, alios etiam volentes, notat Harpocration. Sed & inquilinos ſuos habuiſſe Ἑστιάτορας, docet Ulpian. quanquam & Choragi ſuam excipiebant Tribum, teſte Demoſth. *in Midiana*. Vide eundem Petitum *l.* 3. *tit.* 4. *p.* 269. Apud Romanos quoque, epulum feſtis diebus præbebatur Curialibus, i. e. iis qui erant ejuſdem Curiæ, in aula cuique harum propria, Dionyſ. Halicarnaſſ. *l.* 2.

EPULUM Nuptiale, Vide infrà *Lætitia nuptialis*, it. *Nuptiale epulum* uti de *Epuli Publici jure* plura ubi de *Præmiis*: de more Chriſtianorum verò *Epula* ferendi ad mortuorum memorias, infrà aliquid in voce *Reliquiæ*.

EPUSUM, Germ. *Ipſch*, Gallis *Ivoy*, caſtrum veterrimum, in finibus Trevirorum: ad Charem fluv. *le Chier*, qui apud Duodeciacum Duciacumque *Douzi* Moſæ confunditur. Ad 8. hinc lapidem in vertice montis Monaſterium & templum B. Martini nomine & reliquiis illuſtre, Vulfilaicus Diaconus Longobardus extruxiſſe ſcribit, *Gregor. Turon.*

EPY, vide *Æpy*.

EPYTUS, Albæ Rex. Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 44.

> *Proximus eſt titulus* Epytus, *Alba, tuis.*

Lege Epitus. *Nic. Lloyd.*

EQ. P. in notis antiquorum, *Eques Publicus*: EQ. R. *Eques Romanus*, denotat.

EQUA Ænea, Olympiæ dedicata è Phormide Arcade, cui magicâ vi hippomanes inerat, quo equi incitabantur ad rabiem, memoratur Pauſan. in *Arcadicis*, & Plin. *l.* 28. *c.* 11. Inſcriptio fuit, Φόρμις ἀνέθηκεν Ἀρκὰς Μαινάλιος, νῦν δὲ Συρακούσιος. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 940. Nempe ad Olympiam Circenſemque ἱπποδρομίαν *equæ* nutriebantur præcipuè ac formabantur. Unde Virg. *Georg. l.* 1. dicitur mittere *v.* 59.

> ---- *Eliadum palmas Epeiros* equarum.

Et Pindar Chronio *equas* acquiſiviſſe phialas argenteas, canit *Nemeorum* Od. 9. Plutarch. quoque *equarum Cimonis*, quibus Olympia vicerit, meminit in *M. Catone*. Habebantur itaque illæ multo in pretio, & in facultatibus præcipuè cenſebantur. Hinc in facultatibus Groſphi Equitis Rom. recenſendis, ait Horat. *Carm. l.* 2. *Od.* 16.

> ---- *tibi tollit hinnitum*
> *Apta quadrigis* equa:

cui Poëta opponit ſua *parva rura*. Eædem etiam ſenio confectæ ſolicitè curabantur, & mortuæ honorabantur ſepulchris, ut de Cimonis equabus habes, apud Plutarch. *d. l.* & ſtatuis, ut ſuprà vidimus. Sed & Darius, è prælio fugiens, apud Ælian. *Hiſt. Anim. l.* 6. *c.* 48. ἵππον ἀνέβη θήλυν, *equam conſcendit, quæ, quòd relicti recordaretur*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

retur pulli, quanto maximè potuit ſtudio & celeritate, eum è periculo eripuit. Unde apud Curt. *l.* 3. *c.* 11. *in equam, quæ ad hoc ſequebatur imponitur*, legit Freinshem. Adde, quòd non impedito curſu *equæ* urinam reddunt, ut infrà dicemus in voce *Equus*: cùm mares ſiſtere cogantur, quod Bajazetem, à Tamerlane fugientem, perdidit. Quodq́ue maribus perniciores &c. Noſtris verò moribus haud decorum *equâ vehi* multo minus Hibernicis Freinshem. *ad Curt. l. citato.* In paſcuis porrò *Equarum* tibias è labro acutiſſime ſoni adhibuiſſe Scenitas dicemus infrà in voce *Tibia*. Sed & *Equæ* eæq́ue *intemeratæ*, Minervæ, cui cura & inſtitutio equarum adſcribebatur antiquitus, ſacræ fuêrunt. Stat. *Theb. l.* 2. de Minerva, *v.* 723.

---- *Qua te bijugo temone frementem*
Intemeratarum volucer rapit axis Equarum:

ad quem l. Vide Caſp. Barthii *Animadverſ.* Uti vide generoſis *equabus* ſuperbia dematur, vide infrà in voce *Juba*.

EQUABONA, aliis ÆQUABONA, opp. fuit Luſitan. nunc vicus *Couna*, vix 3. leuc. Hiſpan. ab Ulyſſipone in Auſtr. Cætobrigam verſus, à qua pari ſpatio diſtat.

EQUAJUSTA, dicta fuit Pharſali Theſſaliæ urbs, quòd admiſſariis equis ſimillimos ederet pullos, acceptumq́ue fideliter redderet: Ariſtot. *l.* 11. *Polit. c.* 3. δικαία ἵππος.

EQUES, nomen dignitatis, apud Romanos. Exactis enim urbe Regibus, in tres ordines populus Romanus diſtributus eſt: Senatorium, *Equeſtrem* & Popularem. Liv. *l.* 26. *Conſenſum Senatus Equeſter ordo ſequutus eſt, Equeſtris ordinis plebs.* Auſon. Edyll. XI. Gryphus *v.* 78.

Martia Roma triplex; Equitatu, *Plebe*, *Senatu*.

Differebat hæc diviſio à priori, quâ in Patricios & Plebem, Patronos & Clientes populum Romulus diſtinxerat, quòd illâ cives Romani in certa genera ac gentes, hac in certos ordines diſtributi fuêrunt. Non enim omnes Patricii Senatores, neque contrà omnes Senatores poſterioribus temporibus Patricii fuêre. Fuêrunt autem Senatores appellati, qui à Regibus primùm, dein à Conſulibus, pòſt Cenſoribus in Senatum lecti eſſent, ſive Patricii, ſive *Equites*, ſive Plebeji iidem eſſent. Senatorum autem filii, nondum in Senatum lecti, *Equites* ſive ex Equeſtri ordine fuêre. Secundus itaque ordo, de quo hic ſermo, *Equeſter* fuit: quo nomine non ii intelligendi, qui à Romulo ex omni multitudine trecenti numero lecti, quos *Celeres* dixit, quiq́ue à Tarquinio Priſco ad ſexcentorum numerum aucti ſunt: neque etiam illi, qui equis ſtipendia meruêre, quamvis hi quaſi fundamentum & ſemina Equeſtris ordinis fuêre: ſed ii, quibus publicus equus & annulus aureus à Cenſoribus datus, quiq́ue ab iis in Equeſtrem ordinem lecti ſunt. Hic ordo inter Senatum Plebemq́ue medius fuit, & communicata cum eo ſunt judicia publica, Plin. *Nat. Hiſt. l.* 33. *c.* 2. *initio.* De qua re ſic. Flor. *l.* 3. *c.* 13. ubi de Tribunitiæ poteſtatis ſeditioſitate loquitur: *Quid ad jus libertatis æquandæ magis efficax quàm ut Senatu regente provincias, ordinis Equeſtris auctoritas ſaltem judiciorum regno niteretur? Sed hæc ipſa in perniciem redibant: & miſera Reſp. in exitium ſuum merces erat. Nam & a Senatu in Equitem tranſlata, judiciorum poteſtas, vectigalia*, i. e. *Imperii patrimonium ſupprimebat* &c. Namq́ue vectigalia Publicani ad haſtam à Cenſoribus redimebant, quæſtûs ſui causâ, ut & à provincialibus ſuo periculo exigerent & Reip. datis ſponſoribus repræſentarent. Hi autem fere *Equites* fuêrunt, ad quos cùm judicia lege Gracchanâ tranſlata eſſent, facile erat ſuæ ſocietati favendo vel ludificare locationem, vel remittere, vel redemptionis parte relevare, atque tali coitione pecuniam publicam depeculari, ut docet Stadius *in locum Flori præfatum.* Hinc itaque *Judices ſelecti* dicti ſunt, ut patet ex Senec. *de Benef. l.* 3 *c.* 7. *Non poteſt adhuc ſumi judex ex turba ſelectorum, quam cenſus in album & equeſtris hæreditas miſit.* Ovid. *Triſt. l.* 2. *v.* 131

Nec mea decreto damnaſti facta Senatus,
Nec mea ſelecto Judice juſſa fuga eſt.

Nec omittenda clauſula SCtis addi ſolita: *Senatus Populuſque & Equeſter ordo*; è quibus ordinis hujus dignitatis dilucet. Legebantur autem in Equeſtrem ordinem à Cenſoribus ii, quibus Equeſtris cenſus eſſet, qui erat Seſtertiûm quadringentorum millium, teſte Suet. *in Caſ.* Unde videmus conquerentem Plin. *l.* 14. *præf. Senatorem cenſu legi, Judicem cenſu fieri.* Mart. *l.* 5. *Epigr.* 26. cujus epigraphe de Chaereſtrato.

Quadringenta tibi non ſunt, Chæreſtrate, ſurge.

Dein in album referebantur, cujus meminit Suet. *Domit. c.* 8. *Equitem Romanum eraſit Judicum albo*: quod de *Equitibus* tantùm Rom. intelligendum, nam & in municipiis provinciiſq́ue etiam Equeſter ordo, ſed priori dignitate longe inferior erat. Sic inſcripti *Equites* publico equo donabantur à Cenſoribus, quem Varro *de Ling. Lat. l.* 7. vocat *mille aſſarium*, quia in hujus equi impendium ac ſumptum propriè tantùm mille æris cedebat: Cui poſtea altera millia addita ſunt, ad exhibendum curatorem equi ſervum. Quibus tandem pro ſtipendio videtur acceſſiſſe tertium mille æris. Et ſanè oneri equum publicum non minùs, quàm honori fuiſſe, conſtat ex præmiis decretis P. Æbutio apud Liv. *l.* 39. Privato quoq́ue ſumptu equus, licèt publicè datus, nutriendus erat, adeò ut qui A. Gell. *l.* 4. *c. ult. ſtrigoſum aut malè habitum in cenſu agendo duceret, multaretur, illoque privaretur.* Vocabatur Cenſus hic *Tranſvectio*, quam deſuetam poſt longam intercapedinem revocavit in uſum Aug. apud Suet. *in eo c.* 38. Vide quoque Val. Max. *l.* 4. *c.* 1. *tit.* 12. ubi inter alia videmus, primùm per centurias *Equites* diſtinctos, dum tranſveherentur, fuiſſe: quas numero ternario comprehendit Auſon. *in Gripho Ternarii*, *v.* 80.

Tris Equitum *turmæ*.

Deinde & duas iis ſuperadditas facilè eſt perſpicere ex Suet. *Cajo c.* 16. Poſtea citatos h. e. nomine ſuo compellatos vult Valerius: mox & *notam*, ſi deliquiſſent, inuri ſolitam. Fuit autem illa, vel ignominia, vel equi tantum publici ademptio. Tranſvectionis tempus erat Eidus Juliæ, quo die Equi hi publici traducebantur nudi i. e. ſine ſtrato. Mart. *l.* 5. *Epigr.* 42. cujus epigraphe in Didymum.

Theatra loqueris & gradus & edicta,
Trabeaſque & Idus, fibulaſq́ue cenſuſque &c.

Præter equum, annulo aureo à Cenſore donati inſuper, ſupra plebem eminebant. Unde Interpretes ad Suet. *Jul. c.* 33. *Nota* inquiunt *Equeſtris dignitatis annulus aureus.* Vet. Scholiaſtes Juv. *l.* 3. *Sat.* 7. *v.* 89. Equitum *de numero*, i. e. *annulo*: Ipſe Satyricus de hoc inſigni ita canit:

Ille & militiæ multis largitur honorem,
Semeſtri vatum digitos circumligat auro.

Idem *l.* XI. Sat. XI. *v.* 43.

Talibus à Dominis poſt cuncta noviſſimus exit
Annulus, & digito mendicat Pollio nudo.

Præterea, anguſto clavo inſignes, hoc pacto à Senatoribus diſcernebantur. Ut enim latiores clavi purpurei in tunicis Senatorum aſſuebantur, ita minores, ſive arctiores Equitum tunicas illuminabant, unde ipſi *Anguſticlavii* dicti, quod ex Buchanano notavit Turneb. *l.* 1. *c.* 11. Hinc Paterculus de Mæcenate, *Quippe*, inquit, *vixit anguſto clavo contentus*: & Stat. *l.* 2. *Sylv.*

Hinc parvus inter pignora Curiæ
Contentus arcto lumine purpuræ.

Equites tamen inſigniores, qui & *Illuſtres* dicti, jus lati clavi non ſecus, ac Senatores habuiſſe, ex Dione notavit Lipſ. *ad Tacitum.* Scribit enim Dio *l.* 59. Cajum, cùm ordo Equeſtris ad paucos redigeretur, primores ex omni imperio etiam extra Italiam, qui genere & opibus excellerent, in eum allegiſſe & quibuſdam eorum etiam ἐσθῆτι τῇ βουλευτικῇ *Senatoria veſte*, priuſquam Magiſtratum ullum cepiſſent, uti conceſſiſſe in ſpem dignitatis: quod antea non niſi iis, qui Senatoriâ ſtirpe eſſent, permiſſum erat. Id tamen non diu obtinuiſſe illud declarat, quòd Præfecti Prætorio, qui ferme ex *Equitibus* legebantur, lati clavi jus non habuêre. Interim non ipſos ſolùm *Equites Illuſtres*, ſed & eorum filios jus lati clavi habuiſſe, docet Ovid. Qui ubi ad ætatem Senatoriam pervenêre, ſi nolebant, aut non poterant, in ampliſſimum ordinem adſcribi, anguſtum reſumebant. Unde idem, Triſt. *l.* IV. Eleg. X. *v.* 35.

Curia reſtabat, clavi, menſura coacta eſt,
Majus erat noſtris viribus illud onus.

Veſtis equeſtris mentio habetur apud Dion. *l.* 74. de Severo urbem ingrediente, ſed illa eſt militaris: ibiq́ue Imperatorium paludamentum intelligitur, ne quis in anguſto clavo ingreſſum credat. Sequitur enim, ipſum ab ipſa porta veſtem urbanam induiſſe, i. e. togam. Porro candidis quoq́ue togis uſi ſunt *Equites*, Calpurn. *Eclogâ* 7.

Aut Eques, *aut nivei loca denſavere Tribuni.*

Quo colore divites omnes, præſertim Senatores & Magiſtratus ſimiliter gaudebant: imò quoties feſtivitas peragebatur, totam civitatem candidis veſtibus inceſſiſſe legimus: in ludis quoq́ue plebeji juxtà ac patricii candidati ſpectabant. Tandem diſcretis à Senatu & Plebe ordinibus *Equites* in Theatris ſedebant, in quatuordecim illius ſubſelliis, idq́ue lege Theatrali; de quo vide infrà in voce *Equeſtria*, & plura *de Equeſtri* apud Rom. *ordine*, quære apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 17. cum Thomæ Dempſteri *Paralipom.* Octav. Ferrar. *de Re Veſt. l.* 3. *c.* 14. &c. Addam ſaltem, *Principem* hujus *ordinis* dictum eſſe, quem Cenſores primo loco ſcripſerant in *Equitum* tabulis ſive catalogo: quemadmodum *Princeps Senatus* dici conſuevit, qui in Senatorum catalogo primus recitabatur. Nec omittendum, Tranſvectionis, cujus aliqua retro mentio, auctorem Qu. Fabium Rullianum fuiſſe. Ita enim Aur. Victor., *Hic primus inſtituit, ut Equites Rom. Idibus Quintilibus ab æde Honoris, equis inſidentes, in Capitolium tranſirent.* Fuit autem hæc, non Equitum, cenſio, ſed tranſvectio quædam, quæ ordinis totius Equeſtris recognoſcendi probandiq́ue gratiâ fiebat. Dionyſ. Halicarnaſſ. *l.* 6. in Caſtoris & Pollucis honorem ritum hunc inſtitutum fuiſſe contendit, & in memoriam victoriæ, quam Romani ex bello cum Latinis populis geſto A. U. C. 357. liberæ Reip. 14. reportarint, quamq́ue Caſtor & Pollux equeſtri habitu aut equis vecti Romæ annuntiarint. Ubi inter alia: *Præter omnia verò*, inquit, *tranſvectio eorum, qui equos habent ex publico, qui per Tribus & Centurias diſtincti, ordine in equis vehuntur omnes, quaſi è pugna redeant, coronati fronde oleagina & togis palmatis amicti, quas vocant Trabeas, initio pompæ facto de æde Martis quæ extra urbem ſita eſt, & pertranſeuntes cum cæteras urbes partes tum forum ædemq́ue Caſtorum, nonnunquam virorum* 5000. *gerentes quicquid donorum militarium accepêrunt à ducibus, egregium ſanè ſpectaculum, dignumq́ue Imperii magnitudine.* Apud Athenienſes οἱ Ἱππεῖς, i. e. *Equites*, ſecundum civium ordinem conſtituêrunt. Cum enim Populus antiquitus in tria genera, Eupatridas, Geomoros & Demiurgos eſſet diviſus: Poſtea in Diacrios, Pædiæos & Paralios, ratione ſitus: & tandem à Solone in Pentacoſios, medimnos, Equites, Zeugitas & Thetas diſtributus eſt, cenſûs ratione habitâ. Dicti enim *Equites* ſunt, οἱ τελοῦντες ἱππάδα, i. e. *Equeſtrem cenſum* [illegible]. Nimirum ἐν ξηροῖς ὁμοῦ καὶ ὑγροῖς *in aridis ſimul & humidis*, trecentos modios; quiq́ue proin equum alere apti erant. Sam. Petitus *Equites* hos Reſp. ſemitalentum: ſicut Pentacoſiomedimnos talentum, Zygitaſq́ue minas decem, perpendiſſe ait. Proletarii enim ſeu Thetæ nihil conferebant. Inter hos autem Equeſtris ordinis verè *Equites* erant, qui habebant equum publicum, i. e. quibus nullo bello data è publico pecunia ad alendum equum: Etenim etiam in pace ſtipendium accipiebant ὑπὲρ τῆς τροφῆς τῶν ἵππων, Ulpian. In horum numerum, creſcente cenſu, etiam Proletarios allegi potuiſſe, oſtendit exemplo Anthemionis, filii Diphili, Pollux *l.* 8. *c.* 10. &c. Nec omittendum, *Equitum Romanorum* genus fuiſſe triplex. Nam aut domo ſive origine fuêre Romani, aut ex municipio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

pio Italiæ, aut ex provincia: illi propriè *Romani*, primoque dignationis gradu erant: iſti *Municipales*, cujuſmodi Cic. apud Juv. *l.* 3. *Sat.* 8. *v.* 238.

Municipalis Eques *galeatum ponit ubique*

ſecundo *Provinciales*, qualis L. Seneca, apud Tacit. *Ann. l.* 14. *c.* 64. ultimoque. Omnes autem hi in ordine Equeſtri Romæ erant: præter quos *Equites* quoque erant *Municipales* & *Provinciales*, ſimpliciter dicti, quod in ordine Equeſtri tantum Municipii ſui eſſent & Provinciæ. Uti enim in Rep. Romana Coſſ. Senatus, Eques, Plebes: ſic & in Municipiis Italiæ & Provinciarum, Duumviri, Decuriones, Equites, Plebeji. Theod. Marcilius *ad Vesp. Suet. c.* 1. Vide *ad eundem Suet.* Caſaub. paſſim. De *Equitibus Ordinis* apice ſummo, Præfectura ſc. Prætorii, infrà: de *Severo Equitum Rom. turmis*. Capitolino memorato, in voce *Sevir* uti de *Equitum* in bello uſu, in voce *Pedites*: aliquid etiam in *Turma*. it. *Vexillarius*.

EQUES Curſor, vide ſupra ubi de *Curſoribus*.

EQUES Galeatus, haſtam vel ſpiculum longius in ſerpentem equi pedibus ſubſtratum intorquens, in area liliata, cum *Inſcr.* PHILIPPUS DEI GRATIA FRANCORUM REX, conſpicitur in altera parte nummi aurei à Philippo VI. Francorum Rege cuſi, in cujus altera, effecta crux in quadricircino, cujus in angulis totidem ſcutula exurgunt cum tribus liliis, & *Inſcr.* ſolita, XPC. ut videre eſt apud Car. du Freſne in voce *Moneta*, ubi typum ejus exhibet.

EQUESTRE Jugum, ſeu *Helcia*, Germ. *ein Roſkhumet*, inter Inſignia familiarum Illuſtrium, vide infrà in voce *Helciarii*.

EQUESTRIA, locus erat in Theatro, Equeſtri ordini attributus. Subintellige enim, *Sedilia*, è quibus ludos ſpectarent, à Senatu & Plebe diſcreti. Erant autem *bis ſeptem ordines*. Juv. *l.* 5. *Sat.* 14. *v.* 324.

Bis ſeptem ordinibus, quam lex dignatur Othonis

ſeu gradus quatuordecim, poſt Orcheſtram uſq; ad ſummam caveam, in quarum illa Senatus, in hac Populus conſidebat. Cujus diſtinctionis primus auctor L. Roſcius Otho fuit, teſte Floro *Epit. in T. Livii l.* 99. ubi ait: *L. Roſcius Otho Tr. Pl. legem tulit, ut equitibus Rom. in theatro quatuordecim gradus proximi aſſignarentur*: idque A. U. C. 686. Ejus meminit Horat. quoque *Epod. Od.* 4. *v.* 15.

Sedilibuſque magnus imprimis eques
Othone contempto ſedet.

Et *l.* 1. *ep.* 1. *v.* 63.

Roſcia dic ſedes, melior lex an puerorum
Nænia?

Abſolutè *Quatuordecim* nonnunquam dictos hos gradus reperias: Unde *in quatuordecim deduxiſſe*, apud Senec. *de Benefic. l.* 3. *c* 9. Item *multis quatuordecim ſunt clauſi*, apud eund. *Ep.* 44. ſic *e veſtigio in quatuordecim ad ſpectandum tranſiit*, apud Macrob. Saturn. *l.* 2. *c.* 3. &c. Renovavit dein legem hanc Theatralem Julius Cæſar, an Auguſtus: Ita enim Plin. *l.* 33. *c.* 2. *Hac de cauſa conſtitutum, ne cui jus id eſſet, niſi cui ingenuo ipſi, Patri Avoque paterno, ſeſtertia quadringenta cenſus fuiſſet, & lege Julia theatrali, in quatuordecim ordinibus ſedendi*. Interim, attritis bello civili Equitum opibus, mitigata lex, juſque hoc etiam iis indultum eſt, qui, cùm hoc cenſu non eſſent, patres tamen habuêre tantum poſſidentes. Poſtea, ne hæc de ſedibus Equeſtris lex interiret, eam velut fugitivam novo edicto retraxit Domitianus: uti docet Mart. *l.* 5. *Epigr.* 8. cujus Epigraphe de Phaſide.

Edictum Domini, Deique noſtri,
Quò ſubſellia certiora fiant.
Et puros eques ordines recepit,
Dum laudat modo Phaſis in theatro.
Equeſter ordo ſtultum errorem intelligit.

Vide Laurent. JC. *Notas in Phædr. l.* 5. *fab.* 7. *v.* 27. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 10. *cum Paralipomenis Thomæ Dempſteri*, Lipſium, *Sigonium* &c.

EQUESTRIS, Venus ita à fil. Ænea dicta, qui longâ diuturnâque navigatione feſſus, tandem equum conſcendit, matremque hujuſmodi effigie coluit.

EQUESTRIS, Sequanorum civitas in Gall. vulgò *Neuſchaſtel*. Multæ aliæ circa montem Juram civitates, ut Geneva, Lauſanna, & aliæ eodem nomine apud vett. ſcriptores appellantur. Ægid. Tſchudus *in deſcr. Rhætiæ Equeſtres Colonias* vocat totum illum tractum, qui hodiè dicitur. *Le pays de Chablais*, q. d. *Caſtellorum* ſeu *Equitum habitatio*, & extenditur à capite lacus Lemani uſque ad ejus anguſtias ad Or. Harum limes eſt Geneva, antiquiſſima civitas, quæ *Equeſtris* etiam dicta eſt Plin. & aliarum caput fuiſſe videtur. Cluv. & Brietio eſt *Nyon*, opp. ad Lemanum lac. in Romana dit. Bernenſis pagi à Geneva 4. leuc. in Ort. Lauſannam verſus, quod *Novidunum* dicitur, in Gallia Lugd. Aliis eſt *Coulonges*, burgus Breſſiæ, in Geſſia regione, ad Rhodanum fluv. prope Clauſulas, ex adverſo Sabaudiæ, 4. leuc. à Geneva in Occ. Lugdunum verſus, 5. ab Orgeleto ſeu Orgetio in Auſtr. quod magis probatur Baudr. Cluverii tamen ſententiæ adſtipulatur Hadr. Valeſ. qui ex tab. Theodoſ. inter Genevam & Lauſannæ lacum *Equeſtrem Coloniam* ſitam eſſe docet; quæ prius Noiodunus vel Nividunum dicta, poſtea ab emeritis forſan equitibus Sequanis ibi, jam ante Plin. ad Allobroges & Helvetios in officio continendos, collocatis, nomen *Equeſtris* accepit: in vett. Not. Civ. *Equeſtrium Nojodunus* dicta, ſecundo inter provinc. Maximæ Sequanorum civitates loco, Unde ager & conventus Nojodunenſis, *le Balliage de Nion*. De Sequanis certè Lucan. Civil. Bell. *l.* 1. *v.* 425.

Optima gens flexis in gyrum Sequana *frenis.*

Et *Epomanduodurum* in Sequanis, ſicut *Eporediam* in Italia Tranſpadana ab equis cognominaſſe Gallos notum eſt, *Not. Gall.* Joh. Bapt. Plantin. Cæſarem credit pacatis Allobrogibus, & imminente Helvetiorum bello, Genevæ, ob loci opportunitatem, Coloniam Equeſtrem collocaſſe, quæ ab ipſo *Julia* denominata fuerit, ut teſtantur Genevenſes Inſcriptiones, quæque poſtea Nividunum uſque ob commodam alendis equis regionem ſe extenderit. Extant adhuc Neviduni Romanæ inſcriptiones, fuitque in opp. Fabrorum Præfectus, qui ex Jura per Rhodanum in mare, abietes ad navigationem deducendas curabat. Inſcriptiones utrobique tum Genevæ, ubi Colonia ſuos Tribunos, Ædiles, Præfectos Fabrûm, &c. habuiſſe apparet, tùm Neviduni, ad propoſitum facientes, vide apud hunc Plantin. *Helv. nov. antiq.* ubi addit Nevidunum antiquis temporibus amplum, & illuſtre fuiſſe opp. nunc vero ex rudeibus ejus ædificatum *Coppetum* eſſe: quod cum tit. Baroniæ poſſidet hodie Illuſtr. Comes de Dona, Arauſionis haud pridem Præfectus.

EQUESTRIS Sella, vide infrà *Sella Equ.*

EQUI, in nummis, quid notent; quærunt Eruditi. Cùm enim nummi quidam equum Auguſtis adpictum præferant quem habenis ii dextrâ prehendunt: Triſtanus in Claudio exiſtimat, fortunam Imperii eo deſignari, ſeu potiùs ipſum Imperium, pro cujus ſymbolo *Equus* ſemper fuerit habitus. At Circenſes datos hoc pacto deſignari, longè probabilius cenſet Car. du Freſne: nam & in Diptychis Leodienſi, & Bituricenſi, equos dextrâ ductos, quos inde *Dextrarios* Galli appellarunt, ad Circenſes ludos licet intueri, ab ipſis, à quibus edebantur, aurigis diſtributos. Quod præter Symmachum ſatis innuit Capitolin. *in Gordian.* & Marcellin. Com. de Conſulatu Juſtiani *p.* 60. Ejuſmodi verò cum *Equo* nummos Claudii, & Numeriani exhibet idem. Alium Conſtantini nobiliſſimi Cæſaris, cuſum anno votorum Vicennaliorum 20. cum lemmate, BEATA TRANQUILLITAS, dat Car. du Freſne, indeque colligit, non in Conſulatibus ſolùm, ſed & in Votorum nuncupatione, Circenſes editos eſſe: quod idem de Criſpi Nobiliſſimi ſimiliter Cæſ. anno pariter Votor. Vicennal. cuſo, quo Conſulatus dignitatem nondum adeptus erat, dicendum judicat. Sed & Jovianum eodem modo in medallione effingi addit, *Diſſertat. de inſcr. Ævi numiſm.*

EQUICOLUS, nomen proprium. Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 684.

Continuo Quercens, & pulcher Equicolus *armis.*

EQUILIUM, Venetorum inſ. ad oſtia Padi fluv.

EQUILIUM, ſeu ÆQUILIUM, opp. Venetorum, nunc viculus Marchiæ Tarviſinæ, *Jeſol diſtrutto*, ubi tantùm rudera viſuntur, ad oſtia Planis fluv. inter paludes, 4. mill. à vico *Civitate nova* in Auſtr. 30. ab oſtiis Anaſſi fluv. in Occ.

EQUINA Juba, in Vett. galeis frequens. Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 129.

---- *capiti tremit ærea caſſis*
Ter nivea ſcandente juba ----

Quem morem eſſe antiquiſſimum, ex eo liquet, quòd Homerus galeam Paridis vocat, *κυνέην εὔτυκτον ἵππουριν*, *galeam bene factam caudâ equinâ ornatam*, *Il.* γ. Ovid. *jubas* itidem vocat. *Metam. l.* 12. *v.* 89.

Fulva jubis *caſſis* ----

Sil. Ital. *criſtam equinam*, *l.* 8. Bell. Punic. *v.* 427. ubi de Curione,

Horridus, & ſquamis, & Equina *Curio* criſta.

Sophocles verò galeas hujuſmodi *ἱπποκόμους*, *Antig.* &c. Imprimis Numidis, utpote militaribus, hic ornatus placuit quos proin *equos cæſariatos* vocat Tertullian. *de Pallio c.* 4. i. e. equinis jubis aut caudis criſtatos, ad quem locum vide Salmaſii *Notas* uti *de more equinam jubam nodis implicandi*, infrà in voce *Equitatio*.

EQUIRIA, Equitum erant feſta, in quibus equorum curſu certabatur, de quibus Varro & Ovid. Aliàs *Ludi Curules*, qui in campo Martio celebrabantur tertio Calend. Mart. Locus Ovid. eſt *Faſt. l.* 2. *v.* 857. & ſeqq.

Jamque duæ reſtant noctes de menſe ſecundo:
Marſque citos junctis curribus urget equos:
Ex vero poſitum permanſit Equiria *nomen*:

EQUIS ſepulchra conſtituta, apud Spartian. *in Adr. Cæſ. equos & canes ſic amavit, ut eis ſepulchra conſtitueret*: Plin. item, Plutarch. Ælian. Mart. alios. Præcipuè autem in Boryſthene equo id officium uſurpavit Hadrianus, cùm illo ad venandum diu multumque uſus eſſet. Dio, Τῆς δὲ περὶ τὰς θήρας σπουδῆς αὐτοῦ καὶ ὁ Βορυσθένης ὁ ἵππος, ᾧ μάλιστα θηρῶν ἠρέσκετο, σημεῖόν ἐστιν. Ἀποθανόντι γὰρ αὐτῷ καὶ τάφον ἀνεσκεύασε καὶ στήλην ἔστησε καὶ ἐπιγράμματα ἐπέγραψε, *Venandi verò cupidinis, quâ flagrabat, ſignum Boryſthenes equus eſt, quo in venatione præcipuè delectabatur. Huic enim extincto, & ſepulchrum conſtituit, & columnam erexit, & epigrammata inſcripſit.* E quibus Epigrammatis, unum exhibuimus ſuprà, in voce *Boryſthenes*.

EQUISTRATOR, apud Auctorem *Vitæ S. Cypriani*, *Venerunt ad eum Principes duo, unus Strator officii Galerii Maximi Proconſulis, qui Aſpaſio ſucceſſerat, & alius* Equiſtrator *à cuſtodiis ejuſdem officii*: eſt qui nudè *Strator* dicitur cæteris Scriptoribus, Græcè Ἀναβολεύς, Gall. *Eſcuier*: de quo Manil. *l.* 5.

Aut onerabit equos armis, aut ducet in arma.

h. e. *herum armatum in equum imponet*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide infrà *Strator*.

EQUITATIO, inventum Neptuni, vide infrà *Hippius* an Bellerophontis. Plin. *l.* 7. *c.* 56. *Equo vehi Bellerophontem. Frænos & ſtrata equorum, Pelethronium. Pugnare ex equo Theſſalos* &c. inveniſſe ferunt; qua de re vide Hadrian. Turneb. *Adverſ. l.* 21. *c.* 9. Et quidem ſaltu primitus ſe in equos conjecêrunt Vett. quæ aſcendendi ratio cum iis, qui viribus non valebant, minimè conveniret, opulentiores ſibi *ἀναβολεῖς* ſeu *ſtratores* comparabant, reliquis in lateribus militarium viarum collocabantur altiores lapides & puſilla quædam ſuggeſta, è quibus facili negotio in equum tollerentur. Stapiæ, recen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

recentiori demum ævo acceſſêre, item ſellæ & calcaria, de quibus ſuo loco. Vide inprimis in voce *Stapes*. Regebant autem virgâ equos. De Numidis, Claudian. *Bell. Gildon. v.* 439.

> ---- *ſonipes ignarus habenæ,*
> *Virga regit* ----

Et Sil. Ital. Punic. Bell. *l.* 1. *v.* 215. & ſeqq. ubi virgæ rationem indicat:

> *Hic paſſim exultant Numidæ, gens inſcia freni:*
> *Queis, inter geminas per ludum mobilis aures,*
> *Quadrupedem flectit, non cedens, virga, lupatis:*

Quâ nempe leviter percutiebant colla aliàs mobilia. Nemeſianus *Cynegetic.*

> *Nam flecti facilis laſcivaque colla ſequutus*
> *Paret in obſequium lentæ moderamine virgæ,*
> *Verbera ſunt præcepta fugæ, ſunt verbera freni.*

Neve quicquam obſtaculo eſſet, jubam equinam nodis implicabant implectebantque. Hinc Stat. *Theb. l.* 9. *v.* 687.

> *Colla ſedent nodis & caſtigata jubarum*
> *Libertas* ----

Quæ res ornamento pariter erat equo, & commodo equitis. Quo autem aptiores humanis uſibus equi eſſent, in exercendis iis curandiſque diligentes admodum fuêre. Ac proin in arena, prope amnem aut lacum illos volutare conſuefaciebant; quæ loca huic rei deſtinata κυλίςραι dicebantur & ἁλίςραι, uti docet Pollux *l.* 1. *c.* 11. & Heſych. Vide quoque infrà *Volutabrum*. Habebant porrò peculiares ſcholas in quibus tam dociles ſagaceſque reddebantur, ut nominibus etiam certis aſſueſcerent, quibus auditis facerent imperium. Iterum Stat. *Theb. l.* 6. *v.* 460.

> *Nec jam ſufficiunt ſtimuli, non verbera. voce*
> *Nominibuſque cient Pholoën Admetus, & Irin* &c.

Qua de re vide plura apud Caſp. Barth. *Animadverſ. ad hunc Poëtam paſſim*, & hîc infrà in voce *Equus* it. *Striga*.

EQUITES, Hebr. פרשים *paraſim*, Perſæ nobilis Aſiæ gens cujus appellationis rationem vide infrà in voce *Perſeus*.

EQUITIUS, cognomen familiæ Romanæ ab *equo* deductum.

EQUITUS, Coſ. cum Gratiano Aug. A. U. C. 1127.

EQUO Imperatoris, privato inſidere nefas, Vopiſc. in *Aurel.* quemadmodum nec in ſella regia ſedere tali licitum erat, Spartian. *in Hadr.* Quod utrumque non in Romanis ſolum Impp. ſervatum, ſed & in aliis Regibus ac Principibus. Hinc apud Auctorem *Aruch* legimus inter triginta Regis Judæorum מעלות i. e. *prærogativas*, quibus Regia Majeſtas illi aſſerebatur, etiam duas iſtas: *Nemo Regis equo vehitur: Nemo ejus ſella ſedet* &c. Cauſab. *ad Spartian.*

EQUOTUTICUM, ſeu EQUUS-TUTICUS opp. non obſcurum Apuliæ Dauniæ, *Foggia* Celſo Cittadino. Ejus meminit Horat. *l.* 1. *Serm. Sat.* 5. *v.* 87.

> *Manſuri oppidulo quod verſu dicere non eſt.*

Baudr. Opp. fuit Hirpinorum, nunc *Arianum*: Urbs regni Neap in Princ. ulter. in colle, ad radices Apennini montis, 12. mill. à Benevento in Ort. ex Sanſone & *Brietio*.

EQUUS, cum robore, tum celeritate, commendatur, unde adeò multiplex ejus in vita uſus. Celeritatis inprimis magnum argumentum eſt, quòd intra 24. horas, ſecundum Arabes, iter expediunt centenorum millium, ut eſt apud Ludov. Romanum *Navigat. l.* 14. Ac apud Vopiſc. in *Probo*, per dies octo vel decem ita continuaſſe legas. Interim *equa* mari pernicior. Unde Horat. *l.* 2. *Carm.* Od. 16. habet, ſub calcem.

> --- *Tibi tollit hinnitum*
> *Apta quadrigis* Equa.

Vide quoque Virg. *Georg. l.* 3. ibique Servium. Adde, quod urinam curſu non impedito reddunt, quæ cauſa quòd *Scythæ per bella fœminis uti maluêre*, Plin. *l.* 8. *c.* 42. Imò ejuſdem eſt, *l.* 10. *c.* 63. *Viciſſe Olympia prægnantem Echecratidis*. Et Herod. *l.* 6. de equabus Cimonis, *tres Olympiacas victorias reportaſſe* & proin è regione ejus ſepulchri fuiſſe tumulatas; qui honor equabus antè Evagoræ Laconis quidem, ſed equis tum nondum obtigerit &c. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l.* 3. *c.* 63. Sed & in ſacris *Equorum* uſus non infrequens fuit. Namque Soli à Perſis *Equum* immolari conſueviſſe, præter Herod. & Trogum, teſtis etiam Xenoph. *Cyro-pæd. l.* 8. Imo & Ovid. *Faſt. l.* 1. *v.* 390.

> *Placat* Equo *Perſis radiis Hyperiona cinctum,*
> *Ne detur celeri victima tarda Deo.*

Ubi & cauſam illius ſacrificii addit. Ac ſimiliter ex Philoſtrato *de vita Apoll. l.* 1. videmus, quia Sol candidus ſit, eo album ſolitum ei fuiſſe equum ſacrificari. Maſſagetas etiam id animal mactaſſe Soli, ait Herod. *l.* 1. Armenios item, Xenoph Ἀναβάσ. *l.* 4. De Spartanis idem narrat Pauſan. *in Laconicis*: de Æthiopibus, Heliodor. *l.* 10. Quâ eâdem ſuperſtitione imbutos Judææ Reges, Soli currus & equos dicaſſe, quod tandem à Joſia abolitum, legimus 2. Regum *c.* 23. *v.* 11. Fuêre autem Reges illi Manaſſe & Amon, qui equos Soli dedêrunt ſeu conſecrarunt, h. e. ſepoſuêrunt vel mactandos, vel, ut Hebræi ſentiunt, manè cum pompa deducendos, verſus orientem Solem. His ſive alendis ſive exercendis, deſtinatum locum definit Scriptura, *ab ingreſſu domus Dei ad domum Nathan-Melechi Eunuchi, quæ erat in Parvarim, loc. cit.* Qui locus Templo vicinus fuit, ſic ut ab eo ad Templi fores nihil fuerit, præter equorum ſtationem, Vide Sam. Bochart *Hierozoici Part. prior. l.* 2. *c.* 10. Sed & apud Romanos, publicis ſacris *Equum* immolatum legimus, apud Plin. *l.* 28. *c.* 9. *Flamini ſacrorum equum tangere non licet, cùm Romæ publicis ſacris equus etiam immoletur.* Quò facit quod & Ducum inferiis mactatos legimus priſco recentiorique ævo, de quo more vide Higin. *c.* 273. & C. Barth. *Adverſ. l.* 14. *c.* 19. & *Animadv. ad Stat. Theb. l.* 12. *v.* 68.

> ---- *Frenatoſque pater, ſolatia, fortes*
> *Bellorum, mactabat* Equos.

Aliàs *equus* ſingularis Lucifero, biga Lunæ, quadriga Soli, ſacri &c. Porrò in cibum nonnullis gentibus hoc animal placuit, Plin. *l.* 18. *c.* 10. *Sarmatarum quoque gentes hac maximè pulte aluntur, & crudâ etiam farinâ equino lacte vel ſanguine è cruris venis admiſto.* Unde Mart. l. ſpect. Epigr. 3. cujus epigraphe ad Cæſarem.

> *Venit & epoto Sarmata paſtus equo,*

Quis autem primus *equo* vehi invenerit, ſuprà dictum, ubi alia quædam huc pertinentia. Plin. *l.* 34. *c.* 17. *Deinde argentum incoquere ſimili modo cœpêre equorum maximè ornamentis, jumentorumque jugis, in Alexia opp.* Ornamenta equorum eburnea maluêre Britanni, Strab. *l.* 4. In Conſualibus olim apud Romanos coronati, utpote ſacri Neptuno; ut & qui ſacra vehebant: in Triumphis laureati fuêre, Mart. *l.* 7. *Epigr.* 7. cujus epigraphe de reditu Domitiani.

> *Feſta coronatus ludet convicia Miles,*
> *Inter laurigeros cum Comes ibit* Equos.

Aliàs Imperatorum, Conſulum, Regum, Principum vett. phalerati, de quibus vide Jul. Cæſaris Bulengeri *Collectanea de Imp. l.* 3. *c.* 19. & infrà in voce *Phalera*. Quis verò junxerit primùm, & quomodo olim ad currum jungi conſueverint, diximus alibi. In Circenſibus inprimis celebris eorum uſus, quibus & nomina indita, urbium, inſularum, montium, item à colore, aliiſque rebus: ut inprimis videre eſt in vet. *Inſcr.* Aquis Sextiis hodièque extante, in qua plurimorum equorum Circenſium nomina, cum numero victoriarum, & patria. Initium ſic habet,

> II. PRÆMISIT ET C. T.
> OCCUPAVIT ET CIT. CCCV.
> INTROJUGIS VICIT.
> SANIPPO CINIS. X. HILARO AF. I.
> ÆGYPTO PE. I. MACUL. AF. I. &c.

reliqua vide apud Jac. Spon. *Itin. Part.* 3. *p.* 23. & 24. ut & hîc paſſim, in vocibus *Incitatus, Panchates, Paſſerinus, Pegaſus, Pelorus, Pertinax, Pholoë, Phoſphorus, Pompejanus, Thoë, Volucer.* Quod etiam de Heroum Deorumque equis, apud antiquiſſimos Poëtas, jam legimus. Inſuper ſigna iis inurere, duas præcipuè literas *Sigma* & *Coppa* apud Græcos, tralatitium. Vide hic in vocibus, *Bucephali, Coppatiæ, Samphoræ.* Iidem hordeo equos paſcebant, unde κριθῶν πῶλον dixêre; quemadmodum ſimiliter apud vett. Romanos, qui avenam non ſerebant, hordeum iis dabatur, uti docet Salmaſ. ad *Solin. p.* 387. Ob inſignes porrò tot dotes uſuſque tam varios, princeps apud Vett. præmium *Equus* habitus eſt. Sil. Ital. Punic. Bell. *l.* 16. *v.* 447.

> *Primus* Equorum volucrem, *Maſſyli munera Regis,*
> *Haud ſpernenda tulit.*

Qua de re vide C. Barth. *ad Stat. Theb. l.* 6. *v.* 644.

> *Arcas* Equum *dono, clypeum gerit improbus Idas:*

In ſpecie de Luciferi ac Heſperi equis, ad Stat. eundem, ubi Heſperum *Nocturnum* vocat, ita Lutatius: *Lucifer & manè oritur & veſperi; ſed equo mutato. Poëtæ autem quadrigas dant Soli, bigas Lunæ, equos ſingulis ſideribus.* A' qua *Equi* mutatione vocatur, *Deſultor*, ſacratique illi ſunt deſultatorii Equi, de quibus vide Caſſiod. *Var. l.* 3. Eorundem meminit Iſid. *Origin. l.* 18. *c.* 36. *Quadrigas Soli, bigas Lunæ, & trigas Inferis, ſejugas Jovi, deſultores Lucifero & Heſpero conſecrarunt.* Nempe quia Lucifer de equo in equum deſilire crederetur. Eorum unus *albus*, quo Lucifer vectus apud Ovid. *Amor. l.* 2. *Eleg.* 11. *v.* ultimo.

> *Lucifer admiſſo tempora portet* Equo.

At Heſperi equus *furvus*, ut indicat Ovid. idem *l.* 2. *Faſt. v.* 314.

> *Heſperus & fuſco roſcidus ibat* Equo.

Vide denuo Voſſ. *l.* 2. *c.* 31. Nec omittendus Darii Perſarum Regis mos, qui in ſigillo ſculptum habuit *Equum*, δι' ὃν χρεμετίσαντα ἐβασίλευσε, *per quem hinnientem Rex factus fuit*, ut notat Thucydidis Scholiaſtes; Hiſtoriam vide apud Juſtin. *l.* 1. *c.* 10. *Darii equus cognito loco ex deſiderio fœminæ hinnitum ſtatim edidit.* Plura verò *de Equis*, inprimis *de* eorum *ſubnervatione*, cujus mentio Joſ. *c.* 11. *v.* 6. & 9. 2. *Sam. c.* 8. *v.* 4. 1. Paralip. *c.* 18. *v.* 4. de *ſplenis abſciſſione & plantæ pedis excavatione* quibus duobus mediis expeditiores eos ad curſum fieri, ait Chaldæus Paraphraſtes Eſth. *c.* 8. *v.* 10. apud Bochart. ubi ſuprà paſſim, præcipuè *c.* 11. De equis porrò ἀεθλοφόροις, item *bellatoribus*, & terriculamenta hiſce addendi more; de *equis Heroum*, ferarum ſpoliis inſigniri ſolitis, Car. Paſchal. *Coron. l.* 6. *c.* 15. *l.* 9. *c.* 25. & *l.* 10. *c.* 18. de ratione equos ad currum jungendi, ſuprà ad *Currum*. Addam hoc unum, in Zacharia Propheta ſex *Equorum* colores memorari, *rufum, album, nigrum, flavum* aut *gilvum, ſcutulatum, ſpadicem* aut *phœniceum*. Inter quos in pretio maximè *albus* eſt: Sed cùm albedo equorum duplex ſit, alia pallori proprior, alia candens & perfuſa luce quâdam; ille color in equo deterrimus, hic probatiſſimus: ille propriè *albus*, hic *candidus* dictus, Serv. *ad Virg.* Cujuſmodi candidis equis Camillus, & ante ipſum Romulus, ac poſt ipſum varii Duces ac Impp. in triumphis, uſi, vide de Aug, Ovid. *de Arte Amandi l.* 1. *v.* 213.

> *Ergo erit illa dies, qua tu pulcherrime rerum*
> *Quatuor in niveis aureus ibis* Equis.

de Stilicone, Claudian. de aliis alios: Eodem candore delectati Principes, in ſolemnibus in urbes ingreſſibus: uti de Innocentio & Alexandro III. Pontificibus Rom. legimus apud Sugerium *in Ludovico VI.* & in *Actis* Alexandri A. C. 1177. de Carolo IV. Lutetiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

tiam veniente, apud Continuatorem Nangii. Vide quoque Henr. Valeſ. *ad Berengarii Imp. Panegyr.* p. 205. Hinc magni muneris loco, Ticinenſi Ep. conceſſit Joh. & Honorius III. *ut album equum cooper tum equitaret, in Ramis palmarum & ſecunda feria poſt Paſcha*, uti docet Car. du Freſne *in Gloſſ.* ex Bulla utriuſque Pontificis, aliiſque Auctoribus hanc in rem laudatis. Vide quoque Joh. Roſin. *Antiq. Rom.* l. 10. c. 29. & ſuprà, in ubi de colore hoc infrà in voce *Liardus*; ut & Barth. *ad Stat. paſſim.* Apud Romanos *Equiſones*, uti vocat Apulejus l. 7. *Met.* armenta equilia curabant: quos *equorum Magiſtros* appellat idem l. 8. *Agaſones*, Græcè Ἱπποκόμους, ſeu Cuſtodes equorum, qui & *Equitii* & *Gregarii* dicti, cùm equorum grex dicatur *equitium*, in *Epit. antiq. Juris civ.* &c. Vide Laur. Pignor. *Comm. de Servis*: medio ævo *Paraſrenarii*, quod vide ut & infrà, *Heracium*, *Paledrus*, *Tarexippus* ac ubi de deriv. & compoſitis ex Græco Ἵππος. In *Equis* effigiandis Calamus cæteris ſtatuariis, Plin. præfertur. Ovidioque Vide infrà ubi de vett. *Statuariis*. De *ſubnervatione equorum*, videbimus aliquid in voce *Suffraginare*.

Equorum varia apud Scriptores genera ac epitheta.

Equi ἀγώνισμοι, ἀθλοφόροι. Vide ſuprà *Currus Olympici*.

Equi Albi, Vide ſuprà.

Equi Appretiati, dicebantur equi militares vaſſallorum, qui ad Regum aut Principum *ſubmonitiones* in caſtra proficiſcebantur. Eorum enim priuſquam ad bella, & prœlia ſeſe accingerent, equi æſtimabantur, ut, ſi interficerentur, & perirent, pretium eorum Dominis ab Rege aut Principe reſtauraretur. Maximum verò equorum pretium erat 25. libr. licet pluris valerent, vide Car. du Freſne *Gloſſ.*

Equus Armatus, præſtationis ſpecies, in *Charta* 1306. Id.

Equi Aſſyrii, in Scriptura celebres ſunt; in quibus Prophetæ laudant ungulas firmas, ut petræ: impetum, qualem turbinis; volatum, ut aquilæ properantis ad eſcam; Eoſdem pardis conferunt, & lupis veſperæ acutiores eſſe aſſerunt. Vide infrà *Niſæi*.

Equi Aſturcones, vide *Aſturcones*.

Equi Avertarii, ab *averta*, Gr. ὑπομαστιγάλῃ, ornamento laterali, pectori ſubſtricto, dicti, Vide infrà in voce *Parhippus*.

Equi Balnei Equitum, in Anglia Sella, & ephippiis ſcorteis, albo interſtinctis, & cruce fronti præfixâ, inſtrui ſoliti leguntur apud Franc. Menenium *Delic. Ord. Equeſtr.* ſub titulo *Equites Balnei in Anglia*.

Equi Barbarici, vide ſuprà.

Equi Bellici, frementes fere deſcribuntur Poëtis: armorum ſtrepitu, & fulgore non terrentur &c. *Bochart.*

Equi Canonici militares, qui ex canone ſeu in canonem ad militares uſus præſtabantur, l. 3. Cod. Th de Equorum conlat. &c. Vide quæ de equis in canonem ſeu in *domum* Galliæ Regibus, ab omnibus, dari ſolitis, adnotavit Car. du Freſne *Diſſertat.* 4. *ad Joinvillam*.

Equi Cappadoces ſeu ex Thogarma, omnium nobiliſſimi: quorum 1500. quotannis ex Cappadocibus tributi nomine exegêre olim Perſæ. *Lex* Theodoſii *gregem Dominicum* vocat, quia Cæſarem uſibus ſervabantur, nec eos factionibus dividere licebat, niſi Impp. permiſſu. Quocirca Eutropio crimini datum, quòd Cos. cùm eſſet, βοσκήμασιν ἀπεχρήσατο, *animalibus præter fas uſus eſſet* &c. Bochart. *ubi ſuprà*. c. 9.

Equi Cataphracti, *Cooperti*, vide hîc infrà *Veſtiti*.

Equi Colatorii, vide ſuprà in hac voce.

Equi Coppatiæ, quibuſdam dicti, quia terram ungulâ κόπτουσι, *pulſant*; mel. qui literam *coppa* femori impreſſam habent. Schol. Ariſtoph. *in Nub.* *Bochart.* c. 8.

Equi Curatorici, *in l.* 29. *Cod. Theod. de ann. & tribut.* ii fortè, quibus Curatores in provinciis ad peragenda negotia utebantur, quique iis ſubminiſtrabantur à provincialibus.

Equi Daciſci, apud Capitolin. *in Maximinis*.

Equi Deſultorii, vide ſuprà.

Equi Detruncati, in *Concil.* Chalcutenſi A. C. 787. c. 19.

Equi Dextrarii, vide ſuprà.

Equus Domitus, in *LL.* Malcolmi II. Scot. Regis.

Equi Δρομικοί, vide ſuprà *Circenſes Ludi*.

Equi ἑλκοντες, *trahentes*, i. e. refractarii, *Bochart.* c. 9.

Equi Feri, apud Capitolin. in *Gardian.* iidem cum *Caballis* Silvaticis, apud Paulum Diaconum *Hiſt. Longob.* l. 4. c. 4.

Equi Flacci, apud Salmaſ. *ad Treb. Pollion. in Gallienis*.

Equi Fluviales, quadrupedes, in Papremitana apud Ægyptios plaga culti, memorantur Herod. *in Euterpe*, ubi ſic de hoc animali: Τετράπουν ἐστι δίχηλον ... [illegible] ... Vide infrà *Hippopotamus*.

Equi Funales, vide *Funales*.

Equi Guttonarii, vide in hac voce.

Equi Heneti, prope Hadriam memorati Euripidi, apud Bochart. l. 11. c. 55.

Equi Hermogeniani, l. 1. Cod. *Th. de Grege Domin.* olim in pretio; à quodam Hermogene, à quo diſtrahebantur, an curabantur, dicti.

Equi Hunniſci, apud Salmaſ. *ad Capitolin.*

Equi Jugales, vide infrà.

Equi Καλπαστικοί, vide ſuprà *in Calpare*.

Equi Laterales, vide infrà *Paramus*.

Equi Liardi, vide infrà *Liardus*.

Equi Nigri firmiſſimi, unde Græcis πηγοί: qui in Æthiopia frequentes, equitibus concolores, apud Bochart. ubi ſuprà l. 11. c. 7.

Equi Niſæi, i. e. in Niſa nati, nobiliſſimi, proceriſſimi, validiſſimi, velociſſimi, formæ peculiaris, flavi fere aut albi: quibus Aſſyrii ut plurimum uſi. His ſimiles in Armenia, & Parthia *equi*, ubi eorum greſſus ad dominorum delicias arte molliti, vide eundem Bochart. c. 9. *Niſæi* verò in Media campi, meminêre Suid. & Euſtath. *ad Dionyſ.*

Equus October, vide infrà *Sacravenſes*.

Equi Orynges, vide infrà *Orynges*.

Equi Palmati, vel *Palmatii*, equi Cappadoces, à quodam Palmatio Cappadoce, qui Andavili opp. prope Tyanam habitabat, dicti, in *Itin. Hieroſolym.* ſeu *Burdigal.*

Equi Parthiſci, Perſiſci, Phrygiſci, vide ſuprà *Equi Hunniſci*.

Equi Pomellati, Gallis hodie, qui olim *Scutulati*.

Equi πομπικοί, vide ſuprà *Circenſes Ludi*.

Equus Publicus, vide infrà *Tranſvectio*.

Equi Sagmarii, qui *ſagmas* portant, apud Vopiſc. *in Aurelian.* & Lamprid. *in Heliogab.*

Equi ſamphoræ, qui literam *San* femori impreſſam habebant, vide ſuprà *Equi Coppatiæ*.

Equi Scutulati, vide *Equi Pomellati*.

Equi Sellarii, qui *ſellas* portant, vide Caſaub. & Salmaſ. *Ibid.*

Equi ad Stallum, in *LL.* Wiſigothorum l. 8. §. 4. admiſſarii ſunt. Gall. *Etalons*.

Equi ex Thogarma, vide *Equi Cappadoces*.

Equi Tineciæ, apud Salmaſ. *ad Pollion. in Claud.*

Equi Tolutares, vide infrà.

Equi Tricenarii & *Tricenarii*, ſimiliter.

Equi Tremuli, itid.

Equi Trepidantes, itidem.

Equus Veſtitus, apud Arnold. Lubec. l. 2. c. 4. idem cum *palliato*, apud Suger. *in Ludov. VI.* *phalerato*, in *Annal.* *Colmar.* *cooperto*, apud Albert. *Argentin.* *ſtrato* apud Anſelm. Ep. Havelb. *Dial.* l. 3. c. 12. *armato*. de quo ſuprà: bellicum nempe ſagoque inſtructus: cujuſmodi equos in Nobilium funeribus offerri ſolitos, docet Car. du Freſne &c. Vide quoque ſuprà *Caballi*, & infrà *Herepercuſſus*.

EQUUS, qui poſtmodum *Aries* dictus eſt, in muralibus machinis Epei inventum ad Trojam, memoratur Plin. l. 7. c. 56. At inventum fuiſſe a Carthaginenſibus, Septimius Florus ait. Vitruv. in opppugnatione Gadium, primùm adhibitum ſcribit l. 10. c. 18. ad quem l. Vide Barbarum; adde Hadr. Turneb. *Adverſ.* l. 8. c. 20. alioſque Autores laudatos Dalechampio *ad Plin.* ut & ſuprà in voce *Aries*.

EQUUS Ligneus, hyeme ſub tecto, æſtate in campo, tyronibus olim exercendis poſitus, memoratur Vegetio, ut infrà videbimus in voce *Scapes*.

EQUUS Marinus, aliter *Hippopotamus*, animal eſt quadrupes, & amphibium, quod licet inter aquas degat, inter terreſtria tamen non malè refertur. Refert de illo Odoardus Barboſa, quod ſæpius viſus ſit à Luſitanis nautis, in Inſ. *Ceſuta*, ad paſcua exire, & in pratis, pecudum inſtar, gramine veſci: deprehenſum ita ſæpius, & circumventum in prædam veniſſe; quod ſi tamen eorum caſus fefelliſſet, conciratiſſimo curſu ad cymbas adproperaſſe, illaſque ſic contriviſſe, ut nautis inutiles redderentur penitus. Ad quinque cubitos excreſcit in altitudine; pedeſque aures, caudam, & vocem habet equinam: niſi quòd ungulæ pedum taurorum in modum bifidæ ſunt. Nares ei patulæ, labia repanda, rictus vaſtus, in quo utrinque tres magni, ſed obtuſi ac prominuli dentes. Humanam amare carnem, Ariſtoteles docet, qui de *Mirabilibus* Indiæ ſcribens, verba Alexandri ad ſe ſcribentis ita refert: *Ducentos milites levibus armis miſiſſe, per amnem nataturos, itaque quartam fluminis partem natavêrunt; cum ---- Hippopotami inter profundos aquarum gurgites ruêrunt, raptoſque milites nobis flentibus abſumpſêrunt.* Ad Nili ripam frequens eſt, uti & crocodilus: quæ proin duo *Behemoth*, & *Leviathanem* Hiobi eſſe, Viri eruditi ſentiunt. Aſſervat *Muſæum* Kircherianum belluæ hujus fragmentum ex dentibus diſſectum, tantæ duritiei, ut cuivis ſilici æquiparari poſſit; non minùs enim percuſſum aut affrictum chalybe, quam quivis alius ſilex, ſcintillas evomit: contra venena, & hæmorrhoides, ut aiunt, efficax. Ibidem cauda quoque *Equi* hujus *Marini* oſtenditur &c. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. Soc. Jeſu Muſæo* p. 31. Vide quoque infrà, in voce *Hippopotamus*.

EQUUS Unicornis, vide infrà *Monoceros*.

ER. in *Notis* antiquorum, *erit*, vel *erunt*.

ERA, ſeu ÆRA, juxta Aſtrologos, eſt inſigne temporis initium, à quo ſupputationes ducunt: quo ſenſu celebris apud Hiſpanos Epocha, ſeu annorum calculus, *Era* dicitur; cujus originem Julio Cæſari attribuunt, non quòd ab illo inſtituta, ſed quòd anni ejus, quem Julianum vocant, formam induit. Primus enim Eræ Hiſpanicæ annus, Julianæ ordinationis, ſeptimus habetur à cæde ipſius Cæſaris ſextus. Itaque ſub Auguſto inchoata fuit, diviſis poſt bellum Peruſinum Rom. Imperii Provinciis inter triumviros, è quibus Hiſpania Auguſto ceſſit. Tum enim Hiſpani Epocham ſuam ab initio Auguſti regiminis inſtituêrunt, eandemque. *Eram Domini*, & *Eram Cæſaris* nuncupárunt. Cœpit autem Auguſti regimen, A. N. C. 38. poſt U. C 714. Chriſtuſque natus videtur in Era Cæſaris 39. Lidyattus tamen Anglus, Nativitatem D. N. ad 4. ferè Annos, poſt vulgi calculos, reducit, Eræque originem ad Ann. 41. natalitia ejus præcedentem, Urbiſque conditæ 750. attribuit. Hic, *Æram* dictam vult, quòd nova quædam, & graviora æra, vectigalia ſeu tributa annua à Trium-viris inſtituta fuerint, neque in Hiſpania ſolùm, ſed & Gallia ac Africa illam viguiſſe refert. Abolita eſt à Valentinis, & Aragonibus, A. C. 1358 Caſtellanis A. C. 1383. & Luſitanis demum A. C. 1415. Dionyſianum computum amplexis. Uſurpata quoque vulgariter vox *Era* eſt, ab Hiſpanis, Gallis Narbonenſibus, & Gothis, pro Anno, ut in Conciliis, Cippis antiquis, & Iſidori Chronico liquet: unde forſan Anglorum *year*, Belg. *iaar*. Modum reducendæ Eræ Hiſpanicæ ad A. C. & è contra ſc. vel adimendo 38. vel huic totidem adjiciendo, exhibet in tabella Henr. Spelmann. cui ad antiquæ Hiſtoriæ elucidationem, initia regni Principum aliquot Gothicorum, in Hiſpania præſertim dominantium, Alarici nempe cum Radagatho, Athaniphi, Segerici, Walliæ, Theuderedi, Turiſmundi, Eurici, Alarici, Geſalrici, Theuderici, Amalarici, Theudis, Thediſculi, Agilæ, Aranagildi, Liubæ I. Leovigildi, Reccaredi, Livubæ II. Witterici, Gundemari, Siſebuti, Suintilæ &c. uſque ad Rudericum inſe-

inſeruit, juxta Iſid. Chronicon. à B. Pithoco caſtigatum, *Gloſ-ſar. Archæol.*

ERACON, è Prætoribus Alexandri, poſt reditum ex India, ob avaritiam, & ſævitiam in Provinciales, vinciri à Rege juſſus. Curt. *l.* 10. *c.* 1.

FRACONIUM Flavium, opp. Hiſp. Tarr. in Callaicis fuit, ab Ahturià 30. m. p.

ERACTUM ſeu HERACTUM, opp. Baſtarnarum, in Germano-Sarmatia, Ptol. nunc *Rovv.* opp. Polon. in Podolia, ad amnem *Morawen* in Tyrum delabentem. *Cluver.*

ERÆA, civitas Græciæ, quam jam ſuo tempore concidiſſe, aut vix ullum ipſius apparuiſſe veſtigium, ſcribit Strab. *l.* 3.

ERANARCHES, Græcè E'ρανάρχης, ſtipi colligendæ erogandæque præfectus, dicebatur apud Græcos. Habebant enim hi id inſtituti antiquitus, ut, ſi quis in paupertatem dilaberetur, aut ab hoſtibus eſſet captus, aut virginem haberet nubilem, quæ ob inopiam collocari non poſſet, Eranarches Corn. Nep. *Epaminonda. c.* 3. *amicorum concilium haberet, & quantum quiſque daret, pro facultatibus imperaret,* ut hæc ἐράνῳ ſeu *ſtipe* ſubveniri poſſet urgenti neceſſitati, Vide quoque infrà *Opifices.* Sed & ἔρανος, *cœna collatitia,* quâ ratione E'ρανάρχης idem cum *Convivii Magiſtro* eſſet, de quo ſuo loco.

ERANUSA, inſ. in Locris Italiæ fronte. Plin. *l.* 3. *c.* 10.

ERAPHIOTES, vel EIRAPHIOTES, Bacchus dictus eſt, ab inducenda contentione, quoniam vinum iram, atque certamen inducit. E'ρις enim *contentio* eſt, φαίνειν *oſtendere* ſignificat. Ita E'ιρ-ομολογεῖ apud Dionyſ. Euſtath. additque poſtea ſic dici propterea, quòd E'ρραφθῆναι ἐν τῷ μηρῷ τοῦ Διός. Utramque Etymologiam refutantem vide Doctiſſ. Tanaquill. Fabr. *Ep. Crit. part.* 1. *p.* 59. Probat enim Bacchum ab Heſych. E'ίρφιον vocari, ab ἔιρφος ὁ μικρὸς αἴξ. Vide Bochart. *Col. Phœn. l.* 1. *c.* 18. *Nic. Lloyd.*

ERASI, apud Plin. *in Panegyr. Datum eſt iis, qui poſt edictum tuum in locum* eraſorum *ſubditi fuerant, æquatique ſunt cæteris, illi etiam, quibus non erat promiſſum*: Budæo, ſunt deleti ex numero eorum, qui accipiebant congiarium, apud Calvin. *Lexic. Jurid.*

ERASIA, filia Phineæ Regis Pæoniæ.

ERASINADES, Dux quidam fuit, qui, quia infeliciter pugnaſſet, apud Arginuſas Inſ. cum militibus ſuis omnibus ad internecionem extinctus eſt. Hinc factus eſt proverbio locus *Militavit cum Eraſinide*, de his, quibus res undiquaque malè proceſſêrunt. Demetrius verò Grammat. hunc rapinarum, & interceptarum in Helleſponto pecuniarum, reum factum ait, vide Schol. *in Ariſtoph. Ranas Act. V. Sc.* 1.

ERASINII, Thraciæ pop. Plin. *l.* 2. *c.* 103. *l.* 4. *c.* 5.

ERASINORIX, tetrarcha in Gallia, exardeſcens in amorem Cammæ, uxoris Sinati. Vide *Sinorix.*

ERASINUS, hodiè *Raſino*, fluv. Peloponneſi à Poëtis memoratus in Argia reg. per quam ex Stymphalide palude in ſinum Argolicum decurrens, alicubi ſub terram conditus, rurſus, Plin teſte *l.* 4. *c.* 5. emergit. Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 275.

Sic modò combibitur, tecto modò gurgite lapſu
Redditur Argolicis ingens Eraſinus *in agris.*

Stat. *Theb. l.* 4 *v.* 122.

—— *Dyopumque trahens* Eraſinus *ariſtas.*

Baudr. verſùs fontes *Stymphalus* dicitur, poſtquam è cuniculo redit, *Eraſinus*; dein in Inachium fluv. cadit, & cum ipſo in Argolicum ſinum. Eſt & alter hujus nominis fluv. teſte Strab. *l.* 6. *p.* 275. in Arcadia oriens, ac in ſinum Corinthiacum apud Baram opp. influens. Alius item in Euboea apud Eretriam fluens.

ERASISTRATUS, Medicus eximius ex Ariſtotelis familia, ejus ex filia nepos, cujus multis in locis meminit Plin. Inter alia oſtendit, famem fieri, propter inanes ac patentes inteſtinorum, & ventriculi fibras. Gell. *l.* 16. *c.* 3. Floruit autem ſub Ptol. Philadelpho, teſte Euſeb. *in Chronicis.* Vel, ut alii malunt, ſub Seleuco Nicanore. Cujus fil. Antiochum Soterem, Stratonices novercæ amore captum, ſubtiliter animadvertit. Plin. *l.* 14. *c.* 7. *l.* 20. *c.* 9. *l.* 26. *c.* 2. *l.* 29. *c.* 1. Plutarch. *in Demetrio.* Appian. *in Syr.* Valer. Max. *l.* 5. *c.* 7. *ex.* 1.

ERASMUS, ex Limpurgiis Comitibus, Ep. Argentinenſis, Tubingæ Joh. Stoflerum, Conradum Braunium & Joh. Marquardum, Pariſis Joh. Sturmium audiit, poſtmodum Argentinam vocatum. Interfuit Concilio Tridentino A. C. 1551. pacis amans, & eruditus. Obiit A. C. 1568. Antonius Teiſſier *Elogiis.*

ERASMUS, Campanus Ep. qui Diocletiano imperante floruit; huic inter vaſtas nemorum ſolitudines corvus paſtum attulit.

ERASMUS, Carthuſ. Friburgenſis, plurima ſcripſit. Pretrejus *Bibl. Carthus.*

ERASMUS Deſiderius, Roterodamus, eruditione, & ſcriptis celeberrimus. Natus eſt A. C. 1467. patre Gerardo, Goudano, ex Margareta, Medici cujuſdam filia. Studia ſub Alexand. Hegio, Daventriæ, feliciter urſit, memoriâ tam invictâ, ut Terentium Horatiumque totum brevi edidicerit. Exin bis corvus, bis pica fuit, ter cannabe vinctus. Apud Henr. Bergenſem, Ep. Cameracenſem aliquandiu verſatus; Pariſios venit: inde à duobus nobilibus in Angliam pertractus, ibi in Regis regnique laudes librum edidit. In Italiam dein cum Medici regii filiis delatus, Taurini Anno Æt. 40. Doctor Theolog. creatus eſt: Bononiæ Adagia abſolvit, quæ Venetiis imprimenda Aldo Manutio commiſit. Alexandrum poſtmodum Scotiæ Regis filium Archiepiſcopatui S. Andræano deſtinatum, Patavii Rhetoricam docuit, ibique Græcos Latinoſque auctores admirabili facilitate evolvit. Inde Romam tranſiens à Cardinalibus cultus eſt, ſed inde rediit ad ſuum Alexandrum. A Paulo III. Clemente VII. Henrico VIII. Franciſco I. Carolo V. Sigiſmundo Pol. Ferdinando Hungar. Regibus vocatus, nulli ſe addixit. Commercio eruditorum totius Europæ honoratus, Anno Æt. 60. Baſileam venit, Joh. Frobenii, typographi celeberrimi, hoſpitio uſus: ubi Adagia primùm, dein Colloquia edidit, quæ brevi diſtracta, ſecundò impreſſit Colinetus Pariſiis, A. C. 1527. exemplaribus 24000, feliciter divenditis. Porrò Auguſtini, Hieronymi, Arnobii, S. Hilarii, Plinii, Senecæ, &c. editiones accuravit. Novum Teſtament. Latinè vertit. A. C. 1529. cùm Evangelii lux inclitæ huic urbi divinitus affulgere cœpiſſet, Friburgum abiit, ſed ſeptennio pòſt reverſus, ibi obiit, die 11. Jul. A. C. 1536. Æt. 70. Academicorum humeris elatus. In ſummo templo cubat, à Bonifacio Amerbachio hærede, marmoreo monumento honoratus, cum inſcriptione, & Symbolo Eraſm. *Nemini cedo*, ſub Termini icone. Nec omiſêrunt totius Chriſtiani orbis eruditi certatim demortui præconia decantare. Placuit plurimis Lud. Maſii diſtichon:

Fatalis ſeries nobis invidit Eraſmum,
Sed deſiderium tollere non potuit.

Bibliotheca, & Cimelia ejus, illuſtre Baſilienſis Bibliothecæ ornamentum ſunt. In religione, Pontificiorum errores ſic pervidit, ut vulgò diceretur: *Aut Lutherus Eraſmizatus, aut Eraſmus Lutherizatus.* Interim à ſe impetrare non potuit, ut ad Evangelicos apertè ſe applicaret, conciliationi utrorumque perpetuò intentus. De Luthero quid judicaverit, vide Ep. ejus *l.* 2. *ep.* 1. *l.* 12. *ep.* 23. *&* 31. *l.* 6. *ep.* 4. *l.* 14. *ep.* 1. Item *ep. ad Fridericum Sax. tom.* 1. *Lat. opp. Lutheri*, &c. Opera ejus, impreſſionis Frobenianæ, 9. tomis continentur &c. Vide *Deſiderius.*

ERASMUS Horicus, Germanus, Muſicum opus compoſuit.

ERASMUS Oſwaldus, Mathematicus celebris, de quo Voſſ. de *Mathem. c.* 36. §. 18.

ERASMUS Reinholdus, Mathematicam Vitembergæ docuit, editis quibuſdam ſcriptis. Moriturus, *Vixi*, inquit, *& quem dederas curſum mihi, Chriſte, peregi*, A. C. 1553. Æt. 42. Voſſ. de *Mathem. c.* 36. §. 14. Poſt Joh. Mullerum Regium. & Nic. Copernicum, in Aſtrologia plurimùm polluit, Thuan. *Hiſtor.* ſcripta ejus enarrat Anton. Teiſſier *Elog.* P. 1. Alius ejuſd. nominis, ſcripſit librum cui *tit. Practica Anni* 1574. *cum explicatione novæ ſtellæ ejuſdem anni. Simler. Bibl.*

ERASMUS Stella, ſcripſit de gemmis, & antiquitatibus Pruſſiæ. Simler. *Bibl.* Voſſ. *de Hiſt. Lat.*

ERASMUS Vitellius, Sigiſmundi Pol. victoriam ſcripto celebravit: Maximiliano I. Imp. dedicato. Idem.

ERASTE Gr. ἐραστὴ ſacra Thebanorum cohors de qua vide infrà in voce *Tactice.*

ERASTUS Oeconomus, ſeu Quæſtor civitatis Romæ, Rom. *c.* 16. *v.* 23. Converſus à Paulo, aliquandiu comes fuit peregrinationum ejus, à quo ex urbe Epheſo præmiſſus fuit in Macedoniam, Act. *c.* 19. *v.* 22. Sed Paulo Romæ captivo Corinthi remanſit. 2. Tim. *c.* 4. *v.* 20.

ERASTUS Thomas, Bædâ-Helvet. oriundus, Philoſophus, & Medicus excellens, inde ad Theologiam quoque animum applicuit, ſed in materia de Cenſura Eccl. multorum cenſuram expertus. Docuit Heidelbergæ primùm, exin Baſileæ ubi obiit A. C. 1583. Æt. 60. Seriem Scriptorum ejus, quæ magno numero ſunt, habes *in Elogiis* Anton. Teiſſier *Part.* 1. ubi inter alia, *Diſputationes contra novam Medicinam Paraceſſi, Judicium de Indicatione Cometarum, Conſilia Medica, de Excommunicatione Eccleſ.* cui Beza reſpondit &c. Dextra manu quòd non bene uti poſſet, ſiniſtrâ ſcripſit: cœterùm pauperrimus in juventute, ſed Mæcenatis cujuſdam munificentiâ ſublevatus eſt, *Ibid.* moriens verò ſtipendia legavit, quibus hodieque unus alterque Studioſus, Baſileæ ac Heidelbergæ juvantur. Ab illo *Eraſtianos* quinam ſe vocaverint, vide ſuprà in voce *Colemannus.* Cœterùm *Eraſtum* refutavit Theod. Beza *l. de Excommunicatione*, eum verò Patri diſſimilis fil. Lud. Molinæus *Paræneſi ad ædificat. Imperii in Imperio* defendit illi hac in re ac Grotio plus fidei quàm Theologis habendam cenſens, quam in rem vide M. Leydeckerum *Notis in Horn. Hiſt. Eccl.*

ERATE, Nimpha marina Oceani, ac Tethyo filia.

ERATO, una Muſarum, ab *amore* nomen ſortita, quòd (ut nonnulli putant) præſit his, qui Heroum inclyta geſta, aut amores canunt. Virg. *Æn. l.* 7. *v,* 37.

Nec age, qui reges Erato, *&c,*

Vide Balduini *Iconol,*

ERATO, Ariobarzane morte fortuitâ abſumpto ab Armeniis in Regnum adſcita, iterumque brevi pulſa. Tacit. *Ann. l.* 2. *c.* 4.

ERATOCLIDES, Corinthius, Phalii Pater.

ERATOSTHENES, Cyrenæus, Ariſtonis Chii, & Callimachi Poëtæ diſcipulus, Olymp. 126. *Plato minor* à quibuſdam ob doctrinam vocatus, præfuit Bibliothecæ Regiæ, Coſmographus inſignis. Primus univerſum totius Orbis circulum ducentorum quinquaginta duorum millium ſtadiorum eſſe prodidit, unde & *orbis terrarum menſor* appellatus eſt. Scripſit præter Philoſophiam, poëmata, hiſtorias, Aſtronomica, de Sectis Dialogos. Suid. Item, de Comœdiis, ut notant Scholia in Ariſtoph. *Ranas Act.* 4. *ſc.* 2. Vixit Annos 81. qui annus octogeſimus primus maximus climacter, & humanæ vitæ periculoſiſſimus à veteribus eſt creditus. Eſt enim numerus quadratus, conſtans ex novem novenariis. Obiit præ animi mœrore. Eodem ætatis anno deceſſit Plato, Diogenes Cynicus, & Xenocrates Platonicus. Hic Philologi nomen primus ſumpſit variâ, & multiplici diſciplinâ præditus: Sed in nulla excellens; hinc *Beta* dictus. Suid. Plutarch. *in Lyc. Alexandro, & Demoſthene.* Cæſ. *de Bell. Gall. l.* 6. *c.* 5. Meurs. *in not. ad Heſych. & Nicomnum.* Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 1. *c.* 17. Laudatur ſæpius à Schol. in Ariſtoph. Nic. Lloydius. Aliam verò rationem cognominis *Beta* ſuprà dedimus, in hac voce. Inter primos certè Chronologiæ Græcæ emendatores poſt Timæum, meritò habendus, ſub Rege præf. Ptolemæo

mæo ſc. Evergete Philadelphi fil. *Canones temporum* compegit, qui à plurimis ſunt probati, & ab illis demum temporibus Olympiades, quaſi *totius Græciæ Faſti* habitæ ſunt. Dionyſ. Halicarn. *l.* 1. & Plin. *l.* 4. *c.* 5. Idem imperfectam Diſpolitanorum Regum, à Manethone digeſtorum, ſeriem ſupplevit, ac Thebæorum regnum deſcripſit: *Regum* XXXVIII. *Annorum* MLXXVII. *quorum notitiam ex Ægyptiacis Commentariis, & nominum ſignificatione, mandato Regis, Græco ſermone expoſuit*, Syncellus *p.* 91. Quod Auctoris hujus laterculum *venerandiſſimum antiquitatis monumentum & ad ſtabilienda Ægyptiaca tempora inprimis neceſſarium* appellat Illuſtr. Eques Anglus Marsham. *Ægyptiacis ſuis Canonem Chronicum* vide eum & *in ipſo Canone Sec.* 1. item X. ubi de *Nilo Rege*, it. *Sec.* XVI. ubi de *prima Olympiade vulgari*.

ERATOSTRATUS, Epheſius, templo incenſo, eodem die, quo Alexander Mag. natus eſt, famam aucupatus, æterna oblivione, ab Epheſiis, eſt mulctatus. Plutarch. *in Alexandro*. Solin. *c.* 53. Valer. Max. *l.* 8. *c.* 15. *ex.* 13. Diod. Cic. *Euſeb.* &c.

ERBESSUS, Diod. Sic. ERBISSUS & eidem *l.* 14. Ἐρβησσηνοί. Silio Ital. *Herbeſus*: Polyb. *Erbeſſum* ἐξαλίζον. Pauſan. ἐρβησσός: Plin. *l.* 3. *c.* 9. habet *Herbeſſenſes*. Siciliæ Mediterraneum opp. Vide *Herbeſſus*.

ERBITA, vide HERBITA. Nunc *Nicoſia*, oppidul. Siciliæ in colle, in Valle Demonæ, prope Simethum fluv. & Heræos montes.

ERCHEMPERTUS, Monachus, Montiſcaſſini monaſterii deſtructionem, à Saracenis, & reparationem, deſcripſit. Poſſevin. *appar. ſacro.* An idem cum Eremperto vel Herembero, Hiſt. Longobardicæ auctore. Voſſ. *de Hiſt. Lat.*

ERCHENBALDUS, vel ERCHINOALDUS, fil. Gerbertæ, Richomere Patricio, & Gertrude Hamaticenſi, natæ: patrem fortè habuit *Egam* Majorem Domus. Ipſe Dagoberti Regis de genetrice ejus conſanguineus, & Chlodovei II. Magnus Magiſter palatii fuit. Defunctus A. C. 661. Indubitatus auctor Auguſtæ Auſtriacorum familiæ. Fil. enim ejus Leudeſius, ab Ebroino circa A. C. 680. cæſus, ex uxore Sigiſmundi Burgundiæ Regis conſanguinea, genuit Ethiconem ſeu Athicum, cognom. Adelricum Alſatiæ Ducem à Theodorico factum: qui quo pacto familiam propagaverit, vide apud Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Hiſt.*

ERCHEREUM, villa olim Regia, quò ad Theodoricum Francorum Regem Ebroinumque Majorem Domus, Martinus Auſtraſiorum Dux perjurio duorum Epp. ac Ebroini deceptus venit, ibique mox cum omnibus ſuis interfectus eſt. Vulgò *Acheri*: nunc vicus inter Ribodimontem & Faram, ad Iſaram. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ERCHIA, mancipium Atticæ tribûs. Suid. patria Xenophontis, de quo ſuo loco. Hujuſmodi municipia plurima in una Attica fuêre, nempe 170. Quidam quatuor addunt, Strab. teſte, Græci δήμους vocant, Latini *municipium*, *curia*, *vicus*, &c. interpretantur, quod ſemel dicere placuit, quia ſæpius horum in hoc opere fit mentio. Vide ſuprà *Demarchi*.

ERCHUÆI, pop. Eſdr. *c.* 4. *v.* 9. Lat. *longi*, aut *ſanantes*, ſive *maledictio combuſtionis*.

ERCINIA, vide *Hercynia*.

ERCISCUNDA bonorum diviſio, vide *Herctum*.

ERCIUS, Jupiter, ab *arcendo ſic dictus*, qui intra conſceptum cujuſque domus colebatur, quem etiam *Penetralem* vocabant.

ERCOMBERTUS, Rex Cantii, poſt patrem Edbaldum, quinquennio regni ſui, idolis deſtructis, Chriſtianam fidem ubique introduxit. Gul. Malmesbur. *l.* 1. Beda *l.* 2. Chenius *tom.* 1. *l.* 6. *hiſt. Angl. c.* 12. *p.* 203.

ERDFORDIA, priſcis ERPHESFURT, à quodam molitore *Erph*, & tranſitu, *furt* Germ. dicta, memorabilis, & magna Germaniæ urbs, Thuringiæ metropolis. Eam Gera fluv. illabitur, & mediam ferme præterfluit, cujus commoditate tota purgatur. Agrum optimum, & feraciſſimum habet, pecorumque paſcuis abundat. Academia etiam celebris exiſtit, quam Dagobertus, Francorum Rex fundavit. A. C. 1391. Bonifac. & Pius II. variis privilegiis ornarunt. Munſter. Joh. Matal. Metell. A paucis annis Electori Mogunt. paret. Vide *Erphordia*.

ERDINI, pop. fuére Hiberniæ, in parte Bor. ubi nunc Comitatus Cavonenſis & Fermanagenſis, in Ultonia; ubi etiam Erdinus lacus, *Loug-Erno*, ex regione feraci factus.

ERDONIA, ſeu ARDONEA, opp. aliàs Apuliæ Dauniæ, nunc vicus prov. Capitanatæ ad Cerbalum fluv. 10. mill. à Bovino in Ort. 8. ab Aſculo in Bor. 15. à Cidiniola in Occ. Vide *Herdonia*.

EREB, in tribu Juda. Hier. *de Loc. Hebr.*

EREBIDÆ, pars Lothophagorum, *Steph.*

EREBINTHUS, Bacchus ab *erebintho* ſic dictus, i. e. *cicere*. Nam Bacchus non modo vini, ſed & fructuum propè omnium inventor creditur.

EREBUS, inferorum fluv. & Deus. Pater Noctis ex Chao & Caligine progenitus, ut refert Hygin. *Fab. Poët. c.* 1. Cic. tamen de *Nat. Deor.* Noctem Erebi uxorem facit. Id quicquid eſt, Poëtæ frequenter *Erebum* pro ipſa inferorum ſede collocant. Sic Virg. Æn. *l.* 4. *v.* 26.

> *Pallentes umbras* Erebi *tranavimus amnem.*

Et proſerpina *Regina Erebi* Ovid. dicitur *Met. l.* 6. *v.* 543.

> *Ingemuit Regina* Erebi, *teſtemque profanum*
> *Fecit avem.*

Idem *l.* x. *v.* 76.

> *Eſſe Deos* Erebi *crudeles queſtus in altam*,

Idem *l.* 14. *v.* 404.

> *Et noctem, noctiſque Deus* Ereboque *Chaoque.*

Ac *Dux Erebi* Pluto eſt Claudian. de *Raptu Proſ. l.* 1. Inde adject. *Erebeus*. Ovid. *in Ibin. v.* 227.

> *Pectoraque unxerunt* Erebeæ *felle colubræ.*

Nic. Lloyd.

ERECCON, terminus Judæ Dan, juxta Joppen. Hier. *in Loc. Hebr.*

ERECHTHEIS, Tribus Athenienſis, ex XII. una, cui ab *Erechtheo*, qui Immaradum fil. Eumolpi bello Eleuſinio è medio ſuſtulit, nomen, vide in voce *Erechtheus*.

Δῆμοι ſeu Populi Tribus Erechtheidis.

Agraule vel Agryle.	Lampra inferior, ſeu Maritima.
Anagyrus.	Pambotadæ.
Euonymia ſeu Euonymus.	Pergaſe.
Cephiſia.	Phegus.
Lampra ſuperior.	Subridæ.

Themaci vel Themacus.

ERECHTHEUS gente Ægyptius, Rex Athenienſis ſextus, uxorem duxit Praxitheam Phraſimi, & Drogeniæ Cephiſi filiæ filiam, ex qua filios ſuſcepit Cecropem, Pandorum, & Metionem, filias vero quatuor Procrin, Creuſam, Chthoniam, Orithyiam, quæ, cùm virgines eſſent, mortem pro patria contempſiſſe dicuntur. Cic. *in Orat. pro Sextio*, Ariſtid. *in Panathenaico*, Lycurgus, Κατὰ Λεωκράτους, Hygin. *Fab.* 46. & 238. Regnavit An. 40. Pandionis ſucceſſor. Hujus filiam Orithyiam à Borea, fil. Aſtræi raptam eſſe An. 3. ante inſtituta ab Eumolpo Eleuſinia ſacra, memorat Euſeb. *in Chron.* Sub eo enim *Ceres* Athenas venit, & *fruges* plantavit: *Triptolemus* Cereris & Neæræ fil. ſeminavit in Rura dicta Eleuſine: *Proſerpinæ raptus* & *Cereris inveſtigatio* contigit: *Myſteria* in Eleuſine inſtituta, ac *Muſæ Poëſes* editæ ſunt, ex Marmore Arundell. apud Joh. Marsham *Canone Chron. Sec.* 10. uti & *de Eleuſiniis* erudite agit. Sub eodem quarta Ægyptiorum colonia in Græciam, poſt Cecropem Cadmum, & Danaum deducta eſt: Phœmonoë item prima vates apud Delphos oracula fudit; circa id tempus, quo Cuſan Meſopotamiæ Rex Iſraëlitis dominabatur, ab Athniele mox liberandis. Illum excepit Cecrops II. frater. Cœterùm unà cum filiabus in Deorum numerum relatus eſt; Pater quidem, quia paruiſſet Oraculo dicenti ſuperiorem fore bello contra Eumolpum, Thracum Regem ſi filiarum unam immolaret: filiæ autem, quia & illa, quam Parens ſacrificio, deſtinaverat, lubenti animo ſe ad hoc obtulit; & ſoror, imo univerſæ, ut alii ajunt, ſorores, ſeſe pro Patriæ ſalute interemiſſent. *Hyacinthidas* vocat Demoſthenes *Orat. fun.* quia in Hyacintho vico immolatæ, ut habet Suid. Eædem per excellentiam *Virgines* dictæ ſunt, eodem auctore. Unde & Cic. *pro Roſcio*: *Mortes etiam Virgines Athenis, Regis, opinor*, Erechthei *filiæ, pro Patria contempſiſſe dicuntur.* De ἀποθεώσει Patris & filiarum, ſic Idem de *Nat. Deor. l.* 3. *Ob eam ipſam cauſam* Erechtheus *Athenis filiæque ejus, in numero Deorum ſunt.* Sed & Buten fil. habuit; cui ſacra quoque eſſe facta, indicat Pauſan. *Attic.* Apud Serv. *Erechtheum* potiùs hunc quàm qui ante ipſum regnavit, Erichthonium, intellige, cùm *in Æn. l.* 7. ſcribit: *Virbius eſt Numen conjunctum Dianæ, ut Matri Deum Attis, Minervæ Erichthonius, Veneri Adonis.* Ger. Joh. Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 13. Hinc *Erechthei coloni* pro populis Athenienſibus. Manil. *l.* 1. *ex emendatione Tan. Fabri*,

> *Qualis* Erechtheos *olim populata colonos*
> *Extulit antiquas per funera peſtis Athenas.*

ERECHTHIA, vicus Atticæ in Ægeide tribu, ab *Erechtheo*, qui Cererem hoſpitio ſuſcepit. Iſocratis, Oratoris illius clariſſimi, patria.

ERECTI, ſtabant Vett. in Gymnaſiis, alibique, exercitationis causâ: idque multipliciter fiebat. Vel enim ante cibum, vel poſt cibum; vel pauco, vel multo tempore: vel in Sole, vel in umbra; hacque vel clausâ, vel apertâ: Porrò, vel uno pede, vel ambobus; & vel iis totis, & planis, vel extremitatibus eorum, calcibus, & ſummis digitis ſolùm nixi, ſtabant. De quibus omnibus, vide Hier. Mercurial. *de Arte Gymn. l.* 3. *c.* 3. & *l.* 5. *c.* 1. ut & infrà, ubi de *Standi* hoc ritu. Vide quoque ubi de Philoſophorum *Aſceſi*.

EREMBI, Arabiæ pop. Dionyſ. *de ſitu orbis*,

> Αὐτῶν ὀρεσχώων παρὰ φαίνεται ἔθνος Ἐρεμβῶν.

Sic autem dicuntur, non ἀπὸ τοῦ εἰς ἔραν βαίνειν, uti volunt Grammaticorum filii, ſed ab Hebræo ערב *ereb*, i. e. *Arabia* Strab. *l.* 1. Ἐρεμβοὺς, οὓς εἰκὸς λέγειν Τρωγλοδύτας Ἄραβας. Quanquam nec deſunt, qui Arabas ab Homero Ἐρεμβοὺς dici volunt, quaſi Ἐρεμνοὺς vel Ἐρεβεννοὺς, i. e. *nigros*. Non itaque de nihilo eſt, quòd ערבי *arabi*, *Arabs* ערב *ereb veſpera*, & עורב *oreb*, *corvus* ſint ab eadem radice. *Bochart.*

EREMITA Petrus, vide *Petrus*.

EREMITÆ, vide infrà *Laura*, it. ubi de *Monachis*, *Monaſteriis* & in voce *Nomus*. Hinc *Fratres Eremitoriorum*, dicebantur in Communione Rom. Religioſi Ordinis Fratrum Minorum, qui loca deſerta, & ſolitaria, *Eremitoria* nuncupata, ſub diſciplina Fr. Pauli incolebant. Sed nomen paulo pòſt defecit, inquit Waddingus *A. C.* 1375. *n.* 44. dum ab Eremitoriis ad occupanda etiam & reformanda majora Cœnobia tranſiêrunt, Car. du Freſne *Gloſſar.*

ad EREMITAS, vide *Eremus*.

EREMMON, vicus Judæorum prægrandis in 16. ab Eleutheropoli miliario, contra Merid. in Daroma, in tribu Simeonis. Hier. *in loc. Hebr.*

EREMPORTUS, vel *Rembertus*, ſub Lud. II. Imp. compoſuit hiſtoriam Longobardicam: cujus frequens apud Baronium mentio.

Simler. *Bibl.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 8. Popeiiniere, *de hiſt. l.* 8.

EREMUS, inſ. circa Lemnum, ubi philoctetis Ara cum æneo ſerpente. Steph. Item regio Æthiopiæ ad lacum Arthatam Ælian. *Hiſt. Anl. l.* 17. *c.* 40.

EREMUS Helvetiorum, in Germania tractus. Ptol. & Tac. *Kleckgow* à Tſchudo vocatur. Urſtiſius tractum ultra Rhenanum, Rauricis oppoſitum, ad lacum uſque Acronium Alpeſque. i. e. Hercyniæ ſylvæ caput, cum adjacentibus regionibus, ab Ptol. hoc nomine intellectum vult. Helvetii enim, inquit, Cæſare teſte, Rhodano lacuque Lemanno, Jura monte, Rhenoque olim continebantur: quæ cùm gens minimè obſcura eſſet, ideo nemoroſus & incultus ille Germanici ſoli ſecundùm Rhenum tractus, ad Helveticum limitem pertinens, eamque gentem proſpectans, *Helvetica Eremus* dictus eſt. Imperavit huic, ut & aliis terris, tempore Conſtantii & Juliani Impp. Vadomarius Alemannorum Rex. *Epitom. Hiſt. Baſil. c.* 18.

EREMUS, ſeu ad *Eremitas*, Germ. *Einſidlen*, Abbatia & Monaſt. celebre D. Virginis, in Helvetia, cum tit. Princip. cujus hiſtoria hæc eſt. Sub Carolo Mag. vel Ludovico Pio Imp. Berchtoldus Comes Sulgoviæ, ad Danubium, Meinradum fil. unicum, in Monaſterium Benedictin. Richenovienſe miſit, ut ibi monaſticæ vitæ vacaret: qui ſolitudinis amore fervens, inde mox in Helvetiam abiit, in Adulis ad lacum Tigurinum, *Etzel* vulgò, ſede ſibi electâ: exin penitius ſolitudinem ingreſſus, poſt Lacum, ad lævam Limagi ripam, locum tum ſenticetis triſtique umbrâ horridum, *tenebroſa Sylva* dictum, colere cœpit, caſulâ ibi extructâ, occiſus A. C. 863. Hinc cùm per Ann. 60. nullus loco incola eſſet, corruit caſa, donec Eberhardus Decanus Capituli Argentinenſis, A.C. 923. eodem ſe contulit, & eremiticam profeſſus, Mainradi domunculâ reparatâ, ſacellum quoque ibidem extruxit. Hunc Gregorius Angliæ Regis fil. excepit, ob Ottone Mag. affine ſuo Princeps & Abbas creatus, reditibuſque maximis auctus. Acceſſêrunt mox indulgentiæ & favor Pontificum, quibus Abbatum opes non parum crevêrunt. A quo tempore uſque ad Ludovicum Plaurerum, qui obiit A. C. 1544. nemo Barone minor ad Prælaturam loci, neque in Capitulum alii, quàm nobiles admiſſi ſunt. Stumpf. *Chron. Helvet. l.* 6. *c.* 21. His diuturnum cum Suitiis bellum fuit, ob limites ab Ottone retro laudato Suitiis, & fratribus Monaſterii conſtitutos: à quibus illi A. C. 1044. apud Henricum III. Imp. accuſati, confirmante licèt hoc Ottonis decretum, invitis Abbatibus, in poſſeſſione veteri permanſêrunt. Rurſus itaque A. C. 1144. à Rodolpho Abb. coram Conrado II. accuſati, & condemnati, cùm nihilominus parere recuſarent, bellum ortum eſt, quod tandem annitente Rodolpho Rapersuitæ Comite, in pacem deſiit, A. C. 1217. Sed poſt annos 50. novis litibus, belloque, quod Ann. 44. duravit denuò exorto, captum à Suitiis cœnobium eſt, A. C. 1313. Acceſſit nova diſſenſionum occaſio, quòd Suitii Ludovico Bavaro Imp. A. C. 1314. electo contra Fridericum Auſtrium adhærerent, unde hujus operâ accuſante ipſos Abbate, ab Ep. Conſtant. excommunicati, & à Curia Rotwilenſi proſcripti: ſed ab Ludovico Imp. exempti proſcriptioni, & Communioni Eccleſiæ reſtituti ſunt. Mox Leopoldus Auſtriacus contra Pagos incitatus, ſuo damno, cum illis rem geſſit, prælio victus A. C. 1315. initio fugæ ab Abbate Eremitano facto: tum prima fœderis Helvetii fundamenta jacta ſunt. Poſt hæc induciæ fuêrunt, quæ tandem pace terminatæ ſunt. A.C. 1350. ſub Abbate Henrico Brandiſio. Advocatia Cœnobii poſtmodum Suitiis conceſſa eſt, à Sigiſmundo Imp. A. C. 1433. incendio tantùm non penitus abſumpti, cum villa cognom. & Baſilica, A. C. 1509. Sub Abbate Conrado Rechbergio poſtmodum, cùm Diepholtus Geroltſeckius, Abbatiæ Advocatus, guſtatâ Evangelii dulcedine, Lutherum & Zuinglium magni faceret, inſidiis impetitus, hinc diſceſſit, &c. Idem *l.* 13. *c.* 2. Simler. *de Repub. Helvet.* Abbas hic Eremitanus, etiam Eſchenzi, in Turgea, dominus eſt. Idem.

ERENE, inſ. ante Taprobanam. *Ptol.*

ERENIA, Megarenſium vicus. *Pauſ.*

ERESII, pop. in Æolide. Plin. *l.* 5. *c.* 30.

ERESSA, Æolidis urbs. Mela. *l.* 1. *c.* 18.

ERESUS, vel ERESSUS, urbs in Leſbo, Theophraſti patria. *Steph.*

ERETRIA, Eubœæ urbs clariſſima. Mela. *l.* 1. Hom. *Il.* 2. Ab *Eretrio* Phaëtontis fil. dicta, quem ex Titanum numero fuiſſe tradunt. Steph. Eſt etiam Theſſaliæ urbs. Ptol. vulgò *Vatia.* Harum prior, ſc. *Eretria*, Eubœæ, patria Menedemi fuit, qui ſcholâ *Eretriæ* inſtitutâ effecit, ut Philoſophorum ſecta, quæ prius *Eliaca* vocabatur, (ab auctore Phædone Elienſi) poſtea *Eretriaca* diceretur. Scripſit de Philoſophis hiſce volumen olim Sphærus Boſphoranus, Zenonis Cittiei auditor, teſte Gerh. Joh. Voſſ. *de Sectis Philos. c.* 10. Vide ſuprà in voce *Elienſis.* Sed & *Eretria terra*, in medicaminibus nobilis, quæ optima τῇ χροίᾳ σποδίζει, *colorem cinereum exprimit*, ut ex Dioſcoride docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 257.

ERETUM, opp. Sabinorum non procul à Tyberi in colle ſitum. *Monte Rotondo* Volaterrano. Ejus meminit Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 711.

Ereti *manus omnis oliviferæque Mutuſcæ.*

Dictum hoc opp. ἀπὸ τῆς Ἥρας à *Junone*, quæ ibi culta, Serv. ſcribit. Et Solin. *c.* 8. *Heretum à Græcis, in honorem Heræ, ſic enim Græci Junonem vocant.* Strab. in Sabinis conſtituit: verba ejus Ἠρῆτον τῶν Σαβίνων κώμην. Nunc vicus parvus. Græci jam Ἔρητον vocant. Vicum hunc celebrem eſſe figlinis jam alii ſcripſêrunt; Inde *Eretinas mentes*, pro ſtupidis, quaſi argillaceas & cretaceas dictas Fulgentius obſervavit ex vetere ſcriptore, & ab illo Turneb. *l.* 10. *c.* 16. Verba antiqui ſcriptoris ſunt. *Adverruncaſſit Diva tam Eretinas hominum mentes.* *Nic. Lloyd.* Baudr. caſtrum, in dit. Pontif. 2. mill. à Tiberi, 12. à Roma in Bor. Palatium habet ſplendidum, cum tit. Ducatus Maphæi Barberini Principis Præneſtes.

EREVATIS, urbs Lyciæ. *Steph.*

EREUTHALION, vir quem Neſtor interfecit, cùm fortitudine corporis tum excelllentiâ armorum præcipuus in bello Pyliorum & Arcadum. Hom. *Iliad.*

Τοῖσι δ' Ἐρευθαλίων πρόμος ἵστατο ἰσόθεος φώς.

ERFORDIA, Vide ERDFORDIA & ERPHORDIA. Hîc Henricus Auceps, Synodo coactâ, dies Apoſtolorum celebrandos eſſe, ſanxit. A. C. 932. Aliâ Synodo Ep. Moguntinus, A. C. 1074. ibidem habitâ, cœlibatum urſit, ſed nullo ſucceſſu, imò ſuo damno. Joh. Naucl. *Gen. l.* 36. Stumpf. *l.* 2. *de Germ. c.* 23. Erfurtenſem ſeditionem compeſcuit Rodolphus I. Imp. A.C. 1289. Ibidem in Bibliotheca Monaſterii, cùm Lutherus in Huſſi ſcripta incideret, A. C. 1514. illa proba eſſe agnovit. Lutherus *in præf. ad opera Huſſi, &c.*

de ERFORDIA, Henricus, vide *Henricus*, it. *Johannes.*

ERGA, Ilergetum in Hiſp. opp. *Ptol.*

ERGANA, Gr. Ἐργάνη, cognom. Minervæ, apud Athenienſes, quia omne opificium Sapientiæ ſit inventum. Ei ſacra erant primitus Χάλκεια, i. e. *Æraria*, quæ etſi & ab opificum aliis celebrarentur, unde hoc feſtum Πάνδημον quoque vocarunt, quaſi *totius Populi*, præcipuè tamen id à *fabris* fiebat, quare à Phanodemo, ut auctor nobis Harpocration, Vulcani feſtum dicitur. Videlicet cùm omnium haberetur Opificum, Minervæ vocabatur, at, quia in opificibus Fabri ferrarii ferunt primas, ac præcipuè hoc ſibi feſtum vindicabant, ſolius haberi cœpit Vulcani, cui idcirco & Pollux tribuit. Vide Voſſ. *de Idol. l.* 2. *c.* 66. Aliàs Ἐργασία Græcis propriè *terræ cultura* eſt, quæ foſſione vel aratione peragitur, ſeparaturque ἀπὸ τῆς σκαφῆς, ἀπὸ τῆς ὑδρεύσεως & ἀπὸ τῆς θεραπείας, ut videre eſt apud Theophraſt. *de Cauſis l.* 3. *c.* 25. Et γῆν ἐργάζεσθαι, *terram fodère vel arare* eſt, unde ἐργάσιμος γῆ &c. uti pluribus docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 589.

ERGANE, fluv. cujus aqua inebriat homines, ac ſi vinum bibiſſent. *Athen.*

ERGANES, Rex Æthiopiæ; qui cùm in Meroe Jovis ſacerdotes adeò ſuperſtitione impleviſſent animos hominum, ut nonnunquam, miſſo nuncio, necem Regi demandarent, nullo detrectante aut mandatum juſſionemve abnegante, re auditâ & nuncio, ſacerdotes omnes occidit, & ſacerdotium ſuſtulit. Alex. ab Alex. *l.* 2. *c.* 8. Lege *Ergamenes* ex *Diod. Sic.*

ERGANICA, Hiſp. urbs. *Erganicum* hodiè. *Ptol.*

ERGASION, nomen Ruſtici. Ariſtoph. *Veſp.*

ERGASTERIA, vicus inſignis in Pergamum & Cyzicum quadringentis, & quadraginta ſtadiis à Pergamo diſtans, metallorum fodinis nobilis, à quibus & nomen accepit. Celebratur hic vicus à Galeno *l.* 9. *Simpl.*

ERGASTULUM, propriè locus, ubi ſervi, ſi quid commiſiſſent, vincti detinebantur, gravioris aliquo laboris genere exercendi: quemadmodum in Sophroniſteriis, domibuſque Diſciplinaribus, hodieque fieri aſſolet. Includebantur illi privatâ heri auctoritate. Proin malè vox à nonnullis cum Carcere confunditur, qui publicum erat reorum receptaculum, in quod Magiſtratûs auctoritate liberi homines conjecti necabantur. Vide Thom. Godwin. *Anthol. Rom. l.* 3. *ſ.* 3. *c.* 5. & ſuprà in voce *Carcer*, item infrà *Foſſores*, propriè enim ergaſtulum domicilium foſſorum erat. Præerat iis *Ergaſtulus*, ut appellat Nonius, ſeu *Ergaſtularius*, ut Columella. Vide Laur. Pignor. *Comm. de Servis.* Cujuſmodi *Ergaſtula Servorum & Liberorum tulit* Adrian. Cæſ. apud Spartian. h. c. ſuſtulit, eandem planè ob cauſam, ob quam ea repurgaverat olim Auguſtus. Nempe multi etiam liberi & ingenui homines ex occulto & inſidiis inter viam rapiebantur & in *ergaſtula* compingebantur à poſſeſſoribus, multi quoque ſponte, ad vitandam militiam, in ea ſe conjiciebant, ut legere eſt apud Suet. in *Aug.* & *Tib.* id quod Hadrian. penitùs ſuſtulit, ut ne unquam illi fraudi occaſio pateret. Sed de privatis hoc cape *Ergaſtulis*, in quæ ſervi à Dominis ſuis mittebantur. Publicorum enim paſſim, poſt Hadriani tempora, mentio etiam apud Jurecoſſ. apud quos abigeatores, incendiarios, plagiarios, alios, ad opus publicum aut in metallum damnari ſæpe reperias; opus autem publicum & metallum *Ergaſtuli* nomine deſignari, notum. Sed nec de privatis diu id poſt Hadrian. obtinuit: Meminêre enim iterum hujuſmodi *Ergaſtulorum* Lactant. *Inſt. l.* 5. Apulej. qui ſub Pio & Marco floruit, Cyprian. *Ep.* 82. Gratian. Valentinian. & Theodoſ. *l. ſuâ, in Cod. Theod. tit. de Tiron.* Alii. Porrò vox *Ergaſtuli*, non origine tantum, ſed etiam, formatione Græca eſt, quam juxta alias complures à Siculis Romani accepêre. Ut enim ab ἐρασὴς, ἐράσυλος κορύπτης, κορύπτυλος &c. ſic ab ἐργαστὴς ἐργάστυλος, diminut. formâ, *qui terram colit*, & in ejus cultu, quà arando, quà fodiendo, laborat. Hinc *Ergaſtulus*, vel *Ergaſtilus*, ut in antiqq. libris habetur apud Non. ex Lucilio, atque inde ἐργαστύλος τόπος adject. locus, in quo ejuſmodi ἐργάσται vincti ad opus faciendum detinebantur: quod poſteà in ſubſtantivum tranſiit: unde *Ergaſtulum* factum. Salmaſ. ad *Spartian.*

ERGASYLLUS, viri proprium *Tortellio.*

ERGATÆ, Gr. ἐργάται, i. e. *operarii*: quo nomine inprimis dici Epirotarum agmina, qui patriam quotannis relinquere & ulteriora ditionis Turcicæ adire, operis ſimul & quæſtus faciendi gratiâ conſuevêre, adnotat Joh. Caſaub. *ad Suet. in Veſp. c.* 2.

ERGATOSTATICA, pars Statices, de qua infrà ſuo loco.

ERGAVIA, Vaſconum in Hiſp. Tarracon. urbs. *Ygualada* Marineo Siculo. Opp. Cataloniæ, aliis *Anabis*, 12. leuc. à Barcinone Ilerdam verſus, Lacetanorum olim. Aliis eſt *Ergavica. Baudr.*

ERGAVICA, Hiſpan. Tarracon. opp. in tractu Vaſconum. Ptol. pop. *Ergavicenſes* Plin. *l.* 3. *c.* 3. *Alcanix* Moletio. *Santaver* Morali.

ERGE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ERGETIUM, Siciliæ urbs apud Steph. ex Philiſto, ut ait. Hujus oppidani *Ergetini* ſunt Plin. *l.* 3. *c.* 8. *Ergetinorum* urbem Siciliæ maritimam ab *Hippocrate* dolo expugnatam, ſcribit Polyæn. *l.* 5. an fortè *Hergentum* Silii? non eſt *Sergentum* Ptol. Silii. Ital. Bell. Princ. locus eſt *l.* 14. *v.* 251.

> *Hadranum*, Hergentumque *ſimul, telaque ſuperba*
> *Lanigera Melite.*

ERGIAS, Rhodius, Hiſtoricus, librum de Rhodo reliquit. Athen. *l.* 8.

ERGIMUL, Tartariæ pars, Septentrioni obverſa, Arab. *Giormok*, ubi maximos deſcribit faſianos Paulus Venetus, *caudas habentes longitudine octo aut decem palmarum*, *l.* 1. *c.* 62. Ibid. muſcus quoque, Vide Geographum Nub. *part.* 9. *Clim.* 3.

ERGINUS, Rex Orchomeni, quem Hercules ex Minyis Orchomeni urbe extractum interfecit, eòquod tributa quotannis à Thebis exigeret, ipſamque urbem incenſâ regiâ evertit. Item Thraciæ fluv. Plin. & Mela *l.* 2.

ERGINUS, unus ex quatuor fratribus Syris, militibus Acro corinthum tueri ab Antigono juſſis. Hic præcipuus fuit, qui arcem Antigono prodidit, Vide Polyæn. *l.* 6. *in Arato*.

ERGINNUS, cui, defuncto Tiphy, Argûs gubernandæ provinciam ab Argonautis demandatam vult *Herod.*

ERGITIA, Simlero ERGENTZ, vulgò EGREZ, fluv. agri Raurici, à quo pagum *Arragove*, in litt. Arnulphi Imp. memoratum nomen accepiſſe quidam volunt. Vide *Ærgitia*.

ERIBERTUS, vide *Heripertus*.

ERIBOEA, dicta eſt ab Hom. *Iliad.* 5. Juno, quaſi *buculæ moleſtiæ*, quòd Io in bovem verſam, multis affecit moleſtiis. Nam ἔρις *contentionem*, βοῦς *bovem* ſignificat. Item Macedoniæ urbs. Ptol. *Croja* Moletio, aliis *Presba*.

ERIBOTES, Thebonis fil. fuit, medicinæ peritiſſimus, ut qui Oilei vulnus à Stymphalidibus illatum ſanaverit. Teſtis Orpheus *in Argonauticis*.

ERICATES, viri cujuſdam Lycaonii nomen à Meſſapo Æneæ comite interfecti Virg. *Æn. l.* 10. *v.* 747.

> *Cædicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaſpem*
> *Meſſapus, Cloniumque Lycaoniumque* Ericaten.

ERICEA, vicus Athenis in tribu Ægeide *Steph.*

ERICHTHEUS. Vide *Erechtheus*.

ERICHTHO, mulier Theſſala, multitudine veneficiorum famoſa. Lucan. *l.* 6. Civil. Bell. *v.* 507.

> *Hos ſcelerum ritus, hæc diræ carmina gentis*
> *Effera damnarat nimiæ pietatis* Erichtho.

Quo nomine etiam uſus eſt Ovid. *in ep. Sapphûs*, pro Furiæ cujusdam infernalis nomine, his verbis Ep. 21. *v.* 151.

> ------ *Ut quam furialis* Erichtho
> *Impulit.* ------

Nic. Lloyd.

ERICHTONIUS, quartus Athenienſium Rex, poſt Amphictyonem ex ſemine Vulcani in terram projecto editus, unde & nomen habet ἀπὸ τῆς ἔριδος καὶ χθονὸς, *ex certamine*, atque *humo*. Nam cùm Vulcanus Diis arma feciſſet, eique Jupiter optionem præmii dediſſet, quod vellet poſtulandi, juraſſetque per infernam paludem ſe nihil negaturum; tum ille Minervæ nuptias poſtulavit; quas cùm Jupiter juramento aſtrictus ei negare non poſſet; Minervam tamen monuit, ut repugnaret, pudicitiamque defenderet. Tum in illa colluctatione Vulcanum in terram profudiſſe ajunt ſemen, atque inde editum eſſe puerum, draconem pedibus, nomine *Erichthonium*, qui cùm adoleviſſet, ut pedum deformitatem tegeret, primùs currûs uſum adinvenit. Serv. *in illud Georg. l.* 3. *v.* 113.

> *Primus* Erichthonius *currus, & quatuor auſus*
> *Jungere equos, rapidisque rotis inſiſtere victor.*

Propert *l.* 2. Eleg. 6. *v.* 4.

> *Tanta in qua populus luſit* Erichthonius:

Idem fuit argenti inventor, ſecùndùm Plin. *l.* 7. *c.* 56. & auctor ludorum Panathenaicor. Circa A. M. 2565. regnare cœpit, per Ann. 50. Vide Seldeni *Comment. in marmora Arundeliana. p.* 74. & 75. in quibus & *navis* πεντηκοντόρῳ *dicta ex Ægypto in Græciam transmiſiſſe, ac Danai filiæ Amymone ac Archedice & Helice & B.... ſorte lectæ a Cæteris filiabus Sacrificaſſe ſuper littus in Para.... ade, in Lindo, quæ Rhodi urbs* *eſt*, dicuntur, hoc Rege. Illi ſucceſſit Pandion I. quem vide. Addo ex iisdem, ejusdem Erichthonii tempore Hyagnida Phrygem *tibias* primum inveniſſe, uti videre eſt apud Joh. Marsham. *Canone Chron. Sec.* IX. ubi & de *Panathenæis*, quæ prius Ἀθήναια dicebantur ſub Rege autem hoc incrementum ſumpſêre uti & *de Matris Deûm ſacris* in quibus cecinit tibiâ Hyagnis, eruditè agit. Contigit hoc tempore *Exitus* Iſraëlitarum ex Ægypto ac Νομοθεσία Moſaica, de qua proin Idem *ibid.* pluribus. Nec omittendum, quod Rex hic, Ob quadrigarum inventum, inter ſidera relatus, *Heniochus* vel *Auriga* dictus eſt, teſte Cæſ. Germanico & Interprete: item Hygino *in Poetic. Aſtronom.* Ei in Imperio Pandion ſucceſſit; ad cujus tempora non pauci Vett. referunt, quæ de Cerere, Rharo, Celeo ac Triptolemo, narrantur. Quemadmodum *Erichthonio* coævus fuit Icarus, qui à Libero vini faciendi modum edoctus creditur: pater Erigones, quæ in cœleſte Virginis ſignum dicitur converſa, de qua ſuo loco. Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l.* 1. *c.* 13. Alius fuit Dardani fil. ex Candavia conjuge, ut quibuſdam placet. Patri ſucceſſit, A. M. 2605. per 65. Ann. Euſeb. *Chron.*

ERICIA, Gr. Ἐρίκεια, pop. Atticæ, ad tribum Ægeidem pertinens. Spon. ubi *ac* 147. *Atticæ Pop.*

ERICINIUM, Sardiniæ opp. Ptol. Macedoniæ urbs. Liv. *l.* 36. *c.* 17.

ERICIS, portus, *Lerice*, caſtrum eſt cum portu in ora Or. ſinus Spetiæ. in ora Orient. Genuenſi, 4. mill. ab arce S. Mariæ in Ort. 45. à portu Delphino.

ERICIUS, Vide ERINACEUS.

Succiæ Reges.

ERICUS, vel HENRICUS I. Succiæ Rex egregiis legibus regnum inſtruxit, auxit ditiones, colonias in inſulas, quæ nunc Daniam componunt, deduxit.

ERICUS II. populi copiam regno gravem videns, bella ſuſcepit, Rugiam vaſtavit.

ERICUS III. fil. Algothi, patri in Suecia, Dania & Norvegia ſucceſſit, bello felix.

ERICUS IV. cogn. Sapiens, circa. Nat. Chriſti ingenio & fortitudine inclytus.

ERICUS V. nepos Hinardi occiſi, ei ſucceſſit, avitæ cædis ultor, ſed & ipſe poſtmodum per inſidias ſublatus.

ERICUS VI. fil. Birgeri.

ERICUS VII. fil. Ingi. Ei natus.

ERICUS VIII. cognom. Victorioſus.

ERICUS IX. fil. prioris, à ſubditis occiſus, quòd ipſe baptizatus, illos quoque baptizari vellet.

ERICUS X. cognom. Sanctus, Finnis ſubjugatis, fidem Chriſtianam annunciari curavit. Ejus nepos

ERICUS XI. cui genitus eſt

ERICUS XII. cogn. Balbus, prudentiâ & pietate illuſtris: qui obiit A. C. 1250. Regni 28.

ERICUS XIII. etiam Rex Daniæ fuit. Vide ibi.

ERICUS XIV. fil. Guſtavi I. ex Catharina Saxonica, regnare incepit, A. C. 1560. Aſtrologiæ & Mathematum peritiſſimus, contra Polonos Danosque bellum geſſit, ſed ob ſævitiam, ſurrogato ei fratre Joh. Finlandiæ D. per quadriennium in vinculis detento, ipſe A. C. 1568. in eundem carcerem conjectus, ibi obiit. Olaus M. *hiſt. Goth.* Saxo *hiſt. Dan.* Chytræus, *Saxon. l.* 20. *&c.*

Daniæ Reges.

ERICUS I Daniæ Rex cum II. & III. non memorabilis.

ERICUS IV. in Cypro obiit, itinere in terram S. ſuſcepto. A. C. 1102.

ERICUS V. occiſus eſt, quadriennio poſt thronum conſcenſum, A. C. 1139. Hujus ex ſorore nepos

ERICUS VI. cogn. Agnus, decennio poſt regnum ab avunculo traditum, in Cœnobio obiit.

ERICUS VII. ab Abele fratre occiſus eſt, cadavere, in mare projecto, ſed hic paulo pòſt fratricidium morte luit. Utriuſque fratre Chriſtophoro ſucceſſore, cujus fil.

ERICUS VIII. Cleri hoſtis, ſubditis inviſus, 56. vulneribus, per ſeditionem, occiſus eſt, A. C. 1286, Ejus fil.

ERICUS IX. cognom Bonus regno ſuo plurimas ditiones adjecit, Obiit A. C. 1319.

ERICUS X. Dux Pomeraniæ An. Æt. 14. Succiæ, Daniæ Norvegiæque Rex creatus eſt, A. C. 1396. annitente amitâ Margareta, conſtituturnque, ut horum regnorum vinculum inſolubile eſſet. Regnare incepit; A. C. 1412. ſed ob crudelitatem ſuis ingratus, diuturnis ac difficilibus bellis, cum Sleſvicenſibus D. cum Hanſeaticis urb. & Succis rebellantibus, geſtis, pertæſus moleſtiarum, relictis regnis in Pomeraniam ſeceſſit, A. C. 1438. ubi etiam obiit A. C. 1459. Æt. 77. Iter in terram ſanctam ſuſceperat A. C. 1424. Auctor hiſt. Dan. ſic incipientis: *Dani, ut teſtantur veteres hiſtoriographi*, &c. Uſque ad A. C. 1288. Vide Joh. Galterii *Chron.* Saxon. Gramm. Ericum, Magnum, Crantzium, Pontanum *Hiſt. Dan.*

Principes ex Familia Brunſvicenſi.

ERICUS, cognom. *Senior*, fil. ſecundus Vilhelmi cognom. *Junioris*, Ducis Brunsvicenſis, Gœtingenſem & Calenbergiam lineam condidit, cùm frater ejus Henricus cognom. *Senior*, Guelferbytanam eſſet orſus. Palæſtinâ viſitatâ, in aula Maximiliani I. Imp. cui in bello Bavarico prælio adverſus Bohemos, vitam, aureâ ſtellâ inſignibus additâ ob id donatus, ſervaverat, vixit. Bello dein gravi, cum Hildeshemio Ep. Joh. Lauwenburgico implicitus, ab illo gravem accepit cladem: ſed proſcripto à Car. V. ob pacem publicam violatam Ep. majorem partem diœceſeos ejus ſubactam ſibi addixit: Quo pacto arces 18. præter alias Nobilibus feudo conceſſas, oppida 7. & ad 1000. pagi *Erico* & Henrico nepoti ejus acceſſêre. Obiit A. C. 1540. Pater *Erici Jun.*

ERICUS, cognom. *Junior*, fil. prioris, Patri ſucceſſit, ſub tutela matris Eliſabethæ Brandeburgicæ: à qua in religione Evangelica educatus, eam poſtea deſeruit: matre ad rei nuntium extinctâ. Bello Smalcaldico Cæſari militavit, & A. C. 1546. adverſus Bremenſes miſſus eſt, ſed nullo ſucceſſu. Bellum dein ei adverſus patruelem Henricum A. C. 1552. ortum, ſed ſequente anno compoſitum eſt. Ipſe Alberti Brandeburgici partes nihilominus tueri pergens ejus causâ ad Cæſarem ſuſcepit iter. Conſcriptis poſtmodum A. C. 1557. copiis in Belgium iturus, in itinere Chriſtophorum Archiep. Bremenſem coërcuit: inde adverſus Gallos Hiſpanorum miles: prœlio ad Quintini Fanum interfuit. Daniæ Rege A. C. 1563. ab eo ſibi oblatas contra Succos copias accipere recuſante, hic ſtipendia ſolvere impos, à Monaſterienſi Ep. inde Dantiſcanis pecuniam extorſit. Mox Boruſſiam invaſurus, à Sororio Brandeburgico, Alberto, prohibitus eſt: Unde exercitus dilapſus. Tandem, cùm biennio antea, cum agnatis, Hojenſibus Comi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

tibus ſucceſſiſſet, Papiæ vitam clauſit A. C. 1584. nullis ex Sidonia Saxonica & Dorothea Lotharingica, ob cujus in regnum prætenſiones Daniæ Regi terrori erat, relictis. Hæreditatem ejus crevit agnatus Julius. Vide Phil. Jac. Spener. *Sylloge Gen. Hiſt.*

ERICUS, aliis *Hericus*, *Liricus*, *Firicus*, vel *Henricus*, Monachus Antiſſiodorenſis, circa A. C. 880. ſub Carolo Craſſo ſcripſit S. Germani vitam, libb. 6. Sigebert. *de Vita ill. c.* 105. *&c.* Item Rex Angliæ. Item, Dux Forojul. à ſubditis occiſus A.C. 799. Item D. Saxoniæ, qui in Concil. Baſilienſi Sigiſmundum Imp. accuſavit, quòd Marchionem Miſniæ Electorem Imperii feciſſet, &c.

ERICUS Puteanus, Venloâ Geldrus, ſcriptis egregiis clarus. Valer. Andreæ, *Bibl. Belg.*

ERICUS Ruffus, primus ex Iſlandia colonos in Grœnlandiam adhuc deſertam deduxiſſe perhibetur, quem poſtea plures alii ſecuti. Vide Georg. Horn. *Orbe Imp. p.* 359. & in voce *Grœnlandia.*

ERICUSSA, una inſularum Æoliarum. Steph. *Alicur.* Leandro. Habet tantum aliquot tuguria. Inſ. eſt maris Tyrrh. verſus Siciliam, 20. mill. à Lipara, 7. à Phœnicuſa in Occ. 30. ab Uſtica in Ort. Baudr. Item Inſ. parva maris Jonii apud Paxas, Corcyræ proxima. Plin. *l.* 4. *c.* 12. Nunc *Pachſu*, ſeu *Paxa maj.* ad Auſtr. Corcyræ, 12. mill. ab ora littoral. Epiri in Occaſ. ſub Venetis, qui eam conceſſêrunt Pargenſibus Epirotis, ut ibi armenta paſcerent. *Baudr.*

ERIDANUS, Italiæ fluv. in Veſulo monte naſcens, & per agrum Gallicum in mare Adriaticum influens. Hodie notiore nomine *Padus* appellatur. Non longè à Venetiis diſtare innuit Propert. Sic enim ille, ad Cinthiam *l.* 1. Eleg. 12. *v.* 4.

Quantum Hypanis Veneto diſſidet Eridano.

Itemque Lucan. Civ. Bell. *l.* 4. *v.* 134.

Sic venetus ſtagnante Pado.

Idemque *l.* 6. *v.* 272.

Sic pleno Padus *ore tumens ſuper aggere tutas*
Excurrit ripas,

Idem Ibid. *v.* 278.

Accedunt, donante Pado *vix prœlia Cæſar*
Senſerat,

Idem *l.* 9. *v.* 751.

Ille vel in Tanain miſſus, Rhodanumque Padumque
Arderet,

Idem *l.* 10. *v.* 252.

Illuc duxit aquas, trahitur Gangeſque, Paduſque,

Idem Ibid. *v.* 278.

Ante tamen veſtros amnes Rhodanumque Padumque.

Fluviorum regem vocat Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 481.

Proluit inſano contorquens vortice ſylvas
Fluviorum Rex Eridanus.

Sidon. *Paneg. ad Avitum*,

---- *Tibi maxime fluctu*
Eridane. ----

Ita de eo Plin. *l.* 3. *c.* 16. *Nulli amnium claritate inferior.* Lucan. *l.* 2. Civ. Bell. *v.* 408.

Quoque magis nullum tellus ſe ſolvit in amnem
Eridanus, *fractaſque evolvit in æquora ſilvas.*

Καλλίρροον eum vocat Dionyſ. *v.* 289. Hoc fluvio merſum eſſe è curru Solari decidentem Poëtæ ferunt Phaëtontem. Ovid. *Met. l.* 2. *v.* 323.

Quem procul à patriâ diverſo maximus orbe
Excipit Eridanus.

Claudian. in Conſ. Prob. & Olyb. Carm. 1. *v.* 258.

Et Phaëthonteæ percuſſus damna ruinæ
Eridanus ---- ----

Vide *Phaëthon*, & *Padus.* Item *Eridanus* cœleſte ſignum Arieti proximum. Cic. *in Aratæis*:

Namque etiam Eridanum *cernes in parte locatum*
Cœli, funeſtum magnis cum viribus amnem,

Claudian. de Sexto Conſ. Honor. Carm. 28. *v.* 175.

Stelliger Eridanus *ſinuatis fluctibus errans*,
Clara Noti convexa rigat, gladioque tremendum
Gurgite ſydereo ſubterluit Oriona.

Nic. Lloydius.

ERIDANUS, vulgo *Rodoun*, amnis Poloniæ, in Pruſſia reg. ex lacu exoriens, 25. m. p. ſupra Dantiſcum. Ibi in Viſtulam fluv. cadit, dein paulo poſt cum ipſo in mare Balt. labitur. *Cluver.*

ERIGENA, vulgò dictus Joh. qui *Scotus* Ingulfo, ſub Carolo Calvo vixit. Imp. huic gratus: quòd Hibernus eſſet, appellatus ita *Eriugenam*, non *Erigenam*, in vett. Codd. dici, monet Sirmondus *ad Concilium Valentin.* III. *Irenſes* porro non ſemel vocat Hibernos Order. Vitalis *l.* 11. & 12. Galli *Irois*, Germani *Irren*; ſed & Hiberniam *Erin* nominant iidem Galli. Hibernos verò etiam *Scotorum* nomine innotuiſſe, dictum ſuo loco. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & in voce *Scottus.*

ERIGENUS, Johannes, vide *Johannes.*

EPIGONE, Icari filia. Ea morte patris auditâ, quam ruſtici ei intulerant, eò quod vinum dediſſet; quo hauſto graviſſimo ſomno oppreſſi fuêrunt, & datum ſibi venenum exiſtimarunt: manus ſibi intulit, ſeque ipſam ſuſpendit. Poſtea verò morbo peſtilenti Athenis graſſante oraculum accepêrunt, ut Icarum & Erigonem annuo honore venerarentur, atque ita in aſtrorum numerum cum patre relata eſt, & nomen Virginis retinuit. Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 33.

Quà locus Erigonen *inter Chelaſque ſequentes*
Panditur ----

Stat. *l.* XI. Theb. *v.* 644. & ſeqq.

---- *Qualis Marathonide ſilvâ*
Flebilis Erigone, *cæſi prope funera patris*,
Quæſtibus abſumptis triſtem jam ſolvere nodum
Cœperat, & fortes ramos moritura legebat.

A Baccho compreſſam fuiſſe in uvam mutato docet Ovid. *Met. l.* 6. *v.* 125.

Liber ut Erigonen *falsâ deceperit uvâ.*

Inde *Erigoneius* adject. Ovid. *Faſt. l.* 5. *v.* 723.

Nocte ſequente diem canis Erigoneius *exit.*

h. e. oritur Canis, ſydus cœleſte. *Nic. Lloyd.* Vide infrà in voce *Virgo.* Ejuſdem in honorem plerique Athenienſes feſtum, quod Αἰώρα dicebatur, inſtituiſſe cenſent: Alii tamen factum id honori alterius *Erigones*, Ægyſthi & Clytemneſtræ filiæ, contendunt, uti legere eſt apud Heſych. in Αἰώρα, ubi utramque opinionem adducit. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Idol. l.* 1. *c.* 13. Idem carminis nomen eſt, quod Tripho fecit; quo in poëmate *reſtis* frequens mentio, uti adnotat Jul. Cæſ. Scalig. *Poet. l.* 1. *c.* 50.

ERIGONUS, vel ERIGON Strab. Thraciæ fluv. *Viſtrizza* Sophiano. Oritur in Pœonia, ſupra Deborum, dein per Deſſaretios, Deuriopes, & Emathiam fluens, auctus Rhœdia aliiſque multis fluviol. infrà Ædeſſam in Axium cadit. Item Pictor inſignis. Plin. *l.* 35. *c.* 11.

ERIGYUS Mitylenenſis, è ducibus Alexandri, de quo plurima Diod. Arrian. Curt. *l.* 6. *c.* 4.

ERIMANTHUS, vide *Erymanthus.*

ERIMUM, urbs Oënotrorum in Mediterraneis. Steph. *Regina Gabr. Barthio.*

ERINACEUS, ſeu ECHINUS, Græcè χὴρ, unde Latinum *her.* Calpurnius,

---- ---- *ſpinoſi corporis herem*;

atque hinc *ericius* & *erinaceus*, abſque aſpiratione, item *er*, apud Plaut. in *Captivis*, Act. 1. ſc. 2. *v.* 81.

I modò venare leporem: nunc Cirim tenes.

Ubi *eri*, h. e. erinaceo, aſperum ſuum victum comparat ſenex, ſpinulento animali; mollem autem & delicatum lepori, cujus nihil mollius pilo. Ex *ericius* poſtmodum ῥίτζον fecêre recentiores Græci. De iis Plin. *Ipſum animal, non ut remur plerique vitæ hominum ſupervacuum eſt: ſi non ſint aculei, fruſtra vellerum mollitiâ in pecude mortalibus datâ. hac cute expoliuntur veſtes.* Nempe non quælibet, ſed è lana molliore factæ, *erinaceorum* cute, aut ſpinarum acervo, pectebantur: atque hæ *pexæ* propriæ, quæ nempe multo flocco opertæ ſunt, eoque pexo & polito arte fullonis &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 390. Vide quoque ſuprà *Armadillus*, ac infrà in voce *Her.* de monopolio verò *Erinaceorum*, quibus veſtes expoliebantur, Plin. præfatum *l.* 8. *c.* 37. Tralatitia vox de certo fortiſſimorum militum apud Helvetios ordine ſumitur, ut infrà videbimus in voce *Phalanx.* In ſcuto Dn. Ariole *Erinaceum* aureum in ſe collectum, aculeis undique ad defenſionem exertis, in campo rubeo, habes apud Car. Segoing. *Mercure Armorial. p.* 128. ubi Gallicè ſic exprimit, *de Gueules à un Henſton en deffence d'or.*

ERINÆI, Sarmatiæ Aſiaticæ gens. *Ptol.*

ERINDES, fluv. Aſiæ, circa Parthiam. Tacit. Ann. *l.* XI. *c.* 10.

ERINEOS, locus aſper fuit, ſub Ilii montibus, à caprificorum (quos Græci appellant ἐρινεοὺς) multitudine dictus. Meminit hujus loci Andromache apud Hom. *Iliad.* 6.

ERINESES, Indiæ fluv. cum Gange ſe conjungens. *Arrian.*

ERINEUS, urbs in Doride à caprifico dicta. Strab. Eſt & alia Italiæ, & alia Achajæ. Steph. Item Siciliæ parv. fluv. Thucyd. hodie *Noti*, & ejus oſtium *Miranda*, Facello, & Aretio dicitur. Baudr. *Miranda* in valle Neætina. In mare Jonium ſe exonerat, 12. mill. à Neato in Bor.

ERINIATES, Megaridis vicus. *Steph.*

ERINNA, Poëtria, floruit Olymp. 106. An. 4. ut eſt *in Chronicis* Euſebii: ſed perperam, Sapphûs enim fuit amica, uti conſtat ex Tatiano, & Suida, quam etiam ingenio ſuperaſſe, tradit *Euſ. Chron.*

ERINNYS, una Furiarum infernalium. Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 337.

---- *Quo triſtis* Erinnys,
Quo fremitus vocat ----

Ovid. *Met. l.* 1. *v.* 241.

---- *Qua terra patet fera regnat* Erinnys,

Helena *Trojæ, & patriæ communis Erinnys*, dicitur Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 573.

---- *Et patriæ communis* Erinnys.

Idem. *l.* 7. *v.* 447.

Tot Erinnys *ſibilat Hydris.*

Ibid. *v.* 570.

---- *Queis condita* Erinnys.

Itemque Cleopatra Lucan. *l.* 1. Civ. Bell. *v.* 572.

---- *Ingens urbem cingebat* Erinnys,

Idem Ibid. *v.* 687.

---- *Quo triſtis* Erinnys.
Tranſtulit Emathias acies.

Idem *l.* 6. *v.* 747.

Verberibuſque ſuis trepidam caſtigat Erinnyn,

Idem *l.* 8. *v.* 90.

---- *Me pronuba duxit* Erinnys,

Idem *l.* 10. *v.* 59.

Dedecus Ægypti, Latii feralis Erinnys.

Inde *Erinnyes* num. pl. Ovid. *in Ep.* XI. *Canace Macareo v.* 103.

Ferte faces in me, quas fertis Erinnyes *atræ.*

Propert. *l.* 2. Eleg. 20. *v.* 29.

Tunc me vel Tragicæ vexetis Erinnyes.

De quibus Græci Poëtæ paſſim, præſertim Tragici. *Nic. Lloyd.*

ERIOCH, Rex Elymæorum. Judith. *c.* 1. *v.* 6. lege *Arioch.*

ERIONIA, Regio circa Sardes, quæ & *Aſia.* *Steph.*

ERIPERE Campum, verbum Circenſe. Nempe ſicut de primo oſtio miſſis dicebatur, *Occupavit & vicit*; de ſecundo, *Succeſſit & vicit*: Ita de iis, qui tertio oſtio exibant & tamen victoriam conſequebantur, uſurpabatur, *Eripuit & vicit*, uti ex *Tabula* Agitatorum Circenſium diſcimus. Præmium ſiquidem *eripiendum* veluti erat primo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

primo,& ſecundo loco egreſſis, ſiquidem talis palmam conſequi vellet. Aut potiùs intelligendum, *Campum eripi*, Id namque diſertè expreſſit in Circenſibus Scipionis Sil. Italic. Punic. Bell. *l.* 16. *v.* 389. ubi omnia Artis hujus vocabula ſtudioſè poſuit:

> *Tene Aſtur certante feret quiſquam æquore palmam*
> *Erepto?*

Vide Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 904.

ERIPHRYSA, inſ. una ex Æoliis. *Ericuſa.* Strab. *l.* 6. *p.* 276.

ERIPHYLE, uxor Amphiarai, Adraſti ſoror, quæ accepto à Polynice aureo monili, maritum latentem, ne ad bellum Thebanum ubi ſe moriturum ſciebat, proficiſci cogeretur, Adraſto prodidit. Quam uxoris perfidiam ægrè ferens filio Alcmæoni in mandatis reliquit, ut accepto primo mortis ſuæ nuncio, matrem interficeret, quod & ille in patris ultionem adimplevit. Juv. *Sat.* 6. *l.* 11. *v.* 654.

> *Occurrent multæ tibi Belides, atque* Eriphylæ.

Virg. Æn. *l.* 6. *v.* 445.

> *His Phædram, Procrinque locis, mœſtamque* Eriphylen.

Cic. *contra Verrem: Eriphylam accepimus in fabulis eâ fuiſſe cupiditate, ut cum vidiſſet monile ex auro, ut opinor, & gemmis, pulchritudine ejus incenſa ſalutem viri prodiderit.* Idem *l.* 1. *de Juvent. Mulierum genus avarum eſt, nam Eriphyle auro viri vitam perdidit.* Prop. *l.* 3. Eleg. 13. *v.* 59. de Puellarum avaritia.

> *Tu quoque ut auratos gereres* Eriphyla *lacertos,*
> *Dilapſis nuſquam eſt Amphiaraus equis.*

Idem *l.* 2. Eleg. 16 ad Cynthiam *v.* 29.

> *Aſpice quid donis* Eriphyla *invenit amaris.*

Hinc *Eriphylæus* adject. Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 211.

> *Sic* Eriphylæos *aurum fatale penates*
> *Irrupit ſcelerumque ingentia ſemina movit.*

ERIPIA, venefica fuit, & faſcinatrix, quæ ſi quod animal aſpexiſſet, illi protinus aliquid mali accidebat. Eraſm. *in Chil.*

ERIPPIDAS, Lacedæmonius, ad componendam Heracleenſium ſeditionem à ſuis miſſus, populum ad concionem vocatum armatis circumdedit atque auctores quaſi quingentos ad unum trucidavit omnes. Diod. *l.* 14. in An. 2. Olymp. 95. Apud eundem *l.* 15. in An. 4. Olymp. 100. *Θρασυπίδαν ἀπεσφάλαν* perperam legitur pro [illegible]. Vide quoque Polyæn. *l.* 11. *Nic. Lloyd.*

ERIS, fluv. Strab. Æſis *l.* 5. *p.* 217. & 227.

ERISICHTHON, Theſſalus, qui Cererem ſpernens, & ejus lucum ſuccidens tam famelicus factus eſt, ut propria membra præ fame comedere coactus ſit. Ovid. *Met. l.* 8. *v.* 705.

> *Nec minus Autolyci conjux* Eriſichthana *nata*

Ibid. *v.* 746.

> *Mœrentes adeunt, pœnamque* Eriſichthonis *orant*

Ibid. *v.* 791.

> *Lenis adhuc ſomnus placidis* Eriſichthona *pennis*

Ibid. *v.* 807.

> *Sic Epulas omnes* Eriſichthonis *ora profani*

ERISTHENES, à matre Media interfectus eſt, quòd malè in bello pugnaſſet.

ERITHIA, opp. Mauritaniæ, à Phœnicibus conditum, de quo vide Salmaſ. ad *Solin. p.* 289. ut & in voce *Erythia.*

ERITHINI, ſive ERITHYNI ſcopuli Pont. Eux. apud oram Bithyniæ, *Farnaſu* Burdonio. Horum meminit Arrian. *in Periplo;* Apollonius etiam poſt Seſamum (quæ Plin. *l.* 6. *c.* 2. ac aliis eadem quæ Amaſtris) ſubjungit *αἰπεινὰς Ἐρυθίνους*, quos Hom. itidem [illegible] vocat *in Catalogo.* Ptol. in ſitu Ponti, & Bithyniæ, Thyniada, & Erithynos ſcopulos dicit adjacere regioni Cyaneorum. Steph. dicit urbem eſſe Paphlagoniæ ſic à *rubedine* dictam.

ERIXO, Eques Romanus, quia filium ſuum flagellis occiderat, à populo in foro graphiis eſt confoſſus. Senec. *l.* 1. *de Clement. c.* 14.

ERIZELI, Phrygiæ gens. *Ptol.*

ERMÆA, mel. HERMÆA, inſ. prope Sardiniam. Ptol. Etiam *Mercurii* inſ. dicitur, nunc *la Tavolara*; in ora Or. ubi incipit Borealis, prope prom. Columbarium. Satis eſt fertilis, ſed incolis caret, propter frequentes piratarum excurſiones. *Baudr.*

ERMANARICUS, Oſtrogothorum Rex ex vulnere mortem obiit, A. U. C. 1127. *Jornandes.*

ERMANRICUS, vel ERMENOLDUS, Abbas, ſcripſit vitam S. Soli, Abbatis Angli. Caniſ. *antiqq. lect. tom.* 4. An idem cum Ermoldo auctore Panegyrici Ludov. Pii? Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 4.

ERMANTIA, & Maria, Stiliconis filiæ, ambæ ab Honorio ductæ quidem, ſed ante conſummationem conjugii extinctæ. A. C. 398. P. Oroſ. *l.* 7. *c.* 24. &c.

ERMERICUS, vel IRMARICUS, Cantii Regis fil. Eſci, frater Othi, huic ſucceſſit A. C. 532. uſque ad A. C. 561. Beda *l.* 1. Chenius *l.* 6. Item, Suevorum in Hiſp. Rex qui obiit A. C. 440. poſt regnum A. C. 32. Clinicus ſeptennis. Idac. *in Chron.*

ERMERICUS, Dux Svevorum, cujus auſpiciis Hiſpaniam invaſêrunt. A. C. 408. ibique Annos 176. regnarunt. Vide infrà.

ERMINSTRAET, ſeu ERMINGSTREET, una è IV. Angliæ viis militaribus celebrioribus, quam eæ interſecant ac percurrunt, olim à Romanis extructæ: dicta quaſi *via Mercurii*, quem ſub nomine *Irminſull* Germani vett. coluêre. Mercurium autem Græcis Ἐνόδιον dictum, quòd viis crederetur præeſſe, notum. Reliquæ viæ erant, *Watlingſtreat* ſeu *Werlamſtreat*, quòd per Verolamium duxerit, *Ikenildſtreat*, quòd ab Icenis initium habuerit, & *Foſſe*, quòd foſſâ, ut putant, utrinque fuerit munita: dicunturque omnes, *Cheminii Regales*, in *LL.* Edv. Confeſſ. *c.* 12. & 13. *quorum duo*, inquiunt *in longitudinem Regni, alii duo in latitudinem diſtenduntur.* Et *pacem Regis* habere dicuntur, ita ut, qui delicta in iis committunt, Regis judicio nudè ſubjaceant &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & Galfridum Monumethenſem *l.* 1. *c.* 18.

ERMIONE, (lege *Hermione*) urbs ad Argolicum ſinum. Ptol. *Caſtri* *Sophiano.*

ERMON, h. e. *fons*, opp. erat in tribu Manaſſe, in octavo lapide Scythopoleos ad Merid. non longè à Jordane contra Salim, ubi baptizabat Joh. quòd ibi aquæ multæ eſſent.

ERMULUS, apud Aldhelmium Abb. Malmesbur. *Et ubi pridem ejuſdem infandæ natrices*, ermuli, *cervulique crudâ fanis celebantur ſuperſtitione in profanis, verſa vice diſcipulorum gurguſtia, imo almæ oraminum ædes, architecti ingenio fabre condantur*: [illegible], ex Auguſtino *Serm.* 215 ſimile turpitudinis genus, cum cervula, de qua *ſuo loco.*

ERNAGINUM, vulgò ERAGNAC, locus Galliæ, inter Cabellionem Cavarum & Taraſconem Salyorum. *Utriculariorum corporatorum Ernaginenſium* mentio fit in marmore Arelatenſi. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

Viri Principes. Ex Familia Auſtriaca.

ERNESTUS, cognom. *Ferreus*, ob eximium robur, Princeps Styriæ, fil. ſecundo-genitus Leopoldi Probi, frater quoque Leopoldi cognom. *Craſſi* vel *Superbi*, Archiducis Auſtriæ, Styriæ lineæ conditor fuit: ſicut frater ejus major natu Fridericus cognom. *Senior*, Tirolenſem incepit. Reliquis fratribus de tutela Alberti V. altercantibus, ſolus quietus manſit. Ex Cimburgi Mazovia, fœmina robuſtiſſima, pater Friderici III. Imp. electi A. C. 1440. & Alberti, cognom. *Militis*, vel *Prodigi*, fundatoris Academiæ Friburgenſis

ERNESTUS, fil. Maximiliani II. Imp. frater Rudolphi II. & Matthiæ Impp. moderati ac placidi ingenii Princeps, bis Polonis commendatus, nunquam tamen ut Rex eligeretur, impetrare potuit. Sic & opinio Gallici regni, cum quo nuptiæ Infantis proponebantur, fefellit. Croatiam verò, & Carinthiam rexit, demum Belgio Hiſpani nomine præpoſitus A. C. 1594. qui exitialis ipſi, & Hiſpano maximè luctuoſus fuit. Erepti namque Friſii, detractæ Galliæ, arma improſpera, inſidiæ pacis infames, hoſtium res inclytæ ac florentes, apud ipſos inopes, & turbidæ: eum in vitæ tædium aut mortis neceſſitatem egêre. Gravitas illi morum erat: Belgæ faſtum interpretabantur. Cæterùm rebus haud ſuperior, conſiliis, & mandatis facilè regebatur. Ipſum quanto ab initio expectatior, tanto præſentem major contemptus excepit, ubi otium, Veneris morbi ipſius innotuêre: ita ut famoſis quoque carminibus laceraretur. Oneravit ejus inſuper famam apud Belgas, quòd urbibus quibuſdam Hiſpanorum ingerere præſidia voluit. Poſt pacem obiter tentatam, & concilium Bruxellæ advocatum ſub initium A. C. 1595. lentâ febre attritus, & ſanguinante morbo defecit paulo pòſt. Leti cauſam introſpectores ſecti poſt mortem corporis prodidêre calculum, & in renibus vermem, etiam tum viventem, qui proxima arroſerat. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 122. & Hug. Grot. *Hiſt. Belg. l.* 4.

Ex Fam. Oldenburgo-Danica.

ERNESTUS, fil. Joh. cognom. *Junioris*, Holſatiæ D. Ceſaris adversùs Turcam miles, prælio ad Agriam A. C. 1596. cum parte exercitus, quæ plenam victoriam jam animo præceperat, ad prædas diſcurrente, ſed à Cicada Baſſa, qui palantibus ſuperveniens magnam edidit ſtragem, oppreſſa, cecidit. Comes ei fortunæ frater quoque fuit Auguſtus: quorum ex fratre Alexandro nepos *Erneſtus* Guntherus, Canonicus fuit Bremenſis, & locum tenens prætoriæ cohortis Chriſtiani V. Daniæ Regis Pater ex patrueli Auguſta plurium liberorum.

Ex Fam. Palatino-Bavarica.

ERNESTUS, fil. Alberti, ex vett. Auſtriacæ Marchionum proſapia, ſtrenuus Henrici IV. Imp. adverſus Hungaros miles fuit: Pater Luitpoldi I. cognom. *Pulchri.* Idem nomen patruo ejus fuit, Sueviæ Duci, cui duo filii in hac dignitate ſucceſſêre. Item fil. Alberti cognom. *Sapientis*, Bavariæ Ducis, ex linea Monachenſi, frater Vilhelmi natu majoris, qui Patri ſucceſſit. Aventini diſcipulus, ſtudiis ſedulam navavit operam, unde inprimis metallicarum rerum peritiam ſibi comparavit ſingularem: Multas quoque peregrinationes ignotus obivit. Electus Archiep. Salisburgenſis & Ep. Paſſavienſis, Eccleſias illas æris alieni ope liberavit, & ſine ſubditorum incommodo opibus auxit. Cùm verò ordines majores ſuſcipere nollet, Epiſcopatum Canonicis reſignavit A. C. 1554. in Comit. Glacenſem in Bohemia ſuo ære emptum conceſſit, & reliquum ibi vitæ tempus exegit. Obiit A. C. 1560. Mæcenas eruditorum.

ERNESTUS, fil. ultimus Alberti V. Bavariæ Ducis, Ep. fuit Friſingenſis A. C. 1565. & Hildeshemius A. C. 1573. Cùm autem Ep. Leodienſi mortuo A. C. 1580. Ordines Belgici eò promotum cuperent Matthiam Auſtriacum: Hiſpaniæ Regis, & Cæſaris favore, *Erneſtus* electus eſt. Demum, Gebhardo Truckſeſſio Archiep. Colonienſi, ob religionem, exauctorato, etiam illam dignitatem eſt nactus, tanquam Princeps opibus, & affinitate præpotens, utraque inſuper paternâ, ac maternâ ſtirpe illuſtris: quo factum, ut Gebhardo, & ſuis, & Palatini Joh. Caſimiri viribus, fruſtra obnitente, Electoratum obtineret. Obiit A. C. 1612. A quo tempore Archiepiſcopatus Colonienſis in Bavarica familia hæſit. Erneſto enim ſucceſſit, ejus ex fratre Vilhelmo nepos Ferdinandus: quem excepit Maximilianus Henricus, fil. Alberti, (qui Ferdinando frater erat,) hodiè imperans.

Ex Famlia Saxonica.

ERNESTUS, Elector Saxoniæ, à quo *lineæ Erneſtinæ*, ſicut à fratre ejus Alberto *Albertinæ*, quæ hodiè Electoralis eſt, origo. Fil. Friderici I. Placidi nepos Friderici II. Bellicoſi, ſub quo Ducatus Sax. Electoratu auctus rediit ad Witikindeos, cùm hactenus in variis familiis hæſiſſet: Princeps fuit prudentiâ, & compoſitis inter tres Reges Caſimirum Poloniæ, Uladiſlaum Bohemiæ, ac Matthiam Hungariæ rebus inclytus. Moriens ſola Servatoris ſui opera ſibi ſufficere eſt teſtatus. Ejus fil. Fridericus III. Sapiens,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Wittebergenſem arcem condidit, Academiam ibi A.C. 1501. erexit, Luthero favit, Imperium ſibi oblatum recuſavit, Obiit cœlebs, ſub tumultus ruſtici initia. Ei ſucceſſit frater Joh. cognom. Conſtans, ſeu Bonus, qui in adoleſcentia in Hungaria Maximiliano militans, A.C. 1490. primus Albæ Græcæ mœnia conſcenderat. Fratris ſucceſſor, viſitatione Eccleſiaſticâ inſtitutâ, Eccleſiis Miniſtros præfecit, & Wittebergæ 20. Dom. Trin. vernaculâ linguâ primum curavit Miſſam, ut vocant, celebrari; hinc nunquam ei à Cæſare collata ſunt Principatus inſignia. Ejus dein auſpiciis ruſtici rebelles cæſi: Epp. A.C. 1528 coerciti ſunt: quo ipſo adverſus decretum Spirenſe cum aliis proteſtatus eſt. In comitiis Auguſtanis A.C. 1530. Cæſari Confeſſionem obtulit, deceſſit A.C. 1532. Pater Joh. Frider. Electoris, & Joh. Erneſti: quorum illo Bello Smalcaldico ab Imp. victo captoque, Electoratus in Albertinam lineam tranſlatus, & Mauritius agnatus dignitate hac inſignitus eſt. Auctor fuit Joh. Frid. linearum Gothanæ & Vinarienſis, de quibus ſuo loco. Vide de his omnibus accuratè diſſerentem Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Hiſt.*

Joh. ERNESTUS, fil. minor natu Joh. Elect. *Erneſto* priore geniti, è fratris Joh. Friderici Elect. tutela egreſſus, commune regimen cum eo aliquandiu geſſit, partem dein Franconicam A.C. 1542 nactus, Coburgi habitavit. Bello Smalcaldico Cæſari, ut fratris vitæ conſuleretur, Wittebergam tradidit. Item fil. Joh. Friderici modò memorati, qui ante Patrem deceſſit.

Joh. ERNESTUS, fil. natu minor Joh. Friderici II. cum fratre Joh. Caſimiro in gratiam, quâ ob turbas à Patre datas exciderant, Comitiis Spirenſibus receptus A.C. 1579. Marcſulæ primùm, dein Iſenaci ſedem habuit, ubi manſit etiam cùm Fratri ſuccederet. Cæterùm ſimplicioris ingenii Princeps, Electori Saxoniæ gratiſſimus extitit: Extinctus ſine prole A.C. 1638.

Joh. ERNESTUS, fil. Joh. Saxoniæ Ducis è linea Vinarienſi; literis, & armis egregiè ornatus, magnique animi Princeps, ſuo fratrumque nomine regimen ſuſcepit A.C. 1615. Militarem operam Friderico Palatino Bohemiæ Regi Pragæ A.C. 1620. Batavis (à quibus Confeſſ. Aug. liberum exercitium Amſtelodami impetravit) Hagæ A.C. 1621. inde Danis A.C. 1625. adverſus Cæſarem addixit, ſumpto legato Fuchſio. Sequente Anno Oſnabrugam, Furſtenauiam, Widenburgam cepit. Mox facta cum Mansfeldio per Marchiam irruptione, multa in Sileſia occupavit. Tum in Hungaria Bethlenio junctus, ſed brevi ab eo diſcors, Martini Fani in Hungaria obiit, proſcriptionem morte ſuâ antevertens. Ex ejus fratribus, quos complures habebat; Bernhardus Briſaci victor, celeberrimus noſtri ævi Ducum evaſit: Vilhelmus, & *Erneſtus*, genus propagavêre; ille Vinarienſis lineæ continuator, hic novæ Gothanæ conditor. Vilhelmi fil. *Joh. Erneſtus* Vinariæ habitat.

ERNESTUS præfatus, fil. Joh. ſemel fratre Joh. Erneſto abſente, adminiſtravit ditiones, A.C. 1621. Inde ipſe quoque Suecicæ militiæ interfuit: Poſtquam vero Marti valedixit, ditiones ſuas mediis etiam in belli flammis, & poſt eas reſtinctas, huic uni incumbens curæ, prudenter, feliciter atque non ſine multo earum profectu, diu rexit. Permiſſione impetratâ, arcem Gothanam, nomine *Grimmenſteia* in *Friedenſtein* commutato, reſtauravit, & unà cum urbe munivit. Pater ex Eliſabetha Sophia agnata *Joh. Erneſti*; qui obiit ante Patrem A.C. 1657. Friderici, Alberti, Bernhardi, Henrici, Chriſtiani, *Erneſti*, & alterius *Joh. Erneſti*. Elogium ejus non nemo hoc carmine cecinit:

Euſebie, Pietas, Virtus, tria Numina, nomen
Dicite quod veſtris par queat eſſe tholis.
Dicitis, Erneſtus: *Sic verè dicitis, unum hoc*
Laudum veſtrarum nomina nomen habet.

Nec omittendus ex eadem Saxoniæ Principum familia, *Erneſtus*, fil. *Erneſti* El. de quo ſuprà: Archiep. Magdeburgenſis electus A.C. 1476. Adminiſtrator dein Halberſtadienſis factus, fratrum Friderici III. El. & Joh. qui fratri in dignitate hac poſtea ſucceſſit, in condenda Wittebergenſi Academia adjutor fuit. Moriens ſibi *ſola Servatoris opera ſufficere* teſtatus eſt.

Ex Fam. Zollerio-Brandeburgica.

ERNESTUS, fil. Joh. Georgii Ducis Jegerndorfii ſeu Carnovii, A.C. 1624. extincti in Wirtenbergica aula aliquandiu vixit, tum Produx Berolini fuit. Obiit improlis A.C. 1624. lineamque, cujus Pater conditor erat, terminavit.

Chriſtianus ERNESTUS, fil. Erdmanni Auguſti, ante Patrem Chriſtianum, Culmbacenſis vel Beruthinæ lineæ conditorem A.C. 1651. extincti, natus eſt A.C. 1644. In aula dein Berolinenſi aliquandiu verſatus, inde A.C. 1657. Argentinenſem Academiam inviſit: Galliâ dein, Italiâ, & Belgio luſtrato ad El. Brandenburgicum rediit Domum redux adminiſtrationem provinciæ ſuſcepit ipſe, & Comitia Ratiſponenſia viſitavit A.C. 1664. pòſt Imperialis exercitus pars ingens.

Ex Fam. Brunſvicenſi.

ERNESTUS, fil. Philippi Ducis Brunſvicenſis, lineæ Grubenhagiæ pius, conſtans ac fortis Princeps, ac ſummus Philippi Haſſiæ Landgravii amicus A.C. 1545. Henricum Brunſvicenſem agnatum ſuum, civitatem Brunſvicenſem vexantem, ut ſe dederet coëgit. Inde in bello Smalcaldico, quo frater ejus Albertus occiſus eſt, dextrum exercitus cornu duxit, A.C. 1546. ſed ſeq. Anno cum Joh. Friderico Saxoniæ El. ad Mulbergam captus, hujus ſolatio eguit. Dimiſſus brevi, poſtea Carolo V. adverſus Gallos meruit, & prælio Sanquintiniano, ubi fratrem alterum Joh. amiſit, interfuit A.C. 1557. Deceſſit A.C. 1567. filiâ tantùm Eliſabethâ, uxore Joh. Holſatiæ D. relicta. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 41. Ex ejus progenitoribus *Erneſtus* quoque fuit, fil. Henrici cognom. *Mirabilis*, qui lineam condidit: quemadmodum in fratribus Erneſti præfati Wolphgango A.C. 1595. & Philippo A.C. 1596. extinctis, eadem terminata eſt.

ERNESTUS, fil. ſecundo genitus Alberti cognom. *Pinguis*, Ducis Brunſvicenſis, Gœtingenſem ſeu *an der Lein*. Principatum, in diviſione paternæ hæreditatis nactus: eum ad fil. Ottonem cognom. *Armipotentem* vel *Malum*, & nepotem Ottonem cognom. *Coclitem*, in quo ramus defecit, hæreditate ſimul ad Cellenſes, & Wolfenbutelanos Principes delatâ, tranſmiſit.

ERNESTUS, fil. Henrici cognom. *Junioris*, ſeu *Medii*, Ducis Lunæburgici, cum Franciſco fratre, & aliis Principibus Auguſtanæ Confeſſioni ſubſcripſit, ac Cæſari obtulit; ſicque Smalcaldico Fœderi acceſſit: quæ cauſſa, quod Inveſtitura illi à Cæſare aliquandiu fuit negata. Poſtea ob imperium urbis Brunſvici cum agnato Henrico illis fuit, ſcriptis acta. Deceſſit Princeps pientiſſimus A.C. 1546. relictis ex Sophia Megapolitana Franciſco Ottone ſucceſſore; Friderico, cui prædium ſuit hubanum feudale: Henrico lineæ Dannenbergicæ, nunc Wolffenbutelanæ, & Vilhelmo Cellenſis, conditoribus: quorum ille Julium *Erneſtum* inter alios genuit, qui poſt patrem Dannebergæ habitans, obiit A.C. 1636. fratribus minoribus Franciſco, & Auguſto ſucceſſione relictâ.

ERNESTUS, primogenitus fil. Vilhelmi præfati, Patri A.C. 1592. extincto, in Ducatu Cellenſi ſucceſſit, obiit A.C. 1611. relicto ſucceſſore fratre Chriſtiano, cognom. *Seniore*. Ejus ex fratre alio Georgio nepos, *Erneſtus* Auguſtus, Ep. Oſnabrugenſis ex Sophia Palatina, egregiæ prolis parens eſt.

Ex Familia Badenſi.

ERNESTUS, fil. Chriſtophori, Marchionis Badenſis, ex Otilia Catimelibocenſi, caput fuit lineæ Durlacenſis, ſicut Badenſem major natu frater ejus Bernardus inchoavit. Tenuit itaque, cum Hochbergenſi Marchionatu ac Rœtelana ditione, inferiorem Principatum, in quo Durlacum, unde lineæ nomen Evangelicæ Religionis cultor, tranſegiſſe dicitur A.C. 1537. cum nepotum ex Fratre tutoribus, ut ſi ob alterius æs alienum non ſolutum alteri moleſtia crearetur, hic illius Præfecturas aliquot occupare, & tantiſper retinere poſſet, donec ſatisfaceret. Eo nati, ex Eliſabetha Brandeburgica, Bernardus A.C. 1553. Albertus, cùm ex bello Turcico rediret, A.C. 1542. mortui, & ſtemmatis propagator Carolus: de quo vide ſuprà.

ERNESTUS Fridericus, fil. natu maximus Caroli prædicti, ex Anna Palatina, cum Hochbergia Rœteliam accepit, ſed fratris dein filio *Erneſto* Jacobo, cujus pridem tutor Evangelicam religionem (à patre hujus Jacobo abolitam) fac[illegible] juſſis Romanis, reſtituerat, ſucceſſit. Pro Joh. Georgio Brandeb. Ep. Argentinenſi in caſtra venit, A.C. 1592. ex quo, ob vaſtatas ditiones Hanoicas, [illegible] tentata eſt. Edoardi agnati ditiones, ob debita, occupavit. Ad Reformatos dein animo applicito, obiit, A.C. 1604. nullâ ex Anna Oſtfriſia prole ſuſceptâ. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 99. 104. & 109. Ei ſucceſſit frater Georgius Fridericus.

Ex Familia Haſſiaca.

ERNESTUS, ex filiis Mauritii Haſſiæ Landgravii, è ſecunda conjuge Juliana Naſſovia, cùm pro matre arma gereret, à Lambojo prope Geiſecum captus eſt A.C. 1648. Dein, cùm prius A.C. 1651. in arce ſua Reinfelſa, cum Valeriano M. excito Gieſſâ Haberkornio, & Menzero, inſtitui colloquium curaſſet, paulo poſt Coloniæ, cum uxore Eleonora Maria Solmenſi, religionem Pontificiam amplexus, ſcriptis illam defendit: quibus reſponſum oppoſuit Drelincurtius, inſignis Theologus Gallus, Eccleſiæ Reform. Pariſienſis, quæ Carentone colligitur, Paſtor.

Ex Familia Aſcania.

ERNESTUS, nepos Alberti VI Marchionis Saliſquellenſis, ex filia: fil. Sigiſmundi Aſcanii, ad filios Ottonem VI. Henricum, Erneſtum, (quos Waldpanos Comites nominant) Richardum, & Eſicum, ſucceſſionem tranſmiſit. E quibus Eſici fil. Otto M. ſeu *Dives*, filium comprimis celebrem habuit Albertum cognom. *Urſum* ſeu *Pulchrum*, novum quaſi gentis conditorem; de quo vide ſuprà.

ERNESTUS, fil. Georgii, Principis Anhaltini extincti A.C. 1474. frater Waldemari, majoris natu, cujus fil. Wolphgangus [illegible] conceſſit fatis A.C. 1566. ex Margareta Monſterbergia ſuſcepit Joh. Georgium, & Joachimum: quorum ille Deſſaviam tenuit, iſti Hatzkerodana ditio obtigit, ille Serveſtam nactus, inter alios Joachimum *Erneſtum* genuit, qui unus poſt plura ſecula totius Principatus fuit poſſeſſor. Vide in voce *Joachimus*.

JOH. ERNESTUS, ex filiis præfati Joachimi Erneſti, bellis Gallicis, Belgicis, & Hungaricis clarus, obiit A.C. 1601. cœlebs. Phil. Jac. Spener. *Sylloge Gen.*

Comites illuſtres.

JOH. ERNESTUS, Com. Naſſovius, fil. maximus natu Joh. ex Magdalena Com. Waldeccia, natus A.C. 1582. bellis Belgicis inclaruit, frater Joh. Mauritii, Americanâ expeditione celebris. Cyr. Lentulus *Geneal. Princip. & Comitum Naſſov. MS.*

ERNESTUS, Com. Schawenburgicus, (è cujus Majoribus Gerhardus Holſatus D. Sleſvici, per Hedvigem filiam, generum habuit Theodoricum cognom. *Fortunatum*, Com. Oldenburgicum; mortuus A.C. 1659. Otto dein Holſatiam, quam poſt avunculi obitum Chriſtianus I. Dan. Rex ſuæ ditioni adjunxerat, genti ſuæ adſerere conatus, acceptis demum 43000. flor. & Pinnenbergio Comitatu, jure ſuo ceſſit A.C. 1460.) a Ferdinando II. Imp. titulum Principis, & Com. Holſatiæ nactus eſt. Quod cum Chriſtianus IV. Daniæ Rex in ſui præjudicium fieri contenderet, cum ex Majoribus ejus nullus Principatus nomen, nec poſt ceſſionem memoratam Holſatiæ titulum geſſiſſe; & proin nec ſeſſionem in Imperio Schawenburgici haberent, nec onera Imperii, exempti ab Holſatis, portarent, contentio orta eſt. Ad quæ *Erneſtus*, negans in præjudicium Regis quidquam factum eſſe, contendit Principatus nomen illis ditionibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

nibus datum eſſe, quæ ſine controverſia ad ſe ſpectarent: Holſatiæ verò titulum ab Holſatis ipſis ſibi eſſe tributum. Cæſar quoque pro Comite literas ſcripſit: ſed armis, ut crederet, hic adactus eſt, A. C. 1620.

ERNESTUS, prænom. Wolfgangus, Com. Werthemius, fil. Ludovici è familia Leonſtenia, in bello Turcico primùm, A. C. 1598. dein Germanico, ſtipendia meruit. Obiit improlis: frater Chriſt. Ludovici, qui Virnenburgiam, & Joh. Theodorici, qui Rupiforciam, lineas condidêre.

ERNESTUS, Com. Mansfeldius, à Bohemis unâ cum Com. Turrenſi Exercitui præfectus eſt, A. C. 1618. Pilsnam urbem, quòd obſidionem quondam ſub Huſſitis fortiter toleraſſet, plus æquo tumidam, expugnavit: electi dein Regis Friderici Palatini cauſam fortiſſimè tuitus, illo victo A. C. 1619. partem Bohemiæ aliquandiu tenuit, donec victricibus armis cedere coactus eſt. Etiam A. C. 1621. conventu Moguntino Unione diſſolutâ, omnibuſque præſidiis Friderico paulatim demptis, ſolus pro ipſo arma gerere non deſtitit, in Palatinatu Hiſpanorum ſucceſſus moratus, & Franconiam Alſatiamque depopulatus. Donec Chriſtiano Brunſvicenſi, qui auxiliares Friderico copias adducebat, ad Hæchſtam à Tillio victo A. C. 1622. à Rege cum Chriſtiano actis gratiis dimiſſus eſt. Qui ambo ab Hollandis advocati, in itinere ad Floriacum cum Cordubano æquo Marte conflixêre: obſidionem dein Bergarum ad Zoomam ſolvere Hiſpanis coactis. Inde Daniæ Regis partes amplexi, ſtrenuè pro eo A. C. 1625. arma circumtulêrunt: ad Deſſaviam tandem Mansfeldius victus, cùm cauſam, quam ſemel tutandam ſuſceperat, ad extremum uſque propugnare non ceſſâret, veneno interiit, in Dalmatia A. C. 1626. quo ipſo quoque Joh. Erneſtus D. Vinarienſis, & Chriſtianus præfatus, earundem partium clariſſimi Duces, occubuêre, &c. Addatur prædictis *Erneſtus* Ludovicus D. Pomeraniæ, fil. Philippi, qui Wolgaſtenſem partem nactus, A.C. 1592. extinctus, ex Sophia Hedvige Brunſvicenſi, filium reliquit Philippum Julium cognom. *Animoſum*, ſine prole extinctum A. C. 1625.

ERNO, vulgò *Long Earne*, lacus Hibern. in Ultonia, & Comit. Fermanagenſi, ol. *Erdinus*; eſtque duplex, & in confin. Connaciæ reg.

ERNODORUM, q. *Ernonis aqua* Gall. Lugdunenſis opp. Anton. Quibuſd. *Iſſoudun*, in prov. Bituricenſi. *Exoldunum* Lat. Baudr. Valeſ. ad fluv. Ernonem, vulgò *Arnon*, qui Linerias, Condate, Cellam, Caſale Benedicti, Marogilum, vicum S. Ambroſii, Carrocium, Rulliacum alluens, non longè à Virſione in Carim labitur, ſita, hodiè à S. Ambroſio *S. Ambrois ſur Arnon* dicitur, *Not. Gall.*

ERNOLATIA, opp. Norici, ubi nunc vicus *Hall*, in Auſtr. ſup. ad fluv. *Krems*, Cluver. 6. leuc. Germ. à Lentia in Auſtr.

ERO, Vide *Hero*.

EROCADE, Hippothoontidis tribus pars, *Steph.*

EROCHUS, urbs Phocidis. *Pauſ.*

ERODIUS, Græcè Ἐρωδιὸς, aliàs *Ardea*, vide ſuprà ubi de *Diomedeis Avibus*.

EROGÆ, locus Judææ, ubi mons, terræ motu ſciſſus, & ad 4. ſtadia loco motus. Joſeph. *Antiqq. l. 9. c. XI.*

EROGARE, Græcè ἐξοδιάζειν, Lat. expendere, ac *detrahere de ſumma*; ſicut *derogare*, propriè *detrahere* eſt, auctore Feſto. Unde Solin. *c.* 2. ubi de Corallis, *ubi in ſupera attolluntur, naturalibus ſaxis derogati, lapides fiunt.* Ut enim corallium extrahatur fundo maris, ferramento præciditur, ſicque *derogatur*, h. e. deſcinditur, & detrahitur naturali ſaxo, Salmaſ. *ad. Solin.* Hinc *Erogationes*, in Cod. *Theod. l. 6. tit. de murileg. & Gynæciar. Opifices veſti linteæ contexendæ, in uſum* erogationum *noſtrarum, operam dantes*: idem ſunt, quod *Sacrum, Ærarium* ſeu *Sacræ Largitiones*, Salmaſ. *ad Diadumenum Lampridii.* Et *Erogator militaris annonæ*, in *leg.* 16. C. *de Caſtr. pec. l.* 12. qui *rogam* militibus, & ſtipendia perſolvebat: de qua dignitate vide Gregorium Mag. *l. 7. Ind. 2. Ep.* 77. & 130. Apud Senatorem *l. 12. Ep.* XI. *Erogator obſoniorum* eſt, qui obſonia à Principe populo collata diſtribuebat, Car. du Freſne *Gloſſar.*.

EROJADÆ, Græcè Ἐροιάδαι, pop. Atticæ ad tribum Hippothoontidem pertinens, Jac. Spon. *Itin. Part.* 3. ubi de 174. *Atticæ Pop.*

EROPÆI, Africæ propriæ gens. *Ptol.*

EROPIA, inſ. una ex Cycladibus, aliter *Acis*, poſtea verò *Siphnus* appellata.

EROPOLISTIDES, nomen fictitium apud Plaut. in Mil. Glor. Act. 2. Sc. 3. *v.* 41. quo ſignificatur *ob amorem vendita.*

EROPUS, Rex Macedonum, in cunis ſucceſſit Patri Philippo I. Illyrios ſemel victores, prolatus in campum infans, devicit. Regnavit A. C. 27. Juſtin. *l. 7. c.* 2. Europum *parvulum admodum inſtituit hæredem.*

EROS, ſervus Antonii, à quo cùm Antonius ab Auguſto ſuperatus, rerum deſperatione gladium petiiſſet, ad inferendam ſibi mortem, ille quidem gladium accepit, quaſi dominum percuſſurus, at converſo gladio ſeipſum confodit. Plutarch. Item Comœdus quidam, cujus meminit Cic. *in Orat. pro Roſcio Comœdo.*

EROS, Græcè Ἔρως, corona dicta eſt accuratè plexa, ἐκ πάντων ἀνθέων, *ex omnibus floribus*; παρὰ τὴν ἔραν, τὴν γῆν, ὥσπερ ςέφανος ἐρανιστὸς ἐκ γῆς, *tanquam corona è terra collecta.* Cujus generis fuit illa, quam geſtabat mulier Apollonio per quietem viſa, apud Philoſtr. in *Vita ejus*, *l.* 4. ςέφανος πάντ' ἔχων ὅσα ἐκ γῆς καὶ ἐκ θαλάττης, *corona omnia continens, quæ in terra marique*, flores inprimis ſpecioſiſſimos. Et quidem mortuis inprimis eæ nectebantur, *Etymolog.* Ἔρως, & Lucian. ubi de more ſepeliendi mortuos. Unde per excellentiam ἐςεφανωμένοι, *coronati*, dicebantur &c. uti pluribus exponit C. Paſchal. *Coron. l. 2. c. 12. & l. 4. c. 5.*

EROSTRATUS, nebulo quidam ſceleratiſſimus, qui cùm nomen ſuum poſteritati conſecrare omnibus modis cuperet, atque hoc virtute conſequi non poſſet, templum Dianæ Epheſiæ manu propriâ incendit, ratus propter hoc ſaltem facinus nomen ſuum ab hiſtoricis propagatum iri. Epheſii autem, ne ſperatum ex ſcelere fructum conſequeretur, ſeveriſſimis edictis cavêrunt, ne quis eum unquam nominaret; non tamen efficere potuerunt, ut nomen illius ad nos non perveniret, ut ſcribit Strabo *l.* 14. *p.* 640. Lege *Heroſtratus.*

ERPACHIUM, caſtr. Franconiæ, in tractu *Othonis ſylva*; hinc regiunc. Comitatus Erpachienſis, ſub proprio Comite, media ferè inter Rhenum, Mœnum, & Neccarum fluv. ſtirps horum Comitum inter Franconiæ familias, ſemper illuſtris fuit habita, quam ab Eginthardo Caroli Mag. genero nonnulli deducere amant. In ea licèt ſæpius diverſæ lineæ ortæ ſint, nulla tamen earum ætatem tulit, unde ad unam ſubinde tota rediit Familia. Qui nunc ſuperſunt, omnes fratres ſunt Georgio Alberto Patre, ſed duabus matribus, proſati. Ex Magdalena enim Naſſovia, genuit is Georgium Erpeſtum (nat. 1632. maritum Carolæ Chriſtinæ Hohenloicæ & ſorores: ex Eliſabetha verò Hohenloica, Georgium Fridericum (nat. 1636. den. 1653.) Georgium Albertum, (extinctum A. C. 1645.) Chriſtinam Eliſabetham (nat. 1641. ux. Salentini Erneſti Com. Manderſcheidii) Georgium Ludovicum (nat. A. C. 1643. cui nupſit Amelia Catharina, filia Philippi Theodorici Com. Waldeccii) Georgium (nat. 1646. maritum Ludovicæ Annæ, fil. Georgii Friderici Com. Waldeccii) & Georgium Albertum (nat. 1648. cui uxor obtigit Anna Chriſtina Dorothea Hohenloica *in Waldenburg*. &c. E quibus Georgius Com. *de Erpach in Furſtenau*, ex Luiſa Anna præfata, Sophiam Corolam (nat. 1672. den. 1673.) &c. Com. *de Erpach.* ſuſcepit. Vide Phil. Jac Spener. *Theatr. Nobilit. Europ. Part. 1. p. 99. & part. 3. p. 1. & 88.*

ERPENIUS Thomas, Gorcomio Batavus, Lingg. Hebraicæ, Turcicæ, Perſicæ, Arabicæ, Æthiopicæ peritiſſimus, tantam undique nominis ſibi famam concivit, ut juvenis adhuc in Italiam, 500. ducatorum annuorum ſtipendio, ad Codices Arabicos, vertendos, invitaretur. Lugduni Bat. Arabicæ aliarumque LL. Orientalium, A. C. 1613. Hebraicæ dein, A. C. 1619. Profeſſor conſtitutus, ab Archiep. Hiſpalenſi, ipſoque Philippo III. Rege in Hiſpaniam vocatus eſt, ut vett. quædam in Hiſpania monumenta interpretaretur. Nec ipſe Marocci Imp. illum non ſummo in honore habuit, eruditione ejus Proceribus Regni ſui ſummopere commendata. Obiit A. C. 1624. Æt. 40. à Gerh. Joh. Voſſ. funebri oratione laudatus. Scripſit *Græca, Hebraica, Arabica, Syriaca*, quam in linguam Pſalmos Davidis metricè vertit, aliaque plurima. P. Freherus, *Theatro Viror. eruditione clarorum.*

EPHORDIA, urbs ampla, & munita Germ. ad *Jeram* fluv. regiunculæ inſtar, antea *Mergisburgum*, à Merovæo Francorum Rege Cum arce S. Cyriaci. Incendio deformata, A. C. 1417. Antea ſui penè juris, ſed ab Elect. Moguntino vindicata A. C. 1664. Vix 3. leuc. à Vimaria in Occ. 5. à Jena. 3. à Gotha in Ort. 14. à Lipſia in Occ. Hic Concilium A. C. 932. 1073. 1074. contra Sacerdotes Concubinarios, Vide *tom.* 9. *Concil.* Lambert. *in Chron.* & ſuprà *Erfordia.*

ERPIS, ſeu HERPIS, Mauritan. Tingitanæ urbs. Ptol. oppidul. nunc regni Fezze, in Errifis prov. juxta fluv. *Nocor*, ad pedes montium. Quibuſd. *Mernifa.*

ERQUICUM, vulgò ERQUICO ſeu ERCOCO, urbs munita Abiſſiniæ, in ora littor maris Erythræi, cum portu capaciſſimo, & admodum frequenti, 100. circiter leuc. Gall. à Suacheno in Auſtr. Totius illius oræ emporium. Aliis *Arquicum.* ol. *Adulis.*

ERRANOBOA, Indiæ fluv. in Gangem deficiens. Plin. *l. 6. c.* 18.

ERRANTES, facibus noctu iter dirigere ſoliti. Stat. *Theb. l.* 12. *v.* 241.

> ---- ---- *quoties amiſſus eunti*
> *Limes, &* Errantem *comites ſolatia flammæ*
> *Deſtituunt? gelidæque facem vicêre tenebræ?*

Ubi proin apte comites flammas *errantum ſolatia* vocat. Ovid. *Met. l. 1. v.* 493.

> *Ut facibus ſepes ardent, quas fortè viator*
> *Vel nimis admovit, vel jam ſub luce reliquit.*

Quo de more Veterum vide Iſaac. Caſaub. *ad Suet. Cæſarem c.* 31. Ab nominibus vox tranſlata ad ſtellarum quasdam, vide infrà ubi de *Planetis.* Herbas item, quarum *erraticæ* illæ dictæ, quæcunque ſpatioſius fruticant, & per terram ſerpunt, aut ſub terra radices latius ſpargunt. In ſpecie verò *erraticum* intybum vocatur, quod & *ambula*, uti diximus in hac voce, plura autem hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 831. Intidem, *Error à Deo*, de quo Plotinus *Ennead. IV.* 8. 1. & 5. qui lapſum primorum Parentum adumbrare videtur Pfannero, quemadmodum & *Fuga* Empedoclis, Vide eum *Syſtem. Theologiæ Gentilis purior. c. 7. §.* 10.

ERRIFIS, prov. regni Fezzæ, verſus oram maris Mediterr. inter Hasbatam prov. ad Occ. & Garetam ad Ort. Ibi urbes Gomera, Velitiaa, & Mezemma, in ora maris Mediterr.

ERRORIS Inſ. *Alboran* Europæis, parva, & oblonga, in ora Fezzæ, & prov. Garetæ, ex adverſo prom. *trium Furcarum*, à quo vix diſtat 4. leuc. in Bor. Habet tantùm vicos aliquot cum caſtro, contra piratas.

ERRUCA, Volſcorum in Italia urbs. *Diod. Sic.*

ERSENIUS, nobilis gladiator. Lege *Eſernius.*

ERTHA, urbs Parthiæ ad Euphratem. *Steph.*

ERTZBERGIUS, Severinus, aliàs *Ærimontanus*, Eccleſiaſtes & Profeſſor Baſilienſis, diſciplinæ ſeveritate, in adoleſcentia moderanda clarus; Chriſto domi foriſque per An. 26. prædicato, Obiit A. C. 1566. Vide Urſtiſ. *Epit. Hiſt. Baſil. c.* 15. Huic fil. fuit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ERTZBERGIUS Henricus, Theologus eruditus, & conſtans, qui poſtquam in patria ſacro miniſterio cum fructu functus eſſet, ut exteras Eccleſias inviſeret, in Galliam profectus, lanienam Pariſienſem A. C. 1572. ægrè effugit: inde Genevam, hinc Tigurum delatus, nervoſum hîc, *de genuino ſenſu Verborum S. Cœnæ*, ſcriptum, vernaculo ſemone edidit: mox Mülhuſium vocatus, brevi pòſt in flore ætatis ibi obiit.

Me Domini zelus, pietasque invicta, locavit
Poſt vix exacta hîc bis tria luſtra polo.

ERTZICA, Armeniorum regio. *Laonic.*

ERUBRIS, vulgò *Rouer*, aut *Rober*, Ortelio fluv. Germaniæ, ad vicum cognominem, in Moſellam dextrum (ſicut è regione Celbis) influens. Utriuſque meminit Auſon. *Moſella.* Edyll. x. *v.* 359.

Te rapidus Gelbis, te marmore clarus Erubrus,
Feſtinant famulis quamprimum adambere lymphis,

Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* in voce *Celbis*.

ERUBRUS, vide *Erubris*.

ERUCA, apud Mart. *l.* XI. *Epigr.* 19. ubi de prædio admodum ſterili, cujus epigraphe in lupum *v.* 10.

In quo nec cucumis jacēre rectus,
Nec ſerpens habitare tota poſſit.
Erucam *malè paſcit hortus unam:*

vermiculus eſt, qui olera depaſcitur, Belg. *Ruyp*, de quo vide Plin. *l.* 17. *c.* 24. *ſunt ex eadem cauſa naſcentes & Erucæ durum animal erodiuntque frondem aliæ florem, olivarum quoque, ut in Mileto.* Idem herbæ nomen, quam *ſalacem* nominat idem Poëta *l.* 10. *Epigr.* 48. cujus epigraphe parat convivium.

Nec deeſt ructatrix menta nec herba ſalax.

Quòd amorem conciter. Unde in cœna nuptiali apud Romanos, præter cœteras epulas, bulbi, pinei, nuclei, *erucæ*, piper, appoſita leguntur. Vide J. C. Scalig. *Poët. l.* 3. *c.* 101. & de illa plura apud Plin. modo laudatum *l.* 19. *c.* 8. Eruca *quoque & naſturtium vel æſtate vel hieme facillimè naſcuntur.* Eruca *præcipuè frigorum contemptrix.*

ERUCIUS Clarus, quo bis & Severo Coſſ. natus eſt Severus Imp. memoratur Spartiano in *Vita* hujus. Pater filii cognominis, qui inter Nobiles Romanos, ſine dictione cauſæ, Severi juſſu, occiſos numeratur eidem Scriptori. *Erutius* alii habent, ſed *Erucius* in lapp. & in Auctorum ſcriptis nominatur, Salmaſ. *Notis ad loc.*

ERUDITI, propriè dicuntur, qui Φιλολογίαν, i. e. *hiſtoriæ & rerum antiquarum cognitionem literaſque humaniores*, tenent, ut ex Tullio docet Caſaub. *ad Aug. Suet. c.* 89. ubi hic Auctor Φιλολογίαν, *eruditionem variam*, & *Calig. c.* 3. ubi *eruditionem* ſimpliciter vocat. Vide infrà in voce *Philologia*.

ERVIGUS, Gothorum Rex in Hiſp. XXXIII. Receſvindi gener, Græci Ardabaſti exulis fil. Bambæ, veneno necato, ſucceſſit per An. 7. Roderic. *hiſt. l.* 2. Mariana *l.* 6. Canon. 8. Concil. Toletani, ejus eligendi causâ convocati, Bambam ſponte ceſſiſſe refert. Obiit A. C. 687. ſucceſſore Egicâ, quem vide. Al. *Eryngius* dicitur. Vide Iſid. Hiſpal. *Chronico*, Grot. *Præf. ad Hiſt. Vandalo-Goth.* Alios.

ERUMANDUS, fluv. regionis Arachoſiorum, memoratur Solin. *c.* 54. *Arachoſiam* Erumando *flumini impoſitam Semiramis condidit.* Sed malè cum *Arachoto* confunditur, altero fluv. ejuſdem regionis, ad quem urbs ſita. *Erumandus* verò, Parabeſten Arachoſiæ urbem, aut Bartietin potiùs ſeu Bartietarum regionem alluit: qua de re vide Salmaſ. *ad eum p.* 1175.

ERUPA, Arabiæ deſertæ urbs.

ERUTIUS Clarus, 2. Coſ. cum Cethego A. U. C. 922.

ERXIAS, ſcripſit hiſtoriam Colophoniam, Athen. *l.* 13. An idem cum Ergia Rhodio, qui de Patria ſua opus condidit? Athen. *l.* 8. Geſner. *Bibl.*

ERYANNOS, Troadis fluv. ex Ida monte manans. Plin. *l.* 5. *c.* 30.

ERYBIUM, Dorienſium urbs ſub Parnaſſo monte, *Diod. Sic.*

ERYCE, urbs Siciliæ Steph. Vide *Eryx*.

ERYCINA, Veneris cognomentum ab *Eryce* Siciliæ monte, in quo colebatur. Horat. *Car. l.* 1. *Od.* 2. *v.* 33.

Sive tu mavis Erycina *ridens.*

Hinc *Templa Erycina*. Stat. *l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 159.

Non ſecus alma Venus, quàm ſi Paphon æquore ab alto
Idaliasque domos, Erycinaque *templa ſubiret.*

ERYMANTHUS, mons Arcadiæ, in quo aprum agrorum vaſtatorem Hercules domuit, vivumque ſuper humeros ad Euryſtheum retulit, quo conſpecto Euryſtheus in æreo vaſe ſe abſcondit. Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 298.

Monſtriferumque Erymanthon, *& æriſonum Stymphalon.*

Denſa juga Erymanthi, apud Sen. *in Herc. Fur.* Act. 11. *v.* 24.

Solitumque denſis hiſpidum Erymanthi *jugis*

Apud Horat. *Carm. l.* 1. *Od.* 21. *v.* 7.

Nigris aut Erymanthi
Sylvis, aut viridis Gragi.

Ovid. *Ep.* 9. Deianira Herculi. *v.* 87.

Tegeæus aper cupreſſifero Erymantho.

Hinc *Erymanthius*. Cic. *in Ver. Ajebant in labores Herculis non minus hunc humaniſſimum Verrem, quam illum aprum Erymanthium referri oportere.* Inde *peſtis Erymanthia*, Sil. Italic. *l.* 3. Bell. Punic. *v.* 38.

Juxta Thraces equi peſtiſque Erymanthia, *& altos.*

i. e. Aper quem Hercules interemit. Hinc etiam *Erymanthis* Patronymicum, pro Arcadia. Ovid. *Met. l.* 2. *v.* 499.

Nexilibuſque plagis ſylvas Erymanthidas *ambit.*

Etiam Calliſto Lycaonis filia quæ verſa fuit in urſam, dicebatur *Erymanthis*. Ovid. *Triſt. l.* 1. Eleg. 3. *v.* 103.

---- *Cuſtos* Erymanthidos *urſæ.*

Denique *Erymanthæus*. Val. Flacc. *l.* 1. *Argon. v.* 375.

Quique Erymanthæi *ſudantem pondere monſtri*
Amphitryoniadem, *&c.*

Eſt & fluv. hoc nomine in Alpheum defluens. Plin. *l.* 4. *c.* 6. Item urbs Arcadiæ Pauſan. de fluv. Callim. *Hymn.* 1.

---- Οὐδ' Ἐρύμανθος
Λευκότατος ποταμῶν. ----

Cujus fontes Pauſan. in Lampea monte ponit, qui ſacer Panos eſſe dicitur. *Nic. Lloyd.*

ERYMNÆ, urbs Lyciæ, *Tralles* poſtea dicta. Steph. Theſſaliæ item opp. Strab. *l* 9. *p.* 443. Et Magneſiæ. Plin. *l.* 4. *c.* 9.

ERYMUS, venator Cyzicenus. Val. Flacc. Argon. *l.* 3. *v.* 194.

Venatori Erymo: *brevis hanc ſed fata ferentem*
Prodidit,

ERYSICE, urbs Acarnaniæ, quæ poſtea *Oeneadæ* nominata eſt, Aliqui totam Oenadarum regionem *Eryſicen* nominarunt ab *Eryce* Acheloi filia. *Steph.*

ERYSTHEA, urbs Cypri, in qua Apollo Hylates colitur. *Steph.*

ERYSTHENES, vide *Eriſthenes*.

ERYTHEA, vel ERYTHIA, Inſ. inter Gades & Hiſpaniam, quam ſic deſcribit Plin. *l.* 4. *c.* 22. *Ab eo latere quo Hiſpaniam ſpectat (Gadis inſ.) paſſibus ferè centum, altera inſ. eſt longa 3. mill. paſſ. m. lata in qua prius opp. Gadium fuit. Vocatur ab Ephoro & Philiſtide Erythia, à Timæo, & Sileno Aphrodiſias, ab indigenis Junonis. Erythia dicta eſt, quoniam Tyrii ab origine eorum orti ab Erythræo mari ferebantur.* Acutè ut ſolet, corrigit Salmaſ. *Tyrii aborigines earum*, i. e. conditores Gadium, & Erythyæ. Aborigines enim Halicarnaſſeus exponit γενάρχας ἢ πρωτογόνους. Phœnicia igitur fuit inſ. non Punica, quæ conditores habuit è Tyro, non è Carthagine, ut perperam Avien.

---- *Hinc Erythia eſt inſula*
Diffuſa glebam, & juris olim Punici;
Habuēre primò quippe eam Carthaginis
Priſci coloni. ----

De eadem Steph. in Ἀφροδισιάς, quod nomen eſt, ad multa loca ambiguum: Τρίτη, νῆσος ἡ πρότερον Ἐρυθείαν μεταξὺ Ἰβηρίας, καὶ Γαδείρων. Et Strabo, Ἐρύθειαν δὲ τὰ Γάδειρα ἔοικε λέγειν ὁ Φερεκύδης, &c. Ἄλλοι δὲ τὴν παραβεβλημένην ταύτην τῇ πόλει νῆσον πορθμῷ σταδιαίῳ διειργομένην. h. e. *Videtur Gadibus Erythiæ nomen tribuiſſe Pherecydes*: Alii autem hoc nomine intelligunt *inſulam urbi adſitam, unius ſtadii freto diviſam.* Ex quo facilè colligitur, quis Erythiæ fuerit ſitus, quæ hodie nuſquam comparet. Fuit nempe media inter Gades, & continentem, urbi, quæ ad Occaſ. erat inſulæ, ita vicina, ut fretum interjectum unius ſolùm eſſet ſtadii, ut refert Strab. vel centum paſſuum, ut Plin. Hæc eſt illa Erythia apud Poëtas tam celebris, in qua regnaſſe volunt tricorporum illum Geryonem cujus boves Hercules abegerit. Fabulæ princeps in Theogonia Heſiod. Poëta omnium qui extant, uno Homero excepto, longè vetuſtiſſimus: Τρικέφαλον inquit Γηρυονῆα *tricipitem Geryonem* exarmavit Hercules

---- Περιῤῥύτῳ εἰν Ἐρυθείῃ
Ἤματι τῷ, ὅτε περ βοῦς ἤλασεν εὐρυμετώπους
Τίρυνθ' εἰς ἱερὴν, διαβὰς πόρον Ὠκεανοῖο.

Dionyſ. *de ſitu Orbis v.* 558.

Ἤτοι μὲν ναίουσι βοοτρόφον ἀμφ' Ἐρύθειαν,
Ἄτλαντος περὶ χεῦμα θεουδέες Αἰθιοπῆες
Μακροβίων υἷες ἀμύμονες, οἵ ποθ' ἵκοντο
Γηρυόνος μετὰ πότμον ἀγήνορος.

Et in Poëtarum gratiam, Erythiæ boves fingit Marcianus Ægyptiis & Epiroticis non cedere. Verba ſic habent ex magni Salmaſ. emendatione,

Εἶτ' ἐχομένη ἐστὶ νῆσος ἡ καλουμένη
Ἐρύθεια, μεγέθει μὲν βραχεῖα παντελῶς,
Βοῶν ἀγέλας ἔχουσα καὶ βοσκημάτων,
Προσεμφερεῖς ταύροις τε τοῖς Αἰγυπτίοις,
Καὶ τοῖς κατὰ τὴν Ἤπειρον ἐν Θεσπρωτίοις.

Propert. *l.* 4. Eleg. 10. initio.

Amphitryoniades quâ tempeſtate juvencos
Egerat à ſtabulis, ô Erythea, *tuis.*

Ovid. *Faſt. l.* 1. *v.* 548.

Ecce boves illuc Erytheidas *applicat heros,*
Emenſus longi claviger orbis iter.

Idem Ibid. *l.* 5. *v.* 649.

Victor abit, ſecumque boves Erytheida *prædam*
Abſtrahit. ----

Et Eurip. *in Herc. Fur.* vocat Geryonem τὸν τρισώματον βοτῆρ' Ἐρυθείας. Tamen in Iberia non regnavit Geryon, nec circa Gades, ſed Ambracia in Epiro. Ita pronuntiat Arrianus poſt Hecatæum Hiſtoricum antiquiſſimum *l.* 2. Ἀναβάσ. *Geryonem*, ait, *adverſus quem Hercules Argivus ab Euryſtheo miſſus eſt, ut boves Geryonis abigeret, & Mycenas duceret*, οὐδὲν τι προσήκειν τῇ γῇ τῇ Ἰβήρων λέγει Ἑκαταῖος ὁ λογοποιὸς λέγει. *Nihil ad Iberorum regionem pertinere dicit Hecatæus hiſtoricus, neque inſulam ullam Erythiam in Oceano ſitam miſſum fuiſſe: Sed continentis, quæ circa Ambraciam, & Amphilochum eſt, regem fuiſſe Geryonem, & ex illa continente Herculem boves abegiſſe.* Quod ipſum habet Euſt. *in Dionyſ.* Atque eodem pertinet, quod in Epiro boves prægrandes Λαρινοὶ *Larini* credebantur ex illorum eſſe genere, quos abegerat Hercules, & nomen habere à *bubulco Larino* Herculis abigeo. Hæc partim ex Athen. *l.* 9. partim ex Ariſtoph. *Schol. in Aves*, partim ex Suida, qui veterem ſcriptorem citat Lycum Rheginum, Lycophronis parentem. Et ex Herod. colligere eſt Græcorum neminem navigaſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

gaſſe Tarteſſum ante Colæum Samium, qui vi ventorum ingruentium invitus eò abreptus eſt, illo ipſo anno, quo Cyrenas condidit Battus, i. e. Annis circiter 600. poſt Herculis apotheoſin. Præterea in Erythia gramen erat ſiccius, quàm ut bobus ſaginandis eſſet. Itaque nullos boves in ea memorat Strab. ſed oves ſolum quæ mirum in modum pingueſcebant: Τῶν νεμομένων (inquit) αὐτόθι προβάτων τὸ γάλα ὀρὸν ἐ ποιεῖ, τυροποιοῦσί τε πολλῷ ὕδατι μίξαντες διὰ τὴν πιότητα. Ἐν τριάκοντά τε ἡμέραις πνίγεται τὸ ζῶον, εἰ μή τις ἀποσχάζει τι τοῦ αἵματος: ξηρὰ δ' ἐστὶν ἣν νέμονται βοτάνην, ἀλλὰ πιαίνει σφόδρα: *Ibi paſcentium ovium lac ſero caret, nec niſi aquâ multâ infuſa in caſeum cogunt, propter pinguedinem, ac trigeſimo die pecus ſuffocatur, niſi aliquid mittatur ſanguinis: nam quo paſcuntur gramine, licet ſicco, valdè pingueſcunt.* Hæc Strab. *l.* 3. *p.* 148. de ovibus in Erythia, dicturus etiam de bobus illis præpinguibus, ſi qui fuiſſent, maximè, cùm ad Poëtarum illuſtrationem hoc pertineat, in qua ubique multus eſt. Proinde Mela in Bætica natus, non putavit prope Gades eſſe Geryonis Erythiam, ſed contra Luſitaniam, in qua eadem ſententia etiam alios fuiſſe ex Plin. *l.* 4. *c.* 22. & Solin. conſtat. Ac mihi perſuaſiſſimum eſt (inquit Bochart.) Hiſpaniam, & Gades Græco Herculi ne famâ quidem fuiſſe notas, & poëtas ideo ſuum Herculem in Oceanum deduxiſſe, ne Phœnicio Hercule videretur inferior, quem ex longinquis itineribus non vulgarem ſibi gloriam comparaſſe noverant. Nomen ejus quod attinet, ab ovium frequentia Phœnices videntur *Erythiam* appellaſſe עשתרות *aſtaroth*, i. e. *ovium*, deinde etiam עשתורת *aſtoreth*, vel עשתרתא *aſtarta* propter alluſionem, tanquam ab *Aſtarte* Dea; quod ab iis redditum Ἀφροδισιάς, ſeu *Veneria*, ab aliis Ἥρας νῆσος *Junonis inſ.* Quia Aſtarte modò pro Junone ſumitur. Et Græcorum antiquiſſimi, cùm quid eſſent *Aſtaroth*, vel *Aſtoreth*, planè neſcirent, videntur divulſis vocibus inde feciſſe ἄστυ Ἐρύθης, quaſi ſic diceretur opp. in inſ. Ἐρύθη. Nam Ἐρύθιαν pro Ἐρυθεία occurrere docet Steph. quod dici putat κατὰ συναλοιφήν. Ut Calliope, *Penelope* pro Καλλιόπεια, & Πηνελόπεια. *Nic. Lloyd.* Vide Voſſ. *ad Melam p.* 250. nec non *de Orig. & progreſſu Idolol. l.* 1. *c.* 34. *l.* 3. *c.* 8. & Salmaſ. *ad Solin. p.* 283. & *ſeqq.*

ERYTHINI, urbs Paphlagoniæ. Steph. Quæ ex Homeri ſententia juxta Cromnam, & Gobialum à Strab. *l.* 12. *p.* 545. ſtatuitur. Idem: *Erythinos* eos dici putant, qui nunc *Erythui*, à colore dicti.

ERYTHRA, urbs Jonum, quæ & *Cnopupolis*, alia Libyæ, tertia Locridis, quarta Bœotiæ, quinta Cypri, quæ & *Paphos Steph.*

ERYTHRABOLOS, prom. Libyæ. Steph. quaſi dicas *glebam rubram.*

ERYTHRÆ, civitas Aſiæ, non longè à Chio, ex qua Sibylla fuit, quam à patriâ *Erythræam* vocant. De qua vide Euſeb. *l.* 5. Lactant. *Div. Inſt. l.* 1. *c.* 6. *& de Ira Dei, c.* 22. Auguſt. *de Civ. D. l.* 18. *c.* 23. Caſaub. *Exercit. in Baron.* ut & Serv. in illud *Æn. l.* 6. *v.* 36.

Deiphobe Glauci: fatur quæ talia regi:

It. Joniæ opp. maritimum. Ptol. Apollod. patria. Prioris urbis memoriam ſervat nummus, in cujus altera parte caput turritum, cum *Inſcr.* ΕΡΥΘΡΑΙ in altera prora navis expreſſa, cum lemmate, ΕΡΥΘΡΑΙΩΝ; memoratus Jac. Spon. *Itin. Part.* 3. *p.* 189. De *Erythræ* Regis ſepulchro, vide infrà aliquid in voce *Oarecta.*

ERYTHRÆUM Mare, pars Oceani, Arabiam à Merid. alluens, ad Occ. Arabico, ad Ort. Perſico ſinu terminata. Ratio nominis variè traditur à ſcriptoribus. Proximè tamen ad veritatem videntur acceſſiſſe, qui ab *Erythra* Rege Perſei, & Andromedes fil. in illo merſo, dictum putant, cui etiam opinioni ſubſcribit Arrianus *Geſtorum Alexandri, l.* 8. Reliquas opiniones lector poterit videre apud Strab. *l.* 16. *p.* 779. Plin. *l.* 6. *c.* 23. Agatarchidem apud Phot. *n.* 250. Sanſon. *Geogr.* A Latinis autem per errorem videtur appellatum *Mare rubrum.* Nam cùm audirent, à Græcis *Erythræum* vocari, exiſtimantes à *rubedine aquarum* ita dictum, ipſi quoque *mare rubrum* appellârunt. Vide Euſt. *in Dionyſ.* Agatarchidem, Fullerum *in Miſcellaneis*, ac præſertim Mart. Lipenium *de Navig. Salomon. c.* 4. *ſect.* 1. Baudr. hoc. mare, al. *Arabicus* ſinus, Aſiam ab Africa ſeparat, & extenditur inter Arabiam ad Ort. & Troglodyticam ac Ægyptum ad Occ. *mare Roſſo* Ital. *Mer de la Mecque*, & *Rouge* Gall. *Bahar Corzum*, Arab. Aliis eſt pars Oceani, inter oram Carmaniæ, & Aromata prom. inter ſin. Perſicum, & Arabic. Nunc Oceanus Arabicus. Vide quoque P. de la Valle. *Itin.* Item *Erythræum*, Cretæ prom. Ptol. *Cabo Roſſo Piseto.*

ERYTHRAS, fil. Perſei, ac Andromedes, qui in confinio Rubri maris regnum habuit, unde *mare Erythræum.*

ERYTHRON, Cyrenaicorum locus in Pentapoleos regione Africæ, Ptol. *Furcelli*, teſte *Marmolio.*

ERYTHROS, locus apud Tybur, in Latio; qui & *Rubra Saxa. Strab.*

ERYX, Butæ & Veneris fil. qui cùm viribus plurimum polleret, hoſpites ad cæſtuum certamen ſolebat provocare: quâ ratione cùm non paucos trucidaſſet ab Hercule ex Hiſpania redeunte ſuperatus occubuit: atque in monte, quo Veneri matri templum condiderat, ſepultus eſt. Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 402.

---- *Quibus acer* Eryx *in prælia ſuetus*
Ferre manum, duroque intendere Brachia tergo.

Ibid. *v.* 392.

Nequaquam memoratus Eryx

Ibid. *v.* 412.

Hæc Germanus Eryx *quondam tuus arma gerebat*

Ibid. *v.* 483.

Hanc tibi Eryx *meliorem animam pro morte daretis.*

ERYX, Indus quidam, qui procedente Alexandro Embolima, anguſtias itineris viginti millibus armatorum obſedit, quem Indi, ſive odio, ſive gratiam victoris inituri, fugientem adorti interemêrunt, caputque ejus atque arma ad Alexandrum detulêrunt. Curt. *l.* 8. *c.* 11. & 12.

ERYX, mons Siciliæ, in ora Bor. & Occ. apud Drepanum urbem, ab ea 2. mill. p. diſtans introrſum. Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 476.

---- *Zephyro ſemper apertus* Eryx.

Erat autem mons altiſſimus & ſolo Ætnâ minor. Polyb. *l.* 1. Μεγέθει δ' ἄλλα πολὺ διαφέρει τῶν κατὰ τὴν Σικελίαν ὀρῶν, πλὴν τῆς Αἴτνης. Solin. *Eminet Sicilia montibus Ætnâ, & Eryce.* Diod. *l.* 4. aſcenſum ad Erycem tradit eſſe triginta ſtadiorum. Τῆς ἀναβάσεως οὔσης σταδίων λ. Inde Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 35.

At procul excelſo miratus vertice montis.

Idem. *l.* 12. *v.* 701.

Quantus Athos, aut quantus Eryx.

De *Eryce* loquitur Theocr. *Idyl.* 15.

Αἰπεινὸν τὸν Ἔρυκα. ----

Ovid. de arte Am. *l.* 2. *v.* 420.

Colle ſub umbroſo quæ tenet altus Eryx.

Et Sil. Italic. Bell. Punic. *l.* 14. *v.* 204.

Nec non altus Eryx,

Lucan. Civil. Bell. *l.* 2. *v.* 665.

Ut maris Ægæi medias ſi celſus in undas
Depellatur Eryx. ----

In ſummo vertice hujus montis templum fuit Veneris Erycinæ Polyb. *l.* 1. Τούτου δὲ ἐπ' αὐτῆς τῆς κορυφῆς, οὔσης ἐπιπέδου, κεῖται τὸ τῆς Ἀφροδίτης τῆς Ἐρυκίνης ἱερὸν, ὅπερ ὁμολογουμένως ἐπιφανέστατόν ἐστι τῷ τε πλούτῳ καὶ τῇ λοιπῇ προστασίᾳ τῶν κατὰ τὴν Σικελίαν ἱερῶν. Mela, *Montium (Siciliæ) Eryx maxime memoratur, ob delubrum Veneris ab Ænea conditum.* Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 759.

Tum vicina aſtris Erycino *in vertice ſedes*
Fundatur Veneri Idaliæ.

Hanc impensè coluiſſe Pœnos teſtatur Diod. *l.* 4. Καρχηδόνιοι μέρους τῆς Σικελίας κυριεύσαντες, οὐ διέλιπον τιμῶντες τὴν θεὸν διαφερόντως. Nempe Venus eſt Phœnicum Aſtarte, cujus cultum ab illis Græci edidicerant. Notum enim eſt ex Pauſan. nullum in Græcia fuiſſe Veneris templum antiquius templo Cythereæ Veneris, quod in Cytheris Phœnices condiderant; proinde etiam ædes Erycinæ Veneris videtur eoſdem habuiſſe conditores, quicquid Græci de Ænea ac Trojanis garriant, aut verò à Dædalo, quem ferunt ſaxum Erycis antea confragoſum complanaſſe, muro per præcipitia ducto, ut latior eſſet area. Vide Diod. *l.* 4. & Pomp. Sabin. *in Æn. l.* 5. Sed & in Erycis vertice fuit urbs ejuſdem cum monte nominis, de qua Polyb. ubi ſuprà: Ἡ δὲ πόλις ὑπ' αὐτὴν τὴν κορυφὴν τέτακται, πάνυ μακρὰν ἔχουσα, καὶ προσάντη πανταχόθεν τὴν ἀνάβασιν. Fuit etiam *Eryces* fluv. naſcens ex *Eryce* monte & urbe de qua Callias apud Macrob. *l.* 5. *c.* 18. Ἡ δὲ Ἐρύκη τῆς μὲν Γελώας ὅσον ἐνενήκοντα στάδια διέστηκεν. Ἐπιεικῶς δὲ χέρσος ἐστὶν τό τε ὄρος καὶ τὸ πάλαι ὂν γεγενημένη πόλις, ὑφ' ᾗ καὶ τοὺς Δέλλους καλουμένους εἶναι συμβέβηκε: *Eryce à Gelenſium finibus* 90. *circiter ſtadia diſtat. Valdè autem deſerta atque inculta ſunt, cùm mons, tum quod in eo quondam fuit Siculorum oppidum, ſub quo & Delli ſiti ſunt.* Mons hodiè vocatur Catalſano, ubi (inquit Facellus) *ingentis urbis vetuſtæ, dirutæ, ac magnæ quoque arcis miræ ſpectantur ex quadratis lapidibus ruinæ.* Hæ ſunt ruinæ oppidi Eryces, cui, ſi Steph. credimus in voce Ἀκράγας, nomen dedit amnis *Eryces.* Sed utrique nomen à monte, qui Punicè dictus eſt חרוכס *Harucas* vel חרכס *Harces*, & Græcè Ἐρύκης vel Ἔρυξ, ut mons prior prope Drepanum: Hic enim, de quo jam agimus, non longè aberat à Palicis Nic. Lloyd. Opp. Eryces nunc vicus vallis Mazaræ, *Trapano del monte* dictus, ob incolas, Drepanum tranſlatos, à quo vix 3. mill. diſtat in Ort. Mons autem, cui inſidet, *monte di S. Giuliano Baudr.*

ERYXIAS XX. Athenienſium princeps, à Medonte numerando, τῶν Δεκαετῶν VII. regnavit Annis 10. Olymp. 13. quâ vixiſſe Homerum nonnulli contendunt, Nic. Lloyd. ſed de ætate Homeri jam vidimus, ubi de *Diogneto* Archonte. Poſt *Eryxiam*, Decennalium Archontum poſtremum, *Annui Archontes conſtituti ſunt, ceſſantibus Regibus*, teſte Euſeb. *Chron. n.* 1333. Succeſſit ergo Anno Attico 899. Creon, quem vide.

ERYXIS, Philoxeni fil. qui, ut deformis, & incommodus, materiam Comœdis riſûs præbuit. Vide Ariſtoph. *Ran. Act.* 4. *Sc.* 1.

ERYXO, mater pueri Batti, quæ tyrannum Laarchum nuptias ſuas ambientem, noctu ad colloquium vocatum, per fratrem Polyarchum obtruncavit.

ERZERUM, urbs & regio Aſiæ, ſub Turca. An *Cæſarea Cappadociæ?* Vide ibi.

E. S. in *Notis* antiquis, *in Senatu*, notat &c.

ESAAN, civitas in tribu Juda. Joſ. *c.* 15. *v.* 52.

ESACUS, Priami fil. qui quòd cauſa fuiſſet necis Heſperiæ nymphæ, quam deperibat, ſeſe aquis obruit. Lege *Æſacus.*

ESAJANI, in Ægypto dicti ſunt Acephalorum quidam, à quodam *Eſaja* diacono, qui è Palæſtina miſſus Alexandriam, ut eorum Ep. eſſet; ſed non receptus ab omnibus eſt. Liberatus *Breviar. c.* 18.

ESAIAS, i. e. *ſalus Domini*, primus ex IV. Prophetis majoribus vide *Iſaias.* In *Eſajam*, vel partes, prodiêrunt: Adriani *Fragmenta*, Græc. Alvarez *Comm.* 2. tom. Quart. Rom. A. C. 1619. & *Expoſitio* fol. Lugduni A. C. 1623. de Ancones *Elucidatio.* 2. tom. fol. Ibidem. A. C. 1642. Arcularius, Octav. de Aquino. Auguſtinus. Baſilii *Expoſitio in c.* 16. *pr.* Beda Bohlii. *Commentat. Rabbinica*, Quart. Bor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Borrhai *in Eſaj. & Apoc.* fol. A. C. 1562. Baſileæ Brentius. Bullingeri *Homiliæ*, fol. Tiguri A. C. 1575. Calvinus Carpentejus. à Caſtro. Cheſche R. Schelomo, Hebr. Chytræi *Comm.* Clopenburgi *Enarratio in c.* 53. Octav. Cyrilli *Explanatio*. Draconites. Durantius, *in c.* 53. Gall. l'Empereur *Paraphraſis in Com. Abarbanelis*. Octav. Lugduni Bat. A. C. 1631. Euſebius. Forerius. Forſterus. Quart. Genebrardus. Geſneri *Prælectiones in c.* 14. *pr.* & 53. Witeb. A. C. 1609. Graminæus. Gualterus. de Haſſelio. Haymo. Heilbrunneri *Vaticinia*. Quart. Lavingæ A. C. 1584. Heſychius. Heshuſius. Hieronymus. Hyperius Janſenii, *Comm. in c.* 12. & 38. fol. Lugduni A. C. 1577. Janſonius. Joachimus. Don Iſaac Aberbenel. Kirchneri *Enarratio in c.* 53. Octav. Mülhuſ. A. C. 1579. de Lapide. Lauretus. Lucas. Lütherus. Maldonatus. Malvenda. Marlorati *Expoſitio Eccl.* Genevæ A. C. 1620. Maucorſius. R. Meir Armaah. Melanchthonis *in c.* 4. *pr. Argumenta*. Mentzeri *Meditatio*. 8. Franc. A. C. 1607. Mollerus. Montanus. R. Moſche Alſchich. Munſteri *Editio Hebr.* Muſculi *Comment.* fol. A. C. 1570. Oecolampadii *Comment.* A. C. 1525, ab Oleaſtro. Origenis *Homiliæ*. Oſiander. Oſorius Paez. de Palatio. Pappi *Enarratio*, fol. Francof. A. C. 1593. Parez. Paulutius. Pelargus. Pintus. Pitiſci *Conciones*, Quart. A. C. 1619. Francof. Procopius. de Quiros. Rennecherus. Sanctius. Sasboldus. Schilteri *Enarratio c.* 53. Lipſ. A. C. 1595. Schnepfius. Sculterus *in Eſaj.* Quart. Franc. A. C. 1619. Schwan. Strackius. Streiccherus. Strigelius. Thaddæus, Titelmannus. Thoſſarius fol. Baſileæ, 1558. Weirtibier *in c.* 53. Quart. Franc. A. C. 1607. Wigandi *Annotationes*. Oct. Erphord. A. C. 1581. Urſinus *in c.* 21. *pr.* Zuinglii Explicatio, &c. Vide Crowæi *Elenchum*.

ESAPUS, vide *Æſapus*

ESAR, Ægyptiorum opp. in Æthiopia, quod Bion *Sapin* vocat. Plin. *l.* 6. *c.* 30.

ESAU, fil. Iſaac. ex Rebecca, natus A. M. 2199. cum fratre Jacobo. Obiit A. M. 2325. Ejus poſteri Idumæi. Vid. Gen. *c.* 25. *v.* 25. Idem *Edom* dictus eſt, Gen. *c.* 36. *v.* 1. Lat. *factus*; ſive *perfectus*. Vide Sulp. Sever *p.* 42.

ESAU, in tribu Juda, Hier. *in Loc. Hebr.*

ESBAAL, fil. Saul. 1. Par. *c.* 8. *v.* 33. *c.* 9. *v.* 39. Lat. *ignis idoli*.

ESBON, fil. Balê fil. Benjamini 1. Par. 7. *v.* 7. it. urbs Judææ, de qua hic infrà.

ESBONITÆ, Arabiæ Petreæ gens. Plin. *l.* 5. *c.* XI. Ab opp. Ἐσϐών, quod Ptol. Ἐσϐοῦς vocat, & in Judæa ſeu tertia Palæſtina collocat, uti docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 488.

ESBUS, Judææ urbs. Ptol. Vide hîc ſuprà.

ESCÆ, ἴσκαι recentioribus Græciæ Medicis, propriè appellantur fungi, arboribus innaſcentes, quòd hi olim pro fomitibus eſſent, & *eſcæ* dicerentur. Serv. ex *libro Commentariorum Clodii quarto: Fomites aſſulæ ambuſtæ, ligna excavata, à fungis nomine accepto.* Vide infrà in voce *Fomes*: uti de *Eſca illice*, Salmaſ. *ad Solin. p.* 338 & de *Eſcariis*, ſeu *Acetariis*, *p.* 375. 1273. & 1326.

ESCAETOR, Magiſtratus apud Anglos, cujus munus erat, res in fiſcum Principis quolibet jure redactas, in provinciis diligenter exquirere, & colligere: quemadmodum olim *Cæſariani*, *bona ad Principem devoluta, velut vacantia, occupabant*, *leg.* 2. *Cod. Theod. de bonis vac.* A voce *Eſcaeta*, qua ut plurimum appellantur bona, prædia, immobilia vel mobilia quævis, quæ ex delicto, & forisfactura vaſſalli vel alio quolibet caſu devolvuntur in Fiſcum Domini feudi. Iſtiuſmodi officialem in unoquoque Angliæ Comitatu, qui à Magno Theſaurario annuatim conſtitutus, fiſco militaverit, & piſcator ſit, exacto verò miniſterii ſui anno ad idem exequendum non fuerit receptus, habuiſſe Magnates aliquot, refert Spelmann. ex *Statutis* Henrici VIII. *c.* 8. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Ei *Feudatarium* adjungi conſueviſſe dicemus infrà in *Feudum*.

ESCALONA, nomen Ducalis in Hiſpania Familiæ, ex Gironis, & Pachecis oriundæ, de quibus *infrà*. Joh. enim Pachecus, March. de *Villena*, & D. de *Eſcalona*, cùm duos haberet filios, primogenitus *Pacheci* ſervavit nomen, & Duces de *Eſcalona* proſevit; alter fil. Petrus, à matre *Portocarreri* accepit nomen, & ex ſe Marchiones Villæ Novæ dedit. Itaque Joh. Ferdinando Pacheco D. *de Eſcalona*, & Mariâ Portocarrerâ genitus Didacus I. Pachecus obiit A. C. 1559 pater ex Johanna Henricia Didaci II. qui ex Luiſa *de Cabrera* & *Bobadilla*, genuit Franciſcum Pachecum *de Cabrera & Bobadilla*, Ducem *de Eſcalona*, defunctum A. C. 1574. quo, & Johannâ Toletanâ quæ obiit A. C. 1595. natus Joh. Fernandez, defunctus A. C. 1615. ex Seraphina Bragantina reliquit Philippum Joh. Balthaſarum D. *de Eſcalona* Com. de S. Stephano, & Xiquena (cui uxor obtigit Catharina de Zuniga de Peneranda) Didacum Lopezium (maritum Luiſæ Bernardæ March. *de Moya*,) Franciſcum & Catharinam, cum Johanna. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobilit. Europ. Part.* 1. *p.* 40.

ESCAMUS, vulgò *Iſchar*, Moëſiæ fluv. ex Rhodope oriens. Plin. *l.* 26. *c.* 3.

ESCAPIUM, Anglis *Eſcaping*, ex Gallico *eſchapper*, evaſio fugáque eſt; & uſurpatur apud Anglos, de reo aliquo detento, & in carcerem miſſo, qui libertate donatur, antequam Judicis ſententiâ, & mandato liberetur: idque vel incuriâ, vel conſenſu ejus, cujus fidei erat commiſſus, quo utroque caſu hic ejuſdem criminis, quo reus, damnari, & ſi feloniæ tanquam *felo*, ſi proditionis, tanquam *proditor*, puniri conſuevit. Reorum autem cuſtodia non tantùm Carcerarium ſpectabat, ſed & loci incolas: adeò, ut ſi reus per eorum incuriam evaderet, ii *Eſcapii* pœnam modò dictam incurrerent. Quam ob cauſam, cùm reos cuſtodiendi onus Urbium incolis non leve eſſet, ab eo ſæpe beneficio Principum leguntur exempti, uti pluribus docet Car. du Freſne, *ubi ſuprà*.

ESCARIA, Græcè τρώξιμα, vide infrà Oxypora: uti de *eſcario potorioque argenteo*, aliquid ſuprà in voce ab *Argento*.

ESCHATOCOLLION, apud Mart. *l.* 2. Epigr. 6. *v.* 3. cujus Epigraphe *ad Severum*.

> *Lectis vix tibi paginis duabus*
> *Spectas ἐσχατοκόλλιον Severe*,

Græca vox eſt, & ſignificat extremam ſchedam, ultimo nempe loco glutinatam; quam alibi idem Poëta dixit *ſummam ſchedam*, *l.* 4. Epigr. 91. cujus epigraphe ad librum.

> *Ohe jam ſatis eſt, ohe libelle,*
> *Jam pervenimus uſque ad umbilicos*
> *Tu procedere adhuc, & ire quæris,*
> *Nec ſumma potes in ſcheda teneri.*

Poſt extremam nempe ſchedam, nulla amplius ſcheda eſt, ſed libelli integumentum, & umbilici. Ei opponitur πρωτόκολλον: de qua utraque voce, ut & tota Vett. Re Chartaria, vide Salmaſ. *ad Flav. Vopiſc. in Firmo*.

ESCHOL, frater Mamre. Gen. *c.* 13. *v.* 13. Eſt & vallis, & torrens terræ Chanaan in vicinia Hebronis. Lat. *botrus*, ſive *orbatio*, aut *ignis amnis*.

ESCO-SCONGA, opp. Vindeliciæ, ad Lichum fluv. 24. m. p. à Campoduno; nunc in Bavar. 9. leuc. Germ. ab Auguſta in Auſtr. totidem à Monachio in Afric.

ESCUA, mel. *Oſca*; opp. aliàs Hiſp. Tarr. in Baſtitanis, in confin. Bæticæ, nunc *Hueſca*, in regno Granat. in confin. Caſtellæ novæ, & Murciæ, inter Baſtim in Afric. & Carcam, ſeu Caravacam in Cæciam. Paucis conſtat incolis, ad pedes montis Oroſpedæ.

ESCUDERIUS, Scutifer, ex Gall. *Eſcuſer*, ſed propriè famulus, apud Monachos, Car. du Freſne in *Armiger*.

ESCUINA, vulgò *Eſcouen*, vicus agri Pariſini frequens, & arce ſuà nobilis. *Iſcuina* in Geſtis Fr. *c.* 37. ubi Chlotarius min. in pago Senonico ad fluv. Aroannam, non procul à Doromello vico acie victus eſſe dicitur à Theodorico Burg. Rege & Melodunum caſtrum Senonum, urbem Pariſios, ſilvamque inde Aurelianenſem fugâ petiviſſe: Theodorico inſecuto, & poſt vaſtatam igne ferroque regionem ad *Iſcuinam* uſque cum ingenti præda domum reverſo. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

ESCULUS, Græcè αἰγίλωψ, non πλατύφυλλος, ut nonnulli volunt, arbor Jovi olim ſacra. Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 14.

> *Pars autem poſito ſurgunt de ſemine, ut altæ*
> *Caſtaneæ, nemorumque Jovi quæ maxima frondet*
> Eſculus ----

A proceritate, firmitate, & diuturnitate commendatur *ibid. v.* 291.

> Eſculus *inprimis, quæ quantum vertice ad auras*
> *Æthereas, tantum radice in Tartara tendit.*
> *Ergo non hyemes illam, non flabra, neque imbres*
> *Convellunt; immota manet, multoſque per annos*
> *Multa virûm volvens durando ſecula vincit.*

Glande ſuâ, non minùs ac quercus cæteræ ſpecies, primos homines pavit, nondum inventis frugibus, unde ab *eſca* nomen accepit, juxta nonnullos, ſicut *fagus*, à Gr. φάγω. Vide infra in voce *Fagus*. Plin. *l.* 16. *c.* 4. *Sammitium bello civica* (corona) *iligna primo fuit; poſtea magis placuit ex* eſculo *Jovi ſacra. Variatumque, & cum quercu eſt, ac data ubique, quæ fuerat, cuſtodite tantùm honore glandis.* Tanti illa apud Vett. habita eſt. Sed & coronam Pythicam fuiſſe primitus ex *eſculo* nexam, nondum repertâ lauru, docet Ovid. *Met. l.* 1. *v.* 448.

> *Hic juvenum quicunque manu, pedibuſve, rotave*
> *Vicerat*, Eſculeæ *capiebat frondis honorem,*
> *Nondum laurus erat* ----

Vide Car. Paſchal. *Coron. l.* 6. *c.* 25. & *l.* 7. *c.* XI. plura verò de hac arbore, apud Plin. *l.* 12. *c.* 1. *l.* 16. *c.* 4. & 6. *l.* 17. *c.* 20. &c.

ESCURIALE, vicus Caſtellæ nov. 7. leuc. à Madrito, ubi Philipp. II. magnificentiſſimum Monaſterium excitavit, cum inſigni Eccleſia *S. Laurentii*, quòd hoc die A. C, 1557. Gallos ad Fanum S. Quintini ingenti prælio viciſſet. Uſus eſt operâ Lud. de Fuxio, Pariſienſis, Architecti peritiſſimi, & in eo nihil ad divitias ſplendoremque deeſt. Ibi etiam eſt Regum Hiſp. recentiorum Mauſolæum in ſumptuoſa capella *Pantheon* dicta. Inter Orbis miracula recenſetur, ſed A. C. 1671. incendio mirè deformatum eſt, cum jactura inſignis Bibliothecæ.

ESCUS, ſecundus Cantii Rex pacificus, poſt regnum An. 24. filio Otho regnum reliquit, A. C. 512. Bedæ *Otrichus*, cognom. *Oiſcus*, dicitur. Unde Cantii Reges *Oiſcingii* vocati. *l.* 1. Ducheſnius, *hiſt. Angl. tom.* 1. *l.* 6. *c.* 9.

ESDRAS, & ESRAS, Vide ibi, nomen Sacerdotis. Eſdr. *c.* 7. *v.* 6. Joſeph. *Antiqq. l.* 11. de quo ſic D. Hieronym. *in Præfat. in l. Reg. Certumque eſt*, inquit, *Eſdram ſcribam, legiſque doctorem, poſt captam Hieroſolymam, & inſtaurationem templi ſub Zorobabel, alias reperiſſe litteras, quibus nunc utimur, cùm ad illud uſque tempus, iidem Samaritanorum, & Hebræorum characteres fuerint*, &c. Vide Celeberr. Buxtorf. *Anticriticam*. Totam ipſe Bibliothecam à Babyloniis combuſtam, reparavit: Moſis totum opus ab ipſo ſine librorum diſtinctione ſcriptum, in quinque partitus eſt libros. Comeſt. *in c.* 1. *Levit.* Lat. *adjutor*, ſive *atrium*. Vide quoque Salian. Torniel. A. M. 3556. 3569. 3610. 3640. In *Eſdram*, extant: Bedæ *Expoſitio Alleg.* Bibliander. Brentius. Crommius. Ferus. de Lapide. Lavateri *Homiliæ*. fol. Tiguri A. C. 1586. Lombardus. Lovilinus. Malvenda. Nezenius. Paulutius. Pembelii *Explicatio*. Angl. Londini A. C. 1658. Sanctii *Comm.* fol. Antv. A. C. 1627. Strigelius. de S. Victore. Wolfii *Comment.* fol. Tigur. A. C. 1584. &c. Vide Crowæi *El.*

ESDRELON, civ. & campus Palæſtinæ, Judith. *c.* 1. *v.* 8. *Campo di Faba*, teſte Bocharto. In tribu Iſaſchar, unde ubi nomen.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ESDRIN, nomen, viri. 2. Mach. *c.* 12. *v.* 36.

ESEBAN, fil. Diſon. Gen. *c.* 36. *v.* 26.

ESEBON, fil. Gad. Gen. *c.* 46. *v.* 16. Item fil. Bela filii Benjamin. 1. Paral. *c.* 7. *v.* 7. Item, fluv. Moabitarum, in Palæſtin. & Arab. Pet. confinio.

ESEBON, urbs Amorrhæorum gloriosa, inſignis, & munita valde, in tribu Ruben, ſita in montibus, cincta muris coctis lateris, cui tanquam dominæ maximus pagorum numerus ſerviebat, vocabatur *Hesbon*, diſtans à Jordane viginti milliaribus.

ESEC, frater Aſer, filii Elaſa 1. Paral. *c.* 8. *v.* 37. Lat. *violentia*, ſeu *calumnia*.

ESELIAS, pater Saphan. 2. Par. *c.* 34. *v.* 7. qui 2. Reg. *c.* 22. *v.* 3. dicitur *Aſalias*, Lat. *liberans Dominus*.

ESEM, civitas in tribu Juda. Joſ. *c.* 15. *v.* 29. Lat. *os*, ſive *fortitudo*, aut *lignum eorum*, vel *conſilium eorum*, aut *clauſura*, ſcilicet oculorum.

ESENS, Comitatus Friſiæ Orientalis, ad littus Oceani: Ortum verſus contiguus eſt Jeveriæ, ab Occaſu Bremenſi, & Auricenſi tractu, à Borea mari terminatur: nomen habet à primario ejus oppido ſic vocato *Joh. Matal. Metell.*

ESER, fil. Seir. Horræi. Gen. *c.* 36. *v.* 21. Lat. *cellarium*, ſive *theſaurus*, aut *anguſtians*.

ESERNIA, Vide *Æſernia*.

ESERNIUS, gladiator nobilis, cui æqualis, & par alter gladiator extitit, nomine Pacidianus; de quibus natum proverbium: *Eſernius cum Pacidiano*. Cic. *l. de opt. oratorum genere*: *A me*, inquit, *quo maximus minima conferam, gladiatorum par nobiliſſimum inducitur, Æſchines tanquam Eſernius, ut ait Lucilius*:

---- Non ſpurcus homo, ſed doctus & acer
Cum Pacidiano hoc componitur, optimu' longè
Poſt homines natos. --- ----

ESGARDIUM, in *Statutis* Equitum Melitenſium, Tribunal Appellationis in rebus criminalibus notat, apud Dominic. Macrum *in Hierolexico*. Vide quoque Car. du Freſne *Gloſſar.* in hac voce.

ESGUILLONIUM, opp. Aquitaniæ, in Aginnenſi prov. Cum tit. Ducatus. Mel. forſan *Aguillonium*, quod vide.

ESIA, vel ÆSIA, Galliæ fluv. in Sequanam fluens. Vibius. Is eſt quem hodiè *Iſaram* vocant, Gallicè *Oiſe*.

ESICIATÆ, recentioribus pro *iſiciatæ*, dicta iſicia, & minutalia ex carne, quibus vulgò farciebantur avium ventriculi, ut anſerum, & gallinarum. Vett. *Epigr.* cujus lemma *Eſiciata*,

Amiſit proprias vacuato corpore carnes,
Accepitque novas, ... ac tulit, & grave lucrum
Perdendo acquirit, damnum bene crevit in illa.

Item aliud, de anſere farto,

Eminet impletus pullorum carnibus anſer,
Et varias menſæ torridus ambit opes:
Inguinibus nam portat olus, ventriſque ſoluti
Truditur è medio Eſiciata nitens.

Apud Apicium *eſiciatæ vulvulæ*, & *circellorum iſiciatorum*, mentio eſt: Græci τιτεύσιμα vocant, vide infrà in *Iſicia*, & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Lamprid. in Heliogabalo.*

ESIONENSES, vel ESIONEÆ, pop. Aſiæ. *Strab.*

ESION-GEBER, & ἀρχαϊκῶς *Aſion-gaber*, & *Gaſiongaber*, Euſeb. Ἀσία, & Hieronym. *Eſſia*, portus Idumææ prope Ælam ad mare rubrum. 1. Reg. *c.* 9. *v.* 26. Vide Bochart. *de Ph. Colon.* *p.* 764.

ESIS, Italiæ fluv. Plin. *l.* 3. *c.* 14. Vide *Æſis*.

ESKIA, regiunc. Scotiæ, in confin. Angliæ, à fluv. *Eſka* dicta, prope Cumbriam, inter Anandiam ad Occaſ. & Lideſdaliam ad Ort.

ESLINGA, urbs in Duc. Wirtemberg. Imperialis, & libera, ad Neccarum fluv. 1. leuc. à Stutgardia in Ort. Aliter *Ezelinga*, parvi circuitus, & malè habita in bello Germ. Dicta à ſono, & clangore æris, quod ibi dies noctéſque à fabris cuditur, quaſi *Eyſenklingen*, i. e. vallis æraria, aut ſonitus æris. Jus civitatis accepit, muroque, & foſſis munita à Friderico II. Imp. multiſque privilegiis ornata eſt, A. C. 1285. Conventus quoque hîc Imperii habitus legitur ab Henric. IV. Imp. A. C. 1077. In territorio urbis jus venandi Duci Wirtemberg. competit. Libera Curia, *der Freyhoff*, monaſterii Adelbergenſis, jus Aſyli habet, &c. Ornavit inprimis hanc Remp. Syndicus Knipſchildius, egregii tractatus, de Jure, & privil. Civ. Imp. auctor, à paucis annis editi, vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 16. alios.

ESMUNUS, Sadyci fil. Damaſcius in Vita Iſid. apud Phot. *Æſculapius qui Beryti colitur, non eſt Ægyptius, ſed Phœnix aliquis indigena. Sadyco enim filii fuère, quos Dioſcuros, & Cabiros interpretantur*: ὄγδοος δὲ ἐγένετο ἐπὶ τούτοις ὁ Ἔσμουνος: ubi ad nominis rationem alludere videtur. Hebraice enim, חשמיני *octavus* dicitur. *Nic. Lloyd.* Hic verò Ἔσμουνος Marshamo Æſculapius omnino Ægyptius eſt, ex Theologia Sanchuniathonis, apud Euſeb. *Præp. l.* 1. Οἱ ἐπτὰ Συδὲκ παῖδες Κάβειροι, καὶ ὄγδοος αὐτῶν ἀδελφὸς Ἀσκληπιὸς. Itaque Æſculapius, inquit, licet inter Cabiros non habeatur, Jovis tamen fil. & Mercurii frater cenſendus eſt, *Can. Chron. Sec.* 1. ubi de *Toſorthro* ſeu *Æſculapio*, vide & *Toſorthrus*.

ESNA, Hier. *Aſna*, nomen civitatis, in tribu Juda, Joſ. *c.* 15. *v.* 43. Lat. *mutatio*, *dormitatio*, aut *iteratio*, vel *ſecundatio*.

ESOPHORIUM, Græcè Ἐσωφόριον, apud Anaſtaſ. in *Vita* Joh. Eleemoſynarii, *Ille ergo putans, quòd egenus eſſet, expoliavit ſe* Eſophorium *ſuum, quod illius melius erat, & dat ei.* Mox *hypocamiſum* dicitur eidem, *Et dicebat ſemper, quòd poſſet intentione dandi pauperibus expoliare divites, & ipſum etiam hypocamiſum ab eis benevolè auferre.* Ὑποκάμισα enim Græci recentiores, item ἐσωφόρια, vocarunt, h. e. ad verbum, *Interulas*. Uti enim Græci ſub χιτῶσι habebant χιτωνίσκους, ſic Latini ſub tunicis interulas, quæ immediatè corpori & ἐπὶ χρωτὸς inſidentes, lineæ erant, & noſtris camiſiis reſpondebant. *Subuculas* quoque appellavere, & *lineas* ſimpliciter vide Salmaſ. *Not. ad Tertullian. de Pallio c.* 5.

ESOPIS, civitas in Locris in quodam montis ſupercilio ſita. Strab. *l.* 6. *p.* 259.

ESPENSÆUS Claudius, vide *Claudius*.

ESPHATA, fil. Aman. Eſther. *c.* 9. *v.* 7. Lat. *congregatio*, ſive *collectio*, aut *conſummatio* vel *potio*.

ESPINÆA, Gall. *Eſpinay*, Familia Galliæ illuſtris: in qua *Dominorum de Eſpinay*, mentio jam ſeculo duodecimo reperitur. Primarius eorum ramus, quibus demum Marchionum *d'Eſpinay* ac Com. *de Duretal*, titulus acceſſit, exaruit in Franciſca, quæ Henrico Schombergio marito hæreditatem attulit. Ejus verò Patrui magni Ludovicus Marchionis *de Vaucouleur* atque Antonius Dominos *de Broon* ac Barones *de Molay* dedêrunt. Ex eadem ſtirpe rami Dominorum *de Duſſe*, *Boiſguerroult* (qui dein Marchionum hujus nominis ac Com. *de Rogembal* titulis ornati ſunt) & *de S. Luc*. (inter quos primogenitus nomen C. *de Eſtelan*. geſtat.) Ut ad Franciſcam redeam, Henricus Dom. *d'Eſpinay*, qui obiit A. C. 1506. pater fuit Guidonis II. extincti A. C. 1522. avus Guidonis III. defuncti A. C. 1551. quo & Luiſâ *de Goulaine*, natus Joh. Marchio *Eſpinæus*, obiit A. C. 1591. pater ex Margaretha *de Scepeaux* Claudii, qui defunctus A. C. 1578. ex Franciſca Rupifulcandia, reliquit Carolum March. *de Eſpinay*, Com. *de Duretal*, qui improlis deceſſit A. C. 1609. maritus Margaretæ Rohaneæ *Guimenay*, & Franciſcam hæredem, nuptam Henrico Schombergio Com. *de Nateuil*, Domino *d'Eſpinay*. Phil. Jac. Spener. ubi ſuprà *Part.* II. *p.* 71.

ESPINÆUS, Franciſcus, vide *Franciſcus*.

ESPINÆUS Petrus, vide *Petrus*.

ESPINOIA, Familia Principatus titulo inſignis, Vide infrà *Melunia*.

ESQUILIÆ, & ESQUILINUS mons unus ex 7. urbis Romæ collibus, *M. di S. Maria Maggiore* hodiè dictus. Item *porta Eſquilina*, quam Procopius *Præneſtinam* vocat, ut ſcribit Marlianus, qui eam hodiè *S. Lorenzo* dici ait. Scribitur & *Exquiliæ*. Nunc clauſa eſt, Fam. Nardinus; eratque inter portam S. Laurentii, & Portam majorem in Exquiliis *Baudr.* Vide infrà.

ESQUILINA Tribus, ſecunda ex quatuor urbanis, ab *Eſquiliis* dicta eſt: Ejus meminère Dionyſ. Liv. Varro, Plin. ac *Feſtus*.

ESQUILINUS Mons, vide *Eſquiliæ* addo quòd ex Tullo Rege ſexto urbi additus, & pomerio incluſus, nomen accepit, ut plerisque videtur, ab excubiis, quas Romulus in illo habuit, cùm Tito Tatio parùm fideret; quaſi *Excubinus*. Alii à quiſquiliis dictum eum *Eſquilias* arbitrantur, quòd aucupes ibi quiſquiliis ſparſis avibus illuderent. Alii verò, quòd excultæ Eſquiliæ à Rege Tullo in illo monte fuerint, ſic appellarunt. Vide Varron. *de Ling. Lat. l.* 4. Colles in eo fuêre tres, Ciſpius, Oppius, & Septimius: Habuit ab Ort. Urbis muros, verſus aggerem, & caſtrum Prætorium: à Mer. viam Lavicanam: ab Occ. vallem inter Cœlum, & Palatinum longè lateque patentem: à Sept. Viminalem. Quomodo excultus olim, & quibus ædificiis ornatus hic mons fuerit, vide in voce *Regiones*, in deſcriptione Regionis quintæ, quæ quia maxima parte hoc monte conſtabat, *Eſquilina* dicta, Vicos inter alia habuit quindecim, cum Vico Africo in Eſquiliis antiquo: Lucos octo: Ædes ſeu Templa duodecim: Ædiculas ſedecim: Sacella tria, Amphitheatrum, Circum, Forum, Baſilicam, Regiam Servii Tullii, Hortos varios, Vivarium, Thermas duas: Balneum Novati, & privata 75. Nympheum Alexandri: Lavacrum Agrippinæ: Lacus Promethei duos, & ſine nomine 179. Caſtellum aquarum Marciæ, Juliæ, & Tepulæ: Arcum Gallieni: Marcellum Livianum; Horrea 23. Piſtrina 22. Domos 180. &c. de quibus prolixè agentem adi Onuphr. Panvin. *de deſcr. XIV. Regionum urbis Romæ*. Jam vero mons hic cum reliquis rariſſimè habitatur, maximâ ex parte hortis, & diſperſis hinc inde templis, aut clauſtris religioſis occupatus: aut vett. ædificiorum ruderibus obrutus: Vetuſtiſſimis temporibus fageam ſylvam habuit &c. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 8. 9. & 13.

ESRAS, de quo vide in toto libro Eſdræ, qui in Canone S. Scripturæ extat: Reliqui enim, qui illi attribuuntur, Apocryphi ſunt, vide Bellarm. *de V. D. l.* 1. *c.* 10. & 20. utpote, qui, præter alias Apocryphorum notas, falſa, contradictoria, & ſuperſtitioſa plurima contineant. Vide Spanhem. *diſput. de auctoritate libb. Apoc.* Cœtera in *Eſdras*.

ESRIEL, fil. Galaad, filii Machir. Joſ. *c.* 17. *v.* 2. qui Num. *c.* 26. *v.* 31. dicitur *Aſriel*. Lat. *beatitudo Dei*, aut *intuitus fortis*, vel *greſſus Dei*.

ESRON, fil. Ruben. Gen. *c.* 46. *v.* 9. Fil. Juda. 1. Par. *c.* 4. *v.* 1. qui Gen. *c.* 46. *v.* 12. *Zara* dicitur. Fil. Pharez filii Juda. Nomen loci. in tribu Juda, al. *Aſor*, Civ. juxta Eremum, item *Eſrom*, & *Heſron*. Joſ. *c.* 15. *v.* 3. Lat. *ſagitta exultationis*, ſive *diviſio cantici*, aut *atrium*, vel *fœnum*.

ESSA, aliàs ESSEMON, opp. in quo Zenonis, Philadelphenſium tyranni, res pretioſæ ſervabantur: quod Alexander, Judæorum Rex expugnavit, & triplici muro circumdedit. Joſeph. *Antiqq. l.* 13. *c.* 21.

ESSÆI, vel ESSENI, Judæorum ſecta de qua & inſtitutis ejus Solin. *c.* 28. & 36. Item Porphyr. *l.* 4. Περὶ ἀποχῆς. Copioſè de iis Philo *l.* περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον ἐλεύθερον. Item περὶ βίου θεωρητικοῦ. Vide Joſeph. *Antiqq. l.* 18. *c.* 2. & *l.* 2. *de Bell. Jud. c.* 12. Unde dicti ex Epiphan. *hær.* 29. oſtendere conatur Petit. *l.* 4. *Var. Lect. c.* 9. Vide etiam de his Scaligeri trihæreſii elenchum. Hos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Bathoſæos appellatos fuiſſe Fullerus obſervat *Miſcell. Sacr. l.* 2. *c.* 3. Vide eum & *l.* 1. *c.* 3. Aliis una ex quatuor Samaritanorum ſectis fuit, cui Judas quidem, ex Joſepho, auctor. Hi communia habebant bona, contemptores voluptatum, etiam matrimonia reſpuebant, Sabbathum adeò ſuperſtitioſè colentes, ut ne vas quidem ullum loco moverent, nec naturæ neceſſitati ſatisfacerent: in 4. Claſſes diviſi. Horum juniores tantâ natu grandiores veneratione proſequebantur, ut & tactum eorum refugerent. Alia ſpecies Eſſeniorum, conjugium admittebat, ſed ſponſæ ſanitate prius triennio exploratâ, &c. Qui autem ſub S. Marco Alexandriæ vivebant Eſſenii, Chriſtiani fuêre: etiam Jeſſæi Epiphanio dicti, à Jeſſe, Patre Davidis, diverſi ab Eſſeniis Judæis, ut dictum, de quibus idem. Quòd horum nulla in Nov. Teſt. mentio, ſententiam hanc probare videtur, quòd Samaritæ fuerint, qui à Judæis pro hæreticis habiti, nihil cum eis commercii habebant. Hieron. *de Scr. Eccl. in Marco, & Philone.* Cyrillus Alex. *l.* 6. *c. Jul.* Chryſ. *hom.* 44. *in Acta.* Euſeb. *l.* 2. *Hiſt. c.* 15. & 16. Sozomen. *l.* 1. *c.* 12. Nicephor. *l.* 2. *c.* 15. Philo *l.* 1. *de vita contem.* Plin. *l.* 5. *c.* 17. Baron. *A. C.* 64. &c. *Nic. Lloyd.* Vide & *Eſſeni.*

ESSE, apud Mart. *l.* 1. *Epigr.* 105. cujus epigraphe de ſpectaculo.

Turpes Eſſeda *quòd trahunt biſontes;*

ab *Eſſedum* in Gall. currus Britannicus eſt, petoritum. In quo etiam domi geſtari vehique ſolebant Romani. Idem *l.* 12. Epigr. 57. cujus epigraphe ad Sparſum.

Et rus in urbe eſt, vinitorque Romanus.
Nec in Falerno monte major Autumnus,
Intraque limen clauſus Eſſedo *curſus.*

ad quem locum vide Fr. Modium *Novantiq. Lection. c.* 109. In *Gloſſ.* exponitur ἅμαξα Γαλλικὸν, *vehiculum Gallicum*, de quo vide Liv. quoque, inprimis *l.* 10. *c.* 28. *eſſedis carriſque ſuperſtantem armatum Gallum, Romanos in fugam vertiſſe*, ait: & plura: apud Joh. Laurent JC. *de Re Vehicularia.* Hinc *Eſſedarii*, milites Galli, apud Jun. Philargyrum *l.* 3. *Georg. Latini Poetæ*, & gladiatorum genus, apud Suet. *Calig. c.* 35.

ESSEDONES, Aſiæ pop. ſuper Mæotim habitantes, Plin. *l.* 4. *c.* 12. Quibus (teſte Herod. *l.* 4.) mos eſt parentum funera cantu proſequi, & congregatis promixis cadavera ipſa, pecudum carnibus admiſtis, comedere. Capite excepto, quod auro incluſum, idoli loco habent, & anniverſario ſacrificio colunt. Vide Herod. *l.* 4. Pomp. Melam. *l.* 2. *c.* 1. *Steph.*

ESSENDIA, Imperiale ol. ſub Montenſis Ducis tutela, opp. Collegiato Virginum, & Canonicorum ſodalitio præſtans: quod Alfridus IV. Hildesheimenſium præſul, ex paternis facultatibus fundavit. *Joh. Matal. Metell.*

ESSENI, qui & *Eſſæi*, aliis *Oſſeni*, *Heſſæi*, vel etiam aliquando *Haſidæi*, ſecta Judæorum magni nominis, qui quòd altiùs, & ſublimius omnia ſpecularentur, ſoli Philoſophorum in illa gente titulum mereri videbantur: Rationalem Philoſophiæ partem, velut non neceſſariam, Naturalem ut altiorem; illam Sophiſtis, hanc otioſis hominibus relinquebant, de Deo, creatione ac virtutibus diſputantes, Euſeb. *l.* 8. *præpar. c.* 4. apud Georg. Horn. *Hiſt. Phil. l.* 4. *c.* 2. Nomen eis à Syriaco אסא *Aſa*, quod θεραπευσιν, *curam*, *ſanationem* deſignat. Unde toties viri hujus ſectæ Θεραπευταὶ, fœminæ verò θεραπευτρίδες, nuncupati ſunt, quia præter ſtudium Biblicum, cui præcipuè vacabant, Medicinam quoque diligenter excoluêre. Cum Stoicis quædam, cum Pythagoreis plurima, habuêre communia: 1. *Bona communia.* 2. *Abſtinentiam à voluptatibus.* 3. *Veſtitum candidum.* 4. *Juramenti fugam.* 5. *Venerationem natu majorum tantam, ut, cùm in* 4. *ordines dividerentur, ſi quis ex ſuperiori aliquem ex inferiori ordine tetigiſſet, pollutus haberetur.* 6. *Aquæ in potu uſum.* 7. Θυσίας ἀψύχους, *ſacrificia inanima.* 8. *Fatum.* 9. *Silentium, quod in menſa rigoroſé exigebant.* Unde decem ſimul ſedentibus, nemo loquebatur invitis novem, Druſ. *de trib. ſect. l.* 4. *Initiationis item ritum Pythagoricæ non diſſimilem. Neminem enim in conſortium, niſi per* 4. *annos continuos probè exploratum, admiſère: quorum primo ipſi Dolabellum, Perizoma, & Veſtem albam conceſſêrunt: Secundo, in ſacris illum inſtruere cœpêrunt: Tertio & quarto melius ſubactos, tandem ſub Juramenti fide, in Ordinem ſuum recepêre.* Porrò 10. *Ortum verſus adorabant.* 11. *Peculiari cultu Angelos proſequebantur.* 12. *Sabbathum præ aliis rigidè obſervabant, ſic ut etiam* Ἑβδομάδας ἑβδομάδων, *i. e. ſeptimam quamque hebdomadem religioſè celebrarent.* 13. *Cœlibem agebant vitam*: quod tamen non de omnibus intelligendum &c. Horum plus quàm quatuor millia, relictis urbibus agros colentes, nec hîc certa incolebant loca, ſed hinc illinc facilè migrabant: Interim Scholas habebant, ad hortos Balſami, & Palmarum, circa Hierichuntem: quod tamen Theoreticos ſolùm in ſecta hac ſpectabat, qui totos ſe ſpeculationibus dedêre. Practici verò, alterum *Eſſenorum* genus, qui manuariâ operâ vitam ſuſtentabant, in urbibus verſabantur: de die bis edebant, cùm alteri non niſi cœnam caperent: aquâ & pane victitabant, cùm alteri pane & ſale, vel etiam hyſſopo veſcerentur. De Practicis Philo *in l. Quòd omnis vir probus.* De Theoreticis, *l. ſeq. cui titulus de Vita Contemplativa*, prolixè agit. Originem Sectæ hujus quidam à Rechabitis, imò altiùs à Kenitis, quorum mentio Judic. *c.* 1. *v.* 16. arceſſunt. Sed Kenitæ, non ſectæ, verùm gentis familiæque nomen erat: & Rechabitæ non domos, ſed tentoria inhabitantes, neque agrum colebant, neque vineam plantabant, quæ omnia ab *Eſſenis* factitata ſunt. Cum Nazaræis illos quidam confundunt, ſed malè: Non acceſſus enim ullus ad templum *Eſſenis* patebat, at Nazaræi, voto defuncti, ibi ſe Jehovæ ſiſtere tenebantur, Num. *c.* 6. *v.* 2. Unde in obſcuro ſectæ hujus initia latent. Primus, *Eſſeni* nomine notus, Judas quidam fuit, qui ſub Ariſtobulo filio Joh. Hyrcani, adeoque centum A. C. N. Annis, floruit: ſed jam ante hanc ſectam viguiſſe, ex Joſeph. *l.* 13. *Antiqq. Jud. c.* 9. patet, ubi Phariſæos Sadducæos, & Eſſenos memorat, circa tempora Jonathæ, fratris Judæ Maccabæi, qui quinquaginta annis Ariſtobulo antiquior fuit. Hoc certum eſt, duraviſſe ſectam hanc ad tempora Servatoris noſtri, & ulterius quoque, ut ex Joſepho, & Philone dilucet. Interim expreſſa eorum mentio in N. T. nullibi fit, tum quia pauci admodum tum temporis, tum quia tranquilli, & quieti, non ita contradicebant ac refragabantur Chriſto, quemadmodum Phariſæi ac Sadducæi ſolebant. Interim in Epiſtolis Paulinis paſſim dogmata illorum refutata legimus. In genere dogmata eorum rejicit Apoſtolus Coloſſ. *c.* 2. *v.* 20. cùm ait: τί δογματίζεσθε: *Eſſenos* autem conſtitutiones rituſque ſuos Δογμάτων nomine inſigniviſſe notum. In ſpecie dein illorum quædam recenſet *v.* 21. *Ne ederis, neque guſtaris, neque attigeris*: Quos ritus cùm obſervârent, διὰ πόθον σοφίας, ut ait Philo, *ob amorem Sapientiæ*, pergens Apoſtolus *rationem* tantùm, i. e. *ſpeciem Sapientiæ*, habere dicit, *v.* 23. Sic cùm 1. Tim. *c.* 5. *v.* 23. idem diſcipulum ſuum Timotheum, *vino pauculo uti* jubet: cùm 1. Tim. *c.* 4. *v.* 3. doctrinam rejicit, *Prohibentium contrahere matrimonium, jubentium abſtinere à cibis*, ad *Eſſenorum* dogmata reſpicere videtur, Thom. Godwyno *de ritib. Hebr. l.* 1. *c.* 12. Vide quoque in voce *Eſſæi.* Addo hoc unum, quòd nomen ἀπὸ τῆς ὁσιότητος, *à ſanctitate*, nonnulli deducunt: Salmaſ. verò Ἐσσηνοὶ gentili nomine dicti videntur, ſicut Γερβηνοὶ &c. à loco, ubi degebant. Quamvis enim Joſeph. opp. nullum eos ſeorſim habuiſſe ſcribat, ſed in ſingulis urbibus μετοίκους fuiſſe, & corpus aliquod feciſſe ſive Collegium, Τάγμα ipſi dictum: Veriſimile tamen eſſe ait in interioribus Judææ, tractu aliquo frequentiorem eorum turbam extitiſſe, ibique opp. quoddam hoc nomine aliquando incoluiſſe, à quo Ἐσσαῖοι, & Ἐσσηνοὶ dicti fuêrint: ipſi verò oppido nomen hæſiſſe à *ſilentio, & quietæ vitæ tranquillitate.* Hinc *interiora Judææ, quæ Occidentem tuentur*, Eſſenos *tenere*, ſcribit Solin. *c.* 35. ad quem vide Salmaſ. *p.* 610. & *ſeqq.* ubi plura de inſtitutis eorum, locique, in quo habitaverint, ſitu, cultu inprimis ſolis, quem iis nonnulli attribuunt.

ESSEQUEBIA, vulgò *Eſſekebe*, fluv. Americæ merid. ex præcipuis Guajanæ. Oritur verſus lacum Parimæum; auctuſque pluribus fluminibus, in mare Boreale ſe exonerat, in Caribana reg. ad Ort. Orenoci fluv. *Eſquib.* Hollandis, qui aliquot colonias in eo tractu habent.

ESSEXIA, Comit. in parte Angliæ Or. cujus urbs præc. Glocestria, à Coilo Rege condita. Solum fertile. Primus Comes Godofredus Mandevillanus fuit, cujus familiâ extinctâ, Joh. Rex dein Henr. VIII. porro Eliſabetha, tandem Jacobus eum conceſſêrunt, cui volebant. Camden. *deſcr. Brit.* Roberti *Eſſexiæ* Comitis, qui ſub Eliſabetha Regina floruit, digna lectu hiſtoria eſt. Vide Thuani, & Grotii *Hiſt.* ut & infrà.

ESSEXIUS Robertus, Comes, *Achilles Anglicus* quibuſdam dictus, cùm regia arceretur, & ille quondam gratioſus, ſuffultus clientelis, armatus legionibus, nunc ſine decore, ſine imperio vitam aulamve pati non poſſet, varia verſans conſilia, inimicis cuncta rimantibus, ab Eliſabetha Regina, cujus animum ſuper vett. offenſas forma quoque ipſius ſpreta in iram accenderat, dicendam ad cauſam vocatur. Intellecto periculo, domi ſuæ detentis; quos Regina miſerat, ipſe cum modica manu Londinum properans, dum amicos illic plebemque ſolicitat, à feciali publico præventus, in vincula compingitur. Datis judicibus auditus publicè, multa in inimicos dixit, hos ultum ſe eſſe, nunquam mutatâ in Reginam fide. Suſpensâ diu omnium expectatione, ecquid Reginæ clementia, & vett. affectus poſſent, an facinoris magnitudo, & ſuſpecta dudum popularitas, validique inimici veniam præcluderent? Damnatus tandem ſecuri feritur, magnis circa ſuprema, & pietatis, & pœnitentiæ indiciis: capite proſtrato, ſectatores ſupplicio affecti ſunt. A. C. 1601. Hujus exemplo Bironus Galliæ Mareſcallus, paulò poſt ab Henrico IV. ad Eliſabetam miſſus, Reginâ caput occiſi monſtrante, monitus, non tamen ſapere didicit, haud diu poſt, ob idem crimen; eâdem pœnâ Pariſiis affectus. Vide Hug. Grot. & Thuan. *in Hiſt.*

ESSUI, mel. SESSUI, Celtarum pop. Cæſar *in Com.* fortè *Heſſui* Plin. *l.* 4. *c.* 18. quos Marlian. *Retelois* vocat; Alii *La Comté d'Eu*, Alii *Trierarche*, & *Tereſſe*, q. d. *terram Eſſuorum.* Bovillus eos in Belgica ponit. Baudr. fuêre, ubi Vagoritum, nunc Sagium *Seez* in Ducatu Normanniæ. Vide *Seſſui.*

ESSUS, urbs Locridis. *Steph.*

EST, Dei nomen, etiam apud Gentiles. Quo pertinet Fani Minervæ, quod Sai in Ægypto erat, inſcriptio, a Plutarch. *de Iſid. & Oſir. p.* 354. relata, Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὂν καὶ ἐσόμενον, *Ego ſum, quod Extitit*, EST, *Erit.* Atque alia τὸ Εἶ, Templi Delphici, in cujus ſenſum idem Plutarch. inquirens *tr. pec.* poſtquam neque numerum, ut quidam vocem iſtam expoſuerant neque ordinem, neque copulam, neque aliud quid tale eo ſignificari monſtraſſet, tandem ſuam explicationem ſubjiciens, Ἀλλ' ἔστιν, inquit, αὐτοτελὴς τοῦ θεοῦ προσαγόρευσις καὶ προσφώνησις, ἅμα τῷ ῥήματι τὸν φθεγγόμενον εἰς ἔννοιαν καθιστᾶσα τῆς τοῦ θεοῦ δυνάμεως. Ὁ μὲν γὰρ θεὸς ἕκαστον ἡμῶν ἐνταῦθα προσιόντα οἷον ἀσπαζόμενος προσαγορεύει τὸ Γνῶθι σεαυτόν. Ὃ τοῦ χαῖρε ἐν οὐδὲν μεῖόν ἐστιν. ἡμεῖς δὲ πάλιν ἀμειβόμενοι τὸν θεόν. Εἶ φαμὲν, ὡς ἀληθῆ καὶ ἀψευδῆ, καὶ μόνην μόνῳ προσήκουσαν τὴν τοῦ εἶναι προσαγόρευσιν ἀποδιδόντες. Ἡμῖν μὲν γὰρ ὄντως τοῦ εἶναι μέτεστιν οὐδέν. *Sed eſt ex ſeſe perfecta compellatio Dei ſimul cum verbo enuntiantis animo objiciens vim Dei. Deus enim unumquemque noſtrum huc accedentem, veluti ſalutatos compellat, Noſce te ipſum inquiens ---- Nos viciſſim reſpondentes Deo, Eſ, i. e. ES, dicimus, veram, certam, ſolam, ſoliqúe convenientem ei appellationem, qua Eſſe dicitur, tribuentes. Revera enim eſſentiæ nos nequaquam participes fere mus.* Quod poſterius cùm pluribus, atque in homine nihil fere præſens, ſed omnia fluxa, & in præteritum futurumque diviſa eſſe, oſtendiſſet, Ἀλλ' ἔστι, pergit, ὁ θεὸς, χρὴ φάναι, καὶ ἔστι κατ' οὐδένα

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ἄδινα χρόνον ἀλλὰ κτ̃ τ̃ αἰῶνα &c. *Deus autem; ſi ita dicendum ſit, EST, & eſt nulla ratione temporis, ſed æternitatis* &c. Vide Platonem *in Timæo*, Juſtin. Mart. *Orat. ad Gent.* Auguſtin. *de Civit. Dei l. 8. c. 9.* Plotin. *Ennead. III. l. 7. c. 2. 3. & 5. & IV. l. 4. c. 10.* Apullej. *in Herm. Triſm.* Alios laudatos Pfannero *Syſtem. Theol. Gent. c. 2.* §. 30.

ESTELLA, urbs Navarræ cum caſtro, ad Egam fluv. ubi recipit Vrederum amnem. Hinc regiunc. *Merindala de Eſtella*, 7. leuc. à Calaguri in Bor. 6. à Pompejopoli in Occaſ. Etiam *Stella*, vide ibi.

ESTENSIS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

ESTERLINGUS ſeu STERLINGUS, voces Anglis, & inde cæteris nationibus familiares, in re monetaria: Significant autem modò monetarium pondus, ut in *Aſſiſia* Davidis I. Scot. Regis *de Ponder. & Menſ. Inprimis ſterlingus debet ponderare 32. grana boni & rotundi frumenti*: modò monetæ qualitatem, apud Joh. Saresberienſem *Ep. 31. Centum marchas ---- ſterlingorum tradidit*: modò denique certam monetæ ſpeciem; quam *denarium ſterlingum* vocabant. De vocis etymo variant Eruditi, quorum ſententias prolixè exponit Car. du Freſne *in Gloſſar.* ſuam deniqúe ſubnectens, quæ talis eſt: Normanni Galliæ, ut primùm in Anglia ſedem fixêrunt, Vilhelmo Notho Duce, veteres regionis incolas, Saxonas origine, nullâ aliâ denominatione donarunt, quàm eâ, quæ apud Francos in uſu paſſim habebatur, *Eſterlingorum* nempe, quâ appellatione ii Germaniæ populi, qui in Daniæ confiniis habitabant, vulgò innotuerant. Unde cum Anglo-Saxonum monetam denotare vellent, quæ Normannicâ, & Francicâ probatior erat, *monetam Eſterlingorum*, h. e. Regum Saxonum, dicebant, eam ſc. quæ ante Normannorum adventum in commerciis ibi obtinebat. Primus enim nominis hujus monetæ Order. Vitalis meminit circa A. C. 1066. nec ante Normannos Anglicos, apud ullum Scriptorem occurrit. Jam verò Saxones Germanicos, à quibus originem duxêre Angli, *Oſterlingorum* ſeu *Eſterlingorum* appellatione innotuiſſe, probant plus ſatis *Annales* vett. Francorum, qui ita dictos obſervant, quòd ad Auſtr. ſeu ad Or. habitarent, aliorum Saxonum reſpectu, qui magis ad Sept. & Occid. vergebant. Unde Witikindus *Geſtor. Saxon. l. 1.* Saxones tripartito diviſos fuiſſe ait, *in Orientales, Angarios atque Weſtvalos*. E quibus Oſterlingos haud procul ab Ovacro ſtatuit Poëta Saxo A. C. 775.

Inde movens Carolus regiones venit ad illas,
Quas Oſterlingi *retinent, ſeditque locatis*
Ad fluvium caſtris, qui nunc Ovacra vocatur &c.

Hactenus Car. du Freſne. Gronov. ſic de moneta hac: *Francorum priſcorum denarius fuit: duodecimus in ſolido argenteo, viceſimus in uncia 240. in libra argenti. Nam ad ſimilitudinem aurei ſolidi, qui ſub Conſtantini Mag. ſucceſſoribus fuit, & duodecim milliarenſibus vertebatur, percuſſêre Franci, & hæ nationes argenteum, quem duodecim æſtimabant denariis ſive* ſterlingis. *Quemadmodum igitur argenteus ille Francorum, Galliæ petitorum, ſolidus ad vetuſtiorem pecuniam exactus erat* πεντάδραχμος, *eoque quindecim ſcriptulorum, nonaginta quaſi ſiliquarum: Ita denarius, qui &* Eſterlingus vel Sterlingus, *ſcriptulum ſiliquam cum dimidiata habebat, vel ſeptem ſiliquas, & dimidium ſiliquæ. Unde Budæus l. 2. de Aſſe, drachmam Atticam facit Sterlinos duos, & dimidiatum. Nomen quod attinet, quidam Sterlingum, quaſi ſtellatum, a ſigno illi impreſſo: alii potius Eſterlingum, à populis Orientalibus, qui Britannis, apud quos frequentiſſimo in uſu moneta, Eaſterlings, Belgis Ooſterlingen dicuntur, denominatum volunt*, vide Frid. Gronov. *de Pec. Vet. l. 3. c. 6.* & in voce *Sterlingus*.

ESTHAMO, nomen civitatis. 1. Sam. *c. 30. v. 28.* 1. Par. *c. 4. v. 17.* Lat. *exauditio*, vel *mulieris uterus*.

ESTHAOL, urbs tribui Judæ priùs aſſignata, dein data tribui Dan, inter Azotum, & Aſcalonem in Palæſtina. Joſ. *c. 15. v. 33. c. 19. v. 41.* juxta quam ſepultus erat Sampſon. Jud. *c. 16. v. 31.* Lat. *poſtulans*, aut *mulier fortis*, vel *mulier ſtulta*, ſive *ignis laboris*. In campeſtribus ſita erat.

ESTHEMO, ſive ESTHEMOA, civitas quæ Aaronis nepotibus è tribu Judæ eſt aſſignata, Joſ. *c. 21. v. 14.* 1. Par. *c. 6. v. 57.* Nunc vicus prægrandis, in Daroma. Hier. *in Loc. Hebr.*

ESTHER, quæ & *Hadaſſah*, Mardochæi neptis, Ahaſueri uxor. Lat. *occulta*, ſive *abſcondita*, vel *demoliens*: aut ex Hebræo, & Syro, *medicinæ exploratio*, vel *contemplatio*, aut *medicina turturis*. Vide totum librum Eſtheræ, qui in Canone conſcriptus, ſecundùm quoſdam, à Mardochæo. Additiones autem, quæ ei aſſuuntur, Apocryphæ ſunt, quod fabuloſus earum character, contradictiones, quæ iis partim cum Canonico, partim inter ſe intercedunt, aliaque affatim arguunt. Plura de Eſthera, apud Joſeph. *Antiqq. l. XI. c. 6.* & in voce *Aſſuerus*, quem quidem Artaxerxem Memnonem, alii Xerxen, &c. faciunt. In *Eſtheram*, vel *partes*, extant: Aſſum, in Octav. Germ. Norib. A. C. 1672. Bonartii *Comm.* fol. Coloniæ, A. C. 1647. Brentius. Celada. Crommerus. Cuperi *Comm.* Druſii *Annotat. cum Scholiis.* Quart. Amſtel. A. C. 1632. Ferus Fevardentius. Gualtherus. R. Iſaac ben Arama. Don. Joſeph aben Jechiia. de Lapide. Lavateri *Homiliæ*, fol. Tig. A. C. 1586. Lechem Setharim Hebr. Malvenda. Merlinus. R. Moſes Iſerle. Paulutius. Rabanus. Rabboth Hebr. Sanctius. Serarius. Strigelius. Taylori *Targum prius & poſter.* Quart. Wolfius, &c. Vide Crowæi *Elenchum*.

ESTHONIA, Livoniæ pars Sept. Ejus partes ſunt *Eſthonia* propria, *Vicheslandia*, *Alentakia*, *Viria*, *Haria*, *Jervia*, & *Oldempoa*. Urbes præc. *Fellinum*, *Revalia*, *Pirnavia*, *Torpatum*, *Hapſelia* & *Zebalium*. Ei adjacent Inſulæ, *Oſilia*, 14. mill. longa, 4. lata. *Mona*, *Wormſe*, *Wrangen*, & *Kien*, in quibus partim Eſthica, partim Suecica lingua in uſu. Sub Succis, à multis annis. Baudr. *Joh. Matal. Metell.*

ESTIONES, Helvetii pop. Strab. *l. 9. p. 437.* quos Ægidius Tſchudus *Eſtnerberger* vocat. Baudr. pop. Vindeliciæ, in valle Ilari fluv. inter Brigantios, & Licatios, nunc ubi pars Sueviæ, verſus Lacum Brigantinum.

ESTIUS Gulielmus, Vide *Gulielmus*.

ESTOLA, fluv. Hiſp. Tarrac. Oritur in confin. Aſturiæ, dein rigatâ Legione, & Benevento, aliquot pòſt auctus rivulis, in Durium ſe exonerat, inter Senticam, & Mirandam. Baudr. Vulgò *Esla*.

ESTOTILANDIA, regio perampla Americæ Septentr. verſus terras Arcticas, & fretum Hudſonium, ad Bor. nov. Franciæ. Aliter *Terra Laboratoris*, ſeu *nova Britannia* Anglis. Primùm à piſcatoribus Friſlandicis tempeſtate huc, & in vicinas terras ejectis, detecta, duobus penè ſeculis ante Luſitanorum, & Caſtellanorum navigationes, & poſtmodum circa A. C. 1390. auſpiciis Zichmi, Friſlandiæ Regis, à Nicolao, & Antonio Zenis, fratribus patriciis Venetis perluſtrata eſt: Deinde verò à Joh. Scoluo, Polono, qui Anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto, 86. Annis à prima ejus luſtratione navigans ultra Norvegiam, Grœnlandiam Friſlandiamque, Boreale fretum ingreſſus ſub ipſo Arctico Circulo ad hanc Eſtotilandi terram delatus eſt. Mari merſus, ut & Michaël Cortercalis. Tota regio montibus aſpera, & ſylvis horrida, ingenti omnis generis ferarum multitudine abundat. Fama eſt Gryphos iſtis quoque in montibus reperiri. Joh. Matal. Metell. Tantùm detecta verſus oram littoralem. Baudr. Solum ferax, auri inprimis, incolæ ingenioſi, Du Val. *Geogr.* Davity *deſcr. Amer. p. 48.*

d'ESTOUTEVILLE Gulielmus, vide *Gulielmus*.

ESTREMADURA, Vide *Extremadura*.

ESTUVODUS Johannes, vide *Johannes*.

ESUBIANI, pop. inter Alpinos. Plin. *l. 3. c. 20.*

ESUBOPES, Rex Colchorum, qui terram virginem nactus plurimum auri, & argenti eruiſſe dicitur. Plin. *l. 33. c. 3.*

ESURIS, Hiſp. opp. Anton. vulgò *Xeres*. Quibuſdam eſt *Faro*, Urbs munita Algarviæ, cum portu, prope Cuneum prom. 9. leuc. Hiſp. ab oſtio Anæ, in Occ.

ESUS, Rhodi fons. Vibius Sequeſter.

ESUS & TEUTATES, humano cruore à Gallis placati. *Lactant.*

ET, in Notis Antiqq. *Etiam.*

ET NC. *Et nunc* ſignificat.

ETAEIS, Laconica urbs. *Steph.*

ETÆRIARCHA, Græcè Ἑταιριάρχης, qui agmen, ſeu cohortem ἑταιρίαν dictam, ducebat: quibus qui præerat, Μέγας Ἑταιριάρχης vocatus eſt, cujus dignitatis meminit Gul. Tyrius *de Bello Sacro l. 21. c. 16.*

ETALUS, Corinthorum Rex, regn. An. 30.

ETAM, nomen viri. 1. Par. *c. 4. v. 7.* Item petra munita in tribu Judæ Jud. *c. 15. v. 8.* In qua poſtea civitas Judæ ædificata eſt, & à Roboamo ædificiis munita. 1. Par. *c. 4. v. 32.* 2. Par. *c. XI. v. 6.* Lat. *avis eorum*, ſive *involutio eorum*, vel *calamus eorum*: aut Syriacè *conſilium eorum*.

ETANNA, locus Galliæ, Tabulæ Theodoſianæ notus, vulgò *Venne*, ad Rhodanum: inter Petræ Caſtellum, & Antoniacum, *Anton* Hadr. Valeſ. in voce *Rhodanus*.

ETAXALOS, Inſ. Arab. Fel. verſùs Orient. Plin. *l. 6. c. 28.*

ETBURGA, fil. Edvardi Senioris Regis Angliæ, quæ relictâ paternâ domo ſeſe in ſolitudinem contulit, in qua reliquum vitæ peregit.

ETEARCHUS, Oaxi, civitatis Creticæ Rex, qui amiſſâ uxore filiæ ſuæ Phronimæ novercam ſuperinduxit, quæ domum ingreſſa ut erat, ſeſe reipsâ novercam præſtitit, cùm lædendo, atque omne injuriarum genus excogitando, tum ad extremum impudicitiam ei impingendo. Etearchus criminationibus uxoris fidem habens, Themiſonem quendam Thereum jurejurando adſtrinxit, ut acceptàm Phronimam in mari demergeret. Qui cùm neque Etearchi crudelitatis miniſtrum ſe præbere vellet, neque rurſum jusjurandum violare, revinctam funibus puellam dimiſit in pelagus, eâque ſubitò retractâ Theram pervenit, ubi Polymneſtus vir inter Thereos ſpectatus, in concubinatum Phronimam accepit, qui ex ea Battum genuit, Cyrenarum conditorem. Herod. *l. 4.*

ETELESTA, Carpitanorum in Hiſp urbs. *Ptol.*

ETEOCLEA, Andreidis tribus in Bœotia. Pauſ. Stat. Theb. *l. 7. v. 688.*

Nec ſegnem Argolicæ ſenſere Enteoclea *turmæ,*

ETEOCLES, Oedipi, Thebanorum Regis fil. ex nefando Jocaſtæ matris concubitu editus, cum fratre Polynice ita convenerat, ut alternis Annis regnarent. Exacto deinde primo Anno, cùm Eteocles, qui, quòd major natu eſſet, primo Anno regnarat, renueret fratri regno cedere, Polynices adjutus à Tydeo, & Adraſto ſocero fratri bellum intulit, in quo ambo mutuis vulneribus cecidêrunt. Impoſitis deinde cadaveribus eidem rogo, flammam ſe diviſiſſe tradunt, quaſi odium illud, quod inter vivos fuerat, ne morte quidem finiri potuerit. Euſeb. Apollod. Stat. *l. 12.* Theb. *v. 41.*

---- *triſtes* Eteocleos *umbræ*
Aſpiciant.

Ibid. *v. 429.* & ſeqq.

Ecce iterum fratris primos ut contigit artus
Ignis edax, tremuere rogi, & novus advena buſtis
Pellitur, exundant diviſo vertice flammæ,
Alternoſque apices abruptâ luce coruſcant.
Pallidus Eumenidum veluti commiſerit ignes

Orcus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Orcus, uterque minax globus, & conatur uterque
Longius ipſe etiam commoto pondere paulum
Seceſſere trabes. ---- ----

Ovid. Triſt. *l.* 5. *Eleg.* 5. *v.* 33.

Scinditur in partes atra favilla duas.

Nic. Lloyd.

ETEOCLUS, Argivorum Rex, poſt Iphin, bello Thebano cecidit, Apollod. *l.* 2. non verò totum poſledit regnum, ſed tertiam ſolùm partem, ut videre eſt ex iis, quæ ſuprà de Biante diximus. Vide & infrà *Melampus.*

ETEOCRETÆ, Cretæ pop. antiquiſſimi. *Diod.*

ETEONES, urbs Eubœæ ab *Eteoneo* quodam, nunc *Scarphe* vocatur in colle ſita. Steph. *Eteonos* Ferrario opp. Bœotiæ, ad Aſopi fluv. oſtia. Stat. *l.* 7. *Theb. v.* 266.

Qui Scolon, denſamque jugis Eteonon *iniquis.*

ETEONICUS, Dux Lacedæmoniorum, qui, nuncio victi ad Arginuſas Callicratidæ allato, juſſit auctores ejus famæ coronis ornatos, & Pæana canentes Mitylenem ingredi, & victoriam nunciare; & ipſe Evangelio ſacrificavit, quaſi ob rem feliciter geſtam. Conon Athenienſis tùnc Mitylenen oppugnans hoc facto conſternatus, cum exercitu quietum ſe tenuit. Vide plura apud Diod. Sicul. *l.* 13. & Polyæn. *l.* 1.

ETESIÆ, venti quotannis ſtatis temporibus flantes, biduo incipientes poſt Caniculæ exortum, & ad dies ferè 40. continuantes Sic dicti quaſi *annui.* E'τος enim Græcis eſt *annus.* ---- *Eteſia flabra Aquilonum* Lucret. dicuntur *l.* 5. & 6. Senec. *veliferas* vocat, *in Thyeſte.* Act. 1. in Choro. *v.* 8.

Æſtas veliferis *ſolvit* Eteſiis.

Unde Varro etiam *Navales* appellat. Stati enim ſunt, & conſtantes. Æſtivos eſſe ventos conſtat ex Ariſt. *l. de mundo.* Plutarch. *in Dione*, Nic. Lloydius. Et quidem hi *Anniverſarii* venti, ſunt Boreales, deſcribentibus Græcis, à medio Julio uſque in finem Auguſti, eoque toto dierum Canicularium tempore flantes. Plin. *l.* 2. *c.* 47. *Hujus* (Caniculæ) *exortum diebus octo ferme Aquilones antecedunt, quos* Prodromos *appellant. Poſt biduum autem exortus iidem Aquilones conſtantius perflant diebus quadraginta, quos* Eteſias *vocant.* Nonnunquam in Zephyros Ariſtotele teſte, mutantur quò reſpexiſſe videtur A. Gell. *l.* 2. *c.* 22. cùm illos *ex alia atque alia parte cœli ſpirare*, etſi dubitanter dicit. Spirant autem interdiu tantùm, noctu verò deſinunt: nec ubivis ſentiuntur, verùm in iis tantùm Regionibus, quibus Carpathii montes versùs Boream obtenduntur, i. e. Græcia, Macedonia, Servia, Boſnia, Thracia, Aſia minori ac Ægypto. Cujus cauſa vaporum è diſſoluta nive, quâ montes illi abundant, ortorum copia: qui cùm circa meridiem potiſſimùm rareſiant, noctu autem condenſentur; hinc fit, ut venti hi interdiu quidem ſpirent, nocturno autem tempore conſileſcant. Eodem, quo hi flant tempore, in Regionibus cis Carpathum, i. e. Poloniæ parte ac Ruſſia, etiam ſtatos ventos, ſed Auſtrales ſpirare, obſervatum Mart. Cramero *in Rebus Pol.* & Sigiſm. Baroni Herberſtenio, *in Rebus Moſcoviticis:* quod argumento fortiori eſt, non aliam, quàm à Carpathiis montibus, *Eteſiis* originem eſſe. Annumerari iiſdem poſſunt venti Boreales, qui in litore Indico Guzaratæ à Martio uſque ad Septembrem, continuò perflant; quia nives in Caucaſi montibus diſſolutæ ingentem vaporum ſubminiſtrant vim, qui Solis æſtivi radiis verſùs Auſtr. diffunduntur, Auctor Anonymus *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c.* 2. *Hiſt. Ventorum.* Vide quoque Ariſtot. *Meteorol. l.* 2. Columell. *l.* 2. *c.* 27. Aldum Manut. *Quæſitis per Ep.* Caſaub. *ad l.* 3. *Strab.* Wouwer. *de Polymat. c.* 11. & Salmaſ. *ad Solin. p.* 421. & *ſeqq.* inprimis *p.* 427. ubi hos ventos Nili incrementorum efficientem cauſam eſſe, contendit pluribus.

ETESIUS Lapis inter Porphyritas lapides, memoratur, in *Lexico* Chymico, Πορφυρίτης ἐςὶ λίθος ἐτήσιος καὶ ἀνδροδάμας. In lapidibus ad mortaria medicinalia aptis, Plin. *l.* 36. *c.* 22. *Eteſiumque lapidem in his prætulêre cœteri, mox & Thebaicum.* De quo multa miranda Chymici Scriptores, è quibus nonnulli factitium eum eſſe exiſtimant. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1103.

ETETA, Mœſiæ ſuperioris urbs. Ptol. *Recana Nigro.*

ETGARUS, vel potiùs *Edgarus*, Angliæ Rex, qui tot Monaſteria erexit, quot Annos regnavit.

ETH, ſive HETH, locus in regione Hebronis, in tribu Juda, quem *Ethæi* ſive *Hethæi* populi, ab Ethæo ſive Hethæo filio Chanaan orti incoluêrunt: à quibus Abraham ſpeluncam duplicem emit.

ETHAGARI, Sericæ reg. pop. *Ptol.*

ETHAI, אתי, nomen viri. 2. Sam. *c.* 15. *v.* 21. & 22. qui & *Ithai.* 2. Sam. *c.* 23. *v.* 29. Lat. *robuſtus*, ſive *ſignum meum*, aut *vomer*, ſive *adventus.*

ETHAI, אתי, fil. Roboam ex Maacha. 2. Par. *c.* XI. *v.* 20. Lat. *hora*, *tempus*, vel *paratus.*

ETHALIA, vel ÆTHALIA, inſ. Liguſtici maris, Populoniæ urbi oppoſita, ab *Ethalio*, qui ei præfuit, ſic dicta.

ETHALION, unus ex Tyrthenis nautis, quos in Delphinos mutatos fingit Ovid. *Met. l.* 3. *v.* 644.

Increpor à cunctis, totumque immurmurat agmen
E quibus Ethalion

ETHAM, deſertum magnum, & arenoſum, ad quod venêrunt filii Iſraël profecti de Socoth. Exod. *c.* 13. *v.* 10. Num. *c.* 33. *v.* 6. Lat. *fortitudo eorum*, aut *vomer*, vel *adventus eorum*, ſive *ſignum eorum.* Hoc tranſivêrunt Iſraëlitæ, ante ingreſſum maris.

ETHAN, vir quidam ſapiens, fil. Maol. 1. Reg. *c.* 4. *v.* 31. Fil. Zaræ filii Judæ. 1. Par. *c.* 2. *v.* 6. Fil. Gazaiæ. 1. Par. *c.* 15. *v.* 19. Fil. Samma, filii Semei. 1. Par. *c.* 6. *v.* 42. Fil. Chuſi, filii Abdi. *v.* 44. Item civitas deſerta in capite ſolitudinis, tempore Moſis, Lycus Joſepho; ubi Babylonem poſtea factam ait, dum Cambyſes Ægyptum vaſtaret. Comeſt. *in c.* 13. *Exod. v.* 20. Lat. *fortitudo*, ſive *vomer earum*, aut *inſulæ donum.*

ETHANIM, nomen menſis 7. apud Hebræos, qui noſtro Septembri reſpondet. 1. Reg. *c.* 1. *v.* 2.

ETHBAAL, i. e. *ad idolum*, ſive *ad dominantem*, vel *ad ſubjicientem*, ſive *ad poſſidentem*, aut *ſignum idoli* vel *dominantis*, *ſubjicientis*, aut *poſſidentis*, Nomen Regis Sidoniorum. 2. Reg. *c.* 16. *v.* 31.

ETHE, inter opera Ariſtidis Theb. apud Plin. *l.* 35. *c.* 10. *Is omnium primus animum pinxit, & ſenſus omnes expreſſit, quos vocant Græci* Ethe: *item perturbationes* ex Græco ἤθη. De qua voce ſic Scalig. *Poët. l.* 3. *c.* 1. Ἦθος *qualiſcunque affectio eſt, à qua* ἔθος, i. e. *mos pendet. eſt enim* Ἦθος *iracundia, conſuetudo autem iraſcendi* ἔθος, *quare neque inanima, neque arbores, tametſi ſunt animantes, habent* ἦθος, *ſed* πάθος ---- *differt autem* ἦθος, & πάθος *non ſolum gradibus* ---- *ita ut* πάθος *ſit* ἦθος *vehemens, ſed quia* ἦθος *eſt principium agendi,* πάθος *autem patiendi. Itaque qui perturbatur, pathos habet, ut invidus: qui perturbat,* ἦθος, *ut iracundus* &c. Fuit autem Ariſtidis *pictura, oppido capto ad matris morientis è vulnere mammam adrepens infans: intelligiturque ſentire mater, & timere, ne emortuo lacte ſanguinem infans lambat*, Plin. *ibid.* Sic amorem, iram alioſque affectus, alii Artifices expreſſêrunt, operibus æternitati commendatis, apud eund. Vide quoque infrà *Penelope*, *Pictor* uti de Vett. *Ethica*, in voce *Gnome*. it. *Philoſophia. Politici verſus.*

ETHECUSA, inſ. in ora Cariæ. Plin. *l.* 5. *c.* 31. In aliis exemplaribus eſt *Hieruſſa.*

ETHEEL, nomen viri Nehem *c.* XI. *v.* 6. Lat. *mecum Deus*, ſive *ſignum Dei*, aut *adventus* vel *vomer Dei.*

ETHEG, Moëſiæ opp. *Anton.*

ETHELBALDUS, ſignificat *nobiliter audax.* Fil. Ethelvulphi, Anglorum Regis, diviſio cum fratre Angliæ regno, Weſtſexiæ Reg. patris viduam Juditham duxiſſe dicitur, quam poſtea Balduinus Flander. rapuit. Biennium regnavit, vitiis infamis. Obiit A. C. 859 Chenius *hiſt. Angl. l.* 7. *c.* 6.

ETHELBALDUS, Merciorum Rex, ab Alcuino fratre Pendi oriundus, pacificus Princeps, per A. 41. tandem ob ſcelera, à ſuis occiſus. A. C. 756. Gul. Malmesbur. *hiſt. Angl.*

ETHELBERTUS, ſignificat *nobiliter clarus:* Rex Cantii, poſt Etmericum, ſeu Irmericum Patrem, prudens clemenſque. A Bertha uxore, è Galliæ Regis ſanguine, ad Chriſtianiſmum converſus: baptizatuſque ab Auguſtino, cum tota gente. Obiit A. C. 617. Regni 53. Chriſtianiſmi 21. Hic ad Chriſtianiſmum neminem cogebat, ut qui à doctoribus didicerat, *Servitium Chriſti voluntarium, non coactitium eſſe debere*, Beda *hiſt. Angl. l.* 1. & 2.

ETHELPERTUS, frater Ethelbaldi, regno potitus, dignum ſe Patre filium præſtitit. Danis fortiter reſtitit. Obiit A. C. 863. Regni 5.

ETHELBREDUS, Rex Saxonum Occ. poſt Ethelbertum fratrem. Sub regni initium Danos pepulit, contra eoſdem Merciorum Regi ſuppetias miſit victrices, ipſe tandem in prælio occiſus. A. C. 872. Regni 6. Duchenius *Hiſt. Angl. l.* 7. *c.* 8. 9. & *ſeqq.*

ETHELREDUS, fil. Edgari, poſt fratrem Eduardum II. Angliæ Regem Edicto crudeli omnes Danos occidi, uxoribus eorum umbilicotenus defoſſis, ut à moloſſis parte extante, diſcerperentur, juſſit. Ob avaritiam luxuriamque ſuis exoſus, à quibus rebellione excitatâ, Suno Danorum Rex regno potitus, ipſe autem ad Richardum Normanniæ D. ſe recipere coactus eſt. Interim Sunoni mortuo Canutus fil. ſucceſſit, & Ethelredus in Angliam revocatus, ibi obiit, A. C. 1016. Regni 27. Idem *l.* 9. *p.* 282. & *ſeqq.*

ETHELEUM, Strab. *l.* 10. *p.* 473. *Æthalois*, fluv. Aſiæ, terminus Myſiæ, & Troadis.

ETHELREDUS, 5. Anglorum Rex. Itemque decimus tertius, cujus temporibus Anglia Danis tributaria facta eſt. Polyd. *l.* 7. Significat *nobile conſilium.*

ETHELREDUS, ſeu EALRED, ELRED, vel AELREDUS, Abbas Ciſtertienſis, in diœc. Eboracenſi, A. C. 1145. Scripſit Chronicon, A. M. C. uſque ad Henric. I. Item vitam Davidis, Scotiæ Regis &c. Vide Simler. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *Poſſevin.* &c.

ETHELUS, Cyzicenus, ingentis ſtaturæ, in conflictu nocturno ab Ancæo interfectus, Val. Flacc. Argon. *l.* 3. *v.* 138.

Ambroſium Peleus ingentem Ancelus Ethelum.

ETHELWERDUS, vel ELSWARDUS, nobilis Anglus, nepos Ethelredi Regis. Scripſit hiſtoriam libb. 4. A. M. C. uſque ad Edgarum, varias item epiſtolas, ad Mathildem Reginam. Gul. Malmesbur. *in præf. hiſt.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 47.

ETHELWOLPHUS, ſeu EDELPHUS vel ETHELPHUS, aliàs ATHULPHUS, Angliæ Rex poſt Egbertum patrem, A. C. 838. Otii amans, regno Weſtſexiæ priſco ſibi reſervato, reliquas ditiones Ethelſtano fratri, an filio? tradidit. Danos, Londino potitos, vicit. Dein decimâ regni parte Deo dicatâ, regna ſua Romanæ ſedi tributaria reddidit, librâ ſterlingâ in quamque familiam promiſsâ. Quod ab Henrico VIII. ſublatum. Vocabatur hoc tributum *Denarius S. Petri.* Româ reverſus, Juditham, Caroli Calvi filiam duxit, turbas à primogenito excitatas, compoſuit. Obiit A. C. 858. diviſo inter filios regno. Aſſer. *in vita ejus.* Gul. Malmesbur. Polydor. Virg. Chenius, *l.* 6.

ETHELWOLPHUS, undecimus Anglorum Rex Significat *nobilis adjutor Nic. Lloyd.*

ETHELWOLPHUS Bernicius, Anglus, ſec. 8. Inſigne de Monaſterii S. Petri, Ord. Bened. fundatione, poëma compoſuit. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 29.

ETHEL-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ETHELWOLPHUS de Lapide, nobilis Suevus, ſub Maximiliano Imp. in Aula Brandeburgica plurimum valuit. Scripſit de Heroibus, & Viris Ill. Trithem. *Catal.*

ETHELWOLPHUS Wentanus, Ep. diſcipulus Dunſtani, de Regibus, Regnis & diœceſibus Angl. &c. ſcripſit. Vincentius Bellov. Voſſ. *Poſſevin.* &c.

ETHEMON, nomen viri, Virg. *Æn. l.* 10. *v.* 126.

Et Clarus Ethemon *Lycia comitantur ab alta*

Sed leg. *Et Clarus & Hæmon*, &c.

ETHEMON, nomen viri. Ovid. *Met. l.* 5. *v.* 163.

---- *Inſtabat parte ſiniſtrâ*
Chaonius Molpeus, dextrâ Nabatæus Ethemon.

Ibid. *v.* 169.

---- *Neque enim dat tempus* Ethemon.

ETHER, civitas in tribu Judæ. Joſuæ *c.* 15. *v.* 42. Lat. *oratio*, ſive *deprecatio*.

ETHERIANUS Hugo, vide *Hugo*.

ETHERIUS, Ep. Oſmæ, in Caſtella nova, ſec. 8. à Regina Adoſinda, Silonis vidua monitus, Elipandum Toletanum Neſtorianiſmum ex orco revocare, ei ſe, cum Beato, ſed fruſtrà, oppoſuit. Opus ejus, *in Bibl. PP. t.* 4. *ed.* 2. *col* 462.

ETHFINUS, Rex Scotiæ, poſt Eugenium II. Poſt laudabile 30. An. regimen, 4. Vicarios conſtituit, qui jus redderent. Obiit A. C. 762.

ETHI, nomen viri. 1. Par. *c.* 11. *v.* 11. i. e. *Hora*, vel *tempus meum*.

ETHIM, vicus aquationi opportunus, in tribu Zabulon, ubi Saladinus A. C. 1187. Chriſtianorum exercitum contrivit. Vitr. *c.* 94.

ETHINI, Africæ propriæ pop. Plin. *l.* 5. *c.* 5.

ETHNAN, fil. Aſhur ex uxore Halaa 1. Par. *c.* 4. *v.* 7. Lat. *donum*, *merces*, vel *ſignum filii*, aut *adventus filii*.

ETHNARCHA, Græcè Ἐθνάρχης, vide ſuprà, ubi de *Æchmalotarchis*. Sed & cum Herodis M. teſtamento Archelao dignitas regia, cum Judæa, Samaria, & Idumæa obtigiſſet, Ἐθνάρχην tamen eum, non *Regem*, appellatum dicit Joſephus, priuſquam regium nomen illi confirmatum eſſet ab Auguſto: fratres autem ejus *Tetrarchos* ſolùm nominatos; qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 576.

ETHNESTÆ, pop. Theſſaliæ, ab *Ethneſto* Neoptolemi filio. *Steph.*

ETHNICA Religio, confuſis linguis, & gentibus per univerſum orbem diſperſis, in Chami, qui veſtigiis Cami inſiſtens, ejus hæreſin, & damnatos èrrores poſtliminio reduxit poſteritate, exorta eſt. Fuit autèm vel *Communis*, cujus dogmata, *Eſſe Deum, Solem, Lunam, & ſtellas pro Diis colendos: Homines bene meritos in numerum Deorum tranſcribendos: Sacrificandum.* Modus Theologiam ſuam tradendi fuit *Ænigmaticus*, & *myſticus*, vel *Singularis*, iterum fuit vel *Fera*, barbararum gentium, puta Scytharum Celtarum, Sarmatarum, qui, communem Religionem retinentes, cæteris propter ſimplicitatem contemptui erant, notati ſecundùm nonnullos ab Apoſtolo Col. *c.* 3. *v.* 11. Vel *Culta*, quam novis dogmatibus, ritibus, & ceremoniis excoluêrunt, Chaldæi, Ægyptii, Græci, & Romani, unde illa quadruplex, *Chaldaica*, *Ægyptia*, *Hellenica*, & *Romana*, de quibus ſigillatim. Vide G. Horn. *Hiſt. Eccl* & auctores Leydeckero *in Notis & Obſervat. ad eum* indigitatos. Omnes ad commune habebant, quòd *Atheiſmum*, & *Religionis innovationem* graviſſimè punirent. *Ibid.*

ETHNOPHRONES, Græcè Ἐθνόφρονες, Hæretici, quòd mores ritusque *Gentilium* imitarentur, dicti, apud Damaſcen. *Catal. Hæres*, & Nicetam *Theſ. Orthod. Fid. l.* 4. *Hær.* 42. Aliter *Paganizantes*, Sec. VII.

EVHODUS I. Scotiæ Rex nepos Mogali Regis ex ſorore, Conaro ſucceſſit. Argadum, qui ſub priore Rege rerum ſummæ præfuerat, à Proceribus ob luxum in vincula conjecto, Juſtitiæ conſtituit adminiſtrationem. Quo occiſo in ipſa functione, iratus Rex trecentos, facti participes, è medio ſuſtulit. Occiſus à tibicine Hiberno, cui in cubiculo ſuo locum conceſſerat, A. C. 194. Regni 33. Buchan. *hiſt. Scot.*

ETHODUS II. fil. prioris, poſt Satraëlem, & Donaldum I. patruos Rex. Ignavus & ſtupidus, poſt An. 30. ab excubiis ſuis occiſus. A. C. 231. Chenius, *l.* 4. *p.* 16.

ETHUS, Scotiæ Rex poſt fratrem Conſtantinum II. Dongali filio Gregorio, biennio pôſt, regno cedere, ob vitia, coactus, Obiit A. C. 875. Buchan. *hiſt Scot.* Chenius, *Hiſt. Angl. l.* 8. *c.* 2.

ETIA, vicus Laconiæ, aut Cretæ civitas.

ETINI, Siciliæ populi. Plin. *l.* 3. *c.* 8.

ETNA, in tribu Juda Hier. *in Loc. Hebr.*

ETOCETUM, Angliæ opp. Anton. *Uttokceſter* nonnullis. Camdeno autem locus eſt, juxta Lichfeildiam, quem *the Wall* vulgariter vocant, à *murorum reliquiis* ibi repertis.

ETRICULUM, Barrio *Lataraco*, opp. Brutiorum, in Calabria cit. Vide *Herriculum*.

ETRURIA, Vide *Hetruria*.

ETRUSCÆ Antiquitates, ex monte Vulterrano haud pridem erutæ, vide Georg. Horn. *Orb. Polit. p.* 434. De *Etruſco* verò ſeu *Hetruſco*, cujus *Lachrymas* facundè proſecutus eſt Papin. Stat. *l.* 3. *ſylv.* 3. *v.* 6.

Mitibus exequiis ades, & lugentis Etruſci
Cerne pios fletus, laudataque lumina terge.

ut & *Etruſca* uxore ejus, vide *Animadverſ.* Caſp. Barthii *p.* 307. & *ſeqq. Part I.*

ETTAN, locus Palæſtinæ, Hieroſolymis proximus. Joſeph. *Ferrar.*

ETYMANDRI, pop. in Aria, memorati Ptol. à fluv. cognomine nomen nacti ſunt, quem cum *Erymandro* Plin *l.* 4. *c.* 6. & *Erimanto* Solini, eundem vult eſſe, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1175. Vide ſuprà *Erimanthe*.

EU, in *Notis antiq. Ejus* &c.

EVA, i. e. *vita*, ſeu *vivens*, omnium mulierum prima, quam Deus ex Adæ protoplaſti coſta formavit: quam intuitus Adam, ait, Gen. *c.* 2. *v.* 23. *Hoc nunc eſt os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt.* A ſerpente ſeducta edit de fructu vetito, maritoque ut idem faceret, perſuaſit. Difficultati pariendi, & rigidæ ſubjectioni, peculiariter à Deo Judice addicta. Obiit A. M. 940. decennio poſt Adamum. Gen. *c.* 3. *v.* 6. Salian. Genebr. *in Chron.* Vide & infrà in voce *Evan*.

EVA, urbs Arcadiæ, Gentile *Evaus*. Steph. Pagus Peloponn. maximus in Argia, in confin. Arcadiæ. Ferr. Item, mons, ad Pamiſum fluv.

EVADNE, Martis filia, ex Thebe uxore Aſopi, & conjux Capanei, quem incredibili amore dilexit. Itaque cùm audiviſſet illum apud Thebas fulmine periiſſe, ferè in ſtuporem diriguit, deinde cùm celebraretur funus, ſe in rogum projecit. Ovid. *de Evadne*, Amor. *l.* 3. Eleg. 5. *v.* 41.

Ignitur in Evadne *collectam Aſopide flammam.*

Idem Triſt. *l.* 5. Eleg 14 ſub calcem

Auſaque in accenſos Iphias *ire rogos.*

Claudian. Laus Serenæ Reg. Carm. 29. *v.* 13.

Caſta maritali ſucceſſit Theſſala fato.

Mart. *l.* 4. Epigr. 75. cujus epigraphe de Nigrina.

Arſerit Edvane *flammis injecta mariti.*

Propert. *l.* 1. Eleg. 15. *v.* 21.

Conjugis Evadne *miſeros elata per ignes,*
Occidit Argivæ fama pudicitiæ.

Idem *l.* 3. Eleg. 13. *v.* 24.

Nec fida Evadne, *nec pia Penelope.*

Stat. Theb. *l.* 12. *v.* 800.

Turbine quo ſeſe caris miſtraverit audax
Ignibus Evadne, *fulmenque in corpore magno*
Quæſierit.

Albinovan. *ad Liviam*,

Hoc fuit Evadne, *tunc cùm ferienda coruſcis*
Fulminibus Capaneus *impavida ora dedit.*

Ovid. *l.* 4. Triſt. Eleg. 3. *v.* 63.

Cùm cecidit Capaneus ſubito temerarius ictu,
Non legis Evadnen *erubuiſſe viro.*

Virg. Æn. *l.* 6. *v.* 447.

Evadnenque, *& Paſiphaën.*

Iphidis filiam fuiſſe facit interpres Pindari. Hyginus Phylaci. Apollodor. *l.* 3. Εὐάδνη ἡ Καπανέως, κατορθώσας πυρᾶς, θυγάτηρ δὲ Ἴφιδος, ἐπὶ τὴν πυρὰν, συγκατεκαίετο. Vide Eurip. *in Supplic.* ubi Iphis pater fruſtra dehortari conatur filiam Evadnen, à præclaro illo facinore. Ovid. *l.* 3. *de arte Amandi*: *v.* 19. & ſeqq.

Fata, Pheretiadæ conjux Pegaſæa redemit,
Proque viri eſt uxor funere lata ſui.
Accipe me Capaneu, cineres miſcebimus, inquit
Iphias, *in medios deſiluitque rogos.*

Nic. Lloyd.

EVÆI, pop. habitantes ad Meridiem, quos expulêrunt Iſraëlis filii, Joſ. *c.* 13. *v.* 3. Deut. *c.* 2. *v.* 23.

EVÆMON, pater Eurypyli, cum Græcis ad Trojam profectus 40. navibus præfuit. Hom. *in Catal.* Item urbs Orchomeniorum. *Steph.*

EVÆNETUS, Rex Lacedæmoniorum, qui ad cuſtodiendum introitum Theſſaliæ contra Xerxem, unà cum Themiſtocle Athenienſium duce à Græcis conſtitutus fuit.

EVÆNETUS, Archon Athenis, Olymp. 111. An. 2.

EVAGES, Poëta, ingenio pollens, eruditione non æquè, Dionyſ. *in Hiſt. Muſica.*

EVAGON, Græcè Εὐάγων, Pariorum legatus, apud Plin. *l.* 28. *c.* 3. *Quorum è genere ſunt Pſylli Marſique & qui Ophiogenes vocantur in inſula Cypro: ex qua familia legatus* Exagon *nomine, à Conſulibus Romæ in dolium ſerpentium conjectus experimenti causâ, circummulcentibus linguis miraculum præbuit*, uti locum reſtituit Salmaſ. quem vide *ad Solin. p.* 348.

EVAGORAS, Salaminius, Rex Cypriorum, ad quem Iſocrates ſcripſit. Excidit regno Salaminis, Protagorâ illud obtinente, ſed cùm in eo recuperato iniquè ſe gerere ad Artaxerxem Ochum deferretur; iterum rejectus aliam præfecturam, & ampliorem, poſt defenſionem acceptam, adeptus eſt. At cùm in ea quoque priora continuaret, proturbatus, & Salamina profugus, juſſu Regis, ſupplicio affectus eſt. Diod. *l.* 14. 15. & 16. Ut alii habent, ab Eunucho Nicocle, qui ſucceſſit, occiſus. Conon, poſt cladem navalem acceptam, apud illum perfugium habuit. De filio ejus, Nicocle, cui Iſocrates orationem, egregia pro Principibus monita continentem inſcripſit, vide Xenoph. *Hell. l.* 2. *& ſeqq.* Ariſtot. *Polit. l.* 5. *c.* 10. Item *Evagoras* Ludius Hiſtoricus, de quo Suidam adi. Scripſit de regnis Ægyptiorum, vitam Timagenis, &c. Diverſus ab illo eſt *Evagoras* Thaſius; qui inter eos fuit, ex quibus Plin. librum Hiſt. Nat. contexuit, *l.* 10.

EVAGRIUS, Patr. Antiochenus, poſt Paulinum, amicus Hieronymi; oppoſitus Flaviano Meletii ſucceſſori, hinc ſchiſma. Ambroſius *ep.* 78. illum Canonicè electum negat, defenſus tamen eſt, à Syricio Ep. R. Obiit A. C. 394. Vitam S. Antonii ab Athanaſio ſcriptam, Latinè vertit. Hieron. *in Cat. c.* 125. & *ep.* 6. Theodoret. *l.* 5. *c.* 23. Socrat. *l.* 5. *c.* 15. Sozom. *l.* 7. *c.* 15. Item, alius Eudoxio Ariano ſurrogatus: ab Imp. Valente verò pulſus. Gregor. Naz. *Or. ad Cl. Ep.* Socrat. *l.* 6. *c.* 13. & 14. Baron. A. C. 370.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

EVAGRIUS, Presbyter, Annis 14. manſit in ſolitudine, contentus pane, & oleo. Si quando Veneris titillaretur illecebris, demergebat ſe in puteum, ut aquæ frigiditas libidinis fervorem compeſceret.

EVAGRIUS, cognomento *Ponticus*, quia natus fuit circa Pont. Eux. unde & Hyperboritam Hieronymus, ad Cteſiphontem ſcribens, vocat. A S. Baſilio Lector fuit ordinatus: A Gregorio Nazianzeno cooptatus eſt, inter Conſtantinopolitanos Diaconos. Poſt illa Hieroſolymam profectus fuit: atque ibi ex Clerico factus eſt Monachus. Inde venit in Ægyptum, ubi in Nitriæ monte vixit. Ann. 16. Valde eum laudat Gennadius *in ſcriptoribus Eccleſiaſticis*. Etiam commendat eum, utpote ei familiaris, Palladius Galara *in Lauſiacis*. Item Socrates *Hiſt. Eccl. l.* 4. *c.* 18. & Sozomenus *l.* 6. *c.* 30. A quibuſdam creditur auctor vitarum PP. deſerti, ſed illæ Ruffini ſunt. Sixtus Senenſis, & Trithemius tamen eas Evagrio Antiocheno tribuunt. Roſueid. *prolog.* 4. *ad vitas PP.* Sed ex Hieronymo, Epiphan. Theophilo Alex. conſtat. illum Origenis errores ſequutum, Pelagiani dogmatis ſemina jeciſſe. Imo & inter hæreticos reponitur ab Antiocho Monacho, qui vixit ſub Heraclio Imp. Hieron. *ep. ad Cteſiph. præf. adv. Pelag. ep.* 60. Gennud. *de Vir. Ill. c.* 11. Socr. *l.* 4. *c.* 18. Sozomen. *l.* 6. *c.* 30. &40. Baron. *A.* C. 388. *n.* 103. Joh. Climachus eum carpit, quòd è Chriſtiano Stoicum facere hominemque nimis properè ad perfectionis metam perducere voluerit. *Nic. Lloyd.*

EVAGRIUS Scholaſticus, ſcriptor Eccleſ. Hiſtoriæ, quæ libris ſex conſtat; Eam inchoat, ab A. C. 431. ubi Socrates ac Theodoretus deſiêre; perducit verò uſque ad annum Mauritii duodecimum, ut quidem ipſe teſtatur in fine operis, atque ex eo Photius *Tmem.* 29. Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 23. Epiphaniâ, Syriæ urbe, oriundus, vixit ſec. 6. Vulgavit quoque librum, relationes, epiſtolas, orationes, diſputationes varias continentem: A Tiberio, & Mauritio ad dignitates evectus. Perſpicuus eſt, & accuratus, Photius *Bibl. cod.* 29. Nicephorus Calixtus, *præf.* &c. Interim in plurimis exſcriptor Zachariæ Hiſtorici, qui hæreticus cùm eſſet, in his Evagrius fidem minimè meretur. Morer. *in Martyrio.*

EVALCES, Hiſtoricus, Ἐφεσιακὰ prodidit, ut cognoſcimus ex Athenæi *l.* 13.

EVALENI, populi, Glaucus *l.* 2. *de Arabia. Steph.*

EVAN, unum eſt ex Bacchi cognominibus, ab *Evantium* mulierum clamore impoſitum. Ovid. *Met. l.* 4. *v.* 15.

Nyctileaſque Eleuſque parens & Iacchus & Evan.

à quo etiam *Semelejus Evan* dicitur. Unde *Evantes* vocantur mulieres ejuſdem ſacra celebrantes. Propert. *l.* 2. *Eleg.* 3. adverſus ſe ipſum *v.* 18.

Egit ut Evantes *dux Ariadna choros.*

Stat. *l.* 1. Silv. 2. *v.* 220.

Baſſaridum jactator Evan.

Idem *Theb. l.* 5. *v.* 94.

A ſummis auditus montibus Evan,

Nic. Lloyd. Imò ipſum hoc Protomatris noſtræ nomen eſſe, adeoque in ſacris his, veſtigia quædam primorum Parentum lapsûs latuiſſe, docet Clemens Alexandr. *Protrept. p.* 7. ubi Bacchi orgia celebrant, Ἀνεστεμμένοι, inquit, τοῖς ὄφεσιν, ἐπολολύζοντες Εὐάν. Εὔαν ἐκείνην, δι᾽ ἣν ἡ πλάνη παρηκολούθησε· καὶ σημεῖον Ὀργίων Βακχικῶν ὄφις ἐστὶ τετελεσμένος. Αὐτίκα γοῦν κατὰ τὴν ἀκριβῆ τῶν Ἑβραίων φωνὴν, τὸ ὄνομα τὸ Εὔια δασυνόμενον ἑρμηνεύεται ὄφις ἡ θήλεια, *Coronati ſerpentibus, ululantes* Evan: *illam per quam error eſt conſecutus; & ſignum Bacchicorum Orgiorum eſt ſerpens conſecratus. Jam verò ſi accuratè vox ſpectetur Hebraica, nomen Hevia aſpiratum exponitur ſerpens fœmina*, apud Tob. Pfanner. *Syſtem. Theol. Gentil. purioris c.* 7. §. 10. Vide quoque infrà in voce *Iſis.*

EVANDER, Carmentis fil. Arcadiæ Rex, ob eloquentiam Mercurii fil. ex Nicoſtrata habitus eſt. Hic, relictâ Arcadiâ, cùm patrem caſu interfeciſſet, avito regno pulſus, ſuadente matre, quæ vates erat, conſcenſâ navi in Italiam venit, & pulſis Aboriginibus tenuit illa loca, ubi poſtea Roma condita eſt, parvumque opp. in Palatino monte extruxit, Pallanteum, à *Pallante* proavo dictum. Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 54.

Pallantis proavi de nomine pallanteum.

Romanæ conditorem arcis appellat. Latinis primus uſum literarum, & artem colendi agri tradidiſſe dicitur. Aur. Victor *de orig. gentis Rom.* Juſtin. *l.* 43. *c.* 1. Dionyſ. Halicarn. Voſſ. *in Ariſtarcho.* Vide etiam Liv. *l.* 1. *c.* 7. *Cum Evandri matre loqui* apud Gell. *l.* 1. *c.* 10. eſt obſoletè loqui. Ita *catillum Evandri manibus tritum* pro antiquiſſimo, Horat. dixit *l.* 1. Serm. *Sat.* 3. *v* 90.

Menſave catillum Evander *manibus tritum dejecit*,

Ubi tamen Acron, & Porphyrion vett. Scholiaſtes alium *Evandrum* intelligere videntur, nempe cœlatorem nobilem Athenienſem à M. Ant. Alexandriam perductum, eoque victo inter captivos Romam advectum. Hinc *Evandrius* poſſeſſivum, ut *Evandria regna*, & *Evandrius enſis*, apud Sil. & *Virg.*

EVANDRIA, Luſitaniæ opp. Ptol. *Evandriana* Antonino. Vulgò *Olivenza.* Aliis *Talaveruela*, opp. nunc Extremaduræ Caſtellanæ, ad Anam fluv. 8. leuc. ab Emerita in Occ. verſus Eboram & Pacem Aug.

EVANDRIUS, mons urbis Romæ, idem cum Palatino, Claudian. *Ferrar.*

EVANGELIA Dominicalia, Vide infrà *Poſtilla.*

EVANGELIARIUM, item EVANGELISTARIUM, quemadmodum Græcis citerioribus Εὐαγγελιστάριον, liber dicitur in Eccleſia Lat. in quo continentur *Evangelia*, ſingulis Miſſis legi aut cantari ſolita; compoſitus à D. Hieronymo, uti quidem tradit Honorius Auguſtodunenſis *l.* 1. *c.* 88. qua de re diximus alibi. Ab eadem origine *Evangeliſmus*, Græcè Εὐαγγελισμός, apud Nicon. *de Religione Armenorum, Quinto menſis Januarii veſpere feſtum* Evangeliſmi *celebrant*; Dominico Macro eſt Feſtum Annuntiationis Virginis Deiparæ, quod illos anticipare dicit, utpote in Quadrageſima nullum Feſtum celebrantes. At Balſamoni Palmarum Feſtum eſt ſeu Dominica Palmarum. Vide Macros fratres *in Hierolexico.* Iidem, quibus *Evangelium* cerimoniis in Miſſa, apud Latinos, recitari ſoleat, fusè exponunt. Illud nudato enſe in Vigilia Natalis Domini, in Matutinis, Moguntiæ legiſſe Carolum IV. Imp. habetur in *M. Chron. Belg. p.* 286. & apud Continuatorem Nangii A. C 1378 Græcos Epp. pallium deponere, Maronitas caput detegere, dum illud in Sacris prælegitur, iidem habent Macri: *De divinatione per Evangelii inſpectionem, de purgatione per S. Evangelium, de ritu Evangelium dorſo portandi*, Vide Car. du Freſne *in Gloſſario* & infrà Thronus: uti de *parvulis Evangeliis*, phylacteriorum loco, circumgeſtatis, infrà in voce *Phariſæi.* At *Evangelium æternum*, nomen libelli, memorati Odorico Raynaldo ad A. C. 1256. *n.* 20.

EVANGELICÆ Sortes, vide infrà *Prognoſticon.*

EVANGELIO Præfectus, vide infrà *Præfectus.*

EVANGELIUM, Græca vox, *lætum nuntium* ſignat in genere, in ſpecie doctrinam de remiſſione peccatorum, & vita æterna, per fidem in JESU CHRISTI mortem meritumque, impetranda, divinitus nobis in Verbo patefactam. Unde & Hiſtoriam vitæ Servatoris noſtri, *Evangelium* vocare in Eccleſia ſolemne eſt: Hanc à quatuor *Evangeliſtis* divino juſſu conſignatam habemus. E quibus S. Matthæus Hebraicè primò vel Syriacè ſcripſiſſe videtur, Irenæo, Athanaſ. Auguſtin. Euſeb. Epiphan. &c. idque A. C. 39. dein quoque Græcè: quâ linguâ & reliqui uſi, utpote tum maximè diffusâ, & gentibus erudiendis aptiſſimâ: Marcus quidem, quem Romæ, Evangelium ſuum adornaſſe vult, Anno tertio Claudii Imp. ſeu A. C. 43. Euſeb. Lucas dein, qui idem præſtitit, A. C. 56. Joh. tandem, qui poſtquam è Pathmo Epheſum redux, tria priora approbaſſet, indicto Eccleſiis, quas Ebion & Cerinthus turbatum ibant, jejunio, ſuum quoque conſcripſit, quo Deitatem Filii, contra hos hæreticos, in limine ſtatim, inſigniter aſſerit: Circa A. C. 97. Hier. *præf. in Matth.* Irenæus *l.* 3. *c.* 1. & 11. &c. Euſeb. *l.* 3. *c.* 20. Auguſtin. *de Concord. Evangel.* &c. In *Evangelia* proſtant,

Primò *Harmoniæ*, Aleſii. Althoferi in quart. Jenæ A. C. 165[illegible] Ammonii, fol. Baſileæ A. C. 1550. Auguſtini. Baradii. fol. 2. Volum. Lugd A. C. 1608. fol. 3. Vol. Antverpiæ A. C. 1622. Beauport, Pariſ. A. C. 1560. Gall. Beauxamis, tom. 2. fol. Pariſiis A. C. 1650. Bruchii, fol. Coloniæ, A. C. 1550. Pariſiis A. C. 15[illegible] Octav. Buiſonii, Duodecim. Coloniis A. C. 1604. Bullingeri Calixti, Quart. Goslariæ A. C. 1398. Calvini Cartwrighti, Quart. Lugduni Batav. A. C. 1647. Chemnitii fol. Francof. A. C. 162[illegible] Genevæ A. C. 1628. Quart. Copii, Octav. Lipſiæ A. C. 161[illegible] Crellii Luther. Octav. Witebergæ A. C. 1571. Crommii, Lovanii A. C. 1633. Dieterici. Gerardi, fol. Gerſonis, inter opera. Goleti, Octav. Haræi, Octav. Antverpiæ. A. C. 1615. de la Haye, 2. tom. fol. Duaci A. C. 1609. & 1617. Herborni, Quart. Coloniæ A. C. 1546. Janſenii, 2. fol. Lugduni, Moguntiæ, Antverpiæ, Coloniæ. Quart. Lovanii A. C. 1639. & Pariſiis A. C. 1643. Lightfooti, fol. Londini A. C. 1655. & Quart. Lombardi, Lubini, 3. linguis, Græc. Lat. Germ. Quart. Roſtochii A. C. 1609. Francof. A. C. 1616. Lubomlii, fol. Cracoviæ, & Lugd. A. C. 1607. Lutzii, fol. Baſileæ, A. C. 1561. 1563. & Octav. Mercatoris, Quart. 2. volum. Duisburgi A. C. 1603. Meſchini, Spiræ Nemetum. Meuſchii Quart. Hannoviæ A. C. 1604. Molinæi, Quart. Hanoviæ A. C. 1565. Nicetæ. Oenopolæ, fol. Francof. Oſiandri, Græc. & Lat. cum annotat. Baſileæ A. C. 1537. Francof. A. C. 1541. Pariſiis, A. C. 1564. Perpiniani, fol. Coloniæ A. C. 1631. Regii, tom. 3. fol. Coloniæ, A. C. 1615. Roberti Græc. & Lat. fol. Moguntiæ, A. C. 1615. Rubi Ruperti, 6. tom. Quart. Magdeburgi, A. C. 1604. Sculteti Amſtelod. A. C. 16[illegible]. Seelmatteri, Quart. Bremæ A. C. 1611. Baſileæ A. C. 1613. cum notis analyt. Selnecceri. Octav. Lipſiæ A. C. 1604. R. Stephani, fol. per ipſum Rob. A. C. 155[illegible] Tatiani Verati, inter opera 6. tom. Venetiis edita A. C. 1571. Villalobi A. C. 1555. Pintiæ. Voſii. Zachariæ, fol. Coloniæ A. C. 1535. tomo 12. Bibl. Colon. Gul. Crowæus, *in Elencho* 5.

Secundò *Commentarii.* Videl. S. Anſelmi, Arborei, fol. Pariſiis, A. C. 1551. Aventarii, Duodec. A. C. 1583. Auguſtini, Auzolii, Pariſiis, A. C. 1610. Backmeiſteri, Wittebergæ A. C. 1577. Octav. Lubecæ. A. C. 1604. Baëzæ, 4. Vol. fol. Pariſiis, A. C. 1628. Bedæ *Annotationes*, fol. Pariſ. A. C. 1526. Benedicti, fol. Pariſiis, A. C. 1552. Blocii *Hiſtoria Trigloſſo-metrica*, Octav. Lipſiæ, A. C. 1612. Boiſii *Collatio vet. Interpretis cum Beza*, &c. Octav. Londini, A. C. 1655. Bonfrerii. Boudini, Octav. Antverpiæ. Bourgheſii, *Expoſ. myſteriorum Vitæ Chriſti*, Octav. Antverpiæ, A. C. 1622. Brugenſis. Brunfelſii *Annotat.* fol. Argentorati A. C. 1535. Buceri *Explanatio*, fol. Baſil. A. C. 1536. & fol. per Rob. Stephanum, A. C. 1553. Bullioudi *Notæ*, à Caſtro, in 8. Antverp. A. C. 1593. Chryſoſtomi *Commentar.* Lat. Octav. Pariſiis, A. C. 1576. Græc. Lat. Octav. Genevæ, A. C. 1602. Contzen, Tom. 2. fol. Coloniæ Agr. A. C. 1626. Euſebii *Homiliæ* Lat. Octav. Pariſ. A. C. 1554. cum *Præparatione, & Demonſtr. Evang.* Euthymius, Græc. fol Ver. A. C. 1530. Lat. fol. Lovanii, A. C. 1544. Octav. Pariſiis, A. C. 160[illegible] Fabri *Commentarii initiatoris*, fol. Baſileæ, A. C. 1523. Gerardus. Gregorii M. *Homiliæ.* Grynæi *Demonſtrationes*, Quart. Baſileæ, A. C. 1588. Hemingii *Demonſtratio indubitatæ veri.* Octav. Lipſiæ, A. C. 1571. Hilarionis *Animadverſiones*, Quart. Brixiæ A. C. 1578. Illyrici *Collectio geſtorum Chriſti, cum Scholiis*: Inter opera ejus. Kirſtenii *Vita 4. Evangel.* fol. Franc. A. C. 1609. Lightfoot. Maldonatus, fol. Muſſiponti A. C. 1596 Marheſii *Vita Chriſti*, Germ. fol. Noriberg. Mogandri *Annotationes.* Tiguri A. C. 1581. Natalis *Meditationes cum Annot.* fol. Antverpiæ A. C. 1593. Nardi *Tabulæ Legis Evang.* Baſ[illegible] Octav.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Baſileæ A. C. 1553. Nicetæ *Catena*. le Noir, *Paraphraſis metrica*. Gall. Octav. A. C. 1663. Pavoni *Comment. Dogm.* fol. Neapoli, A. C. 1636. Perezii *Fides authentica 4. Evang.* Quart. Lugduni A. C. 1626. Radmanni *Vita Jeſu Chriſti*. Francof. ad Oder. A. C. 1600. Ringmanni *Hiſt. Paſſionis Chriſti*, Argentinæ. Ruperti *Volumen in 4. Evang.* Sà. *Scholia*. Quart. Coloniæ A. C. 1612. Sarcerii *Juſta Scholia*, Baſileæ A. C. 1541. Scomeri *Concion. Decades*, Octav. Lemgoviæ A. C. 1585. Sculteti *Exercitationes* Quart. Amſtelod. A. C 1624 Selnecceri *Homiliæ*. Octav. Lipſiæ, A. C. 1604. Spanhemii *Dubia*, 3. part. Quart. Genevæ A. C. 1651. Taylori *Exemplar Magnum*, Anglicè, Londini A. C. 1657. fol. Theophilactus. Zuinglii *Expoſitio*, &c. Plures dabit Culielmi Growæi *Elenchus*.

EVANGELORUM Portus, ad ſinum Arabicum in Æthiopia. *Ptol.*

EVANGELUS, Branchi ſucceſſor. Fuit autem Branchus Oraculi apud Mileſios, *Branchidarum* ab eo dicti, quod omnium certiſſimum poſt Delphicum habitum eſt, primus Præſes, Smieri, ſive, ut apud Lutatium ſeu Lactantium Statii Interpretem *l.* 8. *Theb. v.* 198.

Delon, & intonſi cludet penetralia Branchi.

legas *Smiri* fil. Cui cùm Evangelus in hoc munere ſucceſſiſſet, Oraculum *Evangelidarum* quoque dici cœpit. Vide quæ Photius in *Μυϱιοβίβλῳ* Cod. 186. refert, ex Cononis ad Archelaum Philopatorem narrationibus, *ſ.* 33. & 44. Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 12.

EVANGELUS, Hiſtoricus Græcus, qui de re militari ſcripſit. Plutarch. Poëta Comicus, Athen. *l.* 14. Suid. Caſaub. *in Animadverſion. p.* 648.

EVANORIDAS, Eleus, ſcripſit de iis, qui Olympiis ludis vicerant. Pauſan. *l.* 6.

EVANORIDAS, *in puerili lucta aliquando victor, cum Hellenodica factus eſſet, conſcripſit ipſe nomina victorum, in Olympia.* Quando vixerit ille, incertum eſt: id certum, Hellenodicas ante. L. Olympiadem nullos fuiſſe, Idem *ibid.* Vide Joh. Marſham. *Canone Chron. Sec. XVI.* ubi *de prima Olympiade Vulgari*.

EVANTHES, caput Coloniæ, à Locrenſibus, qui Criſſæum Sinum accolunt, in Italiæ regionem Lucaniam, deductæ, haud multo poſt Crotonem, & Syracuſas conditas; unde *Locri Epizephyri* in Italia, de quibus infrà. Vide Strab. *l.* 6. *p.* 259.

EVANTHES, vet. author, quem Plin. *l.* 8. *c.* 22. *inter authores Græciæ non ſpretum* vocat. *Evanthis ἐποποιοῦ* hymnum in Glaucum citat Athen. *l.* 7. Sed fuêre 3. *Evanthes*, Unus Mileſius, cujus meminit Diog. Laërt. *in Thalete*. Alter Samius, de quo Plutarch. *in Solone*, Tertius à Cyzico, quem celebrat D. Hieronym. 2. *contra Jovinian.* Voſſ. *Nic. Lloydius*.

EVARCHUS, fluv. Aſiæ in Pont. Eux. fluens, & Cappadociam à Paphlagonia dirimens; Steph. Scythiæ fluv. vocat. Ejus meminit Val. Flacc. Argon. *l.* 6. *v.* 102.

Niveumque ferax Evarchus *olorum.*

EVARISTUS IV. Romanorum Ep. Græcus natione, fil. Judæi, ſedit poſt Anacletum, A. C. 110. Novennio poſt, ſub Adriano Imp. martyrii coronâ ornatus. Epiphan. *hær.* 27. Irenæus, *l.* 3. *c.* 3. Auguſtin. *ep.* 65. Optat. *l.* 2. *c. Parm.* Eum excepit Alexander I.

EVARIX, ſeu EVARICUS, ERICUS, vel EURICUS, Rex Wiſi-Gothorum IX. ſucceſſor fratris Theodorici II. occiſi. Luſitaniam vaſtavit, ut & Hiſpaniam ſup. cum Navarra. Dein Arelato, & Maſſiliâ captis, Claromontem obſedit: Anthemium Imp. à Britonum Rege Reothimo adjutum, vicit. Obiit A. C. 483. An. 85. Regni 16. ſucceſſore Alarico fil. relicto. Iſid. & Idat. *in Chron.* Sidon. *Apoll. l.* 7. *ep.* 6. *l* 8. *ep.* 9. Greg. Tur. *l.* 2. *c.* 25. Hic templorum aditus ſpinis obſerare, & ſepire ſolitus eſt, ut introeundi raritas oblivionem religionis induceret; clericos verò carceribus incluſit, nullumque omiſit tormenti genus, in quo ſuam ſeveritatem non exerceret. Vide *Alaricus* II.

EVATHLUS, Rhetor Athenis ignobilis ortu, traducitur ob latas craſſaſque nates, & garrulitatem. Vide Scholia in Ariſtoph. *Acharnenſ. p.* 405. *D.* 2. Improbus quoque Sycophanta, qui & à Platone Comico in Piſandro, & à Cratino in Threiſſis ſugillatur. Vide Schol. *in Veſp.*

EVAX, Rex Indiæ ſeu Arabiæ, qui de virtutibus gemmarum ſcripſit ad Tiberium: de ſimplicibus, ad Neronem. Plin. *l.* 25. *c.* 2. Voſſ. *de Philoſ. c.* 12. § 9.

EVAZÆ, Sarmatarum populi, à Medis orti, ac Tanaim fluv. incolentes. Plin. *l.* 6. *c.* 7.

EUBAGES, Gallorum, vel, ut alii, Britannorum gentilium vates erant, qui ſacra, cerimonias, auguria, divinationes, naturæ etiam ſcientiam profitebantur, cujuſmodi erant *Aquila*, & *Perdix*. Lucii Regis tempore per Evangelii prædicationem in Britannia finem habuêrunt A. C. 179. Vide Amm. Marcell. *l.* 15. *c.* 9. *Euhages*. Strab. *l.* 4. *p.* 197.

EUBIUS, ſcriptor quidam fuit, cujus mem. Ovid. *Triſt. l.* 2. *v.* 415.

Nec qui deſcripſit corrumpi ſemina matrum,
Eubius *impuræ conditor hiſtoriæ.*

EUBOCARA, al. ABUBECHER, Mahometis ſucceſſor, & ſocer, regnavit Ann. duos. Ei ſucceſſit Omar. Joh. Forbeſ. *Inſtruction. Hiſt. Theologic. l.* 4. *c.* 17. §. 1.

EUBOEA, maxima Ægæi maris inſ. inter Sunium Atticæ prom. & Theſſaliam in longitudine extenſa, & à Bœotia Euripo admodum anguſto dirempta. Ita dicta ab *Eubœa* Heroicæ indolis matrona, cùm anteà *Macris* & *Abantis*, *Chalcis*, & *Aſopus* nuncuparetur, ut Plin. *l.* 4. *c.* 12. tradit. *Oche* etiam & *Ellopia*, quondam dicta, Strab. *l.* 2. *p.* 124 *l.* 10. *p.* 445. teſte. Ælian. *De An. l.* 12. *c.* 36. prodit eam à poëtis *ἀϱγι-βόϊον* appellari, hodie Europæis *Negroponte* dicitur. Baudr. Inſ. eſt Græciæ, Achaiæ ad Bor. adjacens, ab ea Euripo diviſa. Longa 130. mill. circiter, ab Ortu in Occ. lata 30. Circuitus 300. Urbs prim. olim potens Chalcis, nunc quoque *Negroponte* ponte jungitur continenti Achaiæ. Diu Venetis paruit, quibus aſſignata erat à Rabanio Carcerio ejus Duce, ne à Turcis occuparetur; ab his tamen A. C. 1470. ſubacta per Mahumetem II. qui in eam atrociſſimè ſæviit. Habet arcem permunitam, ærariumque inſtructiſſimum. Urbes ejus adhuc extantes, *Caryſtus*, *Chalcis*, *Eretria*, *Oreum*, *Porthmos*. Incolæ ejus, qui olim partes Athenienſium amplexi, mox rebus triſtibus illos deſeruêrunt, ut narrant Diod. Sic. Thucyd. Xenoph. &c. ubique *Abantes*, & nuſquam *Eubœenſes* nominantur ab Hom. Hinc tamen *Euboicus*. Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 2.

Et tandem Euboicis *Cumarum allabimur oris.*

Idem *Æn. l.* 9. *v.* 710.

Qualis in Euboico *Bajarum litore quondam*
Saxea pila cadit.

Ovid. Triſt. *l.* 1. Eleg. 1. *v.* 83.

Quicunque Argolica de claſſe Capharea fugit,
Semper ab Euboicis *vela retorquet aquis,*

EUBOICUM Mare, à Plauto *Perſicum portum* vocari teſtatur: Amphit. Act. 1. ſc. 1. *v.* 248.

Nonne hac noctu noſtra navis ex portu Perſico.

Feſtus, quòd in eo claſſis Perſarum fuiſſe dicitur. *Euboicum ſinum* vocat Liv. *l.* 28. *c.* 5. Item *Eubœa*, Siciliæ urbs, in ora Auſtr. apud Pachynum prom. *Caſtellazo* quibuſd. & urbis nomen in Eubœa inſ. à mari abſorptæ, Item Arcadiæ mons, Pauſan. Locus etiam in Corcyra, & Lemno inſulis. *Strab.*

EUBOICUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

EUBOIS, uxor Acciajoli Rainerii. Ducis Athenarum. Vide *Acciajolus*.

EUBONIA, inſ. Gildæ, ab aliis Monœda ſeu Mona, inſ. oblonga Angl. cum tit. reg. olim Vide *Monœda*.

EUBULE, filia fuit cujuſdam Orphei filii, quam cum Paſithea, & Theope ſororibus, civitati immolandas exhibuit, ut ingens annonæ caritas, quæ Atticam vehementer premebat, finem ſecundùm oracula caperet. *Æl. Hiſt. Var. l.* 12. *c.* 8. Suid. in Voce *Λεωκόϱειον*, Cic. *l.* 3. *de Nat. Deor.*

EUBULEUS, in Eleuſiniis olim Myſteriis, memoratur Clementi 7. *Strom.* de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 750.

EUBULIDES, Mileſius, Philoſophus Sectæ Megarenſium, diſcipulus, & ſucceſſor Euclidis. Varios interrogandi, in Dialectica, modos invenit, unde Comicorum invidia. Ejus diſcipulus Demoſthenes fuit qui cùm liquidam R. pronuntiare non poſſet, ſuaſu Magiſtri, aſſiduâ ejus repetitione, naturæ vitium correxit. Ariſtotelem in plurimis acriter reprehendit, etiam ſcripto adverſus illum edito. Athen. Porro Alexinum, Euphantum, Apollonium Cronium, auditores habuit. Diog. Laërtius, *in Euclide*. Athen. *l.* 8. Phot. *Cod.* 265.

EUBULIDES, Archon Athenis, Olymp. 96. An. 3.

EUBULIDES, Hiſtoricus, librum de Diogene, & Socrate reliquit, ex quo de philoſopho hoc quædam refert Laërt. in eorum vita.

EUBULUS, Archon Athenis, Olymp. 108. An. 4.

EUBULUS, Athenienſis civis, Demoſtheni ſæpè adverſus, ut ex ipſius *in Midiam oratione* notum eſt. Item *Eubulus* mediæ Comœdiæ poëta. Olymp. 101. Athenæo ſæpè laudatus, Suid. Et alius Hiſtoricus, qui hiſtoriam Mithræ multis voluminibus explicuit. B. Hieron. *l.* 2. *adv. Jovin.* Hoc ex opere ſunt ea, quæ de Mithra commemorat Porphyrius *in Com. de Nympharum antro*. Item Viri ſancti nomen, cujus meminit D. Paulus. 2. ad Tim. *c.* 4. *v.* 21.

EUBULUS Philoſophus, qui Autophradatæ Atarnam obſidere paranti ſuaſiſſe dicitur; conſidera, inquiens, quanto tempore locum iſtum poſſis expugnare; & hujus temporis ſumptus expende: equidem Atarnam minoris jam ſim tibi traditurus, & relicturus. Quâ oratione Autophradatem, cùm ſecum id reputaſſet, impulit, ut obſidionem ſolveret.

EUBULUS Alexandrinus Philoſophus, diſcipulus Euphranoris, Ptolomæi Magiſter. Diog. Laërt. *in Timone l.* 9.

EUBURIATES, Liguſtici pop. à Fulvio expugnati. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

EUCARPIA, vicus in min. Phrygia, in qua, Metrophane teſte, racemus tantus provenit, ut currus medius præ pondere aliquando rumpatur. Steph. Hanc regionem barbari Jovem Cereri, & Baccho, fœcunditatis gratia donaſſe fabulantur. Baudr. urbs eſt Phrygiæ magnæ,, ad Hermum fluv. verſus confin. Lydiæ, 50. mill. à Synnada in Occ. 30. à Docimæo in Auſtr. 40. à Lyſiade. Quid nunc ſit, non conſtat. Eſt etiam *Eucarpia*, caſtellum Siciliæ inter Timæos. Vide *Steph.*

EUCÆRUS, Græcè Εὔκαιϱος, cognom. Demetrii Syriæ Regis Antiochi Gryphi filio, quem cum amica Myrina totius Imperii auctoritatem communicaſſe refert Athen. *l.* 13. *c.* 23. Vide quoque Joſeph. *l.* 13. *c.* 21. Ejus memoriam ſervat nummus, in quo legitur, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ, apud Seb. Feſchium JC. quem vide *Ep. de Nummo Pylæmenis Evergetæ Regis Paphlagoniæ.*

EUCERUS, natione Alexandrinus, canere tibiis doctus, reus ſubditus, tanquam ſe Octaviæ Claudii filiæ adulterio polluiſſet, unde eam repudiandi Nero prætextum haberet. Tacit. *Ann. l.* 14. *c.* 60.

EUCHAITA, plur. urbs Archiep. Paphlagoniæ, in mediterr.

EUCHANIA, urbs juxta Conſtantinopolim, poſteà *Theodoropolis* dicta. *Cedren.*

EUCHANIUS Montacunes, unus ex Magiſtris Armeniorum ſectæ, qui cum Jacobo Zanzalo paria docuit, de quo infrà vide Niceph. Call. *l.* 18. *c.* 53.

EUCHARIDES, olerum, & aliorum Athenis venditor *Ariſt. Veſp.*

EUCHARISTIA, pro Feſto S. Sacramenti in Eccleſia Rom.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

non ſemel occurrit, *in Ordinario MS.* Eccleſiæ Rhothomagenſis, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Quid autem propriè notet, vide ſuprà ubi *de Cœna Domini*: adde quæ infrà dicemus in voce *Menſa Domini*, it. *Myſterium*, ubi in variis Gentilium Sacris, ſymbola *panis ac poculi*, ſed aquæ, non vini, in Mithræ inprimis myſteriis *S. Euchariſtiæ* æmulationem quandam, malos Dæmones tradidiſſe, videbimus, nec non in voce *Solium*.

per EUCHARISTIAM, purgatio inter eas, quas *vulgares* vocant, locum olim non ignobilem obtinuit, ipſis Pontificibus ac Epiſcopis inita, & Conciliis quibuſdam approbata; in quibus purgatio ejuſmodi Sacerdotibus potiſſimum imponitur, à quibus juramentum exigere nefas ducebant, vide Concil. Tribur. *can.* 12. Concilium Wormatienſe *c.* 10. & Binii *Not. ad illud*, ut & *Capitulare* Aquiſgran. *de Vita, & Converſ. Monachorum c.* 64. *LL.* Canuti Regis *c.* 5. &c. Ita apud Ditmarum *l.* 2. cùm Abrahamus Ep. Friſingenſ. quod à Julitta Henrici Ducis Bavar. uxore ac tum vidua, impenſius dilectus fuiſſet, ab aliquot invidis infamaretur: eâ extinctâ, in die ejus depoſitionis, ille Miſſam cantans ſic ſe purgavit: *Ante communionem, verſus ad populum ---- hoc, inquiens, delictum, quo diffamata fuit, ſi hæc uſquam commiſit, faciat Omnipotens Pater filii ſuimet Corporis, & Sanguinis ſalutare remedium mihi provenire ad judicium ---- Ac tum cum mentis ac corporis innocentia ſumpſit ----* *Credidítque populus* &c. Eodem modo ſuſpicionem adulterii, Sibico Spir. Ep. conſpirationis in Imp. Frid. Archiep. Simonjæ Gregorius VII. Pontifex Rom. cædis Adalgarii Ep. Heduenſis, Gyrfredus Mon. Flaviniacenſis: matricidii, Eulalius Avernenſis Com. Alii aliorum criminum à ſe amoliti ſunt, vide Adamum Bremenſem *c.* 147. & ex eo Albertum Stadenſem A.C. 1051. Reginonem A.C. 941. Lambertum Schafnab. A. C. 1077. Chifflet. *in Hiſt. Trenorchienſi p.* 242. & Gregorium Turon. *l.* 10. *c.* 8. Meminit præterea Helgaudus in *Vita* Roberti Regis Franc. ejuſmodi examinis, formulamque indicat, cùm ait: *Præſuli cuidam de Domino non bene ſentienti, & quærenti pro quibuſdam cauſis probationem in Corpore Domini noſtri Jeſu Chriſti, indignè tulit Rex ---- & ſcripſit ei his verbis: ---- Miror, quâ ratione quæſieris pro tuis iniquiſſimis imperiis, & pro infeſtato odio, quod erga Dei ſervos habes, examinationem in Corpore, & Sanguine Domini, & cùm hoc ſit quod à Sacerdote dante dicitur, Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tibi ſalus animæ, & corporis, cur tu temerario ore, & polluto dicas, ſi dignus es, accipe, cum ſit nullus, qui habeatur dignus, cur divinitati attribuis ærumnas corporis, & infernum doloris humani divinæ connectis naturæ?* Priuſquam autem quis admitteretur ad purgationem talem, tenebatur ſacramento ad S. Evangelia præſtito prius ſe culpâ exuere Car. du Freſne ex *MS.* de Leone Pontif. & ex *Judiciis* Withredi Regis Cantuariorum *c.* 23. Vide eum omnino hac de re pluribus diſſerentem *in Gloſſar.*

EUCHARISTUS, Archon. Athenis, Olymp. 105. An. 2.

EUCHERIUS, Ep. Lugdun. A. C. 434. obiit A. C. 454. Sanctitate, & eruditione illuſtris. Interfuit concilio primo Arauſicano. Varia proſâ verſuque ſcripſit, ſuccincto ſtylo, & ubertate doctrinæ, inſignia. Duos filios Epiſcopos habuit, ad quos epiſtolæ ejus extant. Vide Gennad. *Scr. Eccl. c.* 63. Salvian. *Ep. ad Salon.* Claudian Mamert. *l.* 2. *c.* 9. *de ſtatu animæ.* Sidon. Apollin. *l.* 4. *Ep.* 3. *& in Car. Euchar.* Voſſ. de hoc, & ſequente, *l. de hiſt. Lat.* 2. *c.* 17. Morer. Baronius eum vixiſſe exiſtimat, ultra A. C. 463. Bellarminus etiam ad A. C. 499. perveniſſe contendit. Labbæo obiit A. C. 454. Valentiniano, & Martiano Principibus. Opera ejus, inter quæ *Quæſtiones in V. T. difficiliores, nominumque Hebraicorum ac aliorum in SS. Literis occurrentium interpretatio*: prodiêrunt *fol.* Baſileæ A. C. 1531. Pariſiis A. C. 1563. & 1618. Romæ 1564. *Explanationes in Geneſin, & in Libros Regum*, quæ ibidem; an verò *Eucherii* ſint, dubitat Bellarminus, Angloque potiùs cuidam adſcribendas eſſe, opinatur. Vide Gul. Crowæum *Elencho Scriptorum in S. Scripturam.*

EUCHERIUS Jun. ordinis ſenatorii dignitate conſpicuus conjugatus, ſpeluncam dumis horridam ac tutam nigro lacu habitavit, in agro Lugdunenſi. Hinc Ep. Lugdunenſis ſec. 6. Cyprian. Tulon. *in vita Cæſarii*, Theophil. Rainald. *de SS. Lugdun. Morer.*

EUCHERIUS, fil. Stiliconis ex Serena. Ethnicus, & Chriſtianorum oſor. Strangulatus Romæ, poſtquam innotuiſſet, Stiliconem, fœdere cum Barbaris inito, hunc, deturbato Honorio, ad Imp. evehere conatum eſſe. A. C. 408. Zoſim. Marcell. *in Chron.*

EUCHETÆ, vide *Euchitæ.*

EUCHITÆ, errones, ſec. 4. ſolas preces, ad ſalutem ſufficere credebant. In publico ædes ſtruebant, *Adoratoria* ipſis dicta. Sacramenta porrò rejicientes, Meſſalianorum omnes opiniones adoptabant. Condemnati Concil. Epheſino. Epiphan. *hær.* 80. Auguſtin. *hær. c.* 57.

EUCHOLOGIUM, Græcis Εὐχολόγιον: Sic vocant Rituale ſuum, præter orationes, & preces, in Sacramentorum adminiſtratione adhiberi ſolitas, alias etiam functiones ſacras continens, Macer *in Hierolexico.* Goarus ad illud *Notas* ſcripſit &c.

EUCLIDES, Geometra inſignis temp. primi Ptolemæi, antiquior Archimede, & Eratoſthene. Multa ſcripſit quæ ad Geometriam, & Muſicam pertinent. Inter opera verò ejus facilè palmam obtinent libri 13. elementorum magno Reip. literariæ bono ad noſtra uſque tempora conſervati. Duo enim poſtremi, Hypſidæ Alexandrini ſunt, qui Comm. Geometriæ ſcripſit. Valer. Max. *l.* 8. *c.* 12. Extern 1. Geſner. *Biblioth.* Proclus Diadochus, *Comm. l.* 2. Cardan. *de Subtil.* Voſſ. *de Mathem. c.* 10. 15. 16. 22. & 26. *&c.* Henr. Savilius *Lect.* 1. *in Euclid. Nic. Lloyd.*

EUCLIDES Megarenſis Socraticus, belli inter Athenienſes, & Megarenſes tempore, muliebri veſte, noctu ad Socratem venire ſolitus. Ab hoc Philoſophi *Megarici* dicti. Suid. Vide Voſſ. *de Sectis Philoſophorum p.* 62. Poſt Socratis obitum, Plato ipſius fuit auditor, cùm omnes Philoſophi, tyrannorum metu, profugiſſent. Unicum admiſit Bonum, quod modò Providentiam, modò Deum, modò Spiritum, &c. vocabat. Ejus 6. ſunt Dialogi, Lamprias, Æſchines, Phænis, Criton, Alcibiades, & Amans. Eubulides diſcipulus ei ſucceſſit. Diog. Laërt. *in ejus vita l.* 2. A. Gell. *l.* 6. *c.* 10. Strab. *l.* 9. *p.* 393. Porrò duo inveniuntur *Euclidæ* inter Archontas, quorum nomina ſuperſunt. Primus An. 2. Olymp. 88. quinto anno belli Peloponneſiaci. Alter An. 2. Olymp. 94. de quo Lucian. *in Hermotimo*: Καὶ λήθη τίς ἔσω αὐτῶν ὥσπερ τοῦ περὶ τοῦ Εὐκλείδου ἄρχοντος. Eo enim Præturam obtinente facta eſt amneſtia, teſte Xenoph. *l.* 2. Hellenicorum. Ideo ſæpe apud auctores hiſtoriæ, & Rhetoras fit mentio τῶν περὶ Εὐκλείδου, quorum non licebat meminiſſe, nec ea exprobrare, & eo anno Athenienſium reſp. inſtaurata fuit, factâ inter cives pace. *Nic. Lloyd.*

EUCNEMOS, ex Græco Εὔκνημος, Amazonis ex ære à Silanione factæ cognomen. Plin. *l.* 34. *c. c.* 8. *Idem fecit ---- Strongylion Amazonem, quam ab excellentia crurum* Eucnemon *appellant, ob id in comitatu Neronis Principis circumlatam.*

EUCONTHEUS, Græcè Εὐκονθεὺς, populus Atticæ, cujus memoriam ſervat hæc *Inſcr.* ſtelæ cujuſdam ſepulchralis, Salamine.

ΔΙΟΝΥΣΙΑ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ
ΜΙΛΗΣΙΑ ΘΕΟΦΡΑΣΤΟΥ
ΤΟΥ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ
ΕΥΚΟΝΘΕΩΣ
ΓΥΝΗ.

Apud J. Spon. *Itin. Part.* 3.

EUCRATES, fuit verſutus quiſpiam, qui aliquo prætextu ſuffugiebat ſemper, ſi quando fides eſſet præſtanda. Hinc natum Proverb. *Vias novit quibus effugit Eucrates.*

EUCRATES, ſtupæ venditor Athenis, qui poſtea ad ſummum in ea Rep. gradum pervenit; ſed ob iſtud ſordidum vitæ genus cognomen σύππαξ perpetuò ei adhæſit.

EUCRATIDA, urbs Bactrorum. Steph. ex Strab. *l.* XI. *p.* 517.

EUCRITUS, vide *Euephenus.*

EUCTEMON, Mathematicus Alex. 86. Olymp. Metonis ſocius, in obſervationibus Solaribus, ejus Enneadecaterida ſecutus eſt. An. 1. Olymp. 87. Solſtitium æſtiv. ambo notarunt, 27. Jun. Ælian. *Var. hiſt. l.* 10. *c.* 7. Ptol. *l.* 3. *Alinag.* Suid. Voſſ. *de Mathem. c.* 33. § 11. Nic. Lloyd. De ejuſdem ſententia *ſuper occaſu Pleiadum, & Vergiliarum*, item *de Æquinoctiis, & Solſtitiis*, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 735. & *ſeqq.*

EUCTEMON, Cymæus, præcipuus ex iis Græcis, quorum alios naribus auribuſque truncatos, alios inuſtos barbararum literarum notis reſervarunt. Curt. *l.* 5. *c.* 5. *Euthymon.*

EUCTERIA, Græcè Εὐκτήρια, loca ſeu œci, in quibus *orabant* vett. Chriſtiani, hinc nomen adepti, Lat. *Oratoria*, quod vide item libri, in quibus orationes actaque provinciarum continebantur, Alciatus *in l. immunit. Cod. de agric. & cenſ. l.* XI. apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.*

EUCTRESII, pop. Peloponneſiaci *Xenoph.*

EUDÆI, Palæſtinæ gens. Joſeph. *Antiqq. l.* 1. *c.* 7.

EUDÆMON, in Alexandri Mag. exercitu, Thracum Dux: poſt Philippo Indiæ Satrapæ ex vulnere mortuo, à Rege ſubſtitutus.

EUDÆMON, Peluſiota, Poëta Græcus, Libanii Rhetoris æqualis, præter ea quæ ad artem Grammaticam, ac Rhetoricam pertinerent, varia poëmata condidiſſe, ex Suida cognoſcitur.

EUDÆMON, Arabia Felix dicitur Pompon. Mela *l.* 2.

EUDÆMONES, apud Jul. Capitolin. *in Opilio Macrino*, & Flav. Vopiſc. *in Aureliano*, Arabes ſunt, Felicis Arabiæ, quæ Εὐδαίμων Ἀρραβία Græcis incolæ. Vide ibi. Sed & Εὐδαίμων Ἀρραβία, item Ἀρραβία ſimpliciter, nomen fuit emporio vel vico maritimo, in Arabia Fel. Auctori *Peripli*, qui ſub Charibaëlis Homeritarum, & Sabaitarum Regis imperio fuiſſe, tradit. Vide de illo Salmaſ. *ad Solin. p.* 496.

EUDÆMONIDAS, nomen viri proprium *Tortellio.*

EUDAMIDAS Archidami IV. fil. & frater Agidis IV. minor natu fratri, in prælio cum Antipatro Alexandri Mag. præfecto, victo cæſoque ſucceſſit. Eum excepit Archidamus V. quem vide.

EUDAMIDAS II. nepos prioris, patrem Archidamum excepit, collega Arei Euryſthenidæ. Verùm horum incerta annorum ſeries uſque ad Agidem V. filium ejus quem vide.

EUDAMIDAS, frater Phœbidæ, à Lacedæmoniis in ejus locum ſubrogatus, ad bellum adverſus Olynthios, Olympiados 99. An. 3.

EUDAMIDAS, præſidii à Cratero Trœzeni impoſiti Dux *Polyen.*

EUDAMUS, ex Heraclidis Rex Corinthiorum VII. Agelao patri ſucceſſit, regnavit Ann. 35. pater Ariſtomedis qui ipſum excepit. Vide ibi.

EUDAMUS Philoſophus, rerum naturalium peritiſſimus; in hoc genere adeò exercitatus, ut annulos conficeret adverſus Dæmones, veneficia, ferarum morſus, præſertim contra ſerpentes, qui ejuſmodi erant, ut non ſolùm homines à ſerpentibus jam morſos curarent; ſed ne morderentur, impedirent: qui propter præſentem remedii præſtantiam Φαρμακῖται vocabantur.

EUDEMIA, maris Ægæi inſ. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

EUDEMUS, Archon Athenis, Olympiadis centeſimæ ſextæ An. 3.

EUDEMUS, ex ducibus Macedonibus, qui Eumenem Antigono prodidêrunt: ſed ab hoc quoque diffidente ejus perfidiæ, occiſus eſt.

EUDEMUS, amicus, & Medicus Liviæ Druſi uxoris, adulterii inter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

inter illam & Sejanum internuncius ac proxeneta. Vide Plin. *l.* 29. *c.* 1. Tacit. Ann. *l.* 4. *c.* 3.

EUDEMUS, Hiſtoricus, Naxius, quem eundem eſſe cum Eudemo Pario nonnulli putant. Scripſit Eudemus de Aſtrologia, rebus in hac ſcientia inventis & Aſtrologis. Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 3. *p.* 365. *& de Mathem. c.* 32. Simler. *Bibl.*

EUDEMUS, orator Megalopolitanus, Philopoemenis Ducis. Præceptor. Plutarch. *in Philop.* Item 7. Corinthiorum Rex.

EUDIPNE, Inſ. Libyæ Phœnicum. *Steph.*

EUDIPUS, Ponti Polemoniaci in Cappadocia urbs. *Ptol.*

EUDIXATA, Armeniæ maj. opp. *Idem.*

EUDO, ſeu EUDES, Roberti Andegav. Ducis ex Adelaide fil. Ludov. Pii Imp. fil. Francorum Rex, regn. Ann. 9. Hic A. C. 885. in provinciis quibuſdam cis Ligerim, adminiſtrator, biennio pòſt, conſenſu Caroli Craſſi Imp. Dux Gallorum, in locum uterini fratris Hugonis ſucceſſit, Lutetiam contra Normannos fortiter tuitus. Mortuo Carolo Rex Gallorum electus eſt, licèt plurimis pro Carolo Simplice ſtantibus. Paulo pòſt, Normannos Burgundiam vaſtantes ingenti clade affecit. Cum Carolo ſæpe contendens, ei tandem regnum reliquit, in Picardia mortuus, A. C. 1898. Ex Theoderada pater Arnolphi, Aquitaniæ Regis ſed minimè diuturni, Aimon. *l.* 5. *c.* 42. Rhegino *Chron.* Abbo. *de obſid. Pariſ.* Otto Friſing. *l.* 6. *c.* 10. *&c.*

EUDO, Vaſconiæ Dux, pacis fœdere rupto, quod cum Carolo Martello icerat, in ſubjectas ei Regiones multa tentavit. Blond. *l.* 10. *Dec.* 1. Chilper. & Rainfredo, contra illum ſubſidio venit, prioremque reſtituit. Mox à Carolo victus, cum Saraceno Munuza fœdere inito, Lampagiam fil. ei uxorem dedit. Hinc Martellus Vaſconiam Garumnâ tenus vaſtavit: & Abderamus, capto rebelli Munuzá, cum ſponſa, in Aquitaniam quoque venit, Burdigalamque occupavit. Hic Eudo, Carolo junctus, reſtitit Barbaris, interfuitque prælio Turonenſi. Nihilominus recruduêrunt lites, quæ niſi Eudonis morte, A. C. 735. non ſopitæ. Greg. Tur. in *append. c.* 106. 107. Otto Friſing. *l.* 5. *c.* 16. *&c.*

EUDO, amnis Cariæ. Plin. *l.* 5. *c.* 29.

Comites Bleſenſes.

EUDO I. Comes Bleſenſis, Carnut. Turon. &c. dein Campaniæ fil. Theobaldi, fortitudine, & pietate inclytus. Obiit A. C. 995. maritus Mathildis, filiæ Richardi I. Normanniæ D. & dein Berthæ, fil. Conradi I. Burg. Regis ex qua ei natus.

EUDO II. quem vidua Roberti Regis Conſtantia ſibi contra filium Henricum I. junxit, ſed nullo ſucceſſu. Mortuo Rodolpho ignavo, Burgundiam ſibi vindicans, contra Conradum Salicum, à Gozzelino M. occiſus eſt, A. C. 1037. Ex Ermengarde Arverna, pater Theobaldi III. Henrici, & Berthæ. Pithœus, San. Marth. *Hiſt. Campaniæ.*

Burgundiæ Duces.

EUDO I. Burgundiæ D. in Cilicia obiit, A. C. 1103. Maritus Mathildis, filiæ Gulielmi Audacis, Comitis Palatini Burg. & ſororis Caliſti II.

EUDO II. obiit A. C. 1162. maritus Mariæ, fil. Theobaldi M. Comitis Campaniæ.

EUDO III. obiit Lugduni A. C. 1218. à Mathilde Tereſa, fil. Alphonſi Luſitani, ob conſanguinitatem ſeparatus, duxit Adelaim, filiam Hugonis, Domini Vergienſis.

EUDO IV. fil. Roberti II. ſucceſſit fratri Hugoni V. Obiit A. C. 1349 Maritus Johannæ, fil. Philippi Longi. Pithœus, San-Marth. Bouchelius, &c. *Geneal. Gall.* Chenius, Paradinus, &c. *Hiſt. Burg.* Vide Odo &c.

EUDOCIA, cum filiis Græcis imperavit, menſibus 7. A. C. 1070.

EUDOCIA, Theodoſii filia, Valentiniani uxor. Trip. *Hiſt. l.* 12. *c.* 13. Vide & *Eudoxia.*

EUDOCIMUS, primus ex tribus Lacedæmoniis, ad compeſcendam factionem Rhodi, quæ Athenienſium rebus ſtudebat, ab Ephoris miſſus, Olymp. 47. An. 2.

EUDOCIMUS: videns milites inter ſe tumultum movere, cùm ſedare diſcordiam nullo modo poſſet, jamque etiam armis ſe mutuo peterent, currentibus nunciis mandavit, ut proclamarent hoſtes adventare ac vallum diſcerpere velle. Qui metu hoſtium territi ſeditione deſtitêrunt, inque ſuum locum quique recurrentes vallum tuebantur. Polyæn. *l.* 5.

EUDORA, nympha marina, Oceani ac Tethyos filia. Heſiod. *in Theog.* Item una, ex Atlantidibus, quæ 7. numero eſſe perhibentur.

EUDORUS, Mercurii fil. ex Polymela, qui Achillem ad bellum Trojanum ſecutus eſt. Hom. *Iliad.* 8.

EUDOSES, Germaniæ pop. Tacito de Moribus, & Populis Germ. *c.* 40. *Miſnienſes* Althamero. Baudr. ubi nunc pars Pomeraniæ cit. & urbes Sundis, & Bardum, ex Cluver. Quid ſi *Endoſos* legamus, q. finitimos *Oſis* aut extremos *Oſorum*?

EUDOXI ſpecula, locus in Ægypto. Strab. *l.* 2. *p.* 119.

EUDOXIA, uxor Arcadii, Theophilo Alex. contra Chryſoſtomum favit, hoc pulſo, fortè zelo ejus contra aulæ vitia offenſa. Eum poſtea revocavit, & Porphyrium Ep. Gazenſem, qui ei felicem partum prædixerat, benigne habuit, utque templum Idolis Gazæ conſecratum deſtrueretur, annuit. Interim ſtatuâ ei publicè erectâ, cùm ſpectaculis allecta plebs, ſtrepitu ſuo, ſacra turbaret, Chryſoſtomus hac de re queſtus eſt, quod cùm ad Imperatricem eſſet delatum, illa denuo Theophilo contra hunc præſtò fuit, effecitque, ut Chryſoſtomus indigniſſimè rurſus pelleretur. Paulo poſt A. C. 414. grando ταλαντιαῖα ita circa Urbem omnia vaſtavit, ut Eudoxia nuntio territa infelici nixu extingueretur. Pallad. *in Chryſ.* Socr. Sozomen. Proſper. Marcellinus, Theoph. Cedren. Eunapius, Zonaras, Glycas, Petavius, *de Doct. Temp. l.* xi. *c.* 47.

EUDOXIA, Theodoſii Jun. uxor, Leontii Sophiſtæ Athen. filia, qui illam in Humanioribus, Philoſophia, & Mathematicis ita inſtruxerat, ut moriturus eam exhæredaret, tanquam ſibi ſuffecturam. Unde de Fratribus conqueſta apud Pulcheriam, huic ita placuit, ut illam Filiæ primo loco haberet, Athenaidis nomine in Eudoxiam mutato, dein fratri Theodoſio Jun. deſponderet. Diuturnam poſtmodum harum amicitiam, Chryſaphius Eunuchus, labefactavit, & Theodoſio, occaſione pomi Paulino oblati, Eudoxia ſuſpecta reddita, in Palæſtinam ſe recepit. Ubi Eutychianiſmo infecta, poſtea in gratiam cum Eccleſia rediit, à Simeone Stylita, & Euthymio Abbate melius edocta. Obiit A. C. 460. Æt. 67. Inſigne poëma, de bello Perſico compoſuit, Socr. Evagrius, Nicephorus, Cyrillus, *in vita Euthymii*, &c. Scripſit quoque Centones Homericos de Chriſto, ut quidam putant, vide Voſſ. *de Poetis Gr. p.* 78 ubi dicitur *Eudocia.*

EUDOXIA, filia Theodoſii Jun. nupſit A. C. 437. Valentiniano II. quo à Maximo occiſo, ab hoc per vim ducta eſt. A qua proin Genſericus in Italiam vocatus, Romam diripuit, illâ cum filiabus in Africam abductâ. Remiſſa tandem eſt, cum Placidia filia rogatu Martiani, & Leonis Evagr. Theoph. Socr. Proſper. Idacius Marcellin. Caſſiod. *Procop.* &c.

EUDOXIA, filia Valentin. II. promiſſa Gaudentio, Ætii filio. A Maximo dein, qui patrem ejus occidit, per vim Palladio fil. ejus nubere coacta eſt: Abducta cum matre, & ſorore in Africam à Genſerico, Hunerici filii ejus uxor evaſit. Sed Ariani Principis ſævitiam fugiens, fil Ulderico ei relicto, Hieroſolymam ſe ſubduxit, ibi mortua. Niceph. *l.* 15. *c.* 12.

EUDOXIANI, hæretici, ab Eudoxio Patr. orti, Aetianorum, & Eunomianorum errores ſequebantur, Filium voluntate Patri diſſimilem, & ex nihilo factum delirantes. Epiph. *hær.* 76.

EUDOXIOPOLIS, Urbs Archiep. Thraciæ, eadem *Selymbriæ*, in Eudoxiæ Aug. honorem dicta.

EUDOXIUS, Coſ. cum Dioſcoro A. U. C. 1195.

EUDOXIUS, primus Ep. Germaniciæ, quæ eſt urbs ſita in finibus Syriæ, Ciliciæ, & Cappadociæ, mortuo Leontio ſedem Antiochenam invaſit, deinde remotò Macedonio, Conſtantinopolitanam. Favens Arianis ſimulatè ſubſcripſit ſententiæ Synodi, quumque apud Valentem Imp. in magna auctoritate eſſet, effecit, ut Gothis, qui pacem cum Valente certis conditionibus fecerant, Ariani Doctores mitterentur. Trip. Hiſt. *l.* 7. *c.* 29.

EUDOXUS, fil. Æſchinis, Cnidius, celebris Aſtrologus, Medicus, Legislator ac Geometra. Primus apud Græcos annum conſtituit, unde Cæſar apud Lucan. Civ. Bell. *l.* 10. *v.* 187.

Nec meus Eudoxi *vincetur faſtibus annus.*

Vitam ejus habes apud Diog. Laërt. Ab Archita Geometriam, à Philiſtione Siculo Medicinam edoctus, etiam Platonis auditor. In Ægyptum profectus, Sapientes illos adivit: inde redux legibus Patriam inſtruxit, plurimaque Aſtrologica, Geometrica, & Hiſtorica ſcripſit. Cic. *l.* 2. *de Divin.* Cenſorin. *de die nat. c.* 18. Strabo, *l.* 2. *p.* 100. *l.* 8. *p.* 378. *l.* 14. *p.* 656. *l.* 17. *p.* 806. Suid. Simler. Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 6. *de Math. c.* 33. vide quoque ſuprà *Apis Cleoſtratus*, & infrà *Ichonuphis.* Fuit autem præter hunc alius ejuſdem nominis Rhodius, Hiſtoricus, cujus meminit Apollon. *Hiſt. Commentitiæ c.* 24. Item Etymologus in Ἀϑείας, ubi eum citat ἐν συναγωγῇ ἱστοριῶν; Sed iſte quando vixerit, ignoratur. Celebratur quoque *Eudoxus* Cycizenus, qui Ptol. Lathyrum fugiens, è ſinu Arabico uſque ad Gades navigavit, ut ex Poſidonio narrat Strab. *l.* 2. *p.* 98. ex Corn. Nep. Fragm. *c.* 7. idem refert Plin. *l.* 2. *c.* 67.

EUDOXUS, Siculus, fil. Agathoclis, Comicus, ſæpius victor. Item Medicus, Diogen. Laërt. *in vita Eudoxi l.* 8.

EUDRAPA, Meſopotamiæ opp. *Ptol.*

EVECTIONES, Recentioribus, item *Tractoriæ*, & *Combinæ*; quæ *Diplomata* Vett. literæ ſunt, quæ dabantur à Principe, ad *combinanda* publica animalia, & curſum uſurpandum, Salmaſ. *ad Capitolin. in Pertinace.* Præfectorum Prætorio muneris fuiſſe, *evectiones* dare, innuit Senator *l.* 6. *Ep.* 3. mentioque paſſim in Cod. Theodoſ. & Juſtin. *tit. de Curſu publ. De Munerariis, De Commeatu, alibique.* Neſtorius Patr. CP. *c. Pelag.* apud Marium Merc. *Evectionem regiam non habentes, curſu regali iter quo pacto perficient*, &c. Inde pro ipſis *equis ſeu equitaturis*, ubi de viſitationibus Epiſcoporum, & Archidiaconorum, &c. apud Stephan. Tornac. *Ep.* 130. in *Statutis* Hugonis vide Cluniac. *alibi.* Sic in *Concil. Tolet. VII. can.* 4. taxatur numerus equorum, *pro Ep. evectione* &c. Car. du Freſne, Macer *Hierolex.*

EUELGIA, urbs quædam. *Steph.*

EVELID, Saracenorum Calipha, poſt Jezid II. (alii aliter,) Niceam fruſtra obſedit, Cedren. Ejus tempore Saraceni Hiſpani in Gallia à Carolo Martello S. Tudite fuſi ſunt, Paul. Diaconus *l.* 6. *c.* 54. Illum excepit Iſam, hunc Walid (an Oelidus II.) iſtum Jezid III. Vide denuo Cedren. cui *Iſam* idem eſt cum *Evelido.*

EUELPIS, Caryſtius, Hiſtoricus, memoratur Porph. *l.* 2. *de Abſtinentia.*

EVELTHON, Salaminis in Cypro Rex, de quo Polyæn. *l.* 8.

EUEMERIDAS, Cnidius, hiſtorica aliqua videtur divulgaſſe, Plutarch. *l. de Flum.*

EUEMERUS, vel EUHEMERUS, amicus Caſſandri, filii Antipatri, Hiſtoricus antiquus, è civitate Meſſana, teſte Plutarch. *l. de Iſide & Oſiride.* (Atqui Arnob. *l.* 4. Agragantinum vocat) Lactant. *l.* 1. *c.* xi. *Antiquus auctor* Euhemerus, *qui fuit ex civitate Meſſana; res geſtas Jovis, & cæterorum, qui Dii putantur, collegit,* hiſto-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

hiſtoriamque contexuit ex titulis, & inſcriptionibus ſacris, quæ in antiquiſſimis templis habebantur; maximeque in fano Jovis Triphylii; ubi auream columnam poſitam eſſe ab ipſo Jove titulus indicabat, in qua columna geſta ſua perſcripſit, ut monumentum poſteris eſſet rerum ſuarum. Hanc hiſtoriam & interpretatus eſt Ennius, & ſecutus. Cic. idem paucis dicit *l.* 1. *de Nat. Deor.* ubi cùm egiſſet de iis, qui in Deorum numerum relati eſſent, *Quæ ratio*, inquit, *maximè tractata eſt ab Euhemero, quem noſter, & interpretatus, & ſecutus eſt, præter cæteros Ennius.* Item Varro *l.* 1. *de Re Ruſt. c.* 48. *Id apud Ennium ſolum ſcriptum ſcio eſſe, in Euhemeri libris verſis.* Inter illos numeratus *Euhemerus* fuit, qui ἄθεοι dicebantur; teſte, cùm Sexto Empirico, tum etiam Plutarch. *l. de Placitis Philoſophorum*, ubi & Callimachi verſiculos citat, quibus eum propterea perſtrinxit. Ex noſtris quoque Theophil. Antiochen. *l.* 3. Τὰ περὶ Εὐημέρου τοῦ ἀθεωτάτου περισσὸν ἡμῖν καὶ λέγειν. Πολλὰ γὰρ περὶ θεῶν τολμήσας φθέγξασθαι, ἔσχατον καὶ τὸ ἐξόλου μὴ εἶναι θεοὺς, ἀλλὰ τὰ πάντα αὐτοματισμῷ διοικεῖσθαι βούλεται. Etiam meminêre *Euhemeri*, Columella ſemel, iterumque *l.* 9. *de Re Ruſt. c.* 2. & Minuc. Felix *in Octav.* Vide Politian. *in Miſcellaneis c.* 34. Ad hæc Hygin. *in Poët. Aſtronomico.* Plin. quoque *l.* 35. *c.* 22. inter eos numerat, qui ſcripſêrunt de Pyramidibus Ægypti. E Græcis itidem mentionem faciunt, Strab. *l.* 2. *p.* 102. ubi eum cum Antiphane Bergæo conjungit, ac utrumque ut futilem, traducit. Joſeph. *Antiqq. l.* 1. *contra Ap.* ubi & Judæorum ait meminiſſe. Ælian. *Var. Hiſt. l.* 2. *c.* 31. ubi eum cum Dionyſio Phryge, & ejus farinæ aliis, inter ἀθέους, divinamque negantes providentiam, reponit. Voſſ. quoque Plutarch *de Iſide & Oſir.* Arnob. *l.* 4. *Nic. Lloydius.*

EVENA Turonum, vicus Galliæ, vulgò *Vegne*, ad Angerem fluv. inter montem Baſonis, & Cormaricum. Hîc Medardi reliquiæ. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

EVENTUS Bonus, pro Deo, ab antiquis cultus eſt; cujus ſimulacrum, ut Plin. *l.* 34. *c.* 8. *l.* 35. *c.* 5. ſcribit, *ab Euphranore ita factum erat, ut dextrâ pateram, ſiniſtrâ ſpicam atque papaver teneret. Boni Eventus* meminit Varro *de Re Ruſt. l.* 1. inter colentes Divos Agricolarum. Idem Plin. modò laudatus, Praxitilem ejus ſimulacrum in Capitolio fuiſſe, adnotavit. Templi ejus quædam veſtigia hodieque extare, inter Minervam, & S. Euſtochium, à plerique creditum, teſtis Lilius Gyraldus. Quibus verò pigmentis *rerum Eventum* ornare Poëta debeat, exponit pluribus Scalig. *Poët. l.* 3. *c.* XI. ubi de *Eventu.* Vide quoque ſuprà *Caſus.*

EVENUM, Troadis fluv. Plin. *l.* 4. *c.* 2. *l.* 5. *c.* 30.

EVENUS I. Scotiæ Rex duodecimus, Durſto conſobrino ſucceſſit. Pictos adjuvit, & in diverſas juriſdictiones diviſo regno, quò Juſtitia eò melius adminiſtraretur, feliciter regnavit. Buchan. *Hiſt. Scot.*

EVENUS II. poſt Evenum I. Gallo Regi ſucceſſit, magna cum gloria regnans, 17. Ann. *Idem*,

EVENUS III. Ederi patris, qui Evenum II. exceperat, ſucceſſor. Polygamiam permiſit, & pudicitiam ſponſarum, injuſtis legibus, prædam fecit ſuperioribus. Porro crudelis, & avarus, à Proceribus tandem in vincula compactus, ibique ſtrangulatus eſt. Buchan. & Duchen. *Hiſt. Scot.*

EVENUS, Martis, & Steropæ fil. qui cùm ſtupratorem filiæ Marpeſſæ, Aphareτum nomine, comprehendere non poſſet ad ſupplicium, ſe conjecit in Lycormam fluv. animi dolore *Plutarch.*

EVENUS, Parius Poëta Elegiacus; Ætatem ejus inde cognoſcimus, quòd fuerit præceptor Philiſti Hiſtorici, qui floruit Olymp. 93. An. 3. Dixit, *Conſuetudinem eſſe alteram naturam*, Ariſtot. Ejus duo epigrammata ſuperſunt. Item Philoſophus quidam, qui ignem optimum ciborum condimentum eſſe dicere ſolebat. *Idem.*

EVENUS, fluv. Ætoliæ in Callidromo monte naſcens, & juxta Calydonem in mare Jonium influens, ita dictus ab *Eveno* Martis filio, de quo ſuprà. Hodiè *Fidari* Nigro. Ejus meminit Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 103.

> *Namque nova repetens patrios cum conjuge muros;*
> *Venerat* Eveni *rapidas Jove natus ad undas.*

Lucan. Civ. Bell. *l.* 6. *v.* 365.

> *Et Meleagream maculatus ſanguine Neſſi*
> Evenus *Calydona ſecat.*

EVEPHENUS, Philoſophus Pythagoreus, quòd Metapontios à fœdere, & ſocietate alienos reddidiſſet, à Dionyſio majore in poteſtatem redactus, & morte damnatus eſt. Ille nihil tunc perterritus, ad Dionyſium; Decretis, inquit, pareo; verùm quia ſororem adhuc inelocatam habeo, eam prius in Paro alicui nuptum dare decrevi. Itaque in Patriam tendam breviquе redux mortem oppetam. Omnibus ob hunc ſermonem effuſis in riſum, Dionyſius quoque admirabatur, & interrogabat; Quiſnam igitur pro te ſponſurus eſt: Ille vadem, inquit, mortis dabo, *Eucritumque* arceſſitum vadem ſtetit. Qui admodum lubens hanc pro morte ſponſionem recepit, tranſigens, ut ille digreſſus intra ſex menſium ſpatium reverteretur: ſe verò ibidem permanentem interea temporis cuſtodiri juſſit. Admirandum quidem factum erat, verùm longè mirabilius aliud conſecutum eſt. Etenim poſt ſex menſes, is qui eum vadem dederat, collocatâ ſorore ſuâ reverſus in Siciliam ſe ipſum Tyranno reſtituit, juſſitque vadem dimitti. Dionyſius utriuſque virtutem ſupra modum complexus, & admiratus ambos liberos dimiſit: petiitque ut datâ fide Tertium ipſum in amicitiam ſuam adſcriberent, & apud ſe manerent, præſentibuſque bonis unà fruerentur. Qui animum quidem Tyranni propoſitumque comprobavêrunt: at petebant, ſi vitam ſibi concedere vellet, reverti ſe ad conſuetas cum adoleſcentibus exercitations. Dionyſius hoc facto multos Italos adduxit, ut majorem ſibi fidem haberent. Polyæn. *l.* 5. *in Dionyſio com.* CCXI.

EVERARDUS I. ex filiis Friderici, & Roſinæ Blancæ, Lopo Agabiæ Duce genitæ: frater Friderici, qui Comitum Sienæ auctor extitit: ducta Margaretâ Com. Knechbergâ, pater fuit *Everardi*, & Julianæ, Ennoni Com. Bavariæ & Altorfii nuptæ.

EVERARDUS II. Com. Noſſoviæ, prioris fil. ex Helfenſtenii domina, ſuſcepit Arnoldum, Fridericum, Philippum, Joh. Annam Arnoldi Com. Lucenburgii uxorem, & Ameliam (Henrico Com. Lucelſtenio nuptam.)

EVERARDUS III. fil. Diederici ex Margareta Com. Arnſpurgenſis filia, junxit ſibi Mariam Joh. D. Iſenburgico genitam, pater ex ea Magdalenæ, Joh. Sen. Comiti Mompelgardiæ; Mariæ, Sigiſmundo Lichtenbergii Toparchæ; Margaretæ, Alſomondo Domino Kopperſtenii, & Modinæ, nuptarum: & Henrici in primo ætatis flore extincti. Cyr. Lentulus *in Genealog. Comitum ac Principum Naſſoviæ MS.*

EVERARDUS, Carthuſianus, plurima Aſcetica ſcripſit. Vide Petrejum *Bibl. Carthuſ.* & in voce *Martinus.* It. *Nicolaus.*

EVERGETÆ, pop. Scythici, qui & *Arimaſpi*, quòd benefici fuerint in Argonautas, tempeſtate maris ad terram ipſorum appulſos. Steph. Vel ſecundùm Curt. *l.* 7. *c.* 3. ſic dicti, ex quo frigore victuſque penuria Cyri exercitum affectum tectis, & commeatibus juvêrunt. Arachotis vicini, & Drangis; ut à quorum regione in Drangianam tranſiit Alexander, quum Bactra peteret. Ab Ariis autem ad *Evergetas* pervenerat. Ἀγγιάσπας priùs dictos, tradit Arrian. *de Expedit. Alex.* Meliùs fortè Ἀγελάσπας, ab urbe cognomine, in confinio Drangianæ, & Arachoſiæ ſita. Per eos Ἐτύμανδρος amnis fluit, de quo ſuprà. Vide Salmaſ. *ad Solin. p* 1175.

EVERGETES, cognomen Ptolemæi III. Ægyptiorum Regis, qui Philadelpho ſucceſſit, à maximis ejus in Græcas civitates meritis impoſitum nec non Ptolemæi VII. qui & *Phyſcon* cognominatus. Vide *Ptolemæus.* Sed & aliis quoque Principibus, ob inſigne quoddam beneficium in Deos aut homines collatum, id tributum cognomen paſſim apud Vett. legimus. Certè in marmoribus Oxonienſibus laudatur Dionyſius quidam, ΕΥΕΣΓΕΤΗΣ ΘΕΟΙΣ ΠΑΤΡΙΟΙΣ, & Clenodemus ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ ΤΟΥ ΤΕ ΙΕΡΟΥ ΚΑΙ ΔΗΛΙΩΝ. Jam, ſi Joſepho credimus *Antiqq. l.* XI. *c.* 6. Artaxerxes Perſarum Rex Mardochæum Judæum, ob detectam Eunuchorum in ſe conſpirationem, Εὐεργέτην καὶ Σωτῆρα ſuum, quæ duo Veteribus ſæpe conjungi, animadvertit *ad Arnob. adv. Gentes* Deſid. Heraldus publico edicto vocavit. Sed ſolebant hoc laudis maximè Regibus ſuis impertire priſci, præcipuè Græci, ad omne genus aſſentandi convitiandique, pro innata genti levitate, compoſiti. Ita Philippum Macedonem Regem inter alia Εὐεργέτην quoque à Græcis dictum eſſe Demoſthenes auctor eſt *de Coron.* Verùm potiori jure alter Macedoniæ Rex Antigonus, qui *Tutor* & Δόσων dictus eſt, communi Græciæ conſenſu id cognomen eſt adeptus, ob clementiam ſc. in Spartanos exercitam, Polyb. *l.* 5. *c.* 9. Sed jam ante Antigonum Athenienſes Demetrium Poliorcetem eodem elogio honoravêrunt; Plutarch. *in Demetrio*, ut & Antiochum Epiphanem, Samaritani, Joſeph. *Antiqq. l.* 12. *c.* 7. Quin etiam Nilum, & Oſirim, ſic appellatum eſſe, dicas ex Juliano *Orat.* 3. & Plutarch *Iſ. & Oſir.* Inprimis verò, ut dictum hoc cognomine à patre avoque diſtingui ſe voluit Ptolomæus Philadelphi fil. Ægypti Rex, ob cauſam Hieronymo indigitatam *in Danielem c.* 2. Cujus exemplo nepos ejus VII. hujus nominis, ob ſaginam ventris Φύσκων nominatus, *Evergetes* II. ab adulatoribus cognominari amavit, ab Alexandrinis Κακεργέτης potius, ob ſummam crudelitatem, dictus, Athen. *l.* 12. *c.* 27. Et quidem hujus eſt nummus iſte apud Goltzium, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΦΥΣΚΩΝΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. Nec Ægypti ſolùm, ſed etiam Syriæ Reges præclari hujus cognomenti gloriam affectaſſe, liquet ex nummis Alexandri Eupatoris, Demetrii Philometoris Callinici, Philippi Philadelphi, Antiochi Euſebis. Imò & Mithridatem, Ponti Regem, magni Mithridatis Patrem, eodem cognomine uſum fuiſſe, præter Strab. *l.* 10. *p.* 477. & Appianus *Mithrid.* docent nummi, in quibus ſcriptum, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. Quorum exemplum poſtmodum æmulati Reges Regum Arſacidæ, uti ſimiliter numiſmata illorum docent, ut alios omittam. Tandem, cùm Orbis imperio Cæſares potiti eſſent, ad iſtos hunc adulando morem a Regibus ſuis Græci tranſtulêre: Hinc Philo Judæus Auguſtum, & Cajum, Athenienſes Hadrianum, hoc cognomine decoraſſe leguntur, *in Flacc.* in *l. ad Cajum*, & nummo eximio, quem tamen ob nimiam inſcriptionis inſolentiam ſuſpectum nonnulli non immeritò habent. Vide plura hanc in rem apud Seb. Feſchium JC. *Ep. ad Tob. Hollander.* qui nummum Pylæmenis Evergetæ Regis Paphlagoniæ eruditè exponit.

EVERGIDES, nomen Comici ſenis, Ariſtoph. *Veſp.*

EVERHELMUS, Abbas Gandavenſis, ſub Henrico III. Imp. vitam Papponis ſcripſit. Surius *d.* 25. *Jan.*

EVERISDENUS Joh. Franciſcanus Anglus, circa A. C. 1336. deſcriptionem Temporum, Regum, & Epp. Anglorum, &c. edidit. Simler. *Bibl. Geſn.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 65.

EVERWINUS, Monachus Cluniac. Germanus, ſub Conrado II. Imp. S. Simeonis vitam condidit. Trithem. *in Chron. Hirſaug.* A.C. 1020.

EVESHAMIUS Elias, vide *Elias.*

EVESPERIS, vel EVESPERIDES, urbs Libyæ. *Steph.*

EVEX, in *verſibus* ſcriptis in Codice Evangeliorum, in *Chron.* Novalic. *c.* 19. *Hiſt. Franc. Tom. II. p.* 227.

> *Frodonius qui pridem Paſtor, & inclytus* Evex,
> *Nam per decies quater ſtabuli cuſtos oviumque eſt:*

apud Car. du Freſne *Gloſſar.* An idem cum Gallico *Eveſque*, h.e. Ep.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

EUEXIPPE, & Theano, filiæ Scedaſi fuêre, qui fortunâ pauper Leuctra (qui vicus erat prope Theſpias in Bœotia) habitabat. Hæ cùm à juvenibus quibuſdam Spartanis conſtupratæ eſſent, moxque interemptæ, in puteum quendam dejectæ ſunt. Quâ re per patrem intellectâ, cum Lacedæmone, quò ſe contulerat, conatu, judicatuque excidiſſet, Furiis agitatus, ad filiarum tumulos ſe ipſum conjecit. Cæl. Rhod. *l.* 3. *c.* 8. ex Plutarch. vide *Euxippe*.

EUGAMON, Cyrenæus, Hiſtoricus, librum de Theſprotis edidit. Clem. *Strom.* 6. Qui tamen Euſebio 10. *Præp. Evang. Eugammon* dicitur.

EUGANEI, pop. ad intimum maris Hadriatici ſinum, Alpes verſus, qui deinde à Trojanis, & Henetis, qui, Antenore duce, in eam Italiæ partem venêrunt, ſedibus ſuis pulſi, Alpes Grajas tenuêrunt. Dicti autem ſunt *Euganei* ἀπὸ τῆς εὐγενείας, h. e. *à generis nobilitate*, ut quidam volunt. Plin. *l.* 5. *c.* 20. Sil. Ital. Punic. Bell. *l.* 8. *v.* 604.

> *Tum Trojana manus tellure antiquitus orti*
> Euganeâ, *profugique ſacris Antenoris oris.*

Sidon. Apollinar. *in Carm.* 2. de Livii Patavini Hiſtoriis loquens:

> ---- *Vel quicquid in ævum*
> *Mittunt* Euganeis *Patavina volumina chartis.*

Mart. *l.* 4. Epigr. 25. Cujus Epigraphe de littoribus Altini *v.* 3.

> *Quæque Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno*
> *Nupſit, ad* Euganeos *ſola puella lacus.*

Sil. Ital. iterum *l.* 12. *de Pediano*, Punic. Bell. *v.* 214. & ſeqq.

> ---- *Antenoreâ ſeſe de ſtirpe ferebat*
> *Haud levior generis famâ, ſacroque Timavo*
> *Gloria, &* Euganeis *dilectum nomen in oris.*
> *Huic pater Eridanus, Venetæque ex ordine gentes*
> *Atque Apono gaudens populus, ſeu bella cieret,*
> *Seu Muſas placidus doctæque ſilentia vitæ*
> *Mallet, & Aonios plectro mulcere labores,*
> *Non ullum dixere parem.*

Lucan. *l.* 7. Civ. Bell. *v.* 192. & ſeqq.

> Euganeo, *ſi vera fides memorantibus, augur*
> *Colle ſedens, Aponus terris ubi fumifer exit,*
> *Atque Antenorei diſpergitur unda Timavi.*

Juv. *l.* 3. *Sat.* 8. *v.* 15.

> ---- Euganeâ *quantumvis mollior agnâ.*

Hodie eorum regio *Marca Treviſana* dicitur. Nic. Lloydius. Vide Cluv. *Ital. Antiqq. l.* 1. *c.* 15. & *l.* 3. *Introd. Geogr.* Baudr. pop. Galliæ Tranſpad. in Italia, ubi nunc agri Bergomenſis, & Brixienſis, inter lacus Larium, & Benacum; ad Auſtr. Cenomanos habebant ex Briet. Aliis tamen fuêrunt verſus Atheſin fluv. & Vicentiam.

EUGANEI Colles, in agro Patavino, *Monti di Padoa*, apud Ateſte.

EUGE, Rhetoribus olim ac Poëtis acclamatum. Vide *Sophos*.

EUGENIA, filia Philippi nobilis Romani, Ægypti Præſidis, & Alexandriæ, ſub Commodo, & Severo Impp. Primùm relictis parentibus fidem Chriſti amplexa eſt, ac pro viro ſe gerens, monaſterio virorum in Ægypto præfecta eſt, deinde à parentibus agnita, Romam cum matre, ac fratribus rediit, & multis ad religionem Chriſti converſis, tandem die 25. Decemb. A. C. 208. cum Patre interfecta eſt. Hiſtoria ejus prolixè exponitur in vitis PP. ubi & hoc *Eugeniæ* dictum celebratur,

> *Affatim dives eſt, qui cum Chriſto pauper eſt.*

vide Euſeb. *l.* 6. *c.* 7.

EUGENIUM, Illyriorum urbs. Liv. *l.* 1. *c.* 1.

Reges Scotiæ.

EUGENIUS I, Scotiæ Rex poſt. Fetelmachum. Pepulit Maximum, M. Britanniæ præfectum, Scotiam invadentem: altero prælio occiſus. Buchan. *Hiſt. Scot.*

EUGENIUS II. Ferguſio Patri ſucceſſit. Junctus Pictis, Anglos feliciter oppugnavit. Ejus tempore Germanus, & Lupus, à Gall. Eccleſiis in Angliam miſſi, Pelagio ſe oppoſuêrunt. Beda *l.* 1. *c.* 7. & 20.

EUGENIUS III. fil. Congali I. patruo Gorano, occiſo, ſucceſſit. Cujus necem vindicare rogatus, renuit. Præfuit cum laude, & ſucceſſu, contra Britannos. Buchan. *Hiſt. Scot.*

EUGENIUS IV. fil. Aidani, pietate illuſtris. Obiit A. C. 620. Regni 15.

EUGENIUS V. poſt Malduinum Regem, Ecfridum Northumbriæ Regem ingenti prælio, occidit. Obiit A. C. 688. Regni 4. Buchan. *l.* 5.

EUGENIUS VI. Eugenio V. ſucceſſit, fil. Ferchardi. Regnavit Ann. 10. Pictico bello perpetuò implicitus. Chenius *l.* 6.

EUGENIUS VII. prioris nepos, fratri Amberkeletho, in prælio occiſo, ſucceſſit. Cum Pictis pacem iniit; ductâ Regis illorum Gernardi filiâ, Spondanâ. In lecto à duobus fratribus Atholianis occiſus. Buchan. *l.* 6.

EUGENIUS VIII. fil. Mardaci, Etfino ſucceſſit, Donaldum rebellem devicit, ſeverus in ejus complices. Dein regno exornato, & fœderibus confirmatis, in ignaviam, hinc in crimina verſus, à Proceribus occiſus eſt. Duchen. *l.* 6.

Pontifices Romani.

EUGENIUS I. in Papatum intruſus, ab Exarcho Calliopo: tum cùm Martinus I. juſſu Conſtantini in exilium miſſus eſſet A. C. 654. Sedit 6. menſes, uſque ad A. C. 655. Ei ſucceſſit Vitalianus. Anaſtaſ. *in ejus vita.* Baron. *Annal.*

EUGENIUS II. Romanus, poſt Paſchalem I. Papa, cui oppoſitus Zinzimus; hinc turbæ, à Lothario fil. Ludovici Imp. ſopitæ. Sedit ab A. C. 824. uſque ad A. C. 827. Ei ſucceſſit Valentinus. Platina & Ciacconius *in ejus vita.*

EUGENIUS III. dictus Bernardus, Piſanus, diſc. S. Bernardi, ſucceſſit Lucio II. Homo adeò ineptus, ut Bernardus, Cardinales objurgans, dixerit, *illos irruiſſe in hominem ruſticanum, & eum excuſſa è manibus ſecuri, in Palatium traxiſſe*, &c. Sigon. *l.* 11. *ad A.C.* 1145. &c. Metu Romanorum in Galliam profugus, ibi reſedit, Bernardi ſuaſu, dicentis, *Eccleſiam, Româ etiam pereunte, in Gallia firmam fore, eoque ſcelerum Pontificium regnum redactum eſſe, ut nihil niſi Antichriſtus præ foribus expectari poſſit.* In Italiam reverſus, obiit Tibure, A. C. 1153. ſedis 8. Succeſſit Anaſtaſius IV. Bernard. & P. Cluniac. *in Ep.* Otto Friſing. *in Chron.* Ciacconius, &c.

EUGENIUS IV. Venetus, nomine Gabr. Gondelmerius, nepos ex ſorore Gregorii XII. Martino V. ſucceſſit, A. C. 1431. quo Baſileæ Concilium, pro Reformatione, indictum erat, in quo liberius, quàm unquam aliàs inquiſitum in auctoritatem poteſtatemque Pontificis. Conſtitutum *Concilium ſupra Papam eſſe*, &c. Succenſente Papa Legato, quòd ad ea deſcendere Patres ſiviſſet: Nihilominus idem confirmavit, ſed Sigiſmundo Imp. mortuo, diſſoluturus Concilium aliud Ferrariæ indixit: ubi cum Joſepho Patriarch. C P. conſenſus aliquis initus, ſed mox reſciſſus. Interim Papa Baſileæ accuſatus, condemnatus, & depoſitus eſt, ſurrogato Felice V. Unde ſchiſma acerrimum, cùm Eugenius etiam armis Gallorum Concilium oppugnaret: Obiit A. C. 1447. Æt. 64. Contra Huſſitas ſcripſiſſe dicitur, quamvis parum doctus. Joh. Baleus, *in Eugenio VI.* Æn. Sylv. *Eutrop. c.* 58. Volaterr. *l.* 22. Ciacconius, *Onuphr.* &c.

EUGENIUS, Grammaticam primò docuit, dein poſt Valentiniani Jun. mortem Imp. ſalutatus eſt, ab Arbogaſto, A. C. 392. Victus, & occiſus, A. C. 394. à Theodoſio Imp. Marcellin. Proſper. Idacus *Chron.* Ruffinus, Zoſimus, Oroſius, &c. Item Imp. tempore Diocletiani, primo Imperii die occiſus, cùm Seleuciæ palatium occupare niteretur.

EUGEON, vel EUGÆON, ut eſt apud Suid. antiquus Hiſtoricus ante bellum Peloponneſiacum. *Dion. Halic.*

EUGERIA, Dea olim Romanorum, cui, ut & Fluoniæ, prægnantes, partu inſtante, ſacrificabant: illi quidem, ut conceptum alvo facilè *egereret*; huic, ut ſanguinis fluor, tam in partu, quam in geſtatione, cohiberetur. Vide Sext. Pompon. Feſtum *de Verborum. ſignif.* Arnob. *adv. Gentiles l.* 3. & Thom. Bartholin. *l. de Puerperio Veterum.*

EUGIA, regiuncula Arcadiæ. *Steph.*

EUGIPPUS, Abbas, Afer, ſec. 6. ad quem Fulgentius aliquas epiſtolas exaravit. Scripta ejus 2. libb. Baſileæ primum A. C. 1542. dein Venetiis A. C. 1543. impreſſa, titulum habent, *Theſaurus ſeu Sylloge S. Auguſtini.* Vide Sigebert. *de Viris Illuſt. c.* 39. Caſſiod. *divin. lect. c.* 23. &c. Item Abbas, prope Neapolim, diſcip. Gelaſii I. Condidit vitam S. Severini. Caniſ. *antiqq. lect. t.* 6. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 18. Iſidor. *de Viris Ill. c.* 13.

EUGOA, Æthiopiæ ſub Ægypto opp. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

EUGUBIUM, vulò *Gubio*, urbs Ducatus Urbini, in dit. Pontif. ad radices Apennini, prope fontes Cluaſcii fluv. 15. mill. à Peruſia, paulo minus ab Aſſiſio in Bor. In confin. Marchiæ Anconit. Malè dicitur *Eugubio* quibuſd.

EUHYDRA, Phœniciæ urbs. Plin. *l.* 5. *c.* 20.

EUHYDRUM, Theſſaliæ urbs. Liv. *l.* 32. *c.* 13.

EUHYUS, ſive EUIUS, unum ex Bacchi cognominibus à Jove illi inditum, eo in bello, quod Gigantes cum diis geſſerunt. Fabulantur enim poëtæ, cæteris diis perterritis, Liberum Patrem ſe in Leonem convertiſſe, unumque ex gigantibus interfeciſſe, & ob rem tam ſtrenuè geſtam, *Euhyon*, h. e. *bonum filium*, à Jove fuiſſe ſalutatum. Sed nugas agunt qui tale etymon comminiſcuntur. *Evius* enim, qui poëtis *Bacchus* ſic dictus eſt, quaſi Εὔ υἱέ, vel εὐοῖ. Unde apud Dionyſ. *v.* 704. Εὐοῖ Βάκχε λέγοντες. *Evoe* autem quid ſit, non latebit legentes hæc Solomonis Proverb. *c.* 23. *v.* 29. & 30. *Cuivæ, cui*, אבוי *Evoe? Iis qui vino immorantur.* Cui ſententiæ ſubſcribit etiam D. Heinſius *in Exercit. Crit. Quid autem Bacchus, inquit, idem qui Oſiris, niſi verè lachrymoſus Deus? Bacchus* enim non eſt dubitandum quin à בכה *bacha* quod eſt *ululare* aut *lamentari*, dictus ſit. Confirmant id antiquiſſima quæ extant, Hebræorum ſcripta, ſacræ literæ nimirum. Apud Ezechielem ſanè fœminæ, quæ Thammuz ſive Adonim (quem eundem cum Baccho volunt eſſe Græci) celebrant מבכות *Mebacoth*, i. e. Βακχεύουσαι, dicuntur. Aliam vero nominis originem nobis non ita pridem exhibuit. Edm. Dickinſonus M. D. Oxon. *Delph. Phœnic. c.* 10. Unde Εὐιος, inquit niſi ab Ἰευὼ? Græcos enim ſic appellaſſe Hebræorum Deum, liquet ex Porphyrio, qui affirmat Sanchoniathonem, de Judæorum gente veriſſima tradidiſſe, ut qui rerum omnium ſummas accepiſſet παρὰ Ἱερομβάλου τοῦ ἱερέως τοῦ θεοῦ Ἰευώ. Quomodo autem factum ſit Ἰευὼ ex *Jehova*, oſtendit vir doctiſſ. Nic. Fullerus *l.* 2. *c.* 6. Ideoque ſolenne illud Bacchantium Epiphonema Εὐοῖ Σαβοῖ nihil aliud eſſe decernas, quàm *Jehova Sabbaoth.* Eſt autem uſitatiſſima iſta vociferatio. Virg. Æn. *l.* 7. *v.* 389.

> Euoe *Bacche, fremens.*

Q. Enn. *in Athamante*,

> *His erat in ore Bromius, his Bacchus Pater,*

Illis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Illis Lyæus vitis inventor ſacræ,
Tum pariter Evan, Euoe, Euoe, Evius
Ignotus juvenum cœtus, alternâ vice
Inibat alacris Bacchico inſultans pede.

Catull. de nuptiis Pelei. & Thetidos *Carm.* 64. *v.* 255.

Evoe *bacchantes*, Evoe *caput inflectentes*.

Inde apud Plaut. Menæchmus aſſimulans ſe furere, ita ait, Act. 5. ſc. 2. *v.* 82. *Euoe, Evie, Bromie, quò me in ſylvam venatum vocas?* Horat. *Carm. l.* 2. *Od.* 19. *v.* 5.

Euoe *recenti mens trepidat metu,*
Plenoque Bacchi pectore turbidum
Lætatur Evoe, *parce Liber,*
Parce gravi metuende thyrſo.

Apud Euripid. Sophocl. & Apollon. εὐάζειν Bacchico furore correpti dicuntur. Pauſan. etiam *in Meſſen.* Εὐοῖ definit βακχικὸν ἐπίφθεγμα, ac Euſtath. ὑμνητικὸν λόγιον τῷ Διονύσῳ ἐπιφωνούμενον. Calliſtrat. autem *in Statuis*, ait eſſe πικροτέρας μανίας σύμβολον. *Nic. Lloydius.*

EVIA, Daſſareticorum civitas in Macedon. *Ptol.*

EVIGILANS-CANEM, cognom. Herberti Senioris Com. Cenomanenſis, apud Order. Vital. *l.* 3. & 4. quod, ulturus patrem Hugonem, à Fulcone Sen. vehementer infeſtatum, nocturnis expeditionibus Andegavenſes cives, *caneſque* crebrò terreret, & *vigilare* cogeret. At *Evigilans-Stultum*, apud Monachos, campana dicebatur, ad Matutinos pulſari ſolita, in vet. *Charta* A. C. 1183. apud Car. du Freſne: quòd, tepeſcente eo ævo pietate, *Stultos* eos, qui è lecto exurgerent, ut in Eccleſiam ſe conferrent, ad concinendos hymnos matutinos, vulgus exiſtimaret.

EVIGILARE maturiùs ſoliti Vett, *vel officii, vel ſacri causâ*, ut habet Suet. *in Aug. c.* 78. Et quidem celeberrimæ officii cauſæ erant, Toga pura, Sponſalia, Nominalia; item Magiſtratuum, Candidatorum, & Funeris deductio, Salutationes, Recitationes, aliæ, memoratæ Tertulliano *l. de Idolol.* Quæ officia cùm pleraque noctu vel primâ luce celebrarentur; adeoque maturiùs evigilandum eſſet, *otia ſomnumque ſibi magnam Romam negaſſe*, queritur alicubi Mart. Sed & *ſacra publica*, ante lucem, peragebantur, ut videre eſt apud Plaut. *Pœnulo.* Unde Cenſorinus. *Romani à media nocte ad mediam noctem diem eſſe exiſtimavêrunt: indicio ſunt ſacra publica & auſpicia etiam Magiſtratuum: quorum ---- ſi quid poſt mediam noctem & ante lucem factum eſt, eo die geſtum dicitur* &c. Vide Caſaub. *ad Suet. dict. loc.* nec non *c.* 53. ut & ſuprà, ubi de *Die*, apud Vett. in negotia & quietem diviſo.

EVII, Liguriæ pop. *Steph.*

EVILA, vide *Havilah*, Baudr. quid ſit, non conſtat.

EVILMERODACH Rex Babylonis. 2. Reg. *c.* 25. *v.* 27. poſt Nabuchodonoſorem patrem A. M. 3472. Jechoniam Regem à vinculis liberatum menſæ ſuæ adhibuit. Regnavit An. 23. ſecundùm Torniel. 2. ſecundùm Petav. *l.* 10. *de Doct. Temp. c.* 7. Vide Joſeph. Antiqq. *l.* 1. *c. App.* & *l.* 10. *Ant. c.* 12. Euſeb. *de P. E. l.* 9. *c.* 4. Hieron. & Theodoret. *in Dan. c.* 5. Sulpic. Sev. *l.* 2. Bedam *de* 6. *Æt. M.* Salianum, &c. De illo ſic Marshamus: *Evilmerodachus* in *Canone Regum Babyl. Ilvarodamus*, patre mente capto, per ſeptennium, regnum adminiſtravit; illo verò reſtituto, uſque ad mortem ejus unà cum Jechonia Judæ Rege in vinculis fuit, donec ei extincto in regnum ſuccederet. Sic throno potitus Jechoniam quoque liberat, ſed res injuſtè ac proterve adminiſtrat, imò & in patris cadaver injurius eſt, Hieronym. *in Eſ. c.* 14. *v.* 19. à Neriglíſſoroore ſuæ ſororis marito, quem *Nericaſſolaſſarum* præf. *Canon* vocat, peremptus, poſtquam vix biennium imperaſſet, Beroſus apud Joſeph. & Euſeb. *dict. loc.* quo pacto *Evilmerodachus* (quem cum *Balthaſare* eundem Marsham. facit) ex Nabopolaſſari poſteris Rex ultimus, Dynaſtiæ Aſſyriorum Babylone regnantium finem impoſuit, ſuccedentibus Medis, uti is docet *Canone Chron. Sec.* XVIII. 2. Reg. *c.* 25. *v.* 30. Vide quoque infrà *Nericaſſolaſſar.*

EVIN, in tribu Juda. Hier. *in Loc. Heb.*

EUIPPE, vicus Cariæ. *Steph.*

EVIPPUS, unà cum Phocione capitis damnatus, cùm quiritaretur, attritâ cicutâ injuſtè ſe ad mortem adigi; Phocion ad eum, An mori, inquit, cum Phocione detrectas?

EVIRATI, apud Suet. *Tito c.* 7. *Denique, ut ſubiit pondus Regium, Berenicen ---- regredi domum, & eviratorum greges abire præcepit.* Iidem cum *Eunuchis, Exoletis, Spadonibus*, quos vide.

EVIRATUS Johannes, vide *Johannes.*

EULACUS, vulgò EULACH, rivus Helvetiæ, quem prope Vitodurum Toſa recipit, inde inter Reynsbergam, & Egliſovium in Rhenum influens, Joh. Bapt. Plantin. *Helv. Nov. Antiq.*

EULÆUS, Suſianæ reg. fluv. Ptol. & Plin. *l.* 6. *c.* 23. *Ulæi* dicitur. Dan. *c.* 8. *v.* 2. *Tritiri* hodie, Ortelio teſte. Suſa præterfluit, & cum Choaſpe ac Tigri in eandem paludem confluit, qui omnes junctim in ſinum Perſicum deferuntur, teſte Strab. *l.* 15. *p.* 728. Salmaſio verò *Eulæus* idem cum Choaſpe eſt, Plin. ſcribit *l.* 31. *c.* 3. *Ex eo tantùm Reges Parthorum bibere.* Nempe fluv. hic in Media oritur, dein abſconditur, poſtea in Suſiana emergit; ſicque alio nomine, ubi primùm oritur, alio, ubi denuo exoritur, appellatus eſt. Vide præfatum Auctorem *ad Solin. p.* 699. & *ſeqq.*

EULALIA, virgo caſtiſſima, à Deciano Prætore condemnata, A. C. 304. ſub Maximiniano, generosè mortem ſuſtinuit: *En ego ſum*, ajens, *Dæmonicis inimica ſacris, idola protero pedibus, pectore & ore Deum fateor. Iſis, Apollo, Venus nihil eſt. Maximinianus & ipſe nihil. Age tortor, adure, ſeca, divide membra coacta luto.* Prudent. περὶ στεφανῶν, *in Hymn.* X.

EULALIUS, Antipapa, oppoſitus Bonifacio I. A. C. 418. à Symmacho, urbis præfecto, juſſu Honorii, primò adjutus, dein cognitâ Ravennæ causâ, cum uterque ab Imp. Romam redire prohiberetur, Eulalius autem, hoc non obſtante, eò ſe conferret, ſeditione excitatâ, pulſus eſt. Anaſtaſ. *in Bonif.*

EULALIUS, Patriarch. Antiochenus, Arianus, Euſtathio depoſito, ſucceſſit, fidelium perſecutor. Hieronym. *in Chron.* Baron. A. C. 340.

EULALIUS, Arverniæ comes, matricidii accuſatus, multiplici adulterio ſe implicuit. Hinc Tetradia uxor ejus, ablatis quæ poterat, ad Deſiderium confugit, eique nupſit. Eulalius interea raptam ex monaſterio ſibi junxit, & Deſiderio defuncto, à Tetradia ablata repetiit. Unde conventus A. C. 590. in finibus Ruthenorum Arvernorumque, ubi Tetradia in quadruplum condemnata, & liberi ejus ex Deſiderio nothi pronuntiati ſunt. Gregor. Turon. *l.* 10. *c.* 8.

EULEPA, Cappadociæ urbs. *Anton.*

EULOGIA, Græcè Εὐλογία, inter ſacra Euchariſtiæ nomina, 1. ad Corinth. *c.* 10. *v.* 16. Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν, *Calix benedictionis, cui benedicimus.* Propter Chriſtum nempe Εὐλογήσαντα, dum ſacra iſta ſigna tractaret, Matth. *c.* 26. *v.* 26. & Marci *c.* 14. *v.* 22. Poſtea ad ſacrati panis particulas, quæ abſentibus, aliiſque, Chriſtianæ communionis teſtandæ causâ miſſitabantur, vox adhibita eſt. Non enim participantibus ſolùm ſacrum hunc panem diſtribuere cœpêrunt, tempore primitivam Eccleſiam proximè inſecuto, ſed ad abſentes; imò & ad infirmos, eum deferebant; quin & vino intinctum morituris in os ingerebant, *commeatum* hinc eum, & *viaticum* dicentes. Domum etiam perſæpe ſecum adferebant, fervente præſertim perſecutione, quò quotidiè Chriſtum guſtare atque ad certamen ſeſe præparare poſſent. Quem morem hodieque, ſed alio fine, imitantur ex Chriſtianis nonnulli, dum conſecratam hoſtiam, ut vocant, in ornata ciſtula, in Templo proponunt, *non guſtandam, ſed adorandam.* Sed & alium præterea panem habebant Vett. ſacrum quidem, non verò ſacramentalem; quem, communis fidei teſtandæ causâ, Epp. ad diœceſeos Coëpiſcopos mittebant, quas micas itidem *Eulogias* vocabant. Qui tamen, ut & alii nonnulli ritus, Conciliorum auctoritate ſubinde repreſſi, ac nimia illa ſignorum veneratio ſæpe caſtigata eſt: quo eventu, ſequentia ſecula ſatis ſuperque condocefaciunt. Franc. Burmann. *Synopſ. Theol. Chriſt. Part. II. l.* 7. *c.* 10. §. 3. & 41. Et quidem *Eulogias* priores, quarum inſtitutionem primam Synodo Antiochenæ, ſub Conſtantio Imp. celebratæ, Balſamon adſcribit *ad Can.* 2. & iis ſolitas fuiſſe diſtribui, qui ob impedimentum quodpiam diebus feſtis, ac Dominicis *communicare non erant parati*, etiam ipſis Catechumenis, qui jus ſumendæ Euchariſtiæ non habebant (hinc ἀντίδωρα dictas, quod vicem Δώρου, h. e. *Euchariſtiæ*, præſtarent) atque adeò cunctis præſentibus, poſt Euchariſtiam perfactam, docet Car. du Freſne. Recipiebantur autem magnâ devotione à manu Miniſtri, oris oſculo priùs ſalutatæ, ut Cabaſilas habet; idque à jejunis, quemadmodum ipſa Euchariſtia: unde ſi quis jejunus haud eſſet, *Eulogiam* vicino porrigebat, quod etiamnum obſervari in Eccleſia Græca, tradit Allatius *de Eccl. Occid. & Orient. conſ. l.* 3. *c.* 9. §. 1. &c. *Eulogias* verò poſteriores; ſeu privatas Epiſcoporum ac Presbyterorum, quod attinet, ſive panes fuerint, ſive cibi alii, in menſa ab Epiſcopis Presbyteriſque conſecrabantur, ac poſtea diſtribuebantur: Mittebantur etiam cum literis ſalutatoriis, quarum formulam exhibet Marculfus *l.* 2. *Form.* 42. 43. & 44. apud eundem Car. du Freſne in *Gloſſar.* & ſuprà in voce *Caniſtam*, item ubi de *Benedicto Pane* nec non infrà, ubi de *Pane Euchar.* & *Panis fractione*, it. in voce *Piper.* Poſteà verò, quævis munera, & primò quidem, quæ ſponte; inde tandem, etiam quæ ex debito offerebantur adeoque quævis præſtationes, *Eulogiæ* dictæ ſunt, ut pluribus probat idem *ubi ſuprà.*

EULOGIMENOPOLIS, h. e. *Benedicti Civitas*, dicta eſt urbs, ad radices Montis Caſinenſis, à Bertario Abbate ædificata, quæ poſtmodum, S. Germani corpore eò tranſlato, ab hoc nomen accepit. Auctor *Chronici Caſin. l.* 1. *c.* 33.

EULOGIUS, Patriarch. Alexandr. pius & eruditus, ſucceſſit Joh. IV. A. C. 581. Scripſit contra Agnoitas, Novatianos, Severum, & Timotheum, Theodoſium, & Severum, Acephalos, Gaïnitas, & Theodoſianos, ut & 11. Homilias. Obiit A. C. 608. Gregor. *l.* 7. *ep.* 30. *l.* 8. *ep.* 42. Niceph. *Chron.* Evagr. *l.* 5. *c.* 16. Photius, *cod.* 208. 225. 226. 227. 230. 280. &c.

EULOGIUS, Cordubenſis, Martyr, ſec. 9. Sub Saracenis. Scripſit Memoriale Sanctorum, Apologiam Martyrum, Exhortationem ad Martyrium, Epiſtolas aliquot, &c. Morales, *not. ad Eulog.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 4. *IV. part.* ut & *Hiſp. Illuſtratam.*

EULOGIUS, Presbyter, fertur præſcientiam habuiſſe cogitationum quorumlibet ad ſe venientium, eorumque delicta redarguiſſe, & quæcunque latenter cogitaſſent, ſibi revelata manifeſtaſſe. Cùm verò aliquid mali geſſiſſent, vel pravum conſilium adhibuiſſent, ab altari ſuſpendebat, manifeſtans iis peccatum, quod egerant, ac diligenter purgatos rurſus ſuſcipiebat. Sozom. *l.* 8. *c.* Hiſt. Trip.

Q. EULOGIUS, ſeu ECLOGIUS, cognom. *Vitellius*, libertus Q. Vitellii, quæſtor Auguſti, genealogiam Heri ſui ſcripſit, Majores ejus à Fauno Rege Aboriginum arceſſens. Suet. *in Vitel. c.* 1.

EUM, Brito, motus verbis ſolennibus Exorciſmi, *per eum qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos*, ſe Chriſtum finxit, dementatâ ingenti multitudine quam fictis, ope magiæ, epulis faſcinavit. Diſcipulis nomina *Sapientiæ, Scientiæ, Judicii*, &c. impoſuit, jamque Galliæ formidabilis cum innumerabili turba volitavit: Cùm ab Archiep. Remenſi captus, A.C. 1148. & in vincula conjectus eſt, ubi obiit. Diſcipulorum ejus plurimi, mori quàm corrigi maluêrunt. Robert. *in ſuppl. Sigebert.* Otto Friſing. *l.* 1. *c.* 55. Sigon. *l.* 11. Genebr. *in Eugenio III.* &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

EUMACHIUS, Neapolitanus hiſtoricus, rerum Hannibalicarum hiſtorias conſcripſit, teſte *Athen.*

EUMACHIUS, orbis deſcriptionem conſignavit, citatur à Phlegonte Tralliano *de rebus Mirabil. c.* 18. Plin. *l.* 4. An idem cum priore? Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 3. *p.* 366.

EUMÆUS, ſubulcus Ulyſſis, qui dominum poſt longos errores domum redeuntem, quamvis incognitum, hoſpitio excepit & in urbem deduxit, eique in ulciſcendis uxoris procis fidelem operam navavit. Hom. *Od.* 22

EUMARIDES, ut & *Diabathra*, calceamenta erant viris mulieribusque communia, quemadmodum & *Pedila*: quibus tamen hoc ſingulare, quod elegantia eſſent, atque ad delitias, & oſtentationem comparata, utpote variis picta coloribus, B. Balduinus *de Calceo antiquo c.* 20.

EUMATHIUS, auctor amorum Iſmeni & Iſmeniæ, qui aliàs Euſtathio Archiep. Theſſ. tribuuntur. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 4. *c.* 19.

EUMEDA, Dux auxiliaris, in partibus Perſæ, contra Æeten. Val. Flacc. Argon. *l.* 6. *v.* 143.

Jungit opes Eumeda *ſuas: ſua ſigna ſecuti.*

EUMELIS, augur nobilis. Stat. *l.* 4. *Sylv.* 8. *v.* 47. & ſeqq.

Tu ductor populi longè emigrantis Apollo,
Cujus adhuc volucrem lævâ cervice ſedentem,
Reſpiciens blandè felix Eumelis *adorat.*

EUMELUS, Admeti Regis Theſſaliæ ex Alceſta uxore fil. Bocc. *l.* 5. *c.* 43.

EUMELUS, vir Trojanus. Virg. Æn. *l.* 5. *v.* 664. Item Hiſtoricus Corinthius, de quo vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 4. *c.* 1.

Nuncius Anchiſe ad tumulum, cuneoſque theatri
Incenſas perfert naves Eumelus:

EUMELUS, Corinthius, circa Olymp 9. Patriæ ſcripſit hiſtoriam, &c. Vide Pauſ. *in Corinth.* Athen *l.* 7. *p.* 277. Varr. *de Re Ruſtic. l* 2. *c.* 5. Hier. *Chron.* Cyrill. *c. Jul.* Girald. *dial. Hiſt. Poet.* 3. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c* 5. *l.* 4. *c.* 1. *de P. c.* 3. *&c.* Nic. Lloydius. Amphilyti fuit fil Bacchiadarum generis, inter præcipuos, & vetuſtiſſimos Cycli Poëtas habetur. Poëta autem Hiſtoricus fuit, & tam proſâ, quam verſu claruit, teſte Pauſaniâ. Inter opera ejus recenſentur, *Bugonia*, & *Europa*. Item Νόςος Ἑλλήνων, quæ forte pars fuerit *Corinthiacorum* illius: *Titanomachia* porrò aliaque. Sed nihil in Poëtica ejus γνήσιον dici poſſe, præter προσόδιον carmen in Delum, docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 858. & *ſeqq.*

Reges Bithyniæ & Pergami.

EUMENES, Bithyniæ Rex, Aſiam invaſit, A. U. C. 516.

EUMENES I. Pergami Rex, *amiciſſimus Romanis*, ut eum Nepos *in Hannibale* vocat, ubi bellum ejus cum Pruſia Bithyno, qui Hannibalis conſilio ipſum pugna navali devicerat, deſcribit, *c.* 10 fil. cujuſdam Eumenis, patruo Philetæro ſucceſſit Strab. *l.* 13. *p* 624. fratrem hujus, & ſucceſſorem Attalum, primum Regem Pergami dictum eſſe, poſt Galatas domitos, refert, Liv. *l.* 33. *c.* 16. Φιλορωμαῖον eum Plutarch. dixit *in Catone*.

EUMENES II. Aſiæ Pergamique Rex Attalo Patri ſucceſſit, A.U.C. 556. contra Antiochum Mag. Syriæ Regem, & Perſeum ultimum Macedoniæ Regem Romanis præſtò fuit. vide Juſtin. *l.* 31. *c.* 8. & *l.* 33. *c.* 1. Cum fratribus adeò bene ipſi convenit, ut hinc fraterni amoris exempla peti fuerint ſolita. Multum ipſi cum Rom. Porrò negotii fuit, regnavit An. 40. Famâ inclytus. Strab. *l.* 13 Liv. Juſtin. Polyb. Eum excepit filii Attali III. tutor Attalus II frater. Vide ibi.

Duces & Viri illuſtres.

EUMENES Cardianus, fil. Vectoris, ex ſcriba nobiliſſimus dux, ab Alexandro Mag. magni habitus, ſororem Barſines, uxoris ejus, duxit. Illo mortuo, Craterum, & Antipatrum, Perdiccæ auſpiciis, devicit. Pulſus Aſiâ ab Antigono in provinciis Orientalioribus hæſit, Argyraſpidum dux, & quia Seleucum in partes ſuas pertrahere non poterat, illius regionem invaſit. Mox viribus auctus contra Antigonum movit. A. U. C. 439. cui à militibus proditus, triduana fame obiit. Plutarch. *in Eumene*, Diod. *l.* 19. Juſtin. *l.* 13. *c.* 4. & 6. Curt. *l.* 10. *c.* 4. Arian. Vide & Nep. inprimis *in ejus vita.*

EUMENES Cardianus, Ephemerides Alexandri, cum Diod. Erythræo, ſcripſit. Athen. *l.* 10. *p.* 434. Ælian. *l.* 3. *c.* 23.

EUMENES, VI. Alexandriæ Ep. A. C. 134. Euſeb. *l.* 4. *c.* 5. Succeſſit Juſto. Obiit A. C. 144.

EUMENI Lucus, ad ſinum Arabicum in Æthiopia ſub Ægypto. Strab. *l.* 13. *p.* 624.

EUMENIA, Phrygiæ urbs, quam Attalus ab *Eumene* Philadelpho ſic vocavit, quòd benè in ea manſiſſet. Alia eſt Thraciæ, circa Mœſiam inferiorem, Plin. *l.* 4. *c.* XI. & *l.* 5. *c.* 29. alia item Cariæ, tertia in Hyrcania.

EUMENICI Porticus, Athenis, juxta Bacchi theatrum, ambulationi, & commercio Eruditorum conſecrata olim, jam in ruinis, memoratur Jac. Spon *Itin. Part.* 2. *p.* 165.

EUMENIDES, vir quidam, cujus meminit Ovid. *l.* 3. *Triſt.* Eleg. 4 *v.* 27.

Non foret Eumenides *orbus, ſi filius ejus*
Stultus Achilleos non adamaſſet equos.

Lege *Eumedes.*

EUMENIDES, Furiæ infernales κατ' ἀντίφρασιν ἢ εὐφημισμόν, cum minimè εὐμενεῖς, h. e. benevolæ ſint. Serv. *in Æn. l.* 6. Dictæ quod minimè bene velint, per *antiphraſin*, ut *Parcæ*, *Bellum*, Eumenides αἱ σεμναὶ θεαὶ dicuntur Plutarch. *in Theſeo*, & Pauſ. *in Atticis.* De illis multa Æſchylus, & Orpheus hymno in *Eumenidas.* Has autem tres ferunt fuiſſe Acherontis, & Noctis filias, uno partu editas, & apud inferos *Canes Stygias* vocari, apud mortales *Furias*, apud ſuperos verò *Diras*. Harum nomina Megæra, Alecto, & Tiſiphone. Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 469.

Eumenidum *veluti demens videt agmina Pentheus,*

Idem *l.* 6. *v.* 374.

Tu Stygias inhumatus aquas, amnemque ſeverum
Eumenidum *aſpicies.* ----

Propert. *l.* 4. Eleg. 12. *v.* 22.

Eumenidum *intento turba ſevera foro.*

Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 53.

---- *Stygias luſtrare ſeveris*
Eumenidas *perhibetur aquis.*

Eſt etiam *Eumenis* ſing. num. Idem Stat. *Theb. l.* XI. *v.* 197.

---- *Scidit orſa novo terrore cruenta*
Eumenis.

Sil. Italic. Punic. Bell. *l.* 3.

Eumenis *in medios irrumpit turbida cœtus.*

Idem

---- *Dea concita ſævam*
Eumenidem *incuſſit.*

Porrò Eumenides à Poëtis pinguntur vipereo crine incinctæ. Catull. de Nup. Pelei & Theſidos Carm. 64 *v.* 193.

Eumenides, *quibus anguineo redimita capillo Frons.*

His ara Athenis, ad quam Cilonis ſocii occiſi, Thucyd. *l.* 1. Plutarch. *in Solone.* Inde Ὀφιοπλόκαμοι Orpheo dicuntur. Nic. Lloydius. Cæterùm illas primus Oreſtes veneratione proſequutus eſt, cùm ab Areopagitis ob matricidium in paternæ necis ultionem commiſſum, fuiſſet abſolutus. Aliàs *Erinnyes* quoque dictæ: illis libamina, ſed ſine vino, mediâ nocte offerri ſolebant, quod his Deabus peculiare planè erat, teſte Æſchylo *in Eumen.* niſi quòd Bacchi quoque, hinc *Nyctelii* cognominati, ſacra nocturna erant, ſed hæc in mediam præcisè noctem non incidebant. Sacrificium autem ita peragebatur: Manus abluebant primò, puraſque reddebant earum cultores, dein è fonte repletis tribus vaſis, addito aquæ melle, unde Νηφάλια μειλίγματα, ora aureſque lanâ agnina ſtipata habentes, Ortum verſùs ſe convertebant, & è duobus horum poculorum aliquid effundentes, tertium deplebant totum. Tum utrâque manu ter novem oleæ ramos humi, ubi χοαὶ ſuas effundebant, defigentes, precibus ſuis defungebantur. Vide Franc. Roſſæum *Archæol. Atticæ l.* 2. *c.* 4. Harum ſacelli aditu interdicebatur, redeuntibus ab hoſtibus poſtliminio, ex Lege. Τοῖς Δευτεροποτμοις μὴ ἐξεῖναι εἰσιέναι εἰς τὸ ἱερὸν τῶν Σεμνῶν θεῶν, *Redeuntibus poſtliminio ab hoſtibus non licere ſacellum Eumenidum adire.* Fuit autem ὁ Δευτερόποτμος is, cui, tanquam in bello mortuo, juſta funera facta ſunt: Talem reducem, per ſinum laxæ ſtolæ, mulier demittebat, tanquam renaſci videretur, teſte Heſych. Quem Athenienſium morem imitati ex parte Romani ſunt, ut illuſtris Heros ad Feſtum obſervavit. Nam eum qui poſtliminiò ab hoſtibus revertebatur, nolebant Romani limen inſiſtere, quia eo funeſtari putabant, tam limen utrumque, & ſuperum, & inferum, ſi à mortuo calcaretur, quàm hominem ipſum: Idcirco tecto perforato in ædes admittebatur, ne ominoſum illi eſſet per januam ingredi, per quam tanquam elatus erat. Ii autem, quibus abſentibus tanquam mortuis funus factum fuerat, duûm erant generum: aut enim peregrè fuerant hiſtoriæ vel negotiorum ergò, aut militatum abierant: quorum poſterioribus Lex hæc dicta erat, ut Heſych. obſervavit. Vide Sam. Pet. *Comm in Leges Attic. l.* 1. *tit.* 1. *p.* 15. & 16. Nec omittendum, quòd *Eumenidum* ſtatuas Iliſſo flum. mergendi, & abluendi ritus indigitatur Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 54.

Sævus honos fluvio: Stygias luſtrare ſeveris
Eumenidas *perhibetur aquis* &c.

De corona earum aliquid infrà in voce *Narciſſus.*

EUMOLPUS, in Eleuſinis ſacris, memoratur Clementi 7. *Strom.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 750.

EUMOLPUS, Athenienſis, quem Suid. Muſæi poëtæ fil. fuiſſe ſcribit, verſificator, ante Homerum fuiſſe traditur, auctor 6000. verſuum. Ovid. *Pont. l.* 2. Eleg. 9. Initio.

Regia progenies, cui nobilitatis origo
Nomen in Eumolpi *pervenit uſque Cotys.*

Ab hoc Eumolpidas ſacrorum quorundam præſides dictos volunt. Æſchines *contra Cteſiphontem.* Fuit & Pythionices quidam, h. e. *victor in Pythiis ludis* Græciæ Hic vitium, aliarumque arborum culturas docuiſſe fertur, teſte Plin. *l.* 7. *c.* 56.

EUMONIDES, nomen proprium viri Thebani. *Plutarch.*

EUMONIUS, Rhetor, à Conſtantio Imp. 6000. Imperiales, penſionis loco, accepit. Nazar. *in panegyr. Conſt.*

EUNÆ, urbs Cariæ, in qua fluv. eſt *Eunæus.* Eſt etiam urbs Argorum. Vide *Steph.*

EUNÆUS, Jaſonis fil. ex Hypſipyle filia Thoantis Regis Lemni. Hom. *Il.* 7.

EUNAPIUS Sardianus, ſub Valentiniano, Valente, & Gratiano, ſophiſta, medicus, ac hiſtoricus inſignis, Proæreſii diſcipulus, ac affinis Chryſanthii, quippe qui Eunapius impulſu hujus Chryſanthii ſcripſit de vitis Sophiſtarum, opus elegans ac venuſtum, ſed in quo paſſim prodat, quàm Chriſtiano nomini fuerit infeſtus. Idem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

res geſtas Cæſarum, exinde orſus, ubi deſierat Dexippus, à Claudio vid. l. ad Arcadii, & Honorii perduxit: Vel ut alii, à fine Herodiani, uſque ad ſua tempora. Sed nihil reſtat, præter vitas Sophiſt. & fragmenta quædam. Julianum Apoſtatam Conſtantino Mag. antetulit: Compilatorem nactus eſt Zoſimum. Vide Phot. *Bibl. cod.* 77. 68. & Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 18. *Nic. Lloyd.*

EUNENO, ſeu AGMO, AA, fluv. Belgii. Oritur in agro Bononienſi per Arteſiam dein, ubi Audomaropolim rigat, poſteà ad Gravelingam in Ocean. Germanicum labitur.

EUNICE, nympha, una ex his quæ Hylam Herculis puerum rapuêrunt. Item Timothei mater. 2. Tim. *c.* 1. *v.* 5.

EUNICUS, ſtatuarius fuit. Plin. *l.* 34. *c.* 8.

EUNOENSIUM, regionis Græciæ meminit Pauſ. *in Ach.*

EUNOMIANUS, ſub Juſtiniano Imp. Belliſſarii Pater luſtricus. An idem cum poëta orthodoxo, cujus epigramma cum Philoſtorgi Ariani ſcriptis, Jac. Gothofredus edidit? *Suid.*

EUNOMIDAS, Vide *Phrynichus.*

EUNOMIUS, diſcipulus, & notarius Ætii. Trip. Hiſt. *l.* 5. *c.* 13. Ordinatus eſt Ep. Cyzici, tanquam qui poſſet populum calliditate verborum ad ſuum circumvenire conſenſum, *c.* 35. & *l.* 7. *c.* 18. Propugnavit hæreſin Arianam, contendens per omnia, Filium diſſimilem eſſe Patri, quia nullo modo creatura poſſit ſimilis eſſe Creatori. Deum ſe æquè perfectè cognoſcere, ac ipſe ſe cognoſcat, aſſeruit. Baptizatos in nomine SS. Trinitatis rebaptizavit: Cæterum ſceleribus vitâ pollutâ. Primùm autem callidè diſſimulavit virus, tandem ſe prodens Cyzico pulſus eſt. Quumque Samoſatenſibus à factione Ariana obtruderetur, & ſe in omnium odio eſſe animadverteret, illinc quoque diſceſſit. Tandem à Valente Imp. Cyzicum reductus eſt. Inde à populo rurſus ejectus, ad Eudoxium C Polim venit, à quo ipſe ſe tandem ſejunxit. Ejus ſcripta, contra Eccleſiam, & 7. tomos, in ep. Pauli Socrates recenſet, *l.* 4. *c.* 6. & 7. A Baſilio, Cæſario, Didymo, utroque Gregorio refutatus eſt. Vide Epiph. hær. 75. Theodoret. *l.* 4. *hær. fab.* 5. Hier. *adverſ. Vigilant.* Ruffin. *l.* 2. *c.* 25. Baron. A. C. 356. Ab hoc dicti *Eunomiani.* Troglodytæ. Extant contra Eunomium libri Baſilii, & Nazianzeni.

EUNOMUS, Prytanis fil. Spartæ Regis ex Proclidis, ſucceſſit patri, Labota adhuc ex Agidis Rege: ſub quibus pax fuit. Eum excepit Polydectes. Pauſ. *Lacon.*

EUNONUS, Aorſorum Rex, tempore Claudii, Tacit. Ann. *l.* 12. *c.* 15.

EUNOSTI, portus Ægypti circa Pharum. *Strab.*

EUNOSTUS, Tanagræorum Deus, cujus templum adeò mulieribus interdictum fuit, ut ſi quo infortunio, aut vaſtitate Tanagræi opprimerentur, diligenter inquirerent, ſi qua mulier conſultò, aut caſu templo appropinquaſſet, Alex. *Gen. Dier. l.* 6. *c.* 2.

EUNTIS veneratio, magnæ devotionis indicium. Sic abblanditur eunti Dominæ Sperchios fluv. apud Papin. Stat. *Achilleid. l.* 1. *v.* 103.

> ---- lateque Deæ *Sperchios abundat*
> Obvius & *dulci veſtigia circuit undâ.*

Et in Phœnice, Claudian. de cœteris volucribus, Carm. 44. *v.* 75. & ſeqq.

> *Innumeræ comitantur aves, ſtipantque volantem*
> *Alituum ſuſpenſa cohors,*
> *Nec quiſquam tantis e millibus* obvius *audet*
> *Ire Duci, ſed Regis iter fragrantis adorant.*

Vide de hoc ritu Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. d. l.* & hic paſſim, ubi de *Anteambulonibus*, *Circumpedibus*, *Pediſſequis* &c.

EUNUCHI, vel naſcuntur, vel fiunt: quorum illi propriè *Spadones*, hi *Caſtrati dicuntur*, vide ibi Gloſſæ vett. Εὐνοῦχος ἀπὸ φύσεως, *Spado*: Εὐνοῦχος ὁ ἐκθλιβίας, *Caſtratus.* Naſcuntur vitio aut debilitate parentum; Fiunt arte, caſu, inſidiis, ſponte. Arnob. Catull. *de Aty*, Plin. *l.* 11. *c.* 48. De ſpontanea exectione Lucian. *Siria Deâ*: Varro *Lege Mænia*: *Si qui Patriam majorem parentem extinguit, in eo culpa: quod facit pro ſua parte is qui ſe eunuchat, aut aliqua liberos producit.* Quales fuêre, inter Gentiles, Galli Cybeles ſacerdotes: inter Chriſtianos Hæretici *Eunuchi* propterea dicti. Longè alia ratio illorum, de quibus Chriſtus loquitur, Matth. *c.* 19. *v.* 12. ubi *per Eunuchos qui ſeipſos caſtrarunt propter regnum cœlorum*, non alii intelligendi veniunt, quàm ii, qui ex peculiari donò divinitus conceſſo à conjugio abſtinent, ut Deo liberiùs inſerviant. Sæpenumero tamen cogebantur à Principibus Medici facere *Eunuchos*: adeòque ars ipſa, cujus erat præcipua cura, conſervare naturalem corporis ſtatum habitumque, aut læſum reparare, ac redintegrare, in maximum naturæ totius armata eſt detrimentum, ut queritur Paulus Ægineta. Mos hic à Perſis originem habuiſſe creditur, unde à Spada Perſidis vico, ubi primùm virilitas exciſa eſt, *Spadones* nuncupati Stephano videntur. Eos poſtea aliæ quoque gentes, Romani inprimis, imitati ſunt. Unde Petron. *Satyr.* Edit. Boſch. *p.* 269. & Edit. Gonſali de Salas *p.* 60.

> *Perſarum ritu malè pubeſcentibus annis*
> Surripuêre viros.

Sicque pueri puellæ facti ſunt, quos in mundo muliebri reponit Phædr. *l.* 4. *fab.* 5.

> *Seponit mœchæ veſtem, mundum muliebrem,*
>
> *Lavationem argenteam* Eunuchos glabros.

Illi enim, ut alios uſus omittam, virginibus mulieribusque cuſtodes, ac comites additi ſunt, quaſi poſſint Εὐνὴν ἔχειν καὶ φυλάσσειν *lectum cuſtodire*, unde etiam iis nomen: quamvis alii παρὰ τὸ εὖ νοῦν ἔχειν καὶ ἀπηλλάχθαι τῶν ἀφροδισίων, *quòd à Venere alieni, optimo mentis ſtatu fruerentur*, illos dictos volunt. Hinc Impp. *Eunuchum ſacri cubiculi miniſteriis adhæſurum*, dixêre *l.* 4. *C. de præpoſ. ſacr. Cubiculi L.* 12. Caſtratis enim cubiculariis etiam Principes utebantur: è quibus Eutropius eminuit, qui eò potentiæ aſcendit, ut Conſulatum quoque impetraret omniaque ſub Arcadio Imp. pro lubitu aliquandiu ageret; donec rerum novarum deprehenſus, extractus vigore legis à ſe latæ ex ipſo templo, capite pœnas dedit, A. C. 396. Idem hodieque apud Turcarum Imp. eorum uſus eſt. Vide ſuprà *Carſamatius.* Itali, ut Muſicæ aptiores reddantur, *Eunuchos* faciunt. Sed tam improbam luxuriam jam olim Romani Impp. legibus coërcuêre. D. Hadrianus ne Spadones fierent, pœnâ legis Corneliæ de Sicariis irrogatâ, reſcripto cavit *leg.* 4. *ff. ad leg. Corn. de Sicar.* Conſtantinus viros exſecantes capitaliter puniri voluit, *leg.* 1. *Codicis de Eunuch.* Juſtinianus, talionis lege agere permiſit, *Novel.* 142. quam pœnam jam apud Herod. *Uraniâ*, veluti civilem ac legitimam, Hermotimus in Pannonium, à quo fuerat exciſus, ſtatuiſſe legitur: Namque Pannonium in poteſtatem ſuam redactum proprios liberos emaſculare: ipſosque dein patri virilitatem eripere coëgit. Unde Ovid. *Amor. l.* 2. *Eleg.* 3. *v.* 3.

> *Qui primus pueris genitalia membra recidit,*
> *Vulnera quæ fecit, debuit ipſe pati.*

Nempe ut cædem cæde penſaret. Homicidium enim Eunuchiſmo committi *Apoſtolici Canones* ſanciunt, Balſamon, & Photii *Nomocan. tit.* 1. *c.* 3. Quam ob cauſam manifeſtarios Mœchos, ejus conditionis, ut jure occidi potuiſſent, contumeliâ adficere permittebatur, puta raphanis, & mugilibus forare: item viro ſpoliare, quo referri poteſt illud Phædri *fab.* 11. *l.* 3.

> Eunuchus *litigabat cum quodam improbo*
>
> *Integritatis teſtes quia deſunt mihi.*
>
> *Id demum eſt homini turpe, quod meruit, pati.*

Quod factum, illo per ludibrium de collo ſuſpenſo, Plaut. *Mil. Glor. Act.* v. *v.* 5.

> *Quin jamdudum geſtit mœcho hoc abdomen adimere,*
>
> *Ut faciam quaſi puero in collo pendeant crepundia* &c.

Nec feminis parcitum primumque illas *Eunuchas* feciſſe legitur Lydorum Rex Andramytes, apud Cœl. Rhodig. *l.* 20. *c.* [illegible] & Alexand. ab Al. *Genial. dier. l.* 2. Duas autem hujus Eunuchiſmi [illegible] tiones proponunt Eruditi: Unam νυμφοτομίαν, cùm in locis muliebribus protuberante ultra modum [illegible] à ſectione remedium petitur, Æginet. *l.* 6. *c.* 80. Alteram μαστοτομίαν. Sic Amazones viriles videbantur, & apud Arnob. ut Atys ſe viro, ſic ejus amica mammarum honeſtate ſeſe privavit: uterque ſcilicet inguina ſibi demeſſuit. Nam papillæ inguen apud Lucil. habes:

> *Inguen ne exiſtat papulæ, tamen ne boa noxit.*

Suet. *Tib. c.* 44. *Nec dum tamen lacte depulſos inguini, ceu papillæ, admoveret.* Unde inguina papillarum extantia habere, [illegible] τοὺς μεγάλους μαστοὺς ἔχειν: velaque & faſciæ, quibus extumidæ comprimuntur papillæ, σπαδονισμὸς μαστῶν, *ſpadonatus mammarum dictæ*, Rigaltius *in Phædr. fab. ſuprà laudatam.* Addam hoc unum, *Eunuchos*, occurſibus olim infames fuiſſe, quemadmodum Æthiopes, pumilos atque diſtortos, & hujuſmodi generis alios. L. Sen. *Sacerdos non integri corporis, quaſi mali ominis res, vitanda eſt.* Lege divinâ quoque à comunione ſacrorum civiliumque munerum prohibiti ſunt. Deuter. *c.* 23. *v.* 1. *Nec vulneratus teſte neque excîſus virilitate, venito in congregatione Jehovæ*; tanquam viz. munus aliquod obiturus. Aliàs enim in congregationem venire, ut ſacris ibi intereſſent, illis licebat Exod. *c.* 12. *v.* 18. Levit. *c.* 22. *v.* 18. Num. *c.* 9. *v.* 14. &c. Burmannus *in Deut. c.* 23. *v.* 1. Vide quoque hîc, ubi *de Caſtratione*, *Spadonibus*, *Teſtibus* in voce *Tiaridas.* Candacis Æthiopum Reginæ *Eunuchi* hiſtoriam habes, Actorum Apoſtol *c.* 8. *v.* 27.

EUNUCHI, Hæretici, aliàs Valeſiani, à Valeſio Arabe quodam. Omnes ſectæ ſuæ exſecabant, imò & in obvios quoſque eâdem crudelitate ſæpe ſæviebant. Epiphan. *hær.* 58. Baron. A. C. 249. *n.* 9. 260. *n.* 69. &c. Imitati autem in hoc Origenem ſunt, qui malè intellectis Chriſti verbis, Matth. *c.* 19. *v.* 12. Seipſum an *ferro*, an *pharmaco*, caſtraſſe traditur: re dici pòſt à Demetrio Alexandr. ex invidia, & odio in Origenem propalata. *Narcotico* Origenem uſum Epiphanius refert. Vide Tertullian. *ad Uxor.* & Hom. *Hiſtor. Eccl.* [illegible]

EUNUCHUS Palatinus, apud Iſidor. Peluſiotam, idem cum *Eunucho Regio*, apud Ambroſ. *Ep.* 27. *ad Valentin.* II. dignitas fuit in Palatiis Impp. cui Cubiculi Auguſtalis erat cura commiſſa, Cubicularius. Leo. *Nov.* 98. [illegible] Evagrius *l.* 4. [illegible] Quibus qui præerat, Ἀρχιευνοῦχος dicitur, in *Chron.* Alexandrino Ann. C. Valentin. Julianus Imp. antequam Imperium iniret, *Eunuchum* fuiſſe nomen honoris, ſuo verò tempore contumeliæ, ſcribit *Miſopogone.* Vide hic ſuprà, ut & in voce *Cantor.*

EVOCANDI, Deos tutelares, ex urbibus obſeſſis, Romanorum olim, ritus, vide infrà ubi de *Oppugnatione urbium*: uti de alia *Deorum vocandi* ratione paulo infrà ubi de *Evocatoriis hymnis.*

EVO

EVOCANDI Manes ratio, horrendis cerimoniis peragi ſolita, qualis fuerit apud Gentiles accuratè deſcribitur prolixeque, Stat. *Theb. l.* 4. ad quem vide erud.tas *Animadverſ.* Caſp. Barthii: ut & hîc paſſim, ubi de *Aboris*, *Divinatione*, *Manibus*, *Necremantia* &c. Addam hic ſaltem, hujuſmodi *Evocatores* ipſis Diis indignabundos minitari conſueviſſe. Unde Tireſias, apud Stat. *d. l. v.* 501..

Teſtor ait, Divæ, quibus hunc ſaturavimus ignem &c.

Et ille Deorum ſuorum coactor, apud Lucan. Civil. Bell. *l.* 6. *v.* 742.

---- ---- tibi, peſſime Mundi

Arbiter, immittam ruptis Titana cavernis &c.

Quò facit inſignis locus Porphyrii, Πολλῷ δὲ πάντων ἀλογώτερον, τὸ μὴ δαίμονι, εἰ τύχοι ἢ ψυχῇ τεθνηκότος, αὐτῷ δὲ τῷ βασιλεῖ Ἡλίῳ ἢ ἄλλῳ τῶν κατ' οὐρανὸν ἀνθρώπον τῷ τυχόντι ὑποχείριον ἀπειλὰς προσφέροντα ἐκφοβεῖν, ψευδόμενον, ἵν' ἐκεῖνοι ἀληθεύσωσι κτλ. apud Euſeb. *Præpar. l.* 5. *c.* 10. ad quem *l.* Vide *Franc. Vigerum.*

EVOCATI, Dioni Ἀνάκλητοι, poſteriori ævo dicti ſunt, qui prius *Volones* dicebantur ſeu *Voluntarii* Liv. *l.* 5. *c.* 7. qui cùm vel propter ætatẽ, vel quòd legitima ſtipendia confeciſſent, cogi non poſſent, ſponte militabant, Caſaub. *ad Capitolin. in Marco.* Salmaſ. eos facit eoſdem cum *Principibus*, qui primi ordines ſeu primorum Ordinum ductores (unde tandem *Ordinarii* dicti) in prima acie pugnam capeſſebant. Vett. hi erant, & exercitati milites, qui cùm è militia jam exiiſſent, ad eam ſponte *revocabantur*, ordinum, & præmiorum ſpe; hinc Ταξίαρχοι in *Gloſſis* dicti, qui Centuriones quidem non erant, ſed cùm præliandum eſſet, & ad manus veniendum, cùm acies ordinabatur, ordines ducendos accipiebant. Unde à Centurionibus paſſim ſeparantur. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Bonoſo.* Idem cùm duæ ſtatorum centuriæ in ſingulis caſtris eſſent, iis *Evocatos* præfuiſſe indeque *Evocatos Statorum* in antiquo ſaxo memorari, docet *ad Vulcatium Gallicanum in Avidio Caßio.* Vide quoque infrà ubi de *Ordinariis.* Alii erant *Evocati Auguſti*, quorum ſæpe mentio in antiquis Inſcr. EVOK. AUG. De iis Suet. *Galba c.* 10. *Delegit & Equeſtris ordinis juvenes, qui manente annulorum aureorum uſu*, Evocati *appellarentur, excubiasque circa cubiculum ſuum, vice militum, agerent.* Ad quem l. Caſaub. vide.

EVOCATORIÆ Epiſtolæ dicebantur, quibus abſentes ad Comitatum *evocabantur* à Principe, aut quibus iis, qui Principis aſpectum ambiebant, veniendi concedebatur facultas. Nam ſine *Evocatoria* ad Comitatum venire omnibus non licebat, *leg.* 3. *Codicis Theodoſiani, & Juſtinian. de Decur. & Silent.* Utriusque generis formulam exhibet Senator *l.* 7. *Ep.* 34. & 35. Vide Juretum *ad Symm. l.* 4. *Ep.* 5. At *Hymni Evocatorii*, Κλητικοὶ dicebantur Græcis, quibus Deos vel invocabant, vel *evocabant.* Non uti priſci Romani, cùm eorum oppidorum, urbiumve, quas obſiderent, Numina *evocabant*, ſed quomodo Orpheus in Hippan. Liberi patris nutricem; ubi initio Deos ſuos invocat, loca enarrans, quibus præſiderent, dein ad ſacra ſua venirent, precatur. Cujuſmodi omnes Procli hymni, in quorum principio, κικλήσκω, καλέω, ἐπικέκλομαι, κλῄζω, in fine petit, παρεῖναι τελεταῖς ὁσίαις. Iis reſpondebant Ἀποπεμπτικοὶ ὕμνοι, quibus Deos è ſedibus ſuis *evocatos*, poſtremo feſtorum die, quibus interea illos interfuiſſe credebant, quaſi abeuntes, non ſine gratiis ac deſiderii ſignificatione, dimittebant ac proſequebantur. Vide de utriſque Jul. Cæſ. Scalig. *Poet. l.* 3. *c.* 113. & 114.

EUODIA, mulieris nomen. Philip. *c.* 4. *v.* 2.

EUODIUS, primus poſt D. Petrum Antiochenæ Eccleſiæ Ep. A. C. 68. martyrio coronatus, A. C. 71. Niceph. *l.* 7. *c.* 3. Euſeb. *Chron. & Hiſt. l.* 3. *c.* 16. Item alius Cos. cum Honorio A. U. C. 1139.

EUODIUS, Ep. Auguſtino laudatus. Item Epicus Lat. cujus opera periêrunt. *Suid.*

EUODUS, cuſtos & exactor, è libertis, cædi Meſſalinæ à Narciſſo datus. Tacit. Ann. *l.* XI. *c.* 37.

EVOE, Græcè Εὐοῖ, vox Bacchantium, ex nomine Dei tetragrammato, detorta. Vide Sam. Bochart. *Hierozoici Parte prior. l.* II. *c.* 36. ut & in voce *Jehova.*

EUONIUM, caſtellum firmiſſimum in litore Scotiæ Occid. poſteà *Stephanodium*, *Dunſtaphag* hodie Hectori Boëtio. Baudr. urbs Scotiæ munita, in Lornia prov. Regum antiqua ſedes, cum portu capaci, in ora Occ. verſus Ebudas. Vix 5. mill. Scot. à Mula Inſ. in Ort. 55. à Dumblana in Occaſ. 14. à Chilmoria, in Bor.

EUONYMIA, Cariæ urbs, & Athenienſium vicus, tribûs Erechtheidis. *Steph.*

EUONYMITÆ, Ægypti gens juxta Æthiopiam.

EUONYMOS, inſ. parva ex Æoliis. Plin. *l.* 3. *c.* 9. Ita dicta, quòd è Lipara in Siciliam navigantibus ſiniſtra offeratur, nam εὐώνυμα Gr. καὶ εὐφημισμὸν vocant *ſiniſtra*, author Strab. *l.* 6. *p.* 276. *Stromboli* Nigro, *Vulcanetto* Ferrario. Quibuſd. *Liſia Bianca*, forſan mel. aliis *Pare rotto*, inſ. ſatis parva, inter Liparam ad Auſtr. & Strongylem ad Bor. in mari Tyrrh. cum paucis incolis. *Baudr.*

EUONYMUS, Græcè Εὐώνυμος, pop. Atticæ, ſub Erechtheide tribu, ab Heroë *Euonymo*, Cephiſſi fil. nomen adeptus, cujus memoriam ſervant variæ *Inſcr.* Salamine, Athenis, Venetiis, hodieque ſuperſtites. E quibus una Salamine habet:

ΘΡΑΣΥΜΗΔΗΣ

ΘΡΑΣΥΛΛΟΥ

ΕΥΩΝΥΜΕΥΣ

apud Jac. Spon. *Itin. Part.* 3. *ubi de* 174. *populis Atticæ.*

EUORAS, Laconiæ ſaltus. *Pauſ.*

EVORIA, Epiri locus, Sozom. *l.* 7. *c.* 25. Eadem *Donatiana* videtur dicta, apud Calliſtum, à Donato ejus Ep. Urbs olim Epiſc. nunc pagus.

EVORIACÆ Meldorum, ubi Burgundofara, vel Fara Franca, Chagnerici. Regis Auſtraſiorum Theodeberti Convivæ, & Conſiliarii, ex Landegunda filia, Chagnoaldi Laudunenſis Antiſtitis ſoror, clariſſimum Monaſterium virginum erexit, in pago Briegio, hodieque *Fre-mouſtier.* Inter fluvios Mucram maj. & Albam; quorum alterum *le Grand Morin* nominant; alterum, qui in ipſum defluit, diminutivo nomine *Aubetin*, aliàs *Aubete.* Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

EVOSIUM, vulgò *Yvoix*, vide *Epoiſſius.*

EUPAGIUM, Poloponneſi opp. Diod. In Elide.

EUPALES, 32. Aſſyriorum Rex.

EUPALIA, urbs in Locride. Steph. Alii *Eupalion*, alii *Eupolion* vocant.

EUPATOR, fil. Antiochi. 1. Macchab. *c.* 6. *v.* 17. Græcè Εὐπάτωρ, cognomen fuit variorum vet. ævi Regum. Inter Syriæ Regg. Alexandri id cognomen fuiſſe, diſcimus ex nummo ejus, cui inſcriptum, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. Mithridatem, Ponti Regem illum famigeratiſſimum, Εὐπάτορα & Διόνυσον appellatum eſſe, docet Strab. *l.* 12. *p.* 547. & App. *in Mithridat.* &c. Fuit autem Alexander is, qui ὁ Βάλλας Joſepho cognominatur *Antiqq. l.* 13. *c.* 8. Hic enim à Ptolomæo Philometore Ægypti, Attalo Aſiæ & Ariarathe Cappadociæ Regg. ſubornatus, & copiis adjutus, victo cæſoque Demetrio Syriam invaſit, ſeque Antiocho Epiphane genitum, credi voluit. Cui fabulæ, ut fides conſtaret, ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ, ob *paterni generis gloriam*, Antiochi Regis, quem fratrem ſuum mentitus eſt, exemplo, ut & Εὐεργέτου cognomentum aſſumpſit, Seb. Feſchius J C. *Ep. ad Hollanderum, qua Pylæmenis Paphlag. Regis inſignem nummum exponit.* Ab altero verò, Mithridate *Eupatore*, Amiſus urbs ampliata, & pars, quam illi addidit, *Eupatoria* appellata eſt, Strab. *l.* 12. *p.* 556. Idem aliam *Eupatoriam* condidit, ad confluentes Lyci & Iris, quam imperfectam ab illo relictam, Pompejus, eo devicto, agro, & civibus additis, *Magnopolim*, h. e. Pompejopolim, nominavit. Quod Plin. ad priorem Eupatoriam tranſtulit, viciniâ locorum deceptus. Salmaſ. *ad Solin. p.* 889.

EUPATORIA, urbs Paphlagoniæ, & Mithridatis regia, ab eo condita, poſtea eo victo à Pompejo Magno *Pompeiopolis* dicta, teſte Plin. *l.* 6. *c.* 2.

EUPATRIA. urbs Lydorum. *Steph.*

EUPATRIDÆ, apud Athenienſes olim erant civium nobiliores, qui regio prognati ſanguine, dignitate cæteris antiſtabant. Primitus enim duo in Rep. civium, *quibus inter gradus dignitatis fortunæque aliquid interlucebat*, ordines erant, Εὐπατρίδαι nempe & Ἄγροικοι, Dion. Halicarn. *l.* 2. quemadmodum apud Francos Nobiles & Ruſtici: apud Venetos, Patricii ac Plebeji: apud Romanos ſimiliter, Patres & Plebs, nomina erant, quibus à ſe diſcernebantur cives. Poſtea in tres claſſes Theſeus civitatem diſtribuit Εὐπατριδῶν, Γεωμόρων καὶ Δημιουργῶν: quorum illi cæteris dignitate, iſti utilitate, hi numero prævalebant, dicebanturque Εὐπατρίδαι, qui Regibus Heroibusque in Græcorum hiſtoriis celebribus erant editi. Auctor Etymol. Εὐπατρίδαι ἐκαλοῦντο οἱ αὐτὸ τὸ ἄστυ οἰκοῦντες καὶ μετέχοντες βασιλικοῦ γένους, τὴν τῶν ἱερῶν ἐπιμέλειαν ποιούμενοι: vel etiam Aborigines, & indigenæ, ſecundùm Heſych. Hi ipſa in urbe ſedes ſuas cum Demiurgis, qui opifices erant, poſuêre: Reliqui verò, *Geomori* dicti, ruri habitabant, agroſque colebant. His omnibus idem jus eſſe voluit Theſeus, latâ Lege: Τοῖς πολίταις τὰ ἴσα εἶναι, *Omnibus civibus jus idem eſto.* Hac tamen exceptione ut ſolis ingenuis, Nobilibus ſeu *Eupatridis* Sacerdotia, Magiſtratus & Legum rerumque ſanctarum atque divinarum interpretatio concederetur, ex Lege: Τοὺς Εὐπατρίδας γινώσκειν τὰ θεῖα καὶ παρέχειν Ἄρχοντας καὶ νόμων διδασκάλους εἶναι, καὶ ὁσίων, καὶ ἱερῶν ἐξηγητάς, *Patricii Sacerdotia atque Magiſtratus obeunto, Legum rerumque ſanctarum atque divinarum interpretes ſunto.* Poſt Theſeum verò Solon, cenſu civium acto, Athenienſes univerſos in quatuor diſtinxit ordines, τιμήματα ſeu τέλη dictos Pentacoſiomedimnos nempe, Equites, Zygitas & Proletarios &c. Familiæ *Eupatridarum* celebriores erant: *Praxiergidæ*, *Eteobutadæ*, *Alcmæonidæ*, *Cynidæ*, *Ceryces* & vide Sam. Petit. *Comm. in Legg. Attic. l.* 2. *tit.* 3. & Fr. Roſſæum *Archæologiæ Atticæ l.* 1. *c.* 4.

EUPHAES, in Meſſeniorum regno, ſucceſſit Androcli, eo tempore, quo Theopompus Spartæ, & Æchmis in Arcadia, regnabant. Pauſ. *Meſſeniacis.* Sub eo, ſimultas quæ inter Spartanos, & Meſſenios legitimam ob cauſam ſub Antiocho, & Androcle fratribus, Phintæ filiis exorta fuerat, demum in apertum bellum erupit, ſub initium Seculi à Diluvio XVII. Anno 2. Olympiadis nonæ, Æſimede Archiep. Athenis. Alcamenes namque Spartanorum Rex Amphiam, Meſſeniorum opp. Laconiæ finitimum, non indicto bello occupavit, & poſt dimicationes quaſdam reverſus eſt. Anno 2. Olymp. 10. *Euphaes* exercitum eduxit, & poſt prælium nocte diremptum caſtra muniit, decedentibus Lacedæmoniis. Anno proximo cum Theopompo, & Polydoro Alcamenis fil. æquo Marte pugnatum: ſed Meſſenii calamitatibus oppreſſi Ithonem muniunt, in eamque ſe recipiunt: mox virginem oraculi juſſu immolant, qua de re vide ſuprà in voce *Ariſtodemus.* Poſt quæ Ithone à Lacedæmoniis petitâ, prælioque nocte iterum dirempto.

EUPHANES, vulneratus paulò poſt deceſſit orbus, cùm regnaſſet Annos 13. totos bello cum Lacedemoniis conſumptos. Ei ſucceſſit Ariſtodemus præfatus. Vide Joh. Marsham. *Canone Chronico*, ubi *de Bello Meſſeniaco.*

EUPHANTUS Olynthius, Hiſtoricus, & Poëta, fil. Eubulidis, Præceptor Antigoni, Macedoniæ Regis cui librum de Regia dignitate, inſcripſit. Diog. Laërt. *in Euclide l.* 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

EUPHEME, mulieris nomen, nutricis Muſarum, Croci mater.

EUPHEMIA, uxor Juſtini I. Imp. cum marito, poſt Anaſtaſii mortem, coronata, A. C. 518. Obiit A. C. 523. Orthodoxiæ tenax. Prius Lupicina dicta. Zonar. & Cedren. *in Juſt. I.* Theophanes, Theod. Lector *Amm. Marcellin.* &c.

EUPHEMIUS, Patriarch. CP. poſt Flavitam, A. C. 489. Ex ſacris Dypticis, eraſo nomine Petri Mongi, Acacii tamen, & Flavitæ non delevit. Unde lis ei cum priore, ob poſteriores verò exilium: ſub Anaſtaſio Imp. A. C. 495. Evagr. *l.* 3. Niceph. *l.* 16. Theodorus. Lector. *Collect. l.* 2. &c.

EUPHEMIUS, incertum an Aphrodiſius, auctor libri fuit, de patria ſua. Docent hoc verba illa Steph. in Ἀφρόδισιον: Ἀφροδίσιος ἦν Εὔφημος, ἐν τῷ περὶ πατρίδος. Fortaſſe eſt idem Εὔφημος quem ἐν τοῖς στεφανοπλόκοις citat Pollux *l.* 10. *c.* 27. ac ejus meminit Ammonius *l. de vocum differ. in* Γ'ἔθι. Voſſ. *Nic. Lloydius.*

EUPHEMIUS Rhetor, habitus fuit inter maximos aſſentatores, adeoque obnoxius Judicibus, ut eorum baxeas detergeret. Vide Ariſtoph. *Veſp.*

EUPHEMUS, Neptuni, & Mecionices fil. cui, defuncto Tiphy, Argûs gubernandæ munus, ſecundùm Theotimum commiſſum fuit ab Argonautis.

EUPHILETAS, civis Athenienſis, pater Charæadæ ducis, qui in Sicilia occubuit.

EUPHORBENI, Phrygiæ majoris populi. Plin. *l.* 5. *c.* 29.

EUPHORBUS, nobilis Trojanus Iliaco in bello à Menelao occiſus, cujus animum Pythagoras in ſe immigraſſe affirmabat. Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 160.

Ipſe ego (nam memini) Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus *eram, cui pectore quondam*
Hæſit in adverſo gravis haſta minoris Atridæ,
Cognovi clypeum lævæ geſtamina noſtræ, &c.

EUPHORBUS, Medicus Jubæ, Mauritaniæ Regis frater Antonii Muſæ. Hinc Euphorbiæ nomen, auctore Jubâ. Plin. *l.* 5. *c.* 2.

EUPHORIDES, nomen Comici, Ariſtoph. *Acharn. Act.* 2. *ſc.* 6.

EUPHORION, Poëta Chalcidenſis, quem tranſtulit Gallus. Habebat hic quoſdam ita deditos ſibi amatores ut eum præferrent Ennio, & reliquis poëtis, ejuſque poëmata ſtudiosè cantarent, poſthabitis aliorum poëmatibus. *Obſcurum* eum vocat Tull. *de Nat. Deor. l.* 2. Elegos eum ſcripſiſſe, Diomedes *l.* 3. teſtis eſt, & oſtendit quoque Caſaub. *ad Suet. Tib.* Suid. etiam poëmatis cujuſdam meminit, quod *Heſiodum* inſcripſerat: In quo procul dubio de agricultura præcepit. Quam fortè ob cauſam Varro, & Columella eum, inter ſcriptores ruſticos, celebrant: An hic alius? Vide Serv. in illud Virg. *Eclog.* 10. *v.* 50.

Ibo, & Chalcidico quæ ſunt mihi condita verſu
Carmina. ----

Hiſtoricus inſuper fuit. Natus Olymp. 126. Gratus Nicææ, Alexandri Eubœæ Regis uxori, à marito ingentibus donis exultus. Hinc in Syriam, ad Antiochum Mag. ſe contulit, ejus Bibliothecæ præfectus. Imitatus eum Tiberius Imp. quem cum Rhiano, & Parthenio tanti habuit, ut ſcripta illorum, & imagines, in Bibliothecis, inter antiquiſſimas reponeret. Suid. Strab. *l.* 12. *p.* 563. *l.* 6. Suet. *in Tib. Ner. c.* 70. Simler. *Biblioth. Geſn.* Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 1. *c.* 6. Vide etiam Quintilian. *l.* 10. *c.* 1. *Nic. Lloyd.*

EUPHORION, Tragicus, fil. Æſchyli. Suid. Item, Grammaticus, Præceptor M. Antonii Philoſophi, Jul. Capitolin. *in ejus vita.*

EUPHORUS, ἐν τοῖς ἀθέρμασι citatur ab Athen. *l.* 4. Nec lectio ea in Ἔφορος mutanda, nam omnino diverſus eſt ab nobili illo hiſtorico. Meminit ejus Clem. 1. *Strom.* & Laërt. *in Thalete.*

EUPHRADES Genius, cujus ſimulacro menſas olim decorabant Gentiles. Heſych. Εὐφράδης πατρικὸς ἐπιτραπέζιος. In menſa Alexandri Herculis ſigillum memorat Mart. *l.* 9. *Epigr.* 44. Vide Raderum ad Curt. *l.* 5. *c.* 2. Sic εὐφρασία, *epulatio*, in Gloſſ. utrumque ab ea verbi εὐφραίνεσθαι notione, qua ſemper utitur D. Lucas Evang. ut, φάγε, πίε, εὐφραίνου. Et, φαγόντες εὐφρανθῶμεν. Et, εὐφραινόμενος καθ' ἡμέραν λαμπρῶς. Nec non Athen. *initio l.* 5. & Curopalates, ubi agens de coronatione Impp. verbum compoſitum συνευφραίνεσθαι adhibet, eodem ſenſu. Vide Caſaub. *ad Jul. Suet. c.* 38. & infrà aliquid in voce *Viſceratio.*

EUPHRANOR, ſtatuarius laudatiſſimus, Iſtmius, qui de ſymmetria, & coloribus aliquot volumina conſcripſit. Floruit Olymp. 104. plurimaque ſigna nobiliſſima ex ære confecit, quæ numerantur à Plin. *l.* 34. *c.* 8. Idem & pictor, & marmorarius fuit, in unoquoque genere excellens, ſibique æqualis. Juv. Serm. *l.* 1. *Sat.* 3. *v.* 217.

Hic aliquid præclarum Euphranoris. ----

EUPHRANTA, urbs Libyca. *Steph.*

EUPHRASIUS, Ep. Antiochenus, poſt Paulum. A. C. 521. ruinis urbis in horribili illo terræ motu, A. C. 525. oppreſſus. Evagr. *l.* 4. *c.* 4 & 5. *&c.*

EUPHRATES, Philoſophus Stoicus graviſſimus, temporibus Adriani Imp. voluntariâ morte è vivis exceſſit, veniam ei dante Adriano, ut citra ignominiam, & infamiam, cùm propter ſenectutem, tum etiam propter gravem morbum, cicutam bibere poſſet. Dio. A. C. 118. Xiphilin. *in Adr.* Plin. *l.* 5. *c.* 35. & 36. *l.* 6. *c.* 9. Jun. *ep.* 10. *l.* 1. Euſeb. *Chron.*

EUPHRATES, caput Ophitarum, ſeu hæreticorum, quibus ſerpens pro Numine. Orig. *l.* 6. *c. Celſ.* Vide *Ophitæ.*

EUPHRATES, Meſopotamiæ fluv. celeberrimus, & maximus. Magnitudinem ejus innuit Callimach. *Hymn.* 2.

Ἀσσυρίου ποταμοῖο μέγας ῥόος. ----

Itemque Dionyſ.

Φαίνετ' ἀπειρεσίου ποταμοῦ ῥόος Εὐφρήταο.

Major ſiquidem eſt Tigride, ſicut refert Strab. *l.* 2. *p.* 79. Ἔστι δὲ μείζων ὁ Εὐφράτης καὶ πλείω διέξεισι χώραν σκολιῷ τῷ ῥείθρῳ. Inde *vagus Euphrates* Strab. Stat. *Sylv.* 2. & *flexuoſus* Mart. Capellæ dicitur. De eodem Lucan. Civil. Bell. *l.* 3. *v.* 256.

Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates, *&c.*

Sic appellatur in lib. Joſ. *c.* 1. *v.* 4. הנהר הגדול נהר פרת ubi Sept. Ἕως τοῦ ποταμοῦ τοῦ μεγάλου ποταμοῦ Εὐφράτου. Similiter in Apocalypſi *c.* 9. *v.* 14. Ἐπὶ τῷ ποταμῷ τῷ μεγάλῳ Εὐφράτῃ. Ob fertilitatem eum celebrat M. Tull. *de Nat. Deor. l.* 2. *Meſopotamiam fertilem efficit Euphrates, in quam quotannis quaſi novos agros invehit.* Itemque Lucan. Civ. Bell. *l.* 3. *v.* 259.

---- *Sparſus in agros*
Fertilis Euphrates, *Phariæ vice fungitur undæ.*

Strab. *l.* 16. Πλημμυρεῖ γὰρ ὁ Εὐφράτης κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ θέρους ἀπὸ τοῦ ἔαρος ἀρξάμενος. Plin. de Euphrate: *Increſcit autem & ipſe Nili modo ſtatis diebus, paulum differens, ac Meſopotamiam inundat Sole obtinente viceſimam partem Cancri. Minui incipit in Virgine, & Leone tranſgreſſo. In totum verò remeat in vigeſima nova parte Virginis.* Originem nominis ſui, quod, poſtquam Taurum prætergreſſus eſt, demum habet: Vide Cluv. *Introd. Geogr.* haud dubiè debet linguæ Arabum, quibus *Pharata mundare* denotat, unde *Ipbraton* inundatio, ex quo poſteà corruptè *Euphraten* ſuum Græci finxêrunt. Alii dictum volunt ab eo quod legitur, Gen. *c.* 11. *v.* 14 הוא פרת *Hu perath*, unde Εὐφράτης. Utrumque verum Græci enim ſuo more lúdunt, dum ἀπὸ τοῦ εὐφραίνειν petunt. Vide Boch. *Phaleg. l.* 1. *c.* 8. *p.* 38. & 39. Strab. ex Niphate Armeniæ monte naſci tradit. Si Boëtio credimus,

Tigris & Euphrates uno ſe fonte reſolvunt.

Lucan. Civ. Bell. *l.* 3. *v.* 257.

---- *Quos non diverſis fontibus edit*
Perſis, & incertum, tellus ſi miſceat amnes.

Idem *l.* 2. *v.* 632.

---- *Mundi jubeo tentare receſſus*
Euphratem, *Nilumque move.*

Oppian. Κυνηγ. α'.

Αὐτὰρ εὐρρείταο παρ' ὄχθαις Εὐφρήταο.

Orpheus *in Lithiacis,*

Συνελιχθέντος κελαδεινοῖς
Ὕδασιν Εὐφρήταο

Nic. Lloydius.

Baudr. ortus in Armenia maj. paulo pòſt recipit Harpagum, & Arſametem, dein à Sept. in Mer. tendens, Armeniamque maj. à minore ſeparans, alluit urbes Azirim, Zimaram, Melitenem, & recipit Arſaniam, & Melam fluv. poſtea Syriam, & Arabiam à Meſopotamia dividens, & rigatis Samoſatha, Zeugmate, & aliis innumeris, auctus fluviis, Marſya & Chaborâ; aliiſque infrà Seleuciam prope Cteſiphontem, in Tigrim cadit, & cum ipſo paulo pòſt in ſin. Perſicum ſe exonerat. Addo quòd cum Tigride, magni hic fluv. nominis eſt: Utriuſque ortus in Armenia maj. egreſſus quoque idem in ſinum Perſicum. Ambo etiam miſcentur in loco, ubi Seleucus Nicanor Seleuciam condidit. In progreſſu, dum *Euphrates* Syriam & Babyloniam à dexto latere, Meſopotamiam à ſiniſtro: Tigris vero Meſopotamiam à dextro, & Aſſyriam à ſiniſtro latere habet, Meſopotamiæ, utpote utroque fluvio interceptæ, tanquam *Interamnæ*, nomen eſt ortum. Rigavit olim *Euphrates* veterem Babyloniam, quemadmodum novam nunc, ſeu *Bagaded* Tigris, ſed longè major utriuſque gloria olim, cùm primis creati mundi temporibus Paradiſum perluerent: *Phrat* enim ſeu *Frat*, qui omnium conſenſu *Euphrates* eſt, inter 4, Paradiſi fluvios numeratur, Geneſ. *c.* 2. *v.* 14. Auctor Anonymus *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ.* Plura de eo, *diverſis* inprimis *nominibus, origine, curſu*, ἐκτροπαῖς, ſeu *diverticulis* & πλημμύραις celebris hujus fluvii, vide apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 620. & *ſeqq.* ut & infrà aliquid in voce *Pallacopas.*

EUPHRATESIA, quæ & *Comagene*, vide ibi.

EUPHRON, Sicyonius, audacia inſignis, aſſumptis ejuſdem temeritatis quibuſdam Argivis, tyrannidem affectavit; Eaque potitus quadringentos locupletiſſimos Sicyoniorum exilio multavit, ac bona publicavit. Exinde magnâ pecuniæ vi coactâ milites conduxit ac civitatem in poteſtate tenuit. Diod. *l.* 15. *p.* 494.

EUPHRONE, Nox Poëtis dicitur, quia in ea multùm ſapimus. *Epicharm.*

EUPHRONIUS, Grammatici nomen, quem laudat Scholiorum auctor *in Ranas* Ariſtoph. *Act.* 4. *ſc.* 2. *v.* 264. *B.* Iterum in *Veſp.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Veſp. 473. Et ubi non? Item Patriarch. Antiochenus Arianus, ſec. 4. Hieron. *Chron.* Baron. A. C. 430.

EUPHROSYNE, una Gratiarum, ſoror Aglaiæ, & Thaliæ, ab *hilaritate* ſic dicta.

EUPILIS, lacus Ciſalpinæ Galliæ, in quem progreditur Lambrus, in Padum defluens. *Lago di Puſſiano Leandr.*

EUPLÆA, inſ. Tyrrheni maris juxta Neapolim. Stat. *Sylv.* *l.* 3. *Sylv.* 1. *v.* 149.

Et placidus Limon, numenque Euplæa *carinis.*

Idem *l.* 2. *Sylv.* 2. *v.* 79.

Inde vagis omen felix Euplœa *carinis.*

Gajola vulgò

EUPOLEMUS, Legatus Judæ Macchabæi ad pop. R. 1. Macchab. *c* 8. *v.* 17. Hujus pater Joh. adjuverat Jaſonem in gentium ritibus Hieroſolymæ inſtituendis. 2. Macchab. *c.* 4. *v.* XI.

EUPOLEMUS, Hiſtoricus, de Regibus Judæorum ſcripſit, citatur à Joſepho *l.* 1. *cont. App.* Clem. Alex. 1. *Str.* nec non Euſeb. *l.* 9. *P. E.* *Eupolemi* tactica celebrat Ælian. *l.* περὶ τάξεων, *c.* 1.

EUPOLIS, priſcæ comœdiæ ſcriptor, qui vitia populi magna cum libertate reprehendebat. Horat. *Serm. l.* 1. *Sat.* 4. Initio.

Eupolis *atque Cratinus, Ariſtophaneſque poetæ, &c.*

Perſ. Sat. 1. *v.* 124.

Iratum Eupoliden *prægrandi cum ſene palles.*

Scripſit comœdias 17. ex quibus 9. victoriam meruêre. Periit in prælio navali inter Lacedæmonios, & Athenienſes, juxta Helleſpontum commiſſo, cujus mors uſque adeò luctuoſa civitati fuit, ut poſtea edicto publico cautum fuerit, ne poëtæ inpoſterum militare liceret. Alii ab Alcibiade, libertate ejus offenſo, ſublatum dicunt. *Suid.*

EUPOLIS, Eleus, qui Olympiad. 96. vicit.

EUPOMPUS, Macedo, Arithmeticæ, & Geometriæ peritiſſimus ſine quibus negabat artem poſſe perfici. Item præclarus pictor, qui docuit Pamphilum Apellis præceptorem. Plin. *l.* 34. *c.* 8.

EUPORIA, urbs Macedoniæ ab Alexando victore condita, & à *fertilitate* ſic dicta. *Steph.*

EUPORUS, ſervus Gracchi, qui dominum ex Aventino fugientem, quâ potuit ratione tutatus eſt, ac ſuper occiſum, animam, evulſis proprio vulnere viſceribus, effudit. Macrob. Sat. *l.* 1. *c.* XI.

EUPROSOPON, prom. Phœnitiæ. Nomen habet ab *inſigni aſpectu. Vadian.*

EUPSYCHIANI, hæretici, ab Eupſychio Eunomiano, qui Eunomii ſectatores ob quæſtionem, de cognitione Chriſti, deſeruit. Sozom. *l.* 7. *c.* 17.

EUPYRIDÆ, vicus de tribu Leontide. Vide *Steph.* Meminit hujus demi vetus in vet. ſaxo *Epigramma*, ubi de Hadrianeis, Ludorum genere in Hadriani Imp. honorem inſtituto:

ΚΟϹΜΗΤΕΥΟΝΤΟϹ. ΠΛΟΥ-
ΤΑΡΧΟΥ. ΑΧΑΡΝΕΩϹ.

Στῆσεν Ἀχαιέας σῆλλω μεγακύδετιν ἄστοῖς
Πατρὸς τοὔνομ᾽ ἔχων δημόθεν Εὐπυρίδης.
Εὐπρεπίως ἀέθλοισι ἐπαστήσας καὶ ἐφήβοις,
Καὶ στέφανος κῦδος μῆνος ἐγκάμενος.

ΑΓΩΝΟΘΕΤΗϹΑϹ. ΑΔΡΙΑΝΕΙΩΝ.

apud Salmaſ. *ad Spartian. in Hadr.*

EURA, vulgò *Auron*, fluv. Galliæ Celt. per Biturigeſ, ac Bituricas urbem in Ligerim fluens.

EURANIUM, Cariæ opp. Plin. *l.* 5. *c.* 29.

EURIA, vulgò *S. Donato*. Vide *Evoria*

EURIANASSA, urbs Chio finitima. Plin. *l.* 5. *c.* 31. *Euryanaſſa.*

EURICUS, Viſigothorum Rex, A. U. C. 1220. Vide *Evarix.*

EURIPIDES, inſignis Poëta Tragicus, natus Salamine eo die, quo numeroſus ille Xerxis exercitus ab Athenienſibus fuſus eſt. Alii Phlyà, Atticæ vico, oriundum, dicunt. Floruit tempore Archelai Macedonum Regis, à quo etiam ſummo in honore eſt habitus, poſtquam Athenis diſceſſiſſet, Comicis poſtlatus. Scripſit fabulas 75. ex quibus 5. tantum victoriam reportarunt. Et 19. tantùm extant: Auditor fuit Anaxagoræ ac Socratis, à Prodico Rhetoricam didicit. Cum Platone, diſcendi causâ, in Ægyptum ad ſapientes, & Sacerdotes profectus aliquando eſt, teſte Laërtio. Vidiſſe ſe ſpeluncam terream ac horridam in Salamine, in qua ſcriptitarit Euripides, Gellius affirmat, *l.* 15. *c.* 20. Μισογύνης à quibuſdam ab *odio mulierum* dicitur, forſan ob infelix conjugium. Ejus enim uxor cuivis corpus ſubſtravit. Vide Ariſtoph. *Ran.* act. 4. ſc. 2. & Schol. in eaſdem. Φιλογύνης verò ab aliis. Mortuus eſt Ann. Ætſuæ 75. à canibus diſcerptus, veluti A. Gell. & Val. Max. prodidére. Decamnichi cujuſdam odio, qui fœtentem animam cùm aliquando Euripidi exprobraſſet, permiſſu Regis, ab hoc malè habitus eſt. Unde poſtmodum & Archelaus ipſe occiſus. Alii tamen hoc caſui adſcribunt, nonnulli fœminarum manibus eum diſcerptum aſſerentibus. Olymp. 93. A. C. N. 406. Oſſa ejus, Archelai Regis juſſu, Pellam ſunt tranſlata, repulſis Athenienſium precibus, qui ſæpe per legatos tentaverant, ut civis ſui reliquias ſibi in patriam referre liceret. Τραγικώτατον eum vocat Ariſt. Et quanti verſus ejus fecerit Cic. non obſcurè teſtatus eſt, ſic ad Tyronem ſcribens *l.* 16. *Fam. Ep. Euripidis, cui quantum tu credis, neſcio, ego certè ſingulos ejus verſus ſingula teſtimonia puto.* Vide Diod. Sic. *l.* 13. A. Gell. *l.* 11. *c.* 4. *l.* 15. *c.* 20. *l.* 17. *c.* 4. Thom. Magiſtr. *in vita ejus.*

EURIPIDES, ludi nomen, illi maximè ſimilis, quem Angli vocant *one and thirty*, i. e. *triginta unum. Continebat*, ut Cœl. Rhodigin. refert *l.* 20. *c.* 17. *numerum quadragenarium, quoniam videtur unus fuiſſe* Euripides *præfectorum quadraginta, poſt triginta Tyrannos Athenis exactos.* Vide Thom. Godwyn. *Antholog. Rom. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 13. *de Teſſeris, Talis & Latrunculis.*

EURIPIDIUS, numerus in talis quadragenarius, ab Euripide inventus, eo tempore, quo exactis 30. tyrannis, 40. principes Athenienſium Remp. adminiſtrabant. Vide Cæl. Rhod *l.* 20 *c.* 27.

EURIPYLUS, in Græcorum veteranos, qui ad Ilium depugnabant, fortiſſimus. Lege *Eurypylus.*

EURIPUS, auctor Græcus, ſcripſit de diſcipulis Socratis, Meurſ. *in lect. Att.* poſt Harpocrationem.

EURIPUS, Euripi propriè dicuntur alvei magnifico opere, aquas in morem fluviorum deducentes, unde Heſych. interpretatur ὀχετὰς ὑδάτων. Differunt à *nilis*, quòd hi majuſculi eſſent, *Euripi* exiliores. Sic *nili* voce utitur Tull. *Ep. ad Qu. fratr. De arcano, Cæſaris opus eſt: vel mehercule etiam elegantioris alicujus: imagines enim iſtæ, & palæſtra, & piſcina, & nilus multorum philotimorum eſt, non diphilorum.* Nilum autem & euripum eâ, quâ diximus ſignificatione, conjungit idem, *principio ſecundi de Legg. Ductus verò aquarum, quos iſti nilos & euripos vocant, quis non cùm hæc videat, non irriſerit?* Euripos quoque vocabant lacunas aquarum inertium in Circo, vel arena. De iis ſic Plin. *l.* 8. *c.* 7. *Univerſi (elephanti) eruptionem tentavêre, non ſine vexatione populi, circumdati clathris ferreis. Qua de cauſa Cæſar Dictator, poſtea ſimile ſpectaculum editurus, euripis arenam circumdedit.* Auctor eſt Spartianus, Heliogabalum *euripis* vino plenis navales Circenſes exhibuiſſe. Dicti autem *euripi*, à Græcò Εὔριπος ſignificante *fretum*. Nam Suid. exponit πέλαγος στενὸν, ac τόπος ὑδατώδης μεταξὺ δύο γαιῶν. Variis verò fretis hanc vocem tribuunt Græci, Latinique ſcriptores, maximè tamen nobilis *Euripus* inter Eubœam & Bœotiam, qui *Chalcidicus*, & *Euboicus*, & ſimpliciter *Euripus*, *ſtrictè de Negropome* nunc dicitur. Euripus Taurominitanus ſæpius reciprocans eſt, ſed Euboicus, ut Pomp. Mela *l.* 2. *c.* 7. auctor eſt, *ſepties die, ac ſepties nocte, fluctibus invicem verſis, adeò immodicè fluit, ut ventos etiam, ac plenis velis navigia fruſtretur.* Senec. *in Herc. Oetæo*, Act. 3. *v.* 38.

Euripus *undas flectit inſtabilis vagas,*
Septemque curſus volvit: & totidem refert,
Dum laſſa Titan mergat Oceano juga.

Ubi ſepties tantùm viginti quatuor horarum ſpatio reciprocare ſcribit. Idem tradunt Strab. *l.* 9. Ariſtoſtelem in illum ſe præcipitaſſe: cùm non poſſet reciprocationis hujus cauſas inveſtigare, referens: Plin. Etymologus, aliique. Imo Antiphilus Byzantius *l.* 1. *Anthol.* ſexies ſolùm curſum mutare ait. Liv. denique *l.* 28. *c.* 6. ſic ſcribit, *Fretum ipſum Euripi, non ſepties die, ſicut fama fert, temporibus ſtatis reciprocat, ſed temere in modum venti, nunc huc, nunc illuc verſo mari, velut monte præcipiti devolutus torrens rapitur.* Claudian. *l.* 1. *Carm.* 3. in Rufin. *v.* 91.

Euripi *refluis incertius undis.*

Qui Statii illa cogitabat,

---- *Refluxumque meatu*
Euripum. ----

Hinc caſtigandus idem Stat. *l.* 13. Sylv. 1. *v.* 31. *de Euripo*,

---- *Sic Chalcida fluctus*
Diſpeſcunt reflui: ſic diſſociata profundo
Bruttia Sicanium circumſpicit ora Pelorum.

Ubi perperam nunc ſcribitur *Expellunt fluvii.*

Sen. *in Herc.* Fur. Act. 2. *v.* 47.

---- *Vicibus alternis fugax*
Euripus. ----

Exæſtuantem Euripum dixit Boëtius *de Conſol. Phil. l.* 2. *Met.* 1. *v.* 2. &c. *Lloydius.*

EURIPUS in Circo veteri Romano appellata eſt aqua ingenti foſsâ per tria latera circi circumfuſa; unde *Euripos* potius, quàm *Euripum*, in Circo dixêre, quòd non unus, ſed tres eorum eſſent, totidem viz. quot latera eſſent Circi, quibus aqua admitteretur. Et quidem Julium Cæſarem, elephantorum ſpectaculum editurum, Circi arenam Euripis circumdediſſe, quum antea clathris ferreis cingeretur, ſcribit Plin. Eos dein ſuſtulit Nero, & loca Equiti addidit, eodem Auctore: à quo tempore nulli in Circo Euripi. Frontin. *de aquæ duct. Quantopere curæ eſſet, ne quis violaret ductus, aquamve non conceſſam derivare auderet: cùm ex multis apparere poteſt, tum ex hoc quod Circus Maximus ne diebus quidem ludorum Circenſium niſi Ædilium aut Cenſorum permiſſu irrigabantur.* Manſit tamen appellatio, & ſequentibus temporibus in Circo tum Rom. tum C P. *Euripi* nomine inſignitum eſt intermetium, h. e. ſpatium totum ab infimo Circo, porrectum uſque ad ultimum inter utraſque metas, inſtar crepidinis, è ligno ſeptum munitumque, κοντὶς hinc & Ἱπποδρόμου Græcis dictum, circa quod curricula ſua Agitatores obibant, cùm primitus intra *Euripos* currerent. Unde vet. *Epigr.*

Namque axes gemini ortum obitumque docent,
Atque his Euripus *quaſi magnum interjacet æquor &c.*

Quæ fabrica ex ligno, per longitudinem medii Circi porrecta, quia non tantùm longam, ſed etiam latam aliquantum fuiſſe neceſſe eſt, videtur quoque *Spina* fuiſſe dicta, metaphorâ à *ſpina* animalium,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

per medium dorſum porrectâ ac eminente, deſumptâ: quemadmodum eadem *Euripi* appellationem, à ſeptuplici quadrigarum circuitu retinuit. Vide hujus *Euripi* ſeu *Spinæ*, in cujus medio obeliſcus Solis erectus erat; infrà tres aræ, totidem ſuprà, imaginem ex veteri nummo, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 913. & plura hanc in rem hîc paſſim, imprimis ſuprà in voce *Delphines*, ut & ubi *de Falis* ac *Ovis Circi*, nec non in voce *Spina*. Quod verò *Euripum Euboicum* attinet, ejus curſum ſingulis menſibus 18. vel 19. dies regularem, nempe à Novilunio per dies octo, item à die quæ plenilunium præcedit, per dies 7. nec non ante novilunium alterum per dies tres, atq́ue his diebus Oceam Mariſq́ue Adriatici fluxum ac refluxum, intra 24. vel 25. horas geminum, imitari: reliquis verò diebus irregularem eſſe, & intra totidem horas duodecies, tredecies, & quatuordecies quoq́ue variari, niſi violentia venti impediat, docet Jac. Spon. αὐτόπτης, qui hoc modo Vett. diverſas ſententias conciliat, & plura egregia de celebri hoc *Euripo* curioſo Lectori exhibet, *Ep. ad Abbatem Pecoil*, quam *Itin. ſuo* inſeruit *Part.* 2. *p.* 328. & *ſeqq.*

EUROMUS, urbs Cariæ. Liv. *l.* 28. *c.* 6. *Steph. Phœnicium*, Græcè Φοινίκιον, priùs dictum eſſe, docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 1251. & *ſeqq.* ubi de illo, ut & *Eurocæcia*, varia habes.

EURONOTUS, alio nomine *Vulturnus*, ventus ab Oriente hyberno ſpirans, quod inter Notum & Eurum ſit.

EUROPA, filia Agenoris Regis Phœnicum, quam Jupiter, in bovis ſpeciem transfmormatus, rapuit. Ovid. *Met. l.* 8. *v.* 120. Hinc Europæ nomen, tertiæ parti Orbis veteris inditum. Alii tamen aliter. vide infrà. Sunt qui raptum hunc Aſterio vel Minoi tribuant, bello contra Phœnices. Euſeb. *in Chron.* Herod. *l.* 1. Item nympha marina, Oceani ac Tethyos filia. Heſiod. *in Theog.* Item una ex Sibyllis, ordine XI. De prima addo. Poſt raptam eam à Jove Cretenſi, ut generali nomine appellant, quem Lycophron Ἀ'ςερον, Diod. *l.* 5. Ἀ'ςέριον, Auguſt. in. *de Civ. Dei l.* 18. *c.* 12. vocat *Xanthum*, in patris ſolatium, Aſtarte, quatenus Numen animale, altera ejus filia, an illa ipſa Europa, inter Deos relata cultuſq́ue ejus inſtitutus eſt, teſte Luciano *in Dea Syr.* Dicitur verò *Europa* tauro vecta, quia in littore choreas agens navi rapta, cujus ἐπίσημον taurus, unde & navi nomen. Niſi cum Palæphato malis raptam à viro Cnoſſio, cui nomen Taurus. Hiſtoriam Euſebius priùs refert ad extrema Joſuæ tempora: mox alios ſequutus Auctores, ad quintum decimum Othonielis annum, vide Gerh. Joh. Voſſ. de *Idolol. l.* 1. *c.* 22. *ſub fin.* Unde patet raptum hunc non habuiſſe Autorem Jovem Cretenſem illum antiquiſſimum, qui Cres erat, à quo & Creta nomen accepit, Iſaaco vel Jacobo Patriarchæ coævus; ſed Jovem longè juniorem, cujus in Creta ſepulchrum fuit, teſte Euhemero, & Cicerone, apud Lactant. *de falſa. Relig. l.* 1. *c.* 11. Fuit autem is Rex Cretenſi variis nominibus ab Hiſtoricis, ut vidimus, appellatus, cui famulus erat Marnas, à Gazæis poſtea cultus. Hic itaq́ue Jupiter ex rapta *Europa*. quod 200. circiter ante Helenæ raptum annis contigiſſe oſtendit Voſſius, genuit Minoëm I. qui Patri in Regno ſucceſſit, Rhadamantum, & Sarpedonem Lyciorum Regg. de quibus, ut & plura de raptu hoc, vide apud præfatum Voſſ. *l. cit. c.* 14.

EUROPA, una ex tribus terræ partibus veteribus cognitis. Minima eſt omnium, ſed præcipua, vel ob ſoli nobilitatem, vel ob frequentiam incolarum, vel ob præclara facinora eorum, qui eam hactenus tenuêre. Addo, quòd vel primo loco dicendum erat, quia in illa Eccleſiæ inprimis domicilium. Ejus incolæ Europæi ab omnibus Aſiaticis *Franki* dicuntur, ſeu & *Alfrangues*; & Europa, ſeu Chriſtianorum regio, ab eis *Frankia* vocatur, propter præclara geſta à Francis in illis partibus. Quidam autem addunt, Europæos à Turcis *Giaour* dici, ſed errant. Eſt enim injurioſum nomen apud illos, quod infidelem ſignificat. Europa habet à Sept. & ab Occid. Oceanum, à Mer. mare Mediterraneum, & ab Or. Aſiam. Quibus limitibus Europa ab Aſia ſeparetur, inter vett. ſcriptores non ſatis convenit. Sed hæc pauca à Cluverio accipe. Ut habeas, inquit, verum Europæ, & Aſiæ terminum, ſtatue poſt mare Ægæum, Helleſpontum, Propontidem, Boſphorum Thracium, Pontum Euxinum, Boſphorum Cimmerium, paludemq́ue Mœotin, primùm Tanais fluenta, donec adverſo amne ad flexum ejus opp. *Tuja* pervenias, quà Volgæ fluminis dextræ ripæ appropinquat, inde tranſverſum jugum, quod inter utrumq́ue flumen ex Sept. in Meridiem protenſum, vulgari vocabulo dicitur *Perowlock* à Volgæ læva ripa, Rhymnicos montes, ad oppida *Veliki Tumen & Leptin*, proximamq́ue Obii fluminis ripam, hinc ipſum flumen Obium ad Oceanum uſque Scythicum, & prom. Lytarmin. Hæc ille. Europa à Gallis *l'Europe* dicitur, *Europa* ab Italis, & Hiſpanis. Diviſa fuit olim in varias gentes regionesq́ue. Hodiè dividitur in complura regna, & principatus. Figuram univerſæ Strabo dedit Draconis, cujus caput Hiſpania, collum Gallia, corpus Germania, alæ dextra lævaq́ue Italia ac Cimbrica Peninſula. Noſtro ævo quidam feminæ ſedentis ſpeciem ei tribuêrunt, cujus caput Hiſpania, collum extrema Gallia, quâ Pyrenæis montibus ſubjacet: pectus ipſa Gallia, brachia Italia ac Britannia, venter Germania, umbilicus Bohemia, reliquum corpus ſub veſtibus latè circa ſedem diffuſis implent Norvegia, Dania, Suedia, Finnia, Livonia, Lituania, Pruſſia, Polonia, Hungaria, Sclavonia, Croatia, Dalmatia, Græcia, Thracia, Servia, Bulgaria, Tranſylvania, Valachia, Moldavia, Tartaria Precopenſis, & Moſcovia. Cluver. *Introd. Geogr. l.* 2. *c.* 1. Tota habitatur, præterquam in exigua ſui parte; quæ ob frigoris injuriam vix aut ægrè habitari poteſt. Japheto Noachi filio, & ejus proli, Europam ceſſiſſe, præter Theologos, etiam Joſephus aliiq́ue meminêrunt. Omnium populorum ejus virtutes recenſere nimium foret: Vitia brevibus aliquod dictis circumferuntur, quæ attexere libuit: *Franci* ſimplices, ruſtici, vehementes: *Bavari* ſumptuoſi, comeſſatores, procaces. *Suevi* leves, loquaces, glorioſi. *Turingi* diffidentes, ſordidi, contentioſi. *Saxones* diſſimulatores, verſuti, contumaces. *Belgæ* equeſtres, delicati, temeri. *Itali* ſuperbi, vindictæ cupidi, ingenioſi. *Hiſpani* faſtuoſi, conſulti, rapaces. *Galli* elegantes, intemperantes, temerarii. *Cimbri* magni, ſeditioſi, horribiles. *Sarmatæ* edaces, ſuperbi, furaces. *Bohemi* inhumani, novatores, prædatores. *Illyrici* mobiles, maligni, tumultuatores. *Pannones* aſperi, ſuperſtitioſi. *Græci* miſeri. Eſt & aliud haud minus lepidum, Pons Polonicus, monachus Bohemicus, miles Auſtralis, Suevica monialis, Italica devotio, Prutenorum religio, Teutonum jejunia, Gallorum conſtantia, nihil valent omnia. Merc. Bert. Joh. Matal. Metell. Vide quid de his, ut & reliquis præclaris Europæ gentibus, ambidexter aſſerat Lanſius *in Conſultation. de prærogat. Gent. Europ.* Tres porro hîc præcipuæ vigent linguæ, Germanica, Sclavonica, & Latina. Quarum hæc mater eſt Gallicæ, Hiſpanicæ, & Italicæ: iſta per Poloniam, Moſcoviam, bonam Turciæ partem, Bohemiam, &c. ſe extendit: Illa Germaniam utramq́ue, Septentrionalia regna maxima ex parte; Britannicasq́ue inſulas implet. Præter has Græca, Epirotica, Hungarica, & Tartarica, in partibus illius magis Orientalibus: Vaſconica, Hibernica, Lapponica, in partibus quæ ad occaſ. & Septentr. magis vergunt, ſunt in uſu. Solus Chriſtianiſmus hîc dominatur, niſi quòd ditiones Europæ ſub Turcico imperio gementes Mahometana abominatio funeſtet. Ex Chriſtianis autem quidam Evangelicam doctrinam ſectantur, alii Pontifici Romano addicti ſunt, Latinorum rituum tenaces: Reliqui Græcæ ſunt communionis, ferme, pro ratione trium præcipuarum Europæ linguarum diviſi. Videtur Phœnicibus debere nomen ſuum; de qua re fatetur Herod. *Muſâ quartâ*, neq́ue ſcire ὁκόθεν τὸ ὄνομα ἔλαβε τοῦτο, οὔτε ὅςις ἦ ὁ θέμενος. Nempe neſciebat à Pœnis *Europam* dici הור אפא *Ur. appa*, quaſi terram λευκοπρόσωπον dixeris, quia Europæi Africanos candore faciei multum ſuperant. Unde & *Europa* dicta eſt Cadmi ſoror, quaſi albâ facie virgo. Bochart. Scripſêrunt de Europa Strab. Ptol. Plin. Pomp. Mela, Solin. Merula, Maginus, Ortel. Mercator, Clavius, Capella, Belleforeſtus, Davity, Cluv. Sanſon, du Val, Mothavayerius, Brietius, Bertius, Golnitzius, Sempilius, Æneas Sylv. &c. Inprimis Strab. eam *l.* 3. & *ſeqq.* elegantiſſimè deſcribit. Cœterùm, longitudinem maximam obtinet inter Prom. S. Vincentii, & Tanaim, latitudinem inter Prom. Rutubas ſeu *Nortcaep* in Finmarchia, & Prom. Tænarum ſeu C. *Metapau* ad Moream; quarum hæc 36. illa 74. graduum eſt.

Europæ Regiones ordine Alphabetico.

Achaja.	Helvetia.
Albion. Vide *Britannia*.	Hibernia.
Britannia I.	Hiſpania citerior.
Britannia II.	Hiſpania ulterior, ſeu Hiſpania Tarraconenſis.
Cimbrica Cherſoneſus.	
Corſica.	Hiſpania Bætica.
Creta.	Hiſpania Luſitanica.
Dacia.	Illyricum.
Dalmatia.	Jazyges.
Dania.	Italia.
Epirus.	Liburnia.
Eubœa.	Macedònia.
Friſia.	Myſia, ſeu Mœſia ſuperior.
Gallia Aquitanica.	Myſia inferior.
Gallia Belgica.	Noricum.
Gallia Celtica, ſeu Lugdunenſis.	Pannonia ſuperior, & inferior.
Gallia Ciſpadana.	Peloponneſus.
Gallia Norbonenſis.	Rhætia I.
Gallia Tranſpadana.	Rhætia II.
Germania magna.	Sarmatia Europæa.
Germania ſuperior.	Scandinavia.
Germania inferior.	Scythia Europæa.
Græcia. Vide *Achaja*.	Thracia.
Hellas. Vide *Achaja*.	Thule.

Regiones Europæ alio ordine.

Extremæ mareque attingentes.	Epirus.
	Macedonia ad mare Ionium.
Hiſpania.	Dalmatia.
Gallia.	Liburnia.
Belgium.	Italia.
Germania.	*Interiores.*
Scandinavia.	Rhætia.
Sarmatia.	Vindelicia.
Myſia Inferior.	Noricum.
Thracia.	Pannonia ſuperior.
Macedonia ad Ægæum mare.	Pannonia inferior.
Theſſalia.	Jazyges.
Achaja.	Dacia.
Peloponneſus.	Myſia ſuperior.

Europæ Regna præcipua.

Francia, *la France.*	Bohemia, *la Boheme.*
Hiſpania, *l'Eſpagne.*	Boſnia, *la Boſnie.*
Anglia, *l'Angleterre.*	Bulgaria, *la Bulgarie.*
Scotia, *l'Eſcoſſe.*	Regnum Neapolitanum, *le Royaume de Naples.*
Hibernia, *l'Irlande.*	
Norvegia, *la Norvege,*	Sicilia, *la Sicile.*
Dania, *le Danemark.*	Sardinia, *la Sardaigne.*
Suecia, *la Suede.*	Ruſſia, ſeu magnus Ducatus Moſcoviæ, *la Ruſſie, ou le grand Duché de Moſcovie.*
Germania, *l'Allemagne.*	
Portugallia, *le Portugal.*	
Polonia, *la Pologne.*	Turcarum imperium cis Helleſpontum, *l'Empire des Turcs*
Hungaria, *la Hongrie.*	

en Europe, ou deça les Dardanelles.

Tartaria minor, *la petite Tartarie.*

Europæ Reſpublicæ, & Inſulæ præcipuæ.

Venetia, *la Republique de Veniſe.*
Genua, *la Republique de Gennes.*
Status Belgii uniti, *les Provinces unies du Pais Bas.*
Helvetii, *les Suiſſes.*
Inſulæ ſunt Corſica, *la Corſe.*
Creta, *l'Iſle de Candie.*
Iſlanda, *l'Iſlande.*

Eubœa, *le Negrepont.*
Ditio Pontificia, *l'Eſtat de l'Egliſe.*
Ducatus Sabaudiæ, *les Eſtats du Duc de Savoye.*
Ducatus Mediolanenſis, *le Duché de Milan.*
Ditio magni Ducis Hetruriæ, *l'Eſtat du grand Duc de Toſcane.*

Aliique Principatus, & Ducatus innumeri in aliis Europæ partibus, quos propriis in locis deſcribemus. Vide etiam *Reges & Regna Europæ.*

Europæ urbes præcipuæ.

Adrianopolis, *Adrianople & Endrem*, in Turcica ditione.
Amſterodamum, *Amſterdam*, Hollandiæ.
Antverpia, *Anvers*, Brabantiæ.
Argentoratum, *Strasbourg*, Germaniæ.
Auguſta Vindelicorum, *Augſbourg*, Germaniæ.
Barcino, *Barcelone*, Hiſpaniæ.
Baſilea, *Baſel*, Helvetiæ.
Belgradum, *Belgrade*, Hungar.
Berga, *Berghen*, Norvegiæ.
Bononia, *Bologna*, Italiæ.
Briſtolium, *Briſtol*, Angliæ.
Bruxellæ, *Bruxelles*, Brabantiæ.
Buda, *Bude & Offen*, Hungariæ.
Burdegala, *Bourdeaux*, Galliæ.
Calaris, *Cagliari*, Sardiniæ.
Cæſaraugusta, *Caragoza*, Hiſp.
Colonia Agrippina, *Cologne & Coln*, Germaniæ.
Conſtantinopolis, *Stamboul & Conſtantinople*, in Turcica ditione.
Cracovia, *Cracow*, Poloniæ.
Dublinum, *Dublin*, Hiberniæ.
Edimburgum, *Edimbourg*, Scotiæ.
Florentia, *Florenza*, Italiæ.
Gedanum, *Dantzick*, Poloniæ.
Geneva, *Geneve*, in finibus Allobrogum.
Genua, *Genoa & Genes*, Italiæ.
Hafnia, *Koppenhagen*, Daniæ.
Hamburgum, *Hambourg*, Germaniæ.

Hiſpalis, *Sevilla*, Hiſpaniæ.
Holmia, *Stockholm*, Sueciæ.
Londinum, *London & Londres*, Angliæ.
Lubeca, *Lubeck*, Germaniæ.
Lugdunum, *Lyon*, Galliæ.
Lutetia, *Paris*, Galliæ.
Madritum, *Madrid*, Hiſpaniæ.
Maſſilia, *Marſeille*, Galliæ.
Mediolanum, *Milano*, Italiæ.
Meſſana, *Meſſina*, Siciliæ.
Moſcovia, *Moſcow*, Moſcoviæ.
Neapolis, *Napoli*, Italiæ.
Norimberga, *Nuremberg*, Germaniæ.
Novogardia magna, *Novogrod Veliki*, Moſcoviæ.
Olyſippo, *Lisboa & Lisbone*, Portugalliæ.
Panormus, *Palerme*, Siciliæ.
Praga, *Prague & Prag*, Bohem.
Riga, *Riga & Rige*, Livoniæ.
Roma, *Roma*, Italiæ.
Rothomagus, *Rouen*, Galliæ.
Sophia, *Sofie*, Bulgariæ.
Taurinum, *Torino*, Italiæ.
Theſſalonica, *Salonichi*, Turcicæ ditionis.
Tigurum, *Zurich*, Helvetiæ.
Toletum, *Toledo* Hiſpaniæ.
Toloſa, *Toulouſe*, Galliæ.
Varſovia, *Warſaw*, Poloniæ.
Vienna, *Wien & Vienne*, Germ.
Venetiæ, *Venetia*, Italiæ.
Vilna, *Vilna* Poloniæ.
Vratislavia, *Breslaw*, Germaniæ.

EUROPA, provincia Illyrici Orientis, verſus C.Polim & Propontidem, ubi aliàs pars orientalis Thraciæ regionis, inter Pontum Euxinum ad Bor. & Melanem ſinum maris Ægæi ad Merid. extenſa. Ejus urbes erant C.Polis Selymbria, Rhodoſtus, Callipolis, Apri, & Perynthus. Mentio ejus in vet. *Inſcr.*

PRÆSIDI. PROVINCIÆ. BYZACENÆ.
CONSULARI. PROVINCIÆ. EUROPÆ.
ET. THRACIÆ.

& apud Feſt. Rufum: *Ita ditioni Reip. ſex Thraciarum provinciæ ſunt acquiſitæ, Thracia, Æmimontus, Mœſia inferior, Scythia, Rhodopa, Europa, in qua nunc ſecundæ arces Romani Orbis ſunt conſtitutæ.* Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aurel.*

EUROPA, Græcè Εὐρώπη, item Εὐρώπεια, nomen poëmatis ſeu operis epici Clementi memorati, qui ex Εὐρωπείας verſus citat, auctore non nominato. Hieronymus, unà cum Βουγονία, id Eumelo tribuit. Sed & hâc inſcriptione Nicandri poëma fuit. Et quidem Eumelus hiſtoriam *Europæ* Agenoris filiæ, Nicander deſcriptionem & περιήγησιν Europæ, complexus eſt. Stephanus hunc laudat ἐν πέμπτῳ τῆς Εὐρωπείας, Athen. *l.* 7. ἐν τρίτῳ, Scholiaſtes Apollonii ad 4. Argon. eundem nominat ἐν δευτέρῳ Εὐρώπης. Sunt tamen qui idem ſcriptum à nonnullis Eumelo, ab aliis Nicandro, adtributum velint. Imò & Hecatæus ſæpe citatur à Grammaticis ἐν Εὐρώπῃ. Vide Salmaſ. ad Solin. & ſuprà, ubi de *Cyclo Epico.*

EUROPS, Sicyoniorum Rex ſecundus, fil. *Ægialei.* Regnavit ab A. M. 1942. uſque ad A. M. 1987. Ab hoc quidem Europam à nobis habitatam, dictam volunt. Pauſ. *in Corinth.* Apollod. *in Bibl* Euſeb. *in Chron.* Alius Macedonis.

EUROPUM, ſeu EUROPUS, Ptol. urbs Syriæ ad Euphratem, quæ & *Amphipolis*, & *Thapſacum*, teſte Plin. *l.* 5. *c.* 25. *l.* 6. *c.* 25. dicta fuit. Fuit & opp. Macedoniæ ad Axium fluv. Item urbs Mediæ præclara, *Rhages* in lib. Tobiæ appellata, vulgò *Caſſin*, teſte Caſtaldo. Alia deniqùe Cretæ *Steph.*

EUROPUS, inter Herculis poſteros, Soſi fil. Prytanim genuit, quo Lycurgus natus eſt, Spartanorum Legiſlator. Salmaſ. *ibid. p.* 16.

EUROTAS, Lelegis ex Myle filio nepos, pater Spartes, cujus maritus Lacedæmon uxoris nomine urbem condidit, juxta Athenas alterum Græciæ oculum futuram. Ab illo fluv. Laconiæ, de quo mox nomen accepit. Vide Pauſ. *Laconicis* & Marshamum *Canone Chron. ad Sec. IX.* ubi lacunam Marmoris Arundell. ſupplens, *Eurotam, & Lacedæmonem*, regnante Athenis Amphictyone, Spartæ regnum tenuiſſe docet, Anno Attico 67. Ei itaque ſucceſſit gener Lacedæmon. de quo infrà. Adde, quæ idem *de Regnandi jure muliebri* habet *ad Sec. IV.*

EUROTAS, fluv Laconiæ, Spartam præterlabens, à prædicto Eurota, Myletis fil. dictus eſt. Is enim ſtagnantes aquas, per eam regionem, deduxit in mare. *Ripas habet frequentibus lauris conſitas*, uti loquitur Liv. *l.* 34 *c.* 28. *l.* 35. *c.* 29. & 30. de bello Macedonico. Unde Virg. *Eclog.* 6. *v.* 82.

Omnia quæ Phœbo quondam meditante, beatus
Audiit Eurotas, *juſſitque ediſcere laurus.*

Olivis etiam abundare innuit Papin. Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 227.

Taygetique Phalanx, & oliviferi Eurotæ.

Et myrtis Catull. de Nupt. Pelei. & Thetid. Carm. 64. *v.* 89.

Quales Eurotæ *progignunt flumina myrtos.*

Frigiditatem ei tribuit Ovid. Amor. *l.* 2. Eleg. 17. *v.* 31.

Frigidus Eurotas, *populiferque Padus.*

Aſperitatem Stat. *Theb. l.* 1. *v.* 118.

Audiit & medius cœli Parnaſſus, & aſper.
Eurotas. ---

Fœcunditatem Coluthus Theb.

Μηδὲ ἱερῶν γονόεντος ἐπ' Εὐρώταο ῥεέθρων.

Fuit hoc flumen Dianæ gratiſſimum. Unde Virg. Æn. *l.* 1. *v.* 502.

Qualis in Eurotæ *ripis, aut per juga Cynthi*
Exercet Diana choros.

Juxta flumen hoc ſeſe exercere ſolebant Dioſcuri. Propert. *l.* 3. Eleg. 14. ad Sparten. de ludis Laconicis *v.* 17.

Qualis & Eurotæ *Pollux & Caſtor arenis, &c.*

Nec non ſoror eorum Helena. (Iſte enim virginibus Lacænis mos) Idem *ibid. v.* 19.

Inter quos Helene nudis capere arma papillis
Fertur, nec fratres erubuiſſe Deos.

Papin. Stat. *l.* 4. *Silv.* 8. *v.* 28.

Qualis maternis Helene jam digna palæſtris,
Inter Amyclæos reptabat candida fratres.

Unde abhinc rapta fertur. Ovid. *Amor. l.* 1. *Eleg.* 10. Initio.

Qualis ab Eurota *Phrygiis avecta carinis,*
Conjugibus belli cauſa duobus erat.

Deniqùe Chorus virginum Spartanarum ita canit apud Theocr. *in Helenæ Epithalamio*,

Ἄμμες δ' αἱ πᾶσαι συνομάλικες, αἷς δρόμος ωὑτὸς
Χρισαμέναις ἀνδριστὶ παρ' Εὐρώταο λοετροῖς.

Nic. Lloydius.

Oritur in Arcadia, non procul ab Alpheo, in vico Aſca, prope Megalopolim. Dictuſque eſt etiam *Hymerus*, *Marathon* & *Neris*, exoneratque ſe in ſin. Laconicum. *Baudr.*

EUROTAS, Theſſaliæ fluv. quem Peneus accipit, nec recipit, ſed olei modo ſupernatantem brevi ſpatio portatum abdicat. Plin. *l.* 4. *c.* 8.

EURUS, ventus ſpirans ab Ortu brumali. Plin. *l.* 2. *c.* 47. *Ab Oriente æquinoctiali Subſolanus, ab Oriente brumali Vulturnus: illum Apelioten, hunc Græci Eurum appellant.* Ovid. *Met. l.* 1. *v.* 61.

Eurus *ad auroram Nabatæaque regna receſſit,*
Perſidaque & radiis juga ſubdita matutinis.

in octagona Andronici Cyrrheſti turre (quâ octo ventos olim expreſſerat, qui tum ſolùm fuêre noti) hodieque Athenis extante, primus hic ſe viſendum præbet, juvenili ſpecie, & in Oceano *Sud-eſt*, in Mediterraneo verò Mari *Sirocus* vulgò appellatur. Vide de eo pluribus agentem Salmaſ. *ad Solin. p.* 1245. & *ſeqq.* ubi inter alia eundem eum cum Volturno, & Græcis quidem Εὖρον, Romanis verò Volturnum appellatum eſſe, docet.

EURYALE, Amazonum Regina; tulit Æetæ, Colchorum Regi, contra Perſen auxilium. Vide Valer. Flacc. Argon. *l.* 5. *v.* 611.

Atque hanc alipedi pulſantem corpora curru
Euryalen,

EURYALE, Minois filia, quæ Neptuno Orionem peperit. Alia fuit Prœti Argivorum regis filia. Tertia ex Gorgonibus una. Vide Servium in illud Virg. *l.* 6. Æneid. *v.* 289.

Gorgones, Harpyiæque & forma tricorporis umbræ,

EURYALUS, unus ex principibus Peloponneſiacis qui Argos, & propinquas urbes incolebant, & ad Trojam cum 80. navibus venerunt. Hom. *Catal.* Fuit etiam hoc nomine Trojanus quidam, arctiſſimo amicitiæ vinculo cum Niſo conjunctus, qui noctu Rutulorum caſtra unà ingreſſi magnam hoſtium ſtragem ediderunt. Ve-

rùm

rùm cùm inſtante jam die ſeſe recipere conarentur, in hoſtium equitatum incidêrunt, à quo circumventum Euryalum cùm Niſus eripere non poſſet, certiſſimæ ſeſe morti maluit objicere, quàm amicum deſerere. Virg. *Æn. l.* 2. Item *Euryalus* alius, qui cum fratre Hyperbio primus lateritias domos Athenis conſtituit. Plin. *l.* 7. *c.* 56. Eſt etiam hiſtrionis cujuſdam nomen de quo Juv. *l.* 2. Sat. 6. *v.* 81.

Nobilis Euryalum, *aut mirmillonem exprimat infans.*

Denique locus amœnus Siciliæ Liv. *l.* 25. *c.* 25. prope Syracuſas, quem & *Macropolim* dici tradit Steph. *Belvedere Aretius.* Virg. *l.* 5. Æn *v.* 294. 295. 322. 334. & 337.

EURYAMPUS, urbs Magneſiæ, *Steph.*

EURYANASSA, maris Ægæi inſ. ex regione Ioniæ non procul ab Arginuſſa. Plin. *l.* 5. *c.* 31.

EURYBATES, præco Ithacenſis, ex Ulyſſis comitatu, ab Agamemnone miſſus, ut ab Achille auferret Briſeidem. Hom. *Iliad.*

Ovid. *Ep.* 3. Briſeis Achilli *v.* 10.

Eurybati *data ſum Talthybioque comes.*

Item latro quidam aſtutiâ ſingulari, quem deprehenſum cùm cuſtodes vellent cogere, ut oſtenderet, quibuſnam modis conſuevisſet domos conſcendere: ille aptatis ſpongiis, & ſtimulis ferreiſque retinaculis irrepſit in parietem, & ſpectantibus illis, artificiique novitatem admirantibus prehenſo laqueari per tegulas effugit, eoque modo periculum evaſit.

EURIBYA, nympha quæ ſtellas & Luciferum genuit. *Heſiod.*

EURYBIADES, unus ex ducibus Xerxis. Heſiod. 7. Item Lacedæmonius quidam nobilis, Euryclidæ fil. univerſæ Græcorum claſſis dux adverſus Xerxem. Herod. *l.* 8. *c.* 2. 4. & 5.

EURYCEROS, Vide *Bubalus.*

EURYCLEA, Opis Piſenoridæ filia pulcherrima, quem Laërtes, in prima exiſtens pubertate, viginti boum pretio emit, nec minore, quàm uxorem, honore domi habuit, Ulyſſemque nutriendum ei dedit, quæ & eum primò in patriam redeuntem agnovit. Hom. *Odyſſ.* 19.

EURYCLES, pater fuit Athenis, ſemper aliquid de ſe ſuiſque incommodis vaticinans, & qui dæmonium in ventre habere credebatur, propterea dictus ἐγγαστρίμυθος. Ab eo omnes Divini & Arioli dicti Εὐρυκλεῖς vel Εὐρυκλεῖδαι, & ἐγγαστρῖται. Scholia in Ariſtoph. *Crabron.* Cæl. Rhodig. *l.* 5. *c.* 10. De Eurycleo Engaſtrimytho vide Palmerium *p.* 464.

EURYCRATES, Lacedæmoniorum Rex, ex Herculis poſteris ab Euryſthene XI. fil. Polydori pater Anaxandri. Herod. *l.* 7. *c.* 204. Ejus tempore Meſſenii, poſt Ithomen ſub Polydoro exciſam bello Meſſeniaco ſubacti, Lacedæmoniis æquo animo parebant neque Argivi res innovabant, de quorum cum Spartanis bello vide in voce *Thyrea.* Ei in regno ſucceſſit fil. Anaxander, Pauſ. *Laconicis.* Vide *Anaxander.*

EURYCRATIDAS, Lacedæmonius, ex Herculis poſteris, fil. Anaxandri, pater Leontis. Herod. *l.* 7. *c.* 204.

EURYDAMAS, vir Trojanus. Item Hectoris epitheton, quia cuncta domabat. Item pugil nobilis Cyrenæus, cui cùm inter certandum fortè adverſarius, quem validum nactus fuerat, plagarum vi, & frequentiâ dentes excuſſiſſet, ne tali ſpectaculo illi animum adderet, proindeque inſuperabilis redderetur, omnes devorabat, quâ ratione ad illum ne minima quidem facti ſuſpicio pervenit. Cæl. Rhodig. *l.* 21. *c.* 41.

EURYDAME, Diactoridis, filia, & Menii ſoror, quam Leotychides Spartiatarum Rex duxit in uxorem. Herod. *l.* 6. *c.* 71.

EURYDAMIDAS, Lacedæmoniorum Rex, ex Proclidarum ſtirpe, fil. Agidis V. veneno ſublatus. à Clomene III. ultimo ex Euryſthenidis Rege, qui Epiclidam fratrem, ex ſua familia, in ejus locum ſuffecit: ipſemet paulo pòſt ab Antigono victus, ut ex Plutarch diſcimus. Vide ubi de illo ſuprà.

EURYDICE, uxor Ptolomæi, filia Lagi, ex illa Ptolomæi Ceranni pater. Item, uxor Aridæi, juſſu Olympiadis occiſa. Diod. Sicul. *l.* 19.

EURYDICE, uxor Orphei vatis, cujus amore captus Ariſtæus, cùm vim illi inferre pararet, illa per avia fugiens incidit in colubrum in herba deliteſcentem, cujus morſu interiit. Virg. Georg. *l.* 4. *v.* 457.

Illa quidem dum te fugeret per flumina præceps,
Immanem ante pedes hydrum moritura puella
Servantem ripas alta non vidit in herba.

Orpheus verò uxoris mortem ægerrimè ferens, acceptâ citharâ, inferos adiit, ubi Plutonem Proſerpinamque tam ſuavi carmine demulſit, ut ei uxorem ab inferis reducere permitterent, eâ tamen conditione, ne prius eam, quàm ad ſuperos rediiſſet, intueretur. Quam legem cùm ille amoris impatientiâ eſſet prævaricatus, Eurydice denuo ad inferos eſt retracta. Unde Virg. Ibid. *v.* 485. & ſeqq.

Jamque pedem referens, caſus evaſerat omnes,
Redditaque Eurydice ſuperas veniebat ad auras,
Ponè ſequens (namque hanc dederat Proſerpina legem)
Cum ſubita incautum dementia cepit amantem;
Ignoſcenda quidem, ſcirent ſi ignoſcere Manes.
Reſtitit, Eurydicenque *ſuam jam luce ſub ipſa*
Immemor, heu, victuſque animi, reſpexit ibi omnis
Effuſus labor, atque immitis rupta tyranni
Fœdera, ----

Ovid. Met. *l.* 10. *v.* 30.

---- *Vaſtique ſilentia regni*
Eurydices *oro,*

Ibid. *v.* 48.

Eurydicemque *vocant: umbras erat illa recentes*
Inter.

Ibid. *v.* 50. & ſeqq.

Hanc ſimul & legem Rhodopeius accipit Heros,
Ne flectat retro ſua lumina, donec Avernas
Exierint valles: aut irrita dona futura.
Carpitur acclivus per muta ſilentia trames,
Arduus, obſcurus, caligine denſus opaca,
Nec procul abfuerant telluris margine ſummæ.
Hîc ne deficeret, metuens, avidusque videndi,
Flexit amans oculos: & protinus illa relapſa eſt.

Senec. *in Herculis Oetæi.* Act. 3. choro. *v.* 53. & ſeqq.

Conſumptas iterum Dea
Supplent Eurydices *colos.*
Sed dum reſpicit immemor,
Nec credens ſibi redditam
Orpheus Eurydicen *ſequi,*
Cantûs præmia perdidit.

Ita quoque cæteri poëtæ. Aliter tamen viſum Platoni, qui in *Convivio ſuo* ſic habet: Ὀρφέα δὲ τὸν Οἰάγρου ἀτελῆ ἀπέπεμψαν ἐξ ᾅδου, φάσμα δείξαντες τῆς γυναικὸς ἐφ' ἣν ἧκεν, αὐτὴν δὲ οὐ δόντες. Item *Eurydice* Clymeni filia, uxor Neſtoris, ex qua 7. filios, & unam filiam ſuſcepit. Hom. *Odyſſ.* 3. *Nic. Lloydius.*

EURYELUS, opp. Syracuſarum. Vide *Euryalus.*

EURYLEON, Latinorum Rex, qui & Aſcanius. Dionyſ. Halicarn *l.* 1. *p.* 52. Dicebatur & *Julus* & *Ilus.* Auctor Etymologici Magni ait, Æneam ab Aſcalo Aſcalionis Rege humaniter exceptum, ibi uxorem duxiſſe, & filium ſuſtuliſſe, cui in hoſpitis ſui honorem Aſcalio nomen fecit, quod Romani in Aſcanium immutarunt. Vide *Aſcanius.*

EURYLOCHUS, unus ſociorum Ulyſſis, qui ſolus Circes pocula non guſtavit, ideoque nec in ſuis figuram eſt tranſmutatus. Ovid. *Met. l.* 14. *v.* 287.

---- *Solumque ſuis caruiſſe figura*
Vidimus Eurylochum, *ſolus data pocula fugit.*

Item Phlegyarum Rex, qui Pherecydi ſtruxit Thebas, antequam Cadmus adveniret, qui eas poſtea reædificabat.

EURYLOCHUS, ſecundùm Polyæn. *l.* 6. ductum aquarum in opp. Cyrrhæorum ferentem rupit: mox affectis ſiti reſtituit aquam helleboro corruptam; quâ uſos profluvio ventris decipiens cepit. Frontinus hoc commentum Cliſtheni Sicyonio tribuit, *l.* 3. *c.* 7. *expl.* 6.

EURYLOCHUS, frater Epimenis, qui acceptum à fratre conjurationis indicium, quam pueri nobiles principe Hermolao contra Alexandrum Mag. inierant, detulit. Curt. *l.* 8. *c.* 6.

EURYLYTE, ſecundùm eum, qui Naupactica compoſuit, Æetæ uxor.

EURYMACHUS, Thebanorum potentiſſimus, qui cùm Plateas noctu per proditionem cepiſſet, rebellantibus deinde omnibus vivus in hoſtium poteſtatem venit, unaque cum ſuis omnibus ſupplicio affectus eſt. Thucyd. Item unus procorum Penelopes. Ovid. Ep. 1. Penelope Ulyſſi *v.* 92.

Eurymachique *avidas, Antinoique manus.*

EURYMEDON, pater Peribœæ, ex qua Neptunus Nauſithoum ſuſcepit, Regem Phæacum, Alcinoi patrem. Hom. *Odyſſ. l.* 7. Item fil. Fauni Stat. *Theb.*

Proximus Eurymedon, *cui paſtoralia Fauni*
Arma patris. ----

Item Athenienſium dux cum Demoſthene.

EURYMEDON, Pamphyliæ fluv. qui ex Tauri jugis ortus mediam Pamphyliam ſecat. Mela. Juxta hunc fluv. Athenienſes, Cymone duce, Medos profligarunt. Thucyd. *l.* 1. Ejus meminit Dionyſ.

Ἀ'ασπετον ποταμοῖο παρὰ ῥόον Εὐρυμέδοντος.

Plin. *l.* 5. *c.* 27. *Amnis Eurymedon juxta Aſpendum fluens.* Unde corrigendus Ptolemæus, & qui ejus tabulas confecêrunt, qui Aſpendum ad Cataracten fluv. longè ab Eurymedonte ſtatuunt. Eſt etiam locus juxta Tarſum. *Steph.*

EURYMEDUSA, Gratiarum mater.

EURYMENÆ, urbs Theſſaliæ. *Steph.*

EURYMINUS, vir quidam, qui cum per calumniam conaretur Caſtorem, & Pollucem fidiſſimos amicos inter ſe committere, alterum apud alterum inſimulans, pòſt deprehenſus utrique dedit graviſſimas pœnas. Inde abiit in Proverb. *Euryminus*, de iis qui per calumniam conantur fidos amicos inter ſeſe committere.

EURYNOME, nympha Oceani ac Tethyos filia, mater Leucothoes. Item Apollinis filia, quæ Adraſtum Argivorum Regem, & Eriphylen Amphiarai conjugem peperit.

EURYNOME, Mulier Lemnia, Dorycli filia, Codri uxor, cædis virorum in reliquas auctor. Valer. Flacc. Argon. *l.* 2. *v.* 136.

Et primam Eurynomen *ad proxima limina Codri*
Occupat:

EURYONE, Amyntæ Macedonum Regis filia, quæ patrem à matris inſidiis liberavit.

EURY

EURYPHON, Mileſius, Hippodami, & Architecti & Legumlatoris pater. Heſychius in Onomaſtico, vocat *Euryboonta*.

EURYPON, fil. Sci, nepos Proclis, Spartæ Rex, unà cum Echeſtrato; ad tantam gloriam pervenit, ut hinc familia *Eurypontidarum* nomen ab eo conſecuta ſit, qui antea *Proclidæ* uſque ad illum appellati fuêrunt. Pauſ. *Laconicis*. Ei ſucceſſit fil Prytanis, quem vide.

EURYPYLUS, Telephi fil. bello Trojano, cui propter Caſſandræ amorem intererat, extinctus eſt. Item Herculis fil. regnavit in Co inſula, & omnium Græcorum augur peritiſſimus fuit. Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 114.

> *Suſpenſi* Eurypylum *ſcitatum oracula Phœbi*
> *Mittimus*.

EURYSTHENES, Ariſtodemi fil. Pater Hegeſis, Herculis, atnepos, perpetuò cum fratre Procle diſſenſit. Qui cùm gemini eſſent Patre Ariſtodemo, primo ex Heraclidis Spartanorum Rege, ubi de illo Herod. *l.* 6. *c.* 52. an ante regnum fulminis ictu (ut alii volunt) mortuo (cui ſaltem, in diviſione Peloponneſi cum fratribus Temeno, & Creſphonte, regnum hoc ſortitò obtigerat) capita fuêrunt geminæ ſtirpis Regiæ, ac ſucceſſionis duplicis, quæ annos ferme 900. duravit. C. Nep. *Ageſilao c.* 1. *Mos eſt enim à Majoribus Lacedæmoniis traditus, ut duos haberent ſemper Reges, nomine magis quàm imperio, ex duabus familiis Proclis, & Euryſthenis, qui principes ex progenie Herculis Spartæ Reges fuêrunt. Harum ex altera in alterius familiæ locum fieri non licebat. Itaque uterque ſuum retinebat ordinem. Primùm ratio habebatur, qui maximus natu eſſet ex liberis ejus, qui regnans deceſſiſſet. Sin is virilem ſexum non reliquiſſet, tum eligebatur, qui proximus eſſet propinquitate* &c. Sic itaque Eryſtheni poſt annos 42. in *Euryſthenidarum* ordine ſucceſſit Agis fil. Procli in *Proclidarum*, Sous. Utriuſque autem fratris avunculus (qui & tutor illorum fuerat) Theras, coloniam deduxit in Inſ. Calliſten, quæ Thera ab illo dicta. Succeſſionis utriuſque catalogum ab Hercule enumerat Pauſ. *Lacon.* Plutarch. tamen in *Lyſandro* Apophthegm. Lacon. has familias *Eyritiontidas*, & *Agidas* vocat. Vide Joh. Marſham. *Canone Chron. Sec. XIII.* & *XV.* nec non infrà, *Procles*, it. hîc paulò ſuprà *Eurypon*.

EURYSTHEUS Stheneli fil. ex Aſtydamia Pelopis fil. Mycenarum Rex, V. à Perſeo, qui Junonis odio obſequens. Herculem ad difficillima quæque pericula obeunda adegit, ſperans futurum, ut ponderis magnitudine opprimeretur. Qua in re mirum in modum deceptus eſt. Nam ille, rebus ex ſententia confectis, ſemper victor rediit, clariorque ex periculis & major emerſit. Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 4.

> ---- *Quis aut* Euryſthea *durum*,
> *Aut illaudati neſcit Buſiridos aras.*

Cruentus Euryſtheus dicitur Senec. *in Herc. Oetæo.* Act. v. Heſiod. *in Scuto Herculis*,

> Ὤχετο τιμήσων ἀλιτήμερον Εὐρυσθῆα.

Res ita ſe habet: Eo die quo naſciturus erat Hercules, cùm eſſet à Jove vel (ut alii) à Themide prædictum; infantem naſciturum qui cæteris mortalibus imperaret, Juno quæ partui præeſt, parienti aſſidendo (ut ait Plin.) veneficio antevertiſſe dicitur, atque *Euryſtheum Stheneli*, & *Archippes*, ut alii vocant, filium in lucem edidiſſe. Quare poſtea factum putatur, ut in Herculem *Euryſtheus* imperium habuerit: tametſi Græci, ut ſolertes ſunt ad confingendas Hiſtorias, Herculem *Euryſtheus* amore captum ejus juſſu tot monſtra confeciſſe dicant. Alia aliorum hac de re eſt opinio: ajunt enim Aten, Junonis cauſâ, Jovi mentem perturbaſſe; nam in concilio Deorum jurare coëgit fore, ut illo die ex ſuo genere naſceretur, qui finitimis imperaret, quòd cum jurejurando confirmaſſet, Juno in terram deſcendit, Argos petiit, Alcmenæ partum diſtulit, *Stheneli* uxorem ſeptem tantùm menſium fœtum edere coëgit, *Euryſtheo* Herculem ſervire juſſit, cui Jupiter, ut promiſerat, Argivorum regnum dedit, Junonem cœlo expulit. Ovid. Met. *l.* 9. *v.* 204. Nic. Lloydius. Poſtea *Euryſtheus*, *contra Herculis filios*, (quos ex Peloponneſo pepulit) *in Attica profecturus*, *Atreum* (Pelopis fil.) *avunculum ſuum*, *qui patrem propter Chryſippi necem fugiebat*, *regno præfecit*. Thucyd. *l.* 1. quod ille, *Euryſtheo* in pugna occiſo, retinuit. Atque hac ratione contigit, τῶν περσειδῶν τὰς πελοπίδας μείζους καταστῆναι, *Perſeidis Pelopidas ſuperiores fieri*, Pauſ. *l.* 2. Vide ſuprà *Atreus*.

EURYTANES, pop. Italiæ. Steph. vel potius Ætoliæ, ut emendat Caſaub. ex Strab. *l.* 10. *p.* 465. Αἰτωλικοὶ pro Ἰταλικοὶ.

EURYTHEUS, Italiæ Exarchus, A.U.C. 1479.

EURYTION, Rex Spartanorum, qui tractum belli cum Mantinenſibus pertæſus, diſcordiam civibus arte injecit, & ſic urbe potitus eſt. Polyæn. *l.* 2.

EURYTION, unus Argonautarum. Ovid. *Met. l.* 8. *v.* 311. Alter Lycaonis fil. Pandari frater. Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 495.

> *Tertius* Eurytion, *Tuus ô clariſſime frater.*

Tertius faber argentarius. Idem. Ibid. *l.* 10. *v.* 499.

> *Quæ bonus* Eurytion *multo cælaverat auro.*

EURYTION, Paſtor armenti Iberi, ab Hercule cum cane interfectus. Vide *Orthus*.

EURYTION, Heracleenſis, adulterii convictus; cùm de eo ſeditioſè pœnas inimici ſumerent, cauſa evertendæ ibidem Oligarchiæ extitit. Ariſtot. *l.* 5. *Polit. c.* 6.

EURYTUS, Mercurii fil. comes Argonautarum. Valer. Flacc. Argon. *l.* 1. *v.* 439.

> ---- *Sic medios gladio bonus ire per hoſtes*
> Euryte,

Idem. *l.* 3. *v.* 470.

> *Inſtaurant primi certamina liber amictu*
> Eurytus

Idem. *l.* 6. *v* 574

> Eurytus *Exomatas agit æquore.*

EURYTUS, Oechaliæ Rex, pater Joles, qui cùm ab Hercule victus, pactam ei certaminis lege filiam tradere recuſaret, ab eo irato occiſus eſt, & Jole abducta, hinc *Eurytis*. Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 495.

> Eurytidos *lacrymas admoto pollice ſiccat*,
> *Alcmene.*

Cultum eſſe in Oechalia, docet Voſſ. *de Idol. Part.* 1. *c.* 13. Item unus ex Centauris, qui cùm Theſeo Hippodamiam vi eripere vellet, ab eo eſt occiſus.

EUSEBIA, uxor Conſtantii Imp. ingenio, & eruditione excellens, ſed Arianiſmo infecta, quem quovis modo anîſa eſt promovere, per maritum, in cujus animo plurimum poterat. Sterilitatem ſuam ægrè ferens, Helenæ, Conſtantii ſorori, uxori Juliani potionem obtulit, quæ ipſam ſimiliter ſterilem redderet: quod cùm non procederet, obſtetricem ejus corrupit, quæ filium ab ipſa in Galliis editum, ſimul ac natus erat, necavit. Obiit A. C. 36. Zoſimus *l.* 3. *& ſeq.* Amm. Marcell. *l.* 16. *c.* x.

EUSEBIA, civitas Cappadociæ, *Cæſarea* poſtea dicta.

EUSEBIUS, Græcus, fil. Medici Ep. Rom. A C. 309. poſt Marcellum: martyrio ſub Maxentio coronatus eſt, A. C. 311. Auguſt. *Ep.* 165. Optat. *l.* 2. *c. Parm.* Ei ſucceſſit Melchiades.

EUSEBIUS, cognomento Pamphili (quomodo vocabatur ob amicitiam cum Pamphilo martyre, teſte Hieronymo) Cæſareæ Palæſtinæ Ep. A. C. 315. quem πολυμαθῆ, καὶ πολυίστορα meritò appellat Geo. Cedreno. Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 17. Arianus poſtmodum factus, Euſebio Nicomed. ſe junxit, Epiphan. *hær.* 68. *& in Ancor.* Athanaſ. *in Synod.* Anteſignanus ſectæ, Hieron. *Cat. c.* 8. &c. ſecundo Conc. Niceno anathematizatus. Conſtantino Magno chariſſimus: Obiit A. C. 340. Præter hiſt. Eccl. *l.* 10. & de vita Conſtantini Mag. *l.* 4. compoſuit. 15. de P. E. Apologiam pro Origene, *c.* Hieroclem, de diſſenſione Philoſophorum, 10. libb. in Eſajam. *c.* 30. Porphyrium. Epitomen Hiſt. & Chronologiam, quam Hieronymus continuavit, uſque ad 16. Conſulatum Valentis, & Valentiniani, plurimaque alia. Vide Baſil. *c.* 29. *de Spir. S. c. Amphilochium*, Aug. *de Trin.* Phot. &c. Joſeph. Scalig. inprimis, *in Euſeb.* & Morer. Trithemio, Arianiſmum cùm jam tandem depoſuiſſet, juſſu PP. Concilii Nicæni, quorum ſententiam ſequutus fuerat, Symbolum *Nicænum* dictum compoſuit, quo in hodiernum uſque diem Eccleſia uſa eſt, Trithemius. *Vir longè clariſſimus & in omni Hiſtoriarum genere exercitatiſſimus*, Caſaub. Scalig. verò *ut nullum Scholaſticorum veterum illo plus ad hiſtoriam Chriſtianiſmi contuliſſe, ſic nullum plura errata in ſcriptis ſuis reliquiſſe, nullius plures hallucinationes extare*, docet; Ejus *de Præp. & Dem. Evangelica* libri, extant Gr. Lat. cum Notis 2. Vol. fol. Pariſiis A.C. 1628. 3. Vol. ibidem A. C. 1629. fol. Genevæ 1622. Gr. tantùm fol. Lutetiæ A.C. 1544. & Baſileæ A. C. 1579. *Commentaria in Pſalmos omnes*, quæ Latina fecit Caſſiod. teſte Bolduano, prodiérunt fol. Baſileæ A. C. 1491. &c.

EUSEBIUS Scholaſticus, de quo vide Voſſ *de Hiſt. Gr. l.* 3. *c.* 18 Sub Arcadio & Honorio, bellum contra Gainam verſu ſcripſit. Niceph. *l.* 13. *c.* 6. Socr. *l.* 6. *c.* 6. Item Patriarch. Antiochenus, Arianus, Eulalio ſucceſſit. Hieronym *Chron.* Baron. A.C. 340.

EUSEBIUS Emiſſenus, Ep. Emeſæ, in Syria, ſec. 4. itidem Arianus. Hieron. *in cat. c.* 91. *& Chron.* Sixtus Senenſis, *Bibl. S.* Homiliæ in Evangelia, ipſi ab Hieronymo tributæ, alterius eſſe videntur. Morerius. Cæterùm is, cognomento *Philoſophus*, ex generoſis Edeſſæ in Meſopotamia parentibus natus eſt, Sixt. Senenſis. Extant *Homiliæ* ejus Lat. 8. Pariſiis, A. C. 1554. Opera omnia itidem Lat. 8. ibidem, A. C. 1575. Vixit tempore Conſtantii Imp. ſub quo mortuus, & Antiochiæ ſepultus eſt; ideoque ſaltem ante A. C. 361. vivere deſiit, Labbæus. *Ep. elegantis & Rhetorici ingenii*, Hieronymo. De eodem Chamierus: *Euſebius Emiſſenus*, inquit *ſeu quicunque Auctor eſt earum homiliarum, Vir certè antiquus eſt, & eruditus.*

EUSEBIUS, Laodiceæ Ep. Alexandriâ oriundus. Eruditione inſignis. Euſeb. *Hiſt. Eccl. c.* 10. *& Chron.* A. C. 276.

EUSEBIUS, Ep. Nicomediæ, Arianus, Conſtantino Mag. omnibus modis imponere anniſus, Athanaſium acriter perſecutus eſt. Poſt Imperatoris mortem, Conſtantium totamque familiam Imperialem, hæreſi imbuit, vi in Epiſcopatum Conſtantinop. intruſus. Ejus ſectatores *Euſebiani* dicti. Obiit A. C. 342. Eccleſiæ peſtis Sozomen. Socr. Theodoret. &c.

EUSEBIUS, Ep. Theſſalonicenſis, 10. libb. ſcripſit contra Andream Monachum quendam Rom. à quo literis paulò durioribus erat offenſus. Photius *Bibl. cod.* 162. Gregor. *l.* 9 *ep.* 69.

EUSEBIUS, Ep. Vercellenſis. à Liberio P. cum Lucifero Calaritano, ad Conſtantium Imp. miſſus, Athanaſii cauſâ. In Concilio dein Mediol. A. C. 355. non ſubſcribere ſolùm hujus condemnationi renuit, ſed & auctor fuit Dionyſio Ep. ut nomen ſuum deleret. Hinc in exilium pulſus. Poſt mortem Conſtantii, in Synodo, ab Athanaſio habita, fuit. Obiit A. C. 371. Euſebii Comm. in Pſalmos Latinè vertit, &c Sed nil ejus, niſi epiſtolæ quædam in exilio ſcriptæ, ſupereſt. Hieron. *Chron. & ep.* 75. Ambroſ. *ep.* 82. *ad Vercell.* Greg. Tur. *de gl. Confeſſ. c.* 3.

EUSEBIUS, ab Auguſto, ad Carum Imp. hiſtoriam ſcripſit. Evagr. *l.* 5. *c. ult.* Item, Sophiſta, Phot. *Bibl. cod.* 124.

EUSEBIUS Dorileenſis. Eutychen hæreſeos accuſavit, in Syno-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Synodo Conſtantinop. dein ab hæreticis in Lyſtrica Syn. depoſitus Interfuit Concilio Chalced. *Act.* 1. *& ſeqq.*

EUSEBIUS Samoſatenus, ab Imp. Valente in exilium miſſus, militis habitu, exules ſolatus eſt. Dein juſſu Concil. Antiocheni, poſt Valentis obitum, Syriæ,& Meſopotamiæ Eccleſias inviſit. Dolichæ, ab Ariana quadam, tegulæ ictu occiſus. A. C. 378. Theodoret. *l.* 4. *c.* 13.& 14. *l.* 5. *c.* 4. Greg. Naz. *ep.* 28. & 30. Baſilius, epiſtolas 13. ad eum in exilio miſit, quæ non impreſſæ.

EUSEMATA, Armeniæ min. urbs. *Ptol.*

EUSTATHIUS, Cos. cum Agricola, A. U. C. 1174.

EUSTATHIUS I. Patr. Conſtantinop. poſt Sergium, uſurpatorem, A. C. 1019. uſque ad A. C. 1025

EUSTATHIUS II. cogn. Garides, poſt Coſmum: ab A. C. 1086. ad A. C. 1089.

EUSTATHIUS, Præſul Antiochenus, adverſùs Arianorum dogma multa compoſuit ſub Conſtantino Principe. Interfuit Concil. Niceno I. in quo poſt Imp. primus verba fecit Dein, ab effronte femina, inſtigatu Arianorum, ſcortationis accuſatus, & pulſus eſt in exilium Trajanopolim, Thraciæ civitatem; ubi & ſepultus eſt. Sunt quoque ipſius volumina de anima; epiſtolæque plurimæ: Item de Pythonyſſa, c. Origenem, Interpretatio Pſalmorum, c. Arianos, &c. Vide Theodoret. *hiſt. l.* 1. *c.* 21. Socr. *l.* 1. *c.* 18. Sozom. *l.* 2. *c.* 17. & 18. Athanaſ. *ep. ad Solit.* Baron. *A.* C. 340. Hier. *de Scr. Eccl.* Genere Pamphilus, Beriæ Syriæ primò, dein Antiochiæ Ep. fuit. Ejus *in Hexaëmeron Comm.* Gr. Lat. cum Notis extat 4. Lugduni Batavorum A. C. 1629. Claruit A. C. 330. ut Trithemio, vel 340. ut Sixto Senenſi viſum eſt. Gul. Crowæus *El. Scr.*

EUSTATHIUS, Archiep. Theſſalonicenſis, in Homerum,& Dionyſium commentarios edidit. Auctor quoque creditur 6. librorum de Iſmeniæ,& Iſmenes amoribus, verùm in libris nonnullis *Eumathius* dicitur. Vixit Manuelis Comneni temporibus, circa A. C. 750. Item ſub Alexio Comneno, & improbo illo Andronico, ut conſtat ex Niceta Choniate, cui Euſtathius hic vocatur nunc *ὁ πολὺς κὴ μέγας ἐν λόγοις*, nunc autem *ἀνὴρ διὰ βεβοημένος ἀπαγχῆ*, à prudentia item ſingulari, & doctrina multijuga celebratur. Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 4. *c* 19. Item alius fuit *Euſtathius* Syrus, orator inſignis, qui à Nicephoro Call. in procemio, inter eos refertur hiſtoricos, ex quibus ſuam conſarcinarit hiſtoriam Euagrius Scholaſticus.

EUSTATHIUS, Sebaſtenorum Ep. temporibus Conſtantini Mag. aſceticæ, & monaſticæ vitæ, apud Armenios, auctor, librum *Ἀσκητικὸν*, quem Baſilio M. quidam tribuunt, compoſuit. Epp. Presbyteroſque ad antiquam *ἄσκησιν* reducturus civili habitu veſteque communi in Sacerdotibus condemnatâ eos ad Philoſophicum pallium revocabat, ipſe palliatus incedens: quem proin Synodus Gangrenſis damnavit *can.* 12. Cùm pallium, quod Tertullianus *ſuper omnes titulos & apices Sacerdotalem habitum* vocat; Conſtantini ævo *ἀνάρμοστος τῇ ἱερωσύνῃ στολὴ* haberetur, h. e. *indecora Sacerdotio veſtis.* Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio.*

EUSTATHIUS, Presbyter CP. à Valente pulſus, quòd divinitatem J. Chriſti eruditè defenderet. Item, Ep. Sebaſtes, in Armenia, ſucceſſivè Arianus, Semi Arianus, Macedonianus, miſerè periit. Baron. A. C. 319. 358. & 359.

EUSTATHIUS, martyr, inter aulicos Trajani Principis, Placidus antea vocatus. Volaterr. Item *Euſtathius* Epiphaneus, ſcripſit temporum epitomen libb. 9. ab Ænea uſque ad Anaſtaſium Principem, ſub quo fuit. Vide Suid. Niceph. *Hiſt. Eccl. l.* 14. *c.* 57.

EUSTATHIUS, Monachus hæreſiarcha, conjugatos à ſalute excluſit, privatas preces inhibuit, nihil proprii poſſideri voluit, peculiari veſtis genere ſuos uti juſſit, jejunium in ſingulas Dominicas imperavit, uxores à maritis, ſervos à Dominis abſtraxit. An idem cum Eutacto? de quo Epiph. *hær.* 40. Vide Socr. *l.* 2. *c.* 33. Sozomen. *l.* 3 *c.* 3. Baſil. *ep.* 74. & 82. Niceph. *l.* 9. *c.* 16. &c.

EUSTHENES, Vide *Claudius Euſthenes.*

EUSTEPHIUS, Aphrodiſieus ſophiſta, ſcripſit declamationes. *Suid.*

EUSTOCHIUM, Paulæ mulieris Romanæ filia, Latinarum, Græcarum, & Hebraicarum literarum perita, unde & ſuo tempore *novum orbis prodigium* vocata eſt: Ingenium ſacris literis maximè devovit, atque adeò, ut Pſalmos Hebraicè legeret curſim & mirâ celeritate. Qua in re amorem B. Hieronymi, ſub quo 35. An. in monaſterio Bethlehemæ vixit, ſibi maximè conciliavit. Vide *ejus ep.* 10. 19. 22. & 26. *&c.* & *in vita S. Paulæ.*

EUSTOCHIUS, Patr. Hieroſolymit. in locum Macarii, qui ſuſpectus Origeniſmi erat, ſuffectus. Baron. A. C. 548. *n.* 13. 14 & 553. *n.* 32. 561. *n.* 1. Miſit legatos ad Concil. 5. Oecum.

EUSTOCHIUS, Cappadox Sophiſta, ſcripſit ad Conſtantem Principem, de Cappadociæ, aliarumque gentium antiquitate. Volaterr. Item, paraphraſtes vitæ S. Pelagiæ Pœnitentis, à Jacobo Diac. Ep. Nonni compoſitæ. Niceph. *l.* 14. *c.* 30.

EUSTRATIUS, Philoſophus, qui Ethicam Ariſtotelis ſcripſit. In Bethlehem civitate ſepultus eſt.

EUSTRATUS, Presbyter Hieroſolym. de Animarum ſeparatarum ſtatu ſcripſit, libb. 3. Photius *cod.* 171. Leo Allatius, *notis in Euſtr.*

EUTÆA, urbs Arcadiæ. *Steph.*

EUTANE, Cariæ opp. Plin. *l.* 5. *c.* 29.

EUTASUM, Arcadiæ urbs. *Pauſ.*

EUTERPE, una Muſarum, quæ Mathemata, vel aliis placet, tibias invenit; à *concentus ſuavitate* nomen trahens. Eſt enim *Εὖ bene*, *τέρπειν delectare.* Auſon. Edyll. 20. *v.* 4. Muſarum inventa.

Dulciloquos calamos Euterpe *flatibus implet.*

Vide Balduini *Iconol.*

EUTHALIUS, incertæ Eccleſiæ Diaconus, natione Græcus, ſcripſit *in Epiſtolas S. Pauli Collectanea Gr. S. PP.* edit. Veron. A. C. 1532. Londini, A. C. 1635. Beſodnerus autem ipſum tantum collocat inter Commentatores *ad Rom. & Corinth.* ut & Bolduanus. *Euthalius*, & Sophronius (qui obiit A. C 634.) *de Vita & Peregrinatione D. Pauli* impr. ad calcem *Explicationis Actorum Apoſtol.* Chriſti. Pelargi: tractatus, teſte Bolduano, valde utilis eſt, ad intelligentiam Actorum Apoſtolicorum. Vide Gul. Crowæum *Elencho Scriptorum in SS. Scripturam.*

EUTHARICHUS, nepos Thoriſmundi, à Theodorico Amalaſunthæ fil. maritus electus, Cos. & ex illa parens Athalarici. Procop. *de B. G.* Caſſiodor. *in Chron.* & *Epiſtolis.*

EUTHENÆ, urbs Aſiæ. *Steph.*

EUTHERICUS, Cos. cum Boëthio, A. U. C. 1264. Item alius Cos. cum Juſtino Aug. A. U. C. 1272.

EUTHYCLES, Poëta Comicus.

EUTHYCRATES, Lyſippi fil. & diſcipulus, in pictura excellens. Plin. *l.* 34. *c.* 8.

EUTHYCRATES, Olynthi proditor, à Philippo Macedone corruptus. Diod. *l.* 16. *p.* 538.

EUTHYCRATES, Onomarchi Pater, Phocenſis. Vide Ariſtot. *l.* 5. *Polit.* 4.

EUTHYCRITUS, Archon. Athenis, Olympiadis 113. An. 1.

EUTHYDEMUS, Rhetor, & Orator, qui quum ingentes opes à majoribus ſuis accepiſſet, ipſe & dicendi facultatem, & gloriam addidit, & non ſolùm in patria magnus fuit, ſed etiam in Aſia primos honores adeptus eſt. Strab. *l.* 14. *p.* 659. It. alius Maſſilicus Philoſophus, Apollonii Tyanæi præceptor.

EUTHYMANES, Maſſilienſis, Geographica conſcripſit, uti conſtat ex epitome Artemidori Epheſii. Niſi fortè *Euthymenes* legendum. Sanè *Euthymenes* Chronographus, qui Homerum unà cum Heſiodo floruiſſe ſcripſit, à Clem. Alex. citatur.

EUTHYMEDON, nomen cujuſdam Philoſophi.

EUTHYMENES, Archon Athenis, à quo illud decretum, ne quis nominatim in Comœdia perſtringeretur, tribus ante annis Morychido Archonte latum, eſt abrogatum. Vide Scholia *in Ariſtoph. Acharnenſ.* 374. *&c.*

EUTHYMENES, Chronica condidit, Clem. Alexand. Strom.

EUTHYMENES, Salaminius quidam, de cujus filio ſic Solin. *c.* 1. *Non omiſerim Salamine* Euthymenis *filium creviſſe in triennio tria cubita ſublimitatis, ſed inceſſu tardum, ſenſu hebetem, robuſtâ voce, pubertate feſtinâ, ſtatimque obſeſſum morbis plurimis ---- compenſaſſe præcipitem incrementi celeritatem.* Ad quem *l.* Vide Salmal. p. 44. &c.

Patriarchæ Conſtantin.

EUTHYMIUS I. Patriarch. CP. natione Iſaurus, ſucceſſit Nic. Myſtico, pulſo à Leone VI. ſed hoc mortuo, ab Alexandro II. ſucceſſore, in exilium miſſus. Ubi obiit A. C. 920. Lipomann. *tom.* 3. Curopalates, *in Leone VI.* Baron. A. C. 901. 911. & 920. Pietate & patientiâ inclytus.

EUTHYMIUS II. ſucceſſit Calixto II. A. C. 1416. Phranza *l.* 1. *c.* 36. qui tum Conſtantinopoli erat. *Onuphr.* &c.

EUTHYMIUS, Archimandrita in Palæſtina. Defenſor illuſtris Concilii Chalced. contra Eutychem, ſec. 5. Eudoxiam, à Theodoro Mon. ſeductam, reſtituit. Obiit A. C. 472. Æt. 99. Hujus vitam ſcripſit diſcipulus ejus Cyrillus Monachus.

EUTHYMIUS, Zygabenus Hiſtoricus, Mon. Græc. Saracenica ſcripſit ubi non ſatis ſemper veritati litat, eo quòd uſus ſit pravâ Alcorani tralatione. Non parum tamen laudis invenit commentando in Pſalmos, & 4. Evangelia, eo quòd ſit *in verborum proprietatibus obſervandis diligentiſſimus*, ut optimè cenſet Maldonatus *in Matt. c.* 17. *v.* 18 Vixit ſec. 12, Auctor præterea Panapliæ c. hæreſes. *Bibl. PP. t.* 12. *Col.* 536. *edit. Pariſ.* Commentar in 10. Cantica S. Scripturæ, &c. Sixt. Sen. *Bibl. ſ. l.* 4. Genebr. *in Chron. Poſſevin.* &c.

EUTHYMIUS ſeu EUTHYMUS, eximius Olympiæ victor ſeu Pycta Locrenſis, teſte Plin. *l.* 7. *c.* 47. *Conſecratus eſt vivus ſentiensque ejuſdem Oraculi juſſu, & Jovis Deorum ſummi adſtipulatu, Euthymus pycta, ſemper Olympiæ victor & ſemel victus*, vide quoque Ælianum *Var. l.* 7. *c.* 47. Cujus proin memoriam revocavit Nero, in Medallione ſuo, quo alterâ facie ipſe apparet, cum litt. IMP. NERO. CÆSAR. AUG. P. M. in altera, vir inſigni habitu, triumphantis nempe ſpecie, laureâ caput cinctum, dextrâ flagellum, ſiniſtrâ palmam tenens, curru quadrijugo vectus, cum hoc nomine, EYTYMUS: Hoc enim modo Hieronicæ coronati per medium ſtadium deduci ſolebant. Neronis poſtea Medallionem hunc revocavit, ſeu recudit Trajanus Imp. in cujus altero latere ipſe expreſſus eſt, cum Inſcr. TRAIANUS. P. F. AUG. in altero, ſimili habitu Euthymius, niſi levi diſcrimine, addito nomine EYTHYMIUS. Utrumque poſteriori ævo denuo renovavit Honorius Imp. cum Inſcr. EUTIMINICA: quæ quidem eadem ferme ſunt, quæ Præcones efferre ſolebant, cùm quis in certaminibus viciſſet; ut apud Laërt. *in Diog.* Νικᾷ Διώξιππος, & apud Xiphilin. *in Ner.* Νέρων Καῖσαρ νικᾷ τὸν δὲ τὸν ἀγῶνα, &c. Car. du Freſne *de Inſcr ævi Numiſm.* n. 64. Vide quoque ſuprà in *Contorniati Nummi*, & in voce *Euthymius.*

EUTHYMUS, pugil in Locris Italiæ, qui *Epizephyrii* cognominantur. Hunc ſemel à Thaſio Theagene victum tradit Pauſ. non juſto quidem certamine, ſed circumventum dolo, unde nec Theageni decretus honor, qui inſuper damnatus, ut mulctæ nomine talentum Euthymo ſolveret. Vide *Æl. Var. Hiſt. l.* 8. & Plin. *l.* 7. *c.* 47.

EUTHYNI, Græcè Εὔθυνοι, in Athanienſium Rep. Magiſtratus erant, quos cum Logiſtis, (apud quos rationes geſti ſui Magiſtratus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſtratus referebant οἱ ἐν ἀρχῇ; intra 30. ab abdicato Magiſtratu die: eoſdem facit Auctor Etymologici; ſed aliud docet Philoſophus *Polit. l. 6. c. ult.* è quo tamen colligas, munus illorum à Logiſtarum munere non multum diverſum fuiſſe. Numero decem erant ſicut & Logiſtæ: Harpocration, Εὔθυνοι ... ἀρχή ... δέκα ... ἀνδρες ... οἷς ἐδίδοσαν οἱ ... Erantque non κληρωτοί, i.e. *ſorte capti*, ſicut Logiſtæ; ſed eligebantur ex optimis quibuſque. Et quemadmodum Logiſtæ fuere, velut novem Archontes, ſic *Euthyni*, tanquam Paredri Archontum, qui Logiſtis aſſidentes, ubi judicatum eſt, Magiſtratus poteſtate decedentes aliquid publico debere, id ab illis exigere ſoliti ſunt. Referebant itaque Magiſtratus ὑπεύθυνοι rationes apud Logiſtas, qui cum *Euthynis* judicabant. Vide Sam. Petit. *Comm. in Legg. Attic. l. 3. tit. 2.* & infra in voce *Logiſtæ*.

EUTOCIUS, Aſcalonita, commentaria fecit in Conica Apollonii: nec non in Archimedem de ſphæra, & cylindro, deque circuli dimenſione, item æquiponderantibus. Theone, & Pappo, eſſe antiquiorem, inde cognoſcimus, quod ab utroque celebretur. Blancanus *Coron. Mathem.*

EUTOCUS, Apollinis, & Cyrenes fil. Boccat. *l.* 5.

EUTRAPELUS, homo quidam calliditiſſimus. Horat. *l.* 1. Epiſt. 18. *v.* 31.

> ---- Eutrapelus *cuicumque nocere volebat*
> *Veſtimenta dabat pretioſa.* ----

Item tonſor Mart. *l.* 7. Epigr. 83. cujus epigraphe de Eutrapelo.

> Eutrapelus *tonſor dum circuit ora Luperci.*

Ubi à quibuſdam exponitur, comis, facetus, dicax.

EUTRESIS, pagus inter Theſpias & Plateas, quem Zethis, & Amphion muris cinxerunt. Dictus quod multis viis, ſeu vicis prius ubi..., & quaſi perforatus fuerit. Hinc Apollo *Eutreſites*, cujus templum ibi, & oraculum celeberrimum fuit. *Steph.*

EUTRESIUM, urbs Arcadiæ. *Idem.*

EUTROPIA, filia Conſtantii Chlori, ſoror Conſtantini Mag. mater Nepotiani, qui ſalutatus Imp. 28. diebus poſt occiſus eſt, à Magnentii amicis, unà cum matre, A. C. 350. Item, uxor Maximiniani Herculis: cui Victor Maxentium eam ſuppoſuiſſe dicit. Zoſimus, Idacius, *Eutrop.*

EUTROPIUM, locus Bithyniæ apud Chalcedonem, ubi Mauritius Imp. à Phoca occiſus eſt.

EUTROPIUS, nobiliſſimus gentis Dardanæ vir, ex Claudia Criſpi filia, genuit Conſtantinum Chlorum, patrem Conſtantini Magni, Treb. Pollio *in Divo Claudio*.

EUTROPIUS, Eunuchus, tantum apud Arcadium valuit, ut Cos. deſignaretur. Superbiâ, crudelitate, impuritate infamis. Præſidibus malè habitis, non niſi peſſimæ notæ homines evexit, Eudoxiæ Imp. repudium minatus. Sed, petito ejus capite à Caina, in Cyprum exul abiit, mox Chalcedone capite plexus, A.C. 399. Nomen ejus ex Faſtis Conſiliaribus expunctum. Socrat. *l.* 6. Sozomen. *l.* 8. Nicephor. *l.* 13. Proſper. Amm. Marcell. *l.* 29. *c.* 1.

EUTROPIUS, ſophiſta Italus, ut eum vocat Suid. an Chriſtianus, in incerto; cùm alia quædam, eodem teſte, tum breviarium ſcripſit Rerum Romanarum, ab A.U.C. uſque ad Flavium Valentem Aug. cui opus ſuum dicavit. Opus illud Græcè verſum poſtea fuiſſe à Capitone Lycio, teſtatur Suid. & Simlerus affirmat, in Bibliotheca Petri Pithœi, verſionem Græcam Eutropii, à Pæanbo quodam compoſitam, haberi: Militaſſe ſe ait ſub Juliano, atque expeditioni ejus in Perſas interfuiſſe. Quo & pertinent verba Georgii Codini, *in Selectis, de originibus Conſtantinopolitanis*, ubi ſic ſcribit, Εὐτρόπιος ὁ ... ἐπὶ Ἰουλιανοῦ ... ἐν τῇ Περσικῇ. Laudat verò eum teſtem in rebus Conſtantini Mag. quæ oculis ſuis vidiſſe eum ait. Male confunditur cum Presbytero Africano, diſcipulo S. Auguſtini, de quo Gennadius, *Catal. Vir. Ill.* quique ſub Theodoſio, Arcadio, & Honorio vixit. Adde, 11. libros poſteriores Hiſt. miſcell. nil eſſe niſi 10. Eutropii, quibus P. Diaconus, plurima addidit. Unde à quibuſdam Scr. Eccl habetur. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 8. Item. *Eutropius* Cos. cum Valentiniano Auguſto, A. U. C. 1140. Et cum Theodoro A. C. 1152. Vide ſuprà.

EUTYCHE, mulier Tralliana 30. partus enixa, & à 20. liberis rogo illata. Plin. *l.* 7. *c.* 3.

EUTYCHES, CP. Abbas, contra Neſtorium pugnans, in novam hæreſin impegit, & tertius poſt Manetem & Apollinarem, alium aſſirmavit eſſe Chriſtum, aliud verbum Dei; Negavitque Chriſti carnem noſtræ ſimilem, nec duas in eodem ſuppoſito naturas eſſe, ſed de cælo corpus deſcendiſſe dictitavit, ac in Virginis uterum tanquam ſolis radios penetraſſe, ut viſum ſit ſanè ex muliere generatum, quamvis verè generatum non ſit. Hinc divinitatem Chriſti paſſam mortuamque eſſe deliravit, &c. Ab Euſebio Doril. latus, & Synodo habitâ, condemnatus, provocavit ad Imp. Dein junctus Dioſcoro Alex. Cryſaphiique favore fultus, in Lyſtrica Synodo Epheſinâ, hæreſi ſtabilitâ, in Orthodoxos, Flavianum inprimis ſævit. Sed Concilio 4. Oecum. Chalcedone habito, ſub Martiano, cum Dioſcori erroribus, Eutychianiſmus denuo condemnatus eſt. A. C. 451. Acta Conc. Chalced. Galerius *Chron.* 5. *ſec. c.* 20. Theodoretus *dial.* 2. ait Eutychen ſtatuiſſe, naturam humanam à divina abſorptam eſſe, ſicut gutta mellis ab Oceano, &c *Voetius*.

EUTYCHEUM in *l.* 1. *Cod Theodoſ. de Alexandrinæ plebis Primat.* cujus ſubſcriptio ita concipitur: *PP.* (i. e. propoſita) *Alexandriæ Eutycheo*; videtur eſſe Prætorium Præfecti Auguſtalis Alexandriæ. Vox efficta ex Græco Εὐτυχεῖον, fortè quod ab Alexandria Romam, & CPolim advenirent *Felices Embolæ*, atque adeo in Prætorio Præfecti Auguſtalis eæ pararentur. Vide Jac. Cujacium *Obſervat. l.* 23. *c.* 3. & Jac. Gothofred. *ad h. l.* laudatos Car. du Freſne *Gloſſar.*

EUTYCHIA, inſ. Theſſaliæ adjacens, ante ſinum Pagaſicum. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

EUTYCHIANI, Sectatores Eutychis, ſub Martiano Imp. multum damni dedere, ſeveris pœnis coërciti: quæ violentia ſub Leone quoque, & ſucceſſoribus ejus duravit. In plures ſectas diviſi. Vide *Eutyches*.

EUTYCHIANUS, Lunâ oriundus, Tuſciæ urbe, XXV. Romanorum Ep. ſucceſſit Felici I. Obiit, A. C. 283. ſedis 8. menſ. 6. Fabas, poma, uvas, in altari, conſecrari prius, quàm ederentur: Item, corpora Martyrum purpuræ involvi, voluit: quod poſtmodum a Gregorio Mag. prohibitum. Euſeb. *in Chr.* & *l.* 7. *c.* 26. Niceph. *l.* 6. *c.* 34. Gregor. *M. l.* 4. *ep.* 44. Eum excepit *Cajus* ſeu *Gajus*.

EUTYCHIANUS, Grammaticus, ſub Conſtantino Mag. cui librum de CPoli inſcripſit. Georg. Codin. *in Select. de Orig. Conſtan.* Alius, apud Agathiam, *proœm. hiſt.* cognom. Junior.

EUTYCHIAS, Grammaticus quidam, laudatur Scholiis, *ad Ariſtoph. Crabrones*.

EUTYCHIDES, literatus T. Pomponii Attici ſervus, ſed manumiſſus de quo Cic. *l.* 15. *Ep.* 4.

EUTYCHIDES, ſtatuarius Floruit Olymp. 120. Plin. *l.* 34. *c.* 8. Hic ut idem author eſt, fecit Eurotam, in quo artem ipſo amne liquidiorem plurimi dixére.

EUTYCHIUS, Patr. CP. poſt Mennam. Hujus tempore Concilium 5. Oecum. habitum eſt. Imp. Juſtiniano, ob novum errorem, reprehenſo; depoſitus, ſurrogato Joh. Poſt hujus mortem vero reſtitutus, ſcripſit de Reſurrectione contra Gentiles, ſed ſimul, in Origenis prolapſus errorem, corpora reſuſcitatorum palpabilia non fore, aſſeruit. Verùm à Gregorio Mag. tum Nuntio, apud Tiberium II. monitus, reliquit errorem, & moriturus, carne brachii prehensâ dixit, *Reſurgemus cum hac carne*, A. C. 583. Gregor. *l.* 14. *Mor. c.* 29. Euſtathius, *in ejus vita*. A Græcis pro ſancto habetur, in Menol.

EUTYCHIUS Proculus, Grammat. Siccâ, Africæ urbe, oriundus, Præceptor fuit M. Antonini Philoſophi. Julius Capitol. *in Marco Antonino*.

EUTYCHUS, nomen adoleſcentis, quem à morte ſuſcitavit Paulus. Act. *c.* 20. *v.* 9.

EUXENIDUS, Pictor ſuâ ætate celeberrimus, Ariſtidis præclari artificis præceptor. Plin. *l.* 35. *c.* 10.

EUXENUS, priſca ac fabuloſa Italorum tempora carmine perſequutus eſt. Dion. Halic. *l.* 1. *p.* 27.

EUXINTHUS, Lebenius Leucocomæ amator, de quo vide Strab. *l.* 10. *p.* 478. Et Plutarch. *in Erotico*.

EUXINUS Pontus, *Mar Maggiore*, & *Mar. Negro*, Ferr. ſinus maris latiſſimus, Thracio & Cimmerio Boſporis interceptus, *Axenus* dictus prius, i. e. *inhoſpitalis*, propter immanitatem eorum, qui ejus maris litora incolebant: ibi enim hoſpites immolare ſolebant, & carnibus peresis, ex calvis eorum ſibi pocula conficere. Strab. *l.* 2. *p.* 124. & 125. *l.* 7. *p.* 308. 309. 319. & 320. Poſteà verò, cùm in locis maritimis Iones aliquot oppida condidiſſent, cohibito Scytharum latrocinio, receptoque Græcorum commercio, pro *Axeno Euxinus*, h. e. *hoſpitalis* appellatus eſt. Ovid. *Triſt. l.* 3. *Eleg.* 13. ultimo verſu.

> *Dum me terrarum pars pœne noviſſima* Pontis
> Euxini; *falſo nomine dictus, habet.*

Idem *l.* 4. Eleg. 4. *v.* 54.

> *Frigida me cohibent* Euxini *littora* Ponti,
> *Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.*

Idem *l.* 5. *Eleg.* 10 *v.* 13.

> *Quam tenet* Euxini *mendax cognomine littus*,
> *Et Scythici verè terra ſiniſtra freti.*

Strab. *l.* 7. ἄπλουν γὰρ εἶναι τότε τὴν θάλασσαν ταύτην, καὶ καλεῖσθαι Ἄξενον, διὰ τὸ δυσχείμερον, καὶ τὴν ἀγριότητα τῶν περιοικούντων ἐθνῶν. Luc. *in Tox.* Sol. *c.* 27. Mela *l.* 1. *c.* 19. Schol. Apoll. *l.* 2. Diod. Sic. *l.* 4. Doctiſſimus Bochart ab Hebræo *Aſkenaz* deduci putat *in Phaleg. l.* 3. *c.* 9. Nic. Lloyd. Longit. eſt 5. m. ſtad. latit. 3. ambitus 25. *Ferrar.*

EUXIPPE, filia ſecundùm quoſdam Scedaſi pauperis, Leuctris habitantis; quæ cùm à Lacedæmoniis ſive hoſpitibus ſive legatis cum ſorore *Theano* (alii *Meletiam* & *Hippo* nominant) violata eſſet, doloris impatientiâ vim vitæ intulit, priùs urbi talium hominum matri diras imprecata graviſſimas. Vide quoque Diod. *l.* 15. *p.* 486. & ſuprà in *Euxippe*.

EUZOIUS, Diaconus Alexandrinus, cum Ario, ab Ep. Alex. depoſitus. A. C. 335. ſimulatâ veræ fidei profeſſione Conſtantino oblatâ, in Eccleſiam receptus eſt: mox ab Arianis Meletio, in Antiochena ſede, ſuffectus, ſed præter eorum ſpem, Orthodoxias aſſertor, Conſtantium Imp. baptizavit, A. C. 360. Athanaſ. Joviniano dein Imp. cùm Athanaſio vellet Succeſſorem dari, turbæ in Eccl. Alexandrina exortæ. Socr. Sozom. *Theodoret.*

EWRII, in *Decretis* Stephani Regis Hung. *l.* 2. *c.* 17. & *l.* 3. *c.* 1. ſunt finium apud Hungaros cuſtodes, viarumque obſervatores, in centurias decuriaſque diviſi. Car. du Freſne *Gloſſar.*

EX. in notis antiquis, denotat, *ejus*, vel *exigitur*. EX. A. D. *ex ante diem*. EX. B. *ejus bona*. EX. B. S. *ex bonis ſuis*. EX. C. *ex conſuetudine*; *concione* vel *conditione* &c.

EXACIUM ſeu EXAGIUM, cujus creba mentio apud Anonymum *de Ponder.* Nicandro ſubiectum, ubi ἐξάγιον ..., voce contractâ ex ς, quæ ἕξ ſignificat, i. e. *ſex* & ἄγιον, licet non ab ἐξ deducatur: *certæ ponderationis genus* eſt, inquit Cujacius. Unde in *Gloſſis* Græco Latinis pro quavis penſatione ſumi-

ſumitur, & in vet. Inſcr. SUB EXAGIO PECORA VENDERE. Cujuſmodi *Exagium* Solidi, inter Honorii Aug. nummorum typos in ſuo *de Stemmat. Byzantinis opere* delineari curavit Car. du Freſne, ejuſdem Auguſti nomine, & *Exagii* appellatione inſcriptum. Quò pertinet *Novella* Theodoſii Jun. & Valentiniani de pretio Solidi: *De ponderibus quoque ut fraus penitus amputetur, à nobis aguntur* Exagia, *quæ ſub interminatione ---- ſine fraude debeant cuſtodiri* &c. Atque inde poſtmodum invaluit, ut in vocabuli pro ipſo Solidi pondere uſurpatum fuerit, quia ſolidus ſexta pars unciæ fuerit: ut apud Zonaram, ſcribentem Nicephorum Phocam Imp. monetam imminuiſſe, cùm hactenus quodvis numiſma, i. e. ſolidus aureus, *exagium* penderet, μέχρι ἐκείνου παντὸς νομίσματος ἐξαγίου σταθμὸν ἕλκοντος. Sic *Exagium* uſurpatum pro Solido, ſeu Solidi pondere: ex quo Saladin. *lib. de Ponder.* Solidum ſolo nomine differre ab *Exagio* ait, ut & poëta inferioris ævi *M. S.*

> Exagium *ſolido differt à nomine ſolo,*
> *Si ſolidum quæris, tres dragmas dimidiabis.*

Quâ proin notione paſſim occurrit, apud Conſtantin. African. Medicum, qui ſub Alexio Comneno vixit. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & *Diſſertat. de Infer. ævi Numiſm. n.* 77.

EXACTOR, publicanus, Τελώνης, Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 2. *c.* 19. Ἐξάκτωρ quoque Tzetzi *Chil. l.* 5. *c.* 17. *v.* 610. & Joh. Euchaitarum Epiſcopo,

> Μυσογράφος χθὲς ἐυγενὴς νεανίας,
> Καὶ σήμερον πάρεστιν ἐξάκτωρ νέος.

In vet. *Inſcr. Exactor tribut. civit. Gall.* &c. Vide Car. du Freſne. Sed & *Exactor*, in antiquo *Elogio*, quod Romæ extabat olim in Muſæo Carpenſi,

> SEX. POMPEIVS FAVSTVS
> SEX. POMPEI. EXACTOR.

ſervi apud Romanos nomen, cujus officium deſcribit Scævola *l* 41. *ff. de Fideicomm.* Apud Cæſares peculiaris fuit *Exactor hæreditatum, legatorum, peculiorum*, ut videre eſt ex vett. *Inſcr.* Ad hæc, *Exactor auri, argenti, æris*; in officina monetæ: *Exactor* item *operum Dominicorum.* Verùm qui ratiocinium non didiciſſet, excludebatur hoc officio, uti docet Pignor. *Comm. de Servis.* Vide quoque Popmam *de Operis Servorum*, ut & infrà in voce *Pecunia.*

EXÆTHRES Parthus, qui amputatum Craſſi caput cum dextrâ, ad magnum Regem Teridatem, detulit: ſecundùm Polyæn. *l.* 7. *in Surena.* Plutarch. vocatur *Pomaxæthres*, Appian. *Maxarthes.*

EXAFOCI, apud Anaſtaſ. *in Benedicto III. Obtulit caniſtra* exafoci *ex argento puriſſimo*: pro *exafota*, ex Gr. ἑξάφωτα, i. e. *caniſtra ſex luminibus, lucernis vel candelis inſtructa*, &c. Vide ſuprà in voce *Enafoti.*

EXAGIUM, trutina & certæ ponderationis genus, Cujac. Item ponderis nota, quæ pani imprimebatur, σταθμὸς Caſaub. *ad Sueton.* & nummis, vide ſuprà in voce *Dimicare*, item *Exacium.*

EXAGONUS, legatus Ophiogenum, qui ſunt populi in Cypro. Is cùm Romam veniſſet, ibique de herbarum viribus multa diſſereret, volens, conjectus eſt à conſulibus in dolium plenum ſerpentibus, experimenti cauſa, ubi ſerpentes ipſi non ſolùm eum non mordebant, ſed etiam linguis demulcebant. Plin. *l.* 28. *c.* 3.

EXAGRIUS, urbs Siciliæ, vide *Hexagrius.*

EXALUMINATUS Color, in margaritis maximè laudatus: verba ſunt Plin. *l.* 9. *c.* 35. *Et in candore ipſo, magna differentia. Clarior in Rubro mari repertus. Indicus ſpecularium lapidum ſquamas aſſimulat ---- Summa laus coloris eſt exaluminatos vocari.* Nempe à liquidi aluminis colore, cujus probatio in Plinio eſt, *Ut ſit limpidum lacteum, ſine offenſis fricantium, cum quodam igniculo caloris.* Quæ ſumpta ſunt ex his Dioſcoridis *l.* 5. Τῆς δὲ ὑγρᾶς τὴν μάλιστα διαφανῆ, προκριτέον καὶ γαλακτώδη, ὁμαλήν τε καὶ δι᾽ ὅλου χυλώδη, ἔτι δὲ ἀλιθον καὶ πυρώδες ἀποπνέουσαν. Quæ ultima verba ſic reddit Arabs, *Et exhalat ex eo odor igneus*, apud Bochart. *Hierozoici Part. II. p.* 690. Quæ nempe limpidi, & liquidi candoris, ſic dictæ ſunt, quas *claras* alibi Plin. idem vocat. At *exaluminatæ pelles, quæ & alutæ*, quòd verè exaluminarentur, ut candorem clarum acciperent. Cujuſmodi uſui alumen inſervire legas apud eundem: Serv. *unde & aluta pellis alba per naturam.* Imò, *per alumen*, nam *alutam* etiam *alumen* Latini dixère. Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 1166.

EXAMINATOR, nomen dignitatis apud Longobardos in *Charta* Siconis Principis, apud Car. du Freſne. Item officii, in Cancellaria Pontificia, vide ſuprà *Abbreviator.*

EXAMPEUS, vel EXAMPUS, vel AMAXAMPEUS locus, fons & fluv. in Hypanim dulciſſimum fluv. amaras ſuas aquas evomens, in Germano-Sarmatia, in Baſtarnis.

EXARCHUS, præfectus Imp. CP. in Italia. Sedes ſeu provincia, Exarchatus: cui origo à Juſtino Jun. A.C. 567. pulſus à Belliſario, & Narſete Italiâ maxima ex parte Barbaris. Ravenna caput, reliquæ urbes Bononia, Imola, Faënza, Forojulium, Ceſenna, Bobia, Ferraria & Adria. Penes hos Papas quoque eligendi poteſtas. Eutychius, Exarcha ultimus, ab Aiſtulpho, Longobardorum Rege pulſus eſt, A C. 752. ſed idem à Pipino Exarchatu exutus, qui Romanæ ſedi illum donavit: Paul. Diaconus, Blondus, Alii: è quibus Blondus delineavit nummos aliquot æreos Ravennenſes, quos Ravennæ *Exarchorum* eſſe vel certè ab iis cuſos exiſtimat ac proin Mauricianis ſubjecit, quo imperante *Exarchi* iſti maximè floruêre. In eorum pleriſque imago pectoralis effingitur feminæ, caput coronâ murali exornatæ, cum inſcr. FELIX RAVENNA. In poſtica, ejuſdem Urbis monogramma deſcribitur R. ſc. cui A. implexum eſt & E. in aliis Aquila cum alis expanſis conſpicitur Imperii Rom. inſigne. Vide Car. du Freſne *Diſſert. de Infer. Ævi Numiſmat. n.* 74. Aliàs, in genere Ἔξαρχος, *Princeps*; Ἔξαρχοι, *Proceres.* Ἔξαρχοι τῶν φρατριῶν, *Duces factionum*, apud Cedren. *Exarchus Africæ*, de Gennadio, apud Gregor. Mag. *Ep.* 59. & 72. *l.* 1. Nec ſemel *Exarchi* dicuntur Pipinus, & Carolus Martellus Majores Domus, in Chron. Fontanellenſi *c.* 2. 3. & 9. Idem nomen dignitatis militaris fuiſſe videtur in *vet. Inſcr.* apud Gruter. *p.* 287. &c. In Eccleſia *Exarchus Diœceſeos*, cujus meminit Nicolaus I. Pontif. Rom. *Ep.* 8. *ad Michaëlem Imp.* dignitas fuit Metropolitanâ minor: cujuſmodi *Exarchi* tres numerabantur ſub Patriarcha CP. viz. *Epheſinus, Cæſareenſis,* & *Heracleus*, pro Aſia nempe min. Ponto & Thracia. Sed & *Exarchus* dicebatur, miniſter Patriarchæ ejuſdem, qui decimas aliosque Eccleſiæ CP. proventus exigebat atque in Conciliis poſt Patriarcham, & ante Metropolitanos ſubſcribebat, vide Codin. *de Offic. c.* 1. *n.* 41. & infrà *Periodeuta.* In *Novella* Juſtiniani *Exarchi Monaſteriorum* occurrunt: *Exarchum Regni Burgundiæ, & ſummum Principem Conſilii ſui, & in omnibus faciendis agendiſque ſuis præcipuum*, Heraclium Archiep. Lugdun. inſtituit Fridericus Imp. *Bullâ* ſuâ aur. A.C. 1157. &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macros *Hierolex.* Quo ſenſu Petrum Apoſt. Ἔξαρχον vocent Patres, videbimus infrà in *Prælocutor.* ubi de *Exarchi* munere apud Salios Romanorum in voce *Saliatus.*

Catalogus Exarchorum Ravennenſium.

Longinus, præfuit Ann. 16.	Iſaacus Patricius.
Smaragdus, miſſus à Mauritio Imp. A. C. 583.	Theodorus Calliopa.
Romanus, ab eodem A. C. 588.	Olympius.
Callinicus, ſimiliter A. C. 598. quo ab Imp. revocato, Smaragdus iterum eam dignitatem tenuit, ab A. C. 602.	Theodorus Calliopa iterum.
Joh. Lemigius, à Phoca, illi ſuffectus eſt, A. C. 610.	Theodorus.
Eleutherius, ab Heraclio miſſus eſt, A. C. 615. Poſt quem præfuêre,	Johannes Platon.
	Theophylactus.
	Johannes Tizocop.
	Scholaſticus.
	Paulus Patricius.
	Eutychius Patricius, ab Aiſtulpho Longobard. Rege pulſus A. C. 752. Vide Sabelicum *Ennead.* 8. Calviſ. *Chronolog.* Alios.

EXAUDI Chriſte, inter Vett. acclamationes, vide ſuprà.

EXAUDO, villa Galliæ in Lemovicibus in literis Caroli Calvi memorata, unde vicinæ valli nomen, vulgò *Iſſaudon.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

EXCÆCANDI olim hodieque mos, frequens fuit. Et quidem de ea *excæcandi* ratione, quæ fiebat per μύδρον ſeu *ferrum candens*, affatim diximus, in voce *Abacinare*: ſed & aliæ occurrunt non paucæ. Apud S. Auguſtin. *l.* 3. *c. Creſconium c.* 42. Circumcelliones Donatiſtæ, *novo & inaudito ſceleris genere, oculis calcem aceto permixtam infundentes, & infercientes*, eorum lumen extinguebant. Quemadmodum reos olim Perſæ infuſo oculis aceto fervido, viſu privati leguntur, apud Procop. *Perſic. l.* 1. *c.* 6. & de Græcis Byzantinis idem habet Laonicus *l.* 1. *p.* 23. Interdum chordâ ad frontem circumductâ oculi eruebantur. Anonymus Valeſianus de Conſtantino Mag. *Qui acceptâ chordâ in fronte diutiſſimè tortus, ita ut oculi ejus crepарent.* Unde *crever les yeux*, Gallis loquendi familiaris formula. Vide iterum Procop. *Hiſt. arcan. c.* 6. *extr. Chronicon.* CP. laudatum ab Alemanno, & Meurſ. in Κόρδα. Denique Pachymeres ait erutos oculos τοῖς προσυχοῦσι πασσάλοις, *paxillis obviis*, *l.* 5. *c.* 30. & ſcalpello percuſſos oculos, habet *Chronicon* Sublacenſe, *ſub* A. C. 1003. Vide quoque infra *Fibula.* Jam verò receptam inter pœnas in reos decretas, *Excæcationem* fuiſſe, Vett. & Recentiores teſtantur. In Oriente Principes inprimis hoc ſupplicii genere in conſanguineos proximosque ſuſpectos ſæviunt &c. Sed & ex Mahometanis illos, qui Pſeudoprophetæ ſepulchrum inſpiciunt, ſe ipſos *excæcare*, eo quòd nihil in poſterum dignum à ſe conſpici poſſe exiſtiment, dicemus infrà in voce *Methymna Talnabi.* De excæcatione columbarum allectatricium. Vide ſuprà uti de gruum olorumque, cùm impinguantur infrà in voce *Grues.*

EXCALCEATI, vide infrà *Nudipedes*, it. *Nudipedalia*, & *Solea.*

EXCALDATIONES, apud Capitolin. *Lavacra muliebria* ſunt, apud Lamprid. *in Alex. aqua muliebris*, apud Vopiſc. *in Carino*: quibus rarò utebantur Viri, à luxuria alieni, interdum tamen. Lamprid. de Alex. *Unctus lavabatur, ita ut vel nunquam caldariis, vel nunquam piſcina ſemper uteretur.* Atque hæc ſunt balnea, quæ *Cod. l.* 1. vetantur ab hoſpitibus ſuis exigere, vel præcipui belli Duces, nedum caligati militis. Chryſoſtomus *in l. ad Tim.* Στρατιώτης λουτροῖς θεάτροις προσταινέχων καὶ πραγματείαις, καθάπερ τις λεπτοτάτης νεό... Ubi vox λουτρὰ non de quibuſvis lavacris, ſed *de excaldationibus*, accipienda. Vide Caſaub. *ad Vulcat. Gallican. in Avidio Caſſio*, & infrà in voce *Teſtudo.*

EXCALFURNIUM, vulgò *Eſchaufour*, opp. Galliæ, in Lexoviis, Orderico Vitali *Hiſt. l.* 2. memoratum, apud Eund.

EXCELLENTIA, titulus Principum, atque adeò Impp. apud Anaſtaſ *in Hadr.* &c.

EXCELSA, in quibus Iſraëlitæ idolis ſuis ſacra fecêre, hanc habuêre originem. Antiquitus Gentiles, non ſolùm nulla habuêre templa, in quibus ſacra peragerent, ſed nec extruere illa licitum eſſe credebant: quod enim Soli, quem pro Deorum ſummum habere, capiendo ſufficiens eſſet domicilium? Unde dicere ſoliti: *Mundus univerſus eſt Templum Solis*, Alex. ab Alexandro *l.* 2. *c.* 12. Poſtea cùm templorum increbuit uſus, non pauca tamen illorum intecta man-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

manſêre, ὕπαιθρα Græcis vide infrà dicta, qualia Terminus aliiq́ue miſerorum hominum Dii habebant. Unde non alius ſacris iis viſus ſemper eſt convenientior locus, quàm colles monteſque, quos Numinibus ſuis conſecratum ivêre; anguſtiis enim Templorum Fanorumq́ue Divinitatem conſtringi non poſſe vel ipſi viderant. Hinc itaque Mercurius *Cyllenius*, Venus *Erycina*, Jupiter *Capitolinus*, alii aliter, ab excelſis hiſce locis cognominare cœpêre. Hæc deinlucis cuiq́ue Deorum dicatâ arbore refertis, exornari ſunt conati. Virg. *Ecloga* 7. *v.* 61.

> *Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Jaccho,*
> *Formoſæ myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo* &c.

A Gentibus tranſiit conſuetudo ad Iſraëlitas, qui ſub Othniele, & Ehude Judicibus, à vero Deo ad Idola primùm ſe convertêrunt. Judic. *c.* 3. *v.* 7. *Quum itaque facerent filii Iſraëlis quod malum videtur in oculis Jehovæ, obliti Jehovæ Dei ſui, colerentque Bahalimos & idola lucorum.* Quæ idololatria ſequentibus temporibus tantùm cepit incrementi, ut peculiare inſtitueretur collegium Sacerdotum, qui *Prophetæ luci* dicti ſunt, 1. Regum *c.* 18. *v.* 19. ubi quadringenti eorum fuiſſe leguntur: Et peculiaria haberent Idola lucorum, ut patet ex 2. Chron *c.* 15. *v.* 16. ubi Mahaca, avia Aſæ Rex *cum luco horrendam ſtatuam feciſſe* memoratur. Dum, quemadmodum Chriſtianorum quidam Sanctis ſua Templa dedicant, Petro, Paulo, Andreæ &c. cuique Numini peculiarem conſecrarunt lucum. Unde apud Romanos quoq́ue Diana modò *Nemorenſis*, modò *Arduenna*, modo *Albunea* appellata eſt, ab *Excelſis*, ubi luci ei ſacri fuêre. Imò non nomina ſolùm ab his accepêre, ſed etiam aliquando Luci appellati ipſi leguntur. Sic Joſias Rex 2 Reg. *c.* 23. *v.* 6. *Exportaſſe lucum e domo Jehovæ* dicitur, i e. Idolum, cui luci fortè figura inſculpta erat: quemadmodum argentea ſimulacra templi Dianæ, à Demetrio fabricata, *templa Dianæ* appellantur, Act. *c.* 19. *v.* 24. Duravit autem Idololatria hæc, uſque ad tempora præfati Joſiæ: quamvis enim Hiskia Rex 2. Reg *c.* 18. *v.* 4. *amovit Excelſa, fregit ſtatuas, & excidit lucum*, hæc omnia tamen *rurſus ædificavit* Manaſſes fil. ejus *ejuſdem libri c.* 21. *v.* 3. *ac fecit lucum, quemadmodum fecerat Achab Rex Iſraelis.* Donec ejus ex filio Ammone nepos Joſias *Excelſa polluit, & confractis ſtatuis ac ſuccisis lucis eorum, implevit loca eorum oſſibus hominum*, *c.* 23. *v.* 5. 6. 8. 13. 14. & 15. circa A M. 3322. A. C. N. 626. poſtquam duraſſent An. circiter 802. Vide Thom Godwin. *de ritibus Hebræor. l.* 2. *c.* 4. Helvicum *Chronolog.* &c.

EXCEPTIO Principum, vide infrà *Ingredi Regnum.*

EXCEPTOR, in vet. *Inſcr. Exceptor Præſidis Provinciæ*, Notarius eſt, Amanuenſis, qui acta Judiciorum deſcribit Judicisq́ue *excipit* ſententiam. Hinc *Primicerius Exceptorum*, primus Exceptorum cujus dignitatis formulam exhibet Senator *l.* 11. *for.* 25. Collegium eorum *Schola Exceptorum* dicebatur. Apud Julianum Anteceſſorem, *Publicorum vectigalium Exceptores*, Ἐκλήπτορες ſunt Græcis. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macros Fratres *Hierolexico.* Memoria eorum & in alia vet. *Inſcr.* Romæ ſervatur, factâ in honorem Quinti Herennii Etruſci Cæſaris Conſulis, & Principis Juventutis, filii Trajani Decii Imp. ab *Argentariis, & Exceptoribus itemque Negotiantibus vini Supernatis, & Ariminenſis*, apud Jac. Spon. *Itin. Parte* 3. *p.* 38. ubi eos exponit *Nummularios* ſeu *Trapezitas.* Vide quoq́ue ſuprà, ubi de munere *Abbreviatorum*, in Aula Pontif. it. *Corniculariorum*, & infrà in voce *Logothetæ*.

EXCESTRIENSIS Gualterus, vide *Gualterus.*

EXCESTRIENSIS Joſephus, vide *Joſephus.*

EXCETRA, dicta eſt Hydra ſerpens. Plaut. *in Perſa*, Act. 1. *ſc.* 1. *v.* 3.

> *Nam cum leone, & cùm* Excetra, *cum cervo, cum apro Ætolico,*
> *Cum avibus Stymphalicis, cum Antæo deluctari mavelim.*

Vide *Hydra.*

EXCIONITA, vide infrà *Stylita.*

EXCIPINIUS, Macedo, admodum juvenis; ætatis flore, conciliatus Alexandro: qui cùm ſpecie corporis æquaret Hephæſtionem, lepore haud ſanè illi par erat. Curt. *l.* 7. *c.* 9.

EXCISIO, Hebr. כרת ſive *Gehenna*, pœnæ genus eſt in Sacris memoratum, quod non à Deo per homines, ſed immediatè, gravioribus quibuſdem peccatoribus olim irrogabatur. Enumerant autem Hebræi è Sermone ſacro delicta XXXVI. quorum ſcienter, & ultro commiſſorum nullum eſſe dicunt, quod non *Exciſione* puniendum ſit: hancq́ue faciunt triplicem, *quâ vix. Corpus tantum, quâ Anima tantum, & quâ utrumque excidatur*: è quibus mediam cum Platonicis ſtatuunt, in quorum Philoſophia memorantur ψυχαὶ καθαιρούμεναι, *Animæ ſublatæ* ſeu *extinctæ*: Proclus *in Theolog. Platonic. l.* 6. *c.* 10. poſtremam cum Valentinianis, in quorum dogmatis dicitur, τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος μὴ ὑλικὸν, *ordinem hominum materialem*, ἀπολλυσθ' ἅμα σὺν ψυχῇ καὶ σώματι, *ſimul cum anima, & corpore perire.* Et quidem primi generis ajunt pœnam eſſe præmaturæ mortis, de qua Pſalm. 55. *v.* 24. eamq́ue volunt deſignari in S. Literis, ubi dicitur, *Excidetur homo ille e medio populi ſui*: quæ phraſis ſexies occurrit in lege, totidem peccatis pœnam interminans, ut infrà videbitur. Generis ſecundi *Exciſionis* pœnam vigeſies ſepties, ad ſcelerum, quibus diſertè præſcribitur, numerum, haberi in Lege obſervant. Tertium verò genus ter memorati, dicunt, pro ternario peccatorum, quibus illa pœna infligenda, numero, & exprimi verbis hiſce, *Excidendo excidetur anima illa, iniquitas ejus ſuper eam*, Num. *c.* 15. *v.* 31. ſicut ſecundi generis pœnam Levitic. *c.* 18. *v.* 29. *Et exſcindentur animæ ſic facientes de medio populi ſui.* Adeò ut ex ſecundo genere, ipſam planè velint eſſe deſinere, Animam, corpore ante tempus ſuum moriendi aliàs naturale, minimè ſublato; ex genere verò tertio, tam vitam ante tempus aliàs naturalem cœlitus præripi, quàm animam ampliùs non omninò eſſe: atque inde, pro juſtitiæ ſeu iniquitatis modo, ſive immortalem, ſive mortalem animam pronuntiant: de qua ſententia quid ſtatuendum, notum. Vide Joh. Selden. *de Jure Nat. ac Gent. juxta diſcipl. Hebræor. l.* 7. *c.* 9. & 10. nec non infrà, *Pœna exciſionis.*

Delicta XXXVI. quibus Exciſio in ſacris literis infligenda traditur.

I. Qui conſuluerit Ob Iideoni, Levit. *c.* 20. *v.* 6.
II. Qui mactaverit extra, Levit. *c.* 17. *v.* 4.
III. Qui obtulerit extra. *Ibid. v.* 9.
IV. Qui oleum confecerit, contra Exodi *c.* 30. *v.* 33.
V. Qui confecerit ſuffimentum contra I., *Ib. v.* 38.
VI. Qui oleum unctionis effuderit, *Ib. v.* 33.
Sequuntur XV. concubitus inceſti, de quibus vide Levit. *c.* 1. & 10.
XXII. Qui profanat Sabbatum, Exod. *c.* 31. *v.* 4.
XXIII. Immundus, qui ſanctum comederit, Levit. *c.* 7. *v.* 20.
XXIV. Qui in Templum ingreditur immundus, Num. *c.* 19. *v.* 13.
XXV. Qui comedit adipem, Levit. *c.* 7. *v.* 25.
XXVI. Qui comedit ſanguinem *Ib. v.* 27.
XXVII. Qui comederit ſacrificii reſiduum die tertio, *Ib. c.* 19. *v.* 6.
XXVIII. Qui comederit reſiduum ſacrificii, extra locum ſuum, *Ib. v.* 7.
XXIX. Qui comederit fermentum in Paſchate.
XXX. Qui comederit quid in die Expiationum, Levit. *c.* 23. *v.* 29.
XXXI. Qui opus aliquod fecerit die Expiationum, *Ib v.* 30.
XXXII. Qui Paſcha non obſervaverit, Num. *c.* 19. *v.* 13.
XXXIII. Maſculus, qui minimè fuerit circumciſus, Geneſ. *c.* 17. *v.* 14.
XXXIV. Blaſphemus, Num. *c.* 15. *v.* 30. & 31.
XXXV. Cultûs extranei ſeu idololatriæ reus, *Ib.*
XXXVI. Qui ex ſemine ſuo dederit Molocho, Levit. *c.* 18. *v.* 21. & *c.* 20. *v.* 5. In quibus 36. criminibus quos gradus *Exciſionis faciant* Hebræi, ſuprà vidimus.

EXCISUM, Galliæ Lugd. urbs Anton. vulgò *Eixſe*, vel *Eiſſe*, in Nitiobrigibus eſt, inter quod, & fines ponitur Aginnum, in *Itin. Æthici* Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* in voce *Nitiobriges.*

EXCITANS, nomen avis apud Scriptores Arabes, de qua vide infrà in voce *Muſſatur.*

EXCITARE, propriè ex ſede ſua *citare* ac movere eſt. Mart. de illo, qui ab Equeſtribus ſurgere juſſus eſt, *l.* 5. *Epigr.* 14. cujus epigraphe de Manneio.

> *Bis* excitatus *terque tranſtulit caſtra.*

Hinc *excitare leporem*, in re Venatoria, canes dicuntur, quem de cubili ſuo ac fruticeto exire faciunt. Quod idem & *ſuſcitare*, apud Mart. *l.* 5. Epigr. 36. cujus epigraphe de Euclide.

> *Et ſuſcitanti Lectio reluctatur.*

Inde oppida muri, *excitari* dicti, & quidquid è ſolo in altum ædificatur, & attollitur. Glebæ etiam; quæ aratro proſciſſæ levantur &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 984. Apud Iſiacos Myſtas *Excitatio*, vox ſacra, idem quod ſalutatio fuit. Hi enim bis in die Iſidi laudes dicere ſoliti; primâ horâ, quâ Templum aperiebant (unde *Apertio* hic ritus) Deam ſuam ſalutabant, quod *Salutationem*, item *Excitationem*, dixêre. Poſt totum diem ſtipe emendicatâ, inde ad octavam reduces, Deam componebant, eodemq́ue defuncti ritu, ædem claudebant. Raderus *ad Mart. l.* 10. *Epigr.* 48. Quod aliis quoq́ue Diis factum refert, ridetq́ue Arnob. *adverſus Gentes l.* 7. *Quid ſibi volunt* excitationes *illæ, quas canitis matutini collatis ad tibiam vocibus, obdormiſcunt enim Superi remeare ut ad vigilias debeant? quid dormitiones, illæ, quibus, bene ut valeant, auſpicabili ſalutatione mandatis? Somni enim quiete ſolvuntur occuparique ut hoc poſſint lenes audiendæ ſunt næniæ.* Ubi *domitiones*, pro *dormitiones*, Stewechius ſubſtituit: refertq́ue Gelenius ad ipſos, qui veſperi Diis valedicerent, *Electis ad II.* Morem ipſe Seneca reprehendit *Ep.* 95. *Vitemus ſalutationibus matutinis fungi, & foribus aſſidere templorum: humana ambitio iſtis officiis carpitur. Deum colit, qui novit.* Vide Joſ. Scaliger. *ad Tibull. l.* 1. *p.* 133. & Briſſon. *de Formulis p.* 34.

EXCITATUS Color, idem cum *vegeto, vivido, claro, acuto*, quem Græci ὀξὺν vocant, & *aſtricto, preſſo, nigricanti, ſaturo*, καταχορεῖ, opponitur: qui tamen colores, licèt in gradu colorum invicem opponantur, in eodem tamen ſimul poſſunt eſſe, ſed diverſo reſpectu. Tyria enim purpura nigrior, &, adſtrictior adſpicientibus apparebat; ſuſpicientibus autem *excitatiſſimum* nitorem ac lumen affulgebat. At *excitatus* & dilutus, ut nec adſtrictus, & dilutus, ſimul eſſe nequeunt, nec in uno morari: unde conchylium neutrum horum habebant. Imò & Latini *preſſum ſaturumque* de clariſſimis, & excitatiſſimis coloribus nonnunquam uſurparunt, intenſiſſimum quemq́ue in ſua ſpecie colorem, & qui diluto pallidoq́ue maximè contrarius eſſet, ita vocantes, vide Salmaſ. *ad Tertull. de Pallio c.* 3. ubi etiam antiquos preſſiores, & fuſciores purpuras magis probaſſe; at recentioribus claras, & *excitatas* potiùs placuiſſe addit.

EXCOMMUNICATIO, in Eccleſia Iſraëlitica, tribus olim conſtabat gradibus. Quorum primus in Nov. Teſt. dictus eſt, *Ejectio è Synagoga*, Joh. *c.* 9. *v.* 22. Judæis *Niddui*, i e. *ſeparatio*, vel *ejectio*, aut *elongatio*: Taliter enim excommunicatus ab omni commercio hominum ſpatio quatuor cubitorum elongare ſe tenebatur, neque edendo aut bibendo, dormiendo, lavando aut alia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

iſtiuſmodi agendo propiùs ad ullum mortalium accédere, per triginta dies: niſi interea egiſſet pœnitentiam. Interim poterat intereſſe ſacris, docere alios vel diſcere ab aliis: licebat ipſi quoque ſervos conducere, aliiſque miniſtrare. Quòd ſi in impœnitentia perſeveraſſet, numerus dierum ſeparationis duplicatus vel triplicatus, aliquando ad mortem uſque extenſus eſt: neque maſculi ejus ad Circumciſionem admiſſi ſunt priùs, quàm reſipiſcentiæ edidiſſet ſigna. Quòd ſi ex hac vita diſceſſiſſet impœnitens, feretro lapis appendi volebat, ut indicaretur, lapidatione hunc hominem dignum fuiſſe, proinde neque ſolenni ritu defunctum lugebant, aut exequias comitabantur; imò ne quidem majorum tumulis illatus is eſt, ſed proprio in loco recondebatur. Alter gradus, vocatur in Nov. Teſt. *Traditio Satanæ*, 1. *Cor. c.* 5. *v.* 5. Judæis חרם *Cherem* eſt appellatus: non eo ſenſu, quo vox hæc in Vet. Teſt. variis in locis venit. Ibi enim modò res, modò perſonas devotas Deo, & ſic à communi uſu ſeparatas denotare, patet ex Levit. *c.* 27. *v.* 29. Joſuæ *c.* 7: *v.* 11. &c. quarum ille ἀναθήματα, hæ ἀναθέματα, Græcis dicebantur: Aliud verò Apoſtolorum tempore ſignificabat. Iſtiuſmodi *Excommunicationis* ſpecies vel gradus, priori gravior, publicè exercebatur, in facie totius Eccleſiæ, addebanturque diræ ex lege Moſis: quæ dum publicè recitabantur, ardebant candelæ: iis autem finitis, extinguebantur: quo ſignificatum, hominem illum cœleſti ſic luce privatum eſſe. Fulmen hoc evibratum deprehendimus, in eum qui inceſtum commiſerat in Eccleſia Corinthiaca, 1. Cor. *c.* 5. *v.* 5. item in Hymenæum & Alexandrum, qui naufragium fidei fecere, 1. Tim. *c.* 1. *v.* 20. Tertius & graviſſimus gradus, in Nov. Teſt. Syriacâ dialecto *Maranatha*, 1. Cor. *c.* 16. *v.* 22. i. e. *Dominus venit*: Judæis שמתא *Schammatha*, dictus eſt: quæ vox quibuſdam idem denotat quòd Μαρὰν ἀθα ſeu *Maranatha*: aliis ſignificat, *Hic eſt mors*, unde hic Excommunicationis gradus, *Excommunicatio ad mortem* dicatur; & forte hinc origo phraſi, quâ Joh. utitur, 1. *Ep. c.* 5. *v.* 16. cùm ait: *Eſt peccatum ad mortem*, i. e. dignum anathemate ſeu ultimo & graviſſimo *Excommunicationis* gradu. Cujus auctorem Enochum quidam faciunt, occaſione verborum Judæ Ap. *v.* 11. Aliud quoddam *Excommunicationis* genus, quod omnes tres prædictos grados complexum fuiſſe videtur, inter Sadducæos in uſu erat, dictum: *Excommunicatio in ſecreto nominis Tetragrammati*; quo fulmine ipſi Samaritanos ferire ſunt ſoliti hoc modo: *Congregatis in Templo omnibus, treccnti Sacerdotes cum totidem tubis, libris legis ac pueris; præſto adſtantes, tubis inflabant: tum Levitæ cantando omnibus tribus Excommunicationis generibus execrabantur Samaritanos, in myſterio nominis Jehovæ & in Decalogo; nec non maledictionibus ſuperioris atque inferioris domus Judicii illos devovebant, ut neque panem cum illis ulli Iſraëlitæ edere, neque ulli Samaritano proſelyto eſſe liceret, neque ullam in reſurrectione quiſquam eorum haberet partem.* Quam formulam Rabbi Gerſom etiam adhiberi voluit, erga eos, qui literas, inſciis invitiſque ad quos pertinebant, reſignaſſent. Vide Druſium *de* 9. *ſect. l.* 3. *c.* 11. *ex Ilmedem*, Buxtorfium *Ep. Hebr. p.* 59. &c. In Græca Eccleſia, quatuor cenſuræ iſtiuſmodi gradus erant. Primus Σύστασις, cùm a S. Cœnæ participatione peccatores remoti, in cæteris æquâ cum reliquis libertate fruebantur, ingrediendo templa, audiendo verbum Dei, etiam ſpectando fideles ad ſacram σύναξιν accedentes: & hi *Stantes* propterea, ab adſtando & ſpectando dicebantur. Secundus Ὑπόπτωσις: cùm hac cenſura notatus aditu quidem Templi non prohibitus, ſed pone ſuggeſtum conſiſtens, cum Catechumenis tenebantur egredi. (Erant autem Catechumeni, pagani ad Chriſtianiſmum perducti, ſed baptiſmo adhuc carentes adeoque nondum in Eccleſiæ ſinum, plenè recepti: His locus peculiaris in Templo, poſt Chorum, aſſignatus erat, qui & ipſe *Catechumenum* dictus eſt, teſte Hoſpiniano *de Templis p.* 88.) Hi itaque neque ipſi ſacræ Cœnæ participes fiebant, neque aliis participantibus adſtare illis licebat, ſed auditis verbis: *Ite, Miſſa eſt*; cum Catechumenis exire cogebantur: Et quamvis non prohibebantur ὑποπίπτειν, *in genua procidere*, ſicque precibus ſuis defungi, tamen non in ipſo cœtu, ſed in loco illo Catechumenis deſtinato, id facere oportebat; *Succumbentes* à geſtu hoc dicti. Tertius Ἀκρόασις: cùm ipſum Templum ingredi fas non erat, ſed is, in quem cenſura ſtricta erat, in veſtibulo ſolùm, eminus Dei verbum audire jubebatur: à communione precum & S. Cœnæ excluſus. Et hi *Audientes* nuncupati ſunt. Quartus & poſtremus Πρόσκλαυσις dicebatur: cùm peccatores foris, extra Templum, conſtituti, ingredientes cum lachrymis precabantur, ut pro ſe Deum rogare non ceſſarent, *Plorantes* hinc nominati. Talis Ecebolius Philoſophus Apoſtata fuiſſe legitur, qui ad portas Templi projectus clamavit: *Calcate me ſal inſipidum*, circa A. C. 367. apud Socrat. *Hiſt. Eccl. l.* 3. *c.* 11. Hos ritus Eccleſia poſtea Latina à Græca mutuata eſt, ſed utriuſque origo ab Hebræorum conſuetudine meritò arceſſitur. Et triplices illius apud Iſraëlitas *Excommunicationis* occaſio fortè non malè deſumitur, à tribus impuritatis gradibus: quorum primus excludens ſolùm à Caſtris Dei, reſpondebat gradui Excommunicationis *Nidduî* dicto Secundus à Caſtris Dei ſimul, & Levitarum, gradui *Cherem* appellato: Tertius verò cùm e. g. ob lepram quis à Caſtris Dei, Levitarum, & Iſraëlitarum, faceſſere jubebatur, referebat gradum Excommunicationis ultimum, *Schammata* dictum. Vide P. Fagium *in Num. c.* 5. *v.* 2. Thom. Godwin. *de ritibus Hebr. l.* 5. *c.* 2. &c. Adde Franc. Burmann. *Synopſi Relig. Chriſt. Part. poſter. l.* VIII. *c.* 5. §. 13. ubi paulo aliter de *Excommunicatione* apud Hebræos, ejuſque gradibus diſſerit; ut & quæ hîc habemus paſſim, in vocibus *Anathema*, *Maranatha* &c. Recentiori ævo *Excommunicati*, tenebantur intra annum abſolutionem ab Epp. impetrare, & Eccleſiæ ſatisfacere, quod ni facerent, à Judicibus ſecularibus ad id adigebantur, uti docet Car. du Freſne ex *Edicto* S. Ludovici A. C. 1228. Interdum etiam ad abſolutionem petendam à Judicibus Regiis ſub carceris pœna cogebantur, ut idem oſtendit *Not. ad Joinvillam*. In Anglia ad id tenebantur intra 40 dies, quibus elapſis Ordinarius Cancellarium Regni de ea re certum faciebat, qui continuò ad Vicecomitem mittebat *breve*, quod *de Excommunicando capiendo* dicebatur, vi cujus excommunicatum in vincula compingebat. Quòd ſi ſic Eccleſiæ ſatisfeciſſet, tunc aliud breve ad Vicecomitem mittebatur, quod *de Excommunicato deliberando* vocabatur. Si verò poſt dictos dies Barones vel alii contumaces manſiſſent, eorum ſubditi ab illorum fidelitate abſolvebantur, & terra eorum interdicto ſupponebatur, feudaque in manus ſuperioris Domini tranſibant, quouſque injuriam paſſis, & Eccleſiæ ab iiſdem fuiſſet factum ſatis, uti pluribus docet idem Car. du Freſne *Gloſſar.* In *Excommunicatione* autem mortuorum corpora in plateis aut agris inſepulta relinquebantur; ac, ne fœtor nares aut ſpectaculi horror mentes hominum offenderet, illa ut plurimum humo injectâ aut tumultuariâ lapidum congerie operiebantur, quod *imblocare* dicebant Gallo-Belgæ, quibus *bloc* eſt tumulus quidam altior, uti habet Lambertus Ardenſis, de Arnoldo Ardeæ Dom. *p.* 173. Vide quoque Rudolphum Mon. in *Vita S.* Liobæ Abbatiſſæ *c.* 3. & 4. aliosque laudatos Carolo du Freſne in voce *imblocatus*. Quin & ea invaluit opinio, *Excommunicatorum* cadavera in cineres non abire, neque reſolvi poſſe, ſed in horrendum poſteris exemplum indiſſolubili membrorum compage integra in omnia ſecula perdurare: apud Græcos præſertim, uti refert Goarus *ad Euchol. Græc.* Leo Allatius *Ep.* ad Paulum Zacchiam, Chriſtoph. Angelus *de Hodierno Græcorum ſtat. c.* 25. & Franc. Richardus *de ... S. Erini c.* 15. *extremo* &c. Simile quid *Excommunicationi* apud Athenienſes *Execratio* erat, vide ibi ut & aliquid infra ubi de *Remotione ab ... ...*.

EXCORIATIO Victimarum, inter ritus ſacrificales, memoratur Levit. *c.* 1. *v.* 6. *Et nudabit pelle holocauſtum*: poſt jugulationem nempe. Ut *Il.* α.

--- κὴ ἔσφαξαν κὴ ἔδειραν,

Et jugularunt & excoriarunt.

Vide quoque Apollon. *Argon. l.* 1. Dion. Halicarn. *l.* 7. *p.* 479. Quod tamen in holocauſtis non ſemper eſt obſervatum, apud Gentiles, ut de tauro Bubroſti Deæ oblato docet Plutarch. Vide quoque Lucian. *de Sacrificiis.* Sed & apud Hebræos, in ſacrificiis pro peccato, pellis unà cùm carne cremabatur, extra caſtra, Exod. *c.* 29. *v.* 14. ut & pellis vaccæ rufæ, Num. *c.* 19. *v.* 5. At holocauſti pellem ſervari Deus voluit, & Sacerdoti dari, Levit. *c.* 7. *v.* 8. Erat autem victimas *excoriare* Sacerdotum munus; ita tamen, ut Levitæ iis adeſſent; ſi res exigeret, 2. Paral. *c.* 29. *v.* 34. & *c.* 35. *v.* 11. &c. Vide Sam. Bochart. *Hierozoic. Part. prior. l.* 2. *c.* 33. atque infrà ubi de *Pelle & Sacrificio*. Inde ad cruciatus hominum tranſlatus ritus, Tyrannorum immanitati; qui vel totos quandoque pelle nudabant, quod hodièque apud Turcas in uſu, vel partem corporis detrahentes, partem cutis relinquebant. Sic caput Tharaci excoriari juſſit Numerius Max. in *Paſſione* ejus; alii aliquando manus martyrorum, nonnunquam terga, interdum faciei partem inter frontem & barbam excoriabant, uti diſcimus ex Theodoreto *Hiſt. Eccleſ. l.* 5. *c.* 38. Antiquitatem ſupplicii loquitur fabula de Marſya; de quo ſuo loco. Vide Caſp. Barthium *Animadverſ. ad Pap. Stat. Theb. l.* 5. *v.* 597. ut & infrà aliquid in voce *Scythæ*.

EXCREARE, in Templis, aut mungere, olim nefas. Arrian. *in Epicteto l.* 4. *c.* 11. [Greek text illegible] Quod cùm imitarentur Hiſtriones, eandem Theatro, tanquam Templo, reverentiam præſtantes: hinc de Nerone Suet. *in certando*, inquit, *ita legi obedivit, ut nunquam excreare auſus, ſudorem quoque frontis brachio detergeret*, c. 24. Vide Caſaub. *ad l.* & ſuprà, *Cœnobium*, *Convivia* it. infrà ...

EXCREMENTA Quadrupedum, licèt ſpurca illa, imò pleraque ſuis, humano generi, divinâ benignitate, non nihil utilitatis præbent. Quippe, licèt ipſa ciborum ſint retrimenta, agriculturæ tamen beneficio, proſunt nobis ad novum alimentum, ſine quo durare vita nequit. Tum verò hoc non exiguum divinæ ſapientiæ ac bonitatis erga nos argumentum eſt, quòd, etſi vix aliud excrementis fœdius ac fœtidius eſſe ſoleat, quibuſdam tamen gratiſſimum indiderit odorem, quo cerebrum ac ſpiritus animales recrearent. Ita moſchum redolent excrementa animalis ex muſtelarum genere, quod *martem* vocant, & in Sarmatia imprimis frequens eſt. Optimumque odoramentum eſt ex ſudore (qui & inter excrementa) cati Zibethici, quod ex Guinea adfertur. Gerhard. Joh. Voſſ. *de Orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 72. Sed & lapidem *Bezoar*, in excrementis animalis cujuſdam Indici, è caprarum genere, reperiri tradit Joh. Bapt. Tavern. *tr. de commercio Ind. Orient.* vide quoque infrà *Fucus*. Illud verò undiquaque fœdum, quòd idem in Regno Boutan tantam erga Regem ſubditorum venerationem eſſe refert, ut etiam quæ is quotidiè excernit, illi ſolicitè colligant, exſiccent, in pulverem comminuant, atque vaſculis pretioſis incluſum ſecum circumferant, ut eo, quoties lubet, velut tabaci pulvere, per naribus hauſto cerebri pituitam expurgent, aut etiam cibos condiant, vide cum *Itin. Ind.* ubi de *Regno hoc*, & infrà in phraſi *Tegere pedes*.

EXCRUCIATOS necandi Vett. mos, vide infrà *Tormentum*.

EXCUBIÆ, antiquitus inſtitutæ erant incendiis arcendis: Unde Paulus JC. *L.* 1. *ff. de offic. Præfecti vigil.* *Apud vetuſtiores*, inquit, *incendiis arcendis Triumviri præerant, qui ab eo, quod excubias agebant, Nocturni dicti ſunt.* Item civitati ab inſidiis tutandæ. Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 159.

--- *Vigilum excubiis obſidere portas.*

cujus rei imago extat, apud Suet. *Aug. c.* 23. *Hac, nempe, Variana clade, nuntiatâ, Excubias per urbem indixit, ne quis tumultus exiſteret.* Vide quoque Artemid. *Oneirocrit. l.* 3. *c.* 62. & ſuprà ubi de ...

Circuitionibus Equitum, infrà in voce *Vigil*, alibique paſſim. Poſteà quod bono civitatis fovendo antiquitus inſtitutum fuerat, in uſum ſuum vertêrunt mali Principes, & ſatellites ſuos ſeu ſtipatores, quorum miniſterio tyrannidem ſtabilitum ibant, nomine hoc inſignire cœpêrunt. Idque non modò in Occid. aut Romano Imperio, verum etiam in Orient. ſeu Byzantino Imperio. Unde Ἡμεροβίγλιον, *diurnæ vigiliæ*, apud Curopalat. *l. de Offic. Conſtant.* p. 85. & rectè: Nam *vigiliæ nocturnæ*, *excubiæ diurnæ*, Iſid. Hiſpal. *Etymol. l.* 3. *c.* 3. Sic Aurel. Caſſiod. *l.* 11. *ep.* 19. *Tyrannorum excubiæ.* Claud. *de* 4. *Honor. Conſul.* v. 281.

Non ſic Excubiæ, *nec circumſtantia pila,*
Quam tutatur amor.

Apud Græcos quoque idem factitatum eſſe, perſpicuum eſt ex Xenoph. *Pæd. l.* 4. qui idem *l.* 7. *Exped.* Cyri νυκτοφυλάκων meminit: Ubi Leunclavius *nocturnas Excubias*, meliùs Dempſt. *vigilias* vertit &c. Spartani verò trium filiorum patrem ab *Excubiarum* onere liberabant, vide infrà *Vir.* Pulſabant autem noctu *Excubitores* iſti nolam, cui reſpondere neceſſe erat, annotante Hadr. Junio. vide infrà *Nola* Sorteque ducebantur, Val. Flacc. *Argon.*

Excubiis *ſortita manus.*

Utque privatorum foribus janitores, ſervi oſtiarii aut canes appoſiti, ita Principum veſtibula vigiles *Excubitoreſque* inſidebant, vide infrà *Janua*. Propertius ad privatam matronarum cuſtodiam ritum deduxit, *l.* 4. *Eleg.* 1. v. 145. Denique in ſacris Bonæ Deæ *Excubiæ* erant, quod Græcorum inſtitutum fuiſſe notum, auctore rei Anacharſide, apud Herod. *Melpom.* Ab hac mente Valer. Max. *l.* 1. *c.* 2. *ut.* 1. *in Jovis O. M. templo*, inquit, *eximia facie puerum hiſtrionem ad excubias tenendas poſuiſſet.* Val. Flacc. ſuprà laudatus,

Linquit & undantes menſas, infectaque pernox
Sacra Medon.

Cacozeliâ, ut in aliis plurimis, Iſraëlitarum, apud quos & ſui Templo *Excubitores* erant, quibus præerat Cuſtodiarum Præfectus, Hebr. ראש המשמר dictus, unus ex præcipuis Sacerdotibus, uti docet Fr. Burmann. *Synopſi Theol. Chriſt. Parte prior. l.* I. *c.* 8. §. 49. Quemadmodum *Excubiis* ſtationariorum, & legionariorum militum, qui palatium tuebantur, præerat vir ſummæ apud Imp. auctoritatis, præſertim tranſlato CPolim Imperio, *Cura palatii* primò; poſtea *Curopalates* appellatus: cui apud antiquos Francos *Major Domus* reſpondiſſe videtur, juxta Thom. Dempſter. *in Jo... Roſini Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 4. & 8. Nicephorus *Comitem Excubitorum* ſignanter vocat in *Heraclio*. Vide quoque de *Primo Mandatore Excubitorum* infrà in voce *Mandator*. Ipſum verò locum Palatii, in quo milites *Excubitores* excubabant, *Excubitorium* appellatum eſſe, docemur ab Anaſtaſio in *Collectaneis*. Cæterùm *Excubiarum* Deſertorem graviſſimè punivit Opilius Macrinus, qui *Tribunum; qui excubias deſeri paſſus eſt, carpento rotali ſubter adnexum per totum iter vivum atque exanimem traxit*, apud Jul. Capitolin. Nec omittendum arcanum *Excubiarum* ſymbolum Libertinorum, de quo ſic Calvin. *Inſtruct. adv. Libertinos c.* 3. *ſub fin.* *Nec prius arcanum excubiarum ſymbolum, ut ajunt, ipſis, quos ad ſectam ſuam adducere volunt, revelant; quàm perſpiciant ita a ſe faſcinatos, ut facile, quidquid voluerint, perſuadeant.* Vide de ſimili more Valentinianorum, Tertullian. *c. eos c.* 1. Arianorum, apud Hilarium Pictav. *ad Conſtantinum Aug. l.* 1. Aliorum, apud Joh. Forbeſ. *Inſtruction. Hiſt. Theol. l.* 1. *c.* 37. §. 11. &c.

EXCULTORES Fontium, vide infrà *Facularum accenſores*.

EXCUNEATI, apud Appulejum, *Extimus quique excuneati quæruntur*: dicuntur, qui in cuneis Theatri locum ac ſedem non habebant, ſed in via ſtabant. Tertullian. *de Spectac. apud ſpectacula & in via ſtatur.* Græcè παρὰ τὴν κερκίδα; quo modo Hoſpites Athenis, qui ſedem intra cuneos non habebant, appellabantur. Vide Salm. *ad Solin.* p. 919. & ſuprà ubi de Theatrorum *Cuneis*.

EXCUSATI, apud Recentiores, potiſſimùm dicebantur Servi aut Liberti dimiſſi, qui, cùm pro qualibet culpa ad Eccleſiam veniæ impetrandæ causâ confugiſſent, dominis reddebantur de omni pœnarum genere ſecuri, & ad ſervitium conſuetum redibant, datis priùs à Dominis ad Evangelia ſacramentis, de conceſſa venia, & quòd nullam iis pœnam pro ea culpa, à qua *excuſati*, h. e. abſoluti eſſent, irrogarent. Quod ſacramentum ſi domini violaſſent, tanquam perjuri mulctabantur, uti paſſim legitur in *Concil.* Aurelianenſi I. *can.* 1. & 3. III. *can.* 13. IV. *can.* 24. V. *can.* 22. apud Gregor. Turon. *Hiſt. l.* 5. *c.* 3. 4. & 49 &c. In Monaſteriis, *Excuſati* videntur ii dici, qui ad Ædes ſacras vel Monaſteria confugiebant, & majoris ſecuritatis gratiâ illis ſe quodammodo in ſervos dabant, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* qui de hac voce plura.

EXCUSATIO Munerum, Gr. ἀτέλεια τῶν λειτουργιῶν. Vide infrà ubi de *Præmiis*.

EXCUTIENDI Veſtes gremiumque ritus Hebræorum cùm indignabundi ſignificare, & ominari imprecarique vellent, aliquem à Deo ſuis bonis excuſſum iri indigitatur Eſræ *c.* 5. *v.* 13. Vide infrà *Veſtis*. Sed & *excutere*, idem quod *ſcrutari* eſt ac *prætentare*, Gr. ἐξερευνᾷν, ἐκσείειν καὶ ἐκτινάσσειν. Certe vix olim colloquium ullum inſtitutum, ſine excuſſione, ne quis ſicam aliudve telum occulto abditum loco ſtringeret. Vide Suet. *Claud. c.* 35. & C. Nepotem *Datame c. ult.* Fiebat autem ea per delectos utriuſque partis, Ἀγγέλους Polyæno dictos, quos non ſolùm veſtes pertrectaſſe, ſed penitùs detraxiſſe nonnunquam, docet is in Iphicrate, *l.* 3. *Comm.* 40. & *l.* 7. in Mithridate, *Comm.* 1. quo poſteriore loco, Ἀνῶ ... τότε, inquit, συνήθειαν γυμνῷ ἐξελέγχεσθαι παρὰ ὧν χρή. Neque verò in publicis ſolùm negotiis, & inter publicas perſonas id factum. Namque ex perpetuo metu Alex. Phereus, non priùs ſe lecto uxoris Thisbes committebat, quàm à ſtipatoribus diligenter eſſet excuſſus. Dionyſ. quoque Sen. nec Ariſtomaches Syracuſ. nec Chloridis Locrenſis, uxorum, niſi excuſſarum, amplexum petiit, Val. Max. *l.* 9. *c.* 3. Et Pædagogum Sarpedonem alumnum ſuum Catonem ad Sullam nunquam, niſi excuſſum, duxiſſe, refert idem *l.* 3. *c.* 1. & 2. Vide quoque infrà *Scrutator*.

EXECESTIDES, peregrinus quidam, & viarum peritiſſimus, de quo proverbium natum, *ne Execeſtides invenerit rectam viam.* Alii è Caria ſervum, perhibent: alii Citharœdum, & qui Pythia & Καρνείων ἀγῶνα Lacedæmone, & Panathenæa bis vicerit. Vide Scholia *in Ariſtoph.* Ὄρνιθας. 542.

EXECESTUS, Phocenſium tyrannus duos geſtabat incantatos annulos, quorum ſonitu, quem invicem inter ſe edebant, rerum gerendarum tempus ſciebat, mortuus tamen eſt dolo interfectus, etiamſi id ei prius ſignificaſſet ſonitus. Ariſt ubi *de Rep. Phocenſium*, & Clem. Alex. *Strom.* 1. Ita autem hic, Ἐξήκεστός τε ὁ Φωκέων τύραννος δύο δακτυλίους φορῶν γεγοητευμένους, τῷ ψόφῳ ᾧ πρὸς ἀλλήλους ἐποίουν ἐγνώριζε τοὺς καιροὺς τῶν πράξεων. Ἀπέθανε δὲ ὅμως δολοφονηθεὶς καί τοι προσημαινομένου τοῦ ψόφου, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Φωκέων πολιτείᾳ, *Execeſtus Phocenſium tyrannus, duos geſtans incantatos annulos, qui inter ſe invicem ab iis edebatur, ſonitu ſciebat tempus rerum agendarum: mortuus tamen eſt dolo interfectus, etiamſi id ei priùs ſignificaret ſonitus, ut dicit Ariſtot. in opere de Rep. Phocenſium.* Vide Kirchmann. de *Ann. c.* 21. Plura de iſtiuſmodi annulis diximus ſuprà, ubi *de Annulis*, item ubi de *Eleazaro Jud.*

EXECRATIO, inter publicas olim pœnas: qualem Athenienſium erga Philippum Regem hoc modo deſcribit Liv. *l.* 31. *c.* 44. *Rogationem exemplo tulêrunt, plebſque ſcivit, ut Philippi ſtatuæ, imagines omnes, nominaque earum, item Majorum ejus virilis ac muliebris ſexus omnium tollerentur, delerenturque: dies feſti, ſacra, Sacerdotes, quæ ipſius Majorumve ejus honoris cauſa inſtituta eſſent, omnia profanarentur. Loca quoque, in quibus poſitum aliquid inſcriptumve honoris ejus causâ fuiſſet, deteſtabilia eſſe, neque in iis quicquam poſtea poni dedicarique placere eorum, quæ in loco puro poni dedicarique fas eſſet. Sacerdotes publicos, quotieſcunque pro populo Athenienſi, ſociiſque, & exercitibus, & claſſibus eorum precarentur: toties deteſtari atque execrari Philippum, liberos ejus, regnumque, terreſtres navaleſque copias, Macedonum genus omne nomenque.* Corn. Nep. *devotionem* vocat, in *Alcibiade*, *c.* 6. quam in rem vide hîc paſſim, ubi de *Anathemate*, *Diis*, *Excommunicatione*, alibi, nec non ubi *de Reſecrandi ritu*. uti de Perſarum circa hæc more, aliquid infrà in voce *Myrica*. Addo ſaltem, non Sacerdotes ſolùm, ſed & Magiſtratus nonnunquam devovere ſolitos. Plutarch. *Solone. ex fructibus autem oleum ſolum ad peregrinos exportare licebat: aliorum nullum jus erat aſportandi: & in eum, qui exportaret, juſſit etiam Magiſtratum execrationes facere, aut ipſum ærario centum drachmas diſſolvere.* Vide iterum Liv. *l.* 1. *dec.* 4. Hinc *Execrabiles* qui arcebantur ſacris, tanquam impii, polluti, & magno aliquo ſcelere impiati. Græcè ἐναγεῖς, qui εἴργονται χερνίβων, σπονδῶν, κρατήρων, ἀγορᾶς quique diris devovebantur publicè, κατάρατοι. quales Chriſtiani olim à Gentilibus habiti. Nam οἱ κατάρατοι quo eſſent in numero, quibuſque imprecationibus defigerentur, docet Auctor orationum *c. Ariſtogit.* ὁ προκατάρατος, ὁ κοινὸς ἐχθρὸς, ὁ κατὰ δυσμενής, ἔστω μήτε γῆ καρπὸν φέρειν, μήτ' ἀποθανόντα δέξασθαι. Sanè Chriſtiani hoſtes publici, κοινοὶ ἐχθροὶ καὶ πάντων δυσμενεῖς, adeoque exterminio digni æſtimati, ut ex Arnob. Minucio Fel. aliis elucet. Imò quod addit, μετ' ἀποδιώκειν δεξάσθαι, quæ imprecationis fuit ſumma olim, in Chriſtianos non minus quadrat. Neque enim vivi ſolum omnibus devoti, ſed & vita functi: ut quos *de requie ſepulturæ avellebant, diſſipabant, diſtrahebant*, Tertullian. *Apologet. c.* 37. Vide Herald. *ad Arnob. l.* 1. In Eccleſia Rom. *execrari dicitur menſa altaris, ſi ſuperior tabula, in qua principaliter fit conſecratio, mota, vel in ſui forma mutata, vel enormiter, puta ultra mediocritatem fracta ſit: tunc enim iterum conſecrari debet*, Car. du Freſne *Gloſſar.*

EXECUTIO Sententiæ capitalis, apud Hebræos, hoc modo fiebat. Sententiâ condemnationis latâ, Synedri in locum procul à Synedrio duci faciebant reum, ubi pœnam ſubiret. Levit *c.* 24. *v.* 14. *Educ te blaſphemum iſtum extra caſtra.* Maimonides diſtantiam loci fuiſſe ait aut eſſe debuiſſe, circa milliaria ſex. Quod tamen in Idolatriæ pœna ſic temperabatur, ut is lapidaretur aut ad portam civitatis, ubi reus erat, aut ad oſtium Synedrii. Neque differenda erat *executio*: ita tamen, ut dum ſic ad ſupplicium ducebatur reus, ſi innocentiam ejus, utcunque in Foro damnati, ſatis quis aſſerere potuiſſet, liberandus eſſet. Quam in rem Præco etiam anteibat clamitans, *Homo iſte N. filius N. prodit pœnâ afficiendus, ob culpam talem, & talis & talis fuère rei teſtes. Si quis eum inſontem docere poteſt, accedat & rationes ſuas explicet.* Tum ſi adeſſet, qui id facere poſſet, redux in Synedrium reus novum ſubibat judicium, idque tertiâ quoque vice. Sin minùs, cùm 10. cubitis à pœnæ loco reus abeſſet, Deo confeſſionem edere jubebatur: quâ peractâ præbebatur granum thuris in poculo vini, *ut turbaretur mens ejus*, inquit Miſna, iſque vel ſacrificabat ipſe, vel alius illius nomine. Teſtes dein illum neci dabant, quod ſi non facerent, preſentes id homines præſtare mos erat. Eo autem die Synedris quidquam comedere fas non erat. Propinqui verò morte plexi (cujus nomine nec luctus ullus publicus) & Synedros, & teſtes amicè ſalutare tenebantur, ut ſententiam juxta veritatem latam ſic agnoſcerent &c. Vide Joh. Selden. *de Synedriis vett. Hebræor. L.* 2. *c.* 13. §. 3. & infrà in voce *Judicia*: quænam autem pœnæ in Foro Judaico capitales fuerint, videbimus infrà.

EXECUTORES, inter alia Judices dicti ſunt, vel alii à Principe delegati, qui Conciliorum Statuta *executioni* curarent mandari: Ἐπεξεργασταὶ, *in Cod. Can. Eccl. Afric. c.* 96. & Ἐκβιβασταὶ. Ἤρεσε τοῖς ἁγίοις, ὥστε Ἐκβιβαστὰς ἐν πάσι ταῖς τῆς Ἐκκλησίας χρείαις πέντε ἐπιλεγομένους αἰτεῖσθαι, οἵ τινες ἐν ταῖς διαφόροις ἐπιμελήσονται ἐπαρχίαις &c. Vide Car du Freſne *Gloſſar.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

EXEDRA ſeu EXEDRIUM, Græcè ἐξέδρα à *ſedendo*. Nempe *Exedræ* in ædificiis, ædiculæ ſunt additæ porticibus, à *ſedium* frequentia, & *ſeſſitandi* commoditate dictæ. Cujuſmodi loca, in prima Gymnaſiorum apud Romanos parte Philoſophis aliarumque diſciplinarum Profeſſoribus, diſputando, legendo ac docendo ſeſe exercentibus inſerviebant, ut infrà videbimus in voce *Gymnaſium*. Loca diſputationum, cellæ ſtudiorum. Apud Ezech. *c.* 44. *v.* 19. quid Græci Interpretes intelligant verbis, ἐν ταῖς ἐξέδραις τῶν ἁγίων, *in exedris* ſeu *repoſitoriis ſanctorum*, Vide infrà in voce *Veſtiarium*.

EXEGETÆ, Gr. Ἐξηγηταὶ, dicti ſunt in Rep. Athenienſium, Legum periti, qui in cauſa homicidii à Judicibus conſuli ſolebant, ut exponerent, anne σὺν δίκῃ *jure*, cædes facta eſſet. Poſtquam enim Actor ad cæſa porrecta Suovetaurilii jusjurandum concepiſſet, ſi ſciens falleret, ſibi ſuiſque, & toti genti mala omnia imprecatus; inſuper juramento affirmaſſet, ſe eſſe è cognatis occiſi; Reusque eodem ritu viciſſim juraſſet: Inſidebant ambo duobus argenteis ſcabellis, quorum illud, cui Actor inſidebat, Ὕβρεως, i. e. *Contumeliæ*; alterum cui reus, Ἀναιτίας ſeu *Innocentiæ* dicebatur. Tum Actor tria quærebat ex Reo: Εἰ κατέκτονας, *an occidiſti?* Ὅπως κατέκτονας, *quo pacto occidiſti?* Τίνος βουλεύματι, *cujus inſtinctu & conſilio?* Ad quæ cùm Reus reſponderet: Occidiſſe ſe ſed jure; Tunc *Exegetæ*, cauſis cædis illatæ ventilatis, pronuntiabant jure factam eſſe: i. e. cauſas reum habuiſſe legitimas. Sic Draco Legiſlator, impunè licere occidere mœchum ſtatuit, ſi quis in uxore, vel in matre, vel in ſorore, vel in filia, vel in pellice, vel in nuru eum deprehendiſſet: Sic ſi vis illata vi repelleretur, juſtæ cædis cauſa habita eſt &c. Vide Franciſc. Roſſæum *Archæologiæ Atticæ l.* 3. *c.* 3. *ſ.* 2. Sam. Petit. *Comm. in Leg. Attic. l.* 7. *tit.* 1. *de Sicariis* &c. Sed & inter Sacrorum olim miniſtros Ἐξηγηταὶ, ut infrà videbimus in voce *Hierophanta*.

EXELODUNUM, ſeu EXSOLDUNUM, vulgò *Iſſoudun*, urbs Galliæ, in prov. & diœc. Bituricenſi, ad amnem *Thiols*, 7. leuc. à Biturico in occ. Quibuſdam dicitr *Ernodurus*. Hîc Concil. A. C. 1081. habitum ab Hugone Dienſi, Papæ legato. Vide Jvonem Carnut. *ep.* 180. 204. & 268. *Robert*. &c.

EXEMPLUM, Gr. ἀντίγραφον, ſicut *Exemplar*. αὐτόγραφον, vide Salmaſ. *de Modo Uſurar. c.* 1. Item, argumentum, figura. Unde *marmora in exemplis*, apud Anaſtaſ. *in Leone III.* h. e. *exemplata*, figurata viz. & imaginata: cujuſmodi *exempla* fiebant opere teſſelato, in quo diverſæ figuræ exprimebantur. Sic *pavimentum exemplis ſtratum*; *Ibid*. Atque hinc ἐξομπλωτὸν Græci recentiores dixêrunt, quidquid eſſet pictum ad alicujus rei inſtar exprimendum: Unde veſtes variis *Exemplis* & figuris ornatæ, ἐξομπλωταὶ Euſtathio *ad Odyſſ.* β. Tapetes exemplati, & figurati, ἐξομπλωτὰ πευκία, apud Nicetam *in Cod. Græco-Barb.* pro quo in Græco eſt ἀλουργοὶ τάπητες, vide Nicol. Alemann. *Diſſertat. de Lateran. Pariet.* 3. & Salmaſ. *ad Spartian. in Peſcenn. Nigro* & *Flavium Vopiſc. in Car. Imp.* nec non infrà in voce *Pavimentum*, it. *Plumeum opus*.

EXEMTI, apud Solin. *c.* 10. de Thracibus, *Recentem natum parens fletu excipit. Læta ſunt funera adeò*, ut exemtos *gaudio proſequantur*: Mortui ſunt. Cavet nimirum malè ominatam mortis vocem. Sic idem *præc. c.* 6. *Alexandro* exemto *Perdiccæ primùm data copia ampliſſimæ poteſtatis*. Poſt de eodem, *Morbo vinolentiæ, apud Babylonem, humiliore, quàm vixerat, fortunâ exemtus*. De qua locutione vide Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. Theb. l.* 12. *v.* 44. & ſuprà aliquid in verbo *Eimere*.

Jam lacrymis Exemta *dies, nec ſerus abegit*
Veſper:

EXENTERATIO, pœnæ ſpecies, in læſæ Majeſtatis reos, apud Anglos, uſitata, apud quos eorum interanea ſeu viſcera extrahuntur ac comburuntur, Walſinghamus *in Richardo II.* Vide infrà *Viſcera*: uti Juſtin. *l.* 1. *c.* 5. *literis arcanis exinterato lepori incluſis*. Vide Herod. *l.* 1. *c.* 23. & Poliæn. *l.* 7.

EXEQUIARUM Ritus. Apud Romanos, ubi animam ægrotus exhalare cœpiſſet, qui proximiores erant, ſi domi moriebatur, ſpiritum ejus ore excipiebant, ut deſiderium diſcedentis è vita amici teſtarentur, morientiſque oculos claudebant (qui poſtea in rogo rurſus aperti) quod Quiritium magno ritu ſacrum fuiſſe, Plin. ſcribit *l.* 11. *c.* 37. Hinc apud Virg. Anna Didoni *Æn. l.* 4. *v.* 683.

Date vulnera lymphis,
Abluam. Et extremus ſi quis ſuper habitus errat
Ore legam. —— ——

Mænia tamen lege poſthac cautum fuiſſe, *Ne filii parentibus charos oculos ſugillarent*, i. e. occluderent, auctor eſt Varro apud Non. Marcell. Dein defuncti corpus per intervalla, ſpatio 7. dierum, calidâ aquâ abluebatur, & unguentis quandoque inungebatur, an fortè ſpiritus in deliquio jacentis (ut credi poterat) hâc ratione revocari poſſet. Idem Ibid. *l.* 6. *v.* 218.

Per calidos latices, & ahena undantia flammis
Expediunt, corpuſque lavant frigentis & unguunt.

Quæ dum fiebant, peſunctus ab affinibus, & propinquis conclamabatur, ut ſi ſomno forſan ſopitus eſſet, hoc ſtrepitu excitaretur: Poſt primam conclamationem, *Exequiæ parari* cœpêrunt, hoc modo. Pollinctores ablutum unctumque corpus, candidâ veſte induebant: *Cadavera enim in honeſtiſſima veſte efferri mos erat: quæ in vulgo civium & in tacito funere Toga vulgata fuit, in Magiſtratibus Toga prætexta, in Cenſoribus purpurea tota*, Lipſ. Polib. *l.* 6. Liv. *l.* 34. &c. Inde in veſtibulo ædium collocabatur ad januam ipſam, hoc ſitu ut forâs ſpectaret, & facie pedibuſque eſſet, in publicum verſis. Interim cupreſſis, ſequioribus temporibus, ædium aditus munitus, eaque quæ ad funus pertinebant, in templo Libitinæ, comparata ſunt. Sic die octavo ab obitu, ne fraudarentur ſolenni honore ſupremi dies, utque eò promptius homines ad *Exequias* convenirent, evocabatur populus ad funus per præconem his verbis: *Exequias. L. Titio. L. Filio. Quibus. eſt. commodum. ire. jam tempus. eſt. ollus. ex. ædibus. effertur*. Qui poſtquam conveniſſet, lecto conſtrato purpurâ, aut linteis ſplendentibus & in eo defuncti corpore collocato, tibicine præcedente, Funus procedere ſequentibus hominibus, (unde ritui nomen) cœpit. à quo tamen officio novis nuptis vocatio erat. Syneſius *Ep.* 3. οὐ γὰρ οἶμαι νομίζεται νυμφευτρίας βαδίζειν ἐπ' ἐκφοράν. Ominis ſc. cauſâ, quod ſiniſtrum infauſtumque maximè in conjunctionibus hiſce ac fœderibus vitabatur. Vide Deſ Herald. *Animadverſion. Arnobianis l.* 5. Et ditiores quidem lectis efferebantur, unde de L. Cornelio proditum eſt, quòd ſex millia lectorum in funere habuerit: At tenuis fortunæ homines capulis ſive feretris: Rurſus ad tubam majores natu, annotante Servio, minores ad tibias; & ditioris ac dignioris Fortunæ homines à propinquis virilis ſexus, cæteri à Veſpillonibus portabantur. Reliqua vide ſuprà ubi de *Cadaverum curâ*, *Conclamandi*, it. *Cremandi ritu*, *Defunctis*; ubi quoque de Græcorum *Exequiis* actum, & infrà in voce *Funus*, item *Sepeliendi ritus*. Apud Hebræos, oculos morienti ſimili modo claudi ſolitos fuiſſe: ex Geneſ. *c.* 46. *v.* 4. *Et Joſeph. imponet manum ſuam oculis ſuis*. Iidem abluêrunt quoque corpus, ut in funere Tabithæ factum, Actor. *c.* 9. *v.* 36. & 37. Notandum hîc tamen iſtiuſmodi Baptiſmum vel ablutionem triplicem fuiſſe: Βαπτισμὸν ἀπὸ νεκρῶν, cùm quis, quòd cadaver attigiſſet, legalem hanc impuritatem aquâ abſtergebat: Βαπτισμὸν τῶν νεκρῶν, cùm ipſum defuncti corpus ritu Græcis quoque Romaniſque, ut dictum, communi lavabatur: & Βαπτισμὸν ὑπὲρ νεκρῶν, cujus mentio fit 1. Cor. *c.* 15. *v.* 29. cùm quis vice mortui, ſine Baptiſmi ſacramento defuncti, Baptiſmum ſuſcipiebat, ſperans, quæ ſuperſtitio tum inter Corinthios regebat, id aliquâ ratione mortuo profuturum. Quemadmodum locum hunc explicat Ambroſ. & *Vicarium* iſtiuſmodi *Baptiſma*, ut Tertullian. vocat *c. reſur. carnis*, inter Marcionitas quoque ac Cerinthianos in uſu fuiſſe docent Epiphan. *hær.* 28. ac Chryſoſtom. *in 2. Cor. c.* 15. Porrò ritè ablutum cadaver aromatibus condiebant, quod primus inter Hebræos feciſſe legitur Joſeph. Geneſ. *c.* 50. *v.* 2. ab Ægyptiis ſine dubio edoctus, qui quo pacto mortuos condierint, exponit pluribus Herod. *Euterpe*. Vocarunt hunc ritum Græci Ταρίχευσιν, quemadmodum alterum condituræ genus, quo ſine exemtione viſcerum aromata extrinſecus tantùm cadaveri apponebantur, Ἐνταφιασμὸν: cujus mentio Joh. *c.* 19. *v.* 40. *Accepêrunt ergo corpus Jeſu, & obvinxêrunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Judæis funerare*. Aliquando cadavera iidem combuſſêrunt, oſſibus in urnam collectis ac reconditis, ut docet Amos *c.* 6. *v.* 10. communiter tamen illa tota humare ſoliti ſunt, in ſepulchris gentilitiis, quæ illis *Cucim* dicta: Erant autem hæc, cellæ quædam ſeu receptacula, in loco ſepulturæ quem modò קבר *Keber*, modò מערה *Meghara* appellarunt. Quoties defunctorum meminêre, uſi ſunt verbis, Prov. *c.* 10. *v.* 7. *Memoria juſti eſt benedicta*. Unde & Rabbini, quoties in teſtimonium advocant verba celebris alicujus Viri, qui jam è vivis exceſſit, addere ſolent: *Benedictæ memoriæ*; qui mos ad Chriſtianos quoque tranſiit. Epitaphio quoque eos honorarunt, cujus vulgatiſſima formula: *Sit anima ejus ligata in horto Eden, vel in faſciculo viventium, Amen, Amen, Amen, Selai*. Nec convivium ommittebatur, quo lugentium animi erigerentur, & vires diuturno mœrore confectas illi reſumerent, quod *Panis virorum*, Ezech. *c.* 24. *v.* 17. & alibi *Poculum ſolatii*, appellatur. Quemadmodum & apud Romanos, peractis ad ſepulchrum juſtis, convivia domi apparabantur, ad quæ amici atque cognati invitabantur: Præter quæ ſenibus quoque cœnam funebrem, quod *Silicernium* dicebatur: imò & populo interdum epulum iidem dabant, aut crudam ad minimum carnem diſtribuebant, quod *Viſceratio* vocabatur. Teſtabantur autem in *Exequiis* luctum Hebræi 1. Incidendo ſe, i. e. partem aliquam corporis, certo quodam inſtrumenti genere: quem, utpote à Gentibus deſumptum, ritum, damnatum legimus Deuter. *c.* 14. *v.* 1. In quæ verba ſic commentatur P. Fagius. *Gentes quaſdam corporis partes acu vulnerabant vel aliàs incidebant, atramentumque ſuperponebant, quod in cultum Dœmonum fiebat: Præcipitur ergo, ne ullo pacto ſicut gentes ferirent carnes ſuas, quemadmodum Sacerdotes Cybeles, & Deæ Sororum*. Moris hujus meminit quoque Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 673.

Unguibus ora ſoror fœdans & pectora pugnis.

2. Caput depilando: cùm vel radebant, vel manibus laniabant crines, vel emplaſtra capiti decalvando imponebant. Aliquando genas, vel palpebras quoque deglabrabant: quæ conſuetudo cùm itidem ab Ethnicis mutata eſſet; Namque

—— *Sectos fratri impoſuêre capillos.*

Ovid. *Met. l.* 3. ea & Iſraëlitis ſeverè interdictum legimus, Deuter. *c. præſ.* 3. Nudum gerendo caput, ut pulvere cinereque illud conſpergerent, quâ cerimoniâ, humo quam calcarent, indignos ſe eſſe ſignificabant. 4. Pedibus quoque nudis incedendo. 5. Myſtacem obvelando, & labia cooperiendo, quod partem veſtimenti in faciem ſubducendo fiebat: Hujus ritus mentio Ezech. *c.* 24. *v.* 17. Vide quoque Davidem Kimchi, Abeneſram & P. Fagium in *Levitic. c.* 14. *v.* 45. 6. Veſtem ſcindendo, quod etiam apud Gentiles in uſu fuiſſe, docet Juv. *Sat.* 10. *l.* IV. *v.* 262.

—— —— *Sciſſaque Polyxena pallâ.*

Tandem cilicium ſumendo: qui duo poſtremi ritus memorantur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

tur Deut. c. 37. v. 34. *Laceransque Jacob veſtimenta ſua, impoſuit cilicium lumbis ſuis, luxitque propter filium ſuum diebus multis.* Sed hæc mœroris ſigna etiam in aliis calamitatibus edebantur. Maximè autem *Exequiis* propria erant inſtrumenta Muſica, & mulieres lamentatrices, quas Romani *Præficas* dixère: quorum illis ſpectatorum animi ad luctum permovebantur; hæ, præter hoc, etiam virtutes & res geſtas defuncti laudibus proſequebantur. In Nobilium virorumque illuſtrium, ac ætate grandiorum tubæ: in vulgi verò infantiumque *Exequiis* tibiæ adhibitæ leguntur. Inſtrumentorum mentio Matth. c. 9. v. 23. Præficarum Jerem. c. 9. v. 17. &c. Hymnorum ſolennium, τ̃ γνωριμωτάτων ὕμνων, & lamentationum, θρήνων decantari tum ſolitarum, meminit Appian. *de Bell. Civ. l.* 2. uti chori pſallentium, Ovid. *Faſt. l.* 6. Nempe qui vel quæ neniam canebant inſtruebant choros. Herodian. in Pertinacis exequiis, & conſecratione, καὶ ἐπὶ μὲν θατέρου μέρους χορὸν ἑστάναι παίδων ἐκ τῶν εὐγενεστάτων καὶ εὐπατριδῶν, ἐν δὲ τῷ ἀντικειμένῳ, γυναικῶν τῶν ἐν ἀξιώσει εἶναι δοκουσῶν. ᾄδουσι δὲ ἑκάτεροι ὕμνους τε καὶ παιᾶνας εἰς τὸν τετελευτηκότα σεμνῷ μέλει, καὶ θρηνώδει ἐρρυθμισμένους. Inter cujuſmodi hymnorum argumenta etiam Plutoni defunctum commendabant. Euripides *Alceſt.*

> Ἀλλ' ἐκφορὰν γὰρ τοῦδε θήσομαι νεκροῦ,
> Πάρεστε καὶ μένοντες ἀντηχήσατε
> Παιᾶνα τῷ κάτωθεν ἀσπόνδῳ θεῷ.

Sic apud Chriſtianos poſtmodum ab iis, qui funus proſequebantur, pſalmos decantatos, & Clericorum choros inſuper pſalmorum carmina modulatos eſſe, Hieronym. docet ad Euſtoch. *Epitaphio Paulæ matris.* Vide iterum Deſ. Herald. *ad Arnob. l.* 4. Vide Thom. Godwin. *de ritib. Hebr. l.* 6 *c.* 5. & hic paſſim, inprimis, in vocibus *Deſignator*, *Ferculum*, *Feretrum* &c.

EXERCIPEDES, in Gloſſ. Τροχοδρόμοι, δρομεῖς καὶ κέστορες. In omnibus nempe magnis familiis ſervi olim curſores, quos ad celeritatem exerceri ſolito à Magiſtro, in porticibus ædium, ex Petron. Edit. Gonſali de Salas p. 16. Edit. Boſch. c. 29. diſcimus: *Notavi etiam in porticu gregem curſorum cum Magiſtro ſe exercentem.* Atque hinc iis id nomen. Vide ſuprà ubi de *Curſoribus*.

EXERCITAMENTA Vett. quibus illi ad ſeria ſeſe præparabant, tanti ſudoris fuére, ut ſæpe æquarint, aut etiam ſuperarint bellicos ipſos labores. Unde hominibus iſtiuſmodi exercitationum requiem bellum eſſe, eleganter dixit Plutarch. in *Lycurgo*: & coronæ quæ iis dabantur, non minoris æſtimationis, quàm illæ, quæ militaris virtutis ac felicitatis præmia, fuére, Idem περὶ τ̃ ἀνδ. Quid in de utilitati in Remp. redundet, Solon. exponens apud Lucian. *de Gymn.* *Hinc pugnum eſſe*, inquit, *alium pancratio decertare docemus, ut & labores ſufferre addiſcant, & ſimul cedere plagis, ne vulnera averſentur.* Hinc eæ Reſp. in quibus pollebat ſeveritas morum, & militaris diſciplina, vix unquam ſuam rem militi commiſerunt, non talibus exercitiis prætentato. Indidem & corpori robur, & animo alacritas, & conſtantia accedebat. Sic de exercitio Cn. Pompeji Salluſt. *Cum alacribus ſaltu, cum velocibus curſu, cum validis vecte certabat*, apud Veget. *de Re Milit. l.* 1. *c.* 9. Præerat iis *Veteranus quiſpiam, qui eſſet decus muralis aut civicæ.* Plin. *Panegyr.* Vide ubi de *Campidoctoribus*, *Pædotriba* &c. Exercebantur autem Vett. *curſu luctâ, pugilatu, palæſtra, cæſtu, pancratio, regendis & incitandis quadrigis, ſaltu*, aliiſque modis, cum in *Gymnaſiis* privatim, tum publice in *Certaminibus Ludiſque*, qui in celebritate totius alicujus gentis peragebantur, de quibus omnibus hîc paſſim inprimis infrà ubi de Gymnaſiis, & Gymnaſtica: plura autem apud C. Paſchal. *Coron. l.* 6. *toto*, Hieronym. Mercurial. P. Fabrum, Alios, qui *Gymnaſtica* & *Agoniſtica* ſcripſerunt.

EXERCITATORES Monachi, in *Vitis* PP. fortè qui aliàs *Circatores*, vide ſuprà in *Circa*.

EXERCITIUM Armorum, apud Veget. propriè dicebatur, quod enſe, & gladio fiebat, cujus ars erat in feriendo adverſario, & ſe protegendo, uti pluribus docet Salmaſ. *ad Spartian. in Hadr.* Sed & ad alia armorum genera extendi poteſt, quibus olim exercebant milites. Nam *ad omne genus armorum* dicuntur *exerceri*, eidem Vegetio, dum ſc. haſtile contorquent, ſudem vibrant, jacula ſagittaſque mittunt, ad palum batuunt. Aliud quid erat, *Armatura* ſeu *Armaturæ exercitium*, quippe quo nomine veniebat proluſio, & meditatio campeſtris, quæ in armis & ſub ſignis fiebat, non ſecus ac ſi cum hoſte confligendum eſſet; in qua proluſione diſcebat tyro, & ordines ſervare, & vexillum ſuum comitari, ad haſtam, ad clypeum declinare & reliquos armaturæ numeros atque geſtus, apud Veget. *l.* 1. *c.* 4. Vide iterum Salmaſ. *ad Lamprid. in Alex. Sev.* & ſuprà *Armorum exercitium*, item *Armatura*.

EXERCITUS, militum multitudo eſt, quæ palam fines hoſticos auſit invadere. Quod enim furto fit aut latrocinantium more, & quod *juſto* fit *exercitu*, paſſim opponunt Hiſtorici. Quare pro viribus hoſtium æſtimandum, quæ copiæ exercitum faciant. Et quidem Cic. exercitum vocat, *ſex Legiones & Auxilia*: Polyb. Romanum exercitum plerumque ait conſtitiſſe *ſexdecim millibus Romanorum, viginti ſociorum.* At minor quoque numerus implere poteſt ejus nominis menſuram. Namque Ulpian. exercitui præeſſe cum ait, *qui vel uni Legioni cum Auxiliis præeſt*, in *l.* 2. *D. de his qui not. inf.* i. e. ut Veget. exponit, *decem millibus peditum, duodecim millibus equitum.* Et Liv. in *in octo millibus* ſpeciem juſti exercitus ponit *l.* 8. *c.* 8 Quo modo etiam de Claſſe æſtimandum, Hug. Grot. *de Jure Belli & Pacis l.* 2. *c.* 16. §. 3. Diſpoſito autem ordine *Exercitu* rem gerere, quidam Palamedis inventum faciunt; alii Neſtori contra Centauros pugnanti ejus gloriam attribuunt. Certè jam in Thebano bello Ordines militares obſervatos, Æſchylus, Seneca, Stat. alii Poëtæ obſervant. Imò ad Patriarchæ Abrahami ætatem aſcendenti, Strategica jam & Tactica Ars ſeſe offeret; quâ de re latius infrà dicemus ſuo loco. Vide quoque paſſim alibi, ubi de *Bello*, *Cohortibus*, *Legionibus*, *Militibus*, *Turmis* &c. De ritu *Exercitus luſtrandi*, diximus quædam in voce *Canis*. Addam hîc ſaltem nonnulla de *Exercitus coronatus* priſco more. Solebat id fieri non ſolum in triumpho, uti de Liberi Patris & Alexandri Mag. *exercitu* legimus, qui hederatus uterque ex India rediiſſe legitur. Quamvis laureæ coronæ principem Liberum, ex Indiis triumphantem, faciat Tertullian. *de Cor. Mil.* Sed & ſtatim poſt pugnam, & quidem eo adhuc armato, quod de Marii exercitu, poſt Teutones Ambroneſque cæſos, tradit Plutarch. in *Mario*, & de Ageſilai, partâ de Thebanis victoriâ, Xenoph. *Hellenic. l.* 4. Quin & Lacedæmonii, proprio inſtituto, quoque pugnabant coronati, uti refert Stobæus περὶ νομ. καὶ ἐθ. &c. Vide C. Paſchal. *Coron. l.* 1. *c.* 18. & *l.* 8. *c.* 4. uti de ſpatio quod ab *Exercitu* diurno conficitur itinere, infrà ubi de Vett. *Menſuris*, item infrà in voce *Milites*.

EXERCERE Brachia, Vide infrà *Exſerere*.

EXHIBERE, vox Amphitheatralis, Mart. *de Spectac. Epigr.* 9. cujus lemma, *De Rhinocerote*:

> *Præſtitit* exhibitus *totâ tibi, Cæſar, arenâ,*
> *Quæ non promiſit prælia rhinoceros.*

Ad quem locum vide Raderi *Notas*.

EXHUMATIO Cadaverum in Communione Rom. pœna eorum, qui dum viverent, pro Hæreticis habiti ſunt. Qualis contigit Joh. Wiclefo, Paulo Fagio, Mart. Bucero, in Anglia, aliiſque viris inſignibus alibi de quibus hîc paſſim. Et quidem horum oſſa, in pompa ferali Actionis Fidei, ut vocant, ultimo loco, ciſtis nigris incluſa deferuntur, in cineres accenſo rogo redigenda, uti alibi diximus.

EXIBILANDI Hiſtriones, qui exciderant, aut ineptè egerant, aut perperam pronuntiabant, conſuetudo, non expectatâ Judicum ſententiâ, indigitatur Demoſthem ubi de Æſchine: cùm benè agentibus manuum plauſu faveretur. Et quidem olim, quum eſſet ligneum Theatrum, calcibus pluteos tundebat populus, à qua pedum ſupploſione noſtrum *exploaere*, Græcorum πιννοπεῖν, aliter κλώζειν. At συρίττειν *ſibilum* notat: uti alterum verbum à graculorum voce deſumptum eſt. Porrò, qui rectè ajebant, δεξιάποβοι qui malè, μισθόμυροι, appellabantur, J C. Scalig. *Poët. l.* 1. *c* 21.

EXIGUUS, cognom. Dionyſii, qui natione Scytha, inſtituto Monachus, dignitate Abbas, ſub Theodorico Rege & Succeſſoribus claruit. Scripſit *Cyclum Paſchalem*, ab A. C. 525. in quo, omiſſâ profanâ annorum Æræ Diocletianæ computatione, annos numerare cœpit, à Nativitate D. N. Vide infrà à *Nativitate Chriſti.* Vertit ex Græco *Codicem Canonum* accuratius, quàm antea fuerat tranſlatus, addiditque *Canones*, qui vocantur, *Apoſtolorum*, Sardicenſe Concilium & Africana quædam. Primus *Decretales* collegit, à Siricio orſus, eaſque volumine ſingulari complexus eſt; quibus poſtea inter Canones locum dedit Creſconius &c. Vide Gerh. van Maſtricht JC. *Hiſt. Jur. Eccl. paſſim*, inprimis *n.* 72. 73. 74. & 154.

EXILISSA, ſeu LISSA, Africæ urbs ad fretum Herculeum. Ptol. *Septa* hodiè. Hiſpan. *Ceuta* vocant. In Mauritania Tingit. probè munita cum portu, ſub Hiſp. cùm aliàs pareret Portugalliæ Regib. à quibus expugnata fuerat. Vide *Septa*.

EXILITIO, inter Vett. gymnaſmata, Vide infrà in voce *Saltus*.

EXILIUM, pœna àntiquiſſima, utpote primo jam homini mox poſt peccatum inflicta. Hic enim, poſtquam in Paradiſo de fructu vetito ediſſet, ab ipſo ſtatim Deo extra fortunata iſta arva relegatus, & in alium veluti orbem ac potiùs perpetuum *exilium*, expulſus eſt: ubi longas inter calamitates dum vitam traheret, triſtem ſuum ac univerſi generis caſum deplorare ac plangere, & Dei gratiam in promiſſo ſemine apprehendere ſolum curæ habere debuit. Quò ipſum omnia impellebant, dum extra ſe creaturas omnes, ſuum ob crimen, priſtino decore ſpoliatas, ac Mundi fata immutata; intra ſeſe autem carnis tumultum, intellectus tenebras, voluntatis faſtigio ac regno ſuo evolutæ turpiſſimam ſervitutem ac languorem quotidie intueretur: quodque Deus *exilii* ſolatium adhuc dederat, in generis humani multiplicatione, illud verò in ſobole ſuâ, & ſequenti nepotum ſerie, ad impietatem, & ſcelera omnia prolabentium, corrumpi, & amaroris pleniſſimum eſſe ſentiret. Vide Geneſ. *c.* 3. *v.* 23. & 24. Eadem dein fratricidii Caino pœna, *c. ſeqq. v.* 11. & *ſeqq.* &c. In quibus tamen cùm Eccleſiaſtica magis fuerit, de illa vide hîc paſſim, inprimis ubi de *Excommunicatione*. Apud Romanos (ubi pœnam hanc capitalem fuiſſe, docet Liv. *l.* 26. *c.* 3.) *Exilium* intellectum eſt, cùm aqua & igni interdixêrunt. Siquidem conſuetudo loquendi obtinuit, ut omnes, quibus his elementis interdictum eſſet, quoniam ſolum vertere cogebantur, *Exules* appellarentur, ut eſt *in Rhetoricis* ad Herennium. Interim *Exilium* in irrogatione pœnæ non nominabatur, ſed *aquæ & ignis interdictio*, quam neceſſariò illud ſequebatur, vide Cic. *pro Cæcina*. Ex illo autem cives jure Civitatis nudabantur, uti videre eſt apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 9. *c* 17. Sed nec in *Exules* ullum jus civitati manebat. Unde Alcibiadis fil. in Iſocratea oratione, agens de temporibus ejecti Patris: ὅτ' οὐδὲν αὐτῷ τῆς πόλεως μετῆχεν, inquit. *Cum nihil ad illum civitas noſtra per-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

tineret. Et Heraclidæ Argis ejecti ab Euryſtheo per tutorem ſuum Jolaum, apud Euripidem,

> *Quo jure jam nos ad Micenæos trahat,*
> *Eadem agentes urbe quos urbe expulit?*
> *Num ergo cives non ſumus* ----

uti ex Græco vertit Grot. *de Jure Belli & Pacis l.* 2. *c.* 5. §. 25. In Imperio hodiè frequens eadem pœna eſt, German. *Landsverweiſung*, de qua inprimis differentem vide P. Martyrem *ad l.* 1. *Regum circa fin.* ubi multis ac prægnantibus rationibus illam improbat, adde Theod. Reinkinck *l.* 2. *claſſ.* 1. *c.* 8. *n.* 8. & *ſeqq.* nec non quæ hic paſſim dicimus, ubi de *Abannatione Abjurandi patriam ritu*, *in Inſulas deportatione*, *Oſtraciſmo*, *Petaliſmo*, *Relegatione* &c. item in voce *Folium*: ubi *Homicidio*. Apud Hebræos quoque interdum (in facinoribus nec capitaliter, nec virgis punitis) irrogabatur *Exilium*, in Aſyla ſc. aliterve, ſive ex Lege ſacra, Num. *c.* 35. *v.* 15. ſive ex jure ſuperinducto, præſcriptum. Sic Lictorem, ſi flagello, quo quis verberandus erat, adjeciſſet lorum unicum, ultra quàm præſtitutum erat, & flagellatus interiiſſet, relegandum fuiſſe, legas in *Miſna tit. Maccoth. c.* 3. §. 14. &c.

EXIMIETAS, titulus honorarius, occurrit non ſemel apud Auguſtin. *in Epp.* Ab *eximius*, quo nomine Latinis primitus appellata ſunt pecora, quæ à reliquo grege *eximebantur*, ut Deo alicui ſacrarentur, aut ad ſacrificium ſervarentur. Eadem & *egregia*, h. e. *è grege* ſelecta, & ex omni numero ſeparata, Græcis ἀφωρισμένα, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1090.

EXIRE, verbum in Vett. Sortitionibus uſurpatum de quo vide aliquid infrà ubi de *Sortibus convivialibus*.

EXILANI, Hiſp. Bæticæ pop. Strab. *Salobrena* Cluſio. Quibuſd. eſt Sexitanum, quod forſan mel. Ubi nunc *Adra*, urbec. regni Granatæ, in ora maris Mediterr. Vide *Sexitani*.

EXITIRIA, feſta apud Græcos, in quibus primitiæ frugum diis offerebantur, ut tradunt Grammatici.

EXJUSTITIARIUS, dictus eſt olim in Anglia Magiſtratus extraordinarius, Rege reverſo, qui illo abſente, vices Regis, uti Proconſul in provincia Romana, adminiſtraverat, *Vicarius Regis*, *Regis Locum tenens*, *Pro-Rex*, *Cuſtos regni*, & *Regni Gardianus*, durante munere, dictus: *Capitalis alias Regni Juſtitiarius*. Sic Gulielmus Comes Herefordiæ, & deinceps Odo Bajocenſis Ep. Comes Cantii, ſecedente in Normanniam Gulielmo Conqueſtore: Gulielmus de Longo-campo Ep. Elienſis & Hugo de Puſaz, Ep. Dunelmenſis; proficiſcente Hieroſolymam Richardo I Juſtitiarii Angliæ & Regni pariter cuſtodes Regiſque Vicarii conſtituti ſunt. Vide infrà quoque in voce *Juſtitiarius*.

EXOBYGITÆ, Sarm. Europææ gens. *Ptol.*

EXOCATACOELI, Gr. Ἐξωκατάκοιλοι, dicebantur in Eccleſia CP. ſex hi Officiales, Magnus Oeconomus, Magnus Sacellarius, Magnus Scevophylax, Magnus Chartophylax, Præpoſitus parvo Sacello & Protecdicus; eo quòd extra Patriarchium pernoctarent. Erant hæ dignitates maximæ auctoritatis, ita ut in publicis conſeſſibus Epiſcopos præcederent, & in Patriarchatu Diaconorum officium exercerent: *CP. Cardinales* dicti, in *Ep.* Joh. IX. ad Auguſtum Baſilicum Leonem. Mentio eorum in *Actis* Concilii Florentini, *Patriarcha Papam ſtantem oſculatus eſt in gena: nos verò cum* Exocatacœlis *ſedentis dextram & genam oſculati ſumus*, apud Macros Fratres *in Hierolexico*. Vide quoque infrà *Staurophori*.

EXOCIONITÆ, *in Hiſt. Eccl.* Anaſtaſ. Biblioth. Ariani dicti ſunt Car. du Freſne, quod CP. in loco *Exocionio* dicto conventus ſuos agerent, vide ejus CP. *Chriſtianam*: ibique complures illorum habitarent. Codino dicitur fuiſſe χρύσεον τεῖχος ... τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου κτισθέν. Ἔξωθεν δὲ ἵστατο κίων ἔχων στήλην τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου καὶ τούτου χάριν λέγεται Ἐξωκιόνιον, *in Origg.* CPlitanis. Ἀριθμῶν Ἐξωκιονιτῶν, *Numerorum* ſeu *Manipulorum* hoc nomine dictorum, atque à Theodoſio expulſorum, mentio fit in *Chronico* Alexandr. ſub Ann. 4. Olymp. 289 cohortium viz. ex Gothis, qui quòd Ariani eſſent, in *Exocionio* ſeparatim à Græcis, & Latinis priùs morabantur. At hæreticorum quidem templa Orthodoxis attribuiſſe Juſtinianum, ſed *Exocionitis* exceptis, ait Cedren. in eo vide Joh. Meurſ. *Gloſſ.* in Ἐξωκιόνιον, & Il. Caſp. Suicerum *Theſ. Eccl.* in eadem voce.

EXODIARIUS, apud Romanos dictus eſt, qui in fine dramatis *Exodia* canebat. De eo ſic vet. Schol. Juv. *l.* 1. Sat. 3. *v.* 175. *Exodiarius apud vett. in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret, ut quidquid lachrymarum atque triſtitiæ coëgiſſent ex tragicis affectibus, hujus ſpectaculi riſus detergeret.* Erat autem Ἐξόδιον carmen quod in ludorum fine decantabatur: Quemadmodum, quod ab initio, Εἴσοδος, h. e. *Introitus*, & quod in medio cani ſolebat, Ἔμβολον q. *Inſertum* dictum eſt. Juv. *loco modò laudato*,

> ---- *Tandemque redit ad pulpita notum*
> Exodium.

Idem *l.* 2. Sat. 6. *v.* 71.

> *Urbicus* Exodio *riſum movet Attellanæ*
> *Geſtibus Autonoes.*

Id in principio conciliandis auribus, revocandis animis, & tædio liberandis audiebatur, ſed procedente tempore, *in vitium libertas excidit*, ut loquitur Horat. qui *ſalis nigri* meminit *l.* 2. *ep.* 2. *v.* 60.

> *Ille Bioneis ſermonibus* & ſale nigro.

Quemadmodum Manil. *ſalis mordacis*, eodem reſpiciens *Aſtronomic. l.* 5. Verùm ad Pſalterium viros præcipuâ auctoritate hoc modo lacerandi ritus, ſeveris Principum poſteriorum edictis coërcitus eſt, teſte Paulo JC. *l.* 5. *Recept. ſent. tit.* 4. *Pſalterium, quod vulgo dicitur* Canticum, *in alterius infamiam compoſitum & publicè recitatum: tam in eos qui cantaverint, quam in eos qui compoſuerint, extra ordinem vindicatur.* Tandem cœtum dimittebant. Horat. *in Arte Poët. v.* 154.

> *Si plauſoris eges aulæa moventis, & uſque*
> *Seſſuri, donec Cantor, vos plaudite, dicat.*

Vox poſtea, ad cujusvis rei finem tranſlata eſt. Varro ταφῆς Μενίππου,

> ---- *Quod cœperas modo in via*
> *Narrare, ut ad* exodium *adducas* &c.

Thom. Dempſterus Paralipom. *in Joh. Roſini Antiqq. l.* 5 *c.* 9. Petitus verò *Exodia* Atellanarum, non jactitata fuiſſe in fine fabularum, ſed ſparſim fabulis conſerta contendit, aliaque proin ratione ſic dicta eſſe, è Liv. docet, qui *l.* 7. *c.* 2. inquit: *Poſtquam lege hac fabularum ab riſu aut ſoluto joco res avocabatur, & ludus in artem paulatim verterat; juventus hiſtrionibus fabellarum actu relicto, ipſa inter ſe more antiquo ridicula intexta verſibus jactitare cœpit; quæ inde* Exodia *poſtea appellata, conſertaque fabellis potiſſimùm Atellanis ſunt.* Vult ergò *Exodia* appellata, quod ἐξοδικῶς, i. e. obiter & præter argumentum fabulæ jactarentur. Idem ait, primùm inconditis verſibus hæc jocularia fundi cœpiſſe: Poſtea non ſicut antè Feſcennino verſu fuiſſe alternis jactata, ſed impletas modis Satyras deſcripta jam ad tibicinum cantu, motuque congruenti peractas eſſe: Demum, ubi Liv. poſt aliquot annos à Satyris auſus eſt primus argumento fabulam ſerere, atque ita fabularum res à riſu & ſoluto joco avocata eſt, ex ludis in artem vertit, juventutem hiſtrionibus fabularum actu relicto, ipſam inter ſe more antiquo ridicula verſibus intexta jactitare cœpiſſe, quæ exinde *Exodia* appellata ſint. Hæc vera *Exodiorum* principia, verumque eorum argumentum, jocularia nempe, & ridicula verſibus intexta, ſed antiquâ ſimplicitate, teſte Donato. Unde Ἀρχαιολόγοι dicti: Gloſſæ, *Atellani*, σκηνικοὶ, ἀρχαιολόγοι, βιολόγοι; quæ ultima appellatio iis hæſit, non quòd in *Exodiis* ſententias βιωφελεῖς, *ad vitam utiles*, jacerent, ſed quia repræſentabant, & ludebant τὰ γελοῖα, & opprobria hominum malorum. Quare olim cum Satyra eadem fuêre: & exemplum apud Suet. *in Ner. Tib. c.* 45. habemus; *de quo nota vox in* Atellanico Exodio, *proximis ludis aſſenſu maximo excepta, percrebuit: Hircum vetulum capris naturam ligurire.* Proin idem Schol. Juv. ſuprà laudatum Atellanas fabulas, quæ in fine ludorum docebantur, cum *Exodiis* confundere aſſerit. Vide illum *Comm. in Leges Attic. l.* 1. *tit.* 1. *p.* 75. & *ſeqq.* Salmaſ. *Exodiarius*, olim propriè Atellanus, poſteà pro Mimo ſeu Mimico ſcurra, accipi cœpit, vide Amm. Marcell. *l.* 30. *c.* 4. & præfatum Salmaſ. *ad Aurelian. Flav. Vopiſc.* At Græcis recentioribus Ἐξόδιον, *exequias*, & Ἐξόδια ῥήματα, *ultimas morientium preces*, ſonare, obſervat Meurſ. ex *Gloſſ. Græco-Latino*. Apud Theodoret. *in Levitic. Quæſt.* 32. τὸ τέλος σημαίνει τῶν ἑορτῶν, vox *Exodii* denotat *finem feſtorum*: atque ita Levit. *c.* 23. *v.* 36. diem egreſſionis ex tabernaculis deſignat, qui feſti illius terminus fuit. Sed & Ἐξόδιον, feſtum appellatum, quod celebratum fuit in memoriam τῆς ἐξόδου τῆς ἐξ Αἰγύπτου, *exodi exitus ex Ægypto*, notavitque ultimum diem Paſchatis, Num. *c.* 29 *v.* 35 & Deut. *c.* 16. *v.* 8. ubi cùm Dominus præcepiſſet, ut in Paſchatis feſto panes azymos comederent, & addidiſſet *v.* 3. ἵνα μνησθῆτε τὴν ἡμέραν τῆς ἐξοδίας ὑμῶν ἐκ γῆς Αἰγύπτου, *ut memineritis diei egreſſus veſtri ex terra Ægypti*: ſubjungit *v.* 8. ἓξ ἡμέρας φαγῇ ἄζυμα, καὶ τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ Ἐξόδιον ἑορτὴ Κυρίῳ τῷ Θεῷ σου. Vide etiam 2. Par. *c.* 7. *v.* 9. & Nehem. *c.* 9. *v.* 20. *Exodus* autem Tragœdiæ pars eſt, poſt quam nullus deinceps eſt Chori cantus, uti habet Jul. Cæſ. Scalig. *Poëtices l.* 1. *c.* 11. &c. At Lucæ *c.* 11. *v.* 31. & 2. Petri *c.* 1. *v.* 15. Hincque apud Eccleſiaſticos Scriptores paſſim Ἔξοδος deſignat *exitum ex hac vita*, *mortem*. Recentionibus verò Græcis *ſumptum* ſignificare, docet ex vett. Gloſſis, Concilio Florentino & Geraſſimo Vlacho Cl. Suicerus *Theſ. Eccl.* in voce hac.

EXODUS, liber Canonicus S. Scripturæ Pentateuchi ſecundus, Hebr. *Veelle Semoth*, ex primis vocibus, quæ Latinè ſonant *Hæc ſunt nomina filiorum Iſraël.* Dicitur, ab exitu Iſraëlitarum ex Ægypto, cujus hiſtoriam unà cum Decalogo, legibuſque aliis divinis, continet, capp. 40. Hieron. *prolog. gal. ep. ad Pauli. & ad Deſid.* In *Exodum* extant: Ambroſii *in c.* 8. 16. 24. 30. & 32. Antiochus. Auguſtini *Quæſtiones*. Avitus Barradii *Itin. fil. Iſraël*, fol. Antverpiæ A. C. 1621. Cantarellus. Capito. Cartwrightii *Electa*. Octav. Londini A. C. 1658. Epiphanii *de* 12. *gemmis*. Ferus. Gallaſius. Harphii *Speculum aureum*, Baſil. A. C. 1496. de la Haye *Commentar.* 2. Vol. Pariſiis A. C. 1648. Huſſi *Explicatio Decalogi*. Janſenii *in c.* 15. *pr.* & 32. Janſonii *in c.* 15. R. Iſmaëlis *Mechilta*. Judæ *Annotationes*. Lippomannus, fol. Pariſiis A. C. 1550. Loniceri *Theatrum hiſt.* Lorinus. Magalianus. Moncæus. Nodini *Victoria Hebræorum*, *in c.* 15. fol. Lugduni A. C. 1611. Origenis *Homiliæ*. Paez. Pelargi *Comm.* Pepinus. Pererius. Petraſancta. Phrygionis *Comm.* Octav. Baſileæ A. C. 1596. Ravenſpergus Reuteri *Comm.* Richardi *in c.* 15. Simeri Riveti *Comm.* Roverius Rungii *Prælectiones* Rushbrochius. Simleri *Comm.* fol. Tiguri A. C. 1605. Shute, *in c.* 8. *v.* 11. Quart. Londini A. C. 1645. Terſerus in Octav. Titelmannus. Triſſinus. Varenius. Uſtella. Waſpurgerus. Zieglerus. Zuinglius, &c. Vide Crowæi *Elenchum*, & in voce *Pentateuchus*. Item *Teſtamentum*.

EXOLETI, Vide ſuprà ubi dè *Eunuchis*: de iis auferendis legem tulit Alexander Sev. apud *Lamprid.*

EXOLIDUNUM, vulgò ISSOUDON, vet. opp. Biturigum Cuborum, à ſitu dictum. Hujus olim caſtelli dominus, vir ditiſſimus Gaufridus, memoratur Herm. Monacho *l.* 1. *de miraculis S. Mariæ Laudunenſis*, apud Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide *Exeloduñum*.

EXO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

EXOMATÆ, Plin. *l. 6. laxamatæ* Melæ *Ixomatæ* Polyæn. *l. 8.* pop. Sarm. Aſiaticæ. Val. Flacc. *Argon. l. 6. v. 144.*

Exomatæ, *Torinique & flavi crine Satarchæ.*

EXOMIS, Gr. Ἐξωμὶς, tunica ſine manicis, ſeu veſtis ſtricta & anguſta, ex qua humeri exercebantur nudique conſpiciebantur. Vett. Critici *Exomides*, ἱμάτια δουλικὰ καὶ ἑτερομάσχαλα, *veſtes ſerviles ex altera parte manuleatas*, interpretantur: & habebat omnino *Exomis* alam quandam ſeu manicam latiorem, quæ more pallii injici ac circumponi poſſet; Unde Heſych. eam partim tunicam, partim pallium facit, addens Ἑτερομάσχαλον appellari, *quod alteram tantùm alam adſutam haberet.* Polluci *Exomis* dicitur, *veſtis Comica, tunica ſcuicet alba, ſine ornamentis, in ſiniſtro latere ſuturam non habens.* Subjicit huic adjectum fuiſſe palliolum album, quod Ἐγκόμβωμα dicebatur. Veriſimilius tamen eſt, alam, quæ ad inſtar pallioli, potiùs in ſiniſtra parte fuiſſe, quò dextra liberior atque operi expeditior eſſet. Non fuiſſe tamen ſolùm ſervorum *Exomides*, declarat Ariſtoph. *Lyſiſtratâ*, ubi cives ſenes ajunt:

Ἀλλὰ τὴν ἐξωμίδ' ἐκδυώμεθα ὡς τὸν ἄνδρα δεῖ,
Sed Exomidem *exuamus, ut virum decet.*

Et Ælian. *Var. l. 9. c. 34. Diogenes, cùm veniſſet Olympiam, & Rhodios quoſdam adoleſcentes videret pretioſis veſtibus amictos, ridens inquit: Hic eſt faſtus. Deinde, cùm incidiſſet in Lacedæmonios,* ἐν ἐξωμίσι φαύλαις καὶ ῥυπώσαις, *in vili ac ſordida Exomide: Hic, inquit, alius eſt faſtus.* Quare Suid. interpretatur, *tunicam ingenuorum, quæ brachia non tegeret, eſſet tamen vile indumentum.* A. Gell. præterea *l. 7. c. 12.* eas antiquiſſimo tempore à Romanis geſtatas tradit. Porrò tam Feſtus, quàm Pollux, ut viſum, Comicum veſtimentum *Exomidem* fuiſſe ajunt: ſc. ſervorum poſtquam, enim ea veſtis in deſuetudinem abiit, antiquus Servorum habitus in ſcena retentus eſt. Et quia hoc ejus proprium erat, ut humeri extarent, hinc Cynici, qui dextrum humerum exertum gerebant, inde Ἐξωμίαι & illorum Tribonium Ἐξωμὶς dicta eſt. Ad tolerantiam quoque Catonis ſpectabat, quòd pro tunica *Exomide* utebatur, prorſus ad exemplum ſervorum ſuorum, apud Plutarch. *in Catone* &c. A Colobio verò *Exomidem* ſic diſtingue, ut Colobium dicas tunicam, quæ manicas quidem haberet, ſed ad cubitum tantùm pertinentes: Exomides verò iis omninò carebant, ſic ut tota brachia renudarentur. Vide Octav. Ferrar. *de Re Veſt. paſſim, inprimis parte 2. l. 4. c. 22.* In ſcena autem ſervis *interdum albæ datæ exomides, pictæ florenti adoleſcentiæ, atræ ſenibus, interdum puniceæ genus quoddam, quam* καμπύλην *vocabant à flexu. Priſcis ſenibus candidæ, de more antiquitatis*, Jul. Cæſ. Scalig. *Poet. l. 1. c. 13.*

EXOMITÆ, pop. memorati Vopiſco *in Aurel*: ubi alii *Axomitæ* legunt.

EXOMOLOGESIS, Græcè Ἐξομολόγησις, vox Eccefiæ, de qua ſic Tertullian. de pœnitentia loquens, poſt Baptiſmum peragi ſolita, *de Pœnit. c. 9. Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur ac frequentatur*, Exomologeſis *eſt, qua delictum Domino noſtro confitemur, non quidem ut ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſione diſponitur, confeßione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque* Exomologeſis *proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ illicem. De ipſo quoque habitu atque victu mandat, ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, illa, quæ peccavit, triſti tractatione mutare: cæterum paſtum, & potum pura noſſe, non ventris ſcilicet, ſed animæ causâ: plerunque verò jejunii preces alere, ingemiſcere, lachrymari & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, & Presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere. Hæc omnia Exomologeſis* &c. Vocem ſtrictiùs Cyprian. ſumit, de ea ſc. externæ pœnitentiæ parte, quæ in *Confeßione oris* conſiſtit, quâ peccatum ſuum lapſus ſimpliciter confitetur. Sic enim ordinem diſciplinæ publicæ deſcribit *l. 3. Ep. 14. Agunt pænitentiam juſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad* Exomologeſin *veniunt, & per manus impoſitionem Epp. & Cleri jus communionis accipiunt.* Vide eundem *l. 1. Ep. 3.* Non ſolùm autem notoria crimina olim confitebantur, ſed etiam internam *de abnegatione* e. g. cogitationem; quam *Exomologeſin conſcientiæ* idem vocat, idque apud Sacerdotes aliosque fratres, ad obtinendum conſcientiæ levamen, ſicque publicâ peractâ pœnitentiâ palàm abſolvebantur. Ne verò petulantibus deriſorum linguis temerè exponerentur Fratres, viſum eſt permittere Sacerdotis judicio, an ea culpa publicari deberet, ad accipiendam publicam medelam, & cæterorum ædificationem. Quâ ratione inſtitutioni Pœnitentiarii Presbyteri via ſtrata eſt, de quo infrà, plura verò hanc in rem vide apud Joh. Forbeſ. *Inſtit. Hiſt. Theol. l. 12 c. 5. §. 18. 19. & 20.* & ſuprà ubi de *Confitendi conſuetudine.*

EXONA, vulgò ESSONE, vicus Galliæ, Hiſtoricis notiſſimus, & vetuſtiſſimus, ad fluv. Junnam, in pago Pariſiaco, Monaſterio B. Dionyſii legatus à Chlotario juniore, Dagoberti nepote. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

EXONABA, fortè Oſſonaba, urbs olim Ep. Luſitaniæ; quibuſd. nunc *Stombar*, vicus in Algarbia. Aliis *Silves*, cui ſubeſt Oſſonobenſis Eccl.

EXONIA, olim *Iſca* Damnoniorum, urbs Angliæ Ep. in agro Devon. vulgò *Exceſter.* Ad Iſcam fluv. aliquot tantùm mill. ab ora maris Germ. Ab hujus obſidione fugatus eſt Perkinus Verbelius Angliæ turbo, ab Henrico VII. A. C. 1490. Vide *Iſca.*

EXOPOLIS, Sarm. Aſiaticæ urbs ad Tanaim fluv. *Ptol.*

EXORCISTA, inter 7. gradus Eccleſiæ, ab Hieronymo recitatos locum non habet; ab inferioribus tertius numeratur, hoc ordine: Oſtiarius, Lector, *Exorciſta*, Acolythus, Subdiaconus, Preſbyter. Exorciſtarum tamen meminit Hieronym. *Comm. in Matth. c. 12. v. 27.* ubi hoc nomine eos vocat, qui ad invocationem Dei ejiciebant Dæmones. Vide Amalarium, Rabanum Maurum, Ivonem Durand. &c. *in libb. de divinis Eccl. Off. & Min.* Spelmann. *Gloſſ. Archæol.* In Eccleſia Rom. tertius Eccleſiaſtici Ordinis gradus eſt, *qui cum ordinantur, accipiunt de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt Exorciſmi, accipientes poteſtatem manus imponendi ſuper Energumenos* &c. in Ord. Rom. *Exorcizant* autem cum Energumenos, tum Catechumenos, quod olim binis vicibus fiebat, nempe primo viceſimo, dein iterum tertio ante Baptiſmum die. Imò & *Exorciſmum* uſurpant in rebus inanimatis, quibus ſc. benedicunt, cum adjuratione, quâ ab iis repelli Dæmones ajunt: Ita *Exorciſmum florum, olei, chriſmatis olei, olei Catechumenorum* &c. habet *Ordo* prædictus, & *aqua exorciſata* dicitur quibuſdam, quæ vulgò *benedicta* &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſ.* & Macros Fratres *Hierolexico.* Cæterùm in Antiquorum lectione obſervatur, ſæpiùs *Exorciſtas* dici, qui aliàs *Catechiſtæ* vocantur, quique è Catechumenis ſibi commiſſis Diabolum ejiciebant: non quòd propriè Dæmoniaci eſſent, ſed quod Chriſtum ignorantes ſub Diaboli poteſtate viverent. Quo ſenſu vox occurrit, apud Theod. Balſamon. in *Can. 26.* Laod. & Scholiaſten Græc. Harmenopuli *in Epit. Can. Sect. 1. tit. 9.* Vide quoque Greg. Naz. *Orat. de Baptiſmo*, Cyrillum *Hieroſolym. Præfat. in Catecheſes*, Alios. Propriè verò, expulſio Dæmonum, in nomine Chriſti, donum fuit extraordinarium, Apoſtolis, Epp. Prsbyteris & Laicis nonnullis conceſſum, initio Chriſtianiſmi, aliquotque poſt ſeculis ad veritatis confirmationem, & nominis Chriſti inter Judæos ac gentes amplificationem. Sic Chriſtianos quoſdam milites, Diabolos *per exorciſmos* fugandi dono præditos fuiſſe, tradit Tertull. *de Cor. mil. c. 1.* Vide quoque eum *de Idol. c. 6.* Apud Cyprian. etiam, qui virtute divinâ Diabolos torquebant vexabantque, occurrunt non uno in loco. At *Exorciſtæ* Judæi, quorum meminit Joſeph. *Antiqq. Jud. l. 8. c. 2.* & Lucas in Actis *c. 19. v. 13.* & 14. meri præſtigiatores erant, & lucrum *exorciſmis* ſuis ſectabantur. Hinc Juſtinus Martyr Tryphoni Judæo objiciebat, *quod Judæorum* Exorciſtæ *arte quadam, veluti gentes, in adjurationibus uterentur, & thymiamata ac vincula adhiberent, c. Tryph. p. 243. edit. Commel.* Unde, niſi ipſi Dæmones per colluſionem cum hiſce hominibus aſſenſiſſent, conatus effectu caruit, imò & in contrarium vertit, uti in Actis legimus *dict. loc.* Ait autem, *veluti Gentes*, in Græca, τῇ τέχνῃ ἥπερ καὶ τὰ ἔθνη χρώμενοι. Fuêrunt enim & apud Gentes *Exorciſtæ*, qui pollentibus verbis Dæmones ex obſeſſis corporibus ejicerent, idque proprium videtur Magis fuiſſe. Lucian. *in Philopſeude*, ὁ μὲν ἱστὰς αὐτὸς σιωπᾷ, ὁ δαίμων δὲ ἀποκρίνεται καὶ δὲ μὴ πεισθείη, καὶ ἀπειλῶν ἐξελαύνει τὸν δαίμονα, vide plurima *ibid.* huc ſpectantia, ut & ſuprà aliquid, ubi *de Epheſiis lit.*

EXORMISTONES, Græcè ἐξορμιστῶνες, recentioribus dictæ ſunt murænæ, quas antiqui Græci πλωτὰς, Latini *flutas*, vocabant; quòd ſole torrefactæ in ſummo æquore natarent nec mergi poſſent, verùm ob virium imbecillitatem cùm peſſum redire ampliùs non poſſent, in ſummo æquore, velut exanimes, ferrentur. Mentio earum apud Caſſiod. qui pluribus eas deſcribit, & *Siculas* vocat ac in Rhegino littore capi ait. Hinc Mart. de muræna fluta, *l. 13.* in Xenys Epigr. 80.

Quæ natat in Siculo grandis Muræna *profundo,*
Non valet exuſtam mergere Sole cutem.

Idem *l. x.* Epigr. 30. cujus Epigraphe de littore Formiano.

Natat ad magiſtrum delicata Muræna.

Θαυμαστὸν ἔδεσμα, vocat Archeſtratus; *regium cibum*, idem Caſſiod. cujuſmodi murænas Romani Proceres in vivariis ſuis habebant; inter quos nota ſævitia Vedii Pollionis, qui edentulis iſtiuſmodi murænis, nam tales *exormiſtones* ſeu flutæ erant, damnata mancipia objicere ſolebat, uti Plin. refert. *l. 9. c. 23.* Vida Salmaſ. *ad Pall. Tertull. c. 5.* ut & infrà in voce *Myrus.*

EXOSTRA, Græcè ἐξώστρα, in Theatro machina dicebatur, ſeu ſedes ſublicis elata, ſtrata longuriis, ſuper quibus ſella. Deſtinabatur autem ad ea recitanda, quæ ſecretò patrata eſſent in ædibus, qualia in *Oedipode* Sophoclis, Plauti *Amphitruone* & *Caſina* & aliis. Ἐγκύκλημα eundem locum dictum eſſe, ait Scalig. *Poet. l. 1. c. 21.* de qua voce infrà dicemus, in vocabulo *Tranſlatum.*

EXOTERICA Scripta, acroamaticis oppoſita, dicta olim trivialia, & omnibus obvia, à quibus nemo arcebatur: οἱ ἔξωθεν λόγοι Themiſtio, ἐγκύκλια φιλοσοφήματα & ἐγκύκλιοι λόγοι. Ariſtot. *de Cælo l. 1.* ac *Ethic l. 3.* ἐξωτερικοὶ λόγοι eidem *Polit. l. 3.* Solebant enim non Theologi ſolùm, ſed & Philoſophi vett. quædam tradere τοῖς ἔξω iis ſc. quibus nondum patebat theſaurus interior, alia τοῖς μεμυημένοις, iis qui legitimè initiati erant & conſignati: quorum illa Ἐξωτερικὰ, hæc Ἀκροαματικὰ ſeu Ἐσωτερικὰ appellata. Cic. *de Finib. l. 5. De ſummo autem Bonis, quia duo genera librorum ſunt: unum populariter ſcriptum, quod* Ἐξωτερικὸν *appellabant: alterum limatius, quod in commentariis reliquerunt.* Sic in Pythagoræ familia, quoſdam fuiſſe Ἀκούοντας, alios ἐν ἀπορρήτῳ διδασκομένους, quibus viz. Philoſophiæ arcana in interiori theſauro aperiebantur docet Origenes *c. Celſum l. 1.* Vide quoque ſuprà *Acroamatici libri.*

EXOUCONTII, hæretici Ariani, qui conabantur docere filium Dei ex nullis ſubſtantiis factum eſſe, i. e. ἐκ τῶν οὐκ ὄντων.

EXPECTANTES, genus Independentium in Anglia, Angl. *Waiters*, quòd, ullam in Orbe terrarum Eccleſiam in præſens extare negantes, in futurum illam *expectent*, miraculosè per Apoſtolos, Joh. inprimis, reſtituendam. Hos quidam cum *Inquiſitoribus* S. *Quærentibus*, Angl. *Seekers*, confundunt, ſed, licet in ſumma cum iis conveniant tamen, quodnam propriè & accuratè inter eos ſit diſcrimen, dicemus infrà in voce *Quærentes.*

EXPEDITARE Canem, vox Foreſtariis familiaris. *LL.* enim Foreſtarum cautum erat, ut accolarum atque adeò ipſorummet Foreſtariorum canes *expeditarentur*, ne cervos aut lepores regios venarentur, ſed ad inſequendas feras minùs pernices idoneique eſſent. Fiebat autem id vel abſciſſione trium ortellorum, ſeu unguium pedis anterioris, putà juxta ipſam cutem, vel exciſione montis pedis, quem *pellotam* vocant: Atque ita *expeditatos* habere moloſſos, & majores omnes canes, qui in foreſtis degunt, tenentur, ſub pœna 3. ſolid. 4. den. Regi pendendorum; renovandaque *expeditatio* quovis triennio, juxta *L.* Joh. Regis Angl. *p.* 180. & Edw. *l. de Foreſtis*, quæ extat apud Matth. Pariſ. A. C. 1215. Quam antiqua hæc conſuetudo ſit, patet ex *LL.* Canuti Regis *de Foreſta. c.* 31. & 32. ubi *genuiſciſſio* appellatur, Angl. verò *horing*, ut & ex *LL.* Henrici I. *de Foreſta c.* 17. ubi *miſera canum expeditatio* dicitur. Sed & de eodem Henrico ſic Ordericus Vitalis *l.* 11. *Omnem ferarum venationem totius Angliæ ſibi peculiarem vindicavit. Pedes etiam canum, qui in vicinia ſilvarum morabantur, ex parte præcidi fecit* &c. Iſtiuſmodi porrò *expeditatis* canibus, qui integros pedes habent, opponuntur in *Monaſtico* Anglic. *Tom. II. p.* 165. apud Carol. du Freſne.

EXPEDITIO, vocabatur olim, quocunque iret Imp. Spartian. *in Pio, Expeditiones rarò ſuſcepit, niſi quòd in Campaniam ad agros ſuos profectus eſt.* Ut & *Caſtra*: unde *Caſtrenſis* & *Caſtrenſiani* dicti omnes Palatini Miniſtri, quòd ſemper adeſſent Principi, nec tantùm in aula vel in Urbe, ſed in caſtris etiam obſequium illi, & miniſterium exhiberent, ac in omnibus *expeditionibus* eum ſequerentur. Iidem *Miniſteriales* & *Miniſteriani* vocati, item *Caſtrenſes*, & *Expeditionales* ſervi, in *LL.* Burgundionum, *Si quis ſervum natione barbarum occiderit lectum, miniſterialem, ſive expeditionalem 55. ſol. inferat.* Vulgò *Vaſſos* & *Vaſſalos* & *Fideles*, dicebant, qui dominos ſuos ad bellum euntes ſequi tenebantur iiſque præſtò ſemper adeſſe &c. Vide Salmaſ. *ad Lamprid. in Alex. Sev.* & hic paſſim in vocibus præfatis.

EXPEDITIO, pro ſpecie exercitus, non juſti, & ſolennis, at ſubiti velut & tumultuarii *in Vita Offæ Merciorum R. Mſ.* Quorum i. e. Danorum adventus primus, & tam temerarius poſtquam Regi innotuit, miſsâ *Expeditione*, non enim pro tali populo dignabatur exercitum publicum convocare, eorum potenter repreſſit arrogantiam, & diſſipatos, magnaque ex parte diminutos, ad naves ſuas turpiter revertere coëgit. Theodoricus autem, Gothorum Rex apud Caſſiod. *l.* 1. *c.* 17. ait: *Meritò Expeditionem nominavêre Majores: quia mens devota præliis, non debet aliis cogitationibus occupari.* Vide Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.*

EXPELLEUTA, apud Julianum Antec. *Conſtitut.* 124. §. 6. qui in *Nov. Juſtiniani* 128. §. 6. ἐξπελλευτὴς dicitur: *Impulſor*, qui Canonicariis canonem publicum ſolvere renuentes ad id compellebat, aliàs *Compulſor* quoque, vide Car. du Freſne *Gloſſar.*

EXPIATIONIS Feſtum, apud Iſraëlitas, incidens in diem decimum menſis Tisri, qui noſtro Septembri reſpondet, Levit. *c.* 13. toto exponitur. Nomen habebat ab *expiando*: Sacerdos enim ſummus, hoc in Feſto inprimis, CHRISTI typum gerens, ſua populique peccata confeſſus, certis ritibus cerimoniiſque adhibitis, *Expiationem* faciebat pro Iſraëlitis, ad mundandum eos ab omnibus peccatis eorum, coram Jehova, *v.* 30. Concernebant autem ritus iſti vel Sacerdotem ſummum conjunctim cum populo, *ceſſatio* viz. *requieſque, quâ affligebant animas ſuas*, per jejunium nempe, *v.* 31. Unde *dies jejunii* feſtum hoc vocatur Jerem. *c.* 36. *v.* 6. quò reſpiciens Apoſtolus Paulus, Actor. *c.* 27. *v.* 9. *Quum jam eſſet periculoſa navigatio, quòd jam etiam jejunium præteriiſſet* (nempe *Expiationis*, quæ in ſeptimum incidebat menſem adeoque hyems immineret) *admonebat eos* &c. Vel ipſum Pontificem: Nempe poſt ſacram diſciplinam, à Synedrii Magni delegatis aliquot, per integrum ſeptiduum in Templi conclavi פלהדרין dicto, acceptam, de quo ritu vide infrà ubi de *Pontificali dignitate*; ingreſſus in Sanctum Sanctorum, *v.* 3. quod non niſi hoc die quotannis fiebat, & ſacrificium *pro ſe & familia ſua* ab illo offerri priùs ſolitum, *v.* 6. Itaque tunicâ lineâ ſacrâ is indutus & femoralia linea ſuper carnem ſuam habens, baltheoque lineo accinctus, & cidari lineâ tectus; quas veſtes quum indueret, aquâ carnem ſuam lavare tenebatur: ſumebat juvencum ſubrumum in peccatum, & arietem in holocauſtum. A cœtu verò filiorum Iſraëlis accipiebat duos hircos in peccatum, & arietem in holocauſtum. Tum accipiens duos illos hircos, ſiſtebat illos coram Jehova ad portam tentorii conventus, & imponebat iis ſortes, ſortem unam Jehovæ, alteram verò Hazazelis (quem Gr. Ἀποπομπαῖον, *Malorum depulſorem* ſeu *averruncum* vocarunt) Quo facto eum, cui obvenerat ſors pro Jehova, mactabat, alterum, cui obvenerat ſors Hazazelis, ſiſtebat vivum coram Jehova ad faciendum expiationem ſuper eum, ut dimitteret illum in deſertum. Juvencum verò pro ſe & pro familia ſua offerebat, *v.* 3. *& ſeqq.* Peracto dein ſacrificio utroque, cujus cerimoniæ exactè deſcribuntur, *v.* 11. & *ſeqq.* nitens Sacerdos ſummus ambabus manibus ſuis ſuper caput illius hirci, qui vivus erat, confitebatur ſuper ipſum omnes iniquitates filiorum Iſraël, & poſtquam illas capiti hirci impoſuit, emittebat eum per hominem commodum in deſertum, *v.* 21. ſicque populum de ablatione peccatorum ejus & reconciliatione cum Jehova, reddebat ſecurum. Formulam Confeſſionis Hebræi hanc fuiſſe tradunt: *O Domine, populus tuus domus Iſraelis, peccavit, commiſit iniquitatem, tranſgreſſor eſt coram facie tua, Quare te nunc humillimè precor, ô Domine, remitte peccata, iniquitates ac tranſgreſſiones, quas populus tuus, domus Iſraël, peccavit, iniquè fecit & tranſgreſſus eſt coram te; ſicuti ſcriptum eſt in lege Moſis ſervi tui: ut hoc die faciat expiationem pro vobis ad mundandum vos, & ad mundos vos reddendos ab omnibus peccatis veſtris coram Jehova.* Vide P. Fagium *in Levit. c.* 6. & reliqua infrà in voce *Sanctuarium*. Atque hæc erat *Expiatio anniverſaria*, illuſtris ille Sacrificii Meſſiæ in cruce ſuo tempore offerendi, typus: cujus cum antitypo ſuo collationem vide Hebr. *c.* 10. Hodierni Judæi, cùm ſacrificium, utpote Templo deſtructo, offerre non poſſint, Gallum gallinaceum victimæ loco ſubſtituunt hoc modo: Ab anni principio ad decimum uſque diem, quo feſtum *Expiationis* celebratur, appellare ſolent *Aſéres jeme teſchuvah*, i. e. *decem pœnitentiæ dies*; quibus durantibus jejunio ſe ſtrenuè macerant, multum orant, confeſſionem inprimis peccatorum ſuorum quotidie manè ter recitant, & magnam pietatis ſpeciem præ ſe ferunt, abſtinentes interea à *pane Chriſtianorum*, & quæ alia ſunt, quæ ad ſingularem munditiem ac puritatem facere videntur. Nono die manè ante lucem ſurgunt, ſcholamque ingreſſi canunt ac precantur prolixè. Inde domum reverſi, mares ſinguli gallum in manus ſumunt, feminæ gallinam, gravidæ utrumque: tum Paterfamilias, cum gallo præ manibus in medium prodit, & recitatis *verſibus* aliquot, inprimis 10, 14. 17. ex Pſalmo 107. & expiationem aggreditur, & capiti ſuo gallum ter allidens, ſingulos ritus his vocibus proſequitur: *Hic gallus ſit permutatio pro me, hic in locum meum ſuccedat, hic ſit expiatio pro me, huic gallo mors afferetur, mihi verò & toti Iſraeli vita fortunata, Amen.* Quod ille ter ex ordine facit, pro ſe ſc. pro filiis ſuis & pro peregrinis, qui apud eum ſunt: Gallo dein imponens manus, ut in ſacrificiis olim eum certis ritibus adhibitis mactat & aſſat, inteſtinis ejus ſupra domus tectum projectis, ut corvi adveniant, & cum ſuis peccatis in deſertum advolent, ad inſtar hirci Hazazelis. Cauſa, quare gallo potiùs, quàm alio animante utuntur, hæc eſt, quia Vir Hebraicè גבר *Gebher* appellatur. Jam ſi *Gebher* peccaverit, *Gebher* etiam pœnam ſuſtinere debet; quæ quum gravior eſſet, quàm ut illam ſubire poſſent Judæi, gallum gallinaceum, Talmudicâ ſeu Babylonicâ dialecto *Gebher* appellatum, in locum ſuum ſubſtituunt, quo ſic juſtitiæ divinæ ſatisfiat. Factâ ita expiatione, ad ſepulchretum ſuum pergunt, ibique orant, & eleemoſynas diſtribuunt; tantum nempe pecuniæ, quanti gallus æſtimatur: ſicque oblationem à Deo ſuo pecuniâ redemptam in ollam conjiciunt vel veru transfigunt & ſuaviter poſtea epulantur. Plura ſi voles conſule Buxtorfium Fil. *Synag. Judaic. auctâ & locupletatâ c.* 25. & 26. Ab hoc *Expiationis* feſto Iſraëlitarum occaſionem ſumpſêre Græci quotannis, die 6. menſis Thargelionis, vide infrà *Thargelia*; ſolenni ritu, urbes ſuas luſtrandi ac expiandi. Produxêrunt nempe aliquot homines morti reos, quos in morem victimarum ſertis floribuſque coronatos, è rupe vel alio quodam loco excelſo, in mare præcipitarunt, Neptuno offerendos, additis verbis hiſce: Περίψημα ἡμῶν γένου, *Sis pro nobis peripſema*, i. e. expiatio vel reconciliatio pro nobis. Similiter, quoties peſte affligebantur vel aliâ quadam contage, Diis ſuis certum aliquem hominem, in cujus caput malum devolveretur, obtulêrunt, quem κάθαρμα vocare ſunt ſoliti: quæ ambo vocabula cùm adhibeantur ab Apoſtolo 1. Cor. *c.* 4. *v.* 13. ad duas has *Expiationis* apud Gentiles uſitatæ ſpecies, reſpicere videtur Budæo *Annot. reliq. in Pand. de pœnis*. Vide Thom. Godwyn. *de ritibus Hebr. l.* 3. *c.* 8. Fr. Burmann. *Synopſi Theol. Chriſt.* & ſuprà in voce *Azazel*, nec non infrà ubi de menſe *Majo*.

Sacerdotis ſummi, Feſtum hoc obeuntis, & SERVATORIS noſtri paralleliſmus.

1. Sacerdos S. ingrediebatur Sanctum Sanctorum, Levit. *c.* 16. *v.* 3.
2. Semel in anno, Exodi *c.* 3. *v.* 10.
2. Idque cum ſanguine hircorum & vitulorum, Hebr. *c.* 9. *v.* 12.
4. Et quidem ſolus, *ibid.*
5. Sacerdotalibus amictus veſtibus, Levit. *c.* 16. *v.* 4.
6. Sumens duos hircos, Idem *c.* 16. *v.* 7.
7. Hircus portabat iniquitates populi.

1. Chriſtus, noſter Pontifex M. ingreſſus eſt cœleſte ſacrarium Hebr. *c.* 9. *v.* 12.
2. Idque ſemel tantùm, ut *in eodem loco* habetur.
3. Per proprium ſuum ſanguinem, *Ibid.*
4. Torcular calcavit ſolus, Eſai. *c.* 53. *v.* 3.
5. Ad id officii à Patre ordinatus & unctus ab æterno.
6. Humanam aſſumſit naturam, ut duabus nunc Perſona ejus naturis conſtet; è quibus divina per hircum Hazazel utcunque adumbrabatur; humanæ paſſione ac morte per hircum alterum, qui immolabatur, ſignificatâ, Theod. *Quæſt.* 12. *in Leviticum.*
7. Ecce agnus, qui portat peccata mundi, Joh. *c.* 1. *v.* 29. Vide quoque 2. Cor. *c.* 5. *v.* 21.

Ab Hebræis tranſit *Expiationis ritus* ad Gentiles utcunque, quorum nota κακοζηλία eſt. Vide de illorum *Expiationibus ab aqua viva, & aqua marina*, multis agentem Andr. Tiraquell. *de Nobilit. c.* 31. præterea Dilherum *de Cacozelia Gentil.* Alios.

EXPLICIT, vox in fine librorum olim addi ſolita. Hieronym. *ad Marcellam, Scire debemus, apud Hebræos in fine librorum unum è tribus ſolere ſubnecti: ut aut Amen ſcribant, aut Sela aut Salom, quod exprimit pacem* — *ut ſolemus nos completis opuſculis, ad diſtinctionem rei alterius ſequentis, medium interponere*, Explicit, *aut* Feliciter, *aut aliquid ejuſmodi.* Vide ſuprà *Diapſalma*. Sic apud eundem, Teſtamentum Corocottæ Porcelli ita clauditur: *Explicit Teſtamentum Porcelli ſub die KL. Lucernínas, Clibanato & Piperato Conſulibus feliciter.* Eſt autem *Explicit*, idem quod finitur, ſeu abſolvitur. eique opponitur *Incipit*. Cujus loco apud purioris ævi Scriptores explicitum habes, i. e. ex plicis ſolutum. Sic *Explicitum tractatum* legas apud Ulpian. Et Mart. *l.* 14. cui Apophereta *Epigr.* 1. *v. ult.*

Verſibus explicitum *eſt omne duobus opus.*

Vide quoque infrà *Feliciter.*

EXPLO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

EXPLODERE, verbum Scenæ, de quo vide ſuprà ubi de *Exſibilandi ritu*.

EXPLORATORES Caſtrorum, quorum meminit Plin. *l.* 36. *c.* 19. (Vide locum infrà, ubi *de Focari lapide* ſeu pyrite, quo illi ad ignem edendum utebantur) iidem erant cum Frumentariis, quos *ad explorandum, & annuntiandum*, ſi qui motus exiſterent, conſtitutos tradit Aur. Victor. Πρὸς τὸ διοπτεύειν καὶ διαγγέλλειν: quod officium commune videntur habuiſſe cum Speculatoribus, quos Plutarch. vocat Διοπτῆρας καὶ Διαγγέλους, i. e. *Exploratores, & Annuntiatores*; Dio Διόπτας & Ἐρευνητὰς, *Exploratores & Scrutatores*. Interim cum iis non confundendi: Namque *Speculatorum Legionis*, & *Exploratorum Legionis*, diſtincta mentio in antiquis monumentis; ut & *Speculatorum & Frumentariorum*, quorum hi honeſtiore gradu militarunt, uti ex Dione docet Salmaſ. *ad Spartian. in Hadr.* Vide infrà, ubi *de Frumentariis & Speculatoribus*. Sed & in bello *Exploratores* priſci jam moris fuêre, ut ex hiſtoria ſacra Moſis liquet: quos, licèt mitti jure Gentium poſſint, deprehenſos peſſimè tractari notum. Appian. Ἔθος τοὺς κατασκόπους κτείνειν, *mos eſt exploratores interficere*. Vide quæ infrà *de Manuum abſciſſione*. Juſtè interdum ab his, qui manifeſtè juſtam habent bellandi cauſam: ab aliis verò licentiâ illâ, quam dat belli jus. H. Grot. *de jure B. & P. l.* 3. §. 18 Alia notio *Coronarum Exploratoriarum* apud Suet. *Calig.* quibus Imp. hic donavit comites ſuos & participes victoriæ, quorum virtutem habebat *exploratam* & ſatis ſuperque teſtatam. Erant illæ diſtinctæ Solis ac Lunæ, Siderumque ſpecie quorum fulgore cùm *exploreatur* omnia, hinc quoque taſium dotes ſibi *exploratas* eſſe, videtur voluiſſe indigitare Caligula. Vide C. Paſchal. *Coronar. l.* 9. *c.* 10. uti de *exploratione* Magiſtratuum Athenis inſtitui ſolitâ, infrà ubi de *Helio. Novemviris, Orator.* it. *Parcdris Strateeis. Theſmotcas*, eorum qui militaturi erant, itidem infrà in voce *Milites*; quique muralem vel vallarem inprimis ſibi depoſcebant coronas, in his vocibus: ut & ubi de *Ephebis*, ac *Mutilatis bello*, item in voce *Nothus*. qui in Monachorum album admitti poſtulabant, voce *Pulſantes*. De *exploratione* verò nummorum per quatuor ſenſus, infrà in voce *Olfactus*: Fortunæ futuræ recens natorum, ubi de *Virgis Natalitiis*. Erant verò & *Exploratores viarum*, indigitari Suet. *in Tib. c.* 60. quo miniſteriorum genere utebantur Proceres Rom. non ſolùm in viis agrorum, ſed etiam in urbe, putà cùm ad balnea, aut cœnatum aliquo irent, ut ab iis per vias de lapidibus monerentur, aut alio quoquam, quod offendere poſſet: uti diſcimus ex Apulejo *l.* 2. & Luciano *in Nigrino*.

EXPOMONOGERON, tit. libri, ab Ordonio Mon. ſcripti, teſte Ambroſ. Morales, de quo vide Car. du Freſne *Gloſſar*.

EXPONENDI infantes, mos antiquiſſimus fuit. Namque de Moyſe, nota hiſtoria in ſacris: Unde Ezechiel Tragicus, Clementi Alexandrino & Euſebio laudatus,

> Ἐνταῦθα μητὴρ ἡ τεκοῦσ' ἔκρυπτέ με
> Τρεῖς μῆνας, ὡς ἔφασκεν, οὐ λαθοῦσα δὲ
> Ὑπεξέθηκε.
>
> *Ibi mater quæ me peperit, abſcondit me*
> *Tres menſes, ut dixit, cùm autem latere non poſſet,*
> *Clam expoſuit.*

Sed Pharaonis iræ potiùs ſubductus, quàm *expoſitus* Moyſes eſt. Apud Romanos, natos nepotes Amulius *exponi* curavit, Florus *Hiſt. Rom. l.* 1. Græcos idem factitaſſe, Oedipi exemplum docet, apud Diod. Sic. *l.* 5. *c.* 6. & Senec. Trag. *Oedipo*. Et quidem apud alios, in arbitrio id Parentum erat: apud Spartanos verò non priùs id licebat, quàm à viris ad id publicâ auctoritate conſtitutis exploratus eſſet infans, an εὐπαγὴς καὶ εὐμυελέος, *ſanus robuſtuſque*, an ſecus eſſet. Quos Romani ſequuti, lege latâ exponi partus vetuêrunt, Liv. *Dec.* 1. *l.* 1. & Theodoſ. *l.* 5. *tit.* 7. niſi fortè monſtroſi forent, Dionyſ. Halicarn. *l.* 2. Nunquam enim ſine commiſeratione Deorum putabant iſtiuſmodi fætus naſci, quos abjicere aut necare Reip. intereſſe credebatur. At morem hunc Thebani, velut impium & ab omni humanitate alienum, ſuſtulêrunt meritò, lege latâ: Ὅτι οὐκ ἔξεστιν ἀνδρὶ Θηβαίῳ ἐκθεῖναι παιδίον, *Ne cui Thebano viro liceat exponere infantem*: & Valentinian. ac Valens Augg. *l.* 1. *Cod de infant. expoſit.* idemque habitum eſt *exponere*, quod *necare*, Paul. IC. *leg.* 4. *ff. de agnoſc. lib.* Locus erat vel mare, vel fluvii. Juſtin. *l.* 44. *c.* 4 *Gargoris Rex nepotem ſuum Habidem in mare projici juſſit*. Ad Nilum Moyſes Ex. *c.* 3. *v.* 4. ad Tiberim Romulus Remuſque expoſiti leguntur, Strab. *l.* 5. *Geogr. Hos ad Tiberim expoſuit ſecundùm morem quendam patrium*. Alii in deſerto & aviis abjiciebantur: Unde Senec. de Oedipo, & in *alta nemora pabulum miſit feris avidis*. Vel in puteos demergebantur, ut in Taygeto Lacedæmonii fecêre: Vel in excavatis arboribus reponebantur, ut ex Euſtathio diſcimus *in Homeri Il. X.* Vel deniqve ad cloacas deferebantur; ut colligere eſt ex illis Juv. verbis *Sat.* 6. *l.* 2. *v.* 601.

> *Tranſeo ſuppoſitos, & gaudia, votaque ſæpe*
> *Ad turpes decepta lacus.*

Vide quoque infrà, in voce *Nymphæ*. Exponebantur autem, *in vaſculo de papyro facto ac bitumine illito*, ut ait Freculphus *Tom.* 1. *Chron. l.* 2. *c.* 8. quod *fiſcellam* vocat Interpres Glycæ *Ann. part.* 2. *p.* 206. quorum hic Romanam, ille Hebraicam hanc conſuetudinem fuiſſe docet. Vel etiam in vaſe fictili, quod ὄστρακον appellat Ariſtoph. in *Ranis*, faſciis involutum infantem poſuêre: quò quidam trahunt verba Terentii *Andriâ*, *Act.* 4. *ſc.* 5. *v.* 30.

> ---- ---- *Verum vidi Cantharum*
> *Suffarcinatum.*

Ubi Eugraphius vetus Grammat. *Cantharum*, inquit, *ſuffarcinatum dixit, quaſi corbem ſupponendo puero repletum*. Alii *Suffaſciatum* legunt, ad faſcias infantis reſpicere Comicum rati. Χύτρα porro tale vas Græcis appellatum, unde χυτρίζειν pro *Exponere* dixêre. Quid rei fuerit ἀντίπηξ, in qua Creuſa furto conceptam prolem in Acropoli expoſuit, in incerto eſt. Euripides ἄγγος vocat, ſeu *vas*, memoratque infantem illum, Jonem nomine, corio involutum, ei impoſitum fuiſſe,

> ---- ---- Ἀναπτύξας σκύτος
> Εἱλικτὸν ἀντίπηγος

E quibus verbis colligit Roſſæus, *arcam* ſeu *ciſtam* optimè reddi: Namque σκύτος εἱλικτὸν, *corium quod convolvi poteſt*, quo nomine *Riſcus* fortè veniat, vocatur: & ab una parte obſeratum fuit, unde ἀντίπηξ, ab ἀντὶ & πήγνυμι, quemadmodum noſtræ *hippoperæ* eſſe ſolent, & tandem rotundum erat & volvi aptiſſimum.

> ---- ---- Κἀκτίθησιν ὡς θανούμενον
> Κοίλης ἐν ἀντίπηγος εὐτρόχῳ κύκλῳ,
>
> ---- ---- Exponitque *ut moriturum.*
> *Cavæ in ciſtæ volubili orbe.*

Sed quamvis miſeri hi durique parentes Fortunæ ludibrio fœtus ſuos expoſuêre; operam tamen dedêrunt omnem, ut, quàm optimè poſſent, ornamentis illos ac neceſſariis vitæ ſubſidiis inſtruerent. Hinc unà cum iis pretioſiſſima quæque expoſita, aurum, gemmæ, annuli, monilia, aliaque quæ, ſi in vita conſervarentur, iis alendis: ſin morerentur, tumulandis honeſtè eſſent ſatis. Terent. *Heautont. Act.* 4. *ſc.* 1. *v.* 37.

> ---- *Cùm* exponendam *do illi, digito annulum*
> *Detraho, & eum ut una cum puella exponeret,*
> *Si moreretur, ne expers partis eſſet de noſtris bonis,*

Heliodorus *Æthiop. l.* 4. Ὥστε ὥρα σοι πάντως ἐπιδεικνύναι μοι τὴν ταινίαν ἣν σὺ τῇ παιδὶ συνεκτεθεῖσαν ὑποδεδέχθαι μετὰ τῶν ἄλλων γνωρισμάτων ἔλεγες, *Quamobrem tempus eſt omnino, ut mihi faſciam oſtendas, quam cum filia expoſitam te cum cœteris indiciis recepiſſe dicebas*: cui monili utriuſque parentis nomen inſculptum fuiſſe idem paulò pòſt refert. Ubi Γνωρίσματα ſeu *Indicia* iſta dicta fuiſſe legimus, quæ aliàs Παίγνια i. e. *Crepundia*: & quia plerumque collo infantis circumligabantur, Περιδέραια appellata ſunt. Unde ſuprà laudatus Ezechiel Tragicus de Moyſe,

> Ὑπεξέθηκε κόσμον ἀμφιθεῖσά μοι,
> Παρ' ὄχθην κτλ.
>
> *Clam expoſuit, ornatum circumdans mihi,*
> *Juxta litus &c.*

Verùm accuratioribus Γνωρίσματα in eo à Παιγνίοις diſtinguuntur, quòd illa non propriè ornatûs aut alimoniæ causâ infantibus addita fuêrint, ſed ut tum ipſi eo facilius invenirentur, tum à parentibus ſuo tempore, ſi uſus eſſet, agnoſci poſſent. Erant enim plerumque notæ ac crepitacula, quorum ſtrepitu, quoties ſe movebat infans, prætereuntes monerentur aliquem fœtum hîc expoſitum latere: vel etiam monilia aut faſciæ, quibus Parentum nomina, ut modò ex Heliodoro vidimus, eſſent inſculpta: Non enim ſemper ad necem miſelli expoſiti ſunt. Simile quiddam cum hoc *Expoſitionis* ritu habet conſuetudo gentium, apud quas Matres proprios ſuos fœtus lactare dedignatæ, Nutricibus eos non ſine maximo ſæpiſſimè tenellorum infantum damno, exponere non verentur: quod de Anglis ſuis conqueritur Franc. Roſſæus *Archæol. Atticæ l.* 5. *c.* 8. de aliis alii. Etiam Oreſtis in Phocidem delatio, ut ab Ægyſthi inſidiis tutus eſſet, affinis *Expoſitioni* fuit: Unde, quia ibi clam educatus erat, Sophocles juventutem illius κρυπτὴν ὥραν, ipſumque Lycophron ἐν δνόφῳ τεθραμμένον vocat. Vide eundem *ibid.* adde Thom. Dempſter. in Joh. Roſini *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 1. *Paralipomenis* Jac. Orzelium cœteroſque Minucii Commentatores, ad verba, *vos video procreatos filios feris & avibus exponere. Dum etiam domi natos alienæ miſericordiæ frequenter exponitis*: nec non ſuprà *Collectus infans*, & quæ hic infrà ubi de *Nutricariis ac Parentibus*, it. voce *Servi*. Sed & *exponere* vox ſignata, locum habens in iis, quas vocant Græci ἐπιδείξεις: quum pretioſiſſimæ quæque res foràs proferuntur, & *exponuntur* oculis ſpectantium. Caſaub. *ad Suet. Jul. c.* 10. *in quibus abundante rerum copiâ pars apparatus exponeretur*.

EXPRESSA Imago apud Plaut. Pſeud. Act. 1. ſc. 1. v. 54.

> *Eâ causâ Miles heic reliquit ſymbolum*
> Expreſſam *in cera ex annulo ſuam imaginem:*

Græcè ἔκτυπος, *extans*, eminens eſt. Gemmæ nempe ad ſignandum ſcalptæ, ipſæ impreſſas habent figuras, & in cavo inciſas; ἐντύπωμα. Græci vocant τὸ γλύμμα τῆς σφραγῖδος. At cùm ceram ſignant, imaginem in ea exprimunt, quod ἐκτύπωμα iiſdem dicitur. Salmaſ. *in Plinianis Exercit. p.* 1105. Vide quoque ſuprà ubi de imaginibus *Ectypis*.

EXPUERE, Vide infrà ubi de *Exſufflatione*, *Saliva* & *Sputo*.

EXPUNGI, quid? infrà ubi *de Matricula*.

EXPURGATORIUS Index, quid ſit in Eccleſia Rom. Vide ſuprà *Indices Expurgatorii*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

EXQUILIÆ, vel ESQUILIÆ, mons Romæ, dictus ab *excubiis* Regis Tulli Hoſtilii, qui hunc collem urbi adjecit teſte Liv. & in eum, ut frequentiùs habitaretur, domicilium ſuum tranſtulit. Sunt qui ab *excolendo* ſic dictas volunt, quòd ea pars urbis, cùm antea neglecta jacuiſſet, à Tullo Rege fuerit exculta. Horat. *l.* 1. Serm. Sat. 8. *v* 14.

> *Nunc licet* Exquiliis *habitare ſalubribus.*

Vide Paſſeratii *ſolennes lectiones in Propert. l.* 3. *Eleg.* 23. *v.* 22.

> *Et dominum* Eſquiliis *ſcribe habitare tuum.*

Nic. Lloyd.

EXQUILINUS Obeliſcus, Vide *Obeliſcus.*

EXSEQUIÆ, Vide ſuprà *Exequiæ.*

EXSERERE Brachia, humerosque, Venatorum eſt. De Diana Papin. Stat. *Achill. l.* 1. *v.* 344. & ſeqq.

> *Sic ubi Virgineis Hecate laſſata pharetris*
> *Ad patrem fratremque redit, comes hæret eunti*
> *Mater & ipſa humeros* exſertaque *brachia velat.*

De Mævia Juv. *Sat.* 1. *l.* 1. *v.* 22.

> ---- ---- *Mævia Tuſcum*
> *Figat aprum & nuda teneat venabula mamma :*

Bellatorum item. Frontin. *Strateg. l.* 2. *c.* 1. *Metellus Pius quodam tempore, cùm Sertorianos milites advertiſſet, magno impetu inſtinctos, depoſcentes pugnam, humeroſque exerentes & lanceas vibrantes, recepit exercitum.* De Camilla Virg. Æn. *l.* XI. *v.* 648.

> *At medias inter cædes exſultat Amazon*
> *Unum* exerta *latus pugnæ, pharetrata Camilla.*

Vide eundem de Pentheſilea *Æn. l.* 1. *v.* 494.

> *Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis*
> Pentheſilea *furens, mediſque in millibus ardet*

Stat. *Theb. l.* 1. & quæ de *exſertis Cethegis* diximus ſuprà, in voce *Cinctum*, quæque hanc in rem infrà dicemus ubi de *Pallio*, it. ubi de *Pedeſtribus Statuis*, & in voce *Sinus* ac *Statua*. Et talis geſtus erat Achillis ægrè latentis, inter Virgines, præſentibus Græcorum Legatis, apud eundem. *Achill. l.* 2. *v.* 39.

> *Quòd niſi præcipitem blando complexa moneret*
> *Deidamia ſinu, nudataque pectora ſemper*
> Exſertasque *manus, humeroſque in veſte teneret* &c.

Eodem modo Mortis imago, utpote ad feriendum ſemper paratæ, figurabatur. Val. Flacc. Argon. *l.* 2. *v.* 206.

> *Et Dolus, & Rabies, & Lethi major Imago*
> *Viſa truces* exſerta *manus* ----

Unde *exſertus*, implacabilis, ſtrictus. Proſper. Aquitan. *in Epigramm.*

> *Cùm Deus* exſerta *peccantes verberat irâ,*
> *Ut norint homines, quid mereantur, agit.*

Et *exertè*, rigidè, pugnaciter. Tertullian. *c. Valentin. l.* 3. *qui talia neque facilè producunt, neque* exſertè *defendunt.* Appulej. *l.* 1. *Janitor introrupit,* exſertè *clamitans, ubi es tu* &c. Vide C. Barth. *Animadverſ. ad Stat. Theb. l.* 1. *v.* 413.

> Exertare *humeros, nudamque laceſſere pugnam.*

Alibique paſſim.

EXSUFFLATIO, vel INSUFFLATIO, in ritibus Baptiſmi uſurpata; occurrit apud Dionyſ. *Hierarch. c.* 2. ubi Catechumenus jubetur à Pontifice converſus ad Occid. Satanam ter ἐμφυσῆσαι, *inſufflare*: quâ inter renuntiandum *exſufflatione* trinâ ſignificatum Baptiſmi Candidatum dæmonem omnibus modis excreari, & abominari. Cui Cerimoniæ proximè accedunt Moſci, apud quos Suſceptores ac Fidejuſſores, baptizandi nomine ter interrogati, *num Diabolo renuntient*, toties reſpondentes in terram expuunt. Sed & in Communione Rom. Sacerdos in Baptiſmo ter in faciem baptizandi ſufflat, ſignum exprimens crucis capitis motu oriſque, ut eſt in *Libro Sacramentor.* Gregorii M. &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* Mos nempe priſcus erat, hoc modo faſtidium, & contemptum ſuum indicare. Chriſtianorum inprimis qui ad viſa templa, & idola, utpote dæmonum ſedes deſpuere & *exſufflare* ſolebant. Sic *Martyrolog. vet. in Januario, in Achaja S. Satyri martyris, qui tranſiens ante quoddam idolum exſufflavit in illud.* Tertullian. *de Idol. Ipſius fidei conſcientiam perrogemus, quo ore* Chriſtianus *fumantes aras deſpuet & exſufflabit, quibus ipſe proſpexit?* Prudent. περὶ στεφ. Rom. Mart. Hym. 14. *v.* 916. 919 & 920.

> *Reponit aras ad tribunal denuo.*
> *Ingreſſus ille, ut hos paratus perſpicit*
> Inſufflat *ipſos ceu videret Dæmonas.*

Et frequenter in *Actis* Martyr. Abdia Babyl. Aliis.

Suet. *deflare* id vocat, in *Calig. c.* 38. καταφυσᾶν Epiphan. *contra Marcos. l.* 1. Sophocles πτύειν καταπτύειν &c. Vide Caſaub. *ad l. Suet.* & ſuprà *Conſpuere.*

EXSULTATIO, ferox & nimium gaudium eſt. Catull. Carm. 51. ad Lesbiam *v.* 13.

> *Otium, Catulle, tibi moleſtum eſt,*
> *Otio* exſultas *nimiumque gaudes.*

Tripudiatio & tumultus, more Sacerdotum Cybeles, qui ſic ſervatum fingebant Jovem. Callimachus *Hymno Jovis v.* 52.

> Οὖλα δὲ Κουρῆτές γε περὶ πρύλιν ὠρχήσαντο,
> Τεύχεα πεπληγότες, ἵνα Κρόνος οὔασιν ἠχὼ
> Ἀσπίδος εἰσαΐοι καὶ μή σεο κουρίζοντος.

Tralatum ab aqua fervente, quæ ſubtus impulſa exultat. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 462.

> --- *Magno veluti cùm flamma ſonore*
> *Virgea ſuggeritur coſtis undantis aheni,*
> Exultantque *æſtu latices* &c.

Vide C. Barth. *Animadverſ. ad Stat. Theb. l.* 4. *v.* 63.

> *Hac manus Adraſtum numero ter mille ſecuti*
> Exultant.

Idem Ibid. *v.* 783.

> *Dum circa parvum jubet* exultare *ſonantem*
> *Curetas trepidos :*

In Theatro inprimis olim frequens, ut ſuprà jam innuimus, ubi de *Aſſurgendi more*. Proprium certè illi rei *exſultare*. Suet. *Aug. c.* 53. *Cum ſpectante eo ludos pronuntiatum eſſet in mimo ô Dominum æquum & bonum: & univerſi quaſi de ipſo dictum* exſultantes *comprobaſſent* &c. ἀναπηδᾷν dixêre Græci, uti diſcimus ex Arrian. *Diſſertat. Epicteti l.* 3. *c.* 4. & Euſeb. *Hiſt. Eccl. l.* 7. *c.* 30. ubi de Paulo Samoſateno vi- de Deſid. Herald. *ad Arnob. l.* 4. nec non hîc paſſim.

EXTA, Vide infra *Extiſpices*, it. *Ollæ extares*. Dico hîc ſaltem, *exta replicata* ſive *duplicia*, lætiſſima ſemper habita, ſive omninò eſſent replicata, ſive tantùm ex parte: Sic jecur duplex, apud Val. Max. *l.* 1. fel item geminum, apud Plin. *l.* 11. *c.* 37. læta portendebat. Proſecabantur autem cocto ut plurimum: interim fuiſſe Gentilium Deos tam bono ſtomacho, ut nonnunquam & ſemicruda, imò aliquando planè cruda, admitterent æqui, diſcimus ex Arnob. *l.* 2. & 7. De more *exta cruda in mare projiciendi*, vide Liv. *l.* 24. *c.* 16. &c. Vide quoque infrà in verbo *Reddi*, it. *Seceſpita*, hac enim viſcera rimabantur, cùm manu, ne qua offenſa pollutis ſacris intercederet, ea contrectare non liceret.

EXTELARIUS Cervus ſeu *Domeſticus*, *in L. Sal. tit.* 36. §. 3. edit. *Heroldi*: *Si quis cervum domeſticum, ſignum habentem, furaverit, qui ad venationem faciendam manſuetus factus eſt, &* extelarium *potuerit approbare, quòd extelarius fuiſſet &c.* dicitur cervus, quem manſuefactum Venatores in ſilvam præmittunt, quo cervi alii hinnulique nihil metuentes periculi, illius ſocii facti, facilius incaſſes eorum aut tela incidant, cervo domeſtico habente collare, aliudque forè ſignum, ne venator in mittendo telo aberret: Unde quòd extra teli periculum habendus ſit, *Extelarii* nomen ei datum. De cujuſmodi cervis domeſticis ajunt Juſtinian *de Rer. diviſ.* & *l. Longob. l.* 1. *tit.* 19. §. 13. & 14. Car. du Freſne. Simile officium columbas ad id aſſuefactas, Aucupibus præſtare, diximus ſuprà in voce *Columba Allectatrix.*

EXTEMPLO, vox Auguralis, vide infrà *Templum.*

EXTENSIO, vide ſuprà *Agadoth.*

EXTENSIO in tabula inter Vett. ſerviles pœnas, vide infrà *Servi.*

EXTISPICES, ab *extis inſpiciendis* dicti ſunt olim Auſpices, qui è victimarum in aris occiſarum viſceribus, ex artis ſuæ, quæ *Extiſpicina* dicta eſt, diſciplina conſideratis, futura prædicebant; de qua Cic. *Extis*, inquit, *omnes fere utimur.* Hæc viguit inprimis Elide olim, in Græcia, ubi duæ familiæ erant, Jamidarum ac Clytidarum, ei ex profeſſo addictæ; nec non Telmeſſæ in Caria. In Italia primùm *Extiſpices* omnes Hetruſci fuére, in quorum regione ars hæc maximè floruit: Romæ à primo Rege Romulo inſtituti fuit, teſte Dionyſ. *l.* 2. Et quidem apud Græcos totum victimæ officii dæ negotium Ἱεροσκοπία: ars ritè mactandi Θυτική: *extorum inſpectio*, per Synecd. Ἡπατοσκοπία, interrogatio verò vel inquiſitio σπευστεία, ut ex Sophoclis *Electra* diſcimus, dicta eſt. Secandi ſectionem ipſam ἀνωμοθετεῖν vocarunt, ſigna obſervari ſolita Σημεῖα & *Extiſpices* Σημειωτικοὺς, dixêre. Mali autem ominis erat, ſi victima ductorem non ſponte ſequeretur, ſed vi pertrahenda eſſet; vel ſi ex ducentium manibus ſeſe proripuiſſet; ſi profugiſſet, ſi elapſa ictum fefelliſſet, vel percuſſa aut exiliiſſet altius, aut horridiùs exclamaſſet, aut non ſtatim & quidem placidè concidiſſet: vel ſi ſemianimis provoluta in terram, eandem pedibus calcitraſſet importuniùs: difficulter expiraſſet, vel jugulata non copioſo diffluxiſſet ſanguine, vel inter jugulandum triſte aliquid infauſtumque oculis auribusve occurriſſet. Hæc enim offenſi Numinis pœnaſque minitantis ſigna habebantur. Ita de ſacrificio Ægyſthi Tragicus,

> ---- ---- Πᾶν δὲ σῶμ' ἄνω κάτω
> Ἤσπαιρεν· ἠλάλαζε δὲ θνῄσκων φόνῳ.

> ---- ---- *Totum verò corpus ſurſum deorſum*
> *Palpitavit vociferatumque eſt moriens cæde,* &c.

Quibus contraria ſigna læta omnia portendebant. Ex diſſectis demum victi-

victimis, quod *Fiſſiculationem* vocabant, quodque propriè *Extiſpicium* erat, è ſignis ſalubribus noxiiſque, ex habitu coloreque extorum, & fibrarum defectu aliquarum particularum in præcipuis organis aut præter naturam adnatis collectiſque ex humorum affluxu abſceſſibus, ſumebant conjecturas de eventuum conditione, in quam partem Numen, cui adornabatur ſacrificium, propenderet. *Exta* autem dicebantur, quod ea Diis proſecarentur, & maximè *extarent* eminerentque: Qualia erant *jecur*, *pulmo*, *lien*, *cor*, *præcordia*, *renes lingua* &c. in quibus *Jecori* principatus deferebatur: Unde Philoſtrat. Ἐν ἥπατι, inquit, φασι τ αὐτῶν μαντικῆς εἶναι τρίποδα οἱ δεινοὶ ταῦτα, *in Hepate tripodem artis ſuæ conſtituunt ejus periti*. Ab hoc igitur contemplationem *Extorum* ordiebantur: quod ſi grata, & nativa purpurâ ruberet, nullaque eſſet contaminatum labe: vel ſi caput ejus auctum duplicatumve, aut geminum jecur reperiretur: vel ſi extremæ fibræ verſus interiora replicatæ ac convolutæ viſerentur: hæc eximiæ felicitatis argumenta certiſſima dare, & magnas acceſſiones, potentiæ amplificationem, prolationem finium, triumphos, ſumma dignitatum faſtigia, deſignare augurabantur. Conſtitutis etiam in jecore geminis capitibus, unum hoſti, alterum illi, in cujus gratiam divinatio inſtituebatur, deſtinabant: Heſych. partem convexam jecoris hoſti, concavam verò, illi qui exta rimabatur, attributam fuiſſe refert. Et quæ quidem Græcis Ἑστίας, i. e. *familiaris*: illa verò iiſdem Ἐπίπολις ac Ἀνάστασις, Latinis *Hoſtilis* appellata eſt. Unde Manto apud Senec. Oedipo *Act.* 2. *ſc.* 2. *v.* 363.

Hoſtile valido robore inſurgit latus.

Ubi per *Hoſtile*, jecoris partem Hoſtilem denotat. Hîc ergo, ſi alterutrum eorum corrugatum emarcuiſſet, quod Catoni Cos. exta immolanti A. U. C. 636. contigiſſe legitur; vel colorem habitumque ſuum quovis modo mutaſſet, aut planè evanuiſſet, quod eidem evenit &c. adverſa omnia minitari: Si verò velut inflatum atque diſtentum intumuiſſet, & florido emicuiſſet colore, motuque alacri & continuo micaſſet, victoriam certam ſpondere videbatur. Cajo Principi, & M. Marcello ſubitò extabuiſſe annotatum eſt: quare prælio periiſſe eſt exiſtimatus. Sedem illius, quam inprimis obſervari moris erat, Græci δοχὴν: ſpatium in medio, inter utramque partem, πυλαίαν, & ἐνζυγωσίαν; Heſych. ὁδὸν & σκοπιάς, Euripid. πύλας &c. vocarunt. A jecinore cor inſpiciebant, quod Græcis iterum Καρδιουλκεῖν vel Καρδιουλκεῖν dictum, apud eos jam ante, apud Romanos verò demum in uſu cœpiſſe eſſe, poſt Pyrrhi ex Italia diceſſum, Plin. *l.* 11. *c.* 7. Id ſi palpitaret, aut exiliret aut flacceſceret, aut minus juſtè appareret, aut omni deſtitueretur pinguedine, aut corrivillet in rugas, aut inter exta omnino non viſeretur, exitii diraque, & averſæ fortunæ omina præbebat. Nam & Julio Cæſari, quo die purpureâ veſte proceſſit, & à conjuratis interfectus eſt, cor bis in optimis bobus defecit. & Cajo Mario Uticæ immolanti: Pertinaci quoque Cæſari, utriuſque viſceris, hepatis ac cordis defectus in ea, quam ante mortem mactari juſſit, victima interitum prænuntiavit. Si verò aut ſolito grandius, aut ſpiſſum, glabrumque & humectum, nec flaccidum, nec ex ariditate in plicas aut rugas contractum inveniretur, aut ſi ſumma in baſi largiore pinguedine veſtitum foret, aut ab aquila abriperetur, propitios hæc Deos, & cœptis annuentes flatusque ſecundos aſpiraturos, affirmabant. Cor-de explorato ad fellis, lienis, pulmonum, & membranarum viſcera ambientium conſiderationem *Extiſpices* ſe vertebant; ubi ſimiliter certa quædam ſigna notabantur; quæ omnia recenſere longum nimis foret. Hoc ſaltem adjicio, ex hac Extorum inſpectione, Sacrificia diviſa fuiſſe in *Muta*, in quibus nulla inerant ſigna: *Arguta*, quæ conſpicuas, & illuſtres notas exhibebant, & *Regalia*, quæ *Ar*-*rid*entis Fortunæ vultum ac felicitatem pollicebantur. Adeps ubique boni ominis erat, unde Æſchylus: Κνίσσῃ τε κῶλα συγκαλυπτά; & πιαλῆς χολῆς πτύχες Euripidi memoratæ. Poſt inſpecta præfato modo viſcera, flammæ quoque, fumi, pix ex tædis collecta, thus incenſum aliaque attentè conſiderabantur, de quibus alibi. Nec omittendum, quod *morem fuiſſe haruſpicibus exta ſine Rege ſpectare, & quæ portenderentur referre*, Curtius tradit de Alexandro ſuo loquens *l.* 7. *c.* 7. Fortè & Romanis, ſine Imperatore, inde enim frequens phraſis, *Exta nunciare*, ut apud Suet. *Caſ.* c. 77. *Haruſpice triſtia & ſine corde exta ---- nuntiante*. Uti nec auſpiciis interfuêrunt, claro Pullarii exemplo, apud Liv. *l.* 10. *c.* 40. qui *auſpicium mentiri auſus, tripudium ſoliſſimum Conſuli nuntiavit*. Reperias tamen, ubi ipſi interfuerint. Namque & Pertinax, ſuprà memoratus, ipſe adfuit apud Capitolin. *c.* 11. & apud Vett., ipſum Regem exta proſecuiſſe, ex Liv. colligitur *l.* 5. *c.* 21. Sic apud Tacit. *Hiſt. l.* 4. *c.* 53. Helvidius, *ibid. l.* 1. *c.* 27. Galba apud Liv. *l.* 29. *c.* 27. Scipio, apud Suet. *Aug. c.* 1. Octav. *extiſpicio* præſentes fuêrunt. Freinshemius *ad Curt. dict. loc.* Sed nec *Exta* rapientium celeritas, indigitatur Senecæ Oedipo *Act.* 2. *v.* 391.

Nec fibra vivis rapta pectoribus poteſt
Ciere nomen ———

Rapi enim illa conſueviſſe, ut ſpirantia, & palpitantia conſulerentur Arnobii, Virgilii, aliorum, teſtimoniis probat Briſſon. *Formul.* laudatus Delrio *ad Sen. loc. cit.* Vide eum quoque *ad v.* 553. ubi hanc inſpectionem rite factam non eſſe, niſi adhuc vivæ pecudis utero erepta *Exta* palpitaſſent, trepidaſſentque docet fuiſſe creditum. In omnibus verò *Extis* maximè ſummitates fibrarum, τὰ κοῖλα, ac capita obſervari conſueviſſe, Farnab. monet, *ad eund. Poëtam ibid. v.* 360. Nec ſtolidarum gentium perſuaſio, *Exta* notis quibuſdam ſignari à Diis, varièque commoveri ac quaſi animari, indigitata Octavio, in his Minucii Fel. *Iſti igitur impuri ſpiritus* ——— *dum nonnunquam extorum fibras animant ---- oracula efficiunt falſis pluribus involuta*. Unde Tibull. *l.* 2. *El.* 5. *v.* XI. & ſeqq.

Tu procul eventura vides: tibi deditus Augur
Scit bene, quid fati provida cantet avis.
Tuque Regis ſortes, per te præſentit haruſpex,
Publica ſignavit cum Deus exta notis.

Et Stat. Theb. *l.* 5. *v.* 176.

——— *Et in nullis ſpirat Deus integer extis*

Ubi tamen Lutat. in voce *Dei*, ſignum aliquod in extis denotari, quod ſi integrum appareret, lætum, ſin dimidium, triſte habitum, ait ſine teſte alio, niſi huc referas, quod idem Poëta *Deos in extis ſalire* dicit *loco mox citando*. A Gentilibus fœda hæc ſuperſtitio ad Iſraëlitas quoque tranſiit, dictusque illis eſt Extiſpex ראה בכבד *Roe baccabed*, i. e. *inſpector jecoris*. Cujus ſpecimen exhibetur apud Ezech. c. 21. v. 26. *Nam ſtabit Rex Babyloniæ in bivio, in capite duarum viarum, ad divinandum divinationem: terget cultros, conſulet imagines, inſpiciet jecur* &c. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 11. Franc. Roſſæum *Archæologiæ Atticæ l.* 7. *c.* 1. Godwin. *de ritibus Hebr. l.* 4. *c.* 10. & ſuprà in voce *Exta*. Inſuper *Fragmentum* Labeonis ex *l.* 11 *de diſciplinis Hetruſcis* apud Fulgentium Placiadem in *Manalem*. Salmaſ. *ad Solin. p.* 129. Caſp. Barth. *ad Statii v.* 178. *Theb. l.* 8.

——— *Aut cæſis ſaliat quod Numen in extis,*

ut & hîc paſſim, inprimis in voce *Magmentum*, item *Proſiciæ*, & ubi de ſacrificiali verbo, *Reddere*. Addam ſaltem, quæ apud Heſich. *Extiſpicinæ* vel *Haruſpicinæ* vocabula vel ſigna occurrunt: ut ΓΑΛΕΑΙ, quam vocem interpretatur, σημεῖα ἐπὶ τοῖς ἥπασι. Sic alibi ΔΙΝΑΣ interpretatur idem σημεῖον ἐν θυλακῇ, ἐπὶ τῷ ἥπατι. Item ΔΟΛΟΙ ΤΡΑΠΕΖΑ, ἐπὶ ἥπατος σημεῖον, & alio loco ΕΣΤΙΑΣ ΧΩΡΟΣ, μέρος τοῦ ἥπατος ἐν θυλακῇ; eſt etiam ΔΙΟΠΤΡΑ eidem σημεῖον hujuſmodi, item ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΙ. ΕΠΙΤΥΗ. ΕΠΙΘΕΟΣ. ΚΩΛΥΤΗΡ. ΠΟΤΑΜΟΣ. ΤΑΦΟΣ. ΠΥΛΑΙ. quæ & ſimilia hic nomina erant ſignorum, quæ in mactatis victimis obſervaverant, & ex quibus reſponſa dabant conſultantibus. ΛΟΒΟΣ quoque, etſi σημεῖον non erat, proprium tamen ejus artis verbum fuiſſe obſervant vett. Critici. In Hepate autem tripodem Vaticinatricis artis collocaſſe *Extiſpices*, docet eundemque Philoſtrat. *l.* 8. &c. Vide Caſaub. *ad Capitolin. in Pertin.* ad verba *Caput extorum non deprehenait*. infrà etiam aliquid in voce *Splanchnoſcopus* Sublata tandem in Orbe Romano inſania hæc, ac vetita eſt à Chriſtianiſſimo Imperatorum Theodoſio A. cujus ea de re Conſtitutio talis: *Ne quis mortalium ita faciendi ſacrificii audaciam ſumat, ut inſpectione jecoris Extorumque præſagio vanæ ſpem promiſſionis accipiat, vel (quod eſt deterius) futura ſub execrabili conſultatione cognoſcat*, *l.* 2. *Cod. de paganis*. Vide God Stewechium *Electis Arnobianis l.* 4. magis verò Anton. van Dalen *de Oraculis Diſſertat* 1. *p.* 126. ubi in ſenſum edicti accuratiùs inquirit.

EXTORRES, apud Cyprian. *Ep.* 19 & 20. dicuntur, qui, ne Chriſtum negare cogerentur, dimiſſis omnibus, ſe ſubtrahebant, &, ut Chriſti fidem ſalvam cuſtodirent, bona ſua Fiſco poſſidenda dimittebant, in exteras regiones demigrantes. Adnumerabantur & hi Confeſſoribus; quòd ſi non voce liberâ coram Judice, ſaltem facto ipſo Chriſtum confiterentur. Car. du Freſne *Gloſſ.* & Dominic. Macer. *in Hierolex.* Vide quoque infrà *Torres*.

EXTRA, in Alani, Vincentii, aliorumque Canoniſtarum allegationibus Capitulorum Gratiani, Decretales notat; ſignificabant enim illi hac voce, Capitulum eſſe *extra* Decretum Gratiani, vide Albert. Gentilem *de l. jur. Canon. c.* 1. & Gerh. van Maſtricht *Hiſt. Jur. Eccl. n.* 327.

EXTRACTIO, Hebr. משך, Hiob. v. 28. v. 18. Græcè ἀλίευσις, technicè dicitur piſcatio margaritarum. Et quidem cum duplici modo eas venarentur Vett. *urinando*, & *per retia*, de utroque vox adhibita legitur. Manilius certè de margaritarum urinatore agens *Aſtronom. l.* 5. ait,

Cumque ſuis domibus conchas, valloque latentes
Protrahit immerſas ———

Vi enim *extrahenda* concha eſt, Alkazuin. *Attractum* vocat Hector Boëthius, ubi de margaritarum expiſcatione in Scotia: *Piſcantes id maximè obſervant, ut primo attractu teſtas conjunctas arctiſſime detineant, protinus illis alioquin unionem evomituris*. Sed & concham è mari retibus traxiſſe non ſufficit, niſi margarita quoque è conchis extrahatur. Itaque hic etiam *extrahendi* verbum adhibetur. Monachi *in Meſven, cùm e conchis extrahuntur margaritæ ſunt*. Sylv. apud Geſner. p. 625. *Uniones minimos ex mytilorum conchis extraxi* &c. Quò pertinet Plinii locus, *Craſſeſcunt etiam in ſenecta, conchiſque adhæreſcunt, nec iis avelli queunt, niſi lima*. Hinc facilis ſenſus verborum Hiobi *dict. loc. Extractio ſapientiæ præ margaritis*, ſc. *quærenda*. Nempe opera, quæ in ſapientiæ comparatione inſumitur, *attractio* ſeu *extractio* appellatur, alluſione ad concharum ſeu margaritarum extractionem; quia res eſt operoſi laboris, ſed quæ cùm ſemel ex voto ſucceſſit, laborem largiter rependit inſumtum. Sam. Bochart. *Hierozoici Part. poſter. l.* 5 *c.* 5. Plura de *Margaritarum* piſcatione, ipſiſque *Margaritis* infrà.

EXTRAORDINARII, militum genus apud Romanos, qui pedaturam accipiebant tendebantque ad Decumanam portam ſeu tergum caſtrorum, uti docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 671. Vide infrà ubi de *Militibus*: uti de *Extraordinaria* Caſtrorum *porta*, in voce *Porta*.

EXTRAVAGANTES, libri nomen à Joh. XXI. Pont. R. publicati. Platina *in ejus vita*. Sic nempe dicuntur in jure Canonico Pontificum Rom. Conſtitutiones, quæ *Extra* Corpus Canonicum Gratiani ſive *Extra* Decretorum libros vagantur. Harum viginti à Joh. XXII. privatâ auctoritate collectæ ſunt, circa A. C. 1340. quas Gul.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Gul. Occam, qui tum floruit, à multis reprehendi pro hæreticis & falſis haberi adſerit, errores ex libris & ſermonibus Joh. varios recitans. *Johanninas*, ab Autore, illas nominat Cujacius *in c. ad audientiam 4. de ſpons. & matr.* Seculo dein XV. decreſcente alia collectio *Extravagantium* prodiit, quæ *Communes* vocantur, quia non unius Papæ. Quæ collectio itidem privatâ induſtriâ facta neque ab ullo Pontifice approbata legitur. Sunt in ea *Extravagantes* quædam Eugenii IV. Calixti III. Pauli II. Sixtique IV. qui, cum ad Pontificatum pervenerit A. C 1471. & manſerit in eo uſque ad A. C. 1484. hoc tempore factam vulgatamque eſſe collectionem iſtam, eſt neceſſe. Quia iraque & hæc à privato facta eſt, cujus nomen latet, ideò nec ipſa olim magnæ auctoritatis fuit: jam verò, & hæc, & anterior Joh. Papæ præfati, poſtquam in Corpus Canonicum recepta eſt, magni apud Canoniſtas eſt ponderis. Extant harum quædam cum *Gloſſis* Joh. Monaſchi Picardi Cardin. Aliæ cum *Comment.* Gillermi de Monte Laduno & Joh. Fr. de Panviniis, Idem Maſtricht. *n.* 372 & 383. qui etiam *Extravagantes* in Corpore Juris Canon. reſpondere Novellis in Corpore Juris Civ. addit. *n.* 384.

EXTREMA, vulgò EXTREMOZ, opp. munitum Portugall. inter Tagum & Anam, ad amnem Teram, 8. leuc. ab Ebora in Ort. totidem al Helvis in Occ.

EXTREMA Linea, apud Terent. *Eunucho.* Act. 4. ſc. 2. v. 10. & ſeqq.

> ——— *Quid nihil? ſi non tangendi copia eſt,*
> *Eho ne videndi quidem erit? Si illud non licet,*
> *Saltem hoc licebit certè* extremâ lineâ
> *Amare haud nihil eſt* ———.

Vox eſt è Stadio deſumpta, in quo *extrema lineâ*, Græcè ἄκρᾳ γραμμῇ, dicebatur, quæ longinqua ac maximè remota: ſicut *prima* contrà, quæ prior erat ac interior. Euripides, ἐπ' ἄκραν ἥκομεν γραμμήν. Nempe longinquas, & ultimas lineas ſibi admovebat qui propiores eas faciebat currendo: at qui primæ lineæ inſiſtebat curſor, dum parabat ſe ad curſum, non longiùs ab ea aberat, ſed eam premebat, calcabatque. Hinc *extremâ lineâ amare* Comico eſt, de longinquo tantùm videre, nec prope habere aut tangere: cui contrario ſenſu *primâ lineâ amare* diceretur eleganter, cui propius ſuos amores noſſe ac contingere daretur. Salmaſ. *ad Solin. p.* 923. & 923.

EXTREMA Unctio, in Eccleſia Rom. morientium ſacramentum ſive viaticum eſt, quo Sacerdos, oleo ab Ep. conceptis verbis conſecrato inſtructus, illos certis ritibus inungit ſicque exeunti animæ commeatum præbet, uti videre eſt apud Eccleſiæ hujus Scriptores. Vide quoque infrà ubi de *Oleo* & *Unctione*.

EXTREMADURA, prov. Hiſp. regni Legionis pars, cui adjacet verſus Bor. A Mer. habet Andaluciam, ab Occ: Portugalliam ab Ortu Caſtell. novam. Præc. urbes Pax Auguſta, Placentia, Cauria, Emerita.

EXTREMADURA Portugallica, verſus oſtia Tagi fluv. primar. Urb. habet Ulyſſiponem, regni caput.

EXTREMITAS, titulus animi ſubmiſſionis, quo utebantur olim Prælati Eccleſiaſtici, Jonas Aurelianenſis Ep. *in Ep.* ad Pipin Aquitaniæ Regem & *Ep. ad Matfredum*, Landericus Paris Ep. *in Privilegio* pro Monaſterio S. Dionyſii, Agobardus Lugdun. de *Judaic. Superſtit. l.* 1. &c. apud Car. du Freſne *Gloſſ.*

EXTRICATÆ Margaritæ, apud JC. dicuntur quæ in linea fuêrunt, *Defilatas* Galli vocant. Nam & *filum* margaritarum, & *linum*, pro linea, cui intricatæ ac inſertæ ſunt margaritæ, ut infrà videbimus. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1124.

EXTRICATUS, Coſ. cum præſente, A. U. C. 969.

EXTUCA, prov. Marroci, in ora Oceani Atlantici, verſus Atlantem, & confinia Biledulgeridiæ. Pars eſt regionis *Sus*.

EXUCONTIANI, Græcæ Ἐξουκόντιοι, item Ἀνόμοιοι, dicti ſunt ex Arianis, qui, factâ eorum poſt Concilium Nicænum in varias ſectas diviſione, Filium Dei ἐξ οὐκ ὄντων, *è non exiſtentibus*, factum eſſe, cum Ario dicebant, & addebant, Filium eſſe κατὰ πάντα ἀνόμοιον τῷ Πατρὶ, *per omnia diſſimilem Patri*. Quales Acaciani, Aëtiani, Eunomiani &c. de quibus vide Joh. Forbeſ. *Inſtruct. Hiſt. Theologic. l.* 1. *c.* 2. §. 7. Vide quoque *Exucontii*.

EXVERRÆ, Februi quoddam apud Romanos genus, ſeu purgatio funeſtæ domus, è qua mortuus ad ſepulturam ferebatur, per Everriatorem, certo ſcoparum genere, peragi ſolita; ab *extra verrendo*: Feſtus, qui & hæc habet, *Everriatorem* vocatum, quem acceptâ jure hæreditate juſta facere defuncto oportuerit; quæ ſi non feciſſet, aut quid ea in re turbaſſet, capite luiſſe. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 39. Atque hæ fiebant ſemel tantùm, cùm homo moriebatur; At *Denicales*, quas cum iis nonnulli malè confundunt, quotannis repetebantur. Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 13.

EXULES, Poëtarum lege fuſcis veſtibus & ſubviridibus & cœruleis induti prodibant. Hinc, cùm Rhapſodi, qui Iliadem profitebantur, ſcipiones rubros haberent, quod ſignum cædium, & furoris: ii qui Ulyſſeam profitebantur, croceis nitebantur ſcipionibus, quòd ejuſmodi colore *Exules* deſignarentur. Aliquando tamen & albati producebantur &c. Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 16. & *l.* 3. *c.* 41. Vide ſuprà ubi de *Exilio*.

EXULTET Jam, initium benedictionis Cerei Paſchalis, in Eccl. Rom. quâ in nocte Sabbathi Sancti benedicebatur, vide Durandum *Ration. l.* 6. *c.* 80. & ſuprà in voce *Exſultatio*.

EXUNDATIONES Fluminum, pro infelicibus ſignis ſemper habitæ. Papin. Stat, *Theb. l.* 9. *v.* 225.

> ——— *ſolito tunc plenior alveo,*
> *Signa mali, magna ſe mole Iſmenos agebat.*

De Tiberi, multis exemplis res nota. Plenus Julii Obſequentis Commentariolus, vide ad Petronii *Specimen Belli Civ. inchoati*, Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 2. *v.* 13. Claudian. *in Eutrop. l.* 1. *Commentaria*, & infrà *Flumen*. Atque tum Gentiles in Chriſtianos ſæviendi occaſionem rapuêrunt, uti alibi vidimus.

EXUPERATOR omnium Gentium, in Nummo Conſtantis Imp. ab *exuperando*, h. e. ſuperando & ſubjugando Latinis. Hinc Commodus *Exuperatorius* dici amavit, ὑπεραίρων, apud Dionem, & Decembrem eodem nomine inſignivit: utpote hoc epitheto unicè gaudens, ut idem teſtatur, vide Salmaſ. *ad Lamprid. in Commodo.* Appulejus *Exuperantiſſimus* dixit, pro ἐξοχώτατος, in Hermetis *Aſclepio*: quod in Nummo Commodi, Jovi attribuitur epitheton, ita enim inſcriptionem ejus I. O. M. EXSUP. exponit Car. Patinus, JOVI. OPTIMO. MAXIMO. EXSUPERANTISSIMO. *Relat. Hiſt. l.* 3. ubi de horto Grævii Profeſſoris Ultrajectini, in quo ſaxo inciſam hanc interpretationem addit.

EXUPERIUS, Ep. Tholoſanus, ſec. 3. calice vitreo & vimineo caniſtro ſacram adminiſtraſſe legitur, apud coævum ejus Hieron. ad *Ruſticum Mon. ep.* 13. *l.* 2. Vide infrà.

EXUPERIUS, Ep. Tholoſanus, ſec. 3. Fame graſſante, vaſa ſacra conflavit, ut inopibus ſuccurreretur, &c. viduæ Sareptanæ comparatus ab Hieronymo, qui ipſi inſcripſit Comm. in Zachariam. Templum Minervæ Tholoſæ, B. Virgini dicavit, urbemque à Vandalis liberavit. Hieron. *Ep.* 4. *ad Ruſt præfat. in Zach. l.* 3. *Comment. in Moſ. & ep. ad Ageruc.* Greg. Tur. *hiſt. l.* 2. *c.* 13. *T.* 1. *Conc.*

EXUPERIUS, Rhetor excellens, de quo Auſon. *Epigr.* 17.

> Exuperi *memorande mihi facunde ſine arte,*

Præceptor filiorum Dalmatii, fratris Conſtantini Mag. A. C. 336. Vide Scalig. *not. ad Auſon. l.* 1. *c.* 12. Auteſerr. *rer. Aquit. l.* 5. *c.* 1. An. Ep. Cadurcenſis, qui eodem ſeculo vixit?

EXURERE, apud Arnob. *adverſ. Gentes l.* 1. *Exuitis nos bonis* ... *torquetis, dilaceratis, exuritis, & ad extremum nos feris & belluarum laniatibus objectatis*: non notat ipſum vivicomburium, quo ſæpe Chriſti milites ἐτελειώθησαν; ſed unum ex tormentorum cruciumque generibus, quæ extremam τελείωσιν præcedebant, & ad conſtantiam Martyrum labefactandam, hincque apoſtaſiam à fide maturandam adhibebantur. Torquebantur enim Chriſtiani, lacerabantur, exurebantur; igni & laminis igneis propius admotis terrebantur: ad extremum, ſi perſeverabant in confeſſione, morte demum multabantur. Et quidem de igni ad eruendam veritatem admoto antiquiſſimam rem eſſe, diſcimus è Curtio *l.* 6. *At primo quanquam hinc ignis* [illegible] *illinc verbera jam non ad quæſtionem, ſed ad pœnam ingerebantur.* Et Seneca in Oedipo,

> *Huc aliquis ignem, flamma jam excutiet fidem,*
> *Per tam cruentas vera quærenti vias.*

Vide quoque Philonem & *Flaccum*, Alios. Rectè autem ab Arnobio ultimo loco collocatur: nam revera ſæpius erat hic ultimus Exuſtionis [illegible] ὁ τελειωτικὸς [illegible] νισμός. Seneca *de Ira l.* 3. *c.* 19. *Torſerat per omnia, quæ in rerum natura triſtiſſima ſunt, fidiculis, tabulariis, aculeo, igni, vultu ſuo.* Apulejus *Mileſia* 10. *Nec rota vel aculeus more Græcorum, tormentis ejus apparata jam deerant. Sed obfirmatus* ---- *nullis verberibus, ac ne ipſi quidem ſuccubuit igni.* Prudent. *in Vinc. Mart.* Hymn. 5. *v.* 296.

> *Tum deinde cunctatus diu*
> *Decernit extrema omnium,*
> *Igni, grabato & laminis*
> *Exerceatur quæſtio* &c.

Adhibebatur nempe, vel ignis flamma, ut pyra ardens faceſque ſuccenſæ; vel urigo ejus, in laminis, craticulis, lecto, cathedris, ſartaginibus, aliiſque hujuſmodi cruciatuum inſtrumentis candentibus. Atque in his aliquandiu uſtulati, inde in carcerem revocabantur: vel ad alia tormentorum genera, vel ut per intervalla torquerentur acriùs. Ita namque ſæpenumero vexabantur, ut quò conſtantia eorum validius tentaretur, quæ ultimo demum die junctim adhibebantur. Quem agonem ſi invicti ſuperaſſent quoque τελείωσις reſtabat, & vel vivicumburio mulctabantur, vel feris beſtiarumque laniatibus objicebantur, vel gladio cadebant, vel alio quodam mortis genere necabantur. Vide Deſid. Herald. *Animadverſ.* ad *Arnob. l.* 1. *adverſ. Gentes p.* 26. & *ſequentibus*, nec non quæ hîc paſſim congeſſimus hanc in rem.

EXUSTA, apud Plin. *l.* 6. *c.* 29. *A promuntorio Indorum, quod vocatur Lepte Acra, recto curſu præter* Exuſta *ad Malichu inſulam* [illegible] *quindecies paſſuum eſſe*: Græcè apud Jubam ἡ Κατακεκαυμένη, hæc regio Æthiopiæ eſt, quæ & Διακεκαυμένη appellata. At Juba hoc nomine intellexit Inſulam, in Arabico Sinu ſitam, quam prætern[a]vigabant, qui à Lepte Acra ad Inſulam Malichu tendebant, itinere per medium ſinum directo. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1240. & *ſeqq.* nec non ſuprà in voce *Catececaumene*.

EXUVIÆ, propriè ſerpentum ſuperficies. Solin. de ſcytale ſerpente *c.* 27. *In hoc tamen ſquamarum nitore hyemales exuvias prima ponit.* Græcis τὸ γῆρας & σῦφαρ, ut apud Heſych. videre eſt. Unde & γῆρας χελωνῶν, *exuviæ teſtudinum*, & Latinis vett. *ſuber*, quod pellem & exteriorem corticem deſignat. A Græco [illegible] quod abſolutè de ſerpentibus, ſed & de lacertis ac teſtudinibus, uſurpat Philoſophus, quum corium exuunt. Salmaſ. *ad Solin. p.* 340. Vide quoque infrà *Vernatio*. Inde ad quadrupedia, & feras, vox *exuviæ* traducta: quarum in venatu captarum, ſi nobiliores eſſent, exuviæ memoriæ ergò Diis ſuſpendebantur, De leone Stat. *Theb. l.* 9. *v.* 191.

> ——— *ſeu jam ſub culmine fixus*
> *Excubat, antiquo ſeu pendet gloria luco.*

De

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

De aptis, idem *ibid. v.* 589.

> ——— *Hîc arcus & feſſa reponere tela*
> *Armaque curva Suum, & vacuorum terga Leonum,*
> *Figere, & ingentes æquantia cornua ſilvas,*
> *Vix ramis locus: agreſtes adeò omnia cingunt*
> Exuviæ &c.

Quæ tholis lapſæ, inter infeliciſſima habebantur prodigia. Stat. *l.* 4. *v.* 333.

> *Mirabar cur templa mihi tremuiſſe Dianæ*
> *Nuper, & inferior vultu Dea viſa, ſacriſque*
> Exuviæ *cecidere tholis* ———

Aliquando vice clypeorum adhibebantur, uti de Cadmo leonis tergo ſerpentem illum immanem ſuſtinente, apud Ovid. de alio, aprugna pelle contra quadraginta ſex hominum tela, & gladios ſe tuente, apud eundem Stat. legimus *l.* 2. *v.* 583.

> *Corripuit, tergoque & vertice tegmine noto*
> *Septus, & hoſtili propugnans pectora parmâ*

qua de re vide *Animadverſionem* Barthii *add. l.* Eædem porrò victoribus præmia dabantur, in iis hoſpites honoratiſſimi excipiebantur, à Regibus Heroibusque indutui habebantur, tantâ hujus geſtaminis olim æſtimatione, ut Ætolos & Acarnanes de *exuviis* apri Calydonii, Theſtiades item & Oeneum Meleagrum de ſpoliis ſuis bello quoque decertaſſe legamus. Vide plura in hanc rem apud Car. Paſchal. *Coron. l.* 9. *c.* 25. ut & infra in voce *Spolia*. Alia notio vocis eſt, apud Tertullian. *de Pallio c.* 4. *Pallium ſuper omnes exuvias & peplos augusta veſtis, ſuperque omnes apices & titulos*: ubi σεβαστὸν ἔνδυμα illâ denotatur. *Auguſtum*, de Diis, *Exuviæ* & pepli Deorum ornamenta, & *Pepli* quidem Dearum: ut *peplus Minervæ, peplus Junonis Deæ Cœleſtis*, apud Trebell. *Exuviæ* Deorum Dearumque communes. Feſtus, *Tenſa, vehiculum argenteum, quo* Exuviæ *Deorum ludicris Circenſibus in Circum ad pulvinar vehebantur.* Apulejus *Jovis exuvias, Mileſiar.* 11. &c. Salmaſ. *ad Tertullian. d. l.*

EYMERICUS Nicolaus, Dominicanus. Natus Gerundæ in Catalonia, floruit ſub Urbano V. & Gregorio XI Inquiſitor Generalis creatus, A. C. 1358. obiit A. C. 1393. officii 44. Scripſit *Directorium Inquiſitorum*, quod cum *Commentariis* Franc. Pegnæ J. U. D. Romæ prodiit A. C. 1585.

EZATES, Adiabenus. Tac. Ann. *l.* 12. *c.* 14. Vide *Izates* & *Jazates*.

EZECHIAS, Rex Judæ, fil. Ahaz. 2 Reg. *c.* 18. *v.* 1. 1. Par. *c.* 3. *v.* 23. Lat. *fortitudo Domini*. Succeſſit patri in regno Judæ, A. M. 3308. A. C. 754. Hic pius veſtigia David ſecutus eſt: diſſipavit excelſa; contrivit ſtatuas, ſuccîdit lucos, confregitque ſerpentem æneum, quem fecerat Moſes, ſiquidem uſque ad illud tempus filii Iſraël adolebant ei incenſum. Affuit illi Dominus. Nam rebellavit contra Regem Aſſyriorum, & non ſervivit ei, Philiſtæos perſequutus eſt: Anno ſexto regni ejus capta eſt Samaria à Salmanaſare. Poſthæc Sennacherib Aſſyriorum Rex in Deum blaſphemus, Judæam devaſtavit, Jeruſalem obſedit, miraculo tamen hæc divinitus liberata eſt: ſiquidem Angelus Domini occidit una nocte 180000. hominum in caſtris Sennacherib, qui inde receſſit. Deinde ægrotavit Ezechias, cui mortem prædixit Eſajas: attamen oratione & fletu obtinuit à Deo adjici vitæ ſuæ Annos 15. ſignumque ſanitatis ab Eſaja accepit in umbra decem linearum retrograda, in horologio ſuo. Merodac-Baladan Babyloniorum Rex, cùm accepiſſet morbo laborare Ezechiam, miſit ei literas & munera. Imperavit Annos 29. ſucceſſit ei fil. Manaſſes A. M. 3337. Vide 2. Reg. *c.* 18. 19. & 20. & Joſeph. *antiqq. l.* 9. & 10.

EZECHIEL, nomen Prophetæ, tertii inter majores, Ezech. *c.* 1. *v.* 3. qui tempore Jeremiæ, & Danielis Prophetarum, extitit. Hic adhuc puer cum aliis in Babyloniam captivus abductus eſt, ubi prophetare incepit, A. M. 3349. A. C. N. 613. In Babylone judicavit tribum Dan. & Gad. prædixitque capp. 48. culpâ earum, non reverſurum populum Hieroſolymam, quòd non reſipiſcerent: quare exacerbati diſtraxêrunt eum equis, per crepidines ſaxorum, & excerebrarunt eum & ſepeliêrunt in ſepulchro Sem & Arphaxad. In *Prophetiam* ejus, extant: Auguſtini *in c.* 34. Brandmyllerus. Calvini *Comm.* de Cuilly *Interpretatio mor. in c. pr.* Gall. Pariſiis A. C. 1611. Efforhen *Homiliæ in c.* 38. & 39. Argentinæ A. C. 1571. Gregorii M. *Homiliæ*. Greenhil *Expoſitio*. Angl. Quart. A. C. 1649. Hafenrefferi *in* 9. *poſtr. c.* fol. Tubingæ A. C. 1613. Haymo. Heilbrunnerus. Hieronymi *Commentaria*. Hoyi *Comm. paraphraſi Poet. illuſtratus*, Quart. Duaci A. C. 1598. Don Iſaac Abarbenel Junii *Comm.* fol. de Lapide. Lauretus. Lavateri *Homiliæ*. fol. A. C. 1581. Generæ. Leuchtius. Lutherus. Maldonatus. R. Moſche Alſchich. Oecolampadius. Origenis *Hom.* Pappus. Paulutius. Pintus. Piſcator. Polani *Comm. cum Log. Analyſi & Theol. Ecibeſi.* Quart. Baſil. A. C. 1601. Pradus. Roberti. Sanctius. Savanarolæ *Sermones*, Ital. Quart. A. C. 1516. Serranus. Strigelius. Szegedinus. Toſſarius, Baſileæ A. C. 1558. fol. Theodoretus. de S. Victore. Villalpandi *Comm.* &c. Vide Crowæi *Elenchum*.

EZECHIEL, Poëta Judæus, Tragœdiam de Moſe conſcripſit. Antiquitatem ejus arguit, quòd meminêre Clem. Alex. *Strom.* 1. & Euſeb. *l.* 9. *Præp. Evang.* Græcè & Latinè edidit Frid. Morellus, *edit. Pariſ.* A. C. 1609.

EZEL, nomen lapidis viatorii in agro urbis Saul, ſub quo latuit David in ſupremo digreſſu à Jonathane. 1. Reg. *c.* 20. *v.* 19. Lat. *ambulatio, vivificatio*, aut *ſtillatio*.

EZELINGA, vide *Eslinga*.

EZELINUS, ſeu ECELINUS vel ICELINUS, natus in vico *Romano*, in Marca Treviſana, ſtirpe Germanus, ſec. 13. Potitus Verona, Patavio, &c. tyrannidem inauditam exercuit. Gregorii IX. Innocentii IV. Alexandri IV. fulmina ſpernens, unâ die Patavii rebellione auditâ, incolarum, quos ſecum habebat, 12000. millia, trucidavit. Tandem ab urbibus Principibus Lombardiæ captus, cùm Mediolanum aggreſſurus eſſet: paulo pòſt deſperabundus interiit. A. C. 1259. tyrannidis 40. Vide Monach. Patav. *Chron. l.* 1. & 2. Sigon. *de R. I. l.* 19. Corium, *hiſt. Mediol. part.* 2. P. Jov. *l.* 1. *Elog. in Actio.*

EZER, fil. Hur. primogeniti Ephrata. 1. Par. *c.* 4. *v.* 4. fil. it. Suthalæ filii Zabad. 1. Par. *c.* 7. *v.* 21 *adjutorium*, ſive *atrium*.

EZERUS, Strab. *Bœbe*, quod vide vulgo *Ezero*, urbs Græc. in Theſſaliæ & Achajæ confin. Ep. ſub Archiep. Lariſſæ.

EZIEL, i. e. *fortitudo Dei*, ſive *hircus Dei*, fil. Haraia. Nehem. *c.* 3. *v.* 8.

EZRA, Lat. *adjutorium*, ſive *atrium*, nomen viri, 1. Par. *c.* 4. *v.* 17.

EZREL, nomen viri. Eſdr. *c.* 10. *v.* 4.

EZRI, nomen viri. 1. Par. *c.* 27. *v.* 26.

EZRICAM, Dux domûs Achaz. 2. Par. *c.* 28. *v.* 7. Fil. Naariæ. 1. Par. *c.* 3. *v.* 23. Fil. Haſel. 1. Par. *c.* 8. *v.* 37.

EZRIEL, pater Saraiæ. Jerem. *c.* 36. *v.* 26. 1. Par. *c.* 5. *v.* 24. Lat. *auxilium* ſive *atrium Dei*.

F.

F Litera hæc, quibuſdam muta, aliis ſemivocalis, dicitur etiam Digamma Æolicum, quia eſt, velut geminum F. Ejus ſonus cum *Ph.* ſæpe confunditur, quamvis φ. Græcorum, neque F. neque Ph. Latinum propriè ſonuerit. Digamma hoc, ſeu F. inverſum, Claudius Imp. cum duabus aliis literis invenit, & reperitur in Inſcriptionibus, ſub hoc Imp. frequentiſſimè. A. Gell. inventionis hujus rationem reddit, *l.* 14 *c.* 5. vide Suet. *in Claud. c.* 41. Priſcian. Methodum Græcorum, &c. Cœterùm F. & Φ. nota fuit apud Romanos Græcosque, fugitivorum fronti imprimi ſolita; crimen illorum, *fugam* viz. indigitans: idque primitus. Poſtmodum herorum iracundia ulteriùs proceſſit; unde Eumolpum impleviſſe frontes Encolpii & Gytonis ingentibus literis, quas appellat *notum fugitivorum Epigramma*, refert Petron. Gonſal. de Salas *p.* 44. Edit. Boſch. *c.* 63. Vide infrà, ubi de *Fugitivis*, item in voce *Sidus*.

FABA, inter legumina maximi habita, multiplici ſeſe utilitate commendat; de qua ſic Plin. *l.* 18. *c.* 12. *Inter legumina maximus honos fabæ: quippe ex qua tentatus ſit etiam panis ---- Ejus multiplex uſus omnium quadrupedum generi, præcipuè homini. Frumento etiam miſcetur apud pleraſque gentes ---- Quin & priſco ritu fabacia ſuæ religionis Diis in ſacro eſt, prævalens pulmentari cibo & hebetare ſenſus exiſtimata, inſomnia quoque facere. Ob hæc Pythagoricâ ſententiâ damnata: ut alii tradidêre, quoniam mortuorum animæ ſint in ea. Qua de cauſa parentando utique aſſumitur. Varro & ob hæc Flaminem eâ non veſci tradit, & quoniam in flore ejus literæ lugubres reperiantur; In eadem peculiaris religio. Namque fabam utique e frugibus referre mos eſt, auſpicii cauſâ, quæ ideo refrina appellatur* &c. Nempe, quod leguminis hujus in vita communi uſum attinet, in cibo fuit hominibus, ſed tenuioribus, vide Cic. ſuprà, & infrà ubi de *Secularibus ludis*. Unde *faba fabrorum* Mart. *l.* 10. *Epigr.* 48. cujus epigraphe Parat convivium. ubi fercula convivii à ſe inſtituti enarrat:

> *Et quæ non egeant ferro ſtructoris Ofellæ,*
> *Et* faba fabrorum *prototomique rudes.*

Atque hinc Philoſophis, frugilitatem & αὐτάρκειαν profeſſis, de quibus vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 460. ut & ſuprà *Conche*. Earundem in Senatu Athenienſi uſus fuit calculorum vice. Primitus enim *fabis* uſi fuére; eiſque modò albis & nigris; modò perforatis & integris. Hinc Suid. κυαμεῦσαι, κυάμῳ ψηφοφορῆσαι, ᾧ ἐχρῶντο οἱ Βουλευταί. Donec Xenotimo fraudem feciſſe deprehenſo, folia adhiberi ſunt cœpta, uti legimus apud Auctorem *Etymologici*. Etiam Populus, in eadem Rep. qui in concionem convenerat, ante teſtulas inventas, *fabis* uſus eſt, eodem Suidâ teſte: qua de re vide plura apud Sam. Petit. *Comm. in LL. Attic. l.* 3. *c.* 1. In medicamentis quoque faciei ψιλωτικοῖς locum habuiſſe, Mart. idem docet *l.* 6. *Epigr.* 93. de Thaide,

> *Pſilotro nitet, aut acidâ latet oblitâ cretâ:*
> *Aut tegitur pingui terque quaterque* fabâ.

Vide & infrà *Lomentum*. Sacrum quod *fabæ* uſum concernit, Carnæ Deæ, in Cœlio monte, fabariâ pulte & larido (quoniam iis rebus vis corporis maximè conſervatur) à Pop. Rom. Kalendis Juniis, quas hinc *Fabarias* vocabant, ſacrificari conſueviſſe, inſtitutore Bruto, poſt Tarquinios pulſos, diſcimus ex Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 12. In ſacro quoque porcæ præcidaneæ far, triticum, hordeum, *fabam* & ſemen rapicium adhibebant iidem; & in Vinalibus pollucebant ſuffimenta ex eadem, unà cum milio molito & mulſo conſperſo, Cato *c.* 134. In Lemuribus porrò, quæ Majo per trinoctium fiebant, *fabam nigram* lotis manibus pedibusque nudis, per ora verſantes, ære tinniente, poſt terga rejiciebant, Lemures domo ſe ejicere clamantes, & ut abirent innoxii, orantes; expiari ſic Manes arbitrati. In Parentalibus eodem leguminis genere veſcebantur &c. Quan in rem vide plura apud Alexandrum ab Alexando *l.* 2. *c.* 22. Cœl. Rhodig. *l.* 9. *c.* 8. Hadr. Turneb. *Adverſar. l.* 13. *c.* 25. Scalig. *ad Feſtum*, Joh. Dalechamp. *Notis ad Plin.* Alios. Addo ſaltem, quæ de ſimili uſu hodieque in Italia & apud Melitenſes refert Car. Ma-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

cer *in Hierolexico* ubi, *In Melita*, inquit, *à defunctorum hæredibus ac conſanguineis etiam pauperibus, pro anima defuncti, præter panis quantitatem, diſtribui ſolent fabæ coctæ, quas* Beghillam *vocant, ex Turcico vocabulo Begala, i. e. fabæ, quod in multis Italiæ locis pro animabus defunctorum erogari vidi* &c. A *fabis* tamen, qui divinare ex ſomniis cuperent, abſtinere juſſos eſſe, quòd moleſta gignant ſomnia, animamque perturbent, refert Plutarch. *Sympoſiac. l. 8. quæſt.* 10. Etiam Flamini Diali *ſabam*, non edere ſolùm, ſed & tangere, fuit nefas, ex cauſa Plin. dicta. Quod Romani ab Ægyptiis accepiſſe videntur, apud quos ne aſpicere quidem Sacerdotibus *fabas* licuiſſe, ait Herod. *l.* 2. An à Pythagora magis, qui *fabam velut parentem coluerat, nam colorem ejus dicebat veluti humano ſanguine infectum*, ut tradit Acro Schol. *ad Horat. l. 2. Sat.* 6. hincque *par eſſe ſcelus comedere fabas & capita parentum*, inquit apud Lucian. unde celebre ejus effatum,

——— κυάμων ἄπο χεῖρας ἔχεσθ,

apud Clementem 3. *Strom.* ubi tamen more Pythagoræ opertè ac ſymbolicè teſticulos intelligi nonnulli volunt, qui κύαμοι appellati, quia ſint εἰς τὸ κυεῖν δεινοὶ καὶ αἴτιοι τοῦ κυεῖν, A. Gell. *l. 4. c.* 11. Ob quam cauſam, ne nominari quidem *fabas*, in Eleuſiniis ſacris, permiſſum fuiſſe, teſtatur Pauſ. Vide ſuprà in voce *Cyamita*. Alii tamen, inter quos Plutarch. *de Educ. lib.* Pythagoricum illud ſic interpretabantur, ut Magiſtratus fugerent, quos olim ſuffragiis per *fabas* latis creatos eſſe, innuimus. Vide Anton. Thyſ. JC. *Not. ad Gell. l. cit.* & plura de hoc legumine apud Plin. ubi ſuprà, alibique paſſim. Tranſiit vox ad arbores, quæ nullam fabam ferunt, *Fabam* ſcilicet *Græcam*, ſeu Loton: item *Fabam Ægyptiam*, quæ loti ſpecies eſt, & nonnullis cum colocaſia eadem videtur. Cui nomen fortè inditum, quod nucleis ſeu bulbis, luto macerato contectis, & in flumen dejectis, ſeri ſoleret ac propagari, qui κύαμοι, eodem cum fabis nomine, ἀπὸ τοῦ κυεῖν, à *gignendo*, Græcis in Ægypto videntur appellati, ait Salmaſ. *ad Solin.* ubi de arboribus hiſce pluribus agit, *p.* 979. & *ſeqq.* Vide quoque infrà *Fabilla*.

FABARIA, inſ. Friſiæ, Plin. *l. 4. c.* 3. à frugis ſimilitudine ſponte provenientis, alias *Burchana* dicta..

FABARIÆ Kalendæ, dictæ ſunt apud Romanos Kalendæ Juniæ, quòd eo die *fabis* (quæ tum temporis adultæ) Deæ Carnæ, Jani uxori, quæ humanis vitalibus præeſſe credebatur, in Cœlio monte, ſacrum fieret, vide Nonium in verbo *Macto*, & hîc ſuprà.

FABARIÆ Thermæ, Germ. *Pſavers*, primi inter Rhæticas nominis; dictæ ſunt à vicino Benedictinorum Cœnobio *Fabario* vel *ad Fabarias*, ut habet Munſter. *l.* 3. qui illas accuratè deſcripſit. *Sunt in Racantiorum ambitu, intra montium fauces portentoſo aſpectu, aditu difficiles; infernali trucique ſitu; ac velut horrendo in barathro, ſtrepitu præterlabentis per vicina ſaxa cauteſque fluvii & continuo ruentis aquæ impluvio pulſantur*, Dan. Eremita *deſcr. Helv.* Sed locus celebris factus eſt, *propter ſaluberrimas thermas ibi, Friderici II. Imp. tempore, ab aucupe quodam, ex familia Alto-Balconorum nato, dum corvorum ſylveſtrium nidos indagaret, repertas*, Fortun. Sprecher. *Pall. Rhæt. l.* 3. In his nullus odor ingratus, ſulphur aut nitrum redolens; ex venis ſiquidem auri cuprique procedentibus. Eas egregiè porro deſcripſit Theophr. Paracelſus, & poſtea carminibus illuſtrârunt Carolus Paſchalis, Gall. Regis apud Rhætos legatus, ac Joh. Gulerus à Weineck Eques Auratus. Abbas Cœnobii non hîc ſolùm, ſed & aliis quibuſdam locis vicinis juriſdictionem habet: Joſ. Simlerus *de Rep. Helv.* Joh. Baptiſta Plantin. *Helv. Nov. Antiq.* &c. Vide etiam in voce *Sarunetes*.

FABARIS, fluv. Sabinorum, alio nomine *Farfarus* appellatus. Virg. *Æn. l. 7. v.* 715.

Qui Tiberim Fabarimque *bibunt.*

Oritur prope Mompeum, in loco *Capo Carſa*, labiturque in Tiberim, inter Caſtra Felicianum & Fianum.

FABATAR ſeu *Fabatarium*, vas ampliſſimum, in quo *fabatia*, de qua Apicius; vel puls fabata ſolebat apponi, apud Æl. Lamprid. *in Heliogabalo*, *Barbas ſanè mullorum tantas jubebat exhiberi, ut pro naſturciis, apiaſtris & facelaribus, & fœnogræco exhiberet plenis* Fabatariis *& diſcis*, vide Salmaſ. *ad l.* A *fabis*: quemadmodum & Cantores olim, *Fabarios* dictos eſſe, quòd *pridie, quàm cantandum erat, cibis abſtinerent, pſallentes tamen legumine vocis cauſa quotidie uterentur*, adnotavit Iſid. *de Divin. Offic. l. 2. c.* 12.

FABATUS, Hegeſippo *l. 1. c.* 44. *moderator Rei Romanæ & intimus Cæſaris*; nimis ſuperbis titulis, qui potiùs Mæcenati aut Agrippæ conveniſſent: Procurator fuit vel Diſpenſator, Διοικητὴς & Δοῦλος Καίσαρος, uti noſcas ex Joſeph. peculioſus fortè & olim libertus, certè cum omnibus ornamentis Herodi venalis. Joh. Frid. Gronov. *Obſervat. in Eccl. c.* 16.

FABATUS, alio nomine *Calpurnius*, Proſocer Plinii Secundi, damnationem inſtantem ſub Nerone, appellato Principe, evaſit. Tacit. Ann. *l. 16. c.* 8. Fuit Patriâ Novocomenſis, de quo vide Vetranium ad Tacit. *l. 16. Ann. c.* 8.

FABER, vide *Fabrica Ferraria*, it. *Fabrilis Ars*.

FABER Antonius, vide *Antonius*.

FABER Claudius, vide *Claudius*.

FABER Jacobus, vide *Jacobus*.

FABER Johannes, vide *Johannes*.

FABER Nicolaus, vide *Nicolaus*.

FABER Petrus, ex eadem cum Pibraco, de quo infrà, familia, primus Parlamenti Toloſani præſes, ſcripſit *Commentarium in Regulas Juris, Comment. ad L. de Juſtitia & Jure*, itemque *de origine Juris, in Libros Academicos Ciceronis*, & *in Orat. pro Cæcinna, Semeſtrium libros, Agoniſticon libb.* 3. maximi æſtimatos, *Dodecameron* &c. Obiit A. C. 1600. Æt. 60. Vide Joh. Calvinum *Ep.* 225. quà illum Patris, qui Evangelicam fidem deſeruerat, occaſione, ut tentationibus fortiter reſiſtat, monet, Thuan. *Hiſt.* Auctorem *Bibliogr. Cur.* Teiſſier *Elogiis*, vide & *Johannes Faber*.

FABER Pibracus, Præſes Parlamenti Pariſienſis, & Cancellarius Ducis Alenconii, maximis ſemper negotiis in & extra regnum adhibitus eſt. Interfuit Concilio Tridentino, unà cum Arnoldo Ferrerio, & Henrici III. in itinere Polonico Comes fuit. Obiit, ex animi mœrore, quem ex infelici Antverpiæ oppugnatione conceperat, A. C. 1584. Æt. 56. Scripſit complura, Anton. Teiſſier memorata *in Elogiis P.* 1. & magni æſtimata Eruditis, niſi quòd, *Epiſtola ad Staniſlaum* quendam, Lanienam Pariſienſem defendere conatus eſt, non ſine indignatione magnorum Virorum etiam ſuæ Communionis. Vide *Tom. II. des Mem. ſous Charles IX.* ubi Epiſtola, cum Reſponſione ad illam, habetur. Cæterum Toloſanus fuit &c.

FABIA, Veri Imp. ſoror, *eniſa eſt, ut Fauſtinâ mortuâ in ejus* (Marci Imp.) *matrimonium coiret, ſed ille concubinam ſibi aſcivit procuratoris uxoris ſuæ filiam, ne tot liberis ſuperduceret novercam* apud Jul. Capitolin. in *Vita* Marci Antonini Philoſ. ubi tamen alii *Fadia* malunt, Gruterus *ad l.*

FABIA, mulier Romana, quæ Fabium Fabricianum interfecit, ut liberiùs poſſet laſcivire cum Petronio Valentiano liberali formâ adoleſcentulo, quo cum adulterii conſuetudinem habebat. Plutarch. *in Parallel.*

FABIA Oreſtilla, proneptis Antonini: ex Gordiano Sene, mater fuit Gordiani Jun. apud Eund.

FABIA Lex, de numero ſectatorum promulgata, ſed à populo repudiata eſt; Unde Cic. *pro Muræna*, *Tenuiores legi Fabiæ de numero ſectatorum reſtitêrunt*, inquit. *Fabia* Tribus, nomen obtinuit à clariſſima gente Fabia, quæ in eam fuit relata. Mentio ejus extat apud Suet. *in Aug. c.* 40. cùm ait: *Fabianis & Scaptienſibus, tribulibus ſuis, die Comitiorum ſingula millia nummûm a ſe dividebat.* It. apud Horat. *l. 1. Ep.* 6. ad Numicium, ſub calcem

——— *Hic multum in Fabia valet, ille Velina;*

FABIANI, quidam ex Lupercis apud Romanos dicti ſunt, ſicut alii *Quintiliani* à præpoſitis ſuis Fabio & Quinctilio ſic appellati: quorum *Fabiani* Romuli, Quinctiliani Remi partium fuêre, Feſto & Ovid. teſtibus. His dein tertia ſodalitas acceſſit, eorum qui *Julii* dicti ſunt, quòd in Cæſaris honorem inſtituti eſſent, Suet. *in Jul.* Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 3. c.* 2. Sed cùm locum hunc ab Roſino laudatum apud Suet. fruſtra quæras, in *Aug.* ejus hoc ſaltem deprehendit annotatum Godwin. quòd ſacra hæc, aliquandiu neglecta, renovaverit, *Anthol. Rom. l. 2. ſ. 2. c.* 1. At Dio Julianorum inſtitutorum meminit *l.* 44. ἱεροποιούς τε ἐς τοῦ Πανὸς γυμνοπαιδίων ... ἐκεῖνον ... Ἰουλίαν ὀνόματαν. Itaque tria Romæ Lupercorum collegia erant, quæ ſacra quotannis ritè facerent. Hæc aliquantum remiſſa Auguſti ævo, eodemmet reſtituta ſunt. Vide Ovid. Faſt. *l.* 2. *Notis ad v.* 267.

Tertia poſt Idus nudos Aurora Lupercos &c.

FABIANUS Papyrius, naturæ rerum peritiſſimus fuit. Plin. *l. 36. c.* 15. Hujus quoque meminit Senec. *in Epiſtolis*. Item 19. Romanorum Ep. martyrio coronatus, ſub Decio. Euſeb. *Hiſt. l. 6. c.* 21. & 22. Oroſ. *l.* 7. Anaſtaſ. *in ejus vita*. A. C. 251.

FABIANUS, vide *Valerius*.

FABIENSES, Italiæ pop. Plin. *l. 3. c.* 5.

FABII, Romani, nobiliſſimi, ſimul ac potentiſſimi (*quibus à fabâ* cognomen erat, utpote quorum primus fabam optimè ſerebat; ſic Cicerones, Lentuli, Piſones.) qui bellum adverſus Veientes ſoli cum ſuis clientibus, & ſervis in ſe recepêrunt, cùmque ex levibus aliquot præliis ſæpius victoriam reportâſſent, tandem ad Cremeram fluv. inſidiis circumventi, ad unum omnes cæſi ſunt. Dionyſ. *l.* 9. Liv. *l.* 1. & 2. Flor. *l. 1. c.* 12. Aur. Victor. *de Vir. Ill. c.* 14. Oroſ. *l.* 2. Plin. *l. 18. c.* 3. Macrob. *l. 1. c.* 6. Ovid. *Faſt. l. 2. v.* 235.

Una dies Fabios *ad bellum miſerat omnes,*
Ad bellum miſſos perdidit una dies.

Ex tanta Fabiorum clade unus tantum ſuperfuit, qui nondum armis per ætatem idoneus, in urbe relictus erat; ex cujus ſanguine per longam nepotum ſeriem natus fuit Fabius ille Maximus, qui Dictator adverſus Hannibalem creatus cunctabundâ quâdam prudentiâ rem Romanam, aliorum Imp. temeritate labefactam, primus reſtituit, adeò, ut veriſſimè de eo Ennius dixiſſe videatur,

Unus homo nobis cunctando reſtituit rem.

Ovid. Faſt. *l. 2. v.* 241.

Scilicet ut poſſes olim tu Maxime naſci,
Cui res cunctando reſtituenda foret.

Manil. *l.* 1.

Invictuſque morâ Fabius. ——— Claud.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Claud. *de bello Getico, Carm.* 26. *v.* 138.

> ——— *Lento luſtramine Pœnum*
> *Compreſſit* Fabius.

Sil. Ital. Punic. Bell. *l.* 7. *v.* 13.

> ——— *Lento Pœnum moderamine luſit.*

Idem *l.* 16. *v.* 673.

> ——— *Peperitque ſedendo*
> *Omnia cunctator nobis.*

Idem alibi,

> *Solers cunctandi* Fabius.

Val. Max. *Fabius maximus, cujus non dimicare, vincere fuit.* Liv. *Matura res erat, tergiverſatur tamen Fabius.* Aliis Fabii, à *Fabio* Herculis fil. orti, Plutarch. teſte Feſto *Fovii*. dicti, quòd Princeps gentis ex ea natus ſit, cum qua Hercules in fovea concubuit. Alii putant eum primum oſtendiſſe, quemadmodum urſi & lupi foveis caperentur. Patricia hæc gens fuit majorum gentium, (Fabius enim Celer præfectus Celerum primus notus eſt) in has Familias & cognomina diſtincta: Celer, Vibulanus, Ambuſtus, Rullus vel Rullianus, Dorſo, Maximus, Gurges, Buteo, Pictor, Licinius, Verrucoſus, Ovicula, Cunctator, Labeo, Æmilianus, Servilianus, Allobrogicus, Eburnus, Africanus & Perſicus. Hujus gentis uſque ad Tiberium Cæſ. mentio eſt. Pontificatu max. ſemel, Auguratu aliquoties defuncta eſt: Dictaturis ſeptem: Magiſteriis Equitum quinque: Conſulatibus XLVIII. Decemviratu legum ſcribendarum: Cenſuris ſeptem: Tribunatibus militum Conſulari poteſtate decem: Senatus Principat. quinque: Triumphis tredecim: Ovationibusque duabus illuſtris. His honoribus functi ſunt Viri XXXVI. intrà ſpatium Annorum 550. *Nic. Lloyd.*

FABILIUS, Poëta Gr. Præceptor Maximini Jun. Epigrammatum variorum auctor, inprimis in iconem ſui Diſcipuli adhuc infantis. Jul. Capitolin. *in vita Maximini Jun. c.* 1.

FABILLA, apud incertum Poëtam in *Catalectis vett. Poëtarum*,

> *Auguſtum penitus torret Phaëtontius ardor,*
> *Quem recreat feſſum, gillo,* fabilla, *melo;*

diminut. eſt à *fabula*: *parva* nempe *faba* ſeu *fabilla* dicebatur, quæ aliàs *Græca faba*, arbor quam Græci *loton* appellabant, cujus fructum ſuaviſſimum eſſe, refert Plin. Hujus Baccis videntur Vett. uſi ad ſedandam ſitim, in maximis ardoribus, ut & ceraſis: horum enim naturam penè habere fructum illum, idem Plin. tradit. Sed longè magis, propter umbram & opacitatem ramorum in æſtivis caloribus expetebatur. *l.* 16. *c.* 30. *Præcipueque domibus expetitur, ramorum petulantiâ brevi caudice latiſſimâ expatiantium umbrâ, & in vicinas domos tranſilientium. Nulli opacitas brevior; nec aufert ſolem hyeme, decidentibus foliis. Nulli cortex jucundior, aut oculos excipiens blandius. Nulli rami longiores validioreſque aut plures, ut dixiſſe totidem arbores liceat.* Unde non mirum, ſi per ferventiſſimos Auguſti menſis æſtus ejus arboris umbram gratam eſſe feſſis, eoſque recreare dixit ille Poëta, Salmaſ. *ad Lamprid. in Heliogabalo.*

FABIOLA, Romana mulier, quæ cùm magno ſtudio ſacras literas amplecteretur, Evangelia, & pſalmos frequentiſſimè revolvebat, ut iterata plerumque lectio amorem divinæ religionis (quâ deflagrabat) augeret magis, unde & D. Hieronymus librum de veſte ſacerdotali eidem nuncupavit. Vide *hujus Ep.* 30. *ad Ocean.*

FABIRAUM, Item BREMA, vide *Brema* & *Phabiranum.*

FABIUS, Remum occidit. A. U. C. 1. Dux militum.

FABIUS, vide *Claudius.*

FABIUS, Dux Galliarum, concionante Vitellio, ad ſupplicium poſtulatus, quòd pro Vindice bellaſſet. Tacit. *Hiſt. l.* 2. *c.* 94.

FABIUS, Ep. Antiochenus, à Novatiano in hæreſes diſcrimen adductus, à Cornelio Ep R. & Dionyſio Alexandrino, in orthodoxia confirmatus eſt. Obiit A. C. 255. Succeſſit ei Demetrianus. Euſeb. *in Chr. & Hiſt. l.* 6.

FABIUS, Homo loquax apud Horat. *Serm. l.* 1. *Sat.* 1. *v.* 13.

> *Cætera de genere hoc (adeò ſunt multa) loquacem ut*
> *Delaſſare valent* Fabium.

Vide Veterem Schol. & Lævin. Torrent. *in l. d.*

FABIUS Æmilianus, vide *Quintus.*

FABIUS Africanus, Cos. cum Julio Antonio, A. U. C. 744.

FABIUS, Ambuſtus, prænom. *Marcus*, Q. Capitolini primùm, iterum M. Popilii, tandem ejuſdem Capitolini in Conſulatu collega; cognomen id nactus eſt, quòd fulmine ictus eſſet in natibus, *Jovis pullus* appellatus indidem, Arnob. *l.* 4. Unde toti poſtea familiæ cognomen, apud Liv. *l.* 4. *c.* 52. 58. 61. frequens. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 840. qui de Conſulatu ejus pluribus agit *ibid. p.* 812. & *ſeqq.* nec non in voce *Marcus*, it. *Cajus.* Flor. *l.* 1. *c.* 26.

FABIUS Buteo, vide *Marcus.* Flor. *l.* 2. *c.* 2. Liv. *l.* 30. *c.* 27. *l.* 40. *c.* 18. *l.* 41. *c.* 28.

FABIUS, prænomine Cajus, legatus Cæſaris in Gallia, cui unam legionem in Morinos ducendam hibernatum dedit Cæſar. de Bell. Gallico *l.* 5. *c.* 13.

FABIUS Cerilianus, (ut Vopiſcus *in Caro* ait) *tempora Cari, Carini, & Numeriani ſolertiſſime perſecutus eſt.* Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2 *c.* 4.

FABIUS Chilo, Cos. cum Libone, A. U. C. 965.

FABIUS Dorſennus, vel Doſſenus, Poëta Attellanus. Plin *l.* 14. *c.* 13. Horat. *l.* 2. *Ep. v.* 73. Senec. *ep.* 89. *Doſſenum* vel *Doſſennum* vocare libros, & rectum eſſe *Doſſennum*, docet Salmaſ. *Achariſtionem* ejus Fabulam fuiſſe, vult Plin. quam Nonius Plauto tribuit. Vide Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 710. nec non in voce *Marcus.*

FABIUS Fabricianus, captâ Tuſcio (ea eſt primaria inter Samnites civitas) victorioſam Venerem, quæ in ſummo apud illos habebatur honore, Romam miſit; Hujus uxor cum adoleſcentulo ſpecioſo adulterium committebat: quocirca redeuntem virum dolo è obtruncavit. Fabricianum verò adhuc infantem, ex urgenti liberatum periculo, clam emiſit alendum. At ille cùm ad ætatis vigorem pervenit, matrem & adulterum interfecit. Senatus autem, ne res illa Fabriciano eſſet fraudi, decrevit. Plutarch. *Paral.*

FABIUS Fabullus, quintæ legionis in Germanico exercitu, victo Cæcinâ, dux à militibus cum Caſſio Longo delectus. Tac. *Hiſt. l.* 3. *c.* 14.

FABIUS Gurges, cum patre Fabio Max. Seniore, Samnites vicit, A. U. C. 463. Alius, ob luxum ſic dictus. Macrob. Sat. *l.* 2. *c.* 9. Liv. Ep. XI. *l.* 1. *c.* 21. Flor. *l.* 1. *c.* 21.

FABIUS Labeo, vide *Quintus.* Liv. *l.* 33. *c.* 25.

FABIUS Interrex, vide *Cajus.* Idem. *l.* 9. *c.* 7. *l.* 17. *c.* 22.

FABIUS Licinius, vide *Marcus.*

FABIUS prænomine Lucius, centurio legionis octavæ tres nactus manipulares ſuos atque ab iis ſublevatus murum Gergoviæ aſcendit: ſed à Gallis circumventus atque interfectus cum ſuis de muro eſt præcipitatus. Cæſ. de Bell. Gall *l.* 7. *c.* 8. & 9.

FABIUS Marcellinus, Hiſtoricus ſub Severo, ante Diocletianum. Scripſit vitam Alexandri Mammææ, Lamprid. Vopiſcum imitatorem habet, vide eum *in Probo.* Legitur nomen ejus in antiqua inſcriptione, Tarracone, ſed an Patris an filii ſit, ignoratur. Vide de eo Voſſ. de *Hiſt. Lat. l.* 3. *p.* 703.

FABIUS Maximus, vide *Publius* item *Quintus.*

FABIUS Maximus, cognom. Rullianus, primus Fabiorum, hoc elogium meritus, victor contra Samnites, ſine juſſu Papyrii Dictatoris, parum à pœna abfuit. De Apulis, Luceriis, Samnitibus, Gallis, Umbris, Marſis, & Tuſcis triumphavit. Cenſor cùm eſſet, noluit libertos ſuos tribules eſſe. Cenſuram ſecundâ vice oblatam, quòd contra Leges eſſet, renuit. Primus inſtituit, ut die 15. Julii Romani Equites, candidis vecti equis, à templo Honoris ad Capitolium, ſolenni pompâ ſe conferrent. Aur. Victor, *de Viris Ill c.* 31. Liv. *l.* 10. *c.* 9. Flor. *l.* 1. *c.* 17.

FABIUS Maximus, Romani exercitus Imp. adverſus Pœnos creatus, collatis manibus, cunctos ad unum amiſit commilitones, ac ipſe accepto mortifero vulnere in Annibalem curſu vehementi concitatus, juxta eum oppetiit. Plutarch. *Paral.*

FABIUS Maximus, cognom. *Cunctator* ſeu *Verrucoſus*, item *Agnellus*, quinquies Cos. poſt cladem Cannenſem dictator, cunctando reſtituit rem, hinc Clypeus Reip. dictus. Tarento recepto, Herculis idolum in Capitolium tranſtulit, & redemptione captivorum cum hoſte pacto inito, cùm Senatus id reſcinderet, propriis bonis divenditis fidem liberavit. Plutarch. *in ejus vita.* Aur. Victor *de Viris Ill. c.* 43. Liv. Polyb. Eutrop. Flor. *l.* 2. *c.* 6. *Oroſ.* &c.

FABIUS Maximus, prænomine Quintus, cognomento *Allobrogicus*, à devictis Allobrogibus indito: Superavit ad Iſaram Bituitum Arvernorum Regem, & ex Provincia parte Aquitaniæ, Delphinatu, & Sabaudia hodierna, Provinciam Narbonenſem fecit. Fil. Q. Fabii, Æmilii, qui Perſen Macedonum Regem vicit, nepos. Fuit autem hic Q. *Fabius* Maximus Cos. cum L. Opimio A. U. C. 632. Flor. *l.* 2. *c.* 17. Liv. *Ep.* 61.

FABIUS Maximus, Cos. cum C. Jul. Cæſare, A. U. C. 709. Hic in Hiſpania Pompejanos vicit, Hiſpanias per deditionem accepit.

FABIUS Maximus Servilianus, Pontifex M. Annales ſcripſit, laudatos Macrob. Sat. *l.* 1. *c.* 16. Cos. cum Metello A. U. C. 611. in Hiſp. contra Viriatum bellum geſſit Liv. *l.* 30. *c.* 26. Flor. *l.* 3. *c.* 2. Oroſ. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 7.

FABIUS Ovicula, Vide *Quintus.*

FABIUS Paulinus, inter Nobiles Romanos, ſine cauſæ dictione, occiſus, juſſu Severi Imp. apud *Spartian.*

FABIUS Paulus, vide *Paulus.*

FABIUS Pelignus, ex infimis ordinibus ab Attianis ſolus ad Uticam occiſus. Vide Cæſ. *l.* 2. *de Bello Civ. c.* 7.

FABIUS Pictor, primus Romanorum ſolutâ oratione hiſtoriam ſcripſit. Ideoque *Scriptorum antiquiſſimus* à Liv. *l.* 1. *c.* 44. & *longè antiquiſſimus auctor l.* 10. *c.* 37. & *l.* 22. *c.* 7. Male confunditur cum alio, quem Juris peritiſſimum Cic vocat. *Pictoris* cognomen illis hæſit, à primo Familiæ hujus, qui templum Sanitatis olim pinxerat. *l.* 45. *c.* 44. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 3. qui & alterius Fabii Maximi Serviliani ibidem meminit. Vide ſuprà & in voce *Marcus.*

FABIUS Pomponianus, dux limitis Libyci, quo auctore, unà cum Vibio Paſſieno Proconſule Africæ, Afri Celſum Imp contra Gallienum appellavêrunt, peplo Deæ Cæleſtis ornatum, uti teſtatur Trebellius Pollio in XXX. *Tyrannis.*

FABIUS Repentinus, alter ex duobus Prætorio Præfectis, quos in Titii Maximi demortui locum ſubſtituit Antoninus Pius Imp. per concubinam Principis eò dignitatis perveniſſe infamatus, apud Jul. Capitolin. in *Vita* Pii.

FABIUS Romanus, ex intimis amicis Luciani. Tac. Ann. *l.* 16 *c.* 17. *Qui mixtam inter patrem Mellam filiumque conjurationem finxit*, ac ita illum pervertit.

FABIUS Ruſticus, hiſtoricus Latinus. Hiſtorias temporum Neronis compoſuit, floruit ſub Claudio ac Nerone: Amicus intimus Senecæ, Tac. *Ann. l.* 13. *c.* 20. qui ſtylum ejus, in Agricola, laudat. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *p.* 129.

FABIUS Ruſilianus, vide *Quintus.*

FABIUS Sabinus, JC. inſignis, diſcip. Papiniani, Conſiliarius Alexandri fil. Mammææ Cato ſui temporis dictus. Ruul. *in Fabio Sab.* Vignerius, *A. C.* 224.

FABIUS Servilianus, vide *Quintus.*

FABIUS Soſianus, memoratus Vopiſco inter eos, qui contra

M. Fontejum, Firmum & purpurâ uſum & percuſsâ monetâ Auguſtum vocitatum eſſe, contenderunt. Vide Vopiſc. in *Firmo.*

FABIUS Iatianus, vel Titianus, Cos. cum Neratio Cereali. A. U. C. 1111.

FABIUS Valens, Tacit. *Hiſt. l. 1. c. 7. Legatus legionis in Germania, qui cum Cornelio Aquino Proconſulem Capitonem, res novas molientes, interfecit.* c. 52. *Poſtea infenſus Galbæ, tanquam detectam à ſe Virginii cunctationem, oppreſſa Capitonis conſilia ingratè tuliſſet, Vitellium ad res novas impulit.* eum primus Imperatorem ſalutavit. Ibid. *l. 3. c. 43. Victis ad Cremonam partibus profugus apud Stœchadas miſſus à Paulino Liburnices oppreſſus eſt.* Nec multo pòſt *c. 62. Urbini in cuſtodia interfectus; capite ejus Vitellianis cohortibus oſtentato, ne quam ultra ſpem foverent.*

FABIUS Verrucoſus, vide *Quintus.*

FABIUS Vibulanus Ambuſtus, vide *Cajus* & *Marcus*. Liv. *l. 4. c. 52.*

FABIUS Vibulanus, vide *Cneus* & *Quintus*. Idem *l. 3. c. 22.*

FABRATERIA, Colonia, & opp. nunc pagus Volſcorum, in Latio, inter Aquinum, & Fregellas. Populi *Fabraterni* Plin. *l. 3. c. 5.* Juv. *Sat. 3. l. 1. v. 223.*

> *Si potes avelli Circenſibus, optima Soræ,*
> *Aut* Fabrateriæ *domus, aut Fruſinone paratur.*

Sil. Ital. Pun. Bell. *l. 8. v. 398.*

> *Hinc* Fabrateriæ *vulgus nec monte nivoſo vulgus:*
> *Deſcendens Atina aberat.*

Baudr. nunc *Falvaterra*, prope Lirim fluv. in dit. Pontif. in ipſo confin. regni Neap. 8. mill. ab Aquino in Occ.

FABRI Felix, vide *Felix.*

FABRI Gulielmus, vide *Gulielmus.*

FABRIANUM, nobilitate ac ædificiorum magnificentia è 4 primis Italiæ totius caſtellis, vulgi dicto, collatum: quo Crema Lombardiæ, Pratum Tuſciæ, Barulum Apuliæ, Fabrianum Marchiæ celebrantur. In dit. Pontif. in Marchia Anconitana, ad Apennini rad. in limite Ducatus Urbini, inter Sentini rudera ad Occ. & Matelicam ad Ort. 14. mill. à Camerino in Bor.

FABRICA Ferraria, Cyclopum inventum: uti Materiaria Dædali, aliorum aliæ, apud Plin. *l. 7. c. 56* Romanis rerum longè latèque potitis, ſub diſpoſitione Magiſtri officiorum Palatii, ſeptem in Gallia *Fabricas*, Argentorati ſc. *Armorum omnium*, Matiſcone *Sagittariam*, Auguſtoduni *Loricariam*, Sueſſionis *Scutariam*, *Balliſtariam* & *Clibanariam*, Ambianis *ſpathariam* & *Scutariam*: Præterea tres Procuratores *Monetæ*, ſex Procuratores *Gynæceorum*, Procuratorem *linificii* Viennenſis, duos Procuratores *baphii*, tres denique Præpoſitos *Barbaricariorum* ſive *Argentariorum*, memorat ex *Not. Imp.* Hadr. Valeſ. *Not. Galliæ*, in voce *Lugdunenſis Gallia*, de quibus omnibus vide ſuo loco. Hinc *Fabricenſes*, qui in ſacris his Fabricis arma cudebant, & fabricabant, de quibus titulus eſt in Cod. Theodoſ. & Juſtin. Eorum præpoſiti *Primicerii Fabricæ* appellati ſunt, qui militabant ſub diſpoſitione Magiſtri officiorum Palatii, uti viſum.

FABRICIUS, Rom. civis frugaliſſimus, qui in tenuiſſimo cenſu Samnitum munera animo forti ſprevit. Patellam, & ſalinum ex argento tantùm, colendorum deorum causâ, domi habuit, ita tamen ut patella corneo pediculo ſuſtineretur. Ejus filiæ ob paupertatem de publico dotibus ornatæ ad maritos ierant, portantes gloriam domeſticam, pecuniam publicam. Hunc Pyrrhus Epirota nullo auro, nullis pollicitationibus expugnare potuit, ut ſecum eſſe vellet, ac proximum à ſe locum obtineret. Itaque dixit Pyrrho; Non hoc illi conducibile eſſe, *nam ſi Epirotæ*, inquit, *ambo nos norint, à me regi, quam abs te mallent.* Cic. *l. 3. off.* Virg. *Æn. l. 6 v. 844.*

> ——— *Parvoque potentem*
> Fabricium ———

Vide Val. Max. *l. 4. c. 3.* Claud. *in 4. Conſ. Hon. Carm. 8. v. 412.*

> *Pauper erat Curius, cum Reges vinceret armis,*
> *Pauper* Fabricius, *Pyrrhi cùm ſperneret aurum.*

Idem *de Bello Gild.* Carm. xv. *v. 271.*

> *Noxia pollicitum domino miſcere venena*
> Fabricius *Regi nudatâ fraude remiſit.*

Vide etiam Flor. *l. 1. c. 8.* A. Gell. *l. 4. c. 8.* Plutarch. *in Pyrrho.* Aur. Vict. *de Viris Ill c. 35.* Liv. *l. 37. c. 4. Eutrop.*

FABRICIUS Georgius, vide *Georgius.*

FABRICIUS David, vide *David.*

FABRICIUS Franciſcus, Durâ Colonienſis, poſt Seb. Corradum Regienſem, *Ciceronis Hiſtoriam*, aliaque complura ſcripſit. Obiit Duſſeldorpii A. C. 1573. Æt. 47. Alius ejuſdem nominis, Ruremundâ Brabantus, Medicinam fecit Aquis Sextiis & ſcripſit *de Balneorum, quæ ſunt Aquiſgrani & Porceti natura, & facultatibus*; ac *Latino metro* vertit tragœdiam Nazianzeni, cui tit. *Chriſtus patiens*; it. *Conſilia de Arthritide.* Alius, Macroduro-Clivius, Græcè Latinèque egregiè doctus, varia quoque luci dedit, vide Val. Andream *Bibliothec.* & Anton. Teiſſier *in Elogiis* P. 1. & 2.

FABRICIUS Hieronimus, vide *ibi.*

FABRICIUS Leſcinus, vide *Cajus.*

FABRICIUS vel FARICIUS Thuſcus, Abbas Cluniac. Anglus, A. C. 1110. vitam S. Aſelmi, Scoti Abbatis, ſcripſit. Poſſevin. *app. ſacr.* Simler. *Biblioth. Geſn.* Alius, apud Plin. *l. 3. c. 12.*

FABRICIUS Veiento, prænomine *Aulus*, Prætor ſub Nerone, canes Circenſibus ad currus adjunxit pro equis: Hic, ob multa, & probroſa in Patres, & Sacerdotes compoſita, iis libris, quibus nomen codicillorum dederat, item ob Principis favores venditos, accuſante Talio Gemino Italiâ depulſus eſt, ejuſque libri exuſti ſunt, Tac. *Ann. l. 14. c. 50.*

FABRICIUS Pons, unus ex pontibus urbis Romæ, à Fabricio conſule extructus. Horat. *l. 2.* Serm. Sat. 3. *v. 36.*

> *Atque à* Fabricio *non triſtem ponte reverti.*

Hodiè *ponte di quatro Capi*, teſte Andr. Fulvio. & *Marliano.*

FABRILIS, Ars, apud Gentiles præſidem Vulcanum habuit; qui proin cum malleo pingebatur, quod Arnob. traditum *l. 6.* quemadmodum idem in L. Cæſii nummo cum forcipe ſpectatur. Eidem Athenis ſacra erant, Χάλκεια, i. e, *Æraria*, dicta: quæ etſi, & ab Opificum aliis, celebrarentur, unde hoc feſtum Πάνδημοι vocabatur, i. e. *totius populi*, præcipuè tamen id à *Fabris* fiebat. Et quidem primitus hæc Minervæ fuiſſe, dictum ſuprà in voce *Ergana.* Utrius verò potiùs Numinis artificium hoc fuerit, ſi quæratur, reſpondet Voſſ. Minervæ, ſi per eam intelligas ſapientiam divinam; Vulcani, ſi hoc capiatur juxta hiſtoriam veterem, ut ſit Tubalcainus, *Fabrilis* artis inventor; velut ex Moſe præfatus Auctor oſtendit, de *Idolol. l. 2. c. 66.* ſed ſi φυσικῶς, pergit. Idem, malis conſiderare, ſic quoque ratio ſe offert, cur Numen maſculum, quale Vulcanus, huic præficeretur Arti. Nam Vulcanus propriè fuit ignis fabrilis, & quæ ſequuntur, vide eum quoque *de Idolol. l. 2. c. 66.* & de Commiſſionibus *Fabrorum*, aliorumque Artificum, Athenis, quolibet anno publicè inſtitui ſolitis, infrà ubi de *Mamuriis Artibus.* de *Fabrorum* verò apud Romanos generibus variis, apud Laur. Pignor. *Comm. de Servis*, & Tit. Popmam *de Operis Servor.* de victu ſuprà in voce *Faba.* Adde betas, Mart. in Xenys. *l. 13. Epigr.* 13. cujus epigraphe Betæ.

> *Ut ſapiant fatuæ* fabrorum *prandia betæ:*

Et frictum cicer. ex iis, quæ ſuprà de *Cicere* diximus. Uti pileum malleo. Ita enim Arnob. *d. l. Cum pileo Vulcanus & malleo.* Pileatos certè Fabros fuiſſe ferrarios, Arrian. docet *Diſſert. Epicteti l. 4. c. 8.* Εἰ δ' οὕτω κωφὸς εἶ, καὶ τυφλὸς, ἵνα μηδὲ τὸν Ἥφαιστον ὑπολαμβάνῃς καλὸν χαλκέα ἂν μὴ τὸ πιλίον ἴδῃς περὶ τὴν κεφαλὴν περικείμενον. Item perizoma. Idem *ibid.* οὐδεὶς δ' ἐρεῖ ἐγὼ μουσικός εἰμι, ἂν πλῆκτρον καὶ κιθάραν ἀγοράσῃ. οὐδ' ἐγὼ χαλκεύς εἰμι, ἂν πιλίον καὶ περίζωμα περιθῆται. Quod *fabrilem expeditionem* vocat Arnob. ubi ſuprà, *fabrili expeditione ſuccinctus*, de eodem Vulcano loquens. Cæterum ferrariam exercentibus lippi, & rubentes plerunque oculi: Juv. ubi de patre Demoſthenis *Sat. 10. l. 4. v. 130.*

> ——— *ardentis maſſæ Fuligine lippus.*

At de *Fabrûm Centuriis*, in prima apud Rom. Claſſe, vide Liv. *l. 1. c. 43.* & ſuprà deque *Fabrorum officinis* plura infrà in voce *Leſchæ.* Ex *Fabro Ferrario* Imp. habes infrà in voce *Mamurius*; contra et Rege *Fabrum* in *Perſeus.*

FABULA, Græcè Μῦθος, à *fando* dicta, narratio rei cujuſcunque eſt, etiam veræ. Sic Terent. *in Hecyra Act. 4 ſc. 3.* ſub calcem *Jam nos fabulæ ſumus, Pamphile.* Cic. etiam alicubi; & *Fabula Trojæ*, pro hiſtoria, & rebus geſtis ejus. Similiter Suet. *in Domit. c. 15. Evenit*, inquit, *ut id ei cœnanti, inter cæteras diei fabulas, referretur*: ubi *Fabulæ diei*, ſunt narrationes rerum variarum, quæ de die acciderunt. Similem locutionem habet, *Aug. c. 70.* Sulpitia. Fabellam *permitte mihi detexere paucis.* Ubi hiſtoriam innuit de pravo ſtatu Reip. ſub Domitiano. Sic apud Græcos quoque Μῦθος aliquando vera narratio eſt. Unde apud Iſocrat. μῦθοι, pro ſermonibus aut libris religioſis ac Muſicis ſumuntur: & apud Homer. nec non Callimach. eadem vox pro vero *ſermone* ſumitur. Proin ad veræ narrationis differentiam, quæ falſum recitat, *ficta Fabula* dicitur Cic. de *Finib. l. 4. Quid? cùm fictas Fabulas, è quibus utilitas nulla duci poteſt, cum voluptate legimus.* Laurentius JC. *in Phædr. l 1. Prolog.*

> Fictis *jocari nos meminerit* fabulis.

Obtinuit nihilominus uſus, ut pro ficta falſâque narratione communiter vox adhibeatur. Et quidem *Fabulis* multùm priſci Sapientes uſi ſunt, ad utilia de virtutibus præcepta Juventuti inſtillanda: quod Phædr. indigitat *l. 4. fab. 1.* ubi inter alia,

> *Sed diligenter intuere has nænias,*
> *Quantam ſub illis utilitatem reperies.*

Syneſius item, Διὰ πάντων ὁ μῦθος εἴργασται πρὸς τὸ χρήσιμον πεποικιλμένος. Atque hinc eſt, quòd Georgius Decanus, *Poëtarum fabulas*, dicit, *ad vitam utilia præcepta per allegorias inſtituendam conficta.* Unde iterum Phædr. ait *l. 2. Prologo*,

> *Nec aliud quidquam per* fabellas *quæritur,*
> *Quàm corrigatur error ut mortalium.*
> *Acuatque ſeſe diligens induſtria.*

Quia enim nuda docendi præcipiendique ratio moleſtiam hominibus ac ſatietatem afferebat, ad perſuadendos ducendoſque animos fabulæ dulcedo adhibita eſt: Quod Philoſophandi genus, in Oriente inprimis uſitatum, antiquiſſimum fuit, & ne ſacris quidem Scriptoribus intactum. Maximè autem in iis Æſopus excelluit, quæ cauſa eſt, ut fabulæ poſtea collectæ, quarum primus auctor Heſiodus videtur, uni Æſopo adſcribi cœperint, teſte Quintil. *l. 5. c. 11.* Vide quoque ſuprà *Cantor.* Præter hanc Mythicæ Philoſophiæ ſpeciem, alia quoque fuit. Nam poſtquam priſci Heroes, jam fun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

fundatis Rebuſpublicis ac Imperiis, verum ſic Sapientiæ uſum monſtraſſent, inde paulatim ex Foro, & Aulis Principum ad Scholas tranſlata eſt. Tum viros quidem doctos, ſed otio abundantes nacta, intra virilem illum, & ſalutarem uſum minimè ſe continuit: ſed ad varias, & miras dilapſa ſpeculationes, vera falſis obſcuriſſimo dicendi genere miſcere cœpit, nec de hominibus & rebus naturalibus agere ſat habens, in ipſum cœlum impetu facto, novam quaſi Politiam ibi adornavit: Hinc *Theologia* alio nomine dicta, Lactant. *de ira Dei c.* 2. de qua plura vide apud Georg. Horn. *Hiſt. Philoſ. l.* 3. *c.* 7. Ex Scholis tranſiit in Scenam, & commune nomen Tragœdiæ, Comœdiæ aliiſque *Fabula* fuit, quam inter Romanos primus Andronicus, Græcorum more, dediſſe legitur. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 8. Jul. Cæſ. Scalig. *de Poët. paſſim* &c. Propriè tamen Mimus differt à *Fabula* ſive Dramate. Fabula enim comprehenſio eſt rei geſtæ, cum quadam œconomia narrationis, explicatis quæ implicata ſunt, ad certum exitum tendens, lætiorem, & Comœdia; triſtiorem, ut Tragœdia. At mimus nec λύσιν habet plerunque, nec exitum. Cic. *pro Cœlio*, *Mimi ergo eſt jam exitus, non fabulæ: in quo cùm clauſula non invenitur, fugit aliquis è manibus, dein ſcabella concrepant, aulæumque tollitur.* Etiam in cetero *Fabularum* genere, certus erat modus imitandi, & honeſti decorique habebatur ratio, at Mimus, ſeu Planipes, quodcunque & quomodocunque imitaretur, partes ſuas agebat. Sed & antiquitus, cùm variæ ſpecies agerentur fabularum, diverſæ perſonæ in ſingulis locum habebant, ut in togatis Romanæ, in palliatis Græcæ quidem, ſed honeſtæ: In Mimo verò abjectæ tantùm & viles &c. Unde *Planipedes* & *Fabulones* h. e Mimos & Fabularum actores, diſtinguit eruditè Macrob. Sat. *l.* 2. *c.* 1. quem locum vide infrà, in voce *Fabulones* plura verò hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 109. Sed nec his contenta limitibus *Fabula*, etiam Deorum hiſtoria, apud Vett. & honor fuit, teſte Salluſt. *de Diis & Mundo.* Itaque non Philoſophi ſolùm, & Poëtæ ſed & τῶν Θεολογουμένων Auctores, pro vero e. g. tradidêrunt, muros Thebarum Amphionis lyrâ ſtructos eſſe, uti docet Apollod. περὶ Θεῶν. Quæ antiquitatis fata venerabatur, & credebat vulgus, ut de religionibus aliquod caput. Unde & Thebis ex lapidibus cantu Amphionis in unum coëuntibus, monſtrabantur quidem circa tumulum οἱ εἰργασμένοι πρὸς τὸ ἀκριβέστατον, *non adeo accuratè politi*, ut habet Pauſ. *in Bœot.* Qui fabularum pruritus hodièque ingens apud Mahummedanos Ethnicoſque, verò & Chriſtianorum quoſdam, qui fabuloſarum de Majorum monumentis, & locorum miraculis narrationum tenaciſſimi, odio, vi, malo, plectunt diffidentes, Farnab. *ad Senec. Phœniſſis v.* 566.

Variæ Fabularum ſpecies & appellationes.

Amatoriæ, ab argumento dictæ ſunt, quòd de amoribus agerent, ut Andria.

Atellanæ, ab Atella Oſcorum opp. omnium maximè jocoſæ & dicaces. Docebantur in fine ludorum: eaſque qui agebant hiſtriones, *Juvenes* dicti inter omnes ludiones honeſtiſſimi, nec proin, uti cœteri, infames erant.

Calumniatoriæ, iterum ab argumento, ut Ariſtophanis Nubes & Ranæ.

Civilis fortunæ & morum, ut Theſaurus, Captivi, Aulularia Plauti.

Convivales ac hilares, ut Bacchides.

Fallaces, ut Miles, Pſeudolus.

Motoriæ, dictæ ſunt, turbulentæ illæ ac negotioſæ, qualis Terentii Adelphi.

Palliatæ, Græcæ appellatæ ſunt, à veſtis genere genti illi uſitato. Ut enim toga Romanorum, ſic pallium Græcorum fuit geſtamen.

Prætextatæ, in quibus Magiſtratus introducti, qui in prætextis: fortaſſe etiam pueri ac puellæ prætextatæ, vel potius ſic appellatæ ſunt, ab argumenti gravitate, atque honeſtate: quòd nulla in iis jocorum licentia, atque obſcœnitas, quæ Magiſtratuum, & pueritiæ ſanctitatem dedeceret.

Statariæ, nuncupatæ ſunt fabulæ ſedatiores, in quibus non ita, ac in Motoriis, diſcurrebatur. Qualis Hecyra & Aſinaria.

Tabernariæ, quod genus capiebat humilem fortunam negotiorum popularium, cum tunicis tantùm. Dictæ ab habitaculis, quòd cum tabernis ſcenæ diſponebantur. Vel potius, quòd opifices, inſtitores ac ſellularii, qui in tabernis degere ſoliti, inducebantur.

Togatæ, Latinæ dictæ ſunt omnes, à veſte Romanis peculiari: in ſpecie, illæ, in quibus viliores perſonæ inductæ, oppoſitè ad prætextatas.

Trabeatæ, novum genus togatarum, Prætextatis affines, auctore Meliſſo, quem Auguſtus præfecerat Bibliothecæ in porticu Octaviæ: à trabea, veſte Regibus olim, dein Equitibus, cùm tranſvehebantur; triumphantibus item, uſitatâ. Vide quoque Octav. Ferrar. *de re Veſt. part.* 2. *l.* 4. *c.* 2.

FABULINUS, putabatur Deus, qui pueris primò fari incipientibus præeſſet. Huic Romani ſacrificabant, cùm primum eorum liberi fari incipiebant. *Varro.*

FABULONES, iidem cum Sannionibus, & Apinariis, qui ridiculis quà dictis, quà geſtibus, in ſcena riſum movebant. Macrob. Sat. *l.* 2. *c.* 1. *Hæc nobis ſit literata lætitia & docta cavillatio vicem planipedis &* fabulonis *impudica & prætextata verba jacientis, ad pudorem ac modeſtiam verſus imitata.* De cujuſmodi Scenicis & Attellanis in Varr.

Et orthophallica attulit pſalteria,
Quibus ſonant in Græcia dicteria,
Qui fabularum collocant exordia:
Ut Comici, Cinædici, Scenatici.

Inde igitur *Fabulones*, à *fabulis*: quas omnis generis, *prætextatas*, *togatas*, *tabernarias*, *Attellanas*, quas antiqui Poëtæ in ſcena dictabant, quæque omnes poſteriorum Impp. ævo agi deſiêrunt, & in deſuetudinem abiêrunt, in ſcenam revocaſſe, & more antiquo in theatro exhibuiſſe legitur Hadrian. Imp. apud Ælium Spartian. in *Vita* ejus. Vide quoque ſuprà.

FACCIUS vel FATIUS *de Ubertis*, Florentinus, Geographus, & Poëta, *Ditamondam* ſcripſit. Sub Julio II. Annas Viterb. *antiq. var. q. l.* 17. Franc. Albertinus, *de laud. Florent.* Hugolinus Verinus *l.* 2. *Flor. ill.* Leand. Alberti, *deſc. Ital. p.* 47. Voſſ. *de Hiſt. Lat. P.* 3. l. 3.

FACERE, ſacrificale verbum, ſicut Græcum ἔρδω & ῥέζω. In *Epigr.* Homeri imagini, à Varrone appoſito, apud A. Gell. *l.* 3. *c.* 11.

Capella Homeri candida hæc tumulum indicat,
Quod hac lætæ mortuo faciunt ſacra.

Virg. *Ecl.* 3. *v.* 77.

Cùm faciam vitulâ &c.

Nerius *c.* 4. *Facere rem divinam religionibus exhibere.* C. Nep. *conficere* ait, *Hannib. c.* 2. *& in Catone c.* 3. Vide Savaronem *Not. in Sidon. Ep.* 17. *l.* 5. Propriè verò de oleo, Latini vett. verbum uſurparunt, und *Factus*, oleum uno tempore factum, quem alii 160 modiorum, alii 120. faciebant, teſte Varrone *de Re Ruſt. l.* 1. *c.* 24. Similiter ῥέζειν ἀλοιφαῖον λίπος, Lycophron dixit *in Caſſandra*, quod Scalig. reddit *facere nitores unguinum*, i. e. oleum. Vide Joh. Meurſ. *Comm. in l.* ut alia omittam.

FACES in ſacris in bello, in nuptiis, in funeribus, olim adhibitæ. Vide infrà in voce *Fax.*

FACHINHAMUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

FACHREDDINUS, aliis vulgò *Emir Saidæ*, vel *Principes Sidonis*, omnium ſub Ottomannico Imperio Principum potentiâ, & auctoritate primus habetur: cujus familia longo ordine per Phœniciam, & Galilæam dominationem exercuit. Ditio ejus complectebatur, præter regiones modo dictas, oppida Berytum, *Saida*, *Sour*, S. Joh. Acram ſeu *Ptolemaidem* &c. Vide *le Voyage de Levant à Paris* A. C. 1632. laudatum Hornio *Orb. Polit. p.* 271.

FACIALIS ſeu FACILE, in *Martyrologio* vet. in *S. Timotheo*, orarium eſt, h. e. linteum tenue, quo *facies* extergitur, φακιόλιον Græcis recentior. Vide *Nomocanonem* editum à Joh. Baptiſta Cotelerio *c.* 50. & quæ ibi obſervat Vir doctus. *Facitergium* quoque dicitur, in *Regulis* S. Cæſariæ Virg. ubi acu pingi illa conſueviſſe, innuitur, apud Dominic. Macr. *in Hierolex.* Vide infrà.

FACIDIA, vicus Rhinocoruræ. Hieron. *Vita Hilarionis.*

FACIENS, & PATIENS, duo rerum principia, ſecundùm Stoicos, apud Diog. Laërt. *in Zen.* qui, cùm *Patiens* de Materia explicaſſet, *Facientis* ſive τοῦ ποιοῦντος nomine verbum Dei ὑποστατικὸν apertis fere verbis ſignificat, Τὸ δὲ ποιοῦν, inquiens, τὸν ἐν αὐτῇ λόγον τὸν θεόν. Τοῦτον γὰρ ὄντα ἀΐδιον διὰ πάσης αὐτῆς δημιουργεῖν ἕκαστα, *Quod autem faciat* (h. e. principium *Faciens*) *Verbum Deum eſſe* (Stoici enim docuêrunt) *quod in ipſa materia, nempe Patiente ſit. Hunc enim quippe ſempiternum, per ipſam omnem ſingula creare.* Quæ ſuffurati dici poſſent, ex Pſalmo 33. *v.* 6. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt*, Tob. Pfannerus *Theol. Gentil. pur. c.* 5. §. 4.

in FACIEM procidendi ritus ſupplicum, ad pedes ejus, cui ſupplicabant vel quaſi ad pedes cùm Dei pacem exorarent, apud Hebræos in uſu, ut è Sacris notiſſimum. Inde ad alias gentes tranſiit. Ita enim Darii mater & conjux, *provolutæ ad pedes* Alexandri Mag. *orare cœpêrunt* &c. apud Curt. *l.* 3. *c.* 12. Liv. de Paulo & Perſeo. *Summittentemque ſe ad pedes ſuſtulit*, *l.* 45. *c.* 7. Cic. *Orat. ad Pop. Eq. Rom.* antequam iret in exilium. *Oro atque obſecro, quibus ſigillatim ſæpe ſupplex ad pedes jacui, ut eum, quem ſinguli ſtratum atque abjectum ſublevaſtis, nunc univerſi conſervatum velitis.* Unde *abjecti* nomen ſignificationem invenit, pro vili & humili: extremam enim ſubmiſſionem iſte habitus notat. Vide quoque infrà *Lingere pulverem.* Cæterùm ita procidentes genua eorum, quibus advolvebantur ſolebant complecti. Tac. *Ann. l.* 1. *c.* 13. *Cùm deprecandi causâ palatium introiſſet, ambulantiſque Tiberii genua advolveretur* &c. Plura infrà ubi de *Supplicum ritibus.*

FACIES, ſoli animalium eſt homini, cujus loco cœteris os & roſtra, Plin. *l.* 11. *c.* 31. De ea ſic Paſchal. *Coron. l.* 5. *c.* 3. *Ecquis non ſtupeat in illa altera* (capitis parte) *quæ eſt attributa vultui, qui vultus eſt imago ingenii? Nam quia frons eſt ſummum limen hominis, nimirum ibi ſedent gravitas & majeſtas. Tectus in animo pudor manat per oculos, quos natura fecit inſignes lenitate, acritate, flagrantia. In naſo latet ſagacitas; In genis nobilis illa ruboris purpura effloreſcit. Ab ore manat ſal ſapientiæ. Denique in toto vultu eſt non ſolum* Ἀττικὸν βλέπος, *Atticus aſpectus, ſed &* θεῖον, *divinus. Certe hoc eſt in homine* facies, *quod prora in navi, quod Zodiacus in cœlo, quod character in annulo. Ibi agnoſcitur viva & expreſſa ſimilitudo Dei, h. e. totus homo*, Hinc inter alia hominis membra, *faciem* quoque coronatam, legimus, à ſequiori inprimis ſexu, tegendo ſc. velandoque pudori, apud Plutarch. *Pelop.* cujuſmodi coronæ Plauto Pſeud. Act. 1. *ſc.* 1. *v.* 21. *dapſiles* dictæ, uti vidimus. Antiquitus verò *facie* planè tectâ erant Virgines, matronæ apertâ, apud Græcos alioſque apud ſolos Spartanos contrarium obtinente, ut infrà videbimus in voce *Virgo.* Imò & apud Romanos C. Sulpitius Gallus uxorem dimiſit, quod eam capite aperto foris verſatam cognoverat, Val. Max. *l.* 6. *c.* 3. *ex.* 10. Idem poſtea ſexus in ea contra Solis æſtum defendenda, gratiaque illius conſervanda, ac cute emendanda multam operam poſuit, qua de re vide Plin. *l.* 20. *c.* 2. *l.* 21. *c.* 10. *l.* 29. *c* 3. & quædam infrà, in voce *Folium* item *oblinire.* Turpius illi, qui pingere conſuevêre: de quo more idem *l.* 22. *c.* 1. *Illinunt certè aliis* (herbis) *aliæ in populis Barbarorum feminæ, mareſque etiam apud, Dacos, & Sarmatas corpora ſua inſcribunt — glaſtum in Gallia vocatur, quo Britannorum conjuges nurusque toto cor-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

pore oblitæ, &c. Vide Alex. ab Alex. Gen. Dier. *l.* 1. *c.* 20. Quod ad ſimulacra quoque Deorum tranſlatum. Plin. iterum *l.* 33. *c.* 7. *Enumerat auctores Verrius ---- Jovis ipſius ſimulacri* faciem *diebus feſtis minio illini ſolitam, triumphantiumque corpora: ſic Camillum triumphaſſe.* Indidem huic inprimis parti in bello cavebatur: unde nota vox Cæſaris, *Miles faciem feri.* Quò igitur tuta eſſet, clauſis galeis uſi Vett. uti de Thebanis fratribus Papin. Stat. docet, *Theb. l.* 11. *v.* 526.

Per galeas odia & vultus rimantur acerbo
Lumine ———

Vide quoque infrà, in voce *Nares.* Contrà, extremum contumeliæ genus, in *faciem* alterius ſputum conjeciſſe, vel illam percuſſiſſe, uti ex hiſtoria Mariæ, Moſis ſororis, Num. *c.* 12. *v.* 14. & paſſionis Domini noſtri, Matth. *c.* 26. *v.* 67. liquet. Vide quoque infrà in voce *Lutum.* Quam in rem varia egregia congeſſit inſignis Gallus le Maiſtre in lib. cui *Plaidoyez* titulum fecit. Eandem ob cauſam in *facie* reorum ſcribi vetuit Conſtantinus, ut infra dicemus de *Fugitivis.* Non tamen illud in luctu parcitum, vide infrà ubi de Vett. *Planctu*: uti de more defunctorum *faciem* comâ abſciſsâ & avulsâ tegendi, Farnab. *ad Sen. v.* 1181. &c. Aliàs *Facies*, pro colore, pro tota figura, paſſim uſurpatur, apud Solin. inprimis ad quem vide *Exercitationes Plinian.* Salmaſ. *p.* 236. 239. 252. 703. & 1012. Ad inanimata etiam tranſlata, pro conſtitutione ut *facies pugnæ*, apud Stat. *Theb. l.* XI. *v.* 524. ubi vide Barth. Judæi פנים, *facies* vel vultus quoque Decanos ſeu Deos Horoſcopos vocarunt uti ſuprà diximus in hac voce &c. Vide quoque infrà in voce *Perſona* & *Vultus.*

FACIES Dei, τὸ τοῦ Θεοῦ πρόσωπον, Strab. *l.* 16. *p.* 742. Ptol. Scylaci, vocatur Libani montis prom. cujus appellationis cauſam aperit Joh. Marshamus *Canone Chron. Sec. III.* ubi de Θεοπρόσωπῳ, & dicemus aliquid infrà, in voce *Phanuel.*

FACIFERI, in bello olim adhibiti, Vide infrà in voce *Fax.*

FACINOROSI, ſepulturâ non arcendi. Certè Lex divina Hebræis data, ut omnis virtutis, ita & humanitatis Magiſtra, illos ipſos qui ſuſpenſi patibulo erant (quod valde ignominioſum cenſebatur) eodem die ſepeliri jubet. Unde Joſeph. tantam ait Judæis eſſe ſepulturæ curam, ut eos etiam, quorum corpora ad publicum ſupplicium damnata ſunt, ante Solis occaſum tollant & humo mandent: adduntque Hebræorum Interpretes, exhibitam hanc reverentiam divinæ imagini, ad quam homo ſit conditus. Sic Ægyſthum, qui adulterium cæde Regis cumulaverat, ab interfecti Regis filio Oreſte humo mandatum, Homer. memorat *Odyſſ.* γ. Sed & apud Romanos, *obnoxios criminum digno ſupplicio affectos ſepulturæ tradi*, permiſêrunt Diocletianus ac Maximinianus Impp. *l.* 2. C. *de relig.* Legimus quidem exempla eorum, qui inſepulti abjecti, ſed frequentiora civilibus, quam externis bellis: & hodie videmus quorundam damnatorum corpora diu in publico conſpectu relinqui, quem tamen morem plerique improbant. Contrà laudatos videmus, qui ſepeliri juſsêrunt corpora eorum, qui id ipſum aliis non permiſerant, ut Pauſaniam, Theſeum, Alios. Excepêrunt tamen Hebræi eos qui ſibi ipſi mortem conſcivêre, quod Joſeph. docet *de Bello Jud. l.* 3. *c.* 25. nec mirum, cùm in hos aliud ſupplicium conſtitui non poſſit, qui mortem pro ſupplicio non habent. Græci verò ſacrilegos, Diod. *l.* 16. item proditores, Plutarch. *Antiphonte.* Vide H. Grot. *de Jure Belli & Pacis l.* 2. *c.* 19. §. 4. & ſuprà in voce *Cadaver.*

FACITERGIUM, Ital. *Fazzoletto*, linteum *faciei* tergendæ. Theodulfus *l.* 1. *Carm.*

Quo facies *humore levi palmasque ſolemus*
Tergere, *quis dandum textile munus habet?*

Vide ſupra *Facialis.* Item ſacra veſtis, in *Chron.* Fontanellenſi *c.* 16. alibique; pro quavis mappa, etiam Altaris, uſurpatur Hergaudo *in Roberto Francor. Rege.* Car. du Freſne *Gloſſ.*

FACIUS Bartholomæus, vide *Bartholomæus.*

FACTIO, teſte Scalig. ſignificat diverſos ordines circa inimica ſtudia diſtinctos ſingulos ſua facientes ad unius operis complementum quaſi συνεργίαν. Hinc & αἱρέσεις dictæ. Et quidem primo *Factio* & *Factioſus* honeſta erant vocabula, unde adhuc *Factiones Hiſtrionum* & *Quadrigariorum* dicuntur. Modò ſeditio & arma ſic vocantur, Feſt. Nempe.

FACTIONES, aliter *Partes*, quod vide dicebantur in ludis Circenſibus, aurigarum pro palma certantium diviſi cœtus, quos colores diſtinguebant à ſe invicem, & pompâ procedente, favorem, ſtudia ac ſponſiones ſpectantium, prout quiſque in hanc vel illam *Factionem* erat propenſus, excitabant. Sidon Apollin. *Carm.* 23.

——— *Pars adverſa micat.*

Harum quatuor erant, de quibus ita Tertullian. *Ab initio duo ſoli fuêrunt colores, albus & rufus. Albus hyemi ob nives candidas; rufus æſtati, ob Solis ruborem, voti erant. Sed poſtea tam voluptate, quam ſuperſtitione provectâ, rufum alii Marti, alii album Zephyris conſecrarunt: Praſinum verò terræ Matri vel Auctumno* &c. Dicebantur autem à coloribus viridis, cœrulei, coccini, albique panni, quo donabantur, *Praſina, Veneta, Rufata* & *Albata*: quibus Domitian. Imp. Suet. *in eo c.* 7. *duas gregum factiones aurati purpureique panni addidit.* Harum, ad reprehenſionem uſque, ſtudioſi quidam Principes fuêre. Praſinam amplexus eſt Caligula: Venetæ factioni Vitellius ita erat addictus, ut ei ſemper faveret, Suet. *in eo c.* 14. Tum agitatores ipſos habuêre in pretio, Caligula Incitatum, Nero Praſinum, Domitianus Paſſerinum & Tigrim: Nerva Scorpium &c. quorum victorias carmine extulit Martialis. Meminit Boculi cujuſdam Aſconius: M. Aurelii Dioclis C. Apuleji Dioclis, C. Pompeji Euſceni & Fuſci vetera Epigrammata. Mart. tres *Factiones* conjungit: *l.* 14. Apoph. Epigr. 131. cujus epigraphe lacernæ Coccineæ

Si Veneto, Praſinove faves, quid coccina ſumis,
Ne fias iſta transfuga ſorte, vide.

De Praſina ſeparatim Juv. *Sat.* XI. *l.* 4. *v.* 195.

Totam hodie Romam Circus capit, & fragor aurem
Percutit, eventum viridis quo colligo panni &c.

In ſignum committendarum *Factionum* Prætor, qui plerumque hos ludos edebat, mappam candidam è ſella ſuſpendit; vel in aurigantes miſit: qui mos fluxiſſe à Nerone legitur; Ille enim populo miſſus flagitante, mappam per feneſtram juſſit abjici, Caſſiod. *l.* 3. *Variar.* Exhibebantur autem olim, ut Varro docet *de Pop. Rom.* viginti quinque miſſus, quorum ultimus *Ærarius* dictus eſt, eo quòd de collatione populi exhibebatur, quæ deſiit eſſe, poſtquam conferendæ pecuniæ conſuetudo ſublata eſt, Serv. *in Georg. l.* 3. Domitianum verò centum miſſus, ſed quinis tantùm ſpatiis, exhibuiſſe, Suet. narrat *in vita ejus.* Numerus victoriarum, ut ex marmoribus antiquis patet, tumulorum cippis aut ſtatuarum elogiis, unà cum *Factionis* mentione, addito genere genteque agitatoris, inſcribi conſuevit. Ita inter alia fragmentum veteris Inſcriptionis: *Cl. Aurelio. Polyphemo. Domino. & Agitatori. Factionis Ruſſatæ. Togent. Cæſareo. Sui. temporis. Primo. & Solo. Factionario ob gloriam.* Ex iiſdem patet, in *Factionibus* ſingulis fuiſſe, quos *Procuratores* appellabant, item Medicos &c. Durarunt hæc certamina, uſque ad tempora Juſtiniani, ſub quo, cùm ex Praſinæ & Venetæ contentione ſeditio exorta, & quadraginta fere hominum millia trucidata eſſent, *Factionum* nomina abolita ſunt, vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *cum Paralipomenis* Thomæ Dempſteri, Salmaſ. *ad Solin. p.* 901. & *ſeqq.* ubi totam Rem Circenſem eruditè exponit, & de *Factionis* inprimis *Circi, in quatuor colores & greges diviſæ, origine ac inſtituto primo*, differentium ſententias expendit, nec non ſuprà in voce *Aurigatio* &c. Ab his Circi *Factionibus*, ac coloribus, morem per varios colores excolendi ſervitia, quas *Livreas* vulgò appellant, fluxiſſe, arbitratur Octav. Ferrar. *de Re Veſt. l.* 3. *c.* 4. Vide in ea voce. Ab iiſdem *Factionarii* dicti; in *Inſcr.* modò memorata & *l.* 1. *Cod. Theodoſ. de Equis Cur.* qui Circorum factionibus præerant: Δήμαρχοι Byzantinis Scriptoribus; *Factionum domini* Lamprid. Vide Bulinger. *de Circo c.* 47. Aliud quid *Factor* eſt, quam vocem iniquè Oleariorum cancellis circumſcriptam eſſe à Vett. queritur Scalig. cùm ea potiùs Poëtis conveniret. Erant nempe *Factores* Romanis dicti, qui oleum *facerent*, uti docet Laur. Pignor. *Comm. de Servis.* Sed & *Factiones* atque inde *Factores* appellatos eſſe, qui pilâ trigonali luderent, adnotavit Cœl. Rhodig. *l.* 20. *c.* 18. De vocis ſignificatione ſequiore, vide Jac. Ouzel. *ad Minuc. Fel. p.* 51. & 52.

FACTUM, nomen eſt *Conſtitutionis* cujuſdam Honorii & Theodoſii Augg. ad Agricolam Præf. Pr. Gall. in *Cod.* Autiſiodor. quæ Edictum Hincmaro, Sirmondus *Not. ad Sidon. Epithal. Polemii.* Vide quoque Salmaſ. *ad Capitolin.* ubi *Factum* idem eſſe, quod Πραγματικὸν Græcis ſeu *Pragmatica Conſtitutio*, argutè docet. Solitæ autem ſunt Pragmaticæ iſtiuſmodi ſanctiones, non niſi in publicis cauſis fieri, ad preces civitatum aut provinciarum & ad ſuggeſtionem plerunque Judicum & Præſidum provinciarum: ſicque dictæ ſunt, quod longo tractatu & conſilio habito ſolenniter ea multâ verborum diſſertatione formarentur; quâ ratione quidquid fit, Græcis Πραγματικὸν dicitur. Sic *Conſtitutionis* Fl. Conſtantini Tyranni, quâ ſanxit, ut VII. provinciarum Galliæ conventus Arelati, Imperii tum ſede, agerentur, quamque primus in Auſonianis Lectionibus vulgavit Scalig. inſcriptionem in ſcripta ſcheda hanc fuiſſe, teſtatur ad *Symmachum* Iuretus: FACTUM FL. CONSTANTINI AD AGRICOLAM PRÆFECTUM PRÆT. GALLIARUM. Plura vide apud præfat. Salmaſ. *Not. ad Vitam Gord.* & infrà in voce *Pragmatica Sanctio.* Apud Anglos hoc nomine deſignati Scriptum ſolenne, quo firmetur donum, conceſſio, pactum, contractus, & hujuſmodi: quodque aliàs *Charta* dicatur, docet Spelmann. laudatus Car. du Freſne *in Gloſſ.* De voce verò *Factus*, vide ſuprà in *Facere.*

FACULARUM Accenſores, dicebantur inter Chriſtianos, qui Gentilium ſuperſtitionibus inhærentes, lucernas ad fontes, quos Ethnici velut Numina venerabantur, accendebant: quæ conſuetudo variis Conciliis damnata eſt. Arelatenſe II. *Concil. can.* 23. *Si in alicujus Epiſcopi territorio ---- aut faculas accenderint aut arbores, fontes vel ſaxa venerentur* &c. In Concilio Nannet. *Candelam deferre* eſt, ut & apud Burcard. *l.* 8. *c.* 94. *Vel ſi aliquis vota ad arbores, vel ad fontes, vel ad lapides faciat, vel ibi candelam ſeu quodlibet munus deferat, velut ibi quoddam Numen ſit.* Vide quoque *Capitular.* Caroli Mag. *l.* 7. *c.* 136. &c. *Excultores Fontium*, iidem vocabantur, Dominico Macro *in Hierolexico.*

ad FACULTATUM permutationem provocandi alterum mos, Athenis olim uſitatis, vide infrà in voce *Trierarchus.*

FACUNDIÆ Corona, memoratur Tac. *Ann. l.* 16. *c.* 4. *Senatus* (Neroni) *offert victoriam cantus, adjicit* facundiæ *coronam, quâ ludicra deformitas velaretur.* Quâ ipſa Dea Pitho Venerem donaſſe è mari emergentem legitur, apud Pauſ. *Eliac. l.* 1. Nempe *eſt facundus amor.* Unde Theſeus, populo Athenienſi *facundiâ* ſuâ ex agris in urbem compulſo, Veneris cultum mox introduxit teſte eodem in *Attic.* Sed & præter coronas alia præmia ob *facundiam* collata, uti docet C. Paſchal. *Coron. l.* 5. *c* 12. & 13. Vide quoque infrà ubi de *Oratoribus, Poëtis, Rhetoribus* &c.

FACUNDUS, Coſ. Nepotiani collega, A. U. C. 1088.

FACUNDUS, Ep. Hermian. in Africa, CPolitani, cum Vigilio, Ep. R. fuit, A. C. 547. in Synodo Oecum. 5. ob tria Capitula celebrata, quæ libb. 12. eruditè & ingenioſé ſcriptis, defunctum ivit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ivit. Edidit Sirmondus, cum notis. Addidit Facundus Tractatum contra Morianum. Victor *Chron.* &c.

FACUNDUS Doctor, vide *Petrus Aureolus.*

FADIA, vide ſuprà *Fabia.*

FADILLA, filia Marci Imp. ex Fauſtina, apud Vulcatium Gallicanum *in Avidio Caſſio.* Ejus memoriam ſervat *Inſcr.* hodieque Epheſo haud procul ſuperſtes, in baſi quadrata, quæ ſtatuam ejus honori erectam ſuſtinuerat:

ΦΑΔΙΛΛΑΝ ΘΥΓΑΤΕΡΑ
Μ. ΑΥΡΗΛΙΟΥ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ
ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ.

De qua vide Jac. Spon. *Itin. Part.* 3. *p.* 139. de ipſa verò *Fadilla* plura, apud Herod. *in Commodo*, ubi de Cleandri conjuratione, ab illa, Imperatori detecta &c.

FADUS, vide *Cuſpius.*

FADUS & FADA, Gallis FAIE vel FEE, dæmonis ſpecies: *Fadas* & *Hadas* vocant Hiſpanici Fabularum concinnatores. Vide ſuprà in voce *Drujades*, & infrà in *Feæ.*

FÆCIALES, vide Liv. *l.* 1. *c.* 24. & 32. Plutarch. *in Numa*, Alios: nec non infrà *Fetiales*, *Fæciales*, *Juſta.*

FÆMINA, vide infrà *Fœmina.*

FAERNUS Gabriel, Cremonenſis, eruditione, candore ac vitæ puritate inclytus, Græcè Latinèque inſigniter doctus, Poëta excellens, *Terentii Comœdias* emendavit, ſcripſit *Obſervationes in Catull.* & *Virg. Fabulas Morales* metrice, quarum centuriam Pius IV. Mæcenas ejus, imprimi curavit, aliaque: ſed in eo reprehenſus quòd Phædri fabulas ſupprimere omni ope conatus eſt, quas demum Petrus Pithœus in lucem protulit. Obiit juvenis A. C. 1561. Vide Thuanum *Hiſt.* Petr. Victorium *Var. Lect. l.* 10. & *l.* 16. *c.* 21. ut & *Elogia.* Anton. Teiſſier *Part.* 1.

FÆSULÆ, urbs olim Hetruriæ, non procul à Florentia, ſedes augurum, una ex 12. præcipuis, Stiliconem contra Radagaiſum juvit, dein à Florentinis vaſtata, nunc vicus eſt modicus, licet Epiſcopalem ſedem retineat. Pleriſque Græcis Φαισόλαι, *Fæſulæ*, à nonnullis Φαισόλα *Fæſula* dicitur. Diphthongum in prima Græci ſemper habent, & inde ea ſyllaba producitur à Sil. Ital. Punic. Bell. *l.* 8. *v.* 478.

Adſuit & ſacris interpres fulminis alis
Feſula. ———

Apud Procop. tamen *Rerum Gothicarum l.* 2. in vulgatis exemplaribus eſt Φισόλα, utrum auctoris ſcriptione, an librarii corruptione, incertum. Secunda verò ſyllaba, cùm foret brevis, Polyb. *l.* 2. rectè ſcripſit Græco more Φαίσολαι. Hodiè vulgò *Fieſole.* Leand. Alb. *deſcr. It. p.* 48. *& ſeqq.*

FÆSULI, ſeu fratres mendicantes S. Hieronymi, Ordo S. in Comm. R. à Carolo, fil. Comitis Montgranelli fundatus, A.C. 1386 Vide Miræum, *hiſt. Relig. l.* 1. *c.* 22.

FÆX, vini purgamentum eſt: de qua Plin. *l.* 14. *c.* 20. *Fex vini ſiccata recipit ignes, ac ſine alimento per ſe flagrat. Cinis ejus nitri naturam habet eaſdemque vires hoc amplius, quòd pinguior ſentitur.* Græcè τρύξ, uti τρύγημα, *vindemia* eſt. Unde Tragœdiam q. τρυγῳδίαν, quæ vox integra apud Ariſtoph. habetur *Acharnan.* dictam eſſe, Grammatici voluerunt. Primùm certè agi vindemiarum tempore cœptam, ſcriptum eſt; primuſque Theſpis, qui illam nitidiorem reddidit, penſiles ſcenas in plauſtris circumegit additque nudis oribus *fæcem*, pro perſona. An verò hæc vini, an olei fuerit, quam *amurcam* Latini dicunt, inter ſe non conſentiunt iidem: aliamque vocis originem magis probat Scalig. *Poët. l.* 11. *c.* 7. Vide quoque infra *Trygodæmones.*

FAFILA, Rex Ovedi, poſt patrem Pelagium, A.C. 737. biennio pòſt, in venatione, ab urſo interemptus. Vaſſæus, Rodericus, *Mariana.*

FAGIUS Paulus, Tabernis-Palatinus, Germ. *Büchlern.* Wolph. Capitonis diſcipulus, Hebraicè doctiſſimus, linguam hanc Argentorati docuit; Iſnæ dein Eccleſiæ Paſtor, A. C. 1537. Eliæ Levitæ Judæi doctiſſimi Venetiis accerſiti opera, ad ulteriores in Lingua S. progreſſus uſus eſt. Poſt quæ, Miniſter Eccleſiæ, & Theologiæ extra ordinem Profeſſor Argentinæ conſtitutus, A.C. 1544. quinquennio poſt, cùm ei ac Bucero ob *Interim* concionandi munere eſſet interdictum unà cum illo in Angliam à Cramero Archiep. vocatus, Cantabrigiæ docuit, non ſine veneni ſuſpicione extinctus, A.C. 1550 Ær. 45. cadavere ejus, Mariæ Reginæ juſſu, refoſſo crematoque A. C. 1556. Ex Hebraico vertit *Thisbiten Eliæ*, *Sententias morales*, *Tobiam Hebraicum*, *Precationes*, *Expoſitionem dictionum Hebraic. in 4. capp. Genes.* & Melch. Adami *Vit. Theolog.* Cæterum, ſtaturâ procerâ, facie ſubnigrâ, at ſub ſpecie ſeveri humaniſſimus, in Concionando eloquentiſſimus &c. *Ibid.*

FAGUS, arboris genus glandiferæ, ſicut robur, quercus & æſculus, cum qua poſtrema eandem illam eſſe ſciſcunt Grammatici, quòd *fagum* ἀπὸ τοῦ φαγεῖν dictam autumant, ut æſculum ſive eſculum ab *eſca*, quòd harum glande primi mortales victitarint: cùm tum ex re, tum ex nomine conſtet, æſculum eſſe, quæ Græcis αἰγίλωψ, uti pluribus docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 507. & 508. Eadem, licèt diſtinguatur à quercu inter quercus tamen genera reponitur Theophraſto, & cùm quercus coronamentis olim victorum adhibita fuerit, φηγῷ ἐστεμμένην, *fago coronatam*, Deianiram, poſt Acheloum ab Hercule ſuperatum, legimus, apud Philoſtrat. in *Imagin.* Etiam, uti quercus Dodonææ notiſſimæ, ſic apud Sophoclem reſponſa à duabus columbis redduntur, ex antiqua *fago*, in *Trachin.* Vide C. Paſchal. *Coron. l.* 7. *c.* 13. Cæterum poſt *fagum* quercus τῆς ἡμέρου, quam Macedones ἐτυμόδρυν, Latini *quercum* ſimpliciter appellabant, lignum fortiſſimum: at longè etiam robuſtius roboris, h.e. τῆς ἀγρίας. Glans ejuſdem dulciſſima, Plin. *l.* 16. *c.* 6. Cortex, ut & tiliæ, abietis ac piceæ, *in magno uſu agreſtium. Vaſa corbeſque ac patentiora quædam meſſibus convehendis vindemiiſque faciunt atque prætexta tuguriorum. Scribit in recenti ad Duces explorator, inciſas literas tegente ſucco. Nec non in quodam uſu ſacrorum religioſus eſt*, *Idem l. eod. c.* 9. 10. 38, 43. Alios arboris hujus uſus idem enarrat. *Facius & Fagus* ----- *eadem ſectilibus laminis in tenuia flexilis, capſiſque ac ſcriniis ſola utilis. Scandulæ e robore aptiſſimæ, mox è glandiferis aliis, fagoque. Fagus pectines tranſverſi in pulpa. Apud antiquos inde & vaſis honos. Manius Curius juravit, ſe ex præda nihil attigiſſe, præter guttum* faginum, *quo ſacrificaret.* De poculis verò *faginis*, dicemus infrà.

FAGUTAL, locus fagis conſitus, in monte Exquilino, in quo ſacellum Jovis fuit. Unde etiam *Jovis Fagutalis*, quod fagus ipſa arbor Jovi ſit conſecrata. Solino dicitur *Lucus Fagutalis*, *c.* 2. Etiam Viminalis mons *Fagutalis* dictus legitur, à ſylva *fagea*, quæ in ipſo fuerat. Joh Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 9. Sacelli *Fagutalis* meminit quoque Plin. *l.* 16. *c.* 10. ubi addit, non procul ab eo & lucum fageum fuiſſe: ſed quis illud condiderit, ignoratur: Collocatùr autem in regione decima, Idem *l.* 2. *c.* 5. *ubi de Jove ei ſermo eſt.*

FAJA, in vet. *Membrana* Sanctuarii Capuani, *In vigilia Revelationis S. Stephani, infrà ſcriptæ Eccleſiæ venire debent cum fajis ad Eccleſiam Capuanam:* Michaeli Monacho eſt, *machina hujuſmodi formæ: pertica alta & gracilis ſeu arundo intra* 3. *circulos æquè diſtantes immittitur: baculis & circuli adornantur: eminet ſignum crucis in vertice, & à pede crucis, bracteæ ſeu vittæ papyraceæ tres vel* 4. *coloribus & inciſuris pulchræ deorſum pendent, circulis alligatæ, ne moveantur. Quare fajus ſeu faja rotundæ metæ, ſeu turris formam repræſentat.* Detortè *ex pharus*, ut idem vult. Car. du Freſne verò *bajis* legendum conjicit, i.e. *palmarum ramis:* Notum enim, Stephanum Protomartyrem cum palma in manu vulgò depingi, in ſignum Martyrii Forte fagorum rami, quos *Fajas* Longobardi appellabant, hîc intelliguntur &c. Id.

FAJALIS, Inſ. maris Atlantici, una ex Azoribus ſeu Tertiariis, ſatis parva, fertilis tamen & bene culta, ſub Portugalliæ Rege cum aliquot pagis, & caſtris. 30. leuc. Gall. à Tertiaria, in Occ.

FAIDA, al. FEIDA, Germ. FHEDE & FEIDE, i.e. inimicitia, non quævis, verùm capitalis illa, apud Germanos olim cæteroſque Septentrionales populos vigens: qui privatas inimicitias per totam cognationem diffundentes, gentiles illas fecêrunt & hæreditarias. Tacit. *de mor. Germ. Suſcipere*, inquit, *tam inimicitias, ſeu patris, ſeu propinqui, quam amicitias neceſſe eſt.* Tum enim homicidia non judicis ſententiâ, ſed dextrâ & furore conſanguineorum interfecti, pœnas pro arbitrio depoſcentium, luebantur. Sublatus ægrè tandem barbarus mos, pluribus legibus coërcitus, quales crebro habentur inter Salicas, Longobardicas, Francicas aliaſque exoticas antiquas, etiam in Capitulis Caroli & Ludovici. Morem gerendæ, ac componendæ *Faidæ*, vide apud Henr. Spelmann. *Gloſſ. Archæol.*

du FAIL Natalis, vide *Natalis.*

FAIRFAXIUS Thomas, famoſus partium Dux ſub Carolo I. Magnæ Britanniæ Rege, de quo vide Georg. Horn. *Orb. Imp.*

FAKIRI, Monachi Muhammedani, de quibus vide aliquid infrà in voce *Muslimi*

FALACER Flamen, dicebatur teſte Varrone, qui Divo Patri *Falacri* inſtitutus erat: Quis autem iſte Deus fuerit, à nemine Vett. traditur. Adr. Turneb. *Comm. in Varron.* ſuſpicatur, *Falacrem* fortaſſe eum fuiſſe Deum, qui præfuerit Circi falis, de quibus modo dictum. De *Phalacrino Vico*, in via Salaria, qua itur Amiternum memorato Suet. in *Veſp. c.* 2. Vide *Theod. Marcil.*

FALACRINUM, vide *Phalacrina.*

FALACRIUM, Prom. Siciliæ, Ptol. *Raſocolmo*, teſte *Facello.*

FALÆ, apud Juv. Sat. *6. l. 2. v.* 588.

Quæ nudis longum oſtendit cervicibus aurum,
Conſulit ante Phalas *delphinorumque columnas*,

Græcis βάρεις, teſte Vitruv. turres ſunt rotundæ & in faſtigio ovi referentes imaginem, ᾠοειδῆ δημιουργήματα Dioni hinc dicta: quæ Agrippa primus fabricanda curâſſe dicitur, ad oſtendendum curriculorum in Circo numerum. Conſtruebantur autem ad tempus, Ludorum nempe die, quibus peractis iterum removebantur. Serv. *in l.* 9. *Æn. de Phalarica v.* 705.

Sed magnum ſtridens contorta phalarica *venit*
Fulminis acta modo

Unde & in circo Falæ *dicuntur diviſiones inter Euripum & metas, quòd ibi conſtructis ad tempus turribus, his telis pugna edi ſolebat.* Plura vide infrà ubi de Circi *Ovis:* de Delphinis verò, quos iis Juv. ac Dio jungunt, retro.

FALÆSA, opp. Normanniæ, ad Antam amnem 7. leuc. à Cadomo in Auſtr. 9. à Sagio, in Circ. Juxta eſt *Gibræum, la Guibray*, ſuburbium nundinis ſuis celebre.

FALANGUS, apud Girald. *in Topogr. Hiberniæ*, ſagum eſt ſeu lacerna villoſa: cujuſmodi veſtium deſcriptionem pluribus refert Gratianus Lucius *in Cambrenſi everſo c.* 13.

FALANIUS, modicus eques Romanus, cui ſub Tiberio crimen Majeſtatis intentatum. Tacit. *Ann. l.* 1. *c.* 73. *quòd inter cultores Auguſti (qui per omnes domos in modum collegiorum habebantur) Caſſium quendam mimum corpore infamem aſciviſſet: quodque venditis hortis ſtatuam Auguſti ſimul mancipaſſet.*

FALARICA, Græcè φαλαρική, al. χειροβαλλίστρα, genus teli ſplendentis, à Græco φαλόν, vel φαλός, quod à φάω, *ſplendeo.* An propter flammam nam ut Liv. *l.* 34. *c.* 14. de *Falarica* Saguntinorum *Id.* telum, *etiamſi hæſiſſet in ſcuto, nec penetrâſſet in corpus, pavorem faciebat:*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ciebat: quod cum medium accenſum mitteretur, conceptumque ipſo motu multo majorem ignem ferret, arma omitti cogebat, nudumque militem ad inſequentes ictus præbebat. Imò ſæpius turritæ machinæ iſto telo incenſæ ſunt, ut Veget. docet *l.* 4. *c.* 18.

FALARIENSES, pop Piceni. *Ferrar.*

FALCANDUS Hugo, vide *Hugo.*

FALCATIUM, opp. agri Tarviſini.

FALCATUS Currus, vide ſuprà *Currus.*

FALCATUS Enſis, vide infrà *Harpe.*

FALCEMBURGIUS Gerardus, Neomagenſis, Græcè doctiſſimus, *Nonnum Panopolit.* edidit ac *Notis* illuſtravit: Item *verſus* quoſdam *Græcos*, quos ſuis in Tibullum Commentariis inſeruit Janus Douza. Obiit A. C. 1578. Æt. 40. equi lapſu Steinfurti. Val. Andr. *Bibl. belg.* L. Guicciard. *Deſcript. Belgii*, Teiſſier *Elogiis* &c.

FALCIDIA Lex, lata eſt à P. Falcidio Tribuno Pl. Cn. Domitio Calvino II. C. Aſinio Pollione Coſſ. A. U. C. 713. Cujus hæc capita à Juriſconſultis memorantur: *Qui cives Romani ſunt, qui eorum poſt hanc legem rogatam teſtamentum facere volet, jus poteſtaſque eſto, ut hac lege licebit. Quicunque civis Rom. poſt hanc legem rogatam teſtamentum faciet, is quantam cuique civi Romano pecuniam jure publico dare, legare volet, jus poteſtaſque eſto, dum ita detur, ut ne minus, quàm quartam partem hæreditatis ex eo teſtamento hæredes capiant. Eis quibus ita datum legatum erit eam pecuniam ſine fraude ſua capere liceto: iſque hæres qui eam pecuniam dare juſſus damnatuſve erit, eam pecuniam debeto dare, quâ damnatus eſt. Si quis aliter, quàm hac lege liceat, pecuniam dederit, legaverit, hæredi quartam partem ejus pecuniæ, quæ data legata erit, ex eo teſtamento retinere liceto*, Paulus *l.* 1. *ff. ad leg. Falcid.* Euſeb. *in Chron.* qui tamen latam fuiſſe ſcribit, ut quarta pars tum demum hæredibus ſupereſſet, ſi quatuor aut minus eſſent: quod in Juriſconſult. libb. nuſquam reperias: Tum & hujus verba refert Dio *l.* 48. *Ut hæres quartam partem bonorum ſibi relictorum, ſi graviter oneratus ſit legatis, accipiat: cætera legatariis relinquat.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 18.

FALCIANA, ſeu LOCUS FELIX, opp. Norici, nunc *Walſe*; eſtque vicus Auſtriæ ad Danub. 5. leuc. infrà Lentium in Ort.

FALCKENSTENIA, Familia Germaniæ Comitivæ axiomate illuſtris. Aliàs illa etiam *à Dhun* cognominatur: ex ea autem primus Wirichius feudum *Falckenſtenium*, à Lotharingiæ Duce, per ſubinfeudationem, obtinuiſſe legitur; cujus nepos cognominis è tribus filiis tres lineas ſevit. Ex his enim Joh. *Falckenſteniam*, & Sebaſtianus *Oberſteniam* orſi ſunt, quæ tamen utraque noſtro ſeculo maſculorum defectu ceſſavit: Joh. in illa filia Sidonia Axelio Lewenhauptio Sueco nupta, in hanc familiam ſuum jus inferente. Tertia linea in *Bruch* ſeu *Broich*, à Philippo orta eſt: cujus pronepos Vilhelmus Wirichius eſt, qui nunc ultimus marium eſt ſuperſtes, filiumque turbato ordine naturæ ſepelire coactus eſt. Fil. is fuit Joh. Adolphii *Com. de Falckenſtein, in Broich*, ex Anna Maria Naſſavia: ductaque uxore Eliſabethâ Waldecciâ genuit Carolum Alexandrum, qui obiit A. C. 1659. Annam Eliſabetham (ux. Georgii Vilhelmi Comitis Leiningenſis) & N. N. (ux. Emiconis Chriſtiani itidem Comitis Leiningenſis.) Phil. Jac. Spener. *Theat. Nobil. Europ. Part. I. p.* 71. 161. *& in Ind.* Rami Oberſtenii probationem habes apud Eund. *Part. III. p.* 22. Ibid. *p.* 37. quomodo *Falckenſtenius*, in ſpecie ita dictus, Lewenhauptiis accreverit invenies.

FALCKNERUS Henricus, Reip. Baſilienſis Scriba prudentiſſ. fideliſſ. Ulrici Trib. Pl. fil. graviſſimis Legationibus functus, à Ferdinando I. Imp. in teſtimonium virtutis, Nobilitatis inſignibus ornatus Oeniponte, A. C. 1563. obiit A. C. 1566. Æt. 60. Chriſtian Urſtiſius *Epitome Hiſt. Baſil.* E cujus poſteris, hodieque *Daniel* floret, Jurium peritiſſimus, Reip. Senator & Scholarcha, ingens Familiæ ſuæ decus, fil. Joh. Henrici itid. Tribun. Pl. quondam graviſſimi.

FALCO Coſ. per ſervi ſui operam Pertinaci inſidias ſtruxiſſe ſuſpectus, impunitatem impetravit, & in rebus ſuis ſecurè cùm vixiſſet, hærede filio periit: *quamvis multi* Falconem *neſciſſe dixerint, Imperium ſibi parari. Alii etiam à ſervis, qui rationes interverterant, falſis teſtimoniis appetitum eum eſſe, dixêrunt*, Jul. Capitolin. *in Pertinace.*

FALCO, ſeu *Accipiter*, futuri maximi boni ſpem certam, in auguriis olim faciebat: Unde Darius, paulò ante quàm Perſico potiretur regno, accipitrum duo paria vulturem vellicantium conſpectu, ſpem futuræ magnitudinis animo concepiſſe legitur apud Herod. *Muſâ* 3. *c.* 76. In cujus rei memoriam, *pallam auro diſtinctam* Darii ultimi *aurei accipitres, velut roſtris inter ſe corruerent, adornabant*, apud Curt. *l.* 3. *c.* 3. Venatio quæ *Falcone*, qui inter accipitres primas obtinet, fieri ſolet, ignota Græcis non minùs, quàm veteribus Romanis erat. Itaque Ariſtot. quòd vulgò ferebatur, Thracum pueros, ſocietate cum accipitribus initâ ſolitos aucupari, id portentoſum cenſet, atque incredibile: etſi ſimilia Cteſias de aquilis Indicis prodidiſſet. Demum circa Conſtantini, & Theodoſii tempora inter Romanos cœpit; & primi quidem Julius Firmicus & Sidon. Apollinatis *Falconum*, aſturum & accipitrum prœlia memorant. Itaque his temporibus Protohieracarius eſſe incepit, ſub quo alii in Curopalatæ matricula notabantur. Mox etiam ars ea libris conſignata eſt: cujus antiquiſſimus ſcriptor fertur Demetrius CP. quem vertit Latinè Petrus Gillius, vir utriusque linguæ & naturalis Hiſtoriæ ſcientiſſimus. Qui & alterum tranſtulit ejus argumenti opus, ſed recentioris ſcriptoris ac durioris ſtyli, quod inſcribitur: Ὀρνεοσόφιον τὸ ἀγροικότερον, ut incerti videatur Auctoris. Imò & prius, quod aliàs περὶ τῆς Ἱεράκων ἀνατροφῆς τε καὶ ἐπιμελείας, in Mediceo codice ſimpliciter ſcribitur, Βιβλίον ἱερακοσοφικόν. Quæ ambo Lutetiæ ex Medicea prodiêre Bibliotheca, curâ Nicolai Rigaltii: qui addidit quoque excerpta ex libro incerti Scriptoris de Natura Rerum; ubi agitur de diverſis *Falconum* ſive accipitrum generibus, eorumque morbis ac medicina. E junioribus tres de re Accipitraria libros elegantiſſimo ſcripſit carmine Jacobus Aug. Thuan. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Philoſ. c.* 7. & ſuprà in voce *Accipiter.* Hinc *Falconarius*, præpoſitus falconibus, apud Hincmarum Rem. *de Ord. Palatii c.* 24. dignitas Palatii eſt, Gall. *Fauconnier*, Ital. *Falconiere*: quibus qui præerat, Græcis Byzantinis Πρωτοϊερακάριος dicitur uti vidimus, cujus officii, præter Codin. meminit Pachymeres *l.* 1. *c.* 8. & *l.* 10. *c.* 25. Vide quoque infrà in *Protohieracarius.* In Francia, *Magnus Franciæ Falconarius*, appellatur, in *Computo* hoſpitii Regis 1. Jan. A. C. 1312. apud Car. du Freſne, ubi de juribus ejus & prærogativis, in Aula, illius complura habes, in *Gloſſ.* è quo etiam de *Falconibus* iſta hîc ſubnectere placuit: Capiuntur falcones, aut in nido & *Nidularii* dicuntur, vulgò Gall. *Niais*; aut jam adulti, & *Ramales*, Friderico II. *l. de Arte ven. Ramagii*; Gallis vulgò *Branchus*, adultiores, tamen antequam primùm deplumentur, *Horni* ſeu *Hornotini* ſunt, vulgò Gallis *Sors*; hos anniculos poſtquam jam annum egêrunt, & plumas exuêrunt, & deplumatos, *Mutatos* ſeu *Muez* appellant. Vide eundem Car. du Freſne in vocibus *Gentilis, Girofalcus, Lainerius, Mutatus, Nidaſius, Sacrus, Smerilionus, Scrus* &c. ut & hîc infrà, in voce *Sabinus.* Salmaſ. ex *Orneoſophio* Græcorum præfato, ἐξωπιάστους, *qui foris capiuntur* & extra nidum, *Paſſagers* Gallis; πωλοτρόφους verò, *qui in nido*, Græcis vocatos, illoſque meliores iſtis ac præſtantiores habitos, adnotat Salmaſ. *ad Solin. p.* 773.

FALCO Claudius, vide *Claudius.*

FALCO Soſius, vide *Soſius.*

FALCONIS Mons, opp. Duc. Limburgenſis munitum, in dit. Hollandorum, 4. leuc. ab Aquiſgrano in Occ. juxta amnem *Geul.*

FALCOPINGA, opp. Sueciæ, in Weſtrogothia, 5. mill. Germ. à Scara in Auſtr. & 8. à Wenero lacu.

FALCUINUS, auctor vitæ S. Faronis, Ep. Met. Hieronymus Rubeus, *Hiſt. Rav. l.* 2.

FALCULÆ, apud Solin. *c.* 27. ubi de Leonibus, *Gradientes mucrones unguium vaginis corporum claudunt, ne acumina attritu retundantur. Hoc adeò cuſtodiunt, ut non niſi averſis* falculis *currant.* Et Plin. *l.* 8. *c.* 15. *Mirum pardos, pantheras, leones, & ſimilia, condito in corporis vaginas unguium mucrone, ne refringatur hebeteturve, ingredi: averſiſque* falculis *currere, nec niſi appetendo protendere*; ungues leonum aliarumque ferarum ſunt, à *falcis* ſimilitudine. Has avertunt, cùm earum acumina intra corpus recipiunt &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 327.

FALDISTORIUM, apud Jacob. Cardin. *de Coronatione Bonifacii VIII. l.* 2. *c.* 2.

> *Cumque genu flexo ſedi proſtratus & auro*
> *Procubuiſſet herus, ſimul omnis & infula circum*
> *Pontificum ſupplex in* faldiſtoria *pectus*
> *Funderet*:

apud Durand. item *Ration. l.* 4. *c.* 30. *n.* 1. alibique, ſella plicatilis eſt, uti nuncupatur, ab Aimoini Continuatore *l.* 5. *c.* 33. Italis *Faldiſtoro*; An à Germ. *falten*, quod *plicare* eſt; ita ut iis accenſeatur ſellis, quas Græci ὀκλαδίας vocant, Athen. *l.* 12. Syneſius *de Regno*, Heſych. alii. An à Saxon. *Falda*, quod *ſeptum clauſtrumque*; unde *Faldao*, quod ſedem ſeu *ſellam brachiis concluſam*, denotat? vide Car. du Freſne *in Gloſſ.* Dominico & Carolo Macris, propriè Epiſcopi ſeu Abbatis mitrati ſedes humilis eſt, in qua ſolenniter celebrant Epp. ubi juriſdictione carent, vel in propriis quidem diœceſibus, ſed cùm adeſt aliqui, majore dignitate Eccl. præfulgens; ſeu cùm in collatione ordinum ſedent, ante Altare ſeu in memoriam Paſſionis Domini Feriâ 6. &c. in *Hierolex.*

FALEMANNIA, vulgò FAMENNE, vel FAMINNE, regio proxima provinciæ Arduennenſi, ad Urtam *Ourt*, & Letiam *Leſſe* fluv. in illa ſunt Marca *Marche en Famenne*, caſtrum ad amniculum, quo Urta augetur, & vicus *Hour en Famenne* cognominatus, Heidra quoque, vulgò *Haidre en Faminne.* Hinc *Falemannorum* nobili familiæ nomen, Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

FALERII, opp. Faliſcorum in Tuſciæ mediterraneis. Ptol. vide *Cluver.*

FALERINA, tribus Romana. Liv. *l.* 9. *c.* 20. Eodem anno, quo Oufentina ſeu Ufentina, addita reliquis eſt & ab agro Falerno in Campania, quemadmodum Sigon. & Onuphr. conjiciunt, (nam eâ parte etiam Ufentina fuit) nomen accepit. Meminit ejus præter Liv. Joſeph. *Antiqq. Judaic. l.* 13. *c.* 16. *his verbis*: *C. Sempronius C. F. Falerina.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 19.

FALERIS, mel FALARIS, urbs Hetruriæ olim, ubi nunc Civ. *Caſtellana.* Poſtea 1. mill. cum dimidio ab eo loco, in planitie nova civ. condita eſt, cujus rudera hodieque *Falere.* Et fortè, deſtructâ vet. civitate, remanſit templum Junonis Faliſcæ cum luco; quo, deſtructis Falaris illis novis incolas iterum ſe recepiſſe credam, tanquam ad validum caſtellum; indeque Civ. Caſtellanæ nomen loco dediſſe. Teſte etiam *Luca Holſtenio.*

FALERNUS, mons & ager Campaniæ, inter Calenum, & Sinueſſam, maximæ fertilitatis; ager enim frumenti, mons vinigenerosiſſimi ferax eſt. Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 96.

> —— *Nec cellis ideo contende* Falernis.

Mart. *l.* 13. in Xeniis Epigr. 107. cujus Epigraphe Mulſum.

> *Attica Nectareum turbatis mella* Falernum.

Idem *l.* 8. Epigr. 78. cujus epigraphe ad Liberum Amicum.

> *Candida nigreſcant vetulo cryſtalla* Falerno.

Horat. *l.* 1. Carm. Od. 20. ſub calcem,

> —— *Mea nec* Falernæ
> *Temperant vites, neque Formiani*
> *Pocula colles.*

Tibul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Tibul. *l.* 1. *Eleg.* 10. *v.* 34.

Non Tibi ſi Bacchi cura Falernus *aget*

Idem *l.* 2. Eleg. 1. *v.* 27.

Nunc mihi fumoſum veteris proferte Falernum
Conſulis, & Chio ſolvite vincla cado.

Idem *l.* 3. *Eleg.* 6. *v.* 6.

Et nobis pronâ funde Falerna *manu.*

Catull. *Epigr.* 27. Initio.

Minister vetuli puer Falerni.

Indomitum Falernum Perſio dicitur *Sat.* 3. *v.* 3.

Et *Forte Falernum*, Horat. Secundo loco, inter Italiæ vina. Carm. *l.* 1. Od. 27. *v.* 9. Plin. *l.* 23. *c.* 1. *Nic. Lloydius.*

FALESIA, opp. nobile Normanniæ, 7. à Cadomo leuc. 10. à civ. Sajorum, cujus diœceſi attribuitur. Vulgò *Falaiſe*; nomen accepit à Francica ſeu Germ. vocè *Fels*, arduâ enim rupe circumdatur, eique ex parte impoſita eſt. Et certè Nortmanni hodieque maris editiores margines & rupes mare claudentes *Falcſes* vocant, teſte Turneb. *Adverſ. l.* 21. *c.* 23. quod Pictones quoque, & Santones facere, addit Valeſ. Unde à ſimilitudine canatum iſtarum rupium ſaxeorumvè montium, Faleſias etiam *des Falaiſes*, nuncupant tumulos nivium à ventis coacervatatum, iidem Nortmanni. Dedidit ſe fortiſſimum hoc caſtrum Philippo Aug. A. C. 1203, Ejus Eccleſias, ut & Eccleſiam Wibreei cum decima donavit Cadomenſi Monaſterio SS. Trinitatis, quæ eſt Abbatia Virginum Benedictin. Stigaudus A. C. 1082. Eſt autem vicus Wibreeus Faleſiæ proximus & nundinis annuis celebris, hodiè *la Guibray*. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* Vide infrà.

FALESIA, urbs Normanniæ, an à rupibus? cum arce, priſcorum Normanniæ D. capta ab Anglis, & à Talboto egregiis picturis & aulâ inſigni exornata. Reddita eſt Carolo VII. Clara nundinis menſe Auguſto, haberi ſolitis, à Gulielmo Conqueſtore, fil. notho Richardi III. D. ex puella Faleſina, Chenius, *antiq. urb. Galliæ.* Gall. *Falaiſe.*

FALISCI, populi quondam Hetruriæ, è Macedonia, Duce Valerio Argio: vel Aleſo, ut Ovid. vult, huc profecti, uberrima paſcua incolentes, undè *gramen Faliſcum* à ſcriptoribus paſſim celebratur. Hi cùm à Camillo obſiderentur, Magiſter ludi cum nobilioribus diſcipulis, deambulandi prætextu urbe egreſſus, ad hoſtem eos deduxit. Quam perfidiam deteſtatus Camillus, hominem nudari juſſit, & à pueris cæſum in urbem remitti. Qua ex re id conſecutus eſt Camillus, ut, quos armis ſubigere non potuerat, juſtitiæ adminiſtratione ad deditionem compulerit. Vide Liv. *l.* 10. *c.* 26. Apud Faliſcos farciminis præſtantiſſimi genus fiebat, Lucanicis non diſſimile, quod *ventrem Faliſcum* appellabant. Mart. *l.* 4. *Epigr.* 46. cujus Epigraphe de Sabello.

Et Lucanica ventre cum Faliſco

Horum urbes *Faliſca*, *Faleria*, *Feſcennia*, *Mons Phiſco* ſeu *Montefiaſcone*, nunc præc. & *Horta*. Illos memorat Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 695.

Hi Feſcenninas acies, æquoſque Faliſcos.

In Faliſcis fluv. eſt, Plin. *l.* 2. *c.* 103. cujus aqua pota boves candidos efficit. *Nic. Lloyd.* Addo, quòd ab *Haleſo* Argivo auctore ſuo, primò *Faleſii l.* 5. *c.* 19. inde *Falerii*, urbs eorum, Liv. *l.* 5. *c.* 19. *l.* x. *c.* 46. ab eodem *Faleſii*, & ὑποκοριστικῶς *Faleſiſci*, ac contractè *Faliſci*, ipſimet appellati ſunt; qui *Etruſcorum* cognomento notanter inſigniuntur, apud Plin. *l.* 3. *c.* 5. ut diſtinguantur ab *Æquis Faliſcis*, quos duos populos malè nonnulli confundunt. *Æquorum* certè *Faliſcæ*, meminit Strabo *l.* 5. *p.* 226. Οἱ δὲ Αἴκων Φαλίσκον λέγουσιν ἐπὶ τῇ Φλαμινίᾳ ὁδῷ κείμενον, μεταξὺ Ὀκρικόλων καὶ Ῥώμης. *Alii verò Æquorum Faliſcam ajunt in Flaminia via poſitam, intèr Ocricolum & Romam.* Ut & Diod. apud quem, Φαλίσκος πόλις ἀπὸ τῶν Αἴκων ἔθνους, pro ἀπὸ τῶν Φαλαίκων ἔθνους, legit Salmaſ., quem vide *ad Solin. p.* 60. Nempe prope Soractem montem hi habitabant; ad quem Herpi, in *Faliſcorum* agro poſiti, annuum ſacrificium Apollini faciebant: *Idque operantes, geſticulationibus religioſis, impunè inſultabant ardentibus lignorum ſtruibus*, Solin. *c.* 2. At *Faliſca Hetruſcorum*, Junonem impendio colebat, unde *Colonia Junonia* dicta eſt Frontino. Idem *ibid. p.* 85.

FALISCORUM Mons, quibuſdam eſt *Soractes*, nunc *monte S. Oreſte*. Ubi opp. *S. Oreſte*, ad Tiberim, in prov. Patrimonii S. Petri, è regione Sabinæ prov. 8. mill. à Civ. Caſtellana in Auſtr. Romam verſus. Aliis, forſan mel. Urbs *Mons Phiſco*, ad lacum Vulſinum; *Montefiaſcone*.

FALISCUS, & Cincius, primi perſonati egêre Comœdiam. Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 13.

FALK, præn. Jakob, celebris Rabbinus, docuit Pragæ, primus inventor ſubtilis Diſputationum methodi, qua in illa provincia præſides Synagogarum ab eo tempore diſcipulos ſuos exercent, obiit A. C. 290. Millen. VI. juxta calculum R. Ganz.

FALLOPIUS Gabriel, vide *Gabriel.*

FALMUTUM, portus Angliæ capaciſſimus, in ora Auſtr. Cornubiæ, prope arcem *Pendenis*. Quibuſdam *Volemuthum*. 30. mill. Angl. à Plimutho in Occ.

FALQUERII, Religioſi inter Turcas, vide Waddingum A. C. 1314.

FALSARIUS, apud Alberic. *in Chron.* MS. laudatum Car. du Freſne in *Gloſſ. ad A.* C. 1214. ubi de pugna Bovinenſi, *Ante oculos ipſius Regis occiditur Stephanus de Longo Campo, in capite perculſus longo gracili trialemello, quem* Falſarium *nominant*: ſica eſt, pugionis vel cultelli ſpecies. *Falſador*, ut videtur eidem C. du Freſne, apud Sanut. *l.* 2. *part.* 4. *c.* 8.

FALSTRIA, Inſ. Daniæ, in mari Baltico, inter Lalandiam, & Monam Inſ. ad Auſtr. Zeelandiæ, à qua ſeparatur anguſto freto *Viridi*. Ibi opp. *Nikoping*, cum arce munita, ſub Daniæ Rege.

FALX, apud Pap. Stat. *Achill. l.* 2. *v.* 419.

——— falcemque *Getes arcumque Gelonus*:

Claud. *de Laud. Stilic. l.* 1. *v.* 110.

——— *non* falce *Gelonus*,
Non arcu pepulêre Getæ, non Sarmata conto:

falcatum enſem notat; *qualem recentiores ſibynam, ſive acinacem vocant*; ait Barthius *ad Stat. d. l.* De iiſdem Sidon. *Paengyrico Aviti*;

——— *junctus tibi vincitur illic*
Curſu Herulus, jaculis Chunus, Francuſque natatu;
Sauromata clypeo, Salius pede, falce *Gelonus*.

Quam in rem vide plura apud Lipſ. *Analectis ad Militiam Rom. l.* 3. *c.* 3. in infrà in voce *Harpe*. Propriè verò *falx*, notum agriculturæ inſtrumentum, & hinc pacis ſymbolum eſt. Mart. *l.* 14. *Apoph. Epigr.* 34. cujus epigraphe Falx ex enſe:

Pax me certa Ducis placidos curvavit in uſus:
Agricolæ nunc ſum, militis antè fui;

quaſi totidem verbis expreſſum ex Eſaia *c.* 2. *v.* 4. Vide de *falcibus* hiſce, Plin. *l.* 18. *c.* 28. & in ſpecie, *de Falcibus arborariis, lumariis, ruſtariis, ſilvaticis, ſirpariis, ſirpiculis & vineaticis*, Salmaſ. *ad Solin. p.* 586. Habita autem *Falx* Saturni inventum eſt; an quòd tempus omnia metit, an quod ipſe repertor agriculturæ fuit, inde *Falcifer* Poëtis cognominatus. Heſiod. à matre datam Saturno, ut patri Cœlo genitalia illa abſcinderet, fabulatur: quæ cùm poſtea in Siciliam decidiſſet, inde prom. *Drepanum* ab ea dictum, volunt nonnulli. Alii ita vocatum malunt à *falce*, quam Ceres à Vulcano raptam donavit Titanibus: Timæus ab altera, quâ Jupiter Saturnum caſtravit. Sed & Saturni falcem non ei à matre datam, verùm à Telchine, qui è Creta Rhodum delatus per Cyprum, inde ferrum & æs attulerit ex eoque falcem illam fabricaverit, tradit Strab. *l.* 14. *p.* 654. Quorum quidquid ſit, frumenti in ea Inſ. rerumque victui neceſſariarum copiam hoc pacto adumbrare voluêre Poëtæ: quibus occaſionem inſuper præbuit, quòd crebræ maris undæ illuc cum impetu irruentes ita terram corroſêrunt, ut in formam *falcis* inſulam excavaverint uti habet Interpres Apollonii. Plura de *Saturni falce*, vide apud præfat. Heſiod. *Theogoniæ v.* 161. & *ſeqq.* ac Lamb. Barlæum *Notis ad eum doctiſſ.* ulterius verò de *Falcium* in bello uſu, apud Vett. ſuprà, ubi de *Curribus falcatis*, & infrà ubi de *urbium oppugnatione* apud recentiores, ubi de *Elephantis* in incendiis compeſcendis, in voce *Ama*.

FAMA, tanquam Dea ab Athenienſibus colebatur: ea deſcribitur ab Heſiodo in ἔργοις καὶ ἡμέραις,

Eſt dea Fama *quidem, ſunt ipſi numina* Famæ.

Scribit & Plutarch, *in Camillo*, templum Famæ conſtructum fuiſſe. Eam copioſè Virg. deſcribit *in l.* 4. *Æn. v.* 174. Ducem Marti aſſignat Famam Stat. *Theb. l.* 3. *v.* 427.

——— ——— *At vigil omni*
Fama *ſono varios rerum ſuccincta tumultus*
Ante volat currum, flatuque impulſa gementum
Alipedum, trepidas denſo cum murmure plumas
Excutit ———

Optimâ ratione. Conſtant enim ea fere bella & metu atque rumore, nec non terrore, atque audacibus dictis factiſve, præcipua eorum momenta vertuntur. Cujuſmodi bellicarum rerum tumultuantem, & omnia percellentem *Famam*, nemo acutiùs, graviùs, meliùs coloratiùs deſcripſerit Lucano Civ. Bell. *l.* 1. *v.* 466. & ſeqq. Vide hanc in rem Caſp. Barth. *Animadverſ. ad locum Statii.* Celeritatem inprimis idem Stat. graphicè deſcribit *Theb. l.* 5. *v.* 691.

---- *volucrem equitum præverterat alas*
Fama *recens, geminos alis amplexa tumultus*;

Quæ etiam tanta; ut ſæpe quoque; antequam res contingeret, Famam de ea vulgatam eſſe conſtet. Sic antequam Maximus Tyrannus occiſus eſſet in Gallia, Romæ in Circo Maximo populus, incertum ratione quâdam percitus, an præſagio, *Sylvanus devictus eſt*, magnis vocibus exclamavit; apud Amm. Marcell. *l.* 15. *c.* 6. Hiſpaniæ Regis Philippi II. mors in Gallia nuntiata, menſe Aug. A. C. 1598. demum Septembri menſe inſecuta eſt. Et Elizabetha Angliæ Regina, quo primùm die decubuit, in Gallia mortua dicta fuit. Petrus Matth. *Hiſt. l.* 6. &c. Sed datam è morbo aliiſque indiciis *Famæ* occaſionem in hiſce quis dixerit: at Bredam à Mauritio Principe A. C. 1590. expugnatam octiduo ante ex Anglia nuntiatum eſſe, quàm ſtratagemate nemini præviſo urbem aggrederetur Princeps, id verò admirandum prorſus, & in id valiturum, ut dicamus; Geniorum; modò bonorum, modò malorum, miniſterium in talibus nuntiis, tam celeriter, cùm res facta eſt; vel antequam in nervum erupit, perferendis, agnoſcendum omninò eſſe, qua de re pulchrè diſſerit Chriſtoph. Forſtnerus *ad Tacit. Notis. Polit.* Plura de *Fama*, apud præfatum Barth. ubi ſuprà, & Car. Paſchal. ubi de *corona Famæ* quædam habet, *Coron. l.* 5. *c.* 1.

FAMA Auguſta, Cypri civitas, permunita, regni ſecunda, cum portu totius Inſ. unico, turribus, & propugnaculis bene munita, capta à Genuenſibus, A. C. 1372. dein à Venetis poſt Ann. 100. tandem A. C. 1570. obſeſſa, & vi expugnata cum tota inſ. in truculentiſſimi Turcarum Imp. Selimi poteſtatem devenit. Steph. Luſitian. *hiſt Cypri*. Thuan. *hiſt.* Olim *Arſinoe*, vide *ibi*.

FAMA Julia, vide *Julia*.

FAMILIARES Inquiſitorum, vide *Stipatores*.

FAME necare, juriſdictionis ſpecies, apud Aragonenſes. *Fori*

Oſcæ *A.* C. 1247. ſub Jacobo I. Aragon. Rege *Si homo infantionis occiderit hominem infantionis, talem homicidam poteſt dominus ejus in captione*, fame, *ſiti aut frigore necare.* Sic in *Obſervantiis* Regni Aragon. *l.* 6. *tit. de Privil. Militum* §. 9. *Si vaſſallus Domini, non habentis merum aut mixtum imperium, in loco occiderit vaſſallum, dominus loci poteſt eum occidere* fame, *frigore & ſiti in ſuo loco, licèt nullam aliam jurisdictionem criminalem habeat* &c. C. du Freſne *Gloſſ.* Sed & veteri ævo *fame* vel *ſpontaneâ*, vel *imperatâ*, mortem accerſitam ſæpe, legimus: apud Corn. Nep. duo illuſtria exempla extant, Atticus & Eumenes. Hodieque principes feminas in Regno Tunquinenſi, in proſtituti pudoris pœnam, *fame* enecari, docet Joh. Bapt Tavernier *Deſcr. illius.* Caſpios verò etiam Parentes ſenio confectos ſic peremiſſe, ut infrà videbimus in voce *Parentes*, non mireris, ſed obſtupeſcas. Cæterùm *Famem*, etiam extra pœnæ Judicialis rationem, nonnunquam obtingere homini tantam, ut non ſolùm ad abſurda alia, ſed &, quod horrendum, ad humanam carnem ipſam manum extendat, pluribus notatum eſt Gul. Fornerio *ad Caſſiodor. l.* 12. *Ep.* 27. Quod portentum irâ Cereris obvenire, creditum antiquis, uti patet ex Oraculo antiquo, apud Pauſ. *l.* 8. cujus ſententia eſt;

Ipſa Ceres flavam ſegetem ſubtraxit, & ipſa
Fæcundam invidit miſeris paſtoribus herbam.
Præmiaque eripiens & priſci commoda honoris,
Liba iterum donata Deis abſumere adegit.
Coget ea & natos & mandere membra viciſſim
Ni feſto populus placet libamine divam.

Vide Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. Theb. l.* 8. *v.* 759. Et infrà in voce *Fœtus* &c.

Venerat, & miſero decus immortale ferebat,

Tam diro itaque malo ut maturè occurreretur, optimorum ſemper Principum cura, imò & inter præcipua Imperii arcana habitum fuit. Nulla enim alia de cauſa citiùs cum alibi, tum Romæ inprimis olim, ſeditiones odiaque populi in Principem exarsêre. In Claudium hinc *fragmina panis*, apud Suet. *c.* 18. in Veſpaſ. *rapa*, apud eundem *c.* 4. in Antoninum quoque Pium *lapides*, apud Aur. Victor. à famelico populo jacta: & Michaël Ducas eandem ob cauſam *Parapinacii* convitio affectus legitur, apud Zonaram *l.* 3. Quæ cauſa, quòd tam ſolicitè huic rei providerit Auguſtus apud eundem *c.* 42. Tiberius, apud Tacit. *Ann. l.* 5. *c.* 4. Claudius ubi ſuprà, Severus apud Spartian. Theophilus apud Cedren. Alii. E qua proviſione ortus *Canon Frumentarius* Urbis Romæ, conceſſa Alexandrinæ claſſi privilegia aliaque munificentiæ Imperatoriæ in populum ſpecimina edita, de quibus hîc paſſim. At Veterum ἄλιμα, i. e. *pharmaca, famem eximentia*, ex malva potiſſimum & aſphodelo conſtitêre; uti colligitur ex illo Heſiodi,

Οὐδ᾽ ὅσον ἐν μαλάχῃ καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ᾽ ὄνειαρ.

Ubi vide Proclum, Tzetzem, Plutarch. *in Sympoſ.* & Athen. *l.* 2. *c.* 8. adde Sam. Bochart. *Hierozoici Parte prior. l.* 3. *c.* 16. & quæ infrà dicemus, in *Glycyrrhiza*, it. in voce *Venter*, ubi de Scytharum more ventrem ſtringendi. De facultate liberos oppignorandi vendendique, Parentibus urgente fame indulta, apud politiores quoque gentes dicemus etiam infrà, ubi de *Paupertate* & *Vendendi jure.* Vide quoque ſuprà, *Caro humana*, it. *Empeneticam facere*: uti de *Fame* Diis Vett. adnumerata, ubi de *Diis.*

FAMIS pictura erat repoſita, in templo Minervæ Chalciœci, apud Lacedæmonios tali modo: Femina pallida, attenuato corpore, ac manus poſt tergum revincta. Vide Polyæn. *l.* 2. *in Hippodamante.*

FAMILIA, teſte Feſto, *antea in ingenuis hominibus dicebatur, quorum dux & princeps generis vocabatur Pater & Mater familiæ, poſtea hoc nomine etiam famuli appellari cœpêrunt.* Sen. *l.* 6. *Ep.* 67. *Ne illud quidem videtis, quàm omnem invidiam Majores noſtri dominis, omnem contumeliam ſervis detraxerint, dominum Patremfamilias, ſervos familiares appellarunt.* Et certè Juriſconſultos vett. *Familiæ* nomine non hæreditatem univerſam intellexiſſe, ſed eam tantùm, quæ in numero ſervorum conſiſteret, ex Ulpiani hiſce diſcimus. *Familiæ appellatione omnes, qui in ſervitio ſunt, continentur, etiam liberi homines, qui ei bona fide ſerviunt.* Hinc Hirtius *de Bello Hiſpan. Familiam & libertos convocavit.* Sæpeque occurrit apud Auctores *familia* & *pecunia* junctim poſita, ad deſignandas hominis divitias, uti pluribus docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 1263. ubi de actione *Familiæ erciſcundæ* ex *Lege* XII. *Tabb.* Vide quoque ſuprà *Conſortium*: & de *mancipatione Familiæ*, infrà in voce *Nexi.* Cæterùm poſtmodum & liberi & uxor & omnes qui ſub unius poteſtate, in eadem domo, *Familiæ* nomine comprehendi cœpêrunt: Inde ſe extendit ad totam cognationem ſanguinis, imò etiam res hæreditarias, Jac. Oiſel. *in A. Gell. l.* 1. *c.* 9. Sic in variis olim urbibus, notiſſimas familias ab auctoribus ſuis nomina perpetuaſſe, *Homeridas* in Chio, *Eumolpidas* Athenis, *Alevadas* & *Scopadas*, in Theſſalia, *Bacchiadas* Corinthi, *Nebridas* in Coo Inſ. alibi alias, docet Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 864. Pro *Familiarum* autem ſoſpitate Pueros Maniæ Deæ, matri Larium, antiquitus Romæ mactari ſolitos, docet Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 7. pergitque *Quod ſacrificii genus Junius Brutus Cos. Tarquinio pulſo, aliter conſtituit celebrandum. Nam capitibus allii & papaveris ſupplicari juſſit, ut reſponſo Apollinis ſatisfieret de nomine Capitum, remoto ſcilicet ſcelere infauſtæ ſacrificationis.* Sed non ita penitùs ſublata ſunt nefaria hujuſmodi ſacrificia, A. demum U. C. 657. factum SC. eſt, *ne homo immolaretur*: quo tamen non obſtante, ſuo quoque tempore, Romæ feſto Jovis Latieris Hominem mactatum eſſe, Porphyrus refert *de Abſtin. l.* 2. §, 56. Tranſlata dein vox eſt, ad gregem tyronum, à Laniſtis in ſcenicas voluptates emptorum: Emebant enim hi ſervos è cataſta, quos omni crudelitatis genere exercerent & privatim inſtituerent, ut illi artem gladiatoriam edocti, munera edituris, elocarentur. Tantam autem in hac licitatione adhibuêre curam, ne manca aut mutila haberent corpora adoleſcentes hi, ut Medicum quoque adhiberent, qui vitium ſi quod lateret, detegeret. De hac *Familia* Sen. *l.* 6 *de Benef.* inquit *c.* 12. *Laniſta familiam ſuam ſumma cum cura adminiſtrat.* Suet. *in Aug. c.* 42. *Venaliſtias & Laniſtarum familias urbe expuliſſet*: & *in Calig. c.* 26. *Viliſſimos ſenio confectos, gladiatores quoque pegmares, Patresfamiliarum* (ita enim Laniſtæ dicebantur) *notos ſed inſignes aliquâ debilitate corporis, rabidis feris ſubjiciebat.* Idem *in Domit. c.* 10. pro Laniſta *Patremfamilias* uſurpavit. Sectis quoque Philoſophorum *Familiæ* nomen tributum eſſe, docet Cic. 1. *de Legg. valde à Platonis familia diſcreparent.* Hinc Apulejus *l.* 1. *de Philoſ.* Heraclitum, Pythagoram, Socratem, *Principes ſuarum familiarum* vocat. Quam vocem primitus Pythagoræis tributam, qui κοινόβιον habebant in familia Pythagoræ, annotavit Georg. Horn. *Hiſt. Philoſ. l.* 7. *c.* 1. Ad quorum imitationem hodieque *Familiæ amoris* nomine ſeipſos inſignire hæreticos quoſdam, nequiſſimorum & ſpurciſſimorum, Gnoſticorum vett. ac Priſcillianiſtarum, ſectatores, refert Joh. Forbeſius *Inſtruction. Hiſt. Theologic. l.* 14. *c.* 2. §. 1. &c. Vide quoque infrà *Grex*, it. *Puritani.* Hinc *Familiares*, quos laureatos olim in publicum exiiſſe, ineunte anno Kalendis viz. Januarii, citeriori ævo, & Martii, priſco, docet C. Paſchal. *Coron. l.* 8. *c.* 8. Indidem *Familiaris pars*, in victimis, item *Familiare fiſſum*, de quo vide ſuprà in voce *Extiſpices*, item ubi de *Jecinore.* Et Veſtimenta *familiaria*, quæ ad veſtiendam familiam parata ſunt; ut ſaga, tunicæ, penulæ, lintea, veſtimenta, ſtragula & ſimilia. Hæc coloribus diſtinguebantur. Unde Sen. *Ep.* 95 *Agmina exoletorum per colores nationeſque diſtincta*: & apud Petron. Edit. Boſchii *c.* 28. *in aditu ipſo ſtabat Oſtiarius praſinatus ceraſino ſuccinctus cingulo*; qui color Trimalcioni in pretio fuit. Imò Lecticarios etiam, Curſores & id genus homines patinularum *familiari* colore, quem hodie *Livream* dicunt, fuiſſe inſignes, docet Octav. Ferrar. *de Re Veſt.* Nec hos ſolùm, verùm etiam, cùm ad captandam ingenii famam ſtulti divites omne genus doctorum familiæ aggregarent, Poëtas, Rhetores, Geometras fortaſſe etiam Philoſophos ipſos, ne fuſco pulloque tribonio heri oculos læderent, ac veluti *familiam* funeſtarent, coactos eſſe, pallio eos colores adſciſcere, quibus reliquus ſervientium grex eniteſceret, colligitur ex Lucano, qui hoc hominum genus, ut ſolet, ſalsè ridet apud eundem *Part.* 2. *l.* 4 *c.* 18. De *Familiari funere*, vide infrà in voce *Funus*; de *Familiaribus bellis*, in voce *Parentela*; de *Familiarica Sella*, in voce *Sella*, it. *Soteria*: de *Familiari veſte* in *Veſtis.* Addam ſaltem, *Familiares*, apud Recentiores, præcipuè dici, quos Reges ac Principes in familiam ſuam peculiariter aſciſcebant. Sic occurrit, apud Gul. Tyrium *l.* 21. *c.* 16. *Georgius Sinaites imperialis aulæ familiaris*: apud Rob. Hoveden. *Robertus de Turncham familiaris Regis*: extatque *Diploma* Johannæ Reginæ Neapol. A. C. 1344. quâ ... trum de Aquila Minoritam in ſuum Capellanum & *Familiarem* admit. Sed & *Formula* iſtiuſmodi promotionis habetur, in *Monumentis Neapolit. Tom.* III. Waddingi *Hiſt. Minor. ſubjectis p.* 3. &c. Vide quoque infrà *Senatores*, it. *Vaſſus.* Idem nomen illis eſſe, qui ex familiis Monachorum habebantur, licèt nec ex Monachis, nec ex Converſis eſſent, in *LL.* Alphonſi IX. Regis Caſtell. in *Statutis Cluniacenſibus* S. Petri Venerab. *c* 48. alibi, cujuſmodi *Familiarium* crebra mentio, in *Monaſtico* Ciſtercienſi, vide infrà ubi de *Oblatis.* Apud Hug. Falcand. *Familiares Curiæ* appellantur præcipui Regis Conſiliarii, quibus cum res majoris momenti diſceptabat & dijudicabat: quæ dignitas *Familiaritas* vocatur eidem; item in *Actis* Innocentii III. apud Gobelin Perſonam in *Coſmodromio Æt.* 6. *c.* 17. &c. apud Car. du Freſne *in Gloſſ.*

FAMISULANUS Vectonianus, legionis ſub Cæſennio Pæto, in Armenia, tribunus. Tacit. Ann *l.* 15. *c.* 7. Ubi tamen Codex Budenſis, indice Rhenano, *Fimiſulanus* habet.

FAMOSUS, apud Jul. Capitolin *in Pio, Sed Repentinus famoſo percuſſus eſt, quòd per concubinam Principis ad præfecturam veniſſet*: abſolutè pro *famoſo libello*, in Repentinum compoſito. Sic Græcis Latinâ voce Φάμωσα. Incertus Auctor apud Suid. in voce Φάμωσσα Ἀπέσκωπτεν ἐν αὐτὸν ᾠδαῖς καὶ παρῳδίαις καὶ τοῖς λεγομένοις φαμώσοις. ubi ᾠδὰς vocat cantica in alterius infamiam compoſita, quæ *Famoſa teria* dicuntur Paulo JC. *Sent. l.* 5. *c.* 4. Gloſſæ Legales: Φάμωσα περὶ ἀνωνύμων βιβλίων τῶν δηλούντων φλυαρίας &c. Salmaſ. *ad Jul. Capitolin.* Arnob. *Carmen malum* hujuſmodi libellus vocatur *adv. Gentes l.* 4. ubi & ſimul de pœna Auctoris aliquod, *Carmen malum conſcribere, quo fama alterius coinquinetur & vita, Decemviralibus ſcitis evadere noluiſtis impunè.* Sic autem X. Viralis illa lex habuit: SI QUIS CARMEN OCCENTASSIT. ACTITASSIT. CONDIDISSIT. QUOD ALTERI. FLAGITIUM. FAXIT. CAPITAL. ESTO. Quam ſic interpretatur Ulpian. *ad Edictum l.* 50. *Si quis librum ad infamiam alicujus pertinentem ſcripſerit, compoſuerit, ediderit, dolore malo fecerit, quo quid eorum fieret, etiamſi alterius nomine ediderit, vel ſine nomine, uti de ea re agere liceret, & ſi condemnatus ſit qui id fecit, inteſtabilis ex lege eſſe jubetur. L. Lex Cornelia* §. *Si quis D. de injuriis & famoſis libellis.* Vide quoque Cic. apud Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 2. *c.* 9. & 12. Extendit poſtea Senatus crimen, & eâdem pœnâ ex SC. voluit teneri, qui Ἐπιγράμματα, aliudve quid, ſine ſcriptura, in notam aliquorum produxerit. Item, qui emendum vendendumve curaverit, *eadem, dicta l. Lex Cornel.* ulteriùs proceſſêrunt Impp. Valentinian. & Valens. A. A. *Si quis famoſum libellum ſive domi, ſive in publico, vel quocunque loco ignarus repererit; aut corrumpat, priuſquam alter inveniat, aut nulli confiteatur inventum. Sin verò eaſdem chartas non ſtatim vel corruperit, vel in igne conſumpſerit, ſed vim earum manifeſtaverit: ſciat ſe quaſi auctorem hujuſmodi delicti capitali ſententiæ ſubjugandum. L. ſi quis Cod. de fam. lib.* Cujus tenoris quoque Lex X. *Cod. Theodoſ. de Famoſis itidem lib.* niſi quòd & illos, *qui lectorem cognitum non prodiderint, ultorem ſuis cervicibus gladium reformidare jubet.* Unde Horat. *l.* 2. Epigr. 1. *v.* 153.

Pœna-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Pænuque lata, malo quæ nollet carmine quenquam
Deſcribi ———

Vide G. Stewech. & G. Elmenhorſt. *Electis* ac *Obſervationibus ad Arnobii locum.*

FANA, virgo Gallica, clariſſimis parentibus orta, Heraclio imperante, quæ cum ad nuptias cogeretur, in tantas prorupit lacrymas, ut inde cæcitatem contraxerit.

FANÆ inter longævorum choros, qui ſylvas, lucos, lacus, fontes, ac fluvios habitant, memorantur Martiano Capellæ, ubi enumerat *Panes*, *Faunos*, *Fones*, *Satyros*, *Sylvanos*, *Nymphas*, *Fatuos*, *Fatuaſque*, *etiam Fanas*, *à quibus fana dicta*, *quod ſoleant divinare.* vide G. Stewech. *Electis in Arnob. c. Gentes l. 2.*

FANATICI, apud Lamprid. *in Heliogabalo*, ſunt Galli Cybeles: apud Fredegar. *in Hiſt. Epit. c.* 65. Gentiles; *Fani* enim voce propriè de Gentilium templis uſos eſſe Chriſtianos, diſcimus ex Ambroſio *Ep.* 29 apud Prudent. Fanorum Sacerdotes, ut interpretatur Iſo Mag. *in Gloſſ.* Vide Galfrid. Monumeth. *l.* 2. *c.* 1. laudatum Car. du Freſne *in Gloſſ.* ut & hic infrà, in voce *Fanum.* Capillum promiſiſſe, diximus in *Comati.* Vide quoque lemmate *Præciſi Phanatic.*

FANDALUTES, Saraceni milites ciſmarini, in *Ep.* Arnoldi Archiep. Narbon. apud *Ughellum.*

FANESII, apud Solin. *c.* 19. *Eſſe* & Faneſiorum, *quorum aures adeò in effuſam magnitudinem dilatentur, ut viſcerum reliqua illis contegant* ſub *inſulas*: corruptum eſt pro *Panotii*, judice Salmaſ. quem vide *ad eum p.* 219.

FANESTRIA, vicus Romandiolæ, in dit. Pont. aliàs Urbs Epiſcopal. nunc ferè in ruinis.

FANEUS, fluv. juxta Beneventum, qui & *Siris* dicitur Vib. Sequ.

FANIA Sylva, pars ſylvæ Carbonariæ, in Hannonia, ac diæceſi Camaraceſi, non procul à municipio Melbodio ac fluv. Sabi, vulgò *Faigne.* In illa Monaſter. Waslare erat, ab Urſmaro Abbate Laubienſi ædiſicatum, quod à fluv. proximo nomen habuit, ſed pridem intercidit: unde reliquiæ Dodonis, Rectoris quondam primi, in Cellam Laubienſi cœnobio ſubjectam, atque Faniæ finibus incluſam, vulgò *Mouſtier en Faigne*, tranſlatæ ſunt. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* Addo quòd proxima eſt ſilvæ Teoraciæ, nomenque dedit pago cognomini. Utriuſque meminit Alexander III. Pont. in *Literis ſuis*, quarum apud Valeſ. mentio: *Quidquid terræ cultæ & incultæ, inter duas ſylvas* Faniam & *Teoraciam habetur*; & Ratherii interpolator, quem, ex codice Laubienſi erutum, Andreas Cheſnius ex parte publicavit, *per Urſmarum, in partibus Galliæ, in Fania ſc. & Teoracia, multos converſos fuiſſe, & conſtructas, quæ adhuc ſuperſunt, Eccleſias, memoriæ tradens.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Teoracia.*

FANNIA Lex, lata eſt A. U C. 508. Gell. *l.* 2. *c.* 24. quæ ludis Romanis, item ludis plebeis, Saturnalibus, & aliis quibuſdam diebus, in ſingulos dies centenos æris inſumi conceſſit, decemque aliis diebus in ſingulis menſibus tricenos: cæteris autem omnibus diebus denos. Vide Macrob. *Sat. l.* 2. *c.* 13.

FANNII, oratores duo fuêre, quorum Cajus Fannius, qui Coſ. cum Domitio fuit, unam orationem de ſociis, & nomine Latino contra Gracchum reliquit. Alter autem Cajus Fannius M. F. C. Lælii gener, & moribus & ipſo dicendi genere clarior, de his plura apud Cic. *in Bruto.* Quæſtor fuit, hiſtoriâque ſcriptâ celebris, Idem 1. *de Leg* 2. *de Orat. ad Attic. l.* 12. *ep.* 5. &c. Alius, cujus obitum deplorat Plin. *l.* 5. *Ep.* 5. & 9.

FANNIUS, Poëta fuiſſe dicitur non admodum bonus, cujus tamen poëmata in ædem Apollinis, & Muſarum aliamve bibliothecam cum imagine fuêrunt delata. Horat. *l.* 1. *Serm. Sat.* 4 *v.* 21.

——— *Beatus* Fannius, *ultro*
Delatis capſis, & imagine, cùm mea nemo
Scripta legat, vulgo recitare timentis, ob hanc rem

Idem *Sat.* 10. ſub calcem

——— *Aut quod ineptus*
Fannius *Hermogenis lædat conviva Tigelli.*

FANNIUS Cepio, deprehenſus in conjuratione adverſus Auguſtum, mortem ſibi conſcivit. Mart. *l.* 2. Epigr. 80. cujus epigraphe de Fannia.

Hoſtem cùm fugeret, ſe Fannius *ipſe peremit.*
Hic rogo non furor eſt, ne moriare, mori

FANNIUS Domitius, vide *Cajus.*

FANNIUS Strabo, cujus eloquentiam commendat, Vellej. *l.* 2. bis Coſ. cum Val Meſſala primùm, dein cum Domitio Ænobarbo. Sub priore ejus Conſulatu Lex Fannia lata. Vide ſuprà: item *Cajus.*

FANO, ex Germanico *Fahnen*, ſindon vel mappa eſt: item velum ex haſta dependens, in *L.* Alemann. *tit.* 56. §. 6. in Communione Rom. idem cum Corporali eſt, uti docent Petrus Abelardus, Auctor *Antiqq. Fuldenſ. l.* 1. *trad.* 39 alii: item candidum linteum, cum quo oblata ſeu hoſtia, uti vocant, à Primo Cantorum offertur, ut eſt apud Durand. *Ration. l.* 4. *c.* 30. *n.* 27. C. du Freſne *Gloſſ.* Domini Macro, ſubtiliſſimum eſt ſericum velum variegatum, quo utitur Papa, cùm Pontificaliter celebrat, quodque poſt albam induitur, & circa collum ligatur, ad modum caputii ac ſuprà caput ejus imponitur, uſque quò planetâ induitur, ſupra quam deinde ad modum mozettæ adaptatur, pallio ſuperpoſito: Itaque pars *Fanonis* inferior infrà planetam conditur. Colores autem, quibus variegatur, quatuor eſſe, & quidem eoſdem, qui in *Ephod* V. T. erant, addit, vide omnino ſi viſum eſt, eum, ut & Carolum Fratrem ejus *in Hierolexico.*

FANSHERA, fluv. Madagaſcariæ Inſ. in tractu Carcanoſſia. Exonerat ſe in Ocean. in parte Auſtr. prope arcem Delphinam. Flacurtius. Ei adjacet vicus cognom. in mediterr.

FANTINUM, regnum parv. Guineæ, in ora aurea, ubi Cormentinum, & aliquot arces Anglorum, & Batavorum.

FANUM, urbs Umbriæ amœniſſima in Hadriatico littore, inter Piſaurum, Senogalliam, haud longè à Metauro flumine, ſic dicta, quòd in ea pulcherrimum Fortunæ Fanum, i. e. templum, fuerit. Hinc *Fanenſes*, ſeu *Faneſtres* ejus incolæ, ob quos Ravennates cum Venetis bellum geſſêrunt, A. C. 1040. Sigon. *l.* 11. *Φάνα* Steph urbs eſt Ital.

FANUM, aliquando cum Templo, Ædeque ſacra idem denotat, & à *fando* dictum eſt. Non quidem, *quod Pontifices in ſacrando fati ſint finem*, ut Varro vult: ſed quia ibi populus cum Deo, Deuſque cum populo *fari* ſoleat. Quidam tamen à *Fauno*, quòd is primus *Fana* condiderit, vocis originem arceſſunt. Hinc *fiſtere Fana*, vel *effari Templa*, dicebantur, qui, cum ea voviſſent, & id, propter quod vota erant ſuſcepta, ex animi ſententia ſucceſſiſſet, loca in oppidis futurorum *Fanorum* deſinierunt, ac conſtituerunt: quod per Augures fieri ſolitum, idem Varro docet. Vide quoque infrà *Pulvinar.* Propriè tamen *Fanum*, ſepulchretum ſeu cœmeterium, vel potius aream ſolamque Templi; *Templum* autem, ipſam ædem ſignificaſſe, auctor eſt Hadr. Turneb. *Adverſ. l.* 3. *c.* 9. Vide quoque Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 1. & ſuprà *Fanatici.*

FANUM Baal, Jud. *c.* 8 *v.* 33. In tribu Ephraim.

FANUM Canici, ſeu *Kilkennium*, urbs ampla Hiberniæ, in Lagenia Provincia, ad Neorum fluv. Comitatus cognominis caput, verſus Momoniam. 50. fere mill. paſſ. diſtat à Dublinio in Afric. eſtque ferè media inter Caſſiliam, & Caterlogum; vide *Kilkennium.*

FANUM Fortunæ, vulgò *Fano*, urbs Epiſcopal. Duc. Urbinatis ſub Pontif. ubi Fanum olim cœcæ huic Deæ. Ibi Arcus triumphalis marmoreus, 30. cubitorum, Italiæ totius magnificentiſſimus. Inter Piſaurum ad Occaſ. 5. Senogalliam ad Ort. 15. m. p. Leand. *deſc. Ital.*

FANUM Jovis, *Fan Jeux*, caſtrum Gall. Diæceſi Mirapicenſi in Volcis Tectoſagibus attributum. Nomen ei à celebri Jovis fano. Sic *Fanum* Martis infrà: *Fanum* Minervæ, 14. m. p. à Durocortoro Remorum, &c.

FANUM Luciferi, *S. Lucar de Barameda*, opp. munitum Hiſpaniæ, cum portu, in Vandalitia Provincia, ad oſtia Bætis fluv. 6. leucis diſtat à Gadibus in Bor. & 15. ab Hiſpali in Afric. Vide *Luciferi Fanum.*

FANUM Martis, *Mars*, vel *Marche en Famine*, opp. olim, nunc pagus Belgii, in Lucemburgenſi Ducatu, & Leodienſis Epiſcopatus confinio, inter Conſediam 32. & Ad Fines 27. m. p. ex Antonini Itinerario. Aliis pagus *S. Salvii*, in Hannoniæ, & Epiſcopatus Leodienſis confinio. Ferr. Baudr. Opp. fuit Nerviorum, in Belgio, ubi nunc vicus *Fau*, in Hannonia, 11. mill. paſſ. à Valentinianis, Cluv. teſte. Aliis autem eſt vicus *Famars*, una leuca à Valentinianis in Auſtr.

FANUM S. Ægidii, *S. Gilles*, opp. Gall. in Occitania Provincia, ubi S Ægidius Eremiticam vitam duxit. Vix una leuca à Rhodano fluv. in Occaſ. diſtat, & tribus ab Arelate; eſtque in dominio utili Equitum Melitenſium.

FANUM S. Agathæ Gothorum, *S. Agata de Goti*, urbs eſt parva Italiæ, in regno Neapolitano, & in Principatu citeriori, Epiſcopal. ſub Archiep. Beneventano, in confinio Terræ laboris, & media fere inter Beneventum ad Ort. & Capuam ad Occaſ.

FANUM S. Albani, *S. Albans*, opp. Angliæ in Comitatu Harfordienſi Diſtat 6. milliaribus Anglicis ab Harfordia in Occaſ. & 15. à Londino in Bor. eſtque Verolamium antiquorum. Vide *ibi.*

FANUM S. Albini, *S. Aubin du Cormier*, oppid. eſt Gall. in Britannia minori, prælio ſuo memorabile, prope fluv. *Coveſnon*, dictum 5. leucis diſtat à Rhedonibus in Bor. & totidem à confinio Normanniæ in Auſtr.

FANUM S. Amandi, *S. Amand.* opp. Belgii aliàs munitum, in Comitatu Flandriæ, & in Tornacenſi agro, cum Abbatia celebri, ad Scarpam fluv. 2. leucis diſtat à Valentinianis in Bor. & 3. à Tornaco in Auſtr. ſubeſtque dominio Francorum ab A. C. 1667. Dicitur etiam *Elno* a quibuſdam. Vide *ibi.*

FANUM S. Andreæ, *S. Andrew*, urbs Scotiæ Archiepiſcopal. in Fifa Provincia & in ora Oceani Germanici, cum arce aliàs permunita. Vide *Andreapolis*

FANUM S. Andreæ, *S. Andero*, urbs ampla, & munita Hiſpaniæ, in Biſcaia Provincia, cum arce & portu percapaci, in ora littorali Oceani Aquitanici. 15. leucis Hiſpanicis diſtat a Bilbao in Occaſ. & 7. à Santillana in Ort. Alias Flavionavia dicta fuit. Vide *ibi.*

FANUM S. Angeli Longobardorum, *S. Angelo de Longobardi*, urbs eſt Italiæ, in regno Neapolitano, & in Provincia Principatus ulterioris, ad radices Apennini montis, Epiſcopal. ſub Archiep. Compſano. 7. milliaribus diſtat à Compſa in Bor. & 20. à Benevento in Circium. Urbs eſt parva, & ſenſim deficit.

FANUM S. Angeli in Vado, *S. Angelo in Vado*, urbs Italiæ, & ditionis Pontificiæ, in Ducatu Urbinate, juxta Metaurum fluv. ad radices Apennini montis, Epiſcopal. ſub Archiep. Urbini ſed unita eſt cum Urbanea. Eſt in confinio ditionis Florentinæ, & 15. milliaribus diſtat ab Urbino in Occaſ.

FANUM S. Antonii, locus Gall. ubi bello Albigenſi magna fidelium ſtrages facta eſt circa A. C. 1213. Vide Lætum *Comp. Hiſt. Univ.*

FANUM S. Aſaphi, *S. Aſaph*, urbs Angliæ, in Vallia Bor. & in Comitatu Flintenſi, ad amnem *Cluyd* Epiſcopal eſt ſub Archiep. Cantuarienſi. Diſtat 3. milliaribus Anglicis à Denbighia in Bor. 5. ab ora maris Hibernici in Auſtr. & 8. à Flinto in Occaſ.

FANUM S. Audomari, *S. Omer*, urbs Belgii, in Comitatu Arteſiæ, probè munita, ad Agnionem fluv. Epiſcopal. eſt ſub Archiep. Cameracenſi. Vide *Audomaropolis.*

FANUM S. Bertrandi, *S. Bertrand*, urbs Gall. in Aquitania, ad Garumnam fluv. Convenarum caput, & ad radices Pirenæorum montium, Epiſcopal. ſub Archiep, Auxitano; & aliàs Lugdunum Convenarum dicta fuit. Vide *ibi.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

FANUM S. Brioci, *S. Brieu*, urbs Gall. in minori Britannia, Epiſcopal. ſub Archiep. Turonenſi, in ora Bor. cum portu in ſinù maris Britannici. 16. leucis diſtat à Macloviopoli in Occaſ. 10. à Trecorio in Ort. 20. autem à Rhedonibus eſtque ſatis munita.

FANUM S. Chriſtinæ, *S. Chriſtina*, oppid. Hiſpaniæ, in regno Aragoniæ, & ad fontes Aragonii fluvii, ad pedes Pyrenæorum & in confinio Gall. 4. leucis diſtat à Jacca in Bor.

FANUM S. Chriſtophori, *S. Chriſtophle en Touraine*, opp. Gall. in Turonenſi provincia, ad pedes collis, in confinio Andegavenſis, & Cenomanenſis provinciarum. 6. leucis diſtat à Turonibus in Bor.

FANUM S. Claudii, *S. Claude*, opp. Sequanorum, in Comitatu Burgundiæ, in limite Breſſiæ provinciæ, & Geſſiæ tractus 5. leucis diſtat à Geneva in Occaſ. & 3. à Rhodano fluvio. Hinc mons Jura adjacens dicitur etiam mons S. Claudii.

FANUM S. Clodoaldi, *S. Clou*, burgus cultiſſimus Galliæ, cum ponte lapideo ad Sequanam fluv. & peramœno ſeceſſu Ducis Aurelianenſis, duabus leucis infrà Lutetiam in Occaſ. Ibi obiit Henricus III. Francorum Rex.

FANUM S. Columbæ, *Sainte Colombe*, oppidul. Gall. in Lugdunenſi provincia, ad Rhodanum fluv. ex adverſo Viennæ Delphinatus, cui ponte conjungitur. 5. leucis diſtat à Lugduno in Auſtr. Condrievium verſus; eſtque veriùs Viennæ ſuburbium.

FANUM S. Crucis, *Santa Crutz*, urbs munita Africæ, in regno Marochii, & in regione *Sus* dicta, in ora Oceani Atlantici, cum portu capaci. Dicitur aliter *Cap. D'Aguer*, & à Mauris *Darrumia*; Excitata fuerat à Luſitanis. Sed A. C. 1536. capta fuit à Rege Marochii, cui etiamnum ſubeſt.

FANUM S. Crucis de monte, *Santa Cruz de la Sierra*, urbs recens Americæ Meridionalis, in Peruvia regione, in provincia dicta *la Sierra*. Epiſcopal. eſt ſub Archiep. civitatis *de la Plata* dictæ. Maximè in Ort. tendit; eſtque ad radices collis, in confinio Paraguaiæ regionis 80. leucis Hiſpanicis diſtat ab urbe Argentea ſeu *de la Plata* in Ort. & 60. ab Argenteo fluv. in Occaſ. ſub Hiſpanis.

FANUM S. Deſiderii, *S. Dizier*, urbs Gall. munita, in Campania provincia, ad Matronam fluv. obſidione ſua celebris. Sedet in limite Barrenſis Ducatus. 6. leucis à Barro in Occaſ. & totidem à Victoriaco in Ort. diſtat, 12. autem à Catalauno.

FANUM S. Dionyſii, *S. Denys*, cognomento *en France*, urbs eſt parva Gall. in provincia Inſulæ Franciæ, cum inſigni Abbatia, in qua viſuntur Regum Franciæ Mauſolæa. Sedet ad amnem *la Crou*, qui paulò infrà cadit in Sequanam fluv. diſtatque duabus leucis à Lutetia in Bor.

FANUM S. Dominici, *S. Domingo*, urbs eſt ampla, & Archiep. Americæ Septentrionalis, in parte Auſtr. Hiſpaniolæ inſulæ, cum portu capaci. Vide *Dominicopolis*.

FANUM S. Entropii, *S. Tropez*, urbs munita Gall. in Provincia, cum portu capaci, in ora littorali maris Mediterranei, & ſinus Grimaldini. 5. leucis diſtat à Foro-Julio verſus Auſtr. & 12. à Telone in Ort.

FANUM S. Fidei, *Santa Fé*, opp. Americæ Septentrionalis, in novo regno Mexicano, ante paucos annos ab Hiſpanis exſtructum, juxta fluv. Borealem *de Nort*. Paucis conſtat incolis.

FANUM S. Fidei, *Santa Fé*, urbs parva Americæ Septentrionalis, & novæ Hiſpaniæ, in Provincia Veragua, media inter utrumque mare Boreale, & Auſtrinum, 12. leucis ab urbe Conceptionis ſub Hiſpanis.

FANUM S. Fidei de Bogota, *Santa Fé de Bogota*, urbs eſt Archiep. Americæ Meridionalis, in novo regno Granatenſi, prope fluv. *Pati* & lacum *Guatavita*, longè à mari remota, ſub dominio Hiſpanorum, & ad radices montis Bogotæ.

FANUM S. Florentii, *San Fiorenzo*, urbs Italiæ, in ora Boreali Corſicæ inſulæ, ſatis munita, cum portu, & ſinu parvo, ſub dominio Genuenſium, *Canelata* antiquis dicta, ut quidam autumant. 20. milliaribus diſtat à Sacro prom. in Auſtr.

FANUM S. Flori, *S. Flour*, urbs eſt Epiſcop. Gall. in Alvernia Provincia. Vide *Floriopolis*.

FANUM S. Galli, *S. Gal*, opp. Helvetiorum, cum Abbatia inſigni, cujus Abbas imperii Princeps eſt, in Turgea tractu, & ex præcipuis Sociis Helvetiorum. Una leuca tantum diſtat à lacu Conſtantienſi & 4. à Lindavia in Occaſ. Vide *Sangallum*.

FANUM S. Germani, *S. Germain*, opp. Italiæ, in Pedemontio, & in Vercellenſi agro, aliàs munitum. 12. milliaribus diſtat à Vercellis in Occaſ. Taurinum verſus.

FANUM S. Germani in Laya ſylva, *S. Germain en Laye*, burgus amplus Gall. cum palatio ſuperbiſſimo in colle, ad Sequanam fluv. ubi regius ſeceſſus. 4. leucis à Lutetia in Occaſ. diſtat.

FANUM S. Ghisleni, *S. Ghislain*, opp. munitum Belgii, in Hannonia Provincia, cum Abbatia; ad Haynam fluv. Una leuca cum dimidia diſtat à Montibus in Occaſ. & 3. à Condato in Ort.

FANUM S. Huberti, *S. Hubert*, opp. Belgii, in Ducatu Luxemburgico, ſub dominio tamen proprii Abbatis, ad amnem *Homme* dictum. 4. leucis Belgicis diſtat à Baſtonia in Occaſ.

FANUM S. Jacobi, *Sant Jago de Chile*, urbs Americæ Meridionalis, regni Chiles primaria, in mediterraneis, & ad radices Andium ab Hiſpanis exſtructa, juxta fluv. Maipum. Epiſcopalis eſt ſub Archiepiſcopo *de la Plata* dicto 15. leucis à mari Pacifico in Ort. diſtat.

FANUM S. Jacobi, *Sant Jago*, urbs Africæ, inſulæ cognominis caput, in Oceano Atlantico, in inſulis Capitis viridis; eſtque munita & Epiſcop. ſub dominio Regis Luſitaniæ. Capta fuerat, & vaſtata à Franciſco Draco Anglo, A. C. 1585.

FANUM S. Jacobi, *Sant Jago*, urbs Americæ Septentrionalis, in Ora Auſtr. Cubæ inſulæ, cum portu capaciſſimo, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo S. Dominici, ſub Hiſpanis; deficitque in dies.

FANUM S. Jacobi de Eſtero, *Sant Jago del Eſtero*, urbs eſt Americæ meridionalis, & Tucumaniæ regionis caput, atque Epiſcop. ſub Hiſpanis, juxta fluv. *Eſtero* dictum. 170. leucis Hiſpanicis à Potoſio diſtans.

FANUM S. Jacobi de Guatimala, *Sant Jago de Guatimala*, urbs Americæ ſeptentrionalis, in nova Hiſpania, & in Provincia Guatimala, Epiſcop. ſub Archiep. Mexicano. Vide *Guatimala*.

FANUM S. Johannis ad Tavum, *S. Johnſtoune*, urbs Scotiæ, aliàs Perthia dicta, à Provincia cognomine, in qua ſedet, ad Tavum fluv. 20. milliaribus Scotiis diſtat ab Edimburgo in Bor.

FANUM S. Johannis Angeriaci, *S. Jean d'Angely*, opp. Gall. in Santonia Provincia, aliàs munitum; ſed ejus munitiones disjectæ fuêrunt à Reg. Ludov. XIII. Vide *Angeriacum*.

FANUM S. Johannis de Auro, *San Ivan del* Oro, opp. Americæ Meridionalis in Peruvia, intra montes, & in Provincia Camata. 35. leuc. Hiſpanicis diſtat à lacu Titicaca in Ort.

FANUM S. Johannis de Portu divite, *San Ivan de Puerto ricco*, urbs Americæ ſeptentrionalis, inſulæ Portus divitis in mari Boreali caput. Jacet ad Septentrionalem partem inſulæ, cum portu capaci, & arce Hiſpanorum; eſtque Epiſcop. ſub Archiep. Dominicopolitano. Capta fuerat ab Anglis A. C. 1597. ſed poſtea ab ipſis derelicta, & vaſtata.

FANUM S. Johannis de Ulua, *S. Ivan de Ulva*, arx triangularis Americæ Septentrionalis, in ora littorali novæ Hiſpaniæ, in inſula parva ei adjacente in mari Boreali, contra portum veræ Crucis, & ad ipſius tutelam, ab Hiſpanis exſtructa. Diſtat 80. leucis Hiſpanicis ab urbe Mexico in Ort.

FANUM S. Johannis Laudonenſis, *S. Jean de Laune*, opp. Gall. in Ducatu Burgundiæ, ad Ararim fluv. parvum, ſed munitum, & fruſtra obſeſſum ab Hiſpanis A. C. 1637. Diſtat 3. leucis ab Auxona in Auſtr. Dicitur & Laudona.

FANUM S Johannis Luiſii, *S. Jean de Luz*, opp. Gall. in Vaſconia, in regiuncula *Terre de Labour* dicta, juxta oſtium amnis *Urdacury*, ubi in Oceanum Aquitanicum ſe exonerat, 2. leucis à confinio Hiſpaniæ & ab arce Fonte rapido in Ort. Ibi celebrata fuêre A. C. 1660. ſponſalia Ludovici XIV. Francorum Regis Chriſtianiſſimi cum Maria Thereſia Auſtriaca. Dicitur aliter Luiſium. Vide ibi.

FANUM S Johannis Maurianenſis, *S. Jean de Maurienne*, ſeu, & meliùs, *S. Jean*, ut ipſi incolæ dicunt, urbs eſt ſatis culta Sabaudiæ, ſine muris, in Mauriana valle, ad Arcum fluv. Epiſcop. ſub Archiep. Viennenſi. 3. leucis diſtat à confinio Delphinatus in Bor. 6. à Monaſterio urbe Tarentaſiæ in Auſtr. & decem à Gratianopoli in Ort.

FANUM S. Johannis Pedeportuenſis, *S. Jean pied de port*, opp. Gall. permunitum, in Navarra inferiori, intra montes, ad amnem Nivum, vix una leuca à confinio Navarræ ſuperioris & à montibus Pyrenæis, & 8. à Baiona in Auſtr.

FANUM S. Juſtæ, *S. Juſta*, monaſterium Hiſpaniæ, in Extremadura Provincia, 7. leucis à Placentia, in valle fertiliſſima, ubi Carolus V. relicto Imperio, ſolitariam vitam duxit, ibique obiit A. C. 1558. die 21. Septembris.

FANUM S. Leonis, *S. Leo*, urbs eſt Italiæ, in ditione Pontificia, & Ducatu Urbini, Epiſcop. ſub Archiep. Urbinate. Ejus Epiſc. dicitur etiam Monsferetranus à regiuncula adjacente. Urbs ipſa parva, ſedet in colle, in limite Romandiolæ & Tuſciæ, prope amnem Ariminum, 15. milliaribus à Sarſina in Ort. & 5. tantum à Fano S. Marini in Occaſ.

FANUM S. Licerii, *S. Licer*, urbs Gall. in Aquitania. Vide *Conſerrani*.

FANUM S. Maclovii, *S. Malo*, urbs Gall. in Britannia minori parva, ſed munita, & dives, cum portu capaci, Epiſcop. ſub Archiep. Turonenſi. Vide *Macloviopolis*.

FANUM Marcelli, locus Gall. ubi, fervente bello Albigenſi, multi fidelium cæſi ſunt, A. C. 1213. Vide Joh. Lætum *Comp. Hiſt. Univ.*

FANUM S. Marci, *S. Marco*, urbecula Italiæ in regno Neapolitano, & in Calabria citeriori, Epiſcop. ſub Archiep. Coſentino. Vis 10. milliaribus diſtat à mari Tyrrheno in Ort. & 7. à Biſiniano, 16. autem à Coſentia in Bor.

FANUM S. Marini, *S. Marino*, oppid. Italiæ, in monte excelſo ſitum, ſui juris, caput Reipublicæ cognominis, cui ſubſunt tantùm duodecim pagi ſeu villæ. Eſt inter Ducatum Urbini & Romandiolam, verſus Ariminum amnem. 5. milliaribus diſtat à Fano S. Leonis in Ort. & 10. ab Arimino in Auſtr. Dicitur à quibuſdam Acer mons.

FANUM S. Marthæ, *Santa Marta*, urbs Americæ Meridionalis, regionis & gubernii cognominis caput, in ora littorali maris Borealis, cum portu & arce valida Hiſpanorum. Epiſcop. eſt ſub Archiep. S. Fidei; fuitque aliàs ab Anglis, & Batavis expugnata & vaſtata.

FANUM S. Matthæi, *S. Mahé*, in finibus terræ dictum oppid. Gall. in Britannia minori, in intimo receſſu ad Occaſ. cum prom. cognomine. Vide *Gobaum*.

FANUM S. Maximini, *S. Maximin*, opp. Gall. in Provincia, verſus montes, & ad fontes amnis Argentei, 6. leucis ab Aquis Sextiis in Ort. & 8. à Telone in Bor.

FANUM S. Menehildis, *Sainte Menehould*, opp. munitum Gall. in Campania Provincia, ad Axonam fluv. 9. leucis à Catalauno in Ort. & totidem à Virduno in Occaſ. Bis expugnatum fuit hiſce ultimis temporibus.

FANUM S. Michaëlis Archangeli, *l'Arcangel*, urbs, & emporium celeberrimum Moſcoviæ, ad oſtia fluv. Dunæ in mare Album. Vide *Arcangelopolis*.

FA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

FANUM S. Michaëlis, *S. Michel*, urbs Lotharingiæ, ad Moſam fluv. in Ducatu barrenſi, media inter Tullum ad Auſtr. & Virdunum ad Bor.

FANUM S. Michaëlis, *S. Miguel*, opp. Americæ Septentrionalis, in nova Hiſpania, & Provincia Mechoacana, 40. leucis Hiſpanicis diſtat à Mexico in Occaſ.

FANUM S. Michaëlis, *S. Miguel*, opp novum Americæ Septentrionalis, in nova Hiſpania, & in Provincia Guatimala, in ora maris Auſtrini, & ad oſtia fluvii Lempæ, ſub Hiſpanis. 60. leucis Hiſpanicis diſtat à Guatimala in Ort.

FANUM S. Michaëlis, *S. Miguel*, opp. Americæ Meridionalis in novo regno Granatenſi, verſus montes, in ditione Hiſpanorum. Paucis conſtat incolis.

FANUM S. Michaëlis, *S. Miguel. de Tucuman*, urbs Americæ Meridionalis, in Tucumania regione, ad radices montium. Subeſt Hiſpanis, & 28. leucis diſtat à Fano S. Jacobi de Eſtero.

FANUM S. Miniati Teutonis, *S. Miniato al Tedesco*, urbs longa Italiæ, in Hetruria & in agro Florentino, in colle, prope Arnum fluv. media inter Piſam ad Occaſ. & Florentiam ad Ort. recens in Epiſcop. ſedem erecta ſub Archiep. Piſano

FANUM S. Nicolai, *S. Nicolas*, burgus peramœnus Lotharingiæ, ad Murtam fluv. duabus leucis ſupra Nanceium in Auſtr. devotione erga ſanctum Nicolaum Mirenſem Epiſcop. celebris.

FANUM S. Papuli, *S. Papoul*, urbs parva Gall. in Occitania Provincia, Epiſcop. ſub Archiep. Toloſano. Dicitur & San Papulum. 5. leucis diſtat a Carcaſſone in Circium Toloſam verſus, à qua 9. leucis diſtat.

FANUM S. Pauli Leonini, *S. Paul de Leon*, ſeu *Leon* & *Leondoul*, urbs Gall in Britannia minori & in ora littorali maris Britannici, Epiſcop. ſub Archiep. Turonenſi. Vide *Leonium*, & *Staliocanus portus*.

FANUM S. Pauli Tricaſtinenſis, *S. Paul Troischaſteaux*, urbs Gall. in Provincia Delphinatus, Epiſcop. ſub Archiep. Arelatenſi. Vide *Auguſta Tricaſtinorum*.

FANUM S. Pontii Tomeriarum, *S. Pons de Tomieres*, urbs Gall. in Occitania, parva, ſed Epiſcopal. Vide *Tomeriæ* & *Pontiopolis*.

FANUM S. Quintini, *S. Quentin*, urbs munita Gall. in Picardia, in Veromanduis, ad Somonam fluv. Vide *Quintinopolis*.

FANUM S. Quirici, *S. Quirico*, oppidul. Italiæ in colle, in Hetruria, & agro Senenſi, prope Orciam amnem, 3. milliaribus diſtat à Pientia in Auſtr. inter Radicofanum & Senam.

FANUM S. Remigii, *S. Remo*, opp. Italiæ, in ora Occidentali Genuenſi; eſtque lepidum, & cultum, in valle feraci. 9. mill diſtat ab Albintemelio in Ort. ſubeſtque dominio Genuenſium.

FANUM S. Salvatoris, *S. Salvador*, urbs ampla Americæ Meridionalis, & Braſiliæ regionis primaria, juxta ſinum omnium Sanctorum, vulgò *Bahia de todos os ſantos*, à quo urbs iſta dicitur etiam ſæpe *la Bahia*. Portu gaudet percapaci, & arce valida, in ora maris Braſilii; eſtque Epiſcop. ſub Archiep, Oliſipponenſi. Sedet in edito colle. Capta fuit à Batavis A. C. 1624. Sed poſtea recepta à Luſitanis anno ſequenti, ipſis etiam ſubeſt.

FANUM S. Sebaſtiani, *S. Sebaſtian*, Gallis *S. Sebaſtien*, urbs eſt Hiſpaniæ probè munita, in Guipuſcoa Provincia, cum arce, & portu capaci, **in ora littorali Oceani, ad oſtia fluv.** Menlaſci. Vix tribus leucis diſtat à confinio Gall. in Occaſ. & 12. à Pompejopoli in Bor.

FANUM S Sebaſtiani, *S. Sebaſtian*, urbs Americæ Meridionalis, & Præfecturæ fluv. **Januarii caput, in Braſilia, cum portu capaci & duplici arce ſub Luſitanis.**

FANUM S Stephani, *Kirckbyſteven*, oppid. Angliæ, in Weſtmaria Provincia, ad Itunam fluv. verſus montes, & in limite Eboracenſis Provinciæ.

FANUM S. Stephani, *S. Eſtienne*, ſeu & *S. Eſtiende de Furans*, burgus ampliſſimus Gall. in Forenſi Provincia, ad radices collis, & juxta amnem Furanium. 2. leucis diſtat à Ligeri fluv. & decem à Lugduno in Afric. eſtque carbonis terreſtris fodinis celebris. Vide *Furanium*.

FANUM S. Venantii, *S. Venant*, opp. Belgii, in Arteſiæ Comitatu, ad Liſiam fluv. ſatis munitum, duabus leucis ab Aria in Ort. Armenteriam verſus. Subeſt dominio Francorum ab aliquot annis, pace ad Pyrenæos confecta.

FANUM S. Vincentii, S. *Vincente*, opp. Americæ Meridionalis, in Braſilia & in ora Auſtr. maris Braſilii, cum portu capaci. Regio adjacens dicitur *Capitania de Vinceme*, Gubernium S. Vincentii; ſubeſtque Regi Portugalliæ.

FANUM S. Viti, *S. Veit*, opp. Germaniæ, in Carinthia ſuperiori, ad confluentias amnium *Wiitz*, & *Glac*. 2. leucis diſtat à Clagenfurto Gurkium verſus.

FANUM S. Viti ad flumen, *S. Vitam Flaum*, opp. Germaniæ, in Carniola inferiori, in ora maris Hadriatici, & ſinus Carnarii, ad oſtia fluv. Carnarii, ſub Auſtriacis.

FANUM S. Yvonis, *S. Yves*, antea *Slepe*, opp. Angliæ, in Comitatu Huntingdonia, ad Uſam fluv. 2. milliaribus infrà Huntingdoniam.

FANUM Saturni, Cronium, locus inſulæ Gaditanæ, qui *Punta di S. Sebaſtiano*, teſte Ortelio, nominatur.

FANUM Vacunæ, *Vocone*, vicus eſt Sabinæ Provinciæ, in ditione Pontificia, intra montes, & in confinio Umbriæ, 10. milliaribus ab Interamnia in Auſtr. **Cures verſus, 15. autem à Nerulo. Horat.** *l.* 1. *Ep.* 10. *v.* 49.

> *Hæc tibi dictabam poſt* Fanum *putre* Vacunæ.

FANUM Voltumnæ, opp. Hetruriæ; quod variè interpretantur: quidam nunc *Maſſa* urbem eſſe putant, inter Roſetum, & Po pulonium, cui ſucceſſit, à Senis 40. mill. diſtans: alii ex eo, Longula, Verulonio, & Turrena, oppidis vicinis, Viterbium urbem conſtructam tradunt.

FAR, Frumenti genus vulgatiſſimum, cum ſiligine & tritico: Plin. *l.* 18. *c.* 8. *Primus antiquis Latio cibus, magno argumento in adorea donis.* Inter dona enim ampliſſima Imperatorum ac fortium civium fuêre antiquitus, *quartarii farris*, (quod *adoreum* dixére Vett.) *aut heminæ conferente populo*, Id. *l. eod c.* 3. Imò *gloriam ipſam a farris honore adoream appellabant*, *Ibid.* *Far* autem, ut & hordeum, Vett. priùs torrebant, deinde molebant, demum coquebant, unde *far bis toſtum*, apud Ovid *in Faſtis*, *panis eſt*, qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 328. & infrà, ubi de Veterum *Molis*. Sed & *Far* **in Nuptiis, adhibitum eſt, apud Hebræos: Romanos, apud quos** inde *Confarreatio*, ſanctiſſimum Nuptiarum genus, nomen accepit; alios. Et licèt ſacra quæ fuere in Confarreatione Paganica, utpote Chriſtianiſmo plane adverſantia, ſub ejuſdem initia, etiam apud Paganos, jam à Tiberii Imp. ævo evanuère, nihilominus *Farris* ipſius uſus aliquis ſolennis, in libris conficiendis, diſtringendis, communicandis locis ſaltem in nonnullis ſemper obtinuit. Certè frequentiſſimus apud Anglos eſt, & antiquiſſimus fuit liborum admodum grandium in Nuptiis uſus, quæ *Bride-cakes*, i. e. *Liba Sponſalitia* ſeu *Nuptialia* appellitant, & tum à Sponſis ipſis confecta, tum à propinquis amicisque ſolenniter munera nuptiali data ſunt. Similiter in agro Alexandrino, in vico Villæ Fori Nuptias per confarreationem, *libo inter nubentes, & affines atque cognatos partito*, fieri, refert Lancellotus Gall a in *Conjunct. Alex.* Imò & in Græcorum ritibus, compotatio eſt in Eccleſia Nuptialis, quæ confarreationis vicem ſimiliter præſtare videtur &c. Vide Joh. Selden. *Uxor. Hebraic. l.* 2. *c.* 25. & hìc ubi de *Confarreatione* ac *Nuptiis*. **Porrò *farre* coronatos Lares, inter alia, ac tenui ſerto, ſive corallâ, habes apud Juv.** *Sat.* 9 *l.* 3. *v.* 137.

> *O parvi, noſtrique Lares, quos thure minuto*
> *Aut* farre *& tenui ſolco exornare coronâ.*

Quo de coronamenti genere, vide C. Paſchal. *Coron. l.* 4. *c.* 3. & infrà ubi de *Spicea corona*. Cumque thuris in ſacris uſum Romuli Numæque temporibus ignorarent adhuc Romani; pium far, i. e. far toſtum ac ſale ſparſum ejus loco fuiſſe, in aſpergendis hoſtiis, docet Feſtus *in Mola*, in *Ador*, in *Immolare*. Plin. *l.* 13. *c.* 1. & Arnob. *adv. Gentes l.* 1. qui & *l.* 3. *Niſi enim inquit, thura & ſalſas fruges accipiant, benefacere Dii nequeunt.* Vide God. Stewechium *Electis Arnobianis l.* 7. Plura verò de *Farre*, hìc ubi de *Frumento* & *Tritico*, nec non apud Plin. paſſim, è quo locum hunc adnectere volui, ex *l.* 18. *c.* 2. *Numa inſtituit Deos fruge colere, & mola ſalſa ſupplicare, atque* -- *far torrere, quoniam toſtum cibo ſalubrius eſſet. Id uno modo conſecutum, ſtatuendo non eſſe purum ad rem divinam, niſi toſtum. Is & Fornacalia inſtituit* farris *torrendi ferias, & æque religioſas terminis agrorum. Hos enim Deos tunc maxime noverant* &c. Hinc *Farracéum* & *Farreum* quorum illud cerimonias nuptiales, hoc genus cibi è *farre*, Sponſæ præferri ſolitum notabat, vide infrà *Nuptiæ*: it. *Farrata*, de quo paulo poſt.

FARA, vulgò *la Fere*, urbs Gall. permunita, in Picardia provincia, & in Tiraſcia tractu, ad Oeſiam fluv. undique paludibus cincta, aliàs fortiter expugnata ab Henrico IV. Rege 5. leucis diſtat à Fano S. Quintini in Auſtr. Sueſſiones verſus, & 4. à Lauduno in Occaſ.

FARA, vulgò THE FAIRE YLE, inſ. parva maris Caledonii, inter Orcades, & Schetlandicas inſulas medio curſu interjecta, ubi tantùm caſtrum *Duno* dictum.

FARA Campaniæ, *la Fere Champenoiſe*, urbecula Gall. in Campania Provincia, media inter Sequanam fluv. ad Auſtr. & Matronam ad arctos, 8. leucis à Catalauno in Merid.

FARAMANNI, in *L.* Burgundionum, *tit.* 54. §. 2. & 3. ubi opponuntur *Romanis*, i. e. veteribus terræ incolis: quædam videtur fuiſſe inter Burgundos hominum conditio; ſed cujuſmodi fuerit, incertum. Vide Car. du Freſne *Gloſſ.*

FARAMUNDUS, vel PHARAMUNDUS, primus Francorum Rex, A. C. 420. vel 438. Galliam nunquam ingreſſus eſt. Dictus, quaſi *Wahrmund*, *i. e. verax*. Primus creditur, per quatuor Seniores, Salicæ Legis, quæ & *Ripuaria*, quòd ad Rheni ripam ſtatim longè lateque innotuerit, auctor. Greg. Tur. & Fredegarius, non loquuntur de illo. Sed Proſper. *Chron. An.* 26. *Honor.* Rorico *l.* 1. Aimon. *l.* 1. *c.* 4. Ado, Hugo Fleuriac. Sigebertus *in Chron.* Obiit A. C. 427. vel 428. relicto fil. ſucceſſore Clodio. Reliqua ejus ignorantur. Morer. De eo verò ſic P. Æmylius *l.* 1. Franci Trevirim, accerſiti à Senatore, cujus uxorem Lucius Præſes rapuerat, occuparunt, inde progreſſi in Celticam, & Belgicam, tandem in ipſam Galliam, regnum Francicum, ex Gallico, præpoſito ſibi Rege Varamundo, conſtituêrunt. Apud Lætum *Compend. hiſt. Univ. in Honorio.*

FARCIMEN, vide *Botuli*, *Hircia*, *Lucanicus*, *Salſicia*, *Silicernium*.

FARELLUS Gulielmus, vide *Gulielmus*.

FARENSES, vulgò *Isles de Fero*, ſeu *de Farre*, inſulæ Oceani Caledonii, ſupra Scotiam, & Orcadas verſus Circium, quindecim numero, quarum præcipuæ ſunt, *Stromo*, *Sudro*, *Oſtro*, *Bordo*, & *Sando*; ibique loca, *Lonen*, *Wage*, *Swino*, & *Calfortgreve* dicta, ſub dominio Regis Daniæ.

FARETUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

FARFA, vulgò FARFA, caſtrum Italiæ, cum Abbatia percelebri, in ditione Pontificia, & in Sabina, ad Farfarum amnem. 20. mill. diſtat à Roma in Sept.

FARFAR, vide *Pharpar*.

FARFARUS, fluv. Sabinorum, Ovid. Met. *l.* 14. *v.* 330.

FARFILUS Hugo, vide *Hugo*.

Gg 3 FA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

——— *Et opacæ* Farfarus *umbræ.*

FARILIA, vide *Apuleia.*

FARIMA, Urbs Japoniæ, in tractu *Niphon*, 18. leuc. Hiſp. à Meaco in Occ. cum prov. cognom. Antea habuit Reges proprios.

FARINA, far molitum eſt, Græcè Ἄλευρον; propriè enim *de farre* dicitur. At farina hordeacea, Græce Ἄλφιτον, Latinis *polenta* appellatur, qua de voce infrà. Heſych. Ἄλευρα κυρίως ἐκ σίτου, ἄλφιτα δὲ ἐκ τῶν κριθῶν. Vide de illa Plin. *l.* 18. *c.* 9. uti de uſu ejus in ſacris, infrà in voce *Mola;* in divinationibus, item quod genus Ἀλευρομαντείαν, & Ἀλφιτομαντείαν dixêre Græci, apud Jamblich. *Mola* certè hinc dicta eruditis, quòd *farre molito* aſpergerentur victimæ. Sed & ex ſimila conſtabant in V. T. ſacrificia ex frugibus, מנחה dicta, cui affundebatur oleum, addebanturque thuris odores, Levit. *c.* 2. *v.* 1, 2, & 3, qua de re vide Franc. Burmann. *Synopſi Theol. Chriſt. Part. priore l. IV. c.* 11. *n.* 21. & infrà, ubi de *Sacrificiis*. Porrò ex *farina* vel polenta, quæ in vinum addebantur, commixtum fiebat celebre illud potionis genus, quod inter Eleuſiniorum ſacrorum ſymbola Arnob. recenſet, & κυκεὼν Græcis dictum eſt, *adoris potio* Latinis. Vide ſuprà in hâc voce &c. uti de *farina aquâ conſperſa & ſubacta*, infrà in voce *Materia*; de placenta *ex farina & melle*, mortuorum ori, prænaulum Charontis impoſita, apud Vett. Græcos, infrà *Offa Cerberi*. Vide & *Pulmentum*. it. *Puls*.

FARINACIUS Proſper, vide *Proſper*.

FARIUS Equus, apud Raymundum de *Agilers p.* 162. *Aſſumtis omnibus pecuniis ſuis Cæſaream & Camelam adibant, ut ibi equos* Farios *mercarentur*: Arabicus eſt, generoſus, Arab. *Faras*; unde φάρας apud Achmetem *in Onirocriticis c.* 233. Ἵππος ὁ φάρας ὁ ἐκλεκτός, & *c.* 152 φάρας Ἀραβικὸς, apud Nicetam *in Iſaacio l.* 1. *n.* 2 quâ voce Saracenorum equos venire, Leo ait Imp. *in Tactic. c.* 18. §. 137. Iidem *Alpharaces* dicti ſunt, proſtheſi Arabibus familiari, in *Ep.* Joh. IX. Pontif. Rom. ad Adelfonſum Reg. Gallæciæ, apud Sampirum: item *Mauriſci*, in *Ep.* Leonis III. Pontif. Rom. *Numidæ & Ægyptii*, apud Gratium in *Cyneget. v.* 518. &c. Cujuſmodi equos in pretio fuiſſe, diximus ſuprà. A voce φάρας, Galli equos generoſos, *Auferans* & *Ferrandos* vocarunt, ut infrà videbitur: atque hinc emendat Car. du Freſne Procop. *Gothic. l.* 1. *c.* 18. ubi Beliſarium exhibet equo generoſiſſimo inſidentem, qui toto fuſcus corpore anteriorem capitis partem ad nares eximio candore inſignem habebat, addens: Οὗτον Ἕλληνες μὲν φαλιὸν, Βάρβαροι δὲ φάραν καλοῦσι, cùm prius legeretur, Βάλαν. Vide eum *in Gloſſ.* ut & *Notis ad Alexiadem p.* 408. & 409.

FARNESIUS Alexander, potente domo magis quàm antiquâ oriundus, quippe quæ à Paulo III. Pontif. originem & magnitudinem traxit. Olim adoleſcens maternis ſub imperiis per Belgicam inhonorus egerat, atque adeò contemtus, ut non ſatis animo competere diceretur. Solita mentiri judicia vix quiſquam apertiùs convicit. Primum belli decus peperit expugnato Javarino. Belgicis armis impoſitus, quantus eſſet, oſtendit; ſtudio laudis indefeſſus, acceſſu comis, clemens in hoſtem, quantumque in magna ſimulatione noſci potuit, fidus Regi, & adverſus ſuam gloriam ac populi ſtudia incorruptus. Parebat conſiliis, niſi quòd initæ ſemel ſententiæ contumacior, ac infeſtus diſſidentibus: tum rerum ſucceſſu, nimia concupiſcebat, idque illi initium adverſorum, quæ molliùs tulit, cùm ſecunda fortiter toleraret. Caſpari Robleſii monitis diu obſecutus, eo mortuo, cùm nemo prævaleret, inter diverſa ſuadentes fluctuavit, atque ex eo ceſſim iit & fortuna: Majeſtas illi oris ita venerabilis, ut & amari poſſet: ſtatura & cætera corporis mediocria, acres oculi, pervigilis animi notæ. Inopiâ & diſcordiis hoſtium prudenter uſus, diverſas in exercitu nationes, & prope inſociabiles, jure æquo rexit, compreſſis odiis, quæ ſtatim poſt mortem & deinceps acrius erupêrunt. Obiit A. C. 1592. viridi adhuc ætate, annorum 47. cùm annos 14. in Belgici belli arbitrio egiſſet: poſtremos quidem quinque deterioris fortunæ, neque diligentiæ ejuſdem: ſeu poſt Antverpiam gloriæ ſatur voluptatibus ſe dedit, ſeu cognitis Philippi Regis ſuſpicionibus adverſus magnam Famam remedium ex ſegnitie concupivit. Res ejus geſtas enarrant Thuanus, Strada, H. Grot. Alii *in Hiſt. Belgici belli*. Diſciplinam cum illo concidiſſe, prudentes annotarunt. Cæterum, ut dictum, auctor gentis Paulus III. Papa, fatis conceſſit A. C. 1549. Pater Petri Aloyſii qui patris beneficio primùm Camerini, dein Parmæ & Placentiæ Dux, defunctus A. C. 1547. ex Hieronyma Urſina, genuit Octavium, qui obiit A. C. 1586. Hoc & Margaretâ Auſtriacâ (filiâ Caroli V. Imp. ex Margareta Vangeſtia nobili Flandra) genitus Alexander, de quo dictum ex Maria Infant. Portugalliæ (filiâ Edoardi Inf. Emanuële Rege geniti) ſuſcepit Rainutium I. defunctum A. C. 1622. Cui ſucceſſit, ex Margareta Aldobrandina, fil. Edoardus, qui obiit A. C. 1646. Pater, ex Margareta Medicea (filiâ Coſmi II. Medicei, M. Ducis) Rainutii II. qui Iſabellam Eſtenſem, filiam Franciſci Mutinæ Ducis. A. C. 1656. extincti, duxit. Spener. ubi ſuprà *Part. III. p.* 19.

FARNIA, Inſ. parva Angliæ, in Oceano Germ. in ora littor. Northumbriæ, 3. mill. Angl. à Bamburgo caſtro, 6. ab Inſ. Sacra in Auſtr. 12. à Bervico.

FARNSPERGIUM, vide *Faruſpergum*, & *Varnſpergium*.

FARNUS, vel PHARNUS, Medorum Rex. *Diod.*

FARRAGO, Hebr. בליל, Jobi *c.* 6. *v.* 5. *An rudit onager apud teneram herbam boatne Bos ad* farraginem *ſuam?* Et Eſaiæ *c.* 30. *v.* 24. *Boves etiam & aſelli colentes tellurem* farraginem *meram comedent, quæ ventilata fuerit vanno & ventilabro*. A בלל, quod in genere *miſcere* eſt, & in ſpecie *miſcere diverſas fruges*, aut *fœnum & paleam cum frugibus*, in pecorum aut jumentorum pabulum. Sic Judic. *c.* 19. *v.* 21. *pabulum dedit aſinis*, ſupple *farraginem in pabulum*. Ad quæ verba notat Kimchi, בליל ſic appellari, *quia miſcent ad bruti pabulum hordeum cum ſpina vulpis* (i. e. avenâ) *aut unum eorum cum palea*. Sed & Græci habent in Eſaia, Φάγονται ἄχυρα ἀναπεποιημένα ἐν κριθῇ λελικμημένῃ, *Comedent paleas commixtas hordeo ventilato*. Atque hoc *Farrago* eſt. Eam verò *ſubacidam* vocat Eſaias, quâ viz. jumentorum faſtidiendi ſtomacho ſubvenitur: cui *dulce pabulum* opponunt Arabes, hoc camelo *tanquam panem ejus*, *illud verò pro bellariis* eſſe, dicentes, apud Sam. Bochart. *Hierozoici Parte prior. l.* 2. *c.* 7. nec non infrà *Herba Medica*. Vide quoque eum *l. eod. c.* 31. ubi de *Boum pabulo & ſaginatione*. Plin. verò in tritici genere *farraginem* ponentem. Vide *l.* 18. *c.* 7. & 16. & Dalechamp. *Not. ad l.*

FARRARUM Inſulæ, in Oceano boreali ſitæ, ab ovium multitudine ſic appellatæ, duodeviginti numero ſunt, frugiferæ, & graminoſæ, boum pinguium & ovium proventu, copia lactis, caſei, & butyri, celebres: tum etiam piſcatura admodum felices: omnes habitabiles, una excepta quæ in aſperrimos, & clivoſos montes aſſurgit. Civitatem unam habent. Joh. Matal. Metell. Vide *Farenſes*.

FARRATA, apud Æl. Spart. *in Anton. Geta*, genus edulii eſt, fortè placenta ex *farre*, vel *farre* conſperſa: quo modo & *Farreum*, libi genus eſt ex farre, apud Feſt. Sed & *pultis farratæ* alicubi mentio eſt. Apud Juv. *l.* 4. Sat. XI. *v.* 109.

Ponebant igitur Tuſco farrata *catino*
Omnia tunc, quibus invideas, ſi lividulus ſis:

veteri Interpreti eſt, ex *farre* cibus, qui primus antiquorum fuit. Salmaſ. *ad Spartian.*

FARTACHIUM, urbs Arabiæ fel. aliis *Hadramut*, caput regni cognom. 40. m. p. ab ora Oceani Indici, 300. circiter à prom. Aromatum in Bor.

FARTORES, Feſto dicuntur, qui aliàs *Nomenclatores* dicti, ſalutatorum nomina Candidatis ſeu Petitoribus in aurem clam inſarciebant. Cùm enim his inprimis elaborandum eſſet ut ſingulos cives noſſent, eorumque nomina tenerent, hoc autem in tanta populi multitudine, & tantis vitæ occupationibus fieri vix poſſet, Miniſtrum inſtituêrunt, qui Candidatis nomina omnium civium, ut quiſque occurrebat, ſuggereret, eumque *Nomenclatorem* vocarunt. Cic. *pro Muræna Monitorem*, Feſtus verò, ut dictum, *Fartorem* dixit. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 8. Ab eodem themate *Fartum*, ſive *Ferctum*, genus libi erat, quod multis variiſque rebus intus farciebatur. Nam Vett. ut Cato ſcribit, ſtruem farris, tritici hordei, fabæ, ſeminis rapicii, thure ac vino additis, ante meſſem parabant in porcæ præcidaneæ immolatione, Janoque & Jovi ac Junoni ſacrificabant. Verrio *Fertum* à *ferendo*, quòd ad ſacrum ferretur. Ita Turneb. *Adverſ. l.* 14. *c.* 18. *Ferctum* & *Forctum* Salmaſ. *bonum* dicitur, ab eodemque fonte ait ita libum appellari, quod bonum eſſet, Χρηστὸν. Hinc πάγχρηστα quoque illa dicta. Ejus meminit A. Gell. *l.* 10. *c.* 15. *Neque apud ejus* (Flaminis Dialis) *fulcrum capſulam eſſe cum ſtrue atque ferto oportet*. In antiq. inſcriptione legitur, *Porcam & agnam ſtruibus & fertis*. Qui liba hæc ad ſacra ferebant, quia id non fiebat ſine ſtrue, altero ſibi genere, compoſita voce *Strufertarii* nuncupati ſunt. Unde verba illa Gellii *c. ſuprà laudato*: *Dialis cotidie feſtatus eſt*, H. Steph *fertatus*, i. e. fertis inſtructus Jac. Oiſel. verò *Fertarius*, tanquam ferta ferens, legit. Et de *intrito farto*, vide ſuprà in voce *farcimen*: de minutalibus, quibus avium ventriculos farciri mos, infrà de *Iſiciis*: uti de vivorum animalium *Fartoribus*, hîc paſſim, inter alia in voce inprimis *Sagina*.

FARVELUM, caput prom. Grœnlandiæ Auſtraliſſ. versùs novam Franciam maximè porrectum. Gallis *Cap d'Adieu*. 100. leuc. Gall. à Freto Forbiſherii in Mer.

FARUM, vel PHARUM, FANUM REGIS in codd. quibuſdam, locus Belgii; in ora maris Britann. in Picardia, apud Bononiam, à Carolo Mag. inſtauratus. *Tour d'Ordre* Gallis. *Oudeman* Anglis *Oertel.*

FARUSPERGUM, arx agri Baſilienſis, ſuprà Rinfeldam, in edito monte ſita, Comit. cognominis caput. Germ. *Farnſperg*. Vide in voce *Varnſpergum*.

FAS, illud dignum nota, & obſervatione, priſcos Romanos Juſtitiam *Fas* appellitaſſe. Auſon. Technopægnion Edyll. XII. de Deis.

Sunt & cœlicolum monoſyllaba, prima Deûm Fas
Quæ Themis eſt Graiis.

Prima deûm, inquit, i. e. antiquiſſima, à qua ſecundam facit Rheam, quæ alio & Latino nomine appellatur *Ops*. Feſt. *Themin deam eſſe putabant, quæ præciperet hominibus id petere, quod fas eſſet, eamque id eſſe exiſtimabant quod & Fas eſt*. Cui aſtipulatur vetus Gloſſ. Θέμις, *Fas, Juſtitia*. *Nic. Lloydius.*

FAS ſit mihi, apud Papin. Stat. *l.* 3. *Sylv.* 2. *v.* 15.

Dicere quæ magni fas ſit *mihi ſidera ponti:*

formula eſt, ſeu præfatio, quâ Vett. excipiebant invidiam. Vide in pari re Rutilium *Itin. l.* 1. & Ovid. atque ad illum Caſp. Barth. *l.* 1. *v.* 175. plura verò de more *Invidiam deprecandi* Vett. infrà paſſim.

FASCELIS, Dianæ cognomentum, quæ apud Ariciam colebatur, à *faſce* lignorum impoſitum, in quo Oreſtes, & Iphigenia ejus ſimulacrum abſcondêrunt, cùm ex Taurica regione in Italiam illud adferrent.

FASCELLINA, Siciliæ opp. in ora Occid. apud Panormum, de quo Sil. Ital. Bell. Punic. *l.* 14. *v.* 261.

Mille Thoanteæ ſedes Faſcellina *Divæ.*

FASCES, apud Romanos, majorum Magiſtratuum erant inſignia, quæ ipſis curuli ſellâ vectis, à lictoribus præferebantur; cui Freinſhem. *in Flor. l.* 1. *c.* 5. Erant autem faſciculi virgarum, ...

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

bus erat obligata ſecuris, ita ut ferrum in ſummo extaret. Cujus rei cauſa, Plutarch. *in Problem.* oſtendit, inquiens: *Vel indicium id fuiſſe iram Magiſtratus non debere eſſe in procinctu & ſolutam: vel propterea inſtitutum, ut ſolutio faſcium, quæ paulatim ſit, moram aliquam iræ interceret, & cunctationem: feciſſeque nonnunquam, ut ſententia de ſupplicio exigendo mutaretur. Virgas vero & ſecures ſimul ipſis eſſe traditas, ut cum vitiorum alia ſanabilia ſint, alia inſanabilia, virgis corrigerentur, quæ emendari poſſent: ſecuribus immedicabilia amputarentur* &c. Horum originem ad Tarquinium Priſcum refert Flor *loco prædicto*, cum ait: *Duodecim namque Tuſciæ populos frequentibus armis ſubegit. Inde Faſces, trabeæ, curules, annuli, phaleræ, paludamenta, prætexta* &c. A quo tempore lictoribus 12. cum totidem faſcibus per reliquam vitam uſus eſt; teſte Dionyſ. *l.* 3. *c.* 84. Quo & Sil. alludit Ital. Bell. Punic. *l.* 8. *v.* 486.

Biſſenos hæc prima dedit præcedere faſces.

Alii Romulum *Faſcium* auctorem apud Rom. primum, ab Hetruſcis hoc dignitatis inſigne mutuatum eſſe, & numerum eorum lictorumque vel è numero avium, quæ ipſi augurio regnum portenderant, vel à duodecim Hetruriæ populis, quorum ſinguli communibus ſuffragiis creato Regi ſingulos lictores dederint, ſumpſiſſe contendunt. Certè eorum inventum Vetuloniæ Hetruriæ urbi adſcribit Sil. unde Romam traducti ſunt. Vide quoque infrà *Janus*. Fuiſſe autem bacillos ex ulmo, teſtis eſt Plaut. Plin. tamen betulam *arborem terribilem* ait *Magiſtratuum virgis*. Hos ante Magiſtratum in humeris ferebant lictores: ſed & præter eos manu virgam geſtabant, & ad ſubmovendum, & ad januam tangendam, quoties Magiſtratus ſuam aut alienam domum intraturus erat. In triumpho laurus in *Faſcibus*; ac laureæ virgæ in manibus militum, & triumphantis: poſterioribus tamen temporibus lauro perpetuâ *Faſces* donatos eſſe ſcribit Lipſ. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 3. Regibus exactis poteſtateque ſuprema duobus commiſſâ Conſulibus, idque ad anni ſolùm ſpatium, inſignia hæc dignitatis penès illos manſere Unde *alterum è Conſulibus* (Tarquinium nempe Collatinum) *faſcibus abrogatis urbe dimiſſum eſſe*, memorat Flor. ſuprà memoratus *l.* 1. *c.* 9. *Itaque ſubſtitutus Valerius Publicola, faſces ei pro concione ſubmiſit*, apud Eund. *paulo pòſt*, & apud Plutarch. ubi ait, αὐτὰς τε τὰς ῥάβδους εἰς ἐκκλησίαν παρελθὼν, ὑφῆκε τῷ δήμῳ καὶ κατέκλινε, *Faſces ipſos in concionem progreſſus populo ſubmiſit inclinavitque*: profeſſus hâc cerimoniâ, ſeſe populi Majeſtatem agnoſcere honoreſque ſuos in ejus arbitrio eſſe. Secures etiam idem, ut omnem populo metum terroremque adimeret, à faſcibus ſuſtulit, teſte eodem Plutarch. De Prætorum, quibus duo lictores, ſecundùm Cenſorin. *de Die natali*: ſex verò ſecundùm Polyb. & Plutarch. erant conceſſi, faſcibus, iterum Flor. agit *l.* 3. *c.* 20. *Capta*, inquiens, *de Prætoribus inſignia & faſces ad Ducem* (Spartacum) *detulêre*. Poſtquam Decemviri legibus ſcribendis Conſulari poteſtate creati ſunt, penès unum illorum *Faſces* itidem erant, & reliqua Conſularis poteſtatis inſignia; reliquis, quibus ſinguli accenſi apparebant, non multum à privatis differentibus: Donec ad tyrannidem aſpirantes, ſinguli cum ſingulis inſignibus regiis prodiêre, prælatis cuique duodecim *Faſcibus* ac ſecuribus, quod antea antiquatum fuerat, ſicque effecêre, ut poteſtas, tertio anno poſtquam primum in Remp. fuiſſet introducta, funditus tolleretur. Vide præfatum Joh. Roſin. *l.* 7. *c.* 19. *Accedente etiam cæde Siccii & judicio Virginiæ.* Hinc vulgatæ phraſes, *Faſces abrogare*, *Faſces ſubmittere* &c. Conſule quoque, plura ſi voles, Cœl. Rhodig. *l.* 12. *c.* 7. Thom. Godwyn. *Anthologiæ Rom. l.* 3. *c.* 2. *ſ.* 2. & Car. Paſchal. *in Coronar libris*, ubi de lauro, Alios. De *Faſcibus* verò *virgarum*, quas pueris ſuis literarii Magiſtri intentant, dicemus aliquid infrà in voce *Mannæ*, it. *Sceptrum*.

FASCIA, ex Græco Βασκία, ut videre eſt, apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 138. non modò in veſtitu, ſed etiam in ornatu numeratur, Martiano Capellæ *l.* 2. *de Nupt. At cingulum, quo pectus annecteret, ſibi prudens mater exoivit, & ne Philologia ipſius Phroneſis careret ornatibus, ejus pectori, quo veriùs comeretur, apponit.* Antiquitas vel ex Sacris patet, nam Jerem. *c.* 2. *v.* 32. (licet Caſtalio non *faſcias* ibi, ſed *lemniſcos* verterit) legitur, & Eſaiæ *c.* 3. *v.* 25. exponitur ab Aquila, *cingulum*: minùs rectè, cùm cingulum ilia laterave ſuccingeret, *Faſcia* verò, vel caput vel papillas, vel crura, vel denique pedes obvinxerit: vel totum quoque corpus involverit. *Faſcia* fronti applicata ſeu Diadema, ſupremi in humanis rebus faſtigii inſigne, apud Perſas tiaram cumulavit, ut ex Xenoph. *l.* 8. *Cyripæd.* patet, ubi Cyrum deſcribit in publicum prodeuntem, *habentemque diadema circa tiaram*: quod ipſum tradit Dio Pruſæus *Orat.* 14. Conſtabat autem illa ex cæruleo, & albo interſtinctis, teſte Curt. *l.* 3. quo diademate ſimiliter Reginas uſas fuiſſe, monſtrat Bayffius *de re Veſt. c.* 20. & Plutarch. *in Lucullo*, ubi de Monima. Multiplicabatur ea pro numero regnorum, ſicque tiaræ apud eoſdem apponebatur. Inter alias verò gentes *Faſcia* hæc regalis, nudum caput cingebat, & pro *inſigni regio* uſurpabatur, ut loquitur Tacit. *Ann. l.* 2. & Virg. *Æn. l.* 11. agens de rege Tyrrheno, ac Sil. Italic. Bell. Punic. *l.* 16. ubi de Syphace; qui diadema Africanis Regibus album fuiſſe docet: quale Julio quoque tribuit Suet. *c.* 79. *candidâ faſciâ prœligatam impoſuiſſet*, unde *alba faſcia* vocatur à Lucian. *in Navigio* Hodiernum quoque capitis tegmen, quod *Turbantem* appellant Turcæ, Græci recentiores φακεώλιον, quaſi *Faſciam complicatam*, vocant: coloris id albi Turcis, viridis Tartaris, rubri Perſis; quamvis & hodie Tartari *circa biretum ſuum pretioſæ pellis faſciam ad duorum aut trium digitorum latitudinem gerant; quantum verò bireti ſupra faſciam eminet, tantundem rubra byſſus undique ſparſa tegat*, Mart. Martin. *de bello Tart.* Pectus Puellarum atque matronarum *Faſciis* tegi, ex Scriptura S. dilucet: *Nunquid obliviſcetur virgo ornamenti ſui, & ſponſa faſciæ pectoralis?* nec Iſid. id ignoravit *Orig. l.* 20. *c.* 32. ſic enim, quò graciliores eſſent, ſuccingebantur. Terent. *in Eun. Act.* 2. *Sc.* 3. *v.* 22.

Demiſſis humeris eſſe, vincto pectore, ut graciles ſient.

Quæ faſcia Græcis ϛρόφιον dicta eſt, teſte Jul. Polluce. Turpilius *in Philopatre*, *Me miſeram, quod inter vias epiſtola excidit mihi infelix inter tuniculam & ſtrophium collocata.* Vide quoque infrà *Mitra*, it. *Virginalis Zona*. In cruribus antiquitus nullæ erant, ſtante enim florenteque Rep. iis nudis incedebant, quippe quæ non niſi togâ demiſsâ tegerentur. Et Quintilian. ſuâ quoque ætate, *Faſcias crurales* non conſueviſſe deferri, niſi propter morbi neceſſitatem, teſtatur *l.* 11. *c.* 3. Multi quoque Romanorum ac Græcorum diſcalceati incedebant. Quibus Hebræi præivêrunt, unde vetuſtiſſimæ picturæ Apoſtolos nudis cruribus exhibent. Ut de aliis gentibus taceam. Verùm obtinuit uſus paulatim, ut omnes faſciis crura integerent, feminæ inprimis: quod Cic. verbis his, quæ à Nonio Marcello referuntur, Clodium ut mulierarium inſectatus, docet: *Tu*, ait, *cùm vincirentur pedes faſciis, cùm calanticam capiti accommodares*: Erant autem illæ purpureæ. Sed & viris illæ in uſu: Pompejo, tibiales ferenti *Faſcias* (quas ex panno fuiſſe indicat Val. Max. *l.* 6. *c.* 2. præter morem aliorum civium) id vitio datum inprimis, quòd eas candidas geſtaret. Unde ad illum Favonius, *Non refert*, inquit, *qua parte corporis ſit diadema*: vocans ſic eum in ſuſpicionem affectati regni. Nempe in Pompejo inſolentiam rei color augebat: quia *Faſcias cretatas* gerebat, ut Cic. loquitur, h. e. candidâ cretâ dealbatas, qui color in faſciis regius erat. Sic de Alex. Sev. apud Æl. Lamprid. *faſciis ſemper uſum fuiſſe* legimus. Imò *leg.* 25. § 4. *ff. de aur. vel arg. leg.* inter neceſſaria indumenta crurales faſcias numerari, videmus. In pedibus quoque *Faſcias* geſtatas fuiſſe, docet Plin. *l.* 8. *c.* 57. cùm mures Carboni *Faſcias*, *quibus in calceis utebatur*, arroſiſſe narrat. Et hæ erant *Pedules faſciæ*, quarum mentio *l.* 27. *in fin. ff. de aur. vel arg. leg.* Pedum tegmina, quæ tamen uſum calceamentorum non præſtabant. Unde veſti cedere eas, quod partem corporis veſtiant, adſerit Ulpian. in *d. l.* 25. §. 4. *ff. de aur. vel arg. leg.* Vide Balduin. *de Calceo* & infrà *Pedale*, *Pelyntra*. Uti porrò pedes, & crura, ſic & tibias ac femora Vett. faſciis involvebant, Græci Romanique, Hebræi quoque quod iſtis braccarum vicem, quibus barbaræ gentes tum uſæ, præbuit uti ſuprà diximus, ubi de *Cruralibus Faſciis*. Non enim priùs bracci aſſueſcere Romani cœpêre, quàm poſt Auguſti tempora, cùm illi bella gererent cum Germanis, aliiſque Septentrionalibus populis, aut limites Imperii in illis oris tuerentur: Sed neque tum vulgo notus illarum uſus. Unde quòd Alienus Cæcina legatus Germaniæ ſuper. *braccas tegmen barbarum indutus, togatos alloqueretur*, ſuperbiæ datum eſt, apud Tacit *Hiſt. l.* 2. *c.* 20. Poſtquam verò frequentari cœpêrunt, femoralium tibialiumque notio immutata eſt tranſiitque à veteri *faſciarum* ad eam, quæ hodieque obtinet. Vide Caſaub. ad *Aug. Suet. c.* 82. Totùm tandem corpus involvebant, hominis cum primùm nati, tum iterum denati. Poſtquam enim lotus infans, & cunis imponendus erat, inter alia involucra, *Faſcias* habebat, ſæpius laneas varii coloris, (Magnates albas vel purpureas ſibi ſelegêrunt) quibus totus circumducebatur. Earum mentio Lucæ *c.* 2. *v.* 7. ubi de Maria, matre Servatoris: Ἐσπαργάνωσεν αὐτὸν, *Faſciis involvit eum*: & apud Terent. *in Andr. Act.* 4. *ſc.* 5. *v.* 30.

---- ---- Verum vidi Cantharam
Subfarcinatam.

Ubi quidam *Suffaciatum* legunt: eò quòd Matres expoſituræ infantes, illos τοῖς σπαργάνοις, *faſciis*, circumvolutos in fictili vaſe, quod *Cantharum* Poëtæ vocant, recondidêre. Vide quoque infrà *Pumili*. Earundem in defunctis poſtea iterum uſus fuit: Linteo enim involvi cadaver, illudque *Faſciis ſepulchralibus*, à capite ad calcem, circumligari ſolebat, ſudario, quo caput tegebatur, ad collum colligato, ut figuram rei exhibet Solerius *tr. de Pileo*. Hinc Lazarus, à Christo excitatus è mortuis Joh. *c.* 11. *v.* 44. *Prodiiſſe dicitur* δεδεμένος τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις, *pedes & manus vinctus faſciis*, Et Apulejus *Met. l.* 10. *Feralibus*, inquit, *amiculis obſtrictus*. His color apud Græcos albus, ater apud Latinos fuiſſe videtur &c. Vide Bartholin. *de Puerperio vett.* Franc. Roſſæum *Archæol. Attic. l.* 5. *c.* 21. Thom. Dempſter. *Paralip. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 35. Laurentium JC. *Notis in Phædr. l.* 5. *fab.* 7. ſub calcem.

Princeps ligato crure, niveâ faſciâ:

& infrà ubi de *Incunabulis* & *Pannis infantiæ*, nec non in voce *Pollinctor*: uti de *Faſciis* inprimis *Regalibus*, h. e. diadematis, quæ latæ; & *Sacerdotalibus*, quæ tortiles hincque Græcis ϛρόφια propriè dicebantur, Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 371. de *Faſciis*, quibus ventrem ſtrictiſſimè circumligabant olim Scythæ fami arcendæ, infrà in voce *Venter*. Nec omittendum, quòd *faſciæ* etiam dictæ inſtitæ purpuræ vel conchylii, quæ aſſui veſtibus è panno ſolebant. Quo ſenſu capit locum Suet. *Calig c.* 17. *Poſteriore epulo, forenſia* —— *viris, pueris ac feminis* faſcias *purpuræ ac conchylii diſtribuit*, Caſaub. quem vide. Plura verò hanc in rem hîc paſſim, in *Boja*, *Chias*, *Taraga*: de *Faſciis* autem capitis, quarum in vett. Chirurgorum libris mentio, infrà in voce *Thais*. Hinc *Faſciola* diminutiv. quod vide, ut & infrà in vocibus *Inſtita Mœandri Tænia* &c. Medio ævo, *Faſcia*, in Impp. aut Cæſarum nummis Conſularibus, in quibus viz. Conſulari habitu effinguntur, quique iis Coſſ. cuſi ſunt, ut & Diptychis, occurrit. Nempe latior collum ambiens tunicis palmatis, & togis pictis ſuperfunditur, cujus pars dextera ſtrictior, à dextro humero rectà circa pectus ultra genua deſcendit ipſumque humerum ac brachium dextrum circumvolvens, ſiniſtrum humerum amplectitur, explicans, ſeſe, latiorque ſenſim effecta ac circa dorſum delapſa, rurſum à dextero latere per umbilicum tranſverſim agitur, & imam ſiniſtri brachii partem, quà manui illud conjungitur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

tur, involvit, reliquâ ſui parte retro pendulâ: Atque ita quidem in *Diptychis*, Leodienſi, & Bituric. Alexandro Wilthemio deſcriptis; quæ in Compendienſi, apud Sirmond. *ad Sidon.* & in numiſmatibus, decuſſata tantùm ad pectus cernitur, fortè quòd reliqua, & inferior corporis pars deſit. Eam latum clavum eſſe Vett. nonnulli cenſent, qui trabeis aliiſque veſtibus attexebatur: & certè *Faſcia* iſtiuſmodi *Conſularis*, quæ, ad collum convoluta, à cervice ad pectus deſcendebat, colobii referens ſpeciem, graphicè deſcribitur Acroni *ad illud Horat. l. 1.* Serm. Sat. *6. v. 28. Prætextam & latum clavum purpuram dicit, quæ in pectore extenditur Senatorum.* Gr. ἐν κολοβιῶνι. *Uſum ejus hodie retinent Principes, injicientes veſti à cervice ad pectus indumentum ex purpura vel pellibus pretioſis muris Pontici, vel aliis, dum regio habitu prodeunt in publicum.* Ubi κολοβιῶνα vocat, non quòd *faſcia* ejuſmodi eſſet tunica contexta abſque manicis, uti Diaconorum fuit: ſed quòd clavus olim veſti adtextus, deinde ab ea avulſus, ita ad collum, & humeros, circumvolveretur, & ad pectus deflueret, ut colobii revera ſpeciem præberet &c. Dubitat tamen C. du Freſne, annon hæc *Faſcia* ſit potiùs illud in habitu Conſulari, quod Scriptoribus inferioris ævi *Subarmalis* nomine inſignitur: item, quod *Lorum Conſulare* dicebant? Vide eum *Diſſertat. de inferioris ævi Numiſm. n. 4.* & *ſeqq.*

FASCICULUS Hyſſopi, Hebr. אגדת אזב, quâ aſpergantur ædium poſtes, & ſuperliminaria, in Agni ſanguine tingi jubetur, Exod. *c. 12. v. 22.* Sic Levit. *c. 14. v. 6.* & 9. ex cedro, coccino & hyſſopo *faſciculus* ſeu aſpergillum fieri mandatur, quo in aquam & immolati paſſeris ſanguinem immerſo leproſi aſpergendi erant ſepties, & domus etiam leprâ infecta purganda. Neque aliter aſpergebantur aquis ſeparationis homines, tentoria, vaſa & quidquid aliud cadaveris contactu fuerat pollutum, Num. *c. 19. v. 6.* & 18. Cujuſmodi *faſciculum* ſic deſcribit Maimonides *de Vacca rufa*, *c. 2. ſ. 1. Sumit vir mundus tres hyſſopi caules, quos in* faſciculum *unum compingit, & ſinguli rami ſpicas habent, quarum apicem immergit in aquam ſeparationis, quæ eſt in vaſe.* Vide infrà ubi de *Hyſſopo* & *Majorana.* Mirrhæ *faſciculus*, principibus feminis in Oriente olim, inter ubera, deferri ſolitus, occurrit Cantic. *c. 1. v. 13. Eſt amicus meus mihi, ut faſciculus myrrhinus, inter ubera mea pernoctans.* De aliis rebus in *faſciculum* colligi colligarique ſolitis, vide hîc, in voce *Decas*, *Decimæ*, *Syntheſis* &c. Addam ſaltem Mart. *l. 14. Epigr.* 38. Apoph. cujus lemma; *Faſces calamorum*,

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus,
Texantur reliqua tecta palude tibi.

ad quod vide Screvel. *Not.*

FASCINUS, Deus apud veteres. Hujus idolum ſub curru, eo loco, cui Imp. triumphans inſidebat, ſuſpenſum fuiſſe, indicat Plin. *l. 28. c. 4. Faſcinus Imperatorum quoque; non ſolum infantium cuſtos, qui Deus inter ſacra Romana à veſtalibus colitur & currus triumphantium, ſub his pendens, defendit, Medicus invidiæ, jubetque eoſdem reſpicere.* Quò reſpicere videtur Tertullian. *in Apologet. Hominem ſe eſſe etiam triumphans Imp. in illo ſublimiſſimo curru admonetur. Suggeritur enim à tergo: Reſpice poſt te, hominem memento te.* Certè enim *Faſcino* vires quaſdam ineſſe credebant, ad magna quæque turbanda, Heliod. *Æthiop. l. 3.* hancque vim vel oculis vel verbis attribuebant. Unde Plutarch. ὀφθαλμὸν βάσκανον, *oculum faſcinantem* vocat: & de lingua Virg. *Ecloga 7. v. 27.*

Aut ſi ultra placitum laudarit, baccare *frontem*
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Quod de infantibus ait Plin. *loco præfato*, exequitur prolixè Thomas Bartholin. *l. de Puerperio vet.* ubi pueris ſive ante luſtrationem ſive poſt Caprimulgum inſidiari & Lilith. item ſagas, & ſtriges variis faſcinis, docet, quæ vel allio vel alyſſo vel re turpi in collo ex annulo appenſa ſuperſtitioſum vulgus abigi credat. Res illa turpis Priapus fuit, ita enim Varro *l. 6. Faſcinus erat res turpicula è collo pueris appenſa*: proin ut aſpectum effaſcinantium ab oculis puerorum abducerent, ſuſpendebant ipſis è collo Mutinum Deum. Sic enim Cario ad mœchum, cui ſe virilia exſecturum minitatur, apud Plaut. *Mil. Act. 4. v. 6.*

Ut faciam quaſi puero in collo pendeant crepundia.

Ejus figuram ex ære, è Muſeo Parentis, exhibet Caſpar. Bartholin. *Comm. in l. præfat. de Puerp.* ut & alias hujus amuleti ſpecies, ex lapide Lazuli, corallio & cryſtallo, quæ apud Pignor. in *Menſa Iſiaca.* Nec omittendum, quòd *Faſcinum Deum inter ſacra Romana à Veſtalibus cultum*, Plin. narrat *loco ſuprà laudato.* Unde turpitudo illorum ſacrorum facilè intelligitur. Plura vide apud Hadr. Turneb. *Adverſar. l. 9. c. 28.* Thom. Dempſter. *Paralip. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l. 10.* & Herald. *ad Mart. l. 6. Epigr. 29.* nec non infrà in voce *Gerræ.*

FASCIOLA, crebrò occurrit in *Regulis* Monaſticis, cùm agunt de Monachorum veſtibus, ubi maximè itinerantium fuiſſe, obſervat C. du Freſne. Hinc Lanfrancus *in Decretis* pro Ord. S. Benedicti *c. 7.* ait, ad Camerarium pertinere, ut procuret *fratribus in iter profecturis cappas*, faſciolas, *calcaria.* Et *c. 14.* Monachum *faſciolatum aut cinctum, ſive cum cappa*, in clauſtrum introire vetat, cùm hæc itinerantium ſint. *Regula* Magiſtri *c. 81.* ſtatuit, ut Monachi habeant in hieme, *pallium ſtamineum, braccas laneas &* faſciolas, *aut pedules*: vultque, ut *faſciolæ laneæ* non ſint, ſed *lineæ, ut aliquid diſtet à Clerico Monachus.* Porrò Conventus Aquiſgran. A. C. 817. *c. 22. faſciolas* duas Monachis concedit, & duas alias, *quibus neceſſe eſt itineris causâ.* Tandem iis interdictæ ſunt in Conc. Cloveſhovenſi A. C. 747. *c. 38. Nec imitentur ſeculares in veſtitu crurium per faſciolas* &c. E quibus ultimis verbis, quod genus veſtis fuerint hæ *Faſciolæ* liquet. Nempe & Cic. *l. de Aruſpic. reſp. Faſciolæ ſunt*, quæ Ulpiano *L. Argum. ſunt, D. de auro & arg. leg. faſciæ crurales*, Gallis *Jarretieres* dicuntur. Eginhardus *in Carolo M. Faſciolis crura & pedes calceamentis conſtringebat.* Monachus. Sangall. *l. 1. c. 36. Faſciolæ crurales vermiculatæ* &c. Atque hinc nota Gallorum vox *Feſſe*, ſeu, ut vulgò dicunt; *Face* vel *Faſce*, in armorum inſignibus. Car. du Freſne *Gloſſ.* At *Faſciolum*, apud Odoricum de Forojulio *in Peregrin. ſua n. 4. Portant autem* (Chaldææ incolæ) *ſuper capita ſua* faſciola *aurea de perlis pretioſis*: operimentum capitis eſt, φακιόλιον Ducæ *c. 37.* ubi de Turcis, qui iſtiuſmodi tegmina nunc *Tulipantos* ſeu *Turbantes* vocant. Hinc Leunclav. teſtatur *in Pandecte Turc. n. 240.* Græcos etiamnum ſic appellare Turcicos *Tulipantes*, quòd ex Faſciis ſeu *faſciolis* convolutis, & complicatis conficiantur, quod etiam Achmes innuit, *c. 226.* φακιόλια vel Saracenis etiam tribuit auctor *Vitæ* S. Nili Jun. *p. 56.* Quo modo Iſmaëlitarum *capita vittata* dixit Hieronym. in *Vita* Malchi: qui *faſciolas* quoque idem veſtis genus videtur appellaſſe *Ep. 2. de Vita Cleric.* Aliter vocem φακιόλιον explicant *Gloſſæ* Baſilic. & *Lexicon* Gr. MS. apud C. du Freſne, nempe ζωνάριον ſeu *Semicinctium*, item *crumenam* ſeu *marſupium*, vide eum in *Gloſſ.* & ſuprà ubi de *Faſciis.*

FASELARES, apud Æl. Lamprid. *in Anton. Heliogab. Barbas ſane mullorum tantas jubebat exhiberi, ut pro abſentis, apiaſtris & faſelaribus & fænogræco exhiberet plenis fabatariis, & diſcis*: ſunt *faſeli*, & ſubint *ſiliquæ*; ſeu *faſelaria*, ſubint. *grana.* Sumebantur ea cum garo aut aceto, ut & fœnum Græcum. Galen. *l. 1.* περὶ τροφ. δυνάμ. Περὶ φασήλων καὶ ὤχρων. καὶ ταῦτα τὰ σπέρματα, καθάπερ καὶ τὴν τῆλιν ὕδατι προδιαβρέχοντες οἱ ἄνθρωποι μέχρι τοῦ φῦσαι ῥίζαν ἐσθίουσιν αὐτὰ τῆς ἄλλης τροφῆς ὑπαγωγῆς ἕνεκα γαστρὸς, ἐναποβάπτοντες γάρῳ. Et paulo pòſt: Καὶ ἕνα νεανίσκον οἶδα κατὰ τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἰατρικὴν τέχνην ἐξασκοῦντα καθ' ἑκάστην ἡμέραν ὄψῳ χρώμενον ἔτεσι τέτταρσι μόνοις τούτοις, τήλει λέγω καὶ φασήλοις καὶ ὤχροις καὶ θέρμοις, vide Salmaſ. *ad Lamprid. l. cit.*

FASIANA Avis, rara in conviviis vett. Imp. Alex. Sev. *Calendis Januariis, & Hilariis Matris Deum, & Ludis Apollinaribus, & Jovis epulo, & Saturnalibus, & hujuſmodi feſtis diebus* ſolùm *faſianum*: *aliquando duos, additis gallinaceis duobus*, poſuiſſe legitur apud Lamprid. Tacitus Imp. *non niſi ſuo & ſuorum natali, & diebus feſtiviſſimis*, apud Vopiſc. Pertinax Imp. *nunquam privato convivio comedit, aut miſit alicui*, apud Capitolin. Ita ſobriis Principibus ultimus finis *faſianus* erat. Julianus planè abſtinuit, *qui*, teſte Amm. Marcell. *phaſianum, & vulvam, & ſumen exigi vetuit, & inferri munificis.* Contrà Heliogabalus, *habuit conſuetudinem, ut unâ die non niſi de faſianis tantùm ederet, omneſque miſſus ſolâ faſianorum carne ſtrueret. Imò pſittacis atque* faſianis *leones pavit & alia animalia*, apud Æl. Lamprid. &c. Vide infrà *Phaſianus.*

FASIANA villa, vel *Phaſiana*, fortè à multitudine Phaſianorum dicta, ad Rhodanum, Lugdunum inter, & Viennam, ſed Lugduno propior, nunc *Feiſin.* Hanc Deſiderius Ep. Viennenſis Eccleſiæ ſuæ matriculariis legaviſſe dicitur. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

FASTI Dies, quaſi φαστοὶ, à φάσκω, quod à φάω, *dico*, appellati, dicebantur Romanis, in quibus jus fari licebat; quibus proin *Nefaſti* oppoſiti. Ovid. Faſt. *l. 1. v. 47.*

Ille nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur,
Faſtus *erit, per quem lege licebit agi.*

Verba ſunt: *Do* actionem, *Dico* jus, *Addico* aliquid. Eorum tria facit genera Paulus Manutius: Primum eorum quibus fari ſemper & licebat, & ſolebat. Atque hi propriè erant *Faſti*, & toti propriè quod per eos, niſi cùm aliquis caſus extra ordinem interveniret, nunquam Prætor jus non dicebat: toti, quod fari omnibus horis licebat; talium erant in anno dies 38. Alterum eorum, qui, & ipſi propriè *Faſti* erant, ſed non toti: h. e. quibus quidem fari licebat, ſed non omnibus horis: quales ſunt, qui in Kalendario Rom. notantur his literis, EN. N. P. F. P. Q. REX. C. Q. ST. D. ubi EN. *Endotercisſos* vel *interciſos* denotat. N. P. Nefaſtos primò, i. e. quibus quidem horis matutinis jus dicere non licebat, poſtmeridianis autem conceſſum erat: His contrarii erant F. P. *Faſti primò.* Q. REX. C. ſignificat, *Quando Rex Comitiavit.* Q. ST. D. *Quando ſtercus deferatur.* Hi autem erant omnes 65. Tertium genus Comitiales fuêre, qui caſu tantùm, non autem propriè *Faſti* erant: quia cùm Comitia non haberentur, tum fari ſolùm Prætor ſolebat. Hi modò toti erant Faſti, cùm nulla ſcilicet Comitia haberentur, modò ex parte, cùm haberentur illa quidem, ſed minimè per totum diem. Atque hi numero erant 184. qui reliquis duobus generibus additi 287. numerum efficiunt. Reliqui præter hos omnes, Nefaſti erant. Primum autem *Faſtorum* genus, notatur in Kal. lit. F. V. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 4. c. 3.* Sed & *Faſti* ſunt libri, in quibus τὰ ἆθλα notabantur. *Faſtorum libri, in quibus totius anni fit deſcriptio*, Feſtus, ſeu, in quibus Regg. vel Coſs. ſcribuntur. Hos à *Faſcibus* dici, vult Iſid. Feſtus autem modò memoratus à diebus feſtis vult nominatos; non quia *feſti*, i. e. Diis ſint dicati, ſed cùm dies faſtos nefaſtoſque contineant; decuit à candidioribus, & melioribus diebus nominari; unde à Feſto *faſti* dicuntur, nefaſtorum comparatione, Fungerus. Vide Joh. Scalig. *Caſtig. in Feſtum.* Eſt & nomen libri, à Naſone Poëta compoſiti: qui cùm duodecuplex eſſet, ut ipſe Faſtographus ait *in Triſtib. l. 2. v. 549.*

Sex ego Faſtorum *ſcripſi, totidemque libellos.*

Dimidia eorum pars periit. Argumentum operis ipſe his verſibus enarrat: *ad Aug. Faſt. l. 1. v. 7.* & ſeqq.

Sacra recognoſces Annalibus eruta priſcis,
Et quo ſit merito quæque notata dies.
Invenies illic, & feſta domeſtica vobis.
Sæpe tibi pater eſt, ſæpe legendus avus.
Quæque ferunt illi pictos ſignantia faſtos,
Tu quoque cum Druſo præmia fratre feres.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

In quibus per *Annales priſcos*, illos indigitat, qui dicebantur & *Pontificalium libri* & *Indigitamenta* & *Commentaria Pontificum*. His enim eam curam impoſitam eſſe, ut res geſtas in tabulas referrent, docet Cic. *de Oratore*: *Erat initio Hiſtoria nihil aliud, quam Annalium confectio: cujus rei memoriæque publicæ retinendæ cauſa ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium Pontificem Max. res omnes ſingulorum annorum mandabat literis Pontifex Max. referebatque in album* &c. Hos bene cum *Faſtis* miſcet, in illis enim libris quidquid erat, in his videbatur etiam exaratum. Sed præter hos duæ erant apud Vett. tabulæ, quibus *Faſtorum* nomen erat inditum: Una, in qua varia dierum jura inciſa; ſolennia Deorum ſacra, ludi & feriæ in eorundem honorem; res & victoriæ aliquot inſignes. Vide Val. Max. *l.* 2. *c.* 5. Alia erat, in qua nomina fere omnium Magiſtratuum continebantur: cujus frequens apud Scriptores mentio. Vide *Notas* in Ovid. *Faſt. l.* 1.

FASTIDIACIO, ſuperſtitionis ſpecies, memorata in *Capitulari* Gregorii II. Pontif. pro Bavaris §. 8. *Ut incantationes & faſtidiaciones, ſive diverſæ obſervationes dierum Kalendarum, quas error tradidit paganorum, prohibeantur, ſicut maleficia, & malorum præſtigia* &c. An ex *Faſti dies*? C. du Freſne *Gloſſ.*

FASTIGIUM, in Gloſſis ἀέτωμα, Gallis *Feſte*, unde *Feſtagium* &c. Omnia enim ædificiorum tecta, apud Vett. aut erant plana, aut *faſtigata*: & quidem in Græcia, Aſia, & toto penè Oriente, ædium privatarum tecta plana fiebant; ædes vero ſacræ culmen, & *faſtigium* habebant. Cujuſmodi faſtigia quia erant proclinata, quemadmodum aquila alas demittit, & extendit, hinc *faſtigiis*, ἀετωμάτων, πτερυγίων & πτερῶν, nomen. Vett. Romani *pectinata tecta* appellabant, quæ in duas partes eſſent devexa, Græci τὰ εἰς ὕψος [illegible]; unde [illegible] *faſtigia* Galeno, qui totam hanc tectorum differentiam optimè explicat in *Comm.* [illegible]. Sic itaque *faſtigium* vulgari notione nihil aliud erat, quàm tectum in utramque partem proclinatum, ad ſtillicidia deducenda, quod & *trichoron* dictum. Pap. Stat. *l.* 1. *Silv.* 3 *v.* 58.

---- *partitis diſtantia* tecta *trichoris.*

Nam pluribus *faſtigiis*, i.e. *trichoris*, tecta plerunque fiebant, ut in *Ep.* Cic. *ad Atticum* videre eſt: *Abſolutum offendi in ædibus tuis tectum: quod ſupra conclavia non placuerat tibi eſſe multorum faſtigiorum.* Hinc *tecta diſtantia partitis trichoris*, Stat. At *faſtigium*, quo Cæſaris domus ornata eſt, cùm illi aræ, templa, pulvinaria, decernerentur, ut Deo, faſtigii tantùm ornamentum fuit, & *faſtigium* dictum eſt, quod erat quodammodo *faſtigii faſtigium*. Cic. *in Philipp.* *Quem is majorem honorem conſecutus erat, quam ut haberet, pulvinar, ſimulacrum*, faſtigium, *flaminem.* Nempe, quemadmodum faſtigiis Templorum quædam addebantur ornamenta, quibus privatorum ædificiorum culmina carebant, ut ſtatuæ victoriæ, & alia Deorum ſimulacra: Sic cùm multa Cæſari decreta eſſent, ut Deo, ejus quoque ædium faſtigium eodem modo ornavêrunt, quo ſolebant ornari Deorum Templa. Ideò Plutarch. cùm de hac re verba facit, non [illegible] vocat ſeu ἀέτωμα culmen iſtud, ſed ἀκρωτήριον, quòd *faſtigio* domûs ſuperpoſitum eſſet: de quibus acroteriis, & faſtigiorum ornamentis vide Vitruv. & Heſych. è quibus diſces, ſigna fictilia, & ærea inaurata faſtigiis Templorum, ornamenti vicem impoſita, ἀκρωτήρια dicta eſſe. Plin. *l.* 35. *c.* 12. *Fictiles in faſtigio Templi ejus quadrigæ, de quibus ſæpe diximus.* Pauſ. *Corinthiac.* [illegible] 33. *l.* 23. *c.* 21. *l.* 26. *c.* 23. *In æde Concordiæ, Victoria, quæ in culmine erat, fulmine icta decuſſaque ad Victorias, quæ in antefixis erant, hæſit: neque inde procidit* &c. Ejuſmodi prom Victorias & ſigna, Cæſaris olim domûs faſtigio addita ad ornamentum, *Faſtigium* vocarunt Latini Scriptores, cùm illo genere tantùm Deorum Templa decorari ſolerent. Salmaſ. *ad Spartian. in Peſc. Nigro*, & *Solin. p.* 1213. Vide quoque Deſid. Herald. *ad Arnob. l.* 6. ubi in quibuſdam antiquorum templis, per *faſtigii* latera, capita leonina collocata, imò & in ipſis faſtigiis leones poſitos, adeoque à nonnullis inter Deos cenſitos, ait, aliquid etiam infrà in *Trichorum*. Inferioris ætatis Scriptoribus aliud quoddam, in Ædibus ſacris, ornamentum hac voce indigitatum videtur, apud Anaſtaſ. Bibl. *in Sylveſtro Pontif. Fecit Conſtantinus Aug. Baſilicas iſtas, quas, & ornavit: Baſilicam Conſtantinianam, ubi poſuit iſta dona* faſtigium *argenteum batutile, quod habet in fronte Salvatorem ſedentem in ſella ---- faſtigium ipſum, ubi ſtant Angeli ---- farum ex auro puriſſimo, quod pendet ſub faſtigio ---- faſtigium argenteum in Baſilica Conſtantiniana, quod à Barbaris ſublatum fuerat, quod penſabat* &c. Et in S. *Hilaro*, *In medio cancellis æreis & columnis, cum faſtigiis, & Epiſtyliis undique ornatum ex muſivo* &c. Vide etiam infrà aliquid in voce *Pinnacella*.

FASTRADA, fil. Rodolphi, Com. Franconiæ, à Carolo Mag post Hildegardis mortem, ducta. Ob ſuperbiam Gallis inviſa; qui hinc offenſi, contra maritum ejus conſpiravêrunt, unum ex filiis ejus nothis, Pipinum, formoſum quidem facie, ſed gibboſum, & malignum, ſuffecturi. Obiit A. C. 794. Moguntiæ. Eginhard. *in vita Caroli Mag.*

FATA alicujus produci poſſe, ſi ejus vicem ſubeat alter, velut hoſtia quædam ſuccidanea, Vett. perſuaſio fuit; Cujuſmodi ſuperſtitionis, falſiſſimæ quidem, ſed ex vero manantis, exempla non in Græcorum, & Romanorum ſolùm hiſtoriis: ſed & multarum aliarum gentium Barbararum, ut vel ex iis perſpicere eſt, quæ de Canariarum Inſularum incolis narrat Aloyſius Cadamuſtus *c.* 8. Neque tantùm pro capitibus Principum hujuſmodi permutatio fieri conſuevit: verum etiam pro quovis aliorum. De Antinoo, pro Hadriano devoto, nota hiſtoria ex Æl. Spartiano in *Vita* hujus. Ariſtides, Hadriani æqualis, in *Sacrarum quinta*, narrat, ſe, cùm periculosè ægrotaret Philumenæ (erat hæc filia Callitychæ, nutricis quondam Ariſtidis) obitu obtinuiſſe, ut convaleſceret. Sed & jam ante Hermeas, Philumenæ frater, pro eodem mortem viſus eſt obiiſſe, ut idem narrat. Oportebat autem, ut qui pro aliquo moriebatur, & alieni fati vicarius fiebat, ſuâ ſponte mortem obiret; quod & in victimis aræ admovendis ſcimus ſervatum: Græcisque [illegible] ψυχοι dicti ſunt, qui ſic animam pro anima reddebant. Ut de Alceſtide Euripid.

Ἐγώ σε πρεσβεύουσα κ' ἀντὶ τ' ἐμῆς
Ψυχῆς καταστήσασα φῶς τόδ' εἰσορᾶν
Θνήσκω, παρόν μοι μὴ θανεῖν ----

Dictys Cretenſis, *Aſſuit & Eumelus Pheræus, cujus pater Admetus, quondam vicaria morte conjugis propria fata protulerat.* Hinc [illegible] appellatæ aves Diomedeæ, quæ quotannis ſanguine ſuo Manibus Diomedis parentabant. Lucian. [illegible] vocat, in *Tyranno* &c. Vide Caſaub. & Salmaſ. *ad Spartian. in Hadr. Cæſ.* Plura verò, de voce *Fati*, item de phraſi *Fato perire*, apud eundem Salmaſ. *ad Solin. p.* 1119. ut & ſuprà in voce *Anteri*. Hinc *Fatidicus*, Μοιρολογ@, μάντις, qui themate poſito, & geneſi inſpectâ, quidquid homini in vita eventurum eſt, prænuntiare ſe poſſe jactat. *Gloſſæ*, *Fatidicus*, μοιρολόγος μάντις, ὁ τὴν τύχην λέγει καὶ τὴν μοῖραν. Duplex enim Fatum Veteribus fuit, *Univerſale*, fatum ſc. Stoicorum, Græcè Εἱμαρμένη, concatenata rerum ſeries ſuo tempore neceſſariò accidentium; & *Particulare*, Μοῖρα Græcis, quidquid nempe eventurum eſt cuique boni malique, uſque ad ultimum vitæ finem, ipſum quoque exitum, qualis ſit futurus, & quando, ſingulis, determinans. Unde μοῖραν, pro *bona* aut *mala fortuna cuique attributa*, ſumpſêre: etiam Parcas hoc nomine deſignarunt, quarum ſubſtemine diſpenſari hominibus vitam, dixere fabulæ, quasque *Fata* quoque appellaſſe Latinos, ex A. Gell. diſcimus *l.* 3. *c.* 16. Atque hinc Μοιρολόγος, pro eo, quem diximus &c. De *Fatalibus* verò Libris Romanorum, quorum tam frequens apud Liv. mentio, vide ubi de *Quindecim-viris*, *Sibyllinis Libris* &c. ubi de *Fatidicina* aliquid infra in voce *Inſania*. deque phraſi Vett. *Fata ſcribunda advocare*, lemmate *Virgæ Natalitiæ*.

FATIGARA, Regn. Æthiopiæ, antea ſub Abyſſinorum Rege nunc in ditione Galarum. *Voſſ.*

FATUA, vide *Fauna*.

FATUI, inter alia Naturæ ludibria, ſequioris ævi Romanis in delitiis fuére. Senec. *Ep.* 2. *Harpaſten uxoris meæ fatuam ſcis hereditarium onus in domo mea remanſiſſe.* Cujuſmodi, & Denderis ille fuit, de quo Cedren. refert, *in Rebus Theophili Imp.* Sic *Cubiti*, *Diſtorti*, *Moriones*, *Nani*, alii de quibus hic paſſim, & Chryſoſtom. *in ad* 1. *Tim.* omnia hæc paucis complexus, οἱ μὲν, ait, πορνικὰς διαστροφαῖς, οἱ δὲ [illegible], οἱ δὲ [illegible], οἱ δὲ τέρασι, καὶ μωροῖς, καὶ [illegible] ἐκ φύσεως ἁμαρτήματα αὐτῷ φέρουσιν εἰς τέρψιν. Sed & ſic propter Chriſtum nonnulli dici amavêre Græcè Σαλοὶ & Σαλαὶ ut & infrà dicemus in voce *Salus*. Propriè verò quid vox deſignet, vide in *Vates*.

FATUORUM Ep. Archiep. ſeu Papa, vide infrà *Kalendæ*.

FATURA, villa in tribu Dan, juxta Eleutheropol. Gazam euntibus. Hier. *in l. c. Hebr.*

FAUCES Alpium, vox hæc non ſemper dicitur de ipſarum anguſtiis, quas *Clauſas* vocant, ſed pro ipſis radicibus ſeu pedibus quandoque ſumi, docet Goldaſt. *in Gloſſ. ad Ekkehardi Jun. Caſ. S. Gall. c.* 1. ubi agit de *Faucibus*, i. e. nobili monaſterio, ad pedes Alpium Juliarum: *Fauces* inquit, vulgò *Fuſſen*, *ad pedes Alpium Juliarum, unde & nomen invenit.* Apud Henr. Spelmann. *Gloſſ. Archæol.*

FAUCES Laterræ, locus Gall. Narb. ad Stagna Volcarum, Dalechampio *la Crau pres de Mangueil*.

FAUCES obligandi mos, memoratur Mart. *l.* 6. *Epigr.* 41. cujus Epigraphe *in raucum Poëtam, colla lana tegentem.*

Qui recitat lanâ fauces, *& colla revinctus,*
Hic ſe poſſe loqui, poſſe tacere negat.

Nempe ravi laborans Poëta hic, focale ad fauces, & guttur ſervandum adhibebat, quod factum ejus abſurdum à contrariis hoc modo notat: *Tu, quia* fauces *obligas, oſtendis te raucum eſſe, nec poſſe loqui, idem tamen, quum aſcendis & recitas, negas te poſſe tacere. Nec tacere ergo, nec loqui noſti.* Vide de *Focalium* apud Vett. uſu, infrà. Ad numerum *fauces* cæteraque membra Veſpaſianum ſibimet in ſphæriſterio defricare ſolitum, dicemus ubi de Vett. *Fricandi more*.

FAUCHETES Claudius, vide *Claudius*.

FAUCHEUR Michaël, Theologus inſignis, Paſtor Reformati Pariſienſium cœtus, qui Carentone colligitur. Ejus extant linguâ Gall. *Conciones in* 10. *capp. pr. Actorum* 4. *tom. in octav.* Item libellus eximius *de Actione oratoris*, &c. Obiit haud pridem.

FAUCI, turris quædam altiſſima in Inſ. Icaria, in cujus faſtigio lumine nautis hîc navigantibus ſignum datur, ut rupes, quæ circa Inſ. ſunt, vitent. *Joh. Matal Metell.*

FAUCIA, tribus una Romanorum, quam pluribus cladibus inſignem fuiſſe conſtat. Alex. ab Alex. *l.* 1. *c.* 7.

FAUCULA Cluvia, meretrix, quæ, Hannibale Capuam tenente, alimenta captivis egentibus furtim ſuppeditavit. Liv. *l.* 26. *c.* 33.

FAVENTIA, Hiſp. opp. Plin. *l.* 3. *c.* 1. Item civitas Ep. Italiæ in octava reg. ſeu Romandiola, ſub Metrop. Ravenna. Vaſorum, & lini genere celebris, Plin. *l.* 3. *c.* 3. Vide Leandr. Alberti, *deſcr. It. p.* 315. edit. Venet. A. C. 1581. hodiè *Faenza*. Sil. Ital. Punic. Bell. *l.* 8. *v.* 697.

---- *Undique ſolers*
Arva coronantem nutrire Faventia *pinum.*

Strab. *l.* 5. *p.* 217. Φαβεντία, καὶ Καισήνα ἤδη συνάπτουσι τῷ Ισάπει. Pop. *Faventini*, Plin. *l.* 3. *c.* 16.

FAVENTIA, vulgò FAIENCE, Urbec. Provinciæ in Gall. cujus figlina laudantur. Prope amnem Beuſonem. 5. leuc. à Graſſa in Occ. totidem à Foro-Julio in Bor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

FAVENTINUS, Vide *Claudius.*

FAVERE, apud Jul. Capitolin. *in Vero*, *Multas à Venetianis* (factione Circi) *paſſus eſt injurias, quod ---- contra eos faveret*: apud Lamprid. *in Commodo*, *Cùm ſæpe pugnanti, ut Deo, populus faviſſet*: apud Spartian. *in Piſcen. Nigro*, *Huic ---- ita Romæ fautum eſt à Senatoribus* &c. ut & *Favor*, voces fuêre Circi ac Theatrorum propriæ: quæ non ſignificant tacitam benevolentiam, ſed quæ voce geſtuque exprimeretur. Corippus de Ludis Juſtini *Cæſ. l.* 4.

> *Omnia roboribus ſternunt loca plana politis,*
> *Conjungunt tabulas, & ferri nexibus aptant:*
> *Quæ pondus ſtrepitumque virûm motaſque* faventis
> *Ferre queant populi.*

Et ſtatim,

> *Diſpoſuêre gradus, quis ſtaret in ordine longo*
> *Diviſum in turmas, atque in ſua corpora vulgus*
> *Poſſet & exertas ad munera tendere palmas,*
> *Liberiùs ſpectare oculis manibuſque* favere.

Dabant autem ſignum *favoris* olim jactatâ togâ, ut videre eſt apud Ovid. *Amor. l.* 3. ubi univerſum *favendi* modum pulcherrimè expreſſum, & acclamandi ritum ipſarumque acclamationum exempla, & togæ jactationem, habes. Quod cùm non ſine aliquo incommodo fieret, auctore Aureliano Imp id mutatum eſt, cœpêruntque loco togæ oraria jactari, h. e. loco laciniæ veſtis, quam faventes motitabant in ludis Romanis, inſtitas illis vel faſcias, quas manu tenerent, & ad favorem moverent, dedit hic Imp. apud Vopiſcum: Vide *ad eum* Salmaſii *Notas*, ubi *Aurarios* ab *auris*, i. e. *favoribus*, qui *favebant*, appellatos eſſe, addit. Contrà ſannas in eos adjiciebant, quibus non faverent &c. Caſaub. *ad Jul. Capitolin. in Vero*. Vide quoque infrà in voce *Fautor*, item *Juvenes*, & *Orariarii Pollex* quoque.

FAVETE Linguis, apud Papin. Stat. *l.* 2. *Sylv.* 7. *v.* 19.

> *Lucanum canimus*, favete linguis,
> *Veſtra eſt iſta dies*, favete *Muſæ*:

formula eſt ſolita acclamationis, in ſacris præcipuè Vett. uſurpata. Plin. *l.* 28. *c.* 2. ubi de vi verborum, & incantamentis carminum: *Quippe Victimas cædi ſine precatione, non videtur referre, nec ritè Deos conſuli ---- Vidimus certis precationibus obſecraſſe ſummos Magiſtratus. Et ne quid verborum prætereatur, aut præpoſterum dicatur, deſcripto præire aliquem, rurſusque alium cuſtodem dari, qui attendat, alium verò præponi, qui* favere linguis *jubeat: tibicinem canere, ne quid aliud exaudiatur* &c. Attius *in Oenomao*, apud Noninm,

> *Per urbem, ut omnes qui arcana aſteumque accolunt*
> *Cives, omnibus fauſtis auguſtam adhibeant*
> Faventiam, *ore obſcœna dicta ſegregent.*

Vide quoque Cic. *de Divinat. l.* 2. Apud Græcos verba illa fuêrunt, εὐφημεῖτε, σιγᾶτε. Euripid. *in Jone*. Homer. *Il. α.* Alii. Ipſum *favere* Feſto *bona fari* eſt. Unde Ovid. Faſt. *l.* 1. *v.* 71.

> *Poſtera lux oritur, linguis animiſque* favete,
> *Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.*

Favere verò *linguâ*, etiam *paſcere linguam* dicebatur &c. Qua de formula vide plura apud B. Briſſon. *l.* 1. *p.* 8. cujus cæteri, qui ejus meminêre, nil niſi Analectæ ſunt. Barthius *ad Stat. d. l.*

FAVERIA Iſtriæ urbs. Liv. *l.* 41. *c.* 11.

FAVIANI, Juvenes, qui ex Romuli, Remique inſtituto, nudi, pellibus tantùm incincti, per ludum, & laſciviam currebant, cùm Fauno ſacra facerent. Alex. ab Alex. *l.* 4. *c* 12.

FAVILLA, quaſi *fovilla*, quòd ignem tectum foveat, hinc *vivens* dicta Stat. *l.* 2. *Sylv.* 1. Initio.

> *Quod tibi prærepti, Melior, ſolamen alumni,*
> *Improbus ante rogos, & adhuc vivente* favilla,
> Ordiar?

Ubi de Glaucia defuncto, ejuſque cadavere in pyra cremato. Solebant autem has *favillas* vino exſtinguere Vett. uti nos alibi diximus, & confirmat C. Barthius *Animadverſ. ad d. l.* Vide quoque ſuprà in voce *Cinis.*

FAVISSA, apud A. Gell. *l.* 2. *c.* 10. *Catulus ---- voluiſſe ſe aream Capitolinam deprimere ---- ſed facere id non quiſſe, quoniam* faviſſæ *impediſſent*: Græcè θησαυρός, quaſi *Flaviſſa*, dicta eſt Q. Val. Sorano, quòd in eas non rude æs argentumque, ſed *flata* ſignataque pecunia conderetur. Meliùs quaſi *Foviſſa*, à *fovea*. Sequitur enim, apud Gellium, *eſſe cellas quaſdam & ciſternas, quæ in area ſub terra eſſent: ubi reponi ſolerent ſigna vetera, quæ ex eo templo collapſa eſſent, & alia quædam religioſa è donis conſecratis.* Nempe *Faviſſa* locus fuit ſubterraneus, in area templi, ſtructurâ & fornice factus & operculo ſaxi clauſus, quomodo & monumenta hypogæa. Cujuſmodi monumentum *Orchivum theſaurum* eleganter dixit Nævius, apud eundem A. Gell. *l.* 10. *c.* 24.

> *Itaque poſtquam Orchivo traditus eſt theſauro.*

Θησαυρὸς namque Græcis conditorium qualecunque ſub terra, ut infrà videbimus, *faviſſa* vett. Latinis. Plutarch. *in Philopœmene*, Οὐ μὴν ἀλλὰ κομίσαντες αὐτὸν εἰς τὸν καλούμενον θησαυρὸν, οἴκημα κατάγειον, οὔτε φῶς ἔξωθεν οὔτε θύρας ἔχον, ἀλλὰ μεγάλῳ λίθῳ περιαγομένῳ κατακλειόμενον, ἐνταῦθα κατέθεντο. Quæ verba ita expreſſit Liv. *l.* 39. *c.* 50. *Admonent deinde quidam, eſſe theſaurum publicum ſub terra, ſaxo quadrato ſeptum, eo vinctus demittitur, & ſaxum ingens, quo operitur machina, ſuperimpoſitum eſt.* Varro ſimiliter *theſaurum* pro *faviſſa* poſuit, *de Ling. Lat. l.* 6. *Sed quod Delphis in æde foramen ad latus eſt quoddam, theſauri ſpecie, ὀμφαλὸν dixêrunt.* Quòd verò *ciſternam* Feſtus *faviſſam* vocat, hinc eſt, quòd ad earum inſtar fieri ſolerent faviſſæ. Sed &, cùm Græci θησαυρὸν quoque vocaverint locum circa templa, in quo erat aqua incluſa, quâ ſeſe luſtrarent ingreſſuri Templa, Σπονδεῖον aliter, item Περιρραντήριον, & hoc ſenſu quoque *Faviſſa* Latinè exponi poſſet &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1210. & 1211. Vide etiam Scalig. *ad Feſtum* Anton. Thyſ. *ad Gell. d. l.* Alios: & infrà quoque in voce *Piſcina*.

FAULA, Herculis ſcortum, Verrius apud *Lactant.*

FAUNA, Deæ cujuſdam nomen erat, cui à Romanis matronis in operto ſacra fiebant nocturno tempore, viri autem tantâ curâ ab ejus ſacris arcebantur, ut vel in ædem ejus inſpexiſſe capitale haberetur. rationem hujus affert Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 12. Faunam, dum inter homines ageret, Fauni uxorem fuiſſe tantâ pudicitiâ, ut perpetuo gynæceo, h. e. mulierum conclavi incluſa, nullum unquam virum præter maritum aſpexerit. Varro eandem eſſe exiſtimat, quæ & Telluris, & Terræ nomine à Romanis colebatur. Eadem & Fatua dicebatur, quod nomen à *fando* deductum volunt, quòd infantes non prius vocem edant, quàm terram attigerint: Eadem & *Bona Dea* vocata eſt, quòd omnia, quæ ad victum pertinent, bona ſuppeditet.

FAUNALIA, feriæ nonis Decemb. in honorem Fauni celebrantur quarum meminit Alex. ab Alex. *l.* 3. *c.* 18. Celebrabatur hoc feſtum in pratis ac ſylvis, fiebatque eâ die *Fauno* res ſacra hædo, & vino, teſte Horat. *l.* 3. *Carm. Od.* 18. *v.* 5. & ſeqq. ubi & reliqua ejus ſolemnia ſic explicat:

> *Si tener pleno cadit hœdus anno:*
> *Larga nec deſunt Veneris ſodali*
> *Vina crateræ: vetus ara multo*
> *Fumat odore.*
>
> *Ludit herboſo pecus omne campo,*
> *Cùm tibi Nonæ redeunt Decembres:*
> *Feſtus in pratis vacat otioſo*
> *Cum bove pagus.*
>
> *Inter audaces lupus errat agnos:*
> *Spargit agreſtes tibi ſylva frondes,*
> *Gaudet inviſam pepuliſſe foſſor*
> *Ter pede terram.*

FAUNI, agrorum, & ſylvarum putati ſunt dii, qui poſt longum tempus moriuntur, quòd è terra geniti ſint. Græci *Satyros* vocant. Virg. *l.* 1. *Georg. v.* 10.

> *Et vos agreſtum præſentia numina* Fauni.

Ovid. *Met. l.* 1 *v.* 192.

> *Sunt mihi ſemidei, ſunt ruſtica numina* Fauni.

Idem Met. *l.* 6. *v.* 393.

> ——— *Ruricolæ ſylvarum numina* Fauni.

Vide Plin. *l.* 12. *c.* 1.

FAUNI Ficarii, apud Hieronym. in verſione Jeremiæ *c.* 50. *v.* 39. ubi in Hebræo eſt איים, occurrunt: item apud eundem in *Eſa.* c. 13. ac Iſid. *Origin. l.* 8. *in fine*, & rurſus *l.* 11. *c.* 3. Sic apud Paulum Diacon. Filmer Gothorum Rex ſagas quaſdam, *Alrunas* vernaculo ſermone dictas, ex caſtris ſuis proſcriptas relegavit in Scytharum ſolitudines; ubi ex earum concubitu homines ſylveſtres, quos nonnulli *Faunos ficarios* vocant, Hunnos procreaſſe crediti ſunt. Nempe, quia *Fauno* terrores Panicos, & φάσματα quæcunque terrorem videntibus incutientia, vett. Romani tribuêrunt, Hieronym. ex Hebr. אים, quod *terribile*, & אימה, quod *terrorem* ſonat, vocem איים fieri eaque ſpectra quævis terribilia denotari putavit. Iidem autem *Ficarii* dicti ſunt, non tam à *ficubus*, ut quidam volunt, quàm à *ficis*; de quibus paſſim Mart. ut *l.* 1. *Epigr.* 66. cujus Epigraphe ad Cæcilianum de genere, & declin. ficus.

> *Cum dixi* Ficus, *rides quaſi barbara verba*
> *Et dici* Ficos, *Cæciliane jubes*
> *Dicemus* Ficos, *quas ſcimus in arbore naſci:*
> *Dicemus* Ficos *Cæciliane tuos*

Idem *l.* 4. Epigr. 52. cujus epigraphe in Ædylum

> *Geſtari junctis niſi deſinis Ædyle capris*
> *Qui modo* Ficus *eras jam caprificus eris.*

Unde *ficoſus l.* 7. *Epigr.* 70. cujus epigraphe de familia ficoſa.

> Ficoſa *eſt uxor*, ficoſus *& ipſe maritus*,
> *Filia* ficoſa *eſt, & gener atque ſocer.*

Definit auem *ficos*, Galen. ex Hippocrate, ἐπαναστάσεις σαρκώδεις ἐν τοῖς τῶν βλεφάρων τόποις γινομένας, *cornoſas eminentias in palpebrarum locis obortas.* Quos tamen alii reliquis etiam corporis partibus, ſed iis maximè, quæ piloſæ ſunt, adnaſci ſcribunt. Ab hoc itaque morbo, quo facies deformatur maximè, Fauni, Satyrorum genus, dici videntur; cùm Græcos videamus morbis non abſimilibus à Satyris deſumpta nomina indidiſſe, utpote quibus perſuaſum Satyros habere vultum quibuſdam tuberculis tumoribusque inæqualem: hinc σατυριασμὸς apud Hippocratem de glanduloſis eminentiis circa tempora, & aures; item de elephantiaſi, cùm incipit efflorëſcere: σατυρεία, apud Philoſophum *de Gener. Anim. l.* 4. *c.* 3. Vide Sam. Bochart. *Hierozoici Parte poſter. l. VI. c.* 6. & quæ ſuprà diximus, in *Dryas, Dryas, Fata* &c. De *Faunis* verò *fatidicis*, carminis genere, Feſto memorato, apud Scalig. *Poëtic. l.* 2. *c.* 24. Addam ſaltem, (de quo jam aliquid dictum) *Semideos Faunos*, poſt longiſſima tempora etiam morti obnoxios, fuiſſe creditum. Nota certè hiſtoria magni Panis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

nis mortui apud Plutarch. cujus de interitu talium Geniorum vide Commentarium *de Deſ. Orac.* Ipſumque Faunorum hoc genus patrem non ultra Annos 120. vixiſſe, evincit Arnob. Imò & conditionem eorum Nymphis deteriorem manifeſto facit Pap. Stat. *Theb. l. 6. v. 96.*

> Faunorumque *greges, aderat miſerabile ſuo*
> *Exidium.*

ubi eorum greges interiiſſe durante Nemeæâ ſylvâ dicit; cùm Nymphæ non niſi arboribus commori crederentur. *Faunos* autem *Nymphis* jungit, quod & illi arboribus cognati: Claud. *Rapt. Proſerp. l. 3. Carm. 36. v. 379.* & ſeqq.

> ——— *pariter traxère ruinam*
> *Et pariter poſuère comam, campoque recumbunt*
> Faunorum *Dryadumque dolor.*

Vide Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. d. l.* & de *Faunorum* ludibriis, quibus puerperæ vexatæ, infrà.

FAUNUS, antiquiſſimus Aboriginum Rex, fil. Pici, pater Latini. A *Fando* dictus, quia vaticicinia verſibus, quos publicè recitabant, immiſcere ſolitus eſt. Religionem variis cerimoniis inſtruxit, ſolitudinis amator. Unde Pan creditus, à quo ruſtica prædicta numina genita putantur, quos *Faunos* vel *Sylvanos* poëtæ appellant, cornutis capitibus, & caprinis pedibus inſignes. Regnavit Annos 44. Dionyſ. Halicarn. *Antiq. Rom. l. 1. p. 24.* Aurel. Victor *de orig. gentis Rom.* Lactant. Firm. *d. F. R. l. 1. c. 22.* Cæterùm de *Fauno*, & *Faunis* vide N. Comitem *Mytholog. l. 5. c. 9.* Nic. Lloyd. Addo, duos fuiſſe *Faunos*, Aborigenum Reges, priſcum, & juniorem teſtantur, Manetho Ægyptius, Dionyſ. Halicarn. & alii: quorum ille vixit circa A. M. 2520. ſecuudum Funecium, regnante apud Aſſyrios Amyntâ: hic Anno 3724. regnare cœpit, Pici fil. qui & cives ſuos, ritu ferarum viventes, mitiorem vitam docuit, & primus loca certis Numinibus, & ædificia quædam ac lucos ſacravit: à quo & *Fana* ſunt dicta. Vir nempe ſapiens erat, cujus Philoſophiam rudibus ac ruſticis carminibus, de morum & Reip. conſtitutione, traditam fuiſſe, innuit Virg. cùm ait:

> *Carmina quæ antiqui* Fauni *Satyrique canebant.*

Notanter, *canebant*: Unde & Pici uxor *Canens* dicta eſt, quòd collapſum illud Philoſophiæ Muſicæ ſtudium in Italia reſtauraſſent, Ovid. *Met. l. 14.* Eo regnante Evander cum mediocri Arcadum globo in Latium venit, & *Fauni* liberalitate agros ac montem, quem poſtea *Palatinum* nominavit, accepit, Juſtin. *l. 43. c. 1.* Poſt mortem, à Romanis, tanquam unus indigetum ſacris carminibuſque honoratus eſt: ad quem illi Panicos terrores referre ſolebant. Sed Cotta, vir emunctioris naris, negat apud Cic. *Faunos* eſſe, aut eorum voces unquam fuiſſe auditas: unde quidquid horum ſylveſtrium Deorum, veræ *de Fauno* hiſtoriæ, ſuperſtitio attexuit, facilè collabitur. Habuit *Faunus* Romæ poſt Romulum templum, in monte Cœlio, circulari formâ, multis in ambitu columnis adornatum: & ædem in Inſ. Tiberina, quam Domitius Ahenobarbus, & Scribonius Ædiles ex multatitia pecunia condidêrunt, vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 2. c. 17.* Plura verò de *Fauno*, quem Græci [illegible] dixére, & aucupii venationiſque leporum præſidem habuère; de *Faunis* item, horumque à Satyris ac Sylvanis diverſitate, apud Salmaſ. *ad Solin. p. 413.* & ſeqq.

FAVONIUS, ventus ab occaſu æquinoctiali ſpirans contra Subſolanum. Plin. *l. 2. c. 47.* à *fovendo* dictus, quòd cuncta *foveat*. Lucret. *l. 1. Genitabilis aura Favoni.* Græci *Zephyrum* vocant. Item *Favonius*, Catonis æmulus, Suet. *in Octav. c. 13.* Sed & ventus præf. *Hippalus*, viri nomine Indis, uti docet Plin. *l. 6. c. 23.* quod gloriæ ejus datum. Primus nempe hoc nomine gubernator navigationem ex Arabia in Indiam alto mari pleniſque velis ingreſſus eſt, quum antea parvis tantùm navigiis ſinus circumvenirentur, teſte Auctore *Peripli*, ubi tamen Ἵππαλον ventum ab eo ſic nominatum fuiſſe addit, & Λίβα intelligit, i. e. Africum, qui ad latus dextrum *Favonii*, quod ad Merid. inclinat: qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p. 1185.* & 1244. Sed & *Favonium* apud Romanos, qui aliàs *Spurius* iiſdem, Σκότιος Græcis appellatum fuiſſe, docet Joh. Meurſ. *Comm. ad Lycophr. p. 207.* ubi *de 4. generationis ſpeciebus* &c.

FAVOR, vel FAVO, archimimus Rom. qui in funere Veſpaſini Imp. perſonam ejus tulit, vivitque, ut moris erat dicta & geſta imitatus eſt. Suet. *in Veſpaſ. c. 19.* Nic. Lloydius. Cujus verba, *ſed & in funere Favo Archimimus, perſonam ejus ferens, imitanſque, ut mos eſt, facta ac dicta vivi, interrogatis palàm procuratoribus, quanti funus, & pompa conſtaret, ut audiit HS. centies, exclamavit, centum ſibi ſeſtertia darent ac ſe vel in Tiberim projicerent*, Ubi Gronov. cum Turnebo & melioribus ſcriptis nomen Archimimi putat eſſe *Favor*, non *Favo*: ſive ex omine popularis ſtudii, ſive ex eventu id Hiſtrio ille adſciverit. Et certè, quod refertur, ingenium, ac elegantiam mimicam ſapit. Sic *Amor* nomen eſt proprium viri, in marmore Romano:

> *Conditus hic* Amor *eſt dictus de nomine patris,*
> *Heu miſeri patris conditus hic* Amor *eſt.*

In alia inſcriptione idem feminæ nomen eſt. Sed & *Favor* vocabulum quoque hominis eſt, in quarta fol. CCCCLXXIX. *Appio. Nigrino. Favori. Herminæ. Helpidi. Calæ. Jucundinæ. Libertis. Suis.* Imò à neutris finxère maſculina: ut *Auxilius* Grammaticus apud Auſon. Epigr. 138. *Obſidius* apud Flor. *l. 1. c. 18.* Sic *Corculus*, *Deſiderius*, *Tympanus*: *Præſidius* apud Procop. J. Frid. Gronov. *de Pec. Vett. l. 4. c. 6.* Vide quoque ſuprà *Favere*, & infrà *Fautores*.

FAVORINUS, Philoſophus, & orator, Arelate oriundus, Dionis auditor, præterea Eunuchus, & Adriano Principi infenſus. Ideo tria de ſe mira narrare ſolebat, *ſe Gallum Græciſſare*, *Eunuchum mœchum putari*, & *inimicum Imperatori vivere.* Ob quam cauſam ſtatuâ ejus disjecta Athenis, ubi vivebat. Docuit, cum laude, primò Athenis, dein Romæ. Auctor plurimorum operum, libri in primis, *Omnigenæ hiſtoricæ ſylvæ*, Gr. ſcripti. Hunc Herodes Atticus patrem ſolebat appellare, hæreſque librorum ab eo factus eſt Philoſtrat. A. Gellius *l. 1. c. 3.* hujus ſæpè meminit. Ælian. *de Var. hiſt.* dicit, hunc quandoque in diſputatione quadam Adriano, qui eruditionis famam affectabat, ceſſiſſe, admirantibuſque proximis, *Nonne cedam*, inquit, *ei qui habet 30. legiones?* Philoſtr. *de V. S. l. 1.* Spartian. *in Adriano.* A. Gell. *l. 12. c. 1. l. 14. c. 1.* &c. *Nic. Lloydius.*

du FAUR Guido, vide *Guido.*

FAURINIACUM Villa, Monaſterio illuſtris, in qua Vulfus Patricius, juſſu Theodorici, Burgundiæ Regis occiſus eſt, apud Fredegar. Locus eſt Comit. Burgundiæ ad Lantanam, *Lantaine*, amniculum, non procul à Confluentibus, & Luxovio, vulgò *Faverney*, in diœceſi Veſontionenſi. Primò Virginum, dein circa A. C. 1132. Monachorum Benedictinorum eſſe cœpit. Eſt & *Favernach*, non procul à Friburgo Helv. opp. Item vicus inter Oſcaram, & Ararim fluv. *Favernay* dictus. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

FAUSTA filia Maximiani Herculis, Conſtantini uxor: mariti felicitatem Patris antetulit, qui illam non tam ſociam, quam ut ejus conſilia expiſcaretur, Conſtantino tradiderat. Mater Conſtantini, Conſtantii, & Conſtantis, ut & Conſtantinæ, & Helenæ. Criſpi, ex Minervina, filii mariti ſui, impuro amore incenſa, cùm caſtiſſimum juvenem expugnare non poſſet, apud maritum, eum calumniata eſt. Hinc mors Criſpi: ſed, paulo pòſt, fraude detecta, mors Fauſtæ, in balneo ſuffocatæ. Zoſim. *l. 2.* Hieron. *in Lactant.* Evagrius & Euſeb. hîc falſitatis, & ſilentii notam merentur. Amm. Marcell. *l. 14* A. U. C. 1082.

FAUSTA, proximè ſupremis D. Auguſti annis, è plebe mulier, Hoſtiæ duos mares totidemque feminas enixa, famem, quæ ſecuta eſt, haud dubiè portendit. Plin. *l. 7. c. 3.*

FAUSTIANUM, vinum dicitur, quod in mediis collibus Falerni montis gignitur.

FAUSTINA, filia Antonini Pii, uxor Aurelii Antonini Phil. impudica. Quam cur non repudiaret, Maritus interrogatus, reſpondit, *Quia cum dote remittenda eſſet.* Faſſa illi amorem Gladiatoris cujuſdam, hauſto hujus ſanguine, amoris quidem oblita eſt: Commodum tamen eâdem nocte concepit, gladiatorios planè ſpiritus gerentem. Nihilominus, velut Numen quoddam, Fana araſque meruit, ut & feſta *Fauſtiniana* dicta. Jul. Capitolin. *in Anton. Phil.* Cæterùm illa, *Junioris* cognomine ab avia diſtinguitur. Memoriam ejus ſervat nummus, in cujus altera parte Templum Delphicum Apollinis, quinque columnis nixum conſpicitur, cum lemmate, ΔΕΛΦΩΝ: apud Jac. Spon. *Itin. Græciæ Part. 3. p. 172.* & 183.

FAUSTINA, mater Antonini Pii. Item, uxor Conſtantii, poſt Euſebien, mater filiæ cognom. quæ nupſit Gratiano Imp. Amm. Marcell. *l. 21. c. 6.*

FAUSTINA, magni de ſanguine Nervæ, cum Siſinnio marito, viro illuſtri, à Clemente Ep. R. converſa. Circa A. C. 100. Platina *in Clemente.*

FAUSTINÆ, puellæ alimentariæ ab Antonino Cæſare, in honorem *Fauſtinæ* matris ſuæ, inſtitutæ. Nic. Lloyd. Meliùs *Fauſtinianæ*, de quibus ſic Jul. Capitolin *in Marco*, *Novas puellas* Fauſtinianas *inſtituit, in honorem uxoris mortuæ.* Vide ſuprà ubi de *Alimentariis puellis.*

FAUSTINIANUS, Coſ. cum Gallieno memoratur Trebellio *in Gallienis*, & in *Faſtis* Siculis.

FAUSTINOPOLIS, Cappadociæ urbs in Ciliciæ confinibus. Anton. Antea *Halale* vicus, in radicibus Tauri, qui Colonia effectus eſt à M. Antonino Imp. ac Fauſtinæ uxoris ejus, quæ ibi obiit, nomine dictus.

FAUSTINUS, nomen 2. Romanorum Conſulum.

FAUSTINUS, Diaconus, ſec. 6. primò Urſicinum c. Damaſum dein Luciferianos, ſectatus. Flacillæ, uxori Theodoſii Mag. inſcripſit libb. 7. c. Arianos & Macedonianos. Gennad. *c. 16.* Sirmondus edidit, A. C. 1650. tractatum Fauſtini & Marcellini, pro Urſicino ad Valentinian. & Valentem.

FAUSTINUS Menſis apud Capitolin. *in Anton. Pio*, *Menſes Septembrem ac Octobrem Antoninum, &* Fauſtinum *appellandos, decrevit Senatus, ſed id Antoninus reſpuit.* Vide Salmaſ. *ad l.*

FAUSTITAS, Dea Romanorum, cui fœtura, & proventus pecoris curæ erat, cujus etiam gratiâ Priapus invocatur, apud Virg. *Ecl. 2.* Meminit Horat. *Carm. l. 4. Od. 5. v. 17.*

> *Tutus bos etenim rura perambulat:*
> *Nutrit rura Ceres almaque* Fauſtitas.

Alibi verò rara vox. Chabotius *ad l.* Vide & infrà *Felicia Tempora.*

FAUSTULUS, paſtor, qui Romulum, & Remum ad Tyberim expoſitos invenit, Laurentiæque uxori ſuæ educandos tradidit. Liv. *l. 1. c. 4.*

FAUSTUS, Aremoricâ Brito, Ep. Reienſis, eruditione, & virtute inclytus: Scripſit varia, Gennad. de *Scr. Ill. c. 85.* ſed amiſſus liber de Spir. S. Item, de Gratia, & libero Arbitrio, c. Arianos & Macedonianos. Vide 2. 3. 4. Vol. Bibl. PP. Pariſ. Homiliæ, Euſeb. Emiſſeno tribui ſolitæ, huic auctori debentur. A quibuſdam errorum quorundam, de Gratia, & Prædeſtinatione accuſatus, defenditur ab aliis, inprimis à Simone Bertel. *Hiſt. Chronol. Epp. Reienſium p. 120. & ſeqq.* Vide Sidon. Apollin. *l. 9. ep. 3. & 9. v. Euchar. &c.* Honor. Auguſtod. *de Illuſtr. Eccl. lum.* Iſid. *de Viris Ill. c. 14.* Adon. Vienn. *Chron.* Baron. A. C. 490. Savoran. & Sirmond. *notis ad Sidon. Apollin. T. 1. Conc. Gall.* Barral. *Chron. Larin. p. 52. &c.* Geſner. *Bibl.* Voſſ. *Hiſt. Pelag. & de Hiſt Lat. Morer.*

FAUSTUS, Ep. Reienſis, miſit Diaconorum unum, ad 5. Concil. Aurel. A. C. 549. Bertel. *p. 149. Nomencl. præſ. Reg.* &c. Item

Monachus Montis Caſſini, diſcip. Benedicti, ſub Phoca. Scripſit vitam Mauri Abbatis. Leo Oſtienſ. Caſſ. Chron. l. 1. c. 3. Sigeb. Cat. c. 32. Item Presbyter, auctor vitæ S. Severini.

FAUSTUS Quintilianus, Senator tempore Juliani Principis.

FAUSTUS Quintillus, Conſularis Augur, ſub Didio Juliano, apud Spartian. Idem fortè cum priore.

FAUSTUS Sylla, Coſ. Sylvii Othonis collega, A. U. C. 804. Vide Sylla. Item Fauſtus Syllæ Dictatoris fil. Alius Cos. cum Theodoſio Aug. A. U. C. 1191.

FAUSTUS, Afer, hæreticus Manichæus, qui ſcripſit libros contra Orthodoxam fidem, quibus abundè reſpondit Auguſtinus.

FAUSTUS Johannes, vide *Johannes*.

FAUTORES, in Olympicis Ludis certantium, memorantur paſſim. Ut enim ingenia hominum ſunt, in hujuſmodi ſpectaculis, *Curſûs* præcipuè, huic ille, alteri alter Fautor hortatorque aderat, *οἱ ἐπὶ θέατι σπουδάζοντες*, ut ait Plato in *Phædro*. Quæ ſtudia, in hunc illumque prona, non ſolùm eminebant in loco certaminis, ſed, & antequam illò eſſet perventum, ut diſcimus ex Apollonio apud Philoſtrat. ubi morem hunc elegantiſſimis verbis deſcribit *l.* 5. quorum hic ſenſus eſt: *Si quis athletam conſpicatus animoſum, ingentem membrorum proportione compactum, ad Olympiam per Arcadiam vadentem, propiùs ad illum accedat, eique animos addat, horteturque ut fortiter rem gerat; cùm is è certamine victor redierit, tum demum vetet eum præconis voce victorem proclamari, nec redimire caput oleaſtro, delirare hercle videatur, & alienis laboribus illudere: Ita* &c. In ipſo dein certamine, currentes læto celeuſmate excitabant, idque eò alacriùs, quò propiores metæ eſſent, uti docet Iſocrat. *Orat. de Evagora*: Καὶ γὰρ ἐκεῖνοι [illegible], *Namque illi acclamant, in gymnicis ludis, curſoribus non ignaviſſimis; ſed victoriæ proximis* &c. Vide quoque ſuprà, *Favere*.

FAX, an à *faciendo* lucem, an à Græco *φάος*, *lux*? tenebris primum pellendis reperta, ad varios poſtmodum uſus adhibita eſt. Et quidem *Facibus* adhibitis pleraque Græciæ myſteria peragebantur, utpote noctu ut plurimum, & ſi interdiu, in templis ab obſcuritate venerationem concililiantibus Idolis ſuis, quippe quibus nullum plerunque, niſi ab ingreſſu, lumen, fierent. Unde celebres in Eleuſiniis Sacris *Δᾳδοῦχοι Faciferi*, de quibus ſuo loco, nec non infrà ubi de *Metragyrtis*. Indidem *Actææ faces*, pro ſacris Minervæ, quibus illa Athenis culta, apud Pap. Stat. *Theb.* *l.* 2. *v.* 736.

Centum ibi virgineis votæ Calydonides aris
Actæas ubi rite faces, & [illegible]
Nectent purpureas niveo diſcrimine vittas &c.

Vide quoque ſuprà, *Diana*, *Dionyſiaca ſaltatio*, *Encænia*; & infrà *Floralia*. Etiam *Faſe ſublatâ* bellum publicatum, quam [illegible] Græci, undè Πυρφόροι, qui, tubis nondum repertis, in medium utrimque procedentes, *facibus projectis* prælii ſignum [illegible]. Uti diſcimus ex Euripide *Phœniſſis* v. 1387. ad quem locum vide Scholiaſten vet. Unde Stat. *Theb.* *l.* 4. *v.* 5.

Prima manu rutilam de vertice Lariſſæo
Oſtendit Bellona facem &c.

Quo de more plura, apud Joh. Paſſerat. Joh. Meurſ. *ad Lycophronem*, Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. d. l.* & ſuprà ubi de *Bello*. Sed & poſtmodum *faces* in bello retentæ, exurendis obſeſſorum turribus: quarum prom[illegible] apud eundem Stat. *Theb.* *l.* 10. *v.* 522.

——— *pars ad faſtigia miſſas*
Exultant hoſtile faces: pars [illegible]
[illegible]

Ubi *faces*, *ignes fixiles* exponit V. S. Eas deſcripſêrunt, & depinxêrunt, qui Militiam vet. illuſtrârunt, Lipſ. inprimis *Poliorcet.* *l.* 5. plurimaque id genus obſervare licet in *Geſtis Françorum in Palæſtina*, opere imperfecto à Jac. Bongarſio curato. Etiam ad ſtratagemata. Sic apud Liv. *l.* 7. *c.* 17. *facibus ardentibus anguibuſque prælatis Sacerdotes Tarquinienſium aciem Rom. turbavêre*, vide quoque *l.* 44. *c.* 33. *facibus armatam multitudinem* Illuſtrius longè exemplum habes in Gideonis hiſtoria ſacra, Judic. *c.* 7. *v.* 16. & *ſeqq.* In nuptiis porrò *faces* præferre Sponſæ antiquiſſimi moris fuit, ut videre eſt apud Euripidem *in Medea*.. Et quidem matrum id munus apud Græcos, uti docet Barthius *ad Stat. Theb.* *l* 6. *v.* 138.

Non hoc Argolidum cætu circundata matrum.

& *Adverſar.* *l.* 35. *c.* 8. Delrius item *ad Senecam Octaviâ Actu* 1. ubi hanc in rem citat Euripidem *in Iphigenia Aulidenſi*, *Phœniſſis*, *Troadibus*. Apollonii inſuper Scholiaſtem *Argonaut* *l.* 4. & Barbaros idem in uſu habuiſſe addit. Ædilium apud Romanos, qui ex igne, in limine cum aqua poſito, faces quinque accendebant, *cereorum* nomine appellatos, & ex ſpina arbore deſumptas; cùm aliæ gentes ex picea pineave tæda illas cæderent. Vide Jul. Cæſ. Scalig. *Poet.* *l.* 3. *c.* 100. & infrà, ubi de *Nuptiis*. Addo hîc ſaltem ſingularem morem illas *concutiendi*, Barthio obſervatum *ad Stat.* *l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 4.

Demigrant Helicone Deæ, quatiuntque novena
Lampade ſolennem thalamis coëuntibus ignem.

Vide quoque Val. Flacc. *l.* 8. Ovid, *Ep. Phyllidis*, Catull. Senec. *Oedipo Actu* 2. *v.* 500.

Concutit tedas geminus Cupido.

Item nomen hujuſmodi facem gerentis, ex Petron. Edit. Gonſalis de Salas. *p.* 13. Edit. Boſchii *c.* 24. qui de Pſyches agens nuptiis, *Embaſicœtan* vocat, Græco nomine: *Jam Pſyche [illegible] flammeolo, jam Embaſicœtas præferebat facem.* His ve[illegible] nubam ademptas ſponſæ virginales vittas [illegible] matronalibus eam induiſſe notat Famat[illegible]. Nec funeribus ſuæ defuêre, in quibus *faces*, quibus pyræ incenderentur, aliunde, & nominatim ex rogo quopiam, rapi mos erat. Stat. iterum *Theb.* *l.* 4. *v.* 468.

--- *nec rapidis [illegible] frondibus aris*
Subjectare faces ———

Etiam *faces* in exequiis prælatæ, quas ſimiliter concuti ſolitas, diſcimus ex Ovid. Ep. 2. Heroid. Phyllis Demophoonti *v.* 119.

Affuit Alecto brevibus torquata colubris,
Suntque ſepulcrali lumina mota face.

Qua de re vide hîc, ubi de *Cadaverum cura*, *Defunctis*, *Funere*, [illegible] *tuis*, alibique paſſim: plura verò de *Facibus*, in vocibus [illegible], item ubi de *Cereis*. De vulgari uſu, ut verbum adjiciam, *Adverſitores* apud Romanos dicti ſunt ſervi, qui dominos foris cœnantes cum *facibus*, adverſùm ibant [illegible], & [illegible] quibus non diſſimiles, qui præcincti lumbos & lychnos ferentes, dominum à cœna revertentem domi præſtolabantur, indigitati Lucæ *c.* 12. *v.* 35. Sic Duillium *ad funalem cereum*, domum reverti ſolitum, refert Val. Max. *l.* 3. *c.* 6. Idem *laternam prælatam* M. Antonio, habet *l.* 6. *c.* 8. Et Juv. de hoc ritu *l.* 1. *Sat.* 3. *v.* 282.

--- *Sed quamvis improbus annis,*
Atque mero fervens, cavet hunc, quem coccina læna
Vitari jubet, & comitum longiſſimus ordo:
Multum præterea flammarum, & aënea lampas.

Vide Pignor. *de Servis*, & infrà ubi de *Iter facientibus* nocturno tempore, quorum faces [illegible] Græcis. Nec omittendus [illegible] *candi Faces*, Virg. memoratus *Georg.* *l.* 1. *v.* 292.

--- *ferroque* faces *inſpicat acuto*:

quod *incidere* idem vocat *Ecl.* 8. *v.* 29.

Mopſe novas incido faces: *tibi ducitur uxor.*

Nempe in multas ariſtas concidebantur inſtar ſpicæ, [illegible] lignum minutatim in tenues longaſque aſtulas conciſum, ut [illegible] ignem conciperent: *ſpicatæ faces* hinc Gratio,

Spicataſque faces *ferre ad nemora alta Dianæ*:

quem verſum explicat Salmaſ. *ad Solin.* *p.* 1063. &c.

FAXO, Comica locutio: à Virg. Heroicæ Poëſi illata, *Æn.* [illegible] *v.* 154.

Haud ſibi cum Danais rem faxo, *aut pube Pelaſgâ*
Eſſe putet, decimum quos diſtulit Hector in annum.

Et ejus imitatione à Val. Flacco Argon. *l.* 7. *v.* 177.

——— ——— *jam fœdera* faxo
Æſonii petat ipſa viri, metuatque morari.

Pap. Stat. *Theb.* *l.* 5. *v.* 658.

——— faxo *omnis fabula Lemni*
Et pater, & tumidæ generis mendacia ſacri
Exciderint ———

Serv. *faciam, confirmabo, & eſt ἀρχαϊσμός.* Promiſſivum modum in eo verbo agnoſcit Phocas Gramm. *Faxo faxis*, Donat. & Cledon. Caſp. Barth, *Animadverſ. ad Stat. d. l.*

FAYUS Jacobus, vide *Jacobus*.

FAZELLUS Thomas, vide *Thomas*.

FE in notis antiquorum, *Fundavêrunt*, vel *Fortem*, vel *Familiam*, F. E. *Filius ejus.* FEA. *femina.* FEB. *Februarius*, ſignificat &c. *Gouldm.*

FEÆ, Germanis *Albæ*, *Alvinnen*, Belgis *Witte-Vrouwen*, [illegible] ctra erant formâ, & habitu ſeminarum apparentia, ad arborem, quæ hinc *Fearum arbor* dicta eſt, & fontem, prope vicum *Domi* [illegible] in Lotharingia. Cum hiſce commercii ac familiaritatis olim accuſata Johanna Darcia, *Puella Aurelianenſis* nomine in Gallia [illegible] reſpondit S. Catharinam, & Margaretam, quas ſæpe [illegible] tigiſſet, dum fuiſſet in carcere, eſſe eas quibus fuiſſet locuta [illegible] quod terram ſeu pavimentum deoſculata fuiſſet, per quod [illegible] fuiſſent, & quod conſilium ab illis acciperet ſuper omnibus [illegible] ſuis. Quod ad arborem *Fearum*, & apud fontem prope vicum [illegible] dictum locuta fuiſſet cum his Sanctabus, non cum *Feis*, [illegible] ab Anno Ætatis 13. cum iis cœpiſſet loqui. Addebat, [illegible] ſæpe imputatum fuiſſe in Lotharingia, quòd loqueretur cum [illegible] negabat tamen unquam factum, aut illas unquam ſibi viſas, [illegible] ſciret. Interim fatebatur, fœminam quandam ſuſceptricem [illegible] jactare ſolitam, *Feas* ſibi viſas ad *Fearum* (ſc. arborem) [illegible] in vico paterno, in Lotharingia. Vide Paſchal. [illegible] *Recherches de la France* *l.* 6. *c.* 5. *p.* 461. & ſuprà in voce *Druy* [illegible] *Fadus*.

FEBIANA Caſtra, *Phœbiana vel Phœniana*, Ptol. *Bebenhauſen* [illegible] opp. Sueviæ, inter Ulmam, & Cau-Bureniam, 3. leuc.

FEBRIS, Dea culta eſt à veteribus, ne noceret. Cic. *de nat.* *l.* 3. *de leg.* *l.* 2. Val. Max. *l.* 2. *c.* 5. *Febrim ad minùs nocendum templis colebant, quorum unum adhuc in Palatio, alterum in arce Marianorum [illegible] tium in ſumma parte vici Longi, in eaque remedia, quæ corporibus [illegible] torum innexa fuerant, deferebantur.* Et quidem de templo ejus [illegible] latino, Ælian. *l.* 12. *c.* 11. Ὁ δὲ Ῥωμαῖοι, [illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

καλλιστίῳ πυρετοῦ καὶ νεὼν καὶ βωμὸν ἱδρύσατο. Ubi πυρετὸν hoc idolum vocat, ſicut πυρετὸν Clemens *Protrept*, *Diva*, *Sancta*, *Magna*, appellatur in vet. *Inſcr.* FEBRI. DIVÆ. FEBRI. SANCTÆ. FEBRI. MAGNÆ. CAMILLA. AMATA. PRO. FILIO. MALE. AFFECTO. Vide librum *Inſcr.* p. 97.

FEBRUA, Dea apud antiquos, quæ mulierum menſtruis præerat, dicta a *Februis* i. e. *purgationibus*, quod feminas poſt partum ſecundis exeuntibus purgare putaretur.

FEBRUA, Dea purgationum, & ſacra erant, quæ Romani Diis Manibus placandis faciebant menſe Februario. Ovid. *l.* 2. *Faſt.* Initio.

Februa *Romani dexêre Piamina patres.*

Ibid. *v.* 4.

Quis veteri lingua Februa *nomen erat.*

Ibid. *v.* 9.

Ipſe ego Flaminia poſcentem Februa *vidi:*

Hinc Pluto *Februus*, Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 78. Vide paulo pòſt.

FEBRUARIUS, menſis à Numa additus, cum Romulus eum præteriiſſet, à *Februo* luſtrationum potente cui à Numa dicatus eſt, nomen accepit. Luſtrari autem eo menſe civitatem mos erat, & juſta Diis manibus ſolvi, Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 13. De eo ſic Feſtus: *Februarius menſis dictus; quod tum, i. e. extremo menſe anni populus februaretur, i. e. luſtraretur: vel à Junone februata, quod ipſi eo menſe ſacra fiebant, cujusque ſacra erant Lupercalia, quo die mulieres februabantur à Lupercis amiculo Junonis, i. e. pelle caprina, quam ob cauſam is quoque dies februatus appellabatur.* Cui aſſentiuntur Cenſorin. Plutarch. & Ovid. quorum hic etiam docet, apud priſcos hunc menſem fuiſſe ultimum, & præceſſiſſe Januarium: à Decemviris autem legum ſcribendarum primùm inſtitutum, ut poſt menſem Januarium collocaretur. Ita enim ille *Faſt. l.* 2. *v.* 47. & ſeqq.

Sed tamen (antiqui ne neſcius ordinis erres)
Primus, ut eſt, Jani menſis & ante fuit.
Qui ſequitur Janum, veteris fuit ultimus anni
Tu quoque ſacrorum Termine finis eras.
Primus erat Jani menſis, quia janua prima eſt,
Qui ſacer eſt imis Manibus, imus erat.
Poſtmodo creduntur ... diſtantia longo
Tempora bis quini continuaſſe viri.

Dies habet ab ultima Numæ conſtitutione viginti octo; quod Numam eo feciſſe Macrob. docet, ut cùm reliqui menſes imparem haberent dierum numerum, huic menſi pari dierum numero tributo, univerſa putatio totius anni impar fieret, tum, quòd Deo infero, cui hic menſis ſacer erat, diminutio, & par numerus (qui impare ignobilior) conveniret. Proin nec Jul. Cæſar, cùm annum aliter ordinaret, aliquotque diebus adjectis augeret, ullum huic menſi diem addidiſſe legitur. Idem menſis intercalationi deſtinatus erat, ut docet Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 1. totusque attributus fuit Legationibus exterarum gentium audiendis. Athenienſibus dictus eſt *Antheſterion*, Hebræis *Chebeth* & *Adar*. Vide Roſin. præfat. *L. eodem c.* 6. Franc. Roſſæum *Archæologiæ Att. l.* 2. *c.* 10. Thom. Godwin. *de ritib. Hebr. l.* 3. *c.* 1. & infrà *Menſis*.

Feſti apud Rom. dies menſis Februarii.

Kalendæ ejus, ut & omnium menſium, in tutela Junonis fuêre. Iis feſtum erat dedicationis templi Junonis Soſpitæ: Item luci Aſyli: Eodem die rem divinam faciebant in æde Veſtæ, & æde Jovis Tonantis.

V. dies, ſeu Nonæ, in Auguſti, qui *Pater Patriæ* hoc die appellatus eſt, memoriam celebris erat.

Idibus, rurſum ovis Idulis, uti in Januario, mactabatur. Iiſdem feriæ quoque Fauni erant. Idem dies ater ſive religioſus erat, ob cædem Fabiorum.

XV. Febr. ſeu XV. Kal. Martii, Lupercalia celebrabantur.

XVII. die, ſeu XIII. Kal. Martii. Quirinalia erant: Item Feriæ Stultorum, ac Fornacalia.

XXI. die ſeu IX. Kal. Martii Feralia vigebant, quibus Deæ Mutæ ſacrificare mos erat. Eodem die, nubere, aut Diis Superis ſacrum facere religioſum erat.

XXII. die ſeu VIII. Kal. Martii, Terminalia celebrabantur; quam ob cauſam, vide *Varronem*.

XXIV. die ſeu VI. Kal. Martii, Regifugium erat, i. e. ſacrum in Tarquinii Româ fugientis memoriam inſtitutum. Cujus meminit Auſon *in Ecl. de feriis Romanis*.

XXVII. die, qui eſt III. Kal. Martii, Equiria habebantur, ab equorum curſu, teſte Varrone, dicta.

Pridie Kalendis Martii, qui eſt XXIX. ſeu ultimus *Februarii* Tarquinios tyrannos prælio ſuperatos à Romanis eſſe, tradunt nonnulli.

Apud Athenienſes, hujus menſis die XII. incipiebant Ἀνθεστήρια, in Bacchi honorem, quæ feſtivitas triduum duravit: eodem menſe Dionyſia in Limnis, μεγάλα & ἀρχαιότερα dicta, vigebant. Die XIII. Ludi agebantur, qui tertio Anno Olympiadis 93. Calliá Archonte initium ſumpſêre. Vide Donat. *in Terent. p.* 289. & Ulpian. *in Demoſth. p.* 184. In Romana Eccleſia eodem Menſe Feſtum Purificationis, *Candelaria* dictum, celebratur, in quo in honorem B. Virginis fieri, quod ab Ethnicis in honorem Deæ Februæ, docet Gerſon *de Direct. cordis Part.* 3. *Conſid.* 21. Unde & Baron. *abolitis Lupercalibus Romæ, hanc ſolemnitatem introductam eſſe*, cenſet *Martyrol. ad* 2. *Februar.* Vide ſuprà.

FEBRUATA Juno, quæ & *Februalis*, & *Februa*, ſeu *Februla* nuncupatur: dicta eſt quòd illi menſe Februario ſacra fiebant, cujus feriæ Lupercalia ſunt. Alex. ab Alex. *l.* 4. *c.* 12.

FEBRULIS, inter Junonis cognomina, apud Arnob. *l.* 3.

FEDERICUS, II. Imp. Rom. fil. ſuum Henricum peremit in carcere, quod ſuſpicaretur eum favere Gregorio Pontifici, quo cum bellum ipſe ſuſceperat. Vide *Fridericus*.

FEFINUS, Lacus in Helvetia.

FEL, Neptuno dicatum olim, & Junonis potentiæ, ut habet *MS.* codex Plin. cùm impreſſi habeant, *& humoris potentiæ*, *l.* 11. *c.* 37. ubi multis de eo agit. In Extiſpicina diligenter attendebatur, &, ſi magnum eſſet, fortunata omnia feliciaque promittebat: uti &, ſi geminum, *quod divo Auguſto, quo die apud Actium vicit*, contigiſſe; legas *ibidem*. Sic idem Arato ſacrificanti cùm accidiſset, Aruſpex, reconciliatum iri civium diſsenſiones, vaticinatus, veriſſimo eventu legitur, qua de re vide Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 5. *c.* 25. & aliquid apud Delrium *ad illud Senecæ Oedipo Act.* 2. *v.* 358.

Et felle *nigro tabidum ſpumat jecur.*

At *fel* nuptialis hoſtiæ, circùm aram projici ſolitum eſt, cùm cæteræ partes adolerentur: quod in omen futuræ inter conjuges tranquillitatis factum eſse, docet Jul. Cæſ. Scalig. *Poet. l.* 3. *c.* 100. &c.

FELDKIRCHIA, urbec. Tirolenſis tractus, caput Comit. cognom. ad Illum fluv. qui paulò infra in Rhenum cadit, in confin. Helvetiorum, ſub Auſtriacis. 2. leuc. ab Abbatiscella in Ort. media inter Curiam ad Auſtr. & lacum Brigantinum ad Bor.

FELGINAS Tuticanus Gallus, Eques Rom. à Pompejo ad Dyrrhachium cæſus Cæſ. *l.* 3. *Civil. c.* 14.

FELICES, quinam dicti olim, vide *Dii*.

FELICES Arbores, Feſto fructiferæ, ſicut infrugiferæ *infelices* dictæ ſunt, ex Catone. In ſpecie *felices* Macrob. Sat. *l.* 2. *c.* 16. *eſſe putantur, quercus, æſculus, ilex, ſuber, fagus, corylus, ſorbus, ficus alba, pirus, malus, vitis, prunus, cornus, lotus*, Horat. *Epod.* Od. 2. *v.* XI.

Inutileſque falce ramoſos amputans
Feliciores *inſerit.*

Pap. Stat. *l.* 3. *Sylv.* 2. *v.* 140. *In Propemptio. Metii Celeris*,

——— *ubi germine primùm*
Candida felices *ſudant opobalſama virgæ*

Ad hujuſmodi arbores, A. Gell. *l.* 10. *c.* 15. *unguium Dialis, & capilli ſegmina ſubter arborem felicem terrâ operiuntur*, apud Rom. Flaminica quoque Dialis in ricâ *ſurculum de arbore felici* habebat. Ex iiſdem deſumebantur faces Nuptiales, & Caduceatorum ſupplicia. Vide de iis infrà, ubi de *Spina alba*: de hiſce ſic Feſtus, *Supplicia ſunt, quæ caduceatores portant; ea ſumebantur ex verbena felicis arboris, nec enim ex alia fas erat*: & plura hanc in rem, apud Joh. Meurſ. *Comm. in Lycophronem p.* 295. De *infelicibus* verò dicemus infrà. Uti autem arbores *felices*, quæ fœcundæ, ſic *hydram felicibus vulneribus renaſcentem*, dixit Minut. *Octav.* &c.

FELICIA Tempora, in nummis quibuſdam Latinorum, ΕΥΤΥΧΕΙϹ ΚΑΙΡΟΙ Græcè, in nummo Commodi Imp. a Laodicenſibus cuſo; in cujus altera parte quatuor juvenes, totidem anni tempora ſymbolo quiſque ſuo denotantes, cum verbis proferendis infrà, & in circuitu hiſce, ΛΑΟ...ΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, adſcriptis. Quo emblemate felicicitatem ſuam, ſub imperio Commodi, (de quo vide ſuo loco) adulatoriè ſignificare voluérunt Laodicenſes, Quemadmodum in alio nummo Nicæenſes idem teſtati ſunt, in cujus poſtica parte *inſcr.* hæc, corona incluſa, legitur: ΒΑϹΙΛΕΥΟΝΤΟϹ ΚΟΜΟΔΟΥ ΚΟϹΜΟϹ ΕΥΤΥΧΕΙ ΝΙΚΑΙΕΩΝ. Geſtat autem præfatorum juvenum unus calathum floribus, utraque manu ſuprà caput elatum; alter elatâ dextra falcem meſſoriam oſtentat; tertius ſiniſtrâ manu itidem elatâ calathum ſuſtinet frugibus plenum, dextrâ verò aſſilienti cani blanditur: atque hi tres nudi ſunt. Quartus veſtitus eſt, & leporem venatione captum ſiniſtrâ ſuſpendit &c. ut videre eſt apud Jac. Spon. *Itin. Tom.* 3. *p.* 186. Græci aliter una voce *Εὐετηρίαν* dixère, de qua vide ſuprà ubi de *Annona Dea*: Latini *Fauſtitatem*, item *Felicitatem*, de cujus corona vide C. Paſchal. *Coron. l.* 7. *c.* 7.

FELICIANUS, Arianus, primò rationibus, dein demum Scripturæ teſtimoniis religionis controverſias confirmari voluit. Refutatus, ab Auguſtino, *l. de Unitate in Trinitate*, *c.* 18.

FELICIS Lacus, ſeu *Lacus felix*, pag. Auſtr. ſup. nunc *Walsée*. prope Danubium fluv. 5. mill. Germ. infrà Lintium in Ort. Viennam verſus. Forſan mel *Locus felix*, *Baudr.*

FELICIS Lacus, in Norico, lacus Auſtriæ, inter Salisburgum & Lentium, ex quo Drahonus fluv. exit. Lazio *Gemunder. ée*, ſeu *Draunſee*. Simlero *Nidern Vualsee*. *Ferrar.*

FELICISSIMUS, Presbyter Carthag. contra Cyprianum ſchiſmatis, in Africa auctor. Hujus enim electioni primò ſe oppoſuit, dein cùm perſecutionis tempore in tutum hic ſe recepiſſet, cum quinque aliis ſuæ factionis, Ethnicis Magiſtratibus junctus, Orthodoxos perſecutus eſt. Dein, fruſtra diſſidium, inter Cyprianum, & Confeſſores, qui nimis faciles erant, in venia Libellaticis, apertæ apoſtaſias reis danda, machinatus, ſeceſſit palam, in clivo quodam, extra urbem, ſuis congregatis, fulmine excommunicationis in reliquos vibrato. Hinc & Novatianis & Donatiſtis ſecedendi occaſio. Interea, Privatus, Synodo quadam Africæ non receptus, cum quinque aliis Epp. Apoſtaſiæ reis, Fortunatum Cypriano ſurrogavit. Feliciſſimus mox ad Cornelium, Ep. R. deputatus, fruſta fuit. Docuit, omnes peccatores, citra ullam pœnitentiam, recipiendos eſſe. Cyprian. *Ep.* 38. 39. 40. & 55. Baron. A. C. 254. 255. & 258.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

258. Item, diſcip. Priſcilliani, à Maximino Imp. occiſus. Sulpic Sev. *Hiſt. ſacr. l.* 2.

FELICITAS, ab antiquis Dea exiſtimata eſt. Plin. *l.* 34. *c.* 8. & *l.* 36. *c.* 5. Videmus aliquando Felicitatis effigiem & præcipuè in Juliæ Mammææ Aug. numiſmatibus. In ejus tergo femina eſt, in ſolio ſedens, dexterâ caduceum, ſiniſtrâ grande cornucopiæ tenens cum hac inſcriptione, *Felicitas publica*. Huic Lucullus templum dicavit, & aliud à Cæſare inchoatum Lepidus abſolvit. Vide Dion. *l.* 44. Auguſt. de *Civit. Dei l.* 4. *c.* 18. Balduin. *Iconol.* Girald. *Synt.* 1.

FELICITAS, Romana mulier, quæ filios pro religione Chriſtiana ſub Antonino mori læta conſpexit. Item dea, quam Romani venerabantur. Auguſt. *De Civ. Dei.* Vide ſuprà.

FELICITER, ſolennis fuit apud Romanos acclamationis formula, quâ maximè quidem ad Duces, & Impp. ſed tamen nonnunquam ad alios quosvis, quibus bene vellent, utebantur. Suet. *Domit. c.* 13. *Acclamari etiam in Amphitheatro epulari die libenter audivit. Domino & Dominæ feliciter.* Guntherus de Romanis, Fridericum Ænobarbum excipientibus *l.* 4. *Ligur.*

Omnibus egregiè lætis totaque catervâ
Acclamante viro fauſtum, Feliciter, *omen.*

Similiter de Demetrio Phalereo, qui Athenas occupaverat, Phædr. *l.* 5. *fab.* 1. *v.* 3.

Ut mos eſt vulgi, paſſim, & certatim ruunt,
Feliciter *ſubclamant ipſi Principes.*

In nuptiarum ſolennitate inprimis uſitata. Unde Juv. *l.* 1. *Sat.* 2. *v.* 119.

Signatæ tabulæ dictum Feliciter *ingens,*
Cœna ſedet.

Et quod de Domitiano ſuprà diximus, in reducta poſt divortium uxore, acclamatum fuit. Thom. tamen Dempſter vocem hanc non in nuptiis, ſed in ſponſalibus fuiſſe ſolennem contendit, probatque ex modò laudato Juv. Ubi ait, rectè *Feliciter*: Talis enim erat acclamatio fauſtior, quâ bona quæque, auſpicatiorem imprimis contractus initi eventum precabantur, *Paral. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 37. Eandem vocem ſoliti ſunt Vett. in fine librorum adſcribere, ſignificare volentes, ad finem perventum eſſe. Hieronymus ad Marcellam, *Soletmus completis opuſculis, ad diſtinctionem rei alterius ſequentis, medium interponere*, Explicit, *aut* Feliciter, *aut aliquid ejuſmodi.* Completo ſc. libro, vocem hanc ſubjiciebant Vett. ac ſtatim ſcriptionem continuabant; quo modo ſæpe antiquis in membranis invenias diverſos libros, interdum etiam Auctorem diverſorum opera, ſine ullo ſpatio continuata, iſtiuſmodi ſaltem diſtinctione interpoſitâ. Librarii verò vocem illam modò appingere conſuevêre, fini prioris libri, modò ſequentis initio. Sic apud *Hiſtoriæ Aug.* Scriptores, *Divus Claudius. Feliciter. Antoninus Pius. Feliciter* &c. Vide Cl. Salmaſ. *ad Trebell. Pollion. in Claud. Lamprid.* item *in Commodo l.* 6. §. 4. Cod. *Theodoſ. de Collat. Bonor.* & ſuprà in voce *Explicit.* uti de eadem voce, ut & vocibus *Felicia* & *Feliciſſima*, in Impp. nummis ſæpe occurrentibus, infrà ubi de *Votivis nummis.*

FELICULA, virgo ingenua, quæ cùm nullis tormentis aut pollicitationibus à Chriſtiana religione diverti poſſet, juſſu Flacci Comitis in latrinas detruſa eſt, & ibidem mori coacta.

FELIGINATES, Umbriæ pop. Plin. *l.* 3. *c.* 14.

FELINUM, Urbs Livoniæ, ad Felam fluv. in Eſtonia prov. cum caſtro, ubi proditus à ſuis A. C. 1560. Gul. Furſtenbergius, Ord. Teut. Mag. Sub Rege nunc Sueciæ. 14. leucis à Revalia in Auſtr. 15. à Pernavia.

FELINUS Sandeus vel Sanderus, JC. Ferrar. dein Ep. Lucenſis, ſub initium ſeculi præteriti. Scripſit epitomen hiſt. Alphonſi Arragoniæ Regis ſeu ſyllogen ex Ottone Friſing. Antonino, Pio II. Blondo, Poggio, Palatina &c. Marq. Freherus edidit. *Voſſ. de Hiſt. Lat.*

FELIS, Ægyptiis inter Numina fuit, ut refert Herod. *Euterpe*, qui addit, mortuam domi ſaliri conſueviſſe, atque ita Bubaſtim deferri, ut ſacra in Urbe ſepeliretur. De cultura quoque teſtis Cic. *de LL. l.* 1. & *de Nat. Deor. l.* 1. ac 5. *Tuſcul. Quæſt.* Sed hac de re plura diximus jam ſuprà, in voce *Ælurus*, hoc enim Græcum *feli* nomen eſt, item ubi de *Aurea fele*. Cæterùm, in Sinis, prov. Pekinga *feles* habet omninò albas, longioribus pilis, protenſisque auriculis, quæ canum Melitenſium habentur loco, matronarumque ſunt delitiæ: at mures minimè capiunt, fortè quia delicatè nimis nutriuntur. Haud tamen deſunt aliæ, murium egregiæ venatrices, licèt minùs lautè habitæ, eoque fortè meliores, Auctor Anonymus *Sinæ & Eur. c.* 40. At *feles generoſi*, ait Scalig. *ſi famelici ſint, languent atque ad prædam ſunt ignaviores: nitidiores, animi gratiâ venantur. Uti canes leporarii nobiles dominis, non ſibi, capiunt feras*, *Poet. l.* 3. *c.* 51. Idem *Exercit.* 217. *ſ.* 9. in Malabarica regione, *Feles* eſſe agreſtes, in arboribus agentes, tantæ velocitatis, ut potiùs ſaltu valeant, qui & volatus habeat ſpeciem: nam pedes cruraque, non attingentes terram agitare in aëre, ut per eum currere videantur, refert. Plura de hoc animali, vide apud Plin. *l.* XI. *c.* 37. alibique paſſim, Ger. Joh. Voſſ. *de Idolol. l.* 3. *c.* 63. Alios: de *Felibus* inprimis *ſylveſtribus*, Sam. Bochart. *Hierozoici Parte prior l. III. c.* 14. uti de jure circa eas in Anglia olim, infra in voce *Utlagati*. de *Fele domeſtica* Alexandri VII. Pontif. Philomati *Muſas Juven.* de *Zibettica*, infrà in voce *Zibetta*; de *felineis oculis*, Salmaſ. *ad Solin. p.* 190. nec non hìc in voce *Catta Cattus*, *Glaucopis*, item *Mechlempe*, *Murilegus*: uti de monte Cananeæ à *felibus* denominato, in voce *Senir*. Addo ſaltem, *Felem* ex argento erectam (Gall. *effrayé*) in campo nigro, ſcutarium eſſe ſymbolum familiæ. *Au Chat du Pleſſis Breton*: duas autem ex eodem metallo gradientes in area cœrulea, fam. *Lachetaruie* apud C. Segoring. *Mercure Aymorial. p.* 128.

FELISIUS Matthias, vide *Matthias.*

Pontifices Romani.

FELIX I. Româ oriundus, Conſtantii fil. Ep. Rom. poſt Dionyſ. A. C. 270. ſcripſit ad Maximum Alexandrinum, contra Sabellium, & Paulum Samoſatenum. Obiit martyr, A. C. 275. Euſeb. *Hiſt. l.* 7. *c.* 26. Anaſtaſ. *de Rom. Pont.* Succeſſit Eutychianus.

FELIX II. in locum Liberii, in exilium miſſi, ab Arianis ſurrogatus, præparato ad inaugurationem ejus, juſſu Conſtantii, vice templi, Palatio, ubi tres Præſules hæretici manus ei impoſuêrunt De illo vide Socrat. *l.* 2. Sozom. *l.* 4. Theodoret. *l.* 2. Athenaſ. *Ep. ad Sol.* Hieron. *de Script. in Acac.* Sedit Ann. 1. menſ. 3. In Commun. Romana, contra quam Auguſtinus, & Optatus Milevitanus ſentiunt, ut Sanctus & Martyr, colitur. Baron. A. C. 335 & 357. Morerius. Ejus ſucceſſor Damaſus fuit.

FELIX III Proavus Gregorii Mag. ſucceſſit Simplicio A. C. 483. fil. Felicis Sacerdotis. Edictum Zenonis de Unione rejecit. P. Fullonem, P. Mongum, & Acacium excommunicavit: qui proin nomen ejus è Dyptichis Eccleſ. eraſit, & in Orthodoxos Præſules irritatus perſecutionem excitavit. Synodum, ad reconciliandos illos, qui tempore Vandalicæ perſecut. ab Arianis erant rebaptizati, habuit. Obiit A. C. 492. ſedis 9. Gregor. *homil.* 38. *in Evang. & l.* 4. *dial. c.* 16. Evagr. Niceph. Liberatus, Sigebertus, Ciacconius &c. Eum Gelaſius excepit.

FELIX IV. è Samnitibus oriundus, fil. Caſtorii, ſucceſſit Johanni I. Theodorici auctoritate. Apud Athalaricum, de Gothorum perſecutione conqueſtus, libertatem Eccleſiæ impetravit. Obiit A. C. 530. ſedis 4. Ei ſucceſſit Bonifacius II.

FELIX V. uxoratus, poſt Eugenium IV. definiente Concilio Baſil. *Non ſolùm uxorem qui habuit, ſed & qui habebat, aſſum. poteſt.* Seſſ. 34. Morn. *in Myſter. p.* 1248. Ceſſit Nicolao V. Vide *Amadeus.*

FELIX, cognom Sullæ. Plin. *l.* 7. *c.* 43. *Unus hominum ad hoc ævi Felicis ſibi cognomen aſſeruit, L. Sulla, civili nempe ſanguine ac patriæ oppugnatione adoptatum: & quibus felicitatis inductus argumentis? quòd proſcribere tot millia civium, ac trucidare potuiſſet.* Græcè Ἐπαφρόδιτος, ita enim in literis, quas ad Græcos dabat, pro illo cognomine Latino, ſeſe inſcribebat Sulla, uti diximus ſuprà in voce *Epaphroditus.*

FELIX, nomen duorum Conſulum: Unius cum Tauro A. U. C. 1181. Alterius cum Secundino, A. U. C. 1265.

FELIX, Judææ, Samariæ quoque, Galilææ, & reg. trans Jordanem dictæ, præfectus, Claudii Cæſaris libertus, Pallantis frater, uxorem duxit Druſillam, Antonii Triumviri neptem, quâ mortuâ duxit filiam Regis Agrippæ, quæ & ipſa Druſilla vocabatur, cujus mentionem facit B. Lucas Act. 24. *v.* 22. & 27. Denique aliam quandam Heroinam duxit, ut indicat Suet. Tib. Claud. *c.* 28. *Trium Reginarum maritum* illum appellans. Joſeph. *Antiqq. l.* 20. *c.* 14. Tacito Ann. *l.* 12. *c.* 54. vocatur *M. Antonius Felix.* De hujus avaritia, & ſeditione cum Ventidio, quâ, gliſcente pernicie, arſiſſet bello provincia, ni Quadratus Syriæ rector ſubveniſſet, item quatenus ad alia, vide Actor *c.* 24. *v.* 25. ubi, concione Pauli *de Caſtitate & ultimo judicio*, tertius legitur. Euſeb. *l.* 2. *c.* 20. Joſeph. *Antiqq. l.* 20. *c.* 5. 6. & 9.

FELIX, Prætorianis cohortibus præfectus, apud Capitolin. *in Gordianis*: ubi *Felicio* mavult Salmaſ. quod nomen non infrequens eſt in vett. monumentorum Inſcriptionibus.

FELIX, cognomen Opilii Macrini, qui, *quum Senatus eum Pium ac Felicem nuncupaſſet*, Felicis *nomen recepit, Pii habere noluit. Unde in eum Epigramma illatum Græci cujuſdam Poetæ videtur extare, quod Latinè hac ſententiâ continetur,*

Hiſtrio jam ſenior turpis, gravis, aſper, iniquus,
Impius, & felix *ſic ſimul eſſe cupit.*
Ut nolit pius eſſe, velit tamen eſſe beatus;
Quod natura negat, nec recipit ratio.
Nam pius *&* felix *poterat dici atque videri,*
Cui imperium infelix eſt, erit ille ſibi.

Apud Jul. Capitolin. *in Vita* Macrini, ubi & verſus habes, quibus huic Epigrammati reſpondit.

FELIX, Ep. Urgellenſis, Elipando junctus, ſub finem 8. ſec. inſtauravit errores Neſtorii, Jeſum Chriſtum non niſi per adoptionem DEI Filium eſſe aſſerens: Gallis & Germanis ſeducendis intentus, dum alter Aſtures, & Gallæcos pervagaretur. Condemnatus Conc. Francofurtano, A. C. 794. Sigebert. A. C. 793. Fevardent. *app. ad Caſt. Vide Chriſt. hær.* 3. Jonas, Ep. Aurel. *in opere c. Claudium Taur.* &c.

FELIX Crolandus, Benedictinus Anglus, Rhetor, & Poëta, ſec. 8. Vitam S Guthlaci, aliaque ſcripſit. *Morer.*

FELIX Fabri, Jacobinus, auctor Itinerarii, ſec. 15. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 6.

FELIX Julia, vide *Julia.*

FELIX Malleolus, Cantor Eccleſiæ Tigurinæ, celebris, ſec. 15. Coccius, *Cat.* A. C. 1450.

FELIX Manilius, auctor vitæ S. Gebhardi, primi Ep. Conſtant. Caniſ. *ant. lect. t.* 6.

FELIX Petantius, ſec, 15. auctor Genealogiæ Turcicæ. Item, *quibus itineribus Turcæ aggrediendi?* Ad Vladiſlaum, Hung. & Bohem. Regem Cuſpinian. *de Turc. Orig.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. p.* 607.

FELIX Platerus, Thomæ fil. Medicus Baſilienſis celeberrimus. Item, Felicis, ex Thoma fratre, nepos, itidem Medicus inclytus, ſub

ſub finem ſeculi præteriti, uſque ad noſtram memoriam, floruêrunt: Scriptis celebres. Vide quoque in voce *Platerus*.

FELIX Rullatus, auriga nobilis.

FELIX Valeſius, ex Francia Familia, cum Joh. de Matha, ſolitudini ſocio, Eremita: Patriarchæ ord. Trinitatis, & Redemptionis captivorum, ab Innocentio III. approbati. Vide *Johannes de Matha*, & *Trinitatis ordo*.

FELLENIUS, Deus Aquileienſium tutelaris, ac præſes.

FELONIA, quibuſdam à Gr. φηλοῦν, *decipere, illudere*, quòd à φηλήξ, progreſſus, quod hæc ficus ſpecies maturitatem præ ſe fert, cùm nihil ſit minus: Aliis à Germ. *Fehlen*, vel *Fallen*, delinquere, errare, cadere: ut ſic *Felonia* idem ſit, quod delictum, vel error vaſalli: vel culpæ genus, ob quod feudum cadat in manus domini. Primùm enim audita vox eſt, inter dominum, & vaſallum, certè de levibus interdum injuriis dicta: Angli verò non intelligunt, niſi inter Regem & ſubditum, in criminibus quidem graviſſimis, quæ vitæ diſpendio luuntur, adeoque apud illos poſt læſæ Majeſtatis crimen, graviſſimum eſt, pretio feudi, i. e. totius hæreditatis, fortunarum omnium, ipſiuſque vitæ plectendum. In quibuſdam tamen *Feloniis*, ex peſſimo genere non exiſtentibus, mortis judicium effugiebant, olim rei literariæ periti, ſi legentes clericos ſe profiterentur. *Felonum* bona Rex ſolus percipit: etiam prædia, quæ pura tenentur hæreditate de ſemetipſo. Quæ de aliis, in annum ſolum, & diem, redditque deinceps domino Feudi, ſed vaſtata, ut loquuntur, interea, i. e. ſylvis & arboribus: Quam prærogativam Forenſes *Annum, Diem, & Vaſtum nuncupant*. Species *Feloniæ* complures ſunt, de quibus vide Spelmannum *Gloſſ. Archæol.* Ubi vocabulum hoc deducit à Saxonico *Fee*, quod eſt pecunia, per tranſlationem ſtipendium, hæreditas, etiam beneficium vaſalli, inde Feudum nuncupatum: & Germ. *Lon*, pretium, ut *Felonia* ſit crimen, quod pretio Feudi, i. e. amiſſione beneficii & hæreditatis vindicatur.

FELPA, Vide infrà *Serica veſtis*.

FELSINA, urbs Italiæ, poſteà *Bononia* appellata. Plin. *l.* 3. *c.* 15. Et Galliæ Togatæ urbs, quæ nunc *Bologna* dicitur, & nobili Academiâ celebris eſt.

FELSINUS, Tuſcorum Rex, regn. Ann. 33.

FELTRIA, Urbs al. Venetiæ, nunc Marchiæ Tarviſinæ, ad Aſonem amnem, qui paulo infrà in Anaxum cadit. Venetis ſubeſt. 10. mill. à confin. dit. Tridentinæ in Ort. 50. à Venetiis in Circ. Ep. ſub Patriarcha Aquilejenſi.

FELTRINA, Rhætiæ urbs. *Anton.*

FELTRUM, vide *Filtrum*.

FEMELLA Amatriciana, mulier conſtantiſſima, quæ quum intellexiſſet, filium demiſſo nimis animo ad ſupplicium trahi, eidem occurrens juſſit, & exuto periculi metu, cœlum, & Solem ſuſpiceret, quod cùm feciſſet, *An*, inquit, *ignoras fili, te confeſtim in arces illas emigraturum?*

FEMERA, Inſ. parva Daniæ, in mari Baltico in ora littorali Holſatiæ & Wagriæ prov. à qua 4. mill. abeſt. *Fimeria* etiam, quod vide

FEMINA, vide infrà *Fœmina*.

FEMINALIA, Suet. dicuntur *femorum* indumenta: quæ Vulgatus Bibliorum Interpres *Femoralia*, idem, ut & S. Benedictus aliique Scriptores Eccleſiaſtici *Succinctoria*, & *Campeſtria*, M. Tullius *Subligacula* appellat. Quanquam hæc poſteriora vocabula propriè ſumpta, breviora verendorum tegmina ſignificant: ut obſervavit poſt alios Jac. Pontan. *in Ovid. l.* 5. *Triſt. Eleg.* 11. Horum uſus non fuit in electo Dei populo, niſi in Sacerdotibus tempore miniſterii. Unde ad Moſem divina vox, Exodi *c.* 28. *v.* 42. & 43. *Fac quoque*, inquit, *eis* (Aharoni & filiis illius) *femoralia linea ad tegendam carnem nudam, à lumbis uſque ad ima femina ſunto. Hæc erunt ſuper Aharonem & ſuper filios ejus quùm ingredientur tentorium conventus, aut quum accedunt ipſum altare* &c. Hæc poſt miniſterium depoſita & in gazophylacium recondita fuiſſe, patet ex Ezech. *c.* 44. *v.* 19. ubi Sacerdotes ea *in cellas ſanctitatis* reponere jubentur. Sed nec Romanis, neque Orientalibus gentibus, per illa tempora *Feminalia* cognita fuêre. Romanos enim togatos (nam armati, quòd togæ operimento carerent, *feminalibus* tecti, tibialibus verò nudati fuêre, ut oſtendit columna Trajani) iis caruiſſe probatur ex Suet. *in Jul. c.* 82. ubi de ipſo ſic ait: *Ut animadvertit undique ſe ſtrictis pugionibus peti, togâ caput obvolvit: ſimul ſiniſtrâ manu ſinum ad ima crura deduxit, quo honeſtius caderet, etiam inferiore corporis parte velatâ.* Hinc & Saturninus, Tyrannus, *Convivio diſcumbere milites, ne inferiora nudarentur, cum ſagis juſſit*, apud Trebell. Imò & ſine *feminalibus* ſacrificaſſe eoſdem, docet Mart. *l.* 3. *Epigr.* 24. ubi de haruſpice quodam Tuſco ei ſermo eſt. Eorundem uſus aliis quoque nationibus, etiam Chriſtianis antiquitus defuit. Unde Bulgari recens ad fidem converſi, inter alia Nicolaum I. Pontif. conſulentes, etiam hoc ſciſcitati leguntur: *Utrum femoralia induere deberent, nec ne?* Et Benedictus *in Regula c.* 55. femoralia tantùm iter acturis concedit: quam regulæ particulam non admodum probans Joh. Cardinaliſi de Turrecremata *tr.* 121. *in illud c.* affirmat, temporibus S. Benedicti, ratum fuiſſe braccarum uſum. Ciſtercienſes quoque Monachos, ſub eadem militantes regula, non uſos fuiſſe femoralibus, niſi inter equitandum, atque ideo Cluniacenſibus Monachis *Feminalium* domeſticum uſum, tanquam peccatum contra regulam communis Patris, fuiſſe objectum, tradit Jac. à Vitriaco Cardin. *Hiſt. Occid. c.* 14. & P. Cluniacenſis *l.* 1 aliàs *l.* 3. *Ep.* 28. *ad Bernardum object.* 3. Plura vide apud Jul. Nigron. *tr. de Caliga c.* 2. Salmaſ. *Feminalia* ſeu *feminales faſcias* à braccis diſtinguens, *feminalibus* uſos Romanos etiam ſub Auguſto, & Auguſtum ipſum uſum, frigoris præcipuè causâ atque faſciis hujuſmodi *femina* involvere ſolitum; braccarum verò uſum penitùs tum incognitum fuiſſe; voces interim ubique confundi Græcis Romaniſque Scriptoribus, pluribus docet *ad Lamprid. in Alex. Sev.* Sed & *feminales faſcias* non minùs, ac crurales, jam Perſis in uſu fuiſſe, antiquiſſimis temporibus, contendit idem ex Juſtin. *l.* 1. *c.* 2. ubi de Semiramide &c. Vide quoque ſuprà, ubi de *Braccis*, & Caſaub. *ad Aug. Suet. c.* 82.

FEMUR, ſeu FEMEN, quaſi FERIMEN, quòd hac maxime parte ſuſtineatur homo, & *feratur*, an à *femina*, quòd in ea parte ab illa viri ſexus diſcrepet, Græcis unâ voce μηρὸς dicitur. Latini nonnunquam ſubtiliùs diſtinguentes, *Femora* exteriores partes *Femina* interiores vocant. In hac parte Vett. olim ſcriptitaſſe, docet Galen. *De uſu part. l.* 3. ubi non ſuper menſis vel pluteis, ut nos hodie, ſed *ſuper femore collocatâ chartâ*, atque ut ejus verbis dicam, ἐν ἕτοιμοις καὶ ἐπὶ μηροῦ τὸ βιβλίον, ſcripſiſſe ait. Unde, quoties ſcriptioni operam darent, in Lectulos ſeſe lucubratorios recipiebant, in quibus reclinati jacebant magis, quàm ſedebant, uti infrà dicemus, in voce *Lecticula Lucubratoria*. Eandem partem in luctu ferni ſolitam, legimus paſſim. Seleucidas ibi anchoram habuiſſe *notam generis naturalem*, ſcripſit Juſtin. *l.* 15. *c.* 4. &c. Vide quoque infrà *Phœnomerides*, uti de tegmine eorum, hic ſuprà. Atque hæc prima vocis ſignificatio: Decore dein ad partes generationi deſtinatas denotandas tranſlata eſt. Quo ſenſu occurrit Geneſ. *c.* 24 *v.* 2. ubi *de ritu jurantis manum ſub femore ponendi*, alibi non obvio: quo inter alia obſequium inferioris erga ſuperiorem, velut quodam homagii ſigno, ſignificatum fuiſſe, ait Rivet. qui recentiori ævo ſimile quid in ſolennibus Fidelitatis juramentis præſtitum fuiſſe, unde phraſis Gallorum *embraſſer la cuiſſe*, h. e. femur amplecti, pro *exhibere ſummam reverentiam*, orta, addit *ad l. cit.* Cæterùm de *femoribus* victimarum Numini oblatis; *de more faſciis femora involvendi* ſuprà in voce *Faſcia*; *ſuper femur gladium ſicamve accingendi*, aliiſque huc ſpectantibus, hîc paſſim.

FENDIUS Melchior, vide *Melchior*.

FENESTELLA Lucius, Hiſtoricus Rom. ſæpe citatur à Plin. Gell. Lact. Mortuus eſt Cumis, Auguſti tempore, Euſeb. Annalium auctor, ſub Tiberio obiit, Morer. *Feneſtella* alter, cujus de ſacerdotiis, & Magg. Rom. ſcriptum extat, eo multò eſt recentior. Dominici Flocci Florentini hos libellos eſſe, aſſerunt eruditi. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 19. Eſt & Portæ Romanæ nomen. Ovid. *Faſt. l.* 6. *v.* 575.

Nocte domum parvâ ſolita eſt intrare feneſtrâ,
Unde Feneſtellæ *nomina porta tenet.*

Perperam apud Baſil. Fab. *Poetæ Romani nomen.*

FENESTRA, ex Græco φανίστρα, quod à verbo φαίνω; antiquis *Feneſtra* & *Feſtra*, ex Græco φαίστρα itidem, quod à φαιστὸς, *perſpicuus, lucidus*: illuminandæ domui inſervit. Quo fine decorabantur olim ex ſpeculari lapide, aut vitro in tenues laminas fuſo, quæ ὑέλια Græcis, obducebantur. *Vitrea* Latini appellabant, uti patet ex lemmate *Ænigmatis* Sympoſiani, in vetuſtiſſimo libro Salmaſ. quod ſic habet:

Perſpicior penitùs, nec luminis arceo viſus.

Quæ laminæ vitreæ, ſive eſſent teſſeræ, ſive orbes, invicem gypſo committebantur, ſicut hodie plumbo, per ἐμπλαστικὴν τέχνην, uti eam vocat Philoponus *in* 2. *poſt. Anal. ad illa verba*, διὰ τὸ διιέναι λαμπτῆρα τὸ φῶς; ubi Philoſophus per λαμπτῆρα intelligit aut laternam ex pelle pellucida factam; aut ſpecular, ſive vitreum, quod ad lucem excipiendam *feneſtris* ſolet obduci. Feneſtræ dein vitro verſicolori ornari cœpêre, uti memorat Anaſtaſ. *in Leone* III. &c. Iiſque affigebantur, hortuli, frutices, alia. Mart. *l.* XI. *Epigr.* 19. cujus Epigraphe in lupum.

Donaſti, Lupe, rus ſub urbe nobis:
Sed rus eſt mihi majus in feneſtrâ.

Quod hodieque in Hiſpania, & Italia Monachi faciunt, in *feneſtris* arbuſculas, mala citrea, hortos penſiles &c. oſtendentes. Porro in publicis ſolennitatibus, uti tabernæ, & fores, it quoque *feneſtræ*, lauro, fronde, floribus, lucernis appenſis inſtruebantur, atque ex iis feminæ ſpectabant. Idem *l.* 10. *Epigr.* 6. ubi de *adventu* Trajani,

Quando erit ille dies, quo campus, & arbor, & omnis
Lucebit Latia culta feneſtra *nuru?*

In iiſdem lucernæ ardentes Natali die, ſuſpendebantur, vide infrà ubi de eo. Recentiori ævo, armorum inſignia iis aptabant, qui haſtiludiis erant decertaturi, ut mox dicemus. Sed & cancellis muniebantur olim *Feneſtræ* ſeu reticulis objectis, cujuſmodi feneſtram *reticulatam* vocat Varro *de Re Ruſt. l.* 3. *c.* 7. Græci δεδικτυωμένην, 3. Reg. Apud Procop. Gazæum φωταγωγοὶ δικτυοειδῶς κατεσκευασμέναι διαφανέσι λίθοις κεκλεισμέναι, occurrunt: Vide infrà *Tranſenna*, ad quarum imitationem, apud Trebell. Pollion. Gallien. *campagos reticulos* appellaſſe legitur: erat autem Campagus, calceamentum regium. Itaque cùm *reticulorum* nomen ei auctor jungit, ornatus campagorum innui videtur: quorum obſtragula crebris & aptè diſtinctis inciſuris, retium ad inſtar, aliquando fuêre *feneſtrata*. Nec alia Tzangæ figura fuiſſe videtur: utriuſque imaginem ex ære repræſentat Balduin. *de Calceo c.* 18. Similiter in Cephiſidori Comici *Trophonio*, apud Victor. *Var. l.* 14. *c.* 15. λεπτοσχιδῶν nomine calcei intelliguntur, tenuibus inciſuris ad ornatum, & elegantiam inſigniti, qui aliàs *perforati*, ac *feneſtrati*, Gallicè *decoupez, & dechiquetez* dicuntur, teſte eodem *c.* 13. Quale genus calceorum cernere eſt in ſtatua iconica Eumenio Rhetori, in illuſtri Clivorum opp. ad portam mediaſtinam, poſita, quod apud eundem Auctorem expreſſum habes *p.* 117. Sed & in auribus *Feneſtras* memorat Juv. *l.* 1. *Sat.* 1. *v.* 104.

—— *Molles quod in aure* feneſtræ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Certum quoddam Inaurium genus indigitans, dum foratis auribus inſerebant tum gemmas, tum alia id genus. Unde Tertullian. *de Pallio*: *Aurem*, inquit, *foratu ejaculantur*: alludens ad ritum illum Inaures geſtandi, quæ ex perforatarum aurium cicatricibus & cavernis dependebant, unde & nominis etymon ac origo. Vide Caſparum Bartholin. *de Inauribus veterum Syntagm. c.* 1. & ſuprà ubi de *Aurem perforandi ritu*. Cùm ergo in auribus pedibusque *Feneſtras* videamus, quid mirum, quòd Momus olim in pectore illas deſideraverit. Ita enim per eas, quid intus lateret, perſpici poſſet, & ſinuoſi cordis receſſus non tot fraudes, tot technas abſconderent. Quam querelam Vitruv. *in præfatione l.* 3. Socrati tribuit. Vide quoque Lucian. *de Conc. Deorum*. In Monaſteriis Mònialium *Feneſtra*, & *Feneſtra verſatilis, per quam danda, & recipienda* tranſmittuntur, quæque Gallis *la Tour* vulgò, occurrit ſæpius *in Statutis* Ordinis Sempringham. Cujus rei cura incumbit, *Feneſtrarius* ſeu *Frneſtraria* appellatur ibidem, Gall. *Touriere*. De *Feneſtris* τοξικαῖς. Vide infrà *Toxicum*. In *Charta* verò Friderici II. Imp. A. C. 1226. pro Eccl. Aſculana, ubi legitur, *tenere fèneſtram apertam*, *Feneſtra* eſt, ubi levioris momenti merces venum exponuntur. Sic *tenere feneſtram panis*, in *Tabular.* *Monaſterii S. Bertini: *tenere feneſtras, vendentes allia*, in *Tabulario* Ep. Autiſſiod. *Ponere panem in ſua feneſtra*, in *LL.* Burgorum Scotic. *c.* 67. &c. apud C. du Freſne. Unde *Feneſtragium*, jus iſtud exponendi panem vel alias merces in feneſtris, in *Charta A.* C. 1294. apud eund. Sed & hac voce appllabant Galli, cùm in haſtiludiis, qui decertaturi erant, antequam in arenam deſcenderent, armorum ſuorum inſignia ædium ſuarum *feneſtris* aptabant, quò cunctis, ut dimicaturi, innoteſcerent, vide omninò Auctorem hunc *in Gloſſ. ſuo*. Plura verò de *Feneſtris* Vett. tum *communibus*, tum *opere reticulato factis*, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 921. 1095. & *ſeqq.* De *Feneſtris* verò Lecticarum, infrà: uti de proſpectu *per Feneſtras* Virginibus apud Vett. prohibito, infrà in voce *Oecuria*, it. *Virginitas*. Alia in *Vitreum*, *Vitriarii*, *Vitrum*.

FENIUS Rufus, annonæ ſub Nerone præfectus. Tacit. Ann. *l.* 13. *c.* 22. Poſt mortem Burrhi P. Mario, L. Aſinio Coſſ. prætoriis cohortibus impoſitus, ibid. *l.* 14. *c.* 51. Quem fama vitaque laudatum cum per ſævitiam impudicitiamque collega Tigellinus in animo Principis anteiret fatigaretque criminationibus, quaſi adulterum Agrippinæ & deſiderio ejus ultioni intentum; ex metu cum aliis tribunis ac centurionibus in partes conjurationis capite Piſone contra Neronem deſcendit. Id. *l.* 15. *c.* 50. Sed detectâ conjuratione, nondum ipſe nominatus, in conſcios inquiſitionem exercuit acerrimè: quare à Scevino indicatus & pavoris manifeſtus, juſſu Neronis, à Caſſio milite correptus vinctuſque eſt. Ibid. *c.* 66. Volaterranus *in Anthropologia* legit *Ferinius*, admodum vitiosè.

FENNI, ſeu PHINNI, Ptol. *Finni* Jornandi, pop. Scandinaviæ, quorum regio *Finlandia* in ortum vergens, ſub Suecis, in Moſchorum confinio. Vide Tacit. de morib. German. *c.* 46. & *Finnonia*.

FERA, ab Æolico φὴρ, pro θὴρ, per excellentiam leo eſt, apud Scriptores Arabes, Græcoſque, uti docet Sam. Bochart. *Hierozoici Parte priore l.* 3. *c.* 1. At apud Septentrionales, *Fera*, item *Fera Regalis*, ut in *LL.* Foreſtarum Canuti Regis, vulgò *Staggon*, cervus eſt, cujus venatio *regalis* dicitur: Unde narrat Luitprand. *l.* 3. *c.* 4. Lanthbertum Mediolan. Archiep. Burchardo Suevorum Duci, *quaſi hoc eſſet privilegium amoris, conceſſiſſe cervum, quem is ſuo in brolio venaretur quod nulli unquam niſi chariſſimis magniſque conceſſerat amicis*. Imò Nonius quoque notat, cervum κατ᾽ ἐξοχὴν *ferum* appellari, à Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 489.

Pellebatque ferum *puroque in fonte lavabat.*

Quod de apro etiam obſervavit Salmaſ. *Not. ad Capitolin.* cujus feminam, *feræ* nomine indigitari in *Charta* Fundat. Abbatiæ S. Mariæ Santon. A. C. 1047. apud Sammarthanos, adnotat C. du Freſne. Uti autem cervus *Fera regalis*, ſic aper *Fera foreſtæ* dicitur, in iiſdem *LL.* ubi non ſemel ſibi invicem contradiſtinguuntur: non verò *capreoli, lepores & cuniculi*: quippe, ut eſt apud Hygin. *in Aſtron. l.* 2. nobiles Venatores circa lepores non occupantur; carpiturque proin Callimachus, quòd Dianam eorum ſanguine ſatiari dixerit. At aprorum venationem Regibus quoque propriam fuiſſe innuit Thegan. *de Geſtis Ludovici Pii c.* 20. *In menſe Auguſto, quando cervi pinguiſſimi ſunt, venationi vacabat, uſque dum aprorum tempus advenerat* &c. Vide C. du Freſne *Gloſſ.* Apud Jul. Capitolin. *in Gordianis* alioſque, *Feræ Libycæ* ſeu *Africanæ*. Dioni Λιβυκὰ θηρία paſſim, leones ſunt pardique, ut interpretatur Serv. Conveniebant enim in Africæ certis locis variæ, & ἑτερογενεῖς feræ quas venatores captas Romam mittebant. Unde Capitolin. *feras*, inquit, *Libycas unâ die centum exhibuit, urſos mille*, Caſaub. &c. Sunt autem *Feræ* venatoribus hoſtium loco. Gratius *Cyneget.*

Tunc ipſum medio caſſem qui naſcitur ore
Per ſenos circum uſque ſinus laqueabis, ut omnem
Concipiat tergo, ſi quiſquam eſt, pluribus hoſtem.

Unde Venatio ipſa, Nemeſiano,

——— *ſecuri prælia ruris.*

Hincque, velut, in tropæum, ſuſpendendi ferarum capita, Diis Dianæque præcipuè, mos vet. Virg. *Ecl.* 7. *v.* 29.

Setoſi caput hoc apri *tibi, Delia, parvus,*
Et ramoſa Mycon vivacis cornua cervi:

Vide infrà ubi de *Venatione*, item ubi de *Exuviis*. Contrà *à feris devorari*, ignominioſiſſimum mortis genus habitum, ut ex proœmio *Iliadis* diſcimus, *v.* 4.

— —— αὐτοὺς δ᾽ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσι
Οἰωνοῖσί τε πᾶσι ——

Quo qui periiſſent, *non poſſe apud Inferos quiete frui*, perſuaſum fuiſſe Veteribus, vet. ait Scholiaſtes Statii *Theb. l.* 12. *v.* 98. [illegible] vis poſtmodum in urbes tranſlatæ ſunt, vivariis extructis in quibus ſervarentur delectationi magis ſecuræ, quod primus quis Romæ [illegible] rit, Plin. docet *l.* 8. *c.* 52. *Vivaria ceterum (aprorum) cæterarumque ſylveſtrium, primus togati generis invenit Fulvius Lippinus (an Hirpinus) qui in Tarquinienſi feras paſcere inſtituit. Nec diu imitatores defuêre L. Lucullus & Q. Hortenſius.* Etiam cicurandi inventa ratio, unde *Manſuetarii* magiſtri, & cuſtodes, apud Romanos, [illegible] vorum genus, in ſpecie *Urſarii* &c. de quibus ſuo loco: plura verò hanc in rem, apud Plin. præfatum *toto l.* 8. uti *de ferarum pellibus ſe veſtiendi more*, apud varias gentes frequentato, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1006. de *more* verò *feris homines objiciendi*, infrà. Hîc verò non omittendum, quod *ferino vultu* ipſa Gentilium Numina [illegible] dum voluêre aſpici: inter quæ Juno in Lyco *feræ* omnino formam habuit Athenis, Saturnus alibi &c. uti videre eſt apud Car. Paſchal. *Cor. l.* 10. *c.* 14. Imo εἰς τὴν θεοποιΐαν [illegible] ζῶον καὶ ὁμοίως ἀνέμιξαν θηρίων καὶ ἀνθρώπου, καὶ πάλιν ὀρνέων σώματα καὶ ἀνθρώπου. ἕκαστον γὰρ παρ᾽ αὐτοῖς ἕως μέχρι τραχήλου [illegible] τὸ δὲ πρόσωπον ὀρνέου ἢ λέοντος ἢ ἄλλου τινὸς ζώου [illegible] αὖ κεφαλὴ ἀνθρώπειος, καὶ ἄλλων τινῶν ζώων μέρη. *Ad Deorum fabricam omne animal unà cum homime Ægyptii aſſumpſerunt: in quibus & pecudum, & hominis, aviumque item & hominis corpora commiſcuêre. Singulæ apud illos Deorum ſtatuæ vel collo tenus humanam ſpeciem præferunt, faciem verò vel avis, vel leonis, vel alterius animalis impoſitam habent, vel contrà capiti humano ſubjectum alterius animalis corpus præmonſtrant*, Porphyrius περὶ ἀποχῆς ἐμψ. *l.* 4. Vide quoque Tertullian. *Apologet. c.* 16. Minuc. Fel. *Octavio*. & [illegible] Commentatores. Sed & Minerva non *ferox* tantùm, & *torva* [illegible] etiam *fera* dicitur Val. Flacco Argon. *l.* 3. quam in rem pluſcula habes apud Barthium *ad Stat. Theb. l.* 2. *v.* 715.

Diva ferox *magni Deus, ingeniumque parentis.*

FERALDUS Raïmundus, vide *Raimundus*.

FERALIA, feriæ apud Romanos Diis Manibus ſacratæ. Ovid. *Faſt. l.* 2. *v.* 569.

Hanc quia juſta ferat, dixêre Feralia, *lucem.*

FERALIS, apud Stat. *Theb. l.* 6. *v.* 32.

—— *ſedet ipſe exutus honoro*
Vittarum nexu genitor, ſqualentiaque ora
Sparſus & incultam ferali *pulvere barbam*:

vet. Scholiaſti eſt *deſignans mortem pueri cum damno familiæ*. Nempe *Feralis*, νεκρικὸς, Auctori *Onomaſtici*. Etiam quidquid [illegible] contrarium, ut *Feralia dicta*, apud Scriptorem *Gloſſ. Minut.* [illegible] ὕβρεις. *Feralia Vota*, apud Stat. iterum *Theb. l.* XI. *v.* 344.

Non ego te ſtygiis feralia *Sanxi*
Vota *Deis*

diræ, quibus devovit filios ſuos Oedipus. Sed & *ferales*, pediculorum infeſtiorum genus, apud Cœl. Aurelian. *l.* 3. *Tard. c.* 2. de *phthiriaſi*. *Ferales coronæ*, geſtantibus pernicioſæ, qualis illa Cleopatræ, apud Plin. *l.* 21. *c.* 3. *Apud Græcos quidem de coronis privatim ſcripſêre Mneſtheus atque Callimachus Medici, quæ nocerent [illegible] quoniam & in hoc eſt aliqua valetudinis portio, in potu atque [illegible] præcipuè odorum vi ſurrepente fallaciter, ſceleratâ Cleopatræ [illegible] Namque ---- extremis coronæ floribus veneno illitis, ipſaque capiti [illegible] poſitâ, mox procedente hilaritate invitavit Antonium, ut coronas [illegible] rent ---- Ergo concerptâ in ſcyphum, incipienti haurire oppoſitâ manu* &c. Vide C. Paſchal. Cor. *l.* 1. *c.* 15. A *Feralibus*, Manium ſacro, de quo ſuo loco: uti de *Ferali cœna* ſuprà uſum.

FERCTUM, genus libi, à *farciendo* nonnullis, quaſi *fartum* dictum, quòd multis variiſque rebus farciretur. Nam Vett. ut ſcribit Cato, *ſtruem farris, tritici, hordei, fabæ, ſeminis rapicii, thure* [illegible] *additis*, ante meſſem parabant, in porcæ præcidaneæ immolatione, Janoque ac Jovi, & Junoni ſacrificabant. Salmaſ. *Ferctum*, quòd *bonum* eſſet, & Χρηστὸν, appellatum mavult; indeque compoſitum genus libi *Strueferctum*, quaſi *ſtruem bonam*: ab antiquiſſima voce [illegible] *ctum*, pro bono. *Fertum* alii vocant, & *Struefertum*: in vet. *Inſcr.* *Porcam, & agnam ſtruibus & fertis*. Inde *fertilis* &c. Vide eum ad *Solin. p.* 1263. nec non Jac. Oiſel. JC. *Not. ad A. Gell. l.* 10. *c.* 15.

FERCULUM, propriè τρόπαιον, cujus forma nota ex nummis, & hiſtoria: Hinc *Fercula triumphalia*, quæ in triumphis *præferebantur*, uti vidimus, ubi *de Triumpho*. Item *funebria*, de quibus Stat. *Theb. l.* 6. *v.* 126.

Portant inferias, arſuraque fercula *primi*
Grajorum, tituliſque pios teſtantur honores.

Nempe eadem hæc, vel affinia ſaltem, triumphalibus, qualia in funere Ducum fortiumque virorum præferri mos. Sic arma truncis ſuffixa in tropæa nim. erigendis, portant Duces, in funere Pallantis, apud Virg. *Æn. l.* XI. Sic infenſiſſimi hoſtis ſui cadaver avehendum, in alia quidem re, portat tamen ipſe, & ſuis manibus vehiculo Hectoris imponit Achilles, *Il.* ω. & Jaſon ipſemet fert ad rogum Cyzicum, apud Val. Flacc. Argon. *l.* 3. &c. Erant his, ut & triumphalibus, tituli adſcripti quorum eſſent, honoris ergò, uti ex *MS.* optimi gloſſa docet Barth. *ad Stat. l.* Imò & inimicorum, ex Virg. Æn. *l.* XI. *v.* 84.

---- *inimicaque nomina figi.*

Alia omninò *funebria fercula* Suet. *Calig. c.* 15. *Ad transferendos matris fratriſque cineres feſtinavit ---- nec minore ſcena* [illegible]

ſixo in biremis puppe vexillo, & inde Romam Tiberi ſubvectos, per ſplendidiſſimum quemque equeſtris ordinis, medio ac frequenti die, duobus ferculis, *Mauſoleo intulit.* Ubi Caſaub. *Sic appellat* inquit, *pompaticum inſtrumentum, in quo cineres erant, cum inferrentur in Mauſoleum, ob ſimilitudinem aliquam* ferculorum *triumphalium: utraque enim ſic erant compoſita, ut elata geſtari omnibuſque oſtendi poſſent.* Alia item apud Plin. *l.* 10. *c.* 10. *Notatum in his* (milvis) *rapaciſſimam & famelicam ſemper alitem nihil eſculenti rapere unquam ex funerum* ferculis: Hic enim cœna ſepulchralis indigitatur, quæ in funeribus olim ſatis lauta parabatur, delataque ad rogum cum defuncto cremabatur, ex Apulejo *Florid. l.* 4. Dalechamp. *Not. ad Plin.* Nec multo aliter vocem *tropæum* uſurpat Suet. in funere Julii. *c.*84 Galb. *c.* 14. Cal. *c.* 45. Nempe *Ferculum* etiam *ſtructoris, menſa una*, ob ſimilitudinem cum tropæis. Non enim lances menſis imponebant elegantiores: ſed machinulis quibuſdam venuſto artificio elaboratis partim imponebant, partim appendebant. Sic in *Satyrico* Petron. Edit. Gonſalis de Salas *p.* 17. Edit. Boſſch. *c.* 31. cœna lautiſſima deſcribitur, cujus guſtatio ſive promulſis menſæ, ita fuerat exhibita: *Cæterum in promulſidari* (menſa ſc. h. e *guſtatoria*) *aſellus erat Corinthius, cum biſaccio poſitus, qui habebat olivas* &c. Deinde remotâ guſtatoriâ ſequitur *Ferculum*, quod ita exhibetur, Idem *p.* 19. *c.* 35. *Repoſitorium enim rotundum, duodecim habebat ſigna in orbe diſpoſita: ſuper quæ proprium convenientemque materiæ ſtructor impoſuerat cibum: ſuper Arietem cicer arietinum* &c. Similia apud Græcos legas. Quo ſenſu Suet. de Aug. *c.* 74. *Cænam*, ait, *trinis* ferculis, *aut cum abundatiſſime, ſenis præbebat.* Inde pro ipſis cibis, qui inferebantur. Coronari ea in conviviis moris fuiſſe, Athen. docet, *l.* 5. *p.* 194. in iis Ludis, quos apud Daphnem Antiochus edidit, anſeres, lepores, damas cum aureis coronis, convivio illatas memorans. Vide C. Paſchal. *Cor. l.* 2. *c.* 3. & ſuprà ubi de *Cibum capiendi ratione*, infrà quoque in voce *Infertores*. It. *Lances*. Plura vero hanc in rem, inprimis *de Ferculis triumphalibus*, vide apud J. C. Bulenger. *de Triumpho c.* 25. de *Funebribus*, apud Caſpar. Barth. *ad Stat. l. cit.* &c. Medio ævo, *Fercula*, quæ pro nuptiis celebratis Curioni ſeu Sacerdoti ex jure præſtabantur, occurrunt paſſim, apud Scriptores Eccl. Rom. De *Ferculis fictitiis*, quibus paraſitos ſuos luſit Heliogabalus, vide apud Lamprid. in *Vita* ejus. *Ferculi Generalis* mentio eſt in *Charta* Joh. Theſaurarii S. Quintini A. C. 1094. apud C. du Freſne: *Ordinavit etiam caritas eorum, ut in die S. Trinitatis, quæ ante Domini adventum quibuſdam in locis celebratur, die ſc. meæ nativitatis, quandiu viverem, & in anniverſaria mei tranſitus commemoratione, refectio eorum uno quolibet generali* ferculo *communiter, & indeſinenter ampliaretur* &c. de *Ferculorum aſſeſſore* in Galliæ olim Regum aula, diximus ſuprà.

FERDINANDI Neronæ Inſ. in Americ. merid. verſus oram Or. Braſiliæ, à Luſitanis detecta & munita. Parva eſt & malè culta, ab ora prox. Braſiliæ 70. leuc. abeſt. Ei adjacet altera Inſ. *Ignium Inſ.* dicta.

FERDINANDI Pai Inſ. in ora Guineæ, in ſinu S. Thomæ, à Luſitanis detecta, iis ſubeſt.

FERDINANDUS, nomen Arabicum eſt Carolo Macro, *à Ferhdin-handit*, i. e. *Gaudium fidei habet ipſe*, ſive *Gaudium fidei apud eum*: quo primum appellatum fuiſſe S. Ferdinandum, Hiſpaniæ Regem eo quod hoc Regnum à Saracenorum tyrannide liberaverit, refert in *Hierolexico*. A quo tempore auſpicatum hoc nomen Hiſpanis habitum, ut dicemus infrà.

Imperatores.

FERDINANDUS I. Imp. frater minor Caroli V. fil. Philippi I. Archid. Auſtriæ, ex Johanna Caſtellana. In Juventute ſtudiis intentus, dein Rex Bohemiæ, & Hungariæ factus, prudentiæ & clementiæ elogium meruit. Imparibus votis Rex Romanorum electus, A. C. 1531. unanimi conſenſu, poſtquam Carolus Imperii onus in fratrem devolvit, Imp. A. C. 1558. Pontificem Paul. IV. ſe rejicientem ad aſſenſum, Imperatoriâ auctoritate, coëgit. Fratris fil. Philippo, nec Imperio cedere, nec eum Imperii per Italiam, & Belgium Vicarium habere ſuſtinuit. Genuenſes ſe proſcripturum minatus, conjurationes varias diſſipavit, inter agnatos Albert. Brandenburgici, & Epiſcopos Franconiæ Senatumque Norimberg. judicium plenum æquitatis tulit. Religionis pacem, in Comitiis Auguſt. confirmavit. Sacram Cœnam ſub utraque ſpecie celebrandam, pro ſe & ſubditis ſuis, ab Papa impetratam, Viennæ adminiſtrari curavit: eandem libertatem, pro aliis, cum Carolo IX. Gall. Rege & Alberto Bavariæ D. in Concilio Tridentino, ut & Clericorum conjugium, fruſtra urſit. Cum Turcis inducias pepigit: Danum cum Sueco reconciliavit, &c. Obiit A. C. 1564. Viennæ, Æt. 61. Pragæ ſepultus. Ex Anna, filia Ladiſlai, Hung. Regis quatuor filiorum & XI. filiarum parens. Succeſſit fil. Maximilianus II. Vide Thuan. *Hiſt.* Onuphr. Turſelin. P. Suavem, *Hiſt. C. T. l.* 5. & 6.

FERDINANDUS II. fil. Caroli Archid. nepos prioris, ſucceſſit Matthiæ conſobrino ſuo, A. C. 1619. Fridericum Palat. Bohemiæ Regem per Maximilianum Bavarum, & Buquoium devicit, A. C. 1619. Bohemiam, & Auſtriam, illius, Moraviam hujus, Sileſiam & Luſatiam, Joh. Georgii Elect. Sax. operâ ſubjugavit, Religionis purioris cultu ubique abolito, in Confeſſores ſævus. Palatinum proſcripſit, & per Spinolam & Tillium ditionibus exuit, Electoratu in Bavarum tranſlato. Hungariæ regnum, à Betleemo, non parvis cladibus, repetiit. Ab Mansfeldio, & Chriſtiano Brunſvicenſi vehementer vexatus, Chriſtianum Daniæ Regem vicit. Bello in Italiam tranſlato, Mantuam crudeliter diripuit: mox ab Guſtavo, Sueciæ Rege prælio Lipſienſi cæſus, ut & aliquot ſequentibus malè habitus; tandem A. C. 1636. Ferdinandum fil. Romanorum Regem eligi Ratisbonæ curavit, apoplexiâ ictus, A. C. 1637. Æt. 61. Imper. 18. perpetuis bellis implicitus. Vide Vaſſemberg. *Flor. German.* B. Burgum, *de B. S. Bruſon.*

FERDINANDUS III. dictus *Erneſtus*, Nordlingenſi prælio, contra Suecos, victor, pacem Imperio impetravit, A. C. 1648. quæ inter Germanos, Gallos, & Suecos Monaſterii concluſa. Fil. ejus,

FERDINANDUS IV. Rom. Rex electus, ante Patrem obiit, qui naturæ conceſſit, A. C. 1657. Æt. 49. altero Fil. Leopoldo Ignatio Succeſſore relicto.

Hiſpaniæ Reges.

FERDINANDUS, vel FERNANDUS I. cognom. *Magnus*, Rex Caſtellæ & Legionis, ſecundus fil. Sanctii III. Regis Navarræ, ex Nunna Caſtellana. Cognatum Bermundum, Regem Legionis, cujus ſororem Sanctiam duxerat, fil. Alphonſi V. prælio victum, occidit, A. C. 1037. Sic Legionis, & Auſtriæ Regis Mauris Conimbricam, à Gallis adjutus, eripuit, aliaque fluvio tenus, qui *Mondego* dictus Hiſp. Tandem, Garciam IV. Navarræ Regem fratrem ſuum, ob injuſtè detentas aliquot urbes, & inſidias vitæ ſuæ ſtructas, acie ſuperatum interimit. Obiit, A. C. 1065. Regni 40. Garibajus, *l.* 11. Mariana, *l.* 3. *Turquet.* &c.

FERDINANDUS II. fil. Alphonſi VIII. minor natu, Legionis, & Galliciæ regnum, in diviſione, adeptus eſt, cùm Caſtellanum obtineret Sanctius, primogenitus. Qui anno pòſt mortuus, fil. Alphonſum IX. reliquit, à Patruo regno exutum, ſed potitum ſuo tempore, pulſo Ferdinando. Felicior bello contra Alphonſum Henr. Luſit. Regem cujus fil. Sanctium uno prælio, altero ipſum Regem, cepit: modeſtè victoria uſus. Obiit A. C. 1188. Alphonſus fil. ſucceſſit. Inventar. *Hiſt. Hiſp. l.* 8. & 9.

FERDINANDUS III. fil. Alphonſi, Regis Legionis ex Berenguela, in regno Caſtellano ſucceſſit Henrico patruo, improli: excluſâ Blancâ, uxore Lud. IX. ſorore majori Berenguelæ. Huic pater regnum erepturus, fruſtra fuit, ipſe Legionem Caſtellæ junxit. Mauris Cordubam, Murciam, Hiſpalim eripuit. Regnum Maroci occupaturus, moritur, A. C. 1252. Regn. 35. Sanctis annumeratur. Roderic. *P.* 4. Garibay. *l.* 12. & 13. Mariana, *l.* 12. &c.

FERDINANDUS IV. fil. Sanctii III. cognom. *Strenuus*, item *Citatus*, quià à duobus nobilibus, ad mortem damnatis, ad tribunal Dei citatus, trigeſimo pòſt die, obiit, A. C. 1312. Æt. 25. Regni 17. Aliàs contra vicinos Principes felix, ſed ob inducias, cum Rege Granatæ, violatas, reprehenſionem meritus. Mariana *l.* 15. Surita *Indic. l.* 2. Roderic. *P.* 4.

FERDINANDUS V. cognom. *Catholicus*, fil. Joh. II. Arragoniæ Regis. Ductâ Iſabellâ Caſtellanâ, Henrici IV. ab ſubditis depoſiti filiâ, Caſtellam excluſo Alphonſo Luſit. Arragoniæ junxit. A. C. 1492. Per Columbum Novum Orbem detexit, quædam loca in Africa, cum Neapolitano, & Navarræo regno, occupavit; è quorum illo per Conſalvum Gallos pepulit, hoc injuſtè Joh. Labretanum exuit, Papali bullâ nequicquam adjutus. Mauros omni Hiſpania expulit, Hinc *Catholicus*. Novum orbem, cum Joh. Luſitano, diviſit, ubique felix & victor. Petr. Maffæus *l.* 2. Obiit, A. C. 1516. Ex Iſabella, inter alios, Johannæ, parens, quæ Philippo Auſtriaco nupta Caroli V. & Ferdinandi Imp. mater evaſit. Æt. 63. Regni 42. Fidei datæ non uſquequaque tenax Guicciard. *l.* 12. Mariana, *l.* 30. Vide & *Elizabetha Caſtellana*.

FERDINANDUS, Rex Luſitaniæ, ſucceſſit Patri Petro, cogn. *Juſtus* ſeu *Crudelis*. Initio regni, cum Henrico II. Notho, Caſtellano, rem habuit, ſed pax Papæ interventu conciliata. Recruduit bellum, ſub Henrici fil. Joh. cui Beatricem filiam dare neceſſe habuit, eâ lege, ut proles ex hoc conjugio ſuſcepta, Luſitaniæ regnum obtineret. Sed frater ejus nothus, Joh. ſe Regem, illo mortuo, fecit. A. C. 1383. Æt. 43. Regni 17. Intemperantiæ notâ infamis. Mariana, *l.* 17. *c.* 9. *l.* 18. *c.* 6. & 7. Garibaius, *l.* 34. Duard. *geneal. Regum Luſitaniæ.*

Reges Neapolis, & Siciliæ.

FERDINANDUS I. Rex Neapolis, & Siciliæ, fil. nothus Alphonſi V. Arrag. Regis bis pulſus, bis rediit. A Scanderbego quoque, qui Pii II. ſuaſu in Siciliam venit, adjutus, contra Joh. Calabrum, fil. Renati Regis. Ab Innocentio VIII. excommunicatus, crudelis, avarus, impius, ſed ſapientiæ interim, politicæque laudem affectans. Sub adventum Caroli II. qui à Renato, hæres regni dictus, cum validis viribus imminebat, tædio, metus apoplexiâ correptus obiit, A. C. 1494. Æt. 71. Regni 36. Alphonſo fil. non degenere relicto. Guicciard. *l.* 2. Mariana *l.* 25. *c.* 7. &c.

FERDINANDUS II. prioris ex Alphonſo nepos, regno à Gallis pulſus, poſteà Principum Italorum ope adjutus, illud denuo tenuit, mortuus A. C. 1496.

FERDINANDUS III. Vide *Ferdinandus V. Caſtellæ Rex.*

Magni Duces Florentiæ.

FERDINANDUS I. M. Dux Florentiæ, purpurâ depoſitâ A. Æt. 52. fratri Franciſco ſucceſſit. Hiſpanis Pſeudo Sebaſtianum, an verum Sebaſtianum, Luſitaniæ Regem à Venetis liberum dimiſſum, dedidit. Obiit A. C. 1609. Princip. 21.

FERDINANDUS II. Patri Coſmo II. ſucceſſit, A. C. 1621. ex Victoria Roveria, pater Coſmi III. qui Patris ſucceſſor eſt.

FERDINANDUS d'Avalos, March. Piſcariæ, Dux Caroli V. in prælio Ticinenſi: Sagax. Obiit in arce Mediol. P. Jovius *in ejus vita.*

FERDINANDUS Caſtellanus, auctor Chronic. ord. Dominicani.

FERDINANDUS Corteſius, Medelino Eſtramaduræ oriundus, Mexicum occupavit, A. C. 1518. quo regno potitus, dein Novam Hiſpaniam fundavit. Obiit in patria, A. C. 1547. Æt. 63. A Coſta, *l.* 7. Spond. A. C. 1521. *n.* 11. A.C. 1547. *n.* 29.

FERDINANDUS Gonſalez, primus Caſtellæ Comes, A. C. 930. quam equo & falcone, à Rege Legionenſi, ſibi emerat. Marian *l.* 8. *c.* 7.

FERDINANDUS Lopezius, de Caſtaneda, auctor Hiſt. Indicæ, A. C. 1553. Gallicè verſæ.

FERDINANDUS Magellanus, Luſitanus, fretum Magellanicum, A. C. 1521. Caroli V. auſpiciis, ad quem ſe receperat offenſus ſuo Regi, qui dimidio thalero menſtruam ejus penſionem augere renuerat, invenit, 5. navium præfectus. Hinc, per mare Auſtrinum, in Moluccas devectus, an veneno, an in prælio, in Inſulis Philippinis, obiit. Oroſ. *l.* 11. Maffæus, *l.* 8. Mariana, *l.* 26. *c.* 3. *Collect. rer. Indicar.*

FERDINANDUS Nonius de Pinco, Hiſpan. ex Guſmannorum familia, cum Card. Ximenio, Bibliorum editioni intentus. Plurimorum Commentariorum auctor, Bibliothecam ſuam Univerſ. Salamanticenſi donavit, & ſepulchro inſcribi voluit: *Maximum vitæ bonum Mors.* Obiit A. C. 1552. Æt. 80.

FERDONI, monetæ ſpecies, quartam unius marcæ partem valens, memorata Gunthero *in Hiſt. CP.* apud Caniſ. *Antiqq. Lect. Tom. V.*

FERENTANUM, quod & FRENTANUM, Tac. Ann. *l.* 15. *c.* 53. opp. Ferentanorum in Apulorum confin. quod plerique Francam Villam opp. Aprutii eſſe putant, cùm hoc in Maruccinorum ora ſit, inter Aternum & Ortonem ferè 6. m. p. longè à finibus Frentanorum. Strab. *l.* 5. *p.* 237.

FERENTIA, ſeu FERENTIUM Plin. *l.* 3. 5. *Ferentinum* Tac. Ann. *l.* 2. *c.* 50. ac Strab. *l.* 5. *p.* 226. urbs Hetruriæ, vulgò *Ferento.* Hodiè deſtructa. Vide Ant. Maſſam, *de orig. Faliſcorum.* Pop. *Ferentini*, Suet. Salv Oth *c.* 1.

FERENTINUM, urbs parva Epiſcop. Latii in finibus Hernicorum in colle, inter Anagniam, & Fruſinonem Nic. Lloydius. In colle. 3. mill. ab Anagnia in Or. Verulum verſus, 6. à Fruſinone in Bor. 4. ab Alatro in Occ. ſub Pontif. 8. mill. à confin. regni Neapolitani. Baudr. Pop. *Ferentinates* Plin. *l.* 3. *c.* 5. Aliis *Ferentini.* Sil. Ital. Punic. Bell. *l.* 8. *v.* 395.

> *Sylla* Ferentinos, *Privernatumque maniplos*
> *Ducebat.* ——— ———

FERENTARII, militum genus, de quibus infrà.

FERENTUM, opp. Apuliæ in Lucaniæ confin. inter Venuſiam, & Acherontiam, hodiè *Forenza.* Horat. *Carm. l.* 3. *Od.* 4. *v.* 15.

> ——— *Et arvum*
> *Pingue tenent humilis* Ferenti.

Baudr. tantùm caſtrum eſt prov. Baſilicatæ, in regno Neapol. ad radices Apennini, 4. mill. ab Acherontia in Bor. Venuſiam verſus, à qua 9. mill. diſtat in Eur.

FERETRIUS, dictus eſt Jupiter, non *à pace ferenda*, (ut quibuſdam placet) ſed *à ferendis ſpoliis.* Nam Romulus, devictis Ceninenſibus, hoſtium ſpolia, ferculo ad id facto, in Capitolium detulit, ibique ex quercu ſuſpenſa Jovi conſecravit, eodemque in loco Jovi Feretrio templum condidit: authorque fuit poſteris, ut eò capta ex hoſtibus ſpolia deferrent. Quanquam alii à *feriendo* ſic appellatum malint. Vide Liv. & Dionyſ. in Romuli hiſtoria. Itemque Plutarch. *in Romulo & Marcello.* Et ante omnes Propert. *l.* 4. *Eleg.* XI. *initio*:

> *Nunc Jovis incipiam cauſas aperire* Feretri.

Pompilius vero Numa, lege de opimis ſpoliis latâ, quam infrà adferemus in voce *Opima*, præcepit, ut prima opima ſpolia Jovi Feretrio ſuſpenderentur, quod jam Romulus fecerat: ſecunda Marti, quod Coſſus fecit: tertia Quirino, quod fecit Marcellus. Et quidem de tertiis ſervatam fuiſſe hanc legem, Virg. teſtatur de Marcello Æn. *l.* 6. *v.* 860.

> *Tertiaque arma patri ſuſpendet capta* Quirino.

De ſecundis quæſtio eſt. Etenim Numa dixerat ferenda Marti & tamen Liv. *l.* 1. *c.* 10. Jovi Feretrio narrat ſuſpenſa, Nic. Rigaltius *Obſervat. ad iſta Minucii, Jupiter, cùm dicitur* Feretrius, *non additur.*

FERETRUM, à *ferendo*, Gr. *φορεῖον*, capulus erat, in quo defuncti cadaver, ad ſepulturam efferri mos. Quod munus propinquioribus virilis ſexus apud Romanos incumbebat, Serv. Itaque filii interdum parentes, & fratres ſorores interdum elatas funere deferebant: nonnunquam ſervi libertate donati, plerunque Senatorii, Prætorii, & Conſulares, quique ampliſſimis functi erant honoribus, Imperatorum ac Conſularium virorum *Feretrum* detulêre. Quare Pauli Æmilii, qui de Macedonia triumphavit, legati Macedonum, & Sullæ Dictatoris loculum Senatores ac Virgines ſacræ extulêrunt: Metello verò filii tres Conſulares, duo Triumphales, unus Cenſorius, & alter Prætor lectum ſubiêre: Ita enim propriè vocabatur, in quo ditiores, tubis præcinentibus, efferebantur. Quòd ſi defunctus tenuioris eſſet Fortunæ, à Veſpis ſeu Veſpillonibus, ad tibiæ cantum, portabantur &c. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 39. Apud Athenienſes, poſtridiè collocationis, *ὡς ἐφάνη ῥοδοδάκτυλος ἠώς, quamprimum apparuit roſeos digitos habens Aurora*, ut Homer. ait, defuncti cadaver in *feretro*, à certis hominibus, quos Euripid. *in Alceſt.* *v.* 607. *προσπόλους* vocat, cùm ait:

> ——— ——— Πρόσπολοι
> Φέρουσιν ἀρθὲν πρὸς τάφον τε καὶ πυράν.

efferri ſolebat. Quemadmodum idem alibi de Rheſo, ab Ulyſſe interfecto, voce *φορεῖον* utitur. Hæc de adultis. Infantes quod attinet, eos ante dentes natos necuſſere, teſte Plin. *l.* 7. *c.* 16. nec integros in loculis repoſuêre. Hinc locus, ubi ſepeliebantur, *Sugrundarium* dictus, caput ſolum cum gemino oſſe ut plurimum in urnula continebat; cujus formam Joh. Baptiſta Suarezius *in Antiqq. Gaditanis* ex ære exhibet. Grandiores natu ſarcophago ſeu feretro integris corporibus, in loco communi vel ante aras, poſtquam illi ante Auroram, quaſi à die rapti, cum facibus funeralibus & ad tibias elati eſſent, condebantur. Unde apud Gruter. *Inſcript. p.* 689. L. Julii Marcelli, qui vixiſſe dicitur Ann. V. Diebus XXXI. *Corpus. integrum. conditum. ſarcophago.* legimus. Vide Thom. Bartholin *de Puerp. vett.* & hic paſſim, ubi de *Arcis* & *Capulis ſepulchralibus*, item ubi de ritu *in Lectis efferendi mortuos*: nec non in voce *Loci*, item *Loculi* & *Sarcophagus*; ut & ubi de *Funerali velo*, ac vocib. *Oſtrum, Pallium, Ponderandi ritus.* plura verò hanc in rem apud Georg. Fabric. *in ſua Roma c.* 21. ubi inter alia. *Faciendorum*, inquit, *loculorum, & urnarum condendarum, non admodum diverſa ratio fuit, cùm in Urbe, tum in reliqua Italia, atque etiam Græcia. Marlianus ſcribit, antea concamerata foſſionibus eſſe aperta, in campo Exquilino quædam unius teſtudinis, quædam duplicis concamerationis, ita ut ex ſuperiore in inferiorem deſcenderetur. Pavimenta interdum vermiculata: in parietibus circumcirca loculos extitiſſe, ſingulos cum binis urnis. Alia quoque fuiſſe antea plurium parietum modico intervallo diſtantium, in quibus totidem urnas fuiſſe contiguas, & exiguo ſpatio rurſus ... Et biſque alias impoſitas: has pauperum, illas divitum fuiſſe* ... paulo pòſt, *Inter Puteolos, & Atellam, pulcherrimum monumentum eſt, quod Arcum celle nominant. Parietes ejus tetragoni, cum ... vermiculato: in cujus media Centauri imago puerum vehentis. ... ultra ſexaginta, medii ampli, fortaſſe Patronorum: Laterales contracti, libertorum libertarumque* &c. Adde Joh. Kirchmann. *de Funeribus.* Apud Eccleſiæ Rom. Scriptores, *Feretra*, *reliquias Sanctorum continentia*, ad colligendas eleemoſynas, in reædificationem ædium ſacrarum, aut in alias neceſſitates, *cum proceſſionibus circumlata*, non ſemel legere eſt. Quas *proceſſiones ad offerendum* vocat Ægidius Aureæ Vallis in *Hiſt.* Ep. Leod. *c.* 55. apud C. du Freſne *Gloſſ.* Vide & ſuprà, *Abſida.* A' *Feretri* ſimilitudine, Hebr. עיש *ajis* vel עש ... Arab. *naas*, dicitur ſidus Urſæ majoris, & minoris, *Feretrum majus*, & *minus.* E' ſeptem enim ſtellis, è quibus conſtant ſingula, quatuor in quadrum digeſtæ q. feretrum conſtituunt, & tres ſequentes, quæ nobis ſunt *cauda urſæ*, Arabes *feretri filios* ... appellant, qui comitantur funus. Unde apertus jam ſenſus loci eſt, qui hactenus crucem Interpretibus fixerat, Job. *c.* 38. *v.* 32. *An* עיש ſeu *feretrum deduces cum filiis ſuis?* Ubi inter alios Paraphraſtes Chaldæus, *Et gallinam cum pullis ſuis deduces?* quam Græci *Pleiades*, Latini *Vergilias*, Galli *Pulicinariam*, vocant. Vide Sam. Bochart. *Hierozoici Parte poſter. l.* 1. *c.* 16. uti de *Feretri* apud Hebræos, adverſus pejeraturos, uſu, infrà ubi de *Perjurio.*

Scotiæ Reges.

FERGUSIUS I. fil. Hiberniæ Regis, fundavit Scotiæ regnum A. C. 420. U. C. 422. A. C. N. regnavit Ann. 22.

FERGUSIUS II. Eugenio ſucceſſit. Audito, Conſtantinum tyrannum, in Galliis ſublatum, in Britanniam tranſiit, tantum negotii Romanis faceſſens, ut quaſdam Ætii copias ſub Gallionis ductu, eò mittere neceſſe habuerint. Regnavit Annos 16. ſub initium ſec. 5.

FERGUSIUS III. fil. Ethuvini Regis triennio pòſt, ab uxore, ob luxum, veneno peremtus. Buchan. & Leſlæus *Hiſt. Scot.* Calviſ. *Chron.*

FERIA, nomen Familiæ in Hiſpania illuſtris, in qua jam, ſub Henrico II. Joh. I. & Henrico III. Regibus celebris fuit Laurentius Suarezius *de Figueroa*, Dn. *de Zafra*, & *Feria*, Magiſter Ordinis S. Jac. poſt egregia facta extinctus A. C. 1409. Hujus ex Maria de Orozco fil. Gomeſius, pater fuit Laurentii atque Petri; quorum ille primus *Comitis Feriæ* elogium meruit, genuitque Gomeſium, patrem Laurentii, & Garſiæ, à matre cognom. *de Toledo* nacti. Laurentio, ex uxore March. *de Priego*, genitus Petrus Fernandus *de Corduba* & *Figueroa*, fratres habuit Gomeſium Ducem primum *Feriæ*, & ... quorum ſatorem, atque Alphonſum Fernandezium *de Corduba*, & *Aguilar*, neptis maritum, & Marchionum *de Priego* continuatorem. Gomezius modò dictus, ex Johanna Dormeria, cujus proavus Anglus erat, pater fuit Laurentii, qui extinctus A. C. 1607. ex Iſabella Mendozia, qui obiit A. C. 1593. reliquit Gomeſium II. Ducem *de Feria*, March. *de Villalva*, (cui uxor obtigit Franciſca filia Antonii *Folch de Cardona ac Corduba Duc. de Seſa*) ac Inicum Lopezium *de Mendoza*, utrumque nominis *Suarez de Figueroa.* Vide ... Spener. *Theatr. Nobil. Europ. P. II. p.* 112. Alphonſus verò ... ex Catharina Fernandina *de Corduba*, pater fuit Petri Fernandini Cordubenſis *de Figueroa*, March. *de Priego*, quo & Johanna Henricia de *Ribera*, geniti ſunt Alphonſus Fernandinus *de Corduba* March. *de Priego*, Dux itidem *de Feria*, (cui ex Johanna Henricia *de Ribera* natus eſt Ludovicus Ignatius Ferdinandus *de Corduba Figueroa* & Aguilar, March. *de Priego*, Dux *de Feria*, March. *de Montalvan* & Villalva, maritus Mariæ Annæ *de Corduba* & *Aragon*) Ludovicus Ferdinandus *de Corduba*, Catharina Fernandina (ux. Henrici *de Corduba*, & *Aragonia* D. *de Cardona*, & *Segorbia*) ac Johanna Henricia *de Corduba* (cui maritus obtigit Petrus Andreas March. ... & *Ardales*) Vide Eund. *ibid. p.* 74. & *P. III. p.* 87.

FERIÆ, pro diebus hebdomadis, primùm dicuntur inſtitutæ à Silveſtro P. circa A. C. 316. Qui nec Judæorum morem ſecutus, qui, ut dies a Chriſtianis nuncuparentur prima Sabbathi, ſecunda Sabbathi, &c. volens, nec probans Gentilium appellationes Solis, Lunæ, &c. primam ſeptimanæ diem *Feriam primam* ... inſtituit, & ſic deinceps. Ideò autem *Ferias*, non quòd à ...

ceſſatis operibus, ſed à vitiis feriarentur Chriſtiani. Vide Durand. *de Offic. divin. l. 7. c. 1.* Pro nundinis itidem *Feria*, à *Feriando*, quod Romani in his feriabantur, Feſtus *l. 12.* antiquè tamen hoc ſignificatu non occurrit. Cùm autem Chriſtiani ad inſignes aliquot celebritates, præſertim Encænia & dedicationis Eccleſiarum feſta annua peragenda convenirent: adeſſe utique mercatores ſolebant, ſua mercimonia ſub ipſis templis atque in cœmeteriis diſtracturi, quod cùm graviter S. Baſilium angeret, Monachis ſuis ex opere manuum ſuarum viventibus accuratè prohibuit, ut quas facerent merces, nundinis illic non exponerent venales, ne templa divino cultui deſtinata denuo fierent ſpeluncæ latronum, quam iniquitatem in ipſo templo Domini reperit & punivit Dominus noſter, Joh. *c. 2. v. 14.* Ad inferiora tamen ſecula morem tranſiiſſe, numeroſis liquet exemplis. Ita enim Zoſimus *l. 2. c. 3.* ſub Conſtantini ævo, Judæos, Gentiles, Chriſtianos ad quercum Mamre confluentes, ſua quemque ſacra obiiſſe, ſimulque feſtum cum nundinis miſcuiſſe, refert. Invaluit uſus hic nequam ſequenti ævo, vireſque maxime in Encæniis obtinuit, unde in his ipſis plurimæ antiquæ *Feriæ* inſtitutæ deprehenduntur. Cùm verò è tanta hominum frequentia, periculoſi ſæpe tumultus imminerent, tenendarum *Feriarum* prærogativa, ſolius Principis diplomatibus indulgeri cœpit. Primò quidem urbibus, & munitis locis, vel quibus Præſulis alicujus gravitas præpolleret: acceſſêrunt deinceps varia privilegia, &c. Plura vide apud Henr. Spelmann. *Gloſſ. Archæol.* nomen eis *a feriendis victimis*, Feſto; à *fando* Iſid. quòd in eis nobis ſit tempus dictionis, i. e. in divino vel humano officio fandi: antiquis *Feſiæ* (Voſſ. legit *Feſiæ*) quamvis quædam erant ſine feſto, dies vocabantur, quibus ab omni opere ceſſabatur, Macrob. *Sat. l. 1. c. 16.* Feſtos dies, in ſacrificia, epulas, ludos & *Ferias* diſtinguit. Harum aliæ erant *Publicæ*, quæ iterum vel *Stativæ*, vel *Conceptivæ*, vel *Imperativæ* vel *Nundinæ* fuêrunt: aliæ *Privatæ*, quæ iterum vel propriæ erant familiarum, ut Claudiæ familiæ, Æmiliæ, Juliæ, Corneliæ &c. de quibus XII. Tabb. *Sacra privata perpetua manento*; vel ſingulorum, ut natalium fulgurumque ſuſceptiones, aut funerum, aut expiationum, Feſtus. Apud Vett. quoque quicunque nominaſſet Semonam, Sejam, Segetiam, Tutilinam, *ferias* obſervavit, teſte Macrob. Flaminica item, quoties tonitrua audierat, feriata erat, donec Deos placaſſet. Cæterùm *Feriæ* publicæ indicebantur, & proclamabantur ſingulis menſibus à Rege ſacrorum & à Prætore: ab hoc quidem, ut eſſet vacatio à forenſibus negotiis, ab illo autem ſacrorum ritè peragendorum gratiâ, Varro *de Ling. Lat. l. 5.* idque in hunc modum, ut Arnob. *adv. Gentes l. 2.* ſcribit: *Lavatio Deum matris eſt hodie: Jovis epulum cras eſt: Æſculapii geritur celebraturque vindemia: Lectiſternium Cereris erit Idibus proximis: Telluris natalis eſt* &c. Prætorem quoque *Ferias*, quæ *Compitalia* dicebantur, more Majorum, verbis olim ſolennibus concepiſſe, auctores ſunt A. Gell. *l. 10. c. 24.* Macrob. *Sat. l. 1. c. 4* &c. Imò nec Compitalitias ſolùm, ſed etiam omnes Conceptivas ac Imperativas, patet ex Suet. *in Claud. c. 22.* *Obſervavitque ſedulò, ut quoties terra in urbe moviſſet, Ferias advocatâ concione Prætor indiceret.* Vide plura apud Jac. Rævard. *Varior. l. 5. c. 19.* Quid porro *Feriis* fieri deberet. Cic. *de LL. l. 2.* docet: *Feriis jurgia amovento, caſque in famuliis operibus patratis habento: itaque ut ita cadat in annuis anfractibus, deſcriptum eſto: certaſque fruges, certaſque baccas Sacerdotes publicè libanto: hoc certis ſacrificiis ac diebus. Itemque alios ad dies ubertatem lactis fœtuſque ſervanto: idque ne committi poſſit, ad eam rem & rationem, curſus annuos Sacerdotes finiunto, quæque cuique divo decoræ grataeque ſint hoſtiæ, provídento.* Et paulo poſt: *Feriarum feſtorumque dierum rationem in liberis requietem habet litium, & jurgiorum: in ſervis operum, & laborum, quia compoſitio animi conferre debet, & ad perfectionem operum ruſticorum, & ad remiſſionem animorum: per quod tempus, ut ſacrificiorum libamenta ſerventur, fœtuſque pecorum, quæ dicta in lege ſunt diligenter habenda ratio intercalando eſt.* Eas ſc. Sacerdotes affirmabant pollui, quoties iis indictis conceptiſque opus aliquod fieret. Præterea nec licebat Sacrorum Regem vel Flaminem videre *Feriis* opus fieri, atque ideo per præconem denuntiabatur, ne quid tale ageretur, & præcepti negligens mulctabatur. Imò, qui imprudens talibus diebus aliquod opus feciſſet, porco piaculum dabat; prudentem verò expiare non poſſe Scævola Pontifex aſſeveravit. Sed Varro negavit eum pollui, qui opus vel ad Deos pertinens, ſacrorumque causâ feciſſet, vel aliquid ad urgentem vitæ utilitatem reſpiciens, actitaſſet. Scævola demque conſultus, quid feriis agi liceret; reſpondit, id quod prætermiſſum noceret: Quapropter ſi bos in ſpecus decidiſſet, eumque paterfamilias, adhibitis operis liberaſſet, non eſt viſus ferias polluiſſe. Quod idem SERVATOR noſter de Hebræorum feriis, Sabbatho viz. divinitus inſtituto, pronuntiaſſe, legitur in Evangelio. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 4. c. 3.* Datam vero *Feriis* ſeu feriatis diebus vacationem ab omnibus forenſibus fuiſſe negotiis, Ulpian. docet *l. 7. de Offic. Proconſulis*, cùm inquit: *Divus Trajanus Minucio Natali reſcripſit, ferias à forenſibus tantùm negotiis dare vacationem: ea autem, quæ ad diſciplinam militarem pertinent, etiam feriatis diebus eſſe peragenda: inter quæ cuſtodiarum quoque cognitionem eſſe. Leg. 9. D. de Feriis.* Honorius tamen poſtea & Theodoſ. Impp. *in Conſtitut. ad Anthemium Præf. Prætorio*, quæſtionem haberi de latronibus, etiam per tormenta præcepêrunt, nullo, ne ſanctiſſimo quidem, die feſto excepto, *Leg. 10. C. de Feriis.* Vide Sam. Petit. *Comm. in Leges Attic. l. 1. tit. 1.* Apud Athenienſes, honori Apollinis datum eſt, ne Deliorum dies ultimo damnatorum ſupplicio polluerentur: unde Xenophon ac Plato obſervant, Socratem triginta dies (dum nempe Delum ibant redibantque Theori) in carcere, & expectatione mortis exegiſſe poſt damnationem. Quod in aliis feſtis non obſervatum: Hinc cùm Phocion veneno ſublatus eſt, ex plebiſcito feſtum fuiſſe diem: annotat Plutarch. *in Phocione.* Neque certè pœnis convenit cum diei feſti ac læti religione: itaque Romani hac in parte religioſiores Græcis extitêre, ut ex præcedentibus patet. Vide Eundem *paulò ſupra.* Apud Chriſtianos, hebdomadis ſingulos dies hoc nomine inſignitos, à ſeptimana Paſchatis, ait C. du Freſne. Cùm enim lege Conſtantini Mag. hebdomades illæ duæ, ante & poſt Paſcha, ἄπρακτοι & *feriatæ* eſſe juberentur, factum eſt, ut quia poſterior (quæ ut ſola feriata eſſet, poſtmodum uſus obtinuit) prima anni erat Eccleſiaſtici hebdomas, omnes dies, etiam reliquarum per annum ſeptimanarum, *Feriæ* dicerentur. Primus igitur hebdomadis illius dies *Dominicus* dictus; qui ſequitur, *Feria ſecunda*, & ſic deinceps, vide eum *in Gloſſ.* ubi etiam de *Feriis Jovis*, ſuperſtitionis paganicæ ſpecie, Chriſtianis interdictâ, in Concilio Liptin. A. C. 743. & de *Feriis Meſſivis*, ſeu vacationibus Autumnalibus, quarum meminit Papinian. *l. Reſp. tit. 3.* Adde Macros Fratres, ubi *de Feria II.* quæ dicebatur *prima Sabbathi*: de Feria IV. *Cinerum*: *de Feria V. in Cœna Domini*, in qua Sacerdotes omnes ac Clerus, ex decreto Soteris, communicant: *de Feria VI. Paraſceves*: *de Feriis Auguſti*, & *de Feriis Legitimis*, ſc. ſecundâ, quartâ & ſextâ feriâ, qui dies pœnitentium jejunio deſtinati ſunt, in Eccl Rom. varia habent *in Hierolexico.* Hinc *Feriatica*, apud Iſid. Mercat. in Conc. Laod. *can. 37.* *Non oportet a Judæis vel Hæreticis* feriatica, *quæ mittuntur, accipere, nec cum eis dies agere feſtos*: in Græca Edit. ἱερομήνια dicuntur, & Fileſaco exponuntur, *quæ ad Feſti celebritatem apparata erant*, ſeu uſûs, ſeu ornatus, ſeu voluptatis causâ, *Select. l. 1. c. 7. p. 84.* ubi τῆς ἑορτῆς τὰ ξένια vocari *in Canonibus*, ut vocantur, *Apoſtolicis can. 70.* addit apud C. du Freſne *Gloſſ.*

Feriarum variæ ſpecies, ac nomina.

Æſtivales, delaſſatis Muſis olim hodièque Julio, & Auguſto menſibus inſtitutæ. His durantibus Athenienſes in circumjacentes inſulas, & æſtuaria, vel etiam villas amœniores ſeceſſêre, A. Gell. *l. 1. c. 2.* Romani deliciis Campaniæ fruiti ſunt, Idem *l. 9. c. 15.* Vide & infrà *Meſſis feriæ.*

Anniverſariæ, quæ ſingulis annis recurrebant: quibuſdam etiam *Stativæ* dictæ.

Compitalitiæ, erant feriæ annales, quas Prætor hac formulâ verborum concipere ſolebat: *Die Noni poſt Kalendas Januarias Quiritibus Compitalia erunt.*

Conceptivæ dicebantur, quæ quotannis à Magiſtratibus vel Sacerdotibus concipiebantur, in dies vel certos vel etiam incertos: ut fuêre, Latinæ, Paganalia, Sementalia, & Compitalia.

Denicales, per triduum colebantur, ut interea familia funere polluta quibuſdam ceremoniis purgaretur. His ne mulos quidem jungere licuiſſe, docet *Columella.*

Imperativæ, quas Coſ. vel Prætor pro arbitrio poteſtatis indicabat, vel imperabat. Eædem *Indictivæ* quoque appellatæ ſunt, & à quibuſdam ad Conceptivas, ratione incertitudinis diei referuntur.

Laribus dicatæ, vide *Compitalitiæ.*

Latinæ, erant *Feriæ* conceptivæ annales, à Latinis populis dictæ, & à Tarquinio Superbo inſtitutæ: quarum ut, & ſacrificii participes erant tribus minus 50. populi. Sed de iis vide infrà.

Meſſis Feriæ, à die 8. Kal. Julii uſque in Kal. Auguſti, concedebantur non Foro ſolùm: ſed Scholis quoque: ſicut etiam Studioſorum Muſæa clauderentur. Vide *l. 2. C. de Feriis* & ſuprà quoque in voce *Æſtivales.*

Paganales, ſeu Paganalia, erant feriæ conceptivæ annales, de quibus vide *ſuo loco.*

Præcidaneæ, Græcis προτέλειοι ἡμέραι, à *præcedendo* dictæ: Quarum mentio apud A. Gell. *l. 4. c. 6.* & Scalig. *in Feſtum.*

Privatæ, vel propriæ erant familiarum, quæ ferias obſervabant ex uſu domeſticæ celebrationis: vel ſingulorum hominum, ut Natalitiæ, Exequiales ſeu Denicales, Expiatoriæ, & Fulgurum ſuſceptiones.

Propriæ, eædem cum Privatis.

Publicæ nuncupabantur, quæ ad ſalutem publicam ſpectantes ab omnibus obſervabantur. Ut Stativæ, Conceptivæ, Imperativæ, ac Nundinæ.

Sementinæ, erant Feriæ conceptivæ annales. Incidebant in diem 8. Kal Februarii, Ovid. Varroni, Feſto, Macrob. memoratæ.

Stativæ, fuêre univerſi populi communes feriæ, certis, & conſtitutis diebus ac menſibus, & in faſtis ſtatis obſervationibus annotatæ, in quibus præcipuè ſervabantur Agonalia Carmen alia ac Lupercalia. Plures Varro refert *de Ling. Lat. l. 5.*

Studiorum *Feriæ* Saturnalibus erant, tum enim non in Foro ſolùm vacatio, ſed & Scholæ clauſæ fuêrunt, Plin. Jun. *l. 8 ep. 7.* Mart. *l. 5. Epigr. 85.* cujus epigraphe ad Gallam.

Sane ſic abeat meus December
Scis certe puto veſtra jam venire.
Saurnalia *Martias Kalendas.*

Vide quoque ſuprà in *Æſtivales*, & *Meſſis feriæ*, ac infrà in *Vindemiales.*

Stultorum *Feriæ* d. 13. Kal. Martii, quo Quirinalia celebrabantur, vigebant. Nomen iis, quòd cùm quiſque in ſua Curia Fornacalibus feriaretur & ſacra faceret, ſtulta populi pars, quæ ſua Curia eſſet, ignorans, rem divinam Fornacalibus omiſſam Quirinalibus faciebat, *Feſtus.*

Ob Succeſſionem Imperatoris ferias imperatas fuiſſe, memorat Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. loco ſuprà laudato.*

Victoriæ feriatus dies in Auguſtum incidebat; Interim ob victoriam ab Imp. partam ferias imperatas quoque eſſe, docet *Idem.*

Vindemiales, à decimo Kalend. Septembris uſque in Idus Octobris, celebrabantur, definiente Thodoſio, vide *l. 2. C. de Feriis.* Non in Foro ſolùm iterum, ſed, & in Scholis. Meminit Auguſtin. *l. 9. c. 2.* *Et opportunè tum pauciſſimi dies ſuper-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſupererant ad Vindemiales ferias, & ſtatui tolerare illos, ut ſolenniter abſcederem. Item Minut. Felix, in Octavio: Sanè & ad vindemiam feriæ judiciariam curam relaxaverant. Quod Cyprian. quoque teſtatur Ep. ad Donatum. Eas ad æſtivales quidem referunt, ſed propriè per æſtivas ferias, Meſſivas intelligi debere, utpote quia illæ æſtati, Vindemiales autumno potiùs competebant, docet Jac. Oiſel. Notis in A. Gell. l. 9. c, 15. Vide ſuprà in Æſtivales.

Vulcani Feriæ celebrabantur die 11. Kalend. Junii &c.

FERIÆ Latinæ, quæ etiam ſimpliciter Latinæ, apud vett. Romanos, celeberrimæ, primùm uno ſolùm die conſtabant, inſtitutore Tarquinio: exactis inde Regibus, addidêrunt alterum primi Coſſ. fœdere poſtmodum cum Latinis populis icto, paulo poſt ſeceſſionem in Montem Sacrum (quam & cauſam Ædilium Pl. creatorum fuiſſe, indicat Dionyſ. ut Ludorum, qui Feriis Latinis fiebant, curam haberent) acceſſit tertius: deniqué poſt atrox certamen de Conſulatu cum Plebe communicando reductâ concordiâ, quartus adjectus eſt, teſtibus eodem Dionyſio Halicarn. l. 6. Plutarch. in Camillo & Liv. l. 6. c. 42. Reliqua vide infrà, ubi de Latinis Feriis.

FERIS, apud Romanos, in arena ſontes objecti primùm ſunt, Appio Claudio, & M. Fulvio Coſſ. à quo horrore publico edicto matronæ ſunt ſummotæ. Meminit immanis ſpectaculi Tertullian. l. ſingulari, ubi hoc modo defunctis parentatum fuiſſe graviter conqueritur. Objiciebantur autem illis homines, vel ſoluti, ut hiſtoria de Androclo, apud A. Gell. l. 5. c. 14. docet, vel vincti: Ita enim homines cruci affixi, in publicis ſpectaculis, frequenter à beſtiis lacerati ſunt. Unde de Laureolo Mart. l. 1. ſpect. Epigr. 7. cujus epigraphe pœna laureoli.

Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus,
Aſſiduam nimio pectore pavit avem.
Nuda Caledonio ſic pectora præbuit urſo,
Non falsâ pendens in cruce Laureolus.

Vopiſc. in Aurel. Sanè Mneſtheus poſtea ſurrectus ad ſtipitem, beſtiis objectus eſt &c. Quem morem infamis, & infanda illa turpitudo Neronis expreſſit, quâ Viros Feminaſque ad ſtipitem deligatos, ipſe feræ pelle contectus emiſſus è cavea, medios invadebat apud Suet. in eo, c. 49. Cujus mentio quoque apud Xiphilin. è Dione: Μειράκια καὶ κόρας σταυροῖς γυμνὰς προσδέων, θηρίου δέ τινος δορὰν ἀνελάμβανε καὶ προσπίπτων σφισὶν ἠσέλγαινε, ὥσπερ τι ἐσθίων. In Chriſtianos præcipuè hæc crudelitas poſtea exercita eſt. Hinc Paulus Ap. ſe Epheſi θηριομαχῆσαι, cum feris pugnaſſe, memorat: & de Blandina martyre narrat Euſeb. l. 5. c. 1. eam in ligno ſuſpenſam ac proſtitutam lanienæ incurrentium ferarum, ob continuam orationem, multam alacritatem injeciſſe certantibus, vide Lipſ. de Cruce l. 3. c. 11. Similiter Ignatium, Præſulem in Antiochenum, Romam deductum eſſe, ut ibi beſtiis in Circo objiceretur, narrat ſuprà laudatus Euſeb. l. 3. c. 32. & nota acclamatio: Chriſtianos ad Leones. Hodie in Imperio Magni Mogolis non alia certior ad honores, & ſummas dignitates via eſt, quàm cum Feris certamen, quod ſolo acinace inſtructi ſuſcipere tenentur; graviſſimâ in eos pœnâ ſtatutâ, qui aliud quoddam armorum genus præter eum adhibuiſſent, teſtibus Indicar. rer. Scriptoribus. Vide ſuprà in voce Beſtiarii, ac infrà Ludii, it. ubi de Plagiariis. Alia erat ratio τῶν παραβόλων, qui mercede conducti cum feris congrediebantur, uti videre eſt hîc paſſim, in vocibus Audaces, Pancarpum, Parabolani. Cæterùm, in venatione, Feram apud Perſas ferire olim non licuit, priuſquam telum miſiſſet Rex, uſque ad Artaxerxis principatum cui Longimani cognomen fuit. Hic enim, ſi fides Plutarch. Apophth. c. 7. primus permiſit, in venatione, eum qui vellet ac poſſet primum conjicere telum. Sed jam olim id licuiſſe, videtur colligi poſſe ex Xenophonte, qui Cyaxarem edixiſſe, ne quis feriret prius, quam Cyrus feriendo ſatiatus eſſet, narrat Παιδ. l. 1. Simulque Cymm. id permittere voluiſſe, negat. Apud Macedones idem rigor, unde Hermolaus puer nobilis ex Regia cohorte, Curt. l. 8. c. 6. &c. quum aprum telo occupaſſet, quem Rex ferire deſtinaverat, juſſu ejus verberibus affectus eſt, Apud eoſdem, qui feram nondum extra retia confeciſset, accumbendi in cœna jus non habuiſse, diximus ſuprà ubi de Accumbendi ritu.

FERITOR, vulgò Bi vel Beſagno, fluv. parvus Liguriæ, ex Apennino per hortos, juxtaque Genuæ mœnia in mare perlabens.

FERIUS Helpericus, verſu ſcripſit, Colloquium Caroli Mag. cum Leone III. Papa. Barthius Adverſ. l. 46. c. 2. Voſs. de Hiſt. Lat. l. 2 de Poët. c. 5.

FERMANAGENSIS Comit. Hiberniæ, in Ultonia, verſus Connaciam, ubi lacus Erno, ex præcipuis Inſ. ad Slanam fluv. Diſtat 12. mill. Angl. à Vexfordia in Bor.

FERMENTACEI, & FERMENTARII, à Latinis per contumeliam Græci appellati ſunt, quòd fermentato pane, in S. Euchariſtia, uterentur, ſicut hi illos viciſſim Azymitas dixêrunt. Vide Rigordum A. C. 1201.

FERMENTUM, apud Plaut. in Caſina, de muliere, quæ irâ, & indignatione exardeſcebat, in Caſina. Act. 2. ſc. v. v. 17.

Nunc in fermento *tota eſt, ita turget mihi.*

quid ſit notum. Ex ipſa farina fit, quæ ſubigitur priùs, quàm addatur ſal, ad pultis modum decoctâ, & relicta, donec aceſcat, Plin. l. 18. c. xi. Sicque mixtum farinæ, exiguâ quantitate, maſsam fervefacit & attollit, Lucæ c. 13. v. 21. Ὁμοία ἐστὶ ζύμῃ, ἣν λαβοῦσα γυνὴ ἐνέκρυψεν εἰς ἀλεύρου σάτα τρία, ἕως οὗ ἐζυμώθη ὅλον, Simile eſt (Regnum Dei) fermento, quod acceptum mulier indidit in farinæ ſata tria, uſque quò fermentaretur tota. Validiora nempe eſſe corpora, quæ fermentato pane aluntur, palam eſt, Plin. ibid. Interim à Sacris illud maximâ parte abeſse, voluit Deus. Levit. c. 2. v. xi. Nullum munus, quod offeretis Jehovæ, conficitor fermentatum: nam ex nullo fermento & ex nullo melle adolebitis. Quod Judæi propter idololatrias factum hariolantur, cumque iſti rebus illis ad ſacrificia uterentur, Deum contrariis ritibus placari voluiſse. Apoſtolus verò ad mores refert, 1. Cor. c. 5. v. 7. & 8. Galat. c. 5. v. 9. Nempe in fermento, etſi alioqui ad vitam hanc utili, corruptionis tamen ſymbolum ipſi quoque Ethnici agnovêre. Unde Plutarch. Quæſt. Rom. 109. ſcribit, non licuiſse Flamini Diali fermentum tangere, quod & ipſum natum ex corruptione, & farinam, cui admiſcetur, corrumpat: qua de re plura apud A. Gell. l. 10. c. 15. & Ant. Thyſ. ac Jac. Oiſel. Not. ad illum. Inprimis verò in Paſchate uſus ejus prohibitus. Quamvis enim in oblationibus ex rebus inanimatis fieri ſolitis, quæ מנחה minchah Hebræis, maximè quæ fiebant ex ſimila, fermentum adhibere nefas eſset: (de quibus Levitici locus intelligendus) vide quoque Amos. c. 4. v. 5. in ſacrificiis tamen aliis, in quibus Hebræi agitabant convivia ex carnibus ſacrificiorum poterant uti pane fermentato quod contra Tacitum notandum Hiſt. l. 5. azymis ſemper uſos fuiſse Judæos, tradentem. At Paſcha mactare non licebat, donec fermentum omne ex domibus expurgatum eſset, idque per integrum ſeptiduum, ſub pœna non excluſionis ſolùm ex communione Eccleſiæ Iſraëlis, ſed etiam mortis tranſgreſsoribus irrogandæ, Exod. c. 12. v. 15. c. 23. v. 18. & Deut. c. 16. v. 3. Vide A. Rivetum Comm. in Exod. h. c. & ſuprà ubi de Azymorum Feſto. Adde Joh. Buxtorfium Synag. Judaic. c. 12. ubi de inepta ac ſuperſtitioſa hodiernorum Judæorum circa hanc legem ſcrupuloſitate varia habet. In oblatione tamen primitiarum, quæ fiebat feſto Pentecoſtes, duos panes fermentatos offerre licebat, ex lege Levit. c. 2. v. 12. c. 23. v. 17. Quod factum idem docet Burmannus, ut hoc pacto reliquiæ veteris hominis in iis, qui in Chriſto ſanctificantur, adhuc in hac vita ſuperſtites, indigitarentur, Meditat. in h. l. &c. Plura de Fermento, inprimis de variis Veterum illud conficiendi modis, vide apud Plin. ubi ſuprà.

FERNÆ, urbs Hibern. Ep. ſub Archiep. Caſſilienſi, in Lageniæ prov. & Comitatu Vexfordienſi. Vulg. Ferns.

FERNANDINA, nomen Familiæ Ducalis in Hiſpania, quæ Toletanæ ramus eſt, cui initium dedit Petrus, ab Alphonſo VI. poſt Toletum urbem devictam, Toletani nomen meritus. In hujus enim poſteris Garſias Alvarus filios habuit duos, unum Patri cognominem; alterum Fernandum Alvarum: duorum ramorum auctores. Fernando Dno. de Valdecorneja, præter Gutierium Alvarum Archiep. Toletanum, geniti, Ferdinandus Alvarus de Toledo Dn. de Higares, titulum hunc ad poſteros tranſmiſit; ac utroque major Garſias Alvarus, pater fuit Ferdinandi, qui primus Comes Albæ ſive de Alva de Tormes nominatus eſt. Hujus fil. Garſias Alvarus à Rege Com. de Salvatierra, March. de Coria, Ducatus Albæ axioma à Rege obtinuit. Inter cujus liberos Fernandus Dominos de Villoria, Garſias de Horcajada, Petrus de Mancera dedit; ſed primogenitus Fridericus Alvarez. Ducalem dignitatem propugnavit: Pater Garſiæ Alvari, à quo reliqui Duces de Alba, & Hueſca deſcendunt, & Petri Proregis Neapolitani, & uxore Oſoria Pimentellia March. de Villa Franca, Marchionum reliquorum cum cognomine de Toledo Oſorio genitoris: quibus etiam titulus Ducum de Fernandina, & Principum de Montalvan acceſſit, in Garſia I. Petri præfati, & Mariæ Oſoriæ filio. Is enim March. de Villa Franca, Dux de Fernandina; ex Victoria Columnia, pater Petri fuit: quo & Elvirâ Mendoziâ genitus Garſias II. de Toledo Oſorio Dux de Fernandina, Mariam de Mendoza conjugem nactus, ex ea Familiam propagavit. Vide Phil. Jac. Spener. Theatr. Nobilit. Europææ P. II. p. 89.

FERNELIUS Johannes, vide Johannes.

FERONIA nemorum dea, à ferendis arboribus dicta. Hæc lucum habuiſse fertur ſub monte Soracte, qui cùm fortuito aliquando arſiſset incendio, & ob id transferre inde ſimulacrum accolæ vellent, ſubitò ajunt nemus reviruiſse; unde Virg. Æn. l. 7. v. 800.

——— *Et viridi gaudens* Feronia *luco.*

Idem Ibid. l. 8. v. 564.

Naſcenti cui treis animas Feronia *mater.*

Strabo author eſt, eos qui Feroniæ numine afflabantur, nudis pedibus ardentes prunas ſine ullâ læſione perambulare ſolitos. Item Feronia civitas in radicibus Soractis montis ſita.

Horat. Serm. l. 1. Sat. 5. v. 24.

Ora manuſque tuâ lavimus Feronia *lymphâ.*

Nunc Caſtel di S. Silveſtro Ferr. Vide Cerdam in Virgilii locum ſuprà productum. Nic. Lloydius.

FERONIA, opp. Hetruriæ, in territ. Lucenſi, nunc Pietra Santa, ubi templum Feroniæ erat. Item opp. Latii, in agro Pometino. Item, opp. olim, nunc pag. Sardiniæ, in ora Auſtr.

FERONUS Johannes, vide Johannes.

FERRANDINA, opp. provinciæ Baſilicatæ, ad fluv. Baſentium in regno Neapolit. cum tit. Ducatus. Crevit ex Vegiani ruderibus. 12. mill. à Mateola in Auſtr. 18. ab ora ſinus Tarentini in Occ.

FERRANDUS, Diaconus Carthagin. diſcip. Fulgentii, ſui ævi clariſſimus. Epiſtolâ prolixâ, Anatolio, de quæſtione, an aliquis ex Trinitate paſſus ſit? reſpondit: de eadem materia, ad Severum Scholaſticum, i. e. Advocatum vel Literatum C P. ſcripſit. Aliaque, in Bibl. PP. à Chiffletio, Divione edita, A. C. 1649. Facundus, pro defenſ. 3. Capit. l. 4. c. 3. Victor. Tunon. Chron.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Iſid. c. 14. Creſconius, *præf. Brev. Cann.* Sigebert. *Script Ecc. c.* 28. 29. Honoratus Auguſtodun. *libello* 2. Baron. A. C. 529. *n.* 8. & 9. *Morer.* &c.

FERRANDUS, in *Charta* vet. apud. C. du Freſne, *Et laxo Sancti Salvatoris, & ſanctâ fide caballum meum ferrandum*; & apud Gul. Briton. *Philipp. l.* 12. ubi de Ferrando Com. Flandriæ capto in prælio Bovinenſi:

> *At* Ferrandus *equis evectus fortè duobus,*
> *Lecticâ duplici temone vehentibus ipſum,*
> *Nomine quos illi color æqui vocabat, ut eſſet*
> *Nomen idem Comitis, & equorum, Pariſianis*
> *Civibus offertur, Luparæ claudendus in arce:*

Color in equis eſt, ſic appellatus; Fortè quem *Varium* olim vocabant, vulgò *Pommelé*, Gall. voce ortâ à colore equorum Arabicorum, quos *Faras* appellabant, uti diximus. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.* & *Notis ad Alexiadem Annæ Comnenæ p.* 409

FERRANDUS Petrus, Jacobinus Hiſpan. auctor vitæ Dominici Leand. Alberti, *de Vir. Ill. Ord. Prædic. l.* 4. Gerard. *in Vit. Fr. Præd. l.* 4. *c.* 3.

FERRANTIUS Johannes, vide *Johannes*.

FERRANTUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

FERRARIA, ſeu Inſ. Ferri, Canariarum maximè Occidua, ubi mirabilis illa arbor, quæ aquæ affatim Inſ. cœtera arenti ſuppeditat. A' Betencurio, nobili Normanno, detecta A. C. 1402. Joh. Verrerius, & Pet. Boucherus, *c.* 45. Th. Nicols, cognom. Modnal Anglus, Theverus, Sanutus, Vicentius, Blaucus, Bergero, Jacſon, Anglus, &c. Vide *Canariæ*, & *Ferri inſ*.

FERRARIA, Urbs ampla, ad ramum Padi minimum, *Po morto*, à quo ductum eſt incile per 6. mill. Francolinum uſque commercii causâ. Arcem habet permunitam. Non habuit urbis nomen, uſque ad Vitalianum Papam, Leand. Alberti *deſcr. Ital. p.* 345. *& ſeqq.* Olim ſub Principibus, ex familia Ateſtina ſeu Eſtenſi, donec Alphonſo II. improli mortuo, à Clemente VIII. fruſtra retinente Cæſare Eſtenſi, vindicata eſt, qui in arcem ibi extructam duos milliones impendiſſe dicitur, ſtatuâ ſuâ in medio collocatâ, cum inſcriptione: *Ne recedente Pado, Ferrariæ fortitudo recederet, Martem Neptuno ſubſtituit.* Ep. à Vitaliano facta. Ligam hîc ſacram c. Evangelicos, inſtituit. Sixtus V. A. C. 1586. d. 12. Jun. Patria Ludov. Arioſti, Felini Sandei, Hier. Savanarolæ, Priſciani, Calcagnini, Lilii Giraldi, Bentivolii Card. &c. Hîc Concilium à Papa Eugenio IV. haberi cœptum, cui Joh. VII. Palæologus, & Patr. Conſtantinop. interfuit, dein Florentiam tranſlatum eſt. Nunc deficit in dies, ex quo non Duces proprios habet. Sub Pont. enim eſt ab A. C. 1598. 28. mill. à Bononia in Bor. Media inter Mirandulam ad Occaſ. & Comaclum ad Ort. Academiam hîc inſtituit Frid. II. in Bononienſium contumeliam. Cœlum habet craſſius, ob ſitum paluſtrem.

FERRARIA, ſeu DIANIUM, Hiſpaniæ prom. in Sucronenſi ſinu Carthaginem verſus, ſic ab accolis cognominatum, quòd ferrarias effuſiones admodum feraces habeat. Mela *l.* 2. Nunc *Cabo Martin*, excurrit in Mare Medit. verſus Baleares, inter ſinus Sucronenſem & Illicitanum, 3. leuc. à Dianio in Ort. totidem à *Sagra* vico, *Baudr*.

FERRARIA, pag. Gall. cum cœnobio, in Vaſtinienſi tractu, in confin. Senonenſis prov. leuc. à Montargio in Bor. 25. à Lutetia in Auſtr. Vide ſuprà.

FERRARIA prom. Sardiniæ, *Capo Ferrato*, Calari 13. mill. paſſ. in Ort. recedens, ubi pag. *Carbonc*.

FERRARIA Fabrica, vide ſuprà *Fabrica*, & paulo poſt. *Ferrum*.

FERRARIÆ, vulgò FERRIERES, opp. Gall. in Provincia, ad os ſinus Aſtromelæ, propè Maritima. 7. leuc. ab Arelate, Maſſiliam verſus. Item locus in Senonibus, unde nomen nobili Monaſterio, olim *Bethleem* dicto, in cujus curte Pipinus Caroli Mag. pater occidit leonem. Abbatiam regalem eſſe *Ferrarias*, prodit Teulfus, *Chron. Mauriniac. l.* 2. Item locus in diœceſi Gratianopolit. ferrifodinis celebris, unde & villa vicina vulgò *la Ferriere*, in finibus Allobrogum, trans Iſaram in Alpibus non procul à caſtro Bajardo Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

FERRARIENSIS Franciſcus, vide *Franciſcus*.

FERRARIUS Johannes, vide ibi, it. *Joh. Petrus*.

FERRARIUS Octavianus, Mediolanenſis, Princeps ſui ævi Philoſophorum habitus, Medicinæ quoque & elegantioris Literaturæ apprimè peritus, Ethicam Politicamque docuit Annis 18. in Collegio Canobiano; inde à Senatu Veneto Patavium vocatus, ibi Phyſicam Ariſtotelis explicuit. Obiit Mediolani A. C. 1586. Æt. 68. à Barthol. Capra J. C. cui Bibliothecam ſuam legavit oratione funebri laudatus. Scripta ejus enarrat Anton. Teiſſier *in Elogiis Part.* 2.

FERRARIUS Philippus, vide ibi.

FERRARIUS Portus, *Porto Ferrajo*, in Ilva Inſ. in ora Tuſciæ, ſub magno Hetruriæ D. Vide *Argous portus*.

FERRATÆ Aquæ, *Ferrati*, ſalubres in Hetruria.

FERRATI, apud Tac. *Ann. l.* 3. *c.* 45. ubi de turbante Æduos Sacroviro, *in fronte ſtatuerat* ferratos; *in cornibus cohortes* &c. quinam dicti, diſcas ſuprà ex *c.* 43. iidem viz. cum *Crupellariis*, ſic enim ibi: *adduntur è ſervitiis gladiaturæ deſtinati, quibus more gentico continuum ferri tegimen (crupellarios vocant) inferendis ictibus inhabiles accipiendis impenetrabiles.* De iiſdem *ibid. c.* 46. *paullum moræ attulêre* Ferrati *reſtantibus laminis adverſum pila & gladios: ſed miles* (Romanus) *correptis ſecuribus & dolabris, ut ſi murum perrumperet, cædere tegmina & corpora, quidam trudibus aut furcis inertem molem proſternere, jacenteſque nullo ad reſurgendum niſu quaſi exanimes linquebantur.* Similis armatura Sarmatarum, qui *Rhoxolani* dicti, apud eundem *Hiſt. l.* 1. *c.* 79. *Sed tum humido die lapſantibus equis & cataphractarum pondere id principibus, & nobiliſſimo cuique tegmen,* ferreis laminis, *aut præduro corio conſertum: ut adverſùs ictus impenetrabile ita impetu hoſtium provolutis inhabile ad reſurgendum.* Vide ſuprà in voce *Cruppea*, it. *Cataphracta*.

FERRATUM, in *Necrolog.* Eccl. Rejenſis, apud Sammarthanos A. C. 1316. vas fortè in Eccl. Rom. in quo aqua benedicta defertur, *Sellet* in quibuſdam Galliæ provinciis dictum, q. *Seillet*. Une *Sellatum* conjicit legendum eſſe C. du Freſne. Propriè verò *ferratum* eſt τὸ σεσιδηρωμένον; *quod ferro inductum, & munitum eſt*: ut *ferrati obices portarum*, apud Amm. Marcell. *l.* 21. *c.* 12. qui σεσιδηρωμένοι μοχλοὶ Græcis. Sic Germanicus *in Arateis*,

> *Qualis* ferrato *ſubjicit clavicula dentes,*
> *Succutit & foribus producti vincula clauſtri.*

Repete ex ſeqq. *clauſtro*. Non enim *ferrati dentes* clavi rectè dicantur, qui toti *ferrei* ſunt, unde non bene vulgò *ferratos* legitur, quaſi ad *dentes* hoc epitheton pertineret. Salmaſ. *ad Solin. p.* 931.

FERRE, verbum in Vett. Sacris frequens. Arnob. *adv. Gentes l.* 7. ubi de coloribus victimarum, apud eas. *Quod ſi vobis nulla religio eſt alba quædam ferre & ſuos retinentiâ candores: ipſi veſtras religiones diſſolvitis.* Pro *offerre*. Sic *thura ferre*, (quod aliter *dare*, ut videbimus) apud Ovid. *de Ponto l.* 1. *Eleg.* 5. ſub calcem

> *Thuraque Cæſaribus cum conjuge Cæſare digna,*
> *Diis veris memori debita* ferre *manu.*

Et *l.* 3. *El.* 1. ſub calcem.

> *Thura* fer *ad magnos vinaque pura Deos.*

Sic *preces ferre*, Virg. Æn. *l.* 8. *v.* 60.

> *Junoni* fer *ritè preces* ----

Ubi Serv. *Sic*, ait, *fer preces, quemadmodum ſacra ferre dicimus.* Plura apud Des. Herald. *ad Arnob. d. l.*

FERREA Fibula, cogn. Junii cujuſdam apud Quintilian. de quo vide infrà *Fibula*.

FERREA Porta, vide *Caucaſiæ portæ*.

FERREA Virga, vide infrà *Virga*.

FERREBRACHIA, cognom. Gulielmi fratris Roberti Guiſcardi, ob præclaram in bellis fortitudinem, quâ hoſtes æquè facilè, ac ſi ferreo uteretur brachio, conterebat. Gulielmus Apul. *de Geſtis Normann.*

> *Is, quia foris erat, eſt ferrea dictus habere*
> *Brachia, nam validas vires animumque gerebat.*

Et *l.* 2.

> ——— *Vir* ferrea *dictus habere*
> Brachia *Gulielmus* &c.

Aliâ notione *Bras de Fer* Gallis dictus eſt Franc. Lanovius, Vir fortiſſimus, cujus vitam vernaculo ſermone conſcripſit Amyraldus Theologus Salmur. quem vide. Apud Suenonem *Hiſt. Dan. c.* 7. Biornum quendam *Ferreum latus* dictum eſſe ob eximiæ nempe itidem *ſtrenuitatis dignitatem*, obſervavit C. du Freſne *Gloſſ.*

FERREIRA, nomen Familiæ in Hiſpania illuſtris, quæ Portugallicæ ſtirpis eſt ramus. Cùm enim è naturalibus liberis Regum tres præcipuæ lineæ deſcenderint, prima à Dionyſio Dn. *de Ciſuentes* & deinde *Alba de Tormes*; Petri Regis ex Agnete *de Caſtro* filio: Media Bragantina fuit, cujus auctor erat Alphonſus D. Bragantiæ ac Com. *de Barcellos*, Joh. I. Regis nothus. Ejus enim major natu fil Ferdinandus I. poſt Patrem Ducatum obtinuit, genitor trium filiorum; quorum primus Ferdinandus II. Duces continuavit: Tertius fuit Alphonſus, à quo Comites *de Faro*, *Odemira*, atque *Vimiero*, cogn. *de Faro*, & *Norogna* orti ſunt: Medius Alvarus Dn. *de Ferreira*, numeroſam poſteritatem habuit, in qua alii cum nomine *de Mello*, Marchiones *de Ferreira* atque Comites *de Tentugal*; alii Marchiones *de la Tour de Laguna*, alii Com. *de Gelves*, alii demum Duc. *de Veragua*, & Marchiones *de Jamaca* appellati ſunt. Et quidem, quod Marchiones *de Ferreira* attinet, Alvari præfati, ex Philippa *de Mello*, fil. Rodericus *de Mello*, March. *de Ferreira*, Com. *de Tentugal*, ex Eleonora de Almeida, genuit Franciſcum I. quo & Eugeniâ Bragantinâ, natus Nunius Alvarus, ex Mariana *Moſcoſo* ſuſcepit Franciſcum II. *de Mello* March. *de Ferreira*, Com. *de Tentugal* (qui maritus primò Mariæ filiæ Lupi Oſorii Com. de Altamira; dein Johannæ fuit, Antonio Pimentello March *de Tabara* genitæ) Rodericum Archiep. Eborenſem (defunctum A. C. 1642) Eleonoram (ux. Emanuëlis *de Meura* March de Caſtello Roderici) & Johannem N. Manricio *de Silva* March. *de Portalegra*, nuptam. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. P. II. p.* 43. & *in Indice*: tertiam verò lineam è Portugalliæ nothis oriundam, *ſuo loco*.

FERRERIUS, vide Arnulphus it. *Guido*.

FERRERIUS Bonifacius, vide *Bonifacius*. It. *Augerius*.

FERRERIUS Renaldus, vide *Renaldus*.

FERRERIUS Vincentius, vide *Vincentius*.

FERRETA, urbs Alſatiæ, ad Helleli fontes, caput Comit. cognom. Sub Gallis, *Pfirt*. Germ. Hanc cum Suntgoia, aliiſque terris marito Alberto Contracto Archid. Auſtriæ, attulit Johanna, Ulrici poſtremi Pfirtenſium Comitum filia eamque Caroli Audaci Burgundo centum aureorum millibus venditam Sigiſmundus Auſtrius, Friderici III. Imp. frater, victo iſto ab Helvetiis occiſoque, an redditis nummis, recepit. Tranſiit poſtmodum unà cum Alſatia aliiſque, pactione Monaſterienſi, ad Galliæ Reges, non ſine Epp. Baſilienſium querela, ad quos *directum*, ut appellant, *dominium* Comitatus hujus ſpectaverat, ſatisfieri ſibi ob adempta immeritis jura

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

hiſce nuperiſque Imperii Comitis fruſtra precatos. Vide Tob. Pſanner. *de præcip. Germ. Principum Gentibus c.* 1.

FERRETUS, Vicentinus, Poëta & Hiſtoricus, unus ex illis, qui ſec. 14. de Gothica barbarie triumphare incepêre, proſâ verſuque, plurima ſcripſit, hiſtoriam inprimis libb. 5. à Friderici II. morte, ab A. C. 1250. uſque ad A.C.1317. Voſſ. *de Hiſt. Lat. p.* 794.

FERREUM Lignum, in *Macao*, urbe Sinici Imperii, quæ haud pridem Luſitanis ſuberat, hiſce dicta eſt arbor indigena, quòd colore, pondere ac duritie *ferrum* duriſſimum æquet, imò nec aquis ſupernatet, ſed ſubſidat: unde inſtrumenta quæque ad perpetuitatem præbet. Ejuſdem generis arbores ingentes viſuntur in *Chaoking*, prope *Teking*, in monte *Cauleang*. Auctor Anonym. *Sinæ & Eur. c.* 34.

FERREUS, Græcis σιδήρεος, idem qui *obduratus in verecundia* dicitur Arnob. *adv. Gentes l.* 4. qui viz. os, frontem, eaque omnia, quibus ſe pudor prodere conſuevit, ſic duravit, ut in illis nullum extet verecundiæ ſignum: cujus indicium, peccata narrare, quorum ſola recordatio pudorem debet hominibus incutere. His *χάλκεον, σιδήρεον, λίθινον μέτωπον, æneam, ferream, lapideam frontem* tribuunt Græci, ut videre eſt apud Artemidor. *Oneirocritic. l.* 1. *c.* 24. Imò totos *ferreos*, σιδηρᾶς, appellant. Euſtathius *ait Il. γ. ἡ σιδηρᾶ γυνὴ ἀντὶ τῆς θρασεῖα τὸ οἰκεῖον ὄνομα φορεῖ.* Ubi citat & περιφραστικῶς interpretatur Sophoclis verſum, quem ſincerum habes & ſimpliciſſimum apud Ariſtot. *Rhetor. l.* 2. *c.* 23. σαφῶς σιδηρῷ καὶ φορεῖσαι τοὔνομα. Ergo σιδηρᾶς, *ferreus*, qui nulla pudoris vi novit moveri. Philo, ἀπυτολέψω δὲ τισιν ὀφθαλμοῖς ὁ σιδηρᾶς ἐγὼ τὸ ἀνοσιούργημα τοῦτο. Vide Herald. *ad Arnob. l. cit.* & infrà *Impudens*.

FERREUS Annulus, antiquiſſimo in uſu apud Romanos. Primis enim ejus Reip. temporibus, ne Senatori quidem jus erat aureum geſtare; ſed his tantùm, qui Legati ad exteras gentes ituri eſſent, annuli ex auro dabantur, *Credo*, dicente Plin. *quoniam ita exteris honoratiſſimi intelligebantur.* Atque hi ipſi, Legatione perfuncti annulo publicè accepto non niſi in publico utebantur, intra domos *ferreis* contenti, teſte eodem *l.* 32. *c.* 1. Imò &, cùm non Senatores ſolùm, verùm etiam Equites aureos annulos paulatim uſurparent; fuiſſe tamen memoriâ Avorum etiam inter Senatores, qui *Prætura quoque functi in ferro conſenuerint*, tradit idem Plin. qui quoque, Divo Auguſto decurias ordinante, *majorem partem Judicum in ferreo annulo fuiſſe*, auctor eſt. Sed & ipſi Triumphantes retinuêrunt priſcæ ſimplicitatis veſtigia. Nam *ferreo* annulo uſos fuiſſe Imp. Romanos, cùm curru aureo gemmiſque magnificè ornato de hoſtibus victis triumphantes in Capitolium inveherentur, idem ſæpius jam laudatus Auctor refert *d. l.* Quod tamen fiebat, præter communem morem, & ad retundendam victoris arrogantiam: Aliàs enim Senatoribus primùm; exin Equitibus, aurei annuli fuiſſe jus, notum eſt, vide Joh. Kirchmann. *de Ann. c.* 15. Quorum uſu increbreſcente, *ferrum* inter ſervos hæſit: Quanquam fuêre, qui novitio quodam invento aurum ferro ſuperinducerent, vel etiam merum purumque aurum decolorarent, & in ferri ſpeciem deformârent; ſic aurum geſtantes, ut geſtare ferrum crederentur. Ita enim rectè interpretatur Lipſ. verba Plin. ſervorum fraudem & occultam in annulis ſuperbiam perſtringentis: *Nec non & ſervitia jam ferrum auro cingunt; alii per ſeſe mero auro decolorant.* Annulum autem hunc ſervis ad uſum potius, nempe ad ſignandum, quam ad ornatum, fuiſſe, refert Apulejus *l.* 10. *Donec juſſu Magiſtratuum miniſteria publica contrectatis nequiſſimi ſervi manibus annulum ferreum deprehenſum cum ſigno ſacculi conferunt* &c.

FERRI Inſ. in mari Atlantico, una ex Canariis, maximè in Occaſ. extenſa. Aliàs *Pluvialia*. In ea res admiratione digna, ſuperque orbis miranda notatur. In aduſto & arido ſolo nullas aquæ venas habet, præterquam circa littus maris, ubi aquæ aliquid reperitur, quod tamen remotum ac exiguum, parvo beneficio, ac penè nullo inſulam adficit, ſicque ſquallentes æſtu homines deſtituit. Sed Dei omnipotentis ſingulari munere erga mortales ac pecora, arborem habet, cujus ſpecies ignota, folia longa, arcta, & perpetuò virentia, nulla cum aliis cognitis arboribus ſimilitudine: ex hac in folia aſſiduus humor cadit, qui limpidiſſimo deinceps liquore in cupas diſtillat, ab incolis circa arborem conſtitutas tantâ copiâ, ut non tantùm hominibus, verùm & armentis pecorique ſufficiat. Nemo miraculi hujus aut fontem, aut cauſam recenſere poteſt. Quum primùm Hiſpani in hanc inſulam delati eſſent, incolæ ipſos arcanum celavêrunt, ſperantes eos aquarum inopiâ adactos locum deſerturos eſſe: ſed à ſcortillo quodam prodita res eſt, atque ex eo Hiſpani ſedes ibi firmiores fixêrunt. In hujus Inſ. parte Occid. Franci aſſignant primum Meridianum longitudinis ab A. C. 1634. Jubente Ludovico XIII. cùm peritiſſimos hujus rei adhibuiſſet.

FERRONIUS Arnulphus, vide *Arnulphus*.

FERRUGO, ut habet Serv. *ad* Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 582. *coloris genus eſt, vicini purpuræ ſubnigræ.* Unde de hyacinthis, Idem *Georg. l.* 4. *v.* 183.

> *Et pinguem tiliam, &* ferrugineos *hyacinthos.*

h. e. purpureos aut ſubpurpureos; uti hanc vocem interpretatur Sam. Bochart. *Hierozoici Parte poſter. l.* 5. *c.* 10. Vide infrà ubi de *Hyacinthis*, item *Purpura*.

FERRUM, optimum peſſimumque vitæ inſtrumentum. Plin. *l.* 34. *c.* 14. *Siquidem hoc tellurem ſcindimus, ſerimus ambuſta, ponimus pomaria, vites ſqualore deciſo annis omnibus cogimus juveneſcere. Hoc extruimus tecta, cædimus ſaxa, omneſque ad alios uſus ferro utimur. Sed eodem ad bella, cædes, latrocinia, non cominus ſolùm, ſed etiam miſſili volucrique, nunc tormentis excuſſo, nunc lacertis, nunc verò pennato: quam ſceleratiſſimam humani ingenii fraudem arbitror. Siquidem, ut ocyus mors perveniret ad hominem, alitem illam fecimus pennaſque ferro dedimus.* Unde in fœdere, quod expulſis Regibus populo Romano dedit Porſena, nominatim comprehenſum eſt, *ne ferro niſi in agricultura, uterentur, Ibid.* Indidem verò Deorum ſimulacra conflabantur: Namque Thebis olim *ferreus* Hercules fuit, quem fecit Alcon, laborum Dei patientiâ inductus. Scyphi item fiebant, quales Romæ dicatos in templo Martis Ultoris idem memorat. Scribendo porrò inſerviebat, uti videre eſt, ubi de *Graphio & Stylo.* De annulis ex eodem metallo factis, diximus ſuprà: de calceis crepidiſque, vide infrà in voce *Vir.* Sed & hodièque, *Ferrea corona* Caroli Mag. quâ Aquiſgrani olim Impp. exornabantur, inter Imperii cimelia recenſentur, non vulgò ſolùm, ſed & paſſim in Eruditorum ſcriptis. Verùm ex puro puto auro fabrefactam eam, ſic tamen, ut in ea Veterum laudabilis parcitas ſatis eluceat, docet Hartm. Maur. *de Coronatione Caroli.* Vide apud Goldaſtum *in Polit. Imper. part.* 3. *diſcurſ. p.* 271. Vide quoque Marq. Freher. *Not. ad Petr. de Andlo l.* 2. *de Rom. Imp. c.* 6. Quin & Mediolanenſem coronam, quâ eoſdem in ſignum Lombardici ſeu Italici Regni inſigniri conſuetudo fuit, ex auro fuiſſe, circulo ſaltem inferiori ferreo intertextam, hincque *ferreæ* nomine Scriptoribus nonnullis indigitatam, docet Auctor *Limnæi Enucleati l.* 1. *c.* 15. In Tabernaculo V. Teſtam. cùm ex auro, argento ac ære vaſa ſacra eſſent, ad excoriandas tamen victimas unci *ferrei* adhibebantur. Et quamvis Templum poſtmodum ſine mallei ictu aut ſerræ ſtrepitu perfectum eſſet, ex lapidibus exaſciatis, ad hos ipſos tamen præparandos ferro opus fuit, 1. Reg. *c.* 6. *v.* 7. &c. Ipſa ejus rubigo, quâ *Naturæ benignitatem exigere ab ipſo pœnas*, idem Plin. ait eleganter, Ariſtonidæ Artifici utilis fuit, in furore exprimendo Athamantis, Learcho filio præcipitato reſidentis, pœnitentiæque ſimul indigitanda: *Ferrum enim & æs miſcuit, ut rubigine ejus per nitorem æris relucente, exprimeretur verecundiæ rubor, Ibid.* Inventum autem *Ferrum* in Creta eſt, à Dactylis Idæis, ſi eidem fides, *l.* 7. *c.* 56. ante argentum aurumque, *Ibid.* fortuito ſc. incendio montis Idæ, cujus vi metalla ferri, quæ in montis viſceribus latebant, ſua liquefacta erupêrunt, ſicque *Ferrum*, hucuſque exoticum, tum à Græcis ipſis elaborari cœpit, Diod. Sic. *l.* 5. Sen. Ep. 90. Equ. Marſhamus *Canone Chron. Sec. X.* ubi de *Idæis Dactylis.* *Fabricam ferrariam primi excogitarunt Cyclopes: fundendi modum Theodorus Samius;* ferruminandi rationem, Glaucus Chius; Telchines primi ex ære & ferro varia opera fecêrunt, teſtibus Pauſaniâ *in Phocicis*, Strab. *l.* 14. *p.* 653. Aliis; quam in rem vide plura apud Cœl. Rhodig. *l.* 15. *c.* 14. & 15. *l.* 18. *c.* 5. Priùs nempe fundi neceſſe eſt, & cùm fragile ſit, poſtea in alias fornaces transferri, ut ductile fiat, quod σομῶσαι: hinc in regulas rotundas produci conſuevit, quod ἀποτήλωσαι dicebant Græci, à voce ἧλος, *clavus*, quâ & regulæ illæ indigitabantur, uti pluribus docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 1076. & *ſeqq.* ubi de *variis ferri ad aciem faciendam temperaturis.* Ut de patria aliquid addam, *Ferri metalla ubique propemodum reperiuntur*, Plin. ubi ſuprà: quod divinitus haud dubiè factum, cùm nihil fere in humana œconomia ſine ferro perfici poſſit. De Inſula Ilva ſeu Elba, in mari Tuſco, ſigillatim memoratur, in ea tantam eſſe ferri minerarum copiam, ut tota Inſ. non niſi *Ferrum* dici poſſit, quod etiam infimæ notæ non eſt, ſed nobiliſſimum & præſtantiſſimum omnium in Europa. At in Sinis ferrum, quod prov. Quantonia ſuppeditat, tale eſt, ut fiſtulæ ex eo fuſæ pro bombardis nunquam diſſiliant, ſed, ſi nimio infarciantur pulvere, vimque ignis ferre non poſſint, ad ſummum findantur aperianturque non raro ſine adſtantium noxa. Fortè quòd ligneo carbone illic ferrum liquefit, qui lentitudinem illi aliquam conciliet: non foſſili, qui illud nimium indurat conſtipatque. In eodem Imperio, in prov. Suchuena, circa urbem *Kienchang* mons eſt *Tioxe*, è cujus lapidibus igne liquatis diſtillat *ferrum*, ad acinaces, & gladios aptiſſimum, Auctor Anon. *Sinæ & Europ. c.* 30. Unde & Plin. ſæpe laudatus, *Ex omnibus*, inquit, *generibus palma Serico ferro eſt. Seres hoc cum veſtibus ſuis pellibuſque mittunt, d. l.* Vide quoque eum *c. ſeq.* & præter Auctores jam dictos, Auctorem Anonym. *Hiſt. Orbis Terr. c. de Commerciis*: nec non infrà, ubi de *Fodinis.* De *Ferri onere*, pœnæ levioris ſpecie, apud Anglos, vide in *Fleta l.* 1. *c.* 26. §. 4. uti de *lapide ferrum trahente* infrà *Heraclius lapis.*

FERRUM Candens, ſeu *Ferri candentis judicium*, purgationis genus medio ævo celebre, quo quis innocentiam ſuam tuebatur, nudâ manu *ferrum candens* deferendo, hac illæſâ, ritûs origine è veteri Ethnicorum ſuperſtitione, de qua Sophocles *in Antigona*, cùm ait:

> Ἡμεῖς δ᾽ ἕτοιμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν,
> Καὶ πῦρ διέρπειν καὶ θεοὺς ὁρκωμοτεῖν κλ.
>
> *Nos etiam parati ſumus vel* ferrum candens *tollere manibus,*
> *Et per ignem ambulare, & per Deos jurare* &c.

Danis *Jern-byrd* vel *Jarn-byrth*, ut eſt apud Iſaac. Pontan. *in Daniæ Deſcript. p.* 772. Spectavit autem eos, qui vel ob ætatem, vel ob ægritudinem aliquam duellum inire non poterant: præſertim verò liberos homines, ſicut *Aqua* ruſticos. Apud Aragonenſes tamen *villanos* quoque ſpectaſſe, videtur innuere *Charta* Sanctii Regis Aragon. apud C. du Freſne *Gloſſ.* Porrò Monachis, & Clericis id purgationis genus uſitatum fuiſſe, uti Duellum ſecularibus, ex [illegible] apud Charlon. *Notis ad Hiſt. Inculiſm. Corliæi*, idem docet Pachymeres *Hiſt. l.* 1. *c.* 12. eum, qui ad hoc Judicium ſe offerebat, triduano priùs jejunio & oratione ſumptaque S. Euchariſtiâ, ſe parare conſueviſſe; cuſtoditum interim, & manu velo obvolutâ, cui ſigillum adponebatur, ne quis eam unctionibus, adversùs ignis ſenſum roborantibus, muniret: tum productum in medium, arrepto nudâ manu ignito ferro, ter definitum ſpatium emenſum eſſe, tradit; id quod etiam firmant *LL. Æthelſtani Regis Saxonic. c.* 23. & Sueno ſuprà laudatus, qui tamen, non ante initum judicium, ſed poſt illud peractum, per triduum continuum, obſignatam manum [illegible] ſervatam, docet. Addit præterea idem Pachymeres, μύδρον [illegible] ſeu ignitum iſtud ferrum ἅγιον, *ſanctum*, appellatum, quòd à ſ[illegible]

cerdote benediceretur, ut colligitur ex Honorio Auguſtod. *l.* 1. *c.* 18. oratione, quam recitant Aventin. *Ann. Bojor.* *l.* 4. Lambard. *in Gloſſ. ad LL. Saxonic.* in voce *Ordalium*, & Goldaſt. *Rer. Alemann. Tom. II.* Interdum verò chirothecæ formam habuiſſe *ferrum* hoc, auctor eſt Saxo Gramm. *Hiſt. Danic.* *l.* 10 *p.* 171. Aſſervatum autem eſſe, in iis Templis Monaſteriiſque, quæ ejuſmodi judiciorum vulgarium jus habebant, habetur in *Charta* Fontanellenſi A. C 1082. nuper edita, inter Concilia Eccleſiæ Rotomag. Jam verò Ritus omnes ac Cerimonias, quibus iſtiuſmodi Judicium peragebatur, ſuggerunt *LL.* Adelſtan Regis apud Brompton. *p.* 856. Concilium Grateleanum, A. C. 928. *can* 7. Andr. Suenonis Archiep. Lundenſis *LL. Scanicar.* *l.* 7. *c.* 15. Alii, magno numero laudati Carolo du Freſne *in Gloſſ.* Prohibuêre tandem purgationem hanc aliaſque conſimiles Fridericus I. Imp. in *LL. Sic.* *l.* 2. *tit.* 31. Jacobus I. Rex Aragoniæ, in *Foris* Oſcæ A. C. 1247. Alexander II. Rex Scotiæ, in *Statut.* *c.* 7. §. 3. &c. ex Pontificibus, Steph. Alexander III. Innocentius III. Honorius III. Alii. In Dania, Suonem Ottonis, qui Rex Daniæ dictus eſt A. C. 981. poſtquam Chriſti fidem recepit, duello abrogato, decreviſſe, ut igniti ferri geſtatione poſtmodum ſe purgarent, tradunt Saxo Gramm. *l.* 10. & Ericus Upſalienſis *Hiſt. Suec.* *l.* 1. *extr.* Quando autem ibidem *Ferri Judicium* abolitum ſit, pluribus expendit Olaus Wormius *in Monumentis Danicis* *l.* 1. *c.* 11. &c. Vide quoque infrà *Ordalium*, *Purgatio & Staca*; nec non ubi de *Juramento*: De modo vero per *Ferrum candens* excœcandi ſuprà in voce *Abacinatus*.

FERRUM Characteratum, vide infrà *oblata*.

FERT, vetus Comitum atque adeò Sabaudiæ Ducum, uti vocant, *deviſia* eſt, quam Amedæum III. vel IV. cognom. *Magnum*, Sabaudiæ Com. poſt ereptam Turcis inſ. Rhodon, à Rhodiis ſ. Hieroſolymitanis, cum *Cruce* eorum accepiſſe, ac juxta ſingulas ſuas literas *Fortitudo Ejus Rhodum Terruit*, ſignificare, communis traditio eſt. Gelotus verò ſic explicat, *Force. Enfonce. Romps. Tout.* Verùm jam ante A. C. 1300. ſibi adſcripſiſſe, probat Guichenonus Hiſt. Sabaud. *p.* 140. & 141. Certè jam patrem Amedei Thomam cruce hac fuiſſe inſignitum, quæ in ejus ſepulchro Auguſtæ Prætoriæ conſpiciatur, cum illo ſymb. FERT Monodus Hiſtoricus Sabaudus tradit: quod Com. Amedeus Viridis retinuerit, non tantum ut vetus ſuæ Domus ſymbolum, ſed & in memoriam torquis ignominioſi, ad quem geſtandum Saluciarum Marchionem adegerat, apud. Cl. Spener. *Art. Herald. Part. II.* *l.* 1. *c.* 83. ubi *de Domo Sabaudica*, §. 16. Fortè ex *Fert*, quo modo unum ex auguriis per avium volatus, quæ nec fauſta, nec infauſta erant, appellatum olim fuiſſe, docet Mich. Scotus *Phyſionomiæ c.* 56. *Sciendum eſt, quod auguriorum quædam ſignificant bonum eventum, ut Confert, & Emponenib: quædam malum eventum, ut Viarum, & Harenari: & quædam medium inter utrunque, ut Fert, & Confert.* Nempe fieri poteſt, ut qui ex illuſtriſſimis illis Principibus lemma iſtud primus uſurpavit, in animo habuerit, æqualitate Fortunæ, quam cæteris prætulerit ſeu mediam vitæ rationem, quæ nec altum ſaperet, & proſperis rerum ſucceſſibus erigeretur, nec adverſis deprimeretur, hoc pacto denotare &c. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.*

FERTA, Melitenſibus dicitur eleemoſyna, quæ tempore *Offertorii*, ut vocant, colligitur. Dom. Macer. *in Hierolex.* At *Fertum*, libi genus apud vett. Romanos, vide ſuprà *Ferctum*.

FERTHINGUS, apud Anglos, in nummo argenteo, dicitur quarta pars denarii: Item numus aureus quandoque apud eoſdem ſic vocatur, quartam *Nobilis* partem valens, h.e. 20. denarios vett. qui hodie 5. ſolidos excedunt. Anglis *Farthing.* Vide C. du Freſne *Gloſſ.*

FERTINI, quorum urbs *Feltria.* Vide ibi.

FERTORIUM, vide *Setta.*

FERVEHANUS Nicolaus, vide ibi.

FERVENTES cibos menſis inferendi mos vetus notatur Perſio *Sat.* 1. *v.* 52.

> —— *Calidum ſcis ponere ſumen:*

ubi vide *Notas*.

FERULA, muneris inſigne, quod ferebant non Abbates ſolùm ſed & ipſi aliquando Pontifices Rom. *Camboca*, *pedum*, *baculus paſtoralis.* Hinc Benedictus P. exauctoratus, ad pedes Leonis P. & Imp. concidens, *Pontificalem ferulam*, quam manu geſtabat, Leoni tradidiſſe, quam hic fregerit, fractamque populo oſtenderit, refert Luithprand. *Hiſt.* *l.* 6. *c.* XI. & *ult.* Vide Henr. Spelmann. *Gloſſ. Archæol.* Græcè Νάρθηξ, poſterioribus Scriptoribus Latinis Byzantiniſque, idem, quod prioribus *Labarum* dictum eſt, C. du Freſne; cui Imperatorum idem fuit geſtamen, etſi poſtmodum non eadem utrique forma, & figura fuerit. Labarum quippe fuit, quadratum ex panno aut ſerico confectum, Chriſtique inſignitum monogrammate. At Narthex *ferulæ* ſolidæ ſpeciem prætulit, quæ paulò longior quàm latior fuit: Unde Medicos quoſdam Νάρθηκας libros ſuos nuncupaſſe, monitum eidem *ad Alexiadem*, quòd libri ſpeciem *Ferulæ* omnino referrent. Cujuſmodi narthex præclarè effingitur, in Bulla plumbea Balduini II. Imp. CP. diplomati A. C. 1241. appenſa: in qua ipſe Imperatorio habitu ſedens, dextrâ virgam tenet, in cujus parte ſuperiori neſcio quid quadratum longius eminet, fimbria circumdatum, & ad extremos angulos globulis vel margaritis exornatum: ab inferioribus verò angulis pendent vittæ, margaritis pariter diſtinctæ: haſtæ extremum claudit globulus, ſeu margarita grandior, cui minor inſiſtit. Narthecem ipſum exteriorem exornat circulus ovali figurâ unionibus contextus. At in *ferulis*, quæ effinguntur in numis, apparent fere ſemper in quincuncem diſpoſitæ margaritæ: ita ut liquido evincatur, diu ſervatas eſſe Labari ſeu Chriſti monogrammatis reliquias. Scribit certè Codinus, moris eſſe, ut quando Imp. geſtat ſtemma, dextrâ crucem, ſiniſtrâ Νάρθηκα teneat *de Offic. c.* 17. *n.* 37. Simeon verò Theſſalon. *Ferulam* geſtari ab Impp. tradit, in poteſtatis iis indultæ ſubditos caſtigandi ſymbolum, verba Lat. ſic habent: *Inſuper etiam virgam aſſumit, non gravem quampiam & duram, ſed levem & mollem, ut nimirum cum manſuetudine caſtiget, non vero cum iracundia, aut quavis pernicie, neque aut confringat aut perdat.* Ita Magiſtrorum aut Pædagogorum *ferulas* arbitrati ſunt ſequiores Græci, quæ revera Labara extitêre. C. du Freſne *Diſſert. de Inf. aevi Num.* *n.* 21. Tranſiit inſigne hoc poteſtatis, ab Imperatoribus ad dignitates Eccleſiaſticas, cum in Græca, tum in Latina Eccleſia, & aliàs *Baculus Paſtoralis*, & *cambuta*, & *pedum* dicitur, Honor. Auguſtodun. *l.* 1. *c.* 216. Sic Νάρθηξ Patriarcharum occurrit apud Pachymer. *l.* 11. *c.* 1. *Ferula Abbatum* apud Leonem Oſtienſ. *l.* 3. *c.* 65. *Ferulæ Epiſcoporum* in *Ann. Francorum Bertin.* A. C. 868. & 869. *Ferula Papalis* apud Baron. A. C. 1100. ubi de electione Paſchalis II. &c. Vide ſuprà in vocibus, *Baculus*, *Cambuta*, & infrà *Inveſtitura* &c. Sed & *Ferulæ*, cornua ſunt bimulis cervis naſcentia, quæ aliàs *Subulæ*, Græcis σπάθαι, & πάσσαλοι, Gallis *dagues*, de quibus vide Salmaſ. *ad Solin.* *p.* 221. & *ſqq.* Propriè verò *Ferula*, arboris genus, Baccho ſacræ, cujus corymbi coronis adhibebantur olim: de qua Plin. paſſim *l.* inprimis 12. *c.* 22. iſta habet: *Ferula calidis naſcitur locis, atque trans maria, geniculatis nodata ſcapis. Duo ejus genera: Narthecia Græci vocant aſſurgentem in altitudinem; Nartheciam vero ſemper humilem. A geniculis exeuntia folia maxima, ut quæque terræ proxima. Cætero natura eadem, quæ anetho, & fructu ſimilis. Nulli fruticum levitas major, ob id geſtatu facilior, baculorum uſum ſenectuti præbet.* Neque verò ad geſtandum ſolùm, ſed & ad *feriendum* ferulæ uſus eſt. Unde Mart. *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 80. cujus epigraphe *Ferulæ*,

> Inviſæ *nimiùm pueris, grat.æque Magiſtris*
> *Clara Prometheo munere ligna ſumus.*

Nempe eandem igni ſervando utilem (cava enim in ferula Prometheum Jovi ſurreptum ignem detuliſſe, canit Heſiod) & pueris verberandis ait: qua de *Magiſtrorum ferula* alibi. Sed & *ferulâ percuti*, inter pœnas olim delinquentium Monachorum, recenſetur in *Vita* Wolſtani *ferula* vel caprinâ pelle corioque tecta cædi apud Romanos quæ prolis deſiderio arderent ſolitas, dicemus infra in voce *Puerpera*: &c.

FERUS, apud Juſtinum *l.* 37. *c.* 23. ubi de Mithridate, *Puer tutorum inſidias paſſus eſt, qui eum* fero equo *impoſitum equitare jaculari*que *cogebant* &c. Equus eſt: ut apud Virg. *Æn.* *l.* 2. *v.* 51.

> *In latus inque* feri *curvam compagibus alvum*
> *Contorſit:*

& Manil. *Aſtronomicῶn* *l.* 5. *v.* 77. 348. & 643. ex emendatione Scaligeri: fortaſſis etiam *l.* 4. *v.* 795. Sic Nazarius *Panegyr. Conſtantini* *c.* 29. *Quos inſultans* ferus *poterit.* Arnob. *adv. Gentes* *l.* 4. *p.* 181. *Saturnus induit formam* feri *in Medea*,

> *Perite in ſtabulis immittens frænos* feris.

Hinc *ferinus*, Virg. *l.* XI. *Æn.* *v.* 571.

> *Armentalis equæ mammis*, & *lacte* ferino

eſt equinus; & Poëtæ paſſim Centauros *feriferos* vocant, à forma, quâ *feros* i. e. equos dimidiatâ ſui parte repræſentare illos fingebant Berneggerus *ad* Juſtin. Aliam vocis notionem vide ſupra in voce *Fera*.

FERUS Joh. Franciſcanus, Concionator in ſua Communione præſtantiſſimus, Moguntiæ diu hoc munere functus, ſcripſit plurima, *Commentarium* inprimis *in Evang. Johannis*, in quo Dominic. Soto *Notis* in eum 77. loca cautè legenda obſervavit, quæ tamen Mich. Medina à ſuſpicione liberat. Vide Sixtum Sen. *biblioth.* Buchoitzerum *Ind. Chronol.* B. Gerar. *Confer. Cathol. Part. I. gener.* *p.* 23. &c. Anton. Teiſſier *Elogiis P. I.* ſeriem tradit Scriptorum ejus, in quibus Ferus apud utriuſque Religionis homines moderationis laudem tulit. Vide & ſuprà *Joh. Ferus.* Obiit A. C. 1554. Eum exſcripſiſſe, integraſque ex illo paginas in ſuum opus tranſtuliſſe, Salmero notatur.

FESCENNIA vel FESCENNIUM, oppid. Hetruriæ. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Virg. *Æn.* *l.* 7. *v.* 695.

> *Hi* Feſcenninas *acies, æquoſque Faliſcos,*
> *Hi Soractis habent arces.*

In hoc oppido carminis quoddam genus, omni obſcœnitate opprobrioque plenum inventum putatur; quod à loco dictum eſt *Feſcenninum.* Macrob. *Sat.* *c.* 24. *Pollio, cum Feſcenninos in eum Auguſtus ſcripſiſſet, ait, At ego taceo. Non eſt enim facile in eum ſcribere, qui poteſt proſcribere.* Hinc *Feſcennina locutio* apud Catull. Carm. 61. *v.* 127. Horat. *l.* 2. *Ep.* 1. *v.* 145,

> Feſcennina *per hunc inventa licentia morem.*

Senec. *in Medea*, *Act.* 1. *v.* 113.

> *Feſta dicax fundat convicia* Feſcenninus.

Baudr. eſt *Galeſe*, oppid. Patrimonii S. Petri, ad Tiberim, cum Duc. tit. medium inter Hortam ad Bor. & Civ. Caſtellanam ad Auſtr. 25. mill. à Roma in Bor. Tudertum verſus, 4. ab Ocriculo. De carminibus ut aliquid addam: Nubentibus, prætextis depoſitis, à multitudine puerorum, qui ad eam celebritatem frequentes conveniebant, obſcœna olim acclamabantur, verſuſque *Feſcennini*, mollitie ac laſcivia diffluentes, cujus moris plurima apud Vett. extant veſtigia. *Feſcenninorum* certè *Tripudiorum*, quæ admodum impudica erant, meminit Jul. Cæſ. Scalig. *Poët.* *l.* 1. *c.* 18. qui *ejuſd.* *l.* *c.* 10. & *quod Mimus eſt, ex Comœdia, hoc* Feſcennina *carmina*, ex

Adol-

Atellana eſſe, docet. Ambroſ. Leo de urbe Nola, *l.* 3. *c.* 14. ubi de Vindemiantibus agit, ea ſic deſcribit: *Clamor captum omnem hominis ſuperat-nam omnino furentium eſt. In agro enim in quo vindemiant, ſemper pudibunda vindemiando inclamant.-- Veneres vel obſcœniſſimas ſe optare exclamant, eas jactant imitantur, idque omnibus iis, qui adſunt, atque ob hæc dicta etiam riſitant, atque cachinantur. Quod ſi agri dominum dominamve aut domeſticos horum ſpectarint non velut crabrones irritati ſimul omnes exclamant atque certatim efflant, quod cuique venereum lubet: reliquos verò advenientes ad agrum aut fortè pertranſeuntes, non modo his ipſis verbis excipiunt, ſed etiam omni genere conviciorum laceſſere gaudent. Quod ſi in itinere obvii fuerint vel civibus vel hoſpitibus-nec parcunt Regulis, magiſtratibus, aliiſve ſummis viris. Sacerdotibus præſertim quoque cœnobitis-eadem malè obſcœneque dicta incutiunt -- Monentem verò ſi quis caſtigare velit, derident, ac exertâ linguâ contemnunt oreque ipſo in eum oppedunt* &c. Vide quoque ſuprà *Charidarium*, quod ſimile quid, it. in voce *Hymenæus*.

FESCHIUS Joh. Jacobus, Syndicus Baſilienſis celeberrimus. Fil. Remigii Conſulis, poſt navatam in Academia Patria Literis elegantioribus ac Juris prudentiæ inſignem operam, cum Jacobo, & Bonifacio Zuingeris, Italiam perluſtravit, exacto biennio Baſileam redux. Exin Genevam profectus, mox Legato Baſilienſis Reip. Hornlochero ad Henricum IV. cogn. *Magnum*, Galliæ Regem Interpretis loco Lugduni fuit. Inde poſt tempus aliquod, reverſus Spiram ſe contulit, Juſtitiæ quaſi officinam ac nobiliſſimorum Juriſconſultorum panegyrin. Patriæ dein redditus, Docturæ ſuſcepit axioma, & in Collegium Jurecoſſ. aſcitus, Samuele Grynæo J.U.D. & Pandect. Prof. ac Reip. Syndico è vivis ſublato, Inſtitutionum Cathedram meruit: donec Iſelio, & Guthio Collegis ſimiliter defunctis, Codicis primò, dein Pandectarum electus eſt Profeſſor: additâ arduâ Syndicatus provinciâ. Quibus muneribus per quinquaginta annos eximia cum laude defunctus, hoc temporis ſpatio ducentos, & triginta Juris Candidatos Docturæ Juridicæ; ac triginta quinque alios, Licentiæ in U. J. ſummis honoribus inſignivit. Tandem poſt varia in Remp. ac Academiam merita præclara, ſenectutis ſarcinâ preſſus, vitæ ſatur, obiit A. C. 1652. Æt. 81. Vide A. Maur. Holtermann. *Orat. de Vit. & Mort. ejus.*

FESCHIUS Remigius, JC. Baſilienſis celeberrimus. Natus A.C. 1595. ex familia Conſulari, Patre Joh. Rodolpho, avo Remigio Conſulibus, Pandectarum Profeſſor, diu Academiam patriam illuſtravit: Muſeum *Feſchianum*, de quo infrà, collegit. Obiit haud pridem. Frater Chriſtophori JC. Logices primùm, nunc Hiſtoriarum ibidem Profeſsoris meritiſſimi, nati A. C. 1611. quo genitus Sebaſtianus J. U. C. egregium *de Inſignibus* tractatum edidit, in florente juventa Philologus, & Antiquarius eximius. Continet Muſeum *Feſchianum*, præter Bibliothecam omnium artium libris, etiam manuſcriptis variis inſtructam, rerum naturalium, foſſilium, lapidum, gemmarum, (*inter quas poculum ex achate inuſitatæ magnitudinis.*) exquiſitam copiam, animalia quædam peregrina, præſtantiſſimorum item artificum ſigna: cerâ, ære, gypſo expreſsas imagines, picturas, toreumata, ſculpturas, antiquæ ac recentis notæ res plures ex Indiis advectas (*in iiſque armarium teſſelatum artis mirandæ;*) æri & ligno inciſa peritiſſimorum cælatorum, (*Dureri præſertim hujus artis principis,*) opera; præclara deniquè antiquitatis monumenta: Nempe præter quaſdam Romanæ ſupellectilis reliquias, ſculptarumque gemmarum non pœnitendum numerum, nummorum veterum, Græcorum, Conſularium, ſed inprimis Imperatoriorum ex omni metallo copiam inſignem: quibus & modernorum Principatuum, & Civitatum numiſmata, à trecentis inde pluribuſque annis percuſsa, nec precio nec numero multum concedunt.

FESSA, vida *Fezza*..

FESSONIA, Dea apud Romanos, à *feſſis* invocari ſolita; militibus inprimis in prælio defatigatis ſubvenire credebatur, vide Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 4. & ſuprà in voce *Dii*.

FESTA, ſeu FESTI DIES, à *feriando* dicti, an ex Græco Ἑςία, *Veſta*, quod ab Hebr. אש & יה, quaſi dicas *ignem Domino ſacrum*, quòd *feſtis* diebus ſacrificia offerrentur, quæ ignis cœlitus delapſus accendebat. Hebræis חגים appellata ſunt à *tripudiis* lætitiaque publica, quâ celebrabantur; erantque in Eccleſia V. Teſt. inſtituta, cum recolendis ſingularibus Dei beneficiis, tum beatis ſub Meſſia temporibus beneficiiſque adumbrandis. Nec proin unius illa generis: Nam vel ſæpius in anno redibant, eaque vel hebdomadica, vel menſtrua, ut *Sabbathum* & *Neomeniæ*; vel anniverſaria erant, ut *Feſtum Paſchatis*, *Pentecoſtes*, *Scenopegiæ*, *Tubarum*, & *Dies expiationis*; vel deniquè certis annorum intervallis recurrebant; qualia erant *Annus Sabbathicus*, & *Jubilæus*. Atque hæc divinæ inſtitutionis erant quibus poſtmodum acceſſêre, & alia nonnulla, ab hominibus introducta: Ut *Jejuniorum* quidam *dies*, in memoriam exilii Babylonici, Zach. *c.* 7. *v.* 3. & 5. & *c.* 8. *v.* 19. Feſtum *Purim* ſeu ſortium, Eſth. *c.* 9. *v.* 2. Templi *Encania*, in memoriam repurgationis à Juda Maccabæo peractæ, 1. Macc. *c.* 4. *v.* 59. & Joh. *c.* 10. *v.* 22. ut Feſtum ξυλοφορίας, aliaque nonnulla, quæ Judæi hodie celebrant, omittam. Qui dies, cùm diem feſtum ac ſacrum inſtituere ac Eccleſiæ potiorum bonorum Sacramenta dare, ſolius Dei ſit; politici potiùs, quam ſacri, habendi ſunt. Franc. Burmann. *Synopſi Theol. Chriſt. Parte prior. l.* 4. *c.* 19. §. 11. Plura verò de *Feſtis* his, habes apud eund. *c. eod.* ut & *duobus præcedd.* hîc paſſim ſuo loco nec non aliquid paulo infrà. Cacozeliâ Gentilium ſimile quid, & extra Eccleſiam factum; apud quos in multis olim Rebuſpub. ut Athenienſi, Tarentina, aliis, eveniſſe legimus, ut creſcente variis occaſionibus *dierum feſtorum* numero, tandem plures voluptatibus dicati reperirentur, quàm negotioſi, & juridici. Idem Romanis contigerat ante Auguſtum, quod non una Cic. *in Verrinis* querela declarat. Auguſtus primus malo medicinam fecit Suet. *in* Aug. *c.* 32. *Ne quod maleficium negotiumvè impunitate, vel morâ elaberetur, XXX. ampliùs dies, qui honorariis Ludis occupabantur, actui rerum accommodavit.* Idem poſtea factum à Claudio, ut narrat idem in *Vita* ejus. Marcus quoque Antoninus Philoſophus, quem Judiciariæ rei ſingularem diligentiam adhibuiſſe, faſtiſque dies judiciarios addidiſſe, *ita ut ducentos triginta dies annuos rebus agendis litibuſque diſceptandis conſtitueret*, notavit Capitolin. nec temerè, cùm vix ullo alio tempore, ſi antiquiſſima excipias, tot dies negotioſi in Anno Romano fuerint, ut ex Kalendario vet. quod hodieque exſtat, & ex Hiſtoriis, clarum eſt. At ſequentibus temporibus dierum feriatorum numerus crevit iterum eouſque, ut jam inde à temporibus Juſtiniani eorum in Anno eſſent circiter centum ſexaginta, ut ex illius *Codice tit. de Feriis*, docet Caſaub. *ad Suet. in Aug.* &c. Præter ſacra autem diebus his peragi ſolita, *feriabantur* ab omni opere etiam Gentiles, uti ſuprà diximus, in voce *Ceſſatio*. Abſtinebant inſuper obſcœnis triſtibuſque narrationibus. Vopiſc. *Aur.* *bus, quibus omnia feſta & fieri debere ſcimus & dici.* Ovid. *Faſt. l.* 1. *v.* 71.

Proſpera lux oritur: linguis animiſque favete:
Nunc dicenda bona ſunt bona verba dic.

Claud. *Bello Get. Carm.* 26. *v.* 205.

Mandemusne Noti flabris quoſcunque timores
Pertulimus, feſtæ doleant ne triſtibus aures.

Unde apud Græcos, dum Sacra fiebant lætæ exſpectationis, βλασφημῆσαι abominabile habebatur, ut patet ex Theophraſti *Charact.* περὶ δυσχερείας, vide quoque ſuprà in formula ſacrorum, *guis*, & Nonium, qui *Feſtum* ſolenniter lætum, & feriatum; Romanos, ritè exponit. Porrò à ſuppliciis temperabant, Græci Latinique, ut diſcimus ex Philone *c. Flacc.* Unde cùm dies Auguſti in urbem ἱερὸς in perpetuum factus eſset decreto Senatus, teſte Dione, *Obſervatum eſt*, inquit Suet. Aug. *c.* 57. *ne, quoties ret urbem, ſupplicium de quoquam ſumeretur.* Vide quoque *lia.* Sed & diebus Feſtorum ſolennioribus vinctos ſolvi conſueviſſe, Liv. refert *l.* 5. *c.* 13. ubi de Lectiſternio primùm in Urbe facto A. U. C. 355. *Et cum inimicis quoque benignè ac comiter ſermones jurgiis ac litibus temperatum, vinctis quoque dempta in eos dies vincula.* de etiam Ulpian. *ad Demoſthenis illud*, πομπὰς πέμπειν, ex *Timocratea* &c. Habitum quod attinet, de illo aliquid ſuprà ubi de veſtibus *Albis Candidiſque*. Athenis in nathenæis feſtis univerſos coronari conſueviſse, refert Ariſtid. in *nath.* de cujuſmodi *feſtis coronis*, vide C. Paſchal. *Cor. l.* 2. *c.* prà, ubi de *Coronis*: Sicut in ſpecie de *Feſtis diebus* Romanorum, *crificia*, *Epulas*, *Ludos* ac *Ferias*, diviſis apud Macrob. *Sat. l.* 1. 16. Athenienſium item, aliarumque Gentium, hîc paſſim ſuis cis; quorum nomina Menſis cujuſque diebus adſcripta reperies. pauca adjiciam de *Feſtis Eccleſiæ Rom.* eâ magno numero tur, *Dominica*, *Martyrum*, *Confeſſorum*, & *Sanctorum*. in honorem Martyrum tantùm *Feſta* primitus celebrari Dein ex decreto Concilii Moguntini honorem eum ad Confeſſores quoque extenſum A. C. 813. adeoque à Bonifacio IV. in honorem omnium illorum Sanctorum, quorum feſta in Anni circulo celebrari nequeant, inſtitutum eſſe, ut illorum memoria Kal. Nov. recoleretur, tradunt Macri Fratres in Horum verò præcipua habetur, *Nativitas Domini*, *Paſcha*, *coſte*, & *omnium Sanctorum*; quæ proin *Feſta Annalia*, ſeu item *Feſtivitates Feſtivitatum* appellantur Brunoni Signienſi Ep. trum Diaconum *de Vir. illuſt. Caſin. c.* 34. Quibus addit *Summorum Apoſtolorum Petri, & Pauli*, ut & *Aſſumptionem S. riæ*, Bernardus Mon. *Cluniac. Conſuetud. MSS.* apud C. du Freſne *c.* 52. Hæc Presbyteri, & Diaconi, qui in villulis deſerviunt, Epp. ſuis in civitatibus celebrare tenentur, juxta Concil. *can.* 15. Miſſas quippe, ut in hiſce Feſtis majoribus, in Oratoriis facere prohibentur Presbyteri, in Concilio Agath. *can.* 21. præcipui, *ſub præſentia Ep. tenere* jubentur, in eod. Conc. *can. cit.* In ſpecie, qui *Natale Domini*, *Paſcha & Pentecoſten*, *communicaverint*, pro Acatholicis habentur, Conc. Agath. &c. Porrò, cum duo Feſta concurrunt eodem die, vocant, quo caſu dignioris Feſtum agitur, alterius pellant autem *Feſta* quædam *in totum Duplicia*, quædam *Duplicia*, quædam denique *Semiduplicia*. Dicuntur quædam *plicia*, in quibuſdam Eccleſiis, quòd reſponſoria tam majora brevia, & verſus à duobus cantantur, & quia omnia incipiuntur à duobus incipiuntur, & quia Antiphonæ in Matutinis, & Veſperis nis duplicantur: dicuntur enim Completæ, & ante Pſalmum poſt; ſicut eſt, *Feſtum Natalis Domini*, *S. Stephani*, *S. vang. Circumciſio Domini*, *Epiphaniæ*, *Purificationis*, *Annunciationis*, *Reſurrectionis*, *Aſcenſionis*, *Pentecoſtes*, *S. Johannis*, *rum Petri & Pauli*, *S. Laurentii*, *Aſſumptionis B. Mariæ*, *tis ejuſdem* & *Dedicatio Baſilicæ*. Atque hæc ſunt Majora *Minora* autem *Duplicia feſta* ſunt, 2. & 3. *Feria infra octavam tecoſtes*, *Commemoratio S. Pauli Ap.* *Octava Apoſtolorum Pauli*, & *Aſſumptionis*, quodvis itidem *Feſtum*, quod Eccleſia duplex ordinaverit celebrari. *Semiduplicia* vocant, bus præmiſſa non obſervantur ſed tantum tertium, ſextum, ultimum reſponſoria cantantur, à duobus, nec incipiuntur à bus, nec duplicantur antiphonæ, licèt verſus, & brevia ſoria à duobus dicantur: Talia ſunt, *Feſta Andreæ*, *ciæ* &c. Vide *Ordinar.* Præmonſtrat. *c.* 15. Beletum *c.* 57. & rand. *Ration. l.* 7. *c.* 1. *n.* 31. De *Feſtis* autem *triplicibus*, *druplicibus*; Item *de Feſtis trium*, *ſex*, *novem capparum*; *vem*, *duodecim Lectionum*, & in ſpecie de ſingulis *Feſtis* totius ni, in eadem Communione, vide Baron. *Not. ad* C. du Freſne *in Gloſſ.* Macros Fratres *in Hierolexico*, & hîc paſſim *ſuis locis*: etiam in voce *Septuageſima*, à qua *Feſta mobilia* anni, in eadem Eccl. diriguntur Nec omittendum hîc,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

nine, Curiam generalem, quæ ut plurimum in diebus feſtis ſolennioribus, cum conviviis publicis, celebrari ſolebat, hincque convivium ſolenne (unde Gall. *Feſtin*) non raro venire, ut obſervatum eidem, C. du Freſne &c. *Feſtorum Hebraicorum*, quæ ſupra indigitata, ſeries hæc,

Feſta Iſraëlitarum.

Dedicationis feſtum, humanæ erat inſtitutionis, in Novo Teſt. Ἐγκαίνια dictum, vide Joh. *c.* 10. *v.* 20. Auctorem habuit Judam Maccabæum 1. Maccab. *c.* 4. *v.* 59. Qui *cum patribus ſuis & tota Eccleſia Iſraëlis ſtatuit, ut agerentur dies inſtaurationis altaris temporibus ſuis quotannis, diebus octo, incipientibus a* 25. *menſis Ciſlev, cum lætitia & gaudio.*

Expiationis feſtum, vide ſuprà in voce *Expiationis F.* Ad illud alludere videtur Apoſtolus 1. Cor. *c.* 4. *v.* 13.

Jubilæus annus ultimum *Feſtorum* à Deo Iſraëlitis injunctorum, celebrabatur quinquageſimo anno, ut patet ex Levit. *c.* 25. *v.* 10. Hoc, inter alios uſus, populo in annorum computatione, inſerviebat. Quod enim Græcis Olympiades, Romanis luſtra, Chriſtianis Indictiones, id Hebræis Jubilæa erant.

Noviluniorum feſtum: Primus enim cujuſlibet menſis dies feriatus erat, quo adire Prophetas moris erat, ut patet ex 2. Reg. *c.* 4. *v.* 23. vendere autem emereque non licebat, Amos *c.* 8. *v.* 5. & præter ordinaria ſacrificia, alia offerebantur. Horum autem præcipuum erat, quod primo die menſis ſeptimi, nomine *Tiſri*, qui juxta civilem computationem anni primus erat, celebrabatur. In hoc enim major erat ſacrificiorum apparatus. Numer. *c.* 29. *v.* 1. & 6. ac buccinæ clangebant ab Ort. Solis uſque ad Occaſ. unde *Feſtum buccinarum* quoque appellatum eſt, quod in aliis Noviluniis non fiebat. Vide de eo Pſalm. 81. *v.* 4.

Paſcha, inſtitutum eſt à Deo, paulo ante Iſraëlitarum ex Ægypto egreſſum, Exod. *c.* 12. *v.* 27. celebratumque quotannis die 14. menſis *Niſan*, aliàs *Abib* dicti, uſque ad vigeſimum primum ejuſdem menſis diem: de quo vide infrà in voce *Paſcha.*

Pentecoſte, poſt Paſcha, die quinquageſimo, unde feſto nomen, celebrari ſolitum, inſtitutum divinitus legitur Levit. *c.* 23. *v.* 16. *& ſeqq.* Vocabatur etiam *Feſtum Septimanarum*, quia à Paſcha ad Pentecoſten ſeptem hebdomadæ numerabantur: quo ritè defunctis Iſraëlitis fruges maturas demetere demum licuit. Vide infrà *ſuo loco.*

Purim Gr. Κληρωτήρια, à Perſica voce *Pur*, ſortem denotante, inſtitutum eſt à Mardochæo, in memoriam liberationis Judæorum, è manibus Hamanis, qui totam gentem interneciôni deſtinaverat. Incidebat in diem 14. menſis *Adar* & durabat uſque ad finem diei 15. Eſtheræ *c.* 9. *v.* 21. quo biduo, hiſtoria Eſtheræ in Synagogis prælegebatur, quotieſque Hamanis fiebat mentio, pugnis malleiſque percutiebant ſcamna ac parietes, tanquam Hamani cerebrum eliſuri, vide Hoſpiman. *de Feſtis p.* 33. *ex Antonio Margarita in lib. de Cerimoniis Judæorum.*

Sabbathicus annus, qui ſeptimo quoque anno recurrebat, ſolenni quoque feſtivitate celebratus eſt: Hoc anno durante nec agrum colebant, nec debitum ab iis, quibus crediderant, exigebant; unde ob priorem rationem *Sabbatiſmus agri*, ob poſteriorem *Intermiſſio Domini* hoc feſtum dictum eſt, vide Levit. *c.* 25. *v.* 6. & Deut. *c.* 15. *v.* 2.

Tabernaculorum Feſtum, Græc. Σκηνοπηγία, celebrabatur à decimo quinto die menſis Tiſri, uſque ad 21. diem ejuſdem menſis: quo tempore habitabant Iſraëlitæ, poſt proventus terræ collectos, in tabernaculis, *ex termitibus arborum ſpecioſarum, ſpathis palmarum, & ramis arborum denſarum cum ſalicibus torrentis*, Levit. *c.* 23. *v.* 42. confectis. Vide infrà, & de his omnibus Thom. Godwyn. *de ritib Hebr. Civ. & Eccl. l.* 3. *toto.*

FESTINA lentè, notum Auguſti Symbolum, cujus emblema delphinus anchoræ circumvolutus. In quem ſenſum nummi uncialis aurei Germaniæ cujuſdam Principis meminit Barth. in quo iſtud Epigr.

DILATIO NOCET.
PRÆCIPITATIO NECAT.
LENTE ERGO PROPERA.

Vide eum *Animadverſ. ad Pap. Stat.* & manumiſſionibus. *Theb. l.* 14. *v.* 800. uti de *Feſtinantium* habitu infrà in voce *Pallium.*

FESTIVUS Aurelianus, auctor vitæ Tyranni Firmi. Vide *Aurelianus.*

FESTUCA, in donationibus ac inveſtituris adhibita, de quibus ſuo loco. Vide quoque ſuprà in voce *Aſſatomiæ* it. *Andelangus.* In divinationibus in voce *Tenus.* Hinc *Feſtucinus* coloris apud Venetos nomen de quo vide infrà in voce *Vetula.*

FESTUCA, vide *Fiſtuca.*

FESTUS, Coſ. Collega Theodoſii Aug. A.U.C. 1192. Item alius Coſ. Martiani collega A.U.C. 1225.

FESTUS, Domitiani amicus, qui dum mentagra uſque ad deſperationem laboraret, gladio ſe trajecit, prius tamen amicos conſolatus. Ejus mortem deſcribit *Mart. l.* 1. Epigr. 79. cujus epigraphe de Feſto.

Decretus ſtygios Feſtus *adire lacus.*

FESTUS, cohortis in Mauritania præfectus, per præmiſſos centuriones, qui Maurorum animos Vitellio conciliarent, oppreſſus, Tac. *Hiſt. l.* 2. *c.* 59.

FESTUS Avienus Rufus, Poëta, ſub Gratiano, & Theodoſio, Aratum, & Dionyſium Geographos, Latino carmine reddidit: Aliaque à Pithæo edita. An idem cum illo, qui Jambis Liv. expreſſit? Macrob. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 9. *de Poet. c.* 4. Item, *Feſtus*, Orator CP. A. C. 526. Item Peſcenninus Feſtus, hiſtoricus, Lactant. *de Falſ. Rel. l.* 1.

FESTUS Peſcennius, Nobilis Romanus, inter eos, qui juſſu Severi Imp. ſine cauſæ dictione occiſi ſunt, memoratur Spartian. in *Vita* hujus.

FESTUS Porcius, Proconſul, Felici in præfectura Judææ, ſucceſſit. Hic Paulum Apoſt. coram ſe accuſatum, præſente Agrippâ Rege audiit, atque ad Cæſarem eum appellantem, Romam miſit. Actor. *c.* 25. *v.* 24. Joſeph. Antiqq. *l.* 20. *c.* 7. & 8. vide & *Porcius.*

FESTUS, alio nomine *Valerius*, legatus Africæ primò ſtudia provincialium in Vitellium cum fide juvit; mox mutavit palam epiſtolis edictiſque Vitellium, occultis nuntiis Veſpaſianum fovens, & hæc & illa defenſurus, prout invaluiſſent. Tac *Hiſt. l.* 2. *c.* 98. Vide Ibid. *l.* 4. *c.* 48.

FESULÆ, vide *Fæſulæ.*

FETHELMACHIUS, Scotiæ Rex ſucceſſit Romacho, A.C. 358. per quatuor annos. Buchan. *Hiſt. Scot.*

FETIALES, aliis FÆCIALES, vel FECIALES, recentioribus *Heraldi*, Germ. *Herolden*, dicti ſunt, quòd fidei publicæ inter populos præerant. *Nam per hos fiebat, ut juſtum conciperetur bellum, & inde deſitum: Ex his mittebant, antequam conciperent, qui res repeterent: & per hos etiam nunc fit fœdus*, Varro. De eorum inſtitutione Plutarch. *in Numa* agit, & Dion. Halic. *l.* 2. *p.* 131. Sic loquitur: *Septima legum ſacrarum pars dicata erat collegio.* Fetialium, *quos Græci* Εἰρηνοδίκας *dicerent: ſunt ſelecti a præſtantiſſimis familiis, funguntur que per omnem vitam eo ſacerdotio, primo Numa hujus ſacri Magiſtratus auctore.* Et paulo poſt, eorum officia hæc eſſe ſcribit: *Cavere, ne Romani ulli fœderatæ civitati injuſtum bellum inferant. Quod ſi qua prior contra fœderis conditiones aliquid commiſerit, legatos agere, & verbis primo ſuum jus repetere: quod ſi dedignetur facere poſtulata, tum verò bellum ratum habere. Itidem, ſi qui a Romanis illatam ſibi contra fœdus querantur injuriam, cauſam eorum cognoſcere & ſi jure queri comperiantur, ſontes comprehenſos leſis dedere. Judicare item de legatorum injuriis, & dare operam, ut religioſè ſerventur conditiones fœderum: pacem etiam conficere, aut ſi juxta ſacras leges non eſſe facta videatur, irritam reddere præterea ſi quid Imperatores contra jusjurandi & fœderum leges patraverint, cognoſcere atque expiare.* Illorum unus dicebatur *Paterpatratus*: erat autem is, cui pater & cui filii erant, & maximus habebatur, teſte Plutarch. qui addit, etiam ſuo tempore *Fetiales* privilegium auctoritatemque; aliquam retinere: Prætores enim corpora, quæ ob formam, & florem ætatis cuſtodia opus habuerint pudica, eorum fidei commendaſſe. De iiſdem ſonat lex Cic. *Fœderum, pacis, belli induciarum Oratores Fetiales judices duo ſunto, bellaque diſceptanto.* Obſoleviſſe autem hunc morem, per *Fetiales* res repetendi, & bellum indicendi, ſuo tempore M. Ter. Varro docet, ita enim verba illa, de quibus ſuprà, *Nam per hos fiebat, ut juſtum conciperetur bellum, & inde deſitum*, Turneb. & Scalig. exponunt. Idem *l.* 12. & *de vita Pop.* ad Nonium ſic ſcribit: Itaque bella, & tardè & nullâ ſcientiâ ſuſcipiebant, & quòd bellum nullum niſi pium putabant geri oportere, priuſquam indicerent bellum, Fetiales legatos repetitum mittebant quatuor, *quos* Oratores *vocabant.* Et *l.* 3. *Si cujus legati violati eſſent, qui id feciſſent, quamvis Nobiles eſſent, ut dederentur civitati, ſtatuêrunt, Fetialeſque viginti, qui de his rebus cognoſcerent, judicarent, & ſtatuerent, conſtituêrunt.* Quibus ritibus autem bellum indixerint, vel fœdus ferierint, vide ſuprà in voce *Bellum*; & infrà in voce *Fœdus.* Addam ſaltem quædam ibi intacta. Indicebant bellum, verbenâ coronati, ut docet Virg. *Æn. l.* 12. *v.* 120.

——— *Verbenâ tempora vincti.*

Et capite velato, ut obſervavit Jac. Schegkius *Pramet. l. Ep.* 10. Intorquebant autem haſtam in fines hoſtium, quod non minus in conſuetudine Barbaris, quàm Romanis ac Græcis fuit. Ita Romanos Carthaginenſibus *miſſa haſta* bellum indixiſſe, Feſtus *l.* 8. teſtatur. Diod. Sic. *l.* 7. *c.* 2. Alexandrum, cùm contra Darium pergeret, *è navi in littus haſtam jaculatum eſſe*, refert. De Grumbate idem narrat Amm. Marcell. *l.* 19. *c.* 1. Et quidem Romæ columella erat, *bellica* dicta, ante Bellonæ templum, unde ſolebat Ovid. teſte *Faſt. l.* 6. *c.* 207.

Hinc ſolet haſta *manu belli* prænuntia *mitti:*
In Regem & gentes cum placet arma capi.

Eratque hæc haſta ſanguine infecta, quod de M. Antonio in Marcomannicum proficiſcente bellum, notavit ex Dione Adr. Turneb *l.* 25. *c.* 18. & docet Amm. Marcell. *loco modò laudato*, ubi de Grumbate: *Haſtam*, inquit, *infectam ſanguine, ritu patrio noſtrique conjecerat more Fetialis.* Ut non immeritò Bellonam haſtatam finxerit Pap. Stat. *Theb. l.* 2. *v.* 721.

Nec magis ardentes Mavors, haſtataque *pugnæ*
Impulerit Bellona tubas.

Imò ſic depingebatur locabaturque in urbe, in Italia, in provinciis; neque modò florente Reip. antiquæ ſtatu, ſed etiam poſterioribus decllivis & jam lapſi Imperii temporibus. Unde Claud. *de bello Gild. Carm.* 15. *v.* 23. & ſeqq.

——— *Humeris vix ſuſtinet ægris*
Squallentem clypeum, laxata caſſide prodit
Canitiem, plenamque trahit rubiginis haſtam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Idem *l.* 2. *de Laud. Stilic.*

——— *Cuſpis trabe ſurgit eburnâ* &c.

Uſi autem in hoc ritu haſta *Feciales*, fortè *quod telum bellis maximè idoneum fuerit*, maximique pretii, & uſus, in qua veluti *vis quædam imperii tacita* continebatur. Quare & *reliquorum Deorum ſtatuis haſtas addebant*, & Principes illis, antiquiſſimis temporibus pro ſceptro uſi leguntur, apud Juſtin. *l.* 43. *c.* 3. Hæc de priſca Romanorum ætate, ſed & apud antiquos Aborigines jam *Fetialium* uſus deprehenditur, quos illi Σπονδοφόρους, *libaminum latores* vocavère, à ritu fœdera pangendi, teſte Dion. Halic. *l.* 2. *p.* 131. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 21. *cum Paralip.* Thomæ Dempſteri. Verùm altiùs adhuc illorum originem arceſſendam eſſe, probant Eruditi: qua de re, ut & plura egregia ad hanc materiam ſpectantia, vide in voce *Heraldus*, & infrà quoque *Feciales*.* Item *Poberi.*

FETUM, ſeu FETU, regnum parvum Guineæ, in *ora Aurea*, cum opp. cognom. verſus prom. Corſum. Incolas, duos eſſe Deos, bonum unum, alterum malum, credere; Reſurrectionem verò pro re impoſſibili non haberè, memorat, qui illis Daniæ Regis auſpiciis Evangelium annuntiavit, Joh. Mullerus *Afric. Landſchaſſt Fetu.*

FEUARDENTIUS Franciſcus, vide *Franciſcus.*

FEUDUM, al. FEODUM quibuſdam à fide vel fidelitate, Spelmanno à Saxon. *Feah*, Angl. *Fee*, i.e. pecunia, ſtipendium, hæreditas, beneficium vaſalli, unde Gallis antiquis *Fe*, dictum videtur. Propriè ſalarium, ſtipendium: per tranſlationem prædium, quo ex beneficio domini, ſed & ſtipendii loco vaſallus gaudet, denotat. Definitur à Cujac. *jus in prædio alieno, in perpetuum utendi, fruendi; quod pro beneficio dominus dat eâ lege, ut, qui accipit, ſibi fidem & militiæ munus, aliudve ſervitium exhibeat.* Origo *Feudorum* rei militaris neceſſitas fuit: & hoc quidem alii Francis tribuunt, alii Longobardis, Germanis nonnulli adſcribunt. Et Longobardi quidem, præ cæteris, ſcita feudalia coluêre, Gerarduſque Niger, & Obertus de Orto, qui leges haſce primi in ſcriptis Frid. I. Imp. redegêre, Longobardicæ ditionis, Mediolanenſes nempe erant. Imò maximè in Italia legum iſtarum ſplendor viguit, præſertim dum ſopitum obmutuit jus civile, ab ævo Ottonis Mag. uſque ad imperium Lotharii III. Nihilominus, cùm omnes hæ gentes è Germania ortæ, etiam hinc mores rituſque feudales originem traxiſſe certum eſt, quos longâ conſuetudine deductos, neque ſcriptis, ſed traditione propagatos, accepêre, acceptos auxêre & ornavêre Longobardi. Neque abs re primævam Vaſallorum conditionem à Comitibus Taciti, quos Principibus pagorum *conſilium fuiſſe & auctoritatem* ait, repetant. Lex denique feudalis, temporis fuit filia, ſenſimque ſuccreſcens Principum aucta eſt indies, & exculta edictis: Conradi inprimis Salici, dum coronam Imper. ab Joh. XX. ſuſcepturus, Romam perrexit A. C. 1026. Dein Henrici II. Lotharii III. Friderici I. & aliorum. Et primò quidem feuda, in arbitrio erant dominorum: hæreditaria dein facta ſunt à Conrado prædicto, ſic tamen, ut beneficium ad venientes è latere, ultra fratres patrueles non progrederetur, licèt moderato tempore, uſque ad ſeptimum gradum ſit uſurpatum, quod in maſculis deſcendentibus, hodie novo jure, in infinitum extenditur. Perhibet tamen Joh. Faber, *Feuda* non minus, quam Ducatus, Comitatus, Baronias, &c. conſtituta eſſe perpetuas hæreditates apud Francos, ſub Hugone Capeto, qui regnum iniit A. C. 988. i. e. 38. An. ante legem ab Conrado latam, Nobileſque exinde cœpiſſe ſibi cognomina aſciſcere, ab præcipua Feudorum ſuorum denominatione. His gradibus irrepſêre Vaſalli in jus feudorum, ſed & amiſêre illud, variis infidelitatis, (vide in voce *Felonia*,) generibus, gravibuſque interea ſervitutibus erant obnoxii. Arctam quippe fidelitatem ritu quàm humillimo jurabant, domino, vide in vocibus *Fidelitas*, & *Homagium*. Prodire etiam in militiam evocante domino, ſequi ejus ſigna, tueri latus, nec periclitantem unquam deſtituêre: Tributa ſubſidiaque impendere, &c. tenebantur. De more evocandi *Feudales* ad præſtationem ſervitii apud Germanos, ſic canit Ligurin. *l.* 2.

Hîc quoties claram Regnator tendit ad urbem
Teutonus, Auſoniam ſumpturus ritè coronam,
Ponere caſtra ſolet; ligno ſuſpenditur alte
Erecto clypeus: tunc præco Regius omnes
Convocat à dominis feudalia jura *tenentes*
Excubias primâ Regi celebrare fideles
Nocte, vetuſtorum debent ex more parentum.
At quicunque domi, domino nolente, relictus
Defuerit, Fœdo *privari Curia cenſet.*
Tunc quoque nonnulli cenſurâ vindice Regni
Amiſêre die tali poſſeſſa reatu.
Quin & Pontifices, Halberſtadenſis, & ille,
Sub quo Brema fuit, tali regalia jura
Amiſêre notâ: perſonæ ſcilicet ipſæ,
Non tamen Eccleſiæ. Neque enim quod Paſtor iniquè
Geſſerat, Eccleſiæ fas eſt in damna refundi.

In Angliam *Feudorum* ſervitutes primus invexit Gulielmus Conqueſtor, qui lege eâ è Normannia traductâ, Angliam totam ſuis diviſit commilitibus. Scoti autem, jam ſub Malcolmo II. qui regnum iniit A. C. 1004. i. e. An. 60. ante adventum Gulielmi, jugum id ſe ſuſcepiſſe, referunt, &c. Mos in conferendis *Feudis* ſolennis fuit. Majora in Imperio ceſſit antiquitas, vexilli traditione: Galli verò, è priſca conſuetudine, non ſolùm Epiſcopatus, ſed omnia feuda, annuli, & baculi, *per rain, & baſton*: Alii aliis in traditione ſymbolis uſi ſunt, vide *Traditio*: & plura de *Feudorum* in Anglia inprimis generibus, notis, & privilegiis, aliiſque huc ſpectantibus, apud Spelmann. *Gloſſ. Arch.* & Juriſconſultos. Species quædam *Feudi* vel potiùs initia quædam ejus juris, quod, poſtea variè introductum eſt, & *Feudorum* appellatione deſignatum, occurrunt apud Æl. Lamprid. *in Alex. Sev. Sola, quæ de hoſtibus capta ſunt, limitaneis ducibus & militibus donavit, ita ut eorum iſta eſſent, ſi hæredes illorum militarent.* Erat ſanè lex ſimilis feudorum conſtituendorum: ut qui prædium colendum acciperet, daret fidem & militiæ munus aut aliud ſervitium exhiberet. Simile eſt, quod Vopiſc. narrat *in Prob. Veteranis omnia illa, quæ anguſte aditur, Iſauriæ loca, privata donavit: addens, ut eorum filii ab anno octavodecimo mares dumtaxat ad militiam mitterentur*, Caſaub. *ad Lamprid.* Imò jam apud Ægyptios olim *Feuda* locum habuiſſe, dicemus mox ubi *de Feudo Militari Ægyptiorum.* Ipſum verò *Feudi* vocabulum, ſub Carolo Craſſo primò auditum, in ea ſc. *Conſtitutione*, quam edidit de Expeditione Rom. circa A. C. 884. à Frehero, Goldaſto, aliis, publicata: Leges autem *Feudorum* Lothario adſcribi, tradit C. du Freſne *in Gloſſ.* ubi varias *Feudorum* ſpecies, ordine literarum digeſtas, fusè & eruditè exequitur: additque, *Feudatarium*, apud Anglos, Officialem eſſe à Magiſtro Curiæ Wardorum ſeu pupillorum, ſub ſigillo Curiæ illius, uni vel pluribus Comitatibus datum: qui in cognoſcendis rimandiſque *Feudis*, ad Regem pertinentibus, & ad tenuras pro Rege manifeſtandas, operam navet; Eſcaëtori ideò adjunctus, ut omnibus nervis publicam utilitatem promoveat. Pupillorum porrò terras luſtret, valorem annuum inveſtiget, prodat, indicat, cenſum recipiat, & Curiæ receptori deferat, Viduis item tenentium Regis dotem aſſignet, ex Spelmann. de *libro Feudorum.* Vide infrà ubi de *Jure Civili.* A *Feudis* quid differant *Manufirma.* Vide ibi: ut & aliquid in voce *Relevium.*

FEUDUM Militare Ægyptiorum. Cùm in Ægypto VII. eſſent hominum genera, Ἱερέες, *Sacerdotes* ſc. primo loco ac dignitate; ſecundi Μάχιμοι, *Milites*; inde Βουκόλοι, Συβῶται, Κάπηλοι, Ἑρμηνέες, & Κυβερνῆται), à ſuis artificiis ſic denominati: Milites in Hermotybies & Calaſirios diviſi, ſoli, præter Sacerdotes, præmio mactabantur, ut eſſent ſingulis aruræ XII. à vectigali immunes. Erat autem *Arura* 100. cubitorum Ægyptiorum quaquaverſus, & cubitus iſte par Samio. Quæ exemptio univerſis data eſt, his verò per vices fruebantur. Et quidem mille Calaſiriorum totidemque Hermotybiorum annuo ſatellitum munere circa Regem fungebantur; quibus, præter aruras, dabantur viritim quotidie panis toſti quinæ minæ, bubulæ carnis binæ, vinique ἀρυστῆρες quatuor Herod. ... *c.* 164. & 169. *p.* 154. & 155. Conceſſit autem *Feuda militaria*, à vectigalibus immunia, & jure hæreditario tenenda, militibus ſuis Se... Regis Ægyptiaci in Aſia Imperii auctor. Et Calaſiriorum quibuſdam adſignavit Nomum Thebæum, ut Hermotybiis Chemmitem & Panopolitem, itidem in Thebaide, ut Regi præſtò eſſent: reliquis militibus in Ægypto inferiore unâ collocatis. Qui ingens exercitus (Hermotybiorum enim ad 160000. Calaſiriorum ad 250000. ... inde Cr... in jus Δέλτα, quaſi in caſtris metatus eſt, hinc Peluſiaco, inde Canobico Nili alveo vallatus, ad Or. Calaſirii, ad Occaſ. Hermotybii. Atque hoc magni illius Regis inventum fuit, ſed non ... que adeò poſteris ſalutare. Satis namque notum, Milites, ... molleſcentes, diſciplinam detrectare, opulentiâ ſuperbientes, ... ctoritatem contemnere; junctarumque virium fiduciâ in ... nem pronos eſſe. Certè *Sennacheribo Aſſyriorum Rege Ægyptum invadente, militaris iſte ordo Sethoni Regi opitulari noluit*, Idem ... *p.* 144. & ex inteſtina rebellione poſtmodum eveniſſe videtur, ut ... tes hi, ſpretâ Thebanorum Regum auctoritate, inferiores hos Nomos ſibi aſſeruerint, poteſtatemque regiam ſibi uſurpaverint; quæ ... gna à Sabacone Æthiope diſſipata, hoc ad ſua regreſſo, denuo ... ruêrunt, donec hi Reguli primùm externâ vi, dein domeſticâ oppreſſi ſunt Ægyptuſque omnis tandem ſub unius Pſammitichi imperium rediit. Idem *l.* 1. *c.* 105. *p.* 44. Vide Equ. Marsham. Can. *Chron.* ubi de Δωδεκαρχίᾳ *Ægypti.*

le FEVRE Nicolaus, vide *Nicolaus.*

FEUS Belchamus, vel *Belcharus*, Florentinus, Jeſuatum Fundatoris, Joh. Columbani, vitam ſcripſit. Voſſ. *de Hiſt. Lat.* *p.* 603.

FEZZA, urbs Africæ clariſſima, & perampla, Civitas primaria regni Fezzæ, in Barbaria, ſub Rege Marrochi, condita, ut ferunt, circa A. C. ſeptingenteſimum octuageſimum ſextum. Dividitur in duas partes, quæ à ſe invicem parum diſtant; earum una *Fezza vetus*, altera *Fezza nova* appellatur. Vetus Fezza quoque fluviolo in duo corpora finditur, orientale dicitur *Belcida*, habet autem quatuor familiarum millia: occidentale dicitur propriè Fezza vetus, quæ ... cit octuaginta, & amplius familiarum millia. Non longè diſtat ... Fezza nova, quæ octo domuum millia habet: Fezza vetus eſt tota ferè in collibus, & in vallibus, continet quinquaginta templa Mahumetana, inſignis magnitudinis, ultra quæ ſexcenta minora numerantur. Fezza nova duplici muro altiſſimo atque fortiſſimo cincta in planitie amœniſſima, non procul à flumine ſita eſt: à veteri uni ferè milliaris ſpatio, Morerius habet 1200. p. diſtat, idque ad occidentale, atque propemodum latus meridionale. Ejus territorium ... fluvio Buragrago, verſus Ort. protenditur uſque ad fluv. Gnavem, ... Sept. fluvio Suba, à Mer. Atlantis radicibus clauditur. Me... Deficit indies à multis annis. Eſt in prov. Fezza dicta. Quibuſdam ol. *Volubilis.* Paucis abhinc annis ſub Tafiletæ Rege, cum Regna Fezzæ, & Marochii Baudr. Vide Morerium, qui urbem hanc prolixè deſcribit, *in Dict. Hiſt.* ex Sanuto, Joh. Leone, Marmolio, Mercatore, Magino, Sanſone, du Val &c. Habitatur à Mauris, & Arabibus, quibus quatuor uxores ducere, illaſque repudiare pro lubitu licet, reſtitutâ dote. In virgine terra mortuos recondunt, &c.

FEZZANUM regn. amplum Barbariæ, ab Abdulaco conſtitutum, A. C. 1212. Marian. *de reb. Hiſp.* Marrochii regno pridem unitum, inter ipſum ad Auſtr. & fretum Herculeum ad Bor. Ad Occ. habet Oceanum Atlant. ad Ort. regnum Algerii. Ejus provin...

ciæ ſunt, Hasbata, Errifis, Gareta, Aſgara Fezza, Temeſna, & Chans. Primaria Urbs Fezza. Urbes tamen littorales regni ad Oceanum, & mare Mediterr. maj. ex parte aliis ſub dominiis ſunt. Vide *Fezza*. Adde quod aliis *Feſanum*. Olim, cum tota Africa, Romanis paruit: Inclinante dein Imperio, & Mauris, Vandalis, ac Gepidis ſeſe in Gallias, & Hiſpanias diffundentibus, ab illis poſtremo inſeſſum eſt. Donec ab Arabibus Muhammedanis Vandali expulſi, totaque Africâ exterminati ſunt, nomine Chriſtiano cum iis prorſus in his locis abolito. Sub Arabibus poſtea varia in hac Mundi parte Regna exorta, mutantibus ut fit Principum familiis pariter mutata ſunt: quo factum, ut propter tot rerum vices, nomina antiqua populorum, civitatum, & oppidorum confuſa, & fere obliterata ſint, novis ſubinde dominis nova imponentibus, donec magna pars eorum in poteſtatem Turcicam conceſſit, ſolorum Regnorum *Fezzæ*, & Marocci, in Tingitana ſitorum, nomine ac ſplendore ad noſtra uſque tempora propagatis. Et *Fezzam* quidem ipſam Saracem *Aulam Occidentalem* appellare ſoliti ſunt, quòd Muhammedani Imperii quaſi altera ſedes eſſet. Ejus imperium condiderunt, circa A. C. 800. Ommiadæ. Cum enim Ommiæ familia, per Abbacidas, Caliphatu Syriæ dejecta eſſet, partim in Africam, partim in Hiſpaniam, ſe recipientes, novos ibi Caliphatus conſtituerunt. E quibus oriundus *Idris*, urbem *Fezzam* ſtatuit, & eam Regni ſedem fecit, aſſumpto *Caliphæ* titulo. Hujus familiam extinxére Zenetti, circa A. C. 950. pulſi à Lautuniis, A. C. 1052. quo Abul-Texifius, Almoravidarum ſive Lamptuniorum gentis Princeps, exterorum Imperium exoſus, adminiſtrationem rerum ſuſcepit. Sub his deſertâ *Fezzâ*, Imperii ſedes Maroccum eſſe cœpit, à Joſepho Rege extructum. Lautunios Almoravidas expulére Almohadæ, circa A. C. 1139. deſtructi à Merinis circa A. C. 1210. è quorum proin interitu per Hiſpaniam & Africam varia regna, (quæ prius uni ſuberant) nata ſunt, inter quæ *Fezzanum* & *Maroccanum*, quod Merini obtinuêrunt. His ſucceſſere *Oataſſeni*, A. C. 1420. ſub quibus cùm Regnum *Fezzæ*, ex provinciarum defectione, vehementer debilitatum fuiſſet, circa A. C. 1500. Sceriphii rerum potiti ſunt; quos Portugallicum bellum ſec. præt. & rebellio Mahmedis Ben. Abdallæ, A. C. 1612. graviter afflixit; Georg. Horn. *Orb. Imp.* qui Mauritaniam veterum hoc Regnum complecti, notat *Orb. Polit. Part. IV.* Nec omittendum, quum ſtudia in Africa, & Numidia præſertim hodièque inſigniter floreant, præcipuas ibi Academias, *Fezzanam* eſſe & Tunetanam; & Fezzæ quidem, poſt Grammaticam, totos eſſe in Alcorano, & Doctoribus Scholaſticis, h. e. qui de Sacrorum ceremoniis, & Theologia tractant: quemadmodum cæteræ omnes diſciplinæ Tuneti florent, teſte Clenardo. Vide Georg. Horn. *Hiſt. Philoſ. l. 5. c. ult.* ubi & hoc addit, cùm multa ſint Fezzæ collegia, unum præ cæteris nobile eſſe, in quod Habul Henon quadringenta octoginta aureorum millia impenderit. Idem Doctores illorum *Alphakios* vocari refert, i. e. Σοφοὺς, ut vocem hanc interpretatur Clenard. *Ep. l. 1.*

FEZZENA, Reg. & deſertum Africæ, in tractu Biledulgeridiæ, cum opp. cognom. *Fezzen*, trans montes, prope Gademeſſam reg. Samitus, aliique.

FF. Juriſconſultis libros Digeſtorum ſeu Pandectarum notat, quas literas nullam habere rationem eſſeque omnino ex Notariorum invento, h. e. qui notis ſcribebant, cenſet Cujacius *Obſerv. l. 12. c. 40.* Vide ſupra ubi *de Digeſtis*. In *Teſtam.* S. Fulcranni Ep. Lutev. apud Boland. 13. Febr. ut & *in Tabulario Eccl. Privat.* hæ literæ Sextarium aut Sextarios notant; ſed SS. apud Bolandum reſtituit C. du Freſne ſa. Vide Jac. de Partibus *Not. ad Alexand. Jatroſ. l. 3. c. ult.* laudatum eidem.

F. I. In notis antiquis, *fieri juſſit*. FI. B. *fide bonâ* FID. *fides*. FID. D. *fid. dignus*. FIL. *filius* FID. SER. *fidelis ſervus* &c. deſignat. Fr. Gouldmann. *Dict. Lat. Angl. Græc.*

FIACARIUS, in Palatio Pontificis miniſter eſt, cujus officium lucernis ellychnia adaptare, uti ex Cencio Camer. *Cerimoniali MS.* habes, apud Dominic. Macr. *in Hierolexico*.

FIARASUM. Cappadociæ urbs. *Anton.*

FIAT, acclamandi formula, vide ſuprà.

FIBER, animal ἀμφίβιον, idem cum *caſtore*, quam vocem vide ſupra; *per univerſum Pontum plurimus — Lutris ſimilis eſt, animal morſu potentiſſimum, adeo ut cum hominem invadit, conventum dentium non prius laxet, quam concrepuiſſe perſenſerit fracta oſſa. Teſticuli ejus appetuntur* &c. Solin. *c. 13.* Nomen ab extremitatibus fluminum, in quibus verſatur, ſecundùm Grammaticos, quibus *fibrum* extremum eſt, unde *fibræ crinium*, *fibræ jecoris* &c. At Salmaſ. φίβρος Græcum eſt, & ἁπαλὸν ac τρυφερὸν ſignificat, Æol. φίβρος, unde *Fiber*, à mollitie pili dictus, ut quem *plumâ molliorem* Plin. *l. 8. c. 30.* ait. Eadem illi origo *fibrarum* ac *fimbriarum* in veſtibus: quod enim extremis veſtibus aſſuebatur ornamenti gratiâ, φίβρα iidem Æoles, & ornamenta illa veſtium φίβρας videntur appellaſſe. Namque φίβρος etiam καλὸς & φιλόκοσμος exponitur. Adde, quòd ornamenta illa veſtium extremitatibus aſſui ſolita, cirris ac filamentis tenuibus, & mollibus conſtabant, κρόσσους Græci dicunt, unde *bicirres*, & *cirratæ* veſtes, de quibus ſuprà. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 186.*

FIBLA, pro FIBULA, in vet. *Inſcr.* PRÆPOSITUM A. FIBLIS. PRÆPOSITUM. A. CRYSTALLINIS. Unde *Fiblatorium*, pro *Fibulatorium*, nonnullis ipſa *fibula*: apud Anaſtaſ. *in Greg. III.* qui id inter munificentia ſacra reponit, *Contulit dona diverſarum ſpecierum — amulas ſuperauratas paria 2 pendentes*, fibulatoria *numero* 5. Et certè *Fibulas aureas*, pro donariis oblatas Eccleſiis, habet etiam Anonym. *de Miraculis S. Remacli c. 11. & 24.* apud Mabillon. At Suid. φίβλα ἱερὸν, interpretatur περιπόλαιον Περσικὸν: quod proin videtur etiam fuiſſe veſtimentum, quod ſubinde fibulis variis nectebatur. Cujuſmodi fuit ſagum illud; cujus meminit Pollio *in Regilliano*: Illyricum viz. quam provinciam tunc is regebat. Non enim omnia ſaga fibulata fuiſſe, ex hoc ipſo loco diſces, ubi Claudius, cùm à Regilliano duo ſibi ſaga mitti peteret, *fibulatoria* ſe velle addidit. Sed & Gallica fuiſſe *fibulata*, Polyæn. habet: [illegible] *Et primus nigrum ſagum infibulatus eſt* &c. Salmaſ. *ad Trebell. Poll.* At balteum *fibula* milites ſtringebant communiter, unde balteo junguntur ſæpè fibulæ, & apud Græcos ſimpliciter ζωστὴρ, & πόρπαι junctim non raro mentio. Et quidem Tribuni militares ex auro eas habebant; gregarii milites ex argento; uſque ad Aureliani tempora, qui *fibularum aurearum uſum* his *primus conceſſit*, apud Vopiſc. Impp. plerumque gemma fibulæ vice utebantur. Idem *in Carino*, *Nisi gemma, fibulâ uſus non eſt*. Quemadmodum & fibulæ muliebres plerumque ex gemma erant. Claud. de Sexto Conſ. Honor. Carm. 28. v. 526.

——— Et fulvâ nodatur jaſpide pectus.

Zenobia verò cochlidem, h. e. unionum concham, loco fibulæ, adhibuit, apud Trebell &c. Nec omittendum, pallia, chlamydes, & paludamenta Impp. ſagaque militum unicâ tantùm *fibula* ſtringi conſueviſſe, unde *fibula* ſolum mentio, apud Spartian. in *Hadr.* Vopiſc. *l. cit.* alibi, & πόρπην Græci numero unitatis ſæpe dicunt, Agath. *l. 4.* &c. Salmaſ. *ad Spartian. aliosque Hiſt. Aug. Scriptores citatos*. Vide quoque infrà in voce *Fibula*.

FIBRARUM Inſpectio, pars Extiſpicinæ; Græcis Generali vocabulo ἱερογνωπία, & à fibris hepatis inprimis, ἡπατοσκοπία dicta eſt. Dictæ enim ſunt *Fibræ*, jecoris extremitates, λοβοὶ, nomenque ex eo nactæ ſunt, quòd apud Gentiles in ſacris ad Phœbi aras ab Hariolis ferebantur, quibus oblatis accenſiſque, reſponſa acciperent. Earum meminit Virg. *Æn. l. 10. v. 175.* & ſeqq.

——— Ille hominum Divûmque interpres Aſylas,
Cui pecudum Fibræ, *cœli cui ſidera parent,*
Et linguæ volucrum & præſagi fulminis ignes.

Et *Georg. l. 3. v. 490.*

——— Impoſitis ardent altaria Fibris.

In diſſectis itaque ab Haruſpice victimis extorum *Fibrarumque* color ac ſitus notabatur, quæ ſi extremæ *Fibræ* versùs interiora replicatæ ac convolutæ viſerentur, certiſſimæ felicitatis ſigna habebantur. Quòd ſi contrarium deprehenderetur, ſi ἄλοβον eſſet jecur, infauſtum erat omen, ſecundùm illud App. *l. 2.* Τὰ [illegible] ἄλοβα εἰς κίνδυνον ἦλθε θανάτου, ἐν δευτέρῳ δὲ εἰς θάνατον. Vide ſuprà in voce *Extiſpices*.

FIBRENUS, fluv. Italiæ. Sil. Ital. Punic. Bell. *l. 8. v. 401.*

Atqui Fibreno *miſcentem flumina Lirim.*

FIBULA, Gr. φίβλη, quod ligat, Iſid. aliis à *figendo*, quaſi *Figula*, πόρπη, ἐπιβλή. Gloſſ. *Fibula*, πόρπη, φίβλιον. Mart. quod *Fibras*. i. e. extremitates veſtium conſtringat, aut quaſi *Figula*, quia figit ſeu configit, dicta videtur. Eas non tam *in veſtibus*, *quam ornatu* ponit Ulpian. JC. *l. 25. ff. de auro, & argento leg.* idque tum civibus, tum militibus in uſu: Præſertim tamen feminarum adnumerabantur mundo, quod etiam iis principium fuiſſe creditur. Plin. *l. 33. c. 1. Fabricam etiam Deum fibulas, & alia muliebris cultus, ſicuti inaures, in principio factitaſſe, ſine mentione annulorum.* Materia iis aurum argentumve vel quælibet alia metalla inaurata aut bracteis obducta. Trebell. Pollio *in Claud.* *Ut Claudio extra dona daret* Fibulas *argenteas inauratas duas &* Fibulam *auream*, præcepit ſc. Valerianus Princeps Zoſimo Syriæ Procuratori. Sic Virg. de Didone *Æn. l. 4. v. 139.*

Aurea purpuream ſubnectit Fibula *veſtem.*

Quod apud Romanos non niſi extremâ Rep. factum, ut Plin. *l. 33. c. 3.* conqueritur, auri nempe luxum adeò in militia quoque dura illa atque horrida adoleviſſe, *ut M. Bruti in Philippicis campis Epiſtolæ repertæ ſint, frementes* fibulas *Tribunitias ex auro geri*. Ita igitur cum invaluiſſet hic mos per bella civilia, ab eo tempore Tribunitium inſigne eſſe cœpére. Aurelianus poſtea Imp. earum uſum manipularibus etiam indulſit. Ex gemmis quoque conſtitiſſe, docet iterum Virg. *Æn. l. 5. v. 312.*

——— lato quam circum amplectitur auro
Balteus, & tereti ſubnectit Fibula *gemmâ.*

Figuras *Fibulæ*, veſtiariæ inprimis, varias expreſſit Joh. Rhod. *l. de Acia*. ſed major earum pars ad inſtar arcus fuit, ut fibula oblonga fuerit, & incurva, acus recta, nervum in arcu exprimens. Quare facile fuerit intelligere, cur apud Quintilian. *l. 6. c. 3.* Junius homo longus, niger, macerque ac pandus appellaretur *Fibula ferrea*. Nam, quòd pandus eſſet ſive incurvus, figuram fibulæ; quòd macer, tenuitatem; quòd niger, ferri colorem exprimebat. In antiquis monumentis ferè omnes orbiculari apparent figurâ, in medio ad inſtar bullarum protuberantes, ut ſcilicet in interiori parte duobus uncinulis utraque veſtis pars necteretur: Sive duo ſemicirculi, aut virgulæ incurvæ veſtimentis hinc inde aptarentur, quæ commiſſæ injectâ acu jungerentur. Philoſtrat. *in vita Apoll. l. 1. Puellæ ambos oculos, marito alterum effodit, acubus ad id facinus uſa, quibus veſtimentorum* fibulas *nectebat*. Ita Oedipum ſibi *Fibulis* oculos cruentaſſe, ex Tragicis docti annotarunt. Illarum nullus in Toga uſus, quæ cùm communi uſu non cingeretur, nec fibulâ quoque necte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

nectebatur. Dyonyſ. *l.* 2. *p.* 129. fibulæ in Toga meminit, ubi de Saliis loquitur. Sed vel erravit is, Togam Saliis adſcribendo, cùm ſolas tunicas pictas in iis agnoverit Liv. *l.* 2. *c.* 40. vel non præſtitêre fibulæ in trabeis Saliorum eundem uſum, quem in veſtimentis apertis ad partes diviſas connectendas, ſed potiùs adhibitæ ſunt ad ipſam Togam contrahendam atque attollendam, ne ſcilicet ad pedes fluens impediret ſaltantes. Imò nec in Pallio fibula: Cùm enim tota ejus conformatio in eo poſita eſſet, ut pars dextra ſiniſtro humero imponeretur, & velato brachio dextra exerceretur; ut ſi deflueret ea pars, reponeretur ac decenter infrà genua caderet; ut à dextro in ſiniſtrum conjiceretur; ut non ſubduceretur altiùs aut fluens traheretur; nihil horum effici potuiſſet, ſi *Fibulâ* pallium fuiſſet nixum, h. e. ſi utraque pars ejus in humeris fibulæ morſu acquieviſſet. Quòd itaque Pallii fibulati meminit Tertullian. non commune intelligit, ſed quod olim Carthaginenſes geſſerant, antequam Togam induiſſent. Et Vopiſc. *in Probo*, per *Pallia Gallica fibulata*, nihil aliud quàm Sagochlamydes intelligit: Suid. quoque, dum *de Perſico pallio fibulato* loquitur, hoc ipſo oſtendit, commune Græcorum fibulâ caruiſſe. Chlænæ igitur, & Chlamydes fibulam habuêrunt, ideoque Homer. in Chlæna, voce περονητὸς uſus eſt. Sic Chlamys, quia aperta erat, in humeris vel ad cervicem fibulâ claudebatur, Ovid. *Met. l.* 14. *v.* 393.

> *Purpureum chlamydis pennæ traxêre colorem,*
> Fibula *quod fuerat, veſtemque momorderat aurum,*
> *Pluma fit.*

Sagum item veſtimentum apertum, & infibulatum erat; Varro apud Nonium, *Quem neque aptam mollibus humeris* fibulam *ſagus ferret.* Idque apud Romanos, Hiſpanos, Illyricos, Germanos quoque, *qui ſpina ſagulum infibulare* ſoliti ſunt, teſte Tac. Verùm Gallicum ſagum, quod ad inſtar tunicæ, & manicatum erat, ſine fibulâ fuiſſe videtur; interim & hujus in illo uſus eſſe potuit, cùm ad pectus apertum eſſet. Unde de Gallis Diod. Ἐμπεπορπημένους σάγους ῥαβδωτοὺς. Quòd apud Trebell. Pollionem Zenobia dicitur, *galeata ad conciones proceſſiſſe, mediâ in Cyclade fibulâ muliebri adſtricta*, id eodem modo intelligendum, ſicut de pallio ſuprà diximus. In Cyclade enim, quæ clauſa & rotunda, propriè nullus fibulæ locus, at ne longius flueret, ac pedes more matronali perfunderet, fibulâ in pectore conſtrictâ revocabatur ac ſuſpendebatur. Quemadmodum de Penthesilea ait Virg. Æn. *l.* 1. *v.* 496.

> *Aurea ſubnectens exertæ* cingula *mammæ.*

Sed & Lacernas fibulâ junctas credi par eſt, ut & reliqua amicula, quæ tunicæ injiciebantur, ne humeris defluerent. Imò Tunicas quoque ipſas, quas nempe χιτῶς & χιτωνίσκους dixêre, de quibus vide Polluc. *l.* 7. *c.* 13. in quibus *Fibulæ* loco futuræ erant. Trabeas tandem, licèt Togæ fuerint, fibulæ jungebant, ſeu potiùs contrahebant, cùm Equites tranſveherentur: quemadmodum de Cyclade modò dictum: Ferrar. *de Re Veſt. paſſim, inprimis Part.* 2. *l.* 1. *c.* 16. & 17. Porrò *Fibulis* circuliſque connexas armillas Petron. indicat *Satyr.* Ed. Gonzalis de Salas *p.* 18. Ed. Boſch. *c.* 32. & quidem lunatâ formâ; fibularum veterem in morem, de qua vide Plaut. *Epidico Act.* 5. *ſc.* 1. *v.* 34. Cujuſmodi *Fibula*, Latinis *Cloſula*, Gr. Βάλανος dicta, teſte Ariſtoph. *Lyſiſtratâ*:

> Ὀρχουμένης μου τῆς γυναικὸς ἑσπέρας,
> Ἡ βάλανος ἐκπέπτωκεν ἐκ τοῦ τρήματος,
>
> *Dum noſtra ſero ſaltat uxor veſpere,*
> *Elapſa pendens* fibula *è foramine eſt.*

Ut exponit Thom. Bartholin. quem vide *l. de Armillis vett.* §. 4. In calceis etiam *Fibulæ*: Unde Tiraquellus *Annot. in Alexandr. Neap.* *Lunulæ*, inquit, *in Calceis* (nempe Senatorum Rom.) *erant* fibulæ *eburneæ, ad inſtar Lunæ corniculantis.* Nimirum Lunula hæc appoſita illi loco, ubi extremitates calceorum inter ſe coëunt, hoc præſtitit, ut tranſmitti per anſularum foramina, nec tamen excidere propter utrumque acumen facilè poſſet, Balduin. *de Calceo c.* 9. ubi figuram iſtiuſmodi fibularum exhibet: Græci ἐπισφύριον ἐλεφάντινον μηνοειδὲς reddunt. Vide quoque Alb. Ruben. *de Calceo Senatorio*, ubi ex veterum Grammaticorum mente, de voce hac ἐπισφύρια prolixè diſputat. Eobanus certè Heſſus, verſus illos Homeri *Iliad.* γ.

> Κνημῖδας μὲν πρῶτα περὶ κνήμῃσιν ἔθηκε
> Καλὰς ἀργυρέοισιν ἐπισφυρίοις ἀραρυίας.

Sic reddit: —— *Tum cruribus aptat*

> *Ære renidentes ocreas, quas* Fibula *loris*
> *Arctiabat niveis.*

Denique non omittenda *Fibula theatralis* eſt, cujus uſus apud Vett. fuit, ut Cantores & quicunque in Theatro voce placebant, à Venere arcerentur. Fuit autem annulus æreus vel argenteus, quo trajiciebatur cuticula, eam partem operiens, quam exerceri nolebant, Rhodio docente. Hic non totum, unde procreamur, membrum transfigebat, ſed tantùm cutem glandis velamen: quo modo & pueros cuſtoditos legimus, ne pubeſcens ætas in virilem præcipitaretur, apud Plin. *l.* 33. *c.* 3. Alii non annulum, ſed thecam, & vaginam fuiſſe dixêrunt, moti auctoritate Mart. *l.* 11. *Epigr.* 76. cujus epigraphe in Cæliam. Verùm hæc non fibula ipſa, ſed ſubligaculum quoddam fuit, honeſtatis causâ adhibitum, præcipuè à Judæis ad celandam circumciſionem. Ipſa autem *Fibula*, ut dictum, annulus fuit, qui ne facilè ſolvi poſſet, à fabro igne glutinabatur, & ab eodem cùm opus eſſet reſibulabatur, Octav. Ferrar. *de Re Veſt.* *Parte* 2. *l.* 1. *c.* 18. Eundem hodieque apud Indorum quaſdam gentes morem vigere, narrant Itinerariorum Scriptores, vide quoque infrà *infibulatio.* Addam prædictis *Fibularum* in perforandis labiis uſum antiquiſſimum. Unde, cùm Jobus de Leviathan *c.* 40. *v.* 21. ait, *Numquid pones circulum in naribus ejus aut armillâ perforabis maxillam ejus*: Armillam *fibulam* interpretatur Bartholin. ſuprà laudatus, non abſimilem hamo aut ſpinæ, idque eò audacius aſſeverat, quòd *Fibularum* annulorumque uſum in labiis perforandis non paucos profeſſos eſſe, docet Joh. Rhodius *Diſſert. de Acia &c.* Vide quoque Barthium *Animadv. ad Stat. Theb. l.* 6. *v.* 570. *torto auro*, & *l.* 7. *v.* 658. *raſilis auro*; Screvel. *ad Mart. l.* 5. *Epigr.* 42. ubi de *Fibulis, in nobilitatis inſigne, Equitibus indultis*, Salmaſ. *ad Solin. p.* 769. ubi *de Fibula Comœdorum & Tragœdorum*, nec non ſuprà in voce *Ecchlides* item *Fibla.*

FICANA, Latii urbs. Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Liv.*

FICARIA, inſ. juxta Sardiniam. Plutarch. Liv. *Serpentaria*, Leandro. Cluv. *Coltelazo.* Utraque parva admodum, 20. mill. à Calari in Ort.

FICARII Fauni, vide ſuprà *Fauni Ficarii.*

FICEDULA, Græcè συκαλὶς, inter aves, quæ maximè palato placent, ordinem ducit. Mart. *l.* 13. in Xeniis *Epigr.* 5. cujus epigraphe Piper.

> *Cerea quæ patulo lucet* ficedula *lumbo.*

Unde Juv. *Sat.* 14. *l.* 5. *v.* 7. & ſeqq.

> —— *Qui radere tubera terræ,*
> *Boletum condire, & eodem jure natantes*
> *Mergere* ficedulas *didicit nebulone parente.*

Ei hoc peculiare, quòd lurconibus tota placeat, non, ut reliqua avitia, ſolis clunibus. A. Gell. *l.* 15. *c.* 8. ex Phavorino: *Præfecti popinæ atque luxuriæ--negant ullam avem, præter* ficedulam, *totam comeſſe oportere. Cæterarum avium--niſi tantum apponatur, ut à clunibus inferiori parte ſaturi fiant, convivium putant inopiâ ſordere &c.* Hinc Tiberius Nero, ut in *Vita* illius refert Suet. *c.* 42. *Aſellio Sabino HS. ducenta donavit, pro dialogo; in quo boleti &* ficedulæ *& oſtreæ & turdi certamen induxerat.* Plura vide apud Gerh. Joh. Voſſium *de Idolol. l.* 3 *c.* 92. adde Bochart. *Hierozoici Parte poſter. l.* 1. *c.* 16. & Salmaſ. *ad Solin. p.* 238. nec non quæ infrà dicemus de guloſitate Cl. Albini Imp. in voce *Melones.*

FICELIA, quæ & *Voſavia* priſcis, nomen urbis ad Rhenum. *Obern-Weſel* Althamero, & Percheimero, qui addunt, ibi Mammeam, Alex. Severi Imp. matrem ſepultam.

FICHARDUS Johannes, vide *Johannes.*

FICHIENA, prov. regni Sinarum, in parte Auſtr. verſus Oceanum Indic. & Cantanum prov. urbs primaria *Fuceu Fu*, *Martinio.*

FICHOLA, vel PHICOLA, vicus Palæſtinæ. Joſeph. *Antiqq. l.* 12. *c.* 4.

FICINUS Marſilius, vide ibi.

FICO, in *Vitis* SS. Hiberniæ, genus calceamenti Monachici, vel fortè ruſticorum, Certè Italis vox *ruſticum* donotat, C. du Freſne *Gloſſ.* E ligno fuiſſe, legas apud Macrum *in Hierolexico.*

FICOCLE, vulgò *Cervia*, urbs in ora maris Adriat. inter oſtia Savii fluv. & Rubiconis, 18. mill. à Foro Livii in Or. ſub Pontifice, in Romandiola.

FICTILE, apud Juv. *l.* 4. *Sat.* XI. *v.* 19.

> —— *condire guloſum*
> *Fictile*:

abſolutè de vaſe fictili. Et quidem *Fictilia*, ex terra Samia, primùm omnium pocula fuêre, neque in pauperiorum tantùm mensibus, ſed & in opulentiorum conviviis, adeoque etiam Deorum ſacris ac ſacrificiis; Sen. *Ep.* 90. *Tubero paupertatem & ſe dignam & Capitolio judicavit, cùm* Fictilibus *in publica cœna uſus oſtendit, debere his hominem eſſe contentum, quibus Dii etiamnum uterentur.* Et *Ep.* 95. in fine: *Omnium illorum aurum argentumque fractum eſt & millies conflatum, at omnibus ſeculis Tuberonis* Fictilia *durabunt.* Quod Græci more fuiſſe, docet Antiphanes, apud Jul. Polluc. *l.* 10. *c.* 19. ἐξ ὀξυβαφίων κεραμίων ἐπίνομεν, *ex acetabulis fictilibus bibebamus.* Sed & poſtmodum lautiores cibos *fictilibus patinis* apponi conſueviſſe dicemus infrà in voc *Patina.* In templis *vaſa Samia* Tertullian. *Apologet. c.* 25. habet: *Fictiles urnas* Cic. *Paradoxo* 1. Plin. quoque *fictilium* in iis *ſympuviorum* meminit. Idem Templorum *fictiles parietes* ſeu *fictilia faſtigia* memorat *l.* 36. *c.* 2. Ipſa Numinum ſimulacra teſtacea ſeu fictilia fuiſſe, Seneca oſtendit *Conſol. ad Helviam c.* 10. inquiens, *Tum per fictiles Deos religiosè jurabatur*: Propert. item *l.* 4. *Eleg.* 1. *v.* 5.

> Fictilibus *crevêre Diis hæc aurea templa:*
> *Non fuit opprobrio facta ſine arte caſa.*

Miro ludibrio, cùm ex eadem maſſa, è qua ipſi homines, & vaſa quibus ad vitæ ſuſtentationem utebantur, conſtabant, Deos ſibi fingerent. Poſtea creſcente luxu ad ligna, ad metalla, itum, vide Thom. Dempſter. *Paralip. in Joh. Roſin. Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 10. Porrò *defuncti ſeſe multi* fictilibus ſoliis *condi maluerunt.* Plin. *l.* 35. *c.* 12. Ubi *fictilia ſolia*, Græcè ὀστράκιναι πύελοι, ſunt arcæ fictiles condendis mortuis, de quibus vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1205. Etiam *fictilem cœnam* paraſitis exhibuit Heliogabalus, apud Æl. Lamprid. In vaſe quoque *fictili* expoſitos olim infantes, diximus ſuprà ubi de *Exponendi ritu*: in vaſe itidem teſtaceo *recens ficto* mulieri ſuſpectæ de Zelotypiis apud Hebræos, potio amara propinata, vide infrà *Zelotypia*: de compoſitione inſcribendi *fictilia*, aliquid infrà ubi de *Gagate*: ea componendi, voce *Fheos*, it. *Phleos*, & *Stipa.* &c. Hinc *Fictores*, qui ex argilla ſtatuas & ſigna faciebant, Græcè Πλάσται, *Figuli* quoque. Plin. *l.* 35. *c.* 12. ubi de primordiis Artis ſic inter alia: *Fingere ex argilla*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

gilla ſimilitudines, Dibutades Sicyonius figulus primus invenit, Corinthi filiæ operâ. quæ capta amore juvenis, illo abeunte peregre, umbram ex facie ejus ad lucernam in pariete lineis circumſcripſit: quibus pater ejus impreſſâ argillâ typum fecit & cum cæteris fictilibus induratum igni propoſuit: cumque ſervatum in Nymphæo, donec Corinthum Mummius everteret, tradunt. Plura de hac re vide infrà in voce *Plaſtice.*

FICTIO, Gallis dicitur; ea in armorum ludo armorum avocatio, quâ, qui conlato pede cum adverſario, ſi quam corporis partem armis tectam & munitam obſervat, non in eam ictum dirigit, ſed aliam ſe petere velle fingit; tunc adverſario ſe aperiente & illam partem nudante, ut in aliam, quam peti videt arma transferat, hic avocatis adverſarii armis repentè, non eam partem, cui minabatur ictum, ſed eam, quam detexit adverſarius, ferit. Per cujuſmodi ſimulationes etiam ceſtus avocari conſuevisſe, legimus apud Stat. *l. 6. Theb. v.* 776. & ſeqq.

> ——— *levat ecce diuque minatur*
> *In latus atque oculos, ille rigida arma caventem*
> *Avocat & manibus nec opinum interſerit ictum*
> *Callidus, & mediam deſignat vulnere frontem.*

Idem in pyctarum certamine atque gladiatorum in uſu fuiſſe diſcimus ex Quintiliano, ubi *manus* iſtiuſmodi petitiones appellatas eſſe deprehendimus, vide Salmaſ. *ad Spartian. in Hadr.*

FICTOR, qui ex argilla ſimilitudines fingit, Græcè Πλάστης, uti ſuprà diximus in voce *Fictile*. Hinc *Fictores, dicti à fingendis libis*, Varroni *de Ling. Lat.* quorum ordo memoratur vett. *Inſcr.* Ex farina namque *fingebantur* opera dulciaria, quorum figuræ infinitæ erant, ut *placentæ, ſcriblitæ, cruſtula, lucunculi, hami, lacertuli, ſpicæ globuli, enchyta, circuli, liba aliaque plurima* Mart. *l.* 14. Apophoret. epigr. 222. cujus epigraphe Piſtor dulciarius.

> *Mille tibi dulces operum manus iſta figuras*
> *Extruet* ———

imitatione viz. Plaſtarum. Quare *fingere* de Piſtoribus paſſim occurrit. Apud Scribon. *fingere pilulas & paſtillos*; Petron. *ova ex farina pingui figurata*; Suet. *Aug. c.* 4. ubi quidam, ut Piſtoris ac Nummularii nepotem, Auguſtum taxans, *Materna*, inquit, *tibi farina: ſiquidem ex crudiſſimo Ariciæ piſtrino hanc finxit manibus collybo decoloratis Nerulonenſis menſarius.* Et apud Plutarch. διαπλάττων μελιπήκτων ἐν χῦμα πόλεως, vide Caſaub. *ad Suet. d. l.* Sed & *Fictor* Iſid. *qui fingit ſeu componit aliquid, ſicut quo capillos mulierum linit & pertractat, ungit & nitidat*, Orig. *l.* 10. *c.* 7. Vide quæ de Vett. luxu *in Capillis fingendis ornandisque* ſuprà diximus paſſim.

FICOLENSES, Italiæ pop. circa Samnitium. Plin. *l.* 3. *c.* 5. & 12.

FICTRIX, vide *Lena.*

FICULNEA, vetus Latii urbs.

FICUS Mauritaniæ Cæſar. opp. *Anton.*

FICUS, arbor & fructus. Et quidem illa Plin. *l.* 15. *c.* 18. *Ampliſſima eſt, quædamque & pyris magnitudine æmula.* Idem *l.* 12. *c.* 5. In India verò, *ipſa ſe ſemper ſerens, vaſtis diffunditur ramis: quorum imi adeò in terram curvantur, ut annuo ſpatio infigantur, novamque ſibi propaginem faciant, circa parentem in orbem, quodam opere topiario. Intra ſepem eam æſtivant paſtores, opacam pariter & munitam vallo arboris, decorâ ſpecie ſubterintuenti, proculve fornicato ambitu* &c. Sub cujuſmodi arbore latuiſſe primos homines, & ex ejus foliis conſutis ſubligacula ſibi feciſſe, diſcimus ex Geneſ. *c.* 3. *v.* 6. *coll. cum v.* 7. ubi Scriptor ſacer, *Conſutis*, inquit, *foliis ficus, fecerunt ſibi chagorot*, h. e. præcinctoria. Cùm enim latiſſima ſint communi *ficui* folia, (ut apud eundem Plin. legimus *l.* 16. *c.* 24.) foliorum inprimis Indicæ illius latitudo apta huic uſui fuit, utpote *peltæ effigiem Amazonicæ habens*, Idem *l.* 12. *c. cit.* &c. Cæterùm arboris hujus lignum fragile, & invalidum & ad omnia ferme inutile eſt, unde homines molles, & nullius frugi, Theocrito & Ariſtophani, ἄνδρες σύκινοι, *viri ficulnei* dicuntur. & notus proverbio *ficulneus Bacchus*. Certè hic Deaſter è foliis ficulneis (quæ propter ſcabritiem in cyliſtiis videntur locum habuiſſe) coronamentum ſibi feciſſe ſicque currui inſidens, quem leones trahebant, de Indis triumphaſſe; idem ramum ficulneum ſepulchro Proſymni, in obſcœnæ libidinis argumentum, impoſuiſſe, legitur, apud Auctorem *Etymologici* in θε- ..., & Clementem Alex. *exhort. ad Græc.* cujus fortè imitatione, famulas Latinorum, Nonis Caprotinis convivantes, κλάδοις συκῆς σκιαζομένας, *ramis ficus inumbratas*, i. e. coronatas, tradit Plutarch. *Camillo.* Sed & Macrob. Sat. *l.* 1. *c.* 7. auctor eſt, *Cyrenenſes, cùm rem divinam Saturno faciunt, coronari ficis recentibus* conſuevisſe, quam in rem vide Scholiaſtem Nicandri *Alexipharm.* voce θεῖον, quod folium ficus propriè & Bacchi ſymbolum habitum eſt, Ariſtoph. *Equit.* Plutarch. *de Iſide & Oſir.* & C. Paſchal. *Coron. l.* 1. *c.* 13. & *l.* 4. *c.* 2. nec non infrà in voce *Thria.* Aptam tamen materiam ſcutis inde ſumi, idem Plin. ait *l.* 16. *c.* 27. & 30. ad quem l. vide Dalechampii *Notas*, plura verò de hac arbore tenerrima, foliis apprimè caducis prædità, at longè fertiliſſimâ, apud eundem paſſim, ut & apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1023. & *ſeqq.* qui etiam de *Ficu Ægyptia, p.* 459. *de Cypria, p.* 462. *de Indica, p.* 1015. *de Ficu Romanorum ſacra duplici, Ruminali* viz. & *Navia p.* 1137. & *ſeqq.* varia habet. Tranſeo ad fructum hujus arboris, quem Afranius, Cic. *in Oeconomico*, Columella *in præfat.* à pomis diſtinguit, uti videre eſt apud eundem *p.* 596. Plin. tamen *pomum* vocat *l.* 15. *c.* 18. *Supra omnia quiddam eſt, quo nihil mirabilius, tantam illam urbem* (Carthaginem) — *unius pomi argumento everſam*, quam hiſtoriam vide ibi: Græci σῦκον, ad differentiam arboris, quam συκῆν appellant. Plin. *l.* 15. *c.* 19. *in Ind.* Hoc non mureſcit niſi caprifici miniſterio, *ſola enim ex omnium arborum fœtu maturitatis cauſa medicatur ficus*, Vide hîc ubi *de Caprifico & Culicibus.* At ſic ad maturitatem perductum, dulciſſimi ſaporis eſt. Hinc notæ Romanis *Caricæ, Chiæ, Cottana, Cauneæ*, quæ in maſſas conditæ in ſportulis junceis afferebantur & in capſis ſervabantur, uti diximus ſuprà. Atque hæ ſiccæ ſeu ſiccatæ erant: cujuſmodi ficus cum lauro populum Romæ Kal. Jan. ſolenniter obtuliſſe, dicemus infrà ubi de *Lauro*, ac antiquitus ediſſe Athletas, infrà itidem in voce *Sagina*: ſed & *ficum ſiccam* & uvam, oleique & vini præmiſſe, Gallis primæ in Italiam expeditioni occaſionem præbuiſſe, Plin. habet *l.* 12. *c.* 1. Sed & *cum recenti ſicco ſalis vice caſeo veſci* excogitatum eſſe, ſuo ævo, Plin. ſæpius laudatus ait *l.* 15. *c.* 18. quem locum explicat Salmaſ. *ad Solin. p.* 937. vide ſuprà *Caſeus*, & infrà *ficus*: uti de more *ficorum granis* replendi ſacculos Athletarum infrà *Sacculi*. Hodiè optimæ notæ ficus *Bracaſſanos* dici & contra nimium Æſtatis fervorem maximo emolumento aſſumi, notat J. Spon. in deſcr. Corcyræ Inſ. *Itin. Part.* 1. *p.* 126. &c. Vide quoque aliquid ubi de *Saturno*, & voce *Veritas*. De Lege Solonis, Ἐλαίαν δὲ καὶ συκῆν ἐννέα πόδας ἀπὸ τοῦ ἀλλοτρίου φυτεύειν, τὰ δὲ ἄλλα δένδρα πέντε πόδας, *Oleam & ficum novem pedes longè ab alieno fundo ſerito; cæteras vero arbores pedes quinque*: memoratâ Plutarch. in *Solone*, vide Sam. Petit. *Comm. in LL. Attic. l.* 5. *tit.* 1. ut & aliquid infrà in voce *Sycophantæ*. Nec omittendum, cùm arbor hæc plurimum det fumi, ad ſontes fumo necandos ligna ejus adhiberi olim conſuevisſe. Lucian. *in Proteo*, Τὸ τέλος δὲ καὶ τὸ κεφάλαιον χρὴ ξύλων καὶ πυρῶν σωρὸν ... συκίνων, ὡς ἔνι μάλιστα χλωρῶν, ἀναπνιγῆναι ὑπὸ τῷ καπνῷ. τὸ πῦρ γὰρ οὐ μόνον Ἡρακλέους καὶ Ἀσκληπιοῦ, ἀλλὰ καὶ τῶν ἱεροσύλων καὶ ἀνδροφόνων, οὓς ὁρᾶν ἔστιν ἐκ καταδίκης αὐτὸ πάσχοντας. ὥστε ἄμεινον τὸ διὰ τοῦ καπνοῦ. Vide Caſaub. *ad Lamprid. in Alex.*

FICUS Navia, *Ruminalis*, vide infrà *Navia.*

FIDATIUS Simeon, vide ibi.

de S. FIDE Hieronymus, vide *Hieronymus.*

de S. FIDE Petrus, vide *Petrus.*

de FIDE Sermo, vide infrà *Sermo.*

FIDEI Actio, vide *Actio Fidei.*

FIDEI Edictum, vide *Edictum Fidei.*

FIDEI Flamines, dicti ſunt apud vett. Romanos Fæciales, à fœdere faciendo, quod antiquitus *Fides* dicebatur, teſte Ennio & Pighio *Septim l.* 1. vide ſuprà in voce *Fetiales.*

FIDEI Inquiſitores, vide infrà *Inquiſitores.*

FIDEI Mareſcallus, vide infrà *Mareſcallus.*

FIDEI Ordo, ſeu *Militia ordinis fidei Jeſu Chriſti*, vide infrà *Ordo.*

FIDEJUSSOR, vide infrà *Sponſor*, it. *Plegius* & *Vas*, nec non *Vectigal.*

FIDEJUSSORES Reorum, in communione Rom. cùm Actio, ut vocant, Fidei celebranda inſtat, ſunt honoratiores & primarii è civitate viri, qui in proceſſione quiſque rei, cujus tanquam *Fidejuſſor* eſt, latus claudunt. Cùm itaque reorum nomina à Notario Inquiſitionis leguntur, rei ſinguli ordine exeunt nudis pedibus, eâque veſte, quâ indui ſolitos diximus, ubi de *Actione Fidei*. Exeunte verò reo, Notarius nomen *Fidejuſſoris* legit, qui ipſi in agmine latus claudit. Pompâ verò peractâ, ſupplicioque affectis qui ad mortem damnati erant, reliqui pœnitentes viz. & reconciliati (nam his ſaltem illi adjunguntur) à *Fidejuſſoribus* ſuis in carcerem reducuntur mox certis legibus dimittendi. Atque hoc viri illi primarii magno honori ducunt, à Limborch. *Hiſt inquiſ. l.* 4. *c.* 41.

FIDELES, in hiſtoriis primò & generaliter dicuntur, omnes qui ſide Chriſtiana imbuti ſunt; & hi quidem tripliciter *Fideles Dei, Fideles Chriſti, Fideles Eccleſiæ*: quod poſtremum magis etiam ſpeciale fuit. Secundo omnes, qui in Principis alicujus ditione ſunt, vulgò *ſubjecti*: Hi in Hiſtoriis *Fideles Regis* nuncupantur. Tertiò, qui in alicujus clientela ſunt, ratione prædii, vel miniſterii, & *Fideles Dominici*, vel etiam *Prædiales*, ut priores appellari ſolent. Horum fidei, obſequii, & ſervitii ligamen, quo generaliter ſubditus Regi, peculiariter vaſallus Domino aſtringitur, *Fidelitas* dicitur, quæ licèt non jure poſitivo ſolùm, ſed & Gentium, & quodammodo naturæ debeatur, ad hoc tamen præſtandum, ſolenne exigitur juramentum, quod *Fidelitatis* appellatur, & aliquando ſimpliciter *Fidelitas*. Hujus formula ſub Carolo Mag. fuit: *Promitto partibus Domini mei Caroli Regis, & filiorum ejus, quia fidelis ſum, & ero diebus vitæ meæ, ſine fraude & malo ingenio*, ut extat in L. L. Franc. *l.* 4. *c.* 46. Sub Carolo Hludovici filio, A. C. 854. *Ego Karolo Hludovici filio, ab iſta die in ante fidelis ero, ſecundùm meum ſavirum, ſicut Francus homo per rectè eſſe debet ſuo Regi: Sic me Deus adjuvet & iſtæ reliquiæ.* Cùm autem iſta ſacramenta plurimum egerent interpretatione, viſum eſt deinceps illa explicatiora reddere, ut exemplis liquet à Petro Pithœo allatis in 12. Scriptoribus, ubi & notandum occurrit, Laicos ſolos ſacramentum præſtitiſſe: Epiſcopis ad profeſſionem tantummodo adſtrictis. Formulas Sacramenti Fidelitatis apud Anglos, priſco recentiorique ævo uſitatas, vide apud Spelmann, *Gloſſ. Archæol.* Ubi addit ex Jureto *ad Ivonem*, & Bignonio *ad Marculfi l.* 1. *c.* 18. more Francico promiſſam olim *Fidelitatem* eſſe, datis manibus. Non tamen, ut Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 518. *Jungamus dextras*: ſed jurantis manu vel ad Sanctorum reliquias, vel ad Evangelii codicem porrectâ. Jurabat aliquando, & Rex ipſe ſubditis ſuis *Fidelitatem*. Ita inter alia de Canuto Britanniæ Rege Florentius Wigornienſis in A. C. 1061. *Fidelitatem*, inquit, *illi juravêre Magnates, quibus & ille juravit, quod & ſecundum Deum, & ſecundum ſeculum fidelis eſſe vellet eis dominus*. Fidem quippe inter Dominum, & vaſallum reciprocam eſſe, oſtendit Cujacius *ad 2. feud.* Idem de diſcrimine Sacramenti *Fidelitatis*, & *Homagii* pluribus agit C. du Freſne *in Gloſſ.* ubi inter alia, Homagium à vaſallo, genibus flexis, manibus in domini manus immiſſis: Sacramentum verò Fidelitatis, à vaſallo ſtante & tactis ſanctis Evangeliis fieri, conſuevisſe, docet. Alia notio vocis ſuprà in *Credentes.*

FIDELIS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

FIDELITAS, vide *Fideles.*

FIDEMIUM, locus agri Camaracenſis, in ſilva Fidemienſi, veteri Monaſterio illuſtris, unde & Monaſterio, & ſilvæ circum-

ſitæ nomen : Accolis *Femy*, vel *Fimy*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

FIDENA, & FIDENÆ, urbs Latinorum mediterranea. Virg. *Æn. l. 6. v. 773.*

> *Hi tibi Nomentum, & Gabios, urbemque* Fidenam.

Juv. *l. 2. v. 56. Sat. 6.*

> ——— *Vivat Gabiis, ut vixit in agro,*
> *Vivat* Fidenis.. ——— ———

Idem *l. 4. Sat. x. v. 100.*

> *An* Fidenarum, *Gabiorumque eſſe Poteſtas.*

Et ante eum Horat. *l. 1. ep. xi. v. 7.*

> *Scis Lebedus quam ſit Gabiis deſertior, atque*
> Fidenis *vicus.*

Nic. Lloydius. Nunc *Caſtel Giubileo*, vicus tantùm Sabinæ prov. ad Tiberim, paucorum incol. 5. mill. à Roma Eretum verſus Baudr. pop. *Fidenates*. Liv. *l. 1. c. 2. & 14.*

FIDENTIA, opp. Italiæ in octava regione, à quo incolæ *Fidentini*. Plin. *l. 3. c. 15.* Vide & *Julia*.

FIDENTIACUM, vulgò VIC FESENSAC, i. e. Vicus Fidentiacenſis, propterea, quòd bellis civilibus, ut pleraque Vaſconiæ oppida atque caſtella, everſum eſt ac in vicum abiit. Caput fuit pagi veteris cognominis, in Vaſconia, cui etiam civ. Auſcorum metropolis, ſecundùm quoſdam, olim attribuebatur. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

FIDENTIÆ, Hiſp. Bæticæ urbs, inter Bætim, & Oceanum ſita, alio nomine *Julia* appellata. Plin. *l. 3. c. 1.*

FIDENTIOLA, vicus inter Placentiam, & Parmam, Italiæ urbes. Anton. hodiè *Fiorenzola*.

FIDES, Dea à Romanis culta; teſtibus Cic. Lactant. Auguſt. Primus omnium Numa, ei templum erexit, ſacrificiaque ſtatuit ſumptu publico. Sine cæde & ſanguine, ipſi velati Flamines, albo panno ſacra faciebant. Quin illuc curru arcuato, manu ad digitos involutâ, deferebantur ſolenni pompâ. Fingebatur duabus junctis manibus, interdum imagunculis duabus, dextram dextræ jungentibus. Dionyſ. Halic. *l. 2. Liv.*

FIDES, quâ creditur, vel, cui crediur, ex Græco πίςις, Æl. πίςις. quæ vox in apice ſcuti Mantuæ Ducum conſpicua eſt. Meneſtrier enim *Verit. art. du Blaſon. c. 16. p. 207.* & Brianville *ſeu d'Arm. p. 82. & 83.* ſcuto huic apicem aſſignant, montem *Olympum*, ſuper quo *altare*, cum verbo FIDES, & ad pedem montis voce ΟΛΥΜΠΟΣ. At *Fides*, quæ tenditur, chorda viz. ex σφὶς, σφιδὸς & φὶς, φιὸς: Latinis formata eſt. Et quidem, cùm in lyra lineas chordas ſeu fides intendiſſet Mercurius, quas ex byſſo fuiſſe, docet Chabot. *ad Hor. l. 1.* Carm. Od. 1. Apollo poſtmodum lineis exemptis, nerveas ei adaptavit: *ἐκ χολάδων ἠχολικῶν, ex inteſtinis intortis & aridis*, uti dicitur in *præſ. Pythiorum* &c. Vide Jul. Cæſ. Scalig. *Poët. l. 1. c. 48.* & infrà aliquid in voce *Pentachordos*. Didiciſſe autem *fidibus* Vett. & cum cithara ad mare ambulantes, ceciniſſe Deorum laudes, ac fortium virorum geſta, Callimach. docet, & Cic. *de Senect.* Inde in convivia mos tranſlatus, hacque fini poſt cœnam lyra circumlata eſt: *cujus cùm imperitum ſe Themiſtocles diceret, habitus eſt indoctior* ut Tullii utar verbis. Certè antiquitus, ſi qui fidibus docti, pari cum Philoſophis in honore fuiſſe, apud Didymum legimus. *Odyſſ. γ.* Athæn. *l. 1.* Quintilian. *l. 1. c. 20.* Alios, vide quoque ſuprà in voce *Cantor*. At poſtquam refrixit Virtutis amor, vergente in luxuriem ſeculo, voluptatis unius causâ *Fidicines* frequentes conviviis adhibiti ſunt, teſte A. Gell. *l. 1. c. 11. Fiſtulatores*, Fidicines, *tibicines, laſcivientium delitiæ conviviorum.* Unde Æl. Lamprid. *in Vero, Adduxerat ſecum* & Fidicinas, *& tibicines, & hiſtriones, & omnia mancipiorum genera, quorum Syria, & Alexandria paſcitur voluptate.* Quos proin. *ut & Pſaltrias & hujuſmodi chorum Diaboli, quaſi mortifera Sirenarum carmina, proturbaret ex ædibus ſuis*, Furiam graviter Hieronym. *in Ep.* hortatus eſt. Et certè ipſis Gentilium ſenioribus impensè laudati ſunt. Quo nomine Theodoſium Sen. præprimis laudat Aur. Victor, & Trajanum Aug. Plin. Junior. Quapropter meritò *morem luxumque barbaricum*, in Halyatte Lydorum Rege reprehendit *loco laudato* A. Gell. qui bellum Mileſiis faciens, *concinentes fiſtulatores &* Fidicines *atque feminas etiam tibicinas, in exercitu atque in procinctu habuit*, ex Herod. *Musâ primâ.* Fuit autem ille Haliattes Crœſi parens. Vide Thom. Dempſter. *Paralip. in Joh. Roſin. Antiqq. Rom. l. 5. c. 29.* Pignor. *de Servis*, Alios; & hîc paſſim ubi de variis inſtrumentorum Muſicorum, quibus *fides* intenduntur, ſpeciebus, nec non aliquid ubi de inſtrumentis *Pſychometricis*. De Apolline cum plectro & *fidibus*, Cithariſtæ inſtar, pingi ſolito, adi Arnob. *l. 5.* Addam ſaltem, ſublime poëma *fidibus* magis intentis cani ſolitum. Stat. *Theb. l. 4. v. 35.*

> *Calliope, quas ille manus, quæ moverit arma*
> *Gradivus, quantas populis ſolaverit urbes,*
> *Sublatâ molire lyrâ..* ———

Remiſſis autem minùs altum. Claud. in 2. Conſ. Stilich. Carm. 22. Initio.

> *Hactenus armatæ laudes, nunc qualibus orbem*
> *Moribus, & quanto frenet metuendus amore*
> *Mitior, incipias* fidibus *jam Muſa remiſſis.*

Qua de re vide Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. d. l.* de voce verò *Affidatio* ſuprà.

S. FIDES, vel *Sancta Fè de Bogota*, urbs novæ Granatæ, Archiep. opulenta, & mercimoniis florens, ſedes Viceregis, &c. Item urbs novi Mexici. Item urbs Guiennæ, ad Duranium.

FIDICULÆ, Italiæ locus. Val. Max. *l. 7. c. 6.* Adde tormenti genus ex ſidibus ſeu funibus, Κύφωνες quibuſdam dictæ, quia iis rei in Equuleo torquentur, ut *fides* inveniatur, Iſid. vel quòd ſontes funibus, veluti *fidibus* diſtenduntur, Fr. Gouldmann. *Lexic. Lat. Angl.* Turnebo laſciviâ quadam joci videntur nomen inveniſſe, *quia, ut in fidibus nervi, ita hinc & inde multis funibus miſeri diſtendebantur*, *Adverſ. l. 4. c. 3.* Græcorum Σχοινισμὸν illis non diſſimilem, retur Thom. Godwin. *Anthol. Rom. l. 3. ſ. 3. c. 7.* Earum meminit Valentis Imp. reſcriptum *l. 4. C. ad leg. Jul. Maj.* ... *omnino, cui, inconſultis ac neſcientibus nobis* Fidicularum *tormenta inferantur, militiæ ac generis, vel dignitatis defenſione uti prohibeatur*: & Valer. M. *Rupit verbera*, Fidiculas *laxavit, ſolvit equuleum.* Idem eſſe cum ungulis, quòd effodiant, Idem Iſid. *Etymol. l. 5. c. 27.* alii, de quibus Prudent. lib. περὶ στεφ. in Romano Martyre, Hymno 14. *v. 484.*

> *Non ungularum tanta vis fodit latus.*

Cum Equuleo idem planè tormenti genus *Fidiculas* facit Hier. Magius, quæ cauſa, cur quædam de Equuleo ſuperiùs omiſſa hîc adnectere viſum ſit. Ei nomen, quòd parvi equi ſeu pulli equini effigiem repræſentaret: poterat & condignè *ſcamnum* appellari, exemplo Hippocratis Medici, qui non diverſum admodum ab Equuleo organum à ſe excogitatum *Scamnum* vocavit. Græci Τύμπανον vocant, machinæ hujus non minùs, ac reliquarum ferè omnium, auctores: unde Pauli illud ad Hebr. *c. 11. v. 35.* ἐτυμπανίσθησαν, tympanizati ſeu *diſtenti ſunt* de Equulei cruciatu interpretatur Thom. Aquinas. Tympana enim, auctoribus Vitruvio, Oribaſio & aliis, vocant Mechanici, axes, quorum capita foramina habent, quibus induntur vectes quò facilius verſari poſſint, iiſque funes advolvuntur, quibus pondera vel protrahuntur, vel ſuſtolluntur, ut erigas non ad perpendiculum, ut ſit, conſiſtentes eſſe dicas, ſed jacentes potiùs. Fuit autem Equuleus ligneum ſcamnum, ſeu lignea ara pedibus quatuor lignei conſiſtens, ſundoque carens quæ utrinque capiebat tympana, & funes, quibus manus pedeſque ſontium, & torquendorum obligarentur & protraherentur, non ſine exquiſitiſſimo totius corporis dolore. Hinc Sen. *in. Ep. in Equuleo*, inquit, *longior factus eſt.* In hoc pendere ſolebant, quia ſuſpenſi in aëre vacuo, corpore eo pacto extenſo, & *divaricatis cruribus*, ut Prudent. ... *Mar. Vincentii & Romani* ait, conſiſtebant. Hodie antiquum ſervatur inſtrumentum apud Hiſpanos, & Gallos: quorum hi *Chevalet*, illi *Pulliedro*, meliori voce appellant. Neapoli quoque hujuſmodi tormentum viſitur, in arcem ab Hiſpanis invectum, quo in inquiſitione criminis læſæ maj. ſolùm utuntur. Fuit hæc olim pœna, ut nec nobiliores, & ingenui eâ poterant torqueri; poſtea in Martyribus illo nihil frequentiùs: Nec diſtendebantur ſolùm in ea, ſed etiam flagris cædebantur, laminis ignitis cruciabantur, imò ungulis ... doque ferreis laniabantur Juſtinian *de Mathem. in C.* Hactenus ... fatus Magius *l. de Equuleo.* Thomas Segethus, in arce Mirandulana, tormenti genus ex aſſeribus compacti, in morem adamantis acuminati, effigiatum, ſe ſpectaſſe refert. Huc tanquam in equum conjiciebantur rei nudi, ita ut acumen premeret partem illam, quæ honeſtè nominari nequit, diſtentis per pondera manibus pedibuſque, quò graviores inſiderent: quod *Equuleum*, ſeu *Cavalletum* ... dici ait. Jungermannus vero *Notis in prædictum Magii libellum*, ... tympana, idem tormenti genus, nec *Fiduculas* cenſet. Auctore ... Schol. Ariſtophanis *in Pluto*, tympanum, lignum fuiſſe ait, quo verberabantur ſontes: cui adſtipulatur Sigon. *de Rep. Athen. l. 3.* ... & ipſa vocis Etymologia, ἀπὸ τοῦ τύπτειν enim, *a verberando*, nomen invenit: Unde illud Pauli ἐτυμπανίσθησαν quidam, *fuſtigati ſunt*, reddunt. *Fidiculas* autem alii id pœnæ genus eſſe volunt, quod hodie Italis *Funis*, Græcis σχοινίον, Germanis *Folterſeil*, Zwickſeil, *Treibſchnur, mit der man foltert*; Belgis *Piinbanck*, Gallis *Gehenne* dicitur. Nebriſſenſis interpretatur id ſupplicium, quod Italis ... liare, *Tratto di corda*, Hiſpanis *Tratto de Cuerda* vocatur: quo reus rejectis in tergum manibus fune ſuſpenſus in præceps demittitur. Multis tamen Iſidori ſuprà laudati placet ſententia, qui *Fidiculas* ungulas ferreas, quibus damnatorum latera finderentur, vel foderentur, unde *Fidiculæ*, vel *Fodiculæ*, fuiſſe ait. Quibus aſſentitur Prudent. περὶ στεφ: *in hymno S. Romani Martyris*, 14. cum ait, de Aſclepiade Judice loquens: *v. 549. & ſeqq.*

> ——— *Vertat ictum carnifex*
> *In os loquentis, inque maxillas manum*
> *Sulcoſque acutos, &* Fiduculas *transferat,*
> *Verboſitatis ipſe rumpatur locus..*

Per *Fidiculas* enim ibi ungulas intelligi, ſequentia oſtendunt: Ibid. *v. 556.*

> *Implet jubentis dicta lictor improbus,*
> *Charaxat ambas ungulis ſcribentibus*
> *Genas, cruentis & ſecat faciem notis* &c.

Ibid. in D. Vincentii Hymno 2. v. 109.

> *Vinctum retortis brachiis*
> *Surſum ac deorſum extendite*
> *Compago donec oſſuum*
> *Divulſa membratim crepet*

Senec. de Ira *l. 3.* *Torſerat per omnia quæ in rerum natura triſtiſſima ſunt fidiculis, tribularibus, Equuleo, igne.* An aliud tormenti genus fuerit, cujus meminit Suet. *in Tib. Ner. c. 62.* cum ait: *Excogitaverat inter cætera cruciatus genera etiam, ut longâ meri potione per fallaciam oneratos, repentè veretris deligatis*, Fidicularum *ſimul urinæque tormento diſtenderet.* Idem Calig. *c. 33.* *Exquiſiturum ſe vel* Fidiculis *de Cæſonia ſua.* docti viderint. Gallonius id ab eo, quod in Martyrum rebus geſtis ...

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

aliiſque Auctoribus, per *Fidiculas* indigitatur, diverſum: nonnulli idem cum illo faciunt. Vide præfat. Magii *libellum, cui Amic-tut. in fine ſubtexit.*

FIDICULANUS, Falcula, Senator Rom. vir leviſſimus, & ſordidiſſimus. Cic. *pro Cæcinna & Cluentio.*

S. FIDIS vicus, vulgò *S. Foy*, locus eſt Galliæ, ad fluv. Duranium, à Fide Virgine, & Martyre nomen nactus Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Sancti Gaudentii caſtrum.*

FIDIUS Deus, Jovis fil. Sabinis ereptus, à *fide* dictus, cui præeſt, ut nonnullis placet. Plaut. *Per Deum Fidium credis jurato mihi.* Fuit apud veteres Romanos in honore maximo adeò, ut templa cum ſacrificiis meruerit. Cultus eſt in Quirinali jugo Nonis Junii. Ovid. *Faſt. l. 6. v.* 213. Dictus etiam Sanctus Sabus, & Semipater.

FIDON, Argivus, menſuras, & pondera reperit, cum apud Hebræos Azarias in Judæa, & Hieruſalem regnaret. Eutrop. *l.* 1. Lege *Phidon.* Item, *Fidon* & *Radalus* fratres, inter auxilia Æetæ. Val. Flacc. Argon. *l.* 6. *v.* 70.

Non Radalo cum Fratre Fidin.

FIENNÆ, vulgò Picardis *Fiennes*, oppidul. vel municipiolum, in Comitatu Giſnenſi, Giſnis proximum. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

FIENUS Thomas, vide *Thomas.*

FIERNALDUS, vide *Fil. Arnaldus.*

FIFA, prov. ampla Scotiæ mer. inter æſtuaria Tavi, & Fortheam extenſa, verſus Ocean. Germ. Ibi urbs prim. *Andreapolis.* Pars eſt Otlinæ vet. olim *Roſſia.* i. e. peninſ. Ab Occ. Ocellis montibus ſeparatur à Laudonia prov. Circuitus eſt 84. mill. Vulgò *Fife.*

FIGEACUM, urbec. Aquit. in Cadurcenſi prov. ad amnem *Sele*, 9. leuc. à Cadurco in Ort. in confin. Alverniæ.

FIGERE, apud Propert. *l.* 2. *Eleg.* 13. *v.* 23.

Hæc igitur mihi ſint lepores audacia molles,
Excipere & ſtructo figere *avem calamo:*

eſt devincire ac ligare, & immobilem præſtare, Græcè πῆξαι; quod quo modo factum ſit, diximus ſuprà, ubi de eo Aucupii genere, quod *Arundinem creſcentem*, item *Calamum ſtructium*, vocavêre Vett. Inde ad res Magicas tranſlatum id verbum, uti *defigere*, *devincire*, *ligare*, ſignificare cœpit, vel ſimplicium herbarum, vel verborum poteſtate, vel alio aliquo modo, à naturali functione aliquem impedire ac devovere, uti inter alia videre eſt infrà, ubi de *Nodo Veneris.* At *columbam figere*, apud Poëtam; *damas figere & tigres*, apud alium; *piſces cuſpide, vel tridente figere*, apud Firmicum, jaculo eſt ac ſagittâ trajicere & transfigere. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1087. Alia notio ejus, apud Stat. *l.* 3. *Sylv.* 1. *v.* 95.

Tot virides lucos, tot ſaxa imitantia vultus,
Æraque, tot ſcripto viventes lumine ceras
Fixiſti?

ubi idem, quod *dedicare* & *conſecrare* eſt. Vide Serv. *ad Æn. l.* 12. *v.* 768.

FIGERE Signa phraſis militaris Romanorum de qua vide infrà in voce *Vexillum.*

FIGIACUM, vulgò FIGEAC, opp. Galliæ in Cadurcis, Monaſterio veteri clarum, ad fluv. Sellam *Sele*: ad quem etiam Marcelliacum *Marſiliac*, Monaſterio cognomine illuſtre, vide Hadr. Valeſ. in hac voce.

FIGLINÆ, vicus Galliæ, in agro Viennenſi, in quo vaſa ac pocula fictilia elegantiſſima olim fiebant. Huic Antonius Triumvir nomen impoſuit, unde hodieque *Anton* eſſe creditur, vicus agri Lugdunenſis, 3. ab urbe leucis, vino ſuo nobilis. Apollin. Sidon.

Pocula non hic ſunt illuſtria nomina pagi,
Quod poſuit noſtris ipſe Triumvir agris.

Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall. in voce, Tegna.*

FIGLINUM Opus, apud Vitruv. *l.* 5. *c.* 10. *Concamerationes verò ſi ex ſtructura factæ fuerint erunt utiliores; ſin autem contignationes fuerint*, figlinum *opus ſubjiciatur*; lege *ſigninum*, quod ex *figlinarum fractis teſtis*, Plin. *l.* 7. *c.* 56. ſeu ex *teſta tuſa cum calce*, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1214 fiebat, vide infrà ubi de opere *Signino*: de *Figlinis* veſtio, diximus jam aliquid in voce *Fictile* & plura dicemus, ubi de *Plaſtice.* Et quidem primum *Figlinam officinam* aperuiſſe Corœbum Athenienſem habes apud Plin. *l.* 7. *c.* 56. Romæ verò *Numa Rex ſeptimum collegium* Figulorum *inſtituit.* Idem *l.* 35. *c.* 12. De *Figulis*, è corpore ſervorum, ſic Pignor. ubi de *Familia ruſtica, p.* 264. *Cretam effoſſam tractabant* Figuli---*in uſum vix. fundi vaſa parantes, quibus exportarentur fructus, velut amphoras & dolia; & in villæ ædificationem, tegulas; mercis etiam gratiâ ut vaſa venirent.* Figlinas *autem in agro quomodo exerceri oporteret, Heſtilii Saſernæ pater & illius liberis editis monſtraverunt, ut teſtatur Varro* &c. Vide quoque ſuprà *Ceramica Porta.*

FIGULINENSIS Porta, quæ & *Numentana*, nunc *Porta pia* ſeu *di S. Agneſe*, in monte Quirinali, inter portam Salariam, & Viminalem. Mel. *Ficulnenſis.* Vide *Numentana porta.*

FIGURA, vide *Fictor*, *Forma*, *Schema.*

in FILA aurum deduci, venit Aurelian. apud Vopiſc. *filis* enim aureis & ſubtegmine ſerico veſtes claræ & prætioſæ texebantur. Spartian. *in Pertinace, Veſtis ſubtegmine ſerico, filis aureis.* Poſteà verò inventum etiam, ut argentum in *fila* deduceretur, & filis argenteis veſtes contexerentur: quod ſub ultimis Impp. apud Græcos multum in uſu fuit. Dicta autem iſtiuſmodi texta [illegible] ſunt à *ſtamine*, h. e. *filo argenteo*, ſic enim vocabant: unde quoties apud Codin. σηματεῖον legitur, argenteis intelligendum eſt textum filis ſeu argentatum. Vide Salmaſ. [illegible] & infrà in voce *Syrmatum.*

FILACIORUM Cuſtodes, Anglis *Filacer* XIV. numero in *Banco communi* ſunt, teſte Spelmanno. Eſt autem *Filacium*, filum craſſius, quo in Curiis Judiciariis breyia, & reſcripta trajecta, invicem conſtringuntur ne pereant, Gallis *Filace.* Gulielmus Thorn. *Iſtud breve eſt in Filaciis* [illegible], apud C. du Freſne. *Gloſſ.*

FILA, Thebaidis in Ægypto locus. *Anton.*

FILASTRIUS Gulielmus, vide *Gulielmus.*

FILIA, unicum Matris votum, in Amazonum gente. Apud Romanos, ſupplicationes, & vota Veneri, uti [illegible], ſeu Θεοῖς γενεθλίοις, apud Athenienſes, Paciq́ue, magis pro filiis, quàm *filiabus*, concepta: interim ſine ullo ſexus diſcrimine, & Puerpera *Mater*, & Pater *Puerpere* dictus eſt. Quæ prima nata, primogenituræ quoque jure aliquo gaudere conſuevit. Namque *e ſolis ſemel-lis nunquam ex eventu primitiva*, Th. Bartholin. *de Puerperio Vet.* Olim verò, ſi ſexus eſſet ſequioris, partum tollere nolebant patres. Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 778.

Illa ſorte tuo fuerit ſi femina partu;
(Invitus mando: pietas, ignoſce) necetur.

Luſtrico die, quo nomen adepturæ erant *filiæ*, luſtrabantur, erat que is octavus à nativitate, ſicut maribus nonus, uti Feſtus docet, cauſam ſuggerente Cenſorino, ex Plutarch. *in Quæſt. Rom.* Simul autem luſtrabatur mater, longiori morâ. Et quidem apud Hebræos, quæ *filiam* eſſet enixa, octoginta dies in purificatione explevit, 40. ſaltem, quæ maſculum. Tot enim diebus cenſebantur impuræ, quanquam ſeptem tantum diebus ſumma fuerit impuritas, reliquis à ſacro contactu arcerentur. Eodem luſtrationis die Ægyptii Arabeſque feminæ clitoridem hodieque incidunt, more diu inveterato. Apud Hebræos initio menſis nomen impoſitum, apud Græcos ſeptimo à nativitate die. Cumque varia maribus apud Romanos eſſent, feminæ, & ſervi ſoli ferè gaudebant nominibus, quæ variè ad diſtinctionem inflectebantur, nonnunquam prænominibus &c. Qua de re vide infrà, in voce *Infans*, item *Puerpera*, alibique paſſim uti de *Filiarum* educatione, in voce *Occuria*, item *Parthenon.* Cùm nuptiis jam maturuiſſet *Filia*, ex gremio Matris eam à Sponſo rapi mos erat apud Romanos, quem ritum eleganter expreſſit Appulej. *l.* 4. cauſam Feſtus, *Rapi ſimulatur virgo ex gremio matris, aut ſi ea non eſt, ex proxima neceſſitudine, cum ad virum trahitur quòd videlicet ea res feliciter Romulo ceſſit.* Facem poſtmodum præferebat, in ipſa Nuptiali feſtivitate, mater, apud Græcos Babaroſque, uſu vetuſtiſſimo ut ſuprà diximus in voce *Fax.* Unde amiſſâ filiâ Mater, apud Claud. *de Raptu* Proſerp. *l.* 3. *Carm.* 36. *v.* 405. & ſeqq.

——— *Laniato pectore longas*
Inchoat illa vias, & ſic ingreſſa profâtur:
Non tales geſtare tibi, Proſerpina, tædas,
Sperabam: ſed vota mihi communia matrum.

E quibus verbis etiam, qui in funere *Filiorum* à Matribus factitatum, diſcas, vide quoque Euripid *Medeâ*, & hanc in rem plura apud Caſp. Barth. *Adverſar. l.* 35. *c.* 8. ut & hìc inſuper, variis locis, inprimis, in vocibus *Puella*, *Virgo* &c. Addam ſaltem, apud Græcos, *filias* Parentibus, qui peregrè erant domum reverſis pedes lavare, oſculari, atque oleo demulcere conſueviſſe, uti infrà ex Ariſtophane videbimus in voce *Parentes.* Quo officio & erga Hoſpites defunctos, ubi de *Peregrinis.* Tranſiit vox ad alia, ſimilitudine invitante; unde phraſi ſacrâ minores urbes majorum, & majores, ipſius Metropolis Hieroſolymæ, *Filiæ*, toties appellantur. Sic apud Monaſticæ quoque Rei Scriptores, Monaſteria, quæ ab aliis majoribus peculiari quadam familiaritate dependent, *Filias* dici, notat C. du Freſne *Gloſſ.*

FILIA in Jeſu Chriſto, tit. quo Papa utitur in literis ad Galliæ Reginam, Richelietus *Dict. Gall.*

FILIA Vocis, vide infrà *Revelatio.*

FILICATA Patera, quæ ad *filicis* herbæ ſpeciem erat cælata, memoratur Salmaſ. *ad Poll. in Claud.* & *ad Solin. p.* 1047. Dicta autem *filix*, antiquitus *felix*, ex Græco πτίλις, ſeu πτερὶς, quòd folia habeat ἐντετμημένα καὶ ἀναπεπταμένα ὡς πτέρυξ, *inciſa & expanſa, ut pinna*, Idem *ad Solin. p.* 536. Ex ejus exuſtæ cineribus admixta, quam *ſoldam* vocant, vitrum hodie vilius conflatur, *filicarios calices* appellant Galli: ſicut ex cineribus herbæ *Kali*, cum quodam ſilicum genere mixtis, nitidiſſima ſua cryſtallina Veneti conficiunt, *Ibid. p.* 1096. Vide plura de hac herba, apud Plin. *l.* 27. *c.* 9.

de FILICATIS verò *paliis* aliquid infrà in voce *Stauracina.*

FILICERIÆ, vulgò FOUGERES, caſtrum Galliæ, in Britanniæ, cui attribuitur, Normanniæque confinio: vaſtatum eſt à Joh. Rege A. C. 1202. A ſilvis & filictis, quas *Landas* Galli vocant, nomen accepit. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

FILICON, in *l.* 32. *Cod. Th. de Navicular.* Græcè φιλικὸν, penſitatio eſt, quæ ex benevolentia amicè, & ultro præbetur: quomodo *donum*, *mutuum* &c. recentiores uſurparunt. Ita exactiones ſuas etiam Vett. ſpecioſo nomine palliarunt. C. du Freſne *Gloſſ.*

FILII Regum, è verbo ſolemni univerſi olim Iſraëlitæ dicti ſunt vide infrà *Regum filii*, & mox dicendi. *Filii* Thalami, apud Hebræos, quinam dicti ſint, vide infrà ubi de *Nuptiali Thalamo.* De vulgato illo in *Talmudicis* R. Simeonis כל ישראל בני מלכים הם, *univerſi Iſraelitæ ſunt filii Regum*: & dicto in hanc rem *Miſnæ*, *cui dolent lumbi, ei nec infundere licet* (Sabbatho) *vinum aut acetum, aut verò oleum licet. Modo tamen minimè oleum illud ſit roſaceum. Filii ſeu liberi Regum in vulneribus ſuis infundunt etiam oleum roſaceum* (in Sabbatho) *quoniam ſimiliter ſe oleo illo* (deliciarum ſeu voluptatis causâ) *diebus profeſtis imbuere ſolent. At verò reſpondit R. Simeon, Univerſos Iſraëlitas eſſe filios Regum*, vide Joh. Selden, *de Jure Nat. ac Gent. juxta Diſciplinam Hebræor. l.* 6. *c.* 18.

FILI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

FILIOLITAS, titulus honorarius, quo Pontifices utuntur, cùm ad Principes ſuæ Communionis ſcribunt. Vide *Reſcriptum* Epiſcoporum Synodi Duziac. *ad Ep.* 27. Hadriani, Joh. X. *Ep. ad Carolum* III. Regem alios. At *Filiolagium*, & *Filiolatio*, donum dicitur, quod *filiolo* qui de ſacro fonte ſuſcipiebatur à ſuſceptore, in adoptionis ſpiritualis teſſeram, ſolebat conferri, in *Chron.* Ademari Caban. A. C. 826. apud Lambertum Ardenſem, alibi. Fere ſemper enim à Suſceptoribus collata fuiſſe poſt Baptiſmum filiis luſtricis munera, in ſignum adoptionis, hujuſque vi bonorum ſuorum partem aliquam iis deberi exiſtimaſſe priſcos, conſtat. Sic Regem Wlfere, *duas provincias* profilio ſuo Ædilwacho Regi; alterum, *Regi Sudſexiæ Adelwoldo*, *inſulam With*, Philippum VI. Franc. Regi Philippo Alenconio, profilio ſuo, & è Carolo fratre nepoti 6000. *libratas* terræ; donaſſe, docet C. du Freſne, ex Beda *Hiſt. l.* 4. *c.* 13. Henrico Huntindon. *Hiſt. l.* 2. *p.* 318. & *Diplomate* Philippi præfati. Vide quoque infrà *Patrinus*.

FILIUS, non unius generis. Homeri Interpres *Il.* δ. quatuor generationis ſpecies recenſens, γνησίας vocat, qui *legitimi* Romanis dicebantur; νόθας, *qui è pellice*; σκοτίας, *ſpurios*, quorum pater in incerto eſt; & παρθενίας, *qui è matre, quæ virgo adhuc credita eſt*, nati: de quibus omnibus vide Meurſ. *ad Lycophron. p.* 207. ut & reliqua huc pertinentia hîc paſſim, inprimis in vocibus *Infans*, *Liberi*, *Parentes*, *Puerpera* &c. Et quidem apud Vett. Regum Principumque filii nothi pari cum legitimis in honore habebantur, uti docet præter Euſtathium, Scholiaſtes incertus *Il.* θ. & Serv. *ad Æn. l.* 3. Privatorum verò hominum, acceptis mille drachmis, quæ pecunia νοθεῖον dicebatur, contenti eſſe juſſi ſunt, Harpocration, & Ariſtophanes *in Avib.* Vide quoque infrà ubi de *Nothis*. Ardua illa quæſtio, *Filius natus Patre jam Rege num præferendus antè nato?* Certè priùs natum anteferendum eſſe, varia ſunt quæ ſuadeant; obtinuitque hæc ſententia in Perſide, inter Cyrum & Arſicam (cui nomen factum *Artaxerxi Mnemoni*) in Judæa, inter Antipatrum Herodis M. filium & ejus fratres; in Hungaria, cùm Geiſſa Regnum adiit; & in Germania, non ſine armis tamen, inter Ottonem I. & Henricum. Similiter in Regno Turcico, cùm Bajazethes & Gemes, ille major natu, hic natus imperanti, inter ſe contenderent, prævaluit Bajazethes. Et priùs in Imperio Græco Conſtantinus Ducas Imperium filiis reliquit, quorum duo privato geniti, tertius Πορφυρογέννητος erat. Quòd Spartæ aliter factum, ex lege propria fuit ejus populi, quæ ob educationem magis accuratam natos in Regno præferebat. Idem accidere poteſt ex peculiari lege veſtituræ primævæ, ſi Imperium detur in feudum vaſallo, & ex eo naſcituris: quo argumento nixus videtur fuiſſe Ludovicus adverſùs Galeatium fratrem in controverſia Ducatus Mediolanenſis. Nam in Perſide Xerxes, qui contra fratrem Artabazanem obtinuit Regnum, ut Herod. notat, potentiâ Atoſſæ matris magis, quàm Jure, valuit &c. Quam in rem vide Hug. Grot. *de Jure Belli, & Pacis l.* 2. *c.* 7. *n.* 28. & *ſeqq.* & infrà in voce *Parentes* plura. Quis verò recentioris ævi Scriptoribus *Filius Arnaldi*; quis item in *Foris* Aragon. *Filius Dalgo*, Hiſpan. *Fidalgo*, dicatur? Vide infrà, *Filius Hernaudi*, item *Hidalgus*.

FILIUS Georgii, cognom. Alberti Flandrenſis, quo à Turcis Arabibuſque eum appellatum eſſe, legitur in *Geſtis Francorum expugnant. Hieruſalem ſub fin.* & apud Gualterum Terwan. in *Vita S.* Caroli Flandr. *c.* 3. Non quòd à S. Georgio genus duxiſſe, ſed quod ipſum eſſe S. Georgium Militem inclytum & apud Græcos eo nomine celeberrimum, exiſtimarent. Vide quæ de S. Georgio obſervat Joh. Selden. *in Titulis Honorar.* & C. du Freſne *ad Joinvillam*.

FILIUS Hernaudi, & junctim *Fiernaldus*, dicitur in Ordine Melitenſi Eques novitius, apud Macros in *Hierolex.* Cujus appellationis origo aperitur in *Statutis* Ordinis Hieroſol. *tit.* 19. *de Verbor. ſignif.* §. 33. *Per* Filios Arnoldos *intelliguntur hi, qui noviſſimè poſt alios Ordinem noſtrum ſunt profeſſi, quaſi tyrones. Quod quidem vocabulum, quod & ipſum Gallicum eſt, in Terra ſancta frequens, & commune fuit. Nam qui illic ex patribus Chriſtianis nati erant, Polani dicebantur: qui verò in partibus ciſmarinis nati eò veniebant, ab eis* (per contumeliam) *Filii Arnaldi dicebantur*: tanquam *fatui* & *idiotæ*, ut qui relictâ ultro patriâ ad Terræ S. tuitionem properabant, Jac. de Vitriaco *Hiſt. Hieroſolym. l.* 1. *c.* 72. apud C. du Freſne *Gloſſ.*

FILIUS Ἰχθύς, Hieronymo *ad Chromatium*, dicitur Bonoſus, qui in inſulam ſe abdiderat, à continenti ſeductam, aquis circumfuſam, ut Chriſto (voce Ἰχθὺς Vett. intellecto) eò liberiùs vacaret. Jocus nempe ex eo petitus, quòd ΙΧΘΥΣ illis ſignificabat Ἰησοῦν Χριστὸν Θεοῦ Υἱὸν Σωτῆρα, quâ alluſione Tertullianum quoque. Optatum Afrum, Auguſtinum, Paulinum, alios, uti notum. Gronov, *Obſ. in Eccl. c.* 19.

FILIUS Petri, cognomen Imperatorum quorundam ac Principum, qui Sedi Pontificiæ venerationem quandam peculiarem impenderunt, uti obſervavit Nic. Alemannus *Diſſertat. de Lateranenſibus Parietinis c.* 11. Sic *Filia Petri*, dicta eſt Mathildis Comes, Bonifacii Ducis vidua, Gregorio VII. *l.* 1. *Ep.* 11. *l.* 2. *Ep.* 9. & Domnizoni non ſemel. Uti de eadem, Rangerus Ep. Luc.

Filiolæ Petri *violæ poſt lilia dentur* &c.

ob præclara nempe ejus in Pontifices ſedemque Rom. merita. Vide in voce *Mathildis*.

FILIUS Terræ, vide infrà *Terræ fil.*

FILIUS Tonitrui, vide *Boanerges*, & *Notas* C. du Freſne *ad Alexiadem*.

FILLASTRIUS, vide *Filaſtrius*.

FILLECUM, opp. munitum Hungar. Auſtr. in confin. dit. Turcicæ 5. leuc. ab Agria in Bor. totidem à Caſſovia in Occ. juxta Gajum amnem.

FILTREI Capelli, in *Statutis* Hugonis vide Abbatis Cluniac. *Calcei filtrati*, in *Statutis* Adalardi Abb. Corbej. *l.* 1. *c.* 3. &c. à *filtro* nomen habent. Eſt autem *Feltrum* ſeu *Filtrum* lana coacta, quam infuſo aceto ferro reſiſtere, auctor eſt Plin. *l.* 8. *c.* 48. cujuſmodi gambeſonem, quem etiam *Feltri* nomine auctores quidam agnoſcunt, deſcribit Nicetas *in Iſacio l.* 1. *n.* 8. Unde *Loricæ ex filtris*, apud Ekkehardum Jun. *de Caſibus S. Galli c.* 5. & Gul. Apul. *Norm. Rer. l.* 3.

Proque repellendis ſaxorum vel jaculorum
Ictibus, objectis rabiendis undique philtris
Ad pugnam veniunt &c.

Tentoriorum Filtreorum, meminit Thwroczius *in Chron. Hungar.* ubi de Tartaris; quos *idola* quoque *de filtro*, *ad imaginem hominis*, confecta adoraſſe, tradunt Vincentius Belvac. *l.* 30. *c.* 7. & Odoricus Forojul. *in ſua peregrinat. n.* 21. &c. Vide C. du Freſne in voce *Feltrum*, & ſuprà, ubi *de coactilibus* & *Coactiliariis*. Galli hodieque *Feutres* vocant, pileos ex filtris & coactis iſtiuſmodi lanis factos: & nota Italorum vox *Feltro*, ab eadem origine, Belgarum *Vilt* &c. Origo vocis ex Græco πιλητὸν ſeu πιλωτὸν: quo modo dicuntur ἐκ τριχῶν συνίεθείσμα, Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. l.* 3. *c.* 70. ubi de coactilibus hujuſmodi quamplurima. Vide quoque *Lana* infrà.

FILUM, quaſi *pilus*, Fungero; quaſi *hilum*, i. e. minimum in veſte, aliis: in orbem nectendis floribus, foliis, herbis, ramulis, ut ſic capiti redimiendo fierent idonei, adhibebatur. Tertullian. *de Coron. mil. Et inſerti & innexi & in filo & in ſcirpo, quod liberi, quòd ſoluti.* Ubi *ſcirpi* nomine *philyram* intelligit Paſchal. *Cor. l.* 2. *c.* 12. ubi *de nectendi coronas artificio*, vide quoque ſuprà ubi de *Coronis*. Imò & ex *filo*, cui hæreret folium olivæ, in quo nomen τῆς Ἀθηνᾶς, *Minervæ*, ſcriptum, corona fiebat, uti diſcimus ex Conſtantino Cæſ. *l.* 6. *c.* 4. inter eas, quæ capitis dolores ſedarent, recenſita eidem Paſchalio *l.* 1. *c.* 15. ut alia omittam. In Tabernaculo V. Teſtam. præter aurum, argentum, æs aliaque, ſericique ac lanarum *fila*, hyacinthina & purpura coccoque tincta, locum habuêre. Inprimis Altare holocauſtorum, quod in Templo Salomonico ex ſolido ære confectum erat, medium cingebat *filum coccineum*, ad ſanguines diſcernendos, ut videre eſt apud Burmann. *Synopſi Theol. Chriſt. Parte prior. l. IV. c.* 15. §. 11. Apud Romanos, cùm nudo capite in publicum prodire Flamini nefas eſſet, *ſolo filo*, urgente æſtu, *caput cingebat*, diebus feſtis exceptis, unde ei nomen, Varro *de Ling. Lat. l.* 1. *Filamen* certè vocatur in vet. *Inſcr.* DIVÆ AUGUSTÆ ALBINUS ALB. F. FILAMEN DIVÆ AUG. PROVINCIÆ LUSITA. quod *filum Lanæ* fuiſſe, docet Feſtus, & Lil. *l.* 1. Vide Anton. Thyſ. JC. *Not. ad Gell. l.* 1. *c.* 12. Sed & in Magicis *filorum* uſus: hinc *tria fila diſcoloria nodis necti* totidem jubet ad ligandum in amoribus Daphnidem, Venefica Virgiliana *Ecl.* 8. *v.* 73. Nec omittendus, *Filum de pallio projiciendi*, *in argumentum remiſſæ injuriæ*, ritus, indigitatus Eigilo in *Vita* S. Sturmii Abbatis Fuld. *c.* 18. de Pipino Rege *Tollenſque manu ſuâ de pallio ſuo filum*, projecit in terram, & dixit: *Ecce in teſtimonium perfectæ remiſſionis filum de pallio meo projicio in terram, ut cunctis pateat, quod priſtina deinceps annulletur inimicitia*, apud C. du Freſne *Gloſſ.* Ut de *filis* auro argentoque intorto aliquid addam: Armillæ vett. non ſolido ſemper, verùm & textili nonnunquam, & per *fila* intorto auro conſtabant, uti colligere eſt ex Plin. *l.* 9. *c.* 15. Unde פתיל *filum*, Geneſ. *c.* 38. *v.* 18. & 28. ubi agitur de iis, quæ à Juda Thamar arrhabonis loco poſcebat, per *armillam* Vulgatus exponit. Quod ſciens Spondanus ἕλικας γναμπτὰς apud Homer. *Il.* σ. *tortiles armillas* reddidit. Tortiles enim ſunt à filo auro intexto, cujuſmodi filo ad vinciendos alioquin dentes feliciter uſos eſſe Veteres, diſcimus *L. XII. Tab.* Hippocrate *de Arte*, & Celſo *l.* 7. *c.* 12. hodieque edentulos ita curari notum. Atque talem armillam apud Lucretiam Borgiam Ferrariæ D. ſerpentis effigie formatam, hiſce decantat P. Bembus *Carm.*

Dipſas eram: ſum facta, Tago dum perluor, aurum
Tortile, Nympharum manibus decus ——

Vide Thom. Bartholin. *de Armillis Vett.* Sed & *filis aureis argenteiſque* & ſubtegmine ſerico veſtes olim texebantur claræ ac pretioſæ, ut ... ...us de *filo coccino* infantibus appendi ſolito, dicemus infrà in voce *Porphyrius* &c. Porrò etiam *Fila*, extrema circulorum, lineæ. Manilius de Horizonte,

—— —— *varioſque notabis*
Fini cum viſu pariter ſua fila *moventem.*

De Æquinoctiali,

—— *lucem, qui circulus æquat, & umbras*
Lanigeri & Libræ ſigno ſua fila *ſecantem* &c.

Hincque extremæ lineæ, quibus circumſcribuntur corpora, Arnobius *circumcæſuram* dixit: atque inde pro lineamentis, *habitu* ... filum ... *virginali.* Plaut. Merc. *Act.* 4. *ſc.* 4. *v.* 15. *ſcitum* filum ... *ris.* A. Gell. *l.* 1. *c.* 9. ubi verbum ἐφυσιογνωμόνει exponit, *mores naturaſque hominum, conjectatione quâdam de oris & vultus ingenio, deque totius corporis filo atque habitu, ſciſcitari*: ... quem l. vide eundem Thyſ. *Fila* pro nervis inſtrumentorum Muſicorum, vide ſuprà in voce *Fides*: uti de *Filis multis in modum ſtrictis cum cirris extantibus*, veſtium apud Vett. ornamento, ubi A *Filo* de *Cirris* &c. de *Filo margaritarum*, infrà in voce *Linea dives*. A *Filo* deriv. eſt *Filamentum*, i. e. habitus, veſtitus apud Vett. Sic *Infulæ* ... ſto Sacerdotum filamentum denotat. *Infilare* inde amicire, velare eundem, Vir Cl. *ad Juſtin. l.* 18. *c.* 7.

FIMÆ, opp. Campaniæ, juxta Vidulam fluv. ubi Noram amnem recipit, in Rhemenſi tractu, & confin. Inſ. Franciæ, 5. leuc. à Rhemis in Ort. Dicitur & *Ad Fines*; vulgò *Fiſmes*.

FIMBRIA, Romanus, homo longè audaciſſimus, & inſaniſſimus ... Diem Scævolæ dixit, quòd non totum telum corpore accepiſſet. Cic. *pro Roſcio Amerino.* Item eſſerus Marii miles, Craſſorum percuſſor ... Lucan. Civ. Bell. *l.* 2. *v.* 124.

Truncos laceravit Fimbria *Craſſos.*

FIMBRIA, ex FIBRUM, quod Antiqui dicebant extremum, Varr. ex *fine*, ora veſtimentorum; eſt *extremitas veſtium* Nonio: Hinc Iſid. *Fimbriæ vocatæ ſunt oræ veſtimentorum, h. e. fines.* Græcis eſt πέζα, κράσπεδον, θύσανος, κροσσός: è quibus tamen πέζα & κράσπεδον omnem veſtium extremitatem ſignificat, limbum ſc. oram, laciniam & inſtitam. Theocrit. *Idyllio* 2.

Τῶ ἀπὸ τᾶς χλαίνας τὸ κράσπεδον ὤλεσε Δέλφις.

Θύσανος verò & κροσσὸς propriè *Fimbriam*, qualiter Hom. αἰγίδα θυσανόεσσαν, & Plutarch Luculli κροσσωτὴν ἐφεστρίδα appellat. Agnoſcit diſcrimen hoc Pollux *l.* 7. cum κράσπεδα dici ait τὰς τελευταίας ὄχθας τοῦ ἱματίου: θυσάνους verò τοὺς λεγομένους κροσσούς. Heſych. item, cum κροσσοὺς vocat, τὰ κάτω τῶν ἱματίων τὰ ῥαμματώδη, *villos ſc. ſive floccos & fimbrias.* Ita Suid. κροσσὸς eſt μαλλός. Proin Marci *c.* 6. *v. ult.* καὶ παρεκάλουν αὐτὸν, ἵνα κἂν τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ ἅψωνται, vocem κράσπεδον quidam malunt interpretari, *limbum & laciniam pallii*, quàm *fimbriam.* Ita enim & apud Plutarch. *in Graccho* de Scipione Naſica dicitur, τὸ κράσπεδον τοῦ ἱματίου θέμενος ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, *Laciniam togæ capiti imponens.* Non ergo *Fimbriæ* ſunt omnes veſtium extremitates, aliàs ineptum eſſet, diſtinctionis causâ aliquod veſtimentum *fimbriatum* appellare, ſed *Fimbriarum*, tanquam ornamentorum, Scriptores meminêre. Amm. Marcell. *l* 14. *c.* 6. *Ut longiores fimbriæ tunicæ perſpicuâ luceant varietate liciorum, effigiatæ in ſpecies animalium multiformes.* Suet. *in Jul. Caſ. c.* 45. *Et cultu notabilem ferunt; uſum enim lato clavo ad manus fimbriato.* Ad quem locum Beroaldus & Sabellicus, quid eſſent *Fimbriæ*, ex Plin. docuêrunt, qui *fimbriata urticæ folia* eſſe tradit: & alibi, *fimbriatam avellanæ nucis barbam*, multifariam ſc. in oram reciſam. Unde patet, *Fimbrias* in extrema veſtimentorum parte fila fuiſſe floccoſque dependentes, quas Itali *Frangias* appellant: it. ipſam veſtium extremitatem, minutim conciſam, capitibus in acutum deſinentibus, ad inſtar pinnarum, quæ iiſdem *Merli* dicuntur, hinc Cic. *in Piſonem*, *Madentes*, inquit, *cincinnorum fimbriæ*: Capilli enim ferro vibrati, & in cincinnos torti, in extremitate, cum ſolvuntur, fimbrias referunt. Quod autem attinet Cæſaris latum clavum, ad manus *fimbriatum*, in eo duplicem notat Auctor luxum, quòd manuleatam, & chiridotam tunicam laticlaviam geſtaret, quodq́ue eæ manicæ *fimbriatæ* eſſent: quale ornamentum minimè viros deceret. Nec veſtibus verò ſolùm, ſed & ſtragulis mappiſque fimbriæ addebantur, ut ex Plin. ac Petron. patet: quorum ille inter ſigna lethalia recenſet *Fimbriarum curam & ſtragulæ veſtis plicaturas*; hic Trimalcionem diſcumbere commodum incipientem deſcribens, Edit. Gonſalis de Salas *p.* 17. & Edit. Boſchii *c.* 32. *Pallio coccineo*, inquit, *adraſum incluſerat caput, circaque oneroſas veſte cervices laticlaviam immiſerat mappam: fimbriis hinc atque illinc pendentibus.* Nec diſſimile linteum fuit, quo Atrienſem accinctum deſcribit Phædr. *l.* 2. *fab.* 5. *v.* XI. & ſeqq.

Ex alticinctis, unus atrienſibus,
Cui tunica ab humeris linteo Peluſio
Erat deſtricta cirris dependentibus.

Ubi per *Cirros* quidem Laurent. JC. *Notis in locum*, capillos contortos, & criſpatos: Vir doctus tunicam ipſam: Ferrar. verò *fimbrias* intelligit, illaſque ad linteum Peluſium refert, quo tunica deſtricta. Fuit enim linteum illud ſindon, ſive mappa, quâ miniſtri conviviorum accingebantur, quæ ad inſtar Petronianæ erat *fimbriata.* Quare idem *cirratas militares* apud Capitolin. *fimbriatas* itidem interpretari mavult, quàm hirtas aut villoſas. Vide Oct. Ferrar. *de Re Veſt. Part.* 2. *l.* 1. *c.* 19. Salmaſ. verò à *fimbriis* ſic *cirros* diſtinguit, ut illarum nomine intelligat rectos villos ac diſcriminatos, circa extimas veſtium oras, nullo modo conſtrictas; horum autem, fimbrias in nodum coactas, & contortas, cum extantibus & dependentibus villis. Sic *fimbriæ* fuêrunt *frangiæ* Gallorum, at cirri veſtium *houpes.* Vide eum *ad Solin. p.* 762. uti de morbo, cui *fimbriarum curam* Plin. tribuit infrà in voce *Phrenitis*; & de *fimbriatis Vett. tunicis ſubuculiſque*, quibus honeſtiores utebantur, Caſaub. *ad Suet. l.* 1. *c.* 46. Apud Gregor Turon. *l.* 7. *c.* 32. *Illud inter jurgia exprobrant, quòd velim cum à S. Antiſtitis fimbriis ſeparare: fimbriæ pallæ* ſunt *Gloſſ.* ſæpius laudato Auctori, quibus Sanctorum ſepulchra tegebantur &c.

FIMERIA, vulgò FEMEREN, Inſ. Holſatiæ.

FIMO, contumeliæ causâ perfundendi Duces Principeſque viros, conſuetudo, memoratur *l.* 1. §. 11. *ff. de extr. crim.* Pauli *Sent. tit.* 4. *l.* 5. ſuggeritq́ue exemplum Bibuli Conſulis, Plutarch. *in Pompejo.* Vide ſuprà *Canitus* & infrà in verbo *Jacere.* Apud Hebræos, cùm reus ſuffocandus erat, quod unum ex quatuor eorum capitalibus fuit pœnis, *fimo* cruribus tenus illum conſueviſſe immergi, dicemus infrà ubi de Vett. *Pœnis.* Aliàs *fimus* animaliumq́ue excrementa, non in Medicina modò, ſed etiam in Agricultura, non parum poſſunt. Plin. *l.* 17. *c.* 9. *Ipſa res antiqua. Jam apud Homerum regius ſenex agrum ita ſuis manibus lætificans reperitur. Augeas Rex in Græcia excogitaſſe traditur, divulgaſſe verò Hercules in Italia, quæ Regi ſuo Stercutio, Fauni filio, ob hoc inventum, immortalitatem tribuit.* Et quidem, quadrupedum Columellæ *optimum exiſtimatur ſtercus, quod aſinus facit* ---- *Deterrimum ſuillum. l.* 2. *c.* 4. At Theophraſtus poſt humana tetrimenta, proximam facit bonitatem κοπρώσεως τῆς ὑείας *ſtercorationis ſuillæ*, *Hiſt. Plant. l.* 2. *c.* 8. Quem ſequitur Plin. ſimul rationem addens *l* 28. *c.* 9. ubi, cùm laudaſſet adipem ſuillum, ſubjungit: *Neque eſt occulta virium cauſa, quoniam id animal herbarum radicibus veſcitur. Itaque etiam fimo innumeri uſus.* Quam in rem vide plura apud Gerh. Joh. Voſſ. *de Idol. l.* 3. *c.* 71. Inter aves, turdorum *fimum* inprimis lætas ſegetes facere, proximamq́ue vim columbino, inde gallinario eſſe, auctor eſt Columella præfatus *l.* 2. *c.* 15. Nec mirum, ſi vett. Romani agros ſtercorarent turdorum aviumq́ue fimo: ut quibus tanta fuêre aviaria ſeu Ornithones, ut majora ſæpiùs tecta haberent, quàm totæ antiquitus fuiſſent villæ, qua de re alibi diximus. Bubulus verò fimus etiam igni alendo, ligni inſtar, apud quaſdam gentes adhiberi conſuevit, uti videre hîc eſt, ubi de *Focatio, ſeu Subcinerico Pane*: Unde *fimi fures* graviter olim Athenis punitos, videbimus infrà de *Furto.* Sed & Dardanios ſub fimo ſpeluncas defoſſas incoluiſſe, teſtis eſt Strab. *l.* 7. *p.* 316. imó & in ſacris adhibere ſolitos Kirgeſſos, videbimus infrà &c. Plura hic paſſim, ubi de vocibus ſynonymis.

FINALIS Arca, vide ſuprà *Mortualis Arca.*

FINALIUM ſeu FINARIUM, opp. Italiæ, in ora Occ. Genuenſi, Marchionatus cognom. caput. Marchiones è gente Carretorum proprios habuit olim, nunc ſub Hiſp. à 72. Annis. Arcem habet probè munitam, cum duobus fortalitiis. Medium inter Savonam ad Ort & Albengam ad Occ.

FINALIUM, vulgo *Finale de Modena*, opp. in dit. Mutinæ Duc. ad Panarum fluv. in limite Ferrarienſi, ſatis munitum. 18. mill. à Ferraria in Occ.

FINARENSIS David, vide *David.*

FINCHALA, vel FINCENHALA, urbs Angl. in diœc. Durham. ubi Concil. A. C. 798.

FINES, & ad FINES, vulgò TUYN, opp. dit. Leodienſis; ad Sabin fluv. Item, opp. Helvetiæ, *Pfin*, vel *Pfin an der Thur*, nunc penè jacens in Turgovia, apud Conſtantiam, ad Durium vel Taurum fluv. ab Arbore felice 20. a Vindoniſsa 30. m. p. fortè ita nominatum, quòd Rhæti eouſque fines ſuos extenderint. Vel ſecundùm Valeſ. quod eſset poſitum in confinio Rhætiæ, & Galliæ Belgicæ, ſeu quòd eſset finis Rhætiæ primæ, & initium provinciæ Maximæ Sequanorum in Gallia Belg. Item opp. Galliæ, hodiè *Fimmes*, ad Vidulam, inter Auguſtam Sueſſionum, & Durocortorum Remorum medium: clarum martyrio S. Macræ & duobus Conciliis A C. 881. & 935. habitis. Sic dictum, quò fines Remorum eouſque pertinerent. Item locus Mediomatricos à Virodunenſibus dividens, apud Æthicum. Item inter Aptam Juliam, & Cabellionem, in confinio Vulgentium, & Cavarum apud eundem. Item, opp. Hungariæ, *Samaguar* Lazio, à Veſprino & Alba Jul. 6. leuc. in Merid. Comit. Coppano proximum. Ferr. Plura in Gallia loca hoc nomine inſignita, vide apud Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* adde B. Rhenan. *Rer. Germ. l.* 3. *c.* 1. ad eum Ottonem *J. C. S.*

extra FINES projiciendi cadavera proditorum mos, vide infrà ubi de *Tractatione*: de voce verò *Fines*, hîc paſſim, in vocibus *Arcifinius*, *Banleuca*, *Territorium*, *Torres* &c.

FINES Aquenſes, & *Fines Arelatenſes*, inſcriptum rupi S. Victoriæ, vulgò *Sainte Venture*, in Caſtro S. Antonini 3. mill. procul aquis Sextiis, hoc modo,

FIN. AQ.	ab alera parte	FIN. AREL.

Collimitium utriuſque urbis indigitat. Lapidibus enim regionum prædiorumq́ue privatorum terminos diſtingui conſueviſse, dicemus infrà ubi de *Lapidibus Terminalibus.* Sic in Iſthmo Corinthiaco columnam olim ſtatutam, Joniæ ac Peloponneſi terminum, notat Jac. Spon. *Itin. part.* 3. *p.* 31.

FINEUS Orontius, Delphinas, primus Scientias in Gallia intermortuas, poſt Jacobum Stapulenſem ſuſcitavit, docuit Mathemata Pariſiis, munificentiâ Franciſci Regis eò invitatus, tanti per Orbem habitus, ut ſummi Magnates, Supremæ Curiæ, exterorum item Principum Legati, eum venerint conſultum. Scripſit plurima, Anton. Teiſſier *in Elogiis* enumerata: Quadraturam verò Circuli ſe inveniſse, gratis prædicavit. Obiit A. C. 1555. Æt. paulo ultrà 60. Vide quoq́ue Sammarthanum in *Elogiis*, & infrà *Orontius.*

FINGERE, de cera, pigmentis, argilla. Hinc *componere*, quà lubet. Pap. Stat. *l.* 5. *Sylv.* 3. *v.* 191. de formatione juventæ,

Non tibi certaſſet juvenilia fingere corda
Neſtor,

Idem *Theb. l.* 5. *v.* 228. de coma,

Aſpiciens floremque genæ, & quas finxerat auro
Ipſa comas &c.

In quem ſenſum Iſid. *Orig. l.* 10. *c.* 7. *Fictor appellatus à fingendo & componendo aliquid ſicut quo capillos mulierum linit & pertractat, ungit & nitidat.* Vide quoq́ue ſuprà in verbo *Colligere*, & de prima vocis notione plura, in *Fictile*, item *Fictor.*

FINIS Ligurum, locus apud Tac. Ann. *l.* 16. *c.* 15.

FINIUS Adrianus, vel *Adrianus Finius*, ſcripſit flagellum Judæorum, 59. libb. Venetiis impreſſum, A. C. 1538. Vixit adhuc ſub ſeculi præteriti initium. Simler. *Biblioth.*

FINLANDIA, Magnus Ducatus Sueciæ, teſtamento Guſtavi I. tributus Joh. filio, Erico Regis fratri: propugnaculum eſt Regni, contra excurſiones Ruſſorum firmiſſimum; in cujus limitibus arces validiſſimæ, *Wiborg*, *Kexholm*, aliæ. Vide in voce *Finnonia.*

FINMARCHIA, Provincia Europæ valde Septentrionalis, regni Norvegiæ pars. Nonnulli affirmant, olim hîc multos montes perpetuâ conflagratione corruiſſe Jo. Matal. Metell. In duas diviſa partes, non uni Domino ſubeſt. Auſtralis, ubi Jetaburgum urbs Daniæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Regi Septentrionalis verò Suecis ſubeſt. Cluv. *Introduct. Geogr. l.* 3.

FINNANUS, Scotiæ Rex poſt Roſinam, per Ann. 30. Buchan. *Hiſt. Scot.*

FINNI, Jornand. populi Scandinaviæ, quorum regio Scriſinia, vel Scriſinnia, & Finlandia dicitur. Vide *Fenni.*

FINNICUM Mare, *Golfe de Finlande*, ſive Finnicus ſinus, à mari Balticò ſecedens, inter Finnoniam, & Livoniam, per ducenta, & quinquaginta millia paſſuum ad Orientem ſeſe extendit.

FINNONIA, ſeu FINNIA, vulgò FINLANDE, regnum olim fuit, nunc regni tantùm Suecici pars, juxta mare Balticum, & ſinus Finnicum, & Bothnicum. In plures provincias dividitur, & partes nempe in Finniam ſeu Finlandiam propriam, Caianiam, Tavaſthiam Nylandiam, Careliam, & Savolaxiam. Finnia propria, quæ & nobilior, & auſtralior, dividitur in Septentrionalem, cujus caput Bioneburgum, ad ſinum Bothnicum, & in meridionalem, cujus primaria uti & totius regionis eſt Aboa, ad oſtia fluvii *Aurojoki* in ſinum Finnicum, & è regione Alandiæ inſulæ. Fuêrunt Finni ſubjugati, ab Erico Suecorum Rege, circa A. C. 1384. Crantz. *l.* 6. *c.* 28. Regio truculenter raptata eſt à Moſcis, A. C. 1571. inde Tartarorum in Moſcoviam, duce Krembſechio, irruptione revocatis, & cæſis. Thuan. *Hiſt. l.* 50.

FINNUS, vett. Saxonum Deus. Vide *Dæmon.*

FINNUS, Ep. Lindisfarn. in Anglia, A. C. 660. ore ſcriptoque 14. Lunæ Paſcha celebrandum eſſe contendit, veteres Eccl. Angl. traditiones ſecutus. Beda, *Hiſt. Angl. l.* 2. & 3.

FIONIA, vulgò FUINEN, à pulchritudine, inſ. Daniæ, in mari Baltico inter Iutiam ad Occaſ. à qua ſeparatur exiguo freto, *Middelfart* ſeu *Cleyne Belt* dicto, & Selandiam ad Ort. à quo etiam ſeparatur freto *die Belt.* Ibi Ottonia, *Odenſée*, urbs primaria, & Neoburgum opp. munitum, cum portu, & arce 4. milliaribus Germanicis à Selandia diſtat. Ejus longitudo ab Ortu in Occaſ. eſt 10. milliarum Germanicorum; latitudo tantùm octo; ſubeſtque Regi Daniæ. Sed antea malè habita fuit à Suecis, qui inde ingenti clade acceptâ pulſi ſunt, bello Danico. A figura & ſitus amœnitate, & elegantia nomen mutuatur. In ea cernuntur 4. arces Regiæ, *Neuburg, Hagenſchow, Hinſgagel*, & *Eſcheburg*, pagi 264. & cœnobia ſex. Ad eam 90. parvæ Inſulæ pertinent, quarum præcipuæ Lalandia, Falſtria, Femera, Georg. Horn. *Orb. Polit. part. IV.*

FIRÆSI, populi Scandinaviæ, Ptol. Eorum regio hodie dicitur *Fiering*, in regno Sueciæ, teſte *Brietio.*

FIRANDUM, opp. Aſiæ, in Iaponia inſ. in ea parte, quæ *Ximo* dicitur, cum inſ. cognomine, in ora littorali in Occaſ. & verſùs Nangaſacum. teſte *eodem.*

FIRLEIORUM Illuſtris in Polonia domus, tota, cum plurimis aliis è Nobilitate, Evangelium amplexa eſt, circa A. C. 1552. quo Comitiis Petricoviæ habitis, Ep. causâ cecidêrunt, Raphaële Leſzczinio, & Martino Sborovio, Reformatorum hyperaſpiſtis apud Regem Sigiſmundum Aug. Præſulum mores ad vivum gravi oratione depingentibus, Joachimus Bielſcius *in Chron. Pol. l.* 5. *p.* 549. Ex hac, Joh. Palatinus Cracovienſis, & Regni Mareſcallus, Vir plenus zeli, Henrico Galliæ Regis fratre qui Rex Poloniæ electus, hâc inter alia conditione, ut in gratiam Proteſtantium Gallorum à fratre varia impetraret pacemque inter diſſidentes in Polonia conſervaret, poſt electionem verò, petita ſilentio voluit eludere, jamjam coronando, ſurrexit, arreptâ coronâ templo exiturus, ni Rex dicenti, *Si non jurabis, non regnabis*, teneri ſe videns, ſatisfeciſſet, A. C. 1574. Interfuit dein Synodo Cracovienſi, cum aliis Proceribus, pauloque pòſt obiit. Vide Thuan. *l.* 57. ubi memorat, inter alia Regem electum, obſtrinxiſſe ſe Joh. Firlejo, & cæteris Proceribus, ſe effecturum, ut Rex frater de graſſatoribus lanienæ pœnas ſumat, Proteſtantibus edicta antiqua ſervet, Religionis uſum per totum regnum liberum relinquat, Proteſtantes ad honores evehat, hæcque Principum, & omnium Magiſtratuum juramento confirmari curet, &c. Hujus filii Joh. & Andreas, Barones de Dambrovicza, poſt Heidelbergenſem Academiam, Baſilienſem illuſtrarunt, A. C. 1604. Joh. quoque Joh. Cluentium Paſtorem Bonczenſem, à Pontificiis malè habitum, A. C. 1629. conqueſtus de injuria apud Ep. Chelmenſem, acriter defendit. Vide Lætum *Comp. Hiſt. Univ.*

FIRMA, reditus eſt, qui in elocandis prædiis, domino elocanti reſervatur, Gall. *Ferme.* Angl. *Fearm*: Qui prædium hac lege ſuſcipit, *Firmarius*, i. e. Conductor. Quidam à *Firmitate* vocem deducunt, ut ſic differat à reditu mobili: Spelmannus Saxonicæ vult eſſe originis, & ſignificare cibum, prandium, cœnam, alimentum. Priſci autem moris fuit, dum exiguè ſe habuit nummorum copia, profuſiùs hoſpitalitas, annuos reditus in eduliis collegiſſe: quod uberrimis teſtimoniis è Legibus, & Chartis antiq. Alamannicis, aliiſque liquet: & Reges quoque Anglos ſic victitaſſe, donec Henricus II. ex juſta occaſione morem immutavit, refert idem Spelmann. Poſtea pro reditu pecuniario vox uſurpari cœpit: metonymicè etiam pro ipſo prædio elocato, villo, manſo, colonico, &c. *Gloſſ. Arch.*

FIRMANORUM Caſtellum, Plin. *Firmiano l.* 3. *c.* 13. teſte Franciſco Pamphilo, caſtrum Piceni, Firmo urbi vicinum. Eſt & Firmanum, *Formiano* vel *Formignano*, opp. Umbriæ apud Metaurum fluv. à Foro Sempronii 8. mill. paſſ. in Ducatu Urbinate.

FIRMATARIUS, Officium Monaſticum, cui fortè incumbit reparationum ſeu ſartatectorum Monaſterii cura illiuſque *firmandi*: aut cui *Firmariæ* ſeu *Firmariorum* cura incumbit, C. du Freſne *Gloſſ.*

FIRMILIANUS, Cappadocum gentis, urbis Cæſareæ Ep. A. C. 251. Origenis diſcipulus. Vide Euſeb. *l.* 7. *c.* 4. *Morer.* &c.

FIRMITAS, idem quod munitio, ac locus firmus, parvi inſtar caſtelli, Gallis *la Ferté*, quo nomine plurima apud illos loca veniunt. Uti

FIRMITAS Adelaidis, *la Ferté Alais*, caſtrum Gall. inter Corbolium, & Stampas, in finibus Senonum: dictum vel ab Adelarde Comitilla, quâ ductâ Guido Rubeus de Rupe forti, Hugonis Creciacenſis pater, frater Odonis Comitis Corboilenſis, uxorio jure poſsedit, apud Sugerium *in vita Ludovici Craſſi*, ubi *Firmitatem Balduini* caſtrum hoc vocat. Vel ab Adelaide Regina, Ludovici VII. conjuge, matre Philippi Aug. quos ibi ſæpe ſediſse certum eſt. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

FIRMITAS S. Albini, *La Ferté S. Aubin*, non procul ab urbe Aurelianis, in Carnutibus, in Archidiaconatu Solliacenſi. *Idem.*

FIRMITAS ad Albulam, *la Ferté ſur Aube*, opp. Galliæ, in Campania provincia, ad Albulam fluv. vix 4. leucis ſuprà Barium in Auſtr. in confinio Burgundiæ.

FIRMITAS Auculphi, ſeu ſubter Iotrum, *la Ferté ſous Iovarre*, opp. Galliæ, in Bria regione, Campaniæ annexa, ad Matronam fluv. medium inter Meldas ad Occaſ. & Caſtrum Theodorici ad Ortum.

FIRMITAS Bernardi, *la Ferté Bernard*, opp. Galliæ amplum, in Cenomanenſi provincia, ad Huinam fluv. verſùs Perticenſem tractum, 12. leucis à Cenomano in Ort.

FIRMITAS in Brajo, *la Ferté en Bray*, caſtrum Galliæ in monte poſitum, in medio ſaltu pagoque Brajo *la foreſt & pays de Bray*, inter Gornacum, & Goſleni fontem, in finibus diœceſis Rotomagenſis, Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

FIRMITAS Milonis, *la Ferté Milon*, urbs Galliæ, in provincia inſulæ Franciæ, inter Sueſſiones ad Bor. & Meldas ad Auſtr. ferè media.

FIRMITAS Narberti, *la Ferté Narbert*, cum Firmitate Albini Aureni, & Hucberti, finibus Carnutum, & diœceſi Aurelian... continetur. Hadr. Vales *Not. Gall.* qui plurimum hujus nominis locorum meminit.

FIRMIUM, Ptol. Procop. *Firmum* Cic. Strab. *l.* 5. *p.* 241. *Fermo*, colonia & urbs Ep. Piceni, poſt Anconam in Marchia Anconitana urbs primaria, apud oram maris Hadriatici, media ferè inter Lauretum, & Aſculum ad 25. mill. paſs. ab Ancona, 40. in Ort. & Eur. Populi *Firmani* Plin. *l.* 3. *c.* 13. *Firmiani* Liv. Aliis idem eſt Firmum cum Firmanorum Caſtello, Ferrar. Baudr. *Firmum*, urbs eſt Italiæ, in ditione Pontificia, & in Marchia Anconitana, 18. milliaribus diſtat ab Laureto in Auſtr. & 25. ab Aſculo in Bor. ... Macerata in Ort. Olim Romanis contra Hannibalem ſuppetias miſit. Sed priſcæ urbis rudera ab recenti hodierna aliquantum diſtant. De hac Itali: *Quando Ferma vuol fermare, tutta la Marca fa tremare.* Morer. Vide quoque præter auctores laudatos, Plin. Melam, Appian. Alexandrin. &c. Præterito ſeculo quæ fuerit pen... ſa, ſuppeditat Leander Albertus *deſcr. Ital. p.* 279. & *ſeqq.* edit. *Ven.* A. C. 1581. & Fragmenta Franciſci Adami, edit. Rom. A. C. 1592.

FIRMIUS Catus, Senator, Scribonium Libonem Druſum, cujus intima amicitia uſus fuerat, ſceleratè apud Tiberium rerum novarum detulit ac pervertit. Vide Tac. Ann. *l.* 2. *c.* 27. Poſtea ſententia Senatûs in inſulam amovetur, tanquam falſis majeſtatis criminibus ſororem petiviſset. Verùm Tiberius ejus operæ. Idem *l.* 4. *c.* 31. *Quâ Libonem illexerat inſidiis, dein indicio perculerat, memor, ſed alia prætendens, exilium deprecatus eſt. Quo minus Senatu pelleretur, non obſtitit.*

FIRMUM, vide *Firmium.*

FIRMUS, Imp. (quem Aurel. *Latronem Ægyptiacum* vocat) ſtaturâ fuit ingenti. oculis prominentibus, criſpo capillo, fronte ... peratâ, fuſco vultu, piloſo corpore, & hiſpido, ita ut Cyclops vulgò diceretur. Robore autem adeò inſignis, ut Triarium ... ret. Nam & incudem pectori ſuperpoſitam tundentibus fabris conſtanter perferebat Crinitus. Vide infrà. In vet. numm. ΦΙΡ... ΦΙΡΜΙΟC dicitur, apud Hub. Golzium, AYT. K. M. ... OC EYC EYT. CEB. ETOYC. ΠΡΩΤΟΥ, libri tamen omnes *Firmus* habent, non *Firmius* &c.

FIRMUS, Maurus, in Africa contra Valentinianum I. ... rexit à Theodoſio, patre Theod. M. ad ſuſpendium adactus. Amm. Marcell. *l.* 29. *c.* 5. Oroſ. *l.* 7. Item, Seleuciâ oriundus, Imperium contra Aurelianum arripuit, ut terras Zenobiæ adhuc reſiduas tueretur. Victus à Carino, Carris ... Vopiſc. *in Firmio.* Item, *in Aureliano.* Ejus hiſtoriam ... compoſuit.

FISCALIA Vina, apud Vopiſc. *in Aurel.* quem vinum etiam ... animo habuiſſe gratis dare, imò aliqua ex parte feciſſe, colligit ... Autor, *quòd in porticibus templi Solis vina fiſcalia ponuntur*: ... quæ Fiſcus dabat Populo, non gratis, ſed pretio. Sic *Fiſcalis panis* ... populo dividebatur, gratis ille quidem; quem & *civilem*, & *gradilem* ... *diſpenſatorium* dictum eſſe notum. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc.* De ... *Curſu* ſeu *Rheda*, quâ Fiſcales tranſvehebantur res; ut aurum ... tumque ſacrarum Largitionum, cùm ad Comitatum Principis ... nabantur, veſtes aliæque ſpecies, quæ dicebantur *Fiſcales*, egimus ... prà ubi de *Curſu publico.* Nomen à *Fiſco.* Sic recentiori ævo ... *ſcalini*, Germ. *Leibeigene*, dicti, quorum corpora & bona ... Regio debita. Nempe cùm Clodoveus Francorum Rex Alemannis ad Tolbiacum ſuperatis, Germaniam penè totam ſibi ſubjeciſſet, ne cum libertate animos recipere poſsent, jugo ſervitutis hujus graviſſimo eos preſſit, quæ tum primùm cœpit, & ... hoc fonte paſſim in Germaniam derivata, etiamnum durat. Principes namque Clodoveum inſecuti hanc ipſam ſervitutem ratam habuêre: & porrò etiam feudatariis ſuis, non tantùm poſſeſſiones, ſed & corpora ſubditorum elocavêre. Qui Eccleſiaſticis donabantur, *Servi Eccleſiaſtici* appellati ſunt &c. Strumpf. *Chron. Helvet. de Gallia l.* 3. *c.* 57. Vide quoque infrà in voce *Fiſcus.*

FI

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

FISCALINI, una ex 3. Servorum apud Germanos olim claſſibus: nomen illis, quòd res & corpus Fiſco Regis ceſſiſſent, unde & *Regios Servos*, vulgò *König-Leuth*, *Fiſcals-Leuth*, Hiſtoriæ ac *LL.* priſcæ vocant. Vide Ottonem JC. *Notis ad B. Rhenan. Rer. Germ. Nov. Antiqq. l.* 2. ut & *Eccleſiaſtici* ſuprà.

FISCALIS Promotor, inter Officiales Inquiſitionis, in Eccl. Rom. quid muneris gerat, dicemus infrà in voce *Promotor*. Moneo hîc ſaltem, poſtquam Inquiſitor informationem recepit contra reum ſibi denuntiatum, illo præſente Promotorem præſentare in judicio libellum accuſatorium, continentem capita delictorum, de quibus reus fuit delatus, illumque exhibere Inquiſitore, in hunc circiter modum: *Ego N. Officii ſanctiſſimæ Inquiſitionis Fiſcalis, coram vobis Reverend. Inquiſitore judice delegato in cauſis fidei contra hæreticam pravitatem, criminaliter accuſo N. qui cum ſit Chriſtianus baptizatus, & velut talis ab omnibus habitus, à fide Catholica receſſit, & ad peſtiferam hæreſin----talem videlicet, & talem, impiè acceſſit, prædicans, ſcribens, componens firmiterque aſſerens multa dogmata hæretica* &c. quibus connumeratis concludit, *petens ut N. tanquam hæreticus pertinax puniatur* & *pœnas graviſſimas hæreſis* poſcit. Vide Jac. Simancam de *Cathol. Inſtitut.* Eymericum *Directorio Inquiſit.* Franc. Peguam *Praxi Inquiſitorum*. Ampliorem hujuſmodi libelli formam invenies apud Lud. à Paramo *Hiſt. Inquiſit. l.* 3. *Qu.* 9. *n.* 21. Solet autem accuſationis copia fieri reo, cui protinus per articulos reſpondendum, tabellione coram Inquiſitoribus reſponſum rei excipiente: qui ſi adhuc negaverit Advocatus ei datur, *Fiſcalis* verò intra terminum à Judicibus præfinitum teſtes iterum producit, & reus ſuas defenſiones probat. Ordinariè autem accuſationem, cùm ſcripto proponitur, complura atque conficta gravamina continere, obſervat Regin. Gonſalvius *S. Inquiſit. Hiſp. Art.* det. ubi & cur id fiat, addit Cæterùm in ſua patria *Fiſcalis* munere fungi nemo poteſt, ne gratiæ aliquid tribuere videatur &c. Vide Phil. à Limborch *Hiſt. Inquiſit. l.* 2. *c.* 5. & 6. ubi ſcripta Inquiſitionis ſub tribus clavibus cuſtodienda *Promotori Fiſcali* & Notariis incumbere monet, & *l.* 4. *c.* 17. nec non infrà in voce *Promotor*, it. *Vexillum*.

FISCAMNUM, in Caletibus, locus Galliæ, ubi Waningus Conſiliarius Chlotarii III. hortatu Audoëni, Ep. Rotomagenſis, Monaſterium puellarum condidit, illudque SS. Trinitati dicavit. Ad mare eſt, vulgò *Feſcam en Caux*: ubi vallis, ſaltus, Monaſterium & opp. cognom. Monaſterium autem pridem à Monachis occupatum eſt. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

FISCELLA, exilis *fiſcina*, è junco contexta, apud Tibull. *l.* 2. *Eleg.* 3. *v.* 15.

> *Tunc fiſcella levi detexta eſt vimine junci,*
> *Raraque per nexus eſt via facta ſero.*

Item palmarum foliis; frequens olim Monachorum labor, vide infrà ubi de illis: Græc. τάλαρος eſt, è cujuſmodi *fiſcellis*, quas *formellas* recentiores dixêre, caſei olim exprimebantur: quod & Gregor. Naz. *Carm.* 4. docet.

> Σοῖς μὲν ἐγὼν ἁπαλὼ πλάσθην φρένα καὶ νεόπηκτον
> Οἷα τυρὸς, ταλάροις λάμβανον αἶψα τύπον.

Vide Heſych. in vocibus ταῤῥοὶ, ταῤῥὸς & ταρσῆσαι. Unde *Fiſcellus*, caſei mollioris appetitor, quòd ex ipſa *fiſcella* caſeum recentem appetat. Sed & in *fiſcellis*, infantes nonnunquam expoſiti. Sic inſtrumentum, quo Moſes expoſitus, in vulgatis Bibliis *fiſcella ſcirpea* nominatur Exodi *c.* 2. *v.* 3. cujus formam ex gemma Peireſcii exhibet Thom Bartholin. *de Puerperio Vett.* Vide quoque ſuprà, ubi de *Bove triturante*, *Expoſitionis ritu* &c.

FISCELLUS, montis Apennini ramentum in Umbria, juxta Picenum, & Sabinorum confinia, unde Nar fluv. oritur. Sil. Ital. Punic. Bell. *l.* 8. *v.* 519.

> *Quæ* Fiſcelle *tuas arces, Pinnamque virentem.*

FISCETUS Gulielmus, Rector Univ. Pariſinæ, Ludovico XI. ſtudioſos in militiam lecturo contra ligam Boni Publici reſtitit. A Sixto IV. magni habitus. Scripſit Rhetoricæ libros, Orationes, & Epiſtolas. Guagin. *Hiſt. Fran. l.* 10. Dupleix. *in Ludov. XI.* Spond. *A. C.* 1465. *n.* 5.

FISCHERUS Johannes, vide *Johannes*.

FISCI Campus, opp. Normanniæ, in tractu Caletenſi, cum Abbatia, & portu, in ora littor. maris Brit. inter Portum Gratiæ & Deppam.

FISCUS, propriè Principis eſt, Ærarium Reip. Plin. *in Panegyr. Traj.* Ad illum obventiones ſeu res extraordinariæ, ad Ærarium reditus annuus, vectigalia, tributa &c. ſpectant. Damnatorum verò bona, cùm confiſcantur, ad Principem pertinent: cùm publicantur, i. e. publicæ venditioni proſcribuntur, Ærario cedunt: Sed de his Jurecoſſ. Originem rei nomen prodit. *Fiſcus* enim ſporta, qualus, clitella; quibus, dum non ſufficeret marſupiorum anguſtia, ad capiendos Principis nummos uſi ſunt vett. & itinerantes ſecum deferebant; Ærario loco ſtabili permanente. *Fiſcus* tamen legitur quandoque pro Ærario publico, & viciſſim. Aliquando etiam omnes Principis facultates reſpicit, nullâ habitâ pecuniæ publicæ, & privatæ diſtinctione. Plura vide apud Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.* Addo, quòd Heſych. & Suid. δημόσιον ταμεῖον, Auguſtin. *in Pſalm.* 146. *Saccum publicum*, Recentiores *Cameram* reddunt. Hic ſub avaris Principibus benè lieni comparatus eſt à Trajano Aug. quòd *eo creſcente artus reliqui tabeſcerent*, ut Aur. Victor ait in *Juliano*. Unde Andr. Alciatus *Embl.* 146. & Claud. Minos,

> *Humani quod ſplen eſt corporis, in populi re*
> *Hoc Cæſar* fiſcum *dixerit eſſe ſuum.*
> *Fiſco aucto reliqui tabeſcunt corporis artus,*
> *Fiſco aucto arguitur civica pauperies.*

Quod fit, cùm ut Tacit. ait Ann. *l.* 5. *c.* 8. *bona ablata ærario in* Fiſcum *coguntur*. Creſcere autem credebatur fiſcus Imperatorius, ex additione bonorum proſcriptorum, Caſſiod. *l.* 4. *Ep.* 32. Hadrian. tamen *damnatorum bona in fiſcum privatum redigi vetuit, omni ſumma ærario publico receptâ*. Item ex naufragiis: Unde Juv. *l.* 1. *Sat.* 4. *v.* 54. de Domitiano,

> *Quicquid conſpicuum, pulchrumque ex æquore toto,*
> *Res Fiſci eſt, ubicunque natat.*

Vide in voce *Wreccum*. Ex theſauris inventis; ex cauſa inteſtati, cùm quis ſine hærede deceſſiſſet; ex teſtamento &c. Quibus omnibus de cauſis, ad *Fiſcum* opes deferebantur, certis Delatori conſtitutis præmiis: quo factum, ut horum avaritiâ innocentiſſimi ſæpè opibus ſuis Principis ærarium augere cogerentur. Unde Gronov. *de Pec. vet. l.* 4. *c.* 3. *Erat*, inquit, *genus hominum ſpecie commodorum ærarii vel* Fiſci *ſua commoda comparantium (quippe & præmiis invitatorum, quaſi eſſent legum cuſtodes ærario augendo inventarum, ut de Papia Poppæa loquitur Tacit.* Ann. *l.* 3. *c.* 25. & 28.) *qui Præfectis ſubjiciebant obnoxios maleficii aut debitores vel veteres vel latentes. Alii* Delatores & Quadruplatores; *qui molliùs aut ipſi ſe* Cognitores *appellabant: quorum nonnulli, quia damnatorum ſubhaſtatorumque etiam bona coemebant, iidem &* Sectores *erant & dicebantur. Ex qua nota Pætus fuit*, exercendis apud ærarium ſectionibus famoſus (Tac.) *& veterum debitorum perſequutor*. Titulorum autem appoſitione, h. e. tabularum inſcriptarum cum velis purpureis privatorum reorumque opes *Fiſco* addicebantur, recentiori ævo, ut infrà videbimus in voce *Titulus*. Porrò ex tributis, collectis ac vectigalibus augeri *Fiſcus* ſolitus, ſed nec iſta boni Principes rigidè nimis exigebant. Proin Provinciis bello attritis non raro tributa remiſſa, onerumque fiſcalium indulgentia conceſſa legitur: quo nomine Conſtantinus inprimis Mag. celebris eſt, qui Æduæ civitati graviſſimè afflictæ remiſit, quod è quinquennio reliquum fuerat, teſte ac Panegyriſtâ Eumenio Rhetore *in Orat. de Schol. reſtaur.* Theodoricus quoque Rex, quem *provinciæ Alpium Cottiarum quòd per illam exercitus iter fecerat, tertiæ indictionis tributa laxaviſſe*, memorat Aur. Caſſiod. *l.* 4. *Ep.* 36. Imò interdum pauperes è *Fiſco* iidem alebant, & poſteriores Impp. convocatis generalibus Conciliis, Epiſcopis eò profecturis ex eodem fonte viaticum ſuppeditabant; Sev. Sulp. *Hiſt. ſacr. l.* 2. *Ita miſſis per Illyricum, Italiam, Africam, Hiſpanias, Galliaſque Magiſtris officialibus, acciti numeratique quadringenti, & aliquanto ampliùs Occidentales Epp. Ariminum convenire, quibus omnibus annonas, & cellaria dare Imp. præceperat, ſed id noſtris, i. e. Aquitanis, Gallis ac Britannis indecens viſum, qui, repudiatis fiſcalibus, propriis vivere maluêrunt. Tres tantùm ex Britannia, inopiâ proprii, publico uſi ſunt: cùm oblatam à cæteris collationem reſpuiſſent, ſanctius putantes* Fiſcum *gravare, quàm ſingulos* &c. Hoc pacto non lienem *Fiſcus*, ſed ventrem refert, per quem verbis Corippi *l.* 2. *n.* 7.

> ——— *Omnia membra cibantur.*
> Venter *alit corpus.*

Hinc idem *alibi*,

> *Omnibus ſufficiunt ſacrati commoda Fiſci,*
> *Ex quibus eſt commune bonum, commune levamen;*
> *Tuetur* Fiſcus *juſtorum, nemine læſo,*
> *Quæ ſua ſunt, capiat.*

Hujus qui curam gerebat eique patrocinabatur, *Fiſci patronus* & *Advocatus* dictus eſt, à Marco Antonio Philoſopho primùm inſtitutus, teſte Jul. Capitolino *in eo*: quemadmodum *Ærarii Præfectus* univerſi Populi cenſum curabat. Erat & *Fiſcus* in exercitu, alendo indubiè militi, teſte lapide Mathelico in Italia, apud Wolfgang. Lazium *Reip. Rom. l.* 6. *c.* 1. *C. Arrio. C. F. Cor. Clementi. Militi. IX. Coh. præ. Equiti. Coh. ejuſdem. donis. donato. ab Imp. Trajano. torquibus. armillis. phaleris. ob. bellum. Dacicum. ſingulari. Præfector. Pr. Teſſerario. Optioni. Fiſci. Curatori. Cornicul. Trib. evocato. Aug. coh.* 1. *Vigil. Statinorum. Coh. XIV. urb. Coh. VII. Pr. tercenario.* Plura de *Fiſco*, vide apud Marcellum Donatum Ponzanum *Dilucidat. p.* 130. & *ſeqq.* Brederodium, & Barnabam Briſon. *in Repertor. Jur. ac Lexico*: Thomam item Dempſter. *Paralip. in Joh. Roſin. Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 36. de ſervis *Fiſci* publicis, quos Labeo *publica miniſteria* vocat, Pignor. *l. de Servis p.* 64. *edit. Amſtelod.* A. C. 1674. &c. ut & hîc paſſim, in vocibus *Cæſariani Compulſores*, *Diſcuſſores*, *Eſcaetor*, *Pecunia*. Alia notio vocis, apud Scriptores Feudales, præſertim vetuſtiores, quibus *Feudum*, ſeu *Beneficium* ea quoque notat: quia in primæva feudorum inſtitutione Principes *terras fiſcales*, ſeu patrimoniales, *Fidelibus* ſuis ſeu ſubditis concedebant in beneficium, & feudum, idque ad vitam. Unde *Fiſci* nomen retinebant, quia non omninò alienatæ erant, ſed cenſebantur ſemper eſſe de dominio Donatoris ac Feofatoris: imò non deſunt, qui vocem *Feudi* ex *Fiſcus*, confectam putent; ita ut, cùm Franci *fiſc.* pro fiſco dicerent vocem *fiſc.* poſtmodum in *fief* verterint, C. du Freſne *Gloſſ.*

FISERA, Corſicæ urbs. *Ptol.*

FISHAUSIUM, in Boruſſia, ubi Adelbertus Ep. primò Pragenſis, dein Archiep. Gnieznenſis in Polonia, cùm Epiſcopatu Gaudentio commiſſo, ipſe ad infideles curandos, in Boruſſiam abiviſſet, ab his martyrio affectus eſt, A. C. 1000. Cromer. *l.* 3.

FISIDA, vicus Africæ, circa Tripolitanam regionem. *Anton.*

FISSENIA, opp. ad Regium amnem, circa Babyloniam.

FISSICULATIO, Veteribus dicta eſt apertio viſcerum & extiſpicina, quæ *exta findendo* fiebat. Apulej. *ſomniis confirmandis, extis fiſſiculandis*. Propriè verò de jecore *fiſſum* dicebatur, quod Græc πύλην vocabant. Exta enim jecur καὶ ἐξοχὴν appellabant.

Salmaſ. *ad Solin. p.* 129. Et quidem quia Auſpices exta, jecur inprimis, dividebant in duo latera, capita vel partes, *Familiarem* ſc. & *Hoſtilem*: hinc duplex quoque *Fiſſum* videntur habuiſſe, unum *hoſtile* & noxium, alterum propitium & *amicum*. Sed & Fiſſum dividebant in *familiare* & *vitale*, ut notat Turneb. *l.* 4. *c.* 18. & *vitale* dictum putat ceterorum extorum *familiare* jecoris tantùm, nixus auctoritate Lucani, & Ciceronis, quorum hic *Fiſſum*, ait, *familiare & vitale tractant*, M. Anton Delrius *ad Oedipum Sen. act.* 2. *v.* 361. ubi *Fiſſum* lineam ſeu tramitem quendam imaginarium, exta & fibras bipartitò dividentem & interſecantem Vett. vocaſſe conjicit. Vide ſuprà in voce *Extiſpex*.

FISTUCA, [illegible] & FESTUCA, baculus, virga, fuſtis dicitur, cujus traditione transferri ſolent prædia, vel rei alicujus dominium. Virga enim omni ætate, omni populo, etiam antiquiſſimis Auctorum teſtimoniis, Homeri, Herod. ipſiuſque S. Scripturæ poteſtatis, & dominii ſymbolum fuit: Ipſa Principum ſceptra nihil aliud olim fuêre, quàm virgæ & ſcipiones, quod ipſa vox σκῆπτρον indicat. Unde Hom. *Odyſſ.* [illegible] mendicorum utique ſcipiones, σκῆπτρα, ἀπὸ τοῦ σκήπτειν, ab innitendo vocat, & regium Achillis ſceptrum ligneam virgam fuiſſe apertè indicat, *Iliad.* α. Quod Homer. Græcis illuſtrioribus, id Perſis poſtea Herod. Codin. denuò Orientalis Imperii Magiſtratibus tribuit. Aliis autem lignea, pura, & ſine ornatu: aliis, pro ritu dignitatis, & Magiſtratus, aurea, argentea, multo ſymbolo, multo artificio decorata; quibus omiſſis omnibus, *Feſtucæ* cerimoniæ immorabimur. Erat illa virga ſimplex, quam, ut Prætor apud Romanos, indicium poteſtatis gerebat olim Comes, hodie Vicecomes, minorumque juriſdictionum Domini, & miniſtri; hujus tanta, propter latoris reverentiam, auctoritas, ut quod ratum eſſe voluêre, eâ interpoſitâ confirmarent. Hinc jurare & fidem facere, & poteſtatem cedere per *Feſtucam* Comitis, & per virgam Domini prædia conferre, in morem venit: non ſecus ac apud Romanos, per *Feſtucam* Prætoris ſervi capiti, impoſitam, manumittere: unde Plaut. *in Mil. glor. act.* 4. *ſc.* 1. *v.* 15. *Quid ea ingenuè an feſtuca facta è ſerva libera eſt?* Sed elucente fide Chriſtianâ, mos iſte Ethnicus jurandi per *Feſtucam* Comitis, in tenebras abiit. Alius verò, ſc. conferendorum prædiorum, per virgam domini, etiam hodie, apud Anglos in uſu eſt, in Curiis Baronum, ubi hujuſmodi poſſeſſores, *Tenentes per Virgam* appellantur. Sed neque ſemper de virga intelligenda *Feſtuca* venit: aliquando enim de ſtipula quoque, & culmo dicitur, pari ſenſu in antiqq. chartis, unde *Culmo ſubnixa*. Interim in traditionibus, haſtas olim ad res majores transferendas; virgas ad mediocres: ſtipulas tantùm ad minores adhibebant. Virgæ demum, & ſtipulæ, juxta diverſos populorum ritus, & arbitria confundi cœpêre. Modum transferendi prædia, in Curiis Baronum Angliæ, Spelmannus hujuſmodi eſſe ait: Mævius cùm terras vendidit Sempronio: veniunt ambo in Curiam Manerii, & Mævius virgæ ſeu [illegible] finem unum manu ſuâ aſſumens, alterum in manum Seneſcalli Curiæ, qui domini vicem ſuſtinet, tradit, inquiens: *Surſum reddo in manus domini illa prædia, ſeu terras illas ad opus, & uſum Sempronii & hæredum ſuorum, &c.* Prodit deinceps Sempronius, cui Seneſcallus ſimili modo virgam porrigens, ait: *Dominus iſtius Manerii, per manum mei Seneſcalli ſui, concedit tibi illa prædia, tenendum tibi, & hæredibus tuis per virgam ad voluntatem Domini, ſecundùm conſuetudinem Manerii &c.* dominique nomine fidelitatem accipit à Sempronio, *Gloſſar. Arch.* Vide quoque in vocibus *Fuſtis & Traditio.*

FISTULA, inſtrumentum Muſicum paſtorale, multo olim in uſu. Fiebat autem ex pluribus cicutis ſive cannis cerâ junctis. Mart. *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 63. cujus epigraphe fiſtula.

> *Quid me compactum ceris & arundine rides?*
> *Quæ primùm extructa eſt* Fiſtula, *talis erat.*

Nempe Mart. ævo jam diu hæc componendæ ejus ratio obſoleverat: ac, ſi quis revocare vellet, ridebatur. Ideo Ovid. cautè ait, quondam iſtam formam obtinuiſſe *Met. l.* 8. *v.* 190. ubi Dædali alas cum fiſtula graphicè confert. Junxiſſe autem *Fiſtulas* ſeptem, docet Virg. *Eclog.* 2. *v.* 36.

> *Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis*
> Fiſtula.

Vel etiam novem: quandoquidem Theocritus *Ecl.* 8. ſæpius ἐννεάφωνον, i. e. *novem vocum*, appellet. At Ovid. *Met. l.* 13. *v.* 785. non veretur Polyphemo ſuo affingere quandam centum cannarum:

> *Sumptaque arundinibus compacta eſt* Fiſtula *centum.*

Nempe ei qui mole corporis tantopere excedebat, convenire etiam tam vaſta fiſtula viſa eſt. Quis verò artificium jungendi repererit, diſſentiunt Vett. Sed plures eam Panos putant gloriam; Virg. *Ecl.* 2. *v.* 32. & 8. *v.* 24. Ovid. *Met. l.* 1. *v.* 192. Plin. *l.* 7. *c.* 56. qui *Fiſtulam*, inquit, & *monaulon reperit Pan Mercurii.* Iſid. verò *Orig. l.* 3. *c.* 20. tradit, quoſdam hanc laudem Mercurio, alios Fauno, nonnullos Idi, paſtori Siculo tribuêre. Quæ ſententia tamen cum priore facilè conciliari poteſt. De Mercurio namque non longè abit à Plin. qui hujus filio Pani adſignat; Nec Faunus Latinorum alius eſt à Pane Græcorum. Pro *Idi* verò *Daphnidi* reponit Voſſ. quando is paſtor Siculus fuit & carmen reperit Bucolicum, ac eo, & *Fiſtula* alios oblectavit, ut de ſingulis iſtorum teſtis eſt Diod. Sic. *Biblioth. l.* 4. *penè extremo.* Vide Voſſ. *de Idolol. l.* 4. *c.* 92. Salmaſio Panos inventum eſt πολυκάλαμος illa, de qua dictum hucuſque, quam [illegible] σύριγγα, & ſimpliciter σύριγγα Græci vocavêrunt. Sic Virg. *Eclog.* 2. *v.* 32.

> *Pan primus calamos, cerâ conjungere plures*
> *Inſtituit* ———

Nempe lino vel ſetis hæc ligabatur, ceraque jungebatur, ut ex prædictis quoque videre eſt. Euphorion tamen Marſyæ id tribuit, & ante eum μονοκάλαμον σύριγγα, *ſingularem fiſtulam*, eamque longiorem, quali hodieque utimur, inflatam ait: Poſtmodum [illegible] [illegible]; ſenſim creſcente induſtria, ex multis calamis [illegible] cannis compactam, eo modo quo diximus, tandem ex multis [illegible] conjunctis, & diſparibus [illegible] fieri cœpiſſe &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 832. [illegible], quarum in [illegible] cris uſus, Phryges inventores feruntur. Meminit earum Claud. [illegible] *Proſerp. Carm. l.* 1. 33. *v.* 209.

> *Non buxus, non æra ſonant* ———

Et Pap. Stat. *Theb. l.* 8. *v.* 221.

> *Et moderata ſonum vario ſpiramine buxus.*

Ex buxo enim fuêre, *Fortè quòd immortalitas Deorum Majeſtati* [illegible] [illegible], *& hæc arbor* [illegible], ut habet vetus [illegible]ctor. Hinc & Attis, Matris Deûm amaſius, *Fiſtulâ* quoque & virgâ olim ornatus eſt. Quod ſic exponit Macrob. ut virgam dicat fuiſſe regiæ poteſtatis ſymbolum, quam Sol (Attinis ſchemate repræſentatus) obtinet, omnium rerum moder[illegible] *Fiſtulâ* verò ſignificatum velit ventum ſive aërem, qui terram ambit, imò etiam vehit ac ſuſtinet. Vide iterum Voſſ. ubi ſuprà *l.* 2. *c.* 54. *ſub fin.* Sed & in ſacris Liberi Patris fiſtulam hujuſmodi adhiberi cœpiſſe, diſcimus ex Pap. Stat. *Theb. l.* 9. *v.* 480.

> *Femineis experta choris, cùm Bacchica mugit*
> *Buxus* &c.

de FISTULA utriculari, dicemus infrà in voce *Muſa*.

Porrò *fiſtulis* aves olim capi ſive decipi ſolitas, legitur apud Vett. In aucupio etiam creſcentis arundinis, *fiſtulæ* habebant locum. Nam dum in manu aucupis calamus ad calamum junctus tacitè creſcebat, donec ad alitem perveniret, alius interim *fiſtulâ* canebat. De quo genere intelligit Mart. *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 218. cujus Epigraphe Calami Aucupatorii.

> *Non tantum calamis, ſed cantu tollitur ales,*
> *Pallida dum tacita creſcit arundo manu.*

Vide ſuprà ubi *de Calamo aucupatorio*, ut & infrà ubi de *Sibilo*. Alia *Fiſtula* eſt, cujus operâ Vinum Eucharisticum in S. Cœna, à communicantibus olim hauriebatur, tenente illam Diacono intra calicem, & fidelium ſingulis porrigente, ut quiſque admoto ore ſugeret de calice, ex alio fiſtulæ capite, quemadmodùm habet *Ordo Rom.* [illegible] [illegible] dicitur Cantacuzeno *l.* 1. *c.* 41. Cujus uſum in Monaſterio Sandionyſiano, Sacrorum Miniſtros, more antiquo ſub utraque communicantes, hodieque retinere adnotat C. du Freſne *in Gloſſ.* Nempe poculum Eucharisticum accipiebant primùm ipſi Fideles in S. Communione; poſtmodum à Sacerdote fidelium ori admoveri, & [illegible] vinum illi infundi cœpit. Progreſſu temporis, *fiſtulæ* [illegible] adhibitæ ſunt, ne quid calicem inter ſupremaque labra de Chriſti [illegible] ne periret, de quo ritu vide Franc. Burmann. *Synopſ. Theol.* [illegible] *Part. prior. l.* 7. *c.* 10. §. 27. ut & infrà *Pugillares, Sciphon, Sumptorium* [illegible]. De *Caſſia* verò *fiſtula* quæ & ſimpliciter *Fiſtula* Lat. & [illegible] Græcis, ſuprà &c. Hinc *Fiſtulator*, cujuſmodi hominum [illegible] conviviis Vett. meminit A. Gell. *l.* 1. *c.* 11. Cic. verò *de Orat. l.* 3. Gracchо concionanti *Fiſtulatorem* amanuenſem eburneam fiſtulam inflaſſe, ad quam ille vocem ac greſſum componeret, refert. Prioris ordinis puella ex Hebræis fuiſſe videtur, in regio convivio calamos inflans, apud Abdiam *Hiſt. Apoſt.* [illegible] è domeſticorum viz. grege; de poſteriori vide infrà in voce *T*[illegible]. Sed & fiſtulatoribus in bello uſi, Halyattes Lydorum Rex apud Plutarch. *de Muſica*, aliique, vide Alex. ab Alexandro *Geneal. Dier. l.* [illegible] *c.* 2. & Laur. Pignor. *l. de Servis*, ubi inter reliqua Muſicæ inſtrumenta, *Fiſtulæ* quoque veteris figuram ex ære exhibet. Hi [illegible] Græcis, at qui *fiſtulâ* ex arundinibus compactâ canere neſcientes, ſtipulâ ludebant, quales utplurimum indocti bubulci erant, [illegible] vulgò dicebantur, uti ſuprà vidimus, ubi de *Calamo*. Verbo addendum diſcrimen, inter *fiſtulam* & *Panduram*, quâ [illegible] Recentiores τὴν πολυκάλαμον σύριγγα ſæpiſſimè appellant, illa [illegible] nim ἔμπνευστον, hæc ἔντατον inſtrumentum fuit: nec non inter *fiſtulam* & *tibiam*, quarum hæc, licet è cicutis quoque, calamis & buxo, [illegible] tamen inſuper ex ære, cornu, oſſe, aliis, quoque conſtabat: [illegible] in forma major diverſitas, uti ex loco Mart. ſuprà citato liquet. Vide quoque Salmaſ. *ad Solin. p.* 832. & infrà ubi de *Pandura* & *Tibiis*.

FITILLA Puls, in ſacris Vett. Plin. *l.* 18. *c.* 8. *Et hodie ſacra priſca atque natalium* pulte fitillâ *conjiciuntur, videturque tam pulsignota Græciæ fuiſſe, quàm Italiæ polenta.* Aliis *fritilla* eſt, quod vide.

FL. in notis antiquis, vel *Flamen* vel *Flavius*.

FLABELLIFERÆ, quarum mem. Plaut. *Trinummo* Act. 2. ſc. 1. *v.* 22. inter ancillas conſpicuæ apud Romanos fuêre. Domi autem *Flabellum* Eunuchorum fuit, ut indicat nobis Eunuchum mentitus Terentianus Chærea, & Eutropius Claud. *l.* 1. in Eutrop. Carm. 18. *v.* 463. Unde Laurentius JC. *notis in Phædri fab. l.* 4. *fab.* 5. *v.* 21.

> *Seponit mœchæ veſtem, mundum muliebrem,*
> *Lavationem argenteam, Eunuchos glabros,*

inquit, *Notandum Eunuchos fuiſſe in mundo muliebri, ſed cui bono mœchæ Eunuchi dati? Puta ut delicias dicerent, flabello ventulum facerent &c.* Aliquando tamen etiam muliercula alicujus, velut [illegible] lius apud Mart. quæ æſtuanti Zoilo *praſino flabello tenue ventilabat* [illegible]

frigus, *l.* 3 *Epigr.* 80. cujus epigraphe in zoilum. Vide Laur. Pignor. *de Serv. p.* 422. Nempe, quia lecti Veterum non erant vulgo, ut noſtri pannis oppanſis clauſi, ideo moris fuit ditioribus, ut quando meridianum ſomnum maximè captarent, aſtans aliquis ventulum faceret: ſimul refrigerandi cauſâ, & muſcarum ac culicum abigendorum. Et quidem elegantiorum *Flabella* ſeu muſcaria pavonina erant. Propert. *l.* 2. *Eleg.* 24. *v.* XI.

Et modò pavonis caudæ flabella *ſuperbæ*.

Tenuioribus illorum loco caudæ erant bubulæ, ut ex Æliano conſtat *l.* 15. *c.* 14. Interdum agitatio manus eorum vicem ſupplevit, Greg. Naz. *de laudato Menander*. Sed & corollam myrteam aut ſimile quid flabelli uſum Athenis præſtitiſſe, ex Ariſtophanis *Equitibus* poteſt colligi. Ut plurimum verò è pennis fiebant inter ſe in unum faſciculum colligatis, quem [illegible], *circulum plurimum bene compactum*, appellat Eurip. & morem hunc Barbaricum eſſe, atque è Phrygia ad Græcos allatum, notat in *Oreſt.* Poſteà verò quàm lecti velis tegi cœpêre, ventilationis mos deſiit. Porro, qui molliores erant, præſertim autem Virgines delicatæ, etiam cum per urbem incederent, ſervos cum *flabellis* ſimul umbellisque ſecum circumducebant, uti docet Dion. Halic. *l.* 7. *p.* 424. Cujus [illegible] antiquitatem ex eodem Tragico colligere eſt. Unde Plutarch. *l.* [illegible]. Herculem malè à quibuſdam pingi ait, Lydis ancillulis permittentem ſe [illegible], *ventilandum commendantemque* &c. Caſaub. *ad Suet. l.* 2. *c.* 82. Hodie apud *Indos* in proceſſionibus, idolis eorum idem fieri, legas apud P. de Valle *Itin. Tomo IV.*

FLABELLUM, inter miniſteria ſacra Eccl. Rom. habetur, apud Hariulſum *l.* 3. *c.* 3. Efficitur id è pavonum pennis, illoque Diaconus utitur, vel potius duo Diaconi, ut habetur *l.* 8. *Conſtit. Apoſt. c.* 19. ex utraque parte altaris, ut dum ſacra peraguntur, muſcas abigant, Græcis [illegible], qui in ejus medio Seraphim depingunt: volunt enim hujus inſtrumenti uſu alludi ad Seraphicos Spiritus, ante Divinam Majeſtatem cum timore ac tremore adſtantes. Maronitæ orbicularis iis utuntur, ex argenteis ſeu cupreis laminis, ac circumcirca tintinnabula addunt, quæ a duobus Clericis utrinque poſt Sacerdotem tremulo motu agitantur; imo & ipſe Sacerdos, pronuntiando verba illa *Sanctus* &c. tremorem beatorum Spirituum manibus exprimit, qui in nonnullis Ædibus quoque Organorum palliis repræſentatur. Eadem *Flabella* adhibere dicuntur, Prior Conventualis Equitum Meſſenſium & Archiep. Meſſanenſis: Ep. item Trojæ in Apulia, in proceſſione Feſti Corporis Chriſti &c. C. du Freſne in *Gloſſ.* Macros Fratres *in Hierolex.co*; & Auctores utrobique laudatos, infrà quoque *Ventaculum*.

FLACCIANI, in turbis Ubiquitiſticis præt. ſec. in Saxonia alibique exortis, Philippiſtis oppoſiti, dicebantur, qui *Ubiquitatem Corporis Chriſti* aſſerebant; nomen nacti à Flaccio Illyrico, viro alias docto, qui Brentio, Wigando, Oſiandro aliiſque junctis, ſententiam Joh. Weſtphali Paſtoris Hamburgenſis A. C. 1552. *de Ubiquitate, omnipræſentia & omnipotentia Corporis Chriſti, adeoque de tranſfuſione proprietatum Naturæ Divinæ in Humanam, per Unionem hypoſtaticam*, acerrimè propugnare cœpit. Quia autem Academia Wittenbergenſis Phil. Melanchthonis ſententiam tuebatur, hinc *Flaccianorum* in illam indignatio, qui tantum apud Auguſtum Saxoniæ Electorem effecêrunt, ut gravis in Philippiſtas h. e. Melanchthonis ſectatores, perſecutio mota ſit. Certe, *inde uſque ab Arianorum temporibus*, verba ſunt G. Hornii *Hiſt. Eccl. non fuit major contra Eccleſiam Orthodoxam furor, quàm Ubiquitiſticus & Flaccianus illius temporis* vide Samuelem Dieſt. *Controverſ. Evangel. libb.* 2. ut & infrà in voce *Philippiſtæ*, it. ubi de *Ubiquitatis Controverſia*.

FLACCILLA, nomine *Antonia*, conjux Novii Priſci, maritum tempore Neronis in exilium comitata eſt. Tac. Ann. *l.* 15. *c.* 7.

FLACCIUS Illyricus, vide *Illyricus*.

FLACCULÆ, apud Trebell. Pollion. *in Gallieno*, *Pugiles* flacculis, *non veritate*, *pugilantes*: videntur Salmaſ. pilæ vel pugilli, qui in morem pilæ laxæ, & flaccidæ circumponebantur pugilantium brachiis, ut mollem, & innoxiam plagam infligerent, vide eum *ad locum*.

FLACCUS, Coſ. cum Gallo A. U. C. 216. Vide & *Valerius*. it. *Cornelius* & *Pomponius*.

FLACILLUS, Patr. Antiochen. Arianus, poſt Euphronium itidem Arianum. Hieron. *in Chron.*

FLADERTINGA, pervetus Hollandiæ, infra Roterodamum opp. ad oſtium Moſæ in Oceanum influentis, Comitum olim ſedes: à qua Theodoricus IV. Hollandorum Comes, vocatur *Marchio Fladertingæ* apud Hermann. Contract. *in Chron.* Vulgò *Vlaerdingen*. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

FLAGELLANTES, ſecta, ab Eremita quodam Rainero, Peruſiæ inchoata, A. C. 1260. cùm jam A. C. 1056. ritus Flagellantium incepiſſet, tanto fervore, ut in uno cœnobio 3000. ſcoparum abſumerentur, Baron. extrinſecus pietatem præ ſe ferens, intrinſecus plena ſceleribus graſſabatur. A. C. 1349. in Hungaria renata, inde in Poloniam ſe diffudit, ut & Germaniam, Galliam, Italiam, & Angliam. Crucem manu, & caputium capite gerentes, uſque ad zonam nudi, de die bis, ſemel noctu, ſcuticis ſe cædebant, & in terram decuſſatim prolapſi, Miſericordiam inclamabant. Sanguinem ſuum, fuſo Jeſu ſanguini æquiparantes, poſt dies 30. plenariam peccatorum remiſſionem conciliare dictitabant, &c. Vide Sigon. *de R. I. l.* 19. & *l.* 3. *de Epiſc. Bonon.* Gautier. *Chron. c.* 6. *ſ.* 13.

FLAGELLARE ſe invicem, & ſibi nares præcidere, jubentur conſpirationis complices, in Capitulari 2. & 4. Caroli Mag. A. C. 805. *c.* 10. Sic *Flagellari nudus ad palum coram populo* legitur in Concilio Francofurt. A. C. 794. *can.* 5. adeo inter pœnas etiam recentioris ævi, *Flagellatio* frequens eſt. Hoc tamen diſcrimine, quod viris etiam liberis, & ingenuis ſequiori ævo irrogabatur, quibus nullam infamiæ inurebat notam, Concil. Toletan. XIII. *can.* 2. olim verò, *flagella*, *virgæ*, [illegible], ſerviles caſtigationes fuere: At fuſtes liberis, ſed tenuioris conditionis hominibus ingerebantur, *l. Capital. D. de pœn.* Accipiebant autem *flagella*, *ſuper ſcamnum tenſi*, in *L. Sal. tit.* 42. §. 1. ſententia Judicis numerum verberum deſignante *L. Bajuvar. tit.* 13. & vide C. du Freſne *Gloſſ.* & Salmaſ. *ad Lamprid. in Alex. Sev.* Nec non ſuprà ubi de *Camoneta*, item *Crux*, *Diſciplina*, & infrà ubi de *Tauren. ſervis* & *Verberibus*: adde etiam, quæ dicemus paulò poſt. De *Fratribus* vide *flagellatoribus* aliquid ſuprà, in *Cruciſratres*.

FLAGELLATIO, ſeu FUSTIGATIO, inter pœnas, irrogari pœnitentibus, in Communione Rom. ſolitas. Vide infrà, *Verberatio*.

FLAGELLUM, lemma Mart. *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 55.

Proficies nihil, hoc cædas licet uſque flagello,
Si tibi purpureo de grege currit equus.

Ubi de equis purpureæ factionis in Circenſibus. Nempe *flagellum* aurigarum eſt. Unde Lunæ aurigandi id adſcriptum ab Hom. *Hymn.* & Pap. Stat. *Theb. l.* 8. *v.* 274. quorum hic ſimiliter de Auroraeleganter, Idem *l.* 5. *Sylv.* 4. *v.* 9.

---- *toties noſtros Tithonia queſtus*
Præterit, & gelido ſpargit miſerata flagello,

Idem Somno virgam alibi tribuit &c. Eo autem populum venerabantur olim Aurigæ, in Circenſibus, ejus plauſum captantes. Cùm enim Vett. dextram manum in adorando ad os referrent: aurigæ, qui dextrâ *flagellum* tenebant, flagellum ipſum oſculabantur ſicque adorabant. Dio *in Caracallo*, de ejus aurigationibus loquens, [illegible] *αὐτὸς*, inquit, [illegible], i. e. *Agonothetas flagello venerabatur*: hoc nempe eſt, *προσκυνεῖν τῇ χειρὶ*, *manu venerari*. Idem in *Avito*, [illegible] &c. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Probo.* Porrò *flagellis* grana exteri mos jam vetus, de quo vide infrà, ubi de variis modis Vett. excutiendi *Grana*. Indi verò & in bello *flagella* quatiebant olim tubæ loco, Suid. iiſque aërem & tympana verberantes, in hoſtes irruebant. Vide Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 4. *c.* 2. & infrà in voce *Mars*. De eorum in ſuppliciis uſu, vide dicta dicendaque &c. Diminut. eſt. à *flagrum*, Gr. [illegible], quia *flatu* agitatur, de quo mox. Hinc *Flagellatores*, de qua voce præter dicta vide C. du Freſne *d. l.* & infrà in voce *Tritia*: ubi *de flagellis criminum*, nobilitatis apud Vett. Francos inſigni, ſuprà in *Crimin.*

FLAGRA, lemma apud Mart. l. 14. Apoph. *Epigr.* 79.

Ludite laſcivi, ſed tantùm ludite ſervi,
Hæc ſignata mihi quinque diebus erunt.

Saturnalibus enim, quæ quinquidnum durabant, feriabantur ſervi & à *flagris* heri abſtinentes, illa clauſa interea ac annulo ſignata habebant &c. Et quidem multus eorum in pœnis ſervilibus uſus, apud Vett. certè *Flagra* ſeu *Flagella*, ante crucem olim adhibita, in quam rarò niſi ſic purpurati acti ſunt. Hinc Alexander apud Curt. *l.* 6. *c.* XI. & *l.* 7. *c.* XI. eos qui Petram obſtinatè defenderant *verberibus affectos*, *ſub ipſis radicibus Petræ*, *crucibus juſſit affigi*. Judæi apud Joſeph. *l.* 5. *Excid. c.* 32. [illegible], *Flagellati & præcruciati ante mortem omne genus verberibus*, *crucifigebantur*. Apud Romanos teſte Liv. *l.* 32. *c.* 26. *l.* 39. *c.* 29. ubi de ſervis conjuratis loquitur, *Multi occiſi*, *multi capti*, *alii verberati crucibus affixi*. Et hic ſolennis mos, imo lex: ac horrendum carmen diſertè canebat, *Verbera intra aut extra pomærium*: & tum denique ſuccinebat: *Arbori infelici ſuſpendito*. Fuêre autem virgis magis vilia, & magis acerba, unde inhoneſtiſſimo huic ſupplicio attributa ſunt: & quidem propriè ſervorum erant, teſte Terent. *Adelphis*, *Act.* 2. *ſc.* 1. *v.* 28.

Uſque ad necem operiere loris? Loris liberis ſic erit.

A' qua proin nota ſervilem conditionem Menæ Horat. opprobrat *Epod. Ode* 4. *v.* XI.

Sectus flagellis *hic Triumviralibus*
Præconis ad faſtidium.

Fures enim ac ſervos nequam, apud Triumviros capitales, puniri ad columnam Mæniam faiſſe ſolitos, monet Aſcon. *Comm. ad primam in Verrem.* Quare ſignificat Poëta, à Triumviris, quibus imperium, & animadverſio in ſervos, cæſum illum publicè *flagris* idque ſub præconis voce. Hinc ut novum, & ſeverum in Licinio Pontifice narrat Valer. Max. *l.* 1. *c.* 1. quod ei Virgo Veſtalis, *quia quadam nocte parum diligens æterni ignis cuſtos fuiſſet*, *digna viſa eſt*, *quæ flagro admoveretur*. Vide quoque infrà *Reſcripti ad flagrum*. Apud Athenienſes verò qui in Foro deliquerant, *flagris* cæſos eſſe, Logiſtarum juſſu, dicemus infrà in voce *Opſonomi* &c. Eorum lora è porcinis pilis fuiſſe, docet Joh. Roſin. *Antiq. Rom.* aliis aliter confecta fuêre. Quàm aſpera fuerint, docet Ulpian. *L.* 8. *de pœnis*, *ubi miniſtrorum immanitate multos ſub iis interiiſſe* notat. Et *horribile* id agnominare Horat. viſum *l.* 1. *Serm.* Sat. 3. *v.* 119.

Ne ſcutica dignum, *horribili ſectere* flagello.

Quod magis fuit, cùm ea inſitis talis aut oſſiculis exaſperabant, ut Romæ alibique factum, quæ *Flagra* Græcis *ἀστραγαλωτὰ*, Latinis

Talaria vel *Taxillata*, item *Scorpiones*, fuêre dicta. His in Parthis, Optimates quoque & Satrapas, ubi viſum Regi, cædi fuiſſe ſolitos, teſtatur Athen. *l.* 4. Apulej. *Flagrum pecuinis oſſibus catenatum*, it. *multijugi ovium talis teſſellatum*, ſcitè vocat, Ovid. *Met. l.* 8. qui idem flagrorum genus Gallis Matris Deûm adſcribit: quod Plutarch. quoque facit *l. c. Colot.* Eodem ſanctiſſimum SERVATOREM noſtrum cæſum quoque eſſe, ſunt qui ſibi imaginentur aut fingant. Sed illud Evangeliſtæ non habent, dicunt ſimpliciter, ut inter alios Matth. Τὸν δὲ Ἰησοῦν φραγελλώσας παρέδωκεν, ἵνα σταυρωθῇ, *Jeſum cùm flagellaſſet, tradidit ut crucifigeretur*, *c.* 27. *v.* 26. Ἱμάσθλην i. e. *loreum flagellum*, appellat Nonnus:

> Ῥιγεδανῇ Χριστοῖο δέμας φοίνιξεν ἱμάσθλῃ,
> *Horribili Chriſti corpus rubefecit habena.*

Vide Juſt. Lipſ. *de Cruce, l.* 4. *c.* 2. & 3. Pignor, *de Servis* &c. In Equuleo *flagrorum* meminit Quintilian. apud Magium *tr. de Equuleo*: dicemusque aliquid infrà, de *Flagellis ex bubulo corio*, quibus Martyres ſæpe cæſi in voce *Nervi*. Nec omittendum, quòd in quæſtionibus quoque jam olim Veteres *flagellis* uſi, ut ex Curtii iſtis *l.* 6. *At primò, quanquam hinc ignis, illinc verbera, jam non ad quæſtionem, ſed ad pœnam ingerebantur*, probatum it. Deſid. Herald. *Animadverſ. Arnob. l.* 1. ad verba hæc, *exuitis nos bonis, dilaceratis, exuritis.* Ubi uſitatas in agonibus Martyrum τὰς διεξόδους τῶν μαστίγων, inter cætera tormentorum genera, quibus eorum conſtantiam labefactare conabantur Gentiles, memorat ex Ep. Lugdunenſium ac Viennenſium, apud Euſeb. *in Sancti & Maturi martyrio.* Vide & de *ſeptem terninonum flagellis*, quibus iidem olim verberabantur, Abdiam. *l.* 3. A' *Flagris* dicti ſunt Feſto *Flagratores*, hominum genus, qui mercede flagris cædebantur: qualis Paraſitus ille Perſarum Regis, apud Euſt. *in Hom. Flagriones*, ſervi appellati, quòd huic pœnæ generi ſubjecti ſint, non *Flagritribæ* Plauto in Pſeud. *Act.* 1. *ſc.* 2. *v.* 5. Fr. Gouldmann. *Lexico Lat. Angl.*

FLAICUS Inſ. mediis è paludibus in Santonibus enata, unà cum Eccleſia B. Mariæ de Surgeriis, *Sugeres*, ad Monaſter. Vindocinenſe pertinet. Vulgò *l'Iſle de Flaiz*, *Idem.*

FLAMA, antiquis dicta eſt ſacra inſ. quam Flamines in capite geſtabant: unde etiam iis nomen ſecundùm quoſdam. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 15.

FLAMEN, Sacerdotem ſignificat. Tres autem erant *Flamines* apud Rom. qui cognomina ab eo Deo, cui ſacra faciebant, ſumebant. Dialis à Jove, Quirinalis à Quirino, Martialis à Marte. Dicti quaſi *Filamines* à *filo*, quo cingebant caput. Ita Feſtus, & Priſcianus. Varro etiam *l.* 4. *de Ling. Lat. Flamines*, inquit, *quòd caput velatum habebant filo.* Plutarch. à *Pileo*, quaſi *Pileamines* dictos arbitratur. Mihi nec à filo, nec à pileo id nomen accepiſſe videntur, inquit Voſſ. Longius enim vocabula hæc abeunt. Sed eſt *Flamen*, à *Flameo*, h. e. *albo galero*, ſeu *velamento capitis*, quo utebantur. Id autem flameum vocatum à *flameo colore*, hujus verò coloris erat, qui erant ſacerdotes Jovis Tonantis, cui is color convenit. Ita Feſtus, *Flameo veſtimento Flaminica utebatur*, i. e. *Dialis uxor*, & *Jovis Sacerdos*, *cui telum fulminis eodem erat colore.*

FLAMEUM, vide *Flammeum.*

FLAMINES, Sacerdotes apud Romanos, quorum ſinguli ab eo Deo, cui ſacra faciebant, cognominabantur. Horum tres Numa inſtituit, Jovi unum, quem inſigni veſte, & curuli regiâ ſellâ adornavit: dein Marti alterum, tertium Quirino. Unde *Flamen Dialis, Martialis & Quirinalis*, Liv. *l.* 1. *c.* 20. & Dion. Halic. *l.* 1. Quibus proceſſu temporis 12. alii additi, & ſic ad 15. numerum *Flamines* aucti ſunt; hoc tamen diſcrimine, ut tres priores ex Patriciis crearentur, & majoris eſſent dignationis, hinc *Flamines majores* dicti: reliquis, qui *minores* appellabantur, ex plebejis legi ſolitis, teſte Feſto. Inter omnes autem maxima erat dignitas *Flaminis Dialis*, cujus ſoliùs pileus dicebatur *Albogalerus*, fiebatque ex hoſtia alba Jovi cæſa; quæ *Idulis* nomen habebat, Scalig. *Conjectaneis in Varron.* Minimi habebatur Pomonalis. Atque hi *Flamines* omnes, nomine licèt convenirent, collegæ tamen non erant, neque eorum quoddam Collegium vocabatur. Siquidem Flamen unius Dei ſacerdos erat, habebatque ſua quiſque ſacra, quæ per ſe quiſque curaret quæque ad alios nihil omninò pertinebant, ut Cic. docet *de Legg. l.* 2. ubi, de majoribus potiſſimùm loquens, tametſi non eſſent Pontifices, ita tamen in collegium Pontificum eos inſcriptos eſſe ait, ut ſi quando de re aliqua apud Pontifices ageretur, ipſi unà Judices ſederent. Vide quoque eum *Orat. pro domo.* Creabantur autem à populo Comitiis Curiatis, A. Gell. *l.* 15 *c.* 27. Inaugurabantur dein à Pontifice M. quod cùm fieret, capti ducebantur à Patribus, velut ab hoſtibus, ideoque *Flamines capti* dicebantur, eodem teſte *l.* 1. *c.* 12. Erant autem Pontifici omnes ſubjecti, qua de re memorabilem hiſtoriam narrat Liv. *l.* 31. *c.* 50. Quare Flamini Diali antiquitus nec Magiſtratum petere nec capere permiſſum erat. Erat verò *Flaminum* ſacerdotium ita perpetuum, ut tamen ob certas quaſdam cauſas etiam ſacerdotio poſſent privari, dicebanturque tum Flaminio abire. Sic P. Clœlius Siculus, M. Corn. Cethegus & C. Clodius, propter exta parum curioſè aris admota, Sacerdotium deponere coacti ſunt: Sulpitio quoque inter ſacrificandum apex à capite prolapſus, eidem Sacerdotium abſtulit. Eorum pileus, vel potiùs velamentum, inquit Joſ. Scalig *loco præfato*, vocabatur *Flammeum*, unde illis nomen. Porro deſinebat in conum, qui *Apex* dictus: Erat autem apex pileus ſubtilis è pellibus ovilis denſus, Athen. teſte, i. e. non corium nudum, verùm cum ſua lana, aliàs *Galerum* quoque appellatus, docente Apulejo in *Apolog.* Sed Sacerdotum commune hoc capitis tegmen, ut ex C. Julii Cæſaris, Cn. Domitii, & aliorum nummis apparet, cujus ſummum faſtigium Feſtus *Tutulum* nominavit. De pileo verò Flaminis Varro tradit, propriè *Albogalerum* appellatum, quod tamen ſoli Flamini Diali alii aſcribunt. Præterea *Flaminum pileo*, verba ſunt feſti, *adfigebatur apex virgulæ oleagina.* Sed & diſcrimen erat in ipſa geſtatione: *Flamen* enim, referente Appian. *Civil. l.* 1. *ſolus apicem ſemper fert, cum reliqui Sacerdotes tantum in ipſis ſacris*: quod tamen ipſum Diali ſolùm Flamini quoque vindicant, ex lege: SINE. APICE. SUB. DEIVO. ESSE. NEC. FAS. ESTO. IN. TECTO. UTEI. LUBET. LICETO. Morituro tamen neceſſarium fuit illum deponere, ne inſigne Sacerdotii inter feralia eſſet, obſervante præfato Appiano. Eum itaque pileum *Flamines* amentis, qui *offendices* dicebantur, ſub mentum adductis, religabant: cùm ne excideret capite, tum ut ponè pendere pro libitu poſſet, ac regeri. Hunc cùm per æſtum ferre nimis moleſtum eſſet, filo tantùm capita religare cœpêrunt laneo: nudis enim penitùs capitibus illos incedere religio erat. Interim feſtis diebus filo depoſito, pileum reſumpſêre. Vocavêre autem filum hoc *Apiculum*: quemadmodum virgula ex felici arbore addita, (quâ aves terreri, ne exta abriperent, ait ſæpè jam memoratus Feſtus) in Flaminibus *Stroppus* dicebatur, *Inarculum* in Flaminicis, de quibus *infrà*. Plura de *Flaminibus* vide apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 15. & 16. Scalig. *Annot. in Feſtum*, Jac. Oiſel *Notis in A. Gell. l.* 1. *c.* 12. &c. de *Flamine Diali* in ſpecie ſuprà, in voce *Dialis.* De pileo horum Sacerdotum, apud Phil. Ruben. *Elector. l.* 2. *c.* 25. & Anſelm. Solerium *de Pileo ſ.* 11. De lana *Flaminum* veſte, à Flaminica texi ſolita, apud Octav. Ferrar. *de Re Veſt. l.* 2. *c.* 13.

XV. Flaminum nomina.

- Carmentalis, qui Carmentæ ſacra curabat; minor fuit, & plebejus. Ejus meminit Cic. in *Bruto.*
- Dialis, qui Jovi ſacra faciebat, ex majoribus fuit, reliquorum omnium nobiliſſimus.
- Falacer, Divo Patri Falacri inſtitutus eſt, teſte Varrone.
- Floralis, Deæ Floræ ſacris præerat.
- Furinalis, Deæ Furinæ ſacerdos fuit.
- Lavinalis, & Lucullaris, in quibuſdam Epigrammatibus, apud Onuphr. Panvin. memorantur.
- Laurentialis, Accæ Laurentiæ curavit ſacra.
- Martialis, Diali dignitate proximus, major fuit & ex Patriciis creatus, Marti ſacra fecit.
- Palatualis, ei Deæ, in cujus tutela Palatium erat, inſtitutus fuit.
- Pomonalis, Pomonæ ſacra fecit, omniumque viliſſimus habitus eſt.
- Quirinalis, Flamen major, & Patricii generis, à Numa in Romuli honorem eſt inſtitutus.
- Virbialis, qui Deo Virbio, i. e. Hippolyto, conſecratus fuit.
- Volcanalis, Volcano inſtitutus eſt.
- Volturnalis, Volturno vel Deo vel Flamini dicatus eſt. Præter hos, aliorum *Flaminum* in Scriptoribus lapidum & Epigrammatibus vetuſtioribus mentio fit, qui viz. Impp. Auguſtis vitâ defunctis, & inter Divos relatis fuêre inſtituti, iiſque ſacra peregêrunt: quot Imperatorum tot fuêrunt, quot Impp. à Romanis conſecrati ſunt. Horum nomina, & quæ ad illos ſpectant, ſummo ſtudio ac diligentiâ perſecutum videſis Onuphr. Panvin. *Comm. Reip. Rom. l.* 2.

FLAMINGI, pop. Gall. Belg. qui à Saxonibus originem duxerunt. Æmil. *l.* 3. qui & *Flandrenſes.* Horum prædeceſſores ex Sarmando converſi, A. C. 678. ipſi verò, ut & Brabantini, ex Saxonibus, à Carolo Mag. in Franciam tranſlatis orti A. C. 806. plurimum damni ab inundante Oceano accepêrunt, A. C. 1176. Comes eorum Vido, quòd Angli partes tueretur, à Philippo Pulchro Gall. Rege captus, & Flandria vaſtata, A. C. 1296. ſed poſt à Vidonis filius Rex tantâ clade victus eſt, ut 700. aurea calcaria ſuſpenſa ſint in tropæum A. C. 1302. Exin Hollandiam, & Zeelandiam infeſtantes Flandri; à Joh. Com. 1000. navibus captis & 10000. hominum cæſis victi ſunt, A. C. 1304. Iterum à Philippo Valeſio Gall. Rege ſuperati 6000. cæſis, A. C. 1328. Rurſus à Carolo VI. regioque Philippo Burgundo Caroli patruo, uxoris nomine acceſſit, A. C. 1385. Hanc verò Franciſcus I. victus & captus Carolo V. Imp. cum Arteſia, & Tornaco ceſſit, A. C. 1525. Præterito ſeculo Fœderi Belgarum pro libertate nomen dedêre, ſed à Parmenſi ſubacti, A. C. 1585. hodie inter Galliæ Hiſpaniæque Reges in diverſa raptantur. Vide in vocibus *Flandrenſes* & *Flandria.*

FLAMINIA, Italiæ regio VI. juxta diviſionem ab Aug. primùm factam, à via dicta, de qua mox, hodiè *Romandiola, Romagna* Leandro. 10. Cujus metropolis Ravenna, & Bononia, nova metropolis prim. Ferrar. In eadem ΠΙΣΑΥΡΙΩΝ Colonia Græca, vide *Piſaurum.*

FLAMINIA Porticus, memorata Trebell. Pollion. *in Gallienis, Porticum Flaminiam uſque ad pontem Milvium & ipſe paraverat ducere, ut tetraſtichæ fierent* &c.

FLAMINIA Via, ab urbe Roma Ariminum uſque perducta per Ocriculum, Narniam, Spoletium, Forum Flaminii, Helvillum, Anconæ Callem, Forum Sempronii, Fanum Fortunæ, & Piſaurum, Antonin. *in Itin.* A Flaminio Conſule, qui ad lacum Thraſymenum ab Hannibale cæſus eſt, ſtrata. Ovid. de *Pont. l.* 1. *Eleg.* 9. *v.* 45.

> *Spectat* Flaminiæ *Claudia juncta viæ.*

Juv. *l.* 1. *Sat.* 1. *v.* 171.

> ——— *Experiar quid concedatur in illos,*
> *Quorum* Flaminiâ *tegitur cinis atque Latinâ.*

FLAMINICA, dicta fuit *Flaminis* uxor: cui divortium facere non licebat: Ejus ornamentum capitis *Tutulus* fuit, quem vittam purpuream innexam crinibus, & extructam in altitudine quadam alti pileum lanatum formâ tali figuratum, quali Flamines Romani ceſſ

ceſque utebantur, fuiſſe ajunt: cui virgula oleagina addita *Inarculum* nuncupabatur. Hanc *Flaminica Dialis*, in omni ſacrificatione: Regina ſacrorum verò in certis tantùm ſacrificiis genere tenebatur, teſte Serv. in *Æn. l.* 4. Et has inprimis univiras eſſe oportebat, ac virginitatis intactæ, ut obſervavit Tertullian. *Exhort. ad caſtitat.* Eaſdem hæ cum maritis cerimonias obſervabant, ſed & ſeorſim illis incumbebant varia, de quibus ita Fabius Pictor apud A. Gell. *l.* 10. *c.* 15. *Flaminica Dialis* hoc habet peculiare, quod *venenato* (ita pallium ejus, quòd flameo colore venenatum ſeu tinctum eſſet) *operitur, & quod in rica* (i. e. cingulo capitis, quo loco vittæ redimiebatur) *ſurculum de arbore felici habet: & quod ſcalas, niſi quæ Græcæ appellantur, eas eſcendere ei plus tribus gradibus religioſum eſt: atque etiam quum it ad Argeos, quod neque comit caput, neque capillum depectit.* Eodem tempore *Flaminicæ Diali* vetitus concubitus, ungues ferro ſecare, crinem depectere; ſicuti etiam menſe Junio, cum ædes Veſtæ purgabatur. Ovid. *Faſt. l.* 6, *v.* 227. & ſeqq.

Donec ab Iliaca placidus purgamina Veſta
Detulerit flavis in mare Tibris aquis:
Non mihi detonſo crinem depectere buxo,
Non ungues ferro *ſubſecuiſſe licet.*
Non tetigiſſe virum, quamvis Jovis ille Sacerdos,
Quamvis perpetua ſit mihi lege datus.

Porrò nec licitum fuit *Flaminicis* ſandalia ex morticino corio geſtare. Feſtus, *Mortuæ pecudis corio calceos aut ſoleas fieri Flaminicis nefas habetur; ſed & occiſæ alioqui, aut immolatæ, quoniam ſua morte extincta omnia tunc ſunt.* Pallium *Flaminicæ*, de quo aliquid ſuprà, deſcribit Serv. *ad Æn. l.* 4. *v.* 137.

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.

Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 15. A. Gell. cum *Not.* &c. Neque verò Deorum ſolùm, ſed & Impp. poſt mortem conſecratorum, uti Flamines, ſic & *Flaminicæ*, occurrunt. Hinc Lucretia L. filia Campana Flaminica perpetua domus Auguſtæ, memoratur in vet. *Inſcr.* Et inter alios honores Agrippinæ collatos, *Flaminium Claudiale* quoque recenſet Tac. Ann *l.* 13. *c.* 2. i. e. ut eſſet Flaminica Claudii: quales etiam fuiſſe puellas alimentarias, *Fauſtinianas* & *Mammæanas* à Pio & Marco Impp. in uxorum à Severo Alex. in matris honorem, inſtitutas, vult Ouzel. *ad Minuc. Fel. p.* 186. & 187. Vide quoque aliquid ſuprà in voce *Alimentarii*. *Flaminum* verò miniſtri *Flaminii*: miniſtræ *Flaminiæ*: ædes *Flaminia*: ipſum munus *Flaminium* dictum, teſtibus iiſdem.

FLAMINII Prata, nunc *Circum Flaminium* vocant, locus urbis Romæ. Liv. *l.* 3. *c.* 55. & 63.

FLAMINIUS, civis Rom. à quo *via Flaminia*, *arcus Flaminius*, & *forum Flaminium*, Coſ. cum Hannibale pugnans ad Thraſymenum lacum interfectus eſt: cujus cadaver inter mortuos ab Hannibale quæſitum nec inventum. Liv. *l.* 22. *c.* 1. 2. & 3. Polyb. Flor. *l.* 2. *c.* 6. Eutr. *l.* 7. Oroſ. *l.* 4. *c.* 15. Valer. Max. *l.* 1. *c.* 6.

FLAMINIUS, prænomine Quintus, ſuperioris fil. qui Philippum Macedoniæ Regem vicit, filiumque Demetrium obſidem dare coëgit, &c. Inclytus bello. Plutarch. *in Flaminio*. Aurel. Victor, *de Vir. Illuſt. c.* 51. Liv. *dec.* 4. *l.* 2. Flor. *l.* 2. *c.* 7. Eutr. *l.* 4. Oroſ. *l.* 4. *c.* 20.

L. FLAMINIUS, quem Cato Cenſorius ignominiosè à ſenatu expulit, quòd Gallum quendam, in gratiam pueri quem deperiiſſet, tum cùm Galliæ præerat, interfeciſſet. Liv. *l.* 43. *c.* XI.

FLAMINIUS Joh. Antonius, d'Imola, proſâ, & verſu plurima ſcripſit, inprimis hiſt. Impp. Rom. 3. libros Sylvarum. 2. Epigrammatum. Leand. Alberti, *in deſcr. Ital. & in Illuſt. Vir. Ord. Prædic.* Poſſevin. Voſſ. &c. Floruit ſeculo proximè elapſo.

FLAMINIUS M. Antonius, fil. prioris Joh. Antonii, Salomonis Marcini ſententià, quidquid in Ariſtotele, Cicerone & Horatio fuit eximii, unus poſſedit, Card. Polo chariſſimus, Savanorolam inſigni tetraſticho laudavit, P. Martyrem ut Evang. doctrinam amplecteretur, impulit, ſcripſit varia, de quibus vide Anton. Teiſſier in *Elogiis*. Obiit A. C. 1551. Plura apud P. Victorium *Var. Lect. l.* 9. *c.* 9. Lil. Giraldum *de Poetis ſui temp. l.* 1. Longalium *Ep. l.* 3. Simler. *Vita P. Martyris*, alios vide & *Marcus Antonius*.

FLAMINIUS Nobilius, Lucenſis, Philoſophus, & Theologus inter ſuos magni nominis, editioni Bibl. Sixti V. adhibitus. Obiit A. C. 1590. Æt. 58.

FLAMINIUS Obeliſcus, Princeps Obeliſcorum, qui Romæ viſuntur, à proxima porta, vulgò *Porta del Popolo*, dictus, primò in Ægypto exciſus ac Heliopoli erectus ab Senneferte Ægypti Rege, avulſus inde à Cæſare Auguſto, & Romam tranſlatus, in Circo Max. ab eo erectus eſt. Quem deinde, ob temporis vitia, ruinis ſepultum, Sixtus V. denuò in lucem erectum, in ampliſſimæ areæ medio, ubi hodie viſitur, conſtituit A. C. 1589. De quo vide Georg. de Sepibus in *Colleg. Rom. S. J. Muſeo p.* 11.

FLAMINIUS Sebaſtianus, ſcripſit vitam Ambroſii Sen. *Leand. Albert.*

FLAMMA, vide *Antonius*, it. *Gabriel*.

FLAMMA, propriè fornacis eſt, quòd *flatu* follium excitatur, Salmaſ. mel. à φλέγμα, Æol. φλέγμα, hincque φλάμμα, dicta. Ejus inſpectio, Gr. πυρομαντεία, pars Haruſpicinæ fuit non ignobilis; dicebanturque tum Haruſpices δι' ἐμπύρων μαντεύεσθαι. Et quidem Delphis peculiares erant Πυρκαεῖς, ad id muneris deſtinati. Hi victimæ partes Diis debitas incenſuri, utebantur igne, è certo lignorum genere, ad radios Solis excitato, & in ſacro loco ſolicitè cuſtodiri ſolito. Sic apud Ægyptios *Seraphim*, & apud Perſas nomine *Orimaſdæ*, quem pro Deo habebant, celebris ignis. Athenis in templo Minervæ Poliadis perpetua lampas ardebat, quæ à Virginibus cuſtodiebatur, non aliter, quàm Delphis, ac Romæ à Veſtalibus fieri in uſu erat. Cùm itaque accenſa flagrabat victima, *Flammæ* inprimis obſervabantur: teſte Helena apud Eur.

Οὐδ' ἦν ἄρ' ὑγιὲς οὐδὲν ἐμπύρῳ φλογός.
Nihil erat ſani in ardente flamma.

In quem locum Scholiaſtes: ἃ δέ ἐστιν ἄσημα καὶ οὐ σαφῆ, γινώσκομεν εἰς πῦρ βλέποντες, quod interpretari videtur Sil. Ital. Punic. Bell.

——— *Divinarumque ſagaces*
Flammarum.

Fiebat autem hoc modo: Si admota *flamma* victimas ſtatim corriperet, & diffuſa repentè totas occuparet ac conſumeret: Si tranquilla, pura, perſpicua ac nitida, nullis infecta coloribus alienis, ut nigro rutilove aut pallido: nec permixta vel ſordibus, vel caligine, fumiſque, ſineque ſtrepitu ac ſine egeſtione atque ejaculatione favillarum turbulenta, & crepitante, recto ductu turbinatæ pyramidis inſtar attolleretur ac ſurgeret: ſique nonniſi victimâ depaſtâ atque exuſtâ moreretur, placidè Numen hoſtiam acceptare ac complecti, annuereque quæ requirebantur, conjiciebant. Si contrà multo vix flatu excitari poſſet; & cùm exarſiſſet, non coiret, ſed finderetur atque in hiatum dehiſceret, nec in totam ſubitò ſpargeretur ac penetraret victimam, ſed viciniora ſenſim velut ſerpens lamberet atque uſtularet, neque rectà niteretur ſurſum, ſed in vertigines gyroſque convoluta, atram ſecum & denſam eveheret caliginem, aut reperet deorſum; aut dilaberetur ad latera aut alienâ naſceretur ſpecie: Sique aut ventis diſploderetur, aut reſtingueretur pluviis, aut inſolitum crepitaret, & circumquaque multum eructaret ardentium favillarum, aut ſi palleret plus nimio vel nigricaret, aut evaneſceret ſpontè, priuſquam tota conflagraſſet victima: aut ſi intactæ aliquæ partes remanerent & integræ, læſi infeſtique Numinis, & ſacrificium reſpuentis omen eſſe ſuſpicabantur, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 11. Quare uſi materia, quæ facillimè ignem conciperet, aridis nempe virgultis ſeu φρυγάνοις, ut ex Ariſtoph. *in Pace* diſcimus:

Οὐκ ἂν δοκῶ σοι μαντικῶς τὸ φρύγανον τίθεσθαι.

De *Flamma* cœlitus delapſa, ſeu *à conſpectu Jehovæ exeunte*, quæ in Altari holocauſtum conſumpſit, quæque ſolicitè poſtmodum à Sacerdotibus fovenda erat, ne ſi peregrino igne accenderetur victima, quod Nadab & Abihu fecêrunt, graviſſimè Deus offenderetur, vide Levit. *c.* 9. *v.* 24. & *c.* 10. *v.* 1. Similiter de *Flamma* Jehovæ decidente, & conſumente Eliæ Prophetæ holocauſtum, & ligna, & lapides, & pulverem ipſum: etiam aquam quæ erat copioſa in aquæ ductu dilingente, adi *c.* 18. *v.* 38. Sed & *Flammarum eruptiones*, inter prodigia manifeſtaria habebantur Gentilibus. Jul. Obſequens *c.* 52. *Ænariæ terræ hiatu flammâ exortâ in cœlum emicuit. c.* 41. *In agro Vulſinienſi flamma è terra orta, cœlumque viſa contingere.* Stat. *Theb. l.* 5. *v.* 87.

——— *quater antra Dei fumantis anhelos*
Exercuêre apices &c.

Flamma item *ſuper caput* alicujus viſa: qualis in Achillis vertice, apud Hom. *Il.* σ. in Aſcanii, apud Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 304. 431. & 684. In Servii Tulli Rom. Regis apud Liv. *l.* 1. *c.* 39. in Maſiniſſæ dormientis, apud Sil. Ital. Bell. Punic. *l.* 16. *v.* 696. in Auguſti, apud Vellej. Paterc. *l.* 2. in Neronis, apud Xiphilin. &c effulſit, de quo auſpicatiſſimi ominis genere, vide Paſchal. *in Coron. l.* 1. *c.* 8. & infrà ubi de *Radiata corona*. Porrò & in ſuppliciis *Flamma* adhibita, ut in vivicomburio, aliiſque pœnarum generibus: & ante ſupplicia, ad exprimendum, quod volebant Judices, in quæſtionibus, ut ex Martyrum hiſtoriis patet, ab Prudent. περὶ στεφ: Hymn. 5. *v.* 62.

Stridenſque flammis *lamina.*

aliiſque compoſitis, & Lucretii illo,

Verbera, carnifices robur, pix, lamina, tædæ,

Modum indigitat Senec. *Troadibus Act.* 3. *v.* 560.

Non acri latus
Utrumque flammâ *cinctâ, maternam fidem*
Unquam exuiſſem ———

Vide M. Anton. Delrium *Not. ad Sen. h. l.*

De more verò *flammam tranſiliendi*, innocentiæ teſtandæ ergò, jam Sophocli *Antigone* indigitato, diximus ubi de *Purgatione vulgari* alibique paſſim. Vide & infrà *Ignis*.

FLAMMA Clauſus, Tiberii libertus ac Præguſtator; à quo nomen etiam ſumpſit, *Ti. Claudius Flamma Clauſus*.

FLAMMEA, nomen floris, Gall. *La Penſée*, cujus hanc deſcriptionem exhibet Fr. Pomey, *Haud dubium, quin* Flammea *ſit ſoror violæ germana. Sunt certè quidem ſpecie ac formâ uſque adeò ſimiles, ut internoſcere haud proclive fuerit, niſi utriuſque parens Natura utramque inæquali effeciſſet dote. Odorem nempe legavit violæ,* Flammeæ *denegavit: Verùm, hanc viciſſim locupletiore inſtruxit florum ornatu, Prætter quàm quod enim eam decoravit purpura, quæ una violam exornat, aurum inſuper adjecit, argentumque opere velut pictum Phrygionico. Atque hæc omnia tam ſcitè diſtincta, tam venuſtè compoſita, nihil ut concinnius fingi poſſit: in Deſcr. div.*

FLAMMETTA, nomen libri Hetruſci à Joh. Boccatio compoſiti, quem niſi firmiſſimo animo hominibus inſuper habendum lectione judicat C. Barthius *Animadverſ. ad Stat. l.* 5. *Sylv.* 1. *v.* 209. *Triſtitiam enim, inquit, facere in aliis poſſit non facilè excutiendam, quod cuidam in Italia uſu veniſſe ſcimus.*

FLAM-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

FLAMMEUM, vel FLAMMEUS, auctore Nonio, *veſtis fuit vel tegmen, quo capita matronæ tegebant.* Ferrario, *velum fuit amiciendo capiti, quod perpetuò à Flaminica geſtatum, boni ominis causâ ad nuptias tranſlatum eſt:* Flaminis enim uxori divortium non licuiſſe facere, ſuprà vidimus. Idem *Palliolum* mox vocat. Unde Tac. *Ann. l.* 15. *c.* 37. propudioſas Neronis cum Pythagora pocillatore, ut viro, nuptias referens, inter alia, *Imperatori impoſitum flammeum*, ait. Et Quintilian. *Declam.* 306. vetulam nubentem alloquens: *Operis*, inquit, *flammeo canos.* Nomen ei, non tam à Flaminica, quàm quòd primum *flammei*, i. e. lutei coloris eſſet, Plin. *l.* 21. *c.* 8. Hinc. Lucan. Civ. Bell. *l.* 2. *v.* 361.

Lutea demiſſos velarunt Flammea *vultus.*

Sicut luteos nubentis ſoccos, Senec. exhibet in *Medea.* Idque ut pudorem exprimeret. Unde Joh. Meurſ. *Comm. in Lycophronem*, *in verſum* ἰωέὡς καλύπτρας &c. inquit: *Heſione Podarcem fratrem, ab Hercule in captivitatem redigendum, dempto de capite* Flammeo *aureo redemit.* Et paulo poſt: Interpres vetus Juv. *Sat.* 2. *l.* 1. *v.* 124. *Flameum. Veſtis pudori ſimilis, quam & propter pudorem accipiebant. Hinc videre eſt*, addit, *fuiſſe rubri coloris, talis enim vultus pudore ſuffuſorum.* Poſtea color mutatus eſt: Nam album fuiſſe feſtus docet: quemadmodum purpureum modò laudatus Interpres *ad Juv. Sat.* 6. *l.* 2. *v.* 224. Utrumque nectit Iſid. alborem referens ad vitæ munditiem: purpuram verò ad ſanguinis poſteritatem, vel etiam, de quo modò, ad pudoris cuſtodiam. Ad nuptialis hujus velaminis imitationem, velum conſecratum, quo piæ Virgines Chriſto nubebant, *Flammeum* quoque dictum, refert Hieronym. *Ep.* 8. & 48. In C. *feminae* 30. *quæſt.* 5. *Feminas, cum maritantur*, *ideo* Flammeo *velari*, additur, *ut ſe noverint ſemper maritis ſuis ſubditas eſſe.* Et certè antiquiſſimum fuiſſe hunc ritum, ut Sponſarum capita velo operirentur, diſcimus ex Geneſ. *c.* 20. *v.* 16. Vide Anſelm. Solerium *de Pileo ſ.* 6. in quam has notas adjecit Andreas Friſius: *Poſt dictam dotem, ſignatas tabulas, exhibita repotia, prælatas faces, aſperſam aquam, ſequebantur*

Flammea, *ſollicitum prævelatura pudorem.*

Capitis hoc tegumentum erat, lutei vel ſi mavis flavi, ut reliquæ veſtes nuptiales, coloris: quo ſimul pudori ſequioris ſexus & zelotypiæ virorum conſulebatur. Scilicet ut unius aſpectui pateret, quæ uni deſtinabatur: Et ſuberat aliqua etiam ominis religio; ac ſi perpetuum futurum eſſet illud conſortium, quod ſub velamento Flaminicæ, cui divortium facere non licebat, contraheretur. Flammeolum alii vocant. Conſociationis illius & velandi ritum, Aurelii nummus exhibet (inſcriptus: *Vota publica*) *ubi Imperator publico omnium voto, & auſpice Concordia, Fauſtinam ſibi matrimonio jungit, ſiniſtrâ nuptiales tabulas, dextrâ dextram ſponſæ prehendens: cui Fauſtina junctâ manu fidem Flammeolo pudicitiam, digito ori admoto obſequium & taciturnitatem pollicetur.* Eundem uſum, & ſimul perſonam, quæ vultus ſponſæ crocea ſeu potiùs lutea hac faſciâ vinxerit, docet Capella,

Flammea, *virgineum quæ obnubere ſueta pudorem,*
Regina denic pronuba ———

Plura de *Flammeo*, Flaminicæ pallio, & de *Flammeo nuptiali*, item de *colore flammeo* ſeu luteo, vide apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 268. & 1155. ut & infrà in voce *Luteus*, nec non ubi de *Nuptiis*. Inde *Flammearii*, hujuſmodi veſtium opifices, Plaut. *in Aulul. Act.* 3. *ſc.* 5. *v.* 36.

Flammearii, *Violarii*, *Carinarii* &c.

FLAMMULUM, vox recentioris ævi Scriptoribus, Byzantinis præſertim, nota, quibus φλάμμουλον, & φλάμουλον dicitur: vexillumque notat in *flammæ* ſpeciem deſinens, cujuſmodi illud eſt, quod Carolo Mag. porrigit S. Petrus, *in Lateran. Parietinis*, apud Nicol. Alemann. Salmaſ. à colore igneo & rubro, quem *flammeum* & *flammulum* dici ait, vocabuli etymon arceſſit, *Not. ad Spartian. in Peſcennio Nigro.* Vide C. du Freſne *Diſſert. de Auriflamma, ad Jomvill.* & paſſim hîc in vocibus *Bandum*, *Draco*, *Vexillum.* &c.

FLAMMONIENSES, cognomine Vannienſes, & Culici, circa Venetos populi. Plin. *l.* 3. *c.* 19.

FLANATICUS Sinus, *Flanonicus* Steph. *Polaticus* Melæ, *Liburnicus* Oroſio, ſinus maris Hadriatici, inter Iſtriam, & Liburnicam, hodie *Il Quarnero*: Populi *Flanates* Plin. dicuntur. *l.* 3. *c.* 21.

FLANDRENSES, propriè dicti ſunt primùm *Flandrenſis* municipii vel oppidi, cujus primus meminit Audoënus *l.* 2. *de vita S. Eligii*, incolæ, quod recentiores *Bruxxios*, *Brudgas* ac *Bruggas*: nunc *Brugas* vocant. Poſteà *Flandri* dici cœpêrunt, quorum multos ad fidem Urſmarus perduxit. A Niceta Choniate *Flamiones*: à recentioribus, ut à Marliano aliiſque nunc *Flamingi*, nunc *Flamenci*, à Gallis *Flamans* nuncupantur: cujus nominis originem penitus ſibi ignotam eſſe ait Valeſ. cùm ut à Flandria Galli *Flandre* aut *Flandres* dicitur, ſic Flandrenſis *Flandrois* potius, quam *Flaman* vocari debere videatur. Vide *Flamingi.*

FLANDRIA, Gall. Belg. regio, ad littora Oceani Septentrionalis Tractum ſiquidem Europæ extremum, Britannicæ inſulæ oppoſitum, inter Galliam, Germaniam, & Oceanum, incolæ *Germaniam inferiorem* appellant, Galli, exterique fere omnes, uno nomine *Flandriam* vocant. Verùm Flandria non tam latè patet, nam quæ nunc Flandria eſt, ea Brabantiâ, Hannoniâ, Arteſiâ, & Oceano terminatur. Hanc in tres partes dividunt, in Teutonicam ſeu propr. quæ ad Occ. Gallicam ad Mer. & Imperatoriam, quam & Proprietariam (quòd nunquam Superiorem, aut Dominum præter Flandriæ Principem agnorit) nominant, quæ ad Or. extenditur. Teutonica Flandria 18. habet urbes celebres, quarum præcipuæ ſunt Gandavum, Brugæ, Ypra, &c. Gallica tres, Inſulas videlicet, Duacum, & Orchianum. Imperatoria quatuor, Aloſtum, Teneramundam, Gerardimontium, & Ninivam. Flumina ejus celebriora ſunt, Scaldis, Liza, & Tenera. Regio maxima Belgii, cultiſſima, & maximè compaſcua, inprimis Occidentem verſus. Boves, equoſque præſtantiſſimos, belloque aptos gignit. Caſeo, butyroque abundat. Tritici admodum fœcunda, & nobilis. Comit. tit. inſignis. Populus ferè mercaturam exercet, atque exlino (cujus hîc maxima fertilitas, & excellentia eſt) lanâque pannos lineos, laneoſque magnâ copiâ conficit, latiſſimeque diſtrahit. Habet 1245. pagos, præter Arces, Caſtella, & Nobilium ædes Lud. Guicciardin. & Jac. Marchantius Flandriam deſcripſêrunt. Antea tota ſub Hiſpanis, ſed à multo tempore pars Zeelandiæ propinqua, paret Hollandis, & media ferme pars totius Prov. ſub Gallis eſt à paucis annis, cum Flandria Gallic. Hiſtoria paucis hæc: Dicta hæc regio, à Flamdeberto, nepote Claudii Regis Gall. qui Bleſindâ, Gondueri Ruthenorum Regis filiâ ductâ, Romanos Galliâ Belg. pepulit. Alii à Flandrina, filia Liderici II. ſub Carolo Mag. & Lud. Pio dictam volunt. Habebat VI. magnos ſaltuum Præfectos continuè ſe ſubſequentes, quorum primus erat Lidericus I. fil. Salvati, Principis Divionenſis, à Clotario II. ad hanc dignitatem evectus: ſi vera hiſtorici referunt. Vide Moreriun. Comitatus factus eſt, à Carolo Calvo, in Balduini Odoacri gratiam, Ludovicus, cognom. Mechlinienſis, per uxorem Margaretam, filiam Joh. III. Brabantiæ Ducis Brabantiam obtinuit, cujus filia Philippo Audaci nupſit. Hujus pronepos Carolus Audax Mariam hæredem reliquit, A. C. 1477. Nanceji occiſus, quæ in Auſtriacam familiam, Maximiliano I. ditiones has intulit. Ad Fidem converſi Flandri creduntur, ab Eligio Ep. Noviodunenſi, & S. Amando. Mayer. *Hiſt. Flandr.* Guicciard *deſcr. Belgii.* Locrius, Garetus, Grotius, [illegible] Bentivolus, &c. Totius hujus regionis caput eſt Gandavum.

Flandriæ urbes præcipuæ.

Aldenarda, *Oudenarde*, in ditione Francorum.	Gerardimontium, *Geertsberg*, Gallis *Granmont*, Hiſpanorum.
Aloſtum, *Aelſt*, Gallis *Aloſt*, in ditione Hiſpanorum.	Gravelinga, *Grevelinghen*, Gallis *Gravelines*, Francorum.
Armentariæ, *Armentiers*, Francorum.	Hulſtum, *Hulſt*, Hollandorum.
Axella, *Axel*, Hollandorum.	Inſulæ, *Riiſſel*, Gallis *Lille*, Francorum.
Baſſea, *la Baſſee*, Francorum.	Ipræ, *Iperen*, Gallis *Ipre*, Hiſpanorum.
Brugæ, *Bruges*, Hiſpanorum.	Menina, *Menin*, Francorum.
Burburgus, *Bourbourg*, Francorum.	Neoportus, *Nieuport*, Hiſpanorum.
Clauſulæ, *Sluys*, Gallis *l'Ecluſe*, Hollandorum.	Oſtenda, *Oſtende*, Hiſpanorum.
Cortracum, *Cortricht*, Gallis *Courtray*, Francorum.	Teneramunda, *Dermonde*, Hiſpanorum.
Dammum, *Dam*, Hiſpanorum.	Tornacum, *Dornick*, Gallis *Tournay*, Francorum.
Dixmuda, *Dixmude*, Hiſpanorum.	Vinociberga, *Vinoxberg*, Gallis *Bergues*, *S. Vinoc*, Francorum.
Duacum, *Douay*, Francorum.	
Dunquerca, *Duynkerke*, Gallis *Dunquerque*, Francorum.	
Furnæ, *Veurnes*, Gallis *Furnes*, Francorum.	
Gandavum, *Ghendt*, Gallis *Gand*, Hiſpanorum.	

FLANDRINUS Petrus, vide *Petrus.*

FLANONA, ſeu FLAVONA, opp. olim Liburniæ, nunc Iſtriæ, in ora maris Hadriat. & ſinus Flanatici, ſub Venetis, cum portu ſatis capaci, 12. mill. ab oſtio Arſiæ fluv. in Sept.

FLASCILONES, veſtis ſpecies, nobilioribus in uſu, apud Monachum Sangall. *de Carolo Mag. l.* 2. *c.* 41.

FLATU expuendi res immundas conſuetudo Vett. occurrit apud Tertullian. *ad Uxor. l.* 2. *c.* 5. *Latebiſne tu, quum lectulum, quum corpuſculum tuum ſignas, quum aliquid immundum, flatu expuis.* Satanas inprimis, & ſedes ejus, templa idolaque apud Auctorem *Hierarchiæ Eccl. c.* 2. ubi id vocat ἐμφυσῆσαι, ſicut καταφυσῆσαι Irenæus apud Epiphan. *Hær.* 34. *inſufflare.* Prudent. περὶ στεφ. *Hymn.* 14. [illegible] *exſufflare* idem Irenæus *l.* 1. *c.* 9. Vide ſuprà *Exſufflatio*, & plura hanc in rem apud Deſid. Herald. *ad Minuc. Fel. Caſtigat.* ac [illegible] *p.* 16.

FLATUS, ſeu obſcœni ventris crepitus in Microcoſmo, Macrocoſmi ventos referunt, ut Andr. Laurent. ait *Anatom. l.* 1. *c.* [illegible] Uti enim fulgura referunt excandeſcentium oculi coruſcantes; [illegible] nitru, ructus, & inteſtinorum murmura, quæ Græci βορβορυγμοὺς & βορβορυγμοὺς appellant; pluviam, humores è cerebro in nares, laryngem, pulmones, deſtillantes; rorem, lachrymæ; ita ventos cruditatum exhalationes, auriumque ſibili ac tinnitus; terræ motum palpitatio cordis, membrorumque convulſio. Ad ventos autem etiam *Flatus* prædicti, ut & ad tonitrua, referri poſſunt: quos judicio ſtolidarum nationum, præ aliis, quæ modò memoravimus, in Deorum numerum referri meruiſſe, indigitat Plin. *l.* [illegible] *c.* 7. *Gentes verò quædam animalia, etiam aliqua & obſcœna pro Diis habent, ac multa dictu magis pudenda, per fœtidos cibos & alia [illegible] rantes.* Sed expreſſius Clemens Romanus *Recognit. l.* 5. ubi de Ægyptiorum Diis agens: *Crepitus*, inquit, *ventris pro Numinibus [illegible] bendos eſſe docuêre.* Item Minuc. Felix *Octavio*, *Iidem Ægyptii [illegible] pleriſque vobiſcum non magis Iſidem, quàm ceparum acrimonias, [illegible] nec Serapidem magis, quàm ſtrepitus per pudenda corporis expreſſos [illegible] muſcunt.* Hieronym. inſuper *in Eſajam l.* 13. *c.* 46. *p.* 151. [illegible] *de formidoloſo, & horribili cepe, & crepitu ventris inflati, quæ [illegible]*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

religio eſt : ut alios omittam. Et nota ridicula hæc ſuperſtitio ex verbis Catonis apud Feſtum *Proſcribere Comitia*. De Ægyptiis tamen mavult credere Voſſ. iſtos *Flatus* hujuſmodi non Deos propriè putaſſe, ſed (quia tota fere eorum Theologia ſymbolica fuit) pro ſignis potiùs habuiſſe potentiæ divinæ. Nempe, quia & ſervandi & ſi retineantur, perdendi hominis habent poteſtatem. Unde & Græcus Poëta Nicarchus, Regibus ipſis par habere Imperium, nugatur *Antholog. l. 2.* Quæ tetricus aliquis, non tam ſimilis, quàm ſimia Catonis, indigna chartis dixerit: Sed enim faciunt Minucio, & aliis veterum Theologorum intelligendis. Ac quanto perſpectior nobis fiet Gentilium pietas, tanto ſanè gratiores erimus ſummo Deo, qui nos è tenebris iſtis eduxit, menteſque noſtras illuſtravit, verbi & Spiritus ſui face. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. & prog. Theologiæ Gentil. l. 3. c. 5.* infrà etiam aliquid in voce *Strepitu* : uti de proprio reguli ſerpentis, quod eſt *flatu adurere*, infrà itid. in voce *Regulus*.

FLAVA, cogn. Minervæ, vide infrà in hac voce. Cereris item, ut notiſſimum. Inter fuſcas Ægypti feminas *flava Nitocris pulcherrima* habebatur. Syncellus, Νίτωκρις γενναιοτάτη καὶ εὐμορφοτάτη τῶν κατ' αὐτὴν γενομένη, ξανθὴ τὴν χρόαν, ἣ τὴν τρίτην ἤγειρε πυραμίδα. *Nitocris generoſiſſima, & formoſiſſima mulierum ſui temporis, flavo capillitio; quæ tertiam pyramidem erexit.* Fuit illa prima mulierum, quæ regnum in Ægypto exercuit, tempore commorationis Iſraëlitarum in illa regione. *Flava* autem celebratur; non tam quia color iſte in Ægypto rariſſimus, quàm quia Iſis Dea eadem, quæ *Flava Ceres*, Herod. *l. 2. c. 56.* anne & quæ *Flava Minerva?* Nitocris enim idem valet quod *Minerva Victrix*, uti ex Platone & Eratoſthene docet Joh. Marſham. *Canone Chron. Sec.* VII. Ægyptios verò nomina ſua pleruńque è cœlo traxiſſe, & quæ Deorum ſunt, ſibimet ipſis impoſuiſſe, apud Lucian. legimus *pro Imag.*

FLAVA Moneta, apud Mart. *l. 14. Aphoret. Epigr. 12.* cujus epigraphe loculi eborei.

Hos niſi de fulva *loculos implere moneta*
Non decet: argentum vilia ligna ferant.

Aurea eſt: *flavum* enim eleganter aurum appellat, etiam Trebell. Pollio *in Gallienis*. Idem Poëta *flavos* abſolutè dicit nummos aureos: *l. 12. Epigr. 66.* cujus epigraphe de Phyllide.

An de moneta Cæſaris decem flavos.

Quemadmodum recentiores ὑπέρπυρρον aurum appellarunt, unde ὑπέρπυρρα vel ὑπέρπυρα, ſolidi aurei &c. Salmaſ. *ad Pollion.* At,

FLAVI, in aliquot Græcorum Oraculis, Franci indigitati ſunt, ob capillorum colorem. Sic Rogerus Hovedenus CPoli in Porta Aurea, ſcripta eſſe hæc verba refert, *p. 650.* *Quando veniet Rex Flavus Occidentalis, tunc ego per meipſum aperiar, & tunc Latini imperabunt, & dominabuntur in civitate CPoli* : quando viz. Franci urbem cepêre A. C. 1204. De quibus etiam, ut & de eadem expeditione intelligendus Leo Imp. *in Orac. de Reſtit. CP. à Leonclavio edito* :

Ἀλλά σε πυῤῥάκην καὶ ξανθὸν γένος,
Πᾶσαν τεφρώσει, καὶ τὸ σὸν λύσει κράτος.

Sic ξανθοὶ iidem dicuntur Anonymo *in Paraphr. Orac.* ejuſdem Leonis, τὸ ξανθὸν γένος Pachymeri *Hiſt. l. 1. c. 18.* ut *flavi*, Claud. *in Ruffin. l. 2.* Carm. 5. v. 110. & Anonymus Poëta Laus Herculis v. 97. quo epitetho etiam Britones, Auctor *l. de diſciplin. Scholar. c. 2.* & Getas vocat Hieronym. *Ep. 7. ad Læt.* ſicut contrà furvam gentem Indos appellavit Juv. *Sat. 12. l. 4. v. 104.* Eodem comæ colore nullus non Heros apud Vett. commendatur, ut in Hom. Theocrito, Heſiodo, & nemine non videre eſt. Par ratio in ſexu ſequiore, cujus formam raro albis aut nigris, ſæpius *flavis capillis* Poëtæ commendant. Hinc medicamenta eam in rem adhibita, quorum Medici meminêrunt in præceptis τῆς Κομμωτικῆς, & Plutarch. in Ἐρωτικῷ extremo. Aurearum item bractearum intertextura quædam mirifica, indigitata Chryſoſtomo, ubi de Barbaris Regibus, *ad Coloſſ. c. 3.* Aliam χρυσώσιν capillorum indicat Val. Flacc. Argon. *l. 6.* de qua vide ſuprà ubi de *Deaurandi more*. Sed hoc rarius: inſperſio verò nitelæ aureæ in frequentiore uſu poſita jam vetuſto ævo, ſi Joſepho de ſatellitibus Salomonis loquenti *l. 8. Antiqq.* fides adhibenda &c. Vide hanc in rem Caſaub. *ad Capitolin. in Vero* verba hæc: *Dicitur ſanè tantam habuiſſe curam* flaventium *capillorum, ut capiti auri ramenta reſpergeret, quò magis coma illuminata flaveſceret*; & ſuprà ubi de *Auri Scobe*. Adde Barth. *in Adverſ.* & Paſicompſam Petri Laurenbergii. Eundem verò colorem in Niſæis quoque equis frequentiſſimum, dicemus infrà ubi de iis.

FLAVIA Domicella, uxor Flavii Clementis, ob fidem Chriſtianam, in Inſ. Pandatariam relegata, juſſu Domitiani, longum ibi martyrium in cellulis duxit: verba ſunt Hieron. Vide *Flavius Clemens*.

FLAVIA, Palæſtinæ urbs, primùm ab Herode condita, & in gratiam Tiberii *Cæſarea* appellata, poſtea deductâ eò ab Flavio Veſpaſiano Coloniâ, *Flavia* dicta. Plin. *l. 5. c. 3.* Patria Juſtini Phil. & Martyris. Item Æduorum Sequanorum urbs, hodiè *Flavigny*, ut quidam exiſtimant. Sed ex panegyrico Conſt. Mag. eſt ipſa Æduorum urbs Auguſtodunum, *Flavigny* verò Flaviniacum eſt, inter Divionem, & Semurium. Ferrar. Item *Flavia* Lambris Bædiorum, Hiſp. Tarrac. urbs. Ptol. Baudr. opp. Callaicorum, quibuſdam *Fuenſria*, caſtr. verſus limites Aſturiæ. Aliis *Rivadavia*, opp. ad Minium fluv. verſus confinia Portugalliæ, 8. leuc. ſupra Tyde in Ort.

FLAVIA Gallica, opp. Illergetum, nunc *Fraga*, opp. munitum Arragoniæ, ad Cincam fluv. in limite Cataloniæ. 5. leuc. ab Ilerda in Occ. 18. à Cæſarauguſta in Ort.

FLAVIACUM, locus Galliæ, in Bellovacis, ubi Geremarus, permiſſu Chlodovei, Cœnobium extruxit, primus ejus Abbas. Vulgò *S. Germain*, nonnunquam *l'Abbaye de S. Germer de Flay*. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

FLAVIANA, Scythiæ urbs. Lib. Notit. Mœſiæ prima alio in loco eidem. *Vienna* Lazio. Vide *Juliobona* & *Vindobona*.

FLAVIANUM, quod & *Flavinianum* legitur, hodiè *Fojano*, opp. Hetruriæ ad Tiberim in finibus Faliſcorum. *Flavinium*, Virg. *Æn. l. 7. v. 695. & ſeqq.*

Hi Feſcenninas acies, æquoſque Faliſcos,
Hi Soractis habent arces, Flaviniaque *arva,*
Et Cimini cum monte lacum, lucosque Capenos,

Sil. Ital. Flavinum vocat Punic. Bell. *l. 8. v. 491. & ſeqq.*

Hos juxta Nepeſina cohors, æquique Faliſci,
Quique tuos Flavina *focos, Sabatia quique*
Stagna tenent, Ciminique lacum, qui Sutria tecta
Haud procul, & ſacrum Phœbo Soracte frequentant.

Patriarchæ Antiocheni & Conſtantinop.

FLAVIANUS I. Patr. Antiochenus, Maſſalianos pepulit, & civibus turbarum reis, à Theodoſio Imp. veniam impetravit. Cùm enim illos ob dejectas ſuas, & uxoris Placillæ ſtatuas, malè mulctaturus eſſet Imp. ſuaſit Ep. ut Muſici Imperatoris lugubres Antiochenſium cantiones, ſub finem cœnæ, canerent: quo adeò is permotus eſt, ut miſeris delictorum gratiam faceret: A. C. 382. Obiit A. C. 404. ſedis 23. Theodoret. *l. 5.* Sozom. *l. 7. & 8. c. 23.* Baron. A. C. 370. 379. 381. &c.

FLAVIANUS II. Palladio ſucceſſit, A. C. 496. acer Concilii Chalcedon. defenſor, Anaſtaſium Imp. infeſtum ſenſit, ab eo in exilium pulſus, A. C. 512. Vide Evagr. *l. 3. c. 31.* & 32. Joh. Moſch. *Part. Spir. c. 35.*

FLAVIANUS, Patr. CP. poſt Proclum. Chryſaphium, Theodoſii Jun. gratiâ præpotentem inimicum habuit. Eo tempore Eutyches hæreſin ſparſit, quam Flavianus, ſynodo habitâ, condemnavit, in Lyſtrica dein Synodo, Epheſi habita, A. C. 449. depoſitus, & calcibus ad necem percuſſus eſt: Cadavere, anno pòſt, juſſu Marciani, CP. tranſlato, magnificeq́ue ſepulto. Leo *Ep.* 8. & 9. Niceph. *l. 14. c. 47.* Evagr. *l. 1. c. 10.* Concil. Chalced. *Act. 3. & 4.*

FLAVIANUS, auctor libri, *de veſtigiis Philoſophorum*, Saresburi. *l. 2. de nugis Curial. c. 26. &c.*

FLAVIAS, & FLAVIOPOLIS, nunc *Elipoli*, urbs Ciliciæ medit. olim Epiſcop. ſub Archiep. Seleucienſi, nunc vicus.

FLAVII, à FLAVO deduci dicuntur, ob crinium candorem. Erat autem apud Romanos familia ampliſſima, ex qua erant Veſpaſianus, & filii ejus Titus ac Domitianus. Prænomen hoc Claudius II. Imp. poſtea ſibi vindicavit, atq́ue ex eo Conſtantinus Chlorus, & Conſtantinus Mag. quique deinceps eos excepêre CP. Auguſti. Imò nec ipſi ſolùm Impp. ſed Proceres quoq́ue fere omnes, Coſs. Præfecti, Præſides, & Viri clariſſimi ac Patricii illud ſibi adſcripſêre, ut ex *Inſcr.* Gruterianis paſſim liquet. Apud Longobardos verò, primus Autharit Rex, *ob dignitatem*, Flavius *à ſuis appellatus eſt, quo prænomine omnes, qui poſtea fuêrunt, Longobardorum Reges, feliciter uſi ſunt*, inquit Warnefridus, *de geſtis Longob. l. 3. c. 16.* Sed & ad Gothicos Hiſpaniæ Reges id cognominis perinde tranſiit, quorum primus Recaredus illud aſſumpſit, in Concilo Tolet. III. Vide Bivarium *ad Pſeudochronicon Maximi p. 73.* & Chiffletium *in Vindiciis Hiſpan. p. 350.* Unde *Flavia*, Gothorum Imp. appellatus, in vet. *Scheda*, laudata Gariello *in Ep. Magalon. p. 3.* &c. Vide C. du Freſne in *Gloſſ.* in *Stemmatibus Byzantinis* & *Diſſertat. de Inferioris ævi numiſm.* De *Flaviæ* verò *gentis* Templo, à Domitiano extructo, Suet. in eo *c. 15.* & 17. & Mart. *l. 9. Epigr. 2.* & 4. uti de *Coronis Flavialium* in quibus Domitiani, ut rerum domini, imago efficta, vide Car. Paſchal. *Coron. l. 9. c. 11.*

FLAVINIACUM, à FLAVINO, locus eſt diœceſ. Auguſtodunenſis, vet. monaſterio ejuſdem nominis clarus, vulgò *Flavigny*. vide *Flavia Æduorum*.

FLAVINIUS Hugo, vide *Hugo*.

FLAVIOBRIGA, opp. Autrigonum in Hiſpan. citeriori. Plin. *l. 4. c. 20.* In Cantabris, antea *Portus Amanus*, nunc *Bilboa*, urbs Biſcajæ prim. ad Nervam fluv. qui 2 leuc. infrà in Occ. Cantabr. ſe exonerat; eſtq́ue ampla & elegans, emporiumq́ue celebre, 14. leuc. à Fano S. Andreæ in Ort. *Baudr.*

FLAVIONAVIA, Peſicorum in Hiſp. Tarrac. opp. quod hodie *Bilbano* appellatur, ut nonnulli ſentiunt.

FLAVIOPOLIS, Bithyniæ civitas. Ptol. Item urbs mediterranea Ciliciæ eidem. Fuit & Thraciæ opp. eo loco conditum, ubi antea Zelia fuerat. Plin. *l. 4. c. xi.* Pro *Zelia* verò apud Plin. *l. 5. c. 32.* *Cæna* legi vult Salmaſ. à qua *Cænica* & *Cæni* pop. Vide eum *Exercitat. ad Solin. p. 166.*

FLAVITAS, hoc dolo uſus eſt, ut poſt mortem Acacii, ſede CP. potiretur. Imp. Zeno jejunio 40. dierum indicto, chartam albam obſignatam in altari recondidit, Deum rogans, ut per Angelum nomen Præſulis inſcriberet. Hìc Eunucho, cui templi cura incumbebat, corrupto, nomen ſuum ibi ſcripſit Flavitas, ſicq́ue electus eſt. Sed paulo pòſt detectâ fraude, ut & alterâ, quâ Felici Ep. Rom. impoſitum ibat, obiit. Niceph. *l. 16. c. 18. & 19.* Evagr. *l. 3. c. 23.* *Baron. A. C. 48.*

FLAVIUM Arvenſe, Morali *Alcolea*, opp. Hiſp. Bæt. in Vandal. 8. leuc. ab Hiſpali.

FLAVIUM Axalitanum, nunc *Lora*, opp. apud Bætim fluv. inter Hiſpalim 9. Cordubam 13. leuc. ol. municipium. Dicitur & *Axalita*.

FLAVIUM Brigantium Ptol. Callaicorum urbs in Portu magno hodie *Compoſtella*. Item *Flavium* Norici opp. Plin. *l.* 3. *c.* 24. hodiè *S. Andres*, teſte Lazio. urbs Carinthiæ; ſub Archiep. tamen Salisb. ad Lavantum fluv. qui 2. leuc. infrà in Dravum ſe exonerat. 9. mill. Germ. à Labaco in Bor. Media inter Claudiam ad Occ. & Græciam ad Ort.

FLAVIUS, nomen familiæ Romanæ, non admodum illuſtris. Suet. in *Veſpaſ. c.* 1.

FLAVIUS, Arminii frater, ſed eidem diſcors. Nam in exercitu Rom. ſub Tiberio, contra populares Germ. militavit, & in conflictu oculum amiſit alterum, inſigni erga Rom. fide, Tac. Ann. *l.* 2. *c.* 9.

FLAVIUS, prænom. *Cajus*, Marci Bruti, Cæſaris percuſſoris, legatus pro Prætore.

FLAVIUS Avienus, Cos. cum Pompejo, A. U. C. 1254.

FLAVIUS Antiochianus, Cos. cum L. Orphito. A U. C. 1022.

FLAVIUS Baſilicus, Cos. cum Herminericho. A. U. C. 1218.

FLAVIUS Claudius, 23. Rom. Imp. A. U. C. 1021. hic Aureolum vicit, ac imperio exuit, Gothos fudit cæciditque ad 230000.

FLAVIUS Clemens, Cos. cum Domitiano Cæſare, A. U. C. 847.

FLAVIUS Nepos, Tribunus militum, poſt patefactam conjurationem Piſonianam, tribunatu à Nerone exutus, ob ſuſpicionem. Tac. Ann. *l.* 15. *c.* 71.

FLAVIUS Promotus, Cos. cum Flavio Timaſio, A.U.C. 1141.

FLAVIUS Sabinus, à Nerone præf. urbis conſtitutus, dein ab Othone confirmatus. Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 46.

FLAVIUS Scevinus, Senatorii ordinis, luxu diſſolutus, ac ſomno languidus, particeps conjurationis cum Piſone in Neronem. Tacit. Ann. *l.* 15. *c.* 40. In eam rem pugionem templo ſalutis in Hetruria, ſive ut alii tradidêre, Fortunæ Ferentano in opp. detraxit geſtavitque velut magni operis ſacrum. *c.* 53.

FLAVIUS Stilico, Cos. cum Aureliano Cæſare, A. U. C. 1151.

FLAVIUS Val. Valentinianus, 42. Rom. Imp. cum Valente, A. U. C. 1118.

FLAVIUS Varro, Cos. cum Tertullo, A. U. C. 1163.

FLAVIUS Vejanus Niger, Tribunus Militum, qui Subrium, juſſu Neronis, confecit Tacit. Ann. *l.* 15. *c.* 67.

FLAVIUS Veſpaſianus, vide *Veſpaſianus*.

FLAVONA, opp. Illyrici extremum, Ptol. & Plin. *l.* 3. *c* 21. ubi tamen quidam *Flammona* legunt. In monte, ubi fons viginti duo molendina per declive trudit, anteqam in planum deveniatur, Leand. Albert. *deſcr. Ital.*

FLECCHIA, recentioribus *Flexia*, vulgò *la Fléche*; opp. eſt Gall. non ignobile in finibus Andicavorum, ad Lidericum fluv. An à ſagitta, quæ Gall. *une fleche*, an à turri aliqua, ſtructurâ ſagittæ erectâ. Hîc Jeſuitarum celebre Collegium. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

FLECKENSTENIA, Familia Germaniæ illuſtris, ad Henricum, qui A. C. 942. in torneamentis Rotenburgicis Societatis Rhenanæ caput electus perhibetur, originem ſuam refert. Sub finem fere ſeculi decimi tertii poſtea, in duas lineas abiit, quarum altera à Rudolpho orta, axioma Baronum *de Dachſtul*, A. C. 1389. titulo conjugii obtinuiſſe dicitur, & quoad maſculos in Georgio hoc ſeculo; quoad fœmellas, in Anna Sibylla A. C. 1661. extinctis, defecit. Altera ab Henrico Rudolphi fratre ſata, in Equeſtri ſtatu permanſit; ſed agnatis nuper ſucceſſit, & non minùs in conſortium Procerum Imperii admiſſa, nunc quoque ſupereſt. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Part. II. in Ind.*

FLENSBURGUM, urbs Daniæ, in Jutia, & Duc. Slesvic. ad Sinum parvum cognom. cum portu capaci, & caſtro. 4. leuc. Germ. ab Alſena Inſ. in Occ. totidem à Sleſvico in Bor. 9. ab Ottonia ad Auſtr. ſub Daniæ Rege.

FLESSINGA, urbs Zeelandiæ, in Valachria Inſ. permunita, cum portu commodo, in dit. Batavorum, & ſub dominio utili Principis Arauſ. Olim planities modò, & tranſitus in Flandriam, *Clavis maris* dicta. A Sluſanis direpta, A. C. 1485. Eliſabethæ Reginæ cum Briela oppignorata eſt, ab Albæ, & Parmæ Ducibus, fruſtra obſeſſa. Guicc. *deſcr. Belg.* Grot. *Ann. Belg.* Strada. Eam Belgis pecuniâ acceptâ reddidit, Jacobus I. Magnæ Brit. Rex A. C. 1616. Vix 1. leuc. à Medioburgo in Occ. 3. à Clauſulis in Ort. 7. à Gandavo in Bor.

FLETA, dictus autor libri, qui *Fleta* inſcribitur, quòd ab aliquot è Juſtitiariis, qui ob crimen repetundarum in carcerem hujus nominis conjecti ſunt, in eo, ſub Eduardo I. exaratus ſit. Sic autem vocatur carcer Londonienſis; *the Fleet* Anglis, à præterlabente torrente ſeu fluviolo id nominis adeptus, uti docet *Joh. Selden.*

FLETHUS Johannes, vide *Johannes*.

FLETIO, vulgò FLUETEN, vicus 5. m. p. ab opp. *Woerden* in dominio Ultraject. Sub Batavis, medius ferè inter Woerdenum & Ultrajectum. Cluv in Tab. Theodoſiana memoratus: *Rhenus, Lugduno* XI. Prætorium Agrippinæ II. Matilone V. Albanianis XI. Nigropullo V. Lauri XII. Fletione XVI. Leveſano VIII. Carvone XII. Caſtra Herculis VIII. Noviomagi X. &c. ubi *Fletio*, ex mente Cluver. præf eſt *Fleeten* vel *Vvleden*, inter Trajectum vicus, & Nigrumpullum, ſive *Woerden*. Vide Henr. Valeſ. ubi ſuprà, in voce *Lau* . .

FLETUS, à *flendo* eſt. Eſt autem *flere*, quaſi *lachrymis fluere*, h. e. ubertim flere; ſicut *plorare*, cum voce; *lugere*, cùm aliquibus dictis miſerabilibus flere; *mœrere* verò, cum ſilentio dolere: quæ tamen haud râro miſcentur. Eſt autem *Fletus* prima naſcentium vox. Unde apud Georg. Palamum *Orat.* 1. eleganter Anima accuſat corpus, & ſe eo contineri, & ſtringi in ipſo matris utero queritur, nec liberari, dum in lucem prodit, ſed oriri hinc ejulatus natalitiis cantibus ex adverſo reſpondentes, & undique devincientes faſcias, & cunabulorum vincula, ſepulchralibus ligamentis cognata. Ἐντεῦθεν, inquiens, καὶ κλαυθμυρισμοὶ τῶν γενεθλίων ἀσμάτων ἀντίφθογγοι· καὶ ἀποσφίγγουσαι ταινίαι καὶ χειρίαι σπαργάνων συγγενεῖς. Quem locum de cantibus ἀντιφθόγγοις optimè, ex nummo Antonini Pii, cujus aversa in parte Fauſtinæ partus videtur, ſub ſpecie matris Ideæ, cum Tympaniſtis & Tibicinibus, explicat Gibertus Cuper. *Obſervat. l.* 2. *c.* 9. Imò uti nato infante, parentum aliorumque lætitia apud pleraſque gentes, ita ploratus apud nonnullas naſcentium *fletui* ſociatur, ob triſtia illa miſeræ vitæ exordia. Unde non naſci optimum judicavit multorum conſenſus. Thraces certè natales hominum *fle*bant, nec ſine cerimoniis. Recens namque natum circumſedentes fletu atque lachrymis proſequebantur, commemorantes, quot & quantæ illi, hanc vitam ingreſſuro, clades atque calamitates eſſent ſubeundæ, uti teſtis eſt Herod. *l.* 3. Vide quoque Solin. *c.* 10. & Valer. Max. *l.* 2. *c.* 1. Contrà hominem defunctum cantu, & tripudiis efferebant, Cauſianorum ritu, à quibus tibiarum ritus in funeribus fluxit: cùm reliqui mortales ſuos hinc diſcedentes *fletu* conſueverint comitari. Inprimis poſtquam humata cadavera: quod ulti*mum officium*, vocat vet. Scholiaſtes Statii *Theb. l.* 12. *v.* 454. ubi de Polynicis exequiis. Unde & Virg. Æn. *l.* XI. *v.* 372.

——— inhumata, infletaque turba.

Quo cùm parentes proximique, ut æquum eſt, neque ſine planctu, & pectoris laceratione, tum inſuper præficæ huic fini olim adhibitæ defungebantur, tam prodigæ lachrymarum, ut vaſa quoque hinc la*chrymatoria* dicta, ſalſo hoc latice replerentur &c. Vide paſſim, ubi de rebus ad *Cadaverum curam*, & *Funus* pertinentibus. De *fletu* verò inter exercitamenta Vett. infrà *Vociferatio*: de mulierum in ſacris Adonidis, nec non in *Theſmophoriis*, vide ſuo loco: at plura hanc in rem apud Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. l.* 3. *c.* 47.

FLEVO, quibuſdam *Fletio*, Inſ. Friſiorum in Flevo lacu, ubi nunc inſ. *Ens* & *Urck*, in ſinu *de Zuyderſee*, Ortel. Cluv. autem abſorpta eſt, ubi nunc Brevia *het Bredeſant*, inter Friſiam, Occ. & Vieringam Inſ. quod forſan mel. *Baudr.*

FLEURIACENSIS Hugo, vide *Hugo*.

FLEURIACENSIS Rodolphus, vide *Rodolphus*.

FLEVUM, it. FLEVI *lacus*, Tac. Ann. *l.* 4. *c.* 72. ſinus maris Germanici inter Batavos, & Friſios, in quem Rheni alveus Orientalis cum Iſala apud Campenam urbem influit; vulgò *Suyderſee*. Sed Flevum Plin. *l.* 4. *c.* 15. eſt, ipſius Rheni oſtium Orientale. *Yſſel*, Ortelio, *Vlie* autem Verrutio, apud Hollandiam. Valeſ. inter Inſulas Schelling. & Vlielant; intuſque in ipſo ſinu *Het oude Vlie*, inter duo brevia.

FLEVUM Caſtellum Tac. Ann. *l.* 4. *c.* 72. opp. Friſiæ Occ. ad lacum Flevum *Vollenhove*, teſte Cyro Spangenbergio. Sed Becano eſt *Fleiert*, opp. ejuſdem Friſiæ in ora littorea ad Bor. apud Groningam urbem. Aliis fuit, ubi nunc vicus *Ooſteynde*, in parte Bor. Inſ. *Vlielant*, ad oſtium Flevi lacus ſeu maris Auſtrini, prope Rheni oſtium Or. Flevum, *het Vlie*, vix. 3. leuc. in Occ. ab ora Friſiæ Occid. *Vliet* autem, *Fliet* & *Flee* Belgis, maritimos dici campos, æſtibus modo inundari, modò nudari ſolitos, & oppida ac loca, quò Oceanus accedere conſuevit, notat Cluv. *Valeſ.*

FLEVUM Caſtellum, vel *Flenium*, vulgò *Delft*, opp. elegantiſſimum, impoſitum Foſſæ Flietenſi, *de Vliet*, ſive *Fliet* dictæ, ante 500. Annos factæ, ut ait Grot. adverſùs Cluv. qui foſſam Corbulonis eam eſſe exiſtimabat. Mentio ejus in Tabula, cui à Theodoſio nomen, ubi Batavia ſic deſcribitur: *Foro Hadriani XII. Flenio XVIII. Tables XII. Caſpingio XVIII. Grinnibus VI. Ad duodecimum XVIII.* Vide Hadr. Valeſ. in voce *Batavia* ſeu *Inſ. Batavorum*.

FLEXUM, Pannoniæ urbs Anton. *Wien* Spigelio. Lazius *Altenburg* putat Hungariæ urbem. Aliis Owar, Germ. *Altenburg*, ad ſummum infer. Danubii, ubi Leitam recipit, prope Schutiam Inſ. 2. leuc. à Poſonio.

FLEXUS ad pectinem capillus, apud Æl. Spartian. *in Hadr.* capillus arte flexus calamiſtroque criſpatus, Græcè ἕλιξ vel ...
quem *in annulum poſitum* Quintilian. dixit, vide ſuprà.

FLEXUTES, à *flectendis* in equum gyris poſtea dicti ſunt, qui priùs *Celeres* vocabantur. Plin. *l.* 33. *c.* 2. *Celeres ſub Romulo Regibusque appellati ſunt, deinde* Flexumines *poſtea Troſſuli*. Vide Salmaſ. *Not. ad Lamprid. in Comm.* & ſuprà in voce *Celeres*.

FLICTUS, cymbalorum pulſus eſt. Auſ. *Ep.* 25. *v.* 20.

Cymbala dant flictu ſonitum ———

Quem proin non lenem fuiſſe, neque qualem noſtra cymbala hodie habent, utpote *tinnitum* potiùs edentia, inde colligit Barth. *Animadverſ. ad Stat. Theb. l.* 2. *v.* 78.

Æraque taurinos ſonitu vincentia pulſus.

Eſt autem *flictus*, à *fligo*, quod ab Æolico φλίγω, pro θλίβω, premo, uti docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 64.

FLINTUM, caſtr. Angliæ in Wallia, ad Deam æſtuarium. Hic caput *Comitatus Flintenſis*. Eſt autem 9. mill. Angl. à Ceſtria, in Occ. ... Richardus II. perfidiâ Henrici Percii, Northumbriæ Comit. traditus in manus Henrici Lancaſtriæ Ducis devenit; inde captivus Londinum deductus, & è regali ſolio depulſus eſt.

FLISSINGA, vide *Fleſſinga*.

FLOCUS, ſeu FLOCCUS, vulgò FROC, Gall. Monachorum veſtis, amplas habens manicas: an quòd eſſet *flocceſa*, i. e. τριχωτή, an quòd ... vocem interpretatur vet. Moſchionis Scholiaſtes, ...

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

inſtar, cùm ampla ſit, huc & illuc levi flatu impellatur, vide C. du Freſne *Gloſſ.* & Macrum *Hierol.*

FLODOARDUS, Abbas S. Remigii Remenſis, ſec. 10. Chronicon orſus, ab A. C. 917. ad A. C. 966. perduxit. Alii eum ab A.C. 877 i.e. a Caroli Calvi morte incepiſſe ajunt. Scripſit quoque libb. 4. hiſtoriam Eccleſiæ Remenſis, à Sirmondo editam, A. C. 1611. Alia quædam verſu ſcripta ei attribuuntur. Vide Sigebert. *de Vir. Ill.* c. 131. Simler. *Voſſ.* &c.

FLOMESTA, nomen Familiæ in Hiſpania illuſtris, quæ Benavidiæ ramus eſt. Diaſius enim Sanctius *de Benavides* (de quorum origine diximus ſuprà) Dn. *de Santiſt. van del Puerto*, per duos filios totidem linearum auctor fuit. Primus enim Mendus Rodericus, generavit Diaſium Sanctium Benavidium primum Comitem *Santiſtevan del Puerto* & reliquorum conditorum: Alter Manuel Benavidius Dominus *de Jabalquinto*, & ex hæreditate alterius fratris Gomeſii I. *de Flomeſta*, extitit. Hunc patrem habuêre Gomeſius Dn. *de Flomeſta*, Joh. Dn. *de Jabalquinto* (cujus poſteri *Marchionum* titulo exornati ſunt) & Sanctius Dn. *de Canena* & *Almunnan* in provincia Guadicenſi; reliquorum qui hoc titulo gaviſi ſunt ſator. Et quidem Gomeſius II. ultimò dictus, pater fuit Franciſci, Mareſcalli Caſtellæ; quo & Eleonorâ *de Veliſco* genitus Gomeſius III. itidem Caſtellæ Mareſcallus, ex Maria Mauricia ſuſcepit Ludovicum, eadem cum avo proavoque dignitate Mareſcalciæ gaviſum: Cujus ex Aldoncia *de Bazan* fil. Hieronymus *Marchionis de Flomeſta* axioma obtinuit A. C. 1559. pater ex Anna Maria *de Zuniga* & *Bazan* Ludovici: quo, & Angelâ Corteſiâ, nati ſunt, Hieronymus, Ludovicus (cui uxor obtigit, Anna filia Ludovici *Carrillo de Toledo*, March. *de Caracena*) & Maria Monialis. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Eur. Part. II. p.* 32. Dicitur etiam *Fromeſia*, ut habet idem *l. c.*

FLONOCHERUS Guido, vide *Guido.*

FLORA, Dea Romanorum, quam floribus præeſſe volebant. Hanc meretricem fuiſſe ajunt, quæ cùm magnas opes corporis quæſtu quæſiviſſet, pop. Rom. ſcripſit hæredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore ſuus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appellant *Floralia*, ſive ludos *Florales*. Quod quia Senatui flagitioſum tractu temporis videbatur, ab ipſo nomine argumentum ſumi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur, Deam finxêrunt eſſe, quæ floribus præſit, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus, & vitibus bene proſpereque floreſcerent. Celebrabantur illi ludi omni cum laſciviâ, convenienter in memoriam meretricis, nam præter verborum licentiam nudabantur, flagitante populo, meretrices, quæ ſpectatores impudicis moribus detinerent. Lactant. *de F. R. l.* 1. *c.* 20. Valer. Max. *l.* 2. *c.* 5.

Hæc Græcis χλωρὶς dicebatur. Ovid. *Faſt. l.* 5. *v.* 195.

Chloris eram, quæ Flora *vocor.*

Catone tamen ſpectante, populus, ut nudarentur mimæ, poſtulare erubuit, Val. Max. *l.* 2. *c.* 10. Introducebantur etiam hiſce ludis funambuli elephantes &c. ut ex Suet. *in Galba c.* 6. & ex Fl. Vopiſco *in Carino* apparet. Inſtituêrunt illos Romani 4. Kal. Maj. A. U. C. 596. ex Oraculis Sibyllæ, ut omnia bene defloreſcerent, teſte Plin. *l.* 18. *c.* 29. Ovid. *l.* 5. *Faſt. v.* 183. L. Poſthumio Albino, M. Popilio Lænate Coſſ. A. U. C. 580. illos initium ſumpſiſſe docet: cumque primùm menſe Aprili celebrarentur, poſtea in Majum tranſlata eſſe idem ait. In vico Patricio aut proximo, noctuque accenſis facibus, habitos fuiſſe, diſcimus ex Alex. ab Alexandro *Genial. dier. l.* 6. *c.* 18. Dio ſcribit *l.* 58. L. Sejanium Prætorem *Floralibus* ad ridendum Tiberium, qui calvus erat, omnia calvorum miniſterio ad noctem uſque peregiſſe: lumen quoque diſcedentibus à theatro per puerorum raſis capitibus quinque millia præbuiſſe. Plura vide apud Ovid. *loco ſuprà laudato*, & *l.* 4. *Faſt. v.* 900. & ſeqq. & *v.* 941. & ſeqq. ubi turpem hanc feſtivitatem prolixè proſequitur. In colle Hortulorum, Circum fuiſſe *Floralibus* deſtinatum, ait Bart. Lat. *in Verrin. Or.* 7. Convocabantur autem meretrices, hiſce ludis nudæ per vias diſcurrere ſolitæ, tubâ, quam *Floralem* Juv. vocat: *l.* 2. Sat. 6. *v.* 249.

—— *Digniſſima prorſus*
Florali *matrona* tubâ.

Idem *l.* 5. Sat. 14. *v.* 262.

—— *Ergo omnia* Floræ
Et Cereris licet.

Aul. Perſ. Sat. 5. *v.* 178.

—— *noſtra ut* Floralia *poſſint*
Aprici meminiſſe ſenes:

Vide quoque Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 20. *l.* 4. *c.* 8. *l.* 5. *c.* 15. Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 2. *c.* 3. *ſ.* 3. Hoſpinian. *de Orig. Feſt.* &c. nec non aliquid infrà in voce *Pornæ.* Ut & hoc addam: Templi idolo huic ſacri meminit Mart. *l.* 6. *Epigr.* 27. cujus epigraphe ad Nepotem.

Bis vicine nepos (*nam tu quoque proxima* Floræ
Incolis, & veteres tu quoque Ficelias)

Erat id nempe è regione domus Mart. Romæ Idem *l.* 5. *Epigr.* 23. cujus epigraphe in Paulum.

Sed Tiburtinæ ſum proximus accola pilæ;
Qua videt antiquum ruſtica Flora *Jovem*

Vide quoque Ovid. *Faſt. l.* 5. *v.* 326. & ſeqq. Inter opera Praxitelis è marmore, *Floram* memorat Plin. *l.* 36. *c.* 5. &c. Plura de *Florâ* Dea, quam à Sabinis acceptam, non ab Romanis primitus inſtitutam, in honorem meretricis, quæ ſua legarit. Populo Rom *de Floræ ſacris*, diu ante Florales Ludos Romæ celebratis: *de Ludis Floralibus*, quando inprimis inceperint & quomodo annui facti ſint, apud Lipſ. *Lector. l.* 1. Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l.* 1. *c.* 12. Jac. item Ouzel. ad Minuc. Fel. de iisdem apud Græcos quoque inprimis Maſſilienſes celebratis. Vide Juſtin. *l.* 43. *c.* 4.

de FLORE Hugo, vide *Hugo.*

FLOREA Corona, in capite convivarum. Eſurie nempe ſedata, ſiti excitatâ, poculiſque ingeſtis ac epotis, hujuſmodi coronæ ſingulis convivarum exhiberi ſolitæ ſunt: quas *ſerta* quoque, item *genialia ſerta*, paſſim vocant Poëtæ. Iiſdem pocula inſuper, & miniſtri coronabantur, uti videre eſt ſuprà, ubi de *Conviviarum Coronis*: pluribus verò apud C. Paſchal. *Coron l.* 2. *c.* 2. Nempe *Floreæ Coronæ* plerunque ſignificant meros jocos, meram feſtivitatem, meros amores. Unde & impoſitæ Virginum capitibus indices erant atque adeo auguria inſtantium nuptiarum. Claud de *Rapt.* Proſerp. *l.* 2. Carm. 34. *v.* 140.

Nunc ſociat flores, *ſeſeque ignara coronat*,
Augurium fatale tori ——

Quod inde factum, quia priſco ævo coma ſoluta, & libera virginitatis erat ſignum, ut ex vett. monumentis apparet; itaque coacta, & coronata præſentis jam aut ſaltem imminentis lætitiæ conjugalis indicium habebatur Scindebantur autem ab amantibus, ac detrahebantur, niſi ſponte defluerent, inprimis apud eos, qui luxuriem ſectabantur. Unde Horat. Tyndaridem invitans ad convivium, *Carm. l.* 1. *Od.* 17. *v. ult.* jubet illam ſecuram eſſe, nec Cyrum metuere, ne

—— *Scindat hærentem* coronam
Crinibus ——

Imò & ſuas ipſorummet coronas nonnunquam minutatim diſcerpebant amantes, cùm aut jam facti eſſent votorum compotes, aut in eo, ut amoribus potirentur; ut diſcimus ex Theocrito *Idyllio* 3. Qua de re Tull. *Tuſcul. Quæſt. l.* 5. *Jam ipſæ defluebant coronæ.* i. e. ventum erat ad eam partem convivii, quâ in liberiores iri ſolebat jocos: qui plerunque incipiebant à defluxu coronarum. Quippe hæ eo artificio nectebantur, unguentiſque inſuper irrorabantur, ut facilè folia floreſque defluerent. Quod ſi non fluerent, tunc ſcindebantur, ut dictum. Atque hinc factum ut *floreas coronas* viris gravibus ac Philoſophis indignas cenſeat Plutarch. *in Sympoſ.* Interim & Ducibus illas convenire, Ovid. innuit *de Ponto l.* 3. *v.* 448. & Diis Deabuſque excipiendis flores adhibitos, docet Athen. *l.* 15. Sed & urnas mortuorum, ſepulchraque, & rogos, iis coronari conſueviſſe. dicemus infrà, ubi de *Mortuis.* Mart. *l.* 1. Epigr. 89. Plura verò hanc in rem vide apud præfatum Paſchal. paſſim, in *Coron. libb.*

FLORENI, monetæ aureæ Florentinorum, apud quos cudi primùm cœpêre A. C. 1252. titulo 24. ceratiorum, quorum 8. unciam conficiebant: In horum una parte ſculptus fuit *flos* lilii, unde nomen, in altera effictus erat S. Joh. Baptiſta. Hinc ad cæterarum quoque gentium nummos tracta appellatio Tradit enim Villaneus, *l.* 9. *c.* 170. Joh. XXII. Pontif. Rom. aureos cudiſſe *Florenos*, circa A. C. 1322. ſimiles pondere, lege & formâ Florentinis; niſi quòd, quâ parte effictus erat S. Joh. Bapt. in circulo illius nomen deſcriptum legebatur, ad latus verò S. Joh. effıcta erat mitra Papalis: in partis verò, ubi lilium erat, circulô deſcriptæ erant hæ voces, *S. Petrus*, *S. Paulus.* A quo tempore, cùm Marchio Montferratenſis, Spinolæ Genuenſes, aliique aliquot Principes Italici, ſimiles *Florenos* cudere eſſent aggreſſi, ſub anathematis pœna id vetuit idem Pontifex, A. C. 1324. Floreni verò iſti Pontificii, *Floreni auri de Camera*, apud Hemereum *in Auguſta Viromand.* *Novelli Ducati Papales* ſeu *de Camera*, apud Rob. Cenalem *l. de Ponder. & Menſur.* dicti occurrunt. Sed præſertim id nominis attributum monetæ aureæ Regum Franc. quam vulgò *Denarii* nomine inſigniebant; additâ notarum quarundam, quibus à ſe invicem diſtinguerentur hi nummi, nomenclaturâ. Hinc, quos *denarios ad Agnum*, ſeu *ad Mutonem*, *ad Maſſam*, *ad Cathedram* & *ad Scutum* vocant *Statuta* Regum præfatorum, *Floreni ad Agnum* &c. in vett. *Chartis* dicuntur. Nuperi Græci φλωρίον dixêre, Meurſ. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.* in hac voce, è quo addimus Epitaphium hoc vel Rhythmos potiùs in obitum Henrici VII. Imp.

Paulinum quendam variis
Corrumpit cum denariis
Quampluribus Florenis.
Ut Principem piiſſimum,
Monarcham invictiſſimum
Inficiat venenis.
Te cæcum cæci muneris
Præcipitant Floreni &c.

Idem in voce *Moneta* nummorum aliquot præfatorum Francicorum typos Lectori harum rerum curioſo exhibet, Florenorum ſc. cum cathedra, Gall. *Florins d'or à la Chaire*; *Florenorum cum Maſſa*; item *Florenorum magnorum, & parvorum*, Gall. *Florins d'or grands & petits*, ſub Philippo IV. Reg. cuſorum.

FLORENS Chriſtianus prænom. Q. Septimius, quòd *quintus* liberorum eſſet *ſeptimo* menſe, ex matre ſua genitorum, Aurelian. fil. Gulielmi primarii Franciſci I. Medici, Græcè ac Latinè doctiſſimus, & in utraque lingua Poëta excellens. Antiquiſque comparandus. Præceptor Henrici IV. in obſidione Aureliani ſtrenuè ſe geſſit, inde Vindocinum conceſſit, atque urbe hac captâ in Ligiſtarum manus pervenit, lytro mox perſoluto ab alumno ſuo generoſo liberatus. Obiit A. C. 1596. Æt. 56. pater Claudii editoris ſcripto-

rum

rum ejus, quæ plurima, ut videre eſt apud Anton. Teiſſier *in Elog. Part.* 2. *p.* 243. 244. & 415. 416. Plura apud Thuan. *Hiſt. l.* 53. Sammarthanum *Elogiis*, Alios.

FLORENTIA, urbs in Hetruria in umbil. ferè Italiæ, hodiè clariſſima, ex maximis Italiæ, Tuſciæ primaria, aliquando *Fluentia*, quòd ad Arni *fluenta*, à quo in duas partes inæquales, quadruplici ponte lapideo junctas, diſpeſcitur, extructa ſit, dicta; unde pop. *Fluentini* Catoni & Plin. *l.* 3. *c.* 5. qui nunc *Florentini* nomine magis auſpicato vocantur, olim libera. Libertatem enim à Rodolpho Imp. 6000. aureis nummis redemerat, Platina, ac maximæ partis Hetruriæ Domina, nunc verò Reip. formam adhuc, ſub magno tamen Duce, ex Medicæa familia, ab A. C. 1530. auctoritate Caroli V. qui Alexandrum Medicæum, generum ſuum, primum Florentiæ Ducem creavit, vide infrà, ſervans. Archiep. ab A. C. 1421. Patria Leonis X. Clementis VII. Pii V. Leon. XI. &c. Italicæ linguæ metropolis, niſi quòd paulò aſperior pronuntiatio incolis. Unde proverbium: *Lingua Toſcana in bocca Romana.* Equus Trojanus virorum literis illuſtrium. Vide Hugolin. Verrinum *Florent. illuſt.* Poggium, Leon. Aretinum, Macchiavel. *Hiſt. Florentina*, Ammiratum, Villanum, Volaterranum, Leandrum Alberti, *deſcr. Ital. p.* 42. *& ſeqq, edit. Venet.* A. C. 1581. *&c.* Obſeſſi cives ab Henrico VII. Imp. hunc per Bernardum Monachum Dominicanum, veneno ſub ſpecie ſacramenti propinato, péremêrunt, A. C. 1313. Naucler. *gen.* 13. quod adeò ægrè Piſani tulêrunt, ut Florentinos tribus præliis vicerint, Joh. fratre Roberti Apuliæ Regis trucidato, P. Æmil. *l.* 8. Valdenſibus referta urbs fuit, circa A. C. 1320. quorum doctor tum inter alios Michaël Ceſennas: unde pulſi in Græcorum ſe diffudêre regiones. Anton. *par.* 3. *tit.* 21. *c.* 5. §. 1. A Gregorio XI. excommunicati, ejus fulmina adeò non curarunt, ut illum pœnituerit tranſlatæ Avenione Romam ſedis. A. C. 1376. Sabellic. *Hiſt.* Coſmo Medicæo, viro opulento, qui ſplendoris Medicææ familiæ fundamenta jecit, fruſtra reſtitêrunt cives. A. C. 1472. Puteanus *in Hiſt. Medic.* Hieroymus Savanarola, vir pius & divini zeli, quod acriter in abuſus Papales inveheretur, hîc combuſtus eſt, A. C. 1494. Deditione capta urbs ab Carolo V. eſt, A. C. 1529. & Alexander Medices, Laurentii Urbini fil. nothus, Dux Florentiæ creatus eſt, naturali ei filiâ Margaretâ elocatâ, quo ſeptimo pòſt anno ab Laurentio agnato proximo occiſo, ſucceſſit Coſmus remotior agnatus, cujus poſteri hodièque feliciter imperant. Vide Thuan. *l.* 1. *&* 18. *Hiſt.* Frid. Guicciard. *comm. l.* 1. Hîc Concilium, ab Eugenio IV. in Baſil. concilio depoſito, habitum, poſtquam Ferraria, ubi illud orſus erat, peſte pulſus eſſet, A. C. 1439. Quo, præſente Joh. Palæologo, Imp. qui in Italiam venerat ſuppetias contra Turcam rogaturus, inter Græcos, & Latinos, de Proceſſione Spiritus S. ab Patre & Filio conventum, Beſſarione duplici oratione defuncto, ſubſcriptumque ab omnibus, Epheſino Ep. excepto. De Tranſubſtantiatione lis indeciſa manſit, nec mortuo ibi Patr. Joſepho, alium ab Pontifice eligi permiſſum à Græcis. Imò ipſe conſenſus, ab Eccl. Græca, reverſo Imp. mox reſciſſus, Bulling. *de Conc. l.* 2. *c.* 10. Laonicus *in Hiſt.* Duravit uſque ad A. C. 1442. Vide plura in Actis Concil. Trident. &c. Antea ibidem Concil. celebratum fuit. A. C. 1055. ab Victore II. contra Berengarium, præſente Henrico III. Imp. Villanus, *Hiſt. Flor. l.* 4. *c.* 15. Item A. C. 1105. contra Ep. Fluentium, qui Antichriſtum jam natum eſſe aſſeruit, &c. Vulgò *Fiorenza.* Vide Morerium, & Leandrum *in Deſcript. Ital.* Familiam Magnorum Ducum, quibus nunc ſubeſt. Vide infrà ubi de *Mediceis*, & pluta de ſtatu Reip. hujus, apud Georg. Horn. *Orb. Imp. & Polit.* Cimeliarchium Magni Ducis, exactè deſcribit Jac. Spon. *Itin. Part. I. p.* 60. & *ſeqq.*

S. FLORENTII opp. in Senonibus, ad fluv. Ormentionem, quo Icauna augeretur, vulgò *S. Florentin.* In Gallia. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

FLORENTINUS Benedictus, vide *Benedictus.*

FLORENTINUS Obeliſcus, vide *Obeliſcus.*

FLORENTINUS Cos. cum Anthemio, A. U. C. 1270. Alius Cos. cum Dionyſio, A. U. C. 1182. Tertius, cum Tauro A. U. C. 1114.

FLORENTINUS, Jurisperitus, Alexandro Cæſari à conſiliis.

FLORENTIOLA, opp. geminum, unum in Thuſcia apud Vatrenum fluv. Alterum in Gall. Togata, inter Parmam, & Placentiam.

Hollandiæ Comites.

FLORENTIUS I. Comes Hollandiæ 6. poſt fratrem Theodoricum IV. A. C. 1048. Ex Gertrude pater Theodorici Succeſſoris, & Berthæ, quæ Philippo I. Gall. Regi nupſit, &c. Archiep. Colonienſem, cum plurimis aliis Principibus, ſibi bellum inferentem devicit, ſed poſt prælium, ſub ſalice recubans, oppreſſus eſt, A. C. 1062.

FLORENTIUS II. cogn, *Craſſus*, fil. Theodorici V. ab A. C 1091. uſque ad A. C 1123. præfuit. Ex Petronella, ſorore Lotharii Imp. pater 3. filiorum, &c. Friſones rebelles coërcuit.

FLORENTIUS III. ab A. C. 1163. ad A. C. 1190. Comes Friderici Imp. in expeditione ſacra, obſeſſâ Damiatâ, inſignibus fortitudinis ſpeciminibus editis, obiit, Antiochiæ ſepultus. Ex Ada, numeroſæ prolis parens.

FLORENTIUS IV. Gulielmo patri ſucceſſit, A. C. 1223. in ludo equeſtri, ab Comite Claræmontano, occiſus, A. C. 1235. Ex Michaëlide Lotharinga, pater Vilhelmi, Florentii, Adelaidis, & Margaretæ, quæ Comiti Hennenbergico nupta, 365. liberos edidiſſe fertur.

FLORENTIUS V. ſub Tutoribus relictus: unde turbæ. Adultus, Friſones rebelles aggreſſus eſt, à Girardo nobili, cujus uxorem polluerat, interfectus. A. C. 1296. princip. 40. Ex Beatrice, filia Guidonis Flandriæ Comitis, pater 7. filiorum, 4. filiarum. *Chron. Flandr.* Rainerius *Rer. Batavic.* Douza, Meyerus, Emundus, Gerardus, *Batav. Hiſt. &c.*

FLORENTIUS Bravonius, Monachus Werceſtrienſis, in Anglia, compoſuit Chronicon Chronicorum, à M. C. uſque ad A. C. 1118. ab alio continuatum, uſque ad A. C. 1163. Idem continuationi Mariani Scoti incubuit, ſcripſit de regia apud Anglos familia, aliiſque egregiis operibus Famam eſt meritus. Simler. *Bibl.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 48.

FLORENTIUS, Carthuſ. virtute & eruditione clarus, ſcripſit Belgicè Inſtitutionem Chriſtianam, à Nic. Zegero Latinè verſam auctamque. Petrejus *bibl. Carthuſ.* Item Abbas, auctor vitæ S. Joſis, fil. cujuſdam Britonum Regis.

FLORENTIUS Chriſtianus, Aurelian. proſâ verſuque plurima ſcripſit, Oppianum vertit. Verdier. *Bibl. Fr, p.* 342. *& ſeqq.*

FLORENTIUS Jacobus, Baccalaureus Sorbon. defenſor Theſium, quibus Papam aſſeruit jus in ſecularibus Galliæ Regum, cum Præſide ſuo Th. Blanzio, condemnatus eſt. Spond. A. C. 1595. *n.* 13.

FLORES in auribus geſtandi mos, indigitatur Joſepho Laurentio *Polymathiæ l.* 2. *Diſſ.* 36. & confirmatur ex Athen. *l.* 12. *p.* 553. *Molle ſiſymbrium, aut roſa, aut lilium auri inſidebant.* Quo forſan reſpiciens Calphurn. *Ecl.* 6. ait,

——— *ramoſaque tempora molles*
Implicuêre roſæ ———

Niſi de coronis id intelligi malis. Aliàs certè roſas implicitas, tum ex aliis paſſim, tum ex *Medea* Euripidis notum. Nec ſolæ illæ ornatui capillorum adhibitæ: non præter laurum, myrtum, hederam, apium, vitem &c. capillis lilia circumdata habes apud Ovid. *Met. l.* 12. hyacinthum, à virginibus Spartianis, apud Theocrit. *Idyllio* 18. & anemonem, apud Non. *Dionyſiac. l.* 11. Vide Barthol. *de Inauribus Vett. c.* 3. Sed & mitris muliebribus additi *flores*, vide in voce *Mitra*; etiam amicula ex omi *florum* genere conſerta fuiſſe iis, qui ſicinnem Græcanicam in ludorum pompis canerent dicemus in voce *Sicinnis*; & plura de floribus infrà in voce *Flos.*

S. FLORI, vulgò S. FLOUR, opp. Galliæ, apud Indiciacum, Plano monti impoſitum, in Alvernia ſuperiore ſeu Cebennica, quem *Superiorem pagum* vocitant, *le Haut Pays.* Gulielmus de Podio Laurentii *c.* 34. *S. Florum caſtrum Arverniæ*, nuncupat ab *S. Floro* Velavorum Ep. Cum tit. Epiſcopatus: Sic enim Notitia Epiſcopatuum Galliæ, poſt A. C. 1322. compoſita, in Aquitanica I. ſeu in prov. Bituricenſi tres ex veteribus Monaſteriis novos Epiſcopatus collocat, *S. Flori*, Vabrenſem & Tutullenſem; primum ab urbe Arvernis, alterum ab Rutenis; ultimum à Lemovicis, avulſos. Hadr. Valeſ. in voce *Tutela.*

FLORIACUM, vulgò FLOROY, oppid. Duc. Burg. ad Uſchum vel Oſcaram amnem, 3. leuc. à divione in Occ. *Floriacum* alt. pagus eſt ad Ligerim in Carnutibus Diœceſique Aurelianenſi, 7. leuc. in Ort. ab Aureliis. 25. leuc. à Bleſis in Ort. Ubi celebris Abbatia S. Benedicti, vulgò *Fleury ſur Loire*, vel *S. Benoiſt ſur Loire*, extructa ab Leodebodo, Abbate Monaſterii S. Anniani extra muros Aurelianorum, tempore Chlodovei jun. Prius autem *Vallem Aureum* hunc vicum dictum eſſe, refert Aimonius *de mirac. S. Benedicti.* De Conciliis hîc celebratis, vide Morer. *Dict. Hiſt.*

FLORIANA, opp. Pannoniæ inf. nunc pagus, *S. Paul. Lazio*, apud Danub. & Budam.

FLORIANI, Hæretici, à *Floriano* quodam, Deum mala creaſſe blaſphemante, dicti. Macer. *in Hierolexico.* Vide quoque ubi de *Harpocratianis* & *Militibus*, item infrà in voce *Florinus.*

FLORIANUS, Imp. qui Tacit. fratri ſucceſſit, dolens Probum, militiæ peritum, ab magna exercitus parte eſſe electum, ſibi ipſi venas incidit, effuſoque ſanguine conſumptus eſt. Aurelius Victor, in *vita ejus.* Vopiſc. ſimiliter, A. C. 276.

FLORIANUS de S. Petro, Bononienſis, circa A. C. 1440. eruditione, & ſcriptis celebris.

P. FLORIANUS, Tribunus, unà cum Vectio Apro itidem Tribuno, Didium Julianum Imperium recuſantem, vi in caſtra duxêrunt, apud Spartian. in *Vita* Juliani.

FLORIDA, Regio perampla Americæ Septentrion. ita appellata, quòd ipſâ dominicâ Palmarum reperta ſit, quam Hiſpani ſuo idiomate *Parcua de flores* vocant. Ei hoc nomen indidit Joh. Pontius Legionenſis, ab incolis *Jaquaſa* dictæ. Fines ejus ſunt ab Ortu Bahama, & Leucaja inſulæ, ad Occ. Mexicanus ſinus, à Mer. reſpiciens Cubam, & Jucatanas terras, excurrens in modum Iſthmi ad 100. mill. paſſ. quaque anguſtiſſima eſt, 30. mill. latitud. occupat: In Septentr. ſupra Floridam, ſunt Canada, Virginia, Avanares & nova Francia. In hac Provinciæ celebriores ab Hiſpanis repertæ, ſunt Panuca regio, in finibus Hiſpaniæ novæ ſita, Avanares, & Albardaocia, Jaguazia, Apalchia, Authia, Somovia, &c. Regio plana eſt, & multis fluminibus ſepta, eam ob cauſam humidior, & arenoſa in maritimis. Hîc Hiſp. poſſident arces S. Matthæi, & S. Auguſtini, verſus oram littor. cum aliquot aliis parvi momenti. Angli verò, à paucis annis occuparunt partem Or. verſus montes Apalatæos & fluv. Maji; Habentque multas colonias in illo tractu, teſte Briſtochio. Hiſtoria Regionis ex Morer. hæc eſt: Primùm detecta A. C. 1496. ab Sebaſtiano Gaboto, quem Henricus VII, Angliæ Rex emiſerat quæſitum per Occid. viam in Orientem navigandi. Verùm huic Floridam vidiſſe ſatis fuit. Poſtea Joh. Pontius Legionenſis, auſpiciis Caſtellæ Regis eò vela dedit A. C. 1512. qui coloniam ibi fundaturus ab incolis pulſus eſt. Tandem A. C. 1520. & 1524. Lucas Vaſquezius, aliique Hiſpani eò venêrunt, illinc abrepturi homines, ut in Hiſpaniolæ fodinis laborarent. Pamphilus poſt hos Narvaëzius illam peragravit A. C. 1528. Ferdinandus Soto ibidem fuit, poſt Peruviam occupatam, A. C. 1534. cum 300. equitibus & 900. peditibus, ſed ita ſpem auriferam regionem cernens inde abiit

nomine *Floridæ* regioni impoſito, quia vel feſto Palmarum die illuc advenerat, vel quia campos floribus refertos ibi deprehendit. A. C. poſt hæc 1549. a Carolo V. Sacerdotes illuc miſſi, qui Barbaros ad fidem perducerent, ab iis enecati ſunt: ſub Carolo dein IX. Gall. Rege A. C. 1562. Franciſcus Ribaldus, huc delatus, amicitiâ cum Floridenſibus initâ, fortalitium Carolinum ibi extruxit, Gallorum coloniâ eò deductâ. Eodem rediit A. C. 1564. Renatus Laudonerius; qui ſimiliter benignè ab incolis exceptus eſt. Quod ægrè ferentes Hiſpani impetu non prævifo Gallos obruêrunt, nobilibuſque quàm plurimis infami ſuſpendio necatis, Ribaldum excoriarunt, ſed A. C. 1567. Dominicus Gurgeſius Vaſco, propriis ſumptibus navigio inſtructo illuc devectus, fortalitio Carolino recuperato, Hiſpanis par pari retulit: Annoque poſt redux ægrè æmulorum inſidias, Hiſpanis multùm tum in Gallia valentibus, exiit. Cæterùm ſolum Floridæ fertile, & metalliferum eſt, ſed nullâ incolarum curâ: qui arcu uti ſoliti, exuviis ferarum induuntur, Solemque & Lunam nonnullâ veneratione colunt. Vide Ortel. *Theatr. Orb.* Urban. Calvetum *de Nov. Mund. l. 2. c. 1.* Theodor. de Brey *Hiſt. Amer.* Marc. l'Eſcarbotum *Hiſt. du nouveau Monde.* Thuan. *l. 44. &c.*

FLORIDA Veſtis, vide ſuprà *Earinæ.*

FLORIDI Lacus, in Sinenſi Imperio frequentes, non ſylveſtribus minimeque frugiferis, ſed manibus hominum ſatis domeſticiſque floribus, quorum cultura ſingulis annis renovatur, ſemine intra ipſas aquas projecto. Quin imò in hortis ac viridariis, & in ipſis palatiorum atriis, inter vaſa teſtacea ingentia, limo & aquâ repleta, excolunt eos ac educant Magnates, illorum pulchritudine ac amœnitate illecti. Flores hi *Lien* dicuntur, croceique coloris ſunt: *Fula de Golfo* Luſitanis, quorum folia maxima, & plerunque figuræ rotundioris, aquæ ſuperficiei incubant atque ſupernatant, uti nymphææ per Europam ſolent. Eadem, ubi exiccata fuerint, olitoribus, ſcrutariis, aliis minutiorum mercium propolis, loco papyracei involucri, aut cuculli ſunt, quibus eas venditas infarciunt. Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ c. 33.* Vide quoque Petrum de la Valle *Itin. Part. IV.* ubi de Goa, Indiæ, quæ Luſitanis ſubjecta metropoli.

FLORIDUS Color, Græcè ὀξὺς, item εὐανθὴς, auſtero opponitur, apud Plin. *l. 35. c. 6. Sunt autem colores auſteri aut floridi, utrumque naturâ aut miſturâ evenit.* Floridi *ſunt, quos dominus pingenti præſtat minium, armenium, cinnabaris, chryſocolla, Indicum, purpuriſſum: cæteri auſteri.* Erant nempe illi cariſſimi, & ideò, quòd pretioſi eſſent, legibus excipiebantur, ut ab domino, non ab redemptore, repræſentarentur, ut alicubi Vitruv. An verò eorum omnes *floridi*, diſquirit Salmaſ. *ad Solin. p. 199.* Aliàs *floridus*, Gr. ἀνθινὸς, idem cum colorio eſt, ſeu verſicolore. Quo ſenſu vox ſumitur, in lege Attica, Τὰς ἑταίρας ἄνθινα φορεῖν, *Meretrices floridas veſtes indutæ ſunto,* memorata Artemid. *l. 2. c. 3.* & Clementi Alex. *Pædagogi l. 3. c. 2.* Item in Lege Locrenſibus lata à Zaleuco, apud Diod. Sic. & Syacuſanis, apud Athen. *l. 12. p. 523.* qua de re vide Sam. Petit. *Comm. in L. L. Attic. l. 6. tit. 5. ſub fin.* & Salmaſ. eundem *ad Vopiſc. in Aurel.* Ἄνθος certè Græcis color Heſych. ἄνθη, χρώματα, Colores Philoſtrat. Οἴκων ἄνθη, *Oecorum picturæ.* Unde Ἀνθοβάφος *Tinctor* apud Baſil. M. *Homil. 7. in Hexaëmer.* Vide Cl. Suicerum *Theol. Eccl.* in voce Ἀνθοβάφος.

FLORIFERTUM, Feſti genus, vide *Antheſphoria.*

FLORILEGIUM, Græcè Ἀνθολόγιον, nomen libri apud Græcos Eccleſiaſticis qui primo ſui ortu tenuis, nec magnæ æſtimationis, ſubinde notus acceſſionibus auctus, tandem in immenſum excrevit. Titulus eſt, Ἀνθολόγιον τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ, περιέχον τινας καὶ ἑξῆς ἀναγκαίας ἀκολουθίας τε, καὶ ἑρμηνείας, οὐχ ὑπαρχούσας ἐν τοῖς πρωτοτυπωθεῖσιν Ἀνθολογίοις. *Florilegium totius anni, continens & alia quædam neceſſaria officia, & interpretationes, quæ in prioribus Florilegiis deſiderabantur.* Eo tamen potiſſimum continentur officia, quæ per annum in Domini noſtri Jeſu Chriſti, Beatæ Virginis, & reliquorum celebrium Sanctorum ſolennitatibus decantantur. Sequuntur officia, quæ *communia* dici ſolent in unum vel plures Prophetas, Apoſtolos, Martyres, Pontifices, Confeſſores & alios. Tum demum multa ex Paracletice hauſta ingeruntur: & omnium poſtrema adnectitur Paſchalium triginta duorum annorum. Leo Allatius *de Libris Eccleſ. Græc.*

FLORINUS, diſcip. Valentini, cum Blaſto, ab Eleutherio Ep. R. depoſitus: Deum auctorem mali impiè aſſeruit, B. Virginem in partu intemeratam manſiſſe negavit, Reſurrectionem inſuper infitiatus: A. S. Irenæo, cum quo olim Polycarpi fuerat auditor, refutatus. Euſeb. Cæſ. *Hiſt. l. 5. c. 14. & 19.* Iræn. *l. 3. c. 3.* Theodoret. *hær. fab. l. 1.* Auguſt. *de hær. c. 69.* Philaſtr. *c. 68.* Hinc *Floriniani*, quos *Florianos* Philaſtrius vocat *de Hæreſ. Part. 3. c. 10.* minus rectè, cùm à *Florino* dicti adeoque prior apppellatio potior ſit. Eidem *Milites*, Irenæo *Gnoſtici*, Epiphanio *Phibionitæ*, Theodoreto *Borboriani*. à ſceleratiſſima ſua vita, i. e. cœnoſi, appellantur. *Eorum enim myſteria quis eſt adeò infelix, ut vel linguâ proferat? Hæretic. Fabul. l. 1. §. 4.* Vide de iis Joh. Forbeſ. *Inſtruct. Hiſt. Theolog. l. 1. c. 37.*

FLORIOPOLIS, ſeu *Fanum S. Flori, S. Flour*, urbs Alverniæ, in Gall. in monte edito, Epiſcop. ſub Archiep. Bituricenſi, ab A. C. 1317. Ad radices montis *le Cantal*, ad amnem *Larder*, verſus Gabalos 15. leuc. à Claromonte in Auſtr. 13. ab Anicio in Occ. Quibuſdam eſt *Indiciacus* antiq.

FLORIUS, fluv. Hiſp. in Callaicis apud Nerium prom. in Oceanum labens; qui *Vir* Ptol. dicitur. *Ars* hodie *Moletio.*

FLORUM Inſ. ampla in mari Indico, ab Ortu in Occaſ. extenſa, inter Javam & Timoris inſ. 40. leuc. Hiſp. à Macaſſaria Inſ. in Auſtr. ſui juris Europæiſque nomine tantùm nota, verſùs oram Bor.

FLORUM Inſ. maris Atlantici, una ex Aſſoribus ſeu Tertiariis, parva, 80. leuc. Gall. ab Tertiaria in Occ. ſub Portugalliæ Rege. Nihil commercio dignum, præter glaſtum gerit pecudeſque copioſè nutrit. Baudr. *Joh. Matal. Metell.*

FLORUS Geſſius, Clazomenius, Præfectus Judææ, poſt Albinum. Ob avaritiam, cum crudelitate conjunctam, belli Judaici contra Romanos auctor. Joſeph. *Antiqq. l. 20. c. 9. de B. J. l. 2. c. 13.* 14. & 15.

FLORUS, prænomine *Julius*, nobiliſſimus Treviſrorum, qui civitatem ſuam, ob magnitudinem æris alieni, ad rebellionem extimulavit. Sed poſtea, diſjectis ab *Julio Indo* copiis Tac. Ann. *l. 3. c. 42. incertis latebris victores fruſtratus, poſtremò viſis militibus, qui effugia inſederant, ſuâ manu cecidit imperante Tiberio.*

J. FLORUS, à Portio Latrone in Arte dicendi inſtructus. Senec. *Controv. 25.* Princeps eloquentiæ, in Gallia, Quintil. *Inſtit. l. 1. c. 3.*

FLORUS L. Annæus, Hiſtoricus, Senecæ, & Lucani agnatus. Vixit An. 200. poſt Aug. An Poëta ille, cujus lepidos ad Adrianum, hujuſque viciſſim verſus Spartianus recitat? An idem cum epitomatore Livii? Simler. *Bibl. Geſn.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 1. c. 30.*

FLORUS, dictus *Magiſter*, Scriptor Eccleſiaſticus, ſec. 9. Scripſit expoſitionem Miſſæ, *Bibl. PP. tomo 6. col. 163.* Et contra Erigenem Scotum. Item Diaconus Lugdun auctor comment. in epiſtolas Paulinas. Sigeb. *Cat. c. 94.* Item, Martyrologii ſcriptor, circa A. C. 770. Item, ex Ducibus Marciani Imp. Nobades Blemyeſque, Æthiopiâ prolapſos, repreſſit. A. C. 450. Jornandes. *c. 49.*

FLORUS, alio nomine *Sulpitius* Tac. *Hiſt. l. 1. c. 43. è Britannicis cohortibus, nuper à Galba civitate donatus, qui, cum Statio Marco, Piſonem æde veſtæ protractum in foribus templi trucidavit.*

FLORUS Paulus, vide *Paulus.*

FLOS, an ex Græco φλὸξ, quòd *flammæ* inſtar emicet. Mart. *l. 4. Epigr. 45.* cujus epigraphe ad Phœbum.

Perpetuo ſic flore mices ——

Certè quod in cœlo ſtellæ, id in terra flores: hinc in tot uſus mortalibus expetiti, & integris quoque urbibus nomina aut cognomina inde quæſita. Sic enim Tibur πολυστέφανον apud Steph. & alia in Aſia Strab. memorata, urbs Lydiæ Trallis Ἄνθεια; Ptolemais Ῥοδοφόρος &c. dicta, qua de re vide Paſchal *Coron. l. 2. c. 13.* Adhibentur autem illi vel conſerti, vel ſoluti. Et quidem qui flores foliaque proceriore ſurculo ſunt, nectebantur invicem; quæ verò minùs brevem habent, funiculis inter ſe juncta ſuebantur, addebantur unguenta &c. uti hîc paſſim videre eſt, ubi de *Coronis* & illas *Nectendi artificio*: nec non paulò ſuprà, ubi *de Floreis Coronis.* Soluti quoque multiplicem omni ævo habuêre uſum fragrantiâ naribus, formoſitate oculis, varietate animo mirificè blandientes. Unde præcipuè in conviviis, lætitiæ centro, uſurpati leguntur. Non enim coronatis epulari ſufficiebat, ſed & conviviali quadam laſciviâ in ipſum poculum *flores* indebantur: id quod *coronas bibere* dixêre Vett. Plin. *l. 21. c. 3. Namque apparatu belli Actiaci gratificationem ipſius Reginæ* (Cleopatræ) *Antonio timente, nec niſi prægustatos cibos ſumente, fertur, pavore ejus illuſiſſe, extremis coronæ* floribus *veneno illitis, ipſâque capiti impoſitâ; mox procedente hilaritate invitavit Antonium, ut coronas biberent. Quis ita timeret inſidias? Ergo concerptâ in ſcyphum, incipienti haurire oppoſitâ manu: En ego ſum, inquit illa* &c. Et ab amantibus, qui vel offerebant eos virginibus, vel, ſi earum copia non daretur, januis affigebant, quo de ritu Paſchal. iterum ubi ſuprà pluribus agit, *l. 2. c. 5.* Iiſdem menſæ, lecti, ſolum, viæ, & quid non, lætitiâ invitante, conſperſa ſunt, ut hîc videre paſſim eſt. Tertullian. *de Coron. mil. Jam verò & in ſinum conde ſi tanta munditia*, nempe florum. *In lectulum ſparge, ſi tanta mollitia eſt; In poculum inde, ſi tanta innocentia.* Vide quoque infrà ubi de *Præſternendi flores more.* Jaciebantur porrò in ædes ſacras, ſtatuas Numinum, inque Athletas, victores, uti diximus ſupra ubi de *Conjectu florum*: idque divinâ nonnunquam manu. M. Lucullum enim ejuſque milites aura ſuavis à proximo prato ſponte conſperſit tantâ *florum* multitudine, ut ſcuta & galeæ iis coopertæ eam ſpeciem hoſtibus præbuerint, quæ Luculli exercitum coronatum demonſtraret, auctore Plutarch. *in Sulla.* Numina ipſa Gentilium, Bacchum inprimis, *floribus* coronata, iiſque apprime delectata eſſe, habent paſſim Scriptores priſci, Athen. præ aliis *l. 15.* Longus *l. 2.* Alii. Unde & Inachus fluv. in quo Pallas lavare amabat, undas ſuas auro floribuſque permiſcet, apud Callimach. Et *flores* aris frequenter imponebantur, ut patet ex ararum picturis *in Inſcriptionum Collectaneis*, præcipuè illa, quam Liviæ Auguſtæ monumentum cenſet Editor Thomas Hubert. Leodius *Ann. Friderici II. El. Palatini l. 1.* Stat. item *Theb. l. 8. v. 297.* & ſeqq.

—— *geminas ergo ilicet aras*
Arboribus vivis, & adulto ceſpite texi
Imperat, innumeroſque Deæ ſua munera flores.
Et cumulos frugum & quicquid novat integer annus
Addit, & intacto ſpargens altaria lacte,
Incipit: ô hominum divumque æterna creatrix,

Sed & in funeribus *flores* ſparſi. Virg. *l. 5. Æn. v. 79.*

Purpureoſque jacit flores

Idem *l. 6. v. 884.*

Purpureos ſpargam flores ——

Vide Lutatium *ad Stat. Theb l. 6. v. 199.* Iique modò ſerti, modò ſoluti, uti docent Deſider. Herald. *ad Mart.* Lipſ. *ad Tac. Ann l. 14.* Barth. *ad Claud.* Alii, & hîc paſſim videre eſt. A qua coronarum florumque in ſepulchra ſparſione vett. Chriſtiani cùm penitùs abhorrerent, crimini id illis à Gentilibus datum eſt, uti ex Minuc. Fel. diſcimus. Poſteà tamen & ipſis ab hac ſimplicitate receſſiſſe ac roſis, violis liliiſque nec non aliis floribus, defunctorum tumulos aſperſiſſe, liquet ex Prudent. *Hymn. x. Cathemerinon. v. 177. in Exeq. Defunctorum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Nos tecta fovebimus oſſa,
Violis & fronde frequenti
Titulumque & frigida ſaxa
Liquido ſpargemus odore.

Vide quoque Hieronymum *ad Pammach.* & plura hanc in rem apud Jac. Ouzelium *ad Minucium Fel. p.* 63. & *ſeqq.* Illi verò *flores* vere ferales, quibus, honoris ſpecie, Heliogabalus paraſitos ita oppreſſit, ut animam efflarent, apud Lampridium. In ſacris vero Teſtam. ut & hoc addam, non *florum*, ſed *frugum fructuumque* habita ratio. At recentiori ævo *Flores diverſi coloris*, in Feſto Pentecoſtes deſuper immiſſi, ad varietatem chariſmatum Spiritus S. denotandam, occurrunt apud Joh. Ep. Abrincenſem *de Offic. Eccl.* Plura de *Floribus*, vide apud Plin. Dioſcorid. Theophraſt. Alios; de *Floribus* inprimis *Coronariis*, Paſchal. *Opere cit.* ut de *Floribus Sinicis cum Europæis collatis*, Auctorem Anonymum *Sinæ & Europ. c.* 33. & de unoquoque ſigillatim, hîc ſuis locis. De *Flore* autem *æris*, *auri*, *purpuræ*, quæ impropria vocis notio eſt, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1076. & 1080. & hîc paſſim infrà inter alia in voce *Obryzam*. Vide & ſuprà in voce *Flores*.

FLUCTUS, in crinibus, idem quod *ordo*, *ſtatio*, *gradus*, *annulus*; concinna nempe crinium per annulos inflexio & per gradus digeſtio, *fluctuum* modò extantium, modò ſubſidentium, & invicem ſe propellentium undulatos intortoſque motus planè referens. Mart. *l.* 5.

Illis cura ſui vultus frontiſque decoræ
Semper erit: tortos in fluctum *ponere crines,*
Aut vinclis revocare comas, aut vertice denſo
Fingere.

Ubi tortos *crines in fluctum ponere*, idem eſt, quod Quintiliano, *in annulos ponere*, vide ſuprà, ubi de *Annulis crinium.*

FLUDD, ſ. de FLUCTIBUS Robertus Anglus, Naturæ arcanorum indagator feliciſſimus Medicinæ Doctor Oxonienſis, ſcripſit. *Utriuſque Coſmi Metaphyſ. Phyſ. atque Technicæ Hiſt. Tom.* 3. *Anatomiæ Amphitheatrum, Philoſophiam ſacram, Monochordum Mundi ſymphoniacum, Medicinam Catholicam* &c. Floruit A. C. 1620. Boiſſardus *Vit. V. D.*

FLUENTIA, vide *Florentia.*

FLUIDO, locus, ubi Jacobus Scotiæ Rex, à Gallo excitatus, cæſis 15000. fuſus ac trucidatus eſt, poſtquam *Limnuthi in æde ſacra à quodam divinitus miſſo*, fruſtra eſſet monitus. A. C. 1513.

FLUMEN & FLUVIUS, ſynonyma, niſi quòd *Flumen* propriè ipſa aqua, *Fluvius*, decurſus aquæ. Sunt autem *Fluvii*, venæ quaſi minoris Geocoſmi, fibris ſimiles per folia plantarum excurrentibus, quibus unà cum lacubus aliiſque partibus Oceani minoribus, è Mari origo, in quod etiam redeunt. Adeò nempe totus Geocoſmus innumeris abundat cavernis, hydrophylaciis ſiphonibus, & hydragogis ductibus, in quos non poteſt non Oceanus incumbens graviſſimo molis ſuæ pondere ingentem aquæ copiam effundere, & ad ſuperiora terræ protrudere, haud ſecus ac antliâ preſſas aquas in altum ejaculamur & diffundimus. Athanaſ. Kircher. *M. S. l.* 5. *ſ.* 1. *Diſq.* 1. A Gentibus pro Diis culti, quorum filiæ *Nymphæ* habebantur, ut inductione *fluviorum*, apud Poëtas inprimis celebrium, liquet. Ex Hiſtoricis *unum ſatis ſit adduxiſſe Rubiconem, cui equorum greges conſecravit*, apud Suet. Cæſ. *c.* 81. Hinc omnia animalibus à natura data iis adſcripta ſunt: caput, brachia, pedes alia. Et quidem, caput quod attinet, ἀνδρομορφεῖς, *tauriformes*, fingebantur, occaſione illius Homerici *Il.* φ.

Τὸς ἔκβαλλε θύραζε μεμυκὼς ἠΰτε ταῦρος.

Ubi mugitus iis taurinus tribuitur à Poëta: ſicut viri cornuti formâ Cephiſſum ab Athenienſibus cultum eſſe, auctor eſt Ælian. *Var. Hiſt. l.* 2. *c.* 33. ubi, quæ gentes Græciæ quâ formâ coluerint *Flumina*, notat. Utrumque jungit de Iſmeno loquens, Stat. *Theb. l.* 9. *v.* 420.

Cornua concutiens, ſic turbidus ore profundo
Incipit ———

Brachia, ἐκτροπαὶ illorum dicuntur, quæ & *cornua* nonnunquam; pedes, oſtia ſunt. Præterea affectus humanos, domicilia item iis aſſignata legas; qua de re vide Barth. *ad Stat. l.* 5. *ſylv.* 4. *v.* 5. & *Theb. l.* 4. *v.* 832. &c. Inſcriptum heroo: ΠΑΤΡΟC. ΘΕΟΥ. ΧΘΟΝΙΟΥ. ΟC. ΠΟΤΑΜΟΥ. ΡΕΥΜΑ. ΔΙΕΠΕΙ. apud Deſid. Herald. *Animadv. Arnob. l.* 1. *ad illa. Indigetes illi, qui flumen repunt & in alveis Numiſi cum ranis & piſciculis degunt?* Et Νομικὶα habet Dionyſ. Halic. *Antiqq. Rom. l.* 1. Καὶ αὐτῷ κατασκευάζουσιν οἱ Λατῖνοι ἡρῷον ἐπιγραφῇ τοιᾷδε κοσμούμενον, ΠΑΤΡΟΣ ΘΕΟΥ ΧΘΟΝΙΟΥ ΟΣ ΠΟΤΑΜΟΥ ΝΟΜΙΚΙΟΥ ΡΕΥΜΑ ΔΙΕΠΕΙ. Integram deſcriptionem ſpectri hujuſmodi hanc Claud. exhibet in Conſ. Prob. & Olyb. Carm. 1. *v.* 221. & ſeqq.

——— ——— *Ilicet herbis*
Pallentes thalamos, & ſtructa cubilia muſco
Deſerit, ac Nymphis urnam commendat herilem.
Illi glauca nitent hirſuto lumina vultu,
Cæruleiſque infecta notis, reddentia patrem
Oceanum: criſpo denſantur gramine colla.
Vertice luxuriat toto crinalis arundo.
Quam neque fas Zephyris frangi, nec ſole peruſtam
Æſtivo candore mori: ſed vivida frondet,
Æquævum complexa caput. taurina levantur
Cornua temporibus, raucos ſudantia rivos;
Diſtillant per pectus aquæ frons hiſpida manat
Imbribus: in liquidos fontes ſe barba repectit.

Quo modo etiam pingebantur, ſic tamen, ut proni in lævam, quum quieſcerent: Stat. docente *Theb. l.* 2. *v.* 218.

——— *pater ipſe bicornis*
In lævum pronâ *nixus ſedet Inachus* urnâ.

Itaque quicunque fluvium tranſituri, eum adorabant, & manus lavabant, ex præcepto Heſiodi,

Μηδέ ποτ' ἀενάων ποταμῶν καλλίρροον ὕδωρ
Ποσσὶ περᾶν, πρίν γ' εὔξῃ, ἰδὼν ἐς καλὰ ῥέεθρα,
Χεῖρας νιψάμενος πολυηράτῳ ὕδατι λευκῷ.

Quod ſecuti Romani Petroniam amnem in Tiberim defluentem inauſpicatò nunquam tranſibant, quod *perenne auſpicari* dixêre, teſte Feſto in *Petronio.* Militares inſuper copiæ in trajectu ſacrificabant, quod θύειν τὰ διαβατήρια Græcis indigitatum. Taceo coronas ex myrica aut arundine, capillorum primitias, virginitatem, equos tauroſque, alia, iis conſecrata, vota ſuſcepta, & ſoluta; cæteraque quibus ſuperſtitio Idola ſua antiquitus coluit, in recentius quoque ævum, imò præſentem ætatem, apud Idololatras Indos valitura. Vide etiam ſuprà ubi de *Amnibus*, *Aqua*, & *Diis Gentilium*, nec non infrà in voce *Potamides.* Cæterum ſanguineo colore viſi, vel etiam tempore non ſuo exundantes, inter prodigia ſemper numerati ſunt, plenus Liv. Obſequens, Veterum alii, quibus adde C. Barth. *Animadv. ad Pap. Stat. Theb. l.* 4. *v.* 375. & *l.* 7. *v.* 405. Nec omittendus ritus Vett. *fluminibus gelidis* lavandi pueros, futuros Heroas. Ita enim Claud. de 4. Conſ. Honor. Carm. 8. *v.* 525.

Flumina *laverunt puerum Rhodopëia Martem.*

Virg. de Rutulis *Æn. l.* 9. *v.* 603.

Durum à ſtirpe genus, natos ad flumina *primùm*
Deferimus, ſævoque gelu duramus & undis &c.

Vide eundem Barth. *ibid. Theb. l.* 9. *v.* 797. &c. Nec cadavera reorum vel hoſtium in fluvios projiciendi, vide infrà ubi de *Tractione.* Sed & ſuorum defunctorum corpora in eos dejicere ſolitos Æthiopas alioſque, diſcimus ex Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 3. *c.* 2. &c. Plura de *Fluviis*, origine inprimis, & maximorum ab Sept. verſus Auſtr. fluxu, apud G. J. Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 73. & *ſeqq.*

Fluvii totius Geocoſmi notiores, ex Auctore Anonymo Hiſt. Orbis Terr. juxta alphabeti ordinem.
I. Europæ.

α. FLUVII *Ruſſiæ.* Dwina quæ vox Ruſſis *binarium* denotat, quòd fluvios Jugam, & Wuymam recipiat. Egreditur in mare Album, ad Emporia S. Michaelis, & S. Nicolai. Juga, Furnerio [illegible] ſimiliter. Moſcua, urbem Moſcuam præterlapſus, in Occam majorem fluv. ſe exonerat. Obius, pro termino Europæ communiter habitus. à lacu Aſiæ Kithaisko ortus, in Oceanum tandem glacialem è regione Novæ Zemblæ exit. Occa, magnus fluv. Moſcuam recipit, & in Volgam defertur. Onega 90. mill. Ruſſica ab Emporio S. Michaelis verſùs Occid. diſtans, in Mare Album defluit. Petzora, in Oceanum Glaccis Fretum Vaugatium exoneratur, poſt Obium. Tobol, fluv. ingens, in Siberia provincia, Obio recipitur. Volga, circa lacum Wolga ortus, in mare Caſpium abit, ad urbem Aſtracanum. Wuyma, Furnerio *Suchama*, Dwinâ recipitur. β. *Fluvii Lappiæ & Norvegiæ.* Cola, in extrema Lappia: præter quem Furnerius commemorat amnes ſalmonum feraciſſimos, *Jocheum*, *Orlogones*, *Pitſing*, *Ponoy*, & *Tiriberi.* Tenus, nautis *Tenes*, in Norvegiæ Præf. Wardhuſienſi. Trolheta, ſeu *Golan*, juxta Nidroſiam perlabens, ad Bahuſium in mare tendit; quem unicum Lacus Wenerus, ex 24. quos abſorbet, reddit. γ. *Fluvii Germaniæ ſuper.* Albis *die Elbe*, ortus in valle montis Gigantæi, ad Cherſoneſi Cimbricæ partem Ditmarſiam, in Oceanum Germ. egreditur. Amiſius *die Ems*, haud procul Paderborna exoriens, ad Emdam eodem mergitur Oceano. Danubius *die Donau*, ſcaturiens in humo plana, [illegible] fonte perenni, in vico *Don-Eſchingen*, in Duc. Wirtenbergenſi, Orientum petit, & in Pontum Euxinum 6. oſtiis evolvitur. Omnium in Orbe veteri poſt Nilum maximus. Drava, poſt Lubecam, quam alluit, in mare Balthicum egreditur. Egra, Albim auget. Fulda, [illegible] ſurgi recipitur, tunc demum hoc nomen merito. Havela, poſtquam Spreæ ſe junxit, Albim auget. Iſera, Danubio recipitur. Milda & Molda Albim quoque augent. Mœnus & Nicer. Oenus Bavariæ fluv. Danubio miſcetur. Rheni ortus in Alpibus; oſtia tria, Vahalis *die Wahl*, qui Moſæ jungitur: Leccus *die Leche*, qui mare ingreditur & Iſala, qui in Sinum Belgicum *de Zuyder-See* influit. Sala, in Albim abit. Viadrus *die Oder*, è Moraviæ & Sileſiæ finibus manans, infrà Stettinum, in lacum *das groſſe Haff* ſe demergit, indeque per tria oſtia mare Balthicum ingreditur, receptis Bobero, Neiſſa & juxta Cuſtrinum Wartâ. Ex hoc in Spream foſſa haud pridem deducta eſt, &c. δ. *Fluvii Belgii.* Agnio, vulgò *Aa*, ortus in Comit. Rentiaco, per Sluſam tandem ad litus Seelandicum ejicitur. Moſa, in Gallia, proximè Abbatiam [illegible], in vico [illegible] lacu ſcaturiens; exit in mare, quâ Vahali ſecundo jungitur. Scaldis fontem habet in Veromanduis: egreſſus infrà Antverpiam in duo abit cornua, quorum alterum *die Hont* inter Walachriam, & Sluſam Oceano committitur: alterum ad urbem Bergam-Somam [illegible] iterumque in duo brachia diviſum, Selandiæ inſ. interluit. ε. *Fluvii Magnæ Britanniæ.* Avona, fluv. Angl. Briſtoliam alluens, infrà eam mari ſe committit. Birgus, fluv. Hiberniæ, cujus ſorores Neorus, & Suirus. Bovinda, vulgò *Boyn*, ſ. *Banncy*, fluv. ejuſdem regni. Dauro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

na ſimiliter. Dina & Donus, fluv. Scotiæ ad Aberdoniam. Ga-
rienis fluv. poſt Tameſin, effluit ad portum *Jarmouth*, in Anglia.
Humbrum, Angliæ æſtuarium, conſtituunt Trenta & Urus: Eo-
dem etiam Hulla influit, unde caſtello adjacenti nomen. Letha, am-
nis Scotiæ exiguus, prope Edenburgum. Liffius, fluv. Hiberniæ, al-
luit Kildariam Ep. ſedem & Dublinum. Logia, ejuſdem regni
fluv. Loxa, fluv. Scotiæ, cujus aqua ſemper tepet. Monmoy, fluv.
Hibern. Neorus ſimiliter, Suiri & Birgi ſoror. Neſſus, Scotiæ fluv.
ſemper tepens. Sabrina *the Severen*, fluv. Angl. qui è monte *Plinlimon*
in Comit. Montgomerio ortus, Oceanum, ad caſtrum *Darcley* mu-
nitum valdè ingreditur. Senneus vulgò *Shennin*, fluv. Hibern. Sui-
rus, ſimiliter, Neori & Birgi ſoror. Tameſis, fluv. Angliæ celeber-
rimus, nomen ad Oxoniam, à confluxu Tamæ & Iſis, meritus,
ad Inſ. Scheppey, in mare effluit. Taus, totius Scotiæ maximus,
illam in Auſtralem ſeu *cis Taum*, & Borealem ſeu *trans Taum* dividit.
Twedus, Angliæ extremus ad Scotiam, & limitaneus fluv. infrà
Werke, Greyorum caſtellum, *Tilli* auctus, in oſtii ripa ultimum
Angliæ & munitiſſimum opp. Barvicum habet. Vaga, ex eodem
cum Sabrina monte natus, in idem æſtuarium quoq́ue ſe recipit &c.
De Remnio, Tivio, Tobio, Withama, qui Lincolniam præterla
bitur, vide Camden. *deſcr. Angl. in primis Wallie.* ζ. *Galliæ fluvii.*
Aiſia *Oyſe*, Sequana recipitur. Araris, in Rhodanum exit. Atax,
ante Rhodanum in mare Medit. devolvitur: hunc cum Garumna
conjungere ſtuduit Sereniſſ. Galliæ Rex, vulgò *l'Aude*. Axona *Aine*,
Sequanam auget. Carus *Cher*, Ligeri recipitur. Crauſia *la Creuſe*, ſi-
militer. Duranius, *la Dordoigne*, ad opp. Burgum in Garumnam
ſeſe exonerat. Durcius Rhodanum auget. Elaver *Allier*, Ligeri
accedit. Garumna, *la Garonne*, in montibus Auræ, non procul ab
urbe *Gadalup*, ortus, in mare evolvitur oſtio ingenti, inter Solacium
& Sojanum, in litore Santonico. Unus eſt è 3. maximis Gall. fluv.
Inger *l'Indre*, Ligeri recipitur. Iſarus, accedit Rhodano. Ligeris
la Loire, apud Velaunos in D. Eulaliæ parœcia ortus, in Oceanum
evolvitur, juxta emporium Nanneres: auctus Elavere, Caro, Crau-
ſiâ, Ingere, Meduanâ, Vigennâ &c. Lotius *le Lot*, aliis *Olindus* ſeu
Oldus, ante Duranium, Garumnam ingreditur, ad Aiguillonium.
Matrona *Marne*, Sequanam auget. Meduana, *Majenne*, Ligeri ex-
cipitur. Rhodanus *le Roſne*, unus ex tribus maximis Galliæ fluviis,
ortus in jugo Sempronio *Montſampron*, Penninarum Alpium celſiſſi-
mo, haud procul à fontibus Arolæ, Rheni & Ticini, ad pagum
Neuville, miſcetur Lacui Lemano, & Galliam ſummâ vi interluens,
tribus oſtiis in mare ſe demittit. Sequana *la Seine*, prope oppid.
Chanceaux, in ſilva Belfaya in Burgundiæ Duc. diœceſi Heduenſi ſca-
turiens, egreditur in mare Britannicum, alveo 10. m. p. patente, in-
ter Harflutum, & Honflutum. Recipit Matronam, Axonam, Aiſi-
am, &c. Ampliſſimus eſt fluv. Vigenna *la Vienne*. Ligerim auget
&c. η. *Fluvii Hiſpaniæ.* Anas *Rio Guadiana*, ortum trahens in agro
Laminitano, ad Palatium Regium *Palacio del Rey* terra ſe condit,
& poſt 20. minuta ad Metallinam *Metelin* iterum erumpit. Arago,
Jaccam præterluens, Iberum auget. Aragus Pompejopolim alluit
& ſimiliter Ibero excipitur. Avia, in Minium fluens, partem limitum
regni Portugalliæ conſtituit. Bætis *Guadalquivir*, ex monte Oroſ-
peda ortus, in Oceanum evolvitur ad *S. Lucar*, recepto Singuli infrà
Cordubam. Durius *Duero*, oritur in Pelendonibus ex monte Idube-
da, & ad portum in mare demittitur *Port à Port*. Iberus *Ebro*, ortus
apud Cantabros prope *Aquilar del Campo*, in mare Medit. deſcendit
duobus oſtiis, quæ inſulam Alphaciam formant. Minius *Rio Min-*
ho, è Vidunis Aſturiæ jugis delabens, fluvio Aviâ recepto, limi-
tum regni Portugalliæ partem explet. Salo, Ibero accedit. Sico-
ris, Leridam præterlabens, ſimiliter Ibero excipitur, Singulis *Xe-*
nil, infrà Cordubam Bætin auget. Tagus *Rio Tejo*, in altiſſimis
Oroſpedæ jugis ortus, infrà Lisbonam, inter Prom. Magnum &
Barbarum, egreditur: Recipit fluvios *Henares*, prope Complutum &
Manzanares, qui Madritum alluit &c. θ. *Italiæ majores fluvii.* Ar-
nus, non longè à Tiberi ortus, Florentiâ Piſiſq́ue viſis, in mare
abit. Atheſis *Adeſi*, poſt Padum totius Italiæ maximus, ortus ex
Alpibus, Garciæ poſteà jungitur, & Veronæ primùm navigari cœ-
ptus, in mare effluit ad P. *Foſſon*. Padus *Po*, in finibus Marchion.
Salutiarum ortus, infrà Ferrariam Mare Hadriaticum ingreditur, in
alveos ductus Flumina & lacus ultra 30. recipit, eſtq́ue totius Italiæ
maximus. Tiberis fluv. *Tevere*, naſcitur in Apenninis finibus Are-
tinorum, prope fontes Arni: junctuſq́ue Palliæ ac reſtagnantibus a-
quis Cluſinæ paludis ſeu Glanti amnis Arno committitur: Romam
feſtinans 42. amniculos in decurſu recipit, in Hetruſcum mare duo-
bus oſtiis, prope Oſtiam, ſeſe exonerans, &c. ι. *Hungariæ fluvii.*
Arabo *Rab*, urbem cogn. alluens, unà cum Danubio inſ. *Schutt* con-
ſtituit. Danubius, Presburgum, Comorram, Budam &c. alluit, vi-
de ſuprà. Dravus, ex Alpibus Noricis manans, ad locum accolis *To-*
blium dictum, in Roſcia Danubio miſcetur. Granus *Gran*, cui adja-
cet urbs *Neuſol*, ad oſtium ſuum in oppoſito littore Danubii Strigo-
nium urbem habet, *Gran* quoque dictam. Savus, ex Alpibus Car-
nicis oritur, ad Belgradum Danubio jungendus. Tibiſcus *Tyſſa*, in
Carpathiis natus jugis, haud procul à Savi oſtio, Danubio ſimiliter
accedit. Vaga *die Wage*, ad Guttam in Danubium evolvitur &c.
Quibus adde Aluram & Mariſcum *Maros*, Tranſylvaniæ fluvios, qui
ambo in Carpathiis montibus orti, hic in Tibiſco ad Segedinum:
ille in Danubio ſuprà Nicopolim deſinit. κ. *Sarmatiæ fluvii.* Bo-
ryſthenes, è lacubus Ruſſiæ natus, recepto ſuprà Kioviam Pripeto,
in Pontum ſe exonerat Euxinum. Melle & lacte fluere vulgò dici-
tur. Cronius, Lithuanis *Niemien*, Germ. *Memel*, in Ducatu Sluſ-
kenſi ortus, mare Balthicum ingreditur, per lacum Curionenſem.
Tanais, Ruſſis *Don*, ortus è lacu Ruſſiæ *Juvanovo Jeziero*, egredi-
tur in paludem Mæotidem duobus oſtiis, ad quæ Tana nobile em-
porium. Eum cum Volga conjungere fruſtra tentavit Chamus Tar-
tarorum, perfecit tandem Sachainbejerus Camouz, à quo *Foſſæ Ca-*
moux nomen habet. Viſtula *Weixel*, oritur in montibus, qui Hun-
gariam à Polonia dividunt, & per Poloniam progreſſus, in Pruſſia,
prope Dantiſcum, Emporium nobiliſſimum, per ſinum Aquæ Dul-
cis *das friſche Haff*, labitur in mare Balthicum &c. Helvetiæ fluvios
Rhætiæq́ue. Vide in vocibus *Arola*, *Lacus*, *Limagus*, *Rhenus*, *Ru-*
ſa &c.

II. Aſiæ.

Agradatus, fluv. Perſiæ; hodiè *Jeſdri*. Anames, fluv. Perſiæ,
nunc *Tiſindo*. Andanes, ejuſdem regni fluv. qui hodie *Baſſiri* nun-
cupatur. Araxes, Perſiæ item fluv. nunc *Bendimir*. Croceus, è ma-
ximis Sinici regni fluviis, à turbido colore luteo nomen habet. Cy-
rus, Perſiæ fluv. hodie *Tat*. Dirideres, ejuſdem regni fluv. *Tiriti*
nunc. Euleus ſimiliter, hodie *Siri*. Euphrates, in Armenia maj.
ortus, Tigri ad Seleuciam miſcetur: qui ambo dein diviſi Meſopo-
tamiam velut mediam comprehendunt, & in ſinum Perſicum evol-
vuntur. Unus ex 4. Paradiſi fluviis fuit, *Phrat* ſeu *Frat*, in lingua
Orig. dictus. Ganges, unus è maximis terræ fluviis, Indiam diſtin-
guit in duas partes, & in ſinum regni Bengalæ, qui olim *Sinus Gan-*
getici nomen tulit, ſe demittit. Fluvios navigabiles recipit magno
numero, & ab accolis ſanctus habetur. Hydaſpes, fluv. Indiæ in re-
gno M. Mogolis, ad Nyſam urbem Indo recipitur. Hypaſis, ejuſ-
dem regni fluv. olim terminus expeditionis Alexandri Mag. Hidaſ-
pi jungitur. Jaxartes, in mare Caſpium deſinit. Jeniſcea, fluv.
ingens, mari Glaciali accedit, ſimilis cum Nilo naturæ. Indus,
fluv. Indiæ, unde huic nomen, olim *Sindo*, nunc *Pang-ab* Perſis at-
que Mogolenſibus, 5. alveis in mare Indicum devolvitur. Fluvios
recipit, præter alios Hydaſpim & Hypaſin Jordanes, fluv. nobilis
Palæſtinæ, ortus in loco primùm *Dan*, dein *Panium* dicto, in quo &
Cæſarea Philippi poſtmodum condita fuit: Per lacum Samochoniti-
dem, & mare Tiberiadis fluens, in lacum Aſpalthiten egreditur, Ki-
angus ſeu Yangiukiangus, h.e. *Fil. maris*, Sinicum regnum dividit in
partem Auſtralem, & Septentrionalem. Naharmalca hodiè dicitur,
qui in Sacris *Piſhon*, unus ex quatuor Paradiſi fluviis, Chavilam, ad
Sinum Perſicum ſitam, hodieq́ue *Chelſa* dictam, rigat. Similiter
Naharſares hodie, Arabiam alluens, *Gichon* videtur fuiſſe, ex iiſdem
fluv. unus: ſtatuitq́ue V D. ambos hos fluv. Euphratis ac Tigridis
alveos eſſe, in quos, antequam Oceanum ſubeunt, ſcindantur. Oxus,
in Caſpium mare effunditur. Sabbatius ſeu Sabbaticus, fluv. Syriæ,
qui ſex diebus fluit, ſeptimo quieſcit, teſte Joſeph. *de Bello Jud.* *l.* 7.
c. 24. confer Plin. *l.* 31. *c.* 2. Idem confirmat Athan. Kircher.
ocularis teſtis Dominici Magrii fide *Mund. Subterr.* *l.* 5. *c.* 4. *ſ.* 4. ubi
in vicinis huic fluvio locis ſubterraneis tantum aquæ cogi poſſe, quæ
fluvio in ſex dies ſufficiat, ſeptimo autem deficiens eâdem & fluvium
privet, opinatur. Tigris, Aſiæ ingens fluv. in Armenia majori, ſi-
cut & Euphrates ortus huic ad Seleuciam jungitur: qui ambo dein in
diverſum abeuntes Meſopotamiam intercipiunt, & in ſinum Perſi-
cum exeunt. Videtur *Chidekel* eſſe, in Sacris literis, inter 4. Paradiſi
fluvios, memoratus, Namq́ue & Aſſyriam alluit, & accolis ante
hac Arabibuſq́uè hodiernum *Diglito* ſeu *Diglath* dicitur, quòd no-
men ad *Chidekel* prope accedit &c.

III. Africæ.

Cuama, fluv. Africæ, cum Zeila verſùs Orientem manat. Ni-
ger, fluv. Nilo non minor, ſimilis cum eo naturæ eſt, eodemq́ue
quo Nilus tempore, adjacentes regiones inundat. Regionis Guan-
garam, Zanfaram, Caſſenam, Tombutum, Mellum &c. perluens,
ad Prom. Viride egreditur. Nilus, Æthiopibus hodiè *Abaoi*, ce-
leberrimus Orbis fluv. in prov. *Agaos*, regno Gojam vicina, in ter-
ra *Sagela*, è duobus fontibus, in apice montis, ſcaturiens, poſt-
quam Æthiopiam, & Ægyptum interluit, ſeptem oſtiis in mare abit
Mediterraneum. Sunt autem illa: *Canopicum* ſeu Heracleoticum,
& Agathodæmon fluv. *Bolbiticum* & Taly fluv. *Sebeniticum* & Phar-
mutiacus fluv. *Mendeſium*, *Patmeticum* & Buſtriticus fluv. *Taniticum*,
& *Peluſiacum*. Quibus accuratiores Tabb. addunt oſtium Penepſi-
mum, tanquam Pſeudoſtoma, & Diolcos Pſeudoſtoma. Zairus, vul-
gò *Zaire*, verſus Occidentem manat, fluv. ingens. Zella, in Orien-
tem, ſicut & Cuama, tendit.

IV. Americæ.

Amazonum fluv. *el Rio de las Amazonas*, ex Andibus ortus, oſtio
70. mill. inter Guajanam, & Braſiliam, in Mare *del Nort*, ſe exonerat.
Januarius *el Rio de la Plata*, ex iiſdem montibus cum priore ortus, in
idem mare, ſupra Braſiliam, evolvitur. Maranonius fluv. *Marag-*
non, ſimiliter ex Andibus ortum trahens, in Braſilia, in idem cum
prioribus mare egreditur. S. Marthæ fluv. ex eadem Americæ par-
te, in ſinum Mexicanum ſe effundit. His addi poſſent & alii mi-
nores, quales *de Suyd-Revier*, *de groote Eſopus*, *de kleine Eſopus*, Ro-
denbergs *Revier*, *de Verſche Revier* in novo Belgio &c. à Belgis ſic
appellati. Sed quoniam eorum cognitio in Europa minoris eſt u-
ſus, recenſendis iis Auctor superſedere voluit. Reliquorum verò hîc
memoratorum totius Geocoſmi fluviorum pleniorem Hiſtoriam qui
deſiderat, adeat ipſum *Lexic. univ.* & præfatum, è quo hæc fluviorum
ſeries deprompta eſt, Auctorem, *c.* 3. *de Hydrographia.*

FLUMEN Jazer, è rupibus juxta Jazer erumpens, à Jordane
ſuſcipitur. Eſt in tribu Gad.

FLUMENTANA, porta Romæ, quam Tyberis urbem intrans in
ſiniſtra ripæ parte relinquit; dicta quòd Tyberis quandoq́ue in eam
influxerit, hodiè *Porto del Populo.*

FLUONIA, Juno, quam mulieres colebant, quòd ſanguinis
fluorem, in conceptu retinere putabatur. Boccat. vel quòd men-
ſtrua fœminarum ſingulis menſibus ſiſtere crederetur. Vide Voſſ.
de Idol. *l.* 2. *c.* 26.

FLUSTATES, Gall. Belg. opp. apud Cæſ. de Bell. Gall. *l.* 3.
c. 6. quos Cænales in comitatu *de Foix* apud Aquitanos locat.
Volaterrano *Fluſſates*, cui *de Fluſſo* Comites, adhuc ſuo tempore,
ibi fuêre. Urſinus autem ex Plin. *l.* 4. *c.* 19. & Claud. in Ruf.
Carm. 3. *v.* 137. legit *Fluſates*: Ac ſane hoc tractu Eluſa-
tium civitatis fit mentio in Provinc. libello Nicolaus Lloydius.

Me-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Melius *Eleuſates*, prope Eluſam urbem, *Eauſe*. Vide *Eluſates Baudr.*

FLUSTRA, pro *fluctibus*, vox nota ex Feſto & Tertulliano. Eadem ſæpius utitur Aldhelmus Occident. Anglo-Saxonum Ep. *l. de virgin. c.* 14. *Nec non etiam ferventia fluſtra, & ſpumantis cataclyſmi ſociæ, cæruleæ maris undæ, cùm proprios egrederentur terminos.* Et *c.* 17. *Siquidem ligatis lacertis & connexis ſurarum artubus in profunda pelagi fluſtra demerſos, ſed Angelico fultos ſuffragio, effera fluctuum ferocitas contingere non audens, illæſos littoribus reſtituit.* Idem in *Carm.*

Tunc omnes pariter glomerantes ordine denſo
Contra fluſtra *ſenem ſiſtebant turgida ſanctum.*

Alibi.

Merſerat in pontum fretos virtute Tonantis.
Algida ſed vitreis miteſcunt æquora fluſtris &c.

Vide Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio* & Joh. Frid. Gronov. *Obſerv. ad Script. Eccleſ. c.* 4.

FLUTÆ, vide ſuprà in voce *Exormiſtones*.

FLUVIUS, vide ſuprà *Flumen*.

FO, in notis antiqq. *Forum*. FOR. *fortè*, vel *foràs* vel *Fortuna*, notat &c.

FOCALE, lemma Mart. Apoph. *l.* 14. *Epgr.* 142.

Si recitaturus dedero tibi fortè libellum,
Hoc focale *tuas aſſerat auriculas.*

A' *faucibus* dictum, quarum involucrum eſt adverſus cœli inclementiam. Eodem utebantur olim Poëtæ recitaturi, ne rauceſcerent. Idem Poëta *l.* 4. *Epigr.* 41. cujus epigraphe in malè recitantem,

Quid recitaturus circumdas vellera collo?
Conveniunt noſtris auribus iſta magis.

In quo utroque *Epigr.* aures potiùs lectoris & auditorum obſtruendas eſſe *focalibus* jocatur Poëta, ne peſſimos verſus audiant, quàm collum ac fauces eorum, qui recitent. Origo ab ægris, qui hinc *Focaliti*, ut & *palliolati*, Senecæ dicti, palliolo, i. e. pileo caput, & *focali* fauces tectas involutaſque habebant, uti docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 1289. Quod propriè *focillare* dictum eſt, ægras viz. fauces lanâ appoſitâ fovere, Caſaub. *ad Suet. Aug. c.* 17. vel *focalibus* è faſciis laneis munire, uti habet Screvel. *ad Mart. d. l.* Hodie elegantiores *focalia* habent è ſubtiliore tela in denſas plicas corrugata, quorum imago fuit in ſubuculis vel interioribus Vett. tunicis, circa collum fimbriatis, uti idem Caſaub. docet, ex Lycophrone, ubi indumentum illud, quo uſa eſt Clytemneſtra in tollendo Agamemnone, deſcribens, κρoσσωτοὺς ῥαφὰς in eo memorat, i. e. *futuras cirratas*. Cirros verò fuiſſe, fimbrias in nodum coactas, & contortas, cum extantibus ac dependentibus villis, diximus ſuprà. Vide quoque infrà in voce *Segmenta*.

FOCARIA, mons & prom. Umbriæ, hodie *M. di Peſaro* Blondo dicitur.

FOCARIS Lapis, vox infimæ Latinitatis, eſt πυρεῖον, πυρέκβολος λίθος, lapis igniarius, *pyrites* Plin. *l.* 36. *c.* 19. *Pyritarum etiamnum aliqui genus unum faciunt, plurimum habens ignis, quos vivos appellamus, & ponderoſiſſimi ſunt. Hi exploratoribus caſtrorum maximè neceſſarii, qui clavo vel altero lapide percuſſi, ignem edunt, quæ exceptæ ſulphuratis aut fungis aridis vel foliis dicto celerius ignem præbent.* Iſid. *pyrites vulgaris*, quem vulgò *focarem* dici addit. *Igniferum ſaxum* Apulejo &c. Sed alium propriè eſſe πυρέκβολον λίθον, alium πυρίτην, Galenus monet, quum deſit pyrites, πυρέκβολον ſubſtituendum præcipiens: ἀντὶ λίθου πυρίτου, λίθον πυρέκβολον. Pyrites namque eſt, qui vulgò *marcaſita* dicitur, & venam æris habet, aliquando etiam argenti, admixtam. At πυρέκβολος lapis *ignifer*, vel igniarius, quo ad ferrum attrito vulgò utimur ad ignem excutiendum, è ſilicum eſt genere. Incertus Auctor *de Lapidibus final. Lapis albus ſilicineus, ſi peralbus fuerit, Gallienſis nuncupatur: ſi mixtam venam habuerit, ignifer nomen habet.* Et notum illud,

Et ſilicis venis *abſtruſum extunderet ignem* &c.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 717. & 1143. & infrà ubi de re *Igniaria*. Item in voce *Pyrites*.

FOCAS, Grammaticus Romæ, auctor vitæ Virg. verſu ſcriptæ. Voſſ. *de Hiſt. Lat. p.* 817.

FOCATIUS Panis Iſid. qui Hieronymo *Subcinericius*, Græcis ἐγκρυφίας & ἐσχαρίτης, Hebr. עגה *ugga*, vel עוגה, *ouga*, & mutatâ formâ מעג *maog*, panis eſt, in calido cinere coactus, inter panem vulgarem, & placentam medius, quem Rhodi in uſu fuiſſe, diſcimus ex Polluce, Ὁ δὲ ἐσχαρίτης Ῥοδιακὸς, μεθόριος ἄρτου καὶ πλακοῦντος. Quò referendum, quòd in Onkelo Exodi. *c.* 16. *v.* 32. manna ſapuiſſe legitur, *ut* ἐσχαρίται *in melle*. Nam ἐσχαρίτην melle conditum fuiſſe, refert Lynceus Samius, apud Athen. *l.* 3. & tantæ ſuavitatis, ut eo veſcentes vix ſatiarentur, & inter edendum ſemper eſurirent, ut inter bibendum ebrii ſemper ſitiunt. Ita coacti panis meminit Scriptura paſſim, Geneſ. *c.* 18. *v.* 6. Exodi *c.* 12. *v.* 39. inprimis 1. Regum. *c.* 19. *v.* 6. ubi de pane à corvo Eliæ allato; Hoſeæ *c.* 7. *v.* 8. ubi Ephraimitæ (qui gentibus ita ſe commiſcuerant, ut Judaicam religionem, quam in ſpecie profitebantur, profanis Gentilium ſuperſtitionibus polluerent) cum ejuſmodi pane, *qui inter coquendum non fuit verſus*, conferuntur, & Ezech. *c.* 4. *v.* 12. quo Deus jubet, ut Propheta panem, pro carbonibus, humano ſtercore coactum comedat, quo miſeros quandoque homines, ligni loco, uti notum; ut Eraſm. in Prov. *Boliti pœnam* de bubulo ſtercore in Friſia ad eundem uſum adhiberi ſolito, teſtatur. Vide Sam. Bochart. *Hierozoici part. prior. l.* 2. *c.* 33.

FOCE, Ægæi maris Inſ. *Anton.*

FOCULUS diminut. à *Focus*, de quo infrà. In Sacris Gentilium idem quod *Arula*, ſeu ἐσχάρα περιφορητὴ, ut diſcimus ex Scholiaſte Ariſtoph. *ad Acharnanas*. Et quidem Latinis nomen hoc, licèt in ſe generale, propriè huic rei aſſignatum eſt. Hinc, quod *Foculum accenſum* dicit Liv. in Scævolæ hiſt. ἐσχαρίδα πῦρ ἔχουσαν vocat Plutarch. *Poplicola*: ἐσχάραν πῦρ ἔχουσαν Polian. *Stratag. l.* 8. Senec. in eadem hiſtoria, *Ep.* 24. *Spectator diſtillantis in hoſtili foculo dextræ ſtetit*: quibus ſimilia habet *Ep.* 67. Teſtullian. *Apologet. Quem quidem & ipſum proinde examinatorem Chriſtianorum adhiberi, ut foculum, ut acerram oportebat* &c. Vide Deſ. Herald. *ad Arnob. l.* 3. & ſuprà *Arula*.

FOCUNATES, pop. in Alpibus. Plin. *l.* 3. *c.* 20. An Bechuni Ptol. *Foſſigni* hodie Pingonio. Sed Simlero eſt vallis *Suls*, inter Tridentinos, & Venetos: partim ſub Venetis, partim ſub Ep. Tridentino. Serianam vallem illos colere notat Leander. Baudr. horum tractus eſt *Foſſiniacum*, nunc *le Faußigny*, in Sabaudia, ad rad. Alpium, in confin. Valeſiæ. Cujus prim. Cluſæ.

FOCUS, Servio à *fovendo* dictus eſt *quidquid fovet ignem, ſive ara ſit, ſive quidquid aliud, in quo ignis fovetur.* Peculiariter vox ſumitur pro ara Diis domeſticis, quos *Penates Lareſque* olim dixêrunt, ſacra. Unde Plaut. *Aulul. Act.* 2. *Sc.* 8. *v.* 16.

Hæc imponentur in Foco *noſtro Lari,*
Ut fortunatas faciat gnatæ nuptias.

Arnob. *Genius Focorum* Lar dicitur, *l.* 4. *adv. Gent.* Ideoque *Lares nigros* vocavit Prudent. *l.* 1. *c. Symm. v.* 204. & in veteri denario gentis Cæſiæ, Laribus Vulcanus ſuperponitur. Servius etiam Tullius apud Dionyſ. Halic. *l.* 4. Laris familiaris fil. creditus, quòd ejus mater conceperit in *Foco*: in cujus rei memoriam Compitalia Laribus, & ludos idem inſtituit. His, venerationis gratiâ, ignis accendebatur, annotante Capitolino *in Pertinace*: *Et cùm apud Lares ſacrificaret, carbones vivaciſſimi extincti ſunt, cùm inflammari ſoleant.* Hinc apud Italos vernacula vox *Foculare*, q. *Focus Laris*, & Sedulius *l.* 1. *Carm.*

Hic laticem colit, ille Larem: *ſed jungere ſacris*
Non audent inimica ſuis, ne lite propinquâ
Aut rogus extinguat non magnas fortior undas,
Aut validis tenues moriantur fontibus ignes.

Foci quoque coronari dicti, quum Lares coronabantur, quòd horum ſedes apud Focum eſſent. Tibull. *l.* 1. *Eleg.* 5. *v.* 39.

Num feror inceſtus ſedes adiiſſe Deorum,
Sertaque de ſanctis diripuiſſe focis.

Sic Ovid. celebrans diem natalem uxoris, *coronâ* dicitur *velare focos*, *Triſt. l.* 5. Eleg. 5. *v.* 10. Imò diſertim in foco Lares collocat Euclio ille Plautin. *in Aulul.* Prolog. *v.* 2. ut vidimus: vide quoque Car. Paſch. *Coron. l.* 4. *c.* 3. *Focus* verò ex laterculis crudis antiquitus conſtabat: unde ejus Genius *Laterani* quoque nomine adauctus eſt, teſte Arnobio ſuprà laudato: quandoque verò & teſtis. Nam tubulus, quo cingebatur ἡ ὀπὴ, i. e. κάπνη, ſive foramen, per quod exibat & exhalabatur fumus, nonnunquam teſtaceus: unde ὀπαίαν κεραμίδα Græci appellabant, uti Euſtathius docet; κέραμον Pherecrates apud. Athen. *l.* 7.

Ὄζεος δ' ὕων ὄινῳ καπνία, κατὰ τοῦ κεράμου βαλανευτῶ.

Ubi κέραμον non pro *tegulis*, quâ tamen ſignificatione frequentiſſimè uſurpatur, ſed ἀντὶ τῆς ὀπαίας κεραμίδος, *pro tubulo teſtaceo*, accipiunt Eruditi: Sic enim οἶνον καπνίαν non temerè dicit facetus Comicus, vini genus hoc nomine appellatum, & κάπνιον ſimul alludens, quâ vineum Jovis imbrem deſcenſurum ait. Vide Deſ. Heraldum *ad Arnob. l.* 4. Erat autem in atrio, non procul à janua, in quo ignem ardentem ſervare Janitorum erat. Quare apud Petron. Lares argentei Trimalcionis, Edit. Gonſalis de Salas *p.* 16. Edit. Boſch. *c.* 29. in ædicula, inter januam & atrium, locati leguntur. Arnob. in Coquinis fuiſſe indicat *adverſ. Gentes l.* 4. *Et quid quæſo, ut faciat præſidatum, Focorum iſte Deus fortitus eſt? Per humani generis coquinas currit, inſpiciens & explorans, quibuſdam lignorum generibus ardor in foculis excitetur.* Eum luculentum, pro officio habebant Stat. *Achill. l.* 1. *v.* 120.

——— *properatque dapes, largoque ſerenat*
Igne domum ———

Unde *focus pervigil*, inter pauperiorum quoque præcipua votā, Idem *l.* 4. *Sylv.* 5. *v.* 13.

Nos parca tellus, pervigil & focus,
Culmenque multo lumine ſordidum
Solantur &c.

Porrò corona in *Focum* addebatur, teſte Catone *de Re Ruſt. c.* 4. quæ ex lana fuit. Ovid. *Faſt. l.* 3. *v.* 30.

Decidit ante ſacros lanea vitta focos.

Et Propert. *l.* 4. *Eleg.* 6. de pugna Actiaca Navali *v.* 5.

Coſtum molle date, & blandi mihi thuris honores,
Terque Focum *circa laneus orbis eat.*

Qui ambo hanc coronam indigitantes, oſtendere voluêrunt, lanam, ut ex Plin. notum, familiare maximè indumentum ſuiſſe mini-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

miniſtrare, & ob id Laribus eam convenire maximè. Uſus ejus in expiationis & Magicis ſacris inprimis, ut ex *Pharmaceutria* Virg. palam eſt: Eclog. 8. v. 64.

Effer aquam & molli cinge hæc altaria vitta

Et circa eum pueri circumferebantur per obſtetrices vel miniſtras currentes, quinto à nativitate die, quod feſtum Ἀμφιδρόμια hinc & per metatheſin Δρομιάμφια, appellavere Græci, vide Suid. in voce Ἀμφιδρόμια: ad quem tamen locum, *focum* illum nil, niſi aras Deorum hoſtiis calentes, fuiſſe, notat Thom. Bartholin. *de Puerperio Vet.* Græcis Ἑστία, de qua voce vide in *Veſta*, nam & hanc eſſe inter Deos Penates, ab Ænea in Italiam delatos, creditum olim. Ut & hoc addam, hodie *foci* ſubſternimus lapides, quos Græci πυριμάχους & πυρίτας, dixére, quòd in igne non diſſiliant, neque frangantur nec crepitent, Lat. *Molares*, de quibus vide infrà, ut & Salmaſ. *ad Solin. p.* 717. A Foco, dicti *Focarii* ſervi, quorum meminit Ulpian. *l.* 1 §. 5. *ff. Naut. Caup. Stabul.* ubi eos Atriariis jungit: & *Focariæ*, mulieres culinæ adſcriptæ, quarum mentio apud eundem *l.* 12. §. *eod.* Pomponium item & Paulum. Sunt tamen, qui *Focarias* concubinas interpretentur, occaſione loci Varronis *de Re Ruſtic. l.* 2. *c.* 10. cum ait, *Sed eas eſſe mulieres oportet firmas, non turpes, quæ in opere, ut in multis regionibus, non cedant viris: ut in Illyrico paſſim videre licet, quod vel paſcere pecus, vel ad* focum *afferre ligna ac cibum coquere vel ad caſas inſtrumentum ſervare poſſunt.* Vide Pignor. *de Servis p.* 255. A Foco, quoque nota phraſis, *pro aris & focis pugnare*, orta eſt: in quæ verba milites Romanos jurare ſolitos fuiſſe, docet Turneb. *Adverſ. l.* 10. *c.* 7. Angli dicunt, *for God and our Country*. Apud Recentiores indidem *Foagium* ſeu *Focagium*, cenſus eſt, qui exigitur à domino feudali pro ſingulis *focis* ſeu domibus ſubditorum ac tenentium ſuorum: καπνικὸν, Scriptoribus Byzantinis, Theophani, Cedreno & Scylitzæ, Zonaræ, aliis; Gall. *Fouage*, vide C. du Freſne *Gloſſ.* ubi, cùm in Normanniæ Ducatu inprimis obtinuerit, ſingulisque triennis à populo exſolvi ſolitum fuerit, pluribus, & accuratè de hoc tributi genere agit. Sed & *Focos* appellatas eſſe aras, Inferis Numinibus conſecratas, Serv. ait, *ad Ecl.* 5. *v.* 65. *Varro Diis Superis altaria, terreſtribus aras, Inferis* focos *dicari aſſirmat.* Und Stat, *Theb. l.* 4. *v.* 457.

Tres Hecatæ, totidemque ſatis Acheronte nefaſio
Virginibus jubet eſſe focos ———

Idem tamen aliter *ad Æn. l.* 3. *v.* 134. *Focorum commemoratione inſtantium ſacrificiorum mentio injicitur, quòd ita eſſe multis locis docetur. Quidam aras, ſuperorum Deorum volunt eſſe; Medioximorum, i. e. Marinorum*, focos; *Inferiorum vero tumulos*; ad quæ verba vide Caſp. Barth. *Animadv. ad Pap. Stat. d. l.* Nec omittendum quod abſque *foco accenſo* nulla Gentilibus ſacra fuerint, uti diximus ſuprà ubi de *Dedicandi ritu*. Sed & è *Foco* velut aſylo ſanctiſſimo, ſupplicem extrahere nefas, apud omnes olim Græcos, non minùs, ac ab ara, aut Principis ſtatua abripere, qua de re pleni Jurecoſs. libb. Vide & Hadr. Turneb. *Adverſ. l.* 21. *c.* 8. Jac. Revardum *Var. l.* 1. *c.* 7. & Alios.

FODERATUS, recentioris ævi Scriptoribus, de veſtibus dicitur, quæ pellibus onerantur ac ſuffulciuntur, Gall. *fourre*, an à Suecogermanico *foder*, ut vult Loccen. an à *fodero* ſeu *fodro*, quòd qui ad *fodrum* ſeu pabulationem proficiſcebantur, inde redibant rebus omnibus abundè inſtructi ac onerati, beneque *foderati* eſſe dicebantur? Eſt autem *Fodrum*, citimæ ætatis vox, notatque annonam militarem, ut habetur in *Vita* Ludovici Pii A. C. 796. ſeu, quæ præbebantur ad victum militum vel equorum, ut ſtramentum, & palea, cui inde apud Gallos *Feurre* appellatio manſit: ex Germ. *futter*, h. e. pabulum equorum &c. Vide C. du Freſne *Gloſſ.* Unde *Foderarii*, Gallis *Fourriers*, qui ad *fodrum* exigendum vel tollendum pergunt. Idem Salmaſ. *Foderarios*, eoſdem facit cum Hoſpitiorum Mareſchallis, Vett. que menſoribus, quorum officium ac munus fuit, Principi ac Comitibus ejus, & militibus hoſpitia præparare ac metari & ſingulis quibuſque domos deputare, & manu propriâ enotare poſtibuſque hoſpitaturi nomen adſcribere, *Not. ad Lamprid. in Alex. Sev.*

FODERE oculos digitis, extrema defenſio, ut patet ex non uno Plauti loco Aul. Act. 2. *ſc.* 2. *v.* 12. Captiv. Act. 3. *ſc.* 1. *v.* 4. Suet. *Domit. c.* 17. *Puer, qui interfuit cædi, hoc amplius narrabat, dejecto ad terram Stephano colluctatum diu, modo ferrum extorquere, modo quanquam laceratis digitis oculos fodere conatum.* Sed & *oculum digito eruere*, in rixa, ira, jurgiis, frequentiſſimum fuiſſe ſuo ævo, docet Mart. paſſim. Idem injuſtis Judicibus feciſſe Alexandrum Severum, apud Lamprid. legas, vide infrà ubi de *Oculis*. A verbo *fodere* dictæ.

FODINÆ, ſunt ex partibus Continentis, à Natura ipſa formatis, ut è gremio ſuo metalla, mineralia, aliaque in humani generis uſum, quotidianâ fœtificatione effundant. Auctor Anon. *Hiſt. Orb. Terr. Geogr. c.* 7. Cujuſmodi *Fodinæ* omnium metallorum, cùm innumeræ ſint in Imperio Sinico, eæque oppido divites, & copioſæ, aurum tamen, & argentum ne eruatur, lege patriâ cautum eſt, eò quòd noxiis exiſtiment terræ exhalantibus vaporibus in mineris paſſim interire homines, quorum vitam pluris, quàm metalla hæc (propter quæ Europæi & terrarum viſcera ſcrutamur evacuamuſque, & terræ ſuperficiem hominibus) à Principibus æſtimari, par eſt, Auctor Anon. *Sive & Eur. c.* 30. Certè, cuſtodes illi *fodinarum*, dæmonia crebrò laborantium oculis obverſantia, quod divitis venæ indicium foſſores habent, quid aliud quàm emiſſarii ſunt principis inferorum, qui *ſacram* hanc *auri famem* mortalium dum ſiſtere ſe velle ſimulant, immenſum augent, hominibuſque vel tantillum pietati aſſuetis meritò ſcrupulum injiciunt, terræ matris viſcera Neroniano planè auſu pertentandi. Eorum gratia quòd execrationibus, & fiſtulâ ſit abſtinendum, nil movet, cùm nota ſint illius ludibria, qui *ſeriam maximè rem*, hominem viz. uti cum vocare ſolitus eſt Zoroaſter, ludos facere pro lege habet. Vide ſuprà ubi de his *Dæmonibus*. De terminis verò Artis hujus technicis, dicemus aliquid infrà ubi de *Metallis*.

Indicem Fodinarum Varenius hunc exhibet.

Æris, inter alia, fodina inſignis eſſe ſcribitur in Inſ. Sumatra.

Argenti celeberrimæ ſunt in Angola fodinæ: Item in China, Chili, Cuba, Germania, Hiſpaniola, Japania; Java, Monomotapa, in Perſiæ montanis, Peruvia, Philippinis Inſul. Suecia &c. quibus etiam addere potes montes Siamenſes, & Sumatram inſ.

Auri ferax eſt Angola, Arabia, Guinea, littus Belgis *de Goudkuſte*, Hiſpaniola, Java, Monomotapa; Peruvia inprimis & Caſtella aurea, ut & Philippinæ inſ. Circa Quito urbem Peruviæ fodinæ plus auri quàm terræ largiri dicuntur: Similiter montes Siamenſes ac inſul. Sumatra aurifodinas largas poſſident.

Cupri multum in Cuba, Hiſpaniola, & Java reperitur: nullibi autem feracior cuprifodina hactenus innotuit; quàm quâ Suecia celebris eſt, in vaſto monte unius circiter milliaris, quem *den Kopperberg* incolæ vocant. Nec Germania hujus metalli parca eſt mater.

Ferrifodinas reperias in Cuba, Hiſpaniola, Java; Madagaſcaria inprimis: Item in Philippinis, Suecia, Sumatra &c.

Gemmeæ fodinæ illuſtrant Ceilanum inſ. Congi regnum, ut & Golcondæ, ubi plurimi adamantes: Gujanam, inſ. S. Mariæ, &c. circa *Portovejo*.

Smaragdinæ ſunt, in Peruvia &c. quibus adde regionem Chili. Vide *infrà*.

Marmorea fodina ingens, in regno eſt Congi, imo tota illa terra ſubtus creditur eſſe marmorea.

Plumbi ferax Germania eſt.

Salisfodinæ nobiles, in Africa, ubi ex ſpecuum ſalinis, velut marmor candidi, rubei & cinericii coloris effoditur: in Aſia min. ad mare Caſpium, non procul à Volga fluv. ubi inſ. Koſtowata; Hinc Ruſſi illud per totam Ruſſiam devehunt: in Cuba mons ſalſus eſt: in Hiſpania in regno Muſſilipatano Indiæ Coromandeliæ, ad urbem Baganaga: Ormuſia inſ. tota nil niſi ſal eſt: in Perſiæ monte *Kiliſſim*: in Peruvia, 18. mill. ab urbe Lima: in Polonia, ad Pochniam 4. mill. à Cracovia: in Tirolenſi Comit. Germaniæ, in Tranſſylvania &c. Quibus adjice nobilia Burgundiæ Comitatenſis ſalis promptuaria.

Stanni fodinæ in inſ. Madagaſcari non incelebres ſunt: Sic in montibus Siamenſibus, præter aurum, & argentum, non parum ſtanni provenire dicitur. Ut taceam antimonii vitrioli aliorumque mineralium fodinas, quibus Germania, Pedemontium &c. ſcatent. Argenti fodinas in Inſ. Chili incolæ demoliti ſunt, ut & auri atque gemmarum. Nec Arabia auri tam ferax ac olim; & in regno quoque Golconda gemmifera fodina in uſu non amplius eſſe perhibetur.

FOECIALES, à *fœdere faciendo* dicti, alias *Fidei Flamines*, cùm fœdus *fides* antiquis appellatum ſit, ut ex Ennio & Pighio *Septim. l.* 1. diſcimus, Sacerdotes erant apud Romanos, qui bellum denuntiabant, pacemque proclamabant, à Numa Pompilio primitus inſtituti, Pomp. Lætus *de Sacerd.* Horum officium erat Romanis injuſtum omne bellum diſſuadere; quibus ſi illata eſſet aliunde injuria, ad illam gentem Legati ibant, petitum, ut Romanis ſatisfieret. Quòd ſi verò illi triginta dies obſtinati manſiſſent, emiſſâ in hoſticum ſagittâ bellum denuntiabant clarâ voce, unde *Clarigatio* dicta. Alii illos ariete in hoſtilem terram dimiſſo idem ſignificaſſe ajunt, unde Prov. *Arietem dimiſit*. Denotabat autem hic aries, agrum, quem hoſtes nunc poſſiderent, brevi Romanorum gregibus armentiſque in paſcua ceſſurum. Tum Imperatore exercitus Rom. deſignato jurante, ſe officio fortiter fideliterque functurum, illi ſacrificio Diis oblato, horum ab ejus capite iram avertere conabantur. Præcipuus illorum *Pater-patratus* dicebatur, i. e. perfectus Pater, ut qui non ſolùm ipſe jam Pater eſſet ſuæ prolis, ſed adhuc ſuum in vivis patrem haberet. Vide Dionyſ. Halicarn. *l.* 2 Serv. *Æn. l.* 2. Eraſm. *Adag.* &c. ut & ſuprà in voce *Fetiales*.

FOECUNDITAS, inter Numina Romanorum, teſte Tacit. *Ann. l.* 15. ubi ob natam Neroni filiam templum *Fœcunditati* decretum memorat. Eidem nummos cuſos, docet Bartholin. *de Puerperio vett.* Simile quid ara fuit, in Treveris, cui inſcriptum:

OB AGRIPPINÆ
PVERPERIVM.

indigitata Suet. *Calig. c.* 8. Vide ſuprà ubi de Gentil. *Diis*.

FOEDERATÆ Civitates, vocabantur olim, quæ neque Coloniæ, neque Municipia, neque Præfecturæ eſſent, interim ex fœdere Populo Rom. aliquid deberent. Hæ in cæteris liberæ ſuam Remp. ſuas leges & ſuos Magiſtratus habebant: Itaque Senatus Populique in iis oppidis, ut in liberis civitatibus, memoriam uſurpari videmus. Caruêre autem jure civitatis Romanæ, unde ex *Fœderatis* civitatibus multos nominatim civitate donatos legimus. Cæterùm harum aliquanto uberior, quam aliorum oppido-

pidorum, in Imperio Romano, numerus extitit: ſiquidem omnia Italiæ oppida præter prædicta, in hunc cenſum venêre, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 22. At

FOEDERATI, in *Novella* Valentiniani *de Reddito jure arm. Magiſter militum Sigis vultus tam militum, quam* fœderatorum, *tuitionem urbibus ac littoribus non deſinet ordinare*: Barbari ſunt, qui Romanis merebant, & Militibus, qui propriè Romani erant, contradiſtinguebantur; quorum meminère etiam Julian. Anteceſſor *c.* 87. Procop. *Vandal. l.* 1. *c.* 11. & 19. & *Goth. l.* 3. *c.* 31. & 33. Harmenopolus *l.* 4. *tit* 12. Alii, imprimis verò Gothi, qui à Conſtantino Mag. primùm conducti, id nominis ſortiti ſunt. Jornand. *de Rebus Get. ac iis p.* 102. *Qui fœdere inito cum Imp.* 40. *ſuorum millia in ſolatia contra varias gentes obtulêre, quorum & numerus, & militia uſque in præſens in Republica nominantur, i. e. Fœderati.* Vide Suid. in voce φοιδεράτοι Sidon. *l.* 1. *Ep.* 8. Olympiodor. apud. Phot. *p.* 179. &c. His qui præerat, *Comes Fœderatorum* dictus eſt, de qua dignitate vide ſuo loco, ut & C. du Freſne *Gloſſ.*

FOEDUS, vel à FIDE, quòd in fœdere interponatur fides, Feſt. vel, quòd in eo *fœta* porca *fœdè* & crudeliter feriretur; vel à *Fœcialibus*, i. e. Sacerdotibus, per quos olim *Fœdera* fiebant, Gr. σπονδὴ, à libando, item συνθήκη, συνθεσία appellatum, obligatio mutua eſt inter diverſas Reſpublicas, ad ferenda invicem certis conditionibus auxilia, Wendel. *Doctr. Pol. l.* 2. *c.* 27. Percuſſêrunt vero *Fœdus* Romani, teſte Liv. in hiſtoria Tulli Hoſtilii, *l.* 1. *c.* 24. hoc modo: *Fecialis Regem Tullum ita rogavit: Jubeſne me, Rex, cum patre patrato populi Albani fœdus ferire? Jubente Rege, Sagmina, inquit, te, Rex, poſco. Rex ait, puram tollito: Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit, poſtea Regem ita rogavit. Rex facisne me tu Regium nuntium populi Romani Quiritium? vaſa comitesque meos? Rex reſpondit: Quod ſine fraude mea populique Romani Quiritium fiat, facio. Fecialis erat M. Valerius, is Patrem patratum Sp. Fuſium fecit, verbenâ caput capilloſque tangens (pater patratus ad juſjurandum patrandum, i. e. ſanciendum fit) fœdus, multiſque id verbis, quæ longo effata carmine, non operæ eſt referre, peragit. Legibus deinde recitatis: Audi, inquit, Jupiter, audi, pater patrate populi Albani, audi tu Populus Albanus, ut illa palàm prima poſtrema ex illis tabulis cerave recitata ſunt, ſine dolo malo: utique ea hîc hodie rectiſſimè intellecta ſunt illis legibus, populus Romanus prior non deficiet: ſi prior defexit publico conſilio, dolo malo, tu ille die Jupiter populum Romanum ſic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam, tantoque magis ferito, quanto magis potes polleſque. Ubi dixit, porcum ſaxo ſilice percuſſit.* Hæc vetuſtiſſimi apud Romanos *Fœderis* memoria eſt. Polyb. de *Fœdere*, inter Carthaginienſes, & Romanos ſancito, loquens, Romanos ait in fœderibus faciendis, juraſſe Jovem lapidem, ac per Martem, & Enyalium, hoc modo: *Fecialis ſumpto in manus lapide, poſtquam de fœdere inter patres convenerat, hæc verba dixit: Si rectè ac ſine dolo malo hoc fœdus, atque hoc jusjurandum facio, Dii mihi cuncta felicia præſtent: Sin aliter aut ago, aut cogito, cæteris omnibus ſalvis in propriis patriis, in propriis legibus, in propriis Laribus, in propriis templis, in propriis ſepulchris, ſolus ego peream, ut hic lapis è manibus meis decidet. Nec plura locutus, manu lapidem dejiciebat.* Feſtus verba hoc modo refert: *Si ſciens fallo, tunc me. Dieſpiter ſalvâ urbe arceque bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem.* Solebant autem *Fœdera* ſua Romani, ut & reliqua acta publica, in mappis linteiſque libris exarare & in Templis reponere. Unde Liv. *l.* 4. *c.* 7. *Prætermiſſa nomina Conſulum horum. Licinius Macer auctor eſt, & in fœdere Ardeatino & in linteis libris ad Monetæ inventa.* Vide quoque ſuprà *Diana.* Similiter apud Græcos uſitatiſſimus fuit in *Fœderibus* ſanciendis ſacrificii ritus: mactabaturque plerumque porca fœta, ut ſuprà de Romanis viſum. Und phraſis nota, *Ferire, icere, percutere fœdus.* Imò antiquiſſimum hunc ſacrificandi modum eſſe, ex Sacris dilucet, ubi *diſſectis per medium victimis, & dimidiatâ cujuſque parte è regione ſuæ alterius poſitâ*, partes, fœdus contrahentes, ſic pertranſiſſe illas, innuitur Geneſ. *c.* 15. *v.* 10. Hinc Deus apud Jerem. *c.* 34. violatores fœderis ſecum initi ſic alloquitur: *v.* 18. *Tradam homines iſtos qui tranſgreſſi ſunt fœdus meum, quod pepigeram coram me, quum tranſivêrunt inter dimidiatas partes ejus vituli, quem diſſecuerant in duo & v.* 20. *in manus inimicorum ipſorum.* Significabatur enim hac cerimoniâ, illos qui *Fœdus* hoc pacto feriiſſent, illo violato dignos eſſe, qui, quemadmodum victimæ hæ, ita & ipſi in partes diſſecarentur. Scythæ, Armenii & vett. Germani mutui ſanguinis hauſtu iniêrunt firmaruntque fœdera: Et Armenii quidem dextris manibus ſanguinem miſſum invicem ſorbuêrunt; Germani verò vett. ſanguinem è ſectis frontibus manantem in poculis miſcentes bibêrunt. E brachio acinace ſanguinem elicuiſſe, eoque hauſto fidem Henrico Andio Regi ſuo, Polonum quendam nobilem, teſtatum eſſe, præterito demum ſeculo, memorat *in Hiſt.* Thuan. Frequentiora apud Vett. *Fœderis* ſymbola fuêrunt ſal & panis, quorum uſu eſuque ſignificarunt, non minùs neceſſaria eſſe vitæ humanæ fœdera, quàm ſalis paniſque eſum. Hodie dextrarum porrectio, & juramentum in fœderibus ſanciendis in uſu eſt, &c. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. paſſim.*

FOELICINUM, opp. Lombardiæ Ciſpadan. in Marchionatu Montisferrati.

FOELICISSIMUS, Fiſci Procur. ſub Valerio Aureliano Imp. Monetariorum turbas movit, quæ prudentiâ Imperatoris. brevi compoſitæ, A. C. 276. Vopiſcus. Victor. *Eutr.*

FOEMINA, an à mollitie *feminis* vel femoris, ut Scalig. vult Ling. Lat. *c.* 79. an à *fœtu*, quem ſc. concipit, parit, educat; aut pleniùs à *fœtu minando*, i. e. ducendo dicta, non minùs, ac melior ſexus, Deum auctorem habet, è coſta formata viri: adeoque unà cum illo, ut imaginis divinæ, ſic futuræ gloriæ, particeps eſt: *Servabitur enim* teſte Apoſtolo 1. Tim. *c.* 2. *v.* 15. *liberos gignendo, ſi permanſerit in fide ac charitate, & ſanctificatione cum modeſtia.* Ubi primarium ejus in natura, & converſatione humana officium indigitatur, prolem nempe concipere, & conceptam fovere, de quo vide infrà in voce *Puerperium.* Cæterum, poſt lapſum, illi *natura eſt inſida, ſuſpicax, inconſtans, inſidioſa, ſimulatrix, ſuperſtitioſa, cui ſi potentia adjuncta eſt, fit intolerabilis*, J. C. Scalig. *Poët. l.* 3. *c.* 14. De naturalibus ejus, aliiſque huc pertinentibus, diximus quædam ſuprà in voce *Filia*: reliqua habes in vocibus *Puella, Pucla, Sponſa, Uxor, Puerpera* &c. Hîc operimenta ejus à capite ad calcem ex Antiquitate, utcunque eruemus: quibus ſexui huic omnino opus, poſtquam nudatâ per lapſum juſtitiâ originali animâ, corpus nudum eſſe & pudor & externæ prohibuere injuriæ. Et quidem, caput *Feminæ* quod attinet, ei tegmen quo operiatur congruere, Apoſtolus diſertè tradit. 1. Cor. *c.* 11. *v.* 6. *Si non operitur mulier, etiam tondeatur: quod ſi turpe mulieri tonderi aut radi, veletur.* Proin Tertull. *l. de cor. mil. c.* 14. *humilitatis femineæ ſarcinam*: Concilium Gangr. *ſubjectionis memoriam*: Chryſoſtomus in 1. Cor. *c.* 11. *ſignum muliebris ſubjectionis*, hoc tegmen vocant. Et ſemper id tulit gentium benè moratarum uſus. Apud Hebræos enim, jam à gentis origine, velaminibus contegi *Feminarum* capita, ex uſu fuiſſe, patet ex Geneſ. *c.* 20. *v.* 16. qui deinceps quoque tenuit. Unde iterum Tertull. *de cor. mil. c.* 4. *Apud Judæos tam ſolenne eſt feminis velamen capitis, ut inde dignoſcantur.* Idem apud alias quoque gentes in more poſitum fuit. Ariſtotelejus Græcæ mulieris caput mitellâ textili opertum repræſentat ... *l.* 7. Romanas *Feminas* velato capite proceſſiſſe, ſicut mares nudo ac aperto, teſtis eſt Plutarch. *c.* 14. *Rom.* Idque adſtruunt exempla Liviæ, Marciæ, Fauſtinæ, quas nummi antiqui capite obducto repræſentant, addito lemmate: PUDICITIA. Poppæam quoque Sabinam, Neronis conjugem, nonniſi velatam, in publicum prodiiſſe, tradit Tac. *Ann. l.* 13. Imo C. Sulpitii Galli uxorem à marito rejectam, quòd capite aperto foris verſatam cognoviſſet, refert Val. Max. *l.* 6. *c.* 3. Inſuper barbaris mulieribus perpetuum fuiſſe, caput tegere, Tertull. auctor eſt *de vel. Virg. c.* 17. & Arabicas mulieres, non caput modò habuiſſe tectum, ſed & faciem ſuo quoque tempore, teſtatur Hieronym. *in Eſ. c.* 4. Hinc apud Chriſtianos, hujuſmodi velamentum nubentibus eſſe jam olim adhibitum, diſcimus ex Ambroſio *de Virg. l.* 3. &c. Velamentum autem capitis, *Feminæ* vel commune cum viris habebant; ut erat capitis tegmen, quod Neophyti in Baptiſmo acceptum per octiduum olim geſtabant: vel peculiare, quod vel Natura ipſa ſuppeditavit, vel ars conficere docuit. Prius *coma* eſt ipſa, *quam mulieri pro velamine datam eſſe*, Apoſtolus *c. ſuprà laudato v.* 15. ait. Poſterioris generis fuêre varia, de quibus hîc.

Operimenta Feminei capitis varia.

Calantica, Lyrano *Cuffa*, Gallis *une Coiffe*, eadem cum *Mitra* fuiſſe eruditis videtur: de qua mox.

Caliendrum, in ſupellectile Dearum recenſitum, ab Arnobio Regillum, & Calyptra Dearum exponitur Adr. Turneb. *Adverſ. l.* 13. *c.* 27.

Calyptra, propriè erat Reginarum tegmen: unde agri in Perſide, cui nomen *Reginæ calyptra*, eo quòd illius proventus Reginæ in calyptræ ſumptus attributi fuerant, meminit Plato *in Alcib. I.* Idem cum Regillo eſſe videtur.

Flammeum tegmen fuit, quo Matronæ nubentes capita operiebant, teſte Nonio & Tac. *Ann. l.* 15. *c.* 37. Vide ſuprà in voce *Flammeum.*

Mavorte ſeu Mavortium, idem cum Ricinio, ſecundùm Nonium, Suid. cum Cridemnone idem eſſe ait. Tegmen erat latius, quàm ut caput ſolùm operiret. Vide infrà in voce *Mavorte.*

Mitella, quaſi parva *Mitra*, quòd mitrâ matronarum eſſet anguſtior, Virginum ſacrarum apud Afros, olim integumentum erat; cui aurum intexebatur, ut colligere eſt ex Optato *l.* 6. qui purpurâ illud tinctum fuiſſe ait

Mitra aliquando ſonat capitis redimiculum, è quo pendebant faſciolæ, *Phyllæ* dictæ, propriè tamen integrum muliebris capitis tegmen notat: quod cum Calantica idem faciat Lyranus *Judith. c.* 10. *v.* 3.

Pallium quoque femineum, quia prælongum & laxum erat, caput quandoque operiebat. Ut de Rebecca legimus Geneſ. *c.* 24. *v.* 65. ubi tamen alii *Peplum* reddunt: θέριστρον alii.

Peplum, Hebræis mulieribus à capite ad calcem geſtari ſolitum; faciem totumque Virginum corpus cooperiens. *Peplum æſtivum* Pollux θέριστρον Græcis dictum vocat.

Regillum, capitis Reginarum tegmen, cum Calyptra idem eſſe ſuprà diximus. Vide quoque *Caliendrum.*

Ricinus vel Ricinium, ab eo quòd poſt tergum rejicitur, teſte Servio in *Æn. l.* 1. idem cum Mavorte.

Stola, caput quoque muliebre velavit, teſte Iſid. *l.* 19. *c.* 25. ſimulque ſcapulam cooperiens, à dextro latere in lævum humerum miſſa. Eadem Ricinium & *Mavortem* dicta.

Theriſtrum Gr. θέριστρον, Polluci *Peplum æſtivum*, fuit nuptiarum amictus, unà cum capite faciem Virginum abſcondens; Pudicitiæ id ſignum fuiſſe, & humeros texiſſe, docet Hieron. *Ep. de ſuſpect. contubern.* Imò totum corpus cooperuiſſe, ex Gen. *c.* 38. *v.* 14.

Velum, in ſpecie, dicebatur ſacrarum Virginum operimentum; quod paulo diverſum erat à velamine, quo velabantur Deo conſecratæ, integebantur: fiebatque non de ſerico, ſed de tincto aliquo, luteo panno, ut docet P. Abælardus *Ep.* 8.

Vittæ, ſive Matronales multiplices, ſive Virginales ſimplices, ornamenta potiùs capitis quàm tegmina erant, ... moſis mulieribus penitùs interdictæ &c. Addi poteſt κρήδεμνον velum, ad humeros uſque demiſſum, quod ne ventis decuteretur, capiti ligaculo quodam obligabatur. Vide Solerium ... *lco.*

Reliquum corpus, ad pedes uſque, pelliceâ primùm tunicâ, ab ipſo Deo, in horto Edenis, ſtatim poſt lapſum, confecta Gen. *c.* 3. *v.* 21. obvelatum fuit. Apud Romanos, primis Urbis temporibus tam viros, quàm *Feminas* in toga inceſſiſſe, docet nos apud Nonium Varro *de vita Popul. Rom.* & quidem honeſtiores tum matronæ toga utebantur *clavo aureo prætexta*, auctore Feſto. Poſtmodum probroſis tantùm feminis ceſſit: remanſitque apud *Feminas* honeſtas ingenuaſque tunica; quam & *Stolam* dixêrunt, ad talos uſque demiſſa, cujus imam partem inſtita ambiit ſeu ſegmenta aut limbi aurei: hæc manicata ſive manuleata quoque fuit & multis rugis ac plicis conſtricta, totum corpus, ſolâ facie exceptâ, operuit. Ei injiciebant *Pallium* Virg. Æn. *l.* 1. *v.* 652. ſive

Pallam ſignis auroque rigentem.

quæ propriè veſtis muliebris erat, deducta uſque ad veſtigia, *Serv. ad Virg.* rugiſque vibrantibus ſinuata. Id Præter hanc amiculum quoque gerebant, pullà quidem brevius, ſic tamen, ut, ſi pars ejus lævo brachio aut humero non ſuſtineretur, fluere, & trahi neceſſe haberet, Plaut. *Paenulo Act.* 1. *Sc.* 2. Ut de Ricinio, Cyclade aliiſque id genus nihil addam. Eouſque enim tractu temporis muliebris proceſſit luxus, ut nec veſtibus, nec artificibus, circa illas conficiendas occupatis nec miniſtris miniſtrabuſque numerus moduſque maneret, vide paulò infrà. Priùs tamen paucis monebo, ex lana linoque poſt pelles ſuprà memoratas, contextis veſtibus muliebrem aliquamdiu acquieviſſe modeſtiam, donec holoſericæ byſſinæ, bombycinæ, pellucidæ, ſuadente maleſanâ ambitione, iis ſucceſſêre: In quas ita invehitur Senec. *de Benef. l.* 7. *c.* 9. *Video ſericas veſtes, ſi veſtes vocandæ ſunt, in quibus nihil eſt, quo defendi aut corpus aut denique pudor poſſit, quibus ſumptis mulier parum liquidò nudam ſe non eſſe jurabit* &c. Quantus fuerit Romæ olim muliebris ille in veſtibus luxus, etiam nondum ſubactâ Aſiâ, nondum orbis ſpoliis ac peregrinis delitiis bellicoſâ Martis gente emollitâ, docet Senex ille Plautinus *in Epidico Act.* 2. *Sc.* 2. *v.* 39. & ſeqq. quem vide, & Oct. Ferrar. *ad l.* In ipſum Dei populum quanta circa hæc inſania irrepſerit, accuratè annotavit Eſaias *c.* 3. *v.* 17. & *ſeqq.* Ad pedes deſcendo, quos ut ſpinæ tribulique peccati vindices, lancinare cœpêrunt, de calceis cogitatum eſt. Hos è cæſorum animalium pellibus primò omnium conſarcinatos fuiſſe, ex Gen. *c.* 3. *ſupr. laud.* haud obſcurè liquet. Unde & Mart. Romanorum calceum *lunarum pellem* vocat, *l.* 2. *Epigr.* 49. Et quidem crudæ primùm pelles adhibitæ fuêre, poſtmodum concinnari tingique cœpêre: è papyro dein, ſparto, junco, ligno, ferro, ære, aliaque materia confecta ſunt hæc contra veprium aculeos remedia: ut de auro, argento, gemmis, linteo, ſerico, &c. Nihil addam. Apud Romanos eodem primò cum viris modo calceabantur *Feminæ*, niſi quòd illi colore nigro, hæ albo priùs; poſtea purpureo illi uterentur, Impp. inprimis, hæ & cereo & hederaceo & mulleo & rubeo &c. Imò quantùm curioſum hoc genus, cùm luxuriæ agitatur genio, experiri omnia velit, ex eo non minùs olim patuit, quod in calceorum genera virili ſexui propria ac peculiaria, *Perones* etiam, quod mirere, manus quoque injecerit: quo factum, ut Tertull. eos *effeminatorum* epitheto inſigniat, eorumque *ſutrinam Veneream* appellitet, cùm aliàs ruſticorum præcipuè aut peregrinorum eſſent, ex crudo corio ſine ulla arte, ad nivem pluviamque arcendam comparati, vide Balduin. *de Calceo*, nec non infrà ubi de *Subere*.

Calceorum Femineorum varia genera ex Polluce & Balduino.

Acroſphyria, vide Poll. *in Onom.*

Ambracides, Amphiſphyra, Aphracta, ibid.

Baucides, croceo colore pretioſoque cultu inſignes, Ionicis mulieribus in uſu erant.

Baxeæ, purpurâ tingi ſolitæ: eædem cum Crepidis.

Blautæ, ſeu *Blaudes*, ſ. *Blaudiæ*, idem quod crepidæ ſ. ſoleæ.

Canabia, vide Polluc. *in Onom.*

Cothurni Tragœdorum etiam feminis ceſſêre, quibus hodieque in Gallia paſſim Hiſp. & Italia nobiliores feminæ utuntur. Gall. *Patins.* Unde de maritis dicterium: *Eos dimidium ſolùm uxorum ſuarum in lectis genialibus amplecti, altero dimidio cum calceis ſepoſito.*

Crepidæ, craſſiores paulò ſoleæ, pedibus calceandis ita inſerviebant, ut ſuperiorem illorum partem nudam relinquerent. Græcis propriè in uſu. Conſtitêre illæ duplici triplicique corio ſimul compacto, unde *argutæ* dictæ.

Diabathra, viris mulieribuſque communia erant.

Endromides, Dianæ venatrici & curſoribus ſingularem præbuêre calceatum.

Eumarides, utrique ſexui communes Gall. ſoles è ligno habuére, crepidis non diſſimiles, Gallis uſitatæ.

Gymnopodia, vide infrà.

Meſoperſicæ, Pollux *in Onom.*

Mullei, à rubro colore dicti, etiam feminis uſurpati ſunt: ut patet ex illo Perſii: *Solea puer objurgabere rubra.*

Noſides, Nudipedia, Nyctipedes, } vide Poll. *in On.*

Nymphides, ſponſalia erant calceamenta.

Opiſthocrepidæ, vide Poll. *in On.*

Pedila, communia utrique ſexui variis eximiiſque coloribus erant picturata.

Peribarides, proprium ancillis calceamenti genus.

Perones, ruſticum ac peregrinum calceamenti genus, feminarum quoque ceſsêre libidini, ſed eorum aſpera ruſticitate in molliorem elegantiam immutatâ.

Phittacides, vide Poll. *in Onom.*

Rhadiæ, ſandalii ſpecies; quòd facilè induerentur, vel præ tenuitate convolverentur, aut invertterentur, ſic appellatæ.

Sandalia, muliebre calceamenti genus pulchrum, & elaboratum. Colore enim inſici, auro induci, tenuibus inciſuris diſpungi, gemmis etiam aliiſque id genus ornamentis inſtrui ſunt ſolita.

Seleucides, vide Poll. *in Onom.*

Soleæ, plantarum calces, aut ſi mavis, pedum plantas tantùm infrà tegebant, cœteriſque propè nudis, teretibus habenis jungebantur, ut ait A. Gell. *l.* 13. *c.* 21. Similes crepidis, niſi quòd ſimpliciores eſſent, cùm crepidæ duas vel tres ſoleas ſimul compactas haberent. Earum uſus pro civili uſu *Feminis* inprimis familiaris fuit: tegmen habebant nullum, pedibuſque habenatum corrigiarumque beneficio aptè adſtringebantur. Per convivia tamen publicaque ſpectacula etiam viri apud Romanos fuêre ſoleati.

Sicyonia, calcei erant delicatioris cultus, & amatorii: quos à candore & tenuitate deſcribit Apulejus: quibus adde, diſpunctionibus menſuriſque variè ac artificioſè fuiſse diſtinctos. Unde *multiformis* hic calceus Tertull. dictus eſt *L. de vel. virg. c.* 12. & plano ac uniformi, quo modeſtiores uti ſolebant, oppoſitus.

Tyrrhenica, quæ & Sandalia, loris mauratis variegatiſque fuêre inſignia, quibus Minervam ſuam Phidias induit.

Uncinati calcei, Romanorum antiquiſſimi, ab unco, cujus propter acumen reflexum ſimilitudinem referebant, appellati: utrique ſexui erant in uſu. Unde Junonis Soſpitæ ſimulacrum non aliis unquam ornatum fuiſse docet Cic. *l.* 1. *Div. c.* 2. & 44. &c.

Hæc de veſtitu *Femineo*, quem *immundum muliebrem* dici vult Tertull. *l. de Hab. Mul.* poſtquam auro, argento, & gemmis luxuriare cœpit: Quanta de ornatu addi poſsent, qui in cura capilli & cutis & earum partium corporis, quæ oculos trahunt, occupatur. Quanta de mundo hujus ſexus, quem à cultu, & ornatu quidam diſtinguunt, *ex l.* 25. *ff. de aur. & argent. leg.* quoque contineri volunt ſpecula, matulas, unguenta, vaſa unguentaria, & ſi quæ ſimilia dici poſsunt, veluti lavatio riſcus &c. Sed de his aliàs. Non poſsum tamen non addere tum artificum, quorum induſtriam muliebris delaſsavit luxuries; tum miniſtrorum, quarum patientia domi, illarum abuſa eſt ambitio, ſuccinctam ſeriem. De prioribus vide Plaut. in *Aulul. Act.* 3. *Sc.* 5. quæ omnia explicata dat Octav. Ferrar. *de Re Veſt. l.* 3. *c.* 21. & infrà ubi de vett. re *Veſtiaria*. ubi & de infinitis veſtium feminearum apud Romanos generibus, ex ejuſdem comici *Epidico*. Poſteriores ſuggerit Pignor. *de Servis*, ubi mollem hanc, & delicatam legionem prolixè luſtrat. Jam enim apud Tac. *Ann. l.* 3. *c.* 33. Severum Cæcinnam conqueſtum legimus, *Ineſſe mulierum comitatui, quæ pacem luxu, bellum formidine morentur, & Romanum agmen ad ſimilitudinem barbari inceſſus convertant.* Et ſanè mater Juliani martyris, apud Surium *tom.* 1. *in publicum prodit cum innumerabili famulia utriuſque ſexus.* Nec hyperbolicè quidem locutus eſt Cæcina, ſi Amm. Marcell. *l.* 14. *c.* 6. audimus, qui Matronarum comites recenſet, Textrices, Coquos, Spadones & univerſum promiſcuè ſervitium. Et hùc reſpexit Juv. *Sat.* 6. *l.* 2. *v.* 417.

——— *Gravis occurſu, teterrima vultu,*
Balnea nocte ſubit, conchas & caſtra moveri
Nocte jubet.

ubi *Caſtra* appellat immodicum agmen, matronæ circumfuſum

Varia Feminei ſervitii officia ac nomina.

A. Admiſſionales dicti ſunt, qui ad interioris domus cubicula aditum faciebant. De quibus Horat. *l.* 1. *Serm. Sat.* 9. *v.* 56.

——— *Haud mihi deero:*
Muneribus ſervos corrumpam;

Adſtetrix, de qua Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 307.

——— *Aderat faciendis ſtrenua juſſis.*

Alumna, ad nutricum agmen pertinebat; cujus mentio apud Paulum JC. *leg.* 38. *ff. de fidei comm. liberi.* Amicæ, quarum greges conduxêre, ut divitias & opulentiam jactarent. De his Juv. *Sat.* 6. *l.* 2. *v.* 352.

Conducit comites, ſellam, cervical, amicas.

Ancillulæ ex Æthiopia, quemadmodum Mauros & Æthiopes ſervulos viri habuêrunt. Imò & his uſas eſse *Feminas*, docet Tibull. *l.* 2. *Eleg.* 6. *v.* 35. Anteambulatrices, ex officio præibant. Aquarii & Aquarioli, ex Eunuchorum numero, aderant lavanti dominæ, & quæ ad lympham, curabant. In hujus interioris tutelæ gratiam *Cuſtodes* dicti. Ab Argento potorio miniſtram habuit Livia, quæ illi vinum miſcuit & ad cyathum ſtetit. Atrienſes, Atrium tuebantur, perpetuò cirrati, ut patet ex Phædro *l.* 2. *Fab.* 5. *v.* 13. Auriculæ ornatrix: cujus meminit inſcriptio Romæ, *Juliæ Liviæ Aug. auricolæ ornatrix.* B. Baccariones, ex Eunuchis erant, dominæque miniſtranti lavabant. C. à Catellæ cura dicebantur, quæ nobiles Matronarum catulos curabant. Unde marmor, *Oſſa Aurel. Liviæ Aug. Ser. à cur. Catella* &c. Cathedralicii pueri, à Cathedris *Feminarum* appellati ſunt. De his Mart. *l.* 10. *Epigr.* 13. cujus epigraphe ad Tuccam.

Cùm cathedralitios portet tibi Rheda miniſtros, &c.

Cinerarii miniſtri, erant à cincinnorum ſtudio. Hi calamiſtros in cinere calefactos miniſtrabant: Iidem *Ciniflones* dicti. Comites, qui in publicum prodeuntem ſtipabant. Horum meminit Macrob. *l.* 2. *Sat, c.* 5. *Averterant in ſe populum in ſpectaculo gladiatorum Livia & Julia comitatus diſsimilitudine: quippe cingentibus Liviam gravibus viris* &c. Coqui, cum reliqua familia culinari gulæ ſerviebant. Coſmetæ & Ornatrices, muliebrem ornatum tractabant. Earum meminère Juv. *Sat.* 6. *l.* 2. *v.* 476. & Ulpian Mart. quoque *l.* 9. *Epigr.* 37. cujus epigraphe de Ganymede & Jove, ubi integram illarum officinam, *Comas*, *Pyxidem*, *Supercilia*, exponit. Cubicularii, cubiculi curam gerebant: Hi apud privatas *Feminas* Admiſſionalium vicem frequentius functi ſunt. Cunaria, infantes in cunis obſervabat. Vetus lapis: *D. M. Tejæ. Treptæ. Soror. Piiſsimæ. Cunariæ. Ruffinæ. V. V.* &c. Cuſtodes & Excubiæ in veſtibulis fuêre. Etiam Eunuchi lavantis Dominæ miniſtri, ob interiorem hanc tutelam ſic dicti ſunt. Diætarii ſeu Zetarii cœnationem, & locum, ubi gau-

dium ac hilaritas debacchabantur, curæ ſuæ commiſſum habuêre. E. Educator, ab educando nomen habuit. Ejus meminêre Juſtinian. *l.* 1. *Inſtit. tit.* 6. & Apulejus *Met. l.* 2. Eunuchi, in familia Palatina, Claud. *in Eutrop.* Carm. 18. *v.* 417.

Præfecti ſed adhuc gemmis, veſtique dabantur
Cuſtodes, ſacroque adhibere ſilentia ſomno,

Iidem mulierum pudicitiam tuebantur, dominæ lavanti aderant, flabello ventulum faciebant &c. præcipua pars mundi muliebris. Laurent. *in Phædr. l.* 4. *fab.* 5. *v.* 21. De his vide quoque ſuprà, in *Aquarii*, *Baccariones* &c. F. Flabelliferæ inter ancillas conſpicuæ erant. Licèt enim domi flabellum Eunuchorum fuit, tamen etiam mulierculæ alicujus nonnunquam. Unde, inter ancillarum officia, *flabellum tenere*, enumerat Hieronym. *in Epiph. Paulæ.* Fontani, pocillatorum turbæ annumerandi, quorum mentionem facit Mart. *l.* 7. *Epigr.* 49. cujus Epigraphe ad fontem Janthidos.

Fons Dominæ, Regina loci quo gaudet Janthis.

G. Gerula, aliquando eadem cum Nutrice, aliquando diverſa fuit. Ejus meminit Hieronym. *l.* 1. *adv. Jovinian.* & *ad Lætam*, ubi ait, *Habeat modeſtam gerulam.* I. Janitrices, & Janitores, fores obſervabant, quia ſordidum videbatur appenſo ut olim marculo eas pulſare. Vide infrà *Oſtiarii.* Internuncii, ut & Salutigeruli; apud parùm pudicas *Feminas*, portio comitatus earum fuêre. De quibus vide Juv. *Sat.* 14. *l.* 5. *v.* 28.

Ut non ter decies reſpiret? conſcia matri
Virgo fuit,

& Apulejum *de Deo Socr.* qui illos Græco nomine Δαίμονας vocat. L. Lanipendiæ, inter Lanificas penſa partiebantur, quando ea munera ſordere dominabus viſa ſunt. De iis Pompon. *Leg.* 32. *ff. de donat. inter vir. & ux.* Lecticarii, ſuccollabant, ſuppoſitis cervicibus, & dominam incedere nolentem geſtabant. Eorum meminit Senec. *Ep.* 110. M. Muliones quoque inter Matronarum miniſtros, quæ vehiculo carpentario, quod à junctis mulabus trahebatur, uti ſolebant. Id quale eſſet, indicant nummi nomine ac imaginibus Juliæ ac Agrippinæ Augg. ſignati. N. Nutrices re, & nomine fuêrunt, quæ natos infantes procurabant, de quarum officio vide Plaut. *Prolog. Pœnuli.* *v.* 28. Nomine tantùm, quæ diligentiam infantibus & munditiem adhibebant, ut loquitur vetus Gloſſ. ad illud Juv. *Sat.* 14. *l.* 5. *v.* 207.

Hoc monſtrant vetulæ pueris poſcentibus aſſem.

Pertinent huc, Bajuli, Geruli, Gerulæ, Nutricii & Nutritores. O Obſtetrices, opem parientibus ferebant, vetus Inſcr. *Saluſtia. Q. L. Imeria. Obſtetrix.* Ornatrices, ornatum tractabant: quod artificium ut probè addiſcerent, Magiſtris tradi conſuevêre. *Illis* autem *cura ſui vultus frontiſque decoræ Semper erat, tortoſque in flexum ponere crines, aut nodis revocari* &c. Manil. *l.* 5. Auriculæ Ornatricis, Galeæ Ornatricis, à Tutulo Ornatricis vett. Inſcriptiones meminérunt. Oſtiarius, ad oſtium excubabat: Fuit autem is catenatus, & repellebat vel admittebat quos viſum erat. P. Pediſſequæ, in publico incedentem ſequebantur, ſicut Anteambulatrices præcedebant. Mart. *l.* x. Epigr. 74. cujus epigraphe ad Romam Capella *l.* 2. *Periergia verò aliis comitata Pediſſequis* &c. Hæ pueros quoque prodeuntes cum comitibus ſtipabant. Q. Quaſillariæ à quaſillo ſeu calatho dictæ. Petron. Edit. Gonſali de Salas *p.* 76. Edit. Boſch. *c.* 92. *Nec contenta mulier tam gravi injuria mea, convocat omnes Quaſillarias, familiæque ſordidiſſimam partem ac me conſpui jubet.* S. Salutigeruli vide ſuprà *Internuncii.* Sandaligerulæ, & i. e. ſandalium Dominæ pedi vel addebant, vel demebant: etiam aliquando præferebant. Non raro enim aurea erant hæc calceamenta, & margaritis internitebant. Talis erat, è cujus manu lavantis Dominæ calceum corripuit aquila, ut demitteret Memphi in gremium Pſammetychi Regis. Item Vitellius qui *pro maximo munere à Meſſalina petiit, ut ſibi pedes præberet excalceandos*, apud Suet. *in eo c.* 2. Sarcinatricum mentionem facit Cajus JC. *L.* 27. *ff. de peculio.* Silentiarii, ex Eunuchorum numero, non in Palatio ſolùm, ſed & in familia privata fuêre, teſte Salviano *l.* 4. *de Gub.* Hos *quietis miniſtros* dixit Procop. *de bello Perſ. l.* 2. ad Somnum dicti miniſtri, prioribus affines fuêrunt. Eorum meminit Curt. *l.* 6. T. Textrini mentionem facit Amm. Marcell. *l.* 14. *c.* 10. & Caj. JC. *l.* 27. *ff. de pec.* Topiarii hortos exornabant, hederâ, myrto, lauru, chamædaphne, buxo, adiantho & ejuſmodi generis aliis. Eorum meminit Plin. *l.* 21. *c.* xi. Inſcr. vetus: *Lucrio. Aug. Topiario. ex Hortis* &c. à Tutulo, dicebatur Ornatrix, quæ hujus tegminis ſeu ſuggeſtus crinium curam gerebat. Romæ olim in Muſeo Carpenſi: *Aponiæ. Succeſſæ. à Tutul. Ornatr. C. Batonius. Epigonus. Atrienſis.* Vide plurà infrà in voce *Tutulus.* Vide Vehicularii, in varia diviſi erant genera. Ex iis enim fuêre. *Baſternarii*: Poſtquam enim carpento Magiſtratus uti cœpêre, inde factum eſt, ut Matronæ ad Baſternas ſeſe reciperent. *Carrucarii*, dicebantur Burdones, qui carrucam Matronarum dormitoriam geſtabant: *Muliones Carrucarii* quoque appellati apud Capitol. *in Max. Jun.* *Ciſiarii*, à ciſio, quod vehiculi biroti genus fuit, nomen habuêre, *L.* 13. *ff. loc.* *Junctores* jungebant rhedam equis vel mulis: Eorum meminit Alfenus apud Curopalatem. *Lecticarii*, vide *ſuprà*. *Muliones*, ſimiliter. *Rhedarii*, rhedas curabant: De quibus Cic. Vide *in Miloniana.* Velarii, à velis accepere nomen, quæ in palatio fuêre frequentia: Inſcr. Romæ, *Ti. Cl. Thallus. Præpoſitus. Velariorum. Domus. Auguſtæ.* Eadem in privatis ædibus, tum ut viſum arcerent, tum ut venerationem conciliarent. Mart. *l.* 1. *Epigr.* 35. cujus Epigraphe ad Lesbiam.

At meretrix abigit teſtem veloque ſeraque.

Veſtiplicæ, quid muneris obierint, ex ipſa voce dignoſcitur. Earum meminit Fabius major *Declam.* 363. Alii *Veſtiſpicas* illas dictas eſſe, à veſte ſpicienda, ex Plauti *Trinummo Act.* 2. *Sc* 1. *v.* 22. contendunt. Quibus ex veteribus monumentis non malè *Veſtiſpicas* & *Veſtificas* annumeres. Roſimunda Alboini *Veſtiariam* habuit, teſte Diacono *de Geſt. Longobard. l.* 2. *c.* 28. Umbelliferæ ut Ovid. de arte Am. *l.* 2. *v.* 209. loquitur.

Ipſe tene diſtincta tuis umbracula virgis:

Quod inſolens & ignominioſum in Athen. notat Æl. *l.* 6. *c.* 1. cùm [illegible] nempe inquilinorum puellas adigerent σκιαδηφορεῖν ἐν ταῖς πομπαῖς. Præter has omnes, ancillas negotiationi à dominabus fuiſſe præpoſitas teſtantur JCti, *L.* 7. & 8. *ff. de inſtit. act. L.* 5. §. 2. [illegible] *tribut. act.* &c.

Apud priſcos porrò *Feminæ* formâ præſtantes, ſuper coronam, victoribus in præmium cedebant. Ita enim Hercules, velut ſingulare quiddam, prædicat, ubi præmia ſibi donata recenſet,

——— γυνὴ δ' ἐπ' αὐτοῖς εἵπετο.

Mulier verò ſuper ipſis ſequebatur;

apud Euripid. *Alceſt. Act.* 5. Et cùm Trojâ captâ ſuis ducibus præmia diſtribueret, Telamoni Heſionem dedit idem, teſte Xenoph. *de Venat.* Ipſæ tamen Olympiis intereſſe vetitæ, qua de re vide [illegible] tata ex Pauſ. Bernartio & Barclajo, *ad Stat. Theb. l.* 1. *v.* 424.

——— *Excluſaque expectant præmia matres.*

Adde Val. Max. *l.* 7. *c.* 16 & Ælian. *Var. l.* 10. *c.* 1. Interim ex ejuſdem Pauſ. *Laconicis*, equeſtri aut curuli certamine, non ſolum admiſſas ad Ludos *feminas*, ſed etiam Olympionicas, fuiſſe, [illegible] Barth. *Animadverſ. ad d. Stat. locum.* Et per Auguſtum eidem ſexui ſuperiora loca ſunt aſſignata, omnibus in Ludis atque Spectaculis, præter Athletica, & Ferarum certamina, teſte Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 21. cùm anteà viris mixtæ ſpectarent. Quemadmodum apud eoſdem Rom. eodem modo antiquitus lavabant, uti diximus ſuprà, ubi de *Balneis mixtis*; more tandem *Novella* Juſtiniani 117. ægrè coërcito. Plura de illis earum viz. *coronis*, vide apud Car. Paſchal. *in Coronis* [illegible] *paſſim*; *luxu*, præter dicta, apud Plin *l.* 33. *c.* 12. *ornatu*, eundem *l.* 32. *c.* 4. *oſculo* illis figi ſolito, iterum *l.* 7. *c.* 13. *radendi malas* [illegible] *re*, in funere, *l.* 11. *c.* 37. *ſtatuis*, *l.* 34. *c.* 6. *ſucceſſione in Regnis*, Hug. Grot. *de Jure Bell. & Pac. l.* 2. *c.* 7. §. 12. aliiſque huc pertinentibus apud alios innumeros (ut quorum de hoc Sexu agentium, in ſola Bibl. olim Mazariniana, numerum ad 400. aſcendiſſe accepimus) nec non hîc paſſim; uti de illarum *Communione* jamjam.

FOEMINARUM Communio, etiam Gentilium [illegible] damnata, ab Hæreticorum non paucis ex orco revocata eſt, Gnoſticis præſertim, quos convenientiore vocabulo Βορβοριανοὺς Orthodoxi vocarunt, h. e. *cœnoſos*, propter fœdiſſimam turpitudinem, quam in ſuis myſteriis exercebant, uti refert Epiphan. *Hær.* 26. & Auguſtin. *Hær.* 6. Simonianis item, quos hunc in finem etiam incantationibus, & amatoriis & agogimis uſos fuiſſe, diſcimus ex Irenæo *adv. Hær. l.* 1. *c.* 20. & Theodoret. *Hær. Fab. l.* 1. Carpocratianis porrò. qui promiſcuum feminarum uſum κοινωνίαν [illegible] *munionem myſticam*, profanè appellare teſte Clem. Alex. [illegible] quique hac fini *artes Magicas operari, & incantationes, philtra* [illegible] *& charitefia & paredros, & oniropompos, & reliquas malignationes* [illegible] habet Irenæus ubi ſuprà *c.* 24. nulli erubuêrunt. [illegible] Canis Montaniſtis, Manichæis, Priſcillianiſtis, aliis, de quibus [illegible] Clementem *l. cit.* Theodoretum *Hær. Fab. l. itidem cit. c. de* [illegible] *ctis*, Irenæum *adv. Hær. l.* 1. *c. ult.* Auguſtin. *Hæreſi* 36. & 40. [illegible] Quorum ſub *Chriſtiano* nomine latentium, abominabili impuritate [illegible] pro ingenio ſuo, Satanas abuſus, ipſum *Chriſti* ſanctiſſimum nomen fidemque puriſſimam, apud ejus hoſtes calumniari nunquam deſtitit. Unde illa de promiſcua & inceſta Venere, de infanticidio & Thyeſtæis epulis, jacta in Chriſtianos à Paganis opprobria, quæ commemorat Juſtinus Martyr. *Dial. cum Tryphon. Jud.* Athenagoras *Apolog. pro Chriſtian.* Minut. Felix *Octavio*, Tertullian. [illegible] 7. & Euſeb. *Hiſt. Eccl. l.* 4. *c.* 7. Monente & Irenæo, *abutuntur* [illegible] *reticos nomine Chriſti, ſeipſos Chriſtianos falsò appellantes* — [illegible] *ri autem veros Chriſtianos* (quibus talia objectabantur) *licet in* [illegible] *cum Hæreticis communicantes, neque in doctrina, neque in moribus, neque in quotidiana converſatione adv. Hær. l.* 1. *c.* 24. &c. Vide Joh. Forbeſ. *Inſtruct. Hiſt. Theolog. l. IV. c.* 8. §. 2. ut & infrà ubi de Hæreticorum *Nocturnis cœtibus.*

FOEMINEÆ Kalendæ, vide infrà *Kalendæ.*

FOENEI Impp. apud Spartian *in Peſcennio Nigro*, [illegible] *Principibus, Auguſtum, Veſpaſianum, Titum reliquos fœneos* [illegible] *natos vocant*: ſunt οὐδένες καὶ ἀλόγιστοι, homines *fœnei*, nullius [illegible] tii, nec pluris æſtimandi, quam *fœneæ* illæ imagines vel pilæ, [illegible] proritabantur tauri olim ad pugnandum. Cic. *in Corneliana* [illegible] *tor apud me Prætorem primum de pecuniis repetundis. Proſpectat* [illegible] *cet cominus quid agatur: videlicet homines fœneos in medium ad* [illegible] *dum periculum objectos.* Quò alludens Mart. *Epigr.* quodam in [illegible] rem, qui, cùm florente ætate primus eſſet in arte pilæ, poſtquam deſiit per ſenectutem ludere, factus eſt prima pila, ait: *l.* 10. *Epigr.* 86. cujus Epigraphe de Lauro.

Sed qui primus erat luſor, dum floruit ætas,
Nunc poſtquam deſit ludere, prima pila eſt.

i. e. *contemtui habetur*, ut illa pila, quæ prima objicitur tauris [illegible] tis quam diſcerpunt &c. Salmaſ. *ad l.*

FOENICULUM, inter σύμφυλλα, i. e. *olera quotidiana* [illegible] moratur Cœl. Rhodig. *l.* 6. *c.* 12. multiſque deſcribitur Dioſcoride, Theophr[illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Theophraſto, & ex his Plin. paſſim, qui inter alia *l.* 20. *c.* 23. *Fœniculum*, inquit, *nobilitavêre ſerpentes guſtatu ut diximus ſenectam exuendo, oculorumque aciem ſucco ejus reficiendo, unde intellectum eſt, hominum quoque caliginem præcipue eo levari.* --- *Laudatiſſimus in Iberia* &c. Ad quem locum narrat Dalechampius, in Iberia caulem medium, dum floret, a ruſticis demeti, & igni admoveri; ſicque calfactum, ſuccum lacteum exudare gummi ſimilem, altero ſucco ad oxydercica, & ocularia medicamenta efficaciorem. Vide quoque infra *Vipera*. Et *l.* 19. *c.* 9. *Reliqua ſunt ſerulacei generis, ſeu fœniculum, anguibus ut diximus gratiſſimum, ad condienda plurima, cum inaruit.* Græcè μάραθον, unde ἱππομάραθον, q. *magis fœniculum*, quod ipſum condimentis prope omnibus inſeri, oxyporis etiam aptiſſimè, quin & panis cruſtis ſubjici conſueviſſe, ait idem ubi ſuprà &c.

FOENUM, boum pabulum, Job. *c.* 40. *v.* 1. ubi de Behemoth, ſeu hippopotamo, ut Bocharto viſum, dicitur; *Fœnum quaſi bos comedet*, ut Hebræa Hieronym. vertit. Unde eſt, quòd apud Siracidem arator invigilat εἰς χορτάσματα δαμάλεων, Eccl. *c.* 38. *v.* 28. Et Heſiod. *in Operibus l.* 2. ubi de hyeme appetente,

> Δὴ τότε χορτάζειν ἕλικας βόας ἔνδον ἐόντας.
>
> *Flexipedem in ſtabulis* fœno *tum paſcito vaccam.*

Idem *l.* 1. *v.* 604 ubi paleas addit,

> Χόρτον δ᾽ ἐσκομίσαι καὶ συρφετὸν, ὄφρα τοι εἴη
>
> Βουσὶ καὶ ἡμιόνοισιν ἐπηετανόν ——
>
> Fœnum *congerito, paleamque, ut pabula bobus*
>
> *Annua ſufficiant muliſque* ---

Quod proin quando quave ratione ſecandum, Plin. exponit, *l.* 18. *c.* 28. Sed & τὸ κυρίττειν τῶν βοῶν χόρτῳ περιελίσσειν τὸ κέρας, *bobus cornupetis cornu fœno circumligare ſolebant* Romani, ut obvii ſibi caverent, Plutarch. *in Craſſo*, cujus moris rationem idem exquirit *Quæſt. Rom.* 71. Et eo alludens Horat. *l.* 1. *Serm. Sat.* 4. *v.* 34.

> Fœnum *habet in cornu, longè fuge* ———

Vide ſuprà, ubi de *Bove cornupeta*. Iidem in bello, cùm acies educenda & manus cum hoſtibus conferenda eſſet, primitus *fœni* manipulis, ſigni militaris loco, fuêre uſi, quos haſtis alligatos ſigniferi deferebant, uti teſtatur Plutarch. *in Romulo*, ubi de acie hujus contra Amulium inſtructa; unde *Manipularium* nomenclatio orta: donec aucto Imperio propogatiſque finibus quinque ſigna ex ærario depromi, & præire milites cœpêre, Plin. *l.* 10. *c.* 4. *aquila* viz. *lupi, minotauri, equi & apri ſimulacra*. Indidem *Fœnicularium*, apud Cic. *ad Attic.* 12. *In fœnicularium cogitet*. i. e. in aciem, ad exercitum, ut nonnulli exponunt, aliter Turnebo ſentiente, qui vocem à *fœnore* deducit. De *fœneis imaginibus*, quibus olim in arena tauri irritabantur, diximus ſuprà &c. Qui verò *fœnum* ſecabant, *Fœniſectores* & *Fœniſecæ* dicti ſunt, pars familiæ ruſticanæ apud Romanos, qui, quamdiu Creticæ tantùm tranſmarinæque cotes notæ erant, nonniſi oleo falcis aciem excitabant, hincque *cornu propter oleum ad crus ligato incedebant*, Plin. ubi ſuprà. Eorum inſigne, è *fœno*, uti dicebat, corona. Ovid. *Met. l.* 14. *v.* 644.

> *Tempora ſæpe gerens* fœno *religata recenti,*
>
> *Dejectum poterat gramen verſare videri.*

Et Propert. *l.* 4. *Eleg.* 2. *v.* 25.

> *Da falcem & torto frontem mihi comprime* fœno:
>
> *Jurabis noſtrâ gramina ſecta manu.*

Vide quoque infrà de *Vertumno*. Locus, quò congerebant deſectum, *Fœnile* fuit; quæ unà cum palearibus, apothecis & horreis Vitruv. extra villam conſultò rejicit, ut ab ignis periculo tuta eſſent, quod & legibus locationum conſueverat aliquando exprimi, vide & Pignor. *Comm. de Servis*.

FOENUM Græcum, Gr. τῆλις, unde *telinum oleum*, de quo vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 466. & infrà *ſuo loco*: aliter & κεράτιτις & βούκερας, à ſeminis curvatura, Lat. *ſilicula*, vel *Silicia* deſcribitur Plin. *l.* 18. *c.* 16. *Et ſilicia-ſcarificatione ſeritur, non altiore* 4. *digitorum ſulco: quantoque pejus tractatur, tanto provenit melius. Rarum dictu, eſſe aliquid, cui proſit negligentia.* Vide quoque eum *l.* 24. *c.* 19. Id ut & abſentum (*abſinthium*) apiaſtra, faeclaria, quorum meminit Lamprid. in *Vita* Heliogabali, ubi ait, loco illorum, *barbas mullorum plenis ſabatariis & ducis* eum juſſiſſe exhiberi: in primis menſis olim apponebatur interea, quæ aſſumebantur fami irritandæ, vide Galen. *de Facult. Alim. l.* 2. & Apitium, ubi habes quomodo pararetur, Caſaub. *ad Lamprid.* De *Fœno* verò, quod *Sanctum* Gallis, vide infrà, ubi *de Herba Medica*.

FOENUS, ex *fœtu*, i. e. partu pecuniæ, ut Gr. τόκος ἀπὸ τοῦ τίκτειν, Varro. Alii à *fundo*, quia fructus fundit: vel à *fœtendo*, quòd ejuſmodi lucrum fœteat in Rep. primitus appellabatur naturalis terræ fœtus, poſtea per tranſlationem, nummorum fœtum denotare cœpit, Feſtus. Hanc inter pecuniæ quærendæ rationes ſecundam, in *Politicis* Philoſophus recenſet, ac ſimul improbat, ut quæ maximè à natura abhorreat. Quemadmodum jam ante ipſum Plato omne *Fœnus* Rep. ſuâ arcuit. Sic ille, rogatus *quid fœnerari?* *quid hominem occidere*, reſpondit, & fœneratores furibus pejore à Majoribus æſtimatos tradidit. Sic alius ad Cæſarem, *quare tollendus fœnerator in poſterum*: Sic Romæ vetita aliquando uſura fuit: & notum, pro δανείζειν ſubſtitutum πονηρεύεσθαι, pro *fœnerari nimium improbè agere*. Interim maxima apud pleraſque gentes fœnerandi invaluit licentia. Unde quantas eorum in egenos & obæratos crudelitas in Rep. Rom. dederit turbas, ex Hiſtoricis affatim patet. Hinc enim ingens ſeditio A. U. C. 259. A. Virginio Tricoſto Cælimontano, T. Vetuſio vel Veturio Gemino Cicurino Coſſ. & ex ſeditione ſeceſſus in montem Urbi vicinum, poſtea *Sacrum* dictum; cui non aliud inventum remedium eſt, quàm ut Patres per legatos plebi debitorum levationem, & nexorum ſolutionem offerrent, eique inſuper Tribunatum Pl. cujus conſtituendi tunc primum facta eſt mentio, atque Ædiles porro Pl. permitterent. Poſtea, cum iterum horum hominum improbitas lacertos moviſſet, A. C. 301. Valerio Poplicola, C. Martio Rutilio Coſſ. de re fœnebri levanda actum, & alieni æris ſolutio in publicam curam verſa eſt, Quinqueviris Menſariis creatis, quos *Menſarios* à diſpenſatione pecuniæ appellarunt: Fuêre illi C. Duellius, P. Decius Mus, M. Papirius, Q. Publius & T. Æmilius, Liv. *l.* 7. *c.* 21. Qui idem alibi tradit, & A. C. 537. tempore ſecundi belli Punici Triumviros Menſarios creatos fuiſſe, quorum nomina: L. Æmilius qui Coſ. Cenſorque fuerat, M. Atilius Regulus & L. Scribonius Libo, qui tum Tribunus erat Pl. Nec defuêre leges licentiæ *fœnebri* coërcendæ, Licinia, Genutia, Duillia, Mœnia, Sempronia, Valeria, Sulpitia, Cæcilia, Gabinia, Julia & Claudia: quarum ultimam, quæ *Creditores in mortem parentum filiisfamilias pecuniam fœnori dare* prohibuit, ab Athenienſibus deſumptam eſſe, ex Terentii *Phormione* diſcimus: His adde Pætiliam Papiriam, de qua Liv. *l.* 8. *c.* 28. Habebant autem Collybiſtæ pecunias *fœnori* exponendas in foro Kalendis ſingulis: Unde Horat *Epod. Ode* 2. *v.* 96.

> *Omnem relegit Idibus pecuniam;*
>
> *Quærit Calendis ponere.*

Et quidem ante Jani templum. Vide quoque infrà *Forum, Idus, Puteal Scribonii Libonis*. Cæterum *Fœnus*, rectè ex menſtrua ratione definitur: unde *Centeſimas* dixêre id uſuræ genus, quo ſingulis menſibus de centum e. g. denariis unus, adeoque toto anno duodeni pendebantur. Hinc uſuræ *ſextantes, quadrantes, trientes, quincunces, ſemiſſes, ſeptunces, beſſes, dodrantes, dextantes*, ex *Fœnore* menſtruo nomen accepêre. Et *ſextantes* quidem dictæ ſunt, ubi ſextantes centeſimæ pendebantur in menſem. *Quadrantes* tres annuos denarios centenis addebant. *Trientes* quatuor in centum ſolvebant, & ſic conſequenter, vide Joh. Frid. Gronov. *de Pec. Vet. paſſim*. *Unciarium* autem *fœnus* dictum eſt, quod menſtruam unciam, annuas duodecim uncias centeſimæ partis, & ſic unam centeſimam ſortis partem annuam reficit: quod conſtitutum legimus Duilliâ Mœniâ lege A. U. C. 396. ſeu potiùs repetitum, cùm idem jam XII. Tabb. Leges ſanxiſſent. Quemadmodum Centeſimam Liciniâ antè permiſerat, poſtea verò Valeriâ quadrantem ſolvi juſſum legimus, vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. paſſim*. Athenis antiquitus ingens fœnerandi licentia erat, approbata veteri Solonis lege: τὸ ἀργύριον στάσιμον εἶναι, ἐφ᾽ ὁπόσῳ ἂν βούληται ὁ δανείζων, *uſurarum modus eſto, quem ſtipulatus fuerit fœnerator*. Fuitque vetuſtiſſima in illa gente uſura ἐφεκτὸς τόκος *ſextantalis*, cùm obolus menſtruus in drachmam dabatur, quod vocabant δανείζειν ἐπὶ ἕκτῳ δραχμῆς: Uſitatiſſimus verò fœnerandi modus Centeſima erat, quæ τόκος ἐπὶ δραχμῇ vocabatur. Præter quæ erat *Fœnus* trientale τόκος ἐπίτριτος, cùm duo oboli menſtrui in drachmam pendebantur: Item τόκος ἐπόγδοος, cùm tres oboli pro tetratrachma dabantur; quo pacto una mina vertente anno ſeſquiminam commodi lucrata eſt, & pro una in ſortem elocata duæ cum ſemiſſe fœneratori reſtitutæ ſunt. Imò exigebant & magis horrendum fœnus, ſi vellent, Ἡμεροδανεισταὶ toculliones, quibus drachma obolum ſemis quotidie pariebat; uſura autem, quæ non ſolveretur, ſorti accedebat atque deinceps fœnus ſuperfœtabat, quod ἀνατοκισμὸν nuncupavêre: Sed modus huic avaritiæ impoſitus eſt lege, Μὴ λαμβάνειν πολλοὺς τόκους, *Pecuniam ingenti fœnore ne occupato*. Nec omittendum, Daniſtas pecuniam ſuam temerè mutuò non dediſſe, niſi ἐπὶ ἐνεχύρῳ, vel coram teſtibus vel ſcriptis etiam tabulis, ut conſtat ex Demoſth. πρὸς Τιμόθεον: in cujus πρὸς τὴν Λακρίτου παραγραφὴν, Syngraphæ exemplum reperire eſt; quemadmodum aliam, apud Romanos uſitatam, nec multùm ab Athenienſium more abeuntem, exhibet Scævola *l.* 28. *ff.* & inde in Pandectas retulit Trebonianus *l.* 122. §. 1. *l. de verborum oblig.* A fœnore urbano, quod menſtruum erat, nauticum diverſum fuit, quòd diarium eſſet: Secundùm cujus leges mille drachmæ in ſingulos dies pariebant drachmas centum viginti quinque, &c. Vide Sam. Petit. *Comm. in Leg. Attic. l.* 5. *tit.* 4 & infrà in voce *Uſura*. Apud Iſraelitas, prohibuit Deus, ne pauperi fratri pecuniam fœnori darent, Exod. *c.* 22. *v.* 25. Extraneo autem ad uſuram conceſſit, Deut. *c.* 23. *v.* 19. Nec omne etiam moderatum fœnus Chriſtus ſuſtulit, Luc. *c.* 6. *v.* 35. Sed is oſtendit ſolùm, etiam iis mutuum dandum eſſe, à quibus nihil ſperamus reddi poſſe; non verò indiſtinctè omnibus etiam divitibus, mutuò dari vult, abſque omni ſpe reſtitutionis ſortis lucrique inſuper honeſti; quod gratitudinis loco pro conceſſo tantiſper noſtræ pecuniæ uſu, ſolvi ipſa æquitas jubet. Vide hanc in rem planè egregia apud A. Rivet. *Explicat. in Decalogum*, *Exod. c.* 20. *v.* 15. *p.* 1422. & *ſeqq.* Hinc *Fœralia* indigitata Liv. *l.* 35. *c.* 7. tempus, quo *fœnus* ceſſabat & finiebatur, reddebaturque pecunia: *Ita libero vero fœnore obruebant debitores, cujus cernendi quum ratio quæreretur; diem finiri placuit*, fœralia, *quæ proxime fuiſſent, ut qui poſt eam diem ſociis civibus Romanis crediſſent pecunias, profiterentur: & ex ea die pecuniæ creditæ, quibus debitor vellet legibus, creditori jus diceretur.* De *Fœneratoribus* recentioris ævi, vide ſuprà in voce *Caorcini*.

Fœnoris multifariæ ſpecies ac nomina.

Beſſes uſuræ, denariis centenis addunt quotannis 8. denarios: Singulis menſibus enim conficiunt 10 aſſes duos trientes.

Centeſimæ, 12. in 100. quotannis: in ſingulos menſes unum, conficiunt.

Deunces, ſingulis annis, undecim denariis ſortem augent.

Dextantes, quolibet menſe tredecim aſſes trientem conficientes, decem annuos faciunt denarios.

Dodrantes uſuræ, novem in centum quotannis conficiunt: ſingulis menſibus duodecim aſſes.

Quadrantes, tres annuos denarios centenis acquirunt.

Quincunces, in ſingulis menſes 6. aſſes duos trientes: quotannis quinque denarios faciunt.

Semiſſes uſuræ, quotannis centum denariis generant ſex denarios: ſingulis menſibus octo aſſes.

Septunces uſuræ, in menſem novem aſſes trientem, in annum ſeptem denarios ſorti adjiciunt.

Sextantes, ubi ſextantes centeſimæ in menſem, nempe aſſes duos duoſque trientes pendi neceſſe; conficiunt in annum denarios duos.

Trientes, quatuor in centum annuos denarios conficiunt.

Unciarium fœnus, in ſingulos menſes centeſimæ partis unciam promittit: ut toto anno exiſtat una pars integra centeſima. Semunciarium proin fœnus in centenos dimidiatum aſciſcit annuum. Vide Gronov. *libro præfato*.

FOESIUS Anutius, Metenſis, in patria Medicinam magno ſucceſſu per 40. Annos fecit. Edidit, *Hippocratis Opera omnia, Latinâ Interpretatione & Commentariis illuſtrata, adjectis ad VI, Sectiones Palladii Scholiis Græcis in libr.* περὶ ἀγμιῶν, *nondum antea excuſis, & nunc primum Latinitate donatis. Oeconomiam Hippocratis, alphabeti ſerie diſtinctam, Pharmocopæam Medicamentorum omnium*, quam ex Muſa Braſſavolo & Jac. Sylvio deprompſit. Obiit A. C. 1596. Æt. 68. Vide *les Eloges* Anton. Teiſſier.

FOETÆ, Latinis non ſolùm feminæ prægnantes ſunt, ſed &, quæ onere levatæ parvulos lactant, uti Hebræis עלות, Gen. *c.* 23 *v.* 13. Plin. de panthera, *l.* 8. *c.* 17. *Fœta erat, catulis procul in caveam delapſis.* Varro apud Nonnum, *veniebant ad* fœtam, *amicæ gratulatum*, i. e. ad puerperam. Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 177. & ſeqq.

——— *nec tibi* fœtæ
More patrum niveo implebunt mulctralia vaccæ.
Sed tota in dulces conſument ubera natos.

Sic *primùm fœta mater* Stat. *Theb. l.* 9. eſt, quæ primùm peperit, ad quem locum vide *Animadverſ.* C. Barthii, & plura hanc in rem, apud Sam. Bochart. *Hierozoici part. prior. l.* 2. *c.* 30. Inde *fœtus*, de animalibus propriè cujus primitias Deo ſacras lex vetus voluit: ſic quidem, ut de mundis pecudibus ea, quæ nobilioris ſexus erant, ad templum deduci & immolari, Exod. *c.* 13. *v.* 2. immundæ autem, ove aut hœdo permutari, aut præcisâ cervice intra 30. diem necari neceſſe haberent. Vide infrà ubi de *Primitiis* it. *Ver ſacrum*. Voce dein ad arbores, vineas &c. tranſlatâ, ut videre eſt apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 173. & 259. *Fœtum* hamanum *recentem* comeſum, non ſine horrore legas apud Gul. Brittonem *l.* 7. *v.* 540.

Contigit ut pareret ibi quædam femina, cujus
Fœtus *adhuc à matre rubens calidoque cruore,*
Unguibus infixis multas tranſmiſſus in alvos.

Dirâ viz. fame urgente, cujus exempla congerit varia C. Barth. *ad Stat. Theb. l.* 8. *v.* 759. Plura de *fœtura hominum* infrà dicemus, in voce *Prægnans*, it. *Puerpera*: diximus ſuprà. ubi de *Abortu*. Addo hîc verbum de inſtituto crudeli variarum gentium, fœtus *inſignes*, ut Curtius ait, h. e. inuſitato naturæ dehoneſtamento notabiles, *aut aliquâ membrorum parte inutiles*, necandi, vide eum *l.* 9. *c.* 1. ubi de Indis. Sic Romulus lege ſanxit, nihil quod natum eſset occidere, ante trienni tempus: niſi aliquid mutilum aut monſtroſum ſtatim à partu eſset, apud Dionyſ. *l.* 1. Unde Senec. *de Ira l.* 1. *c.* 19. *Portentoſos ſœtus extinguimus: liberos quoque ſi debiles monſtroſique editi ſunt, abjicimus.* Vide quoque alterum Senec. *Controv.* 33. & ſuprà ubi de *Exponendi more*.

per FOETIDOS cibos jurandi conſuetudo, quibuſdam olim gentibus in uſu, memoratur Plin. *l.* 2. *c.* 7. *Gentes verò quædam animalia etiam aliqua & obſcœna pro Diis habent, ac multa dictu magis pudenda, per fœtidos cibos & alia ſimilia jurantes.* Ubi ad Ægyptiorum allia, porrum, cepas, reſpicere videtur Dalechampio, vide in his vocibus, & plura hanc in rem, apud Alex. ab Alexandr. *Genial. Dier. l.* 5. *c.* 10. ut & ſuprà ubi de Gentilium *Diis*.

FOGGIA, oppid. lepidum regni Neap. in prov. Capitanata, prope Cerbalum fluv. tributo, *la Dogana di Foggia*, celebre. Vix 8. mill. ab ora maris Adr. 10. à Manfredonia in Ort.

FOHANIUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

FOLCARDUS, Clericus Beneventanus, auctor Chronici hujus urbis, ab A. C. 1113. uſque ad A. C. 1140. ob ſinceritatem laudatus. Item Monachus, auctor vitarum S. Audomari, & S. Bertini. Item, Cantuarienſis, circa A. C. 1060. Joh. Baverlaci unius ex Archiepiſcopis Cantuar. Mon. vitam ſcripſit. Voſs. *de Hiſt. Lat.*

FOLENGIUS Joh. Baptiſta, Mantuanus, Benedictini inſtituti, circa reformationem Eccleſiæ, veſtigia Iſidori Clarii Ep. Fulin. ſequutus. Scripſit *Dialogos, Commentarium in Pſalmos, in Epiſtolas S. Petri & S. Jacobi*, nec non *in omnes Epiſtolas Canon.* Obiit A. C. 1559. Æt. 60. Sixtus Sen. *Biblioth.* Poſsevinus *Appar.* Draudius, Anton. Teiſſier *Elog.* Frater fuit Jacobi, primi an inventoris an excultoris Poëſeos Macaronicæ, vide *Elogia* Thomaſini.

FOLIA, mulier Ariminenſis, veneficiis, & maſculâ libidine inſignis. Horat. *Epod. l. Od.* 5. *v.* 41.

Non defuiſſe maſculæ libidinis
Ariminenſem Foliam.

FOLIATÆ, in *Conſuetud. Cluniac. MSS.* Bernhardi Monachi *c.* 8. *de Granatorio, Omni dominicâ fratribus debet per conſuetudinem Foliatas, quæ alio nomine Similæ vocantur, ac in omnibus diebus Quadrageſimæ ſed iſtæ calidæ debent eſſe* &c. videntur eſse eæ placentulæ, quas *Gaſteaux feuilletez* dicunt Galli, C. du Freſne *in Gloſſ.*

FOLIATUM Unguentum, memoratum Plin. *l.* 13. *c.* 1. unà cum ſpicato ſeu crocino, multo in uſu Romanis olim fuit, unde & nomen Latinum Græci retinuêre. Dioſcorides, Φουλίατον εἶδος μύρου ἐστιν, οὕτω παρὰ Ῥωμαίοις καλούμενον. χρῶνται δὲ τούτῳ παρ' αὐτοῖς αἱ πλουσίαι τῶν γυναικῶν. *Foliatum, ſpecies unguenti, ſic Romanis dictum. Utuntur autem eo mulieres opulentæ.* Hinc de amica, nimium petente, queritur Mart. *l.* 11. *Epigr.* 28. cujus Epigraphe ad Flaccum.

At mea me libram foliati *poſcit amica,*
Aut virides gemmas, ſardonychaſque pares:

Sed & à viris adhibitum in potu eſt. Idem *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 110. cujus Epigraphe Ampulla potoria.

Hac licet in gemma, quæ ſervat nomina Coſmi,
Luxurioſe bibas, ſi foliata *ſitis.*

Eouſque enim luxuria invaluit, ut unguenta quoque biberentur &c. Idem autem cum nardino fuiſſe, vult Plin. errore cum pleriſque Vett. communi, qui aroma illud, quod abſolutè *folium* dicebatur Romanis (unde unguento nomen) nardi folium eſſe imbiberant: quæ opinio uſque ad infima Græciæ tempora perduravit. Malabathrum ſeu malabathri folium ſic Latinis ἰδίως appellatum eſt, unde unguentum malabathrinum *Foliatum*, Græcis φύλλινον μύρον, [illegible] μαλαβάθρινον. Errandi occaſionem ſimilitudo odoris naturalis [illegible] præbuit; Nardi enim ſpica, & Folium ſive malabathrum, inter alia mirificâ ſuavitate olentia, quæ mittunt Indi, præcipuam ac primam auctoritatem obtinuêre ſemper. Hodiè *Betre*, item *Tembul* dicitur id folium, cum quo cave confundas alterum *Folii* genus, inter aromata, Veteribus (ſed poſt folium malabathri demum) cognitum, quod hodie Indis *Tamalabathra* appellatur, affinitate quidem nominis ad malabathrum Vett. accedens, ut & facie penè ſimili ac pari facultate præditum, diverſæ tamen ab illo ſpeciei, uti pluribus docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 1054. & *ſeqq.* Vide quoque ſuprà in voce *Betre*, & infrà *Petalium*. Addam hîc ſaltem, *Folium* obſolutè dictum [illegible] complicatum & in pilulam convolutum; *Folium* verò alterum [illegible] *ci* cognomine Scriptoribus inſignitum, in faſciculos collectum colligatumque advehi ſolitum. Sed & Juriſconſultus ea planè diſtinguit *l.* 16. *D. de Public. & Vectig. Species pertinentes ad vectigal, puta Cardamomum, piper longum, piper album, folium cataſphærum, folium Barbaricum, coſtum.* Ubi *Folium cataſphærum*, eſt folium malabathri, quòd inde σφαίραι, i. e. *pilulæ* conficerentur: *Folium* verò *Barbaricum* id, quod *Indicum* Græci recentiores nominarunt, quòd ex India deferretur in Ægyptum, per Barbaricum Sinum &c.

FOLIETA Hubertus, vide *ibi*.

FOLIETA Hugo, vide *Hugo*.

FOLIUM, ex Græco φύλλον, florum arborumque velut coma eſt: de quorum natura, differentiis, mirabilibus, vide Plin. *l.* 16. *c.* 20. 21. 22. 23. & 24. Hîc quædam de multiplici uſu, quem hominibus præſtant. Primos certè homines *conſutis foliis ficus ſibi præcinctoria*, legimus Geneſ. *c.* 3. *v.* 6. & 7. & diximus ſuprà, ubi de *Ficu*. Ex iiſdem ſtrata ſibi fecêre antiquiſſimi mortalium, cujus rei exemplo Ulyſſes naufragus eſt, qui in littus Phæacum ejectus, ut corpori ſuo frigore & laſſitudine tantùm non confecto conſuleret, cubile ſibi ex foliis, quorum magnam ibi copiam offenderat, paravit,

Ἐν δ' ἄρα μέσσῃ λέκτο, χύσιν δ' ἐπεχεύατο φύλλων.
In medio autem cubuit, copiam verò ſuperingeſſit foliorum.

Apud Hom. Od. ε. Eadem poſtea culcitris infarta. Sic mulieres θεσμοφοριάζουσαι, apud Athenienſes, per omnes ſacrorum dies, quibus à maritis ſecubabant, habebant ſtramenta iis herbis ac foliis farta, quæ caſtitati conducere credebantur, uti diximus ubi de *Cnidurco*. At exceſſus luxuriæ fuit, quòd *lectum foliis roſæ, quibus demptum eſſet album, repleviſſe* Ælius Verus legitur, apud Spartianum. Porrò capiti inumbrando inſerviêrunt, contra Solis ardorem, cùm pileorum uſus nondum eſſet, quò faciunt antiquiſſimæ ex foliis coronæ Sylvani, Panis, Satyrorum, aliorumque: Et poſtmodum, cùm neceſſitas deſiit, retenta, in oblectamentum convivantium, [illegible] mium victorum &c. de qua re ſuprà diximus ubi de *Coronis*, [illegible] ubi de *Floribus*, vide & de *Nectendi ſuendique folia* modo. Addam ſaltem, *Foliacea corona* nihil apud Græcos præſtantius habitum, hincque ſacros Agones φυλλινίας & φυλλοφόρους, h. e. *foliaceos* dictos, [illegible] ac τοῖς ἀργυρίταις, *pecuniariis*, fuiſſe contradiſtinctos, quòd in [illegible] argenti vel vilis lucri causâ, in illis non niſi virtutis gloriæque [illegible] tia certaretur, quippe quorum brabeum non aliud eſſet, quàm [illegible] *lia*, materia non multæ rei, & brevi emarceſcens. Sed & in [illegible] herbarum *folia* grandiora ob faciem obtenta priùs, antequam [illegible] bus ora Theſpis perungeret: unde à nobis *perſonata*, quia à Græcis προσωπεῖον & προσωπίς, J. C. Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 13. Imò [illegible] Hylophagorum alimenta fuiſſe, apud Diod. invenias, *l.* 3. *c.* [illegible] Quò verò alter cum altero etiam abſente ſenſa communicare [illegible] memoriæ ergò exarare poſſet, ex arboribus huic rei primùm *folia*, dein demum libri ſive interior corticis tunica, poſtremò & tabulæ inſerviêrunt. De *foliis* certè indicio ſunt, quæ de Sibylla tradit Virg. *Æn. l.* 6. fuêruntque illa præcipuè palmarum & malvarum, uti [illegible] ſtis eſt Iſid. *l.* 6. *c.* 12. quorum illa aſperiora quidem; ſed calami magis patientia: hæc molliora, ſed quæ vix mucronem ejus ſuſtinerent, adeoque glutine & aliis firmari opus habebant, Gerh. Joh. Voſſ *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 36. Apud Athenienſes quoque, poſt fraudem Xenotimi in fabis deprehenſam, qui Senatu movebantur, [illegible]

foliis inſcribi cœpêre; uti in ὀστράκοις ſeu *teſtulis* eorum nomina ſignabat populus, quos vellet urbe excedere: unde ἐκφυλλοφορίσεως, & ὀστρακισμοῦ appellationes notiſſimæ. Quin & in aliis de rebus ferendis ſententiis *foliorum* in eadem Rep. uſus fuit, ut ex Polluce diſcimus *l.* 8. *c.* 5. quam in rem vide Sam. Petit. *Comm. in LL. Attic. l.* 3. *tit.* 1. Simile quid erat πεταλισμὸς Syracuſanorum, qui *folio oleagino* nomen ejus, qui ob potentiam ſuſpectior eſſet, inſcribentes, quinquennii exilio afficiebant, cujus nomen ſæpiſſime omnium in foliis legeretur, Diod. Sic. *l.* 10 Paſſimque hic mos in Græcia obtinuit, antequam Ægyptus ab Alexandro Mag. in poteſtatem eſſet redacta, à quo tempore charta frequentari cœpit, manente interea *foliorum* nomine paginis librorum, ſive illi è ligno, ſive è papyro, ſive ex membrana &c. conſtarent. In Sinis folia floris lacuſtris, *Fula de Golfo* Luſitanis dicti, quæ ampliſſima ſunt, Olitoribus, Scrutariiſque loco papyracei involucri, ad merces infarciendas inſervire, ſuprà diximus in voce *Floridus Lacus*, vide quoque infrà *Lien.* Ut aliquid de luſibus Vett. adjiciam, ſolebant illi *folium olivæ* in hydriam conjicere, quod *Mercurium* vocabant & in ejus Dei honorem primùm eximebant, vocabaturque illud Κλῆρος Ἑρμοῦ, *Sors Mercurii*. Suid. Etiam Græci *foliis* papaveris, & anemones herbæ (quæ πλαταγώνια dicebantur) periclitati leguntur, nunquid amaſiis ſuis grati forent. Siquidem pollici imponentes ea ac indici mox collidebant: quæ ſi percrepuiſſent (quod πλαταγεῖν vocabant) aut ruborem concepiſſent, (unde ῥόδια dicta) amari ſe augurabantur; ſin minùs, ut fruſtrati ingemiſcebant, uti diſcimus ex Theocrito, & latiùs ex Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 19. *c.* 4. Eoſdem inſcriptis *folio* his vocibus, ἡ δεῖνα καλή, *N. formoſa*, amorem ſolitos fuiſſe teſtari, docet ex Eraſmo Zuingerus *Theatri Vitæ Hum. Volum. III. l.* 9. *p.* 993. de inveſtitura *per Folium nucis*, vide infrà &c. De *Folio* verò κατ' ἐξοχὴν ſic dicto; item *Folio Indico*, vide ſuprà in voce *Foliatum*.

FOLKERUS Simonis, Friſo, Coſ. urbis Snecanæ, compoſuit Friſiæ Annales. Suffridus Petri. *de ſcr. Friſ. ſ.* 8.

FOLLANEBRAJUM, vulgò FOLLENBRAY, locus Galliæ, ſeu villa Regia Franciſci I. ac Henrici II. in pago Laudunenſi, inter Calnacum & Codiciacum. Ejus meminit Hincmarus Laudunenſis Ep. *Ep. ad Hincmarum Archiep. Remenſem*. Nomen habet ab antiqua Gallica voce *Brajum*, quæ *lutum* ſignificat: unde nominibus locorum, quibus paluſtris ac lutoſus ſitus eſt, ſæpiſſimè additum reperitur. Sic *Teverchebrajum*, *Wibrajum* &c. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* in voce *Brajum*.

FOLLATI Calcei, apud Iſid. *l.* 19. *c. ult.* laxiores calcei ſunt, qui, cùm pes premitur, & terræ inſiſtit, inflantur, & tumeſcunt; quum levatur, detumeſcunt: id quod propriè *follare* & *follicare* dicebatur, Salmaſ. *ad Pallium Tertulliani c.* 3.

FOLLERALIS, ſeu FOLLARIS, follis æreus, monetæ ſpecies, apud Marcellin. Com. ubi *Teruncianum* Romanis dici ait. Item apud Falconem Benev. ubi de Rogerio Siciliæ Rege, & Scriptores Byzantinos, qui *Follis* nomine plerunque *Folleralem*, ſeu follem æreum, intelligunt. Fuit id genus pecuniæ omnium minimæ; nam apud Calculones follis idem erat, quod apud Arithmeticos μονὰς: eorum 24. unum denarium argenteum, qui *Miliarenſis* dicebatur, efficiebant: duodecim autem miliarenſes unum aureum, ſicque 288. folles inerant in uno numiſmate, Salmaſ. *ad Heliogabal. Lamprid.* C. du Freſne obſervat, 500. folles æreos conficere libram argenti, ex *l.* 3. *Cod. Theodoſ. de Piſtor.* quæ definit, primam Præturam expendere 25000. follium, & 50. libras arg. ſecundam 25000. follium, & 40. libras arg. tertiam denique 15000. follium, & 30. libras arg. Quos verò *ſenos folles*, quibus libra porcinæ carnis æſtimabatur, vocat *l.* 3. *eod. Cod. de Suariis*, ἑξάφολλον appellat Auctor *Rationalis* Peræquatorum, quo loco addit, ita nuncupatam additionem factam decerato, à Leone Iſauro &c. Atque hæc *de Follibus*, ſub & poſt Juſtinianum: Sub Conſtantino verò & ante eum, *folles* dicebantur ſeſtertii, unde Heſych. *quadrantem* eſſet dixit τὸ τέταρτον τοῦ φόλλεως. *Follis* tamen non ſemper pro æreo nummo uſurpatus, ſed etiam ſummam aliquam vel auri, vel argenti, vel æreæ pecuniæ deſignabat; ſicque ut *ſaccus auri*, *ſporta auri*, ita *follis auri*, certa auri quantitas vocabatur. *Follis* enim & *ſaccus* & *marſupium* idem, Salmaſ. ubi ſuprà, vide quoque C. du Freſne *Diſſertatione de Infer. ævi Numiſm. n.* 90. & 91. ubi apud Hiſpanos hodieque monetam quandam minutam, quæ valeat *cornado*, ſitque tertia pars blancæ, *Foluz* vocari, ex Covarruvia, addit. Vide quoque paulo infrà.

FOLLICULI Luſus, Suet. memoratus *in Aug. c.* 83. qualis fuerit, vide Alex. ab Alex. *Genial. Dier. l.* 3. *c.* 21. & hîc infrà.

FOLLIS, an à Græco φόλλος, an à *flatu*, quia ſpiritu impletur; an quod Vett. *follem* pellem dicebant: quidquid enim ex corio factum eſt, ut impleatur, *Follis* dictum. Specialiter φῦσα, φύσαι, πυρῖτις, cujus flatu fovent ignem Fabri. Cujuſmodi ignis exſuſcitatores *folles*, inter alia Anacharſis Scythæ inventa refert Ephorus, apud Strab. *l.* 7. *p.* 293. At illis ad paraſitos deludendos abuſus Heliogabalus legitur, apud Lamprid: *qui eum vilioribus amicis folles pro accubitis ſtraviſſe, eoſque reflaſſe, prandentibus illis, ita ut pleriquè ſub menſis repente invenirentur prandentes*, ſcribit, in *Vita* ejus. De Organo, quod *follibus* inflatur, dicemus ubi de illa Muſices parte, quæ *Organica* dicitur. Alia vocis ſignificata hîc infrà.

FOLLIS, unum ex quatuor pilæ apud Vett. generibus, quæ omnia ſub nomine Italicæ ſphæræ Cœl. Aurelianum Medicum nonnulli complexum eſſe credunt. Erat autem pila magna ex aluta confecta, ſoloque vento repleta: quæ, ſi major erat, brachiis impellebatur, & ſimpliciter interdum *Pila* nuncupabatur, ut apud Nonium ex Varrone videre eſt. Sic Propert. *l.* 3. *Eleg.* 14. *v.* 5.

Cum pila veloces fallit per brachia jactus.

Interdum quoque *velox*, ut apud Horat. *Serm. l.* 2. *Sat.* 2. *v.* 11.

——— *ſeu pila velox.*
Molliter auſterum ſtudio fallente laborem,
Seu te diſcus agit,

Cujuſmodi pilæ exercitationem licet videre in Gordiani III. Imp. nummis, quos Mercurial. in ſuo *de Arte Gymn. l.* 2. *c.* 5. depictos exhibet; unde conjicere eſt, unumquemque luſorum propriam habuiſſe pilam, eumque ludum, in ſacrificiis Pythiis apud Apolloniatas, eſſe adhibitum, ut tum ex voce ΠΥΘΙΑ, tum ex palma, atque vaſis ſacrificio deſtinatis, colligitur. Cùm verò minor erat, pugnis ejiciebatur, atque *Follis pugillaris*, ſeu *pugillatorius*, vocabatur. Plaut. *Rud. Act.* 3. *Sc.* 4. *v.* 16.

——— *extemplo hercle ego te* follem pugilatorium
Faciam.

Sed & eandem hanc pilam nonnunquam *folliculum* quoque dictam, legimus apud Suet. *Aug. c.* 83. quem hoc pilæ ludo valde delectatum memorat. Quomodo verò Mart. dixerit *l.* 4. *Epigr.* 19. ubi *de Endrom.*

Plumea, ſeu laxis partiris pondera Follis.

cùm ex corio vento repleto pila hæc conſueretur & non pluma, ut omnes fere Latini Auctores uno ore fatentur, in abdito eſt: dici tamen poteſt, ob levitatem fortè *plumea pondera* vocitaſſe; cujus levitatis gratiâ neque pueri, neque ſenes, alioqui imbecilles, inter ludendum, nimiùm defatigabantur. Quare Idem *l.* 14. *Apoph. Epigr.* 47. cujus epigraphe Follis.

Ite procul Juvenes, mitis mihi convenit ætas,
Folle *decet pueros ludere*, folle *ſenes*.

Hinc & luſui huic dicatus locus nullis lapidibus aut lateribus ſternebatur, ne laberentur pedibus ludentes, & ſi fortè lapſi eſſent, ex caſu non paterentur damnum. Et propterea ex continuo terræ attritu pulvis excitabatur: quanquam etiam fieri poteſt, ut pavimento luderent, ſed pulvere humili, & exiguo illud aſpergeretur, ita ut reſiliens non impediretur pila, & ludentium magis firmarentur pedes. In pulverulento namque ſolo hanc exercitationem fieri conſueviſſe, innuit Mart. *l.* 12. *Epigr.* 84. cujus Epigraphe de Menogene.

Colliget & referet lapſum de pulvere follem,
Et ſi jam lotus, jam ſoleatus erit.

quod vide. An verò ludus hic unus ex Græcorum fuerit ludis, dubium. Nonnulli pilam magnam Græcorum cum *Folle* Latinorum faciunt eandem: Alii corycum Græc. Latin. *Follem* fuiſſe dicunt: Aliqui *Follem*, pilam inanem, ſuperiùs deſcriptam, efficiunt, de quibus omnibus vide Hieron. Mercurial. *de Arte Gymnaſt. l.* 2. *c.* 5. & *l.* 5. *c.* 4.

FOLLIS, antiquitus ſacculus ad cuſtodiendam pecuniam. Plaut. in *Aulul. Act.* 2. *ſc.* 4. *v.* 23. *Quin, cùm it dormitum*, follem *obſtringit ob gulam.* Juv. *l.* 5. *Sat.* 13. *v.* 61.

——— *Veterem cum tota ærugine* follem.

Et quidem grandiuſculus: unde plus Plauto *follitim* ductitare, quam *peratim*. Inde pro ipſa pecunia cœpit accipi: ut theſaurus & pro loco, qui capit, & pro eo, quod capit pretioſum. Et ad æs, ad argentum, ad aurum ſignificandum adhibebatur: æs quidem in ſingulis nummis, argenti nummorum ἀθροίσματα, auri & materias ipſas ſeu libras. In ære & ſingulis numiſmatibus ſucceſſit in locum veteris, & dupondii, & ſeſtertii, poſtquam hic ex argento fieri deſiit. Dupondius unciâ conſtans æris, aſſes ſemiunciales valebat duos; Seſtertius argenteus ejuſdem generis quatruſſis. Crevit interim pretium æris, aſſe ad quadrantem redacto. Sic æs, quod prius dupondii fuerat, quatuor aſſibus ſuffecit, & prodiit *Follis* ære dupondii, pretio ſeſtertii: Non tamen, ut quatuor ſeſtertii, ſic quatuor *Folles*, ſed quinque faciebant denarium. Nam libra argenti centum denariis, quadringentis ſeſtertiis æſtimata, quingentis æquiparatur *Follibus* &c. Et tunc argentum ad æs fuit, ut 1. ad 41. Libra auri ad argentum decupla, ut quatuor millia ſeſtertium, mille denarium, ita quinque millia efficiebat. *Follium* ſive aſſium viginti millia, quæ libræ æris 416. cum excurrentibus octo follibus. Et ſic erat aurum ad æs ut 1. ad 416. Itaque aureus Romanus, ut 25. denarios, centum ſeſtertios, ita 125. habebat *Folles*; quod valuit ante Conſtantinum, & ſub eo, uſque ad Conſulatum Anicii Paullini, & Cejonii Juliani. Sexto ſuo Conſulatu, i. e. ante quinquennium, veteranis ad inſtrumentum ruſticum emendum dari 25. *m. Follium* conſtituerat, ut eſt in *l.* 3. *Cod. Theod. de Veteranis*: quæ ſunt 50. libræ argenti, æris librarum 2083. Eadem veteris argenti ſunt vicena millia ſeſtertium, quinque millia denarium; illa ipſa ſumma, quam pro emerito Auguſtus Prætorianis poſt ſedecim annorum ſtipendia decreverat, teſte Dione: quum legionariis poſt 20. annorum militiam tantùm tria millia denarium ſeu duodena millia nummum adſignaſſet. Sed id diſcrimen ſuſtulit Conſtantinus &c. Vide Joh. Frid. Gronov. *de Pec. vet. l.* 4. *c.* 16. Erat & *Follis* modus auri oblatitii, quod Senatores Principibus, ex inſtituto Conſtantini Mag. uti Zoſimus habet, pendebant ex cenſu, locupletiores auri libras octo, mediocres quatuor, tenuiores duas. Si qui præbitiones eorum implere non valerent, velut tenuiſſimos Senatorum, obligabat ſeptem ſolidorum præſtatio, ut loquuntur *leges* 4. & 12. *Cod. Theod. l.* 6. *tit.* 2. & *l.* 12. *Cod eodem de proximis comit. diſpoſ.* & *l.* 2. *Cod. Juſtin. de Prætoribus*. Heic ingemiſcit Gronov. *Heu me! magne Regum Senatus quò recidiſtis? Parum erat eripi vobis imperium, ærarium, provincias; niſi & tributarii fieretis illis,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

illis quibus olim imperabatis, quorum provincias ornari veſtrum erat beneficium, qui ſuâ confeſſione ſervire vobis debebant, & univerſis civibus ſepe & plerunque etiam ſingulis: niſi è viſceribus veſtris ſagmaretur comitatus magnâ parte barbarus, barbarus miles, eouſque donec & vos & ipſos, qui ſervitutem veſtram quotidie vos paſcere cogebant, & omnia ſuſtulit. Hunc exitum habuit ſiniſtra pietas civitatum cum toto orbe Romano communicantium, ut non provinciales civium honorem, ſed cives & ipſe Senatus ſtipendiorum vilitatem ſubirent. Demere tamen & injuriam illis & ſibi pudorem voluêre Arcadius & Honorius *dicta l.* 2. Sed ſerò, & poſtquam, quod Patribus relinquebatur, non ipſis, ſed Alarico & Odoacro & horum pellitis ſatellitibus, condonabatur. Idem *ſub finem capitis.* Tandem Epiphan. *Follem* κτ̀ διναρισμὸν deſcribens, inquit: φόλλις, ὃ καὶ βαλλάντιον διπλοῦν δέ ἐστιν ὑπὸ δύο ἀργυρῶν καὶ ἥμισυ συγκείμενον, οἵ γίνονται σὺν δηνάρια, i. e. *Follis qui & ſacculus, à duplicatione nominatur: duo namque ſunt ac ſemis argentei, qui faciunt minutos denarios* 250. Unde colligere eſt, diverſa *Follium* fuiſſe genera. Vide eundem Gronov. *Op. laudato, l.* 2. *c.* 6. & ſuprà: nec non quæ infrà dicemus in voce *Phollis.*

FOLMARUS, præpoſitus Eccleſiæ, in Franconia A. C. 1180. eruditione inclytus.

FOMES, apud Macrob. *Sat. l.* 2. *c.* 8. *Æſtimavit* fomitem *eſſe quendam, & ignitabulum ingenii virtutiſque, ſi mens & corpus hominis vino flagret*: proriè materia eſt levis & arida, quo excipitur & fovetur ignis excuſſus, & excuſus, ab ignitabulo. Et quidem Feſtus ſic aſſulas vocat, quæ ex arboribus excutiuntur inter cædendum; Opilius verò non niſi eas jam excuſſas id nominis mereri ait, apud eundem. Certè *fomites* dicta eſſe τὰ πελεκίσματα, *aſſulas ſecuribus excuſſas*, hinc firmatur, quòd *fomo*, vetus verbum, πελεκίζω eſt, & *dolo.* Gloſſæ, πελεκῶ, *dolo, fomo.* Et alibi, ἀποπελεκίζω, *deſomo, dedolo.* Unde *conſomare*, in illo Catulli, Carm. 19. *v.* 3.

——— *Ruſticâ* confomata *ſecuri.*

At Serv. ex Clodii *Comm. l.* 4. *Fomites aſſulæ ambuſtæ, ligna excavata à fungis nomine accepto.* Quod ideo dicit, quia fungi pro *fomitibus* priùs erant & *eſcæ* dicebantur, unde recentioribus Medicis Græcis ἴσκαι fungi ſunt arboribus innaſcentes. Dicta autem ligna hujuſmodi arida, ſeu aſſulæ ambuſtæ, φρύγια Græcis, item φρύγανα. Heſych. φρύγιον, ξύλον ξηρόν. Gloſſæ, *fomites.* φρύγανα. Latinè *cremia* quoque, unde *cremiales arbores.* Cujuſmodi aſſulis certo modo diſpoſitis incenſiſque, οἱ πυρομάντεις *igni ſpices*, olim ad vaticinia uſi fuêre, uti videre eſt apud Scholiaſt. Ariſtoph. *in Pace*,

Οὐκ ἂν δοκῶ σοὶ μαντικῶς τὸ φρύγανον τίθεσθαι.
Nonne videor tibi ex Vatum diſciplina fomitem *ponere?*

Sed & folia hac fini adhibita. Plin. *l.* 16. *c.* 40. *Teritur lignum ligno, ignemque concipit attritu, excipiente materiâ aridi*, fomitis, *fungi vel foliorum.* Sulphurata poſtmodum, *ibid.* ut & apud Iſid. Unde Dalechampius *Notis ad d. locum. Eam* (materiam aridam) *olim lucubrum vocavêrunt. Paratur fere ex ſulphuratis, fungis arborum inſolatis & areſactis, acie ſive acu nimirum carpto carminatoque lino, vel ſtupa* ----- Λυχνάψιον *Gloſſ. vetus appellat, Canapturam Scalig.* Vide quoque Salmaſ. *ad Solin. p.* 180. & 181. De *Fomite* verò *accenſo*, quem Olgerdus Mag. Lithuaniæ Dux Demetrii Ivanovicii Mag. Moſcoviæ Ducis minis irritatus, huic miſit, antequam ille extingueretur, ſe Moſcuæ futurum & arci illius haſtam ſuam illiſurum profeſſus, Guagninum *Deſcript. Lithuaniæ.* Apud Marc. Capellam *de Nuptiis Mercurii & Philologiæ l.* 6. ubi de Pallade,

Virgo armata, decens, Rerum Sapientia, Pallas,
Æthereus Fomes, *Mens & Solertia Fati* &c.

Vox ignem vivificum, calorem omnia vegetantem, æthereum vitalemque ſpiritum, in calore omnia vivificantem, & foventem notat, Barthio: qui de Jove ipſo multis *initio Arati ſui* Avienum eundem in modum loqui addit, quemadmodum de Sole ejuſdem Capellæ hoc,

Ignoti vis celſa Patris, vel prima propago,
Fomes *ſenſificus, mentis Fons, lucis origo.*

Vide eum *Animadverſ. ad Pap. Stat. Theb. l.* 2. *v.* 242.

De Jove mutatoſque velint tranſumere cultus.

FONDURA, Regio Americæ Septentrionalis, media inter Jucatanam, & Nicaraguam: Trugillum coloniam huc deduxit Franciſcus Caſanus A. C. 1505. nomine ductuque Ferdinandi Corteſii, ſed Columbus A. C. 1502. prius hoc totum Fonduræ latus quartâ ſuâ navigatione ad nominis uſque Dei Portum detexerat quærens pervii alicujus fretri anguſtias, per quas ad ultimum Orientem navigari poſſet, ſed irrito conatu *Joh. Matal. Metell.*

FONOLIADUM, vel FENOLLETUM vulgò, FENOULLET, locus Galliæ, in Aquitania, ſedes Archidiaconi, unius ex IV. Eccleſiæ Narbonenſis quorum reliqui ſunt, Archidiaconus major Narbon. Archidiac. Corbarienſis, & Archiep. Redenſis. Hadr. Valeſ. in voce *Narbo.* Hinc ager *Fonoliadenſis*, vulgò *Fenolhedes*, Hieronymo Zuritæ memoratus Erâ 1216. Caſtellania eſt in Diœceſi Electenſi, quadraginta duos continens vicos. Vide eundem in voce, *Minerva Caſtrum.*

FONS, Neptuni inventum, vide infrà, à *fundendo*, quòd aquam fundant, dictus, ſcaturigo aquarum perennis, atque hinc inter rudis illius Antiquitatis Numina fuit. Mart. *l.* 4. *Epigr.* 57. *v.* 7. cujus epigraphe ad Fauſtinum.

Ergo ſacri fontes & littora grata valete
Nympharum pariter, Nereidumque domus.

Ubi *ſacros* vocat, ob divinitatis opinionem, quemadmodum ἱεροὺς ποταμοὺς Græci, διὰ τὸ ἀέναον, inquit Euſtath. *ad Odyſſ.* λ. propter *perennem fluxum.* Certè Perſæ ab horum cultu ὑδρολάτραι dicti ſunt, non minùs ac ab ignis veneratione πυρολάτραι: quos prorſus eouſque coluêrunt, ut nec faciem aquâ eorum lavarent, neque aliter attingerent, quàm potus gratià & ob plantarum curam. Herald. *ad Mart.* Atque hinc Κρηνίδες Nymphæ (κρήνη namque *fons* eſt) communi aliorum dæmonum cultu, aris, antris, templis honoratæ. Indidem oracula petita, quò πηγομαντεία (nam πηγὴ itidem *fontem* notat) Gentilium multiplex ſpectat, quos ſortes in profundum aliquem *Fontem*, divinandi gratiâ, jactaſſe legimus, apud Suet. *Tib. c.* 14. ubi ait: *Cùm juxta Patavium adiiſſet Geryonis oraculum, ſorte tractâ, quâ monebatur, ut de conſultationibus in Aponi fontem talos aureos jaceret, evenit, ut ſummum numerum jacti ab eo oſtenderent, hodieque ſub aqua viſuntur ii tali.* Quod Iſaac. Caſaub. in Græcorum conſuetudine moribuſque fuiſſe, oſtendit ex Sozomeno *Hiſt. Eccl. l.* 5. *c.* 19. allato etiam exemplo *Inus fontis*, ex Pauſ. *in Laconicis.* Et alluſit Claud. *de* 6. *Honorii Conſulatu, Carm.* [illegible] *v.* 513.

——— *Cumque omnibus una*
Sit natura vadis, ſimiles ut corporis umbras
Oſtendant: hæc ſola novam jactantia ſortem,
Humanos properant imitari flumina mores.

Roſsæus Artis hujus quinque diſtinctas ſpecies recenſet: 1. Cùm hauſtu *fontium* vates ſe fieri credebant, οἱ τῶν ἀπορρήτων ὑδάτων [illegible] μαντικοὶ γινόμενοι, Ariſtid. *Orat. de Puteo.* Quo nomine Caſtalius fons, in Bæotia, olim celebris fuit. Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 38.

——— *nec enim altior ulli*
Mens hauſto de fonte venit ———

2. Cùm in eos aliquid conjiciebant, attendentes an ſidere[illegible] an ſupernataret. Quo fine in fontem Inûs modò dictum placentas projicere moris fuiſſe, legas apud Pauſ. ubi ſuprà. 3. Cùm imagines earum rerum, quas ſcire deſiderabant, in fontibus qu[illegible] uti de fonte Apollinis Phryxæi, in Achaja legimus. 4. Cùm immiſſis in fontes phialis vitreis de morbi eventu inde auguria captabant, illas extractas iterum inſpiciendo. 5. Cùm tres lapillos in fontes projicientes obſervabant, quales in deſcendendo gyros facerent. Quam in rem vide Franc. Roſsæum *Archæologiæ Atticæ l.* [illegible] *c.* 2. Proin dona quædam in *Fontes*, ſeu accepti beneficii præmia, conjiciebant, perceptâ ſorte diſceſſuri, non minùs ac illi, qui Oracula conſulebant, donaria votiva templorum ſeu tholis ſeu parietibus affigebant. C. Plin. *l.* 8. *Ep.* 8. *Hunc ſubter fons exit & exprimitur pluribus venis, ſed imparibus, eluctatuſque facit gurgitem, qui lato gremio pateſcit, purus & vitreus, ut numerare jactas ſtipes & relucentes calculos poſſis.* Ubi ſtipes in fundum conjectas apparet, ſed & alia donaria juxtà affigebantur. Unde iterum Claud. de Apono, Carm. 49. *v.* 37.

Tunc omnem liquidi vallem mirabere fundi.
Tunc veteres haſtæ, regia dona, micant.

Ita nihil tam purum limpidumque, quod non ſordibus ſuis [illegible] ſtitio conſpurcare fuerit cauſa. Vide Th. Dempſter. *Paralip. ad Roſin. Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 7. Landabantur enim hanc in rem [illegible] cipuè, qui vitrea perſpicuitate viſum ad imum uſque fundum [illegible] terent. Unde Poëta, de fonte,

——— *vitreus pellucidus undis.*

Horat. *l.* 3. Carm. Od. 13. Initio.

ô fons Blanduſiæ ſplendidior vitro.

Et quia cuilibet Numini ſuum εἴδωλον, ſuam *effigiem* dabant Gentiles, Ægyptii canales ſalienteſque ſacrorum fontium λεοντο[illegible] *leoninâ facie* fabricabant, uti ex Oro docet Salmaſ. *ad Solin.* [illegible] &c. Duravit ſuperſtitio recentius quoque in ævum. *Fontibus* [illegible] & lignis ſacrificaſſe olim Cattos ſive Heſſos, antequam à S. Winfrido, cognom. *Bonifacio*, primo Ep. Moguntino, converterentur, docet Willibaldus, primus Ep. Eiſtetenſis, cujus librum edidit Caniſius *Antiqq. Lect. part.* 2. & Serrarius, unà cum Bonifacii [illegible] Eundem Bohemos cultum quoque *Fontibus* præſtitiſſe, legimus apud Joh. Dubravium *Hiſt. Bohem. l.* 1. Qui & huic rei firmandæ [illegible] Nympharum ab hac gente cultu & id genus Numinum, verba [illegible] ducit è Procopii *Hiſt. Goth. l.* 9. ſic ſcribit: *Cætera in Bojemia tranquilla erant, niſi quòd ad vomitum ſuperſtitioſi rurſus revertebantur, Lares & Lemures colentes, victimaſque tum ad fontes, tum ad lucos & [illegible] mactantes.* Sed & Peruani, Novi Orbis incolæ, non ſolùm Mare [illegible] Deo habuêre, *Mammacocha* illud appellantes; ſed & flumina fontesque, divinis honoribus affecêre, antequam illo Regno potirentur Hiſpani teſte Joh. à Coſta *l.* 5. *c.* 2. & 4. Vide Voſſ. *de Idolol.* [illegible] & infrà Fontium excultores. Imò & *Fontis Dei* mentio apud Arnob. *adv. Gentes l.* 3. qui cum Jani fil. facit, Varronem *de Ling. Lat. l.* 5. Cic. *de LL.* Martian. Capellam *de Nuptiis Philolog. l.* 1. cujus ſacra *Fontinalia*, ut infrà videbimus. Sanctior eorum uſus quod philoſophandi loca antiquiſſimis temporibus *Fontes* fuiſſe legimus. Unde juxta *Fontes Beerſabæ*, lucos ſibi & amœna vireta plantaſſe Abrahamus Patr. legitur Geneſ. *c.* 21. *v.* 19. & Chriſtus, ad *Fontem* Jacobi conſidens, ad Samaritanam primò, dein ad diſcipulos ſuos de Rebus ad Regnum cœlorum ſpectantibus, diſſeruit, Joh. [illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

v 6. & ſeqq. Nempe prima hæc urbium origo fuit. Ad *Fontem* conveniebant pauci aliqui primitus, ac prope eum caſam erigebant, hac commoditate è propinquo uſuri. Mox pluribus ibidem caſis ejuſmodi extructis vicus ortus eſt, à. Gr. πηγη, *pagus* appellatus: plures poſtmodum pagi in unum corpus coëuntes opp. effecêrunt; oppidorumque ſemper inſigne decus habitum fonte, ſalubri aquâ perpetuò manante. A *Fonte*, dicti *Fontani*, qui fontium apud Romanos curam geſſêre, memorati Mart. *l.* 7. *Epigr.* 14. cujus epigraphe ad Arginum puerum

Securus licet hos fontes, Argine miniſtres
Nil faciunt Nymphæ: ne velit ipſe, cave.

ubi de fonte in ædibus Stellæ agit. Hos non magis Aquariorum, quàm pocillatorum turbæ, annumerari vult Pignor. *l. de Servis*: ubi ex Juriſcoſſ. vaſa hæc recenſent ſalientibus aquis accommodata: *Plumbeum caſtellum, fiſtulas ſub terra miſſas, ahenum lateribus circumſtructum, fiſtulas fictiles, epiſtomia, canales, automata, cantharos, perſonas, crateres, vaſa ænea.* Idem expreſſiones aquarum *Silanos* dictos, earumque modulos aut ad unciarum, aut ad digitorum rationem, inſtitutas eſſe, ait. Unde factum, ut apud Paulum JC. in Epiſtola neſcio cujus legamus, ὕδατος τὸ ῥεῦμα δακτύλιον, *aquæ fluentis digitum*: appoſitè ad veterem *Inſcr.* Sueſſanam, in qua ordo Decurionum Coloniæ Sueſſæ C. Titio cuidam Chreſimo permittit, *Ut. aquæ. digitus. in. domo. ejus. flueret.* Vide quoque infrà *Salientes*, it. *Silani* &c. Plura de *Fontibus*, iis inprimis, qui præ cæteris aliquâ re notabiles, vide præter Plin. *l.* 2. *c.* 88. alibique, apud Voſſ. *de Idolol l.* 2. *c.* 63. 70. & 73. &c. Auctorem *Sine & Eur. c.* 28. Auctorem Anon. *Orbis Terr. Geogr. & Civ. c.* 3. §. 21. Alios. Apud Eccleſiaſticos Scriptores, *Fons*, vas eſt in Baptiſterio, in quod baptizandi deſcendebant: κολυμβήθρα & δεξαμενή Græcis, uti pluribus oſtendit C. du Freſne *Deſcript. S. Sophiæ n.* 83. Unde *Deſcenſus ad fontem*, tit. Carminis à Caniſio editi *Antiqq. Lection. Tom. V. p.* 745. quo deſcribitur Litania, quæ canebatur, dum baptizandi *ad Fontes* deducebantur:

Mitte ſanctum nunc amborum
Spiritum paraclitum,
In hanc plebem, quam recentem
Fons Baptiſmi parturit.

Influebant autem in Baptiſteriorum fontes aquæ vivæ, per fiſtulas, canales & aquæductus, ut colligere eſt ex Ennodio *Carm.* 149. Anaſtaſio Bibl. *in Hadr.* Alios: Atque interdum per columnas in medio fontium perforatas effluebant, ut idem Anaſtaſius refert *in Hilaro*, ubi de Baptiſterio Baſilicæ Conſtantinianæ. Interdum per figuras animalium, v. g. cervorum, *Ibid.* agnorum, apud eundem *in Sylveſtro* &c. Vide quoque infrà aliquid in voce *Puteus*. Aliud quid ſonat, *Fons aureus, cum gemmis*, in vet. Scheda apud Browerum *Ann. Trevir. l.* 8. *n.* 114. ubi vas notat, in quo aqua, ad Miſſæ ſacrificium, ut vocant, in communione Rom. reponitur, vide C. du Freſne *Gloſſ.*

FONS Æthiopis, erat in via quâ ab Jeruſalem Gazam itur, nec longè ab Azoto, teſte Sanſone: & is eſt ad cujus aquas Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum baptizavit Philippus Diaconus, ut fidem faciunt ſacræ paginæ Act. *c.* 8. *v.* 27. & 38.

FONS Aureus, vide ſuprà *Fons*.

FONS Bellaqueus, ſeu Fons aquæ pulchræ, *Fontainebleau*, burgus cultiſſimus Galliæ, in provincia Inſulæ Franciæ, & in Hurepœſio tractu, cum palatio ſuperbiſſimo, à Franciſco I. qui inſigni Bibliotheca locum ornavit, & Henrico IV. Regibus extructo: ubi peramœnus Regis ſeceſſus, in medio ſylvæ cognominis. Hunc locum ſeceſſum, & eremum ſuam appellare ſolitus eſt. jam olim Ludovicus IX. *Sancti* cognomen meritus. Vix una leuca diſtat à fluvio Sequana, 4. à Meloduno, & 14. à Pariſiis in Auſtr. Vide Duchenium *rech. des ant. de France.* Hîc colloquium inter Philippum Mornæum, & Cardin. Perronium de aliquot controverſiis Religionis capitibus, coram Henrico IV. Rege, in conventu illuſtrium utrinque virorum habitum eſt, A. C. 1600.

FONS Bliaudi, *Fontainebleau*, villa regia Galliæ nobiliſſima atque cultiſſima, in ſylva Bieria, quæ vulgò *la foreſt de Biere*, & à palatio hocce magnificentiſſimo *la foreſt de Fontainebleau*, pagoque Waſtinenſi: à nomine vici & fonte ibi oriente dicta. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* & ſuprà.

FONS Calcarius, vel *Forum Calcarium*, vulgò *Forcalquier*, locus Galliæ, in Provincia, Auctori incerto, cujus Chronicon deſinit in A. C. 1290. à Catello editum, memoratus: quum in A. C. 1265. *Carolum Regem, Ducem Apuliæ, Principem Capuæ, Comitem Andigaviæ, Provinciæ, Fontis Calcariæ* (potiùs Calcarii) nuncupat. Olim enim, qui in Provincia dominabantur, modò *Comites Provinciæ & Forcalcarii*, vel *Forcalquerii*: modò à capite regionis, *Comites Arelatenſes*, aut *Areletenſium* dicti ſunt. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* in voce *Provincia.*

FONS Ebraldi, *Fontevrault*, oppid. Galliæ, in Andegavenſi provincia, Baudr. in Pictonibus habet Valeſ. agroque Pictavenſi, cum Abbatia percelebri Virginum, A. C. 1106. à Roberto de Arbriſello, in confinio Andium, Turonum, & Pictonum condita, quarum Abbatiſſa etiam viris hujus Ordinis præeſt. Inter Abbatiſſas 15. numerantur Principes feminæ, è quibus quinque è familia Borbonia: crevitque tam brevi cœtus, ut 50. ann. ab ordine fundato 5. vel 6. millia virginum ei nomen dederint. Vide Morerium *Dict. Hiſt.* Eſt in confinio Turonenſis provinciæ. Vix unâ leucâ diſtat à Ligeri fluv. 3. à Salmurio in Eur. & 5. à Chinonio in Occaſ.

FONS Eliſæi, ſcaturiens è pede montis Quarentanæ, fluvium generat uberrimum ac ſaluberrimum: Prope hunc fontem arbores creſcunt prunorum inſtar, ſpinoſæ tamen, in quibus flores naſcuntur, quos roſas Hiericuntinas vulgus appellat, mirandi effectus. Nocte enim natalitiâ noſtri Salvatoris paulatim hiant, atque inde ſe recludunt, licèt ſiccæ ſint & aridæ, in teſtimonium virginei partus. Salıgniac. *l.* 10. *c.* 6. Eſt in tribu Benjamin.

FONS & piſcina Gabaon. Hic duodecim pueri ex parte David, & totidem ex parte Isboſeth pugnavêrunt, & mutuis ictibus ad unum confecêrunt, unde loco nomen inditum *Ager robuſtorum*. 2. Reg. *c.* 2. *v.* 24. Eſt in tribu Benjamin.

FONS Hortorum, Lib Cantic. fluv. Adonis, qui *Canis* nominatur, teſte Poſtello, qui per Phœniciam ex monte Libano, ſeu Antilibano, in mare Syrium aud Berytum decurrit. Ferrar. Baudr. puteus eſt aquarum viventium, quæ fluunt impetu de monte Libano.

FONS Jacob, in tribu Ephraim: Ad hunc puteum Jeſus fatigatus ſedens, cum muliere Samaritana locutus eſt de aqua viva, & adorando Deo in ſpiritu & veritate.

FONS Jovis, Plin. apud Dodonem in Epiro mirus, faces extinctas accenſas exſtinguens.

FONS Rapidus, Script. Hiſp. *Fuente rabia, Fonterabia*, opp. cum arce firmiſſima advertùs Gallos Hiſpaniæ Tarraconenſis, in ora Vardulorum, apud Olarſonem opp. exciſum, à Gothis A. C. 625. conditum, inter Bajonam urbem Aquitaniæ, & Sebaſtionopolim opp. 5. leucis diſſitum. Ferrar. Baudr. *Fontarabie* Gallis, opp. eſt munitum Guipuſcoæ provinciæ, in ora maris Aquitanici, ad oſtia Bidaſſoæ fluvii, in ipſo limite Galliæ, 3. leucis à Sebaſtianopoli in Ort. eratque antiquitus in Aquitania, ut multi opinantur.

FONS Rogi, vulgò *Fontrouge*, Monaſt. a Romano quodam Monacho ædificatum in pago Antiſſiodorenſi. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

FONS Samariæ, qui dicitur alternis coloribus quater in anno variari, viridi ſcilicet, ſanguineo, turbido, & limpido. Eſt in tribu Ephraim.

FONS Samſon: Hîc ſitienti Samſoni produxit Deus fontem aquæ è dente molari maxillæ aſini, unde locus nomen retinuit, & oſtendebatur. Eſt in tribu Dan.

FONS Solis, in Cyrenaica, ſic dictus, quòd Solis per cardines motu, calore & algore variatur. Ejus meminêre Herod. *l.* 4. *c.* 181. Diod. & Arrian. Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 309.

——— *Medio tua corniger Hammon,*
Unda die gelida eſt, ortuque obituque caleſcit.

Sil. Ital. Punic. Bell. *l.* 3. *v.* 670.

Stat fano vicina (novum, & memorabile) lympha,
Quæ naſcente die, quæ deficiente tepeſcit,
Quæque riget medium cùm ſol accendit Olympum,
Atque eadem rurſus nocturnis fervet in umbris.

Nomina fontium aliquot apud veteres.

FONS Vennæ, vulgò *Fouvent*, caſtrum Galliæ, in Lingonibus. Hadr. Valeſ. *in hac voce* &c. Acidulas & *Fontes vinoſos*, in Germania, videre eſt ad opp. *Sualbach*; in Gallia ad opp. S. Baldomani, in agro Lugdunenſi, quibus nomen *le Fontainefort*, quaſi dicas, *Fons fortis*. Alios in Aquitania, prope urbem Beſſam; in Hiſpania, prope S. Mauritii vicum &c. Nec omittendus *Fons* juxta Paterbornam *Metborn* vulgò, cujus unus rivus aquâ clarâ, ſubcœruleâ, tepidâ & ebullienti fluit; Alter frigidâ, turbidâ, albicanti & ſapore fortiori præditâ; Tertius mediæ inter utrumque naturæ, aquâ ſubviridi, clarâ, acidique nec injucundi ſaporis: E quorum medio quæ bibunt aves, mox tremere incipiunt, & convulſionibus correptæ moriuntur, compertumque eſt ſectarum pulmones & inteſtina quaſi contracta apparuiſſe. In Xanſia regni Sinenſis provincia magno numero videre eſt *Fontes Igneos*, quibus etiam ad coctionem incolæ utuntur, Neuhofius *Itin. Chin. p.* 12. In Herefordienſi Com. Angliæ, prope Caſtellum Richardi *Richards Caſtle* fons eſt *Fons Oſſium*, vulgò *the Bonewell*, communiter dictus, quòd oſſiculis fluat, iis, qui in ranis ſunt, non diſſimilibus; quæ licèt omnia eximantur, poſtridiè eadem tamen copiâ ſcatet. Plura talia Fontium miracula vide apud Varenium *Geogr. l.* 1. *c.* 7. *Prop.* 17.

Acidalia, Bœotiæ apud Orchomenon.
Aganippe, Bœotiæ, ad Heliconem montem.
Albuneus, in Latio, apud Tybur.
Arethuſa, apud Syracuſas, in Sicilia.
Callirhoë, apud Athenas, in Attica.
Caſtalius, Phocidis, ad Parnaſſi montis radices.
Clitorius, apud Clitorium urbem Arcadiæ.
Cruno, Atticæ.
Cyane apud Syracuſas, in Sicilia.
Dirce, apud Thebas, Bœotiæ.
Dircenna, apud Bilbilim, Hiſpaniæ.
Gargaphie, apud Plateas, in Bœotia.
Hippocrene, ad Heliconem montem.
Libethros, Magneſiæ, in Theſſalia.
Liriope, apud Theſpias, in Bœotia; ubi Narciſſus puer ſuffocatus.
Magæa, apud Syracuſas in Sicilia.
Salmacis, Cariæ, apud Halicarnaſſum, qui eſt Salmax.
Virbius, Laconiæ, in Peloponneſo.

FONTANÆ, opp. olim Burgundiæ, S Bernardi, cui pater erat Tecelinus Miles, natalibus celebre, vicus nunc eſt ad Albæ ripam, inter Claram vallem, & Barrum Albenſe, ſed huic propior. Item opp. in finibus Tungrorum, ſeu Leodienſium, patria Philippi, qui ſcripſit de miraculis Bernardi. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

FONTANELLA, pag. Gall. Celt. ad Sequanam fluv. in territ. Rhotomagenſi, cum cœnobio celeberr. à Wandregiſilo, cognom. Wandone, tempore Chlodovei jun. in eremo Gemeticenſi, cum 4. baſilicis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

licis extructo 12. mill. paſſ. à Rhotomago. Vulgò *Fontanelle*, à fonte uberrimo præfluente; ſed cœnobium à conditore, & Abbate primo, modò *Fontenelle*, modò *S. Vandrille* dicitur. Habet à Sept. Occ. & Mer. montes vitiferos, ac denſas ſilvas; ab Or. fontem uberrimum, qui paſſus 1300. emenſus in Sequanam decurrit; fluv. item mirabilem, qui in Aquilonari plaga cœnobii ortus, ad Mer. in Sequanam ſimiliter influit: inter hæc autem duo flumina prata Monachorum amœna & irrigua. Eſt & *Fontanella*, in Hannonia, Monaſterio puellarum celebris, *l'Abbaye de Fontenelle en Hainaut*, ubi Johanna ſoror Philippi VI. ſocrus Ludovici Bav. & Eduardi III. Angl. Regis amiſſo marito Vilhelmo Bono, ſepulta eſt. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

FONTANARIUS Sertorius, vide *Sertorius*.

FONTANETUM, locus agri Antiſſiodorenſis, in quo Lotharius à fratribus Carolo, & Ludovico, acie victus eſt, A. C. 841. Vulgò *Fontenay*. Item caſtrum in Pictonibus, Malliaco proximum, ſimiliter *Fontenay*: cùm aliud non procul à Niortio *Fontenay* dicatur, nunc vici magis, quàm caſtri nomine dignum, poſtquam à Ludovico IX. funditus everſum eſt, A. C. 1242. *Idem.*

FONTANI Miniſtri apud Mart. *l.* 7. *Epigr.* 14. indigitati. cujus Epigraphe in Agrinum Puerum.

Securus licet hos fontes, *Agrine, miniſtres*,

non tam Aquariorum, qui aquas & ſalientes curabant, pro familiarum quâ uſu, quâ voluptate; quàm Pocillatorum turbæ, adſcribendi, vide Laur. Pignor. *Comm. de Servis*, & hîc paſſim.

FONTANIA. ſacra fontium, quæ fiebant coronatis puteis, & fontibus. Varro & *Feſtus*.

FONTANUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

FONTARABIA, fruſtra à Condæo Principe obſeſſa, qui non parvâ clade ibidem affectus eſt, A. C. 1640. Vide *Fons Rapidus*.

FONTECLI, vulgò *la Fondazza*, pag. olim Æmiliæ, nunc rus, cum caſtro parvo diruto, inter Placentiam, & Parmam.

FONTEJA, Virgo Veſtalis, M. Fonteji ſoror. Cic. *pro Fontejo*.

FONTEJUS Agrippa, Tac. *Hiſt. l.* 3. *c.* 46. *Aſiæ Proconſul, Mœſiæ præpoſitus*.

FONTEJUS Capito. Horat. *l.* 1. *Serm. Sat.* 5. *v.* 32.

——— *Capitoque ſimul* Fontejus, *ad unguem*
Factus homo, Antoni non ut magis alter amicus.

FONTEJUS Capito, in Germania, poſt cædem Neronis, turbare cœptavit: ideò à Cornelio Aquino, & Fabio Valente, legatis legionum, interfectus eſt, antequam à Galba juberentur. Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 7. *Fuère, qui crederent* Capitonem, *ut avaritiâ, & libidine fœdum ac maculoſum; ita cogitatione rerum novarum abſtinuiſſe: ſed à legatis bellum ſuadentibus, poſtquam impellere nequiverint, crimen ac dolum compoſitum.* Vide & *Cajus*, & *Lucius*.

M. FONTEJUS, amator hiſtoriarum, memoratur Fl. Vopiſco in *Firmo*.

FONTENÆA, vulgò FONTENAY, illuſtris in Gallia Familia, Rohaneæ ramus. Carolus enim Joh. II. fil. minor, pater fuit Ludovici (quo genitus Ludovicus cognom. *Magnus*, Dominos, vel, uti nunc vocantur, Principes *Guimené*, Duces *de Montbazon*, & Comites *Rupefortios* ſevit) & Petri Dni. *de Gié*, Mareſcalli Franciæ: cujus fil. fuit Carolus Dn. *de Gié* & *du Verger*, (cujus poſteritas in nepotibus defecit) & Petrus Dn. *de Fontenay* maritus Annæ, quæ hæres primarii Rohanai rami fuerat: Unde in hujus poſteris iterum *Vicecomitum de Rohan* Princ. *de Leon* & Dn. *de Soubize*, titulus continuatus eſt, ac demum Ducalis corona acceſſit. Donec ultimus maſculus ex ea vitam clauſit, ſeu Henricus Dux A. C. 1638. ex vulnere in prælio Reinfeldenſi accepto, ſeu fil. ejus (de cujus natalibus magnâ contentione agitatum eſt) Tancredus, in Pariſienſibus motibus extinctus, ſucceſſione, per Margaritam Henrici filiam, in domum Chabotiam illatâ, vide Phil. Jac. Spener. *Theatro Nobil. Eur. Part.* 1. *in Ind.*

FONTENÆUM, Burgus prope Antiſſiodorum, celebris memorabili ab omni ævo prælio, inter Ludovici Pii Imp. filios, Carolum Calvum, & Ludovicum Germ. ab una parte, & Lotharium Imp. cum Pipino fratris filio ab altera: quo priores victores evaſêrunt. A. C. 841. Vide *Fontanetum*.

FONTENÆUM, urbs lepida Pictavenſis prov. infer. ad radices collis, ad amnem Vendeam, nundinis dives effecta. 5. leuc. à Marano in Bor. 3. à Malleaco, 7. ab ora Oceani Aquitanici. *Fontenay le Comte.*

FONTES, pagus Inſubriæ, apud Aronam, nunc *Fontanetum*, à multis fontibus. Hîc plures extant inſcriptiones antiquæ marm.

FONTES Aponi, Thermæ ſunt à vett, celebratæ in agro Patavino, Venetorum ditionis; hodiè *Bagni d'Abano*, ut Leander ſcribit.

FONTES Vinoſi, vide *Vinoſi*.

de FONTIBUS Petrus, vide *Petrus*.

FONTINALIA, erant Fontium ſacra, apud Romanos, d. 3. Idus Octobr. celebrari ſolita. *A' fonte*, inquit Varro *de Ling. Lat. l.* 5. *quòd is dies feriæ ejus: ab eo autem tum & in fontes coronas jaciunt & puteos coronant*, Feſtus. Joſ. Scalig. *Conject. in Varronem d. l.* notat, *Fontinalia* ſacra fuiſſe, & ferias ejus fontis, cujus delubrum fuerit, juxta portam Capenam, unde & ipſa *Fontinalis* dicta ſit.

FONTINALIS, Porta urbis Romæ ob propinquitatem ſcaturientium fontium, eadem *Capena* vocatur.

FONTIUM Excultores, vide ſuprà *Facularum Accenſores*.

FONTIUS Bartholomæus, vide *Bartholomæus*.

FONTUS, Jani fil. apud Arnob. *adv. Gentes l.* 3.

FORAMEN, in Oſtiis Veterum duplex fuit. Alterum, per quod immiſſa ab his, qui foris erant, clave, adducebatur ac reducebatur aliquod ferratum veruculum ſeu peſſulum, quo oſtium intus retinebatur vinctum & poſti junctum, ut hodièque fit. Alterum, & quidem vetuſtioris uſus, in foribus, quæ ſeram habebant, ubi non reducebatur βάλανος, ſed ab imo ſurſum trahebatur & clavim immiſſam ſequebatur, ut ſuprà diximus, ubi de *Balanagra* & *Balano*. Hæ ut reſerari poſſent ab iis, qui foris adſtabant, ſatis grande *foramen* ſupra locum ſeræ relinquebatur in oſtio, per quod munus tranſmitti nequiret, & βάλανος in βαλανοδόκην demitti claudendæ januæ & rurſus eidem aperiendæ βαλανάγρα in βάλανον immitti. Apulej. *l.* 4. *Tunc itaque ---- Lamachus ---- qua clavi immittendæ* foramen *ſenſim immiſſâ manu clauſtrum evellere geſtiebat*. Quod latius patet ex *Tacticis* Æneæ, in quibus memoratæ fraudes, ab exteris admiſſæ, circa βάλανον eruendam ac dolo evellendam, abſque ope βαλανάγρας, in plerìſque urbium portis, non potuêre admitti, niſi per *foramen* dictum. Per hoc enim immiſſo brachio ſi quis modulum balani cepiſset, ad eum modulum clave factâ immiſſâ, etiam urbe excluſus vel ædibus, falsâ clave per foramen immiſſâ, fores reſerare in proclivi habuit. Quò pertinet lepida hiſtoria, de Philoſopho Lacyde apud Diog. Laërt. qui, ubi quid ex penu promſiſset, ſignaculo (quo promptuaria & cellæ muniri ſolebant) rurſus oppoſito, annulum quo ſignaverat, ſolebat per foramen oſtii intro jacere: at ſervi, eo viſo, per idem foramen manu immiſsâ annulum retrahebant, & penu reſignato rurſumque ſigno impreſſo, quæcunque vellent, indeprehenſi ex promptuario amovebant. Cùm itaque nec ſera ſatis ſecura & in ſignaculis quoque fraus facilis eſset, ad illum modum poſtea itum eſt, quem primò memoravimus &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 926. & *ſeqq.* uti de *foramine*, in pariete triclinii, proluendi pavimenti causâ, cujus fit mentio *l.* 28. *ff. de Servit. præd. urban.* aliquid infrà in voce *Scobs*, de pretio margaritarum, pro *foraminum* ratione, variante, infrà itidem in voce *Perforaculum*.

FORAS, vide infrà *Foris*

FORBINIUS Palamedes, vide *Palamedes*.

FORBISHERII Fretum, vide *Fretum Forbisherii*.

FORCADELLUS Petrus, vide *ibi*, it. *Stephanus*.

FORCEPS, inventum Cinyræ Agriopâ geniti, Plin. *l.* 7. *c.* 56. an Vulcani, qui proin cum *forcipe* ſpectatur, in nummo L. Cæſii de quo ſuprà: cùm in uſum innocentem diu valuiſset, poſtmodum ſævitiæ inſtrumentum eſse cœpit, & reis cruciandis, Martyribus inprimis, adhiberi. Et quidem *Forceps*, cujus olim in Martyrum carnificinis uſus, triplicis erat ſpeciei, ut Baron. docet Not. *ad Martyrolog.* 26. *Junii*, è quibus unam hodièque aſservari in Bibliotheca Vaticana, legas apud Dominic. Macrum *in Hierolex.* Vide quoque infrà *Ungula*. Græci *forcipes* ex auro adhibebant, ad tangendam reverentiæ causâ S. Euchariſtiam, λαβίδας illis dictas: quod vocabulum ab iiſdem poſtea tranſlatum eſt ad cochleare, quo Euchariſtiam ſecularibus, ut ajunt, conferunt. Id. Sed & *Forcipes*, quorum gemino dente componitur ignis in lychnis, inter vaſa ac miniſteria ſacra Eccleſ. Rom. reponuntur, à Durando *Ration. l.* 1. *c.* 3. *n.* 29. Vide C. du Freſne in *Gloſſ.* in vocibus *Forcipes* & *Forfex*, ut & ſuprà, ubi *de Ellychnio*. Imò & *Forcipes* jocis adhibitæ: Sic apud Suet. Aug. *c.* 75. *Saturnalibus, & ſi quando aliàs libuiſſet, non modo munera dividebat, veſtem & aurum & argentum: modo nummos omnis notæ — interdum nihil præter cilicia & ſpongias & rutabula & forfices, & alia id genus, titulis obſcuris & ambiguis.* Puta, ſuper *forcipe* ſcriptum erat, *Edentulo detur*: quia *forceps* eſt ὀδοντάγρα, eique utilis, cui vitioſi dentes ſunt: ſuper ſpongia, *Lippo detur* &c. Vide Caſaub. ad h. l. & Re...

FORCHENA, opp. Franconiæ, ad confluentes Wiſenti, & Regnitii fluviorum, ubi caſtrum permunitum, ſub Ep. Bamberg. 4. mill. Germ. à Bamberga in Mer. Quibuſd. eſt *Trutavia*.

FORCTUM vel FORTUM, ab antiquo *Foro*, i. e *Fero*, pro bonis & hæreditate. Unde *Forctunus*, i. e. bonus, & *Fortuna* i. e. bona quo ſenſu *Fortuna* recentioribus abſolutè ſumitur; & ſequens *Fortuna*, pro bonis. *Forctis* quoque bonus & frugi, pro quo ſequens Horatii ætas *fortem* dixit. Aliter *Horctum* antiquis, ſequenti ævo *Herctum* & *Hertum*, inde *Erctum* & *Ertum*. Vide infrà *Herctum*.

FORCULUS, Deus, apud Romanos, qui *foribus* præerat, Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 8.

FORDICIDIA, adde: A' *fordis* bubus nomen habuêre; quod eâ die publicè immolarentur boves prægnantes. *Forda* enim bos gravida, à *ferendo*. Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 629.

Forda *ferens bos eſt, fœcundaque dicta ferendo.*

Mactabantur autem ſingulæ in ſingulis Curiis, quarum numero pares erant, teſte Liv. & Dionyſ. idque Terræ Matri. Quod ſacrificium à Numa inſtitutum, in agrorum pecorumque ſterilitate, latè proſequitur Ovid. *d. l. v.* 630 & *ſeqq.* Salmaſ. ab Accus. Græco φορίδα vocis originem arceſſit, & *Hordam* quoque ἀρχαϊκῶς dictam fuiſse, docet, *ad Solin. p.* 1013. & 1262.

FORDICIDIA, ut inquit Varro, feſta erant apud Romanos, dicta à *fordis*, i. e. bobus cædendis, quæ celebrabantur ad 17. Cal. Mart.

FORDUNUM, opp. Scotiæ amplum, Merciæ reg. primarium, 15. mill. ab Aberdonia, in Afr.

FORES, à FORO, an quia *foras* aperiebantur, Serv. Priſcorum enim ædes *Fores* habuêrunt, quæ exterius atque in viam explicarentur: proin, non extrorſum ſolùm annulum ferreum vel æneum habuêrunt, *Corvum* ſive *Cornicem* Julio Polluci dictum, ut ex Plauto diſcimus; Sed & introrſus, quò pulſatis interius, antequam aperirentur, foribus, qui ante ædes in via conſtitiſsent, aut illac pertranſirent, ſibi caverent. Inde apud Terent. non ſemel legas, egrediente aliquo ex ædibus, *Fores obſtrepuiſſe*, vide Ant. Muret. *Var. l.* 1. *c.* 1. Quanquam & cardinibus æneis, qui aperiendis foribus ſtridebant, juxta illud Virg. *l.* 1. *Æn.* 453.

——— *Foribus cardo ſtridebat ahenis*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſtrepitus ille ab aliis aſcribitur. Conſuevêre autem hujuſmodi annuli ſeu marculi introrſus appendi eorum civium foribus, quibus privatâ lege conceſſum erat, ut *Fores* oſtiis aperiendis ſic in viam panderentur: Vide Plutarch. *in Publicola*, & Ariſtot. *in magnis Oeconomicis*. Poſtea, quia ſordidum videbatur appenſo ut olim marculo eas pulſare exteriùs, Janitores, Janitrices ac Oſtiarii adhibiti ſunt: hodiè verò hac religione ſoluti, marculos rurſus in uſum recepimus, præclarè nobiſcum actum cenſentes, ſi Oſtiarium alere non ſit neceſſe. Introrſum quoque ædium *Foribus* tintinnabula appenduntur, quæ idem, quod marculi olim, monent &c. Hier. Magius *l. de Tintinnabulis c.* 19. Vide ſuprà in phraſi, *Aperiri foris*, & infrà ubi de *Oſtii apertura*: uti de *Foribus* ædium, interiorumque conclavium muniendi ſeris peſſuliſque, ſignaculis inſuper firmaudi, ratione apud Vett. uſitatâ, hîc paſſim, in vocibus *Balanagra*, *Balanus*, *Clavis*, *Clauſtrum*, *Claxendix*, *Foramen*, *Obex*, *Peſſulum*, *Sera*, &c. de *Foribus* item *Cancellatis*, ſeu *Reticulatis*, *Duplicibus*, quas Δικλίδας dixêre Græci, *Quadruplicibus*, quas Δίθυρα, *Valvatis* &c. ſuo loco. Addam hîc ſaltem, Gynæceorum inprimis apud Græcos ſigillo & peſſulo à maritis obfirmari conſueviſſe, uti queritur illa apud Ariſtoph. *Theſmophor.*

> Εἶτα διὰ τοῦτο ταῖς γυναικωνίτισιν
> Σφραγῖδας ἐπιβάλλουσιν ἤδη καὶ μοχλοὺς,
> Τηροῦντες ἡμᾶς, καὶ προσέτι Μολοττικοὺς
> Τρέφουσι μορμολυκεῖα τοῖς μοιχοῖς κύνας.

De quo more etiam Menander, apud Stobæum, irridens eos, qui tam arctè uxores obſervent:

> Ὅστις δὲ μοχλοῖς καὶ διὰ σφραγισμάτων
> Σώζει δάμαρτα, καὶ δοκῶν εἶναι σοφὸς,
> Μάταιός ἐστι, καὶ φρονῶν οὐδὲν φρονεῖ &c.

Vide Joh. Kirchmann. *de Ann. c.* 10. & ſuprà in hac voce. Conſtat autem apud Gentiles præfuiſſe iis varios Deos, Forculum, vide ſuprà: Limentinum, qui limini præerat: Cardeam, ſeu Carneam, cui cardinis cura erat commiſſa: Janum, qui omnibus domus januis præfectus erat. Cui cùm ante focos aras Græci, haud procul à foribus, ſtatuerent, Macrob. auctore, hinc in antiquis monumentis homines recenſentur, *à Jano primo Palatino*, *à Jano medio*, *a Jano ab atrio*, & in genere *à Jano* dicti, qui à Janitoribus proximi miniſtri fuêre. Sed de his vide infrà in voce *Janua*, *Janus*, *Oſtiarius* &c. Præter hos verò & *Solem in foribus* memorat Arnob. *adv. Gentes l.* 6. qui inde Προστατήριος dicebatur. Sophocles *Electra*,

> Κλύοις ἂν ἤδη Φοῖβε προστατήριε
> Κεκρυμμένην μου βάξιν.

Ubi Scholiaſtes προστατήριε, ait ὅτι πρὸ τῶν θυρῶν ἵδρυται. Item Θυραῖος Tertullian. de *Idolol.* *Etiam apud Græcos Apollinem Θυραῖον, & Antelios dæmonas oſtiorum præſides legimus.* Προπύλαιος quoque quo epitheto Apollinem inſignit Ariſtides *Hymno in Minervam*. Vide etiam ſuprà *Anthelii*, it. *Apollo*. Nec curæ Deûm *Fores* commiſiſſe contenti, *Fores* valvaſque Numinum Religiosè venerabantur, falsè notati B. Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 8. Unde ſucceſſu temporis nata ſuperſtitio, Fores fanorum, nominibus Divorum aſcriptis, velut conſecrandi; de qua Jamblichum videre eſt, *Pythag. l.* 1. *c.* 2. ubi, inter alia, Mneſarchum è Syria in inſ. Samum reducem ibi Templum Apollini erexiſſe, cum *Inſcr.* ΠΥΘΙΟΥ, memorat: more ad Chriſtianos inde delato, quos januas Templorum picturis ornaſſe, diſcimus ex facto Epiphanii, id improbantis, relato à B. Hieronym. *Ep.* 60. Hinc. *Foribus ædium ſacrarum caput illidendi*, magna in calamitate, mos, notatus Caſaub. *ad Suet.* ubi de Aug. poſt acceptum de clade Variana nuncium. *c.* 23. *Adeò inquit, conſternatum ferunt, ut per continuos menſes barbâ capilloque ſummiſſo, caput interdum foribus illideret* &c. Aliquid enim religionis facto huic inſuiſſe judicat, & ad fores ædium ſacrarum transfert. Quemadmodum apud Tibull. legimus, *l.* 1. *Eleg.* 5. *v.* 41. & ſeqq.

> *Non ego tellurem genibus perrepere ſupplex,*
> *Et miſerum ſancto tundere poſte caput:*
> *Non ego, ſi merui, dubitem procumbere templis,*
> *Et dare ſacratis oſcula luminibus.*

Nempe putabant miſeri, hac ſui injuriâ leniri Deûm iram, uti Cic. docet 3. *Tuſcul.* ex qua opinione multa fluxêrunt in veteres ritus. Sed Suet. verba & Flor. & Orop. ſimpliciter accepêrunt, & *parietem* pro *foribus* ambo poſuêrunt. Occurrunt autem ſæpe iſtiuſmodi *deteſtabilia genera lugendi*, uti idem Cic. *ibid.* vocat, qua de re infrà. Interim non omnibus Deorum Fanis ſuæ *fores*, uti nec parietes omnibus erant. Meminit namque Pauſ. *in Atticis* Junonis Templi οὐ θύρας ἔχοντος, *foribus carentis*, in via à Phalero Athenas ducente. Cujuſmodi templorum latera aut circuitus nullibi clauſus, ſed columnarum interſtitiis ita tantùm diſtincta erant, ut oſtii loco intercolumnium circumquaque quodlibet pariter haberetur; maximè in ſyſtolis & diaſtolis. Vide Joh. Selden. *de Synedriis l.* 3. *c.* 16. §. 2. Quibus verò erant, iis porrò plerumque non niſi à *Foribus* lumen, unde magna illis obſcuritas, venerationi conciliandæ utilis credita. Nec celebriores apud priſcos *Fores* fuêre foribus templi Jani, quas

> —— *Sanguinei magna oſtia belli*,

Val. Flacc. vocat *Argon. l.* 5. Duæ autem fuêre, Virg. *Æn. l.* 7. quibus reſeratis, bello omnia fervere: clauſis, quod tribus tantùm ab U.C. vicibus contigit, pax alma mundo allucere ſolita eſt. Thom. Dempſter. *Paralip. in Joh. Roſin. Antiqq. Rom. l.* 2 *c.* 3. Sed de iis plura infrà, in voce *Janua*. Uti autem *Fores* ſuas Numinibus, & Numinum ipſorummet, ſacras habuêre Gentiles, ſic celebritate aliquâ jubente, ut aliâ quâdam ratione invitante ſuas alienaſque floribus, corollis, luminibus, exornare ſoliti. Unde Tertullian. habemus declamantem adverſùs Chriſtianorum illos, qui Gentilium more laureis poſtes ſuos exornabant, *de Idolis c.* 16. ubi exemplum judicii divini in quendam recitat, cujus ipſo abſente atque inſcio, ſervi poſtes coronaverant, additque: *At luceant opera veſtra; ſed nunc lucent tabernæ & januæ noſtræ: plures jam invenies Ethnicorum fores ſine lucernis & laureis, quàm Chriſtianorum.* Nuptiarum die *Fores* myrto, exequiarum cupreſſo, iidem coronavêre, de quo ritu alibi. Sed & clientes patronorum, & amantes amicarum, & tenuiores potentiorum, *Fores* ſertis redimere conſuevêrunt; uti pluribus docet Car. Paſchal. *Coron. l.* 2. *c.* 5. Etiam Triumphalium virorum fores laureatas fuiſſe, diſcimus ex Senec. *ad Polyb. c.* 35. Oratorum item, qui adverſarios ſæpe ſuperaſſent: horum enim januas palma coronatas, ait Lucian. *Rhetor. Præc.* Natali verò die, ut & atria feſtivâ lætitiâ invitante, lucernas iis appenſas etiam dicemus infrà; uti contrà funebri indicio ad eaſdem piceam poſitam in voce *Picea* &c. Vide plura hanc in rem hîc paſſim, inprimis ubi de *Coronis*, *Arecone*, *Floribus*, *Mazuzis*, *Poſtibus*, *Rhamne*, *Suggrundatis*, alibique: uti de ſtatione pauperum in Eccl. Chriſt. *ad fores Templorum*, infrà in voce *Pauperes*.

FORESTA, Anglis eſt ampla ruris portio, deſerta plerumque, & nemoroſa, alendis feris regiis expoſita: nullo ſepimento, at certis terminis, certiſque legibus, Magiſtratibus, Judicibus, Officialibus & Miniſtris valdè inſignis, & communita. Dicta à *foris* vel *foras* quaſi pars *foraſtica* ſeu exterior, i. e. foris culta & habitata. Eodem ſenſu *Deſertum* dicitur, quaſi id, quod deſeritur, & feris relinquitur. Vox à Normannis fortè introducta, Dani enim, & Anglo-Saxones eam aliàs *Saltum cervinum*, aliàs *ſtabulum damarum* appellabant: juxta illud Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 179.

> *Itur in antiquam ſilvam*, ſtabula alta *ferarum*.

In agrorum dimenſionibus *Foreſtæ* olim non veniebant; Perinde nec villas propriè accepêre, nec parœcias; nec de corpore alicujus Comitatus vel Epiſcopatus habitæ ſunt: ſed velut extraneum quiddam, & feris datum, ferino Jure, non civili, non municipali fruebantur: Regem in omnibus agnoſcentes dominum unicum, & ex arbitrio diſponentem. Novam *Foreſtam* inſtituturus Gulielmus I. in pago Hantonienſi, villas fertur 26. totidemque Eccleſias parochiales deleviſſe: ſed in eodem ſaltu Richardus fil. ejus ſecundogenitus funeſtâ aurâ correptus: alter Gulielmus Rex, cognom. Rufus à Gualtero Tyrello ſagittâ confixus, Henricus etiam nepos è Roberto, filio maximo, inter ramuſculos comprehenſus, & Abſolomi pœnâ divinitus affectus eſt. Sequentes Reges *Foreſtas* inſtituturi non quidem tantopere ſævierunt, trucem tamen illam legem, quâ delinquentibus in feras, oculos, & teſticulos eruebant, potentius ingeſſêre: donec à Joh. Henrico I. Eduardo I. &c. mitiores leges introductæ ſunt. Vide de his prolixè agentem Henr. Spelmann. *Gloſſar. Arch.*

de FORESTA Jacobus, vide *Jacobus*.

FORESTE Dominicum, in *L.* Longobard. *l.* 1. *tit.* 22. §. 7. & apud Eginhard. *Ep.* 7. Silva Regia eſt; cujuſmodi ſylvas, majores ſc. Principes ſibi ſolis reſervabant, quò in illis, certis anni tempeſtatibus, venarentur, aliis earum uſu prorſus prohibitis. Unde Guntrannus Rex Chundonem Cubicularium Regium, qui venando bubulum in Voſago occiderat, morte mulctaſſe legitur, apud. Greg. Turon. *l.* 10. *c.* 10. Sed & ipſis Regum filiis in iis venari nefas fuiſſe, diſertè habetur in *Capitulis* Car. Calvi *tit.* 43. *c.* 32. *In quibus ex noſtris palatiis fil. noſter, ſi neceſſitas non fuerit, morari, vel in quibus foreſtibus venationem exercere non debeat. Cariſiacus* (prope locum, qui hodiè *Kierſi ſur Oyſe*, in pago Sueſſionenſi) *penitùs cum foreſtibus excipitur. Silvacus* (hodie *Silve* locus dicitur, haud procul Farà opp. in pago Laudunenſi) *cum toto Laudunenſi ſimiliter. Compendium cum Cauſia* (quæ & *Cotia*, hodie *Foreſt de Compiegne*) *ſimiliter. Satmontiacus ſimiliter. in Odreja villa* (inter Ambianos & Atrebates, hodie *Aire*, cui adjacet *Vaſtlau*, ſilva ingens) *porcos non accipiat: & non ibi caciet, niſi in tranſeundo. In Attiniaco parùm caciet. In Verno porcos accipiat tantùm. Arduenna penitùs excipitur, niſi in tranſeundo, & villæ ad ſervitium noſtrum ſimiliter. In Ligurio porcos & feramina accipiat. Ariſtallium* (ſeu *Heriſtallum*) *cum foreſte penitus excipitur. In Lens* (oppid. etiamnum in Atrebatibus) *& Wara & Aſtenido* (*Stenay* forte in Lotharingia) *& feramina & porcos capere poteſt. In Rugituſit, in Scadeboit & in Lauuiſ, tantummodo in tranſitu & ſicut minus poteſt. In Criſiaco* (ſeu *Criſciaco*, hodie *Creſci*, in Comit. Pontivi) *ſimiliter. In Liſgo porcos tantum accipiat. Ut Adelelmus de foreſtibus diligenter ſciat, quot porci & feramina in unaquaque à filio noſtro caciata fuerint.* Præter quas *Foreſtas Dominicas*, etiam *Aquiſgranenſis* meminit *Charta* Caroli Mag. pro Eccleſ. Oſnabrug. A. C. 804. & *Vogaſi*, Gregor. Turonenſis *l.* 10. *c.* 10. aliique paſſim. Fiebant autem iſtæ venationes, à Principibus, cum tota Palatii Comitiva: unde *Venationes publicæ* vocantur ipſæ Foreſtæ Regiæ in *Chron.* Montis Ser. idque ſub Autumnum ut plurimùm, unde *Venationes autumnales* dicuntur Eginhardo A.C. 817. 819. & 820. Quibus qui præerant, *Foreſtarii Regii* ſeu *Cuſtodes Regiorum Saltuum* nominantur, apud Flodoard. *Hiſt. Rom. l.* 1. *c.* 20. Vide C. du Freſne *Gloſſ.* & infra in voce *Protoforeſtarius*, it. *Saltuarius*, *Venator*, *Viſitator*. Addam hic ſaltem, Francorum Reges priſcos ſubjugatâ Galliâ, præcipuis Ducibus ſuis, partem Flandriæ, cum tit. *Foreſtarii*, poſſidendam tradidiſſe. Quæ dignitas poſtquam duraſſet ad Car. Mag. ſeu, ut alii volunt, ad Car. Calvi principatum uſque, ſub hoc mutato Flandriæ regimine, illa in *Comitatus* dignitatem evecta, & *Foreſtarii* nomen in *Comitis* converſum eſt. Temple Eques Anglus *l'Eſtat des provinces unies*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

FORESTICELLA, locus Galliæ, in ſylva Criſciacenſi, dictus à ſylva proxima atque cœnobio, quò Richarius ſeceſſit ibique obiit. Vulgò *Foreſtmouſtier*, i. e, *Foreſtis monaſterium*. Abeſt à Centulo vico pagi Pontivi 10. m. p. ibique Richarius in honorem B. Mariæ Monaſterium inchoavit, referente Hariulfo. A' capite autem pagi Pontivi in Ambianis Abbatiſvilla, 2. leuc. ad Ort. versùs Centulum opp. & Mon. diſtat, poſitum ad Scarduonem amniculum, *la riviere aux Cardons*, qui in Summam devolvitur, contra Abbatiſvillam. Hadr. Valeſ. in voce *Centulum*. Vide quoque ſuprà *Burchardus*.

FORESTIUM, Comitatus in territorio Borbonio inferiore, nomen habens non à ſylvis ſaltibuſque, ut quidem vox videtur ſonare, ſed à *Fori* nomine, ac ſi diceres *Forenſes* & *Foreſios*. Forenſes verſus Septentr. Borbonenſibus Germanis ſuis objacent: ad Occid. Arvernis: ad Mer. Lugdunenſibus: ad Or. Bello-Joleſiis. Vulgò *Pays de fores*, vel *foreſts*. Joh. Matal Metell. *Merula*.

FORESTIUS Petrus, vide *Petrus*

FORETANI, & FORETII, Italiæ Tranſpadani populi. Plin. *l.* 3. *c.* 5. & XI.

FORFICES, acies *forficum* inſtar inſtructa apud A. Gell. *l.* 10. *c.* 9. Vide quoque ſuprà in *Forceps*: uti de Vett. tonſuræ genere, quod *forfice* fiebat, infrà ubi de *Tonſura Petri*.

FORI, vide infrà *Forus*.

FORICARII, memorati Paulo *l.* 17. §. *fiſcus Dig. de Uſur.* Κοπρῶνες B. Chryſoſt. *in* 1. *ad* Cor. dicebantur illi, qui, ut Juv. *l.* 1. *Sat.* 3. *v.* 38.

Conducunt foricas, *& cur non omnia?*

Nempe ſimile exercebant vectigal illi, quod Veſpaſianus inſtituit, exigendo ſtipem ab iis, qui per diem veſicam exonerare vellent, in amphoris, quæ per angiportus erant collocatæ, uti infrà dicemus. Eorum ἐπιτήδευμα ἄλλα ἄπωρον καὶ ἐπονείδιστον, *miſerum & probroſum*, dicitur *Ibid.* Cui etiam aliud ſimile vectigal ab eodem Imp. excogitatum, & fimo equino impoſitum, narratur Tzetzi *Chil.* 1. incertum quâ fide, quo Auctore. Tandem verò & urina & fimus & omnes ſordes factæ in Imp. Rom. vectigales, Iſ. Caſaub. *ad Suet. in Veſpaſ. c.* 23. Vide quoque Cedren. *in Anaſtaſ.* tributum Chryſargyrum deſcribentem.

FORICULUS, Deus putabatur, qui Foribus præerat, ſicut Cardinea Dea, quæ Cardinibus, & Limentinus Deus, qui Limini, ridiculâ Ethnicorum ſuperſtitione.

FORIENSIS Curia, una ex 30. Curiis Rom. vide Roſin. *Antiqq. Rom. l* 6. *c.* 3.

FORIS cœnare, apud Rom. olim frequens. Quo fine illis Adverſitores ſervi fuêre, qui dominis *advorſum* ibant, officii & tutelæ gratiâ, teſte Donato in *Adelphis* Act. 1. *ſc.* 2. *v.* 64. quique per vias de lapidibus, ad quos offendere poſſent, monerent, Apulej. *Met. l.* 11. Accerſitores item, qui adventum Dominorum præmittebantur nuntiaturi, de quibus Plin. *l.* 1. *Ep.* 5. & Juvencus *l.* 4. videndi. Porrò Lampadophori & Tædigeri, qui, præcincti lumbos & lychnos ferentes, Dominos domi præſtolabantur, à cœna revertentes, aut eorum erant comites. Tibicines quoque nonnunquam ac Fidicines. Val. Max. *l.* 3. *c.* 6. *Cajus autem Duillius, qui primus navalem triumphum ex Panis retulit, quotieſcunque epulaturus erat, ad funalem cereum, præeunte tibicine & fidicine, à cœna domum reverti ſolitus eſt.* Et verò ſine his dominus bene potus qui domum ſe contuliſſet? Propert. *l.* 2. *Eleg.* 21. Initio.

Heſterna mea lux quùm potus nocte vagarer,
Nec me ſervorum duceret ulla manus,
Obvia neſcio quot pueri mihi turba minuta
Venerat ———

vide Pignor. *Comm. de Serv. p.* 133 & Tit. Popmam *de Operis Serv.* Cum pompa verò à cœna domum redire, honoris fuit genus, non niſi benemeritis de Rep. viris conceſſum, uti dicemus infrà in verbo *Redire*. At *Forìs* prodire Virginibus olim prohibitum, quæ hinc ἔγκλειστοι, item κατάκλειστοι dictæ: Sed & Matronæ laudabantur, quæ rariùs pedem domo efferrent, Græcis οἰκουροῦσαι & οἰκουρικαὶ appellatæ Latinè *Caſarias* dixeris. Vide infrà ubi de Athenienſium *Oecuria*, it. in voce *Virginitas*. Apud Scriptores Eccl. *Foris eſſe* dicuntur Gentiles, Excommunicati, Hæretici. At *Foris* —— *habitans*, in *L L.* Burgorum Scotic. *c.* 3. Gallis *Forain* eſt, extraneus &c.

FORISMARITAGIUM, appellatum Forenſibus Gallis eſt ea præſtatio, quæ à ſervis ſeu adſcriptis glebæ, exſolvebatur, pro facultate conjugis ſibi adſciſcendi ex libera conditione ac ingenua: vel ex ſervis alterius dominii. Servus enim ancillam alienam niſi Domini aſſenſu, accipere non poterat, *l.* Sal. *tit.* 27. §. 6. Sed & nec conſervam ſuam, Eginhard. *Ep.* 16. nec liberam, ut eſt in *Ep.* 15. Quod etiam ſtante Romanorum Rep. quadantenus obtinuiſſe, teſtatur Tertull. *l.* 2. *ad Uxor. Non ne quique domini & diſciplinæ tenaciſſimi, ſervis ſuis foràs nubere, interdicunt? Scilicet ne in laſciviam excedant, officia deferant, dominica extraneis promant* &c. Itaque ſi qui conſenſu Domini non impetrato cum extranea vel extraneo nuptias iniiſſent, in illius *forisfacto* erant, ut & eorum bona, h. e. in caducum veniebant: cujus quidem moris memorabile exemplum habes apud Joh. Hocſemium *in Hiſt. Ep. Leod. l.* 5. *c.* 23. *ſub* A. C. 1296. Quia verò dominis interdum tot adſcriptitii ſervi non ſupererant, ut inter ſe nuptias inire poſſent, cogebantur illi cum alterius conditionis vel dominii viris feminiſque matrimonia contrahendi facultatem iis impertiri, modicâ præſtatione illis perſolutâ: hacque conditione, ut liberi qui ex iis naſcerentur, inter dominos dividerentur, ut eſt apud Glanvillam *l.* 5. *c.* 6. Interdum etiam, in hoc caſu, ſervorum ſeu adſcriptitiorum inter dominos permutationes fiebant: ita ut ſi quæpiam adſcriptitia alterius domini adſcriptio nupſiſſet, cùm illa legem mariti ſequeretur & proin in alterius tranſiret dominium, viciſſim mariti dominus alteram conjugis aſcriptitii domino ejuſdem probitatis ac notæ reſtituere teneretur &c. E' quibus ſatis patet, *Foriſmaritagium* præcipuum fuiſſe ſervitutis glebalis argumentum: unde in ejuſmodi ſervorum manumiſſionibus, *manus mortua* & *foriſmaritagium*, in libertatis indultæ notam, remitti à dominis conſuevêre. Vide hanc in rem plura, apud C du Freſne in *Gloſſ.*

FORMA, apud Trebell. Poll. *in Victoria*, *Cuſi ſunt ejus nummi* —— *quorum hodieque forma extat apud Treviros*: τύπος eſt ſeu ſignaculum archetypum, quo nummi formantur; Βουλωτήριον recentiores Græci dixêre. Alibi, eſt nummi χαρακτὴρ, Latinis quoque *Figura*: Lamprid. *in Alex. Sev. nummos electrinos & aureos vultu Alexandri Magni figuravit.* Apud eundem *in ſeqq.* ipſe nummus *formatus*, h. e. figurâ ſeu Principis charactere donatus: *Formas binarias, ternarias* —— *uſque ad bilibres quoque & centenarias, quas Heliogabalus invenerat, reſolvi præcepit*, h. e. nummos aureos, binos, ternos &c. aureos pendente &c. Vide Salmaſ. *ad Hiſt. Aug. paſſim*, præſertim *ad Lamprid. cit.* Item Τύπος ſeu Ep. litera *formata*, cui impreſſa eſt *forma*, ſeu imago ſcribentis, in ſigillo ſc. *Formæ* nomine paſſim venit. Unde Θεῖοι τύποι, *ſacræ formæ*, quæ *Sacræ* nudè poſtmodum appellatæ ſunt, apud Ulpian. Capitolin. *in Antonino*, alios: quâ voce Conſtitutiones Principum dictas eſſe, obſervat Caſaub. *ad Lamprid.* vide infrà. Idem nomen nobilium Artificum emblematis, uti diximus in voce *Cœlator*: tubis item, quibus aqua deducitur, vide ſupra *Aqua formarum*, item *Comes formarum*. In Eccl. Rom. *Forma* etiam ſella eſt ſeu ſolium canentium in Choro, duplici conſtans parte, anticâ & poſticâ: in quarum iſta ſedilia ſunt plicatilia, cùm canentibus ſtare incumbit. Sic verò dictæ ſedes ejuſmodi videntur, quòd *formæ* ſeu imagines opere ſculptorio vel penicillo adumbratæ in ſingularum *dorſalibus* effingerentur: vel potiùs quòd supernè in modum formarum aquæductuum arcuatæ ſint. Pars autem illa plicatilis erecta, præbens quandam ſediculam, *Miſericordia* vocitatur, vide in hac voce. At antica pars podii vicem præbet, ad quod procumbunt & curvantur, cùm venia petenda eſt &c. Vide C. du Freſne *Gloſſ.* De *formæ* verò amplitudine, quomodo eam, utpote vulgo gratam, apud Græcos Romanoſque Principes viri, feminæ inprimis, juvare ſolitæ ſint, infrà ubi de *Subere*. Certè corporis dignitatem in regentibus inprimis commendari, tralatitium eſt. Euripid. *Phœniſſis* apud Porphyrium & Stobæum,

Πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος.

Corn. Nep. *Dione c.* 1. *magnam corporis dignitatem, quæ non minimum commendat Et. Iphicrate c.* 3. *Fuit autem & animo magno & corpore imperatoriaque formâ.* Eandem inter adjumenta ſummæ rei adipiſcendæ reponit Tac. *Ann. l.* 11. *c.* 28. & inter cœtera quæ Galbam deſtruxerant, deformitatem fuiſſe, obſervat idem *Hiſt. l.* 1. *c.* 7. Vide & Juſtin. *l.* 13. *c.* 1. Hinc præclarè Claud. *l.* 1. *de Stiliconis laud.* Carm. 21. *v.* 44. & ſeqq.

Jam tum conſpicuus, jam tum venerabilis ibas:
Spondebatque ducem celſi nitor igneus oris,
Membrorumque modus, qualem nec carmina fingunt
Semideis, quacunque altè gradereris in urbe,
Cedentes ſpatiis aſſurgenteſque videbas.

FORMALES Epiſtolæ Latin. quæ Græcis Ἐγκύκλιοι, vide ſuprà.

FORMARIUS, dignitas in Monaſteriis, qui *in bonis ſit formis*, ut loquitur Ferreolus *in Regula c.* 17. unde nomen, i. e. qui cæteris Monachis vitæ ſanctitate præluceat, ſeu potiùs, qui Monachorum ſpiritualitati invigilet, in *Regula* S. Bened, *c.* 58. Gall. *Pere ſpirituel.* Hinc *Formaria*, ſimile in Monaſteriis feminarum munus. *Regula* Cæſarii *ad Virgines c.* 37. *Si quis verò germanam ſuam, vel filiam* —— *videre voluerit, præſente* Formariâ *vel qualibet ſeniore ei conloqui non negetur.* Idem vide quoque Macrum *Hierolexico*.

FORMATA, in eadem Communione S. Euchariſtia dicitur; à *forma* ſeu figura crucis ſive Chriſti, ei imprimi ſolita. Durandus *l.* 4. *c.* 41. Σφραγὶς, *figura*, in *Liturgia* vet. Vide infrà, in voce *Oblata*. At *Formatæ* Eccleſiaſticis Scriptoribus appellantur Epiſtolæ, quæ Græcis Κανονικαὶ, quòd Canonibus & Conciliorum Statutis introductæ fuerint, vide ſuprà. Maximè verò veniunt hoc nomine Epiſtolæ *Commendatitiæ*, *Pacificæ*, *Dimiſſoriæ*, *Communicatoriæ*, aliæque hujuſmodi, quas ad hoc invenêre ſancti PP. Concilii Nicæni, ut ait Al. Dabaſtic. Patr. CP. *ne aliqua fraus falſitatis temerè præſumeretur.* Dabant enim *Formatas* Epp. Clericis, in alias diœceſes profecturis, ſeu *commendationis* ſeu *dimiſſionis* ſeu *communionis* gratiâ. A' *formis* ſeu *formas literarum* dictis literis, quæ in earum fine ſolitæ apponi; nam *formas literarum* dixit Quintilian. *l.* 1. *c.* 1. ſeu potiùs à ſigilli *forma*, quâ muniebantur. *Formatam* certè *ſigillatam* interprætantur *Gloſſæ* Vaticanæ, ἐσφραγισμένην vertit Græcus Interpres Concilii Carthagin. ſigillumque iis adpoſitum, teſtatur Concilium II. Cabillon. *can.* 41. & Ratbodus Trevir. *in Formata ſua* apud Ivonem. Eſt autem *forma* hoc loco idem, quod imago, ſeu typus, quòd in Epiſcopi, à quo exarabantur, & dabantur iſtiuſmodi literæ, ſigillis, illius, vel Eccleſiæ patroni, figuræ exprimerentur: id quod teſtantur paſſim vetuſtiſſima Epiſcoporum vel Eccleſiarum ſigilla. Quemadmodum dici videtur *Lex formata, in l.* 4. *Cod. Th. de Privil. eor. qui in ſacro Pal. mil.* lex ſacro Principis typo vel ſigillo munita, quæ Græcis iſtius ævi Τύπος paſſim appellatur. Sic *Sigillum* poſterior ætas dixit Epiſtolam, ſigillo munitam, uti docet C. du Freſne in *Gloſſ.* in vocibus *Formatæ* & *Sigillum*. Formulas *Epiſtolarum Formatarum* complures dedit Sirmondus ad calcem *Tomi II. Concil. Gall.* item Papias in voce *Formata*.

FORMELLÆ Caſei, apud Vulgatum Interpretem 1. Sam. c. 17. v. 18. ſunt *caſei ex formellis* ſeu *fiſcellis, expreſſi*; minùs propriè: nam *formellæ* ſeu τάλαροι ſeu *fiſcellæ*, ex quibus caſeus exprimitur, aliud ſunt ab ipſo caſeo. Hinc barbaris ſeculis, *formatica* & *formagines* caſei dicti ſunt. Itaque in Ariſtotele, pro Græca voce τυρίδια

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

λίδας, *formagines* dixit Gaza *Hiſt. Anim. l. 3. c. 20.* Pertinent autem ad caſei *formas* ſeu fiſcellas, hæc Gregorii Naz. *Carm. 4.*

> Τοῖς μὲν ἐγὼν ἁπαλὴν πλάσθην φρένα καὶ νεόπηκτος
> Οἷα τυρὸς, ταλάροις λάμβανον αἶψα τύπον
>
> *Per hæc mens tenera mihi effićta eſt, & ut caſeus nuper coagulatus,*
> Fiſcellæ *formam protinus ſumpſi.*

Et *Carm. 49.*

> Ὡς τυρὸν πλεκτοῖσιν ἐειδόμενον ταλάροισιν.
>
> *Ut caſeum* flexis fiſcellis *ſimilem.*

Vide Heſych. in ταρροὶ ταρρὸς & ταρσῶσαι, & Bochart. *Hierozoici Part. prior. p. 316.*

FORMENTERA Inſ. vide *Ophiuſa.*

FORMIÆ, urbs Campaniæ maritima, juxta Cajetam, Læſtrygonum olim ſedes, à Lamo quodam Lacone, ut creditur, condita. Horat. *Carm. l. 3.* Od. 17. Initio.

> *Æli vetuſto nobilis ab Lamo &c.*
> *Auctore ab illo ducis originem,*
> *Qui* Formiarum *mœnia dicitur*
> *Princeps, & innantem Maricæ*
> *Litoribus tenuiſſe Lirim.*

Hæ primùm *Hormiæ* dictæ ſunt, ſive à frequentia, bonitateque τῶν ὅρμων, h. e. *ſtationum*, ut Feſto placet, ſive ἀπὸ τῆς ὁρμῆς, h. e. ab *impetu* Læſtrygonum, qui *Anthropophagi* fuiſſe dicuntur. Mart. *Formiam* dixiſſe videtur *l.* 10. Epigr. 30. cujus epigraphe de littore Formiano. Initio.

> O *temperatæ dulce* Formiæ *litus.*

Horat. *Carm. l.* 1. Od. 20. ſub calcem.

> ——— *Mea nec Falernæ*
> *Temperant vites, neque* Formiani
> *Pocula colles.*

Diod. Strab. ac Ælian. Φορμίαι, unde mendoſè apud Ptol. Φάρμαι videtur, quod tamen antiquum puto fuiſſe mendum, cùm apud Steph. legitur Φωρμανοὶ πόλις Ἰταλίας, ἐθνικὸν, τὸ αὐτό. Strab. *l.* 5. *p.* 233. Φορμίαι. Λακωνικὸν κτίσμα ἐστὶν Ὁρμίαι λεγόμενον πρότερον διὰ τὸ εὔορμον. *Nic. Lloydius.*

FORMIANUM, villa Ciceronis, in agro Formiano, cujus locus adhuc *Ciceron*, teſte Smetio Tacit. Ann. *l.* 16. *c.* 10.

FORMICA, cognitionis & ſolertiæ ſymbolum, apud Arabes & Ægyptios; quorum hi γνῶσιν γράφοντες, μύρμηκα ζωγραφοῦσιν, *Cognitionem exprimere volentes*, formicam *pingunt.* Horus Apollo *l.* 1. *c.* 49. Illi in pueri naſcentis manu *formicam* ponere ſoliti, addunt precem, *Exeat is ingenioſus & ſolers*, Alcam. Sed & apud Græcos vetuſtiſſimos id animalculum ἴδρις vocabatur, i. e. *docta* & *perita*, ut apud Heſiod. videre eſt: cujus rei rationem pluribus exponit Sam. Bochart. *Hierozoici Parte prior. l. IV. c.* 22. Unde Plato *in Phædone* ſtatuit, hominum πολιτικὸν καὶ ἥμερον γένος *civile & mite genus*, poſt mortem in apes aut formicas migrare, & viciſſim ἄνδρας μετρίους, *homines modeſtos*, ex illis progenerari &c. Idem animal pro modulo ſtaturæ, plus robore valet & graviora fert onera, quàm ullum aliud. Unde Ovid. *Met. l.* 7. *v.* 624.

> *Grande onus exiguo* formicas *ore gerentes.*

Et Plin. *l.* XI. *c.* 30. *Si quis comparet onera corporibus, earum fateatur nullis portione vires eſſe majores.* Ex Arabibus quoque Damir, *Narratur non nemo cuidam Regi dixiſſe,* Formicæ *vires tibi indidit Deus. Quod cùm Regi diſplicuiſſet: at,* inquit, *ô Rex, nullum eſt animal præter* formicam, *quod pondera ferre poſſit ſe graviora. Et gentium una eſt; nomine Gerham, quam per* formicas *perdidit Deus.* Fortaſſe in India, ubi omnes cibos & veſtes conficerent, niſi promptuaria & ciſtæ procul à parietibus, quatuor columnis ſuſpenderentur; pelvibus aquâ plenis ad columnarum pedes appoſitis, ut formicis inacceſſæ ſint. Quamvis ne ſic quidem omnes arceantur: Glumas enim & minutas paleas pro cymbis adhibentes navigant, quocunque volunt. Vide Benedum Curt *l.* 14. *c.* 5. *de Hortis.* Quò pertinet Philippi *Epigr.* de Ruſtico, qui mellis urceum ut à formicis defenderet, in mediis poſuerat aquis, *Anthologiæ l.* 1. *c.* 33.

> Οἱ δὲ νέας κούφας ἀχυρτίδας αὐτοφέροντες
> Αὐτοκυβερνήτῳ πρὸς τὸ χύτος ἐτρόχασαν.
>
> *Illæ autem novas paleolas recentes per ſe ferentes,*
> *Suo ipſarum remigio celeriter accurrebant &c.*

Vide de cultu divino *Formicæ*, à Theſſalis exhibito, cujus meminit Clemens *Protrept.* Tob. Pfanner, *Syſtematis Theol. Gentil. pur. c.* 1. §. 2. de pretio ejus, apud Mahometanos, infrà ubi *de Ranis*: de gummi lacca, labore alatarum in India *formicarum*, infrà itidem in voce *Lacca*: Plura verò de ſolertiſſimo hoc animalculo, apud Ariſtot. Ælian. Plin. *l.* 11. *c.* 31. alibique paſſim, inprimis Voſſ. *de Idolol. l.* 4. *c.* 73. Bochart. ubi ſuprà & Auctorem Anon. *Sinæ & Europæ. c.* 38. infrà quoque in voce *Myrmecoleon*, ubi de *Formicis* [illegible]χοις, de leonibus it. canibuſque à *Formica* denominatis: de ſerpente porrò formoſiſſimo, ab eadem nomen adepto, in America in voce *Tzicatlina*. Addo ſaltem, quòd *palpebris nigrorem conciliare, ova formicarum cum muſcis trita*, ex vet. luxuriæ diſciplina tradit Plin *l.* 37. *c.* 4. Quia verò *Formica* puſillum eſt animal, hinc *Formicæ Scoticæ*, per ignominiam & contemptum, ut puſilli, olim ab Anglis Borealibus vicini Scoti, quos animitus oderant, ſunt cognominati, *Oſthe Scoth tikes.* Matthæus Pariſ. A. C. 1174. De formicis Scoticis *tot interfectæ referuntur, quod numerum omnem excedere dicebantur*, apud C. du Freſne *Gloſſ.* De *Formica è marmore* Callicratis, cujus membra pervidere nemo poterat, vide infrà *Marmor*: de alia *ſuccino incluſa*, ſic Martial. *L.* 6. *Epigr.* 15.

> *Dum Phaëthontea* formica *vagatur in umbra,*
> *Implicuit tenuem ſuccina gutta feram:*
> *Sic modo quæ fuerat vitâ contempta manente*
> *Funeribus facta eſt nunc pretioſa ſuis.*

FORMIDO, peculiare Gentium Idolum Hygin. *Fabb. c.* 145. *Io. Hanc Jupiter dilectam compreſſit & in vaccæ figuram convertit ---- Id Juno cùm reſciret, Argum, cui undique oculi refulgebant, cuſtodem ei miſit. Hunc Mercurius Jovis juſſu interfecit. At Juno* Formidinem *ei immiſit, cujus timore exagitatam coegit, ut ſe in mare præcipitaret.* In miniſterio Furiarum. Varro *Eumeniſin*,

> *Sed nos ſimul ac ſummam in ſpeculam pervenimus,*
> *Videmus populum, Furiis inſtinctum tribus*
> *Diverſum ferri, exterritum* Formidine.

Quò alludit Auſ. *Protreptico, v.* 27.

> ——— *Nec te clamor, plagæque ſonantes,*
> *Nec matutinis agitet* Formido *ſub horis.*

Terrenis enim pueris barbaras facies pingebant, ſicut de *Batavo vultu* teſtatur Mart. *l.* 14. *Apoph. Epigr.* 176. *Terriculaſque* hujuſmodi idola dicebant Vett. Lucilius apud Lactant. *l.* 1. *c.* 21.

> *Terriculas, Lamias, Fauni quas, Pompiliique*
> *Inſtituêre Numæ* ———

Vide Caſp. Barth. *ad Stat. Theb. l.* 5. *v.* 68. & infrà in vocibus *Metus, Pavor, Timor.*

> ——— *& ſæva* Formidine *cuncta replevit*

Hinc ad feras tranſlatus *Formidinis* uſus, ſicque Venatoribus dicta eſt linea pennis diſtincta, quâ viſâ illæ territæ in inſidias agebantur, cervi potiſſimùm. Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 371.

> *Hos non immiſſis canibus, non caſſibus ullis*
> *Puniceæve agitant pavidos* formidine *pennæ,*

Vide quoque eum *Æn. l.* 12. *v.* 335.

> ——— *circumque atræ* Formidinis *ora*

Ibid. *v.* 750.

> ——— *aut puniceæ ſeptum* Formidine *pennæ*

Ibid. *v.* 776.

> ——— *tum verò amens* Formidine *Turnus,*

Ibid. *v.* 876.

> *Illi membra novus ſolvit* Formidine *torpor.*

Ovid. *Met. l.* XV. *v.* 152.

> O *genus attonitum gelidæ* Formidine *mortis,*

Lucan. Civ. Bell. *l.* 4. *v.* 437.

> ——— *ſic eum pavidos* Formidine *cervos*

Auſ. *Ep.* 4. *v.* 27.

> ——— *& multa indagine pinnæ*

Nemeſian. *Cynegetic. ſub fin.*

> *Linea quin etiam magnos circumdare ſaltus*
> *Quæ poſſit volucreſque metu concludere prædas,*
> *Digerat innexas non una ex alite plumas*
> *Namque urſos magnoſque ſues cervoſque fugaces*
> *Terrificant, linique vetant tranſcendere ſeptum.*

præterea, Senec. *de Clem. l.* 1. *c.* 12.

> *Si feras lineis & pennâ cluſas contineas.*

alterum *in Hippolyto*, Arrian. *in Epictet. l.* 2. *c.* 1. Hieron. *in Orthodoxi & Lucifer. Dialog. c.* 3. Auguſtin. *de Nupt. & Concup. l.* 1. Sam. Bochart. *Hierozoici Parte prior. l. III. c.* 26. & infrà ubi de *Pennis* ac *Verſicolore linea.* Unicum addam hîc Senecæ locum *de Ira l.* 2. *c.* 12. *Cùm maximos ferarum greges lineâ pennis diſtinctâ contineat & in inſidias agat, ab ipſo effectu dicta formido &c.*

FORMIO, Iſtriæ fluv. parvus. Ptol. hodiè *Riſano.* In mare Hadr. & Sinum Tergeſtinum cadens, 2. mill. à Juſtinopoli in Bor. 6. à Tergeſte in Auſtr. *Baudr.*

FORMISELA, locus fuit in morinis, ſeu diœceſi Tarvennenſi, Collegio Canonicorum inſignis. Vulgò *Vormeſeele.* Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

FORMOSA, inſ. Aſiæ probè culta, & fertilis, in Oceano Or. Sinico, inter Sinas, & Luſoniam Inſ. Cujus opp. præc. *Tayoan*, in ora. Nuper tota Hollandis paruit, ſed ex ipſa ejecti ſunt à Sinis.

FORMOSUS, 109. Romanorum Ep. A. C. 890. quo monſtra horrenda in ſedem Angelis reverendam, ut Baron. *in Ann.* inquit, intruſa, cum Sergio de Papatu contendit: Guidonem, & Arnolphum coronavit, obiit A. C. 896. Ejus cadaver à Stephano VI. refoſſum, qui illud publicè Pontificalibus veſtibus exui, dein in Tiberim

conjici juſſit &c. Luitprand. *Hiſt. l. 1. c. 7.* & 8. Sigebertus Sigon. *l. 6.* A. C, 896. & 897. *Ciaccon.* &c.

FORNACALIA, feſta erant apud Romanos, non ſtata illa quidem, ſed indictiva, quæ fiebant Deæ Fornaci, Feſtus. Indicebantur autem die 17. Febr. à Curione Maximo: Auctor eorum Numa Pompilius, qui teſte Plin. *l. 18. c. 2.* *Numa inſtituit Deos fruge colere & molâ ſalsâ ſupplicare, atque far torrere, quoniam toſtum cibo ſalubrius eſſet. Id uno modo conſecutum, ſtatuendo, non eſſe purum ad rem divinam niſi toſtum. Is &* Fornacalia *inſtituit farris torrendi ferias & æquè religioſas terminis agrorum. Hos enim Deos tum maximè noverant.* Tum itaque ad Fornacem, quæ in piſtrinis erat, fiebat ſacrificium, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 4. c. 6.* in quod *Paralipomenis ſuis* notat Thom. Dempſter. *Diu Romanos ſolâ pulte victitaſſe, incognito panis uſu.* Vide plura apud Plutarch. *Problem. Rom. c. 89.* Lactant. *Div. Inſtit. c. 20,* &c. ut & infrà in voce *Mola.* Eadem *Fornicalia* quoque dicta, vide ibi.

FORNAX, Dea à Romanis habita eſt, quoniam, ante triticum & ejus uſum, far *fornacibus* torrebatur. Unde Virg. *Georg. l. 1. v. 267.*

Nunc torrete igni fruges.

Idem *Æn. l. 1. v. 183.*

Et torrere parant flammis.

Ejus meminêrunt Feſtus, Lactant. & Ovid. *in Faſtis.* Vide ſuprà. Meminit *Fornacis* quoque Cato, ut & ſervi *Fornacarii,* Ulpian. ille *tit.* 38. hic *l.* 27. §. 9. *ff. ad L. Aquil.* Qui fornacem balnei caminumque ſuccendit, *Fornacator* dictus eſt, *l. 14. ff. de inſtr. vel inſtrum. legat.* eundem Ulpian. *Fornacarium* nominat, *lege modò laudatâ,* cujus hæc ſunt verba: *Si Fornacarius ſervus coloni ad fornacem obdormiſſet, & villa fuerit exuſta. Neratius ſcribit ex locato conventum præſtare debere, ſi negligens in eligendis miniſtris fuerit.* Sunt tamen etiam qui *Fornacarium* intelligunt piſtrinarium ac piſtorem quoque. Vide Pignor. *de Servis* & Tit. Popmam *de operis Servor.* Sed inter loca, quæ non intra balneas eſſent, verùm ipſis tantùm inſervirent, primò Hypocauſtum erat, quod, ſecundùm Vitruv. erat *fornax* ſeu caminata ſtructura ſubterranea, Calidario, Calidæ Lavationi atque Vaſario (partibus Balnearum) ſuppoſita, in qua ad calefaciendum tum aquam, tum loca prædicta, ignis ſuccendebatur; qui ne extingueretur, à ſervis, *Fornacatoribus* ob id, in Pandectis à Papiniano vocatis, frequenter cum pilis & glomis pice illitis excitabatur; lignis quoque, uti meminit Plutarch. *Sympoſ. l. 3. probl.* 10. ubi ait, Ædiles caviſſe, ne *ignis balnearum ex olea ſuccenderetur, neque in eum conjiceretur lolium;* quòd horum nidores gravedinem capitis & vertigines lavantibus invehant &c. Hieron. Mercurial. *de Arte Gymnaſt. l. 1. c. 12.* Vide & infrà, ubi *de Hypocauſto.*

FORNERIUS Jacobus, vide *Jacobus.*

FORNICALIA, feriæ à Romanis farris torrendi gratiâ inſtitutæ, quibus ad fornacem in piſtrinis ſacrificium fieri ſolebat; dicta à *Fornace* Dea, in cujus honorem hæc erant inſtituta, & celebrabantur 12. Calend. Mart. Miratur vir doctiſſimus *in Lex. Philologico,* in lexico veteri Fornacem ſtatui Deam: nempe non veniebat ei in mentem Ovid. illud, *in erudito de Faſtis opere, l. 6. v. 314.*

Et Fornacali *ſunt ſua ſacra Deæ.*

Item hoc ejuſdem *in l. 2. v. 525.*

Facta Dea eſt Fornax *læti* Fornace *coloni*
Orant, ut fruges temperet illa ſuas.

Nic. Lloydius.

FORNIX, cameræ ſpecies, inſtar hemicycli. Hinc de arcu triumphali, non rarò apud Auctores: quoniam prima illorum forma ſemicircularis fuit. Poſtea verò quadrati eſſe cœpêre, ita ut in medio ampla eſſet porta *fornicata,* & ex ejus utroque latere aliæ minores additæ: Intra mediæ autem portæ *Fornicem* Victoriæ alatæ pependêrunt, quæ demiſſæ Victori tranſeunti coronam imponerent. Sicut in ſuperiore ejus parte ſpatia erant, in quibus aliquot homines, vel qui tubâ canerent, vel qui tropæa maximè inſignia oſtentarent: quæ magnificentia Auguſti temporibus, vel paulo antè, cœpit. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 10. c. 29.* Quia verò in *Fornicibus* meretrices habitare conſuevêrunt, hinc pro lupanari ſeu meretricia ſella, vox porro ſumi cœpit. Unde *Fornicatores, οἱ πόρνοι,* quibus apud vett. Chriſtianos ſeptem pœnitentiæ annos injunctos legimus, ut viz. duobus primis annis à precibus expellerentur & ſe deflerent ad fores Eccleſiæ; duobus aliis audirent; duobus ſequentibus proſtrati manerent, uno conſiſterent, ſicque octavo demum ad communionem admitterentur, apud Baſil. Mag. *Ep. Canon. ad Amphiloch.* Vide Joh. Forbeſ. *Inſtruct. Hiſt. Theologic. l. 12. c. 6.* §. 7. De *Fornicum* verò inventione, Plin. *l. 7. c. 56.*

FOROAPPII, Italiæ pop. in Falerno agro. Plin. *l. 3. c. 5.* Opp. eorum *Forum Appii* Horat. dicitur *Serm. l. 1. ſ. 5. v. 3.*

——— *Inde* Forum Appî.
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.

Tullius *ad Attic. l. 2. Ep. 10. Ab Appii foro horâ quartâ, dederam aliam paulo antè à Tribus Tabernis:* ubi Leander tradit, hodie hoſpitium tantùm *Maruti* dictum extare.

FORO-AUGUSTANA, Hiſp. citer. civitas, alio nomine *Libiſoſona* dicta. Plin. *l. 3. c. 3.*

FORO-BREMITANI, Umbriæ pop. Plin. *l. 3. c. 14.*

FORO-JULIENSIS Ager, ſeu FORO-JULIUM, FRIULI, prov. Ital. ſub Venetis. Vide *Forum-Julium.*

FORO-JULIENSIS Jacobus, vide *Jacobus.* Item *Hieronymus,* & *Theodorus.*

FOROVIBIENSIS Ager, memoratus Solin. *c. 2.* Vide in voce *Forum Vibii.*

FORS, Fortunæ epitheton i. e, *bona,* pro quo recentiores *Fortuna* abſolutè dixêre. Vide de voce antiqua *Forctis* & *Forctum* multis differentem Salmaſ. *ad Solin. p. 1262.* De *Forte Fortuna* verò, infrà in voce *Fortuna,* ut & ſuprà in *Automaton.*

FORSTERUS, Johannes, *Auguſtanus,* Theologiam, ac Hebraicam Linguam Wittebergæ docuit, diſcipulus Capnionis, & Melanchthonis edidit *Dictionarium Hebraicum,* defunctus A. C. 1556. Æt. 61. Melch. Adami *de Vit. Theol.* Alius cognominis, ibidem Profeſſor, poſtea Iſlebiæ Paſtor Eccleſiæ, plurima in Re Theologica ſcripſit, defunctus A. C. 1613. *Memor. Theol.* Henning. Wittenb. Vide & *Joh. Forſterus.*

FORTENSES, dicti milites legionis X. de quibus vide Henr. Valeſ. *ad Amm. Marcell. l. 18. ſub fin.*

FORTEVENTURA, Inſ. Africæ, in mari Atlantico, una ex Canariis, verſus Ort. & oram Afr. Opp. habet cognom. in ora Auſtrali, aliàs *Caſperia.* Sub Hiſpanis. 26. leuc. Hiſpan. ab ora Africæ.

FORTHEA, fluv. Scotiæ Mer. Oritur in confinio Lennoxiæ prov. dein Strivelinum urbem rigat, & paulo infrà multis auctus fluviis, in æſtuar. Bodotriam ſe exonerat, quod ab eo etiam *Forthea* dicitur, extenditurque inter Fifam, & Laudoniam provincias. Vulgò *Forth.*

FORTIA Caſtra, in Tirolenſi Comitatu habet Lazius ex Lib. Notit. quod *Stertzingen* interpretatur.

FORTIS Panis, vide *Mutorum pœna.*

FORTIUS Leonardus, vide *Leonardus.*

FORTUNA, Dea antiquis credita. Calva, cœca, & rotæ inſiſtens fingebatur. Apud Rom. *Bona* dicta, in nummo Antonini Getæ, dextrâ rotæ innixa, lævâ cornu copiæ tenens: *Aurea,* in nummo Adriani, cum alis, clavo incumbens: *Pacifica,* in nummo Antonini Pii, innixa clavo, & cornu copiæ tenens, cum lemmate, *Fortuna obſequens & S. C.* Item, lauri ramum geſtans, &c. repræſentata eſt. *Barbata, Conſervatrix, Equeſtris, Privata, &c.* porro dicta Auguſt. *de Civit. D. c. 18.* Spartian. *in Sev.* Plutarch. *de Fort. Rom.* Suet. *in Domit.* Angelonus *Hiſt. Aug.* Balduinus *Iconol.* Moretius Juv. Sat. x. *l. 4. v. n. c. 366.*

Te facimus Fortuna *Deam, cœloque locamus.*

De Fortuna prolixè diſſerit N. Comes *Mythol.* 49. *Nic. Lloydius.*

Quaſi *Vortuna,* à volubilitate. Nam quæ priùs à *vorto* dicta eſt *Vortuna,* poſtea mutato V. in digamma F. affinem literam, *Fortuna* appellari cœpit. Hæc in Selectorum quidem Deorum numero non fuit, interim potentiſſima habita eſt, & pluribus nominibus ornata, de quibus paulò poſt. Hinc ſervus ille Pſeudolus, apud Plaut. *Pſeud. Act. 2. ſc. 4. v. 12.* & ſeqq.

Centum doctum hominum conſilia hæc devincit Dea
Fortuna, *atque hoc verum eſt: proinde ut quiſque Fortu-*
na *utitur,*
Ita præcellet, atque exinde ſapere eum omnes dicimus.

Imò quidquid ductu alicujus Imperatoris feliciter geſtum eſſet, id nomine *Fortunæ* dabatur. Quam *bellicum caſum* exponit Serv. *ad Æn. l. 9. v. 41.*

Si qua interea Fortuna *fuiſſet,*

Alii *Fatum*: Nonnulli *auſpicia* appellant: atque adeò, etiam ſub te Duce, proſperè geſta ejus *Fortunæ* imputabantur. Nota Timothei Athenienſis felicitas, quamdiu cœco huic Numini rerum ſuarum curſum aſcriptum ivit: qui quamprimum ſuæ prudentiæ eandem quam attribuere cœpit, aut fortitudini, minùs proſper fuit: & Sulla Romanus *felix,* quàm *fortis,* dici maluit. Quomodo effigiaretur ejus icon, notum, & exprimit illud Pacuv. ut refert auctor *l. 1. Rhetor. ad Herennium.*

Fortunam *inſanam eſſe & cœcam & brutam perhibent*
Philoſophi,
Saxoque illam globoſo inſtare prædicant volubilem &c.

Apud Lactant. *div. Inſtit. l. 3. c. 29. Simulacrum ejus cum copia & gubernaculo fingitur.* Qualem pro *Virgine* in aſtra nonnulli retulerunt; non viz. quæ cœca & ſine capite fingebatur; ſed quæ felicitatis & abundantiæ habebat ſignificationem, quæque eadem cum Iſide ac Cerere, uti videre eſt apud Hygin. & Avien. Atque hoc modo *Fortuna Principis* & *Fortuna Regia* & *Auguſta,* in nummis & ſaxis veteribus exſculpta viſitur. Salmaſ. *ad Solin. p. 1236.* Alas quoque ei tribuunt: Horat. *Carm. l. 3. Od. 29. v. 53.*

——— *ſi celeres quatit*
Pennas, reſigno quæ dedit ———

Primus ei Romæ templum dedicavit Ancus Martius, ſorore Numæ natus, *Virilemque* cognominavit, teſte Plutarch. *de Fortuna Rom.* Meminit templi P. Victor *in deſcript. XVI. urbis reg.* Poſt Ancum plurima eidem templa poſuit Serv. Tull. *Primigeniæ* nempe, *Obſequentis, Privatæ* & *Viſcoſæ*: alii dein eum ſequuti aliis nominibus eam conſecrarunt, ut infrà dicetur. Sed & *Fortunam auream,* veluti pignus Majeſtatis, in cubiculis ſuis Romani Principes habuêre, Suet. *Jul. c. 7.* & in Sulpic. Galb. *c. 4.* quam morituri ad eum tranſmittebant, qui illis eſſet ſucceſſurus. Jul. Capitolin. *in Antonino Pio*: *Fortunam auream, quæ in cubiculo Principum poni ſolebat, transferri ad eum juſſit.* Vide eundem *in Marco* & Spartian. *in Sev.* Ad quem morem alluſit Marcellin. cùm recenſens ea, quæ Valentiniani obitum præ-

præceſſêrunt, inter alia uxorem per quietem viſam capillis paſſis amictuque ſqualenti horridam, *fortunam ejus eſſe cum tetro habitu jam* [illegible] , æſtimatum fuiſſe ait. Non verò is antiquior ignis prælatione fuit, cujus mentio in eorundem Principum hiſtoriis demum: nam Domitianus Minervæ ſimulacrum in cubiculo habuit Suet. in Flav. Domit. *c.* 15. Caſaub. *ad Jul. c.* 5. Nec omittendum, quòd, uti Genios ita & *Fortunas* ſuas, variis locis adſcripſerint Vett. qua de re pluribus agit C. Barth. *Comm. Superſtition. Animadverſ. Rutilianis l.* 1. *c.* 126. & *ad Stat. Theb. l.* 1. *v.* 326.

——— *Seu prævia ducit Erinnys,*
Seu Fors illa viæ,

Quanto meliùs prædictus Pſeudolus,

——— Fortunam *negat*
Eſſe ullam ———

cujus ne nomen quidem Homeri tempore Græci habuêre. Cùm ſapientiſſimo Dei O. M. conſilio omnia in hoc rerum humanarum Theatro, maxima, medioxuma, minima, potenter gubernentur. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l,* 2. *c.* 16. *cum Paralipom.* Thom. Dempſteri: plura vide de *Fortuna*, ut *quomodo à Chaldæis & Philoſophis, tum ad Æthera, tum ad Solem Lunamque reducta: quomodo vulgo concepta, ubi præcipuè culta: cur cæca & Dea*; quo loco à Stoicis, Platonicis, Ariſtotelicis habita, vide apud Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c. c.* 43. quâ autem ratione recens natorum *Fortunam futuram* exploraverint Vett. habes infrà ubi de Virgis natalibus: uti de *Sorte Fortuna*, Minucio memoratâ, aliquid ibid. infrà in voce *Sors*.

Fortunæ cognomina ac epitheta varia.

Ἄπους, *Sine pedibus*, apud Curtium *l.* 7. *c.* 8. cujus effigiem expreſſam habes apud Alex. ab Al. Genial. *Dier. l.* 1. *c.* 13. quem de variis *Fortunæ formis*, ſymbolis, figuris, ſtatuis, conſule, ut & *ibid.* Tiraquellum, adde Loccenium ad *Curt*.

Bona *Fortuna*, Gr. Ἀγαθὴ Τύχη, Fidei fuit comes: fuit item hæc formula auguralis.

Dubiæ, vicus in Aventino fuit, in reg. Urbis 13. ut P. Victor tradit.

Equeſtris ædem habuit magnificentiſſimam à Q. Fulvio Flacco Prætore locatam; qui Junonis Laciniæ proin in Brutiis ædem ad partem dimidiam detexit, ut ædem ſuam tegulis ejus marmoreis ornaret, vide Lipſ. *Comm. ad l.* 3. *Ann. Tacit*.

Fors *Fortuna* à Servio Tullio conſecrata eſt, qui ei primus ædem fecit, extra urbem in ripa Tiberis: auxit dein vel reſtituit Carvilius, item Cl. Tiberius Imp. Hanc, qui ſine arte aliqua vivebant; venerati ſunt.

Fortis, cujus meminit Liv. *l.* 27. *c.* 25. *Cella Fortis Fortunæ*. Ovid. *l.* 6. *Faſt. v.* 771.

Quam cito venêrunt Fortunæ *Fortis honores!*

Vet. item *Inſcr. Numini. Fortis. Fortunæ. Marianus. Libens. Cum. Suis. Votum. ſolvet.*

Genitalis, de qua vide Thom. Bartholin. *de Puerp. veter.*

Hera ſeu Domina, Q. Ennius apud Cic. *de Officiis l.* 1. *Vos ne velit an me regnare Hera.*

Malæ templum ſeu ara conſecrata fuit, in Eſquilinis, *Liv.*

Mammoſæ ædes fuit, in capite Viæ Nonæ, à qua etiam vico nomen.

Maſcula, ædem habuit prope templum Veneris, Plutarch. *de Fort. Roman.* dedicatam à Servio: qui & in Regia ſua templum ei condidit.

Muliebris templum meruit, in memoriam liberatæ Urbis ab obſidione Coriolani, interceſſione Veturiæ & Volumniæ, apud Dionyſ. Halic. *l.* 8. Sæpe locuta eſt

Natalis Primigenia, fortuita puerorum regere credita eſt: ſicut neceſſaria illorum Fatum. Ei in Principis nativitate publicæ in Capitolio poſitæ fuêre effigies.

Obſequens dicta eſt, quaſi indigens vel clemens. Hujus ædes fuit in regione octava, de qua vide P. Victorem.

Parva dicta à Servio, quòd matre natus captivâ, ejus beneficio, Rex factus ſit.

Φερέπολις, vide infrà *Marmor.*

Plebejæ templum fuit ab eodem Servio, eandem ob cauſam, extructum. Ovid. *Faſt. l.* 6.

Præneſtina, celebris admodum fuit, à loco; in quo colebatur, ſic appellata. Cum Hercule ſimul culta eſt.

Primigenia templum in Capitolio habuit: Eidem aliam vovit ædem P. Sempron. Cos. cum M. Cornel. Cethego A. U. C. 549. quam ipſe Cenſor poſtea locavit in colle Quirinali: dedicavit 10. annis poſt Q. Marcius Ralla Duumvir, Liv. *l.* 16. & 34.

Privatæ *Fortunæ* ſive propriæ delubrum in Palatio, à Servio fuit excitatum. *Plutarch.*

Proſpera ſeu ſecunda, apud Æl. *Var. Hiſt. l.* 13. *c.* 43. eadem fuit cum Bona.

Publica, in Valle Quirini, quæ inter Eſquilias & Quirinalem collem culta eſt; Ovid. *Faſt. l.* 4. Hanc cum Regia eandem facit Dempſter.

Reduci templum Domitianus condidit, Mart. *l.* 8. Epigr. 64. cujus epigraphe ad Domitianum Eidem ara conſecrata eſt Romæ, ob reditum Auguſti, Dio *l.* 54. Ejus quoque meminit Claud. *de* 6. *Hon. Conſ. Carm.* 28. Initio.

Aurea Fortunæ *Reduci ſi templa priores*
Ob reditum vovêre Ducum,

Regia, in interiori Principum cubiculo colebatur, eratque aurea. De illa vide Tac. *Ann. l.* 15. Jul. Capitolin. *in Anton. Pio* & *Antonin. Phil.* Fortè eadem eſt cum *Publica* apud Sen. *de Ira l.* 1. *c.* XI. ubi ait: *Habuit in concilio Fortunam publicam.*

Salutaris, in marmoribus vetuſtis, vocata eſt illa, cui res in bello proſperè geſtæ attribui ſolitæ ſunt.

Sejæ ædem extruxit Nero, ex lapide Phengite: (quare etiam foribus opertis claritas ibi erat, haud alio quàm ſpecularium modo luce incluſâ, Plin. *l.* 36. *c.* 22. à Servio Rege ſacratam aureâ domo complexus.

Τύχη, apud Græcos ejus nomen, quod tamen apud Homer. non extare, annotavit *Auguſtin.*

Virgo, vide infrà *Virgo Fortuna.*

Viſcoſa dicta eſt, quòd eminùs nos captet & rebus adhibeat. Plutarch. *in quæſt. Rom.* & *de Fort. Rom.* De ejus æde vide P. Victorem. Fuerunt & *Fortunæ averruncæ*, bene ſperantis, blandæ, bonæ ſpei, convenientis & Virginis, à Servio Tullio extructæ ac conſecratæ ædes. Plutarch. *in quæſt. Rom. c.* 74. Q. Catulus *Fortunam* hujus diei conſecravit, apud Plutarch. *in Mario.* Ad ejus ædem ſigna feminuda fuiſſe à Pythagora Samio pictore facta, refert Plin. *l.* 34. *c.* 8. ubi perperam nonnulli legunt, *Fortuna hujus Deæ*. Vide Hadr. Turneb. *Adver. l.* 12. *c.* 12. Meminit Fortunæ hujus diei, Cic. *de LL. l.* 2. &c.

FORTUNÆ Comes, cognom. Ludovici Cerdani Com. Claromontis Alphonſi cognom. *Exhæredis*, è Caſteliæ Regibus nepotis, cui Clemens VI. P. P. Inſ. Canarias, olim *Fortunatas* dictas, adtribuit eâ lege, ut barbaris gentibus Chriſtianæ religionis lumen inferri curaret. Nunquam verò in eas trajecit inſulas Gallicâ ad Creſſiacum clade impeditus, Mariana *Rer. Hiſpan. l.* 16. *c.* 14. &c. Idem *Princeps Fortunatarum inſ.* dictus eſt. Phil. Jac. Spenerus *Artis Herald. Parte* 2. *l.* 1. *c.* 15. §. 5. ubi apicem Cerdanum in ſcuto Ducum Medinæ Cœli, mulierem viz. feminudam, dextrâ manu *gubernaculum navale aureum, ſiniſtrâ cornu Amaltheæ cæruleum, florib. & fructibus plenum tenentem* inde arceſſit.

FORTUNÆ Divinæ Inſ. Americæ Sept. verſus terras Arct. ad oſtium Orient. Freti Hudſonis, haud pridem ab Anglis detecta.

FORTUNÆ Templum in Campania inter Cales, & Teanum urbes erat.

FORTUNATÆ Inſ. à *fructuum ubertate*, vel *aëris bonitate* dictæ contra Mauritaniæ finem ad Occid. ſitæ ſunt. Strab. *l.* 1. *p.* 3. Plin. *l.* 4. *c.* 22. & *l.* 6. *c.* 32. Fuêrunt autem ſex numero, nunc omnes *Canariæ* dictæ. Vide ibi. Has inſulas Horat. innuere videtur, *Od.* 8. *Carm. l.* 4. *v.* 26.

——— *Divitibus conſecrat* inſulis.

Nec non *Epod. Od.* 16. *v.* 41.

Nos manet Oceanus circumvagus, arva, beata
Petamus arva, divites & inſulas,

Detectæ à Joh. Betencurtio Gallo; donatæ ſunt à Pontifice Alphonſo Caſtellano, A. C. 1346. 20. aut 30. leuc. diſtant ab ora littor. Africæ, & reg. Biledulgerid. Earum Orientalior eſt *Forteventura*; *Inſ. Ferri* Occidentalior. Vide *Canariæ Inſ.* Addo hîc, quod ab Hiſpanis mercatoribus primùm repertæ ſunt Hornio, circa A. C. 1370. quo tempore qualibet earum ſuam linguam ſuosque Reges habuit: at igne & ferro carebant; duabus ad vitam humanam maximè neceſſariis rebus. Præcipua illarum fuit magna Canaria, in qua circa A. C. 1439. regnabant duo Reges, unus quidem Theldæ, nomine *Doramas*; alter Galderæ, nomine *Guavartema*. Inſ. Teneriffa Duces habebat novem, liberâ electione ſuccedentes Sub Henrico Galliæ Rege Robinus Bracamontius Franciæ Archithalaſſus has Inſulas pro filio ſuo Joh. Betacourtio regio titulo impetravit; qui expeditione contra Barbaros ſuſceptâ *Regem Canariæ, Lanzarottæ, Fortaventuræ, Gomeræ, Ferro*, ſe appellavit; cui ordine ſucceſſêrunt Menardus, Petrus, Barba, Ferdinandus, Beraza & Didacus de Herrera; qui omne jus ſuum tranſtulit ad Ferdinandum, Aragoniæ Regem à quo tempore Inſulæ Hiſpanici juris iſtæ fuêrunt. Georg. Horn. *Orb. Imp. p.* 479. Incolas, uxores ſuas aliorum uſui permittere, idque cum Scythis habere commune, narrat Grot. *Hiſt. Belg. l.* 8. At de Veterum *Fortunatis Inſulis*, quas hodiernis Canariis longè magis Meridionales, utpote 10. m. ſtadium à continente Libyæ remotas, quarumque duas tantùm, *Planaſiam* viz. ſeu *Planariam* & *Soliam*, nonnullis, aliis ſex, nempe *Ombrion, duas Junonias, Caprariam, Nivariam*, & *Canariam*, docet agnitas, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1297.

FORTUNATIANUS, prænom. *Curius*, Hiſtoricus, memoratur Jul. Capitolino *in Maximino* & *Balbino*, ubi eum omnem hiſtoriam perſcripſiſſe, ait, vide Caſaub. *ad l.*

FORTUNATUS, Præſul Pictavienſis, qui geſta Sanctorum patrum partim pedeſtri, partim ſolutâ oratione conſcripſit. Item ſanctus quidam, cujus adventu ſe lætum fuiſſe ſcribit Apoſtolus Paulus. 1. Cor. *c.* 16. *v.* 17.

FORTUNATUS, L. Veteris, Aſiæ Proconſulis libertus, ejuſdemque ſub Nerone everſor. Tac. Ann. *l.* 16. *c.* 10.

FORTUNATUS, nomen balneatoris, apud Mart. *l.* 2. *Epigr.* 14. cujus epigraphe ad Paulum de Selio

Nec Fortunati *ſpernit, nec balnea Fauſti,*
Nec Grylli tenebras, Æoliamque Lupi:

Ubi *Fortunatus*, *Fauſtus*, *Gryllus*, *Lupus*, nomina ſunt 4 balnearum & balneatorum mercenariorum, de quibus vide Rader. *ad l.*

FORULI, opp. Sabinorum, ſaxoſo in loco ſitum, unde fit, ut Strab. *l.* 5. petram vocet ad rebellandum, quàm ad habitandum aptiorem. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 714.

Caſperiamque colunt, Foruloſque *& flumen Himellæ:*

FORULI Librorum, ſeu *Capſæ*, vide ſuprà *Armaria Bibl.* infrà in voce *Nidus*; ſic enim quoque ii appellati, it. *Zotheca.* Et quidem inprimis eorum vel ſummis optimos, in imis ſeu ultimis, mini-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

minimæ æſtimationis libros, recondi conſueviſse, diſcas ex Mart. *l.* 1. *Epigr.* 118. cujus epigraphe in Lupercum.

De primo dabit alterove nido.

ut ibi pluribus dicemus.

FORUM, an à *ferendo*, quòd eò controverſias ſuas & quæ vendere vellent, conferrent, ut voluit Varro: an à voce *foràs*, quòd ſc. foràs & ſub dio ſit, ut alii: an à *fando*, ut Iſid. ſentit, dictum, varias habet ſignificationes: quibus omiſſis, de iis tantùm dicam, quò res conferri ſolebant. Horum duo apud Romanos fuêre genera: alia nempe ad Urbis ſplendorem facta, in quibus hominum fiebant conventus, vel negotiorum civilium vel delectationis causâ: alia ad communes Populi uſus parata, negotiantibus patebant. Prioris generis erant, *Forum* Romanum, Cæſaris & Auguſti: quibus Domitianus Imp. quartum additurus, morte præventus eſt: fundamenta tamen jecit; Nerva verò exædificavit & exornavit, *Tranſitorium* appellatum: quòd inde in tria *Fora* tranſitus pateret. Quintum & celeberrimum adjecit Trajanus, in quo columna 140. cubitorum altitudine fuit, res ab eo geſtas exactiſſimè referens. Poſterioris generis, plurima fuére, de quibus infrà aliquid ſubjungetur: poſtquam de *Foro Romano* hîc paulo latiùs diſſeruero. Fuit hoc antiquiſſimum & propterea *Vetus* appellatum, teſte Herodiano; incipiebat à Capitolii radicibus, ubi nunc Septimii arcus eſt, & ſecundùm longitudinem ad S. Mariam novam, ubi Titi arcus, protendebatur: ſecundùm lat. à Palatini radicibus, ad viam ſacram & Saturni ædem pertingebat. Nonnunquam ſimpliciter *Forum* dictum eſt, aliquando *Latinum* ſeu *Latium*: non raro *Palladium*, ab æde Palladis, plerunque *Romanum*, à dignitate Urbis, quòd præ cæteris eſſet ornatiſſimum, propter ædificia, & frequentiſſimum, propter judicia. Propert. *l.* 4. *Eleg.* 4. *v.* XI.

Atque ubi nunc terris dicuntur jura ſubactis,
Stabant Romano *pila Sabina* Foro.

Eleganter id deſcribit Plaut. *in Milite Glor.* Habuit in circuitu undequaque tabernas, per pilas diſtinctas, quibus nomen aut ab opificibus, aut à ſitu, aut à numero. Ædificia, quibus inſigne fuit, enumerat Onuphr. Panvin. *l. de Urbis regionibus*; nec non Bernardus Gamuccius *Antiqq. Rom. Italicè ſcriptis*. Mentionem hîc ſaltem Roſtrorum faciam, quæ ibidem fuêre, & ſtatuæ Marſiæ coronati, ad quam litigantes convenire ſolebant. Horat. *Serm. l.* 1. *Sat.* 6. *v.* 119.

Deinde eo dormitum, non ſollicitus, mihi quòd cras
Surgendum ſit manè; obeundus Marſyæ.

E regione Marſyæ Libonis fuit tribunal, ubi fœneratores conveniebant inter porticum Juliam & arcum Fabianum, ut vet. Interpres Perſii ſcribit &c. Reliqua apud præfatos Auctores reperies, quibus adde Georg. Fabric. *in ſua Roma*. Hinc phraſes *Forum agere, indicere, ponere*: quarum poſtremâ utitur Manil.

——— *Nec non laſcivit amores*
In varios, ponitque Forum.

Ubi Scalig. *abjicit curam Fori*; cui Barthius adſtipulatur, *ponere* pro *ſeponere* ſumens. Salmaſ. *pro cognitore ſcenicus exiſtit & Foro renunciat*. Gronov. verò, *ponit Forum*, i. e. *in menſa ſtatuit alveum ſive tabulam luſoriam*: ex Suet. *in Aug. c.* 71. qui *Forum aleatorium calefacere* ait. Habuêre & Athenienſes ſua *Fora* juxta Legem: Πάντας Ἀθηναίους λαχεῖν εἰς τὰ Δικαστήρια, *Athenienſes in ſua quiſque fora ſorte diſtribuuntur*, ſed de his vide ſuprà in voce *Dicaſteria*: & plura de *Foris Rom.* apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 9. *c.* 7. è quo ſaltem pauca hæc addam: Comitium partem fuiſſe Fori Romani, in quo Roſtra erant, & præter quinque ſuprà memorata, in quibus jus dicebatur, fuiſſe quoque Saluſtii *Forum*, in monte Quirinali, quod poſt Africanam Præturam Salluſtius emit, unà cum hortis, qui & nunc *Salluſtiani* appellantur. In eo loco hodie S. Suſannæ ædes eſt.

Fora urbis Romæ, quæ negotiantibus inſerviebant.

Argentarii *Fori* meminit Vitruv. ut Archimonii *Victor*.
Aurelii mentionem facit *Cic.*
Boarium.
Ceditium, de quo vide *Feſtum*.
Cupedinarium.
Eſquilini meminit *Appian.*
Jugarii recentiores.
Olitorium.
Pecuarium.
Piſtorium.
Ruſticorum ſive Suburanum.
Suarium: quibus adde Agonium &c. Alex. ab Alex. *Gen. dier. l.* 2. *c.* 12. tredecim recenſet *Fora*: P. Victor *l. de urbis regionibus*: ſeptendecim enumerat: Decem *Fororum* mentionem facit S. Ruffus. Onuphr. Panvin. novendecim recenſet, *in ſua Regionum deſcriptione*. Nec omittendum *Forum* rerum furtivarum Suburra ſc. uti infrà videbimus.

Ut de *Foro rerum venalium*, in civ. Athenienſi, aliquid addam, ibi *Agoranomi*, Græc. Ἀγορανόμοι, Magiſtratus erat, Veteribus paſſim memoratus, ob *l.* Ἀψευδεῖν κατὰ τὴν ἀγοράν. Harpocration Ἀγορανόμοι οἱ τὰ κατὰ τὴν ἀγορὰν ὤνια διοικοῦντες ἄρχοντες. Prout illis curæ erat, ne imponerent & fraudem facerent, ſive venditores ſive emptores: ſæpius enim Athenis uſu veniſſe ſcribit Lyſias, ut Sitonæ, quò impunitiùs annonam flagellarent, falſa quædam comminiſcerentur & ſpargerent in vulgus. Imò adeò ſanctè legem hanc obſervatam voluêre Athenienſes, ut Ariſtonici Lege cautum ſit, ne Piſcarii piſces minoris, quàm indicaſſent, venderent: ſi ſecus feciſſent in carcerem raperentur. Vide infrâ, ubi de *Piſcibus*: quamvis hæc cura Opſonomis in ſpecie incumberet. In univerſum verò rerum venalium in Foro cura penès *Agoranomos* erat, qui eos, qui in Forum convenerant, ſi quid committerent in leges, flagris cædebant. Interpr. Comici *Acharn.* Iis vectigal pendebant, qui Athenas aliunde adportaſſent in Forum quidquam mercimonii. Unde Dicæopolis apud Ariſtophanem *dramate cit.* anguillam à Bœoto ſibi dari petit ἀγορᾶς τέλος *Fori tributum*. Ita enim is,

Ἀγορᾶς τέλος ταύτην γέ που δώσεις ἐμοί.

Scholiaſtes: ἔθος ἦν τὸ παλαιὸν τοὺς ἐν τῇ ἀγορᾷ πιπράσκοντας τέλος διδόναι τοῖς λογισταῖς, ubi per λογιστάς intelligit Ἀγορανόμους, ... erat antiquus, *à vendentibus vectigal ſolvi Logiſtis*, vide Sam. Petit. *Comm. in LL. Attic. l.* 5. *tit.* 5. Alii ab Agoranomis Sitophylaces ... rant, de quibus *infrà*. Vide quoque ubi de *Pantepolis*: de Fori verò apud Romanos ornandi ab Ædilibus more, inſtituto circa A. C. 443. poſt partam de Samnitibus victoriam, Caſaub. *ad Suet. Jul. c.* 10. uti de *Fori ſubjectis*, ad tempus ſolùm extrui ſolitis, herumque mancipibus, eundem *Ner. c.* 19. & de ἐν ἀγορᾷ Μάντεσι infrà in voce *Sortes*. Addam, in ipſo *Foro* piſcario ſive in ipſis Salamariorum tabernis obſonia ſua vorare ſordidiſſimis ſolùm quibuſque & ὀψοφαγισταῖς in uſu fuiſſe. Talis Clio in Hedyli *Epigramm.* Athenæo laudata *l.* 8. quod emendatum exhibet *in Obſervationibus Arnobianis l.* 8. Des. Herald. ubi & eodem modo accipi vult Antiphanis hæc, apud eundem Athen. Ibid. *p.* 342.

Φοινικίδης δὲ ταυρέας θ' ὁ φίλτατος
Ἄνδρες παλαιοὶ ὀψοφάγοι τοιοί τινες
Οἷοι καταβροχθίζειν ἐν ἀγορᾷ τὰ τεμάχη.

Nec omittendum, uti in aliis celebrioribus urbium locis, ſic & in Foro Agyrtas, & Circulatores omnis generis, ſtipem jam olim hominibus excutere ſolitos. Ita enim Auguſtin. de Mathematicis *Tract.* 4. *in Joh. Tendunt ad capiendos homines & hoc in plateis* —— *Quàm infeliciter vani ſunt homines, quibus capiendis in Foro tenditur.* Et de Ægyptiis Circulatoribus Origenes *c. Celſum l.* 3. Καὶ ... μαθημάτων ὑπὸ Αἰγυπτίων ἐπιτελούμενα, ἐν μέσαις ἀγοραῖς, ... ὀβολῶν ἀποδομένων. Vide eundem Herald. *ibid.*

FORUM Adriani, nunc eſt *Voorburg*, vicus in Hollandia, Cluv. teſte.

FORUM Aleatorium, occurrit apud Suet. iterum *Aug. c.* ... *Luſimus enim per omnes dies*, Forumque *aleatorium calfecimus*. Nempe in pleriſque urbibus inter loca Ædilem metuentia fuit is, quò convenire ſoliti Aleatores: quem Cic. *ludum talarium*, Quintilian. *ludum talarem*, Aug. *Forum Aleatorium* vocat. *Forum* enim dicitur locus omnis, concurſu negotiantium celebris: ubicunque proin conveniebatur aleæ causâ, ibi *Forum Aleatorium* erat, non in foro tantùm, etſi ibi quoque alea exerceri ſolita, ſed non niſi ab hominibus perditis & profligatis, qui omnem exiſtimationis ſuæ curam poſuiſſent. Cic *Philippica* 2. *Hominem omnium nequiſſimum, qui non dubitaret in Foro aleâ ludere, lege quæ eſt de aleâ condemnatum, qui in integrum reſtituit, is non apertiſſimè ſtudium ſuum ipſe profitetur?* E quibus apparet, grave flagitium Romæ cenſitum fuiſſe, *aleâ in foro ludere*. Unde Auguſti verba non ſic accipienda, quaſi ille in Foro luſiſſet, ſed ita locutus videtur, ad declarandum ſuum in ludendo ſtudium & eorum, qui non parvo numero feſti celebrandi gratiâ ad illum convenerant. Quare addit, *forum calefecimus*, venuſtiſſimâ tranſlatione &c. Iſ. Caſaub. *ad l.* vide quoque ſuprà, ubi de *Alea*.

FORUM Alieni, Tac. opp. Æmiliæ, apud Padum flu. ubi nunc Ferraria urbs, *Ferrara*, teſte Joh. Boccatio, cum aliis, inter Bononiam 32. & Patavium in Bor. 48. ac inter Mantuam & Ravennam 50. à Verona verò 60. mill. paſſ.

FORUM Appii, Cic. Hor. Ant. Ptol. & al. urbs Latii, olim Epiſcop. in finibus Volſcorum, apud Pontinam Paludem, inter Ariciam & Feroniam, ac inter tres Tabernas, & Tarracinam, à qua 12. mill. paſſ. recedit, Romam verſùs 48. prorſùs exciſa. Locus *Caſe* ... ſeu *Caſe nove* Celſo Cittadino, aliis *li Maruti* diverſorium: aliis verò ubi *Foſſa nuova*, monaſterium, & Abbatia, quæ loca omnia ſunt proxima. Populi *Forοappii* Plin. *l.* 3. *c.* 5. Meminit Horat. *Serm. l.* 1. *Sat.* 5. *v.* 3.

——— *Inde* Forum Appi
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.

Cluv. Brietio, & aliis, eſt locus nunc *S. Donato* dictus, aliquot tantùm ædibus conſtans, intra paludes Pontinas, prope Aſturam amnem, & 5. milliaribus ab ora maris Mediterranei: quanquam aliqui credant fuiſse ubi nunc *le Caſe nuove*, diverſorium inter Privernum, & Setiam, juxta Pontinas paludes.

FORUM Auguſtum, ſive Forum Auguſti, in urbe Roma, ab Ovid. *l.* 5. *Faſt. v.* 552. memoratum:

Templaque in Auguſto *conſpicienda* Foro.

Vide infrà, ubi fora urbis Romæ deſcribuntur.

FORUM Aurelii, Ant. opp. erat Hetruriæ, medium inter Centum Cellas, & Coſam, 25. mill. paſs. utrinque diſtans, in ora apud Graviſcas, prorſùs exſtinctum.

FORUM Bibalorum, Ptol. *Fomillam*, teſte Moletio, opp. fuit Hiſpaniæ Tarraconenſis, apud Aquiflavienſes, nunc vicus in agro Aquarum Flaviarum, in regno Portugallico.

FORUM Calviſii, Vet. Inſcr. *Calviſano*, opp. Cenomanorum, in agro Brixiano, inter Brixiam 15. & Aſulam 10. m. p. diſſitum.

FORUM Caſſii, Anton. *S. Maria Forcaſſi*, urbs olim Epiſcop. Hetruriæ, apud Vetrallam opp. quod nonnulli ipſum Forum Caſſii eſſe contendunt, inter Sutrium, & Viterbium ad 7. mill. paſs. Nunc vicus eſt parvus prope Vetrallam opp. in provincia Patrimonii S. Petri, in Hetruria, Romano Pontifici ſubdita. 7. milliaribus diſtat à Viterbo in Auſtr.

FO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

FORUM Claudii, Ant. Ptol. *Clodii* Plin. *l.* 3. *c.* 15. *Tolſa nova*, opp. Thuſciæ mediterraneum, apud oram auſtralem, inter Bracenum, & Cornuetum, ab urbe Roma 38. mill. paſſ. in Occaſ. ubi aluminis minera Ferrar. Baudr. nunc in ejus veſtigiis conſpicitur *Oriolo*, caſtrum provinciæ Patrimonii S. Petri, teſte Luca Holſtenio. 4. milliaribus diſtat à lacu Sabatino in Occaſ, & 5. à Braciano in Circium, eſtque in Ducatu Braciani.

FORUM Claudii alterum, Ptol. *Tarantaiſe* teſte Cœnali, urbs Archiepiſcopalis apud Alpes Grajas, in finibus Allobrogum, ſeu in Sabaudia. Aliis eſt *Novaleſa*, opp. cum cœnobio apud Alpes Cottias, à Seguſio 4. mill. paſſ. interius diſtans: quod magis probatur: hoc enim in Italia eſt, non in Gallia; & à Ptolemæo in Italia deſcribitur, Ferrar. Baudr. urbs fuit Centronum, in Gallia Narbonenſi, quæ nunc *Moutiers en Tarantaiſe*, urbs Archiepiſcopalis & Tarantaſiæ caput, in Ducatu Sabaudiæ, ad Iſaram fluv. 4. leucis diſtat à Fano S. Joh. Maurianenſis in Bor. & à Comberiaco in Ort. Sanſone Brietio, & aliis teſtibus. Valeſio. Centronum fuit caput, qui apud Claud. Ptol. in Grajis Alpibus inque Italia locantur. Nomen inde, quòd ibi Claudius regionis præfectus primus jus dixiſset, & quod hic juridicus conventus eſset. Poſtea urbs incertum quam ob cauſam, dicta eſt, *Darantaſia*, recentioribus *Tarantaſia* quod nomen non urbi modo, ſed etiam toti tractui Alpino Centronum eſt attributum. Quippe & urbs ipſa in quibuſdam tabb. *Tarantaiſe* vocatur, & regio Centronum *la Tarantaiſe*. Eginhardo *in Vita C. Mag.* inter Metropoliticas civitates *Darantaſia* recenſetur, quod ſincerum & incorruptum ejus nomen eſt. Sedes Metropolis hæc ſub ſe duas habet, Sedunenſem & Auguſtanam, ac pleriſque à veteri aliquo Monaſterio *Monaſterium* vocatur, ſicut Mimigarnaforda, urbs Weſtfalorum, Epiſcopatus ſedes. Vulgò *Motier* incolis: quædam tamen tabb. *Monſtier en Tarantaiſe*; nonnullæ *Mouſtiers* exhibent, tanquam non *Monaſterium*, ſed *Monaſteria*, urbs appellanda ſit. Si qua Moneto Sabaudo fides, *Darantaſiam* ſive *Monaſterium* hoc Iſara dividit interfluitque. Antequam Metropolitæ fuit ſedes, Placidi Valentiniani Principatu, ut & poſtea regnante in Italia Theodorico Oſtrogothorum Rege una fuit de civitatibus provinciæ Viennenſis, ac Viennæ ſubjecta: In ea proin Alcimus Avitus Viennenſium Archiep. Baſilicam S. Petri condidiſse, ibique concionem ad populum habuiſse legitur. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* in voce *Centrones*.

FORUM Clodii. Plin. ut ſuprà vide *Claudii*.

FORUM Cornelii, Plin *l.* 3. *c.* 16. Anton. Ptol. & al. *Cornelium* Cic. quod & Syllæ Forum appellatur, *Imola*, urbs Æmiliæ ſeu Galliæ Togatæ, in Romandiola, apud Vatrenum fluv. inter Bononiam 20. & Faventiam in Ort. 10. mill. paſſ. Epiſcopal. ſub Archiep. Ravennate, inde 24. mill. Bononiam verſùs. Populi *Forocornelienſes* Plin. &. *Cornelienſes* aliis. Ferrar. Baudr. urbs fuit Lingonum, in Gallia Ciſpadana, *Imola*, nunc in Romandiola, in limite agri Bononienſis, & Ducatus Ferrarienſis, ſub dominio Romani Pontificis; eſtque culta, & elegans, 16. milliaribus à confinio ditionis Florentinæ in Bor.

FORUM Decii, Plin. *l.* 3. *c.* 12. fuit opp. Sabinorum, cujus hodie nullum prorſus exſtat veſtigium.

FORUM Diuguntorum, Ptol. ſive, ut habet textus Græcus, *Jutuntorum*, opp. fuit Galliæ Tranſpadanæ: quod aliis eſt *Crema* urbs, aliis *Picighiton*, opp. cum arce firmiſſima, in finibus Cenomanorum, ad Adduam fluv. à Cremona 12. mill. paſs. in Occaſ. Ticinum verſus. Ferrar. Cluv. Sanſoni, & aliis, eſt *Crema*, urbs permunita Galliæ Tranſpadanæ antea Ducatus Mediolanenſis, nunc ſub dominio Reipublicæ Venetæ, ad amnem Serium, Epiſcopal. ſub Archiep Bononienſi. Habet ab Or. Cremonenſem agrum, uti ab Occid. Laudenſem. Vide *Crema*.

FORUM Domitii, à Cn. Domitio Ahenobarba, abavo Domitii Neronis Aug. qui in Conſulatu, Allobrogibus Arverniſque ſuperatis, elephanto per provinciam vectus eſt, fortè dictum. *Fabregas*, teſte Varrerio, opp Galliæ Narbonenſis, in Occitana regione, inter Nemauſum 45. & Biteras 30. m. p. ex Itinerario Antonini, à Cæſerone 12. in Or. Ferrar. Baudr. *Forum* Domitii quibuſdam eſt *Fabregues*, opp. ad Caulazonem amnem, in Occitania inferiori, 2. leuc. à Monte Peſſulano in Occaſ. & una tantùm à ſtagno Magalonenſi in Bor. à Nemauſo 30. mill paſs. in Occaſ. Aliis autem, & meliùs, eſt *Frontignan*, opp. ejuſdem tractus, ad ſtagnum Magalonenſe ſeu Lattaram, inter Biterras 30. mill. paſs. & Nemauſum 45. à Cæſerone 20. in Ort. teſte Sanſone. Dicitur aliter Frontinianum; eſtque vino ſuo celebre.

FORUM Egurrorum, Ptol. *Medina de Rio Seco* Villanovano, & aliis, opp. præclarum Hiſpaniæ Tarraconenſis, in regno Legionenſi, à Legione 15. leucis in Auſtr. à Valliſolero 8. in Afric. Aſturicam verſùs 14. vel certè non longè, Ferrar. Sanſone teſte, erat opp. Aſturum, ubi nunc caſtrum *Monte Furado*, in Gallæcia, ad fluv. Burviam, 12. leucis à Luco Auguſti in Auſtr. Brigætium verſùs.

FORUM Flaminii, Plin. *l.* 3. *c.* 14. Strab. *l.* 5. *p.* 227. Ptol. *Forfiamme*, urbs Umbriæ Epiſcopal. à Longobardis everſa: locus adhuc nomen antiquum retinet, à Fulginio, quod illi in Epiſcopali honore ſucceſſit, 3. mill. paſſ. Nuceriam verſùs. Sunt qui Forum Flaminii nunc Fulginium dici putent, cùm ex Plin. & libro Conciliorum urbes diverſas eſſe conſtet, quæ eodem tempore Epiſcopalem ſedem habuêrunt. In manuſcripto Seldeni Φόρ𝔊 Φλαβινίϛ.

FORUM Fulvii, Plin. *l.* 3. *c.* 5. quod & Valentinum, *Valenza*, opp. amplum Liguriæ, impoſitum Pado fluv. in Gallia Ciſpadiana, ab Alexandria 7. mill. paſſ. in Bor. Ticinum verſùs, unde 27 abeſt, Ferar. Baudr. opp. eſt munitum Ducatus Mediolani, in colle, ad Padum fluv. Captum fuit à Gallis A. C. 1656. ſed poſtea redditum pace ad Pyrenæos confectâ; eſtque medium inter Caſalem ad Occaſ, & Dertonam ad Ort.

FORUM Gallorum, Cic.. App. Frontin. *Caſtel Franco* oppid. Æmiliæ, ſeu Galliæ Togatæ, in via Æmilia, inter Bononiam (in cujus agro eſt) 14. & Mutinam 6. mill. paſſ. occurrens, Ferrar. Baudr. oppid. eſt agri Bononienſis, in ditione Pontificia vix 2. milliaribus à confinio Mutinenſi, & à Scultenna fluv. 8. autem à Mutina in Ort. Ei adjacet arx probè munita ab Urbano VIII. Barberino Pontifice Romano extructa in tutelam illius tractus, & de ipſius nomine dicta arx Urbana, *Forte Urbano* vulgò, in ruderibus caſtri Leonis.

FORUM Gallorum alterum, Ant. *Gurrea*, teſte Hieronymo Zurita, opp. Hiſpaniæ Tarraconenſis, in Aragonia, inter Cæſarauguſtam 5. & Jaccam in Bor. 14. mill. Hiſpanicis diſtans. Quibuſdam eſt *Zuera*, oppid. ad Gallegum fluv. 5. leucis à Cæſarauguſta in Bor. Aliis autem eſt Luna, caſtrum ad amnem Bielum, 8. leucis à Cæſarauguſta verſùs Bor. & confinia Navarræ; 6. à Jacca in Afric.

FORUM Hadriani, in Tab. Theodoſiana memoratum, locus Hollandiæ eſt, nunc *Voorburg*, quaſi *Foorburg*, Hadr. Valeſ. in voce *Batavia*.

FORUM Julium, Plin. *l.* 3. *c.* 1. & 4. Strab. *l.* 4. *p.* 184. Ptol. & Julii, *Frejus*. Plin. *Colonia Octavianorum*, in nummo Aug. *Col. Julia Octavianorum*: in nummo Domitiani *Col. For. Jul.* in nummo Neronis *Col. Pacenſ. Claſſ.* à pace nempe *Pacenſis*, & claſſe Aug. Cæſ. cujus navale fuerat, *Claſſica*: Huc enim, ad Gallicum littus tuendum, roſtratas naves cum remige valido miſerat, Tac. *Hiſt. l.* 2. *c.* 14. *l.* 3. *c.* 43. Urbs eſt Galliæ Narbonenſis, Epiſcopal. ſub Archiep. Aquenſi, unde & à Maſſilia 600. ſtadiis, teſte Strab. *l.* 4. *p.* 184. abeſt in Ort. in ora Provinciæ littorali, inter Nicæam & Telonem 10. & 12. leucis. *Forum* item Julium Tac. & Ptol. *Cividal d'Auſtria* aliàs, nunc *Cividal del Friuli*, teſte Leandro & Lazio, ac aliis, colonia & urbs Carnorum, ab Utino 8. mill. paſſ. in Bor. ab Aquileja 22. in Circium, quod & Caſtrum Julienſe Diacono dicitur. *Forum* præterea Julium Plin. qui populos Forojulienſes memorat, *Friuli* & *Patria* à Venetis, quibus paret, *Friaul* Germanis, quæ, & Carnia veteribus, regio eſt Italiæ, Venetiæ pars, inter Marchiam Tarviſinam, & Hiſtriam ac Noricum contenta. Cujus Utinum caput eſt, & conventus juridicus. Vide Leandr, *deſcr. Ital.* Blondum, & J. Candidum *in Aquilegienſium Hiſt.* Ejus meminit Fortunatus *in vita S. Martini l.* 4.

Inde Foro Juli *de nomine Principis exi.*

Ferrar. Baudr. *Forum* Julii, *Frejus*, urbs eſt Provinciæ in valle, Patria Cnæi Julii Agricolæ, viri conſularis, qui Tacito ſocer fuit, ac Valerii Paulini, Veſpaſiani Aug. Procuratoris, & Ducis. Sita eſt intra paludes, dimidia leuca ab ora maris Mediterranei, 13. leuc. à Telone in Ort. & 4. à Fano S. Eutropii in Bor. ad oſtia fluv. Argentei, qui vulgò *Argence*, aliàs *Argens*, à colore aquarum nomen habet. Hunc Lepidus *Ep. ad Cic.* nuncupat *flumen Argenteum*, data ex *Ponte Argenteo*: qui locus ſic appellatus eſt, à ponte amni impoſito. Arenæ hujus Argentei fluv. Forojulienſium portum illum tam eximium olim, implevêre ac obſtruxêre: ut arenæ Rhodani oram Gothiæ importuoſam reddidêre: ac poſt Ludovici IX. regnum, ab Aquis Mortuis, portu antè celeberrimo, receſſit mare 3. aut 4. mill. paſſ. Videtur autem fuiſſe *Forum Julii* caput olim *Suelterorum*, vel *Selicrorum*. Hîc Amphitheatrum, opus Rom. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* Ep. eſt ſub Archiep. Aquenſi, cui etiam Parlamento ſubeſt. Colonia fuit illuſtris Romanorum, Julii Cæſ. nomine inſignita, an quia ibi armorum officina, an quia commercii aut Præfecti ſedes. Bis terque à Gothis, & Saracenis vaſtata, nihilominus hodieque illuſtria ſervat antiquitatis monumenta: Amphitheatrum ferme integrum, aquæductum admirandum 10. leucarum, ſtatuas, tripodem è quo Oracula olim fundebantur, inſcriptiones innumeras. Sedes Ep. eſſe cœpit ſec. 2. ſed primus, cujus apud Auctores mentio, Acceptus eſt, qui Concilio Valentiæ habito A. C. 374. interfuit, quo ſeipſum criminis arguit ſcriptoribus ignoti, ut à functione Epiſcopali liberaretur: Secundus, cujus meminêre Auctores, eſt Kilianus, cui Leontius Martyr, Theodorus, Victorinus, &c. ſucceſsêre. Inter Epiſcopos ejus porro fuêre Joh. XXIII. Pont. Rom. Vilhelmus Amicicus Patriarch. Hieroſolymit. treſque alii, Cardinalitio murice tincti. Vide Morer. *Dict. Hiſt.* & præter illum, Strab. *l.* 4. Plin. *l.* 3. *c.* 4 Tac. *l.* 2. *c.* 63. & *l.* 4 *c.* 5. *& in vita Agric. c.* 4. Melam *l.* 2. *c.* 5. Baron. *in Ann.* Robert. *Gall. Chriſt.* Sammartan. *tom.* 2. *p.* 568. *& ſeqq.* Sauſſæum *Mart. Gall.* Savaronem *in Sidon. Apollin.* Baralim *Chron. Lirin.* Noſtradamum & Bouch. *Hiſt. Prov.* du Tour *vitâ S. Leontii*, Gueſnæum *part.* 1. *c.* 42. *Caſiani ill. &c. Forum Julii* item, urbs Carnorum, nunc *Cividad di Friuli* dicitur, ad Natiſonem fluv. ſub dominio Reipublicæ Venetæ, & in agro Forojulienſi ab ea dicto, 15. mill. à Goritia in Occaſ. & ad radices Alpium. Prodita fuit A. C. 612. à Giſolphi Ducis victi cæſique vidua Romilda, Caſgano victori, cuius nuptiis inhiabat, ſed hic datâ libidini promiſsâ nocte proſtitutam militibus palo transfixit: Filiæ verò diſſimiles matri, aſcititio fœtore mammas inficientes pudicitiam conſervarunt; Aimon. *l.* 4. *c.* 5. &c.

Acceptos aliis Panchaia mittat odores,
Nobis, virginitas quo mage tuta, placet.

Forum Julium autem, ſeu *Forojulienſis provincia*, pars eſt Italiæ, ubi aliàs Carni populi, nunc *Friuli*, & aliquando *Patria del Friuli*, Gallis *le Frioul*; totaque ſubeſt dominio Venetorum, exceptis Aquileiâ, & Goritiâ, quæ parent Auſtriaco. Nomen hæc regio quibuſdam nacta videtur à Julio Cæſ. cujus ibi legiones

ſtativa habebant, aliis, aliud ſentientibus. Utinum caput eſt, reliquæ urbes Tergeſte, Gradiſca, Aquileja, Goritia caput Comitat. cognom. Palma, à Venetis ante aliquod tempus condita, &c. Vide Leandr. Albert. *deſcr. Ital. p.* 484. *& ſeqq. edit. Venetæ* A. C. 1581. Cluv. *Introd. Geogr. l.* 3. *c.* 35. *&c.* Rogaudi Ducis Forojulii rebellionem, illo capite truncato, ſedavit Carolus Magnus A. C. 776. Berengarium dein Ducem creavit Carolus Calvus Imp. A. C. 876. &c.

FORUM Lebuorum, Polyb. Plin. Ptol. ſeu Lebevorum, aut Libycorum, & Lebetiorum, (variè enim, Leandro, & Ortelio teſtibus, legitur, qui Plin. & Ptol. citant, apud quos neque Lebui, neque Lebetii leguntur) *Borgo Lavizaro*, teſte Merula, & Leandro, opp. Inſubriæ, in agro Novarienſi, à Novaria 5. mill. paſſ. diſtans, Caſalenſem urbem versùs. Fortè Forum Libicorum, quorum meminit Ptol. vel Lebuorum, quos memor. Polyb. Ferrar. Baudr. vicus eſt Ducatus Mediolanenſis, in agro Novarienſi, & 5. milliaribus à Novaria in Auſtr. Mortariam versùs diſtat.

FORUM Lepidi, urbs Italiæ, in Gallia Ciſalpina, *Regio* nunc, ſub dominio Ducis Mutinæ. Vide *Regium Lepidi.*

FORUM Licinii, ſeu Liciniforum apud Plin. *l.* 3. *c.* 17. vulgò *la Pieve d'Incino*, teſte Leandro, opp. olim Inſubriæ, nunc pagus agri Mediolanenſis, à Mediolano 30. mill. paſſ. in Bor. diſtans.

FORUM Limicorum, *Puente de Lima*, teſte Floriano, & *Ponte di Lima*, opp. Hiſpaniæ, in finibus Bracarum, in regno Portugallico ad Limium fluv. à Bracara urbe 4. leucis in Bor. diſtans.

FORUM Livii, Plin. *l.* 3. *c.* 15. Ant. *Forli*, urbs Galliæ Togatæ, Epiſcopal. ſub Archiep. Ravennate, unde 16. mill. paſſ. abeſt, in via Æmilia, media inter Faventiam, & Ceſenam urbes Romandiolæ, utrinque 10. mill. paſſ. diſtans. Populi *Foroliovienſes*. Ferrar. Baudr. urbs eſt lepida, ditionis Pontificiæ, in Romandiola provincia 12. milliaribus à Ravenna in Auſtr. 4. autem à Civitate Solis, & à confinio Etruriæ in Bor. Aliàs Principes habuit proprios. Epiſcopal. ſub Archiep. Ravenn. Patria Blondi, Raineri qui Bartoli præceptor, &c. Leandr. *deſcr. Ital. &c.*

FORUM Narbaſorum, Ptol. opp. Hiſpaniæ Tarraconenſis, in finibus Aſturum, exciſum: locus *Arvas* hodie, teſte Morali, nominatur, inter Legionem, & Ovetum. Ferrar. Baudr. eſt opp. Callaicorum, in confinio Luſitaniæ, ad Durium fluv. nunc fortè *Torro de Moncorvo*, in Portugallia, ut dignoſcitur ex ſitu, Sanſone, & Brietio teſtibus, 9. leucis ſuprà Lamecam in Ort. Sed longè ab Aſturiis diſtat.

FORUM Neronis, Ptol. urbs Galliæ Narbonenſis, in Occitania, cujus populi *Foroneronienſes*, & *Lutevani* Plin. *l.* 3. *c.* 4. Vide *Luteva.* Aliis eſt opp. Provinciæ, cis Druentiam fluv. quod quibuſdam eſt *Forcalquier*, Comitatus cognominis caput, in colle, medium inter Seguſteronem ad Cæciam, & Aptam Juliam ad Afric. 2. leucis à Druentia fluv. juxta rivum *Laye* dictum. Olim fuit cum tit. Comit. A. C. 900. in diviſione filiorum Boſonis II. Inter titulos Galliæ Regis Noſtradamus, & Bouch. *Hiſt. Provinc.* Sed aliis hoc eſt *Alaunium* Antonini & *tabb. Peuting.*

FORUM Novum, Plin. *l.* 3. *c.* 12. urbs fuit Sabinorum, apud Oretum opp. exciſa, in eodem loco ubi nunc, urbe deleta, Eccleſia Epiſcopalis ſupereſt, vulgò *Veſcovio* dicta, teſte Luca Holſtenio, & ut colligitur ex veteri inſcriptione illius Eccleſiæ. Eſt & Forum novum ex veteri inſcriptione opp. Galliæ Togatæ, ſeu in Gallia Ciſpadana, & in territorio Parmenſi, ad Tarum fluv. à Parma 10. mill. paſſ. *Fornovo* pagus, Ferrar. Baudr. verò hoc *Forum* Novum, caſtrum eſt, 10. milliar. à Parma in Afric. Dicitur vulgò à Gallis *Fornove.* Hîc inter Carolum VIII. Galliæ Regem Neapoli reverſum, & Confœderatos Italiæ Principes acris pugna, quâ ille victus & impedimentis exutus eſt, Paul. Jov. *l.* 4. A. C. 1495. Aliter Mezeray, *in Carolo VII.* Vix uno milliari diſtat à Taro fluv. Aliàs *Foronovanum* dictum fuit.

FORUM Popilii, Plin. *l.* 3. *c* 15. vel *Pompilii*, vulgò *Forlimpopoli*, urbs olim Epiſcopal. ſub Archiep. Ravennate, nunc opp. (ſede Epiſcopali Britinorium proximam urbem tranſlatâ) Æmiliæ, in Romandiola, inter Forum Livii 4. & Ceſenam in Ort. 6. mill. paſſ. occurrens. Populi *Foropopilienſes* Plin. *l.* 3. *c.* 5. Urbs à Grimoaldo Longobardorum Rege A. C. 700. primùm, deinde ab Ægidio Cardinale Legato in Italia A. C. 1270. everſa eſt, ſedeſque Epiſcopalis Britinorium recepta.

FORUM Seguſianorum, Ptol. *Feurs*, teſte Dalechampio, opp. Gall. Celticæ, Foreſtiæ regionis opp. primarium, à Lugduno 8. leucis in Occaſ. Arvernos versùs. Sunt qui etiam Forum Sebuſianorum legunt, quod *Bourg en Breſſe* eſſe dicunt, opp. Galliæ Celticæ, inter Lugdunum, & Matiſconam, cui propius eſt, regionis Brixiæ, inter Sabaudiam, & Burgundiam, Comitatus caput. Sed apud Ptol. Forum Seguſianorum duntaxat legitur. * Τεγυσιανῶν in manuſcripto Seldeni. Ferr. Baudr. eſt opp. Forenſis ſuperioris caput, ad Ligerim fluv. 6. leucis à Rodumna in Auſtr. & totidem à Fano S. Stephani in Bor. Errant autem qui illud *Bourg en Breſſe* eſſe dicunt, cùm ab eo 15. leucis diſtet in Afric. Ita autem à Romanis videtur dictum, quoniam eò Seguſiani convenirent, ibique diſceptarent. Vetus lapis fabrorum lignariorum Foroſegus conſiſtentium meminit: *Fabri Tignuar. Qui For. Seguſ. conſiſtunt.* Caput eſt pagi *Forenſis*, Comitibus quondam ſuis inclyti, hodiè *le Foreſt*: qui dividitur in Superiorem, *le haut Foreſt*, qui inter Arvernam Lemanem, & Ligerim, & Inferiorem, vulgò *le Foreſt* abſolutè, qui trans Ligerim jacet.

Oppida & caſtella agri Forenſis.

- Anemundi vel Chanemundi caſtrum, *S. Chaumont* in Infer.
- S. Bonniti, in ſuper.
- Caſulæ vel Caſella, *Chaſelles* in Infer.
- Forum Seguſianorum, in Infer.
- Mons Bruſonis, in Sup. cap. reg.
- Mons Maurillonis *Mont Morillon*, in Super.
- S. Ragneberti ad Ligerim *S. Rambert*, in Sup.
- Rodumna *Rouane*, ibid.
- S. Stephani opp. in Inf.
- S. Valdomeris opp. *S. Galmier*, ibid.

FORUM Sempronii, Strab. *l.* 5. *p.* 227. Plin. *l.* 3. *c.* 14. & al. *Foſſumbron*, *Foſſombrone*, *Foſſombruno*, urbs Umbriæ Epiſcopal. ſub Archiep. Urbinate, inde 10. mill. paſſ. diſtans, ad Metaurum fluv. in Ducatu Urbinate, inter Fanum 15. & Callium in Auſtr. 10. mill. occurrens, Ferr. Baudr. locat 10. milliaribus ab Urbino in Ort. Brietius tamen credit *Forum* Sempronii 5. inde diſtaſſe milliaribus, ex ejus ruinis excitatum Foſſumbrunum. Ep. & metropolis Duc. Urbini. Deſtructa à Gothis, & Longobardis, dein commodiore loco de novo condita eſt, aliquo à ruderibus veteris intervallo. Hîc Malateſti, & Galeazi diu domini, Friderico Com. Urbinati illam reddidêrunt, A. C. 1440. Leand. Alb. *deſcr. Ital. p.* 288. *edit. Ven.* A. C. 1581. Vulgò *Foſſombrone.*

FORUM Statiellorum, P. Diac. *Villa de Fo*, opp. olim, nunc pagus agri Alexandrini, in Liguria, inter Alexandriam 4. Oviliam patriam noſtram, 2. mill. paſſ. diſtans, haud procul à Tanaro fluv. *Ferr.*

FORUM Tiberii, Ptol. *Keyſerſtul*, teſte Rhenano, opp. Germaniæ ſuperioris, ad Rhenum fluv. in Helvetia, inter Scaphuſiam 2. & Thermas ſuperiores 1. leuca diſſitum, à Baſilea 10. in Auſtr. Conſtantiam versùs, haud obſcurum, Ferr. Baudr. oppid. eſt Helvetiorum, & Ep. Conſtantienſis, medium inter Baſileam ad Occaſ. & Conſtantiam ad Ort. 5. leucis Helveticis utrinque diſtans, ad Rhenum fluv. Aliis eſt *Zurzach*, vide *Certiacum*, *Zurzach*: & Cl. Ottonem JC. *ad B. Rhenanum l.* 3.

FORUM Trajani, apud Spartian. *in Hadr.* memoratur, ubi infinitâ pecuniâ, quæ Fiſco debebatur, privatis debitoribus in urbe atque Italia, remiſſâ, ſyngraphas eum in *Foro Divi Trajani incendiſſe* refert. Ejuſdem meminit Capitolin. in *Marco*, quem *auctionem rerum aulicarum in eo feciſſe*, ait. Et Lamprid. qui in *Vita Severi* ſcribit, hunc Imp. *ſtatuas ſummorum virorum in Foro Trajani collocaſſe, undique tranſlatas* &c. Sed & idem Juv. indigitat *Sat.* 10. *l.* 4. *v.* 25. ubi dicit, Romanorum prima vota divitias eſſe,

—— *Creſcant ut opes, ut maxima toto*
Noſtra ſit arca foro ——

Ad quæ verba, Senatores & ditiores in *Foro Trajano* arcas habuiſſe, atque in iis argentum & pecuniam depoſuiſſe, ut ab incendio tuta eſſet, notant Eruditi. Vide quoque infrà *Opes.*

FORUM Tranſitorium, item *Pervium*, dictum eſt Forum Divi Nervæ, in quo *ſtatuas coloſſeas vel pedeſtres nudas vel equeſtres; divis Imperatoribus locaviſſe omnibus, cum titulis & columnis æreis, quæ geſtorum ordinem continerent, exemplo Auguſti*, legitur Alex. Sev. apud Æl. Lamprid. Vide quoque Aurel. Victor. *in Nerva.*

FORUM Truentinorum Plin. *l.* 3. *c.* 15. opp. Æmiliæ excisum, apud Britinorium, & Forum Popilii, ab eo 3. mill. paſſ. diſtans, à Britinorio 1, Cujus locus adhuc *Tro* incolis nominatur.

FORUM Valentinum, Plin. *l.* 3. *c.* 5. vide *Forum Fulvii.*

FORUM Vibii, opp. Galliæ Subalpinæ, ſeu, ut ſcribit Plin. *l.* 3. *c.* 16. Galliæ Tranſpadanæ, in cujus agro Padus fluv. conditus, rurſus emergit, teſte Plin. Quod opp. Leander non ſine errore apertiſſimo *Villach* interpretatur, quæ urbs eſt Norici, in Carinthia. Eſt autem *Bibiena* nunc, opp. Pedemontanæ regionis, à Taurino ad 22. mill. paſſ. in Occaſ. Populi *Forovibienſes* Plin. Ferr. Baudr. opp. erat Taurinorum ad radices Alpium, nunc in Pedemontio. Quibuſdam nunc eſt *Bubiena*, vicus in valle Luſernæ, juxta Pelicum amnem. Brietio eſt *Caſtel Fiori*, aliis autem *Paiſana*, vicus in eo tractu, ad Padum fluv.

FORUM Ulpium, apud Jul. Capitolin. *in Marco*, *Multi nobiles bello Germanico ſive Marcomannico ---- interiêrunt, quibus omnibus ſtatuas* in Foro Ulpio *collocavit*: Idem eſt cum Foro D. Trajani. De *Foro* Caſtrorum, quod haud longè à Prætorio; de *Foro* item *Coloniarum*, in medio oppidi ſic poni ſolito, ut inde quatuor portæ Coloniæ conſpici poſſent, vide Salmaſ. *ad Solin. pag.* 670. & 671.

FORUM Voconii, Plin *l.* 3. *c.* 4. Ant. opp. Galliæ Narbonenſis, quod variè indigitant. Nam Pinetus illud *Chambery* urbem, caput Allobrogum, ſeu Sabaudiæ, interpretatur (quod potiùs eſt Civaro.) Alii *Frejus* urbem Provinciæ maritimam eſſe volunt. Sed *Frejus*, eſſe ex Antonini Itin. & ipſo Plin. neque *Chambery*, neque *Frejus*, poteſt, cùm à Foro Julio 12. ſive, ut alii codices habent, 22. mill. paſſ. ex Antonini Itin. diſtet. Conſulendi ſunt in hac re regionis periti. Ferrar. Baudr. in Provincia, nunc eſt *Draguignan*, urbs culta, intra montes, 4. leucis à Foro-Julio in Occaſ. & 6. à Fano S. Eutropii in Bor. Sanſone teſte. Hon. Bov. tamen exiſtimat fuiſſe ubi nunc opp. *le Luc*, in Provincia, 6. leucis à Fano S. Eutropii à Foro-Julio in Occaſ. 4. autem à Draguignano in Afric.

FORUM Vulcani, Strab. *l.* 5. *p.* 243. *Campi Phlegræi* Plin. *l.* 3. *c.* 9. & Solino, *la Solfortata*, locus eſt Campaniæ, apud Puteolos, inde 2. mill. paſſ. Neapolim versùs diſtans, in morem ingentis theatri ignes perpetuos emittens, & ſulphur gignens.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Fora urbis Romæ ex P. Victore.

FORUM Archimonii, ubi ædes S. Nicolai Archimonii.

FORUM Auguſti, ubi nunc templum S. Hadriani, Romano vicinum.

FORUM Boarium, ubi templum S. Georgii, inter Romanum, & Tiberim.

FORUM Cæſaris, ubi porticus eſt Fauſtinæ Aug. uxoris, Romano proximum; cujus meminit Ovid. *l.* 3. *Triſt. Eleg.* 1. *v.* 27.

——— *Hæc ſunt* fora Cæſaris, *inquit.*

FORUM Nervæ, apud Capitolium, inter ædes S. Hadriani, & S. Baſilii.

FORUM Olitorium, nunc *Piazza Montanara*, ad theatrum Marcelli, inter Capitolium, & Tiberim.

FORUM Palladium, apud Romanum, ubi ædes S. Andreæ in Pallata; cujus meminit Mart. *l.* 1. *Epigr.* 2. cujus Epigraphe ad Lectorem ubi libri venales.

Limina poſt pacis, Palladiumque Forum.

Hoc Panvinio, & Famiano Nardino teſtibus, idem eſt atque Forum Nervæ

FORUM Piſcarium, apud Tiberim fluv. & theatrum Marcelli, inter Boarium, & Olitorium.

FORUM Romanum, apud porticum Fauſtinæ, in Capitolium, & Palatinum, in quo Veſtæ templum erat.

FORUM Salluſtianum, apud hortos Salluſtianos, inter ædem S. Suſannæ, & Salariam portam.

FORUM Suarium, apud vetus Columnenſium palatium, & montem Quirinalem.

FORUM Trajani, proximum Foro Nervæ, inter Capitolium, & montem Quirinalem.

FORUS, in navibus τὸ καϑάστρωμα, frequentiùs in plur. *Fori*, & ἴκρια quoque Græcis, i.e. *tabulata*. Poeta, *Æn. l.* 4. *v.* 605.

Impleſſemque foros *flammis* ———

At de navibus Taprobaniticis Plin. *magnitudo alterna ilium ad forum*. Ubi dicere vult, plana fuiſſe illarum latera, ſicut *forum*, & ejuſdem quoque cum foro magnitudinis; uti locum explicat Salmaſ. *ad Solin. p.* 1117. Hinc vox ad Circum tranſlata; in quo *Fori* Liv. dicuntur, ἴκρια ὀρϑά ξυλίνοις σκέλεσιν ἐπιτειρόμενα, *furcis vel ſuſtentaculis ligneis impoſita ſpectacula*, in quibus ſtans promiſcuè populus cùm ſpectaret antiquitus, Tarquinius Priſcus Patribus Equitibuſque diſtincta loca attribuit, in quibus ſibi quiſque iſtiuſmodi *Foros* extrueret. Superbus poſtmodum publicâ impensâ Foros manſuros faciendos curavit, genere & formâ à prioribus non diverſos (niſi quòd iſti opere fortuito & ſine arte magis properati ac furcis ſimplicibus impoſiti eſſent) hincque *publicos* appellatos Liv. *l.* 45. qui manſerunt uſque ad extrema Reip. tempora, donec per ambitum Circi porticus ædificavit Cæſar, de quibus ſuo loco dicemus, vide quoque infrà in voce *Spectaculum*. Apud recentioris ævi, *Rerum* inprimis *Aragonicarum Scriptores*, *Forus* ſeu *Fori*, Hiſpanis *fuero*, Lex vel conſuetudo Municipalis. *Gloſſ. MSS. Fori*, *Edicta Regalia*. Marca *Hiſt. Benearn. l.* 5 *c.* 2. *n.* 12. *Foros* appellari putat, non tam Conſuetudines municipales, quàm Jus ipſum publicum, & privilegia, quibus utuntur Civitatum incolæ, cùm ea, quæ contractus, ſucceſſiones, teſtamenta & formulas judiciarias ſpectant, *Uſaticorum* & *Morum* appellatione videantur donari in vett. *Chartis*. At unum idemque has voces ſonare, cenſet C. du Freſne: qui proin *Foros* Gothicè appellatos potius vult Conſuetudines municipales, quòd jura contineant, quibus in *Foris* ſeu Judiciis uti liceat. Michaël del Molino *in Repertorio Foror. Aragon. Fori Aragonum*, inquit *dicuntur Leges, quia Legum diſpoſitionem Fororum vocabulum comprehendit*. Infrà, *Fori Aragonum dicuntur Statuta* &c. Hinc *Foriſta*, apud eundem, pro *Legiſta*, *Decretiſta*, qui *Foros* diligenter legit vel commentatus eſt. Ita autem vocat is *Dom. Niminum Petri de Salanova Juſtitiam Aragonum*; quem non ſemel laudat Hieron. Blanca, ut & Vitalem Ep. Oſcenſem de quo idem Molin. *p.* 72. & 159. Vide C. du Freſne *Gloſſ.*

FOSI, pop. Germaniæ, Cheruſcis finitimi. *Dietmerſcher* teſte Althamero. Sed aliis *Foſſewerde*, tractus Friſiæ occidentalis, ubi non longè Foſete inſ. vulgò *Amelandt*, teſte Hier. Verrutio. Baudr. Saxones, ubi nunc Ditmarſia, Holſatiæ pars. Soli Tac. memorati de Morib. Germ. *c.* 36.

FOSSA, una eſt quatuor viarum, totius Angliæ celeberrima. Vide *Icenorum ſtratum*. Item tumulus, ſepulchrum. Unde *Foſſarius* Hieronym. *l.* 7. *de Ord. Eccl.* qui mortuos curat ſepeliendos, primus in Clericis ordo. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.*

per FOSILEM Chartæ inhærentem inveſtitura, vide ſuo loco Eſt autem *Foſilis* idem cum *Ina* quod vide.

FOSSA, apud Stat. *l.* 5. *Sylv.* 3. *v.* 93. & ſeqq.

Illic Oebalio non finderet aëra diſco.
Grajorum vis ulla virium: non arva rigaret
Sudor equûm, aut putri ſonitum daret ungula foſſæ:

Locus eſt, ad equorum curſum effoſſus, & comparatus, de quo vide Barth. *Animad. ad l.* Apud Skenæum *ad Regiam Majeſt. l.* 1. *c.* 4. §. 2. ubi quædam placita criminalia pertinere dicuntur maximè ad eos, *qui habent & tenent curias ſuas cum ſocco & ſacca, furca & foſſa* &c. eſt caverna ſeu locus in terra defoſſus, aquiſque repletus, ubi feminæ furti damnatæ immerguntur. Scribit enim Spelmann. apud Scotos in uſu fuiſſe delinquentes maſculos furcâ ſuſpendere feminas puteo vel foſſæ immergere, idque privilegii habere intra dominia ſua Barones, quod *foſſæ* & *putei* vocent. Aliter vox ſumitur, apud Gervaſium Dorobern. A. C. 1195. *Menſe Decembri Juſtitiæ, qui vocantur Errantes, miſſi per Anglium à Archiep. Cantuarienſi, ſederant apud Cantuariam, totque per Miniſtros Regis, judicio aquæ mandati ſunt, vel periêrunt crimìnoſi, qui ad regiam pertinebant coronam. Qui vero ad Archiep. pertinebant, in foſſa Archiep. apud Weſtgate ſalvati ſunt. Similiter qui ad Priorem & Conventum* &c. Hic enim *Judicium aquæ frigidæ* omnino indigitari videtur. Pertinet ad *foſſæ* ſupplicium, quod ſcribit Tac. *de Mor. Germ. c.* 12. *Proditores transfugas arboribus ſuſpendunt, ignavos & imbelles & corpore infames, cœno ac palude, injecta inſuper crate, mergunt*, apud. C. du Freſne *Gloſſ.* Vide quoque infra in voce *Pœnus*. Apud Romanos vero *Foſſam* fodere, tunicis interioribus ſolutis, inſpectante reliquo exercitu, animum militaris ignominiæ fuit genus, uti videbimus infrà in voce *Milites*. Sed & *Foſſarum*, in ſtratagematis uſus, uti infrà videbimus in voce *Murices*: in ſuppliciis item gladii ſecuriſque in voce *Scrobiculus*. A *Foſſa*, orta eſt vox *Foſſatum*, apud citerioris ævi Scriptores, pro loco caſtrorum ipſiſque caſtris, quòd caſtra vallo & *foſſa* circumcingerentur, quemadmodum vox Græca τάφρος, quæ *foſſam* ſignificat, ſimiliter ad caſtra ſignificanda, hincque ad urbes, ubi caſtra olim poſita, denotanda adhibita eſt, uti vidimus. Nempe ſicut urbes ita & caſtra *foſſis* muniri ſolita. Sed & Circum veterem Romanum *foſſa* per tria latera ducta ingenti aquam admiſiſſe, diximus ſuprà ubi de *Euripis*. Agri quoque *foſſis* ſulciſque à ſe invicem diſtinguebantur, unde limites agrorum hoc nomine paſſim veniunt, apud *Agrimenſoriæ rei* Scriptores vide infra *Sulci*. Etiam unus ex tribus alveis ſeu canalibus, quibus mari Alexandriam adibatur, τάφρος i. e. *foſſa*, dictus eſt, Plin. Solin. Strab. ut videbimus infrà in voce *Poſideum*; quo nomine hodieque multis in locis maritimi portus indigitantur, *foſſis* præſertim, Græcè ὀρυχὰς, quibus χυτοὶ λιμένες oppoſiti, de quibus vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 480. qui etiam de *Foſſione vineæ*. Veterum *tripudio* ſeu pulveratione pluribus agit *p.* 512. & *ſeqq.* &c.

FOSSA Canopica; quâ navigatur Alexandriâ Canopum. Strab. & *Steph.*

FOSSA Cimbrica, quam nullam volucrem ſupervolare poſſe, ſcribit Antigonus *in Mirabilibus*.

FOSSA Clodia, vulgò *Chioza*, urbs Venet. Ep. ſub Patriarcha Veneto, in ora, inter Hadriam & Venetias, 25. m. p. Vide *Clodia Foſſa*; poſt *Clugia*.

FOSSA Clœlia, Dionyſ. Κλοιλίας τάφρους vocat. Liv. etiam plurium. *Foſſas* habet *l.* 2. ubi de C. Marcio Coriolano, *Poſtremum ad urbem à Pedo ducit, & ad Foſſas Cluilias* 5. *ab urbe m. p. caſtris poſitis populatur inde agrum Romanum*. Plutarch. *de eadem re in vita Marcii*, περὶ τὰς λεγομένας Κλοιλίας τάφρους κατεστρατοπέδευσε τεσσαράκοντα τῆς πόλεως σταδίους ἀφεστώς.

FOSSA Corbulonis, *Ieck*, teſte Ortel. fluv. Batavorum in Hollandia, à *Corbulone* ex Rheno derivatus, Tac. Ann *l.* XI. *c.* 20. ſpatio 23. m. p. Moſæ congrediens ad Crimpam pagum.

FOSSA Druſiana, fluv. Germ. infer. in ducatu Geldriæ, à *Druſo* ex Rheno derivatus, vulgo *Yſel*, vel *Yſſel* Tac. Ann. *l.* 2. *c.* 8. Ort. Verius pars Rheni, in Iſalam foſſâ deducta, ad Druſoburgum, vulgò *Doesburg Ferr.*

FOSSA Magna, Græcè Τάφρος μεγάλη, it. ſimpliciter *Foſſa*, locus Meſſeniorum clade nobilis. Tertio enim belli Meſſeniaci II. defectionis autem 4. Anno 3. Olymp. 24. prælio inter Meſſenios ac Lacedæmonios inſtante cùm Arcades Meſſeniis auxilia tuliſſent, Ariſtocrates Arcadum Rex ab Lacedæmoniis pecunia corruptus, cùm jam iniretur prælium, Arcadibus abductis, Meſſeniis lævum cornu & aciem mediam nudavit: quos ſic deſtitutos Spartani agmine circumdato cingunt & periculo minimo victoriam ſibi vindicant. Hinc itaque Ariſtomenes, reliquis prælii collectis, in Eiran montem ſe recepit, de qua re vide in hac voce, plura verò apud Pauſ. *in Meſſeniacis*.

FOSSA Mariana, Ptol. Gall. Narbon. urbs, ad alterum ex Rhodani oſtiis ſita, ita dicta à *Foſſa propinqua*, quam Marius ex Rhodano duxit in viciniam. Strab. *l.* 4. *p.* 183. Gallicè *Aigues mortes*. Baudr. nunc vicus *Fos*, in Prov. in ora maris Mediter. 1. leuc. à Maritima, & ſinu Aſtromela, in Occ. verſus oſtia Rhodani, à quibus 3. leuc. diſtat in Ort. prope Campos lapideos.

FOSSA Meſſanicia, nunc *Canal di S. Alberto*, locus, quo naves ex Pado in mare Ravennam uſque, per Paduſam paludem deducuntur.

FOSSA Neronis, *Licola*, teſte Sanfelicio, foſſa, quam Nero ex ſinu Bajano Hoſtiam uſque perducere tentavit.

FOSSA Nova, Monaſter. Ord. Ciſtercienſis, in Latio, 50. m. p. Româ. Hic obiit Thomas Aquinas. In planitie, ad pedes montium. Vix. 2. mill. à Priverno, totidem a Paludibus Pontinis, in via Româ Neapolim verſus.

FOSSA Serpentis, vide ſuprà *Canales*.

FOSSÆ, locus Galliæ, in Gallia Narbonenſi olim, hodie in Provincia, vulgò *Fos*, à Foſſis Marianis proximis nomen accepiſſe videtur Certè *Geſta* Dagoberti circa A. C. 950. compoſita in capitulo 18. quum *Maſſiliam*, *Foſſas*, *Valentiam Lugdunumque* junctim commemorant, *Foſſarum* nomine vicum iſtum *Fos*, haud dubiè deſignant. Ab eo dictus eſt, ager *Foſſenſis*, vulgò *terroir de Fos*, proximus Maritimæ quàm vulgò *Martigiam* vacant. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* in voce *Maritima Avaticorum*. Idem nomen fuit loco ac Monaſterio, inter Caſtellum *Chaſtelet* & Namurcum ſito, in diœceſi Leodienſi, ad fluviol. Gervernam, non procul à fluv. Sabi: qui *Foſſ* vulgò nuncupatur, aliàs *Foſſe*, cùm melius *Foſſes* diceretur. Nomen à ſitu habet, & *Voſſuenſe* Monaſterium olim appellatus eſt. Vide *Voſſuenſe Mon.*

FOSSÆ Papyrianæ, Tuſcorum civitas. Ptol. *Foſdinovo* nunc, ſub proprio March. 3. mill. à Macra fluv. 4. à Sarzana in Cæc. inter Apuam, & Maſſam.

FOSSÆ Philiſtinæ, unum ex Padi oſtiis, *Foſſone*. Tacit. *Hiſt. l.* 3. *c.* 9. *Tartarus* fluv. nunc etiam interius *Tartaro*, qui unà cum Atheſi exit in mare.

FOSSANUM, urbs Pedemontii, ad Sturam amn. media inter Salutium ad Occ. & Mont. Regalem ad Eur. 9. mill. utrinque diſtans:

FOSSARII, al. *Copiatæ*, it. *Laborantes*. Vide *ibi*.

FOSSATUM, oppid. dit. Pont. in Marchia Anconitana, in Apennino & confin. Duc. Urbini, 12. mill. ab Eugubio in Eur. 14. à Saxoferrato in Auſtr.

FOSSATUM, vulgari ſignificatione *foſſam*, nobiliore caſtrenſem, atque illam maximè, quâ caſtra Imperatoria circumcluduntur, denotat. Hinc & pro ipſis caſtris ſumitur. Duplex autem Imperatori ſtatio erat, Domeſtica & Extera: illa Palatium, hæc *Foſſatum*, utraque Imp. comitatum, prior aulicum, poſterior caſtrenſem continebat. Utrique præfuit Magnus Domeſticus quem Galli poſtea *Majorem Domus*, Angli *Magnum Seneſcallum* appellarunt. *Foſſati* conſtitutio è Curopalate talis erat: Præfectus, inquit, exercitus caſtrorum ſedem, ſed dijudicante Megadomeſtico, luſtrat, & eligit. Cooptato deinceps Imperatori loco, decernit Megadomeſticus, quinam à fronte, quinam à tergo, quinam à lateribus debeant conſiſtere: & ubinam ſingulorum Principum vexilla ſtatuenda fuerint. Manent autem hæc omnia contis, & thecis ſuis involuta, donec explicentur Imperatoria, Megadomeſtico tamen ſua etiam priùs explicare licet. Priuſquàm verò conſidet Exercitus: excubiarum præfectus ſeu Drungarius biglæ, mandato Megadomeſtici, vigilias diſponit: Diurno tempori ſagittarios, nocturno equites, quibus certas ſtationes attribuit. Vigilias omnes obeunt, etiam ipſi Imp. filii, quia partes ſunt *Foſſati*: non tamen Megadomeſticus, quia ipſe univerſi Princeps eſt & caput, teneturque ubique, prout fert occaſio, protinus adeſſe, ne hoſte ſubitò irruente, exercitus ſine Duce deprehendatur. Pro ipſis nonnunquam militibus, & toto exercitu quoque vox *Foſſati* ſumitur. Inde *Foſſatum* leve, manus militum levi armaturâ inſtructa, &c. Vide Hent. Spelm. *Gloſſ. Arch.*

FOSSINIACENSIS Tractus, vide *Focunates*.

FOSSIUS Flaccinator, vide *Marcus*.

FOSSORES, infimum Servorum genus, quos compeditos fuiſſe docet Juv. *Sat.* 11. *l.* 4. *v.* 79.

Ipſe focis brevibus ponebat oluſcula, quæ nunc
Squallidus in magna faſtidit compede Foſſor.

Eorum domicilium Ergaſtulum fuit, quod quindecim vincti conſtituebant, ſi Appulejo *Apol.* credimus. Juv. *Sat.* 14. *l.* 5. *v.* 23.

Quid ſuadet juveni lætus ſtridore catenæ,
Quem mirè afficiunt inſcripta Ergaſtula, carcer
Ruſticus?

His præerat *Ergaſtulus*, ut appellat Nonius, vel *Ergaſtularius*, ut vocat Columella. Ennus ſanè Dux ille nobilis fugitivorum in Sicilia, Ergaſtularius ſervus fuit, teſte Amm. Marcell. *l.* 14. *c.* XI. Eorum opus *fodere* fuit, unde nomen: ideoque Horat. *l.* 3. *Carm. Ode* 18. *v. ult.* *Inviſam terram Foſſori* canit. Ex numero illorum Eutyches, Victorinus & Maro martyres: Nerei & Achillei conſervi, quos Aurelianus à Nerva Cæſare, ſibi donatos, tanquam ſervos ſuos, per ſua prædia diviſit, *juſſitque eos totâ die terram fodere, & cantabrum edere ad veſperam*, i. e. furfuraceum panem, ac canino more, nedum ſervili, tractari præcepit. Quò reſpexit Juv. *Sat.* 5 *l.* 1. *v.* 10.

——— *Cum poſcis honeſtius illic*
Et tremere & ſordes farris mordere canini?

Et Suet. forſan *Ner. Claud. c.* 48. *Panem quidem ſordidum oblatum aſpernatus eſt*, dicens. *Foſſoris* imago cernitur in antiqua ærea icuncula, cujus exemplar habes apud Laur. Pignor. *l. de Servis p.* 262. *Caput cætera glabrum, niſi quâ à vertice in occiput capilli, in geminum nodum conſtricti dependere videntur.* Jam verò, cuculli ſagati forma, quæ in ea cernitur, habitum indicat operariorum ruſticorum, qui alioqui tunicâ induebantur, Cato *Tit.* 59. Et hi quidem ſemiraſi fuêrunt, velut etiam Uſtores & Piſtrinarii. At fugitivi omnino raſi. Et quia reditus agrorum non raro lapidicinis, cretifodinis, arenariis, auri, argenti, ſulphuris venis conſtabat; ideò adhibebantur huic operæ homines vincti, qui cæderent, *foderent*, emerent. Et quidem Athen. narrat, Niciam Nicerati mille ſervos locaſſe ad fodinas argentarias, *l.* 6. *p.* 231. Cæſares certè, ad quos vectigalia & portoria lapidicinarum pertinebant, peculiares miniſtros, qui hæc procurarent, conſtituiſſe, ex elogiis aliquot ſepulchralibus patet. Sub Impp. Ethnicis piorum habitacula plerumque hæc loca fuêre, reperitque Clemens Pontifex Cherſoneſum deportatus 2000. Chriſtianorum ibi ad ſecanda marmora damnatorum: Fuit autem pœnæ appendix ferri candentis inuſtio, vel in pede vel in facie, vel in alia corporis parte. Quoniam verò plerumque Ergaſtulorum domini liberos & ſervos promiſcuè ſupprimebant, ideò conſuevêrunt Principes Ergaſtula *recognoſcere*, ut fecit Aug. Suet. *c.* 32. *repurgare*, ut in Tib. Ner. *c.* 8. *tollere*, ut Hadrian. apud Spartian. Vide Pignor. *Opere ſupra laudato*, ut & infrà *Latomia*. At *Foſſores*, in *Actis* Proconſularibus, quæ recitat Auguſtin. *contra Creſcon. l.* 3. *c.* 29. & *Ep.* 241. dicuntur, qui aliis *Foſſarii* appellati, humandis corporibus operam navabant, ultimique collocantur in Ordine Eccleſiaſtico, in *Notis* Tyronis *p.* 99. Κοπιαταὶ & Κοπιῶντες Græcis, in *Ep.* Ignatio adſcripta ad Antiochenos &c. Vide in voce *Copiatæ*, it. *Foſſa*.

FOSTÆ & Jovis ſtatuæ, à Vigberto Anglo everſæ, ipſeque à Radbodo Friſonum Rege propterea occiſus eſt. Ubbo Emmius *Hiſt. Friſ.*

FOVEIS maximè Leones capi, Plin. docet *l.* 8. *c.* 16. quò reſpicit Ezech. *c.* 19. *v.* 2. ubi Joſiæ filios & ſucceſſores Joachazum & Joachimum, Propheta eleganti allegoriâ confert cum leunculis, qui cùm prædari & rapto vivere jam inciperent, in venatorum *foveas* & caſſes incidêrunt. Modum capiendi ſic deſcribit Xenoph. Ezechiele duobus ad ſummum ſeculis poſterior, *l. de Venat.* Ἔστι δὲ ἐν αὐτῶν καὶ ὀρύγματα, ποιοῦσι, περιφερῆ, μεγάλα, βαθεῖαν ἐν μέσῳ λείποντες κίονα τῆς γῆς. Ἐπὶ δὲ τοῦτον εἰς νύκτα ἐπέθεσαν δήσαντες αἶγα καὶ ἔφραξαν κύκλῳ τὸ ὄρυγμα ὕλῃ, ὥστε μὴ προορᾶν εἴσοδον οὐ λείποντες. Τὰ δὲ, ἀκούοντα τῆς φωνῆς ἐν τῇ νυκτί, κύκλῳ τὸν φραγμὸν περιθέουσι καὶ ἐπειδὰν μὴ εὑρίσκῃ δίοδον, ὑπερπηδᾷ καὶ ἁλίσκεται. *Sunt etiam* (è *feris*) *quibus* foveas *magnas in orbem ducunt, profundam in medio relinquentes terræ columnam, cui capram ſub noctem religatam imponunt & foveam ramis circumſepiunt, ne videatur, nullo aditu relicto. Illæ autem auditâ per noctem voce, ſepem obambulant, &, ubi tranſitum non inveniunt, tranſiliunt & capiuntur.* Quod idem venationis genus Arabibus hodieque notiſſimum eſt, qui *foveam* talem *Zubia*, ſeu *Zubiathon* & hædum ad columnam appenſum, *Aljaaro* appellant. Meminit iſtiuſmodi *foveæ*, Stat. quoque *l.* 2. *Sylv.* 5. *v.* 9. de manſueto leone Domitiani,

Non formidato ſupra venabula ſaltu
Incitus, aut cœco foveæ *deceptus hiatu*

Claud. *foveæ & hædi, in* 2. Conſ. Stilich. Carm. 24. *v.* 139. & ſeqq. de Dianæ leonibus,

Non illos tædæ ardentes, non ſtrata supernè.
Lapſuro virgulta ſolo, non vocibus hædi
Pendentis ſtimulata fames, non foſſa *fefellit.*
Ultro ſe voluêre capi, gaudentque videri
Tantæ præda Deæ.

Sed nemo pluribus eam deſcribit Oppiano *Cynegetic. l.* 4. quem vide, ut & plura hanc in rem apud Sam. Bochart. *Hierozoici part. prior. l.* 3. *c.* 4. qui de *Foveis* quoque Vulpium quædam obſervatu digna adnotavit, *l. eod. c.* 23. uti de Sacerdote Sicyoniorum, cum Ventis ſacra faceret, ad quatuor *foveas* arcana quædam continentes, infrà in voce *Sicyoniis* de pauperibus in *foveas* olim abjectis, poſt obitum dicemus itid. infrà in voce *Piſciculi*. Vide quoque hîc in vocibus *Cœadas Podagræ*.

FOXIA ſeu de FOIX, nomen illuſtriſſimæ in Gallia Familiæ, ex Carcaſſoniæ Comitibus ortæ: in quibus Bernardus Com. *de Conſerans & de Foix* celebratur A. C. 1062. Hæreditatem Vicecomitatus Benearnenſis attulit marito Rogerio Bernardo Margareta, Gaſtonis Vicecomitis filia. Ultimus verò maſculus legitimus (nam à fratre ejus naturali Bernardo, familia Cerdana Ducum *de Medina Celi* oriunda, adhuc ſupereſt, vide ſuprà *la Cerda*) fuit Gaſto Phœbus Princ. Benearnenſis, ſeu potiùs ejus Pater Gaſto Phœbus mortuus A. C. 1390. Inde nova familia in nomen *Foxium* ſucceſſit, Dominorum *de Greilley* in agro Gexenſi & *de Rolle*. Nam cùm Erchembaldus Captalis *de Buch* duxiſſet Iſabellam, filiam Rogerii Bernardi Foxii, Vice-Com. *de Caſtelbon*, ſucceſſionis illius jus domui illatum eſt. Hujus duo inprimis filii fuêre Joh. *Com. de Foix* Vice-Com. Benearnenſis & Gaſto Captalis *de Buch*: quorum prior Gaſtonem & Petrum genuit; illum reliquorum *Foxenſium*, Comitum & Vice-Comitum Benearnenſium, qui tandem regio Navarræ axiomate ornati ſunt, & in Gaſtone ac Germana (de quibus paulo pòſt) defecêrunt, auctorem, hunc Vice-Comitum *de Lautrec*, Dominorum *de l'Eſcun & d'Eſparre*, patrem. Poſterior novam lineam orſus eſt, genitis inter alios Gaſtone Com. Candaliæ (Candaliorum cæterorum, quorum poſteritas dein tranſmiſſa eſt ad Eſpernonios Valettanos, *de Meille*re) atque Joh. à quo hodierni Comites *de Gurſon*, *de* ... *de Flaix*, March. *de Trans* oriuntur. Præter hos, qui ex familia Deveſia (Joh. XXII. Papæ) orti, *Carmanium* nomen aſſumpſêre, *Foxium* etiam cognomen, ex pacto matrimonii Joh. Vice-Comitis *de Carmain* atque Iſabellæ Foxiæ aſcivêrunt. Redeo ad Gaſtonem & Germanum præfatos; horum progenitores quod attinet, Joh. Dn. *de Greilley* Vice-Com. *de Benauges*, ex Blanca, filia Gaſtonis Com. *de Foix* Vice-Com. *de Bearn*, genuit Petrum; cujus ex Reſſenburgi & *Perigord* fil. Archibaldus Dn. *de Greilley*, obiit. A. C. 1413. Pater ex Iſabella *de Foix*, filia Rogerii Bernardi Vice-Com. *de Caſtelbon*, Joh. Com. *de Foix* Princ. *de Bearn*; qui defunctus A. C. 1436. ex Johanna Albretana, reliquit Gaſtonem Com. *de Foix* & *Bigorre* Princ. Benearni: quo & Eleonorâ Navarræ Reginâ (fil. Joh. Rex Aragoniæ & Navarræ) genitus Joh. Com. *de Foix* Vice-Com. Narbonenſis obiit A. C. 1493. Pater, ex Maria Aurelianenſi Com. Stampenſi, Gaſtonis *de Foix* Duc. Nemoroſii (qui prælio ad Ravennam victor obiit A. C. 1512.) & Germanæ (ux. Ferdinandi Catholici Aragoniæ & Hiſpaniæ Regis primò; exinde Joh. Marchionis Brandenburgici; tandem Ferdinandi Aragonici Ducis Calabriæ) &c. Iidem *de Foix* quoque appellati ſunt; imò & *Fluſſatum* familia dicta reperitur. Vide Phil. Jac. Spener. *Theat. Nobil. Eur. Part.* 2. *p.* 10. *& in Ind.* ut & in voce *Foxium*.

FOURNIVALIUS Richardus, vide *Richardus*.

FOXIUM, urbs Galliæ in Occitania, & diœc. Apamienſi, Comitatus cognom. caput. Familiæ origo fuit ex Comitibus Barcinonenſibus, teſte Froiſſardo, primuſque Comitis titulum Bernardus geſſit, A. C. 1062. Poſteà Rogerius Bernardus, ductâ Margaretâ hærede Benearnenſis familiæ, Comitatum nactus eſt, A. C. 1286. Matthæus Foxius, Gaſton Foxius, belli fulmen, ſub Ludov. XII. inclytum, aliique illuſtres viri inde prodiêrunt. Acceſſit ſplendori veritatis agnitio, & fidelium, bello Albigenſi, defenſorum decus, unde Concilio hîc opus A. C. 1226. quo Cardinalis S. Angeli, ab Honorio III. miſſus Comitem cum ſede Pontificia conciliare annisus eſt. Vide Duchenium *rech. des antiq. de France*, Perrer. *Ann. de Foix*, Olhag...

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Olhagaray *Hiſt. de Foix*, Oihenartum, de Marca, &c. & infrà in voce *Fuxium*.

FOXIUS Franciſcus, vide *Foxius*.

FOXIUS Paulus, vide *Paulus*.

FOXIUS Petrus, vide *Petrus*.

FOZANIUS Franciſcus, vide *Franciſcus*.

FR. in notis antiqq. *frontes* vel *fratres*, vel *forum* ſignificat. F.R. *Forum Romanum* vel *finium regundorum* &c.

FRACASTORIUS Hieronymus, Veronenſis, Philoſophus, Aſtronomus & Medicus celebris hic gratuitus monuit Tridentini Conc. Patres ut, ob imminentem peſtem, Bononiam illud transferrent. Quod factum, & Seſſio 9. ibi, d. 21. April. A. C. 1547. habita eſt. Thuan. *Hiſt. l.* 4. Poëſi inprimis excelluit, hinc à Jul. Cæſ. Scalig. carmine, quod inſcripſit *Aræ Fracaſtoriæ*, celebratus, & à civibus poſt mortem ſtatuâ marmoreâ excultus. Ipſe Sannazarius non Joh. Joviano Pontano eum ſolùm, ſed & ſibi ipſi, anteponit, aliàs ſatis in aliis laudandis parcus: inprimis viſâ ejus *Siphilide*, quam tribus libb. digeſſit Fracaſtorius, eò permotus. Reliqua ejus opera, habes apud Anton. Teiſſier *Part.* 1. *Elog.* Obiit A. C. 1553. Æt. 70. plura apud Auctorem *Vitæ ejus*, Sixtum Sen. *Biblioth.* Jul. Scalig. *Poëtices l.* 6. Voſſ. *de Math. p.* 395. Alios.

FRACTA Vallis, vulgò *Freteval*, municipium Galliæ non obſcurum, in Carnutibus, inter Caſtrum Duni, & Vindocinum, ad ripas Liderici vel Ledi fluv. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

FRACTILATA Veſtis, apud Joh. Buſchium in *Chron. Windeſem. l.* 2. *c.* 47. & 49. dicitur conciſa, latiſſimis rimis & & hiantibus, cujuſmodi æſtivo tempore hodieque nonnulli thoraces geſtant, adeò feneſtratos & hiantes, ut ſeminudi ferè appareant, vel certè, ut Chryſologus loquitur, *artificioſa nuditate veſtiti*. Cujuſmodi fiſſuras enormes, ex Clericis præſertim, acriter perſtringit Bernardus *de Conſid. l.* 3. *c.* 5. proſcriptas quoque à Vilhelmo Ep. Colon. A. C. 1360. C. du Freſne *Gloſſ.*

FRACTOR, inter Hebræorum miniſtros convivales, vide ſuprà.

FRÆNUM, vide infrà *Freni*.

FRAGA, opp. Aragoniæ, ad Cincam fluv. in limite Cataloniæ, 4. leuc. ab Ilerda in Occ. cum caſtro ſatis munito. Vide *Gallica Flavia*, ſeu *Flaviæ Gall.*

FRAGA, unedoni congenera, memorantur Plin. *l.* 15. *c.* 24. *Aliud corpus terreſtribus* fragis, *aliud congeneri eorum unedoni: quod ſolum pomum ſimile frutici terræque gignitur.* Fruticum ſc. & arborum fructus in alto, non humi gignuntur, ut herbarum, quarum fructus in terra fuſi, ideo terræ & frutici ſimile pomum gigni dicit, fraga & unedones. Sic ἐγγείους καρποὺς ἀπὸ τῶν δενδριτῶν Græci ſeparant, unde *fraga terreſtria*. Hinc fraga & unedonem eodem nomine appellant iidem, μιμαίκυλα ea vocitantes, quod *fragis* tamen peculiariter competit. Unde propter ſimilitudinem id communicatum poſtea & fructui arboris, quam Græci κόμαρον vocant, uti videre eſt, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 511. Cæterùm Melchiorem Duc. Brunſvic. fratrem Othonis Neapolitani Regis, *fragorum* nimio uſu interiiſſe, habes apud Crantzium *Vandaliæ l.* 9. *c.* 9.

FRAGMEN, apud Virg. *Æn. l.* 12. *v.* 740.

——— mucro
Diſſiluit, fulva reſplendent fragmina *arena*:

Idem cum fragmento. Cujuſmodi *Saxorum fragmina* inter Vett. arma eidem memorantur *l.* 10. *v.* 698.

Sed Latagum ſaxo, atque ingenti fragmine *montis*
Occupat os faciemque adverſam ———

Stat. item *Theb. l.* 7. *v.* 430.

——— *magno cum* fragmine *ripæ*
Cunctantem dejecit equum &c.

Vide infrà ubi de *Molaribus*. Sed & *fragmentis ſaxorum* excruciatos Martyres, qui illis nudi incumbere cogebantur, quorumque vulnera iis refricabantur, dicemus infrà in voce *Teſta*. In Claud. Tib. Imp. *fragmina panis*, contumeliæ causâ conjecta legimus *in eo*, apud Suet. *c.* 18.

FRAGOR, apud eundem Poëtam *Theb. l* 8. *v.* 41. ubi de funere Archemori, matriſque ac famularum ejus luctu,

Sic alium ex alio, quanquam laſſata fragorem
Pectora congeminant, integratoque reſultant
Accenſæ clamore fores ———

ſonus eſt planctus & verberatorum corporum, vet. Scholiaſti: quem in funere charorum lacertis pectora pertundentes Matres edebant. Uti de luctu pariter Virg. *Æn. l.* 11. *v.* 213. & ſeqq.

Jam verò in tectis prædivitis urbe Latini
Præcipuus fragor *& longè pars maxima luctus.*
Hic matres miſeræque nurus, hic chara ſororum
Pectora mœrentum, puerique parentibus orbi
Dirum execrantur bellum ———

Quo de ritu infrà dicemus latiùs. Hinc ſonus armorum concrepantium *fragor æreus* eidem Stat. *Theb. l.* 8. *v.* 343.

——— *Jam ſævos* fragor æreus *excitat enſes.*

Quo pugnandi cupiditatem & ardorem milites teſtatum facere conſuevêre; more Helvetiis inprimis ſolenni, ut ex Thuano diſcimus, ubi Caroli IX. hiſtoriam exſequitur, Meldis diſceſſum Lutetiam Parantis &c.

FRAMEA, quibuſdam à *premo*, quaſi *pramea*: aliis à *foro*, quaſi *foramea*, nonnullis à *fremo*, tanquam *fremea*, rectiùs à πείρω, *trapicio*, unde πέρωμα *trapêlus*; teli genus erat apud Gallos olim Germanoſque uſitatum. Tac. *de mor. Germ. c.* 6. & XI. *Haſtas, vel ipſorum vocabulo*, Frameas *gerunt, anguſto & brevi ferro, ſed ita acri & ad uſum habili, ut eodem telo, prout ratio poſcit, vel cominus vel eminus pugnent.* Et paulò poſt, *Tum in ipſo concilio vel Principum aliquis, vel pater, vel propinquus, ſcuto frameaque juvenem ornant.* Juv. *Sat.* 13. *l.* 5. *v.* 79.

Et Martis frameam, *& Cyrrhæi ſpicula vatis.*

Iſid. verò non haſtam, ſed gladium ex utraque parte acutum fuiſſe ait: quod eruditis conciliandum relinquit Dempſter. *Antiqq. Rom. l.* 10. *Roſini Paralip. ad c.* 10. Reliquiæ nominis manent in Germanica Belgicaque lingua, quando inſtrumentum acutum, etſi in alium uſum *Friem* & *Prum* vocant. Jac. Oiſel. *Notis in A. Gell. l.* 10. *c.* 25.

de FRAMENSPERG Rodolphus, vide *Rodolphus*.

FRANCAVILLA, nomen illuſtris in Hiſpania Familiæ, quæ Mendoziæ ſtirpis ramus eſt. Inicus enim Lopezius *de Mendoza*, qui A. C. 1445. primus *Comes del Real de Manzanares* & *March. de Santillana* creatus eſt, cùm ſeptem habuiſſet filios, quintus eorum Petrus Gonſalus de Mendoza Cardin. & Archiep. Toleranæ Eccleſiæ præfuit. Sed ex liberis ipſius Rodericus Marchio *del Cenete* creatus dignitatem per filiam, ad primarium truncum Ducum *de Infantadgo* tranſmiſit; alter Didacus Hurtadus Com. *de Melito* factus, poſteros habuit Principes de Melito ac Duces *Francavillæ* (qui tituli cum Mendozio epitheto deinceps in familia *de Sylva* Ducibus Paſtranæ accrevêrunt, ut mox videbimus) & cum agnomine *de la Cerda* addito Comites *de Gelves*. Vide eundem Spener. *Ibid. in Indic.* Præfatus verò Didacus, Hurtadus Princ. de Melito *Dux Francavillæ*, cùm ex Catharina *de Silva* Annam *de Mendoza* & *de la Cerda* genuiſſet, illa ex Ruis Gomeſio *de Sylva D. de Paſtrana* Princ. *Eboli*, Rodericum genuit Gomeſium *de Silva & Mendoza Duc.* de *Paſtrana & Francavilla* Pr. *de Melito*: quo & Anna *de Portugallia & Borgia* natus Ruis Gomeſius, præter paternos titulos, March. *de Algezilla*, ex Eleonora Mauricia *de Sotomajor*, ſuſcepit Mariam, Rodericum & Annam Mariam. Idem *p* 52.

FRANCFORDIA, vide *Francofurtum*.

FRANCI, pop. Germ. quorum reg *Franconia*, ampla, quæ & Francia Orientalis, ad Gallicæ Franciæ diſcrimen, nominatur; qui in Galliam trajicientes, illi nomen Franciæ indidêrunt, fuêruntque propterea Galli deinceps *Franceſi* dicti apud Italos, & alios. Fuêrunt & *Franci* in Germ. inferiori, priùs Sicambri, Oroſio teſte; quorum opp. adhuc *Franken* in ducatu Bergenſi durat, ſeu in Comitatu Marchenſi, teſte H. Junio. in Friſia quoque habitaſſe Francos teſtatur Procop. ubi *Franeker* urbs. Horum meminit Claud. *de Laud. Stil. l.* 2. *Carm.* 22. *v.* 243.

Qui mihi Germanos ſolus Francoſque *ſubegit.*

Baudr. *Franci* comprehendebant Bructeros, Chaucos, Chamavos, Cheruſcos, Chattos, Anſivarios, Dulgibinos, Chaſſuarios, Agrinvarios, Salios, Tencteros, & Uſipios ſeu Uſipetes, ex Cluv. occupaveruntque totum tractum, à mari ad Rhenum, Imp. Rom. jam præcipitante. Hadr. Valeſ. *Franci*, omnium Germ. gentium clariſſimi, primas trans Rhenum ſedes habuêrunt: quorum regio *Francia* appellata, nonnunquam communi vocabulo *Germania*, *Sicambria* quoque, atque à Romanis *Barbaria*; habebat ab Or. Toringiam & Saxoniam, ab Occ. Rhenum, & Oceanum, à Sept. ibidem Oceanum German. vel Septentrionalem, à Mer. Alamanniam, & Sueviam, ſive amnem Lonam. Ex his Rhenum accolebant Artuarii, Bructeri, & Chamavi, cum Saliis: Oceani littora tenebant Friſii, & Cauci. Interiora terrarum habitabant Amſivarii, Catti, aliique, omnes in unum *Franci* vocati, & nonnunquam *Sicambri*, quòd veterum Sicambrorum agros poſſiderent. Hujus *Franciæ* meminêrunt Eumenius *in Panegyr.* Auſon. *in Moſella v.* 434.

Accedent vires, quas Francia, *quaſque Chamaves*,

Amm. Marcell. *l.* 17. *c.* 8. Claud. Hieronym. Alii. Proſper item *in Chron.* quum Faramundum, Clodium, & Meroveum regnaſſe in Francia tradit. Poſtmodùm cùm Franci tres Galliarum Provincias, Belgicam, Lugdunenſem, & Aquitaniam occupaviſſent, bifariam eas diviſêre, & partem quæ orientem Solem ſpectat, & Rheno ac Moſa atque Scalde continetur, *Auſtriam*; partem quæ ad occaſum Solis vergit, & à Moſa ad Ligerim pertinet, *Neuſtriam* appellavêrunt. *Burgundiæ*, & *Aquitaniæ* ſua nomina ſervata. *Septimaniæ* quoque vel *Gothiæ*, atque *Provinciæ*, poſtquam utraque regio Regno Francorum acceſſit, vetera vocabula ſunt relicta: ut Aimoinus *in Præfatione Hiſt. Franciæ c.* 4. ante Annos 650. Hugo Floriacenſis Monachus *in l.* 3. *Hiſt. Eccleſiaſticæ*, Sigebertus *in Vita Sigiberti junioris Auſtraſiorum Regis*, aliique ſcribunt. Sed licèt Auſtraſii, & Neuſtraſii ex æquo *Franci* eſſent atque vocarentur, Auſtria & Neuſtria ex æquo *Francia* eſſet atque vocari ſoleret; tamen in Geſtis Regum Francorum & in Appendice Chronici Fredegarii Neuſtraſii ſæpiſſimè *Franci* appellari, & ab *Auſtraſiis* eo nomine diſtingui ſolent: quaſi Francorum appellatio Neuſtraſiis magis quàm Auſtraſiis conveniret: Circa principatum Caroli Magni, cùm Neuſtria, quæ à Moſa ad Ligerim hactenus pertinuerat, imminuta, & Sequanâ ac Ligeri clauſa eſſet; regio inter Sequanam, & Moſam jacens, quæ Neuſtriæ portio exſtiterat, *Francia* dici occœpit. Eandem Ludov. Pius Aug. ejus fil. in diviſione Regni inter filios, *mediam Franciam* videtur vocaviſſe, quòd media jaceret inter veteris ac propriè dictæ Franciæ ambas provincias, Neuſtriam jam imminutam, & Auſtriam: ubi hodièque eſt *Inſ. Franciæ*, *l'Iſle de France*, & regiuncula

uncula circa Monaſterium S. Dionyſii, & Argentoilum *Francia* nuncupata, *la France*, veteris totius provinciæ nominis certiſſimum argumentum. Poſt mortem Ludovici Pii Aug. A. C. 843. tres ejus filii, Lotharius, Ludovicus, & Carolus Regnum paternum inter ſe diviſêre. Et Carolo quidem Occidentalia Regna ceſſêrunt, h. e. vetus Neuſtria ſeu Occidentalis *Francia*, à Moſa ad Ligerim, & Oceanum Britannicum, cum Aquitania tota, Septimania, & parte Burgundiæ; Ludovicus Orientalia Regna obtinuit, nimirum totam uſque ad Rhenum Germaniam, Norico ſeu Bajoariæ ſuæ adjungendam & citra Rhenum Nemetas, Vangionas, ac Mogontiacum urbes cum ſuo quamque pago: vini copia nobiles: Lotharius, qui major natu ac Imp. erat, & Regnum Langobardorum atque Romam jam tenebat, medium inter utroſque Regnum ſortitus eſt, partem Burgundiæ, atque Provinciam. Provinciæ quas accepit, ab Or. Rheno, & Alpibus, ab Occid. Scaldi & Moſa, Arari & Rhodano, à Mer. mari Gallico terminabantur. Tum Auſtriæ & Neuſtriæ nomina paulatim aboleri cœpêre, & in uſu eſſe deſiêre. Carolus cognomine Calvus ejuſque ſucceſſores *Reges Francorum Occidentalium* dicti; eorum Regnum, *Francia Occidentalis*; eorum ditioni ſubjecti *Franci Occidentales*: Ludovicus ejuſque ſucceſſores, etiam poſt occupatum Lotharii regnum, *Reges Francorum Orientalium* nuncupati; eorum regio *Francia Orientalis*; incolæ, *Franci Orientales*, multo latiùs *Franciæ Orientalis* quàm veteris *Auſtriæ*; & *Franciæ Occidentalis* quàm priſcæ *Neuſtriæ* appellatione diffuſâ. Luitprand. *in l.* 1. *c.* 6. Franciam Occidentalem ſemel atque iterum vocat *Franciam Romanam*, & abſolutè *Franciam*; Wippo *in Vita Chunradi Aug. Franciam Latinam*, de Erneſto ad Odonem Comitem confugiente loquens. Bruno quoque *de bello Saxonico*, Philippum ejus nominis primum Francorum Occidentalium Regem, *Latinæ Franciæ* Regem appellavit, i. e. Franciæ Romanæ ſeu Gallicæ, lingua Romana ſeu Latina corrupta vulgarive, nimirum Gallica utentis. *Linguam* autem *Romanam* Nithardus opponit *Linguæ Teudiſcæ*, vel ut Frodoard. loquitur, *Teotiſcæ linguæ*: & *linguam Romanam* Francis Galliam incolentibus tribuit; *linguam Teudiſcam*, i. e. *Teutonicam* Germanicamve Tranſrhenanis: & *in Vita S. Bernardi* Franci Occidentales *populus linguæ Romanæ* appellantur. *In Chronico Laureſhamenſi* eadem ratione *Gallicana Francia* dicitur noſtra, & *Rutpertus Rex Gallicanæ Franciæ*, Henrico Saxone apud Ortivos Francos Germanoſque regnante, h. e. Rotbertus Regis Caroli æmulus, pater Hugonis Magni avus Hugonis Regis. Appendix Reginonis Regnum Occidentalium Francorum in A. C. 921. *Franciam ſuperiorem*, in A. C. 939. *Galliam Romanam* vocat, i. e. Galuvaliam ſeu Galliam lingua Romana ſeu Gallica corrupta utentem; cùm Franci Ortivi intra Gallias plerique Germanicè loquerentur. Frodoard. more cæterorum ſcriptorum Gall. Franciam Occiduam ſeu noſtram ſemper *Franciam* abſolutè vocat, & in A. C. 954. *Burgundiam*, & *Aquitaniam* partes ejus facit; Reges verò Orientalis Franciæ ſive Germaniæ Henricum, & Ottonem, *Reges Tranſrhenenſes* appellat, licet Regnum Lotharienſe amplum, & nobile citra Rhenum obtinerent. Auctor etiam libri *de Vita Ludov. Pii Aug.* in A. C. 829. *Franciam Germaniæ*, & *Francos Germanis*; in A. C. 833. *Franciam* unà cum Burgundia, & Aquitania Germaniæ opponit his verbis, *Populi tam Franciæ quàm Burgundiæ, nec non Aquitaniæ, ſed & Germaniæ coëuntes, de Imp. infortunio querebantur.* Ubi *Francia* dicitur Neuſtria, & Auſtria: nomine *Germaniæ* omnes Tranſrhenanæ regiones ditionis Francicæ deſignantur. Viciſſim & qui in Germania rerum potiti ſunt, *Francorum Regum* nomen diu uſurparunt, non ſolùm poſt diviſa inter tres Ludov. Aug. filios Regna Francorum, ſed etiam poſt Regiam Caroli Mag. progeniem in Germania exſtinctam, ſive poſt Regis Ludovici Arnulfi Aug. filii obitum: & ſcriptores Germani, ut Principes Gall. *Reges Francorum Occidentalium*; ſic Dominos ſuos *Francorum Orientalium Reges*, ſæpe & *Reges Francorum* abſolutè appellavêrunt. In Antiquitatum Fuldenſium *l.* 1. *Dominus Ludov. Francorum Orientalium Rex* paſſim vocatur Ludov. Pii fil. Rex Germaniæ, Lotharii Aug. & Caroli Calvi frater Otfrido *in Odario, Ludov. Orientalium Regnorum Rex*; in Annalibus Bertinianis paſſim *Ludov. Rex Germaniæ.* Regino in A. C. 880. & Annales Mettenſes *Arnulfum*, Ludovici hujus ex Carolomanno filio nepotem, *Imperii Francorum ſceptra ſuſcepiſſe* ſcribunt, i. e. Franciam Orientalem, ſeu Regnum Germaniæ Regnumque Lotharii. Witichindus *in l.* 1. *ultimum Carolorum apud Orientales Francos imperantium Lothouvicum Arnulfi fil.* fuiſſe ait. Henr. Ottonis pater, cognomine Auceps, *Magnificentiſſimus Rex Francorum Orientalium* nuncupatur. Otto ipſe in Chronico Laureshamenſi *Dei Gratiâ Regem Francorum & Longobardorum, & Patricium Romanorum*, ſicut olim ante Imperium Carolus Mag. ſeſe appellat: *Otto Francorum Rex*, Ὤτων ὁ τῶν Φράγγων βασιλεύς, à Cedreno dictus *in Conſtantino Porphyrogenito*; à Conſtantino ipſo Aug. *Otto Magnus*, *Rex Franciæ*, Saxoniam complexæ: quum ait, partem Chrobatorum ſedes cepiſſe prope Franciam, & Ottoni Magno, Regi Franciæ parere: ὑπόκεινται δὲ Ὤτῳ τῷ μεγάλῳ Ῥηγὶ Φραγγίας καὶ τῆς Σαξίας. Apud Witichind. *in l.* 1. dicitur Henr. moriens *Oddonem fil. fratribus, & omni Francorum Imperio præfeciſſe*: quod & *l.* XI. *initio*, *Imperium Francorum* appellat, i. e. Regnum Franciæ Orientalis vel Germaniæ, unà cum Regno Lotharii in Gallia. Idem de Ottone iſto Rege electo, ab Antiſtite ungendo coronandoque ſic loquitur, *Procedit Pontifex cum Rege, tunica ſtricta more Francorum induto.* Nimirum Regem Francorum Orientalium, cùm coronaretur, Francicâ veſte uti oportebat. Anguſta autem veſtis veterum Francorum erat, & ſingulos artus exprimebat, ut Sidon. docet,

Strictiùs adſutæ veſtes procera coercent
Membra virûm &c.

Imò ſcriptores Galli atque Græci non ſolùm totum Francorum Regnum, quale ſub Carolo Mag. erat, qui utramque Franciam tenebat, ſed etiam ſingulas ejus partes ac provincias *Franciam*; & earum Tetrarchas *Francorum Reges* paſſim appellavêre. Hoc & priſcorum edictorum, & legum, hoc & veterum epiſtolarum atque nummorum inſcriptiones docent: Conſtantinus Porphyrogenitus *in l. de adminiſtrando Imperio c.* 28. *Franciam*, & *Francos* circa Aquilejam & alia loca provinciæ Venetæ ponit, & quaſi vivo Attila Rege Hunnorum, hæc Italiæ regio à Francis obtineretur, eam *Francias* velut per anticipationem vocat, & *Attilâ totam Franciam vaſtante*, (πάσας τὰς Φραγγίας) *Francos ex Aquileja, & aliis Franciæ caſtris fugiſſe* prodit. Idem *in c.* 29. Lud. Aug. Lotharii Aug. fil. Imp. Ludov. Pii nepotem, Caroli Mag. Aug. pronepotem, qui Regnum Longobardorum, & Prov. partemque Burgundiæ cum urbe Roma obtinebat, *Ludoicum*, & *Doloicum Ducem* Franciæ appellat; Λουδοΐκον τὸν Δοῦκα Φραγγίας, nec non *Regem Franciæ*, Δολοΐκον τὸν Ῥῆγα Φραγγίας. Ex quo apparet, Longobardiam in Italia, Provinciam, & Burgundiam in Gallia *Franciæ* nomine ab eo deſignari. *Longobardiam* tamen à *Francia* diſtinxit Carolus Mag. quum *Regem Francorum, & Longobardorum* ſe ipſe ſuis in epiſtolis appellavit, atque ita ab Epiſcopis urbis Romæ in litteris eſt nuncupatus; & quum apud Eginhardum theſauros ſuos, veſtes & ſuppellectilem diviſiſſe dicitur. A. C. 811. *regni ſui in Francia* 43. *in Italia* 36. *Imperii* 11. *in Italia*, i. e. in Longobardia, quam Carolus à *Francia*, i. e. à Gallia Germaniaque diſtinguit. Idem autem Imp. Conſtantinus, quum *in c.* 26 ſcribit, *Carolum Mag. regnaſſe in Magna Francia*, Κάρουλος ὁ μέγας ἐβασίλευσε εἰς τὴν μεγάλην Φραγγίαν: quum ait Ludov. Regem Prov. ac partis Burgundiæ, Regis Boſonis fil. *ex magna Francia profectum, Papiam obtinuiſſe*, Longobardiam Franciæ ditionis Regnum, cujus caput & ſedes Regia Ticinum vel Papia erat: quum *in c.* 29. tradit, Ludov. Aug. Imp. Lotharii fil. quem *Lodoechum Regem* vocat quoſdam *in Magnam Franciam relegare voluiſſe*, quam *Franciam* nuncupavit: nomine *Magnæ Franciæ* Galliam præcipuam, ac nobiliſſimam Regni Francorum partem, Regumque ſedem, & Galliæ provincias Burgundiam, & Provinciam haud dubiè deſignat. *Franci* ergo abſolutè, & *Franci Orientales* dicti ſunt, poſt diviſum inter Caroli Mag. nepotes Regnum, per annos circiter 400. Lotharienſes, & Germani Tranſrhenani cum finitimis populis: & qui apud eos regnabant, nunc *Reges Francorum*, nunc *Francorum Orientalium Reges* nuncupati uſque ad Frider. Ahenobarbum Aug. qui A. C. 1190. periit. Quo mortuo, *Francorum* & *Franciæ* appellatio paulatim apud Germanos, deficiente Imperio exolevit, ut ſolis Principibus Franciæ Occ. quorum ſemper jam inde à Clodoveo fuerat, nobiliſſimus Regum Francorum titulus conſtanter inhæreret. Sed & circa regionem Germ. *Franconiam*, quæ pars vet. Alamanniæ fuit, circa ripas Nicri, & Mæni jacens, olim *Franciam* Or. quoque, & ſæpe abſolutè *Franciam*, ac nominibus Germ. *Auſtriam*, & *Oſtrofranciam*, nec non *Franciam Teutonicam*, quòd in Germ. poſita eſſet, nuncupatam fuiſſe, conſtat. Cujus prov. Ducatuſque Geſta B. Kiliani Scoti Theodorici Reg. æqualis, primùm meminêre, in quibus Gozbertus *nobiliſſimus Dux Or. Francorum*, ibidem & *Auſtralium* vocatorum, apud quos caſtellum erat Wirtzïburgum, fuiſſe dicitur. Hanc Saxonia, Danubio, Rheno & Salâ terminari prodit Eginhard. *in Vita Caroli Mag.* ita ut ei non Francones modò, ſed etiam Cattos & Turingos finitimoſque populos attribuere videatur. Veteris autem Alamanniæ partem Franci Orientales vel Francones obtinebant. Hic notandum, Francorum Or. ſeu Auſtraſiorum Franconumve unum ab origine prima ducatum fuiſſe, eumque Tranſrhenanum: ſed poſtea diviſis inter Lud. Pii tres filios regnis, cum Ludovico Rege Germ. Nemetæ, Vangionæ, ac Mogontiacum in Gallia propter vini copiam unà cum tota Germ. ceſſiſſent, Franciam Or. Franconiamve in duos Ducatus eſſe diviſam, Tranſrhenanum unum, alterum Cisrhenanum, utrumque *Ducatum Francorum* dictum. Qui nobiliſſimi inter Francos cum Or. tum Occid. excellebant, lege Salica Francicaque utebantur, eamque jampridem exoletam, ac ferè ubique abolitam, ambitioſè ſervabant, tamquam certum originis ſuæ, & vetuſtatis familiæ argumentum, & eam ob rem *Salici* cognominabantur: *Nobiliſſimi Francorum, qui Salici dicuntur, hodièque lege Salicâ utuntur*; ut Otto Friſingenſis *in l.* 4. *ante An.* 500. tradidit. Franci olim in commune vocabantur à Germanis *thi Frankon*, qui nunc *die Franken*. A' *Frankon Francones* dicti pro *Franci*. Inde *Franco* Turgorum Ep. nomen accepit, qui Caroli Calvi æqualis fuit. Inde etiam ad Mænum fluv. villa Regia vel publica *Franconofurt*, aliàs *Franchenfurth*, *Franconoford*, *Francnofort*, *Franconifort*, *Franckenevurt*, & *Frankenoford*, alibi aliter in veteribus Annalibus ac Chronicis nuncupata eſt, tanquam *Franconum furtum* vel *fordum*, i. e. *Francorum vadum*. A' Francis quoque derivata nomina propria, *Francio*, *Franciolio*, *Francolus*, ac demum *Franciſcus*, corruptè pro *Francicus*: ſic *Franciſca* dicta eſt ſecuris vel bipennis pro *Francica*, ut *Hunniſci* pro Hunnici, *Daciſci* pro Dacici, *Threciſci* pro Thracibus. Regio Germ. ad Mænum, & Nicrum jacens, dicta eſt ante annos ferè mille *Francia* Or. aut etiam abſolutè *Francia*, cùm pars fuerit veteris Alamanniæ, non autem priſca ſedes Francorum, fortè propter colonias Francicas eò deductas. In quibus eminuit *Franconofurtum*, nunc Francofordia, de qua vide infrà. Ad Francos Occidentales revertor. *Franci* hi, poſt ſubactam Galliam, exemplum cæterarum Gentium, quæ in prov. Imp. Rom. ſimiliter conſederant, facta diviſione terrarum cum Gallis factâ, ſuam quiſque agri partem accepêre, liberis ſuis hæredibuſque ceſſuram. Hi omnes ſimul ac juſſi convocatique erant, ad bellum proficiſci conſueverant, nec ullus militiæ vacationem habebat. Qui ſine legitima causâ à bello abfuerant, pecuniâ multabantur. Hinc in vet. Chronicis Annalibuſque Rerum Francicarum, *Exercitùs Francorum* ſæpe fit mentio. Propterea, quòd Regum horum exercitus ex Francis præcipuè conſtabat; penès Francos regni vires, & copiarum erant; Franci bellantium pars melior & major habebantur: ita ut etiamſi omnes Franciæ ditionis populi ſæpe unà militarent, & ad militares ac civiles Palatinaſque dignitates nullo diſcrimine promoverentur, Galli, Burgundiones, Alamanni, cæterique; non ab aliis tamen, quam à victrice, & rerum

rerum domina ac ſemper ad Bellum parata natione *Francorum exercitus* diceretur. Ob id igitur Franci tributorum ac vectigalium habebant immunitatem : Nimirum quotquot ingenui, & liberi erant; ſervi non item, quorum in ſingula capita tributum imponebatur. Quare Audonem, qui Regi Chilperico perſuaſerat, ut ipſos pro ſervis haberet, & ab ipſis, tanquam à mancipiis tributa exigeret, ſpoliavere, fortunis, & interficere conati ſunt. Sic Franci antea Parthenium, qui Theodeberto Auſtraſiorum Regi auctor fuerat, ut ipſis tributa quæ pendere non ſolebant imponeret, Rege mortuo ſaxis obruerant. At Galli quos Romanos vocabant, quales, ſtante Imp. Rom. fuerant, qualeſque à Sidonio, à Salviano, aliiſque deſcribuntur, dominantibus in Gallia Francis tributarii permanſêre : eorumque, ſicut antea, ſub Francis agri cenſebantur. Hinc Francum alodem (*Franc-aleu*) vocavêre fundum omnem, quem homo Francus à majoribus ſibi tranſmiſſum, optimo jure, & ſumma immunitate poſſidebat : ex quibus aliquot etiamnum ſuperſunt, eo nomine atque ea immunitate gaudentes, cùm majores, qualis Vicecomitatus Torinnæ eſt, tum minores. Hinc libertum *Adfrancitum* dixêre, *Affranchi*, in libertatem aſſerere, *Adfrancire*, *Affranchir* : cuniculorum foſſores, & ſagittarios, ob magnas immunitates quibus fruebantur, alteros *Francos Talparios*, *Francs Taupins*; alteros *Francos Sagittarios*, *Francs Archers*; & eandem ob cauſam ut Francos vel Francicos alodes, *les Francs aleus*, ſic Franca feuda, *les Franc fiefs* nuncupavêre. Qui creditam pecuniam ſolvit, *Francus* & *quietus* eſſe dicitur, *Franc & quitte*, i.e. liber ac ſecurus. Ipſi Reges Pompelon. & Aragon. in litteris datis A. C. 1090. & 1129. aliiſque *Francos*, nec non *Francs* pro liberis hominibus immunibuſque accipiunt. *Francitates* Hiſpani pro immunitatibus hodieque habent, & cum privilegiis libertatibuſque conjungunt, quas ipſi *Franquezas*, Angli *Franchijez* & *Fraunchiſes*, Gall. *Franchiſes* vocitant. Francicè loqui, *parler Franchement*, idem etiamnum Gallis eſt, quod liberè loqui : & Francitas vel Francicia, *Franchiſe* dignam ingenuo viro libertatem ſimplicitatemque apud illos ſignificat. Hodieque Germani vulgò dictitant, *die freye Franken*, i.e. Franci liberi, ut Cluv. *in l.* 3. *de antiq. Germ. c.* 20. ſcribit. Franci ergo, h. e. liberi dicti ſunt, quòd præ cæteris Germanis libertatis ſuæ & immunitatis patriæ eſſent amantiſſimi ac tenaciſſimi. A' Francis deductum verbum Francire, *Franchir*, pro tranſilire : ut *Franchir le pas*, h. e. difficilem locum ſaltu ſuperare; *Franchir le foſſé*, i.e. foſſam tranſilire; *Franchir le ſaut*; q. e. ſaltum periculoſum atque arduum non tentare modò, ſed exſequi Francicâ alacritate. Nimirum Gens Francorum, ut fortis, audax & aſpera; ita velox inprimis, pernix atque agilis erat, quemadmodum Præfatio legis Salicæ docet. Apollin. Sidon. *in Panegyr. Imp. Majoriano dicto* ſcribit, *ludum* eſſe Francis, in hoſtem intortam haſtam ſaltu prævenire,

Excuſſiſſe citas vaſtum per inane bipennes,
Et plagæ præſciſſe locum, clypeoſque rotare
Ludus *&* intortas *præcedere ſaltibus* haſtas,
Inque hoſtem veniſſe priùs.

Apud Caſſiod. *Variar. l.* XI. *Ep.* I. dicuntur *Franci præcipitatis ſaltibus prælia ſemper Gentibus intuliſſe*. Omitto Salios, qui Francorum populis ab Amm. Marcell. *l.* 17. *c.* 8. aliiſque ſcriptoribus adnumerantur, à ſaltu, & agilitate artuum, exemplo Saliorum apud Rom. nomen inveniſſe, quos Salios noſtros *pede* valere, h. e. curſu & ſaltu ait Sid In *l.* 7. Chronogr. MS. qui falsò 11. inſcribitur, hæc habentur : *O quantus dolor, & planctus Chriſti cultoribus, quòd jugo Gentilium ſubjiciantur colla Fidelium; tyrannis Turcorum virtus olim victorioſa Francorum. Dicuntur enim Franci quarumcunque Gentium ibi degentium Chriſtiani.* Loquitur auctor de captis à Salahadino Hieroſol. cum Rege Guidone de Liciniaco. Nimirum, & Saraceni, & Turci, & Or. ferè omnes, Chriſtianos Occiduos, qui in Syria ſedem ceperant, cujuſcunque Gentis eſſent, promiſcuè *Francos* appellitabant, quod horum maximè viribus Regnum Hieroſol. ſubactum ac Turcis ereptum fuerat. Hinc Pirrhus, qui Europæis Antiochiam tradidit, cum paucos ſe ad rem exſequendam habere quereretur, dixit : Μικρὲς Φράγκες ἔχομεν, paucos Francos habemus i. e. paucos milites ex Occidentalium exercitu, paucos adjutores. *Not. Gall.* Vide & infrà : uti de gentis hujus priſcæ conſuetudinis nummaria libra, aureo argenteoque ſolido, denario item, ſeu Eſterlingo, origine nummi, quo & ipſi & vicinæ gentes in hunc diem utuntur. Vide egregie diſputantem Joh. Frid. Gronov. *l. de Pec. vet.* Eoſdem olim omnes præter Regem circumtonſos fuiſſe, diſcimus ex Agathia. Quod tonſuræ genus, περίτροχον, vel περιτρόχαλον Græcis dictum & alias pleraſque gentes, quæ Imp. Rom. lacerarunt, uſurpaſſe veriſimile eſt. Sanè in exercitu Gulielmi Siculi, qui tempore Andronici Comneni in Theſſalonicenſes acriter ſævijt, pleroſque θελήμασι περιτρόχαλα, Nicetas auctor eſt. Olim verò pueros delicatos, Dio Chryſoſt. *de Regno Orat.* 2 item meretrices, Heſych. ſic tonderi ſolitas, docent; Lege Dei prohibitâ re olim Judæis, uti diſcimus ex Levit. *c.* 19. *v.* 27. Caſaub. *ad Suet. Octav. c.* 45. *circumtonſam matronam miniſtraſſe compererat.* Vide quoque ſuprà in voce Circumtonſi. De eorundem priſca *migratione in loca Tencterorum & partim Chattorum, uſque ad Mœni ripam & Salam fluv. de alia in Germaniam II. & utriuſque Belgicæ partem : de eorum adverſus Alemannos victoria, apud Talbiacum : de origine nominis, & Dynaſtia Impp. Francicorum : de lingua illorum. quæ Germanica olim* & pluribus agit B. Rhenan. *Rer. Germ. Nov. Antiqq.* quem ſi placet vide, ſimulque ad eum Notas inſignes Cl. Ottonis JC. *p.* 128. 194. 255. 333. & 362. &c.

FRANCIA Occid. (orientalis enim eſt Prov. Germ. & *Franconia* dicitur) pars Galliæ inter Ligerim, & Sequanam, quæ propriè *La France* à Gallis nominatur, licèt apud Italos, nomen Franciæ toti Galliæ, exceptâ magnâ Belgicæ parte, tribuatur. Claud. *de laude Stilic. l.* 1. Carm. 21. *v.* 236.

——— *Provincia miſſos*
Expellet citius faſces, quam Francia *reges*
Quos dederis. ———

Lib. *in Baſilico*, ἐςὶ γένος Κελτικὸν ὑπὲρ Ῥῆνον ποταμὸν ἐπ' αὐτὸν Ὠκεανὸν καθῆκον, ὅπως εὖ πεφραγμένον πρὸς τὰ τῶν πολέμων ἔργα, ὥστε τὴν προσηγορίαν ἀπ' αὐτῶν ἐτυμώτεροι τῶν πράξεων, ὀνομάζοντες Φράκτοι. Οἱ δὲ ὑπὸ τῶν πολλῶν καλοῦνται Φράγγοι : ubi MS. οἱ Φέργκοι. Baudr. Francia, olim Gallia, regnum eſt Europæ potentiſſimum, vulgò *la France*, Hiſpanis & Italis *Francia*, Germanis *Franckreich* dicta : cujus incolæ *François* dicuntur, Hiſpanis *Franceſes*, Germanis *Frantzman*, & Italis *Franceſi*. Franciæ longitudo eſt leucarum Francicarum 250. ab Occid. in Or. Latitudo autem eſt 237. leucarum ſimilium à Sept. in Mer. teſte Brietio. Terminatur ab Occid. Oceano Aquitanico, à Mer. mari Mediterraneo & montibus Pyrenæis, quibus ab Hiſpania ſeparatur. A' Sept. habet mare Britannicum, & partem Belgii Hiſpano ſubditam; & ab Or. ſeparatur à Germania Rheno fluv. & ab Italia Alpibus. Francia aliàs plura complexa eſt regna, nempe Lutetiæ Pariſiorum, Sueſſionum, Aurelianenſe, & Metenſe ſeu Auſtraſiæ; item regna Burgundiæ, Arelatenſe, Aquitaniæ, & Britanniæ minoris. Sed à pluribus ſeculis omnia in unum coaluêrunt. Dividitur nunc in 40. prov. quæ ad duodecim Præfecturas generales reducuntur. Caput regni eſt Lutetia, *Paris*, totius Europæ, & forſan orbis populoſiſſima & ampliſſima. Subſunt etiam Regi Franciæ Nova Francia, regio perampla Americæ ſeptentrionalis, & plurimæ inſulæ ex Antillis in mari Boreali, cum aliquot locis in Africa & in Madagaſcaria inſ. atque à paucis annis magna pars Flandriæ, & Hanoniæ provinciarum Belgii Francico regno acceſſit, uti etiam pars meridionalis Luxemburgenſis Ducatus. Hactenus ille; addo, quod primus hac appellatione Galliam donaſſe dicitur Gregor. Mag. *l.* 4. *Ep.* 31. ad Mauricium Imp. & *l.* 6. *Ep.* 33. quam prioribus Francorum (à quibus Galliæ Romanis ereptæ id nomen) ſedibus tribuit præ cæteris nummus Conſtantini Imp. in cujus parte FRANCIA legitur. At poſterioribus ſeculis, & potiſſimum ſub prima ſecundaque Regum ſtirpe, cùm *Francorum* Imperium & dominatio in exteras regiones atque adeò longinquas ſeſe protendiſſet, *Franciæ* nomine intellectæ ſunt eæ omnes, quæ Francis parebant, aut paruerant. Quod inde manavit, quoniam Reges harum provinciarum à Francis orti & è Francia digreſſi, ſeſe indidem *Francorum*, non autem regionum, quibus imperabant, Reges inſcribebant, uti obſervatum ab Ottone Friſing. *l.* 6. *c.* 17. & Sirmondo *ad Capitul. Caroli Calvi. tit.* 1. &c. Vide C. du Freſne *Gloſſ.* & *Diſſertat. de inferioris ævi Numiſm.*

Francici regni diviſio per præfecturas generales :

Prima Præfectura, Francica ſeu Inſ. Franciæ, *l'Isle de France*, ſub qua provincia Inſ. Franciæ, & agri Bellovacenſis, *le Beauvoiſis*, Laudunenſis *le Laonois*, & Sueſſionenſis, *le Soiſſonois*.

Secunda, Burgundica, continet Ducatum Burgundiæ, *la Bourgogne*, & Breſſiam, *le Breſſe*.

Tertia, Normannica, continet Normanniam, *la Normandie*.

Quarta, Aquitanica, continet Guiennam, *la Guienne*, Vaſconiam, *la Gaſcogne*, provincias, Santoniam, *la Saintonge*, Petrocorienſem, *le Perigort*, Lemovicenſem, *le Limoſin*, Cadurcenſem, *le Quercy*, & Rutenenſem, *le Rovergue*.

Quinta, Britannica, Aremoricam totam ſeu Britanniam minorem complectitur, *la Bretagne*.

Sexta, Campanica, continet Camp *la Champagne*, & Briam, *la Brie*.

Septima, Occitana, continet Occitaniam, *le Languedoc*, & provincias Vivarienſem, *le Vivarais*, Gabalenſem, *le Givaudan*, Velaunos, *le Velay*, & Comit. Ruſcinonenſem, *le Rußillon*.

Octava, Picardica, ſub qua Picardia, *la Picardie*, & Arteſia, *l'Artois*.

Nona, Delphinatus, ſub qua Delphinatus, *le Dauphiné*.

Decima, Provinciæ, ſub qua Provincia, *la Provence*.

Undecima, Lugdunenſis, continet provincias Lugdunenſem, *le Lyonnois*, Baujovienſem, *le Beaujolois*, Forenſem, *le Forez*, Borbonienſem, *le Bourbonnois*, Alverniam, *l'Auvergne*, & Marchiam, *la Marche*.

Duodecima, Aurelianenſis, complectitur provincias Aurelianenſem, *l'Orleanois*, Bleſenſem, *le Blaiſois*, Perticenſem, *le Perche*, Belſiam, *la Beauſſe*, Cenomanenſem, *le Maine*, Andegavenſem, *l'Anjou*, Turonenſem *le Touraine*, Pictavienſem, *le Poictou*, Inculiſmenſem, *l'Angoumois*, Bituricenſem, *le Berry*, & Nivernenſem, *le Nivernois*.

Quibus addenda eſt decima tertia, quæ continet Lotharingiam Francicam, *la Lorraine Françoiſe*, & Alſatiam, *l'Alſace*.

De urbibus Franciæ videbis in voce *Gallia*.

FRANCIA Nova, *Nouvelle France*, regio perampla Americæ Sept. Francis detecta, juxta fluv. & ſinum S. Laurentii. Vide *Nova Francia*.

FRANCIA Propria ſeu Inſ. Franciæ, *l'Isle de France*, prov. eſt regni Franciæ. Habet à Sept. Picardiam, ab Or. Campaniam, ab Occid. Normanniam, & à Mer. Belſiam, & Aurelianenſem prov. continetque Franciam regiunculam inter Lutetiam & Sylvanectum, agros Bellovacenſem, Sueſſionenſem, & Laudunenſ. Valeſiam, Vexinum Francicum, & Hurepeſium. Totius provinciæ facile primaria eſt Lutetia, *Paris*, quæ & regni caput exiſtit.

FRAN-

FRANCIA, vulgò *la France*, regiuncula eſt regni Franciæ ſic dicta, in prov. Inſ. Franciæ, inter Lutetiam ad Auſtr. & Sylvanectum ad Bor. versùs Fanum S. Dionyſii, Monmorancium, & Goneſſam, & extenditur tantùm ad aliquot leucas in illo tractu. Sed ejus periêre limites.

Urbes Franciæ propriæ ſeu Inſ. Franciæ clariores:

Bellovacum, *Beauvais.*	Melodunum, *Melun.*
Compendium, *Compiegne.*	Nemoſinum, *Nemours.*
Crepiacum, *Crepy en Valois.*	Noviodunum, *Noyon.*
Fanum S. Dionyſii, *S. Denys.*	Piſciacum, *Poiſſy.*
Latiniacum, *Lagny.*	Pontiſara *Pontoiſe.*
Laudunum, *Laon.*	Sylvanectum, *Senlis.*
Lutetia Pariſiorum, *Paris.*	Sueſſiones, *Soiſſons.*
Medunta, *Mante.*	

FRANCIA Parva, *Franza curta*, regiunc. Italiæ, in ditione Veneta, & in agro Brixiano, dicta à Francis, qui illic conſederant poſt victum à Carolo Mag. Deſiderium Longobardorum Regem.

FRANCHENDALIA, vulgò FRANCKENDAL, olim cœnobium fuit, ubi colloquium, auctoritate Frid. III. Elect. cognom. Pii habitum eſt, inter Orthodox. & Anabaptiſtas, A. C. 1571. Belgis poſtea exulibus, circa A. C. 1574. aſylum, nunc urbs eſt recens Germ. probè munita, in Palat. inf. Vix una leuca diſtat à Rheno, & 4. ab Heidelberga in Occaſ. uti & à Spira in Bor. Aliàs capta fuit ab Hiſpanis, ſed poſtea reddita Electori Palatino pace Monaſter.

FRANCIACUM, vulgò FRONSAC, caſtrum Galliæ, in agro Burdegalenſi, à Carolo Mag. fundatum, & nunc Duc. tit. inſignitum, ad Duranium fluv. paulò infrà Liburnam, vix 5. leuc. à Burdegala in Ort.

FRANCICUS, nomen olim aureæ apud Francos monetæ. Sub Joh. enim Rege *Francici auri puri*, Gall. *Francs d'or fin*, cuſi leguntur, in quibus Rex dextrâ gladium vibratum tenens, ſago liliato & armis militaribus inſtructus, equo veſtito ac liliato inſidet: In averſa parte cruce floridâ conſpicuâ: pond. 3. d. 1. gr. pretii 20. ſ. pond. 63. ad marcam Par. Quem imitatus Carolus V. eadem figurâ & pondere illos recudi curavit. At *Francici argentei*, Gall. *Francs d'argent*, cum Regis capite laureato, & *H.* coronato in crucis centro in lilia & flores deſinente, ſolitaque inſcr. SIT NOMEN &c. prodiêrunt ſub Henrico III. hodieque in uſu ſunt. Vide de utriſque C. du Freſne in voce *Moneta p. 624. 626. & 646.*

FRANCICUS Sinus ſeu Gallicus, *Baye de France*, ſinus eſt parvus Africæ, in ora Guineæ, prope prom. Leænæ vulgò *Sierra Liona*, ſic dictus à Gallis, qui primi illas oras luſtrarunt & inhabitarunt, A. C. 1384.

FRANCISCA, genus ſecuris, quas ab uſu Francorum ab Hiſpanis *Franciſcas* appellatas, tradit Iſid. Sic *Franciſci* apud Æthicum *in Coſmogr.* alibique paſſim pro *Francis*: uti *Spaniſcum argentum*, pro *Hiſpanico*, apud Anaſtaſ. in *Vitis Pontific. Rom.* &c. Cujuſmodi terminationem mutuatæ videntur reliquæ gentes, à Longobardis aut Sclavis, qui gentilitia & appellativa nomina plerunque in *iſc.* efferebant, quod potiſſimum ſolemne eſt etiamnum Dalmatis. Vide C. du Freſne *Gloſſ.* & Salmaſ. *ad Capitol. in Maximin.* At *Franciſci*, in *Conſtit.* Frid. Imp. *contra Patarenos*, Hæretici quidam Waddingo, ad A. C. 1254. *n.* 16.

FRANCISCA Alençonia, filia Renati Ducis Alençonii, ex Margareta Lotharingica. Nupſit primò Franciſco I. Ducis Longavill. dein Card. Borbonio, I. Duci Vindocin. ex eo mater Antonii, hinc avia Henr. IV. Franciſci, Com. Anghiani ad Ceriſolam victoris, Caroli Card. Joh. in prælio S. Quintini, occiſi, A. C. 1557. & Lud. Princ. Condæi, &c.

FRANCISCA Odeau Meditationes, Sermones Bernardi Gall. vertit. Hilario Coſtus, *elog. fem. ill. t.* 2. edit. A. C. 1647. *p.* 731.

Reges Galliæ, & Navarræ.

FRANCISCUS I. Gall. Rex cognom. *Magnus*, & *Reſtaurator literarum*, ſucceſſit A. C. 1515. ſocero Ludov. XII. Natus Carolo Aurelian. Com. Engoliſm. ex Ludov. Sabauda, A. C. 1494. maritus Claudiæ Franciciæ, quæ Carolo Auſtr. jam erat deſponſata. Ducem Mediolani ſe dixit, ob Valentinam proaviam ſuam, & validis nixus copiis, Imp. Aragoniæ Rege Papâ, Helvetiis licet renitentibus, hæreditatem adivit, prælio ad Marinianum biduano victor. Hinc Eques à Bayardo creatus, Mediolanum cum tota Lombardia obnoxiam habuit. Cum Helv. poſtmodum, virtute illorum motus, fœdus iniit; à Leone X. rogatus Pragmatic. ſanctionem ex parte ſuſtulit, &c. Carolo V. in Imp. lecto, novæ turbæ ortæ. Hic enim cùm Navarram, juxta pacta Noviodunenſia, Henr. Albretano non reſtitueret, Franciſcus eam armis occupavit, moxque iterum perdidit. Carolum Anglis junctum Italiâ pepulit, ſed Borbonio Conneſtabili, Carolo, ad Imp. deficiente, Mediol. amiſit, & ad Bicoquam victus eſt; ſicut viciſſim Imp. Maſſiliâ eſt depulſus. Hinc in Italiam: Mediol. recuperavit, verùm prælio Ticinenſi victus, & in Hiſp. abductus, libertatem Flandriâ, Arteſia, & Tornaco redemit. Sic iterum in Ital. tranſlato bello, Neapolim fruſtra obſedit, Lucemburgum amiſit, &c. Pace tandem Cameracenſi, A. C. 1529. Eleonoram, ſororem Caroli Auſtriaci, duxit, A. C. 1533. Maſſiliæ, cum Papa, conjugium Henrici fil. & Catharinæ Mediceæ concluſit. Poſt hæc, Sabaudiâ occupatâ Carolum Galliam ingreſſum, iterum pepulit. Nicæenſi pace, & colloquio cum hoſte, bello rurſus compoſito A. C. 1538. Quod mox iterum recruduit, cùm Carolus per Gall. contra Gandavenſes rebelles properans, & liberaliter à Franciſco habitus, Mediol. Duc. reſtituturum ſe promiſit, neque præſtitit. Hìc inſigni victoriâ ad Ceriſolam Galli, ſub Franciſco Borbonio, potiti, A. C. 1544. tandem iterum pax coalita. Obiit non diu poſt, A. C. 1547. Regni 32. Æt. 53. Profeſſorum, in quacunque ſcientia, collegii fundator, Princeps planè egregius. Huic cùm Petrus Caſtell. Matiſcon. Ep. parentans, dixiſſet, credere ſe, *Domini ſui animam, ſimul atque e corpore exceſſiſſet protinus cœlo receptam eſſe*; periclitatus de vita fuit, niſi eum tuitus fuiſſet Joh. Mendoza, accuſatoribus reſpondens, *Franciſcum ad Purgatorium non moræ faciendæ causâ divertiſſe, ſed tantum, ut vinum illac transeundo à pocillatore, pro more deguſtandum acciperet.* Vide Thuan. *l.* 1. & 3. Liberalitate porrò, clementiâ, & magnificentiâ nulli ſecundus, niſi quòd in ſequiorem ſexum pronior, & nimis arctum cum Turca, in Chriſtianorum perniciem, fœdus coluit. Vide ulterius Guilielmum Paradinum, Martin. & Gul. Bellajum, &c. Succeſſit fil. Henricus II.

FRANCISCUS II. fil. Henrici II. duxit Mariam Stuartam Scotam, adhuc Delphinus, unde *Rex Delphinus* vocatus eſt. A. C. 1559. coronatus, à Duce Guiſio, & Cardinali, fratre ejus, qui poſthabitis Regii ſanguinis Principibus, rerum ſummam ad ſe trahebant, regnum turbari vidit. Sed & purior eo regnante Religio Galliæ affulſit, ſub Condæo hyperaſpiſta: Colloquium Poſſiacenum habitum. Dein ad Fanum Germani, contra imagines, inprimis SS. Trinitatis, concluſum, opponente ſe executioni Nic. Mallardo, Thuan. *l.* 28. & 29. Contrà ſtrage Vaſſiacenâ polluta templa, & bellum inteſtinum exortum, Princeps Condæus, per fraudem, in naſſam pellectus, ſupplicioque deſtinatus; verùm mox præmaturâ Franciſci morte A. C. 1560. Æt. 17. alia Galliæ facies inducta eſt. Habuit ſucceſſorem Carolum IX. Fratrem.

FRANCISCUS, Delphinus Franciæ, Britanniæ Dux fil. Franciſci I. ex Claudia, veneno Lugduni, cùm pilâ luderet, à Seb. Montecuculi Ferrarienſi, ſublatus. A. C. 1536. qui à quatuor equis diſcerptus eſt. Bellaj. *l.* 6. 7. & 8.

FRANCISCUS Alençonius Dux, fil. Henrici II. Gall. Regis ex Cathatina Medicæa, natu minimus, quem ut ad regnum evehere mater, à Noſtradâmo monita, omnes ſuos quatuor filios regio apice fulſuros, ei Algerii in Africa regnum, ab Ottomanno petiiſſe dicitur. Jam ante pacem Gandavenſem, & poſtea ſæpe ambitus, Belgarum primoribus, haud contemnendo ingenio, ſed animi inquies, belli ſe ducem dederat; quod ad reſtituendam contra aulæ injurias Galliæ libertatem, & pro quiete religionum ſumi tum dicebatur: hinc fama ipſi popularis, & pace factâ ampliſſimæ poſſeſſiones. Sed famam brevi fœdavit in ſocios verſis armis, alienæ ſævitiæ miniſter. Commendatus hoc tempore à Margareta ſorore Belgis decreto Ordinum vindex libertatis nominatur, addicunturque illi in præmium ſocietatis oppida, quæcunque trans Moſam hoſtis poſſidebat. Advolat ergo A. C. 1578. cum exiguis copiis, Gallorum tumultuum ejectamentis, quos poſt violata paſſim hoſpitia, apud Binckium opp. deponit, hoc mox capto. Dein cum Caſimiro rixans, ultro ad hoſtes militem ſuum dilabi paſſus, brevi poſt in Galliam revertitur. Hoc abſente plures diſſidentium Belgarum nationes, ſub imperium iterum ab Hiſpano redactæ, cæteræ Trajecti Batavorum arctiori fœdere coiêrunt, atque ſuadente Auriaco, Franciſco, Principatum detulêrunt, A. C. 1581. qui Cameraco mox obſidione liberato urbis Princeps ſalutatur. Inde in Angliam tranſvectus nuptiis Eliſabetæ fruſtra inhiavit: in Belgium redux ſolenni ritu, in Brabantia Ducis, in Flandria Comitis titulo imperium ſuſcepit, indignante Belgarum nobilitate. Poſt hæc Aloſto occupato, dum fraterna auxilia fruſtra expectat, atroci conſilio, & deſperationis plenus, quos defenſurus venerat, opprimere ſtatuit, Vilvordâ, Teremundâ, Dicaſmundâ, & Dunkerkâ, ubi Gallorum præſidia prævalebant, ſubitò raptis. Brugis, egregiâ Magiſtratuum arte eluſus, Antverpiam infeliciſſime tentavit, A. C. 1583. cum ſuis fugâ captâ. Exin retentatis Dunkerkæ colloquiis, ſuperſtes fuit honoris, & dedecoris ſui menſes non ampliùs ſeptendecim, confectuſque aliis per libidines, aliis veneno, pleriſque animi ægrimoniâ creditur, communi ferè omnium exitu, quibus infelicium populorum malis abuti libido eſt. Vide Hug. Grot. *Ann. Belg. l.* 4.

FRANCISCUS, cognom. *Phœbus*, ob pulchritudinem, fil. Gaſtonis V. Com. Fuxii, ex Magdalena, filia Caroli VII. Navarræ Rex, aviæ Eleonoræ ſucceſſit, A. C. 1479. poſt diſſidia Bellimontiorum, & Gramontiorum, Pompeiopoli coronatus, A. C. 1482. inde in Bearniam reverſus, paulo poſt obiit, non ſine veneni ſuſpicione. Mariana *l.* 24. *c.* 19. & 22. *l.* 25. *c.* 3. &c. Belleforeſt. *l.* 5. *c.* 149.

Duces Britanniæ.

FRANCISCUS I. cognom. *Dilectus*, Dux Britanniæ, fil. Johannis VI. ex Johanna, filia Caroli VI. A. C. 1442. Auctor Ordinis Spicæ, Anglis varia loca eripuit, A. C. 1448. & 49. Obiit A. C. 1450. Æt. 37. Petro fratre ſucceſſore relicto.

FRANCISCUS II. fil. Richardi Britanni, Comitis Stampenſis, ex Margareta Aurelian. ſucceſſit Arturo. III. A. C. 1458. Apud hunc quum Petrus Landæus quidam, fil. tonſoris, plurimum valeret per An. 15. hinc non parva procerum indignatio. Gallicis negotiis, ſub Ludov. XI. & Carolo VIII. cùm ſe, ſed nullo ſucceſſu, immiſceret, cum hoc pacem iniit. Obiit equi lapſu, A. C. 1488. princ. 30. Æt. 53. Parens, ex Margareta, Gaſtonis IV. filia, Annæ, quæ Carolo VIII. & poſt eum Ludovico XII. nupſit. Bouchard. *Chron. & Ann. Brit.* Argentræus, *Hiſt. Brit.*

FRANCISCUS, Dux Lunæburgicus, fil. Henrici cognom. Junioris, mortui A. C. 1532. ex Margareta Saxonica; frater Ottonis, qui Harburgicos ſevit & Erneſti, (à cujus filiis Dannenbergiæ & Cellenſis lineæ ortæ ſunt) Gifhornæ habitavit; cum Erneſto fratre Auguſtanæ Confeſſioni ſubſcripſit, defunctus A. C. 1549. Princeps inſigniter pius. Ei ex Clara filia Magni Ducis Saxoniæ inferioris A. C. 1547. ductâ non niſi filiæ natæ ſunt, Catharina & Clara. Quarum illa Henrico Rutheno Burggravio Miſniæ A. C. 1564. hæc Bernhardo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

hardo Principi Anhaltino, iterum A. C. 1572. Bogiſlao Duci Pomeraniæ nupſit. Spener. *Sylloge Geneal. in Fam. Brunſvic.* Idem nomen medio fuit filiorum Henrici, Dannenbergiæ lineæ auctoris, Ernesto præfato geniti: qui natus ex Urſula Saxon. Lauenburgica A. C. 1579. Canonicus Argentinenſis & Colonienſis, non procul Argentorato, torrente Renchio hauſtus, A. C. 1601. in Urbis hujus ſummo Templo ſepultus eſt. Idem paulo *poſt*.

FRANCISCUS, Dux Pomeraniæ Occid. fil. ſecundo genitus Bogiſlai XIII. ex Clara prædicta, natus eſt A. C. 1577. Ep. poſt Patruum Caminenſis, comitatis elogio fuit inclytus. Maritus Sophiæ filiæ Chriſtiani I. Electoris Saxon. obiit A. C. 1620. ſucceſſione fratri Bogiſlao XIV. Ep. itidem Caminenſi, relictâ. Idem *in Fam. Vandal.*

FRANCISCUS I. Dux Saxon. Lauenburgicus, fil. Magni II. qui primus titulo Electoris Saxoniæ, quo Majores ejus gaviſi erant, abſtinuiſſe dicitur, ex Catharina Brunſvicenſi: in Monaſterienſibus Anabaptiſtis compeſcendis nomen adeptus olim, demum A.C. 1578. ob ſenium, filio cognomini regimen tradidit; & biennio pòſt, cum de Principatu filiorum contentiones mœſtus vidiſſet, mortuus eſt. Pater ex Sibylla Saxonica, filia Henrici Ducis A. C. 1540. ducta, præter *Franciſcum*, infrà memorandum, plurium utriuſque ſexus liberorum. Filia Sidonia Catharina Wenceſlao Duci Teſchinenſi, A. C. 1567. & Emerico Forgatſchio A. C. 1586. Dorothea Wolfgango Brunſvicenſi Duci A. C. 1570. & Urſula Henrico itidem Ducis Brunſvic. nupſêre. Ex filiis Magnus III. in Suecia, A. C. 1560. ductâ Sophiâ Guſtavi Regis filiâ pleramque ætatem egit, inde tandem ejectus: Henricus, Archiep. Bremenſis, Ep. Oſnabrugenſis & Adminiſtr. Paderbornenſis fuit; etiam Monaſterienſi Epiſcopatui, ni Papa obſtitiſſet, admovendus; ac licèt Evangelicus, cælebs tamen manſit: Mauricius in Belgio, Joh. Caſimiro Palatino militavit: & Fridericus Præpoſitus Brem. & Canonicus Colonienſis, multa contra Gebhardum Truchſeſſium Archiep. egit, ſpe Electoratus adipiſcendi, quâ tamen excidit, Thuan. *l.* 78.

FRANCISCUS II. fil. prioris; olim in Belgio Alexando Farneſio operam militarem addixerat A. C. 1579. unde ejus ope poſtea Mauritius frater, ab Hiſpanis in anguſtias redactus, ſervatus eſt. Deceſſit A.C. 1619. ex primo matrimonio Margaretæ Pomeranæ, filiæ Philippi Ducis A. C. 1574. ductæ, Pater Mariæ, Philippi, qui patrem morte ſuâ præceſſit A. C. 1605. & ante hunc Auguſti, ad quem morte Patris regimen devolutum eſt. Ex altero Mariæ filia Julii Ducis Brunſvic. A. C. 1584. *Franciſci* Julii, A. C. 1586. Julii Henrici, A. C. 1587. Erneſti Ludovici A. C. 1589. Julianæ A. C. 1594. *Franciſci* Caroli A. C. 1596. Rudolphi Maximiliani A. C. 1597. Hedvigis Mariæ A. C. 1598 *Franciſci* Alberti A. C. 1601. Sophiæ Hedvigis, & A. C. 1604. *Franciſci* Henrici. E quibus *Franciſcus* Julius, obiit A. C. 1634. ex fœcundo thalmo Agnetis filiæ Friderici Ducis Wirtenbergici, pater quatuor filiorum, & trium alterius ſexus, qui tamen omnes in infantia extincti ſunt. *Franciſcus* Carolus, aliquandiu Electori Saxoniæ militavit; cumque pro Suecis delectus ageret A. C. 1633. Ratzenburgo, à fratre Aug. excluſus, ac à Pappenhemio captus eſt. Inde ad Pontificios tranſiit, Italiam frequenter inviſit, ac tandem Neuhuſii, nullâ ex tribus uxoribus relicta ſobole, obiit A. C. 1660. Porrò *Franciſcus* Albertus, cùm relicto Cæſare ſe Suecis applicuiſſet, in prælio Lutzenſi Regi præſto fuit, cumque deinde Wallenſtenii conſiliis participaret, à Cæſarianis captus Egram, inde Viennam ductus: donec Kœnigſmarckio fugato A. C. 1642. in Dorſtenſohnium ad Suidniciam incidens, ſuperatuſque & captus, ex vulnere, deceſſit, ex Chriſtina Margareta Megapolitana, filia Joh. Alberti Ducis nullis liberis relictis. *Franciſcus* tandem Henricus, Franzhagæ habitavit, Suecicis auſpiciis legionem duxit & ex Maria Juliana Naſſovia genuit utriuſque ſexus liberos, ſed moriens A. C. 1658. tantùm filias duas habuit ſuperſtites, Erdmutam Sophiam A. C. 1644. & Eleonoram Carolam A. C. 1646. natas, quarum illa nupſit Guſtavo Rudolpho Duci Megapolitano. Solus omnium ſtemma propagavit Julius Henricus: qui Religionem Pontificiam amplexus, ex ſecunda uxore Eliſabetha Sophia Brandeburgica Joh. Georgii El. filia, Jani Razivilii vidua, A. C. 1628. ducta & ſeq. extincta, genuit *Franciſcum* Erdmannum, in Evangelica Religione educatum, Suecorum aliquandiu militem in Polonia, atque Sibyllæ Hedvigis patruelis maritum; qui Patri ſucceſſit, ſed mox ejus fata ſequutus eſt, A. C. 1666. Eidem Henrico Julio, ex tertia conjuge Anna Magdalena Poppelia; præter filiam Mariam Benignam *Franciſcam* natam A. C. 1635. & dein Octavio Piccolomineo Duci Amalfitano nuptam, natus eſt Julius *Franciſcus* A. C. 1640. qui ſolus ſuæ gentis ſpes, ex conjuge Hedvige Aug. Filia Chriſtiani Aug. Com. Palatini Rheni, ſobolem maſculam expectat. Renovatâ Majorum prætenſione, deinceps cum Electore Saxoniæ Joh. Georgio II. tranſegit, & mutuæ ſucceſſionis pactum, inter utramque domum, inivit & obtinuit, A. C. 1671. Nunc in militia Imperii, inter ſupremos Duces, vide eundem Spener. *in Fam. Aſcanio-Anhaltina.*

FRANCISCUS Philippus, Dux Holſatiæ, fil. Philippi, Glucksburgiæ lineæ Auctoris ex Sophia Hedvige Saxo-Angrivaria, Ligeri merſus interiit A. C. 1650.

FRANCISCUS Accurſius, Juriſconſultus Florentinæ natus, Jus civile Bononiæ, A. C. 1225. cum ingenii, atque induſtriæ laude profeſſus eſt. Vide plura de eo apud *Hotomann.*

FRANCISCUS de Acolithis, Aretinus, Jurecoſſ. Princeps dictus. Jaſon. *in l. 2. ff. de Juriſdict. Omn.*

FRANCISCUS Albertinus, Florentin. ſcripſit veterem novamque Romam: Item Epitaphia vett. Onuphr. *præf. Comm. de Rep.* Simler. *Voſſ.* &c.

FRANCISCUS Alciatus, Cardin. Jus docuit Ticini, hæres bonorum & eruditionis A. Alciati adgnati, ſcriptis aliquot Juridicis inclaruit. Jan. Nicius *Pinacoth.* 2. Vide & *Alciatus Andreas.*

FRANCISCUS Alvares, Hiſp. auctor Relationis de Presbytero Joh.

FRANCISCUS Aquilonius, Jeſuita Bruxel. Opticæ 6. libb. compoſuit. Algamb. Voſſ. *de Math.* c. 26. §. 18.

FRANCISCUS Arſillus, Medicus, & Poëta, ſcriptis inclytus.

FRANCISCUS Aſſiſius, ex Aſſiſia, Umbriæ opp. Franciſcanorum familiæ auctor, A. C. 1208. ordine ab Innoc. III. A. C. 1215. approbato. Hi primò *Pauperes minores* dicti, ſubitò emergentes terram replevérunt, poſtea *Fratres minores* dici maluérunt. Diviſus Ordo in plures ramos, ubi tamen annotatum, primum qui peculiari habitu à reliquis hujus ordinis diſtingui voluit, licet unus ex 8. primis Franciſci ſociis fuerit, leprâ correptum, ex deſperatione ſuſpendio ſeipſum necaſſe. Obiit A. C. 1226. à Gregorio, Sanctis Commun. Rom. adſcriptus, A. C. 1228. Hunc corvis, milvis, picis, &c. attentè auſcultantibus concionatum eſſe, cum ſtatua nivea concumbendo libidinem domuiſſe, pediculos ſemel excuſſos rurſus veſtibus immiſiſſe, ne homicidio ſe pollueret, &c. narrant, Matth. Pariſ. *in Henr.* III & Melch. Canus, *l.* 11. *Theol.* Opera ejus A. C. 1641. Pariſiis edita. Vide Bonavent. *in vita ejus*, Trithem. *Catal.* Luc. Vading. *T.* 1. *Ann. Min.* &c.

FRANCISCUS Balduinus, Atrebas, JC. Hiſtoricus, & Theologus, inter ſuos celebris, Calvini amicus, Antonio Borbonio, Navarræ Regi gratus, ejus Oratorem egit in Conc. Tridentino. Obiit A. C. 1573. Æt. 53. quo tempore ab Henrico Rege ad Academiam Cracovienſem reſtaurandam vocatus, eò ſeſe accinxit. Scriptis ſuis celebris. San-marth. *l. 2. elog. Gall. doct. illuſt.*

FRANCISCUS de Beaucaire, Ep. Metenſis, in Conc. Tridentino, de prælio ad Druidum urbem commiſſo, orationem habuit. Scripſit de embryonibus, varia poëtica, & hiſtor. Obiit A. C. 1591. *Iidem.*

FRANCISCUS Belleforeſtus. Vide *ibi.*

FRANCISCUS Borbonius, Montpenſerii Ducis Normanniæ præfectus fortitudine prudentiaque, ſub 4. Regg. inclytus. Obiit, A. C. 1592. Parens Henrici, ult. Montpenſerii Ducis.

FRANCISCUS Bourgoinus, Hiſt. Eccleſ. 2. tomis ſcripſit.

FRANCISCUS Braſſerus, *Batorius*, *Bordinus*, inſignes Mathematici Voſſ. *de Mathem.* c. 49. 53. & 65.

FRANCISCUS Cajetanus, Cardin. Bonifacii VIII. memoriam vindicare anniſus eſt, apud Clem. V. A. C. 1301.

FRANCISCUS Caligarius, vel *Pelecanus*, Florent. Scripſit de Algebra, & libb. 13. Arithmeticam edidit. Rocciantius, *de ſcr. Florent.*

FRANCISCUS Caſſardus, Archiep. Turonenſis, & Cardin. vixit ſec. 13. Obiit A. C. 1237. Hilar. Coſtus, *de Delphin.* Frizo, *Gall. Purp.*

FRANCISCUS Caſtilionius, Canonicus Florentinus, ſcripſit varia, ſec. 15. Vide Leandr. Alberti, Poſſevin. *Voſſ.*

FRANCISCUS Catelluſius, vir fortiſſimus, cujus operâ Carolus Joh. CPolit. Imp. in patriam rediit, cuique Imp. ipſe Lesbum inſ. dono dedit. *Blond.*

FRANCISCUS de Condelmeriis. Cardin. Venetus, ab Eugenio IV. avunculo, variis Legationibus adhibitus. Obiit A. C. 1453. Chifflet. *deſcr. Veſunt.*

FRANCISCUS Connanus, JC. libros 4. Comment. in jus Civile ſcripſit, &c. Obiit An. Æt. 43. ſeculo præterito San Marth. *l.* 1. *elog.*

FRANCISCUS de Cruce, auctor Bibl. Gallicæ inſignis, ſub Henric. III.

FRANCISCUS Delbenus, JC. Veronenſis, auctor Chronici familiarum hujus urbis. Circa A. C. 1508.

FRANCISCUS Diedus, Sen Venetus, eruditione inſignis. Obiit Veronæ A. C. 1483. Vide *Diedus.*

FRANCISCUS Drack, vide *ibi.*

FRANCISCUS Duarenus, vide *ibi.*

FRANCISCUS Eſpinæus, Broagii præfectus, fortitudine, ingenio, magnanimitate, literis inclytus, in Ambiani obſidione, obiit. Scævola San Marth. *elog. l.* 4.

FRANCISCUS Ferrarienſis, Dominic. In ſummam Thomæ commentatus, &c. Obiit, A. C. 1528. Leand. Alberti *de Vir. Ill. Ord. Dom. l.* 4.

FRANCISCUS Feuardentius, Franciſcanus, varia ſcripſit, contra Reformatos. Irenæum, cum notis, edidit. A. C. 1575.

FRANCISCUS Foxius, de Candala, Ep. Arienſis, literarum, Mathematicarum inprimis, gloriâ florens. Vertit Pimandrum Merc. Triſmegiſti, illuſtravit commentariis Euclidem, &c. Obiit A. C. 1594. Æt 84. Thuan. *Hiſt.* San Marth. *elog. l.* 4. & filii *Gall. Chr. t. 2. p. 22. &c.*

FRANCISCUS Fozarius, Dux Venetorum, depoſitus, ob ætatem, & nimium in liberos rigorem, A. C. 1457.

FRANCISCUS Franchinus, Conſentinus, arte ac Marte inclytus, caſtra Caroli V. ſequutus, expeditioni Algerianæ interfuit, hujuſque exitum funeſtum docto carmine proſecutus eſt. Edidit *Dialogos* aliquot, qui Lucianæis neutiquam cedunt. Ep. tandem, à Paulo III. Maſſæ ac Populanæ renuntiatus, obiit adhuc juvenis Romæ, A. C. 1554. *Poëmata* ejus ibid. ut & Baſileæ, typis expreſſa ſunt. Thuan. *Hiſt.*

FRANCISCUS Gomarus, vide *Gomarus.*

FRANCISCUS Gulielmus de Clermont, Cardin. Vicelegatus Avenion. Ibi obiit. A. C. 1540. Legatus à Ludov. XII. ad Jul. II. miſſus A. C. 1507. Frizo *Gall. Purp. &c.*

FRANCISCUS Haberʼus, Biturix, proſâ verſuque plurima edidit, ſec. præterito. Verdier. *Bibl. Gall.*

FRANCISCUS Hotomannus, vide *Hotomannus.*

FRANCISCUS Huhocionius, Italus; Archiep. Burdigalenſis, juris peritiſſimus. A' Bonifacio IX. in Vaſconiam, Navarram, Caſtellam, &c. legatus. Obiit A. C. 1412. Enguerrand. Monſtrelet, *l. 1. c.* 46. *Ciaccon.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

FRANCISCUS Joveſius, Cardin. A. C. 1583. ab Henrico III. Romam miſſus, jura Regis ſui animosè defendit, &c. A. C. 1600. excepit Mariam Medicæam Maſſiliæ, ab Henrico IV. negotio pacis inter Paulum V. & Venetos conciliandæ, adhibitus, Mariam coronavit, A. C. 1610. ut & Ludovic. XIII. Remis &c. Thuan. *Hiſt. l.* 137. Frizo, Petramellarius, Ciacconius, *in Contin. &c.*

FRANCISCUS Junctinus, Florentinus, plurima Mathematica ſcripſit.

FRANCISCUS Junius, vide *Junius.*

FRANCISCUS Lichetus, Brixianus, ſcripſit in Magiſtrum Sentent. A. C. 1518. Wading. *Ann. Min.*

FRANCISCUS Maironius, Franciſcanus, cognom. Doctor illuminatus, Scoti diſcip. primus magnæ Sorbonicæ auctor, Reſpondentem à 5. vel 6. matutina, uſque ad 6. vel 7. veſpertinam diſputando fatigare ſolitus. In Theol. & Philoſ. varia ſcripſit. E' Provincia oriundus. Spond. A. C. 1315. *n.* 7. *Morer.*

FRANCISCUS Mareſmius, Valentiæ Hiſp. natus, Gen. Carthuſ. ſucceſſit Gul. Mothæo, A. C. 1437. In electione Amadei Sabaudi, 10. ſuffragia, à PP. Conc. Baſil. obtinuit. Petrejus, *notis ad Dorland. l.* 4. *c.* 26.

FRANCISCUS Maria Grapaldus, Florentinus, à civibus ſuis ad Julium II. miſſus. P. Jov. *elog. doct. vir.* 62.

FRANCISCUS Maria Tarugius: nepos Joh. M. Magiſtri Melitenſis, qui Jul. III. ex fratre nepos erat, à Clem. VIII. Cardinalis creatus eſt, A. C. 1596. in Baronii ſepulchro tumulari voluit. Obiit A. C. 1608. Æt. 84. Italicè vertit priora volumina Annalium Bar. Victorel. *add. Ciaccon. Morer.*

FRANCISCUS Martinius, Carmelita eruditus, Catalaunus: Obiit A. C. 1390. Scripſit de Conceptione Immaculata.

FRANCISCUS Mataracius, Peruſinus, literis clarus. A. C. 1470.

FRANCISCUS Maurolicus, Syracuſanus Abbas, Meſſanenſis, Mathemat. inſignis, *Coſmographiam, Geometriam* & *Arithmeticam* ſcripſit. Blancan. *Chron. Mathem. ſec.* 16. Natus A. C. 1594. patre Anton. *Marullo*, al. Maurolyco, CP. (cujus uxor, *Franciſcum* in utero gerens, facem ex ſe prodire in cœlum uſque enitentem, per quietem vidit) eo etiam præceptore in Græca L. & Aſtronomia uſus eſt, quâ poſteriore inprimis tantopere inclaruit, ut Frid. Commandino haberetur Aſtronomorum ſeculi ſui princeps, & ab omnibus Oraculi inſtar conſuleretur. Studiis tandem vigiliiſque fractus, obiit A. C. 1575. quo die cupreſſus, in horto ejus, verticem velut emoritura inclinavit, octiduo poſt priſtino vigori reddita. Thuan. *Hiſt.* Anton. Teiſſier *Elogiis Part.* 1. & Laur. Craſſus, quorum ille ſcripta ejus edita, hic ἀνέκδοτα adhuc enarrat.

FRANCISCUS Montholonus, Præſes Parlamenti, & Cancellarius Galliæ, ſub Franciſco I. contra hunc Carolum Borbonium defendit. Fil. ejus cognom. ſub Henrico III. idem dignitatis obtinuit, Ariſtides Gall. dictus. Vide *Morer.*

FRANCISCUS Niger, Presbyter Venetus, floruit A. C. 1494.

FRANCISCUS la Nove, ſeu *Lanovius*, Dux Reformatorum, in Gallia, prudentiâ, fortitudine & probitate ipſis Pontificiis admirationi fuit: Inſuper omni literarum genere non leviter tinctus. Aurelianum cepit, poſtremam aciem in prælio Baſſaceno duxit, alibique innumera admirandæ prudentiæ & excelſi animi ſpecimina edidit: A' Rupellanis ſummæ rerum admotus, Belgis, Ducis Andegav. auſpiciis ſuppetias adduxit, Henrico IV. gratiſſimus, Obiit in obſidione Lambalii, A. C. 1591. Scævola San Marth. *Elog. l.* 4. Thuan. *Hiſt.* Amyraldus *in vita ejus.* Dictus eſt *Bras de fer*, quia ſiniſtrum brachium fortiter pugnando cùm amiſiſſet, poſtmodum ferreo uſus eſt.

FRANCISCUS Oliverius, fil. Jacobi, primus Parlamenti Præſes, Cancell. Galliæ, ſub Franciſco I. & Henrico II. Obiit A.C. 1560. San. Marth. *Elog. l.* 2. Vide & *Olivier.*

FRANCISCUS Ordelaffus, in Italia tyrannidem, inauditam exercuit: ab Innocentio IV. fruſtra Avenionem citatus, A. C. 1354. armis oppreſſus eſt. Villan. *l.* 6. *&* 7.

FRANCISCUS Panigarola, Franciſcanus, Ep. Aſtenſis, libris Sermonibusque editis celebris, ſec. præterito.

FRANCISCUS Paravinus coram Friderico III. Imp. & Innocentio VIII. de S. Leopoldo peroravit, A. C. 1484.

FRANCISCUS de Paula, Fundator Ordinis Minimorum, à Sixto IV. approbati, A. C. 1473. Obiit A. C. 1507. Sanctis annumeratus eſt, A. C. 1519. à Leone X. Cadaver ejus, bello civili, exuſtum. Phil. Commineus, *l.* 6. *c.* 9. *Morer.*

FRANCISCUS Petrarcha. Vide *ibi.*

FRANCISCUS Philelphus, Tolentinus, vel Anconitatus, Poëta, & Orator. Conſtantinopolim profectus, Græcæ Ling. ſtudio, ibi Emp. Chryſoloræ filiam Theodoram duxit. A Palæologo ad Eugenium IV. legatus, docuit in omnibus Italiæ Academiis. Orationibus, Epiſtolis, Dialogis, Carminibus, &c. editis, Famam adeptus immortalem. Obiit A. C. 1471. Æt. 80. P. Jov. *elog. c.* 17. Jacobus Bergam. *l.* 15. Volaterran. *l.* 21. *Voſſ.* &c.

FRANCISCUS Piſanius, Cardin. Venetus, pro Clem. VII. mortis periculo ſe expoſuit. Marcello II. & Paulo IV. inauguratis, obiit Cardinalium Decanus, A. C. 1564. Victorel. *addit. ad Ciaccon.*

FRANCISCUS Pizarrus, Hiſp. primus Peruviam detexit, A. C. 1525. Mariana, *l.* 26. *c.* 3.

FRANCISCUS Puccius Fedelinus, ignorationem & incredulitatem Evangelii, vel defectum Baptiſmi, ad ſalutem nulli obeſſe, modò ſtudeat vitæ inculpatæ, quoad externos mores, nec præfractè quidquam neget; ineſſe omnibus naturâ hanc facultatem, ut poſſint & velint ſalvi fieri, etiam abſque ſcrutinio quæſtionum Theologicarum, aſſeruit: Romæ poſteà combuſtus. Oſiander *Centur.* 16. *l.* 4. *c.* 46. & Joh. Ludov. Hartmann. *Hiſt. Concil. Tom.* 4. *Period.* 6. *Peric.* 16. *Exercit.* 67. apud Tob. Pfanner. *Syſtematis Theologiæ Gentilis purioris c.* 22. §. 4.

FRANCISCUS Puteanus, Gen. Carthuſ. omni literarum genere excultus. Petro Ruffo ſucceſſit, A. C. 1503. Scripſit *Catenam auream ſuper Pſalmos*; vitam S Brunonis, &c. Obiit A. C. 1521. Sutor *l.* 2. *de vita Carthuſ.* Petrejus *Bibl. Carthuſ. p.* 91.

FRANCISCUS Quelenius, Carthuſ. ſcripſit de Morte. Idem *p.* 95.

FRANCISCUS Quinnoneſius, Cardin. ſub Clem. VII.

FRANCISCUS Rabelæſius. Vide *Rabelæſius.*

FRANCISCUS Rabutinus, ſcripſit Commentarios bellorum Galliæ Belg. inter Henricum II. Gall. Regem & Carolum V. Imp. Verdier. *Bibl. Gall. p.* 409.

FRANCISCUS Roaldenſis JC. celebris, Tholoſæ docuit. San. Marth. *elog. l.* 4.

FRANCISCUS de Roſieres, ſcripſit *Stemmata Ducum Lotharingiæ*, qui liber in Gallia cenſurâ notatus, &c. A. C. 1583.

FRANCISCUS Rupifulcaudius, Cardin. operam dedit omnem, ut Concil. Trident. in Gallia reciperetur. Obiit A. C. 1645. Æt. 88. *Morer.*

FRANCISCUS de Sales, Ep. & Principis Genevenſis titulo notus. Auctor Ordinis Viſitationis, obiit Lugduni, A. C. 1622. Ab Alexandro VII. Sanctis Rom. Commun. adjectus, A. C. 1665. *Idem.*

FRANCISCUS Sfortia I. Dux Mediol. fil. nothus Jacobi Attenduli de Cotignola, Dux ſui ſeculi celeberrimus: Principatum Mediol. obtinuit, A. C. 1450. excluſo Carolo Aurelianenſi, fil Valentinæ. Ope Ludovici XI. Genua potitus, A. C. 1464. duxit Blancam Mariam, ex illa Galeacii Mariæ ſucceſſoris &c. parens. Obiit. A. C. 1466. Æt. 70. princip. 16.

FRANCISCUS Sf. II. Maximiliano fr. ſucceſſit. Sæpius pulſus reſtitutuſque; obiit A. C. 1536. ex filia Chriſt. II. Daniæ Regis nullâ prole ſuſceptâ.

FRANCISCUS Sonnius, Ep. Antverpianus, literarum gloriâ florens, inter ſuos: Contra Reformatos varia ſcripſit. Strada de *B. B. l.* 1. San Marth. *Gall. Chriſt. tom.* 2. *p.* 155.

FRANCISCUS de Sourdis, Archiep. Burdigal. & Cardin. Obiit, A. C. 1628. Idem, *t.* 1. *p.* 227.

FRANCISCUS Stancarus, Mantuanus, à Maccejovio Ep. Cracovienſi vocatus, ut linguam S. Cracoviæ doceret, dogmata Evangelica docere deprehenſus, aliquandiu in vinculis fuit. Liber, Pinczoviæ ſcholam celebrem aperuit, Eccleſias à Papatu reformavit; ſo canones inſtaurandarum Eccleſ. conſcripſit, ſed quòd doceret; Chriſtum Mediatorem eſſe tantùm, quoad humanitatem, rejectus. Laſicius de geſtis Fr. l. 5. è mſc. Onuphr. A. C. 1551.

FRANCISCUS Tarapha, Canon. Barcinonenſis, hiſtoriam Regum Hiſpaniæ condidit, A. C. 1580.

FRANCISCUS Titelmannus, Leodienſis, Capucinus, obiit Romæ A. C. 1553. Scripſit apologiam pro verſione vulgata, collationem ſuper Ep. ad Romanos, c. Eraſmum & Jac. Fabrum, Commentar. in Pſalmos, Cantica Canticorum, &c. Vide *Morer.*

FRANCISCUS Toletus, Cardinalis Hiſp. ſcripſit in diverſos S. Scripturæ libb. Summam, &c. Obiit A. C. 1596. Æt. 74. *Idem.*

FRANCISCUS Turnonius, Cardin. Oſtienſis, Conſiliarius Franciſci I. hoc captivo, in Hiſpaniam miſſo. Sub Henrico II. Franciſco II. & Carolo IX. maximis ſemper rebus adhibitus. Franciſcum I. ne Melanchthonem, ut Navarræ regina optabat, ad colloquium cum Gallis Præſulibus vocaret, inhibuit. Poſſiaceno invitus interfuit. Cætera literatus, & literatorum Fautor, ſemper Lambinum aliquem vel Muretum ſecum habens, Obiit A. C. 1562. Æt. 73. Thuan. *Hiſt. l.* 34. *& ſeqq.* Sadolet. *ep.* 6. *&* 14. *Idem.*

FRANCISCUS Turrianus, vide *Turrianus.*

FRANCISCUS Vatablus, in Collegio trilingui, à Franciſco I. inſtituto, Pariſiis, A. C. 1530. Hebraicam linguam profeſſus eſt, aliarum quoque lingg. peritiſſimus. Obiit A. C. 1547. Præceptor Joh. Salignaci & Joh. Merceri, omnium Chriſtianorum Exegetarum qui in elogio Præceptoris illum Poëſeos quoque Hebraicæ, hucuſque Chriſtianis ignoratæ, callentiſſimum fuiſſe memorat. Marto perſuaſurus, ut verſionem Pſalmorum ſuſciperet, verbotim ipſe Hebraicas Pſalterii voces interpretatus eſt. Thuan. *Hiſt.* Sanmarth. *Elog.* Beza *Icon.* Rouillardus *Hiſt. de Melun.* ubi eum fuiſſe ſcribit Abbatem *de Bellozane*, quæ Abbatia poſt mortem Franciſci I. Amioto obtigit, Anton. Teiſſier *Elog. p.* 1. *&* 2. ubi *Notas* ejus in *S. Scripturam* à Rob. Steph. editas ait A. C. 1545. ac verſa quoque ab illo Ariſtotelis *Parva Naturalia, Bibliorum* verò *verſionem* à nonnullis R. Gualtero tribui, tradit, ex Placcio *de Script. Anon.* Patria illi fuit Gamachium opp. Picardiæ.

FRANCISCUS de Vico, urbis Præfectus, Viterbium Pontifici proditione abſtulit, A. C. 1392. Blond. *Platina.*

FRANCISCUS Victorinus, Dominicanus, Victoriâ Navarræ urbe oriundus, Pariſiis & Salamancæ docuit. Scripſit de poteſtate Eccl. Seculari, Conciliorum &c. Obiit A. C. 1546.

FRANCISCUS Vieta, Mathematicus inſignis *Harmonicon Cœleſte, Chronologiam, Geometriam* &c. ſec. præterito ſcripſit. Blancanus *Chron. Math.* Vide *Vieta Franciſcus.*

FRANCISCUS Xaverius, Indorum Apoſtolus, albo Sanctorum accesſit, ſub Greg. XV.

FRANCISCUS Ximenius, Archiep. Toletanus, & Cardin. ab Elizabetha Caſtellana conſcientiæ, à Ferdinando ejus marito, ſummæ rerum admotus. Immenſis ſumptibus Bibliorum Alcal. editionem procuravit, dux copiarum in Africa Oranum occupavit. Poſt adminiſtrationem regni, ſub Philippo quoque, & Carolo, veneno epiſtolâ è Belgio miſsâ, ſublatus eſt. A. C. 1517. Æt. 80. Mariana *Hiſt. l.* 26. *c.* 7. *& ſeq.* Alvarus Gomezius & Mich. Gauderius, *ejus vita.*

FRANCISCUS Zabarella, Cardin. Florentinus, quia ibi Archiep. dictus, Patavio oriundus, obiit Conſtantiæ, A.C. 1417. Æt. 78. ſcripſit Comment. in Decretales, & Clementinas, item Philoſophiam ſacris celebrem, de Schiſmate quoq; qui liber cenſurâ notatus eſt, *Morer.*

FRANCO, ſceleratus, Benedicto VI. ſtrangulato, ipſe Pontificatum invaſit. Vide *Bonifacius VII.*

FRANCOFORDIA, civitas ampla, & elegans in extremitate Franciæ Orient. ſita, nomen antè *Helenopolis*, ex vet. Inſcriptione, ad Francorum uſque in eam adventum, obtinuit, à quibus poſtmodum *Francofurtum* ſive *Francofordia*, i. e. *Francorum trajectus*, vel ab ejus inſtauratore Franco, Regis Marcomiri filio appellata fuit. Ab antiquis temporibus Imperialis civitas extitit, electioni novi Imp. conſecrata. Primus ibi Arnulphus Imp. eſt deſignatus. Interſecat hanc urbem Mœnus fluv. magnus, & navigabilis, qui in monte Vichtelbergio ſcaturiens, per Francorum terram delabitur, ac multos recipiens amnes nobile hoc emporium alluit, & ex Moguntiæ oppoſito Rheno commiſcetur. Hunc trajectum ac vadum Mœni Franci olim, ſub Carolo Mag. poſſidebant, à quo civitati Francofordianæ per eam occaſionem natæ datum eſſe nomen pleríque exiſtimant: cùm tamen conſtet hanc urbem etiam ante Caroli Mag. tempora, jam olim Francofurti nomen obtinuiſſe. Altera civitatis pars, & ea quidem major atque ſplendidior, Francofurtum; altera autem, quæ & ipſa muris ac foveis cingitur, *Saxenhauſen* h. e. *Saxonum domus* vocitur. Utraque autem præſtantiſſimi, & arcuati operis ponte, longâ ſerie conſtructi, jungitur, ejuſdemque Ampliſſimi Senatus gubernaculis regitur. Civitas hæc nundinaria, & clariſſimum non modò Germaniæ, ſed totius Europæ Emporium eſt. Joh. Matal Metell. Diſtat 2. leuc. ab Hanovia, 4. ab Aſciburgo, Baudr. Vide *Francofurtum.*

FRANCOFORDIA, urbs Mediæ Marchiæ Brandeburgenſis, ſita ad Viadrum fluv. quem *Oderam* vocant: ſic appellata quòd ſit immunis ab omni tributo: extructa putatur à Simone ſecundo ejus nominis, filio Cleodomori, nepote Simonis primi, Ducis Francorum, ſub Antonino Pio Imp. quidam tamen eam primò extructam fuiſſe ajunt A. C. 1253. à Gedino ab Hertzberg, auſpiciis, & juſſu Joh. I. Marchionis Brandeburgici. Hæc civitas Univerſali ſtudio celebris eſt, quo eam ornavit Joachimus, primus, ejus nominis, Marchio, circa A. C. 1506. Maximilianus verò primus variis privilegiis confirmavit. Emporio quoque celebri gaudet, in quo bis in anno Nundinæ celebrantur. Joh. Matal. Metell. Ortel. Hodiè vulgò appellatur *Francofurtum ad Oderam*, ad differentiam alterius hujus nominis opp. quod ad Mœnum fluv. jacet. In limite Sileſiæ eſt, 4. leuc. à Croſſa in Bor. totidem à confin. Poloniæ in Occ. *Baudr.*

FRANCOFURTUM ad Mœnum, Gallis *Francfort ſur le Mein*, quaſi vadum ſeu trajectus Francorum:

> ——— *quia Carolus illic*
> *Saxonas indomita nimium feritate rebelles*
> *Oppugnans, rapidi latiſſima flumina Mogi*
> *Ignoto fregiſſe vado, mediumque per amnem*
> *Tranſmiſiſſe ſuas neglecto ponte cohortes*
> *Creditur:*

Gunther. *Ligurin l.* 1. Germanis autem *Furt* vadum denotat. Alii tamen jam ante Carolum Mag. *Francofurti* nomen habuiſſe contendunt, illamque volunt à Franconibus conditam, atque, poſtquam collapſa eſſet à Franco Marcomiri IV. filio Duce Francorum fuiſſe reparatam. Urbs eſt ampla, elegans, princeps olim Orientalis regni Francici ſedes, Rhegino *Chronic. l.* 2. Joh. Fauſt de Aſchaftenburg *Chron. Francof.* Nunc ibi Dietæ Imperiales celebrantur pro electione Impp. Rom. Præterea Nundinis ſuis, per annum binis, celeberrima eſt, unde quis meritò cum Paulo Meliſſo,

> *Ut Gallia nunc Galliæ*
> *Dici poteſt Lutetia:*
> *Sic Francofurtum, nundinas*
> *Propter frequentes, nominet*
> *Germaniam Germaniæ.*

Ejus ſuburbium ex adverſo fluvii ſitum, vulgò dicitur *Saxenhauſen*, quaſi Saxonum domus, ubi Fanum S. Bartholomæi eſt, à Pipino olim Francorum Rege Salvatori dicatum: ac demum ab hujus filio Carolo Mag. ſplendidè dotatum. Urbi non parvus ſplendor acceſſit, à privilegiis, quæ ampliſſima, electionem Imp. ſedem Cameræ Imper. jus in arte gladiatoria Magiſtros creandi, à Friderico III. non alienationem, ab Vilhelmo, & Carolo IV. immunitatem à fortalitio, ab Richardo: aliaſque res concernentia ab Ludovico Bav. Sigiſmundo, Wenceſlao, aliis Impp. accepit. Nundinas, quæ primùm Moguntiæ fuêrunt, tranſtulit huc Fridericus II. abſtulit Carolus IV. cùm Francofurtenſes Gunthero Anti-Cæſari adhærerent, reddiditque, hoc cedente, acceptis 20000. marcarum, quas Judæi perſolvérunt: qui hodièque partem urbis poſſident, ſed certo ſigno notati, ut facilè poſſint dignoſci. Cives diviſi in Patritios, Patritiis proximos, & plebejos: quorum Tribus, & Tribunitia poteſtas (ex ſolis enim prioribus duobus civium generibus Scabini, & Conſules legi ſolent) propter rebellionem A. C. 1616. abrogatæ. Auguſtanæ Confeſſioni maximam partem addicta urbs eſt, aliqui tamen & Latinorum ibi conventus: in proximo pago *Bockenheim* Reformatis civibus ſacris locus eſt. Concilium Francofurti, A. C. 797. ab Carolo Mag. habitum ob frequentiam Epiſcoporum 300. præter Abbates, *Concilium Occidentis* dictum eſt: in quo Imaginum uſus hiſtoricus approbatus, adoratio damnata, Græcorum Nicena Synodus, A. C. 788. celebrata, deſtructa, acta reſciſſa, decretumque, ut Pſeudoſynodus diceretur: imo & refutatio ejus nomine Caroli Mag. contexta eſt. Aliud ibidem habitum eſt A. C. 1006. cùm de Eccleſia Bambergenſi in Cathedralem evehenda ageretur. Item A. C. 1024. Ditmar. *l.* 6. Tom. V. Concil. Venit & huc Bernardus, belli ſacri tuba A. C. 1147. ad quem videndum tanta hominum confluxit turba, ut Conradus III. Imp. depoſitâ chlamyde ipſum in ulnas ſuſcipere, & de Baſilica aſportare coactus ſit. Diſputavit hîc pro indulgentiis Tecelius A. C. 1517. Belgicam Eccleſiam excitavit, ex Anglia redux Joh. a Laſco, dato ei Paſtore Petro Datheno, A. C. 1556 Caſimirus quoque Palatinus cum Legatis variorum regnorum, ab Eccleſiis miſſis, de iniqua libri *Concordiæ* cenſura ibidem conqueſtus eſt, A. C. 1577. &c. Vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 17. Lætum *Comp. Hiſt. Univ.* Cl. Ottonem JC. *Notis ad B. Rhenan. Rer. Germ. l.* 3. *p.* 429. & 430. &c. Joh. Ludovicus Ganſius, ſic de urbe:

> *Gallia Lugdunum miratur: at Itala tellus*
> *Rem Venetam, Hiſpanos operoſa Sevillia jactat,*
> *Londinum Tameſis, ſpatioſa Antverpia Scaldem,*
> *Aſt ego Teutonicas inter caput altius urbes*
> *Effero.*

Et paulo pòſt:

> *Sola ego Cæſaribus quondam delecta creandis*
> *Glorior, & celebri mercatu duplice nomen*
> *Uſque ad Amaxobios peregrina merce propago:*
> *Eſt facundus ager, populus cum divite cenſu,*
> *Cæſaribus ſervata fides, prudenſque Senatus,*
> *Hæc mihi cum conſtent, quis me neget eſſe beatam?*

2. leucis diſtat ab Hanovia in Occaſ. & 4. ab Aſciburgo.

FRANCOFURTUM ad Oderam, *Francfurt an der Oder*, urbs eſt mediæ Marchiæ Brandeburgicæ, in limite Sileſiæ, 4. leuc. à Croſſa in Bor. & totidem à confinio Poloniæ in Occaſ. diſtans. Hîc celebris Academia. Vide *Francofordia.*

FRANCONES, qui aliis, præſertim Claudiano, Franci dicuntur, populi Germaniæ magnæ: quorum regio Francia Orientalis, & Franconia, & incolis *Franckenland* appellatur.

FRANCONIA, ſive *Francia Orientalis*, Germaniæ pars ampla, & ferè meditullium circa Mœnum fluv. extenſa. A' Sicambris, quibus Valentiniani Cæſaris tempore, ob Alanos devictos, Francorum nomen contigit, appellata: hujus nominis originem quidam ad Francum, quem alii Francionem nominant, fabuloſum atque ementitum Hectoris filium, gentis auctorem referunt. Quanquam alii malint dictos Francos, ſi minutiùs ſit exigendum vocis etymon, quaſi *fry on cy* nimirum à cenſu, quod *cy* ſonat, & vectigalibus immunes; alioqui videri poſſunt appellati veluti, *fry anſi*, *Franſi*, vocabulum autem *Anſi*, Gothici idiomatis proprium, denotat eos, qui cæteros mortales fortunâ, & opibus antecellunt, unde corrupta vox vernacula, *Anſos*, & additâ aſpiratione *Hanſos* nominat Proceres communi fortunâ majores: Hunc populum è Scythia alii profectum tradunt, ubi locorum diu multiſque Annis ante natum Redemptorem noſtrum morabatur: tandem autem aſſiduis Gothorum incurſionibus fatigati offenſique, novas ſedes quærere in animum induxêrunt: quare Marcomiro Rege aut Duce, circiter Annum ante natum Salvatorem 433. loca Rheno, Friſiis Chaucíſque proxima occuparunt, ibique conſidentes in provincia, quam nos Geldriam hodie nuncupamus, regioni à ſuo vocabulo Sicambriæ nomen fecêre: tum enim nondum cuiquam Francorum nomen auditum erat. Franconia autem Sueviam, & Bajoariæ partem à Mer. habet, Palatinatus Rheni illi occiduus eſt, ab Ort. Palatinatus ſuperior, Haſſi & Thuringi Saxoniæ populi à Sept. Cùm in quatuor partes diviſa ſit Franconia, quatuor etiam Magiſtratibus ſunt audientes Franci, quamvis Epiſcopum Herbipolenſem ducem Franconiæ dicant Moguntina Eccleſia, & Bambergenſis plurima obtinent loca. Palatinus quoque Comes haud parvam occupat partem. Quædam Franconiæ portio ad Saxon. Principem ſpectat, velut Coburgum opp. excelsâ arce munitum: Franconiæ primus Princeps fuit Genebaldus, qui 30. Annos ei præfuit. Dux ultimus Heranus, qui ſine hærede mortuus, Witunino, Francorum Regi, qui & *Pipinus* dicitur, Ducatum ex commiſſo reliquit, quem deinceps fil. ejus *Carolus Magnus* & primus, B. Burchardo primo infulato Ep. Wirceburgenſi, ejuſque ſucceſſoribus, & Eccleſiæ proprium donavit, ſeculo 8. Terra plana partim, partim montoſa eſt, montes ipſi haud difficiles ſunt, ager non admodum pinguis, nam plerumque arenoſus. Multis in locis conſiti colles vineis gratum producunt vinum, maximè verò ad Herbipolim, quæ primaria eſt totius Reg. ad Mœnum, vulgò *Wurtzburg* Joh. Matal. Metell. Merc. & Boëm. Aubanus. Ex Franconiæ Ducibus poſter. Imperio potiti ſunt Conradus I. A. C. 912. Conr. II. A. C. 1026. Henricus III. A. C. 1309. Henricus IV. A. C. 1056. Henr. V. A. C. 1108. &c. Franconia autem eſt primus Imperii circulus, ſub quo ſunt Epiſcopatus Herbipolitanus Bambergenſis, & Eichſtatenſis, Principatus Hennebergenſis, Comitatus Holachienſis, Erbachius, Onoldinus, & Verthemius, urbſque Norimberga cum aliis.

Urbes clariores Franconiæ.

Bamberga, *Bamberg*, Epiſcopal. ſub Archiep. Moguntino.
Cocabus, *Coburg*, ſedes Ducis, aliàs, nunc Altenburgenſis Ducis.
Culmbachium, *Culmbach.*
Francfordia ad Mœnum, Heſenopolis, *Franckford*, libera, & emporium.
Herbipolis, *Wirtzburg*, Epiſcopal. & Academia ſub Archiep. Moguntino, caput regionis.
Moguntia, veteribus Mocontiacum, *Mentz*, Archiepiſcopal.
Noriberga, *Nürnberg*, in Nortgoiæ confinio, libera, & emporium.
Onolsbachium, *Anſpach.*
Rotenburgum, à fluv. Tuberum etiam dictum, *Rotenburg an der Tauber*, libera.

Suemphordia, *Schweinfurdt*, quaſi Suevorum trajectus, libera.
Trutavia, *Forckheim*, libera.
Winshemium, *Winsheim*, libera.
Sunt præter has, Karoloſtadium, Cronachum, Mergerhum, Mons Regius, Aſchenburgum & aliæ.

FRANCORUM Nomen, primò innotuit, circa A. C. 260. quorum 30000. paulo pòſt trucidavit Valerius Aurelianus, A. C. 271. Trevirim accerſiti à Senatore, cujus uxorem Lucius Præſes rapuerat, occuparunt. A. C. 414. inde progreſſi in Celticam, & Belgiam, tandemque in ipſius Galliæ interiora, regnum Francicum ex Gallico, præpoſito ſibi Rege Pharamundo, conſtituêre, A. C. 419. cujus ex filio Clodione, nepos Merovæus, terram occupatam à ſe, & à Majoribus *Franciam* vocavit, A. C. 451. quæ in medio Zonæ temperatæ ſita, ad Occ. Oceano, à Mer. mari Mediterraneo alluitur: extenſa à 42. gradu latitud. uſque ad 51. & à 15. longitud. uſque ad 29. per 200. vel 225. circiter leucas, & à Sept. Belgio, Germaniæ Italiæque ab Or. à Mer. Hiſpaniæ contermina; ac à Germania variorum Principum terris, ab Italia Alpibus, Pyrenæis ab Hiſpania ſeparata. Diviſa eſt antiquitus in 12. Præfecturas, quarum deputati in Comitiis regni jus ſedendi habent. Ex his Picardia, Normannia, Inſ. Franciæ & Campania ad dextrum Ligerim Sept. verſus: Aquitania, Languedocia, Delphinatus, & Provincia, ad ſiniſtrum, verſùs Mer. ſitæ ſunt. Burgundia tandem, Arvernia cum agro Lugdun. Armorica cum territorio Aurelianenſi, curſum Ligeris ab Ortu ad Occaſ. ſequuntur. Aliàs in 15. Metropoles, quibus 115. ſubſunt Epiſcopatus: Vel etiam in decem regiones, pro numero Parlamentorum, diſpeſcitur. Solum adeo omnium rerum ferax, ut Maximilianus I. Imp. Franciæ regnum improbo voto ſuo ſecundogenito deſtinaverit, ſi Deus fieri potuiſſet: Auri quoque, & argenti dives, ut Strab. ac Athen. jam olim annotarunt, & reperta ante quinquaginta circiter Annos in Provinciæ montanis auraria vena, cujus hiſtoriam de Rochas exhibet, ſupra Peruvianas nobilis, luculenter teſtatur. Incolæ induſtrii, ingenioſi, Minervæ Bellonæque celebres alumni, ſed impatientes, leves, temerarii quandoque magis, quàm fortes, & acquirere quàm conſervare parta promptiores. Tres apud illos regnatrices fuêre familiæ, Merovingorum à Merovæo: Carolovingorum à Carolo Martell. & Capevingorum ab Hugone Capeto: quarum prima per Annos 333. ab A. C. 418. uſque ad A. C. 751. viginti & unum Reges, vel ſi Auſtraſiæ quoque & Neuſtriæ Principes comprehendas, 36. Reges dedit. Secunda rerum potita eſt, per An. 236. à Carolo Martello uſque ad Ludovicum Simplicem, & A. C. 986. ſub undecim Regibus: Tertia, cujus Hugo Capetus auctor, ad hæc uſque tempora genti præeſt, in tres diviſa ramos; quorum primus 14 Reges continens duravit uſque ad A. C. 1328. quo Carolus IV. cognom. Pulcher mortuus eſt: Secundus, à Philippo IV. *Valeſio*, nomen ſumens, in Henrico III. demum deſiit, A. C. 1589. Tertius *Borboniorum* in Henrico IV. incepit, cujus ex filio Ludovico XIII. nepos Ludovicus XIV. feliciter regnat. Sed non idem in omnibus familiis regiæ Majeſtati ſplendor fuit. Merovingi enim & Carolovingi paulò adductius imperarunt, partitioque regni in plures filios, & nothorum in idem prætenſio, non parum caliginis ſæpe offudit: qui autem à Capeto deſcendunt, liberius dominantur, & primogenitos ſucceſſores habentes reliquis filiis appanagia concedunt, lege inſuper Salicâ ſequiorem ſexum in æternum throno arcent. Magni ſemper inter Chriſtianos nominis Francorum Reges, unde *Chriſtianiſſimi & Primogeniti Eccl. Filii* dicti. Hinc Gregorius Mag. *Regiſtr. 5. Ep. 6.* Regnum hoc omnibus aliis præfert. Gregorius IX. per ejus reges Deum judicia ſua exercere ait: Bonifacius Vitalinus, poſt Suid. per excellentiam eoſdem Reges dici aſſerit: Baldus gloriam Regum vocat, &c. Primi certè in Occidente Imperatores eſſe meruêrunt, & quamvis totus olim mundus ſe Arianum factum ſtupuit, Francorum tamen Reges ab hac hæreſi immunes manſêre. Primùm in Gallia, quam Franci poſtmodum occuparunt, fidem Chriſti annuntiarunt Apoſtolorum diſcipuli, & ſecundo ſtatim ſeculo celebres hîc extitêre Eccleſiæ: quas cruentis perſecutionibus Ethnicorum Impp. graviter perculſas recreavit Conſtantinus Mag. Iterum poſtea Barbarorum incurſionibus, & Arrianorum fraudibus labefactas priſtino ſplendori reſtituit Chlodovæus, qui àb uxore primò Clothilde Burgundica femina Chriſtianiſmi hauſit, poſtmodum miraculosâ de Alemannis victoriâ obtentâ, à Vedaſto in Religionis capitibus uberius inſtitutus, & cum gente à Remigio baptizatus eſt, circa A. C. 500. Cujus ſucceſſores quàm fortiter ſeſe ſequentibus ſeculis potentiæ, nomen etiam Regibus majus affectanti, oppoſuerint, teſtantur exempla Philippi Pulchri, Ludovici IX. Caroli VII. Caroli VIII. Ludovici XII. aliorumque: Præterito ſeculo Evangelii doctrina toto regno prædicari cœpta, hodieque Regum benignitate plurimis in locis viget. Vide de Regibus primæ, & ſecundæ Familiæ, Greg. Turon. Fredegarium, Aimoinum, Sigebertum in *Sigeberto*, Ven. Fortunatum *in vita S. Radegondes*, Marculfum, Annales Fuldenſes, Odorannum, Eginhartum *in vita Caroli Mag.* Nithardum, Annales Floriacenſes, Abonem, Paulum Diaconum, Adonem, Flavinium, &c. De tertiæ familiæ Regibus Helgaldum *in vita Roberti*, Sugerum *in Ludovico Craſſo* & Rigordum *in Philippo Aug.* Ludovico VIII. ſuus Hiſtoricus fuit, cujus nomen ignoratur. Ludovici IX. vitam & res geſtas enarrarunt Godfr. de Beaulieu, Gul. Carnutenſis, Joinvillæus, P. Matthæus &c. Item Annales Sigeberti, Gul. Nangius, Froiſſardus, Enguerrandus Monſtreletius Joh. Juvenalis de Urſinis ſcripſit hiſtoriam regni ſub Carolo VI. aliique. Berrius res geſtas Caroli VII. exequutus eſt: Philippus Comineus de Ludovico XI. ſcripſit: Gul. Jalignius de Carolo VIII. Ludovici XII. res geſtas expoſuêre Joh. Auguſtodunenſis, Joh. de S. Gelaſio, & Claudius Seiſſelius. Henrici IV. regnum enarravit Perefixius &c. quibus addi poterunt P. Jovius, Guicciardinus, Pardeinus, Martin. & Gul. Bellaji, P. Matthæus, Duchenius, Freherus, plurimique alii laudati Morerio *Dict. Hiſt.* & Becmanno in *Hiſt. Orb. terr. Geogr. & Civ.* Vide quoque ſuprà in *Franci*, & *Francia*, ac infrà in *Gallia*.

FRANCORUM Lex, præter Salicam, de qua vide ſuo loco, à Theodorico I. fil. Chlodovei I. promulgata eſt. Vide quoque in voce *Lex Bajuuariorum*. Quo autem canone, non conſtat, nec quidquam de aliis Francorum legibus, ante Carolum Mag. Caroli autem ſoboliſque ejus, ſub *Capitulorum* nomine, latè dedêrunt Anſegiſus Abbas Lobienſis, qui vixit A. C. 840. & Benedictus Levita, hoc ordine: Abbas libros 4. anteriores: quorum primus ea exhibet, quæ Carolus Mag. ſtatuit in re Eccleſiæ. Secundus ea, quæ à Ludovico Pio, & Lothario fil. ejus de eadem lata ſunt. Tertius, ſcita Caroli Mag. in re politica. Quartus ea, quæ Ludovicus, & Lotharius ejuſdem ediderunt argumenti. Levita verò in 3. poſterioribus libb. prætermiſſa congerit & ſimilia, Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.*

FRANCORUM Rivulus, *Refrancore* vel *Rifranco* pag. Liguriæ, inter Alex. & Aſtam, à qua 6. mill. paſſ. abeſt, Caſalem verſus in agro Alexandrino.

FRANCOTHALIUM, Germ. *Franckenthal*, opp. Palatinatus munitiſſimum, à Friderico III. Electore, cùm antea Cœnobium fuiſſet, in exulum Belgarum gratiam, exſtructum, eiſque habitandum conceſſum, commerciis mirè floruit: jam vaſtatum hoc bello à Gallis ſoloque æquatum eſt, A. C. 1689.

FRANCUS, Hectoris fil. Celtis imperaſſe dicitur, poſt dirutam Trojam. Hinc *Francorum Franciæque* nomen. Cujus fabulæ, poſt Hunibaldum, meminit Trithemius &c. Dupleix. *l. 2. memor. Gall.*

FRANCUS, Sicambrorum Rex, ingenti exercitu cinctus, ulturus necem parentis, Gothos Saxoniæ raptores compeſcuit, A. M. 3925. Trithemius *in Chron.*

FRANCUS Martinus, vide *Martinus*.

FRANCUS Nicolaus, vide *ibi*.

FRANCUS Sebaſtianus, vide *ibi*.

FRANEQUERA, Urbs Friſiæ Occid. Aliis *Franichera* 2. leuc. à Leovardia in Occ. totidem ab Harlinga in Ort. & ab ora maris Germ. Sub Hollandis: cum Academia, erecta A. C. 1585.

FRANGERE, apud Stat. *Theb. l. XI. v. 28.*

Armenti Reges magno leo fregit *hiatu*,

comminuere eſt, *à magno hiatu proprium leonum*, Barthius ad l. Unde frequens de leonibus hæc locutio, apud Poëtas, eundem *Theb. l. 5. v. 353.* Horat. Carm. *l. 1. Od. 23. v. 10.*

Getulusve Leo, frangere *perſequor*.

Senec. *Troade*, & jam Homerum *Il. λ.*

Ὡς δὲ λέων ἐλάφοιο ταχείης νήπια τέκνα
Ῥηϊδίως ξυνέαξε ———

In Sacris quoque uſitata. 1. Reg. *c. 13. v. 27. Tradidit eum Dominus leoni, & fregit eum.* Et *v. 29. non fregit aſinum*, i. e. oſſa ejus non comminuit neque contrivit. Vide quoque Eſ. *c. 38. v. 13.* & Dan. *c. 6. v. 24.* Indeque Arabibus *confractor* dicitur leo, uti docet Bochart. *Hierozoici Parte Prior. l. III. c. 2.* Uti autem carnem & membra ferarum unguibus diſcerpit ac dilacerat, quod Hebræis eſt, טרף, ſic oſſa illarum *frangit* dentibus quod iiſdem שבר. Quo fine cataphractum ei os, ut ait Phile, propter ſeptum dentium, quorum tanta firmitas & durities, ut ex iis colliſis ignis, tanquam de ſilice, elicitur. Quapropter leones his maximè valere, canit Anacreon Od. 2.

Φύσις κέρατα ταύροις,
Ὁπλὰς δ' ἔδωκεν ἵπποις,
Ποδωκίην λαγωοῖς
Λέουσι χάσμ' ὀδόντων. κτλ.

Vide quoque ſuprà in voce *Dens*: & de aliis verbi hujus notionibus Iſaac. Caſaub. *Not. ad illud Perſii Sat. 5. v. 50.*

Saturnumque gravem noſtro Jove frangimus *unà*.

Apud quem eundem Juv. *Sat. 7. l. 3. v. 86.* ubi de Thebaide Statii publicè exhibita, verba.

Sed cum fregit *ſubſellia verſu*,

quæ in notam victi Papinii trahit Scalig. idem Vir eruditus, de ſigno victoriæ ejus explicat, quaſi plauſu & κρότῳ, *euge* & *ſophos* acclamantium, ſubſellia fracta indigitare voluerit Satyricus, vide confirmantem ejus ſententiam Caſp. Barthium *Animadv. ad Stat. Theb. l. 2. v. 214.*

Expectata dies, Læto regalia cœtu.

ut & quæ ſuo loco de hoc Poëta dicta, nec non infrà *Grande ſophos*. Sic Gronovio *frangi* proprium verbum de inſeſſis toris atque incumbendo depreſſis. Auſ. *Ep. 2. v. 15.*

Gramineos nunc frango *toros* ———

Claud. *in laude Serenæ*, *Carm. 29. v. 91.*

——— *Si placido ceſſiſſent lumina ſomno*,
Purpura fulgebat violæ fractura *cubile*
Gramineum ———

i. e. præbitura ſe ad *frangendum*, in cubilis vicem, parata frangi, ut cubile. Stat. de coma Glauciæ,

——— *crinemque decorum*
Fregiſſet *roſea laſciva Thalia corona.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Ubi *frangi* vult crinem exſtructum, cùm ſuperimpoſita corona deprimitur & ſic q deſtruitur &c. Hinc *frangere clivum*, pro ſuperare inque eum invadere, apud Senec. *frangere mammas*, Ezech. *c.* 23. *v.* 8. & 34. alia: Item *fragilis culcita*, apud Mart. *l.* 14. *in Apoph. Epigr.* 162. cujus epigraphe Fœnum.

> *Fraudata tumeat* facilis *tibi* culcita *pluma*
> *Non venit ad duros pallida cura toros.*

Vide Joh. Frid. Gronov. *Obſervat. l* 4. *c.* 22. Ut de ritu *frangendi* ſacro aliquid aſpergam, in prima S. Cœnæ inſtitutione, DOMINUS noſter panem benedictum *fregit*, Matth. *c.* 26. *v.* 26. more à cœnis Judaicis deſumpto, ubi Paterfamilias, peractâ benedictione, panes frangebat & diſtribuebat. Chriſtumque ſecuti Apoſtoli *panem fregiſſe* leguntur, unde & κλάσις τοῦ ἄρτου S. Cœna dicta Actor. *c.* 2. *v.* 42. Quod & in Eccleſia vet. per plura ſecula obſervatum eſt, uti docet Franc. Burmann. *Synopſi Theol. Chriſt. Part. poſter. l.* 7. *c.* 10. §. 19. ubi ritus hujus myſterium explicat. At in celebratione Paſchatis Exod. *c.* 12. *v.* 46. *Nullum os agno Paſchali frangi* Deus voluit. Quod de minuſculis quidem oſſibus non intelligunt Judæi; ſed ad generalem Dei legem quis excipiat quicquam? Quin ad agni oſſa videtur alludi verbis Davidis Pſalm. 34. *v.* 21. *Omnia oſſa ejus ſervat* Deus (*ne unum quidem frangitur.* Et ipſe Maimonides ſcribit, *idem eſſe, ſi quis durum os, aut tenerum confringat, Paſch. c.* 10. *ſ.* 3. Et quidem videri poterat ea Lex ad id pertinuiſſe, quòd raptim Iſraelitæ edere juſſi fuerant. Neque enim, qui properant, in emedullandis oſſibus tempus terunt, qua fere de cauſa franguntur. Sed & in ea lege latebat myſterium, de quo vide Joh. *c.* 19. *v.* 36. plura vero hanc in rem, apud Bochart. *Hierozoici Parte prior. l.* 2. *c.* 50. &c.

FRANGIA, vide ſuprà *Fimbria.*

FRANGIPANIUS Latinus, vide *Latinus Frangipanius.*

FRANTZIUS Wolphgangus, vide *Wolphgangus.*

FRASCATA, urbs Latii Epiſcopal. ſub Pontif. 12. mill. à Roma in Ort. Ubi aliquot palatia Princ. Aliter *Tuſculum.* Hinc ejus Ep. qui ſemper eſt unus ex 6. antiquioribus Cardinalibus, dicitur Ep. Tuſculanus. Leand. *deſcr. Italiæ.* Vide *Tuſculum.*

FRASCATA, olim Luculli villa, in Latio.

FRASCATÆ Ædes, oratorium eſt in Vaticana Baſilica. Anaſtaſ. Biblioth. *in Benedicto III. Quidam de Anglorum gente Romam venêrunt, qui in Oratorio B. Gregorii Papæ & Confeſſoris Chriſti, in Principis Apoſtolorum æde* Fraſcatæ *conſtructa, unam tabulam argenteam poſuêrunt.* Macer. *Hierolex.*

FRATER, titulus quo ſe mutuò Chriſtiani olim compellabant, *quòd unius Dei parentis homines, quòd conſortes ejuſdem fidei & ſpei cohæredes*, ut ait Minutius, fraterno inter ſe more viverent: quòd & *unum patrem Deum agnoſcerent*, ut Tertullian. *in Apologet. c.* 39. ubi Deſid. Herald. vide quòd eſſent *cum omnibus, quos Sol videt, germanitatis neceſſitudine copulati*, ut Arnob. *adverſ. Gentes l.* 4. quòd denique ut Lactant. ait *l.* 5. *c.* 10. *Omnes homines pro fratribus diligerent*, Proin Gentiles *Fratrum* appellatione donare Chriſtianis ampliùs non licuit vide *Nomocanonem* editum, à Joh. Bapt. Cotelerio *c.* 452. Item, quo ſeſe invicem appellabant Reges, vide C. du Freſne, *Not. ad Alexiadem.* Porrò, quo Provinciarum Rectores & Comites compellabantur, ab Imperatoribus, Senator *l.* 6. *in Formula Rectoris prov.* Epp. quoque à Pontificibus Rom. hique viciſſim ab illis, quod obtinuiſſe etiam poſt Annum 1400. obſervat Joh. Launoius *in Hiſt. Regii Navarr. Collegii Pariſ. p.* 540. Eodem porrò nomine dicti in Eccleſia Rom. Monachi univerſi, quod eos mutuatos eſſe à primis Chriſtianis, docet idem C. du Freſne *ad Cinnam. p.* 433. Vide & ſuprà *Abbates.* Etiam Militares Ordines: Unde *Fratres de Palmis*, occurrunt apud Orderic. Vital. *l.* 13. de quibus vide Marcam *Hiſt. Benearn. l.* 5. *c.* 21. *Fratres S. Sepulchri, Spicilegii Tom. VIII.* &c. Vide quoque infrà in *Fraternitas, Fratres, Soror*; item *Vitas-Fratrum*; & plura hanc in rem, apud C. du Freſne *Gloſſ.* & Macros Fratres *in Hierolex.*

FRATERCULI, nomen in Italia Beguinorum, quibus Marcam Anconitanam, ipſamque Florentiam refertam fuiſſe, refert Anton. *par.* 3. *tit.* 21. *c.* 5. §. 1. circa A. C. 1320. Eorum tum inter alios doctor Michael Ceſennas, pulſi inde in Græcorum regiones ſe diffuderunt: Joh. Caſtilonæo & Franc. de Harcatara combuſtis. Hi *purpuram, opes, dominatum à Sacerdotio aliena eſſe*, prædicabant: Quo tempore contra Papam ſcripſêre Marſilius Patavinus, Vilhelmus Occamus, alii. Vide Morn. *in Myſt. Iniquit.* & ſuprà *Beguardi*, ſeu *Beguini.*

FRATERIA, vel PHRATERIA, Daciæ urbs. Ptol. *Broſſa teſte Lazio*, & Hungaricè *Zarzuara.*

FRATERNITAS, titulus honorarius, quo utebantur Regg. cùm ad alios Reges ſcribebant. Luithprand. *in Legat. Sed & optimam amicitiæ arrabonam fraternitati tuæ nunc Dominus contulit.* Ἀδελφότης, apud Menandrum Protector. Sed & Epp. ac cæteri è Clero eodem titulo ſæpe ſe mutuò compellaſſe leguntur. Aliquando verò *Fraternitas* ipſa Eccleſia dicta, vel certè ipſi Fideles, apud Tertullian. Cyprian. Ambroſ. Hieronym. Alios. Porrò, ſic vocatus occurrit, *Fratrum* ſeu Monachorum cætus, apud Liberatum Diac. *c.* 11. Græcè Ἀδελφικὸν, apud Pallad. *in Hiſt. Lauſiaca*, & Ἀδελφότης quoque, apud Theod. Studitam in *Vita* S. Platonis *n.* 32. Etiam *Fraternitas* dicitur, Societas inita inter Monachos variorum Monaſteriorum, quâ ſua ſibi invicem bona ita communicabant, ut tanquam fratres alterius Monaſterii haberentur, in illud reciperentur, epularentur in Refectorio, precationum, ſeu, uti vocant, omnium *Beneficiorum* eſſent participes, pro iis, cùm è vita migraſſent, preces, perinde ac pro Monachis indigenis, pro more, funderentur &c. Cujuſmodi *Fraternitatum* & Societatum Monaſticarum *Chartas* & exempla proferunt, *Hiſt.* Abbatiæ Condom. Rovetius *in Reomao*, Marlotus *Hiſt. Rem. l.* 3. *c.* 14. Alii laudati C. du Freſne in *Gloſſ.* ubi *Chartam* antiquam ac ſingularem, ad ejuſmodi ſocietatum formulam percipiendam, adſcripſit ex *Tabulario* Flaviniacenſi. Atque hinc *Fraternitates* dicebantur, præſtationes, quæ fiebant Monaſteriis ab iis, qui fraternitatem illorum ſuſceperant apud Anaſtaſ. IV. Pontif. Rom. *Ep.* 12. *ad Fratres S. Joh. Hieroſolymit.* Sed & *Fraternitas*, in eadem Communione, de Laicis, ut vocant, dicitur, qui in participationem orationum, ſuffragiorum & *beneficiorum* à Monachis admiſſi, in *Fratres* vel *in Fratres & Monachos recipi*, dicuntur apud Ekkehard. Junior. *de Caſibus* S. Galli *c.* 1. Cujuſmodi admiſſionis formulam, idem C. du Freſne exhibet ex *Chartul.* Campan. Bibl Thuan. *p.* 299. ubi de Comitiſſæ Campaniæ *in Sororem ordinis Cluniacenſis receptione*, ſermo eſt. Tandem *Fraternitatis* nomine ſeu *Fratriagii*, venire partem hæreditatis, quæ ad primogeniti fratres pervenit, docet pluribus id, C. du Freſne, *ubi ſuprà.* De *Fraternitatibus* vett. Athenienſium, vide infrà in voce *Phratrica.*

FRATICELLI, vel BISOCHI, Monachi apoſtatiæ, ſub Duce Hermanno Pongilupo, A. C. 1294. in Marchia Anconitana, errores orſi, feminas ſecum, ſub religionis prætextu, circumducebant, communia habentes omnia, & Superiorum excuſſo jugo. Sit fides penes auctores. Cadaver Hermanni Anno 20. poſt mortem refoſſum, exuſtumque eſt, *Morer.*

FRATINA, caſtellum agri Tarviſini.

FRATRES, celebre inter Bohemos nomen, à piis Huſſi reliquiis, poſt Calixtinorum ſeceſſionem, Ordine atque Conſiſtorio Lhotæ prope Richnoviam erecto, congregationi inditum, A. C. 1457. quæ ab illo tempore *Fratrum Unitas* dicta eſt, inter cujus primos fundatores recenſetur Gregorius Rzehorzius, ſororis Rokyzanæ nepos, genere nobilis, in cœnobio antea Pragenſi ſanctitatis opinione celebris. His præfuêrunt, *Seniores* appellati, ſorte tres primitus electi ſunt, ut munera Eccleſiaſtica, & jus Ordinationis obirent: Fuêrunt autem Matthias Convallenſis, Thomas Przelaucius, & Elias Chrzenovicius, quibus Michael, qui antea illos docebat, & Stephanus Valdenſium Ep. manus impoſuêrunt. Hoc novo Ordine excitato Rokyzana, quaſi ſpretus eſſet, ægerrimè rem tulit, & Podiebradio Rege in ſuas partes pertracto, acriter illos perſecutus eſt, unde *Jamnici*, quòd in ſpeluncis latitare cogerentur, dicti: Etiam Calixtini cum Monachis in eorum cædem conjurarunt, nullo hoſtilitatis genere omiſſo. Nihilominus circa A. C. 1500. in Bohemia Moraviaque jam prope 200. *Fratrum* Eccleſiæ numeratæ ſunt, ſed cum augmento crevêre perſecutiones: Hinc non urbibus modò, ſed & aditu ad honores ab Vladiſlao Rege excluſi ſunt, A. C. 1502. nec Confeſſio & Apologia Regi dedicata eos juvit. Proſcripti igitur A. C. 1508. Varadienſi Ep. decretum extorquente, quod tamen ob judicia Dei perſecutoribus immiſſa, ut prov. inde ortum: *ſi quem vivere piget, aggrediatur Picardos.* Paulò pòſt increbreſcente Eraſmi famâ, ejus teſtimonio Confeſſionem ſuam gratiorem reddere cùm vellent, ab eo id, ne de Fama periclitaretur, negatum: Lutherus quoque, tum adhuc Papæ addictus, in concionibus ſuis acerrimè in *Fratres* invectus Wittebergæ. Primis Senioribus mortuis Eliâ A. C. 1503. Matthiâ A. C. 1515. Thomæ A. C. 1518. ſucceſſit huic Lucas Pragenſis, unus ex peregrinatorum numero, vir eximius, quo tempore etiam reliquæ Chriſtianæ orbis partes Eccleſiam puriorem parturiebant. Crevêre interim in Bohemia Moraviaque *Fratrum* Eccleſiæ, quamvis domeſtici externiſque hoſtibus indies obnoxiæ. Quorum quidam cùm conjunctionem cum Pontificiis urgerent, Lutherus illos dehortatus eſt, A. C. 1525. Hinc templa illis erepta, ſed Ludovico Rege in prælio occiſo, mox iterum patuêre: impetratâ præcipuè per Confeſſionem Ferdinando oblatam, ſacrorum veniâ, A. C. 1534. Sequenti Anno Lucas Archipresbyter, de quo ſuprà, obiit, volumine canticorum è S. Bibliis in uſum Eccleſiæ linguâ patriâ, accurato labore compoſito, aliiſque ſcriptis clarus; poſtquam Eccleſiæ Fratrum *non ab hoſtium perſecutionibus, ſed à neglecta diſciplina periculum imminere* prædixiſſet. Ipſum in officio excepit Fr. Benedictus, cui Joh. Auguſta adjunctus eſt. Hi Unionem cum Luthero, A. C. 1536. per legatos, nomine ſuorum, inivêre: quam A. C. 1540, & biennio pòſt renovarunt: eodem fine, & Argentinam miſſo ad Bucerum Matthiâ Czervenckâ. Iterum occluſa poſt hæc *Fratribus* templa, A. C 1547. & in illos ſævitum: quorum 500. ſimul ad Albertum Ducem Pruſſiæ ſe contulêre, libertate religionis exercendæ ab illo, per Paulum Speratum, ſolenniter obtentâ: in qua Pella, ad A. C. uſque 1574. ſub patrocinio Brandenburgici vixêrunt: in Poloniam quoque majorem, & min. fide interim propagatâ. Sic in Bohemia tum publici cœtus Evangelici nulli, at in Moravia congregatio *Fratrum* adhuc non ſpernenda erat. In Polonia, poſt confeſſionem fidei per Jacobum Oſtrorogium Regi A C. 1564. oblatam, illis quies. In Bohemia quoque, poſt Ferdinandi obitum, à Rege Maximiliano liberum religionis exercitium obtentum, & templa iis reſtituta ſunt: A. C. 1564. ſed ecce novas machinationes, autore Joachimo Neuhuſio, regni Cancellario, quæ tamen illo, Danubii vorticibus hauſto, fruſtra fuêre. E Pruſſia quoque *Fratres*, cùm Polonicis miniſtris Auguſt. Confeſſionis uti juberentur, in Bohemiam remearunt: erantque tum numeroſi eorum in Bohemia, Moraviaque cœtus, ſed magni nominis Theologorum obitu funeſtati. Joh. itaque Auguſtæ, Joh. Blahoſlavio, & Matthiæ Czervencka demortuis, ſubſtituti Andreas Stephanus & Joh. Calephus, ſyncretiſmum cum Auguſtanæ confeſſionis ſociis inituri, confeſſionem ex ſcriptis Huſſi, & confeſſionibus Fratrum collectam, atque ab Academia Wittenbergenſi, quo Lobkovicius Baro miſſus erat, approbatam Maximiliano A. C. 1575. rurſus obtulêrunt, quâ ab illo confirmatâ, iterum Eccleſiæ halcyonia eſſe cœpêre: cùm jam ante, A. C. 1570. in Polonia Confeſſionis Bohemicæ, Auguſtanæ, & Helveticæ conſenſus Sendomiriæ fuiſſet initus. Pace hâc inter diverſos adverſariorum inſultus fruiti *Fratres*, verterunt A. C. 1578. in linguam Bohemicam S. Biblia, ſumptus Joh. Zerotinio Barone ſuppeditante, notaſque addidêrunt; quòd opus cùm Ep. quidam Pontif. videret, ut refert Regevolſcius, *in*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Syſtem. Hiſtorico-Chronologico Eccl. Sclavonic. Certè, dixit, *hic labor nec idiotarum eſt, nec parvarum virium humanarum.* Poſt A. C. 1600. pax aliquandiu nutare cœpit, Jeſuitarum fraude decreto publicato, quo *Fratrum* templa iterum claudi juſſa: quâ ipsâ die nuntio accepto de Alba capta, dixiſſe fertur Imp. *Expectabam tale quid, poſtquam hodie Dei regimen, quod eſt conſcientiarum, uſurpare cœpi.* Mox, ejecto ex aula Rumpio, Fratribus infeſto, jus ſacrorum inſtitutum, literæque Majeſtatis, quibus libertas Religionis Chriſtianis ſub Utraque (ita illos vocare libuit) permittebatur, conceſſæ ſunt A. C. 1609. quæ pax ut firma conſervaretur, Conſiſtorium Evangelicis atque Fratribus commune, cui Adminiſtrator, & Senior præſideret, erectum atque Conſenſus ſolemniter initus eſt, parariis præcipuis Andreâ Comite Schlickio, & Venceſlao Barone de Budowa. Verùm dum pacem habent Eccleſiæ, ſegneſcere in zelo pietatis ac ſic charitatem illam primam omittere cœpêrunt. Hinc licèt Pragæ templo magnis ſumptibus Salvatori ædificato, A. C. 1614. ſecuritas, ambitio, litigandi pruritus, odia mutua eandem calamitatem Bohemicis, quam Germanicis Eccleſiis attraxêrunt; juxta vaticinium Archidecani Gorentenſis, in concione A. C. 1609. ſub tempus Unionis habita, & Lutheri, de quo *tom. 2. Jen.* Excitata mox infelix controverſia, an ex literis Majeſtatis liceat Evangelicis templa in territorio Eccleſiaſtico erigere, inde tumultus, & dulce inexpertis bellum, quo regnum univerſum & Eccleſiæ Proteſtantium peſſundatæ. Interim celeberrimâ Zeravitcii in Moravia ſynodo celebratâ, A. C. 1616. Ordo Eccleſiæ conſcriptus ac publicatus eſt. Sed Friderico Rege A. C. 1620. victo, Eccleſiâ velut Cimmeriis tenebris involutâ, ultra 20. Paſtores rabie militari occubuêrunt, ſævitumque in Proceres, & in Moravia æquè ac Bohemia Religio inhibita, ac generali exilio Paſtoribus A. C. 1624. *Fratribuſque* omnibus A. C. 1627. impoſito, etiam Ziſcæ, & Rokyzanæ cineres refoſſi ſunt. Quare ad 12000. hominum in Germaniam, Poloniam, Hungariam, Belgium, Angliam conceſſêrunt, ſicque *Unitas Fratrum*, quæ per 180. Annos à 52. in Bohemia, & Moravia Senioribus gubernata fuit, tertium pro Religione exilium ſubiit. Reliquiæ in Polonia confiniiſque adhuc non exiguæ, verùm afflictæ admodum, hoc tempore liberalitate Fratrum Helvetiorum non parum levantur. Vide Lætum *Comp. Hiſt. Univ.* &c.

FRATRES & Conſanguinei Pop. Rom. Vide infrà ubi de *Sociali bello.*

FRATRES Arvales, vide ſuprà *Arvales.*

FRATRES Conjurati apud Dunelmenſem *p.* 190. & 203. dicuntur qui Sacramento ſibi invicem dato *fraternitatem* inibant, vide C. du Freſne *Diſſert. 21. ad Joinvillam.* Aliter accipiendi in *LL.* Vilhelmi Nothi *c.* 59. *Præcipimus, ut omnes liberi homines totius Regni ſint* Fratres conjurati; *ad Monarchiam noſtram & Regnum noſtrum contra inimicos pro poſſe ſuo defendendum* &c. Hîc enim intelliguntur, ad Reip. tuitionem ſacramento mutuo adſtricti alicujus Regis ſubditi: quo modo *Jurati* nudè vocabantur oppidani, qui unâ eademque lege vivebant. Vide quoque *LL.* Edwardi *c.* 35. In quam ſententiam præclarè Simplic. *in Epictet. p.* 65. Εἰ γὰρ κοινὴ μήτηρ ἡ πόλις, μητρὶς ὅσα καὶ πατρὶς, δῆλον ὅτι κατὰ τοῦτο ἀδελφοί πως εἰσὶν οἱ πολῖται. *Si enim communis mater civitas eſt — patet* Fratres *inter ſe quodammodo eſſe cives*, apud C. du Freſne *Gloſſ.*

FRATRES Conſcripti, apud Scriptores Eccleſiæ Rom. dicuntur Laici, atque adeò alii, in album Fratrum ſeu Monachorum relati, ſeu potiùs eorum *fraternitate* donati: uti olim *Milites conſcripti* dicti ſunt, *qui in tabellas conferebantur ab iis, qui eos ducturi erant*, Iſid. *l.* 9. *c.* 3. vel ut Senatores, *Patres conſcripti* appellati, *quod eorum nomina in tabulas aureas contuliſſet* Romulus, ut idem Iſid. *c. ſeq.* Iidem quoque *Fratres Spirituales*, appellati occurrunt in *Tradit.* Fuldenſ. *l.* 3. *c.* 40. Πνευματικοὶ nudè, in *Nomocanone* edito à Joh. Bapt. Cotelerio *c.* 79. Quamvis aliàs *Fratres Spirituales*, dicantur Monachi vel ætate provectiores, vel morum probitate cæteris præcellentes; qui & *Fratres Maturi*, apud Adalard. in *Statutis* antiquis Monaſterii Corbejenſis *l.* 1. *c.* 3. Apud Græcos verò potiſſimùm ſic vocati ſunt, qui ſeſe invicem *in Fratres* adoptantes fraternitatem ſacramento, in Eccleſia coram Sacerdote, ſumptâ interdum diviſaque Euchariſtiâ, firmabant: Ἀδελφοὶ πνευματικοὶ itidem, apud Gregor. in *Vita* Baſilii Jun. *n.* 28. de cujuſmodi *Fraternitatibus* copiosè C. du Freſne *Diſſert. ad Joinvillam* 21. Vide quoque ſuprà. An iidem cum *Fratribus exterioribus*, quorum mentio in *Actis* Murenſis Monaſter. quoſque Eccleſia Græcanica Μονάχους vel Ἀδελφοὺς ἐξαμονίτας vocat, ad diſcrimen ἐσωμονιτῶν, de quibus *Nov.* Alexii Comneni, apud Balſamonem *ad VII. Syn. c.* 19. & Joh. Antiochenus Patr. *opuſc. Chariſticar. n.* 14. Vide eundem C. du Freſne in *Gloſſ.* & infrà in voce *Redditi*,

FRATRES Crucis, vide ſuprà *Crucem aſſumere* & *Crucifratres.*

FRATRES Gaudentes, appellantur in Italia Fratres ordinis Militiæ S. Mariæ Virg. quorum Ordo inſtitutus primùm fuit, ab aliquot Nobilibus Bononienſibus ſub A. C. 1261. quibuſque Regulam præſcripſit Urbanus IV. Pontifex Romanus à Cherubino Ghirardacco deſcriptam *in Indice Tom. I. Hiſt. Bonon.* qui plura de iis etiam habet, *l.* 7. ad eundem annum: ubi præterea obſervat, ſic illos appellatos eſſe, quòd unà cum uxoribus & filiis ſinguli ferè in ædibus ſuis privatim manerent. Eorundem meminit quoque Ammiratus *Hiſt. Flor. l.* 2. *ſub* A. C. 1266. ut & Laudin. & Velutellus *ad Dantem in Inferno cant.* 23. Neque alii ſunt, de quibus Marſil. Patav. *in Defenſore Pacis part.* 2. *c.* 8. *Neque adhuc his clauſi limitibus, Laicos quoſdam quos in Italia* Fratres Gaudentes, *alibi verò Beginos appellant* &c. Vide quoque Nicol. Upton. *de Milit. Offic. l.* 1. *c.* 3. Sed & ſic ex Minoritis, qui juſto licentius vivebant nominatos fuiſse, docet C. du Freſne *in Gloſſ.* ex Wiguleo Hondio *in Metropoli Salisburg. Tom.* 2. *p.* 348.

FRATRES Maturi, it. *Fratres Spirituales*, vide ſuprà *Fratres conſcripti.*

FRATRIA, vide infrà *Levir.*

FRATRICELLI, nomen Valdenſibus an Beguinis in Italia aſperſum, quorum A. C. 1304. quo ſummâ crudelitate exterminabantur, doctores erant Gerardus Sagarellus Parmenſis, & Delcinus Novarienſis. Præter hos Dantes Aligerius Poëta, & Marſilius Patavinus acerrimè vitia cleritum inſectari cœpêre, vide Blond. *dec.* 2. *l.* 9 & ſuprà *in Fraterculi.*

FRATRICELLI, qui & *Fratres de paupere vita*, *Bizochi* & *Beguini* interdum dicuntur, Minoritarum ſecta, auctore Henrico Cerâ exorta, qui pura & candida Franciſci Inſtituta ſectari ſe jactantes, ab Cæleſtino V. Pontifice Romano auctoramentum ſectæ ſe accepiſſe dicebant: damnati aliquoties ab Bonifacio VIII. & Joh. XXII. Vide ſuprà *Bizochi*, & plura apud C. du Freſne *in Gloſſ.*

FRATRICIDIUM, ſub ipſa mundi primordia innotuit, Caino auctore, quem ζήλου ἀρχηγὸν, *invidiæ principem*, in cauſam ſimul flagitii, & ſcelerati auctoris nomen, digitum intendens Chryſoſtom. appellat *Tom. VI. Homil.* 115. *Parricidii* nomine non rarò venit, ut infrà videbimus. Unde Firmicus *l. de Error. profan. Relig.* ubi de ſacris Corybantum, in quibus *Fratricidii* mortis ſc. Cabiro à fratribus illatæ, memoria recolebatur, *In ſacris Corybantum*, ait, *parricidium colitur. Nam unus frater à duobus interemptus eſt, & ne quod indicium necem fraternæ cædis aperiret, ſub radicibus Olympi* [illegible] *parricidis fratribus conſecratur.* Quod Clemens Alex. quoque [illegible] & Arnob. *Admonit. ad gentes* adduntque ex interempti ſanguine natum eſſe apium, quod idcirco in menſa apponi prohibitum Corybantum morem Caracalla poſtmodum ſecutus, fratrem Getam *divum, quàm vivum, eſſe* maluit. Plura infrà ubi de *Parricidis.*

FRATUERTIUM, opp. Apuliæ Peucetiæ, vulgò *la T.*... Baudr. vicus regi Neapol. in prov. Hydruntina, medius inter Mattolam, & ſinum Tarentinum.

FRATUOLUM, opp. Hirpin. *Palo, Ortel.*

FRAUDATIO Stipendii, inter pœnas militares, vide *Pœna.*

FRAUENBURGUM, opp. Pruſſiæ reg. in littore Habi ſive *Friſch Haf*, ubi recipit amnem *Schon* cum portu capaci. Ibi obiit Nic. Copernicus, A. C. 1543. Vix 4. mill. Germ. ab Elbinga in Cæc. Pilaviam verſus totidem.

FRAUENFELDUM, quaſi *Mulierum campus*, caput Turgeæ, ſitum eſt opp. paulò ſuprà oſtium fluv. Muræ, *Murck*, cum arce, nomenque accepit à Comite quadam Kyburgica, contra æmulos hoc pacto ſe muniturâ. Olim itaque ſub propriis Comitibus; poſtmodum extinctâ Comitum familiâ, cùm Sueviæ ſeu Alemanniæ Ducatus, morte Conradini, Imperio accreviſſet, ad Auſtrios pervenit, qui huc Præfectum miſêrunt. Sub horum imperio ab Abbatiſcellanis fruſtra obſeſſum A. C. 1407. egregiis proin privilegiis ornatum eſt. Dein tempore Concilii Conſtantinenſis, proſcripto Friderico Archiduce, Sigiſmundus Imp. opp. Imperio aſſeruit: A. C. 1415. poſtea verò ei in gratiam recepto reddidit. Cives uxori Sigiſmundi Archiducis è regio Scotorum ſanguine, cui à marito Comitatus hic conceſſus erat, jurarunt A. C. 1458. ſed paulò pôſt, A. C. ſemper 1460. à 7. Helvetiorum pagis, bello contra Sigiſmundum, cum tota Turgea opp. occupatum eſt: qui eò Præfectos mittunt, ſalvis tamen loci juribus veteribuſque privilegiis: Habet etiam Cœnobium Augiæ divitis quædam hîc jura. Signum urbs à Pontif. Romano quondam, imaginibus quibuſdam ornatum, nempe Chriſti crucifixi imagine, & duabus clavibus decuſſatim poſitis, accepit, quod in bello univerſa Turgea quondam ſecuta eſt, nunc huic proprii duces, & peculiaria ſigna obtigêre, urbi priſcis ſuis honoribus relictis. Vide Stumpf. *de Turgea*, *c.* 27. Joſ. Simler. *deſcr. Helv.* &c.

FRAUENTHALIUM, Monaſterium Tuginorum, Fr. Guillimann. *de Rep. Helv.*

FRAUS, Dea Gentil. à veteribus, ita efficta fuit. Faciem illius juſti hominis ajunt videri, corpus reliquum ſerpentinum. variis & maculis, & coloribus diſtinctum, ejus caudam terminari in ſcorpionis aculeum. Fraudem porrò per Cocyti undas innare nec ejus niſi faciem apparere.

FRAXINETUM, opp. in Italiæ Provinciæque confinio, mari ex uno latere, ex altero denſiſſimâ ſilvâ munitum, Luitpr. *l.* 1. Hiſt. fuit ſtatio, hoc receptaculum Saracenorum, oram Galliæ Italiæque depopulantium, ab Arnulphi regno, uſque ad Ottonem Mag. unde à Græcis dejecti ſunt A. C. 931. Frodoardus *in Chron.* caſtro à Roboaldo Comite Provinciæ, ope Arduini, & Aimonis transfugæ, expugnato. Hodie *Fraſeneto*, unde Valli nomen. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* Morerius *la garde du Frainet* dici ait, quaſi *Garda Fraxineti*: propeque ait fuiſſe locum *Favas* vel *Favars*, 9. ſeculo à Saracenis vaſtatum, quod ex inſcriptionibus, monumentis, nummiſque & valis Saracenicis ibi repertis, probat: In diœc. Forojulienſi, in ſinu Grimaldi dicto. In eadem diœc. *Bargemon* vel *Barjamon* eſt, oppid. 5. leuc. à mari, in Vicaria Dragunienſi, olim apanagii loco minoribus natu filiis Comitum Provinciæ dari ſolitum. Patria Gulielmi, ... laude in aula Berengarii Com. florentiſſimi: qui obiit A. C. ... Vide Buchæum *deſcr. Prov.* & Auctores, laudato Morerio ... *Hiſt.*

FRAXINETUM, opp. Liguriæ, ad Padum fluv. vulgò *Fraſſinello* ... *mel.*

FRAXINUM, vulgò FRESNO, opp. Hiſp. geminum. Unum in Bætica, & Vandalia, alterum in Tarracon. apud Bilb. *lim.* ... & opp. Hiſp. in Caſtella vet. & alterum in eadem Caſtella apud Campium. *Flaxinum* prætereà, apud Anton. opp. olim, nunc pagus Luſitaniæ in regno Portugallico, *Alpalhano*, ſeu *Gaviano* teſte ... *ne.*

FRAXINUS, arbor procera ac teres Plin. *l.* 16. *c.* 13. ... *Homeri præconio & Achillis haſtâ nobilitata. Materies eſt ad* ... *utilis. Ea quidem, quæ fit in Ida Troadis, in tantum citro ſimilis, ut ... tes fallat*, ubi quod de *haſta Achillis* habet, hinc eſt, quòd præcipuus ad haſtas uſus ſit hujus arboris. Unde, ut *claſſica*, ſic *fraxinum* ...

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

pro perpetuo belli inſtrumento uſurpavit Claud. *in Rufin. l.* 1. *Carm.* 3. *v.* 217. & ſeqq.

Hæc ſi nota forent, frueremur ſimplice cultu,
Claſſica non fremerent, non ſtridula fraxinus *iret,*
Non quateret puppes ventus, non machina muros.

Et *fraxineum robur*, pro haſta, Stat. *Theb. l.* 7. *v.* 716.

——— *Jam* fraxineum *demiſerit haſtæ.*

Idem *l.* 8. *v* 716.

Ecce ſecat zephyros, ingentem fraxinus *iram.*

Rationem addit Plin. *l.* 16. *c.* 43. *Obedientiſſima quocunque in opere* fraxinus *eademque haſtis corylo melior, cornu levior, ſorbo lentior. Gallica verò etiam ad currus flexibilis.* Vide quoque infrà *Sariſſa*, Cæterùm tanta inter eam ac ſerpentes inimicitia eſt, *ut ne matutinas quidem occidenteſque umbras quam ſunt longiſſimæ, ſerpens attingat* —— *& ſi fronde ea gyroque claudatur ignis & ſerpens, in ignem potiùs, quàm in fraxinum fugiat ſerpens*, Idem ubi ſuprà *c.* 14. Quod de taxo prodidit Theophr. *Hiſt. l.* 3. *c.* 10. Plura de operibus, ad quæ *fraxinus* utilis vide apud Vitruv. *l.* 2. *c.* 9. uti de Nemeſi, cum *ramo fraxineo* pingi ſolita, infrà ubi de ea.

FREA Saxonum Dea, uxor Vodani, qui & ab iis pro Deo cultus eſt, de qua Paulus Warnefridus *de Geſtis Longobardorum l.* 1. *c.* 8. Marth. Weſtmonaſterienſis, Vilhelmus Malmesbur. Saxo Grammaticus *l.* 1. & 5. Ordericus Vitalis *l.* 4. Godefridus Viterb. Galfridus Monumeth. *l.* 3. *c.* 1. Wormius *in Faſtis Danicis l.* 1. *c.* 15. *in Monum. Danic. l.* 1. *c.* 4. & Cluv. *German. antiq. l.* 1. *c.* 27. laudati C. du Freſne *in Gloſſ* & Dominico Macro *in Hierolexico.* Ab ea nomen feriæ ſextæ hebdomadis inditum, *Freytag*, apud Germanos, hodièque perdurat. Fuit autem *Vodan* vel *Wodan*, teſte Paulo Diacono *de Geſtis Longobard l.* 1. *c.* 9. & Godefr. Viterbienſi præfato *Chronici part.* 17. à Romanis *Mercurius* ſuâ linguâ redditus: an bene, quæritur. Certè *Wodan*, nec literaturæ, vel facundiæ, nec negotiationi Germanorum præfuit. Nec Deorum nuntius, eoque multo inferior, non Jove tolùm, ſed cunctis Saturni liberis: verùm ſummus Deus univerſi præſes iis habitus eſt. Iis enim *Wodan* ſive *Woden* idem fuit, ac *Guodan* ſeu *Guode*, pro quo *Gode* vel *God* nunc dicimus. Quòd ſi itaque *Deorum maxime Mercurium* Germanis *cultum* eſſe, ſcribit Tac. *de Morib. Germ. c.* 9 Alius ſaltem is fuerit à Mercurio Romanorum. Vide proin quomodo cum Θεῦθ Græcorum, ſeu *Thoyth* Ægyptiorum, illum faciat eundem Gerh Joh. Voſſ *de or. & progr. Idolol. l.* 1. *c.* 37. ubi & feriæ quartæ hebdomadis nomen ab eo impoſitum, ac *Woonſdag*, quaſi *Wodanſdag*, illam hodieque Belgis dici, addit. Sunt tamen, qui Martem fuiſſe hoc nomine indigitatum contendant, quo pacto *Frea* Venus fuerit, unde *Frau* hodieque mulier, matrona, Germanis &c. Vide infrà.

FRECULPHUS, Ep. Lexovienſis, in Normannia, Chronicon condidit, in duas partes diviſum. Quarum prior à M C uſque ad C.N continet libb. 7. Poſterior A. C N. uſque ad adventum Francorum, & Longobardorum, continet 5. libb. Huic Rabanus Maurus Comment. ſuos in Geneſin inſcripſit. Sigebert. *in Cat. c.* 91. Lupus Ferrerius, *ep* 84. Trithem. *de Scr. & in Chron. Hirſgau.* Simlerus, Voſſ. &c. Floruit A. C. 830.

FREDA, apud Monachum Altiſiodor. A. C. 840 ornamentum eſt vel umbraculum, quod feretris & capſis S S. ſuperponebatur.

FREDEGARIUS, Scholaſticus, ſec. 8. Imperio Childebrandi, fratris Caroli Martelli, orſus eſt Chronicon, ubi deſinit Greg. Turonenſis, uſque ad Pipinum. Editum à Frehero Voſſ. *de Hiſt. Lat.*

FREDEGONDE, uxor Chilperici, Sueſſionum Regis Familiæ regalis Furia, impudicitiæ, crudelitatis & proditoriæ perfidiæ infamiâ ſupra omnes. Chilpericum, cujus ancilla prius fuerat, impulit, ut Audoveram, jam 3. filiorum matrem, repudiaret, ſubditos exactionibus vexaret, fratres bello aggrederetur. Quod cùm is quaternâ vice feciſſet, ultimò infelix, Tornaci à Sigeberto obſeſſus eſt: Sed hunc per duos, venenatis cultris inſtructos, ſuſtulit Fregedonde: Dein Merovæum, Chilperici fil. Brunchildis maritum, Clodoveum ejus fratrem, Prætextatum Ep. Rotomag. Maritum deniquè proprium, ob detectos cum Landrico adulterinos congreſſus, occidit. Poſtea Pariſios profecta, Guntrani protectione imploratâ, perrexit Brunchildem, & Childebertum fil. ejus perſequi. Cùm fraus & venenum nil proficerent, Childebertum, patris necem, & inſidias ſuas vindicaturum, militaris femina, acie vicit, 30000. hoſtium cæſis, vaſtavit Campaniam, recepit Pariſios, ubiquè victrix: & quod miteris Lector, ſuo occumbens Fato, A. C. 596. Æt. 55. fil. Clotarium, infantem reliquit, rebus regni optimè conſtitutis. Greg. Tur. *l.* 5. & 6. Aimoin. *l* 3. &c.

FREDERICUS, vide *Fridericus.*

FREDIANI, cum Dendrophoris aliiſque, qui gentilitiæ ſuperſtitioni operam dabant, recenſentur in *l* 20. Cod. Theodoſ. *de Paganis.* Vide Jacobi Gothofredi Juriſconſulti conjecturas.

FREGELLA, urbs Italiæ. Steph. quæ olim Opicorum erat, deinde Volſcorum facta eſt, olim clariſſima, inter Formias, & Sinueſſam ſita, nunc procul à Liri amne; Cujus etiam hodiè non obſcura extant veſtigia, ex quibus facilè poteſt æſtimari, quanta olim fuerit ejus amplitudo. Hæc cùm à Romanis defeciſſet, diruta fuit, & ad vicum jam uſque à Strabonis tempore reducta. Eadem dicitur & *Fregellæ* multitudinis numero. Sil. Ital. Punic. Bell. *l.* 5. *v.* 542.

——— *Hunc triſtes luxere* Fregellæ.

Idem *l.* 8. *v.* 477.

——— *Obſeſſæ campo ſqualente* Fregellæ.

Ubi tamen Cluv. *Fregena* legit. Populi *Fregellani*, Plin. *l.* 3. *c.* 5. & *Fregellana vitis*, apud Columellam *l.* 3. *c.* 2.

FREGELLANUS, vide *Pontius.*

FREGENÆ, opp. Hetruriæ exciſum, inter Alſium, & oſtia Tiberina. Vide Cluv. *Ital. Ant. l.* 2. *c.* 2. Plin. *l.* 3. *c.* 5. In ora maris Tirrh. ubi nunc *la Macareſe*, villa Ducis Matthæi, cum ſtagno cognom

FREGINATES, Italiæ pop. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

FREHERUS Marquardus, vide *ibi.*

FREHERUS Paulus, Medicus Norimbergenſis, ſcripſit *Theatrum Virorum Eruditione clarorum, à ſeculis aliquot ad hæc uſque tempora florentium*, editum Norimbergæ A C. 1688. curâ Caroli Joachimi ejus ex fratre nepotis; ipſe enim obiit A. C 1682. Æt. 71.

FREINSHEMIUS Joh. Ulmenſis Argentinæ Berneggero innotuit, qui cùm ei periclitandi ingenii causâ Florum Hiſtoricum offerret, 6. horarum ſpatio illum emendavit. Δεκάγλωττος inſuper, Metrim vocatus inter Regis Secretarios triennii ſpatio locum Interpretis tenuit. Upſaliæ Suecorum Politices & Eloquentiæ Profeſſor, A. C. 1642. inde Holmiam vocatus à Chriſtiana Regina oblato 2000. Imper. annuo ſtipendio, cum libero victu, & Hiſtoriographi Regii munere functus eſt, A. C. 1647. Poſt quæ, pace Germaniæ firmatâ, Car. Ludovici Elect. Palat. invitatu, Heidelbergam venit, Conſiliarius Electoralis ac novo noſtris Academiis exemplo *Profeſſor Honorarius* conſtitutus, A. C. 1651. quo fere pacto Joſ. Scalig. apud Belgas claruit & Eraſmum ab Erneſto Bavar. Duce Ingolſtadium accitum fuiſſe legimus, obiit A. C. 1660. Æt. 52. à Magnatibus Principibuſque viris per epiſtolas creberrimas excultus; pluriumque Scriptorum Auctor, Abr. Freinshemius ex fratre nepos *Laudat. poſthum.*

FREMINCURIA, caſtrum aliàs amplum Carnutum, cum palatio Regum primæ ſtirpis, nunc dirutum, ad Eburam fluv. hodie vicus Belſiæ 1. leuc. à Droco in Ort. Hìc ſacrificia habebant Druidæ.

FREMITUS, leoni proprius. Plin. *l.* 8. *c.* 16. Ubi *ſævit in viros, prius quam in feminas, fremit*, Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 342. *l.* 12. *v.* 8.

——— Fremit *ore cruento*,

Lucan. Civ. Bell. *l.* 1. *v.* 209.

——— *vaſto & grave murmur hians*
Infremuit.

Senec. in *Oedipo*, *Act.* 1. *Chorus v.* 41.

Ceſſat irati fremitus *leonis.*

Stat. *Theb. l.* 6. *v.* 599. &c.

Cum procul impaſti fremitum *accepêre Leonis*,

Hebr. נהם *fremere* eſt, quod Chaldæi ſimiliter Arabeſque cuivis leoni tribuunt: quemadmodum Græcis quoque leonum epitheta, ἐριβρεμέτης & ἐρίγδουπος, ſunt. At Scriptores ſacri, de adultis verbum שאג *rugire*, de leunculis verò τὸ נהם i. e. *fremere*, uſurpant, ut videre eſt Proverb. *c.* 19 *v.* 12. & *c.* 20. *v.* 2. Jerem. *c.* 5. *v.* 22. alibique paſſim. Vide Samuel. Bochart *Hierozoici Parte prior. l.* 3. *c* 2. Hinc ad alia vox tranſlata. Ad milites. Stat. *Theb. l.* 6. *v.* 618.

Arcades arma fremunt ———

Ad Deos. Virg. *Æn. l* 10. *v.* 96.

Talibus orabat Juno, cunctiſque Fremebant
Cælicolæ aſſenſu vario &c.

ſervato ſimilitudinis decoro. Vide Barth. *ad Claud. de Raptu Proſerp. l.* 2. *Carm.* 35. *v.* 243.

——— *ſævumque* fremant *impune Leones.*

FRENI Equorum, Pelethronii inventum. Plin. *l.* 7. *c.* 56. *Equo vehi Bellerophon, frænos & ſtrata equorum Pelethronius invenêrunt.* At Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 115.

Frena *Pelethronii Lapithæ, gyroſque dedere*
Impoſiti dorſo ———

A' Pelethronio ſc. Theſſaliæ monte dicti, ubi primùm domiti equi dicuntur; qua de re vide Hadr. Turneb. *Adverſ. l.* 21. *c.* 9. Hi primùm pro neceſſitate rudes ſimpliceſque, pro luxu, è ditiſſima materia confieri cœpêrunt. Ebore ornarunt Britanni, Strab. *l.* 4. bracteis aureis crepantes, habes apud Prudent. *Pſychomachia Luxur. & ſobrietas v.* 25.

Dum currum, variâ gemmarum luce micantem,
Mirantur, dum bracteolis crepitantia lora.

Unde *fræna ſonantia*, apud Stat. *Theb. l.* 9. *v.* 818.

——— Frena ſonantia *jactat.*
Frena *regum*;

gemmis inſigniri conſueviſſe, docet, idem *Theb. l.* 3. *v.* 268.

Spumantem proni mandunt adamanta jugales &c.

Vide quæ hanc in rem notat. Auſ. Popma *Comm. de Inſtrum. Fundi ſub fin.* & Adr. Behotius *Apoph. l* 1. *c.* 4. *Freno* autem Principum virorum equos à viro aliquo Magnate jam olim duci conſueviſſe, colligitur ex hiſtoria Eſth. *c.* 6. *v.* 7. 8. & 9. *Tum dixit Haman Regi; viro cujus Rex delectatur honore, Adferant indumentum regium ---- & equo cui inſidet ---- Tradentes indumentum & equum in manum alicujus è principibus Regis ---- tranſvehunto cum equo illo per plateam* civita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

civitatis &c. Quem honorem recentiori ævo equitantibus Pontificibus, Archiepiſcopis & Epiſcopis, ab Impp. Regibus, Principibus, exhiberi conſueviſſe, docet, pluribus Auctorem locis adductis. *Not. ad Cinnam. p.* 470. C. du Freſne. Sic Continuator Nangii ſub A. C. 1305. de Philippo Pulchro Franc. Rege *Papa Clemente ---- apud Lugdunum ---- conſecrato, dum ſuam ad domum rediens, geſtans, ut moris eſt, ſuæ coronationis inſignia, per frænum equi, cui inſidebat, à Rege Franciæ, qui ob hoc præ humilitate ſe ipſum pedeſtrem poſuerat ---- deductus maximo cum honore fuiſſet* &c. Vide quæ idem habet de Joh. XXII. *ad* A. C. 1316. & Gobelinus Perſona de Carolo Hungariæ Rege & Urbano VI. *Coſmodr. l.* 6. *c.* 77. *ad* A. C. 1383. de Nemeſi verò, cum *fræno* & menſura cubiti nonnunquam pingi ſolita, infrà ubi de ea.

FRENTANI, & FERENTANI, Italiæ pop. inter Marrucinos ad Occid. & Apulos ad Ort. Eorum meminit Sil. Ital Punic. Bell. *l.* 8. *v.* 521.

Marrucina ſimul Frentanis *æmula pubes.*

Strab. *l.* 5. *p.* 241. & *l.* 6. *p.* 283. & 285.

FRENTO, fluv. Frentanorum, illos ab Apulis Dauniis diſterminans, Latinumque alluens; *Fortore.*

FREPATÆ Veſtes, apud Gaufrid. Voſienſem *part.* 1. *c.* 74. *Repertæ ſunt pretioſæ ac variæ veſtes ---- quas quidam in ſphærulis & lingulis minutiſſimè* frepantes, *picti Diaboli formam aſſumunt*: Gallis ſunt *Habits trouëz, decouppez, frippez*, unde vocabulum *Trepatas veſtes* habet Jacobus I. Aragon. Rex *in Conſtitutionibus Cataloniæ MSS.* fortè q. *terebratas* ſeu perforatas. Vide ſuprà *Cultellatæ.*

FREQUENTUM, vide *Fricentum.*

FRERIUS, ex voce *Frater*, apud Græcos nomen eſt Religioſis eorum attribui ſolitum, uti diſcimus ex Georg. Pachymere *Hiſt. l.* 5. *c.* 8. unde Equites Hieroſolymitanos, hodie Melitenſes, *Freiros* appellat Cantacuzenus, quòs *Fraites* Hiſpani, *Freres* Galli dicunt: *Macer.*

FRERIUS Johannes, vide *Johannes.*

de FRESBURNO Radulphus, vide *Radulphus.*

FRETELLUS, Archidiac. Antiochen. ſcripſit Principum Chriſt. expeditionem in Terram S. Quo opere Chriſtianus Adrichomius uſus eſt, Theatro T. S. concinnando.

FRETHULPHUS, priſcus Bavariæ hiſtoriographus, Aventino laudatus. Voſſ. *de Hiſt. Lat. p.* 704.

FRETUM Aniani, *Eſtrecho de Anian* Hiſpanis *Deſtroit d'Anian* Gallis, fretum ampliſſimum Americæ Sept. aliàs inter Tartariam, & fictitiam illam novam Albionem creditum à multis, ſed re diligenter excuſſâ compertum eſt, Fretum Anianum eſſe inter terram Eſonis, & partem Sept. Californiæ inſ. eſtque valde latum

FRETUM Babelmandelum, *Deſtroit de Babelmandel*, eſt ad fauces maris Rubri, inter Africam, & Arabiam felicem. Nomen habet à fluv. cognomine à parte regni *Adel.* Dicitur etiam à quibuſdam Fretum Meccæ; eſtque ſatis anguſtum.

FRETUM Balambuanum, *Deſtroit de Balambuan*, eſt in Oceano Indico, in Aſia, inter inſ. *Baly*, & partem Orientalem Javæ inſ. prope Balambuanum urbem.

FRETUM Britannicum, Strab. *l.* 2. *p.* 128. Gallicum Solino, Morinorum Gratio, Oceani Tacit. Fretalis Oceanus Amm. mare inter Morinos, & Britannos interfuſum, 21. mill. paſſ. patens, *Pas de Caliis*, Gallis, Belgis *De Hoofden*, teſte Ortelio, Anglis *the ſtreight of Calais.*

FRETUM maris Caſpii, Mel. maris anguſtia ad Ort. in quam Oxus fluv. influit.

FRETUM Cimmerium, *Stretto di Caffa*, teſte Caſtaldo, anguſtia maris ad Boſphorum Cimmerium.

FRETUM Conſtantinopolitanum, *les bouches de Conſtantinop le.* Vide *Boſphorus Thracius.*

FRETUM Daviſii, *Stract of Davis* Anglis, *Deſtroit de Davis* Gallis, fretum in terra Arctica, in ea parte Gronelandiæ, quæ detecta fuit à Joh. Daviſio Anglo A. C. 1585. à quo etiam nomen accepit.

FRETUM Eſonis, *Deſtroit de Jeſſo*, fretum amplum inter Tartariam, & terram Eſonis interfuſum, ſuprà Sinarum regionem, & in littore Aſiæ, recens detectum à Batavis.

FRETUM Euripi. Vide *Euripus Chalcidicus.*

FRETUM Forbisherii, *Straet of Forbishers* Anglis, *Deſtroit de Forbisher* Gallis, fretum terræ Arcticæ, verſus Gronelandiam, recens detectum, nempe A. C. 1577. à Martino Forbishero Anglo, & ab eo nomen ſortitum.

FRETUM Gallicum, *Pas de Calais*, fretum inter Galliam, & Angliam, 6. leuc. patens, inter Dubrim, & Iccium portum, nunc *Viſſan*, & 7. inter Dubrim, & Caletum. Dicitur etiam à quibuſdam Fretum Britannicum.

FRETUM Gallipolitanum, *Deſtroit de Gallipoli.* Vide *Helleſpontus.* Plin. *l.* 4. *c.* XI.

FRETUM Herculeum, & Gaditanum, *Porthmos* Græcis, teſte Plin. *l.* 3. *c.* 5. & *Limen maris interni*, *Fretum Columnarum* Strab. *l.* 1. *p.* 4. *Fretum Oceani* Liv. *Oſtium Oceani* Floro *l.* 4. *c.* 2. *Fretum Iberum* Auſon. Ep. 25. *v* 53. *Fretum Hiſpanum* Claud. de Bello Gild. *Carm.* 15. *v.* 81. *Trajectum* Au. Hirtio, *Eſtrecho de Gibraltar*, & *Stretto di Gibraltar*, maris anguſtia, inter Hiſpaniam, & Mauritaniam Tingitanam 9. mill. paſſ. patens. *Deſtroit de Gibraltar* Gallis, *Stretto di Gibilterra* aliquando ab Italis dicitur; eſtque inter Andaluziam provinciam Hiſpaniæ Auſtraliorem & Mauritaniam Tingitanam, ſeu regnum Fezzanum. Ejus longitudo eſt 12. leuc. Hiſpan. latitudo verò quinque circiter.

FRETUM Hudſonis, *Deſtroit de Hudſon* fretum Amer. Sept. inter terras arcticas ad Bor. & Eſtotilandiam ad Mer. ab Anglis detectum duce Henrico Hudſonio.

FRETUM Maëreum, *Deſtroit de le Maire* Gallis, *Stract le Maire* Batavis, fretum Americæ Merid. ad Auſtr. terræ Ignium, & fretis Magellanici maximè extenſum, à Jacobo *le Maire* Batavo detectum A. C. 1616. A quibuſdam Hiſpanis dicitur *Fretum S. Vincentii.*

FRETUM Magellanicum, *Eſtrecho de Magellanes* Hiſpanis, *Deſtroit de Magellan* Gallis, fretum oblongum Americæ Merid. à Ferdinando Magellano Luſitano detectum A. C. 1520. inter terram ab ipſo Magellanicam dictam, & terram Ignium. Tres habet anguſtias, eſtque tranſitu difficilis. Illud Hiſpani claudere voluerunt Anglis & Batavis magnis impenſis, & arcibus in littore defixis, ſed irrito conatu.

FRETUM Malaccenſe, *Deſtroit de Malacca* Gallis, *Stract van Malacca* Batavis, fretum Oceani Indici interpoſitum inter urbem & Regnum Malaccam, in parte Auſtrali peninſulæ Indicæ ultra Gangem, & Inſ. Sumatram, oblongum & ſatis amplum, ſic dictum ab urbe Malacca ei adjacente.

FRETUM Mamertinum, Strab. *l.* 6. *p.* 268. Hadriaticum Oroſio, Siculum, & Siciliæ Plin. *l.* 3. *c.* 8. *l.* 4. *c.* XI. Cic. Tac. Ann. *l.* 1. *c.* 53. Rheginum etiam Strab. *l.* 6. *p.* 265. Scyllæum Athen. Trajectum Auſon. anguſtia maris inter Italiam & Siciliam, quæ *Faro di Meſſina* nominatur.

FRETUM Manarium. *Deſtroit de Manar* ſeu & *de Chilao*, fretum maris Indici, inter Taprobanam ſeu Ceylanum inſ. & oram Piscariæ, in parte Auſtrali peninſ. Indiæ cis Gangem, ſatis latum, & à Manaria inſ. ei adjacente dictum, vel etiam à Chilao urbe Ceylani.

FRETUM Manilhæ, *Eſtrecho de Manilha* Hiſpanis, fretum Oceani Orientalis ſeu Indici, in Philippinis inſ. inter partem Auſtralem Luſoniæ inſ. & Tendaiam inſ. ab urbe Manilha Luſoniæ primaria ſic dictum.

FRETUM Mindoræ, *Eſtrecho de Mindora* Hiſpanis, fretum Oceani Orientalis ſeu Indici, in inſ. Philippinis, inter partem Occid. Luſoniæ inſ. & Mindoram inſ. & urbem.

FRETUM Moſandani, *Deſtroit de Moſandan*, fretum ad fauces ſinus Perſici, contra Armuſiam urbem, & inſ. ſic dictum à prom. cognomine ei adjacente, in littore Arabiæ; eſtque ſatis anguſtum.

FRETUM Picticum, *Pichtland*, ſeu *Pentland Firth*, fretum inter Scotiam Sept. & Orcades inſ. Navigantibus eſt formidabile, & periculoſum, neque niſi ſtatis temporibus, poſitis quanquam ventis, trajectui opportunum.

FRETUM Piecum, *Canal de Piecko*, fretum Aſiæ, in Oceano Eoo, inter inſ. terram Statuum dictam, & partem terræ Eſonis, ab Hollandis detectum hiſce ultimis temporibus.

FRETUM Ponticum: idem quod Boſphorus Cimmerius. Tac. Ann. *l.* 13. *c.* 39. de Morib. Germ. *c.* 1.

FRETUM Sangaarium, *Deſtroit de Sangaar*, fretum ſupra partem Bor. Japoniæ, verſus terram Eſonis, recens detectum. Dicitur *Zungaar* à quibuſdam, ab opp. adjacente, in Japonia.

FRETUM Siculum, *il Faro di Meſſina*, Siciliam à Calabria ulteriori dirimens. Vide *Fretum Mamertinum.*

FRETUM Sundæ, *Stract van Sunda* Batavis, *Deſtroit de la Sunde* Gallis, fretum eſt maris Indici, prope Bantamum, Javam inſ. à Sumatra ſeparans.

FRETUM Sundicum, *le Sund* Gallis de, *Sund* ſeu *Oreſund* Danis, anguſtæ maris Baltici, in Dania, inter Scaniam provinciam Sueciæ ad Ort. & Zelandiam inſ. Daniæ ad Occaſ. ubi Regi Daniæ vectigal ſolvitur in ſingulos malos.

FRETUM Taphros, *le boche di Bonifacio* Italis, *les bouches de Bonifacio* Gallis, fretum inter Corſicam, & Sardiniam, prope Bonifacium opp. Corſicæ. Dicitur etiam à Sardis, & à Nautis illius tractus *le boche di Beixonnaire.* Vide *Taphros.*

FRETUM Vegatium, *Deſtroit de Weigats*, quod etiam *Deſtroit de Naſſau* dicitur ab Hollandis, eſt inter Novam Zemblam ad Bor. & partem Sept. Moſcoviæ, & provinciam Obdoram ad Auſtr. inter fluvios Petzoram, & Obyum. Per illud diu quæſitus fuit tranſitus in Sinas, & in Japoniam.

FRETUM Uriæ, *Deſtroit d'Uries*, fretum eſt Aſiæ, in Oceano Orientali, inter terram Eſonis ad Ort. & terram Statuum ad Occ. recens detectum à Batavis.

FRIBERGA, Friberg, urbs Germaniæ, in Franconia, & in tractu Veteravia, olim Imperialis, nunc ſub dominio Electoris Moguntini. Deficit in dies; diſtatque 4. leucis à Francofurto in Bor. Gieſſam verſus. Vide *Fridberga.*

FRIBORGA, Collegium ſive Societas 10. primariorum hominum, in unaquaque Angliæ villa, qui ſinguli fidejuſſores invicem exiſtebant erga Regem, de ſiſtendis ſemetipſis, & de reſtaurando damno, ab eorum quolibet illato. Latinè *Decuria*, *Decenna*, *Decania*, &c. His præerat *Decurio* ſeu *Capitalis decemvir.* Sodalitii auctor Alvredus Rex dicitur fuiſſe, armis, prudentia & pietate præſtans: quâ occaſione id factum, vide apud Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.* & ſuprà in voce *Decanus.*

FRIBURGENSIS Pagus; cujus antiqui limites, à Senſa flum. ad rivum Maconenſem: & à Villaria, prope Moratum, Plaſſeiam uſque 3. ferme hor. circum circa terrarum ſpatio, in præfecturas divisus eſt, quarum duo, ut & in aliis Helvetiæ Urbibus genera. Unum ſuburbanum, quod adminiſtrant Senatores: Alterum, ubi Præfecti cum imp. in Præfecturam mittuntur, illicque habitant. Prioris generis Friburgii quinque habent, poſterioris quatuordecim, & præterea quatuor cum Bernatibus communes: nempe Muratum, Grandiſonum, Eſchalenium cum Urba, & Schwartzenburgum: in qua poſtrema tamen, Superioritas, appellationes, jus criminale, conſtitutio legum, & alia Regalia in ſolidum ad Bernates ſpectant. Præterea, una cum Bernenſibus ac Soloduriis ſupremam in criminalibus juriſdictionem, ſicut VII. veteres pagi, in Turgea exercent. Vide

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Vide Simler. *de Rep. Helvet.* Joh. Bapt. Plantin. *Helvet. nov. antiq.* &c.

FRIBURGUM, vulgò FRIBURG, urbs eſt Helvetiorum, ad Sanam fluv. in ultima penè Helvetia, Occidentem verſus, in Aventicis: 4. leucis diſtat à Saloduro in Auſtr. & totidem à Lauſanna in Bor. A Berchtoldo IV. Zeringiæ Duce, 12. ante Bernam Annis condita, A. C. 1179. eo ſitu, ut cùm omnia contra Mer. Orient. & Sept. prærupta ſint altiſſimis montibus, latus Occid. profunda foſſa tegeret, & ditione 3. circiter horarum, donata eſt: jure civitatis à Friderico Barbaroſſa impetrato. Bernæ dein conditor prioris fil. Berchtoldus V. ambas urbes perpetuam amicitiam ſervare juſſit. A' morte hujus Berna A. C. 1218. Imperio obnoxia fuit, Friburgum verò in poteſtatem Comitum Kyburgiorum, qui Burgdorffium habitabant, pervenit: unde ſequentibus annis, cum Godefrido Comite contra Bernates militarunt; mox tamen fœdus renovatum eſt, cum exceptione, ſi domini Urbis à Berna diſſideant. Poſtea à Kyburgio Friburgum minimo venditum fuit Rudolpho I. Rom. Rege manſitque ſub Auſtriacis Annis ferè 200. quo tempore, horum auſpiciis, ad Loupam, in monte Schonenbergio, alibique contra Bernates A. C. 1339. pugnarunt, ut & A. C. 1388. Etiam interea obſidioni Tiguri urbis, in gratiam Alberti Archiducis, Friburgii interfuêrunt, A. C. 1351. Verùm denuo vetus amicitia, & fœdus utrinque aliquoties eſt renovatum. A. C. 1403. multis contumeliis nobilium vexati, perpetuum fœdus cum Bernatibus fecêre; manentes nihilominus adhuc ſub Auſtriacorum imperio. Poſt annos verò 45. orto inter Sabaudum, & Friburgum bello, Bernates Sabaudi partes amplexi, Friburgiique ad Galteram A. C. 1449. victi ſunt: altero demum Anno Galliæ Regis, Ducis Burgundiæ, & Helvetiorum ope pace conciliatâ. Sequente Anno Albertus Auſtrius cives contra Bernates concitaturus, cùm videret id fruſtra eſſe, de urbe, quæ majorum privilegiis ſuffulta non per omnia ejus parebat imperiis, ſæpe etiam Bernates ex fœdere ſequebatur, & cum Helvetiis confœderatis pugnabat, ulterius retinenda deſperare cœpit: civibuſque per fraudem argentea aureaque ſupellectile ſpoliatis, anſam præbuit arctiori cum Bernatibus fœdere coeundi, qui proin, & cum cæteris Confœderatis amicitiam certis conditionibus junxêre. Itaque bello Burgundico præſidium Helveticum accepêre, contra communem hoſtem forti operâ præſtitâ. Poſtmodum A. C. 1479. cum Tiguro, Berna, Lucerna, & Soloduro, privatum iniêre fœdus, quòd exiſtimarent, à ſociis bello præfato iniquius ſecum actum eſſe: & res ad inteſtinas ſpectabat turbas, ſed operâ Nicolai Eremitæ, cujus tum apud omnes Helvetios magna erat auctoritas, pax facta, fœdus Urbium ſublatum, Friburgumque, & Solodurum urbes in numerum Pagorum receptæ ſunt, A. C. 1481. decimo Friburgenſibus loco aſſignato: Annis 125. poſt octo Pagorum, qui veteres appellantur, fœdus. In hac urbe poſtea Franciſcus I. Galliæ Rex cum Helvetiis, ob Ducatum Mediolanenſem, fœdus feriit. A. C. dein 1529 cùm quidam Pagi Evangelium eſſent amplexi, Friburgii, Latinorum rituum tenaces, peculiari fœdere cum Lucerna, Uria, Suitia, Underwaldia, & Tugio coiêrunt. Utuntur idiomate partim Germanico, partim Gallico, ſed pleraque priore linguâ publicè peraguntur. Urbs in partes quatuor, ſicut & Berna, diviſa eſt, quarum una à Burgo, altera ab Inſ. ſeu prato (*in der Ouw*) tertia novæ civitatis, quarta à domo hoſpitali nomen habet: quibus quatuor Signiferi, primæ poſt Conſulem dignitatis, per triennium præſunt, quo exacto, ab utroque urbis conſilio alii eliguntur. Vide Stumpfium *l.* 8. *de pago Aventic.* Simler. *de Rep. Helv.* &c. Glareanus de Friburgo ſic canit:

Gentis Aventinæ decus, & ſuprema poteſtas,
Gloriaque illuſtris, prædonum virga, Friburgum;
Auſim num tenui laudes tibi fundere filo?
Sed jubar excellens, magnarum Curia rerum,
Parce humili plectro, belli memorabile fulmen,
Iraſcenſque aries muris, objectaque moles
Ordinibus, volitanſque hoſti catapulta furenti.
Sedula Berchtoldi ducis alti cura Zeringi
Te, velut Arctopolim, fatis felicibus urbes,
Ædificaret, ubi hos ſqualenti viderat ora
Colliculos, loca naſcendis aptiſſima muris.

FRIBURGUM alterum, *Friburg.* cognom. *in Briſgauu*, urbs eſt Briſgaviæ primaria, in colle, 3. leuc. à Briſaco in Ort. diſtans, 8. ab Argentina in Auſtr. 7. à Baſilea in Bor. & totidem à Rotvila in Occ. ſub dominio Auſtriac. Ibi reſidet Capitulum Baſileenſe, ſed non Ep. In Miſnia autem nullum eſt Friburgum, ſed tantùm Fridberga.

FRICANDI mos, ante cœnam, Romanis uſitatus, indigitatur Plaut. *Pſeud. Act.* 4. *Sc.* 7. *v.* 93.

Uncti hi ſunt ſenes, fricari *ſeſe ex antiquo volunt.*

Veteres nempe ante cœnam plerunque balneas adibant, din ungebantur, tum *fricabantur*, inde ad tonſorem ibant, demum accumbebant. Idem *Pœnulo*, de ornatu muliebri agens, *Act.* 1. *ſc.* 2. *v.* 10.

Lavari, aut fricari, *aut tergeri, aut ornari,*
Poliri, expoliri, pingi, fingi ———

Quo in genere Lucilianum illud, *Scabor, ſupellor, deſquamor, pumicor, ornor, expilor, pingor.* Vide Tit. Popmam *de Operis Serv.* & ſuprà in voce *Ancilla*, ubi de *Tractatricibus*. In palæſtra ſimiliter à ſervis gymnaſticis atque reunctoribus vocatis athletæ *fricabantur*, ut unctio magis penetraret; qui proin ſervi univerſum eorum corpus modò leniter, modò ſecus prementes, perungebant, &, pro temporis ratione, modò tepidum, modò calidum, modò frigidum linimentum, applicabant, idque ut plurimum in Alipterio. Cyprianus meminit eorum qui nitro & aphronitro ſeſe *fricabant Ep.* 7. *l.* 4. Ad numerum fauces cæteraque membra, Veſpaſianum ſibimet, in Sphæriſterio, defricare ſolitum, ex Suet. in *Vita* ejus diſcimus *c.* 20. &c. Ungi namque & fricari cum ratione, ſanitatem juvat. Plin. *l.* 28. *c.* 4. *His remediis adnumeratur exercitatio, intentio vocis, ungue fricari cum ratione. Vehemens enim fricatio ſpiſſat, lenis mollit: multa adimit corpus, auget modica.* Unde & olim Indorum Reges, ſimul ac audiebant litigantium cauſas, *à tribus frictoribus perfricari* conſueviſſe, Strab. refert *l.* 15. Hodieque apud eoſdem magna ejus, in balneis præſertim, ratio habetur, quam quâ ratione peragere ſoleant, vide apud Mandelſlovium *Itin Orient.*

FRICENTUM, vulgò FRICENTO, urbec. Italiæ, in regno Neapolitano, & Principatu ulteriori, prope Tripaltum fluv. Epiſcopal. ſub Archiep. Beneventano, ad radices Appennini, & media ferè inter Beneventum, & Compſam. Vide *Frequentum*.

FRICO, in Monaſteriis, dicitur, cui *fricandi* aut tergendi quidpiam cura incumbit. Bernardus Mon. *in Conſuetudd. Cluniac. MSS. c.* 12. *de Hoſpitario*, apud C. du Freſne *Gloſſ.*

FRICTUM Cicer. vide ſuprà inter Martyrum tormenta, olivo impoſito & *frixa* eorum corpora occurrunt Prudent. περὶ στεφανῶν Hymn. x. *v.* 755.

Lætata quotiens aut olivo ſtridula
Sartago frixum *torruiſſet puberem.*

FRIDBERGA, in Wetteravia, urbs Imperii condita non longe à N. C. poſtea circa A. C. 1211. ampliſſimis privilegiis, propter ſingularem hoſpitalitatem Cæſari exhibitam donata, nomen à Friderico II. quaſi *Fridrichs-berg* & contractè *Fridberg*, accepit. Contiguum huic caſtrum eſt, Caſtrum Cæſaris, & Imperii dictum, inter quod & civitatem ingens controverſia, an *Civitas Caſtri Burggravio, & Condominis ſubjecta ſit?* tranſactione ſub Rudolpho I. Imp. finita eſt, A. C. 1285. Oppignorata dein eſt à Carolo IV. Comiti Guntero Schwartzenburgico, ſed ſalvis civitatis privilegiis, A. C. 1349. quæ ampliſſima accepit à Richardo, A. C. 1257. Rodolpho præfato, Adolpho, A. C. 1293. Ludovico, A. C. 1346. & poſtea à Wenceſlao, A. C. 1385. Carolo V. A. C. 1541. Rudolpho II. A. C. 1582. &c. Vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 18.

FRIDBERGA, vulgò FRIDBERG, opp. Germaniæ, in Saxonia ſuperiori, & in Miſnia provincia, ad Multam amnem, verſus montes Bohemiæ, 4. leucis à Miſna urbe in Auſtr. Fruſtra obſeſſum fuit à Suecis ultimo bello Germanico. Ibi ſunt Mauſolæa Ducum Electorum Saxoniæ.

FRIDEGODUS, Anglus Benedictinus, ſub Edgaro Rege ſec. 10. Græcæ Ling. exactè peritus: vitas SS. quorundam ſcripſit. Gul. Malmesburius, Simlerus, Voſſ. *de Hiſt. Lat.*

FRIDERICA, vulgò *Fridericks*, & *Fridericka*; urbs munita Americæ Mer. in Braſilia regione, in ora Gubernii Paraibæ, vulgò *Capitania de Paraiba*, verſus oſtia fluv. Paraibæ, antea ab Hollandis exſtructa, & poſtea expugnata à Luſitanis, quibus etiamnum ſubeſt cum toto tractu.

FRIDERICOBURGUM, vulgò *Friderichsburg*, caſtrum & palatium Regum Daniæ, in Zeelandia inſ. Vix 3. leucis Danicis diſtat à Coronæburgo in Occaſ. & 5. ab Hafnia in Circium, colloquio inter Reges Sueciæ, & Daniæ celebre hiſce ultimis temporibus. Arx olim *Ebelholt* nomen geſſit, monaſteriumque S. Spiritus fuit, cujus Joh. Pariſienſis A. C. 1201. mortuus, & in Sanctorum numerum relatus, Abbas fuiſſe perhibetur. Fridericus II. Rex Daniæ arcem exſtruxit, quam Chriſtianus IV. ejus fil. ſtatuis, picturis, ſimilibuſque artis operibus exornavit.

FRIDERICOBURGUM, vulgò *Fridrichsburg*, oppid. tenue, cum arce munita Danorum recens exſtructa, in Guinea regione, & in ora Aurea, prope arcem Capitis Corſi. In colle ſedet.

FRIDERICOSTADIUM, vulgò *Friderickſtadt*, urbs nova regni Norvegiæ, in ora ſinus Codani, in Præfectura Anſlogana, & 30. leuc. Germanicis ab Anſloga in Auſtr. ſub dominio Regis Daniæ.

Imperatores.

FRIDERICUS I. Imp. cognom. *Ænobarbus* vel *Barbaroſſa*, fil. Friderici Sueviæ Ducis ſucceſſit Conrado III. Patruo A. C. 1152. Imperio pacato, expeditionem in Italiam turbatam ſuſcepit, A. C. 1155. Romanos verbis inſolentes, cæſis aut Tiberi merſis ad mille, coërcuit. Spoletum direptum exuſſit. Cum Hadriano IV. quòd ipſi ex equo deſcendenti ſiniſtram tenuiſſet ſtapiam, in litem incidit, coronationem extorſit. Domum redux, Hermannum Palatinum mulctavit, peractâ contra Polonos expeditione, acerbius cum Pontifice litigare cœpit, quòd is aſſereret, *Imperatores, & Italiam & Imperium beneficio Pontificum habere*, mollitus tamen ab Hadriano explicatione vocis, pacem ei conceſſit. In Italiam reverſus, Mediolanenſibus, qui gladios de collo ſuſpenſos gerentes veniam rogabant, pepercit. Regalia regni Longobardici tam Epiſcopos, quàm Politicos, ſibi deferre voluit, fodrum ab omnibus civitatibus exegit. Quod cùm ægrè Adrianus ferret, reſpondit, rogaturum ſe, *quid Epiſcopo cum poſſeſſione?* Nomen ſuum Papæ præpoſuit, reprehenſus ſcripſit, *Adriano Eccleſiæ Cath. Pontifici omnibus illis adhærere, quæ cœpit Jeſus dicere, & facere. Quidquid Papatus veſter Regalis habere dignoſcitur, largitione Principum obtinet. Unde cùm Romani Pontifici ſcribimus, jure antiquo, & nomen præ-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ponimus. Revolvite Annales, illic invenitur. His irritatus Papa, Siciliæ Rege, & Mediolanenſibus fruſtra in Fridericum concitatis, robuſtiſſimum primò hominem, qui eum in Abduam præcipitaret, dein ſicarios, tandem Magum adhibuit, ſed nullo ſucceſſu. Sigon. *l.* 12. & *l.* 13. Imp. Cremâ exciſa, Mediolano ſolo æquato, Alexandrum Papam, contra quem Victorem, poſt Paſchalem & Calliſtum, tuebatur, Româ depulit, ad Tuſculum magnâ clade vicit, fugientem, Venetias claſſe perſecutus eſt. Sed à Venetis, Duce Ciano ſuperatus, unde Aſcenſionis die hodieque annulo ſibi mare deſpondent, Ottoque fil. ejus captus eſt. Tandem cùm Henricus Saxo-Germaniam turbaret, pacis avidus, ad pedes Papæ Venetiis procubuit, à quo ſuperbè conculcatus eſt, impiè verbis Pſalm. 91. v 13. *Super aſpidem & Baſiliſcum ambulabis*, abuſo, A.C. 1177. Naucler. *gen.* 40. Sabellic. *enn.* 9. *l.* 5. Dein, cum Vilhelmo Siculo quoque pace factâ, Conſtantiam Rogerii filiam Henrico fil. in uxorem dedit. Iterum cum Lucio III. Urbano III. Clemente III. colliſus, expeditionem ſacram obiit, multiſque præclarè geſtis, Philippopolim, Adrianopolim, Iconium, Turcis binâ acie victis, &c. cepit, Selephio fluvio merſus, vel Cydno, in Cilicia. A.C. 1190. Imper. 37. tanto omnium mœrore, ut vix ulli unquam Principum plus lachrymarum datum ſit. Urſperg. Siffrid. Crantz. *Sax. l.* 7. *c.* 1. Paul. Æmil. *l.* 6. Friſing. *de Frid. l.* 2. *c.* 1. & 2. Aventinus *l.* 6. Guntherus *in Frid.* Radevicus, Blondus, Egnatius, Æ. Sylvius, P. Bleſenſis *ep.* 17. in edit. A.C. 1667. Baron. &c. Eum excepit fil. Henricus II. Aſper.

FRIDERICUS II. aliis *Roger-Fridericus*, fil. Henrici VI. nepos prioris, Siciliæ Rex, Ottoni IV. à Papa excommunicato oppoſitus, eo victo, Imperium occupavit, A. C. 1210. Honorium III. repetendo juramentum ab Italis adeò offendit, ut excommunicationem ipſi minaretur, ni ductâ Jolantâ, Joh. Brennæ Regis Hieroſ. filiâ, Bellum ſacrum ſuſciperet. In cunctantem fulmen ſtringitur à Gregorio IX. ſic tandem amoto illo in Orientem, Papa Socerum, & Urbes Lombardicas adverſus ipſum concitavit, imò cum Sultano prodidit, qui virtute Cæſaris motus, *deteſtatus Chriſtianorum verſutiam, invidiam & proditionem*, regnum Hieroſolymitanum ipſi reſtituit. Redux è Syria, A.C. 1229 Socero perfido, in Sicilia victo, omnia recuperavit, Pontifici pro abſolutione, duos milliones ſolvit, eo nihilominus irato, *quòd non pedem, ſed genua, vix ſummis labris oſculatus eſſet.* Unde Henricus fil. contra Patrem inſurgere juſſus, vincitur, & carceri mancipatur: Mediolanenſes dein profligati, Sardiniaque ſub poteſtatem redacta eſt, quam cùm Ecc. Rom. concedere nollet, iterum excommunicatus eſt, tanto Papæ odio, *ut omnibus ſeſe ipſi opponentibus promitteret liberationem ex purgatorio, & vitam æternam.* Crantz *l.* 8. *c.* 5. & 6. Verùm Imp. armatus terruit Pontificem, turbavit ejus Concilium, Langravium Thuringiæ contra ſe electum, per Conradum fil. Germaniæ Regem devicit; Vilhelmum Holl. Comitem Anti-Cæſarem pepulit à Petro de Vineis Cancellario, corrupto à Pontifice, veneno petitus, exclamavit, *Væ mihi, Petrus dimidium animæ meæ capitales mihi inſidias comparat!* Henricum fil. à Bononienſibus captum, nullo auro redimere potuit, tandem cùm Florentiam ſibi fatalem ſemper vitaſſet, in caſtro Florentino Apuliæ, A. C. 1250. Æt. 57. Imperii 38. deceſſit, vel, ut Sigonius *l.* 18. habet veneno á Manfredo fil. peremptus, pulvinoque in os injecto ſuffocatus eſt. Princeps ingenii excelſi, ſed ſi vera ſunt, quæ traduntur, minus religioſus: Sex calluiſſe linguas dicitur, fortis, magnificus, ſed ſævus quoque & impudicus. Matth. Pariſ. *in Johann.* Blondus *dec.* 2. *l.* 6. & 7. Platina *in Gregorio IX.* Sabellicus, Villanius, &c. Hujus cum Pontificibus diſſidia, occaſionem præbuêrunt Guelphorum Gibellinorumque contentionibus, quibus tota Italia turbata. Eidem Anti-Cæſares varii à Pontificibus oppoſiti, Henricus Thuringus, Vilhelmus Hollandus, Richardus Carnubiæ Com. & Alphonſus Hiſpaniæ Rex donec poſt interregnum 20. Annorum Rudolphus I. Habſpurgicæ gentis caput, nutantem Imperii navem feliciter gubernare cœpit.

FRIDERICUS, cognom. *Pulcher*, fil. Alberti Imp. ab Electoribus quibuſdam Ludovico Bav. oppoſitus, 5. juſtis præliis cum eo dimicavit, ad opp. Muldorfium tandem A. C. 1322. inſigni operâ Sigefridi Suepermanni victus, ac unà cum fratre Henrico captus, triennio in carcere fuit, ope Magi, inde liberari renuens. Dimiſſus tandem, hac lege, ut dum viveret, *titulum, non autem rem Imperii uſurparet*, non diu ſupervixit, philtro ſublatus, vel à vermibus corroſus. Onuphr. *in Chron.* Cuſpinian. Villan. Trithemius &c. Uxor ejus Iſabella Arragonia, mariti mortem tam copioſis deflevit lachrymis, ut vitam inde amitteret. A.C. 1329. Inter Imperatores non recenſetur.

FRIDERICUS III. cognom. *Pacificus*, fil. Erneſti Auſtriaci, ſucceſſit Alberto II. conſobrino, A. C. 1440. Coronâ argenteâ Aquiſgrani A. C. 1442. Aureâ Romæ à Nicolao V. A. C. 1452. inſignitus, cum Eleonora Luſitana, uxore. Ab Alberto fratre, ob hæreditatem, ab Ulrico Ciliæ Comite, ob tutelam Ladiſlai poſthumi vexatus. Italicis titulis delinitus, Longobardorum Rex dictus regnum occupante Sfortiâ, mox amiſit. Bohemicum acceptare renuit; in rebelles mitis. Amadeum, à Concil. Baſ. electum, ut Papatu cederet, rogavit. Matthiæ Hungar. Regi. Auſtriam vaſtanti, & Vienna potito non reſtitit, in Germania interim degens, ubi hoſpitiis inſcribi juſſit, *Rerum irrecuperabilium ſumma felicitas, oblivio* Jus in regnum eidem 70000. aureis vendidit, cum Carolo Burgundo pacem fecit, filiâ hujus unicâ Mariâ Maximiliano filio ſuo deſponſatâ. Obiit A. C. 1493. Ær. 78. Imp. 53. Viennæ ſepultus. Cuſpinian. Nauclerus, Bonfinius &c. Ei ſucceſſit Maximilianus modò dictus hujus nominis primus.

FRIDERICUS, Rex Neapolis, & Siciliæ, fil. Ferdinandi I. frater Alphonſi, ſucceſſit hujus filio Ferdinando II. A Ludovico XII. & Ferdinando Caſtellano pulſus eſt, quorum ille Ducatum ei Andegavenſem donavit, A. C. 1501. filio ab Hiſpanis eluſo. Item frater Jacobi, Arragoniæ Regis Siciliæ regnum occupavit, bello contra Carolum II. Claudum implicitus, filiam ejus Eleonoram poſtea duxit: Trinacriæ Regis titulo contentus. Obiit A. C. 1337. Æt. 65. regni 42. Villanius, *Collenutius*.

FRIDERICUS Arrago, Siciliæ Rex, Calabriam ſubegit. Blondus *l.* 9. *Æmil. l.* 9.

FRIDERICUS I. Daniæ Rex, ex Holſatiæ Duce, ſucceſſit A.C. 1523. pulſo Chriſtierno nepoti. Lutheri doctrinam amplexus, cum toto regno, obiit A. C. 1532. detento in vinculis Chriſtierno, per 27. Ann. Chriſtiani III. ſucceſſoris, Pater. Chytræus, *Saxon.*

FRIDERICUS II. Chriſtierno III. Patri ſucceſſit, A. C. 1559. bello cum Suecis geſto, feliciter imperavit. A' Pio IV. rogatus, ut ad Concil. Tridentinum quoſdam mitteret, reſpondit, *ſibi nullum cum Papis commercium eſſe.* Obiit A. C. 1588.

FRIDERICUS III. Chriſtiano V. fratre præmortuo, ſucceſſit A. C. 1648. patri Chriſtiano IV. cùm prius Archiep. Bremenſis fuiſſet. Difficili bello cum Suecis implicitus, & Hafniæ diu obſeſſus, Hollandorum virtute, emerſit Princeps pius, & prudens, poſt egregia excelſi animi ſpecimina, durante obſidione, edita, meruit, ut Regnum Daniæ, quod hactenus Electivum fuerat, Hæreditarium in ejus Familia regali in poſterum eſſet. Obiit paucos ante annos: Succeſſit fil. Chriſtianus VI.

FRIDERICUS, Bohemiæ Rex, vide *Fridericus V. Elector Palatinus.*

Ex Fam. Auſtriaca.

FRIDERICUS, cognomine *Pulcher*, fil. natu maximus Alberti I. Imp. Vide *Fridericus II. Imp.*

FRIDERICUS, cognomine *Senior*, fil. Leopoldi cognom. *Probi*, frater Leopoldi cognom. *Craſſi* ſeu *Superbi*, Vilhelmi cognomine *Ambitioſi*, qui ambo improles deceſſêre, & Erneſti, qui Styriacam lineam orſus eſt, lineam Tirolenſem à Patre inchoatam, continuavit: fugatus ab Helvetiis, cùm Abbati S. Galli auxilium ferret. Poſtea, cùm Joh. XXIII. Pontificem in Concilio Conſtantienſi depoſitum abduxiſſet, Cæſar Sigiſmundus eum citatum, nec comparentem, Principum judicio proſcripſit, executione Helvetiis mandatâ A.C. 1415. qui, poſtquam aliquandiu eſſent tergiverſati, demum, cùm à Concilio urgerentur, Badenam & magnam partem ditionum illius occuparunt, & ſtipendii loco, donec ſumptus refunderentur, retinuêrunt: Tandem reconciliatus Cæſari Fridericus vita exceſſit A. C. 1439. Pater Sigiſmundi, cognom. *Simplicis*: qui primus, poſt varia contra Helvetios infeliciter geſta fœdus illud memorabile cum iis iniit quod *Erbeinigung* vocatur, A. C. 1474. idemque renovavit A. C. 1477. ſine prole extinctus, A. C. 1496. ſucceſſore Maximiliano I. Imp. Friderici III. Imperatoris filio.

FRIDERICUS, fil. Erneſti præfati, ex Cimburgi Mazovia, vide *Fridericus* III. Imp.

Ex Fam. Oldenburgo-Danica.

FRIDERICUS, Comes Oldenburgicus, fil. Hunnonis cognomine *Glorioſi*, pro Patre ſene, (qui ab Henrico IV. Imp. ut cum leone pugnaret Goſlariæ, damnatus erat) certamen ſubiit, & leonem, cui aſtu fictitium virum pinguedine carnis illitum prius objecerat, in hunc irruentem ſtravit. Henrici Craſſi Ducis Saxoniæ auxilio, in Friſios, cum quibus Majoribus ſuis res fuerat, feliciter pugnavit, demum, cœnobium Raſtedenſe, à Patre extructum, cœlebs ingreſſus, obiit. Hærede amitino Elimaro I.

FRIDERICUS, fil. minor natu Chriſtiani I. Daniæ Regis, vide *Fridericus I. Daniæ Rex.* Ex priore conjuge Anna Brandeburgica, genuit Chriſtianum III. Regem & Dorotheam natam A. C. 1504. Alberto Brandeburgico Duci Boruſſiæ nuptam, & extinctam A. C. 1547. Ex poſteriore verò Sophia Pomerana, præter Eliſabetham Magno & Ulrico Ducibus Megapolitanis; atque Dorotheam Chriſtophoro ejuſdem gentis, nuptas: filios ſuſcepit tres, Joh. Adolph. & *Frideric.* quorum hic natus A. C. 1529. Hildeshemienſem & Sleſvicenſem Epiſcopatus tenuit, ac Coadjutor Bremenſis fuit, defunctus Chilonii, A. C. 1556. Ille verò Holſatiam Gottorpianam lineam orſus eſt.

FRIDERICUS, fil. Chriſtiani III. Daniæ Regis, natus eſt A. C. 1534. ex Dorothea Lauenburgica, Patri mortuo in Regno ſuffectus eſt, vide *Fridericus II. Dan. Rex.*

FRIDERICUS, fil. ſecundò-genitus Chriſtiani IV. Vide *Fridericus III. Rex.*

FRIDERICUS, fil. primò-genitus Chriſtiani V. Danorum Regis, ex Carola Haſſiaca, natus eſt A. C. 1671. frater Chriſtiani Vilhelmi anno ſeq. geniti.

FRIDERICUS, Dux Holſatiæ, lineæ Sonderburgicæ, fil. Alexandri, ex altera ejus conjuge Anna Margareta Haſſiaca, natus eſt A. C. 1651. Chiliarcha Cæſareus, Carolam Duc. Legniciam duxit, & à Patre Wiſenburgum emit, A. C. 1658. Item fil. ſecundò-genitus Joh. cognomine *Junioris*, nat. A. C. 1581. Nordburgiam lineam incepit, obiit A. C. 1658. Ei ex priore conjuge Juliana Saxo-Angrivaria, ducta A. C. 1627. mortua A.C. 1630. Joh. Bogiſlaus, qui Nordburgi privatus vixit; è poſteriore, Eleonora Anhaltina, geniti ſunt, Chriſtianus Auguſtus, Rudolphus *Fridericus*, Eliſabetha Juliana, nata A. C. 1634. Antonii Ulrici Ducis Brunſvicenſis; Dorothea Hedvigis, nata A. C. 1636. Joh. Friderici Com. Hohenloici & Luiſa Amœna, nata A.C. 1642. Joh. Adolphi patruelis, conſortes. Item fil. Adolphi Ducis, defuncti A. C. 1586. ex Chriſtina Haſſiaca, qui Ep. fuit Sleſvicenſis, cujus Capituli Canonicos in ſervitutem redegiſſe Pater ferebatur. Obiit A. C. 1587. eruditione ac pietate celebris. Frater inter alios etiam Joh. *Friderici*, Archiep. Bre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Bremenſis & Ep. Lubecenſis, qui in bello Dano-Cæſareo vexatus, nomen Lipſienſi fœderi dedit A. C. 1631. & ſequenti Anno in Cæſareanos irruens, Verdam ac alia, ſuis recuperatis, occupavit. Eorum, ex fratre Joh. Adolpho, & Auguſta Danica, nepos, fratrum maximus natu,

FRIDERICUS, Patri extincto A. C. 1620. in Ducatu ſucceſſit: Ab Arminianis Belgis, Synodo Dordracenâ damnatis, in loco *Sebul* priùs nominato, ad Eidoram, *Fridericoſtadium* condi paſſus eſt, in vicennium libertate Religionis promiſſâ, quæ dein & in aliud prorogata: unde eadem venia Romani quoq́ue & Mennonitæ ibi loci utuntur. Privilegia civitati conceſſa, A. C. 1632. aucta ſunt, A. C. 1650. autem etiam Evangelicorum uſibus templum conditum eſt. Involutus A. C. 1627. Cæſarei belli turbis, cum Rege avunculo non idem ſenſit, ſed pacis causâ ad fil. profectus, non aliud obtinuit, quàm ut promiſſo à Rege ſucceſſu tolerabilius ſuis eſſet; ſuſcepto in arcem Gottorpinam dimidia ex parte præſidio, ex milite Cæſareano. Nordſtrandiam Inſ. quòd, ſeditionem in ea ortam ſedaturus, cum vitæ periculo inde ſe recipere coactus eſſet, devovit, imprecatus rebellibus, ut quantum cum Inſ. ſua undis jam eminerent, tantum illis mergerentur, quod factum A. C. 1634. quo majori Inſ. parte fluctibus ſepultâ, 6123. homines, 15000. jumenta periere. Gottorpii a Rege obſeſſus A. C. 1629. nuncio pacis Lubecæ concluſæ liberatus eſt. Domui ſuæ, ad exemplum Electoralium familiarum, jus majoritatis & alia privilegia ab Imp. obtinuit. Itinere poſtea Perſico ab A. C. 1635. (uſque ad A. C. 1639.) nobilitatus, quod ſuaſore Ottone Bruckmanno, qui eidem cum Philippo Cruſio præfuit, auſpiciis ſuis voluit ſuſcipi. Sed Bruckmannus inde redux capite luit in Legatione admiſſa: Adamus verò Olearius iter totum luculento ſcripto deſignavit, quòd jam in alias linguas verſum. Viciſſim dein ad Ducem miſſa A. C. 1639. à Perſa legatio: quæ omnia non levibus ſumptibus gravavêre, neq́ue ullo operæ pretio, provinciam. Ultimo Schauenburgiorum extincto, A. C. 1640. ei pars Pinnebergici Comitatus in Holſatia obtigit, quam, indignante fratre Chriſtiano, vendidit Ranzovio. Tonningam munivit A. C. 1644. In Suecico bello, neutras fere partes ſecutus, & in pace Rotſchildienſi ſuperioritatem Ducatus Sleſvicenſis, qui quidem Daniæ feudum, & capitulum Suaveſtedium obtinuit. Obiit A. C. 1659. Princeps variâ eruditione Theologicâ, Politicâ, Chymicâ & inprimis Mathematicâ cultiſſimus, duos globos artificioſiſſimos ſuo ex ingenio confici curavit, qui in technotamieio Gottorpino hodieq́ue aſſervantur. Pater ex Maria Eliſabetha Saxonica, ducta A. C. 1630. liberorum ſedecim; è quibus *Fridericus* nat. A. C. 1634. Luteriæ obiit, A. C. 1654. Joh. Georgius nat. A. C. 1638 Ep. Lubecenſis, in regno Neapolitano, fatis raptus eſt, A. C. 1655. ſupervixêre Patri Chriſtianus Albertus & Auguſtus *Fridericus*: quorum is, nat. A. C. 1641. intellectâ Parentis morte, *Friderichsburgo*, ubi cum ſorore Regina morabatur, domum rediit; ductaq́ue Fridericâ Ameliâ Danicâ A. C. 1666. ex ea *Fridericum*, inter alios, ſuſcepit A. C. 1671. Hic verò, nat. A. C. 1646. Ep. Lubecenſis, Suecorum auſpiciis vigiliarum Præfectus fuit, Chriſtinæ Saxon. maritus. In eadem familia Oldenburgo-Danica, habemus *Fridericum* Ulricum *de Guldenlowen*, fil. naturalem Friderici III. Reg. Com. & Proregem Norvegiæ, nunc bello in Suecos occupatum: Georgium *Fridericum*, unum ex Filiis Alexandri Ducis Holſatiæ, lineæ Sonderburgicæ, &c. Vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.*

Ex Fam. Palatino-Bavarica.

FRIDERICUS I. cognomine *Victorioſus*, fil. Ludovici Barbati Elector Palatinus, nepos Ruperti Imp. Ludovico majore fratre mortuo, Electoralem adminiſtrationem nactus eſt, tutor nepotis Philippi: mox eo adoptato A. C. 1454. Elector. Bella multa feliciter geſſit, inprimis cum Diethero Iſemburgico, Electore Mogunt. quem A. C 1462. feliciſſimè devicit, Badenſi, Metenſi, & Wirtenbergico captis: quo tempore Strata Montana ad Palatinos devenit. Obiit A. C. 1476. Læwenſteniorum Comitum ſator, ex Clara à Tettingen.

FRIDERICUS II. cognom. *Sapiens*, cujus varios caſus deſcripſit Hub. Thomas Leodius *libb.* 7. ſucceſſit fratri Ludovico Pacifico Electori, mortuo A. C. 1544. Egit juventutem in aula inprimis Philippi Auſtriaci, ob equeſtrem peritiam apud Hiſpanos & Belgas clarus: hoc defuncto educationi Caroli V. admotus, illi electionem Imperialem ſignificavit, A. C. 1519. caput Legationis: nunc Carolo intimus. Imperii nomine bis exercitus Chriſtiani contra Turcam dux, adventus ſui famâ Solimannum Viennâ depulit. Poſtquam ſucceſſit fratri, tum globus aureus, Cæſaris dono, inſignibus illatus eſt. Reformationem Heidelbergæ, Pauli Fagii Argentorato evocati operâ, publicè inſtituit, A. C. 1546. Obiit ἄπαις, A. C. 1556. Succeſſit nepos Otto Henricus, florentiſſimæ poſtea Bibliothecæ primus inſtitutor, qui ultimus è proſapia Ludovici Barbati, deceſſit A. C. 1559. quod ipſe ultioni divinæ ob ſanguinem Huſſi fuſum ſcripſit. Hunc excepit,

FRIDERICUS III. cognom. *Pius*, Joh. II. è Simmerenſi linea, cui Stephanus, fil. Ruperti Imp. originem dederat, fil. Hic Helveticæ Confeſſionis conſtantiſſimus aſſertor, Heſhuſium dimiſit: & poſt colloquium Heidelbergæ A. C. 1560. inter ſuos & Joh. Friderici Saxonis Theologos habitum, Reformatis arctius adhæſit, Neuhuſii ac Ambergæ Gymnaſiis erectis, nec minus Heidelbergæ Collegio Sapientiæ Theologiæ dicato, Catecheſin dein Heidelbergenſem publicavit A. C. 1563. Inſtituit poſtea Mulbrunni cum Lutheranis, & Franckenthalii cum Anabaptiſtis Colloquium. In Comitiis Ratisbonenſibus, cum Commendonus Legatus Pontif. cum à pace Religionis excludere ſatageret, venit in Senatum Fridericus, *Caſimiro filio codicem Bibliorum portante*, è quo ſe rectè ſentire demonſtravit: unde Auguſto VIIviro annitente pro membro Auguſtanæ Confeſſionis agnitus, & fraus Commendoni eluſa eſt.

Hugonotarum in Gallia cauſam ſtrenuè defendit, primùm pro Anna Burgio deprecatus, A. C. 1559. Exulibus quoque Belgis Franckothalium, quod priùs cœnobium fuerat, aſylum conſtituit. Lanienam Pariſienſem deteſtatus eſt, eamq́ue Henrico Andino ad Regnum Poloniæ capeſſendum Heidelbergâ tranſeunti, antiquæ ſeveritatis tenax & ab omni fuco alienus, liberè exprobravit. Obiit A. C. 1576. Æt. 60. Princeps integritate, liberalitate, humanitate nullo ſuorum temporum inferior. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 62. Ei ſucceſſit Ludovicus fil. huncq́ue demortuum, A. C. 1583. poſt adminiſtrationem Joh. Caſimiri, excepit Ludovici fil.

FRIDERICUS IV. cognom. *Sincerus*. Hic Confeſſionem Helveticam tenere perrexit, Manhemium A. C. 1606. ex pago urbem fecit, ac munire cœpit, exulibus è Belgis mox frequentatam: Ejus auſpiciis Unione initâ A. C. 1610 ipſe brevi pòſt deceſſit, in Alſatia & Juliaco jam ardente bello. Obiit, è Luiſa Juliana Gulielmi Principis Arauſiaci filia, pater Friderici V. & Ludovici Philippi Principis Simmerenſis.

FRIDERICUS V. cognom. *Patiens*, fil. prioris, ſub tutela Bipontini adolevit, Electoratu dein potitus, Angliæ Regis Jacobi filiam Elizabetham uxorem duxit. Gallorum, Anglorum, Danorum, Venetorum, Hollandorum, Sabaudi, Brandeburgici & totius Unionis amicitiâ clarus, Bohemiæ regnum ſibi delatum, ut regnum Chriſti amplificaret, accepit, A. C. 1619. Victus ſequenti anno, in albo monte, à Cæſareis, & Bavaris, in Batavis aſylum reperit. Proſcriptus A. C. 1621. ab Imp. contra tenorem Capitulationis, per Spinolam, parum obnitente Joach. Erneſto Brandeburgico, Unionis duce, ditiones amiſit, ſolo Mansfeldio pro ipſo ſatagente, cui dein Chriſtianus Brunſvicenſis acceſſit. Hinc Germaniâ bellis involutâ, & tantùm non à Cæſare oppreſſâ, poſtquam ſupervenit Guſtavus Adolphus Suecorum Rex, ejus armis cælitus benedicente Deo, maxima Electoratus pars recepta eſt, & poſt decennale exilium Fridericus A. C. 1632. ad eum Francofurtum delatus, magnificas ſpes poſt Religionem habuit. Defunctus eodem Anno Moguntiæ: Ei in Electoratu ſucceſſit fil. Carolus Ludovicus, nat. A. C. 1617. Friderico Henrico maximo natu in trajectu fluv. Teyæ, prope Amſtelodamum, ſubmerſo, A. C. 1629. &c. Vide Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Hiſt.*

FRIDERICUS, Comes Palatinus, lineæ Bipontinæ, fil. Joh. II. ex poſteriore ejus conjuge Luiſa Juliana Palatina, ducta A. C. 1612. extincta A. C. 1640. in adempta Patri (in quibus quarta pars vectigalium Wiltzbachiorum & Cœnobium Hornbacenſe) reſtitutus eſt A. C. 1648. per pacem Monaſterienſem. Obiit A. C. 1661. relictis ex Anna Juliana Naſſovia Saræpontana, ducta A. C. 1640. non niſi tribus filiabus, è quibus Eliſabetha nata A. C. 1642. Victori Amadeo Principi Anhaltino nupſit: Sophia Amalia vitales auras hauſit A. C. 1646. & Carola *Friderica*, nata A. C. 1653. dein Vilhelmo Ludovico agnato elocata eſt.

FRIDERICUS Caſimirus, frater minor natu Joh. II. fil. Joh. I. ex Magdalena Clivia ſeu Juliacenſi, nat. A. C. 1585. Landſpergenſis lineæ, (quæ jam Bipontinæ ſucceſſit) ſator: habitavit in Burgundia: ab uxore Amalia Naſſovia Arauſionenſi, ducta A. C. 1616. in ea Montfortiam ditionem aſſecutus. Deceſſit A. C. 1645. Pater *Friderici* Ludovici, qui nat. A. C. 1619. Electore ad Comitia Electiva profecto, A. C. 1658. Vicariatum geſſit. A. C. 1661. Bipontino patrueli ſucceſſit, ortâ circa debita difficultate, cùm à Joh. II. patruo contracta ſuſcipere nollet. Vendidit Neoburgico prætenſionem ſuam Juliacenſem, conjugem duxit A. C. 1645. Julianam Magdalenam patruelem: eaque extinctâ aliam ignobilem. Ex illa verò, inter alios utriuſque ſexus liberos, inprimis ſuſcepit Carolum, nat. A. C. 1659. mortuum A. C. 1673. & Vilhelmum Ludovic. nat. A. C. 1648. & ſucceſſioni paternæ deſtinatum. Sed turbato mortalitatis ordine & hunc & ex eo, ac Carola *Friderica* agnata, nepotem Carolum Ludovicum, atq́ue ita totam ſpem ſucceſſionis, extingui vidit ac luxit. Sed & Bipontum à Gallis occupari ac horrendum in modum vaſtari, aliaq́ue belli mala in ditione ſua expertus eſt.

FRIDERICUS, ſecundo-genitus fil. Caroli Bircofeldiæ ſeu Spanhemiæ lineæ auctoris, ex Dorothea Brunſvico-Lunæburgica, nat. A. C. 1594. vitam ſectatus eſt militarem, & deceſſit cœlebs, A. C. 1626.

FRIDERICUS Henricus, fil. primogenitus Friderici V. Elect. Palat. ex Eliſabetha Britannica, nat. A. C. 1614. à Bohemis in regno ſucceſſor Patris deſignatus A. C. 1620. poſtea cum eo exul, in trajectu fluvii Teyæ prope Amſtelodamum extinctus eſt, A. C. 1629. die 7. Januar. Ejus ſymbolum erat: *Mediis tranquillus in undis.*

Johannes FRIDERICUS, fil. nat. tertius Phil. Ludovici, Neoburgicæ lineæ conditoris, ex Anna Juliacenſi, genitus, A. C. 1587. à fratre Wolffgango Vilhelmo, qui Neoburgicam lineam continuavit, Hiltpoltſtenium A. C. 1615. item *Haydeck*, *Allenſperg*, & Gizzinum, accepit: gravia cum fratre Auguſto, ob Religionem, paſſus, demum A. C. 1644. nulla ex Sophia Agnete Haſſiaca, ducta A. C. 1624. & multoties matre, relictâ prole deceſſit. Idem nomen fuit filio majori natu Georgii Guſtavi, lineæ Veldentiæ, ex Maria Eliſabetha Bipontina, qui Dux Suecicæ Legionis Equeſtris, Auguſtæ extinctus eſt A. C. 1632. &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Ex Fam. Saxonica.

FRIDERICUS minor natu Fil. Dietgremi, ex Boſſena Pleiſſenſi cecidit adverſùs Normannos A. C. 876. Marchionum Brandeburgicorum primorum, (ex quibus Sigfridus ab Henrico Aucupe illi ditioni præfectus creditur) aliquorum Miſniæ & Oſtlandiæ Marchionum (inter quos Eduardus, poſt Ottonis III. mortem infeliciter Regnum Romanorum affectavit, à Sigfrido Com. Northemio cæſus, A. C. 1002.) & Mersburgiorum Comitum Sator. Ab ejus fratre Diethmaro ortus Theodoricus pater fuit Dedonis II. Chriſtianus verò Com. Reveningenſis & poſtea March. Luſatiæ, reliquos Marchiones ſevit. Inter filios Dedonis præfati, ex Thetburga Brandeburgica,

FRIDERICUS, Comites Palatinos Saxoniæ ſevit (qui quatuor adhuc, poſt primum, continuâ ſucceſſione *Friderici* nomen & dignitatem illam geſsêre: *Friderici* autem V. filia Sophia hæreditatem ad Hermannum, Thuringiæ Landgravium, attulit.) Frater Theodorici, quo inter alios natus Otto cognom. *Dives*, de quo ſuo loco.

FRIDERICUS I. cognom. *Admorſus*, Marchio Miſniæ, fil. Alberti cognom. *Degeneris*, ex Margareta filia Friderici II. Imp. ob bella ſtrenuè, adverſùs Patrem, qui eum toto anno captivum tenuit, Principes Anhaltinos, Joh. & Woldemarum Brandeburgicos, duoſque Impp. Adolphum & Albertum (ubi celebres clades Suevorum ad *Luckau* A. C. 1307.) geſta, *Fortis* (Germ. *der Freudige*) dici meruit. Poſtea, Patre, intra Erfordiam concluſo, ditiones feliciter rexit: In compenſationem damnorum expenſarumque, Urbes Imperiales Aldenburgum, Cygneam & Chemnitium A. C. 1308. ſubegit. Tabe extinctus obiit, A. C. 1326. Ex priore conjuge Agnete Carinthiæ Duc. pater *Friderici* Claudi, qui ſagitta confoſſus eſt, A. C. 1315. ex altera verò Eliſabetha Arnshagia, *Friderici*, de quo hîc infrà.

FRIDERICUS II. cognom. *Severus*, vel *Gravis*, vel *Macer*, fil. prioris, delatam adverſùs Carolum IV. dignitatem Imperialem, A. C. 1347. acceptis 10000. argenti marcis ceſſit. Orlamundenſem autem Comitatum, Comite Hermanno ob faſtum pulſo, ſibi addictum, illi ad dies vitæ iterum conceſſit; dimidiam etiam partem Salzenſis ditionis emit; latrociniis inſervientes arces diruit: cum Suartzenburgicis & Erfordicis bellum geſſit, obiit A. C. 1349. Eo, ex Mechtilde Ludovici Bavari Imp. filia, ſunt geniti, Ludovicus Archiep. Moguntinenſis & Magdeburgenſis atque Ep. Halberſtadienſis & Bambergenſis, qui cum choreas duceret in Bacchanalibus A. C. 1381. Calbæ, deceſſit corruente conclavi oppreſſus: Sigiſmundus Adminiſtrator Mersburgenſis: Balthaſar, Landgravius Thuringiæ; bellicâ fortitudine clarus, & Eduardi III. Angl. Regis adverſùs Gallos miles, (qui ex uxore Margarethâ, ſeu Catharinâ Norimbergenſi, *Fridericum* cognomine *Pacificum* genuit) Vilhelmus cognomine *Cocles*, inprimis verò *Fridericus* III. de quo paulò poſt.

FRIDERICUS III. cognomine *Strenuus*, Catharinæ Hennebergicæ fil. Henrici, ſuæ uxori Coburgenſem principatum debuit, familiæ illatum, quem ipſa à matre Gutha, filia Hermanni, March. Brandeburgici obtinuerat. Carolo IV. in oppugnandis Ruthenis adſtitit: nec minùs adverſùs Adolphum Naſſovium Archiep. Moguntinum, fratris adverſarium: ac Erfordiam, quæ ejus ſequebatur partes, arma geſſit; urbe obſeſſâ, donec Imp. auctoritatem interponeret ſuam. Latrocinia idem compeſcuit, receptaculis prædonum arcibus everſis. Genuit Vilhelmum cognomine *Divitem*, Georgium, & *Fridericum* IV. de quo infrà.

FRIDERICUS IV. fil. prioris cognomine *Bellicoſus*, actâ in caſtris pueritiâ dein etiam plurima fortiter geſſit: in Franconia, contra factionem conjuratorum qui ſe *Stellares* nominabant: in Boruſſia, pro Conrado, Ordinis Teutonici Magiſtro; in Thuringia cùm Comites quoſdam licentiâ inſolentes compeſceret: in Miſnia, cùm Vice-Dominum Gribenſteinâ ejiceret: quibus effecit, ut, poſtquam Saxoniæ Ducatus, extra Witikindeam ſtirpem hucuſque hæſiſſet, in Dilingiis, Supplinburgiis, Guelfis, Aſcaniis, tandem Alberto hujus poſtremæ gentis ultimo, ſine prole extincto, A. C. 1422. ab Imp. Sigiſmundo, præteritis Saxon. infer. Principibus agnatis, fruſtraque eandem dignitatem ambientibus Ludovico El. Pal. & Friderico Electore Brandeburgico, Ducatum Electoratu auctum nactus; eum Witikindeæ ſtirpi denuo intulerit, A. C. 1425. Idem Lipſienſium Academiam A. C. 1409. cùm Pragâ Studioſi affluerent, inſtituit. Obiit A. C. 1428. Pater, ex Catharina Brunſvicenſi, præter filias, Annam, Ludovici cognomine *Pacifici*, Landgravii Haſſiæ, & Catharinam Friderici II, Electoris Brandeburgici conjuges, trium inprimis filiorum: Sigiſmundi, Ep. Herbipolitani & Adminiſtratoris Mersburgenſis, qui in exilio deceſſit, A. C. 1457. *Friderici* II. Succeſſoris, & Vilhelmi, Landgravii Thuringiæ, nati A. C. 1425. quorum hic abſque prole maſcula deceſſit, A. C. 1428.

FRIDERICUS II. Elector, fil. prioris, natus A. C. 1412. cognom. *Placidus*, in Bohemos pro Alberto bellum geſſit, eoſque ad Satium, dein Sebritiam, fudit, nec non copias Polonicas diſſipavit. Bellum illaturus *Friderico* Comiti Beichlingio, Archiep. Magdeburg. cùm hunc audiviſſet neutiquam ad bellum ſe parare, ſed Deo cauſam commiſiſſe; conſilium omiſit. Deceſſit A. C. 1416. Ei, ex Margaretha Auſtriaca, Friderici III. Imp. ſorore, ducta A. C. 1431. geniti ſunt, præter eos, qui maturè deceſſêre, Erneſtus & Albertus, duarum linearum ſatores: quos Conr. Kauffungus, olim Electoralis Aulæ Magiſter & belli Dux, concepto in herum, qui lytron, quod Bohemis, auſpiciis ejus pugnans, captus, ſolverat, reddere nollet, odio, ex arce Aldenburgenſi noctu abduxerat; mox inſequentibus, quos fugienti Elector immiſit, captus, & Principibus receptis, merita pœna affectus. Præter filios autem, *Friderico* filiæ fuêre, Æmilia, Ludovico Duci Bavariæ nupta, Anna Alberto Electori Brandeburgico ſociata, & Hedvigis, Abbatiſſa Quedlinburgenſis.

FRIDERICUS III. Elector, cognomine *Sapiens*, fil. præfati Erneſti, ex Eliſabetha Alberti Bavariæ Ducis filia, Wittebergenſem arcem condidit: cum fratre Joh. Wittebergenſem Academiam erexit, A. C. 1501. Philippum Palatinum Maximiliano Imp. reconciliavit, Erfordiæ plebem contra Senatum tumultuantem ſedavit, Lutheri opus Reformationis (de quo Electori pridem in ſomnio viſio oblata) in Saxonia orſi, defenſionem ſuſcepit. A. C. 1518. ex Wormatienſibus Comitiis, in quibus *Fridericum de Thun*, Conſiliarium ſuum, ne opprimeretur, ei præſtò eſſe juſſerat, redeuntem Wartpurgi aſſervavit; Imperium ſibi, poſt Maximiliani mortem, delatum, ſuffragio ſuo ad Carolum V. transferre maluit, à quo, cùm magna vis pecuniæ offerretur, nec recepit ipſe, & à ſuis ne teruncium quidem accipi voluit. Demum, tumultu ruſtico jam orto A. C. 1525. Princeps pius, cœlebs, diuturnis calculi doloribus excruciatus, accepto in utraque ſpecie Sacramento, obiit, cum ad 30. Comitia Elector inviſiſſet, ſucceſſore fratre Joh. cujus fil. Joh. *Fridericus I.* Patri in Electoratu ſucceſſit, (de quo vide in voce *Johannes*) pater, Inter alios, Joh. *Friderici* II. de quo videſis ibid.

FRIDERICUS, fil. Joh. Friderici modò dicti, ex Eliſabetha Palatina, puer deceſſit, A. C. 1563. Item unus ex filiis Friderici Vilhelmi, de quo hîc infrà, & Annæ Mariæ Palatinæ, nat. A. C. 1599. venationi apud Joh. Georgium I. Saxoniæ Electorem Præpoſitus, in obſidione Budiſſinæ legionem duxit: hinc Hiſpanicis auſpiciis delectus inſtituturus, à re pecuniaria, in qua Hiſpani eum fruſtrati, laboravit; itaque Chriſtiano Brunſvicenſi ſe cùm addixiſſet, prælio Statlöenſi captus, ſed in gratiam Electoris dimiſſus, jam Daniæ Regis miles, ad Nienburgum cecidit, A. C. 1625. frater Joh. Philippi, Joh. Vilhelmi & Friderici Vilhelmi. Item fil. Joh. Vinarienſis lineæ conditoris, ex Dorothea Maria Anhaltina, nat. A. C. 1596. ad Floriacum, ubi Mansfeldius, cui militabat, & Brunſvicenſis cum Cordubenſi conflixêre, cecidit, A. C. 1622. frater inter alios, Joh. *Friderici*, & *Friderici* Vilhelmi. Item unus ex filiis Erneſti Ducis ejuſdem lineæ, nat. A. C. 1648. qui cùm Argentinæ primò ſtudiis dediſſet operam, inde Gallias & Italiam peragraſſet, aliquot menſibus ante Patris obitum Regimen, Patris nomine adminiſtrandum, accepit; inde cum fratribus ei ſucceſſit: è conjuge Magdalena Sibylla agnata ducta. A. C. 1669. Annæ Sophiæ A. C. 1670. Magdalenæ Sibyllæ A. C. 1671. (quæ obiit A. C. 1673.) Dorotheæ Mariæ, A. C. 1674. & *Fridericæ* A. C. 16.. Pater.

FRIDERIICUS Dux Saxon. lineæ Albertinæ, fil. Alberti minimus natu, ex Sidonia Bohemica, nat. A. C. 1474. Senis ſtudia excoluit; Magiſter dein Ordinis Teutonici in Pruſſia factus, primus poſt tranſactionem cum Rege Caſimiro A. C. 1446. factam, fidem dare Regi recuſavit, uſus auxiliis ac conſiliis Maximiliani I. Imp. cùm verò parùm proficeret, ad fratrem natu maximum Georgium ſe recipere, quàm Regi extraneo ſe obſtringi, maluit. Deceſſit Rochlicii A. C. 1510. Item fil. Georgii præfati, ex Barbara Caſimiri Regis Poloniæ filia, minor natu, ob ſimplicitatem vix aptus regimini, ex Eliſabetha Mansfeldia, ducta A. C. 1525. obiit improlis, A. C. 1539. ut & frater ejus Joh. ſucceſſore Patruo Henrico, patre Mauritii & Auguſti Electorum.

FRIDERICUS Vilhelmus I. fil. major natu Joh. Vilhelmi Vinarienſis lineæ conditoris, ex Dorothea Suſanna Palatina, nat. A. C. 1561. in diviſione, Aldenburgicam ditionem nactus eſt. Dein cum Joh. Georgio Brandeburgico, admotus tutelæ Chriſtiani II. A. C. 1591. Electoratum adminiſtravit; ac initio mox, celebrato Torgæ Ordinum conventu, in ditionibus Lutheranam Religionem, cujus loco Chriſtianus Elector Reformatæ faverat, reduxit, Ægidii Hunnii ad id negotii opera uſus. Deceſſit A. C. 1602. Theologorum fautor, & Lutheri ſcriptorum aſſiduus lector: Pater ex ſecunda conjuge Anna Maria Palatina præter filias, Joh. Philippi, Friderici ſuprà memorati, & *Friderici* Vilhelmi.

FRIDERICUS Vilhelmus II. fil. prioris minimus natu, fratrum ſuorum, & poſtea Joh. Erneſti patruelis, lineæ Gothanæ hæres, auſpiciis agnati Electoris in Luſatia exercitum duxit A. C. 1634. inde ditionibus regendis incubuit: ex tomis Lutheri Germanis Jenenſibus, Wittenbergenſibus, Iſlebienſibus unum opus concinnari curavit; operâ Joh. Chriſtfridi Sagittarii quod Altenburgi typis excuſum eſt, A. C. 1664. extinctus A. C. 1669. Ei ex Magdalena Sibylla agnata præter alios, nat. *Fridericus* Vilhelmus, A. C. 16.. qui Parenti ſucceſſit, ſed perbrevi regimine, utpote qui morte ſua lineam hanc clauſit, A. C. 1672. ſucceſſione delatâ ad Erneſtum Ducem lineæ Vinarienſis, fratribus tamen Vinarienſibus, præfecturis quas occupaverant, conceſſis: erant autem hi Erneſti præfati, ex fratre Joh. Erneſto, nepotes. Spen. *in Fam. Saxon.*

Ex Fam. Zollerio-Brandeburgica.

FRIDERICUS I. fil. Wolphgangi ex poſteris Danckonis, qui Zolleranam arcem tenuiſſe dicitur A. C. 829. ſecundùm Zimmetheuſerum, fil. Conradi I. Burggravii Norimbergenſis, circa A. C. 1168. nepotem habuit ex filio Conrado I. *Fridericum* II. quamvis alii hunc ejus filium faciant.

FRIDERICUS II. Com. Zolleranus, fil. an Conradi II. an *Friderici* I. Vide *ſuprà*.

FRIDERICUS III. prioris, ex Eliſabetha Merania, fil. pater fuit Burchardi, qui cæſus ex parte Rudolphi Anticæſaris, cujus ſororem Anaſtaſiam in matrimonio habebat, ad Mersburgum A. C. 1080. Hoc genitus,

FRIDERICUS IV. cognomine *Mautc*: quo nati Rudolphus II. &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

FRIDERICUS V. cui fil. datur,

FRIDERICUS VI. cui, cùm duo eſſent filii,

FRIDERICUS VII. & Eitelfridericus: hic, Rudolphi I. Imp. ex ſorore Eliſabetha affinis, per filium minorem natu Eitelfriderícum, Zollerenſes, qui, in Principum gradum evecti hodie, in Hechingenſem & Sigmaringenſem lineam diſpeſcuntur, ſevit; Major verò ejus fil.

FRIDERICUS I. aliis etiam *Eitelfridericus* dictus, avunculo adhuc Habſpurgi Comiti, in bello adverſus Henricum Ep. Baſil. & jam Cæſari in bello Bohemico operam navavit: eidem primus Imperatorii axiomatis nuntius. Quam ob cauſam, Eberhardo, ex Vohburgus ultimo. Norimbergæ Burggravio extincto, Burggraviatum ſeu Franconiæ Ducatum Imp. nepoti contulit. Alia, ut Berytum & Cadesburga, ab uxore Eliſabetha Merania, ultimi Meraniæ Duc. & Iſtriæ Marchionis Othonis filia, ei obtigêre, nec non jus in Burgundiæ Comitatum, quod poſtea Hugoni Cabillonenſi A. C. 1256. & 1269. vendidit, retentâ ſolâ Advocatiâ Veſontinâ, quæ deinceps ſeparatim vendita. Obiit A.C. 1290. Pater Conradi & *Friderici*, de quo mox.

FRIDERICUS II. fil. prioris, in bello Ludovici Bav. Imp contra *Fridericum* Pulchrum, illius partes ſequutus, hunc per miniſtrum Albertum *de Mosbach* cepit, ob id feudis aliquot donatus, tandem pacis paratius. Ab Oetingenſibus, Caſtellanis, Hohenloicis & Heideccanis plurima emit; inprimis ab Oetingenſibus Onolsbacum: tum Joh. Lucenburgicum, in Regno Bohemico obtinendo, juvit. Obiit A.C. 1330. Pater ex Margaretha filia Alberti Duc. Carinthiæ, Bertholdi Ep. Aichſtattenſis ac Cancellarii Ludovici V. & dein Caroli IV. Impp. *Friderici* Ep. Ratisbonenſis, Alberti, & qui ſtemma propagavit, Joh. quo extincto A.C. 1357. ex Eliſabetha Hennebergica, nat. *Fridericus* IV. apud Carolum IV. Imp. cui hoſtem Ludovicum Romanum conciliavit, non parùm fuit gratioſus. Deceſſit A.C. 1394. bis maritus Eliſabethæ, *Friderici* March. Miſniæ filiæ & Ingelburgis, Ludovico Romano Brandeburgico natæ: Pater verò, præter alios liberos, *Friderici* mox dicendi.

FRIDERICUS ex Burggraviis V. ſed inter Electores I. prioris fuit fil. Hic, cùm Sigiſmundo Imp. in bellis Hungaricis ac Bohemicis militaſſet poſt mortem Jodoci, March. Moraviæ, Marchiæ Vicarius, ab eo Imp. Budæ: dein, conſenſu reliquorum Electorum, Elector & Marchio, ab eodem, *ob merita, ſumptus factos, & Marchiæ tranquillitatem*, Conſtantiæ creatus eſt A. C. 1415. inveſtiturâ ſolemniter peractâ Conſtantiæ in Concil. menſ. Apr. A.C. 1417. Condidit poſtea arcem Coloniæ ad Suevum, A. C. 1427. Pomeranis Angermundam A. C. 1420. & Primiſlaviam, Ukkariæ Metropolim, eripuit: Norimbergenſibus, cum Burggraviatu, arcem vendidit, ſervatis aliquibus juribus, feudis quibuſdam Eccleſiaſticis ac ſecularibus, judicio Burggraviatus provinciali, venationibus, conductu contra urbem, & aliis; illi verò arcem dirutam in domum frumentariam convertêrunt. Inde Huſſitarum bello cùm implicaretur, Dux Comitiis Norimbergenſibus adverſùs eos declaratus, illis irritatis, Marchiam ab iis vaſtari & Francofurtum etiam obſideri vidit: Bernardum Duc. Saxoniæ Lauenburg. qui Prigniciam irruperat, vicit, Erdenoburgo deſtructo. Obiit A. C. 1440. Princeps auctoritate, magnanimitate & prudentiâ conſpicuus. Pater, ex Eliſabetha *Friderici* Ducis Bavariæ filia, plurium liberorum, inter quos ſecundo genitus fuit *Fridericus* II. cognom. *Ferreus*, nat. A. C. 1413. qui in Polonia educatus diſcendæ linguæ & moribus gentis, Vladiſlai V. ex filia Hedvige gener, & ex conſenſu Ordinum, in regno Succeſſor deſtinatus, ſpe illâ excidit, Hedvige maturiùs extinctâ. Dein Vladiſlao mortuo A. C. 1446. oblatum Regnum, quòd Caſimirus frater eſſet ſuperſtes, accipere recuſavit; pro merito ob id ab Ænea Sylvio laudatus: nec non Georgii Reg. Bohemiæ coronam à Pontifice ſibi oblatam A.C. 1468. Baſilienſis Concilii protector fuit, A.C. 1434. à Patre moriente, quòd bellicoſior videretur, in Electoratu fratri majori Joh. prælatus, fratre minori *Friderico* cognom. *Craſſo*, in communionem dignitatis ei addito, quo tamen hic jure ceſſit, defunctus A. C. 1463. litem inter Berolinenſes ac Colonienſes compoſuit, Marchiam Novam, ante Annos 57. à Jodoco Marchione Teutonico Ordini oppignoratam, redemit A.C. 1455. Polonos & Lithuanos Francofurtum obſidentes depulit, A. C. 1450. Fœdus hæreditarium cum Saxonibus pepigit, A. C. 1451. cui Haſſi acceſsêre A. C. 1457. Bellum habuit contra Georgium Regem præfatum, ob Luſatiam infer. ab Vladiſlao Rege pridem conceſſam, quod ita compoſitum, ut Cotbyſio, & oppidis aliquibus retentis reliqua ad Regem redirent. Graviſſimum illud fuit, cùm Ottone Duce Stettini mortuo, ex antiquo pacto ſibi Ducatum aſſereret. A.C. 1464. ab Imp. accepto feudo & inſignibus, agnati autem Ericus & Wratiſlaus eum occuparent: ſed & illud tandem in pacem deſiit, Caſimiri Pol. Regis interventu. Haud longè ante obitum in Palæſtinam profectus, deceſſit A. C. 1471. cùm priori anno ad fratrem Albertum, conſenſu Imp. & Electorum, Electoralem dignitatem transtuliſſet, utpote maribus deſtitutus, & nonniſi filiarum, ex Catharina *Friderici* I. Saxoniæ El. filia, pater, Margaretæ & Dorotheæ quarum illa Bogiſlao Duci Pomeraniæ A. C. 1476. hæc. Joh. Duci Saxoniæ inferioris nupſit.

FRIDERICUS, ex filiis Joachimi II. El. Coadjutor Magdeburgenſis fuit, A. C. 1547. Inde Ep. Havelbergenſis, demum Archiep. Magdeburgenſis A. C. 1551. & Ep. Halberſtadienſis A. C. 1552. factus. Ob eum, in admiſſione Concilii Tridentini, Pater promptiorem ſe præbuiſſe dicitur. Obiit A.C. 1552. veneno, ut creditur, extinctus: nondum redempto pallio, quod tum 30000. aureorum vendebatur. Item fil. Joh. Georgii Electoris, ex tertia ejus conjuge, Eliſabetha filia Joachimi Erneſti Princ. Anhaltini, nat. A. C. 1588. cùm in Collegio Illuſtri Tubingæ vixiſſet, inde Ordinis S. Joh. per Marchiam, Saxoniam, Pomeraniam & Vandaliam Magiſter creatus, A. C. 1610. An. ſeq. obiit. Item unus ex filiis *Friderici* Vilhelmi hodierni Electoris, ex prima ejus uxore Luiſa Henrica Naſſovia, genitus A. C. 1657.

FRIDERICUS, fil. minor natu *Friderici* II. Electoris ſuprà memorati, Franconicam lineam orſus eſt, ſicut frater ejus Joh. Elector, Electoralis auctor fuit: idem poſt mortem alterius fratris Sigiſmundi, Voitlandiam nactus eſt. Cum Norimbergenſibus litem habuit: Bello Bavarico ex partibus Cæſaris, prope Ratisbonam, copias Bohemicas cæcidit. Obiit A.C. 1536. Pater ex Sophia, filia Caſimiri Poloniæ Regis, numeroſæ prolis, filiorum inprimis trium, à quibus totidem lineæ, Caſimiri nempe, qui Culmbacenſem; Georgii, qui Anſpacenſem vel Jägerdorffiam; & Alberti, qui Boruſſiacam lineam orſi ſunt. Idem etiam *Fridericum* habuit, nat. A. C. 1497. Canonicum Moguntinum & Præpoſitum Herbipolitanum, qui bello ſtipendia fecit, contra Franciſcum Galliæ Regem, auſpiciis Caroli V. Imp. defunctus Genevæ A. C. 1536.

FRIDERICUS Vilhelmus, vide in voce *Wilhelmus*.

FRIDERICUS III. hodiernus Elector, fil. prioris ex Luiſa Henrica Naſſovia Arauſion. genitus A. C. 1657. ſucceſſit Patri A. C. 1688. Princeps pietate, eruditione, & benignitate, inprimis in exules Gallos inclytus, *Pater* hinc *Exulum* dictus; qui proin in monumento, quod ejus honori haud pridem conſecrarunt, inter alia ſic optimo Principi acclamant:

Virtutum ---- poſt Patrem exempla dature,
Seraphico, Princeps, ſuſpicienda choro,
Quas premis imperio gentes, ſucceſſibus auge,
Auge, vince hoſtes & quoque vince Patrem.
Vince diu, Natoque Parens ſobolique futuræ,
Quæ facis, inſolita proſperitate præi.
Quod Pater exorſus priùs eſt, quod Filius urges
Duret in auguſta poſteritate decus.
Exulibus dicare Pater, dicantur & ibi,
Protectæ pretium Relligionis erit.
Regna, Domum, Delubra, Scholas, ſalva omnia, Princeps,
Hoſpitio Chriſtum qui fovet, ilic tenet.

Uxorem ſibi junxit ex Fam. Brunſvico-Cellenſi, ex illa Principis Electoralis Pater. Cæterùm magna pars Confœderatorum, Bonnam Gallico præſidio inſeſſam expugnavit, & in Germania Belgioque contra Gallos, ac Hungaria contra Turcas, hodieque multum momenti communi cauſæ confert.

Albertus FRIDERICUS, fil. Joh. *Friderici*, March. Onoldſbacenſis, ex Johanna Eliſabetha, *Friderici* March. Badenſis filia, nat. eſt A. C. 1674. Item fil. Alberti, Boruſſiacæ lineæ conditoris, ex Anna Maria Erici Duc. Brunſvicenſis filia, nat. A. C. 1553. à Polonis tutores accepit, ac dein Lublini, cùm major declararetur, ſimili ac Pater cerimoniâ, à Rege, feudum Boruſſiæ accepit: promiſſo etiam addito à Rege, ſuo & Succeſſorum nomine, quo Auguſtanæ Confeſſioni cavebatur; nec non alio, quo nullam à Boruſſiaca Nobilitate appellationem recipere velle, niſi manifeſtâ injuriâ à Principe læſus aut juſtitia denegata ſit, pollicebatur. Poſtea verò, ipſo nuptiarum cum Maria Clivenſi apparatu A. C. 1573. in mentis ægritudinem incidit, unde Georgius *Fridericus* patruelis Curator conſtitutus: quo mortuo curatela Joachimo *Friderico* Elect. conceſſa eſt, qui à Boruſſis homagium accepit, A. C. 1605. Eodem poſt Patrem munere provinciæ præfuit Joh. Sigiſmundus Elect. donec Dux deceſſit A. C. 1618. ſucceſſore Georgio Vilhelmo Elect. Pater fuit ex præfata Maria Eleonora Annæ, quæ nat. A. C. 1576. Joh. Sigiſmundo Electori Brandeb. prætenſiones attulit Juliaco Clivenſes: Mariæ, quæ Chriſtiano agnato; Sophiæ, quæ Vilhelmo Curlandiæ Duci Eleonoræ, quæ Joachimo Friderico El. & Magdalenæ Sibyllæ, quæ Joh. Georgio I. Elect. Saxoniæ, nuptæ, obiêrunt A. C. 1609. 1610. & 1649. cùm natæ eſſent A. C. 1579. 1582. 1583. & 1587.

Georgius FRIDERICUS, fil. Georgii Anſpacenſis vel Jägerndorfſiæ lineæ conditoris, ex tertia ejus conjuge Æmilia, fil. Henrici Ducis Saxoniæ, nat. A. C. 1539. tutore uſus eſt Alberto patrueli, donec is proſcriberetur: tum enim tutela quoque adempta, & Jägerndorfium Ducatum, donec is adoleviſſet, Ferdinandus I. Rom. Rex ſibi addixit, reddiditque A. C. 1558. In Saganenſem Ducatum & dominium Biberſtenium, quod pignori ab eodem Ferdinando aliquandiu tenuerat. Religionem Evangelicam introduxit, ſed debito ſoluto, reſtituit. Patruelis Alberti *Friderici* tutelam hicque Boruſſiæ adminiſtrationem à Rege Poloniæ obtinuit, A. C. 1574. Heilſbronnæ natali ſuo, Gymnaſium aperuit, in quo 100. alumni ſuſtentarentur, & cum ſtipendio 50. aureorum mitterentur in Academias, A. C. 1582. Demum Princeps candidus, conſtans, & in omni fortuna ſibi ſimilis, arcibus provinciæ pluribus reſtauratis atque excultis, fato ſuo functus eſt A. C. 1603. nullâ ex duabus conjugibus, Eliſabetha Joh. agnati filia & Sophia filia Vilhelmi Ducis Brunſvicenſis, prole ſuſceptâ. Duxerat autem illam A. C. 1558. quâ extinctâ A. C. 1578. alteram ſibi ſociarat A. C. 1579.

Joachimus FRIDERICUS, vide *Joachimus*.

Johannes FRIDERICUS, fil. Alberti March. Onoldsbacenſis, ex priori conjuge Margaretha Sophia, filia Joachimi Erneſti Com. Oetingenſis, nat. A. C. 1654. Patri A. C. 1667. defuncto, in regimine, ſucceſſit: maritus Johannæ Eliſabethæ March. Badenſis *Friderici* filiæ, quam in thorum aſcivit A. C. 1672. ex ea pater Alberti *Friderici*, geniti A. C. 1674. &c. Spener. *in Fam. Zolleriana.*

Ex Fam. Guelfica.

FRIDERICUS, Dux Brunſvicenſis, fil. maximus natu Magni cognom. *Junioris* ſeu *Torquati*, ex Catharina, Woldemari Elect. Brandeburgici filia, ex tranſactione cum fratribus (qui Lunæburgum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

gum tenuêre) A. C. 1374. initio ſolus Ducatus Brunſvicenſis Adminiſtrator fuit: Brunſvicenſium ope Ottonem Malum agnatum Wolfterbyto ejecit: Nobiles, qui fratrem Bernardum captivum detinebant, prælio vicit. Demum ab aliquot Electoribus, ob virtutis famam, loco Wenceſlai depoſiti, ad Imperiale faſtigium electus, at in itinere, cùm Francofurto rediret, ad Fritzlariam, ab Henr. Com. Waldeccio, vel potiùs *Friderico* ab *Hartingshauſen* & Cuntzmanno à *Falckenberg*, cæſus A. C. 1400. filium nullum reliquit: Pater ſolùm duarum filiarum, Annæ, quæ *Friderico* Auſtriaco, & Catharinæ, quæ Henrico Comiti Schwartzenburgio nupſêre. Eo extincto, fratres Bernhardus Lunæburgicæ, & Henricus Brunſvicenſis, linearum auctores, priori tranſactione, de Ducatu in ſolum primogenitum ſemper transferendo, abolitâ, pari poteſtate ditiones regere incepêrunt, de quibus vide ſuo loco.

FRIDERICUS, cognom. *Religioſus*, fil. minor natu Bernhardi præfati, ex Margaretha Saxo-Angrivaria, frater Ottonis, qui ſine prole obiit A.C. 1445. cum fratre Hachemolam arcem Com. Spiegelbergii, ob prædandi licentiam, expugnavit, A. C. 1434. Cùm dein Monaſterienſibus, adverſùs Archiep. Colonienſem opem ferret, ab hoc captus & Coloniam deductus eſt A. C. 1454. Reverſus Cellis Cænobium Franciſcanorum extruxit, illudque ingreſſus, filiis, quos ad pietatem, juſtitiam & humanitatem, hortatus erat, regimen tradidit: ſed eorum morte præmaturâ ad clavum retractus, ſeptennio adhuc ditionibus præfuit, extinctus A. C. 1478. Ex Magdalena Brandeburgica, ducta A. C. 1430. ſtemma propagavit: genitis Margaretâ, Ulrici Ducis Megapolitani *in Stargard* poſtea uxore, Bernardo & Ottone: qui cùm ambo ante Patrem, uti dictum, deceſſiſſent, hic tamen, ex Anna filia Joh. Com. Naſſoviæ, lineæ Dilleburgicæ, reliquit filium Henricum cognom. *Juniorem*, vel *Medium*: in cujus poſteris quoque *Fridericus* fuit, Erneſti Ducis fil. prælio Siverſhuſano extinctus A. C. 1532. frater Henrici, qui Dannebergiam lineam, & Vilhelmi, qui Cellenſem, orſi ſunt. Item, unus ex Vilhelmi modò dicti filiis, Præpoſitus Bremenſis, qui poſt fratrem Auguſtum Principatum Grubenhagium cum Cellenſi adminiſtravit; obiit A. C. 1648. Ita enim inter fratres, quorum 7. erant, convenerat, ut uno ſolùm, qui Georgius erat, uxorem ducente, reliqui cœlibem degerent vitam, & regimini per vices præeſſent.

FRIDERICUS Ulricus, primogenitus fil. Henrici Julii Duc. Brunſvicenſis, lineæ Guelferbytanæ, ex poſteriore ejus uxore Eliſabetha ſorore Chriſtiani IV. Daniæ Regis nat. A. C. 1591. urbem Brunſvicum obſedit A. C. 1615. cui cùm *Fridericus* Com. Solmenſis, Hanſeaticæ Reip. nomine, ſubſidium intuliſſet, miſſus etiam eidem fini à Batavis Henr. Fridericus Naſſovius eſſet, interpoſitione Daniæ Regis plurimorum Electorum, Principum ac Civitatum, pax concluſa; ſeq. anno ſervatis privilegiis, à civibus Duci homagium præſtitum, & proſcriptio, quam ab Imp. Dux obtinuerat, abolita eſt A. C. 1617. In cauſa autem Grubenhagia, poſſeſſionem illius Principatus Lunæburgicis, cum fructibus & ſumptibus reſtituere juſſus eſt, A. C. eod. Tranſlationem Electoratus in Bavarum palàm improbavit, A. C. 1623. Bello Danico, Regis avunculi partes ſequutus, cùm Wallenſtenium ingreſſu in Principatum arcere fruſtra conatus eſſet, A. C. 1626. Rex, eo deſtituto, Ducatum Chriſtiano fratri commiſit; unde *Fridericus* Ulricus, poſt prælium ad Lutteram, ad Cæſarem rediit; Guelferbytum Okkari inundatione domuit: ad Lipſienſem Conventum, ubi Evangelici convenerant, A. C. 1631. Legatos ſuos miſit. Obiit A. C. 1634. ſui rami ultimus, nullis ex Anna Sophia, filia Joh. Sigiſmundi Elect. Brandeb. cum qua ei ob graves ſuſpiciones non bene convenit, liberis relictis habuitque hæredes agnatos Lunæburgicos, ſucceſſore Auguſto, filio minimo natu Henrici, Dannebergicæ, nunc Wolffenbüttelanæ lineæ Auctoris.

Auguſtus FRIDERICUS, fil. nat. maximus Antonii Ulrici, (præfato Auguſto geniti) ex Eliſabetha Juliana filia Friderici Holſatiæ Ducis nat. A. C. 1657. Argentinæ aliquandiu vixit, inde, peragratis exteris oris, auctoritate Cæſaris legionem duxit Colonellus.

Johannes FRIDERICUS, unus ex filiis Georgii Duc. lineæ Cellenſis, & Annæ Eleonoræ, filiæ Ludovici Landgravii Haſſiaci, nat. A.C. 1625. in diviſione, Calenbergium Princ. obtinuit. Religioni Pontificiæ acceſſit, A.C. 1651. Fratre Chriſtiano Ludovico mortuo, Cellenſem Principatum prætendit. Hannoveræque habitat. Princeps eſt judicii cætera inſignis ac in legendis libris induſtrius. In præſentibus motibus, Gallicis & Suecicis partibus favit, atque, ut pax maturaretur, fœdere junctus fuit; à quo abductus, neuter agit, copiis inſtructus non contemnendis. Uxorem habet, ab A. C. 1668. Benedictam Henricam Philippam filiam Edoardi Com. Palatini Rheni, in Gallia natam ac educatam; pater ex ea filiarum.

Ex Fam. Wirtembergica.

FRIDERICUS, fil. Georgii Duc. Wirtenberg. lineæ Montipelicardenſis, auctoris, ex Barbara Haſſiaca, Philippi Landgravii filia initio Richovillæ, apud matrem, quæ dein Danieli Com. Waldeccio nupſit; dein vocatus Stutgardiam A. C. 1568. cum Ludovico ſobrino propiori educatus eſt. Ejus autem nomine antea Chriſtophorus agnatus Tutor, Claudium Franc. Louvianum *de Rye*, qui, ob prætenſiones Novocaſtrenſes, durante juris diſceptatione, Hericuriam & dominium *Chaſtelot* vi occupaverat, armatâ manu dejecerat Hericuriâ. Tum adultior Germaniam, Daniam & Hungariam, *Fridericus* peragravit: Formulæ Concordiæ ſubſcripſit A.C. 1581. Regimine ſuſcepto Montpelicardum habitavit, & plurimum ornavit. Principum German. Legatus, cum Wolffgango Com. Iſenburgio, in Gallias inteſtinis bellis afflictas miſſus, A. C. 1586. antea colloquium Montpelicardi inſtituit, Bezam & Andreæ: dein etiam Badenſi Colloquio interfuit, A. C. 1589. In Angliam, periculoſo propter tempeſtatem itinere, profectus eſt A. C. 1592. Inde cùm ſucceſſiſſet agnato Ludovico, A. C. 1593. ſine prole maſcula extincto, in Ducatu, agereum Auſtriacis cœpit, ut ab ipſorum juriſdictione eximeretur, ob quod, A. C. 1597. à fœdere Gallico ſe excuſavit. Tandem, Imp. Rudolphus II. conſentientibus Auſtriacis cæteris, bonâ pecuniæ ſummâ acceptâ, inveſtituram Ducatuum duorum, ad primam & immediatam formam, abolitâ feudali obligatione, quâ ab aliquo tempore Auſtriacis obſtricti fuerant, reduxit; quæ etiam ab illo tempore hucuſque ſemper obſervata: reſervatâ tamen Auſtriacis ſucceſſione, in caſum deficientis maſculæ ſobolis, ubi tantùm Religioni cautum, d. 24. Januar. A. C. 1599. Ad Jubilæum Rom. itinere occulto, profectus eſt, A. C. 1600. Cæterùm Eques fuit regiorum Gallici & Anglici Ordinum, & oppignorata ſibi Ducatum Alençonium, in Gallia & Oberkircham, ab Ep. Argentinenſi, poſſedit: Multa quoque Principatui loca adjecit; Templum & Collegium Montpelicardi condidit, ut & opp. Freudenſtadium, recipiendis è Styria exulibus, extructum. Obiit A. C. 1608. Princeps Heroici animi & acris judicii, ex Sibylla filia. Joachimi Erneſti Principis Anhaltini, liberorum 15. è quibus Sibylla Eliſabetha nata A. C. 1584. maritum habuit Joh. Georgium Saxonem, poſtea Electorem: Eva Chriſtiana, genita A. C. 1590. Joh. Georgium March. Brandeburgicum: Agnes, nata A. C. 1592. Franc. Julium Ducem Saxoniæ infer. Barbara, nata A. C. 1593. Fridericum March. Bad. & Anna, quæ lucem hauſit A. C. 1597. Inter filios,

FRIDERICUS Achilles, nat. A. C. 1591. virtute & literis probè excultus, *Conſultatione de principatu provinciarum Europæ*, habitâ & vulgatâ innotuit; cumque per corporis molem ad Exteros ire non liceret, Geographicis & Hiſtoricis ſtudiis aliiſque Artibus ingenium excoluit. Habitandum per fraterna pacta nactus Neoſtadium ad Cocharum. Obiit A. C. 1631. cœlebs, ut & Magnus frater ejus: cui Neoburgum adſignatum fuerat. Reliqui tres *Friderici* præfati filii, Joh. *Fridericus*, Stutgardianam: Ludovicus *Fridericus* Montpelicardenſem & Julius *Fridericus*, Julianam ſeu Brentianam, lineas orſi ſunt.

Johannes FRIDERICUS, fil. nat. maximus Friderici ſuprà memorati, nat. A. C. 1582. Italiam, Germaniam, Galliam, Daniam, Bohemiam, Hungariam, Belgium, luſtravit Patris ſucceſſor, unioni nomen dedit: Unde in bello Alſatico, unà cum ſociis, contra Leopoldinos egit, atque Udenhemium deſtruxit. Tractatibus dein, quibus Unio diſſoluta, ſubſcripſit, A. C. 1626. Unà cum Lotharingiæ Duce apud Cæſarem ſe, in cauſa Palatina, Mediatorem interpoſuit, ſed ſine fructu: Circulum Suevicum, cujus Dux erat, totâ ſere Germaniâ bello ardente, tranquillum prudenter ſervavit. Obiit A. C. 1628. candoris & conſtantiæ inprimis elogio inſignis. Ei, ex Barbara Sophia, filia Joachimi Friderici El. Brand. præter filias complures, filii fuêre Eberhardus qui Patri ſucceſſit: (inter cujus liberos Joh. quoque *Fridericus* Londini Obiit A. C. 1659. & *Fridericus* Carolus, nat. A. C. 1652. nec non Chriſtina *Friderica* fuit, Alberti Erneſti Com. Oetingenſis uxor extincta A. C. 1674.) *Fridericus*, de quo infrà & Ulricus.

FRIDERICUS, fil. ſecundo-genitus Joh. Friderici modò dicti, nat. A. C. 1615. Franciam ter, Italiam (ubi, cùm prædones exules numero ſuperiores eum aggreſſi mortem intentarent, intrepidi animi documentum edidit) Angliam, Hollandiam, Daniam ſemel viſit; hujuſque Regis conſilio Electorem Saxoniæ, inde Imp. convenit: à quo ipſi Ducatus, ſi Religionem Pontificiam amplecteretur, oblatus eſt; quem ille cum Dei offenſione & fratris injuria accipere renuens, pro ejus potiùs reſtitutione interceſſit. Eluſus, ad Bernardum Vinarienſem in Burgundiam profectus, eoque mortuo in eodem exercitu volo diu commoratus eſt, donec duas legiones regendas accepit A. C. 1640. Ex quo aliquot præliis contra Cæſarem, ad Guelferbytum inprimis; ac in Kerpenſium agro Antoniano, A. C. 1642. fortiter rem geſſit. Poſtea, ubi in Gallia aliquandiu egit, variis promiſſis diu fruſtra habitus, Landgraviæ Haſſo-Caſſellanæ auſpiciis, novam militiam, conſtitutus Generalis vigiliarum Præfectus, ſuſcepit, interque alia geſta, cùm ad Grevenbrugam Haſſiacos in fugam Lambojus conjeciſſet, Wirtenbergica legio, Ducem imitata, ſola rem reſtituit, tormenta priùs deſerta & ab hoſte neglecta occupavit, victoriamque ſic hoſti extorſit. Pace Imperio redditâ, à fratre Neoſtadium (ubi ſedes ſumpta) Weinsbergam & Mekmulam accepit, & hactenus poſt labores, otium exercitiis, curis & ſtudiis Principe dignis, inter quæ Hoplotheca. Bibliotheca & Cimeliotamium inſtructiſſima Neoſtadii condidit. Coronationi Leopoldi I. Imp. interfuit: ab Imperio generalem peditatus & rei tormentariæ curam, A.C. 1672. accepit: Pater è Clara Auguſtâ, filia Auguſti Ducis Brunſvicenſis, ducta A. C. 1653. inter alios, *Friderici* Auguſti, nati A. C. 1654. Alberti A. C. 1657. Sophiæ Dorotheæ A. C. 1658. Ferdinandi Vilhelmi A. C. 1659. Antonii Ulrici A. C. 1661. & Caroli Rudolphi, A. C. 1667. è quibus *Fridericus* Auguſtus & Ferdinandus Vilhelmus, in prælio, quo Crequius Gallicorum copiarum Dux ad Trevirim profligatus eſt A. C. 1675. egregia fortitudinis ſpecimina edidêre.

Ludovicus FRIDERICUS, fil. ſecundo-genitus *Friderici*, Georgio Montpelicardenſis lineæ auctore geniti, frater Joh. *Friderici* præfati, nat. A. C. 1586. poſt ſtudia Argentorati ac Tubingæ exculta, Angliamque, Scotiam, Belgium, Italiam, Galliam & Germaniam peragratas, Montpelicardum pacto inter Fratres nactus eſt, A. C. 1617. cujus ditionis reditus aliquot fodinis & fabricis ferri inſtitutis non parum auxit. Poſteà, mortuo fratre, regimen Ducatus Wirtenbergici tutorio nomine accepit. Obiit A. C. 1631. ex prima conjuge Eliſabetha Magdalena Haſſiaca, filia Ludovici, pater Henricæ Luiſæ, quæ nata A.C. 1623. Alberto March. Brandeburgico nupſit, extincta A. C. 1650. & Leopoldi *Friderici*, qui genitus A. C. 1624. ſub Tutoribus fuit Eberhardo agnato & Georgio Haſſiæ Landgr. qui Montpelicardum Galliæ Regi tuendum commiſêre; donec, pace Monaſterienſi, omnes ditiones, ex[...]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

neo præſidio deducto, ipſe Princeps recepit. Singulis ferè annis magno ſumptu itinera in varia loca ſuſcepit, deceſſit A. C. 1662. nullâ ex Sibylla patrueli prole ſuſceptâ: Ei ſucceſſit frater Georgius qui inter alios, ex Anna Colinia, Ottonem quoque *Fridericum* habuit, ſed immaturo fato abreptum.

Julius FRIDERICUS, vide *Julius*.

Sylvius FRIDERICUS, nepos Julii Friderici, ex filio Sylvio Nimrodo, natus eſt A. C. 1651. &c. Vide Spener. ſæpius laudatum *Syll. in Fam. Wirtenb.*

Ex Fam. Badenſi.

FRIDERICUS I. fil. Hermanni II. cognom. *Senioris*, Com. Teccenſis, frater fuit Lucelmanni & Hermanni III. quo genitus Albertus IV. Rudolphum I. Imp. cum Eberhardo Wirtenbergico reconciliavit.

FRIDERICUS II. fil. minor natu Ludovici II.

FRIDERICUS III. fil. Hermanni IV. Obiit improlis.

FRIDERICUS IV. fil. Hermanni VI. quo geniti ſunt Hermannus VII.

FRIDERICUS V. & Lucelmannus II.

FRIDERICUS VI. Conrado IV. quem in ædibus ſuis Monachii occidit Suicardus Dominus Gundelfingæ, genitus, fratres habuit Conradum V. Lucelmannum III. Ludovicum VII. Ulricum III. atque his clariorem *Fridericum*, de quo mox.

FRIDERICUS VII. frater prioris, bellis exercitatus, atque apud Carolum IV. contra quem tamen Eberhardo Wirtenbergico adſtiterat, A. C. 1360. gratioſus fuit. Factus enim Advocatus provincialis Sueviæ & Alſatiæ: Mundelhemium à familia Hochſchlitzia ſuæ genti aſſeruit, ac vi defendit; Eo natus,

FRIDERICUS VIII. ex Anna Helfenſteinia, Sigiſmundi Imp. in Italia miles fuit.

FRIDERICUS IX. ultimus Teccenſium Dux, ex Hedvige Ateſtina filia Conradi VI. qui Friderici VIII. frater fuit, Obiit A. C. 1439. unica ex Urſlingæ Duciſſa relictâ filiâ & hærede Beatrice ſeu Judithâ, à qua Ducatus marito Eberhardo Com. Wirtenbergico obtigit: Mundelhemio dominio, à Jutha & Irmgardi *Friderici* VII. filiabus, Werthemiæ & Rechbergiæ ſtirpi illato.

FRIDERICUS, fil. minimus natu Henrici II Henrico I. Hochbergiæ lineæ conditore geniti. Item fil. Hermanni V. lineæ Badenſis, ex Gertrude, filia Henrici Medlingenſis, hærede Auſtriæ, unde Dux Auſtriæ, Neapoli Caroli Andini juſſu, cum Conradino Sueviæ hærede, quem, ad occupandum regnum ſibi debitum profectum, contra matris voluntatem, comitatus erat, Ætatis Anno 28. decollatus eſt. Frater Agnetis, quæ nupta Ulrico ex Ortenburgiis Duci Carinthiæ, & poſt cum Meinhardo Com, Tirolis, mater fuit Eliſabethæ Tirolenſis, Alberto Imp. primo inter Habſpurgios Duci Auſtriæ in matrimonium elocatæ.

FRIDERICUS II. fil. Hermanni VI. ex Agnate Com. Vaihingenſi, natu maximus, verus Eberſtenium caſtrum (ſicut frater ejus Rudolphus V. Pfortshemium) tenuit, novi rami auctor, in quo ipſe Maulbronnenſibus initiò gravis, dein adempta reſtituit: & mortuus eſt A. C. 1333. Pater, ex Adelheide, Com. Beuchlingenſi, mortua A. C. 1348 Hermanni, de quo vide *ſuo loco*.

FRIDERICUS III. fil. Rudolphi præfati, ex poſteriore ejus uxore Maria Oetingenſi, frater Rudolphi Weckeri, obiit A. C. 1353. ſuſcepto ex uxore ſecunda, (prior enim Margareta Com. Pfirtenſis ſine prole deceſſerat A. C. 1348.) Urſula Teccenſi, filia Conradi Ducis, filio Rudolpho, à ſtatura *Magno* dicto. Idem nomen ſecundò-genito Caroli, ex Catharina Auſtriaca filia Erneſti Ducis, nato A. C. 1458. qui Epiſcopatu Ultrajectino 22. Annos geſto, variis tumultibus, factionibus & bellis defatigatus, ſenioque confectus, ſe A. C. 1516. abdicavit, in gratiam Philippi Burgundi, extinctus Anno ſeq. &c.

FRIDERICUS I. fil. natu maximus Georgii *Friderici*, rami Durlacenſis, ex Juliana Urſula Ringravia, in lucem editus A.C 1594. à Patre vivo Principatum ſuſcepit, ſed paulo pòſt, in lite cum agnatis Edoardinis causâ cecidit & ad reſtitutionem condemnatus eſt A. C. 1622. unde ad Imp. ſuſceptum iter; donec Eſlingæ tranſactum, A. C. 1629. Bello Suecico variam fortunam expertus, in pacificatione Pragenſi, ab amneſtia excluſus, tandem verò pace Monaſter, in ſua reſtitutus eſt, eique, cùm linearum alternatio ſancita eſſet, primus ſervatus locus. Obiit A. C. 1659. Uxores habuit quinque, Barbaram filiam Friderici Ducis Wirtenb. Eleonoram, filiam Alberti Ottonis Com. Solmenſis, Mariam Eliſabetham Waldecciam, filiam Volradi, Annam Mariam filiam Jacobi ultimi Com. Geroldſecciæ, & Eliſabetham filiam Vratiſlai Com. Furſtenbergici, quæ marito ſuperfuit. Ex primo matrimonio natus eſt *Fridericus*, de quo mox; Carolus item Magnus: ex ſecundo Guſtavus Adolphus, de quibus *ſuo loco*: ut filias omittam.

FRIDERICUS II. Patris, de quo modò, ſucceſſor, poſt iter Gallicum, primò Bernardo Vinarienſi comitem ſe junxit, A. C. 1637. prælio ad Rhinfeldam A. C. 1638. ſtrenuè pugnavit; inde Legatus legioni præfectus, mox Chiliarcha factus: à Bannerio ad Franciæ Regem miſſus, cum Card. Richelio de rebus graviſſimis egit, A. C. 1640. Inde conflictibus ad Merſeburgum & Wolffenbüttelum interfuit. Dehinc in Succiam profectus, Chriſtinam Magdalenam, filiam Joh. Caſimiri Com. Palatini Rheni duxit A. C. 1642. Tractatus pacis in Weſtphalia, ſuæ domus bono, A. C. 1647. & diætam executionis causâ Norimbergæ inſtitutam A. C. 1659. inviſit. Inde Poloniâ luſtratâ, Comitia Ratisbonenſia viſitavit A. C. 1653. ac Imp. innotuit: affini Sueciæ Regi bello Polonico operam navavit A. C. 1655. equitatus curæ generali præfectus. Caſtrorum poſtea ad Dantiſcum cura cum Steinbockio & Gardiano ei commendata; exin hoſti in Mazovia cladem intulit. A Patre revocatus domum rediit. Orto inde bello Turcico, cum Ep. Monaſt. ſupremum Imperialis Exercitus directorium nactus, eo munere pro dignitate functus eſt; Archiſtrategus tandem bello præſenti Exercitus Germanici Philippoburgum, poſt acrem obſidionem, expugnavit, paulo pòſt Argentinæ extinctus. Genuit ex uxore præfata, præter filias, Chriſtinam natam A. C. 1645. & Alberto March. Brandeb. nuptam A. C. 1665. Catharinam Barbaram, in lucem editam, A. C 1650. Johannam Eliſabetham A. C. 1651. Joh. Friderici March. Brandeburgici uxorem, ductam A. C. 1672. filios duos, *Fridericum* cognom. *Magnum* & Carolum Guſtavum; quorum is, nat. A. C. 1647. uxorem duxit Auguſtam Mariam, filiam Friderici Holſatiæ Ducis, è qua aliquot jam liberos ſuſcepit, inter quos fil. patri cognominis eodem A. C. 1672. natus & extinctus eſt.

Carolus FRIDERICUS, fil. Caroli Mag. præfati, ex Maria Juliana, filia Georgii *Friderici* Com. Hohenloici, vide ſuprà *Carolus*.

Erneſtus FRIDERICUS, fil. Caroli (Erneſto Durlacenſis rami conditore geniti) ex ſecunda ejus conjuge Anna Palatina filia Ruperti, cum Hochberga Rœteliam nactus, fratris Jacobi filio Erneſto Jacobi in infantia extincto ſucceſſit; Evangelicam Religionem, faceſſere juſſis Romanis, quos frater introduxerat, reſtituit: pro Joh. Georgio Brandeb. Ep. Argentinenſi, in caſtra venit A. C. 1592. Edoardi ditiones, ob debita, ne Fuggeri involarent, occupavit: Illuſtre Gymnaſium Durlacenſe inſtituit, & alendis 10. alumnis reditus addixit: Demum, qui olim Formulæ Concordiæ ſubſcripſerat, ad Reformatos animum applicuit, Baſileâ Doctoribus evocatis: Obiit A. C. 1604. nullâ ex Anna, filia Edoardi Com. Oſtfriſii, prole relictâ. Succeſſit frater minimus natu,

Georgius FRIDERICUS, ferventiſſimo in Auguſtanam Confeſſ. zelo, & Religionis controverſiarum apprimè etiam peritus: præterea heroico animo & multâ prudentiâ inclytus, unde multis Magnatibus Rudolpho inprimis II. Imp. admirationi fuit. Copias ſuo ære conductas adverſùs Turcas duxit, A. C. 1600. ad Caniſiam fortitudinis ſpeciminibus editis: Unioni nomen dedit & A. C. 1622. cauſam Palatinam tuendam ſuſcepit, tranſlatâ in filium provinciarum adminiſtratione ſcriptoque exercitu. Sed infelix cum Tillio & Cordubenſi ad Wimpenam prælium conatus irritos reddidit. Obiit A. C. 1638. Ex priori conjuge Jul. Urſula Ringravia, filia Friderici. Pater, præter filias, Catharinam Urſulam, Ottonis Landgravii Haſſiæ; Annam Ameliam, Vilhelmi Com. Naſſov. Saræpontani; Sibyllam Magdalenam, Joh Com. Naſſoviæ, uxores, Sophiamque Dorotheam, & Erneſtinam Sophiam, virgines: trium filiorum, *Friderici* de quo ſuprà; Caroli & Chriſtophori. Ex poſteriore, Agatha filia Com. Erpacenſis, Annæ & Eliſabethæ, quarum illa mortalitatem exuit A. C. 1672.

Ex Fam. Haſſiaca.

FRIDERICUS, fil. Mauritii Landgr. Haſſo-Caſſellani ex ſecunda ejus conjuge filia Joh. Com. Naſſovii, Juliana, nat. A. C. 1617. Eſchwegam tenuit, in Polonia, cùm ex Suecorum parte ſtipendia feciſſet, ab hoſte trucidatus A.C. 1655. Ei ex Eleonora Catharina, Caroli Guſtavi Sueciæ Regis ſorore, filiæ tantùm natæ ſunt: è quibus major natu Chriſtina, in lucem edita A. C. 1648. Ferdinando Alberto Duci Brunſvicenſi; minor Carola, Auguſto Saxoniæ Duci, nupſére; media Juliana in Suecia degit.

FRIDERICUS, fil. minimus natu, Georgii, lineæ Darmſtattinæ auctoris, ex conjuge ejus priore Magdalena filia Bernardi Com. Lippienſis, nat. A. C. 1585. lineam Homburgicam, ſede Homburgi ſibi electâ; ſicut Frater ejus major natu Darmſtadienſem continuavit, orſus eſt. Deceſſit verò A. C. 1638. Pater, ex Margareta Eliſabetha, filia Chriſtophori Com. Leiningenſis Weſterburgii, ducta A. C. 1622. Ludovici Philippi, Vilhelmi Chriſtophori, Georgii Chriſtiani, Annæ Margaretæ (quæ Philippo Ludovico Duci Holſatiæ nupſit A. C. 1650.) & *Friderici*. E quibus, primus Obiit A.C. 1643. ſecundus Bingenhemium inhabitat, tertius ad Pontificios tranſiit: Quartus

FRIDERICUS, Suecis bello ſervivit Danico, ubi in Hafnienſi obſidione ei globus tormentarius pedem comminuit; à quo moderno Electori Brandeburgico operam addixit. Unde in hujus exercitu Generalis Locum tenens, in Alſatica expeditione, dextrum cornu tenuit: in prælio dein ad Fehrbellinum, in Pomerania fortiſſimè pugnans, victoriæ magna pars fuit; in Rugia Inſ. recuperanda A. C. 1678. non minùs celebrem operam navavit, poſtea in Stralſundæ obſidione occupatus. In Brandeburgica Marchia bona quædam emit, & Wevelingæ ſibi ſedem elegit: cæterum Reformatorum religioni ſe applicuit. Uxorem habuit primò Margaretam filiam Abrahami Brahei Com. Wiſingburgii, Bened. Oxenſtiernæ viduam, extinctam A. C. 1669. nunc Ludovicam Eliſabetham filiam Jacobi Ducis Curlandiæ, ex ea pater duorum filiorum, quorum prior .... A. C. 1672. alter Carolus Chriſtianus A. C. 1674. lucem aſpexêre. Nec omittendus *Fridericus* fil. minimus natu Ludovici præfati (qui lineam Darmſtattinam continuavit) ex Magdalena Brandeburgica, filia Joh. Georgii Elect. genitus A. C. 1616. Hic in itinere Italico, ad Religionem Pontificiam tranſgreſſus A. C. 1636. Melitenſi ordini operam addixit, & in aliquot expeditionibus rem fortiter egit; ob quod ejus Ordinis per utramque Germaniam Prior conſtitutus, Heiterſhemium incoluit, Cardinalitium galerum nactus A. C. 1655. Idem poſt mortem Card. Columnii, protector Nationis Germanicæ ab Imp. factus, hinc cum aliis Coronarum Legatis, graves cum Cardin. Altierio, Pontificis nepote, lites habuit. Eidem collatus Epiſcopatus Vratiſlavienſis, & nunc præfectura Ducatuum in Sileſia ad Imp. devolutorum, ad quæ capeſſenda in Italiam rediit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Ex Fam. Wandalico-Megapolitana.

FRIDERICUS, fil. Adolphi Friderici Duc. Megapolitani, Suerinenſis lineæ conditoris, ex ſecunda ejus conjuge Maria Catharina, filia Julii Ernesti Ducis Brunſvicenſis, nat. A. C. 1638. in Ungaria contra Turcas militavit, inde ſub Electore Brandeburgico Colonellus ſtipendia meruit: nunc in *Grabau* habitat, maritus Chriſtinæ Vilhelminæ, filiæ Chriſtophori Haſſiæ Landgravii, è qua fil. ſuſcepit.

Adolphus FRIDERICUS, Dux Megapolit. Suerinenſis lineæ auctor, ſicut Joh. Albertus, frater ejus minor, Guſtrovianæ; nat. A. C. 1589. Patre Joh. & matre Sophiâ Holſaticâ filiâ Adolphi Ducis Obiit A. C. 1658. Pater, ex Anna Maria filia Ennonis Com. Oſtfriſiæ, extincta A. C. 1634. præter filias, Sophiam Agnetem, (natam A. C. 1625. Erdmanni Auguſti March. Brandeburgici, ſed ante nuptias extincti, ſponſam) & Annam Mariam (natam A. C. 1627. Auguſto Duci Saxoniæ nuptam, A. C. 1646. defunctam A. C. 1669.) Chriſtiani, (qui nat. A. C. 1623. ad Pontificios deflexit A. C. 1663. & *Chriſtiani Ludovici* nomine aſſumpto, conjugi adhuc vivæ ſuperinduxit Iſabellam Angelicam filiam Franc. Montmorencii Com. Butevillii, viduam Caſparis Colinii, Duc. Caſtilionei) Caroli, Joh. Georgii & Guſtavi Rudolphi, (quorum is nat. eſt A. C. 1629. hic A. C. 1631.) Ex Maria verò Cathar. Brunſv. Julianæ Sibyllæ, natæ A. C. 1638. *Friderici*, de quo ſuprà, Chriſtinæ, nat. A. C. 1639. Mariæ Eliſabethæ A. C. 1646. Annæ Sophiæ A. C. 1647. Philippi Ludovici A. C. 1652. Henrici Vilhelmi A. C. 1653. & poſthumi, qui Patri cognominis Adolphi quoque *Friderici* nomen habet.

Ex Fam. Vandalico-Pomerana.

Johannes FRIDERICUS, fil. Philippi Ducis Pomeraniæ Occid. ex Maria Saxonica, filia Joh. Electoris, nat. A. C. 1542. inter fratres maximus, Camini Ep. electus A. C. 1556. Patri defuncto A. C. 1560. ſucceſſit Stetini, & in bello Hungarico vexillum Imperii geſſit A. C. 1566. Quadriennio pòſt conventui Pacificatorio, qui Stetini celebratus, præſes, Cæſaris nomine, præfuit. Thuan. *Hiſt. l. 47. p. 859.* Eidem Maximilianus II. Imp. diploma confirmatorium novæ Marchiæ conceſſit, eumque commendat, quòd turbas in Lithuania ac Livonia, A. C. 1557. ſuâ dexteritate ſedaverit. Cùm de ſubſcribenda Formula Concordiæ ageretur, illâ, quòd Auguſtana Confeſſio & corpus doctrinæ Pomeranum Eccleſiis ſufficeret, omiſsâ, ad Reformatos inclinare viſus eſt, unde Sal. Geſnerus pulſus, inde Stralſundiam & hinc Wittebergam conceſſit. Tandem verò Dux in alia verſus, Synodo convocatâ A. C. 1593. Geſneri adverſarium Stichium condemnaſſe, Formulamque Concordiæ approbaſſe dicitur. Obiit Anno ſeculari, ex Erdmuthi Brandeburgica, filia Joh. Georgii Electoris, A. C. 1577. ducta, quæ vidua ad A. C. 1628. ſuperfuit, nullâ prole ſuſceptâ. Spener. *Syll. Geneal. in hac Fam.*

Ex Fam. Aſcanio-Anhaltina.

FRIDERICUS fil. minor natu Chriſtiani, Principis Anhaltini, qui ex Joachimi Erneſti filiis Bernburgium ramum cœperat, frater Chriſtiani II. cognom. *Junioris*, qui eum continuavit, Hatskerodam accepit habitandam, inprimis Chymiæ ſtudio ac peregrinationibus delectatus. Obiit A. C. 1670. Uxores habuit Johannam Eliſabetham filiam Joh. Ludovici Principis Naſſovii, quam extinctam A. C. 1647. acerbiùs luxit; poſt eam autem, Mariam Eliſabetham filiam Simonis Com. Lippiæ, quæ mortua eſt A. C. 1659. eique peperit Carolam Eliſabetham A. C. 1647. uxorem Vilhelmi primo Ludovici agnati, & dein Auguſti Holſatiæ Ducis; ac Vilhelmum A. C. 1653. Patris ſucceſſorem, in cujus thalamo vivit Eliſabetha Albertina filia Alberti Ottonis Com. Laubacenſis.

Ex Fam. Piaſteo-Sileſia.

FRIDERICUS I. fil. Joh. Ligniciæ Ducis ex Hedvige Lignicia (Patrui magni filia) nat. A. C. 1446. in aula Onoldsbacenſi, inde Brandeburgica Electorali, demum Regia Bohemica educatus eſt. A civitate Lignicia, quæ Patri Avoque diu rebellis, cum Matre, ſolenni cerimoniâ, intromiſſus A. C. 1454. Conſulem Ambroſium Bitſchinium, motuum auctorem, capite multavit: quo pacto domino ſuo Principatus reſtitutus eſt, in eo plenè recuperando Alberto Brandeburgico adjumentum inſigne ei adferente. Cùm poſtea Georgius Bohemiæ Rex quòd Huſſitis acceſſiſſet, A. C. 1462. à Papa proſcriptus, & Sileſia ab ejus obſequio ſoluta eſſet, *Fridericus*, ob ejus ſtudium, unà cum Olſnenſi, eodem fulmine percuſſus eſt A. C. 1468. ſed tandem, per Albertum præfatum, Pontificii Legati Rudolphi Ep. Lavatini impulſu, adversùs Georgium electo Regi reconciliatus, Georgium, cujus dein filiam Ludimillam duxit A. C. 1475. itidem huic reconciliavit. De cætero, fideli Matthiæ præſtitâ operâ, contra Bohemos & Polonos, Capitaneus Sileſiæ & Luſatiæ ſuper. creari meruit. Mundo valedixit A. C. 1488. Princeps, diligenti rei familiaris adminiſtratione (unde Briegam A. C. 1481. & alia Oppolienſibus agnatis oppignorata redemit) & publici curâ optimè de Principatu meritus; relictis ſub tutela viduæ, quæ deceſſit A. C. 1503. filio cognomine, de quo mox, Joh. item & Georgio, de quibus *ſuo loco.*

FRIDERICUS II. fil. prioris, fratrum reliquorum, qui improles deceſſêre, non minùs, ac Patris, ſucceſſor, nat. A. C. 1480. in aula Uladiſlai Hungariæ Regis aliquandiu vixit, Matre ditiones adminiſtrante. Tum in Palæſtinam profectus, ibique eques creatus, rediit A. C. 1511. Vratiſlavienſis bello perſecutus eſt, Capitaneuſque infer. Sileſiæ factus, A. C. 1519. inde, publicè facti ratione redditâ, Evangelio nomen dedit, A. C. 1523. illudque in utrumque Principatum introduxit: quo fine Goldbergenſem ſcholam non parùm excoluit, ſtipendia quoque Studioſis inſtituit, Anabaptiſtis verò & Schwenckfeldianis maſculè ſe oppoſuit. *Pitſchen* & *Creutsburg*, urbes oppignoratas, redemit A. C. 1530. triennio quoque, ab A. C. 1540. Glogovium Principatum oppignoratum tenuit, Ligniciam ædificiis ornavit. Cùm prior uxor Eliſabetha Polonica filia Caſimiri Regis A. C. 1511. ducta, biennio pòſt mortua ſine liberis eſſet; ex altera, Sophia filia Friderici March. Brandeburgici, in thorum aſcita A. C. 1519. defuncta A. C. 1537. præter Sophiam, Joh. Georgio Electori Brandeburgico nuptam A. C. 1545. & ſeq. in partu extinctam, filios duarum linearum conditores, *Fridericum* III. Lignicienſis & Georgium Brigenſis, reliquit; quorum ille nat. A. C. 1520. iſte A. C. 1524.

FRIDERICUS III. modò dictus, eloquentiâ & linguarum cognitione clarus, cùm debitis gravatus eſſet, & aliàs quoque Regis Ferdinandi offenſam incurriſſet, in Galliam militatum profectus eſt A. C. 1551. Ducatu curatelæ fratris commiſſo. Iterum reducem Cæſarei Commiſsarii Vratiſlaviæ ſtetêrunt, filioque in arce Lignicia ad mortem uſque, quæ ſecuta eſt A. C. 1570. cuſtodiendum tradidêrunt. Fuit autem is Henricus, ex Catharina filia Henrici Duc. Megapolitani (quæ ducta A. C. 1538. mortua eſt A. C. 1581.) genitus. Cujus frater, iiſdem editus parentibus, natu minor,

FRIDERICUS IV. cognom. *Clemens*, nat. A. C. 1552. Ducatus curam à Cæſare nactus, eum juſtitiæ diligenti obſervatione adminiſtravit; interim ſub eo debita crevêre, Samoſcium in Sileſiam irrumpentem ſuis ad arma vocatis, à tranſitu Viadri prohibuit: Obiit, Ligniciæ lineæ ultimus, A. C. 1596. cùm ex triplici conjugio, ductæ Sidoniæ Mariæ filiæ Wenceſlai Adami Ducis Teſchinenſis, & extinctæ A. C. 1587. Dorotheæ filiæ Joh. Ducis Holſatiæ, ductæ A. C. 1589. mortuæ A. C. 1593. & Annæ Mariæ Wirtenbergicæ filiæ Chriſtophori Ducis, in thorum aſcitæ A. C. 1594. quæ ad A. C. 1617. ſuperfuit, prolem non haberet. Fuêre autem Henrici & *Friderici* hujus ſorores, Catharina, quæ Friderico Caſimiro Duci Teſchinenſi nupſit A. C. 1563. & Helena, conjux Sigiſmundi Curſbachii Bar. *de Militſch.*

FRIDERICUS, fil minor natu Caſimiri IV. Duc. Teſchinenſis, utriuſque Sileſiæ Capitanei, ex Johanna Monſterbergica filia Victorini Ducis, Epiſcopatui Vratiſlavienſi deſtinatus, cùm Bononiæ ſtudiis cum fratre Wenceſlao incumberet, Obiit ante Patrem, A. C. 1501. Wenceſlai verò ex filio Wenceſlao Adamo nepos *Fridericus* Caſimirus fuit, ex Maria Bernſtenia, ante Patrem A. C. 1571. unicâ filiâ Catharinâ, quæ Obiit A. C. 1581. ex Catharina, filia Friderici Ducis Lignicii præfati, relictâ, extinctus: unde ſolus ſuperfuit Adamus Wenceſlaus, quo *Fridericus* Vilhelmus, ex Eliſabetha Curlandica filia, Gothardi Ducis A. C. 1590. ductâ, nat. primo quidem in Evangelica Religione educatus, poſtea, ut Jeſuitis inſtrueretur, Monachium miſsus. Hic noſtrâ memoriâ totam Miciſlai. Super. Sileſiæ Ducum conditoris, lineam terminavit: Frater Eliſabethæ Lucretiæ, quæ Gundaccaro Principi Lichtenſteinio nupſit.

Joachimus FRIDERICUS, fil. minor Georgii Brigenſis lineæ auctoris, ex Barbara Brandeburgica filia Joachimi II Electoris ducta A. C. 1545. extincta A. C. 1595 genitus A. C. 1550. ſtudiis tinctus, in aula Brandeburgica, 7. annis vixit, & Electoris ad coronationem Poloniæ Regis legatus fuit, A. C. 1574. In Religionis negotio, diſſidia publico interdicto vetuit & paulatim ad Reformatos deflexit. Olaviæ & poſt matrem Briegæ habitavit, tum Præpoſitus Magdeburgicus atque in re militari Sileſiæ Generalis fuit. Ad eundem, morte agnati *Friderici* IV. de quo ſuprà, rediit Lignicius Principatus, quem per Wenceſlaum Zedlizium Capitaneum adminiſtravit: Utrumque tandem Ducatum, morte ſuâ, quæ contigit A. C. 1602. ad filios, Annâ Mariâ Anhaltinâ filiâ Joachimi Erneſti Principis, ductâ A. C. 1577. extinctâ A. C. 1605. matre natos (qui ſorores habuêre, Barbaram Agnetam Joh. Ulrici B. Schafgotſchii conjugem & Mariam Sophiam virginem) Georgium Rudolphum & Joh. Chriſtianum tranſmiſit. Vide Phil. Jac. Spener. *in hac Fam.*

Ex Fam. Naſſovica.

FRIDERICUS Henricus, fil. Gulielmi Principis Auraſion. Belgicæ libertatis Statoris ac Vindicis, ex Ludovica Coligna, [illegible] illius Galliæ Admirali, qui in Laniena Pariſienſi inter Principes [illegible] dit, A. C. 1572. filiâ nat. A. C. 1584. Mauritio Fratri, juvenis [illegible] huc, adfuit in prælio Flandriæ celebri ad Neoportum: poſtmodum defuncto, in adminiſtratione Belgii Fœderati ſucceſſit, prudentiâ, fortitudine, rerum geſtarum gloriâ, inclytus. Obiit A. C. 1647. [illegible] 63. Pater ex Amalia Solmenſi Braunfelſia (filia Joh. Comitis) [illegible] duxerat jam ætate provectior, Gulielmi, qui Patris ſucceſſor [illegible] Ludovicæ, Friderico Vilhelmo Elect. Brandeburg. primis nuptiis junctæ; Albertinæ Agnetis, Gulielmo Friderico Com. Naſſoviæ & Diezæ, Præfecto Groningenſi, elocatæ; Henricæ Catharinæ, quam Enno Chaucorum Satrapa uxorem habuit & Mariæ Principi Simmerio, ſtirpis Palatinæ, lineæ ſuo ultimo, haud pridem extincto, nuptæ. Vide etiam in voce *Henricus.*

FRIDERICUS Borromæus, Cardin. nepos Caroli, in Collegio Ambroſiano inſignem Bibliothecam collegit.

FRIDERICUS Cloſderus, continuator Annalium Argentoratenſium uſque ad A. C. 1362.

FRIDERICUS Gonzaga, Mantuæ Dux A. C. 1530. & Montisferrati, A. C. 1531. noluit urbem Mantuam Concilii, ibi à Papa [illegible] dicti, ſedem eſſe. Item, Dux primus Urbini, &c.

FRIDERICUS Riſnerus, Mathematicus inſignis, cujus 4. libb. Opt[illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Opticæ, Mauritius Haſſiæ Landgr. ab ejus hæredibus redemptos, edidit.

FRIDERICUS Spanhemius, Archipalatinus, fil. Wigandi Spanhemii, Conſiliarii Archi-Palatini Ambergenſis (Philologi & Theologi inſignis, cujus Erudítiſſima Ep. extat in Apologet. Chriſtiani Becmanni) Theologus fuit hoc ſeculo celeberrimus & facundiſſimus, Genevæ primò, dein Lugduni-Batavorum Profeſſor. Edidit varia, inter quæ eminent *Dubia Evangelica*, *Exercitationes de Gratia Univerſali*, *Miles Suecicus*, *Diſputat. Anti-Anabaptiſt. Geneva Reſtituta*, *Laudatio Funebris Frid. Henrici Auriaci* &c. Vide Dan. Toſſanum in *Panegyrico Spanhemiano*, Heidanum in *Orat. Funebri* &c. Pater fuit *Ezechielis Spanhemii* rei Nummariæ peritia, & variis Legationibus, ac Scriptis inclyti, ac propediem expectantur ejus in *Callimachum* prolixæ *Obſervationes*, *Animadverſionum in Juliani pleraque Opera* Tomus alter, in Folio, *De Uſu Numiſmatum Antiquorum*, Editio prior. multis partibus auctior &c. Tum Pater *Friderici Spanhemii* SS. Theol. in Heidelbergenſi primò, ab A.C. 1655. nunc in Lugd-Batava Academia Profeſſoris Primarii, Scriptis variis jam olim in lucem editis clariſſimi. *Ejus Opera Latina* nunc ſub prelo ſudant Lugduni-Batav. tribus Voluminib. in Folio proditura, Primo quidem & *Chronol. Hiſtoria Eccleſiaſtica*; Secundo, *Miſcellanea Sacræ Antiquitatis*; Tertio, *Opera Theologica Selecta*, continebuntur.

FRIDGORÆ & *Occidentanæ*, genera hymnorum. Vide in *Hymni*.

FRIDIGERNUS, Gothorum Rex, A. U. C. 1128. Græciam invaſit, A. C. 380. Jornand. *c.* 7. Vide & *Fritigernus*.

FRIENHAGEN, urbs Comitat. Waldecc. Carolini Judicii ſedes. *Joh. Matal Metell.*

FRIEDBERGIA Familia, ramus Familiæ illuſtris Dapiferorum ſeu Truchſeſſiorum, in Germania, de quibus ſuprà, in voce *Dapiferi* diximus. Cùm enim in Joh. qui deceſſit A. C. 1403. filiis tres lineæ inciperent, ultima *Scheerenſis* in Jacobo cœpit: quæ nunc in duas denuo ſecatur, quarum priorem Comites Trauchburgenſes *in Scheer* conſtituunt, alteram Comites *de Friedberg* & *Trauchburg*. Et quidem horum progenitores ita ſe habent. Jacobi præfati fil. Joh. Vilhelmum I. genuit defunctum A. C. 1517. ex Sibylla Sonnenbergia, patrem Vilhelmi II. qui extinctus A. C. 1566. ex Johanna Furſtenbergia, Chriſtophorum reliquit Dn. *de Waldburg in Scheer*: quo (Obiit is A. C. 1612.) ex Anna Maria Furſtenbergia, editus Vilhelmus Henricus Truchſeſſius *Com. de Fridberg & Scheer*, maritus fuit Julianæ Sultzenſis, è qua ei nat. A. C. 1615. fil. Otto, uxorem nactus eſt Mariam Sidoniam Schlickiam &c. Idem Spener *Theatr. Nobil. Part. III.*

FRIGERIDUS, vide *Renatus Profuturus*.

FRIGIDA Lavatio, ſive λουτρὸν, locus erat Balneorum apud Vett. in quo frigidæ aquæ lavacra, & præſertim piſcina, aliàs *Baptiſterium* à Plin. jun. vocata, pro nationis uſu ab Auctoribus citata, poſita erant: tum ob eos, qui omni tempore illam proſequebantur, ſive ob valetudinem, ſive ob delitias: qualis Alexander Sev. quem *rariſſime in Calidariis, ferè ſemper in piſcinis laviſſe*, ſcribit Lamprid. tum ob æſtatem, quâ ſimilis lavatio grata eſt. De ejus uſu plura apud Oribaſ. *Collect. l.* 10. Idem, quem modò laudavimus, Lamprid. Heliogabalum *nunquam in piſcinis ſe lavari poſſum eſſe, niſi illæ croco aliiſve pretioſis unguentis fuiſſent infectæ*, memorat. Ab ea aberat *Frigidarium*, locus alter eorum in gratiam fabricatus, qui ſtatim, poſt egreſſum Tepidarii aut Calidarii, frigido aëre frui avebant: neque enim aquæ ibi vaſa reperiebantur (quemadmodum in *Frigida* Lavatione) ut eò plures æſtate ibi convenire poſſent. Quamvis & in hac parte fieri poteſt, ut loturi quoque exuerentur, tum quia Apodyterium communis pro exercitatoribus ſpoliandis locus non parum inde diſtabat, adeò ut denudatis ibi per Ephebeum, *Frigidam* Lavationem & reliqua loca tranſire neceſſe eſſet; tum, quia probabile eſt, in Ephebeo homines ſæpius convenire conſueviſſe, à quibus loturos haudquaquam nudos conſpici honeſtum erat. Ad quæ evitanda in *Frigidario* ſe exuere potuêrunt, eo magis, quòd Varro & Plin. teſtantur, tam in urbibus, quàm ruri Apodyterium quoque balnei partem fuiſſe. Referri eodem poteſt Cic. illud, Ἀποδυτηρίῳ *nihil alſius*, ſed de hoc vide plura ſuprà. Etiam ſudores in *Frigidario* detergi conſueviſſe, diſcimus ex Galeno *Methodi l.* 10. Erat autem *Frigidario* adnexum Tepidarium, uti docet Hieron. Mercurial. *de Arte Gymn. l.* 1. *c.* 10. In Palæſtris verò *Frigidarium* prope Elæotheſium fuit, ab eoque iret in propnigeum, in verſura porticus: proximæque introrſus, è regione *Frigidarii* concamerata ſudatio longitudine majori quàm latitudine &c. Idem *c.* 6.

FRIGIDÆ, apud Jul. Capitolin. *in Gord. Jun. Pomorum & olerum aviddiſſimus fuit ---- adeò ut ſemper pomorum aliquid recentium devoraret*: frigidarum *percupidus: nec facilè per æſtatem niſi* frigidas *edit*; ſubint, *menſæ*, dicebantur omnia edulia id genus, quæ cruda eduntur, ut poma, olera, oſtrea & ſimilia. Idem tamen *in Maxim.* olera à *frigidis* diſtinguit & diverſa facit. Neque enim omnia olera cruda edebantur, ſed quædam etiam cocta, quæ proin ſola non inter *frigidas* recenſeri debent. Ἄπυρον τράπεζαν, Græci vocant; unde ἀπύρων ἀπύρων Catonis, apud Plutarch. Peculiariter verò vox uſurpata occurrit de oſtreis, echinis aliiſque ejuſmodi, quæ in antecœna ſumebantur. Macrob. *l.* 3. *Antecœna echinos, oſtreas crudas ---- peloridas, ſphondylos* &c. Lactuca tamen etiam in *Frigidis* erat. Unde Mart. noti verſiculi, *l.* 13. Epigr. 14. cujus epigraphe Lactuca.

Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat avorum,
Dic mihi, cur noſtras inchoat illa dapes?

Idem *l.* 3. Epigr. 50. cujus epigraphe in Ligurinum.

Depoſui Soleas, adfertur protinus, ingens,
Inter lactucas, oxygarumque liber.

Ubi antecœnam intelligit. Plutarch. porrò ψυχρὰς illas τραπέζας ex crudis quoque oleribus facit conſtare, & per ὠμὰ λάχανα lactucas intelligit. Sed & alia complura ſub hoc *Frigidarum* veniebant nomen, eam ob rationem, quòd incocta apponerentur & eſitarentur, faſeoli, lupini, fœnum Græcum, [illegible], olivæ & alia hujuſmodi multa, quæ in Antiquorum antecœnis locum habebant: Oſtreæ tamem primum in iis obtinuêre. Vide Salmaſ. *ad Capitolin. loc. cit.*

FRIGIDUS, fluv. Japodum, inter Aquileam, & Æmoniam, ubi Theodoſius Imp. Eugenium tyrannum vicit. Item, Tuſciæ fluv. in agro Aretino, hodie *Freddo*. Tibull. *l.* 4. Eleg. 8. *v.* 4.

Atque Aretino Frigidus *amnis agros*.

Quidam *Eretino* legunt, & *frigidus* adjectivè ſumunt.

FRIGUS, an à *rigor*, appoſitione τοῦ F; an à Gr. φρίκη & φρίττω, quæ de *mari* & de *horrore* dicuntur? ſub utroque Polo fontem ſuum habet, quibus proin plagæ ſubjectæ calore Solis ita non temperantur, ut habitabiles ſint, quod de Septentrionali parte ſatis edocti ſunt Argonautæ Batavi ſub finem ſec. præt. Nempe oportuit, Solo utroque *frigoris* fontem eſſe, qui toto Orbe, ad æſtum Solis temperandum ſe diffunderet: uti experientia docet evenire poſt magnum Solis æſtum ſpirante Boreâ. Abſque quo *frigore* foret, brevi abſumeretur aqueus humor; quo non minùs, quàm calore, ad rei generationem ac conſervationem opus eſt. Gerh. Joh. Voſſ. *de Idol. l.* 2. *c.* 2. Ad hoc arcendum vapores olim ſubter & per parietes in tubis adactos, dicemus infrà in voce *Vapor*. Mulieres inſuper per foramen τῶν αἰθουσῶν, uti Suid. vocat, quæ Euſtathius γυναικεῖα ὑποπόδια, *muliebria ſcabella*, recentiores Græci ποδαρέλια appellant, prunarum incluſarum calore, pedes calefecere, vide infrà in voce *Scabellum*. Uterque ſexus etiam veſtibus ſe contra aëris inclementiam munire aſſuevit, de quibus hic paſſim, inprimis in vocibus *Gauſapa*, *Lacerna*, *Pœnula*, ubi de *Pluviali Veſtimento*: Vide aliquid infrà in voce *Hyems*. Militare magis, quòd Macedones ſucco ſeſami, *haud ſecus quàm oleo, artus perunxiſſe*, legimus apud Curt. *l.* 7. *c.* 4. Ad mitigandum nempe *frigus*, quod uncta commodius ferunt membra. Quâ ratione Hannibal quoque ad Trebiam ſuâ Romanos hyeme vicit, apud Flor. *l.* 2. *c.* 6. Vide Freinshem. ad Curt. *loc. cit.* At Martyres, inter alia Suppliciorum genera quoque *Frigore* enecti ſunt, uti ex Baſilio Mag. diſcimus, qua de re infrà aliquid, ubi de *Glacie*. Per tralationem, *Frigus* gratiæ ſive amicitiæ tepor eſt, & favori opponitur. Quo ſenſu Fabius ait, *Ruſticitas & rigor, & deformitas adferunt interim frigus*. Plin. *l.* 8. *Ep.* 14. *Interim Paulo aliena deliratio aliquid frigoris attulit*. Et Horat. Serm. *l.* 2. *Sat.* 1. *v.* 61.

—— *Majorum ne quis amicis*
Frigore *te feriat*.

Quod novè *refrigerare* dixit Paterculus, uti de Planco *ab Antonio refrigerato*, *l.* 2. *c.* 83. ſicut *frigidam ſuffundere* Plaut. Ciſt. Act. 1. ſc. 1. *v.* 37.

Aquam frigidam *ſubdole ſuffundunt*.

Ad quorum mentem Senec. *Ep.* 123. *Votienus Montanus, & amicitiâ Tiberii notus & frigore*: quem ſc. Tiberius & ardenter amavit & ſubitò faſtidivit. Certe amor ardor cum ſit, faſtidium *frigus* cum ratione dicitur. Vide Lipſ. *Not. ad Paterc. d. loc.* & Caſaub. *Animadverſ. ad Suet. Tib. c.* 41. Adde eundem *in Aug. c.* 66. ubi de ejuſmodi *frigoribus* ſeu *frigiſculis* amicorum amantiumque, quæ ψύγματα quoque Græci & ψυχροσιωπήσεις eleganter Ptol. dixit, varia affert.

FRINGILLA ſeu FRINGILLUS, Græcis σπίζα, Italis *fringuello*, Gallis *pinçon*, Feſto nomen habet, quòd *frigore* ſolus ex avibus cantet. Eundem namque eum cum regaliolo facit, quem mortis omen Julio Cæſari feciſſe, apud Suet. habes *c.* 81. Sed *fringillus* æſtivis tantùm menſibus canit, hyeme ſilet: & quidem æſtate in calidiſſimis locis eum degere, hyemem agere, in maximè rigentibus, auctor eſt Ariſtot. Unde potiùs vocis etymon ex Gr. φρυγίλος arceſſit Salmaſ. qui multis de hac avicula agit *ad Solin.* *p.* 444. & 445. Cum turdis eam vulgo venum exponebant in Græcia aucupes, unde Comici ferè ſemper κίχλας & σπίνους conjungunt. Eubulus apud Athen.

Τίθησιν δὲ φάττας καὶ κίχλας ὁμοῦ σπίνοις.

Ariſtoph. *Pace*,

Κᾆτ' ἐμοῦ δ' ἐνεγκάτω τις τὴν κίχλην καὶ τὼ σπίνω.

Pollux etiam, ubi aves enumerat menſis commendatas, κίχλαι, inquit, κόττυφοι, σπίνοι, ἀλεκτρυόνες, πέρδικες &c. Σπίνον autem & σπίζαν Græci pro eodem genere avis accepêrunt. Hinc Aratus τὸν σπίνον ait σπίζειν, quum vocem emittit, in *Progneſt*.

Καὶ σπῖνος ἠῷα σπίζει.

Quod Avien.

Et matutino fringilla *reſultat ab ore*.

Quanquam σπῖνον etiam minimum paſſerculi genus indigitaſſe, infrà dicemus. Per heptadas verò *fringilli* vendi ſoliti, quarum quælibet comparari poterat obolo uno, apud Ariſtoph, *in Avibus*, ubi hæ conqueruntur, de quodam Philocrate, qui

Συνείρει τοὺς σπίνους, πωλεῖ καθ' ἑπτὰ ὀβολοῦ.
Fringillos *connectens, ſeptem vendit uno obolo.*

h. e. duobus aſſariis, ſive aſſibus, quo pretio quinque paſſeres vænire, dicit Chriſtus in Evangelio. Vide Sam. Bochart. *Hieroizi Parte Prior. l.* 1. *c.* 23. & infrà *Spinus.*

FRINIANA, regiunc. Duc. Mutinenſis, ad Apennini rad. ubi Seſtola opp. præcipuum.

FRISCHLINUS Nicodemus, Palingâ Suevus, die Virgilio quondam emortuali natus, Poëta & Aſtronomus, excellens Græcus in Stiria, Lubecæ Corniolæ, Friburgi Briſigaviæ, Brunſvici & Tubingæ docuit. Sed liberiori ſtylo in Duc. Wirtenbergicum invectus, juſſu illius captus & arci *Hohen-Aurach* incluſus, dum per feneſtram evadere conatur, lapſu miſerrimè periit. A. C. 1590. Æt. 44. Catalogum ſcriptorum ejus habes *in Elogiis* Teiſſerii.

FRISIA Occidentalis, ſeu Friſia propria, vulgò *la Friſe Occidentale* Gallis, provincia eſt Belgii fœderati. A' Sept. habet mare Germanicum, ab Occid. ſeparatur ab Hollandia mari Auſtrino, ab Or. habet dominium Groningenſe, quo ſeparatur à Friſia Orientali & à Mer. ei adjacet Drentia regiuncula. Tranſiſalaniæ pars. Ejus primaria eſt Leovardia. Notandum eſt Groningam, & Damum non eſſe in Friſia propria, ſed in dominio ſeu provincia Groningenſi. *Friſia* Orientalis, *l'Oſt Friſe*, ſeu *la Friſe Orientale*, ſeu etiam *le Comté d'Embden*, provincia eſt Germaniæ, in Weſtphalia, ſub dominio proprii Principis. Hiſtoria hæc eſt: Friſia iſta Cauchos olim complexa interfuſum Batavis Daniſque littus implebat, unde nunc etiam *Orientalis* ei nomen, quia vett. cis Amaſium Friſii ad Occ. ei objacent. Mores olim, quales cæteris Friſii nominis; etiam libertas, relicta à Francis quoque Regibus, & Germaniæ Impp. ubi dominari poterant, qualicunque obſequio contentis. Publica per conventus ſingulorum ſeorſim, & communiter gentis totius curata: judicia per delectos in conventibus minoribus majoribuſque exercita; par in his jus omnibus, qui prædia poſſiderent, plurima tenentibus maximus honos, eaque ſola nobilitas. At hi cùm arces ſtruxiſſent, non ſibi modò, ſed & aliis confugia internis externiſque bellis, & domi manum haberent adverſus vim paratam, moderatores conventuum, & judicibus contra factiones præſidium, paulatim per diſſidia aut injuriam plebis, quæ poterant, in ſe traxêre, & huic redeunte interdum libertatis memoriâ, alii adverſus alios vindices facti. Inter hos Grethana domus per connubia, per hæreditates valida, & multorum prædiorum domina, quæ juriſdictionem uſu ſuam fecerat, etiam Emdæ tutelam ſuſcepit. Hac origine Uldericus A. C. 1454. à Friderico III. in eum tractum nomen Comitis accepit, de cujus poſteris vide in voce *Edſardus*, item *Emda*. Habet à Sept. Oceanum Germanicum, ab Or. Comitatum Oldenburgenſem, à Mer. Epiſcopatum Monaſterienſem, & ab Occid. ſeparatur à dominio Groningenſi Dullartio ſinu. Sedes Principis eſt Auricum, *Aurik*, cùm Emda regionis primaria ſit in dominio Hollandorum. Sed notabis Javeraim, Oldemburgum, Rhydam, & Ovelgunam non eſſe amplius ſub dominio Principis Friſiæ Orientalis, & Eſenas, Ochtam, & Vitemundam eſſe tantùm oppid. Adde quòd in *Friſiæ* Orientalis ſeu Oſtfriſiæ ſeu Emdæ Comitum Familia, antiquiſſima memoria eſt Edzardi Capitanei in *Grezil*, qui Ennonis Ulrici A. C. 1373. extincti pater fuit. Ex ejus poſteris Edzardum Friſii Rectorem & Judicem perpetuum elegêrunt; fratrem autem hujus Ulricum Fridericus III. Imp. Comitem creavit A. C. 1453. Cui dignitati in Ennone Ludovico & Georgio Chriſtiano nuper titulus *Principum*. beneficio Imp. acceſſit. In Edzardi autem I. filiis divergium lineatum primum factum eſt, cùm in Belgio Joh. Falcoburgiam lineam orſus eſſet; quæ tamen intra tertium gradum extincta defecit. Altera linea in *Friſia* ſubſtitit, ubi Joh. frater Enno Edzardum genuit, duarum linearum, quæ nunc ſunt, conditorem. Inter has altera ipſa *Friſia* eſt, propagatore Ennone III. cujus πρόγονοι ſic habent. Ulricus Com. & Dom. Friſiæ Orient. Obiit A. C. 1466. pater ex Theda filia Ucconis Lerani Dn. de *Aurick*, Eſardi I. qui extinctus A. C. 1528. ex Eliſabetha Rietbergica, filia Joh. Com. Ennonem II. genuit, defunctum A. C. 1540. quo & Annâ Oldenburgicâ natus Edzardus II. Obiit A. C. 1599. Pater ex Catharina Suecica, filia Guſtavi Regis Ennonis III. extincti A. C. 1625. cui ex Anna Holſatia, filia Adolphi Ducis Sleſv. & Holſat. genitus Ulricus II. (qui deceſſit A. C. 1648.) ex Juliana Haſſiaca ſuſcepit Ennonem Ludovicum, Georgium Chriſtianum & Edzardum Ferdinandum: Quorum primus nat. A. C. 1632. obiit A. C. 1660. ex Juſtina Sophia Barbienſi, filia Alb. Friderici, pater Julianæ (nat. A. C. 1657.) & Sophiæ Vilhelminæ, (nat A. C. 1659.) Principum Oſtfriſiæ *in Norden*; alter (nat. A. C. 1634. mortuus A. C. 1665.) ex Chriſtina Carola Wirtenbergica filia Elberhardi Ducis genuit Chriſtianum Eberhardum, cum ſororibus, Principem Oſtfriſiæ ſeu Emdæ &c. ultimus (nat. A. C. 1636. ex Anna Dorothea Criechingenſi, filia Com. Alberti Ludovici, duos reliquit filios, quorum poſterior nat. eſt A. C. 1667. die 31. Dec. pridie quàm Pater extingueretur. Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Part.* 1. *p.* 78. *& in Ind.* Altera verò linea, *Rietbergica* dicta, auctorem habet Joh. fratrem minorem natu præfati Ennonis III. quo & Sabinâ Catharinâ cognatâ, genitus Joh. Annam Catharinam Com. Salmæ & Reiferſchidii duxit pater ex illa Mariæ Leopoldinæ (Canonicæ) Friderici Vilhelmi, Franciſci Adolphi Vilhelmi (Canonici Colonienſis, Argentinenſis, Paderborn. & Oſnab.) Ferdinandi Maximiliani (nat. A. C. 1613. Canon. Colonienſ. & Argentinenſis) ac Bernardinæ Sophiæ (Canonicæ) Sed & ipſe Joh. fratres ſororeſque habuit. Vide Eundem *Part. III. p.* 87. uti de Francorum adverſùs *Friſios* Galliam incurſantes victoria, nec non de eorundem vet. idolatria, B. Rhenan. *Rer. Germ. Nov. Antiqq. l.* 2. *p.* 281. & 305. cum *Notis Nobiliſſ. Ottonis.*

Urbes Friſiæ Orientalis.

Auricum, *Aurick.*	Oldenburgum, *Oldenburg*, Comitatus.
Embda, *Embden*, emporium & caput regionis.	Ovelguna, *Owelgun.*
Eſenæ, *Eſſens.*	Rhyda, *Rhyde.*
Javeria, *Jever.*	Stichuſa, *Stichuſen.*
Norda, *Norden.*	Vitemunda, *Witemundt.*
Ochta, *Oecht.*	

Urbes Friſiæ Occidentalis.

Bolſuardum, *Bolswardt.*	Damum, *Dam.*
Docum, *Dockum.*	* Leovardum ſeu Levardia, *Leeuwarden*, Epiſcopal. olim ſub Archiep. Trajectino, conventus juridicus.
Franicheria, *Franeker.*	
* Groninga, *Groeningen*, Epiſcopal. olim ſub Archiep. Trajectino, primaria.	
Harlinga, *Harlingen.*	Stauria, *Staveren.*

Præter has, Hendilopia, Ilſtum, Sneca, Slota & Vorcum oppidula.

FRISIABONES, Plin. *l.* 4. *c.* 15. pop. Germ. inter Helium, & Flevum Rheni oſtia, Hollandos Septentrionales quidam, alii Zeelandos eſſe putant.

FRISII Panni, in *Statutis* Petri Venerab. pro Cluniac. prohibiti, an quòd criſpati lanei eſſent, Gall. *Draps frizez*, an quòd è *Friſia* adveherentur? dicti ſunt C. du Freſne *Gloſſ.*

FRISINGA, urbs Vindeliciæ in Bavaria ſup. ad Moſacum fluv. 4. leuc. à Monachio in Bor. 4. à Landshuto in Auſtr. ſub proprio Ep. quorum primus Corbinianus, A. C. 710. à Greg. II. miſſus Patria fuit Ottonis, hiſtorici, G. Ederi JC. & trium Impp. Conſiliarii, Martini Rulandi, Medici inſignis, &c. Conradus Canonicus Friſing. Epp. hiſtoriam orſus eſt, uſque ad A. C. 1187. quo vixit: continuatam poſtea ad A. C. 1521. Hundius, *in Metrop. Saliſburg.* &c. Vide *Fruximum.*

FRISIUS Gemma, ex Friſia, Medicinam Lovanii publicè, Mathemata privatim docuit. A' Carolo V. in aulam invitatus, modeſtè ſe excuſavit. Obiit A. C. 1555. Æt. 47. auctor plurium librorum, quorum ſeriem exponit in *Elogiis* Antonius Teiſſier *Part.* 1. ubi prænomen illi *Reinerus* fuiſſe addit. Vide Melch. quoque Adamum *Vit. Medicor.* Suffridum Petri *de Scriptor. Friſiis* & Hieron. Ghilinum. Pater fuit Cornelii, qui Lovanii itidem docuit, ibidemque peſte obiit Anno Æt. 40. Vide infrà *Gemma Friſius.*

FRISIUS Henricus, vide *Henricus.*

FRISLANDIA, Inſ. perampla in Oceano Bor. verſùs Groenlandiam, minor quàm Hibernia, & antiquis ignota, inclemens habet cœlum, unde incolæ fruges non habent, ſed piſcibus veſcuntur ut plurimum: nam in ſinu, ubi civitas metropolis eſt hujus nominis tantam trahunt piſcium copiam incolæ, ut ex ea multæ naves oneratæ in Flandriam, Angliam, Scotiam, & Danemarchiam redeant, non ſine ipſorum incolarum quæſtu. Hæc verò inſ. præt. ſeculo denuò Anglorum navigationibus frequentari cœpit, qui eam Occidentalem *Angliam* vocarunt. Hîc fit maximus dies horarum circiter 19. cum dimidio. Joh. Matal Metell. Baudr. melius videtur dicere, nullam eſſe Inſ. Friſlandiam dictam, adeò omnia incerta. Interim novi Orbis partem Boreal. verſùs Groenlandiam, Iſlandiam & Friſlandiam caſu à Piſcatoribus inventam, & oblivioni traditam, coli rurſus cœpiſſe circa A. C. 1386. refert Ortel. *in Theatro.*

FRISLARIA, urbs Haſſiæ ad Ederam fluv. in ditione Elect. Mogunt. 4. mill. à Caſſella in Auſtr. Marpurgum verſùs, 4. à Zigenhemo in Sept. Vulgò *Fritzlar.* Hîc Concilium A. C. 1118. Urſperg.

FRITHONA Theodatus, vide *Theodatus.*

FRITHSTOLL, vox Saxonica, aſylum, ſanctuarium refugium notat: In *Chartis* Immunitatum Eccleſiæ S. Petri Eborac. confirmatis Anno 5. Henrici VII. *cathedra quietudinis vel pacis*, exponitur, ut & apud Ricard. Hagulſtadenſ. *de Statu Eccl. Hagulſtad. c.* 14. *Quòd ſi aliquis veſano ſpiritu agitatus, diabolico auſu quenquam capere præſumpſerit in cathedra lapidea juxta Altare, quam Angli vocant Friſtoll, i. e. Cathedram quietudinis vel pacis; vel etiam ad feretrum ſanctarum reliquiarum, quod eſt poſt Altare hujus tam flagitioſi ſacrilegii emendatio ſub nullo judicio erit* &c. Vide quoque Prynneum *in Libert. Angl. Tom. III. p.* 1102. Hujuſmodi cathedræ complures erant in Anglia, præter Eboracenſem iſtam & Hagulſtadenſem: Beverlaci autem celeberrima, quæ priſcorum Regum benignitate, aſyli nacta privilegium, tali honeſtabatur Inſcriptione; *Hæc ſedes lapidea Freedſtoll dicitur, i. e. pacis cathedra, ad quam reus fugiendo perveniens, omnimodam habet ſecuritatem.* Atque hinc, quòd Palatia Regia aſyli gaudeant jure, voce hac palatium nonnunquam indigitatur; etiam in verſione Pſalmi 18. *refugium* eadem exprimitur. C. du Freſne *Gloſſ.*

FRITIGERNUS, Rex Gothorum, Arianus, dedidit ſe Valenti Imp. & vicit Athanaricum, A. C. 376. Idac. *Chron.* Vide *Fridigernus.*

FRITIGILDA, Regina Marcomannorum, ab Ambroſio converſa, maritum permovit, ut Chriſtianiſmum quoque amplexus, ſe Romanis jungeret. Paulin. *in vita Ambroſii.*

FRITILLA Avis, quæ aſſiduè caudam quatit, Gr. ἴυγξ, *Gloſſ. Græco-Lat.* eadem proin cum motacilla, à verbo *fritinnire*, quod movere & ſubſilire eſt. Unde *fritillum*, in re teſſeraria, pyxis, quâ teſſeræ concutiebantur, priuſquam in pyrgum mitterentur, Gr. ψηφολόγος: de quo paulo infrà. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 70. At *Fritilla* pultis genus, quâ ſacra priſca atque natalitia apud Rom. confici conſuevêre, à fri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

gendo Scalig. dicta eſt, quod è farina *fricta* pararetur. Apud Fabium certè Pictorem *olla fritilis*, in qua ſal torrebatur, ut ex Nonio docet Dalechamp *ad Plin. l.* 18. *c.* 8. ubi ſacri hujus mentio. Alii tamen *Frittia* ibi legunt, ut vidimus.

FRITILLUS, aliter *fimus, pyrgus, turricula* &c. erat pyxis cornea, docente Juv. Scholiaſte *ad Sat.* 14. *l.* 5. *v.* 5.

—— *parvoque eadem movet arma* fritillo.

Seu buxea, Screvelius ad Mart. *l.* 4. *Epigr.* 14. cujus epigraphe ad Silium.

Incertis ſonat hinc & hinc fritillis.

In quam antiqui teſſeras mittebant: à *fritinniendo*, quia in hoc vaſculo teſſeræ fritinniebant, i. e. juxta Nonium, cum ſono ſubſiliebant concuſſæque agitabantur, dicta. Cum pyrgo idem fuiſſe Horat. *Serm. l.* 2. *Sat.* 7. *v.* 17. videtur indigitare,

Mitteret in pyrgum *talos.*

Vocem Romanam poſuit Mart. *l.* 14. *Apoph. Epigr.* 16. cujus lemma eſt, *Turricula*, in quo docet evitandæ fraudis tollendique doli ratione hujuſmodi turriculam inventam fuiſſe, quod hodieque, variis in locis, aulis inprimis, obtinet.

Quærit compoſitos manus improba mittere talos,
Si per me miſit, nil niſi vota facit.

Orcam vocarunt, Perſ. *Satyra* 3. *v.* 50.

—— *Anguſtæ collo non fallier* orcæ

Et Pomponius Bononienſis Conſularis ac Poëta,

Ecce dum orcam *contemplor, taxillos perdidi.*

Habuiſſe gradus, oſtendit Sidon. Apoll. *l.* 8. *Ep.* 12 *Hic te ædificatus culcitris thorus, hic tabula calculis ſtrata bicoloribus, hic teſſera frequens eboratis reſultatura pyrgorum gradibus expectat.* Et Auſ. Profeſſ. 1. *v.* 28.

Fundunt exciſi per cava buxa gradus.

Effuſæ itaque ex anguſto *Fritilli* collo in tabulam teſſeræ (olim ternæ, poſtea binæ, tandem iterum ternæ, monente Salmaſ.) ingentem concitabant ſtrepitum. Idem paulo antè laudatus Sidon. *l.* 2. *Ep.* 9. *Inter aleatoriarum vocum competitiones, frequens crepitantium* Fritillorum, *teſſerarumque ſtrepitus audiebatur*: & *Carm.* 23.

Hic promens teretes pilas trochoſque,
Hic talos crepitantibus Fritillis &c.

Anton. Thyſius JC. *ad Aul. Gell. l.* 1. *c.* 20. Vide quoque Thom. Dempſter. *Paralip. ad Joh Roſin. Antiqq. Rom.* & infrà in voce *Pyxis*. Salmaſ. verò *fritillum* à pyxide diſtinguit, uti vidimus ſuprà, ut dicemus pluribus in voce *Pſephobolus*.

FRO, & THOR, nomina ſunt Deorum in hiſtoria Saxonis Grammatici.

FROBELETH, vicus in tribu Zabulon. *Vil. Tyr.*

FROBENIUS Georgius, vide *Georgius*.

FROBENIUS Joh. Hemelburgo-Francus, civis Baſilienſis, & Chalcographus ſui temporis illuſtris, cujus meminit Eraſmus, ejus hoſpes, obiit A. C. 1527. trilingui Epitaphio honoratus. Huic gener contigit Nicolaus Epiſcopius, Sebuſianus, civis itidem & Typographus Baſil. celeberrimus: Fil. verò fuit,

FROBENIUS Hieronymus, Typographus ſimiliter clariſſimus, patri inter initia fœderis Helvetici Baſileæ natus: Optimis auctoribus emendatè atque eleganter editis amicitiâ inprimis magni Eraſmi, cujus teſtamenti cum Nicolao Epiſcopio nuncupatus vindex eſt, immortale nomen adeptus. Deceſſit A. C. 1563. Æt. 62. Pater Ambroſii & Aurelii.

Nos Latii, Grajique patres ad ſidera tollunt,
Nec minor his ſocios magnus Eraſmus habet.

FROCCUS, vide *Floccus*.

Reges Oveti.

FROILA I. Rex Oveti, A. C. 757. regnum egregiis legibus inſtruxit, Mauriſque reſtitit. Vimonari fratris virtutibus offenſus illum interemit, ab Aurelio tertio fratre ſimiliter ſublatus. A. C. 768. Vaſæus, *Mariana.*

FROILA II. cognom. Crudelis, Princeps luxurioſus, haud diu regnavit.

ROISSARDUS Joh. Hannonius, Chronicon rerum in Gallia, Hiſp. & Anglia geſtarum compoſuit. Ab A. C. 1326. uſque ad A. C. 1400 Principibus gratus. Vixit ſec. 15.

FRONDEA Corona apud Plin. *l.* 16. *c.* 4. ubi, *poſtquam dixiſſet, Romulum hujuſmodi coronâ Hoſtum Hoſtilium coronaſſe, quod Fidenam primus irripuiſſet, addit, P. Decium patrem Tribunum militum* frondea *donavit exercitus ab eo ſervatus Imp. Cornelio Coſſo Coſ.* Cum Obſidionali malè confunditur, judicio C. Paſchalii. Quippe *frondes* in arboribus tantùm ſunt & arbuſtis, è quibus in ſacris Agonibus coronæ plexæ, unde *frondes Ambraciæ*. apud Stat. *l.* 2. *Sylv.* 2. *v.* 8.

Ad Ambracias *converſa gymnade* frondes.

pro Actiacis Ludis, in quibus ob *frondeam coronam* certabatur. Iiſdem ſimulacra Deorum cingebantur. Unde idem de Minervæ ſtatua, *Achill. l.* 1. *v.* 289.

Exierant, dare veris opes, divæque ſeveras
Fronde *ligare comas* ——

Alii item, ut videre eſt ſuprà ubi de *Coronis*. At obſidionalis è gramine fuit, uti in hac voce dicemus, & pluribus docet præfatus Paſchal. *Cor. l.* 7. *c.* 16. Uti vero *frondes*, capiti evinciendo inſerviêrunt, ſic, apud Hebræos olim, Feſtum Tabernaculorum in tuguriolis, & umbraculis, ex *frondibus*, in ædium ferè tectis, extructis, agitabatur: quem in uſum deligebantur arbores maximè frondoſæ & comatæ, ac vivacioris ſucci, uti dicemus ex Levit. c. 23. *v.* 40. & Neh. *c.* 8. *v.* 16. Vide quoque infrà in voce [illegible], item *Tecta*. Sed & antiquitus rebus lætis coronæ *frondeæque* poſtes inumbrabant, ut dicemus infrà in voce *Poſtis*: etiam *frondes* atque flores ad ſepulchrum ferre moris fuiſſe, poſtea lanam addictam, notat Joh. Meurſ. *Com. ad Lycophr. p.* 175. &c. Sunt autem propriè *frondes* rami & brachia arborum, unde *frondator*, qui ramos amputat, apud Virg. *Ecl.* 1. *v.* 57.

Hinc alta ſub rupe canet frondator *ad auras.*

Indidem Plin. *l.* 17. *c.* 1. *Fronditius* miles is dictus, *qui præclara facinora Vulturnum tranſnatans*, fronde *capiti impoſita, adverſus Hannibalem edidit*, Aliàs & folia ſic vocantur, qua de re Salmaſ. *ad Solin. p.* 386.

FRONS, Genio olim ſacra, teſte Serv. qui addit Virg. Ecl. 6. *v.* 22. & 7. *v.* 27. Æn. *l.* 5. *v.* 567. *Unde quoties Deum veneramur, frontem tangimus*: Plin. ſic deſcribitur *l.* 11. *c.* 37. *Frons & aliis* (animantibus) *ſed homini tantùm triſtitiæ, hilaritatis, clementiæ, ſeveritatis index. In aſcenſu ejus ſupercilia homini* &c. Exporrigimus enim cùm lætamur aut favemus; contrahimus illam, corrugamuſque, cùm dolemus aut iraſcimur, quod ὀφρύων νέφος Euripid. *in Hippolyto*, Latini *nubem frontis* appellant. Horat. *l.* 1. Ep. 18. *v.* 94.

Deme ſupercilio nubem ——

Τὸ ἐπισκύνιον, in leone Homer. *Il.* ρ. *v.* 135. inde ad Achillem tranſlatum à Philoſtrato *in Heroum imag.* Ἐπισκύνιον τε, καὶ θυμοειδὲς φρύαγμά ἐστι μὲν ἤδη τῷ παιδὶ, *Epiſcyniumque, & iracunda ferocia puero jam ineſt.* Vide ſuprà in hac voce. Omiſit. Plin. pudorem, qui ſimiliter in *fronde* ſedet, unde μέτωπον τρίψαι; os ſeu *frontem perfricuiſſe* dicuntur, qui verecundiæ nuntio miſſo, gnaviter impudentes ſunt, qua de re vide Victor. *c.* 6. & 8. Ita *Frons* tabula eſt in ſublimi poſita, in qua ſatis conſpicuis characteribus animi ſenſa exarata cernimus. Unde ejus magna apud omnes ratio ſemper habita. Et Gentiles quidem Genio eam conſecrarunt, ut vidimus: Simili indicio gratiæ (ſed veræ) divinæ, in Baptiſmate Chriſtianis jam olim *Frons* ſignabatur. Victor Utic. *l.* 3. *Paſſ.* 7. *fratr. ſub Hunerico Rege. Nobis nullus de poſtibus* frontium *valebit evellere, quod in uno Baptiſmate artifex Trinitatis dignatus eſt titulare.* Vide quoque ſuprà in verbo *Confirmare*. Æthiopes verò infantes ipſo natali die inurunt, de quo more vide Bartholin. *Exercitat. Miſcell.* Occaſione ſacri ritus deſumptâ, ex Ezech. *c.* 9. *v.* 4. ubi Jehova inclamans virum lineis indutum edixit, *Tranſi per medium ---- Jeruſchalaimorum & inſignito ſigno* frontes *illorum hominum, qui ſuſpirant & qui exclamant propter omnes abominationes iſtas, quæ fiunt in medio illius.* Sed & Pontificis Summi, totiuſque populi Iſraëlitici, *frontem* peculiari ratione munitam ſacramque ſibi voluit Deus, uti infrà dicemus, in voce *Frontale*. Inde porrò ornandi coronandique *frontem* mos priſcus, uti docet ille apud Athen. ἐστεφανῶντο δὲ καὶ τὸ μέτωπον, *Coronatam autem &* frontem *gerebant.*

Στεφάνους δ᾽ οἵους πυκάζω
Τὰ μέτωπα μου ᾽πι καίει,
Quales plico coronas
Cùm frons *mihi renidet.*

Vide ejuſdem *Oden* à Caſaub. è *MSS.* editam. Quòd ſi & caput redimebant, ſic tamen id fiebat, ut foliis coronarum plerùmque *frons* inumbraretur. Quò inprimis pertinet, quòd à mulieribus ut plurimum eas coronas, quæ frontem faciemque inſuper tegerent, uſurpatas fuiſſe, pudori ſc. velando obſervat Plutarch. *Pelop.* Vide quoque infrà *Lunulæ*: uti de *Frontis oſculo*, ubi de Vett. *Oſculis* aliquid etiam in voce *Signa* &c. Sed hæc modeſtæ caſtigatæque *Frontis* decus eſt: quam proin minutiorem laudi olim fuiſſe, Luciano, Petron. aliis obſervatum. Unde *imminuere frontes limbis*, in muliebris luxuriei parte reponit Arnob. *adv Gentes l.* 1: Ubi *nimbis* mavult Herald. eo quòd *nimbus* Iſid. *faſciola eſt tranſverſa ex auro aſſuta in linteo quod eſt in fronte feminarum.* Vide infrà *Nimbus*. At, quorum impudentiâ effrons omnes honeſtatis characteres funditus delevit, opera data eſt, ut novâ arte ii *frontem literatam* haberent. Hinc notis inuſtas fugitivorum *frontes* apud Romanos, literiſque inſcriptas uncialibus legimus. Et Lucian. quidem typo vulpis aut ſimiæ, in ea parte vultus, inurendos eſſe neſcio quos Philoſophos judicat *Reviviſc.* Val. verò Max. ſervum quendam reſtionis inexpiabili literarum notâ, per ſummam oris contumeliam inuſtum refert, quod ad literam Φ. vel F. Eruditi referunt, uti infrà latiùs videbimus. Quo more uſque ad Conſtantinum Mag. ſervato, hic demum *innoxiorum facie ſcribi* vetuit, *quod deceret faciem maculari, quæ ad ſimilitudinem pulchritudinis cœleſtis eſſet figurata, l.* 11. *Cod. Theod. de pœnis.* À quo tempore frontis ea contumelia in collaria tranſiit, uti pluribus docet Laur. Pignor *Comm. de Servis*, & nos infrà videbimus, ubi de *Literatis, Spleniis, Stigmatibus.* Hodieque tamen in graviorum criminum reos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

cùm è finibus ejiciuntur, notâ *fronti* inuſtâ, animadverti ſolenne eſt &c. Vide de more hoc inurendi *frontem* etiam Græcis, Perſis, aliiſque jam olim uſurpato, Rader. *ad Curt. l.* 5. *c.* 5. & quem is laudat, Juſt. Lipſ. inprimis *Elect. l.* 2. *c.* 15. Quo pacto Romanorum pueri delicati *frontem* ornaverint, ſuprà diximus, ubi de *Coma*. De *Fronte* Thracum punctis notata, de *Frontis* vena, in Fœderibus ſciſſa alibi; de Arte è *Fronte* vaticinandi, Græcis Μετωποσκοπία, infrà in voce *Metopoſcopi*. De *Fronte librorum* pumicata apud Vett. Vide Screvel. *ad Mart. l.* 1. *Epigr.* 67. cujus epigraphe ad furem de Libro ſuo.

FRONS Africæ vulgò *Capo de bona Speranza*, incolis *Zanguebar*, teſte Marmolio. Verùm cùm à Plin. *l.* 5. *c.* 1. & Mela poſt Cornu Heſperium in ora Occid. maris Atlantici deſcribitur, ab aliis *Capo Verde*, incolis *Tagazza* eſſe putatur. Baudr. eſt *Caput bonæ ſpei*, in Cafreria reg. non Zanguebaria, quæ magis ad Ort. extenditur.

FRONS Aſiæ, ora Aſiæ Orientalis, quæ Oceano Eoo alluitur.

FRONS Galliæ, quæ Oceano ad Occid. expoſita eſt.

FRONS Germaniæ, ea pars quæ Danubio objacet.

FRONS Hiſpaniæ, quæ Oceano occiduo adjacet.

FRONS Italiæ, ea pars, quæ inter 2. prom. Leucopetram, & Lacinium in mare porrigitur.

FRONTALE, Hebr. ציץ inter quatuor veſtes, ad Pontificis ſolius cultum ſpectantes, memoratur Exod. *c.* 28. *v.* 36. & *ſeqq.* *Item facies bracteam ex auro puro, & inſculpes ei ſculpturis tanquam ſigilli*, SANCTITAS JEHOVÆ. *Quam appones cum vitta hyacinthina, ita ut ſit ſuper ipſam cidarin: è regione anterioris partis ipſius cidaris eſto. Sic erit ſuper* frontem *Aharonis, ut auferat Aharon iniquitatem rerum ſacrarum, quas conſecraverint filii Iſraëlis, omnium donorum rerum conſecratarum ab illis: erit inquam ſuper* frontem *illius jugiter, ut ſit benevolentia erga illos coram Jehova.* Ad quem l. vide *Exercitationes* A. Riveti & *Meditationes* Franc. Burmanni. Sed & ſuum erat *Frontale* cuilibet Iſraëlitæ, in quod digitus intenditur Exodi *c.* 13. *v.* 9. *Ut ſit tibi in ſignum ad manum tuam & in monumentum inter oculos tuos, ut ſit doctrina Jehovæ in ore tuo*: de quo pluribus agemus infrà, ubi de *Phylacteriis*. Hodieque certè Galli *Fronteau* vocant laminam illam, aliquot ſacræ Scripturæ dictis inſcriptam, quâ Synagogam Judæi ingreſſuri frontem circumligare in more habent poſitum. Porrò in ſacris paſſim *Frontium* ornamenta occurrunt communiter uſitata, tum in aliis gentibus, tum in Iſraëlitica, ut videre eſt inter alia Eſ. *c.* 3. *v.* 19. ad 26. ubi ſequioris ſexus luxum perſtringit Propheta. Vide quoque Judic. *c.* 8. *v.* 24. alibique paſſim, ubi in Hebr. vox *Neſem* eſt, quam Græci ubique tranſtulêrunt ἐνώτιον, *inaurem*, præterquam Jobi *c.* 42. *v.* 11. ubi Symmachus reddidit ἐπίῤῥινον, *ornamentum naſi*: Vulgatus Eſaiæ *dict. loc. gemmas in* fronte *pendentes*, Prov. *c.* 11. *v.* 22. *circulum aureum* &c. Quas varias expoſitiones ſic conciliat Thom. Bartholinus, ut dicat gemmas in vitta *frontem* circumdante & ab ea pendulas naribus imminuiſſe, ad faciem ornandam. De quali ornatu ſic Hieronym. Ezech. *c.* 16. *v.* 11. & 12. *Verbum Hebraicum Neſem, excepto Symmacho —— omnes inaurem tranſtulêrunt, non quòd inaures ponantur in naribus — — ſed quòd circulus in ſimilitudinem factus inaurium, eodem vocabulo nuncupetur. Et uſque hodie inter cætera ornamenta mulierum, ſolent aurei circuli in os ex* fronte *pendere & imminere naribus.* Vide præfatum Bartholin. *Miſcellan. Medic. de Morbis Biblicis c.* 19. ubi de *Annulis Narium*: uti de *frontalibus* ac criſtis elephantorum, quibus ſpecies illorum augebantur, Liv. *l.* 37. *c.* 40. equorum infrà in voce *Phaleræ* &c. In Eccleſia Rom. *Frontale* & *is* eſt *apparatus pendens in fronte altaris, qui apparatus aliàs dicitur palla*, Lindwod, & memoratur paſſim, apud medii & ultimi ævi Scriptores. *Chronic.* Gemblacenſe, *p.* 528. *Fecit tabulam argenteam ——* frontale *quoque ad Altare S. Exuperii Martyris. Viſitatio* Theſaurariæ S. Pauli Londin. A. C. 1295. *Unum* frontale *de nigro ſameto, cum barris & vineis de aurifrigio bono, ad majus Altare. Item aliud* Frontale *ſtrictum, cum pluribus diverſis ſcutis: & in medio breudantur imagines Crucifixi, Mariæ & Johannis —— ad idem altare*, &c. *Frons altaris* dicitur, Durando *Ration. l.* 1. *c.* 3. *n.* 32. Plura apud C. du Freſne, ubi *ſuprà*.

FRONTIACUM, caſtrum Galliæ erectum à Carolo Magno contra Hunoldum, qui poſt mortem Waifarii fil. Aquitaniam iterum occupare tentaverat, ad Lupum Ducem Novempopulanæ profugus, Aquitaniæ ingreſſu, & Duranii tranſitu arcendum. Nunc caſtellum Ducale eſt, impoſitum monti, uti Blavia, Ellæ fluvio quàm Duranio Ellam jamjam accepturo propius. Vulgò *Fronſac*, caput agri Frontiacenſis *le Fronſaguez*: in finibus Biturigum Viciſcorum, ſeu in diœceſi Burdigalenſi. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

FRONTINIANUM, urbec. Gall. in Occitania, ad lacum Lattaram, inter Agatham, & Montem Peſſulanum, vino ſuo clara. Olim *Forum Domitii*. Vide *ibi*.

FRONTINUS, cognomento Sextus Julius, ſcripſit de ſententia militar. Veget. *l.* 2. *c.* 3. Volaterr. &c. Prætor Urbanus fuit, Veſpaſiano 2. ac Tito Coſſ. ut ait Tac. *l.* 4. *Hiſt. c.* 39. quod fuit A. U. C. 823. Eo ejurante hanc dignitatem cepit Domitianus, *Conſularem virum* eum appellat Ælian. *l. de Inſtruenda acie præfat. ad Adrian. Cæſ. c.* 1. In Conſulum tamen ſerie nulla ejus mentio, ut fuiſſe videatur ex Conſulibus in demortui locum ſuffectis. In pretio erat temp. Nervæ, & Trajani. Unde Ælian. *præfat. Tactic.* ait, Frontinum idem argumentum tractaſſe, atque eum ſuæ ætatis ſcriptorem vocat. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 737. & 738.

FRONTO, alio nomine *Julius*, vigiliarum tribunus, à Galba tanquam ſuſpectus exauctoratus. Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 20. In Partibus Othonis à militibus vinctus, tanquam fratri *Julio Grato* apud Vitellium præfecto Caſtrorum, proditionem ageret. Idem *Hiſt. l.* 2. *c.* 26.

FRONTO Cornelius, vel Priſcus, Philoſophiæ ſimul, & dicendi præceptor M. Antonini Imp. adeo ab illo dilectus, ut ſtatuam ei à Senatu erigi peteret. Jul. Capitolin. Euſeb. A. C. 165. Macrob. *Sat. l.* 5. *c.* 1. Alterius *Frontonis* meminit Juv. *Sat.* 1. *l.* 1. *v.* 12.

Frontonis platani, convulſaque marmora clamant.

Et Mart. *l.* 1. Epigr. 56. Initio cujus epigraphe ad Frontonem de vita ſua.

Clarum militiæ Fronto *togæque decus.*

FRONTO Marcus, vide *Marcus*.

FRONTO Vibius, vide *Vibius*.

FRONTONIANI, dicti ſunt à *Frontone* Cornelio Oratore, qui ejus ſectæ erant. Non enim Philoſophorum ſolùm, ſed & Oratorum ac dicendi Magiſtrorum fuêre ſectæ ac ſucceſſiones: ut vivente Tatiano, ſeu, ut alii malunt, Titiano (quo Oratore uſus eſt Maximinus Junior) *Frontoniani* hi; qui cùm ex æmulatione Titiano gloriam ſuam inviderent, verbis non parcebant, quin de illo detraherent, eumque *ſui temporis ſimiam* dicebant, apud Capitolin. *in Maxim. Jun.* Vide Caſaub. *ibi*.

FRUCTESCA, Dea *fructuum* apud Rom. qui, licèt & aliis Diis agreſtibus, tamen huic inprimis curæ eſſe crediti, Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 21.

FRUCTUARIUS, in *Ordinat.* Hoſpitii Ludovici IX. Franc. Regis A. C. 1261. officium eſt in Domibus Regiis, Gall. vulgò *le Fruitier*: cui *fructus*, atque adeò candelarum & ceræ cura incumbit, C. du Freſne *Gloſſ.* A voce *fructus*, quo nomine Solino propriè veniunt, & οἱ σῖτοι, unde Ceres illi *magiſtra ſationis fructuariæ* dicitur *c.* 5. & Amm. Marcell. qui *fructuarios* & *arboreos fœtus*, τοὺς σιτηροὺς καὶ τοὺς δενδρίτας καρποὺς opponit *l.* 23. *c.* 6. quos plerunque Recentiores ſecuti, & *fructus* & *fruges*, de frumentis accipiunt. Sed Plin. fructus conſtabat apud Romanos *pomis & baccis & frugibus*; Arabibus *radice, ſurculo, frutice, cortice, ſucco, lacrymâ, ligno, flore, [illegible] folio & pomo*: ex arboribus ſcilicet & plantis odoriferis. Vide eum *l.* 12. *c.* 11. & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 294. & 1064. Illis plenus calathus Autumni ſymbolum eſt, uti patet ex nummo Commodi, cujus ſuprà mentionem fecimus, in voce *Felicia*. De primitiis eorum in ſacros uſus converſis, dicemus infrà. At *Fructuarii ſervi* apud Jurecoſſ. ſunt, in quibus uſumfructum habet, proprietate penès alterum remanente. Vide Tit. Pop[illegible] *de Operis Serv.* uti de *Villa Fructuaria* Vett. pluribus agentem Laur. Pignor. *Comm. de Servis*, aliquid etiam infrà in voce *Villa*. Ad[illegible]rò Fructuariam non acceſſiſſe Vett. niſi lotis manibus dicemus infrà in voce *Lotio*: uti de *fructibus* veſtibus intexi ſolitis, uti de *Plumario opere*.

FRUGES, propriè frumenta & legumina dicta ſunt Vett. [illegible] Græcis & σιτηροὶ καρποί. Accius *in Troadibus*,

Nocturna ſaxo fruges *frendes torridas*

Virg. Æn. *l.* 1. *v.* 182.

—— frugeſque *receptas*
Et torrere parant flammis & frangere ſaxo.

de quo torrendi illas more diximus aliquid ſuprà, ubi de *Farre*. Sunt tamen, qui ne frumenta quidem hoc nomine cenſeri volebant, ſed ſola legumina, ſicque *frumenta* à *frugibus* diſcernebant. Nonnullis [illegible] *fruges*, quæ ariſtas habent, reliqua *frumenta*, dicuntur. [illegible] *fruges* Amm. Marcell. *l.* 23. *c.* 6. & ante eum Cic. dixere frumenta, & legumina, de quibus propriè vocem ſumi diximus, ad diſcretionem majorum frugum, ut ſunt arboreæ. Nam *arboreas fruges* Cornificius vocavit arborarios fructus &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 244. Earum uſus poſt glandes, hominibus, Cereris beneficio, innotuiſſe, dicitur. Arcades enim non alios, quàm glandes, cibos habuiſſe, hinc patet, quòd in notam antiquitatis ſuæ appellari voluêrunt Βαλανηφάγοι, *glandivori*. Idem apud Rom. obtinuiſſe, diſcimus ex tabb. XViralibus, quibus cautum: Ut *glandem in alienum fundum procidentem colligere liceret*. Poſtea *frugibus* & *pane* reperto, lætus in [illegible] ptiis puer apud Athenienſes caniſtrum panibus plenum ferens, exclamavit, Ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον, *Effugi malum, inveni bonum*. Itaque Cereris munus fruges inventæ, ſed Triptolemi operâ earum ſatio gentibus cognita: Mart. Capella *l.* 2. *de Nupt. Merc. & Philolog. Qui primi mortalibus uſum rerum majoraque commoda [illegible] ut vitem Dionyſius apud Thebas, Oſyris apud Ægyptios [illegible] ſumque comperiens, Frumentum Iſis in Ægypto, Triptolemus [illegible] Atticos docuêre, eademque Iſis lini uſum ſementemque monſtravit.* [illegible] Hubertus Vellejus ac Fr. Laziardus *in Epit Hiſt. Univ. c.* 24. Triptolemus *agriculturam ampliaſſe, & quadrigas junxiſſe dicitur. Ceres etiam præter inſtrumenta arandi, menſuras invenit, cùm priùs per acervos [illegible] cum numeraretur.* Hincque Theſmophoria, in honorem Cereris, & Eleuſinia, in honorem Triptolemi, cui Eleuſius pater, Athenis inſtituta & tanta cum religione celebrata, de quibus vide ſuo [illegible]. Sed hoc inventum potiùs Ægyptiis, quàm Athenienſibus, Cretenſibus aut Siculis attribuendum, ut pluribus oſtendit Voſſ. Namque de Athenienſibus id apertè negat Diod. *l.* 5. fruges aliunde eò importatas docens; è Sicilia fortè. *Conſtat* enim, uti Cic. ait *Verr.* [illegible] *antiquiſſimis Græcorum literis atque monumentis, inſulam Siciliam totam eſſe Cereri & Libero conſecratam.* Communis etiam opinio eſt, in Sicilia raptam eſſe Proſerpinam, qua de re vide Eundem *ibid.* Unde adhuc minùs audiendi Cretenſes, qui Cererem tradunt apud ſe natam, [illegible] in Atticam, hinc in Siciliam, demum in Ægyptum profectam [illegible] In quo bis minimùm peccant: primùm, quòd Siculos putant, poſt Athenienſes, recepiſſe *fruges*: deinde, ac inprimis, quòd Ægyptios etiam hiſce poſtponant. Nec enim Athenienſes ipſi diffitentur, ſummùm ſub Cranao Rege Cererem in Atticam veniſſe. At eo prior Cecrops R. Moſi fuit æqualis: quanto autem priùs frumento Ægyptiis ſit uſa, conſtare poteſt ex Joſephi hiſtoria. Imò

& antea in *Frugum* penuria è Cananæa eò profugit Abrahamus Patr. ut eſt Gen. c. 12. v. 11. &c. Vide Autorem ipſum *de orig. ac progr. Idolol. l. 1. c. 17.* qui etiam de innumeris Gentilium Diis, quibus *Frugum* cura, prolixè agit *l. 2. c. 61.* Atque hinc eſt quòd *fruge Deos colere*, apud Rom. Numa inſtituit, Plin. *l. 18. c. 2.* præclariſſimi muneri primitias iis libando. Quemadmodum Triptolemi apud Græcos ſimile inſtitutum, poſtquam temporis injuriâ collapſum eſſet, reſtituit Draco, hac lege: Θεὺς τιμᾷν ἐν κοινῷ ἑπομένοις νόμοις πατρίοις, ἰδίᾳ κτ̀ δύναμιν σὺν εὐφημίᾳ κ̀ ἀπαρχαῖς καρπῶν πελάνοις ἐπετείοις, *Venerandos eſſe Deos ---- publicè ſecundùm patrias ſanctiones, privatim verò bonis verbis, frugumque primitiis, libis annuis, pro facultatum modulo*, uti legimus apud Porphyrium περὶ ἀποχῆς τ̃ ἐμψύχ. *l. 4.* Habuit autem Triptolemi lex, Θεὺς καρποῖς ἀγάλλειν, *Venerandos eſſe frugibus Deos*, *ibid.* Quæ tamen ſimplex & pauco parabilis colendi Deos ratio, non diu poſt Draconem obtinuit: cum jam ante Solonem victimas Diis mactatas eſſe conſtet, ex Legibus ejus, quibus pretium illarum æſtimavit, ut Plutarch. *in eo* teſtatur. Vide Sam. Petit. *Comm. in LL. Attic. l. 1. tit. 1.* & ſuprà in voce *Far.* Sed & *Frugibus* tumuli obſiti, apud Athenienſes. Cùm namque par propemodum parentibus amiciſque ſuo fato functis honos, qui Diis immortalibus, haberetur, religioneque conſecrarentur eorum tumuli & monumenta, ad illa quoque ferebantur & ſuperimponebantur oleæ, quas huic uſui licebat ex agris evellere, itemque *fruges* obſerebantur. M. Tull. *de LL. 2. Nam & Athenis jam ille mos à Cecrope, ut ajunt, permanſit, hoc jus terra humandi: quam cum proximi injecerant, obductaque terra erat, frugibus obſerebatur, ut ſinus & gremium quaſi matris mortuo tribueretur, ſolum autem frugibus expiatum ut vivis redderetur.* Vide Sam. Petit. *Comm. in LL. Attic. l. 5. tit. 1. ſub fin.* Simile quid & apud Romanos in uſu: hos enim ſuper Curtium certatim congeſſiſſe fruges, apud T. Liv. legere eſt *l. 7.* Vide Ger. Elmenhorſt. *ad Minuc. Fel.* Nec omittendum hîc graviſſimum pœnæ genus in eos ſtatutum, apud Rom. qui *fruges* ſurripuiſſent, de quo ſic Plin. iterum *l. 18. c. 3.* *Frugem quidem aratro quæſitam furtim noctu paviſſe ac ſecuiſſe, puberi XII. tabulis capitale erat ſuſpenſumque Cereri necari jubebant gravius, quàm in homicidio convictum: impubem Prætoris arbitratu verberari, noxamve duplionem decerni*: ad quem l. vide Dalechampii *Notas*, & plura hanc in rem, apud eundem Plin. paſſim, ut & hîc infrà: ſicut de ſacris Rom. pro *Frugibus* fieri ſolitis in voce *Ambarvale*; aliorum, infrà ubi de *Hædis*: de jure verò veteri in Anglia, circa animalia *frugibus* pulliſque infeſtiora in voce *Utlagati.*

FRUGI, cognomen Piſonis, qui à Macriano ad interficiendum Valentem miſſus, ubi eum providum futurorum imperare cognovit, conceſſit in Theſſaliam, atque illic, paucis ſibi conſentientibus, ſumpſit Imperium. Treb. Pollio *in Eo.*

FRUGI Craſſus, ex Hadriani conſtitutione exul, in Inſ. relegatus, cùm eâ egreſſus eſſet, quaſi res novas moliretur, juſſu ejus, occiſus eſt. Æl. Spartian. *in Hadr.*

FRUGIFER, cognomen Mithræ ſeu Solis, facie leoninâ cum tiara à Perſis olim culti. Arnob. *l. 6.* *Inter Deos videmus leonis torviſſimam faciem mero oblitam minio & nomine* Frugiferi *nuncupari*, Græcè Καρποδότης ſeu Καρποφύεθλος, uti dicitur in *Hymno*, in quo omnia ejus attributa κτ̀ στοιχεῖον recenſentur:

Κοσμοπλόκον, Κλάδιον, Κρατερόφρονα, Καρποφύεθλον.

Certè *Frugiferum* & Pap. Stat. vocat *Theb. l. 1. v. 718.* & ſeqq.

> ——— *ſeu te roſeum Titana vocari*
> *Gentis Achæmeniæ ritu, ſeu præſtat Oſirin*
> Frugiferum, *ſeu, Perſæi ſub rupibus antri,*
> *Indignata ſequi torquentem cornua Mithram.*

Et Attinem, quem eundem cum Sole eſſe volebant, vet. *Epigr.* θεμερώτερα πάντα φύοντα, quod idem. Vide Salmaſ. *ad Aurel. Voviſci*: uti de *Frugiferis arboribus in hoſtico non ſuccidendis* ſuprà.

FRUMENTARII, apud Spartian. *in Hadr.* *Erat curioſus non ſolum domus ſuæ, ſed etiam amicorum, ita ut per* Frumentarios *occulta omnia exploraret: nec adverterent amici, ſciri ab Imp. ſuam vitam, priuſquam ipſe hoc Imp. oſtenderet*; nomen & officium fuit ſub Impp. natum, & tunc primùm cognitum in ordinaria militia. Nam antea vox hæc de *Frumentariis negotiatoribus*, aut menſoribus tantùm uſurpabatur. Iſti autem, quorum hîc mentio, milites erant & ſingulis quidem legionibus certo numero adſcripti. Unde in vet. *Inſcr.* *Frumentarius legionis illius & illius*, occurrit non rarò. Videntur hi originem habuiſſe à prima curſus inſtitutione, quam ad hoc introduxit Aug. ut omnia minima, maxima, quæ in provinciis gererentur, ſibi maturè ac celeriter annuntiari poſſent, juvenibus primò diſpoſitis per militares vias, mox etiam vehiculis: quibus hoc muneris injunctum, ut res novas explorarent & Cæſari nuntiarent, vehiculiſque publicis & per intervalla mutatis iter accelerarent. Græcis Ἀγγελιαφόροι, & Γραμματηφόροι, atque etiam Πρε- *frumentum*; militare, vel annonam militarem tranſvehendam à provinciis curarunt, & in horrea militaria comportandam, vel etiam ex horreis in caſtra deferendam, ut publici curſus proſequutores, uti vocantur Cod. *Theod. de curſu publ. l. 47. & 48.* Adde, quòd annonæ tributiſque exigendis præeſſent, & provinciales ad ſolvendum compellerent cenſuſque agerent curam: nam eorum præfecti, iidem & cenſus erant Magiſtri; unde Ulpium Julianum, quem Dio in *Fragm.* apud Fulv. Urſin. ex *Vita* Macrini, *Frumentariorum Curioſorumque* *præfectum* ſub Caracallo fuiſſe dicit; idem Dio in vita Caracalli *Centariorum Magiſtrum* vocat. Sic Agentes in Rebus, qui in locum *Frumentariorum* ſucceſſêrunt; Curioſi quoque, qui olim cum *Frumentariis* iidem erant; Sagones item ac Veredarii, quibus nominibus tempore Caſſiodori appellati ſunt, qui priùs *Frumentarii* ſimiliter utroque officio defungebantur. Porro *Frumentarii* quoque reis olim perſequendis, exhibendis & in carcerem compingendis criminibuſque nuntiandis operam dabant, uti diſcimus ex Euſeb. *l. 7.* & Cypriano *Ep. ult.* Curioſi enim hoc munus obibant, ex *l. 1. Cod. de Curioſis*: Curioſi autem & *Frumentarii* iidem. Sed *Frumentariis*, à Diocletiano remotis & penitus ſublatis, Curioſi ex corpore agentium in rebus per ſingulas provincias mittebantur, ad curas agendas & idem munus obeundum, quod olim Frumentarii: quos *ad explorandum nuntiandumque ſi qui fortè motus exiſterent*, inſtitutos eſſe, ſcribit Victor; *ad explorandum nuntiandumque* περὶ τὸ διοπτεύειν κ̀ διαγγέλλειν, quod officium commune videntur habuiſſe, cum Speculatoribus, cum quibus tamen minimè confundendi ſunt: uti qui honeſtiori gradu militarunt. Unde apud Dionem legimus de Advento, eum, cùm priùs διοπτὴς κ̀ ἐρευνητὴς, i. e. *ſpeculator*, eſſet, per promotionem in ordinem τ̃ Γραμματοφόρων ſeu *Frumentariorum* fuiſſe tranſlatum: & in *Inſcr. vet.* Schola Speculatorum refecta dicitur curante Frumentario; *Scholæ Speculatorum legionum primæ & ſecundæ adjutricum piarum fidelium Severianarum, refectæ per eoſdem, quorum infra nomina ſcripta ſunt; dedicante F. Æliano legato, Auguſti proprætore, curante Aurelio Pertinace Frumentario &c.* Vide Salmaſ. *ad Spartian.* & infrà *paſſim.* Quare autem Diocletianus *Frumentarios* removeret, exponit Victor Schotti *in Diocletiano*, *Ac remoto peſtilenti* Frumentariorum *genere, quorum nunc Agentes rerum ſimillimi ſunt, qui cum ad explorandum annuntiandumque ſi qui forte in provinciis motus exiſterent, inſtituti viderentur, compoſitis nefarie criminationibus, injecto paſſim metu, præcipue remotiſſimo cuique cuncta fœdè diripiebant.* Vide de his Baron. quoque *ad A. C. 261. n. 17. & 18.* uti de *Frumentariorum Præpoſito*, & infrà in voce *Magiſter cenſus.*

FRUMENTIUS, in India interiori Evangelium prædicavit, qui ab Athanaſio ob id inſtitutus fuit Ep. Totam hanc hiſtoriam lege apud Sozom. *l. 2. c. 25.* & Socratem *l. 1. c. 15.*

à FRUMENTO, vide *Prorogator*, *Sitarchia*, & hîc infrà in voce *Frumentum.*

FRUMENTUM, à *fruendo*, ſicut *fructus* & *fruges*, quæ vocabula licet non rarò confundantur, Eruditis tamen non idem planè denotant, ut dictum. De inventione ejus uſuque ſacro quoque jam vidimus. Ut verò hominum victui inſerviret, comminuebatur in pila, ante molarum uſum inventum: Erantque pilæ illæ vaſa concava, in quæ antiqui ſiccata frumenta immiſſa pinſebant. Unde *Piſtores* dicti, qui far hoc modo pinſebant, i. e. *tundebant pilis*, vel molis poſtea trusatilibus frangebant. Serv. *Æn. l. 1. v. 183. & l. 4. v. 517.* *Quia apud Majores noſtros molarum uſus non erant, frumenta torrebant & ea in pilas miſſa pinſebant.* De molis vide *ſuo loco.* Publicè verò Romæ *Frumentum* lege Gracchi populo diviſum, ſenis æris trientibus in ſingulos modios, P. dein Clodii rogatione gratis datum eſt. Oct. Aug. ubi Imperium adeptus eſt, ut hac liberalitate benevolentiam populi conciliaret, frequenter frumentum ei diſtribui curavit, ſæpe leviſſimo, interdum nullo pretio, Suet. *in eo. c. 40.* & Dio *l. 54.* huncque in finem Præfectum frumenti dividendi inſtituit, teſſeris *Frumentariis* datis; quas qui exhiberent, frumentum à Principe accipiebant. Erant illæ, ut Hadr. Turneb. exiſtimat *Adverſ. l. 19. c. 26.* fruſtilla lignea quadrata, cerâ inſignita & notata formâ, Græcis proin τέσσαρα dicta: quanquam & rotunda etiam fuêre, quæ propterea σφαίρια Dioni, i. e. globuli appellantur. Idem Præfectus *Minutiæ Curator* alio nomine dictus eſt Caſaub. ex vet. lapide, ubi ſculptum, CVRATOR. AQVARVM. ET. MINVTIÆ. CVR. ALBEI. TIBERIS. ET. CLOACARVM. VRBIS. Vide eum *ad Suet. Aug. c. 37.* Et quidem XII. in anno *frumentationes*, i. e. frumenti largitiones, factas eſſe, docet idem ex *Monumento* Ancyrano, (nuper accurante Jacobo Gronovio edito) in quo Auguſtum toto anno privatis ſumptibus aluiſſe turbam frumentantium indigitatur. Fuit autem illa 320. millium ante Julii Cæſaris recenſum & ordinationem, qui ad centum & quinquaginta millia eam redegit, teſte Suet. *Jul. c. 41.* Auguſto poſtmodum alia quinquaginta millia addente, uti habet Dio. Donec ad ſexcenta millia numerus excreviſſet, ſub Severo, uti idem Caſaub. *Not. ad Spartian.* docet: qui etiam de præclari hujus inſtituti non levibus incommodis eruditè diſſerit, *ad Suet. Aug. c. 40.* Vide quoque retro, ubi de *Congiario.* Loco *Frumenti* dein panes erogari cœpêrunt, Aureliano auctore, uti dicemus, ubi de *Pane gradili*, alibique paſſim. Aliàs annonæ cura in urbe penès Æ diles erat, qui ob id *Annonæ Præfecti* nuncupati ſunt. Suppeditabant autem primitus Urbi frumentationem Sicilia & Sardinia: poſtea auctâ Rep. prolatoque Imperio ſub Coſſ. domitâ jam Carthagine, ex Africa; ſub primis Impp. ex Ægypto; denique declivi jam Principatu, è Gallia fruges peti cœpêre: Alexandrinæ tamen frumentationes præ cæteris celebres fuêrunt. Unde, cùm, quæ ex Africa navigia ſub Aug. in Italiam commeabant, Capreas inſ. tranſitura velo ſolo contenta eſſe juberentur, Alexandrinis etiam ſuppara addere permiſſum fuit. Navibus dein aut claſſibus advectum *Frumentum* imponebatur caudicariis navigiis, ut per Tiberim in Urbem perferretur. Claud. *l. 1. in Eutrop. Carm. 18, v. 404.*

> *Invectæ Rhodano Tiberina per oſtia claſſes,*
> *Cinyphiiſque ferax Araris ſucceſſit ariſtis.*

Et quidem minores ſcaphæ, *Caudicariæ*, majores *Annonariæ* dictæ ſunt; quarum illis qui præerant, *Caudicarios* vel *Codicarios* paſſim appellatos deprehendimus. Aderant tum Menſores, qui in horrea publica, quæ quamplurima in Urbe fuêrunt, frumentum intulêre: unde depromebatur, cùm populo dividendum erat, ut ſuprà dictum. Extitêre autem *Frumenti*, quod ex provinciis extrahebatur, tria genera: *Decumanum*, decumæ nempe, quod quiſque arator ſine pretio dare cogebatur: *Emptum*, quod aratores vendere, accepto ex Senatus conſulto pretio, neceſſe habebant, ut Romam ad alendum populum mitteretur, & *Æſtimatum*, quod ſumma erat frumenti, quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

æſtimabat Magiſtratus in cellam ſuam, inque uſum familiæ ſuæ, pro qua pecuniam non rarò accipiebat. His adde *Frumentum imperatum*, quod empti altera ſpecies erat, cùm præter duas decumas, æqualiter omnibus civitatibus, pretio perſoluto, imperabatur. Imò & fuiſſe quoddam, quod *honorarium* diceretur, ex Cic. *in Piſone* diſcimus. Nec defuêre *Frumento* ſui Dii, præter Jovem Patrem, Tellurem matrem, Solem, Lunam, Cererem Liberumque, Pallas, Flora, Vertumnus, Seja & Segetia, Tullina & Tutanus, Robigus, Bonus eventus, Populonia & Fulgor, Pilumnus & Picumnus, Sterculius, Ruſina &c. nec ſuæ leges: Clodia. Hieronica, Sempronia & Caſſia, de quibus *ſuo loco*: & plura in hanc rem, apud Joh. Roſin. *in Antiqq. Rom. paſſim cum Paralip. Dempſteri*, ut & ſuprà, ubi de *Alimentariis* & *Alimentorum Cura Annona*, *Auguſteone*, *Gradibus* &c. de *Frumenti* verò ſive *ferendi* ſive *ſpargendi*, in Nuptiis Hebræorum *ritu*, apud Selden. *Uxor Hebraic. l. 2. c. 15.* ut & aliquid infrà ubi de *Hordeo*. Addam ſaltem, licèt *Frumenti* proventus ferè ubique ſit, eſſe tamen gentes, quæ eo non utantur. Americani enim in ſuo *Maiz* acquieſcunt, & Lappones loco panis exſiccatis utuntur piſcibus. Aſiaticorum quoque magna pars oryzam in cibis ſuis ejus vice aſſumunt. Nec omittendum, regiones quaſdam *frumentum* quidem ferre, ſed non quantum ſatis eſt; non nullas ſibi quidem ſufficere, non verò in tantum frumenti feraces eſſe, ut inde exportari queat: alias verò tam diviti ejus proventu beatas eſſe, ut cum aliis quoque communicare queant. Sic Ægyptus hodie Imperio Turcico; Ruſſia Belgis & Anglis, qui frumentum in emporio Archangeli coemunt; Polonia iiſdem Belgis, magnâ illud copiâ ſuppeditat, qui Dantiſci id coëmptum non tantùm propriis ſuis provinciis, ſed inſuper Hiſpaniæ & Italiæ impertiuntur, quanquam hæc etiam è Sicilia aliquid accipiat. Germania per Albim Hamburgum & Oderam Stetinum transfert frumentum ſuum. Genuenſes Bonâ & Veneti Tuni ex Barbaria ſibi proſpiciunt &c. Vide Auctorem Anon. *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c. de Commerciis*: de Deorum verò qui *Frumento* apud Romanos præfuêre, turba, Voſſ. quoque *de Idolol. l. 2. c. 61.* adde quæ dicta retro, de *Alimentorum Cura*, in voce *Annona* item *Epitropi*, ubi de ſumma Perſiæ vett. Regum circa annonam militarem ſolicitudine &c. uti de *Frumento* ſeu *Hordeo ſacro*, apud Athenienſes, quod ἱερὸν σῖτον dixêre, infrà in voce *Paraſiti*, aliquid etiam in vocibus *Sitarcha*, *Sitocomi*, *Sitophylaces*, ubi de eorundem quoque circa rem frumentariam cura, it. *Strategi*: Porrò in voce *Tamuzus*, ubi de more *frumentum* ferendi in Adoniis.

FRUSINO, civitas parva Campaniæ Rom. Falerno agro vicina, cujus incolæ *Fruſinates* dicuntur Plin. *l. 3. c. 5.* Inde *Fruſinona colonia* Frontino. Juv. *Sat. 3. l. 2. v. 223.*

—— *Optima Soræ*
Aut Fabrateriæ domus, aut Fruſinone *paratur.*

Sil. Ital. Punic. Bell. *l. 8. v.* 400.

Sueſſa, atque à duro Fruſino *haud imbellis aratro.*

Ptol. *Fruſinum* dicitur. Baudr. *Fruſilone*. Inter Privernum ad Auſtr. & Alatrium ad Bor. 4. mill. à Roma, verſùs Neapolim.

FRUTERUS Lucas, vide *Lucas*.

FRUTIS, cognom. Veneris, apud Solin. *c. 2.* ubi Æneam ex Sicilia advenientem *in agro Laurenti, ſimulacrum, quod ſecum advexerat, dedicaſſe Veneri matri, quæ* Frutis *dicitur*, ait. Et Auguſtin. *de Civ. Dei l. 4. c. 21. Diis agreſtibus ſupplicant, ut uberrimos fructus capiant, & ipſi maximè* Fruti *Sejæ*. Unde *Frutinal*, templum illius, apud Abbreviatorem Feſti. Nomen detortum vult ex Græco Ἀφροδίτη Scalig. Salmaſ. verò hæc omnia ſuſpecta, qui Veneris Erycinæ templum & ædem Romæ fuiſſe, *Erucinamque* vocatam atque aliquando dimidiatè ERVC. ut in vet. nummo Conſidi Noniani, hincque apud Solin. *Frutis*, pro *Erucis*, ἡ Ἐρυκίς, & apud Feſt. *Frutinal* pro *Erucinal*, irrepſiſſe; apud Auguſtin. verò, *ipſi maximè Divæ frugis, Sejæ*, legendum eſſe, contendit, *ad Solin. p. 69.* & 70.

FRUXINUM, vulgò FRYSINGEN, teſte Rhenano, urbs Vindeliciæ ad Iſaram fluv. in Bavaria ſup. inter Auguſtam ad Occid. 8. & Landshutam ad Ort. 6. Ac inter Monachium ad Auſtr. 8. & Ratisbonam ad Bor. 11. leuc. in colle apud Moſaci fluv. cum Hiſara confluentiam. Baudr. parva & culta. 9. leuc. à Ratisbona in Auſtr. Dicitur & *Friſinga*.

FU. C. in notis antiqq. *fraudiſve causâ*. FUNC. *functus*, denonat &c. Franc. Gouldmann. *Dict. Lat. Angl.*

FUCECHIUS, lacus parvus agri Florentini: cui nomen à caſtro Fucechio. 5. mill. à Fano S. Miniati in Bor. 10. à lacu Bientina in Ort.

FUCHSIUS Leonardus, vide *Leonardus*.

FUCI, alicubi in cibis, Bochart. *Hierozoici Part. prior. L. 1. c. 8.* ubi eos ab equis, ſicut crabrones à mulis & veſpas ab aſinis deducere Serv. ad *Georg. l. 4. v.* 244. notat. Sunt autem *Fuci ſine aculeo, velut imperfectæ apes, noviſſimæque à feſſis & jam emeritis inchoatæ, ſerotinus fœtus, & quaſi ſervitia verarum apum. Quamobrem imperant iis, primoſque in opere expellunt, tardantes ſine clementia puniunt. Neque in opere tantùm, ſed in fœtu quoque adjuvant eas, multùm ad calorem conferente turbâ ---- Cum mella cœpêrunt matureſcere, abigunt eos, multæque ſingulos aggreſſæ* (majores enim fuci) *trucidant. Nec id genus, niſi vere conſpicitur. Fucus ademptis alis in alveum rejectus, ipſe cæteris adimit* &c. Plin. *l. 11. c. 11.* Vide quoque Senec. *de Clementia l. 1. c. 19.* & ſuprà ubi de *Apibus*: plura verò de hoc inſecto apud Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l. 4. c. 67. 72.* & 74.

FUCINUS, lacus Italiæ in Marſorum regione. Niger ſcribit hodie *Lago di Mario* ab opp. illi vicino ſic appellato vocari. Virg. *Æn. l. 7. v. 759.*

Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus *unda.*

Sil. Ital. Punic. Bell. *l. 4. v. 346.*

—— *Vitreo quem* Fucinus *antro*
Nutrierat. ——

FUCUS, in *Mimiambis* C. Mattii apud A. Gell. *l. 20. c. 9.*

Jam tonſiles tapetes ebrii fuco,
Quos concha purpura imbuens venenavit.

Et Horat. *Carm. l. 3. Od. 5. v. 27.*

—— *Neque amiſſos colores*
Lana refert medicata fuco.

Ex Græco φῦκος, nomen herbæ marinæ, maximè humilis, utpote caule carentis, ſoliſque foliis capillaceis & lanuginis inſtar ſubrectis naſcentibus, quam *algam maris* vocat Plin. *l. 32. c. 6.* & *Phycos thalaſſium*, *l. 26. c. 10.* Ei non ultimus olim inter herbas tinctorias locus, quippe ejus colore tænias & lanas veſtimentaque tingi pulchriore, quam purpuræ, quamdiu recens eſt, docet Theophraſtus, ubi de *Fuco Cretico*, qui ἐυανθὴς Græcis, item φοινικοῦν φῦκος & φοινίκεον propterea dictus eſt: ſolus enim hic tingendo aptus. Itaque *conchyliis eum marinis ſubſterni*, h. e. conchyliatæ veſtis colorem eo colore præparari, habes apud eundum Plin. *l. 26. c. 12.* qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p. 1144. & ſeqq.* Hinc *Fucus*, pro tinctura, & *fucare*, pro inficere vel tingere, propriè quidem rubeo & quadantenus puniceo; abuſivè verò quocunque alio colore. Uti autem hoc herbæ genere veſtes tingebantur, ſic mulieres ruborem genis conciliabant radiculâ Syriacâ, quæ & ipſa *Fuci* nomen accepit, uti diſcimus ex Dioſcoride, ubi reprehendit eos, qui alga maris præfata ad fucum genis indendum uſas eſſe exiſtimarunt mulieres. Eædem anchuſæ radicem, quæ & ipſa ſanguineo colore inficit, ubi radicula illa in promtu non erat, eundem in finem adhibebant: Uti ſtibii nigro pulvere circumducebant ſupercilia & in arcum formabant. Quæ duo proin jungit Tertullian. *de Cultu Femin. In illum enim oculos tinguunt, quæ cutem medicaminibus urgent, genas rubore maculant, oculos fuligine porrigunt* &c. Vide ſuprà *Alga Anchuſa*, & infrà in voce *Olalimum*, *Lotos*, *Phucarium*, *Pſimmothium*, *Purpuriſſum*, item *Radicula*. Præterea verò, crocodili ſtercore, uti ſolitas pro *fuco* olim delicatas mulieres, Antiphanes Comicus docet apud Clem. Alexand. *Pædag. l. 3.* ubi inter alia de iis ait, κροκοδείλων ἀποπάτοις χρώμεναι. καὶ τῷ ἀφρῷ τῆς ἐγχρίονται καὶ τὰς ὀφρῦς ... ψιμυθίῳ τὰς παρειὰς ἐντριβόμεναι. Vide plura apud Victor. *Var. Lect. l. 11. c. 4.* & Cœlium *Antiqq. Lect. l. 29. c. 7.* Tranſiit labes ad fortiorem quoque ſexum; Namque Aſtyagem jam Cyri avum ſubpicturatione oculorum & coloris infricatione & appoſititiis comis, Medorum more, ornatum nobis exhibet Xenoph. 1. *Pæd*, Et. Lyſicrates quidam in vulgi fabulam abiit, quòd capillos jam canos nigro tingeret, quò juvenis etiam dum videretur. Apud Mart. *l. 3. Epigr.* 43. cujus epigraphe in Lentinum etiam ridetur Ollus, comam tingens, cùm barbam non poſſet, ut alia omittam. Quod Gentilium ſatis virilis inprimis ſexus dehoneſtamentum etiam Gentilium cordatiores graviter tulêrunt. Unde Philippus Macedo, cùm ſenſit & quendam, quem in Judicum album retulerat, barbam ſenſit & capillum inficere, expunxit eum, *Inſido*, fatus, *in crinibus nil præſtare ſe fidendum in negotiis*, apud Plutarch. in *Apophth.* Sed & Pythiæ Ariſtotelis filia interrogata, quinam color maximè deceret puellam, *eum quem verecundia efficeret*, reſpondiſſe legitur. Nota certè in ſacris Hiſtoria Izebelis Iſraëlitarum Reginæ, quæ cùm *fuco* appicto oculis *ſuis*, victoriâ rerumque ſucceſſu ferocem Jehu, delinire in caſſes ſuos pertrahere vellet, juſſu ejus è ſublimi deturbata, canibus tantem in prædam ceſſit, 2. Reg. *c. 9. v. 30.* &c.

FUFIDIUS JC. cujus auctoritate Paulus aliquoties utitur: forſitan is eſt, quem Cic. *in Bruto*, in aliquo Patronorum numero fuiſſe ſcribit, & ad quem M. Scaurus tres libros *di Vita ſua* ſcripſit, uti Plin. teſtatur *l. 33. c. 1.* Vide Jac. Cujac. *Obſerv. l. 2. c. 9.*

FUFIDIUS, fœnerator improbiſſimus. Horat. *Serm. l. 1. Sat. 2. v. 12.*

Fufidius *vappæ famam timet, ac nebulonis.*

FUFIUS Geminus cum *Rubellio Gemino*, A. C. 782. Coſ. Gratiâ Liviæ Auguſtæ promotus dicax & Tiberium acerbis facetiis irridere ſolitus. Tac. Ann. *l. 5. c. 1.* & 2.

FUFIUS Kalenus, prænomine *Quintus*, legatus C. Cæſaris in Hiſpania contra Petrejum, & Afranium. Poſtea, Cæſaris ope, ad conſulatum cum P. Vatinio pervenit, anno belli civilis tertio. Periit tempore belli Peruſini, relicto ejuſdem nominis filio. Hujus *Kaleni* denarius fortaſſis, qui cum imaginibus Italiæ, & Romæ, & inſcriptione *Cordi Kaleni* reperitur.

FUGA Empedoclis, atque *error* à Deo, de quo Plotinus *Ennead.* IV. 8. 1. & 5. lapſus Adami veſtigium aliquod videtur Tob. Pfannero, quem vide hanc in rem, *Syſtem. Theol. Gentilis pur. c. 7.* §. 10. ut & infrà in voce *Porus*. Cæterum *Fugam* ſimulabant olim in bello Parthi, *ut incautiores adverſum vulnera inſequentes hoſtes haberent*, apud Juſtin. *l. 41. c. 2.* Vide quoque Tac. *Ann. l. 6. c. 35.* Plutarch. *Craſſo c. 46.* Appian. *Parth.* Lucan. Civ. Bell. *l. 8. v. 371.* & Propert. *l. 2. Eleg. 9. v. 54.* ad quem locum vide annotata Gebhardi. Sed & Ætolis aſtutum hoc *fugæ* genus tribuit Thucydid. *l. 3. c. 15.* Perſis Xenoph. *Expedit. Cyri l. 3. p. 306.* Theſſalis Curt. *l. 3. c.* 11. Germanis, ac præcipuè Cattis, Tac. *Ann. l. 1. c. 56.* & *Germ. c. 6.* Scythis Plato in *Lacheteratiis* Alii Homer. ipſe. *Il. θ. v. 108.* hoc nomine Æneam commendat, μήστωρα φόβοιο, *fugiendi rationis peritum* appellans, Berneggerus *ad Juſtin. d. l.*

FUGALIA, feſta fuêrunt Romæ in memoriam exactorum Regum, vulgò *Regifugia* dicta; ſolita celebrari menſe Februario poſt Terminalia, Auguſt. *de Civ. Dei.*

FUGATIUS, vide *Damianus*.

FUGGERORUM Familia, in Germania illuſtris. Auctor ejus Joh.

Joh. Geggingenſis Auguſtæ civis factus eſt & textoriam exercuit: ſed poſteri virtute, meritis, opibus in faſtigium hoc, quod nunc tenent, aſcendêre. Fundamentum jecit fil. Joh. Jacobus, qui ex Mercatore factus eſt Conſiliarius Maximiliani I. Imp. hujus verò filii, Ulricus atque Georgius ab Imp. Barones ac Domini *in Kirchberg & Weiſſenhorn* dicti ſunt. Et quidem Georgius, qui obiit A. C. 1506. ex Regina *in Hoff*, genuit Raimundum atque Antonium. Quorum is (extinctus A. C. 1535.) ex Catharina Thurzonia, Joh. Jacobum atque Georgium ſuſcepit, quorum hic *Comitis Kirchbergii* titulo inſignis (defunctus A. C. 1569.) ex Urſula Lichtenſtenia Philippi Eduardi Pater fuit, (extincti A. C. 1618.) quo & Mariâ Magdalenâ Konigseccia genitus Hugo, Mariam Julianam *Vohlin.* ſibi junxit ex eaque Albertum ſuſcepit, ex Maria Franciſca agnata, genitorem Paridis Georgii (nat. A. C. 1651.) Hugonis Ottonis (nat. & denat. A. C. 1652.) Ferdinandi Franciſci (nat. A. C. 1654. denat. A. C. 1655.) Joh. Edoardi (nat. & denat. A. C. 1655.) Ferdin. Euſtachii (nat. & denat. A. C. 1656.) Ithæ Mariæ Eleonoræ Leopoldinæ (nat A. C. 1657.) &c. Comitum Kirchbergæ & Weiſſenhornæ &c. Phil. Jac. Spener. *Theat. Nobil. Europ. part. II. p.* 45. Antonius autem præfatus, è filiis Marco, Joh. & Jacobo, quos ei peperit Anna Rechlingeria, tres præcipuè lineas ab his ſuis capitibus nunc quoque dictas produxit. Ex Joh. poſteritate (*Hans Fuggeriſche Lini*) deſcendunt liberi Joh. Euſebii Fuggeri Com. Kirchbergæ, Mariæ Eleonoræ Dorotheæ Furſtenbergiæ mariti, Maria Franciſca Euſebia (nat. A. C. 1649.) Franciſcus Leopoldus (nat. A. C. 1650. denat. 1657.) & Mariâ Eleonorâ (nat ac denat. A. C. 1653.) Comites *in Kirchberg & Weiſſenhorn* &c. Ex Marci progenie (*Marx Fuggeriſche*) Nicolaus eſt, qui ex Juliana Liechtenſtenia, progenuit Joh. Franciſcum (nat. A. C. 1637.) Joh. Carolum (nat. ac denat. A. C. 1638.) Maximilianum (nat. A. C. 1639. uxorem Comitis *de Schaumburg*) Julianam (nat. A.C. 1640.) Georg. Hartmannum (nat. ac denat. A. C. 1642.) Annam Eliſabetham (nat. A. C. 1644.) & Franc. Caſimirum (nat. ac denat. A. C. 1647.) &c. Vide Eundem *ibid. p.* 92. Ut & *Part. III. p.* 65. ubi Ottonis Henrici, qui obiit A. C. 1644. ex Maria Eliſabetha Truchſeſſia liberos enumerat octodecim. Fuit autem & is ex Joh. poſteris &c.

FUGGERUS Ulricus, Auguſtanus, Cubicularius Pauli III. primò, inde Proteſtantium religionem amplexus, magnis impenſis Vett. Auctoribus, operâ imprimis Henrici Scrimgeri & Henr. Stephani, edendis de Re literaria egregiè meruit. Quod verò rem familiarem negligere videretur, adminiſtratio bonorum ei à ſuis adempta, reliquum vitæ illius non parùm turbavit. Obiit in Aula Electoris Palatini, cui Bibliothecam ſuam legavit, A. C. 1584. Æt. 88. Ejus Epitaphium, quod incipit:

Exulum Suſceptori

S.

HULDRICO FUGGERO

Raimundi F. Georg. N. Jacobi pron. Kirchbergæ & Weiſſenhorni Domino.

Qui in Pauli III. P. R. cubiculo &c. habes *in Elogiis* Teiſſerii. Vide & *Ulricus Fugger.*

FUGIA, Dea lætitiæ, de *fugatis* hoſtibus. Lud. Vivi *ad Auguſtin. De Civ. Dei l.* 2. *c.* 6.

FUGITIVI Servi, è fuga retracti, ſtigmatibus apud Romanos notati ſunt, aut pedicis ferreis coërciti. Auſ. *Epigr.* 16. in Pergamum.

> *Aut inſcribe iſtam, quæ non vult ſcribere, dextram,*
> *Aut* profugos *ferri pondere necte pedes.*

Et quidem prius quod attinet, locus inuſtionis fuit frons, cui aliquando unica litera *F.* ſeu Φ. *fugæ*, ſeu φυγᾶς index, aliquando integræ voces inſcriptæ ſunt. Certe apud Mart. ille ſpleniis pluribus opus habuit, ut frontem numeroſis literis inſcriptam tegeret, *l.* 2. *Epigr.* 29. cujus Epigraphe in Rufum ſub finem Poſtquam verò in noxiorum facie ſcribi vetuit Conſtantinus Mag. collaria hac fini adhibita ſunt: quæ *fugitivis* apta fuiſſe, teſtatur & Lucilius apud Nonium,

> *Cum Manicis, Catulo, Collarique ut* fugitivum
> *Deportem*

Cujuſmodi collare cum hac *Inſcr.* TENE ME, QVIA FUGI, ET REVOCA ME DOMINO MEO BONIFATIO LINARIO A☧ΩX, ut & alia quædam memorat, typumque æneæ laminæ, unâ tantùm parte; & alterius, utrinque inſcriptæ, exhibet Laur. Pignor. *Comm. de Servis. p.* 15. Vide quoque infrà *Monogramma.* Sed & non rarò dati ad pugnam beſtiarum fugitivi & in Ludum conjecti, & cruci affixi ſunt, ut idem pluribus docet. Recentiori verò ævo, aurium abſciſſione multatos, habes apud Gregor. *Turon. l.* 5. *c.* 48. At non ſemper retrahi potuêre fugaces, quanquam *Veſtales nondum egreſſa urbe mancipia retinere in loco precatione crederentur*, Plin. *l.* 28. *c.* 35 quoſdam enim pernicitas ignominiæ pœnæque eripuit; alii ſocios nacti fugæ in eum aliquando numerum excrevêre, ut majori vi reprimendi eſſent: quales illi apud Plin. *l.* 15. *c.* 29. *Hæc poſtea (myrtea viz.) ovantium fuit corona, excepto M. Craſſo, qui de Fugitivis & Spartaco laureâ coronatus inceſſit* &c. Vide plura hîc paſſim, ubi de *Cruce, Fronte, Inſcriptis, Literatis, Servis*, nec non in voce *Stigmatici*: uti de *Fugitivorum*, in *Palliolum*, it. *Pallium.*

FUGITIVUS Hæreticus, in Communione Rom. dicitur, qui, contra ſe *inquiri* animadvertens, aut jam in vinculis detentus, evadit aufugitque, ut Inquiſitorum manibus ſeſe ſubducat. Tum Inquiſitor primò diligenter & ſine tumultu inquirit, quò ſe receperit, eumque ſi locum indagarent, illum ad ſe remitti facit. Si locum reſciſcere nequeant, citat eum perſonaliter in Eccleſia Cathedrali, cujus eſt, & in Eccleſia Parochiali illius Civitatis, in qua ante fugam commorabatur, ac tandem in domo propria in qua communiter degebat, ut intra certum terminum coram Inquiſitore perſonaliter compareat, de fide reſponſurus; additâ pœnâ, ſi non comparuerit, excommunicationis majoris, *Concil. Biterr. c.* 14. Ne autem ob fugam impunitus evadat, qui, dum cuſtodiretur pro hæreſi, è carceribus effugit, conſuetudine receptum eſt, in Hiſpania præſertim, ut, ſi honeſtior ſit is qui effugit, & denuò comprehendatur, cuſtodiatur arctiùs ac duriùs puniatur: ſi vilior, publicè verberibus flagelletur, & cauſa hæreſis in ſuo ſtatu permanens tractatur, non tamen propterea convictus de hæreſi habetur cùm carceris tædio, aut falſorum teſtium metu, aut ob ſævitiam tormentorum, potiùs præſumi poſſit aufugiſſe. Si verò non comprehendatur, nec citatus modo præfato compareat, in omnibus illis Eccleſiis locíſque, ubi fuêrunt tales citati, proclamantur excommunicati, omneſque illos ut excommunicatos vitare, & ſi ſciverint ubi lateant, eos Inquiſitori revelare, ſub excommunicationis pœna, jubentur, *Concil. Tholoſ. c.* 2. Interea, omnibus dignitatibus, & Ordinibus Eccleſiaſticis privantur, ac Statua eorum publicè comburitur. Vide Phil. à Limborch. *Hiſt. Inquiſit. l.* 4. *c.* 25. & 37. it. infrà in voce *Statua.*

FUIT, pro *Ivit*, in vet. Inſcr. *Sex. Truttedio. Sex. f. pel. Maximiano, fuit ad ſuperos menſes* 7. &c. Uti hodie Galli dicunt, *Il a eſté*, pro *il eſt allé*, C. du Freſne *Gloſſ.*

FULBERTUS, Ep. Autricenſis, ſub initium ſec. 11. diſcipulus Gerberti, ſeu Sylveſtri II. Opera ejus A.C. 1608. impreſſa: inveniuntur *in Bibl. PP. tom.* 11. *edit. Col.* Obiit A.C. 1028. Voſſ. Morer. &c. Item, Monachus Gimeſienſis, *peccatoris* cognom. ſibi ex humilitate, ſumpſit, ſec. 8. Auctor vitæ S. Aichardi, Abbatis Gimeſienſis.

FULCARIUS, in *Mirac.* Thomæ Aquin. idem qui *Falconarius.* Aucup. & falconum præfectus. Macer. *in Hierolexico*: Vide ſuprà.

FULCHERIA Inſ. *Ghiera d'Adda*, regiunc. Duc. Mediol. inter Adduam ad Occ. & confin. territ. Bergomenſis, Seriumque fluv. ad Ort. ſeu inter Caſſanum, & Caravaggium opp. Hîc Veneti inſigni clade affecti ab Lud. XII. Galliarum Rege juxta *Agniadello* vicum. Vide *Addua Glarea.*

FULCHERUS, Abbas, dein Patr. Hieroſolymit. poſt Gulielmum A. C. 1146. Obiit A. C. 1159. An idem cum ſcriptore hiſtoriæ Regis Balduini? Gul. Tyr. *Hiſt. B. S. l.* 14. *c.* 19. &c. Voſſ. *de Hiſt. Lat. p.* 775. *&c.*

FULCINIUS Trio, celeber ſub Tiberio accuſator. Qui tamen ipſe ingruentes accuſatores haud perpeſſus ſupremis tabulis multa, & atrocia in Macronem ac præcipuos libertorum compoſuit; ipſi Cæſari fluxam ſenio mentem, & continuo abſceſſum velut exſilium objectando. Tac. *Ann. l.* 2. *c.* 28.

Reges Hieroſolymitani, & Principes Andegav.

FULCO, Andegavenſium Princeps, quintus Rex Hieroſolymorum, equo in caput everſo occubuit. Fil. fuit Fulconis, cognom. *Rechini*, ex Bertrada Montfortia, per Meliſendam, filiam Balduini, regno potitus, A. C. 1131. uſque ad A. C. 1142. Gul. Tyrius *l.* 15. *c.* 27. *p.* 888. Hîc Saracenos caſtris ad Antiochiam exuit, Cæſaream Philippi oppugnavit, Turcas victores vicit. P. Æmyl. *l.* 5. *Volaterr.* &c.

FULCO I. cognom. *Ruſſus*, Comes Andegav. Ingelgero Patri ſucceſſit. Obiit A. C. 918.

FULCO II. fil. cognom. Bonus, obiit A. C. 949. Irriſus à Ludovico Ultramarino, Galliæ Rege quod ſæpius in choro cantaret, ſcripſit illi ſaltem hæc verba: *Scias Domine, Principem, literarum rudem eſſe aſinum coronatum: &c.*

FULCO III. ultimus Princeps, obiit Metis A.C. 1040. Cùm Hieroſolymis eſſet, dicitur corpus ſuum ad ſanguinem uſque flagris cæcidiſſe, & exclamaſſe, *Domine miſerere proditoris, & perjurii Fulconis.* Hunc ſequitur.

FULCO IV. dictus *Rechinus*, in femineo amore mirè varius, ex Bertrada, filia Simonis Montfortii, A. C. 1089. quæ eo poſtea deſerto, Philippo I. adhæſit, parens Fulconis Regis. Obiit A. C. 1109. Haillan. *Hiſt. Com. & Duc. Andegav.* Glaber & *Chron. Andegav.*

FULCO Archiep; Remenſis, natalibus, pietate, eruditione illuſtris, Caroli Simplicis partes amplexus, Nicolaitarum errori ſe oppoſuit, &c. à Winomacho, Domino Inſularum, occiſus A.C. 900. Rhegino, Molanus, Flodoardus, *Hiſt. Rem. l.* 4. *c.* 8. *&c.* A. C. 885.

FULCO, prædicator in Gallia inſignis, A.C. 1200. Obiit A.C. 1202.

EULCO Joh. Theologus Anglus, Pontificiorum terror, Obiit A. C. 1605.

FULCODIUS Guido, Cardin. qui poſtmodum *Clemens* IV. ſcripſit *Quæſtiones* XV. *ad Inquiſitores* quas *Annotationibus* illuſtravit Cæſ. Carena.

FULCRUM interdum *pluteus*, dictum Romanis unum ex 4. lectorum ἐνηλαΐεις, cui caput incumbit, Græcis ἀνακλιντήριον, vel ἀνάκλιντρον, LXX. Interpp. Geneſeos, κεφαλὴ κλίνης. Cujuſmodi ἀνακλιντήρια, lectorum quoddam apud Vett. genus erat, qui duo habebant, ἀμφικέφαλοι, quaſi *utrinque capitati*, dicti, Caſaub. *ad Spartian. in Vero*, vide ſuprà, ubi de *Anaclinteriis*: Quale verò hujuſmodi *fulcrum* apud Romanos recentiores, priſcoſque illos frugalitatis ac continentiæ laude inclytos, docet Juv. *Sat.* 11. *l.* 4. *v.* 93. & ſeqq.

> *Nemo inter curas & ſeria duxit habendum,*
> *Qualis in Oceani fluctu teſtudo nataret,*
> *Clarum Trojugenis factura ac nobile* fulcrum
> *Sed nudo latere, & parvis frons ærea lectis*
> *Vile coronati caput oſtendebat aſelli.*

Putaminibus ſc. concharum, recentiorum luxuries *fulcra* lectorum, in quibus ad menſam diſcumbebant, ſolebat cooperire: prius verò frons vel altior pars hæc lecti erat ex ære & formam gerebat aſinini capitis vite ſeu ſerto pampineo coronati. Cujus ritus cauſam Hyginus tradit *fab.* 274. *Antiqui noſtri in lectis tricliniaribus, in* fulcris *capita aſellorum vite alligata habuêrunt ſignificantes (quòd pampinos prænodendo putare vites docuerit, vini, ita lacunam ſupplet Ferrarius) ſuavitatem inveniſſe.* Vide eum *Notis ad l. cit.* De *fulcris menſarum* idem Poëta paulo pòſt, *v.* 122. & ſeqq.

pute-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

—— —— *putere videntur*
Unguenta atque roſæ, latos niſi ſuſtinet orbes
Grande ebur, & magno ſublimis pardus hiatu
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes
Et Mauri celeres, & Mauro obſcurior Indus &c.

FULCUS, in *Chartis* A. C. 1301. & 1450. &c. urbs Galliæ, quæ vulgò *Monſtier où faut Yonne*, dicitur *Monſtrolium in ſulco Yonæ*, ubi ſc. Icauna fluv. bifurcus fit, & in duos canales dividitur: C. du Freſne *Gloſſ.* vide in voce *Monſtrolium*.

FULDA, urbs lepida Franconiæ, metropolis ejus in Germania regionis, quam olim Buchoviam appellarunt, quæ inter Thuringiam, Franconiam, Wetteraviam, & Haſſiam ſita eſt. A' fluv. *Fulda* præterlabente nomen accepit. Vulgò *Fulden*. Abbatia totius Europæ præſtantiſſima, à Bonifacio condita A. C. 784. Diſtat urbs 12. mill. Germ. à Coburgo in Occ. 10. à Caſſella in Auſtr. Vide Petri Broweri *libb.* 4. *Hiſt.* Abbas *Fuldenſis* Cancellarius Imperatricis eſt, eoque titulo Ep. Hildeshemium præcedere, ac proximum à Moguntino Præſule locum occupare contendit: unde lis orta A. C. 1063. Henrico IV. Imp. Curiam Goſlariæ celebrante, eque lite tanta hominum cædes, ut ſanguis interfectorum è Templi foribus efflueret. Quare *Fuldenſis* cædis damnatus, & magnâ bonorum parte tunc mulctatus eſt. Idem præ Colonienſi El. ſedem, ad ſiniſtrum viz. latus Imp. cùm ſibi deberi aſſeruiſſet, A. C. 1184. Friderico I. Coloniæ verſante, Imp. pro Colonienſi ſententiam tulit, ſalvo tamen alterius jure. Primatem ſe fert omnium Abbatum, non Germaniæ ſolùm, ſed & Galliæ, ac in Comitiis ad pedes Imperatricis, cujus Cancellarius eſt, locum habet. Horn. *Orbe Polit.*

FULDENSIS Rodolphus, vide *Rodolphus*.

FULGENTIUS, Ep. Ruſpenſis, in Africa, nat. A.C. 467. patre Senatore Carthag. qui Genſerici tyrannidem fugiens, inde ſe receperat, mortuo, à Mariana matre educatus, Græcè Latineque doctiſſimus brevi evaſit. Solitudinis amator, à ſociis in Ducem lectus eſt. Romam cùm veniſſet, A.C. 500. magnificentiâ Theodorici Reg. perculſus, *Quantam*, inquit, *oportet eſſe cœleſtis Hieroſolymæ gloriam, quam Deus electis ſuis pollicitus eſt?* Reverſus in Africam, paulò pòſt in Sardiniam, à Thraſimundo exulare juſſus eſt, quòd paulo acriùs Arianis ſe oppoſuiſſet. Ubi plurimis egregiis ſcriptis editis, poſtmodum revocatus, Obiit A.C. 533. *Auguſtinus* ſui ſeculi dictus. Opera ejus plurimis in locis edita: inter quæ de Prædeſtinatione & Gratia liber effulget. Vide Ferrand. Diaconum, *in vita ejus*. Iſid. c. 14. &c.

FULGENTIUS Ferrandus, Eccleſiæ Carthagin. Diaconus, floruit Juſtini & Juſtiniani Impp. ævo, diſcipulus Fulgentii Ep. Ruſpenſis, ſcriptis editis celebris. Memorantur enim, ejus *Paræneticum ad Reginum Com.* qui *in Biblioth. Patrum* extat; *Epiſtola* ampla, ad Anatolium Diaconum Urbis Romæ: aliæ *duæ*, ad Fulgentium Ep. Ruſp. & *alia*, ad Eugypium Abbatem, quæ primùm Romæ publicatæ, poſtea inſertæ ſunt *Tomo VI. Bibl. Patr.* Sunt quoque qui eum cenſent eſſe Auctorem *Vitæ* S. Fulgentii Ruſp. Porrò ſcripſit *Breviationem Canonum*; quam primò edidit cum Creſconii Breviario Petr. Pithœus ex *Cod. MS.* Eccleſiæ Trecenſis, Lutetiæ A. C. 1688. poſtea cum Codice Canon. Eccl. Rom. Pariſiis A.C. 1610. prodiit: Chiffletius verò Auguſtoriti Pictonum eam vulgavit A. C. 1630. & Altaſerranus Divione A. C. 1649. tandem *in Biblioth. Jur. Can.* retulêrunt Voëllus & Juſtellus fil. Obiit circa A. C. 550. Vide Gerh. von Maſtricht *Hiſt. Jur. Eccl. n.* 157. & *ſeqq.*

FULGENTIUS & Marſilius, Monachi: ut & Paulus Servita, Theologus eximius, ſcripſêrunt nomine Venetorum, contra Excommunicationis fulmen, à Paulo V. in Rempub. A. C. 1606. evibratum.

FULGENTIUS Placiades, auctor Mythologiæ 3. lib. impreſſæ, A. C. 1599. cum Mythologia Hygini, Jul. Firmici Materni, & Albrici Philoſophi. Eidem de Allegoria Virg. opus attribuitur.

FULGERIÆ, ſeu UM, FOUGERES, urbs Britanniæ min. ad amnem *Cœſnon*, aliàs munita, verſus confin. Normann. 8. leuc. ab Abrincis in Mer. 8. à Dola.

FULGETRUM quid. Plin. docet *l.* 2. *c.* 43. *Sin in nube luctetur flatus aut vapor, tonitrua edi: ſi erumpat ardens, fulmina: ſi longiore tractu nitatur, fulgetra. His ſindi nubem, illis perrumpi*, ajens. Idem nempe cum coruſcatione, ſeu fulgure, unde quia coruſcatio ſæpe cum tonitru, *fulgetrum & tonitru* pro uno accepit Solin. *c.* 54. Virg. illud ſic deſcribit, *Æn. l.* 8. *v.* 392.

Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.

Nomen à *fulgo* antiquo, pro *fulgeo*, inde *fulgero*, ἀστράπτω & *fulguro*, quod ei ſynonymum Plin. facit, alii ſic diſtinguunt, ut *fulgere* ſit id, quod diximus, *fulguro* autem κεραυνόω, medium enim Latinitatis ævum, imò etiam antiquius, *fulguris* voce fulmina appellavit paſſim, ut videbimus infrà, ubi de *Fulguritis*. Cæterum Plin. inquit *l.* 28. *c.* 2. *Fulgetras popyſmis adorare, conſenſus gentium eſt.* h. e. tenuibus ſibilis ore emiſſis, vel leviter comploſis manibus cavis, ad deliniendum Jovem iratum, qua de re vide Alexandr. ab Alex. *l.* 5. *c.* 13. & Hadr. Turneb. *Adverſ. l.* 4. *c.* 25. Nempe *Fulgur* Romanis Numen videri poſſit; ſed idem ac Jupiter. Ita enim Feſtus, *Proverſum fulgur appellatur, quod ignoratur noctu, an interdiu ſit factum. Itaque Jovi* Fulguri *& Summano fit* &c. Quo modo non tantùm eſt in editis, ſed etiam in MS. Farneſiano: ac Lilius quoque Gyrald. *Fulgur* inter cognomenta Jovis reponit. Veriſimilius tamen Voſſ. indicat, ut Græci Jovem dixêre Κεραύνιον & Βροντῆον, quæ Apulejus *Fulminatorem & Tonitrualem* vertit: ita hìc quoque non *Jovi Fulguri* legendum, ſed *Fulgenti*; verbo Augurum, qui *Fulgere* dixêre pro *Fulgurare*, Cic. *de Nat. Deor. l.* 2. *Hinc etiam Augures noſtri, cùm dicunt:* JOVE FULGENTE TONANTE. An potiùs *Fulgurio*, ſiquidem Templi Jovi *Fulgurio* ſacri, meminit Vitruv. Scripſit autem de arte *Fulgurali* Bygois Nympha, apud Tuſcos, teſte Serv. *Æn. l.* 6. ac Cic. *Div. l.* 1. auctor eſt, egiſſe de ea *Etruſcorum & haruſpicinæ & fulgurales, & rituales libros Romanos etiam Augurales*, Vide obſervationes ejuſcemodi, apud eundem Tull. *Div. l.* 2. Etiam præter Plin. *l.* 2. *c.* 52. adi Senec. *Nat. Quæſt. l.* 2. *c.* 47. ac ſeqq. tribus, & imprimis Ἐφήμερον βροντοσκοπίαν [illegible], *Conſiderationem fulgurum ac tonitruum, & eorum ſignificationem per ſingulos anni dies* [illegible] *titam ex libris Tagetis*, quam Romanæ Urbis propriam Nigidius Figulus arbitrabatur: quamque primus divulgavit Jan. Rutgerſ. *Var. Lect. l.* 3. *c.* 16. Gerh. Joh. Voſſ. *de Idol. l.* 3. *c.* 8. Vide & hìc infrà *Fulmen*, nec non ubi de *Privatis feriis*. Addam hìc ſaltem, [illegible] Apellem *Fulgetra* pinxiſſe, ex Plin. ſæpius laudato *l.* 35. *c.* 10. *Pinxit & quæ pingi non poſſunt, tonitrua*, fulgetra, *fulguraque Bronten, Aſtrapen, Ceraunobolon appellant.* In quibus verbis & ipſe inter *fulgetra* & *fulgura* diſcrimen ſuprà notatum confirmat, poſteriorem vocem de *fulminibus* accipiens.

FULGINATES, populi Umbriæ in Italia. Plin. *l.* 3. *c.* 14. *Fu*[illegible] de hodie Leandro. Quorum opp. *Fullinium*. Condituris ex Sacchar[illegible]ro, quæ *Fulginatæ*, clari.

FULGINIUS, prænomine *Quintus*, ex primo haſtato legionis 14. eximiæ virtutis vir cecidit ad Ilerdam, in patribus C. Cæſaris *l. de Bell. Civ. c.* 10.

FULGOR, cum Populonia, à Romanis cultus, ne populationes & *fulgura* fierent, memorantur Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 6. *c.* 10. & Senec. *l. de Superſt.* Idem cum *fulgure* aliàs, Plin. nempe cùm *fulgor* ἀστραπὴ Græcis, at cùm iiſdem σέλας dicitur, longè aliud quid ſonat, [illegible] viz. ἀθρόως ἔξαψις ἐν ἀέρι, *ignis conferti inflammationem in aëre.* Cujuſmodi σελάων alia ἀκοντίζεται, *velut jaculatione in terras* [illegible] alia στηρίζεται, *ſtativa ſunt.* E' quibus illa *fulminum noxas edunt*, ut ait Senec. & proin cum fulminibus junguntur Plin. *l.* 2. *c.* 20. [illegible] cadunt ut fulmina, & plerunque non ſine noxa; unde σελαστηλὴ [illegible] & tecta Græcis, quæ iis feriuntur &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p* 1136, De *fulgore* colorum gemmarumque, ſuprà in voce *Color.*

FULGOSUS Joh. Baptiſta, vide *ibi*.

FULGOSUS Raphaël, vide *Raphael*.

FULGUR Cœli, cognomen Bajazethis I. quem vide, ut & ubi de *Turcis eorumque Imperio*.

FULGURITUM, Feſto *id quod fulmine tactum. Qui locus* [illegible] *fieri putabatur religioſus, quòd eum Deus ſibi dicaſſe videretur.* A' *fulgurire*, hocque à *fulgure* dictum, quâ voce fulmina paſſim appellavit media Latinitatis ætas, imò etiam antiquior, inprimis in ceremonia condendorum fulgurum. Sic dixit Juv. *Sat.* 6. *l.* 3. *v.* 586.

—— *qui publica* fulgura *condit*,

i. e. fulmina. Plin. *l.* 15. *c.* 18. *Colitur ficus arbor in Foro ipſo ac Comitio Romæ nata, ſacra fulguribus ibi conditis.* Quò *Fulgurales libros*, Cic. *de Div. l.* 1. memoratos, refert Salmaſ. ſic ipſi dictos, quòd ſcientia fulminum obſervandorum iis traderetur &c. Itaque quamprimum locus aliquis de cœlo tactus eſſet, religioſus [illegible] ſic ut nec calcare licitum eum eſſet, uti diſcimus ex Artemid. *l.* 2. *c.* 8. & Amm. Marcell. *l.* 23. *c.* 5. nec intueri, ut hic idem auctor [illegible] *hoc modo*, inquiens, *contacta loca nec intueri nec calcari debere, fulgurales pronuntiant libri.* Mox ſacer fiebat, arâ ibidem extructâ [illegible] crificio facto, ex bidentibus ovibus. Unde & *Bidental* Romani vocarunt iſtiuſmodi locum ovibus talibus expiatum conſecratum [illegible]. Quo verò ingreſſus minùs pateret, muro eum ſepiebant. Pollux, [illegible] ubi [illegible] *conſepta*, vocat, quæ Latini *Bidentalia* dixêre. Apud Græcos [illegible] iiſdem locis urnam imponi ſolitam, cum operculo, Pauſ. auctor [illegible] *Eliac. l.* 1. quod Romani etiam imitati: Nempe in loco, qui de cœlo ictus fuerat, ſi quid eſſet, quod ab igne cœleſti ambuſtum aut [illegible] nigratum, aut omninò tactum appareret, ſive id lapis foret, ſive terra, ſive aliud quodcunque, in urnam condebatur, operculo [illegible] poſito. Reliquiæ dein fulguris ſic in urna poſitæ ſub aram, [illegible] habentem ſupernè, defodiebantur, quæ ad ſacrum faciendum & [illegible] piandum locum ibidem conſtituebatur, intra ſeptum, & *Puteal* Romanis dicebatur. Addebatur nonnunquam Inſcriptio, ut nemini lateret, fulgur ſub illa conditum eſſe. Atque hoc eſt, quod *fulgura condere* vocabant. Lucan. Civ. Bell. *l.* 1. *v.* 607.

—— *Et terræ mæſto cum murmure condit*
Datque locis nomen ——

Ubi per *tacitum murmur* quid intelligat, docet vet. Interpres [illegible] verba cit. *Condi fulgura dicuntur, quotieſcunque Pontifex diſperſos* [illegible] (i. e. res fulmine ambuſtas aut ſciſſas aut alio aliquo modo [illegible] tas) *in unum redigit quadam tacitâ ignorataque prece & locum* [illegible] *conſecratum it.* Idem & *procurare fulgura* dicebant. At quam rationem condendi fulguris Scholiaſtes Perſii proponit, *In uſu inquiens* [illegible] *fuit, ut Augures vel haruſpices adducti de Hetruria, certis temporibus* [illegible] *mina transfigurata in lapides infrà terram abſconderent, cujus* [illegible] *ne rei oves immolabantur*, ad fulminum evocandorum morem pertinens, de quo Plin. agit *l.* 2. *c.* 53. Et hæc *publica fulgura*, alia privata erant, de quibus eundem vide *l. eod. c. præc.* Apud eoſdem porrò Romanos hominum *fulguritorum* corpora, non cremabantur, ſed terrâ [illegible] condebantur, nec magis locum, ubi jacebant, tangere licebat [illegible] ſimilitudine ab iis deſumptá, qui caſu hujuſmodi locum forte [illegible] ſent, Amphionis reſilientis horrorem exaggerat Pap. Stat. *Theb.* [illegible] *v.* 464.

Qui tremor illicita cœli de lampade tactos,
Hic fixit juvenem, pariterque horrore ſub uno
Vox, acies, ſanguiſque perit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

De arboribus verò *fulguritis*, vide aliquid ſuprà in verbo *Coinquere*: at plura hanc in rem apud Deſid. Herald. *Animadverſ. Arnob. l.* 2. *ſub fin.* ubi Auctor, *An fulminum caſibus, aut extorum quid ſignificaretur in venis?* Salmaſ. *ad Solin. p.* 1135. & *ſeqq.* Joſ. Scalig. *Conjectaneis ad Varr.* ubi loca ſic tacta *Obſtita* quoque appellari conſueviſſe, notat Caſpar. Barth. *Animadverſ. ad Stat. d. l.* Alios; inter quos Joh. Bapt. Tavernier de Tartaricæ cujuſdam hordæ, circa domos *fulguritas* ſuperſtitione ſimilia refert, *Itin. Part.* 2. ut & infrà in voce *Obſtita*, it. *Puteus*.

FULGURIUS, cognom. Jovis apud Romanos, cujus templum Vitruv. memorat, uti diximus ſuprà in voce *Fulgetrum*.

FULICA, apud Virg. *Georg. l.* 1. ubi de ſignis imminentis tempeſtatis, *v.* 362.

——— *cumque marinæ*
In ſicco ludunt fulicæ ———

Græc. αἴθυια eſt nonnullis, quo tamen nomine potiùs mergus venire ſolet. Plin. eſt ἐρωδιὸς, h. e. *ardea l.* 18. *c.* 35. ubi de avibus tempeſtatum prænuntiis. Sed diſtinguit has aves Virg. cùm pergit, *Georg. l.* 1. *v.* 363.

——— *notaſque paludes*
Deſerit, atque altam ſupra volat ardea nubem.

Aliis λάρος, quam *gaviam* Latini appellant, ex Græco καύηξ ſeu καύης. Ambroſ. φήνη, qui, de ejus erga oſſifragam affectu, mira tradit *Hexaemer. l.* 5. *c.* 18. &c. Aliter *fulix*, ex Græco φαὶξ, quam harpæ inimicam quamvis ὁμοιόβιον, adeoque avem marinam eſſe, ait Ariſtot. *eod. c.* περὶ ἐρωδιῶν καὶ φώϊκος tractans: Suidæ quoque αἴθυια & Lucano mergus, uti docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 92. & 93. qui tam diverſas vocis interpretationes non niſi ex etymi ignorantia ortas eſſe, conjicit. Vide quoque Sam. Bochart. *Hierozoici Parte poſter. l.* 2. *c.* 28.

FULIGINE oculos illinendi mos, memoratur Tertull. *de cultu Fem. In illum enim delinquunt, quæ ---- genas rubore maculant, oculos fuligine porrigunt*: & Arnob. *adv. Gentes l.* 2. *Idcirco animas miſit ut ---- fuligine oculos obumbrarent*: ubi *fuligo* eſt niger pulvis, quod oculorum exordia producuntur. Juv. *Sat.* 2. *l.* 1. *v.* 93.

Ille ſupercilium madida fuligine *tactum*
Obliqua producit acu pingitque trementeis
Attollens oculos ———

Vide infrà, in voce *Stibium*. Totam verò faciem *fuligine* oblinebant Mimi & Phallophori de quibus vide infrà.

FULIUM, cœnobium Galliæ religioſorum Fulienſium *des Feuillans*, 6. à Toloſa leuc. cujus Auctor, & primus Abbas circa A. C. 1580. fuit Joh. Barrerius, ſub Clemente VIII. mortuus. Dicitur aliàs ordo *S. Bernardi de Pœnitentia*. Acceſſêrunt de ſequiore ſexu, quæ priorum regulam ſecutæ, primum conventum prope Toloſam, A. C. 1590. inſtituêrunt: in ipſam poſtmodum urbem tranſlatum. Vide Morer. *Dict. Hiſt.* Hilar. Coſtum, *Elog. fem.* Oſſatum *Ep. ad Joh. Barrerium, &c.*

FULLERUS Thomas, vide *Thomas*.

FULLINIUM, ſeu FULGINIUM, urbs parva Umbriæ, ſed culta & Epiſcopal. in valle, ad rad Appennini, in Duc. Spoletano. 20. mill. à Peruſia in Ort. 10. ab Aſſiſio, ſub Pontif. Tinna fluv. divi. Incolæ quibus acerrimus vindictæ ſenſus, antiquitatem non ſine ratione crepant, cùm Strabo, Plin. & App. Alexandrin. urbis mentionem non ſemel faciant. Sil. Ital. Pun. Bell. *l.* 8. *v.* 460.

——— *Patuloque jacens ſine mœnibus arvo*
Fulginia.

Vaſtata eſt à Peruſinis A. C. 1281. à Martino V. proin excommunicatis: reparata dein priſtinum decus recepit, nundinis ſuis ac falgamis hodieque clara, Blond. *Hiſt. l.* 18. Leand. *deſcr. Ital.* Miræus *Geogr. Eccl. &c.*

FULLO, à Græco βύλλων, *addenſator*, quod vide, nomen ſervorum apud Romanos, qui purganda poliendave veſtimenta accepêre. Eorum meminit Ulpian. *l.* 12. *ff. de furtis*, *l.* 13. §. 6. *ff. locati*, *l.* 12. §. 6. *ff. de inſtr. vel inſtrum. leg.* & *l.* 32. *ad Edictum*, *l.* 2. *ff. de condict. ſine cauſa*. Lavabant hi veſtimenta cretâ, ſed quo modo, quove ordine, præſcripſit Lex Metella *de Fullonibus* dicta; & Plin. *l.* 35. *c.* 17. adeò hæc res priſcis curæ fuit. Quò alluſit Tiberius, dicens: *Terra hæc nova eſt, quam tu ſolitus pedibus argutarier, dum compeſcis cretam, veſtimentaque eluis*. Plaut. *Aulul.* Act. 3. ſc. 5. *v.* 34. Act. 5. ſc. 2. *v.* 58. ejuſdem opificii mentionem facit,

Stat Fullo, *phrygio, aurifex, lanarius.*

Et quidem à lavandi hoc officio Græcis Πλύνται dicti ſunt, vide ſuo loco; ſicut à denſando Στιβεῖς, Νάκται, vide infrà *Nacco*, & à poliendo propriè Κναφεῖς, vide infrà *Polientes*. Tria enim eorum in poliendis veſtibus munera obſervantur Eruditis, quorum primum τὸ πλύνειν, *lavare* ſeu tergere nitro, creta, cimolia & ſimilibus, de quo diximus: alterum τὸ συμπατεῖν, *conculcare*, ſeu denſare, conciliare & cogere veſtimenta, quod & νάσσειν: tertium tandem τὸ κναπτεῖν, aliter καθαίρειν, *polire* ſeu *pectere*; ad quod κνάφον ſeu inſtrumentum politorium adhibebant, ex ſpinis factum, nonnunquam erinacei cutem, antiquitus acervo ſpinarum contorto, quem σωρὸν vocabant, Græci, eam in rem uſi. Nec verò ſolùm vetera veſtimenta interpolabat *Fullo*, ſed etiam novi panni à textore ad eum deferebantur, ut polirentur & pecterentur, unde *pexæ veſtes*, de quibus infrà videbimus. Atque de his propriè dixêrunt *polire*, *interpolire* verò de Vett. unde *interpolis veſtis*, ἡ ἐπίγναφος, iterum polita, & inde verbum *interpolare*. Quam in rem vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 39. & *ſeqq.* ubi de *Fullonis Cortinis* & *ſpinis cujuſque* inprimis varia habet. Officinæ eorum *Fullonicæ* dictæ. Ulpian. *l.* 3. *ff. de aq. pluv. arc.* *Apud Trebatium relatum eſt, eum, in cujus fundo aqua oritur*, Fullonicas *circa fontem inſtituiſſe, & ex his aquam vicini in fundum vici immittere cœpiſſe: ait ergo, cum non teneri aquæ pluviæ arcendæ actione*. Sed & apud Judæos *Fullonum* fuiſſe uſum, diſcimus, ex Marc. *c.* 9. *v.* 3. ubi de transfiguratione Domini noſtri loquens, *Et veſtimenta ejus*, inquit, *facta ſunt coruſcantia, candida valde ut nix, qualia non poteſt* fullo *in terra dealbare*. Addam id ſaltem, cùm *Fullones* plurimùm urina uti ſolitos, teſtentur multi veterum loci, inter quos Athen. præcipuè videri poterit *l.* 11. *p.* 484. cenſet Beroaldus *urinæ vectigal*, quod commentum Veſpaſianum ait Suet. *in eo c.* 23. à *Fullonibus* exactum fuiſſe, de qua ſententia vide judicium Caſaub. *Animadv. ad h. l.* Artem verò à Nicia inventam, habet Plin. *l.* 7. *c.* 56. ut legem de *Fullonibus* dedimus ſuprà in voce *Cæcilia*.

FULLO, ſcarabæi genus, Soli apud Ægyptios ſacer, propter quem ſcarabæos omnes in Deorum numerum eos retuliſſe, Plin. docet *l.* 30. *c.* 11. Græcè Βύλλαρος, à βύλλειν ſeu βύειν, pedibus enim fimum *ſubigit*, & in pilas cogit, quas pedibus itidem volutat, ſicque *fullonum* artificium imitatur. Idem erat inter notas bovis Apidis, quem *cantharum ſub lingua* habere. Plin. refert *l.* 8. *c.* 46. ſcarabæum illum hoc nomine intelligens, vide ſuprà in voce *Cantharus*, & infrà *Pilarius*.

FULLO Petrus, vide *Petrus*.

FULLONIANI, Hæretici, qui & *Theopaſchitæ*, dicti ſunt ſectatores Petri Γναφέως, i. e. *Fullonis*, qui Chalcedonenſi Synodo rejectâ, in omnes eos, qui Deum crucifixum & paſſum eſſe non agnoſcerent, nempe, *ſecundùm ipſam Deitatem*, adeoque, qui in Servatore naturam impaſſibilem divinam ab humana paſſibili diſtinguerent, anathematis fulmen vibravit, ſuoſque aſſeclas coëgit Hymno τρισαγίῳ addere, ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, *qui crucifixus eſt propter nos*, ut hoc modo paſſibiliter prædicarent in Chriſto Deitatem & Hymnum ter ſanctum ei ſoli dicerent. Joh. Forbeſius *Inſtruct. Hiſt. Theologic. l.* 1. *c.* 16. §. 9. Vide quoque ubi de *Petro Fullone*.

FULMEN, in Theologia Poëtica, ut & Tonitru, deſignatur *Geryonis* fabula, cui à γηρύειν, i. e. φωνεῖν, Lat. *ſonando*, nomen. Unde quòd is triceps, quòd boves ei tributi, quorum in Inſ. Erythia ſedes; quòd idem ex Chryſaore & Callirrhoe natus fingitur, eruditè de *Fulminis* natura explicat Voſſ. Et quidem apud Romanos hoc Græcoſque non quidem Deus, ſacrum tamen quid ac divinum habebatur, Ariſtot. *Problem. ſ.* 23. *quæſt.* 19. Perſ. *Sat.* 2. Amm. Marcell. *l.* 23. *c.* 5. &c. Refertque Plin. *l.* 2. *c.* 52. ſecundùm Tageris diſciplinam, undecim eſſe Deos, qui fulmina jaculentur: ſed præcipuè à Romanis adſignari tribus ſideribus ſupremis, Saturno, Jovi, Marti. Qui ſubtiliùs hæc conſectati, eos Saturno ait tribuere Fulmina rectos habentia ictus, quæ *inſera* appellata; Marti autem cremantia: cumque Hetruſci trina Jovis credant fulmina, Romanos duo ex illis ſervare, diurnum Jovi tribuentes, nocturnum Summano. Farnab. hac de re ſic, *Triſulcum*, ait, *dicitur Fulmen propter ignes trium ſuperiorum ſiderum ad terram deciduos, quorum ſummus ex nimio Saturni humore infuſcat* ἀχλὺς; *imus ex ardore Martis cremat diſſipatque* ψολόεις: *medius è clara Jovis ſubtilitate penetrat etiam illæſis operimentis*, καθαιρετικός. *Jovi rurſus tres datæ ſunt manubiæ Minores, quæ moneant, Majores quæ XII. Deorum conſilio miſſæ diſcutiant: Maximæ quas ſuper earundem nutu jaculatus, accendit, diſperdit, ira ſummis commutat ad Senec. Hercule Oeteo ſub fin. Act.* 5. *choro*. Barbaræ verò gentes, ac Romanis ignotæ, *Fulmen* venerati ſunt, non ut partem, vel partum Dei, vim fatidicam à toto, ſive à Patente, participantem: ſed longè illuſtriùs, ut verum plerumque Numen. Quo jam ab aliis relatum illud Bernardi *Serm.* 10. *Dom. I. Quadr. art.* 2. *Sed etiam hodie extant in Barbaria degentibus Aquilonis, qui Tonitru pro Deo adorant*. Honore eo dignati *Fulmen* dicuntur Novogrodienſes, quibus *Perun* dicebatur; unde & vicinum eſt Monaſterium *Perunski*. Inque ejus honorem perpetuus ex quercu ignis exſtruebatur; qui ſi negligentiâ extingueretur, capite Sacerdos luebat. Ajunt, cùm idolum *Perun* projiceretur in flumen, nataſſe illud flumine adverſo, vocemque hanc auditam, *Hæc vobis, Novogrodienſes, in mei memoriam*: imò & fuſtem in pontem conjectum, hodieque certis anni diebus exaudiri vocem *Perun*, ac tum ab accolis concurri fuſtibus infeſtis; ſic ut difficulter à Præfecto ſedetur tumultus, auctoribus Sigiſm. L. B. Herberſtenio *Reb. Moſcov.* & Al. Gaguino *Sarm. Eur.* quorum prior etiam narrat de Wolodomiro Rege ut in Chiovia ad Boryſthenem idolum *Perun* ſtatuerit: ubi & Deorum meminit, *Uſlad*, *Corſa*, *Daſeva*, *Striba*, *Simaergla* & *Maroſch*; apud alterum hæc quoque de Lithuanis verba legas: *Fulmen quoque, quod Perunum Sclavonicâ linguâ vocant, pro Deo colebant*. Affinia ſunt, quæ de tonitru ab Ingis Peruviæ Dominis, pro Numine habito, dicemus infrà in voce *Tonitru*. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 2. *c.* 33. Cæterum *Fulminis* in divinationibus Vett. Romanorum inprimis præcipua ratio ſemper habita eſt, celebres apud hos *Fulgurales libri*; totam hanc ſcientiam latè complexi, de quibus aliquid diximus ſuprà, in voce *Bygois*, item *Fulguritum*, ubi etiam de more *Fulmina procurandi* pluribus egimus, quibus adde infrà dicenda in voce *Mola*. Addo hic inſignem Artemidori locum ibi citatum, totam rei ſummam continentem hiſce: Ὥσπερ ἂν ὁ κεραυνὸς τὰ μὲν ἄτιμα τῶν χωρίων ἐπίτιμα ποιεῖ διὰ τοὺς ἐνιδρυμένους βωμοὺς καὶ τὰς ἐν αὐτοῖς γινομένας θυσίας, τά τε πολυτελῆ χωρία ἔρημα καὶ ἄβατα ποιεῖ, οὐδεὶς γὰρ ἐν αὐτοῖς ἐνδιατρίβειν ἔτι θέλει, οὕτως ὁ ὄνειρος κτλ. Quemadmodum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

enim fulmen ignobilia loca celebria reddit, ob aras ibi extrui & victimas mactari ſolitas, fertiliaque ac magni pretii arva inacceſſa facit ac deſerta, quippe in quibus nemo amplius morari cupit. Ita ſomnium &c. Nec omittendum, quod in Etruſca diſciplina de *Jactibus fulminum* (quas *manubias* dictas & Jovi, Vulcano ac Minervæ poſſeſsas, Serv. auctor eſt *ad Æn. l.* 1. *v.* 230. vide quoque infrà *Summanus Fulmen regale* appellatum eſt, de quo ſic Senec. ex Cæcinna, *Nat. l.* 2. *c.* 49. *Regalia fulmina ſunt, quorum vi tangitur vel Comitium, vel principalia urbis liberæ loca: quorum ſignificatio regnum civitati minatur* Exemplum habes in Suet. *Aug. c.* 94. Sed nec illud, quòd *Fulminum coruſcationes* auſpicia Nuptialia multis faciunt Heroum connubiis, apud Poëtas. Claud. *de Raptu Proſerp. Carm.* 235. *v.* 228. & ſeqq.

> ——— *ni Jupiter æthere ſummo*
> *Pacificas rubri torſiſſet fulminis alas,*
> *Conſeſſus generum: nimbis Hymenæus hiulcis*
> *Intonat, & teſtes firmant connubia flammæ.*

Et ante eum Virg. Æn. *l.* 4. *v.* 168.

> ——— *fulſêre æther & conſcius ignis*
> *Connubii* ———

Ita nempe Junonem amplecti Jupiter credebatur &c. Vide Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. paſſim*, præſertim *Theb. l.* 1. *v.* 257. & *ſeqq.* ubi inter alia nullum ſine *Junone* fulmen, quia non ſine, qui ipſa eſt, aëre, apud Poëtas fieri, & proin illud ἀερόμορφον Orpheo appellari, obſervat, ut & ſuprà ubi de *Fulguritis*.

FULMENTUM, in vet. Proverbio apud Varronem, *Fulmenta lectum ſcandunt*: fulcrum lecti eſt, non gradus ad ſcandendum in lectum ut opinatus eſt nonnemo. Ab eadem enim origine utrumque, *fulcrum* & *fulmentum*. Lucillius apud Nonium,

> *Subjicit huic fulcrum*, fulmentas *quattuor addit*,

Idem, in alio verſu,

> Fulmentas *ſenis ac tinis ſubducere*,

quæ nomina ſunt vaſorum vinariorum. Sed & *ſoccorum fulmenta*, apud Plaut. Trin. Act. 3. *ſc.* 2. *v.* 94. & Bacch. Act. 2. *ſc.* 3. *v.* 98. pro καττύματα iis ſuppingi ſolito. Eodem ſenſu & *fulmen* Vett. pro *fulcimine* ſc. dixêre. Unde *ſubfulmen* & *ſuffulmen*, ὑπέρεισμα, propriè quo rotæ ſuſtulciuntur, & verbum *ſuffulminare*, pro quo corruptum eſt, *ſufflamen* & *ſufflaminare* &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 233.

FULMINATI, apud Romanos quinam dicti. Vide ſuprà in voce *Ambuſta*.

FULQUINUS, Abbas, ſec. 10. Vide Swert. *in Athen. Belg.*

FULSINATES, pop. Illyrici. Plin. *l.* 3. *c.* 21.

FULSINIUM Catoni, *Fulcinium* Appiano, Umbriæ urbs, quam Leander *Fuligno* vocari tradit. Vide *Fulginium*.

FULVIA, uxor P. Clodii, quæ poſtea M. Antonio nupſit, non muliebres artes, non familiam regere curabat, nec privatum hominem ſuperare contendebat, ſed magiſtratus gerere, & imperantibus imperare; ut ipſi magnas gratias deberet Cleopatra, quòd inſtitutum ab ea Antonium acceperit. Hæc clam nocte profecta, Ciceroni Catilinæ detexit inſidias, eumque commonefecit, ut Cethegum, ejuſque comites præcaveret. Plutarch. *in Cic. & Anton.* Maritum contra Cæſarem impulit, ſtricto enſe ſæpe militibus locuta eſt. Vide etiam *Dion.* & *Caſſium*.

FULVIA Pia, mater Severi Imp. Spartian. *in hujus vita.*

FULVIA Lex, cujus auctor M. Fulvius Flaccus Coſ. cum M. Plautio Hypſeo, A. U. C. 628. de civitate Italis danda lata, indignante atque averſante Senatu, ac miſſo & propè amandato in provinciam M. Fulvio, mox iterum ſublata eſt. Vide Appian. *Bell. Civ. l.* 1. Val. Max. *l.* 9. *c.* 5. &c. Triennio tamen poſt C. Gracchus Trib. Pl. legem retulit: *ut Sociis Latinis jus ſuffragii ferendi, perinde ac civibus Romanis, eſſet*, Plutarch. *in Gracchis.*

FULVIUS Senator Rom. Octavii Imp. intimus amicus ac familiaris, qui cùm Imp. arcanum ſuæ aperuiſset uxori, ac illa cæteris patefeciſset matronis, Imp. eum tam acriter reprehendit, & culpavit, ut ipſe, & uxor violentas ſibi attulerint manus. Plutarch. lege *Fabius*.

FULVIUS Andreas, Præneſtinus, ſcripſit icones virorum, & feminarum illuſtrium, ut & 5. libb. Antiquit. Rom. Onuphrius, *præf. in Comm. Reip. Rom.* Voſs. *de Hiſt. Lat. p.* 680.

FULVIUS Aſprianus, ſub Caro, Diocletiano, & Maximiano, Carini vitam ſordeſque perſecutus eſt. *Vopiſc.*

FULVIUS Aurelius, Legatus Leg. in Mœſia, Conſularibus ornamentis ab Othone donatus. Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 79.

FULVIUS Bojus, Dux Rhætici limitis, ſub Valeriano Aug. cujus meminit Vopiſc. *in Aurel.*

FULVIUS Centumalus, vide *Cneus*.

FULVIUS Curvus, vide *Curvus*.

FULVIUS Cimbria, vide *Cajus*.

FULVIUS Flaccus Cenſor, tectum marmoreum Junonis Laciniæ ſpoliavit, ut ædem quam dedicaverat Equeſtri Fortunæ tegeret. Liv. *l.* 25. *c*, 2. Vide *Cajus* & *Marcus*. It. *Quintus*.

FULVIUS Nobilior, Coſ. Rom. ſæpe victor, Ambraciam cepit, Muſarum ſtatuas dedicavit. Auctor libri Faſtorum, Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 12. & 13. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 5. Vide & *Marcus*. It. *Quintus* & *Servius*.

FULVIUS Pætus, vide *Marcus*. It. *Petrus*.

FULVIUS Pius, *avus paternus* Severi Imp. apud Spartian. l. *materni*, fuit enim pater Fulviæ Piæ, quâ genitus Severus, Caſaub. ad l.

FULVIUS Sabinus, Prætor urbanus, ſub Aureliano, apud Vopiſc. *in vita hujus.*

FUMÆUS Martinus, vide *Martinus*.

FUMUS, an ex *furvo*, quod nigrum, an ex Græc. θῦμα, θυμίαμα, *ſuffimentum*, an ex Hebr. פוח *afflavit?* flammæ index eſt, è quo non minùs futurorum ſcientiam ſibi Vett. fingere ſtudebant, ac ex ipſa flamma; *Clarus enim & cœlum petens felicitatem, deorſus & terram repercutiens infortunia portendebat*, MS. Exegetes Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 412. Et ad eundem *l. v.* 468. Lutatius, *Ars aruſpicinæ hæc habet; Ut & thuris motus & crepitus &* fumi *motus & flexus aruſpex inde colligat.* Cujuſmodi augurium diſertiſſimè deſcribit Ovid. *Triſt. l.* 5. *Eleg.* 5. De eadem divinationis ſpecie Martian. Capella *l.* 2.

> *Nam Sabæorum rapidis*
> *Quid vapor edat aris.*
> Fumida *quid thuricremis*
> *Aura paret favillis.*
> *Omina vel certa ferant*
> *Vocibus auguratis.*
> *Intrepidis, nec dubitans,*
> *Vocibus antevertis.*

Quam in rem vide plura apud Statii Commentatòrem doctiſſimum Barth. *d. l.* & ſuprà aliquid in voce *Capnomantes*, item *Extiſpicina*. Sed & in pœnam *Fumus* adhibitus eſt. Certè *Fumi cruciatus* memoratur Vulcatio Gallicano in *Vita* Caſſii, *Primus id ſupplicii genus invenit, ut ſtipitem grandem poneret pedum octoginta & centum, & à ſummo uſque ad imum damnatos ligaret: & ab imo focum apponeret, incenſiſque aliis alios* fumi *cruciatu, timore etiam alios, necaret.* Sic Alex. Sev. Turinum quendam, *in foro Tranſitorio ad ſtipitem illum ligari præcepit, &* fumo *appoſito, quem ex ſtipulis atque humidis lignis fieri juſſerat, necavit, præcone dicente, Fumo punitur, qui vendidit fumum*, apud Lamprid. Ejuſdem crudelitatis exemplum habes apud *Martyrologiorum* Scriptores, in paſſione Felicis Presbyteri, & aliorum B. Martyrum, qui Valentiæ Cavarum ἐτελειώθησαν, alibique in *Hiſtoriis* paſſim. Fiebat autem *fumus* ille præcipuè ex lignis viridibus, quæ humoris plurimum habere certum eſt & proin plurimum ex ſe dant fumi; quo in genere ficum excellere, ideoque ad fontes hoc modo necandos ſæpius ejus ligna adhiberi conſueviſſe, diximus ſuprà. Vide Caſaub. *ad Vulcatium Gallic.* & Salmaſ. *ad Lamprid.* Contrà pretioſorum odorum *fumis* delectari Deos ſuos credebant Gentiles, uti poſt multos alios docent Arnob. & Lucian. Notum illud ex Hom. *Il.* α.

> Μηρὸς δ' ἐξέταμον κατά τε κνίσσῃ ἐκάλυψαν,

Et Stat. *Theb. l.* 10. *v.* 55.

> ——— *aggeſtis vigilant altaria flammis.*

Ad quem locum vide Barth. ſuprà laudatum: uti *de more caſeos fumo ſiccandi colorandique* ſuprà; de gemma à *fumo* nomen habente, infrà in voce *Jaſpis*.

FUNALES Equi, qui hodie in curru quadrijugo præcedunt, ſubſequentibus jugalibus, olim ſic diſponebantur, ut in medio duo jugales irent & ad latera duo funales utrinque eſſent loro adnexi, ſicque equi quatuor æquatâ fronte procederent, Euripid. *Iphig. in Aulide*, ubi de Eumeli quadriga: in qua medii λευκοστίκτῳ τριχὶ βαλιοί, *pilo albis maculis diſtincto varii*, funales verò πυρσότριχες, *rufis pilis inſignes*, erant. At Cleoſthenis, qui vicit Olympia Olymp. ... *funalium* unus erat phœniceus, alter niger, & jugalium unus varius, ut ex Pauſ. diſcimus; quartus non à colore, ſed à patria Samius ei vocatur Primus autem, qui tantùm medios jugavit iiſque ſingulos ex utraque parte ſimplici vinculo applicuit, quos Græci σειραφόρους, Latini *funerios* vocant, Cliſthenes fuit Sicyonius, ut Iſid. habet *Orig. l.* 18. *c.* 35. cùm priùs omnes jugarii eſſent &c. Vide Sam. Bochart. *Hierozoici Part. prior. l.* 2. *c.* 8. Erant verò præcipui in quadriga equi funales, σειραῖοι Græcis & σειραφόροι Chryſoſtomo quoque ἀορτῆρες dicti: & quidem in bellicis & aliis ſi fortè curribus, dextri potiſſimi fuêre, utpote qui ducatum cæteris præberent, proinde Unde Heſych. ubi σειραφόρον, i. e. *funale*, ἀντὶ τοῦ ἡγεμονικοῦ ... *imperatorio*; Græcis poni docet, addit: μετῆκται δὲ ἀπὸ ... ἵππων, *translatum eſt à dextris funalibus equis.* At in Agoniſticis & Circenſibus ſecus obtinuit. Quia enim ad ſiniſtram meta erat circumflectenda, in eoque pòſita victoria, maximum ad palmam adipiſcendam momentum attulêrunt ſiniſteriores funales, quo fine præſtantiſſimus quadrigæ equus & adprimè flecti facilis frænoque docilis ad funem ſiniſter locabatur. Atque hinc eſt, quod talis, utpote reliquis honoratior & primus numerandus, toti quadrigæ daret nomen & victoriæ titulum ſolus ferret, uti videre eſt in vett. *Inſcr.* & pluribus docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 898. & *ſeqq.* Vide quoque hic paſſim, inprimis infrà in voce *Siniſter*.

FUNALIA, teſte Serv. *in Virg. Æn. l.* 1. *v.* 731. dicta ſunt quia *ante uſum papyri, antiquitus funes cerâ circumdabant*: quod iiſdem verbis expreſſit Iſid. *Etym. l.* 20. *c.* 20. Eorum figuram praeferunt Angeli inſculpti in vetere monumento è marmore Synnadico, in quo Patavii oſſa Lucæ Evangeliſtæ, in templo D. Juſtinæ, jacere dicuntur. Et hoc procul dubio etymon habet vox Eccleſiaſtica *Intortitia*, Ital. *Torcie* & *Torchii*: imò & Hiſpanica *Antorcha*. *Funalia* enim funes intortos referebant. Addimus etiam, fomitem goſſypinum, quem hodie cerâ ſuperinducimus ab

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ab Italis appellari *Pavero*, corrupta papyri, cujus modò Servium meminiſſe vidimus, nomenclatura. Hos qui gerebant, *ad Lychnum, ad Lunam, ad Lucernam, Lampadophori* & *Taxageri* appellati ſunt. Hi præcincti lumbos & lychnos ferentes, dominum domi præſtolabantur, à cœna revertentem, quorum aliqui Dominorum quoque comites erant. Val. Max. *l.* 3. *c.* 6. *Cajus autem Duellius, qui primus navalem triumphum ex Pœnis retulit, quotieſcunque epulaturus erat, ad Funalem cereum, præeunte tibicine & fidicine, à cœna domum reverti ſolitus eſt.* Eorundem meminit Juv. *Sat.* 3. *l.* 1. *v.* 282.

> ——— *Sed quamvis improbus annis*
> *Atque mero fervens, cavet hunc, quem coccina læna*
> *Vitari jubet, & comitum longiſſimus ordo:*
> *Multum præterea flammarum & ænea lampas.*

Et verò ſine his dominus benè potus, qui domum ſe contuliſſet? Propert. *l.* 2. *Eleg.* 29. Initio.

> *Heſterna mea lux cùm potus nocte vagarer,*
> *Nec me ſervorum duceret ulla manus;*
> *Obvia neſcio quot pueri mihi turba minuta*
> *Venerat* &c.

Vide Laur. Pignor. *de Servis. p.* 86. & 87.

FUNAMBULI, apud Vett. jam olim, inter mirantis popelli ſpectacula: quæ, ut aliæ exercitationes, licet ubique locorum agerentur, præcipuè tamen in Gymnaſiis effici conſuevêre. Eæ verò ſunt τὸ διὰ χοινίου ἀναβριχᾶσθαι, τὸ ἀκροχειρίζεσθαι, τὸ ἐκπλεθρίζειν, τὸ πιτυλίζειν, apud Galen. *per funem aſcendere, manibus colluctari, plethriſſare, pytiliſſare.* Quomodo autem per *funes* aſcendendo ſeſe exercerent, oſtendit ad oculum icon hujus rei, ex antiquis gemmis expreſſa, apud Mercurial. *l.* 3. *c.* 5. Meminit quoque *Funambulorum* ſeu Schœnobatarum, voce Græcâ. Juv. *Sat.* 3. *l.* 1. *v.* 77. imò & jam diu ante ipſum Terent. *Hecyr. Prolog.* Initio.

> *Ita populus ſtudio ſtupidus in* Funambulo
> *Animum occupârat.*

De iiſd. M. Cœlius *l.* 8. *Ep.* 1. *Ego qui ſcirem Q. Pompejum Baulis ſchœnobaticam facere, & uſque eo, ut ego miſererer ejus eſuriei, non ſum commotus.* Ubi *Scœnobaticam* eleganter dixit *facere* Pompejum, quòd iis premeretur anguſtiis rei familiaris, ut illi pedes, quod *Funambuli* ſolent diducere non liceret: Sunt tamen, qui pro, *Schœnobaticam*, legi velint, *Empencticam*, qua de voce diximus retro. Magis tamen mirere elephantem *Funambulum*, apud Senec. in *Ep.* Hodie nulla gens Perſis, in hoc genere ludi, exercitatior eſt, teſte Joh. Tavernier *Itin. Perſ.* Non admodum diſſimilis fuit Is ludus, qui apud Heſych. & Polluc. Σκαπέρδα dictus reperitur, de quo alibi. Cùm verò non, ſine capitis periculo, artem ſuam id hominum genus exerceat: adeoque puer funambulus lapſus eſſet, &, ut credi par eſt, collum fregiſſet, principatu Marci Antonini Imp. hic quâ erat moderatione & pietate, ne id denuò accideret, *funambulis culcitras ſubjici* juſſit, apud Capitolin. nempe per totum ſpatium, quâ funis tendebatur. Sed & rete aliquando Schœnobatis, eodem fine, ſubtenſum fuiſſe, docet Caſaub. *ad l.* Vide ibidem Salmaſ. Alia notio vocis eſt, apud Orderic. Vital. *l.* 9. *Funibus per murum dimiſſi ſunt, unde ad ſuam diuturnam ignominiam furtivi* Funambuli *vocati ſunt.* Hîc enim ironicè ſic appellantur ignavi quidam, qui ex obſeſſa urbe funibus è mœnibus demiſſi, fugæ ſe dederunt &c. Quomodo verò à *Neurobatis* diſtinguerentur *Funambuli*, dicemus infrà. Manil. *Funambulum* elegantiſſimis his verſibus deſcribit,

> ——— *aut tenues auſus ſine limite greſſus,*
> *Certa per extentos ponit veſtigia funes,*
> *Et cœli meditatus iter, veſtigia perdit;*
> *Per vacuum & pendens populum ſuſpendit ab ipſo.*

De eodem hoc αἰνιγματῶδες in antiquo Cod. *MS.* reperit Salmaſ. *Vidi hominem pendere cum via, cui latior erat planta, quàm ſemita*; quod idem in hoc diſtichon Græcum coëgit,

> Εἶδον ἐγὼ, μέγα θαῦμα, ὃν ἤερι πεζὸν ὁδίτην,
> Μεσσοτέρης ἐπίβας ἴχνεος ἀτραπιτοῦ.

Not. ad *Vopiſc. in Carino.* Vide etiam infrà, ubi *de Schœnobatis.*

FUNCCIUS Johannes, vide *Johannes.*

FUNCHALA, urbs Epiſcop. ſub Archiep. Oliſippon. caput Maderæ Inſ. in parte Or. ſub Portugalliæ Reg. 140. leuc. Hiſpan. à Sacro prom. in Afr. 90. ab ora Africæ in Occ.

FUNCTIO, apud Aur. Victor. *in Maximiano Herculeo, p.* 170. *Parti Ital. invectum tributorum ingens malum; nam cum omnis eadem functione, moderataque ageret, quò exercitus atque Imp. qui ſemper aut maximâ parte aderant, ali poſſent: penſionibus inducta Lex nova, quæ ſanè illorum temporum modeſtia tolerabilis in perniciem proceſſit* annonariam denotat; quemadmodum *penſio* tributum. Sic in l. 4. Cod. Theod. penſio legalis ab annonaria *functione* diſtinguitur, *tit. de indulg. debit.* &c. Vide Salmaſ. *ad Treb. Pollion. in Tetrico Sen.* In *Gloſſ. Functio*, ἡ συντέλεια. *Tributariæ functiones*, apud Salvian. *de Provid. l.* 5. *p.* 30. I. E. dit. quæ *Publicæ functiones* Senatori *l.* 5. *Ep.* 39. Λειτουργίαι, in *Gloſſ. Curialia munera & onera* paſſim, in *Cod. Theodoſ. & Juſtin.* &c. Vide C. du Freſne *Gloſſ.*

FUNDAS Phœnicum inventum, teſte Plin. *l.* 7. *c.* 56. Meminit ejus Plato *de Legg. l.* 8. ubi de mulierum propriis exercitationibus ſcribens, καὶ λίθοις, ait, ἐκ χειρός τε καὶ σφενδόναις ἁμιλλωμένων, unde colligit Mercurial. inter exercitationes Vett. gymnaſticas, ad fortitudinem militarem comparandam excogitatas, etiam hanc fuiſſe, quâ *lapidibus* cùm manibus, tum fundis emiſſis, inter ſeſe certarent. Idemque putat, nomine *lapidis manibus emiſſi* Platonem halterem intellexiſſe, qua de voce vide infrà. Ab halteribus verò *funda* diverſa fuit, funiculus nempe quidam, qui duobus capitibus manu ſumebatur, altero cum anſula, ne exiret, altero ſine, ut dimitti poſſet, atque in medio latior erat, ut ibi lapis contineretur; quem circumacto valide funiculo & ab uno capite dimiſſo, vehementer projiciebant *Funditores*: Quam projectionis formam, à Phœnicibus, ut dictum, duabus de cauſis repertam eſſe, veroſimile eſt: Nempe tum, ut minus manibus ex lapidum aſperorum attrectatione accederet nocumentum; tum ut longinquius, & majore impetu lapides evibrarentur. Unde Davidem, ad proſternendum Goliathum *funda* uti voluiſſe propterea apparet, quòd adverſùs robuſtiſſimum hominem maximo armorum impetu opus eſſe cognoverat. Et hoc genus certaminis, apud Balearium olim Inſularum populos uſque adeò celebratum fuit, auctore Veget. *de Re milit. l.* 1. *c.* 6. ut matres filios ſuos aliis avibus veſci non paterentur, niſi quas *fundâ* ſuas feciſſent. Quam ob cauſam Virg. *Fundam* cognomine *Balearem* inſignivit, *Georg. l.* 1. *v.* 309.

> *Stupea torquentem* Balearis *verbera* fundæ;

Et Stat. *Theb. l.* 1.

> *Roboraque & gravidas* fundæ Balearis *habenas.*

Sic Ovid. *Met. l.* 2. *v.* 728.

> *Non ſecus exarſit, quàm cùm* Balearica *plumbum*
> Funda *jacit: volat illud, & excandeſcit eundo.*

Bis autem vel ter circa caput rotabant *fundam*, antequam ejacularentur lapidem. Virg. Æn. *l.* 9. *v.* 586.

> *Stridentem* fundam *poſitis Mezentius armis*
> *Ipſe ter adducta circum caput egit habena.*

Quem tamen morem nihili eſſe & dediſcendum proin, docet Veget. *de re Milit. l.* 2. *c.* 23. *Aſſueſcendum eſt etiam, ut ſemel tantùm funda circa caput rotetur, cum ex ea emittitur ſaxum.* Notavit & J. Lipſ. *Poliorc. l.* 4. *c.* 2. & ante Stewech. *ad Veget Comm. l.* 3. *c.* 14. Plura vide apud eundem Veget. *de re Milit. l.* 4. *c.* 22. & Hieron. Mercurial. *de Artè Gymnaſt. l.* 2. *c.* 12. Uti de ſeptingentis illis in Benjaminitarum exercitu, Judic. *c.* 20. *v.* 16. *Qui præcludentes manum dexteram ſuam, funda mittebant lapidem ad capillum ſine erratione.* de Hiſpanis capite *fundas junceas tres* (quas Philetas vocat *junceum ornamentum*) geſtare ſolitis, Strab. *l.* 3. *p.* 168. De ſupplicio, quod à *fundæ* Græco vocabulo nomen habet, ſuprà in *Diaſphendone* de Babyloniis circum actu *fundæ* ova coquentibus, infrà in voce *Ova* &c. Vide quoque *Ceſtroſphendonæ*, it. *Scutale*: uti de tonitru à Peruanis cum clava & *funda* pingi ſolito, in *Tonitru.*

FUNDA, in Circo Rom. dicebatur ultima meta, vel pars ejus, in qua ultimæ metæ, forte quòd ibi Circus in Auguſtias cogeretur ad inſtar *fundæ*, quæ in medio latior eſt, utrinque ſtrictior: quemadmodum terrarum orbem, qui ad Ort. & Occaſ. in arctum ſtringitur, σφενδόνῃ ἐοικότα Dionyſ. eſſe dixit, in quæ verba pulchre commentatur Salmaſ. *ad Solin. p.* 663. Sed Circum *claudi utrinque in teretem orbem*, dixit Corippus, quo pacto & prima pars illius, ubi primæ metæ, æque *fundæ* nomen meruerit. An potiùs ſic ultima meta appellata eſt, à baſis forma, quæ inſtar alæ annuli haberet: namque & palam annuli, de qua infrà, Gr. σφενδόνην vocant. Ovatæ ſiquidem formæ erat; cui ſimilis in vett. nummis metarum baſis conſpicitur, quæ tres obeliſcos ſuſtinet? Græci certe in ſuo Circo deſcribendo, nec primarum quidem, nec ultimarum metarum mentionem faciunt, θύρας tamen, h. e. *oſtia* ſeu *carceres* Circi opponunt τῇ σφενδόνῃ, i. e. *fundæ* ejus, ubi σφενδόνη neceſſariò ultimam partem Circi notat. Vide eundem ubi ſuprà *p.* 970. Sed &

FUNDA, apud medii ævi Scriptores burſa, crumena eſt; aliàs *ventralis*, κοιλόδεσμος, h. e. ſacculus pecuniæ, ad uſum quotidianum neceſſariæ geſtandæ accommodatus, & ſub ventrem appenſus, vide infrà in voce *Ventralis.* Hinc Recentiores ſic appellarunt locum publicum, in quo Mercatores de rebus ſuis & commerciis invicem acturi conveniunt, quòd in eo deponatur communis eorum theſaurus vel pecunia ad eadem commercia, atque adeo merces ipſæ. Cujuſmodi ſunt *Burſæ* Antverpienſis, Amſtelodamenſis, Londinenſis &c. *Fundæ Tyri*, fit mentio in *Pactis* inter Venetos & Principes ſeu Barones Regni Hieroſol. A. C. 1123. apud Gul. Tyrium *l.* 12. *c.* 25. Galli *Fonde*, Ital. *Fundaco*, dicunt. C. du Freſne *Gloſſ.* Vide quoque ſuprà *Burſa.*

FUNDABULUM, & FUNDIBLA, machina oppugnatoria, quâ jactantur lapides, apud Monſtreletum.

FUNDANIUS, vide *Cajus.*

FUNDANUS Lacus, ſatis imminutus ad 4. mill. extenditur verſus Fundos, & in mare Mediterr. ſe exonerat, prope confin. regni Neap. & perſæpe, non minus ac Pomptinæ paludes aquis reſtagnantibus paluſtribuſque omninò repletur. Ejus mentio apud Tacit. *Hiſt. l.* 3. *c.* 69. & in antiq. Inſcr. in Quirinali reperta, quo Dei Fidii templum erat:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

L. CORNELIO.
SULLÆ FELICI
DICTATORI
VICUS LACI FUND.

FUNDANUS Minucius, vide *ibi*.

FUNDATUS, in *Chronico* Fontanellenſi, *c.* 16. *pallia fundata ſex.* Infrà, *De veſtimentis vero Eccleſiaſticis, largitus eſt pallia, quæ dicuntur* Fundata *tria*: apud Anaſtas. *in Vitis PP. p.* 109. *de palliis Tyriis atque* fundatis *fecit vela, n.*65. &c. Bulengero eſt auro textus, acu pictus: qui idem eſſe opinatur, quod Itali *Drappo di fundo d'oro*, Galli *Etoffe à fond d'or*, vocant. Sed cùm vox eadem tribuatur quoque vaſis argenteis & aureis, ut *calix fundatus argenteus*, apud eundem Anaſtaſ. *p. ead. Calix major fundatus p.* 126 & 131. *Gabata aurea fundata, p.* 122. &c. de acupictili ſumi non poteſt. Vide C. du Freſne *Gloſſ.* & Macros Fratres *in Hierolex.* nec non in voce *Profundus.*

FUNDI, opp. Italiæ prope Cajetam, ad viam Appiam. Strab. *l.* 5. *p.* 233. Φοῦνδοι, πόλις ἐν τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ κειμένη. Sil. Ital. Punic. Bell. *l.* 8. *v.* 530.

> Fundique *&* *regnata Lamo Cajeta, domuſque*
> *Antiphatæ compreſſa freto.*

Horat. *Serm. l.* 1. *Sat.* 5. *v.* 34.

> Fundos *Aufidio Luſco Prætore libenter*
> *Linquimus.* ———

Inde generoſa vina, ſcriptoribus commendata. Mart. *l.* 13. in Xenis Epigr. 114. cujus Epigraphe Cæcubum.

> *Cæcuba* Fundanis *generoſa coquuntur Amyclis.*
> *Vitis & in medio nata palude viret.*

Nic. Lloyd.

FUNDITORES, Græcis Γυμνῆτες, ut & cæteræ leves armaturæ, quos ψιλοὺς vocant Heſych. Γυμνῆτες, οἱ μὴ ἔχοντες ὅπλα, οἱ δὲ τοὺς σφενδονήτας, οἱ δὲ τοὺς γυμνοὺς μαχομένους. Unde iiſdem Γυμνησίαι dictæ Inſulæ, quæ ab eadem ratione Latinis *Baleares* vel *Baliares*, viz. à Gr. *βάλλω, jacio*: quòd inſularum harum incolæ inſignes eſſent funditores. Steph. certè *Baleares* & *Funditores* pro ſynonymis habet, cùm ait: Ἐκλήθησαν δὲ Βαλιαρίδες, ἀφ' οὗ Βαλιαρεῖς τὸ ἐθνικὸν, οἵ εἰσι σφενδονῆται. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 280. ſuprà in voce *Funda*, infrà *Pelethi*, ut & ubi de his Inſulis agimus.

FUNEBRE Officium, vide infrà in voce *Funus.*

FUNEBRES Ludi, in honorem defunctorum olim exhiberi ſoliti, originem jactant longè vetuſtiſſimam: Namque Æneas ad Pallantis, & ante eum Achilles ad Patrocli rogum mactavit inferias cum ludis, unde etiam Gladiatorum mos, ſine dubio, ortus videtur. Nam quum primùm captos ex hoſtibus jugularent, vitantes fœdi ſpectaculi horrorem, captivos inter ſeſe commiſêrunt, ut penès eoſdem eſſet, & facinus & ſupplicium, quibuſque ſors & virtus dediſſet, ſupereſſent: reliqui placarent Manes puris Manibus parentantium. À Græcis hîc mos propagatus eſt ad Romanos, à quibus hi ludi *Munera* dicti ſunt. Sic Tertullian. *l. de Spectac. Munus*, inquit, *dictum eſt, ab officio: quoniam officium etiam muneris nomen eſt. Officium autem mortuis hoc ſpectaculo facere ſe vett. arbitrabantur, poſteaquam illud humaniore atrocitate temperavêrunt. Nam olim, quoniam animas defunctorum humano ſanguine propitiari creditum erat, captivos vel malo ingenio ſervos mercati in exequiis immolabant. Poſtea placuit pietatem voluptate adumbrare. Itaque quos paraverant armis, quibus tunc & qualiter poterant eruditos, tantùm ut occidi diſcerent, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant: ita mortem homicidiis conſolabantur. Hæc muneris origo: Sed paulatim provecti ad tantam gratiam, ad quantam & crudelitatem: Quia ferarum voluptati ſatis non fiebat, niſi & feris humana corpora diſſiparentur.* Primus autem Romanorum Junius Brutus, in defuncti Patris honorem dediſſe Romæ Gladiatores dicitur: Aliis Appium Claudium & M. Fulvium Coſſ. hujus crudelitatis auctores facientibus. Tunc enim primùm fuêre ſontes feris in arena objecti, immunitate tantâ, ut ab eo horrore matronæ publico edicto ſummotæ ſint. Dabantur verò & à publicis Magiſtratibus & à privatis perſonis, & cum certaminibus & cum fabulis. In patrii funeris apparatu arenam inſperſiſſe tradunt C. Cæſarem, cùm Ædilis eſſet: qui poſtea Dictator fuit. Claudius Princeps ex arbitrariis hos ludos ſtatos fecit, quos Ædiles ederent: ex pecunia publica de Quæſtoribus, quos *Gladiatorios* appellavit. Verùm poſtea ipſe illorum pertæſus, cruentas has exequias ſuſtulit: manſit tamen conſuetudinis jus privatis, ſi nempe quadringenta millia in cenſu haberent. Hos qui curabant ludos, *Deſignatores* dicti videntur: quos ſuſtulit tandem penitus Theodoricus Gothorum Rex. Vide Liv. Suet. Tac. Dion. Jul. Cæſ. Scalig. *Poet. l.* 1. *c.* 35. Alex. ab Alex. *Genial. dier. l.* 3. *c.* 7. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 24. *cum Paralip. Th. Demoſteri*, qui de Deſultoribus in hiſce ludis aliiſque huc ſpectantibus prolixè agit &c. ut & infrà in voce *Gladiatores.*

FUNERÆ, quæ aliàs Latinis *Præficæ*, Judæis מקוננות, Græcis ἀοιδοὶ vel θρήνων ἔξαρχοι, item πενθήτριαι dictæ, triſti cantu lugentium mœſtitiam comitari ſolebant. Quod fiebat vel voce ſolâ, ut in funere Alceſtis, prohibente marito ejus Admeto, apud Eurip. *Alc.* 430.

> Αὐλῶν δὲ μὴ κατ' ἄστυ, μὴ λύρας κτύπος
> Ἔστω.

Vel voce inſtrumento alicui Muſico ſe jungentes: non quidem citharæ, utpote Apollini dicatæ, at tibiæ inprimis. Unde Τυμβαῦλοι Græcis iidem, qui Romanis *Siticines* fuêre. Rationem ritus hujus Macrob. reddit, cùm ait: *Mortuos quoque ad ſepulturam proſequi oportere cum cantu, plurimarum gentium vel regionum inſtituta ſanxêrunt, perſuaſione hac, quia poſt corpus anima ad originem dulcedinis Muſicæ, i. e. ad cœlum redire credantur.* Fr. Roſſæus *Arch. Attic. l.* 5. *c.* 24. Vide quoque infrà *Præfica.*

FUNERALE Velum, quo feretra clarorum virorum condecorare medio ævo moris erat, occurrit *in Ann.* Colmar. MSS. A. C. 1276. ubi *Baldachinum* vocatur: *Feretrum coopertum fuit Baldachino, quod Eccleſiæ reliquerat.* Eadem conſuetudo viguit, in Civitatibus Italiæ, Bononiæ inprimis & Senis, uti Cherubinus Ghirardaccius refert *Hiſt. Bonon. ad* A. C. 1260. apud Macros, in voce *Baldachinum.*

FUNES, olim è viminibus, nondum cognito cannabis uſu. Lycophron *Caſſandrâ*,

> Σφραγὶς μένει Θόαντος ἐν πλευραῖς ἔτι,
> Λύγοισι τετρανθεῖσα.
> Vibix *manet Thoantis in tergis adhuc*
> *Lentis betulis ſculpta.*

Calpurn. *Ecl.* 2.

> *Quòd ſi dura times etiam nunc verbera Phyllis,*
> *Tradimus ecce manus, licèt illæ* vimine torto
> *Scilicet & lenta poſt tergum vitæ domentur.*

Vide quoque Theocrit. *Idyll.* 1. &c. In Ægypto *funes* ex interiore cortice ſive libro papyri nectebantur, nec Ægypti Siriæque Reges aliis funibus diu uſi ſunt, in rebus navalibus, nondum ſparto communicato, quæ proin *armamenta Nili* Plin. vocat *l.* 13. *c.* 11. Poſtea itaque è cannabe & ſparto fieri cœpêrunt, de quibus vide ſuo loco, it. in voce *Serilia.* Imò & è ſerico, ut ex Candiſchii Nobilis Angli hiſtoria patet, qui ex America redux omnes navis ſuæ rudentes è ſerico albo habuiſſe legitur. Sed & *Funes*, è mulierum capillis, apud Jul. Capitolin. *in Maximino Jun.* ubi tantâ fide Aquilejenſes contra Maximinum fuêrunt, *ut* funes *de mulierum capillis facerent, quum deeſſent nervi ad ſagittas emittendas, quod aliquando Romæ dicitur factum:* habes hanc hiſtoriam apud Veget. *l.* 3. *c.* 9. & *l.* 10. *c.* 15. in Com. Stewech. *p.* 406. Flor. *l.* 2. *c.* 15. Lactant. *l.* 1. & Serv. *ad Æn. l.* 1. *v.* 323. Idem verò & aliàs ſæpe uſu venit in bellis. Cæſ. *Belli Civ. l.* 3. *c.* 2. de iis, qui obſeſſi erant Salonis: *præſectis omnium mulierum crinibus tormenta effecêrunt.* Ariſtid. *in Rhodaica*, Πάλαι μὲν γὰρ ἐν τῷ τῶν γυναικῶν τῶν ἀποκειραμένων μηχανήματα ἐδείκνυτε τοῖς ἐπιδημοῦσι. *Olim quidem ex tonſis mulierum capillis machinamenta oſtendiſſe advenis.* Etiam Dio narrat *in Sev.* in obſeſſa Byzantio rudentes de crinibus feminarum factos eſſe, Caſaub. *ad Capitol.* Olim tota res menſoria funibus è junco plexis, quæ proin *χοινία* Græcis, peragebatur. Nec Hero Geodætes aliud agnoſcit menſurandis terris organum, quàm χοινίον h. e. *funiculum*, eumque δεκαοργυιαῖον quidem conſtituit metiendæ terræ arabili, pratorum verò menſuræ colligendæ, δωδεκαοργυιαῖον. Antiquiores tamen, qui de limitibus ſcripſêrunt, *pedum* tantùm meminiſſe, dein *funes* tandem perticas adhibitas, monet Salmaſ. qui pluribus hac de re agit, *ad Solin. p.* 683. & *ſeqq.* Vide quoque infrà *Schœnus.* Olympiæ emittendi currus & equi lineâ prætentâ ſeu *funiculo* cohibebantur, ne ante ſignum datum exirent, utque in æquo limine continerentur omnes, teſte Pauſ. cujus loco carceres fuiſſe in Circo Romano, diſcimus ex Varrone, qua de re videndus idem Salmaſ. ubi modò, *p.* 915. Porrò *fune* Bacchus pontem junxit, Euphratem tranſiturus, ex vitigineis, & hederaceis contorto ſarmentis, quem, in urbe ejus loci *Zeugma*, aſſervatum, Pauſ. habet *in Phocicis.* Indi verò Anthropophagi, *funibus* quibuſdam, nodis multis diverſiſſimis certo intervallo diſpoſitis, hiſtoriarum ſuarum perpetuitati conſulunt, quo de illorum more legi meretur Petrus Cieza *Hiſt. Ind. Tom.* 2. Etiam *funem è manibus extorquere*, certaminis genus, apud Danos olim celebre, uti videre eſt apud Olaum *l.* 5. *c.* 24. Sed & *funes* inter Vett. tormenta, uti videre eſt ſuprà de *Fidiculis* & infrà in voce *Pœna*: exercitationes item infrà in voce *Gymnaſtica*, nec non ubi de *Funambulis*, è *funibus* quoque antiquitus conſtitiſſe Caſtrorum urbiumque repagula, dicemus infrà in voce *Licia* &c. De *funiculo* μεμιλτωμένῳ, *rubricato*, quo in concionem compellebantur Athenienſes, diximus ſuprà, ubi de *Comitiis*: ſicut de *funium* uſu, in veſtituris, infrà in lampadibus, in voce *Funalia.* Hinc *Funarius*, cognomen militare Gratiani Imp. quòd ei adhuc privato funem venalitium portanti, quinque milites extorquere nequiviſſent, unde admiratio primùm, poſtmodum argumentum Imperii, apud Paul. Diacon. & *Aurel. Vict.*

FUNG-*Ciang*, urbs Sinici Imperii in prov. Xenſia, ſic dicta ab ave, quam incolæ maximæ felicitatis ſignum habent, & non niſi rariſſimè videri ajunt: *Fung* enim illis avem, *Ciang*, felicitatem notat. Pingunt illi avem hanc mirâ colorum varietate inſignem ſemperque ſolam eſſe prædicant, & rariſſime quidem, optimo tamen totius Imperii omine, conſpici, ajunt. Phœnicem credas, aut certè ex aquilarum genere aliquam diverſicolorem atque ignoratam ſpeciem: cujus figurâ Sinenſibus tapetes ſuos veſteſque pretioſiores exornare ſolenne eſt. Auctor Anon. *Sinæ & Europæ c.* 37.

FUNGENI, pop. Æthiopiæ inf. verſus lacum Zaire, ſub magno Macoco. *Iſ. Voſſ.*

FUNGI, in arboribus naſcentes, pro fomitibus olim erant & eſcæ dicebantur. Serv. ex *l. Comm. Clodii* 4. *Fomites aſſulæ ambuſtæ, ligna excavata, à fungis nomine excepto.* Unde apud recentiores Græcos Medicos Ἴσκαι, h. e. *eſcæ*, propriè appellantur *fungi* hujuſmodi, quod fomitum uſum antiquitùs præberent, vide ſuprà in hac voce. Apud Sinenſes etiam in hominum cedunt *eſcam*: In *Chekiang* namque, ex monte *Tienno*, ad Quinſæum urbem, infinita vis *fungorum* per totum Imperium defertur, quos ſale conditos exſiccant, ac per totum annum ſervant, dein coquendos aliquandiu aquâ macerant, quo pacto quaſi recentes denuo evadunt, Auctor Anon. *Sinæ & Europæ p.* 32. Vide quæ de boletorum eſu, habet *ad Suet. Tib. Claud. c.* 44. Caſaub. At huic uſui non ſunt *Fungi impetriti*, h.e. in ſaxa duriſſima, priori ſervatâ formâ, converſi, quales in Muſeo Kircheriano aſſervari, tradit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

dit Georg. de Sepibus, *in Deſcript. ejus p.* 33. Sed & *fungi* formam Capuli Fuſium referebant, ut vidimus.

FUNGIA, regnum Nubiæ, aliter *Bugitiæ* regn. verſus Nilum. *Voſſ.*

FUNIS, ſupplicii genus, de quo ſuprà in voce *Fidiculæ*.

FUNUS, initio tenui impenſâ, poſtea invaleſcente luxu, magnificè curari cœpit. Unde non ſepulchris modò, ſed & collocationi, elationi ac productioni *Funerum*, modum Solon poſuit. Fiebat autem collocatio pro arbitrio à cognatis, ut Patris à filio, filii à Patre, ſi ſuperſtitem haberet: aderantque ei promiſcuè viri, & feminæ e cognatis. De elatione verò præſcripſit, ut efferrentur ante Solis ortum, poſtridie collocationis: unde quia incenſi funes ſeu funalia mortuis præferebantur, hinc *Funeri* nomen. Mutaverat tamen hic mos quem poſtea revocavit Demetrius Phalereus, ut refert Cic. *de LL. l.* 2. *Sed ait rurſus idem Demetrius, increbuiſſe eam funerum ſepulchrorumque magnificentiam, quæ nunc ferè Romæ eſt. Quam conſuetudinem lege minuit ipſe: Ante lucem enim juſſit* efferri. Producebant apud Athenienſes funus propinqui: neque tamen feminæ ſexagenariis minores, quæ ſobrinis natæ non eſſent, funeſtam domum intrare aut exequias ire poterant. At verò poſtquam *Funus* elatum eſt, cuique id licuit. Verùm quia tandem magna hominum celebritas funeribus producendis intereſſet, ſublata illa eſt hac lege: *In funeribus celebritas virorum ac mulierum producendis ne intereſto.* Sumptum quoque idem Legiſlator ſuſtulit, nolens tribus plus veſtibus, *Ricinis* dixêrunt Decemviri Rom. mortuum componi aut condi: Μὴ ἐντιθέναι πλέον ἱματίων τριῶν, *Plus tribus ricinis mortem ne humato.* Neve lamentabilia eſſent, leſſum & lacerationem prohibuit, quam ita expreſſêre XII. Tabb. *Mulieres genas ne radunto, neve leſſum funeris ergo habento.* Hippias dein tyrannus præcepit, ut in ſingulos mortuos Minervæ ſacerdoti, quæ eſt in arce, penderetur obolus, hordei duo ſextarii, & frumenti totidem. Porrò cùm juſta mortuo fierent, ipſo nempe elationis die, & ab illa nono, item triceſimo anniverſario & illo quo Natalem ejus celebrabant, *ne bove parentaretur*, iterum Solon ſanxit. Immolabatur verò in effoſſa ſcrobe, atque hæc juſta parentibus perſolvere cogebantur lege liberi, aut ſi nulli liberi eſſent, hæredes. Inter cætera verò Silicernium exhibebant, Gr. περίδειπνον, *Circumpotationem* vertit Cic. (è cujus *l. de LL.* 2. conſtat à Solone in ſervorum funere fuiſſe ſublatam: *Servilis unctura omniſque Circumpotatio tollitor*) idque jam à Cecropis tempore: Exhibebantur autem à propinquis & iis, qui propiori cognatione defunctos contingerent, inque iis defuncti, ſiquidem laudanda feciſſent, celebrabantur; qui honos tantùm iis poſtea habitus eſt, qui in bello eſſent interfecti aut publicè ſepeliebantur: quod fiebat in Ceramico extra urbem, ubi erant ſepulti, idque ab iis ſolis, qui ad eam rem publicè erant conſtituti. Vide Sam. Petit. *Comm. in Leges Attic. l.* 6. *tit.* 8. uti de *Funeribus Romanorum* aliorumque hîc paſſim, inprimis ubi de *Cadaverum cura*, *Conſecratione*, *Defunctis*, *Exequiis* &c. Addam hîc ſaltem, non hodiè ſolum, ſed olim quoque, æra campanaſque *Funeri* adhibitas eſſe, ut pervetus Theocriti Scholiaſtes annotat, quòd is ſonus credebatur eſſe καθαρὸς καὶ ἀπελαστικὸς τῶν μιασμάτων, h. e. *avertere ſpectra & dæmonum ludibria.* Codonophori item atrati illud præcedebant, Suid. tum ut ad ſpectandum funebrem pompam homines accerſerentur, tum, ut Flaminem Dialem admonerent funeris, ne ille ex improviſo occurrens feralibus tibiis auditis pollueretur, vide Hier. Magium *l. de Tintinnabulis c.* 10. & 11. Nec omittendum hîc, quam diu apud Vett. Romanos lugere mortuos ſoliti ſint. Conſtat ex Vett. monumentis, menſes decem, tot enim Romuli habebat annus, viros ab uxoribus viduis lugeri conſueviſſe: ita quidem, ut ante legitimum luctus tempus nubere nemini poſſent, niſi veniâ à Magiſtratu aut Principe impetratâ. Interim minuebatur nonnunquam luctus aut publicè; ædis dedicatione, luſtro à Cenſoribus condito, voti ſolutione: aut privatim cùm liberi naſcerentur, cùm honor familiam novus illuſtraret, cùm ab hoſte capti domum redirent, cùm puella deſponſaretur, cùm caſto Cereris conſtitiſſent &c. de quibus eruditè diſputat Jac. Rævardus *Var. l.* 1. *c.* 20. cui adde ſi placet Jac. Cujacium *Obſerv. l.* 6. *c.* 32. Cæl. Rhodigin. *Antiqq. l.* 17. *c.* 19. 20. & 21. &c. Ut & de Chriſtianorum medii ævi ritibus aliquid aſpergam, conſiſtebat *Funebre officium* eorum, in eleemoſynis, oblationibus, ſacrificiis; Commemoratione item ad altare, gratiarum actione, precatione &c. Quo pacto teſtabantur fidem ſuam, de Immortalitate animarum, & de beato ſtatu defunctorum fidelium ac futura corporum reſurrectione: ſimulque ſpem ſuam de ſuo quoque felici exitu æternaque beatitudine ſuo tempore obtinenda fovebant, ſeſeque mutuò ad ſanctam defunctorum imitationem exſtimulabant. Quam in rem vide Joh. Forbeſ. *Inſtruct. Hiſt. Theologic. l.* 13. *c.* 9. *toto.* uti de *Funebri Laude*, infrà ubi de *Parentandi officio*; nec non retro in voce *Commemoratio*; de *Funebribus facibus*, ubi de *Scirpo*; de *Funebribus Ferculis*, ſuprà in hac voce; de *Coronarum* in hiſce uſu, ubi de *Coronis* &c.

Funerum apud Romanos variæ ſpecies.

Cenſorium, vide *Publicum*.

Familiare, cujus procuratio juſta erat abſentiæ à militia excuſatio, quando ſcilicet aliquis ex familia ejus, qui militiæ nomen dediſſet, fatis conceſſerat. De eo vide A. Gell. *l.* 16. *c.* 4.

Indictivum, cui adhibebantur non ludi modò, ſed etiam Deſultores, eaque erant ampliſſima.

Publicum dicebatur, cùm ob alicujus obitum juſtitio indicto publicus luctus eſſet, ſumptuſque ex ærario fierent. Sic Piſo apud Tac. *Ann. l.* 6. *c.* XI. Vitell. apud Suet. *c.* 3. *publico funere* qui eximius erat honos *elati* leguntur. Græci id δημοσίᾳ θάπτειν dixêre, quam phraſin de Sphæro Cæſaris Pædagogo ac liberto, *l.* 48. & de Piſone *l.* 8. Dio uſurpat. Vide de hoc honoris genere Joh. Kirchmann. *de Funer. Rom. l.* 1. *c.* 4.

Simpludiarium erat, cùm adhibebantur ludi duntaxat, corbitoreſque. Quidam ea ſic vocarunt, quibus neutrum intereſſet genus ludorum, Feſtus: ad quem locum notat Scalig *Simpludiaria dicta, quia ſimplices ludii adhiberentur, h. e. ſaltatores vel cernuatores ſive cervitores, quos Feſtus Corbitores appellat.*

Tranſlatitium, quum quis peregrè aut apud hoſtes obierat. Tum enim cadaveri domum relato poſtea ſolennia & exequialia officia peragebantur, quæ, quòd corpus transferretur, *Tranſlatitia* dicta ſunt.

Verum, cùm quis domi obiiſſet: Hocque erat vel Indictivum, vel Cenſorium, vel Simpludiarium, de quibus ſuprà &c.

FURANIUM, vulgò *S. Eſtienne de Furens*, burgus ampliſſimus, in Lugdun. Præfect. in tractu Forenſi, ad Furanium amnem, ad radices collis, 2. leuc à Ligeri, 10. à Lugduno in Afric. Illic maxima carbonis terreſtris copia eruitur. *Fanum S. Stephani* etiam dicitur.

FURCA, mons Valeſiæ, olim *Juberus*, *Coatius*, ac *Urſellus*; ex eo Rhodanus oritur. *Joh. Matal Metell.*

FURCA, & Foſſa, Angl. *Pytte & Gallowes*, in antiquis privilegiis, ſignificat juriſdictionem puniendi fures, ſc. feminas ſubmerſione, viros ſuſpendio. His igitur ſupplicii inſignibus olim cognoſcibile erat ejuſmodi juriſdictionis territorium: quod & in Scotia hodie obſervatur, ubi reorum in electione eſt, utrum mortis genus obire velint. Galli item lethiferam juriſdictionem erectis denuntiant *furcis*. Vide Henric. Spelmann. *Gloſſ. Arch.* & hîc infrà.

FURCÆ ſupplicium, olim in creberrimo uſu, non in hiſtoriis ſolùm, ſed Comœdiis priſcis ſæpè memoratur. Fuit autem ea vel ignominioſa vel pœnalis. De priori Iſid. *Orig. l.* 2. *Furcifer dicebatur olim, qui ob leve delictum cogebatur à dominis, Furcam circa urbem ferre, prædicans peccatum ſuum, & monens cæteros, ne quid ſimile peccarent.* Qualis hæc *Furca* fuerit, deſcribit Plutarch. *in Coriolano*, cùm humanè admodum habitos ſervos à priſcis narrat. *Erat*, inquit, *magna caſtigatio delinquentis ſervi, ſi lignum currus, quo temonem ſuſtentant, ferens exiret circa viciniam. Id enim paſſus, & ſic conſpicuus non ultra fidem habebat & vocabatur* Furcifer. Unde Plaut. *Amph. Act.* 1. *ſc.* 1. *v.* 129.

Ego pol te iſtis tuis pro dictis & malefactis, Furcifer
Accipiam.

Græcè ςαυρκόμιςος, δικρανοφόρος &c. Poſterior, propriè ſupplicium fuit, ad quam ligati ſub ea vel ad mortem cædebantur vel cæſi per viam ducebantur; deinde collo in eam injecto traducebantur ad ſupplicium, eratque lignum διπλοῦν, vel potius δικροῦν, quo mediâ parte collo inſerto vinciebatur cervix rei, Sub ea, ad mortem cæſos eſſe, inquit Suet. *Ner. Claud. c.* 49. qui *pœnam more Majorum* interpretatur, *nudi hominis cervicem inſeri furcæ, corpus virgis ad necem cædi.* Hoc modo Liv. inceſtum cum Veſtale punitum oſtendit, *l.* 22. *c.* 57. Dionyſ. in culpa ſimili, & de iis qui Urbiniam ſtupraverant, *Antiqq. l.* 9. Qua pœna propriè ſervi affecti: qui, quod, dum virgis cædebantur, converterent ſe & trepidarent, ſaltantium more, multas plagas ſervo portendi, ſi ſaltare ſe ſomniarit, ſcribit Artemid. *Onirocrit. l.* 1. *c.* 78. ὅπως δ' ἂν ὀρχήσηται δοῦλος καὶ ὅπου ἂν πολλὰς λήψεται πληγάς. Dæmonque hinc, ludis Circenſibus, qui antequam inciperent, paterfamilias quidam ſervum per Circi aream transduxerat cæſum virgis & ex more multaverat poſt patibuli pœna, *Præſulem ſibi diſplicuiſſe* conſultus à Romanis, peſte atroci paulo poſt afflictis, reſpondit, apud Arnob. *l.* 6. Sed & liberos interdum ſub *Furca* cæſos eſſe, indigitat Epitome Liv. *l.* 55. Habena autem cædi ſervos ſolitos eſſe, conſtat ex Ulpiano *l.* 1. §. *Impub. ff. de S. C. Silaniano* & Horat. *l.* 2. *Ep.* 2. *v.* 15.

In ſcalis latuit metuens pendentis habenæ.

Vide quoque infrà ubi de *Supplicio more Maj.* Verùm etiam cum *Furca* in crucem non rarò tollebantur. Arnob. *l.* 7. *adv. Gentes*, *Servum peſſimè meritum per Circi aream mediam traduxiſſe cæſum virgis, &, ex more, multaſſe poſt patibuli pœnâ.* Nempe alligari brachia manuſque ad furcam ſolebant, atque ita circumduci, mox in ea attolli. Plaut. *Moſtell.* Act. 1. ſc. 1. *v.* 53. Milit. Act. 2. ſc. 6. *v.* 64. *Diſpeſſis manibus patibulum habere*: & ex eo Nonius, *Patibulum afferre per urbem, deinde affigi cruci.* In ea appenſos eſſe, conſtat ex Feſto: *Furcilæ ſive Furcilla, quibus homines ſuſpendebant.* Plin. *Supplicia annua canes pendunt, inter ædes Juventutis & Summani, furca ſambuceâ, arbore fixi*, i. e. in furca ad arborem fixi. Idem clariſſimè docet Firmic. *l.* 6. *Matth. c.* 31. *Severâ animadvertentis ſententia patibulo ſuffixus, in crucem crudeliter erigeretur.* Ubi primo patibulo, i. e. furcæ, ſuffixus, dein ſublatus in crucem dicitur. Habuêre *Furcæ extrema bacilla figuram literæ V.* teſte Varrone de *Ling. Lat. l.* 4. quemadmodum hodieque in curribus, quâ temo cum axe coit, furca eſt ſuſtentando illi aut fulciendo. Quâ mente Sidon. de Baccho,

Vite capiſtratas cogebat ad eſſeda tigres,
Intrabat duplicem quà temo, *racemifer arcum.*

Itaque ſive in ipſa *Furca* defixi in terram ſimpliciter; ſive cum ea in altiorem arborem aut lignum ſublati ſunt. Figuras exhibet Juſt. Lipſ. *l.* 3. *de Cruce c.* 6. Qui verò ab hoc pœnæ genere, amicorum interceſſione vel aliâ quadam ratione liberabantur, à *Furca redempti dicebantur.* Vide infrà *Tarpeia rupes.* Inferioris ævi inventum eſt *Furca* illa, ſeu inſtrumentum è ligno triplici, formâ jugi veteris, cui appenſi homines laqueo ſtrangulantur: quod ſupplicii genus in pleraque Europa hodie uſitatum eſt. Cœpit id, cùm crux deſiit, à

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Græcis enim uſurpatum vix reperias, nec à Romanis quidem in publico: etſi ii in carcere, damnatis gulam (ſed non ut appenderent) laqueo frangebant. Iſid. quidem ævo nomen hoc & uſum habuit: *Patibulum vulgo*, inquit, *Furca dicitur* (quod hodieque in Hiſpania, ubi ille ſcripſit, obtinet) *quaſi ferens caput Suſpenſum enim & ſtrangulatum hæc exanimat.* Atque hac notione novitia ſatis frequens hoc nomen in libris Legum, quas Tribonianus atque ejus adjuvæ collegêrunt: quia, ſublato crucis ſupplicio, quidni etiam *Furcam* veterem ſublatam dicamus. Itaque ipſos Juriſconſultos uſurpaſſe, non habet fidem apud juris & moris antiqui peritos, qui verè notant, pro cruce id ſubſtitutum, quandoquidem lege latâ Conſtantinus crucem ſuſtulerat. Adeoque ipſi quoque, qui leges collectum ibant, in ævi illius & ſequentis uſum. Exempla plura ſunt, & notata aliis: quædam etiam, ubi inconſpectio; ut in iſto Calliſtrati de Pœnis, *l.* 29. *Famoſos latrones furcâ figendos placuit.* Ad *Furcam* enim novam non figuntur homines, ſed adſtringuntur. Sed fuerat *cruci figendos*: ubi movêrunt alterum, altero retento, quod non debebat &c. Vide eundem Lipſ. *ibid. c.* 7. cui adde Titum Popmam *de operibus ſerv.* A' *Furcifero* autem priſcæ ſignificationis, *Trifurcifer* inſignis furcifer dicitur, Plaut. *in Autul.* Act. 2. ſc. 4. *v.* 46.

> ——— *AN. tu trium literarum homo*
> *Vituperas me? fur etiam fur trifurcifer.*

FURCAN, vide ſuprà *Coran.*

FURCIS, ſeu ſuſtentaculis ligneis impoſita apud Vett. Romanos ſpectacula, vide hîc paſſim in vocibus *Forus*, *Porticus triſtegæ*, *Spectacula.*

FURCONIUM, quaſi *Forum Conæ*, & *Avia* Ptol. *Forcone*, urbs Veſtinorum exciſa, è cujus & Amiterni ruinis coaluit Aquila urbs, inde 8. mill. paſſ. diſtans.

FURFUR, an ex Græco βόρβορος, an ex Lat. *far*, per repetitionem? Varr. *Paſcuntur farre & furfuribus hordeaceis.* Etiam in hominum cibo, ſed infimæ conditionis, uti dicemus, ubi de *Foſſoribus.* Vide quoque ſuprà in voce *Cantabrum*, nec non ubi de *Pane* ac *Servis*; de alio verò ejus uſu, in voce *Lacca*, it. *Pila* & *Sacculi*, nec non ubi de *Silphio.* Hinc vox tranſlata, ad *furfuracea* illa *corpuſcula*, quæ de corpore illoto ac ſquallido eunt, dum ſcalpitur, ac *ſquamæ* aliàs vocantur, uti videre eſt apud Salmaſ. *ad Pallium Tertull. c.* 5. ubi nec ab hac impetigine eruditam manum abſtinet. An inde *Furfuraculum* quoque, Politorum inſtrumentum? vide infrà *Perforaculum*: uti aliam vocabuli notionem, ubi de *Porphyrite marmore.*

FURIA Lex, de Teſtamentis, lata à C. Furio Trib. Pleb. *Ne cui, niſi manumiſſoris cognato, certiſque aliis perſonis, ſupra mille aſſes, legare, mortiſve cauſa donare liceret, quòd ſi quis majorem ſummam ſibi legatam accepiſſet, redderet*, Theophil. *Inſtit. de Leg.* Coërcendæ legis XII. Tabb. causâ, quâ uti quiſque legaſſet ſuæ rei, ita jus erat, ut ait Juſtin. Ejus meminit Cic. *pro Balbo* & *Verrina* 3. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 18. Fuit & *Furia Caninia*, cujus auctores P. Furius Camillus, C. Caninius Gallus Coſſ. A. C. 651. *Ut in teſtamento ex tribus ſervis non plures, quàm duos, manu mittere liceat, uſque ad decem dimidiam partem: à decimo uſque ad triginta, tertiam partem, ut tamen adhuc quinque manu mittere liceat, æque ut ex priore numero: à triginta uſque ad centum quartam partem, æquè ut decem ex priori numero liberari poſſint: à centum uſque ad quingentos, partem quintam ſimiliter, ut ex antecedenti numero* 25. *poſſint fieri liberi*: eademque præcepit, *ne plures omninò quàm centum ex cujuſquam teſtamento liberi fiant.* Eadem lex cavit: *libertates ſervis teſtamento nominatim dari.* Ulpianus *Inſtitut. tit.* 1. Paulus *Sent.* 4. Caji *Inſtitut.* &c.

FURIÆ, Noctis, & Acherontis filiæ tres, *Alecto*, *Tiſiphone* & *Megæra.* Quinam *Lyſſam*, i. e. rabiem addunt. Fictum eſt à poëtis infera loca Furias habitare, ſed tormenta ſceleſtæ mentis eſſe vett. voluêrunt. Cic. *pro Roſcio Amer.* Tres etiam hæ Furiæ ſignificant 3. animi affectus, qui homines in omnia facinora præcipites agunt, quorum Ira ultionem deſiderat, Cupiditas opes, Libido voluptates. Eurip. *in Oreſte.* Vide *Diræ* & *Eumenides.* Addo, quod iis ſerpentes, pro comis primus induxit Æſchylus, qua de re vide in illo, ut & ubi de *Tragœdia.* Hinc ad immittendos furores, crinibus uti fingebantur. Lucan. Civ. Bell. *l.* 9. *v.* 642.

> *Eumenidum crines ſolos movere* furores.

Eædem *ſemper virgines* ferebantur. Sophocl. καλῶ δ' ἀει-παρθένους Ἐρινύας. Vide Caſp. Barth. *ad Stat. Theb. l.* 4. *v.* 457. qui plura de *Furiis* egregio eodem Opere paſſim exhibet. Vide quoque ubi de *Eumenidibus.* Addo ſaltem *Furiam Furvam*, à galea coronata erumpentem, apicem eſſe ſcuti Didaci Fernandi *de Corduba* Duc. Cardonæ, March. *de Comores*, in Hiſpania apud J. J. Chiffletium *Inſign. Gentil. Eqq. Aurei Velleris*, *n.* 238.

FURII, ſub Romulo, è Medullia Latinorum urbe, quæ tunc ſe Romanis dedidit, Romam migravit, atque inter minorum gentium Patricias lecta fuit. Nobiliſſima poſtea fuit, in multas familias, quarum hæc cognomina, diſtincta: Medullinus (ab urbe, unde orta, cognominis origo quoque) *Fuſus*, Pacilus, Camillus, Purpureo, Craſſipes, Philus. Clara admodum, & illuſtris Dictaturis ſeptem: Conſulatibus viginti: Tribunatibus militum conſulari poteſtate viginti tribus: Cenſuris quatuor: Triumphis ſeptem.

FURINA, Dea furum, ſecundùm Etruſcos verò dea Sortium ad lites dirimendas. Sacra ejus *Furnalia*, vel *Furinalia.* Eadem Flaminem ſuum habuit, *Furinalem* dictum. Incidebant autem *Furinalia*, in d. 12. Kal. Sextileis. Joh. Roſ. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 11.

FURINÆ Lucus, ubi C. Gracchus interfectus eſt. *Plutarch.*

FURIUS, vide *Cajus.*

FURITUS Antias, Poëta, Macrob. *l.* 18. *c.* XI. & Aul. Gell. *l.* 1. *c.* 13. laudatus: Q. Catulo charus, qui ei tractatum de rebus ſe Conſule geſtis miſit. An auctor Annalium verſu ſcriptorum? Lil. Girald. Furio hos certè Bibaculo adſcribit, Voſſ. *de Hiſt. & Poët. Lat.*

FURIUS Bibaculus, Annalium metricè ſcriptorum auctor. Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 13. Nugas ſæpe parum honeſtas ſectatus, Horat. non tamen contemnendus, cùm ipſe Virg. eum imitari voluerit. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 14. *de P. c.* 12. *Orat. Inſt. l.* 4. *c.* 6. *ſ.* 10.

FURIUS Camillus, vide *Lucius.*

FURIUS Camillus, Aruntius Scribonius, Coſ. cum. Cn. Domitio Ænobarbo A. U. C. 784.

FURIUS Celſus, præſes Mauritaniæ Tingitanæ, ſub Alex. Sev. Æl. Lamprid. in *Vita* hujus, *Actæ ſunt res feliciter & in Mauritania Tingitana, per* Furium *Celſum & in Illyrico* &c.

FURIUS Medullinus, vide *Lucius*, it. *Publius Sextus Spurius.*

FURIUS Petilius, vide *Cajus.*

FURIUS Philo, vide *Publius.*

FURIUS Placidus Coſ. memoratur Vopiſco *in Aurel. Vidimus proximè Conſulatum* Furii Placidi *tanto ambitu in Circo editum, ut non præmia dari aurigis, ſed patrimonia viderentur; quum darentur tunicæ ſubſericæ, lineæ paragandæ, darentur etiam equi, ingemiſcentibus frugi hominibus. Factum eſt enim, ut jam divitiarum ſit, non hominum Conſulatus* &c. Quid ſit autem *Conſulatum edere* & ὑπατείαν δοῦναι, diximus ſuprà. Vide & *Cajus.*

FURIUS Purpureo, vide *Lucius.*

FURIUS Scribonianus, ſub Claudio in exilium actus, Fauſto Sullâ, Salvio Othone Coſſ. quaſi finem Principis per Chaldæos ſcrutatus eſſet. Adnexa eſt crimini Junia mater ejus, ut caſus prioris (nam relegata erat) impatiens. Paulò pòſt morte fortuitâ extinctus eſt. Tac. Ann. *l.* 12. *c.* 52.

FURIUS Tricipitinus, vide *Lucius.*

FURIUS Victorinus, Præfectus Prætorio, ſub Marco Imp. apud Capitolin. in *Vita* hujus.

FURNÆ, urbec. culta & munita Flandriæ, vix 1. leuc. ab ora litt. maris Germ. amplam habens juriſdict. ſub Gallis. Inter ipſam, & Dunkercam, à qua 3. leuc. in Ort. abeſt, victi ſunt Hiſpani à Gallis, A. C. 1658. A' Fœderatis hoc bello haud pridem capta, ruſumque amiſſa.

FURNARIA, apud Suet. *Vitellio*, *c.* 2. *Plures auctorem generis libertinum prodidêrunt — cujus filius ſectionibus, & cognituris uberius compendium nactus, ex muliere vulgari, Antiochi cujuſdam furnariam exercentis filia, Equitem Romanum genuerit*: abſolutè poſitum eſt pro *Furnaria negotiatio.* In Gloſſ. exponitur *Furnarius*, ἰπνοκαύστης, καμινοκαύστης, ſed ea interpretatio miniſtro potiùs *Furnarii*, quàm ipſi Furnario, conveniat, Caſaub. *d. l.* De *Furni ſupplicio*, vide in Sacris hiſtoriam Danielis, & Sociorum: Sed & eo, in *Furnarium* quendam, qui panem minori pondere, quàm conſtitutum erat, coctum vendidiſset, uſum in Perſia Scha-Abam Regem, ſeverum Juſtitiæ vindicem, legas apud Joh. Bapt. Tavernier *Itin. Perſ.* Vide quoque infrà ubi de *Piſtoribus.*

FURNIUS, à Domitio Afro poſtulatus adulterii, cum Claudia Pulchra, & veneficiorum in Tiberium: qua de cauſa etiam damnatus eſt. Tac. *Hiſt. l.* 4. *c.* 52.

FURNIUS, Horatii amicus. Serm. *l.* 1. *Sat.* X. ſub calcem.

> ——— *Simul his te candide* Furni.

FURNIUS, Coſ. cum Domitiano Aug. A. U. C. 873. Vide & *Titus.*

FURNUS Epiſcopi, *le Four l'Eveſque*, domus Pariſiis in vico S. Germani Antiſſiodorenſis, ad Sequanam; ab eo dicta, quòd homines Epiſcopi ibi conquerent, quibus pecunia proin dari jubebatur: quales *Furnos Bannarios* appellabant. Talis erat alter *Furnus* Epiſcopi, in vico Arboris Siccæ, *ruë de l'arbre ſec*: Item *Furnus* S. Eligii, in vico de Aquila &c. Nunc furno diruto, domus modò carcerem, nomine modo, & Auditorium habet, in quo Judex vel Ballivus, nomine Archiep. Pariſienſis, jus reddit. Obiter proin Carolum Molinæum JC. alioſque, *Forum* pro *Furno* reponentes, corrigit Hadr. Valeſ. *præfat. in Not. Gall.*

FURONI, recent. *Forum Comitis*, vulgò *Foron*, amplum Germaniæ inf. municipium, à Trajecto, & Aquiſgrano parum diſtans. Hîc inter Ludovicum fil. Caroli Imp. & Ludovicum fil. Ludovici Regis A. C. 879. conventum eſt. Superſunt in proximo colle *Op de Sale*, veteris Palatii reliquiæ, foſsæ, aggeres, & rudera fundamentorum, *Idem.*

FUROR, ab antiquis fictus fuit vinctus catenis, qualem his verbis Virg. *l.* 1. *Æn.* Jovem inducit loquentem, *v.* 397. & ſeqq.

> ——— *Diræ ferro compagibus arctis*
> *Clauduntur Belli portæ,* Furor *impius intus*
> *Sæva ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis*
> *Poſt tergum nodis, fremit horridus ore cruento.*

Interdum fingebatur ſolutis vinculis & catenis, qualis deſcribitur à Petronio Arbitro *in Satyrico*, Edit. Gonſali di Salas *p.* 68. Edit. Boſch. *c.* 84. ubi ita canit,

> *Quos inter* Furor *abruptis ſeu liber habenis*
> *Sanguineum latè tollit caput oraque mille*
> *Vulneribus confoſſa, cruenta caſſide velat.*

Nic. Lloyd. Vide & *Inſania.*

FURSTEMBERGA, opp. Duc. Waldeccenſis.

FURSTENAVIA Familia, Germ. *Furſtenau*, ramus eſt Familiæ Erpacenſis: Et quidem Georgius, fil. quartò-genitus Georgii Alberti Com. Erpachii (qui Obiit A.C. 1647.) ex Eliſabetha Dorothea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

thea Hohenloica (defuncta A. C. 1655.) uxorem ſibi junxit Ludovicam Annam, filiam Georgii Friderici Com. Waldeccii, ex ea que ſuſcepit Sophiam Carolam (nat. A. C. 1672. denat. A. C. 1673.) ipſe natus A. C. 1646. & *Com. de Erpach, in Furſtenau* titulo inſignis, vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Part. III. p.* 1. ut & *in Ind.* nec non *Art. Herald. Tom. II.*

FURSTEMBERGICA Familia Germaniæ illuſtris, cum Comit. dignitate: quorum vetuſta & inter Suevos celebris memoria, nuper ex parte Principali axiomate illuſtrior reddita eſt. Ejuſdem familiæ partem credunt olim conſtituiſſe Comites Friburgenſes, qui in Joh. (à quo Hochbergiis & nunc Badenſibus *Badenweiler* contigit) defecêrunt A. C. 1458. Quantum nunc ex hac ſtirpe ſupereſt, dividitur in ramum Heiligenbergo-Werdenbergium, à Joachimo Friderici A. C. 1559. defuncti filio, ortum, & à Joachimi fratre Chriſtophoro Blombergium. Hic in Meſskirchium, & Stulingenſem iterato dividitur. Et quidem ramum Heiligenbergo-Werdenbergium quod attinet, Fridericus præfatus ex Anna Werdenbergica, filia Chriſtophori Com. Werdenbergæ & Heiligenbergæ, Joachimum genuit, extinctum A. C. 1598.) qui ex Anna *de Zimbern*, filia Comitis Frobenii Chriſtophori, fil. habuit Fridericum (defunctum A. C. 1617.) qui ex Eliſabetha Sultzia, filia Alvici Comitis, Egonem progenuit, qui defunctus eſt A. C. 1635. Pater ex Anna Maria Zollerana, Ferdinandi Friderici Egonis (nat. A. C. 1623. den..... mariti Franc. Eliſabethæ Com. *de Montrechier*) Leopoldi Ludovici (qui obiit A. C. 1639.) Franciſci Egonis (nat. A. C. 1626. Ep. Argentinenſis, qui nunc Pariſiis degit) Hermanni Egonis (nat. A. C. 1627. mariti Mariæ Franciſcæ agnatæ) Joh. Egonis (A. C. 1629. extincti) Vilhelmi Egonis, Ep. Metenſis nat. A. C. 1629.) Erneſti Egonis (defuncti A. C. 1652. Eliſabethæ (quæ nupſit Ferdinando Com. *de Reckum*) Mariæ Franciſcæ (nat. A. C. 1633. cui mariti obtigêre Wolfgangus Vilhelmus Com. Pal. Rheni Neoburgicus, denat. A. C. 1651. dein Leopoldus Vilhelmus Marchio Badenſis (& Annæ Mariæ (nat. A. C. 1634. & nuptæ Ferdinando Carolo Com. Leonſtenio) qui omnes Principes ſunt *de Furſtenberg* &c. lineæ Heiligenbergenſis. Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Part. I. p.* 4. Meſskirchium verò quod ſpectat ramum, Chriſtophorus fil. alter Friderici Com. præfati, frater Joachimi; (defunctus A. C. 1559.) ex Barbara Montfortia, genuit Albertum, qui deceſſit A. C. 1599. Pater ex Iſabella Bernſtenia filia Vratiſlai *Dn. de Bernſtein*, Cancellarii Bohem. Chriſtophori II. (extincti A. C. 1614.) quo & Dorotheâ *de Sternberg*, natus Uratiſlaus Com. *de Furſtenberg in Meſſkirch*, junxit ſibi Mariam Helfſtenſteniam, è qua ſuſcepti, Maria Eleonora Dorothea (ux. Joh. Euſebii Fuggeri Com. *de Kirchberg*) Franciſcus Chriſtophorus (nat. A. C. 1625. maritus Mariæ Thereſiæ Princ. Arenbergæ) Frobenius Maria (nat. A. C. 1627.) & Joh. Maximilianus Franciſcus (qui obiit..) omnes *Com. de Furſtenberg in Blomberg. in Meſſkirch.* E quibus Uratiſlao, ex Franciſca Carolina Com. Helfenſtenia geniti ſunt Maria Franciſca (A. C. 1638.) Joh. Martinus Ferdinandus (A. C. 1640.) Rudolphus Maximilianus & Ferd. Vilhelmus, qui poſtremi ambo obiêre. Idem *Part. III. p.* 4 & 87. Stulingenſem tandem quod concernit, alter fil. Chriſtophori II. & Dorotheæ de *Sternberg*, Fridericus Rudolphus Com. *de Furſtenberg in Stulingen*, obiit A. C. 1655. ex Maximiliana Maria Pappenhemia (defuncta A. C. 1635. filia Maximiliani Com. Pappenhemii *in Stulingen*, qui obiit A. C. 1639.) Pater Franciſci Maximiliani, qui matrimonio ſibi junxit Mariam Magdalenam de *Bernhauſen*, inſignis tit. *Com. de Furſtenberg &c. in Stulingen, lineæ Blombergiæ*, vide eundem Spener. *Part. I. p.* 133. &c.

FURSTIUS Waltherus, Uriâ Helvetius, vetus fiduſque Werneri Stouffacheri Suitii amicus, huic ad excutiendum intolerabile Auſtriacorum præfectorum jugum, & patriam in libertatem aſſerendam, graviter ſe hortanti aures præbet: amboque re diu ſecum deliberatâ, & Arnoldo Melechthalto, ex Subſylvania in ſocietatem conſilii adhibito juramento ſe invicem mutuò obſtringunt, ad tantæ molis opus ſtrenuè aggrediendum. Locus ad Urienſem lacum delectus eſt, vulgò *im Grütli* nominatus, ubi convenirent tres hi fœderis Principes, & Helveticæ Libertatis Triumviri, ſingulique tribus quatuorve ſociis aſcitis, communi conſilio de rebus agendis ſtatuerent: Factum id, neque plebs ſolùm, ſed & Nobilitatis pars magna mox iis acceſſit. Sic Kal. Jan. A. C. 1308. in tribus Pagis arces everſæ, & via ad libertatem aperta patuit. Poſtridie tres memorati Pagi legatis miſſis publicum fœdus in decennium iniêrunt, donec perpetuum factum eſt: Ratum eſſe jubeat omen Deus!

Waltherus, Princeps *patrio qui nomine dicor,*
Æterni princeps fœderis ecce fui.

FURTUM, contrectatio eſt rei alienæ, invito domino: Ei nomen an à *ferendo*, an à *furvo*, i. e. atro, quòd nocte & velo gaudeant proximi bonis inſidiantes? Saturno regnante nullum fuiſſe dicitur. Apud Lacedæmonios, *ſobrios illos & acres viros*, verba ſunt A. Gellii *l.* 11. *c.* 18. permiſſum legitur, *pro exercitio diſciplinaque rei bellicæ facultatum quòd & furandi ſollertia & aſſuetudo acueret firmaretque animos Adoleſcentium, & inſidiarum aſtus & ad vigilandi tolerantiam & obrependi celeritatem.* Apud Ægyptios quoq; *furta* tolerabantur, ſed certâ conditione Lege enim cautum, ut qui furtis operam dare cuperent, apud Principem furum nomen ſuum profiterentur, atque ad illum cuncta furto ſurrepta deferrent, Si quis autem furto quædam amiſiſſet, indicabat illi præpoſito, atque ſua facilè recuperabat, ita tamen ut quadrantem bonorum æſtimatorum perſolveret. Diod. Sic. *Biblioth. l.* 1. *c.* 80. Romani verò graviſſimè ea puniêrunt. Et quidem *Furem, qui manifeſto Furto prehenſus eſſet, tum demum occidi permiſerunt* Decemviri, *ſi aut, cùm faceret, nox eſſet, aut interdiu ſe telo cùm prehenderetur, defenderet,* (conformiter legi, cujus mentio Exod. *c.* 22. *v.* 2.) *Ex cæteris autem manifeſtis furibus, liberos verberari, addicique juſſerunt ei cui furtum factum eſſet, ſi modo id luci feciſſent, neque ſe telo defendiſſent. Servos item furti manifeſtos, verberibus affici & è ſaxo præcipitari: ſed pueros impuberes Prætoris arbitratu verberari voluerunt, noxamque ab iis factam, ſarciri.* Quod de ſervitute hic A. Gell. è quo verba illa deſumpta ſunt, id juri Hebræo ſimiliter erat conveniens Exod. *c.* 22. *v.* 3. apud quos ſervitus hæc erat ſexennalis, niſi antea labore ſuo tantum Domino acquiſiviſſet, quantum res ipſa ſublata valuiſſet, propter multæ enim debitum in ſervitute retineri nequibat. Mulieres autem in ſervitutem non addicebantur. Joſ. *Antiq. Jud. l.* 16. Poſtea apud Romanos, à lege illa Decemvirali receſſum, & Prætores pœnam furti manifeſti in pecuniariam quadrupli mutarunt dupli in fures non manifeſtos intactam relinquentes. Imò poſtmodum non tantùm civiliter, ſed etiam criminaliter atque extra ordinem, *Furti* agi cœptum fuit, & pœna arbitrio illius, qui jurisdictioni præerat, relinquebatur. Conſtitutum quoque, ne licitum eſſet furem nocturnum vel diurnum occidere, niſi ſe telo defenderet, parcique ei ſine periculo non poſſet, ut habetur *l.* 9. *D. ad l. Corn. de Sicar.* quod aliter & cum diſtinctione leg. XII. Tabb. obtinebat. Noviſſima hinc conſtitutio lata à Juſtin. *Nov.* 134. *c. ult.* quâ tamen pœnâ ipſa res non continetur, quam perſequi dominus poteſt §. 14. *de Oblig. quæ ex del.* & §. 18. *de Act.* vide quoque ſuprà *Crux, Flagra,* Apud Vett. Athenienſes ſevera admodum, & acria de *Furtis* fuêre judicia Draconis enim lege omne *Furtum* capite luebatur. Solon poſteà pœnam dupli ſanxit, ſi, quod furto perierat, recepiſſet dominus decupli autem, ſi non recepiſſet: & tum, ſi Eliaſti videbatur, in nervo Gr. ποδοκάκῃ dies quinque totidemque noctes fur detinebatur. Imò, qui dupli quoque condemnabantur, vinculis ſtringi ignominiæ cauſa fuiſſe ſolitos, patet ex Demoſthene: Si nempe furtiva res intra 50. drachmarum pretium eſſet; quòd ſi furtivæ rei æſtimatio eſſet ſuprà hanc ſummam aut nox furtum factum eſſet, aut etiam interdiu in balneis, vel aliis publicis locis, capitis ſupplicio vindicabatur *Furtum*, ex lege Solonis, quam repræſentat modò laudatus Demoſthenes ἐν τῷ κατὰ Τιμοκράτους. Neque tantùm in fures, ſed etiam in eos, quorum ope & conſilio furtum factum fuiſſet, lege animadvertebant: Judices autem harum cauſarum in illa Rep. Undecimviri fuêre. Vide Sam. Petit. *Comm. in L. L. Attic. l.* 7. *tit.* 5. De furum pœna apud Iſraëlitas, vide Exodi *c. ſuprà laudato*; & infrà ubi de pœna *Quadruplici* apud Anglos in voce *Feſſa*, item lit. *T.* Vide quoque infrà *Hermendatum*, & in voce *Perjurium*, ubi *Furti* inprimis crimen per Palicorum fontem conſueviſſe argui, dicemus. Porrò in *Stimulus*, ubi, antequam crimen confiterentur fures, publicè deſtimulatos illos olim eſſe, ut veritas eliceretur, videbimus; qui proin *Centrones* inde dicti. in *Thaurgia*. Non tamen defuêre ſui *Furtis* apud Gentiles Dii, Furina, Luna dux, Laverna, Mercurius &c. ſed potiores Diis fuêre leges, qualis apud Rom. Hoſtilia, Tabb. XII. &c. apud Græcos Draconis Soloniſque ſuprà memoratæ, apud Hebræos eæ, de quibus *in loco Exodi præſato.* Nec forum apud Romanos res ſuas, deficiente jam die venales proponerent, ſc. Suburra &c. Addam ſaltem, *Fures* & ſervos nequam, apud columnam Mæniam Romæ puniri olim fuiſſe ſolitos. Horat. *Epod.* Od. 4. *v.* 11.

Sectus flagellis hic Triumviralibus,
Præconis ad faſtidium.

Nempe Triumviri Capitales judicio præſidebant. Vide Pignor. *de Servis.* &c. ſuprà quoque in verbo *Advocare*, & infrà *Veſpertilio.*

Furtorum variæ apud Vett. ſpecies.

Cingulum inciſores βαλαντιοτόμοι manifeſti, morte mulctabantur apud Athenienſes, ex lege: Ἐάν τις φανερῶς ἁλῶναι βαλαντιοτομῶν, τούτῳ θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν, *Manifeſti ſacculari morte luent.* Vide infrà in voce *Manticulati*, it. *Saccularii.*

Columbarum inſtitutores, item qui alias quoque aves ſive feras ſive pecora ſic aſſuefacerent, ut exeuntes illices redirent comitatiores, in lucrum domini, ex Jure Hebræo pro furibus habitos, diſcas ex Seldeno, *l.* 6. *c.* 11. Vide ſuprà ubi de *Columbis.*

Conceptum per licium & lancem dicebatur furtum apud Romanos, qui morem hunc apud Athenienſes uſitatum ab iis mutuati ſunt, cùm qui res furtivas quærebant, nudi cincticulo amicti ædes ſuſpectas intrabant: cùm priùs Deos eſſent conteſtati, ſe inveniendi ſpem quærere. Si inveniſſent, is apud quem quærebant, mulctabatur. De iis lex: Φωράτοντα γυμνὸν χιτωνίσκον ἔχοντα ἄζωστον εἰσιέναι εἰς τὴν οἰκίαν, ἐπὶ τῷ ἐρευνῆσαι, *Qui furtum it quærere in domo aliena, cincticulo amictus intrato.* Nudi autem ingrediebantur, ne quid fortè veſtibus conditum inferrent, dominoque ædium falſum crimen objectare poſſent. Lance verò ante oculos utebantur, ne gynæconitidem viderentur intrare corrumpendi feminas potiùs causâ, quàm furti concipiendi.

Ficus qui furabantur Athenis, olim quidem capite luebant, ex lege: *In Hortos irrumpere ficoſque deligere capital eſto.* Sed facilè mutavit, itaque poſtea multati tantùm ſunt, juxta legem: Κλέπτοντα σῦκα κολάζεσθαι, *Qui ficus clepſerit, multator.*

Fimi fures apud eoſdem graviter puniti ſunt, ex lege: Τοὺς βολίτων ὑφελομένους κολάζεσθαι, quo nomine ſtercus præcipuè bubulum indigitabatur.

Gallinarum, graviùs puniti, quam bovis vel equi abactivus in Juſ. Mannia, vide ibi.

Per lancem & licium, vide ſuprà *Conceptum.*

Ludis, ut aleâ, talis, ludicris pecorum, ferarum aut volucrium certaminibus, ſi quis lucrum feciſſet, furti reus olim Hebræis ex Majorum ſcitis, habitus. Neque enim, contractu ex fortuna pendente, rem ritè acquiri judicabant. Selden. *de Jure Nat. & Gent. juxta Diſcip. Hebræorum l.* 6. *c.* 11.

Manifeſtum dicitur, quod deprehenditur, dum fit: faciendi finis eſt, cùm perlatum eſt,

quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

quod ferri cœperat. De eo ſuprà.

Nec manifeſtum, quod poſtea quandocunque deprehenditur.

Non exhibitum, quando quis rem furtivam apud ſe quæſitam, & inventam non exhibebat.

Oblatum, cùm res furtiva alicui à fure oblata eſt,

Plagium apud Athenienſes Sirempſe lege vindicabatur: Εἀν τὶς φανερὸς γένηται ἀνδραποδιζόμενος, τούτῳ θάνατον εἶναι ζημίαν, *Plagiarii manifeſti morte luunto.*

Privatum.

Prohibitum, quando quis furtum apud ſe teſtibus præſentibus inveſtigari prohibebat.

Vide Jac. Oizel. *in A. Gell. l. 1. c. 18.*

Publicum, de quo Cato: *Fures privatorum furtorum in nervo & compedibus ætatem agunt fures publici in auro atque in purpura*, apud eund.

Saccularii, vide ſuprà *Cingulorum inciſores*, infrà *Sector.*

Scriptorum, de quo furti genere vide Salmaſ. *Prol. ad Sol.*

Vecticularii ſeu manifeſti effractores, & perfoſſores parietum, Athenis capite plectebantur, ex Lege: Εἀν τὶς φανερὸς γένηται τοιχωρυχῶν, τούτῳ θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν.

Zonarii ſectores, vide *Saccularii.*

FUSCHIUS Remaclus, vide *Remaclus.*

FUSCI, *in Chron.* Novalic. *l. 6. Eodem tempore, quo* Fuſci *morabantur in caſtro Fraſcenedetto*, Mauri ſunt, Mauritaniæ incolæ, Gall. *les Noirs* vel *les Negres*, ſicut *Fraſcenedetto*, Fraxinetum, de quo ſuo loco. A' *fuſco* colore, quem à *rutilo* ac *rufo* multùm diſtare Salmaſ. docet *ad Solin. p. 1143. Fuſcinum* pro eo infima Latinitas dixit, unde *Fuſcina*; Gallis *fouine*, à *fuſco* pilo meles appellatur, felium agreſtium genus, in domibus tamen frequens, præcipuè villaticis, noctu ferè tantùm graſſari ſolitum & gallinis, leporibus, pipionibus oviſque maximè infeſtum. Unde *lucifugam melem* vocat Gratius, qui galeros quoque ex ea fieri venatoribus tradit:

——— Lùcifugaque ex mele *galeros.*

Quod proin genus ſtudioſè Vett. venati ſunt, teſte Nemeſiano *in Cyneget.*

——— felicemque minacem
Arboris in trunco longis præfigere telis,
Implicitumque ſinu ſpinoſi corporis erem &c.

Vide eundem Salmaſ. ubi ſuprà *p. 1009.* & infrà *Melis*

FUSCIANUS, Coſ. cum Syllano, A. C. 940.

FUSCINA, tridens, piſcatorium inſtrumentum. Mart. *de Spectac. Epigr. 26. v. 3.* cujus epigraphe de Natatoribus

Fuſcina *dente minax, nexu fuit anchora curvo*

Vide infrà ubi de *Tridente.* Hinc *Fuſcinula eſcaria*, qua Europæi utimur; catum etiam ſuum porrectos cibos prehendere docuit Philomathus (poſtea Alexandri VII. nomine clarus) dignum proin habitum, cujus memoriam inſigni carmine poſteritati commendaret, quod videre eſt in *Muſis*, ejus *Juvenil.* Fuit illa ex argento. At ſimili inſtrumento ex auro uſa, Dominici Sylvii Venetorum Ducis uxor, magno luxuriæ argumento, traditur Sabellico. Japonios verò, duos eburneos bacillos, quibus admodum dextræ cibos tractent vice ejus adhibere, legimus apud *Itinerariorum Scriptores.*

FUSCUS, Adriani Imp. ex ſorore nepos, cum patre Severiano, occidendus, imprecatus eſt Adriano, ut *cùm mori cupiat non poſſit.* Ælius Spartian. *in Adr.*

FUSCUS, Coſ. cum Dextro, A. U. C. 977. Vide *Cornelius.*

FUSCUS Palladius, vide *Palladius.*

FUSIA Lex, à P. Furio Philo Coſ. cum Sexto Atiliano Serrano A. U. C. 527. rogata, *ut certis diebus, qui tamen faſti eſſent, agi cum populo non liceret*, voluit. Alia, lata à Q. Fuſio Caleno Prætore. C. Julio Cæſare M. Calpurnio Bibulo Coſs. A. C. 690. juſſit: *Ut ſingula genera ſuffragium ſeorſim ferrent, quò ſententiæ internoſci poſſent*: Antea enim in Tributis Comitiis omnium ſimul ſuffragia confundebantur. Ejus meminit Dio *Hiſt. l. 38.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 8. c. 3.*

FUSIDIUS, Orator. Cic. *in Bruto.*

FUSINÆ, vicus Lombardiæ Tranſpad.

FUSIUS, Orator. Cic. *l. 2. de Orat.*

FUSIUS Calenus, vide *Calenus.*

FUSIUS Cotta, prænomine *Cajus*, honeſtus Eques Rom. qui in Gallia, rei frumentariæ præerat, à Carnutibus interfectus, Cæſ. *l. 7. c. 1.* Vett. Codd. *Citam* habent, quod Aureliæ familiæ nomen.

FUSIUS Geminus, vide *Cajus*

FUSNIACUM, hodie *Foigny*, vicus in ſilva Teoracia Laudunenſique diœceſi, aquis, & paſcuis, ſed multo magis vett. Monaſterio illuſtris, ad amnem, paullò pòſt Iſaram aucturum. Hunc Claravallenſibus Monachis dedit Bartholomæus Ep. Laudunenſis. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

FUSTANUM, ſeu FUSTANEUM, apud Orderic. Vitalem *l. 5. & Odelinæ conjugi ejus unum* Fuſtaneum *dedit.* Infrà, *& Odoni, filio ejus, unum fuſtaneum*: panni eſt ex goſſypio confecti ſpecies, Xylinum, Gallis *Fuſtaine*, Italis *Fuſtagno.* Vide C. du Freſne *Gloſſ.* & Macrum *in Hierolex.* Vocis origo à *fuſte*, i. e. ligno, in quo hæc lana naſcitur. Vide infrà ubi de *Goſſypio.*

FUSTES, antiquiſſimorum mortalium arma. Certè primùm belligeraſſe *fuſtibus* inter ſe Ægyptios & Afros, poſtea Belum Neptuni fil. gladios invexiſſe, ſcribit Higin. *c. 274.* Unde *Etymologici*, auctor, τὸ παλαιὸν ξύλοις ἀνῄρουν τοὺς πολεμίους, ὕστερον δὲ τῷ ξίφει. Et Horat. Serm. *l. 1. Sat. 3. v. 119.*

Unguibus & pugnis, dein fuſtibus, *atque ita porro*
Pugnabant armis, quæ poſt fabricaverat uſus.

Cujuſmodi veteris pugnæ ſimulacrum ciêre in India luſus gratia homines, eo ſpectaculi genere delectatos, mox *fuſtibus* utrinque magno numero relictis diſcedere, & eminus ſimias (quarum gratia id inſtitui ſolet) ex arboribus delapſas, atque arreptis fuſtibus ſerio inter ſe digladiantes, acie non niſi truncis artubus aut morte dirimendâ ſpectare non ſine ingenti riſu, refert Joh. Bapt. Tavernier. *Itin. Ind.* ut & ſuprà *Fulmen.* Eodem porrò modo in ſontes animadverſum, quos *fuſtibus* interficiebant priſci aut lapidibus, cùm ferri uſus adhuc in abdito eſſet. Joh. Meurſ. *ad Lycophr. p. 297.* Alia *fuſtigationis*, recentiori ævo ratio eſſe cœpit: cùm jam gladius eſſet, qui mortem inferret merentibus. Vide infrà in voce *Fuſtis.* Inde *Fuſterna*, ſuperior pars abietis, quia nodoſa, ut ſolent eſſe *fuſtes* vel baculi &c. Vide quoque hîc in vocibus *Clava*, & *Sudes.*

FUSTIBALUM, machinæ bellicæ ſpecies, apud Fulconem *Vit. Hieroſolym. l. 2. p. 893.*

Aggeribus, plateis, onagris fuſtibaliſque
Aſſultus ineunt, cunctis utenſilibuſque.

Sed *fundibaliſque* legi mavult C. du Freſne vide *ſuprà.*

FUSTIGATIO, inter pœnas, quas pœnitentibus Inquiſitores Eccleſiæ Rom. irrogare ſolent. Vide infrà *Verberatio.*

FUSTIS, an quòd præfixi in *foſſis* ſtent, quos ruſtici *palos* vocant, Iſid. Vide & infrà *Valleur.* an à *fundo*, Mart. an à voce *fuſus*, dictus, pœnæ genus eſt à Romanis privatim olim ac in caſtris adhibitum. Metellum *fuſte* peremiſſe uxorem, quòd vinum bibiſſet, refert Val. Max. *l. 6. c. 1.* Scipio, apud Liv. diſciplinam militarem ad Numantiam corrigens, quem militem extra ordinem deprehendit, ſi Romanus eſſet, vitibus: ſi extraneus, *Fuſtibus* cædit. Factum id autem hoc modo: Accepto fuſte Tribunus vix tantùm attingebat damnatum, quod ubi factum erat, omnes, qui in caſtris erant, cædentes fuſtibus pleroſque in ipſis caſtris conficiebant, ac ſi evaſiſſent, ne ſic quidem ſervari poterant. Quippe quibus neque in patriam redire liceret, neque à propinquis domum recipi poſſent. Infligebatur hæc pœna inprimis cuſtodibus; ſive vigilibus in militia, qui teſſeras non reddidiſſent, aut dormiviſſent, aut locum vigiliæ deſeruiſſent: item tergiductoribus & Præfectis alæ, qui negligenter vigilias curaſſent aut teſſeràs non propagaſſent. *Fuſte* etiam cædebatur, qui furto ſuſtuliſſet quippiam è caſtris, nec non qui falſum teſtimonium dediſſet. Contra proximum & ſi quis flore ætatis abutens deprehenſus eſſet. Attellanarum inſuper actores, ſi quid deliquiſſent, ut dicemus infrà in voce *Juvenes*; perjuri quoque de quibus ſuo loco, ubi, *periculum corporis* id pœnæ genus dictum eſſe videbimus &c. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom.* l. 10. c. 25 Hinc *Fuſtuarium mereri*, apud Cic. *orat. Phil* 3. Anglis eſt *à Club*, item *ſtaf for cudgel.* Græcis τύμπανον, Jungermanno *Not. in Hier. Magium de Equuleo*: cui proin ἀποτυμπανίζειν propriè eſt *fuſtibus* ſeu *rotundis iſtiuſmodi bacillis necare.* Probat id ex vet. Scholiaſte Ariſtoph. *in Pluto*, ubi τύμπανον interpretatur lignum, quo verberabantur ſontes, idque dictum vult παρὰ τὸ τύπτειν, à verberando. Et ſuffragatur Heſych. cùm ait: Τυμπανίζεται, πλήσσεται, ἐκδέρεται, ἰσχυῶς τύπτεται, &c. Cl. verò Salmaſ. aliter videtur, cui *Fuſtigatio*, Græcè ξυλοκοπία dicitur, & in pœnis publicis, caſtigatione virgarum levior fuit: unde varios pœnarum gradus recenſens Lamprid. in *Alex. Sev.* fuſtes, ut minus graves, priùs poſuit: *Si quis de vis in alicujus poſſeſſionem deflexiſſet, pro qualitate loci aut fuſtibus ſubjiciebatur, in conſpectu ejus, aut virgis, aut condemnationi, aut, ſi hæc omnia tranſiret dignitas hominis, graviſſimis contumeliis* &c. Et quidem liberi ſed tenuiores homines, *fuſtibus* cædebantur, *l. capitalium de pœnis*; cùm virgæ & lora ingererentur ſervis. Vide Salmaſ. *ad loc. cit.* Sed & in re Feudali *fuſtium* uſus fuit. Hinc *per fuſtem inveſtire in vet. Placito* ſub Ludovico Imp. apud Viennam, A. C. 912. *Cum ſcuto & fuſte ſe defendere*, in L. Longobard. *l. 1. tit. 25. §. 76.* & *l. 2. tit. 55. §. 29.* de Campionibus, quorum hæc arma erant: *Fuſtes ad ſepulchra ponere*, ſuperſtitionis paganicæ ſpecies, memorata Conrado Urſpergenſi A. C. 1124. apud C. du Freſne *in Gloſſ.* Vide quoque ſuprà *Fuſtes*: At de *Fuſtigationis pœna*, apud Hebræos, Romanos, Græcos vett. Muhammedanos porrò, ac Sinenſes hodiernos, frequenti, varia egregia apud Joh. Selden. *de Synedriis vett. Hebræor. l. 2. c. 13. §. 5.* ut & infrà in voce *Mandatum* ubi de *Verberibus.*

FUSTIS, pro feſtuca ſeu baculo traditorio: tradebantur enim prædia apud vett. per virgam, ſeu ut Bractonus loquitur apud Spelmann. *per fuſtim, & baculum.* Vide in vocibus *Fiſtuca* & *Traditio.* Defendere ſe *fuſte & ſcuto*, i. e. duello, Longob. *l. 1. Tit. 25. l. 70.* & *l. 2. Tit. 55. l. 29.* apud eundem.

FUSTIUS Joh. civis Moguntinus, excudit *Officiale Durandi* in fol. per Petrum de Gernsheim, A. C. 1459. Vide & *Johannes.*

FUSUS, in re lanaria, Cloſterem inventorem habuit, Plin. *l. 7. c. 56.* fuit autem is fil. Arachnes, de qua ſuo loco. Inter muliebris induſtriæ ſymbola, uti & colus, de quo ſupra. Unde *Fuſus* argenteus, clararum mulierum ſepulchris olim appenſus eſt. Ditmar. *l. 21. p. 25.* de filia Ottonis Mag. Imp. Conradi Franconiæ Ducis uxore: *In Eccleſia Chriſti Martyris Albani in Moguntia flebiliter eſt ſepulta, cujus* fuſum *argenteum in ejus memoria ibidem eſt ſuſpenſum.* More fortè ex veteri Romanarum conſuetudine orto, apud quos Tanaquillæ, Tarquinii Priſci uxori, ſtatuam fuiſſe poſitum, lanam, fuſum & colum tenentem, in probitatis ac virtutis muliebris argumentum, legimus apud Plin. *l. 8. c. 48.* & Plutarch. *Problem. 30.* Quippe, ut ait Fulgentius *Mytholog. l. 2. laborem manuum, & operationem libidinoſa* ...

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

mulier non diligit. Sanè, cùm *fuſus* feminarum *gladius* vel certè *ſcutum* dicatur quo ſc. contra deſidiam ſeſe tuentur, admodum vero ſimile eſt, inde profluxiſſe, ut earum inſignia in *fuſis* deſcribantur, volgo *lozengiis* dictis; quòd, ut cenſet Scalig. *ad Varron.* lauri foliorum ſpeciem referant, quaſi *laurengiis*: quorum figura eadem eſt, quæ fuſorum. Sed & feminarum ſigilla cereâ Diplomatibus appenſâ ferè ſemper eâ formâ conſpiciuntur, in quibus effinguntur dextrâ aviculam vel lilium, aut quid ſimile tenentes, depictis ad lævam armorum inſignibus. C. du Freſne *Gloſſ. Fuſos* tamen *torquere mulieres per itinera*, legibus Romanorum interdictum, habet Plin. *l.* 28. *c.* 2. *Paganâ lege in pleriſque Italiæ prædiis cavetur, ne mulieres per itinera ambulantes torqueant fuſos, aut omnino detectos ferant: quoniam adverſetur id omnium ſpei præcipueque frugum.* Eouſque Vett. ſuperſtitio proceſſit, quam late hoc capite exponit Auctor, vide Dalecham. *Not. ad illud.*

FUT, Phthut Ptol Mauritaniæ fluv. non longe ab Atlante monte. Plin. *l.* 5. *c.* 1.

FUTILE, Lutatio *ad Stat. Theb. l.* 7. *v.* 297. *vas fuit lato ore, quo utebantur in ſacris Deæ Veſtæ; quia aqua ad ſacra Veſtæ in terra non ponitur, quod ſi fiat, piaculum eſt, ideo excogitatum eſt vas, quod ſtare non poſſet, ſed ſi poſitum ſtatim funderetur, unde & homo, commiſſa non retinens*, futilis *dicitur, contra non futilis, bonus conſiliis.* Quæ omnia ex Servio tranſcripta, *ad verba* Virg. Æn. *l.* XI. *v.* 339.

——— *Conſiliis habitus non* futilis *auctor.*

Ubi Serv. vas fuiſſe ait *lato ore, fundo anguſto*, & quæ ſequuntur. Scholiaſtes Horat. eadem ferè de illo tradit, *in Artem Poët.* ubi *Futil* vocat, & *genus vaſis ſacris aptum, præcipuè Cereris*, fuiſſe ſcribit. A *fundendo.* Sic *Futum*, vas tricliniare ad aſtundendam aquam, habet Varro *de Ling. Lat. l.* 4. Salmaſ. ex Græco χυτὸς *futus* deducit, unde *Futilis*, *ad Solin. p.* 1211. Plura de hac voce vide apud Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. d. l.* aliquid etiam infrà in voce *Scyphus*.

FUTURA ſciendi Ars, tantopere mortalibus nec ſine ſacrilegio expetita, & Veterum inprimis pleriſque, variis modis quæſita, vide ſuprà ubi de *Divinatione*.

FUXIUM, mel. FUXUM, urbs Occitan. aliàs munita ad *Laurieque*, amnem, ad rad. Pyrenæorum. Hinc Comitat. Fuxienſis, in quo etiam Apamæa, Taraſco & Mirapincum, & domus celebris. Urbs ipſa 6. leuc à confin. Galliæ eſt, montibus Pyr. in Bor. 3. ab Apamæa, 11. à Tholoſa in Auſtr.

FYTERNUS, Frentanorum fluv. apud Ptol. *Tyfernus* aliis dicitur.

G.

G. Muta hæc à Latinis, in præterito, in C. nonnunquam in S. vel *X.* convertitur. *N.* ſæpe pro *Gn.* poſuére priſci, cujus in lingua Hiſp. indicia ſuperſunt: Galli *V.* ſæpe in G. mutant, ut *Gaſco* pro Vaſco, *Galles* in Anglia pro Wallia, *Gap* pro Vapincum, &c. Varro. *analog. l.* 1. Scaurus *de Orthogr.* Voſſ. *in Ariſtarcho.* Cæterum multum hac litera antiquitas παρελκόντως, i. e. *ſupervacaneè*, uſa eſt. Unde *Frugmentum, Gnatura, Gnævius* &c. dixére, pro *Frumentum, Natura, Nævius.* Tit. Probus *in epit. Val. Max.* In notis antiquis *gaudium, gentem, Genium, Gellium, Gajum, gratiam* &c. notat. Novam literam appellat Diomedes *l.* 2. *c. de litera*, nec ſinè ratione, cùm necdum inventa fuerit bello Punico primo, quandoquidem in baſi columnæ roſtratæ, quæ à Cajo Duillio poſita, ſemper C. pro G. ponitur. Primus autem diſtinxit Sp. Carvilius, quem G. propriâ figurâ donaſſe. docet Terent. Scaurus ut dicemus, ubi de *Spurio Carbilio*. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 15. adde Salmaſ. *ad Solin. p.* 891. ubi de ortu hujus literæ ex *Coppa* Græcorum varia habet.

GAAL, fil. Ebed. Jud. *c.* 9. *v.* 35. Lat. *abjectio*, ſive *abominatio.*

GAANA, Cavæ Syriæ urbs, Ptol. *Sinna* Strab. *l.* 16. *p.* 755. ut Simlero placet.

GAAS, mons juxta Thamnathſare, in cujus ſeptentrionali parte ſepultus eſt Joſue. Joſ. *c.* 24. *v.* 30. Jud. *c.* 2. *v.* 9. 2. Sam. *c.* 23. *v.* 30. Lat. *tempeſtas*, vel *commotio.* Videtur pars tribus Ephraim, in tractu cognom. in Palæſtina, cum torrente *Gaas Baudr.*

GABA, civitas, quæ & *Gabaa* videtur. Iſa. *c.* 10. *v.* 29. Lat. *collis*, vel *calix.* In tribu Zabulon, penes Carmelum, prope fines Ptolemaidis. *Gabala* & *Gaba* Joſephi, *Sanſon.*

GABAA, civitas tribûs Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 57. quam ædificavit Aſa Rex Judæ. Eadem quæ *Gaba.* Nunc viculus, contra Or. plagam Daromæ. Hier. *in loc. Hebr.*

GABAA, civ. Levitarum, poſtea Saulis regia, in tribu Benjamin.

GABAATHA, villa in tribu Juda, in duodecimo milliari Eleutheropoleos, ubi etiamdum ætate Hieronymi ſepulchrum Abacuc oſtendebatur. Hier. *in loc. Hebr.*

GABAEL, Gabriæ frater. Tobit. *c.* 1. v. 16.

GABALA, Syriæ Cavæ opp. Ptol. *Gibel* Volaterrano, *Margad* Nigro dicitur. Item Phœniciæ, & Arabiæ urbs. Steph. Scribitur & *Gabal.* Item Mediterr. urbs Galilææ, in tribu Aſer, quam Herodes Aſcal. inſtauravit. Joſeph. *l.* 13. *Antiqq. c.* 21. & *l.* 15. *c.* 10.

GABALÆCA, Vardulorum in Hiſp. urbs. *Ptol.*

GABALE, Mediæ urbs. *Idem.*

GABALES, Gall. Aquitanicæ pop. Plin. *l.* 4. *c.* 19. Nunc in Occit. Velaunis, & Arvernis finitimi, quorum regio *Givaudan.* teſte Poldo. Sid. Apollin. *Carm.* 24.

Tum terram Gabalûm *ſatis nivoſam.*

Cæſari *Gabali* dicuntur. Intra montes Cemenios, inter Velaunos & Helvios ad Or. Ruthenos ad Occ. Arvernos ad Bor. Baudr. His Cæſar. de Bell. Gall. *l.* 7. *c.* 12. & 14. Nitiobriges, ut confines, jungit: & illos cum Cadurcis ac Vellavis, ſub Arvernorum imperio eſſe conſueviſſe ſcribit: Unde hodieque Memmate, caput Gabalorum, *Mende en Auverne* dicitur. Argenti metalla *Gabales* apud ſe habere ſcribit. Gallis *les Gevaudans* appellitantur, quos cum Lemovicibus aliiſque confinibus ac montanis Aquitaniæ populis, incolis Cebennarum, quotannis ſtato tempore Hiſpaniam petentes, ut ad vilia ibi miniſteria arteſque ſordidas mercede conducantur, Hiſpani communiter *Gavachos* dicunt, etiam ad puſilli homines animi, væcordes ac malè veſtitos appellatione tranſlatâ. Eorum opp. olim Anderitum deinde nomine gentis *Gabalum*, inter urbes egregias Aimoino: recentioribus Geographis hodie oppid. *Javouls* videtur, 4. leucis à Mimate diſtans, de cujus ſitu ita Sidon.

Tum terram Gabalûm *ſatis nivoſam,*
Et quantum indigenæ volunt videri,
Sublimem in puteo videbis urbem.

Nunc ibi prim. urbs *Mimate*, vulgò *Mende*, ad Lotium amn. 8. leuc. à Fano S. Flori in Auſtr. adſita imo monti cognom. portioni Cebennarum. Huc ex urbe Gabalis Epiſcopatus tranſlatus eſt, non multò ante A. C. 1000 quinto loco inter Bituricenſi Metropoli ſubjectos. Non procul caſtrum Gredonenſe eſt, quo Gabalorum urbis incolæ irruentibus in Gallias Alamannis ductu Croci Regis ſub Valeriano Gallenoque Impp. ſeſe receperant, amiſſo tamen S. Privato Ep. quem Barbari fuſtibus occidêrunt.

Diœceſi Memmatenſi loca comprehenſa.

Caſtellum Novum Randonenſe *Chaſteau neuf de Rendon.*	Gredonenſe caſtrum *Greſe.*
	Lucus.
Fabia *la Fage.*	Memmate *Mende.*
Gabali *Javols.*	Salvia vel Salices *Sauges.*
	Thermæ, alias Termini, *Termes.*

Montes inſignes agri Gabalici ſunt Leſura *Loſere*, portio Cebennarum, fluvii Tarmis fonte nobilis & Margarida, itidem Cebennarum tradux, ubi Triobris. fluv. ſcaturit, vulgò *la Mariaride*, aliàs *Margerite.* Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

GABALICUS, quibuſdam eſt oppid. *Bagnols*, ad amnem *Ceze*, 1. leuc. à Rhodano, 2. à Ponte Spir. S. in Auſtr. 8. à Nemauſo in Bor. Aliis eſt provincia *Givaudan*, in Occitania, ubi Gabali populi.

GABALUS, Rom. Imp. qui ſe Solem dici voluit, quare *Heliogabalus* dictus eſt. Item, urbs Mimatum, vide in *Gabales.* *Nic. Lloyd.* Convitii tamen loco ſic vocatum eum eſſe, nonnullis videtur; quod convitii genus obtinebat illo tempore, in hominum cruce vel *gabalo* dignum. Ut in verſibus Macrini, apud Jul. Capitolin.

Si talem Gajum retuliſſent fata Poëtam,
Qualis Latini Gabalus *iſte fuit.*

Ubi *gabalus*, quod crucem notat apud Nonium, hominem cruce dignum indigitat, eodem modo, quo apud Lucilium *carcer* eum, qui propter ſcelera habitat in carcere. Sed ex Serv. *Gabalum* etiam vulgò fuiſſe vocatum Heliogabalum, docet Salmaſ. *ad Lamprid. in Alex. Sev.* Vide ſuprà in voce *Alagabalus.*

GABALUS, urbs Mimatum, vide in *Gabales.*

GABAON, Metropolis Hevæorum, ab Hieroſolymis 50. ſtadiis diſtans. Joſ. *c.* 18 *v.* 25. In colle, ampla, una ex civit. regalibus. Habuit antea ſub ſe Caphiram, Berothet, & Cariathiarim Civ. Pòſt attributa eſt Levitis. In ſecunda parte tribus Benjamin. Nunc (ut ait Hieronymus) oſtenditur villa eodem nomine in quarto milliari à Bethele contra occidentalem plagam, juxta Rama, ubi Salomon, oblatis victimis, divinum meruit oraculum. Lat. *collis*, vel *calix*, aut *dorſum*, vel *elevatio iniquitatis.* Pop. *Gabaonitæ*, de quibus vide Joſ. *c.* 9 *v.* 17. & *c.* 10. *v.* 2. 4. 5. & 6. &c. *c.* 21. *v.* 17. Jer. *c.* 28. *v.* 1. *Torniel.*

GABAOPOLIS, opp. Galilææ. Steph. Joſeph. *Antiqq. l.* 6.

GABARA, civ. in tribu Zabulon, in campo, 40. ſtadiis à Jotapa. Joſ. *in Vita ſua.* Item villa, tribus Zab. in finibus Diocæſareæ. juxta grandem campum Legionis. Hier. *in Loc. Hebr.*

GABARAGANA & GADARE, oppida juxta Giſcalam, quorum populi Gabaraganæi, & Gadareni dicti, ſuntque in tribu Aſer.

GABARRETUM, vulgò GABARRET, locus Galliæ, in Novempopulana, caput agri Gabarretani, *le Gabardan*, inter Eluſam & Vaſates poſiti. Olim ſub Vicecomitibus, ut docet Gaufredus Burdigal. Archiep. *in Ep. ad Sugerium Abbatem S. Dionyſii*, *Noveritis nos apud Menuſanum, ubi Auſcitanus Archiep. & fere omnes Epp. & Proceres totius Guaſconiæ convenerant, Gavarritanum Vicecomitem conveniſſe, ſuper infeſtatione terræ Domini Regis, ab ipſo & à ſuis.* Aliud eſt *Cabaretum*, caſtrum Septimaniæ vel Gothiæ, quod vide ſuo loco.

GABARUS, vulgò *le Gave*, fluv. in Princ. Benearniæ. Duplex eſt, Gabarus Palenſis *le Gave de Pau*, oritur ex monte Pyren, in Comit. Bigerrenſi; dein per Benearnum labens, Palum Orteſiumque rigat, inque Aturum ſe exonerat, 4. leuc. ſuprà Bajonam. Gabarus autem Oleronenſis, etiam ex Pyr. ortus, Oloronem & Navarreſium rigat: dein in priorem cadit & cum ipſo in Aturum.

GABAS, vide *Gabaza.*

GABATÆ, inter miniſteria ſacra Communionis Rom. paſſim occurrunt: *Gabatæ medianæ anaclyſæ, Gabatæ liliatæ, Gabatæ convolatæ*, in Hiſt. Epiſcopor. Autiſiodor. *c.* 20. *Gabatæ cluſtratæ; Gabatæ aureæ Saxiſcæ, Gabatæ interraſiles, Gabatæ aureæ fundatæ,*

Gabatæ aureæ puriſſimæ, interraſiles, filopares, apud Anaſtaſ. *in Vitis Pontificum* &c. Quibus in locis lances ſunt ſeu diſci in Eccleſiis, à laquearibus pendentes, cereis vel lampadibus inſtructi. Idem Anaſtaſ. *p.* 128. *Nec non & gabatas fecit ex auro puriſſimo pendentes, in pergula, ante altare.* Gul. Bibliothecarius *in Stephano* VI. *Gabata argenteas cum lampadibus obtulit, & continuatim vigiliis ardere præcepit* &c. Vox nota Mart. *l.* 7. *Epigr.* 47. cujus Epigraphe de Annio,

> *Cùm menſas habeat fere ducentas,*
> *Pro menſis habet Annius miniſtros,*
> *Tranſcurrunt* gabatæ, *volantque lances.*

Idem *l.* XI. *Epigr.* 32. cujus epigraphe in Cæcilium.

> *Sic implet* gabatas, *paropſidaſque*
> *Et leves ſcutulas, cavaſque lances.*

Ubi *gabatæ*, ſunt lances eſcariæ. *Gavata* habet Prudent. *l.* XI. *Poem.* 9.

> *Carnea dona tumens argentea* gavata *perfert* &c.

Formam *gabatæ* ſeu lychni penſilis, cujuſmodi duæ perpetuò ardent in ſacello Pontificio, quibus loco olei ceram infundi juſſit Paulus IV. exhibet in *Hierolexico*, Dominicus Macer ſeu Magrius, ut alii vocant: cujus frater Carolus patinas quoque, hoc nomine olim dictas, ex Rhodo Inſ. allatas, ad lagenæ figuram, refert *Ibidem* ſe vidiſſe.

GABATHA, opp. juxta Bethlehem in Juda: eſt viculus contra orientalem plagam Daromæ, Hier. *in loc. Hebr.*

GABATHON, civitas Levit. in tribu Dan. Joſ. *c.* 21. *v.* 23. *p.* 19. *v.* 44. quæ & *Gibbethon.*

GABAZA, Aſiatica reg. circa Sogdianos, Curt. *l.* 8. *c.* 4. An *Gabas*, Sogdianorum munitum opp. medium inter Maſſagetas & Sogdianos, Arrian *l.* 4. *Alexand.* An *Gabaza Curt.*

GABBA, urbs Syriæ, gentile *Gæbbenus. Steph.* Græcè Γάϐα & Γάϐϐα, quam Arabes mercium gratiâ petebant. Plin. *l.* 12. *c.* 17. *His commercus Carras opp. aperuère* (Arabes) *quod eſt illis nundinarium. Inde* Gabbam *omnes petere ſolebant, & Palæſtinam Syriam.* Sed & Steph. *Gabba,* πόλις Γαλιλαίας, *urbs Galileæ*, eſt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 495.

GABBARA, gigas novem pedum & totidem unciarum, memoratur Plin. *l.* 7. *c.* 16. *Proceriſſimum hominum ætas noſtra Divo Claudio Principe* Gabbaram *nomine, ex Arabia advectum, IX. pedum & totidem unciarum vidit.* Cùm aliàs ſeptem pedum menſura longiſſimi haberetur hominis, ut quæ Herculi omnium Scriptorum conſenſu tribuitur, vide infrà *Septipedes.* At *Gabbaræ* ſeu *Gabares*, vox Ægyptiaca, quâ condita mortuorum cadavera, quæ alii *Mumias* dicunt, gens iſta denotare conſuevit. Auguſtin: *de diverſ. Serm.* 120. *c.* 12. *Ægyptii ſoli credunt reſurrectionem, quia diligenter curant cadavera mortuorum: morem enim habent ſiccare corpora & quaſi ænea reddere,* Gabbaras *ea vocant.* Vide Scalig. *Ep.* 198. & infrà, in voce *Mumia.*

GABBATHA, Græcè dicitur λιθόστρωτος, i. e. *lapidibus ſtratus* Erat autem locus editior, vel Stratum lapideum eminens Hieroſolymis, judicio accommodatum. Joh. *c.* 19. *v.* 13. Vide *Lithoſtrotum.*

GABE, ſeu GABALA, urbs Syriæ, in ora litt. maris Syriaci, prope montem Anticaſſium, 40. mill. ab Antiochia in Afric. 40. ab Antarado in Bor. Baudr. in tribu Manaſſe, Hier. *in Loc. Hebr.* Una fuit ex urbibus, quas regionum inſtar ſingulas & in Regna contributas fuiſſe, ſub nomine *Tetrarchiarum*, ſcribit Plin. *l.* 5. *c.* 18. ubi *de urbibus Decapolitanæ Syriæ.*

GABEE, civitas in tribu Benjamin. Joſ. *c.* 18. *v.* 24. quæ & *Gabae.*

GABELLA vectigal, portorium tributum, cenſus Gallis peculiariter id vectigalis denotat, quod è ſale redit. Hoc à Philippo Longo 2. denar. Turon. in quamlibet libram, inſtitutum, circa A. C. 1316. à Philippo Valeſio in duplum, à Carolo VII. in triplum, quod ipſum etiam à Ludovico XI. in duplum auctum, deinceps ad arbitrium Principum variè fluctuans graviſſimè tandem excrevit. Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.* Vide plura in voce *Gablum.*

GABELLUS, Lombardiæ Ciſpadanæ fluv. Plin. *l.* 3. *c.* 16. Vulgò *Secchia.* Oritur ex Apennino, dein Saxuolum rigat, & inter Mutinam ad Or. & Rubieram ad Occ. labens, aliquot leuc. infrà in Padum ſe exonerat, prope cœnobium S. Bened. in dit. Mantuana.

GABENE, vel GABIENE, Diod. *l.* 19. Perſiæ reg. tractus. Gabenos habet Plutarch. circa Paſitigrim, in *Eum.* Gabiena urbs eſt apud Polyæn. *l.* 4. in Antigono.

GABER, fil. Uri 1. Reg. *c.* 4. *v.* 19. Lat. *vir*, ſeu *fortis.* Item, urbs vicina Mageddo in tribu Manaſſe.

GABERIUS, eques Romanus proventu caprarum ditari volens, grave damnum ſenſit. Varro *de Re Ruſt. l.* 2. *c.* 3.

GABIANA & MASSABITICA, Elymæorum provinciæ circa Suſianam reg.

GABIENI, pop. quorum opp. *Gabiano*, in colle, 3. mill. infrà Verrucam in Ort. Tridinum verſus, à quo diſtat 7. mill. In confin. Pedemontii.

GABIENUS, fortiſſimus Aug. Cæſaris claſſiarius, à Sext. Pompejo captus, cujus juſſu inciſâ cervice jacuit in litore toto die, deinde cùm adveſperaſſet, petiit ut Pompejus ad ſe veniret, aut aliquem ex charis mitteret, ſe enim ab inferis remiſſum habere quod nunciaret. Miſit plures Pompejus ex amicis, quibus Gabienus dixit, *Diis Inferis placere Pompeji cauſas, & partes pias*; proinde eventum futurum quem optaret, hoc ſe nunciare juſſum, argumentum fore veritatis, quòd peractis mandatis, protinus expiraturus eſſet, idque ita evenit.

GABII, Volſcorum urbs, 70. mill. paſſ. ab urbe diſtans, à Galacto, & Bio fratribus Siculis condita. Solin. *c.* 8. Fraude autem Sexti Tarqu. Superbi filii in Romanorum ditionem redacta. Liv. *l.* 1. *c.* 53. Flor. Virg. Æn. *l.* 6. *v.* 773. Urbis hujus originem refert ad Reges Albanorum, quibus enumeratis, ſic ſubdit:

> *Hi tibi Nomentum, &* Gabios *urbemque Fidenam,*
> *Hi Collatinas imponent montibus arces.*

Sub Aug. Imperio deſertam fuiſſe plurimâ ſui parte reſtantur authores. Horat. *l.* 1. *Ep.* XI. *v.* 7.

> *Scis Lebedus quam ſit* Gabiis *deſertior atque*
> *Fidenis vicus.*

Prop. *l.* 4. *Eleg.* 1. *v.* 53.

> *Quippe ſuburbanæ parvâ minus urbe Bovillæ,*
> *Et qui nunc nulli, maxima turba* Gabii.

Dion. Halic. *l.* 4. *p.* 252. & 253. & ſeqq. *in Hiſt. Tarquinii*, Νῦν μὲν οὐκ ἔτι συνοικουμένη πᾶσα, πλὴν ὅσα μέρη πανδοχεύεται τὴν ὁδόν. Τότε δὲ πολυάνθρωπος, καὶ εἴ τις ἄλλη μεγάλη. Cauſam Lucan. bellis Civilibus attribuit, *l.* 7. *v.* 392.

> —— Gabios, *Veioſque Coramque*
> *Pulvere vix tectæ poterunt monſtrare ruinæ.*

Nic. Lloyd. Baudr. Urbs Latii, 12. mill. à Roma in Ort. in via Prænestina, ubi nunc locus *Campo Gabio*, cum aliquot ruinis, inter Columnam, & montem Portium, caſtra Camp. Holſtenio Gabii ſunt prope diverſorium paludis, circa Oſam fluv. in iis collibus. ubi Caſtelli S. Juliani rudera, ad ſiniſtram viæ Præneſtinæ, Româ euntibus Præneſtem:

GABIM, nomen civitatis, Iſa *c.* 10. *v.* 31.

GABINA, Juno à Gabinis religioſiſſimè culta. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 682.

> —— *Quique arva Gabinæ*
> *Junonis, gelidumque Anienem & roſcida rivis*
> *Hernica ſaxa colunt.* ——

GABINIA lex, inter leges de Majeſtate poſt XII. Tabb. rogatas prima. *Ne quis cottiones clandeſtinas conflaret: qui feciſſet, capitali ſupplicio plecteretur*, ſanxit Salluſtius *in Declam. Porcii Latronis.* Alia lata eſt ab A. Gabinio Trib. pl. A. U. C. 685. L. Cæcilio Metello, Q. Marcio Rege Coſſ. *Ut bellum adverſùs piratas Cn. Pompejo in triennium ita mandaretur, ut toto mari quod eſt intra columnas Herculis, & in maritimis provinciis uſque ad 400. à mari. ſtad. poteſtatem haberet imperandi Regibus, Præſidibus, Civitatibus, ut ſe rebus omnibus ad ejus belli adminiſtrationem neceſſariis juvarent.* Ejus meminit Vellejus *l.* 2. Dio *l.* 38. Plutarch. *in Pompejo*, Appian. *in Mithridat.* Cic. *de lege Manilia* &c. Alia eodem auctore, eodemque anno rogata, voluit: *Ut ex Kalendis Februariis ad Kal. Martias quotidie Senatus cogeretur, & Legatis exterarum nationum daretur.* Cic. *l. Ep. ad Quintum Fr.* Alia reperitur lata ab A. Gabinio Tr. Pl. A. U. C. 614. Cn. Calpurnio Piſone, M. Poppilio Lænate Coſſ. *Ut Comitiis, quibus Magiſtratus crearentur, populus non voce, ſed per tabellam ſuffragium ferret.* Et quò id liberius fieret, cautum eſt, *ne quis inſpiceret tabellam, ne rogaret, ne appellaret: & ita ab omni parte liberum ſuum judicium in Magiſtratibus creandis populus haberet.* Vide Cic. *de LL. l.* 3. de *Amicitia*, item pro Plancio.

GABINIANA Via, Salonâ Andetrium ducens, memoratur in vet. *Inſcr.* apud Jac. Spon. *Itin. Dalmat. p.* 108. & *Itin. Part.* 3. *p.* 79. ubi ex marmore Spalatenſi hæc exhibet,

> CVIVS VIÆ MILLIA
> PASSVVM SVNT CXLVII MV
> NIT PER VEXILLARIOS LEG.
> VII. ET XI. ITEM VIAM GABI
> NIANAM AB SALONIS ANDE
> TRIVM APERVIT ET MVNIT
> PER LEG VII.

Quod fragmentum ad *Inſcr.* Tib. Cæſari factam, cujus ibidem meminit, pertinere, manifeſtum eſt &c.

GABINIUM, Urbs Polon. inf. Vladiſlaviam, & Varſoviam, ad amn. Bſuram, in Ravæ Palatinatu, 3. leuc. Pol. à Ploſco.

A. GABINIUS, Romanus vir Conſularis, qui cùm Syriæ præpoſitus eſſet, Hyrcano Pontificatum reddidit; & rebus Judææ compoſitis, Ariſtobulo ſe oppoſuit, eumque captum Romam miſit. Ptolemæum Auletem Ægypti Regem in regnum reduxit, quo nomine damnatus eſt. Vicit quoque Alexandrum, Judææ regnum invadentem, hac Marco Craſſo, cum Syria relicta. Joſeph. *Antiqq. l.* 13. *c.* 10.

GABINIUS, nepos Diocletiani, presbyter conjugatus, cum Cajo Dalmata, Ep. Rom. fratre & filia Suſanna martyrio affectus eſt, A. C. 283. Balæus *in vita Caji.* Lætus *Comp. Hiſt. Morer.*

GABINIUS, Hiſtoricus Romanus, citatur à Strab. *l.* 17. *p.* 829. In hæc verba, *Sed nec Gabinius Romanarum rerum ſcriptor in deſcribenda Mauritania, fabulis prodigioſis abſtinet.* Scribit enim, apud Lingen Antæi ſepulturam eſſe, & compagem oſſium cadaveris abſumpti cubitorum ſexaginta, namque à Sertorio detectam, & iterum humatam. Addit etiam de Elephantis fabuloſa quædam, &c.

GABINUS Cinctus. Virg. Æn. *l.* 7. *v.* 612.

> *Ipſe Quirinali trabeâ cinctuque* Gabino
> *Inſignis, reſerat ſtridentia limina conſul.*

Ubi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Ubi Servius, *Gabinus cinctus eſt togâ ſic in tergum rejectâ, ut una ejus lacinia a tergo revocata hominem cingat. Hoc autem veſtimenti genere utebatur Conſul bella indicturus, ideo quia cum Gabii Campaniæ civitas ſacris operaretur, bellum ſubito venit, tum cives accincti togis ſuis ab agris ad bella profecti ſunt, & adepti victoriam.* Lucan. Civ. Bell. *l.* 1. *v.* 596.

Turba minor ſequitur ritu ſuccincta Gabino.

Liv. *l* 5. *c.* 46. *l.* 8. *c.* 9. & *l.* 10. *c.* 7. De Conſule Decio, qui ſe devovebat, *Ipſe incinctus cinctu Gabino armatus in equum inſiluit.* Denique interpres Perſii ita ſcribit, *Habitu Gabino Dii penates formabantur involuti togâ ſupra humerum ſiniſtrum & ſub dextro. Nic. Lloydius.*

GABINUS Presbyter, civis Rom. juſſu Diocletiani Imp. in carcerem conjectus eſt, ibique extinctus. Volater. Vide *Gabinus.*

GABIUS Baſſus, ſub Trajano, auctor, ſæpe laudatus, Plin. *Ep.* Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 9. & *l.* 3. *c.* 6. cui Gavius Baſſus dicitur A. Gell. *l.* 2. *c.* 4. *l.* 3. *c.* 19. *l.* 5. *c.* 7. &c. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 22.

GABIUSA, quæ & *Gabina*, & *Metrodii* porta, urbis Romæ, nunc clauſa, erat inter Portam Viminalem, & Portam inter aggeres. Item aqua, apud portam hanc, nunc *Marana* Baccio *l. de thermis.*

GABLUM, apud medii ævi Scriptores cenſus, tributum; reditus, ex Hebr. *Gab*, quod idem ſonat, ſi Guichartum audimus: Unde *Gabella*, quæ vox olim ſimiliter quodvis vectigal ſeu tributum ſignificavit, ut videre eſt in *Charta* Rogerii Siciliæ Regis A. C. 1129. apud Bonfilium Conſtantium *in Hiſt. Sic. part.* 1. *l.* 4. ut & apud Scriptores Italicos, Joh. Villaneum *l.* 6. *c.* 60. *l.* 8. *c.* 9. *l.* 9. *c.* 16. *l.* 10. *c.* 19. Matth. Villaneum *l.* 7. *c.* 81. &c. Hodie ſalis tributo nudè adſcribitur, de quo ſic C. du Freſne: Philippus Rex ut hoſtibus ſuis faciliùs obſiſteret, ad levius ſubditorum gravamen, aliquot ſalinaria horrea intra Regni fines inſtituit, quorum Procuratores, Commiſſarii ac ſupremi Judices (*Souverains Commiſſaires, Conducteurs & Executeurs deſdits Greniers & Gabelles*) delecti fuêre Mag. Gulielmus *Pinchon* Archidiac. Abrincenſis, Petrus *de Vilain* Archid. Pariſ. Mag. Philippus *de Tire*, Theſaurarius Bajocenſis, Magiſter Requeſtar. Hoſpitii Mag. Rainaldus *Chaviau*, Guido *Chevrieres*, Artus *de Provins* Milites, & Mag. Jacobus *de Boulon.* Poſtmodum verò, cùm vererentur Franciæ Ordines, ne ejuſmodi ſalarium vectigal fiſcale perpetuumque fieret, & Principis ærario in poſterum adſcriberetur, pollicitus eſt idem Rex *Edicto* 15. Febr. A.C. 1345 ſe, cùm primum Regnum belli vacaret metu, illud ſublaturum. Extat præterea *Statutum* aliud Joh. Regis 28. Dec. A. C. 1355. quo ex univerſorum Ordd. conſenſu, in bellorum impenſas, denuo *Gabella* exacta eſt. Qui cùm in Pictavenſi prælio ab Anglis captus eſſet, inter cætera tunc temporis ad illius redemptionem impoſita tributa, eadem à Pariſienſibus in annum permiſſa eſt Carolo Delphino, intra Vicecomitatus Pariſienſis limites, 11. Aug. A. C. 1358. moxque totius ſalis, quod Pariſiis tunc extitit, initâ recenſione paulo pòſt ſalis modio 60. ſcutorum aureorum pretium impoſitum eſt; quorum 26. eſſent mercatoris, 34. Ducis & Ædilium urbis; ac Ducis quidem 26. Ædilium verò 8. Demum 26. Nov. ejuſdem anni, ſalis modio 100. ſcutorum pretium impoſitum eſt, quorum 26. eſſent mercatoris, 56, Regis, & 18. Urbis: quod dein iterum auctum anno ſeq. Inito denique ad Brettiniacum cum Anglis fœdere, quò Joh. lytrum penderetur, ab eodem Rege varia fuere indicta tributa A. C. 1360. in quibus ſalarium itidem vectigal, quod *Aide ſur le ſel*, appellatum fuit, & *Gabelle de ſel*, in *Chron.* Flandriæ extremo. A' quo tempore *Gabella*, ut cætera penè tributa, in fiſcalem, & perpetuam penſitationem in Francia tranſiit, quæ pro arbitrio Principis ſeqq. temporibus in immenſum poſtea excrevit. Joh. Forteſcutus de *Laudibus LL. Angliæ c.* 35. *Præterea non patitur Rex* (Franciæ) *quenquam Regni ſui ſalem edere, quem non emat ab ipſo Rege ---- Et ſi inſalſum pauper quivis mavult edere, quàm ſalem exceſſivo pretio comparare, mox compelletur ille tantum de ſale Regis emere, quantum congruet tot perſonis, quot in domo ſua fovet* &c. Sed & ab Andronico Seniore Imp. CP. exactum hoc vectigal, docet Pachymeres *l.* 10. *c.* 9. Philippo verò Burgundiæ Duci & Com. Flandriæ, cùm *more Regum Franciæ petiiſſet à ſuis de Gandavo concedi ſibi* gabellam *ſalis*, denegatum id eſſe tradit Ægid. de Roya, apud eundem C. du Freſne in *Gloſſ.* Vide quoque in voce *Gabella.*

GABOLUS, vide *Licinius.*

GABRANTONICORUM Portus, vulgo *Suerby*, teſte Camdeno, opp. Albionis in ora Angliæ orientali apud Ocellum prom. in oſtia Albi, & Vedræ flum. Ptol. ſed in codice Græco *Gabrantuicorum* legitur.

GABRETA, Ptol. pars Sylvæ Bohemicæ ad occ. inter ipſam Bohemiam, & Nortgolam divortia faciens.

GABRI, Sarmatiæ Aſiaticæ gens. Plin. *l.* 6. *c.* 7.

GABRIEL, nomen Angeli, Luc. *c.* 1. *v.* 26. i. e. *vir Deus*, vel *Dei.* Apparuit Dan. *c.* 8. *v.* 16. & *c.* 9. *v.* 21. Zachariæ, quem de filio naſcituro certiorem reddidit, & B. Virgini, ipſi annuntians Incarnationis myſterium. Luc. *c.* 1. *v.* 19. & 26. Gregor. *hom.* 4. *in Evang.*

GABRIEL, Brixienſis Cardinalis Presbyter, qui mirari ſolebat ſe Annos 30. nulli mortalium ſuccenſuiſſe.

GABRIEL Albaſpinæus, Ep. Aurelian. præter alia, Optatum Milevitanum notis illuſtravit. Obiit A. C. 1630. *Morerius.*

GABRIEL Altilius, præceptor Ferdinandi Jun. Regis Neapol. clariſſimus ſui ævi Poëta. P. Jov. *in elog. c.* 125.

GABRIEL Barbeta, Jacobinus, varia edidit, A. C. 1471.

GABRIEL Bathorius, Princeps Tranſylvaniæ, A.C. 1608. à ſubditis, cum Bethlehem Gabor eum aggrederetur, A. C. 1613. deſertus.

GABRIEL Biel, Spirenſis, Theologiam Tubingæ docuit, A. C. 1477. Commentatus eſt in Magiſtrum Sententiarum, item *de monetis*, &c. Obiit A. C. 1495. Quenſtedius, *de Patr. Ill. Vir.*

GABRIEL Chapuſius, Turon. nepos Claudii, Bibliothecarii Franc. I. plurima ſcripſit. Verdier. *Bibl. Gall. p.* 430.

GABRIEL Fallopius, Mutinenſis, inſignis Medicus, Anatomicus præcipuè docuit Patavii, ubi obiit A. C. 1562. Opera ejus libb. 3. proſtant. Thuan. *Hiſt. l.* 32. Vide quoque Jac. Phil. Thomaſium & Anton. Teiſſier *Elogiis* ubi 73. Annum Æt. attigiſſe, contra Thuanum, hic obſervat.

GABRIEL Flamma, vitas SS. ſcripſit, A. C. 1580.

GABRIEL Mudæus, JC. celebris, Lovanii floruit, A. C. 1555. Forſter. *Hiſt. Jur. Civil. l.* 3. *c.* 41.

GABRIEL Paleotus, Bononienſis, Cardinalis, plurima edidit; Spond. A. C. 1597. *n.* 16. Petramellarius *de Cardin.* Victorel. *addit. ad Ciaccon. Ricciolus.*

GABRIEL Prateolus, Doctor Pariſ. hiſtoriam Eccl. ſcripſit, libb. 2. A. N. C. uſque ad A. C. 1580. Item, de auctoritate Conciliorum, de Sectis & Hæreſibus. *Morer.*

GABRIEL Saconæus, contra Calvinum ſcripſit, ſec. præterito. Verdier. *Bibl. Gall. p.* 457.

GABRIEL Simeonis, Florentinus ſcripſit de origine, & Succeſſione Ferrariæ Ducis de Symbolis, &c. *Idem.*

GABRIELIS Borbonia, filia Ludovici Montpenſerii, nupſit Ludovico Tremollio, mortuo A. C. 1525. ex illo mater Caroli Talmontii, in prælio Marinianæo occiſi A. C. 1515. Ingenio inclyta, ſcripſit de Educatione puellarum, Templum Spir. S. Item pœnitentis, Contemplationes animæ devotæ ſuper myſterium incarnat. & Paſſionis D. N. Joh. Bouchetus, *Voſſ.* &c.

GABRIELIS Eſtræa, pellex Henric IV. Gall. Reg. hiſtoriis celebrata.

GABRINES Nicolaus, vide *Nicolaus.*

GABRIS, Mediæ duo diverſa oppida. *Ptol.*

GABRO, locus Galliæ in Cenomanis, inter Meduanam, & Sardam fluv. ſed Meduanæ propior, vulgò *Jauron.* In ejus agro Conſtantinus Arvernus cellulam ſibi condidit, quæ nunc Prioratus eſt. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

GABROSENTUM, Camdeno *Gateshead*, opp. Angl. in agro Dunelmenſi.

GABRUMAGUM, ſeu GABROMAGUS, opp. Norici, nunc vicus *Heylige Kreuz* Cluv. circa caput fluv. *Krems*, in Auſtria infer. verſus montes.

GACES, vel GASTO-VINNIUS, nobilis, qui ſub Philippo Valeſio floruit. Fabuloſæ de Avibus hiſtoriæ auctor.

GACES Bruleſius, multum valuit, apud Theobaldum, Navarr. Regem Eques & Poëta non vulgaris. Verdier. *Bibl. Gall.*

Patriarcha, & Propheta Dei.

GAD, ſeptimus Jacobi ex Lea fil. Gen. *c.* 30. *v.* XI. ex Zelpha ancilla Leæ uxoris ſuæ, A. M. 2287. ſic familiam ſuam auxit, ut de tribu ejus juxta montem Sinai recenſiti & inventi ſint viri ad pugnam apti 45. millia & 650. quibus omnibus in deſerto mortuis, eorum filii 40. millia & 500. ultra Jordanem pro poſſeſſione accepêrunt mediam uberemque terram regni Amorrhæorum, concedente Moyſe. Hi tandem, cùm, relicto Deo patrum ſuorum, cum idolis fornicarentur, ſuſcitavit Deus Iſraël ſpiritum Phul Regis Aſſyriorum, & ſpiritum Theglathphalaſar Regis Aſſur, & abſtulit & Gad, & Ruben, & dimidiam tribum Manaſſe & abduxit eos in Aſſyriam. Tribus Gad nullam partem lacus Genezareth videtur poſſediſſe: influit enim in Jordanem infrà lacum Jaboc torrens, authore Joſepho, qui limes eſt tribus Gad à Sept. ita tamen ut proxima ſit lacui illa influxio Weiſſ. In tribu hac Eſavus dicitur Jacobo reconciliatus, aſina Bileami locuta, Abſolon in fuga de quercu ſuſpenſus. Torniel. A. M. 2287. *n.* 2. & 2591. *n.* 4. Hodie non niſi ab Æthiopibus quibuſdam hæc terra habitatur. Vide infrà.

GAD Nomen etiam Prophetæ. 1. Sam. *c.* 22. *v.* 5. Hic Davidi, numerati populi crimen, Dei nomine, exprobravit & ſcripſiſſe creditur Regis hujus geſta 1. Paral. *c.* 21. *v.* XI. & *c.* 29. *v.* XI. 13. 18. & 19. A' verbo גדד *gadad, turmatim convenire.* Cæterum juxta quoſdam *Gad* primum ante alia Numina apud Syros culta, memoratur Gen. *c.* 30. *v.* XI. com. XI. *Peperit itaque Zilpah ancilla Leæ ipſi Jacobo filium, & ait Leah* בגד *Bagad, & vocavit nomen ejus Gad ut* & Hebræorum aliqui *Fortunam bonam* intelligunt, Leamque loquutam, quaſi partui bene eſſet ominata volunt; unde vulgata editio, quæ D. Hieronymi dicta *Feliciter* pro *Bagad* habet. Rabbini ſiquidem reſolvunt בגד in בא גד i. e. *venit Gad*, quod interpretantur per בא מזל טוב *Ba Mazal tob*, i. e. *venit Fortuna Bona*, ſive *ſidus bonum, bonus Dæmon.* Et Mazorethis eſt hæc una ex quindecim dictionibus quæ ſcribuntur ut una, & leguntur ut duæ. Certè גאר Arabibus *bonus*, ſeu *beneficus* eſt, adeoque *Jovis ſtellam* denotat. Ut Hebræi autem, ita Chaldæi locum illum Geneſeos, de verbis Leæ interpretantur. Onkelos enim habet אתא גד *Atha Gad*, i. e. *venit Fortuna*, ſeu *Gad.* Arabs quoque editionis Erpenianæ idem habet. Sed Paraphraſtes ille Pentateuchi, qui ſub Jonathanis Ben-Uzielis nomine circumfertur, אתא מזל אטבא *atha Mazala taba*, i. e. *venit Mazala* ſive *Fortuna Bona.* Atque Targum Hieroſolymit. גדא אתא טבא i. e. *venit Geda*, ſeu *Gad felix*, ſive *bonus.* Verum heic ſeptuaginta καὶ εἶπε Λεία, ἐν τύχῃ, vertunt, quaſi *Beth* ſervilis eſſet loco præpoſitionis. Atque ita habet exemplar vetuſtiſſimum Geneſeos in Bibliotheca Cottoniana: Sed & in Græcorum verſionibus nonnullis legebatur Εὐτύχηκα, uti videri eſt apud B. Chriſoſtomum *in Gen. ſermone* 56. Id interpretatur ille per ἐπέτυχον τοῦ σκοποῦ. Inde etiam Latinis olim, *Beata facta*, vel *Felix ſum* ibi ſubſtitutum, uti advertit ibidem D. Auguſtin. Vide Seld. *de Diis Syris Synt.* 1. *c.* 1.

GAD, Palæſtinæ urbs, ut habet Benjamin, quam ſuo tempore *Niphas* dici ſcribit. Item tribus, una ex 12. Habebat hæc Tribus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ad Bor. dimidiam part. Tribus Manaſſe, ad Auſtr. Tribum Ruben.

GADALAIPHUS, aliàs *Dagalaiphus*, Coſ. cum Gratiano A.U.C. 1119.

GADAMARTA, Mediæ pars, apud Polyæn. *l.* 4. *in Antig.Com.* 11. Forſan, *Gamarga.Diod.*

GADANUS, vir auſterus, qui apud Jordanem magnâ conſenuit abſtinentiâ, ſub Dio degens.

GADARA, quæ & Gadaris, urbs in tribu Manaſſe, trans Jordanem eſt, contra Tiberiadem, & Scythopolim ad Orientalem plagam in dimidia tribu Manaſſe, non procul à tribu Gad diſſita. Sita autem eſt in monte, quem, ut ſcribit Plin. *l.* 5. *c.* 18. Hieromiace vel Hieronis, & Hippodion fluv. præterfluit, ad cujus etiam radices, teſte Hieronymo, aquæ calidæ erumpunt balneis deſuper ædificatis.

GADARA, urbs Paleſtinæ in Cœle Syria Steph. nunc *Gaddi*, apud Gadaram amnem, ubi in lac. Geneſareth ſe exonerat Paul. de Via.

GADAREUS Sophiſta, qui priùs more mendicorum peregrinabatur, tandem verò, Maximiniani beneficio, Conſulatum adeptus eſt. Vide *Theodorus.*

GADDA, olim civitas in tribu Juda, ætate autem Hieronymi villa in extremis finibus Daromæ, contra Orientem imminens mari mortuo.

GADDEL, nomen viri. Eſdr. *c.* 2. *v* 47.

GADDER, civitas in tribu Judæ Joſ. *c.* 12. *v.* 13. *c.* 15. *v.* 36. quæ & *Gedera* dicitur, & à Steph. *Antiochia.* Habuit regem priuſquam terram promiſſam Iſraëlitæ ingrederentur, quem Joſue interfecit, ut author eſt Hieronymus. Fuit hæc patria Balanami, qui in diebus regis Davidis præpoſitus erat ſuper oliveta, & ficeta, quæ erant in campeſtribus.

GADDERA, in tribu Juda, nunc appellatur villa ad regionem civitatis Ælienſis, nomine *Gadora* circa Terebinthum. Hieronym. *in loc. Hebr.*

GADDI, fil. Suſi, princeps tribus Joſeph. Num. *c.* 13. *v.* XI. Et nomen loci. 1. Par. *c.* 12. *v.* 8. 14. & 37. In tribu Gad. Item Montis Eccleſ. 24. pro quo ibi *Cades.*

GADDIR, vide *Gades.*

GADDIS, fil. Mattathiæ. 1. Macchab. *c.* 2. *v.* 2.

GADELONITIS, regiunc. occid. Cappadociæ juxta Halys fluv. oſtia.

GADEMESSA, reg. Afr. cum deſerto cognom. in tractu Biledulgerid, inter Fezzenum deſertum ad Ort. & Guargalam ad Occaſ. Habet & opp. *Gademes*, ad fontes Capſi fluv.

GADERES, civitas Syriæ, non longè ab Aſcalone, ex qua Theo Rhetoricæ præceptor, qui Strabonis ætate floruit. Al. *Gadetes.*

GADEROTH, urbs in tribu Juda. 2. Par. *c.* 28. *v.* 18. Lat. *muri, maceriæ*, aut *ſepes.*

GADES, quæ GADIRA Græcis Inſ. parva Hiſp. Bæticæ, proxima continenti contra Cæſarianam, & portum Mneſthei, cum urbe Epiſcopal. ſub Archiep. Hiſpalenſi, inde 19. leuc. à Tyriis condita, col. Rom. inter oſtia Bætis, & Calpen. Inde *Gaditanus*, ut *mare Gaditanum* & *Gaditanæ puellæ*, quæ agilitatis, laſciviæque nomine olim in pretio fuêrunt. Mart. *l.* 6. Epigr. 71. cujus Epigraphe Teleſina.

Et Gaditanis *ludere docta modis.*

Juv. Sat. XI. *l.* 4. *v.* 162.

——— *Ut* Gaditana *canoro*
Incipiat prurire choro

Græcis, uti dixi, *Gadira.* Suid. Γάδειρα, τόπος κατὰ τὴν Ἑσπερίαν μοῖραν ἀποτελεύτησις τῆς θαλάσσης, καὶ οἷον ἐκβολὴ ἀπὸ τῆς πρὸς ἡμᾶς εἰς τὴν Ἀτλαντίδα θάλασσαν καὶ τὸν Ὠκεανὸν ἣν διαπλεῦσαι οὐκ ἐνῆν βραχώδη καὶ σκοτώδη τυγχάνουσαν. Deinde rationem nominis profert, Γάδειρα παρὰ τὴν γῆν, καὶ τὴν δειρὴν ὅ ἐστι τράχηλος. Solin. verò aliud etymon longè veriſimilius reddit, *c.* 6. *In capite Bæticæ, ubi extremus eſt noti orbis terminus, inſ. à continenti ſeptingentis paſſibus ſeparatur, quam Tyrii à Rubro mari profecti Erythræam, Pœni linguâ ſuâ Gadir, i.e. ſeptem, nominarunt.* Unde Heſych. Γάδειρα τὰ περιφράγματα, & Rufus Avien. *in Deſcriptione Orbis,*

Pœnus quippe locum Gadir *vocat undique ſeptum.*

Hebræis certè גדר *gadar* eſt *ſepire*, unde גדר *geder, maceria, ſepimentum. Nic. Lloyd.* Hic Geryonem victum bobuſque privatum ab Hercule, fabula habet. Vide Strab. *l.* 3. *p.* 140. Plin. *l.* 4. *c.* 22. Melam, Cluv. *l.* 4 *p.* 24. Edit. in Quarto. Eſt hæc Inſ. in Oceano, in ora Andaluſiæ, ab Or. in Occ. extenſa, per 3. aut 4. leuc. Cum Urbe cognom, parva, ſed munita, in parte Occ. Inſ. direpta ab Anglis, ſub Elizabetha Regina arceque & portu capaciſſimo, ubi emporium celebre. 19. leuc. Hiſp. ab Hiſpali in Auſtr. 7. ab oſtio Bætis fluv. 15. à Calpe in Circ. Inſ. jungitur Continenti ponte *la Puente de Suago.* Baudr. Fretum Gibraltar dicitur, Hollandorum, duce Heemskerkio, navali victoriâ celeberrimum, ſec. præt. Vide Hug. Grot. *Ann. Belg.*

GADITANA Jul. Colonia, Gades urbs: Unde *Sinus Gadit*, qui vulgò *Golfo de las Yegas*, Ortel. & *Fretum*, idem cum Herculeo.

GADITANA Saltatio, omnium corruptiſſima. Mart. *l.* 5. *Epigr.* 79. cujus epigraphe ad Turanium.

Nec de Gadibus *improbis puellæ*
Vibrabunt ſine fine prurientes
Laſcivos docili tremore lumbos.

Cujuſmodi ſaltatriculas ex hac inſ. erant qui circumducebant ad quæſtum. Unde idem *l.* 1. *Epigr.* 42. cujus Epigraphe in Cæcilium.

Quod de Gadibus *improbus Magiſter.*

Inprimis poſtquam illatum ſaltatio & cantus perditis luxu Romanis in conviviis placuêre. Juv. *Sat.* XI. *l.* 4. *v.* 162.

Forſitan expectes, ut Gaditana *canoro*
Incipiat prurire choro &c.

Quò facit querela Quintiliani *l.* 1. *c.* 2. *Omne convivium obſcœnis canticis ſtrepit, pudenda dictu ſpectantur.* Donec hæc omnia calentis in triclinio nequitiæ irritamenta ſuſtulit optimus Imp. Theodoſius, uti Chriſtianum decebat, teſte Paulo Diacono *de Geſt. Rom. l.* 12. Erant autem modi hujus ſaltationis tres, *Chironomia*, à manuum agilitate: *Halma*, à ſaltu, & *Lactiſma*, à calcitratione, de quibus vide Jul. Cæſ. Scalig. *Poet. l.* 1. *c.* 18.

GADIVA, Camdeno *Aberfraw*, opp. Monæ Inſ. olim regia, in ora, contra Northwalliam.

GADOR, vel GEDOR, locus 1. Paral. *c.* 4. *v.* 39.

GADULLIUS Gallicanus, citator Nonio in voce *canalis.*

GÆA, civitas Arabiæ Felicis, & inſ. in Syrti majori. *Ptol.*

GÆON, à Joſepho dicitur *Nilus*, rectius ſcripſeris *Gion.*

GÆSATÆ, pop. ad Rhodanum habitantes, qui unà cum Senonibus Romam cepêrunt. Plutarch. & Strabo *l.* 5. *p.* 212. Hos Polybius ait profectos à locis Rhodano vicinis, ad ea quæ ſunt circa Padum, Idem eos ait ſic eſſe dictos διὰ τὸ μισθοῦ στρατεύειν, Ἡ γὰρ λέξις inquit, αὕτη τοῦτο σημαίνει κυρίως. Vide quoque *Geſſatæ.*

CÆSUM, fluv. vel potius ſtagnum Joniæ, inter Prienen, & Miletum, juxta Mæandrum fluv. inter illum, & Trogylium prom. *Geſſus* Plin. *l.* 5. *c.* 29. & *Melæ.*

GAETANUS, vel *Caetanus Tienus*, Vincentinus, unus ex fundatoribus Ord. Clericorum Reg. Theatinorum, A.C. 1524. Urbano VIII. in Beatis, A. C. 1629. à Clem. X. in Sanctis eſſe juſſus. Maurolic. *in Man. Oceani. Relig.* Morer. Vide & *Bartholomæus.*

GÆTULIA, regio Libyæ interioris, Garamantibus finitima, cujus incolæ *Gætuli.* Lucan. Civ. Bell. *l.* 4. *v.* 677.

Autololes Numidæque vagi, ſemperque paratus
Inculto Gætulus *equo.*

Sil. Ital. Punic. Bell. *l.* 3. *v.* 287. & ſeqq.

Vos quoque deſertis in caſtra mapalibus itis
Miſceri gregibus Gætuli *aſſueta ferarum,*
Indomitiſque loqui, & ſedare leonibus iras:
Nulla domus, plauſtris habitant, migrare per arva
Mos atque errantes circumvectare penates.

Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 40.

Hinc Gætulæ *urbes, genus inſuperabile bello.*

Salluſt. *in bello Jug. c.* 15. *Africam initio habuêre Gætuli, & Libyes; aſperi, incultique, queis cibus erat caro ferina atque humi pabulum, uti pecoribus. Hi neque moribus, neque lege, aut imperio cujuſquam regebantur: vagi, palantes, quas nox coëgerat, ſedes habebant.* Leonibus abundabat hæc regio ubi hodie Biledulgerid, Regnum Terga &c. Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 351.

——— *tergum* Gætuli *immane leonis.*

Horat. Carm. *l.* 3. Od. 20. Initio.

Non vides quanto moveas periclo
Pyrrho Gætulæ *catulos leænæ.*

In hanc uſque regionem arma ſua olim extendêrunt Romani. Nic. Lloyd. Salluſt. *de B. I.* Plin. *l.* 5. *c.* 1. Cluv. *Intr. Geogr. l.* 6. Sanſon.

GÆTULICUS, Hiſtoricus, de quo Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 25.

GN. LENTULUS GÆTULICUS, Tiberii & C. Caligulæ temporibus vixit. Pater ejus fuit Cn. Lentulus Coſſus Gætulicus, qui cum L. Calpurnio Piſone conſulatum geſſit A. U. C. 752. Hujus mortem Tac. refert *l.* 4. *Ann c.* 42. Ibidem & filii meminit, quem conſulatum geſſiſſe ait cum C. Calviſio Sabino A. U. C. 778. Eo anno Tiberius Imp. Româ cum modico comitatu in Campaniam abiit: nec Romam poſtea reverſus fuit, ut præter Tac. auctor eſt Suet. *in Tib. c.* 39. & Dio *l.* 48. Anno autem proximo hic ipſe Gætulicus, in Germania ſuperiori, cum proconſulari fuit imperio, quintoque imperii ejus anno occiſus eſt Romæ Sejanus. Tum accuſatus quoque Gætulicus, quòd Sejani filium ſibi generum deſtinaſſet. Sed animoſis litteris epiſtolâ ſe defendit, ac tantum effecit, ut delator urbe exigeretur, qua de re vide Tac. *l.* 6. *Ann. c.* 30. Dum ſuperioris Germaniæ legiones curat, ut ibidem legere eſt, *mirum amorem adſecutus eſt, effuſæ clementiæ, modicus ſeveritate, & proximo quoque excercitui per L. Apronium ſocerum non ingratus.* Sed benevolentia iſta militaris eum, poſt Tiberii obitum, Cajo ſuſpectum reddidit. Nec alia de cauſa ab eo occiſus fuit. Docet hoc nos unus Dio Caſſius *l.* 59. Γαιτουλικὸν [illegible] Λέντουλον τά τε ἄλλα εὐδόκιμον ὄντα, καὶ τῆς Γερμανίας δέκα ἔτεσιν ἄρξαντα, ἀπέκτεινεν, ὅτι τοῖς στρατιώταις ᾠκείωτο. Hiſtoriam ſcripſit, cujus meminit Suet. *in Calig. c.* 8. *Cn. Lentulus Gætulicus* (Caligulam) *Tiburi genitum ſcribit.* Poëmatis etiam claruit. Hinc Mart. *præf. l.* 1. *Sic ſcribit Catullus, ſic Marius, ſic Pedo, ſic Gætulicus.* Meminit & Probus Grammaticus *in Virg. Georg. l.* 1 ubi tres ejus hexametros adfert. Adhæc Sidonius Apollinaris *l.* 2. *Ep.* 10. ubi nomen amicæ ejus Cæſenniæ fuiſſe ait. Et *Carm.* 9.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Non Gætulicus hic tibi legitur.

Imò & ejus eſſe epigrammata videntur. quæ *l.* 3. *&* 6. *Antholog.* leguntur ſub nomine Γετυλίκ, vel, quod malim, Γετυλικοῦ.

GAGÆ, Græcè Γάγαι, urbs montana Lyciæ, quæ aliàs Παλαιὸν τεῖχος & Παλαιόπολις dicta, ad fluv. cognominem, ubi *Gagates* lapis reperitur, de quo mox vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 252. & 785. ut & in voce *Gage.*

GAGANUS, nomen Chunorum Regum, teſte Gregorio Turon. *Hiſt. l.* 4. *ſ.* 29. qui & Chunos è Pannoniis egreſſos *l.* 2. *ſ.* 6. ex aliorum opinione refert; & videntur ii iidem eſſe, qui aliàs Uni, & Unni, aliàs Hunni, demum Hungari appellantur. Henr. Spelm. *Gloſſ. Arch.* Vide *Caganus*, alibique paſſim.

GAGANUS, Rex Avarum; à Juſtino Imp. tributum poſcens, belli minas accepit. Vide *Caganus* & *Chaganus.*

GAGASMIRA, Indiæ intra Gangem urbs.

GAGATES, fluv. Siciliæ, in quo lapides ejus nominis primùm reperti: de quibus hîc infrà.

GAGATES, lapis *nomen habet loci & amnis Gagis Lyciæ. Ajunt & in Leucoia expelli mari, atque intra XII. ſtadia colligi. Niger eſt, planus, pumicoſus, non multùm à ligno differens, levis, fragilis, odore ſi teratur gravis. Fictilia ex eo inſcripta non delentur. Cum uritur, odorem ſulphureum reddit. Mirumque accenditur aquâ, oleo reſtinguitur ----- deprehendit ſonticum morbum & virginitatem ſuffitus ---- Hoc dicuntur uti Magi in ea, quam vocant, axinomantiam* &c. Plin. *l.* 36. *c.* 19. Quibus paria habet Solin. *c.* 23. ubi *de Britannia inſ.* Sed ad Thracium lapidem, quòd *aquâ accendi, oleo reſtingui eum*, ajunt referendum: uti ad *Gangitem* lapidem pertinet, quod idem Plin. *l.* 10. *c.* 3. habet, ubi nihil *igne deperdere* eum ſcribit. Non ſolùm enim *gagates* facilè accenditur, iſque optimus, qui facilimè, ſed etiam igne conſumitur, eoque redigitur, ut in pulverem teri poſſit. Nec in axinomantia adhibitus eſt olim, ſed *cauſimomantia*, ut ſuprà diximus. Etiam, quòd Solin. *gagatem attritu calefactum adplicita detinere, atque ſuccinum*, addit; falſum prorſus eſſe, contendit Salmaſ. *ad eum p.* 254. Vide quoque ſuprà ubi de *Electro.*

GAGE, Lyciæ opp. ab amne Gage, ubi Gagates lapis. Dioſcorides Plin. *l.* 5. *c.* 27.

GAGECOME, Leuncl. *Gatvo*, opp. Phrygiæ Magnæ.

GAGGARE, Anglis *Gaded*, h. e. *ſuffocare*, torturæ genus in Francia olim uſitatum, de quo ſic Joh. Forteſcutus *de laude LL. Angliæ c.* 22. *Quidam verò in equuleis extenduntur, quo eorum rumpuntur nervi & venæ in ſanguinis fluenta prorumpunt: quorundam verò diverſorum ponderum pendulis diſſolvuntur compagines & juncturæ: & quorundam* gagguntur *ora uſque dum per illa tot aquarum infundantur fluenta, ut ipſorum venter montis tumeat more, quò nunc venter ille, foſſorio vel ſimili percuſſus inſtrumento, per os aquam illam evomat, ad inſtar balænæ, quæ cum halecibus & aliis piſciculis mare abſorbuit, aquam deſpumat ad altitudinem arboris pomi* &c. Hoc ſeculo in uſum revocatum, à Suecis, ut fertur, cùm, victricia per Germaniam circumferentes arma, hac omnino ratione è colonis extortum ibant, ſi quid bonorum hîc ibi haberent abſconditum. German. *der Schwediſche Trunck*, h. e. *potio Suecica.* Vide C. du Freſne *in Gloſſ.*

GAGNÆUS Johannes, vide *Johannes.*

GAGO regnum Nigritiæ, inter Nigrum fluv. ad Bor. & Guineam ad Auſtr. urbem prim. habet cognom. ſed malè cultam, ubi ſedes Regis.

GAGUINUS Robertus, Callinâ, exiguo pago, in confinio Arteſiæ, ad fluv. Liſam, oriundus, Gen. Ordinis Trinitatis. Caroli VIII. & Ludov. XII. Bibliothecarius, Legationibus plurimis functus. Scripſit inter alia, Galliæ hiſtoriam. libb. 12. Obiit A. C. 1502. Chytræus, *in itin. delic.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 11. Quenſtedt. *de patr. ill. Vir.*

GAHAM, fil. Nachor ex Reüma concubina. Gen. *c.* 22. *v.* 24.

GAHER, nomen viri. Eſdr. *c.* 2. *v.* 47.

GAIA, fluviolus Hiſp. Tarracon. *Liv.*

GAIANITÆ, Hæretici, ex Eutychianis, orti. Juliani Halicarnaſſ. qui incorruptibilium, & Phantaſticorum caput fuit, deliria ſecuti, à Gaiano dein nomen accepêrunt; Corpus Chriſti, poſt unionem perſonalem, infirmitatibus humanis obnoxium fuiſſe, inficiati. Baron. A. C. 535.

GAIANUS, 21. Ep. Hieroſolymitanus, ſec. 2. Item, Ep. Alexandriæ, caput Gaianitarum, vide ſuprà. In exilium pulſus. Leontius, Scholaſt. *de Sectis, Act.* 5.

GAICUM Monaſterium, inter formulas veteres Marculfo ſubjunctas, formulâ 41. commemoratum, in pago Galliæ Waſtinenſi, ab eo *Monaſterium S. Mariæ* vocatur, & puellarum fuiſſe dicitur, hodie fortè *Gy les Nonnains*, h. e. Gaicum Nonnarum vel ſacrarum Virginum: Sedet ad fluv. Lupam 3. à Monte Argiſi leucis diſtantem. Vide Hadr. Valeſ. in voce *Waſtinenſis pagus.*

GAILDORFIA, Familia Germaniæ illuſtris, in Franconia, Limpurgicæ ſtirpis ramus eſt. Cujus origo à Conrado, quemadmodum altera capitalis linea hujus familiæ Speckfeldia vel Sonthemia, à Friderico, utroque Friderici defuncti A. C. 1414. filiis, deſcendit. Et quidem in linea *Gaildorfia* (quò etiam Schmidelfeldia referenda) Albertus Dn. & Pincerna de *Limpurg*, extinctus A. C. 1506. ex Eliſabetha Com. Oetingenſi, genuit Chriſtophorum I. (qui obiit A. C. 1515.) patrem ex Agnete Werdenbergica Vilhelmi, extincti A. C. 1552. Quo & Annâ de Scala, genitus Chriſtophorus II. qui mortuus eſt A. C. 1574. ex Eva Agnata, reliquit Albertum, defunctum A. C. 1619 cui ex Æmilia Roggendorfia, natus Joachimus Godofredus, deceſſit A. C. 1651. pater ex Barbara Dorothea Oetingenſi, Vilhelmi Ludovici (nat. A. C. 1624. denat. A. C. 1657.) cui Eliſabetha Dorothea Agnata nupta erat: Sophiæ Dorotheæ (nat. A.C. 1625. θ. A.C. 1627.) Friderici Cratonis (nat. A.C. 1626. denat. A.C. 1627.) Philippi Alberti (nat. A. C. 1628. θ. A.C. 1632.) & Ottonis Henrici (nat. A.C. 1629. θ A.C. 1653.) qui omnes *Dn. & Pincernæ de Limpurg* &c. *lineæ Geildorfa-Schmidelfeldiæ* In eadem linea, fil. alter Alberti præfati & Æmiliæ, Joh. Vilhelmus (qui defunctus eſt A.C. 1655.) ex Maria Juliana Hohenloica, ſuſcepit Philippum Albertum (nat. A. C. 1648.) Joh. Fridericum (nat. & θ. A. C. 1651.) Vilhelmum Henricum (nat. A. C. 1652.) Mariam Æmiliam (nat. & θ. A. C. 1653.) Joh. Vilhelmum (nat. A. C. 1654. θ. A. C. 1655.) & Sophiam Eleonoram (nat. A. C. 1655.) ad quos etiam patuelis ſucceſſio delata eſt. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Part. I. p.* 55. & 101. & in *Ind.*

GAILLARDUM, caſtrum Galliæ fortiſſimum, cujus mentio apud Rigordum in rebus Anni 1202. à Philippo Aug. menſibus amplius quinque oppugnatum ac tandem captum eſt: quam obſidionem fusè deſcribit Gul. Armoricus *de geſtis Philippi Aug.* *l.* 7. *Philippi Gaillardica mœnia*, & *Rupem Gaillardam* vocat. Hodie vicus eſt & *Chauſteau Gaillard* dicitur in inſ. prope Andeliacum vel Andelejum. De eo ſic præfatus Armoricus: *Richardus*, inquit, *Rex firmavit in fluv. Sequana, in loco qui Portus Gaudii vocatur, munitiunculam & in inſ. juxta vicum Andeliacum aliam fortentiam firmavit, & ædificavit ibidem ſuper ripam Sequanæ villam amœniſſimam, in loco munitiſſimo. Imminebat villæ rupes excelſa, in qua ædificavit arcem, & circumcinxit muro altiſſimo & foſsis profundiſsimis, totamque munitionem illam vocavit* Gaillardum, *quod ſonat in Gallico* petulantiam. Vide quoque in voce *Gallardum.*

GAINAS, tyrannus, Arianâ labe fœdatus; Gothus, & Dux exercitus, ſub Arcadio, proditorem Rufinum occidi curavit, cujus opibus potitus Eutropius maxima ex parte, apud Imp. valuit plurimum. Quod ægrè ferens Gainas, advocatis ex Aſia Barbaris, coëgit Principem, & hunc, & Aurelianum, cum Joh. ac Saturnino, fideliſſimis ſuis miniſtris, ſibi ad necem tradere. Templum dein Arianis Conſtantinopoli exambiens, majora agitare cœpit. Palatium Imp. combuſturus, miraculo cohibitus eſt. Hoſtis Reip. ab Arcadio declaratus, Thraciam vaſtavit, Chryſoſtomi precibus pace conceſſâ. Poſtea denuo ad ingenium revolutus, cum copiis ſuis occiſus eſt. Theodoret. *l.* 5. Socrat. *l.* 6. Zoſimus *l.* 5. Sozomen. *l.* 8. item *l.* 10. *c.* 6. & Euſeb. *Eccleſ. Hiſt. l.* 5. *c.* 32.

GAITIA, mel. JAITIA, urbs Boſſiniæ inſ. ad fluv. Plenam, in monte, cum caſtro permunito, verſus confin. Croatiæ. 7. leuc. à Bagnaluca in Occ. 7. à Vihitza, in Ort. vide *Jaitia.*

GAIUS, Sextus Hieroſolymorum Ep. A. C. 155. Item 26. Rom. Ep. A. C. 215. poſt Eutychianum. Ei ſucceſſit Marcellinus. Vide *Cajus.*

GAJUS Caſſius Longinus, natus ex filia Tuberonis, quæ fuit neptis Servii Sulpitii, Coſ. fuit cum Quartino, temporibus Tiberii Imp. magnæque in Civitate auctoritatis, donec à Cæſare eâ pelleretur. Expulſus itaque in Sardiniam, ſed revocatus à Veſpaſiano, diem domi ſuum obiit, *l.* 2. *ff. de orig. Juris.* Fuit & *Gajus* JC. Hadriani temporibus, ex *l.* 7. *ff. de reb. dub.* qui pervenit ad tempora Antonini Pii, ut colligitur ex *l* 42. *ff. de don. inter vir. & ux.* Ex hujus Commentariis, tam Inſtitutionum, quàm Rerum Cottidianarum, Inſtitutiones compoſitas eſſe, profitetur ipſe Juſtinian. *Præfat. Inſtitut.* Vide latè Briſſon. laudatum Joh. Calvino in *Lex. Jur.*

GALA, aliis *Jala*, quibuſdam *Gealus*, amniculus Galliæ, qui in Garumnam labitur, duabus leucis infrà Burdigalam: quam ab hoc & altero fluviolo Burda nomen accepiſſe, opinantur nonnulli, inprimis Maſſonus. Sed Valeſ. Burdam nuſquam ſe reperire qui Burdigalæ aut uſpiam alibi Garumnam augeat, refert, in voce *Bituriges Viviſci.* Vulgò *la Jalle.* In literis Philippi Pulchri datis A. C. 1295. memoratur *boca Jalæ, ubi Jala cadit in mare dictum* Geronda; & *Jalæ veteris* ac *Jalæ pontis* fit mentio.

GALAAD, fil. Machir, fil. Manaſſe. Num. *c.* 26. *v.* 29. Item pater Jaræ, patris Hari. 1. Par. *c.* 5. *v.* 14. Lat. *acervus teſtimonii.* Item regio Galilææ ad orientem ultra Jordanem, ubi dimidia tribus Manaſſis accepit poſſeſſionem, cum Rubenitis, & Gaditis. Num. *c.* 32. *v.* 39. animalibus paſcendis aptiſſima: Cùm priùs propriè montis ſolum nomen eſset, in quo Jacobus cum Labane fœdus pepigit, Galaaditæ Saulis & filiorum cadavera cum cura ſepeliêrunt. Vide Geneſ. *c.* 31. *v.* 21. Joſ. *c.* 13. *v.* XI. 1. Reg. *c. ult. v.* 3, 15, 20. 1. Par. *c.* 10. *v.* XI. & 12. Pſalm. 60. *v.* 9. Torniel. A. M. 2296. *n.* 3. & 9. & A. M. 2979. *n.* 9. &c.

GALAAD, urbs in tribu Manaſse dimidiæ tribus Manaſse, in monte Galaad condita eſt, à quo etiam, ut Hieron. teſtatur, nomen ſuum ſortitur.

GALAAD, mons montium omnium qui trans Jordanem ſunt altiſſimus: in tribu Manaſſe: Hic 50. circiter milliaria longus, ab Auſtro juxta civitatem Jaer rupeſque Arnon initium ſumit, & verſus Sept. per duo regna, Amorrhæorum ſcilicet, & Baſan. ad Or. verò per deſerta loca, diverſis cacuminibus uſque ad Libanum montem porrigitur, & in diverſis locis diverſa ſortitur nomina: Nam quibuſdam in locis vocatur *Seir*, in aliis *Hermon*, in aliis *Libanus*, & alibi *mons Galaad*, qui tamen omnes ſunt unus mons continuus. Ubertate reliquis, qui ultra Jordanem viſuntur, montibus præſtat, atque arborum, aromatum, & graminis admodum ferax eſt, præſertim verò reſinæ: à monte verò & civitas, quæ in eo condita eſt, & adjacens monti regio vocabulum *Galaad* etiam ſortita ſunt.

GALABRII, Dardanica gens circa Thraciam. Strab. *l.* 7. *p.* 316.

GALACTITES, lapis Plin. *l.* 37. *c.* 10. *ex vivo colore lactis eſt. Eandem dicunt leucam, & leucographiam & ſynnephiten ---- Mittit eam & Achelous amnis*, Sed *leucogæa* & *ſmetris*, Græcè σμηκτρὶς γῆ ſic dicta, quòd ea Vett. uterentur ad dealbanda ac pumicanda veſtimenta, *galaxia* & *morochthus* dicitur Dioſcoridi, terra potiùs, quam Nilus dat, eſt, quàm lapis, cum *galactite* non confundendus. Huic autem nomen dedit non color, ſed ſuccus lacteus, quem tritus reddebat: ipſe namque cinerei coloris eſt. Eundem ἀναγχίτην & ἀδάμαντα ſcribit appellatum Orpheus, quòd Deorum men-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

tem inflectere, & pacatam hominibus, eorumque ſacrificiis attentam, reddere crederetur;

> Τὸν ῥα παλαιγενέες μὲν ἀναγκίτην ἀδάμαντα
> Κλεῖον, ὅτι γνάμπτει μακάρων νόον, ὄφρα θνηλὰς
> Ἀζόμενοι ἐθέλωσιν ἐπιχθονίους ἐλεαίρειν,

De quo lapidis hujus uſu Magico, ut & plura hanc in rem, vide apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 137. & 1092.

GALACTOPHAGI, Scythiæ Aſiaticæ pop. à *lacte* denominati. Γλακτοφάγοι Hom. *Il.* 3. quos juſtiſſimos appellat, quòd tenui victu contenti ab omni injuria ſe continerent.

GALACTOPOTÆ, Nomadum Getarumque populi, quòd frumenti expertes lacte veſcantur.

GALACUM, opp. Albionis. Vide *Calatum.*

GALADA, vel GALADENE, vel GALADITIS, regio Arabiæ. *Steph.*

GALADRÆ, urbs Macedonum in Pieria. *Idem.*

GALADRUS, mons quidam à *Galadro* Emathii fil. dictus. *Idem.*

GALÆ, ſeu IMBANGALÆ, pop. Æthiopiæ, maj. partem Abaſſiniæ occuparunt, à 100. propè annis; ſuntque inter regnum Abaſſenum, & regn. Monemugi extenſi. Eis ſubſunt prov. *Angete, Bali, Bizamo, Cambate, Doaro, Fategar, Ogge, Oiſate,* &c. quæ antè erant ſub Abaſſinorum Imp. Is. Voſſ. Habuit Regem proprium *magnum Galam.* Regni Congi incolis, & Luſitanis *Giaguas* dicuntur.

GALAL, viri nomen. 1. Par. *c.* 9. *v.* 5.

GALANDUS Petrus, vide *Petrus.*

GALANTHIS, Alcmenæ ancilla, quæ cum domina ſua partûs doloribus laborans, à Junone ne pareret impediretur, mirâ aſtutiâ dicitur Deam eluſiſſe: veniſſe quippe ad eam riſu ac lætitiâ geſtientem, & ſolutam jam partu reginam mentiendo confinxiſſe: quâ re intellectâ admiratione ſimul ac dolore concitam Deam ſolutis manibus ſurrexiſſe. Tunc ſubitò Alcmenam ſine ullo cruciatu Herculem enixam: Lucinam verò indignatam, mox Galanthidem in animal ſui nominis *galen*, i.e. *muſtelam* mutaſſe, hâc additâ pœnâ, ut ore, quo præcipuè peccaverat, pareret. Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 306.

> *Una miniſtrarum media de plebe* Galanthis

Idem ibid. *v.* 316.

> *Numine decepto riſiſſe* Galanthida *fama eſt.*

GALAPHA, Mauritaniæ Tingitanæ urbs *Ptol.*

GALARDO, caſtrum Galliæ, in Belſiæ Carnutinique agri confinio, vulgò *Gallardon*: ad ripas amniculi, qui in Auturam defluit, inter Carnutas urbem ac Novigentum Regis. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

GALARINA, urbs Siciliæ à Morgo Siculo condita. Steph. Vide Cluv. *Sicil. Ant. l.* 2. *c.* 8.

GALATA, filia Valentis Imp. à Dominica uxore Ariana in Orthodoxos, concitati: quo morbo correpto mater viſionibus horrendis divexata eſt, pater verò Baſilio Orthodoxiæ fidem datam non præſtitit: Hinc Baſilius, *de puero*; inquiebat, *fiat voluntas Domini.* Obiit A.C. 370. Theodoret. *l.* 4. *c.* 18. Socr. *l.* 4. *c.* 21. &c.

GALATA, inſ. non procul à Melita. Mela. Syriæ urbs, Polyb. Siciliæ inſ. Plin. *l.* 3. *c.* 8. *l.* 5. *c.* 7. urbs Siciliæ medit. Cic. *Calata*, nunc *Galati*, Phocidis mons *Plutarch.*

GALATA ſeu PERA, urbs Thraciæ, veriùs ſuburbium Conſtantinop. ubi Latini ferè omnes morantur, in Boſphori ripa, primum à Genuenſibus culta. J. Spon. *pera*, hodiernis Græcis, idem valere quod Vett. πέραν, *trans*, Græcoſque Conſtantinopoli Galatam profecturos, *Pao pera*, h. e. trans aquam ibo, dicere ſolere (quemadmodum & locus trajectûs *perama* illis eſt) atque inde opp. illi nomen hæſiſſe, docet, *Itin. Part.* 1. *p.* 264.

GALATÆ, populi qui Galatiam habitant, Tanium, Peſſinuntem, Ancyras, in Aſia, incolentes. E' Gallis, qui Româ exuſtâ, & Italiâ vaſtatâ, hîc ſedes fixêrunt, cùm olim Phryges hanc terram incolerent, parte ejus Paphlagoniâ vocatâ. Plurimis bellis geſtis inclyti. Ad hos Paulus Ap. epiſtolam divinam ſcripſit. Vide Pauſ. Juſtin. Horum regionem, cum Cappadocia, & Armenia, Alimbego, per Baſſam Ferat occiſo, eripuit Solimannus Turcarum Imp. A.C. 1537. Jovius *in Hiſt.* In divinam ad hos *Epiſtolam*, extant: Auguſtini *Expoſitio.* Batti *Com. cum Diſput.* Quart. Gryphiſw. A.C. 1613. Bethulæi *Explicatio.* Octav. Halæ Sax. A.C. 1617. Brentii *Comm.* Calixtus, Chemnitius, Chytræ: *Enarratio.* Octav. Francof. A.C. 1569. ut & Claudii Taurin. Octav. Pariſiis A.C. 1542. Coccejus. Cogeleri *Objectiones & Solution.* Octav. Witebergæ. A.C. 1564. Contzen *Comm.* Coloniæ A.C. 1631. ut & Corneri, Octav. Heidelb. A.C. 1583. Crellii Socin. *Prælectiones.* Crocius. Eraſmi *Homiliæ.* Feurbornius. Galli *Annotationes.* Gomari *Expl. locorum difficil.* Godeau. Grimanus, Quart. Venetiis A.C. 1542. Grynæi *Theſes Analyticæ*, Quart. Baſil. A.C. 1596. Heilbrunneri *Loci Comm.* Octav. Lavingæ, A.C. 1591. Hieronymus. Hoë *Comm.* Quart. Witebergæ A.C. 1616. Kromayeri *in c.* 4. Kunadus. Luſhintoni *Comm.* Angl. Quart. Londini A.C. 1650. Lutheri *Comm.* Lyſeri *Analyſis Theol. & Schol.* Quart. Witeb. A.C. 1616. Megandri *Comm.* Tiguri A.C. 1559. Meyeri *Annotat.* Octav. Bernæ A.C. 1546. Muſculus. Nahumi *Explicatio Anal.* Octav. Hanov. A.C. 1602. Oleviani *Notæ* Octav. Genevæ A.C. 1598. Paræus. Perkinſius *in c.* 5. *pr.* Rageri *Exegeſis.* Rolloci *Analyſis Log.* Octav. Genevæ A.C. 1603. Serepandus. Speii *Comm.* Stevartii *Exegeſis.* Thummius. Titelmannus. Vaſquez. Vorſtius. Weinrichii *Expoſitio brevis.* Quart. Lipſiæ A.C. 1618. Wigandus. Winckelmanni *Notata* Octav. Gieſſæ. Zinglii *Annotationes.* *Steph.*

GALATHEA, nympha marina, Nerei, & Doridis filia, à Polyphemo adamata, quem cùm illa ſperneret, Acimque ei præferret, indignatus Cyclops, rivalem ſaxo de rupe avulſo interfecit, cujus cauſam miſerati Dii marini in fluv. ſui nominis eum commutarunt. Ovid. *Met. l.* 13. *v.* 790.

> *Candidior nivei folio* Galatea *liguſtri.*

Item Celtarum cujuſdam regis filia, à qua *Gallia*, & *Galli* literâ L. geminatâ. Herculis Libyci, Gall. Regis uxor, Galati mater. Herod. *l.* 2. Amm. Marcell. *l.* 15. Ann. Viterb. *in Beroſ. l.* 5. Diod. Sic. Eſt & nomen ruſticæ puellæ, Virg. *in Bucolic.* Eclog. 3. *v.* 64.

> *Malo me* Galatea *petet laſciva puella.*

Item, urbs Thraciæ, 150. mill. paſs. à Byzantio, *Greg. Turon.*

GALATHEUS Antonius, vide *Antonius.*

CALATIA, Caſtaldo *Chiangare*, Turcis *Gelas*, regio min. Aſiæ, Phrygiæ contermina, ita dicta à *Gallis*, qui relictâ patriâ ibi ſedes fixêrunt. Hujus incolæ *Galatæ* vocantur, & *Gallogræci*, quòd ex *Gallis* ſimul ac *Græcis* coaluerint. Item *Tectoſagæ*, *Toliſtobogi*, *Trocmi.* Ab Or. habent Cappadociam, & Halym. fluv. ab Occ. Bithyniam, & Aſiam, à Mer. Phrygiam magnam, à Sept. Paphlagoniam, *Græcogalliam*, & *Bucellariorum regionem* appellat Suid. Urbes ol. claræ, Ancyra, etiam nunc præ cæteris florens, Satrapæ reg. ſedes, Germa & Peſſinus. Ferrar. Vide *Galata.* Addo hîc, quòd regio hæc ſub Pontica olim diœceſi comprehenſa, à variis Gallorum gentibus primitus fuit poſſeſſa. Et quidem Solin. *c.* 41. *Toliſtobogos, Veturos & Ambitutos* memorat, qui partem Phrygiæ occuparunt. Præter hos *Trocmi* Mæoniæ & Paphlagoniæ regionem inſedêrunt, teſte Cic. *de Divin.* *Tectoſages*, partem Cappadociæ uberrimam tenuêrunt, quibus *Teutobodiacos* accenſet Plin. *l.* 5. *c.* 32. à quibus ſex gentibus *Galatiæ* ait nomen inditum. Alii auctores ferè omnes, tres tantùm velut præcipuas gentes Gallorum nominant, quæ in Aſiam tranſmigrarint, *Toliſtobogos*, *Trocmos* & *Tectoſages*; quos & regionem omnem à ſe occupatam, & communi gentis ſui nomine nuncupatam, in tres partes diviſiſſe, & unamquamque partem in 4. provincias, quæ ſingulæ inde τετραρχίαι appellatæ ſunt, iterum diſtribuiſſe, referunt, vide Memnonem Hiſtoricum apud Phot. & Strab. *l.* 12. *p.* 567. Ipſe Plin. *l.* 5. *c.* 34. tres illas gentes Galatarum præcipuas deſignat his verbis *d. l. Oppida Tectoſagum, Ancyra: Trocmorum, Tavium: Toliſtobogorum, Peſinus*: qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 877. qui etiam de *Galatico cocco*, quod præſtantiſſimus, Gr. ὕσγη, varia habet *p.* 273. Nominis originem quod attinet, γάλατος propriè *album* ſignificare, à voce γάλα, lac, hincque proprium nomen Siculum Γάλατος, item Γαλάτεια, deduci: tandemque genti Gallorum, à *lacteo candore*, idem à Græcis inditum, qui contrà Μαύρους & Λίβυας à *nigrore* ſic nominatos, monet idem *p.* 65.

GALATUS, Polyphemi ſeu Herculis ex Galathâ fil. Gall. Rex X. Diod. Sic. *l.* 6. *c.* 9. Morerius, N. Comes *l.* 9. *c.* 8.

GALAVA, Angliæ opp. Anton. *Kellenton* vulgò. Camdeno autem *Walwick* in Northumbria.

GALAURUS, Taulantiorum Rex, ab Argæo, aſtu victus, de quo Polyæn. *l.* 4. *Princip.* Alii libri habent *Talaurus.*

GALAXIUS Lapis. Vide ſuprà *Galactites*, infrà *Smegma*: ut de *Galaxia* ſeu via lactea, in cœlo, infrà in voce *Teleſcopium.*

GALBA, Sulpitiorum primus ab exilitate dictus. Eſt enim *galba* vermiculus miræ exilitatis, qui in eſculentis naſcitur. Alii è contrario, quòd præpinguis fuerit, nominatum ſcribunt. Talem enim Galli vocant *galbam*. i. e. *Galb*, vitulum. Alii quòd opp. Hiſpaniæ fruſtra diu oppugnatum, illitis demum *galbano* facibus ſuccenderit. Nonnulli quòd in diuturna valetudine *galba*, h. e. remediis lanâ involutis, uteretur. Vitam ejus lege ſis apud Suet. & Plutarch.

GALBA, Rex Sueſſionum, 12. oppid. dominus, ad quem Belgæ, Anno belli Gallici ſecundo, propter juſtitiam prudentiamque, ſummam totius belli detulerant, ad quod bellum millia armatorum quinquaginta pollicebatur *l.* 2. *Comm. c.* 4. Ejus duo filii Noviduno capto, Cæſari obſides dati. Cæſar. de Bello Gallico, *l.* 2. *c.* 13.

GALBA, quidam à Plin. *l.* 3. *c.* 4. nominatur inter eos authores, quibus in conſcribendo libro 36. uſus eſt.

GALBA, prænomine *Cajus*, frater illius, qui poſtea imperavit, conſularis, attritis facultatibus urbe ceſſit, prohibituſque à Tiberio ſortiri anno ſuo Proconſulatum, voluntariâ morte obiit, Q. Plautio, Sext. Papinio Coſſ. Tac. Ann. *l.* 6. *c.* 40. *Suet.*

GALBA Sergius, vir conſularis temporum ſuorum eloquentiſſimus, quem Tranquillus ſcribit, ex prætura Hiſpaniam obtinentem, 30. millibus Luſitanorum perfidiâ trucidatis, Viriarathini belli cauſam extitiſſe. Valerius autem ait, eum trium Luſitaniæ civitatum convocato populo, tanquam de commodis ejus acturum, 9. millia hominum trucidaſſe. Pædianus dicit, eum ob direptos Luſitanos accuſatum à Catone, duoſque amplexum filios prætextatos, abſolutum propterea miſericordiâ fuiſſe. Cic. *in Bruto.* Vide quoque *Sergius.*

GALBA Sulpitius, avus Imp. literis clarus, Hiſtoriam variam ſcripſit. Hujus fil. Imp Pater, cauſas in foro egit. Suet. *in Galba c.* 4.

GALBA Sergius Sulpitius, Imp. Neroni ſucceſſit, A.C. 68. Mulæ parientis prodigio confirmatus, in propoſito, remoto Nerone, thronum conſcendendi. Quod cùm Nero ſenſiſſet occidi Galbam imperavit, ſed hic à militibus primus Imp. dictus voto potitus eſt. Diſciplinæ militaris tenax, ſed præparcus, & 7000. Prætorianorum occiſis, decimatis reliquis, cruentus. Æmulos Romæ, in Germania, in Africa oppreſſit: Neronis ſcelerum coadjutores ad mortem rapuit: Ipſe omnium judicio capax Imperii, niſi imperaſſet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

raſſet, T. Vinio, Corn. Laconi & Martiano liberto obnoxius militem negato donativo, & voce ſeveriore, *Legi a ſe militem, non emi*, a ſe abalienavit; nec juvit Piſo adoptatus, ſed, imperio in Ottonem tranſlato uterque occiſus eſt, Galbâ, cùm jugulum porrigeret, dicente, *ferirent ſi ita e Rep. videretur*. Æt. 73. imperii menſe 8. Suet. & Plutarch *in ejus vita*. Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 1. & Aurel. Victor *de Cæſar*. Vide & *Sergius*, & *Servius*. it. *Sulpitius*.

GALBA Caſtra, vicus ſeu pagus Veragrorum, inter Agnunum, & Vicum S. Joh. in Sabaudiæ, & Valeſiæ confin. *La motte des Saraſins* Gabr. Simeoni.

GALBANUM, in Syriæ monte *Amano naſcitur è ferula, quam ejuſdem nominis reſinæ modo ſtagonitin appellant. Quod maximè laudant, cartilaginoſum, purum, ad ſimilitudinem Hammoniaci, minimeque lignoſum ſic quoque adulteratur fabâ aut ſagapeno. Sincerum ſi uratur, fugat nidore ſerpentes*. Plin. *l.* 12. *c.* 25. Ejus ſuccum μετώπιον Græcis ſeu μετωπον vocatum legas apud Dioſcoridem, Χαλβάνη ὀπός ἐςι νάρθηκ@ ἐν Συρίᾳ φυομένε, ὃν ἔνιοι μετώπιον καλῦσι: unde & unguento amygdalino, quòd in eo conficiendo *galbanum* admiſceretur, Ægyptii μετωπίῳ indidêre nomen, ut vidimus. Odoratum non eſt, ut calamus & juncus (quæ ſola inter res odoratas, in Syria naſci ſolitas, refert Theophraſt. *Hiſt. plant l.* 9. *c.* 7.) utpote βαρυτεργὴς καὶ φαρμακῶδες. Apud Suet *Galba c.* 3. *Quare opp. Hiſpaniæ fruſtra diu oppugnatum, illius demum* galbano *facibus ſuccendiſſe, legitur, qui primus Sulpiciorum* Galbæ *nomen fuit*. ad quem l. vide *Animadverſ.* Caſaub ut & de *galbani* uſu Medico Plin. *l.* 24. *c.* 5.

GALBEA, & GALBINA ſeu GALBULA, avis eſt viridis aut lutei coloris, Græcis χλωρὶς & χλωρίων; unde mutuatâ voce Latini etiam *chlorum* dixêre. Gloſſa Græco-Lat. χλωρὸς ςρυθὸς *chlorus*. Cujuſmodi avium luſibus delectatum eſſe Alexandrum Sev. Imp. narrat, in *Vita* ejus, Lamprid. *Summa illi oblectatio fuit, ut catuli cum porcellis luderent, aut perdices inter ſe pugnarent, aut aves* galbeæ *ſurſum & deorſum volitarent*. Mart. *galbulam* hanc avem vocat *l.* 13. *Epigr.* 68. cujus Epigraphe Galbula.

> Galbula *decipitur calamis, & retibus ales.*

At *galbeum* vel *calbeum*, à voce Græca κάλβιον, ornamentum fuit, vel armilla, quâ virtutis ergò donabantur milites. Sic Suet. Galb. c. 3. *remedia vocat lanâ involuta & in bracchio vicem armillæ geſtata, galbea*, & ab iis Galbam Imp. nominatum eſſe, ait, quòd eiuſmodi remediis aſſiduè uteretur. De quo more armillas vel *galbea* geſtandi, quibus remedia quædam erant incluſa, adversùs varios morbos facientia. Vide Caſaub. *ad Suet.* ac infrà *Hapſus*: plura verò de hac voce apud Salmaſ. *ad Lamprid.* & Vopiſc. *in Aurel.* ubi colorem *galbinum* ſeu *galbineum*, aureum fuiſſe vel ad auri colorem proximè acceſſiſſe, docet ex Veget. *l.* 3. *c.* 2.

GALEA, an Lacedæmoniorum, ut vult Plin. *l.* 7. *c.* 56. an Ægyptiorum, ut Herod *l.* 4. an Curetum, ut Diod. *l.* 5. *c.* 15. inventum: à *galero*, quo multi antiquorum uſi, dicta eſt, Varroni: aliis ex Græco γαλέη, ἢ quòd *ex felina* pelle fiebant, vide Scalig *in Varr.* & Iſid. an à γυλιός, i. e. *vas militare*; an à γωλέα, i. e. *latibulum*, luſtrum, ſpelæum? tegmen eſt capitis militare, *de corio, ſicut caſſis de lamina*, Iſid. Gulielmus *Hodœpor.*

> *Armo caput* galeâ ———

Græcè κόρυς, περικεφάλαια, item voce antiquiſſimâ κυνέη: quæ denotat, ut jam indigitatum, κυνέην δορὰν ἤγουν κυνὸς ἣ τὰς κεφαλὰς τοῖς παλαιοῖς, *caninam pellem, canis viz. marini, quæ priſcis caput operuit*. Voſſ. verò *Galea*, & *Galerus* non aliunde nomen habent, quam quia eſſent ex pelle γαλῆς: quod animal vel idem eſt ac ἰκτὶς, vel ſimile, vetuſtiſſimis enim temporibus fiebant *Galeæ* ex mutorum animalium pellibus; quod & aliæ appellationes indicant. Namque κυνέην dixêre, ſi foret è pelle canina; λυκέην, ſi ex lupina: Imò, apud Homer. *Il.* κ. ἰκτιδέην κυνέην legas, pro *galea* ex pelle muſtelæ, ἰκτὶς enim muſtela ſylveſtris eſt, uti cognoſcimus ex Plin. *l.* 29. *c.* 4. Et hinc Jovem Ammonem fingi conſueviſſe *cornutum*, ſtatuit Voſſ. quòd in bello pellem capitis bubuli, cum cornibus, pro galea habuerit, *de Idol. l.* 1. *c.* 27. Poſtquam verò pro pelliceis galeis introductæ ſunt æheæ ac ferreæ: figuram tamen muti animantis, aut capitis ſaltem, in ea expreſſêrunt priſco nomine retento. Itaque *galea* nunc capite leonis erat inſignis, nunc integræ volucris figurâ, & ita in aliis: cujus rei ignorationem ſpiſſos in Hiſtoria periſſe errores, luculentum hoc exemplum eſt. A. U. C. 405. L. Furio Camillo, & Appio Claudio Coſſ. cùm Galli ex Albanis ſe montibus profudiſsent: miſsus eſt adverſùs eos Luc. Fur. Camillus, vel fauſti ominis gratiâ; quia M. Camilli, qui ab iis Romam liberarat, erat fil. Caſtra is poſuit in agro Pomptino: Ibi M. Valerius cum Gallo pugnavit, & ſi Romanæ credimus hiſtoriæ, corvi auxilio eum vicit. inde & *Corvi* cognomen jam olim accepiſse creditus; non *Corvini*, ut vulgò putant. Poſteros verò *Corvinos* dictos, veriſimile fit; cùm conſtanter *Corvini* ubique, non *Corvi*, appellentur. Vide Liv. de pugna *l.* 7. *c.* 26. Val. Max. *l.* 3. *c.* 2. A. Gell. *l.* 9. *c.* 11. Sext. Aurel. *de Viris Illuſtr. c.* 29. Alios. In hac verò hiſtoria, quod de auxilio ſacræ additur alitis, & quidem inſpectante hinc Romano, inde Gallico exercitu, fabuloſum habet Voſs. contendens, erroris originem inde eſse, quòd Valerius *galeam* geſtarit, cui corvi eſset ſuper additum ſignum. Cum ejuſmodi enim galea cùm depingi & effingi ſoleret Valerius, pugnans cum Gallo; progreſsu temporis imperitum vulgus judicavit, corvum galeæ inſidentem imaginem eſse veri corvi, cum tantùm ſignum eſset corvi ferrei, quo Valerii galea fuerat inſignis &c. Vide quomodo hanc conjecturam pluribus firmet Voſs. *l. c.* Ex diverſis itaque poſtea materiis, ære inprimis, confici cœpère, quod aliquando ſic expolitum eſt, ut ſpeculi inſtar Solis radios excipiens intolerabilem hoſtium oculis fulgorem offunderet: ut de Diomede legimus, apud Homer. *Iliad.* ε.

> Δαῖέ οἱ ἐκ κόρυθ@ τε καὶ ἀσπίδ@ ἀκάματον πῦρ,
> *Lucebat ei è* Galea, *& ex ſcuto indefeſſus ignis.*

Sic de Ænea ſuo Virg Æn. *l.* x. *v.* 270.

> *Ardet apex capiti, criſtiſque ac vertice flamma*
> *Funditur.*

Idem alibi de Turno. Criſtis dein eas, ut Poëta hîc indigitat, ornabant Vett. & quidem Græci primitus è pilis equinis conſtantibus, quarum toties apud Hom. mentio, qui modò λόφον ἱππιοχαίτην, modo ἵππουριν vocat, ſicut inde Dorienses inprimis τρίχας ſunt appellati. Dein plumis, quas olores ſuppeditabant, ut docet Virg. *Æn. l.* 10 *v.* 18. ubi de Cycno,

> *Cujus olorinæ ſurgunt de vertice pennæ*

Et Romani quidem, teſte Polyb. pinnas tres adhibuêre prælongas, colore purpureo vel nigro: quod & Lamacho Ariſtophanes, & Tydeo Æſchyl. tribuunt. Virg. de Turno *Æn. l.* 7. *v.* 785.

> *Cui triplici crinita juba* galea *alta chimæram*
> *Suſtinet* ———

Πτερίνους φαλοὺς vocat idem Polyb. quos in legione illa nova vide Suet. *in Jul. Caſ. c.* 24. *Tranſalpinis, a Cæſare conſcripta, cui alaudæ nomen inde militari laſcivia inditum*, inſignes fuiſse, vel aliquid peculiare habuiſse, oportet. Quemadmodum Cares olim eandem ob cauſam *gallos gallinaceos* fuiſse vocitatos, teſtis eſt Plutarch. *Artaxerxe* &c. Nempe pennæ illæ plerunque gallorum erant gallinaceorum, interdum pavonum, aliarumque avium adhibebantur; ſicut hodie ſtruthiocamelorum & ardearum frequentes ſunt in hoc uſu, hæ præcipuè apud Turcas, de quibus vide Joh. Bapt. Tavernier *Deſcr. Seralii.* Quandoque non pennæ tantùm, ſed & integræ aves, ut jam indigitatum, galeis impoſitæ leguntur: αἱ ἀλκιμοι ὄρνιθες *aves pugnaces*, ut ait Ariſtides *de Rhet. Orat.* 2. Cujuſmodi eſt picus, apud Strab. *l.* 5. *p.* 240. phœnix, apud Solin. *c.* 36 Gallus, apud Pauſ. *l.* 6. corvus, de quo dictum &c. Inſuper cornua adhibita, taurorum, urorum, hircorum; quibus poſtremis Pyrrhi galeam inſignem fuiſſe, tradit in *eo* Plutarch. Imo & Capita ferarum integra, urſorum, apud Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 130. leonum, in παρέργ. arietum, apud Amm. Marcell. *l.* 19. *c.* 1. ubi de Perſarum Rege; aprorum, itidem in παρέργ. quorum dentibus Ulyſſis galeam exornat Hom *Il.* κ. ſphingum, apud Euripid. *Electr. act.* 2. tigridum, apud Val. Flacc. Argon. *l.* 6. Sic in galea Turni chimæram collocat Virg. *Æn. d. l.* in Palladis, gorgonem Ariſtoph. *Equit.* &c. Quæ omnia non tam ornatui, quàm terrori incutiendo, & Majeſtati conciliandæ, inſerviebant: imitatione, ut Paſchalius cenſet, priſci moris, Ægyptiorum Regum, quos eadem fini modò ignem modo arborem, modo redolentia ſuper caput unguenta geſtaſſe, auctor eſt Diod. Sic. *l.* 2. Ad ornatum magis faciebant gemmæ & aurum, quibus Vett. galeas non raro conſpicuas fuiſſe legimus. Ita ceraunis, apud Prudent. *Pſichom. v.* 470. apud Claud. reperimus *Stilic. l.* 2. *Carm.* 22. *v.* 30.

> Galeas *renidentes hyacinthis*

Pacis præſertim tempore, quo & oleâ idem Prudent. *Pſichom l.* 6. *v.* 687. & lauro Stat. *Theb. l.* 7. eas inſignes deſcribunt: Hodie τὰ ςέφη, ſive ςρόφια, conum galeæ inſignibus ſuperpoſita cumulant, Paſchal. Additamenta nempe illa galerum plerumque conus ſuſtinebat, ſuprema & eminentiſſima pars galeæ, aliàs *apex* quoque dictus. Sed non omnis *galea* hunc apicem habebat, ut gregariorum inprimis militum: uti multæ cum conò quidem & apice, ſed ſine criſtis & pennis, aliæ cum utroque fuêrunt, uti ex Vett. monumentis docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 546. quarum ultimas has, graves omninò fuiſſe oportet, uti notat Barth. *ad Stat. Theb. l.* 9. *v.* 262.

> *Unda vehit,* galeaſque *vetant deſcendere criſtæ.*

Porrò clauſæ fuerunt Vett. galeæ, uſque adeò, ut ne videri quidem facies armatorum potuerint. Idem Pap. Stat. *Theb. l.* 12.

> *Solve genas, liceat vultus fortaſſe ſupremùm*
> *Cernere dilectos* ———

Et nares quoque iis tectæ eſſent. Sidon. *Panegyr. Anthemii,*

> *Obtundit teneras circumdata faſcia nares,*
> *Ut* galeis *cedant* ———

Vide quoque eundem Barth. *Theb. l.* 11. *v.* 526. ubi caſſides Vett. apertas non fuiſse, ſed ita clauſas, ut nihil vultus penitùs videreri potuerit, pluribus confirmat, contra Paſchal. contrarium aſserentem *Coron. l.* 10. *c.* 14. oculis nempe exceptis, ut liber eſset in omnia proſpectus. Unde Cyrum aurigas curruum militarium totos θωρακίσαι πλὴν τῶν ὀφθαλμῶν, *armaſſe, oculis exceptis*, refert Xenoph. *Pæd. l.* 6. Sed neque caput ſolùm faciemque, verùm & collum, ab ictibus defendebant, galeæ, ut à quibus catenæ deſcendebant, quæ collum tuerentur;

> ——— *miſſas in terga catenas,*

Vocat idem Stat. *Theb. l.* 9. *v.* 699. Vide ſuprà, ubi de *Collo*. Atque hactenùs de primario Galeæ uſu. Sed & eadem, cùm ſitis urget, *poculum militis eſt*, teſte Luctat. Placid. *ad Stat. Theb. l.* 3. *v.* 366. Ipſe Stat.

Hoſti-

Hoſtilem Iſmenon galeis, *Dircenque bibemus.*

Pedo Albinovanus, ſive Incertus auctor Elegiæ de obitu Mæcenatis, *in principio* :

Bacche coloratos poſtquam devicimus Indos,
Potaſti galeâ *dulce juvante merum.*

Ejuſdem ritus meminit Curt. *l.* 5. *Siti maceratus acceſſit, ac dum galeâ hauſtam aquam ſorbet, tela conſpexit.* Senec. *de Benefic. l.* 5. *c.* 24. *Siti confectus, quia impeditus ire ad fontem proximum non poteram, repere manibus volebam, niſi commilito homo fortis ac ſtrenuus aquam mihi galea ſua attuliſſet. Potes ergo*, inquit, *Imperator agnoſcere aut illum hominem, aut illam* galeam. Vide quoque Jul. Frontin. *Stratag. l.* 1. *c.* 7. &c. Etiam in *Galeam* ſortes injectæ. Vide Thom. Dempſter. *Paralip. in Joh. Roſin. Antiqq. Rom. l.* 10. Apud Suecos Gothoſque ejuſdem oſtenſione ac elevatione, ſignum colloquii, vel pacis & induciarum dari conſueviſſe, Olaus refert *l.* 11. *c.* 42. ut alia omittam. Plura hanc in rem vide apud *Rei Militaris* Scriptores; laudatos inſuper C. Paſchal. *Coron l. c. c.* 13. & *ſeqq.* ubi totam *Galearum* hiſtoriam eruditè pertexit, & de earum hodierno in Principum inſignibus uſu inprimis varia præclara habet, Caſp. Barth. *Animadv. ad Stat. non uno in loco*, ut & hic paſſim, inprimis in vocibus, *Caſſis, Corvus, Criſta, Pennæ, Pileus* &c. Inde vox tranſlata ad *galeas capillorum*, de quibus vide infrà in voce *Galericulum*, item *Galerus*; & naves, de quibus mox.

GALEA, nomen navis, quâ Ovid. in Pontum vectus: hæc enim Minervam pictam pro tutela gerebat, ejuſdem verò *galeam*, in roſtro proræ, pro paraſemo. Verba ejus, *Triſt. l.* 1. *Eleg.* 9. Initio.

Eſt mihi, ſitque precor, flavæ *tutela* Minervæ
Navis, & à picta caſſide *nomen habet.*

Sed & lignum carinæ ad proram eminens, Græcè στεῖρα dictum quod multis in navibus in varias animalium effigies & προτομὰς ſculpebatur, cùm inſigne navis non habebat, formabatur ut plurium in galeam atque hinc περικεφαλαία quoque, i. e. *galea*, vocabatur. Unde & *Galeæ* paſſim recentiori ævo triremes omnes & Liburnæ appellatæ ſunt, quòd pars illa navi nomen imponere eſſet ſolita, Salmaſ. *ad Solin. p.* 571. & 572. Cujuſmodi naves *longæ* vocantur Gul. Tyrio *l.* 20. *c.* 14. *roſtratæ* eidem *l.* 10. *c.* 28. *Liburnæ* Ottoni Friſing. *de Geſtis Friderici l.* 1. *c.* 33. &c. Γαλαίας appellant Græci citeriores, Galli *Galées*. Sunt tamen, qui à *galeo* piſce, *xiphias* aliter dicto, cujus formam omninò repræſentant; Item qui à γάλη, quæ vox Heſych. eſt ἰξέδρας ſpecies, vocem deducant. Diminut. ejus eſt *Galio* vel *Galeo*, Gallis *Galion*, in *Hiſt.* Hieroſolym. *p.* 1167. & in *Ep.* Joh. Ep. Acconenſis Tom. VIII. *Spicilegii* Acheriani *p.* 377. apud C. du Freſne in *Gloſſ.* qui etiam *Not. ad Alexiadem* hac de voce *p.* 316.

GALEAGRA, vulgò GRELA, Turris eſt prope Trogillorum portum in Sicilia, Liv. *l.* 25. *c.* 23. *Scala Græca* vulgò dicitur.

GALEARII ſeu GALIARII. Recentioribus dicti ſunt, qui παλληκάρια infimi ævi Scriptoribus, olim verò *Calones* appellabantur: qui prioribus ſanè temporibus & ſtante adhuc diſciplinâ rari in caſtris, nec niſi digniorum, Ducum Tribunorumque erant: poſtea verò labantibus moribus, numero penè milites ſuperabant, cùm ne gregarius quidem ullus ſine ſervo eſſet. De his Euſeb. in *Chron.* Ῥωμαῖοι Γαλλῶν μυριάδες δὲ πρὸς ταῖς τετρακοσίοις ἀνεῖλον· τοὺς δὲ αἰχμαλώτους αὐτῶν κατεδουλώσαντο γαλιαρίους καλοῦντες αὐτούς, *Romani Gallorum quadraginta millia quadringentos interemêrunt: captivos autem in ſervitutem redegêrunt & militibus ſervos eos aſſignarunt*, galiarios *vocantes*: à *galea* quam iſtiuſmodi militum ſervi geſtabant. Propert. *l.* 3. *Eleg.* 12. ad Pôſthumum. *v.* 8.

Et feſſo galeâ *qui tibi portet aquam* &c.

An hinc *gaviarii* Gallorum, *goujars*, quomodo militum appellant pueros? Vide Salmaſ. *ad Spartian. in Hadr. Cæſ.* De iis ſic Pignor. *p.* 227. *Armigeris affines fuêre Caculæ & Calones, ſic dicti, quò fuſtibus claviſque ligneis armari ſolerent, ad tutelam dominorum ---- Hinc quod Evangeliſtarum Interpretes habent, miſſam fuiſſe cohortem ad vinciendum Jeſum cum gladiis & fuſtibus, ita vertit Juvencus,*

Pars ſtrictis gladiis, pars fidens pondere clavæ.

Et hi Clavatores dicti ſunt, & Galearii, *Lixas Acron Grammaticus perperam ſervos militum appellat, cùm certum ſit fuiſſe liberos homines--- Lecticarios quoque ideo Calones appellavit Seneca (Lectica formoſis impoſita calonibus) quòd ligna ſeu aſſeres lecticæ portarent,* κᾶλον *enim lignum.* Vide eum *Comm. de Servis p.* 244. & 245. ubi de Servis Romanorum militaribus.

GALEATIUS, Hiſtoricus, qui ſcripſit de bello Mediolanenſi, & rebus in Italia geſtis, libros octo. Item Mantuanus quidam, qui Papiæ cùm hybernaret, puellâ (quam unicè amabat) per jocum imperante, ſe in fluvium dejecit: Autore *Pontano.*

GALEATIUS Maria, Dux Mediol. Franciſco Sfortiæ I. Patri ſucceſſit, A. C. 1466 Ob luxum ſuis inviſus, in templo S. Stephani occiſus eſt. A. C. 1476. Ex Bonna, Ludovici Sabaudi fil. pater Joh. Galeatii, Succeſſoris.

GALENSIS Johannes, vide *Johannes.*

GALENUS Claudius, medicus excellentiſſimus, ex Pergamo Aſiæ urbe; Clarus eſſe cœpit temporibus Trajani. Natus patre architecto civitatis eruditiſſimo, adoleſcentis in Dialecticis, & elementis Philoſophiæ, quòd ingenio valeret, feliciſſimè profecit, & mox ad Medicinæ ſtudium animum adjecit. Præceptores audivit medicos eâ ætate præſtantes, Satyronem & Pelopem. Profectus deinde Alexandriam eſt, ubi tum hominum erat doctorum frequentia, quorum judicia & ſtudia exploravit. Romam quoque venit, ibique multa ſcripſit, annos natus quatuor & triginta. Inde enim diſcedens A. C. 37 in Aſiam rediit. Sed non multò poſt in Italiam literis Impp. Veri, & Antonini, revocatus eſt. Inde poſt interitum Antonini, qui in bello Marcomannico periit, in patriam rediit, ibique conſenuit, ac cùm corpore, & valetudine eſſet imbecilliori, quemadmodum de ſe ipſe ſcripſit, diligentiâ tamen in victu, & temperantiâ, ſatur ſcilicet nunquam de menſa ſurgens, vitam in extremam uſque ſenectutem produxit. Româ aliquando, peſtis tempore, fugit, arti diffiſus, quæ tamen tanta erat, ut cùm graviſſimos morbos facilimè curaret, magiæ ſuſpectus, ex eadem urbe, alio tempore, coactus fuerit ſe in tutum proripere. Methodi auctor, quæ hodieque in uſu. Obiit A. C. 140. Ætat. 70. Auctor 200. voluminum, ut ex 2. ejus Comment. in ſua opera patet, quæ periêrunt incendio templi Pacis, inter 12. ingenia ſubtiliſſima. Cardano collocatus *Subtilit. l.* 16. Judæorum, & Chriſtianorum hoſtis profeſſus. Vide Volaterr. *Anthrop. l.* 16.

GALEOTÆ, vates quidam in Sicilia. Cic. *l.* 1. *de Div. Huic interpretes portentorum, qui Galeotæ tum in Sicilia nominabantur, reſpondêrunt*, &c. Vide Ælian. *l.* 12. *c.* 46. Γαλεοὶ Heſych. Γαλεοί, μάντεις ἔθνοι κατὰ τὴν Σικελίαν ᾤκησαν. De quibus ita Archippus apud Athen.

Γαλεοί γε πάντων μάντεων σοφώτατοι.

Mythologi apud Steph. à *Galeote* deducunt, filio Apollinis & Themiſtûs, nempe ad fabulas confugêrunt, cùm neſcirent Phœnicium גלה *gala*, unde *Galei* & *Galeotæ* dicti, propheticum eſſe vocabulum. Bochart. *Nic. Lloyd.*

GALEOTÆ, Græcè Γαλεῶται, Steph. μάντεων εἶδος Σικελῶν, *Vates quidam in Sicilia*: portentorum Interpretes ſolertiſſimi: quibuſdam dicti videntur ab animali cognomine, *Stellione* Latinis, Plin. *l.* 30. *c.* 10. *quoniam nullum animal fraudulentius invidere homini traditur*. Sed, cujuſque ſolertiam ipſe prædicat Salomo Proverb. *c.* 30. *v.* 24. quia Hebraicè גלה *gala*, eſt *revelare*, quod vatum maximè proprium, *Galeotarum* nomen Hebraicum eſſe, ſuſpicatur Bochart. ut & alia magno numero quæ cum Phænicum colonis, in Siciliam ſunt tranſlata, vide eum *Hierozoici Parte prior. l.* 4. *c.* 7. Apud recentiores verò, Falconem Beneventanum *p.* 323. Romualdum *in Chronic. MS.* Joh. Bromptonum, Alios, *Galeotæ*, ſunt remiges *galearum* vel *galeotarum*, de quibus ſuprà.

GALEOTHÆ, Attica gens. *Steph.*

GALEOTUS, Forolivii Princeps, qui Adami Bentivoli filiam duxit uxorem. A' quo dum ſperneretur puella, ſimulatâ ægritudine ſicarios ſubornavit medicos, qui eum adorti in cubiculo confodêrunt. *Volaterr.*

GALEOTUS, cognomine Martius, Nanienſis primum Bononiæ docuit, dein à Matthia Corvino filii Joh. pueritiæ admotus, & Bibliothecæ regiæ, Budæ, præfectus eſt. Scripſit inter alia, ſyllogen jocorum Corvini. Ingens Philoſophus & Orator, Leandro Alberti dictus. A' Monachis, ob quædam liberius ſcripta, vexatus, Sixtum IV. qui diſcipulus ejus fuerat, vindicem nactus eſt. Rogatu Ludovici XI. cùm in Galliam veniſſet, Lugduni de equo deſcenſurus, in Regis occurſu, ut præpinguis erat, capite in terram illiſo, Obiit. P. Jov. *elog. c.* 44. Pet. Valerianus, *l.* 1. *de liter. infelicit.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. p.* 659. 660.

GALEPSUS, urbs Thraciæ, & Pæonum. *Steph.*

GALERIA, Tribus Romana, unde dicta ſit, ex vett. Scriptoribus non liquet. Car. Sigon. *de antiquo Jure Civ. Rom. l.* 1. *c.* 3. opinatur, eam etiam à loco aliquo nobis jam incognito hoc nomine accepiſſe, quemadmodum reliquæ Tribus omnes à Servio inſtitutæ. Onuphr. *Comm. Rei Rom. l.* 2. addit, poſſe videri eam à flumine Tarentinæ ſciæ Galeſo, cujus Virg. mentionem facit Georg. *l.* 4. *v.* 126 *Galeſum* primò, dein *Galeriam* dictam. Ejus meminit Liv. *l.* 27. *c.* 6. Galeria *Juniorum, quæ ſorte prærogativa erat, Q. Fulvium & Q. Fabium Coſſ. dixerat.* Vide quoque Plin. *l.* 7. *c.* 48.

GALERIA, uxor Vitellii Cæſ. Tac. *Hiſt. l.* 2. *c.* 60.

GALERIA Fauſtina Aug. amita Marci Antonini Philoſ. Imp. apud *Capitolin.*

GALERIA, ſeu GALARIA, Aretio *Gagliano.* opp. Siciliæ mediterr. *Galarina* Steph. *Galerina. Phavor.*

GALERIANUS, vide *Calpurnius.*

GALERICULUM, ſeu US, capillamentum aſcititium, ad tegendæ calvitiei olim adhibitum: quo celatum Caligulam c. 11. & Othonem Imp. *c.* 12. refert Suet. Riſit de more facete hunc uſum Mart. *l.* 12. *Epigr.* 45. cujus epigraphe ad Phœbum,

Hædinâ tibi pelle contegenti
Nudæ tempora, verticemque calvæ,
Feſtivè tibi Phœbe dixit ille,
Qui dixit, caput eſſe calceatum.

Quòd enim *Galericulus* hic ex pellibus & coriis pararetur, æque ac calcei, caput à calvo Phœbo calceari non illepidè jocatur Poëta. Apud Ruff. Avien. *Carm.* 10.

Calvus eques capiti ſolitus religare capillos,
Atque alias nitido vertice ferre comas:

ridiculum populo conſpiciente, caput exhibuit, adverſùm flante Boreâ:

Nam mox detecto nituit frons nuda galero,
Diſcolor appoſita quæ fuit ante coma.

Ubi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Ubi videmus *Galerum* quandoque pro *Galericulo* ſumi. Sed & in diſcurſationibus nocturnis atque ad diſſimulandam perſonam ſæpe ſumebatur. Unde Juv. de Meſſalina lupanar ſubeunte, *l.* 2. *Sat.* 6. *v.* 120.

Sed nigrum flavo caput abſcondente galero.

Idem *l.* 3. *Sat.* 8. *v.* 208.

——— *& longo jactetur ſpira* Galero.

In quæ verba Ferrar. *Meſſalinam*, inquit, *cùm nigris capillis eſſet, flavum galerum ſumpſiſſe, ſive ne dignoſceretur, ſive ut formoſior amantibus videretur.* Hinc rotundum muliebre capitis tegumentum, in modum galeæ factum, quo meretrices uti ſolitæ, interpretatur hanc vocem vetus Scholiaſtes. Tertull. *de cultu fem. c.* 7. *Affigitis præterea neſcio quas enormitates ſutilium capillamentorum; nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in cervicem retro ſuggeſtum.* Et mox, *ſi non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti; ne exuvias alieni capitis, forſitan immundi, forſan nocentis & gehennæ deſtinati, ſancto & Chriſtiano capiti ſuppares.* Vide quoque Adr. Jun. *de Coma c.* 7. Aliàs etiam ad capillos ab inquinatione, vel ut Plaut. loquitur, Trinumm. Act. 3. *ſc.* 2. *v.* 67. *collutulatione* per unguenta, defendendos, adhibitum eſſe *Galericulum*, diſcimus ex Mart. *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 48 cujus epigraphe Galericulum.

Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos,
Hac poteris madidas condere pelle comas &c.

Hodiè *Perruque* dicitur ſciteque priſco illi Laconi definitur, *Mendacium in capite.* Vide Octav. Ferrar. *de Re Veſt. part.* 2. *l.* 1. *c.* 20. & Anſelm. Soler. *de Pileo*, *ſ.* 3. De *galericulis* v. ſcenicarum perſonarum, albi, nigriſque, J. C. Scalig. *Poet. l.* 1. *c.* 13.

GALERIUS, Tuſcorum Rex.

GALERIUS, à Narſe victus, ad Diocletianum fugit, principi occurrens in itinere, ad quem antea belli fama pervenerat, purpurâ indutus (Cæſar enim erat) mille paſſus ante carpentum indignati Principis, pedes cucurrit. Poſteà in Armenia maj. Perſas vicit, Cteſiphontem expugnavit, totam Aſſyriam cepit. Pomp. Lætus. Oroſ. Eutropius. Vide infrà.

GALERIUS Armentarius Valerius Maximianus, oriundus Daciâ, prope Sardicum, priore uxore repudiatâ, Valeriam Diocletiani filiam duxit, in conſortium Imperii adſcitus. Infelix prælio contra Narſen Perſarum Regem, à Diocletiano Antiochiæ parum humaniter exceptus eſt. Quâ contumeliâ irritatus, viribus reparatis, hoſtem vicit, eumque Meſopitamiâ & 5. provinciis trans Tigrim exuit. Cùm dein Diocletianus, & Maximianus ſponte Imperium deponerent, ille hujus diviſione cum Conſtantio Chloro factâ, jam Imp. in Chriſtianos odium jam inveteratum acriùs exercuit. Interim Cæſarem creavit Flavium, Valerium Severum, & Maximinium, ex ſorore nepotem, Conſtantio imminens. Sed primo per Magnentium occiſo, Licinium ſurrogavit. Contra Maxentium, Conſtantinum, & Eccleſiam ſpei irritus, cùm Chriſtianos omnibus modis cruciaſſet tandem in morbum incidit, cujus impatientiâ gladio ſibi latus aperuit, edicto priùs in Chriſtianorum favorem edito, Deum mitigare fruſtra conatus, A.C. 7. poſt abdicationem Diocletiani, in patria, quam Romuliam, à matris nomine vocavit, ſepultus. Eutrop. *l.* 9. Amm. Marcell. *l.* 16. Oroſ. *l.* 7. Euſeb. *l.* 8. Zoſim. *l.* 2 Socrat. *l.* 1. Theodoretus *l.* 5. Bapt. Egnatius. A vermibus corroſum plerique ſcribunt.

GALERIUS Trachalus, cujus ingenio Othonem uti credebatur in rebus urbanis, Orator celeber. Tacit. *Hiſt. l.* 1. *c.* 90. Victo Othone, à Galeria Vitelli uxore, protectus eſt. Idem Ibid. *l.* 2. *c.* 60. Ad Domitiani tempora pervenit vivendo; de quo Quintilian. *In eo vocis inquit, quam in nullo cognovi & Pronunciatio vel ſcenis ſuffectura, & decora omnino.*

GALENUS, & UM, & IUM, à galeæ ſimilitudine nomen habet, pileumque ſignificat, ex pelle cæſæ hoſtiæ factum, Iſid. Vet. Dict. *Galerium pileus ex corio*; ita propriè eſſet γαλεερν, ex pelle γαλέας, i. e. felis. Gloſſ. Iſid. *Galeria pileum paſtorale, quod de junco fit*, Vide Mart. è junco antiquitus materiam fuiſſe, tradit Auctor *vett. Gloſſ.* quæ & *pileum paſtoralem* exponunt, nim. lato margine ob umbram, unde *Umbellam* quoque nonnulli dixêrunt. Albricus *de Imag. Deor. Galerum quoque ſeu umbellam capite portabat.* Quomodo Hiſpanis hodie omne capitis latum tegumentum *Sombrero* dicitur. Venatoribus idem tegminis genus Gratius tribuit *Cyneget.* & quidem

——— *lucifugaque ex mælo* galeros.

Proprium autem viaticum hoc pileum Mercurio adſcriptum, apud Poëtas. Claud. de Rapt. Proſerp. Carm. 33. *v.* 78.

Somniferam quatiens virgam, tectuſque galero.

quia ejus præcipuè inter omnes Deos munus, tranare aërem &c. Apud Rom. Sacerdotalis propriè pileus fuit: Servius Danielis, *Suet. Claud. c.* 26. *tria genera pileorum dixit, quibus Sacerdotes utuntur, Apicem, Tutulum*, Galerum. *Sed Apicem pileum ſutile, circa medium virgâ eminente: Tutulum pileum lanatum metæ figurâ*: Galerum *pileum ex pelle hoſtiæ cæſæ.* De quo tegminis genere intelligendus porrò Athen. apud quem Larenſius inquit: Πίλους τε ταῖς κεφαλαῖς περικείμεθα τῶν προβάτων δασεῖς, *Pileoſque capitibus imponimus è pellibus ovillis denſos.* Ubi argumento hoc frugalitatis Romanæ Pontifex hic utitur, quòd etiam tunc inter ſacra pileis iſtis ovillis uterentur, priſco ritu. Lanatus autem hic *Galerus* fuit, i. e. non corium nudum, ſed cum ſua lana, & ideo δασὺς, *denſus craſſus* dicitur. Ejuſdem meminit Apulej. *in Apologia, Diogeni*, inquiens, *pera & baculus, quod Regibus diadema, quod imperatoribus paludamentum, quod Pontificibus galerum.* Nomen à *galea*, quòd ejus formam imitaretur, uti docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 556. unde & pro *galea* ſumi videtur. apud Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 688.

——— *fulvoſque lupi de pelle galeros*
Tegmen habet ———

Sed & pro *Galericulo* accipitur, ut viſum ſuprà. Plura vide apud Anſ. Soler. *de Pileo ſ.* 11. & Phil. Ruben. *Elector. l.* 2. *c.* 25. quibus adde Juſt. Lipſ. de *de Mil. Rom. l.* 3. *c.* 1. Andr. Tiraquell. *Catalog. Muliebr. Ornamentorum*, inſerto *Commentariis ad l.* 3. *Connubial.* Caſp Barth. *Comm. ad Calpurnium Ecl.* 1. & *Adverſ. l.* 128. *c.* 17. Apud Recentiores inſigne *Ducalis poteſtatis galerum eſſe*; cæterum de pileo Cardinalitio rubeo vocem propriè hodie uſurpari, diſcimus ex *Ceremoniali Rom. l.* 1. *ſ.* 8. ubi de ritibus, quibus is novo Cardinali conferatur. Vide quoque *l.* 2. & hîc infrà.

Galeri variæ ſpecies.

Albogalerus, pileus erat apud Rom. ſolius Flaminis Dialis, *vel quòd maximus, vel quòd Jovi immolatâ hoſtia albâ fieri oportebat*, *Varro.*

Cardinalium *Galerus*, ruber, ex Innocentii IV. Pontif. decreto iis conceſſus, in Conc. Lugdun. A. C 1244. ſignificat, ſecundùm Martinum Polonum, pro Eccleſia occumbendum, & cervices gladio meſſori ſubjiciendas, ſi neceſſitas poſtulet. Secundùm alios, participium ſummæ & regiæ dignitatis, quam Pontifex ſibi in Eccleſiam vindicat, indigitare ſolet. Jam olim enim purpura regium indumentum fuit. Utuntur eo Cardinales, tum in equeſtribus pompis, tum in feſtivis proceſſionibus: & quidem in illis pro tegmine, in iſtis pro umbraculo. Antiquitus autem in Conſiſtorio quoque & in Conciliis eum adhibebant, vide Macros Fratres *in Hierolexico*, ut & Theophilum Rainaudum *de Pileo*, *ſ.* 13. Simili *Galero rubro* inſuperque enſe, ab Innocentio III. donatum eſſe Regem Scotorum Vilhelmum, ſcribit Hector Boëthius.

Epiſcopis peculiare capitis tegmen eſt, viridis *Galerus* & mitra. Sic notat Petrus Bellon. *l.* 3. *Obſerv. c.* 24. Turcis quoque in Religionis inſigne viridem tiaram placere.

De Theſſalicis *Galeris*, arcendo Soli accommodatis, multa habet Hadr. Jun. *Animadverſ. l.* 2. *c.* 6. Erant illi marginati, ac iidem cum Petaſo; quales ſunt galeri noſtrates: Aliàs enim pilei communes marginati non erant, verùm illis ſimiles, quibus in lecto uti ſolemus &c. Figuras vide apud laudatum *Soler.*

GALESUS, ditiſſimus in agro Latino agricola, qui in eo tumultu, qui inter Aſcanii comites & Tyrrhei, armentarii regii liberos exortus eſt, cùm pacis componendæ ſtudio medium ſeſe inter pugnantes inferret, in medio ardore pugnæ eſt interfectus. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 135.

Corpora multa virûm circa, ſeniorque Galeſus.

GALESUS, Calabriæ fluv. in ſinum Tarentinum deſinens. Vide Liv. *l.* 25. Ejus meminit Virg. *l.* 4. *Georg. v.* 126.

Quâ piger humectat flaventia culta Galeſus.

Ubi alii *niger*, unde Sidon. Apollin.

Fuſcabat picei latex Galeſi.

Horat. *Car. l.* 2. Od. 6. *v.* 10.

Dulce pellitis ovibus Galeſi
Flumen.

Prop. *l.* 2. Eleg. 34. ad lynceum Poëtam

Tu canis umbroſi ſubter ſpineta Galeſi.

Eundem Eurotam nonnulli vocant teſte Polyb. *l.* 8. Mart. *l.* 8. Epigr. 28. cujus epigraphe de Parthenianâ toga.

Quâ ſaturat Calabris culta Galeſus *aquis.*

Idem *l.* 2. Epigr. 43. cujus epigraphe in Candidum.

Te Lacedæmonio velat toga lota Galeſo.

Idem *l.* 12. Epigr. 64. cujus epigraphe in Cordubam.

Albi quæ ſuperas oves Galeſi.

Nic. Lloyd.

GALETES, adoleſcens fuit formoſiſſimus, ob formam Regi Ptolemæo ita gratus, ut ipſe Ptolemæus quibuſdam, qui ad ſupplicium trahebantur, ejuſdem patrocinio pepercerit. Cæl. Rhod. *l.* 7. *c.* 35.

GALEUS, Græcè γαλεὸς, piſcis genus in varias ſpecies diviſum, è quibus *galeum alopeciam*, qui Rhodi optimus, pro acipenſere accepit Archeſtratus apud Athen. *l.* 7. *p.* 286. *pinguem canem* eum Syracuſanis dici, addens:

Ἐν δὲ Ῥόδῳ γαλεὸν τὸν ἀλώπεκα κἂν ἀποθνήσκειν
Μέλλῃς, ἂν μή σοι πωλεῖν θέλῃ, ἅρπαζον αὐτὸν,
Ὃν καλέουσι Συρακόσιοι κύνα πίονα ———

Sanè Latini *catellos* eos piſces, Græci quoque σκύλλους, σκυλία & σκυλλάκια vocarunt. Sed acipenſer minor galeis, ac porrectiore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

roſtro eſt, uti habes apud Athen. *d. l.* Vide plura de *galeis* apud Salmaſ. ad *Solin. p.* 1316. & de acipenſere, ſuprà. At *γαλεός ἀστερίας aſcalabotes* eſt, *notis compunctis* ſeu ſtellio, de quo vide ſuo loco.

GALGACUS, Dux Caledoniorum, genere, & virtute præſtans. Tac. *Agric. c.* 29.

GALGAL, vel GILGAL, civitas ultra Jordanem, non procul ab Hierichunte, ubi parvulos ſuos circumcidêrunt Iſraëlitæ. Joſ. *c.* 4. *v.* 20. & *c.* 5. *v.* 8. Hic Paſcha celebratum. Idololatriâ poſtmodum pollutus locus. Hieron. *in Hoſ. c.* 9. *v.* 15. Neh. *c.* 12. *v.* 29. Torniel A. M. 1284. *n.* 11. & 12.

GALGAL, urbs regalis, in qua habitabant *Goim*, i.e. gigantes, in tribu Manaſſe, cujus regem occidit Joſue, urbemque cepit. Tempore Hieronymi oſtendebatur villula nomine *Galgalis*, ab Antipatri dein ſexto milliario contra Sept.

GALGALA, locus erat Palæſtinæ, prope Jordanem, ubi poſt tranſitum Jordanis caſtra metatus eſt Joſue, cum Iſraëlitis, dum terram Canaan ſibi vindicabant. Ibi lapides de Jordanis alveo tranſlatos, memoriæ ergò reliquêrunt Iſraëlitæ. Poſtea in tribu Benjamin. Item, opp. tribus Nephthalim. 1. Sam. *c.* 10. *v.* 8. Macc. *c.* 9. *v.* 2.

GALI, herba in Guzaratæ Regno vocatur, è qua Veterum Ἰνδικὸν, quod nonnulli jam ajunt inexploratæ inventionis eſſe, parari ſolitum fuiſſe, ait Salmaſ. Hodie certè ejus ad tincturam *οκεανίας* ibi plurimùm celebratur. Vide eum *ad Solin. p.* 1332. & infrà, ubi de *Indico*.

GALIANUM, opp. Salentinorum.

GALIBI, populi Amer. mer. in Guajana reg. verſùs oram littor. maris Bor. inter Cajanam Inſ. & fluv. Surinamum.

GALICIA, vide *Gallæcia*. Plin. *l.* 3. *c.* 3.

GALILÆA, Syriæ regio celeberrima, ad Sept. Judææ ſita. Eam Geographi duplicem eſſe ſtatuunt, ſuperiorem ſc. & Inferiorem. Superior juxta Tyrum, Sidonem, & Cæſaream Philippi ſita eſt, & vocatur *Galilæa gentium* Iſ. *c.* 9. *v.* 1. Matth. *c.* 4. *v.* 18. vel quia illic gentes uſque ad Solomonis tempora habitarint, vel quòd Hiramo regi Tyriorum oblata ſit. 1. Reg. *c.* 9. *v.* 11. Hæc in tribu Aſer & Nephthali ſita fuit. Inferior Galilæa circa Tiberiadem, & ſtagnum Geneſareth in tribu Iſaſchar & Zabulon poſita eſt, in qua Chriſtus frequenter eſt verſatus. Joh. *c.* 4. *v.* 3. Unde etiam *Galilæus* vocatus eſt. Matth. *c.* 26. *v.* 69. Et Julianus ὁ παραβάτης Chriſtianos per contemptùm *Galilæos* nuncupare ſolitus eſt. Euſeb. *l.* 10. *c.* 35. *Eccl. Hiſt.* Vide Joſeph. *Antiqq. l.* 3. *c.* 4. Totius fines ſunt, à Sept. Syria ſeu Phœnicia, interjacente Libano; à Mer. Samaria & Carmelus mons; ab Or. Jordanes fluv. ab Occ. mare Magnum ſeu Medit. Hic Servator noſter conceptus, educatus, & ut plurimum converſatus innumera patravit miracula. Guidoni Regi Hieroſ. cum toto regno erepta à Saladino, A. C. 1187. hodie ſub Turcis gemit. Vocabatur etiam olim *Galilæa* tempus illud omne, à Reſurrectione ſeu Paſcha, uſque ad Aſcenſionem, quod in Galilæa Servator noſter exegit, Meurſ. Baudr. &c. Vide & Morer. Addo, quòd *Galilæa* reg. poſtquam Palæſtina à Saracenis erepta eſt à Chriſtianis, *Galilæa* & Tiberias, in eo Regno, Dominis propriis ſubeſſe cœpit, cum tit. *Principatus*: qua de re vide aliquid infrà, in voce *Princeps*. Porrò *Galilæa*, Græcis dicta eſt feria tertia Paſchatis, ut jam aliquid hac de re tetigimus. Leo Gramm. in *Conſtantino Porphyrog.* Καὶ τῇ τρίτῃ τοῦ Πάσχα τῇ λεγομένῃ τῆς Γαλιλαίας εὐλογεῖται καὶ στεφανοῦται, *Et tertiâ feriâ Paſchatis, quæ* Galilæa *dicitur, benedictionem accipit ac coronatur.* Ubi Scylitzes nudè habet, τῇ τρίτῃ τῆς Γαλιλαίας, *tertiâ Galilææ*; Zonaras verò, τῇ τρίτῃ τοῦ Πάσχα, *tertiâ Paſchatis*, C. du Freſne *Gloſſ.* At Fileſacus *l. de Quadrag. c. ult.* ait, hoc nomine intelligi tertiam à Paſchate hebdomadem, cui id nominis adſcripſerint Græci, quòd circa iſtud tempus ibi potiſſimùm poſt reſurrectionem Diſcipulis ſeſe conſpiciendum præbuerit Chriſtus. Idem Leo Allatius docet *de Dominicis & Hebdom. Græcorum*, ſic tamen ut judicium adhuc ſuſpendat. Nec immeritò: totum enim tempus Paſchale uſque ad Aſcenſionem, hoc vocabulo indigitari, contendit, Cl. Meurſ. *in Gloſſ.* quòd in Galilæa id tempus Servator noſter exegiſſet, probatque ex Zonata, τὴν τρίτην τοῦ Πατρίτην Γαλιλαίαν appellante, ubi de Helena, Romani filia, Conſtantino Imp. nuptum data. Vide & Dominic. Macrum *in Hierolexico*: cui adde Cl. Suicerum *Theſ. Eccl.* Sed & *Galilæa* locum denotabat in Æde ſacra, ubi omnibus Dominicis per annum proceſſio terminabatur; præcedente Ep. & ſequente Clero: ut innueretur, Chriſtum poſt reſurrectionem Diſcipulos ſuos in Galilæam præceſſiſſe, id vide & Auctores han in rem laudatos C. du Freſne *in Gloſſ.* è quibus Rutpertus Tuitienſis *de Div. Offic. l.* 5. *c.* 8. *Locus ille*, inquit, *quo proceſſionem ſupremâ ſtatione terminamus, rectè à nobis* Galilæa *nuncupatur.* Ubi tamen Hemereus *de Academ. Pariſ. l.* 7. *Galilæam* porticum interpretatur, quam Franci *Galeris* vocant. Quâ notione videtur uſurpaſſe Hugo Flaviniacenſis in *Chron. Virdun. p.* 168. *Et defunctus, in* Galilæa *tumulari meruit*, i.e. in clauſtri porticu &c. At *Galilæi*, per contemptum, Juliano Apoſtatæ Chriſtiani appellati ſunt, qui nec digniori nomine Dominum noſtrum honorare ſuſtinuit. De Paulo Lucian. *Quando autem me* Galilæus *ille convenit recalvaſter, naſo aquilo, qui in tertium cœlum uſque per aërem ingreſſus eſt.* De Chriſtianis Theodoret. *Hiſt. Eccl. l.* 3. *c.* 7. *Ac primùm vetuit, ne* Galilæi (*ſic fidei Servatoris noſtri conſecratos nuncupabant*) *Poëticam, Rhetoricam aut Philoſophiam diſcerent.* Et Chryſoſtom. *Orat. c. Gentes*, Galilæos *nos in edictis ſuis pro Chriſtianis tum ipſe appellans, tum Principes, ut idem factitarent, exhortans* &c. Vide Macrum *in Hierolexico*.

GALIANTHIAS, Præti filia, apud Thebanos culta eſt, quos ſacra ejus ante Herculis ſacra præmiſiſſe, docet Antonius Liberalis *c.* 29. Vide Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 13.

GALILÆUS Galilæi, inſignis Mathematicus, Florentinus, ſcriptis inventiſque inclytus. In Sole maculas, in Saturno figuræ varietatem, viciſſitudines Veneris Lunaribus haud abſimiles, Satellites Jovis, quos Aſtra Medicæa vocavit, &c. obſervaſſe legitur. A Mich. Mœſtlino Copernici ſententiam edoctus, de motu terræ, rationes invenit, quibus illa redderetur confirmatior. Hinc Inquiſitioni ſubjectus, in carcere per 5. vel 6. An. languit, coactus An. Æt. 60. palinodiam canere. Obiit A. C. 1642. Fabius Longanilla, *Ep. ad Janſen.* Voſſ. *de Mathem.* Morer. P. Freherus *Theatr. Viror. Erudit. claror.*

GALINDIA, provincia Pruſſiæ Ducalis, eam ab ortu Brumali ad Lithuaniæ, Podlaſſiæ, & Mozoviæ fines terminans, perpetuis ferè ſylvis, & ſolitudinibus damnata. Joh. Matal Metell. Hinc *Galindæ*, vel *Gallindæ*. Vide ibi.

GALLA, filia Valentiniani Imp. ex Juſtina, nupſit ſecundò Theodoſio M. Zoſim. *l.* 4. Item, uxor Julii Conſtantii, fratris Conſtantini Mag. Mater Galli, fratris Juliani Apoſt. Item, fil. Symmachi, vidua, à Fulgentio, & Gregorio Mag. *l.* 4. *dialog. c.* 13. inſigniter laudata.

GALLA Nigra, ad tingendas lanas alioſque uſus olim adhibita de qua vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 274. & plura de *galla* in genere, apud Plin. *l.* 16. *c.* 7. *toto*.

GALLACDUM, Caſtrum olim Galliæ fortiſſimum à Ricardo Angliæ Rege in rupe excelſa, ad Sequanam, juxa Inſ. Andeliaci extructum, oppugnatum eſt à Philippo Aug. Gall. Rege menſibus amplius quinque, captumque. Vulgò *Chaſteau Gaillard* nunc in vici formam redactum eſt, prope Andelejum. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

GALLÆCI, vide *Callaicus*, & *Gallæcia*.

GALLÆCIA, citerioris Hiſpaniæ regio, maximè in Occ. extenſa, aliàs cum tit. reg. à Teucro Telamonis fil. condita, quo tempore, quo de Patris ſui obitu factus eſt certior Salamine, in patriam ſe contulit, ſed ejus ingreſſu eum prohibuit Eriſatius cognatus Ajacis fil. cui cùm Teucer reſiſtere non poſſet, mari in Hiſpaniam venit naveſque circa locum, ubi nunc Cartagena eſt, ſubduxit. Inde ſolvens, fretumque Herculis tranſgreſſus, Hiſpaniæ oras legit, uſque dum in provinciam, quæ nunc *Gallæcia* dicitur, appulit. In qua cum Græcis, qui eum ſequebantur, pedem fixit, eamque tunc deſertam nec antea cultam, vitæque ob id incommodam colere cœpit, fundavitque in ea civitatem *Celtenes*, quod ejus linguâ Coloniam Græcorum ſignificabat. Ibi Teucer, quamdiu ſuperfuit, vitam egit. Gothi poſtea aliam Gallæciæ partem colonis ampliarunt, cumque ſe Græcis junxiſſent, nomina quoque jungentes ſe *Gallegos* Provinciamque *Gallæciam* nominarunt. Ejus primus Rex fuit Garcias, fil. Ferdinandi Mag. primi Caſtellæ regis. In hoc regno Gallæciæ 60. civitates oppidaque primaria reperiuntur Joh. Matal Metell. Habet ab Occ. & Sept. Oceanum Atlanticum; à Mer. Portugalliam; ab Or. Aſturias, & regnum Legionis. In finibus Gallæciæ, fudit Joſephum Saracenorum principem, Froila Alphonſi fil. A. C. 757. Vaſæus in *Chr.* Ordonius dein, ſede ex Aſturiis Legionem tranſlatâ, Saracenos regno expulit, A. C. 923. Mariana *in Hiſt.* Poſtea civili diſſenſione Hiſpanis inter ſe colliſis, regnum Legionenſe, & Gallæciam Saraceni tantùm non occuparunt totam, donec Almanſor, LXXM. amiſſis victus eſt, A. C. 985. 993. & 998. Idem. Ex hoc regno oriundi Baſilienſes, charta Antonius, & Michael Galliciones, primùm apud Baſilienſes chartaceam artem excitârunt: Unde occaſio tot tamque nobilibus Chalcographiis, quibus poſtmodum urbs illa præ plurimis aliis efflorui, Urſtiſ. *Hiſt. Baſil.* Incolæ *Gallæci* vel *Callaici*, vett. Morerio, comprehendentes Amphilochos Juſtino, Celticos Melæ & Ptol. Celticos Strab. Tamarices & Lucenſios eidem Ptol. Lucentes Plin. *l.* 3. *c.* 12. memoratos. Compoſtella peregrinationibus ad S. Jacobum ſuſceptis frequens, Tude Elmi vel Telmi, nautarum Patroni, pro ſuperſtitione gentis patria eſt: Caronium, portum ex Hiſpaniæ optimis habet, præter quem 40. alii in Gallæcia numerantur: in qua & fluv. Lethe, hodie *Lima*, fontes habet. Vide Plin. *l.* 4. *c.* 20. Ptol. *l.* 2. Strab. *l.* 3. *p.* 152. & 162. Boterum *Rel. Hiſp.* Cluv. Merulam, &c.

Urbes Gallæciæ.

Auria *Orenſe.*	Flavium Brigantium *Betanços.*
Bajona *Bajone.*	Iſia Flavia *Padron.*
Coronium *Corunna.*	Lucus *Lugo.*
Compoſtella & Compoſtellum *S. Jago* ſeu, & meliùs, *Compoſtella.*	Mindon *Mondonnedo.*
	Tude *Tuy.*

GALLÆCIA Nova, regio Novæ Hiſpaniæ, in Amer. Mer. verſus mare Auſtrinum, priùs ab Incolis *Xaliſco* vocata, quam primus detexit & acquiſivit Nunus Guſmannus, qui in ea urbes aliquot fundavit, nempe Compoſtellam, ubi ſedes Epiſc. & Conſilium Regium. Sp. ſancti: Conceptionis: Michaelis & Guadalaxaram celeberrimam ac totius regni caput. Alii, & quidem rectius, inventionis gloriam Conſalvo Sandovallio, à Corteſio huc miſſo, attribuunt. Vide Herreram *c.* 11. Regio aſpera eſt, & incolæ ſunt feri ac crudeles, qui ab eſu carnis humanæ non abſtinent. Pertinet ad novam Galliciam regio illa, quæ *Cultacana* dicitur, ab urbe hujus nominis. Joh. Matal Metell Mercat. Sub ipſa ſunt provinciæ Xaliſcum & Guadalaxara. *Baudr.*

GALLÆUS Theodorus, ſcripſit *Elogia* XII. *Cardinalium doctrina illuſtr.*

GALLENSIS ſeu VALLENSIS Joh, Volterris natus, duodecimo anno poſt primam Collectionem Decretalium (quod tempus incidit in Seculi XIII. initium) Pontificum, qui Bernardum Circam (primæ Collectionis Auctorem) ſequuti aliqua ediderant, Decretales & Reſcripta ex Gilberti, & Alani collectionibus congeſſit: quibus etiam Cœleſtini III. addidit & Scholiis ſuis illuſtravit. His poſtea Hugo Ep. Ferrar. ab Innoc. III. ſæpe relatus & Bernardus Major Compoſtell. Archidiac. ſuas interpretationes addidêrunt. Sed & Anton Auguſtinus ſe inſuper Vincentii, Tancredi, Alani, Laurentii, aliorum, non pauca etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſine nomine Scholia, in ſecundam hanc compilationem, vidiſſe te-
ſtatur, eaque ejuſdem Joh. Gallenſis eſſe cenſet, *Pr ... Collect. an-
tiqq. decret.* Edita eſt quoque eadem Compilatio ab Anton Augu-
ſtino modò dicto, inter antiquas Decretalium collectiones, Gerhar-
dus von Maſtricht *Hiſt. Juris Eccleſ. n.* 348.

GALLERA, ſeu GALLORA, vicus Thuſciæ, ad Galloram fluv.
ab urbe Roma ad 14. mill. paſſ. Inter urbem Romam & Bracenum.
Utrumque *Galera* dicitur.

GALLESIUM, vulgò GALESE, urbec. prov. Patrimonii S. Petri
ſub Pontif. cum tit. Duc. familiæ Altempſiorum.

GALLESIUM, urbs Epheſi *Steph.*

GALLETI, apud Henr. Knygthonum A.C. 1342. *in quarum pri-
ma (acie) fuit Dominus Galfridus Chamis cum multis* Galletis, *qui ſta-
tim victi ſunt ab Anglis*; ſunt *Gallenſes*, quos *Galois* vocat Froiſſardus
volum. 1. *c.* 121. & alibi paſſim, quique Gallis contra Anglos ſemper
militarunt. Eorum virtutem bellicam extollit *Chronicon* Bertrandi
Gueſclini MS. An quòd ita nuncupari ambirent viri nobiles, qui in
Galliam, pro Gallenſibus militandi causâ expeditionem ſuſceperant?
Vide Duchen. *in Hiſt. Montmorenciaca*, laudatum C. du Freſne *in Gloſſ.*
it. in voce *Caletæ &c.*

GALLEVA Atrebatum, opp. Albionis. Vide *Caleva*.

GALLI, gens Europæ nobilis. Hos auctores quidam fabuloſi Go-
meritas, à Gomero Japeti fil. vocatos olim aſſeruêrunt: Alii Abori-
gines fuiſſe, & à Galata Herculis fil. dictos, contendunt, inter quos,
Diod. eſt Sic. Amm. Marcell. *l.* 15. *c.* 9. illos *Celtas*, à Principe
gentis, & *Gallos*, ab hujus matre cognominatos vult. Strab. *l.* 5.
p. 212. nomen hoc à nobilitate & fama: Hieronym. & Iſid. à græ-
ca voce Γάλα, quòd lacteo candore niterent, illis impoſitum credit.
Quidquid horum ſit, certum eſt, jam Tarquinii Priſci tempore il-
lud increbuiſſe, nec omittenda interim Cluverii conjectura, à Celti-
ca voce *Galieno*, quod iter facere migrare proficiſci denotat, gentem
appellatam eſſe dicentis. Ad bellum prompti, plus negotii reliquis
gentibus Romanis faceſſebant, Cicerone Salluſtioque teſtibus: unde
ne Sacerdotibus quidem à militia contra hos immunitas: Quod item
inter Gallos factum, ubi nec ætatis ulla erat excuſatio. Interim im-
petu, quàm conſtantiâ laudatiores, cætera magnanimi erant, & ut
Divico, Helvetiorum Caput, apud Cæſ. ait, *l.* 1. de bello Galli-
co *c.* 1. & 3. p... fraudibus doliſque fortitudinem habebant. Ruinas
ædium, ut Ælian. refert, minimè veriti, etiam per flammas hoſtem
inſequi pulchrum rebantur: In pugna ad Cannas nudi, & inermes
depræliati ſunt, Liv. & Polyb. auctoribus. Nec ab humanitatis
tamen ſtudiis alieni, Eloquentiam mirè excoluêrunt, vide in voce
Druidæ. Venando belli ſimulacra ciére, otio damnato, ſoliti ſunt.
Interim in ſæviriam proclives, hoſtes immolare non erubuérunt,
arrogantes inſuper, & novarum rerum plus æquo curioſi, aliorum-
que contemptores; in duo olim diviſi genera Sacerdotes, & Nobi-
les, plebem à Comitiis arcebant, potentiorum exactionibus mirum
in modum afflictam. Feminis virilis animus, in quas maritis jus vi-
tæ & necis fuit, donec in diſſenſionibus quibuſdam ſopiendis egre-
giâ operâ navatâ, majoris æſtimari cœpérunt. Funerum pompa
magnifica, quâ cum defunctorum cadaveribus, quidquid in jumen-
tis mancipiiſque chariſſimum, ſimul arſit. Quamvis autem Mar-
tem toti ſpirarent, non tamen cultum agrorum omnino deſpexêrunt.
Hinc lini Gallici laus, & opulentum commercium, apud Plin. *l.* 3.
c. 5. tanti etiam ex regione reditus, ut Julius Cæſar æs alienum,
quod immenſum conflaverat, ex facili diſſolveret, Gallico ære con-
tra Remp. militaturus. Porro ingens gentis fœcunditas, unde mi-
grantium quaſi diluvio Italia inundata, in qua Roma capta, Me-
diolanum, Genua, Aquileja, Verona, Senæ, Paravium, Cremo-
na, Placentia, Bergamum, &c. conditæ, & parti Italiæ *Galliæ*
Ciſalpinæ nomen: Nec Germania, Hiſpania, Anglia, Sclavonia, imo
& Græcia Macedoniaque, ubi Galatiam conſtruêrunt, ab illis man-
ſit intacta. Plurimis in locis Ariſtocraticè olim gubernari, Reges
quoque habuérunt, ſed conſenſu populi electos. Alii Democra-
tiam inter illos viguiſſe, cujus ſumma tantùm non penes Druidas,
aſſerere malunt, de quibus legi meretur Cæſar. A' Julio Cæſare
domiti per 5. ſecula Romanum venerati ſunt apicem, per 17. pro-
vincias, quarum 6. Conſulares erant, diviſi. Conſtantinus Ma-
gnus Comites in Civitatibus, Duceſque in locis quibuſdam limita-
neis conſtituit; & jus Romano more dictum, ſervatis tamen, & mu-
nicipalibus quibuſdam ſtatutis: Idem Imp. cùm A. C. 330. munus
prætorio Præfecti quatuor viris divideret, ex his unus Gallis præfuit,
ſub quo tres Vicarii, in Gallia unus, in Hiſpania alter, tertius in M.
Brit. Quod obtinuit, donec Franci, Germanica gens, in has oras
profecti, in unam cum Gallis gentem coaluêrunt. Dii illorum quon-
dam Teutates, i. e. Mercurius, Heus vel Heſus i. e. Mars, Taramis
qui idem cum Jove: ſicut Apollinem ſub Beleni, & Plutonem ſub Se-
rapionis coluêre nominibus. Præcipuus tamen apud illos Mercurii
cultus, & Martis, quem ex decreto Senatus reliquorum inſtituêrunt
hæredem. Erga Herculem quoque, tanquam politioris vitæ aucto-
rem, non tepida illis religio, ſed Saturnum metuebant, humano
proin ſanguine illum propitiaturi: quibus victimis uti iis ſolenne
quoque, tum pro ſalute alicujus ex Magnatibus, tum quoties ar-
duum quid aggreſſuri erant, ægrè à cruenta hac lege, Imperatoriis
edictis abſterriti. Seculo poſt Chriſtum natum primo, ut quidam
volunt, certè ſecundo, magna Gallorum pars ad fidem converſa eſt:
Imo Apoſtolus Paulus, poſt primum Romanæ commorationis bien-
nium, viſitatis Eccleſiis Orientalium, Italiam, Galliam, & Hi-
ſpaniam illuſtraſſe creditur, A.C. 60. Sixtus poſtea Ep. Rom. per Pe-
regrinum, Gallos in Chriſtianiſmo confirmaſſe legitur, A.C 130. in
quos ſævitum, ſub Antoninio Philoſopho, tanquam Thyeſteorum
conviviorum, & Oedipodeorum inceſtuum reos, A.C. 170. Un-
de Vetius Epagathus nobilis, Sanctus Diaconus Viennenſis, Matu-
rus, Biblis, & Blandina feminæ, Photinus Ep. Lugdunen. cui
Irenæus ſucceſſit, Martyrio coronati Attalus item, qui ob dele-
ctum ciborum, Alcibiadem martyrem reprehendit. Poſtea à le-
gione Melitina aliqua quies. Florentiſſimæ in Celtis Eccleſiæ,
circa A.C 180. ut & in reliquis Orbis partibus, quibus eadem
cum hodiernis Proteſtantibus dogmata, vide Irænæum *l.* 1. *c.* 2.
& 3. Mox iterum ſanguinis rivi, circa A. C. 208. ſub Helvio
Pertinace, & Irenæus, cum innumera fidelium turba, martyrio
ſublatus. Vide Gregor. Turon. *l.* 1. Etiam in Gallia Eccleſia-
rum meminit, circa A. C. 312. Athanaſ *Ep. Synodica*, apud
Theodoret. *l.* 4 *c.* 3. quo tempore Synodus Arelatenſis, c. Ari-
um habita eſt Hilarius dein Pictav. Ep. conjugatus, circa A.C.
350. Martinus autem Ep. Turonenſis A. C. 384 floruêre: &
quamvis circa A. C. 385. Syricius Ep. Rom. cœlibatum promulga-
verit, nihilominus non minus in Gallia, ubi plurimæ Synodi ce-
lebratæ, ac in Hiſpania, etiam poſt 200 Annos Eccleſiaſtici uxo-
rati manſere Ithacius quoque Ep. eodem tempore, à Maximo
tyranno, Priſcillianiſtarum excidium impetravit, in quos cùm ni-
mis rigidè animadverſum crederent Martinus, & Ambroſius, 14.
Annorum ſchiſma ortum eſt. Poſt hæc Vigilantius Gallus, Præ-
ſul Hiſpanus doctiſſimus, cœlibatu damnato, reliquias Martyrum
non adorandas, nec cereos in templis clarâ luce accendendos eſſe
&c. docuit circa A. C. 406. Jam in Francorum nomen, ſub
Merovæo, tranſeuntes Galli, A. C. 451. Ariana hæreſi, qui-
bus Gothi Tholoſæ ſede fixâ adhærebant, infeſtati ſunt: Lupus
autem Aurelianenſis Ep. floruit. Sicut Mamertus Ep. Viennen-
ſis, A. C. 466. Remigius Remenſis, Gallorum Apoſtolus dictus,
A. C. 469. & Iſid. Arvernorum Ep. A. C. 490. Sub Clodovæo,
tota Chriſtianum nomen amplexa gens eſt, A. C. 449. pauciſſi-
mis montium incolis exceptis. Celebres fuére A. C. 555. B. Me-
dardus Noviomenſis, & Gildardus Rothomagenſis, Epp. ſanxit-
que Childebertus, ne Judæi domo prodirent, à Cœna Domini, &
ſanctis diebus, uſque ad proximum diem profeſtum. Chramnus
verò in miniſtros Dei ſævus, incendio periit, A. C. 564. Poſt
hæc nox orbi incubuit, & Dagobertus Dionyſii Pariſienſis Clo-
dovæus reliquiarum cultum, tertius auxit: Sigibertus verò, ut
prolem ſuſciperet 12. Monaſteria fundavit. Kilianus dein Fran-
ciam peragravit, A. C. 686. Vulfranus Ep. Senonenſis floruit,
A. C. 692. Crevit in Gallia Pontificum auctoritas, à quo Zacha-
rias Pipinum Franciæ R. dedit, A. C. 751. & Carolomannus, Ra-
cheſis, Childericus cœnobia ingreſſi ſunt. Interim Gallorum Epp.
cum Epiſcopis Germaniæ, Synodo Francofurti ſub Carolo Mag.
habitâ A. C. 797. Concilium Nicenum 2. quo imaginum cultus
ſtabilitus fuerat, damnarunt: his tamen, pro liturgia Ambroſia-
na, Romana ſeu Gregoriana obtruſa eſt ab Imp. in Concilio Tu-
ronenſi, A.C. 812 Cœlibatum per Galliam inprimis, & Germa-
niam ſtrenue promovit Nicalaus I. A. C. 858. Bertramus verò
Presbyter, juſſu Caroli Calvi, Rabani ſententiam, de figurata lo-
cutione verborum S. Cœnæ defendit, A. C. 876 ſecutus Berenga-
rius Andegavenſis Eccl. Archidiaconus, A. C. 1024. & ſeqq. qui
eandem ſententiam, ex mente Auguſtini, acriter propugnavit.
Bruno Ordinem Carthuſianorum inſtituit, A. C. 1087. quem
ſecuti ex Benedictino Ciſtertienſis, & Bernardinus, A. C. 1112.
Rhemis in concilio Bernardus vitia Cleri, & Pontificum liberri-
mè reprehendit, A. C. 1131. idemque Eccleſiam, Româ pere-
unte, in Gallia ſalvam eſſe poſſe, & Antichriſtum præ foribus
eſſe monuit, A. C. 1145. Interea Petrus Bruis, per annos 20.
Toloſæ Religionem puriorem docuit, exuſtus A. C. 1147. ma-
jori fervore Henrico Monacho, diſcipulo ejus, idem faciente,
tanto ſucceſſu, ut Galliam ferè totam ſuâ doctrinâ impleret. Au-
ctore etiam Valdo, Valdenſes ſeu Albigenſes lacertos movere, A.
C. 1152. Bibliaque Gallicè ſunt ab illo verſa: & cùm Philip-
pum Auguſtum Regem Clemens III. excommunicaturus eſſet, re-
ſpondit is, ſe ejus Sententiam non reformidare, edoctus ex Jo-
achimo Abbate, Antichriſtum jam natum eſſe. Almericus A.C.
1200. imagines, altaria, Sanctorum invocationem, Tranſubſtan-
tiationem oppugnavit. In Albigenſes dein ſævitum, A. C. 1208.
& 1218. Senſérunt eodem tempore Galli gravem Honorium Pontif.
qui Anglos Galloſque exactionibus vexans, dictitabat: *Debent ma-
tris inopiam filii ſublevare*: Proin Ludovicus IX. cognom. Divus,
pragmaticâ ſanctione has Romanæ Curiæ technas reſcidit: infe-
lix contra Albigenſes, A. C. 1226. qui ſub onere immenſum cre-
vêre. Philippus Pulcher, à Bonifacio VIII. excommunicatus,
generosè injuriam vindicavit, A. C. 1301. mox Clemens V. Pa-
palem ſedem Avenione fixit, A. C. 1305. ſub quo, præſente Phi-
lippo, Concilio Viennenſi A. C. 1311. inter alia, de Reforma-
tione Eccleſiæ, actum eſt! Joh. dein XXII. quòd animarum ne-
garet immortalitatem, flammis dignus à Rege judicatus eſt. In-
dulgentias à Clemente VI. conceſſas publico ſcripto refutavit Pa-
riſienſis Academia, A. C. 1350. Pontificem Antichriſtum eſſe do-
cuit Nicolaus Oremus, qui etiam juſſu Caroli V. Regis Biblia
Gallicè vertit, A. C. 1370, Alanus quoque tum Charterius, in
libro *Somnii Viridarii* authoritatem Papæ dejecit. Circa A. C.
1395. ſub Carolo VI. à Sorbona decretum, ut ſubditi ab utriuſ-
que Pontificis, qui tum erant, obſequio eximerentur, quod va-
luit, & totos tres annos Papæ eclipſin facile tulit Gallia. Prag-
maticam ſanctionem publicavit Carolus VI. A. C. 1439. Anna-
taſque regno efferri prohibuit. Quæ poſtmodum, ſub Reforma-
tionis initia, religionis mutatio contigerit, quæque circa Concilii
Tridentini deciſiones admittendas, à Regibus acta, ex Meterano,
Thuano, Læto, aliiſque peti poſſunt: unicum hoc addo, quòd
Meteranus, poſt clades ad S. Quintini Fanum, & Gravelingam
A. C. 1557. & 1558. acceptas, cùm pleraque Gallica Nobilitas
in Flandriæ carceribus detineretur, plurimos illorum, dum capti-
vitatis tædium Biblicâ lectione fallere ab amicis moniti conaren-
tur, in veritatis agnitionem perveniſſe, indeque liberatos, Lati-
nos ejuraſſe ritus, obſervavit. Primus autem qui publicè in
Gallia religionem è Nobilitate profeſſus eſt, fuit Franciſcus An-

delotius Gaſparis Colinii Admiralis Galliæ frater &c. Præter antiquos de Gallorum gente ſcriptores, vide Maginum, Bonavent. Caſtellionium *de Gall. Inſubr. ant. ſed.* Joh. Picardum, Petrum Ramum, *de moribus vett. Gall.* Steph. Forcatulum *de Gall. Imp. & Phil.* Joh. Goropium Becanum, Barthol. Chaſſanæum, Fauchetum, Duchenium, Bellajum, Natalem Talepied. *Hiſt. des Druides, Eubag.* B. Rhenan. qui *de Gallorum in Hercynium ſaltum migratione l.* 1. & *vetere lingua l.* 2. pluribus diſſerit: addente varia egregia Ottone JC. *Notis ad eum p.* 241. & 371. *&c.* Joh. le Maire, Dupleix, Mezeray, Pithœum, du Vallium, Sanſonem, Morer. *in Dict. Hiſt.* Valeſ. *in Gallia Lugdunenſi, &c.* Quære etiam in vocibus *Celtæ, Druides, Franci, Francia, Gallia, Pariſii, &c.*

GALLI, ſacerdotes Cybeles in Phrygia, dicti à *Gallo* flumine, cujus aquas cùm bibiſſent, ſtatim furere incipiebant, adeò ut ſeipſos caſtrarent, quod aliter citra perniciem facere non poterant, niſi Samiâ teſtâ. Hi ſacra facientes furentium more capita rotabant. Lucan. Civ. Bell. *l.* 1. *v.* 567.

——— *Crinemque rotantes*
Sanguinei populis ululârunt triſtia Galli.

Nic. Lloydius. Plin. *l.* 5. *c.* 32. & *l.* 6. *c.* 1. Alii dictos eos volunt à *Gallo* quodam, qui primus Cybeles fuerit ſacerdos. Quare autem ſe ipſos caſtraverint, hæc cauſa perhibetur: Cum Dea Cybele puerum Phrygem formoſiſſimum Atyn nomine, ſuis ſacris eâ lege præfeciſſet, ut perpetuò caſtitatem ſervaret, is haud diu pòſt Sangaritidem Nympham compreſſit: Quare ab irata Dea in furorem actus, cùm Dindyma veniſſet, manuſque ſibi afferre conaretur, miſeratione Deæ, furore utcunque liberatus, à ſe interficiendo quidem abſtinuit, virilitatem tamen ſibi amputavit; à quo tempore caſtratis Sacerdotibus Dea gaviſa dicitur, qua de re prolixum extat Catulli carmen. De iis ita Apul. *Mileſ. l.* 8. *Diu capite demiſſo cervices lubricis intorquentes motibus, crineſque pendulos rotantes in circulum & nonnunquam ſuos incurſantes muſculos, ad poſtremum ancipiti ferro, quod gerebant, ſua quiſque brachia diſſecant.* Totum itaque *caput torquere, crinem rotare, corpuſque circumagere* ſolebant hi ſeu Curetes, ſeu Corybantes ſeu *Galli.* Turneb. *in Eumenid.*

——— *Tibi nunc ſemiviri teretem comam*
Volantes jactant Galli.

Unde *Gallantes*, Varroni dicuntur homines inſani ac furioſi, ab his matris Deûm *Gallis.* Ærea porro illis tympana & buxus, ut videre eſt ſuprà in vocibus, *Corybantes, Curetes, Cybele* &c. Sil. Ital. Punic. Bell. *l.* 17. *v.* 18.

Circum arguta cavis tinnitibus æra, ſimulque
Certabant rauca reſonantia tympana pulſu,
Semivirique chori.

Eoſdem *Idæos Dactylos* quoque & *Lares* nominatos reperias, quibus qui præerat, *Archigalli* nomine inſignis, in omnes eos ſummum habebat imperium. Meminit ejus Tertullian. *Apologet. c. gent. c.* 24. cùm ait: *Archigallus ille ſanctiſſimus, die* 9. *Kal. Apriles, quo ſanguinem impurum, lacertos quoque caſtrando libabat, pro ſalute Imp. Marci jam interemti, ſolita æquè imperia mandavit.* Hic primus cymbala prælata in illis ſacris pulſabat. Juv. *Sat.* 9. *l.* 3. *v.* 62.

Cymbala *pulſantis legatum fiet amici?*

Ubi vet. Schol. *Archigallum* indigitari vult: ſicque videtur intelligendus Claud. *in Eutrop. l.* 1. *Carm.* 18. *v.* 279.

Cymbala *ferre licet, pectuſque illidere pinu,*
Inguinis & reliquum Phrygiis abſcindere cultris &c.

Veterum aliquot marmorum inſcriptiones, ubi *Archigalli* mentio, collegêre Lilius Gyrald. *Syntagm.* 4. *Hiſt. Deorum* & Onuphr. Panvin. De iiſdem *Gallis* non omittendus Dionyſ. *l.* 2. ubi, *Romæ*, inquit, *nulla peregrina ſacra ſunt recepta publicè: ſed etiam ſi qua oraculorum juſſu aliunde introducta ſunt, ſuo more coluntur à civibus, abdicatis fabularum miraculis, ſicut in matris Ideæ ſacris ſit. Prætores enim quotannis Romano ritu victimas ei cædunt & ludos faciunt: ſacerdotio verò ejus funguntur Phryges, vir & mulier, eamque vicatim circumferunt more ſuo circulatorio, pectora plangentes ad cantum tibiarum tympanorumque ſonitum. Ingenuus autem Romanus nemo eſt mitriacus, nec oberrat ad Phrygios modulos indutus ſyntheſin, neque ex decreto Senatus initiatur magnæ Matris orgiis.* Recepta verò fuiſſe Cybeleja id urbem ſacra, miſſoſque Peſſinuntem, qui Deam arceſſerent, docet Liv. *Dec* 3. *l.* 9. Suet. Aug. *c.* 68. Strab. *l.* 12. *p.* 543. &c. Addam & hoc, ſolis hiſce Sacerdotibus ſtipem colligere fuiſſe permiſſum, cùm cæteris id prohibitum eſſet. Unde Cic. *de L. L. l.* 2. *Præter Ideæ matris famulos eoſque juſtis diebus, ne quis ſtipem petito.* Et paulò pòſt interpretans hanc legem: *Stipem*, inquit, *ſuſtulimus, niſi eam quam ad paucos dies propriam Ideæ matris excepimus. Implet enim ſuperſtitione animos.* Plura vide, præter Auctores ſuprà paſſim memoratos, apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 4. *alibi*, Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 2. *ſ.* 2. &c. ut & infrà in voce *Metragyrta*, it. *Præciſi.* De ementito vero eorum furore & ficta vaticinatione ac *gallandi* modo, vide inprimis *octavam* Appuleji *Mileſiam*, ut & aliquid infrà, ubi de *Halicaccabo*, it. in voce *Telchinas.* Sed & Murmillones antea *Gallos* vocatos eſſe, quòd genere armaturæ Gallico uterentur, notat Feſtus: quemadmodum *Samnites* gladiatores ab eadem cauſa dicti ſunt, quòd Samnitum ornatu eſſent armati, Salmaſ. *ad Solin. p.* 39.

S. GALLI Abbas, potens olim, ac inter Principes Imperii, quem titulum Ulrico Abbati, ex Altoſaxa familia à Philippo Aug. Baſileæ collatum, refert Conr. Fabarienſis *in Ann.* hodieque ſatis latè imperat. Paret illi in Turgea opp. Wila; dein ... ſup. Turgea, ager non contemnendus, cujus incolæ die *Gottshauſleuth* dicti, in certas regionis *Gegningen* diſtribuuntur, quæ in ſuas diviſæ ſunt Præfecturas, vide infrà. Porrò Comit. Toggenburgicus Abbatis quoque imperium agnoſcit, ſalvis tamen ſubditorum privilegiis; quorum beneficio inter alia libertate religionis fruuntur, vide *Toggii.* In præfectura tandem Rhegutcorum, ad Helvetios ſpectante, minor juriſdictio multis in locis ad Abbatem pertinet. Vide Simler. *Deſcr. Helvetiæ*, & infrà in voce *Sangallenſis* Abbas.

Loca in Turgea ſub Abbatis ditione.

Berg.	*Romitzhorn.*
Bergknecht.	*Roſchach.*
Bernardscell.	*Strubencell.*
Geiſerwald.	*Summercy.*
Gold.	*Tablata.*
Gottſouw.	*Thumbach.*
Helſſenſchwyl.	*Underegg.*
Heuiſchwy.	*Waldkirch.*
Lumiſwyl.	*Wiger.*
Morſwil.	*W... itenbach.*
Muia.	*Zeberwangen.*
Rodtmont.	*Zuzwil.*

S. GALLI opp. Vide *Sangallum.*

GALLIA, maxima Europæ pars, quicquid enim terrarum à Rheno per Oceanum, Pyrenæos montes, mare Mediterraneum, & Appenninum montem, uſque ad Anconam clauditur, communi appellatione *Gallia* Latinis appellatur. A' *candore populi ſic* dicta, Γάλα enim Græcis idem quod *lac* Latinis. Montes namque & rigor cœli ab ea parte Solis ardorem excludunt, ut eorum corpora non colorentur. Regionem hanc olim in Ciſalpinam, & Tranſalpinam diviſere. Ciſalpinam dixerunt, quam hodie fere communi vocabulo Lombardiam vocamus, quæ Italiæ pars eſt. Tranſalpinam, quæ his 5. metis, Rheno nempe, Oceano, Pyrenæis montibus, Mediterraneo mari, & Alpibus finitur. Hanc Tranſalpinam iterum, Cæſare teſte, triplicem fecêre. Belgicam, Celticam, & Aquitanicam. Belgicam, quæ Oceano, Rheno, Matronâ & Sequanâ fluminibus includitur, hodieque majori ex parte lingua Teutonica utitur, & *Germania inferior* (cui Picardia conjuncta eſt) vocatur. Celticam verò ſeu Lugdunenſem, quæ Garumnâ, Sequanâ, & Rhodano fluminibus comprehenditur. Hæc nunc *Francia* dicitur. Aquitanicam denique, quæ à Garumna ad Oceanum & Pyrenæos montes extenditur. Septentrionem verſus Oceanum habet qui & ſinus Aquitanicus, ab Occaſu Hiſpaniam, à ... Mer. Narbonenſem provinciam. Corporibus hominum, & linguâ à cæteris differt, hodieque major ejus pars Gaſconia, *vel* Vaſconia dicitur. Hic Gallorum antiquus terminus. *Sed Gallorum* regio, quæ hodie regni nomine gaudet, atque vernaculo vocabulo *Franciæ regnum* vocatur, non tam latè patet, ſed tantùm verſus Septentr. anguſtior eſt, quantum illi linea ab Argentorato ad Rhenum ſito, Iccium portum (hodie Caletum) uſque deducta adimit; comprehenditque omnem eum terrarum tractum, qui hàc lineâ, Oceano, Pyrenæis montibus, mari Mediterraneo, Alpibuſque montibus continetur. Triplex etiam nomen habuit Gallia, *Togata* enim, *Comata*, & *Braccata* dicta eſt. *Togata* dicitur Ciſalpina, quæ ſc. inter alpes eſt, & Rubiconem fluv. antiquum Italiæ limitem: Ita dicta, quòd populi illi Romanorum more *togâ* uterentur. *Braccata* autem Gallia dicta eſt Narbonenſis provincia; à *braccis* villoſæ veſtis genere appellata, quibus peculiariter ejus provinciæ homines utebantur. *Comata* denique cognominabatur omnis Tranſalpina Gallia, à *comæ* nutriendæ ſtudio. Baudr. Gallia eſt, *Ciſalpina*, & *Tranſalpina*. *Gallia Ciſalpina*, quæ & Togata dicta, diviſa fuit in *Ciſpadanam*, & *Tranſpadanam*, *Gallia Ciſpadana* vulgò nunc dicitur *Lombardia di qua del Po* Gallis dicta Dividuntur inter ſe flumine Pado. *Galliæ Ciſpadanæ* populi fuêre Ligures, Anamani, Boii, Lingones, & Senones; *Tranſpadanæ* autem fuêre Cenomani, Euganei, Inſubres, Orobii, Lepontii, Salaſſi, Libicii, Lævi, Taurini, & Seguſini. Hiſtri verò, Carni & Veneti populi à quibuſdam Galliæ Tranſpadanæ accenſentur, & ab aliis omnino ab ea excluduntur, teſte Brietio. Eſt & Gallia Ciſ. *Subalpina*, quæ nunc Pedemontium dicitur; eſtque pars Galliæ Ciſalpinæ. *Gallia* verò *Tranſalpina*, quæ aliàs *Comata*, in Aquitanicam, *Celticam*, & *Belgicam* ſubdiviſa propriè & verè Gallia eſt, nunc *Francia* dicitur, vulgò *la France*, uti etiam ab Anglis dicitur, Hiſpanis, & Italis *Francia*, Germanis *Franckreich*; eſtque regnum Europæ potentiſſimum, de quo pluribus in voce *Francia*. Gallia verò Aquitania vel Aquitanica continebat totum tractum, ubi nunc ſunt Aquitania ſeu Guienna cis Garumnam, Vaſconia, Benearnia, Pictavia, Santonia, Petrocorium, Ruthenenſis provincia, Bituricenſis, Lemovicenſis, & Cadurcenſis, cum Alvernia. A. Juv. *facunda* dicitur Gallia *Sat.* 15. *l.* 5. *v.* 111.

Gallia *cauſidicos docuit* facunda *Britannos.*

Idem *Sat.* 7. *l.* 3. *v.* 147.

——— *Accipiat te*
Gallia, *vel potius* nutricula *cauſidicorum*
Africa ———

Hinc

Hinc Adjectiva, *Gallicanus*, ut *res Gallicanæ*, apud Cic. *in orat. pro Quinctio*. Item *Gallicus*, ut *Gallica terebra*, Columell. *l.* 5. Item *Gallius*, ut *Galliæ mulieres* apud Salluſt. *Hiſt. l.* 4. *c.* 5. Denique *Gallus*, unde *Galli* dicti ſunt, qui ex Gallia originem habent. Illi autem viliores, & craſſiores veſtes, vel pannos texebant, quippe quibus, teſte Strab. *l.* 5. *p.* 212. lana, unde ſaga conficiebantur, craſſior, & aſperior fuit. Juv. *Sat.* 9. *l.* 3. *v.* 28. & 30.

——— *Pingues aliquando lacernas,*
Et malè percuſſas textoris pectine Galli.

Mart. *l.* 4. Epigr. 19. cujus epigraphe de Endromide.

Hanc tibi Sequanicæ pinguem textricis alumnam

Idem *l.* 6. *Epigr.* XI. cujus epigraphe in Marcum.

——— *Me pinguis* Gallia *veſtit.*

Urbes Galliæ Aquitanicæ clariores:

Aginnum, *Agen*, in Aginnenſi provincia.
Albiga, *Alby*, in Occitania ſuperiori.
Angeriacum, *S. Jean d'Angely*, in Santonia.
Anicium ſeu Podium, *le Puy*. Vide *Podium*.
Aquæ Tarbellicæ, *Dax*, in Vaſconia.
Aturus, *Ayre*, in Vaſconia.
Aureliacum, *Orilhac*, in Alvernia.
Auſcii, *Auch*, in Arminiaco tractu.
Baiona, *Baione*, in Vaſcitania.
Bergeracum, *Bergerac*, in Petrocoricenſi provincia.
Biturix, *Bourges*, in Bituricenſi provincia.
Blabia, *Blaye*, in Guienna.
Briva Curretia, *Brive*, in Lemovicis.
Broagium, *Brouage*, in Santonia.
Burdegala, *Bordeaux*, in Aquitania propria ſeu Guienna.
Cadurcum, *Cahors*, in Cadurcenſi provincia.
Caſtrum Heraldi, *Chaſtelleraut*, in Pictavia.
Claromons, *Clermont*, in Alvernia.
Condomum, *Condom*, in Condomenſi tractu.
Conſorani *S. Licer de Conſerans*, in tractu cognomine.
Eluſa, *Eauſe*, in Arminiaco tractu.
Engoliſma, *Angouleſme*, in Engoliſmenſi provincia.
Exelodunum, *Iſſoudun*, in Bituricenſi provincia.
Fanum S. Johannis Pedeportuenſis, *S. Jean Piedeport*, in Navarra inferiori.
Figeacum, *Figeac*, in Cadurcenſi provincia.
Floriopolis, *S. Flour*, in Alvernia.
Fontenæum, *Fontenay le Comte*, in Pictavia.
Fuxium, *Foix*, in Occitania.
Gueretum, *Gueret*, in Marchia.
Iſſuria, *Iſſoire*, in Alvernia.
Lactorium, *Lectoure*, in Arminiaco.
Laſcura, *Leſcar*, in Benearnia.
Lemovices, *Limoges*, in Lemovicenſi provincia.
Liburnia, *Libourne*, in Guienna propria.
Lodunum, *Londun*, in Pictavia.
Lumbarium, *Lombez*, in Convenis.
Lucionum, *Luçon*, in Pictavia.
Lugdunum Convenarum, *S. Bertrand de Comminges*, in Convenis.
Malleacum, *Maillezais*, in Pictavia.
Mimate, *Mende*, in Gabalis.
Mons Albanus, *Montauban*, in Cadurcenſi provincia.
Mons Martiani, *Mont de Marſan*, in Vaſconia propria.
Neracum, *Nerac*, in Vazatenſi provincia.
Navarreſſum, *Navarrins*, in Benearnia.
Niortium, *Niort*, in Pictavia.
Olorona, *Oleron*, in Benearnia.
Palum, *Pau*, in Benearnia.
Panniæ ſeu Apamia, *Pamiers*, in Occitania.
Petrocorium, *Perigueux*, in Petrocoricenſi tractu.
Pictavium, *Poictiers*, in Pictavia.
Podium ſeu Anicium, *le Puy*, in Velaunis.
Portus Santonum. Vide *Rupella*.
Rigodunum, *Riom*, in Alvernia.
Rivi, *Rieux*, in Occitania.
Rupella, *la Rochelle*, in Alnetenſi tractu.
Ruthena, *Rhodez*, in Ruthenenſi provincia.
Santones, *Saintes*, in Santonia.
Sarlatum, *Sarlat*, in Petrocoricenſi provincia.
Tarba, *Tarbes*, in Bigerrenſi regione.
Tutela, *Tulle*, in Lemovicenſi provincia.
Vabræ, *Vabres*, in Ruthenenſi provincia.
Vaſatum, *Bazas*, in Vazatenſi provincia.
Vaurum, *Lavaur*, in Occitania.
Verdunum ad Garumnam, *Verdun*, in Gaurenſi tractu.
Villafranca Ruthenenſis, *Villefranche de Rovergne*, in Ruthenenſi provincia.
Uſarchia, *Userche*, in Lemovicenſi provincia.

GALLIA Celtica ſeu *Lugdunenſis* Ligeri, Sequanâ, Matronâ, & Rhodano fluviis, & Vogeſo monte præter propter definita Auguſto. Tres enim primi fluvii tranſcenduntur pluribus in locis, & Caletæ, Meldæ, Pariſii, Tricaſſes, Lingones, Sequani fuêre in Celtica, uti & Helvetii. Ibi nunc ſunt provinciæ Francia, Campania ex parte, Normannia, Britannia minor, Burgundia, Helvetii, Breſſia, Lugdunenſis, Nivernenſis, Belſia, Andes, Cœnomani, & Turones, teſtibus Sanſono & Brietio; quanquam Cluv. crediderit Helvetios fuiſſe in Gallia Belgica.

Urbes Galliæ Celticæ clariores:

Abrincæ, *Avranches*, in Normannia.
Alenconium, *Alençon*, in Normannia.
Ambaſia, *Amboiſe*, in Turonia.
* Andegavi & Andes, *Angers*, in Andegavia.
Antiſiodorum, *Auxerre*, in Burgundia.
* Aureliæ, & Aureliani, *Orleans*, in Aurelianenſi provincia.
Auxona, *Auſſone*, in Burgundiæ Ducatu.
Baiocæ, olim Baiocaſſes, *Baieux*, in Normannia.
Bellica, *Bellay*, in Breſſia.
Belna, *Beaulne*, in Burgundia.
Bleſæ, *Blois*, in Bleſenſi tractu.
Briocum, *S. Brieu*, in Brit. minori.
Burgus, *Bourg en Breſſe*, in Breſſia.
Cabillonum, *Chalon ſur Saone*, in Burgundia.
Cadomus, quaſi domus Caji, *Caën*, in Normannia.
Calidobeccum, *Caudebec*, in Normannia.
Calvomontium, *Chaumont en Baſsigny*, in Campania.
Carnutes, *Chartres*, in Belſia.
Caroburgus, *Cherbourg*, in Normannia.
Caſtilio, *Chaſtillon ſur Seyne*, in Burgundia.
Caſtrodunum, *Chaſteau Dun*, in Belſia.
Cenomani, *le Mans*, in Cenomanis.
Conſtantia Caſtra, *Couſtances*, in Normannia.
Coriſopitum, *Quimper*, ſeu *Quimpercorentin*, in Britannia minori.
Deppa, *Dieppe*, in Normannia.
Dinanium, *Dinan*, in Brit. minori.
* Divio, *Dijon*, in Burgundia.
Dola, *Dole*, in Comitatu Burgundiæ.
Dolus ſeu Dolis, *Dol*, in Britannia minori.
Drocum, *Dreux*, in Belſia.
Ebroicæ, olim Eburovices, *Evreux*, in Normannia.
Falleſia, & Promontoriolia, *Falaiſe*, in Normannia.
Flexia, *la Fleche*, in Andegavenſi provincia.
Giſortium, *Giſors*, in Normannia.
Græum, *Gray*, in Comitatu Burgundiæ.
Juliobona, *l'Iſle-bonne*, in Normannia.
Latiniacum, *Lagny*, in Bria.
Lauſanna, *Lauſanne*, in Helvetiis.
Leona, *S. Pol de Leon*, in Britannia minori.
Lexovii, *Liſieux*, in Normannia.
Lingonæ, veterib. Lingones, *Langres*, in Campania.
Lochia, *Loches*, in Turonenſi provincia.
Lugdunum, *Lion*, in Lugdunenſi provincia.
Lutetia, *Paris*, in provincia Inſulæ Franciæ.
Maclovium, priùs Aletha, *S. Malo*, in Brit. minori.
Mariſcona, *Maſcon*, in Burgundia.
Mauritania, *Mortaigne*, in Perticenſi provincia.
Meduana, *Mayenne*, in Cenomanis.
Medunta, *Mante*, Inſ. Franciæ.
Meldæ, *Meaux*, in Bria.
Melodunum, *Melun*, in Inſ. Franciæ.
Molinum, *Molins*, in Borbonienſi provincia.
Mons Argus, *Montargis*, in Vaſtinio tractu.
Mons Britonis, *Monbriſſon*, in Forenſi provincia.
* Nannetes, *Nantes*, in Britannia minori.
Nivernæ, & Nivernum, *Nevers*, in Nivernenſi provincia.
Nongentum, *Nogent le Retrou*, in Perticenſi provincia.
Oſiſmi ſive Oſiſmii. Vide *Trecorium*.
Oximum, *Hyeſmes*, in Normannia.
Pons arcuenſis, *Pont de l'arche*, in Normannia.
Pontiſara, *Pontoiſe*, in provincia Inſulæ Franciæ.
Portus Graciæ, *Havre de Grace*, in Normannia.
Quinpercorentinum, opp. Britanniæ præcipuum Oſiſmorum, Ep. ſedes, *Quimpercorentin*. Vide *Coriſopitum*.
Remorentinum, *Remorentin*, in Solonia tractu Aurelianenſis provinciæ.
* Rhedonæ, veteribus Rhedones, *Rennes*, in Britannia minori.
Rodumna, *Rouanne*, in Forenſi provincia.
* Rothomagus, *Rouen*, in Normannia.
Sagium & Saium, ſeu Saii, olim Seſuvii, *Seez*, in Normannia.
Salinæ, *Salins*, in Comitatu Burgundiæ.
Salmurium, *Saumur*, in Andegavenſi provincia.
Salodurum, *Soleurre*, in Helvetiis.
Senones, *Sens*, in Burgundia.
Tigurum, *Zurich*, in Helvetiis.
Trecæ, *Troyes*, in Campania provincia.
Trecorium, olim Oſiſmi, *Treguier*, in Brit. minori.
* Turonæ, veteribus Turones, *Tours*, in Turonia.
Veneti, & Venetia, *Vannes*, in Brit. minori.
Vernolium, *Verneüil*, in Normannia.
Vernoninm, *Vernon*, in Normannia.
Veſulum, *Veſoul*, in Comitatu Burgundiæ.
Veſuntio, *Beſançon*, in Comitatu Burgundiæ.
Vindocinum. *Vendoſme*, in Belſia.
Vira, *Vire*, in Normannia.

GALLIA Narbonenſis, ſeu Braccata, in 4. etiam diſpeſcitur; Occitanam, in qua Toloſa; Provinciam, in qua Aquæ Sextiæ, Delphinatum, in quo Gratianopolis, & Sabaudiam, in qua Cambericum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Urbes Galliæ Narbonenſis clariores:

Agatha & Agathopolis, *Agde*, in Occitania.
Alba Helviorum, quæ & Vivario, *Viviers*, in Vivarienſi provincia.
Anneſſiacum, *Anneſi*, in Sabaudia.
Annonæum, *Annonay*, in Vivarienſi tractu.
Antipolis, *Antibes*, in Provincia.
Apta, *Apte*, in Provincia.
Aquæ mortuæ, *Aigues mortes*, in Occitania.
* Aquæ Sextiæ, *Aix*, in Provincia.
Arauſio. *Orange*, in Provincia.
Arelate & Arelatum, *Arles*. in Provincia.
* Avenio, *Avignon*, in Provincia.
Belloquadrum, *Beaucaire*, in Occitania.
Biteræ, *Beſiers*, in Occitania inferiori.
Brigantium, *Briançon*, in Delphinatu.
Cabellio, *Cavaillon*, in Provincia.
Carcaſo, *Carcaſſone*, in Occitania.
Carpentoracte, *Carpentras*, in Provincia.
Caſtra; *Caſtres*, in Occitania ſuperiori.
Caucoliberis, *Collioure*, in Comitatu Ruſcinonenſi.
Civaro, *Chambery*, in Sabaudia.
Civitas, *la Cioutat*, in Provincia.
Creſtidium, ſeu Criſta Arnaldi, *le Creſt*, in Delphin.
Dea & Dia, *Die*, in Delphinatu.
Dinia, *Digne*, in Provincia.
Draguignanum, *Draguignan*, in Provincia.
Ebredunum, *Ambrun*, in Delphinatu.
Electa, *Aleth*, in Occitania.
Fanum S. Eutropii, *S. Tropez*, in Provincia.
Forum Julium, *Frejus*, in Provincia.
Forum Neronis, *Forcalquier*, in Provincia.
† Geneva, *Geneve*, in Sabaudia.
Glandeva, *Glandeve*, in Provincia.
Granopolis & Gratianopolis, *Grenoble*, in Delphin.
Graſſa, olim Griniacum, *Graſſe*, in Provincia.
Helena, *Elne*, in Comitatu Ruſcinonenſi.
Helvii. Vide *Alba Helviorum*.
Limoſium, *Limoux*, in Occitania.
Luteva, *Lodeſve*, in Occitania.
Magalone, *Maguelone* in Occitania.
Maritima, *Martegues*, in Provincia.
Maſſilia, *Marſeille*, in Provincia.
Mauriana, *S. Jean de Maurienne*, in Sabaudia.
Monmelianum, *Monmelian*, in Sabaudia.
Mons Peſſulanus, *Montpellier*, in Occitania inf.
Montilium Audemari, *Montelimart*, in Delphinatu.
† Narbo, *Narbonne*, in Occitania.
† Nemauſus, *Niſmes*, in Occitania.
Nicæa, *Nice en Provence*, aliàs in Provincia.
Papuli Fanum, *S. Papoul*, in Occitania ſup.
Perpinianum, *Perpignan*, in Comitatu Ruſcinonenſi.
Piſcenæ, *Pezenas*, in Occitania inf.
Pons S. Spiritus, *Pont S. Eſprit*, in Occitania inf.
Pontiopolis, olim Therme, *S. Pons de Tomiers*, in Occitania inferiori.
Regium, *Riez*, in Provincia.
Romanum, *Romans*, in Delphinatu.
Sanicium & Sanecia, *Senez*, in Provincia.
Siſtarica, *Ciſteron*, in Provincia.
Tarantaſia, *Mouſtier en Tarentaiſe*, in Sabaudia.
Taraſco, *Taraſcon*, in Provincia.
Telo & Telona, *Toulon*, in Provincia.
* Toloſa, *Tholouſe*, in Occitania ſup.
Tricaſtra, *S. Paul de troix Chaſteaux*, in Delphinatu
Tunonium, *Tonon*, in Sabaudia.
Turnonium, *Tournon*, in Vivarienſi tractu.
Valentia, *Valenee*, in Delphinatu.
Vapincum, *Gap*, in Delphinatu.
Vaſio, *Vaiſon*, in Provincia.
Vencia, *Vence*, in Provincia.
Vienna *Vienne*, In Delphinatu.
Vivarium, ſeu Alba Helviorum, *Viviers*; in Vivarienſi tractu.
Utica, *Uſez*, in Occitania.

GALLIA Belgica, terminatur ab Or. Rheno fluvio, à Sept. partim Rheno, partim Oceano Germanico, ab Occaſ. mari Britannico & Gallia Celtica, à qua etiam terminatur in Auſtr. Nunc in plures provincias dividitur, nempe in Picardiam, Campaniam ex parte, Lotharingiam, Alſatiam, Germaniam cis Rhenum, & partem Auſtralem Belgii, quæ partim Regi Franciæ, partim Regi Hiſpaniæ ſubeſt. Belgium enim verſus Bor. fuit ſub Germania comprehenſum. Ex his partibus *Gallia Aquitanica* tota Regi Franciæ ſubeſt, uti & *Gallia Narbonenſis*, exceptâ Sabaudiâ, & *Gallia Celtica* ſeu *Lugdunenſis*, exceptis Helvetiis & Sequanis; & ex *Gallia Belgica*, major pars ipſius imperio ſubeſt, nempe Picardia, Campania, Alſatia, Arteſia, pars Flandriæ, & Hannoniæ, cum parte Lotharingiæ. Colonienſes autem, Trevirenſes, Clivenſes, Juliacenſes, & Leodienſes ſunt in Germania, & propriis parent Principibus: Altera verò pars Belgii Auſtralis Hiſpanum agnoſcit dominium, demptâ tantùm aliquâ parte, quæ ſubeſt dominio Hollandorum.

Urbes Galliæ Belgicæ clariores nunc ſunt.

Abbavilla, *Abbeville*, in Picardia.
Ambiani & Ambianum, *Amiens*, in Picardia.
Atrebatum, *Arras*, in Arteſia.
Avenna, *Aveſne*, in Hannonia.
Auguſta Veromanduorum, olim Epiſcopal. nunc Abbatia, *Vermand*, in Picardia.
Barrum Ducium, *Barle Duc*, in Barenſi Duc.
* Bellovaci, *Beauvais*, in Inſ. Franciæ.
Bethunia, *Bethune*, in Hannonia.
* Bononia, *Bologne*, in Picardia.
Caletum, *Calais*, in Picardia.
Carolopolis, *Charleville*, in Campania.
Catalauni, *Chalons ſur Marne*, in Campania.
Compendium, *Compiegne*, in Inſ. Franciæ.
Corbia, *Corbie*, in Picardia.
Cortracum, *Courtray*, in Flandria.
Duacum, *Douay*, in Flandria.
Dunquerca, *Dunquerque*, in Flandria.
Durocottorum. Vide *Rhemi*.
Fara, *la Fere*, in Picardia.
Furnæ, *Furnes*, in Flandria.
Gravelinga, *Gravelines*, in Flandria.
Guiſia ſeu Guſia, *Guiſe*, in Picardia.
Hamum, *Ham*, in Picardia.
Hedinum, *Hedin*, in Arteſia.
Janvilla, *Joinville*, in Campania.
Inſulæ, *Lisle*, in Flandria.
Laudunum, *Laon*, in Inſ. Franciæ.
Maceriæ, *Maiſieres*, in Campania.
Marſalium, *Marſal*, in Lotharingia.
* Metæ, olim Mediomatrices, *Metz*, in Lotharing.
Mons S. Vinoci, *Vinoxbergue*, in Flandria.
Monſtrolium, *Montreuil*, in Picardia.
Moſomium, *Mouſon*, in Campania.
* Nancæium, *Nancy*, in Lotharingia.
Noviodunum & Noviomum, *Noyon*, in provincia Inſulæ Franciæ.
Perona, *Perone*, in Picardia.
Quinctinopolis, *S. Quentin*, in Picardia.
Retelium, *Retel*, in Campania.
* Rhemi, quæ & Durocottorum, *Reims*, in Campania.
Sedanum, *Sedan*, in Campania.
Silvanecti & Silvanectum, *Senlis*, in Inſ. Franciæ.
Sueſſionæ, veteribus Sueſſiones, *Soiſſons*, in Inſula Franciæ.
Theodonis villa, *Thionville*, in Ducatu Luxemburgico.
Tornacum, *Tournay*, in Flandria.
* Tullum, *Toul*, in Lotharingia.
Virodunum, *Verdun*, in Lotharingia.

GALLIA Novempopulana Sex. Ruf. vel *Novempopulonia*, pars Aquitaniæ, inter Garumnam fluv. montes Pyrenæos, & Oceanum contenta, ſic à novem populis in illa præcipuis dicta, vulgò *la Gaſcogna*, *Gaſcoigne*.

GALLIA Subalpina, Plin. *l.* 4. *c.* 17. pars Ciſalpinæ Alpibus ſubjecta, quæ regio Pedemontana, & principatus Pedemontanus dicitur, vulgò *Piedmont*; in qua Auguſta Taurinorum, conventus juridicus, & ſedes Principis, qui Sabaudiæ Dux eſt, ibi reſidens, cum principatus longè major, magiſque Sabaudiâ excultus ſit.

Urbes Galliæ Subalpinæ, i. e. principatus Pedemontani.

* Aſta, *Aſti*.	Foſſanum, *Foſſano*.
* Auguſta Taurinorum, *Turino*.	* Mons Vici, *Mondovi*.
Auguſta Prætoria, *Aoſta*.	Salutiæ, *Saluzzo*.
Eporedia, *Jurea*.	* Vercellæ, *Vercelli*.

GALLIA Togata, pars *Galliæ Ciſalpinæ*, à Placentia Anconam uſque protenſa, (licèt alii alios terminos faciant) in qua Æmilia, & pars Umbriæ, in ora Senonum, Hadriatico mari expoſita, inter Apenninum montem ad Mer. & Padum fluv. ad Bor. perſtricta.

GALLIACUM, caſtrum Galliæ, ad fluv. Tarnim, vulgò *Gallac*. Ejus meminit Petrus *Hiſt. Albig. c.* 54.

GALLIANI Saltus, qui & *Aquinates*, teſte Plin. *l.* 3. *c.* 15. & *Cileata*, pagus Æmiliæ, in agro Forolivienſi, Meldulæ opp. & Montevitellæ oppid. ad 2. mill. paſſ. vicinus.

GALLIANUM, opp. Lombardiæ Ciſpad. in Marchionatu Montisferrati.

GALLIARUM Patricius, vide ſuprà *Aetius*.

GALLICA, auctore A. Gell. *l.* 13. *c.* 21. *verbum novum, non diu ante ætatem M. Ciceronis uſurpari cœptum*: genus quoddam calceamenti fuit, pedibus muniendis inſtitutum, viatorium potiùs, quàm urbanum. Unde ejus uſum intra urbem in Antonio damnavit Cic. & in diſcipulis ſuis Caſtritius Rhetor, quos *Gallicis* calceatos per urbis vias incedere, nequaquam decorum judicavit, apud præfatum Gell. Niſi fortè in loco illo Gellii pro *Gallicis*, potiùs *Caligis* legendum. Gallorum fuiſſe proprium calceamentum, ipſa vox ſonat; atque inde in Latium & Italiam delatum. Quibuſdam id calcei genus videtur, quod hodieque Galli vocant *Galloches*, & pedes à frigore atque humore defendit. Verum ſi Veterum *Gallicæ* ſoleis & crepidis ſuere ſimiles, ut ex Gellio diſcimus, multùm ſanè quoad formam abfuere ab hodiernis *Gallicis*, quæ ſuperiorem etiam pedum partem operiunt, cùm illæ, ſolearum ac crepidarum inſtar, partem eam nudam apertamque relinquerent. Interim id inter *Gallicas* crepidasque diſcriminis ſtatuit Balduin. quòd *Gallicarum* ſoleæ olim, ut & nunc, è ligno fuêrunt, crepidarum verò duplici triplicique corio ſimul compacto conſtiterint: atque harum imaginem hodieque adhuc apparere, in Capucinorum ſoleis, illarum in Fullienſium ſandaliis ca...

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

extare, Vide ipſius *Calceum Antiqq. c.* 14. Jul. Nigron. *Gallicam* cum caliga eandem facit, aut certè, Reipublicæ primorumque Imperatorum ævo, tam exiguum inter utrumque hoc calceamenti genus diſcrimen agnoſcit, quàm inter voces ipſas cernitur, quod fere nullum eſt: proinde alteram pro altera promiſcuè uſurpari, *l. de Caliga c.* 2. ait. Cui aſſentiens Heribertus *in Onom. Neſcio*, inquit, *an promiſcue* Gallica *pro caliga accipiendum.* Sed aliud quid fuiſſe *Gallicam*, ſaltem recentiori ævo, videtur colligi poſſe, ex Tertull. *Carm. ad Senatorem c.* 2.

——— *Caligaque remotâ*
Gallica *ſit pedibus molli redimita papyro.*

Ubi indigitatur, Senatorem illum cum religione mutaſſe calceos, & caliga ſpretâ, qua hactenus uſus fuerat, *Gallicam* induiſſe. Diminut. *Gallicula*: unde ad verba Auctoris ad Herennium, *pedibus ſoleæ lineæ inductæ ſunt*, ait Dempſter. Viros doctos obſervaſſe, *Gallicu-las* hoſce calceos propriè nominari. Gloſſ. vett. σανδάλιον, *Gallicula* &c. Vide quoque infrà *Sabotæ*, it. *Sandalium.*

GALLICA Flavia, Hiſp. urbs Ilergetum. Ptol. *Fraga* Varrer. Vide *Flavia Gallica.*

GALLICÆ Paludes, quæ & *Stagna Hadriatica*, Vitruv. *Lagune di Venetia*, intimus maris Hadriatici receſſus, apud Venetam urbem, quæ intra illas condita, ab omni hoſtili invaſione tuta eſt. Vide Mare Nigrum.

GALLICANUM, opp. Latii, ubi ol. Gabiorum Urbs.

GALLICANUS, Coſ. cum Atilio Titiano, A. U. C. 879. & cum Venuſtio, A. U. C. 902. & cum Symmacho, A. U. C. 1082.

GALLICANUS ex Conſulibus, apud Jul. Capitolin. *in Gord. III. Poſt hæc veterani ad Curiam venêrunt --- Ex quibus duo ingreſſi Capitolium, quum illic Senatus ageretur, ante ipſam aram à* Gallicano *ex Conſulibus & Mæcenate ex Ducibus, interempti ſunt*: Græcè ὑπατικὸς, h. e. ex *Conſule*, ſive *Vir Conſularis*, ſicut Mæcenas *ex Ducibus*, i. e. *qui Dux fuerat.* Utrique hi à Populo occiſi ſunt poſtea, apud eundem *in Maximinis.*

GALLICANUS, militum Dux celebris, ductâ Conſtantiâ, filiâ Conſtantini Mag. in expeditione quadam contra Barbaros, ſe periculo inextricabili implicitum ſentiens, a duobus amicis perſuaſus, votum Deo fecit, Chriſti fidem ſe amplexurum, ſi victor evaſiſſet. Cujus damnas, fideliter quæ pollicitus erat, præſtitit, Martyr ſub Juliano Apoſtata tandem factus. Baron. A. C. 330. & 362.

GALLICANUS Ovinius, vide *Ovinius.*

GALLICANUS mons, Plutarch. *Gallicanus ſaltus* Ciceroni, mons Campaniæ, idem cum Maſſico, & Gauro, teſte Blondo cum aliis, (cum pago, qui *Caſcano* dicitur) Sueſſæ urbi finitimus, *Garro* hodie, inter Sueſſam, & Sinueſſam urbes.

GALLICINIUM, ἡ ἀλεκτοροφωνία, Marci *c.* 13. *v.* 30. tempus eſt antelucanum, quo matutina avis, gallus, cantu ſuo ad laborem homines excitat: & quidem propriè medium inter μεσονύκτιον & manè, ut definit Evangeliſta: *Mediâ nocte*, gallicinio *aut manè.* Undè Cenſor. in partes diei enumerans, *c.* 19. *Gallicinium, inter mediam noctem, & conticinium*, medio loco enumerat. Neque aliter Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 3. Et *Gloſſæ* vett. *Conticinium*, ὁ μεταξὺ ἀλεκτρυοφωνίας χρόνος, *tempus, quod eſt inter gallicinia*: ubi plurali numero dicuntur, quia plura ſunt. Gallus enim à media nocte canere incipit. Deinde medio inter μεσονύκτιον & auroram ſpatio rurſus canit, quem proin cantum multi *ſecundum* vocant. Ariſtoph. Ἐκκλησιαζ.

Οὐδ' εἰ μὰ Δία τότ' ἦλθες, ὅτε τὸ δεύτερον
Ἀλεκτρυὼν ἐφθέγγετο ———
Neque per Jovem, ſi tunc veniſſet, cùm ſecundò
Gallus *canebat.*

Unde Adagium vet. apud Parœmiographos, de quo multa Eraſmus, Πρὶν ἢ τὸ δεύτερον ἀλεκτρυὼν ἐφθέγγετο, *Priùsquàm gallus ſecundo canat*, i. e. *ſummo manè.* Vide quoque Syneſ. *Ep.* 4. Melam *l.* 1. *c.* 10. Plin. *l.* 10. *c.* 21. &c. E quibus liquet, *ſecundum* illud *gallicinium* & quartam vigiliam, idem eſſe, Quamvis autem profundâ nocte bis galli canant, tamen cùm aliquid factum legitur *Gallicinii tempore*, abſque numeri adjectione, ſemper poſterius intelligitur, quod ſic κατ' ἐξοχὴν vocatur, aut quia tunc galli acriùs & alacrius canunt. aut quia poſterior ille cantus hominibus eſt utilior, cùm ad diurnos labores eos excitet: aut deniqué, quia prioris gallicinii tempus alio deſignatur nomine; vocatur enim μεσονύκτιον, *medinoctium.* Itaque non ſolùm Marcus Evangeliſta, ſed & Cenſorin. ac Macrob. *gallicinium*, inter mediam noctem & manè interponunt, ut vidimus: unde facilis conciliatio, inter Marcum & reliquos Evangeliſtas, circa deſignationem temporis, quo Chriſtum Petrus ter abnegaturus erat. Nam juxta Marcum Chriſtus Petro prædixit fore, ut ter abnegaret, *priuſquam Gallus bis cantaſſet*, πρὶν ἢ δὶς ἀλέκτορα φωνῆσαι, *antequam Gallus bis cantaſſet*: & verò, cùm ceciniſſet poſt primam abnegationem, poſt tertiam, ἐκ δευτέρου ἀλέκτωρ ἐφώνησε, *rurſus cantavit gallus*, *c.* 14. *v.* 30. & 68.. At in aliis non cantat gallus, ante tertiam abnegationem, Matth *c.* 26 *v.* 34. Lucæ *c.* 22. *v.* 34. & Joh. *c.* 13. *v.* 38. Quæ ſic conciliantur, ut Petrum primò negaſſe ſtatuamus circa mediam noctem, & tum gallum primò ceciniſſe; at tertiò negaſſe, circa quartam vigiliam, vel circa illud tempus, quòd *Gallicinium* ſolet dici & gallum tum temporis iterum cantaſſe. Quo poſito, hæc Chriſti verba, *Non cantabit gallus aut priusquàm cantet gallus*: idem erunt, ac ſi dixiſſet, *Ante tempus gallicinii*, vel, *Non cantabit gallus ſolenni illo cantu, à quo tempus, quo canit* ἀλεκτοροφωνία *dicitur, priùsquam ter me negaveris* &c. Vide hac de re multis eruditè diſputantem Sam. Bochart. *Hierozoici Parte prior. l.* 1. *c.* 17. & infrà in voce *Nocturna*, ubi unum ex nocturnis officiis hoc nomine in Eccl. Rom. quoque indigitari videbimus. Adde ſaltem, ſtrictiora vett. Chriſtianorum jejunia, quæ ex aliqua ſolicitudinis Eccleſiaſticæ cauſa indicabantur, ut & ea, quæ Paſchatis feſto celebrabantur, ad uſque *Galli cantum* nonnunquam extendi conſueviſſe, ex Epiph. cùm aliàs ſtationes ſuas ac jejunia circa veſperam Montaniſtæ horâ nonâ Orthodoxi communiter finirent, uti docet Deſid. Herald. *Caſtigat. ac Notis ad Minuc. Fel. p.* 13.

GALLICUM, Ant. opp. & fluv. Hiſpaniæ Tarraconenſis, in Aragonia. Opp. idem eſt cum Gallica Flavia: fluv. *Galiego* nominatur, in Iberum influens inter Cæſarauguſtam, & Oſicerdam. Ferr. Baudr. *Gallicum* opp. quid ſit, non conſtat: Si idem cum Gallica Flavia; eſt *Fraga*, ſi Forum Gallorum, eſt *Zuera*, ſeu *Gurrea*, ſeu *Luna.* Vide *ibi.* Gallicus autem fluv. quibuſdam eſt *Gallego*; qui ortus ex Pyrenæis montibus, in Iberum fluv. ſe exonerat juxta Cæſarauguſtam.

GALLICUM Fretum, *pas de Calais* Gallis, *The ſtreight of Calis* Anglis, *de Hoofden* Belgis, fretum eſt inter Galliam & Angliam, 6. leucis Gallicis latum; nempe inter Iccium portum, *Wiſſan* & Dubrim. Dicitur etiam fretum Morinorum, & mare Germanicum ſeparat à Britannico. Vide *Fretum Gallicum.*

GALLICUM Mare, quod prov. Narbonenſem, h. e. Gotiam vel Septimaniam atque Provinciam, à Pyrenæo ad Varum fluv. alluit: *Gallicus Sinus* Liv. *l.* 26. *c.* 19. qui illud ibi inter Tuſcum mare & Pyrenen collocat: ſicut *l.* 34. inter Pyrenæum, & Alpes Maritimas. Idem partem ejus, quâ Provinciam pulſat, inter Ligures Italos & Maſſiliam, ac Rhodanum, *oram Salyum* nuncupat *l.* 21. *c.* 26. Strab. *l.* 4. *p.* 188. mare hoc *Narbonenſe* vocatur, ab urbe totius ejus oræ olim clariſſima: Pomp. Melæ *mare Mediterraneum* ſeu *Internum*: cujus tamen parva admodum portio eſt, vix mill. paſſ. 110. à ſummo Pyrenæo ad ſummam Alpen in longitud. patens. Idem nimis laxâ appellatione *Tyrrhenum* vel *Tuſcum æquor* dicitur. Sed non ſinui tantùm Gallico Narbonenſem provinciam alluenti, verùm etiam Oceano Gallico, oram Aquitaniæ Galliæque Lugdunenſis, & Belgicæ pulſanti convenire videtur. Hoc, ob colonias Græcorum Maſſilienſium terrâ marique ſparſas, *mare Græcum* Angli ſcriptores nuncupavêre; Nunc mare Maſſilienſe dicitur pars maris Gallici, circa Maſſiliam, & Stœchadas, totamque hanc oram Provinciæ. Galli mare ſuum vocant *Mer de Levant* i. e. Ortivum, cùm potius Meridianum dici poſſet, Gothiam quippe atque Provinciam à Mer. terminans. In illo varii ſinus ſunt. Primò *ſinus Salyus* occurrit, ab Hiſpania Galliam Italiamque mari petentibus, Mellæ, cum ad Pyrenæi prom. ſeu Caput Crucis *Cap. de Creus*, & in eo portum Veneris *Port Vendres* ponenti, memoratus. Tum alius eſt inter prom. Leucatam, & Setium, in quo Inſ. Blaſco, hodie *Briſcou*, Agathæ urbi adverſa, ſita eſt. Hi duo ſinus in unum à Strab. qui eum minorem vocat, conjunguntur. Sequitur ſinus *ad Gradus*, à 6. gradibus, quos Rhodanus effluens facit, cognominatus: Hic à Setio incipit, & oſtiis Rhodani finitur. Caſaub. illum terminat prom. Cithariſtâ ultra Maſſiliam 30. mill. Hunc ſinum excipit *Maſſilienſis*, in quo Maſſilia: poſt quem ſinus *Sambracitanus*, qui habens ab Occ. portum S. Tropeſii, ab Or. portum S. Maximi, à Mer. prom. Caput Caninum *Teſte de Can*, cum inſ. cognomine, Grimaldum à Sept. modò *Golfe de Grimaut*, modò *le Golfe de S. Tropés* dicitur. Hunc attingit ſinus *Forojulienſis*, in quo eſt prom. S. Vincentii, & duæ Inſulæ *Leones* dictæ atque Forum Julii. In eundem amnis Argenteus devolvitur. Poſtremus à prom. Rubeo ad prom. Gallupe *Cap Garouppe* pertinet, & duo alia prom. ac Lerinum, & Leronem inſulas complectitur, duoſque fluvios Benconem, & Cyaneum *Siagne* recipit. Pars aliquam Provinciæ oræ partem allatrans, circa Areas, Pergantionem *Briganços*, & Bromum *Borme*, inſulaſque Areenſes, ob tempeſtatum atrocitatem, mare Leonis *Golfe du Lion* etiam dicitur. Circa Telonem & 2. lap. à prom. dicto *Cerchiec*, corallium naſci affirmant Provinciales, quod olim laudatiſſimum in Gallico ſinu, circa Stœchaſias, fuiſſe, Plin. ſcripſit *l.* 32. *c.* 2. Oram æquoris Gallici illuſtrant Caucoliberi, *Colioure* vel *Colibre*; Helena civitas, *Elde*, Epiſcopatus olim ſedes; Cannetum *Camet*; Perpiniacum *Perpignan*, nunc Cathedrâ Epiſcopali illuſtre, caput Comitatus Ruſcinonenſis, ruinis Ruſcinonis Coloniæ proximum; Ripa alta *Ribehaute*; Salſuſæ vel Salſulæ, *Sauſſes* Gallis, Hiſpanis *Salſes* dictæ; Leucata *Locate*; Rupes fortis *Roquefort*; Palma *la Palme*; Narbo Martius, Decumanorum olim colonia, non procul ab oſtio Atacis; Biterræ *Beziers*, ad fluv. Obrim; Caſtellum novum *Caſtelnau*, ori ejus proximum; Villa nova *Villeneufve*, Agatha ad Araurim effluentem *Agde*; mons Setius *Mont de Sete*, Magalona *Maguelone*; oſtium fluminis Ledi; *Lez*, cui Monſpeſſulanus, à Sextatione loco olim illuſtri non multum diſtans, & Caſtellum Latara *Tour de Latte* adſident; Aquæ Mortuæ *Aiguesmortes*; oſtia Rhodani; Maritima Avaticorum *Martegue*; Maſſilia Græcorum; Cithariſta portus, & prom. Civitas *la Ciotat*, vino ſuo nobilis; Carſici, Taurentum, Telo Martius *Toulon*; Areæ *Hieres*; Pergantio *Briganҫon*, Bromum *Borme*; ſinus Sambracitanus vel Grimaldenſis ſuprà memoratus; Forum Julienſe ad Argentei amnis oſtium, *Freius*; Canoæ *Canes*; Antipolis *Antibe*; Villa nova *Villeneufve*; municipium S. Laurentii, *S. Laurens*; & Vari amnis oſtium, quo flumine Gallia ab Italia dividitur. Multi alii amnes ignobiles, & obſcuri in mare Gallicum decurrunt, memoratu indigni, cùm in Septimania, tum in Provincia. Multa ſunt, & in eadem ora promuntoria, ſed ſi Leucatam, & Setium Septimaniæ, & Cithariſtam Provinciæ excipias, cuncta veteribus indicta. In mari Gallico ſunt inſulæ plurimæ, ſed pleræque parvæ admodum, & incultæ ac deſertæ. Quas inter eminent quædam majores, nobiliores, atque cultiores, ſuo quæque loco à nobis enarratæ. In primis Blaſco contra Agatham, vulgò *Briſcou*, Rogero Houedenio celebrata, aliàs *Briſcon*, litteris a in i, & l in r converſis, ut in Luſciniola *Roſſignol*, ululare *urler*, ulmo *orme*: Anguillaria *l'Anguillare*, *Anguillade* in quibuſdam tabulis dicta,

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

non longè ab oſtiis Rhodani; forſitan *Metina* Plin. *l.* 3. *c.* 5. in Rhodani oſtio. Tum Odur ad ejuſdem amnis oſtia, *inſ. quæ dicitur Odur, quæ eſt ad introitum Rhodani*, Rogero Honedenio nuncupata ante Annos 450. vulgò *Odor*. Sequuntur tres Stœchades, *Prote*; *Meſe* quæ & *Pomponiana*, Rogero Houedenio *Pumpone* appellata, inter Maſſiliam, & inſ. S. Stephani, vulgò *la Pomegue*; tertia Hypæa, *If*. Inſulæ Areenſium numero item tres, contra Areas opp. *les isles d'Hieres, vel les isles d'or*. Inſulæ duæ, *Leones* dictæ Amelio in navigatione Gregorii XI. Papæ ante Annos 300, vel inſulæ Leonum, *les Lions*, Foro Julii adverſæ, cujus Diœceſi contribuuntur: demum Lerinus, & Lero, prior S. Honorati nomine ac monaſterio illuſtris poſterior S. Margaritæ Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

GALLICUS Limes, vide ſuprà *Decimanus*.

GALLICUS Oceanus, à Rheno ad Pyrenæum uſque promittitur; Gallis *mer du Ponant*, i. e. mare Occiduum: Plin. *l.* 4. *c.* 19. *Oceanus Septentrionalis*: Claudio Ptol. *Oceanus Germanicus*: quibuſdam *Oceanus Barbaricus*. Inter oſtia Rheni, & os Sequanæ Oceanus eſt *Britannicus*, ut Plin. *l.* 4. *c.* 19. placet, ab Inſula Britannia dictus, quam inter, & Galliam Belgicam Lugdunenſemque funditur: Hic prope ad os Ligeris uſque pertinens, recentioribus *mare Anglicum* appellatur: Gallis nunc *Canalis*, nunc idque ſæpius *la Manche*, eſt enim inter Gallias, & Britanniam inſ. manicæ modo longus, erectus, & anguſtus: & inſ. Britannia grandi angulo Rheni ora proſpicit, atque uno latere Galliæ Belgicæ, ac provinciæ Lugdunenſi 2. ac tertiæ adverſa eſt: cujus lateris extrema extremæ Britanniæ minori, nimirum Uxanti inſulæ, & promuntorio Gobæo vel S. Matthæi reſpondent. Oceanus igitur Britannicus, ſive mare Anglicum hinc Britanniam inſ. vel Angliam, inde Hollandiam, Zelandiam, Flandriam, Picardiam, Nortmanniam, ac Britanniam minorem aut Ciſmarinam alluit: & ad Oceanum Britannicum ſunt Gallorum populi, Batavi, Menapii, Morini, apud quos fretum Gallicum, *fretum Morinûm* Gratio dictum, Ambiani, Caleti, & trans ſequanam Lexovii, Bajocaſſes, Conſtantienſes, Abrincatui, Dolenſes, Aletenſes, ac Oſiſmii. Partes Oceani Britannici ſunt *Fretum Gallicum*, vel *Fretum Morinum*, *Fretum Britannicum* quibuſdam nuncupatum: tum *mare Rotomagenſe*, quo Sequana, Rotomagum provinciæ Lugdunenſis 2. metropolim, Butilam *la Boüille*, Gemeticum, Caldebeccum, Guellebotum *Quillebeuf*, Tancredivillam *Tancarville*, Rupemque Riſelæ *Roque de Rille* præterlapſus, recipitur. Venantii Fortunati *in l.* 6. *Carm.* 7. *de Geleſuintha Regina*, tale diſtichon eſt,

> *Pervenit, quâ ſe piſcoſo* Sequana *fluctu*
> *In mare fert juncto Rotomagenſe ſinu.*

Ubi *Mare Rotomagenſe* vocavit Fortunatus ab urbe nobiliſſima, partem Oceani Britannici circa oſtium Sequanæ, & quâ Sequana paulo ante Rotomagum præterlapſus accipitur: Oceani Britannici portio inter oſtia Sequanæ & Ligeris, *Armoricus Oceanus* ætate Auſonii vocabatur; cujus *in Ep.* 9. *v.* 35.

> *Sunt &*, Aremorici *qui laudent oſtrea* ponti;

In Oceanum Britannicum influunt Rhenus, Moſa, Scaldis, Agnio, Quantia, Alteia, Sumina, Aucum, Eara, Deppa, Sequana, Diva Olina, Viria, Seva & Senuna, Arduus, Rintius *Rance*, aliaque flumina. In eo Oceano ſunt inſulæ Walacria *Walcheren*, Vectis, *Guith* Britannis, Anglis *Wight* dicta, 20. millia paſſuum patens: Cæſarea *Gerſey*, & Sarmia aut Sarma *Garnſey*: hæc 10. parœciis conſtans, illa 12. ambæ quondam Epiſcopatus Conſtantienſis portio, & olim Francorum, nunc Anglorum Regi ſubjectæ, à Normannis, & Brittonibus Francica lingua utentibus habitatæ, ambæ Æthico memoratæ: Ebodia *Alderney*, à Paulo Longobardo celebrata, Sarmiæ proxima, quæ vicum habet: Arme, & cautes eminentes veriùs quàm inſulæ, Caſcatæ vel certè Cacatæ, numero circiter 13. vulgò *Caſquetes* aut *Quaſquettes* dictæ; Liga, aliàs Iga apud Æthicum, *Ligon*: inſ. Brehalia *L'isle de Brehal* aut *Brehat*. inſ. Viridis *l'isle Verre*; Septem inſulæ *les ſept Isles* Gallis nuncupatæ; Batha *isle de Bas* Gallis, Anglis *Baſepole* vocata: Andium ab Æthico aliiſque non omiſſum, vulgò *Andio*; Uxantis vel Axantos, *l'isle d'Oueſſant*, & Sena oræ Oſiſmicæ adverſa. Sequitur Oceanus Aquitanicus, à Gobæo promuntorio ad Pyrenæos montes longe lateque diffuſus, ut Ptolemæo placet: licèt oſtio Ligeris, & prom. Pyrenæi veteribus Aquitaniæ terminis propriè terminetur. Ad ſinum Aquitanicum poſt Gobæum Oſiſmiorum prom. claros olim Portus Vindanam, & Brivatem ponit Ptol. Ad eum ſinum ſunt populi Curioſolites, Veneti, atque Nannetes: tum Aquitanicæ Gentes Pictones, Santones. Bituriges Viviſci, Meduli, Boii, atque Tarbelli. Partes ſinûs Aquitanici ſunt *Pictonicus Oceanus*; & *Oceanus Santonicus* à Tibullo, *in Carmine ad Meſſallam*, memoratus: *Santonici ſali* & *Pictonici litoris* oſtrea laudat Auſonius. A Medulis *Medulicus Oceanus* nomen accepit, Auſ. *in Ep.* 9. *Medulorum Oceanus* dictus, *v.* 18.

> *Sed mihi præ cunctis ditiſſima, quæ Medulorum*
> *Educat* Oceanus, *quæ Burdigalenſia nomen, &c.*

Extrema pars Aquitanici ſinûs eſt *Oceanus Tarbellicus*, Idem *in Parentalibus* IV. *v.* 12. *Tarbellus Oceanus* appellatus,

> *Tarbellique furor perſtrepit Oceani.*

In hunc devolvuntur fluvii Blavitta vel Blavetum, Vicinonia, Liger, Separis, *Sevre Niortoiſe* vulgò dictus, Carantonus Garumna, Leria, Atur aut Aturrus. In illo quoque ſunt inſulæ, Grana, *Grane*; Caput equi *Pen marck*; *inſulæ complures Venetorum, quæ & Veneticæ appellantur*, ut ait Plin. *l.* 4. *c.* 19. ſeptem majoris ſoli quàm nominis, in quibus eminet Pulcra inſ. *Belle-isle*, à re cognominata, oſtio Ligeris adverſa; cæteræ incultæ ferè 200. Herius, à Nigro Monaſterio dicta *l'Isle de Nermonſtier*, aliàs *Heys*: Oia. Radis *Re*; *Vliarus* in Aquitanico ſinu, Plin. ibidem ut ſuprà memorata inſ. Sidonio *Olario* nuncupata, *Oleron*: & ei adverſæ inſ. *Aia*, vel *Agia*, *Isle d'Ais*; Denepus *Denep*, Varenna *la Garanne*, Oria *l'Isle d'Oire*, & Inſulæ Medulicæ Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

GALLICUS Rutilius, Præfectus Urbi, carmine Papinii Statii, quod inſcripſit, *Soteria pro Rutilio Gallico*, celebris eſt. Vide Poetam hunc *l.* 1. *Sylv.* 4. *cum Animadverſ.* Caſpari Barthii.

GALLICUS Sinus, Strab. *l.* 4. *p.* 181. *Salſus* Melæ, mare inter Templum Veneris, ſive Aphrodiſium, Pyrenæi montis prom. in Hiſpaniæ Galliæque confinio & Narbonenſis, vide *ſuprà*.

GALLIENA, conſobrina Gallieni Imp. memoratur Trebellio Pollioni *in Celſo*, *occupatis partibus Gallicanis, Orientalibus ---- Afri quoque ---- Celſum Imp. appellarunt ---- Quare creatus per quandam mulierem*, Gallienam *nomine, conſobrinam Gallieni, ſeptimo Imperii die, interemptus eſt*.

GALLIENUS Publicus Licinius Ignatius, fil. Valer. à patre in conſortium Imperii adſcitus, ab A. C. 2. Galli & Voluſiani, A. C. 254. unà cum eo imperavit, A. 7. vel 8. donec Valeriano à Sapore capto, ipſe ſolus manſit Imp. Sub hoc, Imperium præda Barbaris, & 30. Tyrannorum theatrum fuit. Acceſſêre, terræ tremores, peſtes, aliaque, quibus commotus Imp. edictorum contra Chriſtianos acerbitatem mitigavit, ipſe in ſcelerato flagitiorum calle pertinax. Interim tanta ei in acceptis cladibus patientia, vel potiùs ſtoliditas, ut in his etiam jocari non dubitaverit. Nam cùm accepiſſet, Ægyptum à Rom. Imp. deſciviſſe, *Quid enim*, inquit, *ſine lino Ægyptio eſſe non poſſumus*? Perditâ Galliâ, ridens, *Et non eſt*, inquit, *tuta Reſp. ſine Atrebatis ſagis*? Aſiâ Alemannorum, & Scytharum incurſationibus vaſtatâ, *Quid*, inquit, *ſine Aphronitris eſſe non poſſumus*? Cælius Rhod. *l.* 18. *c.* 21. Acceſſit vitiis reliquis ſævitia, quâ tandem factum, ut ipſe à Claudio, Dacici exercitus Duce, prope Mediolanum, occideretur, cum fratre Valeriano jun. & filiis, quorum maximus ex Salonina Publius Corn. Saloninus Valerianus Coloniæ ſublatus eſt. A. C. 268. Treb. Pollio *in ejus vita*. Eutrop. *l.* 9. Aur. Victor. *de Cæſ.* Zon. Zoſ. *Caſſiod.* &c.

GALLIM, vicus Accaronis, unde dicitur fuiſſe Phalti, qui Michol duxerat uxorem poſt fugam David. Civitas item non procul à limite Moabitarum. Iſ. *c.* 10. *v.* 30. 1. Sam. *c.* 25. *v.* 44. Sita in paluſtribus. In Tribu Ruben. Hebr. *Eglaim*.

GALLINA, Græcè ὄρνις, quæ vox *avem* in genere ſignificabat, apud Græcos vetuſtiores, Hom. & Heſiod. Platonis ævo uſurpari cœpit pro genere gallinaceo & per aliquot ſecula tam ad gallum, quàm ad gallinam, pertinuit: donec obtinuit uſus, ut *gallinæ* nomen maneret proprium. Unde factum, ut Levit. *c.* 14. *v.* 4. ubi leproſus, qui mundatus eſt, Deo jubetur offerre δύο ὀρνίθια ζῶντα καθαρὰ, Origenes & alii *duas gallinas* intellexerint: non attendentes, illud καθαρὰ à Græcis additum, quod fruſtra fuiſſet, cùm omnis *gallina* ex lege eſſet munda. Arabibus *mater congregationis*, ut cui proprium eſt, quòd non ſolùm ovis incubat, ſed & pullos jam editos ſub alis congregat, ut materno calore foveantur & vegetentur; cujus φιλοστοργίας illuſtre exemplum ab Alpheo Mitylenæo habes *Anthol.* *l.* 1. *c.* 87. Hinc apud Euripid. *Hercule furente*, Megara de liberis, quos ex Hercule habuerat, ſollicita, eos ſub alis ſervare ſe dicitur, ut pullos incubans gallina. Verba ſunt,

> Οἱ δ' Ἡράκλειοι παῖδες, οὓς ὑπὸ πτέρυξ
> Σώζω νεοσσοὺς, ὄρνις ὡς ὑφειμένη.
> *Et quos ſub alis ſervo natos Herculis*,
> *Pullis ut incubare* gallina *aſſolet.*

Quæ ſimillima verbis Domini noſtri, quibus in Euangelio ſuam φιλανθρωπίαν, cum gallinæ, pullos ſuos ſummo ſtudio ad ſe allicientis, ut ab imminente milvo ſartos tectos ſub alis tueatur, φιλοστοργίᾳ confert, Matth. *c.* 23. *v.* 37. Vide quoque infrà *Paſſer*. Cæterùm *Gallina*, inter avium, humano eſui aptarum, præcipua genera, memoratur Galeno, *de Alim. facult.* *l.* 3. *c.* 19. unde etiam Romani has ſolas *Gallinas* vel columbas in aviariis habuêrunt; illas in plano, has in ſublimi, ut apud Varron. videre eſt, *de Re Ruſtic.* *l.* 3. *c.* 3. Cibus namque parabilis ac facilis appetitu: ſolùm opus, quia durior recens occiſæ caro, ut coquatur cum lapathi ſive rumicis herba, vel viva immergatur Falerno, uti Catius Epicureus Inſuber, Tullio ſemel iterum momoratus, apud Horat. præcipit *Serm.* *l.* 2. *Sat.* 4. *v.* 17. & ſeqq.

> *Si veſpertinus ſubitò te oppreſſerit hoſpes*,
> *Ne* Gallina *malùm reſponſet dura palato*,
> *Doctus eris vivam miſto merſare Falerno*,
> *Hoc teneram faciet* ————

Saginare verò illas Deliaci cœpêre, ut Plin. ait *l.* 10. *c.* 21. Primi verò hi Gallinarii Mercatores, de quibus ſuprà, in voce Deliaci. Quàm verò Romani vett. has delitias refugerint, docet idem Plin. cùm *d. l. c.* 50. ait; *Interdictum lege C. Fannii Coſ. XI. annis ante tertium Punicum bellum, nequid volucrum poneretur, præter unam gallinam, quæ non eſſet altilis: quod deinde caput translatum per omnes leges ambulavit: inventumque diverticulum eſt, in fraude earum, gallinaceos quoque paſcendi lacte madidis cibis.* Earum atque caponum cerebella in delitiis fuêre multis; lurconibus inprimis, qui omnia raritate ac ſapore æſtimant. Unde & in Vitellii patina, de qua *in vita ejus* Tranquillus, etiam phaſianorum ac pavonum, cerebella fuêre. Et Heliogabalus, cerebellorum ergò, ſexcenta ſtruthiocamelorum capita convivis appoſuiſſe legitur. Criſta *Gallinarum*, cum palmis anſerinorum pedum toſtis, condire, docuit Meſſallæ Oratoris fil. ut eſt apud Plin. *l.* 10. *c.* 21. Pullos *Gallinaceos*, non ſanos modò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſed etiam ægros inire juvare, docet Simeon Sethi in voce Ὄρνιθες. Item Ὀρνιθόπελα, ubi quidem M. Fabius Calvus, ὀρνιθόπελα putavit eſſe *tremulos, & pedes Gallinarum*: quo nomine à Lil. Gyraldo in Simeonis tralatione reprehendi meruit. Omninò enim ὀρνιθόπελον eſt *pullus gallinaceus*, ὄρνιθες namque per excellentiam, item ὀρνίθια *Gallinæ* Græcis dici meruêrunt: quique Latinis *pulli*, hi poſterioribus Græcis πουλλοι, ut Demetrio Conſtantinop. *Hieracoſophii l.* 1. *c.* 42. qui & *l.* 2. *c.* 27. ſic vocem uſurpat: non generatim pro *ave*, quod vir quidam doctus putabat. Iidem Conſtantino Aſynkio *in Viatico*, ubi ait, Καὶ ὀρνιθοπωλῆ, τζίκια καὶ πέρδικας, καὶ ὅμοια: interpretari oportet, *& gallinaceos pullos & perdices ſimiliaque*; non & *avium pullos*, ut generatim nimis expoſuit idem longè doctiſſimus vir. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Idol.* *l.* 3. *c.* 91. Britannis tamen olim nefas habitum leporem, *gallinam* aut anſerem guſtare, aluiſſe tamen voluptatis gratia, docet Sabellic. *l.* 6. *Enneade* 6. De uſu *gallinarum* in ſacris, ſic Plin. *l.* 10. *c.* 56. *Ad rem divinam, luteo roſtro pedibuſque puræ non videntur: ad opertanea ſacra, nigræ.* Ubi intellige ſacra, quæ Opi fiebant in abdito, ne prophanorum oculis pollucrentur, & *ſecluſa* quoque vocabantur, teſte Dalechampio. Quod verò idem illis pietatem in Deos tribuit. *l. eod. c.* 42. *Gallinis & religio ineſt. Inhorreſcunt edito ovo, excutiuntque ſeſe, & circumactæ purificant, ac feſtucâ aliquâ ſeſe & ova luſtrant*: refellitur à Voſſ. *de Idol.* *l.* 3. *c.* 85. ubi ἀπεικασίας hujus, ut Plutarch. *Sympoſiac.* *l.* 7. *Probl.* 2. appellat, phyſicam rationem eruditè exponit. Cæterùm *Gallinarum* tria genera Varroni *de Re Ruſt.* *l.* 3. *Villaticæ*, *Ruſticæ* de quibus vide infrà, *Perdix leucophæa*; & *Africanæ*, quæ alias *Numidicæ*, vulgò *gallinæ Guineæ* Gallis, Græcis olim *Meleagrides* dicebantur, quod aliud nomen non haberent. Vide quoque infrà *Indica Gallina*. Præter quas, *Gallinæ Medicæ*, ex genere quidem communi, ſed generoſo & magnitudinis non vulgaris, ad feminium præcipuè expetitæ & *Melicæ* vet. Romanis dictæ, celebres fuêre, de quibus omnibus vide Salmaſ. *ad Solin.* *p.* 871. & *ſeqq.* ut & hîc paſſim: Bochart. *Hieroz.* *Part. poſt.* *l.* 1. *c.* 18. & 19. &c. de *Gallina* vero candida Liviæ, præter Suet. Plin. adi *l.* 15. *c. ult.* de *Gallina* Sipica, goſſipium vomente, infrà in hac voce: uti de *gallinarum* aliarumque avium Fartoribus ac Altiliariis plura itidem infra ubi de Vett. *Saginandi Arte*: de ratione verò eorundem ex *gallinarum pullis* divinandi, ubi de *Pullis*; deque furibus, in Jus Mannia, gravius, quàm qui bovem vel equum abegiſſent, puniris, infrà in voce *Mannia* de jure veteri apud Anglos; circa animalia frugibus pulliſque infeſtiora, ubi de *Utlagatis*; de animali tandem *gallinis* maximè infeſto, in voce *Thos* &c. At de *gallina*, ſideribus illata, ab Interprete Chaldæo Jobi *c.* 38. *v.* 32. diximus ſuprà in voce *Feretrum* [illegible] loci ex Bocharto oſtenſa: quemadmodum inter idola populorum, quos ex Aſſyria in Judæam Salmanaſſer tranſtulit, *gallinam cum pullis* fuiſſe, in voce *Succoth Benoth* indigitatam, 2. Reg. *c.* 17. *v.* 30. malè Talmudicos aſſerere, dicemus ſuo loco.

GALLINAGO, Hebr. קרא *Kore*, 1. Sam. *c.* 26. *v.* 20. & Jerem. *c.* 17. *v.* 11. à nomine *Kora*, quod *palum acutum* notat, è quo fiunt ſepes, Græcis σκολόπαξ, Plin & Mart. *l.* 13. Epigr. 76. cujus epigraphe *ruſticula* & *ruſtica perdix*, Germanis *ſneppa*, & Gallis *becaſſa*, à magnitudine roſtri, unde Hebræum & Græcum nomen eidem inditum: avis eſt columba minor, edulis; imò in delitiis, longo roſtro, vocem in gutture reciprocans, breves habens pedes, dorſum varium, pluviæ prænuntia, ac proin apud Arabes boni ominis eſſe credita, in Arabia, Ægyptoque inprimis frequens. In montanis degere amat, teſte Bellonio, qui in Alpibus & Pyrenæis, ac in celſiſſimis Helvetiæ, Sabaudiæ atque Arverniæ montibus, æſtate verſari ſcribit. Unde Saulem *ſe velut avem* Kore *in montibus perſequi*, queritur David *d. l.* &c. Vide Bochart. *Hieroz.* *parte poſt.* *l.* 1. *c.* 12. & plura infrà in voce *Ruſticula*.

GALLINARIA, inſ. parv. in mari Tuſco, contra montes Liguſticos, ut inquit Varro. *l.* 2. *de Re Ruſt.* à *gallinis* ruſticis appellata. Vide Colum *l.* 8. *c.* 2. ſeu veriùs ſcopulus, hodiè *l'Iſoletto d'Albenga*. Sozomen. *l.* 3. *c.* 13. *de B. Martino*. Καὶ ἐπί τινα χρόνον ῥίζαις βοτανῶν ἀσκούμενος, νῆσον ᾤκησεν ἣν Γαλλιναρίαν καλοῦσι. Μικρὰ δὲ αὕτη καὶ ἀνώνυμος ἐν τῷ Τυῤῥηνικῷ πελάγει κεῖται. In ora Occ. Liguriæ, prope, & ante Albingaunum, cum turri, *Baudr.*

GALLINARIA Sylva, Cumis vicina. Juv. *Sat.* 3. *l.* 1. *v.* 307.

Et Pomptina palus & Gallinaria pinus.

ad GALLINAS, nomen villæ Romanæ Suet. Ser. Sulpic. Galb. *c.* 1. memoratæ de qua vide infrà in voce *Laurus*.

GALLINDÆ, pop. Germano-Sarmatiæ, & Venedorum pars, Sanſoni, inter Venedos proprios & Agathiſeos. Aliis *Galindæ*.

GALLINICUS, 3. Italiæ Exarchus, Romano ſucceſſit, A. C. 598. per 4. annos. Huic Gregorius Mag. Iſtrianos commendavit, *l.* 7. *Ep.* 100. & 101. *Blondus*.

GALLIO, proconſul Achaiæ. Act. *c.* 18. *v.* 12. Item unus ex Ducibus Valentiniani III. contra Bonifacium miſſus, A. C. 426.

GALLIO Junius, cùm pro ſententia cenſuiſſet, ut Prætoriani, actis ſtipendiis, jus adipiſcerentur, in quatuordecim ordinibus ſedendi: violenter increpitus eſt à Tiberio; ac ſtatim curiâ, deinde Italiâ exactus, & quia incuſabatur facilè toleraturus exſilium, delectâ Lesbo inſulâ nobili, & amœnâ retractus eſt in urbem cuſtoditurque domibus magiſtratuum. Hoc precium *Gallio* meditatæ adulationis tulit. Tacit. Ann. *l.* 6. *c.* 3. Cn. Domitio, & Camillo Scriboniano Coſſ.

GALLIO, al. nom. *Junius*, fr. Senecæ, ab Nerone quoque interfectus.

GALLIO, ſeu GALLION, vulgò GAILLON, caſtr. Normanniæ, in Eburovicibus, verſus Sequanam, ubi Cartuſia nobilis *Borbonia*, & peramœnus Archiep. Rhotomag. ſeceſſus, in caſtro ſplendido, à Gregorio Card. Amboſiano erecto, ad radices collis, 5. leuc. ab Ebroico in Ort. 7. ſuprà Rhotomagum in Auſtr. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

GALLIPIDÆ, pop. Sarmatiæ, inter Hypanem, & Boriſthenem, in quibus Exampeus, quod vide.

GALLIPOLIS, civitas Salentinorum munitiſſima, in maris Jonii ora, Epiſcopal. ſub. Ar. Hydruntino. Scopulo inſidet ſeu mediocri inſ. continenti adhæret ponte ſaxis ingentibus ſuffulto, qui nunquam tumidis undis ita prorſus occultatur, ut urbi plena tum inſulæ forma ſit. Locus eſt inſtar fori, & negotiatoribus acceſſu tam mari, quàm terrâ peropportunus, 30. mill. paſſ. ab Hydrunto in Auſtro-Libycum, inter Tarentum 50. & Japygium prom. in Ort. 30. Plin. *l.* 3. *c.* 11.

GALLITÆ, Alpina gens ab Aug. devicta. Idem Ibid. *c.* 23.

GALLITALUTÆ, Indiæ pop. juxta Indum fluv. Idem *l.* 6. *c.* 20.

GALLIVA ſeu DUACA, Urbs Hibern. in Connacia Comit. Galliventis caput: ad fluv. *Auſobæ æſtuar*, *Bay of Calway*, ubi *Carble* in illud ſe exonerat, ſatis munita emporiumque celebre.

GALLIUS Vibius, vir eloquentiſſimus, inſaniam mentiens revera inſanus factus. Cæl. Rhod. *l.* 4. *c.* 13.

GALLOGRÆCIA, regio Aſiæ, Bithyniæ, Cappadociæ, & Pamphyliæ contermina, alio nomine *Galatia* dicta, quemadmodum & incolæ ipſi indifferenter *Galatæ* dicuntur, & *Gallogræci*. Nam cùm Galli multitudine domi abundantes ſedes ſuas reliquiſſent, Italiamque ferro flammaque crudeliſſimè vexaſſent: Inde Camilli virtute depulſi, non parvâ manu in Græciam, Macedoniamque irrupérunt: Indeque Leonorio duce, Græcis quibuſdam permiſti, in Aſiam trajecêrunt, acceptiſque à Rege Bithyniæ agris, ſedes ibi fixêrunt. Quo factum eſt, ut uno nomine *Gallogræci* dicerentur. Strab. *l.* 2. *p.* 130. & *l.* 12. *p.* 566. & 567. Hos, poſt Antiochenum bellum, Vulſo Manlius perdomuit. Inde Tetrarchis relictus Dejotarus, unus ex illis, potentior factus, ad ſe rapuit; donec Aug. Cæſar regnum hoc in provinciam redegit. Vellej. *l.* 2. *c.* 39. Alii vide quoque ſuprà *Dejotarus*.

GALLOLIGURES, quorum regio *la Provence*, quamvis hæc magis pateat.

GALLONIUS Avitus, Legatus Thraciarum, ad quem Aureliani Aug. *Epiſtolam* habes, apud Flav. Vopiſc. in *Bonoſo*.

GALLONIUS, præn. *Cajus*, Eques Rom. familiaris Domitii, à quo Gades, procurandæ hæreditatis cauſâ fuerat miſſus, à Varrone Gadibus præpoſitus, Cæſ. *l.* 2. *de Bell. Civ.* *c.* 4.

GALLONIUS, præn. *Publius*, vir luxu perditiſſimus, quem Lucilius ait, nunquam benè cœnaſſe, quòd nunquam eſuriens cœnaret, Cic. *de Fin.*

GALLORUM Area, nunc GALLERA & GALLERATO, opp. amplum agri Mediol. ſine mœnibus, à Mediolano 24. mill. paſſ.

GALLOVIDIA ſeu GALDIA, GALLOWAY, prov. Scotiæ, in ora Occ. ubi incipit Mer. è regione Hiberniæ, & Monedæ Inſ. à quibus 15. mill. Scot. abeſt. Hic urbs præcipua Caſa Candida *Withern*, & *Vuigtorium* opp. Habet à Mer. mare Hibern. ab Occ. Glotiæ æſtuar. à Sept. Carictam & Kilam, ab Or. Nithiam. Ab Ortu in Occ. extenditur ad 60. mill. paſſ. & ad Occ. anguſto Iſthmo continenti adnectitur Peninſ. *The mull. of Galloway*, i. e. Roſtrum Gallovidiæ, ol. Novantum Cherſoneſus. Haud pridem in Vilhelmi M. Britanniæ Regis poteſtatem cum tota Hibernia venit: qui titulum *Com. de Galloway* in Ruvinium Juv. optimè de ſe meritum, jamque copiarum ejus in Pedemontio ducem, contulit.

GALLUBRI, populi, qui nunc *Romandioli* vocantur.

GALLUS, Coſ. cum Flacco, A. U. C. 926. Item alius Coſ. cum Antonio Fauſto, A. U. C. 1050. Vide & *Cajus*.

GALLUS, adoleſcens, Marti dilectus, quum à Marte deduceretur, ut cuſtos eſſet oſtii, quoties Mars ad Venerem, abſente Vulcano ingrederetur, & adventantes nunciaret, obſervaretque Solem præcipuè, quem maximè omnium Mars metuebat, ne rem Vulcano deferret, propter ſingularem in illos amicitiam, fertur adoleſcens in ſomnium corruiſſe: quâ re nemine præſciente, Sol rem conſpexit ſuperveniens, Vulcanoque indicavit. Quocirca tali ſupplicio à Marte affectus eſt, ut in avem nominis ſui verteretur, quare nunc etiam Solis exortum inſigni vociferatione indicat, quaſi Marti ſignificaturus, ut Solem caveat. Ovid. *Met.* Fabula hæc vim planetarum, Syzygiam Veneris & Martis oſtendit; tum efficaciam Solis, antipathiam autem eorundem planetarum, & ſympathiam Galli avis domeſticæ cum Sole adventante, ut experientia locuples teſtis eſt.

GALLUS Antipater, *ancilla honorum & hiſtoricorum dehoneſtamentum*, Pollioni *in Claud.*

GALLUS Cæſar, fil. Julii Conſtantii, fratris Conſtantini Mag. ex Galla, frater Juliani Apoſt. cum cura educatus, & Sacræ Scripturæ lectioni inprimis adhibitus eſt, Lectoris etiam officio, unà cum fratre, in fidelium concione functus. A Conſtantio imperii Collega lectus, fil. ejus Conſtantinam uxorem accepit. Initio ſtatim regiminis zelo ardens veræ fidei, celebre Oraculum Apollinis Daphnæi, quod Antiochiæ erat, ſuſtulit, Judæos rebelles ſub jugavit &c. triennio pòſt, an ex invidia, an quia inſolenter varia patraſſet, juſſu Imp. capite plexus, in inſ. Flanona, Idatius *in Chron.* vel Bolæ, Iſtriæ urbe, ut alii. Vide Socrat. *l.* 3. Theodoret. *l.* 3. Amm. Marcell. *l.* 14. *c.* 1. & 7. Gregor. Naz. *orat.* 1. *in Julian.* &c.

GALLUS Cornelius poëta, Ægypti Præſes: anno ætatis ſuæ quadrageſimo propriâ manu ſe interfecit, unde illud:

Sanguinis, atque animæ prodige Galle *tuæ.*

Vide *Cornelius*, & Voſs. *de Poëtis Lat.* *p.* 25.

S. GALLUS, Helvetiorum Evangeliſta. Hic claris in Scotia parentibus natus, Columbani Abbatis diſcipulus, cum eo in Galliam profectus eſt, & inde in Germaniam abiit, ubi ad Lindiniacum fluv. in loco, qui Tuconia dicitur, (hodie *Tuggen*, juxta Limagum fluv. ad caput Tigurini lacus) contra diverſi generis idololatras, Chriſti fidem ferventer populo annuntiavit: Ut & Brigantii ad caput Acronii, Arbore Felice, aliiſque Helvetiæ locis per Ann. 16.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

A Gomzone Duce Alemannorum ad Epiſcopatum Conſtantienſem vocatus, id muneris ſuſcipere renuit: & A. C. 630. vel, ut alii habent A. C. 617. in montana loca ſuprà Acronium lacum ſecedens, in ſolitudine, eoque loco, ubi hodie Cœnobium, & opp. S. Galli viſitur, cellam extruxit; ibi cum aliquot diſcipulis, in ſtudio meditationibuſque ſacris vita tranſacta. Poſt ejus mortem, Fratrum, quos Francorum Reges, & Alemanniæ Duces multis locupletarunt muneribus, numero creſcente, cella in cœnobium verſa & Ann. 80. pòſt Galli mortem Otthomarus Presbyter, à Pipino Caroli Martelli filio, primus S. Galli Abbas conſtitutus eſt: à quo tempore Benedicti regulam fratres profiteri cœpêrunt. Vide Simler. *de Rep. Helvet.* & in vocibus *Sangallenſis Abbas*, Item *San Gallum.*

GALLUS Herennius, vide *Herennius.*

GALLUS Hoſtilianus, al. *Vibius Trebonianus*; poſt Decium Imp. XXX. Rom. à militibus creatus eſt, A. M. 4214. A. C. N. 252. A. U. C. 1004. Hic cum Scythis fœdus pepigit, non ſine Romani nominis ignominia, tributum eis annuum pendens, tunc primùm Reſpublica Romana jugum Scythicæ ſervitutis accepit. Hinc Barbari inſolentiores facti, nec tributo contenti, ingenti exercitu comparato, terra marique ſæpius irrumpunt. Interim pernicioſa peſtis orbem pervaſit, quæ ex Æthiopia orta, per Annos 15. terras propè omnes exhauſit, proveniſſe ex infelicibus Galli auſpiciis viſa eſt, ut qui proditione imperium arripuiſſet, Chriſtiani etiam dogmatis hoſtis erat. Ita Imperium Galli infauſtum, rerum geſtarum monimentis obſcurum, clade generis humani memoriæ traditum eſt. Hic cùm adverſus Æmilianum, in Mœſia Imperatorem factum, proficiſcitur, prælio victus, à ſuis militibus unà cum filio Voluſiano Interamniæ, in Italia, occiditur, A. C. 254. Ann. nat. 47. imperavit Ann. 2. Pom. Læt. Bap. Egnat. Eutrop. *l.* 9. Oroſ. *l.* 7. *c.* 21. Aur. Victor. *de Cæſar.* Zoſim. Euſeb. *Caſſiod.*

GALLUS Milo, Abbas, floruit A. C. 888. Poëmatis, de ſobrietate, Carolo Calvo dedicati, auctor. Scripſit etiam vitam S. Amandi, Voſſ. *de P. L.*

GALLUS Montanus, al. *Urogallus*, vide *Urus.*

GALLUS, prænom. *Publius*, eques Rom. quòd Fenio Rufo intimus, & L. Veteri Aſiæ Proconſuli non alienus fuerat, aquâ & igni prohibitus eſt. Tacit. Ann. *l.* 6. *c.* 12.

GALLUS Sulpitius, Romanorum primus, qui Solis, & Lunæ defectus deprehendit. Vide *Sulpitius.*

GALLUS *Tanagræus*, vide *Tanagra.* Dicitur autem hæc domeſtica volucris ita, ἀπὸ τῦ κάλλυς, Iſid. aliis à caſtratione, quòd tales erant *Galli*, Cybeles Sacerdotes; vel, quòd criſtam habent in capite, *galeæ*, ſimilem: notæ pugnacitatis avis domeſtica, è Perſide primùm in alias regiones pervenit, teſte Athen. *l.* 9. *p.* 374. nec magni ſolùm uſus in auguriis fuit, de quo infrà, ut & in voce *Pullarii*: ſed etiam Marti ſacer, imò apud Syros olim divinos honores meruit, teſte Lucian. *l.* 16. *de Dea Syra.* Hinc eorum cantus inter optimi eventus ſigna numerata Auguribus: & in Onirocritice ſeditiones ac pugnas denotare crediti ſunt. Certè pugnax, ut dictum, animal eſt, Plin. *l.* 10. *c.* 21. *regnumque, in quacunque eſt domo, exercet. Statim in victoria canunt, ſeque ipſi principes teſtantur æque ſuperbus graditur arduâ cervice, criſtis celſus, ac veluti radiatâ coronâ inſignis.* A qua tiara etiam ſeu criſta recta capitis, abſolutè dicebatur Græcis Μῆδος, quamvis non eſſet Medici generis, & Περσικὸς ὄρνις, *Avis Perſica*, Salmaſ. *ad Solin. p.* 872. Vide quoque infrà in voce *Tiara.* Hinc *gallum* antiquitas caſſidi Minervæ impoſuit, cujus proin conus propriè ἀλεκτορὶς appellatus eſt, teſte Pauſ. *l.* 6. Plutarch. quoque tradit, Cari illi, qui Cyrum vulneraverat, Artaxerxem inter alia facultatem & jus geſtandi *aurei galli* ſuper lancea, ante ordines, conceſſiſſe, in *Vita* ejus: additque, Perſas Caribus indidiſſe *gallorum* nomen, propter criſtas ex avis hujus pennis, quibus galearum ſummitates ornare ſunt ſoliti. Quemadmodum hodieque effigies ejus aſpicitur non raro coronæ comes. C. Paſchal. *Cor. l.* 10. *c.* 16. Ob eandem cauſam, ſequiori ævo in fines hoſticos, à bellum indicentibus, immitti ſolitum, obſervat C. Barth. *ad Stat. Theb. l.* 4. *v.* 6. Quò facit porro, quòd culeo cum parricida ſequentibus temporibus *gallum* canemque includi voluit Conſtantinus Imp. cùm antea jam ſimia, & ante ſimiam ſerpens ei comes additus eſſet, Conr. Ritterſhuſius apud Dempſter. *Paralip. in Joh. Roſin. Antqq. l.* 8. *c.* 24. 26. 29. & 34. Quodque Laërtius *l.* 2. gallinaceos tonſoris Midæ adverſis Calliæ pennis ac roſtro, ſpectante Socrate, pugnaſſe refert. Imò erat públicum Athenis certamen, ubi in theatro committebantur, ex lege: Ἀλεκτρυόνας ἀγωνίζεσθαι δημοσίᾳ ἐν τῷ θεάτρῳ μιᾶς ἡμέρας τῦ ἔτους, *Galli gallinacei publicè committuntur in Theatro, uno quotannis die.* Meminit legis Ælian. *Var. l.* 2. *c.* 28. Convocabatur itaque populus, in his juvenes præcipuè, ad ſpectandum: at priùs Laniſtæ, quos avium vocat Columella, *Gallos* condocefaciebant ad pugnam, ut liquet ex Æſchine ἐν τῷ κατὰ Τιμάρχου; & Platone *de Legibus l.* 7. Erantque hi ludi Laniſtarum in Sciro; nam fuiſſe ἐν τῷ Κυβείῳ teſtis eſt modò memoratus Æſchines: at verò τὸ Κυβεῖον in Sciro erat: ἐν τῷ Σκίρῳ διατριβὴν ἔχουσιν οἱ κυβεύοντες, inquiunt vett. Magiſtri. Pugna autem & commiſſio *Gallorum* fiebat in pegmate quadrangulari, victoremque victor ſequebatur. Hinc Ariſtoph. *Avibus*,

ΘΕ. Ὄρνις ἔγωγε δῦλος. Ευ. ἡττήθης τινὸς
Ἀλεκτρυόνος.

Ubi Græcus Interpres, φυσικὸν, inquit, τῦτο ἐν ταῖς συμβολαῖς τῶν ἀλεκτρυόνων, τὰς ἡττηθέντας ἕπεσθαι νενικηκόσι, *naturale h. e. in pugnis gallorum, ut victus victorem ſequatur.* Lata hæc lex poſt bellum Perſicum, teſte præfato Æliano, & cauſam præbuit gallinaceorum pugna, quæ Athenienſibes, cùm, Duce Themiſtocle, arma inferrent Barbaris, oblata eſt: Fuit quippe illis exemplo ac incitamento ad fortitudinem, quod imitari quoque poſteros voluêre, ut fortiter paterentur: atque in hunc finem laudat & probat id Solon apud Lucian. περὶ Γυμνασίων. Sed & Pergamenis idem ſpectaculum quotannis publicè exhibitum docet Voſſ. *de Idol. l.* 3. *c.* 80. Etiam Romanis in uſu hoc delectationis genus, ſi non publicè, privatim ſaltem, fuiſſe, conſtat ex Plutarch. *in Anton.* Πολλάκις δὲ συμβαλόντων ἀλεκτρυόνας πολλάκις δὲ μαχίμυς ὄρτυγας οἱ Καίσαρος, *Sæpius autem commiſſis gallis, ſæpius pugnacibus coturnicibus, victores fuere Cæſaris.* Quo pacto Fr. Mendozam Ducem Hiſpanum celebrem, belli eventum inter Principem Mauritium & Archiducem Albertum fluctuantis auguratum fuiſſe, in Hiſtoria Belgica legimus: Is enim prælio ad Nauportum, ſub initium hujus ſeculi, à Mauritio captus, ut tædium cuſtodiæ leniret, certamen duorum gallorum, quos Alberti ac Mauritii nominibus inſigniverat, inſtituit, cumque Mauritius prævaleret, utrumque incluſum & ſaginatum per dies aliquot, rurſus mutatis nominibus commiſit, ubi qui ſub Alberti nomine prius victus fuerat, Mauritii nomine impoſito, victor evaſit. Reidan. *Ann. l.* 18. In Anglia verò hodièque publicâ ſolennitate, non minùs ac Athenis olim, ſponſionibus inſuper ingentibus, ac dignâ ſpectaculo coronâ, pugnacis hujus alitis prælia viſuntur. Qua de re noti hendecaſyllabi Joh. Barclaji *Poëm. l.* 2. quibus titulus: *Pugna Gallorum gallinaceorum, cui Rex interfuit*; quòd carmen, cùm prolixum ſatis, ea ſaltem quæ ad locum certaminis & apparatum athletarum horum ſpectant, adpono:

Eſt parvus locus editus columnis,
Ductus artifici manu in capacem
Et certaminis & cruoris orbem;
Sævis area bellicoſa Gallis.
Non illic bibulam ingerunt arenam,
Quæ tot vulnera, ſanguinemque celet.
Flava ſtramina textilique nodo
Arcta, huic aptiùs inulere campo,
Qui veſtigia nec profunda tardet,
Nec curſus malè fallat incitatos.
Circum (nam populi hic graves locantur)
Aſcendunt gradibus theatra curvis.
Quò poſtquam vario corona diſcors
Conſedit ſtudio, & Diis vocatis
Ritè quiſque ſuæ eſt avi precatus,
Galli de gemina eruti latebra,
Cum luce horridulum intuentur hoſtem.
Scires ex habitu diu eruditos
Athletas ſolito introire campo.
Nam criſtæ decus & genas rubentes,
Doctâ forcipe perdidere cauti;
Ne quà figere roſtra poſſit hoſtis,
Et prædam nimio obtinere morſu.
Falcatæ quoque nulla pompa caudæ,
Ne certamine rupta ſub calenti
Sit fallax mora cruribùs citatis &c.

Sic autem pugnaturis animos faciebant Vett. ab allii eſu: unde ſκοροδισμένος, pro *forti & animoſo*, ipſique σκόρδαλοι inde dicti, quam vocem Petron. Latio intulit, pro *audaci*, ut diſcimus ex Salmaſ. eodem *ad Solin. p.* 1286. Plura de hac gallinacea palæſtra, vide apud Sam. Petit. *Comm. in LL. Attic. l.* 1. *tit.* 1. *p.* 84. Atque hæc quoque pugnacitas porrò cauſa, cur Idomeneo pro inſigni placuerit, cujus ſtatuam cum ſcuto ſic Olympiæ ſpectatam olim, Pauſ. *tradit. l.* 5. nec alia Marti victima gratior fuerit habita, apud Lacedæmonios, quos ſi Dux fortiter dimicaſſet, magnaque hoſtium clade viciſſet, hac victimâ litare victorem voluiſſe, refert Alexander Neapol. *Genial. Dier. l.* 1. *c.* 22. Cæterùm ut frater amatus à Pythagora *gallus candidus*, teſte Plutarch. in *Numa*, à ſectatoribus ejus pro Numine quoque habitus eſt, ut idem habet *Sympoſ. l.* 4. *quæſt.* 5. Ipſe apud alios Æſculapio, Menſi, vide infrà *Menſi* Solique ſacer: & Vett. ad ſuperſtitionem non unam adhibitus. Inter quos *Alectryomantia*, h. e. divinatione è gallis, cùm Jamblichum ſcrutatum eſſe, de Imp. ſucceſſoro, Valens Cæſar reſciviſſit, foveam ipſi ante obitum paraſſe, & omnes conſcios aut ſuſpectos necaviſſe legitur, apud Socrat. *Hiſt. Eccl. l.* 4. *c.* 29. Sozomen *l.* 6. *c.* 35. Nicephor. Zonar. Alios. Imò & inferna lia ſacra Gentilium, quos animis Poëtarum Regumque evocandis *gallos* mactare conſueviſſe, docet Æn. Gazæus *Theophraſto*; ut de quoque Barth. *Comm. Superſtitionum.* De ſuperſtitione Judæorum in feſto Propitiationis *gallum* mactantium alibi. Apud Chriſtianos verò, *gallus gallinaceus*, in ſummis ædium faſtigiis & templorum obeliſcis ex ære imponitur, caudâ latiore, quam ventus, qui flat, verberans & impellens, roſtrum adverſus ſe conſiſtere cogit, Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 1246. tum ut flantem indicet ventum, tum præcipuè, ut imagine hac in Templorum apice excubante, moneantur Epp. Chriſtiani gregis, vigilandum eſſe pro commiſſis ſibi ovibus: nota enim avis hujus vigilantia, de qua egregiè differentem adi Ambroſ. *Hexaëmeri l.* 5. plura verò de illa vide apud Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 80. & 86. Sam. Bochart. *Hierozoici Parte priore l.* 1. *c.* 16. ubi inter alia Hebræorum nonnullos à Cuthæis, de quibus 2. Reg. *c.* 17. *v.* 30. nomine *Nergal*, gallum cultum eſſe, aſſerentes, eruditè refellit, alios. Apud Romanos, qui gallos, capos, gallinas curaret ſervus, *Gallinarius* dictus eſt, de quo vide Varron. *de R. R. l.* 3. *c.* 9. uti de gemina hinc dicta ſuprà in voce *Alectoria.*

GALLUS, Phrygiæ fluv. imò & Bithyniæ ex Celænis montibus oriens, ac in Sangarium influens. *Garippo*, Ferr. Cujus tam admi…

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

randa eſt natura, ut parcè potus, & celebrum purget, & inſaniam tollat, contrà largius hauſtus lymphaticos reddat. Plin. *l.* 5. *c.* 32. *l.* 6. *c.* 1. Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 361.

Inter, ait, viridem Cybelen, altaſque Celænas,
Amnis it inſana, nomine Gallus, aqua.

GALMARI Fanum, opp. Comit. Foreſtii, vulgo *St. Galmier*, in ejus ſuburbio videtur fons aluminoſus, *Font ſoule* vulgò Merula, *Joh. Matal. Metell.*

GALMODROESI, Aſiatica gens, ultra Gangem *Ptol.*

GALNABIS vel GALNAPE, læna, ſtragulum villoſum, apud Smaragdum alioſque citimæ ætatis Scriptores: an à *galbanum*, an à *gaunape*, voce detortâ, C. du Freſne *Gloſſ.*

GALO, Cardin. A. C. 1208. ab Innoc. III. contra Albigenſes miſſus. Item Ep. Pariſienſis, Obiit A. C. 1114. Vide de utroque Morerii *Dict. Hiſt.*

GALONUS Matthæus, vide *Matthæus.*

GALOPES, Arabiæ Felicis pop. *Plin.*

GALOPUS, Gallica vox, ex Græcorum κάλπα, quæ *curſum* denotat, orta: ut enim à voce κάλπα verbum καλπάζειν & καλπᾶν: quod eſt *currere*; ſic Latini *calpare* dixêrunt, vel *calupare*, ab eadem. Atque deinde Gallorum *galopare*, pro *currere* de equis. Differebat tamen currendi modus ille, quem Græci κάλπαν vocant, & quem Galli appellant *galopum*. Græcorum enim κάλπα curſus eſt, quem iidem *trotum* vulgò nuncupant; qui medius eſt inter *galopum* & *paſſum* ut loquuntur &c. Salmaſ. *ad Capitolin. in Maximinis.* Vide ſuprà in voce *Calpare.*

GALORUM Galatiæ urbs. Ptol. *Garipo* Moletio, opp. Paphlagoniæ, in ora maris Euxini, apud Halys fluv. oſtia.

GALSONTA, vel GALESVINTA, ſoror Brunehildis, filia Athanagildi, Gothorum Regis in Hiſ. Chilperici I. uxor, Ariana primo, dein mariti diligentia converſa eſt, conjugio ſatis felici uſa, donec id impurus Fregedondes amor turbaret. De quo ſæpe conqueſta Galſonta, veniam redeundi in Patriam fruſtra rogavit, paulo pòſt in lecto ſtrangulata, Gregor. Turon. *l.* 4.

GALVANUS Flama, Jacobinus, Mediolan. A.C. 1340. auctor Chronici Impp. & urbis Mediol. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 64.

GALVIA, vide *Calvia.*

GALUMNA, apud Thietfridum Epternac. *in Floribus Epitaph. SS. l.* 3. *c.* 4. capitis operculum eſt, ex Græco κάλυμμα. C. du Freſne *d. l.*

GALVUS Caſſeta, vel Salvus Caſſeta, Gen. Jacobinorum ſec. 15. æſtimatus inter ſuos. Obiit A. C. 1483. Leand. Alb. *de Vir. Ill. Ord. Prædic.*

GALYBA, Africæ Propriæ urbs. *Ptol.*

GAMACHA Gall. *Gamache*, pedulis lanei ſpecies, ſuperiorem etiam pedis partem tegens: Occitanis *garamacho*. An ex *campagus*? Idem. Vide ubi de *Campago.*

GAMÆA, vide ſuprà *Achates gemma*, & *Camia.*

GAMALA vel GAMELA, urbs, & arx Palæſtinæ in Gaulonitide reg. validiſſima fuit, in tribu Manaſſe, ac loci naturâ inexpugnabilis, ſita in alto, petroſo, & undique præcipiti monte. Joſeph. *Antiqq. l.* 4. ad lacum Semochonitidem, contra Tarichæas, à terra abſorpta, teſte Plin. *l.* 2. *c.* 101. & *l.* 5. *c.* 13.

GAMALA, vel GAMALE, adde: à *camelo* nomen habere, refert Joſeph. *l.* 4. *de Bello*, ubi ait, *Gamalon* montem & urbem εἰκασθῆναι καμήλῳ ὃ χῆνω, παρ' ὃ ὠνόμασαι, *Cameli ſpeciem habere, unde ei nomen.* Camelus enim Hebr. גמל *gamal* dicitur, *Bochart.*

GAMALA, in Cœleſyria. Fortè *Gabala.*

GAMALIBA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

GAMALIEL, fil. Phadaſſur, Princeps tribûs Manaſſis. Num. *c.* 1. *v.* 10. Item Phariſæus quidam, Præceptor D. Pauli Act. *c.* 22. *v.* 3. in Concil. Judæorum, Apoſtolorumque cauſam tuitus, Act. *c.* 5. *v.* 34. maximæ inter ſuos Famæ. Ad Chriſtianiſmum acceſſiſſe eum quidam volunt, aliis contrarium probantibus. Vide Marcellin. *in Chron.* Niceph. *l.* 14. Faucheur *Serm. in Act. c.* 5. Lat. *retributio Dei.*

GAMALIEL I. ſeu Senior, fil. Simeonis filii Hillelis, juſſit ante obitum ſuum, ut efferrent ipſum cum veſtibus lineis, cùm antea mortuos extuliſſent cum veſtibus ſericis, ut tradunt Magiſtri. Nonnullis idem cum prædicto præceptore Pauli, quos refutat Vorſtius *Obſerv. ad Chronologiam R. Ganz.*

GAMALIEL II. fil. R. Simeonis, nepos prioris.

GAMALIEL III. fil. R. Jehudæ Principis: de quibus vide eundem R. Dav. Ganz *Chronol. Rer. & Rabbinorum ſub Templo II.* ad A. C. 768. 833. & 979.

GAMALIELUS Patriarcha, memoratus Marcello Empir. *c.* 23. & Honorio *l.* 22. *Cod. Theod. de Judæis, Cælicolis & Samarit. Quoniam* Gamalielus *exiſtimavit, ſe poſſe impunè delinquere, quod magis eſt erectus faſtigio dignitatum* &c. honorariæ enim præfecturæ codicillos ab Imp. obtinuerat; Judæorum fuit Patriarcha, ut videre eſt apud Salmaſ. *ad Vopiſc. in Saturn.* non paganorum, ut contendit Caſaub. *ad eund.*

GAMANODURUM, Norici urbs Ptol. Quibuſd. *Lamerding.* opp. dit. Salisburg. ad fontes fluv *Ens*, in confin. Auſtr. Aliis *Judenburg*, opp. Stiriæ ſuper. ad Muram amnem. *Baudr.*

GAMAPIUM, vel US, vicus Galliæ, in Veliocaſſibus Normannis, trans Ittam fluv. inter Dangutum ac Sterpiniacum, *Eſtrepigni*, vulgò *Gamache en Veuxin.* Item locus ad Aucum fluv. inter Blangiacum, & Aucum opp. in pago Vinemaco, diœceſique Ambianenſi, cum tit. Marchiæ: *Gemache en Vimeu.* Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

GAMAPIUS vicus, *Genape*, caſtrum munitum Brabantiæ, ad fontes Dilæ fluv. 2. leuc. à Nivigella in Ort. 3. à Gemblaco in Occ. 3. à Bruxellis in Auſtr. Sub Hiſp.

GAMARGA, Mediæ regiuncula. *Diod. Sic.*

GAMARIAS, fil. Helciæ. Jer. *c.* 29. *v.* 3. Fil. item Saphan. ſcribæ. Jer. *c.* 36. *v.* 11.

CAMARINGA, vulgò *Gemar*, pagus Alſatiæ, apud Seleſtadium cujus in diplom. Caroli Mag. mentio.

GAMAXUS, exiguæ partis Indorum Rex, quia Barzaënti defectionis Arachoſiis authori ſe conjunxerat, ad Alex. Mag. vinctus adductus eſt.

GAMBARA Laurentius, vide *Laurentius.*

GAMBARONIUM, opp. Italiæ; in Præfectura Locarnenſi, ad Verbani littus mer. Habet Subpræfectum, quem *Poteſtatem* vocant, à quo civiles cauſæ judicantur. Simler. *Deſcr. Helv.*

GAMBESO, cento, centunculus, *Thoracomachus*, veſtimentum coactile, ex coactili lana confectum, ſeu, *veſtimentum, quod de coactili lana ad menſuram & tutelam corporis humani conficitur, de mollibus lanis, ut hoc inducta primum lorica vel clibanus, aut his ſimilia, fragilitatem corporis ponderis aſperitate non lædere, ut* ait Anon. *de Rebus Bell. Notitiæ Imp.* ſubjectus. *Subarmale* appellatum quidam volunt; nec fortè alia *Chlamys cannabina*, in *Ep.* Juliani Propræfecti prov. Britanniæ, ad Simmam Solennem, in vet. marmore, haud pridem detecto in Bojocaſſibus, apud C. du Freſne *Gloſſ.* Apud Roger. Hovedenum *Wambaſium* dicitur, an ex Saxon. *Wamb.* i.e. *venter*, quaſi *ventris pectoriſque tegmen*, quod Germani *Wambis* vocant. Id. vide & ſuprà, *Aketon*, ac infrà *Thorax.*

GAMBIA, fluv. notiſſimus Nigritiæ, ſeu veriùs unus ex tribus ramis præc. Nigri fluv. verſus prom. Viride, in Ocean. Atlanticum ſe exonerans. Ei adjacet regn. Gambea; longè ab ora in Ort.

GAMBREJUM, Joniæ urbs. *Steph.*

GAMBREVES, Æthiopiæ ſub Ægypto opp. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

GAMBRIVII, Germaniæ pop. Tac. de moribus & pop. Germ. *c.* 2. *Hamburgers Peucero.*

GAMEUA, Phrygiæ maj. urbs. *Ptol.*

GAMELIA Juno, & *Gamelius* Jupiter, quòd nuptiis præeſſent. *Plutarch.*

GAMELIA, feſta nuptiarum apud Græcos in menſe Gamelione, in quo Juno *Gamelia* culta eſt.

GAMELIUM, Græcè Γαμήλιον, carminis genus, idem cum Epithalamio, à voce γάμος, i. e. *nuptiæ*, vel à verbo γαμεῖν, i. e. *generare.* Vide ſuprà ubi de *Epithalamio.* Sed &, cum Veteribus ante nuptias ſacrificare mos fuerit, ſacrificium id Γαμήλια, aliter προγάμεια & προτέλεια, Lycophroni γαμήλιοι θυηλαὶ, dictum eſt quod Junoni, Veneri & Gratiis fieri conſueviſſe, docet *Etymologici* Auctor, ubi tamen Γαμηλίαν τὴν εἰς τοὺς φράτορας εἰσαγωγὴν ..., *inſcriptionem in album* τῶν φρατόρων, exponit, feſtumque hoc ab iis, qui jam nuptiis apti erant, οἱ μέλλοντες γαμεῖν, civibus ſuis exhibitum, docet. Vide Joh. Meurſ. *Comm. in Lycophr.* & ſuprà, ubi de *Ephebis.*

GAMELUM, inter machinas jaculatorias, memoratur Sanuto *l.* 2. *part.* 4. *c.* 22.

GAMMACE, Arachoſiæ regionis opp. *Ptol.*

GAMMADIUM, quòd ad ſpeciem literæ Γ. formatum, Trigonus: veſtimentum Eccleſiæ, fortè ut ex trigoni forma SS. Trinitatem innuerent: quam tamen Δ. Litera expreſſius redderet. Vide Anaſtaſ. Biblioth. *in Leone III. IV. & Benedicto III.* Judiciale ſceptrum τοῦ μεγάλου Μυρεψοῦ apud Codin. ſupern: erat ex auro fuſo, in ſpeciem Γ. literæ, propterea γαμμάτιον dictum. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.* Salmaſ. *gammadiones* dictas eſſe veſtes γαμμαδίοις, h. e. *gammis* literis diſtinctas, docet *ad Treb. Pollion. in Claud.* Sic Dominico Macro, *Gammadia* eſt veſtis ſacra cum figuris in forma literæ Græcæ Γ. contexta, qua Latinos olim uſos eſſe, ex muſivis & antiquis Romæ picturis: nunc in planetis uti Græcos Epiſcopos, tradit. Vide ſuprà in voce *Caſula*, C. du Freſne, quid *Gammadium* propriè fuerit, ex Scriptoribus ægrè percipi poſſe, cenſet. Sed & *gamma* Latinis, aliter *coxa, verſura, cubitus*, Græcis ἐπιστροφὴ, dicitur in fluviis, ubi amnis à recto curſu, quem priùs inſtiterat, deflectitur ac curvatur, Salmaſ. idem *ad Solin. p.* 622. quòd viz. literæ hujus curvaturam imitetur iſtiuſmodi aquarum flexus &c.

GAMPHASANTES, Æthiopiæ pop. Mela *l.* 1. nudi ſunt armorumque omnium ignari, nec vitare ſciunt tela, nec jacere, ideoque obvios fugiunt: neque aliorum quàm quibus idem ingenium eſt, aut congreſſus, aut colloquia patiuntur.

GAMUL, nomen viri. 1. Par. *c.* 24. *v.* 17. i.e. *retributio*, ſive *ablactatio.*

GAMUNDIUM, quaſi *Gaudium mundi*, *Caſtellazzo*, opp. amplum Liguriæ, in agro Alexandr. ad Bormiam fluv. ab Alexandria 4. mill: paſſ. unus ex 4. locis, è quibus Alexandria coaluit.

GAMZO. nomen urbis. 2. Par. c. 28. *v.* 18. Lat. *iſte ſcirpus*, vel *juncus iſte.*

GANACIA, opp. prov. Pictavienſis inſ. in confin. Britanniæ min. 3. leuc. ab ora littor. Oceani Aquit. in Ort.

GANDA, primùm memorata Baudemundo, auctori *l. de Vita S. Amandi, Ep. Trajectenſis*, ubi ait, Gandenſes feroces ac barbaros arborum ſimulacrorumque cultores, partim volentes, partim invitos, ab illo, fano Mercurii deſtructo, baptizatos eſſe. Monaſt. Blandinio, in caſtro veteri *Ganda*, condito: urbs Flandriæ princeps eſt, ad Scaldis & Lætiæ confluentes, vulgò *Gent* incolis, Gallis *Gand*: ſedes Ep. ante A.C. 113. Poſtea *Gandavum* dici cœpit: Hinc Rigordo *opp. opulentiſſimum Gandavum*, &c. Olim Brabantiæ attributa eſt, ut è literis Caroli Mag. & Ludovici Pii patet unde colligere eſt, Flandriam non tam latè olim ac nunc patuiſſe. Caput eſt pagi Gandavenſis. Gall. *le Gantois*, vel *le Gandois*: cui contributæ atque ſubjectæ ſunt cum tota Waſia *le pais de Waes*, quatuor villæ, oppidorum nomine dignæ, vulgo quatuor Miniſteria, *les Quatre Meſtiers*, dicta: *Aſneibe* vulgò dicta Ameda, Bocholtum *Bochout*, Axla *Axel*, & Hulſta *Hulſt*. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* & infrà in voce *Gandavum.*

GANDARA, gens Indorum, pop. *Gandarii* dicuntur, & regio *Gandarica.* Steph. A *fortitudine* ſic dicti videntur: Heſych. Γάνδαρος ὁ Ταυροκεράστης παρ' Ἰνδοῖς. Neſcio quare Gandaros cornutos faciat Salmaſ. legendo Ταυροκέρως. Gandaros an taurum olim

Indis ſignificaverit, viderint alii; noſtro ſeculo *Ganda* illis eſt Rhinoceros. Et hoc verò ſimilius, ſi ab animali ipſis nomen acceſſerit, à *Rhinocerotum multitudine* ſic dictos. Iſ. Voſſ. Vide *Candari.*

GANDAVENSIS Agger, arx probè munita Flandriæ, ſub Hollandis ab A. C. 1644. cum portu capaci, 4. leuc. à Gandavo in Ort. Fruſtra à Gallis tentata, A.C. 1672. Vulgò *Tzas van Ghendt.*

GANDAVENSIS Henricus, vide *Henricus.*

GANDAVENSIS Matthæus, vide *Matthæus.*

GANDAVUM, vulgò GAND, Flandriæ metropolis, ac totius penè orbis inter urbes miraculum, in immenſam magnitudinem ſuis viribus paulatim excrevit. Cum arce munita, & Hiſp. præſidio. coluêre eam primùm *Gondunt*, ſive *Gunduni*, veteres Neraciorum clientes; deinde Romani, quos Jul. Cæſarem hîc primùm collocaſſe, conſtanti Annalium fide traditur. His poſtremò acceſſêre Germani, quorum pars maxima Saxones, quos ad 60. millia Carolus Magnus in hanc Belgicæ partem traduxit. Urbs eſt non amplitudine ſolùm, & dignitate, ſed amœnitate quâdam loci, conſpicua. Tria milliaria Germanica in ambitu continet. Hîc celebris illa pacificatio, ab urbe *Gandavenſis* dicta, inter Naſſavianas Belgarum gentes, & Brabantos, Flandros, Atrebates, Hænovios, alioſque, exceptis Luxemburgicis, inita eſt, A. C. 1576. quâ cautum, obliteratâ offenſionum memoriâ, ne quis ſuper religione interrogaretur, neu rata eſſent judicia, quæ ejus rei ante facta eſſent, &c. Fœderi quoque Friſii mox acceſſêre. Hinc dejectis paſſim arcibus ſervitus excuſſa, fœduſque pòſt Bruxellæ initum, & belli ſocietas contra Hiſpanos juramento firmata eſt. Gandavenſes poſt hæc A. C. 1578. concitore Imbiſio, Romanos Ceremonias cum ſacerdotibus urbe exegêrunt; hancque munire cœpêrunt: milite conſcripto. Poſt Parmenſes dein in Belgium adventum, cùm variæ gentes obſequium reſumerent, Gandavenſes fœderi Trajectino accedentes, Arauſionenſem intra urbem accepêrunt, A. C. 1579. Cum Parmenſi dein venêre ad colloquia, per legatos, inducias, obſides, ſed urbem ſervavit parum diſſimulatâ Imbiſii perfidiâ: qui proin capite plexus eſt, A. C. 1584. Arauſionenſi tandem per ſicarium ſublato, Gandavenſes, quòd Hollandorum arma alibi occupabantur, nullâ ſpe auxilii, imminentem neceſſitatem feſtinâ pactione prævenientes, dedidêrunt ſe Parmenſi, qui priorum gnarus, & in poſterum providens, arcem repoſuit: quam Carolus V. cervicibus incolarum impoſuerat A. C. 1538. ob mobilem admodum illorum fidem. Vide Hug. Grot. *Annal. Belg.* Sunt in hac urbe 20. pontes, quorum multi 3. fulciuntur fornicibus, plurimi duobus, naveſque maximas ſubmittunt. Molæ ventis agitatæ plures, templa parœciarum habet 7. Abbatias, 5. Canonicorum Collegiata Sodalitia 2. Monaſteria 25. Publica peregrinorum Xenodochia 7. Noſocomium unum ampliſſimum, & ditiſſimum. Gerontotrophia utriuſque ſexûs 10. Pædotrophia, ubi etiam expoſiti infantes aluntur 2. Furioſorum ergaſtula 2. Xenodochium leproſorum unum. A Scaldi, Liſa & Liva fluv. alluitur, Eraſ. *Ep.* Guicciard. Ep. hîc inſtitutus à Paulo IV. A. C. 1559. rogatu Philippi II. & quidem primus Ep. Cornelius Janſenius fuit. Templum porrò S. Bavonis ingens, & opulentum, Aula Principis 365. cubiculorum, cunæ Caroli V. Belfortia turris celſiſſima, in cujus apice Draco ex cupro inauratus, à Com. Balduino Conſtantinopoli allatus, &c. ſuprà dictis addi poſſunt. Vide Sander. *Fland. Illuſtr.* Marchantium, Gramæum, Mayerum, Morerium, &c. Ut & ſuprà in *Ganda.* Deficit indies Baudr. Addo, quod Vicecomitatus Gandavenſis, Meluniæ ſeu Melodunenſi Familiæ illatus in illa aliquandiu hæſit. Cùm enim ſtirps hæc celebris in duos abiiſſet ramos, genitis ex Joh. Vicecomite *de Melun* & Johanna *de Tancarville* Joh. & Iſabella *de Antoing*, Hugone: ab illo Comites *de Tancarvilie* & reliqui Vicecomites *de Melun*; ab hoc deſcendêrunt Domini de *Antoing*, quibus Vicecomitatus *Gandavenſis* acceſſit & Principes Spinoji. Et quidem Vicecomites *de Gandavo* ſeu de *Gand* quod attinet, Joh. *de Melun* I. Hugonis I. Dn. *d'Antoing*, ductâ Johannâ *de Abbeville*, genuit Joh. II. patrem, ex Margareta *de Sarbruck*, Hugonis Vicecom. *de Gand*: quo, & Johannâ *de Horn*, filiâ Arnoldi Hermanni Dn. *de Gaesbeck*, genitus Joh. III. *de Melun Vicecomes Gandav.* ex Eliſabetha Waldeccia, filia Philippi, defuncti A.C. 1539. ſuſcepit Maximilianum, rami hujus ultimum: Obiit enim is, ex Anna *Raulin d'Emeries* nullâ prole relictâ. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Part. II. & in Ind.*

GANDERICUS, Rex Vandalorum, dum captâ Hiſpali Bæticæ urbe, templum vellet profanare, mortuus repentè concidit. *Volaterran.*

GANDIA, urbec. regni Valentini, cum Duc. antiquo Gentis Borgiæ, & Acad. à Duce Franciſco Borgia, Gen. poſtmodum Jeſuitarum fundata, in ora maris Medit. & Sinus Valentini, 8. leuc. à Valentia in Auſtr. 6. à Sativa in Ort.

GANDRI, pop. inferioris Aſiæ, quos Plin. *l.* 6. *c.* 16. trans Margianam in Ort. ponit.

GANELO, vide *Wenilo.*

GANEO, apud Eugraph. *in Terent.* Heautont. *Act.* v. *ſc.* 4. *v.* xI. *Helluo eſt invaſor. & qui plurimum conſumit* Ganeo *tabernis operam dans & conviviis turpioribus.* Vett. enim Lat. *ganea* appellabant, quas recentiores *tabernas* dixêre. Donat. *in Adelph. Act.* 3. *ſc.* 3. *v.* 5. *ad illud credo abductum, In ganeum aliquod: Vett.* inquit, *ganeum meritoriam tabernam dixêre,* ἀπὸ τῆς γᾶς τουτέστι τῆς γῆς, *quòd ipſa ſit in terra, non in cœnaculo ſuperius.* In quo fallitur Donat. cùm *ganeum* ſit pura puta vox Græca. Namque illi γάνειον dicunt ſeu γάνος locum voluptuarium, in quo lætæ vitæ homines ventri & libidini vacabant. Γάνος enim *lætitiam* & gaudium etiam dicebant, & γάνυμαι *gaudeo*, Heſych. Unde γανίται homines luxurioſi ac luſtris dediti, nepotes & helluones, qui Latinis *ganeones.* Sic γάνων & κωμάζοντα eundem vocat Dio *in Fragm. apud Urſin de Heliogab.* Strab. eoſdem χαριεντιζομένους vocat, h. e. *genialiter ac voluptuosè viventes* &c. Vide Salmaſ. *ad Spartian. in Hadr.* & ſuprà in voce Copa, infrà *Taberna.*

GANERBII, ſocietas apud Germanos ampla, potens, & antiqua, à nobilium conditione parum diſtat. Ejus origo à tempore, *da das Fauſtrecht im ſchwange gieng*, i. e. cùm vis pro jure eſſet. Tum enim ante factam, & promulgatam legem publicæ pacis, i. e. *dem Landfriden*, cùm paſſim itinera eſſent minus ſecura, & latrones in arcibus, apud ſui generis homines latitarent: alii Nobiles, quibus virtutis quàm rapinæ cura potior, arces ſibi munitas conſtruxêrunt, quibus tuti eſſent; cumque ſuis ſoli viribus niti non poſſent, fraternitates, & confœderationes quaſdam, certis pactis legibuſque contraxêrunt, *den Burgfriden* i. e. pacem caſtrenſem appellatas. Confœderatos autem hos *Ganerbios* vocarunt, quaſi *gemeine Erben*, i. e. communes hæredes, & condominos: quorum unius familiâ extinctâ, ad reliquos confratres portio ejus, quam quiſque, ad locupletandas reditibus arces illas communi ſecuritati deſtinatas, contulerat, rediit. Sed hi ipſi poſtmodum in rapinas mutuaſque injurias verſi, Imperiali Conſtitutione Maximiliani Imp. in Comitiis Auguſtanis A.C. 1500. promulgatâ, ſæpiuſque dein confirmatâ coërceri habuêrunt neceſſe. Arces & munitiones, *die Generbenheuſer*, hæ recenſentur; Arx Rotenburgenſis, non procul à Norimberga, Friburgum in Weteravia, arx Salisburgum ad Salam, in Franconia: Quarum ſingulæ ſuos Burggravios judicis loco, ſuaſque leges, & Regalia: Rotenburgenſis inprimis, quæ ab antiquis Dominis ad coronam Bohemiæ, inde ad El. Palatinum pervenit: reſervato tamen recto domino, Condominos numerat plures quàm 70. Nobiles. Civitates quoque nonnullæ *Ganarbicæ* ſunt: Crucenacum ad El. Palatinum, & Marchion. Badenſem, & Smalcaldia ad Principes olim Hennebergenſes, & Haſſiæ Landgravios pertinentes. Talis quoque Hebron in Sacris literis fuiſſe videtur, vide Conr. Rittershuſ. *in partition. juris feud. l.* 1. *c.* 17. Et de bonis *Ganerbicis*, modo illa adminiſtrandi, renunciatione, aliis, Limnæum *de J. P.* Spelmann. *Gloſſ. Arch.* &c.

GANGA, & GANGITA, Thraciæ amniculus, App. 4. *Civilium.*

GANGÆ, urbs Lyciæ. Scholiaſtes Nicandri in illud Θηρ.

——— Ἀζαλέην καίων ἐγγαγίδα πέτρην.

Τὰς δὲ Γάγγας πόλιν εἶναι τῆς Λυκίας καὶ Γαγγίδα φασίν.

GANGAMA, circa Mœotidem locus. Strab. *l.* 7. *p.* 307. ubi piſces ex glacie effodiuntur, ad Boſporum Cimmerium, ut volunt Xylander & Bonacciolus. Caſaub. non loci, ſed retis genus eſſe mavult.

GANGANI, pop. Hibern. in parte Occ. ubi nunc Comit. Clarenſis, in Connacia. Sanſon. Aliis, ubi nunc Comit. Kerrienſis, in parte Occ. Momoniæ, in confin. Connaciæ.

GANGANORUM, prom. Albionis in ora Walliæ Occ. inter Meneviam urbem & *Abercomwey* opp. Ptol. Quibuſdam eſt *Lheyn.* Aliis *Braichypult point*, prom. in parte Auſtr. Arvoniæ provinciæ, in ora Walliæ, 35. mill. Anglic. à Conovio in Afric. *Baudr.*

GANGARA, regnum Nigritiæ, in parte Or. verſus Nigrum fluv. & Bornum lac. inter regn. Caſſenam ad Occ. & Borni regn. ad Ort. Urbem prim. habet cognom. J. Leo *P.* 7. Auri dives, ſub Rege ſatis abſoluto, cujus equitatus in pretio eſt. Cæterùm arcus, & acinaces militum arma, ut referunt Sanut. *l.* 7. Marmol. *l.* 9. & alii.

GANGARA, Albaniæ opp. *Ptol.*

GANGARIDÆ, pop. inter Aſſyrios, & Indos. Aliis Indiæ pop. circa Gangis fluv. oſtia, ex Ptol. & Diod. Ultra Gangem Curt. ponit, *l.* 9. *c.* 2. & Vibius Sequeſter. Virg. *l.* 3. *Georg. v.* 26.

In foribus pugnam. ———
Gangaridûm *faciam, victoriſque arma Quirini:*

Val. Flacc. Argon. *l.* 6. *v.* 66.

——— *Acies quem Martia circum*
Gangaridûm *potaque Gerus quos efferat undâ.*

Nic. Lloyd.

GANGAVIA, apud Solin. *c.* 20. Ptol. Σκάνδεια, Melæ *Codanonia l.* 3. *c.* 6. Plin. *l.* 4. *c.* 13. & *l.* 8. *c.* 15. *Scandinavia* eſt, vide ibi.

GANGE, urbs Indiæ regia, *Bengala Caſtaldo.* Ad oſtium Gangis fluv. de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 994.

GANGES, fluv. maximus Indiæ ulterioris, illam à citeriori diſterminans, ex Emodis montibus profluens, ac in mer. in Oceanum Indicum exiens, cujus minima latitudo 2. mill. maxima 5. Plin. *l.* 6. *c.* 4. auriferum facit, & cùm Tago, Pado, Hebro, ac Pactolo conjungit, qui omnes auriferi. Eundem gemmiferum facit *l.* ... Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 137.

Nec pulcher Ganges *atque auro turbidus Hermus.*

Nonno χρυσαυγὴς dicitur. Dionyſ. μελανδίνης *nigros habens vortices,* & ἐυρρείτης *pulchrifluus.* Ovid. *Triſt. l.* 5. *Eleg.* 3. *v.* 23.

——— *Lato ſpatiantem flumine* Gangem.

Claud. Carm. 7. de 3. Conſ. Honor. *v.* 205.

Legibus, & famulis Gangen *polleſcere ripis.*

Idem Carm. 17. de Conſ. Mall. Theod. *v.* 236.

Gurgitis immenſum deducit in oſtia Gangen.

Oſtia illa ſeptem facit. Virg. Æn. *l.* 9. *v.* 30.

Ceu ſeptem ſurgens ſedatis amnibus altus
Per tacitum Ganges, *aut pingui flumine Nilus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Negat hoc Strab. *l.* 15. *p.* 702. & 718. ubi de Gange: Μίαν ἐκβολὴν ποιεῖται μέγιστος ὢν τῶν κατὰ τὴν Ἰνδικὴν ποταμῶν. Neque ab Strab. diſſentit Plin. *l.* 2. *c.* 108. *A Gange amne, oſtioque ejus, quo ſe in Eoum Oceanum effundit*, dicturus *oſtiis* ſi plura eſſent. Virg. tamen aſſentiri videtur Propert. *l.* 3. Eleg. 22. *v.* 16.

> *Et quà ſeptenas temperat unda vias.*

Ubi verbum *temperat* reſpondet illis verbis Virg. *ſedatis amnibus Tumidum gurgitem* dat ei Lucan. Civ. Bell. *l.* 2. *v.* 496. *rapiditatem.*

> *Non niſi tumido me gurgite* Ganges
> *Summoveat.*

Idem *l.* 3. *v.* 229. & ſeqq.

> *Movet & Eoos bellorum ſama receſſus*
> *Qua colitur Ganges, toto qui ſolus in orbe*
> *Oſtia naſcenti contraria ſolvere Phœbo*
> *Audet & adverſum fluctus impellit in Eurum.*

Idem *l.* 8. *v.* 227.

> *Qua rapidus* Ganges.

Oppian. Κυνηγ. δ.

> ---- Οὐ τοῖον Γάγγαο ῥόος πέλετ' ἠελίοιο
> Ἰνδὸν ὑπὲρ δάπεδον, Μαρυανδέα λαὸν ἀμείβων,
> Μυκᾶται βρύχημα πελώριον, ὁππότε κρημνῶν
> Ἐκπροθόρῃσι ἐκάλυψε μολὼν δέμας αἰγιαλοῖο.

Nic. Lloydius.

Oritur ex monte Imao, ſeu juxta alios, *Dalanguer*, in confin. Tartariæ, in Tractu *Kakakes*; dein per ditiones M. Mogolis labens, Prayam & Gourum, urbes celebres, rigat, & auctus fluv. Kanda, Perſelio, Semenâ, & Tziotzâ, aliiſque plurimis ejuſdem dit. ibi in ſinum Gaugeticum ſe 5. oſtiis exonerat. In eo anguillæ inuſitatæ magnitud. 30. pedum reperiuntur, Plin. *l.* 9. *c.* 3. Baudr. Ferrar. Malè à quibuſdam cum Phiſone, uno ex 4. Paradiſi fluviis confunditur, ut ex ſupp. colligere eſt, cùm ſcaturigo ejus ab Ephrate, 1200. leuc. diſtet. Sanctitatis quiddam accolæ ei tribuunt, unde quotidie vis hominum, aquis ejus ſe abluentium, quæ etiam à procul diſſitis ad 500. vel 600. leuc. petuntur. Vincent. Blancus, *P.* 1. *de Rel. c.* 22. Linſchot. *c.* 16. Texeira *l.* 1. Torniel & Salian. *in Annal.* Item Ganges Taprobanæ fluv. Ptol. Beroſus *l.* 3. fabulatur, *Gangem* Gomeri filium extitiſſe, atque tantæ corporis ſtaturæ fuiſſe, ut 10. haberet altitudinis cubitos, quique pulchritudine animi, atque ingenii bonitate, ac morum integritate cùm præſtaret, ſimulatque juris & æqui amantiſſimus eſſet, Indorum Rex conſtitutus fuit. Nihilominus tamen à ſubditis iniquiſſimè peremptus eſt, ac non multo pòſt impii parricidæ horrendo ſpectro in dies ſingulos uſque adeò divexabantur, ut ipſos in terram vivos opportuerit infodi, unde tota hæc regio miſerrimâ clade protinus liberata fuit. Flumini Gangi hic nomenclaturam dedit. Addo, de celebri iſto Indiæ fluv. quòd *de captivi Gangis triumpho*, pulchrè Sidon. *in Burgo Leontii*; uti *Gangeticam Bacchi victoriam ebriacis verſibus deſultavit Panopolitanus Pantomimus*, verba ſunt C. Barthii *Animadv. ad Stat. Theb. l.* 12. *v.* 788.

> *Mollia laudabat jam marcidus orgia* Ganges.

Hodieque ſacrum Indis hunc fluv. haberi, ut dictum, multis docent alii quoque *Itiner.* Scriptores, P. de la Valle inprimis *Itin. tom.* IV. & Joh. Baptiſta Tavernier. *Itin. Ind. l.* 10. *c.* 3. Hinc. *Gangites*, apud Plin. *Tribus primis & quinto aquilarum generi inædificatur nido lapis aetites, quem aliqui dixêre* Gangatem, *ad multa remedia utilis*, *nihil igne deperdens*: Strab. Γαγγῖτις λίθος, lapis eſt, quòd in *Gangis* fluminis ripa inveniatur, ſic dictus; cum *gagate* minimè, quod faciunt nonnulli, confundendus, de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 251. ut & ſuprà in voce *Aetites.* Indidem *Gangeticus Sinus*, 600. leuc. Hiſp. longus, 400. latus. *Golfo di Bengala* & *Gangetica tellus* Lucano. Civ. Bell. *l.* 4 *v.* 64.

GANGINES, pop. quorum reg. nunc Guinea, *Ortel.*

GANGITES, lapis ad multa remedia utilis, dictus à fluv. Gange, vide ibi.

GANGRA, urbs Archiep. Paphlagoniæ. Dicunt vett. τὰ Γάγγρα & ἡ Γάγγρα, ut Steph. annotat. Volunt quidam dictam ſic fuiſſe à capra quadam, quæ *Gangra* vocaretur. Alii linguâ Henetorum & Paphlagonum γάγγραν tradunt quamvis capram appellari: unde putat Caſaub. γάγγραιναν morbum proxima quæque ſubito depaſcentem eſſe dictum. Vide 2. Tim. *c.* 2. *v.* 17. Gangram ſi nihil aliud, Synodus Gangrenſis c. Euſtathium Mon. qui Cœlibatum ad ſalutem neceſſarium eſſe, docuerat, ſec. 4. hodieque nobilitat. Huc Dioſcorus, Eutychianiſmo Concilio Chalced. damnato, A. C. 1451. & Timotheus Ælurus Monachus Eutychianus quem populus Alexandriæ ſedi præfecerat; miſſi ſunt exulatum, ille Martiani, hic Leonis Impp. juſſu A. C. 457. Alia in Arabia Fel. Steph. alia item Ponti. Nicetas. Addo, quòd habita fuit præf. Synodus provincialis, per Oſium, ex Hiſpania in Orient. evocatum, à Conſtantino Imp. circa A. C. 319. extantque *Canones* ejus numero XX. in *Codice Canonum* antiquiſſimo *Eccl. Cathol.* uti videre eſt apud Gerh. von Maſtricht, *Hiſt. Jur. Eccl. n.* 25.

GANGUS Sinus, magnus Oceani Eoi, per Sinas latè extenſus, inter prov. Nanchinam, Pechinam, & Xantunam ad Occ. & regnum Coream ad Ort. Luſitanis *Sinus Nanchinenſes*, vide ibi.

GANNASCUS, natione Caninefas, auxiliaris Romanus, & diu meritus, quo duce Chauci, nullâ diſſenſione domi, inferiorem Germaniam incurſavêre. Sed ſtatim adventante Corbulone, & provinciam ingreſſo compoſiti, & Dux exturbatus eſt. Tac. Ann. *l.* 11. *c.* 18. ac mox per immiſſos à Corbulone ſublatus. *c.* 19.

GANNATUM, opp. prov. Borboniæ ad amnem Anchalotum, in confin. Alverniæ, 1. leuc. à Mompenſerio, medium inter Claromontium ad Auſtr. & Molinum ad Bor.

GANNODURUM olim, quæ nunc Conſtantia dicitur. Vide *Conſtantia.* Hujus cives, ſub initia Reformationis, cùm jam ante quædam mutaſſent parumque honeſta contubernia lege vetuiſſent, diſceſſêrunt ab iis, hi qui Canonici dicuntur: Ambroſio Blaurero doctore uſi. A. C. 1523. poſt diſputationem Bernenſem, imagines, & Miſſam abolevêrunt. Cum plurimis aliis poſtea, A. C. 1529. contra decretum Spirenſe proteſtati ſunt. Poſt quæ urbes hæ quatuor Argentoratum, Conſtantia, Memminga, & Lindavium, peculiarem fidei ſuæ confeſſionem, Carolo V. per Caſparum Hedionem Eccleſiæ Argentin. Doctorem exhibuêrunt, A. C. 1530. quam Eccius, & Faber cùm confutare conati eſſent, ſcriptum horum ſub Comitiorum finem, quæ tum Auguſtæ habita, recitari juſſit Imp. cùm Confeſſio publicè audita non fuiſſet. Poſt victos Proteſtantes, Conſtantia ab Hiſpanis tentata eſt clam, A. C. 1548. quod cùm non procederet, proſcripti cives, cùm ſalutis viam viderent nullam, Auſtriacis ſe dedidêrunt; à quibus Præfecto accepto, mox miniſtris Eccleſiæ exilium indictum eſt: Octobris menſe præfati anni. Vide Joh. Sleidan. *Comm. de ſtatu Relig. & Reip. l.* 6. & 21. ut & in voce *Ganodurum.*

GANNUM ſeu GANOS, urbs Thraciæ, in Corpialica prov. Nunc *Gonga.* Inter Redæſtum ad Bor. 15. mill. & Biſanthe ad Auſtr. totidem.

GANODURUM, Helvetiorum civitas ad Rhenum. Ptol. vulgò hodiè *Conſtantia*, *Conſtance.* Aliis eſt *Laufenberga*, ad Rhenum, ſuprà Baſileam. Vide & *Gannodurum.*

GANTUM, oppid. Beneari, 4. mill. à Palo, in Diœc. Laſcurrenſi. Ubi natus Petrus de Marcha, Archiep. Pariſ.

GANYCTOR, nomen viri Tortellio. Naupactius erat & hoſpes Heſiodi, cùm in Locris degeret pater Climeni & Antiphi, qui Heſiodum ob imminutam ſororis pudicitiam immeritò ſuſpectum interfecêrunt. Vide ſuprà *Anthiphus.*

GANYMEDA, nomen Deæ, quam, recentiori nomine *Hebe* dictam, Græcis in cupreſſeto Phlyaſiorum arcis cultam, memorat *Corinthiacis* Pauſ. Vide in voce *Hebe.*

GANYMEDES, Trois fil. puer formoſiſſimus, quem cùm Jupiter deperiret, in Idæ monte venantem ab aquila rapi juſſit, & in cœlum afferri, eumque poculis præfici, repudiato miniſterio Hebes, filiæ Junonis, quæ ante illius raptum miſcendo nectari præerat. Hygin. *id Aſtron. Poetico*, tradit. Ganymeden inter ſidera tranſlatum conficere ſignum illud, quod *Aquarium* vocamus, quòd ejus ſtellæ ſuo ſitu aquam fundentis imaginem referre videantur. Nihil aliud autem per hanc fabulam demonſtrare voluêrunt ſapientes ethnici, teſte Cic. *l.* 2. *Tuſc.* quàm prudentem virum à Deo amari, & illum ſolum proximè accedere ad divinam mentem. Eſt enim Ganymedes anima hominum, quam ob eximiam virtutem Deus ad ſe rapit. Pocula autem Jovi miniſtrare, nihil aliud eſt, quàm Deum mirificè delectari officiis ſapientiæ, quæ ab anima virorum ſapientum procedunt. Porro Ganymedi inſignem corporis pulchritudinem tribuêrunt, non ſolùm, quia vir ſapiens caret ſordibus animi, verùm etiam, quia ſapientiæ tanta eſt pulchritudo, ut, ſi oculis cerni poſſet, mirificos ſui amores in animis hominum excitaret. Dicitur etiam ab aquila raptus in cœlum fuiſſe propter perſpicacitatem, atque ab ipſo Jove in aquilam verſum, quòd adjutor ſit Deus ad ſapientiam. Obſcœna autem & turpia, quæ ab impuris quibuſdam poëtis & pictoribus de Ganymede ficta ſunt, procul amovenda ab adoleſcentum oculis, & auribus boni omnes neceſſarium eſſe judicant. Horat. *l.* 3. Carm. od. 20. ſub calcem.

> *Qualis aut Nireus fuit, aut aquoſa*
> *Raptus ab Ida.*

Idem, *l.* 4. Carm. Od 4. initio.

> *Qualem miniſtrum fulminis alitem,*
> *Cui rex Deorum regnum in aves vagas*
> *Permiſit, expertus fidelem*
> *Jupiter in* Ganymede *flavo.*

Ab Homero ἀντίθεος dicitur, h. e. *par Deo.* Item ξανθὸς, *flavus.* Ἀγακλυτὸν eum vocat Qu. Calaber *l.* 8. Χαροπὸν *gratum aſpectu*, vel *fulvum* Theocritus *Idyl.* 12. & Οἰνοχοόν, h. e. *pincernam*, *Idyll.* 15. Nonno *in Baſſaricis*, Τρώιος βουκόλος, εὐχαίτης, ἠϊθεος, δρυσὶς Διὸς κυπέλλων, & ἱμερόεις dicitur *Regius puer* vocatur Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 252. *Puer Idæus* Ovid. *Faſt. l.* 2. *v.* 145. *Phryx puer* eidem *Faſt. l.* 4. *v.* 220. ac *Iliacus puer*, *Triſt. l.* 2. *v.* 406. Juv. Sat. 13. *l.* 5. *v.* 43. *Sangaricus puer* autem Stat. *l.* 3. *Sylv.* 3. *v.* 41. Hinc pro pincerna quovis uſurpatur, ut *Gætulus Ganymedes* pro Afro pocillatore apud Juv. Sat. 5. *l.* 1. *v.* 59. Sat. 9. *l.* 3. *v.* 22. & Mart. *l.* 2. Epigr. 43. cujus epigraphe in Candidum *v.* 22. & *l.* 13. & *v.* 43.

> *At mihi ſuccurrit pro* Ganymede *manus.*

H. e. ipſe mihimet potum præbeo. Nic. Lloydius. Voſſ. qui *Ganymeden* Jupiter rapuit, Tantalus fuit Phrygiæ ac Paphlagoniæ Rex, de quo ſic Euſeb. ad Ann. 42. Judicis Iſraëlitici Aod ſive Ehud: *Ob raptum* Ganymedis *Troji, patri ejus & Tantalo bellum exortum eſt, ut ſcribit Phanocles Poeta.* Subjicit inde: *Fruſtra igitur Jovis fabula & raptrix aquila conjungitur.* Fuit itaque Jovis nomen generale, Regibus omnibus conveniens. Quòd verò aquila Ganymedem rapuiſſe dicitur, id vel celeritatem raptus indicat, vel, quod Epiphan. viſum, aquila fuerit παράσημον navis, ut taurus ejus, quâ Europa avecta eſt. Quanto hic Jupiter Phrygius tempore vixerit ante bellum Trojanum, non operoſum eſt ex rapti & raptoris ſtirpe cognoſcere. Quippe raptus fuit frater Ili, qui Ilium condidit,

fil. Trois, unde *Troas* & *Troja* dicta, nepos Erichthonii, pronepos Dardani, qui interempto fratre Samothraciam fugerat, unde Cabirorum ſacris expiatus in Teucriam ſe contulit, ac filia Teucri Bateâ ductâ, in partem regni receptus eſt. Ilus autem Pater fuit Laomedontis, Avus Priami, Proavus Hectoris & Alexandri ſive Paridis, ut hi ab Ilo *Ganydis* fratre, tertia diſtent generatione. Fuit & frater *Ganymedis* Aſſaracus, pater Capyos, avus Anchiſæ, Æneæ proavus, ubi itidem videmus, Æneam tertiâ ab Aſſaraco generatione eſſe diſſitum. Jam verò Tantalus pater fuit Pelopis, Atrei & Thyeſthæ genitoris: Atrei fil. fuit Pliſthenes, hujus Agamemnon & Menelaus: ut hi quartâ diſtent generatione à Tantalo. Nempe Ganymedes cùm raperetur, adoleſcens admodum erat: raptor Tantalus generatione totâ, h. e. 30. annis vel circiter provectior; ſicque Phrygius hic Jupiter 100. quaſi annis ante bellum Trojanum rapuerit Ganymedem. Quæ oſtendunt, memoriâ deceptum eſſe Cic. cùm ſic ſcribit *Tuſcul. Quæſt. l.* 1. *Nec Homerum audio, qui Ganymedem a Diis raptum ait propter formam, ut Jovi pocula miniſtraret, non juſta cauſa, cur Laomedonti tanta fieret injuria. Fingebat hæc Homerus & humana ad Deos transferebant, divina mallem ad nos.* Neque enim fil. fuit Laomedontis, Priami frater, ut Tullius putavit, ſed fil. Trois, patruus Laomedontis, Priami patruus magnus, ut ex prædictis liquet. Vide & *Aquila*: item Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 14. cui adde Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. Theb. l.* 1. *v.* 548. ubi inter alia *Ganymedem*, opilionem, & è caulis raptum, Luciano *Coll. rapti cum Jove*; at raptum inter germani & amatoris manus exſpiraſſe, Mythologis & Herod. *l.* 1. referri, obſervat.

R. David GANZ, idoneus de temporum calculis judex, ſcripſit librum Arithmeticum מגן דוד *Scutum Davidis*, & Chronologiam Sacro-profanam צמח דוד *Germen Davidis*, uſque ad A. C. 1592. quam Latinè vertit & Obſervationibus illuſtravit. G. H. Vorſtius. Primus inter Hebræos glaciem fregit, ut annorum numeros ad Creationis exordium diſponeret, cùm priores Annalium conditores calculos ſuos vel ad annos Templi I. & II. vel ad æram Contractuum inſtituerent. Vorſtius *Præfat. in eum.* Vide quoque Marſham. *Canone Chron. Sec.* IX.

GAOGA, aliter KAUGHA, urbs Africæ, juxta lacum, regni & deſerti *Gaogæ* caput, in Nigritia, inter Nubiam ad Or. & regnum Borno ad Occ. Reges à quodam ſervo Æthiope deſcendunt, qui ante An. 200. heri ſui jugo excuſſo, primò mancipiorum mercimonio aliquam equorum vim ſibi comparavi, dein vicinis percurſatis regionibus, tandem regnum hoc occupavit. Pars incolarum, Chriſtiani ſunt, ſed omnium prope rerum ignari, & paſtoritiâ plerunque curâ vitam tolerantes. Joh. Leo, Sanut. *Marmol.*

GAR Ottiſch, Germ. quaſi *Totus Ottonicus*, cogn. Premiſlai, Regis Bohemiæ, quòd ſe Ottonis IV. Saxon. Ducem Philippi Suevi æmuli, partibus totum addixiſſet: unde vocibus inverſis *Ottogarus I.* hujus nominis appellatus eſt; hocque cognomen ad fil. & nepotem tranſmiſit. Georg. Horn. *Orb. Imp. p.* 126. Vide in voce *Ottocarus* vel *Ottogarus.*

GARAMA, opp. Garamantum clariſſimum, apud Plin. *l.* 5. *c.* 5. à Lepti Magna 5400. ſtadiûm, ſeu 30. dierum intervallo diſtans, Ptol. ex relatione Flacci & Materni. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 384. & 495.

GARAMANTES, pop. interioris Libyæ, Pſyllis finitimi, à *Garamante* Apollinis fil. ſic dicti. Hi matrimoniorum expertes paſſim cum feminis degunt, nullas certas ſedes habentes. Virg. Æn. *l.* 6. *v.* 794.

——— *Super* Garamantas *& Indos*
Proferet imperium. ———

Idem *Eclog.* 8. *v.* 44.

Iſmarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes.

Ad quos eſt *iter inexplicabile*, ut ait Plin. *l.* 5. *c.* 4. & 8. Vide Tac. *l.* 4. *Hiſt. c.* 51. *Garamantes exciverat, gentem indomitam, & inter accolas latrociniis fœcundam.* Lucano *nudi*, Civ. Bell. *l.* 4. *v.* 334. & 679. ac *inculti l.* 9. *v.* 460. & 512. dicuntur. *Velox Garamas*, Claud. *l.* 1. in 1. Conſ. Stilich. Carm. 21. *v.* 255. & 355. Edyllia Nilus Carm. 47. *v.* 20. & *atrox*, Silio, Ital. Punic. Bell. *l.* XI. *v.* 181. *inops* autem Senecæ *in Hippolyto.* Act. 1. *v.* 67. Nic. Lloydius. Hodie regnum *Borno* hi populi conſtituunt, partim candidi, partim nigri, comes, & ex parte mercaturæ dediti: ſed uxorum communione, & religionis exiguâ curâ priſcos æmulantur. Vide ulterius Strab. *l.* 2. *p.* 31. *l.* 17. *p.* 835. Cluv. *l.* 6. *c.* 4. &c. Hinc *Garamanticus* Sil. Ital. Bell. Punic. *l.* 1. *v.* 142.

Dum fert Herculeis Garamantica ſigna *columnis.*

GARAMAS, Libyæ Rex, cujus filiam Jupiter Ammon ad Bagradam fluv. compreſſit, ac Jarbam ex ea genuit. Virg. Æn. *l.* 4. *v.* 198.

Hic Ammone ſatus raptâ Garamantide *Nymphâ.*

GARAMAS, Aſiæ mons, ex quo Phaſis oritur. *Vibius.*
GARAPHA, portus Africæ propriæ. *Ptol.*
GARAPHI, montes Mauritaniæ Cæſarienſis. *Idem.*
GARARIUS, officium Monaſticum, apud Adalard. in *Statutis* antiquis Monaſterii Corbejenſis *l.* 1. *c.* 1. Cuſtos fortè, à *garir* vel *garer*, quod olim *cuſtodire* Gallis.
GARAS, mons ibidem.
GARATES, Peloponneſi amnis in Arcadia. *Pauſ.*
GARATONIUS Chriſtophorus, vide *Chriſtophorus.*
GARAZUA, opp. Braſiliæ, in Præf. Paranambuci, 5. leuc. German. ab Olinda in Bor.
GARBATA, Æthiopiæ ſub Ægypto mons. *Ptol.*

Reges Oveti, Legionis & Caſtellæ.

GARCIAS, Rex Oveti, & Legionis, fil. Alphonſi III. Suaſu Chimenæ uxoris, contra Patrem arma ſumpſit, ſed acie victus, in vinculis fuit. Quibus, à Fratribus & Socero, effractis, coëgit Patrem ſe abdicare regno, vix triennio ſuperſtes. Obiit A. C. 890. Mariana *Hiſt. Hiſp.*

GARCIAS I. dictus Ferdinandus, fil. Ferdinandi Gonſales, ex Sanctia Navarræa, Comes Caſtellæ, patri ſucceſſit, per Annos 48. Contra Mauros, Filii ſui Sanctii rebellione, excitatos, fortiter pugnans, in prælio cecidit, A. C. 986. Nepos.

GARCIAS II. ſucceſſit Patri, in nuptiis occiſus, cum Sanctia, ſorore Weremundi III. Regis Legion. Ejus ſoror Sanctio III. M. Regi Navarræ nupta, Caſtellum Navarræ junxit. Mariana, Turquet. *Hiſt. Hiſp.*

Reges Navarræ.

GARCIAS I. Navarræ Rex cognom. *Inigus*, Inigo Ximenio Patri ſucceſſit, maritus Urracæ Arragoniæ. Obiit A. C. 870. Regni 20. Vide Oihenartum, & *Marian.*

GARCIAS II. patri Sanctio ſucceſſit A. C. 905. Obiit A. C. 926. in conſortium Regni aſcito fil. Sanctio, cognom. Abarcâ.

GARCIAS III. Sanctii Abarcæ fil. prælium initurus trepidare ſolitus eſt, unde *Trepidator* dictus, poſtmodum fortitudine conſpicuus inter primos. Pater, ex Ximena, Sanctii M. Obiit ſub initium ſec. 11.

GARCIAS IV, Nageræ educatus, Fratri Ferdinando I. contra Bermundum, Legionis Regem, ſuppetias miſit, poſtmodum, contentione obortâ, ab illo acie victus, Obiit A. C. 1054. Mariana *l.* 3. &c.

GARCIAS V. fil. Raimiri, qui Sanctii IV. ex fratre nepos fuerat, Navarræ Regnum recuperavit. Cum vicinis bella geſſit, lapſu equi in venatione mortuus, A. C. 1150, Regni 15.

Viri Celebres.

GARCIAS, Hiſpalenſis, JC. inſignis, ſec. 13, in Epiſtolas Decret. commentarios ſcripſit.

GARCIAS Laſſus, Poëta, Odarum inſignis ſcriptor, Paul. Jovius, *elog. doct. Vir.* Caroli V. in Provinciam comes, prope Aquas Sext. lapidis ictu à ruſtico interemptus eſt.

GARCIAS Loaiſa, Archiep. Toletan. Concilia Hiſpaniæ edidit. A Philippo II. filii educationi admotus, Obiit A. C. 1590. pœnitentiâ relictæ Aulæ enectus.

GARCIAS Martinus, vide *Martinus.*

GARCIAS Toletanus, Vice-Rex Siciliæ, ob cunctationem, in ſuppetiis Melitæ Inſ. ſummittendis, & intactam claſſem Algeriam, à Selimo Turc. Imp. per literas illuſus.

GARCUS, inſ. ante Taprobanem. *Ptol.*

GARDA, urbs Gronelandiæ erat, in ora littor. & emporium celebre, in parte Or. ſub Norvegiæ Regibus. Jam diu in ruinis. Epiſcopal. fuit ſub Archiep. Nidroſienſi.

GARDEI, Sarmatiæ Aſiatica gens. Plin. *l.* 6. *c.* 8.

GARDELEBA, opp. Marchiæ Brandeb. ſuper. ad amnem Meldam, 7. leuc. à Magdeburgo in Bor. in confin. Ducatus Brunſvic.

GARDEROBA, apud Matth. Pariſ. A. C. 1245. veſtiarium eſt ſeu locus, in quo aſſervantur veſtes & *robæ.* In Aula Anglicana, ſic dicitur locus Clericis tantùm aſſignatus, qui in Francia *Camera Clericorum* appellatur: ubi Chartæ regiæ aſſervantur ipſeque Theſaurarius Regius, C. du Freſne *Gloſſ.* Vide infrà in voce *Roba.* Hinc *Theſaurarius Garderobæ* in Anglia nomen eſt, cui cura expenſarum Regis & familiæ ejus commiſſa eſt. Is pecuniam, jocalia & xenia Regi facta recipit, recepta Regis ſecreta cuſtodit & de receptis expenſis facit rationabiles &c. Vide Fletan. *l.* 2. *c.* 17. §. 1.

GARDIANUS, à Gall. *Gardien*, defenſor, patronus, tutor, cuſtos, is cujus fidei quid committitur: ut *Gardianus Eccleſiæ*, qui rem Eccleſiæ procurat, tuetur, miniſtrat: aliàs Defenſor Eccleſiæ, quod vid. *Gardianus* ſeu cuſtos *quinque portium*, magnus apud Anglos Officialis eſt: quinque præcipuis regni portubus viciniori Galliæ oppoſitis, præfectus; omnem belli aleam expectaturus, portuumque ope ſtrenuè ſubiturus, Angl. *Lord Warden of the cinque ports.* Vide ſuprà *Barones quinque portuum*, & infrà, *Quinque portus.* Apud Hiſpanos *Gardingus* dignitatis claſſis fuit; vel ſaltem muneris, quam tamen ipſi Hiſpani hodie non ſatis explicant: In LL. Wiſigothorum crebra ejus mentio. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſ.* & Voſſ. *Vitio* ... *chæol.*

GARDINGUS, dignitas magnæ exiſtimationis in Hiſpania, Viſigothorum Regum ævo. Concilium Tolet. *De accuſatis Sacerdotibus, ſeu etiam Optimatibus Palatii atque Gardingis.* Voſſ. *Palatii Cuſtodem* fuiſſe vult, quem Itali *Guardiano* vocant. At Garzias Loaiſa Archiep. Toletanus *in Collect. Concil. Hiſpan.* majorem quampiam dignitatem hoc nomine indigitatam olim ait. Namque in Viſigothorum *LL. l.* 2. *tit.* 1. *l.* 1. interveniebat in condendis Statutis ſimul cum Sacerdotibus; & poſt Duces Comiteſque in iiſdem *l.* 9. *tit.* 2. *l.* ... mox collocatur: *Si majoris loci perſona fuerit, i. e. Dux, Comes, ſive etiam Gardingus*: paſſimque inter hujuſmodi digniores Palatii ... viros memoratur. Vide Dominic. Macr. *in Hierolex.*

GARDINUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*
GAREATÆ, Arcadiæ pop. *Pauſ.*
GAREATHYRA, Cappadociæ opp. Strab. *l.* 12. *p.* 568.
GAREB, nomen collis, juxta Hieruſalem, ad Bor. ſiti, Jerem. c. 31. *v.* 39. Nomen viri. 2. Sam. *c.* 23. *v.* 38. 1. Par. *c.* XI. *v.* 40. Latinè ſcabies, aut Syriacè *hydria.*
GARELIANUS, mons Italiæ, quem Saraceni ex Africa venientes, poſt Apuliam, & Calabriam vaſtatam, occuparunt, & munierunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſuntA. C. 910. Sigon. *l.* 6. inde dejecti à Berengario Rege, Papæ & Græcorum auxiliis ſuffulto, qui tam celebri victoria tum potitus eſt, ut Petrum, & Paulum Apoſtolos, in prælio conſpectos, vulgaris admiratio, & hinc orta credulitas, tradiderit, A. C. 915. *Idem.*

GARETUM, ſeu GARETA, provincia regni Frezzæ, in ora maris Mediterr. in confin. regni Algeriæ, ubi & Gareti montes verſus Auſtr. Initium ſumit ab Occaſu à Medulo flumine, & ad fluv. Mulviam ad Ort. terminatur, à Mer. montes ipſam à deſertis Numidiæ ſeparant, à Sept. ad mare mediterraneum protenditur. Merc. Dividitur in tres partes, nempe in planitiem, ubi urbes & opp. in montes & in Deſerta. Ejus urbes præc. Tezzota, Meggea, Caſaza & Melilla. Quæ duæ ultimæ ſunt ſub Hiſp. *Baudr.*

GARGANUS, mons Apuliæ Dauniæ, vix 80. mill. in circuitu habens, cùm latè ſumitur, i. e. cum illa parte Apuliæ Daun. quæ in Hadr. mare excurrit, præcelſus valde, & aſcenſu difficillimo, latere quo mare ſpectat, prom. habet, ſpatio 300. ſtadiorum procurrens. Incipit ab Apennino, ex cujus radicibus jugum enaſcitur editiſſimum, latitudine P. M. duorum, longitudine 20. poſt quòd ita paulatim, mons aſſurgit, ut in ſummam (fructifet tamen) altitudinem, vaſtitatem, amplitudinemque deſinat. In mare tam longè protenditur, ut ambitu radicum, quas planities excipit, ad 200. P. M. contineat. In hoc monte lacus aliquot piſcoſi inveniuntur, inter cæteros *Varanus*. In fronte prom. civitas eſt *Beſtia*: poſt 10. millia Veſticæ caſtellum ſequitur; flexuque illo prom. toto emenſo *Rode* vel *Rore* civitas. In montis Gargani vertice precelſaque rupe, quæ ad mare ſpectat, opp. eſt *D. Angeli*, ita nominatum à ſpecu D. Michaëli Archangelo ſacra; diſtatque 5. mill. ab ora maris Afr. totidem à Manfredonia in Bor. 15. ab Hyrio in Auſtr. Baudr. Hinc vertex hodie vocatur *mons S. Angeli*. Plin. *l.* 3. *c.* XI. Lucan. *l.* 5. Civ. Bell. *v.* 380.

Appulus Adriacas exit Garganus *in undas.*

Idem *l.* 9. *v.* 184.

Igne fovet terras, ſimul & Garganus, *& arva.*

Horat. *l.* 2. *Ep.* 1. *v.* 202.

Garganum *mugire putes nemus, aut mare Tuſcum.*

GARGANUS Sinus, à prom. cogn. dictus, *Japyx* appellatur Virg. *Æn. l.* XI. *v.* 247.

Victor Gargani *condebat Japygis agris:*

Sed Japygiæ ſinum à Gargano dinſtinguit Plin. *l.* 3. *c.* XI. Nempe ſic dicitur, in quo Ἰαπυγία ἄκρα, *Japygia prominentia*, è cujus ore ventus Argeſtes rectà in Calabriam ferebatur, utque hinc à Calabris *Japyx* nominatus eſt. Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 1257.

GARGAPHIA, vallis & fons, ub Actæon à canibus laceratus eſt. Ovid. *Met. l.* 3. *v.* 155.

Vallis erat piceis, & acutâ denſa cupreſſo,
Nomine Gargaphie. ———

Obiter emendabis Vibium *Garga Eubœæ, ubi Actæon laceratus eſt à canibus*, repone, *Gargaphia Bœotiæ*. A Phœnicio גרף *garaph*, per primæ geminationem deducit vir magnus, illud autem de torrente dicitur, qui præceps lapſus omnia avehit:

GARGARA, mons & opp. Troadis in ſummitate montis Idæ, apud Ilii urbem, frugum copiâ maximè affluens. Plin. *l.* 5. *c.* 30. Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 102.

——— *Nullo tantum ſe Myſia cultu*
Jactat: & ipſa ſuas mirantur Gargara *meſſeis.*

Ovid. *l.* 1. *de Arte Am. v.* 57.

Gargara *quot ſegetes, quot habet Methymna racemos.*

Claud. de Sexto Conſ. Honor. Carm. 28. *v.* 388.

——— *Jam flaveſcentia centum*
Meſſibus æſtivæ detondent Gargara *falces.*

גרגר *gargar* Hebræis *granum* ſignificat. Dictus igitur hic mons à *copia frugum*. Vide Serv. *in Georg. l.* 1. Item *Gargarus* lacus Phrygia juxta Idam montem, ex quo Scamander, & Simois decurrunt. *Nic. Lloyd.*

GARGARENSES, gens mixta Amazonibus.

GARGARIS, Curetum Rex, mellis colligendi uſum primus invenit. Huic cùm ex filiæ ſtupro nepos proveniſſet, omnibus modis eum perdere conatus eſt, ſed fruſtra; tandem verò tot caſuum periculorumque, quæ evaſerat, admiratione, ſucceſſorem illum in regnum deſignavit, nomenque illi Habidis impoſitum eſt. Juſtin. *l.* 44. *c.* 4. *quorum Rex vetuſtiſſimus* Gargoris.

GARGARIUS Locus, in vet. *Inſcr.* quæ incipit,

PAGANI PAGI LVCRETI QVI
SVNT
FINIBUS ARELATENSIVM LO-
CO GARGARIO
Q. COR. MARCELLI LIB. ZOSI-
MO IIIIII VIR.
AVG. COL. IVL. PATERNA A-
RELATE OB
HONOREM EIVS QVI NOTVM
FECIT
INIVRIAM NOSTRAM OMNI-
VM SÆCVLORVM
SACRATISSIMO PRINCIPI T.
ÆLIO ANTONINO &c.

apud Jac. Spon. *Itin. part.* 3. Gall. *Garguiez*, vel *S. Jean de Garguiez*, quæ ædicula S. Joh. ſacra, locus eſt Galliæ in provincia, haud procul Arelate, in radice montis, qui à Monaſterio S. Balmæ nomen habet, ſitus: ubi præter ædem dictam, unicum diverſorium, idque non ſatis commodum. Vide quoque ſuprà in voce *ad Balnea.*

GARGARUM, Lampſaci opp. & aliud Epiri, & aliud Italiæ à *Gargaro* Jovis filio. *Steph.*

GARGE, urbs Lybiæ. *Idem.*

GARGETTVS, opp. & pars tribûs Ægeidis. Plutarch. Patria Epicuri, qui inde *Gargettius*, Cic. Aliis. Item canis cujuſdam generoſi nomen, qui Geryonis boves cuſtodiebat, & leonibus inſultabat, quem tunc Hercules interfecit, cùm illius armenta abduxit, fuitque Cerberi Epirotici frater. Pollux *l.* 5.

GARGILESSA, vulgò GARGILEESS, locus Galliæ in Biturigibus Cubis; memoratus in *Literis* Roberti Regis quæ Hubaldi Virſionenſis, Arnulphi Dunenſis & Giraldi *de Gargileſſa* mentionem faciunt, apud Hadr. Valeſ. in voce, *Virſio caſtrum.*

GARGILIANUS, Cinædus quidam, de quo Mart. *l.* 3. Epigr. 30. cujus Epigraphe ad Gargilianum pauperem.

Dic mihi, quid Romæ Gargiliane *facis?*

Ibid. Epigr. 74. cujus epigraphe in Gargilianum impurum.

Numquid Tonſorem, Gargiliane, *times?*

Item *l.* 4. Epigr. 56. *l.* 7. Epigr. 64. *l.* 8. Epigr. 13.

Viri Celebres.

GARGILIUS Martialis, Hiſtoricus, qui vitam Alexandr Severi eſt diligenter perſecutus. Vide Lamprid. *in Sev.* Vopiſc. *in Probo*, qui hiſtoriæ ejus veritatem laudat, elegantiam deſiderat. An idem Palladio Servioque memoratus? Item venator nobilis, de quo Horat. *l.* 1. *Ep.* 6. *v.* 57. & ſeqq.

——— *Venator ut olim*
Gargilius, *qui manè plagas. venabula, ſervos*
Differtum tranſire Forum populumque jubebat, &c.

Inter ſecundæ notæ Hiſtoricos memoratur Vopiſc. *in Probo*. An idem cum *Gargilio* Mart. qui de Re Hortenſi libros ediderat, memorato Serv. *in Virg.* & Palladio? Caſaub. *ad Lamprid. in Alex. Sev.*

GARGITTIUS, canis Geryonis, boves ejus cuſtodiens, Cerberi frater, à pecoris abactore Hercule cæſus eſt, Pollux *in Fabulis*. Vide Albric. *in Deorum imaginibus, c. de Hercule*, ut & in voce *Gargettus*.

GARGOGILUM, vet. ac nobile caſtrum Galliæ, ad Ligerim, in finibus Carnutum, diœceſique Aurelianenſi. Vulgò *Jargeau*. Monaſterium S. Crucis *Cargogilenſis* numeratur, inter Aurelianenſes Eccleſiæ res, in literis Caroli Calvi, Hugonis & Leonis VI. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

GARGUS, unus ex collibus Tauri montis.

GARIANNONUM, opp. Angliæ ad Ort. in Garieni fluv. oſtium, emporium Norvico urbi propinquum, olim *Burghcaſtle* Camdeno, ex cujus ruinis hodiè *Yarmouth* emerſit.

GARIBALDUS, Longobardorum in Italia Rex XI. ſucceſſit patri Grimoaldo A. C. 673. mox at depoſitus locum fecit Bertarido vel Pertarido Rege exuli, quem vide.

GARIEUS, vide *Idrieus.*

GARITES, Gall. Aquitanicæ pop. circa Gaſumnam incolentes, ſeli Cæſari memorati *l.* 3. *c.* 6. quos Eluſatibus atque Auſcis medios interponit. Horum urbs *Aginum*, & regio *Agenots*, teſte Orontio, & Matliano. Baudr. ubi nunc Comitatus Gaurenſis *le pais de Gaure*, ad Egirſium amnem, inter Auſcios, & Lactorium, aliquot leucis ab Aginno in Auſtr. Comitatus hic inter Comit. Fidentiacenſem, & Vicecom. Laomanienſem ac agrum Condomienſem poſitus, oppida habet, Florentiam novum municipium, Simpodium *Sampui*, & Salvitatem *la Sauvetat de Gaure*. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

GARIZIM vel GERIZIM, mons in in finibus tribûs Ephraim, & Manaſſe altiſſimus, in quo ſita fuit urbs Sichem, prope quam habitavit & altare condidit patriarcha Abraham, Gen. *c.* 12. *v.* 4. & Jacob, Gen. *c.* 33. *v.* 20. In hoc monte Pontifex Manaſſes. frater Gaddi, quum duxiſſet filiam Satrapæ Samaritani, ideoque à Judæis dignitate ſacerdotii privaretur, confugiens ad ſocerum, templum ſimile Hieroſolymitano ædificavit, & ſacra ſimilia Leviticis inſtituit eo tempore, quo Alexander Mag. Monarchiam Perſicam occupavit. Joſeph. *l.* 11. *c.* 7. Id templum annis 200. poſt, unà cum Samaria, evertat Joh. Hyrcanus fil. Simonis fratris Judæ Maccabæi. Joſeph. *l.* 13. *c.* 16. Sed tamen nihilominus in ejuſdem montis vertice Samaritani, quorum 11000. à Veſpaſiano ibi occiſa, adorabant, & acerrimè Chriſtianos oderant, uſque ad Juſtiniani Imp. tempora, qui pleroſque ad fidem Chriſti perduxit, ac templum paulo antè juſſu Zenonis Imp. in eo monte in honorem Chriſti extructum inſtauravit, & munitionem addidit, unde ſeditioſos Samaritanos poſſet compeſcere, ut Procop. *l.* 5. *de ædificiis Juſtiniani*, narrat. Cyrillus putat hunc eundem montem eſſe, ſuprà quem Joſue ædificavit altare, & populus Iſraël audivit à ſacerdotibus recitari benedictiones, legi obtemperantibus propoſitas. Scribunt enim montem hunc, ad dextram fontis Jacob, Parnaſſi inſtar bicipitem fuiſſe, cujus alterum caput *Gerizim*, alterum *Ebal* nominatum ſit. Vide quoque Deut. *c.* 11. *v.* 29. Joſ. *c.* 8. *v.* 33. Jud. *c.* 9. *v.* 7.

GARLANDUS, vide *Steph. Garlandus.*

GARMAA, Thraciæ opp. *Procop.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

GARNACHIA, apud Gaufred. Voſienſem, *Part.* 1. *p.* 74. veſtis ampla, ſine manicis; Ital. *Guarnaccia.* Vide C. du Freſne *Gloſſ.*

GARMENGUS Petrus, vide *Petrus.*

GARNERIUS, Ep. Lingonenſis, A. C. 1192. Principibus, inprimis Richardo I. gratus, homiliarum aliquot auctor. Bertrandus Tiſſerius, *Bibl. Claravall. tom.* 2. *p.* 75. Item M. Magiſter Ordin. S. Joh. Hieroſ. poſt Mogerium Molinum, interfuit prælio cruento, contra Saladinum, quo Rex Guido captus eſt, A. C. 1187. ibique pluribus vulneribus acceptis, Obiit decimo pòſt die menſe Magiſterii ſecundo Boſſius & Megiſierus *Hiſt. Melit.*

GARNERIUS Robertus, ex Cœnomanis, Tragicus, Poëta inſignis, locum tenens Gener. Cœnomanenſis agri. Verdier. *in Biblioth. Gall. p.* 1098. Non infelix Dramatum auctor, imo, Judice Ronſardo, Steph. Jodelo primo inter Gallos Tragœdiæ inſtauratori, & Joh. Paruſino, qui illum ſecutus eſt, anteferendus. Obiit A. C. 1590. Æt. 56. Edidit Dramata novem, quorum nomina, *Porcia, Hippolite, Marc-Antoine, Cornelie, la Troade, Antigone, Bradamant, la Sedechie vu les Juifres.* Item alia nonnulla, de quibus vide Anton. Teiſſier, adde Sammarthan *in Elogiis.*

GARNESEJA, Inſ. maris Brit. verſus oram litt. Duc. Normanniæ ſub Anglis. Vide *Sarnia.*

GARNETUS Henricus, æquivocationum peritiſſimus, Jeſuitarum in Anglia Provincialis, Conjurationis pulverariæ architectus, poſt hanc detectam, captus eſt; cum Grenvello, & Oldcorno ſociis. Cùm ſe tueri non poſſet, unà cum reliquis ad ſupplicium ductus, blaſphemè applicuit ſibi Salvatoris illud, *Neceſſe eſt, ut unus moriatur pro populo,* A. C. 1605. Poſt quæ Jacobus Rex, arctiori juramento ſubditorum fidem adſtrinxit: Vide hujus *Opus regium.*

GAROCELI, Alpium populi, Cæſ. de Bell. Gall. *c.* 3. *Mencenis,* aut *Val de Maurienne,* cum tit. Comit. ab A. C. 600. ſub Duce Sabaudiæ hodiè. Sanſoni fuêre inter Alpes, & Brigantium Seguſiumque, ubi nunc mons Genebra, in ultimo limite Delphinatus, verſus Italiam.

GARODES, Inſ. Nili. Plin. *l.* 6. *c.* 30.

GARPHETI, Arabiæ Pop. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

GARRATUS Martinus, vide *Martinus.*

GARRHA, Mauritaniæ Cæſarienſis opp. *Ptol.*

GARRHARA, apud Petr. Antioch. *Ep. ad Cerular. corona eſt clericalis Epiſcopor.* an corruptè ex Arabico *Korac*, quod *ſphæram* notat; an ex Græco, κουρὰ? Dominic. & Carolus Macri *in Hierolex.* Conſpicitur hodieque in verticibus Sacerdotum Græcorum corona ſatis ampla, quam illi Μαπαλήθραν quoque ac Στεφάνην vocant. In honorem Petri Apoſtoli autem geſtatam *Garrharum,* habes apud Petrum laudatum *d. l.* Vide quoque infra *Papalethra.*

GARRYENUS, vulgò *Yare,* fluv. Icenorum, nunc Norfolciæ Com. in Angl. Norvicum urbem illius tractus prim. rigat; dein auctus fluv. *Wauney,* in Oc. Germ. ſe exonerat, 14. mill. infrà Norvicum, ad Garianonum opp.

GARUCIANUS, vide *Trebonius.*

GARSAURA, opp. Cappadociæ fuit, inter Coropaſſum, & Mazanam urbes.

GARSIA, Navarræ Rex. A. C. 1015.

GARSIAS, Alphonſi fil. Hiſp. Rex. A. C. 878.

GARSIAS, vel GARSIA, vide *Garcias.*

Reges Suprarbiæ.

GARSIAS Ximenius ſeu *Innicus* I. Rex primus Suprarbiæ & Ripagorzæ, ſecundum Chriſtianorum in Hiſpania Regnum, pulſis Mauris, conſtituit, circa A. C. [illegible]24. poſtquam Pelagius, in montibus Aſturiæ, Gallæciæ & Cantabriæ primum conſtituiſſet, A. C. 716. Sedem Regni Inſam opp. elegit: Pro inſignibus arborem viridem habuit; & ſuper eam crucem rubram, in croceo campo, in memoriam iſtiuſmodi apparitionis vel viſionis, quam ante prælium cum Mauris habuiſſe dicitur: unde & nominis *Suprarbiæ* appellatio, Rittershuſius *Exeg. Gen. p.* 66.

GARSIAS Innicus II. Pompejopolim cepit ſeu Pampelonam; quò ſede Regiâ tranſlatâ, Regnum exuto priori, nomine *Regnum Navarræ,* item *Pampelonæ,* dictum eſt. Vide Georg. Horn. *Orb. Imp. edit.* A. C 1677. *p.* 270. & 271.

GARTIA, opp. Pomeraniæ, ad Oderam fluv. 3. leuc. ſuprà Stetinum in Auſtr. è regione Griffenhagæ, ſub Suecis. Aliàs munitum, ſed ab A. C. 1638. munitiones ſolo æquatæ ſunt.

GARUM Sociorum, memoratur Plin. *l.* 9. *c.* 17. *M. Apicius, ad omne luxus ingenium mirus, in* ſociorum garo (*nam ea quoque res cognomen invenit*) *necare eos* (mullos) *præcellens putavit, atque ex jecore eorum alecem excogitare provocavit.* Item Senecæ *Nat. Quæſt. l.* 3. *c.* 17. *Alios necant in garo & condiunt vivos.* Ut rectè in Hippolyto Salviano culpet Lud. Nonius *de Re Cib. l.* 3. *c.* 27. quòd in Plin. *l. c.* pro *necare* legere mallet *ſiccare.* Inventi verò ejus ſi quæ eſt gloria, ea non penès Apicium, ſed Græcos fuit. Eſt enim Platonis Comici, apud Athen. *l.* 2. *c.* 25. *ubi de garo*: ἐν σαπρῷ γάρῳ βαπτίζοντες ἀποπνίξουσί με, *in putrido garo ſubmergentes ſuffocabunt me.* Nec ſatis erat ſic necare, niſi vitreamini incluſus mullus moriens ſpectaretur: unde Senec. *loco mem. In cubili natant piſces, & ſub ipſa menſa capitur, qui ſtatim transferatur in menſam. Parùm videtur recens mullus, niſi qui in convivæ manu moritur. Vitreis ollis incluſi offeruntur, & obſervatur morientium color, quem in multas mutationes mors luctante ſpiritu vertit* &c. Fiebat hoc *garum,* & quidem laudatiſſimum, ex eliquata ſanie putreſcentium ſcombrorum. Plin. *l.* 32. *c.* XI. Unde Mart. in *Xeniis Epigr.* 102. cujus epigraphe Garum Scombrorum

Exſpirantis adhuc ſcombri de ſanguine primo
Accipe faſtorum munera cara garum.

Dixêre verò *Sociorum,* qui à ſociis Popul. Rom. apportaretur: quales Hiſpani, unde idem Mart. *in iiſdem Epigr.* 40. cujus epigraphe ova.

Heſperius ſcombri *temperet ova liquor.*

Nimirum Carthagine novâ ſive Spartaria fiebat: atque id tanti pretii, ut nullus, præter unguenta, liquor cariùs divenderetur, teſte Plin. *l.* 31. *c.* 7. Odoris tamen fuiſſe ingrati, indicat hoc Poëtæ antea memorati, *l.* 7. *Epigr.* 93. cujus epigraphe de Papulo male olente.

Unguentum fuerat, quod onyx modo parva gerebat;
Olfecit poſtquam Papilus, ecce, garum *eſt.*

Uſum ejus hodieque eſſe Conſtantinopoli, traditum eſt Bellonio. Quod verò Joh. Langius *Ep. Med. l.* 1. *Ep.* 59. putat, Plin. vocabulo 9. *c.* 17. *garum aſſociorum*; atque hoc valere *aſotorum,* id locum habere minimè poteſt. Namque *Sociorum* etiam appellavit Senec. *Ep.* 95. *Quid illud* ſociorum garum *malorum piſcium ſaniem, non credis urere ſalſa tabe præcordia*: Habes & apud Mart. *in Xeniis l.* 13. *Epigr.* 97. cujus epigraphe oleum venafranum, ubi veram lectionem retinet Aldina: Item Auſon. *Ep.* 21. *ad Paulin.* Imò apud Galen. *de Compoſ. Medic. l.* 3. Γάρε μέλανος Ῥωμαίοις λεγομένε Σοκιώρουμ, *Garum nigrum, quod Romani Sociorum dicunt.* Sic enim reſcribit Voſſ. ubi perperam in Aldina ὀκιβέων; in Baſilienſi, ὀκιπόρε. Atque hac multiplici auctoritate etiam eſt refellere, qui *Soſiorum* reſcribunt: quaſi id nomen impoſitum ſit à Soſiorum apud Romanos familia, memorata Tullio non ſemel & Horat. Sed ut non dubitandum, quin recta ſit ſociorum appellatio: ita haud æquè apertum, an non veriùs *Sociorum* dicatur, quaſi ſodalium ſive cœtus ſocialis, qui gulæ causâ conveniſſet. Sed magis placet, quod priori loco dictum. Variam garorum confectionem docent Geoponica Conſtantino tributa *l.* 20. *c. ult.* ubi legas, garum αἱμάτιον, i. e. *ſanguineum,* eſſe præſtantius: quod idem ac *ſociorum,* eſſe videtur, Galeno in verbis allatis μέλαν, *nigrum,* dictum; quo modo & Aëtius vocat *l.* 3. *c.* 82. Πρωτεῖον, *primarium,* nomina. Paul. Ægineta. Eo autem *nigrum* & *ſanguineum* dicebatur, quoniam conficeret ex piſcium cruore, qui nigroris iſtius causa erat. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 4. *c.* 26. Idem hepar & caput, in mullis maximè expetita docens, hepar non ſolùm per ſe edi conſueviſſe ait, ſed etiam impoſitum oleo & *garo* cum vino paulo, inque his conſque comminui, donec ex iis ſuccus fieret unicus, *halec* tinctus, in quo mulli carnes, cùm edere volebant, ſoliti ſint tingere, *c. præc.* &c. Vide quoque infrà *Liquamen.*

GARUMNA, fluv. Galliæ, in Pyrenæis montibus naſcens, Celtaſque dividens ab Aquitanis, & per Santonum fines occiduum influens Oceanum. Baudr. fluviorum, qui è Pyrenæo exeunt, maximus, oritur in montibus Auræ, in confin. Aragoniæ, non procul à Salarda; dein per Convenas fluit: Valeſ. oritur in Convenis, & ex Pyrenæo monte delapſus, alluit Caſtellum Leonis *Caſtel Leon,* Valentiæ Fanum S. Beati Baudr. dein Lugdunum Convenarum, Tolosam, & S. Gaudentium rigat, ut & Rivos, Muretum, Tolosam. Vale. poſt opp. S. Beati, Montem Regalem *Montreal,* ad Nigellæ *la Nesle* & Garumnæ confluentes poſitum, ac Rupem fortem alluit. Tum Salatum recipit *Sale,* amnem è Conſarannis, & ex opp. S. Licerii *S. Lezer* venientem. Pòſt Longâ augetur *la Lège,* deinde etiam Arejâ *l'Ariege,* qui Taraſconem, Fuxum, Alvos, Apamiam, Savardunum caſtrum, opp. S. Gavellæ, & Altam ripam præterlapſus, contra Rupes *Roqs* accedit Garumnæ: qui mox Toloſam, Granatam, & Virdunum attingit, & Caſtellum Saracenum. Hinc auctus aliquot fluviis Tarnum recipit infra Moſſiacum, ſeu Muſſiacum vet. Monaſterio illuſtre, & paulo poſt Ægirſium, *Gers,* ex Auguſta Auſcorum, & Florentia [illegible] que venientem. Inde Valentiam, Aginnum Nitiobrigum, [illegible] tumque & Aquinonem *Aiguillon,* ubi recipit Lotium ſeu Oltem, fluv. navigabilem, & Baiſam ex adverſo, præterlapſus, [illegible] Tonino, Manſo Aginnenſium, Marmanda, Regula rigatis, præter rundam vicum *Gironde,* unde illi porro nomen, vide infra, præterfluit, Droſio *le Drot* ibi accepto. Tot auctus aquis Garumna alluit caſtrum S. Macarii, Alingonem, & Sirionem *Barſac,* ad Sironis *le Siron* & Garumnæ confluentes ſitum. Cadillacum *Cadillac,* Podentiacum *Podinçac,* Reontium *Rions,* & prope Burdegalam labitur; infra quam Gala amniculus *la Jalle* in eum decurrit, paulò pòſt recipit Duranium fluv. omnium fluviorum, qui in eum devolvuntur, maximum, cum quo 15. leuc. infra in Ocean. Aquit. ſe exonerat, poſtquam Cantum Merulæ *Chantemerle,* Pauliacum, Caſtellionem in Medulis, Solliacum *Soulac* in ſiniſtra ripa; in dextra Santonicaque Blaviam *Blaye,* Condate *Coſne,* Tamnum *Mortagne,* aut potius Talmon, Novioregum *Royan,* quæ quatuor loca ſunt Santonum, ſalutavit. Ejus oſtium ut Baudr. habet æſtuarium magnum efficit inter Solacium Medulum, & Rojanum Santonum, ubi Andro, Inſ. aliàs, nunc tantùm turris Corduenna, inter quam & Santoniam eſt exitus, dictus *Paſſus Aſinerius.* Secundùm Valeſ. in ejus oſtio tres ſunt paſſus gradusve, navigantibus noti, paſſus Arenoſus *le pas de grave*: paſſus Aſinorum *le pas des Aſnes,* & Foramen Malidumi *le Pertuis de Maubuſſon.* Medio in oſtio, quod *la bouche de Garone* vocant, ſcopulo cuidam inſidet turris admirandi operis ab Ludovico XIV. magnificentiſſimè refecta & reſtituta, cum inſcriptione Latina. Heic navigantibus noctu ignis accenſus prælucet, ut olim in Inſ. Pharo, in urbe Gallæciæ Brigantia, in Morinorum urbe Geſoriaco factum. Dicitur *la Tour de Cordan,* h. e. turris Cordubenſis, quoniam inde olim Saracenorum Hiſpanienſium, quorum Cordubæ ſedes fuit, conatus obſervati. Currit autem hic fluv. teſte Æthico millia 207. Aquitanos primùm à Celtis: dein provincias Narbonenſem 1. & Aquitaniam ſecundam à prov. Novempopulana ſeu Aquitania 3. dividens. A' fonte nomen integrum retinet, uſque ad Gerundam vicum, & ad Regulam, tum enim ad oſtium [illegible]

Gerundæ nomen ſumit. Not. Gall. *La Garonne* hodiè. Ejus meminit Tibull. *l.* 1. Eleg. 8. *v.* XI.

Teſtis Arar, Rhodanuſque celer, magnuſque Garumna.

quem verſum ſic legit Hadr. Valeſ.

Teſtis Atur Doranuſque celer :

Additque meritò *Magnum* à Tibullo vocari, cùm Fortunatus *l.* 1. *Carm.* 15. Pado eum ac Rheno Danubioque comparandum putarit; ipſeque tribus, inter alios, navigabilibus fluviis Tarne, Olite, atque Duranio auctus, *æquoreus* ab Auſ. *in Moſella*, recentioribus quoque *Mare* appelletur. *l.* 2. *Edyll.* X. *v.* 83.

——— *Æquoreæ te commendabo* Garumnæ.

Claud. *in Rufinum*, Carm. 5. *v.* 113.

Quoſque rigat retro pernicior unda Garumnæ.

Quòd ait *retro*, revocat mihi in mentem Sidonii illud,

Oceanus refluum ſpargit per culta Garumnam.

P. Mela *l.* 3. *c.* 2. *Garumna ex Pyrenæo monte delapſus, niſi cùm hyberno imbre aut ſolutis nivibus intumuit, diu vadoſus, & vix navigabilis fertur. At ubi obvius Oceani exæſtuantibus acceſſibus adauctus eſt, iiſdemque retro remeantibus ſuas illiuſque aquas agit, aliquantum plenior, & quantò magis procedit, eo latior fit : ad poſtremum magni freti ſimilis : nec majora tantùm navigia tolerat, verùm etiam more pelagi ſævientis exurgens, jactat navigantes atrociter, utique ſi alio ventus, alio unda præcipitat.* Cæterum nomen ipſi à rapiditate, namque antiquis Gallis & nunc etiam Britonibus *Garum* rapidum ſonat. Oritur Becmanno in montibus Auræ, non procul ab urbe *Guadaluo* in lat. 42. evolvitur in mare in lat. 45. oſtio ingenti, quodque difficile propter Syrtes: Unde ad Rojanum plerumque nautæ quæruntur, qui ſuo periculo naves deducant. Burdegalam uſque admittit magnæ molis navigia: haudque procul ab oſtio admittit Duranium, ad opp. Burgum, cujus influxus in magna pericula navigantes adducit. Cum hoc fluvio Atacem conjungendo Galliam ex Mari Mediterraneo in Oceanum Occ. perviam facere ſtuduit Chriſtianiſſimus Rex hodie feliciter imperans. Atque ſimiliter Sequanam poſſe conjungi cum Rhodano eoque Mari Medit. mediis Armancione & *Ouche*, ductoque alveo 3. non ampliùs leuc. monet Furnerius *l.* 6. *c.* 15. qui alveum etiam mediante Lupiâ *Loin*, inter Ligerim & Sequanam ductum eſſe, refert *ibid. c.* 16.

GARUMNI, populi Garumnam circum habitantes, ut Toloſates, Aginates, Burdegalenſes &c. Baudr. Valeſ. *Garumnos* ſoli Cæſari *Comm. l.* 3. *c.* 6. memoratos, quos Auſcis ille, & Cocoſatibus medios interponit, gentem vult eſſe Novempopulanæ provinciæ, quæ Garumnam delapſum ex Pyrenæo, prima vel inter primas accoluerit. Eſt enim in Convenarum finibus, inquit, inter oppida S. Bertrandi, & S. Gaudentii, ad utramque fluv. ripam poſita regio, inde Riparia *Riviere* dicta, diviſa in Superiorem & Inferiorem urbibus Monte Regali *Montregeau*, & Valentiâ inſignis cujus tractus incolas Garumnæ naſcenti appoſitos, *Garumnorum* appellatione à Cæſare deſignari arbitratur. Certè Riparia attingit fines prov. Narbonenſis, quam Garumna ab Aquitania dividit, *Not. Gall.*

GARZONASTASIUM, vox barbaro-græca, ex voce medii ævi *Garſio* ſeu *Garzo*, h. e. *puer* ephebus, & στάσις, *ſtatio*. locum notat in ædis ſacræ medio, pueris deſtinatum. Macer. *Hier.* ubi epicombia jaci & ſtatuas Impp. poni conſueviſſe dicemus infrà in voce *Veſtibulum*.

GARZONUS Johannes, vide *Johannes*.

GASANDÆ, Arabiæ populi, quos cum Alilæis conjungit Diod. Sic. *l.* 3.

GASCONIUS Johannes, vide *Johannes*.

GASELICUS, fil. Alarici nothus, patre cæſo, pronuntiatus Rex mox collutionis cum hoſte ſuſpectus pulſus eſt, regnumque Alarici ex Theudetuſa filia Alarici nepotis tutor Theodoricus Veronenſis, tutatus eſt. A. C. 517. Iſid. *in Chron.*

GASINDUS, in L. Longobard. *l.* 1. *tit.* 9. §. 21. dicitur, qui ex familia alicujus eſt vel domo, famulus honoratior: Sic etiamnum Germanos *Geſinde* & *Hoffgeſinde* vocare Aulicos, Curiales, Palatinos, obſervat Freher. *ad conſtitutionem Adolph. Imp. de Inſ. Rheni*, apud C. du Freſne Gloſſ.

GASMULICA Gens, tempore Balduini Imp. CP. inter Græcos Latinoſque neutram ſe gerens, memoratur Niceph. *l.* 4. apud C. Macrum *in Hierol.*

GASNAPIA, vulgò *la Ganache*, locus eſt Galliæ, in Pictonibus, inter Montem acutum, & Bellum videre ad mare. Petri *de Gaſnapia*, proditoris ſummi, meminit G. Miles *in literis ad Henricum Angl. Regem ante Ann.* 500. *ſcriptis*. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

GASORUS, Moletio *Leſterocori*, urbs Maced. Amphipoli proxima, Græcis nunc *Alectryopolis*, Epiſcopal. ſub Archiep. Philippenſi.

GASPAR Colinius Caſtellionæus, Admiralis Galliæ celeberrimus, Reformatorum Dux fortiſſimus, Princeps Pariſienſis Lanienæ victima, occubuit A. C. 1572. Vide *Colinius*.

GASPAR Contarenus, vide *Contarenus*.

GASPAR Peucerus, Medicus & Mathematicus inſignis, gener Melanchthonis, Chronicon Carionis edidit Wittembergæ, A. C. 1565. ut & de Divinationibus librum. Carcere, ob veritatem, decennali ſub Aug. Elect. Sax. clarus. Obiit A. C. 1601.

GASPAR Schwenckfeldius, nobilis Sileſius, literis egregiè imbutus, hortatus eſt Jacobum Ep. Vratiſlavienſem, edito ſcripto, A. C. 1514. ut puram Evangelii doctrinam amplectatur. Dein medium ſe inter Evangelicos, & Pontificios gerens, ridiculam planè hæreſin procudit. Negavit enim, verbum aliquod Dei ſcriptum extare, Scripturamque ad Fidem, non hanc ad illam examinandam eſſe: Corpus Chriſti cœlitus delatum fuiſſe, ejus humanam naturam poſt Reſurrectionem Aſcenſionemque deificatam eſſe, hominem juſtitiæ, ſapientiæ, &c. Dei eſſentialis participem fieri, virtutem verbi ſacri ipſum ſubſtantiale Verbum eſſe, corpus Filii Dei in S. C. ex aëre conflari, &c. aſſeruit. A Luthero, Melanchthone, Bucero, Bullingero, &c. refutatus, nihilo ſeciùs obſtinatè in deliriis hiſce perſtitit. Vide Schlüſſelburg. *in Catal. hæret.* Gautier. *ſ.* 16. *c.* 66. Bucholzerum, *Ind. Chronol.* &c.

GASPAR Vopelius, Mathematicus, circa A. C. 1544. ſcripſit Coſmographiam, deſcriptionem Europæ, Aſiæ & Africæ littorum, Item de Rheno. Voſs. *de Math. c.* 44. §. 18.

GASPAR Urſinus, Poëta & Hiſtoricus, compoſuit Chronologiam Imperatorum, Regum, Paparum, &c. Paul. Jov *Elog.* Vide & *Caſparus*.

GASPARINUS Bergomas, Grammaticus celebris, A. C. 1420. *Ricciol.*

GASPHA, nomen loci. Neh. *c.* XI. *v.* 21. Lat. *appropinquatio oris*, ſive *accedens huc*.

GASSENDUS Petrus, Provincialis, Mathematicus Regius, Philoſophus ſui temporis celeberrimus. Scripſit libb. 3. de Philoſophia Epicur. libb. 5. Philoſophiam ſuam, opera Aſtronomica, vitam Peireſcii, &c. Obiit Pariſiis, A. C. 1655. Ætat. 66. Vide Voſs. *Morer.* &c.

GASTALDUS, civitatis ſeu provinciæ, idem Longobardis olim, qui aliis Graphio & Præpoſitus, Anglis Vicecomes appellatur. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.* C. du Freſne munus hoc officiumque varium fuit & diverſum, pro temporum Principumque ratione. Nam apud Longobardos qui officio iſti nomen indidêrunt. *Gaſtaldi* primò dicti videntur, qui quaſi cuſtodes, actores ſive procuratores prædiis aut villis regiis imponebantur, velut *Oeconomi* Villicique. Præſertim verò ita appellati ſunt, Regionum & urbium Præfecti: Unde *Gaſtaldus Tuſcanenſis*, memoratur Anaſtaſ. *in Vitis Pontif. p.* 76. *Gaſtaldus Beneventanus*, & *Capuanus*, Leoni oſtienſi *l.* 1. *c.* 21. & 26. &c. Eratque officium eorum ſubjectis populis jura reddere, judiciiſque præeſſe, ut patet ex *Conſtitutione* Pipini Regis. In *L.* Longobard. *l.* 2. *tit.* 52. §. 19. Quam tamen juriſdictionem non abſque unius ſeu plurium Juriſperitorum conſilio exercebant. Porrigebatur autem illa in plebem ſolùm & viliora capita, non verò in nobiles aut vaſſos dominicos, qui Ducibus aut ſupremis duntaxat provinciarum Præfectis erant ſubjecti. Unde fortè eſt, quòd Albertinus Muſſatus *Gaſtaldiones* interpretatur *Tribunos Pl. de Henrici VII. Imp. Geſtis l.* 7. Intererant porrò Placitis cum Comitibus aliiſque Judicibus; &, ſi bellum eſſet, ſubditos in exercitum conducebant. Namque & horum quoque militare munus fuiſſe, docet præter *L.* Longobard. *l.* 1. *tit.* 15. Anaſtaſ. *in Greg. II.* tradens, *Longobardos penè trecentos cum eorum Caſtaldione interfectos*, à Neapolitano Duce, in Cumani Caſtri recuperatione. Vide Erchempertum *in Hiſt. Longobard. n.* 15. & 62. Licèt autem id munus, *feudi* nomine donetur à Feudiſtis, tamen non fuiſſe perpetuum id, patet ex Paulo Diacono *Hiſt. Longobard. l.* 5. *c.* XI. ubi ſcribit, *juſſu Grimoaldi Longobardorum Regis in Italia certas poſſeſſiones datas Alzeconi Duci Bulgarorum, ita tamen ut non Dux, ſed* Gaſtaldus *vocaretur*, auctor eſt Theophan. *p.* 296. qui eos primariis viris accenſet, Ὅτε Χάγανος, inquit, τῶν Ἀβάρων καὶ οἱ ἐπέκεινα Ῥῆγες, ἔξαρχοί τε καὶ Κασάλδοι καὶ οἱ ἐξοχώτατοι. De Anglis, vide Vitalem *l.* 10. *p.* 773. de Francis Meuriſſium *p.* 379. & plura hanc in rem apud Macr. in *Hierol.* & Car. du Freſne in *Gloſſ.*

Comites Foiſſæi ſeu Fuxii.

GASTO I. Comes Foiſsæus, ſucceſſit Patri, Rogerio Bernardo II. A. C. 1306. Obiit A. C. 1315.

GASTO II. fil. ejus, Obiit A. C. 1344. Fil. ſucceſsore, qui

GASTO III. cognom. Phœbus, victoriis, animi magnitudine, ædificiorum magnificentiâ &c. inclytus fuit, Scripſit de Venatione, Speculum Phœbi, &c. Obiit ſubitaneâ morte, A. C. 1391. Comitatum ſuum Carolo VI. Regi donavit, ſed hic eum hæredibus reddidit.

GASTO IV. fil. Joh. A. C. 1436. ex Eleonora Arragonia, pater inter alios, Joh. Vicecom. de cujus fil. Gaſtone, infrà.

GASTO V. Foiſsæus, vel Fuxius, fil. Joh. Vicecom. Narbon. ex Maria Aurelianenſi, ſorore Ludov. XII. Præfectus Mediol. & Dux exercitus Gallici, in Italia. Intra 15. dies, Bononiam, à Confœderatis, Papa, Hiſp. Rege & Venetis, obſeſsam, nive inſuper denſiſſimâ cadente ingreſsus: Joh. Paulum Baillonum, copiarum aliquot Venetarum Ducem ſtravit, Brixienſi agro intrato 8000. hoſtium delevit, memorabili dein ad Ravennam prælio Paſchatis die A. C. 1512. victor dum nimis avidè fuſos hoſtes inſequitur, à globo Hiſpanorum circumventus, & occiſus eſt, An. Æt. 24. cum maximis Ducum comparandus. Vide Solon. *miniſtr. ſtatus*, Dupleix. *Mezeraium*, &c.

GASTO, nomen Ducis Aurelian. fratris Ludovici XIII. Obiit A. C.

A. C. 1660. Æt. 52. nullâ prole maſcula relictâ. Item nomen Delphinatis cujuſdam nobilis, qui cum Guerino fil. Ordinis. S. Antonii fundator extitit, ſec. 10. Vide *Antonii Ordo*. Item Morer. *Dict. Hiſt.*

GASTRA & GASTRUM, vas æneum eſt, cum fundo anguſto. in Petron. *Satyrico* Edit. Gonſali de Salas *p.* 22. Edit. Boſch. *c.* 39. hoc nomine intelligit Caſaub. amphoras, per angiportus Romæ collocari ſolitas, in quibus qui per diem veſicam exonerare vellent, ſtipem pendere cogebantur, à Veſpaſiano inſtitutam, ex Tit. vet. Scriptoris loco apud Macrob. Sat. *l.* 3. *c.* 17. Vide eum *ad Suet. in Veſpaſ. c.* 23. ut & ſuprà ubi de *Foricariis* & *Fullonibus*. A' Græcò γαστὴρ, venter: unde γαστρολογία inter opera Terpſionis, quem primum editis regulis, quid edendum, à quo abſtinendum, docuiſſe, diſcimus ex Athen. *l.* 24. *p.* 649.

GASTRON, Lacedæmoniorum, quos Spartani Ægyptiis adverſùs Perſas auxilio miſêrunt, dux. Vide Polyæn. *l.* 2. *p.* 136. Hic, cùm ſciret, firmiorem eſſe Græcum militem magiſque à Perſis timeri commutatis armis Græcos in prima poſuit acie; & cùm illi æquo Marte pugnarent, ſubmiſit Ægyptiorum manum. Perſæ cùm Græcis, quos Ægyptios opinabantur, reſtitiſſent, ſuperveniente multitudine, quam ut Græcorum expaverant, ceſſêrunt.

GASTRONIA, regio Macedoniæ. *Steph.*

GASTUS, vett. Francis *Dominus*, ut auguratur Wendelinus, ex *Prologo L.* Sal. ubi quatuor Legiſlatores hanc condidiſſe dicuntur, *Wiſogaſt*, *Bodogaſt*, *Salegaſt* & *VVindegaſt*: qui quidem Francorum Rectores fuêrunt, in locis *Bodoheim*, *Saleheim* &c. à ſuis, ut apparet, ſua ſingula nomina ſortiti; ut proin Bodogaſt obtinuerit locum *Bodoheim*, Salegaſt *Sale-heim*, Windegaſt, *Windeheim* &c. Henr. Meibom. *Notis ad Witekindum*, ait *Gaſt* vocabulum Germ. non ut hodie hoſpitem, ſed quemvis hominem ad omnia promptum agilemque olim ſignificaſſe. At Camerarius, *Gaſtos*, Germanico nomine, à ſapientia & ſcientia rerum, atque ingenii perſpicacitate, dictos exiſtimat, *Horarum Succiſiv. tom.* 3. *c.* 63. C. du Freſne *Gloſſ.* Vide quoque ubi *de Salica Lege*.

GATA & GATTUS, genus navis, *in Chron.* Anonymi Barenſis A. C. 1071. & apud Laurent. Veron. *Bello Balear.* Item machina oppugnatoria, apud Monachum Florentin. *de Expugnat. Accon. Gattos & arietes fieri juſſit*, vide ſuprà in *Cattus*.

GATAKERUS Thomas, vide *Thomas*.

GATHAM, fil. Eliphaz filii Eſau ex Ada uxore. Gen. *c.* 36. *v.* 11. Lat. *tactus*, vel *mugitus eorum*, aut *mugitus perfecti* vel *ſimplicis*.

GATHEA, urbs Arcadiæ. *Steph.*

GATHIS, regina Syriæ, quæ edictò cavit, ne quis piſcem comederet, quin ipſa adeſſet, at hæc piſcibus tandem data, & devorata dicitur. *Volaterran.*

GATHYNIA, urbs à Lacone Rege condita juxta mare, ut Cedren. nobis tradit: Ὁ δὲ νῦν Λάκων τὴν ἡμίσειαν χώραν λαχὼν, Λακωνικὴν ἐκάλεσεν, ἧς τριάκοντα τρεῖς χρόνους βασιλεύσας, ἔκτισε πόλιν παράλιον τὴν Γαθυνίαν. *Nic. Lloydius.*

GAVANODURUM, aliis Juvavum, & Juvavia, *Saltzburg*, urbs Archiep. Germ. quibuſdam, Aliis eſt, *Gamanodurum*, quod vide.

GAVARIACUM, vulgò JAVARCAY, villa olim regia ſeu fiſcalis Galliæ, in pago Pictavenſi. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

GAVARRETUS, in Aula Regum Siciliæ Officium, ſub Normannis Principibus, cui non ſolùm cura & cuſtodia Palatii erat commiſſa; *ſed & illius erat eos, qui per diverſos Palatii carceres erant incluſi, frequenter inſpicere, eorumque ſtatum mitiùs aſperiuſque prout ei viſum erat, commutare & prout vellet, cuſtodes ſingulis deſignare carceribus*, Falcandus *in Hiſt. de Siciliæ calamitat.* Cui ſimile fuit in Aula CP. Magni *Papiæ* officium, ut *in Notis ad Cinnamum* docet C. du Freſne. Ejuſdem nominis habentur Vicecomites in Beneharnis *Vicecomites de Gavarreto* dicti, de quibus vide Marcam *Hiſt. Beneharn. l.* 5. *c.* 28.

GAUDARA, vicus Macedoniæ, *Steph.*

GAUDENTES Fratres, vide ſupra *Fratres*.

GAUDENTII Caſtrum, in Vaſconia prov. Galliæ, memoratum Petro Monacho *in Hiſt. Albig.* his verbis: *Monuêrunt Comitem, ut maximam reciperet Vaſconiæ partem. Properans igitur Comes, perrexit ad Caſtrum, quod dicebatur* S. Gaudentius, *& fuerat Comitis Convenarum*: vulgò dicitur *S. Gaudens*, opp. eſt Galliæ, in Comit. olim Convenarum, poſtea Dominio Benearnenſi, non procul ab opp. S. Gerontii *St. Girons*, & ab opp. S. Licerii *S. Lezé*, aliàs *S. Leger*. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* in voce *Sancti Gaudentii*.

GAUDENTIUS, Ep. Ariminenſis pius, & orthodoxus, tempore Conſtantini Imp. quum impiæ ſynodo Arianorum Epiſcoporum, qui Arimini convenerant, nollet aſsentiri, crudeliter interfectus eſt.

GAUDENTIUS, Ep. Brixianus, Philaſtrii ſucceſsor, A. C. 387. miſſus Conſtantinopolim, A. C. 405. cum legatis Innocentii I. ad reſtituendum Chryſoſtomum, & Concil. Gen. celebrandum. Scripſit inter alia, vitam Philaſtrii, 28. Sermones, in Bibl. PP. &c. Obiit A. C. 410. A. C. 427. Ferdin. *Ughel. T.* 4. *Ital. ſacr.* Morer. Item Ep. Donatiſta, in Numidia, cujus 2. Epiſtolis ad Trib. Dulcitium, B. Auguſtinus reſpondit, &c. Vide Morer. *Dict. Hiſt.*

GAUDERE, Gr. χαίρειν, ſerò epiſtolis additum eſse nonnulli cenſent, cùm priùs alter alteri ſimpliciter ſcriberet, ut *Amaſis Polycrati*. Primum Cleonem ait Eubulus Comicus ſic ſcripſiſse Athenienſibus è Sphacteria. Sed & Vett. ea voce uſi, non ſolùm in primo congreſsu, verùm & in diſceſsu & *gaudere*, pro valere ac ſanum eſse, uſurparunt, Suid. vide ſuprà ubi de *Epiſtolis*.

GAUDIACUS Vicus, locus Galliæ in Carnutibus, vulgò *Iouy*. Hadr. Valeſ. in voce *Ignorandis*.

GAUDIANUM, vulgò *Gozano*, pag. agri Novar. non incelebris, apud Hortanum lacum.

GAUDIÆNUS, memoratur Capitolino *in Gordiano III.*

GAUDIOSUS, inter Duces, qui è diſciplina Probi prodiêre, apud Vopiſc. *in Probo.*

GAUDIUM, inter Numina Romanorum memoratur Clementi Alex. *Protrept. p.* 12. Vide quoque ſuprà Dii. Aliàs Gaudium, ... lenius, quàm lætitia. Cic. *Tuſcul. Quæſt. Quum ratione animus movetur placidè atque conſtanter, tum illud* Gaudium *dicitur; quum autem & inaniter & effuſè animus exultat, tum illa lætitia geſtiens, vel nimia, dici poteſt.* Et Hier. *ad Galatas c.* 5. *In ſecundo ſpiritualium fructuum loco* Gaudium *poſitum eſt: quod Stoici quoque, qui diſtinguunt inter verba ſubtiliùs, aliud quid eſſe æſtimant, quam Lætitiam.* Gaudium *quippe eſſe ajunt elationem animi ſuper his, quæ Digna ſunt, exultantis*: Lætitiam *verò effrænatam animi elationem, quæ modum neſciat.* Utrumque nempe ἔπαρσις *elatio* eſt, ſed hæc ἄλογος unde frequens *Lætitia exultare*, imò & *trepidare*: illud εὔλογος, Deſid. Herald. *Animadv. Arnob. l.* 7. Et quidem *Gaudium* ex homine nato ingens. Quamvis enim non naſci optimum judicavit gentium conſenſus, Thraces quoque hominum natales flevêrunt, Perſæ item ante quartum vel quintum vel ſeptimum annum natos non aſpexêrunt, finito nempe primo fatorum circulo, quod & vett. Gallis placuit: veriſſimè tamen Dominus noſter, Joh. *c.* 16. *v.* 21. *Mulier*, inquit *poſtquam peperit puerulam, jam non meminit afflictionis, propter* gaudium, *quòd homo ſit natus in mundum.* Et ... dent matres, poſt ſeptimum diem, quando vitalem ſperant natum. Meliorum etiam morum gentes de feliciter tranſacto puerperio lætabantur. *Gaudium* & ſalutatio inter amicos & clientes, *Hodie nate ſalve*; ab Oriente ad Romanos delato more: poſtes puerperæ tertia die coronati, munera natalitia puero oblata, polypi, ſepiæ, coronæ, gemmæ; puerperæ, umbellæ, ... &c. ſervis alia: porrò epulæ, ſpectacula, ſtatuæ exhibitæ, Quæ lætitia eo major apud Romanos fuit, quò majoris prolis deſiderio Reipublicæ augendæ cauſa, connubiique retinendi & ob jus trium liberorum, ardebant matres. Vide Thom. Bartholin. *de Puerp. Vett.* & hîc non uno loco. Inde *natorum gaudia*, apud ... pin. Stat. *Theb. l.* 10. *v.* 420. pro liberis, *qui toti ex amore & gaudiis conſtant*, ut *ad l.* ait vet. Scholiaſtes &c. Sed & non minus Olympionicarum olim *gaudium* fuit, utpote victorum in certamine, quo in humanis rebus nihil habebatur præſtantius: ut alia omittam. Verùm & hîc modus tenendus: *Gaudio* enim nimio extinctos habemus non paucos: duas feminas apud Liv. *l.* 7. ... gna Thraſymena: & præter Chilonem, Sophoclem ac Dionyſium I. Siciliæ Tyrannum, utrumque Tragicæ victoriæ nuntio accepto, apud Plin. *l.* 7. *c.* 53. Alios. Nec mirum, cùm vehemens *gaudium*, velut paria cum dolore faciens, non rarò lachrymas quoque excutiat. Claud. *Bello Gildon.* Carm. xv. v. 228.

> *Quem ſimul ut vidit natus nam clara nitebat*
> *Cinthia permiſto tremuêrunt* gaudia *fletu.*

Quam in rem egregia habes, apud C. Barth. *Animadv. ad Stat. Theb. l.* 5. *v.* 728. At à *gaudio* Chriſtianorum nullum periculum, quos ... unicè gaudere Dominus J. C. vult, Math. *c.* 5. *v.* 12. *quòd nomina ... ſcripta ſint in cœlis*, uti ex Evangelio diſcimus. Apocal. *c.* 12. *v.* 11. &c. Vide quoque infrà ubi de *Lætitia*, it. in voce *Zeta*: ubi verba Dominica. Εἴσελθε εἰς τὴν χαρὰν τοῦ Κυρίου σου, ſic intelligi poſſe, ut ... *Gaudium*, nomen dicatur eſſe Diætæ ſeu Cœnaculi Patris cœleſtis, alluſione factâ ad Principes hujus ſeculi, qui magnificis ſuis diætis peculiaria nomina inſcribere ſoliti ſunt, videbimus.

GAUDULI, locus Galliæ, *Chaudoul*, vide hic infrà, *Gaveda*.

GAVEDA, ſeu GAVEA, vulgo *la Joive*, locus eſt Gall. inter poſſeſſiones Eccl. Dinienſis, Alexandro III. Pont. memoratus in *Litt.* datis A. C. 1180. ubi meminit Oſidæ, *Oiſe*, Aglenii vel Agledunі *Aiglun*, caſtri Dromonis, caſtri Belioci vel Belli joci, Gavedæ vicique Gaudulorum, vulgò *Chaudoul*. Vide Henr. Valeſ. *Not. Gall.* in voce *Dinia Rodiontiorum vel Sentiorum*.

GAVENARIUS, Officialis olim, in pago Cameracenſi, qui, à Comite Flandriæ inſtitutus, illius nomine jus quoddam annuum muneris gratuiti vice in eo percipiebat, pro advocatione ſeu protectione Eccleſiarum, apud Carpentar. *Hiſt. Camer. part.* 3. *c.* 6. A' ... quod à Flandrico *Gave*, h. e. *donum*, *munus*. Sed & *gabel*, ... tum notare diximus ſuprà in *Gablum*, ex *Gloſſ.* C. du Freſne, quem vide etiam in voce *Gavena*.

GAVERA, caſtellum Flandriæ vet. vulgò *Gavre*. Com. tit. ... Principatus, quo Joh. Com. Egmondani poſteri aucti ſunt, quorum γενεαλογία hæc eſt. Vilhelmus Dn. *de Egmond*, Baro Ijſſelſteinius, qui obiit A. C. 1483. ex Walpurgi Meurſia, duos habuit filios, minorem natu Fridericum Com. Buræ, cujus hæreditas ... ad Principes Arauſion. delata eſt; & Joh. I. Com. Egmond. qui ex Magdalena Werdenbergia ſuſcepit Joh. II. defunctum A. C. 1528. quo & Franciſcâ Lucemburgiâ Princ. *Gaveræ*, natus eſt Lamorallus ſeu Amurathes Com. Egmondanus Princeps Gaveræ, ... fortitudinis laude & moris acerbitate (juſſu Albani Ducis ... decollatus eſt A. C. 1568.) celeberrimus: cui ex Sabina Palatina geniti ſunt Philippus, Lamorallus, cæterique; de quibus ſuprà in Fam. *Egmondana*, omnes Comites d'*Egmond*, Principes *de Gavera*, Ph. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. part. II. p.* 24. uti & in Indice in voce *Egmond*.

GAUGAMELA, locus Perſidis, de quo Arrian. Πόλις δὲ οὐκ ἦν Γαυγάμηλα, ἀλλὰ κώμη οὐ μεγάλη, οὐδὲ ὀνομαστὸς ὁ χῶρος, ... εἰς ἀκοὴν ἡδὺ τὸ ὄνομα. Joſ. Scalig. ait, *Gaugamela*, linguâ Aſſyriacâ *cameli inteſtina* ſignificare, rationem ſubdit, quòd ibidem eſſent inhumata. Optimè omnium verò Strabo, ait vocem hanc *Domum cameli* ſignificare. *l.* 16. *p.* 737. Nic. Lloyd. Imò potiùs Cameli ...

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

vectigalia. Obſervat enim Bochart. nomen contractùm eſſe, ex נבי גמלא *gave gamala*, quomodo diviſis vocibus in Plin. ſe legiſſe teſtatur Hermolaus: & Chaldæis *gave gamala* dici, cameli vectigalia. Nempe Plutarch. ipſe (qui cum Strab. ſentit) auctor eſt, priſcum aliquem Regem, è prælio fugâ elapſum camelo dromade, qua tum vehebatur, ὠνὰς ϖϖϑοόϛ, *certa vectigalia*, illi pro alimento attribuiſſe. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. pr. l. II. c. 1.*

GAUGIACUM, vulgò GUEUX, locus Galliæ in pago Remenſi, unà cum Germiniaco, à Theodorico, Chlodovæi filiorum natu maximo, collatus Theoderico vel Theodorico Abbati, à quo Monaſterium S. Theodorici *S. Thierry*, in eodem agro, nomen habet. Vide Hadr Valeſ. in voce *ad S. Theodoricum.*

GAVIARII, vide ſuprà *Galearii.*

GAVINUS, vel GALVINUS Duglaſſius. Vide ibi.

GAVIRATIUM, vulgò GHIVIRA, opp. Duc. Mediol. 6. mill. à lacu Verbano in Ort. Ei adjacet lacus *Gaviratius*, per Botiam foſſam in Verbanum cadens.

GAVIS, opp. Sabinorum 12. mill. paſſ. ab urbe Roma.

GAVIUM, vulgò GAVI, oppid. munitum dit. Genuenſis, intra Apenninum, juxta amnem Lemum, in limite Montisferrati, & Duc. Mediol. Medium ferè inter Genuam ad auſtr. & Dertonam ad bor.

GAVIUS, vide *Apicius.*

GAVIUS Baſſus, Macrob. dicitur *Sat. l. 1.* qui *Gabius Baſſus* A. Gell. *l. 1. c. 4.* & *l. 3. c. 9. l. XI. c. 17.* & pejùs in antiquis aliquot editionibus, ut & Lactant. *l. 1.* C. *Baſſus*, nec meliùs *Gavius Baſſus* Fulgentio. Unde Scriver. apud A. Gell. *Gaviùs* reponit, quod nomen crebrò occurrit in antiquis inſcriptionibus. *Gaviam* quoque gentem fuiſſe ſatis liquet, ſed cognomina in prænomina non rarò mutantur. Nec difficilis converſio inter B. & V. Commentariorum ejus variis in locis meminit Gell. Carrio judicat hunc eundem eſſe *Gavium Baſſum*, qui Trajano imperante oræ Ponticæ fuit Præfectus, de quo vide Plin. *l. 10. Ep. 22.* Non rarò enim Gell. etiam illos Auctores laudat, qui ſuæ ætati æquales vel etiam non multo ſuperiores fuêre. Jac. Oiſel. *Notis in A. Gell. l. 3. c. 9.*

GAVIUS Maximus, Præfectus Prætorio ſub Antonino Pio, vir ſeveriſſimus, apud *Capitolin.*

GAULALES, Æthiopiæ pop. antè *Auloles. Oroſ.*

GAULEA, apud incertum Auctorem *de Geographia*, *Gaulea Inſ. in Auſtrali Oceano occidentalis Æthiopiæ*; ex Iſid. quem allegat. Quid verò ſibi velit, neſcire ſe fatetur Salmaſ. *ad Solin. p. 384.*

GAULEON, ora Libyæ objacens, in qua ſerpens neque naſcitur, neque invectus vivit, pulviſque ejus ubivis gentium jactus angues, & ſcorpiones perimit. Solin. Vide *Gaulos.*

GAULON, inſignis in Baſanitide, & Batanea regionibus urbs eſt, in tribu Manaſſe, ex cujus nomine etiam adjacens regio *Gaulonitis* appellatur, quæ regio, poſtquam filii Iſraël occiſo Og rege Baſan, univerſam ejus ditionem expugnaſſent, à Moyſe dimidiæ tribui Manaſſe in poſſeſſionem data eſt, urbs vero cum ſuburbanis ſuis aſſignata fuit Levitici generis ſacerdotibus: factaque eſt civ. refugii in Baſan. Joſ. *c. 20. v. 8.* 1. Par. *c. 6. v. 71.*

GAULONITÆ, nomen factionis potiùs, quàm ſectæ, inter Judæos, quemadmodùm & Herodiani. Dicti à quodam Juda, qui modo *Judas Gaulonites*, Joſeph. *Antiqq. l. 18 c. 1.* modò *Judas Galilæus*, idem *l. 8. c. 2.* cujus quoque mentio Actor *c. 5 v. 37.* vocatus eſt. Ita autem in Actis legitur: *Poſt hunc exortus eſt Judas ille Galilæus, temporibus deſcriptionis & avertit populum multum poſt ſe.* Deſcriptionis hujus ſeu tributi auctor fuit Cyrenius ab Aug. in Syriam primò, dein Judæam, miſſus, quæ tum Coponium Præſidem habebat. Nec confundenda illa cum deſcriptione, cujus Luc. meminit *c. 2. v. 1.* cùm hæc Oecumenica eſſet, illa, de qua in Actis, ſolam Syriam & Judæam concerneret, poſtquam Archelaus, Herodis fil. Viennam exulatum iviſſet. Hujus igitur bonis ut manum injecit Cyrenius, novamque deſcriptionem inſtituit, Judas hic magnâ hominum turbâ in ſuas partes pertractâ, perſuaſit illis, omne tributum ſervitutis ſignum, nec ullum Dominum vocandum eſſe, præter eum, qui Dominus Dominorum eſt, Deum viz. cœli & terræ. Horum, utpote qui pro Imp. Rom. incolumitate ſacrificia non offerenda eſſe contendebant, Luc. *c. 13. v. 1.* ſanguinem cum ſacrificiis eorum miſcuit Pilatus, non enim qui gente, ſed qui ſectâ *Galilæi* erant, à Juda Galilæo ſic appellati, ibi intelligi docet Theophylactus *in præf. Lucæ loc.* cùm Pilato in Galilæorum gentem nihil juris fuerit. *Periit tandem & ille & omnes, qui aſſenſi fuerant ei, diſperſi ſunt*, Actor. 5. *v. 37.* Vide ſuprà, & Joſeph. inſuper *de Bello Jud. l. 7. c. 28.* Ejuſdem factionis erant, qui Σικάριοι alibi in Actis dicuntur, Thom. Godwin. *de ritib. Hebr. l. 1. c. 13.*

GAULOS, ſive GAULEON, inſ. in mari Mediterraneo, Libyæ objacens, 5. mill. paſſ. in Occidentem, à Melita protenſa, in propinquo eſt, verſus prom. Mercurii: Ab indigenis patriâ linguâ. *Gaudiſch*, Arab. *Gaudoſch*, Gall. *le Goze*, 30. mill. paſſ. habens in circuitu, vulgò *Gozus* nuncupatur: Parvi circuitus. Aquis eſt irrigua, cultura nobilis, & frumenti feraciſſima. *Gaulos*, quæ *Gozat* procul dubio eſt, equitum Johannitarum ditioni, Caroli V. Cæſaris munere, ſubeſt, cùm antea penderet à regno Tunetano: cujus indigenæ Chriſtiani etiam ſunt, licèt Saracenicè loquantur. In ea eſt opp. ejus nominis in edito loco. De Gaulo inſ. hæc in ea memoratu digna. Plin. *l. 3. c. 8.* & *l. 5. c. 7.* & Solin. ſcripta reliquêrunt: Serpentes in ea neque naſci, neque vivere invectos, præterea jactum ex ea quocunque gentium pulverem, arcere angues, ſcorpioneſque à ſuperjectu illico perimi: quibus hæc ætate uſus ſuffragatur. Neque ſolùm Gaulo id proprium eſt: nam in Gathalia quoque contra Rubricati fluminis oſtium, & Sardiniam inſ. à terra ſcorpionem, dirum Africæ animal, necari ſcribit. Plin. A. C. 1551. Cal. Aug. Senen claſſis Turcicæ, 140. triremibus inſtructæ, præfectus, triduanâ oppugnatione adortus, arce priùs tormentorum ictibus disjectâ in deditionem accepit: quam deinde ingenti captâ prædâ, & quatuor fermè Chriſtianorum milibus in captivitatem aſportatis, impio fœdavit incendio. Joh. Matal Metell. Arcem habet in monte edito, cui adjacet burgus amœnus, ſub dominio equitum Melit. Baudr. Κλαῦδον vocat Ptol. quæ Γαῦλος & Γαῦδος cæteris; apud Luc. dicitur Κλαύδη, Actor. *c. 27. v. 16.* Athen. Κλαύδιον. Inter Sardiniam & Africam, 808. mill. Melitene Africanâ diſtat, ſecundùm Strab. de qua vide Salmaſ. ubi ſuprà *p. 384.*

GAULUS, Feſto *navigii genus penè rotundum.* Heſych. Γαῦλοι τὰ ποιμενικὰ τοῦ γάλακτος ἀγγεῖα καὶ τὰ φοινικικὰ πλοῖα, *Gauli paſtorum, quibus lac excipiunt, vaſa, item Phœnicia navigia.* Idem Heſych. Pollux & Suid. Athen. *l. XI. p. 500.* inter vaſa reponunt. Plaut. *Rud. Act. 5. ſc. 2. v. 32.* in pocula. Varinus prædatorii navigii ſpeciem eſſe dicit, quæ & *Liburnica* vocetur. Sidonium navigii genus facit Callimach.

Κυπρόθι Σιδόνιός με κατήγαγεν ἐνθάδε γαῦλος,

E Cypro Sidonius me deduxit huc gaulus.

Utique Hebræis גלה lecythus eſt, vel, ut Judæi docent, erat vas amplum, concavum & rotundum in formam lenticularem. Vide Zachar. *c. 4. v. 2.* & 3. At גולה ſive *gole* etiam *diſcedentem in aliam regionem, vagum*, vide 2. Sam. *c. 15. v. 14.* Hinc navis dici potuit, quæ maria ſulcat, in alias regiones diſcedit, vel etiam per aquas vagatur Nam & גל & Chaldæis גלה aquarum ſcaturiginem notat. Jac. Oiſel. *Not. in A. Gell. l. 10. c. 25.* Vide quoque ſuprà *Buttis.*

GAUMELLUM, vide *Laumellum.*

GAUNACUM, vide *Tribonium.*

GAUNI, vide *Naunes.*

GAUNODURUM, opp. Helvetiorum Ptol. Foro Tiberii non procul B. Rhenano, qui, *Sane*, inquit, *Zurtzaci nomen non penitus abludit, ſic dictum Alemannis pro Duraco. Gaunum autem vetere Gallorum linguâ, qua uſi Helvetii, ſaxum ſignificat. Unde Agauno nomen in Octodurenſi tractu ---- propter cataractas Rheni libenter id nomen ---- Ouſenbergo tribuerem. Sed ſunt & ſuperiores cataractæ, Rer. Germ. l. 3.* Vide & *Gannodurum.*

GAURATÆ, apud Plin. *l. 6. c. 23.* ubi *de Capiſſene* & *Carmania*: *Inſ. Acrotadus, item* Gauratæ *in quibus Chiani gens: Flumen Hyperis in medio Sinu Perſico* &c. inſ. Aſiæ, de qua vide Salmaſ. *ad Solin. p. 1180.*

GAUREÆ Comites in Jacobum VI. Scotiæ Regem conſpirant, ſucceſſu infelici. Vide lectu dignam hiſtoriam apud Thuan. & Buchan. *in Hiſt.*

GAURI, Turcis vocantur Chriſtiani; quaſi *gentiles*, aut *pagani*, teſte Leunclav. *Hiſt. Muſulmann. l. 1.* imò omnes à ſuperſtitione Muhamedana alieni. Sic enim in Perſia dicuntur, qui è priſcis Perſis oriundi eorum etiam ſacra retinent, neque quidquam cum reliquorum Muhamediſmo habent commune; de quorum ſede, religione & ritibus variis, vide P. dela Valle *Itin. Tom. 2.* & Joh. Bapt. Tavernier *Itin. part. 1.* ubi *de Perſia.* Vocis etymon, an ab Hebr. *ger*, Chald. & Syr. *gor* & *gar*, i. e. *peregrinus*, ſive *extraneus*: an à *gaura* Syriaco, quod *adulterium* vagamque notat libidinem? Nec multum abludit *Giaſſrorum* appellatio, quâ Chriſtianos ab iiſdem aſpergi, legas apud eundem *l. 18.* Vide Joh. Forbeſ. *Inſtruct. Hiſt. Theologic. l. 4. c. 15. v. 13.* & infrà in voce *Suſpendenái.*

GAURICUS Lucas ex Marca-Anconitana, Paulo III. magni habitus, & Jul. C. Scalig. in Mathematicis præceptor, à Joh. Bentivolo, cui exilium prædixerat, excruciatus, miſerrimè periit, A. C. 1559. Æt. 82. Vide Anton. Teiſſier in *Elogiis*, ubi inter alia ſcripta ejus enarrat. Frater fuit Pomponii, Poëtæ excellentis, qui edidit *artem ſculpendi*, & alia quædam proſâ verſuque, Joh. Matth. Toſcan. *Peplo Italiæ l. 2.* Vide & *Lucas*, It. *Pomponius.*

GAURIUM vulgò GAURELEON, Liv. *l. 31. c. 45.* portus Andri Inſ.

GAURUS, inſ. prope Carthaginem. *Steph.*

GAURUS, mons Campaniæ, Maſſicis, & Surrentinis propinquus, in quo naſcitur vinum præcipuæ bonitatis. Liv. *l. 7. c. 32.* Plin. *l. 3. c. 5.* & *l. 14. c. 6.* Ejus meminit Lucan. Civ. Bell. *l. 2. v. 665.*

——— *Vel ſi convulſo vertice* Gaurus
Decidat in fundum penitus ſtagnantis Averni.

Et Stat. *l. 3.* Sylv. 1. *v. 147.*

Spectat ab Icario nemoroſus palmite Gaurus.

Idem Sylv. 5. *v.* 99.

Seu tibi Bacchei vineta madentia Gauri.

Inde *Gauranus mons*, & *Gauranus ſinus* eidem Statio Juv. *Sat. 8. l. 3. v. 85.*

——— *Cœnet licet oſtrea centum*
Gaurana.

Idem *Sat. 9. l. 3. v. 56.*

Te Trifolinus ager fœcundis vitibus implet,
Suſpectumque jugum Cumis, & Gaurus *inanis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

GAUS, fil. Tami, qui paternis conſiliis adverſatus ad partes Artaxerxis ſe applicuit magniſque poſtea copiis præfuit. *Gaos* nominatur Diod.Sic. *l.*15. initio claſſis Perſicæ, adverſus Evagoram, præfectus. Poſtea fortunam Teribazi metuens, cujus filiam in matrimonio habuit, deſcivit ab Artaxerxe: ſed in primordio molitionum adverſus Regem dolo cæſus eſt. Olymp. 99. An. 2. Ejus quoque meminit Polyæn. *l.* 7. ubi tamen vocatur Γλώς.

GAUSAPA, ſive GAUSAPE, an à *goſſipio*? Fuit veſtimentum ex pingui ac denſa lana compactum, tunica, lacerna, pænula, ex unica tantùm parte villoſum: quod enim utrinque villos habebat, ex eo *Amphimallum* Græcè dictum eſt, Varro *de Ling. Lat. l.* 4. De his Plin. *l.* 8. *c.* 48. *Antiquis enim thorus è ſtramento erat, qualiter etiam nunc in caſtris: Gauſape patris mei memoria cœpêre, Amphimalla noſtra.* Certè Ovid. ætate, quæ & Plin. parenti eadem eſſe potuit, non incognita Romanis fuiſſe *Gauſapa*, illa docent in *Amoribus*, Ovid. de arte Am. *l.* 2. *v.* 300.

Gauſapa *ſi ſumpſit*, gauſapa *ſumpta proba.*

Ubi vel pænulæ intelliguntur, utrique ſexui communes, vel tunicæ. Cæterùm etiam Varronem feciſſe *Gauſapinarum* mentionem, teſtantur Chariſ. & Priſcian. annotante Voſſ. *de Analog. l.* 1. *c.* 35. Meminêre etiam Lucil. Horat. & Perſ. Nec lanea modò veſtimenta, ſed etiam linea, quæ villos haberent, *Gauſapa* dicta, eaque tegendis menſis adhibita, quæ & mantilia. Mart. *l.* 14. *Apoph.* de *Gauſapa villoſa vel mantili*, *Epigr.* 138. cujus epigraphe.

Nobilius villoſa *tegant tibi* lintea *citrum*,
Orbibus in noſtris circulus eſſe poteſt.

Quia autem tum omnes menſæ rotundæ erant, hinc & *Gauſape* ſeu mantile pariter rotundum fuit: ad cujus diſtinctionem *Gauſape*, quod lectis pro ſtragulo injiciebatur, *Gauſape quadratum*, dicitur eidem Poëtæ *l. eod. Epigr.* 152. cujus epigraphe *Gauſape quadratum*,

Lodices mittet docti tibi terra Catulli:
Nos Helicaonia de regione ſumus.

Ubi denſa ac villoſa *Gauſapa* Patavio mitti, innuit: talis enim lana Patavina, Strab. *l.* 5. *p.* 218. At apud divites erant ſtragula *Gauſapina* purpurea: ut idem *eod. l. Epigr.* 147. cujus epigraphe Cubicularia Gauſapina

Stragula *purpureis lucent* villoſa *tapetis*:
Quid prodeſt ſi te congelat uxor anus.

docet, ubi ea vocat *Cubicularia*, ut diſtinguat à Tricliniaribus, quæ fermè leviora, licèt & ipſa purpurea &c. Ut ad veſtem *Gauſapinam* redeam, quæ frigoris causâ ſumi cœpit, peregrina illa fuit, imò & barbarica, nec niſi ſub Aug. Romæ cognita. Gloſſæ vett. *Gauſapa* Βαρβαρικὸν πάλλιον. Meſſala de ſtatuis Antonii, *Armenii Regis ſpolia*, *Gauſapæ* Perſ. *Sat.* 6. *v.* 45.

Jam chlamydes Regum, jam lutea gauſapa *captis*,

Parthorum Regis ſtatuam gauſapatam & pellitam, à Cavallerio olim editam, exhibet Octav. Ferrar. *de Re. veſt. part* 2. *l.* 8. Lipſius porrò notat, qui in Gymnaſiis exercebantur, itemque balneis, eos fere lodicula, aut *gauſapina* leviter obvolutos fuiſſe, & circa verendas maximè partes, ut Petronianus Trimalcio coccineâ *Gauſapâ* involutus: ſed Ferrar. his in locis, totum corpus villoſæ ac craſſæ iſtiuſmodi veſti involutum fuiſſe, frigori arcendo, contendit: quem non modò de lodicibus, ſtragulis & mappis, ſed & de omnibus veſtimentis villoſis, quæ *Gauſapa* dictæ, lænis, chlænis, tunicis, lacernis & pænulis, prolixè diſſerentem, vide *l. præf. c.* 9. & *ſeqq.*

GAUSENNIS, vide *Cauſennis.*

GAVUS Camerinus, vide *Publius.*

GAZA, inſignis Palæſtinæ civitas, ex 5. Satrapiis Philiſtinorum, Ægyptum verſus ultima, quæ olim Judæ in ſortem cecidit, Morer. Simeonis adſcribit, ſic dicta à regia *Gaza*, i. e. pecunia, quam illuc olim Cambyſes Perſarum Rex vehi curarat, quondam munitiſſima, ut Alexander bimeſtri obſidione obſeſſam ægrè ceperit. Diod. Sic. *l.* 17. Apud vett. terminus erat Chananæorum juxta Ægyptum. Inde *Gazæus*, & *Gazeticus*, Lat. *fortis*, aut *capra*. Gazam nemo melius Arriano oculis ſubjicit: Ἀπέχει δὲ ἡ Γάζα τῆς μὲν θαλάσσης εἴκοσι μάλιστα σταδίους, καὶ ἔστι ψαμμώδης καὶ βαθεῖα εἰς αὐτὴν ἡ ἄνοδος, καὶ ἡ θάλασσα ἡ κατὰ τὴν πόλιν τεναγώδης πᾶσα. Μεγάλη δὲ πόλις ἡ Γάζα ἦν, καὶ ἐπὶ χώματος ὑψηλοῦ ᾤκιστο, καὶ τεῖχος περιεβέβλητο αὐτῇ ἰσχυρόν. Ἐσχάτη δὲ ᾠκεῖτο ὡς ἐπ' Αἴγυπτον ἐκ Φοινίκης ἰόντι ἐπὶ τῇ ἀρχῇ τῆς ἐρήμου. Polyb. *l.* 4. Οὗτος μὲν οὖν ὑπὸ τὴν ἑωθινὴν ἐξαγαγὼν τὸ σωζόμενον μέρος τῆς δυνάμεως διέτεινε πρὸς Γάζαν. Ex quo loco non mediocris difficultas exurgit, ſi conferatur cum eo, quod dixit ſuprà; Παραγενόμενος δὲ εἰς Γάζαν καὶ προσαναλαβὼν αὐτοῦ τὴν δύναμιν αὖθις προσῆγε βάδην. Διανύσας δὲ ἐπὶ τὸ προκείμενον πεμπταῖος κατεστρατοπέδευσε πεντήκοντα σταδίους ἀπέχων Ῥαφίας, ἣ κεῖται μετὰ Ῥινοκόρουρα πρώτη τῶν κατὰ τὴν κοίλην Συρίαν πόλεων ὡς πρὸς τὴν Αἴγυπτον. Quæ verba Latinè ſic ſonant: *Cum autem veniſſet Gazam, & ibi copias refeciſſet, rurſus procedebat lentè in anteriora, & quinque dierum ſpatio caſtrametatus eſt prope Raphiam ad* 50. *ſtadia, ea ſita eſt poſt Rhinocorura, prima ex Cavæ Syriæ urbibus verſus Ægypti partes.* Nam ſi Gaza occurrit prima venientibus Ægypto Raphiam, quomodo Antiochus prælio ad Raphiam victus Gazam ſe recepit, & non potiùs receſſit verſus ſuas partes. Sed inter Ptolemæum victorem, & Ægyptum, tanquam in caſſes ſe injecit prope deſertum, ubi nullus commeatus, nulla commodi receſſûs ſpes? Certè hæc videntur ἀσύστατα. Tum Gaza erat in partibus & ſub jure Ptolemæi, per quam iter fecerat, & ibi copias ſuas refecerat: quomodo igitur victus exercitus eò ſe recipere potuiſſet? At ſolvit dubium locus Nov. Teſtam. Act. Apoſt. *c.* 8. *v.* 26. ubi Angelus Philippum ſic alloquitur: Ἀνάστηθι καὶ πορεύου κατὰ μεσημβρίαν ἐπὶ τὴν ὁδὸν τὴν καταβαίνουσαν ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ εἰς Γάζαν, αὕτη ἐστὶν ἔρημος. Ubi Angelus in dubio Philippum eſſe noluit, ad quem locum mitteretur, ideoque addit, *quæ deſerta eſt*, quod ſic intelligi debere videtur, *quæ eſt in deſerto*, aut juxta *deſertum.* Duæ igitur erant Gazæ, una in ditione Ptolemæi prope deſertum, ubi copias ſuas refecit Ptolemæus ex labore, quem in deſerto tranſmittendo habuerant. Alia Syriæ in Antiochi ditione, quò poſt prælium ſe recepit; & primam illam Ptolemæi Gazam fuiſſe in deſerti finibus patet ex ipſius Polybii verbis: dixerat enim paulo ante, Ptolemæum, dum verſus Gazam tenderent, feciſſe iter διὰ τῆς ἀνύδρου, *per terram carentem aqua*, quod eſt per deſertum. Sanè D. Hieronymus duas fuiſſe Gazas notaverat, ubi citat Caſaub. *ad Strab.* Sed & Diod. Sic. *l.* 19. duas fuiſſe Gazas manifeſtè innuit. Sic enim de Ptolemæo Lagi contra Demetrium movente: ἀπὸ δὲ Πηλουσίου διὰ τῆς ἐρήμου διελθὼν στρατοπέδευσε πλησίον τῶν πολεμίων περὶ τὴν παλαιὰν Γάζαν τῆς Συρίας, Et rurſus *eod. l.* Μετὰ τὴν γενομένην ἧτταν Δημητρίῳ περὶ Γάζαν τῆς Συρίας: Unde colligitur, alteram fuiſſe Gazam, quæ non ſuit Syriæ, quando ſemper ita diſtinxit Diod. & ea eſt de qua Polyb. [illegible] ſuprà. Hujus urbis ambas portæ fores in montem vicinum detulit Samſon; poſtea oculis erutis Gazam ductus, concuſſis domus columnis, 3000. hominum ſecum oppreſſit. Nunc Principem proprium habet, ſub clientela Turcarum. Parva & malè culta. Nic. Lloydius Baudr. Hiſtoria urbis hujus hæc paucis: Ab Alexandro olim capta, ut dictum, dein Macchabæis, poſtmodum ſub Conſtantino Mag. reparata & Epiſcopatu ornata dicitur. Ethnici hîc, etiam ſub Chriſtianis Principibus, fidelibus moleſti, Juliano imperante, in Sacerdotes virgineſque devotas crudeliſſimè graſſati ſunt, A.C. 363. Theodoret. *l.* 3. *c.* 6. & 7. Horum Idolum *Marne*, toto Oriente clariſſimum, ſub Arcadio Imp. A.C. 401. operâ Porphyrii Ep. deſtructum. Ipſa ſeculo 11. & 12. bello ſacro ſæpius direpta deſtructaque, hodie iterum habitatur. Vide ſuprà, & Macchab. *c.* XI. *v.* 6. & *c.* 13. *v.* 15. Strab. *l.* XI. *p.* 523. Curt. *l.* 4. *c.* 5.

GAZA Theodorus, vide *Theodorus.*

GAZACA, urbs aut vicus maximus in Media. *Steph.*

GAZÆORUM Portus, in Palæſtina 30. ſtadiis à Gaza diſtans, Ptol. quæ & *Majuma* dicebatur, & poſtea *Conſtantia* à *Conſtantino Mag.* Huic poſtea Julianus Imp. civitatis jus ademit, nomineque Conſtantiæ privavit. Vide Niceph. *l.* 8. *c.* 33. & *l.* 10. *c.* 3. Item Sozom. *l.* 5. *c.* 3.

GAZÆUS Æneas, auctor Dialogi, de immortalitate Animæ. Vide *Æneas Gazæus.*

GAZAM, nomen viri, Eſdr. *c.* 2. *v.* 48. i. e. *vellus eorum*, *sive tondens eos.*

GAZAR, civitas à Salomone ædificata, 1. Reg. *c.* 9. *v.* 15. 16. & 17. Alia, cujus Regem Joſue occidit, quæ ex tribu Ephraim data fuit Levitis. Joſ. *c.* 10. *v.* 33. & *c.* 16, *v.* 3. *c.* 21. *v.* 21. 1. Par. *c.* 6. *v.* 67. & *c.* 7. *v.* 29. & *c.* 14. *v.* 16.

GAZELLA, Arabicè *gazal*, capreæ hinnulus, nomen ab amore habet. Nam *gazala*, aliquem *amatorio ſermone demulcere*, ſignificat; & *algazlo*, eſt *de amore ſermo* vel *carmen*: & *agzalo*, qui hujuſmodi *ſermones apprimè callet*, Vide Anton. Thyſ. *in Miſcell.* Interim licèt è caprearum genere *gazellæ* ſint, noſtris tamen longè ſunt proceriores, & in illis locis, cervi, magnitudine vel pares vel ſuppares. Inprimis ὁ *rim* inter illas, ut pinguedine, ſic ſtaturâ, eminet. Unde de Balaamus de Jſraele, *Illi populo ſunt elationes* τοῦ *reem*, i. e. quaſi ſunt *elationes* τοῦ *reem.* Quaſi prædixiſset fore, ut tam emineret populus ille inter reliquos populos, quàm eminet *reem* inter reliqua caprarum genera. Niſi quis id referre malit ad id, quod Arabes obſervant, huic animali peculiare eſse, ut caput & aures multùm erigat, & propriâ voce id appellari *elationem* aut *eminentiam* [illegible] &c. Vide Sam. Bochart. *Hierozoici Part. prior. paſſim*, *inprimis l.* 3. *c.* 27. Apud Albertum Aq. *l.* 7. *c.* 66. *Gazela* vel *Gazella*, equus Saracenicus, curſu prævalens. Sic apud Order. Vital. *l.* 10. de Balduino Rege Hieroſol. legimus, *Inde Rex cum ſuo commilitone gazellam ſuam aſcendit*: quam *celerem equam fortiſſimamque* ſuprà dixerat. De quo ſignificatu vocis quid ſentiendum, ex prædictis facile eſt videre.

GAZERIA, vel GAZARIA, peninſ. minoris Tartariæ, olim Taurica & Pontica. Vide ibi.

GAZETÆ, pop. Galatiæ, aurum gerentes. *Steph.*

GAZETUM, apud Greg. Turon. *de Gloria Confeſſ. c.* 65. vinum eſt è Gaza Palæſtinæ, magno olim in pretio. Commendant enim vinum *Gazeticum*, Sidon. *Carm.* 17. *ad Ommat.* Corippus *l.* 3. *n.* 1. Senator *l.* 12. *Ep.* 12. Fortunat. *de vita S. Martin. l.* 4. & Iſid. *l.* 20. *c.* 3. Ab eadem urbe *Gazzatum*, linum vel ſericum ſubtiliſſimum, cujus mentio in Concilio Budenſi A.C. 1279. *can.* 61. ubi ejus uſus Monachis interdicitur, nomen videtur habere. C. du Freſne *Gloſſ.*

GAZI, Turcarum Rex, à Balduino Rege Hieroſolymorum captus A.C. 1121.

GAZOPHYLACES, apud Perſas dicti ſunt pecuniæ Regiæ cuſtodes, ſeu ærario regio Præpoſiti, à voce *Gaza*, celebri theſauris regiis recondendis opp. de quo vide *ſuo loco.* Namque & apud Perſas morís fuiſse, ut publica pecunia magnatibus aſservanda committeretur, docet Briſson. Unde Curt. *l.* 5. *c.* 2. *Tiridatem pecuniæ, quæ ex universa provincia cogeretur, cuſtodem* memorat: & Begophanem arcis Babylonicæ & *regiæ pecuniæ* ejuſdem provinciæ *cuſtodem*, *eod. loc.* Apud Joſeph. quoque *Antiqq. Jud. l.* 11. *c.* 4. βασιλικοῦ γαζοφυλακίου, Regii theſauri *ærarii*, mentio fit: ut & edicti Artaxerxis ad omnes, qui theſauris ſuis trans flumen præpoſiti erant, ut quidquid ab eis Eſdras ſacerdos, ſcriba legis Dei cœli, poſtulaſset, illico præſtaretur, Eſræ *c.* 7. Vide quoque Strab. *l.* 15. *p.* 728. ubi de *Suza*, Arrian. *l.* 3. ubi de *Paſargadis*, Diod. Sic. *l.* 17. Corn. Nep. *in Datame c.* 5. &c. Hæc gaza quàm immenſa fuerit ac prodigioſa, licet videre ex variis Scriptoribus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

bus à præſato Briſſonio adductis. Aſſervabatur ea plerunque in templis, quòd loca ea ſacra ac inviolata cenſerent: Abbas Urſpergenſis Chronici p. 41. *Auditâ templi Hieroſolymitani opulentia, quam Pompejus intactam reliquerat, in Palæſtinam divertit; Hieroſolymam adit, templum pervadit, opes diripit.* Sic Romani in æde Saturni, apud Juv. Scholiaſt. Gortynii, in templo Dianæ, apud C. Nep. *Hannib. c.* 9. Macedones in opp. Quinta, juxta Tharſum; Syracuſani in Labdalo caſtello; Hebræi in Thrace quoque & Tauro Hierichuntis; Tigranes in Bambruſa & Olena, Babylonii in Zeugmate, juxta Euphratem, alii alio loco ſuo χρήματα ad belli opus deponebant. Cujus rei rationem habes apud Minuc. Fel. *Octav.* & plura hanc in rem apud Ferrar. Adduenſem Inſubrum JC. *l. Obſerv.* & Brodæum *Miſcell. l.* 4. *c.* 7. nec non ſuprà in voce *Ærarium*. Cæterùm גזא *gaza*, Perſis eſſe *theſaurum*, ut Syris גזא, notat Suicerus, quòd verò inde Palæſtinæ urbem *Gaza*, de qua diximus quoque appellatam vult Pomp. Mela *l.* 1. errare illum oſtendit, cùm in Hebræo nomen hujus civitatis non incipiat à ג, ſed à ע. Dicta itaque ei *Gaza* ab Hebræa voce, עז, quaſi dicas *valida*, quia urbs erat *ingens & munita admodum*, ut ait idem Pomp. Et Diod. Sic. ſcribit *l.* 17. *munitiſſimam fuiſſe, ut Alexander bimeſtri obſidione obſeſſam ægrè ceperit.* Vide Cl. Suic. *Theſ. Eccl.* in voce Γάζα, ut & infra *Privatarius*, *Theſaurarius*, & *Theſaurus*.

GAZUIRA, urbs Cappadociæ in confin. Paphlagoniæ, ad Irim fluv. exciſa, nomen tamen antiquum retinet, Theveto teſte.

GAZORUS, urbs Macedoniæ. Steph. Vide *Gaſorus*.

GAZORUS, Moletio *Carat*, vel *Garat*, opp. Palæſtinæ, ad Jordanem, Callirhoæ, & Lybiadi urbi olim Epiſcopal. finitima.

GAZULUS Johannes, vide *Johannes*.

GAZUS, urbs Indica, longè maxima. *Steph.*

GENS, in notis antiquis *Gentes*. G. F. *gula filiorum*, *Germanus frater*, *Gemina fidelis*. GG. vel GS. *geſſêrunt*. GEN. CORN. *gente Corneliorum* &c. GER. *Germanicus*.

GEA, opp. prope Petras in Arabia. *Steph.*

GEADA, ſive **GEDA**, **ex hominibus in Deorum numerum à** vett. relatus Britannis, teſte Cœl. Sedulio, qui ſub Theodoſio Jun. vixit: Ita autem hic *Op. Paſchali ad Macedonium Abbatem. B. Hieronymi coætaneum*,

> *Cùm ſua Gentiles ſtudeant figmenta Poëtæ*
> *Grandiſonis pompare modis, tragicoque boatu,*
> *Ridiculove Getæ, ſeu qualibet arte canendi.*
> *Sæva nefandarum renovent contagia rerum,*
> *Et ſcelerum monumenta canant, rituque magiſtro*
> *Plurima Niliacis tradant mendacia biblis.*
> *Cur ego Davidicis aſſuetus cantibus, odas*
> *Chordarum reſonare decem, ſanctoque verenter*
> *Stare choro, & placidis cœleſtia pſallere verbis,*
> *Clara ſalutiferi taceam miracula Chriſti?*

Eoſdem verſus adducit Joh. Aſſerus Ep. in Anglia Scyreburnenſis, ſive, ut poſtea dixére, Saresburienſes; qui annum circa noningenteſimum vitam ſcripſit Aelfredi, Anglo-Saxonum Regis: cujus genus, initio operis ſui, ab hoc Geada ſive Geta deducit. Nam Aelfredus ei vigeſimus eſt à Frithuwulfo. Poſt quem ſubjungit, *Qui fuit Fingodwulf, qui fuit* Geada; *quem Getam jamdudum pagani pro Deo venerabantur.* Poſteà verò hunc Geada decimum à Noe fuiſſe, perſuadere nobis conatur. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Idol. l.* 1. *c.* 36.

GEBA· civitas de tribu Benjamin, poſteris Aaronis data, Neh. *c.* xi. *v.* 31. quæ & *Gaba* & *Gabaa*, Lat. *collis*, *calix*, ſive *vas*. Item, villa in tribu Ephraim. Hier. *in Loc. Hebr.*

GEBAL civitas Syriæ. Pſal. 83. *v.* 8. *Gabel* nunc Volaterrano. Lat. *limes*, vel *terminus*.

GEBALE, Arabiæ regio. *Steph.*

GEBALENA, regio in finibus Eleutheropoleos.

GEBBAI, nomen viri, Neh. *c.* xi. *v.* 8. Lat. *dorſum* vel *elevatio* aut *ciſterna*, ſive *locuſta*, aut Syriacè *exactor*.

GEBBANITÆ, ſive *Gelbanitæ*, pop. maris Rubri accolæ in Arabia deſerta; quorum caput Thona eſt; unde genus *Gebbaniticum*.

GEBBAR, nomen viri. Eſdr. *c.* 2. *v.* 20.

GEBBETHON, civitas Levitis data in tribu Dan. Joſ. *c.* 19. *v.* 44. *c.* 21. *v.* 23. 1. Reg. *c.* 15. *v.* 27. quæ & *Gabbathon*.

GEBELEIZES, dæmon, idem cum Zamolxide putatur. Herod. *l.* 4 *c.* 94.

GEBELLINA, vel GIBELLINA pellis, vide infrà *Zibellina*.

GEBENNA, Galliæ opp. & mons inter Arvernos & Helvios, numero multitudins extulit Lucan Civ. Bell. *l.* 1. *v.* 435.

> —— *Quâ montibus ardua ſummis*
> *Gens habitat canâ pendentes rupe* Gebennas.

Montes *Gebennici* à Strab. definiuntur *l.* 2. *p.* 128. & *l.* 4. *p.* 176. & 185. ῥάχις ὀρεινὴ πρὸς ὀρθὰς τῇ Πυρήνῃ. Sic גבינא *gebina*, Syris eſt *ſupercilium montis*. Luc. *l.* 4. *v.* 29. Vulgò *les Cevenes*, & *Sumene*; Græcis Κέμμενος. Nic. Lloyd. Baudr. Gebenna mons, ſeu *Cemmenius*, & *Gebennici*, vulgò *les Sevennes*, ſeu *les monts de Sevennes*, montes Galliæ in longum protenſi, inter Gall. Aquitan. & Narbonenſ. per 30. leuc. à Luteva nempe uſque ad fontes Ligeris, in Vivarienſi tractu, in confin. Occitaniæ, Ruthenenſis prov. Gabalorum, Velaunorum, & Vivarienſis: ſunt fertiles & benè culti, ubi quamplurimi pagi & villæ, & aliquot oppida. Hinc Cemmenius tractus, *le pays de Sevennes*. Sed opp. *Sevennes*, cujus Ferrar. meminit, ipſis indigenis ignotum.

GEBEONIÆ, pop. prope Hieroſolymam. *Steph.*

GEBER, Medicus & Aſtronomus Arabs, ſec. 9. Expoſuit ſyſtema Ptolomæi, à Petrejo editum, A. C. 1533. à quibuſdam Algebræ inventor creditur. Medica quoque ſcripſit, à Cardano inter 12. ſubtiliſſima ingenia collocatus. Geſner. *T.* 1. *Biblioth.* Simler. *epit.* Blancanus, *Chron. Mathem. p.* 56. Voſſ. *de Math. c.* 35. §. 9. *de Phil. c.* 14. Ricciol. *Chron. Reform.*

GEBHARDUS, fil. Bertholdi I. Zeringiæ Ducis, Ep. Conſtantienſis, A. C. 1085. fratris Bertholdi II. operâ creatus, Pontificiam factionem pro virili promovit. Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Hiſt. in Fam. Badenſi.*

GEBHARDUS Truchſeſſius, Archiep. Colon. ductâ uxore, Agnete Mansfeldicâ, Reformationem religionis moliri videbatur; hinc à Papa depoſitus, Erneſtum Bavarum Ep. Leodienſem, à Canonicis electum, adverſarium accepit. Pulſus, Joh. Caſimir. Palatin. fruſtra obtinente, armis Parmæ Ducis, in Hollandiam ſe recepit. Obiit ſub finem ſec. præcedentis. Vide Thuan. *Hiſt. &c.*

GEBNEEL, & JEBNEEL, civ. in tribu Dan. Joſ. *c.* 15. *v.* xi.

GEBWILLER, opp. Alſatiæ ſuper. in montium faucibus A. C. 124. initium habuit; Joh. Matal Metell.

GEDANENSIS Sinus, pars maris Baltici, verſus oram littor. Pruſſiæ, & Gedanum, ubi aliàs Venedicus ſinus. Ejus pars eſt Puſcenſis ſin *Pautskervick*. Vide *Venedicus*.

GEDANUM, Germ. urbs in Viſtulæ fluv. qui 1. leuc. infrà in ſin. Gedan. ſe exonerat, oſtio, vulgò *Dantzick*. Perampla, & probè munita, cum portu capaci & commodo; Hanzeatica, quamplurimis gaudens privilegiis. 5. leuc. Germ. à Mariæburgo in Circ. 7. ab Elbinga in Occ. 15. à Thorunio in Bor. Caput eſt Pomeraniæ tractus. Olim pagus, A. C. 1295. à Primiſlao Polon. in urbem mutatus. A. C. 1343. urbs mœnibus cincta eſt, A. C. 1454. Caſimiro Pol. Regi ſe certis conditionibus ſubmiſit. Verſus Mer. & Occ. cingitur aliquot montibus, ab A. C. 1656. bellicis operibus munitis, contra Suecos. Irrigatur amnibus Rodauno, & Motlavâ. Eſtque duplex Antiqua & Nova. Baudr. Vide & *Danticum*.

GEDDEL, nomen viri. Eſdr. *c.* 2. *v.* 56.

GEDDIEL, fil. Sodi. Num. *c.* 13. *v.* x.

GEDEON, pater Abidan, principis tribûs Benjamin, Num. *c.* 1. *v.* xi. & fil. Joash, Judex in Iſrael. Qui, priuſquàm adverſus Madianitas contenderet, bis ſignum à Deo petiit, quo certior fieret, ſe ab eo mitti. Duobus itaque miraculis confirmatur: prius fuit in holocauſto, quod totum ignis abſumpſit: poſterius in vellere primùm humido, deinde ſicco. Sic roboratâ fide, in prælium deſcendit, ac Oreb & Zeb, Madianitarum Duces, item Zebee (ſeu Zaba) & Zalmana, cæcidit, ac internecioni dedit, aſſerens in libertatem Iſraëliticum, populum, qui ſub illorum jugum ante annos ſeptem miſſus fuerat. Vide Jud. *c.* 6. *v.* 8 & 36. Joſeph. *Antiqq. l.* 5. *c.* 10. Torniel A. M. 2761. 2800. &c. Hebr. *Gidhon* à radice גדע *gada*, *excidit*.

GEDERA, civitas in tribu Juda. Joſ. *c.* 15. *v.* 36. quæ à Stephan. *Antiochia*, & *Seleucia* dicitur.

GEDEROTHAIM, civitas in tribu Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 36.

GEDETI, nomen viri. 1. Par. *c.* 25. *v.* 4.

GEDETIAS, fil. Phaſſur. Jer. *c.* 38 *v.* 1.

GEDOR, vel GADOR, civitas in tribu Judæ, Joſ. *c.* 15. *v.* 58. Sita ab Or. vallis, in terra paſcua & uberrima. Item vir fil. Phanuël, 1. Par. *c.* 4. *v.* 4. & 39. & Fil. Abigabaon. 1. Par. *c.* 8. *v.* 31.

GEDROSIA. prov. Perſidis fuit, inter Carmaniam ad Occ. & confin. dit. M. Mogolis, oſtiaque Indi fluv. ad Ort. Arachoſiæ ad Sept. finitima, ad Mer. Oceano Indico terminata. *Tarſe* Haytono, & Sabellico. *Circan* Caſtaldo, *Geſt* Mercatori, *Kheſimur*, *Mackeram*, vel *Guzarate*, Morer. Olim. ſterilis, cujus incolæ ex piſcium ſpinis caſarum ſuarum trabes feciſſe, Alexandro Mag. relatum. Populi *Gedroſii* Strab. *l.* 2. *p.* 130. *Gedroſi* Plin. *l.* 6. *c.* 20. & 23. *l.* 9. *c.* 3. & Melæ, de quibus vide Q. Curt. *l.* 9. *c.* 10. Dionyſ. *v.* 1086.

> Τῶν δὲ πρὸς ἀντολίην Γεδρωσῶν ἕλκεται αἶα
> Γείτων Ὠκεανοῦ μεγακήτεος.

Hîc urbs præc. *Macran*, verſus oram littor. Baudr. Addo, quòd una hæc regio fuit ex IV. Satrapiis Parthorum, memoratis Plin. *l.* 7. *c.* 23. de qua vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 794. 982. 1176. & *ſeqq.*

GEGANII, à Gya dicti, comite Æneæ: Gens Albana fuit: cujus pars Romam cum Romulo commigravit. Nam inter primas quatuor Virgines Veſtales à Numa factas refertur *Gegania* à Plutarcho. Ejus verò altera pars Romam à Tullo Hoſtilio traducta fuit, & inter Patricias, Albâ everſâ, allecta. Fuêrunt igitur in gente *Gegania* familiæ Patriciæ majorum, & minorum gentium, quæ *Magerini* cognomen frequentarunt, Conſulatibus aliquot, cenſurâ & triumpho illuſtres.

GEGANIUS Macerinus, vide *Lucius*, it. *Marcus*, *Proculus*, *Titus*.

GEHENNA, nomen loci apud Evangeliſtas; ponitur autem pro inferno, hac occaſione, teſte Hieronymo. Erat idolum Baal, juxta Jeruſalem, ad radicem montis Moriæ, unde Siloa fluit. Hæc vallis eſt parva campi planities irrigua, & nemoroſa, plenaque deliciis, & lucus in ea idolo conſecratus. In tantam autem populus Iſraël venerat dementiam, ut, relicto Templo, hoſtias ibi mactarent, filioſque ſuos incenderent Dæmonibus, vel initiarent. Appellabatur autem locus ipſe *Gebinnom*, i. e. *vallis Hinnom*. Et comminatur Deus, ſe locum illum impleturum cadaveribus mortuorum, ut nequaquam *Tophet & Baal*, ſed *Polyandrium* vocetur. Futura ergo ſupplicia, & pœnæ perpetuæ, quibus impii cruciandi ſunt, hujus loci vocabulo denotantur. Vide Fungerum in *Gehenna*, & Seld. *de D. Syris Synt. l.* 1. *c.* 6. Hodieque ſupplicii genus apud Gallos *Gehenne* dicitur; quod Hieron. Magius cum Equuleo Veterum, Hiſpanorumque *Pulliedro* idem eſſe vult. H. Junius *Nomenclatore ſuo*, ubi carceris ſuppliciique pro-

propria vocabula recenſet, *Fidiculas* eſſe contendit, & ab Equuleo diſtinguit, dum ait: *Fidiculæ Suet. Machina multis intenta funibus, quibus ceu fidibus diſtendebantur facinoroſi, ad exquirendam facti fidem*, κολαςήριον, πιεςήριον, ἀρθρέμβολα, τροχὸς *Ariſtoph.* ξύλον βασανιςήριον, *Aleman. Folterſeil, Zwick, Treibſchnur mit der man foltert, Belg. Pijnbank, Gall.* Gehenne. *Nebriſſenſis interpretatur illud tormenti genus, quod Italiæ familiare, tratto di corda: Hiſpanis tratto de cuerda vocatur: quo reus rejectis in tergum manibus fune ſuſpenſus in præceps dejicitur.* Vide Gothofr. Jungermann. *Notis in H. Magium de Equuleo.*

GEHON, fluv. qui è Paradiſo terreſtri labitur. Gen. *c.* 2. *v.* 13. Joſeph. *Nilum* vocat. Lat. *vallis Gratiæ* vel *manſionis*. Sanſoni eſt in Armenia maj. & inter mare Caſpium ſe exonerat. Quibuſdam Araxes eſt. Baudr. quid ſit, non conſtat.

GEILHUSIUS Henricus, vide *Henricus*.

Hungariæ Reges.

GEISA I. Hungariæ Rex. Pilgrini Bethavenſis, & Laureacenſis Ep. ſanctitate motus, rogavit, ut Ugrorum regiones adiret, ibi Philoſophiam Chriſtianam interpretaretur, ſe cuivis cultum Chriſti recipiendi poteſtatem facere. Aventin. *Ann. l.* 3. A. C. 966.

GEISA II. Hungariæ Rex, Belæ fil. cum Germanis in Pannoniam irruentibus grave prælium commiſit, primò victus, deinde victor. Ludovicum Franciæ Regem, & Cunradum Imp. copias, ad recuperandam terram ſanctam ducentes, hoſpitio ſuſcepit, circa A. C. 1143.

GELA, Fazello *Alicata*, celebris urbs Siciliæ ad amnem cognom. Eam Rhodii, Antiphemo, & Cretenſes, Etimo duce, communi operâ condidêrunt An. 45. poſt Syracuſas. Hinc pop. *Gelenſes*, Cic. *Gelani*, Plin. *l.* 3. *c.* 8. *Geloi* Virg. Æn. *l.* 3. *v.* 701. Apud Gelam ſtagnum eſt, tetro odore accedentes abigens; & fontes duo, unus fœcunditatem, alter ſterilitatem, adducens. Ferrar. ex Sol. De origine nominis Grammatici multa nugantur Hebraiſmi ignoratione, ut ſtatim apparebit. Steph. & Suid. qui de *gelu*, ut Romanâ voce, aliquid inaudiverant, Siculum amnem ad Auſtrum obverſum *Gelan* appellari volunt, ὅτι πολλὴν πάχνην γεννᾷ: Ταύτην γὰρ τῇ Ὀπικῶν φωνῇ καὶ Σικελῶν γέλαν λέγεσθαι. Aliis *Gela* dicitur ἀπὸ Γέλωνος τοῦ Αἴτνης καὶ Ὑμάρου, à fabuloſo *Gelone Ætnæ & Hymari filio*. In ea ſententia fuêre Proxenus, qui περὶ πόρων Σικελικῶν, *de Siciliæ itineribus* ſcripſit (non περὶ πόλεων *de urbibus*, ut legi voluit vir doctus) & Hellanicus credo Lesbius, quem Suid. ſcripſiſſe refert περίοδον γῆς καὶ ἱςορίας. Alii denique *Gelan* dici putant, ἀπὸ τοῦ γελᾶν, à *ridendo*, errore perridiculo. Tradit enim Ariſtenætus, qui de Phaſelide ſcripſit, Lacium, & Antiphemum fratres, cùm Delphos profecti eſſent, ad conſulendum oraculum, Pythiam nihil ad ea dicentem, de quibus conſulta fuerat, ſolùm juſſiſſe Lacium, ut ad Ort. navigaret, τὸν δ' Ἀντίφημον γελάσαντα, τὴν Πυθίαν εἰπεῖν πάλιν, ἀφ' ἡλίου δυσμῶν καὶ ἣν ἂν (lege καὶ Γέλαν) πόλιν οἰκίσῃ. Hæc hactenus apud Steph. Rem paulo aliter refert Etymologus; quem conſule, ſi tanti eſt. Nos enim jam tædet nugarum. Itaque, ut ſeriò agamus, Gelam urbem Græcos huc appellentes nuncupaſſe dicimus, de nomine fluminis, ad cujus oſtium erat condita. Ita referunt præter Durim, multi bonæ notæ ſcriptores. Thucydid. *l.* 6. Τῇ μὲν πόλει ἀπὸ τοῦ Γέλα ποταμοῦ τοὔνομα ἐγένετο. Virg. Æn. *l.* 3. *v.* 702.

Immaniſque Gela *fluvii cognomine dicta.*

Sil. Ital. Bell. Punic. *l.* 14. *v.* 219.

Venit ab amne trahens nomen Gela *venit Haleſa;*

Claud. *l.* 2. *de Raptu*, Proſerp. Carm. 35. *v.* 58.

Pantagiam, nomenque Gelan *qui præbuit urbi.*

Vibius *in catalogo fluminum*: *Gela Siciliæ, à quo opp.* Serv. *Gela civitas à fluv.* nominata. Steph. Suid. Etymologus: Γέλα πόλις Σικελίας, καλεῖται δὲ ἀπὸ ποταμοῦ Γέλα. *Gela* porrò vorticoſus eſt amnis. Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 467.

Præterit & Cyanen, & fontes lénis Anapi,
Et te vorticibus non adeunde Gela.

Inde *Gela* Punicè dictus eſt amnis בלע *Bela*, i. e. *vorticis* ſeu *vorticoſus*. Gelæ autem urbis conditores, Cretenſes, & Rhodii, quorum dialectus erat Dorica, aut Æolica, *B.* & *G.* ſuo more permutatis pro *Bela Gelam* dixêrunt. Tale pro βάλανος γάλανος, unde *glans*, φλίγω pro θλίβω, unde *affligo*. Itaque *Gelas* idem, quod Græcè Βαρδίνης, vel βαρυδίνης. Vide Suid. Alius Gelam deducet ab Hebræo verbo גלל *galal*, h. e. *volvere, volutare*, unde גל *gal*, *fluctus*, tanquam à volutatione. Alius item per aphæreſin ab עקל *akkel*, *torquere*, unde Talmudicis עיקול *ikul*, *vortex aquarum*. Sed verum eſt, quod diximus, Bochart. Gela Cluv. *Terranova* nunc, urbecula ſatis culta, in valle Neætina, in ora littor. maris Afr. cum tit. Duc. gentis Cordubæ, arceque, & portu ſatis tuto. 30. mill. ab Agrigento in Ort. 35. à Syracuſis in Occ. ad oſtia fluv. Gelæ, nunc *Fiume de Terranuova*, fontes habentis prope Perguſam lac. Cujus oſtia diſtant in Occ. 18. mill. ab oſtiis fluv. Salſi, olim *Himera* dicti. *Baudr.*

GELÆ, pop. Mediæ, in Parthiæ confin. Quorum urbs ex Perſici regni præcipuis, quæ & *Gheilan*.

GELANOR, Argivorum Rex, Sthenelo patri ſucceſſit, regno exutus à Danao Cadmi patruele, quem vide, ut & Pauſ. *l.* 2. Ejus regno nullum tempus aſſignat. Euſeb. Æſchyl. filium ἀνώνυμον indigenæ Pelaſgi, quem inter Reges iſtos recenſet Hygen. ſub adventum Danai regnaſſe Argis ait, Ἱκέτισι *v.* 254. paulo ante exitum Iſraëlitarum, non hos ſolùm, ſed & Ægyptios ipſos graviſſimè prementibus

Regibus Paſtoribus *S. Hycſos* de quibus ſuo loco.

GELASINUS, Deus riſus, apud Mart. *l.* 7. *Epigr.* 24. cujus epigraphe *in malum Poëtam*:

Nec cibus ipſe juvat morſu fraudatus aceti,
Nec grata eſt facies, cui Gelaſinus *abeſt.*

A' verbo γελάω, *rideo*, vide infrà ubi de *Riſu*.

de S. GELASIO Johannes, vide *Johannes*.

de S. GELASIO Octavianus, vide *Octavianus*.

Pontifices Romani.

GELASIUS I. Afer. fil. Valerii, poſt Felicem II. Papa A. C. 492. Euphemium Conſtantinop. in communionem recipere noluit, donec ille Acacli nomen è Dyptichis expunxiſſet. Ad Epiſcopos Dalmatiæ, & Marcæ Anconitanæ, ob Arianiſmum ibi renaſcentem, ad Anaſtaſ. Imp. Eutychianiſmi fautorem ſcripſit, Synodo habitâ Canonicos libros ab Apocryphis ſecrevit, hæreticos varios damnavit. Vir doctus, cæterùm Primatus acer defenſor. Obiit A. C. 496. ſedis An. 5. De eo, ſcriptiſque ejus, vide Gennad. *l.* 94. *de ſcript. Eccleſ.* Morer. *Dict. Hiſt.* Urſperg. Succeſſit Anaſtaſ.

GELASIUS II. Cajetâ oriundus, ſucceſſit Paſchali II. A. C. 1118. à Cincio Frangipani mox pulſus, dein ab Henrico V. ſurrogato Gregorio VIII. depoſitus, Cæſarem in Germaniam redeuntem diris eſt perſecutus. Unde ſchiſma recruduit. Ipſe in Galliam profugus, Obiit A. C. 1119. poſt Synodum Viennæ habitam. Succeſſit Calixtus II.

Viri Celebres.

GELASIUS Cyzicenus, Ep. Cæſareæ in Palæſtina, ſub Baſilico Imp. floruit A. C. 476. Scripſit hiſtoriam Concilii Niceni. Photius *Biblioth. n.* 15. 88. & 89. *&c.* Nicetas *l.* 5. *Orth. fidei c.* 6. *&c.* Item nepos Cyrilli, ſucceſſit Euzojo, Concilio I. Conſt. interfuit. Theodoret. *dial.* 1. Hieron. *Deſcr. Eccl. c.* 36. Phot. *cod.* 85. vertit Latinè libb. 2. à Ruffino hiſtoriæ Euſebii annexos. Alius ibidem Ep. contra Anomianos ſcripſit, *Photius*.

GELATI, nomen Academiæ Bononiæ, in Italia, inſtitutæ, cujus meminit Jac. Spon. *Itin. part.* 1. *p.* 70.

GELBIS, fluv. in Moſellam ſe exonerans, teſte Auſ. Edyll. Moſella *v.* 359.

Te rapidus Gelbis, *te marmore clarus Erubrus*

Kil hodiè, teſte *Marliano*,

GELBOE, vel GILBOA, mons in tribu Manaſſe prope Sichem, in quo tres filii Saulis unà cum exercitu à Philiſtinis cæſi ſunt, & Saul ſibi ipſi mortem conſcivit. 1. Sam. *c.* 28. *v.* 4. & *c.* 31. *v.* 1. A Scythopoli 6. mill. paſſ. diſtans.

GELDONIA, Flandrenſibus vulgò *Geldernaken*, Gallis *Jodoigne* urbs vel municipium Brabantiæ Gallicæ eſt. Inde haud procul Monaſt. Orpenſe, vulgò *Orp le Grand*, extruxit Alpais, mater Caroli Martelli, eoque ſe ad expiandam B. Landeberti cædem incluſit. Addunt quidam, illam in vico Antio *Ans* Leodio proximo natam, Monaſterium alteram in loco Hugardis vulgò *Huigarden*, prope Geldoniam, condidiſſe. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

GELDRIA, una ex infer. Germ. 17. provinciis, ducatus antiquorum ſedes rum Sicambrorum (uti ferè omnes ſcriptores conſentiunt) ſedes. Habet à Sept. Friſiam, & ſinum maris Germanici, ab Or. Cliviæ ducatum, à Mer. Juliacum attingit, Brabantia, & Hollandia eam ab Occ. reſpiciunt. Regio eſt campeſtris, montibus omnino carens, ſed paſſim ſilvis ac nemoribus ornata. Omnium rerum fertilis eſt, præcipuè frumenti fœcunda, & ſupra modum paſcendis pecoribus ob pratorum ubique viridantium luxuriem apta, adeò ut ex ultima Dania emacerata armenta hîc ſaginanda mittantur. Tribus celeberrimis fluv. Rheno, Moſâ. & Vahali irrigatur. Noviomagum ejus metropolis eſt. Habet 22. urbes muris & foſſis munitas, & ſupra 300. pagos. Geldriæ Comes, cum Theodorico Hollandiæ Comite, qui poſt Sylvam ducis expugnatam, præda à Duce Brabantiæ exutus erat, eſt captus A. C. 1210. Matth. Voſſ. *Ann.* 2. *l.* XI. A. C. 1339. *Comes* Geldriæ Francofurti in publicis Comitiis Dux coronatus eſt à Ludovico Imp. Hujus ſucceſſorum uni Arnoldo, ob Adolphi filii horrendam rebellionem, Geldria à Carolo Audace erepta eſt, A. C. 1467. Phil. Cominæus *Hiſt. l.* 5. Poſtea varias eſt experta vices, de quibus vide belli Belgici ſcriptores, De etymo Geldriæ varia exſtant apud Henr. Aquilium, F. Irenicum, & Ludov. Guicciardinum. Vulgò *Gueldres*. Ejus pars Septentrion. ſeu Inf. nunc ad Fœderatos ſpectat, ubi urbes clariores, Arenacum, Bommelia, Elburgum, Hardervicum, Neomagum. Merid. verò ſeu ſuper. Hiſpanorum eſt, ubi Geldria primaria, Ruremunda, Venloa, &c. Valde eſt extenſa à Sept. in Mer. nempe à Mari Auſtrino, uſque ad Ducatum Juliacenſem, ſed non æquè lata. Hujus pars fuit aliàs Comitatus Zutphanienſis. Baudr. Vide quoque *Gelria* & *Gueldria*.

GELDRIA, urbs prim. prov. cognom. ad Nierſam amnem, media inter Rhinobergam ad Ort. & Venloam ad Occ. egregiè munita, ſub Hiſpanis. Fruſtra tentata ab Henrico Friderico Principe Auraico A. C. 1639.

GELDRIA, arx in ora ſinus Bengalæ, in India citer. in ora Coromandelis & regni Narſingæ, nuper ab Hollandis exſtructa.

GELDUBA, ubi Legio IX. Antonino, Floro & Tac. *Hiſt. l.* 4. *c.* 26. Caſtellum Rheno impoſitum ſcribit Plin. ubi ſiseris generoſitas præcipua. Divæus putat *Gelre* caput regionis Geldriæ eſſe, Aliis & mel. *Gelb*, vicus in ditiôn. Archiep. Colon. 9. mill. paſſ. infrà Noveſium in Bor. 2. mill. ſuprà *Ordingen*, ad Rhenum Simlero Cluverioque videtur. Non ad Rhenum, ſed à Rheno

veſio Occidentem verſus, quatuor à flumine milliatibus Italicis, conſtituit Bruno *in ſuo Novejio.* Ad Rhenum putat Ortelius milliare infra Coloniam Trajanam & *Geldub* hactenus vocari.

GELDUM, ſive GILDUM, vox Saxonica, ſolutio, præſtatio, vectigal, tributum. Item mulcta Judiciaria, compenſatio delicti & pretium rei. *Capitulare 3. An.* 813. *c.* 23. *Quicquid involavit, novemgeldos componere faciat* &c. Unde *Wergeldum*, quaſi valor ſeu pretium viri; *Orfgild*, pecoris pretium; *Angild*, ſimplex rei valor, *Twigild*, duplex, *Trigild*, triplex &c. Suntque voces complures, quibus in fine additum *geldum* ſpecies quaſdam penſitationum deſignat: v. g. *Danegeldum*, *Hornegeldum*, *Penigeldum*, & aliæ id genus. In Anglia *Geldum Regis*, tributum dicebatur ſeu vectigal, quod exſolvebatur Regi; an idem cum *Danegeldo*, de quo ſuprà? Vide C. du Freſne *Gloſſ.*

GELENIUS Sigiſmundus, Bohemus, vertit in linguam Latinam Joſeph. Juſtin. Martyrem, Dionyſ. Halic. Philon. & Appian. Alexandrin. De hoc Eraſm. *l.* 2. *Ep.* 39. *Gelenius pro ſua doctrina non vulgari, proque morum ſinceritate, dignus eſt lautiore fortuna, divitias vix auſim illi optare.* Obiit Baſileæ, A. C. 1554. ubi Frobenio & Epiſcopio, in corrigendis, quos typis exprimebant, Auctoribus, operam navavit, vide & *Sigiſmundus*: de Scriptis verò illius *Elogia* Antonii Teiſſier.

GELENOR, vide *Gelanor.*

GELIDA Johannes, Valentinus, diſcipulus Jac. Fabri Stapul. præceptor liberorum Jul. C. Scaligeri, Ann. Ær. 40. demum ad ſtudia acceſſit, brevi doctiſſimus factus. Obiit A.C. 1541. Æt. 60. Anton. Teiſſier *in Elogiis P.* 1.

GELIDÆ Miniſter, indigitatus Juv. *Sat.* 5. *l.* 1. *v.* 63.

Quando vocatus adeſt calidæ gelidæque *miniſter?*

quis apud vett. Rom. dictus fuerit, vide infrà, ubi de *Nive.*

GELISA, fluv. Aquit. Eluſatium urbem alluens. *Scalig.*

GELLIA Cornelia Lex, à L. *Gellio* Poplicola, Cn. *Cornelio* Lentulo Coſſ. A. U. C. 681. lata eſt: *Ut cives Romani eſſent ii, quos Cn. Pompejus de conſilii ſententia ſingulatim civitate donaſſet*; Cic. *pro Balbo.*

GELLIANUS, Hiſtoric. Plin. memoratus, *l.* 3. *c.* 12. *Gellianus auctor eſt, lacu Fucino hauſtum Marſorum opp. Archippe, conditum à Marſya duce Lydorum*: perperam in *Ind.* ejuſdem Auctoris *ad l. cit.* C. *Ælian.* vocatur, ubi vet. codex *Cellianus* ſcribit, Salmaſ. *ad Solin. p.* 58.

GELLIAS, vir Agrigentinus, mortalium omnium munificentiſſimus, de cujus φιλοξενίᾳ, & in omnes hoſpitalitate multa Diod. Sic. *l.* 13. nec pauciora Valer. Max. *l.* 4. *c.* 8. Malè Τελλίας vulgò apud Athen. *l.* 1.

A. GELLIUS, quem nonnulli *Agellium* vocant, Grammaticus Noctium Atticarum ſcriptor. Antonini Pii temporibus vixit, non diu poſt mortem Plutarchi. Coætaneos habuit Phavorinum Epicteti auditorem, Corn. Frontonem, & Herodem Atticum, quorum ſecundum adoleſcens Romæ docentem audivit, teſte ipſo, *l.* 19. *c.* 8. Vide *Aulus Gellius.*

GELLIUS Fuſcus, Hiſtoricus Lat. An idem cum Aurelio Fuſco? Vide Trebell. Poll. *in Tetrico Jun.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 4. Alterius Gellii meminit Vopiſc. *in Probo* Sexti & Cneji *Gellii* mentionem injiciunt Cic. & Dionyſ. Halicarn. Vide & *Cneus.* Apud. Cic. *l. de Legg.* Atticus ita de Gellio familiari loquitur, *Quia*, inquit, *me Athenis ex Phædro meo audire memini*, Gellium *familiarem tuum, cum pro Conſule in Græciam veniſſet, Athenis Philoſophos qui tum erant, in locum unum convocaſſe, ipſiſque magnopere auctorem fuiſſe, ut aliquando controverſiarum aliquem facerent modum. Quòd ſi eſſent eo animo, ut nollent ætatem in litibus conterere, poſſe rem convenire, & ſimul operam ſuam illis eſſe pollicitum, ſi poſſet inter eos aliquid convenire.* Cui Cic. reſpondens, *Joculare iſtud Pomponi*, inquit, *& à multis ſæpe deriſum: ſed ego plane vellem me arbitrum inter antiquam Academiam & Zenonem datum.* Ita *Gellius* hic inter tot litigantes Philoſophorum ſectas concordiam molitus, uti lites, ita controverſias illorum, honorariâ arbitri operâ diſceptari & componi poſſe credidit. Georg. Horn. *Hiſt. Philoſ. l.* 6. *c.* 13.

GELLIUS Publicola, vide *Lucius.*

GELLIUS Sextus, vide *Sextus.*

GELLO, virgo quædam, quæ puella adhuc è vita diſceſſit, cujus ſpectrum oberrare Lesbiis creditum eſt, ac pueros imperere, unde puerorum mortem, qui præmaturo fato perirent, huic imputabant.

GELLO, locus non obſcuro Monaſterio clarus, ad Araurarim fluv. ab urbe Luteva, cui attribuitur, 2. leuc. diſtans. Hoc nunc *S. Guillem de Deſert* dicitur, à conditore Gulielmo, Caroli Mag. comite A. C. 806. Locus eſt amœnus vinetis, hortis & arboribus ſed undique celſiſſimis cinctus montibus. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

GELLUS Joh. Baptiſta, Florentinus, ſartor & Latinæ Linguæ rudis, alter tamen fundator ac præcipuum decus Academiæ Florentinæ, ingenii ope, evaſit. Scripſit vernaculo ſermone, & ex Latino Italicè vertit varia, de quibus vide Anton. Teiſſier *in Elogiis.* Joh. Matth. Toſcanus *Pepio Italiæ* de illo:

Quæ calamo æternos conſcripſit dextera libros,
Sæpe hæc cum gemino forfice rexit acum.
Induit hic hominum peritura corpora veſte,
Senſa tamen libris non peritura dedit.

Obiit A.C. 1563. jam ſenex.

GELLUS, Val. Max. *Vergellus*, Apuliæ fluv. ſuper quô Hannibal pontem ex cadaveribus apud Cannas interfectorum fecit. *Ferrar.*

GELNACUS Vicus, Gall. *Jaunay*, villa Galliæ, in Pictonibus, ad Clennum fluv. ab urbe Pictavis octo circiter mill ped. diſtans; ad quam Anſoaldum Pictavorum Ep. cum Clericis & populo veniſſe, dicit Auctor vet. qui librum *de vita & virtutibus* B. Leodegarii Auguſtodun. Ep. ad Ermenarium ejus ſucceſſoren, ante annos ferè mille, compoſuit, apud Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

GELNHUSA, opp. Wetteraviæ ad fluv. *Kintzig*, à Friderico III. Imp. inter civitates Imperii collocatum, A. C. 1454. Ejus patronos eſſe Palatinum Rheni, & Comites Hanoviæ, quod jure pignoris communiter teneant, refert Melchior Weiſſenburger, Reip. hujus Syndicus. Vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 21.

GELO, ſive GELON, Siculorum tyrannus, ex duce Hippocratis Regis Gelæ, per An. 17. Ad Himeram Pœnos, Xerxis ſuaſu ſibi bellum inferentes, vicit. Obiit Olymp. 75. A. U. C. 276. A. C. N. 478. Diod. Sic. *l.* XI. Herod. Pauſ. Euſeb. *Chron.* Dionyſ. Italic. *l.* 7. *p.* 417.

GELO, puer quidam, qui à lupo feliciter, & fortuito caſu ſervatus fuit. Hunc enim ferunt, cùm ipſe aliquando in ludi literarii veſtibulo libellum manu retinens ſederet, accedentem lupum, libellumque de manibus raptum auferentem, cum clamore inſecutum, magnum tumultum excitaſſe, quo ludi magiſtrum, omneſque pueros commotos, ut illi ſuppetias ferrent, arma, fuſteſque tumultuariè rapuiſſe: quo ſtrepitu concuſſam domum latam ruinam dediſſe, contignationibus ſolutis, pueroſque omnes cum præceptore eliſiſſe, qui circiter centum fuiſſe dicuntur, eoque modo Gelonem, à lupo ſervatum fuiſſe perhibent. Leonic. Thom. *l.* 4. *c.* 104.

GELOI, vide *Gela.*

GELON, Pyrrhum veneno necare aggreſſus eſt. Plutarch. *in Pyrrho.*

GELON, Ætnæ & Hymari fil. *Steph.*

GELON, Dinomenis fil. Hieronis frater, Obiit Olymp. 76. relicto fratri regno. Sub eo, ex Arcadia in Siciliam migravit Phormis cujus equa ænea Olympiæ dedicata, ob hippomanes magico veneficio ei inditum, adeò famoſa fuit. Pauſ. *Arcadic.*

GELON, fons Siciliæ, à quo *Gelonium* ſtagnum, quod vide. At *Gelontem*, fontem non procul à Celænarum opp. Plin. memorat *l.* 31. *c.* 2. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 126.

GELONES, vel GELONI, populi Scythiæ, Agathyrſis proximi, qui faciem depingunt, ut terribiliores in prælio videantur. Patientiſſimi ſunt inediæ, fameque urgente, equo, quo vehuntur, ſanguinis nonnihil detrahunt, eoque cum lacte commixto, inediam levant. Dicti ſunt à *Gelono* Herculis fil. Agathyrſi fratre. Virg. Georg. *l.* 2. *v.* 115.

——— *Pictoſque* Gelonos.

Lucan. eis fortitudinem tribuit Civ. Bell. *l.* 3. *v.* 283.

Maſſagetes quo fugit equo, forteſque Geloni.

Ubi tamen, *volucreſque* legendum. Virg. Georg. *l.* 3. *v.* 461.

Biſaltæ quo more ſolens, acerque Gelonus.

Vide P. Melam *l.* 1. *c.* 21. & Solin. *c.* 20. de pictura verò Gelonorum vide Salmaſ. *in Plinian. Exerc. p.* 188. Multas ſinguli habebant uxores, contenti ſuis finibus vivebant. Horat. *l.* 2. *Carm.* Ita hic Steph. Cæterùm an contenti neſcio, nec enim id aſſerit poëta. Locus eſt *l.* 2. *Carm. Od.* 9. *v.* 23. ſub calce ubi de Auguſti tropæis loquens, ait,

Intraque præſcriptum Gelonos
Exiguis habitare campis.

Arcubus & ſagittis olim polluiſſe, teſtantur Virg. ac Horat. Hic *Æn. l.* 8. *v.* 725.

——— *Garaſque ſagittiferoſque* Gelonos.

Ille *Carm. l.* 3. *Od.* 4. *v.* 35.

Viſam pharetratos Gelonos.

Quibus adde Stat. Sic enim ille,

——— *Falcemque Getes, arcumque* Gelonus
Tenderet. ———

Nic. Lloydius.

GELONIS, urbs apud Budinos, quos cum *Gelonis* eoſdem habebant Græci, vide eundem *ibid. p.* 189.

GELONIUM, ſtagnum Siciliæ tetro odore abigens appropinquantes. Aliis *Geloum* dicitur. Vide *Solin.*

GELONUM, urbs Sarm. Europææ lignea in Budinis ſita, maximam gentem complexa. Ibi Tarandus animal invenitur.

GELOS, Cariæ portus P. Mela *l.* 1.

GELOTIANA, cujus mentio apud Suet. *Calig. c.* 18. *Commiſit & ſubitos* (Ludos) *cùm è* Gelotiana *apparatum Circi proſpicientem pauci ex proximis mænianis poſtulaſſent*, vel domus, vel Inſ. fuit illis temporibus in Urbe nota, ad Circum, ut videtur, Maximum; in qua partem ſervitii Cæſariani habitaſſe colligit Caſaub. ex vet. Lapide, in quo ſcriptum,

SYMPHORO
TESSERARIO

SER.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

SER. CÆSARIS
DE. DOMO. GELO
TIANA. FECIT.
PHILODESPOTVS
SER. CÆSARIS
EX. HERMÆO
FRATRI. B. M.

Vide eum *Animadv. ad d. l.* & infrà in voce *Hermæum*, ubi ſimiliter pars familiæ Cæſarum habitaſse videtur.

GELRIA, vide *Geldria*. Cæterùm Ducatum hunc olim rexit Arnoldus *de Eggmond* fil. Joh. Egmondani, defuncti A. C. 1451. & Mariæ Arculeæ: frater Vilhelmi minoris natu Dn. Iſelſtenii, à quo Comites Egmondani & Buræ deſcendêre. Ipſe Arnoldus, Obiit A. C. 1473. ex Catharina Clivia, filia Adolphi Duc. Clivii pater Adolphi *de Egmond*, Duc. Geldriæ & Juliaci; cui, extincto A. C. 1477. ex Catharina Borbonia, ſuperfuit Carolus Dux, (maritus Eliſabethæ Brunſvicenſis filia Henrici) in quo linea hæc *Geldriæ* Ducum extincta eſt, A. C. 1538. Vide Spener. *Theatr. Part.* 2. *p.* 113. Priſcis verò temporibus Adelheidâ, Wichardi Gelriæ præfecti filiâ ductâ, Otho Walravii Comitis Naſloviæ fil. Othonis magni nepos, primus *Gelriæ Comes*, ab Henrico Aucupe, pronuntiatus eſt, circa A. C. 1020. adjectâ & Zutphaniæ provinciâ, quæ ab eo tempore *Gelriæ* manſit annexa. Sic Auctor is ſtemmatis fuit *Gelro-Zutphanienſis*, quod poſt Annos demum 336. in Rinaldo III. & Eduardo fratre ejus, Gelriæ & Zutphaniæ Ducibus, exſpiravit. Quo facto *Geldri* Juliacenſibus acceſsêrunt, donec haud longè poſt in Egmondanorum poteſtatem venêre. Cyriac. Lentul. *in Geneal. Princip. & Com. Naſſov. MS.*

GELU, vide in vocibus *Frigus* & *Glacies*.

GEMALLI, pater Amiel. Num. *c.* 13. *v.* 12. Lat. *retributio* vel *merces*, aut *ablactatus*, vel *camelus*.

GEMARA, vide *Miſna*.

GEMBLACUM, opp. Brabantiæ; *Gemblours*. Inter Namurum urb. 4. Nivigellam opp. 5. leuc. à Bruxellis 8. in Ort. ut & à Lovanio in Mer. *Geminiacum Anton*

GEMELLA Aug. opp. Hiſp. Bæticæ. Vide *Tucci*.

GEMELLI, Hebraicè גיא מלח, i. e. *vallis ſalinarum*, ſic interpretatur D. Hier. 2. Sam. *c.* 8. *v.* 13. nomen vallis.

GEMELLI Dii. Græci Θεοὶ διδυμάονες, memorantur Clem. Alexandr. *Protrept.* ubi ædem quidem utrique Numini ſuam, ſed *gemellas* eas, & proximo intervallo diſſitas, fuiſſe, docet: quales Virtuti & Honori Romæ extructas, habes apud Plin. *l.* 35. *c.* 10. In eorum templis pervigilem ignem, non minùs ac in Veſtæ Cereris Jovis Ammonis, aliorum ſacratum fuiſſe, monet G. Stewech. *Electis ad Arnob. adv. Gentes l.* 2. Cæterùm *gemelli* ſunt, eodem partu editi pro quibus Τελεσπάλεγοι Diis Paciqúe, ab Athenienſibus vota fieri ſolita, diſcimus ex *Etymologici* Auctore. De eorum primogenitura diſceptant Juriſconſulti, maſculis ferè faventes, ut fortioribus, quod in Hiſpaniam vett. Gothos primùm induxiſſe, legimus apud Thom. Bartholin. *de Puerp. Vett.* Nobile iſtiuſmodi *Gemellorum* in Sacris par, memoratur Geneſ. *c.* 25. *v.* 24. aliud *ibid. c.* 38. *v.* 27. In ovibus, quæ geminos parerent, *Ambegnas* vocatas Junoniqúe ſacrificatas, refert Fulgent. *de priſco Serm. ad Chalcid. l.* 6. *Bebius Macer, qui Faſtos dies ſcripſit, ait Junoni eas, quæ geminos parerent, oves ſacrificari, cum duobus agnis altrinſecus alligatis; quas oves ambegnas vocari, quaſi ex utraque parte agnos habentes.* Quàm ovium fœcunditatem Græci ad Apollinem Nomium referebant. Unde Callimach. *Hymno in eum* petit, ut illius beneficio

Ἠ δέ κε μηνοτόκος διδυμοτόκος αἶψα γένοιτο.

Quæ unipara erat, gemellipara *repentè fiat* &c.

Vide Sam. Bochart. *Hierozoici Parte prior. l.* 2. *c.* 46. ut & infrà in voce *Gemini*.

GEMELLUS, Tribunitius Romanus, qui lupanar domi ſuæ inſtituit, in quo Mutiam & Fulviam feminas illuſtres, nobilemqúe puerum Saturninum proſtituit.

GEMENTICUM, ſeu GEMETICUM, eſt *Jumieges*, Abbatia percelebris ad Sequanam, 5. leuc. infrà Rothomagum in Occ. 2. à Calidobecco in Auſtr. Baudr. Monaſterium hoc octingentorum Monachorum, quinqúe partim Baſilicas, partim Oratoria complexum, ac mœnibus quadratis muriſque cinctum, condidit Filibertus, permiſſu Chlodovei jun. *Eremi Gemeticenſis*, & Fontanellæ Monaſterii, ibi à Wandregiſilo extructi, meminit Gallus *de vita S. Wandregiſili*: certe utrumqúe Monaſterium cùm Gemeticum tum Fontanella hodieque in ſaltu eremove Gemeticenſi eſt, quam Sequana ferè totam cingit, ac peninſulam facit. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

GEMETICENSIS Gulielmus, vide *Gulielmus*.

GEMIÆ, Nonio *guloſi*, comedones: à Græco γέμω, unde γέμος & γεμίας pro *comedone*, qui celocem ſaburrat. Eandem vocem in Lucilio legimus &c. Salmaſ. *ad Vopiſc.*

GEMIANUS, ſeu GEMINIUS, Presbyter Antioch. ſec. 3. ſub Severo ſcripſit quædam. Hier. *de Scr. Eccl.*

GEMINA, apud Adhalard. *Statut.* Corbej. Monaſter. *l.* 2. *c.* 3. portio eſt cibaria Monaſtica duplicata, Gall. *Double pitance*, C. du Freſne *Gloſſ.* At *gemina ſecuris*, apud Pap. Stat. *Theb. l.* 2. *v.* 609.

——— *Sublata minitantem bella* ſecuri,

una eſt utrinque vulnerans, bipennis, quam vocem vide ſuprà. De geminis tibiis, quas *pares* dictas vult Scalig. Vide ubi de *Tibiis*.

GEMINAS, inter Libertos, qui multum potuêre, ſub Marco & Vero Impp. momoratur Julio Capitolin. *in Marco Anton. Philoſ. & Vero.* Pro *Gemino*; uti *Trophimas*, pro *Trophimo*, apud JC. Salmaſ. *ad Pollion. in Gallienis.*

GEMINGA, locus Friſiæ, ubi Ludovici Naſlovii copiæ cæſo Arembergio, victrices, cùm deſcituras civitates fruſtra expectarent, & jam deficiens ſtipendium diſciplinam ſolviſset, Albani ſuperventu conciſæ, alterno hoſtium, & ſuo ſanguine bellum Belgicum imbuêrunt. A. C. 1568. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 43. & 46. Hug. Grot. *Ann. l.* 2. &c.

GEMINI, unum ex XII. Zodiaci ſignis, Græcis Δίδυμοι, receptiori Aſtrologorum opinione ſunt Tyndaridæ ſive Ledæi Juvenes, Caſtor & Pollux, quos, ut Hygin. ait *Poët. Aſtronom. c. de Geminis, Jupiter inter notiſſima ſidera conſtituiſſe exiſtimatur; Neptunus autem pari conſilio numeraſſe: nam equos his, quibus utuntur, donavit, & dedit poteſtatem naufragis ſaluti eſſe.* Unde *fratres Helenæ*, Horat. Carm. *l.* 1. Od. 3. *v.* 2. & *pueri Ledæ* eidem Od. 12. *v.* 25. ſalutare ſidus nautis habentur. Cauſam *Comm. in Aratea Germanici* Cæſius ſive Calpurn. Balſus hanc reddit: *Caſtorem & Pollucem Geminorum honore decoratos, quod principes pacationis dicantur: quòd mare totum prædonibus maleficiſque pacatum reddidiſſent* &c. At alii, eodem Hygino teſte, Herculem & Apollinem nonnulli Triptolemum & Jaſona, à Cerere dilectos, *Geminorum* nomine intellexêrunt: priorum opinionem Arabibus ſequutis, qui eum, qui cancro vicinus, *Abrachaleum*, alterum *Avellar*, corruptè vocitarunt. Imò alii, inquit memoratus Arati Interpres, *volunt Zethum & Amphionem eſſe: ideo unus zonam, alter lyram habet.* Nigidius *Deos Samothraces dixit*: ducem viz. ſequutus eum, cujus ſub Orphei nomine hymni vel *Initia* potiùs extant. Nam *Carmine*, quod Κουρήτων θυμίαμα inſcribitur, ſic is de iis:

Κουρῆτες Κορύβαντες, ἀνίκητοι εὐδύνατοί τε
Ἐν Σαμοθρῄκῃ ἄνακτες ———

Et mox:

Οἵ τε καὶ οὐράνιοι Δίδυμοι κλήζεσθ' ἐν Ὀλύμπῳ,
Et qui cœleſtes Gemini *vocitamini Olympo* &c.

Vide Geth. Joh. Voſs. *de orig. & progr. Idol. l.* 2. *c.* 36. uti de ſigni hujus figura, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1237. Cæterum *Geminis*, iidem cum *Gemellis*; quorum ſibi per omnia ſimilium exemplum, Daucia & Tymber, Rutuli, Lari apud Virg. Æn. *l.* 10. *v.* 310.

——— *ſimillima proles,*
Indiſcreta ſuis, gratuſque parentibus error,

Vide quoque Stat. *Theb. l.* 9. *v.* 295.

Solus abi miſeros non deceptura parentes

& *ſeqq.* Lucan. Civ. Bell. *l.* 4. *v.* 526. Claud. *l.* 1. in Rufin. Carm. 1. *v.* 108. ubi de Caſtoribus, Alios. Quanto magis mira ſimilitudo non unâ provinciâ natorum apud Plin. *l.* 7. *c.* 12. *quos Toranius Mango Antonio Triumviro, ut geminos, vendidit, cùm alter in Aſia, alter trans Alpes genitus eſſet: detectâ fraude, quum à furente eſſet increpitus, magnitudinem pretii inter alia conquerente, argutè reſpondens, ob id ipſum ſe tanti vendidiſſe, quoniam non eſſet mira ſimilitudo in ullis, eodem utero editis. Diverſarum quidem gentium natos tam concordi figurâ reperiri, ſuper omnem eſſe taxationem; adeoque tempeſtivam admirationem intulit, ut ille proſcriptor animus, modo & contumelia furens, non aliud in cenſu magis ex fortuna ſua duceret.* Recens exemplum nobile, in Sebaſtiano Portugalliæ Rege aliiſque nonnullis, de quibus infrà ubi de *Pſeudonymis*.

GEMINIACUM, haud dubiè à Gemino loci conditore vel domino nomen accepit. Unde *Geminiacenſes*, in Not. Imp. Magiſtro peditum ſubjecti: & ibidem inter legiones Comitatenſes 32. Cortoriacenſes 22. Geminiacenſ 23. locum tenent, intra Gallias cum V. I. Magiſtro equitum Galliarum. Poſtea *Gemmelacum*, exin *Gemblours* dictum eſt, hodie *Gemblours*. Locus Leodicenſis diœceſeos finibus incluſus, illuſtris Monaſterio. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* Vide Gemmelacum.

S. GEMINIANI Fanum, opp. Senenſis dit. nunc Florent.

GEMINIUS, prodigentia opum, ac mollitia vitæ amicus Sejano, nihil ad ſeriem: cecidit tamen conjurationis crimine. Tac. *Ann. l.* 6. *c* 14.

GEMINUS, inter Juni cognomina, vide infrà.

GEMINUS, Comœdus, inter Præceptores Marci Imp. apud Capitolin.

GEMINUS Rhodius, Cic. ac Pompeji temp. de Aſtrologia, Sphæra, Geometria, &c. ſcripſit. Proclus Γεμῖνον vocat; vix autem dubito, quin ſit nomen Romanum. Sanè *Gemini*, *Geminii* & *Geminiani* celebrantur in antiquis ſcriptoribus, & inſcriptionibus. An libertus? Vide Blancan. *Chron. Mathem.* Brucæum, *Cat. Aſtrol.* Petay. *notis in Gemin.* Voſs. *de Scient. Math. p.* 160. & 329.

GEMINUS Rutilius, vide *Rutilius*.

GEMINUS Victor, Afer, poſt mortem excommunicatus, quòd Presbyterum conſtituiſset liberorum ſuorum Tutorem. Cyprian. *Ep.* 66.

GEMISTUS Georgius, dictus *Pletho*, Conſtantinop. Philoſ. Platonicus, & Mathematicus, in aula Florentiæ Duc. ſec. 15. ſcripſit de differentia Platonis, & Ariſtotelis, de interpretatione, in Magiam Zoroaſtris, &c. Voſs. *de Philoſ. ſect. c.* 16. §. 6. *de Hiſt. Græc. l.* 4. *c.* 30.

GEMITUS, ingens ſonus eſt è profundo. Virg. de Ætna. *l.* 3. *v.* 576.

Liquefactaque ſaxa ſub auras
Cum gemitu *glomerant* ———

Cùm nempe plenum mœrore pectus in ſonitum erumpit, unde & jumenta ſub onere *gemunt*, h. e. edunt *ſonum gravem & non canorum*, uti vocem explicat vet. Scholiaſtes Pap. Stat. *ad Theb. l.* 11. *v.* 656. Poëtæ inde ad omnia lamenta vocem extendunt, dixit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

docet Barth. ad eundem *l.* 3. *Sylv.* 3. *v.* 31.. Propriè verò columbis tribuitur. Virg. *Eccl.* 1. *v.* 58.

Nec tamen interea raucæ tua cura palumbes,
Nec gemere aëria ceſſabit turtur ab ulmo.

Hinc Gregor. *in Job. l.* 32. *c.* 4. *Scimus, quia columbarum pulli, vel turtures pro cantu* gemitum *habent.* Quod ipſum στένειν Græcis: unde ἔστενε τρυγών: *gemebat turtur*, apud Theocrit. *Idyl.* 7. *v.* 141. Alii turtures τρύζειν dicunt, & columbas γογγύζειν, ut videre eſt apud Polluc. *l.* 5. *c.* 13. §. 2. cui tit. ὀρνέων φωναί. Eſt autem γογγύζειν, murmurare; unde *murmura* pro columbarum gemitu, in *Epithal.* cujus Gallien. auctor apud Trebell. Et certè murmur *ſonus gravis, non clarus* eſt, ut de gemitu dixit ſuprà Statii Scholiaſtes. LXX. Interpretes μελετᾶν reddunt; unde περιστεραὶ μελετῶσαι dicuntur Theodoreto *Columbæ gementes*, in Ezech. *c.* 7. *v.* 16. Hebræis הגה, quod ad luctum ubique refertur. Unde pro *luctuoſò gemitu* ſumitur vox *columbæ*, Nahum *c.* 2. *v.* 7. ubi Reginam Nineves, cùm in captivitatem abducitur, comitantur ancillæ gementes, *tanquam voce columbarum, & pectora ſua tundentes.* Nempe uti lachrymis, ſic gemitu dolor egeri minuique videtur. Quod proin ſolatii genus in charorum funeribus quoque à Tyrannis vetitum occurrit, apud Stat. *Theb. l.* 12. *v.* 393. Sic *interdictum, ne capite damnatos propinqui lugerent*, ſub Tib, Ner. legimus, apud Suet. *in eo c.* 61. &c. Sed & de luporum voce *gemitum* uſurpari invenias, hyænarum item, de quibus ſuo loco ut & urſorum, de quibus vide infrà in verbo *Sævire*: plura apud Sam. Bochart. *Hierozoici Parte poſt. l.* 1. *c.* 2. uti de Athletarum, inter exercendum *gemitu*, infrà aliquid ubi de *Phonaſcia* it. *Vociferatio.*

GEMMA, Æolicè quicquid ad ornatum induitur, ab εἷμα, Æol. ἕμμα, & addito digamma γέμμα. Unde Latini videri queant feciſſe vocem *gemma* de lapillo pretioſo ac pellucido, qui auribus collo & digitis induitur ad ornatum. At major cæteris, qui ad ornatum deſtinantur, *cautes* dicitur. Ut enim lapis aliquis *gemma* ſit, non ſolùm τὸ λεῖον, τὸ πυκνὸν, τὸ στιλπνὸν, τὸ διαφανὲς καὶ τὸ σπάνιον, *lævor, durities, ſplendor, diluciditas* & *raritas*, ſed etiam τὸ μικρὸν, *parvitas*, facit. Quamvis & è gemmis cavatis pocula olim facta, certum eſt: nam & ampliſſimæ quædam reperiuntur, ut achates, lychnitæ, carbunculi, chalcedonii & ſimiles. Sed hujuſmodi parvi & rari lapilli, qui propriè *gemmæ* ſunt, ad annulos præcipuè ſculpebantur; fuitque hic primus ac vetuſtiſſimus eorum apud Græcos uſus, ut ſic ſculpti auro includerentur, digitoque geſtarentur, ad ſignandum. Proinde *gemma* propriè σφραγὶς eſt. Plin. de Obſidiano lapide, *Multi & gemmas ex eo faciunt*, i. e. σφραγῖδας ſeu σφραγίδια, *annulos ſignatorios.* In quem uſum eligebantur, quibus nec minima forma, nec grandior, convenit. Hinc quoddam genus Sardæ gemmæ, quæ paulo amplior eſſe, δίζημον dixêre, quaſi duplicis σφραγῖδος magnitudinem haberent. Cædebanturque non in longitudinem, ſed ovali plenuque figurâ erant &c. Etiam verò *gemma* in annulo Gr. ψῆφος. Ita enim Suid. ψῆφον καλοῦμεν λίθον τὸν ἐν τῷ δακτυλίῳ καὶ τὸν χρημάτων ἀριθμόν, *Lapillum vocamus, tum lapidem in annulo, tùm pecuniarum numerum.* Unde annuli ἄψηφοι Artemid. ſunt annuli gemmis carentes, *l.* 2. *c.* 5. qui aliis ἄπειροι. Vide Ariſtot. *l.* 3. *Phyſ. Auſc. c.* 9. item ἄλιθοι. Annulorum enim apud Vett. quidam *gemma* carebant, quidam habebant, eamque vel figurâ aliquâ inſignem, vel nullâ. Plin. *l.* 33. *c.* 1. *Multis hoc modis, ut cætera omnia, luxuria variavit*, gemmas *addendo exquiſiti fulgoris, cenſuque opimo digitos onerando: mox & effigies variis cælando, ut alibi ars, alibi materia eſſet in pretio. Alias deinde gemmas violari nefas putavit. ac ne quis ſignandi cauſam in annulis eſſe intelligeret, ſolidas induit.* Quid quod duas gemmas (fortè & plures) in annulo inſertas fuiſſe, videre eſt ex Ep. Valeriani Imp. ubi *Annuli bigemmei uncialis* fit mentio, apud Trebell. Pollion. *in Claud.* Notat autem hìc Æl. Everh. Vorſt. *Comm. de Ann. orig.* nullum fuiſſe lapidis pretioſi genus, modò aut ſcalpro aut cælo corrumpi poſſet quod antiquis illis luxuriæ Magiſtris intactum fuerit relictum: ſolo adamante, ob inſolitam, uti tum credebatur, duritiem, excepto; ſed & hìc quomodo vitiaretur, noſtrâ ætate reperiſſe Mediolanenſem quendam Jacobum Treſciam, qui Philippi Hiſpaniarum Regis gentilitia inſignia adamanti ſummâ arte inſculpſerit. Interim, licet omnes ferè gemmæ ad uſum ſigillorum inciderentur aut cælarentur, tres tamen maximè omnium ad hunc uſum aptabantur, achates, onyx & ſarda, eò quod ceram non traherent, pulcherrimeque ac ſine labe effigiem exprimerent. Vitreas *gemmas* in annulis vulgus uſurpaſſe, tradit Plin. ſuprà laudatus *l.* 35. *c.* 6. Cæterùm imagines, quæ *gemmis* incidebantur, aliæ erant cavæ, quæ ſcalpro fiebant: aliæ extuberantes prominenteſque, quæ cælo; unde &, quæ ejuſmodi imaginem exhibebant, *Ectypæ* dicebantur, ἀπὸ τοῦ ἐκτὸς ἔχειν τὸν τύπον. Senec. *de Benef. l.* 4. *c.* 26. *Paulus Prætorius in convivio quodam Tiberii Cæſaris habens imaginem ectypá & prominente gemmâ.* Talis itaque annulus, qui *gemmam* habet, tribus conſtat partibus, orbiculo, qui ipſa eſt ejus περιθέσια, palà Gr. πυελῷ ſeu σφενδόνη, cui gemma inſeritur & gemmâ. Sed &, ſicut è ſuccino & ebore, ita ex integris gemmis annulos factos legimus. Ita ex ſarda integra annulum cum pala aurea & circulo argenteo, exhibet Gorlæus *Dactylioth. ſua n.* 101. Nec omittendum, quid ſibi apud Juv. *Sat.* 1. *l.* 1. *v.* 68. velit *Gemma uda.* Nempe, cùm obſignarent olim literas tabulaſque, lino, quo illæ conſtringebantur ac obligabantur, ceram vel cretam imponebant, in quam ſigillum imprimerent, ſed priùs ſalivâ madefactum, ne cera illi adhæreret. Unde Scholiaſtes Juv. *ad l. cit. udam gemmam* interpretatur *ſalivâ tactam, propter ſignaculi impreſſionem.* Et Ovid. *Triſt. l.* 5. *Eleg.* 4. *v.* 5.

Flens quoque me ſcripſit: nec quâ ſignabar, ad os eſt
Antè, ſed ad madidas Gemma *relata genas*, &c.

Vide Joh. Kirchmann. *de Ann. c.* 3. & 7. ut & infrà ubi de *Signandi ritu.* Quæ verò minores eſſent, quàm ut annulis inſervirent *gemmæ*, ad pocula transferebantur, uti de uxoribus Regum Magnatumque virorum conſcribit Epiphan. artificio viz. τῆς λιθοκολλήσεως, quo gemmæ poculis aureis includebantur, uti hìc videre eſt, ubi de *Auro gemmato* & *Poculis gemmatis.* Inde ad hominem ornandum uſus tranſlatus, & quidem corporis partes, quæ *gemmis* margaritiſque ornari ſolerent, Manil. expreſſit hoc verſu.

Perque caput ducti lapides, *per colla, manuſque.*

Nec adhuc Plinii ætate tunicis veſtibuſque illatæ ſunt. Poſtmodum verò veſtium gemmis ac margaritis conſertarum luxus invaluit, uti ex *Hiſt. Aug.* Scriptoribus liquet. Quod à feminis primùm uſurpatum, inde ad meliorem ſexum tranſiit. Vide de inepta oſtentatione Impp. Græcorum in *gemmis* veſtitui infixis, Nicetam Choniatem, Luithprand. Ticin. & ejus Imperii *Ann.* Nullus tamen prodigioſior luxus, quàm qui *Gemmas* ad pedes ambitioſè abjecit & calcari docuit. Non enim Carinus Imp. in calceis *fibula gemmea* ſolùm uſus eſt apud Vopiſc. ſed & Diocletianus, auctore Eutrop. *l.* 9. *adorari ſe juſſit, eamque ob rem ornamenta gemmarum veſtibus calceamentiſque addidit*: cùm priùs Imperii inſigne in chlamyde purpurea tantùm eſſet. Imò idem non minori luxu priùs jam uſitatum ab Heliogabalo, teſtatur Lamprid. his verbis: *Habuit in calceamentis* gemmas *& quidem* ſculptas, *quaſi poſſent ſculpturæ nobilium artificum videri in gemmis, quæ pedibus adhærebant.* Idem de Alex. Sev. eadem refert. Et ſanè ſequioris ævi Impp. idem factitaſſe dubium non eſt; cùm de Carolo Mag. Eginhard. teſtetur, *Hadriani & Leonis Pontificum hortatu calceos auro gemmiſque diſtinctos induiſſe.* Atque hactenus tolerabilis ambitio fortè fuit, cùm ſummorum Principum ſplendorem hæc cimelia auxêre, ſed quòd inferioris notæ homines, feminæ inprimis, eodem luxu procedere auſi ſunt, id verò ſtuporem omnem ſuperat. De iis certè agens Plin. *l.* 9. *c.* 35. *Gemmas,* inquit, *non tantùm crepidarum obſtragulis, ſed & totis ſocculis addunt. Neque enim* Gemmas *geſtare jam Margaritas ſatis eſt, niſi calcent, ac per uniones etiam ambulent ſatis eſt.* Unde Lamprid. *in Heliogab. Facta ſunt,* inquit, *Senatuſconſulta ridicula, de Legibus Matronalibus: quæ quo veſtitu incederent, & quæ aurum vel gemmas in calceamentis haberent.* Quibus accinens Tertull. *l. de cultu feminarum c.* 7. *Et in perombus,* ait, *uniones emergere de luto cupiunt.* Ut hinc diſcas; non tantùm ſocculis elegantioribus, quorum uſus nitidum ſolum petit, addita fuiſſe gemmarum unionumque ornamenta, ſed etiam craſſioribus altioribuſque calceamentis, quæ ſiccum præbent adverſus limum lutumque pedibus integumentum. Vide B. Balduin. de *Calceo antiquo c.* 6. Nec nudæ *gemmæ* ſuffecêre luxui, ſculptas eas & quidem in calceamentis quoque eſſe oportuit. Iterum Lamprid. *Heliog. Habuit & in calceamentis* gemmas, *& quidem* ſculptas: *quod riſum omnibus movit, quaſi poſſent ſculpturæ nobilium artificum videri in gemmis*, & quæ ſeqq. vide ſuprà. Ut de *gemmatis enſium capulis, galeis, lectis, matellis, vehiculis, totaque adeo ſuppellectile*, nihil addam. Originem quod attinet, de illa ſic Plin. *Proœm. l.* 37. *Quæ fuerit origo gemmarum, & quibus initiis in tantum admiratio hæc exarſerit, diximus ---- in mentione auri annulorumque.* Dixerat autem *c. de auro & annulis, Major vitæ ratio circa hoc inſtrumentum eſſe cœpit, incertum à quo tempore. Videmur tamen poſſe in externis auctoritatem ejus intelligere circa Polycratem Sami tyrannum, cui dilectus ille annulus in mare abjectus.* Ubi plurimam apud Græcos, Polycratis ejus tempore, jam fuiſſe auctoritatem gemmarum innuit. Idem *l.* 37. *c.* 1. victoriam Ponticam Pompeji Mag. primùm ad margaritas gemmaſque mores Urbis inclinaſſe, tradit. At antiquior longè illarum in Sacris uſus, uti ex Hiſt. Moſaica patet, ubi de Pectorali Sacro juris Sacerdotis Summi, cui XII. *gemmas* inſeri juſſit Deus, Exod. *c.* 28. integro, vide infrà in hac voce. Porrò *gemmæ*, non cælari, ſed *ſcalpi* & *cavari* propriè dicebantur, ut quæ ad ſignandum impreſſas haberent figuras, quas in cera exprimerent, vide ſuprà ubi de *Cabitariis* & *Cavatoribus.* Nonnullæ & perforabantur, ut filo ad monilia inſeri poſſent, & collo ſuſpendi. Poliendis autem & limandis ſcalpendiſque Cypriæ & Armeniæ cotes accommodatæ erant. Idem fiebat adamantis fragmentis auro incluſis, hodie adamante in minutiſſimum pulverem contrito. Vide quoque infrà *Smiris.* Interim & *Ectypæ gemmæ* meminit Senec. *d. l.* quæ non inciſa erat depreſſis figuris, ſed eminentem habebat & expreſſam imaginem, id quod *cælare* vocavêre: verùm illa ſignando non erat. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1046. De colore fulgoreque earum diximus aliquid ſuprà in voce *Color*: de vitiis hìc paſſim, vide *Pterygia, Pulvis, Puncta, Repumicatio.* Adde de ſtellis earum veniſque, in voce *ſtella*: aliquid etiam vide in verbo *Subſterni*: de umbunculis parvorum in voce *Umbo.* Ut de adulterio verbum adjiciam, *gemmas adulterare tingendo cryſtallo primi Indi reperêrunt*, teſte Plin. *c. de Smaragdis*, ubi vitrum *cryſtalli* voce eum intelligere idem Salmaſ. docet. Inde *vitreæ gemmæ*, pro falſis, in *Hiſt. Aug.* & *vitreum* abſolutè, de falſo lapide apud Tertullian. *Tanti vitreum, quanti margaritum*: uti viciſſim *gemma*, pro vitro, non uno Mart. loco. Nempe vitrum intellige χρυσταλλοφανὴς, h. e. *in translucente candidum*, cui inter vitri genera ac colores maximus honos ac pretium fuit. Hinc *gemmeus miles*, in ludo latrunculorum, apud Mart. *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 20. cujus Epigraphe calculi. &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Inſidioſorum ſi ludis bella latronum,
Gemmeus *iſte tibi Miles, & hoſtis erit.*

Compoſitores gemmarum occurrunt apud Plin. *l.* 37. *c.* 6. de *gemmato auro* jam dictum. Plura de *Gemmis*, vide præter Plin. ſæpè laudat. apud Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, inprimis *p.* 89. & 380. ubi *de diſtinctione gemmarum & lapillorum* apud Latinos (Græci enim λίθον de *gemma* quoque dicunt) *p.* 132. & 564. ubi *de ſexu gemmarum*, è quibus mares colore auſteriore ac nigriore fulgent, feminæ dilutioris coloris ſunt, alibique: Anſelmum Boëthium inſuper *de Gemmarum & Lapidum Hiſt.* Joh. Latium & Franc. Ruæum *de Gemmis*, Baccium item, & ad eum *Gobelchoverum*, A. Riv. & *in Exod. c.* 28. integrum ubi *de Rationali* aut *Pectorali* Pontificis, Alios; ut & hîc de illarum unaquaque ſuo loco.

GEMMA Cornelius, vide *Cornelius*. It. *Reinerus*.

de GEMMINGEN Georgius, vide *Georgius*.

GEMMA Reinerus, dictus *Friſius*, Medicus & Mathematicus excellens, operibus inclytus, Medicinæ Lovanii Profeſſor. Obiit A. C. 1555. Quenſtedt *patr. doct.* Blancanus *Chron. Math.* &c. Fil. ejus Cornelius, Poëta, Philoſophus, & Medicus, ſcripſit de arte Cyclognomica, & de Divinis characteriſmis. Poſſevin. *Bibl. ſelecta.*

GEMMINUS Lacus, vulgò *Germinago*, pag. agri Mediol. ad. Verbanum lacum.

GEMONIÆ, ſcalæ dicebantur Romæ, ad quas corpora damnatorum, impacto unco trahebantur. Suet. Tib. Ner. *c.* 53. *Nemo punitorum non in* Gemonias *abjectus, uncoque tractus.* Tac. Ann. *l.* 6. *c.* 25. Idem *Hiſt. l.* 3. *c.* 74. de Sabino: *Tunc confoſſum, conlaceratumque, & abſciſſo capite truncum corpus Sabini in* Gemonias *trahunt.* Et Plin. *l.* 8. *c.* 40. ſcribit canem à corpore ſervi non receſſiſſe, abjecto in gradibus Gemoniis. Nonnulli à *Gemonio* auctore ſic dictas putant. Beroaldo autem à *gemitu* ſic appellatæ videntur.

GEMUNDA, opp. Imp. Franconiæ, ad Mœnum, ubi Salam recipit, ſub Ep. Herbipol. 4. leuc. ab Herbipoli in Bor. 5. à Schwinfurto: Præter opp. Auſtriæ Inf. ad lacum *Traunzée*, in confin. dit. Saliſburgenſis, verſus montes. Parvum quidem, ſed elegans, dictum eſt quibuſdam, quaſi *Gaudia mundi*, ob ludos equeſtres, aliaſque feſtivitates, ibi olim à Sueviæ proceribus celebrari ſolitas; vel potiùs à rivulis ibi cum fluv. *Rems*, unde Raëmſia vallis, in qua ſedet, ſeſe miſcentibus. Germ. *Schwabiſche Gemund.* Innotuit primùm A. C. 1110. cùm muro circumdari cœpit, à Friderico monoculo, Sueviæ Duce: crevit ſub Friderico Barbaroſſa, à quo etiam jus civitatis & privilegia nactum eſt: Municipium olim fuit, & prætorium Sueviæ Ducum, quorum familiâ extinctâ, in ditionem Imperii venit. Regimen urbis cùm penes nobiles olim fuiſſet, per horum ambitionem diſſenſionibus obortis, populus ad clavum pervenit, A. C. 1284. Inſignia civitatis monocerotem oſtendunt in campo albo, Limnæus. Hîc magna & lucroſa ſalis negotiatio eſt, quod præſtans & acre ex vicinis montibus effoditur, & Gemundam allatum, vaſculiſque impoſitum, per *Dranum* fluv. in Danubium tranſportatur. *Baudr.*

GENA, pars illa vultus eſt, in qua nobilis ruboris purpura effloreſcit, C. Paſchal. *Cor. l.* 5. *c.* 4. De illis Plin. *l.* XI. *c.* 37. *Infrà oculos malæ homini tantùm quas priſci* genas *vocabant, XII. tabularum interdicto radi à feminis eas vetantes, Pudoris hæc ſedes. Ibi maximè oſtenditur rubor. Infrà eas hilaritatem riſumque indicantes buccæ.* Hinc pulchritudinis ibi aſylum. Stat. *l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 12. ubi in Violantilla Sponſa laborat, inter alia eam vocat,

Lumina demiſſam & dulci probitate rubentem.

Idem *Theb. l.* 4. *v.* 274.

Dulce rubens, viridique genas *ſpectabilis ævo.*

Quas proin purpuriſſare ſtudebant, & fuco inficere, quibus vel naturâ, vel intemperantiâ vel morbo eæ minùs florebant, ut videre eſt ubi de *Fuco, Pæderote, Radicula.* Eas contrà in luctu unguibus lacerabant cruentabantque Romanæ matronæ antiquitus, donec à Decemviris lata lex, *Mulieres genas ne radunto, neve leſſum funeris ergò habento*; imitatione Solonis, qui ἀμυχὰς κοπτομένων ἀφεῖλεν, *lacerationes plangentium ſuſtulit*, teſte Plutarch. *in eo.* Manſit tamen & ſequenti ævo. Ovid. *Triſt. l.* 3. *Eleg.* 3. *v.* 51.

Parce tamen lacerare genas, *nec ſcinde capillos.*

Tibull. *l.* 1. *Eleg.* 1. *v.* 81.

Tu manes ne læde meos: ſed parce ſolutis
Crinibus, & teneris, Delia, parce genis.

Vide quoque Artemidor. *Oneirocrit. l.* 1. *c.* 30. & infrà ubi de *Radendi genas ritu.* Unde [illegible] Ovid. idem reliquas aves invitat, *ad genas lacerandas*, in morte pſittaci ſui, *Amor. l.* 2. *Eleg.* 6. *v.* 3.

Ite, piæ volucres, & plangite pectora pennis,
Et rigido teneras ungue notate genas.

In pœnam verò *genis* ſtigmata inuri, vide infrà lemmate in *Maxillis*: it. alapæ colaphique infligi ſoliti, vide ibi imò & in Civem rubuêre genæ, vide infrà ubi de Manumiſſione porrò Perſarum mos erat, ut, qui pares eſſent, oſculo ſe ſalutarent, inferiores autem ſalutando potentiorum *genas* manu tangerent, uti docet Alex. ab Alex. *Genial. Dier. l.* 2. *c.* 19. Etiam obſcularentur, ut de Impp. CP. dicemus infrà, ubi de ritu *Pedes lavandi.* Ut aliquid de ornatu addam, indigitatur is Sacri Cantic. *c.* 1. *v.* 10. *Ornatæ ſunt genæ tuæ* (gemmarum) *ordinibus, collum tuum torquibus.* Quo modo autem ornari queant gemmarum ordinibus, obſcurum non eſt. *Nempe ſi ex auribus pendeant, aut ſi inſpergantur mitrarum redimiculis, i. e. latis faſciis, quæ per malas productæ mento ſubligabantur. Nam in Syria mitra fuit muliebre capitis integumentum*, Bochart. *Hierozoici Parte poſter. l.* 1. *c.* 9. Cæterùm *gena propriè* Becmanno *membranula eſt, quæ circumcirca oculos tegit aut munit, ab* עין *oculos, item* גנן *texit, circumdedit* ---- *poſtmodum ſignificatio ad partem genæ inferiori contiguam eſt dilatata*, in Orig. *L. L.* Vide quoque infrà in voce *Maxilla.* Paulo laxius vocem accipit. Plin. *in præced.* ut & Stat. paſſim, ubi *barbam, fauces, oculos, palpebras, totum vultum*, eâ voce indigitare, notat Caſp. Barth. *Animadv. in eum.*

GENABUM, priùs *Cenabum Carnutum*, Galliæ opp. ad Ligerim fluv. ſitum, Cæſ. *l.* 7. *Comm. de Bell. Gall. c.* 1. & *l.* 8. *c.* [illegible] qui cives Rom. negotiandi causâ ibi conſtitiſſe, ac C. Fuſium Cottam Eq. Rom. rei frumentariæ ſuo juſſu præfuiſſe ſcribit. Idem *eod. l.* oppidanis noctu fugientibus direptum à Cæſarianis ac incenſum, refert: & anno inſequenti belli Gallici 8. caſtra in eo poſitum ac C. Trebon. cum duabus legionibus in hibernis collocavit. Rectè to Cænali *Orleans* eſt, Paradino, & Vigenereo potius *Gyen* videtur opp. cum ponte ad eundem fluv. ſitum; 12. leuc. ab Aurelianis [illegible] Ort. 20. ab Agendico, idque verum eſſe ex diſtantia quam Cæſ. inter hoc opp. & Agendicum ponit, oſtendit. Luc. Civ. Bell. [illegible] *v.* 440.

Inclyta Cæſareis Genabos *diſſolvitur alis.*

Aliis & mel eſt *Orleans*, Aureliæ, ſeu *Aurelianum* vel *æ*, quod nomen aſſumpſit, poſtquam urbs ab Aureliano Imp. poſt Germanos Gallia pulſos, & cæſas in campis Catalaunicis Tetrici legiones, reſtituta eſt: in prov. Lugdunenſi Senonia vel quarta, Icones quinto poſita, in vett. Not. Sedes hæc urbs quoque Regum fuit aliquandiu: Mortuo enim Chlodoveo, divisâ inter ejus filios Franciâ, ex uno quatuor regna facta ſunt: ſortitusque eſt Theudericus ſedem Metis, Chlodomeres *Aurelianis*, Childebertus Pariſiis & Chlotarius Sueſſionis, Fredegar. *l.* 4. *c.* 30. & *l.* 5. *c.* 16. & 64. Sed Chlodomere Anno Regni 13. A. C. 524. à Burgundionibus interfecto, regnum ejus Childebertus, & Chlotarius, jugulatis fratris filiis inter ſe diviſêre. Poſtea Guntchramnus unus è 4. Chlotarii M. filiis & ſucceſſoribus, mortuo Patre, cum tota Burgundia *Aurelianos*, & regni Chlodomeris partem obtinuit, & poſthabitâ urbe hac Cabillonum Æduorum in Burgundia Regiam delegit, regnumque ejus totum à potiore parte Burgundia dicta eſt: quod per Annos 48. obtinuit. Mortuo dein A. C. 612. Theodorico Childeberti filio, Chlotarius, Chlotarii maj. ex Chilperico fil. nepos, Neuſtriæ ſuæ Burgundiam ac Auſtriam adjunxit, à quo tempore Neuſtria & Burgundia, poſtquam ipſe fil. Dagoberto Auſtraſiam ceſſerat, uni Regi Luteciæ Pariſiorum ſedenti, paruêre. Quemadmodum Auſtraſiæ Reges Mettis ſedem habuêrunt, uſque ad Pippinum Majorem domus regiæ, qui illis poſtpoſitis Coloniæ Agrippinæ habitavit. Interim Hugo, Robertus & Henricus Reges, *Aurelianis* præ cæteris nonnunquam ſunt commemorati, pertinuitque hæc urbs ad Reges iſtos propriè, & peculiari jure. Caput eſt pagi cognom. *l'Orleanois.* Continentur autem, in diœc. Aurelianenſi, quæ Belſam non totam, pagum Aurelian. & Secalauniam complectitur, Archidiaconatus 6. nim. Archidiaconatus Major ſeu Aurelianenſis, ad Decanum Aurelianenſem pertinens, in quo Clariacum, Mitiacum, ac Floriacum, præ cæteris, cum urbe Aurelianis: Archidiac. Pitiverenſis, in quo Lauriacum & Viatriacum caſtrum: Archidiac. Belſæ, in quo Puteolus *Puiſet*, Ianvilla, Tauriacum: Archidiac. Secalauniæ, à Ligeri ad Carum uſque fluv. pertinens, in quo Montolium ad Carum, *Montou* vel *Montou ſur Cher*, Caſtellio ad Carum, Rivus Morentini Archidiac. Balgentiacenſis, in quo Balgentiacum, Ucellus vicus *Uceau*, Magdunum, Oratorium fori *Orvir le marché*: Archidiac. demum Solliacenſis, Solliacum præ cæteris *Sully*, Oratorium ad Ligerim, curtem Leonis ad Ligerim, caſtrum novum ad eundem, Oratorium in Campis *Ouvroir les Champs*, Gargogilum, Germinicum, Noviacumque *Neufvi* complexus. Incolæ *Aurelianenſes* dicuntur, vulgò *Guepins*, quod nomen pro convitio à pleriſque habetur, origine omnibus ignotâ, vide in voce *Gepini.* Hi, ut patriæ ſuæ vetus *Genabi* nomen vindicarent, urbis ſuburbano Genabiæ nomen *Genabie* impoſuêre. Celebrant annuâ ſupplicatione diem 8. Maj. quòd illo, A. C. 1428. obſidionis Anglicæ periculis liberati ſunt: cùm profeſtum habeant diem 14. Jun. quò A. C. 451. armis Aëtii & Gothorum Francorumque, Hunni urbe expulſi ac majores eorum jugo duriſſimo ſubtracti ſunt. Vide *Vitam S. Anniani Ep. Aurelian. MS.* apud Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* & in voce *Aurelia.*

GENADIUM, mel. *Cenadium, Chonad*, urbs Hungar. Comit. Chonadienſis caput ad Maryſium fluv. qui paulo infrà in Tibiſcum cadit, 3. leuc. à confin. Tranſylvaniæ. Sub Turcis, jam pridem.

GENAPIA, vulgò *Gennep*; opp. Brabantiæ arce munitum, Ludovici XI. Galliæ Regis antequam regno potiretur, diuturno ſeceſſu nobilitatum. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

GENAUNI, pop. Vindeliciæ. Horat. *Carm. l.* 4. *Od.* 14. *v.* 9.

——— *Milite nam tuo*
Druſus Genaunos, *implacidum genus,*
Dejecit acer. ———

GENEA, vicus Corinthi, lege, & vide *Tenea.*

GENEALOGICI Hymni, fabuloſorum ſeu hiſtoricorum partes, aut originem aut cauſam cujusque poteſtatis, olim enarrabant. Sic *Bacchi ortus. Jovis fil. qui Jupiter æther eſt. Semele* [illegible] *Utrumque vini igneam vini oſtendit. Præterea immaturum fœtum,* [illegible] *ſi ſucco abundet. Uritur enim vitis ſine humore. Idcirco* [illegible] *coxa inſutum, perficit Jupiter* &c. Jul. Cæſ. Scalig. *Poet. l.* [illegible] 115. Cujusmodi γενεαλογίαν Deorum omnium carmine tradidit Heſiod. ad quem vide Lamberti Barlæi *Notas.* Poſtmodum Euhemerus Meſſenius, deprompta ex titulis & inſcriptionibus ſacris, quæ in antiquiſſimis Templis habebantur, maximeque in Fano Jovis Triphylii (ubi aureâ columnâ à ſe poſitâ, geſta ſua ipſe Jupiter inſcripſiſſe perhibebatur) hiſtoria, natales, patrias, ſepul-

ſepulchra illorum, exequutus eſt, ἀθεότης equidem infamiam operis præmium adeptus, ut Cic. refert *de Nat. Deor. l.* 1. Idem Apollodor. feciſſe l. quem *de Diis* compoſuerit, Athenagoras auctor eſt. Meminitque Leontis Sacerdotis cujusdam Ægyptii Auguſtinus, qui Alexandro Macedoni iſtorum Deorum originem, quamvis à Græcorum opinione diverſam, ita tamen tradiderit, ut homines fuiſſe declararet, *Tom.* 4. *de conſenſu Evangeliſt. l.* 1. *c.* 3. & *de Civ. Dei l.* 6. *c.* 7. & *l.* 7. *c.* 26. Vide Tob. Pfanner. *Syſtem. Theolog. Gentil. pur. c.* 2. §. 18. At his longè antiquiores ſunt Sanctorum catalogi, quos divini Scriptores, Moſes inprimis, & Evangeliſtæ Matthæus, & Lucas ex vett. ſcriptis, pertexunt: eò exactiori hujus rei in Vet. Teſtam. cura, ut tanto certior eſſet fides de Meſſiæ ortu, ex ſtirpe Davidis, tribu Juda, & Patriarcharum illo Triumviratu incluto, fidelibus promiſſo. Sed &, quia Sacerdotes natalium jure ſibi ſuccedebant, & hæreditates à majoribus relictas non confundere licebat, *Genealogiæ* diligentior ratio tum habita, ut ex l. Eſræ inprimis elucet. In quo tamen ſtudio quis modus tenendus, præſcribit Timotheo ſuo Paul *prior. Ep. c.* 1. *v.* 4. jubens, μηδὲ προσέχειν μύθοις καὶ γενεαλογίαις ἀπεράντοις, αἵτινες ζητήσεις παρέχουσι μᾶλλον, ἢ οἰκοδομίαν Θεοῦ τὴν ἐν πίστει, *ne attendat fabulis & genealogiis infinitis, quæ potiùs quæſtiones præbent, quàm ædificationem Dei, quæ eſt per fidem.* Nempe non negligendæ ſunt, quas Verbum Dei nobis tradidit, ita tamen, ut hîc minimè hæreamus, ac conſideremus Spiritus S. in illis recenſendis ſcopum potiùs, quàm in hoc veluti campo nos fatigemus: quod illorum inprimis temporum Judæi fecêrunt. Quemadmodum & de Tib. Ner. Suet. *Maximè*, inquit, *curavit notitiam hiſtoriæ fabularis, uſque ad ineptias ac deriſum. Nam & Grammaticos ---- ejuſmodi ferè quæſtionibus experiebatur, Quæ mater Hecubæ &c.* Uti autem ſeriem generationis noſtræ ſanctificare dignatus eſt Servator noſter, dum ſecundum carnem ſanctiſſimam ex Patribus naſci ſicque illorum poſteritati interſeri voluit, ita ſecundùm Deitatem idem ἀγενεαλόγητος *ſine generis ſerie*, dicitur in illuſtri typo ſuo Melchiſedeco, Hebr. *c.* 7. *v.* 3. ad quem l. vide Commentatores ſacros & *de Genealogiis familiarum Judaicarum* ab Herode, antiquitatem generis iis invidente, de qua ipſe gloriari non potuerat, aliiſque de cauſis, concrematis, Euſeb. Aliam verò vocis notionem paulò infrà.

GENEBRARDUS Gilbertus, Arvernus, Benedictinus, Turnebi, Carpentarii, Sanctii diſcip. Regius S. linguæ Pariſiis Prof. Ligæ addictiſſimus, hinc Archiep. Aquenſis A. C. 1593. Sed cùm pro ſuggeſtu uſque pergeret in regem invehi, periculum veritus, Avenionem ſeceſſit ibi libro, *de ſacrarum electionum jure, ad Eccl. Rom. redintegrationem*, edito: qui à Parlamento Provinciæ damnatus eſt, auctore perpetuo exilio multato. Obiit A. C. 1597. Æt. 60. Scripſit in Pſalmos, contra Antitrinitarios, Chronologiam ſanctam, uſque ad A. C. 1584. continuatam poſtmodum à Joh. March. Medico, Liturgiam Apoſtolicam, verſionem Joſephi, &c. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 119. & Auctores, apud Moret. *Dict. Hiſt.* citatos. Adde *Elogia Sammarth.* & Anton. Teiſſier, qui inter alia Scriptorum ejus prolixum catalogum exhibet, P. Simonem *Hiſt. Crit. Vet. Teſt. l.* 3. *c.* 15. Mezeræum *Hiſt. Gall.* Thomaſ. *de Plagis Liter.* §. 440. Alios. Juxta nonnullos auctor quoque fuit libri meritò execrabilis, cui tit. *Gul. Roſſæus de juſta Reip. Chriſtianæ in Reges impios & hæreticos animadverſione, juſtiſſimaque Catholicorum adi Henricum Navarræum & quemcunque hæreticum à regno Galliæ repellendum*, Antverpiæ editum in Octavo. A. C. 1592. Placcius *de Scriptis Anonymis p.* 249. quem tamen alii Gul. Giffordo. *Turco-Calviniſmi* auctoris, alii Boucherio tribuendum cenſent. Teiſſier *d. l.*

GENEBRIA, mulier Veronenſis peritiſſima, tempore Pii Secundi Rom. Pontificis. Hæc doctiſſimas ſcripſit Epiſtolas, quas recitabat decoro geſtu, voce virili, permiſtâ ſuavitate.

GENEHOA, regn. Nigritiæ, in ora Oceani Atl. verſus oſtia fluv. Senegæ, & prom. Arſinarium. Habet à Sept. regnum Gualatam, ad Ort. regn. Tombutum. Cum urbe prim. cognom. eſtque juxta Senegam fluv. longè ab ora Oceani.

GENEPUM, urbec. Duc. Clivenſis, cum arce fere adjacenti & permunita, ad Moſam, ubi Nierſam recipit: Juris Brandeburgici. 2. leuc. à Clivia in Occ. 6. à Veſalia.

GENER, tanquam *generis propagator* Becmanno *de Origin. L. L. p.* 500. cum Socero, moribus Rom. nec lavare, nec præſente eo ſedere poterat. Capitolin. *in Gord. Sen. Socero ſuo Annio Severo tantùm detulit, ut in familiam ejus quaſi filium migraſſe ſe crederet, ut nunquam cum eo lavarit nunquam illo præſente ſederit, ante Præturam.* Vide quoque Plutarch. *in Marco Cat.* Apud eoſdem à *Genero*, & à Socero, donum accipere non licuit: & quidem ab illo, ne per patrem videatur ad uxorem pervenire donum; ab hoc, quòd viſum æquum eſt, ut is, qui non dat, etiam non accipiat. Idem *in Quæſt. Rom.* &c. De ratione *Generum* ſibi legendi Phocenſium, qui Maſſiliæ ſedem fixêrunt; vide infrà in voce *Phiala* de γαμβρίῳ στολῇ, ſoli *Genero* Regis, apud Vett. Perſas conveniente, ſuprà ubi de *Cognatis Regis*, it. in voce *Dorphori.* Apud Juſtin. verò *l.* 18. *c.* 5. ubi de Pygmalione Acerram, Didonis maritum, Generum ſuum, occidente, vox ſororis maritum notat, ut ex Sophoclis *Oedipo Tyr.* & Probi *Pauſ. c.* 1. notat Jac. Cujacius *Obſerv. l.* 6. *c.* 17. Quomodo & Ditmarus & Witikindus Saxo *l.* 1. loquuti ſunt. Cedren. quoque Jethro ſocerum Moſis vocat πενθερὸν ἢ γαμβρόν. Ut quicunque uxorem alteri dat, aut filiam aut ſororem, ejus *Gener* dicatur. Forſan & qui ducit quo ſenſu verbum ἐπιγαμβρεύειν legitur Matth. *c.* 22. *v.* 24. Hinc zonaras in *Stauracio* generale vocabulum reſtringit, γαμβρὸν ἐπὶ τῇ ἀδελφῇ. Cæterùm iſtiuſmodi nomina cognationum & affinitatum, quo pacto ab Auctoribus Juris non conſultis confundantur ſæpe corrumpanturque, vide præter alios apud Alb Gentilem *de Nuptiis l.* 5. *p.* 448. & *ſeqq.*

GENER Johannes, vide *Johannes.*

GENERALE, apud Monachos eſt, *quod ſingulis in ſingulis datur ſcutellis. Pitancia quod in una ſcutella duobus, verbi gratia: aliquando pro pitancia unum crudi caſei fruſtum, vel quatuor ova: pro generali ova quinque & caſeus nunquam niſi coctus. Sed ſi quid eſt* generale, *à noviſſimo incipit adminiſtrari & ad hoc ſcilla, ſicut ad olera, pulſatur. Pitanciа verò Priore & de hac hebdomadarii coquinæ nihil omninò ſe ex debito intromittunt; ſed Cellerarius, quibus ad hoc innuerit, cum his eam adminiſtrant, quidquid eſt* generale, *hoc apportant, & niſi piſces ſint, quos Cellerarius ipſe ſingulis eis ſuggerentibus apponit: Si eſt alius generalis, adhuc unus eorum ſcillam ſonat, ſcutellas colligit, eas ſolas in quibus fabæ oleraque ſunt adminiſtrata* &c. Udalricus *Conſuet. Cluniac. l.* 2. *c.* 35. Vide quoque librum *Uſuum* Ciſterc. Ord. *c.* 48. ubi de melle nunquam *generale* fieri debere injungitur &c. Apud eundem Udalric. alibi, *Generale piſcium* dicitur, cùm in ſingulis ſcutellis ſingulis Monachis piſcis apponitur. *Generalis* vero *refectio*, in *Charta* Caroli C. apud Doubletum *in Hiſt. Sandionyſ. p.* 806. eſt, quæ omnibus Monachis ex cibo aliquo præbetur &c. C. du Freſne *Gloſſ.*

GENERALES, Præfecti Regionum, Γενεράλιοι Conſtantino Porphyrog. *de Themat. l.* 1. *c.* 1. ubi, provinciis Orientis ab Impp. ſubactis, eas ſcribit diviſas εἰς Ἐπαρχίας καὶ Ἡγεμονίας καὶ Δουκάτα καὶ τοὺς καλουμένους Κοντιλιαρίους: additque Ἦσαν δέ τινες αὐτῶν Πρίγκιπες --- ἀλλὰ μὴν καὶ Γενεράλιοι, uti legit C. du Freſne, *Erant autem etiam quidam illorum Principes ---- ut & Generales.* Quâ voce exercituum Præfectos ac Duces hodie vocant Galli. Sed & Superiores Ordinum Religioſorum in Eccleſia Rom. ſimili appellatione inſigniuntur; *Pantocratoreni* Balſamoni *tit. de Fide ad can.* 20. *Photii.* Vide C. du Freſne *Gloſſ.* & Dominic. Macr. *in Hierol.*

GENERATIO, apud Canoniſtas, dicitur gradus cognationis & affinitatis, intra quem matrimonia contrahi vetant Canones & agnatio computatur. Ac ſacris quidem literis, de paucis, iiſque proximis, cautum fuit, in Levit. nec longiùs ferè proceſſit interdictum, quàm ne fratris ſororiſque filia duceretur: quod in Republica Rom. quoque obtinuiſſe, innuit Gregor. Mag. *l.* 12. *Ep.* 31. *ad Auguſtin.* Impp. poſtea Chriſtiani etiam conſobrinas jungi vetuêrunt, ut Theodoſ. *tantum*, verba ſunt Sexti Victoris, *puderi tribuens, ut conſobrinarum nuptias vetuerit tanquam ſororum.* Quas divinas Imperatoriaſque *LL.* diu obtinuiſſe, colligere eſt ex Synodo Agathenſi *can.* 61. & ex Ennodio *l.* 5. *Ep.* 34. Primus Gregor. Mag. introduxit, ut cognationis gradus vetiti ad ſeptimum uſque extenderentur, uti videre eſt *l.* 12. *Ep.* 32. *ad Felicem.* Quem tamen rigorem temperavit. Innoc. III. in Concilio Lateran. A. C. 1215. *can.* 50. in quo prohibitionem copulæ conjugalis intra quartum conſanguinitatis & affinitatis gradum prohibuit, &c. Apud Wiſigothos intra ſextum gradum nuptias prohibitas fuiſſe ex *l.* 3. *tit.* 5. §. 1. apud Græcos item, ex Georgio Pachymere *Hiſt. l.* 6. & *l.* 9. *c.* 4. diſcimus. Vide C. du Freſne *Gloſſ.*

GENEROSI, Raph. Regio dicuntur, qui à Nobiſibus genus ducunt. Vide C. Nep. in Cimone *c.* 1. & Dione *c.* 1.

GENESARETH, opp. nunc viculus, nomen retinens. Item, Galilææ lacus, circumſeptus urbibus plurimis & celebribus. Solin. *c.* 38. Hîc Chriſtus Apoſtolos vocavit. Idem dicitur *Mare Tiberiadis.* Nunc *mare de Fabarie.*

GENESE, urbs Laconicæ. *Steph.*

GENESIA, Græcè Γενέσια, dies dictus eſt, quo quis eſt fato functus, ſicut *Genethlia*, quo in lucem prodiit, Ammon. Vide Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lection. l.* 17. *c.* 21. & infrà, ubi de *Genethliaco Feſto*, nec non in voce *Natalis.*

GENESIS, primus S. Scripturæ liber, Hebr. *Bereſchith*, i. e. in principio, ſic enim incipit. Hunc compoſuiſſe quibuſdam creditur Moyſes, cùm in terra Madianitarum degeret: cujus priora capita apud Judæos, ante 30. Ær. Annum legi prohibita. Continet capita 50. & deſinit, in morte Joſephi. Hier. *in Prologo Galeato. Ep. ad Paul. &c.* In *Geneſin*, extant A coſtæ *Comm.* Fol. Lugdun. A. C. 1641. Ægidii *in Hexaëmeron. l.* 2. Albertus. Alcuinus. Ambroſii *Hexaëmeron.* Anaſtaſ. Andreæ Ἀποσπάσματα *in c.* 4. *pr.* Angl. Fol. Londini A. C. 1657. Anſelmus de Aquino. Ariæ Montani *Apparatus.* Artopæi *Diſcurſus ex* 3. *pr. c.* Stetini A. C. 1545. Auguſtinus Avitus Baſilii *Homiliæ in Hexaêm.* Beda. Bernardinus. Bonaventura. Bruni *Comm. & Quæſtiones analyt. in Benedictiones* 12. *Patr.* in Quart. Venet. A. C. 1601. Buxtorfii *Diſcurſus de confuſ. lingg.* Quart. Baſil. Calovii *Comm.* Candidus. Capito. Carnovius. Cartwrighti *Electa*, Octav. Londini A. C. 1656. Caſmanni *Angelographia & Coſmopœja.* Catharinus. Celada. Chemnitii *Quæſtiones.* Chryſoſtomi *Homiliæ.* Cigninius. Clementis *de Hagar & Sara.* Corderius. Corvinus. de Cuſa. Cratoaldi *Annotata in c.* 3. *pr.* Argent. A. C. 1530. Draconites, Draconitius. de Eſcalante. Eucherius. Euſtathius. Fabritii *Comm.* Quart. Argentin. A. C. 1584. Fagii *Expoſitio*, *in* 4. *c. pr.* Fernandez. Ferus. Fidelis. Fruſii *Aſſertiones.* Romæ A. C. 1541. Garcias. Gerhardi *Comm.* Quart. Geſneri *Diſputat.* Quart. Witteberg. A. C. 1604. Graminæus. Gregorii Nazianz. *de* 12. *Patriarchis Tractatus.* Gregorius Nyſſ. *de vita Moſis.* Gualtperius. de Guete. Guevara *in c.* 1. Gulielmus. Hameri *Comm.* Fol. Dilingæ A. C. 1564. de la Haye *Comm. literales*, 3. Volum. Pariſ. A. C. 1659. Heidericus. Hieronymi *Traditiones & Quæſtiones.* Honcala. Honorius. Hopzinſoni *Deſcriptio Paradiſi*, Quart. Lugd. Batav. A. C. 1592. Hottingeri *Hiſtoriæ Creation. examen*, Quart. Heidelb. A. C. 1650. Hunnii *Prælectiones.* Judæ *Annotationes*, Tiguri. Junii *Analyſis* Quart. Junilius. Knoxus. Lactantius. Lavaterus. Lancellotus, Laurentii *Expoſitio Hiſt. Joſephi*, Quart Hardervici A. C. 1630. Libavius. Lutheri *Comm.* Lipomannus. Lyſerus. Magalianus. Marlorati *Biblioth. Expoſitionum* A. C. 1562. Martinengus. Martinii *Fons perennis veræ Theol. in* 3. *pr. c.* Duodec. Bremæ A. C. 1615. Martyris *Comm.* Fol. Heidelb. A. C. 1606. Merceri *Prælectiones*, Fol. Genevæ A. C. 1598. Merſenni *Quæſtiones.* Moſes Barcephæ. Muſculus. Nannius. Oecolampadii *Annotationes*, Baſileæ A. C. 1536. Origenis *Tropologiæ.* Paræus. Paſſæus. Pelargus. Pepinus. Pererius. de Petigianis. Pezelius Fol. Neoſtadii A. C. 1596. Philoponus. Picus. Piſides. Prudentius. Rabus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Riveti *Exercitationes*. del Rio. Ruffinus. Rungii *Comm.* octav. Witebergæ A. C. 1608. Sacratus. Schickardus. Sixtus Sen. Steuchus. Sylvius. Terſeri *Annotationes*, fol. Triſſinus. Verenius. Victor. Victorinus. Vielmius *de operib. 6. dier.* quart. Venetiis A. C. 1575. Vincentius. Whatelejus. Wigandi *Exercitationes, in c. 3. pr.* Willeti *Hexapla in Gen. & Exod.* Angl. fol. Londini A. C. 1632. Yſtella. Zanchius *de operibus 6. dier.* Ziegleri *Comm.* fol. Baſileæ A. C. 1548. Zuinglii Ἐξηγήτεις, &c. Vide Crowæi *Elenchum*. Item in *Pentateuchon* & *Teſtamentum*.

GENESIS, nomen doctrinæ reconditioris, apud Ægyptios, ad cujus ἀκρόασιν nemo niſi circumciſus admiſſus. Origenes *Ep. ad Rom. c. 2. l. 2. Apud Ægyptios --- nullus aut Geometriæ ſtudebat, aut Aſtronomiæ, quæ apud illos præcipua ducitur, nullius certè Aſtrologiæ &* Geneſeos, *quâ nihil divinius putant, ſecreta rimabatur, niſi circumciſione ſuſceptâ.*

GENESIS Parva, Γένεσις λεπτὴ, apud Cedren. paſſim, inprimis *Hiſt. p. 6.* ubi *Cainum ruinâ domus oppreſſum. p. 21.* ubi *Abrahamum ab Angelo Domini linguam Hebræam edoctum* : *p. 24.* ubi *Maſtiphalem, dæmoniorum principem, ad Deum acceſſiſſe, & dixiſſe ſi te diligit Abram, immolet tibi filium ſuum*: &c. *p. 38.* ubi *ſolos decem menſes abjectos fuiſſe in amnem Iſraëlitarum pueros*, ex illa refert: nomen libri apocryphi, de quo quid ſentiendum, ex ſolis his fabulis abundè conſtat. Unde illam Zonaras *principio Ann. ſuorum* meritò ἀποδιοπομπεῖ. Aliàs *Apocalypſin Moſis* fuiſſe dictum habes apud eundem Cedren. *ad Opera Creat. 6. diei, p. 3.* Vide Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce Γένεσις.

Viri Illuſtres.

GENESIUS Gallus, ſcriba militum, juſſus ſcribere edicta, in quibus Chriſtiani ad ſupplicia poſcebantur, calamum & chartam abjecit, & aufugit. Tandem propter Chriſti confeſſionem interfectus eſt. Item mimus nobilis apud Domitianum, qui Chriſtianos turpiſſimis geſtibus irridebat. Tandem & ipſe ſub Imp. paſſus eſt.

GENESIUS Marcianus, Syrus, Mammææ, Mæsâ Juliâ Aug. ſorore genitæ, maritus, ex ea Alexandrum Sev. Imp. genuit, Dio: quem tamen Varii fil. vocat Lamprid. Vide Caſaub. *ad hunc Auctorem.*

GENETES, portus & fluv. Arrian. Steph. unde *Genetæum* prom. in quo templum fuit Hoſpitalis Jovis, quem *Xenion* vocant. Steph. Val. Flacc. Argon. *l. 5. v. 147.*

Inde Genetæi *rupes Jovis*:

Apollon.

Τὸς δὲ μετ' αὐτίκ' ἔπειτα Γενηταίου Διὸς ἄκρην
Γνάμψαντες, &c.

Prom. Cappadociæ, inter Jaſonium & Cotyorum urb. Strab. *l. 12. p.* 548. Populi *Genetæ* ſunt apud Plin. *l. 6. c. 4.*

GENETHLIACI, dicti ſunt qui ex natali conſtellatione omnia captabant. A. Gell. *l. 14. c. 1.* Auguſtino *Planetarii, Confeſſ. l. 4* Iſid. *Mathematici, Orig. l. 8. c. 9.* Perſ. *Horoſcopi, Sat. 6. v. 18.* Ipſi ſeſe *Chaldæos* appellabant, de qua voce Cic. *de Divin. l. 2. Chaldæi non ex artis*, inquit, *ſed ex generis vocabulo nominati, diuturnâ obſervatione ſiderum, ſcientiam putantur effeciſſe, ut prædici poſſet, quid cuique eventurum & quo quiſque fato natus eſſet*: & *Mathematicos*, quò ſpecioſo hoc nomine faciliùs imponerent. Unde Sextus Empiric. *adv. Mathem. l. 5.* ait, ſe iſto libro non ſcripturum adverſùs Aſtronomiam, ἀλλὰ πρὸς γενεαλογίαν, ἣν σεμνοτέροις κοσμοῦντες ὀνόμασιν οἱ Χαλδαῖοι, Μαθηματικοὺς καὶ Ἀστρολόγους σφᾶς αὐτοὺς ἀναγορεύουσιν, *Sed adverſus genealogiam, quam Chaldæi magnificis ornantes nominibus, ſe ipſos Mathematicos appellant ac Aſtrologos.* Hinc etiam in Cod. Theod. & Juſtin *Tit. de Maleficis & Mathematicis* & Impp. *in l. 5.* ad omnem ambiguitatem vitandam *Chaldæos* & *Mathematicos* conjungunt, ac omnem divinandi curioſitatem perpetuâ lege ſilere jubent. Vocantur etiam *Babylonii* Julio Firmico *l. 2. Aſtron. c. 3.* unde & *numeri Babylonii*, apud Horat. *Carm. l. 1. Od. XI. v. 2.*

——— *Nec Babylonios*
Tentaris numeros.

Ab inventoribus hujus ſcientiæ Babyloniis, à quibus eam in Græciam Beroſus attulit, Salmaſ. *ad Solin. p. 647.* Cæterum etſi *Chaldæorum* nomen plerunque malè audiit, utpote quo homines divinandi ex aſtris artem profitentes deſignarentur, tamen inter ipſos etiam Chaldæos fuiſſe, qui artem hanc minimè probantes eam ut vanam & ſuſpectam haberent, luculenter teſtatur Strab. *l. 16. p. 762.* ubi docet, Chaldæos ab ultima antiquitate Philoſophiæ rerumque naturalium contemplationi deditos, ſingularem ac præcipuam curam Aſtronomiæ ſeu corporum motuumque cœleſtium obſervationi impendiſſe: inter quos cùm aliqui in Aſtrologicis prædictionibus totum ſtudium ponerent, à cæteris improbatos eſſe. Scripſit contra eoſdem ex Veteribus Cic. *de Div. l. 2.* Sextus Empiric. *l. 5. adv. Mathem.* Simplic. *in Epictet. c. 1.* Inprimis egregia atque illuſtris Favorini contra illos diſputatio eſt apud A. Gell. *l. 14. c. 1.* cui in tota antiquitate vix ſimilem reperias: ubi ſuccinctè ac nervosè futiliſſimæ Artis fundamenta penitùs ſubvertit. Inter recentiores præ cæteris eminent Hier. Savanarola *in l. adv. divinatricem Aſtrolog.* J. Picus Mirandul. *l. 12. Diſput. in Aſtrologiam*, Alex. de Angelis *l. 5. adv. Aſtrologos*, Sixtinus ab Hemminga *in Aſtrologia refutata*, Georg. Raguſejus *de Divin. l. 1.* & Gaſſend. *in Phyſ. l. 6. S. 2. ubi de Siderum effectibus agit.*

GENETHLIACUM Feſtum, quotannis olim redibat, ſicque dicebatur, quo memoria *nati natalisque* alicujus recolebatur. Plaut. *in Perſa Act. 5. ſc. 1. v. 16. natalem diem* vocat,

——— *hoc age accumbe,*
Nunc diem ſuavem meum natalem inter nos agitemus a-
mœnum.

Idem Pſeud. Act. 3. ſc. 1. v. 9. & Act. 4. ſc. 7. v. 139.

Natalitia Cic. *Philippic. l. 2.* Erat illud primò Principum progeniei proprium, mox aliis, etiam Philoſophis, non viventibus ſolùm, ſed & fato functis, exhiberi cœpit. Unde natum inter Γενέσια & Γενέθλια diſcrimen, de quo vide Suid. & inter ſacra publica ac privata. Cunctis religio inerat maxima: conſtitutæque, ne in demortuis o-mitteretur, uſuræ, ad ſolvenda convivia, uti liquet ex illuſtri plane *Inſcr.* marmoreæ tabellæ Bergomi, in Æde Benedicti, deſcripta, Grutero *p.* DCCLIII. Eadem feſtivitate munera ab amicis miſſa, pro cujuſque arbitrio: Imperatoribus nonnullis ſtatutum pretium placuit. Exhibiti Ludi Theatrales, aliaque facta, de quibus latius dicemus infrà, ubi de *Natali Die*, vide quoque ſupra in verbo *Commendare*. De *Genethliaco* verò carminis genere, vide Jul. Scalig. *Poet. l. 3. c. 101.* & plura huc pertinentia, ubi de *Nativitate* & *Natalitiis Ritibus*, nec non in voce *Puerperium*.

GENETHLIUS, Jupiter ſic dictus, quòd ei incumbat cura gignendorum liberorum. Item doctiſſimus Sophiſta Palæſtinus, diſcipulus Minutiani, & Agapeti, qui ſcripſit multas λαλιὰς ſeu διαλέξεις, & μελέτας & multa alia. *Suid.*

GENETYLLIS, Venus dicta, ut Ariſtophanis Interpres ait, quòd genituræ præſit. Vide Ariſtoph. *in Nubibus*. Addo, quod illi, ut & Hecatæ, pro naſcentibus vota olim fiebant, caniſque immolabatur, non ob pariendi facilitatem, neque ob animalis ſinceritatem, ſed propter vigilantiæ, audaciæ ac fœcunditatis omen. Eidem feſtum à mulieribus, pro gravidarum partu, celebratum fuiſſe, refert Heſych. Vide Ariſtoph. Scholiaſt. Thom. Bartholin. *de Puerp. Vet.* &c.

GENEVA, urbs Allobrogum extrema, miræ antiquitatis: Cujus, ut & pontis ſuper Rhodanum ſiti, ac à ſe reſciſſi, meminit Cæſar, *l. 1.* de Bell. Gallic. *c. 2.* ampla, populoſa & probè munita, ad oſtia Lemani lacus, ubi Rhodanus exit, proxima Helvetiorum finibus, emporium jam olim celebre, quod inde Lugdunum tranſiatur. Gall. *Geneve*. Germ. *Genff*. Ab Annis circiter 900. literarum ac vocis ſimilitudine, ab indocto tum ſeculo *Gebenna* & *Gebennæ*, nomine plurativo dicta: unde Baronibus à *Gebennis* nomen manet. Ital. *Ginevra*. Quidam Genabum quendam Numantinum, vaſtatâ à Scipione Numantiâ, hanc urbem condidiſſe volunt, ſed hi Genevam cum Genabo, de quo Cæſar *l. 8. c. 1.* confundere videntur. Mercator eam extructam vult A. M. 2994. ab Alemannorum patre Lemanno, Paridis filio, Priami nepote. Mira alia Munſterus habet *l. 2.* Sed ad has conjecturas recurrere opus non eſt: Loquuntur antiquitatem urbis, præter authenticum Cæſaris teſtimonium, variæ inſcriptiones Romanæ, quæ hodieque in urbe viſuntur, è quibus patet: Romanam hîc fuiſſe coloniam: quam quidam etiam civitatem Equeſtrium aut Equeſtrem vocatam fuiſſe volunt, quod tamen alii Neviduno tribuunt. Et plura invenirentur priſci ævi monimenta, niſi urbs ab hoſtibus ſæpe vaſtata, ſæpe gravibus incendiis tantùm non conſumpta fuiſſet. Sub Marco enim Aurelio Antonino, maxima ex parte igne conflagravit, unde ab Imp. reparatæ, & privilegiis ampliſſimis donatæ *Aureliæ* nomen: donec illo mortuo antiquum reſumpſit. Poſteà Barbaris in Galliam irrumpentibus, eaſdem calamitates cum aliis urbibus paſſa, ſed à Genebaldo Burgundiæ Rege reparata, ante 350. circiter Annos duobus iterum, vix ſeptennii ſpatio, incendiis miſerè deformata eſt: Tetrarcharum aliquot tum ſedes Libertatis ſuæ graves nacta Comites Gebenneſios, ut & Sabaudiæ Principes, contra illos fortiter ſua jura & privilegia aſſeruit. Imo A. C. 1412. cùm Amedæus, Sabaudiæ dux, jus in civitatem à Martino Pontifice ſcifſa, Epi-mutatione quâdam impetrare conaretur, Joh. à Petra ſcifſa, Epiſcopus cum civibus nactus eſt, pro ſe & ſuis ſucceſſoribus, ſe nunquam ulli permutationi aut alienationi libertatis Genevenſis conſenſurum: quòd ſi ſecus faxint, jus fore civibus, in proditorem, & perduellium numero eos habendi. Cùm poſtea Maximilianus I. Imp. Philibertum Sabaudiæ Ducem, generum ſuum, Vicarium Imperii in illis regionibus declaraſſet, denuo ipſe, ac frater ejus Carolus Genevam novi hujus juris titulo ſibi ſubjicere conati ſunt, prætendentes privilegia Vicariatus, à Carolo IV. olim Principibus Sabaudis data; quæ tamen omne jus in Civit. Genevenſi & ejus territorio Amedæo Comiti ademerat. Inter has inſidias & odia vicinorum Principum, Genevenſes Helvetiorum amicitiam ſtudioſè ſectati, fœdera nonnunquam in certos annos cum Bernatibus & Friburgenſibus fecêre: donec perpetuum fœdus ſeu jus civitatis cum Bernatibus pepigêrunt, idque arctius firmarunt, A. C. 1535. quo tempore propter mutatam religionem Sabaudus Princeps, & Ep. Genev. cui Aniciaci in Sabaudia ſedes, urbem bello perſequebantur, Bernatibus ills auxilium ferentibus. Idem fœdus poſtea denuo renovatum, novumque cum Tigurinis quoque A. C. 1584. initum eſt: quorum ab illo tempore egregiam operam, variis temporibus, urbs eſt experta. Obſidione feliciter ſuſtentâ celebris eſt *Cochleariorum* (nobilium Allobrogum conſpiratio erat, qui argentea in pileis cochlearia geſtabant) à quibus tam arctè cincta fuit, ut ſtupendâ fame in urbe graſſante, lactentes infantes pro lacte ſanguinem ex lactantium uberibus exſugerent: ſed juſto exercitu per Bernates cives ſuos obſidione liberati, in eamque libertatem vindicati ſunt, & quidquid juris in Genevenſes vel Ep. vel Dux prætendebat, iis remiſſum ſit per vindices. Quo ſimul tempore juriſdictionis pomœria dilatata ſunt, ut cùm antea nihil juris extra pomœria haberent, nunc aliquouſque imperent. Dein non minor urbi celebritas ab eluſis Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis conatibus acceſſit, è cujus militibus, cùm ultra 200. noctu, ipſo Brumali Solſtitio A. C. 1602. per ſcalas mœnibus admotas urbem intraſſent, mox Dei beneficio, proditione detectâ, captis, qui jam intra urbem erant, reliqui retro ceſſêrunt. A' quo tempore *Scalarum feſtum* ...

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

bi ſolenne. In hac Apollo olim cultus eſt, cujus templum D. Petri poſtmodum nomen accepit; Augures quoque ibidem fuêrunt, ut ex inſcriptione quadam antiqua colligitur. Sed maturè Chriſto nomen dedit, à Paradoco, 70. Chriſti diſcipulorum uno, & Dionyſio, ut antiqua quædam Saubaudiæ Chronica MSC. habent, converſa, quorum hic Pariſios poſtea venit. Quod confirmatur ex adverſariis quorundam Bibliorum Latinorum Genevenſium, quæ diligenter à Canonicis conſervabantur, in quibus ſcriptum, Eccleſiam Genevenſem ab Apoſtolorum diſcipulis, aut viris Apoſtolicis originem trahere, eamque florentiſſimam, dominationem in urbes, intra Alpes Rhæticas, & Celticas ſitas, obtinuiſſe. Sequentibus temporibus ſeculi torrente abrepta, nihilominus etiam in illa mundi caligine, POST TENEBRAS LUCEM, quod urbi olim ſymbolum, ſperavit: donec A. C. 1535. Evangelium annunciante Gulielmo Farello, POST TENEBRAS LUX illi affulgere cœpit, à quo tempore uſque ad noſtram ætatem Theologis celeberrimis inclyta eſt. Diſtat 5. leuc. à Camberiaco, 7. ab Anneſcio in Bor. ubi hodie ſedes Epiſc. qui ſe Genevenſem vocat. Ædificia maximè antiqua creduntur, 1. Spelunca in Inſulæ extremitate, quâ Orientem reſpicit: quam à Cæſare conſtructam volunt, hodie *la Tour de l'Isle & de Ceſar*, aliis quendam Regem Obluis, Cæſare longè antiquiorem, ejus conditorem ſtatuentibus. 2. Templum Petri, de quo ſuprà. Hîc Carolus Magnus contra Deſiderium movens, copias luſtravit: Michaël Servetus, Socinſtarum Patriarcha, ob blaſphemias, A. C. 1553. exuſtus eſt. Fœdere A. C. 1600. ſancto, à Clemente VIII. inter principes procurato, unà cum Argentina, prima petenda propoſita eſt, ut Evangelicorum vires diſtraherentur, vide Speculum *Conſil. Hiſpan.* unde fortè Sabaudici conatus A. C. 1602. de quibus jam ſuprà, & A. C. 1609. utrique irriti. Theologos ſuos ad celebrem Synodum Dordracenam miſit, A. C. 1618. &c. Ab urbe hac lacus Lemanus *Genevenſis*, Germ. *der Genffer ſee* dicitur. Ei ex altera parte Rhodani ſuburbium adjacet amplum, vulgò *S. Gervais*, quod verius pars urbis eſt: ubi Rhodanus, cùm exit è lacu Lemano, trajicitur duplici ponte ligneo, quorum alter cum maxima hominum ædificiorumque ſtrage haud pridem totus conflagravit: Helvetiorum Evangelicorum liberalitate damnum mox ſarciente, quemadmodum & Confœderati Belgæ, in hoc Orthodoxias aſylo exornando muniendoque hactenus munificos admodum ſe præbuêre: uti teſtatur *le Baſtion d'Hollande*, quod ab una parte urbem tuetur. De hac Poëta quidam noſtri ævi:

Urbs antiqua ſedet, vaſto vicina Lemano,
Famâ ingens, geſtiſque patrum, Regumque favore,
Et flammis, belloque, & quovis altior hoſte,
Inſidias bonitate Dei non exiit unas:
Poſt tenebras lucem *dudum quam geſtiit, illâ*
Undique circumfuſa micat, velut aſtra minora
Igne premens Dictynna ſuo: iſti annuat Æther,
Perpetuumque Deus jubeat pietatis Aſylum,
Ad ſeros famam ſic continuare nepotes!

Plura de Geneva, vide apud Simler. *de Rep. Helvet.* Joh. Baptiſtam Plantinum *Helv. Nov. Antiq.* Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* inprimis Jac. Spon. & Greg. Læti, quorum is Gallicè, hîc Italicè urbis Hiſtoriam edidit &c. De prætenſionibus in eam Sabandiæ Ducis, apud Limnæum Enucl. *l.* 3. *c.* 22. Thuan. *in Hiſt.* Phil. Jac. Spener. *Artis Heraldicæ Partæ Spec.* ubi de Fam. Sabaudica. De aliis apud alios. Sed & idem nomen illuſtris Familiæ, tit. Comitum inſignis, ſibi vindicavit: quæ ramus Thoireæ, non incelebris olim. In Thoireis primus reperitur Hugo Dn. *de Thoire*, circa A. C. 1080. Acceſſit dein titulus *de Villars*, & in penultimo ſtirpis Humberto *Comitum Genevæ*: quemadmodum in ſecundo-genitis nomina *de Bauvoir* & *de Montelier* inveniuntur. Et quidem Rudolphus Comes *Genevæ*, extinctus A. C. 1269. ex Maria Dna *de Varey*, filia Hugonis Dn. *de Coligny*, Amedæum II. genuit, qui defunctus A. C. 1380. ex Agnete Cabillonenſi, reliquit Gulielmum, patrem, ex Agnate de Sabaudia, nepte Thomæ de Sabaudia Com. Maurienn. Princ. Pedemontii, Amedæi III. Com. qui Obiit A. C. 1367. pater ex Mathilde Com. Arverniæ & Bononiæ, Mariæ Comitiſſæ *Genevæ*, quæ nupta Humberto VII. Dno *de Thoire & Villars*, filio Humberti VI. nepoti Humberti V. pronepoti Humberti IV. abnepote Humberti III. extincto A. C. 1423. ex eo ſuſcepit Humbertum VIII. Dn. de *Roſſilion* & *Annonay* Com. *Genevæ*, poſt avunculum Clementem VII. Papam; qui Obiit ante Patrem A. C. 1406. & Luiſam uxorem Gulielmi Viennenſis Dn. *de S. George Seurre* &c. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Part.* 2. *p.* 64. Sed *Comites Gebenneſii* hi dicti occurrunt in vett. monumentis, non *Genevenſes* aut *Gebennenſes*, adeoque à *Gebenneſio* agro, non ab urbe *Geneva* ſeu *Gebenna*, uti rudioribus ſeculis urbs appellata eſt, nomen habuêre. Cumque proceſſu temporis aliquot ex illis id nominis ſibi aſſertum irent, Petrus inprimis, qui floruit circa A. C. 1370. atque in nummis à ſe cuſis *Comitis Gebennenſis* titulo inſigniri voluit, oppoſuêre ſe acriter Epp. Gebennenſes, interque eos Joh. Ludovicus de Sabaudia inprimis, uti præfatus Cl. Spon. pluribus docet ubi ſuprà *Tom.* 1. *l.* 2. *p.* 47. & 48.

GENGENBACHIUM, Germ. *Gengenbach*, opp. Imper. conditum ad fluv. Cynthium (*Kinzig*) à Pyrminio Præſule Trebocorum, unà cum adjuncto cœnobio, A. C. 724 cujus Abbas Berchtholdus impetravit à Rodolpho I. Imp. A. C. 1278. ne cuiquam ſubditorum aut vaſallorum à ſententia ſua appellare liceat. Limnæus Enucl. *l.* 4. *c.* 22.

S. GENGULFI opp. in Burgundia, olim *Varennæ*, non procul à Graona fluv. pagoque Matiſconenſi, nunc *S. Jeugon*. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

GENIALIA, ſunt omnia, quæ ad conjugem res pertinent, & *Genius* præſes nuptiarum & thalami. Quorum hic præcipuè, ſine adjectione ulla, *Genialis* dicitur. Juv. *Sat.* 10. *l.* 4. *v.* 334.

——— *Thoruſque palàm* Genialis *in hortis*
Sternitur.

i. e. thorus nuptialis, de quo vide infrà ubi de *Lecto Geniali*. Hinc & *Genialia Jura Deum*, apud Stat. *Theb. l.* 3. *v.* 689.

——— *Sed jura Deum* gentialia *teſtor*,

Ad quem l. Lutat. *Conjugialia*, inquit. *Et bene uxor ſuper conjugis juravit partes. Viri enim Genialia conveniunt mulieribus. h. e. mulieres fas eſt omnia in conjugio maritis accidentia participare. Genialia fœdera*, apud eundem *Achill. l.* 2. *v.* 54. conjugium &c. Inde vox ad quamcunque lætitiam extenſa: unde *Geniales Dii*, Ceres & Bacchus eidem *Theb. l.* 12. *v.* 618.

Mittit in arma manus Genialibus *hoſpita divis.*

Id verò obſervabant vetuſtiſſimi mortales, ne aliquid *geniale* facerent, à ſepulchralibus ſtatim officiis reverſi. Heſiod. Ἔργων *l.* 2.

Μήτ' ἀπὸ δυσφήμοιο τάφου ἀπονοστήσαντα
Σπερμαίνειν γενεὴν, ἀλλ' ἀθανάτων ἀπὸ δαιτός.

Sic mortuos abominabantur, & obvia funera declinabant, quod cùm præſentiret Sophiſta Jamblichus, apud Eunapium, puriſſimi ſpiritus Diiſque amiciſſimus habebatur. Unde Ovid. de infeliciſſimis nuptiis Terei & Prognes *Met. l.* 6. *v.* 430.

Non Hymenæus adeſt illi, non Gratia, lecto,
Eumenides tenuêre faces de funere raptas,
Eumenides ſtravêre thorum ———

Interim poſt uſum Veneris non minùs purificabant corpora, ac poſt tactum defunctorum, quod polluti etiam faciebant lege divinâ pariter Hebræi. Heſych. ἁγνεύειν, καθαρεύειν, ἀπό τε Ἀφροδισίων καὶ ἀπὸ νεκροῦ. Vide C. Barth. *ad Stat. Theb. l.* 1. *v.* 112.

Tum geminas quatit illa manus, hæc ille regali
Fulgurat.

GENIATUS, apud Jul. Capitolin. *in Vero*, *Fuit decorus corpore, vultu genitus, barbâ propè barbaricè demiſſâ* &c. Salmaſ. Gr. ὡραῖος, qui facie eſt venuſta & *geniali* & plurimùm gratâ, atque amabili. *Genius* enim, inquit, venuſtas eſt & gratia, differtque à forma, ut venuſtas à pulchritudine. Uti proin ſunt pulchri quidam; qui venuſti non ſunt: Sic aliqui vultu formoſi, qui minimè tamen *geniati* ſunt. *Geniatum* igitur in vultu eſt τὸ χαρίεν. Sidon. Apollin. *Epithal. Ruricii*

Quantus honos geniuſque *genis* ———

Sed & Vopiſ. *in Carino* genium ἄνθρωπος uſurpavit, pro eo quod Græci ὡραῖον σώματος dicunt &c. Vide plura hac de voce apud eum *Not. in Capitolin. d. l.* Majorem emphaſin in voce Barthius quærit, *ad Stat. l.* 1. *Sylv.* 1. *v.* 1. ubi Equum Max. Domitiani Imp. *molem geniatam* vocat Poëta,

Quæ ſuperimpoſito moles Geniata Coloſſo

quaſi Numen ſeu *Genium Principis* in illa machina agnoſceret. Unde idem infrà *v.* 56.

——— *Inſeſſaque pondere tanto*
Subter anhelat humus: nec ferro aut ære laborat,
Sed Genio ———

Vide de pondere Numinum eundem Barth. *ad Claud.* Adr. Behotium *Apophoret. l* 1. *c.* 9. & infrà in hac voce. Intelligit autem Numen Domitiano peculiariter addictum & familiare, quo aulam quoque ejus impleri, eoque juvari ipſum, dicit in *Epulo l.* 4. *Sylv.* 2. Eundem memorat *in Abaſc. Carm.* 5. *v.* 73.

——— *cunctis ſupplex advolveris aris,*
Et mitem Genium *domini præſentis adoras.*

Certè *Genii Principum*, inque Fanis & ſimulacris eorum; apud multos Scriptores occurrunt. Sic Templo *inferre Genium* jubet Herculem, idem Pap. Stat. *l.* 3. *Sylv.* 128.

Huc ades & Genium *templis naſcentibus infer.*

Et *Genio Aug.* ſpeciatim dedicatum Templum, refert Suet. *in eo c.* 60. &c Vide præfatum Barth. *Animadv. ad Stat. d. l.* nec non hîc paulo infrà.

GENICULATOR, inter Gentilium Númina, vide ſuprà *Dii.*

GENISTA, flore albo, juſtâ proceritate arboreſcit, lignoſos & arboreas radices agit, cinericio caudice aſſurgit, numeroſos implexoſque ramos viridi pallore tingit; ex iiſdem virgulas more paſſi diſſipatique capillamenti demittit denſiſſimas, prætenues, ferè cubitales, ramuloſas, lentas, inſtar viminis obſequibiles, ocelliſque diſtinctas creberrimis; unde rubi foliolis minutiora folia, floſculique imò tantùm nodulo rubentes cætera candidi exiſtunt, pulchrè pendulis floridis virgulis, tanquam lineis margaritarum. Vere toto vernat &c. Auctor Anon. *Sin. & Eur. c.* 33. Græcis σπάρτιον dicitur, non quòd ex genere ſparti ſit, quod nomen Latini de ſolo Hiſpanico vel Africano, ſparto uſurpavêre, ſed quòd torquendis reſtibus & funibus idonea, cujuſmodi herbam omnem σπαρτὸν Græcos appellaſſe notum. Unde Græci vett. ut *geniſtam* à *ſparto* diſtinguerent, ferè addere conſue-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſuevêre, σπάρτοις ᾧ τὰς ἀμπέλους δεσμεύουσι. Ligandis enim vitibus ſervire, ex Galeno, Paulo, Plin. diſcimus: Sicut inde fructus ſuſpenſos, habet Mart. *l.* 1. *Epigr.* 44. cujus epigraphe in Mancinum.

Non pyra, quæ lentâ pendent religata geniſtâ

Quam in rem vide plura apud Salmaſ. *ad Solin p.* 263. & *ſeqq.* ubi inter alia τὰ σπάρτα νεῶν apud Homer. quibus naves ſuebantur antiquitus, non de *geniſta*, ſed de lino vult accipi, & Plin. inſuper *l.* 19. *c.* 1. *ex geniſta in Aſia fieri lina ad retia præcipua, in piſcando durantia*, docentem refellit. Idem Plin. *tingendis veſtibus aptas geniſtas*, habet *l.* 16. *c.* 18. & flores ad coronamenta quoque adhibitos, *l.* 21. *c.* 9. Sed & nodulum, decerptum virgineis digitis, acetoque & ſale conditum, vel ſale tantùm, ſi in vaſe firmo, aut linteo pondus accipiat, ne putreſcat aut mucorem trahat ex aëre, delitias præbere palato, quin & renes purgare, Olivis Italicis longè efficaciùs, ſcribit idem Anon. Auctor *d. l.* ubi de *geniſtæ* genere, inter Rhenum & Moſellam naſcente agit; è cujus trunco lignoſo naſci prætenues virgulas teretes, minutis foliis veſtitas, quæ hiſce demptis ſcoparum faginarum, imò & ſetacearum, ſuppleant vices, addit.

GENISTÆ, apud Papiam, *Hæretici ſunt Judæorum, quòd è genere Abrahami ſe eſſe gloriarentur*, ſic dicti.

GENISTÆ Siliqua, Gall. *Coſſe de Geneſte*, Ordo Equeſtris à Ludovico IX. Galliæ Rege in nuptiis cum Margareta Provinciali inſtitutus: cujus ſymbolum, *Exaltat humiles*. Initiatus Rex ipſe huic Ordini ab Ep. Pariſino Gualtero, fratrem ſuum Robertum, alioſque Principes, in eundem adſcivit. Gul. Naugius *in vita S. Ludovici*. Favin. *l.* 3. *du Theatre d'Honneur, & de Chevalier*, *p.* 581. Morer. *Dict. Hiſt.*

GENISUS, Cyzicenus, cui in trepidatione nocturna ad reditum Argonautarum cùm uxor arma removiſſet, ne ad periculum egredi poſſet: relucente ſubito foco illa reperit in ſuum exitium. Val. Flacc. Argon. *l.* 3. *v.* 115.

Urbs agitur Geniſo *conjux amoverat arma*

GENITA Mana, qualis olim Genius fuerit, docet Plutarch. *in Quæſt. Rom. q.* 52. Διὰ τί, inquit, τῇ καλουμένῃ Γενείτῃ μάνῃ κύνα θύουσι, καὶ κατεύχονται μηδένα χρηστὸν ἀποβῆναι τῶν οἰκογενῶν. ἢ ὅτι δαίμων ἐστὶν ἡ Γενείτα περὶ τὰς γενέσεις καὶ τὰς λοχείας τῶν φθαρτῶν, Cur Genitæ, *ut vocant, Manæ canem immolant, votaque faciunt, ne domi quis bonus naſcatur, niſi quia genius eſt Genita, ortui & puerperio rerum corruptibilium præpoſitus?* Et paulo pòſt, ut Romanos *Genitæ*, ita Græcos Hecatæ canem, pro naſcentibus ſacrificare dicit. Votum autem id, *Ne domi quis bonus naſcatur*, explicat Bartholin. *ne quis imbellis*, *l. de Puerp. vet.* Nempe Dea *genendi*, *Genita* dicta eſt, ut *Moneta*, Dea monendi, & *Pota*, Dea potus. *Mana* autem cognominata eſt, h. e. *bona*, non à *manando*, ut Plutarch. interpretatur, quaſi præſes ſit τῆς γενέσεως καὶ λοχείας τῶν φθαρτῶν. Itaque *Genita Mana*, idem eſt quod *Genita bona*, ut *Cerus Manus*, in carmine Saliari, *Creator bonus*. Salmaſ. *ad Solin. p.* 412. Vide quoque de hac generationis Dea. Sam. Bochart. *Hierozoici Parte prior. l.* 11. *c.* 56

GENITALES Dii, qui genituræ humanæ præeſſe olim crediti ſunt, fuêre vel majorum gentium, ad nativitatis providentiam electi, diverſi à Genialibus, propriè *Indigetes* vel *Tutelares*, quibuſcum conſilium de rebus Achivis iniit Jupiter: Γενέθλιοι Græcis, quibus placidis vel iratis, prout quiſque natus, ita felix vel infelix cenſebatur. De quibus intelligendus locus Ovid. *l.* 1. *ex Ponto Ep.* 8. ad ſeverum *v.* 63.

At tibi naſcenti (quod toto pectore lætor,)
Nerunt fatales, fortia fila Deæ.

Ubi de de hiſce Diis placidis loquitur, ſicut de iiſdem iratis Plaut. Moſtell. *Act.* 3. *Sc.* 1. *v.* 36.

Sceleſtus natus Diis inimicis omnibus.

Quorum in numero *Neptunus*, humore ſuo nativitatem promovens; cujus ædes Natalitiæ Lacedæmone &c. Vel minorum, ut *Parcæ*, *Partula* aliique complures, de quibus vide iterum Thom. Bartholin. *de Puerp. vet. p.* 51. & *ſeqq.*

GENITALES Notæ, apud Amm. Marcell. *l.* 22. *c.* 14. *Eſt enim Apis bos diverſis* genitalium notarum *figuris expreſſis, maximeque omnium corniculantis lunæ ſpecie latere dextero inſignis*; Græcis ſunt τὰ ἔμφυτα σημεῖα, quas *ingenitas* & *ingenuas notas* vocat Solin. *c.* 32. *genitivas* Suet. *in Aug. c.* 80. *Corpore traditur maculoſo, diſperſis per pectus atque alvum* genitivis notis *in modum & ordinem ac numerum ſtellarum cæleſtis Urſæ.* *Notam generis naturalem*, Juſtin. *l.* 15. *c.* 4. ubi de Seleuco: *Originis ejus argumentum etiam in poſteris manſit: Siquidem filii nepoteſque ejus, anchoram in femore* (quæ nata cum Seleuco parvulo fuerat) *veluti notam generis naturalem habuêre.* *Ingenitum ſignum*, de eodem agens Auſon. ubi de Antiochia: Clar. urb. 3. *v.* 10. & ſeqq.

——— *Illa Seleucum*
Nuncupat, Ingenuum, cujus fuit anchora ſignum,
(Qualis inuſta ſolet) generis nota certa. per omnem
Nam ſubolis ſeriem nativa cucurrit imago.

De cujuſmodi *Notis* haud protrita obſervavit Mich. Piccardus *Dec.* 1. *c.* 7.

GENITALIA, olim Diis dicata ut Cybeli. Prudent. περὶ στεφ. Hymn. x. *v.* 1066.

Aſt hic metenda dedicat genitalia.

Nunc ſuſpenduntur neſcio cui Arculio ab Italis inquit Comm. *in Pota Chriſti*: Georg. Fabric. à Theſeo Mega-Neapol. edoctus. Vide infrà *Verenda*.

GENITALITII Ludi, apud Jul. Capitolin. *in Pertinace*, quibus nativitatis memoria recolebatur. Vide Caſaub. *ad Spartian. in Hadr.* & Salmaſ. *ad Capitolin* nec non infrà, ubi de *Natali Die*.

GENIUS, Dicebatur Naturæ deus apud vett. & qui omnium rerum gignendarum vim haberet, unde cujuſque rei dicebatur ſuus genius. Accipitur aliquando pro ipſa natura. Quidam ipſam animam, vel Deum, vel Spiritum eſſe volunt, qui mortales ad voluptatem incitet, unde *Geniales* apud priſcos vocabantur, qui ad curandam cuticulam erant promptiores. Inde Proverbium *Genio indulgere.* Fuêrunt etiam, qui aquam, terram, ignem, aërem, item 12. ſigna, & Solem, & Lunam Deos genios facerent, & *à gerendo*, quòd multa gerere poſſent, primùm *Gerulos*, deinde *Genios* appellatos eſſe putarent. Hos locum mutaſſe, unde Oracula deſierint, refert Plutarch. *de def. Orac.* *Loci genius* apud Virg. ponitur pro Deo topico. Orare ſolebant antiqui per Genium. Propert. *l.* 4. *Eleg.* 9. *v.* 43.

Exuitur, Geniumque *meum proſtratus adorat.*

Tibull. *l.* 4. *Eleg.* 5. *v.* 8.

Perque tuos oculos, per Geniumque *rogo.*

Horat. *l.* 1. *Ep.* 7. *v.* 94.

Quod te per Genium, *dextramque, Deoſque Penateis,*
Obſecro & obteſtor. ———

Stat. *l.* 5. *Sylv.* 2. *v.* 73.

——— *Dum cunctis ſupplex advolveris aris,*
Et mitem Genium *Domini præſentis adoras.*

Imò morte à Caligula mulctati, qui id non feciſſent. Suet. in Aug. c. 60. *in Calig. c.* 28. Vide Cenſorin. *de die Natali c.* 3. & ad eum Lindenbrog. Genius, inquit Fungerus, inter Deos ſelectos unus, ut quidam volunt, à *generando* nomen ſuum obtinere videtur. Sed non omnes idem de eo. Sunt enim, qui cuique locum ſuum adſcribunt, ſunt qui cuique homini ſuum aſſerunt. Auguſtinus Deum eſſe dicit, qui omnium rerum gignendarum vim habeat; juxta profanam veterum opinionem, quanquam Varronem affirmare dicat, genium eſſe uniuſcujuſque rationalem animum. Feſtus Pompejus cum Auguſtino facit, uterque verò à *gignendo* derivat. Quare & Cenſorinus, qui hunc nobis aſſiduum velut obſervatorem appoſitum dixit (ut & Plutarch. Menandrum dixiſſe refert ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται εὐθὺς γενομένῳ, μυσταγωγὸς τοῦ βίου) appellatum ait, ſive quòd, ut generemur curet, ſive quòd unà gignatur nobiſcum, ſive quòd genitos ſuſcipiat ac tueatur. Quin vett. unicuique homini duos tribuebant genios, ſicut Angelos nonnulli ex noſtris Theologi Baſilius imprimis adverſus Eunomium. Unum ex his bonum, alterum affirmabant malum, quem Empedoclem Terreſtrem appellaſſe crediderim, apud Plutarch. *his verbis*: Διτταί τινες ἡμῶν ἕκαστον παραλαμβάνουσι καὶ κατάρχονται μοῖραι καὶ δαίμονες, Χθονία, Ἡλιόπη. Idem vult Serv. *ad illud Virg. Æn. l.* 6. *v.* 743.

Quiſque ſuos patimur manes:

Quando ait: *Cùm naſcimur, duos Genios ſortimur, unum qui hortatur ad bona, alterum qui depravat ad mala, nec congruè dicuntur Genii, quod unuſquiſque genitus fuerit, ei ſtatim obſervatores deputantur.* Celebratur & illud Menandri,

Δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται εὐθὺς γενομένῳ.

Arrianus *in Epictetum*, etſi non ſtatuit duos, unum tamen cuique proprium Dæmonem pervigilem & incorruptum aſſignatum docet hoc modo: Καὶ ἐπίτροπον ἑκάστῳ παρέστηκε τὸν ἑκάστου δαίμονα, καὶ παρέδωκε φυλάττειν αὐτὸν αὐτῷ, καὶ τοῦτον, ἀκοίμητον, καὶ ἀπαραλόγιστον. De Socratis genio, vide Apulejum, Pauſ. *in Achaicis*, &c. Simulacrum Genii (ne illud omittam) interdum ſerpentis imagine effingebatur, interdum puerili, juvenili, ſenili formâ. Coronabatur platani foliis, reſque illi ſacra fiebat floribus & mero. Unde Perſ. Sat. 2. *v.* 3.

Funde merum Genio.

Cujus rei cauſam explicant Cenſorin. & Varro. *Geniales lectuli*, qui puellis nubentibus ſterni ſolebant, vel à liberis *generandis* traxerunt nomen. Ab eadem origine *genitalia* corporis partes verendæ, & *genitores* vocabulum deducunt. Nic. Lloydius. Colebatur autem Genius olim cujuſque votis, nummis, ſtatuis, & adhuc illuſtris apud Gruter. p. 109. inſcriptio, ex templo Herculis in Capitolio, ubi *Genio* pro ſalute Imp. ædes reparata: *Pro Salute. D. D. Imp. Pii. Fel. Aug. & matris. Aug. N. & Kaſtror. ædem. Genio. cœli. Adianti. manipuli. ... ſuâ. pecuniâ. refecêrunt.* Per eum ſoli fere viri jurabant, ſicut per Junonem plerunque feminæ. Unde Senec. *Ep.* 12. *Villicus jurat per Genium meum ſe omnia feciſſe*: nec minori religione per Genium Principis, quod maximum apud vett. juramentum fuiſſe, demonſtrat Tertull. *Apolog. c.* 28. *Citiùs denique apud vos per omnes Deos, quàm per unum Genium Cæſaris pejeratur.* Viſebatur verò Genius variâ formâ, ater ſubinde & pelle amictus &c. Vide plura apud Thom. Bartholin. *de Puerp. vett.* Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 14. cum Paralip. Th. Dempſteri &c. Ut de *Geniis* Regionum, Civitatum, Locorumque aliquid adjiciam, Græci illos ἐγχωρίους θεοὺς, Δαίμονας, Ἥρωας dixêre, *locorum ſanctos incolas*, Gratius. Illorum enim unicuique Genium ſuum præeſſe credebant Vett. De Regionibus Petron. Edit. Gonſali de Salas p. 9. Edit. Boſch. *c.* 17. *Noſtra regio tam præſentibus plena eſt Numinibus, ut faciliùs poſſis Deum, quam hominem, invenire.* In civita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

civitatibus Arnob. *l.* 1. *Prudentiſſimi votis videntur ---- qui Faunos, qui Fatuas civitatum* Genios, *qui Pauſos reverentur atque Bellonas.* Hinc in vett. nummis *Genius Populi Rom.* Δαίμων τῦ δήμου Dioni *Genius publicus* Amm. Marcell. De locis quibuſlibet Serv. *Georgic. l.* 1. Genium *dicebant antiqui naturalem Deum uniuſcujuſque loci.* Vet. *Inſcr.*

I. O. M. -I- G-NO LOCI
HVIVS. Q. CÆCILI-
VS. SECVNDVS
LEG. C. SERENI
P Rocos. GALLIÆ
TRANSALPINÆ.
V.S.L.M.

Sic *Genius Centuriæ*, *Genius Coloniæ*, *Genius Conventus*, *Genius Fontis*, *Genius Horreorum*, *Genius Lavacrorum*, *Genius Municipii*, *Genius Patriæ*, *Genius Theatri*, *Genius Venalicjorum* &c. memorantur paſſim in Lapidibus. De Menſis, Heſych. in voce Εὐφραδὴς: ſic enim vocabatur, cujus ſimulacro menſæ decorabantur. De navibus Herod. qui Παταίκους vocat, quorum ſimulacra in navibus ſculpebantur aut cælabantur. De portis quoque, ac ſtabulis, Prudent. *adv. Symmach. l.* 2. *v.* 444.

Quanquam cur Genium *Romæ mihi fingitis unum?*
Cum portis, domibus, thermis, ſtabulis, ſoleatis
Aſſignare ſuos Genios; ————

Qua de re vide Caſp. Barth. *ad Stat. Theb. l.* 1. *v.* 327. ubi, ſicut *Fortunas*, ita *Genios*, cuique loco adſcripſiſſe priſcos docet: Nec non ejuſdem *Comm. Superſtitionum*, & *Animadverſiones Rutilianas l.* 1. *v.* 126 Hujuſmodi itaque *Genium* propitium ſibi mutuo Vett. apprecabantur, Tertull. *de Idol. c.* 22. Et cùm ingrederentur primùm aliquam regionem aut poſtliminiò in eam redirent, ſolebant eam religioſe ſalutare, in *Genii*, quem ei præeſſe credebant, honorem, Idem *Apologet. c.* 21. Eidem ſacrificabant, Heliod. *Æthiop. l.* 10. multoque coronarum conjectu honorabant, Tibull. *l.* 2. *Eleg.* 2. *v.* 5.

Ipſe ſuos Genius *adſit viſurus honores.*

Etiam diſceſſuri aliò, poſt ſacra itidem peracta, quod θύειν τὰ ἀποβατήρια dixere Græci, ei *vale* dicebant. Ovid. *Met. l.* 13. *v.* 421.

Troja, vale, rapimur, clamant, dant oſcula terræ Troades ————

De quibus ritibus multa apud Meurſ. *ad Lycophronem ſub fin. de Genii* vero vocabulo πολυτήμοι Romanis, de *Genius* item *magnis*, urbium regionumque præſidibus, vide Voſſ. *de Idol. l.* 1. *c.* 18. & *l.* 2. *c.* 62. nec non infrà aliquid in voce *Serpens*: ubi de *Genio duplici*, quem Plato unicuique homini à nativitate, velut cuſtodes & vitæ moderatores, adeſſe, & poſtquam obiére animas eorum in judicium rapere ſuoque teſtimonio vel abſolvere vel damnare, docuit *in Phædone*, illumque ſecuti Hæretic. nonnulli, Deſid. quoque Herald. *Anim. ad Arnob. adv. Gentes l.* 2. &c. A *Genio* cœna, quæ à novo marito dabatur Sponſæ, die nuptiali, ut & comitibus ejus, Claud. *Geniales epulæ*, dicta eſt de Rapt. Proſerp. Carm. 35. *v.* 327. in quam aliquando majores ſumptus, quàm in alia convivia, facere legibus Liciniâ & Juliâ permiſſum erat. Lectulus dein nuptialis componebatur, quem proprio nomine *Genialem* appellatum, Serv. oſtendit *in Æn. l.* 6. togâ verò ſterni & maritorum *Genios* advocari conſueviſſe, docet Arnob. *adv. Gentes l.* 2. ubi G. Elmenhorſt. & Des. Herald. vide. Et hinc fortaſſe *ſacri Genium lecti* Juv. dixit. Sat. 6. *l.* 2 *v.* 22. & Sat x. *l.* 4. *v.* 334. Eundem poſtea pro puerperi quoque ſtratum eſſe, ſuadet Prudent. *l.* 1. *c. Symmach.* uti infrà pluribus dicemus de *Lecto Geniali*. Vide quoque ſuprà quædam in vocibus *Genialia*, item *Geniatus*: ut & Schol. Mart. *l.* 7. *Epigr.* XI. *v.* 12. cujus Epigraphe ad Fauſtinum ubi *Genium* cujuſcunque rei gratiam, Venerem, leporem, dictum eſſe addit &c.

GENIUS Jovialis, vide infrà *Jupiter*.

GENNADES, mulieres nobiles, quæ per impares nuptias plebejæ ſunt factæ, *l.* 1. *C. de dig. l. femina ff. de Senatu*. Sic Virginia, cùm eſſet patritia nuptiis ſuis plebeja devenit, Liv. *l.* 10. *c.* 8. Ex antiqua igitur juris definitione, interveniente connubio, liberi patrem ſemper ſequuntur, *l. cum legitima ff. de ſtatu ho.* Attamen Tricaſſini & aliæ quædam gentes id non ſervant: apud quas filiæ melioris parentis conditionem ſemper ſequuntur, habenturque nobiles. In vett. gloſſis *Gennades* dictæ ſunt & *Mulieres Lucæ*, eâ formâ quâ *Boves Lucæ*. Vide Cujacium ad *feudd. l.* 4. *Titul.* 32.

Patriarchæ Conſtantinopolitani, &c.

GENNADIUS I. Patriarch. CP. ſucceſſit Anatolio A. C. 458. Orthodoxias aſſertor, morumque vindex, Obiit A. C. 471. Cujus mentio in Menol. Græcorum, d. 25. Aug. Præter alia, Commentarium literalem in Danielem ſcripſit. Theodorus Lect. *Collect. l.* 1. Niceph, *Chron.* & *l.* 15. *c.* 23. *Suid.*

GENNADIUS II. Vide *Georgius Scholarius*.

GENNADIUS, Maſſilienſis, qui de viris illuſtribus, Theodoſii tempore, ſcripſit, Eidem attribuitur liber de Dogmatibus Eccl. qui apud Auguſtin & Iſid. Hiſpal. aliaque, ſec. 5. Obiit A. C. 493. Vide Caſſiod. *div. Inſtit. c.* 17. Valfrid. Strab. *de div. offic. c.* 20. Moter. *Dict. Hiſt.*

GENNÆUS, nomen viri. 2. Maccab. *c.* 12. *v.* 2.

GENNESARA, Lacus Galilææ, *Tiberiadis* aliàs, quòd Tiberias opp. ab Occid. ejus ſitum, item *Tarichea lacus*, quòd à Mer. *Taricheam* haberet, ubi plurimæ ταριχεῖαι, i. e. *ſalſuræ*; nomen accepit à reg cognomine, de qua ut & lacu vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 578. & *ſeqq.* nec non in voce *Geneſareth*.

GENNUS, urbs Aquitan. marit. *Bayonne* Gall. Vide *Aquæ Aug.*

GENOA, populi Moloſſiæ. *Steph.*

GENS, apud Plin *l.* 6. *c.* 8. ubi de Cappadocia, *Dextra vero omnes in Aſia atque gentes, plurimis ſuperfuſa populis*: à *populo* diſtinguitur, ſic, ut una *gens*, in complures *populos* dicatur diviſa. Et ſanè multi populi in una *gente*, imo, quot in unaquaque civitates, tot populi ſunt. Sic idem in Galatia *sex gentes* numerat, populos verò 195. ut vidimus ſuprà. Et de India, *gentium in ea novem millia fuiſſe, populorum autem innumeram multitudinem*, ſcribit: ad quem locum, vide Salmaſ *ad Solin. p.* 991. Vide quoque ſuprà in voce *Demus*. Addo id ſolum, non ſolum ſingularum perſonarum, ſed populorum quoque, imo & *Gentium*, ſtatuas olim & ſimulacra facta: ut populi Romani apud Rhodios & alibi. *Simulacra gentium*, inter ornamenta Theatri Pompejani, memorantur Suet. *Ner. Claud. c.* 46. De quibus Plin. *à Copomo XIV. nationes, quæ ſunt circa Pompeji, factas*, Varron. tradere ſcribit *l.* 36. *c.* 5. Et Martinus Polonus *in Chron.* *Erat Romæ conſecratio omnium ſtatuarum, quæ ſtatuæ ſcriptæ nomina gentis in pectore, cujus imaginem tenebant, gerebant.* Pompeji exemplum imitatus eſt, ſi quidem ex fide ſcribit hæc Serv. *Porticum Aug. fecerat, in qua ſimulacra omnium* gentium *collocaverat; quæ porticus appellatur, Ad nationes.* Cujuſmodi imagines, à qualibet gente miſſas, in funebri pompa Principum quoque productas, diſcimus ex Dione, ubi de exſequiis Aug. item ubi de funere Pertinacis. Vide Caſaub. *ad Suet. d. l.*

Vandalorum Rex.

GENSERICUS *S. Gizerichus*, fil. nothus Godigiſcli vel Godgeſilli, de quo infra. Princeps Vandalorum in Hiſpan. victo Hermengano, Suevorum Rege trajecit A. C. 428. cum fratre Gunthari, ſub Valentiniano III. in Africam, à Comite Bonifacio vocatus, qui dein ſententiâ mutatâ, à Genſerico victus eſt. Idem Aſparem Theodoſii Jun. Ducem fortiſſimum ſuperavit, totiùs fermè hinc Africæ dominus, ac primus illic Vandalorum Rex. Dein Arianiſmo ſtabiliendo intentus, in Orthodoxos acriter ſævit, Valentiniano nihil tale verito, Aëtioque in Gallia contra rebelles occupato, Carthaginem expugnavit, quam cùm cepiſset, omneſque opes, interfectis civibus, in jus ſuum vertiſset, animum ad Eccleſiarum ſpoliationem adjecit, quas ſacris vaſis exinanitas, & ſacerdotum adminiſtratione privatas, equorum ſuorum ſtabula fecit. Exin Siciliam, huc delatus, vaſtavit, nuntio de Sebaſtiani, Bonifacii Com. generi, adventu, in Africam revocatus, cum illo fœdus primò init, dein cum ad Arianiſmum eum pertrahere non poſſet, ſuſtulit. Valentinianum Imp. ad pacem adegit, claſsem Theodoſii morâ fregit. Ab Eudoxia, quam Maximus, occiſo ejus marito Valentiniano, ſibi per vim deſponderat, vocatus, tranſiit in Italiam, cepit Romam diripuitque per dies 14. theſauris templorum, vaſiſque aureis & argenteis inprimis, ex templo Hieroſ. à Tito Romam delatis, in Africam devectis, unà cum Eudoxia captiva, filiabuſque ejus Eudoxia & Placidia: quarum priore Hunerico fil. deſponſata, poſteriorem cum matre, Imperatorum precibus, in Græciam remiſit. Sic redux in Africam, in Orthodoxos, Epiſcopos inprimis ſævire pertinax, oras Italiæ, Apuliæ, Dalmatiæ, Epiri, Sardiniæ, continuo terrore perculſas tenuit. Occidente vaſtato in Illyriam, Peloponneſum, Græciam, Inſulaſque Archipelagi tranſit, ubique felix, Martiano Imp. nihil contra movere auſo. Leonis claſſem, corrupto Baſiliſco Duce, depreſſit; Olibrio inſuper in partes ſuas, contra Anthemium Imp. in Occid. pertracto. Obiit A. C. 476. Romæ Carthaginiſque victor, Eccleſiæ hoſtis acerrimus. Victor Utic. *de perſecut. Vandal. l.* 1. & 2. Procop. *de B. V. l.* 1. Idacius, Marcellin. Proſper *in Chron.* Paulus Diaconus, Nicephorus, Evagrius, &c. Ei ſucceſſit fil. Hunericus, vel Honorichus.

GENTA, urbs Indiæ extra Gangem. *Steph.*

GENTES, adverſus quas Arnob. aliique ſcripſère, ſeu *Nationes*, ut quorundam MSS. ἐπιγραφὴ habet, una eademque res. Infideles nempe omnes populi appellantur in V. T. libris גוים, & inde in Evangeliſtarum Apoſtolorum monumentis Ἔθνη, quia viz. præter populum Deo peculiarem, Judææ terminis incluſum, & poſtea præter paucos fideles, *Gentes* omnes aliæ ac nationes, vero Deo ignorato, idolis ſerviebant. Hinc itaque vet. Eccleſia appellationes illas retinuit; donec ruente idololatriâ & Chriſtianâ pietate longè latèque diffusâ, facies rerum alia eſse cœpit. Tunc enim, cùm Chriſtiani Impp. terrarum Orbi præſiderent, & Eccleſiæ Chriſto ubique conderentur; contrà idolorum clauderentur & everſerentur, ſimul cum appellationis causa appellatio ipſa mutata eſt, & qui priùs, *Gentes Nationes, Ethnici*, poſtmodum *Pagani* dici cœpérunt, quippe non ampliùs terrarum Orbem occupantes, ſed in anguſtum coarctati, & quaſi pagis tantùm quibuſdam concluſi. Certè, antequam Imperium Chriſtianis ſubeſſet, ignotam hanc adhuc appellationem, novimus, docetque id ex Prudent. eruditè Deſid. Herald. *ad Arnob. operis inſcriptionem.* Alia tamen quædam, de eadem voce infrà videbimus. At *Gentes* quæ ſint Gen. *c.* 14. *v.* 1. ubi Thadal *Rex Gentium* memoratur, non adeò liquet Nonnullis Cilices ſunt, aliis incolæ regionis proprio nomine *Gojim* dicti. Maſius maritimam hîc Palæſtinæ oram intelligi vult in Galilæa Sup. quæ *Gentium* dicta, quòd portuoſa mercaturæque faciendæ accommoda varias gentes reciperet. Sed nondum antiquis illis temporibus tanta ibi hominum frequentia, quin potiùs *Gentium Galilæa* ἀλλοφύλων pars illa Galilææ dicta eſt, quam Iſraëlis populo, à reliquis omnibus diſtincto ſeparatoque alienigena poſtmodum retinuêrunt. Rivetus itaque Thadalem arbitratur fuiſſe Regem aut Ducem quorundam populorum, qui, cum nullam fixam ſedem aut habitationem haberent, quod hodieque apud Arabes obtinere notum, *Gentium* ſeu populorum nomen, quia certam non incolerent provinciam, ſervaverint. Vide illum *ad Geneſin Exercitat.* LXXV. uti plura de voce ἔθνη, it. Ἐθνικοί. in vet. Græciſmo, apud Utriuſque Fœderis Interpretes Scriptoreſque, in Joh. Caſp. Suicer. *Theſ. Eccl.* ubi novam ei ſignificationem in N. Teſt. demum acceſſiſſe,

ſiſſe, quâ infideles notent, contendit: adde Gerh. Joh. Voſſ. *Etymol.* in voce *Pagus*, Rittershuſium *in Salvianum p.* 565. Dilherum *Elect. l.* 2. *c.* 6. Alios.

GENTHON, nomen viri. Nehem. *c.* 10. *v.* 7.

GENTIANA Caſtra, in VII. reg. ponuntur à Victore; *Vicus* verò *Gentianus* dicitur Sexto Rufo; in quo quæ fiebant pocula, *Gentiana* vocabantur. Mart. *l.* 4. Epigr. 39. cujus Epigraphe ad Charinum.

Nec deſunt tibi vera Glaniana.

Vide Salmaſ. *ad Trebell. Pollion. in Gallienis*, & *ad Mart. d l.* De radice verò *Gentiana*, cui à *Gentio*, de quo ſuo loco, Illyriorum Rege, nomen inditum, Auctorem Anon. *Sinæ & Europ. c.* 31. *ſub fin.*

GENTIANUS, Coſ. cum Baſſo A. U. C. 963.

GENTIANUS Benedictus, vide *Benedictus*.

GENTIANUS Petrus, vide *Petrus*.

GENTIANUS Hervetus, Aurelianenſis, Græè Latinèque doctiſſimus, in Conc. Tridentino peroravit plurium ſcriptorum auctor. Poſſevin. *App. ſacr.* Verdier. *Bibl. Franc. Morer.* &c.

GENTILIS, Medicus peritus, Thadæi Florentini diſcip. circa A. C. 1310. ſcripſit in Avicennam. Leand. Alberti, *deſcr. Ital. p.* 90.

GENTILIS, apud Cic. 1. *Tuſc. Quæſt. Pherecydes Syrus primus dixit, animos hominum eſſe ſempiternos; Antiquus ſanè: Fuit enim meo regnante* Gentili: eſt cujuſdam familiæ ac ſtirpis. Tullium enim Regem indigitat, ad quem genus Ciceronis etiam Scriptores nonnullos retuliſſe, Plutarch. quoque teſtatur, etſi non de Romano illo ſermocinetur. Sic cùm de male ſano homine dicimus, *ad Gentiles* deducendum, ejuſdem familiæ homines intelligimus. Varro *de Re Ruſt. l.* 1. *c.* 2. *Duo ſpectanda in colendo, quorum ſi alterutrum decollat, & nihilominus vult colere, mente eſt captus, atque ad agnatos &* Gentiles *deducendus.* Nempe *Gentiles* ſunt cognati, ſanguine juncti, communem proſapiam conteſtantes, ut inter alia ex *Decreto* vet. Orientalium apud Sardicam Epiſcoporum, ex Parte Ariana, cum *Fragmentis Hiſtoricis* Hilarii edito, docet Barthius. Sed & Philoxena *Gentilis* συγγενὴς eſt. In vetuſtiſſimo tamen *Jure Græco-Romano XII. Tabb.* ſeparantur *Gentiles* ab agnatis, uti clarum eſt ex verbis relatis Cornificio *ad Herenn. l.* 1. Melius igitur Cic. *Topicis*, *Gentiles ſunt, qui inter ſe eodem nomine ſunt. Non eſt ſatis. Qui ab ingenuis oriundi ſunt. Ne id quidem ſatis eſt. Quorum majorum nemo ſervitutem ſervivit. Abeſt etiam nunc: Qui capite non ſunt diminuti. Hoc fortaſſe ſatis eſt. Nihil enim video Scævolam Pontificem ad hanc deſcriptionem addidiſſe.* Ut ſic uſus hodiernorum idiotiſmorum, Hiſpani, Italici, Gallici, Anglicique, quibus *Gentilis*, pro nobili homine eſt, ex ipſo veteris Eloquentiæ Romanæ profundo petitus videatur. Acceſſit, quòd multis *Gentilibus* inſtructi homines, ingruentibus Barbaris, majori æſtimatione culti ſint & ſic in factionem quandam elati, ut res honoris iverit in generis prælationem. Sed & in *Comm Antiquis* Statii *Theb. l.* 4. *v.* 155. *Gentiles dicuntur, qui gentis ſuæ nobilitatem ſequuntur & oſtendunt*, Caſp. Barth. *Animadv. ad h. l.* Plura hanc in rem vide apud Budæum *ad Pandectas*, Andr. Tiraquellum *de Nobilitate c.* 2. Andr. Alciatum & Joh. Brechæum *ad c.* 53. *de Verbor. ſignif.* Anton. Goveanum *Variar. Lect. l.* 2. *c.* 19. cum primis autem Marcum Velſerum *Rer. Aug. l.* 8. *princ.* At *Gentiles*, in *Cod.* Theodoſ. *de Nuptiis Gentil.* alibique. apud Amm. Marcell. *l.* 14. *c.* 7. Auſon. ac in *Not.* Imperii, ubi *Schola Gentilium*, *Schola Gentilium Senior*. dicebantur Romanis, qui iiſdem aliàs *Barbari* appellati, illis militabant, eorum Fœderati, vel qui in Leges Romanas ultro vel deditione, tranſibant. Militabant autem ſub Diſpoſitione Magiſtri Officiorum, de quibus plura in prædicta *Not.* & apud Amm. Marcell. *l.* 15. 16. 20. & 25. Vide quoque C. du Freſne *Gloſſ.* &c. Hinc *Gentilia* Sacra, dicebantur apud Romanos, quæ, *gentis* alicujus propria, certis ritibus & cerimoniis colebantur. Cùm enim Sacrorum alia publica, alia privata eſſent, illa publico ſumptu pro populo fiebant; item pro montibus, pagis, curiis, ſacellis: Iſta verò pro ſingulis hominibus, familiis, *Gentibuſque* peragebantur. Erantque propria hæc ſacra eorum Deorum, quos Penates, itemque Lares nominabant. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Roman. l.* 8. *c.* 4. *l.* 2. *c.* 19. & Anglis vocatur *Chappel-ſervice*. Fr. Gouldmann. &c. De acie per *Gentes* & familias diſponenda, vide infrà ubi de *Tactica*: idem in eo vide *Gentem & familiam ſuam, neminem hæredem ſcribendi*, ante Solonem Athenis uſitato, infrà in voce *Hæres*.

GENTILIS Joh. Valentinus, Calaber, Genevam ſe recepit, ubi à Calvino Arianiſmi convictus, cùm pejora metueret, errore ejurato, liber dimiſſus eſt, hac lege, ut urbe non excederet. Verùm inde poſtquam nihilominus evaſiſſet, Sabaudiâ, Galliâ, Germaniâ peragratâ, in Poloniam delatus eſt, Blandratæque patrocinio nixus, Patrem Filio Spirituique Sancto non propriam eſſentiam, ſed aliam & quidem inferiorem communicaſſe, blaſphemè docuit. À Sigiſmundo Aug. pulſus, cùm in Italiam reditum pararet, Bernæ capite plexus eſt, impiè gloriatus, ſe primum eſſe Martyrem, qui pro Patris gloria occumberet. Spond. *Ann.*

GENTILLIACUM, vicus Galliæ, ad fluv. *Bievre*, 1. mill. à Lutetia. Ubi Concilium celebratum A. C. 767. *Gentilly.*

GENTINUS, urbs Troadis, ab uno filiorum Æneæ condita. *Steph.*

GENTIUS, Illyriorum Rex decem talentis à Perſeo emptus, Legatos Rom. in vincula conjecit, partes ejus amplexus. Platonem fratrem, ut ſolus regnaret, ſuſtulit, populis inviſus, & vino nimium deditus. Hunc Anicius Prætor, Scodrâ Metropoli captâ, cum uxore, fratre liberiſque, in triumpho duxit: bello intrà 20. vel 30. dies finito. Liv. *l.* 43. *c.* 19. 20. 21. & 23.

GENU, ex Græco γόνυ, roboris ſedes, Artemid. *l.* 1. *c.* 49. Τὰ γόνατα πρὸς τε ἰσχὺν καὶ εὐανδρείαν ἐστὶ ληπτέα καὶ πρὸς κινήσεις, καὶ πρὸς πράξεις κτλ. Quibus proin debilitatis, totum corpus imbecillum eſt. Plaut. Curcul. Act. 2. *ſc.* 3. *v.* 30.

Tenebræ oboriuntur, genua *ſuccidunt.*

Lucret. de Rer. nat. *l.* 3. *v.* 157.

Caligare oculos, ſonere aureis, ſuccidere artus,
Denique concidere ex animi terrore videmus.

Horat. Carm. *l.* 1. Od. 23. *v.* 8.

Et corde & genibus *tremit.*

Quod ductum ex Homericis verſibus, de homine timido, *Il.* [illegible]

Ἀλλὰ μετοκλάζει, καὶ ἐπ' ἀμφοτέρους πόδας ἵζει.

Vide Caſp. Barth. *ad Claud. l.* 3. de Rapt. Proſerp. Carm. 36. *v.* 151. ubi de Cerere, poſtquam raptum filiæ reſcivit, dicitur,

Hæſerunt lacrymæ: nec vox, aut ſpiritus oris
Redditur, atque imis vibrat tremor oſſa medullis,
Succidui *titubant* greſſus ———

Eadem Miſericordiæ conſignavit Antiquitas. Unde mos *genua incerandi Deorum*, Juv. indigitatur *l.* 4. *Sat.* 10. *v.* 55.

Propter quæ fas eſt genua incerare Deorum

de quo infrà aliquid in voce *Inceramenta*. Et de homine Plin. *l.* 11. *c.* 45. *Hominis* genibus *quædam & religio ineſt, obſervatione gentium. Hæc ſupplices attingunt, ad hæc manus tendunt: hæc, ut aras, adorant, fortaſſe quia ineſt iis vitalitas. Namque in ipſa genu utriuſque commiſſura [illegible] lævaque à priore parte gemina quædam buccarum inanitas ineſt, quâ [illegible] foſſâ, ceu jugulo, ſpiritus fugit.* Aliam rationem vide infrà. Sed [illegible] nem nempe apud Vet. ſupplicandi ritum, *genua tangere*, fuiſſe, diſcimus ex Homero paſſim: inter alia *Il α.* ubi de Thetide [illegible] ſupplicante,

——— Θέτις δ' ὡς ἥψατο γούνων,
Ὡς ἔχετ' ἐμπεφυῖα ———

——— *Thetis autem ut apprehendit genua,*
Ut tenebat inhærens ———

Primùm namque ſedere ſolebant ſupplices, ante eum, ad quem confugerant, auxilium exoraturi. Dein caput ejus, cui ſe ing[illegible]bant, tangere conabantur, neque totum tamen, ſed mentum modò, ut Homero videtur: vel barbæ meditullium, quod Eurip. [illegible] probat. Id verò διὰ τὸ ἡγεμονικὸν, *quia pars ea in nobis præcipua*, utpote τοῦ λογιστικοῦ ſeu *rationalis potentiæ* ſedes eſt. Quòd ſi caput contingere non dabatur, dextram prehendebant, διὰ τὸ πρακτικὸν, *quoniam maxima ei ad agendum facultas*: Quam ſi quoque removeret is, cui ſupplicabatur, ut apud Eurip. factum legimus, ὁρῶ σε [illegible] κρύπτοντα καὶ πρόσωπον ἔμπαλιν στρέφοντα, *Video te dextram occultantem & vultum avertentem*: ultima anchora *Genua* erant, quæ utraque manu amplexi, διὰ τὸ βαδιστικὸν, quòd progrediendi ad auxilium inſtrumenta eſſent, iis tenaciter inhærebant. Quo factum ut ſolo verbo γονάζεσθαι totus aliquando ſupplicandi ritus denotetur. Apud eundem Poëtam Thetis paulo antè duo ſimul membra tetigiſſe, dextrâ mentum, ſiniſtrâ *genua* Jovis, memoratur: cùm inquit,

——— Καὶ λάβε γούνων
Σκαιῇ, δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα.

——— *Et prehendit* genua
Siniſtrâ manu, dexterâ autem ſub mento apprehendens.

Et hinc fortè factum, quòd Reges & Principes olim, præcipuè verò Tyranni, non manus ſolùm, ſed & *Genua* ſubditis exoſculanda præberent. Quem morem tangit Amm. Marcell. *l.* 28. [illegible] *Ex his quidam, cùm ſalutari pectoribus oppoſitis cœperunt, [illegible] landa capita in modum taurorum minacium obliquantes, [illegible] bus offerunt* genua *ſuavianda & manus.* Vide Laur. JC. *Not.* [illegible] *Phædr. l.* 5. *Fab.* 1. *v.* 5. *Illam oſculantur quâ ſunt oppreſſi manum.* Neque verò eorum ſolum *genua* complexu impedimus, quibus ſupplicamus, ſed & *genu* tenus demiſsâ manu ſalutamus obvios, honoratiores præſertim, quod Ægyptiis jam olim in uſu fuiſſe, ſcribit Herod. *l.* 2. imò ipſi *genua* flectimus humilitatis noſtræ conteſtandæ ergò: de quo ritu antiquiſſimo precantium adorantiumque Deum ac Principes dici multa poſſent, alibi monenda. Etiam in S. Cœna, quam Vett. accubitu faciebant, Agapis conjunctam; dein ſtantes celebrabant: poſtmodum *de genibus* ſacra myſteria ſumi cœperunt. Vide Franc. Burmann. ubi *de S. Cœnæ nominibus, perſonis, ſymbolis*, *Syſt. Theol. Chriſt. Part. poſt. l.* 7. *c.* 10. §. 46. In *Kal.* [illegible] tarum, apud Allatium *in Symmictis p.* 103. *Genuum poſitio appellatur* [illegible] pœnitentiæ causâ ducentæ, trecentæ aut plures factæ *genu flexiones* [illegible] blicæ, ita ut *flexis genibus* & exoſculari terram illico reſurgant, [illegible] Gabriele Sionita, apud C. du Freſne *Gloſſ.* De *genuflexione*, in [illegible] Eccleſiæ Rom. Vide Macros Fratres *Hierolexico*; de ritu *humiliandi ſe ſuper Genua*, apud Ciſtercienſes uſitato, diximus ſuprà, ubi de [illegible] *ticulis.* ut & infrà ubi de *Metanœa*, item in voce *Venia.* Porrò Græcorum mulieres, in ſuis œcis labori vocantes, ſolebant εἰς γόνυ ζώννυσθαι, ut Theocritus ait, i. e. *nudæ genu eſſe*, ut Virg. interpretatur, [illegible] re infrà dicemus, ubi de laudabili Athenienſium *Oecuria.* Alias ſuprà *genua* ſubducere veſtem negligentiæ & ruſticitatis habitum, vide infrà in voce *Pallium.* Mollitiei item Arnob. *adv. Gentes l.* 2. [illegible] *dere poplitibus nudis, omnique alio cultu vigorem virilitatis & exponere [illegible] & in habitum feminarum delitiaſque molliri.* Quod proin & Varro carpit *Meleagris*, *Non modò ſuris apertis, ſed pœnè natibus apertis ambulant.* In Gothis verò id gentilitium fuiſſe, dicemus infrà in voce [illegible] Etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Etiam *genibus* ſcuta horrendo fragore illidebant, lætitiam indicaturi, milites, vide infrà *Scutum*; & *genu* flexo ſternutantes olim ſalutabantur, ut videbimus ubi de *Sternutatione*. Sed & memorabilis & ad victoriam efficax ſtatus fuit Chabriæ Ducis Athenienſium, in prælio contra Ageſilaum ſummum Ducem, cùm is fugatis jam conductitiis catervis, apud Corn. Nep. c. 1. in eo. *reliquam phalangem loco vetuit cedere, obnixoque genu ſcuto projectaque haſtâ impetum excipere hoſtium docuit. Hoc uſque eo tota Græcia fama celebratum eſt, ut illo ſtatu Chabrias ſibi ſtatuam fieri voluerit, quæ publice ei ab Athenienſibus in Foro conſtituta eſt. Ex quo factum, ut poſtea Athletæ, cæterique Artifices his ſtatibus in ſtatuis ponendis uterentur, cum victoriam eſſent adepti*, ubi, quo pacto hoc ſchema bellicum, à Triariorum apud Romanos ſubſidentium in genu dextrum ratione, differat Loccenius exponit. Vide quoque Stewech. *ad Veget.* & præter Lipſ. Valtrin. *de Milit. Rom. l.* 5. *c.* 3. At poplite in alterum *genu* impoſito digitiſque pectinatim implexis, aſſidere parturientibus, ſuperſtitio priſca vetabat, cujus originem a facto Lucinæ arceſſit Ovid. quæ impeditura Junonis juſſu partum Alcumenæ, ante januam ejus ſedit, Met. *l.* 9. *v.* 298.

dextroque eſt poplite lævum
Preſſa genu, *digitis inter ſe pectine junctis*
Suſtinuit partus ———

Qua de re vide Thom. Bartholin. *de Puerp. Vett.* & plura huc facientia, infrà ubi de *Poplitibus*. Addam ſaltem, *genibus* nixos Deos Nixios pingi fingique conſueviſſe. Feſtus, *Nixii Dii appellantur tria ſigna in Capitolio, ante ſellam Minervæ*, genibus *nixa, velut præſidentes parientium nixibus*. Quo eodem geſtu ſtatuam ſibi erigi voluiſſe Ludovicum XI. Galliæ Regem Chaſſanæus memorat, *de Gloria Mundi* huicque membro Serpyllinum unguentum deſtinaſſe Vett. luxuriam infrà in voce *Unguentum*. Hinc *Adgeniculari*, quod vide ſuprà & *Ingeniculari*, infrà in voce *Ingeniculatio*: uti de *Genuiſectione* in verbo *Expeditare*.

GENUA, urbs libera Liguriæ clariſſima, & perampla, in modum Theatri leniter in collem aſſurgens, cum portu capaci, ſed parum tuto; ſic dicta à *genu*, quia ſe habet tanquam genu recurvum à latere maris. Vel à *Genuo* Saturni filio, qui fertur eam condidiſſe, vel, ut quidam volunt, à *Genuino* Phaëthontis ſocio, Alii etiam à *Jano* Italorum Rege. Hanc Hannibal penitus delevit, ſed Corn. Servilius Coſ. inſtauravit, ſicut Liv. *l.* 21 *c.* 32. refert. Hæc urbs aliquando ad Taniam uſque imperii ſui fines produxit. Theodoſiam enim ſuæ ditionis effecit, Cyprum, Lesbum, Chium inſulas, & Peram Thraciæ urbem in poteſtatem redegit. Hodie toti Liguriæ, Caprariæ Inſ. & Corſicæ imperat. Emporium celebre eſt, creſcit in dies, ejuſve cives potentiſſimi mercaturâ, & negotiationibus, per omnes ferè orbis partes maximum ſibi nomen atque divitias compararunt. Multa inprimis poſſident in regno Neapolitano & Hiſpaniæ. A. C. 935. incenſa fuit urbs à Saracenis, omnibus civibus aut jugulatis, aut abductis. Sed ope Veneti Ducis reducti ſunt urbe magnificentius reparatâ. Ejus civibus contra Venetos uſus eſt Michaël Palæologus, Imp. Orientis A. C. 1273. In urbe Henricus VII. Imp. decretum tulit, *Imp. Rom. Pontifici Rom. juramentum præſtare non teneri*, A. C. 1312. Cives iterum Joh. Cantacuzenum, operâ genero ejus Joh. Palæologo locatâ, de throno deturbarunt, A. C. 1355. in ſuas dein partes Joh. per A. C. 1384. quos paulo antè ad extrema redegerant, ſed ab illis, animis reſumptis, uſuque bombardarum & tormentorum tum primùm noto, victi, A. C. 1381. Occupata Reſp. eſt à Sfortia, Duce Mediolanenſi, A. C. 1452. Ob Marchionem Finalienſium pulſum, ad dicendam cauſam, citati ſunt Genuenſes A. C. 1563. à Ferdinando I. Imp. addito, Niſi feciali ſuo parerent, urbem & agrum Genuenſium ſe proſcripturum. Chio exuti ſunt à Selimo Turcarum Imp. A. C. 1571. Ad Genuam navali prælio Hiſpani à Gallis victi ſunt, ſub Ludovico XIII. &c. Patria eſt Chriſtophori Columbi, Doriæ & Spinolæ celeberrimorum Ducum, illius mari: hujus terra, inclyti: quorum priori libertatem debet, Franciſci I. partibus hunc in finem deſertis: poſtquam Longobardis. Imperatoribus, Gallis, &c. ſubjecta fuiſſet, viciſſitudinibus ſupra omnes Italiæ urbes obnoxia, bello hodierno neutri partium addicta. Hîc Doriæ palatium, ſedes Ducis, Templum S. Laurentii, ubi patina ex unico Smâragdo, &c. aliaque admirationem merentur. Viæ tamen ſunt anguſtæ & tenebroſæ. Portum ejus claudit moles 600. paſſ. è cujus regione excurrit prom. cui impoſita Pharus operis elegantis, vulgò *la Lanterne*; ubi aliàs caſtr. permunitum. Urbs ipſa à paucis annis probè munita eſt, ſed circuitus amplioris. 300. ferè mill. à Roma, 160. à Florentia in Occ. ut & 234. à Venetiis. &c. *Genua* altera Hiſp Bæticæ, vide *Urſo* Liv. *l.* 29. *c.* 5. de priore hîc addo, quod Cives initio libertatis ſuæ, ab A. C. 1100. Præfectos habuêre; dein inſtituti Coſs. vario numero à binis ad denos & 24. Senatores. Prætor iis additus eſt, juſſu Friderici I. A. C. 1194. Poſtea acceſſêrunt Præfecti populi, ſinguli aut bini & aliquando omiſſi mirâ fluctuatione. Tandem compeſcendis factionibus, quæ inter Nobiles Plebemque frequentes erant, Dux creatus A. C. 1327. quod inſtitutum, ſemel tantùm per triennium omiſſum, duravit uſque ad A. C. 1390. Creatus autem Dux eſt, ex Nobilitate vel Plebe, in biennium. Anno verò modo dicto, ob Guelforum & Gibellinorum, Spinolarum & Auriorum, Fliſcorum & Grimoaldorum, factiones, in fidem ſeſe dedére Carolo VI. Gall. Regi exin in Vicecomitum Mediolan. poteſtatem conceſſère, à quorum jugo liberati ſunt A. C. 1444. virtute Simonis Buccanigri, Thuan. *l.* 61. Ludovicus dein XII. & Franciſcus I. Galliæ Reges *Genuam* recuperarunt: ſed vindicatâ eâ per Carolum V. à Gallorum imperio, nova Reip. forma ab Andr. Auria, qui propterea *Patris Patriæ* elogium tulit, inſtituta eſt, A. C. 1528. Creati nempe Duces, quorum electio ſorti commiſſa, poteſtas biennio definita eſt: Duci additi Gubernatores VIII. totidem Procuratores, vide Syndici. Quæ forma reip. perſtitit ad A. C. 1574. quo diſſenſiones inter Populum denuo Nobilemque extitere, quas Maximilianus II. Imp. Philippus II. Rex Reip. & qui tum Romæ ſedebat Pontifex, ſuſtulêre, idem: Plura hanc in rem vide apud Georg. Horn. *Orb. Pol. Part.* 2. *p.* 247. & *ſeqq.*

GENUENSIS Ditio, ſeu Genuenſis Reſpubl. cujus Dux caput eſt, *Stato della Republica de Genoua* incolis, *l'Eſtat de la Republique de Gennes* Gallis, regio eſt Italiæ, ubi alias major pars Liguriæ, verſùs oram littoralem maris Mediterranei, à qua terminatur ad Auſtr. uti ab Or. Hetruria, à Sept. Ducatibus Parmenſi, Mediolanenſi, & Montisferrati, ab Occaſ. autem Nicæenſi Comitatu. Ejus longitudo ab Ort. in Occ. eſt 140. milliarium, latitudo parva admodum, & valde anguſta quamplurimis in locis. Dividitur in duas partes, nempe in oram Orientalem, *Riviera di Levante*, & in oram Occidentalem, *Riviera di Ponente*: eſtque utraque ora littoralis mirè fertilis & cultu accedente incolarum induſtria; & cum tot villis magnificis, præſertim verſùs Genuam, ut ferè una urbs dici queat. Ejus caput eſt Genua. Vide Leandr. Albert. *Deſcr. Ital.* Auguſt. Juſtinian. Barth. Faſcium. Jac. Bracellum, Jac. à Voragine, Paulum Interianum, Petr. Bazarum & Hubertum Folietam *Hiſt. Genuenſi*. Subeſt etiam dominio Reipublicæ Genuenſis Corſica inſ. *la Corſe*, uti & Capraria, *la Capraia* inſ. maris Tyrrheni, de quibus vide ſuo loco. Hinc *Genuenſis* cogn. celebri viro de quo vide in voce *Paulus*.

Genuenſis Reipublicæ urbes.

Albingaunum, *Albenga*,	Genua, *Genoa* & *Genoua*.
Albintemelium, *Vintimiglia*.	Naulum, *Noli*.
	Savona, *Savona*.
Brugnetum, *Brugneto*.	Serezana, *Sarzana*.

GENUFLEXIO, Vide infrà *Ingeniculatio*, & *Metania*.

GENUNII, pop. Britann. ad Occ. nunc *Northwales*, Camd. ex adverſo Hibern.

GENUSUS, fluv. Macedoniæ, in mare Jonium influens, inter Apolloniam, & Dyrrachium. Luc. Civ. Bell. *l.* 5. *v.* 462.

Tellus, quam volucer Genuſus *quam mollior Apſus*
Circumeunt ripis. ———

Viri Inſignes.

GENUTIA Lex, quam tulit L. Genutius Tribunus Pl. C. Marcio Rutilio IV. Q. Servilio Halá Coſſ. A. U. C. 411. fuit: *Ut liceret ambos Coſſ. ex plebe creari*, vide Liv. *l.* 10. *c.* 9. Alia ab eodem auctore, eodemque anno rogata, voluit: *Ne quis eundem Magiſtratum intra decem annos caperet neu duos Magiſtratus uno anno gereret*, Idem *ibidem*. Alia eodem anno, eodemque auctore lata fuit: *Ne fœnerare liceret*. Ejus meminit ſimiliter Liv. *l. præfat.* Fuit & *Genutia, Æmilia* lex, quam tulêre ex SC: Cn. Genutius Aventinenſis, L. Æmilius Mamercinus Coſſ. A. C. 390. *Ut, qui Prætor maximus eſſet, Idibus Septembris clavum pangeret*. Liv. iterum *l.* 7. *c.* 13. ubi addit: Legem ætate ſuâ fuiſſe priſcis literis verniſque ſcriptam, clavumque, quia raræ per illa tempora literæ erant, notam numeri annorum eoque Minervæ templo dicatam legem, quia numerus à Minerva inventus ſit. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. paſſim.*

GENUTIUS Adventinus, vide *Cajus*. Liv. *l.* 10. *c.* 4.

GENUTIUS Adventinenſis, vide *Lucius*.

GENUTIUS Augurinus, vide *Marcus*. Liv. *l.* 4. *c.* 1. & *l.* 35. *c.* 5.

GENUTIUS Clepſina, *Ibid.* item *Lucius*.

GENUTIUS Panſa, *Ibid.* it. *Cneus*.

GENUTIUS Scipio Naſica, vide *Publius*.

GENUTIUS Titus, vide *Titus*.

GEOGRAPHIA, eſt terræ univerſæ, quatenus nobis cognita eſt, deſcriptio, ſicut *Coſmographia* totum Mundum, tam elementarem, quàm æthereum; *Chorographia*, regionem, & *Topographia* locum aliquem peculiarem, agrum ſeu territorium, opp. pagum, exſequitur. *Terræ* autem ſeu τῆς γῆς nomine intelligitur hîc Globus Terr. aqueus, partibus ſuis ſolidis ac liquidis conſtans, h. e. ipſa Terra, Aqua & Aër, cujus ambitum *Athmoſphæram* vocant. In quo Globo quid ſigillatim conſiderandum ſibi hæc Ars ſumat, pete ex Cluv. Varenio, Aliis. Primus autem, qui *Geographiam* ſcripſerit, Scylax habetur, quem Latinè reddidit & *Notis* illuſtravit Iſ. Voſſ. Reliquorum qui proximè ab illo idem conati ſunt, vix aliud ſupereſt, quàm mera nomina, quales Pytheas Maſſilienſis, Timoſthenes Rhodius, qui Ptolomæi II. Archithalaſſus fuit & libros 10. *de Portubus* edidit, Eratoſthenes, qui ſub Ptolomæo IV. vixit, & Timoſthenum ſequutus dicitur. Hodie, quos ex antiquis frequentiùs uſurpamus, ſunt: è Græcis Strab. qui *Geogr. libb.* 17. Cl. Ptolomæus, qui *Geogr. libb.* 8. Steph. qui τὰ Ἐθνικὰ; è Latinis, Pomp. Mela, qui *de Situ orbis libb.* 3. ſcripſêre. Plin. item & Solin. paſſim *Geographica* miſcent, quorum illum fabuloſarum narrationum communiter accuſatum in multis excuſat Auctor Belgicus, *den Anleitenaer over Plinius*, editus A. C. 1650. ad hunc, *Exercitationes* Salmaſ. non uno in loco perſtringit Iſac. Voſſ. *ad Melam*. Porrò extat etiam *Itin. Antonini*, nec non *Tabula Peutingeriana*, à Velſero edita: quam utramque reperire eſt in *Theatro Geogr. Vet.* Bertii. Qui noſtrâ ætate *Geographiam* veterem illuſtrarunt, ſunt; Abrah. Ortel. qui *Theſ. Geographic.* & *Parergon Geographiæ Vet.* Petr. Bertius, qui *Theatrum* modò citatum; & Joh. Janſſon. qui accuratam *Orbis Antiqui Delineationem*, præmiſſâ Georgii Hornii *Introductione ad Geographiam vet.* & *Atlantem*, edidêre. Recentem Geographiam excoluêrunt, Gerh. Mercator & Jod. Hondius, qui in fine præt. ſec. primi Atlantem modò dictum meditati ſunt, à Joh. poſtmodum, ac Wilh. Blaeviis & Joh. Janſonio ad 8.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

uſque Toinos tandem adauctum. Circa idem fere tempus, Ortelius quoque *Theatrum Orbis Terr.* in lucem emiſit. Poſtea Nic. Sanſon Abbævillanus Tabulas Generales totius mundi 98. evulgavit. Quibus adde Viſcherum, Fred. de Witt, Alios. Utramque *Geographiam* conjunxêre Joh. Maginus, cujus extant *Geographiæ Vet. & Nov. Volumina* II. Phil. Brietius, cujus *Parallela* &c. Inter Compendiorum Scriptores, commendantur, Georg. Fournerius, qui *Geographicam Notitiam per littora Maris & fluviorum*, Eberh. Schultzius, Phil. Cluv. qui *Introductionem ad Geographiam* Joh. Bunonis *Comm.* illuſtratam; Hen. Schævius, qui *Sceleton Geographicum* ſcripſêre, Alii. De ſola *Geographia Generali* prodiit liber doctiſſimus Bern. Varenii: cui ſimilis eſt *Geographia & Hydrographia Reformata* Joh. Bapt. Riccioli *libb.* 12. Bononiæ A.C. 1661. Inter *Onomaſtica Geographica* excellit antè memoratus *Theſaurus* Ortelii & *liber undecimus Geogr.* Riccioli. Ex iis, qui præter locorum deſignationem & denominationem in Deſcriptione Orbis Hiſtoriam Civilem & Sacram adjecêrunt, eminet Joh. Boterus Italus; in Gallia extant Petrus d'*Avity*, *Theatre du Monde* &c. In Germania Sebaſtianus Munſterus *Coſmographiam* edidit, quem Joh. Rau imitari conatus eſt; Lucas de Linda *Deſcriptionem Orbis & omnium Rerump.* Joh. Frid. Köpping *Orbem illuſtratum* edidêre; ut *Archontologiam Coſmicam*, *Collectionem Rerumpublicarum*, *Hornii Orbem Politicum*, alia, omittam, petenda ex Riccioli ſuprà laudati *Geograph. Reform. l.* 1. & *initio l.* 2. Vide quoque Auctorem Anon. *Hiſt. Orb. Terr. Geogr. & Civ. c.* 1. quod eſt *de Præcognitis Geographicis*; uti de mappis Geographicis in voce *Mappæ*: de Hydrographiæ verò in ſpecie Scriptoribus, aliquid infrà dicemus.

GEOMANTIA, ſpecies divinationis, quâ dextrâ manu temerè lineæ ex punctis conſtantes in *terra* fiunt, & pro ratione figuræ, quam hujuſmodi puncta exprimunt, judicium fertur de quæſtionibus quæ proponi ſolent. Græcè Γεωμαντεία. Eadem & circulos in arena deſcribit. Vide ſuprà, ubi de *Divinatione*, & plura hanc in rem apud Bodin. *Dæmonom. l.* 1 *c.* 6.

GEOMETRIA, an Mercurii inventum, an Ægyptiorum, apud quos celebres inprimis Petoſiris & Necepſon, *quorum prudentiam ad ipſa ſecreta divinitatis acceſſiſſe*, ait Jul. Firmic. *Geometriæ*, Aſtrologiæ ac Aſtronomiæ inventum ſibi tribuêre, teſte Diog. Laërtio *l.* 1. Cùm enim Nilus ſubinde exundans agrorum limites confunderet, illi ſagaci ingenio *Geometriæ* rationes invenêrunt, quarum indicio ſua cuique portio bonâ fide reſtitueretur, vide infrà *Radius* inde ars in immenſum crevit, Mart. Capella *l. de Geogr.* Eam ſequentibus temporibus in Sicilia excoluit Archimedes, *Vir in omni Geometria multùm ante alios admirabili ſubtilitate*, Apulejo *in Apol.* Qui inventis Mathematicis obſidionem Syracuſarum unus in longum protraxit. Quintilian. *Inſtitut. l.* 1. *c.* 17. tandem his expugnatis, dum pulveri intentus eſſet, à milite Marcelli, occiſus, Plutarch. in Marcello, Plin. *l.* 7. *c.* 37. Val. Max. *l.* 8. *c.* 7. Extern. 7. &c. Poſt hunc circa A.C. 1059. CP. Michaël Pſellus, hac inprimis in Arte ſupra omnes alios floruit, plurimis in *Geometria*, Arithmetica, Muſica & Logica, accuratè elaboratis. Vide Georg. Horn. *Hiſt. Philoſophicæ, l.* 5. *c.* 8 Gerhard. Joh. Voſſ. inprimis *l. de Mathem.* & Salmaſ. *ad Solin. p.* 632. ubi duas res Geographiæ maximè inſervire, τὸ Γεωμετρικὸν nempe καὶ τὸ Μετεωρολογικὸν docet. *Geometria Practica combinata*, in uſum Principum elaborata eſt, Auctore *Athanaſ. Kirchero.*

GEOMORI, vide ſuprà *Athanæ.*

GEON, vide *Gibon.*

GEONIM, h. e. Sublimes, nomen Claſſis Doctorum inter Hebræos, qui poſt Seburaos præfuére. Illorum caput fuit *R. Chanan Meiſchka* præſes Pumbedithæ, A. M. 4349. cujus ſucceſſorum ſeriem exhibet R. Ganz in *Chronolog. Rabbinorum* Ultimus fuit R. Haï, qui obiit juxta calculum præfatum A. M. 4797.

GEORGI, pop. Aſiæ in Iberia, ab *agricolatione* ſic dicti, eorum regio *Georgiana* dicitur

GEORGIA Montenæa, virgo Reformatæ Relig. addicta, præc. ſec. centum emblemata Chriſt. ſatis ingenioſa dedicavit Johannæ Albretanæ, Navarræ Reg. Verdier. *Bibl. Gall. p.* 450.

GEORGIA, pars ampla Aſiæ, inter pontum Euxinum & mare Caſpium extenſa, ſub propriis Principibus aliquando in clientela Perſarum. Dividitur in 3. partes, *Georgiam propriam*, antiq. Iberiam, nunc *Gurgiſtan*, ubi urbes Cori, Baſlachiuc, Teflis & Derbent. *Mingreliam*, antiq. Colchida, nunc *Odiſci* incolis, ubi urbs Faſis, nunc Fazzo; & *Zuiriam*, ol. Albaniam, ubi urbes *Stranu & Zitrach.* Chriſtiani ſunt maj. ex parte in Mingrelia, & Georgia propr. à quo femina quædam captiva, Baturii Regis Iberiæ uxorem, an fil. ſolo Jeſu nomine ſanavit, ſed Græcos ritus ſequuntur. Vide Plin. *l.* 4. *c.* 12. & *l.* 6. *c.* 13. Melam. *l.* 1. *c.* 2. Theodoret. *l.* 2. *c.* 24. Ruffin. *l.* 1. *c.* 10. Jac. Vitriacum *c.* 80. Vincent. *l.* 30. *c.* 96. Inprimis autem Petrum de la Valle, *Itin. tom.* 2. & 3. ubi de illorum moribus, religione, Principibus, bellis, &c. prolixè differit.

GEORGIAS, ſeu *Georgii caſtrum*, in quo ipſe natus eſt, à Ptolemaide directè contra Orientem, quinque miliaribus, à Naaſon autem contra Occidentem, quatuor milliaribus, in valle pingui tribus Aſer, ſitum.

S. GEORGII, quem Græci μεγαλομάρτυρα vocant, imago, in nummis aliquot Joh. & Manuelis Comnenorum æris efficta cernitur, nudatum enſem vel ſpiculum dextrâ, clypeum ſiniſtrâ tenentis: caput margaritarum lineâ ſeu unionibus diſtincto diademate, Imperatoris inſtar, cingitur. In Manuelis nummo adſcribuntur hi characteres O. in quo A. minutulum includitur quo ἅγιος vulgò contrahunt Græci ΓΕΡ/Ο ΓΙΟC, i. e. ἅγιος γεώργιος, *Sanctus Georgius.* Nec multum diſpar eſt ejuſdem figura, quam habet Conſtantini cujuſdam [illegible] ſigillum, apud Octav. Strad. in quo ſtans habitu militari conſpicitur, dextrâ ſpiculum tenens, ſiniſtrâ clypeo Cruce inſignito ac humi defixo innixus, cum hiſce literis, Ο ΑΓΙΟC ΓΕ. Aliàs Græci, à quibus impensè cultus eſt ἔφιππον, *equitem*, fere ſemper hunc ſuum Sanctum depingebant, quòd eo habitu non ſemel, ut ajunt, in præliis adſtitiſſe Græcis ac pro iis dimicaſſe conſpectus ſit. Ita certe à CPolitanis depictum eſſe, Auctores ſunt Nicetas, Nicephor. Gregoras, Codin. alii. Stricto porrò enſe conſpicuum eum fingebant, quemadmodum in nummo Iſaaci Comneni exprimitur &c. Vide C. du Freſne *Diſſertat. de poſter. Aevi Numiſm.* & plura hanc in rem, apud Auctor. Anon. *Hiſt. Orb. Terr. Geogr. & Civ. Part.* 2. *c.* 4. quod eſt *de Regno Angliæ*, §. 25. ubi Patronum illum Angliæ ac Portugalliæ, ſeorſim etiam Regii Ordinis Equitum Periſcelidis, inter alia, [illegible] addito Catalogo Scriptorum, qui hiſtoriam ejus in utramque partem literis prodidêre. Vide quoque infrà, *Georgius Cappadox.*

S. GEORGII Inſ. in Atlantico mari, à Tercera poſt 8. & 9. mill. conſpicitur, longitudine ſuprà 12 mill. arcta tamen, duorum aut trium millium latitudine, Montibus frequens & & ſylvis: [illegible] quid habet. Incolæ agros colunt, fructuſque ſubinde Terceram [illegible] vehunt. Cedrum arborem abunde fert, ejus ligna à Terceræ artificibus, qui ſitus cauſâ ibi degunt, valdè expetuntur. *Joh. Mat.* [illegible]

de S. GEORGIO Jacobus, vide *Jacobus.*

Reges & Principes ex ſam. Reg.

GEORGIUS Rex Bohemiæ, vide infrà in *Georgius Podiebrad.*

GEORGIUS, fil. Friderici III. Daniæ Regis, ex Sophia Amalia Lunæburgica, frater Chriſtiani VI. hoc tempore feliciter regnantis.

GEORGIUS, Dux Clarentiæ, frater Eduardi IV. Angliæ Regis, ob turbas ad necem damnatus: cùm optio mortis daretur, in vino Malvatico extingui voluit, *Camden.*

Principes ex Fam. Palatina.

GEORGIUS, fil. Joh. II. Principis Palatini Simmerenſis [illegible] A.C. 1557. extincti, ſacris priùs deſtinatus, poſtea in [illegible] nomine Evangelio dato. Militavit autem aliquamdiu [illegible] Hiſp. Regi. Frater Friderici III. cogn. *Pii*, Electoris, & [illegible] di, qui Simmerenſem Principatum tenuit.

GEORGIUS Vilhelmus, fil. Caroli, cui in diviſione paternæ hereditatis, Wolphgangi Ducis Bipontini, Bircofeldin. ditio A.C. [illegible] contigit, natus A.C. 1591. poſt varia itinera exacta, adminiſtrationem, defuncto Patre A. C. 1600. tutoribus commiſſam, tandem [illegible] ſuſcepit, mortuus haud pridem. Primum ejus matrimonium cum Julia Dorothea Solmenſi felix ac fœcundum fuit. Alterum cum Juli[illegible] Ringravia, repudio diremptum: Tertium cum Anna Eliſabetha Oettingenſi ſterile. Filii ejus Carolus Otto, natus A. C. 1625. Fridericus & Chriſtianus.

GEORGIUS Guſtavus, fil. Georgii Joh. de quo infrà, Principis Veldentiæ, ſtirpis Palatinæ, ex Anna Maria Suecica Guſtavi Regis filia, natus A. C. 1564. Veldentiæ, quamdiu ob turbas [illegible] biravit, atque vitâ exceſſit A. C. 1634. Ex priori cum Eliſabetha Wirtembergica A. C. 1586. ad A. C. 1592. matrimonio nulla prole ſuſceptâ, ex altero autem, cum Maria Eliſabetha Bipontina, [illegible] C. 1601. defuncta A. C. 1631. pater, præter eos, qui [illegible] Annæ Magdalenæ, natæ A. C. 1602. elocatæ Henrico Wencellao Duci Monſterbergio A. C. 1617. mortuæ A. C. 1630. Mariæ Eliſabethæ, quæ nata A. C. 1616. Magdalenæ Sophiæ, quæ A. C. 1622. Joh. Friderici, qui Dux Suecicæ legionis equeſtris Auguſtæ A. C. 1632. Caroli Ludovici, qui iiſdem militans, ad Wolmendium duobus globulis trajectus, tertio pòſt die extinctus eſt A. C. 1631. & Leopoldi Ludovici, nati A. C. 1625. Frater fuit Georgii Joh. Jun. de quo infrà,

GEORGIUS, Joh. cogn. *Ingenioſus*, fil. Ruperti, Veldentinæ Lineæ conditoris, ex Urſula Rhingravia, natus A. C. 154[illegible] [illegible] nis ac ſuffragii in Imperio jus acquiſivit, Luzelſteniam [illegible] burgum condidit, quod tamen deinde in Lotharingi [illegible] Exceſſit A. C. 1592. Ex liberis ejus, & Annæ Mariæ Suecicæ Guſtavo Regi natæ, nuptæ A. C. 1563. Urſula nata A. C. 157[illegible] Ludovico Duci Wirtembergico deſponſata A.C. 1585. & [illegible] 1636. Anna Margaretha, nata A. C. 1571. Richardi [illegible] Joh. Aug. nat. A. C. 1575. extinctus, ſine prole ex Anna Eliſabetha [illegible] agnata, A. C. 1611. Ludovicus Philippus nat. A. C. 1577. [illegible] ludio Heidelbergæ extinctus A. C. 1601. &, qui duas ſevêre lineas, *Georgius* Guſtavus, de quo ſuprà, & *Georgius* Joh. ille Veldentiæ, hic Luzelſteniæ familiæ, auctores.

GEORGIUS Joh. cogn. *Junior*, prioris fil. nat. A. C. 1586. poſt fratrem Joh. Aug. Luzelſtenium obtinuerat, ex Suſanna Palatina (quam ipſe duxit A. C. 1613. & cùm ab illo ſeceſſiſſet, Dux Wirtembergicus ſuſcepit) pater, præter alios, *Georgii Ottonis*, qui extinctus eſt Tubingæ A. C. 1635. Ipſe pater deceſſit A. C. 1654. ſucceſſore Agnato Leopoldo Ludovico, de quo infrà: Vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt. in Fam. Palat.*

Carolus GEORGIUS, fil. modò memorati Leopoldi Ludovici, ex Agatha Chriſtina Hanovica, ducta A. C. 1648. nat. A. C. 1660.

GEORGIUS cogn. *Dives*, fil. Ludovici Bavariæ Ducis, Landshutenſis rami, Ingolſtadienſem Academiam condidit, & lineam maſculam Landshutanorum Principum finivit, A. C. 1503. Cùm autem hæredem filiam Eliſabetham Ruperto Virtuoſo, Philippi cogn. *Ingenui*, Electoris Palatini, filio nuptam ſcripſiſſet, bellum Bavaricum ortum, Palatinis damnoſum, Bavaris autem, [illegible] ſucceſſionem impetravére, non parum proficuum. Poſtquam [illegible] nim Rupertus oblatos ab Imp. duos [illegible] mine tum dotis, tum prætentionum, quas ab antiquo [illegible] Bavaros habebant Palatini, reſpuiſſet, fiduciâ Bohem[illegible] liæ Regis, mox à Maximiliano ipſe cum Patre proſcriptus, [illegible] cis deſertus, acri prælio ad Ratisbonam victus, & [illegible] liatus eſt; Filius tandem ejus, parte aliquâ aviæ hæreditatis [illegible]

inter Nabum & Danubium, qui *Neoburgenſis Principatus*, aliis *Palatinatus junior*, dicitur, conceſſâ.

Ex Fam. Saxonica.

GEORGIUS, fil. Friderici cogn. *Strenui*, Thuringiæ Landgr. ex Catharina Hennebergica, quæ Coburgenſem Principatum, à matre Gutha filia Hermanni M. Brandeb. obtentum, familiæ mariti intulit, cum fratre Guhelmo cogn. *Divite*. Konigsbergam à Schwartzenburgico Comite: dein à Jodoco M. Moraviæ Marchiam Brandeburgicam A.C.1410. quæ redempta biennio poſt ab Imp. Sigiſmundo, emit. Horum frater Fridericus cogn. *Bellicoſus*, novum poſtea axioma domui intulit, Ducatu Saxoniæ cum Electorali dignitate poſt Alberti Aſcanii A.C. 1422. extincti obitum, à Sigiſmundo Imp. auctus.

Joh. GEORGIUS, fil. Vilhelmi Vinariæ Ducis tertio-genitus, ex Eleonora Dorothea Anhaltina, Brandeburgica auſpicia in Pruſſia ſecutus olim, poſtea Cæſaris in Hungaria miles, dein exercitui Imperatorio in Alſatia, contra Gallos, præfuit, magna cum pietatis ac fortitudinis fama. Marcſulam autem primo incoluit, mox Iſenacum ſortitus eſt, quemadmodum Joh. Erneſto majori Vinaria, & Bernardo minori natu fratribus, Jena obtigit. Rhenum, paulo infrà Baſileam, A. C. 1677. eximio ponte junxit, Briſaco, ut fama erat, imminens.

GEORGIUS, fil. nat. max. Alberti cogn. *Animoſi*, Albertinæ lineæ, è qua hodierni Electores conditoris poſt Patrem avitas tenuit ditiones: Friſiam toties rebellem, quam Patri ejus ob virtutis præmium & ſumptus in Auſtriacorum gratiam factos Fridericus III. & Maximilianus I. Augg. conceſſerant, acceptis 200000. aureis Carolo V. permiſit. In Reformationis negotio acerrimus Lutheri hoſtis extitit. Suis auſpiciis A. C. 1519. colloquio inter Doctorem hunc & Eccium de poteſtate Pontificis Lipſiæ inſtituto, cùm videret parum proſperè rem Eccio ſuccedere, exclamavit: *Sive ſit jure divino, ſive humano Papa, ipſe eſt Papa*, Abr. Scultetus *in Ann. Eccl.* Pactum, quod cum agnatis alterius lineæ, ne quis ulli clientum vel ſubditorum ob religionem moleſtiam faceſſeret, inierat, non ſervavit, & inprimis Joh. El. mortuo, A. C. 1533. acerbius domi in Lutheranos inquirere cœpit; juſſo ut omnes Paſchate proximo ſymbola & confeſſionis teſſeras exhiberent; quo tempore Lutherus Evangelicam complexos fidem ad conſtantiam hortatus: poſtea exules ſcripto ſolatus eſt. Joh. dein Friderico El. apud ſocios de perſequutione conqueſto, fœderi ſacro A. C. 1538. nomen dedit: Tandem, cum paulo antea defuncto Hagone, ultimo Com. Leiſnicenſi, ditiones Miſniæ accreviſſent, amiſſis filiis Joh. & Friderico, moriens A. C. 1539. fratri Henrico hæreditatem reliquit: eâ quidem conditione, ne quid in religione mutaretur, ſin, ut ad Cæſarem Carolum & Ferdinandum fratrem ejus, ditiones devolverentur. Sed cum nobilitas & populus conditionem juramento confirmare negaviſſent, propoſitum manſit irritum.

Electores Saxoniæ.

Joh. GEORGIUS I. fil. Chriſtiani I. ex Sophia Brandeburgica, fratri Chriſtiano II. in Electoratu ſucceſſit: Bohemis fruſtra, ne in extrema prorumperent, monitis, in Cæſaris partes apertè tranſiit, Luſatia ejus auſpiciis A. C. 1620. domui acquiſitâ. Poſtea, cùm Cæſar, nihil ejus precibus motus, reformationem in Bohemia urgeret, Electoratumque Palatini in Bavarum transferret, offenſus, accedentibus aliis quoque diſſidii cauſis, A.C. 1630. ſtatibus Evangelicis Lipſiam evocatis, de defenſione conſilia agitare cœpit. Cum Suecis dein pactus, in prælio ad Lipſiam, quo Cæſaream a Guſtavo Adolpho faſi, alterum victoris exercitus cornu tuitus eſt. Hinc in Bohemiam expeditione ſuſceptâ Egram & Pragam occupavit. Occiſo Lützenſi prælio Rege, in Heilbrunnenſe fœdus, ut conſentiret, adduci non potuit: quin potius ipſo A. C. 1633. cum Fridlandio agere cœpit. Pacem poſtea A. C. 1635. Pragæ concluſit. Hinc Suecorum gravis ira & incumbens Saxoniæ belli moles: donec A. C. 1645. induciæ à Suecis ſemeſtres obtentæ; & his ſuccedens pax Monaſterienſis A.C. 1648. feſſæ provinciæ quietem conceſſit. Obiit A. C. 1656. pater ex Magd. Sibylla Brandeburgica Joh. *Georgii II.*

Joh. GEORGIUS II. fil. priori, extincto Ferdinando III. geſſit vicariatum, & dictam electione deſtinatam ac comitia Ratiſbonenſia per ſe obiit: pater ex Magdalena Sibylla Brandeburgica Joh. *Georgii III.* ſucceſſoris, cui Anna Sophia, filia Friderici III. Daniæ Regis uxor obtigit. Quibus parentibus nati Joh. *Georgius IV.* hodiernus El. & *Fridericus Auguſtus*; ipſe vero pater dum limitem Rheni tuetur contra Gallos, extinctus eſt Tubingæ, A. C. 1692.

Electores & Principes Brandeburg.

Joh. GEORGIUS, fil. Joachimi II. Patris in Electoratu ſucceſſor, militavit Cæſari in bello Smalcaldico, ad Witebergam equeſtri cingulo donatus. In negotiis Imperii procurandis, jam Elector, cum Auguſto Electore Sax. conjunctiſſimè vixit. Variorum Principum tutor, pro libertate religionis Colonienſibus impetranda & Gebhardi Truchſeſſii cauſa fruſtra laboravit. Obiit A.C. 1598. communis pater omnium ex Brandeburgica gente hodie ſuperſtitum. Inter filios *Georgius* Albertus S. Joh. per Marchiam, Saxoniam, Pomeraniam & Vandaliam M. Magiſter, Obiit A. C 1615. Joh. verò *Georgius* poſthumus, locum tenens fuit in fratris Joh. legione.

GEORGIUS Vilhelmus, Joh. Sigiſmundo patri, A. C. 1619. mortuo, ſucceſſit in Electoratu. Inveſtituram Boruſſicam à Polonis obtinuit A. C. 1621. In cauſa Palatina affinitavit: profugum è Bohemia excepit, in tranſlationem Electoratus ejus non niſi ſero conſenſit: copias ſuas, paulo ante Lipſienſe prælium, Suecico exercitui junxit. Obiit A C. 1640. unico relicto filio, qui eſt Fridericus Vilhelmus, modernus Elector, natus A.C. 1620.

Joh. GEORGIUS, fil. Joachimi Friderici, frater Joh. Sigiſmundi El. Argentinam à Patre miſſus A. C. 1588. ut literis daret operam quadriennio poſt Ep. electus eſt. Hinc bellum de quo vide Thuan. *l.* 104. & *l.* 105. A. C. 1606. Ducatum à Patre in Sileſia Jagerndorffenſem ſeu Carnovium accepit: Obiit in Tranſylvania A.C. 1624. quò Betlemi Gaboris conatus adjutum venerat. Pater Erneſti, qui deceſſit A. C. 1624.

GEORGIUS cogn. Pius, fil. Friderici, Franconicæ lineæ auctoris, ab avunculo Uladiſlao Rege Bohem. & Hungar. educatus viciſſim Ludovici ejus filii curam habuit, hinc Ducatu Jagerndorffenſi donatus A. C. 1524. Lineam Anſpacenſem ſeu Jagerndorffiam orſus eſt. Evangelicæ Relig. conſtans aſſertor, Obiit A. C. 1545. pater Georgii Friderici. De his aliiſque hujus nominis Germaniæ Principibus vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.*

GEORGIUS Fridericus, fil. Georgii cogn. *Pii*, Anſpacenſis ſeu Jegerndorffiæ lineæ auctoris, tutore uſus Alberto patrueli, donec is proſcriberetur: tum tutela quoque adempta eſt, & Jagerndorffium Ducatum, donec is adoleviſſet, Ferdinandus Rex Rom. ſibi addixit, & A. C. 1558. reddidit. Ejus patruelis ſui ditiones ipſe quoque poſtea adivit, Saganenſem Ducatum & Dominium *Iiberſiem* a Rege Ferdinando aliquandiu pignori tenuit, debitoque ſoluto reſtituit. A.C. 1574. patruelis Alberti Friderici tutelam, ac ita Boruſſiæ adminiſtrationem a Rege Poloniæ obtinuit. A. C. 1582. natali ſuo die Heilsbronnæ gymnaſium aperuit, in quo 100. alumni ſuſtentarentur, & cum ſtipendio 50. aureorum in Academias mitterentur: Deceſſit improlis A.C. 1603. Princeps candidus, conſtans & in omni fortuna ſibi ſimilis; arcibus inſuper plurimis partim reſtauratis, partim conditis, de Principatu inſigniter meritus. Ex eadem familia fuit *Georgius* Albertus, fil. minor natu Chriſtiani, Culmbacenſis ſeu Beruthinæ lineæ conditoris nat. A. C. 1619.

Ex Fam. Brunſvicenſi.

GEORGIUS, fil. Vilhelmi Ducis Brunſvicenſis, cui Cellenſis obtigerat Principatus, pacto cum ſex ſuis fratribus inito, ut uno ſolùm uxorem ducente, reliqui cælibem degerent vitam, ipſe conjugii conditionem ſortitus eſt. Et initio quidem, in Belgio, Hiſpanis operam erat addicturus, A. C. 1607. niſi induciæ ſuperveniſſent. Inde exteras regiones peragravit, A.C. 1611. ſub Daniæ Rege adverſus Suecos prima ſtipendia fecit A. C. 1616. à fratribus miſſus, Pragæ apud Imp. difficultates cauſæ Grubenhagicæ urſit, quæ paulo poſt expeditæ. In diæta circulari A. C. 1619. inferioris Saxoniæ Dux conſtitutus eſt militaris, ſed titulo A. C. 1624. abdicato, ſeq. anno Cæſareas partes amplexus eſt, duarum primò, demum 17. legionum ductor. Paulo poſt ad Sueciæ Regis partes apertè acceſſit, hocque defuncto, tertiam exercitus partem duxit, rebus in Weſtphalia & ad Viſurgim præclarè geſtis. Pace poſt hæc Pragenſi A.C. 1635 Cæſari reconciliatus: Gallaſſio A. C. 1637. Suecos in Pomeraniam rejicienti adſtitit, & per otium recuperavit ſua. Sed iterum Suecica dein ſecutus eſt auſpicia: ita tamen, ut quæ ejus ſubſidio gererentur, alienæ gloriæ cederent. Ad extremum cùm Guelferbyto expugnando eſſet intentus, jam ab aliquot annis viribus fractus defecit; relictis ex Anna Eleonora Haſſiaca, præter filiam Sophiam Amaliam Daniæ Regis filiis Chriſtiano Ludovico, qui Cellenſis Principatus: *Georgio* Vilhelmo, cui Hannoverana ſeu Calenbergia portio, obtigêre: Joh. Friderico, qui Pontificiâ religione aſſumptâ, Coadjutor factus eſt Oſnabrugæ, & Erneſto Aug. Ep. Oſnabrugenſi, qui ex Sophia Palatina familiam propagavit, nuper exercitus fœderatorum Principum, contra Galliæ Regem pars magna.

GEORGIUS, fil. Henrici cogn. *Senioris*, vel *Mali*, qui Guelferbytanam lineam condidit, Caroli V. miles in bello Smalcaldico, & dein Ep. Mindenſis, poſt fratrem Chriſtophorum tandem Archiep. Bremenſis factus, Evangelio nomen dedit, in religione tamen publicè nihil mutavit: Frater ejus maximus natu Henricus cogn. *Junior*, Patri ſucceſſit, vide Phil. Jac. Spener. *Syllog. Geneal. Hiſtor.*

Ex Fam. Wirtembergica.

GEORGIUS, fil. minor natu Henrici Ducis Wirtembergici, frater Ulrici, ab hoc Richovillanam ditionem obtinuerat, ſed Chriſtophorus dein Ulrici fil. totum Principatum Mompelicardenſem & fructus Præfecturæ *Neuburg* adjecit. In priori, cùm ob vicos *Louze* & *Chagey* controverſiam haberet cum Com. Ortenburgico, hunc coram Judice Veſulienſi convenit, cùm Burgundia neſciat Pares Curiæ. In bello Smalcaldico inter Proteſtantes meruit: unde cùm reconciliaretur Ulricus Cæſari, *Georgius* excluſus, & bona, ut quorundam aliorum, proſcripta ſunt. Sed dein A. C. 1552. cum aliis in gratiam receptus, triennio poſtea monitu nepotis præfati, conjugem duxit, atque poſt alterum triennium A. C. 1558. deceſſit. Ei ſucceſſit fil. Fridericus, quo nati Joh. Fridericus Stutgardianam, Lud. Fridericus Monpelicardenſem & Jul. Fridericus Julianam ſeu Brentianam, aliàs quoque *Apennagiatam*, lineas orſi ſunt.

GEORGIUS, frater Leopoldi Friderici, Ludov. Friderico præfato, matre verò Annâ Eleonorâ Naſſoviâ A. C. 1626. nat. ſucceſſit fratri defuncto A. C. 1662. Hîc fratre vivo Harburgi habitaverat, ab uxore Anna filia Caſparis Colinii Mareſcalli multis bonis dotis nomine obtentus: Ex quibus Caſtellionem ad Lupam vendidit; literarum gloriâ inclytus. Vide plura de eo in voce *Montiſpelicardum*. Ex eadem familia eſt *Georgius* Fridericus, fil. Eberhardi Wirtemb. Ducis penultimi, ex Maria Dorothea Sophia Oetingenſi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Ex Fam. Badenſi.

GEORGIUS fil. Jacobi March. Badenſis; Ep. Metenſis fuit.

GEORGIUS Fridericus, fil. major natu Caroli, extincti A. C. 1577. ex ſecunda conjuge Anna Palatina, fratribus Erneſto Friderico & Jacobo ſuperſtes, ac ſolus tandem hæres, in Aug. Confeſſ. ferventiſſimus, ipſe Religionis controverſiarum apprimè peritus fuit. Unioni nomine dato, cauſam Palatinam A. C. 1622. tuendam ſuſcepit, tranſlatâ in filium provinciarum adminiſtratione & exercitu ſcripto. Sed infelix cum Tillio & Cordubenſi ad Wimpenam commiſſum prælium irritos conatus reddidit: Poſt quæ variis locis hinc inde commoratus, vivendi finem fecit, A.C. 1638. Pater ex priori conjuge Juliana Urſula Ringravia (ſecunda enim Agatha Erpacenſis nil niſi filias genuit) Friderici, Caroli & Chriſtophori. Vide quoque ſuprà *Fridericus*.

Ex Fam. Haſſiaca.

GEORGIUS I. fil. minimus natu Philippi cognom. *Magnanimi*, Haſſiæ Landgravii, lineam Darmſtattinam inchoavit: Ei à Patre ſuperior Catimelibocenſis Comit. pars aſſignata fuerat, ſicut Philippo inferior; qui cùm Reinfelſâ habitatâ, ſterile contraxiſſet matrimonium, ille ex conjuge prima Magdalena Lippienſi, Ludovicum, ſuum in Principatu Darmſtattino ſucceſſorem, Philippum A. C. 1643. in balneo, ſine prole, extinctum, & Fridericum Homburgicæ lineæ auctorem, genuit. Quorum ultimo, inter alios, *Georgius* Chriſtianus natus eſt, Hiſpanorum primò, dein Gallorum auſpicia, ſecutus, ac ad Romanam Eccl. tranſgreſſus. Idem ex fratre maximo natu Vilhelmo Chriſtophoro nepotem habuit Leopoldum *Georgium*.

GEORGIUS II. fil. natu maximus Ludovici præfati, ex Magdalena Brandeburgica, Patri ſucceſſit A. C. 1625. ab Imp. privilegium, ut 18. Ætatis anno adminiſtrationis capax eſſet, nactus. De cauſa Marpurgenſi, cum agnatis A. C. 1627. tranſegit: ſed poſtea cum Vilhelmi cognom. *Conſtantis* vidua ob eandem ei bellum ortum, quod Caſſellanæ parti utilius. Ad extremum, repentinâ morte A. C. 1661. oppreſſus, filios, ex Sophia Eleonora Saxonica Ludovicum habuit, ſucceſſorem, quo nati *Georgius* & Ludovicus; ac *Georgium* juniorem, qui Suecorum auſpiciis in bello Danico militavit, dein Dorotheâ Auguſtâ Holſatâ ductâ, à Patre Itteram habitandam obtinuit.

Ex Fam. Vandalica.

GEORGIUS, fil. Alberti cognom. *Formoſi* Ducis Megapolitani A. C. 1547. extincti, ex Anna Brandeburgica, in bello Smalcaldico, Cæſari militavit: tunc Henrico Brunſvicenſi adversùs urbem Brunſvicum: à quo copiis acceptis, Magdeburgum obſedit. Sed, cùm jam Electores Saxo & Brandeburgicus superveniſſent, ei abrogatum imperium, & ipſe ab obſeſſis captus atque in urbem deductus eſt. Poſtea vi pactorum A. C. 1552. à Magdeburgicis dimiſſus, in Fœderatorum exercitu, tormento in obſidione Francofurti ictus, Obiit. Ex eadem familia Adolphus Fridericus, Suerinenſis lineæ conditor, præter alios Joh. *Georgium* genuit ex Anna Maria Friſia, ipſe extinctus A. C. 1658.

GEORGIUS, fil. major natu Bogiſlai X. cognom. *Magni*, totius Pomeraniæ Principis, Wolgaſtenſem Ducatum nactus eſt, ſicut frater ejus Barnimus X. cognom *Pius*, Stettinenſem Principatum accepit. Unà cum Eraſmo Manteufelio Ep. Caminenſi, omni operâ Evangelicæ doctrinæ reſtitit: cum Polonis perpetuum fœdus, Butovia & Lauenburgo acceptis, pactus eſt, & cum Brandeburgicis A. C. 1528. tranſegit, ut Pomerani à Cæſare inveſtirentur, ſed Marchionibus ſimultanea inveſtitura, &, quoties homagium Ducibus præſtandum, juramento in caſum futurum ſucceſſio firmaretur. Idem Dantiſci ortos ſedavit tumultus: Eo extincto A. C. 1531. frater Barnimus, Evangelium in ditiones introduxit, cum nepote Philippo, quem *Georgius* ex Æmilia Palatina ſuſceperat. Idem nomen fuit uni ex filiis Bogiſlai XIII. extincto A. C. 1617. cujus frater Bogiſlaus XIV. ultimus familiæ fuit.

Ex Fam. Aſcania.

GEORGIUS, cognom. *Senior*, fil. Sigiſmundi Principis Anhaltini, Obiit A. C. 1474. Pater *Georgii* cognom. *Robuſti*, qui A. C. 1509. Sigiſmundi, fortiſſimi militis, qui A. C. 1306. & Rudolphi, qui Veronæ A. C. 1513. Obiêre orbi: & præter hos Waldemari ac Erneſti, qui ſolus familiam propagavit: Waldemaro enim genitus Wolfgangus cælebs fatis conceſſit A. C. 1566.

GEORGIUS, Erneſti præfati fil. ſecundo-genitus, Hatzkerodanam ditionem nactus, eam dextrè rexit, Smalcaldico fœderi adſcriptus; ſed ſimul Magdeburgenſis & Miſnenſis Præpoſitus, atque Merſburgenſis Epiſcopatus, cùm Auguſtus Saxo eum adminiſtraret, Coadjutor fuit. Cùm verò omnia Eccleſiaſtica munia, concionando, ægrotos conſolando & Eccleſiam gubernando, ipſe obiret, nunc quoque ejus *Theologica ſcripta*, & *Homiliæ ſacræ* typis excuſæ extant. Deceſſit cælebs A. C. 1553. Frater Joh. & Joachimi.

Joh. GEORGIUS I. fil. maximus natu Joachimi Erneſti, (Joachimo præfato geniti) ex Agnete Barbienſi, Deſſavienſem orſus ramum, litem cum Saxonibus habuit, de qua vide Tuan. *Hiſt. l.* 130. Pater ex Dorothea Palatina, Joh. Caſimiri & *Georgii* Ariberti, qui Woerbitii habitans, ex Johanna Croſeccia, dominorum *de Radegaſt* auctor eſt. Prior verò uxor Dorothea Mansfeldia filias tantùm peperit.

Joh. GEORGIUS II. fil. Joh. Caſimiri modò memorati, ex Agnete Haſſiaca, nat. A. C. 1627. Brandeburgico Electori gratus eſt, ejuſque Vicarius. Henricam Catharinam Arauſionenſem conjugem habet. Idem etiam nomen fuit uni ex filiis Franciſci II. D. Lawenburgici, extincti A. C. 1619.

Ex Fam. Piaſtica.

GEORGIUS I. fil. tertius natu Friderici I. Principis Lignicenſis, Briegam nactus, A. C. 1521. deceſſit, nullâ prole ex Anna Pomerana relictâ.

GEORGIUS II. prioris ex fratre Friderico II. nepos, Briegenſem Principatum obtinuit, cùm frater ejus major Fridericus III. Lignicenſem eſſet nactus: ſed hoc A. C. 1570. defuncto, Lignicium quoque Principatum rexit, curator nepotis. Briegam autem ſuam ſchola & ædificiis exornavit, & A. C. 1566. in expeditione Turcica Cæſari operam navavit: de cætero ſingularis Daniæ & Poloniæ Regum amicus. Morienti A. C. 1586. ex Barbara Brandeburgica ſuperſtites filii, Joh. *Georgius*, qui vitam non niſi ad A. C. 1592. produxit, Annæ Mariæ Wirtenbergicæ maritus, & Joach. Fridericus.

GEORGIUS Rudolphus, fil. major natu, ex Anna Maria Anhaltina, Joachimi Friderici præfati, in aula Olſnenſi educatus, varia obivit itinera, Principatum Lignicium, qui ei obtigerat, adminiſtrante Zedlizio. Inde ipſe A. C. 1613. regimen ſuſcepit; & inter varias rerum viciſſitudines, Vicarius quoque Capitaneatus utriuſque Sileſiæ, uſque ad A. C. 1653. geſſit quo mortuus eſt, [illegible] Sophia Eliſabetha Anhaltina & Eliſabetha Magdalena Monſterbergica prole relictâ. Ipſe verò cùm Auguſtanam Confeſſionem ſequeretur, Reformatis adhæſit frater Chriſtianus, illius ſucceſſor.

GEORGIUS, fil. natu maximus Chriſtiani modò memorati cum fratribus Ludovico & Chriſtiano, poſt exacta ſtudia & obita itinera, A. C. 1653. ſingulari concordiâ paternam hæreditatem diviſit. Ipſe Briegam obtinuit, & Capitaneus utriuſque Sileſiæ ab Imp. conſtitutus eſt. Obiit A. C. 1664. filiâ ſolùm ex Catharina Sophia Monſterbergica relictâ, Dorotheâ Eliſabethâ, quæ Henrico Principi Naſſovio nupta, poſſeſſionem Principatus ad vitæ dies à Cæſare obtinuit.

GEORGIUS Vilhelmus, prioris ex fratre Chriſtiano nepos haud pridem in flore juventæ, è vivis exceſſit, ultimus è Piaſteis. Vide in voce *Vilhelmus*, & plura de his Phil. Jac. Spener. *Sylloge*.

Principes Comiteſque Naſſovii.

GEORGIUS, fil. Joh. ex Oda Hannoniæ Com. Haſſiæ fuit Præfectus: quo ſine hærede mortuo Naſſoviæ Comitatus ad Walramum Lauribergii Toparcham devolutus eſt ſec. VIII.

GEORGIUS fil. Joh. ex Sibylla (filia Ludovici Saxonici Palatini) pater fuit ex Johanna (Philippo Com. Hannoviæ genita) Philippi, Præpoſiti Baurenſis, Adolphi & Johannæ, Jacobo Solmſiæ Com. nuptæ.

GEORGIUS, fil. Joh. cognom. *Senioris* (qui frater erat Gulielmi Auriaci, Belgicæ Libertatis inſtauratoris) ex Eliſabetha Leuchtenbergica, natus eſt Dillenburgi A. C. 1562. hæreditate [illegible] tres diviſâ, præter Weſterwaldiam & adjacentes Quatuor [illegible] Beilſtenii dominium ſortitò occupavit; adjuncto Dridorffio, quod opp. cum territorio adjacente à Patre jam antè emerat. Sedem Beilſtenii fixit: ab Anna Amalia Saræpontana, locupletiſſima dote [illegible] ctus. E qua ei geniti, Joh. Philippus, Joh. *Georgius*, ambo celeri Fato functi; Joh. Philippus Ann. Æt. 17. Lutetiæ Pariſiorum extinctus; *Georgius*, poſt iter Gallicum, Italicum, Belgicum, [illegible] degavi mortuus Ann. Æt. 25. Maria Juliana, Georgio Com. Witgenſtenio elocata; Ludovica; Ludovicus Henricus, Catharinæ Witgenſteniæ maritus; Philippus Wolffgangus, intra trimeſtre [illegible] us; Albertus, bello Belgico, globi ictu peremptus A. C. 16[illegible] 30. Amalia, Eliſabetha, brevi extinctæ, Henrica, Anna Eliſabetha & Mauritius Ludovicus, qui intra annum mortuus eſt. Illâ [illegible] to functâ, Amaliam Witgenſteniam ſibi junxit, ex ea pater Margarethæ, A.C. 1606. quæ Othoni Comiti Lippiaco nupſit A.C. 16[illegible]. Obiit...... Cyr. Lentulus Geneal. *Comitum ac Principum Naſſov. MS.*

GEORGIUS Fridericus, fil. Joh. Com. Naſſov. ex Margaretha (Joh. Holſatiæ Ducis filia) genitus Dilleburgi A. C. 1606. Rhenbercæ ab Ordd. Fœderat. Belgii præfectus, uxorem duxit ...... ex Luſitanorum regia ſtirpe. Id.

GEORGIUS Ludovicus, fil. primogenitus Ludovici Henrici, ex Catharina (Ludovici Com. Siena-Witgenſtenii fil.) uxorem duxit Annam Aug. (Auguſti Ducis Brunſvici & Lunæburgi filiam) [illegible] inter alios, pater Henrici, qui nono Ætatis ſuæ anno Scholæ Herbornenſis gubernaculum moderatus eſt &c.

Viri Illuſtres.

GEORGIUS, Patr. Alexandrinus, ſucceſſit Johanni Eleemoſynario, A. C. 620. Succeſſorem nactus Cyrum Monotheletam, A. C. 630. Auctor creditur vitæ Chryſoſtomi, Phot. c. 96. Item Patr. CP. poſt Theodorum Monotheletam depoſitum, A. C. 678. & ipſe [illegible] cum Macario Antiocheno Patr. adverſus duas Chriſti voluntates [illegible] invehi ſolitus eſt, ut non agere, ſed furere videretur, Car. Sigon. [illegible] *Hiſt. l.* 2. Interfuit Conc. 6. Oecum. Obiit A. C. 682. Niceph. *in Chron.* Alius ibidem Patr. vide *Gregorius I.* Item, monachus CP. Vicarius Patr. Tharaſii, Chronographiæ auctor, in qua Euſebium, quem ubique ſequitur, ſæpe reprehendit. A. C. 792. [illegible] uſque ad Maximianum & Maximum continuavit: *Peccatoris* cognomen ſibi ſumpſit. Voſſ *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c* 24.

GEORGIUS Acropolites, idem cum Prætore Græco, auctor Chronici 70. Annorum. Circa A. C. 1270. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* [illegible] c. 21.

GEORGIUS Agricola, Miſnicus, Philoſophus & Medicus excellens, Plin. Germ. dictus. Scripſit de metallis, de ponderibus & Menſuris, priſcis quibuſcunque, in hoc rerum genere, antecellentius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

rendus. Obiit A.C. 1555. Æt. 61. Tuan. Voſſ. Quenſtedt. Anton Teiſſier *Elog. Vol.* 1.

GEORGIUS Amboſianus, Cardin. Archiep. Rothomagenſis, Miniſter ſtatus, ſub Ludov. XII quem olim captivum, operâ ſuâ, liberum præſtitit. Mediolanenſis expeditionis auctor, poſt Alex. VI. obitum Papa futurus, ni Julius II. obſtitiſſet. Obiit A. C. 1510. Baudier. & Montan. *in vita ejus.* Claud. Seſſelius, *in Ludov. XII.* Auctor *vitæ Bayardi*, c. 41. Guicciardin. *Ciacconius.*

GEORGIUS Amboſianus, prioris nepos, in Archiep. Rothomag. ei ſucceſſit.

GEORGIUS Ameruza, auctor colloquii de Fide, cum Turcarum Imp. habiti: quod miſer. aſſervatur in Bibl. Regis Galliæ *Morer.*

GEORGIUS Anhaltinus, Princeps natus A. C. 1507. opera quædam Aſcetica ſcripſit, Quenſtedt *patr. doct.*

GEORGIUS Armeniacus, vide ibi.

GEORGIUS Bartholomæus, auctor Bibliothecæ Concionum, Coloniæ, A. C. 1608.

GEORGIUS Benignus, Archiep. Nazarethanus, dedicavit Franciſco I. Contemplationes Chriſtianas.

GEORGIUS Bernhardus, vertit epitomen Regum Gall. & ſcripſit diviſiones, in 4. libb. ſententiarum Juſtiniani. Verdier. *Bibl. Gall.* p. 448.

GEORGIUS Bertinus, Medicus Italus, curſus medici, libb. 20. auctor. *Bibl. Med.*

GEORGIUS Blandrata, Pedemontanus, vel Sebuſianus, Inquiſitionem veritus, Ticino ſe, in Poloniam & Tranſylvaniam ſubduxit, ubi Joh. Sigiſmundi Medicus factus, Arianiſmum diſſeminavit, Polonia quoque infectâ, inprimis poſtquam J. V. Gentilem eo vocaſſet. Socinianiſmi ambo promotores ſtrenui, à Lælio Socino, & nepote ejus Fauſto inprimis, dicti: à quo acceptam in Italia hæreſin Blandrata propagavit, plurimis è nobilitate, &c. ſeductis. Occaſio ipſi prima erroris à J. Paulo Alciato Mediol. fuit, & jam Genevâ ob negatam Chriſti divinitatem pulſus fuerat, unde Calvinus Vilnenſi miniſterio ſuccenſuit, quòd *hunc, qui apud alias gentes nullus erat, velut Angelum*, recepiſſent: *In Ep.* Ab uno cognatorum, qui bonis ejus inhiabat, trucidatus A. C. 1611.

GEORGIUS Braunius, Colonienſis, auctor Theatri urbium, libb. 2.

GEORGIUS Buchananus, Scotus, Jacobi VI. Scotorum & I. M. Britanniæ Regis Præceptor. Scripſit *Paraphraſin Pſalmorum Poeticam, Hiſtoriam Scotiæ*, &c. De illo Beza *Ep. & Icon. Hunc mihi liceat omnis liberalioris eruditionis, ac præſertim Poëtices parentem appellare.* Uſſerius de Brit. Eccl. *Nemo diligentius antiquitates patrias eſt perſcrutatus.* Voſſ. *de ratione Stud. Utile in quavis gente erit, unum aliquem ſeligere, qui potiſſimas in ejus gentis hiſtoria obtinere videtur: ut in Gothicis, Jornandem, in Longobardicis Paulum Diaconum: in Slavicis Helmoldum: in Francicis Paulum Æmylium: in Hiſpanicis Marianam: in Scoticis* Buchananum: *in Flandricis Meyerum: in Auſtriacis Lazium: in Burgundicis Heuterum: in Saxonicis Crantzium: in Danicis Saxonem Gram. in Boicis Aventinum: in Hungaricis Bonfinium: in Polonicis Cromerum, &c.* Utenhovius, de ejus Paraphraſi loquens:

Tres Italos Galli ſenos vicêre, ſed unum
Vincere Scotigenam *non potuêre virum.*

Tres Galli, *Mich. Hoſpitalius, Adr. Turnebus, Joh. Auratus*: Scr. Itali fuêre, *A. Sannazarius, H. Fracaſtorius, A. Flaminius, A. Vidas A. Naugerius, P. Bembus*, Vide Eduardum Leigh *Arm. de Religione*, & ſupra in voce *Buchananus.*

GEORGIUS Cappadox, Trib. Mil. ſub Diocletiano, qui maximum ſerpentem peremit, liberatâ puellâ, quæ eidem in prædam devota fuerat. Theologi nonnulli exiſtimant, fictitium eſſe nomen, ſub quo vet. Chriſti Eccleſiam à Satanæ tyrannide liberantis imaginem & paſſionis meritum propoſuêrunt. Cæterùm, veram hanc fuiſſe hiſtoriam multis argumentis probatum it vir doctus Petrus Heylinus, l. cui Titulus, *The Hiſtory of Saint George.* Nic. Lloyd. Patronus Portugalliæ eſt, etiam Angliæ fuit, & præſertim Equitum Periſcelidis, cujus acta peculiariter deſcripſit Paſicrates ſervus ipſius & Sim. Metaphraſtes in Lipomanno & Surio *tom.* 2. Encomium S. Georgii μεγαλομάρτυρος (ita enim in Gr. titulus habet) ab Andrea Cretenſi ſcriptum, habetur inter opera ejus *p.* 175. quod idem eſt cum Actis à Metaphraſte recenſitis. Etiam templa ipſi olim frequenter conſecrata eſſe, diſcimus inter alia ex Procopio *de Ædif. Juſtin.* 3. Καὶ ἱερὸν Γεωργίῳ τῷ μάρτυρι ἐν Βυζαντίοις ἐδείματο, *Et templum Georgio Martyri condidit.* Liturgiæ quoque ipſi aſſignatæ, & feſta inſtituta ſunt; unde Seldenus colligit, *Georgium* hunc & verè Cappadox, ſed Cilix, è Cappadocia verò miſſus fuit, ut ex Amm. Marcell. *l.* 28. & Athanaſii ſcriptis liquet, confundi. Interim in pictura S. *Georgii*, quâ effingitur Eques armatus, haſtæ cuſpide Draconem conficiens, juxta poſitâ Virgine, quæ manibus extenſis ejus auxilium imploret, plerique conſentiunt, Symboli potius quàm Hiſtoriæ imaginem eſſe: agnoſcitque Baron. nihil in Actis antiquis ejus hac de re legi, ſed à Jacobo à Voragine hæc abſque aliqua priſcorum auctoritate ad hiſtoriam relata fuiſſe, quod & Selden. ſuum facit, vide Baron. *Martyrolog. ad* 23. *April.* Selden. *Titl. of Honour p.* 2. *c.* 4. Auctorem Anon. *Hiſt. Orb. Terr. Geog & Civ. c.* 4. *de Angliæ regno* § 25. &c. Hodieque in Eccleſia Cretenſium & Corcyræorum & aliorum Græcorum Venetiis nullæ aliæ viſuntur imagines, præter Chriſti crucifixi, B. Mariæ & *S. Georgii*: idemque apud Græcos eſt, qualis apud Moſcos S. Nicolaus, de quo vulgi verbum: *Si Deus non eſſet. Deus, tum nullus eſſet alius, niſi Nicolaus.* Georg. Fabricius *Comm. in Poëtas Chriſt.*

GEORGIUS Cappadox, ſub Conſtantio, in ſedem Alexandrinam, contra Athanaſium intruſus eſt, ab Arianis, A. C. 365 poſtquam CP. ob quæſtoris officium malè adminiſtratum, fugiſſet. Natalibus obſcurus, animo ſævus, moribus impius, religione hæreticus, & *qui crudelius, quam ulla fera ovibus in oves Domini graſſabatur.* Sozom. *l.* 3. *c.* 6. *l.* 4. *c.* 8. Athan. *Ep. ad Solit.* Epiphan. *hær.* 76 77. Amm. Marcell. *l.* 22. *c.* 11 Theodoret. *l.* 2. *c.* 13. & 14. Socrat. *l.* 2. *c.* 23. *l.* 3. *c.* 3. &c. Adde Morer. *Dict. hiſt.*

GEORGIUS Caſſander, Brugenſis, eruditione clarus, Proteſtantium cum Pontificiis reconciliationi intentus. Scripſit de officio viri boni, in diſputationibus de Fide. Item, contra Confeſſionem Auguſt. qui liber à Pontifice cenſurâ notatus eſt. Spond. A. C. 1564. plura vide *in Elog.* Antonii Teiſſier. *Part* 2.

GEORGIUS Caſtriotus, vide *Scanderbegus.*

GEORGIUS Cedrenus, vide *ibi.*

GEORGIUS Chœroboſcus, Græcus auctor. Leo Allat. *diatr. de Georgio.*

GEORGIUS Chryſococes, Medicus & Mathematicus Gr. varia ſcripſit, A. C. 1346.

GEORGIUS Chumnus, auctor hiſtoriæ rythmicæ, à M. C. uſque ad Salomonem, Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 368.

GEORGIUS Codinus, Curopalates, ſcripſit de origine Conſtantinopolis, item de Miniſtris Palatii, &c. Georg. Douſa & Franciſcus Junius, tranſtulêrunt. *Idem Ibid.*

GEORGIUS Collimitius, Mathematicus, Andreæ Stiborii diſcip. ſcripſit complura, ſec præt. Geſner. *tom.* 1. *Bibl.* Idem *de Mathem.* c. 65. §. 8.

GEORGIUS David, vide *David.*

GEORGIUS Eckerus, Eringenſis, JC. tribus Imperatoribus à conſiliis. Præter alia, Oeconomiæ Bibliorum, lib. 5. auctor. Quenſtedt. *patr. doct.*

GEORGIUS Fabricius, Chemnitio Germanus, proſâ verſuque celebris, ſec. præt. Geſnerus, *bibl.* Criticus excellens, cujus *in Terentium Obſervationes*, Joachimus Camerarius *Comm. in Virg.* Barth. *Deſcriptionem Romæ Auctor bibliographiæ Cur.* maximi fecêrunt, vide illum *Præfat. in Ter.* iſtum *Adverſar. l.* 5. *c.* 9. hunc *l. cit.* Obiit A. C. 1571. Æt. 56. Seriem reliquorum ſcriptorum, quorum ingens numerus, habes in *Elog. Ant. Teiſſier.*

GEORGIUS Gemiſtus. Vide *ibi.*

GEORGIUS de Gemmingen, doctrinâ inclytus, ſub Maximiliano I. Scripſit inter alia, de machinis bellicis, de cura equorum, de officiis militum, &c.

GEORGIUS Hartmannus, Mathematicus, baculi bombardici inventor. A. C. 1540. Voſſ. *de Mathem. c.* 71. §. 19.

GEORGIUS Heniſchius, Med. & Mathematicus Auguſtanus, de ratione numerandi priſca novaque ſcripſit. Idem. *c.* 35. §. 6.

GEORGIUS Joachimus, dictus Rhæticus, Mathematicus inſignis, Wittembergæ Aſtrologiam docuit. Copernici diſcipulum ſe gloriatus, ejus ſcripta, poſt obitum, edidit. Plurimorum ſcriptorum auctor, inprimis Ephemeridum, ſecundùm hypotheſin Copernic. Obiit A. C. 1576. Veltkirchiæ natus. Idem. *de Mathem.* Quenſtedt. *patr. doct.*

GEORGIUS Laodicæus, contra Manichæos ſcripſit, Photius, *cod.* 58. *Niceph.*

GEORGIUS Lilius, Anglus, auctor Chronici patrii. Ricciolus in *Chronic.*

GEORGIUS Logotheta, ſub Michaële Palæologo. Auctor Chronici CP. ab A. C. 1203. quo Balduinus coronatus eſt, ad A.C. 1261. quo Mich. Palæologus Balduino II. ſucceſſit. Ariſtoteli & Platoni comparatus, à Gregorio Cyprio, Patr. CP. Onuphr. *Chron.* A. C. 1234. Voſs. de *Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 18.

GEORGIUS Logus, Paulo Jovio *Elog.* memoratus.

GEORGIUS Lud. Frobenius, Clavis univerſi Trigonometricæ auctor.

GEORGIUS Major, Norimbergenſis in Wittemberg. Academ. Profeſſor, defendit contra Nic. Anſdorphium, nec infantes quidem, ſine bonis operibus, juſtificari poſſe. Spond. A. C. 1551. *n.* 21.

GEORGIUS Marius, vide *Marius.*

GEORGIUS Martinuſius, Cardin. Varadin. Miniſter ſtatus & Tutor Joh. Hungariæ Regis. A Ferdinando Imp. in ſuas partes pertractus, poſtmodum ob faſtum, ejuſdem juſſu, occiſus eſt. Florimondus Remondus. Poiſſard. *Chron. Hung.* Thuan. *Hiſt.* &c.

GEORGIUS Merula Angelo Politiano, Philippo Beroaldo, multiſque aliis viris doctis æqualis.

GEORGIUS Molitor, Philoſophus & Theologus inſignis, Norimbergenſis. Obiit A. C. 1484.

GEORGIUS Monachus, vide *Syncellus.*

GEORGIUS Nicomedienſis, eruditione clarus, A. C. 970.

GEORGIUS Obrechtus, JC. Argentor. ſcriptis clarus.

GEORGIUS Pachymerus, Nicæâ oriundus, circa A. C. 1280. Scripſit Comm. in S. Dionyſ. Hiſtoriam, quæ incipit à Mich. Palæologo, &c. Leo Allatius, *diatr. de Georg.*

GEORGIUS Phranza, Hiſtor. Græcus, tempore Conſtantinopoleos captæ. Chronici rerum ſui temporis auctor, quod deſinit A. C. 1461. Voſs. *de Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 30.

GEORGIUS Pictor Medicus Germanus, aliquot in Medicina tractatus edidit. Paſchal. Gallus *Bibl. Med.*

GEORGIUS Piſides, ſub Heraclio Imp. Hexaëmeron ſcripſit, 3000. verſibus: editum à Fr. Morello, Gr. & Latinè, A. C. 1584. Item hiſtoriam Heraclii, de bello Perſico, &c. Niceph. Calixt. *l.* 18. *c.* 48. Tzetzes, *Chil.* 3. *Hiſt.* 66. Leo Allatius, *diatriba de Georg.* Voſs. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 23.

GEORGIUS Podiebradius, Bohemiæ Rex prælio contra Moravos victor, A. C. 1461. coronatus, Ladiſlao. fil. poſthumo Alberti Auſtriaci in nuptiarum apparatu mortuo, ſucceſſit. A Matthia Corvino, à Pio II. contra ſe, quòd Huſſitis impensè faveret, electo vexatus, Obiit A.C. 1471. animi mœrore, quòd filium ſibi non ſuc-

ceſſurum cognoviſſet. Æn. Sylvius *in Hiſt. Boh.* Dubravius *H. B. l.* 30. Succeſſorem habuit Vladiſlaum, fil. Caſimiri Poloni. Filii autem ejus Principes Münſterbergenſes facti ſunt. Vide *Podiebradius*.

GEORGIUS Polavius, Venetus, Auctor *Anticopernici Catholici*.

GEORGIUS Purbachius, Mathematicus, Philoſophiam & Theologiam Viennæ docuit, dein Beſſarionem in Italiam ſecutus, Græc. Ling. addiſcendæ ſtudio, illic Epitomæ Copernicanæ intentus, Obiit A.C. 1472. Regiomontanus diſcip. quædam ejus edidit. Voſſ. *de Math.* c. 35. §. 45. c. 57 §. 5.

GEORGIUS Raguſeus, Venetus, Mathematicus, auctor libri de divinatione.

GEORGIUS Ravennatinus, Mediolan. de Vir. Ill. Jacobinorum Ord. ſcripſit.

GEORGIUS Riplaius, Carmelita Anglus, ſcriptor ſec. 14. celebris. Obiit A. C. 1490. Voſſ. *de Hiſt. Lat. p.* 637.

GEORGIUS Richardus, auctor Epitomes, de ſitu orbis.

GEORGIUS Sautomanus, Germanus, Panegyricos Caroli V. duos compoſuit, cum laude, ejuſque negotia apud Leonem X. Hadrianum V. & Clementem VII. curavit. Paul. Jov. *Elog.* c. 18.

GEORGIUS Scholarius, Judex Imperialis CP. eruditione omnigena florens, interfuit Concil. Florentino capta à Turcis urbe, Patr. electus, Gennadii nomen ſumpſit, pompâ conſuetâ, Obiit A. C. 14... Scripſit Colloquium cum Mahomete Imp. de articulis Fidei ad eundem, de Prædeſtinatione, &c. adhuc ἀνέκδοτα. Phranzes, c. 18. & 19. *& de excid. Conſt.* Zygomalas, *Turcogr. l.* 1. Leo Allatius, *diatr. de Georg.*

GEORGIUS Selveus, Pariſinus, Ep. Vaurenſis, à Franciſco I. ad Carolum V. & Venetos miſſus. Octo vitas Plutarchi vertit, &c. Obiit A.C. 1541. *Morer.*

GEORGIUS Sigiſm. Seldius, Auguſtanus, Conſil. & Vicecancell. trium Imperatorum. Scriptis clarus.

GEORGIUS Tenſera, Brugenſis, auctor Hiſt. Arteſianæ.

GEORGIUS Theophanes, vide *ibi*.

GEORGIUS Tiphernas, ſec. 15. partem Strabonis vertit, & fortè quoque Herodianum. Paul. Jov. *Elog.*

GEORGIUS Trapezuntius, docuit Rhetoricam, & Philoſophiam Romæ, ſub Eugenio IV. Nicolai V. ſecretarius, plurimos auctores Græcos Latinè vertit, ſed nimius Ariſtotelis admirator. Senex, omnium rerum quas antea noverat, propriique nominis, oblitus eſt. Obiit A. C. 1486. Ejus filii Joh. Regiomontanum veneno ſuſtuliſſe dicuntur, quòd Famam Parentis ſplendore ſuo offuſcaverit. Paul. Jov. *Elog. c.* 25. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 8.

GEORGIUS Valla, Placentinus, Latinè & Græcè doctiſſimus, de Scientiis ſcripſit. Paul. Jov. *Elog. c.* 113. Geſner. *Bibl.*

GEORGIUS Vaſarius, Aretinus, Pictor & ſtatuarius, Italicè de ſuæ artis illuſtribus Viris ſcripſit.

GEORGIUS Vivianus, Antverp. Aſcetica quædam ſcripſit. Verd. *Bibl. p.* 450 &c.

S. GEORGIUS Ordo Canonicorum Reg. Venetiis, à Bonifacio IX. fundatus, A. C. 1404. Morer. *Dict. Hiſt.* Item, Ordo Militaris à Friderico III. Imp. & primo Archid. Auſtriæ inſtitutus, A.C. 1470. ad limites Bohemiæ & Hung. contra Turcas tutandos. Wolfgang. *Hiſt. Auſtr. l.* 3. Favyn. *Theat. Hon. & Eq.* Item Ordo Eq. Reip. Genuenſis. Item, in Arragoniæ regno. Vide *Morer.*

GEPHYRA, urbs Bœotiæ. *Steph.*

GEPHYRA, inter urbes Seleucidis ſeu Seleucenæ, memoratur Strab. *l.* 9. *p.* 400. & Ptol. de qua vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 618. & 631. At *Gephyri*, nomen Familiæ, Euſtathii tempore adhuc florentis de qua ille hæc habet. Narrat is paulo ante memoriam ſuam factum, ut illuſtris cujuſdam Viri uxor uno partu pueros novem ederet: quorum ſeptem cùm mater ſubmergendos miſiſſet, eos pater, caſu interveniens, ſervavit jam penè fluitantes; hincque *Gephyros* dictos addit, à loco, ubi fuerant, niſi Deus adfuiſſet è machina, perituri. Vide Caſaub. *ad Capitolin. in Anton. Pio.* An à ponte, unde præcipitandi erant, Græcis enim γέφυρα *pons* eſt, uti pluribus diximus ſuprà, in voce *Aſcopenſuri*.

GEPHYRÆI, Phœnices, qui cum Cadmo in Græciam venêrunt, de quibus ſic Herod. *l.* 5. *c.* 57. *Cum Cadmo in terram, quæ nunc vocatur Bœotia, venêre Gephyræi & Tanagricum tractum incoluêrunt: inde à Bœotis pulſi Athenas divertêrunt, ubi certis conditionibus in jus civitatis recepti ſunt: Et* (*c.* 61.) *templa extruxêrunt Athenis, quæ cum aliis templis Atticis nihil habebant commune, ſed ab iis erant diſtincta: in quibus fuit Cereris Achææ templum & orgia*; quæ & Γεφυραία Δημήτηρ dicta eſt, Etymol. in Γεφυρ. Vide Lipenium *de Navigatione Salomonis Ophiritica, p.* 167.

GEPHYROTE, urbs Libyæ. *Steph.*

GEPIDÆ, pop. Sarm. Eur. inter Getas & Dacos numerati: à pugna pedeſtri ſic dicti. *Iſid.*

GEPINI, vel GUEPINI, vulgò vocantur incolæ Aurelianorum in Gallia urbis, Gall. *Guepins*: quod nomen pro convitio à pleriſque habetur. Origo ab omnibus ignoratur. An ſic dicti, quaſi *Veſpenſes* aut *Veſpini* à veſpis, quorum advolantium moleſtos ictus importunos bombos, ac pungendi libidinem vino ſuo inflati, clamoribus, rixis & convitiis imitantur? Hadr. Valeſ. *Not. Gall. in voce Genabum, p.* 228. *col.* 2.

GER, Græcè Γεὶρ, fluv. maximus Libyæ, apud Ptol. & Plin. *l.* 5. *c.* 4. qui *Niger* eſt Solino *c.* 24. ubi vide *Salmaſ.*

GERA, fil. Benjamin, Gen. *c.* 46. *v.* 21. Pater Ehud. Jud. *c.* 3. *v.* 15. Pater item Shimei, viri de cognatione Saul. 2. Sam. *c.* 16. *v.* 5. Item *Gera* arx, à Philippo Macedonum Rege expugnata.

GERA, nomen illuſtris in Germania Familiæ, quæ ſtirpis Ruthenicæ ſeu *Reuſſen de Plavia* ramus eſt: Hi enim jam à pluribus ſeculis *Advocati S. Rom. Imp.* nec non *de Weida, de Plawen,* de Gera, *de Graz, de Gleisberg*, appellati ſunt. Defecêre autem ſuperiori ſeculo tres nobiles rami, nempe præter Advocatorum *de Weida*, & ramum Burggraviorum Miſniæ, qui titulus, cum Principali axiomate, familiæ collatus, à Sigiſmundo Imp. A. C. 1421. etiam *de Gera* ſtirps. Sed cùm hodiè duæ ſuperſint lineæ, Senior & Junior, ad hanc decem ... Henrici, extincti A.C. 1635. ex Margaretha Schwartzenburgica (quibus in *Gera, Saalburg, Schleiz, Lobenſtein*, ſedes,) ſpectant. E quibus Henricus II. (omnibus enim in Ruthenica familia Henrici nomen) i. e. fil. præfati Henrici ſecundò-genitus, nat. A. C. 16.., *in Gera* ſedem nactus, familiam *Geranam*, ex Catharina Eliſabetha Com. Schwarzenburgica, propagare cœpit: Pater quippe præter Magdalenam Sibyllam (nat. ac den. A.C. 1645.) Henrici II. (nat. A. C. 1648) Henrici IV. (nat. A. C. 1650.) & Henrici VI. (nat. A. C. 1651. denat. A. C. 1652.) Sed & iiſdem Parentibus editæ, Juliana Dorothea (nat. A. C. 1649.) & Chriſtina Sibylla (nat. A.C. 165.) qui fratres & ſorores Germani *Rutheni* ſeu *Reuſſen Domini de Plauen* ... *neæ jun. in Gera* apellari ſolent. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europeæ Part. I. p.* 15. & *Part. III. p.* 88.

GERÆA, Luſitaniæ urbs. *Ptol.*

GERANDRYON, locus olim oraculo celebris, apud Clementem Alex. *Protreptico ad Gentes*, Γεράνδρυον δὲ ψάμμοις ἐρημαθεῖσι ... καὶ τὸ ἀνθῆμαντεῖον, αὐτῇ δρυῒ μεμαρασμένον, μύθοις γεγηρακότα ... καταλείψατε. *Gerandryon autem arenis deſertis honoratum, & quod ... eſt Oraculum, quod cum ipſa quercu emarcuit, anilibus fabulis ... tis.*

GERÆSTUS, urbs Eubœæ, in parte mer. Inſ. ubi incipit Oc... qua Neptuni templum erat. Steph. 15. mill. à Caryſto in Auſtr... à Caphareo. *Baudr.*

GERANIA, urbs Phrygiæ, item mons inter Megaram, & Corinthum, à quo ſe præcipitem dedit Ino, cùm fugeret Athamantem. *Steph.*

GERANIA, Thraciæ urbs in Mœſia, à Barbaris *Cattuza* vocari auctor eſt Solin. *Catiſos* gentem vocat Plin. *l.* 4. *c.* 5. & 11. *Rhe... cola* nominatur Steph. cujus incolæ *Tripyli* appellantur.

GERANIA, mons & prom. Megaridis, reg. Achajæ, inter Megara & Corinthum, locus olim Athenienſium, contra Corinthios egregiè munitus. *Thuc.*

GERANION, à roſtro *gruis* per Europam notum, inter decora hortorum numerantur, maximè ſi quà ſpecies peregrè inferantur, quarum vel tredecim præſtat, tametſi olim ad duas cogeretur tantùm. Radicem habet tenuem, longam, ſine multis fibris, quaſi ... loſam & rubeſcentem: folium eſt anemones, caulis rotundus, fiſtu... rufus, villoſus, nodoſus inſtar calami ſtraminei, ramulis adnaſcentibus cubiti longitudine. Menſe Aprili excludit florem purpureum quinque foliorum, penè universâ æſtate ſpectandum; cadenti ſuccedit folliculus in roſtrum acuminatus, cum quinque granis dulcibus. Eſt & flos cœruleo purpureus, etiam in fuſcum declinans: tum ... bus, tum cœruleus; tum minutior, ſed hyacinthinus, tum ... neus, medio albente. Auctor Anon. *Sinæ & Eur. c.* 33. addit ... rem jucundum Plin. *l.* 26. *c.* XI. ſed cum myrrhide ... confundere, ait Salmaſ. *ad Solin. p.* 707. Per Germaniam ... per. *Ruperti Herba & Dei gratia* quòd vocatur, inſignem ... olim in illa regione uſum fuiſſe, colligitur. Ab eadem ... ſalutationis quoddam genus, in quo *gruum* volatum imitabantur, γέρανον dictum habet Jul. Cæſ. Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 18. Machinam item ſcenicam idem *l. eod. c.* 21. *Eſt præterea machinæ genus ... quo rapiebantur perſonæ, γέρανος dicitur. Hoc in fabulis Aurora ... mnonem rapuit. Boreas Orithyam &c.* De *Geranite* lapide, à ... lore dicto, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 712. & 713.

GERANTHRÆ, urbs Laconiæ. Steph. priùs ſub Achæis ... ſub Teleclo Rege Lacedæmonii Amyclas, Pharin, *Geranthras* ... Finitima qui ab Achæis adhuc tenebantur, bello capta evertêrunt ... quidem Phanitæ ac Geranthratæ eorum adventu territi, ex pacto ... ceſſêrunt ex Peloponneſo. Amydenſes autem reſtitêrunt. Pauſ. *Laconic.*

GERAR, metropolis terræ Palæſtinæ, in qua natus eſt Iſaac ... olim terminus Chananæorum fuit ad Auſtralem plagam. Ejus Rex fuit Abimelech temporibus Abrahami.

GERARÆ, Græcis Γέραραι, teſte Polluce, quatuordecim erant mulieres à Rege Athenienſium conſtitutæ, quæ ſacra ſecreta Dionyſio faciebant. De quibus Demoſthenes *in Orat. contra Neæram*, ... & tale jusjurandum earum producit:

Ὅρκος Γεραιρῶν.

Ἁγιστεύω, καὶ εἰμὶ καθαρὰ, καὶ ἁγνὴ ἀπό τε τῶν ἄλλων τῶν οὐ καθαρευόντων, καὶ ἀπ᾽ ἀνδρὸς συνουσίας, καὶ τὰ θεοίνια, καὶ Ἰοβάκχεια γεραρῶ τῷ Διονύσῳ κατὰ τὰ πάτρια, καὶ ἐν τοῖς καθήκουσι χρόνοις, Nic. Lloyd.

GERARDI Mons, vulgò *Geersbergen* incolis, Gall. *Grammont*, ... Flandriæ Imper. in Comit. Aloſtano, in colle, ad fluv. Teneram, ... leuc. ab Aldenarda, 5. à Teneramunda.

GERARDI Villa, al. *Grandis villa*, vulg. *Graville*, non longè abeſt à fluv. Sequana, ejuſque oſtio, inter Hareflotum, & Portum Gratiæ, in Caletis diœceſique Rotomagenſi: Prioratu inſignis. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

GERARDUS ſeu GERHARDUS, fil. Hugonis Comitis, qui communis trium familiarum ex Alſatica procedentium, Lotharingicæ, Dagsburgicæ & Habſpurgicæ pater fuit, Metenſium fuit Comes, cujus poſteri, alii quidem Metenſem Comitatum retinuêre: Albertus autem & *Gerhardus* fratres, Duces Lotharingiæ ſuper. ... & ex his *Gerhardus*, ampliſſimæ ſtirpis auctor, Lotharingiæ Ducum, qui nunc quoque ſuperſunt, & plures ramos in Gallia produxêre, tum aliquos Flandriæ & Egeshemios Comites ſimiliter produxit. Quemadmodum fratres ejus, Hugo Dagsburgiorum, & minimus natu Guntramus cognom. Dives, Habſpurgiorum ſatores fuêre, Vignierius apud Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Hiſt. ... Fam. Auſtriac.*

GERARDUS, fil. Conradi Comitis Oldenburgici, cum Patre ... Burg...

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Butſadis cæſus eſt, A. C. 1368. Item fil. minimus natu Theodorici cogn. *Fortunati*, ex eadem familia, cogn. *bellicoſi* tulit, & Oldenburgicos continuavit, quemadmodum frater ejus maximus natu Chriſtianus I. Daniæ Rex electus *Dano-Holſaticæ* familiæ auctor fuit, & alter Mauritius Delmenhorſtanum ramum condidit, qui in hœris ejus deficit. Hic itaque *Gerardus* A. C. 1462. fratrem Mauritium, inſtinctu Bremenſium & Com. Hojenſis ſibi bellum inferentem, auxilio fratris Chriſtiani & Vilhelmi Ducis Brunſvicenſis ad Sibburgum devicit; inde adverſus Chriſtianum, à quo tamen A. C. 1467. ut Holſatia cederet, 43000. flor. acceperat, arma vertit. Verum, cum aliquoties è Marſia pulſus, non deſineret vexare vicinos, Epp. Monaſterienſis & Bremenſis, cum proximis civitatibus inito fœdere, bellum ei intulerunt, & Delmenhorſto A. C. 1482. expugnato, illum in poteſtatem redegérunt. Liberis parcitum, ipſe verò abdicata adminiſtratione Monaſticam profiteri juſſus eſt: Deceſſit in Gallia A. C. 1500. Ex filiis ejus, Otto Canonic. Bremenſis & Colonienſis, cum fratre Adolpho bello Dietmarſico periit A. C. eodem; Joh. Patre pulſo, adminiſtrationi admotus, ſtemma propagavit. Fuit quoque *Gerardo* Holſatus, Dux Sleſvici, familiæ Schawenburgicæ, cujus filia Hedwige uxore ductâ Theodoricus Fortunatus de quo ſupra, jus ſucceſſionis, in Sleſvicenſem Principatum & Holſatiam, liberis reliquit. Phil. Jac. Spener. *in Tam. Oldenburgo Danica.*

Viri Celebres.

GERARDUS, Valdenſium ſeu Albigenſium, ut tum vocabantur, doctor, cum 30. aliorum, in Angliæ cætus flagris frigoreque ac fame necatus, mira conſtantiâ, *Beati eritis, cum vos homines oderint!* canens, mortem excepit, A. C. 1179. Nicol. Harpsfeld. *Hiſt. Eccl. Angl. ſec.* 12. *c.* 36.

GERARDUS, cogn. Magnus, Daventrienſis, Thomæ à Kempis præceptor. Scripſit quædam. Obiit Daventriæ, A. C. 1384. Trithem. Hiſt. Trip.

GERALDUS Bleſenſis, Ep. Encoliſmenſis. Paſchali II. medium ſuggeſſit, quo fidem Henrico IV. de inveſtitura Beneficiorum, datam eluderet. Miſſus prom ad Imp. dein Legatus Aquitaniæ fuit; qui honor cum ei non continuaretur, ab Innoc. II. Antipapæ Anacleto adhæſit. In lecto lividâ & ſugillatâ facie mortuus deprehenſus. Sam. Marth. *Gall. Chr. t.* 2. *p.* 581.

GERARDUS Johannes, vide *Johannes.*

GERARDUS Mercator, vide *ibi.*

GERARDUS Ruſſelius, Ep. Oleronenſis, in aula Margaretæ Navarræa Evangelium docuit, primuſque, ſub utraque S. Cœnam exhibuit. Obiit A. C. 1551.

GERARDUS Sagarellus, Parmenſis, caput Pſeud Apoſtolorum, ſi vera de ipſo adverſarii ſcribunt, A. C. 1296. Apoſtolorum imitationem jactavit, in paupertate inprimis ſpontanea, Pontifices Sylveſtrum ſecutos rejecit, excepto Cæleſtino V. decimas dandas negavit, &c. Exuſtus. Bzovius A. C. 1300. *n.* 13. Quære *Fratricelli*, & ſuprà ubi de *Beguini*. Plures *Gerardos*, vide apud Voſſ. & Morer. *Dict. Hiſt.*

GERAS Carthaginenſis, Vitruv. *Geras Carchedonius*, ex Græco Athen. Γήρας Καρχηδόνιος, ut & Pephaſmenus Tyrius, ad arietis machinæ inventionem, Carthagine factam, aliquid poſtea addidérunt. Vitruv. apud Salmaſ. *ad Tertull. de Pallio c.* 1.

GERASA, urbs Cœleſyriæ, Steph. quem vide.

GERASIMUS, Patr. Conſtant. poſt Joh. XII. rudis Græcæ literaturæ. Obiit A. C. 1322. Niceph. Gregoras, *l.* 8. Phranz *l.* 9.

GERASTUS, fil. Mygdonis, à cujus filiabus Parthenopolis in Syria dicta eſt. *Steph.*

GERAVIA, tractus Palatin. Rheni, inter Rhenum & Mœnum, ubi Darmſtadium opp. à quo hic tractus dicitur Landgraviatus Darmſtadienſis.

GERBELIUS Nicolaus, Pfortshemius, JC. doctiſſimus. Græcæ Latinæque l. peritiâ inſignis. Jus docuit Viennæ in Auſtria, & Joh. Cuſpiniani familiaris fuit ac intimi amici, *vitam ac de utilitate ejus Hiſtoriæ*, aliaque ſcripſit, in quibus *Iſagoge in Tabulam Græciæ Nic. Sophiani* eminet, judice Auctore *Bibliographiæ Curioſæ*. Obiit Argentorati A. C. 1560. Vide Thuan. *Hiſt.* Voſs. *de Mathem.* Anton. Teiſſier *in Elog.*

GERBERGA, uxor Ludovici IV. Ultramarini, filia Henrici Aucupis, Imp. A. C. 940. Marito captivo liberando omnem dedit operam, Lothariòque filio regnante, cum cura, negotiis incubuit, &c. *Hiſt. & Geneal. Gall.*

GERBERTUS, Mathematicus inſignis. Vide *Sylveſter II.*

GERBOREDUM, opp Inſ. Franciæ, in agro Bellovac. 5. leuc. à Bellovaco in Circ. in confin. Picardiæ; *Gerberoy*. Baudr. Monti impoſitum eſt, Teram fluv. deſpicienti. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

GERBRANDI Johannes, vide *Johannes.*

GEREA, urbs Indica. *Steph.*

GERELANUS, tribunus, occidendo Attico Veſtino, à Nerone immiſſus. Tac. Ann. *l.* 15. *c.* 69.

GEREN, urbs Lesbi, vel vicus à *Gerene* Neptuni filio. *Steph.*

GERENIA, opp. Apuliæ Dauniæ; apud Phiternum fluv. Hodieque *Gerone*. Liv. *Geryon. l.* 22. *c.* 18.

GERENIA, urbs Meſſeniæ, ubi Neſtor Pylius educatus eſt. Unde Hom. Γερήνιος ἱππότα Νέστωρ.

GERES, calvus quidam, quòd eſſet impudicus, & ſervis ortus, traducitur ab Ariſtoph. *in Acharn.* Vide Scholia *p.* 399. *G.* 2.

GERESTICUS Portus, à tergo urbis Tei in Ionia Liv. *l.* 37. *c.* 27. *Cherrada* Strab. *l.* 13. *p.* 644. vult Hubert. Goltzius *in ſuo de Græcorum Numiſmatibus l.*

GERGESÆI, populi terræ Chananiticæ Gen. *c.* 15. *v.* 20. à *Gergeſæo* fil. Chanaan, Gen. *c.* 10. *v.* 16. vide Boch. *p.* 345. *Nic. Lloyd.*

GERGINA, Myſiæ urbs Athen. ad Idam montem, quam ſuo tempore *Gergitham* appellatam addit.

GERGIS, vel GERGITHUS, urbs Troadis. Steph. Hinc *Gergithes* & Apollo *Gergithius*.

GERGITHIUS, ſcripſit de adventu Æneæ, in Italiam. *Ath. l.* 6. *p.* 255.

GERGITHUM, urbs in Cumano agro, ad Lariſſam in Æolide. Plutarch. Plin. *l.* 5. *c.* 30.

GERGOBIA, Cæſ. ſed Γεργοουία Strab. *l.* 4. *p.* 191. Galliæ opp. in Arvernis, *Gergoie*, Gab. Simeonio, *Gergobia* altera vel *Gergobina*, Boiorum in Gallia metropolis, Cæſ. *Moulins* Paradino. Vigmereus mallet *Moulinçon*, vel *Nevy*, ubi ſunt Thermæ, & multa antiquorum Romanorum veſtigia. Vide *Gergovia*.

GERGOLIUM, vulgò JARGEAU, opp. Aurelianenſis prov. ad Ligerim, cum ponte, aliàs munitum. 4. leuc. ſuprà Aurelias in Ort. Floriacum verſus.

GERGOVIA, Arvernorum urbs, *poſita in altisſimo monte omnes aditus difficiles habebat*, Cæſ. de Bell. Gall. *l.* 7. *c.* 1. & *l.* 8. *c.* 2. Hanc Cæſar, Genabo Carnutum & Avarico Biturigum potitus, obſedit, defendente Vercingetorige. Ejus veſtigia & ruinæ hodieque viſuntur in monte celſiſſimo aliquot ſtadiis ab urbe Arvernis, & veterem appellationem ſervant, *Gergoye*, dictæ: ut refert Valeſ. qui hinc arguit eos, qui Auguſtonemetum vel Clarummontem cum Gergovia eandem urbem faciunt. Item urbs Boiorum in Gallia, quam Vercingetorix Arvernus, Dux rebellium Gallorum, oppugnavit, ſed Cæſare appropinquante, receſſit. Vide ſuprà in *Gergobia*.

GERION Augur, Heros inclytus, ut Ponticus habet, vates antiqui nominis, ac Deorum miniſter, in omni Græcorum ſapientia præſtantiſſimus, Regi Bryto à futurorum conſiliis erat. Claruit Anno à mundi origine 2840. & ante Virginis partum 1130. Heli ſummo ſacerdote apud Iſraelitas dominante.

GERLACUS, Com. Naſſovius, lineæ Wisbadenſis & Idſteniæ, fil. Adolphi Imp. (ex Imagina *Gerlaci* Com. Limburgi filia) Patri in Comitatu ſucceſſit A. C. 1298. Cæſaris Ludovici Legatus ad Pontificem ivit, A. C. 1331. Obiit A. C. 1361. Ei geniti ſunt, ex Agnete Conradi Haſſiæ Landgravii filia. *Gerlacus*, ſupremi Moguntiacorum Collegii Archidiaconus, Carolo IV. in adipiſcendo Imperii diademate adjutor; *Adolphus*, hereditate cum fratre diviſa, patris in Wisbadenſi & Idſtenia ditione ſucceſſor: ac Joh. qui, Weilburgiam nactus, primus ejus Comes & Weilburgenſis lineæ auctor extitit. Cyr. Lentulus *Geneal. Princ. & Com. Naſſov.*

GERMALUS, vel CERMALUS, locus, ubi expoſiti Remus ac Romulus, Palatio conjunctus & ficu Ruminali celebris fuit. Varro *de Ling. Lat. l.* 4. Germalum *à Germanis Romulo ac Remo, quod ad ficum Ruminalem & ibi inventi, quò aqua hiberna Tiberis eos detulerat expoſitos.* Vide Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 1137.

S. GERMANI Civ. in radice Caſini Montis, vide ſuprà *Eulogimenopolis.*

GERMANI Fanum, *S. Germain en Laye*, inter Lutetiam & Poſſiacum, villa & domus regia. Hic Carolus V. arcem ædificavit, in qua exornanda Franciſcus I. & Henricus IV. deſudarunt. Hic poſt colloquium Poſſiacenum, inter utriuſque partis Theologos, aliud habitum eſt, de uſu Imaginum, A. C. 1562. & contra imagines, inprimis Trinitatis concluſum, ſed res executioni, opponente ſe Nicolao Mallardo, Collegii Theologici Decano, data non eſt. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 28. *c.* 29. &c. Ibi Orpheus cum lyra, ſpectandus, &c. Duchen *Antiq. Urb.*

GERMANIA, regio Europæ latiſſima, quæ à Gallis, Rhætis, ac Pannoniis, Rheno, & Danubio fluminibus, à Sarmatis, Daciſque metu mutuo, ac montibus ſeparatur: cætera ambit Oceanus, latos ſinus & inſularum immenſa ſpatia complectens. Germaniæ autem termini ab auctoribus, ut quiſque ſui temporis rationem ſecutus eſt, adeò variè deſcribuntur, ut triplicem quaſi Germaniam facere videantur, Veterem nempe, mediam, & recentem. Veterem vocant Beroſianam, quam Rheno Oceano, Tanai, Ponto Euxino, Danubio ejuſque accolis circumſcribunt. Media erit quam Tac. Ptol. & Plin. coætanei ferè cognovérunt, quæ cùm ex ipſis autoribus ſatis nota ſit, non opus videtur hic denuo eam deſcribere. Denique recens Germania, quæ noſtrâ eſt memoriâ uſitatior, ultra Rhenum eatenus eſt extenſa, ut omnes ferme Belgas, uſque ad Alpes Tridentinas contineat. Ita quoque ultra Viſtulam ortum verſus, uſque ad Scythas Alanos, quos hodie Lithuanos appellamus, pertinet. Erit ejus longitudo ab Iccio portu, vulgò Caletum uſque ad Lithuaniæ fines, habebitque latitudinem à mari Germanico & Venetico ad Alpes uſque. Sunt in illa Archiepiſc. 7. Colonienſis, Trevirenſis, Moguntinus, Veſuntinus, Salisburgenſis, Pragenſis, & Magdeburgenſis: Epiſcopatus 40. Regna 2. Bohemiæ, & Daniæ; Ducatus 13. Auſtriæ, Stiriæ, Bavariæ, Wirtembergenſis, Franconiæ, Voitlandiæ, Saxoniæ, Brunſvicenſis, Lunæburgenſis, Holſatiæ, Lawenburgenſis, Magnopolitanus, Pomeraniæ; Landgraviatus 2. Haſſiæ, & Alſatiæ; Marchionatus 2. Brandeburgenſis & Badenſis, Comitatus magni 4. Palatinatus, Tirolenſis, Mansfeldenſis & Oldenburgenſis. *Germania* & *Alemagna* Italis, *Teutſchlandt* Germanis, Anglis *Germany* dicta. Ferr. Baudr. Germania, *l'Allemagne* Gallis, *Alemanna* Hiſpanis, una ex præcipuis Europæ partibus. Antiquitus ſeparata fuit à Gallia Rheno fluv. à Norico & Vindelicia Danubio, à Sarmatia Viſtula fluv. Nunc autem valde diverſos habet limites: A Sept. habet mare Balticum & Jutiam meridionalem, ab Or. terminatur Hungariâ, Pruſſiâ, Regiâ, & Poloniâ ſuperiori & inferiori, quæ pro majori parte ſunt cis Viſtulam fluv. A Mer. ſeparatur ab Italia Alpibus, ab Occid. Friſiâ Occidentali, Gueldriâ, Tranſiſalaniâ, & Groningâ, quæ antea erant in Germania, & nunc ſunt in Belgio. Sed viciſſim ditiones Clivenſis, Juliacenſis, Leodienſis, Colonienſis, Trevirenſis, Palatinatus Rheni pro parte, & Helvetia, quæ antiquitus erant in Gallia, nunc in Germania cenſentur. Alſatia nunc ſubeſt dominio Francorum. Bohemia inſerta eſt in Germania cum ejus partibus Sileſia & Moravia. Sed Polonia & Dania Reges habent proprios,

neque

neque ullo modo ſub Germania continentur. Helvetii autem cum Rhætis ſunt ſui juris, nec Germanicum agnoſcunt imperium. Ejus longitudo à confinio Lotharingiæ uſque ad limites Hungariæ eſt 120 milliarium Germanicorum, ſeu 180. leucarum Francicarum. Latitudo autem à mari Baltico uſque ad Alpes in confinio Foro-Julii eſt 126. milliarium Germanicorum, ſeu 190. leûcarum Francicarum. Nunc tota Germania dividitur in regnum Bohemiæ, & Circulos; ſuntque eo ordine:

Germaniæ Circuli:

Circulus Franconiæ, *le Cercle de Franconie*, ſub quo Epiſcopatus Herbipolitanus, Bambergenſis, & Eichſtatenſis; ac tota Franconia comprehenduntur.

Circulus Bavariæ, *le Cercle de Baviere*, ſub quo Bavariæ Ducatus, Palatinatus ſuperior, & Archiepiſcopatus Saliſburgenſis, cum Epiſcopatu Paſſavienſi & Ducatu Neoburgenſi.

Circulus Auſtriacus, *le Cercle d'Auſtriche*, ſub quo Auſtria, Stiria, Carinthia, Carniola, Comitatus Tirolenſis, & Epiſcopatus Tridentinus cum annexis.

Circulus Suevicus, *le Cercle de Suabe*, ubi Suevia tota, Ducatus Virtembergenſis, & Marchionatus Badenſis & Burgoviæ.

Circulus Rhenanus, *le Cercle du haut Rhin*, in quo Alſatia, Ducatus Bipontinus, Haſſia, & Epiſcopatus Spirenſis, cum Abbatia Fuldenſi, Veteravia, & Comitatu Valdecenſi.

Circulus Electorum Rheni, *le Cercle des quatre Electeurs du Rhin*, ſub quo ditiones Electorum Moguntini, Trevirenſis, Colonienſis, & Palatini Rheni.

Circulus Weſtphaliæ, *le Cercle de Weſtphalie*, ſub quo Ducatus Weſtphaliæ, Juliacenſis, Clivenſis, & Montenſis, Comitatus Marchiæ, Friſiæ Orientalis, Oldenburgenſis, & Hoyenſis, & ditiones ſeu Epiſcopatus Monaſterienſis, Leodienſis, Oſnabrugenſis, Paderbornenſis, & Mindenſis Principatus.

Circulus Saxoniæ ſuperioris, *le Cercle de la haute Saxe*, in quo Ducatus Saxoniæ, Miſnia, Turingia, Principatus Anhaltinus, Marchionatus Brandeburgicus, & Pomerania, cum Rugia inſ.

Circulus Saxoniæ inferioris, *le Cercle de la baſſe Saxe*, ſub quo Ducatus Brunſvicenſis, Lunæburgenſis, Megalopolitanus, Bremenſis, Magdeburgenſis, Lavemburgicus, & Holſatiæ, Diœceſis Hildeshemienſis, & Principatus Halberſtadienſis & Verdenſis: ſuntque hi omnes in *Germania*.

Circulus Burgundicus, *le Cercle de Bourgogne*, eſt extra Germaniam propriam, continetque Comitatum Burgundiæ & ſeptendecim provincias Belgii; habetque tantùm votum in diætis, cùm agitur de rebus Imperii Germanici. Unde colliges regnum Bohemiæ non comprehendi in Imperio, ſed tantùm eſſe intrà Germaniam, & viciſſim Circulum Burgundicum comprehendi in Imperio Germanico, ſed tamen eſſe extra Germaniam. Inſtitutus autem fuit Circulus Burgundicus à Carolo V. Imp. ut ſic ditiones ſuas Belgii, & Comitatus Burgundiæ ſervaret auxilio Germanorum.

Germaniæ Principes.

Imp. ſub quo nunc Regnum Bohemiæ cum annexis, Sileſia, & Moravia. Eidem etiam ſubſunt Auſtria cum Stiria, Carinthia, Carniola, Comitatu Tirolis, Briſgovia, Burgovia, & annexis.

Archiep. Elector Moguntinus, ſub quo ditio Moguntina, Erfordia, & tractus Eisfeldia.

Archiep. Elector Trevirenſis, ſub quo ditio Trevirenſis.

Archiep. Elector Colonienſis, ſub quo ditio Colonienſis & Ducatus Weſtphaliæ.

Dux Elector Bavariæ, ſub quo Bavaria, cum Palatinatu ſuperiori.

Dux Elector Saxoniæ, ſub quo Ducatus ſeu Electoratus Saxoniæ, cum Luſatia ſuperiori & Miſnia, cum Epiſcopatu Miſnenſi & Comitatu Mansfeldienſi.

Dux Elector Brandeburgicus, ſub quo Marchia tota Brandeburgica, Ducatus Pomeraniæ ulterioris, Pruſſiæ, Magdeburgenſis, Halberſtadienſis, Mindenſis, Clivenſis, & Croſſenſis, Comitatuſque Marchiæ & Ravensbergenſis.

Princeps Elector Palatinus, ſub quo Palatinatus inferior ſive Rheni.

Archiep. Saliſburgenſis, ſub quo ditio Saliſburgenſis.

Ep. Monaſterienſis, ſub quo ditio Monaſterienſis.

Ep. Leodienſis, ſub quo ditio Leodienſis.

Ep. Herbipolitanus, qui & Franconiæ Dux, ſub quo ditio Herbipolitana.

Ep. Bambergenſis, ſub quo ditio Bambergenſis.

Ep. Paderbornenſis, ſub quo ditio Paderbornenſis.

Ep. Oſnabrucenſis, ſub quo ditio Oſnabrucenſis.

Sunt etiam Epp. Aiſtetenſis, Argentoratenſis, Auguſtanus, Baſileenſis, Conſtantienſis, Paſſavienſis, Spirenſis, & Vormacienſis, cum eorum ditionibus adjacentibus.

Duces Lunæburgenſes & Brunſvicenſes, ſub quibus Ducatus Brunſvicenſis & Lunæburgenſis, Comitatuſque Diepholtenſis, Danebergæ, & Hoyæ.

Dux Wirtembergenſis, ſub quo Ducatus Wirtembergenſis.

Dux Neoburgenſis, ſub quo Ducatus Neoburgenſis, Juliacenſis, & Montenſis.

Lantgravius Haſſo Caſſellanus, ſub quo major pars Haſſiæ, ditiones Marpurgenſis, Hersfeldia, Smalcaldia, & pars Comitatus Schaumburgenſis.

Duces Megalopolitani duo, ſub quibus Ducatus Megalopolitanus & tractus Suerinenſis & Ratzeburgenſis.

Duces Holſatiæ plurimi, ſub quibus major pars Holſatiæ.

Principes Anhaltini quinque, ſub quibus Principatus Anhaltinus.

Dux Bipontinus, ſub quo Ducatus Bipontinus.

Princeps Friſiæ orientalis, ſub quo Friſia orientalis.

Dux Saxoniæ Lavemburgenſis, ſub quo Ducatus Lavemburgenſis.

Dux Saxoniæ Hallenſis, ſub quo Halla & pars ampla Thuringiæ.

Dux Saxoniæ Merſoburgenſis, ſub quo tractus Merſoburgenſis, & Luſatia inferior.

Dux Saxoniæ Naumburgenſis, ſub quo ditio Naumburgenſis, maxima pars Voigtlandiæ, & Principatus Hennebergenſis.

Dux Saxoniæ Altemburgenſis, ſub quo Ducatus Altemburgenſis & Coburgenſis.

Duces Saxoniæ Veimarienſes, ſub quibus Ducatus Veimarienſis & Eyſenacenſis.

Sunt etiam plurimi alii Principes minores in Germania, de quibus ſuo loco dicemus. Inſuper Rex Franciæ poſſidet in Germania Alſatiam, cum Sundgovia, uti etiam Briſacum & Philippoburgum. Rex Sueciæ habet Pomeraniam citeriorem, Ducatus Bremenſem & Verdenſem, Rugiam inſ. & Viſmariam urbem, nunc partim captas, partim bello vexatas. Rex autem Daniæ poſſidet magnam Holſatiæ partem & Comit. Oldenburgenſem & Delmenhorſtenſem à paucis An. Regiones & urbes. Vide infrà. Hujus regionis incolæ *Germani* dicuntur, cujus nominis rationem ad Romanos authores nonnulli referunt, qui cùm primùm Rhenum devictis Gallis tranſgreſſi fuiſſent, videntes eos & feritate animorum & proceritate corporum, colore flavo, formâ præterea & moribus, rituque vivendi Gallis ſimillimos, *Germanos* eos, tanquam fratres Gallorum appellarunt. Sic Strab. *l.* 4. *p.* 196. Alii inde dictos à Romanis putant, quod ſuâ linguâ peculiari ejus regionis ritu, an militari more, ſe mutuò Germanos, i. e. fratres conſalutarent: Quod confirmat Plutarch. in *Mario*. Eruditi tamen inter Germanos vocabuli hujus etymologiam ex ſua potius lingua petendam exiſtimant. Illi enim *gar*, ſive *ger*, *totum* dicunt, & *man*, *virum*, ut *Germanos* dictos intelligas, quaſi *totos viros*. Alii deducunt à *Ger*, quod pro *bello* uſurpatur apud Germanos vett. ut *War* Anglis, & *Guerre* Gallis, unde *Germani*, i. e. *homines belli*, Gallicè *gens d'armes*. Nonnulli à *germinando* derivant, propter fœcunditatem gentis populoſiſſimæ, ut Sylv. quò & P. Diaconus reſpicere videtur *l.* 1. *Rer. Longobardic. c.* 1. Quidam à Germanis, Aſiæ populis, vocabuli auſpicium deducit. Peucerus Germanos quaſi *Hermenner*, h. e. militares viros dictos exiſtimat: Junius originem eos à *Thogarma*, filio Gomeri, filii Japeti, filii Noë, duxiſſe vult. *Alemanniam* etiam vocant hanc Europæ partem nonnulli, cujuſque incolas *Alemannos*, quo nomine ſub inclinati Imperii tempora vocari cœpêrunt *Teutoniam* etiam à nonnullis appellatam invenimus à Teutone quodam eorum Duce: alii *Teutonas*, qui vernaculè *Teutſche*, Italis *Tedeſchi*, & à quibus Teutònici vocantur, & regio *Teutſchlandt*, nomen habere à Thuiſtone, quem alii vocant Tuiſconem, ajunt, creduntque filium fuiſſe Noachi, exteris vocatur *Alemagna*: Schlavones *Nimicha*: Græci ἀλάμαγς hodie vocant, & Turci *Alaman*: Porrò Germani ipſi indigenæ exiſtimantur, quoniam non eſt veriſimile, aliquos Aſiâ, aut Africâ, aut Italiâ relictâ, Germaniam petiiſſe, informem terris, aſperam cœlo, triſtem cultu, aſpectuque, niſi patria ſit. De Germanis Dionyſ.

Λεύκατε φῦλα νέμονται ἀρειμανέων Γερμανῶν.

Ubi MS. Bodleianum legit ἐρισθενέων, utrumvis epithethon fortitudinem Germanorum ſatis indicat. Quam etiam abundè teſtantur authores. P. Mela, *l.* 3. *c.* 3. *Immanes ſunt animis, atque corporibus.* Cæſ. de Bell. Gall. *l.* 1. *c.* 9. *Ingenti magnitudine corporum Germanos, incredibili virtute, atque exercitatione in armis eſſe prædicabant.* Columella *l.* 7. *de Re Ruſt.* *Germaniam decoravit natura altiſſimorum hominum exercitibus.* Solin. *Frequens Germania populis numeroſis, & immanibus* Tacit. *Hiſt. l.* 5. *c.* 14. *Germanos fluminibus ſuetos levitas armorum, & proceritas corporum attollit.* Senec. de Ira l. 1. *contra Piſonem, acerrimas* dicit *Germanorum nationes*. Senec. *c.* XI. *Germanis quid eſt animoſius, quid curſu acriùs, quid armorum cupidius?* Et *l.* de Brevit. *Vitæ*, vocat *ferociſſimam gentem*, & alibi *avidam gentem belli*. Hinc Horat. Germaniam *horridam* dixit, *Carm. l.* 4. *Od.* 5. *v.* 26.

Quis, Germania *quos* horrida *parturit*
Fœtus, ——— *Quis feræ*
Bellum curet Iberiæ?

Idem *Ep.* Od. 16. *v.* 7.

Nec fera cæruleâ domuit Germania *pube.*

Nunc adeò culta eſt, ut nulli Europæ regioni cedat. Libertatis apud illos tantus amor, ut omne jugum ægrè ferant. Primi illorum Cimbri Teutoneſque, irruptione in Galliam Italiamque factâ, Romanis innotuêrunt: à Cajo Mario partim in Provincia, partim in Alpium deſcenſu difficulter victi. Julius Cæſar poſtea domitis Galliis Rhenum trajecit, longoque ac operoſo bello, cum Germanis negotium habuit, interioribus nunquam penetratis: Interim quæ inter Italiam Rhenumque gentes interjacent, Auguſto Tiberioque fuêre ſubjectæ: quibus defunctis, ſoli Alemanni in obſequio manſerunt, ſed qui & ipſi circa A. C. 200. jugo excuſſo, aliquoties Gallias terruêre. Reliqui ultra Danubium Albimque incolentes non liberi ſolùm fuêre ſemper, ſed & hinc Gothi, Burgundiones, Vandali, Longobardi, alii, effuſi in ditiones Imperio ſubjectas, longè latèque regionum potiti ſunt. Jugum paſſi demum ſub Chlodovæo I. Francorum Rege, ad Tolbiacum victore, cujus Succeſſores Duces poſtmodum illis impoſuêrunt. Regna dein Saxonum, Toringorum, Francorum, & Bavarorum, armis Caroli Mag. ſunt ſubacta: qui primus Occidentis

dentis Imp. coronatus eſt. Hujus fil. Ludovicus Pius, partem harum provinciarum, cum titulo Germaniæ Regis, uni filiorum conceſſit: quorum poſteritate poſt An. circiter 100. extincta, Conradus I. è Francorum ducibus Imp. electus eſt, à quo tempore in Statuum Imperii arbitrio manſit electio, donec proceſſu temporis, in 7. fam lus principalibus jus illud hæſit vide *Electores*. E Saxonica igitur, poſt Conradum, familia, Henricus Auceps, A. C. 918. pater Ottonis I. avus Ottonis II. proavus Ottonis tertii. & Henrici II. è Francica iterum Conradus II. Henr. III. Henr. IV. Henr. V. Rurſus è Saxonica Lotharius: è Suevica Conrad. III. Frider. I. Barbaroſſa, Henricus VI. Philippus. Denuò è Saxonica Otto IV. Iterum è Francica Frider. II ex Hollandica Vilhelmus; ex Auſtriaca Rudolphus I. ex Naſſovia Adolphus; rurſus ex Auſtriaca Albertus: ex Lutzelburgica Henr. VII. ex Bavarica Ludov. iterum ex Lutzelburgica Carolus IV. & Wenceſlaus: ex Palatina Rupertus: ex Lutzelburgica demo Jodocus, & Sigiſmundus: iterum ex Auſtriaca Albertus II. electi, Imperium adminiſtrarunt, à quo tempore uſque ad noſtram ætatem Imperium Electivum quidem, ſed in Auſtriaca familia, manſit. Præcipua Germanis priſcis Solis, Lunæ & ignis veneratio fuit: ſed & Tuiſconem, è terra genitum, filiumque ejus Mannum, quo nomine Adamum forſan intellexêrunt, verſibus ſuis eximiè celebrarunt. Nec neglectus illis Mercurius fuit, quem humanis victimis propitiarunt. Iſis parti Suevorum in figura vaſis culta eſt; Deos pingere, eorumque ſimulacra templis concludere nefas habebant, lucis proin illis conſecratis. Auguria & ſortes obſervabant; à Sacerdotibus ſupplicia reis irrogari, ſummaque rerum adminiſtrari ſolita. Evangelii aliquâ luce circa A. C. 600 Ratiſbonæ quidem à Lucio Cyrenæo, Juliobonæ verò in Norico à Marco, ut & Argentorati & Coloniæ Agrippinæ à Materno; colluſtrari cœpêrunt. Florentiſſimæ in Germania jam Eccleſiæ fuêrunt, A. C. 180. quibus iidem cum Proteſtantium hodieque fidei articulis, vide Irenæum *l.* 1. *c.* 2. & 3. Marcomanni ab Ambroſio converſi leguntur, A. C. 396. Burgundiones fidem ſuſcepêre, A. C. 450. Franci ſub Chlodovæo, A. C 499. baptizati ſunt. Offo Anglus in Germania prædicavit, A. C. 608. Helvetii ad fidem perducti ſunt, miniſterio S. Galli, A. C. 614. Vilfredus Friſiis concionatus eſt, Amandus Flandris, A. C. 678. Vigbertus Anglus Germaniam peragravit, A. C. 686. interfectus à Radbodo, quòd Jovis & Foſtæ ſtatuas everuſſet. Villebrordus ei ſucceſſit. Poſtea Bonifacius Anglus ope Caroli Martelli, ad CM. ex trans Rhenanis gentibus, Chriſtianis ſacris imbuit, *Germanorum* vulgò *Apoſtolus* dictus, A. C. 739. Epiſcopatus varii inſtituti, A. C. 750. & ſeqq. magnâ Sacerdotum, in Bavaria inprimis, imperitiâ: Germaniæ dein Galliæque Epp. Synodo ſub Carolo Mag. Francofurti habitâ, A. C. 797. Nicenum Concilium 2. pro imaginum cultu celebratum, deſtruxêrunt. Aquiſgrani Synodo habitâ, ſub Ludovico Pio, Saxoni cuidam tranſlatio Scripturæ, in vernaculum ſermonem, commiſſa eſt, A. C. 836. Interim crevit reliquiarum veneratio, & Carolus Mag. pro ſancto adorari cœpit: Godeſcalcus quoque Monachus, in Synodo Moguntina, ſub Rabano Ep. *Prædeſtinationem & Reprobationem dari, nec Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum* docere, damnatus eſt, A. C. 848. Huldericus tamen Ep. Auguſtanus, Nicolao I. acerrimo cœlibatus in Gallia Germaniaque promotori, obnixus, obtinuit A. C. 860. epiſtolâ doctiſſimâ ad illum ſcriptâ, ut libertas conjugii ſacerdotum intemerata maneret per Annos ferme 200. Sententiæ quoque de orali manducatione corporis Chriſti in C. D. tum ſpargi cœptæ, reſtitit Rabanus, diligens Auguſtini ſectator, circa A. C. 876. defenſus à Bertramo presbytero, juſſu Caroli Calvi: quo tempore & Joh. Scotus dogma Auguſtini de Euchariſtia retinuit. Moravi à Methodio, unà cum Bohemis ad Chriſtianiſmum pellecti ſunt A. C. 894. Nundinas ſacrorum è Germania ſe ſublaturum, prælium initurus cum Hungaris Henricus Auceps Imp. vovit, A. C. 932. præſtititque. Hujus filio Ottoni M. Leo VIII. Pontif. jus eligendi Pontifices ac Inveſtituram Cleri reſtituit. Epp. in Bavaria, diſſidentes, inſigni epiſtolâ hortatus, è qua Sacerdotum conjugium tum in uſu adhuc fuiſſe clariſſimè patet A. C. 963. Vide Aventin. *Ann. Boj. l.* 4. Crevit poſt hæc Epiſcoporum luxus & ſuperbia, ut non jam à Clericis Fratres, ſed *Domini*, & *Canonici* dici vellent, A. C. 1000. Fabric. *in Chron.* In Synodo Noviomagenſi, ut panis ad dextram, calix ad ſiniſtram, in celebratione Miſſæ ſtatueretur, decretum, A. C. 1018. Henricus III. Imp. ultimus fuit, qui majeſtatem Imperii contra Papas tueretur, eo proin defuncto Mantuæ ſtatutum, Papam à ſolis Cardinalibus eligendum eſſe. A. C. 1066. Cælibatum inter Germanos iterum vehementer urſit Gregorius VII. opponentibus ipſi Clericis verba Pauli: *Meliùs eſt nubere quam uri.* Nec quidquam profecit Ep. Moguntinus Erphordiæ hunc in finem Synodo coactâ, A. C. 1074. uti nec Moguntiæ, ubi iterum in vitæ diſcrimen venit. Sed Calixtus Papa, Magiſtratus brachio ad id ipſum, majori ſucceſſu, uſus eſt, circa A. C. 1120. quo Pomerani & Caſſubi in Chriſtum credere incepêrunt. Sub Conrado III. magna Germanorum vis à Bernardo in bellum ſacrum excitata eſt. Rugii converti ſunt, A. C. 1161. ut & Pruteni. Waldenſium multi in Germania eſſe cœpêrunt, circa A. C. 1230. ubi Concionatores magno numero, qui ſono tintinnabuli Baronibus vocatis prædicaverint publicè, prodiiſſe, refert Crantzius *Metr. l.* 8. *c.* 18. & *Saxon. l.* 8. *c.* 16. quotanniſque è Germania Mediolanum aut inde in Germaniam, ad Doctorum ſuſtentationem collectæ ſummiſſæ. Sigon. *l.* 18. Hinc perſecutio, & ferri candentis examini doctrina ſubjecta: quo pacto innumeri periêre. In Alſatia cùm Nobiles quidam Papam damnarent, quòd Sacerdotibus uxores & carnium eſum omnibus negaret, 100. unâ die Argentinæ combuſti: & Moguntiæ 39. uſtulati ſunt. Vide Læt. *Comp. Hiſt. Univ.* tantus nihilominus fidelium numerus, ut è Colonia Mediolanum euntes omnibus noctibus apud ſuos hoſpitio excipi poſſent. Mornæus *in Myſt.* Munſter. *Coſmogr. l.* 3. Trithem. *in Chron.* Auctuſque ſequentibus annis numerus. A Martino IV. expilati Germani, ut & ab Honorio. V. Synodum Virceburgi convocarunt, ubi Legatus Pontif. periclitatus & Probus Tullenſis Ep. in Papas acerrimè invectus eſt, A. C. 1287. Aventin. *l.* 7. Bellarg. *de Conc. l.* 2. Mainardus quoque Tyrolis Comes, vitam Epiſcoporum valde exagitavit libro edito, Avent. *ibid.* Waldenſium adhuc ad LXXX. M. in Auſtria circa A. C. 1300. ut & Coloniæ, in quos licèt ſeverè ſtatueretur, unanimi tamen conſenſu perſeverabant, Abbas Hirſaug. *in Chron.* A Ludovico Bavaro Imp. multa in Pontifice Rom. gravia ſtatuta ſunt, circa A. C. 1320. Poſt Muſarum ſtudia vires reſumere cœpêre, & Academiæ Heidelbergæ, Viennæ alibique inſtitutæ ſunt, A. C. 1346. & 1356. &c. Petitam Concilio Conſtantienſi, A. C. 1413. Reformationem, cùm Sigiſmundus Imp. obtinere non poſſet, ab eodem Baſileæ aliud indictum eſt, A. C. 1431. in quo liberius, quàm unquam aliàs, in auctoritatem poteſtatemque Pontificis eſt inquiſitum. In Bohemia Moraviaque florentiſſimæ Fratrum Eccleſiæ: circa A. C. 1400. & 1500. quo tempore Philippus Burgundus, poſtea Ep. Ultrajectinus, Legatus à Maximiliano ad Julium II. miſſus Româ Evangelicus ferè rediit, Gerardus Noviomag. *in vita ejus*: & Joh. Ep. Miſnenſis venias venales è ſua diœceſi ejecit, dicens, ſe Biblia legentem Religionem præſenti valde diſſimilem invenire: Paulò poſt à Teczelio Dominicano indulgentiis venum expoſitis, ſurrexit Lutherus. Quæ ſequuta vide apud Sleidan. Alioſque. Plura de Germanorum fortitudine vide apud Eliam Schedium aureo illo, quem *de Diis Germanis*, inſcripſit libello, *Syntagm.* 1. *c.* 1. De moribus Germanorum libellum ſingularem ſcripſit Corn. Tac. Sed præ omnibus videndi Limnæus *de Jure publico*, Henricus Kippingus, *Meth. novâ J. P.* & Cluv. *de Germania Antiqua*, Nic. Lloydius. Adde Cl. Ottonem JC. Societatis Teutonico-Leopoldinæ Hiſt. Univ. Germaniæ digniſſimum membrum, *Notis ad B. Rhenani Res German. Nov-Antiqq.* ubi *de Germanorum vett. Anacaria*, *p.* 347. *Ancone p.* 341. *Armis reliquis*, *p.* 399. *Artibus*, *p.* 376. *Bando p.* 346. *Clientibus p.* 348 *Dilectu p.* 347. *Fluminibus p.* 421. *Habitandi modo p.* 545. *Lancea p.* 345. *Muſica p.* 348. *Præfecturis p.* 408. *Spatha p.* 345. *Standa p.* 346. *Teſſera mil. p.* 350. aliis accuratè agit. At Catalogum Auctorum, qui de ſingulis Germaniæ Circulis ſeu ut Grotius vocat, *Pagis*, quos Helvetiorum Cantonibus & Polonorum Waiwodiis ſimiles dicas, exhibet Auctor Anon. *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c.* 6. §. 1. Regionem commendat frumenti copia, quâ vicinis Regionibus proſpicit: & memorabile eſt, quod narrat Lanſius, cùm A. C. 1591. Italiam, & in ea Romam graviſſima fames premeret, & ex Holſatia, civitatibus Vandalicis atque Belgio mercatores multis navibus eò iviſſent, Pontificem curſori, qui adventantium *Germanorum* nuntium primus attulerat mille ducatos donaſſe, *Orat. pro Germania.* Vini bonitatem loquuntur Vinum Rhenanum, Neccaricum, Moſellenſe, Franconicum & Auſtriacum: In Bavaria & Borealibus tractibus, ubi id auſterius eſt, melioris notæ cereviſiâ, qualis eſt Serveſtana, Brunſvicenſis, Roſtochienſis, Torgavienſis &c. compenſatur. Equorum proventu celebris eſt Comitatus Oldenburgicus, ſuibus Weſtphalia & Bavaria, piſcibus Marchia, ſale Luneburgum, Hala Saxonum, Hala Suevorum &c. ut nihil dicam de metallis ac mineralibus, de quibus vide G. Agricol. *l. de nat. foſſilium & de re Metallica*, & Lazarum Erckerum *Beſchreibung aller mineraliſchen Ertz und Bergwercken.* De lingua *Germanica*, ejuſque propaginibus ac dialectis præcipuis, vide in voce *Teutoni*: De Philoſophis verò *Germanorum*, Georg. Horn. *Hiſt. Philoſ.* &c. Nec prætereunda rara hodie Gentis felicitas, quæ nec ipſi prius, nec ulli alii unquam contigit, ut nulla ſit Europæ Aula, quæ non coronato ex hac gente Capite hoc tempore coruſcet. *Germania*, Hungaria, Bohemiaque ſub Leopoldo Aug. cui Joſephus Cæſar ſucceſſor deſignatus eſt haud pridem Hiſpania ſub Rege eſt ex Archiducibus Auſtriæ. Dania ex familia Oldenburg, Suecia ex Palatin. M. Britannia, ex Naſſov. Com. Reges habet Luſitaniæ Regis, & Poloniæ Principis Jacobi, uxores ex eadem Com. Palatinorum ſtirpe prodiêrunt. Ipſe Galliæ Rex ex vett. Francorum proſapia ortum novunt omnes, ſed & Delphino thori ſocia ex ſtirpe Bavarica fuit, ut non nemo curioſè obſervavit.

GERMANIA ſuperior, pars eſt Galliæ Belgicæ, à magna Rheno diſcreta, in qua Helvetia, Alſatia, & Palatinatus continentur; ab inferiore (de qua mox) Moſella diſtincta, ad occaſ. Jura & Vogeſo montibus à reliqua Gallia ſeparata, Ferrar. Baudr. *Germania* ſuperior pars fuit Galliæ Belgicæ versùs Rhenum fluv. ubi nunc Alſatia, Briſgovia, & Palatinatus inferior, non autem Helvetia, quæ erat in Gallia Lugdunenſi. &c.

GERMANIA Inferior & ipſa Belgicæ Galliæ portio eſt, juxta Rhenum fluv. à Moſella (qua à ſuperiore dividitur) uſque ad Oceanum in Arctos porrecta: in qua ditio Trevirenſis, Colonienſis, Julia, Clivia, Geldriaque Ducatus, & Hollandia Comitatus computantur, Ferr. Baudr. Germania inferior antiquitus erat etiam Galliæ Belgicæ portio versùs Rhenum & Moſam fluvios, eo in tractu, ubi nunc ditiones Colonienſis, Juliacenſis, Clivenſis, Gueldria, & pars Orientalis & Borealis Brabantiæ & ditionis Leodienſis, non autem tractus Trevirenſis. De utraque Germania ſic Hadr. Valeſ. Utraque in Provincia Belgica, nomen habet à Germaniæ Gentibus, quæ in parte Belgicæ Rhenum tranſgreſſæ conſedêrunt. Certè Cæſ. de Bello Gallico *l.* 2. *c.* 1. ſcribit, *pleroſque Belgas eſſe ortos à Germanis, Rhenumque antiquitus traductos, propter loci fertilitatem ibi conſediſſe, Galloſque qui ea loca incolerent expuliſſe*: ac ibidem inter Belgas numerat *Condruſos*, Trevirorum clientes, *Eburones*, *Cereſos*, *Pemanos*, *qui uno nomine Germani appellantur*: eoſdem eodem in libro

Germanos qui ripas Rheni incolunt ; initio *l. 6. c. 6. Ciſrhenanos Germanos* vocat, ut à Germanis Tranſrhenanis diſtinguat ; *Segnoſque & Condruſos ex Gente & numero Germanorum , qui ſunt circa Rhenum* memorat Cluv. *l.* 2. de antiqua Germania , auctoritatem Cæſaris ſecutus , affirmat & probat , Eburones , Condruſos , Segnos , Cereſos , & Pemanos , omnes uno & communi nomine primùm *Germanos* , deinde *Tungros* eſse appellatos. Plin. *l. 4. c. 17. Rhenum* (inquit (*accolentes Germaniæ Gentium in eadem provincia* (Belgica) *Nemetes* , *Triboci* , *Vangiones* , *Vbii* , *Gugerni* , *Batavi*, *& quos in inſulis diximus Rheni* , (*Cannenefates* nimirum , & *Friſii*, *Friſiabones* , aliique.) Et Tac. *l. de morib. Germ. c.* 28. de Germanis Ciſrhenanis ſic refert, *Rheni ripam haud dubiè Germanorum populi colunt* , *Vangiones*, *Treboci*, *Nemetes* , *Vbii*, *Batavi* : qui tres priores populi hodieque ſunt in provincia Germania prima vel ſuperiore ; *Vbii* , & Eburones vel Tungri ; ac *Batavi* in Germania ſecunda vel inferiore. Apud Tac. *Hiſt. l.* 4 *Viribus cohortium abductis* (*ex inſula Batavorum*) *Vitellius è proximis Nerviorum Germanorumque pagis ſegnem numerum armis oneraverat* ; Germanorum nimirum Ciſrhenanorum ipſi parentium. Et Triboces quidem, Vangiones, ac Nemetes unà cum Harudibus aliiſque Germaniæ populis Arioviſtus Rex Germanorum, paulo ante Julii Cæſaris adventum, in Galliam fineſque Sequanorum ad centum & viginti millium numerum tranſportavit. Ubios autem à Germanico Principatu Auguſti in Galliam tranſlatos eſse conſtat. Segnos , Condruſos , Eburones, Cereſos , Pemanos, *qui uno nomine Germani appellabantur* , cùm Cæſar ipſe *Rhenum antiquitus traductos* prodat in *l.* 11. multo ante ejus ætatem in Gallia conſediſse credendum eſt. Tiberius privignus Cæſaris Octaviani Auguſti , ac poſtea ſucceſsor , victis Germanis, *quadraginta millia captivorum ex Germania tranſtulit , & ſuper ripam Rheni in Gallia collocavit* Auguſti juſsu : ut ſcribit Eutropius in Breviario Hiſtoriæ Romanæ. Hoc eſt forſitan , quod ait Suet. c 21. Auguſtum Cæſarem *Suevos & Sygambros deditos in Galliam traduxiſſe , atque in proximis Rheno agris collocaviſſe.* Plin. à Rheno ad Scaldim pertinuiſse Germanos Ciſrhenanos aſserit *l. 4. c. 13. Toto autem hoc mari ad Scaldin uſque fluvium Germaniæ accolunt Gentes* : & *c. 17. A Scalde* (inquit) *ad Sequanam Belgica* , Item , *A Scaldi incolunt Toxandri* , &c. Ab his Germanis Ciſrhenanis circa Auguſti Principatum Germaniæ nomen accepit portio Galliæ Belgicæ Rheno proxima : quæ Germania Ciſrhenana duas diviſa eſt in partes, nimirum in provinciam Germaniam Superiorem vel primam , & in provinciam Germaniam inferiorem vel ſecundam. Ptolemæus in Germania ſuperiore , aliis prima dicta , Nemetes , Vangiones , Tribocos , & urbes Moguntiacum Tribocorum , Borbetomagum & Argentoratum Vangionum , Noviomagum , Nemetum ponit ; in Germania inferiore aut ſecunda Coloniam Agrippinenſem Ubiorum : cui Tungri cum urbe ſua Atuaca ſunt adjungendi præ cæteris. Hinc. C. Tac. *Hiſt. l. 1. c.* 12. *ſuperior Germania*, & *inferior Germania c.* 9. atque in plurali numero *Germaniæ* memorantur ; Suet. *in Vitellio* altera *inferior Germania c.* 6. altera *ſuperior provincia* in Galba *c.* 6. i. e. ſuperior Germania nuncupatæ. Idem Tac. *eodem in l. c.* 8. nunc *Germanicos exercitus* appellat : quos Suet. in Veſp. *c. 6. exercitus Germanicianos in Germania* vocat. Ex quo cognoſcitur, verum eſſe quod ſuprà aſſeruimus , circa tempora Auguſti , cui Tiberius ſucceſſit , parti Galliæ Belgicæ ad ripam Rheni jacenti appellationem provinciæ ſuperioris Germaniæ & provinciæ Germaniæ inferioris imponi occœpiſſe, (Tac. *l. 1. Ann. c.* 31. alterum in ſuperiore Germania apud ripam Rheni conſtitutum , *exercitum ſuperiorem* ; alterum in inferiore Germania poſitum , *inferiorem exercitum* vocat ; in *Hiſt. l.* 1. hunc , *inferioris Germaniæ legiones* ; illum , *ſuperioris Germaniæ legiones* : hiberna utriuſque exercitus , Plin. in *c. ultimo l. 4. caſtra legionum Germaniæ* nuncupavit ; Eumenius *in oratione pro reſtaurandis ſcholis Auguſtoduni, alarum & cohortium caſtra toto Rheni limite reſtituta.* Notitia Imperii Rom. ſub Comite rei militaris *tractum Argentoratenſem*, ſub Duce Germaniæ primæ , & ſub Duce Moguntiacenſi præfectos militum, Nemetis, Vangionibus, Moguntiaci, & in octo aliis Germaniæ locis conſiſtentium ponit. Suet. *in Jul.* quum ait, Q. Titurium Sabinum & L. Aurunculeium Cottam legatos Cæſaris per inſidias cæſos *in Germanorum finibus*, & Eutropius quum refert, *abſentem in Germania I. Cæſarem malè pugnâſſe, legatoſque ejus duos Titurium & Aurunculeium cæſos eſſe* : (quod Cæſar *l. 5. c.* 8. factum ſcribit in Eburonibus à Rege gentis Ambiorige) ambo cum Cæſare apertè declarant Eburones eſſe Germanos, ac provinciæ Germaniæ inferiori attribuendos. *Not. Gall.* Præter Auctores ſuprà memoratos , lege de Circulo Auſtriaco, Math. Merianum *Topogr. Prov. Auſtr.* Lazium *deſcr. Auſtriæ* , Joh. Cuſpinianum, Hier. Megiſerum *Ann. Carinthiæ* &c. de Bavarico , M. Velſer. *rer. Boic. l.* 6. Joh. Aventinum *Ann. Bojor.* Aldzreirerum *Ann. Boicæ gentis*, Trithem. &c. de Suevico , Mart. Cruſium *Ann. Suev.* &c. de Rhenano ſup. Merianum *Topographia Haßiæ*, Chr. Browerum *Geneal. Comit. Naſſov.* de Franconico Merianum *Topogr. Francon.* de Rhenano inf. eundem *Topogr. Archiepiſc. Mogunt. Trevir. & Colon.* Nic. Serrarium *Rerum Mogunt. l.* 8. P. Cratæpol. *Catal. Archiep. Trevir. & Colon.* &c. de reliquis, Auctores laudatos Becmanno *Hiſt. Orb. Terr.*

GERMANIA inferior propriè dicta à recentiorib. quæ aliter Belgium , Gallis *le Païs-Bas* , incolis *Nederlant* dicitur : & in ea ſunt 17. provinciæ. Ejus pars Borealis ſeu trans Rhenum erat aliàs in Germania , pars autem Auſtralis & cis Rhenum erat portio Galliæ Belgicæ ; nunc à Germanis omninò ſeparatur. Ex his pars quæ in Septentrionem tendit , ſubeſt Reipublicæ provinciarum fœderatarum , nempe Groninga , Friſia occidentalis , Tranſiſalana , Zutphania , Gueldria inferioir , Vltrajectum , Hollandia, Zelandia , & major pars Limburgi , cum aliquot locis Flandriæ & Brabantiæ , pars autem Auſtralis Belgii ſubeſt partim Regi Hiſpaniæ , uti Brabantiæ major pars , Flandriæ pars , Namurcenſis Comitatus , Mechlinia , Marchionatus S. Imperii , Gueldriæ pars ſuperior , Luxemburgenſis Ducatus pro majori parte , pars item Hannoniæ , & aliqua portio Arteſiæ & Limburgi ; partim Regi Franciæ , uti media Flandria , pars Hannoniæ & Luxemburgi, & tota ferè Arteſia. De his pluribus ſuo loco. Germania inferior dicitur ab Hiſpanis *Paeſes Baxos* , & ab Italis *Paeſi Baßi* , uti & ipſius pars ſeptentrionalior dicitur communiter *la Hollande* à provincia præcipua , & pars meridionalior *la Flandre* , à provincia ſic dicta. Vide *Belgium.*

Germaniæ regiones per circuitum , quæ mare attingunt.

Pomerania , *Pomeranie* , incolis *Pomern.*
Megalopolitana , *Meclebourg* , incolis *Meklenburg.*
Saxonia inferior, *Baſſe Saxe*, incolis *Nider Sachſen.*
Friſia orientalis , *Friſe orientale*, incolis *Ooſt Frieſen.*

Mediterraneæ.

Clivia , *Cleves* , incolis *Clef.*
Julia , *Juliers* , incolis *Gulick.*
Eyſalia , *Eisfeld.*
Palatinatus inferior ſeu Rheni , *Bas Palatinat* , incolis *die Pfaltz ſeu Nider Pfaltz of der Rhin.*
Alſatia , *Alſace*, incolis *Elſaß.*
Helvetia , *les Suiſſes* , incolis *Switzerlandt.*
Rhætia , *les Griſons* , incolis *Grauwbuntner.*
Tirolenſis Comitatus , *le Tirol.*
Carinthia , *la Carinthie*, incolis *Carnten.*
Stiria , *la Stirie* , incolis *Steyer.*
Auſtria , *l'Auſtriche*, incolis *Oeſterreich.*
Moravia , *la Moravie*, incolis *Mahren.*
Sileſia , *la Sileſie* , incolis *Schleſien.*
Marchia nova , *la nouvelle Marche* , incolis *niew Marck.*

Interiores.

Marchia media & vetus , *moyenne Marche & vieille Marche*, Germanis *Mittelmarck & alt Marck.*
Luſatia , *Luſace* , incolis *Lauſnitz.*
Bohemia , *la Boheme* , incolis *Boheim.*
Bavaria , *la Baviere* , incolis *Bayern.*
Nortgovia , *Nortgow.*
Suevia , *la Suabe* , incolis *Schwaben.*
Franconia , *Franconie* , incolis *Franckenland*
Haſſia , *la Heſſe*, incolis *Heſſen.*
Weſtphalia , *la Weſtphalie* , incolis *Weſtphalen.*
Saxonia ſuperior , *la haute Saxe* , incolis *Ober Sachſen.*
Miſnia , *la Miſnie* , incolis *Meiſſen.*
Thuringia , *la Thuringe* , incolis *Thuringen.*
Saxonia inferior , *la baſſe Saxe*, incolis *Nider Sachſen.*

Germaniæ inferioris provinciæ.

Arteſia , *l'Artois.*
Brabantia , *le Brabant.*
Flandria , *la Flandre.*
Friſia occidentalis ſeu propria, *la Friſe occidentale.*
Groningæ dominium , *la Seigneurie de Groningue.*
Gueldria , *la Gueldre.*
Hannonia , *le Hainaut.*
Hollandia , *la Hollande.*
Limburgicus Ducatus , *le Duché de Limbourg.*
Luxemburgenſis Ducatus, *le Luxembourg.*
Marchionatus S. Imperii, *le Marquiſat du S. Empire.*
Mechlinia dominium, *la Seigneurie de Malines.*
Namurcenſis Comitatus , *le Comté de Namur.*
Tranſiſalana , *l'Over Iſſel.*
Vltrajecti dominium , *la Seigneurie d'Utrecht*
Zelandia , *la Zelande.*
Zutphania , *le Comte de Zutphen.*

Urbes Germaniæ liberæ & Principum clariores, aſteriſmo majores indicante.

Amberga , *Amberg* , in Palatinatu Rheni.
* Argentoratum , *Straſsburg*, in Alſatia inferiori.
Auguſta Tiberii. Vide *Ratisbona.*
* Auguſta Vindelicorum , *Augſpurg* , in Suevia.
Bamberga , *Bamberg* , in Franconia.
* Baſilea , *Baſel* , *Baſle*, in Helvetiis.
* Berlinum , *Berlin* , in Marchia Brandeburgica.
* Berna , *Bern* , in Helvetiis.
Bipontum , *Zweibrucken* , in Palatinatu inferiori.
Borbetomagus. Vide *Wormacia.*
Brandeburgum, *Brandeburg*, in Marchia Brandeburgica.
Brema, olim Phabiranum, *Bremen*, in Saxonia inferiori.
Briſacum , *Briſach*, in Briſgovia.
* Brunopolis , *Braunſwick*, *vel Brunſwyck*, in Ducatu Brunſwicenſi.
* Caſſella , olim Stereontium, Haſſiæ primaria , *Caſſel.*
Coburgum , *Coburg* , in Franconia.
* Colonia Agrippina , *Coeln* , & *Coln* , in Diœceſi Colonienſi.
Conſtantia , *Coſtentz* & *Coſtnitz* , in Suevia.

Curia, *Chur*, & *Coira*, in Rhætia.
Curia altera, *Hoff*, in Voitlandia.
* Dreſda, *Dreſden*, in Miſnia.
Durlacum, *Durlach*, in Suevia.
* Egra, *Eger*, in Bohemia.
Embda, *Embden*, in Friſia orientali.
* Erphordia, olim Bicurgium, *Erfurdt*, in Thuringia.
Fanum Galli, *San Gal*, in Helvetiis.
Francphordia, *Franckfort an der Oder*, in Marchia Brandeburgica.
Friburgum, *Freiburg*, in Briſgovia.
Glogavia magna, *Groß Glogaw*, in Sileſia.
Gerlitium, *Gorlitz*, in Luſatia.
* Grypſualdum, *Gripſwald*, in Pomerania.
Guſterovia, *Guſtrow*, in Ducatu Megalopolitano.
Halberſtadium, *Halberſtat*, in Saxonia inferiori.
Halla, *Hall*, in Saxonia ſuperiori.
* Hamburgum, *Hamburg*, in Saxonia inferiori.
* Heidelberga, olim Budoris, *Heidelberg*, in Palatinatu Rheni.
Helenopolis, poſtea Francphordia, emporium liberum Franconiæ *Franckfort am Main*, in Franconia.
* Herbipolis, *Wirtzburg*, in Franconia.
Jena, & Iſenacum, academiæ Thuringiæ, *Jena* & *Iſenach*.
Ingolſtadium, aliquando Chryſopolis, *Ingolſtadt*, in Bavaria.
Lipſia, olim Lupphurdum, *Leipſick*, in Miſnia.
* Lubeca, *Lubeck*, in Holſatia.
Luneburgum, *Luneburg*, in Saxonia inferiori.
* Magdeburgum, olim Parthenopolis, *Magdeburg*, *Meidenburg*, in Saxonia inferiori.
Mansfeldia, *Mansfelt*, in Saxonia inferiori.
* Martisburgum, olim Amaſia, Haſſiæ academia & primaria regionis, *Marpurg*, in Haſſia.
Miſnia, *Meiſſen*, in Miſnia.
* Mogontiacum, quæ & Magontia, ac Moguntia, *Mentz*, in ditione Moguntina.
* Monachium, *Munchen*, in Bavaria.
* Monaſterium, olim Minigroda, *Munſter*, Mymingrode Munſtero, *in Weſtphalia.*
Neoburgum, *Newburg*, in Brunſvicenſi Ducatu.
* Neroberga, & Noriberga, ac Norica *Nurnberg*, in Franconia.
Nerolinga, *Nordlingen*, in Suevia.
Noriberga, & Norica. Vide *Neroberga.*
Olomucium, Julius mons aliquibus, *Olmutz*, in Moravia.
* Praga, olim Marobudum, ut creditur: *Prag*, in Bohemia.
* Ratiſpona, & Reginopolis, *Regenſpurg*, in Bavaria.
Rhodopolis, poſtea Roſtochium, *Roſtock*, in Ducatu Megalopolit.
Rotovilla, *Rotweil*, in Suevia.
Salodorum, *Solothurn*, in Helvetiis.
* Spira, olim Nemetes, & Neomagus, *Speyr*, in Palatinatu Rheni.
* Stetinum, *Stetin*, in Pomerania.
Sturgardia, *Stutgard*, in Suevia.
Sundis, *Straelſundt*, in Pomerania.
Suſatum, *Soeſt* in Weſtphalia.
Swenitium, *Schweinitz*, in Sileſia.
* Tigurum, *Zurich*, in Helvetiis.
Tremonia, quæ & Dortmania, *Dortmond*, in Weſtphalia.
Treviri, *Trier*, in Trevirenſi ditione.
Tubinga, aliquando Auguſta, *Tubingen*, in Suevia.
Vangiones. Vide *Wormacia.*
* Verona, poſtea Berna.
* Veſuntio, aliquando Chryſopolis, *Beſanzon*, in Comitatu Burgundiæ. Hujus nempe Archiep. eſt Imperii Princeps. *Miræus.*
Vimaria, aliàs Vinaria, *Weimar*, in Thuringia.
* Viſmaria, *Wiſmar*, in Ducatu Megalopolitano.
* Vitemberga, quaſi Vitarum mons, *Witenberg*, in Saxonia inferiori.
* Vlma, *Vlm*, in Suevia.
Volgaſtum, *Wolgaſt*, in Pomerania.
* Vratiſlavia, *Breslaw*, in Sileſia.
Wormacia, *Worms*, in Palatinatu inferiori.
Zuica, olim Cygnea *Zwickau*, in Luſatia.

Vrbes Norici, Auſtriam, Stiriam, Carinthiam, Carniolam, partem Bavariæ & Comitatus Tirolenſis continentis.

Andreapolis, quæ & Lavantum, *S. Andres*, in Carinthia.
Aniſium, *Ens*, in Auſtria ſuperiori.
Aſtaris, *Steyr*, in Auſtria ſuperiori.
Brixina & Brixinum, *Brixen*, antea in Rhætia.
Candolica. Vide *Vitopolis.*
Celeia, *Cilley*, in Stiria.
Cetium, *Zeiſſelmur*, in Auſtria.
Chiema, *Chiemsée*, in Bavaria.
* Claudia, *Clagenfurt*, in Carinthia.
Cremeſium, *Krems*, in Auſtria.
Draburgum, *Draburg*, in Carinthia.
Fanum S. Viti. Vide *Vitopolis.*
* Flaviana, quæ & Iuliobana, Vienna poſtea, *Wien*, Auſtriæ caput, Academia, & Epiſcopatus ſub Archiep. Salisburgenſi.
* Gracium, ſive Græcium, olim Savaria, *Grætz*, antea in Pannonia.
Gurcum, *Gurck*, in Carinthia.
Iuliacum, olim Vacorium, *Villach*, in Carinthia.
Iuvavia. Vide *Salisburgum.*
* Labacum, *Labach.*, in Carniola.
Lavantum. Vide *Andreapolis.*
Leitæ, ſeu Lytipons, *Pruck*, in Auſtria.
* Lencia, *Lintz*, in Auſtria.
Medelicum, *Melck*, in Auſtria.
Muræpons, *Prucklan der Muer*, in Stiria.
Neoburgum geminum, *Neuburg*, in Bavaria.
Nova urbs, *Neuſtat*, in Auſtria.
* Oeni pons, *Inſpruck*, in Comitatu Tirolis.
* Patavia, *Paſſaw*, in Bavaria.
Petovio & Petovium, *Petaw*, antea in Pannonia, nunc in Stiria.
* Salisburgum, olim Iuvavia, *Saltzburg*, in ditione Salisburgenſi
Secovia, *Sekaw*, in Stiria.
* Tridentum, *Trento*, *Trient*, antea in Rhætia, nunc in Tirolenſi Comitatu.
Vidonis Curia.
* Vienna, *Wien*, quæ antea erat Pannonia.
Vitopolis, *S. Veit*, in Carinthia.

Ex his urbibus aliquot fuére aliàs in Rhætia, & quædam in Pannonia, ſicque extra Noricum: nunc autem omnes in Germania cenſentur.

GERMANIA, urbs Mœſiæ Inf. circa Thraciam, aliàs metropolis, & patria Beliſarii.

GERMANICA, legio ſeptima. Ptol. Hiſp. Tarrac. urbs.

GERMANICÆ Hiſtoriæ Univ. Societas, vide *Teutonico-Leopoldina Societas*: ſicut de altera per *Germaniam* Societate *Naturæ Curioſorum*, ubi de *Curioſis*.

GERMANICIA ſeu GERMANICEA, Euphrateſiæ urbs. Steph. juxta Amanum montem. *Adata* vulgò, teſte Manaſſe. Item urbs Galatiæ Paulo Diacono, qui eam *Mirangules* vocat.

GERMANICIANA, Africæ Propriæ urbs. *Ant.*

GERMANICIANI, apud. Suet. *Tib. Ner. c.* 25. *Flagitabant ambo exercitus ---- ut æquarentur ſtipendio prætorianis.* Germaniciani *quidam etiam detrectabant Principem*; milites dicuntur Exercitus Germanici, Græcis οἱ ἐκ τῶν στρατοπέδων τῶν ἐν τῇ Γερμανίᾳ. Sed & ipſe exercitus *Germanicianus* dicitur eidem *Veſp. c.* 6. ad quem locum vide Caſaub. *Animadv.* Idem *Oth. c.*8.

GERMANICOPOLIS, Aſiæ minoris urbs circa Helleſpontum. Plin. *l.* 5. *c.* 32. Ejus meminit Amm. Marcell. *l.* 27. ſed dicit eſſe in Cilicia.

GERMANICUM, caſtrum Galliæ, in Biturigibus, olim minutiſſimum, à Ludovico Craſſo Gall. Rege ad deditionem adactum; capto Haymone Burbonenſi domino. *Germigny* hodie, inter Dunum Regis & Nivernum, in pago Burbonenſi, 6. vel 7. leuc. a Burbone Erchembaldi. Eſt & *Germaniacum*, ad Vidulam fluv. vulgò *Germigni* non longè à Durocortoro Remorum, quod Theodoricus Auſtraſiorum Rex Theodorico Abbati donaviſſe dicitur. Item *Germiniacus* villa à Monaſt. Floriacenſi non multùm diſſita. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

GERMANICUM Mare, ſeu Oceanus Germ. qui Germaniam alluit inter oſtia Rheni & Albis fluv. Ptol. In quo Gleſſariæ inſulæ, & Thule, Plin. *l.*4..*c.*13. Diſtinguitur in Ocean. Sept. *Nortzée*, Occid. *Weſtzeé*, Danis; & Mer. quâ effunditur in vaſtum ſinum per Hollandiam, *Zuyderſee*. A᾽ variis variè promovetur in Or. & Bor. Quibuſdam terminatur ad prom. Schanuvium. in Sept. excurrit ad prom. Bor. *Noortcaep*, hincque ſpargitur in oras Norvegicam & Anglicam. *Baudr.*

GERMANICUS, inter titulos Domit. Imp. apud Stat. *l.* 4. Silv. 1. *v.* 2.

> *Læta bis octonis accedit purpura faſtis*
> *Cæſaris, inſigneſque aperit* Germanicus *annum.*

Titulus Carminis eſt, *Conſulatus Imp. Aug. Germanici.* Sic ſequens inſcribitur, *Eucharisticon ad Imp. Aug. Germanicum Domitianum*: Hodie id nomen in Faſtis Domitiano ſubjectum legitur. Vide infrà ubi de *Rheni* ſimulacro, it. *Septembri*; & plura hanc in rem apud Barth. *ad d. l.* ut & in voce *Domitianus*.

GERMANICUS Cæſar, Coſ. Collega C. Fonteii Capitonis A. U. C. 764. Fil. Druſi, C. Cæſaris Caligulæ pater, à Tiberio patruo adoptatus eſt, Suet. Calig. *c.* 1. *quæſturam quinquennio, antequam per leges liceret, ac poſt eam conſulatum ſtatim geſſit. Miſſus ad exercitum in Germaniam, exceſſu Aug. nuntiato, legiones univerſas Imp. Tiberium pertinaciſſimè recuſantes, & ſibi ſummam reip. deferentes, incertum conſtantia an pietate majore compeſcuit: atque hoſte mox devicto triumphavit.* Armeniæ Regem devicit: Cappadociam in provinciæ formam redegit. Diutino morbo, Antiochiæ Obiit An. Æt 34. non ſine veneni ſuſpicione, Tac. Ann. *l.* 2. *c.* 69. Fraude Tiberii miniſterio & operâ Cn. Piſonis, qui ſub idem tempus Syriæ præpoſitus erat. Suet. in *Jul. Cæſ. Calig. c.*5. Moritur hîc Germanicus A. M. 3981. poſt C. N. 19. Vide quoque Tac. Ann. *l.* 1. *c.* 3. de quo infrà. Hunc, ut poëtam, celebrat Ovid. *in Faſtis*, *l.*1.*v.*3. & 63. quos ei dicavit, item *carmine ad Suillium*. Et fortaſſe ejus, non Domitiani Germanici carmen eſt, quod in veteribus epigrammatis legas, de puero Thrace, cui glacie caput abſciſſum, Suet. *in Calig. c.*3. *Omnes Germanico corporis, animique virtutes, ut quantas nemini cuiquam contigiſſe, ſatis conſtat.* Magnum & rarum elogium, in quo tamen conſentiunt Hiſtorici. Tac. Ann. *l.* 2. *c.*64. & 83. Pluribus perſequitur illius laudes, etiam cum Alex. Mag. comparatione factâ. Dio paucis verbis non pauciora dicit *l.* 57. Κάλλιστος μὲν τὸ σῶμα, ἄριστος δὲ καὶ τὴν ψυχὴν ἔφυ, παιδείᾳ τε ἅμα καὶ ῥώμῃ διέπρεψε, πρᾳότατός τε καὶ σωφρονέστατος ἦν. Dilaudat eun-

dem & Joſeph. *Origin. l.* 18. *c.* 8. Unus Vellejus, per adulationem principis turpiſſimam, auſus eſt laudato ab omnibus juveni ignaviæ maculam aſpergere.

GERMANICUS, locus Germ. nunc vicus *Foburg.* ad Danub. ubi Ilmium fluv. recipit in Bavar. *Cluv.*

GERMANII, Perſiæ gens. Herod. *l.* 1. *c.* 125.

GERMANION, 28. Jeruſalem Ep. poſt Dium, ſucceſſore Gordio. A. C. 209. Euſeb. *Hiſt. l.* 6. *c.* 8. & 9.

GERMANITAS, tit. honorarius, in Epiſtolis Epiſcoporum ſibi invicem ſcribentium, apud Auguſtin. *in Ep.* 19. 97. & 106. Vide ſuprà *Fraternitas.*

GERMANOPOLIS, Paphlagoniæ urbs. Ptol. *Ginopoli* teſte *Moletio.*

GERMANO-Sarmatia, vide *Sarmatia.*

GERMANORUM Apoſtolus, dictus Bonifacius Anglus de quo vide ſuo loco & infrà *Mogontiacum.*

GERMANORUM opp. in finibus Trevirorum pagoque Trevirenſi, ad lævam Ripam Rheni rivulique Wocharæ; ubi Goar Aquitanus, Oratorium cellulamque extruxit, ſub Sigiberto Jun. Auſtraſiorum Rege. Hodie ad S. Goarem, vulgò *S. Gewer* dicitur. Fortè hunc locum Auſ. *in Moſella v.* 473. deſignavit nomine *Germanorum portuum*, ſic canens:

Vel qua Germanis *ſub* portubus *oſtia ſolvis.*

Sub eo enim & ab eo non procul ſunt confluentes Moſellæ & Rheni. Vaſaliaco ſup. proximum eſt, inter hoc & Bobardum ſitum. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

Patriarchæ Conſtantinop.

GERMANUS I. Patr. Conſtantinop. à Leone Iſaurico pulſus, A. C. 730. Æt. 90. Niceph. *in Chron. Cedren.*

GERMANUS II. Emanueli ſucceſſit, A. C. 1222. per An. 17.

GERMANUS III. A. C. 1255 Cui Arſennus ſucceſſit. Item, Patr. Hieroſolymitanus, ſec. præt. Genebrard. *in Chron.*

Viri Celebres.

GERMANUS, Altiſſiodorenſis Ep. à Pelagiano errore Britannos, cum Lupo Trecenſi, ad veram fidem revocavit A. C. 431. Obiit Ravennæ, Proſper *in Chron.*

GERMANUS, Britanniæ Ep. ſub Utherio Pendraco Britannos in Saxones educens, ter cantato cantico *Allelujah*, hoſtes fugavit. A. C. 517. Polyd. *Hiſt. l.* 3. & 4.

GERMANUS, Capuæ Ep. ab Anaſtaſ. P. ad Anaſtaſ. Imp. miſſus, ut hæreticis favere deſineret; apud Juſtinum eodem munere functus. Obiit A. C. 521,

GERMANUS, Ep. Pariſ. Childeberti Regis Eleemoſynarius magnus. Obiit A. C. 576. *Greg. Turon.*

GERMANUS Audebertus, Aurelianenſis, Philoſophus, Poëta & JC. Alciati auditor. Ob verſus in Romæ, Neapolis & Venetiarum laudem, clarus, Eq. D. Marci dignitatem meruit. Obiit A. C. 1598. Æt. 80. Scævola San-Marth. *in Elog. l.* 4.

GERMANUS Brixius, Antiſſiodorenſis, Græcè doctiſſimus, vertit Chryſoſtomum de Sacerdotio, ſcripſit de pugna inter Gallicam quandam & Anglicam navem, verſu, &c. Spoliatus Bleſis, cùm in Aula eſſet, præ mœrore in reditu Obiit. Paul. Jov. *Elog. c.* 14.

GERMANUS Johannes, vide *Johannes.*

GERMANUS Vaillantius, Ep. Aurel. Græcè doctus, Poëta, Commentator Virg. Franciſco I. gratus Sauſſæus *Ann. Aurel.* Obiit A. C. 1587. Æt. 70. Prædixerat is parricidium funeſtum in Henrico III. commiſſum, & turbas illud inſequutas, viditque maximam ſcriptorum ſuorum partem ipſe perire, ac diſſipari inteſtino bello. Vide quoque *Elogia* San-Marth. & Anton. Teiſſier, nec non Barthium *Adverſ. l.* 50. *c.* 9.

S. GERMANUS, vide *Grandis vallis.*

GERMARA, Celtica gens, quæ interdiu nihil videt. Steph. *ex Ariſt. Mirabil.* & Apollon. *ex Eudoxo.*

GERMEUS Marcus, vide *Marcus.*

GERMIA, Leuncl. *Kermen*, urbs Thraciæ, Hadrianopoli finitima, nunc clara, & ſedes Præfecti: *Gerne* quibuſd. Lacus Varani, in prov. Capitanata regni Neap. verſus montem Garganum ad Bor. & oram littor. maris Hadr. Circuitus 16. mill.

GERNLERUS Lucas, Theologus Baſilienſis, eruditione, pietate facundiâ, Orthodoxiæ zelo, agendi dexteritate, celeberrimus. Natus A. C. 1625. patre Joh. per 50. Ann. Eccleſiaſte inculpato: poſt egregiam Lingg. Philoſophiæque peritiam hauſtam, Theologiæ animum applicuit: cui in patrio Athenæo, auſpiciis Zuingerii, Buxtorfii, Beckii, Grynæi, virorum celeberrimorum, feliciter operatus, ad exteras Eccleſias viſendas, per Galliam, Britanniam, Belgium, & Germaniam iter inſtituit: Redux in patriam, poſtquam foris domique verbum Domini, incredibili ſucceſſu aliquandiu prædicavit; dignus eſt habitus, qui Theodoro Zuingero, Socero ſuo, Eccleſiæ Baſil. Antiſtiti Sexto, A. C. 1654. in Domino piè defuncto, ſuccederet; à quo tempore, quantus in Eccleſia, quantus in Academia eſſet, indefatigabili alacritate, teſtatus eſt luculentiſſimè. Obiit A. C. 1675. menſ. Febr. poſtquam aliquot menſ. antè ſub finem anni præc. ſuggeſtus, è quo populum ſolito zelo docebat, ingenti terræ motu intremuit, & Luna mox Cal. Jan. emortualis anni totum vultum horribili ferrugine texit. Ejus brevi prodibunt: *Prælectiones in Prophetiam Danielis*, aliaque luce quam maximè digna. Pater fuit Joh. Henrici jam Eccleſiaſtæ in patria Micropolitani, & Theodori, Cœtus Germanici qui Genevæ colligitur Miniſtri, qui ambo veſtigiis paternis avitiſque ſtrenuè inſiſtunt. Vide Petrum Werenfelſium, qui illi in functione ſucceſſit, *in Orat. fun.*

Nox poſtquam oppreſſit tantum, mea Patria, ſidus,
Qui micat, ô mirum! rurſus ab axe dies!

GEROCOMIUM, ex Græco Γηροκομεῖον, locus ubi *Senes* aluntur, in *Vita* Euphroſinæ Virg. *n.* 8. aliter *Gerontocomium*, Gr. Γεροντοκομεῖον, apud Julian. Anteceſſ. *Conſtit.* 7. *Diverſorium Senum*, in Monaſteriis agnoſcit Petrus Diacon. *de Mirac. S. Benedicti Caſini* [illegible] *n.* 29. Inter quod Γηροκομεῖον & Γηροτροφεῖον id diſcriminis ponunt Grammatici, quòd iſtud ampla, hoc minor ædes ſit, in qua aluntur ſenes. *Lexicon* Gr. MS Γηροκομεῖον μέγα, Γηροτροφεῖον μικρὸν, *Gerocomium magnum, Gerotrophium parvum*, apud C. du Freſne *in Gloſſ.* qui de *Gerontocomiis & Gerotrophiis CP.* agit in *CP. Chriſt.* Cæterùm *Gerontocomia* primùm inſtituiſſe Hyrcanum Judæorum Principem, refert Egeſippus. Quem imitatus inter Chriſtianos Impp. Mauritius, domum, in qua ſenes morboſi alerentur, nomine *vivarii ſumptuoſi*, extruxiſſe magnificis impenſis, legitur apud *Cedren.* &c.

GEROLDSECCIA, Germ. *Geroldſeck* vel *Hoken-Geroldſeck*, Familiæ nomen in Germania illuſtris: cujus auctorem *Geroldum* Bavariæ Ducem, Hildebrandi Ducis Sueviæ fil. & Hildegardis, Carolo Magno nuptæ, fratrem conſtituunt; cùm alterum quidem ejus fil. Bertholdum, Ducatui Sueviæ admotum, alterum *Geroldum*, caſtro *Geroldſeccio* à Patre donatum, perhibent. Certè gens inter illuſtriores ſemper numerari meruit, & conjugiis dignis decora avita conſervavit. Demum in Anna Maria, Friderici Com. Solmenſis, & [illegible] ceps Fridericus Marchionis Badenſis, uxore, de cujus progenitoribus paulo pòſt, tota defecit. Et quidem de ejus in Baronatum [illegible] ſione, in Inſtr. Pac. §. 4. cautum eſt: de cætero Cronenburgio [illegible] miti titulus iſte acceſſit, & ob illum, inter Proceres Imperii, locus. Alia Familia fuit Dominorum *Geroldſecciæ ad Vogaſium*, in Alſatia [illegible] oris, quæ cùm dudum defecerit, ejus nominis memoriam Rappolſtenii Comites ſervarunt. Redeo ad Annam Mariam præfatam, cujus progenitores ita habent: Waltherus Dn. *de Hohengeroldſeck*, ex Eliſabetha Liechtenbergica filia, Simonis, Theobaldum genuit, extinctum A. C. 1461. Quo & Dorotheâ *de Thengen* filiâ Eberhardi Comitis, nat. Gangolphus, ex Cunigunda Montfortia (quæ obiit A. C. 1515.) ſuſcepit filium cognominem: cui Anna Rupinenſis, filia Joh. *Com. de Lindau & Rupin*, genuit Quirinum Gangolphum, qui exceſſit A. C. 1569. Pater ex Maria Com. Honſtenia Jacobi, inter maſculos ſuæ gentis extremi. Obiit enim is A. C. 1634. non niſi duabus filiabus ex Barbara Rappolſtenia genitis: quarum una Maria Magdalena nata A. C. 1585. Obiit A. C. 1587. altera Anna Maria, Friderico primùm Com. Solmenſi *in Laubach*: inde Friderico M. Bad. *in Durlach*, nupta, uti dictum, deceſſit A. C. 1649. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Part.* 2. & *in Indic.*

GERON, fluv. Peloponneſi, apud Pylum opp.

GERRONTIA, inſ. ante ſinum Pagaſicum. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

GERONTICON, in *Charta* Siſnandi Ep. Irienſis *Æræ* 912. apud Ant. Yepezium *Chron. Ord. S. Benedicti Tom.* IV. *Libros* [illegible] *num Ordinarium & unum Sacerdotalem, & unum* Geronticum, [illegible] *um cum Officio Paſſionis & Miſſæ ipſius Martyris* &c. liber eſt continens Vitas Patrum ſeu *Seniorum*, de quo ita Joh. Antiochenus nuper editus à Joh. Bapt. Cotelerio *c.* 5. Ἡ πρώτως ἐν Αἰγύπτῳ συντεθεῖσα [illegible] βίβλος τῶν ἁγίων γερόντων τῆς Σκήτεως, Θεβαΐδος, Λιβύης [illegible] λιτείας καὶ ἀποφθέγματα τούτων κατὰ στοιχείων ἐμπεριέχουσα. *Primum in Ægypto concinnatus ingens Liber ſanctorum Senum, in Scethi, Thebaide & Lybia, ſanctam eorum converſationem & apophthegmata, juxta ordinem literarum, complexus.* Cujus, Latinè editi à Roſweido, Græcum [illegible] exemplar nactus idem publicavit *in Monumentorum Eccl. Græcæ Tom.* 1. Vide quoque *Notas* ejus *p.* 795. & Car. du Freſne *in Gloſſ.* nec non infrà *Senex*, it. *Seniores.*

S. GERONTII opp. *S. Girons*, in provincia Galliæ Benearnenſi, haud procul abeſt, à caſtro S. Gaudentii, *S. Gaudens*, vide Hadr. Valeſ. in *Sancti Gaudentii caſtrum.*

GERONTIUS, Diaconus Mediol. ab Onoſcelide quodam [illegible] ſum & molæ affixum, dicens, juſſu Ambroſii domum pro carcere habuit. Sed indè cùm in Græciam evaſiſſet, Medicinæ peritiâ [illegible] tum effecit, ut Ep. Nicomediæ fieret: A Chryſoſtomo depoſitus. Sozom. *l.* 8. *c.* 6. Socrat. *l.* 6. *c.* 10. Item, Dux Conſtantini Tyr. [illegible] Maximum pulſo Imp. ſurrogaturus, adventu Honorii copiarum, quas Conſtantius ductabat, in Hiſp. fugit, ubi ſeipſum, cum uxore & Valente amico occidit A. C. 449. Caſſiod. & Proſper. *in Chron.* Oroſ. *l.* 7. *c.* 40. Sozomen *l.* 9. *c.* 11. & 12. & ſeqq. Item, hæreticus, à Baſiliſco, Anaſtaſio Hieroſol. ſuffectus.

GERONTOCOMIUM, vide *Gerocomium.*

GERRA, vulgò *El Catif*, urbs Arabiæ in ora Sinus Perſici. Huic Sinus adjacens aliquando *Geraicus.*

GERRÆ, pop. Sept. apud Dionyſ. Perieg. *v.* 131.

Πρὸς δὲ νότον Γέῤῥαι, καὶ Νωρίκοι ἄστε' ἐρυμνά.

Ita enim vulgò legebamus donec Tanaquillus Faber aliam [illegible] nem nobis ſuppeditavit, *Ep. Crit.* 27. Sic enim ille: *Et tamen* [illegible] inquit, *quantumvis leviter in his rebus eruditus, facilè conjicere poterat non* Γέῤῥαι, *ſed* Ῥαῖτοι *legendum eſſe. Nic. Lloyd.*

GERRÆ, crates vimineæ, Græcè γέῤῥαι quoque; quas cùm Athenienſes, Syracuſas obſidentes, crebrò poſcerent, irridentes eos Siculi *gerras* clamitabant; unde factum, ut *gerræ*, pro nugis & contemptu, dicantur, Feſt. Hinc itaque *Gerræ Siculæ*, proverb. [illegible] men ſcuta Perſica ἐκ λύγων καὶ οἰσύων, *gerras* dictas eſſe volunt [illegible] apud Suid. & Euſtath. videre eſt. Sed & faſcini ſic dicti ſunt in Naxo, Veneris inſ. Nonio teſte &c. At *Gerres*, apud Mart. [illegible] *Epigr.* 75. cujus epigraphe in Bæticum.

Teque juvant gerres, *& pelle melandrya cana:*

millia

minuta ſalſamenta ſunt è locuſtarum genere, de quibus vide Plin. *l.* 32. *c. ult.* & Hadrian. Turneb. *Adverſ. l.* 24. *c.* 46.

GERRHA, urbs Ægypti maritima, apud Palæſtinæ confinia, *Maſeli*, teſte Molet. cum Ortelio. Steph. eſt urbs Chaldæorum. *Gerrhum* dicitur. *Ptol.*

GERRHENI, populi. 2. Machab. *c.* 13. *v.* 24.

GERRHI, Sarmatiæ Aſiaticæ gens. Ptol. Et Arabiæ Felicis populi.

GERRHUS, vel GERUS, fluv. Albaniæ, in Caſpium mare fluens. Ubi *Geri* pop. Vide & *Gerus*. Plin. *l* 4. *c.* 12.

GERSHAM, fil. Moſis. Exod. *c.* 2. *v.* 22. Lat. *advena ibi*. 1. Par. *c.* 6. *v.* 62. & 71. & *c.* 15. *v.* 7.

GERSHOM, fil. Phinees. 1. Eſd. *c.* 8. *v.* 2.

GERSHON, fil. Levi. Gen. *c.* 46. *v.* xi. 1. Par. *c.* 6. *v.* 1.

GERSON, vel JARSON, à loco natali, aliàs Joh. Charlerius, Doctor & Cancell. Academiæ Pariſ. Sui ævi Oraculum. A Duce Burgundiæ, hæreſeos in Concil. Conſtantienſi fruſtra accuſatus, ſub vitæ finem plurima paſſus eſt, quòd in ſeculi vitia liberius eſſet invectus. Obiit Lugduni, A. C. 1419. Opera ejus habentur, edita Argentinæ, A. C. 1488. & Pariſiis A. C. 1606. in 4. partes diviſa. Morer. *Dict. Hiſt.* Vide & *Johannes*.

R. GERSON, doctor captivitatis Gallicæ, auctor *Thekanot verſionis* Obiit A. M. 4830. juxta R. Ganz. Ejus tempore fuêre, R. Juda F. Barzelon, auctor libri *Hettim*, ſeu de temporibus, R. Joſeph. Tob. qui ſcripſit *Olam amuba* ex omnibus verſibus, & R. Zerachia, auctor *Meer Enajim* aliique memorati in *Juchaſin* p. 130. Vide cit. Ganz in *Chronologia Rabbinor.*

GERSON, quæ & GERGASSI, civitas eſt alienigenarum in Baſanitide, in tribu Manaſſe, de qua filii Iſraël expellere non valuêrunt Geſſuri. Hier. *de loc. Hebr. lit* G. dict. *Gerſon*.

GERTIGOS, Morali *Vambra*, opp. Hiſp. nunc pag. Portugall. in reg. Igeditania.

GERTRUDIS, virgo pietate & ſcriptis inclyta, A. C. 1280. Trithem. *Catal.*

GERTRUDIS Mons, Urbs Hollandiæ Mer permunita, in ora Mervæ, in confin. Brabantiæ 2. leuc. à Breda in Bor. vix 3. à Dordraco in Eur. Sub Batavis. vulgò *Geertruydenberg*.

GERVA, Leuncl. *Trebilium*, urbs Armeniæ maj.

GERVASIUS, Anglus, nepos Henrici II. ab Ottone IV. Mareſchallus regni Arelat. factus. Scripſit Mappam Orbis. hiſtoriam Angliæ, Terræ S. de origine Burgundorum, Mirabilia Orbis Chronicon cui tit. *de Otiis Imperialibus*, &c. Vide Voſs. *de Hiſt. Lat. & Mathem.*

GERVASIUS, Cantuarienſis, Benedictinus, ſec. 13. Hiſtoriam Angliæ compoſuit, ubi ſatis curioſè in Britonum, Saxonum & Normannorum originem inquirit. Item vitas Archiepp. Cantuar. Balæus, Geſner. *Voſſ.*

GERVASIUS Ricobaldus, Ferrar. vitas Paparum, uſque ad A. C. 1300. perſequutus eſt. Volaterr. *l.* 22. *Comm. Urban.* Vide Hier. Rubeum, *Hiſt. Ravenn. l.* 2. & 6. Voſs. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 62. *p.* 499.

GERULA, apud Iſid. *Uri agreſtes boves ſunt in Germania, habentes cornua in tantum protenſa, ut regiis menſis inſigni capacitate ex iis gerulæ fiant*: vas vini eſt aut cujuſlibet humoris capax, undè *Gerlas* hodie Burgundi vocant vaſa ampla lactis aut aquæ gerula, ex ligno facta. Aliàs *Gerula*, apud Romanos, miniſterii domeſtic nomen erat, à gerendo infantes. Hanc à Nutrice diſtinguit Hier. *ad Lætam*, *Nutrix ipſa non ſit temulenta, non laſciva, non garrula, habeat modeſtam Gerulam, nutricum gravem.* Neque verò hæc opera diſcreta ſemper, ſed Nutricem aliquando *Gerulam* quoque fuiſſe, diſcimus ex Plaut. *Prol. Pœn. v.* 28.

> Nutrices *pueros infantis minutulos*
> *Domi ut procurent, neu quæ ſpectatum afferant;*
> *Ne & ipſæ ſitiant & pueri pereant fame.*

Etiam *Geruli* fuêre ſervi, qui id officii ſub Nutricibus præſtarent, à Scholiaſte Sophoclis *in Ajace flagellifero* Βάϊουλοι, *Bajuli* dicti, quòd bajulent geſtentque ulnis pueros: Unde in Aula CP. olim *Magnus Bajulus*, apud Georg. Codin. *Geruli* ſportularum, ſimiliter è miniſterio fuêre: de quibus Juv. *l.* 1. *Sat.* 3. *v.* 249. & ſeqq.

> *Nonne vides, quanto celebretur* ſportula *fumo?*
> *Centum convivæ: ſequitur ſua quemque culina.*
> *Corbulo vix ferret tot vaſa ingentia, tot res*
> *Impoſitas capiti, quas recto vertice portat*
> *Servulus infelix, & curſu ventilat ignem.*

Et hæc focorum migratio erat ab ædibus divitum ad tenuiorum & pauperum domus, qui ſportulam officio diuturno commeruiſſent: Illæ autem à culina in triclinium beatorum & divitum & in ipſo triclinio fuêrunt, quarum meminit Senec. *Ep.* 78. & Mart. *l.* 7. *Epigr.* 47. cujus epigraphe de Annio,

> *Cùm menſas habeat fere ducentas,*
> *Pro menſis habet Annius miniſtros:*
> *Tranſcurrunt Gabatæ, volantque lances* &c.

Hujus agminis portio fuit, ille apud Evangelii Scriptores Marcum & Lucam, lagenam ſeu amphoram aquæ bajulans: item illi apud Sidon. *l.* 9. *Ep.* 13.

> Geruli *caput plicantes*
> *Anaglyptico metallo,*
> *Epulas ſuperbiores*
> *Humeris ferant onuſtis* &c.

Vide Laur. Pignor. *l. de Servis p.* 191 & 192. Apud Suet. *Calig. c.* 40. *Vectigalia nova atque inaudita* —— *exercuit* ---- *Ex Gerulorum diurnis quæſtibus pars octava* &c. *Geruli* ſunt, οἱ [illegible] φέροντες Græcis, προυνείκους & ἀχθοφόρους Attici dixêre; Latini etiam *bajulos* & *gerones*, ut Cic. *Ep. ad Attic.* Vide Caſaub. *aad. l.* nec non Salmaſ. *ad Solin. p.* 230. &c.

GERULATA, vulgò *Kerlburg*, oppid. Hung. ad ripam Danubii, 3. leuc. à Poſonio. *Cluv.*

GERULPHI, apud Gervaſ. Tilleber. *in Otiis Imperial. part* 1. appellari Gallis dicuntur, qui Græcis λυκάνθρωποι, Gallis *Loup-garous*, quaſi *Lupi-homines*, hodiè, vide infrà *Guaratores*.

GERUNDA, vulgo *Girona*, Hiſp. Tarr. urbs, Auſetanorum fuit, nunc Catalauniæ apud oram litoream: de qua Prudent. περὶ στεφανῶν Hym. 4. *v.* 30.

> *Artibus ſanctis locuples* Gerunda.

ad amnem Sambrocam *Ter*; Dives & munita, cum Duc. tit. 7. leuc. ab ora maris Medit. in Occ. 8. à confin. Gall. & Comit. Ruſcinonenſis, in Auſtr. 16. à Barcinone. Baudr. Epiſcopal. eſt ſub Archiep. Tarraconenſi: de cujus Conciliis vide Tom. VI. *Concil.* & Morer. *Dict. Hiſt.*

GERUNDENSIS Ager à Saracenis vaſtatus. Blondus *l.* 2. *Decad.* 2.

GERUNIUM, vulgò CIRIGNOLA, opp. Apuliæ Dauniæ inter Aſculum & Canuſium, quam Quadratus *Geroniam* appellat. Steph. Κουάδρατος δὲ Γηρωνίαν αὐτὴν καλεῖ.

GERUS, vel GERRHUS, fluv. Scythiæ, in ſinum Carcinitem influens, ſeptimus ab Iſtro memoriâ dignus. Herod. *l.* 4. *c.* 19. 47. & 56. Steph. locus eſt & fluv. proximus Boryſtheni, Baſilidas & Nomadas ſeparans. Val. Flacc. Argon. *l.* 6. *v.* 67.

> —— *Potaque Gerys quos efferat undâ.*

GERUSA, urbs Sarmatiæ Aſiaticæ. Ptol. *S. Georgio* hodiè dici putatur.

GERUSIA, ex Græco γερουσία, Sparta ſeu Lacedæmone olim, quod Romæ Senatus, fuit, ipſa quoque à *Senibus* dicta, qui Græcis Γέροντες dicuntur, *in gl. l. Archigerontes, C. de Ep. aud.* Eodem nomine X. κόσμους apud Cretenſes inſignivit Ariſtoteles. Vide Poſtell. *de Magiſtr. Athen. c.* 30. & infra in voce *Presbyter*. Inde & loco nomen, ubi Senatus habebatur. Plin. *l.* 35. *c.* 14. *Sic ſtruxêre murum Athenis* —— *ſic Patris ædes Jovis & Herculis* ---- *domum Trallibus, regiam Attali: item Sardibus Crœſi, quam* Geruſiam *fecêre* &c.

GERYON, ſive GERYONES, Chryſaoris fil. Heſiod. Trium Hiſpanicarum inſularum Rex priſcus Belearidum viz duarum, & Ebuſi, quæ res locum fecit Poëtarum fabulis, ut Geryonem tricorporeum fuiſſe dicerent Hunc Hercules interfecit, boveſque ejus in Græciam abegit. Sunt etiam qui idcircò Geryonem tricorporem creditum velint, quòd tres fuerint eodem nomine fratres, tantâ inter ſe animorum concordiâ viventes, ut animâ unâ regi putarentur. Heſiod. *in Theog.*

> Χρυσάωρ δ' ἔτεκε τρικέφαλον Γηρυονῆα.

Euripid. *in Herc. Fur.* vocat eum Τρισώματον βοτῆρα Ἐρυθείας. Nonnus *baſſaricor. l.* 25.

> Κάλλιπε καὶ τριλόφοιο καρήατα Γηρυονῆος.

Lucret. de Rer. nat. *l.* 5. *v.* 28.

> *Quidve tripectora tergemini vis* Geryonai.

Horat. Carm. *l.* 2. Od. 14. *v.* 7.

> —— *Qui ter amplum*
> Geryonem, *Tityonique triſti*
> *Compeſcit unda.*

Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 662.

> Geryone *extincto, Tirynthius attigit arva,*

Idem *l.* 8. *v.* 202.

> *Tergemini nece* Geryonis, *ſpoliiſque ſuperbus,*

Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 184.

> —— *Nec me paſtoris Iberi*
> *Forma triplex, nec forma triplex tua, Cerbere, movit.*

Sil. Ital. Punic. Bell. *l.* 13. *v.* 200. & ſeqq.

> *Qualis Atlantiaco memoratur litore quondam*
> *Monſtrum* Geryones *immane tricorporis iræ.*
> *Cui tres in pugna dextræ varia arma gerebant,*
> *Una ignes ſævos, aſt altera ponè ſagittas*
> *Fundebat, validam torquebat tertia cornum,*
> *Atque uno diverſa dabat tria vulnera niſu.*

Palæphatus: Γηρυόνην φασὶν ὅτι τρικέφαλος ἦν, ἀδύνατον δὲ σῶμα τρεῖς κεφαλὰς ἔχειν, ἦν δὲ τοιόνδε τι. Πόλις ἐστὶν ἐν τῷ Εὐξείνῳ πόντῳ Τρικαρηνία καλουμένη, ἦν δὲ Γηρυόνης ἐν τοῖς τότε ἀνθρώποις ὀνομαστὸς, πλούτῳ τε καὶ ἄλλοις διαφέρων. Ἐκέκτητο δὲ καὶ βοῶν ἀγέλην θαυμαστὴν, ἐφ' ἣν ἐλθὼν Ἡρακλῆς ἀντιποιούμενον Γηρυόνην ἔκτεινεν. Οἱ δὲ θεώμενοι ἀπελαυνομένας τὰς βοῦς, ἐθαύμαζον, ἦσαν γὰρ τὸ μὲν μέγεθος, μικραὶ, ἀπὸ δὲ κεφαλῆς ἐπὶ τῇ ὀσφύϊ μικραὶ καὶ σιμαὶ, κέρατα δὲ οὐκ ἔχουσαι, ὀστᾶ δὲ μακρὰ καὶ πλατέα. Πρὸς τοὺς πυνθανομένους οὖν ἔλεγόν τινες: Ἡρακλῆς ταύτας ἀπήλασεν, ὅτας Γηρυόνου τοῦ Τρικαρήνου, τινὲς δὲ ἐκ τοῦ λεγομένου ὑπέλαβον αὐτὸν τρεῖς ἔχειν κεφαλάς. Voſſ. *de Idol. l.* 3. *c.* 8. *In Theologia Poëtica & fulmen & tonitru deſignat* Geryon. *Nomen à ſono, nam* γηρύειν, φωνεῖν, λέγειν *dicitur Heſych. illud autem ab Hebræo* גרון *garon, guttur, Doricè enim* γαρύεμεν *pro*

γηρύεν Pind. *Fingitur verò Geryon triplex, quia triplex vis fulminis, nam eſt & terebrans, materiâ ſubtili, & diſcutiens, materiâ ventoſâ, & urens materiâ viſcoſâ. Hinc* telum Jovis triſulcum *dicitur. Boves tribuuntur ei, ob tonitrua, quæ bubus comparantur ob boatum, ſive horrendum ſtrepitum quem edunt. Abigit Hercules eas boves, quando ignea illa vis, nube ruptâ in terras vibratur. Vide* Nic. Lloyd.

GERYON, Urbs Apuliæ, apud Fiternum fluv. inter Theanum & Larinum, exciſa.

S. GERYON, Ordo mil. in Palæſtina, à Frid. Barbaroſſa fundatus, ſolis Germanis in conſortium receptis. Favin. *Theat. Hon. & Eq.*

GERYONIS Oraculum, locus apud Patav. nunc *S. Pietro* Scardeonius. Vide ſuprà *Aponus.*

GERYS, vide *Gerus.*

GERZI, nomen pagi. 1. Sam. *c.* 27. *v.* 8.

GESALRICUS, ſeu *Gens-Alaricus* fil. nothus Eurici ſeu Henrici. Weſtgothorum in Hiſpania Regis XI. poſt Alaricum II. regnavit ann. 5. in prælio occiſus, A. C. 1511. ſucceſſore Amalarico. Vide Iſid. Hiſpal. *Chron.* & Grot. *Præf. in Hiſt. Vandalo-Gothic.*

GESAN, fil. Jehaddai. 1. Par. *c.* 2. *v.* 47.

GESANDER, Jazygum Dux, qui labantem ſuorum aciem reſtituit. Vide Val. Flacc. Argon. *l.* 6. *v.* 280.

> *Turbine* Geſandrum *Mavors rapit, ille: morantes*
> *Increpat,*

Idem Ibid. *v.* 322.

> *Illum ubi congreſſu ſubiit* Geſander *iniquo,*

Idem Ibid. *v.* 365.

> *Colla viri, & molles Galeæ* Geſander *habenas*

Idem Ibid. *v.* 370.

> *Ac ſimul Hæmonides,* Geſandrumque *omnis in unum.*

Occidit Canthum ex Argonautis *v.* 365. Cyrnum Aquitis fil. *v.* 222. cumque inſtaret graviter Menippæ Amazoni, Euryale regina ei caput bipenni diffidit. *v.* 370.

GESCLITHRON, ſpecus unde ſpirare Aquilonem dicit Plin. *l.* 7. *c.* 2. Græcè Γῆς κλεῖθρον, i.e. *terræ clauſtrum.* Vide Turneb. *Adverſ. l.* 24. *c.* 42.

GESCON, Carthaginenſis, adverſus fratris Amilcaris, quem ob virtutem cives ſui morte affecerant, calumniis adverſæ factionis inducti, abreptus & in exilium pulſus: de quo vide Diod. Sic. *l.* 16. *Biblioth. p.* 552. revocatus eſt Olympiadis centeſimæ decimæ Anno primo. De ejus magnitudine animi in condonandis inimicis & injuriis, lege Polyæn. *l.* 5.

GESITHOUS, auxiliaris Æëtæ contra Perſen, à Colaxe cæſus in prælio. Val. Flacc. Argon. *l.* 6. *v.* 639.

> *Et nunc magnanimos Hypetaona* Geſithoumque

GESMINUS, Gall. *Jaſmin*, floris nomen eximii, de quo ſic Fr Pomey, *An cerni flos poteſt iſto tenuior? Vix mole violam. An candidiorem reperias ullum? Nivem & lac adæquat candore. Ecquis autem ſuaviorem olfaciat? Nequaquam ambaris & moſci æquè ſuavis odor eſt. Quis demum vel cogitatione ſpecioſiorem effingat? Stellæ cælo delapſæ ſpeciem præbet ac fulgorem. Adeò ut tam verè dici poſſit, quàm ſcite, virentem cameram* geſminis *intertextam, inumbratamque, terreſtre quoddam eſſe cœlum, quot pictum floſculis, odoriferis tot ſtellulis micans. Hujus floſculi parens planta —— ita ductilis & ſequax eſt, ut flecti ſe patiatur in omnem partem: fœcunditatis uſque adeò felicis, ut floribus fundendis foliiſque ad certamen uſque luxuriet; generoſitatis porrò tam miræ, ut in ſublime ſeſe efferat diffundatque: proceræ inſtar arboris. Adminiculis eget quidem, ut fulciatur, ut nitatur ſurſum; at ſuo non minori ornamento fit, quàm ſui cultoris commodo atque voluptate, quod adminicula requirat. Si enim nixa fulcris, & illigata pergulis, hortorum conveſtit parietes, & teſtudines obtegit, & umbracula contexit, viriditate longè amœniſſimâ, frondiumque texturâ ita eleganti, ut nihil ad aſpectum præclariùs, nihil ſit, quod oculis arrideat magis. Quid autem de Iberici ſoli* geſmino *dicam? Annon hortenſium vaſorum decus & ornamentum eſt? Minùs illud quidem ferax ---- at multo ſanè ſpecie venuſtius: non ita ſe promittit, verum eſt, at odorem longè quàm ſuaviorem emittit.* Vide eum *Diverſ. Deſcript.* & infrà, de flore haud abſimili, in voce *Mogorin.*

GESNERUS, Auctor Biblioth. Vide *Conradus Geſnerus*, & plura de illo, inprimis omnium ejus ſcriptorum indicem accuratum apud Anton. Teiſſier *in Elog.* P. 1. & 2. it. in *Elogiis* Laurentii Craſſi, Simleri *Bibliotheca* Pantaleorus *Proſopographiæ Iconibus* Bezæ, *Vit. Medicor.* Melch. Adami, aliis. Alius Joachimus, Sileſius, varia ſcripſit. Quenſtedt. *patr. doct.*

GESODUNUM, urbs Norici in Auſtria, vulgò *Salzburg*, *Gaſtenhal* vero Lazio dicitur. Quibuſdam eſt *Lentia*, opp. cultum Auſtr. ſuper. ad Danub. Vulgò *Lintz.*

GESORIACUM, urbs Belgicæ ſec. quò Maſſiliâ profectus Claudius Aug. inde in Britanniam tranſmiſit: quam & Cajus Caligula petiiſſe antè & turrim ſeu pharum ibi condidiſſe, à Carolo Mag. poſtea reſtauratam, dicitur Plin. *l.* 4. *c.* 23. *portus Morinorum Britannicus* vocatur, quòd ad fretum Gallicum ſeu Britannicum ſita, inde commodiſſimè & breviſſimè Gallos Romanoſque in Britanniam tranſmitteret. A' Ptol. claris Belgicæ urbibus accenſetur, inter Icium prom. & oſtium Tabudæ, ſive Scaldis. *Bononia* dici cœpit, circa tempora Conſtantini Mag. qui urbem hanc expugnavit, inde ad partem Eboraci ægrotantem feſtinans, Eumenius *in Panegyr.* Unde Gallis *Boulogne ſur mer*, Germanis accolis *Buenen*, Belgis *Beunen*, Britannis *Bouvling llong*, Anglis *Bolen.* Ejus partes duæ, altera in monte poſita urbs ſup. *la haute Ville* ac abſolutè Bononia: pars ad Lianam fluv. jacens & ab altera 600. paſſ. diſtans inferior urbs *la baſſe Ville*, vel *baſſe Boulogne* appellatur. Turris ſeu pharus, de qua antè licet faſtigio imminuta, Bononienſe litus uſque ad noſtram ætatem, quâ diruta eſt, illuſtravit, Gallis *la tour d'Ordre*, Flandrenſibus proximis *D'oude-man*, Anglis *The Old man* dicitur. Olim urbs Ep. ſedes fuit, unde Audomarus Bononiæ & Taroanenſis opp. præſul vocatur, apud Jonam *in vita S. Euſtaſii*: & inter prov. Belgicæ. 2 civitates duodecim, poſt Tervannam ultima numeratur Bononia: poſtea Ep. aliquandiu caruit, donec vetus ei dignitas reſtituta eſt. Caput eſt pagi cogn. quem Galli *le Boulonnois*, vel *le Boulenois* appellant. Maris autem hujus ora, per tractum Armoricanum & Nervicanum, ſeu per Lugdunenſem 2. & 3. & per Belgicam. 2. Romanis *litus Saxonicum*, quòd Saxonicis latrociniis infeſta eſſet, dicta eſt. Vide Hadr. Valeſ *Not. Gall.* ut & infrà *Geſſoriacum.*

GESSACES, mons Illyrici, per quem Scythæ, factâ carragine, fugere conati ſunt, ſub Gallieno Imp. apud Trebell. Pollion. *in Gallienis.*

GESSATÆ, pop. Gall. Tog. in Æmilia. Vide *Gæſatæ*, Baudr. horum regio fuit, ubi nunc Bononia, Forum Cornelii, Ravenna & Comaclum. Hi & *Boji* dicti. Joh. Bapt. Plantin. *Geſſatarum* nomen apud Plutarch. *in Marcello*, Polyb. *l.* 4. Oroſ. *l.* 4. *c.* 13. Sabellic. *Ennead.* 4. *l.* 9. *&c.* non gentis vult eſſe, ſed mercenariorum Gallorum ex Oroſio: hodieque apud Britannos *Gueſſin* vocari conductitios servos refert. Dicti autem ipſi *Geſſatæ* videntur, vel à *Geſſu* lanceæ genere, vel quod ſe omnes *Geſell*, i. e. ſocios appellarent. Hottingerus vult Helvetios Polyb. *Geſſatas* dici à geſis, genere armorum [illegible] lento, quod hodie *Hellebardæ Sempacenſes* appellatur, *in Spec.* [illegible] *gur.*

GESSEN, vide *Goshen.* Eſt autem regio Ægypti.

GESSENÆ, vulgò *Geſſeins*, nunc vicus Campaniæ, in Gall. ad Albulam fluv. 2. leuc. infrà Barium ad Albulam, in Bor. 9. à Trecis in Ort.

GESSIUS Florus, Procurator Judææ, ſub quo bellum ortum, in quo occidit. Tac. *Hiſt. l.* 5. *c.* 10.

GESSORIACUM, opp. Morinorum navale. Ptol. Volunt non nulli eſſe illud opp. unde breviſſimus eſt in Angliam trajectus, quod vulgò *Caletum* vocant. Lelandus in Bononia collocat, nec alius Camden. Ejus meminêre Plin. *l.* 4. *c.* 16. P. Mela, *l.* 3. *c.* 2. Suet. in Claud. *c.* 71. vide ſis Burtonum *in Antonini Itiner. p.* 18. Nic. Lloyd. Nunc Bononia, *Boulogne ſur mer*, Baudr. urbs permunita, inque duas partes diviſa, cum portu capaci, ad oſtium amnis Lianæ. Hinc regio adjacens dicta fuit *Geſſoriacus pagus*, nunc tractus Bononienſis. Vide *Bononia* & *Geſoriacum*: plura apud B. Rhenanum & Ortelium JC. *Notis ad eum p.* 635.

GESSUR, regio Syriæ, quæ & *Geſſuri.* 2. Sam. *c.* 3. *v.* 3. 1. Par. *c.* 2. *v.* 23. *c.* 3. *v.* 2.

GESSUR, fortis & regia urbs, in Tribu Manaſſe ſita, ut ex nominis Hebraici ſignificatione videtur in valle. Ab hac urbe finitima regio *Geſſuri* appellatur.

GESSUS, Joniæ fluv. Plin. *l.* 5. *c.* 29. & Strab. *l.* 14.

GESTA, pro Actis publicis, paſſim apud Recentiores. Vide C. du Freſne *Gloſſ.*

GESTAMEN, apud Solin. *c.* 2. ubi de coralii ramulis, Excuduntur ex illis multa geſtamina. *Habet enim ---- materia hæc quandam poteſtatem, ac propterea, quidquid inde fit, ducitur inter ſalutaria.* Et Plin. de eodem, *Aruſpices eorum Vateſque inprimis religioſum id geſtamen amoliendis periculis arbitrantur*: dicitur, quidquid geſtatur ad ornatum aut uſum medicum magicumque, qualia *Periapta*, de quibus infrà. Sed & quidquid ad indutum, hoc enim nomine veſtes etiam veniunt apud Latinos, ut φορήματα apud Græcos: quorum recentiores φορεσίας vocant quælibet veſtimenta. Salmaſ. ad Solin. p. 90. Neque verò, ea quæ geſtantur ſolùm *geſtamina*, ſed & vehicula quæ *geſtant*, quoque voce eâ indigitari conſuevêre, Græcis [illegible] de qua de ejus notione vide ſuprà in voce *Baſterna.* Sic *Geſtatoria* dicuntur medii ævi Scriptoribus, Alberto Aq. *Hiſt. Palæſtinæ l.* 3. *c.* [illegible] *l.* 7. *c.* 20. *l.* 9. *c.* 22. Cæſario Heiſterbac. *Mirac. l.* 2. *c.* 32. Aliis *Geſtatoriæ* Sidon. *l.* 8. *c.* 8. *Geſtoria*, vet. Scholiaſtæ Statii *Theb.* [illegible] *v.* 512. lecticæ quibus geſtantur afflicti vulneribus aut caſu aliquo alio, vide Caſp. Barth. *ad h. l.* & hîc infrà.

GESTATIONES, loca fuêre apud Romanos, in quibus domini vel voluptatis vel morbi levandi gratiâ, à ſervis geſtabantur. Plin. *l.* 2. *Ep.* 17. Geſtatio *buxo, aut rore marino, ubi deficit buxus, ambitur*, [illegible] Ulpian. *l.* 13. *ff. de uſufr. Etſi fortè voluptarium fuit prædium, viridaria vel* Geſtationes, *vel deambulationes arboribus infructuoſis opacas atque amœnas habens.* Neque verò ſub dio tantùm *geſtabantur*, ſed & ſub tecto porticus alicujùs. Juv. *l.* 3. *Sat.* 7. *v.* 178.

> *Balnea ſexcentis & pluris porticus, in qua*
> Geſtetur *dominus, quoties pluit; anne ſerenum*
> *Exſpectet, ſpargatque luto jumenta recenti.*

Vide eundem *l.* 1. *Sat.* 4. *v.* 5.

> *Quid refert igitur quantis jumenta fatiget*
> *Porticibus, quanta nemorum vectetur in umbra*

In *geſtando* quoque certus paſſuum numerus obſervatus eſt, ut in deambulando Cic. adhibuiſſe teſtatur Plutarch. *in eo*: & patet ex antiqua inſcriptione: *In hoc pomario. geſtationis. per. circuitum. itum. & reditum. quinquiens. efficit. paſſ. mille.* Geſtabantur autem cathedrâ & lecticâ, *ſcamno*, *vehiculo*, docente Celſo *l.* 2. *c.* 15. item cathedrâ & *ſellâ.* Unde *Cathedrarii ſervi* Sidon *l.* 1. *Ep.* XI. & *ſella geſtatoria* apud Suet. *in Claud. Ner. c.* 26. *ac Vitellio c.* 16. quam portatoriam vocat Cœl. Aurelian. *l.* 1. *c.* 1. qui idem quoque *fertoriæ* & *geſtatoriæ* meminit: Hanc duo homines geſtabant, &c. Vide Laur. Pignor. *de Serv.* *p.* 136. De *Geſtationum* verò *in univerſum viribus*: de earum [illegible]

Vehiculis, *Lectica* atque *Sellis*, viribus particularibus; de *Lecti penſilis* item, *Cunarum* ac *Navis geſtationum* facultatibus, aliiſque huc pertinentibus, diſſerit prolixè Hier. Mercurial. *de Arte Gymn. l.* 6. *c.* 9. 10. & 11. Nec omittendum, ut & de *geſtatione* activa aliquid aſpergamus, Romanos, apud quos priùs fas non erat rerum imagines annulis inſculpi, poſtea tamen hunc morem migraſſe, & cum aliorum, tum Ægyptiorum Numinum formas annulis *geſtaſſe*. Quam conſuetudinem perſtringens Plin. *l.* 2. *c.* 7. *Alius*, inquit, *nullus eſt Deorum reſpectus, alius pudendus. Externis famulantur ſacris ac digitis Deos geſtant.* Et *l.* 33. *c.* 3. *Jam vero etiam Harpocratem ſtatuaſque Ægyptiorum Numinum in digitis viri quoque portare incipiunt.* Quod tum de annulis Magicâ arte formatis exponi poteſt, tum imprimis de ſuperſtitione illorum, qui ſimulacrum alicujus Numinis, à quo ſe juvari putarent, quotidiè circumferebant. Sic Veneris Armatæ effigiem *geſtabat* C. Jul. Cæſ. apud Dion. *l.* 43. Deæ cœleſtis imaginem, Aſclepiades Philoſophus, apud Amm. Marcell. *l.* 22. *c.* 13. & apud Apulej. *Apolog.* legimus: *Nam morem mihi habeo, quoquo eam, ſimulacrum alicujus Dei* (ſudario linteo involutum) *inter libellos conditum geſtare.* Imò nec Dei ſolum ſimulacrum; ſed & hominis pro Deo habiti, vel Herois interdum, ferebant: ut Alexandri Mag. imaginem familia Macrianorum; quam viros in auro & agento, mulieres in reticulis, & dextrocheriis & annulis, tunicis quoque & limbis & penulis *geſtitaſſe*, teſtis eſt Trebellius Pollio ubi *de Quieto, uno ex XXX. tyrannis.* De iiſdem Alexandri Mag nummis, in calceis quoque *geſtatis*, diximus ſuprà. Vide Joh. Kirchmann. *de Annulis c.* 11. Etiam *geſtatio* Infantum circa focum, per obſtetrices vel miniſtros facta, antiquo ritu, non prætereunda penitus. De qua ſic Thom. Bartholin. *de Puerp. Vett. Maribus* (luſtricus dies, quo nomen adipiſcebantur) *nonus, ſamellis, octavus, ultima hebdomadis aliis, qui etiam intra quintum diem ſubſtitêrunt, Præerat Nundina Deo ſeſto, quod Suo-vetaurilibus peractum & circuitione. Circumferebantur pueri circa focum, unde Ἀμφιδρόμια, ſeu Δρομιάμφια per metathesin. Focus ille, nil niſi ara Deorum hoſtiis calentes. Expiabantur deinde aquæ aſperſione per aniculas luſtrali, ex ſputo & pulvere, ex balneis plerumque ſumpto. Hinc eodem die vario ferculorum luxu; convivium agitatum* &c. De eodem ſic Suid. Ἀμφιδρόμια, ἣν ἄγουσιν ἐπὶ τοῖς βρέφεσιν ἐν ᾗ ἀποκαθαίρονται τὰς χεῖρας αἱ συναψάμεναι τῆς μαιώσεως καὶ τὸ βρέφος περιφέρουσι τὴν ἑστίαν τρέχοντες, *Quintus à natu infantibus dies, quem Græci ſolemniter celebrant. Hoc die manus purgant illæ, quæ Obſtetrices munere perſunctæ ſunt. Infantes autem circa focum geſtant currentes.* &c.

GESTATORIUM, apud mediæ ætatis Scriptores, lectica eſt, qua afflicti vulneribus, aut alio aliquo caſu, geſtantur, uti ſuprà diximus in voce *Geſtamen.* Item feretrum, in quò Sanctorum reliquiæ, C. du Freſne *Gloſſ.*

GESTRICIA, una inter Nordlandias provinc. Sueciæ, ferri fodinis dives. Ei ad Occ. Dalecarlia, ad Ort. ſinus Bothnicus. Ibi opp. Gevalia in ora littor. & Coperberga in Mediterr.

GESTUS, vide hîc paſſim, ubi de *Chironomia, Mimis, Mocoſa actione, Pantomimis, Saltatione* &c. item in *Habitus* & *Schema.*

GESVALDUS Carolus, vide *Carolus.*

GESUM, apud Stat. *Teb. l.* 4. *v.* 64.

> ——— *Indurata diu* pars geſa *manu, pars robora flammis*

Serv. *ad Æn. l.* 8. *haſta virilis eſt. Nam & fortes*, inquit, *viros Galli geſos vocant.* Ubi virilis, *robuſta* exponitur Barthio. Ὁλοσίδηρα vocat Pollux, *ex ſolido ferro.* Unde gravia omnia eo nomine cenſeri poëtis, multis docet Lipſ. *Poliorcetic. l.* 4. *c.* 4. Cum lanceis *geſa* junguntur, apud A. Gell. *l.* 10. *c.* 25. &c. Hinc *Geſſatæ*, milites mercenarii. Polyb. *l.* 2. Διεπέμποντο πρὸς τοὺς κατὰ τὰς Ἄλπεις καὶ τὸν Ῥοδανὸν ποταμὸν κατοικοῦντας Γαλάτας, προσαγορευομένους δὲ διὰ τὸ μισθοῦ στρατεύειν, Γαισάτους, ἡ γὰρ λέξις αὕτη τοῦτο σημαίνει κυρίως. *Mittebantur ad Gallos, qui circa Alpes Rhodanumque fluv. habitant, quòd mercede militent*, Geſſatas *dictos. Hoc enim propriè vox notat.* Vide in voce *Geſſatæ.*

GETA, Cæſar, fil. Sept. Sev. Imp. à fratre Caracalla ex priore conjuge nato, in ſinu matris Juliæ occiſus, dein in Deorum numerum relatus, addito ſcommate, *Sit divus modo non ſit vivus*, A. C. 212. Ejus nummi, in cujus altera parte Cupido, inverſam tenens facem, cum voce CIKYΩNIΩN, quòd Sicyone cuſus; Alteriuſque, in cujus adverſa facie Æſculapius & filia ejus Hygieia, manu ſerpentem gerens, cum literis ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, quòd Pergami, ubi ædem habuit Æſculapius, meminit Jac. Spon. *Itin. Part.* 3. *p.* 183. & 185.

GETA, ſimulavit ſe Scribonianum Camerinum, Neronianorum temporum metu, in Hiſtria occultatum. Igitur tàm vulgo, quàm militibus aſſumptis, turbare cogitavit. Ad Vitellium pertractus & à Domino agnitus, ſupplicium in ſervilem morem luit. Tac. *Hiſt. l.* 2. *c.* 72.

GETA, Coſ. Collega Plautiani A. U. C. 955. cum fratre Caracalla, à patre Severo, Cæſar factus, hoc mortuo, in ſinu matris, à fratre occiſus eſt. Spartian. *in Sev. & Caracalla* vide ſuprà.

GETA, vide *Dax*, it. *Geada.*

GETA Licinius, vide *ibi.*

GETA Luſius, vide *Luſius.*

GETÆ, pop. in Scythia Europæa, quos Appian. de Bell. Illyr. p. 758. & 763. *Dacos* vocat. Strab. verò *l.* 7. *p.* 294. & 295. & 304. Getas à Dacis ita diſtinguit, ut Getæ ſint, qui ad pontum in Orientem vergunt: Daci verò, qui in oppoſitum latus ſpectant versùs Germaniam, & ad Iſtri fontes, quos olim Davos vocatos nonnulli volunt, ex quo apud Athenienſes Davorum, & Getarum ſervilia nomina. Ælius Spartian. ſcribit, Getas dictos fuiſſe, qui poſtea *Gothi* appellati ſunt. De moribus eorum & barbarie ſic inter alia plurima. Ovid. Triſt. *l.* 5. *El.* 7. *v.* XI. & ſeqq.

> *Miſta fuit hæc quamvis inter Græcoſque* Getaſque
> *A malè pacatis plus trahit ora* Getis.
> *Sarmaticæ major* Geticæque *frequentia* Gentis.
> *Per Medias in Equis itque reditque vias.*
> *In quibus eſt nemo, qui non corycon & arcum,*
> *Telaque vipereo lurida felle gerat.*
> *Vox fera, trux vultus, veriſsima Martis imago,*
> *Non coma, non ulla barba reſecta manu.*

Idem de Ponto *l.* 3. El. 3. *v.* 31, 34, 40, & 103. *l.* 4. El. 6. *v.* 12, 61, 65, & 73. Ibid. El. 5. *v.* 28. Ibid. El. 9. *v.* 78. Ibid. El. x. *v.* 2. Ibid. El. 13. *v.* 18, 19, & 22. Ibid. El. xv. *v.* 40.

Idem eos *rigidos, crudos, duros, inhumanos, hirſutos, truces, feroces, diros, ſævos*, & *feros* vocat. Et uno verſiculo hæc omnia, Ovid. de Ponto. *l.* 2. El. 3. *v.* 2. & 32.

> *Nulla* Getis *toto gens eſt truculentior orbe.*

Inde *Geticus*, ut *plectrum Geticum* pro Orpheo Stat. *Sylv.* 3.

> ——— *Et* Getici *cedat tibi gloria plectri,*
> *Et tu ſaxa moves, & te nemora alta ſequuntur.*

Item *Getica Lyra.* Idem *l.* 3. Sylv. 1. *v.* 17.

> ——— *Tyrione hæc mœnia plectro,*
> *An* Getica *venere lyra?*

Nic. Lloydius.

GETARA, Ptol. *Gagara*, urbs ol. Albaniæ, nunc *Zitraen*, in Zuiria, reg. Georgiæ.

GETH, civitas Palæſtinæ. Lat. *torcular.* Una ex 5. Satrapiis Philiſtinorum, in Tribu Juda, ex qua Goliath fuit, à Davide fundæ ictu proſtratus. In colle, in ora maris Syriaci, in confin. tribus Dan.

GETHAIM, civitas, ad quam fugêrunt Berothitæ interfectores Isboſeth. 2. Sam. *c.* 4. *v.* 3.

GETH-HEPHER, civitas in tribu Zabulon. Joſ. *c.* 19. *v.* 13.

GETHER, fil. Aram. Gen. *c.* 10. *v.* 23. qui locumne aut populum aliquem de ſuo nomine appellaverit, haud quaquam ſcio. Mihi ſaltem nullus occurrit. Nam in vulgata *Gether*, 1. Sam. *c.* 30. *v.* 27. eſt pro Hebræo יתר *Jathir.* Et ubi *Getara* pingitur in Ptolemæi tabulis, ad mare Caſpium in Albania, Græcus codex habet Γάγαρα. Denique in Peloponneſi deſcriptione apud Geographum Arabem *Getharia* videtur eſſe Laconiæ Gerenia. Ex *Gethere* deſcendiſſe ſcribit Mercerus *Acarnanes, Cares, & Bactrianos vicinos inter ſe populos*: Quod viro alioquin impensè docto excidiſſe mirum eſt. Cum nemo ſit, qui neſciat, quantis locorum intervallis à ſe invicem diſſiti ſint Acarnanes in Græcia, prope Epirum, Cares in Aſia minore, è regione Rhodi inſ. & Bactriani in intima Aſia ultra mare Caſpium. Sed errori anſam dedére Joſeph. & Hier. quorum ille Bactrianos, hic Cares & Acarnanes deducit ex Gethere. Fallor, aut Syrus author aliquis ſcripſerat, Gether habitaſſe בגתרא, *Begethera*, i. e. in Gethera urbe, vel regione, ubicunque tandem fuerit. Pro quo Joſeph. legit *Bagtra*, vel *Bactra*, quaſi de Bactris ageretur. Pari errore בספרד *Biſpharad*, i. e. *in Sepharad*, Abd. *v.* 20. Hier. *Boſphorum* reddit ac ſi *B.* præpoſitum pars eſſet vocabuli Boch.

GETHES, Herulorum, & Horda, Hunnorum Reges, cum ſuis baptizati, A. C. 528. Pantal. *in Chron.*

GETHOSYNE, femina aulica Beronices Reginæ viduæ Antiochi. Polyæn. *l.* 7.

GETH-RIMMON, nomen civitatis. Duæ autem fuêrunt, una data tribui Dan. Joſ. *c.* 19. *v.* 45. Nunc villa prægrandis, in 12. mill. Dioſpoleos, pergentibus ad eam Eleutheropoli: altera tribui Manaſſe. Ambæ autem Levitis poſtea aſſignatæ. Joſ. *c.* 21. *v.* 25.

GETHSEMANI nomen vallis, quæ eſt ad radices montis Oliveti Joſ. *c.* 28. *v.* 1. Math. *c.* 26. *v.* 36. Lat. *vallis pinguedinis.* Marc. *c.* 14. *v.* 32.

GETHUSSA, urbs Libyæ. *Steph.*

GETIA, Turcis *Cotzaruck*, opp. Illyrici, in Albania, in confin. Macedoniæ & Dalmat. circa Scodram Urb.

GETICUS Maximus, per Satyram dictus eſt Antoninus Caracalla, ob *Getam* fratrem occiſum, apud *Æl. Spartian.*

GETULI, vide *Gætuli, Getulicus*, vide *Lentulus.*

GEVALIA, urbs prim. Geſtriciæ, ad oſtium fluv. cogn. in ora littor. ſinus Bothnici, vix 4. leuc. Germ. à confin. Uplandiæ, in Arctos; *Gevals.*

GEVINI, pop. Germ. Sarm. Baſtarnarum pars, verſus Peucinos.

GEUSII, vide *Gueuſii.*

GEZAIRA, una ex 3. partibus præcip. regni Algerii, inter Bugiæ prov. ad Ort. & Tenezam ad Occ. A' Sept. mare habet Medit. à Mer. Montes. I. Leo. Primaria eſt Algerium, Arabibus etiam *Gezaira*, *Baudr.*

GEZER, civitas, 2. Sam. *c.* 5. *v.* 25. eadem quæ & *Gazer.* Item fil. Caleb. 1. Par. *c.* 2. *v.* 46.

GEZERON, civitas. 1. Mac. *c.* 4. *v.* 15.

GEZZA Philippus, vide *Philippus.*

GHAAR Kebir, celebris crypta Melitæ inſ. de qua vide ſuprà.

GHAMMAS, fluv. peramplus Tartariæ magnæ, poſt longum curſum in Mare Kaimachitarum ſe exonerans. *Sanſon.*

GHETH, vox Hebræa, qua utebantur Judæi ad *repudium* denotandum, in damnatione mulierum. Hodiè verò ſignificat locum ſeparatum ac ſeptum, in urbibus Chriſtianorum, ubi à fidelibus ſecluſa ſeparataque hæc natio habitat. Ital. etiam *Ghetto*, quod vocabulum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

lum ſecundùm Kabbalæ regulas numerum duodenarium deſignans, XII. Tribuum repudium appoſitè notat. Car. Macer. in *Hierol.*

GHETALDUS Marinus, vide *Marinus.*

GHILINUS Hieronymus, auctor *Theatri virorum Literatorum:* fuit ex fratre pronepos Camilli Ghilini, Mediolan. Ludovico & Franciſco II. Sfortiis Conſiliarii, & in aula Caroli V. oratoris, defuncti A. C. 1535. non ſine ſuſpicione veneni ab Ant. Leva ſibi propinati. Scripſerat hic adoleſcens adhuc *Libr. Exemplorum omnium ſeculorum.* P. Freher. *Theatro Viror. erudit. claror.*

GIAFIRI, à Mahumetanis Chriſtiani per convitium cognominantur, de quo vide Joh. Leunclav. *Hiſt. Muſulman. l.* 18. ut & ſuprà in voce *Gauri.*

GIAH, nomen loci. 2. Sam. *c.* 2. *v.* 23. in tribu Benjamin, pro quo Interpres Latinus vertit *Vallis.*

GIAMERICA, urbs Americæ, à Batavis occupata circa A. C. 1629.

GIBBER, ex Hebr. גבן, quod cognationem habet cum Hebr. גבב & גבן, unde Gr. κῦφος & ὕβος, quid propriè, ex vet. dicto liquet.

In dorſo gibbus, *in pectore* gibber ———

Unde *gibber*, iſtiuſmodi pectoris tumore deformis. Cujuſmodi *gibberi fictile ſignum*, inter Saturnalitia munera, Mart. memorat, *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 182. cujus epigraphe Sigillum Giberii fictile.

Ebrius hæc fecit terris puto monſtra Prometheus
Saturnalitio luſit & ille luto.

Origo ſigilli, ex hiſtoria de Gegania prædivite femina, quam, cùm candelabrum Corinthium, cum appendice Cleſippi fullonis, *gibbo* fœdi, emiſſet, huic tamen monſtro poſtea nupſiſſe, eumque hæredem ex aſſe ſcripſiſſe ex Plin. *l.* 34. *c.* 3. diximus ſuprà, ubi *de Cleſippea* ἀποδεώσει. De gibbo verò Canech, vide in hac voce: ubi & de illo Θαυματοποιῶν genere, qui ſaltu periculoſo corpus vibrantes, totos plerunque ſe contrahunt & *gibbos* faciunt, ut & infrà in voce *Petaminarii.* Hinc *Gibboſus* quo cognomine Ludovicus Dux Bavar. inſignis Ingolſtadienſem lineam terminavit, ut infrà videbimus in voce *Stephanus.*

GIBEL, vide *Gabala.*

GIBELINI, & GUELPHI, duæ fuêre quondam per Italiam factiones, A. C. 1240. quæ odio exitiali inter ſe digladiabantur. Earum autem origo talis fuiſſe dicitur. Cùm Fridericus II. Imp. in Italiam proficiſceretur, excommunicatus eſt à Romano Pontifice. Luſtrans verò ſingulas civitates, facilè deprehendit, qui propenſum ergà ſe haberent animum. Qui igitur ei favebant, illos vocabat Germanico nomine *Gibelinos:* eos autem, qui adverſum à ſe habuêrunt animum, appellavit *Guelphos.* Horum vocabulorum ratio eſt incerta. Hinc tandem varia & multiplicia ſcelerum genera in duo vel tria ſubſecuta ſunt ſecula, quam hiſtoriam Munſt. *l.* 2. *c.* 3. fusè lateque ſcripſit. De iis ſic Moter. Cùm ſchiſma, quo Innoc. II. Anacletus Antipapa opponebatur, Eccleſiam totamque ferè Europam in partes vocaret, hunc inprimis defendente Rogerio, Comite Neapol. & Sicil. à Normannis, qui has regiones ſibi ſubjugaverant, oriundo, qui per integrum octennium ſatis pro voto bellum geſſit. Conradus III. Imp. cum exercitu & Henrico nepote, in Italiam tranſiit. Cui ut reſiſteret Rogerius, Guelphum Bavariæ Ducem advocavit, ſic novum bellum motum A. C. 1139. Quo, cùm Bavari aliquando ad prælium ſe incitaturi, exclamarent, *Hie Guelff:* Cæſarei, à loco, ubi educatus Henricus in Patria fuerat, quoque ſuprà modum delectabatur *Hie Gibeln*, ſucclamarunt. Hoc enim loco nomen. Unde nomina partium, & in poſterum Guelphi dicti, qui Papæ, Gibellini, qui Imper. adhærebant. Quæ diſſidia durarunt, uſque ad A. C. 1228. ſub Gregorio IX. & Frider. II. aliis adhuc ulterius ea extendentibus. Blond. 2. *dec.* 7. Sigon. *l.* XI. &c. Cuſpin *in Frider.* II. Villan. *l.* 4. *c.* 78. Crantz. *Saxon. l.* 8. *c.* 8. Æmyl. *in Lud. IX.* Naucler. *gener.* 38. & 42. Horn. de factionum harum origine ſic: Contendebant, inquit, de Imperio duæ potentiſſimæ familiæ, Henricus Superbus Bavariæ & Saxonum, ac Conradus III. Sueviæ, Duces, inter quos ad opp. Winsbergam prælio fervente A. C. 1140. Bavari inclamare ſuum Guelphum (Henrici Ducis fratrem) Suevi ſuum *Weiblingen*, quod opp. hodiè Ducatus Wirtembergici eſt & in quo natus ac educatus Conradus fuerat: unde *Guelphorum* & *Gibellinorum* (ex *Weiblingen* Italis vocem detorquentibus) nomina. Sed cùm paulò longiùs petita videatur hæc origo, aliam ſuggerit Joh. Kraus Canonicus Argentinenſis in *Vitis* Impp. è domo Brunſvic. *Clamor*, inquit, *adhortationis ad reſiſtendum ac fortiter dimicandum, in exercitu Welfonis fuit iſte:* Hie Welff; *unde Fridericus ad confuſionem Welffonis, præcepit clamore in ſuo exercitu*, Hie Gybeling, *quia in illa villa nutrix illum infantulum lactaverat. Itali autem, & Galli & Longobardi, non intelligentes, quid eſſet:* Hie Welff *&* Hie Gybeling, *fecêrunt ſibi exponi; quibus declaratum fuit, quòd Papales ſignificarentur per* Welff, *& Imperio adhærentes per* Gybeling: à quo *Gibellini*, apud L. Joachim. Fellerum *Animadv. ad Georg. Hornii Orbem Imp. p.* 34. Sunt tamen, qui priorem ſententiam præferant, & ex *Weiblingen, Gibellingos* primum, inde *Gibellinos* factum contendant. Conradus certè III. præfatus *de Weiblingen* cognomen habuit, uti ex *Chronico* Lauriſhamenſi *p.* 73. perſpicere eſt &c. Vide quoque Felicem Oſium *ad Hiſt. Muſſati*, Hier. *della Corte Hiſt. Veron. l.* 5. Alios, è quibus Welphonem VI. Henrici II. Bavariæ Ducis fratrem, à Conrado Imp. Ducatu, in Leopoldum Auſtrium tranſlato, privatum, bellum Conrado, opibus Rogerii Siculi ſubnixum, moviſſe, quò primùm factionum hæc nomina audita, inſuper diſcimus.

GIBELINUS, Patr. Hieroſolym. poſt Aichardum Maſſilienſem A. C. 1107. Arelatum, cujus etiam Archiep. erat, redire fruſtrà deſiderans, Obiit ſenio curiſque confectus. A. C. 1111. Arnoldo ſucceſſore. Guil. Tyrius, *Hiſt. B. S. l.* XI. *c.* 14. 15. *& ſeqq.* Baro A. C. 1107. & 1112.

GIBRÆUM, ſuburbium Falæſæ, in Norm. inferiori, nundinis celebratiſſimum, vide *Falæſa.*

GIBRALTAR, mons Hiſpaniæ notiſſimus, ad fretum Gaditanum, in Auſtral. Hiſp. parte, olim *Calpe* dictus, Arabicè *Gibeltarif* i. e. mons *Tarif* inquit Ortel. quaſi verò *Tarif* nomen proprium ſit, ac non potius appellativum, אלטרף *extremitatem* Latinè declarans: planè ita ut quod ſcribit Plin. *l.* 3. *c.* 1. *quorum primus à Calpe Hiſpaniæ extimo* ... dictum eſt) *monte. Gibraltar* enim nihil aliud eſt, quàm *mons* ... *mitatis*, Fullerus. Morer. urbs eſt Andaluziæ, cum freto famoſo, inter Europam & Africam. Portu urbs gaudet egregio. Hic Jacobus Hemskerkius, claſſis Hollandicæ Præfectus, ſub initium hujus ſeculi, memorabili victoria potitus, maturandis induciis, inter Hiſpanos & Batavos occiſionem dedit. *H. Grot. Ann. & Hiſt. Belg.*

GIBRALTARIA, anteà *Gibal Tarif*, Urbs parva & munita Hiſpan. ſic dicta à Duce Mauro. Ad Fretum Herculeum, nunc *Deſtretto di Gibraltar.* Antè *Calpe* dicta. Vide ibi. Inde 4. mill. diſtant Heracleæ rudera, *Gibraltar Viejo, Baudr.*

GICHTHIS, Africæ propriæ urbs. Ptol. *Gita* Antonini cod. ... dice Simler. Fortè hodie *Ca..aacar*, ut Moletius ait.

GIDEON, de tribu Manaſſis, quintus Judex Iſraëlis, præfuit ... An. 40. Poſtquam enim, mortuo Baraco, Iſraëlitæ in idololatriam relapſi, per ſeptennium integrum ſub jugo Midianitarum gemuiſſent, miſſus eſt illis vindex & liberator Gedeon, qui quo pacto ſtraverit hoſtes, vide Judic. *c.* 7. & 8. Sequuta victoriam profunda pax eſt, ipſe autem gloriæ vitaque ſatur, Obiit A. M. 2800. Pater filiorum 70. & nothi Abimeleci, qui fratres univerſos, unico excepto, ... dedit, quò tyrannide potiretur. Ibidem. Vide quoque Torniel. A. M. 2761. & 2800. Salian. Spond. *Ann. ſacr.* Joſeph. *Antiq. Jud. &c.*

GIDEROTH, civitas in tribu Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 41.

GIDGAD, Num. *c.* 33. *v.* 32. locus eſt, in quo caſtra metati Iſraëlitæ: à verbo גדד, quod *exercitum contrahere* ſignificat, unde ... *exercitus.* Hinc Paſagardas, quaſi *Paſi-gedud*, i. e. Perſarum exercitum, dictas vult. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1202. Quemadmodum ... apud Græcos nomen χάραξ, quod *vallum* ſignificat, quo exercitus includitur, multis urbibus lociſque hæſit: in quibus aliquando exercitus caſtra metati eſſent, uti diximus ſuprà in voce *Charax.*

GIDICA, uxor Comminii Laurentii, quæ, dum privignum Comminium maximè deperiret, neque tamen ad concubitum ... ſet inducere, ſe ſuſpendit. Doſitheus apud Plutarch. *in* ... *Min.*

GIEMUM, caſtrum olim, nunc opp. Galliæ in diœceſi Antiſſiodorenſi, ad Ligerim, in Senonum & Aurelianenſium Carnutumque confinio, priſci Comitatus caput, vulgò *Gien.* Ei proximum eſt Gemum vetus *Gien le vieil* inter Solliacum & Giemum, ſed huic ... Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

GIENGA, civitas Imp. inter Ulmam & Nerolingam, ad ... *Brentz:* poſt cladem Nordlingenſem bello Germanico miſerè ... ta & in cineres redacta, alienata aliquando fuit ab Imperio in Comites Helfenſteinios. A. C. 1354. Vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* ... Germ. *Giengen.*

GIENNIUM ſeu GIENNA, vulgò JAEN, urbs Epiſcopalis Vandalitiæ, ad amnem *Frio.* 9. leuc. à Granata in Bor. Habuit olim ... regni tit. aliterque *Oningis* dicta eſt. Incolæ *Aurigi*, *Gyriſſeni* & *Ilturgi* quoque appellati ſunt. Morer. *Dict. Hiſt.*

GIESSA, urbs parva Haſſiæ, cum Acad. recenti, ad Lanum ... ſub Landgravio partim Darmſtad. partim Caſſellano, 4. leuc. à Marpurgo in Mer. 2. à Vezlaria in Ort. Munitiſſimum eſt totius provinciæ opp.

GIEZI, famulus Eliſæi. Lege *Gehazi*, & vide ejus hiſtoriam ... Regum. *c.* 4. *v.* 12. 14. 25. 27. 29. & 36.

GIFANIUS Hubertus Burâ-Gelrus, JC. Philoſophus & Philologus eximius, docuit Argentorati cum plauſu, atque inde ab Imp. ... catus, à Conſiliis ipſi fuit. Scripſit complura, inter quæ *Comm. in Politica & in Ethica Ariſtotelis ad Nicomachum*, it. *Comm. in Inſtitutiones Juris Civilis;* nec non *Annotationes in Lucretium*, ... quas tamen ultimas ſibi ab ipſo interverſas queritur Lambinus *Præfat. in Lucretium*, quâ etiam malam illi fidem, qua cum Fruſtero ... rat *Comm. ejus in Aul. Gell.* fidei ſuæ à moribundo auctore commiſſum, ſibi vindicando, exprobrare non dubitat. Obiit Pragæ ... 1604. Æt. 70. Val. Andreæ *Biblioth. Belg.* Naudæus *Biblioth. Polit.* Scioppius *de ratione Stud.* Anton. Teiſſier *Elog. erudit. clar.* ... *Part.* 2. ubi ſcriptorum ejus catalogus, Alii.

GIGANEUM, Colchidis urbs. Ptol. *Garbenda* Moletio. ... *poli. Nigro.*

GIGANTES, Telluris filii excelſiſſimæ ſtaturæ, & draconum pedibus in Deorum perniciem procreati, ut ſuperis ſcilicet bellum inferrent, Jovemque de cœli poſſeſſione dejicerent. Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 20. *Gigantas autem quid aliud fuiſſe credendum eſt, quam hominum quandam impiam gentem, Deos negantem, & ideo æſtimatam Deos pellere de cœleſti ſede voluiſſe.* Et Cic. de Senectute, *More Gigantum bellare cum Diis quid eſt aliud, niſi naturæ repugnare?* Horum pedes in Draconum volumina deſinebant, quod ſignificat, nihil eos correctum cogitaſſe, totius vitæ eorum greſſu, atque proceſſu in inferna vergente. Phyſici verò interpretantur Gigantes ſpiritus eſſe terræ incluſos, qui, dum exitum non inveniunt, fractis interdum altiſſimis montibus ... & fragmina ipſa quaſi in cœlum ejaculantur. Hos Poëtæ in campis Phlegræis cum Diis congreſſos fabulantur; ſed partim Jovis fulmine, partim Apollinis, & Dianæ telis confixos cecidiſſe, alioſque ſub Ætna monte, alios ſub Mycone, & Lipara inſulis ſepultos eſſe: nonnullos etiam in Tartara detruſos impietatis ſuæ ...

luere. De Gigantum autem origine variæ ſunt priſcorum opiniones. Alii namque illos Titanis & Terræ filios fuiſſe ſcribunt. Alii ex ſanguine Titanum à Jove interfectorum è terra eſſe natos ajunt. Heſiod. ex ſanguine Cœli, amputatis illius à Saturno virilibus, genitos eſſe dixit. Joſeph. vero *in Antiqq. Jud.* contendit, eos ex dæmonum coitu cum mulieribus fuiſſe procreatos: cui quidem opinioni & Lactantius, ex Sacra Hiſtoria argumento ſumpto, aſtipulari videtur. Sed D. Auguſtinus, cæteríque recentiores Theologi rectè iſtam rejiciunt opinionem, quòd Dæmones cum mulieribus verè coire poſſe, proiemque aliquam ſuſcipere, impoſſibile ſit. Gigantum autem urbs maxima fuit Enos, circa Libanum montem, qui univerſo dominabantur orbi, ab occaſu Solis ad ortum. Iſti vaſtitate corporis ac robori confiſi, inventis armis alios oppreſſêrunt, libidinique intervenientes invenerunt papiliones, & inſtrumenta Muſica, omnesque delicias. Manducabant homines, & procurabant abortus in edulium que præparabant, & commiſcebantur matribus, filiabus, ſororibus, & maſculis, atque brutis: ac denique nihil erat ſceleris, quod non admitterent, Dei ac Religionis contemptores, Beroſus *l.* 1. Gigantum eſſe Libyæ gentem quandam. Eudoxius Cnidius refert, qui ex floribus, quos plurimos & odoratiſſimos apud eos ſponte ſua tellus producere ſolet, arte quadam optimum adeò mel conficere dicuntur, ut non multum ab apum melle diſtare videatur Leonic. Thom. *l.* 5. *c.* 77. Sic dictos volunt quaſi Γηγενεῖς, i.e. *terrâ nati*, Approbat hoc etymon Orpheus *his verſibus*:

> Οὓς καλέουσι Γίγαντας ἐπώνυμον ἐν μακάρεσσιν,
> Οὕνεκα γῆς ἐγένοντο ϗ αἵματος οὐρανίοιο.

Ovid. *Faſt. l.* 5. *v.* 35.

> *Terra feros partus, immania monſtra,* Gigantes
> *Edidit auſuros, in Jovis ire domum.*

Vide Philonem, Sixtum Senenſem, Lucilium, Torniel. *M. D.* 6. *n.* 13. *A. M.* 987. *n.* 15. *& ſeq.* 2590. *n.* 4. Salian. *in Ann. &c.* Nic. Lloyd. Hodieque Patagones, gentem Americæ Merid. communiter proceritate 6. & amplius cubitorum eſſe, adeoque ordinariam hominum reliquorum ſtaturam excedere, memorant *Itinerariorum* Scriptores. An vero unquam natura tam vaſtam molem protulerit, qua prædita ſcribuntur inventa aliquot in locis cadavera 30. 40. 60. 100. & 200. cubitorum, meritò dubitat Athan. Kircherus: cum natura certum omnibus animalibus terminum præfixerit, quem, dum actiones ſuas ritè obire debent, egredi nequeunt. An Majores noſtri communiter hodierna ſtatura noſtra proceriores fuerint, ab Eruditis quoque quæritur. Et Juv. illud nemini ignotum, *l.* 5. *Sat.* xv. *v.* 70.

> *Terra malos homines nunc educat atque puſillos.*

Sed ſi olim à magnitudine ſua receſsêrunt homines, cur decrementa hæc tandem fuêre inhibita, cum per tot ſecula idem ſtaturæ modus manſerit. Namque & Davidis tempore Goliathi ſtatura 6. cubitorum pro gigantea habita fuit, quæ tamen ne hodie quidem magnitudinis conſuetæ adeo ingens exceſſus eſt. Vide Hier. Magium in *Miſcellan. de Gigantibus*, Chaſſagnonum *de iiſdem*, Ant. Tertullum *de Termino magnitudinis & virium in animalibus*, Joh. Goropium *in Origg.* Kircher. præfatum *Mund. Subterr. l.* 8. *ſ.* 2. *c.* 4. Voetium *Vol.* 1. *Diſput. de Creatione part.* 8. *p.* 704. Auctorem Anon. *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c.* 9. *ſ.* 2. § 10. cui titulus *de Gigantibus*, ſuprà Gibbara, ut & infrà aliquid in voce *Necromantia*, ubi de Hebr. נפלים, quod Gen. *c.* 6. *v.* 4. vulgò *Gigantes* redditur.

GIGANTIS, vet. nomen Arcadiæ. *Steph.*

GIGANTOMACHIA, Græcè Γιγαντομαχία, *Gigantum dimicatio*, ut Plin. vocat, deſcripta, pars fuit Cycli Epici, de quo ſuprà. Inter opera ex marmore Phidiæ memoratur huic Auctori *l.* 36. *c.* 5. *In ſcuto (Minervæ) Amazonum prælium cælavit intumeſcente ambitu parmæ, ejuſdem concavâ parte Deorum & gigantum dimicationem, in ſoleis vero Lapitharum & Centaurorum &c.* Cæterum quid de hac pugna & in Deos armis *gigantum* credendum, vide apud Philoſtrat. *Apollonio l.* 4. Eâ verò fabulâ malorum Spirituum, ex affectatis ſedibus cœleſtibus, depulſionem adumbratam fuiſſe, jam olim monitum, C. Barth. *ad Stat. Theb. l.* 10. *v.* 916.

GIGANTUM Scalæ, nomen eſt Saxi mediocris eminentiæ, Venetiis, in quo recens electus Dux, galerum Ducalem; tempore inaugurationis, capiti ſuo imponit, uti videre eſt apud Thulden. *ad Inaugurationem Bertucii Valerii*, A. C. DC. LVI.

GIGARTUM, Strab. *l.* 16. *p.* 741. *Gigarta* Plin. *l.* 5. *c.* 20. opp. Phœnices ad Libanum montem.

GIGAS, prom. Myſiæ, apud Abydum & Dardanum.

GIGIA Margaritha, vide *Margaritha.*

GIGIA, vulgò GIJON, oppid. Aſturiæ, in ora Oceani Cantabr. prope Scythicum prom. *Cabo de las Penas*, cum portu utcunque capaci; 18. leuc. Hiſp. à Trileuco prom. in Ort.

GIGLIATI, nummi, ut quidam volunt, argentei, in quibus lilium inſigne Gallorum, quod Italis *giglio*, inſculptum erat; quorum ſex *Florenum Rhodii* conſtituebant. Aliis, à Fratre Roberto de Julii (Ordinis Hieroſolymit.) appellationem hæc moneta ſumpſit; dicunt enim ab eo inſtitutum eſſe, ut ſinguli *Gigliati* ſingulis fratribus ſecundâ Quinquageſimæ feriâ diſtribuantur, quod tamen minimè conſtat. Borghin. *Diſſert. de Monet. Florent.* exiſtimat, *Gigliatos* appellatos eſſe nummos Regum Neapolitanorum ex gente Francica, quòd in iis ſcutum liliatum eſſet effictum: Certè Caroli I. Regis Siciliæ aureum in Gazophylacio Regio, ſe vidiſſe teſtatur C. du Freſne, in cujus antica ſedet Rex ipſe, dextrâ ſceptrum liliatum, ſiniſtrâ globum crucigerum, tenens, cum hac Inſcr. KAROLUS DEI GRATIA SICILIÆ REX. In poſtica ſcutum liliatum, cum *Labello* effingitur, cum Inſcr. DUCATUS APULIÆ PRINCIPATUS CAPUÆ. Sed & in poſteriorum ex eadem gente Regum monetis expreſſa fuiſſe horum liliata inſignia, conſtat ex Anton. Ruſio *in Comit. Provinc.* laudato C. du Freſne *in Gloſſ.* Alii verò & quidem longè minoris pretii fuiſſe videntur *Gillati*, qui *Gulliots* dicuntur in *Regeſto* Parlamenti Pariſ. d. 12. Julii A. C. 1378. Iidem verò fortè *Giliati* illi, quorum mentio in *Charta* A. C. 1338. Dominorum Canneti in Provincia, & in *Charta* pro matrimonio Ferrandi Majoricani, cum Iſabella filia Gulielmi Principis Achajæ, ſcripta Meſſanæ, A. C. 1313. apud eundem.

GIGNON, vel GIGON, inter Herculis cognomina. Vide infrà *Herculis.*

GIGONUS, urbs Thraciæ. Vide *Steph.*

GIHLOVA, ſeu IGLAVA, urbec. Moraviæ, juxta confin. Bohemiæ, ad Gihlovam ſeu Iglam amnem, 8. leuc. à Zonimo in Occ. 10. à Bruna. Vide *Iglava.*

GIHON, fons in occidentali Davidicæ civitatis parte 1. Reg. *c.* 1. *v.* 33. 2. Par. *c.* 32. *v.* 30. Joh. *c.* 9. *v.* 7.

GILANIA, prov. Perſiæ, in ora Auſtr. maris Caſpii; ibi aliàs pars Hyrcaniæ. Ejus prim. Urbs *Gilan*, ad Abiſirvium amnem, in Mediterr. Hinc mare Caſp. ſæpe *mer de Gilan* dicitur.

GILBERTUS, Parmenſis, Cancellarius Henrici IV. Imp. Gregorio VII. depoſito ſucceſſit, Clemens III. dictus. Henricum Paſchatis die coronavit, A. C. 1084. Obiit A. C. 1100. Oſſa ejus ſub Paſchali II. refoſſa, & in fluv. Ravennæ proximum projecta. Leo Oſtien *l.* 1. *& ſeqq.* Urſperg *in Chron.* Vide quoque infrà, in *Gilebertus.*

GILBERTUS, ſecundæ Compilationis Decretalium, unà cum Alano Ep. Autiſſodor. auctor: qui ambo Bernardum Circam imitati, collegêrunt Decretales eorum Pontificum, qui poſt Circam vixêrunt. Sed iis nomen & gloriam facilè præripuit Joh. Gallenſis ſeu Vallenſis, de quo ſuprà.

GILBERTUS, Archidiaconus ſcripſit vitam amici ſui, Leonis II. à Sirmondo editam, A. C. 1615. cum notis Barthii, *adverſ. l.* 45. *c.* 19. Item, auctor Chronic. Imperatorum & Paparum. Item Flander, ſcripſit incendium pagi S. Amandi &c. Voſſ. Simler. Item, ſcriptor Hiſt. Hannonicæ Mejer *ad A. C.* 1071.

GILBERTUS Alemannius, auctor Hiſt. terræ S. A. C. 1334.

GILBERTUS Blochovius & Bouhuſius, Carthuſiani celebres. Petrej. *bibl. Carth. p.* 105.

GILBERTUS Couſinus, Burgundus, varia ſcripſit. Vide *Geſner.*

GILBERTUS Folioth, auctor vitæ SS. quorundam, Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 52.

GILBERTUS Genebrardus, vide ibi.

GILBERTUS de Hoilandia, Abbas Suinſetinenſis, editis ſcriptis, vitâ inprimis Bernardi, & 48. ſermon. in Cantica, inclytus. Boſto *in Catal.* Trithem. Simler. Voſſ. *Balæus*, &c.

GILBERTUS Philaretus, Limburgius, Avicennæ cum Hippocrate & Galeno conciliationem, &c. edidit. Quenſtedt. *de patr. doct. p.* 111.

GILBERTUS Poretus, Ep. Pictavienſis, Philoſophus & Theologus excellens; ſed quòd de divinis myſteriis, potius ſecundùm Ariſtotelis Topica, quam S. Scripturam judicaret, eſſentiam divinam Deum, proprietateſque perſonales Perſonas eſſe negans: Item, quòd Naturam divinam non incarnatam diceret, omne meritum, præter Chriſti, negaret, Baptiſmum verum ſolis ſalvandis obtingere ſtatueret, coram Eugenio III. accuſatus, ejuſque propoſitiones damnatæ ſunt. Obiit A. C. 1154. Auctor operis de Trinitate, & Expoſit. in Pſalmos & Epiſtolas Paulinas. Vide Otton. Friſing. *l.* 1. *geſt. Frider. l.* 1. *c.* 46. *&* 47. & Morer. *Dict. Hiſt.*

GILDA, urbs Libyæ, *Steph.*

GILDA, vox Saxonica, eſt ſocietas quorundam, putà charitatis, religionis vel mercaturæ gratiâ, inſtar Ganerbinatus apud Germanos, confœderatorum: loca quædam, interdum & prædia, nec non aulam ſocietatis, prætorium commune habentium, Latinis *Collegium, Fraternitas, Societas.* Græcis Φρατρεία, à Φρέαρ, quòd communi puteo uſi ſunt. Nec minora ſolùm ſodalitia hoc nomine continentur, ſed ipſæ etiam civitatum communitates. Inde hodie illarum prætoria publicique conſeſſus ædes *Gildhalias*, i. e. *Gildæ* aulas Angli vocant. Erant & extra urbem plurimæ per villas *Gildæ*, ſuis prædiis & facultatibus ſatis locupletes: quæ & convivia publica, inſtar primitivæ Eccleſiæ Agaparum, vicanis & advenis annuè proponebant: ſublatæ anno 1. Eduardi VI. Perantiquæ tamen reperiuntur in Francorum, Longobardorum, aliarumque gentium legibus, & Germanis hactenus in uſu: qui *Gilden* appellant convivia publica à vicanis & agricolis collatitiâ ſtipe ſemel quotannis atque iterum celebrata. Prohibuit autem Carolus Mag. ne interpoſito ſacramento fierent; Vide Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.*

GILDARDUS, Ep. Róthomagenſis, frater uterinus B. Medardi Ep. Noviomenſis, qui ambo doctiſſimi, ſicut eodem die nati, ita eodem denati ſunt. A. C. 564.

GILDAS, cogn. Sapiens, Abbas Anglus, ſcripſit Ep. de ruina M. Britanniæ, Item de luxu Cleri. Obiit A. C. 570. Aliàs quoque *Badonicus* dictus. Eo antiquior fuit Gildas dictus *Albanicus*, qui Obiit A. C. 512. Item, Benedictinus Anglus, plurima ſcripſit. Uſſer. Voſſ. *de Hiſt. Lat. c.* 21. *&* 37. Morer. *Dict. Hiſt.*

GILDO, Rex Africæ, aut potius Comes & Præf. ſub Theodoſio, contra fil. ejus inſurrexit, Maſcezelis fratris ſui filios necuit, qui in Italiam fugiens ab Honorio copias accepit, & cum 5. mil. pugnatorum fraternas copias ad 70000. delevit. Gildo ex deſperatione laqueo fauces eliſit, Amm. Marcell. *l.* 29. *c.* 5. Oroſ. *l.* 7. *c.* 36. Diacon. *l.* 13.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

l. 13. Claudian. *de bello Gild.* Idem *l.* 1. in pr. Conſ. Stilich. Carm. 21. *v.* 249. Auguſt. *c. litt. Petil. l.* 1. *c.* 24. Iornand. Zoſim. *Marcell. Comes.*

GILDONICI Patrimonii Comes, vide ſuprà.

GILEBERTUS Comes, cum Adelberto & Olderico, inſidiatus Berengario Italiæ Regi, ſed ab hoc per Hungaros oppreſſus, veniam impetravit. Mox Rudolphum Burg. Regem contra Evergetam ſuum conſtitutum, Regem Italiæ coronari curavit. Sic Berengarius regno mox & vita à Flamberto exutus eſt, A. C. 924. Sed & Rudolphum viciſſim Ermengarda, Adelberti filia imperio excuſſit. Vide Sigon. *l.* 6. *ad A. C.* 921. 923. & 926.

GILIGAMBÆ, pop. Libyæ. *Steph.*

GILIMER, pronepos Genſerici, conſobrinus Hunerici ſeu Hilderichi, hoc pulſo, Regem Vandalorum ſe fecit, Juſtiniani Imp. interceſſione ſpretâ, Beliſarium gravem hoſtem ſenſit, qui intrà 6. menſ. tota Africâ, per 100. Annos ab Imperio divulsâ, potitus, Gilimerum in triumpho duxit, exclamantem in Circo, visâ Juſtiniani pompâ: *Vanitas Vanitatum!* Galatiæ dein quædam loca, cum ſuis incolenda ab Imp. accepit, Patritius etiam futurus, ni Arianiſmo pertinaciter adhæſiſſet. Procop. *l.* 1. & 2. *de B. Vandal.* M. Victor, Iſid. Theophan. & Grot. *Hiſt. Vandal.* Sic Vandalorum in Africa regnum deſiit, poſt ſeculum vix exactum.

De GILINGHAM Gulielmus, vide *Gulielmus*,

GILIPPUS, Dux à Lacedæmoniis ad Syracuſanos cum auxiliaribus copiis miſſus, vide *Gylippus.*

GILKENIUS Petrus, vide *Petrus.*

GILLIUS Petrus, vide *Petrus.*

GILLO, apud Caſſian. Mon. & in vetuſtiſſimo *l. Epigr.*

> ——— gillo, *fabilla*, *melo*;

idem quod *bauca* ſeu *baucalis*, vas vinarium vitreum, Salmaſ. *ad Pollion. in Claud.* fictile, in *Gloſſ.* Camberonenſi MS. apud C. du Freſne. Unde *Gillonarius*, officium Palatinum, apud Wiſigothos, *l. Wiſigoth. l.* 2. *tit.* 4. §. 4. idem cum *Buticulario*, apud Francos. De vocis γιλλῶ, apud Græcos recentiores, notione vide Coteler. *Monum. Eccl. Gr. Tom. I. p.* 744.

GILLUS, exul Tarentinus. Hic cùm Perſarum exploratores à piratis captos pecuniâ ſuâ redemiſſet, & ad Darium reduxiſſet, juſſus eo nomine petere quicquid vellet, hoc unum petiit, ut Regis operâ in patriam reduceretur. Herod. *l.* 3. *c.* 138.

GILOLO, vel GILOLUM, quæ & *Batochina*, Inſ. ampla, in mari Indico, in Archipelago Moluccarum, ex Inſulis, quas vulgò nuncupant *Del moro*, una eſt, in India Orientali. Cœlum hîc inclemens & aër calidus. Ager abundat oriza, ac medulla cujuſdam arboris, quæ *Sagis* dicitur, ex qua panem conficiunt: à qua etiam arbore ſuccum eliciunt, quo vini loco utuntur. Incolæ barbari ac crudeles, qui, ut olim, carnibus humanis veſcuntur. Merc. Eſt inter Macaſſariam Inſ. ſeu Celebes ad Occ. terramque Papuorum ad Ort. Urbem habet prim. cogn. in ora Occ. è cujus regione ſunt 5. Inſulæ Moluccæ. Sub Rege proprio. In illius tamen ora Occ. ſunt fortalitia quædam Europæorum. *Baudr.*

GILON, civitas in tribu Juda. Joſ. *c.* 15. *v.* 51. 2. Sam. *c.* 15. *v.* 12. In qua ſuſpendit ſe Achitophel. Pop. *Gilonitæ.*

GILVUS Color, Græcè κιῤῥὸς, flavo dilutior eſt. Unde Hippocrates *de victu in Morb. acut. Com.* 3. vinum album, cùm veteraſcit, ſemper fieri κιῤῥότερον, *gilvius*, & tandem etiam ξανθὸν, *flavum*, tradit. Eundem colorem in equis ſæpè memorant Vett. Varro apud Nonium, in *Badius.*

> *Equi colore diſpares ita dati,*
> *Hic badius, iſte* gilvus, *ille murinus.*

Virg. Georg. *l.* 3. *v.* 82.

> ——— *color deterrimus albis*
> *Et* gilvo.

Ubi Serv. *Gilvus eſt melinus color, quem vulgò fulvum vocant*: imò *flavum.* Iſid. *Gilvus autem melinus color ſubalbidus.* *Melinus* dici videtur ἀπὸ τῶν μήλων, *à colore malorum*: Germ. *falb*, Gall. *fauve*, quia ad flavum maximè accedit. Cujus coloris ajunt fuiſſe Niſæos in Media equos, apud Perſas tanti olim nominis, Phavorin. Sed, ut in vino, ita in equis, *gilvus* à flavo differt; quia in *gilvo*, color aliquantum dilutior eſt. Itaque Apocalypſ. *c.* 6. *v.* 8. ἵππος χλωρὸς, videtur eſſe *gilvus equus*: ibi enim χλωρὸς, ut paſſim, pro ὠχρῷ, ſumitur. Porrò ὠχρὸν χρῶμα conflatur, λευκοῦ ξανθῷ μεμιγμένου, *cùm flavo miſcetur album*, ut in *Timæo* docet Plato. Syrus interpres reddit *equum pallidum*: ita equus ille equiti ſuo, i. e. morti concolor, quæ *pallida* eſt. Unde colligere eſt, *pallidum* & *gilvum* colores vicinos eſſe. Apud Zach. *c.* 6. *v.* 2. *ſerukim* equi, Bocharto *gilvi* exponuntur: ſic in Eſ. *c.* 16. *v.* 8. vites dicuntur *ſerukim* & *c.* 19. *v.* 9 lina Ægyptia *lina Serikoth*: cruda viz. quæ omnino nativi coloris, h. e. *flavi* vel *ſubflavi*, ſunt &c. Vide eum *Hierozoici Part. prior. l.* 11. *c.* 7.

GINÆA, vicus in planitie poſitus, à quo Samaria incipiens, in Acrabatenam deſinit toparchiam in tribu Manaſſe. Scribunt etiam illi, opp. munitum eſſe, ſitum in pede montis Ephraïm, quod *Sinum* vel *Silum* dicatur, ubi terminetur Galilæa & incipiat Samaria.

GINDANES, Libyæ pop. qui ſolo Loti arboris fructu victitant. Steph. Vide Herod. *l.* 4. *c.* 176.

GINDARA, vicus juxta Antiochiam: incolæ *Gindarenſes*: Plin. *l.* 5. *c.* 23. vel *Gindari.* *Steph.*

GINDES, fluv. Albaniæ in Cyrum influens. Alter in Meſopotamia, qui ex Armeniæ montibus oriens in Tigrim excurrit, teſte Oroſio, qui illum ſecundæ magnitudinis facit poſt Euphratem, ſcribitur & *Gyndes.* Tibull. *l.* 4. Eleg. 1. *v.* 141.

> ——— *Aut rapidus Cyri dementia* Gyndes.

GINETH, pater Thebni. 1. Reg. 16. *v.* 23. & 24.

GINETTA, animal in Hiſpania, vulpis magnitudine, pelle variâ & nigro ac cinereo alternantibus maculis diſtinctâ. *Quaſi ganetta*, i. e. *hyænula*, ὑποκοχυστικῶς, vide infrà *Roſemacha.*

GINGE, Ancilla Paryſatidis, conſcia veneficii ac parricidii in Statiram, uxorem Artaxerxis, in judicium vocata primò ut innocens abſoluta; ſed à Rege damnata, extremo ſupplicio affecta eſt. *Cteſias.*

GINGI, urbs ampla Peninſ. Indiæ intra Gangem, prov. cogn. caput, aliàs ſub Rege Biſnagariæ, nunc proprio. Permunita eſt, cum arce in ſcopulo, 60. mill. à ſinu Gangetico in Occ. Hinc dic. adj. Status *du Naique de Gingi*, Gall. eſtque inter regn. Biſnagariæ ad Bor. ſinum Ganget. ad Or. montes Malabariæ ad Occ. & dit. Tanjaor. ad Mer.

GINGIBER, vide *Zinziber.*

GINGLA, opp. Commagenes non procul ab Euphrate, Plin. *l.* 5. *c.* 24.

GINGLYMOTE, urbs Phœniciæ. *Steph.*

GINGRAS, Adonis Phœnicibus dictus. Pollux. *l.* 4. *c.* 10. [illegible] ἡ Φοινίκων γλῶττα Γίγγραν τὸν Ἄδωνιν καλεῖ, καὶ τούτῳ ὁ αὐλὸς [illegible] ὀνομάζεται. Vide Heſych. in Γίγγρας, & Boch. *Phœn. Col. p.* 807.

GINGRAS, ſive GINGRIS, etiam GINGROS, tibia, à Phœnicibus excogitata, Phrygiæ ſimilis, qua & Cares uſos prodidêre, inprimis apta funeribus. Nam Phœnices Adonim *Gingram* vocabant, in cujus luctu illam ad cantum accommodabant: ſicut animadvertit [illegible] voce apud affines Ægyptios *ginglarus* habita eſt puſilla tibiola, ſono acuto, ad monodias. Jul. Cæſ. Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 20. Græcè γίγγρας quoque & γιγγρίνος αὐλός. *Gingrina* Solino quoque c. 5. *Sive* gingrinas, *quæ breviores licet, ſubtilioribus tamen modis inſonant: aut milvinas* &c. Ad quem locum notat Salmaſ. à [illegible] ratione ſoni, quem anſeres faciunt, nonnullos vocem arceſſere. Certè Heſych. γίγγρας, ait, ἐπιφώνημά τι τῶν χηνῶν λεγόμενον [illegible] γιγγρίζειν & γιγγρίζειν, Latinis *gingrire*, quod anſerum proprium. Sic viciſſim de tibicinibus χηνίζειν, Græci, ut ex Athen. *l.* 14. *p.* 618. diſcimus, unde *gingritor* tibicen, apud Feſt. *p.* 119.

GINGUNUM, Umbriæ mons Strab. *l.* 5. *p.* 227. *Gengone* [illegible] Leandro, parvus, cum vico cogn. 5. mill. à Fano S. Leonis, Urbinum verſus, in dit. Pontif. 6. à confin. dit. M. Duc. Hetruriæ.

GINNUS, Heſych. οὗ πατὴρ ἵππος, ἡ δὲ μήτηρ ὄνος, *cujus pater eſt equus & mater aſina.* Hinc pro mulo pumilo uſurpatur [illegible] Mart. *l.* 6. *Epigr.* 77. cujus Epigraphe in Afrum.

> *Non aliter monſtratur Atlas cum compare* Mulo.

Ubi antea legebatur, *mulo*, item *gibbo.* Nempe Poëta ſcripſerat *ginno* & gloſſator aliquis, *mulo* in margine, quam vocem alii [illegible] ſtituêrunt vocabulo ignoto; alii dein pro *ginno*, *gibbo* ſcripſerunt. Atlas autem Nani nomen eſt, de quo Juv. *Sat.* 8. *l.* 3. *v.* 32.

> ----- *Nanum cujuſdam* Atlanta *vocamus.*

nanus eſt ſeu pumilio mulo inſidens æquè pumilo. Pro *ginno* verò vel *hinno burdonem* ſequior ætas dixit. *Epigr. vet. de ambigenis*,

> *Hæ ſunt ambigenæ, quæ nuptu diſpare conſtant,*
> *Burdonem ſonipes generat commixtus aſellæ*
> Mulus *ab Arcadicis & equinâ matre creatus.*

Sæpè tamen *burdo* & *mulus* promiſcuè ſumuntur &c. Bochart. [illegible] *bi ſuprà c.* 20.

GINSBERCA, locus Germaniæ, in Naſſoviæ Comitatu, concilio de adjuvandis Belgis ſeculo præt. habito, memorabilis: [illegible] diſtat Hilchenbaco. Cyr. Lentul. *Geneal. Naſſov. MS.*

GINSENG, celebratiſſima toto Imperio Sinico radix, nomen à figura habet, hominis viz. crura divaricantis, unde mandragoram noſtratem credas, niſi quòd eâ multò minor ſit: Japonenſibus *Niſi* vocatur. Siccata flaveſcit, fibras ſeu capillos, quibus alimentum ſugat, vix habet, nigricantibus venulis circumſperſa. Cùm manditur, dulcedine ingrata eſt, nonnullâ amaritudine, [illegible] nui admiſta. Auget plurimùm vitales ſpiritus ſuavemque [illegible] calorem excitat; balneo Mariæ, ut vocant, cocta adhibetur. Ejus [illegible] que fragrantem, aromatum inſtar, exhalat odorem. [illegible] triplo argenti pondere appenſo emitur; naſcitur autem in Pekingiæ prov. nec non in Xanſia, ubi civitatem *Leao* valde nobilitat &c. Auctor Anon. *Sinæ & Europ. c.* 31. ubi plura de mira nobilis hujus radicis virtute.

GINTZBURG, præn. Simſon, Rabbinus Architectonicæ & Geometriæ peritiſſimus, omnes ſui temporis in Germania Judæos ſcientiis ſuperavit, Obiit Anno Ær. 80. Millenarii VI. Anno 346. juxta ſupputationem R. Dav. Ganz *in Chronol. Judæorum ſub Templo II.*

GION, vel GEON, fluv. qui apud Ægyptios *Nilus* vocatur. Quo nomine etiam vocatus eſt mons Judææ, apud quem Salomon in Regem unctus fuit.

GIOSTRA, in *Hiſt. Cortuſior. l.* 5. *c.* 7. monomachia ludicra, vox Ital. Gallis *Jouſte*, Niceph. Gregoræ *l.* 10. & Cantacuzeno τζουστρία. Vide C. du Freſne *Differt. ad Joinv.* 6.

GIPEDÆ & GIPEDES, apud Treb. Pollion. *in D. Claud.* *Diverſique, Scytharum diverſi populi, Peucini, Trutungi, Auſtrogothi* ... *Gipedes, Celtæ etiam &c.* Gepidæ ſunt Jornandi aliiſque; ſed Gipedes ſcriptoribus ſæpe Γήπεδες vel Γήπαιδες. In antiquis ſchedis hæc verba, οἱ Οὖγγροι τὸ παλαιὸν ἐλέγοντο Γήπαιδες, *Ungari olim dicebantur Gipedes*, ſe offendiſſe, refert Caſaub. *ad locum.* Coripp. [illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

—— Gypedæque feroces.

At Græci, ut dictum, Γήπαιδας eos vocant. Ita enim ſolent barbarica nomina & fera, ad Græcum ſonum, formationemque Græcæ propiorem inflectere. Hinc Γήπαιδας eorum Grammatici ἐτυμολογοῦσι, quaſi Γετῶν παῖδας, Getarum filios: quidam quaſi Γῆς παῖδας, Terræ filios. Quemadmodum Erulos Ἕλουρας appellant, ἀπὸ τῶν ἑλῶν, à paludibus, in quibus habitabant, nominis originem arceſſentes. Vide Salmaſ. ad Vopiſc. in Prob.

GIPHANIUS Obertus, vide Obertus, mel. Hubertus.

GIPPIUS, Rom. vir, qui ſimulabat ſe dormire, & ſtertere, quò facilius uxor ejus mœcharetur, unde natum adagium videtur Cic. in quadam epiſtola ad Fabium Gallum, Non omnibus dormio. Lucil. apud Beroald.

GIR, Libyæ fluv. Ptol. Niger Merc. Claudian. ditiſſimum vocat de Laud. Stilich. l. 1. Carm. 21. v. 252.

Heſperidum Triton, & Gir notiſſimus amnis.

Alii Ger, Gil, Gis notiſſimus amnis. Γεὶρ eſt Ptol. & Γεῖρα civitas ad hunc fluv. ſita.

GIRADA, princeps femina in opp. Vauro, tempore belli ſacri, ut vocabant, contra Albigenſes, à S. Dominico & Montfortio, in Gallia, geſti, in puteum conjecta, ſaxisque obruta eſt, A. C. 1212. Lær. Comp. Hiſt. Univ.

GIRALDINUS Antonius, vide Antonius.

GIRALDUS, vel GEROLDUS, Patr. Hieroſol. ſec. 13. Item, Hiſpanus, auctor Hiſtoriæ Compoſtellanæ, Vaſæus in Chron. Hiſp. c. 4.

GIRALDUS, vide ſuprà Cynthius.

GIRALDUS de Bournel, Nobilis Lemovicenſis, à Principibus certatim expetitus, nulli ſe addixit: unus ex celeberrimis inventoribus Poëſeos Provincialis, quam vocant Troubadeurs. Primus creditur quoque tetradecaſtichorum, quæ Sonnets Gall. auctor. Obiit A. C. 1278. Eum Patrarcha imitatus eſt. Noſtradam. in vita Poët. Prov.

GIRALDUS Lilius Gregorius, vide Lilius Ferrarienſis, diſcip. Baptiſtæ Guarini ſub Demetrio Chalcondylo Mediolani, Græco ſtudio operam navavit, memoriæ feliciſſimæ, ſed in direptione urbis Mutinæ bonis ſuis, Bibliothecâ inprimis inſigni, privatus pauloque poſt jacturam paſſus optimi patroni Joh. Franc. Pici Mirandulæ Com. à Galeotto interfecti; paupertate porrò, Renatæ Ferrar. libertate non parum, mitigatâ, & podagrâ ſexennali diriſſimâ, infelix. Obiit A.C. 1552. Æt. 74. Scripta ejus, quæ Aurea ingenii doctrinæque Giraldi monumenta vocat Voſs. de Mathem. p. 424. inprimis de Vitis Poëtar. Idem de Poët. Lat. c. 7. exactè enarrat Ant. Teiſlier in Elog. Vide & Leandr. Alberti Deſcript. Ital.

GIRALDUS Sylveſter, Anglus, in familia Walliæ Principis, circa A. C. 1210. floruit, Hiberniæ, inter alia, deſcriptionis auctor. Quenſtedt. patr. doct. p. 89. Vide & Sylveſter.

GIRARDINUS Ambianus, priſcus Meladii auctor. Verd. Bibl.

GIRARDUS, vel GERARDUS, cogn. Tuncus, Maritimâ Provinciæ oriundus, inſtituit Hieroſolymæ, cùm à Godofredo Bull. capta eſſet, Ord. S. Joh. nunc Melitenſem dictum A. C. 1104. ſecundùm alios A. C. 1099. vel A. C. 1100. Primus Ordinis Mag. cui ſucceſſit Raimundus du Puy. Obiit A. C. 1118. Boſſio & Naberatus, Hiſt. Melit. Columb. in Manueſca. Bouch. Hiſt. Provinc. l. 9. &c. Vide & Bernardus.

GIRBA, Inſ. parva Afr. in mari Medit. ad os Syrtis min. ſeu ſinus Capſi: media ferè inter Adrumetum ad Occ. & Zonam ad Or. Hiſpanis erepta à Turcis. Ol. Lotophagitis. Eſt in regno Tripolitano, vix 1. mill. à Continenti Afr. cui ponte jungitur.

GIRBITANA Purpura, apud Treb. Pollion. in D. Claud. Albam ſubſericam unam, cum purpura Girbitana; dicta eſt ab Inſ. Girba, quæ Meninx eſt Vett. in Oceano Mer. hodie Gerbi. In qua nobiliſſimum baphium; cujus mentio in Not. Imp. ubi Girbitanum baphium non ſemel memoratur; unde proin Girbitana hæc purpura, apud Pollion. cùm priùs nullo ſenſu cogeretur Succubitana, Salmaſ. ad eum.

GIRGIUM, ſeu GEORGIA, urbs Ægypti ſup. ſupra Nilum, caput prov. Caſſ fat de Girgio.

GIRIM, mons apud Garamantas, gemmas producens.

GIRINGBOMBA ſeu GIRIBUMA, regn. Æthiop. Inſ. cui ſubſunt 15. regna. Juxta fluv. Gingiro ſeu Giring, & eſt conterminum regni Macao. J. Voſſ.

GIRIS, in Tab. Peutingeriana, aliter Diris vel Siris, Ptol. Γεὶρ, ingens Africæ, fluv. per Garamantas Æthiopas fluit, &, ſub terram abſconditus, Nubam paludem efficit: de quo vide Salmaſ. ad Solin. p. 420. & 421.

GIRONA Familia in Hiſpania illuſtris, cujus origo Guttiero adſcribitur, qui ex Vaſconia, cum Henrico Burgundo Luſitaniæ Regum ſatore, venerit, & Bragam acceperit dono. Filio cognomen datum eſt, de Cunnas, unde Acunniorum ſeu Acugnorum gentile nomen. Ex qua gente ſeculo decimo quarto vixit Martinus Vaſquezius de Acunna, qui ex ſecundo quidem matrimonio, cum Maria Luſitana, Comitum Valentiæ auctor fuit; in primo autem conjugio ex Tereſia Girona Alphonſum Tellez Gironum genuerat: Fuerat autem hæc Tereſia, ex antiqua & celeberrima Gironum (è quibus Rodericus Conſalvi memoratur vixiſſe A. C. 991.) ſtirpe oriunda, nominisque hæres, unde Alphonſus Martini fil. à Matre Gironis nomen adſumpſit. Huic uxor deſponſata Maria filio Joh. Fernandi Pacheci Dn. de Bello Monte: quæ ſuum item nomen in hanc gentem intulit. Et quidem primo filio Joh. Pacheci nomen impoſitum, alteri Petro Giron; à quo deſcendunt Comites de Urenna, è quibus dein Duces de Oſſuna & March. de Pennafiel orti. Petrus enim Giron M. Mag. Ord. Calatravæ, defunctus A. C. 1466. ex Iſabella de las Caſas Joh. I. Telles Gironis Com. de Urenna pater fuit: quo & Leonora de la Vega Velaſco, natus Joh. II. ex Maria de la Cueva ſuſcepit Petrum Gironem Ducem de Oſſuna, cui Leonora Anna Guzmanna (extincta A.C. 1573.) genuit Joh. III. March. de Pennaf. Duc. Oſſunæ: cujus ex Anna Maria de Velaſco fil. Petrus Giron Dux Oſſunæ, in matrimonio Catharinæ Henricæ de Ribera, fil. habuit Joh. Tellez IV. Duc. Oſſunæ, March. de Pennafiel, caput nominis Giron, cui nupſit Iſabella filia Chriſtophori Gomezii de Sandoval & Roxas D. de Uzeda atque Mariæ Mauriciæ Padilla, ſoror Franciſci &c. Obiit autem præfatus Joh. Tellez IV. A. C. 1656. relicto fil. Caſparo Tellez Girone Duce Oſſunæ & Uzedæ March. de Pennafiel Com. de Urenna. Phil. Jac. Spener. Theatr. Nobil. Europ. Part. I. p. 70. & Part. III. p. 87. In Joh. verò (filii primi Alphonſi ſuprà dicti) Pacheci cognominati March. de Villena & Duc. de Eſcalona filiis cognominum itidem diverſitas eſt. Primogenitus namque Pacheci ſervavit nomen, & auctor eſt Ducum de Eſcalona, de quibus ſuprà dictum. Alter fil. Petrus, à matre Portocarreri nomine accepto, ex ſe Marchiones Villanovæ dedit: in ejus tamen poſteris, præter Portocarreri commune nomen, aliarum etiam familiarum à matribus appellationes reperias. Tertius, Alphonſus Tellez ad Gironum nomen rediit, & ab illo Domini de la Puebla in Montalvan, qui poſtea Comitum dignitate ornati ſunt, & ſubinde Pacechorum nomen renovarunt, derivantur. Vide eundem Phil. Jac. Spener. in Ind. Part. I. in voce Giron & Pacheco.

GIRONUS Johannes, vide Johannes.

GISALDA, ſeu GISALA, vel GISLA, uxor Childerici cum marito in monaſterium detruſa. Chenius, t. 1. Auct. Hiſt. Franc. p. 793. Aventin. &c. Item fil. Caroli ſimpl. nupta A. C. 912. Rolloni Normanno.

GISARMA, in Statutis Vilhelmi Scotiæ Regis c. 23. §. 4. Saxonicè Hand ax, ſecuris bellicæ ſpecies fuit. Vide Henr. Spelmann. in Gloſſ. & Skenæum de Verb. ſignif. in voce Gyſarum.

GISCALA, Galilææ civitas, firmis portis & muris munita, ac populo frequens: patria ſeditioſi illius ac nequitiâ nobiliſſimi Joh. Leviæ filii. Hujus frequens eſt apud Joſeph. mentio.

GISCALIS, opp. Judææ, in tribu Benjamin.

GISELINUS Victor, Flander, Juſti Lipſii & Joh. Lernutii condiſcip. Lovanii, Dolæ Burgundorum Medicus Doctor creatus & à Lipſio Panegyricè laudatus eſt. Inſigni Comm. illuſtravit Metamorphoſes Ovidii, & Prudent. Poëtam Chriſtianum, in quo poſteriori tamen deſiderat Barthius auctoris modeſtiam, Val. Andreas illas Notas exſcriptas arguit, ex Arnoldo Laur. Berchemo. Præterea prodiérunt ejus Notæ & Chronologia in Severi Sulpitii opera, Adagiorum epitome, Ep. de Hydrargyri uſu, Hymni Liturgici. Poëmata porrò, & Emendationes in Auſon. quas Lernutio legavit, mortuus A. C. 1591. Æt. 60. Vide Thuan. Hiſt. Barthium Adverſ. l. 10. c. 20. & l. 21. c. 4. & l. 50. c. 9. Poſſevin. Appar. Anton. Teiſſier in Elogiis Parte II. etiam aliquid infrà in voce Victor.

GISILBERTUS, Comes Manſuariæ, ex partibus Caroli Calvi ſtetit, atque ex Ermengarda, Lotharii Imp. filia, quam rapuerat, Raginerum I. & Ricuinum I. genuit; E quibus iſte Ardennæ Comes, ex filiis Ottone & Ricuino II. aliquos primorum Lotharingiæ ſup. Ducum totamque familiam Limburgiam & Lucenburgiam, cujus rami in Belgium & Germaniam protenſi ſunt, ac noſtro demum ſeculo exaruére, proſevit: Ille autem Haſbaniæ & Hainaci Dux, pater fuit Giſilberti, celebris Lotharingiæ Ducis, quem cùm Carolus Simplex pepuliſſet, reſtituit ſocer, Henricus Auceps Imp. Sed poſtea rebellem affinis Otto I. prælio occidit A. C. 939. Plura vide infrà in voce Raginerus.

GISIRA, Africæ propriæ urbs. Ptol. One Caſtaldo.

S. GISLENI cella, vulgò S. GHISLAIN, vel S. GUISLAIN, nomen loci, qui prius Urſidongus, & cœnobii, quod prius Cella Apoſtolorum dictum eſt; ad Hamam vel Hagnam fluv. prope Caſtri locum ſeu Montes Hannoniæ, in Diœceſi Cameracenſi, &c. Hîc Giſlenus, regnante apud Auſtraſios Sigeberto pio, Dagoberti filio, cellam condidit, quæ totius Hannoniæ prima eſt, Haſnonio ſecundum locum tenente. Hadr. Valeſ. Not. Gall.

GISNA Morinorum, vulgò Guines, opp. eſt Flandriæ, ſtagno impoſitum, hinc aquis, inde ſilvis & montibus cinctum, caput Comit. cognominis, cui Ardea caſtellum Ardre, Fielnæ, Fiennes, Witſant, Andria, Bredenarda, Sangata & Colemude caſtella, aliaque attribuuntur. Fluvium Giſnarum Leduin nuncupare videtur Gul. Abbas Andrenſis in Chron. qui & ſtagni Giſnarum meminit. Primus Comes Sifridus Danus fuit, ab Arnulfo Flandriæ Com. in fidem acceptus. Idem. Fuit poſtmodum hic Comit. cum Caleſio per Ann. 1210. ſub Anglis.

GISON, in tribu Juda. Hier. in Loc. Hebr.

GISORIUM, vulgò GISORS, opp. Normanniæ, in Veliocaſſibus, Sugerio, Rigordo, & Gul. Brittoni Armoricano, cunctisque adeo poſt Ludovicum VII. Regem rerum Nortmannicarum ſcriptoribus notiſſimum celebratiſſimumque ad fluv. Eptam ſeu Ittam. Rodbertus de Candos Munio Regii Dangionis Giſortienſis; præfectus Regiæ arcis turriſve Giſortienſis ac munitionis memoratur Orderico Hiſt. l. 12. Vocant autem hodie Galli Dangionem le Donion, ſummam arcis præcipuæve turris partem, ſeu ſupremum ejus tabulatum: quo in loco Nobiles olim vel Caſtellani habitare conſuevêre. Diſtat 14. leuc. à Lutetia in Circ. In hujus vicinia, audito captæ à Saladino Hieroſolymæ nuntio, Philippus Aug. Galliæ & Henricus Angliæ Reges, omiſſis litibus, ad terram Sanctam ab infidelium jugo liberandam fœdus iniêrunt, in rei memoriam cruce ibi loci erectâ, A. C. 1188. Rogerius in Phil. Aug. Hadr. Valeſ. Notit. Gall. &c. Vide Cæſortium.

GISSA, Inſ. maris Illyrici, Liburniæ adjacens. Pago dicitur Volaterrano. Aliis hodiè Giſſe dicitur. Vide infrà. Plin. l. 3. c. 21.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

GISSA ſeu ISSA, nunc *Pago*, Inſ. parva in mari Hadriatico, in ſinu Flanatico, ſub Venetis, in ora Liburniæ, à qua vix 3. mill. Italicis diſtat. Tenens in ambitu 60. mill. oblonga & auguſta eſt, ſituque aſpera: Opp. ejus nominis habet, & habitatores circiter 1500. in eo ſunt tantummodo, quia lignorum copiam & aërem frigidum perſentit. Hîc ſunt ſalinæ, quæ magnum reddunt emolumentum, tum Reip. Venetæ, tum etiam ipſis incolis. Joh. Matal. Metell. 4. mill. tantùm ab Enona diſtat. *Baudr.*

GISTA & GISTUM apud Recentiores, hoſpitum ſuſceptio, Gall. *Giſte*: Jus eſt, quod dominis feudalibus competebat, in vaſſallorum ſuorum prædiis, qui ſtatis ac conductis vicibus eos in domibus ſuis hoſpitio & conviviis excipere tenebantur. Quod quidem jus *Manſionaticum*, ſub prima & ſecunda Galliæ Regum ſtirpe; ſub tertia verò, *Giſtum*, *Procuratio*, *Cœnaticum*, *Comeſtio*, *Paſtus*, *Prandium* dictum eſt: Ad hoc inventum, ut dominus per terras vaſſallorum iter faciens, in publica diverſoria non cogeretur divertere. Cujuſmodi tamen exceptionibus ne nimiùm gravarentur vaſſalli, earum in anno numerus, ut plurimùm, in feudationum legibus definitus erat, quod paſſim aſtruunt vett. *Chartæ*. Interdum & famulorum comitatum, obſequiumque, cum quo dominus in domum vaſſalli divertere poſset, circumſcriptum legimus; ſed & ipſæ *procurationum* expenſæ definitæ nonnunquam: quæ poſtea in nudam præſtationem abiêre. Ab iſtiuſmodi verò procurationibus nec ipſæ Eccleſiæ erant immunes. Quippe cùm Principes aut Magnates Monaſteria exſtruebant, ab illis eâ ferè ſemper conditione dotabantur, ut ſtatis in anno vicibus in iiſdem hoſpitari & convivio gratis excipi illis liceret. Quod jus potiſſimùm Regibus ipſis, non in Monaſteriis duntaxat, ſed & in Eccleſiis Cathedralibus, quarum prædia & *dotes Regalia* dicuntur, competiiſſe legimus: adeò ut in earum collatione id privilegii ſibi reſervaſſe videantur. Hinc teſtatur Monachus S. Galli *l.*1.*c.*15.16. & 17. Carolum Mag. in itinere non ſemel in Epiſcoporum domos divertiſse & ab iis convivio exceptum. Cujus quidem juris adeò fuêre ſtudioſi, ut, etſi expeditionem & exercitum, pietatis gratiâ, indulſiſse legantur, raró tamen *Giſtum* aut *Procurationem* dimiſerint, quod in *Hiſt.Comit. Ambianenſ.* pluribus obſervat C. du Freſne. *in Gloſſ.* Idem tamen docet, ex *Regeſto* quodam S.Ludovici, Matthæum Ep. Carnotenſem, cum eodem Rege compoſuiſſe, ſuper *giſtis* & procurationibus, quas apud Carnotum & Freſneium villam Epiſcopi petebat, & pro *quitatione* ejuſmodi *giſtorum* eidem conceſſiſſe 500. Turon. annui reditus in perpetuum, A. C. 1259. &c. Ad hoc porrò in Eccleſiis & Monaſteriis id ſibi juris reſervabant Principes, ut, ubi *regiæ* ac *publicæ* deeſſent villæ, in quas diverterent, in Eccleſiarum domos, ex ipſo *regaliorum* jure, ſecederent. Quin etiam nuntiis ac miſſis Regiis idem juris fuiſſe, ex Raderico patet *l.* 14. *c.* 34. ubi de Friderico I. Imp. &c. Vide & omnino præfatum C. du Freſne *in Gloſſ.* ubi & Catalogum Eccleſiarum ac locorum, in quibus Franciæ Reges *jus Giſti* habebant, ex *vet. Regeſt.* & *Rotulo pergamen.* Cameræ Computor. Pariſ. exhibet. Adde *Notas* ejus *ad Joinvillam p.*101. & 102. & Chopin. *de Doman. l.*3. *art.*13. *tit.* 20. nec non quæ infrà dicemus in voce *Procuratio.*

GISULPHUS, Lombardorum Dux, victus & cæſus à Cagano: maritus impudicæ Romildæ, quæ barbaro Forojulium prodidit, & filiarum caſtiſſimarum. A. C. 612. Vide Hiſtoriam memoratu dignam, apud Aimon. *l.* 4. *c.* 5.

GISVORTIUM, arx Normanniæ, ob quam non dirutam cum Henrico Anglo diſſedit Ludovicus Craſſus Galliæ Rex, A. C. 1111. Papyrius Maſſonius *in Hiſt.* Vide quoque *Giſorium*, & *Giſortium.*

GITEUI Ptol. *Gilva* Ant. *Zezil* & *Izli*, Marmol. opp. Mauritaniæ Cæſ. mediterr. inter Victorias & Vagas urbes, *Ferrar.*

GITTA, urbs Palæſtinæ. *Steph.*

GIUMA, h. e. σύναξις, ἐκκλησία, ὁμιλία, dicitur Mahumedanis ſexta hebdomadis feria, quæ eâ reverentiâ illis eſt, quâ Judæis Sabbathum, Chriſtianis dies Solis. Vide Joſ. Scalig. *de Emend. Temp. l.* 2 & Joh. Selden. *de Jure Nat. & Gent. juxta Diſciplin. Hebræor. l.* 3. *c.* 29. nec non infrà ubi de *Veneris die.*

GIZERICHUS, vide *Genſericus.*

GLABER Rudolphus, Monachus Cluniacenſis, ſub Roberto & Henr. I. Galliæ Regibus. Auctor Hiſtoriæ, ab A. C. 980. uſque ad A. C. 1045. &c. Sigebert. *c.* 50. Simler. *Voſſ.*

GLABRIO, Coſ. cum Ulpio Trajano, A. U. C. 845. Alius Coſ. cum Hamullo, A. U. C. 904. Alius cum Antonino Commodo, A. U. C. 938. Alius denique cum Val. Maximo. A. U. C. 1008.

GLABRIO M. Acilius, paulo antè Coſ. à Domitiano, ob fidem Chriſtianam, leoni objectus, & poſtquam feram confeciſſet, occiſus eſt, A. C. 93. Vide Joh. Xiphilin. Læt. *Comp. Hiſt. Univ.*

GLACIES, in fruſta diſſecta, aut nix frigore concreta, jam olim. vino diluendo adhibita eſt, ardentiſſimis æſtatis caloribus, teſte Plin. *l.* 9. *c.* 4. *Hi nives, illi Glaciem potant, pœnasque montium in voluptatem gulæ vertunt: Servatur algor æſtibus, excogitaturque, ut alienis menſibus nix algeat*: ubi in MS. codice *ſervatur Ligur æſtibus* magis appoſitè, quòd nivem hanc aut glaciem ex Alpibus Liguriæ vicinis Romam transferrent. In eundem luxum facundè invehitur Lat. Pacatus *in Paneg. Theodoſ. Nam delicati illi ac fluentes, ac quales ſæpè Reſp. tulit, parùm ſe lautos putabant, niſi luxuria vertiſſet annum, niſi hibernæ poculis roſæ innataſſent, niſi æſtivam in gemmis capacibus* Glaciem *Falerna fregiſſent.* Increpat & morem, tanquam ſanitati noxium, A. Gell. *l.* 19. *c.* 4 ex Ariſtotelis auctoritate. Nemo tamen in ea exagitanda frequentior Senec. Vide eum *Ep.* 78. & 96. *Nat. quæſt. l.* 4. *de Provid c* 3. *de Ira. l.* 2. *c.* 25. Plaut ejuſdem meminit *Curc. Act.* 2. *ſc.* 3. *v.* 32.

PH. Viden' ut expalluit? datin' iſti ſellam, ut aſſidat citò,
Et aqualem cum aqua? properatin' ocyus? CV. animo malè eſt.
PH. Vin' aquam? CV. Si fruſtulenta eſt, da obſecro hercle, obſorbeam.

Et Mart. *l.* 9. *Epigr.* 23. cujus epigraphe ad Paſtorem.

Nec labris niſi magna meis cryſtalla terantur,
Et faciant nigras *noſtra Falerna* nives, &c.

Hanc verò miniſtravit *Gelidæ miniſter* dictus. Vide Laur. Pignor. *de Servis*, p.68. & 69. Thom. Dempſter. *Antiqq. Rom. l.*5. *c.*30. &c. Alio ſine *glaciem* per hyemem collectam totâ æſtate ſervant Sinenſes, ut viz. eâ in navibus deſtinatis quaſi ſepultos piſces, *Xiyu* illis, *Savel* Luſitanis dictos, ad Imp. Pekinum uſque mittant, cui functioni unus ex præcipuis Eunuchorum præeſt. Auctor Anon. *Sinæ & Europ. c.* 42. *de Piſcibus.* Atque hic ad voluptatem, ſed & ad ſupplicium, *Glaciei* uſus, occurrit apud Baſilium Mag. in *glacie* ſanctiſſimos Chriſti athletas, nudos à Gentilibus collocatos, extructâ accenſaque in propinquo pyrâ, ad cujus calorem nemo, niſi qui Chriſtum negaret, appropinquare fuerit auſus, memorat *Homil. in XL. Martyre.* Cæterùm ad *Glaciem* tranſmittendam apta nautæ & trahæ, de quibus vide ſuo loco.

GLACTONUS Rogerius, vide *Rogerius.*

GLADIATORII Ludi, inter eos, qui *Honorarii* dicebantur, apud Romanos olim maximè frequentes, *Muneris* nomine non raró apud Auctores veniunt, quique eos edere ſoliti, *Munerarii* appellantur. Origo illis à ludis funebribus, in quibus homines mactati defunctis Inferiæ fuêre, ut de Ænea Pallantis & Achille Patrocli exequias celebrante legimus. Et primò quidem captivi ex hoſtibus jugulati ſunt, dein ipſi inter ſe committi cœpêrunt, ut penès eoſdem eſſet & facinus & ſupplicium. Poſtea ſervos mercati eodem modo immolavêre: tandem, placuit impietatem voluptate adumbrare & ſervi empti ſunt, quos Laniſtæ omni crudelitatis genere exercebant, & artis ſuæ præceptis imbuebant ſatis diu, ut poſſent Munerariis, cùm occaſio poſceret, edoctos artem *Gladiatoriam* elocare: Lipſ. Sat. Serm. *l.* 1 *c.* 7. & hi propriè, qui in funere depugnabant, *Buſtuarii*, nominati ſunt, de qua voce vide *ſuprà*. Hos primus in defuncti Patris honorem Romæ dedit Junius Brutus: conceſſuſque hic mos non Magiſtratibus ſolùm, ſed & privatis hominibus, ſi nempe quadringenta millia in cenſu haberent, quod demum Tiberius, cùm multi eâ profuſione ad inopiam redacti eſſent, conſtituit. A ſepulchris ad Circum & Amphitheatra tranſlati poſtea extitere admodum frequentes, & à Claudio Principe ex arbitrariis ſtati facti ſunt; qui tamen mox immanitatis pertæſus ritum ſuſtulit, privatis nihilominus manente conſuetudine. Poſtremò, quod animus meminiſſe horret, in convivium à quibuſdam recepti ſunt, adeò familiariter, ut non poſſim non mirari præpoſterum Maximi Tyrii Philoſ. hominis conſilium, qui non has Tragicas cœnas, ſed Domitianum in convivio improbavit ludicram pugnam. Sil. Ital. Punic. Bell. Campanis tribuit *l.* 11. *v.* 51. & *ſeqq.*

Quin etiam exhilarare viros convivia cæde
Mos olim, & miſcere epulis ſpectacula dira.
Certantum ferro ſæpe, & ſuper ipſa cadentum
Pocula reſperſis non parco ſanguine menſis.

De eadem conſuetudine egregiè Petrus Chryſologus *Serm.* 137. *In ſerenam vertitur domus, menſa migrat in caveam, fiunt de pranſoribus ſpectatores, furore mutatur convivium, fit cædes cibus, vinum tranſit in ſanguinem*, Lipſ. Sat. Serm. *l.* 1. *c.* 6. Primi ſc. ut dictum, in his ludis exhibiti captivi erant, his dein ſervi fugitivi ſucceſſêre, porrò è cataſta ſervi à Laniſtis empti ab iis erudiebantur, dicti *Tirones*, item *Familia*, ſicut Laniſtæ *Patresfamiliâs*; quorum paria propoſita Editori Magiſter indicabat, jugulatorum pretia non accipiebat. Poſtea liberi quoque homines ſe ad emendam hanc voluptatem auctorari patiebantur inde *Auctorati* dicti. Imò, ludibrium humanæ infelicitatis! Nero Imp. 400. Senatores, 600. Equites ad eam operam exhibuit: alterum quoque Orbis monſtrum Domitianus feminarum pugnas noctu edidit. Obſtringebant autem ſe tales juramento ſolenni, ad necem uſque ſe pugnaturos, aut igni, virgis, ferro corpus excruciandum oblaturos. Horat. *Serm. l.* 2. *Sat.* 7. *v.* 58.

Quid refert, uri virgis, ferroque necari?
Auctoratus eas, aut turpi clauſus in arca.

Cùm inſtaret Solennitas, Editor, ſeu Munerarius, publico ſcripto Populum de nominibus *Gladiatorum* notiſque (quivis enim ex his inſigni aliquâ notâ conſpicuus erat, pinnis inprimis pavonum in galea ornatus, Schol. Juv. *ad Sat.* 3. *l.* 1. *v.* 158.) dierumque, quot durare ludi deberent & parium numero, aliiſque certiorem reddidit. Unde Suet. *in Jul. Cæſ. c.* 26. *Munus populo pronuntiavit, in filiæ memoriam.* Imò in picta ſæpè tabella, non loci ſolùm, ſed & Gladiatorum ad pugnam compoſitorum, icones repræſentabant: Horat. *l.* 2. *Serm. Sat.* 7. *v.* 98.

---- ---- *velut ſi*
Revera pugnent, feriant vitentque moventes
Arma viri.

Ut dein dies illuxit, arma prolata ſunt, quæ duûm generum, *Luſoria* ſeu *Exercitoria* & *Decretoria* fuêre, quia *hæc velut decreto Principis, ſive Editoris, dabantur*, ſic dicta. *Poſtquam enim inter ſe rudibus* [illegible]*tuiſſent, ferro nudi transfigebant*, J. Cæſ. Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 35. Unde phraſes ortæ, *Ventilare* ſeu *Præludere*: &, *Dimicare ad certum*, ſeu *Verſis* i. e. *tranſmutatis armis pugnare.* Quò alludere videtur Apoſtolus 1. Cor. *c.* 9. *v.* 26. & 27. Οὕτω πυκτεύω ὡς οὐκ ἀέρα δέρων, ἀλλ' ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα, *Ita pugilem ago, ut non aërem cædens, ſed contundo corpus meum.* Dimicaturi juxta artis regulas corpus gradumque componebant, tum ut tutiùs expectarent hoſtem, tum ut eum certiùs ferirent: quod *Status* ſeu *Gradus* dicebatur. Unde *cedere de ſtatu*, ſeu *gradu*, *demigrare de gradu*; & metaph. *De mentis ſtatu dejicere*, ſeu *de...*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

deturbare. In conflictu variis utebantur artibus, ut infrà videbimus in voce *Fictio*, it. *Manus*; nefas erat cum gemitu vulnus excipere, juſſos ferrum jugulo non recipere, eodemque vultu proprium ſanguinem, quo hoſtilem, inſpectare tenebantur. Quod ſi quis læſus vulneratusque arma ſubmitteret, nullam tamen jus adverſario liberandi erat, cùm id unicè à Principe vel Populo penderet: quod *Miſſionem* dixêre. Itaque *Gladiatores* imminentem ſibi certam necem omni molimine avertere nitebantur, quia miſſio incerta erat: imò nonnunquam ſine miſſione atque ad certam mortem dabantur, quam crudelitatem Aug. ſuſtulit, apud Suet. *c.* 45. eouſque enim cum illa proceſſerat, ut non ſolum in certam mortem Munerarii omnes darent, ſed & percuſſos jacenteſque repeti, imò cadavera ictibus diſſipari juberent, ne ſimulatâ eluderent morte, Lipſ. *de Gladiat.* Vide quoque infrà *Habes*. Præmium victoris nonnunquam pecunia, nonnunquam ſertum lentiſcis complexum, ſeu palma lentiſcata, ut eam vocavit Fr. Sylv. *in Orat. pro Sexto Roſcio*: hinc Prov. *plurium palmarum homo*. Aliquando rude donabatur, & immunitatem ab hujuſmodi pugnis conſequebatur: Etiam pileum aliquando, plerumque libertatem & jus civis Romani impetrabat. Lipſ. Sat. Serm. *l.* 2. *c.* 23. Quò alludens Tertullian. *de Spect. c.* 21. *Qui inſigniorumque*, inquit, *homicida leonem poſcit, idem gladiatori atroci petat rudem, & pileum præmium conferat.* Cùm a. miſſionem dabat populus, factum i. e. premendo pollicem, ſicut eundem convertendo, pugnam continuari jubebat. Juv. *l.* 1. *Sat.* 3. *v.* 36.

> —— *Et verſo pollice vulgò*
> *Quemlibet occidunt populariter.*

Seſe autem ipſi *Gladiatores* minimo provocabant digito, quò reſpexit Horat. *Serm. l.* 1. *Sat.* 4. *v.* 15.

> *Criſpinus minimo me provocat, accipe ſi vis,*
> *Accipe jam tabulas.*

In ipſa verò pugna digitum exerendo, ſe victos fatebantur. Vide ſuprà *Digitus*. Hinc Perſ. *Sat.* 5. *v.* 119.

> —— *Digitum exere, peccas:*

Durarunt hi ludi immanes, uſque ad Theodoricum laudatiſſimum Gothorum Regem, qui eorum uſum funditus ſuſtulit; *Quia enim immanes, quia vitam adre hominibus, ut eam ipſi mutuis cædibus abſciſſe auferant.* Vide Alex. ab Alex. *Genial. dier. l.* 3. *c.* 7. & *l.* 4. *c.* 26. & *l.* 6. *c.* 22 Lipſ *Sat. l.* 2. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 24. cum *Paralip.* Th. Dempſteri, Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 3. *c.* 1. &c. Spectacula hæc ad vivum exhibet Hier. Mercurial *de Arte Gymn. l.* 3. *c.* 4. Similes *Gladiatoribus* priſcis medio ævo Campiones fuére de quibus ſuprà.

Gladiatorum variæ ſpecies.

Andabatæ, quaſi ἀναβάται, *aſcenſores*, in equis vel curribus, clauſis oculis digladiabantur. Unde Prov. *Andabatarum more pugnare.* Lipſ. Sat. Serm. *l.* 2. *c.* 12.

Cubiculares.

Dimachæri, aliàs *Orbelæ* dicti, gemina inſtructi machærâ pugnabant. Lipſ. Sat. Serm. *l.* 2. *c.* 13.

Eſſedarii, ab eſſedo, vehiculi genere, in quo depugnabant, nomen accepêre. Lipſ. Sat. Serm. *l.* 2. *c.* 12.

Fiſcales, vide Caſaub. *ad Hiſt. Aug.*

Hoplomachi, qui armati digladiabantur, *Samnites* dicti ſunt, uſque ad Aug tempora. Erant autem illorum arma, galea cuſtata, gladius cum clypeo, & crus ſiniſtrum ocreatum habebant. His plerumque opponebantur Provocatores, de quibus paulo infrà. Lipſ. Sat. Serm. *l.* 2. *c.* XI.

Laquearii, inſtructi erant gladio & laqueo; quo, veluti Retiarii retibus ſuis, adverſarii vel collo vel brachio injecto, illum enſe dein ſuo certiùs feriebant. Idem ibidem *c.* 13.

Myrmillones ſeu *Mirmillones* dicebantur graviter armati, quod inſtar *μυρμήκων* formicæ, ſub armorum onere, non incedere ſed repere viderentur. Alii verò eos appellatos volunt, à *mirmillo*, armaturæ Gallicæ nomine, ex piſce indito, cujus imago in galea fingebatur. Aliter quoque *Galli* vocati ſunt. Eorum fuére, gladius, ſcutum & galea, in cujus criſta piſcis icon, ut dictum, eminebat. Lipſ. Sat. Serm. *l.* 2. *c.* X.

Orbelæ, vide *Dimachæri* & infrà ſuo loco

Obſequentes, vide infrà in hac voce *Pegmares*, itidem infrà.

Poſtulatitii, vide Caſaubonum *ad Hiſt. Aug. c.* 17.

Provocatores, nonnunquam *Probactores* dicti, cum Hoplomachis plerunque certabant: Inſtructi enſe, clypeo & galea, habebant utrumque crus ocreatum. Erant autem ocreæ ex ferro, Lipſ. *de mil. l.* 3. *dial.* 7.

Retiarii, à reti jaculo ſic nominati, eo contra Secutores pugnabant: Rete nempe gerebant ſub ſcuto, quo adverſarium ſuum involverent Feſt. hoc capite Secutoris injecto, illum tridenti, quem alterâ manu tenebant, percutere ſunt ſoliti, Juv. *l.* 3. *Sat.* 8. *v.* 203. *Movet ecce tridentem.* Pugnabant in ſolis tunicis, inde *Retiarii Tunicati*, erantque ſpongiis inſtructi, ad ſanguinem detergendum, & vulnera obturanda. Retiario pugnanti adverſùs Mirmillonem, cantatum: *Non te peto, piſcem peto, quid me fugis Galle?* Gr. Δικτυοβόλοι.

Secutores dicti ſunt illi, qui cum Retiariis pugnabant, ab inſequendo eos appellati Eorum arma fuêre ſcutum, quo rete adverſarii declinarent, enſis & galea. Alii Mirmillones cum Secutoribus eoſdem faciunt. Vide infrà quoq; in voce *Palus*.

Spectatores dicebantur Gladiatores rude donati: quos ab Editore aliquando conduci ſolitos non pugnandi, ſed ſpectandi causâ, legimus: unde in teſſeris notæ frequentes SP. vel SPECT. i. e. *Spectavit*. Pignor. *de Servis*.

Thraces, à Thracia armatura nomen habuére. Utebantur enim hi parma; ſcuti genere Thracibus primum uſitato, & ſica, ſeu gladii genere in extremitate incurvi. Iidem *Parmularii* dicti ſunt, quemadmodum & qui huic *Gladiatorum* generi favebant, &c.

GLADIOLUS, apud Plin. *l.* 21. *c.* 11. *Poſt hanc* gladiolus *comitatus hyacinthis*: flos eſt, quem ξίφιον ſeu φασγάνιον vocat Theophraſt. Latinique Scriptores retentâ voce Græcâ *Xiphium* vocant. Ahàs *Gladiolus* Romanis idem, qui ξίφος & ξυρὸς Græcis, lilio quoad formam ſimilis, ſed purpuræ nigræ colorem habens, ſimulque ad ruborem vergens, ac lineis diſcurrentibus varius, qualem *hyacinthum* fabulæ deſcribunt. Nomen inde, quòd utrinque folium in aciem attenuatum habet: quam ob cauſam Ἰσχυρεια quoque Græcis dicebatur, quippe quæ & ipſa ob foliorum acumen *gladioli* nomine Latinis nonnunquam dicta eſt. Latini *Vaccinium* quoque appellavêre, de quo purpuræ elegantis colorem apud Vett. confieri ſolitum eſſe, Vitruv. alicubi docet. Eodem Chymicos autores ad tingendas vitreas gemmas hyacinthino colore & ad hyacinthos faciendas uti conſueviſſe, Zoſim. ut Plin. in Gallia ad ſervitiorum veſtes adhiberi, refert, *l.* 16 *c.* 18. ubi & mancipiorum tardandæ pubertati à mangonibus uſurpatum addit, qua de re vide infrà, ubi de *Venalitiis* &c. Peculiari hinc ritu effodi ξυρίδα conſueviſſe, habes apud eundem *l.* 21. *c.* 7. *Effoſſuri tribus ante menſibus multâ aquâ circumfuſâ, hoc veluti placamento terræ blandiuntur, circumſcriptam mucrone gladii, orbe triplici, & cùm legêrunt, eam protinus in cælum attollunt.* Ex Theophraſto *l.* 9. *c.* 9. Ubi Salmaſ. placentas ex trimeſtri frumento factas, quaſi mercedis vice eo loco, unde *gladiolum* effodiſſent, inſodi ſolitas, adeoque verba Theophraſti à Plin. perperam fuiſse acceptа, docet *ad Solin. p.* 1223. & *ſeqq.* ubi plura hanc in rem.

GLADIUS, inſigne apud Romanos Magiſtratus, publicum judicium exercentis, quemadmodum *haſta* Prætoris, privatim judicium obeuntis, fuit: Merum enim imperium eſt, habere *gladii* poteſtatem, ad animadvertendum in homines facinoroſos. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 9. *c.* 18. Vide infrà *Prætor* quoque. Apud Germanos veteres *Gladii* jus concedebatur Juvenibus, cùm ipſos ad rem militarem primùm proveherent, *Arma enim ſumere non ante cuiquam moris, quam ſuffecturum civitas probaverit. Tum in ipſo concilio vel Principum aliquis, vel pater, vel propinquus, ſcuto frameaque juvenem ornabant. Hæc apud illos toga.* Tac. *de moribus Germ. c.* 13. 24. & 43. indigitans, hanc arma concedendi conſuetudinem Romanorum illi reſpondiſſe, quâ poſt expletum ætatis annum decimum quartum ingenui adoleſcentes, depoſitâ prætextâ, virilem togam ſumebant, & in forum deducti in viros tranſcribebantur. Hodieque Nobilibus Germanis, jus *Gladii* conferendi manet, in quo quaſi emancipationis ritu alapa etiam intervenire ſolet, quemadmodum veterem Romanorum manumittendi rationem, per rhapiſmata & alapas, factùm legimus, *L. ult. C. de emancip. l.* & *Novell.* 51. Iſid. *l.* 9. *c.* 4. *ſub fin.* &c. Vocant hoc Germani *Werhafft machen*. Sed ex eodem inſtituto mos ille Germanorum mediæ ætatis *Equites creandi*, ſumpſit originem: quem tangit P. Diacon. in *Longobardicis l.* 1. *c.* 15. *Scitis non eſſe apud vos conſuetudinem, ut Regis fil. cum patre prandeat, niſi prius a Rege gentis externæ arma ſuſceperit.* Indidem *gladio* accingendi Comites, in Anglia, cùm inaugurabantur, ritus, tanquam juriſdictionis ſuæ ſymbolo, occurrit apud Matthæum Paris A. C. 1188. ubi de Hugone *du Puſet*, Dunelmenſi Ep. Northumbriæ Com. creato, *Qui*, inquit, *à Rege gladio Comitatus accinctus, nomen ſibi Comitis uſurpavit.* Sic Hubertus Angliæ Juſtitiarius *gladio Comitatus Cantiæ a Rege accinctus*, dicitur apud Matthæum Weſtmonaſter. *A. C.* 1227. *gladio Comitatus de Striguil, & gladio Comitatus de Eſſex, Vilhelmus Marſchallus, & Gaufridus fil. Petri a Rege Joh.* apud Roger. Hovedenum *p.* 793. &c. Hugo quoque de *Abrincis*, Comitatum Ceſtrenſem *adeò liberum ad gladium, ſicut ipſe Rex totam tenebat Angliam, poſſediſſe* legitur in vet. *Charta* &c. Nempe *gladius* jus gladii ſeu merum Imperium, ut dicunt, denotat. Lamprid. *in Alex. Sev. Honores juris* gladii *nunquam vendi paſſus eſt, dicens, Neceſſe eſt, ut qui emit, vendat*, apud C. du Freſne. Uti enim hodie, ſic & olim, nemo ſuâ, ſed Principis aut militaris alicujus Præfecti, auctoritate *gladium cinxit* unquam, uti peculiari *Tract.* docet Caſp. Barth. Vide etiam hîc paſſim, inprimis infrà in voce *Miles*. In bello præcipuè utile armorum genus *Gladius* eſt, unde Romanos pila vel ob viam, vel ob feſtinationem ſæpe abjeciſſe, & unicè *Gladiis* dimicaſſe, longeque clariora ſpathis, quàm aliis armis, geſſiſſe, docet Veget. *l.* 1. *c.* 11. Hinc Virginio Conſule jubente, exercitus fixis humi pilis, *Gladios* arripuit, apud Liv. *l.* 2. Idem in prælio cum Samnitibus, Duce Conſ. Publio Philone: & contra Etruſcos, in Conſulatu Fabii Rutilii, factum eſſe refert *l.* 9. Attilæ quoque apud Jornand. *de reb. Goth. c.* 35. *confidentiam addebat Gladius Martis.* Sic Ludovicus IX. Gall. Rex in conflictu cum Saracenis acerrimo in Ægypto, *Gladio Alemannico* ſtrenuè rem geſſit, Janvillæus Seneſchallus *in ejus Hiſt.* & notiſſimus Georgii Caſtrioti Epirotarum Principis *Gladius*, quo ſæpe cum equis equites cataphractos in duas partes diviſiſſe memoratur. Nec ſine cauſa Turcicus miles gladium ſuum leviter incurvum, qui illis *Kilitſch* dicitur, tanti facit, ut maximo pretio eum comparare, diligentiſſimeque aſſervare ſoleat, nequè facilè permittat ad exteros venalem exportari, ut auctor eſt Phil. Camerarius *Hor. Subciſ. Cent.* 1. *c.* 76. Gerebant autem *gladium* Vett. procul à manu dextra ad ſiniſtrum latus ex humero ſuſpenſum, uti diximus ex Stat. *Theb. l.* 2. *v.* 534.

> —— *& incluſum capulo tenus admovet* enſem.

Ut viz. eum paratum haberet. Et Sidon. *Panegyr. Anthemii*,

> —— *bullis hoſtilibus aſper*
> *Applicat à læva ſurgentem baltheus* enſem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Quæ ratio eum geſtandi ex profundiſſimæ antiquitatis more, commodè in noſtri ævi uſum rediit: medio enim variavit, ut alibi diximus, vide Juſt. Lipſ. *ad Tac. Ann. l.* 1. & Joh. Meurſ. *ad Lycophronis iſta*,

> Καὶ φασγάνου ζωστῆρα ----
> *Et enſis baltheum* -----

ubi circùm humeros baltheum, à quo *gladius* pendebat, Heroibus geſtatum eſſe, pluribus docet. Habebant verò emblematis variis ornatos illos, in capulis inprimis. Unde de Polynicis armatura agens Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 87.

> *Aſpera vulnifico ſubter latus* enſe *riget Sphinx* &c.

Vide ſuprà in voce *Capulus*. Sed ad ignominiam pertinebat, quòd *gladiis* militum Cn. Pompejus, cùm in Sicilia bellum gereret, audirétque milites flagitiosè vivere, ſigillum impreſſiſſe; eique qui amoviſſet, pœnam inflixiſſe, legitur; Ἀκούων δὲ τοὺς στρατιώτας ταῖς ὁδοιπορίαις ἀτακτεῖν, σφραγῖδα ταῖς μαχαίραις αὐτῶν ἐπέβαλλεν, ἣν ὁ μὴ φυλάξας ἐκολάζετο, Plutarch. *in Vita Pompeji*. Vide Joh. Kirchmann. *de Ann. c.* 10. Modum quod attinet, brevibus illis utebantur olim Athenienſes, donec Iphicrates *eos longiores fecit*, uti in eo Corn. Nepos docet *c.* 1. i. e. uti Diod. Sic. explicat, τὰ ξίφη σχεδὸν διπλάσια κατεσκεύασε ex ſpathis nimirum & ſemiſpathis. Quod à Romanis quoque declinante Imperio, factum, ex Tac. docemur. Vide Keuchen. *Not. ad Nep. d. t.* In ſuppliciis porrò exigendis, *Gladii* uſus in Republica nullus fuit, cùm ſecuri capita inciderentur. Lucan. Civ. Bell. *l.* 8. *v.* 673.

> *Tunc nervos, venaſque, ſecat, nodoſaque frangit*
> *Oſſa diu, nondum artis erat caput* enſe *rotare.*

Demum ſub Imperatoribus adhibitus eſt, & tum ignominioſior ſecuris, honoratior *Gladii* pœna fuit. Unde ridicula illa reprehenſio Baſſiani Caracallæ, interfecto Papiniano, ut retulit *in eo* Æl. Spartian. *Atqui oportuit gladio exequi mandatum meum.* Maximus tandem *Gladio* honor habitus eſt, cùm recèns creato Imp. in manum daretur, tanquam ſummum jus, eximiaque poteſtas ſignificanda per illum foret, Coripp. *l.* 2. *n* 4. Atque adeò creati Præfecti prætorio *Gladio* coram Senatu & quidem ſtricto donabantur eadem de cauſa, ut poteſtas nempe in facinoroſos animadvertendi ſignificaretur, Hadr. Turneb. *Adverſ. l.* 12. *c.* 6. Hinc Guntherus *l.* 1.

> *Huc ſacri celebreſque viri, quas laude ſerenâ*
> *Infula, vel* Gladius *mundo facit eſſe verendos,*
> *Ex omni regione fluunt.*

Unde mos profluxiſſe videtur, ut Principibus etiamnum *Gladius* præferatur, præſertim celebrioribus Comitiis aut feſtis: Idem *l. eòd.*

> ———— *Poſito diademate Petrus*
> *Regali dextrâ tulit alti Principis* enſem, &c.

Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 10. *cum Paralip.* Thomæ Dempſteri, Matth. Bernegger. *Quæſt. in Tac. German.* &c. Nec omittendus mos *conſecrandi gladios*, inſigni alicui facinori deſtinatos, aut per quos aliquid memorabile patratum eſſet, indigitatus Suet. *Calig. c.* 24. *Tres* gladios, *in necem ſuam præparatos, Marti Ultori, addito elogio, conſecravit.* Et *Vitell. c.* 10. *Pugionem quo ſe Otho occiderat --- Marti dedicavit.* Epitomatori it. Dionis *in Antonino Caracalla ſub fin. Gladium, quo fratrem interfecerat Deo conſecrare eſt auſus.* Quò reſpiciens, Tertullian. *de Reſurr. carnis*, *Gladius*, inquit, *bene de bello cruentus & melior homicida, laudem ſuam conſecratione penſabit.* Vide quoque Lucian. in *Tyrannicida*, & infrà *Myrtale*. Etiam myrto coronandi, quod de gladiis Harmodii & Ariſtogitonis, qui Hipparchum tyrannum occiderant, tradit Ariſtides. De nominibus *gladiorum* aliquot inſignium diximus alibi, inprimis ſuprà in voce *Curtana*. De more Vett. ex gladiorum acie divinandi, dicemus infrà ubi de *Telis*. Varias *gladiorum* ſpecies recenſet Aul. Gell. *l.* 10. *c.* 25. Unius hîc mentionem ſuperaddam, quem *Gladium Hiſpanicum* ſeu *Hiſpanienſem* idem vocat *l.* 9. *c.* 13. ubi de T. Manlii cum Gallo pugna loquitur; quem ita deſcribit, de Haſtatorum armatura agens, Polyb. *l.* 6. *Unà cum ſcuto enſis pendet ad dextrum femur, Hiſpanienſem vocant, anceps eſt, mucrone eximio: defertur violenter, eò quòd obeliſcus ejus firmus ſtabiliſque exiſtit.* Hiſce punctim & cæſim feriebant, tantâ eorum firmitate, ut & galeas dividerent, teſte Senec. *de Benef. l.* 5. Vide Lipſ. *de Mil. Rom. l.* 3. *Dial.* 3. & plura hanc in rem apud Plin. *l.* 7. *c.* 56. ubi Lacedæmoniorum inventum *gladium* inter alia facit, & hîc paſſim, in vocibus, *Enſis*, *Juſta*, ubi *gladium* Torneamentis, ſicut lanceam Juſtis, proprium armorum medio ævo genus fuiſſe, videbimus; *Pugilli*, ubi de pilis, quibus in armorum exercitio *gladii* præfiguntur; *Pugio*, *ſpatha* &c. uti de phraſi, *ad Gladium*, vel *ad Gladii ludum damnari* ſeu *deputari* infrà in voce *Pœna*: At de *Gladio piſce* ſeu Xiphia, apud eundem Plin. *l.* 9. *c.* 15. *l.* 32. *c.* 2. & 11. Auctorem Anon. *Sinæ & Europæ c. de Piſcibus*. Alios; de *Gladio ſidere*, itidem apud Plin. *l.* 18. *c.* 26. &c.

GLÆSARIA, vide *Gleſſaria*.

GLAMORGANIA, prov. Walliæ Merid. in Angl. juxta Sabrinæ æſtuarium. Alis *Morganucia*. Habet ab Or. Monumethenſem Comit. ab Occ. Maridunenſem. Ejus prim. eſt *Cardiffa*.

GLANDATA, ſeu *Glanateva Capillatorum*, vulgò *Glandevez* urbs Epiſcopal. Provinciæ, ad Varum fluv. verſus Alpes & confin. dit. Sabaudicæ. Nunc in ruinis. Manet tamen in colle caſtrum. Vide Morer. *Dict. Hiſt.* & infrà.

GLANDOMIRUM, Hiſp. Tarrac. urbs Ptol. *Mondonnedo* hodiè, teſtibus H. Coquo & Villanovano. Sanſ. eſt *Puente Brandomil*, ad amnem Lezarum, in Gallæcia, vix 6. leuc. Hiſp. ab Artabro prom. in Ort. & 20. in Occ. à Mindonia ſeu Mondonnedo, quæ *Ocelum* antiquis.

GLANDORPIUS Matthias Ludovicus, vide *ibi*.

GLANICUS, amnis Italiæ. Vide *Clanis*.

GLANIS, Græcè γλάνις, Æliano φιλοτεκνότατος ἰχθύων, *piſcibus ſuæ prolis amantiſſimus*, ſiluro forma ſimilis eſt. Quæ res impoſuit Plin. ut, quod de *glanide* ſcripſerat Ariſtot. *Hiſt. Anim. l.* 6. *c.* 14. ipſe tribuerit ſiluro. Sic autem ille *l.* 9. *c.* 33. *Silurus mas ſolus omnium cuſtodit ova, ſæpe & quinquagenis diebus, ne abſumantur ab aliis.* Ubi & in altero falſus, cùm ait, à ſolo hoc cuſtodiri ova, cùm idem faciat cyprinus. *Fœtus* igitur, non *ova* dicere oportuerat. Atque hæc hallucinatio Plinii Theod. quoque Gazam alioſque in errorem impulit, ut qui propterea γλάνιδα ſemper cum Siluro eundem fecerint. Cæterùm fluviatilis hic piſcis, ubi iterum Plin. impingit, & in delitiis fuit olim; ut oſtendit Matron parodus, qui eum in Attica ſua cœna recenſet, apud Athen. *l.* 8. *p.* 342. Et Ephippus Mneſimachuſque apud eundem, *l.* 4. *p.* 28. & 29. qui τεμάχη γλάνιδος, *glanis tomacula* ſive *ſegmenta* celebrant, Vide quoque *l.* 7. ubi Archippus fabulâ, quam *Piſces* inſcripſerat, ejuſdem meminit, plura vide hanc in rem, apud Voſſ. *de Idolol. l.* 4. *c.* 16. & 30.

GLANIS, fluv. Cumæ. Eſt & Iberiæ fluv. Et tertius Italiæ juxta Tiberim. Steph. Sil. Ital. Punic. Bell. *l.* 8. *v.* 455.

> *Et* Glanis *& Rubico, & Senonum de nomine Sena.*

Sed legendum *Clanis*, Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Nic. Lloyd.*

GLANNAFOLIUM, prædium Galliæ, in agro Andegavenſi, vulgò *Glanfeuil*, ad Ligerim: unde Monaſterio nomen, quod quatuor olim Eccleſias habuit, nunc cœnobium S. Mauri à conditore ſuo, Benedicti diſcip. *S. Maur de Loire* dicitur, & parvas quidem opes, ſed Abbatem Regulæ ſubjectum habet. Hoc cœnobium Pipinus Rex Gaidulfo cuidam Ravennati beneficii loco donaverat; quare Monachi, rerum omnium preſſi inopiâ, habitum Canonicorum aſſumpsêre: ſed poſtea iterum Monachi facti ſunt. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

GLANNATEVA, nec Plin. nec Strab. aut Ptol. memorata, inter 8. civitates prov. Alpium Maritimarum ſexto loco in vet. Not. ponitur. Vulgò, *Glandeve*, aut *Glandevez*: Urbs eſt Velaunorum forſitan caput olim, ad ripam dextram Vari flum. cujus incolæ pecuniâ ſe à dominis Glannatenſibus redemêrunt, Regibuſque Galliæ ſubjecêrunt. Ex Epiſcopis ejus Claudius Benenatum miſit ad Concil. Aurelianenſe quartum, Baſilius quintò ipſe interfuit; Promotus Syn. Pariſienſi quartæ & Agroecius Matiſconenſi 2. ſubſcripsêre. Vide eundem: qui ex Gaſſendo docet, nihil nunc urbis hujus ſupereſſe, ſive montis alicujus ruina obruta, ſive incenſa ac bellis everſa eſt: In opp. igitur Intervalles, *Entrevaux*, majorem Eccleſiam & domum Eccleſiæ ſedemve Ep. è ſapino eſſe, ad 2. lapidem à Glannateva. Inter Glannatevam autem & Intervalles Varus ponte ſtratus inter fluit.

GLANNIBANTA, CLANOVENTA Antonino, opp. Albionis in Anglia, nunc pagus in Com. Eboracenſi, vulgò *Bainbrig*. Camden. verò putat eſſe locum aliquem ad fluv. *Wentsbeck* in Northumbria ſitum.

GLANS, ab Æol. γέλανος, pro βάλανος, antiquiſſimorum mortalium cibus fuit. Plin. *l.* 7. *c.* 56. *Ceres frumenta invenit, cum antea glande veſcerentur homines.* Lucret. Rer. Nat. *l.* 5. *v.* 1419.

> *Sic odium cœpit* glandis &c.

Vide ſuprà *Fruges*.

Et quidem primò cruda, dein ſub cinere aſſata: unde ex cinere calidæ glandes, apud Arnob. *l.* 2. Quas qui, mercede conducti, colligebant, βαλανιστὰς dictos eſſe, habemus ex Auctore Proverbiorum. Hinc *glandiferis arboribus honos apud Romanos perpetuus*, Plin. *l.* 16. *c.* 3. quarum quatuor idem recenſet, *quercum*, *robur*, *æſculum* & *fagum* ſeu *cerrum*, de quibus vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 334 & 507. ut & hîc ſuo loco: inprimis ubi de *Civica corona*; omnium maximè in pretio habita. Poſt frumenti inde uſum repertum, Athenis puerum patrimum matrimum ſpinas cum *glandibus* & caniſtrum panibus ferentem, in nuptiis, clamare in more habuiſſe, ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον, *effugi malum, inveni melius*, monet Meurſ. *ad Lycophron. p.* 214. Interim etiam recentiori ævo, manſit earum primævus uſus, apud nonnullos. Plin. iterum *l.* 16. *c.* 5. *Glandes opes eſſe nunc quoque multarum gentium, etiam pace gaudentium conſtat. Nec non & inopiâ frugum arefactis molitur farina ſpiſſaturque in panis uſum. Quin & hodieque per Hiſpanias, ſecundis menſis glans inſeritur. Dulcior eadem in cinere toſta.* Ubi quod de Hiſpanis ait, confirmatur ex Strab. qui & farina glandium panem eos confeciſſe, teſtatur *l.* 3. *p.* 145. & 155. &c. Sed & balneis ſuccendendis *glandes*, ſeu potiùs earum putamina, antiquitus inſerviebant, unde βαλανεὺς nomen, de quo vide Cl. Suicerum *Theſ. Eccleſ.* Plura de *glandibus* varii generis, *ibid.* nec non & *ſeq.* de *glande* verò *myrepſica*, ſeu *unguentaria*, Ponticæ nuci ſimili, unde oleum balaninum exprimebatur. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 464.

GLANVILLE Bartholomæus, vide *Bartholomæus*.

GLANUM, opp. Gall. Narbon. Ptol. Quibuſd. *les Baux*, opp. cum caſtro in Provincia, 4. leuc. ab Arelate verſus Cabellionem. Hadr. Valeſ. videtur eſſe *Lanſac*, vicus ad Rhodanum, Taraſconem inter & Arelatum. Plin. *l.* 3. *c.* 4. *Glanum Livii* nominavit. Aliàs quoque *Clanum*, quod unâ cum Ernagino Ptol. Salyis attribuit. Mela (niſi tamen corrupta ſint ejus exemplaria, ut quibuſdam videtur) *Glanon* aliud nobis obtrudit, Olliam inter & Cithariſtam Prom. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Ernaginum*.

GLAPHYRÆ, Alexandri Cappadocum Regis filia, nupſit primùm Alexandro, fratri Archelai, deinde Jubæ Maurorum Regi, ...

tandem ipſi etiam Archelao, qui contra legem, Mariam priorem uxorem dimiſit: Præterea ſuſceperat ex Glaphyra filios Alexander hujus Archelai frater, quare apparuit uxori in ſomnis exprobrans ei in hæc verba: Nunc confirmas proverbium, fidem mulieribus non habendam. Nonne mihi jurejurando conſtricta es, & jugali fœdere mihi ſociata? Poſt ſuſceptos etiam filios (chara pignora) amoris noſtri oblita es, iterum nubens, imo tertiò, atque cum meo fratre, nunquam tamen ego tui obliviſcar: quin liberabo te opprobriis, & efficiam, ut mea ſicut fuiſti, in perpetuum ſis; ac poſt paucos dies hæc obiit. Joſeph. *l.* 17. *c.* 19.

GLAPHYRA, urbs Theſſaliæ. Et vicus Ciliciæ à Tarſo verſus Occid. 30. ſtadiis diſtans. *Steph.*

GLAPHYRUS, notiſſimus adulter. Juv. *Sat.* 6. *l.* 2. *v.* 77.

> *Accipis uxorem, de qua citharœdus Echion,*
> *Aut* Glaphyrus *fiet pater.*

Vide Mart. *l.* 4. Epigr. v. cujus Epigraphe ad Fabianum.

> *Plaudere nec Cano, plaudere nec* Glaphyro.

GLAREA, extra Urbem, ſubſternendas marginandasque vias, qui primum locaverit, apud Romanos, vide infrà, ubi de *Viis.*

GLAREANUS Henricus, Glarona Helvetius, à domo paterna, à Glarea, *am Landecker* nomen accepit. Poëta laureatus, multis opuſculis editis inclaruit: inter quæ *Panegyricon Helvetiæ à Moitiore* [illegible]: *Comm. in Cæſ.* &c. Prius *Loritus* dictus ingens Eraſmi amicus, docuit Baſileæ primùm, inde Friburgi; Philoſophus etiam, Theologus, Mathematicus, Hiſtoricus, Geographus, inter primos ſui ævi, ab Maximiliano I. lauro & annulo donatus; in Muſica, Arithmetica, Chronologia, & jam prædictis Artibus præclara edidit ingenii monumenta, quorum ſeriem habes *in Elogiis* Teiſſieri *Part.* 1. Plura apud Thuan. *Hiſt.* Simler. *Biblioth.* Voſſ. *de Mathem.* Lipſ. *Ep. Quæſt. l.* 3. *c.* 10. Eraſm. *Ep. l.* 18. *Ep.* 35. & *l.* 24. *Ep.* 22. Obiit Friburgi Briſgoiæ, A. C. 1563. Æt. 75. Vide & *Henricus.*

GLAREATUM, vide *Gallorum area.*

GLARONA, æmulus urbium vicus, vulgò *Glaris* vel *Glarus*, unde toti ditioni nomen; quæ vallis eſt juxta Limagum fluv. non admodum ampla, longitudine trium mill. Germ. cincta tribus partibus, altiſſimis Alpibus: à Mer. & Or. Rhætos, ab Occ. Urios & Suitios attingens, à Sept. caſtra Rhætica, quà Limagus vallem egreditur. Hæc regio olim Monaſterio Seconienſi fuit obnoxia, donata S. Fridolino ab Urſo & Landolpho fratribus, huic decimæ & conſtitutus redditus ſolvebantur, cenſusque certorum fundorum: cæterùm ab oneribus & vectigalibus liberis, vivebant ſuis legibus, Senatum ex civibus habebant, cujus tamen electio penes Abbatiſſam erat; ſicut Advocatia cœnobii & Glaronenſium penes Imp. Rom. quæ dein à Friderico Ænobarbo Othoni Palatino Burgundiæ data, poſtmodum à Burgundis ad Habeſpurgios pervenit. Quo titulo cùm Albertus Rudolph I. Imp. fil. imperium in Glaronenſes ſibi vindicaret, nobiliores quædam familiæ, patriâ desertâ, aliæ Uriam, aliæ Tigurum commigrarunt. Poſt quæ Auſtrii vires nacti, Suandium Baronem illis in locis potentem ac gratum pepulêre, bonisque ejus ſibi vindicatis, jura quoque Majoratus Glaronenſis ad ſe tranſtulêre, & quod hactenus [illegible] jus dicerent, præfectos in regionem miſêre, qui populo præeſſent. Horum imperia cùm aſpera & inſolentiæ plena eſſent, incolæ, odio Auſtriorum, Helvetiis, poſt Tigurinos in fœdus receptos & ſpem pacis cum Auſtriacis præciſam, Glaronenſem regionem occupare ſtatuentibus, ultro ſe dedidêrunt, & eodem cum Tigurinis A. C. 1351. in fœdus recepti ſunt, octavo inter Cantones loco. Ab eo tempore, vallem cætera undique montibus altiſſimis cinctam, prope vicum Næfelum, quà liber in illam aditus patet, muro foſſaque clauſêre, ut contra Auſtrios ſe eò melius tuerentur. Sequenti anno Waltherus à Stadio, qui nuper Glaronenſium fuerat præfectus, hos Auſtriis rurſus ſubjecturus, victus ab incolis, cum multis è nobilitate occubuit, die 2. Febr. Poſtea bello inter Pagos & Leopoldum Auſtriæ ducem, qui ad Sempacium victus eſt, A. C. 1386. d. 9. Jun. exorto, medio menſe Auguſto Glaronenſes cum Tigurinis, Suitiis & Uriis, opp. Veſenam occuparunt, ad oſtia lacus Rivarii ſitum: ubi proditione cæſo præſidio Glaronenſium, A. C. 1387 Auſtrii cum exercitu XV. M. ad Navalia movêrunt, vallo regionis perrupto: quibus è Glaronenſibus 350. ſolùm homines, triginta Suitiis aucti tanto ſucceſſu ſe oppoſuerunt, ut 3000. hoſtium cæſis, præter eos, qui lacu Rivario hauſti, victoriam in omne ævum memorabilem reportaverint: & celebrant quotannis poſteri hanc *Nephelianam victoriam* ſolenni pompâ, Menſe Aprili, feriâ quartâ primæ ſeptimanæ. Sic hoſtibus ſuperatis, & arcibus ſeptem, quæ ibi eminentiſſimæ fortiſſimæque erant, disjectis, libertatem ad hæc uſque tempora feliciter conſervarunt, egregiâ Confœderatis plurimis in locis operâ præſtitâ. Cæterum ingenia feliciſſima hic Pagus profert; Hinc enim Arbogaſtus Strub, Academiæ Viennenſis inſigne decus, Ægidius Tſchudius, vir clariſſimus, Henricus Glareanus Poëta Laureatus, Henricus Schulius prioris ex ſorore nepos, in Mathematicis artibus non mediocriter verſatus, aliique prodiêre. Incolæ partim Reformati, (annunciante Evangelium hic Huldrico Zuinglio, jam A. C. 1515. biennio antequam Lutherus in Saxonia ſurgeret) partim Pontificii ſunt: Vide Simler. & Gullim. de *Rep. Helv.* Stumpf. *Chron. Helv.* &c. & in voce *Suanites.* De patria ſua ita Glareanus, *in Paneg. Helvetiæ;*

> *Tu quoque* Limagiana *gravi gens inclyta bello,*
> *Et libertatis vindex, temeraria Rheni*
> *Bella teris gladio, diroſque explosa tyrannos,*
> *Culmineque eductas in ſidera dejicis arces:*
> *Plurima majorum tibi ſunt exempla tuorum.*
> *Aſpice diſſecto Veſania Pergama muro,*

> *Quid patres potuêre tui, te ſæpe laberes*
> *Aſpice [illegible], dumque [illegible] umbras.*

GLARONENSIS Pagus, inter altiſſimos montes, ubi Limagus fluv. de cujus finibus vide ſuprà in voce *Glarona.* Diviſus eſt in partes quindecim, quas vocant *Tagwen*, quod nomen operam diurnam denotat: Item tantum terræ ſpatium, quantum unius hominis diurnâ operâ coli poteſt. At forte ſic appellatæ ſunt, quia ſingulæ ſuâ operâ vias in ſuo agro muniunt, & publicæ operæ juxta has partes diſtributæ ſunt. Hic optima lithoſtroſe reperitur. Cæterum Glaronenſes, una cum Tigurinis, Lucernatibus, & Suitiis perpetuo jure libertatis defenſores, & cœnobii Advocati, ab Abbate Sangallenſi inſtituti ſunt, A. C. 1451. cum opp. quoque Sangallo fœdus habent, ab A. C. 1454. Werdenbergenſib. Præfectum dant in ſingula triennia, quem Comitatum emerûnt, A. C. 1517. Cum Suitiis, Ucenacum & Caſtra Rhætica, vulgo *Gaſtelen*, communi jure poſſident: ut taceam ea, quæ partim pagis VIII. vet. partim univerſis Conventibus æquo jure parent. Vide Auctores præfatos, inſuperque Joh. Bapt. Plantin. *Helv. Nov. Antiq.*

GLASCONIA, vulgò GLASSENBURYE, pagus eſt Comitat. Somerſetenſis, in Anglia Merid. 10. mill. Angl. ab æſtuario Sabrinæ in Ort. 15. à Bathonia in Auſtr. 20. à Dorceſtria in Bor.

GLASQUUM, urbs Archiepiſcopal. Scotiæ Merid. in Glotiana prov. 16. mill. ab ora Occid. Scotiæ, in limite Cuninghamiæ regionis. Cum Acad. A. C. 1454. ab Turnebulo Archiep. fundata. Boëth. *Hiſt. l.* 18.

GLASTUM, Gallis herbæ genus, quo Britanni corpora tingebant, teſte Plin. *l.* 22. *c.* 1. *Simile plantagini glaſtum in Gallia vocatur: quo Britannorum conjuges nuruſque toto corpore oblitæ, quibuſdam in ſacris & nudæ incedunt, Æthiopum colorem imitantes.* Guaſtum vel *Paſtellum* Galli appellant; cujus lanis inficiendis maximus eſt uſus. Vide Petr. Victorin. *Var. Lect. l.* 19. *c.* 3. Salmaſ. *ad Solin. p.* 254. pro *glaſtum*, apud Plin. *glaſum* reponi jubet, quam vocem vide infrà.

GLATIUM, urbs Bohemiæ, caput Comit. Glatenſis, inter Bohemiam propriam & Sileſiam, cum arce munita, ad Niſſam fluv. 22. mill. Germ. à Praga in Ort. 11. ab Uratiſlavia in Auſtr.

GLAUCI Inſ. Bœotiæ, pene continenti illius juncta, apud Anthedonem, patria Glauci, hiſtrionis celebris.

GLAUCI Tribus, in Lycia eſt, à *Glauco* Heroë dicitur. Gentile *Glaucodemus.*

GLAUCIA, præn. Servilius, memoratur Aſconio Pediano *in Or. pro M. Scauro, Q. Servilius Cepio Scaurum reum fecit Repetundarum Lege, quam tulit Servilius Glaucia.* Idem nomen fuit delicato Melioris, de quo, præter Mart. *l.* 6. Epigr. 29. *v.* 4. habes *Epicedion* Pap. Stat. *l.* 2. *Sylv.* 1. Imparis nominis & rei, præmaturè mortuum puerum, *Epitaphium* ſcripſit Auſ. Glauciæ immatura morte prævento, quod eſt 33. inter Heroum, Initio

> *Læta bis octono tibi jam ſub Conſule pubes*
> *Cingebat teneras,* Glaucia *adulte, genas* &c.

Caſp. Barth. *Animadv. ad Stat. d. l.*

GLAUCIA, opp. Ioniæ, *Steph.*

GLAUCIAS, Anatomicus peritiſſimus. Rhod. *l.* 16. *c.* 19.

GLAUCIAS, Melioris libertus, cujus Epitaphium vide apud Mart. *l.* 6. *Epigr.* 28. cujus Epigraphe Epitaphium Glauciæ ad viatorem *v.* 4.

> *Hoc ſub marmore* Glaucias *humatus.*

GLAUCINA ſeu GLAUCIA pallia, apud Mart. *l.* 9. *Epigr.* 27. cujus Epigraphe de Nerva.

> *Audet facundo qui carmina mittere Nervæ,*
> *Pallia donabit* glaucina, *Come, tibi.*

Sunt *glaucio* infecta. Eſt autem *glaucium* herba, cujus colore lanæ olim croceæ ſeu luteæ tinctæ ſunt Græcè γλαύκιον primum, dein χαλάνθα. Chymici Scriptores, ζωμὸς θαλλικὸς ἐστι χαλκάνθη εἰκονομηθέντα, *Chalcanthum præparata pro* [illegible] *fieri*. Ejuſdem ſuccus collyrium ingreditur, quo lippi inuncti mirificè juvabantur, dictum proin θαῦμα πρὸς πάντων ὀφθαλμίαν, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1164.

GLAUCIPPUS, de ſacris Athenienſium ſcripſit, teſte Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 13. *Glaucippum* Hyperidis filium auctorem laudat Plutarch. *in Phocione.*

GLAUCONIS, vide *Gallus.*

GLAUCOPIS, habens oculos cæſios. Quo nomine dicta eſt Pallas, quæ Latinis cæſia, idque ut nonnullis placet, quaſi Cœlia. Diod. Sic. autem ſcribit aërem nominatum eſſe Pallada, & ideo Glaucopin dici, quoniam aër glauci, h. e. viridis ſit aſpectus. Nam Junio Philargyro *glaucus, cæruleus color eſt, i. e. ſubviridis alba mixtus & quaſi clarus.* Gr. γλαυκὸς, quod idem ac λευκὸς, φαιδρὸς, λαμπρὸς, *albus, clarus, eximiè ſplendens*, à γλαύσσω, quod eſt λάμπω ſeu φαίνω, *ſplendeo.* Felineorum oculorum proprius. Serv. *Glauci autem ſunt felineis oculis quodam ſplendore perfuſis*, in *Georg. l.* 3. *v.* 82. Cujuſmodi color, quia minùs pulcher in oculis olim habitus eſt, laboratum Veteribus, ut cæſios puerorum oculos arte & curâ redderent nigros, quod magis placuit. Poëta,

> Οὔτε κόρας ξανθὰς ἐπιμαίνομαι ἀλλὰ μάλιστα
> Τὰς μελανοφθάλμους, αἰγλοφανεῖς τε φιλῶ.

At *glaucam beryllum* iidem appellavêre, quæ probatiſſima eſt, quamque *viriditatem puri maris imitari* Plin. *l.* 9. *c.* 16. dixit, unde βήρυλλος γλαυκὴ λίθος Dionyſio, ubi de Indis & Aſſyria. Nunc *catti oculum* vocant ſummoque in pretio etiamnum apud Indos habetur. Quibus verò *glauci* oculi, quales felium, plus nocte cernunt, quod de Tiberio Imp. legimus. Sic de Albanis Solin. *c.* 15. *At Albani, in ora agentes, qui poſteros ſe Jaſonis credi volunt, albo*

crine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

crine naſcuntur --- Glauca oculis ineſt pupula : ideo noctu plus quàm diu cernunt : ad quem locum vide Salmaſ. *p.* 190. & plura de colore hoc, *p.* 256. *&* 1150.

GLAUCUS, Meſſeniorum Rex ex Heraclidis III. ſucceſſit Ægypto : Bucotione apud Arcades ; Echeſtrato & Euryphonte, it. Labota & Prytane, Spartæ regnantibus. Pauſ. *Meſſen.* Eum excepit Iſthmius, quem vide.

GLAUCUS, Hippolochi fil. pater Bellerophontis, qui Trojano bello Priamo ſuppetias tulit, homo tam ſtupidus, ut cum Diomede, armorum permutatione factâ, ænea acceperit pro aureis, Hom. *Il.* 6.

> Ἔνθ' αὖτε Γλαύκῳ Κρονίδης φρένας ἐξέλετο Ζεύς,
> Ὃς πρὸς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβε
> Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

Idem Proverbium *Glauci & Diomedis permutatio*, quoties permutatarum rerum inæqualitatem volumus denotare. Utitur hoc proverbio Plato *in Sympoſio*, & Ariſtot. *l.* 5. *Eth. ad Nicomachum*, Mart. *c.* 9. Epigr. 95. cujus Epigraphe de Hippocrate.

> *Tam ſtupidus nunquam nec tu puto* Glauce *fuiſti,*
> *Chalcea donanti Chryſea qui dederas.*

Ferunt hunc ab Ajace occiſum, cùm pro corpore interfecti Achillis pugnaret ; poſtea in Lyciam ventis delatum in fluv. mutatum eſſe. Palæphatus, *p.* 32. *Nic. Lloydius.*

GLAUCUS, unus è Cyzicenis, in conflictu nocturno à Polluce jugulatus. V. Flacc. Argon. *l.*3. *v.*153.

> *Seminecem* Glaucum *ſequitur,* Glaucumque *ruentem.*

GLAUCUS, Epiti fil. primus in Gerenia rem divinam fecit Machaoni, Æſculapii filio : ipſe poſtmodum Meſſeniis cultus. Eo genitus Iſthmius, Pheris ſeu Pharis Meſſeniacis, templum extruxit Gorgalo & Nicomacho. Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 13. qui etiam de *Glauco* piſce, ejus inprimis magnitudine, colore, amore erga fœtum, duritie item & ſapore carnis, varia habet, *l.* 4. *c.*16. 17 & 40.

GLAUCUS piſcator, cùm piſces captos in ripa explicuiſſet, ii ſubitò, contactâ quadam herbâ, ſe colligentes in fluv. proſiluêrunt, admiratus itaque Glaucus herbæ illius vim, cùm & ipſe deguſtaſſet, piſces ſecutus in aquas inſiluit, marisque Deus factus creditur. Alii aliter referunt hanc fabulam, Glaucum ſcilicet inſignem urinatorem fuiſſe, qui cùm ſæpius inſpectantibus ſuis municipibus in fluv. ſe dejeciſſet, diutiusque ſub aquis moratus ſemper emerſiſſet, tandem cùm illis fruſtra expectantibus non rediret, creditus eſt factus eſſe maris Deus. Vide Athen. *l.*7. *p* 279. & 296. *Heraclides Glaucum ex Polybo Mercurii filio, & Eubœa Larymni filia genitum fuiſſe tradidit. Mnaſeas vero l.*3. *Europæorum, Anthedonem, & Halcyonem parentes ejus fuiſſe affirmat, natandi verò urinandique apprime peritum, ideoque Pontium, i. e. marinum vocatum fuiſſe, raptaque Syme, Jalemi ac Dotidis filâ in Aſiam trajeciſſe, ac prope Cariam, deſertam quandam inſulam habitaſſe, quam Symen ab uxoris nomine appellarit. Evanthes heroicorum verſuum poeta*, in ſuo de Glauco hymno, *Neptuni fil. Naidisque nymphæ illum fuiſſe tradit, & cum Ariadne à Theſeo derelictâ, quam deperibat, in inſ. Dia concubuiſſe. Poſſis Magneſius l.* 3. Amazonidis, *navis. Argi Glaucum architectum, gubernatoremque fuiſſe tradit, & in Jaſonis cum Tyrrhenis navali pugna ſolum eum nullo vulnere ſauciatum fuiſſe, ſed ut Jovi placuerat, in fundo maris apparuiſſe, Deumque maris ita factum, à Jaſone ſolum viſum, &c.* ubi multa alia de hoc Glauco referuntur. Vide ſis etiam Palæphatum.

GLAUCUS ex Potnia Bœotiæ vico, Siſyphi fil. qui cùm equas ſuas à coitu cohiberet, quo eſſent velociores, Venus indignata furorem eis tantum immiſit, ut dominum dilacerarint. Virg. Georg. *l.* 3. *v.* 266. *& ſeqq.*

> *Scilicet ante omnes furor eſt inſignis equarum ;*
> *Et mentem Venus ipſa dedit, quo tempore* Glauci
> *Potniades malis membra abſumpſêre quadrigæ.*

Strab. *l* 9. *p.* 408. & 409. Ἔστι δὲ καὶ ἡ Δίρκη κρήνη καὶ Ποτνίαι, ἐφ' ὧν μυθεύεται τὰ περὶ τὸν Ποτνιέα Γλαῦκον, τὸν διασπασθέντα ὑπὸ τῶν Ποτνιάδων ἵππων, τῆς πόλεως πλησίον. Fabulæ occaſionem narrat Palæphatus, his verbis : Φασὶν ὅτι καὶ οὗτος κατεβρώθη ὑπὸ τῶν ἵππων, ἀγνοοῦντες, ὅτι ἱπποτροφῶν, καὶ τῶν οἰκείων οὐδενὸς ἐπιμελούμενος, καὶ μεγάλας δαπάνας ποιούμενος, ἐπετρίβη, καὶ ἐπέλιπεν αὐτὸν ὁ βίος. Unde Proverb. *Glaucus alter. Nic. Lloydius.*

GLAUCUS, Hippolyti fil. à quo Jones nati ſunt Reges, multique hoc nomine ſunt vocati, inter quos fuit Minois fil. in mellis dolio necatus, qui Æſculapii ope revixit. Palæphatus : Καὶ οὗτος ὁ μῦθος παγγέλοιος, ὡς δὴ τοῦ Γλαύκου ἀποθανόντος ἐπὶ τῷ μέλιτι, ὁ Μίνως ἐν τῷ τύμβῳ κατώρυξε τὸν Κοιράνου Πολύειδον, ὃς ἦν ἐκ τῆς Ἄργους ὃς ἰδὼν δράκοντα, ἕτερον δράκοντα ποάν ἐπιθέντα τεθνεῶτι, καὶ ἀναστῆσαι αὐτόν, καὶ αὐτὸς τὸ αὐτὸ ποιήσας εἰς τὸν Γλαῦκον, ἀνέστησεν. Τοῦτο δὲ ἀδύνατον. Ἐγένετο δὲ τοιόνδε. Γλαῦκος πιὼν μέλι ἐταράχθη, χολῆς δὲ αὐτῷ πλείονος κινηθείσης, ἐλειποθύμησεν. Ἀφίκοντο δ' οὖν οἵ τε δὴ ἄλλοι ἰατροὶ καὶ ὁ Πολύειδος. Ὃς ἰδὼν τὴν πόαν, ἣν ἔμαθε παρά τινος ἰατροῦ, ᾧ ὄνομα ἦν Δράκων, καὶ ταύτῃ βοτάνῃ χρησάμενος, ὑγιῆ ἐποίησε τὸν Γλαῦκον. *Idem.*

GLAUCUS, inter miniſtros Vulcani numeratur ab Herod. *l.* 1. *c.* 25.

GLAUCUS, Antenoris Trojani fil. ab Agamemnone interfectus, *Dictys Cretenſis.*

GLAUCUS, Caryſtius, pugil ex Eubœa, qui ex aratro in Olympia productus ſæpe vicit.

GLAUCUS, Chius, primus ferri glutinum invenit. Eutropius, Euſeb. *Chron.* Unde Prov. *Glauci Ars.*

GLAUCUS, Lemnius ſtatuarius. *Steph.*

GLAUCUS, Medicus, qui quòd parum proſperè ægrum Hephæſtionem curaſſet, ab Alex. Mag. in crucem eſt actus.

GLAUCUS, Rheginus Italus, antiquorum poëtarum & Muſicorum Hiſtoriam ſcripſit, teſte Plutarch. *l. de Muſica.* Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 3. *p.* 369. *& l.* 4. *c.* 2. Jonſium quoque *deſcript. hiſt. Phil. l.* 1. *c.* 4. Glaucus etiam antiquitates Arabiæ prodidit. Id opus Steph. nunc vocat Ἀραβικὴν ἀρχαιολογίαν, ut in Γέα, & Σαβαῖοι, nunc Ἀραβικά, ut in Ἀϊλανόν, ubi tertium ejus operis adducit. Fuit & *Glaucus* Locrus, qui ab Athen. *l.*12. *p.*522. *c.*5. refertur, ut ὀψαρτυτικὰ συνθείς. Ac meminit quoque ejus *l.* 9 *p.* 395. Item Julius Pollux *l.* 6. *c.* 10. Eſt præterea *Glaucus* Athenienſis, cujus epigramma in Bacchi icona habes in quarto Ἀνθολογίας. Nec dubium quin ejuſdem ſint epigrammata, quæ alibi eodem in opere Glauco tribuuntur. *Nic. Lloydius.*

GLAUCUS, piſcis, vide *Glaucus*, Epiti fil. Athen. *l.*3. *p.*107. *c.*35.

GLAUCUS, Libyæ ſinus, & amnis. Plin. *l.* 5. *c.*27. 29. & 31. *l.* 6. *c.* 4. Strab *l.* 14. *p.* 651.

GLAUCUS, fluv. Peloponneſi, penès Patras fluens, *Rio di Patraſſo.* Item fluv. Colchidis, *Ocabo* Moletio. Vide *Cyaneus*; idem enim eſt. Strab. *l.* XI. *p.* 598. & 500.

GLAUTIAS, Illyrici Rex, Pyrrhum Regem Epiri educavit. *Plutarch.*

GLEBA, quaſi *globus*, Gr. βῶλος : quæ ſicut genitalis fuit hominum primò, ſic ſepulchralis eidem facta eſt. Certè inſepulto cadaveri *glebam* non injeciſſe impium habitum, Val. Max. *l.* 5. *c.*13. *Poſt obitum, nullam Atticæ regionis, quæ oſſibus ejus injiceretur, glebam invenit.* Horat. *l.* 1. Od. 28. *v.* 23.

> *At tu, nauta, vagæ ne parce malignus arenæ,*
> *Oſſibus & capiti inhumato*
> *Particulam dare* ——

Ennius *Cteſiphonte*,

> *Neque terram injicere, neque cruenta*
> *Conveſtire mihi corpora licuit* &c.

Injiciebatur autem in os mortui. Cic. de *LL. l.* 2. *Priusquam in os injecta gleba eſt, locus ille, ubi crematum eſt corpus, nil habet religionis.* Sicque mortuus *humatus*, cùm antea *humilis* tantùm diceretur, appellatus eſt. Obſervato ſimul, ut ſpectaret cadaver ad Occaſum, Sed & e lege vet. Attica, memorata Æliano *Var. Hiſt. l.* 5. *c.*14. ejus loco levis ſparſio pulveris ter repetita nonnunquam adhibebatur, ut infrà dicemus. *Juſta* id *facere mortuo* vocabant Romani ; quod facere cogebantur ante novarum frugum guſtationem, aut porcam prædicaneam Cereri mactare, Feſtus *l.* 14. &c. Vide Joh. Meurſ. *Comm ad Lycophron. p.* 186 *&* 187. nec non infrà ubi de *Inſepulto cadavere*, ac in voce *Sparſio*. Apud Stat. *glebæ thuris* occurrunt, *Theb. l.* 6. *v.* 59.

> *Tertius aſſurgens Arabum ſtrue tollitur ordo,*
> *Eoas amplexus opes incanaque* glebis
> *Thura* ——

eruditè omnino. Nam antequam tam avidè *thus* expeteretur, fractas *manuales* habitas, ſcribit Plin. deinde minores uſui veniſſe, tamen ad pondus triginta novem denariorum. Etiam *fruſta* ... *glebis* de agro ſimilia ſunt, ſi laudabilia ; quæ non adhærent, ſed reſolvuntur telo alicui &c. Vide Caſp. Barth. *ad l.* Apud recentioris ævi Scriptores Eccleſiaſticos *Gleba*, uti in *Fleta* habetur *l.* 3. ... *proprie eſt ſolum datum, cui advocatia Eccleſiæ eſt adnexa*, ... peculiari ſignificatione ſumitur pro terris illis, quæ pertinent ad beneficium Eccleſiaſticum ſeu Parochiale, vel quæ Eccleſiis in dotem ſunt datæ, apud Practicos, Aliquando corpus ſeu cadaver, item reliquias, vox notat. Greg. Tur. *de Vitis PP. c.* 7. *ad* ... *Sancti glebam, nemine retinente, perveniunt.* In *Vita S. Gundulfi*, *Quæ latro ſecum omnia aſportans diripuit ; ſolo relicto Sarcophago cum ſacra Virginis gleba.* Nicol. Rievallenſis,

> *Semper hîc & eris, non hoſpes, at incola, cujus*
> *Nos penès eſt dulcedo recens, ſacra* gleba, *ſepulchri*
> *Gratia, defuncti cineres veneramur abunde* &c.

Sed & *Gleba*, *Gleba Senatoria*, *Glebalis functio*, &c. certum vectigal erat, quod pro poſſeſſionibus ac poſtmodum in modum oblationis Imp. olim à Senatoribus penſitabatur, de quo præ cæteris videndus Juretus *ad Symmach. l.* 4. *Ep.* 62. nec Jac. Gothofred. ad *tit. de Senator. & de Glebali collat.* Vide quoque ſuprà, in voce *Follis.*

GLEBA, pro ſolo & dote Eccleſiæ, paſſim in Jure Canonico, Anglis uſitatius dicitur, de terra ad Eccleſias parochiales pertinente. Theodoſ. Cod. pro quovis ſæpe agro. Sic conſtitut. Neap. *l.* 3. *tit.* 3. *Servi glebæ.*

GLEICHENSIS Familia, in Germania illuſtris. Floruit hæc Comitum ſtirps diu in Thuringia ; orta ſecundùm quoſdam à Witikindo cogn. *Nigro*, quem in Baptiſmo *Ludovicum* dictum & à Carolo Mag. Andegavenſi Comitatui præfectum, tradunt. Huic ... nim Witikindum vel Carolum Schwarzburgicorum & Walpe... ſeu Ludovicum ſatorem *Gleichenſium*, filios aſſignant. Circa principium ſeculi decimi quinti, in Erneſti liberis Henrico & Erneſto divisa eſt Familia in ramos duos. *Blanckenhemius*, (à quo etiam alius ſurculus Dominorum *de Rhemda* in Georgio Rudolpho A. C. 1596 terminatus protuberavit) ab Henrico venit, & in Walrabio ſeu Walratho, Dorotheæ Suſannæ, Georgio *Dn. de Mærsburg* nuptæ Parente, deſiit. Altera Dominorum *de Thonna* linea ab Erneſto cœpit, & poſtquam acceſſit à Walpurgi Spiegelbergica Georgii Com. Gleichenſis uxore, Pyrmontana hæreditas, tota iterum in Joh. Ludovico ... defuncto A.C. 1629. vel 1639. defecit. Hæreditas autem non uni ... tigit, interim titulus *Gleichenſis*, præter dominum Hohenloicam, ... Hatsfeldiis uſurpatur. Ultimorum familiæ hujus maſculorum Progenitores ſic habent : Erneſtus Com. ex Margaretha Hennenbergica ...

filia Henrici Com. pater fuit Sigiſmundi, extincti A. C. 1492. Quo & Agnete Querfortiâ, natus Sigiſmundus, Eliſabetham Iſenburgicam ſibi junxit, genuitque ex ea Philippum, qui Obiit A. C. 1535. ex Margaretha Schœnburg. Pater Georgii, qui Defunctus, A. C. 1570. reliquit ex Walpurgi *de Spiegelberg & Pyrmont*, Philippum Erneſtum, maritum *Annæ* Agnetis Hohenloicæ, Joh. Ludovicum, cui Ermudis Juliana Honſtenia nupta & Georgium; quorum medius, ultimus ſtirpis ſuæ, Obiit A. C. 1639. Phil. Jac. Spener. *Theatr. Part. l. p.* 33.

GLEIFATUS, in *Diplomate* MS. Friderici III. Siciliæ Regis A. C. 1305. pro Mercatoribus Majoric. monetæ aureæ ſpecies eſt niſi fortè *Scyphatum* legas, quod mavult C. du Freſne. *Gloſſ.* Vide *ſuprà*.

GLEMONA, opp. Forojul. prov. ſub Venetis, propè Tiliavemptum fluv. 4. mill. Germ. ab Alpibus confin. Germ. *Gemona*.

GLENDELACUM, vulgo GLANDELOURE, urbs fuit Hibern. Epiſcopal. ſub Archiep. Dublinienſi, nunc vicus Lageniæ, in Comit. Dublinienſi.

GLESSARIA, inſ. in Oceano Germanico, Plin. *l.* 4. *c.* 13. & 16. & *l.* 37. *c.* 3. quæ, teſte Solino, cryſtallum dat & ſuccinum, *Sudan* vulgò appellata. Dicitur autem *Gleſſaria* à *gleſſo*, quod *ſuccinum* ſignificat. Tac. *de Æſtyis* de moribus Germ. *c.* 45. ac *ſoli omnium ſuccinum, quod ipſi gleſum vocant, inter vada, atque in ipſo litore legunt*. Noſtri ſuccinum illud *Auſtam* vocant, claro *Auſtorum* argumento. *Auſtravia* Plin. *l.* 4. *c.* 13. quæ vulgò *Auſtrau*, vel *Oſtrau*: inde *Oſtroviorum* familia Polonica ex profundo quodam antiquitatis emergit. Plin. idem ſcribit, Mithradatis in Germaniæ litoribus eſse inſulam, vocatque eam *Oſerictam*, lego *Oſtericam* Germanis illis veteribus dictam non ambigo *Oſterick*, quod alii *Oſterich*. Baudr. eſt *Auſtrania*, nunc Inſ. *Nortſtrandt.*, ante litus Cimbrorum, in mari German. ex Cluv. prope *Huſum* urbem Ducat. Sleſvic. ſeu Jutiæ Merid. Circuitus 25. mill. paſſ. ubi tantùm pagi aliquot. Et certè, Germanis hodieque *glaſſ*, vitrum eſt, quod ſuccini quandam ſpeciem eſſe, apud Gorræum legere eſt. Sed & ſuccinum Fullerus deducit ab Hebr. זכוכית *Zecucith*, quod *vitrum* aut cryſtallum exponunt. vett. novique Interpretes. Vide Sam. Bochart. *Hierozoici parte poſter. L.* IV. *c.* 15. & 16. ut & hîc paſſim, ubi *de Ambaro, Electro, Succino*.

GLESSAS, urbs Bœotiæ. Steph. *Gliſas* dicitur Strab. *l.* 9. *p.* 411. & 412.

GLESSOBURGUM, fortè idem cum *Glaſcoma*. Vide ibi.

GLETES, gens Iberica poſt Cynetas. *Steph.*

GLEZINUS, in Ducheſniana *Hiſt. de Fratribus conſer. Menſasque omnes operimentis mandant* glezinis *veſtiri*: Aliter *Glizinus*, à *Glizzum*, ſeu *Glizum*, quod linteum eſt ſeu tela pretioſa, fortè à nitendo ac pellucendo dicta. Germanis enim *gleiſſen*, nitere eſt, C. du Freſne *Gloſſ.*

GLICIA Lex, de ratione inducendæ querelæ inofficioſi teſtamenti; de qua cùm nihil habeatur certi, adi, ſi placet, contrarias de eo diſputationes, apud Jac. Cujac. *Obſerv. l.* 2. *c.* 21. & *l.* 14. ac Jac. Ræward. *l. ſing. de auctor. prud. c.* 1.

GLICIUS Gallus, amicus Quinctiani, ab eo inter conjuratos ſpe impunitatis nominatus. Tacit. *Ann. l.* 15. *c.* 56. dein hac nominatione infamatus magis quàm convictus, à Nerone in exilium miſſus eſt. *c.* 57.

GLICON, medicus Panſæ, qui incuſatus fuit venenum vulneri Patroni indidiſſe, Suet. *Aug. c.* XI. Sed refellit Brutus apud Cic. eâ epiſtolâ, cujus initium *Noli exſpectare*.

GLIRES, vett. Romanorum conviviis admiſſi. Amm. Marcell. *l.* 28. *c.* 4. *Ponuntur etiam in conviviis trutinæ, ut adpoſiti piſces & volucres ponderentur & glires*. Imò in delitiis fuére, adeò ut his ſaginandis *gliraria* ſint inſtituta, quorum formam & fabricam præſcribit Varro *de Re Ruſt. l.* 3. *c.* 15. Donec lege Cenſoria menſis ademti ſunt, quomodo conchylia, aut ex alio orbe convectæ aves. Plin. *l.* 36. *c.* 1. *Ingens iſta reputantem ſubit etiam antiquitatis rubor: extant Cenſoriæ Leges, glandia in cœnis glireſque & alia dictu minora apponi vetantes*. Vide eundem *l.* 8. *c.* 37. & Caſaub. *ad Heliogabal. Lamprid.* Iidem verò & ſuppliciis adhibiti leguntur. Solebant enim Vett. nudo torquendorum pectori mures aut glires imponere, ac poſtea pelvi integere: Inde ignem ſuper impoſitum non ferentes, pectus hi lancinare incepérunt. Quod cruciatus genus tangere Arnob. videtur *adv. Gentes l.* 2. *Pauperies alias* (animas) *alias ut mendicitas premeret, informorum aliæ paterentur laniatus muſculorum*. Uti *forma*, *deforma* & *formida*, Antiquis deſignaſſe, quod nobis *calida*; adeoque *informa*, augendi ſignificatione, *valde calida*, notat G. Stewechius in *Electis*. Cæterùm *glirem* ἐλειὸν μῦν appellarunt Græci, quaſi *arboreum murem*. Nam in ſylvis degit & inter arbores ſemper oberrat, inque iiſdem ſedes & cubilia habet, quum perpetuo dormit. Mart. *l.* 3. *Epigr.* 58. cujus Epigraphe de villa Fauſtini ad Fauſtum *v.* 34.

> *Fert ille ceris cana cum ſuis mella*
> *Metamque lactis: Saſſinate de ſylva*
> *Somniculoſos ille porrigit glires.*

Magis eundem dixêre, (unde *voxum* hodie vel *voxoſum* corruptè appellitant Galli) rem [illegible]: qui ſomno illo hiberno mirè pingueſcit &c. Salmaſ. *ad Solin.* p. 1009. & 1010.

GLIFAS, vel GLISSAS, opp. Bœotiæ, ad Thermodoontem fluv. Coroneæ proximum, vino ſuo celebre.

GLOBULI, in Eccleſia Rom. dicuntur calculi; quibus in corona B. Mariæ ſimilique utuntur, numerando ſc. tot ſalutationes Angelicas, totque Orationes Dominicas. Nempe centum & quinquaginta vicibus cùm recitant Orationem Dom. vocant hoc *Pſalterium Chriſti*; cùm totidem ſalutationem Angelicam, *Pſalterium Virginis*. Cui uſui, ne in numero aberrarent, *globuli* hi ſeu ſphærulæ precatoriæ excogitatæ ſunt, à Petro Eremita, ut plerique volunt. Vide ſuo loco: & quæ de *globulis*, in Angliæ Templis ad publicum uſum appenſis, tempore venerabilis Bedæ, adfert Alanus Copus *ſua* Apol. Macro laudatus. Meminit porrò *globulorum ligneorum* Joh. Xiphilin. Epitomator Dionis, quos quidam ad teſſeras, Pignor. ad militia reburnea quædam circularia ſegmenta notis numeralibus inſcripta, quæ Romæ eruta A. C. 1607. Auctor præfatus vidit, quæque expreſſa ex archetypis habes in ejus erudito *de Servis* opere: neque verò *globulos* illos ſeu Sphærulas è teſſerarum is numero penitus eximit, cùm non rarò videamus tranſire in aliam figuram res, quæ ab arte ſunt, manentibus tamen primigeniis nominibus. De *globulis*, quos ſerico vel aureo filo contextos in calceis habent feminæ nobiles, vide Balduin. *de Calceo*: uti de *globulorum ſictilium* in divinatione Vett. per ſortes uſu, infrà ubi de *Sortibus*. At *Globulorum* Luſus, in *Muſeo* Kircheriano inter perpetui motus tentamenta: Machina eſt ſeu Sphæriſterium Mechanicum tripartitum, globulos in orbem agitans, motûs principio adeò occulto, ut etiam peritiſſimos quoque Mathematicos in admirationem ſui rapiat. Occupat hæc machina integræ feneſtræ ſpatium, cujus ima pars in forma cubica tripalmare ſpatium complet; intus verò vacua pars rationem motus continuat: plana porro ejus frons eleganter in Optica perſpectione ſylvas, flumina, montes, valles, colles, hortos & id genus ingenioſi penicilli argumenta refert. In ſummitatis medio vertice, quà limbum ſpectat, & oſtiolum, à quo continuatus trames extra verticale planum modicè (ſc. ad *globulorum* diametrum) prominet ad imum uſque plani, per oppoſitos hinc inde alternatim flexus, per declives excavatorum canalium ſemitas deſcendit: & alio inſequente prior reaſcendit & hoc, quamdiu pondere in motus agitantur. Machinæ hi verſus inſcripti ſunt,

> *Sic properat Mundus revolutus in orbe laborum,*
> *Vivitur ingenio, cætera mortis erunt.*

Vide Georg. de Sepibus *in Coll. Rom. S. J. Muſeo p.* 59. ut & ſuprà, ubi de *Cochlea Archimedea*.

GLOBUS, vox militaris, quales etiam, *frons*, *ſubſidia*, *cuneus*, *orbis*, *forfices*, *ſerra*, *alæ*, *turres*, A. Gell. *l.* 10. *c.* 9. juxta Veget. *l.* 3. *c.* 19. *à ſua acie ſeparatus, vago ſuperventu incurſat inimicos*: figurâ *globosâ* ac rotundâ fuiſse videtur, Jac. Oiſel. *Notis in Gell.* Aliter *Cohors*, *Cuneus*, item *Drungus*, quas voces vide; ut & plura hanc in rem apud Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat.* illud *Theb. l.* 6. *v.* 414.

> *Evolvere* globum, *& ſpatio, quo quiſque valebat,*
> *Diducti.*

Aliàs *globus*, idem cum ſphæra inter inſignia Imperatorum Iſid. *l.* 18. *c.* 3. *Pilam in ſigno conſtituiſſe fertur Aug. propter nationes ſibi in cuncto orbe ſubjectas, ut magis figuram orbis oſtenderet*. Quod ipſum præterea in nummis præſtitit, in quibus orbem ſeu *globum* deſcribi curavit: ex quo uſus deinceps invaluit, ut aliquot ex ſubſecutis Impp. in ſuis pariter monetis, effingi ſe pariter voluerint cum *globo* in dextra: quo ſymbolo teretem terræ figuram adumbrare Vett. ſunt ſoliti. Unde Martian. Capella *l.* 1. *duos globoſos orbes, quorum unus auro, electro alius prænitebat, dextrâ porrectiore corripuiſſe* Jovem fingit eoque habitu in Deorum conſiſtorio conſediſſe, quibus cœli & terræ Imperium deſignaretur. Ita auctor eſt Codinus, ſtetiſſe CP. Jovis ejuſdem ſtatuam *globos* tres dextrâ tenentem, qui tria mundi climata illius dominatui ſubdita indicarent. Narratque Amm. Marcell. *l.* 25. *c.* 10. *Maximiani ſtatuam Cæſaris Antiochiæ, locatam in veſtibulo Regiæ, amiſiſſe repentè ſphæram æream, formatam in ſpeciem poli, quam geſtabat*: Impp. verò *Mundi* ſe *Dominos* appellaſſe, ſatis declarant Caracallæ & Didii Juliani nummi, in quibus *globum* uterque geſtat, cum *Inſcr.* RECTOR ORBIS. Et Conſtantius in Obeliſci Romani *Inſcr.* DOMINUS MUNDI dicitur, ut de Juliano, de quo in vet. *Inſcr.* Valentiniano, apud eundem Amm. Marcell. *l.* 29. *c.* 1. aliis, nil dicam. Ejuſmodi autem *globis*, uti in nummis effinguntur, interdum victoriolæ inſiſtunt, laureas coronas porrigentes Imp. interdum cruciculæ. Sed poſterioris iſtius uſus notam, ante Valentiniani tempora, in iiſdem vix reperias, tametſi crucis figura variis in locis impreſſa poſt Conſtantinum obſervetur. Poſt ipſum verô, *crucigeros globos* in utriuſque Theodoſii & aliorum numiſmatibus, conſpicimus: tranſeunte à Byzantinis & Orientalibus Auguſtis poſtmodum ad Occidentales more, de quo Vide ſuprà in *Cruciger*, plura verò hanc in rem, apud C. du Freſne *Diſſertat. de Inf. ævi Numiſmat. n.* 18. & 19. & infrà in *Palla*, *Pomum* &c.

GLOCESTRIA, vide *Clevum*, & *Claudia caſtra*. Hinc

GLOCESTRIENSIS Comitatus ad Sabinam fluv. Habet ab Ort. Oxonienſem, ab Occaſ. Monumetenſem Comitatum. Circuitus eſt 140. milliar.

GLOGAVIA Maj. urbs Sileſiæ, ad Oderam fluv. probè munita, cum arce, caput Duc. Glogavienſis Vix 2 leuc. à confin. Polon. 13. à Vratiſlavia in Bor. Hanc tenuit Conradus Loripes, fil. Vladiſlai Sileſiæ Ducis, A. C. 1159. mortui, ſed in ejus filio Mieſcone terminata linea eſt. Tum Boleſlao Conradi fratri Glogavia acceſſit. E cujus poſterioris Conradus fil. Henrici, à Tartaris, A. C. 1241. cæſi, Glogavienſem principatum accepit, in patruum Henricum ſævus, A. C. 1295. ſub eo tamen principatus multum crevit. Inter poſteros ejus Henricus lineam Sagano-Glogavianam orſus eſt, A. C. 1339. defunctus, cujus familia in Joh. qui ditionibus pulſus omnibuſque inviſus, poſtquam paſſim comitante eum uxore Catharinâ, quam ipſam etiam malè habuerat, oberraſſet, Chymiæ tandem ſtudio & ſeriâ pænitentiâ ductus, Obiit ſub initium ſup. ſec. eſt extincta. Vide Phil. Jac. Spener. *Syllog. Geneal. Hiſt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

GLOGAVIA Min. opp. Sileſiæ ſup. in Duc. Oppolienſi, 4. leuc. ab Oppolio in Auſtr. totidem à Niſla in Eur.

GLOMMA, it. GLOMNA, vel GLONNA, locus Galliæ, ad Ligerim, in Pictonum agro Madalgico, ubi Monaſterium S. Florentini vel S. Florentii, vulgò *S. Florent*, inter Caſtrum Celſum & Calonnam, Hadr. Valeſ. in voce *Salmurus*.

GLOMUS, apud Philoxen. *in Gloſſ.* ἀγαθὶς, i. e. convolutio filorum in globum, Continuator Bedæ *Hiſt. Eccl. l. 2. c. 15. Neque* glomus, *ingens portantes paxillum, in introitu fiximus*. *Globum* vocat. Horat. *l. 1. Ep. 13. v. 13.*

> *Faſciculum portes librorum ut ruſticus agnum,*
> *Ut vinoſa* globos *furtivæ Pyrrhia lanæ*:

Ubi *glomera ſtaminum* exponit Non. συςροφὴ quoque & κλῶσμα Philoxen. modò laudatus. Hinc per tralationem cruſtulum, in cybii figura *glomus*, Feſto, & *glomus Cygnorum*, apud Albium Ovid. Juventin. Auctorem *Philomelæ*,

> *Grus* gruit, *inque* glomis *cygni prope flumina drenſant.*

de quo vide Caſp. Barth. *ad Stat. Theb. l. 2. v. 12.* uti de verbo *glomerare* inde orto, *ibid. l. 1. v. 351.* Apud Henr. Spelmann. *Glomerarii* & *Glomerelli* occurrunt, in *Statutis* Academiæ Cantabrig. tertio hinc ſeculo editis, qui videntur fuiſſe quaſi Commiſſarii dati, ad lites inter ſcholares & miniſtros eorum audiendas, in *Gloſſ.*

GLON, Theagenis gener, Athenis Tyrannidem affectavit.

GLORIA, fama eſt alicujus cum laude, unde à γλῶσσα, *lingua*, nonnullis deducitur. Ejus limites quàm ampli, dicat Plin. *l. 2. c. 68. Hæ tot portiones terræ, imò verò --- mundi punctus (neque enim eſt aliud terra in univerſo) Hæc eſt materia* gloriæ *noſtræ, hæc ſedes; hîc exercemus imperia, hîc opes cupimus, hîc tumultuatur genus humanum* &c. Idem tamen & æternam eam agnoſcens, ſic iterum eleganter, *l. eod. c. 7. Deus eſt mortali juvare mortalem*, & *hæc ad æternam* gloriam *via? Hac proceres iêre Romani*, & quæ ſequuntur. Imò non ſuam homini quærendam magis, quàm Numinis, etiam eminus vidêre Gentiles: *gloriæ* hominum *immodicæ*, ſeu, ut Tertull. loquitur, *enormiori*, Deos invidere dictitantes. Mart. *l. 6. Epigr. 29.* cujus Epigraphe Epitaphium Glauciæ ad viatorem v. 7.

> Immodicis *brevis eſt ætas & rara ſenectus.*

Et ſuccensêre, Stat. *Theb. l. 6. v. 691.*

> *Atque illi extemplo, cui ſpes infringere dulce*
> Immodicas, *Fortuna venit.* ———

peculiari huic rei Numine conſtituto, Fortunâ, ſeu Nemeſi, omnis arrogantiæ vindice: quod proin, ſi quæ *gloriatio* excidiſſet, confeſtim deprecabantur. Auſ. *Edyll. 14.*

> *Abſiſtat Nemeſis, ferat &* Fortuna *jocantem;*

Quemadmodum ad invidiam Deorum placandam in ædibus ſuis res turpiculas, *mutonia* appellat Gloſſographus, Græci προβασκάνια dixêre, ſuſpendere ſolebant. Qua de re vide Deſ. Herald. *ad Mart.* & Barth. *ad Stat. d. l.* nec non infrà, in voce *Nemeſis*. Apud Recentiores.

GLORIA, titulus eſt honorarius, conceſſus Regibus Magnatibusque. Anaſtaſ. Bibl. in *Martino* de Exarcho: *Oportet* Gloriam *tuam, ut, ſicut nobis ſuggeſſit Paulus Patriarcha hujus a Deo conſervandæ urbis, peragere* &c. Unde *Glorioſi* dicti præcipui Magiſtratus. Idem *in Joh. PP. Quomodo nobis ſuggeſſit Platon* glorioſus *Patricius & Eupraxius glorioſus*. Reges etiam interdum ita compellatos, multis probat Bivarius *Comm. ad Pſeudo Maximum p. 65. & ſeqq.* ubi ejuſmodi titulum Wiſigothorum inprimis Reges affectaſſe obſervat. Triboniano verò JC. *Glorioſiſſimi* elogium tribuitur *l. ult. Cod. de lib. præt.* Vide Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* & C. du Freſne *in Gloſſ.* De Filio Dei autem, & Spiritu S. voce Δόξης, *Gloriæ*, indigitatis apud Scriptores Eccl. Joh. Caſp. Suicer. *Theſ. Eccl.* in Δόξα.

GLORIA Dei, vide infrà *Propitiatorium*.

GLORIA in Excelſis Deo &c. Hymnus Angelicus, Δοξολογία Græcis Patribus, dictus eſt: qui ut in S. Euchariſtia caneretur, Teleſphorus Papa inſtituiſſe dicitur Baron. ad A. C. 154. *n.* 2. Symmachus poſtea Pontifex, ut Dominicis diebus tantùm, & Martyrum feſtivitatibus, cantaretur, ordinavit. Baron. id. *ad A. C.* 514. *n.* 12. Et quidem primitus ſolis Epiſcopis, temporibus modò dictis, hymnum hunc canere licuiſſe; Presbyteris verò non niſi Paſchatis die id conceſſum, habetur in *Sacramentar. Gregoriano.* Unde ex privilegio peculiari idem Caſinenſi Abbati indultum à Zacharia diſcimus ex *Bullario Caſin*, *Tomo II. conſtit. 7. n. 6.* Bonifacius dein ſanxit, ut feriâ quintâ Cænæ Domini quoque decantaretur, ob ſignum lætitiæ, in publicorum pœnitentium reconciliatione, quæ hoc die celebratur, &c. Quam in rem plura qui ſcire deſiderat, adeat Macros Fratres *in Hierol.* qui inter alia in eadem Eccleſia, *Gloria, Laus & Honor*, ad proceſſionem, in Dominica Palmarum cani, addunt. Vide quoque ſuprà ubi de *Doxologia* infrà in voce *Inclinatio*: & quæ de *Doxologia SS. Trin. de Doxologia*, item Hymni Eccl. parte, eruditè congeſſit J. Caſp. Suicerus ubi ſuprà in voce Δοξολογίæ. At *Gloria Tibi Domine*, à populo quando conſueverit in Eccleſia acclamari, vide ſuprà *Diptagus*.

GLORIA Patri, & Flio & Spiritui S. ut in fine cujusque Pſalmi cantaretur, primus inſtituit Damaſus Papa 39. qui per omnes Eccleſias diu noctuque cani Pſalmos juſſit. Hanc clauſulam in Oriente inuſitatam fuiſſe, monet Caſſian. *Inſtit. l. 2. c. 8.* quem morem Angli quoque olim recepêrunt. In inferiori tamen Imperio, hic etiam verſiculus deprehenditur. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.*

GLORIOSI, vide infrà *Mendaces*, it. *Jactantes*.

GLOSSÆ & GLOSSEMATA, dicebatur Veteribus lingua ſecretior, ſeu verba & voces aut antiquæ, aut minùs uſitatæ atque à plebe ſummotæ; uti *Gloſſaria*, libelli, in quibus hujuſmodi verborum interpretatio habebatur. Sequior ætas pro interpretatione, ſcholiis, commentariis dixit *Gloſſas*, & *gloſſare*, quod Latinè *interpretari*. Unde inter eruditos hodieque remanſit, ut *Gloſſemata* vocentur [illegible] παρεμβεβλημένα, quæ à Lectoribus explicandi causâ margini primùm aut in puro adſcripta, librariorum deinde aut malorum correctorum error ipſis Auctorum ſcriptis inſeruit ac permiſcuit, Joh. Frid. Gronov. *Obſerv. in Eccl. c. 24.* Sic *Gloſſæ* extant Accurſii in Jus Civ. Joh. Semecæ & Barth. Brixienſis in Decretum, *Gloſſa ordin.* in Biblia. Vide Iſaac. Caſaub. *ad Athen. l. 3. c. 6. in fin.* Cæl. Rhodigin. *l. 7. c. 27.* & *l. 13. c. 4.* P. J. Mauſſacum *Diſſert. crit. de Harpocratione, quam ſubjunxit Harpocrationis Dictionario à ſe edito*, Joh. à Wouweren *de Polymathia c. 9.* Gerh. von Maſtricht *Hiſt. Jur. Eccl. n. 33.* &c. Ut aliquot celebriores *Gloſſographos* addam, ſcripſit Varronis tempore Ælius Stilo *explanationem Carminum Saliarium*; è qua vett. Grammatici quædam adducunt *gloſſemata*, ut appellat Varro, h. e. [illegible] *minùs uſitatas*, ut interpretatur Quintilian. *l. 1. c. 14.* Sic prodierunt Ἀττικαὶ λέξεις Philemonis, Γλῶσσαι Κρητικαὶ Hermonis, [illegible] κωνικαὶ Ariſtoph. Sed & variarum gentium vocabula fuêre interpretati, Nicander Colophon. Pamphilus, Amerias Macedo, Seleucus, Philemon, Timachidas, Philetas, Alii. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *Orat. Inſt. l. 4. c. 1. n. 7.* uti de *Gloſſographis* recentioris ævi, C. du Freſne *Gloſſographum* illuſtrem noſtri ævi, in *Præfat. Gloſſ.* De vocis vero γλῶσσα, in Sacris, & apud Scriptores Eccl. uſu, apud J. Caſp. Suicer. *Theſ. Eccl.*

GLOTA, Inſ. Scotiæ merid. nunc *Arren*, Inſ. Glotæ æſtuario [illegible] cum tit. Ducat. opp. habet *Arren*, circuitus 28. mill. Scot. inter prov. Cantiram ad Occ. Cuninghamiam ad Ort. Argatheliam ad Bor. 28. mill. Scot. à Rerigonio in Bor.

GLOTA, fluv. Scotiæ ingens. Vide *Clota*.

GLOTIANA, vide *Cludesdalia*. Inter Lothianam, & Teviotiam ad Or. & inter Kiliam & Cuninghamiam ad Occ.

GLOTILDIS, vel CLOTILDIS, uxor Clodovei Regis, quæ re[illegible] lictis, opibus & regno, cœnobio ſe incluſit.

GLOTTIS, avis, Plin. *l. 10. c. 23. Prælongam exerit linguam, unde ei nomen. Hanc initio blanditâ peregrinatione* (coturnices [illegible] abeuntes proſequitur) *avidè profectam, pœnitentia in volatu* [illegible] *bore ſcilicet ſubit. Reverti incomitatam piget & ſequi: nec* [illegible] *plus uno die pergit: in proximo hoſpitio deſerit. Verum invenitur* [illegible] *antecedente anno relicta: ſimili modo in ſingulos dies*, vide Salmaſ. *ad Solin. p. 182.*

GLOVERNIA, vide *Clevum*.

GLUCKSPURGIA Familia, ramus eſt ſtirpis Hollſato-Sonderburgicæ; aliàs etiam *Lucksburgia* dicitur, habetque nomen à [illegible] ſtro, quod loco cœnobii *Ruckloſter* in Anglis conditum. Auctor ei Philippus unus ex filiis Joh. cogn. *Junioris*, qui Sonderburgicam lineam condidit & Eliſabethæ Brunſvico-Grubenhagiæ, à prudentia Oeconomica ſingulariter commendatus & [illegible] octuageſimo Ann. Ær. A. C. 1663. extinctus. Ei ex Sophia Hedvige Saxo-Angrivaria, ducta A. C. 1624. præter filias, Mariam Eliſabetham, Georgii Alberti M. Brandeburgici; Sophiam Hedvigem, Mauritii Ducis Saxoniæ; Auguſtam Erneſti Guntheri [illegible] truelis; Chriſtinam, Chriſtiani Ducis Saxoniæ; Dorotheam, Chriſtiani primùm Ludovici Ducis Luneburgici; nunc, cujus religioni etiam acceſſit, Friderici Vilhelmi Elect. Brandenb. conjugem [illegible] Hedvigem, natam A. C. 1640. geniti ſunt aliquot filii, è quibus Franciſcus Philippus, Ligeri merſus interiit A. C. 1650. ſolus ſuperſt Chriſtianus, qui *Glucksburgi* habitat, maritus Sibyllæ Urſulæ Brunſvicenſis primùm, dein patruelis ... ex Plœnenſibus. Vide de Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt. in Fam. Oldenburgo-Dan.* & *Theatr. Nobilit. Europ. Part. I. p. 46.* nec non *Art. Herald. Part. II.*

GLUCSTADIUM, opp. Holſatiæ, recens munitum, à Chriſt. IV. Rege A. C. 1629. in Stormaria prov. in dextra Albis fluv. ubi amnem *Rhyn* recipit, 6. leuc. infra Hamburgum in Circ. 2. ab Itzehoa in Auſtr. è regione Ducatûs Brem.

GLUTINATOR, nomen officii in Cæſarum domo, vide [illegible] infrà.

GLUTINUM, in re chartaria magni uſus. Et quidem ratio chartæ ex papyro olim conficiendæ hæc erat: Papyrus ſolebat [illegible] in tenues philuras, iis acu à ſe invicem ſeparatis, ita ut ſuo quæque [illegible] dine detraherentur. Sic dein ſeparatæ, ad modum cratis ſternebantur ſuper tabulam, ſive aſſerem ligneum, madentem turbidâ Nili [illegible] quæ contexebat, ac *conglutinabat* plagulas. Id *contexere biblos* vocat Lucan: Civ. Bell. *l. 3. v. 222.* quia nempe plagularum una ſtaminis [illegible] altera ſubſteminis inſtar ſe haberet. Hoc modo contextæ [illegible] imponebantur prælo, ut humor exprimeretur, quo facto exponebantur Soli, ut magis ſiccarentur: ſiccatæ tandem digerebantur in ſcapum, uti quoque ſuprà diximus, ubi de *Charta*. Sed turbida Nili aqua in uſu non manſit. Nam initio quidem ea fuit affuſa marginibus, ut jungerentur ſchedæ ſeu philuræ papyri; poſtea autem pro Nili liquore vero *glutino* uti cæpêre. Conſtabat itaque ſic charta duabus rebus, *papyro & glutino*: unde duo hæc jungit Firmus apud Vopiſcum dicens, *Exercitum ſe alere poſſe papyro & glutino*. Nempe Ægyptius erat, ac tantas opes in utroque hoc poſſidebat, ut eas exercitui alendo ſufficere exiſtimaret. *Glutinum* verò illud, quia oris intergeretur, ut eas inter ſe jungat, à Plin. *Intergerium* appellatur, *l. 13. c. 12.* Atque ab hac *glutinandi* conſuetudine primam ſchedam πρωτόκολλον vocat Juſtiniani *Novella 45*, uti Mart. ultimam ſchedam [illegible] ἐσχατόκολλον: origine vocis à κόλλα, *glutinum*; non à κῶλον, membrum, quamvis ſic Scalig. putabat, propterea πρωτόκωλον & ἐσχατόκωλον ſcribendum contendens. Similiterque dicta μακρόκολλα, quibus modulus longior, vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Arte Gramm. l. 1.* [illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Qui vero ita *glutinabant* chartam, *Glutinatores* apud Romanos audiêrunt. Serviebant, Librariis miniſtrantes, quorum memoriam antiqua lapis Neapoli ſervat:

MANILIO STICHIO
TIBERII CÆSARIS
GLUTINATORI.

In vet. Gloſſ. *Glutinator* κολλητὴς eſt; meminit Cic. *ad Attic. Etiam velim*, ſcribens; *mihi mittas de tuis Librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio utatur* Glutinatoribus, *ad cætera adminiſtris*. Sed neque in chartis tantum, verum & in membranis, *Glutini* fuit uſus, ſi antiquo Perſii Gloſſatori *ad Satyr*. 3. v. x. credimus, qui *bicolorem membranam* ita interpretatur, quod pars altera ſeu facies membranæ crocea eſſet, *glutinata* altera. Laur. Pign. *Comm. de Servis*. Etiam malva, in qua antiqui ſcribebant, quia ob mollitiem folia calami mucronem vix ſuſtinerent, *glutine* aliquo firmari ſolebat, uti ex Voſſ. diſcimus, *c. præc*. &c. Neque vero *Glutini* in ſolum uſui; ſed & edule fuit apud Ægyptios. Plin. *l*. 20. *c*. 21. *Mandunt quoque crudam decoctu aquæ, ſuccum tantum ejus devorantes*. Unde quod Firmus, qui in Ægypto Imperium occupaverat, totamque Ægyptum tenebat, *exercitum ſe alere poſſe papyro & glutino, publice* dixit, apud Vopiſc. non de pretiis harum rerum, ſed de ſpeciebus ipſis accipiendum eſſe, contendit Salmaſ. Et quidem, cum duæ eſſent ſpecies *glutini*, utramque edulem facit idem Plin. Vulgare *glutinum* è pollinis flore temperabatur, fervente aquâ, minimo aceti aſperſu: optimum vero erat ad chartas, quod ex molli panis fermentati colata aquâ fervente parabatur. Dicebat igitur hic Firmus, tantum ſe habuiſſe chartarum, ut earum papyro, priusquam chartæ ex eo fierent & *glutino*, quod in eas perficiendas in pendebatur exercitum alere poſſet. Vide omnino præfatum Salmaſ. *l. c.* & Plin. ubi ſupra, alibique paſſim: uti de *glutine* tenuiſſimo, quod Pictores, rerum oblinendarum gnari, mutuantur à ſuccino, infra in hac voce: de *glutine piſcium in voce Ichthyocolla*: de *glutine* vero celebri Sinenſium, ſupra in voce *Cie*.

GLYCADA, hodiernis Græcis locus Achajæ, prope Patras, dim. inde leucâ diſtans, à dulcedine & copia malorum citreorum (quæ nullibi totius orbis præſtantiora) aurantiorum & granatorum, nomen nactus: γλυκὺς enim *dulcis*, ut notum. Vide ejus deſcriptionem, apud Jac. Spon. *Itin. Part*. 2. *p*. 21.

GLYCAS, Vide *Michaël Glycas*.

GLYCE, nomen Comicum mulieris, in Ariſtoph. *Ranis Act*. 5. *ſc*. 2.

GLYCERA, virgo formoſiſſima. Horat. *l*. 1. *Carm. Od*. 19. *v*. 5. & Seqq.

Urit me Glyceræ *nitor*
Splendentis Pario marmore purius,
Urit grata protervitas,
Et vultus nimium lubricus aſpici.

Item, Meretrix Attica, ab Harpalo, defuncta Pythonice, arceſſita. Vide Diod. Sic. *l*. 17.

GLYCERA, inventrix corollarum, memoratur Plin. *l*. 35. *c*. 11. ubi de Pauſia pictore: *Amavit in juventa* Glyceram, *municipem ſuam inventricem coronarum, certandoque imitatione ejus, ad numeroſiſſimam florum varietatem perduxit artem illam*. Sed *vitriciem* legi vult Salmaſ. à *viendo* ſeu plectendo: Στεφανηπλόκος enim fuit, Vide infrà in voce *Stephanoplocos*.

GLYCERIUM, Theſpienſis meretrix, quæ tabulam Cupidinis, quam à Praxitele gratis acceperat, Theſpienſibus dono dedit.

GLYCERIUS Flavius, Imp. Ravennæ coronatus eſt, A. C. 473. poſt interregnum, menſ. 4. dier. 14. à morte Olybrii. Menſe poſt decimo quinto, à Julio Nepote depoſitus, Ep. Salonæ in Dalmatia, evaſit. Obiit A. C. 480. Caſſiodor. & Marcellin. Comes, *in Chron*. Evagr. *l*. 4. *c*. xi. Jornandes, *de reb. Get*.

GLYCIAS, porcus in Sacris apud Græcos, Vide *Sus*.

GLYCON, vir robuſtiſſimus. Horat. *l*. 1. *Ep*. 1. *v*. 50.

Nec quia deſperes invicti membra Glyconis,
Nodoſa corpus noli prohibere chiragra.

Item Panſæ Conſulis medicus, qui in carcerem conjectus eſt ob ſuſpicionem veneni, quod ferebatur indidiſſe vulneribus domini ſui Suet. *in Aug*. *c*. 11. Et Cic. *ad Brut*. Vide *Glicon*.

GLYCYRRHIZA, Græce γλυκύῤῥιζα, h. e. *radix dulcis*, aliàs Σκυθικὴ ῥίζα, *Scythica radix*, uno nomine Σκύθιον, quod in *Scythia*, circa Mæotim paludem plurima naſceretur; radix eſt tota lignea, coloris buxei planè & pallidi, cujus ligno ξανθίζειν τὰς γυναῖκας ἑαυτῶν τὰ ἔρια, *capillos ſuos mulieres, & lanas tingere conſueviſſe* Vett. Heſych. ait. Hinc χρυσόξυλον, quaſi *aureum lignum*, appellatum ſuo tempore, in Græcia, notant Interpretes Ariſtophanis & Theocriti. Notus certe pallor auri. Catull. De Neptiis Pelei Thetidos Carm. 64. *v*. 100.

Quantum ſæpe magis furore expalluit auri?

Idem ad Juvent. Carm. 81. *v*. 4.

——— *inaurata pallidior ſtatua*

Porro ἄδιψ@ ea & ἄλιμ@, Plin. *l*. 25. *c*. 8. *Magna & ea commendatio*, quòd in ore eam habentes *famem ſitimque non ſentiunt*. De eadem Auctor Anon. *Sinæ & Europ. pectoris obſtructionibus idonea ſolvendis*: per Franconiam Orientalem *ſuccreſcit & colitur, tanquam ſalix, ſed humilior, non aſſurgit in truncum; & niſi tertio anno propagetur, evaneſcit: aliquando pollicis craſſitudinem æquat, ſed rarius*. *Salicetum pullulans videtur ager*, c. 32. Vide plura apud Plin. *l*. 21. *c*. 15. & Salmaſ. ad Solin. p. 1164. qui etiam de Recentiorum Γλυκυκαλάμω, quaſi *Dulciarundine*, quo nomine caſſiam fiſtulam vult intellectam, varia habet, p. 1301. & *ſeqq*. nec non infrà in voce *Hippace*.

GLYMPES, opp. in fin. Lacedæmoniorum & Argivorum Mentionem ejus facit Polyb. *l*. 4

GNÆUS, Feſto *corporis inſigne & prænomen*, [illegible] *dictum eſſe*, & *ea ipſa ex Græco* [illegible] *apparet*. Nempe [illegible] illi [illegible], genitiva nota eſt. Sed à [illegible] verbo vocem deducit & [illegible] ac [illegible] ſignificare docet Salmaſ. *ad Solin*. p. 38. Vide de G[illegible] prænomine, in *Cneus*; & de *Gentilibus* ſeu *genitivis notis* ſupra.

GNAPHALIUM, Vide infrà *Pheos*.

GNAPHEUS Petrus, vide *Petrus Fullo*.

GNATHO, Siculus, homo voraciſſimus, qui conviviis adhibitus ſeſe in paropſides emungebat, ut, cæteris abſtinentibus, ſolus veſceretur. Vide & *Gnoſippus*.

G[illegible]ATIA, urbs Apuliæ Peuc. exciſa. Vide *Egnatia*.

GNEPHACHTHO, apud Diod. Sic *l*. 1. Rex Ægypti, ſic qui Νεόχαβις Athen. *l*. 10. Plutarcho *de Iſide* *Technatis* aliàs *Tnephachthos*, dictus currit. Vide *Tnephachthos*.

GNES, Steph. Γνῆς, ἔθνος οἰκῆσαν τὴν Ῥόδον, ἔνθεν καὶ Γνῆτες, οἱ ἰθαγενεῖς. Λέγεται [illegible] Γνῆτες.

GNESNA, urbs Poloniæ maj. in Palatin. Caliſienſi olim regia, poſt Cruzviciam, à Piaſto facta, hodiè Archiepiſcopal. a Polonorum Duce Miecziſlao, Daumbroucæ marito inſtituti, A. C. 966. qui Primas Poloniæ eſt, ſedes. 7. leuc. a Caliſia in Bor. Aliàs *Limioſaleum* totiusque reg. caput; condita à Lecho Rege inter paludes, 6. mill. Germ. à Warta fluv. in Bor. Sed A. C. 1613. fere tota incendio conflagravit, deficitque indies. Vide *Limioſaleum*.

GNEUS prænomen apud Romanos. Vide *Cneus*.

GNIDUS, Civ. Illyrici de qua Vide Jac. Gronov. *Ep. Livii tomo II. ſubnotis*. Vide quoque *Cnidus*.

GNIPHUS Marcus Antonius Vide *ibi*.

GNOITÆ, Hæretici, Vide ſupra *Agnoetæ*.

GNOME, Græcè Γνώμη, Lat *Sententia* Plutarch. ἀπόφανσις eſt καθολικὴ, περὶ τῶν εἰς τὸν βίον, λόγος [illegible], *dictum generale & breve de re ad vitam pertinente*. Quæ cum perſonæ alicui accommodatur, Κόμμα, cum auctor additur, Χρεία dicitur. Illarum autem quædam oſtendunt, quid fiat; aliæ quid fieri debeat. Per quas poſteriores, quæ revera γνῶμαι, Ethicam olim tradidêre Sapientes, ſententiis hujusmodi ad virtutem accenſuri, & à vitiis homines avocaturi: ut inter alia VII. Græciæ Sapientum exemplo conſtat. Ut verò numero quoque illæ acceptiores eſſent, verſibus plerunque hæ *gnomæ* comprehendi ſolitæ ſunt: quemadmodum eodem conſilio priſci Legiſlatores ſimiliter leges ſuas ſcripſêre. Ut enim carmina ad memoriam faciunt plurimum, ſic neſcio quem enthuſiaſmum in ſe continere videntur. Hinc Γνωμολογία, quam ad Enthymema Ariſtoteles refert, quòd in hac argumentandi forma antecedens plerunque *gnome* occuper, qua de re vide Voſſ. *Inſtit. Orator*. *l*. 2. *c*. 15. *n*. 3. *l*. 5. *c*. 8. *n*. 11. alibique: uti de priſco more magnorum virorum, pittacium, in quo *gnome* aliqua ſcripta, mittendi jus, quibus conſilium daturi erant, infra in voce *Pittacium*: Reliquas vocis notiones apud H. Steph. vide Apud Scriptores Eccl. eâ modo *mentem* & *ſententiam*, modo *voluntatem* ſeu προαίρεσιν, modo *conſilium*, modo *æquitatem*, τῷ ἀνεξοδιάστῳ oppoſitam, denotari, aliquando etiam, τῇ ἀνάγκῃ opponi, docet Joh. Caſp. Suicer. *Theſ. Eccl*. in Γνώμη.

GNOMONICA, Gr. Γνωμονικὴ, ars ex umbrarum momentis, indicio *gnomonis*, (ſtyli, qui in medio amuſio collocatur ad umbras indagandas, Σκιαθήρας Græcis) non ſolum horas, verum etiam climatum diverſitates & poli elevationes deprehendendi, memoratur A. Gellio *l*. 1. *c*. 9. Inventorem habuit Anaximandrum, vel juxta alios, Anaximenem Mileſium. Vide Salmaſ. *ad Solin*. *p*. 632. & *ſeqq*. ubi inter alia, circa Olympiadem 50 *Gnomonicen* cum Aſtrologia à Babyloniis in Græciam veniſſe, oſtendit: & infrà *Mechanice*, it. *Meteoroſcopium*. Quando verô Horologia cum horis primum Romæ in uſu fuerint, non ita proclive dictu eſt: Interim quadringentos ſeptem annos elapſos fuiſſe, cum à Marco Valerio horologium in foro poſitum, Plin. commemorat. Apud Græcos non multo Alexandri Mag. ætatem eorum uſus anteceſſit. Vide infra in voce *Hora*. Athanaſ. Kircher. *Gnomonicam catoptricam*, ſive *Horologiographiam trifiexam*, quâ per ſpecula totius primi Mobilis doctrina, horarumque ductus, in interioribus domuum parietibus delineati, radio reflexo demonſtrantur, edidit Avenione A. C. 1634. Sed & γνώμων norma eſt, quam vocem, vide infra: uti de *gnomonis* priori notione, plura ſupra, ubi de Vett. *Analemmatis*, & infra in voce *Polographia*.

GNOSIDICUS, Nebri clariſſimi Aſclepiadarum in Co inſ. fil. Steph. Magni Hippocratis medici proavus.

GNOSIMACI, hæretici, ſcientiam inutilem judicabant, ad cœlum adſpirantibus. Sec. 7. Joh. Damaſcenus, &c.

GNOSIPPUS, ea voracitatis infamia laboravit, ut Athenienſes liberis ſuis interdixerint, ne cum eo veſcerentur. Vide ſuprà *Gnatho*.

GNOSIS, Epitheton Ariadnes, à Baccho adamatæ, apud Ovid. in *Ep*. Vide paulo poſt in voce *Gnoſus*.

GNOSTICI, Heretici, à Nicolaitis orti, in Phibionitas, Stratioticos, Leviticos & Borboritas diviſi. Duo ſtatuêrunt Principia, bonum & malum, Animam divinæ particulam ſubſtantiæ aſſerentes, divinitatem Jeſu Chriſti negarunt. Voluptates corporis ſanctas, idolothyta ad eſum licita eſſe, delirarunt: Cœtus nocturnos tam fœdis ſceleribus reddidêrunt infames, ut illa legenti Epiph. *hær*. 26. horrorem incutiant. Marcellina, A. C. 167. tam fœdæ ſectæ telam orſa. Vide Tertull. *in ſcorp*. Auguſtin. *de hær*. *c*. 6. Theodoret. *l*. 1. *hær. fab*. Baron. *A. C*. 68. 120. 145. & 381. &c.

GNOSUS, ſive *Cnoſus*, & *Cnoſſus*, urbs Cretæ clariſſima Minois. 11 regia. Homer. *Odyſſ*. τ. v. 78.

Κνωσσὸς μεγάλη πόλις, ἔνθα τε Μίνως
Ἐννέωρος βασίλευε Διὸς μεγάλου ὀαριστὴς
Cnoſſus urbs magna; in qua Minos
Novennalis regnavit Jovis magni auditor.

Nempe is *nono quoque anno in quoddam prææltum & vetuſtâ religione Conſecratum ſpecus ſecedere ſolebat: Et in eo moratus, tanquam a Jove (quo ſe ortum ferebat) traditas ſibi Leges prærogabat*, Val. Max. *l.* 1. *c.* 2. h. e. nono quoque anno Leges ſuas corrigebat, Joh. Marſham. *Canone Chron. Sec. XI.* ubi de *Minoë II.* Hîc Pinytus Ep. floruit. A. C. 175. monitus à Dionyſio Corinthi Ep. ne grave Cælibatus onus fratribus imponeret. Euſeb. *l.* 4. *c.* 22. Hodie *Ginoſa*. Hinc *Cnoſius* ex ea urbe civis, Plin. *l.* 4. *c.* 12. & *Gnoſia regna* apud Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 115. Idem *l.* 6. *v.* 23. & *Gnoſia ſtella* eidem *Georg. l.* 1. *v.* 222.

> Gnoſiaque *ardentis decedat ſtella coronæ.*

Et *Gnoſia littora* apud Catull. Carm. 64. Nuptiæ Pelei & Thetidis *v.* 172.

> Gnoſia *Cecropiæ tetigiſſent litora puppes.*

Hinc etiam *Gnoſiacus*. Stat. *l.* 1. *Sylv.* 6. *v.* 88.

> *Vincens* Gnoſiacæ *facem coronæ.*

Et *Gnoſiacum regnum* apud Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 769. Item *Gnoſius*, aliud adjectivum. Lucan. Civ. Bell. *l.* 3. *v.* 184.

> *Jam dilecta Jovi centenis venit in arma*
> *Creta vetus populis*, Gnoſſaſque *agitare ſagittas*
> *Docta.* ———

Propert. *l.* 2. *Eleg.* 12. *v.* 10.

> *Et pharetra ex humero* Gnoſia *utroque jacet.*

Denique *Gnoſis* pro Ariadna. Ovid. *Ep.* 15. Sappho Phaoni *v.* 25.

> *Et Phœbus Daphnen &* Gnoſida *Bacchus amavit.*

Nic. Lloydius.

GOTH, in notis antiquis Gothicos denotat &c.

GOA, urbs Archiepiſcopal. Indiæ citer. in Inſ. parva cogn. ad oſtia fluv. *Mandova*, in ora littor. Ibi degit Prorex Luſitanus, ab A. C. 1529. quo ab Emanuele Rege occupata eſt. Emporium celebre, amplum, dives; & quanquam mœnibus caret, habet tamen aliquot arces in Inſ. Olim ſub Rege Decani. Multis *Cherſoneſus* aliàs. Ab Alphonſo Albuquerquio expugnata, A. C. 1510. Ibi & Noſocomium totius orbis magnificentiſſimum. Templa vitrorum loco margaritiferis ſplendent conchis, &c. Vide Maffæum, Vinc. Blancum, inprimis P. de la Valle, *Itin. tom.* 4.

GOAGA, Regn. Nigritarum, verſus Or. extenſum, ad finitima uſque Nubiæ loca. *Joh. Matal. Metell.*

GOARENE, regio Arabiæ, quæ & *Goarea. Steph.*

GOATHA, locus non procul ab Hieroſolymis. Jer. *c.* 31. *v.* 39. quem Lyranus *Golgotha* eſſe putat.

GOB, nomen loci. 2. Sam. *c.* 21. *v.* 18. Lat. *ciſterna, locuſta*, vel *altitudo*.

GOBÆUM, prom. Gall. Celt. *Cap S. Mahé*, ab Abbatia S. Matthæi, ſeu caſtro Britanniæ min. maritimo. Aliis *Cap du Fou*, à caſtro Fago. Dicitur & *in Fimbus Terræ*, 17. leuc. ab urbe Leona, prope Conquetum portum, 4. leuc. à Breſto in Ort. 5. ab Uxanto Inſ. in ora Brit. Occ. ubi Bor. incipit.

GOBANITIO, Arvernus, Vercingetorigis patruus, Arvernorum Princeps. Cæſ. de Bell. Gal. *l.* 7. *c.* 4.

GOBANIUM, vulgò ALBERGEVENNEU, oppid. Angl. in Comit. Monumetenſi, in limite Walliæ, ad Iſcam fluv. Aliàs opp. Silurum fuit. 15. mill. ab Iſca Legionis in Bor.

GOBAR, Meſopotamiæ præfectus, qui Euphratem fluv. opere deduxit, ne præcipiti curſu Babyloniam infeſtaret. Plin. *l.* 6. *c.* 26.

GOBARES, aliis *Chobaris*, Paſargadûm præf. qui urbem venienti Alex. Mag. tradidit. Curt. *l.* 5. *c.* 31.

GOBAUM, prom. Gall. Celt. in ora Britanniæ Occid. contra Senam inſ. *Cap S. Mahe* vulgò. Vide *Gobæum*.

GOBAZES, Lazorum, qui quondam *Colchi* dicebantur Rex. A. U. C. 1307. Agathias *l.* 2.

GOBELINUS, apud Ordericum Vital. l. 5. p. 556. *Dæmon enim, quem de Dianæ fano expulit, adhuc in eadem urbe degit & in variis frequenter formis apparens neminem lædit. Hunc vulgus* Gobelinum *appellat & per merita. S. Taurini ab humana læſione coërcitum uſque hodie affirmat.* Ex eorum genere, qui vulgo *Fauni* dicuntur, Gallis *Gobelins, Demons Follaſtres*. De quibus ſic Caſſian. *Collat.* 7. *c.* 32. *Nonnullos eorum, quos etiam Faunos vulgus appellat, ita ſeductores & joculatores eſſe manifeſtum eſt, ut certa quæque loca ſeu vias jugiter obſidentes, nequaquam tormentis eorum quos prætereuntes potuerint decipere delectentur, ſed deriſu tantummodo & illuſione contenti, fatigare eos potius ſtudeant, quam nocere* &c. C. du Freſne.

GOBELINUS Joh. Secretarius Pii II. hujus Hiſtoriam ſcripſit. An ipſe Pius, ſub Gobelini nomine? Ibi multa præclara, de Piccolomineorum familia. Simler. *in Bibl. Geſn.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *p.* 808. Item cogn. *Perſona*, Auctor Coſmodromii, &c. Item, alius, qui tempore Alberti Archid. in Angliam miſſus, de Pœnitentia, inter alia, ſcripſit. Simler. *Bibl. Geſn.* Voſſ. Vide & P. Freherum *Theatro viror. erudit. clar.*

GOBIO, ſeu GOBIUS, piſcis genus, è quo ſaxatilis, ut &, qui in arenoſis vivit littoribus, Galeno commendatur *de Alim. l.* qui & de gobiorum aliis judicium promit. Apud Athen. *l.* 3. *c.* 25. tamen, multum ſucci gignere, at non boni; ſed neque multum nutrire: interea ſapore eſſe gratos, facileque excerni, Hiceſius refert, ex Diocle & Menſitheo. Honore certe non eo fuiſſe, quo mullos, alioſque pretii ingentis, diſcas ex Juv. *Sat.* 11. *l.* 4. *v.* 35.

> *Nec mullum cupias, cum ſit tibi* gobio *tantum*
> *In loculis* ———

Et Mart. *in Xeniis, l.* 13. Epigr. 88. cujus Epigraphe, Gobius.

> *In Venetis ſunt lauta licèt convivia terris,*
> *Principium cœnæ* gobius *eſſe ſolet.*

Vide plura apud Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 4. *c.* 24. Ad... do ſaltem, portento ſimile habitum, cum ex *gobiorum* lactibus ... tena fercula (tot enim convivæ accubuerant) exhibuit Venetiis vir patricii ordinis, in famoſa illa cœna, quam deſcribere pluribus viſum eſt Egnatio *l.* 9. *c.* 1. & Sabellico *l.* 8. *c.* 7.

GOBIONIA Familia, Gall. *Goyon*, familia Galliæ illuſtris: in qua vixit Steph. Dn. *de la Goumere*, & *de Chaſteaugoyon*, pater Alani & Joh. cujus poſteritas non duravit, uti nec alterius Joh. Alano I. geniti. Verum Alani II. ejus fratris, fil. Steph. fuit, qui Bertrandum Dn. *de Matignon*. Ludovicum Dn. *de Launay* & Stephanum Dn. *de Launay Goyon* ſuſcepit. Medii ſucceſſio defecit: A ... Primo deſcendunt Comites *de Thorigny* Dni *de Matignon*; à tertio Marchiones *de la Mouſſaye* Comites *de Quintin* & *de Ploüer*. Et quidem priores quod attinet, Bertrandus præfatus, qui Obiit A. C. 1480. ex Johanna *du Perier*, filia Joh. Com. *de Quintin*, fil. habuit Gui... donem; Defunctum A. C. 1498. quo & Perrina *de Jeucourt*, natus Jacobus, Obiit A. C. 1542. Pater ex Anna *de Solly* Jacobi Dn. de *Matignon*, (quem titulum à Majoribus accepit) Com. *de Thorigny*; qui, Extinctus A. C. 1597. reliquit ex Franciſca *de Daillon* filiam Joh. *de Daillon* Com. *du Lude*, Carolum *Goyon* Dn. *de Matignon* Com. *de Thorigny*: cujus & Eleonoræ Aurelianæ filiæ Leonori Aureliani Ducis Longavillani, qui Obiit A. C. 1573 ... liberi erant, Henricus Com. *de Thorigny* cæſus duello à Butteville ... ux. Henrica *de la Guiche*) Petrus Com. *de Thorigny* (maritus Mariæ ... ſ. Annæ *Malon de Bercy*, unde fil. Franciſcus C. *de Thorigny*) Leonorus (Ep. *de Liſieux* ſeu Lexovienſis & *de Conſtances* ſeu Conſtantienſis) ac Catharina (quæ nupſit Franciſco de *Silly* Duci ... *cheguyon*) Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Part. II.* ... Poſteriores quod concernit, Ludovicus *Goyon* Dn. *de Launay*, qui Obiit A. C. 1538. è Stephano ſupra memorato oriundus, ex Ludovica *de Chaſteaubriant* ſuſcepit Almericum I. (*Amaury*) *Goyon* ... Bar. *de la Mouſſaye* Dn. *de Launay*: Patrem, ex Catharina ... Caroli *Goyon* Bar. *de la Mouſſaye* Com. *de Ploüer*: quo & Claudia ... *du Chaſtel*, genitus Almericus II. March. *de Mouſſaye*, Catharinam de *Champagne* (filiam Ludovici *Champagne* Com. *de la S*...) junxit, genuitque Almericum III. cujus ex Henrica Catharina Turria, filia Henrici Turri Duc. Bullionæi Principis Sedanenſis, (qui Obiit A. C. 1623.) varii ſuperſunt libri, nominis ac familiæ *Goyon* ſeu *Gobio*. Vide eundem Spener. *Part. ead. p.* 114. ut & *in Indice*.

GOBRIAS, vir Perſa nobilis, unus ex iis, qui cum Dario adverſus Magos conjurarunt, vitæ pro patria prodigus. Herod. *l.* 3. *c.* 70. 73. & 78. Valer. Max. *l.* 3. *c.* 2. *ext.* 30.

GOCELINUS, vel GOTZELINUS, Gallus, ab Anſelmo Ep. Cantuar. in Angliam vocatus, Vitas SS. ſcripſit. Item, Ep. Pariſinus, aliique, Chronicorum editores. Simler. *Bibl. Geſner.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 48.

GOCLENIUS Rudolphus, Corbaci Comit. Waldeccenſis opp. natus, Philoſophus celebris & in Acad. Marpurgenſi Logices Prof. per dimidium ſeculum meritiſſimus, quo durante 600. Studioſos Magiſterii axiomate ipſe exornavit: *communis Germaniæ Præceptor* habitus. Interfuit Synodo Dordracenæ, miſſu Mauritii Landgr. A. C. 1619. Obiit A. C. 1628. Æt. 81. Pater filii cogn. Medici & Mathematici clariſſ. Sed annis aliquod ante Patrem vivis erepti, & Auctor complurium ſcriptorum, *Pohliſophicorum*, *Mathematicorum*, *Poëticorum*, *Theologicorum*, de quibus vide Paul. Freherum *Theatro Viror. erudit. claror.*

GOCTIUS de Ariminis, Patr. CP. Benedicto XII. A. C. 1338. in Siciliam legatus. Ciaccon. *in Benedict.* XII. &c.

GODEAU Antonius, vide *Antonius*.

Reges Daniæ & Hieroſolymorum.

GODEFRIDUS, Danorum Rex cum quo Carolus Mag. bellum geſſit. A. U. C. 1543. Item Normannorum Rex. A. C. 884.

GODEFRIDUS Bullionæus, fil. Euſtachii, Comitis Boloni... ſis ex Ida, ſorore Gozelonis vel Godefridi Gibboſi, qui ipſi ... tharingiam reliquit. Invicti animi, plurimis in locis, in expeditionibus inprimis Henrici IV. Imp. ſpecimina edidit, hinc ... litiæ in Concil. Claromont. decretæ, caput lectus, & cum ... 300000. in Orientem profectus Niceâ, Antiochiâ, Edeſſâ ... ptis, Hieroſolymam expugnavit, A. C. 1099. Regium ... coronam ſibi Victori oblatam, modeſtè recuſans, in urbe ... gem Regum ſpinis coronatum vidiſſet. Sultanum poſtea Ægypti ... naſcentis Regni primordia magno exercitu disjecturum, ... 100000. hoſtium cæſis. Hinc totâ Palæſtinâ, paucis locis exceptis, potitus, Obiit poſt regnum unius anni. A. C. 1100. Succeſſit ei Balduinus Frater. Gul. Tyrius, *l.* 1. 2. & *ſeqq. Bell. ſacri.* Guibert. *Geſta Dei per Francos.* Erat hic Godefridus, quartus Lotharingiæ Dux hujus nominis. *Primus*, cogn. *Barbatus*, ab Ottone Imp. adoptatus eſt. *Secundus*, in Italiam tranſiit, ibique Beatricem, Bonifacii March. Italiæ viduam duxit. *Tertius* Godefridus gibboſus fuit, de quo ſupra, Rozier. *de Stemm. Lothar.* Lambert. *Hiſt. Germ.* De Godefrido, Godefridi Lotharingi filio anniculo, qui in cunis ... Grimbergenſes triduano prælio ſuperavit, A. C. 1144. Vide Chron. Belg. Lætum *Comp. Hiſt.* &c. ut & infrà.

GODEFRIDUS I. è familia Giſelberti Comitis Manſuarienſis, de quo ſuprà: fil. Henrici II. Dom. Lovanii (cujus avus Lambertus I. prælio ad Florinas, adverſus Godefridum cogn. Gibboſum, A. C. 1015. cecidit, pater Henricus I. pro Ducatu Lotha-

thuringiæ bellum geſſit) ex Adela Thuringica, frater Henrici, qui primus *Bracbantiæ Patriæ Comitem* ſe dixit, cogn. *Senior* vel *Barbatus*, Ducatum Lotharingiæ inf. in familiam ſuam reduxit: quin & A. C. 1137. Marchionatum Antverpiæ, quo A. C. 1126. à Waleramo Duce Limburgi fuerat ſpoliatus. Ei ſucceſſit ex Id. Namurcenſi fil.

GODEFRIDUS II. ſeu *Junior*, cui cum Henrico Duce Limburgenſi acre bellum fuit. Ei cum moreretur A. C. 1143. ſucceſſit ex Luidgardi Digsburgia fil.

GODEFRIDUS III. cogn. *in Cunis*, quod in cunis prolatus in aciem, cum prælium adverſus factionem Grimbergiam committeretur, victor infans fuerit. Ab hujus ex ſecunda conjuge Imagina Loſſenſi filiis Vilhelmo & *Godefrido*, Domini Perweyſii orti. Ex prima Margaretha Limburgica, præter Albertum Ep. Leodium, quem ad Rhemenſium urbem cæſum A. C. 1128. ſanctis annumerant, ſuſceptus eſt Henricus I. cogn. *Probus*, Brabantiæ Ducum & Landgraviorum Haſſiæ auctor: inter cujus filios *Godefridum* quoque nominant, à quo Dominis Gaesbeckiis & Heriſtaliis, cogn. *de Lovanio*, origo. Alter verò Henricus II. cogn. *Magnanimus*, Patris ſucceſſor fuit, Henrici III. cogn. *Manſueti*, Ducis Brabantiæ genitor.

GODEFRIDUS, Vierzonii & Archoti Dominus fil. Henrici III. præfati, hæredibus filiabus, cum filio ad Curtracum cecidit A. C. 1301. frater Joh. I. Brabantiæ & Limburgi Ducis. Fuit idem nomen uni filiorum Joh. III. quo ſine maſculo hærede, (filii enim omnes præmortui) extincto ſucceſſit, agnatis Haſſis præteritis, ex Johanna gener Wenceſlaus Lucenburgicus. Phil. Jac. Spener. *in Fam. Haſſiaca*.

GODEFRIDUS, Ep. Ambianus, ſub Philippo I. Gall. Rege doctrinâ & virtute illuſtris. Obiit A. C. 1118. Morer. Item, Monachus Colonienſis, Annalium ab A. C. 1162. uſque ad A. C. 1237. conditor. Freherus edidit, in Sylloge Script. German.

GODEFRIDUS de Bouillon, non Rex, ſed Dux Hieroſolymorum, creatus eſt, unde ſepulchro ejus hæc tantum inſcripta: *Hic jacet inclytus Godefridus de Bouillon, qui totam iſtam terram acquiſivit cultui Chriſtiano. Anima ejus acquieſcit in pace.* Primus proin Rex merito Balduinus, qui eum excepit, dicitur Gul. Tyrio *l.* 11. *c.* 15. *ſecundus* Balduinus, de Burgo *l.* 12. *c.* 1. *tertius*, Fulco, *tit.* 16. *c.* 1. Horn. Vide ſuprà *Godefridus Bullionæus*.

GODEFRIDUS Calvius, Archiep. Brugenſis, auctor vitæ Guliel. Pichonis Ep.

GODEFRIDUS de Leigni, ſcriptor Gall. libri, *la Charette*. Verdier. *Bibl. Franc. p.* 463.

GODEFRIDUS Tilmannus, Carthuſ. Pariſinus, auctor variorum operum. A. C. 1550. Petrejus, *Bibl. Carthuſ. p.* 106. Vide *Gothfredus*.

GODELBERTUS, ſcripſit verſibus, Allegorias in univerſa Biblia. Trithem. *Catal.* Lilius Girald. *dial.* 5. *Hiſt. Poët. ſec.* 6.

GODENDAC, armorum ſpecies, quam Flandris fuiſſe familiarem, innuit Gul. Gujartus ſub A. C 1298. apud C. du Freſne *in Gloſſ.* Vide Joh. Villaneum *l.* 8. *c.* 55.

GODESCALCUS, Monachus Germanus, Meguntiaci, Prædeſtinationem tam Electorum, quam Reproborum immutabilem, theſibus publicè propoſitis, defendens, non ſine multorum applauſu, à Rabano Mauro, Archiep. Mogunt. erroris accuſatus, & Hincmaro Archiep. Remenſi remiſſus eſt: qui concilio Creſciaci inſtituto, A. C. 849 eum depoſitum, fuſtibuſque oneratum, donec ſcripta ſua in ignem jeciſſet, dein in arctiſſimam cuſtodiam conjectum, à ſemel tamen concepta ſententia abſterrere neutiquam potuit. Obiit An. 15. poſt, Uſſer. & Cellot. *Hiſt. Godeſcalci*. Baron. *A. C.* 848. 855. & 859. *&c.* Item, Diaconus & Canon. Leodienſis, Scriptor vitæ S. Lamberti. Molan. *de ſcript. Belg.*

GODGESILLUS ſeu GODIGISCLUS, Vandalorum Rex à Stilichone in Germaniam, & Galliam immiſſus, regionibus devaſtatis, Gallias, Hiſpaniam, Luſitaniam inter ſocios diviſit. A. C. 400. & 408. Iſid. *in Chron. Vandal.* Ei ſucceſſit fil. nothus; Genſericus vel Gizerichus. Erant autem Vandali de Scythicis oriundi, qui ſub Conſtantino Magno ſedibus ſuis ejecti, Imperio Rom. ſe ſubjecêrunt, poſt in Pannoniis ſibi conceſſis pacificè habitarunt uſque ad A. C. 410. Inde Galliis vaſtatis, Hiſpaniiſque occupatis, ſub *Godigiſclo*, Alanis Sueviſque juncti; poſt annos aliquot ſedem in Africa fixêrunt, uti dicemus in Regibus ſeqq. Vide quoque Procop. Grot. Alios *Hiſt. Vand.*

De GODIALDO Gulielmus, vide *Gulielmus*.

GODOLIAS, vel GEDALIAH, fil. Ahikam. Præfectus Judææ à Nabuchodonoſore relictus, ſpreto Jeremiæ Prophetæ conſilio, ab Iſmaële, regium jactante genus cum comitatu ſuo occiſus eſt. 2. Reg. *c.* 25 *v.* 25, 26, 27. & 28. Jerem. *c.* 40. *v.* 5, 6, 7, 8, 9, 12. 13, 14, 15. & 16. Torniel. A. M. 3447. *n.* 9. *&* 10. Fil. item Amariæ. Zephan. *c.* 1. *v* 1. Lat. *magnitudo* vel *fimbria Domini*.

GODRICUS, Eremita, Anglus, ſcripſit A. C. 1170. de vita & viſione Omi. Matth. Pariſ. & Matth. Weſtmonaſt. *Hiſt. Angl.*

GODSCALCUS, fil. Udonis Herulorum Regis, ſummi Chriſtianorum oſoris, ante regnum converſus, patris ab aliquo Saxone transfuga occiſi necem in Saxonibus ultus eſt. Cæterum, cum apud ſuos fidem propagare vellet, ipſe ejus præco à ſubditis A. C. 1066. occiſus, duos reliquit filios Buthuen & Henricum: è quorum poſteris Megapolitani & Vandalici Principes orti ſunt. Idem *in Fam. Vandalica*.

GODVINUS, Dux Haraldi Angliæ Regis, cujus fraude Rex Alfredum Edelredi filium è Normannia evocatum trucidavit. Cùm hic regnum Canuto reliquiſſet, Canutus Haraldi actis infirmatis, Eduardum Alfredi fratrem in ſocietatem regni admiſit: qui Godvinum homicidii in fratrem ſuum patrati mirando hoc modo convicit. Cùm enim Godvinus pedem pede aliquando fulciens, ne caderet, dixiſſet, *Nunc frater fratrem juvit*; adjecit Rex, ita me frater fratrem omni tempore juviſſet, ſi per te licuiſſet. Quod crimen ille pejerando à ſe remoturus, fruſto panis ad id in fauces injecto, ſtrangulatus eſt, A. C. 1052. Polydor. *l.* 7. *&* 8.

GODWINUS Thomas, Anglus, Præſul Cantuarienſis, Theologus mirè facundus, formæ inſuper dignitate præſtans, Obiit A. C. 1590. Æt. 73 inſigni monumento honoratus à Franciſco fil. Exon. Subdecano. Alius ejuſdem nominis, Somerſetenſis, Ludimagiſter primo Scholæ Abendonenſis, dein Rector Eccleſiæ de *Brightwell*, Obiit A. C. 1642. Vir eruditiſſimus, in Antiquitatibus inprimis Romanis, Græcis, Hebraicis verſatiſſimus. Scripſit *Expoſitionem Antiqq. Rom. De Civilibus & Eccl. Ritibus, apud antiquos Hebræos, Judaicas Antiquitates* &c. A. à Wood *Hiſt. & Antiqq. Univerſitatis Oxon.* & ex eo P. Freherus *Theatro Viror. erudit. clar.*

GOENA & GUPHNA, una ex 11. ordine ſecunda, urbs præclara in tribu Ephraim. *Hier.*

A GOES Damianus, Luſitanus, Emanueli Regi à Cubiculis, Muſicus, Poëta, Orator inſignis, Legationibus variis cum gloria defunctus, *Hiſtoriam Patriæ, Dienſem in India oppugnationem, Lappiæ deſcriptionem & deplorationem, Legationem in Æthiopicam, Laudationem Hiſpaniæ, Olyſipponenſis urbis deſcriptionem, Bellum Cambaicum, De religione & moribus Æthiopum librum*, edidit. Obiit, an apoplectico ictu, an à furacibus famulis ſtrangulatus, circa A. C. 1550. Alph. Garſias Matamorus *de viris doctis Hiſpan.*

GOETINGA, Germ. *Gottingen*, urbs non incelebris Germaniæ in Duc. Brunſvicenſi, haud procul a Witzenhuſa Haſſiæ opp. olim ſub proprio Principe fuit. Albertus enim cogn. *Pinguis*, Alberti cogn. *Magni* Ducis Brunſvicenſis fil. natu minor. *Gœtingam*, & fratre Vilhelmo mortuo, Brunſvicum cum Guelferbyto tenuit, cum frater ejus Albertus cogn *Mirabilis*, Grubenhagiam lineam condidiſſet. Ejus filiorum medius Erneſtus Principatum *Gœtingenſem*, ſeu *an der Lein*, ad fil. Ottonem cogn. *Armipotentem* vel *Malum*, & nepotem Ottonem cogn *Coclitem* tranſmiſit. Cujus tutor Vilhelmus cogn. *Senior*, Dux Guelferbytanus, ditiones initio 10000. aur. oppignoratas, inde eo ſine hærede extincto, ſucceſſione hæreditariâ pro media parte obtinuit: altera Luneburgicis agnatis ut cederet compelli non potuit: unde uſque ad Mindenſem tranſactionem linearum controverſiæ. Hic cùm obiiſſet A. C. 1482. Vilhelmo *Gœtinga*, & Friderico filius ejus Hannovera contigit: quorum illo geniti Henricus cogn. *Senior* vel *Malus*, Guelferbytani, & Ericus cogn. *Senior*, *Gœtingenſis* ſeu Calenbergii rami auctores fuêre: ſed defecit hic in filio ejus Erico cogn. *Juniore* A. C. 1584. mortuo. Contigit tranſactio Mindenſis, cujus ſuprà mentio A. C. 1512. quo Henricus cogn. *Junior*, Dux Luneburgicus, agnatis Henrico & Erico præfatis, partem dimidiam, quam Luneburgici in *Gœtingenſi* Principatu habebant, ut & in civ. Hannovera, quibuſdam ſervatis, conceſſit, alia viciſſim ab ipſis recipiens. Vide Phil. Jac. Spener. *Sylloge Gen. Hiſt. in Fam. Guelfica*, & in voce *Gœtinga*.

GOG, Lat. *tectum*, vel *ſolarium*, ſive *tegulatum*. Nomen gentis Ezech. *c.* 38. *v.* 2. Apocal. *c.* 20. *v.* 8. Vide Bochart. Geogr. *Sacr. l.* 3. *c.* 13. Item fil. Joël. 1. Par. *c.* 5. *v.* 4.

GOGARENE, regio inter Colchos & Iberos. *Steph.*

GOGRAVIUS, Germ *Gograve*, Comes, qui ſine cauſæ cognitione judicat; vel potius *Gograve* ſeu *Gaugraffe*, Præſes aut Comes pagi; *Gau* namque & *Gow*, apud Teutones, pro pago ſeu territorio ſuo, notum. *Speculum* Saxon. *l.* 1. *art.* 2. §. 6. *Pagani proprium non habentes, ſuerint Gegraviorum judicium expectent. Art.* 55. *Gogravius*, ab incoliſtrium villarum ſeu prædiorum eligi dicitur: ad tempus, *artic.* 58. §. 2. quandoque ad hanc dignitatem infeudatur, *art.* 58. §. 1. *art.* 71. ubi tunc *Gogravius natus* dicitur. Ejus juriſdictionem ceſſare, cùm adeſt Comes, dicitur *art. eodem* 58. §. 2. Vide quoque *l.* 2. *art.* 13. §. 1. &c. C. du Freſne *Gloſſ.*

GOHORIUS Jacobus, vide *Jacobus*.

GOJA Johannes, vide *Johannes*.

GOJAMUM, Regn. Æthiopiæ ſup. verſus Nilum, è lacu Dambeæ erumpentem, ubi opp. aliquot parvi momenti. Inter regna Bizamum & Bagamedrum, ſub Abaſſinorum Rege Iſ. *Voſſ.*

GOILARTUS, monetæ Petricoricenſis, in Gallia, ſpecies: *Tabular.* Abbat. Deip. Santon. *Vilhelmus Comes, fil. Guidonis Comitis, fecit fundere monetam ſuam, quæ dicebatur de* Goilart, *Ricardo cognomento de Santonis*; quæ *Goliardus* dicitur, in *Tabulario* Monaſterii de *Chantoin* in Arvernis, apud C. du Freſne *Gloſſ.*

GOLAN, i. e. *tranſmigratio*, ſive *revolutio*, aut ex Syro & Hebræo, *intus manens*, civitas in Baſan. Deut. *c.* 4. *v.* 43. Joſ. *c.* 20. *v.* 8.

GOLCONDA, regn. Indiæ cit. verſus ſinum Ganget. A Sept. habet Imperium M. Mogolis, ab Occ. regnum Decani, à Mer. regnum Biſnagatæ. Al. regnum *Orixa*. Extenditur ad 200. leuc. Gall. juxta oram ſinus Gang. in Ort. Ejus prim. urbs ſedeſque regia eſt *Golconda*, Perſ. *Hidabrand*, urbs ampla & elegans, 60. leuc. à portu Maſulepatano in Bor. 50. ab ora prox. ſinus Gang. in Circium. Reliquæ urbes clariores ſunt Condapolis, Condavera, Orixa, Maſulepatanum & Narſingapatanum.

GOLETA, arx munitiſſima regni Tunetani A. C. 1574. ab Hiſpanis, cum toto regno amiſſa. Thuan. *Hiſt. l.* 58.

GOLGI, *orum*, locus Cypri Veneri & Cupidini ſacer, de quo Catullus. Carm. 36. in Annales voluſii, *v.* 14.

——— *quæque Amathunta, quæque* Golgos.

Idem Carm. 64. in Nuptiis Pelei & Thetidis, *v.* 95.

Sancte puer, curis hominum quæ gaudia miſces,
Quæque regis Golgos, *quæque Idalium frondoſum.*

Scholiaſtes *in illud Theocriti*,

Δέσποιν' ἃ Γολγόντε κ' Ἰδάλιον ἐφίλατας.

Γολγὸς, inquit, πόλις Κύπρε, ὠνομασμένη ἀπὸ Γολγȣ͂ ὑιὸς Α᾽δόνιδ⊙ κ̀ Α᾽φροδίτης, Bocharto tamen *Golgos* deflexum nomen eſt à Phœnicio גלגל *golgol*, Hebræi *Galgal*, *Gilgal*, & *Gilgul*, dixêrunt. Græci Γολγȣ̀ς, & Γολγὸν dicunt finali L abjecto, ut in Α᾽ννίβα & Α᾽σδρȣ́βα. *Nic. Lloydius.*

GOLGOTHA, i. e. *calvaria*, locus in quo crucifixus fuit Chriſtus Dominus noſter. Joh. *c.* 19. *v.* 17.

GOLIAH, nomen Gigantis, quem expugnavit David, 1. Sam. *c.* 17. *v.* 4. Tornel. *A. M.* 2971. *n.* 1. *Pſalmo* 144. ut creditur, in memoriam victoriæ tam memorabilis, compoſito. Prudent. in Pſychomachia *v.* 291. *& ſeqq.*

Vidimus horrendum membris animisque Golian
Invalida cecidiſſe manu: pueriles in ilium
Dextera fundali torſit ſtridore lapillum.
Trajectamque cavo penetravit vulnere frontem
Ille minax, rigidus jactans, truculentus, amarus,
Dum tumet indomitum, dum formidabile tenet
Dum ſeſe oſtentat clypeo, dum territat auras,
Expertus, pueri quid poſſint ludicra parvi,
Succubuit teneris bellator turbidus armis.

Vide ſis ibi *Joh. Weitzium.*

GOLIAS, apud Silveſtrum Girald. *in Speculo Eccleſiæ l.* 4. *c.* 18. *Paraſitus fuit, guloſitate pariter & dicacitate famoſiſſimus --- literatus tamen affatim, ſed nec bene morigeratus, nec diſciplinis informatus*, qui *in Papam & Curiam Romanam carmina famoſa pluries & plurima, tam metrica, quàm rhythmica, non minùs impudenter, quàm imprudenter, evomuit.* Unde *Goliardi* quibuſdam videntur dicti Breviloqui, *buſones, joculatores*; de quibus Concilium Turon. ſeu Caſtelli Guntheri A. C. 1231. *can.* 21. *Statuimus, quòd Clerici Ribaldi, maximè qui* Goliardi *nuncupantur, per Epiſcopos & alios Eccleſiæ Prælatos præcipiantur tonderi vel radi, ita quòd non remaneat in eis tonſura Clericalis.* Certè *de familia Goliæ*, tales vocantur, in Concilio Senonenſi A. C. 923. ſub Gualtero Archiep. *can.* 13. & *verſus ridiculos compoſuiſſe*, dicuntur, apud Matth. Pariſ. A. C. 1229. Artem verò fuiſſe, innuitur *c.* 1. *de Vita & Honeſt. Cleric. in Sexto*: *Clerici, qui Clericalis ordinis dignitati non modicum detrahentes, ſe joculatores ſeu* goliardos *faciunt aut bufones, ſi per annum artem illam exercuerint*: quæ eadem habet Concil. Salzburgenſe A. C. 1310. *can.* 3. niſi quòd *Galiardi* legit &c. Hinc Itali *Gagliardo*, Galli *Gaillard*, ſuum hausêre. Vide C. du Freſne *Gloſſ.* Macros Fratres *Hierolex.* Joh. Selden. *ad Fletam p.* 524. Alios.

GOLNOVIA, urbs Anſeatica Pomeraniæ, ad Ihnam amnem, aliàs ampla & probè culta, nunc incendiis & bello Germ. mirè deformata. A paucis inhabitatur. Sub Suecis, pace Monaſter.

GOLTZIUS Hubertus, Venloâ-Geldrus, arte pingendi, ſculpendique & Antiquitatum notitiâ inclytus, Equit. Marci Laurini munificentiâ adjutus, numiſmata antiqua per Germaniam, Galliam & Italiam, magnâ induſtriâ collegit, & doctis Commentariis illuſtravit. *Faſtos Conſulares*, Lipſio magni æſtimatos, aliaque complura edidit. Obiit Brugis A. C. 1583. Æt. 58. Lud. Guicciardinus *Deſcr. Flandr.* Lipſ. *Ep. Quæſtion. l.* 2. *Ep.* 21. Val. Andreæ *Biblioth. Belg.* Melch. Adami *Vit. Philoſoph.* &c. Seriem Scriptorum ejus apud Anton. Teiſſier habes *in Elogiis Part. I.* Vide & P. Freher. *Theatro. Viror. Erud. Claror.*

GOMARUS Franciſcus, Theologus inſignis. Brugis Flandrorum natus, A. C. 1562. docuit in Academia Lugd. Batava, in qua Jacobo Arminio acerrimè reſtitit; exin Groningana. Adhibitus dein, cum aliis, procurandæ verſioni Bibliorum S. novæ in linguam Belgicam, ſummâ fide & dexteritate munere functus eſt. Obiit A. C. 1641. Æt. 78. Opera ejus 1. Volum. in Folio extant. Vide *Vitas* Profeſſorum Groning. it. P. Freher. *Theatro Viror. Erudit. Claror.*

GOMER, fil. Japhet. Gen. *c.* 10. *v.* 2. & 3. Caput Gomeritarum, prope Syriam, habitantium. An potius Gallorum, qui & ipſi Gomeritæ dicti? Joſeph. *Antiqq. l.* 1. Euſeb. Zonaras, Iſid. Dupleix. *Mem. Gall. l.* 1. *c.* 1. De hoc vide inprimis Bochart. *Geogr. Sacr. l.* 3. *c.* 8. Item fil. Diblaim, uxor Oſeæ, Hoſ. *c.* 1. *v.* 3. Lat. *conſummans*, vel *conſumens*, vel *deficiens.*

GOMERA, Inſ. maris Atlant. una ex Fortunatis, inter Teneriffam & Ferri Inſ. cum opp. cogn. & portu capaci. Aliàs *Theode.* P. *de la Valle.*

GOMERUS Gallus, omnium primus ſuas poſuit colonias in regno, quod pòſt Italia dicta eſt, & regionem de ſuo nomine cognominavit, illoſque docuit leges & inſtituta. Beroſus *l.* 3.

GOMEZIUS Alvarus, Hiſpanus, auctor *vitæ Ximenii Cardin.* Obiit A. C. 1580. Æt. 66. Alius ejuſdem nominis, varia ſcripſit. Vide utroque *Biblioth. Hiſpan.* & *Elogia Anton. Teiſſier.*

GOMEZIUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

GOMOLITÆ, pop. Idumææ. *Steph.*

GOMORRHA, urbs fuit Judææ, in ora lac. Aſphaltitis, quæ unà cum Sodomis cœlitus conflagravit. In quarum loco nunc Mare mortuum, in cujus littore poma arborum, ſpecie inſigni, ſed intus favillacea. Geneſ. *c.* 19. *v.* 24. & 28. Rom. *c.* 9. *v.* 29. *Itiner. Or.*

GOMPHI, urbs Theſſaliæ. Steph. Hujus, inquit Ferrar. meminit Stat. *l.* 4. *Sylv.* 3. *v.* 48.

Et crebris iter alligare Gomphis.

Sed quid, quæſo, urbi Thraciæ in Via Domitiana? Quodnam epitheton civitatis *creber*? Quomodo iter urbi alligatur? Apage has nugas, & *gomphis* apud Papin. habe pro nomine appellativo, i. e. *paxillis*, *palis*, vel *cuneis.*

GONDAMIRIS, Hiſp. Rex. A. U. C. 1355.

Reges & Duces.

GONDEBALDUS, Burgundionum Rex Gondiochi primogenitus, diviſione regni cum fratribus factâ, A. C. 477. Gondegiſilum mox ſecundò genitum, in ſuas partes pertraxit, ut Chilpericum & Gondemarum pelleret. Sed victus, aliquandiu delituit. Dein Viennâ direptâ, pacem ſubjectis dedit, egregiis legibus latis. Poſtmodum à Gondegiſilo, Clodovei Regis ſocietate nixo, rurſus prope Divionem, victus, minimè animum deſpondit: ſed Avenionem ſe recipiens, ibique à Clodoveo obſeſſus, cum illo pacem fecit. Viennâ dein ſecundâ vice direptâ, & cum Clodoveo collilus. In Italiam profectus eſt Theodoricum ſupetias rogaturus. Sed ibi ... Arianiſmo immortuus, A. C. 508. Greg. Turon. *l.* 2. Aimon. *l.* 1. Paradin. *Hiſt. Burg. l.* 2.

GONDEBALDUS, ſeu GONDAMUNDUS, Vandal. Rex in Africa Hunerico agnato ſucceſſit, A. C. 485. Principio in Orthodoxos mitis, mox ſævire incepit, anteceſſores ſimiliter Arrianos imitatus. Obiit A. C. 495. Succeſſit Thraſymundus frater. Procop. *de B. Vandal. l.* 9. & 10.

GONDEBALDUS, fil. nothus Clotharii I. An piſtoris? Vide Greg. Turon. *l.* 6. Ad Tiberium II. Imp. profectus, in pretio ... A Guntrano Boſone, qui Conſtantinopolim venerat, petitus Galliæ Regis Imp. viribus nixus Maſſiliam venit, ibi magnificè ... ceptus: à Guntrano ſpoliatus & deſertus eſt. Chilperico dein mortuo ipſi ab Proceribus Regia dignitas delata, ſed is ab Guntrano, cum à ſuis proditus erat, tandem penitus ſublatus eſt. Aimon. Paul. *Æmylius*, &c.

GONDEBALDUS, Dux copiarum Sigeberti, fugatus in Turonibus. Childebertum, patre mortuo, Regem Auſtraliæ proclamari curavit. Item, Monachus Pictav. operam omnem adhibuit, ut Ludovicum Pium à filiis in Monaſterio detentum liberaret. Voti potitus, cùm à Pipino prohiberetur, pro lubitu verſare Pium, contra illum Patrem concitavit.

GONDEBALDUS, vide *Gundebaldus.*

GONDEGISILUS, Genevam Regni ſui ſedem conſtituit; à fratre Gondebaldo coactus, illius leges ſuis ſubditis obtrudere, in prælio contra Clotarium Regem ad hunc, deſerto fratre, ſe applicuit. Hinc fuſus Gondebaldus, Avenionem confugit, mox pace cum Clotario initâ, Gondegiſilum Viennæ obſedit: quâ expugnatâ Gondegiſilus in templo Ariano, cum Ep. quodam, occiſus eſt. Greg. Turon. *l.* 2. Paradin. Delbenus, Chenius, *Hiſt. Burg.* Vide Gonde*baldus*

GONDEMARUS, quartus fil. Gondiochi, Burgund. Regis, pacificè partem regni, quæ ipſi in diviſione obvenerat, aliquandiu poſſedit, dein cum fratre Chilperico Viennæ, à Gondebaldo maximo natu obſeſſus, in turre quadam fortiter ſe defendens, occiſus eſt. A. C. 477. Item, frater Sigiſmundi, bis terve prælio contra Gallos, infelix. Item Rex Viſigothorum, Witerici ſucceſſor, A. C. 610. per An. 2.

GONDIA, vulgò GONDY, Familia Galliæ celebris. Origine Florentina eſt, & ab Antonio deſcendit, qui Magiſter Aulæ Delphini fuit; Ejus fil. Albertus, Regi gratus, Ducis *de Rais ſive Retz* titulum obtinuit: auctor ex filiis Carolo March. *de Belliſle*, ac Philippo Emanuele Com. *de Joigny*, duarum linearum; ſed hujus fil. illius nepte ac hærede ductâ dominia iterum junxit. Quatuor ex familia iſta Epp. ac Archiepiſcopi Pariſiorum fuêre. Majores Gon*diorum* autem ſic habent N. Gondi Nobilis Florentinus ex ... filium habuit Antonium præfatum Com. *de S. Trivier*, qui ex Maria de Petra viva, genuit Albertum Duc. Ratenſem; cui ex Claudia Catharina *de Clermont*, nat. Philippus Emanuel Com. *de Joigny*, in matrimonio Margarethæ *de Silly* (Antonii *de Silly* Com. *de Rochepot* filiæ) filium ſuſcepit Petrum *Gondium* Duc. de Rais ... *Beaupreau*, ex Franciſca ſeu Catharina cognata, aliquot liberorum Patrem. Phil. Jac. Spener. *Theatr. Part. II. p.* 34.

GONDIOCHUS I. vel GONDICARIUS; Rex Burgundionum poſt cladem 20000. ſuorum ſubditorum, qui Belgicam depopulabantur, pacem impetravit ab Aëtio. Dein ab Urparo ſeu O... Hunnorum Rege alii dicunt, ab Attila, occiſus. Pater Gondiochi & Chilperici. Proſper *in Faſt. & Chron.* Idatius, *in Chron.* Caſſiodorus, Jornandes, *Sigon.* &c.

GONDIOCHUS II. fil. prioris, Theodorico junctus, Rechiarum Suevorum Regem occidit. Romanis aſſociatus, Viennâ & Lugduno captis, Galliæ partem ſubjugavit: Pater Gondebaldi, Gondegiſili, Chilperici & Gondemari: Quorum hi ab illis oppreſſi. Jornand. & Idacius *in Chron.* Chen. Delbenus, *Hiſt. Burg.* Chorerius, *Hiſt. Delph.*

GONDIODA, uxor Clodomiri, filia Clodovei; Regis Aurel. mater Theobaldi, Guntieri & Clodovei. Quorum illis à C... occiſis, hic monaſticam vitam eſt amplexus. Aliàs *Gondeuca*, *Gondtheucha.* Clotario dein nupta, nullos liberos ſuſtulit. Greg. Turon. Aimon. Tilletus *Hiſt. Franc.*

GONDIUS Joh. Franciſcus, vide *ibi.*

GONDOLA, navigioli ſeu ſcaphulæ ſpecies, quâ æſtuaria Venetiarum pertranſeuntur; à Græcis recentioribus mutuata vox, quibus ... τελὰς, idem quod ..., ſonat, Harmenopulus *l.* 2. *c.* 11. §. 9. Non quòd *contis* regatur & ex iis navibus ſit, *quæ non antennis* ... *reguntur*, ut eſt apud Hier. *in Vita Hilarionis*, uti volunt C... ruvias & Octav. Ferrar. nam cymbæ Venetæ remis aguntur; ... quòd κονδὸς Græcis nuperis *brevis* ſit, ἐλὰς verò *navis*; ſic enim *Gondola* eſt brevis navicula &c. C. du Freſne *Gloſſ.* Gul. Apulus *de Reb. Norm. l.* 4. ita de Venetis,

Non ignara quidem belli navalis & audax,
Gens erat hæc: illam populoſa Venetia miſit,
Imperii prece, dives opum divesque virorum,
Qua ſinus Adriacis interlitus ultimus undis
Subjacet Arcturo. Sunt hujus mœnia gentis

Circumſepta mari, nec ab ædibus alter ad ædes
Alterius tranſire poteſt, niſi lintre vehatur.

Vide quoque Brodæum ad *Antholog. l.* 1. & Meurſ. *in Gloſſ.*

GONDRÆ, Thraciæ pop. Herod. Vide *Steph.*

GONEIS, urbs Thraciæ. Steph. Ejus incolas aliqui vocant *Adri*[illegible].

GONIADES, nymphæ juxta Cytherium fluv. ſacellum habentes; de quibus opinio eſt, earum aquas ægros ſanitati reſtituere. Strabo *l.* 8. *p.* 356.

GONNI, urbs Perrhæbiæ. Steph. *Gonnus* Ptol. *Gonocondylos*, ut videtur, Liv. *l.* 36. *c.* x. Strab. *l.* 4. *p.* 440. Herod. *l.* 7. *p.* 128. & 183. *Gonoi*, & *Gonuſſa Lycophroni.*

GONOESSA, Ætoliæ civitas. Seneca *in Troadibus*, in Choro Act. 3. *v.* 27.

An carens nunquam Gonoëſſa *vento?*

Habuit ex Hom. *Il.* 2. qui Γονόεσσαν αἰπεινὴν vocat. *Nic. Lloyd.*

GONSALVIUS Reginaldus, Montanus auctor libri cui tit. *S. Inquiſitionis Hiſpanicæ artes aliquot detectæ, ac palàm traductæ.* Heidelbergæ A. C. 1567. in Octav.

GONSALVUS Martinus, vide *Martinus.*

GONTHARIUS, fil. Clodomiri, à Clotario I. & Childeberto patruis, inter Clotildis Aviæ amplexus, cum Theobaldo fratre occiſus. Gregor. Turon. *Aimon.*

GONTIANA, Mormolio *Gemaa*, aliis *Guimba*, opp. mediterr. Mauritaniæ Tingit.

GONZAGA, nomen Familiæ in Italia illuſtris, plurium Eruditorum Virorum ſtudio excultæ: Inprimis verò Ant. Poſſevin. junior integro volumine *Gonzagarum* Hiſtoriam exequutus eſt. Præcipui ſtirpis hujus rami ſunt 1. *Mantuanus*, qui nunc cum Nivernenſi unus eſt. 2. *Sabloneteuſis*, qui, primario palmite exciſo, in Principibus S. Martini & Bozoli viret. 3. *Caſtilioneus.* 4. *Guaſtallinus.* 5. *Novellarius* vel *Navolarius* &c. Et quidem primum quod ſpectat, Fridericus *Gonzaga* March. Mantuæ, (qui Obiit A. C. 1484.) ex Margaretha Bavarica filia Alberti Duc. pater fuit Franciſci, extincti A. C. 1519. quo & Iſabellâ Ateſtinâ genitus, Fridericus Dux Mantuæ, Obiit A. C. 1540. Pater, ex Margaretha Montferratenſi filia Vilhelmi Duc. Ludovici Gonzagæ, Duc. Nivernii, qui deceſſit A. C. 1595. Ei ex Henrica Clivia filia Franciſci Clivii Duc. Nivernii, genitus Carolus I. Duc. Mantuæ, Obiit A. C. 1637. pater ex Catharina Lotharingica (filia Caroli Lotharingi Duc. Meduanii) Caroli II. Duc. Nivernii (Extincti A. C. 1631. cujus ſorores, Aloyſia Maria uxor fuit Vladiſlai & Caſimiri fratrum, Regum Poloniæ, ac Anna uxor Edoardi Com. Palatini Rheni) quo & Mariâ *Gonzagâ* Mantuanâ (filia Franciſci Duc. Mantuæ defuncti A. C. 1612.) genitus eſt Carolus *Gonzaga III.* Dux Mantuæ, maritus Iſabellæ Claræ Auſtriacæ, & frater Eleonoræ (viduæ Ferdinandi III. Imp.) Obiit autem is A. C. 1665. Æt. 36. relicto filio. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobilit. Tom. I. p.* 39.

GONZAGA, vicus Lombardiæ Tranſp. in agro Mantuano, ubi villa ſumptuoſiſſima Princip. Mantuan.

GONZAGA Fridericus, vide *Fridericus.*

GONZAGA Hercules, vide *Hercules.*

GOODMANNUS Chriſtophorus, Anglus, ſcripſit ſub Maria & Elizabetha Reginis de Gynæcocratia.

GOPILIUS Jacobus, vide *Jacobus.*

GOPLUS, lacus Polon. maj. in Cujavia prov. Vide *Guplo.*

GORAMA, reg. Arabum Scenitarum. *Steph.*

GORCOMIUM, vide *Goricum.*

GORDENE Ptol. *Gorduena* Strab. *Corduena* Dioni, Caſtaldo *Curdi*, reg. Armeniæ maj. in confin. Meſopotamiæ.

GORDENIA, vide *Gordynia.*

GORDIÆA, reg. Perſica, Steph. qui populos ejus Gordos, & Gorgyas, & Gordochos nominat & montes *Gordyæos.* Hos verò partem Tauri eſſe docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 621. *Taurus --- Sophenen & reliquam Armeniam majorem à Meſopotamia diſterminat. Et primò quidem vocatur Taurus, alii Cordyæos montes nominant. in his montibus eſt Maſius, Niſibi imminens, deinde magis magiſque attollitur, atque appellatur Niphates, ex cujus latere Meridionali oritur Tigris, ut ex Septentrionali Euphrates* &c.

GORDIANUS Imp. fil. Metii Marulli ex Ulpia Gordiana, à Gracchis Trajanoque originem arceſſens, Coſ. cum Alexandro, Procoſ. in Africa fuit. Ubi, Maximino Imperium arripiente, Imp proclamatus eſt. Fil. cogn. in conſortium cùm aſciviſſet, à Capelliano, Mauritaniæ Præf. victus, filio An. 46. in prælio interfecto, ſibi ipſi mortem intulit, An. Æt. 80. C. 237. Uterque literatus fuit, & prior inſuper *Antoniadum*, poëmatis auctor. Jul. Capitol. de 3. *Gordd.* Herod. *l.* 7.

GORDIANUS Jun. fil. ſecundi, aut prioris ex filia nepos An. Æt. 16. Imp. dictus, Anno 2. Imperii defectione Sabiniani in Africa ſopitâ, pacem Imperio conciliavit. Perſas, jam Antiochia potitos, repulit: Miſithei Philoſophi, cujus filiam ducturus erat, conſilia ſecutus. Occiſus à Philippo, Prætorii præfecturâ poſt Soceri Obitum donato, in collimitio Perſiæ, A. C. 244. Imp. 6. Iidem, Aurel. Victor, &c. Vide ſuprà. De *Gordianis* ſic Caſaub. Tres *Gordianos* ſeparatim deſcribit Capitolin. totidemque agnoſcunt Herodian. & Aurelius Victor, non ille Schotti, ſed alter: nam is auctor, quem ille edidit, duos ſolùm prodit, & in tota Hiſtoria à Capitolino diſſentit. Sed jure Capitolin. imperitos ſcriptores paulò poſt nominat eos, qui duos fuiſſe Gordianos ſcriberent, quo tamen in errore plerique veterum ſunt verſati, ut Eutrop. Euſeb. Zonaras, aliique. Cedren. verò quas nugas blaterat in Hiſtoria Gordianorum? Omittit eos, qui in Africa periêrunt: eum nominat, qui cum Maximo, & Balbino factus Imp. Sed Maximus Albinus illi unius Auguſti ſunt nomina: cui ſucceſſiſſe ait Publianum, qui ſine dubio Pupienus eſt intelligendus, & putarem ita corrigendum, niſi ex eodem fonte Publium inveniſſem in Græcis faſtis nominatum. Simili errore eundem vocat Zonaras Πουπιηνὸν ac diverſum facit à Maximo. Sed reliqua Cedreni ſpectemus: Huic ait, ſucceſſit Ἰούνιος. Quis iſte? haud dubiè monſtrum in Hiſtoria, confictum loco Gordiani ſecundi. Hic Latinis cognominatur à re *Junior*, inde ille fictitius Ἰούνιος. Nam & in Faſtis Græcis ſcriptum offendimus Γορδιανὸς Ἐνίως, non abſimili culpâ. Poſt hunc, inquit, regnavit fil. ejus Gordianus 4. An. Hic nempe eſt tertius Gordianus, quem non defuêre, qui Junioris filium dicerent. At quid dicemus de ſequentibus verbis - Μετὰ Γορδιανὸν ἐβασίλευσεν Οὐνίωρος ἡμέρας αὐτοῦ, ἔτη δύο. Quis, malum, iſte *Uniorus*? profectò *Junior* eſt Gordianus, quem immani errore refert hîc in ſcenam Cedren. Quare videant tirones, quantum in Romanis rebus recentioribus Græcis ſit fidendum. Hactenus *Caſaub.*

GORDIANUS, Romanus, Græcè doctiſſimus, ſcripſit hortatu Juſtiniani, Placidæ, à piratis occiſæ, &c. vitam, A. C. 539. Vide Poſſevin. Simler. *Voſſ.*

GORDIAS, an Periandri Corinthiorum Regis, ex Cypſelidis II. frater, cujus fil. Periandro ſucceſſiſſe legitur *Pſammetichi* nomine, apud Ariſtotelem *Polit. l.* 5. *c. ult.* Sed refragatur Oraculum Cypſelo datum, de quo ſuprà ubi de *Cypſelo.* Ariſtoteli tamen ſuffragatur Strabo, qui μέχρι τριγονίας, *uſque ad tertium hæredem*, tyrannidem illum propagaviſſe, ait *l.* 8. *p.* 378. & Ælianus, qui tyrannidem rarò ἐπὶ τριγονίαν: Cypſelidarum autem εἰς ἐκγόνους, *ad poſteros*, quoque permanſiſſe obſervat, *Var. Hiſt. l.* 6. *c.* 13. Joh. Marſham. *Canone Chron. ad Sec. XVII.*

GORDIEUM, urbs magnæ Phrygiæ juxta Cappadociam, à *Gordio* patre Midæ, nunc *Sardis* vocatur. Steph.

GORDIEUS, mons Armeniæ, ubi primùm Arca Noë conſtitit. Vide Bochart. *Geogr. Sacr. l.* 1. *c.* 3. Plin. *l.* 6. *c.* XI.

GORDII Murus, urbs Midæ, à *Gordio* fil. condita. *Steph.*

GORDITANUM, Sardiniæ prom. Ptol. *Capo Lugudori*, Pineto; *Argentar* verò Nigro dicitur. Baudr. *Capo di Monte falcone*, in ora Occ. Sardiniæ, verſus Bor. & Herculis Inſ. vix 10. mill. à vico *Argentera* in Sept. 20. à Saſſari in Occ. Plin. *l.* 3. *c.* 7.

GORDIUM, urbs Phrygiæ ad Sangarium fluv. Xenoph. Vide *Gordieum.* Hanc *Gordiam* vocat Juſtin. *l.* 11. *c.* 7. Gordien *urbem petit, quæ poſita eſt inter Phrygiam majorem & minorem.* Falſum, inquit Voſſ. Non enim inter Phrygiam major. & min. ſita urbs Gordium, ſed inter Phrygiam min. & Cappadociam. Steph. Γορδίειον, πόλις τῆς μεγάλης Φρυγίας, πρὸς τῇ Καππαδοκίᾳ, ἀπὸ Γορδίου τοῦ πατρὸς Μίδου. Alii tamen ſimiliter in Phrygia min. ad Sangarium ponunt: Sed ineptè. Ineptiunt quoque illi, qui eandem ac Sardes faciunt. Celænas enim Alexander jam ceperat, neque quiſquam prodidit, eum regreſſum in Phrygiam Helleſpontiacam. Plin. *l.* 5. *c.* 32.

GORDIUS, Rex Phrygiæ, Midæ pater, ex Telmiſſiana puella, quæ ipſi ſuaſerat, ut, ſub Regis titulo, Jovi faceret: Ruſticus alioquin & ignobilis, ideò tamen, omine aquilæ aratro inſidentis prævio, Rex deſignatus & conſalutatus ab omnibus, quòd ex oraculo Apollinis primus templum ingreſſus fuiſſet, in cujus rei memoriam, lora in templo ſuſpendit, in quibus nodus viſebatur propemodum indiſſolubilis; unde Prov. *Nodus Gordianus*; Quem nodum Alex. Mag. cùm diſſolvere non poſſet, diſcidit, oraculo eluſo. Curt. *l.* 3. *c.* 1. Arian. *l.* 1. & 2.

GORDIUS, pater Pſammetichi, qui Corinthi tyrannidem per triennium tenuit. Ariſt. 5. *Pol.* 12. Item Ep. Hieroſol. poſt Germanionem ante Narciſſum. Euſeb. *Chron.* Baron. A. C. 186.

GORDIUS, & Protogenes aurigæ, *primò in certamine Curuli ſocii Heliogabali: poſt in omni vita & actu participes fuêre*, Æl. Lamprid. *in eo*: & quidem prior *Vigilum præfectus*, ab eodem factus dicitur, *in ſeqq.* Salmaſ. *Cordius* vult legi, *Not. ad Lamprid.*

GORDONUS Jacobus, vide *Jacobus.*

GORDUNI, Gall. Belg. pop. ſub Nerviorum imperio. Cæſar. Hodiè *Gandavenſes*, Marliano. Sanſoni fuêre ſub Morinis, ubi nunc Cortracum, ad Legiam ſeu Liſam fluv. Gandavenſes autem, ubi aliàs Centrones.

GORDUS, urbs Phrygiæ magn. Gordio finitima. *Juliogordus* Ptol. *Juliopolis* & *Gordiu come.* Plin. *l.* 5. *c.* 32.

GORDYNIA, urbs Macedoniæ. *Steph.*

GORGADES, apud Solin. *Inſulæ ſunt obverſæ prom. quod vocamus Heſperuceras. Has incoluêrunt Gorgones monſtra & ſanè uſque adhuc monſtroſa gens habitat. Diſtant à continente bidui navigatione. Prodidit denique Xenoph. Lampſacen. Hannonem Pœnorum Regem in eas permeaviſſe, repertaſque ibi feminas aliti pernicitate, atque ex omnibus, quæ apparuerant, duas captas tam hirto atque aſpero corpore, ut ad argumentum ſpectandæ rei duarum cutes miraculi gratiâ, inter donaria Junonis, ſuſpenderit: quæ durav êre uſque in tempora excidii Carthaginenſis. Ultra* Gorgadas *Heſperidum inſulæ* &c. *c. ult.* Græcè αἱ Γοργάδες, item Γοργίδες; ſic dictæ à pernicitate feminarum, quas *Gorgades* vocat Plin. *l.* 6. *c.* 31. i. e. pernices, ſicut Græcis γοργάδες ἁλιάδες, *cita navigia* ſunt. An hæ *Gorgadum Inſulæ*, i. e. pernicium feminarum, eædem fuerint, quas à *Gorgonibus* olim habitatas finxit vetuſtas, non adeò liquet. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1296. Vide etiam in voce *Gorgones.*

GORGASUS, una cum Nicomacho, ab Iſthmio, Glauci Meſſenii filio, templo extructo cultus eſt, Pheris ſeu Pharis Meſſeniacis, uti habet Pauſ. *Meſſeniacis.*

GORGE, apud Higin. *c.* 174. *At ſorores Meleagri, præter* Gorgen *& Deianiram flendo, Deorum voluntate, in aves ſunt commutatæ.* Stat. *Theb. l.* 5. *v.* 206.

—— *Helimum temeraria* Gorge
Evinctum ramis ——

Γόργη Apollod. *l.* 1. de Oenei liberis, καὶ θυγατέρας Γόργην, ἣν Ἀνδραίμων ἔγημεν &c. Aliter *Gorgis*, eidem Higin. *c.* 97. *Thoas Andremo-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

dremonis & Gorgidis fil. Tyro venit, navibus XV. Communiter Græcis monumentis literarum *Gorge* dicitur, à voce γοργὸς, *torvus*, item *pernix*. Heſych. Γοργώψ, πικρὸν ἔβλεψε. Unde fabula *Gorgonis* & *Gorgonum*, quam tamen Homero ignotam, ex eodem Heſych. notat Barth. *ad Stat. Theb. l. 9. v.* 741. Vide & in voce *Gorgones*.

GORGIAS, qui & *Gorgatas*, Nobilis Macedo, qui, cùm Olympiadis gratiâ tegeretur; nihilominus ab Amynta invitus in militiam è patria extractus eſt. Curt. *l. 7. c.* 1.

GORGIAS, Rhetor celeberrimus, qui, pulcherrimum librum de concordia, Græcis tunc inter ſe diſſidentibus, recitavit Olympiæ. Item, auctor 4. libb. de figuris Rhetoricis; quas Rutilius Lupus in epitomen redegit.

GORGIAS, traducitur ab Ariſtoph. *Veſp.* ut proditor, barbarorumque partes fovens.

GORGIAS Athenienſis de ſcortis Atticis ſcripſit. Athen. teſte *l.* 13. *p.* 567.

GORGIAS Leontinus Philoſophus, Empedoclis diſcip. Socratis autem & aliorum philoſophorum, & rhetorum præceptor. Cic. *de Bruto.* & *l. de Oratore.* Hic arte ſuâ tantum pecuniæ corraſit, ut auream ſtatuam primus omnium poneret, in templo Apollinis Delphici. Auſus eſt primus in conventu poſcere, qua de re quiſque vellet audire; ac de omni re, quæcunque in diſputationem, quæſtionemque vocaretur, ſe copioſiſſimè dicturum eſſe profitebatur. Is inſtituit orationem extemporalem, & declamationes exercitationis causâ. Philoſtrat. Quintil. Cic. Ad Athenienſes cum Tiſia miſſus, auxilia contra Syracuſanos impetravit. Obiit An. Æt. 108. Diod. Sic. *l.* 12. Thuc. Athen. *l.* XI. *p.* 505. & *l.* 12. *p.* 548. *Plutarch.* &c.

GORGIPPIA, urbs Indiæ. *Steph.*

GORGIPPUS, fil. Satyri, Patris in regno Ponti ſucceſſor, Polyæn. *l.* 8.

GORGO, navis, in qua Perſeus, ubi Meduſam Gorgonum ſuperaſſet, vectus eſt ad ſuos, ita dicta à *Gorgonis*, i.e. Meduſæ capite, quod in eâ repoſitum fuit, & unà cum Perſeo avectum.

GORGON, ſeu *Urgo* Plin. *l.* 3. *c.* 6. & P. Melæ, *l.* 2. *c.* 7. inſ. parva & montoſa maris Tyrrheni, Capraræ proxima. Mem. ejus Rutil. *l.* 1.

Aſſurgit ponti medio circumflua Gorgon.

Baudr. inter oram Tuſciæ, & Corſicam, aliàs ſub Piſanis, nunc M. Hetturiæ Duce in ea tantùm eſt vicus cum turri. 25. mill. à Liburno in Occ. 40. ab oſtio Macræ in Auſtr.

GORGONES, Phorci ex Ceta filiæ, Meduſa, Stheno, & Euryale, quæ Dorcadas inſulas in Oceano Æthiopico ſitas, habitaſſe dicuntur, contra Heſperidum hortos. Virg. Æn. *l.* 6. *v.* 289, Natal. Com. *l.* 7. Nomen habent à *truculentia*, quam Græci Γοργότης appellant. Scribit Diod. Sic. feminas fuiſſe in Africa bellicoſas, adverſus quas Perſeus bellum geſſit, & earum reginam Meduſam ope Minervæ, i.e. Virtutis, debellavit, ac interfecit.

GORGONES, ſeu GORGADES Plin. *l.* 6. *c.* 31. & *Heſperides*, Inſulæ maris Atlantici, verſus Afr. & prom. Viride. *Satyrides* à Pauſ. *in Atticis* vocari nonnulli opinantur. Hanno *Gōryllas* vocat in *Periplo*. *Iſole di Capo Verde* hodiè vocantur, teſte Ferr. Sub Portugall. Rege. Sunt 10. numero. Vide *Capitis Viridis* Inſ. & *Heſperides*.

GORGONIA, Pallas dicta eſt, quòd Meduſam, unam ex 3. Gorgonibus, quæ concubitu ſuo templum Deæ profanaverat, Perſeus, Minervæ ſcuto armatus amputato capite occidiſſet. Fabulantur autem Gorgonis caput tâle fuiſſe, ut homines hoc conſpecto ſtatim in lapides verterentur.

GORGONIUS, vir nobilis, Diocletiano Imp. pro Chriſtiana religione vitam ſuſpendio finivit, cujus corpus mortuum famelicis canibus objectum eſt, quod tamen remanſit intactum. Item viri proprium malè olentis, Horat. *Serm. l.* 1. *Sat.* 2. *v.* 27.

Paſtillos Rufillus olet, Gorgonius *hircum.*

GORGONSOLA, opp. Duc. Mediol. ad incile *Martezana*, in dominio utili Trivultii Princ. 12. mill. à Mediolano in Ort.

GORGOPAS, vir qui Eunomum apud Zoſtera vicit, naves 4. cepit, à Chabria ſuperatus occubuit. Xenoph. *l.* 5.

GORGOPHORUS, Pallas dicta, quòd in ejus clypeo Meduſæ *Gorgonis* caput eſſet inſculptum, apud Cic. *orat. antequam iret in exilium.*

GORGUS, fil. Ariſtomenis Meſſenii, cui pater nondum octodecenni puellam ruſticam junxit, hac occaſione: Induciarum fiduciâ ſecuriùs vagantem ſeptem ſagittarii Cretenſes cùm cepiſſent loriſque pharetrarum vinctum, quòd nox appeteret, in tugurium agri Meſſeniaci pertraxiſſent, in quo habitabat virgo cum matre vidua; virgo per ſomnium nocte priore viſo, lupos illuc pertrahentes Leonem vinctum ungues non habentem, ipſam à leone ſuâ ope ex ſoluto & unguibus armato laniatos eſſe, poſtquam Ariſtomenis nomen à patre edocta eſt, ſomnium intellexit. Itaque vinum Cretenſibus largiter fudit, illiſque ſomno ſepultis, pugione uni eorum ſurrepto, Ariſtomenis vincula abſcidit, qui hoc pacto liberatus inſidiatores interfecit, & pro navata ſaluti ſuæ opera, virginem *Gorgo* uxorem dedit. Hic poſteà Meſſeniis, poſt captam Eiram, novas ſedes quærentibus, cum Manticlo, à patre dux datus, illos in Siciliam deduxit, qui urbe Zanclè ibi occupatâ, *Meſſenem*, à patria ſua, eam appellarunt. Pauſ. *Meſſen.* Athen. *l.* 3. *p.* 92. & *l.* 7. *p.* 322. &c.

GORGUS, fil Theronis, Agrigentinorum tyranni, quomodo Patrem, in invadenda tyrannide adjuverit, vide Polyæn. *l.* 6.

GORGUS, rerum metallicarum vir callentiſſimus, cujus opera in multis uſus eſt Alexander. Strab. *l.* 15. *p.* 700. Καὶ χρυσεῖα καὶ ἀργυρεῖα οὐ πολὺ ἄποθεν ἐν ἄλλοις ὄρεσιν ἱστορεῖσθαι καλά, ὡς ἐδήλωσε Γόργος ὁ μεταλλευτής.

GORGUS, Græcè Γοργὸς, unus ex tribus amnibus, qui in Tigrim influunt, Ptol. memoratis, de quo vide Salmaſ. *ad Solin.* *p.* 698.

GORGYIA, locus in Samo, unde Bacchus *Gorgyienſis*.

GORGYTHION, Priami & Caſtianiræ Threſſæ fil. qui in bello Trojano à Teucro, Telamonis filio, confoſſus occubuit. Hom. *Il.* 8.

GORHAMUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

GORICUM, Hollandiæ mer. civitas probè munita, eleganti caſtro inſignis, Vahalim fluv. ex tribus alterum, quibus Rhenus in Oceanum effunditur, præterlabentem habet. Hìc ex altiſſima turri, duæ ſupra viginti urbes muris ſeptæ conſpici poſſunt, cum ruſticorum villis, & non paucis nobilium habitationibus. Lætiſſimis paſcuis abundat, unde in butyro, lacte, caſeo, fere tota incolarum negotiatio conſiſtit, quæ Antverpiam & ad alia loca non ſine maximo emolumento exportantur. Lud. Guicciardin. Baudr. ad Moſam, ubi Lingam recipit. 3. leuc. à Dordraco in Ort. 2. à Viana in Auſtr.

GORITIA, urbs munita Fori-Julii, ad Sontium fluv. Comitat. cogn. caput, ſub Auſtriacis, in confin. Venetorum, inter Alpes & ſinum Tergeſtinum 4. leuc. Germ. ab Aquileia in Bor. totidem à Palma in Ort. *Baudr.*

GORITIÆ Palatinatus Archiducum Auſtriacorum. Nomen habet ab ejus urbe primaria *Goritia* dicta. *Julium Carnicum* Ptol. vocat. Dravum fluv. pro limite ad Sept. habet, & Forum-Julii Mer. verſùs. Quam terram clientelæ ſeu feudi jure à Rep. Veneta quondam habuiſſe Comites ejus, ſunt qui affirment, ex quibus Leonhardus, nullo relicto hærede, vitâ exceſſit A. C. 1501. unde Comitatus iſte Auſtriacæ Domui obvenit, cui jam magna ex parte pignoris jure obſtrictus tenebatur. Vide Fr. Sanſon *dell' Orig. delle caſe Illuſtri d' Ital. in Famil. Porcia p.* 242. G. de Roo *l.* 11. Tob. Pfanner. *de præc. Germaniæ Principum Comitibus c.* 1. &c.

GORLITIUM, vulgò GORLITZ, urbs primaria & perpulchra munita Luſatiæ ſup. inter paludes: ædificiorum nitore atque frequentia clara, ut & murorum foſſarumque ambitu; ſitu montoſo, Niſſæ fluminis propinquitate firma, ex quo molitores, coriarii, revisarii, tinctores, aliique ejus opp. cives magnas commoditates percipiunt ejus tranſitus ponte ligneo, tecto percommodè clauſo, opportunè conjungitur. Opp. ipſum primâ fundatione conditum A. C. 1131. ejus annales perhibent. Funeſto verò deinde incendio, A. C. 1331. immitis Vulcani ſeveritate conſumptum, ut ne unica quidem domus remanſerit: poſt eam autem ruinam, Anno ferè octavo venuſtè reparatum: Bohemiæ regno ſubditur, ſicut & Luſatia. Joh. Matal. Metell. Antea ſub Bohemiæ Rege, nunc ſub Electore Saxoniæ. 4. leuc. à Budiſſina in Ort. 2. à confin. Bohemiæ. *Baudr.*

GORMANUM, vulgò GANZER, opp. Tranſylv. prope Claudiopolim.

GORNACUM, vulgò GOURNAYSUR ARONDE, ab amne *Aronda*, ad alterius Normannici differ. Oppid. prov. Inſ. Franciæ, in confin. Picardiæ, 4. leuc. à Compendio in Circ. Ambianum verſus.

GORNEAS, munitum caſtellum in Armenia. Tac. Ann. *l.* 12. *c.* 45.

GORICHEMUS Henricus, vide *Henricus*.

De GORREVOD Guido, floruit in Burgundia A. C. 1180. in cujus poſteris Joh. ſec. decimo quarto, genuit Joh. & Hugoninum: quorum hujus lineam terminavit, ſed rebus geſtis nobilitavit, Laurentius Comes *de Pontdevaux*, Carolo V. gratus. Ab illo autem, præter Dominos *de Cornon*, deſcendêrunt Domini de Salins, qui demum Laurentii agnati ſucceſſores facti ſunt. Ducum de Pontdevaux & *Principum Imperii* cum tempore aucti. Et quidem Ludovicus Dn. *de Gorrevod & Fretechiſe*, fil. habuit Joh. Dn. de Gorrevod, qui ex Guicharda de Monte Regali, pater fuit Joh. de Gorrevod Com. de *Pontdevaux*: cujus, ex Claudia *de Semur*, fil. Laurentius II. Dux *de Pontdevaux* March. de *Marnay*, Obiit A. C. 1625. relictis ex Iſabella *de Burgundia* (filiâ Hermanni *de Burgundia* Com. de Falais) Philippo Eugenio Duce *de Pontdevaux* Com. *de Salins* Dn. de Gorrevod & Carolo March. *de Marnay* dein Archiep. Veſontionenſi & Magdalenâ. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Part. II. p.* 88.

GORREUS Joh. Pariſienſis, Medicus doctus & felix, Nicandri *Theriaca & Alexipharmaca* metro Latino expreſſit & *Scholiis illuſtravit*; præterea, *de Lepore Marino*, & in re Medica varia ſcripſit. Ad Ep. Pariſienſem, qui decumbebat, vocatus, ex occurſu cujuſdam lictorum tantum terroris cœpit, ut ab eo tempore non amplius integrè valeret. Obiit A. C. 1578. Æt. 72. Samarthan. & Antonius Teiſſier *Elogiis*.

GORSIO ſeu GURSIO, Lazio *Corck*, opp. Hung. ad Zarwiczam fluv. medium fere inter Albam Regiam & Quinque Eccleſias.

GORTENI, una ex IV. ſectis Samaritanorum, ad Judæos propiùs accedens, ſicut Sevei longiùs recedebant, vide infrà ubi de Samaritaniſmo: nec non Epiphan. *Hær.* 12.

GORTUÆ, Euboicæ quondam gentes, Medos ſecutæ, ſed tunc, cùm in exercitu Darii ad Arbella erant, degeneres & patrii moris ignaræ. Curt. *l.* 4. *c.* 12.

GORTYN, ſeu GORTYS, & GORTYNA, opp. mediterr. Cretæ ad Lethæum fluv. Plin. *l.* 4. *c.* 12. Hìc Philippus Ep. floruit A. C. 175. Hinc *Gortynius*, ut *ſpicula Gortynia* apud Stat. Theb. *l.* 3. *v.* 587. quibus *Gortynenſes* celebres fuêre. Luc. Civ. Bell. *l.* 3. *v.* 186.

----- *Nec Eois pejor* Gortyna *ſagittis*.

Idem *l.* 6. *v.* 214.

Dictæâ procul ecce manu Gortynis *arundo*
Tenditur in Scævam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Ovid. *Met. l.* 7. *v.* 776.

Nec Gortyniaco *calamus levis exit ab arcu.*

Nic. Lloyd. Amplitudinem hujus civitatis olim centum quinquaginta ſtadia impleviſſe, ſcribit Strab. *l.* 10. *p.* 478. ad quem locum. Vide Caſp. Barth. *Animadv. ad Stat. Theb. l.* 5. *v.* 361. Conditam à *Gortye* Heroë, atque *Ellotiam* primò ab Europa Cretenſibus ſic dictam, appellatam fuiſſe, legas apud Steph. Atymnum ibidem cultum eſſe, Solin. memorat *c.* 11. ad quem vide Salmaſ. *p.* 172. Vide quoque ſuprà ubi de *Atymno*.

GORTYNIA, opp. Arcadiæ in Peloponneſo ad Gortynium fluv. teſte Pauſ. qui *in Corinthiacis* Æſculapium *Gortynium* vocat.

GORZIA, Monaſterium à Chrodegango Mettenſi Ep. conditum, A. C. 768. ad fluv. parvum Gorziam qui Gorziam monti impoſitam præterlapſus, ſupra Mettos in Moſellam defluit, apud Novigentum *Noviant*. Vulgò *Gorze*, in Comitatu Scarponenſi. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

GOSHEN, i. e. *appropinquatio*, vel *approximatio*, civitas in tribu Judæ, quam & expugnavit Joſue. *Joſ. c.* 10. *v.* 41. *Neh. c.* 2. *v.* 49. Item Ægypti regio, in qua Iſraëlitæ olim habitabant, antequam in Terram promiſſionis pervenêrunt.

GOSLARIA, urbs Saxoniæ ad Goſam fluv. in Hercinia. Eam Henricus Auceps, pater magni Othonis, condidit: A. C. 1051. in formam civitatis erecta & munita eſt, A. C. 1201. poſtquam ab Ottone Rege clam occupata fuiſſet. Imp. Henricus tertius urbem iſtam mirificè ornavit, & è parvo molendino, ut ajunt, vel tugurio venatorio in tam magnam, ſicut hodie cerni poteſt, urbem, bono provexit auſpicio. Joh. Matal. Metell. Baudr. eſt ad fontes Okræ amnis, in Duc. Brunſvicenſi, ſui tamen juris. Vix 5. mill. Germ. ab Hildeſio in Eur. Lambertus Schafnaburgenſis, ſub A. C. 1070. hanc Regiam villam vocat, quam pro lare domeſtico Teutonici Reges ſunt incolere ſoliti. Idem eandem clariſſimum appellat Regni domicilium: Unde hodieque Cæſareum ibi palatium. De controverſia, quæ huic civitati cum Ducibus Brunſvicenſibus, qui jus protectionis in ea habent, vide Hordleder. *de cauſis belli Germ. l.* 4. *c.* 46. Accuſata à Duce, A. C. 1541. & à Camera Imperiali proſcripta, ſed executio à Joh. Friderico Saxoniæ El. cui confœderata erat, impedita eſt. Obſeſſa A. C. 1552. ab Henrico Duce metallifodinas Rammelsbergenſes ei ceſſit: quas mortuo Friderico Ulrico Duce A. C. 1634. rurſus occupavit. Vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 20.

GOSLENI fons, locus Galliæ, in diœceſi Rotomagenſi, Gornaco ac Firmitati in Brajo vicinus, proximus finibus Bellovacorum, quibus & à nonnullis attribuitur. Vulgò *Gaillefontaine*. Hadr. Val. *Not. Gall.*

GOSORMIES, Thebanorum in Ægypto Rex VIII. poſt Stœchum, regnavit Ann. 30. dictus *Eteſipantus*, Αἴτησις παντὸς Scalig. dum Suphis Memphitis imperaret. Ei ſucceſſit Mares. Eratoſthenes apud Joh. Marsham. *Canon. Chron.*

GOSSELINUS Johannes, vide *Johannes*.

GOSSENBROT Sigiſmundus, vide *Sigiſmundus*.

GOSSIPIUM, hûc deſcribitur Plin. *l.* 19. *c.* 1. *Superior pars Ægypti in Arabiam vergens, gignit fruticem, quem aliqui goſſipion vocant, plures xylon, & ideo lina inde facta xylina. Parvus eſt ſimilemque barbatæ nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur. Nec ulla ſunt eis candore mollitiave præferenda. Veſtes inde Sacerdotibus Ægypti gratiſſimæ.* Ubi *nec ulla ſunt cum candore molliora & ſpiſſiora*, legi vult Salmaſ. Non enim ſolùm mollitie & candore præcipua eſt lana hæc xylina, Græcè ἐριόξυλον, quæ lini etiam nomine hinc veniebat, ſed etiam ſpiſſa eſt, & τὸ πάχος habet, quod lino non ineſt. Nucem ejus quod attinet, triplicem illa habet διάφυσιν ſeu *diviſionem*, & cùm matureſcit, dehiſcentibus diſſepimentis lana apparet, quæ inde extrahitur, uti de arboribus Tyli inſ. laniferis ſimiliter ſcribit Theophraſt. Quia verò *bombycem* vocavere Vett. non ſolùm, quæ ex vermibus ſic dictis nebatur, ſed molliorem omnem lanæ linique lanuginem, hinc recentiores *bombax* & *bambax*, de *goſſypio* propriè uſurparunt, ut vidimus. Hodie colitur hic frutex in Sicilia, Braſilia & nonnullibi in Oriente: optimum autem, quamvis minori numero, in Inſ. Melita *goſſipium* colligitur. Machinæ, qua Turcæ in Aſia utuntur, ad faciendum illud, iconem habes apud Jac. Spon. *Itin. Part.* I. ubi de VII. Eccleſiis. Apud Sinenſes, qui *goſſypii* ſemen ante annos plus minus octingentos accepêre, tanta inde illius copia eſt, ut, cùm in unica civ. *Xanghai*, ſub Nankinga, ducenta textorum millia numerentur, maxima ex iis pars *goſſipio texendo* operam navet, in quo opere cùm mulieres potiſſimùm excellant, viri agris colendis reliquiſque negotiis obeundis interea occupantur. Unde minùs mirum, ſolam hanc civitatem ſolvere Imp. ex ſolo *goſſipio*, ducenta quinquaginta ducatorum millia. Et hoc optimum habetur, quod in Nankinga conficitur, adeoque reliquis carius eſt. Cæterùm gallinæ genus in Quanſia prov. ejuſdem Imperii eſt, quod *goſſipium* quoque evomit, ſeu fila longiora, qualia ex goſſipio confici ſolent; ſed eadem, niſi colligantur, reſorbet, aranearum inſtar &c. Auctor Anon. *Sinæ & Eur. c.* 37. Plura hanc in rem vide apud Salmſ. *ad Solin. p.* 296. *& ſeqq.* nec non 998. & ſuprà, in voce *Bombax*; item *Fuſtanum*: uti de *Goſſypii* in elychniis uſu ſuo loco.

GOSTINIA, urbs & Caſtellania Poloniæ maj. in Palatinatu Ravenſi, carcere & morte Demetrii Suiſcii, M. Ducis Moſcoviæ nobilis, 2. leuc. à Viſtula fluv. & à Ploſco in Auſtr. cum arce ſatis munita.

GOSVINUS Boſſutus, hiſtorica quædam ſcripſit, vitas inprimis quorundam pietate illuſtrium. Voſſ. *de Hiſt. Lat.*

GOTA, Germanis Mercurius erat, à quibus adorabatur. Unde hodieque Deum *Got* dicunt.

GOTA, Inſ. Japoniæ, cum urbe cogn. in ora reg. *Ximo*, inter Corcam ad Auſtr. & Amacuſam ad Ort.

GOTARZES, Artabani II. frater, qui necem ipſi filiiſque maturavit: ſed ab altero fratre Vardane pulſus, eo mortuo regnum recuperavit. Contra quem ſubmiſſus Meherdates fil. Vononis, imperante Claudio, fruſtra fuit: Nam Gotarzes prœlio victor. Tac. *Ann. l.* 11. *c.* 8 *& ſeqq.* Illum excepit Vologeſes I.

GOTHA, urbs parva Thuringiæ, à *Gothis* condita, A. C. 923. celebri murorum ambitu ac propugnaculis decorata. Media ferè inter Erfordiam ad Ort. & Eiſenacum ad Occ. Admirandæ fortitudinis caſtrum habuit *Grimmenſtein*, quod ſolo æquatum eſt, A. C. 1567. Ferdin. I. Imp. & Ordd. Imperii mandato, capitali ſupplicio affectis Nobilibus illud vi retinentibus, Nic. Lloydius. In dit. Ducis Weimarienſis, è domo Saxonica, cujus familiæ Hiſtoria paucis hæc: Joh. Fridericus El. bello Smalcaldico captus, Electoratum Mauritio agnato cedere coactus eſt, Gothamque tenuit. Hujus fil. Joh. Fridericus II. Gothanam lineam orſus eſt, fratre hujus Joh. Vilhelmo Weimarienſem incipiente. Prior, quòd proſcriptos ab Imp. tueretur, & ipſe proſcriptus, arxque Gothana, ut dictum, diruta eſt. Sed filii ejus Joh. Caſimirus & Joh. Erneſtus, A. C. 1570. in gratiam recepti, quorum ille Coburgi magno aulæ ſplendore habitavit, Gymnaſii Caſimiriani auctor, hic Iſenaci ſedem habuit. Obiêrunt ambo ſine hæredibus maſculis: A. C. 1633. & 1638. ſic ad agnatos Weimarienſes revoluto principatu filii Joh. Ducis Vinarienſis, Vilhilmus quidem Vinarienſis, Erneſtus verò Gothanæ novæ linearum conditores fuêre, quorum hic, permiſſu Imp. arcem Gothanam, nomine *Grimmenſtein* in *Fridenſtein* commutato, reſtauravit & cum urbe muniit. Pater ex Eliſabetha Sophia agnata egregiæ prolis, in qua ad pietatem, virtutes & literas formanda, poſt publicas curas, totus ſemper fuit. Ex his Joh. Erneſtus A. C. 1657. mortuus, ſpes in herba præcidit, ſuperſunt Fridericus, Albertus, Bernardus, Henricus, Chriſtianus, Erneſtus; & Joh. Erneſtus, publicis votis & totius Imperii applauſibus ex aſſe reſpondentes. Vide Phil. Jac. Speneri *Syllogen Geneal. Hiſt. p.* 126. & 127.

GOTHALANI, mixta gens ex Gothis & Alanis. *Prud.*

GOTHARDUS Kettlerus, Magnus Magiſter Ordinis Livonici ultimus, nomine Evangelio dato, in præſentia Principis Nicolai Radzivilii, Palatini Vilnenſis & Commiſſarii Sigiſmundi Aug. Poloniæ Regis ſolenniter Ordini renuntiavit. Quo facto Regi jura & privilegia Ordinis, cum urbe Ripa: *Gothardo* verò Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ, ſub fide Regum Poloniæ, ceſſit, ſec. præt. Chriſtophorum, ex familia Megapolitanorum, Ducum, Livoniæ Archiep. quòd cum Erico Sueciæ Rege tranſegiſſet, nomine Poloniæ Regis, in venatione cepit ac dejecit, totâ diœceſi regno addictâ. Obiit A. C. 1587.

GOTHEBURGUM, urbs Sueciæ permunita, cum portu commodo in Weſtrogothia, in ora maris Balth. Ubi Obiit Carolus Guſt. Rex A. C. 1660. 3. mill. Germ. à Bahuſio in Auſtr. Item, Opp. novæ Sueciæ, prope fluv. Auſtrinum, vix 10. mill. Germ. ab ora maris Bor. Suecis erepta à Batavis, nunc ſub Anglis.

GOTHFREDUS, Apuliæ Comes, A. C. 1049. Germanicè ſig. *Gods peace.* Apud Danos quoque *Guthfretahed* eſt *Godlineß*, Plures hujus nominis in recentioribus Hiſtoriis occurrunt, inter quos *Gothfridus* Bullionius ab exercitu Rex Hieroſolymorum conſtitutus, A. C. 1000. Vide *Godefridus*.

GOTHI, vel GOTTHI, hodiè *Poloni*, teſte Matth. Michovienſi, pop. Sarm. Europææ, Boreale latus maris Euxini accolentes, prius *Getæ*, teſte Iſid. Regio eorum *Gothia*, inter Tyram, & Boryſthenem. Vide *Gothia*, & *Gotthi*.

GOTHIA, pars Auſtr. Sueciæ, inter Sueciam propr. Norvegiam & mare Balth. Triplex eſt, *Occid.* cujus provinciæ *Weſtrogothia*, Dalia & Vermelandia. *Orient.* cujus prov. Oſtrogothia, Smalandia, Selandia Inſ. & Gothlandia Inſ. & *Merid.* cujus prov. Scania, Hallandia & Blekingia. Quæ tres ultimæ, prius Danici juris, nunc ſub Suecis ſunt. Hinc Gothi oriundi, quamvis illos alii à Getis deducant, Aſiæ pop. qui fertilius ſolum quærentes in Boſnia, Thracia, & Bulgaria primò ſedes fixerint, dein in oram Balthici maris effuſi ſint, ſub Alarico. Hoc certum, primùm ſub Decio innotuiſſe, A. C. 251. & ab Theodoſio in Thracia victos, & baptizatos eſſe, poſtquam jam ſub Conſtantino Mag. fidei principia hauſiſſent: unde Ep. eorum Conc. Niceno interfuiſſe legitur. Ulphilas poſtmodum, Præſul eorum, in Arianam prolapſus hæreſin, eandem toti genti affricuit. Sub Decio Mœſiam vaſtarunt, & Thraciam: Sub Galieno Græciam, Macedoniam, & Aſiam depopulati ſunt, aliiſque temporibus in Provincias Imp. Romano ſubjectas incubuêrunt. Nixus illorum viribus Procopius, Imperium occupare conſtituit, Valens ab iis victus, Roma ſub Alarico capta, totaque Italia ſub Honorio afflicta eſt. Poſt Alaricum, Ataulphus Wiſigothorum, i. e. Occidentalium Goth. Regnum orſus eſt, in Aquitania & Gallia Narbon. quod deſiit in Alarico II. ab Clodoveo in prælio occiſo, A. C. 506. Aut potius in Hiſpaniam tranſlatum eſt, fundamentis jam antè jactis, duravitque per Annos 300. donec Rodericus inde à Mauris & Saracenis Afris pulſus eſt. Theodoricus, à Zenone adoptatus, contra Odoacrum Herulum, in Italia regnum Oſtrogothorum fundavit, quod extinctum, Totila & Teja, à Narſete, occiſis, A. C. 552. poſtquam ſtetiſſet Ann. 58. Vide Agathiam, Jornand. Procop. Caſſiod. Sidon. Apollinar. Iſid. Joh. & Olaum Magnum, Cluv. Sanſon. &c. ut & infrà in voce *Gotthi*. Item prov. Galliæ.

GOTHICA Lex, condita A. C. 466. Iſid. *Chron. Gothor. Era* 504. *Anno imperii Leonis octavo, Erudicus pari ſcelere, quo frater, ſuccedit in regnum, Annis* 18. Et infrà, *ſub hoc Rege Gothi legum inſtituta ſcriptis habere cæpêrunt: nam antea moribus & conſuetudine tenebantur.* Vide plura in *Lex Wiſigothorum*.

GOTHINI, pop. Germ. Tac. qui Marcomannorum terga claudunt, & ferrum effodiunt. Hos hodiè eſſe, qui *Kuttenberg* Bohemiæ urbem incolunt, ubi argentifodinæ ſunt, vult Lazius in ſua Auſtriæ tabula, quam ſuâ manu æneis laminis cælavit. Aliis erant verſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Viadrum fluv. & ad Ort. Marcomannorum, ubi nunc pars Sileſiæ prope Vratislaviam.

GOTHISCANDIA ſeu GOTHLANDIA, eadem cum *Gothia.*

GOTHIUM, h.e. GOTHORUM, monetæ, mentio eſt, in *Additam.* 2. *Burgundion.* §. 6. *De monetis ſolidorum præcipimus cuſtodire, ut omne aurum quodcunque penſaverit accipiatur, præter quatuor tantùm monetas, Valentiniani* (quos Gundebaldus *Præf. ad L. Burgund. Romanos* vocat) *Genavenſis* (quæ moneta Regum Burgund. fuit, Genevæ cuſa) *& Gothium* (i.e. Gothorum) *qui à tempore Alarici Regis adærati ſunt, & Ardaricanos* (l. *Alaricanos*) *Quod ſi quiſcunque præter iſtas quatuor monetas aurum penſatum non acceperit, quod vendere volebat, non accepto pretio perdat.* Plerique autem nummorum Regum *Gothicorum* Italiæ, Auguſtorum effigies & nomina præferunt in adverſa parte, in adverſa verò Regum iſtorum nomina titulosque; quòd, Byzantinis Principibus quodammodo obnoxii, hac Italiam conditione poſſiderent, ut ipſos pro ſupremis dominis agnoſcerent monetamque eorum nomine cuderent, nominibus ſuis iiſdem tantummodò inſcriptis. Cujuſmodi ſunt, qui Anaſtaſii, Juſtini & Juſtiniani effigies ac nomina præferunt, cum horum Regum nominibus: atque adeò ærei complures, Juſtini ſolius imagine & nomine inſignes, qui in adverſa parte monogrammata minuſcula RD. aut ſimilia habent: quod ex eo potiſſimùm colligere licet, quòd in nummi, qui Juſtini effigiem nomenque præfert, parte poſtica, circa idem monogramma, deſcribatur hoc lemma, INVICTA ROMA, quòdque qui eorum regum nomina imagineſque repræſentant, ſimilem habeant inſcriptionem, cùm, iiſdem Auguſtis imperantibus, Roma Gothicis Regibus pareret, jam ab ipſo Honorio, ſub quo in Alarici poteſtatem venit, à Beliſario tandem recuperata &c. Vide C. du Freſne *Diſſert. de Inſcr. ævi numiſm. n.* 73

GOTHLANDIA, Inſ. Sueciæ, in mari Balth. quaſi *bona terra*, quia fertiliſſima, 15 leuc. ab ora lit. Oſtrogothiæ in Ort. Longa eſt à Sept. in Mer. 12. leuc. Suec. circiter, lata 5. ab Ort. in Occ. Ibi opp. *Wisby*, aliàs urbs ampla & emporium celebre.

GOTHOFREDUS Dionyſius, JC. celeberrimus, ſec. præt. Pariſiis natus A. C. 1549. docuit Genevæ primùm; præfectus dein trium ad Juræ montis radices ditionum, Gezenſis, Dernienſis & Gagliardenſis, ac Conſiliarius Curiæ ſupremæ extra ordinem ab Henrico IV. Rege conſtitutus, A. C. 1599. cùm Sabaudicis turbis inde ejectus, ac omnibus penè fortunis, Bibliotheca ſua præcipuè, exutus eſſet, in Germaniam ſe recepit, ac Argentorati primùm, inde Heidelbergæ, rurſusque Argentorati, Juridicam Cathedram illuſtravit; reverſus poſtea Heidelbergam, ibi ſedem ſenectuti ſuæ deſtinavit. Interea, regiis literis ad Academiam Bituricenſem, in locum defuncti Cujacii, A. C. 1603. ad primariam Juris Profeſſionem Andegavos, A. C. 1609. iterum ad Juridicam Cathedram Valentiam, A. C. 1610. lautiſſimis conditionibus: uti à Fœderatis Ordd. Franekeram, A. C. 1608. invitatus. Sed bello Palatino exorto, Heidelberga excuſſus Argentoratum repetiit, defunctus A. C. 1622. Æt. 73.

> *Æqui medulla: Juris almi phoſphorus:*
> *Scientiæ miraculum: Hiſtoriæ penus:*
> *Theſaurus orbis: Gratiarum corculum,*

Juſti Mejeri JC. elogio. Studium ejus de literis & poſteritate merendi patuit inprimis in *editione Corporis Juris Civ.* quâ nulla alia majore unquam plauſu fuit excepta, ut ferè in ſingulos annos variis formis fuerit recudenda. In ultima etiam ſenecta tam tenacis memoriæ fuit, ut optimorum quorumvis Auctorum loca, Leges inprimis, etiam prolixiores, tanquam ex ſcripto recitaret expeditè. Pater Theodori Regii Hiſtoriographi & Bibliothecarii, ac Jacobi Hiſtoriar. & Juris Prof. nec non Senatoris Reip. Genevenſis. Scripſit *Notas in Corpus Jur. Civ. Conſuetudines Bituricenſes, Turonenſes & Aurelianenſes; Praxin Civilem; Quæſtiones Politicas; de Tutelis Electoralibus; Epitomen Hiſtoriæ antiquæ; De perſonis ſui Juris* &c. Paul. Freherus *Theatro Viror. erudit. claror.*

GOTHOFREDUS Jacobus, fil. prioris, nepos Leonis Dom. à *Guignecourt*, Conſiliarii Regii in Præfectura & ſede Præſidiali Pariſienſi, natus Genevæ, in ſpem Orbis literati, ibidem Juris Profeſſor, Senator & Scholarcha, crebris Legationibus cum gloria defunctus; Obiit A.C. 1652. Æt. 65. Scripſit *Comm. in Philoſtorgii Hiſt. Eccl. in Tertullian. ad Nationes; Animadverſ. Juris Civ. Deſcriptionem Vet. Orbis; Cenotaphium, Manuale Juris; Orationes Politicas; de Imperio maris & jure maritimo; de velandis mulieribus; Hiſt. Juris Civ. De Mutatione monetæ & æqualitate in Mutuo; De famoſis Latronibus; Opuſcula Polit. Jurid. Hiſt. Critica; Fontes Juris Civ. De interdicta Chriſtianorum cum Gentilibus communione; De electione Magiſtratus; Florilegium Sententiarum Juris* &c. Freherus *d. l.*

GOTHONIEL, i.e. *hora*, ſive *tempus meus Deus.* Nomen viri. 1. *Par. c.* 27. *v.* 15.

GOTHUNNI, pop. Sarm. Europ. ex *Gothis & Hunnis* permixtis nominati. Claud. *l.* 2. *in Eutrop. Carm.* 20. *v.* 151.

> —— *Oſtrogothis colitur, miſtisque* Gothunnis.

Ubi tamen vir doctiſſ. Nic. Heinſ. *Gruthungis* reponit, quem ſis vide.

GOTRICUS, Danorum Rex, adverſùs Carolum Mag. ob Holſatos infelix: felicior in Radbodum, quem claſſe aggreſsus, Friſiam ſibi ſubjecit, incolasque, omni argenti atque auri uſu adempto, ad vimineos torques lege latâ redegit. Ei à ſatellite occiſo ſucceſſit fratris fil. Hemingus, & poſt biennium Sigefridus. Ubbo Emmius *in Hiſt. Friſ.* A. C. 808. 809. 810. & 812.

S. GOTTHARDI Mons, ſub Lepontiis, altiſſimus, per quem ab Uraniis Helvetiis in Italiam trajicitur: quæ via tum in pon[illegible] tremente, tum in valle infernali, periculi plena. Conſtat [illegible] tis verticibus, inter quos mons Furcæ, Germ. *die Furken*, à [illegible] furcato jugo dictus. Aſper valde eſt, nec inhabitatur, limes in[illegible] ter Uranios & Valleſianos, Rhodani pater. Vide Munſter. *Coſmogr. l.* 3. qui refert, olim vocatum *Juberum*, & *Coatium*, [illegible] ſecundùm alios *Urſelium*: Joh. Baptiſtam Plantin. *Helv. Nov. Antiq.* & in voce *Lepontiæ Alpes.*

GOTTHI, pop. Scanziæ, quaſi *Goten*, ſeu *Guten*, ſic dicti ab advenis, ob ſummam in hoſpites lenitatem, quæ laus in ipſis, etiam ante Chriſtianiſmi tempora, eximia fuit: *Gothones* Tac. *Ann. l.* 2. *c.* 62. de morib. Germ. *c.* 43. *Gutones* Strab. *l.* 7. *p.* [illegible] Plin. *l.* 4. *c.* 14. *Gythones* Ptol. *Guttones* Pytheæ & Saxoni, [illegible] quoque & *Gioti* mediæ ætatis ſcriptoribus. Olim ad mare Ba[illegible] thicum uſque ſe extendêrunt, cui proin nomen *Godanbelt*, quod nobis *Godanus ſinus* dicitur. Diſtincti ſunt in celebrata Hiſtoria [illegible] nomina Oſtrogothos, & Weſtrogothos, à ſitu. E' Scanzia pri[illegible] mò ſeu Scandia, in Inſulam Viſtulæ, & in longinquiora, ad Mæo[illegible] tim & in Daciam, Mœſiam, Pannoniam, Thraciam Græciam, Macedoniam, Pontum, Aſiam, Africam: In Occidentem que[illegible] que, Germaniam nempe, Galliam, Italiam, Hiſpaniam, Britanniam, &c. ſeſe effudêrunt. Thraciam diripientes à Conſtantino coërciti ſunt, A. C. 321. Ab Hunnis ſedibus pulſi, à Valente Imp. tanquam fidei ſocii, per Ulphilam Ep. ſubmiſſum ſeducti & in Thraciam recepti, arma in patronum vertêre, A. C. 37[illegible] Vix ab urbe Conſtantinopoli ſub Gratiano amoti, miſſo Theodoſio, trans Iſtrum rejecti ſunt: mox audaciâ reſumptâ A. C. 381. per Fridigernum Græciam, per Alatheum & Safrachum Pannoniam devaſtarunt: ſub fœdus redacti ab Imp. cùm Regem [illegible] lorum Athanaricum ſepulturâ honoraſſet. Gainas dein Go[illegible] ex gregario milite Dux, Arcadio negotium, A. C. 398. fecit, [illegible] cut eidem A. C. 395. Alaricus Gothorum Rex à Rufino immiſſus ſed Rufinus interfectus à militibus & Gainas A. C. 400. captus [illegible] trucidatus eſt. Alarici ſucceſſor Ataulphus, Romam perditurus & *Gothiam* conditurus, ejus loco, ab uxore Placidia Galla, Ho[illegible] rii ſorore, prohibitus eſt, A. C. 412. In Gallia Tholoſam ſedem habebant, Hiſpaniæ magnâ parte ſubjugatâ, unde illos Rechiarius ejecturus, victus ſecurique pecuſſus eſt, A. C. 457. Euric[illegible] Rex, illo multidominio Romanorum uſus, magnam partem [illegible] liæ rurſus ſibi ſubjecit, A. C. 464. pater Alarici. An. poſt eum [illegible] in Hiſpania, Almaricus cum Gothis Italicis, de Galliæ jure [illegible] git, Chrotildes filiæ Chlodovæi maritus, Dalmatia Gothi pulſi [illegible] A. C. 540. & Italia ferè tota exacti, A. C. 542. niſi Totila res pro[illegible] lapſas reſtituiſſet: Aſt hunc Narſes, & poſt eum Tejam, in Italia A. C. 55[illegible] Gothorum ultimum Regem occidit, Italiâ recuperatâ, [illegible] quod ipſum ſtatuâ Theodorici affabrè factâ Neapoli poſitâ præſig[illegible] ficaverat. *Nam paulo ante mortem Theodorici, compago lapillorum [illegible] put conſtituentium, ſoluta eſt: ante Atalarici mortem venter de[illegible] Amaloſventâ occumbente virilia collapſa, tandem Gothis urbem ob[illegible] tibus, femora, pedes & reliquum ejus omne concedit.* Graſerus in [illegible] *exot.* Poſt hos, Longobardi à Narſete evocati Italiæ incubuêrunt A. C. 568. ſed & in Hiſpania, ſub Roderico, à Saracenis & Mau[illegible] ris per Julianum Comitem ex Africa adductis, omnis nobilitas Gothorum cecidit, A. C. 714. Galliam quoque Francis remiſêrunt. Religionem quod attinet, ſcribit Adamus Bremenſis, etiam cum [illegible] communi gentium errore verſarentur, reverentes tamen fuiſſe Epiſcoporum, ſi qui probi caſtique eſſent: de Chriſto ſermonem audiiſſe non invitos, uniuſque hominis operâ Gotthos converſos, cum Wermulanis parteque Scritofinnorum. Idem ſcriptor Chriſtianiſſimi titulo Amundum Sueciæ Regem ornat. In diſcrimine poſiti op[illegible] à Deo poſtulabant; ſemper vim abſtinentes à ſubditorum [illegible] pulorum animis, quos, ipſi à Valente ad Arianiſmum ſeducti, [illegible] dem Nicæenſem ſequi minimè prohibuêrunt. Theudericus [illegible] mis Weſtrogothorum, alterque Oſtrogothorum Rex à Sidonio, & Ennodio, eximiæ pietatis elogium ferunt. Et quidem hic, qui ne prima quidem literarum elementa noverat, res Gothicas, ad ſummum gloriæ faſtigium extulit: ſicut Theodatus contra, [illegible] literatus tantùm, ſed & Græcæ Philoſophiæ ſtudiis excultus, eaſdem de ſummo faſtigio in præceps jecit. Vide Hug. Grotii *Hiſt. Goth.* item in vocibus *Gothi, Guthi, Juti, Oſtrogothi, Viſigothi,* &c. [illegible] thicæ autem rei & Aquilonarium populorum delibatio, ad poſteriores antiquitates intelligendas apprimè conducit. Cùm hi omnes [illegible] guâ, moribus & inſtitutis parum inter ſe differrent, totamque [illegible] Europam armis victricibus ſubjugatam premerent: Hinc [illegible] ctum eſt, ut non ſolùm mores & leges, ſed & plurima vocabula in unaquaque gente haberentur communia. Quoad linguæ autem conſonantiam, veteri uſi ſunt omnes Germanica ſuis dialectis varia[illegible] ta, antiquiorem, & nativam magis retinentes, qui in Bor. vergunt. Longius autem diſſiti ſunt in Bor. Gothi, olim Getæ, à vernaculo ſuo *Jæt* i. e. gigas, denominati. Hi Daciam propriè coluêre. Omnes conterranei, vel è finitibus regionibus oriundi, licet à di[illegible] verſis populis, quibus bellum intulêrunt, diverſimodè nuncupentur. Henr. Spelmann. in *Gloſſ. Arch.* Adde B. Rhenan. [illegible] *Rer. Germ. Nov. Antiqq. l.* 2. & 3. de hac gente pluribus agit, [illegible] ad eum Cl. Otto *Notis ſuis*: Et quidem de *Gothorum in Italiam,* [illegible] *mox in Galliam* migratione, habes *p.* 184. *in Germaniam, p.* 24[illegible] *eorundem Cultu, p.* 351. Horum Senatoribus Sidon. Apollinaris perones attribuit, *Carm.* 7. *v.* 445.

> —— —— *Nec tangere poſſunt*
> *Altatæ ſuram pelles, & poplite nudo*
> *Peronem pauper nodus ſuſpendit equinum.*

Ubi ſimul docet, quòd cùm Romani ſive calceis, ſive peronibus (nam hi ruſticorum & plebejorum apud Romanos fuêre) tibia[illegible] [illegible]

eſſent calceati; hi gentilitio more nudis cruribus, & ſuris nudoque poplite inceſſerint. Unde idem *Ep.* 20. *l.* 4. eorum *pedes*, inquit, *perone ſetoſo talos adusque vinciebantur. Genua, crura, ſuræque ſine tegmine.* Vide B. Balduin. *de Calceo Antiq. c.* 17.

GOTTHONES, pop. Germaniæ, Maroboduum exulem receperunt, apud Tac. *Ann. l.* 2. *c.* 62. & de Germ. morib. *c.* 43. ſibi inter *Marum & Cuſum* fluv. h. e. Marſum & Chryſam, in Daciæ parte, quæ hodie *Tranſylvania* dicitur, interprete B. Rhenano *Rer. Germ. l.* 1.

GOTTINGA, vulgò GOTTINGHEN, urbs Germaniæ, in Ducatu Brunſvicenſi, ad Lenam fluv. 3. leucis à Duderſtadio in occaſ. verſùs Haſſiam, & 10. ab Hildesheimo in Auſtr. Olim ſub proprio Duce. Fuit autem *Gottingenſis*, quæ & Calenbergica dicta, lineæ auctor Ericus ſenior ſecundo genitus Vilhelmi junioris Ducis Brunſvic. pater Erici jun. qui A. C. 1540. Patris ſucceſſor, in religione Evang. à matre Eliſabetha Brandeburgica inſtitutus, eam poſtea deſeruit. Otii impatiens, faſtu ac ſtolida taciturnitate vanis conſiliis ſe rapi paſſus, poſt multa turbulentè geſta, Obiit ſine prole Papiæ A. C. 1584. hæreditate ad Guelferbytanos agnatos devolutâ: ſed & jam prius Albertus pinguis, Alberti Mag. fil. *Gœttingam* tenuit, pater Erneſti, qui hunc principatum ad fil. Ottonem tranſmiſit, in hujus filio cogn. ramo extincto. Vide Phil. Jac. Spener. *Syllog. Geneal. Hiſt.*

GOTTORPIUM, vulgò GOTTORP, arx Daniæ valida, in Juria, exiguo ab urbe Sleſwicenſi intervallo, ſedes Ducum Sleſwici & Holſatiæ, qui hinc Duces Gottorpienſes perſæpè dicuntur. *Gottorpiæ* Lineæ auctor Adolphus fuit Friderici Holſatiæ Duc. fil. frater Chriſtiani III. Daniæ Regis. Hic Adolphus Ditmarſos non ſine ſanguine domuit, A. C. 1559. Pater Joh. Adolphi, qui moriens A. C. 1616 ditionem Friderico fil. reliquit: Hic Fridericoſtadium ab Arminianis condi paſſus, legatione poſtmodum ad Perſarum Regem miſſâ inclaruit. Obiit A. C. 1659. Pater Chriſtiani Alberti, & Auguſti Friderici. Ejus verò frater Joh. cùm primus ex Holſatis paſſus eſſet ſibi perſuaderi, ut hæreditariam portionem accepto apennagio non exigeret, Ep. fuit Lubecenſis (unde ab habitatione ejus lineam Eutinenſem vocant) & ſingulari prudentiâ Oeconomicâ non contemnendas opes collegit. Suſcepit is ex Julia Felicitate Wittenbergica Joh. Aug. Idem.

GOUDA, vulgò GOUDE, urbs Belgii uniti, in Hollandia, media ferme inter Ultrajectum ad Ort. & Hagam ad Occaſ. 5. leuc. utrinque, & 3. à Roterodamo.

GOUDANUS Henricus, vide *Henricus.*

GOUDANUS Johannes, vide *Johannes.*

GOVEA Andreas, Luſitanus, cum fratre Martiale, Lutetiæ impenſis Portugalliæ Regis & curâ Jacobi Goveæ patrui educatus, docuit ibidem primò, dein Burdigalæ, poſtea in patriam revocatus Collegio Conimbricenſi inſtaurando, ibi Obiit A. C. 1548. Æt. 50. *Biblioth. Hiſp. p.* 300. & 475.

GOVEA, ſeu GOVEANUS Antonius, frater priorum minimus, ingenio ac eruditione multijugâ utrumque ſuperavit. Latinè doctiſſimus verſu & proſâ, Philoſophiæ Ariſtotelicæ contra P. Ramum acer defenſor, poſtquam ad Juris ſcientiam, invitatu Æmilii Ferreti, animum applicuiſſet, tantopere in illa profecit, ut, ipſo Cujacio Judice, inter Interpretes Juris Juſtinianei, palmam ferret. Jus itaque docuit Toloſæ, Cadurci, Valentiæ, Gratianopoli; turbis dein bellicis cedens in aula Philiberti Sabaud. Duc. aſylum reperit. Obiit A. C. 1565. Æt. 60. ſcriptis plurimis inclytus, quæ vide *in Elogiis* Anton. Teiſſier *Part. I.* Sed Atheiſmi ſuſpectus Calvino & Alardo. Vide quoque *Anton. Goveanus* Mart. auctor *Grammaticæ Lat.* frater priorum. Vide ſuprà.

GOVERUS Joh. Eques Anglus, Poëta & Hiſtoricus, Gallicè, Anglicè & Latinè varia ſcripſit. Auctor Chronici libb. 7. cui titulus: *Vox clamantis in deſerto.* Richardi inſuper II. Henrici IV. Chronicon, & Hiſtoriam Tripartitam orſus. Obiit Londini, A. C. 1402. Statuam torquatam poſt Obitum meritus. Voſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3.

GOURA, vulgò GOURE, arx eſt Africæ, in Nigritia regione, & in ora Oceani Atlantici, recens extructa, & munita à Batavis, 3. leuc. diſtans à prom. viridi; eſtque in inſ. parva litori ferè juncta.

GOURUM, vulgò GOURO, urbs Aſiæ, in India, in regno Bengalæ, ad Gangem fluv. 200. circiter milliaribus à Bengala urbe in Bor. & totidem à ſinu Gangetico, ſub dominio Magni Mogolis.

GOZADINUS Ludovicus, vide *Ludovicus*

GOZAN, i. e. *tonſio*, *vellus*, ſive *tranſitus*, vel *corpus nutriens*: aut ex Syro & Hebræo, *intus nutriens*, fluv. in Meſopotamia. 2. Reg. c. 19. v. 12. Iſa. *c.* 37. *v.* 12.

GOZIURA, urbs. Vide *Gaziura.*

G. R. in notis antiquorum, *Genus regium* vel *rerum*; item *gerens* vel *gerit*. GR. D. *gratis dedit*, vel *datum*. GR. E. *gratia ejus* &c. GS. *geſſerunt*, *genus*, vel *geſſit*. GT. *gentem*, vel *gentes*, denotat, Fr. Gouldmann. *Dict. Lat. Angl.*

GRABATUS, apud Mart. *l.* 6. *Epigr.* 39. cujus Epigraphe in Cinnam. *v.* 4.

Sed in grabaris *tegetibusque concepti.*

Idem *l.* 4. Epigr. 53. cujus Epigraphe ad Coſmum *v.* 5.

Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati.

Græcè κράβαττος, lectus eſt penſilis, *a ſuſpendendis pedibus*, dictus, παρὰ τὸ κρεμᾶν τοὺς βάσεις, ſervorum, pauperum & mendicantium; hincque Cynicorum ac cæterorum, qui luxui bellum indixerant, Philoſophorum: quòd, qui in hujuſmodi lectis ſederent, vel recumberent, terram pedibus non attingerent. Apud Senec. certè *grabatus* & *pannus* extremæ paupertatis ſunt indicia, uti notat Caſaub. *ad Suet. Aug. c.* 21. Inde vox tranſlata ad lectulum, quo meridiari ſolemus, quo pacto *grabatum*, quaſi *carabatum*, quòd in eo capite recumbamus, ex κάρα, *caput* & βαίνειν, *pervium*, videri poſſit appellatum. Inde *Grabbatarii*, vide hîc ubi de *Clinicis* & *Lecticariis*. Sed & inter tormentorum genera, apud Vett. in uſu, *Grabatus*, memoratur Prudent. *in Martyrio Vincentii*, Hym. 2. *v.* 205.

Tum deinde cunctatus diu
Decernit extrema omnium.
Igni, grabatto, *& laminis*
Exerceatur quæſtio.

Sequitur mox de *Grabato igneo*, beatiſſimo Martyri ante agonem ultimum ſtrato: cumque ait, præludio iſto conſummato, in carcerem retractum. Appellat autem & *lectum* ibi & *grabatum*, quam alibi *cataſtam* vocat, ut in *Martyrio Laurentii. Hym.* 3. *v.* 399. Iſid. *in Gloſſ. Cataſta, aculeum, genus pœnæ.* Et, *Cataſta*, *lectus ferreus* &c. Vide Deſ. Herald. *ad Arnob. l.* 1.

GRABO Matthæus, vide *ibi.*

GRACCHOPOLIS, poſtea Cracovia, teſte Antonio Bonſinio, *Crackow*, urbs Poloniæ minoris, Epiſcopal. & regia ampliſſima. Vide *Carrodunum.* Ejus mentio fit *in l.* 7. *Itin.* ſic:

Hic ubi Sarmatico ſe jactat in orbe Viliſcum,
Millia quod Gracchi *diſtat ab urbe duo.*

GRACCHUS Titus Sempronius, Caji ac Tiberii pater, bis Coſ. ſemel Cenſor, bis triumphum meritus. Prætor Galliam ſubegit. Primùm Coſ. in Hiſp. miſſus, Celtiberos in deditionem accepit, Illurcimque eorum opp. ſplendidius à ſe reſtitutum, ut geſtarum à ſe rerum memoria ſupereſſet, de ſuo nomine *Graccburim* appellavit. Vide *Gracuris*, Secundùm Coſ. *Sardos venales*, proverbio, fecit. Huic uxor fuit Cornelia ex Scipionum familia, inſigni pudicitiâ & eruditione, mulier, ex qua Tiberium & Cajum Gracchos ſuſcepit, generoſiſſimæ quidem indolis juvenes, eloquentiâque imprimis admirabiles, cæterùm popularis auræ plus ſatis avidos, quæ res fecit, ut relictis optimatibus ad plebem ſe contulerint, legesque agrarias, perpetuos ſeditionum fomites, in lucem reduxerint, neque antea quieverint, donec ſenatum in ſuam necem armarent. Tiberius prior occiſus eſt in concione à Pub. Naſica; Cajus autem biennio poſt, cùm montem Capitolinum occupaſſet, juſſu Opimii Conſulis eſt interfectus. Cic. *Orat.* 1. *in Catil. P. Scipio Pontifex Max. Tib. Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum Reip. privatus interfecit.* Juv. *Sat.* 2. *l.* 1. *v.* 24.

Quis tulerit Gracchos *de ſeditione querentes?*

Lucan. Civ. Bell. *l.* 6. *v.* 796.

——— *Auſosque ingentia* Gracchos.

Vide infrà. Hunc Titum Sempronium tanto uxoris amore flagraſſe legimus, ut oraculo monitus, ex duobus ſerpentibus, quos aliquando in lecto deprehenderat, maſculum occiderit, quò uxoris vitam, quæ 12. liberorum mater erat, conſervaret.

GRACCHUS Sempronius, tempore Aug. familiâ nobili, ſollers ingenio & pravè facundus, *Juliam*, Cæſaris filiam in matrimonio M. Agrippæ temeravit, nec is libidini finis: traditam Tiberio pervicax adulter contumaciâ & odiis in maritum accendit, literæque quas *Julia* patri Auguſto cum inſectatione Tiberii ſcripſit, à Graccho compoſitæ credebantur. Igitur amotus Cercinam Africi maris inſulam, quatuordecim annis exilium toleravit. Interfectâ in Pandateria inſ. *Julia*, juſſu Tiberii, cervicem percuſſoribus obtulit. Vide Tac. *Ann. l.* 1. *c.* 53. & Vellejum Patercul. *l* 2. Ejus fil. C. *Gracchus* ſub Tiberio quoque reus, quòd hoſtem Tacfarinatem juviſſet. Tac. *Ann. l.* 4. *c.* 13. *Hunc comitem exſilii admodum infantem Pater* Sempronius *in inſulam Cercinam tulerat. Illic adultus inter extorres & liberalium artium neſcios, mox per Africam, & Siciliam mutando ſordidas merces, ſuſtentabatur, nec tamen effugit magnæ fortunæ pericula. Ac ni Ælius Lamia & L. Apronius, qui Africam obtinuerant, inſontem protexiſſent, claritudine infauſti generis & paternis adverſis foret abſtractus.* Flor. *l.* 2. *c.* 6. & 17.

Tib. GRACCHUS, Augur, Claudiæ, Appii Claudii filiæ, maritus, fortitudinis varia edidit ſpecimina. Trib. Pl. legem tulit contra eos, qui ultra 500. jugera agri poſſiderent, Collegâ Octavio fruſtra renitente. Bona ab Attalo legata diſtribui populo voluit. Ut ſecundâ vice Tribunatum obtineret, contra Senatum denuo populum tuitus eſt. In Capitolio, cùm ſæpius caput tetigiſſet, indicans ſe populo illud commendare, ab aliis diadema popoſciſſe creditus, occiſus eſt. Vide ſuprà.

C. GRACCHUS, vide ſuprà, ut & in voce *Cajus*. Fuit etiam.

GRACCHUS, Dux Sabinorum, à Q. Cincinnato captus & triumpho reſervatus. Plutarch. *in Gracchis*, Aur. Victor, *de Vir. Ill. c.* 57. 64. *&* 65. Liv. Ep. 41. Flor. *l.* 3. *c.* 16. Oroſ. *l.* 5. Valer. Max. *l.* 4. *c.* 6. *&c.*

GRACILITAS crurum, inter præcipua olim habita, quæ bonam formam corrumperent: fuitque hic habitus urbanorum dicteriis ſemper obnoxius. Senec. *In Sap. non cad. injur. l.* 2. *In capitis mei lævitatem jocatus eſt, & in oculorum valetudinem & in crurum* gracilitatem *& in ſtaturam.* Sic in Ariſtot. notatum, quòd eſſet ἰσχνοσκελής, i. e. *perſilis*, ut Comici vocarunt. Gloſſarium, *Perſilis*, μικροσκελής. Plaut. *todella cruſcula*, *in fragm.* Eubulus Comicus κοψίχου σκέλη; alii, σεσόποδας. Uti contrà, quibus inferioris corporis partes erant craſſiores, κλημαλίδας Αἰγυπτίας vocarunt, quod de Zenone Stoico dictum eſt. Similiter Neroni Claud. apud Suet. *c.* 51. inter alia vitia corporis, tribuuntur *gracillima crura*; Vide & de Domitiano eundem *c.* 18. Ideo hoc vitium Caligula vectatione diſcuſſit. Idem *Calig. c.* 3. *Formæ minùs congruebat* gracilitas *crurum*, *ſed ea quoque paulatim repleta aſſiduâ equi vectatione poſt cibum.* Uti autem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

autem crurum, ſic etiam manus vel brachii, *gracilitas*, inter deformitas notatis. Chryſoſtom. *ad Epheſ.* Οὐχ ὁρᾷς, ὅτι καὶ ἐν τῇ σαρκὶ πολλὰ ἔχομεν ἐλαττώματα, ὁ μὲν --- ἔχει τοὺς πόδας, ἕτερος χεῖρα ξηράν. Quam proin vel partis, vel etiam totius corporis, *gracilitatem*, duobus præſertim modis, dropace & convenientibus exercitiis, curari docet Galen. Ὑγιειν. *l.* 5. & 6. alibiq́ue. Contra alii *gracilitatem* affectabant, Aſcetæ inprimis aceti inter alia potu hanc in rem uſi, uti pluribus videre eſt, apud Jac. Balde *Encomio Macrorum.* Vide quoque ſuprà, *Cingula*, *Curioſi.*

GRACULUS, avium loquaciſſimum genus & importunum, à *garrulitate* nomen accepit, Iſid. *Orig. l.* 12. *c.* 7. A' *gerendo* tamen, quòd jacta ſegetum ſemina plurimùm *gerant*, vel quòd, ex olivetis cubitum ſe recipientes, duas pedibus baccas, tertiam ore *gerant*, Scalig. dictos vult, quaſi *geraculos*, *ad Feſtum.* Sed & à *gregatim* volando ſunt qui vocis etymon arceſſant: & certè hinc notum proverbium neminem latet. Verùm & garritus *graculi* Pindarico carmine traductus: quem Antonino Caracallæ omen fuiſſe interitus, habes apud Cœl. Rhodigin. *Antiqq. Lect. l.* 24. *c.* 4. Imò &, in Ionia, Venetos ſub ſementis tempus ſolitos cum *graculis* fuiſſe paſci, ut libis objectis cum maza, quæ illis forent ligmata, ſemina non refoderent omnino vel legerent, neque id ſine ſucceſſu, ex Apoſtolio idem refert *ibid.* Interim ex iiſdem ſerenitatis & tempeſtatis ſigna ſumi, refert Ælian. *de Anim. l.* 7. *c.* 7. Etiam Lemniis, quòd adverſo volatu locuſtis occurrerent, quibus agri illorum devaſtabantur, in veneratione fuiſſe, diſcimus ex Plin. *l.* 11. *c.* 29.

GRACURIS, quibuſdam eſt *Agreda*, opp. Aragoniæ, ad amnem *Queiles*, in ipſo confin. Caſtellæ Vet. Aliis Agreda eſt *Auguſtobriga* antiq. & Gracuris *Cagurria*, in regno Navarræ, prope Iberum fluv. & Vianam opp.

GRADICUM, illuſtre in Sequanis caſtrum, ad Ararim, nunc *Grey.* Ex quatuor Archidiaconatibus Eccleſiæ Veſontionenſis ſecundus *Gradicenſis* eſt. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* & in voce *Graum.*

GRADILES Panes, qui aliàs *Fiſcales*, item *Diſpenſatorii*, dicti ſunt panes è Fiſco olim erogari ſoliti, à *gradibus Amphitheatri*, in quibus uti olim congiaria Populo dividebantur, æra diſtribuebantur, miſſilia omne genus ſpargebantur & teſſeræ mittebantur, ita etiam panes hi erogabantur; quorum numerum ad 80000. mill. quotidie ſe extendiſſe, Metaphraſtes ait. De quibus *gradibus* accipienda vet. *Inſcr.*

COLLEGIO DENDROPHOR.
ROMANOR. QUIBUS. EX
S. C. COIRE. LICET. ARGEN
TI. P. X. ET. HS. X. MILIA. N.
REDDEDIT.
QUÆ. DIVISA. SUNT. POPULO. PER
GRADUS.
KAL. AUG. N. COLLEGI.

h. e. *amphitheatri* vel *theatri*, in quibus omnes diviſiones & ἐπιδόσεις fiebant. Hinc illæ locutiones, *de gradibus*, *in gradibus* & *gradibus* panem diſtribuere, pro hominibus, qui ſunt in gradibus, *l.* 3. *Cod. Theod. de annon. civis & pane grad.* & *l.* 5. *tit. eod.* ubi *proprii* hi *gradus* vocantur, i. e. *popularium gradus*, qui unicâ voce *Popularia* appellantur, & diſtincti erant, à gradibus militarium, Equeſtrium & Senatorum: è quorum uno in alterum panis *gradilis* tranſlatio vetatur *l.* 2. *Cod. ejuſd.* Atque hoc quidem Romæ obtinuit, à tempore Aureliani, qui primus, ut porcinam, ſic panem quoque, diſtribuit. Poſtea verò, cùm, ex Conſtantini inſtituto, annonæ civicæ Populo in Urbe CP. itidem, ut Romæ, erogarentur, non in Circo aut Amphitheatri gradibus, ſed in Foro, id fieri ſolitum eſt: ubi Populus per *gradus* diſtinctus & per turmas diviſus, cùm in ſuo quiſque loco & gradu adſtaret, panes illos civiles accipiebat. Corippus,

Diſpoſuêre gradus, *queis ſtaret in ordine longo*
Diviſum in turmas atque in ſua corpora vulgus.

Singularum enim urbis Regionum populares ſua ibi loca adſignata habebant & *gradus* ſuos diſtinctos: quod & de Foro Romano forſan dicendum, ubi ſimiles gradus conſtituti & erecti fuiſſe videntur, de quibus populo panes hi erogabantur. Suadent certè verba *l.* 5. *Cod. cit. de annon. civ. Popularibus enim, quibus non eſt aliunde ſolatium, quibus idem panis hodieque diſtrahitur & eorum ſucceſſoribus, clementia noſtra deputavit, in quo nunc emitur loco, propriis gradibus erogandum.* Ubi autem panis emebatur, niſi in Foro? Sed & in eodem loco, ſparſiones Conſulum, quas Ὑπατείας vocabant, CP. factæ: Romæ etiam in Foro non minùs, ac Theatro aut Amphitheatro, ſparſiones ejuſmodi & miſſilia in Populum ab Impp. Conſulibuſq́ue, jaci conſuevêre, Joſeph. *Orig. l.* 19. *c.* 1. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aurel.* & hîc paſſim in vocibus *Annonæ Civicæ*, *Arcus*, *Auguſteon*, *Civiles Panes*, &c. inprimis infrà in *Panis*, it. in voce *Poſſeſſor.*

GRADISCA, arx permunita Fori-Julii ad Sontium fluv. in Comit. Goritienſi. Media ferè inter Aquileiam in Auſtr. & Goritiam in Bor. 2. leuc. à Palma in Ort.

GRADISCIA, urbs Sclavoniæ probè munita, ad Savum fluv. ſub Turcis. In limite Croatiæ, 8. mill. Germ. à Zagabria in Ort. *Servitium* antiq. *Brietio.*

GRADIVUS, Martis cognomentum *à gradiendo*, ut Feſto placet, impoſitum, eò quòd *gradatim* & per ordines in bellum eatur, aut certè à *vibratione* haſtæ, quod Græci κραδαίνειν vocant. Homer. utrumque conjungit de Marte loquens,

Ἤϊε μακρὰ βιβὰς κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος.

Hujus ſedem apud Thracas & Getas poëtæ collocarunt, quòd eæ nationes ſint bellicoſiſſimæ & à pacis otiis alieniſſimæ. Homer. *Il.* ν.

Οἷος δὲ βροτολοιγὸς Ἄρης πόλεμόνδε μέτεισι,
Τῷ δὲ Φόβος φίλος υἱὸς ἅμα κρατερὸς καὶ ἀταρβὴς
Ἕσπετο, ὅς τ' ἐφόβησε ταλάφρονά περ πολεμιστήν,
Τὼ μὲν ἄρ' ἐκ Θρῄκης Ἐφύρους μέτα θωρήσσεσθον,
Ἠὲ μετὰ Φλεγύας μεγαλήτορας

Virg. *Æn. l.* 12. *v.* 331. *& ſeqq.*

Qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors *clypeo increpat, atque furentes*
Bella movens immittit equos: illi æquore aperto,
Ante Notos Zephyrumque volant: gemit ultima pulſu
Thraca pedum ——— ———

Val Flac. Argon. *l.* 7. *v.* 644.

——— *Qualis Getico de pulvere* Mavors
Intrat equis, uritque gravem ſudoribus Hebrum.

Nic. Lloydius.

GRADU pulſi, in pœnam, milites, qui alicujus eſſent in m[illegible] litia loci. Hinc illa *D. de re mil.* de militum pœnis: *Pro modo del[illegible] aut caſtigatur, aut* gradu *militiæ dejicitur.* Quod *militiam mutare*, di[illegible] citur apud Rufum *de pœnis militar.* ſeu *militia moveri*, apud eund. Fuſtibus verò aut virgis ſubjiciebantur, qui in infimo *gradu milita*[illegible] bant. Salmaſ. *ad Lamprid. in Alex. Sev.* In Lucta, *gradu dejici*, vel [illegible] *moveri*; in Circo *gradus lævos opponere*, quid ſit, vide hîc [illegible] *Lucta*, & apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 905. Gronov. it. *ad Senec. Agamemn. Act.* 3. *v.* 515. quibus adde Fabrum *Agonistic. l.* 1. [illegible] Gebhardum *ad illa C. Nep. in Themiſtocle*, *c.* 5. *Interim tamen* [illegible] *dem gradu depulſus eſt* &c. Apud Suet. *Tib. Claud. c.* 4. *Qu*[illegible] *quòd dubitemus; quin per eoſdem articulos &* gradus *prod*[illegible] *per quos frater ejus productus fuit? Articuli* & *gradus* ſunt, quæ C[illegible] *puncta* vocat, cùm dicit, *omnibus punctis honorem colligere*, vide Caſaub. *ad l.*

GRADUALE, ſeu GRADALE, dicitur in Eccleſia Rom. Reſponſum ſeu Reſponſorium, vel Antiphona, quæ poſt Epiſt[illegible] cantatur; à *gradibus*, non Altaris, ſed ambonis: quia, dum Di[illegible] conus ad petendam benedictionem Celebrantis, & ad canend[illegible] vangelium, ambonis gradus aſcendit, ne totum illud tempus [illegible] tum exigatur, in Choro *Graduale* cantatur. Bellarm. *l.* 1 [illegible] *Miſſa.* Imò ſolet Romæ à Cantoribus celeriùs tardiuſq́ue can[illegible] commenſurata, ad Diaconi functiones, Dominic. Macer *in* [illegible] &c. A' Cœleſtino Pontif. primò *Gradualia* inſtituta, tradit Anaſt[illegible] in *Vita* ejus, ex Cod. *MS. Conſtitut.* Graduale *poſt officium* [illegible] *ſam cantari.* Honorius Auguſtod. *Gradualia* & *Alleluja Ambr*[illegible] compoſuiſſe ſcribit, *l.* 1. *c.* 88. Galli *Grell* dicebant &c. C. du Freſne *Gloſſ.* Tempore Paſchali, exceptâ hebdomade primâ, ut & [illegible] Octava Pentecoſtes, *Graduale* non cani, obſervant Macri Fratres in *Hierol.* Eodem nomine & liber venit, in quo *Gradualia* continentur. Amalarius de Ord. *Antiphonario in Prologo*, *Antiphonarium*, *tria habet nomina* --- *Quod dicimus* Graduale, *illi vocant Cantatorium*, *qui adhuc juxta morem antiquum apud illos, in aliquibus Eccleſiis*, [illegible] *volumine continetur. Sequentem partem dividunt in nominibus. Pars* [illegible] *continet Reſponſoria, vocatur Reſponſoriale* --- *quæ Antiph*[illegible] *tiphonarius. De Gradualibus Pſalmis*, vide infrà.

GRADUS, Græcè Βῆμα, cognominatus Eratoſthenes eſt, quòd in omni doctrinæ genere ſecundas à ſummis ferret, Suid. Apud Scriptores Eccl. Græc. Βῆμα, aliàs ἄδυτα, elatior eſt templi pars, [illegible] Chorus, nomen à *gradibus*, quibus eò aſcendebatur, habens. In eo [illegible] duo Altaria, nonnunquam tria, extructa ſunt. Et quidem, [illegible] alterum in medio & majus, ἁγία τράπεζα alterum minus & [illegible] niſtram ejus, πρόθεσις dictum eſt. Ubi tria, in eo, quod ad [illegible] ſtram, exeuntibus libri, veſtes, alia reponuntur. Eratque tanta [illegible] hujus veneratio, ut hinc ordinis Eccleſiaſtici homines οἱ ἀπὸ τοῦ βήματος ſint appellati. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce Βῆμα, ex L. Allat[illegible] *Templis*, Meurſ. *Gloſſ.* & de la Cerda *Adverſ. c.* 148. *n.* 4. [illegible] *Gradus*, *ambo*, *analogium*, *lectrum L.* Alemann. *tit.* 16. §. 2. Clericus, *qui in* gradu *in Eccleſia publicè Lectionem recitat; vel Gradale.* Recita[illegible] bantur itaque lectiones in *gradibus*: etiam ſermones inde habeban[illegible] tur ad Populum. Sidon. *Carm.* 16.

Seu te conſpicuis gradibus *venerabilis aræ*
Concionaturum plebs ſedula circumſiſtit.

Erant porrò *Gradus* ante Altare, ſeu ante Altaris gradus, unde [illegible] ea ædis ſacræ βῆμα Græcis dicta; vel ſanè, quòd ad eum lectionis [illegible] cum per *gradus* veniretur, uti de ambone obſervavit C. du Freſne in *Deſcript. Ædis Sophianæ.* Sed & *graduum* in Eccleſiarum atriis ac propylæis, meminit Anaſtaſ. Bibl. *in Symmacho PP.* At *Grad*[illegible] *terii*, ſeu qui jacent ante cancellos, *Solea* Græcis, ex Ital. [illegible] quos amandari ſolebant Monachi, pro levioribus culpis, memorantur in *Uſibus* Ordin. Ciſterc. *c.* 75. Unde formulæ paſſim occurrentes, *Petat veniam ante* gradum, *Ante* gradum *Presbyterii* [illegible] &c. C. du Freſne *Gloſſ.*

GRADUS, urbs parva Fori-Julii, in Inſ. parva, in ora [illegible] Hadriatici. Extructa ab Aquilejenſibus. 80. mill. à Venetiis [illegible] 12. ab Aquileja in Auſtr. Sub Venetis; *Grado.* Olim ſedes Patriarchatus; huc Aquilejâ tranſlati, & inde Venetias; ab A. C. 1[illegible] Synodus hîc A. C. 602. ab Ep. Elia celebrata. A. Dandolus Chron.

GRADUS, à Romanis dictus portus locuſq́ue, præſertim [illegible] ſtium fluminis, ex quo conſcenſio in naves fiebat, quem tutò [illegible] navigantes, indeq́ue navigaturi naves ſolvere ſine periculo po[illegible] Erant etiam in portubus plerunque gradus aut ſcalæ, quibus in m[illegible] deſcendebatur: unde portus celebres in Aſia *Scalas* Europæi [illegible] tores vocant, ubi aquam, & commeatum navibus imponendum [illegible] cipere navigantes ſolent. Sic Valer. Max. *l.* 3. *c.* 6. tradit, P. Scip[illegible] *nem in Sicilia, trajiciendo in Africam, opportunum quærendo Gradum* [illegible] *Carthaginis ruinam animo volviſſe.* Idem *l.* 7. *c.* 6. *Siciliam & Sardiniam* Gradus *& ſtabilimenta bellorum* vocat, unde Romam bella [illegible] tranſ[illegible]

tranſmarinas provincias importabant. Sic ſinus ille maris Gallici, in quem devolvitur Rhodanus, *ſinus ad Gradus* hodieque dicitur: in eo enim Gradus, ex ordine diſpoſiti ſunt, vide Gradus novus Septimanæ proximus *Gras Neuf*: Gradus Ugonenſis, Paulitenſis, Magnus, Internas *Gras d'Enfer*, omnium intimus, & Gradus Paſſanenſis, qui ultimus eſt & Provinciæ Maſſiliæque adverſus, *Maſſilianorum* Gradus etiam dictus, quia maximè huc vergit & oſtio Maſſiliotico adjacet. In Hiſpania quoque *Gradus Saguntinus* vel Morvedrenſis, *Gradus Valentinus*, vulgo *Grao* & in Aragonia *Gradus Pinnenſis* oppido cognominis, ad Iberi flum. trajectum ab Hier. Surita referuntur. Tales locos portusque *Paſſus* etiam Aquitani appellant: quippe Burdigalenſes in oſtio Garumnæ, quod propter ſcopulos, & arenas periculoſum eſt, tres *Paſſus Gradusque* agnoſcunt, nim. Paſſum Arenoſum vel Glareoſum, prope Meducos, *le Pas de Grave*: in medio ore fluminis Paſſum Aſinorum *le Pas aux Aſnes*, & ad litus Santonicum, verſus Foramen Mali Dumi *le Pertuis de Maubuſſon*, alias tranſitum Malmuſſonenſem *le paſſage de Maumuſſon*: quæ ſunt tria loca Garumnâ Oceanum aut contra intrantibus opportuna ac tuta. *Gradus* Rhodani communi nomine *Tineæ* appellantur *les Tignes*. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall. in voce Rhodanus*.

GRADUS, in compoſitione capillorum, de quibus Maximianus, qui vixit tempore Boëtii, in libro *Eleg.*

> *Grande erat inflexos* gradibus *numerare capillos*:
> *Grande erat in niveo pulla colore coma.*

unde *coma compta gradulatim*: ab annulis crinium differunt. Inflexio enim ipſa & criſpatio capillorum nexiles annulorum orbes imitabatur: Comæ tamen ſic annulatim criſpatæ, non etiam confuſæ ac turbatæ & indiſcriminatim temereque implexæ habebantur, ſed per *gradus*, quoſdam poſitæ & ordine digeſtæ; ita ut unaquæque annulorum ſeries ſtationem quaſi ſuam ſervaret & gradatim alveolatimque alia ſuper aliam ſcanderet. In quibus exprimendis Latini *ordinem*, *ſtationem*, *gradus* uſurpant. Euripides ἕδραν dixit. Quintilian. *gradus* & *annulos* conjunctim poſuit; Manil. *crines in punctum ponere* eleganter &c. Vide Salmaſ. *ad Capitolin. in Pertinace* & paſſim ſuprà, uti de alia vocis notione, ubi de *Gladiatoriis ludis*: de *gradibus* vide Lectorum apud Vett. infrà ubi de voce *in Lectus efferendi*, it. in voce *Lectus*.

GRADUS Academici, apud Europæos tres, tum ut eorum conſequendorum ſpe excitati, qui ſtudiis vacant, ad altiora ardentiùs aſpirent, tum ne illotis, quod ajunt, manibus, in ſublimiorum diſciplinarum ſacra irrumpant, ſapienter ſunt inſtituti. Poſtquam enim per Depoſitionis ritum (qui a conſuetudine Romanorum, apud quos poſt completum Annum Æt. 15. juvenes prætextâ poſitâ virilem ſeu liberam togam ſumpſêre: vel Germanorum veterum, apud quos, teſte Tac. adoleſcentibus jus frameæ ſcutique concedi ſolitum eſt, originem traxiſſe videtur) ſtudiis initiati ſunt, Propædiæ curriculum emetiendum proponitur, quo defuncti feliciter *Baccalaureatus* honore & titulo inſigniuntur, qui ritus ſimiliter, è re militari ortum habet: quid enim ſerium Sapientiæ ſtudium, quàm militia eſt adverſus ignorantiam ac pravos mores, animæ noſtræ internecinos hoſtes? Sic admittuntur ad ſacrarium Realis Philoſophiæ; cui qui perlitarunt, ad *Magiſterii* evehuntur axioma. Poſtea ſuperioribus applicati Facultatibus, *Doctoratum* expectant dignitatem, & jus publicè docendi exambiunt: Vide in vocibus *Depoſitio*, *Baccalaureus*, *Magiſter*, *Doctor*, *Univerſitas* &c. Idem jam olim obtinuiſſe, neque ex diſcipulorum ſubſelliis quenquam, ſine auctoritate Magiſtri ſui, inter Philoſophos ſe contuliſſe, vero ſimile eſt: cum & apud Sinenſes, Aſiæ extremæ populos, literarum laude florentiſſimos, viguiſſe ante plurima ſecula eundem fere morem legamus. Apud eos enim ſeverè, priuſquam *Gradus* conſueti conferantur, profectus Philomuſorum etiamnum explorari certum eſt: Imo, jam aliqua dignitate potiti quotannis denuo examini ſubjiciuntur, cui ſi minus ex officio reſponderint, etiam, quem jam nacti fuerant, *Gradus* jacturam faciunt, vide Lombard. *Ep. de ſtatu regni Sinenſis*. Apud Hebræos non minùs varii erant *Gradus*, per quos ad ſupremum eruditionis apicem aſcenderent, & quidem circa tempora SERVATORIS noſtri, titulorum iſtiuſmodi numerus in immenſum crevit, inprimis autem uſitati erant: *Rab*, *Ribi*, *Rabbi* & *Rabbam*, quibus omnibus eadem origo, à verbo רבב *Rabab*, i. e. *multiplicatus fuit*, cui reſpondit Græcum Πολυμαθέστατος, Lat. *Magiſter* vel *Doctor*, multiplici eruditione inſtructus. Ex his *Rabbi* titulus erat ſublimior titulo *Rab*, *Rabban* plus erat quàm *Rabbi*, nudum tamen nomen, ut *Haggæus*, *Zacharias*, *Malachias*, reliquis omnibus excellentius quiddam ſonabat. Eâ ætate, ratio Academicæ methodi in illa gente hæc fuit. Studioſus dicebatur תלמיד *Talmid*, i. e. *Diſcipulus*: item קטן *Katan*, i. e. *Junior*: etiam בחור *Bachur*, i.e. *electus* ſeu *cooptatus*, nempe in numerum Diſcipulorum. Poſtquam rudimenta poſuit, dignumque ſe *Gradu* primo præſtitit, חבר *Chaber*, ſeu ſocius Rabbi, manuum impoſitione, proclamatus eſt: cujus cerimoniæ auſpicia à Moſe, qui Joſuam eodem ritu ſuum Succeſſorem renunciaverat, arceſſebant, Num. c. 27. v. 18. Vocarunt autem hunc ritum סמיכה vel סמיכות *Semicha* vel *Semichut*, quique manum promovendo impoſuit, hac uſus eſt verborum formula: *Ego tibi impono manum & manus tibi impoſita eſto*, vide Cunæum de *Rep. Hebr. l. 1. c. 21.* Poſtea cùm eò eruditionis pervenit, ut alios etiam docere poſſet, *Rabbi* renunciatus eſt. Et quidem, quandiu talis *Talmid* vel *Bachur* erat, Patris ſolùm nomine cenſebatur: cùm *Chaber* factus eſt, proprio nomine vocabatur: cùm *Rabbi*, tum titulus hic nomini ejus præfigebatur; hoc modo. Maimonides primum dictus eſt *Ben Maimon*, i. e. fil. Maimon: dein *Moſes ben Maimon*, tandem *Rambam*, i. e. *Rabbi Moſes ben Maimon*. Sic Rabbi Levi fil. Gerſon, primò *ben Gerſon*, i. c. fil. Gerſon: exinde *Levi ben Gerſon*, tandem *Ralbag*, i. e. *Rabbi Levi ben Gerſon* appellatus eſt. Tres hoſce ordines conjunxit priſcus ille inter Hebræos Sapiens, cùm dixit: *Multa à Rabbinis ſeu Magiſtris meis didici, plura à Sociis meis, plurima à meis Diſcipulis*, vide P. Fagium *in Scholiis ad c. 4. Pirke Aboth*, Th. Godwyn. *de ritib. Hebr. l. 1. c. 7.* & infrà, *Lectula*, *Rabbi*, it. *Studentes*.

GRÆA, urbs Eretriæ Steph. per aphæreſin, pro *Tanagræa*.

GRÆÆ, tres fuere ſorores Phorci filiæ, unicum tantum oculum habentes, & dentem, quibus viciſſim inter ſe tres utebantur. Vide Proverb. apud Eraſmum *Orci galea*; & Palæphatum Περὶ τῶν Φόρκυνος θυγατέρων.

GRÆÆ, mel. GRAJÆ ALPES, inter Sabaudiam ſunt & Pedemontium, verſus Auguſtam Præt. & Tarentaſiam tractum, à monte Cenſio ad ſummum uſque Penninum, vulgò *Monte Jove*; aliter *mons Bernardi*, ubi Penninæ incipiunt.

GRÆCI, apud Suet. *Tib. Ner. c. 46. Comites peregrinationum --- cibariis tantum, ſuſtentavit: unâ modo liberalitate ex vitrico cum projecerunt, cum tribus claſſibus factis pro dignitate cujusque primæ ſexcenta ſeſtertia, ſecundæ quadringenta diſtribuit, ducenta tertiæ, quam non amicorum, ſed* Græcorum *vocavit*; iidem ſunt, quos *palliatos* idem appellat *Jul. Cæſ. c. 48. Convivatum aſſidue per provincias duobus tricliniis: uno quo ſagati palliatique, altero quo togati --- accumberent.* In comitatu nempe Principum virorum, ut ex duobus his locis diſcimus, ſemper fuere *Græci*, iique ut plurimùm literati & Philoſophi: ἐν τῷ ὄχλῳ τῷ τῶν κόλακων ... ἑσπομένων, ut Lucian ait. De *Medicis Græcis*, in Aula Romana, alibi diximus. Interim contemptim habiti, unde *Græculi convictores* vocantur, Tib. Ner. c. 56. & nomen amicorum iis fuiſſe negatum, i. e. dicitur, quinetiam *Græcos* vel *Grajos* ... fuiſſe nuncupatos. Sed & illuſtrioribus comitum opponuntur, dicto Suet. in *Jul. Cæſ. c.* Fuiſſe autem morem Procerum Romanorum, ut ituri in provincias magnum ſecum comitum numerum Româ abducerent, eumque à Scipione in Hiſpaniam eunte, inſtitutum, ex Appiano diſcas. Vide Caſaub. *ad Suet.* ubi ſupra: uti de *Græco & Græca, Gallo & Galla, in Foro Boario ſub terra, in locum ſaxo conſeptum, jam ante hoſtiis humanis, minime Romano ſacro imbutum*, apud Romanos, rebus creperis, *vivis demiſſis* ſolitis, Liv. *l. 25. c. 40.* De *Græcarum* verò *Artium opera miranda intuo, à Syracuſis per Marcellum captis facto*, eundem *loco*. Alia notio vocis Ἕλλην, infrà in voce *Pagani*.

GRÆCI Impoſtores, Γραικοὶ ἐπιθέται, per convitium ab Ethnicis Chriſtiani olim dicti ſunt, uti teſtatur Tertullian. & quidem Philoſophi eorum, ſeu Viri aſcetici, qui pari cum Philoſophis Græcis amictu; qui τρίβων, ſeu τριβώνιον erat male quoque propter illos audiebant, quod plerique ex eorum numero Philoſophos habitu ementirentur & fingerent, cum de cætero pura puta mendicabula eſſent & impoſtores meri, Quintilian. *l. 1. c. 1.* Sed nec pallio tantùm, verùm & ſordibus ac ſquallore inſignes erant tam Philoſophi, quam Aſcetæ Chriſtiani: Unde illud Hier. *Si tunica non candverit, ſtatim illud è trivio*, Impoſtor *&* Græcus *eſt*: quod de Philoſophis & præcipuè Græcis accipi debet, qui non ſolùm ſordidiſſimi, ſed etiam ut plurimum impoſtores, vide Lucian. de Protheo Philoſ. & Philoſtrat. de quodam, qui Philoſophi habitum ejuraverat. Cujuſmodi quoque ſordes affectarunt olim Monachi: nam, quam ſemel induiſſent tunicam, nunquam exuebant, priuſquam penitus tota uſu detrita & ſciſſa eſſet, ac de altera habitanda cogitandum foret, &c. Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio.* Vide quoque Hier. præfat. *Ep. 10. ad Furiam & Ep. 23. ad Marcellam.* Contrà Chriſtiani Ethnicos *Græcos* appellabant, idolorum cultum illis exprobraturi. *Gloſſ.* Gr. Lat. Ἑλλην τῶν ἐθνικῶν, *Paganus*.

GRÆCIA, Europæ regio, olim omni diſciplinarum genere excultiſſima; ſemper tamen levitatis, vanitatiſque nomine male audiens, de quo poſtea) Cic. *pro Flacco*, *Hæc cuncta Græcia, quæ fama, quæ gloria, quæ doctrina, quæ plurimis artibus, quæ etiam imperii & bellicâ laude floruit, parvum quendam locum Europæ tenet, ſemperque tenuit, Aſiæ maritimam oram bello ſuperatam cinxit urbibus.* Hæc à Ptol. *Achaja* nominatur. Principium ſumit ad Mer. ab Iſthmi Corinthiaci anguſtiis, indeque ad Sept. in Theſſaliam uſque, & partem Ægæi maris extenditur. Ad Occaſ. Acheloo fluv. ab Epiro dirimitur. Ab ortu Solis habet mare Ægæum, quâ parte Sunium eo abluitur. Scinditur in multas regiones, quas olim optimè deſcripſit Pauſ. Vide Ubbonis Emmii *Græciæ veteris deſcriptionem*. Utinam vero doctiſſimi Palmerii *Græciam antiquam* videremus. Faxit Deus miſericors, & omnipotens, ut opus illúd expectatiſſimum ac utiliſſimum in lucem dare & publicare poſſit vir doctiſſimus, & in auctoribus antiquis emendandis plane divinus, Nic. LLoyd. Dicta primò *Hellas*, ab Hellene, Deucalionis ac Pyrrhæ fil. dein *Græcia* accepit nomen à Rege *Græco* dicto, Cecropis ſucceſſore, qui Atticæ tantum imperavit; Verum hæc ipſa vox non ſemper eodem ſignificatu ſumpta eſt. Primo enim Theſſaliam ſolum, & Helladem, ſeu Græciam propriam comprehendit: dein Epirus, Macedonia, & quidquid ibi inſularum eſt, *Græciæ* vocabulo contineri cœpit. Ulterius *magnæ Græciæ* nomen, de qua infra, Siciliæ & parti inf. Italiæ datum eſt, imo & in propinquæ Aſiæ continentem ſe extendit, quæ Græcia Aſiatica, ſub qua Myſia, Phrygia, Æolia Ionia, Doris, Lydia & Caria, dicta eſt: Sic Græcia ab Or. mare Ægæum, à Mer. Creticum, ab Occ. Ionium, à Sept. montes Marianos limites habuit. Baudr. *Græcia*, cum late ſumitur, continet *Græciam veram* & regnum Macedonicum, ubi Macedonia, Theſſalia, & Epirus; ſed ſtricte ſumpta, continet tantum *Græciam veram* ſeu *propriam*, ubi Achaja, ſeu Hellas, Peloponneſus, & inſulæ. Provinciæ Achajæ fuere Ætolia, Attica, Bœotia, Phocis, Doris, Locri, & Megaris. Provinciæ Peloponneſi fuêre Achaja propria, Arcadia, Argia, Corinthia, Elis, Laconia, Meſſenia, & Sicyonia. Inſulæ Græciæ ſunt Cephalenia, Corcyrus, Creta, Cyclades, Cythera, Delos, Eubœa, Zacynthus, & aliæ minores: & hæc de Græcia antiqua, in qua Reſpublicæ duæ erant florentiſſimæ Athenienſis, & Spartana: Hæc poſtquam diu pro libertate res magnas geſſiſſet, tandem fato & Romanis ceſſit: poſtea, ſede Imperii Conſtantinopolim tranſlatâ, *Græci* ſeu Ori-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Orientalis Imperii, imprimis à quo Occidens Carolo Mag. ſubeſſe cœpit, fuit Theatrum. Notæ familiæ Angelorum, Comnenorum, Palæologorum, quæ Imperium hoc diu tenuêrunt, & in quarum ultima ad interitum pervenit. Horum complures nomen *Porphyrogeneti* geſſérunt, à *Porphyra*, loco, in quem concedebant Auguſtæ parituræ, quaſi dicas in purpura genitos: nomen item *Novi Conſtantini* (prout apud vett. Reges Gothicos in Hiſpania nomen *Flavii* frequens erat) quo etiam in Annalibus Turcicis promiſcuè appellantur. Vide Leunclav. *Pand. Turc.* Tenuêrunt & Latini aliquando hoc imperium, ſub Balduino Flandriæ Com. eo promoto armis ſociorum Venetorum, qui eodem tempore Archipelagi Inſulas ſibi ſubjecêrunt. Ultimus Impp. Conſtantinus fuit Palæologus Dragoſes XV. hujus nominis, vita & imperio exutus A. C. 1453. à Mahumete II. Turc. Imp. à quo tempore Græciæ veteris magna pars Lunam adorat. Græcia hæc recens à poſſeſſoribus Turcis *Romeli* dicitur; eſtque valde extenſa, Continet enim Thraciam, vulgo *Romanie*, Macedoniam etiam ſic dictam, Livadiam, *la Livadie*, quæ eſt Achaja antiquorum, & Moream ſeu Peloponneſum, cum inſulis ſupradictis.

Græcorum metropoles in Europa, antiquioribus & majoribus aſteriſmo prænotatis.

* Achrida, *Ochrida*, Macedoniæ.
Ægina, Atticæ inſ. *Engia*.
Ænos, *Eno*, Thraciæ.
Anchialus, *Anchialo*, Thraciæ.
Apros, *Aprio*, Thraciæ.
Arcadiopolis, quæ & Bergulæ, Thraciæ, *Bergas*.
* Athenæ, *Setines*, Atticæ.
Athyra, Thraciæ.
Barna, Tiberiopoli juncta. Vide *Varna*.
Bergulæ, *Bergas*, Thraciæ.
Berrœa, *Veria*, Macedoniæ.
Bizya, *Vice*, Thraciæ.
Bryſis, Thraciæ.
Bydena, *Vidin*, Mœſiæ ſup.
Byzantium. Vide *Conſtantinopolis*.
Cherſona quid ſit, non conſtat.
Chriſtianopolis, olim Megalopolis, Peloponneſi, *Leontari*.
Chriſtopolis, olim Neapolis, Macedoniæ, *Chriſtopoli*.
* Conſtantinopolis, *Stamboul*, Thraciæ.
Corcyra, *Corfou*, in ora Epiri.
* Corinthus, *Coranto*, in Peloponneſo.
Cypſella, *Capſilar*, Thraciæ.
Demetrias, *Dimitriada*, Theſſaliæ.
Dercos, Thraciæ, *Delcon*.
Didymothichos, *Dimotuc*, Thraciæ.
Druſipara, *Miſini*, Thraciæ.
Dryſtra, olim Tiriſta, *Driſta*.
* Dyrrachium, *Durazzo*, Macedoniæ.
Euripus, & Chalcis, *Negropont*, Eubœæ.
Garella, & Gotthia, in Sarmatia, quid ſit non conſtat.
Hadrianopolis, *Andrinople*, Thraciæ.
* Heraclea, ſeu Perinthus, *Heraclea*, Thraciæ.
Johannina, olim Caſſiope, *Johannina*, Epiri.
Juſtiniana, eadem quæ Achrida.
Lacedæmon, *Muſithra*, Peloponneſi.
* Lariſſa, *Larizza*, Theſſaliæ.
Lemnos, *Stalimini*, inſulæ cogn.
Leucas, *Santa Maura*, Epiri.
Macræ, olim Panormus, Macedoniæ, *Macri*.
Madita, *Maiton*, Thraciæ.
Maina, olim Tænarum, Laconicæ, *Maino*.
Maronea, *Marogna*, Thraciæ.
Megalopolis, ſeu poſtea Chriſtianopolis, in Peloponneſo, *Leontari*.
Meſembria, *Meſember*, Thraciæ.
Monembaſia, olim Epidaurus, *Malvaſia*, Peloponneſi.
* Naupactum, *Lepante*, Ætoliæ.
Nauplia, *Napoli de Romanie*, Peloponneſi.
Nice, priùs Nicea, Macedoniæ, *Nice*.
Pagaſæ, *Volo*, Theſſaliæ.
Paronaxia, ex Paro & Naxo inſulis, *Naxia*, maris Ægæi.
* Patræ, *Patras*, Peloponneſi.
Pharſala, *Farſa*, Theſſaliæ.
* Philippi, *Filippo*, Macedoniæ.
* Philippopolis, *Filippopoli*, Thraciæ.
Phalla, & Bulla, cum Sugdæa, in Myſia.
Rhoſia, poſtea Leopolis, Rutheniæ, *Luvow*.
Ruſium, olim Topiris, *Ruſio*, Thraciæ.
Sardica, *Sophie*, Thraciæ propriæ.
Selymbria, *Seliurea*, Thraciæ.
Serræ, olim Apollonia, *Serre*, Macedoniæ.
* Sophia, *Sophie*. Vide *Sardica*.
Scupia, *Scopia*, Mœſiæ ſup.
Thebæ geminæ, una Bœotiæ, *Stives*, altera Theſſaliæ, *Zitoa*.
Theodoſia, olim Tazus, *S. Theodoſio*, metropolis Tauricæ, *Caffa*.
* Theſſalonica, *Salonichi*, Macedoniæ.
* Trajanopolis, *Trajanopoli*, Thraciæ.
Varna, olim Dionyſiopolis, Myſiæ, *Varne*.
Xanthia, Thraciæ, antè ſub Trajanopoli.
Zichnæ, Macedoniæ, antè ſub Serris, *Zichne*.

Pop. *Græci*, qui apud vett. *Achæi*, *Achivi*, *Danai*, *Dolopes*, *Dores*, *Dryopes*, *Hellenes*, *Jones*, *Myrmidones* & *Pelaſgi*, rei militaris & ingenii gloriâ fuêre inclyti. Ab illis artes inventæ, ſcientiæ auctæ, leges primitus latæ ſunt. Literatorum tantus apud eos numerus, ut unius prælii deſcriptioni trecenti Auctores vacaverint. Cecrops, Draco, & Solon Athenienſibus: Lycurgus Lacedæmoniis: Mantinenſibus Nicodorus: Zaleucus Locrenſibus, Cretenſibus Minos, at quanti Viri, Leges dedêre. Ipſi hinc Romani, mīſſis Spurio Poſthumo, Aulo Manlio & Publio Sulpicio, leges petiêre. Armorum gloria non minor. Interim peſſimè apud veteres audiêrunt, ob ſuperſtitionem, cui ſupra modum erant dediti; inventores ipſi penè omnis fabuloſæ Gentilium Theologiæ: vini amorem, imprimis verò perfidiam. Euripid. *in Iphigenia Taurica*: Πιστὸν Ἑλλὰς οἶδεν οὐδέν, *Nihil fidi novit Græcia*. Græcorum quoque vanitatem variis modis exagitat. Juv. Sat. 14. *l.* 5. *v.* 240. Idem *Sat.* 10. *l.* 4. *v.* 174.

----- *Quicquid* Græcia mandax
Audet in hiſtoria. ———

Val. Flacc. Argon. *l.* 8. *v.* 275.

----- *Te* Græcia fallax
Perſequor. ———

Cic. *ad Quint. Fratr. Ep.* 1. *Græci fallaces, & leves, & diuturnâ ſervitute ad nimiam aſſentationem eruditi.* Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 106.

Ignari ſcelerum tantorum, artisque Pelaſgæ.

Et infrà *v.* 152.

----- *Ille dolis inſtructus &* arte Pelaſga.

Græcæ lubricitatis ſuggillatio etiam in illis eſt, apud Plaut. *Aſin. Act.* 1. *Sc.* 3. *v.* 47.

Cætera quæque volumus uti, Græcâ *mercamur* fide.

h. e. præſenti pecunia opus eſt, nemo fidem noſtram ſequitur nec magis quàm ſi Græci eſſemus. Apud Auſon. tamen *Græca fides* in adagio eſt pro certa & indubia, cùm ait *Ep.* 10. *v.* 4.

Non Pœnâ ſed Græcâ fide.

Nic. Lloyd. Vide ulteriùs Strab. P. Melam, Ptol. Plin. Ortel. Bertium, Thucydid. Xenoph. Pauſ. Diod. Sic. Juſtin. Theoph. Gregoram, Sabellic. Phranzium, omnesque illos, quorum ſatis prolixam ſeriem Becmann. exhibet *in Hiſt. Orbis Terr. Civ. c.* 10. De lingua eorum, infrà in *Græcus*, de re Eccleſiaſtica in voce *Conſtantinopolis*, &c. Addo, quòd Græcos aperto capitè ſacrificaſſe, docet ex Varrone Gyrald. *Syntagm.* 17. *Hiſt. Deor.* Etiam paſſim nudis incedebant capitibus, aliquando tamen, ex iiſdem cauſis, ex quibus Romani aliæque gentes, pileos aſſumebant. Unde Ulyſſem pileatum plerunque exhibent, & Hippocratis icon ſimili modo tecta viſitur. Caſtores item ſoliti pingi cum pileis, quia Lacones fuerant, quibus pileatis pugnare mos fuit, ut Feſtus ſcribit. Hinc Catull. *Carm.* 37. *v.* 2. ad Contubernales.

A pileatis nona fratribus pila.

Nec incelebres ſunt cauſiæ Macedonicæ, galeri Theſſalici, Athenienſium crobyli &c. de quibus vide Anſelm. Soler. *de Pileo ſ.* 8. Corpus pallio involutum habebant, quemadmodum Romani togati fuêre, vide Octav. Ferrar. *de Re Veſt. part.* 2. *l.* 4. In pedibus crepidas gerebant, ſine quibus pallium nunquam ſumebatur: quemadmodum contra calcei Togæ proprii fuêre: antequam tamen illas induerent, pedes plerunque inungebant, quem morem Romanos imitatos fuiſſe, innuit Lucret. de Rer. natura: cùm ait *l.* 4. *v.* 1118. hæc duo conjungens.

Unguenta & pulchra in pedibus Sicyonia rident &c.

Vide Balduin. *de Calceo*. De inaurium in Græcia uſu, vide ſi placet Iſid. *Orig. l.* 19. *c.* 31. & Apulejum *de Dogmat. Plat. l.* 1. ubi nobilitatis id inſigne Athenis fuiſſe docet, cujus rei originem luculenter tradit Dio *Orat.* 32. & Caſp. Bartholin. *de Inauribus Veterum*. De Philoſophica: hac Philoſophia illorum triplici, Heroica, Mythica & Philoſophica, Cyrenaicamque in plurimas ſciſſa ſectas, Academicam, Cynicam, Cyrenaicam, Eleaticam, Electivam ſeu Potamonicam, Eliacam ac Eretriacam, Epicuream, Jonicam, Italicam, Megaricam, Peripateticam, Platonicam, Pyrrhoniam ſive Scepticam & Stoicam, vide Georg. Horn. *Hiſt. Philoſoph. paſſim*, & Gerh. Joh. Voſ. *de Philoſoph. Sectis*: uti de ſepultura, item de ſtructura, illorum, Salmaſ. ad Solin. *p.* 378. & *ſeqq.* De hodiernorum verò Græcorum jejuniis, dicemus infrà in voce *Megali*: uti de ſententia, circa S. Spiritus proceſſionem in voce *Proceſſio*.

GRÆCIA Magna, reg. Italiæ ad oram ſinûs Scylacei ac Tarentini, inter Brutios ad Mer. & Salentinos ad Bor. in longum extenſa: cujus pars nunc in Calabria ulteriore, pars verò major in citeriore continetur. Ejus mem. Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 64.

Itala nam tellus Græcia *major erat.*

Subciſivam Græciam vocat Apulejus *in Apologia*. Cæterùm Magnæ ſive Majoris Græciæ nomine quid intellexerint vett. non convenit inter authores. Strab. ait Italiæ partem, de qua tractat *l.* 6. *p.* [illegible] & Siciliam eo nomine comprehendi. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Italiæ tantùm partem eamque multeſimam: Ita enim ſcribit. Italiam dilaudans: *Ipſi de ea judicavêre Græci, genus in gloriam ſuam effuſiſſimum, quotam partem ex ea appellando Magnam Græciam.* Italia, inquit, Serv. *μεγάλη Ἑλλὰς eſt appellata, quia à Tarento uſque ad Cumas omnes civitates Græci condidêrunt.* Senec. *de Conſolatione ad Alb. Totum Italiæ latus, quod infero mari* [illegible]

mari alluitur, major Græcia fuit. Athen. *l.* 12. *p.* 523. Οὐκ ὀλίγον δ' ἐπὶ τὴν τρυφὴν, καὶ τὴν εὐδαιμονίαν τῆς σύμπαντος τούτου κλίματος καὶ τὸ πλῆθος ἐγένετο τῶν ἀνθρώπων, διὸ καὶ μεγάλη Ἑλλὰς ἐκλήθη πᾶσα σχεδὸν ἡ κατὰ τὴν Ἰταλίαν κατοίκησις. De Ptolemæo non eſt obſcurum, quid ille Magnæ Græciæ nomine complectatur. Vide & Ferr. Baudr. fuit pars Italiæ meridionalis, ſub qua Lucania, Meſſapia, & Brutii comprehendebantur, ubi nunc ſunt Calabria citerior & ulterior, Baſilicata, pars auſtralis Principatus citerioris, terra Bariana, & terra Hydruntina, provinciæ regni Neapolitani, à mari Tyrrheno uſque ad Hadriaticum.

GRÆCINA, vide *Pomponia.*

GRÆCINUS, altero nomine *Julius*, Senatorii ordinis, ſtudio eloquentiæ ſapientiæque clarus. A Cajo Caligula M. Silanum accuſare juſſus, & quia abnuerat, interfectus eſt. Vide Senec. *l.* 2. *de Benef.* Scripſit de Re Ruſtica aut certè de Vineis, ut patet ex Columella *l.* 1. *c.* 1.

GRÆCIUM, ſeu GRACIUM, urbs probè munita, Stiriæ caput, ad Murum fluv. cum caſtro planè regio, ubi aliàs Archiducum ſedes, de quorum familia vide in voce *Stiria.* 13. mill. Germ. à Vienna in Auſtr. 5. à Dravo fluv.

GRÆCO-STADIUM, poſt incendium reſtitutum, inter opera Antonini Pii, Romæ extantia, memoratur Capitolino in *Vita* hujus: *Græcoſtatis* aliis, *Caſaub.*

GRÆCOSTASIS, quaſi *Græcorum ſtatio*, locus Romæ ante Curiam Hoſtiliam, & roſtrâ ſubſtructus, ubi nationum ſubſiſterent legati, qui ad Senatum eſſent miſſi.

GRÆCULUS, per convitium dictus nonnullis Hadr. Imp. quòd impenſiùs Græcis ſtudiis imbutus, ingenio ſuo ad ea ſic declinaret, ut non tantùm Declamationes ſermone Græco ſcriptas, ſed & Reſcripta & ad neceſſarios ac familiares Epiſtolas, reliquerit, ut ex Photio & Doſithei reliquiis diſcimus. Vide Æl. Spartian. in *Vita* ejus.

GRÆCUM Vinum, cujus mentio in *Ordine* Rom. *Deinde* (finitâ liturgiâ Pontificis) *deſcendunt Primates Eccleſiæ, ad Accubita invitante Notario Vicedomini, & bibunt ter, de Græco primùm, de Paſſo ſecundo de Procovia tertiò*: hodieque *Græco* Italis, in ea Italiæ parte naſcitur, quam Græci olim incoluêre. Senator *l.* 12. *Ep.* 4. *Nam licèt ingenioſa Græcia multifariâ ſe diligentiæ ſubtilitate commendet & vina ſua aut odoribus condiat, aut marinis permixtionibus inſaporet* &c. Virg. Georg. *l.* 2. *v.* 97. *Amineum* dicitur. Aliud eſt vinum *Græcanicum*, ſeu Aſiaticum, quod Βιθυνὸν dicitur, in *Gloſſ.* S. Benedicti *c. de Potionibus*, apud C. du Freſne *in Gloſſ.*

GRÆCUS, nomen viri, unde *Græcia* dicta, & pop. *Græci.* Græcè Γραικοὶ, Ariſtot. *l.* 1. *Meteor.* Οἱ καλούμενοι τότε Γραικοὶ, νῦν δ' Ἕλληνες. An à *Græco* quodam, Rege priſco? Porrò Γραικῶν appellationem, etſi vulgus Græcorum reſpuit, poëtæ tamen non ſunt aſpernati. Lycophr.

> Γραικῶν ἄριστος ὃ πάλαι τοὺς δὶς τάφους.

Vide Steph. Quis verò non miretur, Heſych. parùm iſta fuiſſe cognita? Is enim putat à Romanis Græcos eſſe appellatos, qui Ῥαικοὶ appellarentur ſine Γ. Eorum lingua, jam uſque ab originibus ſuis, in finitima regna Epiri ac Macedoniæ fuit diffuſa. Mox in inſulas propinqui maris Mediteranei, Cyclades, Eubœam, Carpathum, Rhodum, Cyprum: & ab Or. in Cretam, Corcyram, Zacynthum, Siciliam. Inde in Continentem egreſſa, litora maris Ionii ac Tyrrheni occupavit, novam, at Magnam Græciam molita, in Gallia quoque Maſſiliam condere auſa; ab Auſtro Ægyptum & Cyrenaicam peragravit, uſque ad Syrtim maj. Nec terris tantùm, ſed ipſis terrarum linguis inferri geſtiit, pauperiem eorum copiâ ſuâ ſublevatura. Ideo de Latio jam Varro prodidit, ipſum Græca fingere, cui & literas à Græcis allatas eſſe Plin. auctor eſt. Vett. quoque Galli omnia ſua negotia Græco charactere conſignaſſe leguntur, apud Strab. *l.* 4. *p.* 181. Imo ipſos Græcè locutos probant Joach. Perionius & Joh Ricardus. Cambricæ linguæ cum Græca affinitatem, docet Sylv. Giraldus, ipſe Camber & rer. Britann. ſcriptor. Quid ipſa Hebræorum lingua è Græca in uſum ſuum tranſtulerit, vide apud Caſaub. *in Athen. l.* 4. *c.* 24. Cauſæ tantæ amplitudinis, Græcorum commercia & coloniæ, quarum 60. ſola Miletus emiſit, 30. ſola Sicilia accepit. Acceſſit Alexandri & ſucceſſorum ſtudium, quorum intereat non minus jura, quàm linguam ſuam ſubjectis gentibus dare: unde illa Alexandriæ, Antiochiæ, Ptolemaidis decantatiſſima venêre nomina, & ſolum Seleucum in diœceſi, ſua 60. admodum urbes Græcas condidiſſe teſtatur Appian. Recentior dein ætas novum ei incrementum attulit: Poſtquam enim Rom. Imperium ſui quaſi pertæſum Conſtantinopolim migravit, mandata Orienti & Illyrico, i. e. Syriæ, Palæſtinæ, Ægypto, Aſiæ, Ponto, Macedoniæ & Daciæ, è Græcia dari cœpêrunt. Interim unâ cum Imperio gentis ſuæ defecit ſenſim, tandemque in eas redacta eſt anguſtias, ut hodie vix in quatuordecim Moreæ locis, inter Naupliam & Epidaurum, ſuperſit, quorum incolæ *Zaconum* (pro Laconum) nomine noti, Græcè adhuc loquuntur, licèt haud juxta Grammaticos canones. Idem de alio, prope Heracleam, in Anatolia, teſtatur Bellonius. Loco autem ceſſit alibi, ex ſe natæ quidem, ſed degeneri propagini, hodiernæ Græcæ linguæ, quæ ipſa rurſus in varios ramos abiit, *Vulgarem* Græcam, τὴν κοινὴν vulgò dictam, *Dialectum Athenienſium*, quæ hodie omnium maximè barbara eſt, *Peloponneſiorum*, quæ puriſſima judicatur, *Zopeliſmum*, &c. de quibus omnibus, vide Cruſium *in Turco-Græcia*, de priſca verò iſta amplitudine linguæ Edward. Breerwoodum, *in Scrutinio Lingg.* &c.

GRÆCUS, & Græca, vide *Gallus* & *Galla.*

GRÆIS, Æolienſium pop. qui in Pario habitant. *Steph.*

GRÆI, pop. Macedoniæ, in Myſiæ confin. apud Strymonis fontes.

GRÆUM, urbs parva, ſed culta Burgundiæ Comit. ad Ararim, in tumulo, aliàs munitiſſima & caſtro firmata. Sed A. C. 1668. à Gallis munitionibus caſtroque nudata. 6. leuc. à Dola in Bor. 9. à Divione in Ort. Vide *Graiacum*

GRAFIO, ſeu GRAVIO, vel GRAVIUS, à Germ. GRAVE, Angl. GREVE & REVE, propriè Judex eſt fiſcalis; per tranſlationem Comes, Comitiſque Vicarius, i. e. Vicecomes, item Judex ſimpliciter, Præſes, Præpoſitus. Apud auctores medii ſeculi *Exactor* ſæpiſſimè nuncupatur. A Comite accuratè loquendo ſic diſtinguitur, ut Comes ſit, qui gladio Comitatus cingitur: *Grafio*, qui ejuſmodi Comiti eſt à vice, & a juribus Comitatus exigendis: hodie tamen ambo vocabula pro uno eodemque ſumuntur. De variis *Grafionum*, apud Anglos inprimis, ſpeciebus, quales ſunt:

Burgravius,	Mergravius,
Centgravius,	Palantgravius,
Dingravius,	Portgreve,
Gogravius,	Rhengravius,
Hundredgreve,	Seareve,
Landegravius,	Shiregreve,
Ledgrevius,	Thingrevius,
Margravius,	Trithingrevius.

Tungrevius.

Vide Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.* Sed ex omnibus penè Scriptoribus, qui *Grafionum* meminêre, id nomen eos pro *Comitibus* uſurpaſſe conſtat. Nempe eâ tempeſtate Comites, licèt officio Judicis functi, vectigalia inſuper publica exegêre; quod fecêre etiam Ballivi qui iis poſtmodum in provinciis ſucceſsêre: unde & *Judices fiſcales* dicti ſunt, quòd & Judices eſſent & vectigalium exactores. Vocis etymon quod attinet, Lipſ. Wendelin. Jac. Eyndius *Chron. Zeland. l.* 2. Alii, à verbo γράφειν, *Grafiones* dictos volunt: Cùm enim, inquit Eyndius, Præſides provinciarum commiſſas ſibi ditiones per Juriſperitos Scribas & per Quæſtores, alioſque è comitatu regerent, literarumque legendarum & ſcribendarum, multo magis juris dicundi, in tanta tum barbarie, ſumma ignorantia eſſet; omnes, qui literas tractabant, in hoc munere, *Graphios*, tanq. *Graphiarios*, ἀπὸ τοῦ γράφειν dixêrunt. Beſoldus à Gr. γραῦς deducit, ita & *Graven* appellati ſint, tanquam *Seniores*: qua poſtrema appellatione donatos conſtat Viros Optimates ac Urbium provinciarumque præcipuos. Heigius à Belg. *Graben*, i. e. *foſſa*; quaſi limitibus præfecti Comites fuerint. Alii à Saxon. *Grave*, i. e. *Judex* Scriekius in *Orig. Celtic. Graeff* dictum vult, quaſi *Gaer-haeff*, h. e. tributorum exactorem, *Gravatorem* & *Gravaringum*, de quibus infrà. Nec abludit multùm Lambardi, Raſtalli & Spelmanni conjectura, qui à Saxon. *gerepen*, per ſync. *grepen*, h. e. *rapere*, originem ejus arceſſunt, hoc enim Exactorum proprium &c. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.* & infrà *Graphiones.*

GRAGUS, mons, vide *Cragus.*

GRAJACUM, vide *Græcium*, cum quo idem eſt.

GRAJÆ Alpes, vide *Græc.* Et *Grajus mons* ibid. *S. Bernhardi* dictus, ab opulento cœnobio, in quo peregrini excipiuntur.

Le GRAIN Joh. Baptiſta, vide *ibi.*

GRAIS, fil. Echelati, Oreſtis pronepos, inter Æolicæ migrationis auctores, uſque ad Granicum fluv. progreſſus eſt, Strab. *l.* 13. *p.* 581. & 582. ac regionem inter Joniam & Myſos, quæ *Æolis* vocatur, occupavit: Lacedæmoniis illi coloniam ducenti, regnante Agide, cum claſſe auxiliantibus, Pauſ. *l.* 3. Quo pacto profectio hæc Æolica ab Oreſte primùm, ſed irrito conatu cœpta, à pronepote ejus demum perfecta eſt. Vide ſuprà, ubi de *Æolibus.*

GRAJUGENÆ, Græci ſic dicti ſunt. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 550.

> Grajugenumque *domos ſuſpectaque linquimus arva.*

Lucret. de rer. nat. *l.* 1. *v.* 477.

GRAJUS, adjectivum, idem quod *Græcus.* Apud eundem ibid. *v.* 639. & 828.

GRAJUS homo ponitur pro Epicuro Græco. Ovid. *Met. l.* 13. *v.* 241.

> *Eſt aliquid de tot* Grajorum *millibus unum*
> *A' Diomede legi.* —— ——

Idem ibid. *v.* 66.

GRAJUS Johannes, vide *Johannes.*

GRALLATOR, apud Plaut. *Amphit. Sc. Dii. veſtram fidem v.* 5?. It. Pœnul. *Sc.* 3. *Act.* 1. *v.* 27.

> *Vinceretis cervum curſu* vel Grallatorem *gradu*:

pro quo in antiquiſſimis omnibus libris ſic reperitur,

> *vel* clavatorem *gradu.*

Nempe antiqui alicujus Grammatici interpretamentum irrepſit, pro vero verbo Plautino: nam qui *grallatorem* clavatorem eſſe erat interpretatus, anſam narrationi huic dedit. *Clava* ex Græco κλαπα *ſolea* eſt vel *gallica*, ligneum ſc. ſandalium, quod in balneis geſtabant: Unde *gralla* κλάπαι, quæ notiore vocabulo *colabathra* dicuntur, ab Auctoribus Græcis Latiniſque. Hinc *colobathrarii* dicti Nonio *Grallatores*: κωλόβαθρα autem & κῶλα ξύλινα vocabant Græci, quibus innitebantur, quos γύπωνες appellabant, Pollux *l.* 4. *c.* 14. &c. Vide ſupra in *Clava*, ubi de *colobathrariis*, & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 413. ubi de *Grallatoribus Pantomimis*, ſeu τὰ Πανικὰ φορῆτιν, à *grallis* ſeu cruribus ligneis, quas ſumebant, ad effingenda Panum crura, ſic dictis, varia: infrà quoque aliquid in voce *Panica.*

GRAMALLA, laicæ veſtis genus,. quo in Hiſpania Barcinonenſes & Gaſtellani utuntur: maximè Urbium Ædiles, C. du Freſne *Gloſſ.* Carolo Macro veſtis longa & lugubris eſt, ex laneo panno villoſo, Italicè *Bajetta*, ſive *Saja à riverſo* appellata, & adhuc in Sicilia ac Melita in uſu, ubi hodieque *Grammaglia* dicatur, quaſi *Grandis Malla*, h. e. villoſa, ἀμφίμαλλος, in *Hierol.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

GRAMEN, inter herbas vulgatiſſimum. Plin. *l.* 24. *c.* 19. *Geniculatis ſerpit internodiis crebroque ab his & ex cacumine novas radices ſpargit. Folia ejus in reliquo orbe in exilitatem faſtigiantur. In Parnaſſo tantum ederacea ſpecie denſius, quam uſquam, fruticant, flore odorato candidoque. Jumentis herba non alia gratior ſive viridis, ſive in fœno ſiccata* &c. Ex eo corona conſtabat Obſidionalis. Liv. *l.* 7. *c.* 37. *Secundum Conſulis donationem, Legiones gramineam coronam obſidionalem, clamore donum approbantes, Decio imponunt.* Qua nulla nobilior alia. Plin. *l.* 22. *c.* 3. *Gemmatæ, & aureæ & vallares, murales, roſtratæ, civicæ, triumphales, poſt hanc fuêre; ſuntque cunctæ magno intervallo, magnaque differentiâ.* Nempe coronamentum id ipſius Martis fuit, uti victoris, cui *gramen* porrigere, priſcus mos. Hinc P. Decius religione confeſſus eſt, quanta eſſet illius coronæ auctoritas. Siquidem ea donatus Plin. *l.* 22. *c.* 5. *Bovem album Marti immolavit & centum fulvos, qui ei virtutis causâ dati fuerant ſimul ab obſeſſis, ibid.* Sumpta eſt autem ea ex *gramine viridi*, & quidem *decerpto inde, ubi obſeſſos ſervaſſet aliquis*, Idem *c.* 4. Unde idem *l.* 22. *c.* 6. *Nullæ ergo herbæ fuêre certæ in hoc honore! ſed quæcunque fuerant in periculi ſede, quamvis ignobiles, ignotæque honorem nobilem faciebant* &c. Vide C. Paſchal. *Coron. l.* 7. *c.* 17. & infra, ubi de *Obſidionali Corona.*

GRAMMATEUS, Græcè Γραμματεὺς, nomen officii, in Ægyptiacis Sacris, de quo ſic Apulejus *l.* 11. *Tunc ex iſtis unus, quem cuncti* Grammatea *dicebant, pro foribus aſſiſtens, cœtu Paſtophororum, quod ſacroſancti collegii nomen eſt, velut in concionem vocato, indidem de ſublimi ſuggeſtu, de libro, de literis, fauſta vota præfatus.* Erant nempe hi Γραμματεῖς, veluti Curiones ſacrorum, quos Græci Ἱεροκήρυκας, Ἱερογραμματεῖς, & Ἱερομνήμονας, Latini priſci *Præcias*, dixêre. Adeoque ſacrificia in commentarios regerebant quæ item à quocunque facta eſſent & ordinem ritumque faciendorum monebant ex jam factis; inſuper ſilentium in ſacris indicebant & favere linguis jubebant; ſed de ſuggeſtu ac libro hi Ægyptii, cum Præcones, apud Græcos de plano, & memoriter, id facerent. Harpocration Ἱερομνήμονες, & Heſych. Ἱερογραμματεῖς, etiam ex ſingulis urbibus ad Amphictyonum conſeſſum mitti ſolitos memorat, quos *Scribas* & *Sacrorum Commentarienſes* exponit Salmaſ. *Proleg. ad Solin.* In Novo Teſt. qui Γραμματεῖς dicuntur, Suicero iidem ſunt cum Νομικοῖς ſeu Διδασκάλοις, vide eum *Theſ. Eccl.* in voce hac, & plura hanc in rem apud Feſſelium *Adverſ. ſacr. l.* 1. *c.* 1. Joh. Vorſt. *Philologiæ ſacr. c.* 3. nec non infrà, ubi de *Scribis*, ut & in voce *Hierogrammatei.*

GRAMMATICE, antiquiſſimis temporibus, ars erat legendi & ſcribendi: ita enim apud Diod. Sic. *l.* 12. in legibus Charondæ definitur: nec alia ejus Ariſtoteleo quoque ævo facies fuit. Poſtquam verò cœpta ſunt artis præcepta obſervari, origines indagari, proprietates vocum tradi auctores omnes à certo hominum genere explicari; *Grammaticæ* ſimul quoque nomen ad variam adeò cognitionem extendi cœpit. Imò quod mirandum magis, huic ſoli eſt *Grammaticæ* nomen attributum: ac legendi & ſcribendi ratio, veteri nomine ſpoliata, fere vocabatur *Grammatiſtica*, magiſque πρόδρομος, quàm pars artis eſſe putabatur. Sed neque utriuſque vocabula hac poſtea in ſignificatione perſtitêrunt: Poſtquam enim *Grammatiſtæ* in ludis ſuis variarum Artium elementa tradere Auctoreſque etiam pueris enarrare cœpêrunt: omnes illi *Grammatiſtæ* ac *Literatores* dicti ſunt, qui mediocriter eſſent eruditi, ac potiſſimum ſi iidem ludi eſſent Magiſtri. *Literiones* contemptim appellat Auguſtin. *l. c. adverſ. Legis. Grammatici* verò appellati ſunt, qui eſſent abſolutè docti, ac inprimis literarum Profeſſores. Sic Æl. Lamprid. *in Sev.* ſic Jul. Capitolin. *in Antonino Philoſ.* ſic alii olim diſtinxêre. Et quidem *Grammatiſtice* inventum Promethei fuit: circa *Grammaticam* vero primum Platonem quædam moviſſe deprehendimus, *in Philebo* & *Cratylo.* Verum rudia hæc fuêre Artis initia, magiſque ad Exegeticem & vocum origines, quàm ad Methodicem, ſeu Artis præcepta, pertinent. Juſtiùs igitur Ariſtoteles ejus auctor cenſetur, qui primus voces diſtinxit in certas claſſes, primus quoque generum doctrinam perſequutus eſt, aliaque nonnulla explicuit, ut inprimis ex lib. ejus de Poëtica dilucet. De methodo quoque egit Theodectes: & fortaſſis uterque horum aliquid Lampro & Ileo debuit; quemadmodum Ars poſt Ariſtotelem Epicuro, quem Γραμματοδιδάσκαλον fuiſſe, priuſquam ad Philoſophiam ſe applicaret, ex Hermippo teſtatum facit Diogenes Laërtius Philoſophi certè ſequentes, Stoici inprimis, Ariſtotelicis ac Theodectiis inventis plurima accudêrunt, ſicque in juſtum ſyſtema Ars excrevit tandem, operâ inprimis Alexandrinorum, qui non minus ob *Grammatices* peritiam ſe jactare ſolebant, quàm Thebani, quia tibiâ: Mitylenæi, quia citharâ optimè canerent, ut teſtis eſt Menander Rhetor *l.* 1. *de genere Demonſtr. c.* 16. Apud Romanos, in quorum urbem primus *Grammaticæ* ſtudium intulit Crates Mallotes, Attali legatus, quantus huic arti habitus ſit honos vel ex eo patet, quod ſummæ etiam dignitatis viri hoc ſtudium amplexi fuerint, ut patet ex Suet. *de Illuſtr. Gramm.* Quin & beneficio immunitatis gaudebant, ut indicat Arcadius Chariſius l. *ult.* D. *de mun. & hon.* Mirum verò Hebræos, quorum lingua antiquiſſima eſt, ſerò adeo multoque poſt ipſos Arabes de *Grammatica* Arte ſcribere cœpiſſe. Primus eorum fuit Rabbi Juda Davidis fil. cogn. *Chiug*, oriundus ex Fezza Africæ urbe, circa A. C. ∞ XL. Proximus ab illo Rabbi Jonas Cordubenſis tertius Aben-Eſra Hiſpanus, quartus R. David Kimchi: qui omnes vixêre inter Milleſimum à Chriſto Annum, annumque ſupra eum ducenteſimum. Ex recentioribus eminent R. Abraham de Balmis, & Elias Levita, de quibus vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 1. 2. 3. & 4. aliquid etiam infrà in vocibus *Philologia* & *Polymathia.* Hinc *Grammatici*, quos C. Nep. & Meſſala Corvin. *litteratos* & *litteratores* appellant. Quò videndum an reſpexerit idem Corn. cùm *in Vita Attici* ſcribit *c.* 13. *in ejuſdem familia fuiſſe pueros literatiſſimos*: Qualis Mœcenati C. Meliſſus fuiſſe legitur apud Suet. *de illuſtr. Gramm.* A' Protagoræ tempore, qui primus è Sophiſtis mercede docuit, teſte Philoſtrato, non defuêre *Grammaticis* & Rhetoribus ampliſſima præmia. M. Antonius Gripho, quòd de mercede non paciſcebatur, eò plura ex liberalitate diſcentium impetrabat. Remius Palæmon ex ſchola quadragena annua capiebat: Tantidem docendum conduxit Calvinum Elicum equitem Rom. L. Appulejus. Verrius Flaccus habitationem in palatio, & centena ſeſtertia in annum ab Aug. meruit: taceo ſervos literatores immanibus pretiis emptos, dein manumiſſos. Jul. Cæſar addidit honorem, omnes liberalium Artium Doctores civitate donando. Quemadmodum dein Veſpaſian. Rhetoribus primus ex fiſco annua centena conſtituit, ſic ab Trajano honor & dignatio tanta Sapientiæ Profeſſoribus ac dicendi Magiſtris, ut per eum ſpiritum & ſanguinem & patriam recepiſſe prædicent Plin. ac Juv. Hadrian. in ſumma familiaritate cum *Grammaticos* & Rhetores, tum Philoſophos habuit: quibus omnibus Antoninus Pius, per omnes provincias, & honores & ſalaria detulit, conſtituitque ut Metropoles gentium quinque tenerentur Rhetores, totidemque *Grammaticos*, reliquæ minores civitates ternos haberent. Salaria, quæ è fiſco iis decreta, mille drachmas ſtatuunt Lucian. *in Eunucho*, & Philoſtrat. in *Theodoto ac Chreſto:* h. e. Romanæ monetæ ſeſtertia quadraginta, aureos quadringentos; at noſtræ coronatos mille &c. Vide Joh. Frid. *Gronov. de Pec. vet. l.* 4. *c.* 11. Sed de *Grammatice*, nomen tragœdiæ, quam Callias Athenienſis compoſuit, ſicque nominavit, uti ex Athen. docet Scalig. *Poet. l.* 1. *c.* 8. *quod è literis & ſonum ducebat & argumentum. Nam Chorus nihil aliud, quam ſaltatio, fuit, ex nominibus & ſonis, & temporibus, & rhythmis elementorum.*

GRAMMATICUS, unus erat è tribus illis, quibus condiendi cadavera apud Ægyptios cura incumbebat. Primus enim *Grammaticus* poſito humi corpore, circa ilia deſcribebat, quantum à ſiniſtra parte incidendum eſſet. Tum Sciſſor, Æthiopica lapide latus aperiebat; ſubitoque aufugiebat, ob aſtantes, qui cum exercratione lapides in eum conjiciebant. Sequebantur corporis Curatores, Ταριχευταὶ ſeu *Salitores* & *Pollinctores* dicti, exiſtimatione digni: quorum unus ſciſſuram per corporis interiora, præter renes & cor, ducebat: alter vino phœniceo odoriferis immixtis lavabat; dein cadaver lotum unguentis ex cedro & aliis rebus pretioſis per dies 30. ungebant: myrrhâ porrò & cinamomo liniebant, ut ſervari & odoriferum reddi poſſet, vide Herod. *Euterpe, c.* 85, 86, 87, & 88. Diod. Sic. *l.* 2. *c.* 5. Matthiolum in *l.* 1. *Dioſcor. p.* 114. Suprà ubi de *Ægyptiaca* ταριχεύσει &c. In *Hiſt.* Concilii Florentini *ſ.* 5. *c.* 14. *p.* 132 memoratur Γραμματικὸς ὁ ἐπὶ τῆς ἱερᾶς καταστάσεως, & exponitur Cl. Suicero *ſacri Conſiſtorii*, *Conſiſtorio*, *Notarius publicus*, qui viz. ἐν τῷ Κατηχουμενείῳ, i. e. *Conſiſtorio*, ubi Patriarcha Senatum ſuum celebrabat, quidquid hic ſuis dictaret aut mandaret, deſcribere tenebatur, vide eum *Theſ. Eccl.* in voce Γραμματικός. ubi & Γραμματικὸν uti LXX. Interpp. reddunt vocem Hebr. כפר, Jeſ. *c.* 33. *v.* 18. *Notarium Caſtrenſem* ſeu *Militarem*, juxta optimos Interpretes, reddi, notat. De vulgatiore vocis ſignificatu ut aliquid addam, tria *Grammaticorum* genera conſtituit Scalig. eorum alii Τεχνικοὶ, elementa & primores literas docent; item partes oratorias, ſtructuram verborum & ſimilia; aliter *Literatores*, Græcis Γραμματισταὶ potiùs, quàm Γραμματικοί. Alii Ἱστορικοί, abſtruſas hiſtorias, hominum montium, regionum nominibus occupati, Deorumque aut μυθολογούμενα aut πολιτικῶς θεωλογούμενα explicant, ac priſcorum Heroum genealogias rimantur. Ultimi *Critici*, his nobiliores, tanquam Cenſores quidam, & vett. librorum Senatum legere poſſunt & non probos tribu movere: inſuper παρεγγεγραμμένα, ἐμβολιμαῖα, νοθευθέντα & ſimilia, ut eorum verbum habet, deculpare. Vide quoque infra in voce *Literati.*

GRAMMATISTES, vide ſuprà *Grammatice*, & infrà *Literator, primus informator.* item in voce *Literati.*

GRAMMIUM, Cretæ urbs, cives *Grammitæ*, & *Grammienſes*. Sunt & *Grammitæ* pop. juxta Celticam. *Steph.*

GRAMPIUS, Scotiæ mons ingens, illam in citeriorem & ulteriorem dividens, vulgò *Granzebain* dictus.

GRANA, quatuor modis à Vett. excuſſa ac extrita. Primò enim *virgis* & *flagellis*, ea ex folliculis excutiebant, Columella *l.* 2. *c.* 21. Quo modo non niſi debiliora ſemina Judæos excuſſiſſe, docet Hier. *in Jeſ. c.* 28. *v.* 27. nempe Prophetæ hujus ætate, quâ triticum rotâ plauſtri conterebatur. At olim *grana* quævis eoſdem baculis excuſſiſſe, diſcimus ex Jud. *c.* 6. *v.* 11. Unde Græci, ῥαβδίζειν, ἐν λίνῳ. Ita Deut. *c.* 24. *v.* 20. *Cùm excuſſeris olivam tuam*, &c. viz. arborem cædens, ut olivæ in terram cadant &c. II. Exterebantur quodam *tribuli* genere facto ex tabula lapidibus aut ferro aſperata, quæ impoſito aurigâ, aut pondere grandi trahebatur jumentis junctis, Varro *de Rer. Ruſt. l.* 1. *c.* 52. Quod tribuli genus, Columella traha, Virg. Georg. *l.* 1. *v.* 164. *trahea*, à *trahendo* (quia rotas non habet) Hebr. מורג *morag* vocabatur Jeſ. *c.* 41. *v.* 15. & à bobus trahebatur 2. Sam. *c.* 24. *v.* 22. III. *Plauſtro* rotis inſtructo ad triturandum exterebantur: quod *Ploſtellum Pœnicum* vocat Varro, tanquam à Pœnis inventum, qui ex Chananæa venerant: & factum fuiſſe memorat ex aſſeribus dentatis cum orbiculis, i. e. rotulis; additque in eo aliquem ſediſſe atque agitaſſe, quæ trahebant, jumenta & in Hiſpania citeriore aliiſque locis ita fieri, vide Hier. *in Jeſ. c.* 25. *v.* 10. & *c.* 28. *v.* 27. & *c.* 41. *v.* 15. IV. Ab ipſis bobus aut jumentis grana obterebantur; qui triturandi mos, apud Hebræos, Syros, Arabeſque olim in uſu fuit. De Ægyptiis idem habet Cyrillus *in Jeſ. l.* 3. *tom.* 5. ubi de Ægyptiorum filiis, poſtquam ex agro in aream manipulos comportavêrunt, ait, εἶτα βοῦς ἐπαφιέντες ... ἐν κύκλῳ περινοοῦντες ... ταῖς χηλαῖς ... *His deinde boves immittunt, & circumagunt, ut ſpicas ungulis comminuant.* Sed & Græcorum vetuſtiſſimos non alio triturandi modo uſos fuiſſe, Homerus docet Il. κ. Callimach. item *Hymno in Cererem*, & accuratiùs utroque Xenoph. *in Oecon.* Quem morem antiquitus etiam Romanis non ignotum fuiſſe, docet vox *trionum* quaſi terionum, & Hier. illud, *Bos laſſus fortiùs figit pedem*, quod videtur ex Comicorum aliquo ſumptum, qui de bove triturante uſurpaverit. Hodie idem triturandi modus, in Aſia viget, teſte Druſio *in Mich.* ut & apud Tartaros, circa Volgæ oſtia degentes, uti id ipſe Olea-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Olearius, *Moſcov. & Perſ. Itin. l.* 4 &c. Vide Sam. Bochart. *Hierozoici Part. prior. l.* 2. *c.* 32. Sed & *Grana*, Græcè κοκκία, teſſeræ in ludo talorum, hodieque apud Gallos. Joh. Antiochenſis apud Salmaſ. *Not. ad Vopiſc. in Procnlo*, διὰ τῆς ψηφοβόλου καὶ τῶν ἐν αὐτῷ ἑπτὰ κοκκίων [illegible] τῶν πλανητῶν. διὰ δὲ τῆς πυργου [illegible], *Per pſephobolum & quæ in eo ſeptem grana, aſtra ſeptem planetarum; per pyrgum vero, altitudo cæli.* Nempe tota res talaria ſeptem hujuſcemodi *granis* conſtabat, quatuor talis & tribus teſſeris: quæ in pſephobolo ſeu pyxide lignea movebantur atque concutiebantur, priuſquam ſuper tabulam funderentur &c. De *Granariis* ſeu Horreis, vide Plin. *l.* 18. *c.* 30. Columell. *l.* 1. *c.* 6. Varron. *l.* 1. *c.* 57. Vitruv. *l.* 6. *c.* 9. &c.

GRANADILLA, flos Americanus, de quo ſic Franc. Pomey *in Deſcr. Diver. Granadilla flos ab Orbe novo nuper accerſitus, cruciatuum ab Chriſto Domino obitorum, inſtrumenta ferme omnia, [illegible] ſua ja[illegible] conformatione repræſentat. Exſtat medio in flore Columna & Columnæ imminet globoſum [illegible] Spongia. Et terni quoque quaternive eminent capitatis e [illegible] Clavi. Eminet & [illegible], in Lanceam exacutum. Porro [illegible] candor, purpureis inaratus ſulcis, vibices verberum exhibet [illegible], quibus inaratum, concisumque ſuit innocentiſſimum [illegible] corpus candidiſſimum.*

GRANÆUS Gulielmus, vide *Gulielmus*.

GRANARIUM, vide *Conditorium*, *Horreum*, *Siri*.

GRANATA Nova, ſeu novum regnum Granatenſe, *nuevo Reyno de Granada*, regio ampla Americæ Merid. in mediterraneis, inter Popaianum & Pariam, cujus caput Fanum S. Fidei de Bogota. Vide *novum regnum Granatenſe*.

GRANATA Nova, regio Americæ Sept. frigori valde obnoxia, unde crebræ in ea nives; Quæ cauſa eſt, quòd in ædificiis extruendis & hyemis aſperitate velleribus domanda ſint circumſpecti. Certum autem frigoris indicium eſt, quod nullæ ibi arbores frugiferæ, nec pomorum ullum ibi genus reperiatur. Tanta porro terræ planities, ut nec unicus uſpiam mons ibi appareat, collibus tamen ac clivis hinc inde leviter ſparſis; rara ibi volatilia, ſolius frigoris ut creditur cauſâ, tum etiam quòd montem nullum in propinquo habeant. Incolæ adeo itinerum ignari ſunt, ut ne quid Orientalis vel Occid. ſit Oceanus, ipſis conſter. Ab eo tamen 150. milliaribus abſunt, Franciſcus Vaſquesius. Baudr. *Granata* nova, ſeu novum regnum Granatenſe vel Mexicanum, *nouveau Royaume de Grenade*, regio Americæ Sept. ſic dicta, & recens detecta. Vide *nova Granata*, & *novum regnum Granatæ*, ſeu *novum regnum Mexicanum*.

GRANATA, vulgò GRENADE, opp. Gall. in Aquitania, ad Garumnam fluv. in Gaurenſi Comitatu, 3. leuc. infra Tholoſam in Bor. Verdunum verſus.

GRANATA, vulgo GRANADA, urbs nova Americæ Sept. in Nicaragua provincia novæ Hiſpaniæ, verſus mare Auſtrinum, & juxta lacum Nicaraguam, ſub Hiſpanis.

GRANATA, vulgo GRENADE, inſ. Americæ Sept. & una ex Antillis verſus auſtr. & Americam Mer. tendens, ab Hiſp. aliàs ſic dicta, inter inſ. S. Vincentii ad Bor. & inſ. Tabaci ad Ort. ſub dominio Francorum à paucis annis. Ejus longitudo eſt 10. leucarum, & latitudo ferè totidem.

GRANATARIUS, nomen Officii in Monaſteriis, de quo ſic Udalric. *Conſuet. Cluniac. l.* 3. *c.* 18. *Secundus eſt, qui annonam recipit, quem & Granatarium vocamus. Huic, quando meſſis tota eſt collecta, Prior innoteſcit, quanti modii de illa & de illa Obedientia ſunt venturi, & quod ſemel addit, uſque dum ſit redditum, in computo ſuo tenebit. Piſtores ſunt ſub ejus manu, qui cum frumentum acceperint, duas ſpecies panis ſunt reddituri* &c. Vide Fletam *l.* 2. *c.* 82. §. 1. & *c.* 84. apud C. du Freſne. At *Grangiarius*, itidem officium Monaſticum eſt, qui præeſt *grangiæ*, aut villæ vel prædio ruſtico. Fleta iterum *l.* 2. *c.* 82. §. 1. *Nec ſuſtineatur, quòd Præpoſitus ſit* granatarius *& grangiarius ſimul*. In Delphina tu Galliæ prov. *Grangers*, *Fermiers*, *Metayers* ſunt dicti. Idem.

GRANATENSE Regnum, *Reyno de Granada*, Hiſpanis, pars Hiſp. Mer. ſic dicta à Granata urbe primaria, quæ olim *Illipula magna*, vel ut alii volunt, *Illiberis* dicta eſt, ubi Reges Maurorum ultimi diù viguêrunt: è quibus Regem interceptum Petrus Caſtellæ Rex, fil. Alphonſi, trucidavit, A. C. 1350. Mariana *de rebus Hiſp.* ſed tandem ex eo regno dejecti fuêre à Ferdinando primo; qui Mahometem Boabdelinum, cogn. *Chiquito* ſeu parvum, Muley Aſſenis fil. pepulit, imperio Maurorum in Hiſpania fine impoſito, A. C. 1492. a quo tempore minus populoſum opulentumque regnum eſſe cœpit: Rebellio poſtea in hoc & Andaluſiæ regno, à nomine Chriſtianis, animo Mahometanis, ob inquiſitionem introductam, & aſyla adempta, creato ſibi Rege Ferdinando Valorio, per Joh. Auſtrium, intra biennium, rebellibus devictis, à Philippo II. compoſita eſt, A. C. 1571. Thuan. *Hiſt. l.* 48. & poſtea omnes Mauri illuc expulſi ab Philippo III. ideoque totus hic tractus fere deſertus. Habet ab Occ. & Sept. Vandalitiam, ab Ortu regnum Murciæ, & à Mer. mare Mediterraneum. Ejus urbes ſunt Granatum, *Granada*, Acci, *Guadix*, Baſti, *Baza*, Malaca, vino ſuo celebris, Arunda, *Ronda*, & Almeria, *Almeria*, quibus Mundam addit Morer. victoria J. Cæſaris contra Pompejum obtentâ inclytam. Vide Turquetum.

GRANATENSIS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

GRANATUM, quod *nova Illiberis* dici poteſt, urbs Hiſpaniæ Beticæ ampliſſima, & ob ſalubritatem aëris, fontiumque copiam, æſtivo tempore, commodiſſima: unde Mauris Paradiſus, in illo cœli climate eſſe creditus, apud Illiberim urbem exciſam, Archiepiſcopal. & regni Granatenſis caput, ab Hiſpali 36. leucis in Ort. diſtans. Ab obſidione Joh. II. Caſtellæ Regis liberata, 12. mulis, quorum quilibet ficubus, quibus aurum incluſum, oneratus, ſummiſſis, poſtea A. C. 1492. ab Hiſpanis, victis Mauris, recepta, ab Alexandro VI. Pontifice Maximo metropolis creata eſt. Vide *Illiberis*. Academia eſt, & conventus juridicus, inter alios ſecundum ſibi locum vindicans. long. 17. 10. lat. 37. 30. Baudr. *Granatum*, ſeu *Granata*, vulgo *Granada* Hiſpanis, *Grenade* Gallis, urbs eſt perampla Hiſpaniæ, in regno cognomine, ad Darum fluv. eſtque diviſa in quatuor partes, quarum prima Granata, ſecunda Alhambra, ubi palatium Regium, tertia Alvetum, & quarta eſt Antiquerula. Aliàs ejus circuitus erat 12. mill. paſſ. eratque celeberrima & populoſiſſima. Sed deficit in dies, ex quo illinc ejecti ſunt Mauri ſub Philippo III. Rege Hiſpaniæ. Vide Marian. *l.* 3. *c.* 1. *l.* 24. *c.* 25. &c. Garibay *l.* 40. & *L. Marium Sic.*

GRANATUM, vide infrà *Malogranatum*. Ejus flos [illegible] *uno [illegible] punicco colore, quo pulchre [illegible], [illegible], ac veluti accenditur. Et vero --- [illegible] potius ci[illegible] tius, quam potiem --- ſeu carbunculum potius præditum [illegible] fulgore amœniſſime rutilantem --- Structura [illegible]: [illegible] quidem, quâ ſurculo adhæret, in corticem rigeſcit, [illegible], ſed æque nihilominus ſolidum, ac certum eſt [illegible] pomum. [illegible] coralino haud abſimilis calice, ora ſuperâ denticulatum [illegible] ſeptemve crenis. Superne autem & ex eadem [illegible], [illegible] ſo[illegible] liola ſeſe tenuiſſime protendunt, exſpirantque tenere, [illegible] vim flammeam amœnitatis, gravius eminulæ, ſingulorum apicem, [illegible] vincientibus --- Sed enim quid ſperas commodi ex avulſo flore? An neſcis, oderis illum eſſe prorſus expertem? Cave denique ne [illegible] ſub ramaſculis ſpinarum vim acerrimam ſentias* &c. Franc. Pomey ubi ſuprà. At *Granatus*, lapilli genus pretioſi, quales in diademate Regum Maurorum in Hiſpania Granatenſium fuiſſe, docet C. Paſchal. *l.* 10. *c.* 9. De *Granatis Bohemicis* [illegible] *Granati* item *Ceſtrenſis*, *Ty[illegible]* [illegible] *granato*, in Muſeo Kircheriano aſſervari ſolitis, vide Georg. de Sepibus *in Deſcr. ejus p.* 42. Nomen utrique à *grani* [illegible] ſimilitudine &c.

GRANCEJUM, vulgo GRANCEY, caſtrum cum tit. Comitivæ: quod à fratribus, cum Duce Burgundiæ, obſeſſum, memorat Gul. Abbas Mon. S. Theodorici *l.* 1. *de vita Bernardi c.* 3.

GRANDE Sophos, acclamatio uſitata olim, quâ Oratori vel Poëtæ ab Auditoribus applaudebatur: Σοφῶς, θείως, μεγάλως, *Pulchre, bene, recte! Euge, belle! Facete, laute, lepide, nihil ſupra.* Hor. *de Arte Poët. v.* 428.

> —— *Clamabat enim*, pulchrè, bene, rectè.

Sidon. Apollin. *l.* 1. *ad Sophos meum* &c. Jungebatur ei nonnunquam baſiorum jactatio. Unde Mart. *l.* 1. *Epigr.* 4. cujus Epigraphe ad librum ſuum.

> *Audieris cùm* Grande Sophos, *dum baſia captas* &c.

Hanc nonnulli ex Romanis poëtis magno mercabantur, ut viderentur eruditi; mercede proin conducebant auditores ac laudatores carminum ſuorum, qui illud *Grande ſophos* largè ingeminarent, Idem *l.* 6. Epigr. 48. cujus Epigraphe in Pomponium.

> *Quòd tam* Grande Sophos *clamat tibi turba togata,*
> *Non tu, Pomponi, cœna diſerta tua eſt.*

Horat. *l.* 1. *Ep.* 19. *v.* 37.

> *Non ego ventoſæ plebis ſuffragia venor*
> *Impenſis cœnarum & tritæ munere veſtis:*

Hinc phraſis orta: *Frangere ſubſellia*, de poëta, cujus carmen tanto plauſu exceptum eſt, ut acclamationis violentiâ etiam ſubſellia rumperentur. Quemadmodum Sidon. Apollin. *l.* 5. *Ep. ad Sapaud.* ait: *Hunc olim perorantem & Rhetorica ſedilia plauſibili oratione frangentem, ſocer eloquens ultro in familiam patriciam aſcivit.* Simili Græcorum loquendi modo utitur Polyb. *l.* 1. Καλεῤῥήγνυτο πᾶς ὁ ὄχλος ὑπὸ τῆς χαρᾶς καὶ τῆς κραυγῆς &c. Vide & infrà *Sophos*.

GRANDIMONTIUM, ſeu Grandis-mons, GRANDMONT, cœnobium amplum Galliæ, in prov. Lemovicenſi, caput Ordinis Grandimontenſis, fundati à S. Stephano Abbate, qui Obiit A. C. 1056. Diſtat. 6. leucis à Lemovico in Cæciam. *Baudr.*

GRANDIO, cogn. Senecionis cujuſdam, qui non niſi *grandia* probabat, calceos quoque majores ſumebat &c. apud Senec. *Suaſor.* 2. Quò referas id, quod Curtius de Alexandro, ex India reverſuro, *l.* 9. *c.* 3. *Erigique* XII. *aras ex quadrato ſaxo monumentum expeditionis ſuæ; munimenta quoque caſtrorum juſſit extendi, cubiliaque amplioris formæ, quàm pro corporum habitu, relinqui; ut ſpeciem omnium augeret, poſteritati fallax miraculum præparans* Vide quoque Juſtin. *l.* 12. *c.* 8. Diod. Sic. *l.* 17. *c.* 95. Plutarch. *c.* 109. Oroſ. *l.* 3. *c.* 19. Freinshem. *ad Curt. d. l.*

GRANDIS, opp. ſeu pagus Galliæ Belgicæ, in Lotharingia, circa Tullum urbem.

GRANDIS SILVA, locus Septimaniæ in diœc. Toloſana, magnæ ſilvæ adjacens, veteri Monaſt. *Grandſelve* inſignis. Sic *Grandis campus*, unus è 45. Prioratibus Cluniaco ſubjectis. *Grandis mons*, unde Ordini cogn. origo A. C. 1076. &c. *Grammont*. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

GRANDIS-VALLIS, in Raurica, ubi Monaſterium *Monſter in Granvalt*, à divo Germano, Optardi viri apud Trevitos nobiliſſimi filio, erectum: qui & ſupra Telamontium anguſtias eas, per quas Birſa prope *Remendorff* cautibus exaſperata exit, patefeciſſe dicitur. Ibi dein Bertha, Rudolphi Jurenſis vidua, A. C. 932. Canonicorum collegium inſtituit, qui hodie Telamontii habitant. Diſtat Baſileâ 5. mill. Soloduro 2. Vide Urſtiſium *Epit. H. Baſil.*

GRANDO, Græcè χάλαζα, nix coagulata eſt, veteri Scholiaſtæ Pap. *Theb. l.* 8. *v.* 408. ubi *ſolidam nivem* eam vocat: de cujus natura vide Ariſtot. *Meteorologic. l.* 1. *c.* 12. Niceph. Blemmydam *Epitom. Phyſic. c.* 14. Platonem & ejus Commentatores in *Timæo*, Plutarch. *Placitis Philoſophor. l.* 3. *c.* 4. Plin. *l.* 2. *c.* 60. Alios. Eam carmine averti poſſe, credidit priſca ætas, teſte eod. *l.* 28. *c.* 2. nec minor virtus *chalaziæ* lapidi tributa, uti ſuprà vidimus. Sed nullâ ratione Ægyptii Magi amoliri potuêre *grandinem*, quæ inter X. Ægypti plagas ſeptima numero, *tantæ fuit magnitudinis*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Exod. *c.* 9. *v.* 24. & *ſeqq. quanta antea nunquam --- Et percuſſit in omni terra Ægypti cuncta, quæ fuerint in agris, ab homine uſque ad jumentum, cunctamque herbam agri --- & omne lignum regionis confregit.* Nec Amalecitarum Sacerdotes, cùm in prælio contra Joſuam, illorum plures Joſ. *c.* 10. *v.* 11. *morirentur lapidibus grandinis, quos dejecit in eos Jehova de cœlo, quàm quos occidêrunt filii Iſraëlis gladio,* Ταλαντιαίαν iſtiuſmodi grandinem vocat Scriptor Apocalypſ. *c.* 16. *v.* 21. h. e. *magnam, quaſi talenti pondo*, cujuſmodi *grandinem*, non tam naturæ vi, quam divino miraculo ſæpe emitti, & his exemplis, & aliis, quæ Hiſtoria ſuppeditat, liquet. Sic Valentis Imp. tempore, 6. Id. Jul. grandinem magnitudine inuſitatâ, lapidibus ſimilem, CP. decidiſſe, & multis in ore fuiſſe, eam irato Deo delapſam fuiſſe, memorat Socrat. *Hiſt. Eccl. l.* 4. *c.* 10. Nicephorus admirandam magis grandinem narrat, cecidiſſe pluribus in locis, ſaxis manuariis majorem, &, quæ circiter octonarum librarum pondus traheret, quo tempore Alaricus obtinebat, *l.* 13. *c.* 36. Sigebertus, inter alia grandinis, quæ apud Auguſtodunum cecidit, fruſtra meminit unius, cujus longitudo fuerit pedum 16. latitudo 7. altitudo duorum, ad A. C. 824. Plura vide apud Sim. Majolum *Dier. Canic. coll.* 1. Quouſque autem, uti in aliis tempeſtatum generibus, ſic in *grandine* quoque cienda, Magorum, Veneficarum, Satanæque, qui per illos operatur, permittente Deo, poteſtas procedat, alibi dicemus. De alia notione vocis, vide ſuprà, ubi de *Chalazia*. Hinc χαλαζοκοπία, apud Theophraſt. *de Cauſis Pl. l.* 5. *c.* 9. Ἔνιαι πληγαὶ καὶ ἀπὸ τοῦ δαίμονος συμβαίνουσι, καθάπερ ἡ χαλαζοκοπία, *Quædam plagæ etiam à Deo contingunt, ut ſi calami ſegetes* grandine *quaſſentur franganturque.* Nempe & vehementem *calamitatem* (à *calamis* ſegetis *grandine* confractis primitus ſic dictam) credidêrunt ipſi Gentiles ξυμφορὰν θεήλατον, ſive, ut Cic. ait, *irâ cœlitum invectum malum, Tuſc. Quæſt. l.* 4. apud Voſſ. *de Idol. l.* 3. *c.* 12. ubi multa de *Grandine* egregia.

GRANDUICUS ſinus, qui & Album mare, *Witte Zée*, teſte Joh. Gotho, mare inter Corellios & Moſchos: de quo *Saxo Gramm.*

GRANGÆUS Johannes, vide *Johannes*.

GRANI & GRANONES, ea pars barbæ, quæ infra nares eſt, ſeu *myſtax* dicitur, apud Ernulf. Ep. *Spicilegii Acher. Tom. II.* & in L. Friſonum *tit.* 2. §. 17. *Gernobada*, Ugutioni: unde tradit Lambertus Ardenſis, Euſtachium Com. Bononiæ & Balduinum Groſſum Aloſti Toparcham, *Gernabadatos* cognominatos eſſe, propter barbæ prolixitatem; quam vocem *aux Guernons* vertit Ducheſnius *Hiſt. Guin. l.* 3. *c.* 2. & *l.* 4. *c.* 4. Idem cognomen Ranulfo Ceſtrenſi Com. tribuit Joh. Bromptonus *p.* 1013. & Vilhelmo de Percy vet. *Charta in Monaſtico Angl. Tom. I. p.* 73. & 74. Vocis origo fortè ex *Grani* & *barba*, vel ex *Gena* & *barba*, C. du Freſne *Gloſſ.* Quorum utrum ſit, id certum, *granos*, dictos eſſe Gothorum capillos, ſparſos ac diſcriminatos inque fine annellatos criſpatoſque, ſeu *granorum* inſtar (unde iis nomen) in orbem flexos, quales in antiquis nummis Gothicorum Regum videre eſt, Eorum mentio in Concilio Bracar. *Placuit, ut Lectores in Eccleſia, in habitu ſeculari ornati, non pſallant, neque* granos *gentili ritu demittant.* Et apud vet. Interpretem Bibliorum, qui verba Judithæ *c.* 10. *v.* 3. *Et diſcriminavit crinem capitis ſui*, interpretatur, *granam fecit.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 763.

GRANI Palatium, Luithprand. & *Grani Thermæ*, & *Grani Aquæ* Regioni & aliis. Vide *Aquiſgranum*.

GRANIACUM, ſeu GRANIANUM, Corſicæ prom. Ptol. *Amanza* Pineto. Nunc *Capo d'Erbicara* Brietio. In Ora Occid. verſus Auſtr. prope Portum Vet. longè ab Adjacio in Ort. & 15. mill. à Bonifacio in Bor.

GRANICUS, Bithyniæ fluv. pugnâ, quæ inter Perſas & Alexandrum fuit, nobilis: in qua ſexcenta millia hominum Perſarum cæſa, fugataque ſunt ab Alexandri exercitu non majori 30. millibus peditum, & equitum millibus quatuor & quingentis. Non procul eſt à Cyzico. Vide Diod. *l.* 17. Plutarch. Curt. Suppl. *l.* 2. *c.* 5. *l.* 3. *c.* 1. & 10. *l.* 4. *c.* 14. *l.* 8. *c.* 1. *l.* 9. *c.* 2. Arrian. & Juſtin. Nunc *Granico*, in Propontidem fluit, medius inter Cyzicum ad Ort. & Lampſacum ad Occ.

GRANIONARIUM, Germ. urbs Ptol. *Bamberg* Petro Apiano. Sita eſt ad Mœnum fluv. *Gravionarium* habet Græcus codex.

GRANIS, Græcè Γρανὶς Arriano, fluv. Aſiæ, vide *Granius*.

GRANIUS Marcellus, prætor Bithyniæ, à Quæſtore ſuo ſub Tiberio Majeſtatis poſtulatus, quòd ſiniſtros de Tiberio ſermones habuiſſet. Subſcripſit Hiſpo & addidit ſtatuam Marcelli altius quàm Cæſarum ſitam, & alia in ſtatua, amputato capite Aug. effigiem Tiberii inditam. Qui tamen abſolutus criminibus majeſtatis repetundarum cauſam dixit. Tac. *Ann. l.* 1. *c.* 74.

GRANIUS Martianus, Senator à C. Graccho majeſtatis poſtulatus, vim vitæ ſuæ attulit C. Ceſtio, M. Servilio Coſſ. Tac. *Ann. l.* 6. *c.* 38.

GRANIUS Petronius, in Africa captus à Pompejano Scipione oblatam ſalutem reſpuit, milites Cæſaris non accipere ſed dare conſueſſe ſalutem, reſpondens, & cum dicto ſe gladio tranſegit, Plutarch. *Cæſ.*

GRANIUS Silvanus, tribunus prætoriæ cohortis, per Subrium & Sulpitium in ſocietatem conjurationis contra Neronem adſcitus Tac. *Ann. l.* 15. *c.* 50. Poſt detectâ re quamvis abſolutus ſuâ manu cecidit.

GRANIUS, Arriano GRUNUS, fluv. Suſianæ, in ſinum Perſicum decurrens.

GRANNONA, vulgò GARANDE, vel GUERANDE, caſtrum Britanniæ min. prom. impoſitum, inter oſtia Ligeris & Viciniæ. Hinc non multum abeſt vicus S. Nazarii *S. Nazere*, reliquiis hujus Martyris & vet. Monaſterio inſignis, ad Ligerim in pago Namnetico, non procul ab oſtio fluv. ſive à vico Cruciaco *le Croiſic.* Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

GRANNOPOLIS, mel. GRATIANOPOLIS. Vide ibi.

GRANSONIUM opp. Helvetiorum juxta lacum Novi Caſtri, olim ſub Comitibus, è quibus Otto Ep. Baſilienſis fuit, A. C. 1306. bello Burgundico à Bernatibus & Friburgiis captum, mox receptum à Carolo Duce, poſtea iterum occupatum, ſubeſt ab eo tempore Bernatibus & Friburgiis, cum adj. Præfectura. Ibi d. 3. Martii victus Carolus, Burg. Dux ultimus, theſauriſque ſuis exutus eſt, A. C. 1476. 1. leuc. à novo Caſtro in Auſtr. 3. à Friburgo in Occ. Vide Stumpf. *de Pago Aventic. l.* 8. *c.* 14.

GRANT, Dæmonis ſpecies, in Anglia, *ad inſtar pulli equini anniculi, tibiis erectum, oculis ſcintillantibus --- comparet in plateis ſæpiſſime in ipſius diei fervore, aut circa Solis occiduum & quoties apparet, [illegible] rum in urbe illa vel vico portendit incendium. Cùm ergo ſequente die vel nocte inſtat periculum, in plateis, diſcurſu facto, canes provocat ad latrandum, & dum fugam ſimulat, ſequentes canes ad inſequendum [illegible] vitat: hujuſmodi illuſio convicaneis de ignis cuſtodia cautelam facit, & ſic officioſum Dæmonum genus, dum aſpicientes terret, ſuo adventu [illegible] ignorantes ſolet*, Gervaſius Tilleberienſis *MS. de Otiis Imperialibus, c.* 64. apud C. du Freſne *Gloſſ.*

GRANTA, Angliæ opp. à Beda & Felice celebratum, ut Lelandus perhibet, qui addit illud à Britannis *Caergrant* à fluv. vicino dici, *Grantbridge* verò ab Anglis & Saxonibus à ponte ibidem conſtructo, nunc vulgò *Cambridge*.

GRANUM, propriè ſemen, quod ſpargitur, ὁ σπόρος, [illegible] unde *Granarium*, σιτοβολών; & *grana* vel *granea*, in Salica aliiſque LL. locus, ubi fruges in ſpicis reponuntur & excutiuntur. Vide ſuprà in voce *Grana*. Idem primum ponderis rudimentum; fuêruntque 24. eorum in ſcriptulo. Sic decem ſcriptulorum margarita (quo pondere maximæ cognitæ ſunt Veteribus) 240. *granis* expendebantur tempore Plin. Hodie maximas, quæ ad Comorinum prom. capiuntur, centum *grana* pendere, tradit Garcias ab Horto, earum pretium ſolere eſſe 1500. aureorum, addens. Idem vidiſſe [illegible] dam fatetur, quæ 160. grana tritici pendebat. In Perſico ſinu majores reperiuntur, quæ & cæteris omnibus candoris ac magnitudinis dote anteferuntur: inde Romanis adferebantur. Atque hæ ſunt, quas hodie *Orientales* vocant, laudatiſſimas omnium. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1170. De *grano Gnidio*, ut Plin. vocat *l.* 13. *c.* 21. ſeu *grano Galatiæ rubente*, ut Tertullian. Vide eund. *ibid. p.* 301. & ſuprà ubi de Cocco, ſeu grano quo infectores utuntur, Græcis per excellentiam κόκκος. i. e. *granum*, dicto.

GRAPALDUS Franciſcus, vide *Franciſcus*.

GRAPHICE, vide infrà *Pictura* ſeu *Pingendi ars*.

GRAPHIO, vide ſuprà *Ceraſus*.

GRAPHIUM, ſeu ſtylus, calami vice olim erat; cùm ſaxis & lateribus antiquiſſimi homines literas inſculpſêre. Gr. Γλυφίον, Anthol. Grammatica martyr. *v.* 17. *cælum* & *cælte*. Hiob. *c.* 19. *v.* 23. *Quis mihi det, ut exarentur in libro ſtylo ferreo, aut plumbi lamina, [illegible] ſculpantur in ſilice?* Etiam poſtquam ceratis tabellis eas exararunt. Unde Iſid. *Orig. l.* 6. *c.* 9. *Græci & Thuſci, primùm ferro in ceris ſcripſerant.* Poſtea, quia σιδηροφορεῖν non liceret, quo gladii & pugiones vetabantur, *Graphiis* ad vulnerandos alios abuti cœpêrunt: quin eo fine, ut alios vulnerarent, *Graphia* etiam acquirebant. Ita Antyllus quidam, teſte Plutarch. *in Gracchis*, γραφείοις μεγάλοις κεκοσμημένος, ἐπ' αὐτὸ πεποιῆσθαι λεγομένοις, *Magnis conſpicuus Graphiis, quæ eum in finem comparaſſe ſibi dicebantur.* Propterea interdictus & *Graphii* ferrei uſus fuit, juſſique pro ferreo uti oſſeo. Unde T. Quinctius Atta *in Satyra*:

Vertamus vomerem in ceram, mucroneque aremus oſſeo.

At poſtea iterum rediit uſus ferrei ſtyli. Mart. *l.* 14. Apoph. Epigr. 21. cujus Epigraphe *Graphiarium*,

Hæc tibi erunt armata ſuo graphiaria *ferro,*
Si puero dones, non leve munus erit.

Sed rediit & tum periculum. Sic Caſca, ut apud Plutarch. et & Appian. ſive ut Suet. ait, *in Jul. Cæſ. c.* 82. *Cæſar Caſſi brachium arreptum graphio trajecit.* Idem *in Calig. c.* 28. *Cùm diſcerpi Senatorem concupiſſet, ſubornavit qui ingredientem curiam, repentè hoſtem publicum appellantes invaderent,* Graphiiſque *confoſſum lacerandum ceteris traderent.* Idem in Claud. *c.* 15. Senec. *de Clem. l.* 1. [illegible] *Erixonem, Equitem Rom. memoriâ noſtrâ, quia filium ſuum flagellis occiderat, populus in foro* Graphiis *occidit.* Idem Caſſiano, apud forum [illegible] Sullæ, & Joh. Scoto à diſcipulis ſuis accidiſſe legimus. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 35. Communiter, ut dictum, ex ferro erat, vel ære: aureum enim, cujus meminit Marcellus Medicus, velut & cryſtallina & onychina pugillaria, extra ordinem fuêre. Illius formam ſic deſcripſit Sympoſ. *Ænigm.* 1.

De ſummo planus, ſed non ego planus in imo,
Verſor utrinque manu, diverſo & munere fungor:
Altera pars revocat, quidquid pars altera fecit.

Aptè ſanè: Acumen enim ejus, ſi in imo digitis complectamur, [illegible] poſcit uſus, ejuſdem planities ſeu latitudo erit in ſummo: quâ [illegible] illis ſcribebant, iſta abradebant. D. Hier. *Stultus ego, qui me putaverim hæc abſque Philoſophis ſcire non poſſe, qui meliorem ſtyli partem [illegible] legerim quæ deleret, quàm quæ ſcriberet.* Recondebatur autem in theca, quam *Graphiarium* vocat Mart. ut innocens haberetur. [illegible] ſerit præter Suet. *Claud. c.* 35. Greg. Turonenſis *de Miraculis Martini l.* 1. *c.* 14. Vide Laur. Pignor. *l. de Servis*, ubi *Graphii* [illegible] plicis, minuſculi unius majoris alterius, effigiem ex ære exhibet, *p.* 224. infrà in voce *Stylus*, it. *Veruntum*, uti de *Graphide*, [illegible] pingendo opus, ſervis apud Græcos interdictâ, infrà ubi de *Pictura*. Sed & *Graphium*, in ſupellectile Monachica, recenſetur in [illegible] Benedict. de quo multa congeſſêrunt Hæftenus *Diſq. Monaſt.* [illegible] *l.* 9. *tract.* 2. *Diſq.* 5. & Chifletius *in Anaſtaſi Childer. c.* 13. Item species machinæ bellicæ, apud Cherubinum Ghirardaccium *Hiſt. Bonon. l.* 17.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

GRAPHOMETRUM, inſtrumentum menſorium, Veterum grumæ quadantenus ſimile, de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 685.

GRAPTUS, unus ex libertis Neronis, uſu & ſenectâ, ab uſque Tibèrio, Principum domum edoctus, Corn. Sullæ everſor. Tac. Ann. *l.* 13. *c.* 47.

GRASIDIUS Sacerdos, Prætorius, Albucillæ ſtuprorum miniſter, decreto Senatus in Inſ. deportatus. Tac. Ann. *l.* 6. *c.* 48.

GRASSA, urbs parva Provinciæ, Epiſcopal. 3. leuc. ab Antipoli in Occ. 2. ab ora maris Mediterr. 7. à Nicæa in Occaſ. Ibi olim Deceates pop. Huc ſedes Ep. Antipoli, ob prædonum incurſiones, tranſlata eſt. Prom inter Arelatenſis prov. civitates olim ultima cùm eſſet, poſtea provinciæ Alpium Marit. eſt aſcripta. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* & Morer. *Dict. Hiſt.* vulgò *Graſſe.*

GRASSANTES, apud Suet. *Aug. c.* 67. *Pædagogum miniſtroſque Caji --- ſuperbe avareque in provincia graſſantes, oneratis gravi pondere cervicibus, præcipitavit in flumen:* ſunt qui rapinis provinciam exhauſêrunt, Syriam an Lyciam, cujus incolis pro cætera ſua lenitate, permiſit hoc Aug. ut ſuis legibus atque moribus in eos animadverterent. Alias enim Romanis id ſupplicii genus parùm in uſu, Græcis fuiſſe non incognitum; teſtes Polyb. Diod. Plutarch. de Syris, ex Evangelio & Hier. cuivis liquet. Caſaub. *ad Suet.* At *Graſſatores* apud eund. *ibid. c.* 32. *Nam &* graſſatorum *plurimi palam ſe ferebant ſuccincti ferro, quaſi tuendi ſui causâ:* latrunculatores ſunt & itinerum ſubſeſſores, cui periculo Roma & circumjecta Italia perpetuò obnoxiæ fuêre, nec hodie quidem eo carentes. Juv. de iis hæc querela eſt. *Sat.* 3. *l.* 1. *v.* 302. & ſeqq.

> *--- --- nam qui ſpoliet te,*
> *Non deerit, clauſis domibus poſtquam omnis ubique*
> *Fixa catenatæ ſiluit compago tabernæ.*
> *Interdum & ferro ſubitus* graſſator *agit rem.*
> *Armato quoties tutæ cuſtode tenentur*
> *Et Pomptina palus & Gallinaria pinus.*
> *Sic inde huc omnes, tanquam ad vivaria currunt.*

Vide Appian. Alex. Civ. Bell. Ἐμφυλ. *l.* 5. *p.* 746. alibique, ubi *graſſatorem* deſcribit, ἄνδρα λῃστεύοντα τοὺς παροδεύοντας καὶ ἐπὶ ἔργῳ καταδεῖν εἰθισμένον; & plura de illis, eorumque inhibitione, apud Jac. Cujac. *l.* 19. *c.* 11. Prima verò & genuina vocis notio, ex Catone, hæc eſt, apud A. Gell. *l.* 11. *c.* 2. *Poëticæ artis honos non erat; ſi qui in ea re ſtudebat, aut ſeſe ad convivia applicabat,* graſſator *vocabatur.* Nempe *graſſari* juxta Feſtum, *antiquis erat adulari.* Ideo nim. quòd paraſiti & adulatores *graſſentur* per plateas ad captandam alienam menſam: quam artem famelici quidam poëtæ non negligentes, divinam ſcientiam proſtituebant. Jac. Oiſel. JC. *ad. A Gell. lib.* 11. *c.* 2. De *Graſſatorum* poena, vide & infra aliquid ubi de *Rotæ Supplicio.*

GRASTILLUS, urbs Macedoniæ, aliàs *Praſtillus. Steph.*

GRATAROLUS Gulielmus, Bergomenſis, Medicus magni nominis, Obiit Baſileæ, A. C. 1568. Æt. 52. editis de Re Medica ſcriptis plurimis, quorum indicem habes in *Elogiis* A. Teiſſier. *Part.* I. inclytus.

GRATELEA, Angl. GRAATANLETRE, Concilio celebris in Anglia locus, A. C. 1928. habito. *Collect. Concil.*

GRATES, non minùs ac Preces, indices ſunt venerationis, quâ divinam bonitatem ſimul potentiamque proſequimur: niſi quòd *Grates* ſequuntur beneficium, Preces antecedunt, Hobbeſ. *Elem. de Civ. l.* 15. *c.* 15. Hinc in illis meliorem cultus divini partem eſſe, ipſi agnovêre Ethnici: Appulej. in *Hermete Triſmeg.* Xenoph. *Memorabil. l.* 4. *p.* 800. & *ſeqq.* Alii: & proin non *quotidianæ* ſolùm *grates* Numini ab iis exhibitæ leguntur: ſed &, ubi, *ſingulari in caſu*, præſentem illius opem experti eſſent, eodem officio functi reperiuntur. Ægeus, ob fil. Theſeum, à veneno ſervatum, apud Ovid. *Met. l.* 7. *Fab.* 22. & 23. Ovid. ob Conſulatum Sex. Pompejo delatum, *de Ponto l.* 4. *Ep.* 4. Græcinum itidem Conſulem deſignatum, *Ibid.* &c. Nec privatæ ſolùm, ſed & *ſolennes grates publicæque* actæ, cùm inſigni aliquo beneficio, ad Remp. inprimis ſpectante, Numen præſens ſenſêre. Sic ob victoriam de hoſtibus reportatam, Cyrus apud Xenoph. Παιδ. *l.* 4. Ageſilaus apud eund. *Orat. de Ageſil.* Argolici Duces, apud Ovid. *Heroid. Ep.* 1. Penelope Uliſſi *v.* 25. Tit. Quinctius Dict. L. Scipio; Cic. Romanorum alii quàm plurimi Duces, apud Liv. paſſim, *grates* Diis ſolennes egêre. Vide Briſſon. *de Formul. l.* 1. & 2. ubi etiam de gratibus privatim actis teſtimonia atque exempla habes complura. Omnium tamen ſpecimina ſuperat ſanctiſſima iſta Hermetis Triſmegiſti, apud Appulejum, formula, quam ſubjungit *l. cit. ſub fin.* Tob. Pfanner. *Syſtem. Theol. Gentil. pur. c.* 16. §. 26.----31. In *Statutis* Ordinis Semprinɡham. *Gratiæ* dicuntur, preces pro agendis Deo gratiis, ad quas ſolùm, ut & Miſſas, *Sanctimoniales Laicas in ſtallis ſuis ſtare* volunt, apud C. du Freſne *Gloſſ.* De coronis, hominibus bene de Rep. meritis *gratiarum actionis ergò* offerri olim ſolitis, vide C. Paſchal. *Coron. l.* 4. *c.* 15. & ſuprà ubi de *Benemeritis*; uti de *Gratitudinis* exemplis, in animantibus rationis expertibus, Plin. *l.* 8. *c.* 16. &c. De voce verò Græca, χάρις, quæ *Gratia* Latinis, & inde deductâ χάρισμα, earumque apud Scriptores Eccleſ. uſu, multa præclara apud Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.*

GRATIA, urbs Bithyniæ Mediterr.

GRATIÆ, vocatæ ſunt à Latinis, quæ à Græcis *Charites*, aliorum parentum filiæ ab aliis ſcriptoribus creditæ ſunt. Heſiod. in Theogonia illas ex Eurynome Oceani filia, & è Jove natas eſſe tradidit in his verſibus.

> Τρεῖς δέ οἱ Εὐρυνόμη Χάριτας τέκε καλλιπαρήους,
> Ὠκεανοῦ κούρη πολυήρατον εἶδος ἔχουσα,
> Ἀγλαΐην, καὶ Εὐφροσύνην, Θαλίην τ' ἐρατεινήν.

Orpheus verò in Hymno quodam *in laudem Charitum* compoſito, non Eurynomes, ſed Eunomiæ & Jovis filias eſſe ait, in his:

> Δεῦτέ μοι, ὦ Χάριτες μεγαλώνυμοι, ἀγλαότιμοι,
> Θυγατέρες Ζηνός τε καὶ Εὐνομίης βαθυκόλπου,
> Ἀγλαΐη τε, Θάλεια, καὶ Εὐφροσύνη πολύολβε
> Χαρμοσύνης γενέτειραι.

Alii Jovis & Autonoes illas filias eſſe tradidêrunt, nominaruntque *Paſitheam*, *Euphroſynen* & *Ægialen*. Antimachus, antiquiſſimus poëta, illas Æglés & Solis filias eſſe cenſuit. Alii duas tantùm putarunt, *Clitan* & *Phænam*. Alii *Auxo* & *Hegemonem*, ut ait Pauſ. *in Bœoticis*: *Suadela* etiam à nonnullis inter Gratias numeratur. Communior tamen ſententia eſt, quòd tres fuerint, ut in hoc verſu teſtatur Meleager,

> Τρισσαὶ μὲν Χάριτες, τρεῖς δὲ γλυκυπάρθενοι Ὧραι.

Juguntur unà fere ſemper à poëtis. Horat. Carm. *l.* 3. Od. 7. *v.* 5.

> Gratia *cum nymphis geminiſque ſororibus audet*
> *Ducere nuda choros.*

Muſæus,

> ——— Οἱ δὲ παλαιοὶ,
> Τρεῖς Χάριτας ψεύσαντο πεφυκέναι ———

Pulchricomas vocat Homer. *Hymno in Apollinem:*

> Αὐτὰρ ἐϋπλόκαμοι Χάριτες καὶ ἐΰφρονες Ὧραι.

Horat. illas ſolviſſe zonas inquit, zonâ autem veſtitas eas fuiſſe innuit: Carm. *l.* 1. Od. 30. *v.* 5.

> *Fervidus tecum puer & ſolutis*
> Gratiæ *zonis, properentque Nymphæ.*

Idem Carm. *l.* 1. Od. 4. *v.* 6.

> *Junctæque Nymphis* Gratiæ *decentes.*

Hæ igitur cùm veſtibus operirentur antiquitus, vel quia turpe eſſet aſpectu nudas mulieres ſine veſtibus conſpici, vel quia brumæ frigora formidarent, incidêrunt in recentiores tanquam in latrones, à quibus ſpoliatæ ſunt, & aufugere ex orbe terrarum coactæ, teſtante poëtâ.

> Ὤχετο μὲν Πίστις μεγάλη θεὸς, ᾤχετο δ' ἀνδρῶν
> Σωφροσύνη, Χάριτές τ' ὦ φίλε, γῆν ἔλιπον

Nic. Lloydius. De templo *Gratiarum* vetuſtiſſimo apud Orchomenios, in quo *Saxorum* ſpecie colebantur, apud Pauſ. *l.* 9. Vide infrà ſuo loco.

GRATIÆ, Portus, *Havre de Grace*, urbs permunita, cum valida arce, in Norm. Vide *Portus Gratiæ.*

GRATIANA, vide *Gradiſcia.*

GRATIANOPOLIS, urbs Gall. Narbon. Delphinatus caput, quam *Accuſium* vocat Ptol. *l.* 2. *c.* 10. Epiſcopal. eſt & Parlamenti à Ludovico XI. tum adhuc Delphino, A. C. 1453. erecti ſedes, antiquitate & nobilitate, ſupra reliquas Galliæ Narbonenſis: *Cularo* quoque in vett. Inſcr. Eam Maximianus à Diocletiano in Gallias miſsus muniit, auxit poſtea, ibique præſidium locavit Gratianus Imp. unde novum urbi nomen. Primus Ep. S. Dominicus Concilio Aquilejenſi interfuit, A. C. 381. cujus ſucceſsores Principes Gratianopolitani dicuntur. In vicinia Carthuſia magna eſt & fons ardens. Vide Cic. *Ep. fam. l.* 10. *Ep.* 23. Duchen. Chorer. *Hiſt. de Dauph.* Sammarth. *Gall. Chron. tom.* 2. *p.* 603. &c. Vulgò *Grenoble.* Sita eſt, ad Iſaram fluv. ubi recipit Dracum amnem, in valle. Epiſcopal. ſub Archiep. Viennenſi. Probè munita. 13. leuc. à Vienna in Ort. 7. à Mommeliano in Afr. ad rad. montium. Parva ſed culta & elegans. *Baudr.*

Imperatores & Viri illuſtres.

GRATIANUS, Valentiniani I. Cæſaris ex Severa fil. qui patri ſimul & Valenti patruo in Imper. ſucceſſit, A. C. 375. ingenio, facundiâ, modeſtiâ, caſtitate, fortitudine, zelo contra hæreticos, Priſcillianiſtas inprimis & Arianos, inclytus. Theodoſio in conſortium Imperii aſcito, Auſonium Conſulem fecit. Vide infra. Bello contra Gothos, & Alemannos, Galliam vaſtantes, felix: Pontificatus ſummi Ethnicorum dignitatem, ab Anteceſſoribus hactenus per Rationem ſtatus retentam, conſtanter recuſavit. Tandem à Maximo quodam ſuo belli duce per inſidias in Galliis interfectus, A. C. 383. Præceptorem habuit in literis Auſon. Burdigalenſem, quem tandem ad Conſularem dignitatem Romæ perduxit. Aur. Victor. *de V. Ill.* Amm. Marcell. *l.* 27. *c.* 6. & *ſeqq.* Marcellin. *in Chron.* Hier. *Ep.* 3. Ambroſ. *de Obitu Valentis*, & *in Pſ.* 61. Ruffin. *l.* 2. Sozom. *l.* 6. Zoſim. *l.* 4. Auſon. *in grat. act. pro Coſ.*

GRATIANUS, pater Valentiniani, robore corporis præpollens. Vide Aurel. Victor. *in Valentin.* Item, fil. Theodoſii Mag. in juventute denati. Item, à Legionibus Rom. in M. Britannia, contra Honorium, Imp. dictus, menſe pòſt 4. ab iiſdem occiſus, electo Conſtantino Tyranno. Zoſim. & Sozomen *l.* 6.

GRATIANUS, Monachus Bononienſis, Petri Lombardi Sententiarum magiſtri frater, decreta Pontificum Rom. in unum volumen primus congeſſit, juris Canonici conditor, circa A. C. 1189. Vide Gerh. von Maſtricht *Hiſt. Jur. Eccl. n.* 294. & *ſeqq.*

GRATIANUS, Vide *Tatius.* it. *Thomas.*

GRATIDIA, mulier Neapolitana unguentaria, & venefica, quam Horat. *Canidiam* vocat. Epod. *l.* Od. 3. *v.* 8. Serm. *l.* 2. *Sat.* 1. *v.* 48.

GRATIOSA, vulgò GRACIOSA Luſitanis, *la Gracieuſe* Gallis, inſ. eſt maris Atlantici, & una ex Aſſoribus inſulis, parva & culta. 15. leucis Gallicis diſtat à Tertiaria in Bor. ſubeſtque dominio Regis Portugalliæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

GRATINA, meretricis nomen, quam Praxiteles pro Venere expreſſit: Arnob. *adv. Gentes l. 6. Quis Praxitelem neſcit, Poſidippis relegat; ad formam Gratinæ* (an Cratinæ) *meretricis, quam infelix perdite diligebat, os Veneris Cnidiæ ſolertiarum coëgiſſe certamine.*

GRATIS, libri nomen, qui in Academia Cracovienſi, contra Jeſuitas prodiit, quo magnopere hi arguuntur, quòd dùm ſe *gratis* docere ſimulent, bona Nobilium ac divitias ingentes, ad ſe pertrahant. Flammis juſſu Regis datus: interim in Comitiis regni A. C. 1626. decretum, Jeſuitæ Scholam ſuam in urbe Cracovia claudant & Academiæ illius loci in poſterum moleſti eſſe deſinant. Vide Cracovienſium *Ep. ad Lovan. in Mercurio Gallo Belg.* Lætum *in Comp. Hiſt. Univ.* &c. Eodem facit vox Paſſeratii, celebris Profeſſoris Regii, in Academia Pariſienſi, de iiſdem: *Gratis* docent, *gratis* nocent.

GRATULATORIÆ Coronæ, memorantur Liv. *l. 3. c. 57. Inter hæc à Latinis & Hernicis legati* gratulatum, *de concordia patrum & plebis, Romam venêrunt; donumque ob eam Jovi Opt. Max. coronam auream in Capitolium tulêre parvi ponderis prout res haud opulentæ erant; colebanturque religiones piè magis, quàm magnificè.* Sic re ab iiſdem Romanis bene geſtâ adverſùs Samnites, apud eund. *l. 7. c. 38. Carthaginenſes quoque legatos* gratulatum *Romam misêrunt, cum aureæ coronæ dono, quæ in Capitolio in Jovis cella poneretur fuit XXV. pondo,* Multo ponderoſior fuit, utpote *pondo CCXLVI.* quam Legatos Regis Attali ibidem poſuiſſe, Idem habet *l. 32. c. 27.* Plura hanc rem vide apud C. Paſchal. *Coron. l. 4. c. 11.* Atque hic mos in vet. Rep. Romana viguit, ut ſc. coronæ tales à provinciis mitterentur in Capitolium, ut ibi Jovi ſacrarentur. Aliàs & ſtatuæ Principum domusque, plateæ item, theatra & templa floreis ſertis conſpergebantur, honeſtabanturque, uti habes apud eund. *l. 2. c. 11.* Ipſa etiam *in publicis gratulationibus* multitudo coronata conſpiciebatur, velut circumplaudens illi, qui rem proſperè geſſiſſet, ac felicitatem ejus participare geſtiens. Sic *Vitellio plausêre.* inquit Tac. *Hiſt. l. 2. c. 55. Populus cum lauru ac floribus, Galbæ imagines circùm templa tulit, congeſtis in modum tumuli coronis,* quam quiſque ſcilicet capite tuliſſet. Ad quem *gratulandi* ritum alludi videtur Apoc. *c. 4. v. 10.* quo, quum tribuerent Animalia IV. gloriam & honorem & *gratiarum actionem* ei, qui throno inſidebat, procidiſſe XXIV. Seniores & adoraſse illum viventem in ſecula ſeculorum, & *βαλεῖν τοὺς στεφάνους αὐτῶν ἐνώπιον τοῦ θρόνου, abjeciſſe coronas ſuas ante thronum,* dicuntur &c. Vide iterum C. Paſchal. de more hoc coronas ante pedes Numinum, apud Gentiles, ponendi *l. 4. c. 11. cit.* ut & plura, de *gratulantium* ritibus hîc paſſim, ubi de *Favore, Gaudio, Lætitia* &c.

GRATUS, Dux Romanus, ſub Gallieno, cujus meminit Treb. Pollio *in Claud.*

GRATUS, Præſul Carthaginenſis, Zelo contra Arianos & Donatiſtas clarus. Vide Athanas. *Apol.* 2. Baron. A. C. 347. & 348.

GRATUS, nomine *Julius*, præfectus caſtrorum à Vitellianis vinctus, tanquam fratri apud Othonem militanti proditionem ageret: cùm fratrem ejus Julium Frontonem tribunum ſub eodem crimine vinxiſſent. Tac. *Hiſt. l. 2. c. 26.*

GRATUS Severianus Coſ. Claudii Seleuci collega, Anno 3. Antonini Aug. Elagabali. Hucuſque *Chronicon* ſuum perduxit Africanus, ad Olymp. 250. nempe, annum quo Philinus Archon Athenis fuit. Syncellus *p. 212. b.*

GRAVARINGI ſeu GRAVATORES, quorum meminit Orderic. Vitalis *l. 12. p. 876 Eodem tempore Amalricus Ebroicenſis Comes --- Præpoſitos atque* Gravaringos *in terra ſua nimiùm furere videbat. Inſolitas enim exactiones imponebant, ac pro libitu ſua judicia pervertebant:* erant Præfecti ac Magiſtri Militum, in urbe quavis. *Warings* enim milites ſunt Anglis, potiùs verò miniſtri ſeu milites Comitum, qui eorum juſſa exequebantur, aut denique *Exactores* & Publicani, quomodo *Grafiones* dicuntur Sugerio *de Adminiſtr. ſua c. 23.* Vide ſuprà, in voce *Grafio.*

GRAUDENTIUM, vulgò GRAUDENTZ, Pruſſiæ Polonicæ opp. amœnum & munitum, ad Oſsæ in Viſtulam influentis oſtium. Dicitur à Polonis *Grudzancz.* Diſtat 9. leucis à Torunio in Bor. & 11. à Mariæburgo in Auſtr. Arcem habet; diciturque etiam Grudentum.

De GRAVE Henricus, vide *Gravius*, it. *Henricus.*

GRAVELINA, vulgò GRAVELINES Gallis, GREVELINGEN Flandris, arx Flandriæ permunita, in ora litorali, & ad Agnionis fluv. oſtia, medio itinere inter Caletum ad Occaſ. & Dunquercam ad Ort. 3. leucis utrinque, & unâ à Burburgo. Capta fuit à Francis A. C. 1658. à quo tempore ipſis ſubeſt, pace ad Pyrenæos confectâ. Vide infra.

GRAVENENGA, prius *Novus portus*, Iperio, hodie *Grewling* Flandris, Gall. *Graveline*, urbs eſt Flandriæ, ad Oceanum & ad Agnionem fluv. vulgò *Aa* dictum: condita à Theodorico Alſatio Flandriæ Com. circa A. C. 1160. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* & ſupra in voce *Gravelinga.*

GRAVESINDA, vulgò GRAVESEND, opp. Angliæ, in Cantio, cum caſtro & portu ad Tameſis æſtuarium, 5. milliaribus Anglicis à Roffa, & 14. à Londino in Ort.

GRAVIA, vulgò GRAVE, urbs Belgii, in Ducatu Brabantiæ, ad Moſam fluv. 2. leucis à Neomago in Mer. & totidem à Gennepio in Occaſ. eſtque permunita, & ſub dominio Hollandorum à plurimis annis, in confinio Gueldriæ; Caput eſt regiunculæ adjacentis, dictæ *le pais de Cuik* Gallis, *Kuickland* Belgis, Cuicana regiuncula. 4. leucis diſtat à Buſcoduco in Ort.

GRAVIDA, vide infrà *Prægnans.* Moneo hîc ſaltem, uti Minervæ virgini *virgines buculæ*, ut Arnob. loquitur *adv. Gentes l. ult.* ſic Telluri matri *gravidæ ſcrofæ*, immolatæ olim. Idem *ibid. Quia virgo Tritonia eſt, idcirco ei convenit virgines hoſtias immolari: & quòd Tellus eſt mater, conſimiliter gravidis accipienda eſt ſcrofis.* Et in *ſeqq. Telluri gravidas atque fordas, ob honorem fœcunditatis ipſius,* offerri ait: Eſt autem *Bos forda, quæ fert in ventre*, teſte Varrone *de Ling. Lat. l.* [illegible] Confirmat idem Ovid. *Faſt. l. 4. v. 631.*

> *Nunc* gravidum *pecus eſt,* gravidæ *quoque ſemine terræ,*
> *Telluri plenæ victima plena detur.*

Vide *Electa* Godeſc. Stewechii *ad Arnob. d. l.* & ſuprà aliquid in voce *Fordicidia.*

GRAVII, pop. Hiſp. Tarracon. in Callaicis. Sil. Ital. Pun. Bell. *l. 3. v. 366.*

> *Et quos nunc* Gravios *violato nomine Grajum*
> *Oeneæ miſere domus.* --- ———

Vide *Grovii.* Plin. *l. 4. c. 20.*

GRAVINA Petrus, vide *Petrus.*

GRAVINA, urbs Apul. Peuc. in confin. Lucaniæ.

GRAVIONARIUM, ſeu BAMBERGA, quod vide ibi fuêrunt aliàs Hermanduri pop.

GRAVIS, propriè dicitur res, quæ tactum contundit & premit, Græcè *βαρύ*: ſicut acutum ſeu *ὀξύ* dicitur, quod eum pungit ac ſtimulat. Hinc vox translata, ad odores, in quibus *grave* dicitur, non tam quod fœtet, quàm quod fortiter ac vehementer olet, cui blandus ac lenis odor opponitur. Græci *εὔτονον ὀσμήν*, it. *τὸ ἔμβριθες καὶ βρωμῶδες, βαρὺ* quoque dixêre, uti docet Salmaſ. *ad Solin. p. 360.* Ad ſonos item, quorum *ὀξὺς*, *acutus*, ille dicitur, qui auditum quaſi ſcindendo penetrat; *βαρὺς*, *gravis*, qui aures obtundit & velut exſurdat. Cujuſmodi ſonum ad funerum res olim requiſitum eſſe, notat vet. Scholiaſtes Pap. Stat. *Theb. l. 6. v. 120.* ubi poëta,

> *Cùm ſignum luctus cornu* grave *mugit adunco*
> *Tibia* ———

Ad colores tandem, in quibus *acutus* eſt, qui multo lumine radians oculos exhilarat, & tamen ſimul pungit ac exſtimulat, aliter *ſplendidus & clarus*; *gravis* verò, triſtior & obtuſior, colore magis, quàm lumine ſatiatus, de quo diximus ſuprà, in voce *Auſterus*, Viciſſim amarum, quod guſtus proprium eſt, ad tactum nonnunquam transfertur, & pro *gravi* ponitur: unde *amara ſarcina*, pro gravi & premente, apud Valer. Max. Quam in rem vide plura apud præl. Salmaſ. ubi ſuprà *p. 200.* Sed & ulteriùs tranſiit ad Animam vox, in qua *gravitas*, virtutem notat tantopere in Romanis olim celebratam, de qua Plin, *l. 23. c. 1. Latium ſupercilium*, vocatur in Epigr. *Priapeis* Variorum poëtarum præfixo. Eam indigitat verſus Incerti poëtæ,

> *Malim unum Catonem, quàm trecentos Socratas.*

Græcanicâ enim licentiâ, res notiſſima. Vide Barth. *ad Stat. l. 3. Sylv. 5. v. 94.* ubi utramque jungit poëta,

> *Quid laudem riſus libertatemque Menandri,*
> *Quam Romanus honos & Graja licentia miſcent* &c.

Hodie in Turcis *gravitatem* miratur, Joh. Bapt. Tavernier *Itin. Turc.*

GRAVISCÆ, Tuſciæ pop. Ptol. *Monte Alto* Nigro. Plin. *l. 3. c. 5.* Ita autem dictus eſt hic locus ab aëris *gravitate.* Sic enim Virg. *Æn. l. 10. v. 184.*

> *Et Pyrgi veteres, intempeſtæque* Graviſcæ.

Sil. Ital. Pun. Bell. *l. 8. v. 474.*

> ——— *Veteres miſere* Graviſcæ.

Rutil. *in Itin.*

> *Inde* Graviſcarum *faſtigia rara videmus,*
> *Quas premit æſtivæ ſæpe paludis odor.*

Strab. *l. 5. p. 225.* Ἀπὸ δὲ τῶν Κοσσῶν εἰς Ὠστίαν παραλέγουσι πολίχνια, Γραουίσκιον, καὶ Πύργοις καὶ Ἄλσιον καὶ Φρεγηνία. Baudr. urbs Epiſcopalis Hetruriæ exciſa, ex cujus ruinis crevit Cornetum, urbs vicina, in colle, in prov. Patrimonii S. Petri, ad Martam fluv. qui paulo infra in mare Medit. ſe exonerat. Vide *Cornuetum.* Nic. Lloyd.

GRAVIUS, Accuſatoris nomen, Tac. *Ann. l. 4. c. 21.* Item, alius prænom. *Aulus*, Eques Rom. Puteolis oriundus, à Pompeio, ad Dyrrhachium cæſus. Cæſ. de Bell. Civ. *l. 3.*

GRAVIUS Bartholomæus, Typographus exactus & eruditus, de quo vide Ant. Miræum *in Elogiis*, pater fuit Henrici, de quo mox.

GRAVIUS Henricus, Theologus, Lovanii docuit Annis 20. unde à Sixto V. & Gregorio XIV. Romam vocatus, ut editionis Patrum, quam meditabantur, curam gereret, ut Romam appulit, morbo correptus Deceſſit, A. C. 1591. Æt. 55. Fuit fil. Bartholomæi. Scripſit *Notas in VII. Tom. Auguſtini*, quo de Hæreſibus agitur, *Comm.* quoque *rerum Donatiſticarum* exortus. Valerius Andr. *Bibl. Belgicâ.* Vide & Juberti Miræi, ut & Ant. Teiſſier *Elog.* Alius ejuſdem nominis, Graviâ oriundus, aliàs *Vermolanus* dictus, Dominicanus, ſcripſit quædam, Obiitque A. C. 1552. Val. Andreæ & Teiſſier *ibid.*

GRAVIUS Joh. Anglus, *Pyramidographiam* Anglicè edidit A. C. 1646. è qua Pyramidis Maximæ (quam Auctor radio decempedâ, duplici ſtatione, in ſuperficie; & interiora normâ ac lineâ accuratiſſimè dimenſus ipſe eſt) deſcriptionem in *Canonem ſuum Chronicum Sec. III.* tranſtulit, Joh. Marsh. quem vide.

GRAV-

GRAUNA, vel GRAONA, vulgò la GRONE, fluviolus Æduorum Cluniacum, Brancidunum *Brancion* ac Firmitatem præterfluit, & prope Cabillonem in Ararim influit, ſupra Tinurtium, Hadr. Valeſ. *Not. Gall. in voce Cluniacum.*

GRAUSO, Dux Cumberti Italiæ Regis cujus ut & Aldonis ſtrategemate, regnum ſibi ab Alachi ereptum, recùperavit, A. C. 604. Paul. Diac. *Long. l.* 5. *c.* 40. & 41. & *l.* 6. Sigon. *l.* 2. &c.

GRAUSONUS Johannes, vide *Johannes*.

GRAUTUNGI, apud Vopiſc. *in Probo, Sed quum & ex aliis gentibus pleroſque pariter tranſtuliſſet, i. e. ex Gepidis,* Grautungis & *Vandalis; Greutungi* vocanter Amm. Marcell. *l.* 27. *c.* 5. ubi *bellicoſam gentem* vocat: *Τρυθιγγοι*, Zoſimo, & Claud. de 4. Coſ. Hon. Carm. 8. v. 622. & 634.

Auſi Danubium quondam tranare Gruthungi
In lintres fregére nemus.

Idem in Eutrop. Carm. 20. v. 153. 196. 399. & 576. *Greothingi*, Idatio Ep. in *Faſtis Coſſ.* &c. iidem cum *Triutungis* Æthici. Vide infrà.

GREDONENSE Caſtrum, *Greze*, nunc vicus ad radices montis, ab urbe ac monte Mimate non multum diſtans. Huc Alamanorum metu urbis Gabalorum incolæ ſe recepêre ol. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

GREGORAS, vide *Nicephorus Gregoras*.

Pontifices Romani.

GREGORIUS I. cogn. *Magnus*, erat natione Romanus, ex patre Gordiano, genus à proavis non ſolùm nobile, ſed & religiotum ducens. A Pelagio II. ad Mauritium Imp. miſſus, Apocriſiarium Eccleſiæ ibi egit, cum Patr. Eutyche, de Reſurrectione diſputavit, Pelagii ſucceſſor A. C. 590. non ordinatus, ſive conſecratus, antequam ab Imp. confirmatus, Gaulterio, quem V. Schiſmati, quod Ep. Mediolanenſes, Iſtriani & Veneti fovebant, ob 3. capitum defenſionem, ſedando incubuit. Auguſtinum Mon. in M. Britanniam, ut ibi Evangelium doceret, miſit, &c. A Mauritio Imp. monitus, ut Joh. Jejunatori Conſtantin. qui ſe Patriarcham Univerſ. dixerat, obtemperaret, *Præcurſorem Antichriſti* illum eſſe, qui hunc ſibi titulum ſumpſerit, reſpondit; ipſe ſe *Servum Servorum* primus appellavit. Præter alia Librum Jobi, quomodo juxta literam intelligendus, qualiter ad Chriſti & Eccleſiæ ſacramenta referendus, quo ſenſu unicuique fidelium ſit aptandus, per triginta quinque libros expoſitionis mirandâ ratione perdocuit. Alii quidem Pontifices, inquit Beda, conſtruendis, ornandiſque vel auro vel argento Eccleſiis operam dabant, hic autem totus ad animarum lucra vacabat. Luculentum quoque teſtimonium de Gregorio perhibet Trithemius Abbas *l. de Script. Eccl. Gregorius*, inquit, *Papa, vir in divinis ſcripturis eruditiſſimus, Theologus princeps, ſplendor Philoſophorum, & Rhetorum lumen, vitâ & converſatione integer atque ſanctiſſimus.* Egregium quoque de eo hoc eſt Platinæ encomium; *Is*, inquit, *non ſibi, ſed utilitati hominum, ac honori divino conſulens, quem certè ob religionem & pietatem rebus omnibus ſemper antetulerat, ſpretis opibus, poſthabitis voluptatibus, atque omni ambitione & potentiâ gubernacula Reip. Chriſtianæ ſuſpiciens ita vixit, ut uſque ad tempora noſtra neminem ex ſucceſſoribus parem habuerit, nedum ſuperiorem vel ſanctitate vitæ, vel diligentiâ in rebus agendis, vel doctrinâ & ſcriptis.* Obiit A.C. 604. Epiſc. 13. Iſid Hiſpal. c. 27. Sigebert. *c.* 41. Concil. 8. Tolet. c. 2. Joh. Diac. *in ejus vita.* Gregor. Tur. Aimonius, &c. Opera ejus Baſileæ ſæpius alibique, tandem 6. volum. Pariſiis A. C. 1640. impreſſa. Ei ſucceſſit Sabinianus.

GREGORIUS II. Rom. Conſtantino ſucceſſit A. C. 714. Longobardos terris ad Eccleſ. pertinentibus pellere anniſus, habuit Concilium A. C. 721. contra matrimonia illicita, A. C. 726. contra Iconoclaſtas, ubi *Imaginum venerationem retinendam eſſe, ad excitandam langueſcentem multitudinis imperitæ memoriam*, ſtatuit. Leonem Imp. quod imagines non veneraretur, excommunicavit, populos ſacramenti religione exolvit, Romanis in verba ſua adactis, *Romam ducatumque Rom. a Græcis ad Pontifices Rom.* tranſtulit, Sigon. *l.* 3. prodigioſa Tiberis inundatione Romam terrente. Cum Gallis fœdere icto, &c. Obiit A. C. 731. Sirmond. & Anaſtaſ. *de vita Pontif.* Sigebert. *de Viris Ill. c.* 74. P. Diacon. Onuphr. Ciaccon. &c. Quatuor epiſtolarum ejus ſupereſſe dicuntur. Illum excepit Gregorius III.

GREGORIUS III. Syrus, Gregorio II. ſucceſſit, A. C. 731. Contra Luitprand. Longobard. Regem Caroli Martelli opem imploravit, Obiit A.C. 741. Varia ei ſcripta attribuuntur. Anaſtaſ. Sigebert. *de Vir. Ill. c* 76. Ciaccon. &c. Hìc majori fervore, Synodo A. C. 731. contra Legatum ſuum Gregorium coactâ, decrevit, *ſi quis poſthac ſacrarum imaginum venerationem abrogarit, ſit extorris à corpore & ſanguine D. N. J. C.* Sigon. *l.* 3. Ei ſucceſſit Zacharias.

GREGORIUS IV. Romanus, Valentini ſucceſſor, A. C. 827. In Galliam tranſiens, Ludovicum Pium, cum filiis, reconciliaturus, fruſtra fuit. Feſtum omnium Sanctorum inſtituit. Obiit A. C. 843. ſub Lothario, & Michaële, Theophili fil. Impp. Iidem. Eum excepit Sergius II.

GREGORIUS V. German. prius *Bruno* dictus, ab Ottone III. Imp. ſubſtitutus eſt, Joh. XVI. A. C. 996. Cui oppoſitus à Creſcentio Joh. XVII. Placentin. Ep. ab Imp. pulſus eſt. Obiit A. C. 999. Platina, Sigon. *l.* 7. Succeſſor ejus Sylveſter II.

GREGORIUS VI. priùs *Gratianus*, A. C. 1044. Simoniæ accuſatus, ab Henrico III. Imp. ſubſtituto Suidgero, poſtea Clem. II. depoſitus eſt, A. C. 1046. Obiit in Germania. Otto Friſing. *in Chr.* Glaber. *l.* 5. Gul. Malmesbur. *l.* 2. *c.* 13. Giaccon. *Gregor. VI.* &c.

GREGORIUS VII. Tuſcus, priùs *Hildebrandus* appellatus, ſucceſſit Alexandro II. A. C. 1073. quem ſecutus edixit, *Ne Laicus, cujuſcunque conditionis, Inveſtituram Eccleſiaſtici muneris conferret.* Vormatiæ Synodo habitâ Necromantiæ, adulterii, aliorumque ſcelerum accuſatus & depoſitus, Henr. IV. Imp. indignè habuit. Lamb. Schafn. Sacerdotum conjugia inhibuit: de quo mira vide apud Sigebert. Naucler Schaffnaburg. &c. Anathema Henrico fruſtra ſupplici denuntiavit, ſurrogato ei Rodolpho, miſsâ ei coronâ, cum his verbis:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.

Sigebert. Vide & Helmold. *c.* 28. ſed infelix hic, dextrâ in prælio præciſâ, agnovit perjurii pœnam. Cui ſubſtitutum Henricum Lucelburg. portâ cum cardinibus avulsâ, cum aliis, oppreſſit. Poſtea Henricus, Româ expugnatâ, Gregorium in mole Adriani obſèdit, qui inde profugus, ope Guichardi Apuliæ Ducis, Salerni Obiit, A. C. 1085. Vide Urſperg. Bennonem Cardin. *in vita Gregorii*: Et de Cælibatu imperato, ejuſque in Germania, Mediolani, ubi Guido Archiep. Clericis uxores habere nihilominus permiſit, unde *Patarini* orti & Angliâ, remoris, vide Sigon. *l.* 9. Joh. Naucl. *Gen.* 36. Polydor. *l.* 9. M. Chemn. *exam. de Cælibatu.* Hic cùm Epiſtolas decretales publicaſſet, orbi Chriſtiano horrendam incubuiſſe peſtem, quod alii melius Gregorio IX. tribuunt, refert Aventin. *Ann. Bojor. l.* 7. Eum excepit Clemens Antipapa & hunc Victor III. Cæterum is, Pontificiæ Monarchiæ auctor præcipuus, *Dictatus* ſcripſit, de quibus ſuprà dictum.

GREGORIUS VIII. Beneventanus, Urbano III. ſucceſſit, A. C. 187. menſe 2. mortuus. Ei ſucceſſit Clemens III.

GREGORIUS IX. priùs *Hugolinus* appellatus, A. C. 1227. poſt Honorium III. Papa, ſanguiſugus & avarus, Fridericum II. Imp. quòd juramentum ab Italis poſceret, excommunicavit, in Orientem profectum, Sultano prodidit, redeuntem duobus millionibus acceptis abſolvit, à Romanis civibus, Duce Humbaldo, Roma pulſus, Regum Galliæ opem imploravit. Franciſcum, Dominicum, &c. Sanctis adjecit: Obiit centenario major A. C. 1240. Aventin. *Ann. Boj. l.* 7. Matth. Pariſ. &c. Succeſſit Cœleſtinus IV. Cæterùm ejus juſſu & auctoritate ſexta Collectio Decretalium adornata eſt, à Raymundo de Pennaforti, illius Capellano A. C. 1230. Vide infrà *ſuo loco.*

GREGORIUS X. Placentinus, priùs *Theobaldus* dictus, poſt ſedem biennio vacantem, de quo vide ſcomma, apud Joh. Baleum, *l.* 6. *in Gregorio* 10. Onuphr. *in Vitis.* Clementi IV. ſucceſſit, A. C. 1272. Concilium 2. gen. Lugduni celebravit A. C. 1274. quo Michael Palæologus, ut ſecuritatem à Carolo Siculo redimeret, Eccleſiam Græcam Romanæ ſubjecit; Græcis adeò indignantibus, ut Michaelem etiam ſepultura privarent, Bulling. *de Conc. l.* 2. Porro, de reformatione Cleri actum, expeditio in Palæſtinam decreta, ritus eligendi Pontificis conſtituti. Obiit reverſus hinc, in Italia, A. C. 1276. Blond. Sanut. Onuphr. &c. Succeſſit Innoc. V.

GREGORIUS XI. priùs *Petrus Rogerius*, nepos Clem. VI. Gallus, ſucceſſit Urbano V. A. C. 1370. Baldi olim auditor. Pacem inter Chriſtianos conciliare, auxilia Armeniis contra Turcas ſummittere, &c. anniſus eſt. Motus turbis Florentinis, quorum ope Romani nixi, Legatos Pontificios repulérunt, ſedem Avenione Romam, poſt 72. An. tranſtulit. Sed videns, fulmina ſua à Florent. negligi, præ tædio mortuus, monuit priùs Cardinales, ne revelationibus amplius adjungerent fidem, quandoquidem *à Brigitta & Cath. Senenſi deceptus, in Italiam, tam infauſto omine remeaſſet.* Crantz. *l.* 9. *c.* 33. Sabell. *in Hiſt.* Mornæus, *in Myſter. p.* 1074. Platina & Ciaccon. *in vita ejus*, &c. Poſt eum Schiſma A. C. 30. Vide *Clemens VII.*

GREGORIUS XII. Venetus, priùs *Angelus Cornarius*, ſucceſſit Innoc. VII. tempore horrendi Schiſmatis: Ad unionem juramento obſtrictus, cùm Papatum obtinuiſſet, ne audire quidem de Concordia voluit, unde Paſquillus. Vide Theod. à Niem. *tract.* 6. *Labyr. c.* 29. Quod plurimi ægrè tulêrunt, & Sorbona decrevit, *Eccleſiam Gall. nullo jure obſtrictam eſſe, ut pecuniam Papæ pendat, niſi in tribus cauſis*, Monſt. *l.* 1. *c.* 67. Cùm ne ſic moveretur, Cardinales ſeceſſione factâ, Piſis Concilio celebrato A. C. 1409. tertium Papam, Alexandrum V. in theatrum produxêre, cui mortuo Joh. XXII. ſucceſſit. Sic triceps Eccleſia, cùm Benedictus XIII. interea Avenione ſederet. Quo tandem cum Joh. in Conc. Conſtantienſi depoſito, Gregorius ultro Papatum ejuravit, ſucceſſorem nactus Martinum V. Obiit A. C. 1417. Iidem.

GREGORIUS XIII. Bononienſis, prius *Hugo Boncompagus* Pii V. ſucceſſor, A.C. 1572. De laniena Pariſienſi, ſupplicationibus indictis, triumphavit. Thuan *l.* 53. Kalendarum vet. abolevit, novo introducto, plurima Jeſuitis collegia in variis Europæ regnis extruxit. Hiberniam Elizabethæ ſubtrahere, Luſitaniam in ſe transferre, Belgas, omnium peccatorum veniâ illorum hoſtibus conceſsâ, debellare, Reformatos in Gallia prorſus exſcindere, fruſtra anniſus: Moſcos Polonis reconciliavit, controverſiam Melitenſium Eq. cum Magiſtro compoſuit: à Legatis Regulorum Japoniæ, ſub hac formula, *Adorando & cœli Regis locum in terris obtinenti magno & ſanctiſſ. PP.* ſalutari ſe paſſus eſt, &c. Obiit A. C. 1585. Æt. 83. ſtatua marmorea à P. R. donatus. Vide Thuan. *Hiſt. paſſim.* Cicarell. *in vita ejus.* A. Rivet. *in Jeſuita Vap.* Ei ſucceſſit Sixtus V. Cæterùm, *Decretum* Gratiani primus vulgavit, A. C. 1582. Pontific. 11. & *Decretales* reſtituit. Vide *Præfat.* Operi præmiſſam. Gerh. von Maſtricht *Hiſt. Jur. Eccl. n.* 393. & 394.

GREGORIUS XIV. priùs *Nic. Sfondratus*, Mediol. Urbano VII. ſucceſſit A. C. 1590. Hic in Concilio Tridentino, Epiſcopos gregi adeſſe ſemper debere, contra alios defenderat. Jam Papa Henr. IV. exhauſto omni ærario, quod Sixtus collegerat, oppugnavit. Obiit 10. menſe A. C. 1591. Thuan. *l.* 100. Cicarell. *in vita ejus.* Succeſſit Clemens VIII.

GREGORIUS XV. priùs *Alex. Ludoviſius*, Bonon. Paulo V. ſucceſſit, A. C. 1621. Æt. 67. ex concilio feminæ quinquagenariæ, quæ pleraque ſub ipſo agebat, Regem Galliæ adverſus Hugonotas conci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

concitavit: in numerum SS. Ignatium Lojolam, Xaverium, &c. retulit. Hiſp. Jeſuitas & Dominicanos, acerbè de Conceptione B. Mariæ diſputantes coërcuit: cum Venetis, ob Græcos, diſſedit, Imp. contra Proteſtantes, Polono contra Turcas pecuniam ſumſit. Ep. Pariſienſem Metropol. effecit. Obiit A. C. 1623. Secutum eſt interregnum An. 2. Succeſſit Urbanus VIII.

GREGORIUS Antipapa, pulſo Benedictio VIII. à quibuſd. Romanis electus, ſed hic ab Henrico Imp. reſtitutus eſt. A. C. 1013. *Viri Illuſtres.*

GREGORIUS, Cardin. Innoc. II. ab Anacleti II. factione oppoſitus, Rogerio Siculo electionem approbante, Victoris nomen aſſumpſit. Mox, ope Bernardi, Innoc. ſe ſubmiſit. Bernard. *Ep.* 320. Bar. A. C. 1138. Alius Antipapa, vide *Mauritius Burdinus.* Item, Patr. Antiochenus, A. C. 594. poſt Anaſtaſium Sinaïtam. Evagr. *l.* 5. *c.* 6. & *l.* 6. *c.* 23. Item, Alius poſt Anaſtaſium II. A. C. 609. ſedit An. 20. Item, Patr. CP. poſt Joſephum, ſec. 13. Item alius, ſec. 15. cui Gennadius Scholarius ſucceſſit. Item, Metropolit. Amaſiæ, A. C. 1623. pulſo Timotheo, ipſe poſtea Rhodum ejectus. Item, Ep. Alexandrinus, Concilio Antioch. ab Arianis electus, ſævus in Orthodoxos, Syn. Sardicenſi pulſus, & paulo pòſt Alexandriæ occiſus, Socr. *l.* 2. Theodor. *l.* 2. Sozom. *l.* 5. Item, auctor orationis, de Patribus Conc. Niceni A. C. 325. ſub Conſtantino Porphyrogenneta, etiam Greg. Naz. vitam ſcripſit. Voſs. Item, Ep. Nicomediæ.

GREGORIUS de Arimino, poſt Thomam Argentin. Generalis Auguſtinianorum. Scripſit in 4. libb. Sententiarum, Epiſtolas Pauli, Jacobi & de Uſuris, &c. A. C. 1357. Trithem. *Cat.* Sixtus Sen. *Bibl. Sancta*, *Sabellicus*, &c.

GREGORIUS Avitius, Theologus, auctor plurium ſcriptorum.

GREGORIUS Bæticus, Ep. Eliberitanus, ſec. 4. Oſio ſe oppoſuit, contra Arianos ſcripſit, ab initio Luciferianos ſectatus, Hier. *de Scr. Eccl. c.* 105. Iſid. *de Vir. Ill. c.* 1. &c.

GREGORIUS Ben Elebri, Arabs, plurima ſcripſit.

GREGORIUS Berſmannus, Germanus, Pſalmos Davidis carmine Lat. expreſſit, ſcholiisque Virg. Horat. Lucan. Ovid. & Cic. illuſtravit.

GREGORIUS Cairguentius, Benedictinus, Hiſtorica quædam ſcripſit. Simler. & Voſs. *de Hiſt. Lat. l.* 2.

GREGORIUS Characondius, cogn. Niger, Hungarus, ſe divinitus, ad Turcas pellendos, miſſum commentus, paulo poſt luit impoſturam. A. C. 1572.

GREGORIUS Corteſius, Cardin. Græcè Latineque doctiſſimus. Spond. A. C. 1547. Vide de illo ejuſque ſcriptis, plura apud Ant. Teiſſier *Elogiis* P. 1.

GREGORIUS Haloander, ſeu Hoffmannus, JC. celebris ſcriptis. Melch. Adam. *in vita Germ.*

GREGORIUS Martinus, vide *Martinus.*

GREGORIUS Nazianzenus, Pater, Nazianzum in Cappad. cujus Ep. erat, à militibus Juliani Ap. tuitus, eidem ob electionem Ep. Cæſarienſis reſtitit: Animi excelſi paſſim ſpeciminibus editis. Ex Nonna, Pater Greg. Theologi, Greg. Cæſarienſis & S. Gorgonæ. Obiit A. C. 372. Æt. 100. Epiſc. 45. Greg. Theol. *orat. funebr. patr*

GREGORIUS Nazianzenus; Nazianzi in Cappadocia, Ep. patre natus, primùm Zaſimæ, quæ vilis Cappadocum civitatula: deinde Nazianzi. Coadjutor Patris primùm, dein Patris ibidem ſucceſſor, unde Mantuan.

Præſule patre ſatus, nam tunc id jura ſinebant,
Paſtorale pedum geſſit poſt funera Patris.

Tandem Conſtantinop. Ep. A. C. 379. dictus eſt *Theologus.* Cum Baſilio Athenis ſtuduit. Ubi Julianum Apoſt. noſse ambo didicêrunt, qui proin illos poſtmodum fruſtra in partes ſuas pertrahere niſus eſt. Baſilium in Epiſcopat. Cæſarienſi juvit, ab ipſo poſtmodum Zaſimorum Ep. dictus, unde frigus aliquod. Dein Concilio Conſtantinop. jam hîc Ep. renuntiavit ſponte, A. C. 382. in ſolitudine mortuus, A. C. 389. Floruit autem ſub Valente Imp. & an. 11. Theodoſii Obiit, teſte Hier. qui eum 30000. verſuum compoſuiſſe ſcribit. Opera ejus 2. vol. Græcè & Latinè, Pariſiis impreſſa, A. C. 1609. in quibus V. T. argumenta tractat. *Pietas ejus*, inquit Eraſmus, *propemodum ex æquo certat cum facundia.* Sed amat ſignificantes argutias, quas eò difficilius eſt Latinè reddere, quòd pleræque ſint in verbis ſitæ. Tota verò phraſis nonnihil accedit ad ſtructuram Iſocraticam. Adde quòd de rebus divinis, quæ vix ullis verbis humanis explicari poſſunt, libenter ac frequenter philoſophatur. Hic Baſilio Magno, ut dictum, arctiſſimâ fuit neceſſitudine conjunctus, ac D. Hier. in Divinarum Scripturarum ſtudiis auditorem ac diſcipulum habuit. *A patria, quam non minus, ac Alexander Pellam, Cyrus Perſas nobilitavit*, Nazianzenus: *à dogmatum ſublimitate ſolus poſt Joh. Evang.* Theologus *proprio & peculiari nomine dictus*; *Conſecratione matris*, Samuel: *Zelo fervente* Elias: *Vitæ auctoritate* Joh. *divinâ humanaque ſcientiâ* Moſes *aut* Daniel: *Vineæ Domini ſpiritualis plantatione* Noë; *ille pacis arbiter, ille Chriſti manſueti & humilis diſcip.* Martyr *ſine periculis, ſine vibicibus* Laureatus, Scriptor vitæ ejus. Græcorum Patrum μεγαλοφωνότατος, Montacut. Conſtantinopolitanam ſedem ab Arrianis Epiſcopis repurgavit, Genebrard. Vide quoque Hier. *c.* 117. *de ſcr. Eccl.* Baſil. *Ep.* 141. Ruffin. *l.* 2. Auguſtin. Socratem, Sozom. Simonem Metaphr. Leonem Imp. *Conſt.* 88. &c. Nic. Lloydius. Ejus Teſtamentum Sirmondus, à Baronio editum, correxit Morer. *Dict. Hiſt.*

GREGORIUS Neocæſarienſis, ob multitudinem ſignorum & miraculorum cogn. *Thaumaturgus.* Origenis auditor, immunis tamen ab ejus erroribus, clarere cœpit in ſchola Origenis, A. C. 223. tempore Alex. Sev. factus dein in Ponto Ep. Cæſareæ; ubi & natus eſt. Interfuit Concilio Antiocheno primo, adverſus Paulum Samoſatenum, teſte Euſeb. Synodo Epheſinæ contra eundem celebratæ, A. C. 266. Gualterio, ex Bar. & Gerardo. Obiit A. C. 266. relictis Neocæſareæ 17. ſolùm Idololatris, cùm 17. tantum Chriſtianos, initio illic reperiſſet. Vir Apoſtolicarum virtutum maximè compos, inter omnes Patres, Barthio. Opera ejus à G. Voſſ. edita, Moguntiæ, A. C. 1604. Prodiêrunt dein, unà cum operibus S. Macarii & Baſil. Seleuciæ, Græc. Lat. Fol. Pariſiis, A. C. 1621. Hier. *de ſcr. Eccl. c.* 65. Euſeb. *l.* 6. *c.* 23. *l.* 7. *c.* 13. & 2... Baſil. *de Spir. S. c.* 29. & *Ep.* 64. Socr. Theodor. Ruffin. Evagrius, *Suid.* &c.

GREGORIUS Nyſſenus, Ep. A. C. 369. quem Græci honoris causâ *Patrem patrum* appellant, Divi Baſilii Magni frater, natu minor. Academicis, ac Peripateticis diſciplinis excultus, vir eloquentiæ nervoſæ ac preſſæ. Maritus Theoſebiæ, Nicet. & Niceph. Calliſtus, *l.* 11. *c.* 29. & *l.* 12. *c.* 13. A Valente in exilium pulſus, A. C. 370. ſeptimo pòſt anno reſtitutus eſt. In Conc Oecumen. Conſtantinop. A. C. 381. Meletium Antioch. & Placillam, Theodoſii filiam funebri oratione laudavit. Obiit A. C. 396. *Dulcis & illuſtris Eccleſiæ fons*, Leoni Imper. *Eloquentiſſimus & multiplici eruditione præſtans*, Suidæ: *Vir eloquentiæ nervoſæ ac preſſæ*, Sixt. Senenſi: *Dictione, ſi quis veterum alius, ſplendidus*, Photio *in Biblioth.* Opera ejus à Frontone Ducæo, edita, A. C. 1605. cui addita quædam, A. C. 1618. Baſil. *Ep.* 43. Gregor. Nazianz. *Orat.* 6. & *in Ep.* Hier. *de Script. c.* 129. Socr. *l.* 3. *c.* 8. & *l.* 4. *c.* 21. & *l.* 5. *c.* 9. Sozom ... *c.* 10. Theodoret. *l* 4. *c.* 28. Morer. *Dict. Hiſt.*

GREGORIUS Paleunas, Archiep. Theſſal. ſec. 15. errorem Græcorum, de lumine increato, in monte Tabor, apparente, ſcripto defendit, refutatus à Barlaamo, &c. Gregoras *l.* 11. Cantacuzen. *l.* 1. Claud. Eſpenſæus ex operibus ejus aliquid edidit.

GREGORIUS Pauli, Cracoviæ, Antitrinitarius infamis, ſec. præ...

GREGORIUS Presbyter, auctor fuit Collectionis Canonum, quam *Polycarpum* vocant, vide infrà.

GREGORIUS, Protoſyncellus Eccleſiæ Conſtantinop. i. e. primarius Patriarchæ Vicarius, ac ſucceſſor, Concilio Florentino interfuit. Veterum PP. ſcripta varia collegit. An idem cum Gregorio Mammeno Meliſſeno? Obiit A. C. 1459.

GREGORIUS Reiſchius, Confeſſionarius Maximiliani Imp. Statuta Ord. Carthuſ. ſcripſit, Petrejus *Bibl. Carth. p.* 109.

GREGORIUS Rzehorz, Rokyzanæ ex ſorore nepos, inter primos Unitatis fratrum Bohemorum fundatores recenſetur: poſtquam in Pragenſi cœnobio opinione ſanctitatis celebris vixiſſet. Perſecutione mox ingruente crudeliſſimè tortus, dolores adeò non ſenſit, ut carnifices obſtupeſcerent, & ipſe Rokyzana lachrymabundus adſtaret, *fortunam cruciati ſuâ meliorem* dicens: Produxit vitam uſque ad A. C. 1474. Lætus *Comp. Hiſt. Univ.*

GREGORIUS Sondereiterus, Germ. vitam Conſtantini Cæſ. ab Euſeb. ſcriptam carmine expreſſit. Voſſ. *de Hiſt. Lat. p.* 705.

GREGORIUS Strepius, ſeu Griſca Utrepaja, vide infrà *Strepius.*

GREGORIUS Tiphernas, Medicus Italus, poëmatum, & librorum aliquot Strab. verſorum auctor. Girald. *de poët. dial.* 1.

GREGORIUS Turonenſis, Arvernus nobilis, Archiep. Turonenſis poſt Euphronium, A. C. 572. In negotio Prætextati, Chilperico & Fregedondæ, magno animo reſtitit, Gregorii Magni amicitiâ inclytus. Obiit A. C. 595. Scripſit Hiſtoriam primorum Gall. Regum, libris 10. Item de gloria Martyrum, & Confeſſorum, Comm. in Pſalm. &c. Vide Sigebert. *c.* 49. Hilduin. *in Areop.* Aimon. *l.* 1. *c.* 18. Voſs. *de Hiſt. Lat. tom.* 2. *c.* 22. & Morer. *Dict. Hiſt.*

GREIFFENSTENIA Familia, in Germania illuſtris, ramus eſt ſtirpis Solmenſis. Cùm enim Otto Comes Solmenſis, qui omnium, quotquot nunc ſuperſunt in familia hac, communis parens eſt, Deceſſiſſet A. C. 1409. reliquit filios, Bernardum, Brunfelſinæ lineæ auctorem & Joh. à quo Lichenſis & Laubachia linea ortum trahunt. Brunfelſina iterum in tres ramos diviſa eſt, nempe *Brunfelſinum, Hungenſem & Greiffenſtenium*, de quo hîc ſermo. Et quidem Bernardus I. præfatus Com. Solmenſis *in Braunfels* (qui Obiit A. C. 1459.) fil. ex Eliſabetha Iſenburgica, Joh. genita, habuit Ottonem, Extinctum A. C. 1504. Quo & Annâ Naſſoviâ genitus Bernardus II. Obiit A. C. 1547. Pater ex Margaretha Hennebergica Philippi, qui Deceſſit A. C. 1544. relicto, ex Anna Tecklenburgica (filia Ottonis Com.) Conrado, Defuncto A. C. 1592. Hujus (ex Eliſabetha Naſſovia) fil. Vilhelmus Com. Solmenſis *in Greiffenſtein*, ex Amalia Naſſovia, genuit Johannam Eliſabetham (nat. A. C. 1602. Den. . . .) Joh. Conradum (nat. A. C. 1603. θ. . . . nullis ex Anna Margaretha Agnata liberis relictis) Julianam (nat. A. C. 1605. Den. A. C. 1629.) Sabinam (nat. A. C. 1606. uxorem Georgii Hartmanni Baronis *de Zinzendorf*) Amaliam (nat. A. C. 1607. Den. A. C. 1608.) Vilhelmum (nat. A. C. ... cui primò Johanna Sibylla Solmenſis, exin Erneſtina Sophia Hohenloica, nupsêre) Ludovicum (nat. A. C. 1614. maritum . . .) Conradum (nat. A. C. 1615. θ. A. C 1635.) Annam Amaliam (nat. A. C. 1617. uxorem Philippi Reinhardi Com. Solmenſis) & Erneſtum Caſimirum (nat. A. C. 1620. θ. . . .) *Comites Solmenſes &c. Lineæ Brunfelſinæ in Greiffenſtein.* Phil. Jac Spener. *Theatr. Part. I. p.* 158. Vide quoque eum *Arte Heraldicâ Tom. II.*

GREMIUM, an à *gerendo*, quaſi *geremium*; an ab *ingreſſu* ... cili, nonnullis cum ſinu confunditur. Sed de *Gremii & Sinus* diſcrimine, ſic Marcil. *ad Suet. Veſpaſ. c.* 5. *Propriè ſinus, ait, ad pectus, gremium infra pectus. Hinc illud Albinovani Conſolationi Liviæ,*

—— Gremiumque ſinusque.

Et Virg. Æn. *l.* 8. *v.* 712.

Pandentemque ſinus, & totâ veſte vocantem
Cœruleum in gremium. ----

Et paulo pòſt. De gremio eſt prov. vet. Nec mulieri nec gremio credendum ---At ſinui non malè creditur, ut Cic. Ep. 12. *l.* 2. &c. Itaque Gremium propriè pars ea eſt hominis, in femineo inprimis ſexu, quæ inter utrumque femur intercipitur, uti patet ex tabula figulina, puerperarum votum continente, & Nemorenſi olim Dianæ ſacra, in qua ...

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

obſtetrix puerum in lucem jam editum *gremio* fovet, & dextrâ mulierem puerperam ſuſtinet ferè nudam habitu dimiſſo, apud Jac. Phil. Thomaſin. *de Donar*. Unde pudicè de locis genitalibus apud Pap. Stat. *Theb. l.* 1. *v.* 233.

Scandere quin etiam thalamos hic impius hæres
Patris & immeritæ gremium *inceſtare parentis*
Appetit. ———

Atque hinc de omni cura educationeque paterna ac materna. Claud. IV. *Conſ. Honor. Carm.* 8. *v.* 158.

Uberibus ſanctis immortalique Dearum
Creſcis adoratus gremio ———

Venant. Fortunat. *l.* 8. *Carm.* 5.

Quamque ſuis genibus caram nutrivit alumnam &c.

Intimâ inde tutelâ. Stat. *Theb. l.* 10. *v.* 249.

Longævique Ducis gremio *commendat honorem*
Frontis ———

Et in Sacris ſæpius. Unde amiciſſimi in *gremiis* ſuorum recubantes, cibum olim cepére, apud Hebræos Romanoſque, vide ſuprà ubi de *Accumbendi ritu*: ut ibi, tanquam firmiſſimo aſylo, ſecuri quieſcerent. Quo proin & in periculis confugi ſolitum. Certè in *gremio matris* Lyſimachus & Philippus fratres, a Ptolomæo Ceranno Vitrico, & Geta, à Baſſiano Imp. fratre confoſſi ſunt, vide ubi de iis: ſanctitatem loci profanante truculentiâ, omnis humanitatis experte; quam tamen & leones, quibus irruentibus gremium apertum, reveritos legimus &c. Vide Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat.* d. l. & hic ubi de *Femore*, *Genibus*, *Liberis*, *Sinu*, &c. Vox poſtmodum ad alia tranſlata; unde *Gremium Baſilicæ*, apud Anaſtaſ. *Sylveſtro*, *Canthara*, *roſtrata in* gremio Baſilicæ *argentea* 50. media pars quibuſdam ſeu Navis eſt, vide Joſ. Arndium *Lexic. Antiqq. Eccl.* p. 1088. Sic *de Gremio mittere*, in Collegiis & Monaſteriis, Eccleſiis item conventualibus Commun. Rom. dicitur, cùm ſocietate quiſpiam ſui ipſius & reliquorum nomine delegatur; cui oppoſitum *à Latere Legatus*, cùm quis ab uno mittitur. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſ.* & Macros Fratres in *Hierol.* At *Gremiale*, in eadem Eccleſia, dicitur pannus ſericus, qui Epiſcopi ſacra facientis, cùm in cathedra ſeu faldiſtorio ſedet, *gremio* aptatur, in cujus medio crux, *ibid.* De *canibus* vide *gremialibus*, vide ſuprà in voce *Barabracus*.

GRENTONIS Manſio, vulgò *Gratemeſnil*, locus memoreatus Orderico Vitali, *Hiſt. Eccl. l.* 3.

GREO mons, *Puy de Greou*, mons eſt Galliæ celſiſſimus, in Petrocoriis, ab Aureliaco opp. 4. ſer leucis diſtans. Memoratur. Odoni Abbati Cluniac. *l.* 2. *de vita S. Geraldi Com. Aurelianenſis.*

GREPI, Sacerdotes Peguanorum, apud Ferdin. Mend. Pinto. *Itin.* ubi unius ex illis, de ſtatu utroque primi hominis, memorabilem narrationem habes, relatam à Tob. Pfannero *Syſtem. Theol. Gentil. pur.* c. 7. §. 10. Vide quoque infrà *Pegu.*

GRESTONIA, reg. Thraciæ juxta Macedoniam. *Steph.*

GRETSERUS Jacobus, vide *Jacobus.*

GREVINUS Jacobus, Claromonte Bellovacenſis, jam Ann. Æt. 22. *Poëmata Gallica* edidit, Ronſardo magni æſtimata. Inde ad Medicinam animo applicito, *Nicandrum* Gallico vertit metro, adjecitque tract. *de Piſcibus* Margaretæ poſtea Philiberto Sabaudiæ Duci nuptæ à cura ſanitatis & Conſiliis Obiit A. C. 1570. magnificio fu nere honoratus. Thuan. *Hiſt.* du Verdier *Biblioth.* Ant. Teiſſier *Elogiis*, P. 1. ubi ſcripta ejus recenſet. Vide quoque *Biblioth.* de la Croix du Maine.

GREVIUS Philippus, vide *Philippus.*

GREX, Latinis, quod τυίοϲ Græcis: quorum utrumque de Scenicorum propriè familia, collegio, choro, tam Patrumfamilias, quàm Miniſteriorum. Petron. Edit. Gonſali de Salas *p.* 24. Edit. Boſch. *c.* 40.

Grex agit in ſcena mimum: pater ille vocatur,
Filius hic, nomen divitis ille tenet.

Cujuſmodi *greges* peculiares, nobiles Hiſtriones, Romanis rebus florentibus, tam in domina gentium urbe, quàm aliis Italiæ civitatibus, habuiſſe, notum, ex *Inſcr.* vet. honori nobiliſſimi illius Pyladis, de quo infrà dicemus, data, apud Mediolanum,

PYLADI.
PANTOMIMO. HONORATO
SPLENDIDISSIMIS CIVITATIBVS ITALIÆ ORNAMENTIS DECVRIALIBVS ORNATO
GREX
ROMANVS OB MERITA EIVS TITVLVM MEMORIÆ
POSVIT.

Hinc de aliis. Grex *curſorum* occurrit apud eundem Petron. Gonſali de Salas *p.* 16. Edit. Boſch. *c.* 29. *Notavi etiam in porticu gregem curſorum cum Magiſtro ſe exercentem*: Ut &, *Grex Socraticus*. Petron. Gonſali de ſalas *p.* 3. Edit Boſch *c.* 5. *Sic Grex Turpius*, apud Horat. *Carm. l.* 1. Ode 37. *v.* 9. &c Vide Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Papin. Stat. Theb. l.* 4 *v.* 685. & Salmaſ. *ad Hadr. Spartiani*, ut & quædam ſuprà in voce *Factiones*, item *Familia*. Adde Pignor. *de Serv. p.* 42. ubi de Gregibus *ſervorum*, & *p.* 536. Petron. Gonſali de Salas *p.* 61. Edit. Boſch. *c.* 79. ubi *de Gregibus equorum*, & qui illis præfecti erant; *Servis Gregariis*.

GRIBALDUS, Matthæus, vide *Matthæus*.

GRIET, opp. Germaniæ inf. adſiniſtram Rheni ripam. *Joh. Matal. Metell.*

GRIETMANNI, apud Friſones, Præfecti civitatum, in *LL.* Opſtalbomiciis, apud J. a Sande *Decision. Friſic. c.* 1. *defin.* 1.

GRIFFO, ſeu GRIPHO, fil. Caroli Martelli, ex Suanechilde, Lauduni obſeſſus a Fratribus, ope Pipini, ſecundogeniti fratris, liberatus eſt, & aliquot Comitatibus donatus. Sed ambitione compulſus, Saxones primo, dein Bavaros concitavit: Quibus victis in Aquitaniam ſe recepit, ad Gaifrum Ducem Occiſus A.C. 753. in Italiam tranſiens. Aimon. *l.* 4. *c.* 58. & *ſeq.* Otto Friſing. *l.* 5. *c.* 21. Ado Vienn. *in Chron.* P. Æmil. &c. Item, Flander, Franciſcanus, à Sixto III. in Orientem miſſus, ad Maronitas montis Libani convertendos. Auctor Itinerarii terræ S. Obiit A.C. 1475. Voſſ. *de Hiſt. lat. l.* 3. Patr. Orientis a Calixto III. declaratus.

GRIFFO, in Magno *Ricordo* Leodienſi, monetæ ſpecies, 20. flor. & totidem ſolidis æſtimata. At *Griffones*, apud Matth. Paris. A. C. 1190. *Cepit caſtellum inter Calabriam & Meſſanam, quod Monaſterium* Griffonum *appellatur, ubi Gryſones inſultum facientes in Hugonem Brunum Comitem Marchiæ à Rege Richardo repulſi ſunt*: Græci Byzantini Imperii ſunt, quos Franci ſic appellavêre. Hinc Caſtellum *de Mategriffon*, in Peloponneſo ad *matandos*, h. e. vexandos Græcos conſtructum, de quo vide C. du Freſne *in Hiſt. Gallo-Byzant*

GRIMA, opp. Miſniæ, ad Muldam fluv. 3. leuc. à Lipſia Miſniam verſus, ſub Saxoniæ Elect.

GRIMALDUS Lucas, vide *Lucas*.

GRIMACIÆ, Gallis dicuntur ridiculæ aut etiam horribiles vultûs diſtortiones, quibus puerul terrentur. Lat. *Sannæ*; unde *Sanniones*, qui facie magis, quàm facetiis, ridiculi ſunt. Salmaſ. *ad Tertull. de Pallio c.* 4. Vide infrà in voce *Maniæ*, item *Sanna*.

GRIMBERGENSES, triduano prælio, à Godofredo Lotharingiæ Duce, anniculo, in cunis vagiente, ſuperati ſunt, A. C. 1144. Lærus *Comp. Hiſt. Univ.*

GRIMMUS, fil. minimus natu Miciſlai Herulorum Regis, frater Miſtævonis & Mizdrachi, Rugiorum Principum conditor dicitur. Pater Critonis, qui Lubecam extruxit, ac Chriſtianorum crudelis perſecutor, Buthue Obotritorum Principe occiſo, regnum hoc uſurpavit. Sed ab illius fratre Henrico viciſſim interfectus ſucceſſorem habuit ſeu filium ſeu agnatum Razenem bellicoſum Principem & Razenburgi conditorem: poſt quem Rugiis fil. Jaromarus. I. Straſſundæ fundator, & Svantevici idolo contempto, Chriſtianæ fidei inter ſuos auctor; nepos Wizlavus, expeditionibus in Livoniam propagandæ fidei inſtitutis notus, pronepos Jaromarus à quo Damgartum extructum; abnepos Wizlerus II. II. qui ἄπαις lineam finivit A. C 1325. hæredibus Pomeraniæ Principibus, ex Miſtævone *Grimmi* fratre oriundis, reluctantibus Megapolitanis eadem ſtirpe proſatis & Danis, imperavêre. Phil. Jac. Spener. *Sylloge Gen. Hiſt. in Fam. Vandal.*

GRIMOALDUS, Longobardorum in Italia Rex XI. Dux fuit Beneventi, ſed dejectis Ariperti filiis thronum conſcendit, A. C. 663. præfuit uſque ad A. C. 673. quo mortuus ſucceſſorem reliquit Garibaldum fil. Paul. Diacon. *Hiſt. Longobard. l.* 5. *c.* 1. & *ſeqq.* ubi inter alia & de victoria illius contra Francos. Vide *Garibaldus*, item *Bertaridus*: & hic paulò infrà.

GRIMOALDUS, fil. Pipini, poſt eum Magiſter Palatii Auſtraſiæ, Ottone, Sigeberti tutore, per Leutharium, Alemannorum Ducem occiſo. Mortuo Sigeberto, fil. hujus Dagobertum tonſum, in Hiberniam ablegavit, cui cùm filium ſurrogaturus eſſet, cum illo ab Auſtraſiis Clodoveo II. traditus, & ſublatus eſt. Aimon. *l.* 4. *c.* 35. & *ſeqq.* Fredegar. *c.* 38. & *ſeqq.* Item, fil. Pipini Craſſi, maritus Theodeſindæ Friſiæ, Radbodi filiæ. A Rangorio Occiſus, A. C. 714. Item, Dux Beneventi, poſt Aripertum, cujus filii convenire non poterant, Longobardorum Rex A. C. 663. per Ann. 9. A-9. Arianiſmum ejuravit. P. Diacon. *l.* 5. Sigon. *de R. J.*

GRIMSULA, mons Helvetiæ, *Grimſel*. Non longè à monte S. Gothardi, continuus eſt Furcæ, & ſub Lepontiis quoque comprehenditur. Vallem Haſelam, ſub Bernenſium ditione, à Valleſianis dividit. Per illum iter arduum admodum & difficile eſt, Joh. Bapt. Plantin. *Helv. Antiq. & Nov.*

GRINARIO, vulgò *Knaringen*, opp. Vindeliciæ, non longè à Danubio, in Marchion. Burgaviæ, in Suevia, ad amnem *Carnlach*, vix 1. mill. à Burgavia in Occ. Ulmam verſus.

GRINGONIUS Petrus, vide *Petrus*.

GRINNES, Tac. *Hiſt. l.* 5. *c.* 20. & 21. in Batavis pop. quorum opp. B. Rhenano *Grin.* Divæo & Junio *Rhenen*, in Holl. Geldriæque conf. ad Rhen. fluv. Aliis *Grüningen*.

GRINNICUM, urbs Gall. Narbon. Vide *Graſſa*.

GRIPHUS, Clearcho apud Athen. πρόβλημά ἐστι παιστικὸν, προστακτικὸν, τοῦ διὰ ζητήσεως εὑρεῖν τῇ διανοίᾳ τὸ προβληθὲν, τιμῆς ἢ ἐπιζημίας χάριν εἰρημένον, *Problema eſt ludicrum, quo jubetur, ut veſtigatione mentis, quod propoſitum eſt, inveniatur, præmii aut mulctæ gratiâ in medium prolatum.* Cujuſmodi apud Vett. convivis, ingenii exercendi sâ proponi conſueviſſe, idem Athen. latè probat *l.* 10. *c.* 17. *p.* 449. Meminit etiam Jul. Pollux *l.* 6. *c.* 19. ubi compotorum ænigmata & *griphos* ita diſtinguit, ut illa ſtatuat ſemper fuiſſe jocoſa, hos quandoque ſerios. Verba ſunt, τὸ μὲν συμποτικὸν αἴνιγμα ὁ γρῖφος· τὸ μὲν παιδιὰν ἔχει, ὁ δὲ γρῖφος καὶ σπουδήν. Sequitur, ſolventi datum fuiſſe carnium aliquod ferculum, κρεῶν τινα περιφοράν, ut ἀλμης ποτήριον, *muriæ poculum* dabatur ei ebibendum, qui ſolvere non potuiſſet. Sed & alia præmia, alias item pœnas apud Græcos in uſu receptas, legere eſt in Athen. ubi *ſuprà*. Athenis in Saturnalibus, tale quid agitatum eſſe, refert A. Gell. *l.* 18. *c.* 2. At moris antiquitatem nihil tam aſtruit, quàm quòd legitur Samſon triginta convivis ſuis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſuis ænigma ſolvendum intra 7. convivii dies propoſuiſſe, eâ lege, ut, ſi ſolveret, pro præmio acciperent 30. ſindones & veſtes mutatorias totidem: ſin minùs, ipſi darent. Ænigma fuit, *De comedente exiit cibus, & de forti exiit dulce.* Judic. c. 14 v. 14. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poſt. l.* 4. *c.* 12. & Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 57.

GRIPSWALDIA, ſeu GRYPHISWALDIA, urbs Munita Pomeran. *Viritium* Ptol. Dimidia leuc. à mari Balth. cum portu ſatis commodo. Media inter Sundam ad Bor. & Volgaſtiam ad Ort. Academiam habet A. C. 1456. à Vratiſlao IX. Pomer. Duce fundatam. Huc quoque à Sigiſmundo Imp. Roſtochienſibus, ob tumultum, adverſus Senatum excitatum, proſcriptis, horum Academia in quinquennium tranſlata, poſtea re compoſitâ Roſtochio reddita fuerat Sub Suecis ab A. C. 1631.

GRISAGONELLA, cogn. Goffridi Com. Andegav. de quo vide infrà aliquid in voce *Gunna.*

GRISANTIUS Gulielmus, vide *Gulielmus.*

GRISEI Monachi, apud Ciſtercienſes, Laici ſeu Converſi dicuntur, quòd hoc coloris genere veſtiuntur. Olim verò omnes Ciſtercienſes *Albi* magis, quàm *Griſei*, dicebantur, ut ex Bernhardi & Petri Cluniac *Ep.* liquet. Vide Car. Macr. *Hierol.* & infrà, ubi *de Ordinibus Monachorum.* Eſt autem *Griſeus* color λευκόφαιος Græcis, *pſeudolactinus*, Joh. Diacono in *Vita Greg. Mag. l.* 4. *c.* 83. quem *cinericium* interpretatur. Frideric. II. Imp. *de Arte venandi l.* 1. *c.* 46. At *pelles griſiæ*, in *Chron. Trudonenſi l.* 7. *p.* 428. ſunt pelles animalis cujuſdam, quod vulgò *Vair* Galli appellant, in pretio ſemper habitæ: de quo animali attigit quædam C. du Freſne *ad Joinvillam Diſſert.* 1.

GRISLERUS Eques, ab Alberto Auſtriaco, Rodolphi I. Imp. filio, miſſus in Helvetiam, qui Suitiis & Uriis præeſſet, Cuſſenaci, arce vetuſtâ, habitavit aliquandiu: mox Landenbergio, Underwaldiorum præfecto, ob tentatam matronarum pudicitiam, cæſo, ut ſuos in officio contineret, prope Altorffum vicum, in colle *Solaturn*, arcem molitus eſt, quam *Zwing Ury under die ſtagen*, i. e. Jugum Uriorum appellavit. Altorffi dein in foro, pileo perticæ prælongæ impoſito, ac juſſo, ut omnes capite nudato genibusque flexis pileum honorarent, populorum patientiam acrius tentare cœpit: Ædibus quoque apud Suitios Wernhero Stouffachero ereptis, & horum animos mirè exacerbavit: occaſione Stouffachero ſic cum duobus reliquis Helvetici fœderis primi Triumviris coëundi præbitâ. Interea apud Urios Vilhelmus Tellius, dum pileum ſtipiti impoſitum, nullo honoris ſigno exhibito magnanimus præterit, jubetur à Griſlero, pomum in vertice filioli ſui unicè chari eminus ſagittâ dejicere, mortem ni id faceret minato. Paret duræ legi heros, & decuſſo feliciter pomo, cùm ſagittam alteram thoraci inſertam in Præfectum ſe torſurum fuiſſe, ſi puerum feriiſſet, interrogatus fateretur, vinctus navi imponitur, Cuſſenacum abducendus. Sed dum medio navigatur lacu, obortâ tempeſtate, ſolutus Tellius, ut navem gubernaret, eam adverſus Suitiorum terram direxit, ſaxoque ſupra undas eminenti appropinquans, arrepto arcu, in illud diſiliit, nave pedibus in fluctus repulsâ. Præfectum tandem ægrè in terram eluctatum, viâ inter Artam & Cuſſenacum, ſagittâ confecit, A. C. 1307. Vide Simler Stumpfium, &c.

Qui preſſum quondam luſit, Griſlere, *popellum*
Pileus, Helvetici fœderis anſa fuit.

GRISONES, Germ. *Grawpündtner*, Gall. *les Griſons*, populi Germaniæ, intra Alpes; & ad fontes Rheni & Oeni, ubi aliàs Rhœti Alpini dicti, in Rhœtia. Tota regio montibus horret. Sunt autem ſui juris, & poſt varia inter ſe fœdera Griſones tandem omnes ſociati ſunt A. C. 1471. & cum omnibus Helvetiis perpetuum fœdus percuſſêrunt A. C. 1491. Griſones habent ad Bor. partim Sueviam, partim Helvetios, uti ad Occaſ. ad Ort. Comitatum Tirolenſem, & ad Mer. dominium Venetum & Ducatum Mediolanenſem. Illius regionis ſunt ſex partes, nempe Fœdus ſuperius, *la Ligue Griſe*; Germanicè *Oberpundt*; Fœdus Cathedrale ſeu domus Dei, *la Ligue de la maiſon Dieu* vel *la Cadée*, Germanicè *Gottespundt*, Fœdus decem juriſdictionum, *la Ligue des dix droitures*, Germanicè *Zehen-Gerichtenpunt*, & Griſonum ſubditi, nempe vallis Tellina, *la Val Teline*, Comitatuſque Clavennenſis & Bormienſis, *les Comtez de Chiavenna & de Bormio.* Vide *Rhæti.*

Griſonum Urbes.

Bormium, *Bormio.*	Magia, *Meyenfeld.*
Clavenna, *Chiavenna*,	Morbenium, *Morbegno.*
Curia, *Coire*, & *Chur.*	Sondrium, *Sondrio.*

Tiranum, *Tirano.*

GRIVELATÆ, Gallis dicuntur pecuniæ per fraudem corraſæ, præcipuè quas Regii Rationales, in diſcutiendis ratiociniis. & reddendis conſuevêrunt per fraudem avertere & convertere in ſinum ſuum: ad verbum ſunt *ſtellaturæ*; quidquid enim variegatum eſt & ſtellatum, *grivelatum* vocant Galli, à varietate turdi, quam *grivam* dicunt. Salmaſ. *ad Spartian. in Peſcennio Nigro*, vide etiam infrà in *Stellatura.*

GRODNA, vulgò *Grodno*, urbs eſt Poloniæ, in Lithuania & in Palatinatu Trocenſi, ad Memelium fluv. partim in colle & partim in planitie ſita, cum arce in editiori loco: ubi ſæpè celebrantur comitia Lithuaniæ. Capta fuit à Moſchis A. C. 1655. & ab ipſis miſerè vaſtata. 20. milliaribus Germanicis diſtat à Vilna in Afric. & 7. ab Auguſtovia; aliaſque Ducatus titulo inſignita.

GROENINGA, ſic lapis Romæ habet antiquus à Caroli Magni tempore, *Gruningen* & *Groeningen* Germ. *Groningue* Gall. urbs clara Germaniæ, ac Friſiæ Occidentalis primaria, Epiſcopal. ſub Archiep. Trajectenſi, ſub Philippo II. Hiſpaniæ Rege & Belgii Domino effecta, inter Lewardiam alteram Friſiæ urbem præcipuam ad Occaſ. & Embdam urbem Friſiæ Orientalis in Ort. 7. leucis, à Monaſterio urbe Weſtphalica 32. De ea. *l.* 4. *Itin.*

Non Amaſis, quæ numen habet: viridemque Groningam
Dicemus, &c.

Ferrar. Baudr. urbs eſt ampla Belgii, provinciæ dictæ dominii Groningenſis caput, inter Friſiam Orientalem ad Ort. & Friſiam Occidentalem ad Occaſ.; ſed non in Friſia prov. Gaudet Academia paucis abhinc annis inſtituta, & ſubeſt dominio provinciarum confœderatarum Belgii, arcem habens permunitam. Vide *Groninga.*

GROLÆA Familia, in Gallia inter illuſtres. Vixit autem Jacobus Dn. *de Grolée* Seneſcallus Lugdunenſis A. C. 1180. Cujus fil. Joſſelinus Guidonem ac Andream genuit. A' quorum illo Domini *de Grolée, de Paſſavieu, de Meſſieu, de Luys* (qui nunc Comites de Grolée dicuntur) de *Chaſteaufort*, de *Auteville*; ab iſto Domini de Riverieu, qui nunc Marchiones *de Breſſieux* & Comites *de Riverieu* ac *Viri ville*, qui dein Comites Marchiones *de Viri ville* dicti, ac Li *Paſſin* & *Coſances* (quæ ſuper. ſec. defecit) diviſi deſcendunt. Lineam *de Meſpieu* quod concernit, Aymarus *de Grolée* Dn. de ... *Meſpieu*, ex Catharina filia Henrici Dn. *de Quart* & *Gergy* ... fuit Arnoldi: quo & Franciſca de *Chandieu* genitus Petrus conjugem habuit Artaudam *d'Arces*; ex ea pater Benedicti, cui Sebaſtiana ... gnata genuit Stephan. maritum Ludovicæ *de la Poype*, patrem Gabrielis *de Grolée*, Dn. *de Meſpieu.* Vide ſæpius laudatum Phil. Jac. Spener. *Th. Nob. Eur. Part. II. p.* 33.

GROLAJUS Johannes, vide *Johannes.*

GROLLA, vulgò *Grol* incolis, *Grolle* Gallis, urbs Belgii ... in Comitatu Zutphanienſi, parva ſed permunita, ad Slincam ... ab Hollandis expugnata A. C. 1625. ipſis etiamnum paret. ... confinio Weſtphaliæ, & ditionis Monaſterienſis, 4. leucis à Zutphania in Ort.

GROLLERIUS Joh. Lugdunenſis amicus Gul. Budæi, cùm ... rii militaris in exercitu Gallico, qui tum in Inſubria rem gerebat, curam haberet, ejus *de Aſſe* librum Venetiis imprimi curavit, A. C. 1522. Mæcenas literarum per Italiam & Galliam habitus, plurima Eruditorum opera, ſuo nomini inſcripta vidit. Nummorum antiquorum vim ingentem, & Bibliothecam inſignem, ac ... olim Pollionis neutiquam inferiorem, collegit. Obiit Pariſiis A. C. 1565. Æt. 86. Thuan. *Hiſt.* cujus pater Grollerium de ... & tantùm non de vita periclitantem in Curia, ſuprema ... tuitus eſt. Vide quoque Eraſm. *Ep.* 17. *l.* 3. & *les Eloges* Antonii Teiſſier. *P.* 1. & 2.

GROMA, ſeu *Gruma*, machina in caſtrorum metatione olim adhibita, eadem cum Chorobate, aut omnino ſimilis, quæ ex regulis ſeu normis compoſita ferramento ſuperponebatur (quod ... *rantem ponere* dixêrunt) ſicque ſuper ipſum quamcunque in partem movebatur percuſſa, ad dictandum rigorem & *lineas dirigendas*, h. e. Habuit autem ex corniculis omnibus perpendicula pendentia, ... fila ſive funiculos & pondera, ut librata poſſet collocari. Incertus Agrimenſor, *Et ferramento primo mutato, omnia indomita perpen-ſa dirigere, cujus ex omnibus corniculis expenſa ponderibus, & inter ſe comparata fila tenuêre, vias ita perſpicere. Nerviæ* dicti ſunt funiculi illi ex *nervis* conſtantes, è quibus nodus plumbi pendebat, ad perpendiculum faciendum. In capitibus vero extremis ancones erant, ad normam coagmentati: unde & *norma* dicta. Vet. Agrimenſor. ... *ſe conſecuerit normæ tuæ* &c. Locus ei in medio caſtrorum, ... Prætorium. Vide de ea pluribus differentem Salmaſ. *ad Solin.* ... *& ſeqq.* Hinc *Gromatica* Ars, de qua aliquid infrà quoque, ... *Metatoribus caſtrorum. Gromatici* Libri &c. Vide quoque aliquid in voce *Pertica*, it. *Tetras.*

GROENLANDIA, ſeu *Terra Viridis*, pars eſt ampliſſima terræ arcticæ, ſupra Iſlandiam Inſ. ab Erico Rufo detecta A. C. ... Poſtea à Norvegis & Danis ſæpe luſtrata, verſus oram litor. ... incolæ ex volucribus & ex piſcibus vivunt. Hic mons eſt, qui velut Ætna continuò flagrat, ac lapides in modum favillarum emittit, qui quidem refrigerati optimi ſunt ad muros conficiendos, ſed ſi aquâ aſperguntur, calcem optimam præſtant. Ibidem eſt fons fervidiſſimus, quo accolæ & præſertim Monachorum conventus ad coquenda cibaria utuntur. Locatur hæc inſ. an pars continentis Americæ Sept. inter circulum arcticum & polum mundi arcticum: nam Auſtraliſſimus ejus parallelus eſt grad. 66. ... & Borealiſſimus paulò minus gr. 77. unde hîc Zodiaci ſemper una pars ſupra Horizontem, & alia pars infra extat, quo fit ut continuam lucem habeant in medietate anni poſt introitum Solis in Arietem. Circa ingreſſum Solis in æſtivo Tropico, medium inſulæ tenentes habebunt diem duorum circiter menſium cum dimidio: qui verò extremam oram inſulæ Borealem occupabant, ii Solem videbunt, continuo circiter tribus menſibus cum dimidio. In reliqua verò anni medietate noctes in menſibus oppoſitis, æqualis magnitudinis cum diebus æſtatis contingent. Habent itaque hi ... hyemem novem menſium, quo tempore nix maxima ſupra terram extat. Joh. Matal. Metell. Norvegis Daniſque tributaria. ... Epiſcopos etiam primitus inſtitutos à Lothario Imp. operâ ... Vandalorum Regis, A. C. 1133. habuit aliquot per 4. ſecula. ... poſtea à Norvegis navigatio intermiſſa. Nunc ejus pars Auſtral. ... tecta fuit verſus oram tantùm à quibuſdam nautis Baffino, Forbishero, Munchio, &c. ſed nihil certi de ea dici poteſt. Baudr. ... ſon. *deſc. Amer.* Pererius *tr. de Groenlandia.*

GRONIA, urbs Phocidis, *Steph.*

GRONII, Hiſp. pop. ad Durium amnem. P. Mela *l.* 3. *c.* 1. ... ge *Grovii.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

GRONINGA, vel GROENINGA & GRVNINGA, urbs ampla & inclyta Belgii, dominii Groningenſis caput, a fundatore *Gruno* ſic appellata, A. U.C. 374. Eum alii Trojanum, alii Francum Antenoris Regis Franciæ fratrem filium exiſtimant, qui domeſtici diſſidii cauſâ fratrem relinquens in Occidentalem Friſiam devenit, & ibidem civitatem hanc ſuo nomine inſignem ædificavit Anno 377. A. C. nativitatem. Nullis tunc muris cincta, ſed propugnaculis ligneis, immiſſis in terram palis, fiſtucationibus quaſi conſepta fuit. Mœnibus autem, foſſis, ac turribus contra hoſtiles incultus validè munita eſt A.C. 1110. Civitas nunc eſt opulenta, & frequenti populo inſtructiſſima, multis abundans aquis, arte in civitatem per canales deductis. Habet ſtatus, leges, dominium, & juriſdictionem peculiarem, cum multorum pagorum confœderatione, & arce permunita. Præcelſis templorum turribus, & magnificis privatorum hominum ædificiis inclareſcit. Sub dominio hæreditario olim Ducum Burgundiæ fuit. Hodie una ex Provinciis Belgii Confœd. A.C. 1672. fruſtra à Gallis, quibus Ep. Monaſterienſis obſidioni præfectus militabat, defendente Rabenhauptio, Duce fortiſſimo, acerrimè obſeſſa. Sita eſt inter Friſiam Occid. ad Occ. & Or. ad Ort. Habet Acad. A. C. 1614. inſtitutam. Vide de urbe hac prolixè diſſerentem, H. Grot. *Hiſt. l.* 3. ad A.C 1594. quo à Mauritio Principe capta eſt. Sunt & *Grono genſes* pop. in pago Tigurino. Simler. *de Helv.*

GROPPERUS Johannes, vide *Johannes.*

GROSSETUM, urbs Epiſcopal. Hetruriæ. Vide *Roſetum.*

GROSSUS, monetæ aureæ ſpecies, Gall. *Gros.* Meminit ejus *Charta* Frid. II. Imp. A. C. 1232. apud Goldaſt. *Tom. I. Conſtitut. Imp. p.* 299. ut & *Decreta* Ludov. Hung. Regis *art.* 3. Vide quoque *Hiſt. Cortuſior. l.* 1. *c.* 10. De *Groſſis Auguſtalibus*, vide ſuprà. Item argenteæ. Hinc *Groſſi Turonenſes argentei*, Gall. *Gros Tournois d'argent*, in Gallia cuſi ſunt, ſub Ludov. IX. Phil. Audace & Car. IX. de quibus agit C. du Freſne in voce *Moneta.*

GROSSUS Ruſticus, Princeps quidam Saracenus, qui regiones regno Ægypti & tractui Saraceno adjacentes poſſidebat tum, cùm Chriſtiani primam expeditionem ſacram ſuſciperent, dictus eſt ab hiſce, *præ nimia pinguique corpulentia, utique perſona, in qua totus ruſticus eſſe videbatur*, ut ait Albert. Aquenſis *l.* 7. *c.* 11. & *l.* 10. *c.* 25. apud C. du Freſne in *Gloſſ.*

GROTIUS Hugo, Batav. patria Delphenſis, ſeculi ſui Phœnix. Syndicus Roterodamenſis primum: dein poſt turbas ab Arminianis motas & biennalem carcerem, ex quo uxoris fraude, eum in ciſta per ancillam efferri accurantis, liberatus eſt, legatus Suecicus ad Galliæ Regem: conſcenſâ Stokholmiæ nave, cum Lubecam ferretur, cùm vehementibus per triduum jactatus procellis, fa[illegible] naufragio; æger tandem ad Caſſubiæ litora apuliſſet, paulo poſt Roſtochii Obiit, poſtquam a Joh. Quiſtorpio Theologo monitus, ut imploraret miſericordiam Dei, ſubjeciſſet, *in ſolo Chriſto omnis ſpes mea repoſita eſt.* A.C. 1645. cum natus eſſet A. C. 1583. Scripſit plurima, inter quæ *in V. T. Annotat. in Lib. Ann. & Hiſt. Belg. De Jure belli & pacis, &c.* Heinſ. *Vir ſummi judicii.* Dempſtero *Criticus acutus & inſignis.* Voſſ. *Non divinarum minus, quam humanarum rerum ſcientiſſimus.* Voëtio *Dubiæ aut variatæ Religionis*, dicitur. Vide & Paul. Freher. *Theatro Viror. erudit. claror.* ubi & de *Cornelio* ac *Joh. Grotiis.*

GROTKAVIA, urbec. Sileſiæ ſup. caput. Duc. cogn. media inter Niſſam ad Auſtr. & Briegam ad Bor.

GROTUNNI, Claud. *de 4. Conſ. Hon. Carm.* 8. *v.* 622. & 634. fortè *Gothunni.*

GROTZUNA, opp. Pomer. *Joh. Matal. Metell.*

GROVII, Hiſp. populi, Mela *l.* 3. *c.* 1. ubi perperam *Gronis* vulgò dicuntur. [illegible] Ptol. Remanet hoc nomen etiam hodie, in inſ. & prom. ad oſtium [illegible]æ fluv. ſito, Grove enim vocatur. Confirmant hanc lectionem meliores Sil. codices, *l.* 1. *v.* 235.

Quique ſuper Grovios *inventes volvit arenas,*

Sed & alibi, *l.* 3. *v.* 366.

Inferna populis referens oblivia Lethes.

Et quos nunc Grovios, *violato nomine Grajum;*

Oeneæ miſere domus, Ætolaque Tyde.

GRUARIUS, apud recentiores, Primus eſt cognitor, ſeu Judex cauſarum ad ſilvas & venationem attinentium delictorum, quæ in iis committuntur; [illegible] appellatio ad Majorem Foreſtariam devolvitur: *Gruyer* Gallis, apud [illegible] idem, ſecundum locorum diſcrimina, qui *Verdier, Foreſtier, Chaſtellain, Concierge, Maiſtre Sergent* &c. ut eſt in *Statuto* Henrici III. *de Foreſtis* A. C. 1583. art. 22. A Germ. *Gruen.* vel *Græn* h. e. *viridis*, unde Gallis *Viriuarius*: Pi[illegible] tamen a *Gru* vocem deducit, quod quemvis ſylvarum fructum ſonat, [illegible] glandes: caſtaneæ, poma ac pira ſylveſtria, quæ ad firmam dantur à Gruariis. Id autem muneris viros primos atque adeo Militari cingulo donatos obiiſſe, docet Santyonus *p.* 83. laudatus C. du Freſne in *Gloſſ.*

GRUBENHAGA, opp. dit. Brunſvic. cum tit. Duc. verſus montes, prope Leinam amnem, 3. leuc. à Gottinga in Bor. 4. à Corbia in Ort. Ortus eſt ramus *Grubenhagum*, ſeu Hertzbergium, Alb. Mag. Ducis Brunſvic. fil. [illegible] cogn. mirabilis, cujus fil. Henr. Jun. pater Ottonis fuit, mariti Johannæ Neap. Reginæ, A. C. 1378. qui Neapoli extinctus eſt, A. C. 1383. Fratrem Henr. Jun. Albert. habuit, cujus poſteritas in Phil. A. C. 1596. defuncto defiit: ditione ejus adhuc ſpirantis ab Henr. Jul. Brunſvicenſi occupatâ, Thuan. *l.* 115. Sed illam Luneburgicis cum fructibus ſumptibuſque reſtitnére fil. ejus Frid, Ulricus juſſus eſt, A.C. 1617. Vide Phil. Jac. Spener. *Sylleg. Geneal. Hiſt.*

GRUCHIUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

GRUDII, pop. Belgii, quorum urbs eſt Lovanium, teſte Divæo, Leodio & aliis. Aliis autem, ut Martiano, eſt *Brugge*, urbs Flandriæ.

GRUES, Varroni *Sat.* [illegible] *Melicæ*, à Rom. jam Aug. ætate, in menſam recepti ſunt; ſed ſic, ut ciconias præferrent: quemadmodum ex C. Nep refert Plin. *l.* 10. *c.* 23. Addit verò, ſuâ contrà ætate ciconias fuiſſe diſpretas, ita ut nemo attingeret: *grues aves expetitos inter altium primas*: quomodo tam durae carnis avem præpararint, ex parte indicat Horat. Serm. *l.* 2. *Sat.* 8. *v.* 86.

Mazonomo pueri magno diſcerpta ferentes

Membra gruis ſparſi ſale multo, non ſine farre.

Et Plutarch. *de eſu carn. l.* [illegible] *orat. poſt.* [illegible] *Alii vero grues & olores, oculis prius conſutis, tenebricoſo quodam loco incluſos, ſaginant, ac mirificas nutritorum miſcelias & concinnata* [illegible], *quæ obſonium jucunda, addunt.* Ad *Grues* etiam vipiones pertinent, de quibus Plin. *l.* 10. *c.* 49. ubi cum dixiſſet, è Balearibus Inſulis [illegible] mitti, ſubjungit: *Ibi & buteo accipitrum generis in honore menſarum eſt: item vipiones: ſic enim vocant minorem gruem.* Nomen à ſono, [illegible] apud Lat. pr. *Alex. in Gallinis.* Vide Geſn. Joh. Voſſ. de *Idol. l.* 3. *c.* [illegible], qui de carum [illegible] avium ordine; quem ſervant, cùm abeunt, redeunt, [illegible], item prudentia, qua utuntur in ſe ſuiſque, contra Aquilarum impetus, defendendis, pluribus agit *c.* 82. Adde Sam. Bochart. è quo pauca hæc ſubjungimus: Nec apud Rom. ſolùm, ſed etiam apud vett. Græcos non in cibis tantum, verùm & in deliciis fuere, maximè circa Theſſaliam, ubi in villis opulentiores ſuas habuére [illegible], i. e. *gruum paſcua*, quorum meminit Pollux poſt Platonem *in Politico*, &c. Porro *grus* migratoria avis eſt, & fugâ ſingens in remotiſſima loca proficitur. Unde Ariſt. *Hiſt. Anim. l.* 8. *c.* 12. [illegible], inquit; [illegible], *Ex ultimis in ultima migrant.* i. e. ut ipſe interpretatur, [illegible], *Ex Scythicis oris ad paludes, quæ ſunt ſupra Ægyptum, unde fluit Nilus.* Quod idem refert Herod. *l.* 2. *c.* 22. Ælian. *Hiſt. Anim. l.* 3. *c.* 13. Alii. Et quidem, cùm è Thracia, quæ *gruum* olim patria credita, diſcedunt, ad Hebrum amnem convenire dicuntur, ut inde Ægyptum petant, Tzetzes *Chiliad.* 4. *Hiſt.* 120. At Scythicis aliò eſt iter, nempe per pontum, quem tranſvolant, inter duo promont. Criumetopon & Carambin, quæ non niſi CLXX. Mill. paſſ. intervallo diſtant, Plin. *l.* 4. *c.* 12. In cujus freti trajectu, ut & in reliquo itinere, miram earum emicare induſtriam, tradunt Vett. Plin. idem, Pontum tranſvolaturas *ſtabiliri ſaburra* aſſerit, *& cum medium tranſierint, abjicere lapillos è pedibus, cum attigerint continentem, & egutturi arenam.* Concentus conſenſuſque inter migrantes mirus eſt. Solin. *Comites cura omnium pro fatigatis, adeo ut, ſi quæ defecerunt, congruant univerſæ, & ſtatiſque ſuſtollant, uſque dum vires otio recuperentur.* In altum prorſi volant, ad omnes aëris mutationes intentæ, ne à tempeſtate obruantur, Ariſtot. *Hiſt. Anim. l.* 9. *c.* 10. ſed &, *ut de excelliori ſpecula metiuntur, quas petunt, terras*, Iſid. Agmen formam triangulii habet, qui baſi à ventis impulſus ſummâ parte aërem ſecat. Cic. *de Nat. Deor. l.* 2. In primo agmine Duces habent, & [illegible] in extremo, [illegible], *inter poſtremos inſibilantes, ita ut vox audiri poſſit*, Philoſ. qui utrique è ſenioribus ſunt, & viarum peritis, Ælian. Inprimis memorabile illud, quomodo ſe inter volandum mutuo juvent. *In tergo prævolantium colla & capita reponunt. Quod quia ipſe dux facere non poteſt, revolat, ut ipſe quoque quieſcat. In ejus locum ſuccedit ex iis, quæ acquieverant proxima, eaque viciſſitudo in omni curſu ſervatur.* Cic. Eadem in vigiliis ſervatur viciſſitudo, cùm enim volatu feſſæ in terram deſcendunt, ut quieſcant & ſomnum captent, reliquis dormientibus, una aut altera, aut è toto numero pauciæ per vices toti gregi invigilant, Ariſtot. *l. d.* Vigiles autem lapidem pede ferunt, qui caſu ſuo dormiturientes excitet, Solin. &c. Tempus migrationis quod attinet, *grues* è Thracia diſcedere ſcribit Ariſt. *Hiſt. l.* 8. *c.* 12. [illegible], *Mæmacterione menſe*, quod Ælianus exponit *l. d. Autumno.* Reditus tempus idem ſic definit, [illegible] *Cum incipit aëris ſerenitas & tranquillitas, poſtliminio revertuntur.* Nec omittendum, ab iis fortè ortum, quod apud Syros & Perſas [illegible], *Aggari* vel *Angari* dicebantur curſores Regii. *Grus* enim עגור *agor*, Heb. unde *Angari*, qui cum gruibus certare videbantur curſûs celeritate. [illegible] *Quidam hoc iter gruum volatu celerius confici tradunt.* Vide omnino præfatum Bochart. *Hierozoici Part. poſt. l. I. c.* 11. Adde Salmaſ. *ad Solin. p.* 164. & *ſeqq.* Nec omittendum, quod nemo Vett. præter Dion. in *Veſpaſ.* narrat, in Theatrum quoque grues ad pugnam productas. Sic a. is, Γέρανοί τε γὰρ ἀλλήλοις ἐμαχέσαντο καὶ ἐλέφαντες τέσσαρες κτλ. Ubi tamen [illegible] adjectâ literulâ legi, & commiſſiones gladiatorum intelligi vult Caſaub. *ad Suet. Veſpaſ. c.* 8. Vide quoque infrà *Grues.*

GRUITROEDUS Jacobus, vide *Jacobus.*

GRUMA, Gr. γνώμη βασιλική; vide ſuprà *Groma.*

GRUMBACHIUM, nomen loci in Germ. ſub proprio Com. ex Rheingravior. Fam. Cum enim Joh. Com. ex Johanna Sarweidenſi duos reliquiſſet filios, eorum minor natu Phil. Daunium ramum emiſit, qui iterum tres palmites habet. Primus eſt Princ. Salmenſ. ſeu *de Neuville*, alter eos complectitur, qui *Grumbachii* habitant, tertius Daunenſium eſt. Et quidem *Grumbachios* quod attinet, Phil. præfat. Com. Sylv. & Rheni *in Daun*, Extinctus A. C. 1521. inter alios ex Antonia *de Neufchatel* filios, Phil. habuit Franc. qui Obiit A. C. 561. Pater ex Maria Ægyptiaca Oetingenſi Joh. Chriſtoph. Com. Sylv. & Rheni *in Grumbach*, Defuncti A.C. 1585. quo & Doroth. Mansfeldica nat. Joh. Com. Deceſſit A. C. 1630. Ei verò Juliana Mansfeldica peperit, Emiconem (nat. A.C. 1612. θ. A.C. 1629.) Dorotheam (nat. A. C. 1613. θ..) Adolph. (nat. A.C. 1614. Annæ Julianæ Rheingraviæ maritum) Joh. Erneſt. (nat. A.C. 1615. θ..) Julianam (nat. A. C. 1616. θ..) & Joh. Extinctum, A.C. 1629. omnes *Com. Sylv. & Rheni* ſeu *Wild- & Rhingravios* &c. *in Grumbach*, Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Part. II. p.* 13. E quibus Adolpho ex Anna Juliana præfata nati ſunt, Georg. Frid. A. C. 1641. Leopoldus Vilhelmus A.C. 1642. Frid. Vilhelmus A.C. 1644. Maria Magdalena A.C. 1645. (θ. A. C. 1646.) Eliſabetha A. C. 1646. (θ. eod. an.) Joh. Georg. A.C. 1647. Amelia Chriſtina (nat. & den. A. C. 1648.) Juliana. A. C. 1650. Dorothea Sophia (nat. & den. A. C. 1651.) Anna Amalia A. C. 1652. Anna Dorothea A. C. 1654. Eleonora Chriſtina A. C. 1656. Joh. Adolphus (nat. & den. A. C. 1657.) & Eliſabetha, nat. . . . omnes *Com. Sylv. & Rheni lin. Grumbachiæ*, idem Phil. Jac. Spener. *Part. III. p.* 86.

GRUMENTUM, urbs Epiſcopal. Lucaniæ mediterr. exciſa, teſte Bario, Lagariæ urbi etiam exciſæ propinqua, à Saponaria opp. haud valde diſtans: ex quo errant qui *Groppoli* Grumentum indigitant, cùm *Groppoli* opp. ſit in ora ſinûs Pæſtani, Grumentum verò ad ſinum Tarentinum ſitum ſit. L. Holſtenio nunc caſtr. *Agromento*, ad Acirim fluv. paulo ſupra *Turſi* opp. in Baſilicata prov. regni Neap.

GRUNDULI, vel GRUNDILES, Lares, quos Romulus conſtituiſſe dicitur in honorem ſcioſæ, quæ 30. pepererat porcos. Caſſius Hemina *Hiſt. l.* 2. *Paſtorum vulgus* (inquit) *ſine contentione conſentiendo, præfecerunt æqualiter imperio Remum & Romulum, ita, ut de regno pares inter ſe eſſent. Monſtrum fit, ſus parit porcos triginta, cujus rei fanum fecerunt Laribus Grundulibus*, Diomedes *l.* 1.

GRUNO, Dux Friſiæ, Sicambrorum Regis frater, A. U. C. 375.

GRUNSTADIUM, vulgô GRUNSTAT, locus Germ. ſuper. ſub Comite proprio, ex Fam. Comit. Leiningenſ. domus Weſterburgicæ. Cùm enim Emico, Catharinæ Naſſoviæ maritus, Obiiſſet A. C. 1541. major ejus fil. Joh. Phil. Hartenburgicam lineam orſus eſt; minor verò, Patri cognominis, Dagsburgio-Falckenburgii rami auctor fuit, cujus ſurculi ſunt Heideshemius & Falckenburgius ſeu Dagsburgius. Et hæc originaria ac antiquiſſima eſt Leiningenſium Com. Famil. cui plerumque *Dagsburgiæ* nomen ſuperadditur: Præter illam verò, altera eſt, quæ *Leiningenſi* quoque nomine utitur, *Weſterburgia* dicta, cui *Leiningenſium* titulam attulit Margaretha Landgravii Leiningenſis filia, Reinhardo Weſterburgico nupta. Hæc in duos nunc ramos quoque diſpeſcitur, Weſterburgium & Leiningenſem: in quo ſurculo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

culo uno Oberbrunnenſi Extincto, alter *Grunſtadenſis* ſupereſt. Et quidem hunc quod attinet, Cuno Com. *de Leiningen & Wiſterburg*, ex Mechtilde Com. Virnenburgica, pater fuit Reinardi; cui Simburga Saynenſis Cunonem genuit Mariæ Stolbergiæ (Extinctæ A.C. 1572.) maritum: quo nat. Philippus, ex Amalia Bipontina, Ludov. ſuſcepit: qui ex Bernardina Lippienſi fil. habuit: Phil. ex Agatha Catharina Limpurgica, genitorem Ludov. Eberhardi Com. Leiningenſis & Weſterburg. &c. *in Alt & Neu Leiningen*. Hic Carolam Naſſov. ſibi junxit, ex eaque ſuſcepit Phil. Ludov. (nat. ux. . . *M. de Ruzé*) Leop. Ludov. (nat. A.C. 1656.) Ludov. Carolam (A.C. 1657.) Agath. Julianam, quæ Obiit; Vilhelmumque Frider. (nat. A.C. 1659. den. . . .) Comites Leining. & Weſterburg. lin. *in Grunſtat ſeu Alt & Neu-Leiningen*. P. J. Spen. *Part. III. p.* 84.

GRUS, Gr. Γέρανος, genus ſaltationis obliquæ & in ſe redeuntis, quâ Athenienſium Virgines, quotannis in feſto ſuo *Delia* dicto, Delphis circa Apollinis altare, defungebantur, ut obliquos Labyrinthi, cui Minotaurus, quem Theſeus necaverat, incluſus erat, flexus exprimerent. Polluci *l.* 4. choreæ ſeu ſaltationis genus dicitur, ubi numeroſa erat ſaltantium turba, quadam volantium gruum ſimilitudine, præeuntibus utrinque ductoribus. Hanc ad imaginem egreſſionis de Labyrintho, Theſeum cum ſuis, circa aram Deliacam, ſaltaſſe idem tradit: qui mos poſtea quotannis ab Athenienſibus celebratus eſt. Saltantes autem altare percutere & oleæ ramum morſibus appetere, manibus poſt terga reductis ſolebant. Callimach. *Hymno in Del.* Eoſdem imitantes apud *Scalig.* thyrſos fornicatos adhibuiſſe, non ſine arte ac venuſtate dicamus in voce *Thyrſus*.

Περὶ μέγαν ἢ σέο βωμὸν ὑπὸ πληγῆσιν ἑλίξαι,
Ῥησσόμενον καὶ πρέμνον ὀδακτάσαι ἁγνὸν ἐλαίης,
Χεῖρας ἀποστρέψαντας &c.

Vide Franc. Roſſæum *Archæol. Att. l.* 7. *c.* 1. & ſuprà *Geranion* ac *Grues*.

GRUTERUS Janus, vide *Janus*.

GRUTERUS Lambert. curavit edit. Oper. Clem Rom. factam. Col. 1570

GRYLLUS, Xenophontis fil. qui pro patria fortiter pugnans, occubuit. Hujus laudes & Epitaphia multi ſcripſêre. *Ariſtot.*

GRYLLUS, nomen Balneatoris, apud Mart. *l.* 1. *Epigr.* 60. & *l.* 2. *Epigr.* 14. Item genus picturæ, apud Plin. *l.* 35. *c.* 10. *Antiphilus--- jocoſo nomine Gryllum ridiculi habitus pinxit. Unde hoc genus picturæ grylli vocantur.* Vbi tamen *Ægellum*, & *Ægelli*, in MS. legi, monet Joh. Dalechamp. Propriè verò *Gryllus* inſectum eſt in ædibus ſtridulum, quod in balneis præſertim frequens, unde aptum balneatori nomen. Gr. γρύλλος quoque, à ſono, quem edit, uti cicada, parte alvi fiſtulatâ, non ut locuſtæ (cujus ſpeciem voluit eſſe Plin.) ſeminum attritu, uti nec alis, Scalig. *Exercit.* 273. Vide quoque Ulyſſem Aldrovand. *de Inſ. l.* 4. *c.* 2. & G. J. Voſſ. *Idol. l.* 4. *c.* 77. Belgis *creckel* vel *nachtcrekel*. Valdè enim eos ratio fugit, qui ſic cicadam interpretantur, quamvis cantu & formâ non multùm à cicada differat, alis exceptis. Cæterùm mederi faucium & gutturum morbis, calculoque & Americanis pro cibo eſſe, docet idem *c.* 77. 83. & 89.

GRYLLUS, Chalcedonenſis, vicit Olymp. 112.

GRYMPA, Catanenſibus in Sicilia vocatur S. Agathæ velum, ſatis longum, coloris caſtanei, auro prætextum, quod mirâ veneratione incolæ colunt. A Græco γρυμπάνω, *involvo*, Dominico Macro *in Hierol.* Sed ſine idoneo teſte, γρυπαίνω apud Harpocrat. eſt, *palpito, incurvatus tremo &c. Ad haſtam nempe illud involutum, pergit, populo oſtenditur, ac involutum conſervatur Ibid.* Vide infrà *Guimpa*.

GRYNÆUS Simon, Veringenſis, Theologus clariſſimus. Primò Auſtriæ, dein Budæ in Pannonia docuit, ubi, ob Evangelii amorem, à Monachis accuſatus, carcerem ſubiit. Inde nobilitatis Hungaricæ interceſſione liberatus, Wittembergam, ut cum Luthero & Melanchthone olim condiſcipulo ibi de negotio Religionis conferret, abiit. Pòſt ad Græcas literas docendas à Ludovico Elect. Palat. Heidelbergam vocatus eſt: inde Spiram excurrens, A.C. 1529. ut Melanchthonem, qui illuc ad conventum Spirenſem, cum Joh. Saxon. Duce venerat, ſalutaret, colloquium cum Fabro Ep. Viennenſi habuit: quo finito cùm domum ſe recepiſſet, vixque menſæ adſideret, à venerando Sene è conclavi evocatus, & de lictoribus, Fabri impulſu, mox adfuturis, admonitus, feliciter evaſit. Eodem anno, annitente Oecolampadio, Baſileam vocatus, Græcè in Academ. docuit, non omiſſa ſacrarum rerum profeſſione, quam in Epiſtolæ ad Rom. enucleatione commendavit. Britannicarum dein bibliothecarum amore, eò pertractus A.C. 1533. Eraſmi nomine, obtulit Carolo Montiolo Titi Livii volumen, quinque libris integris, quos Grynæus in Bibl. monaſterii Lauriſſenii reperit, auctius. Redux A.C. 1534. Tubingam vocatus, Scholam & Eccleſiam ejus loci reformavit. Baſileam biennio pòſt reverſus, adfuit Eraſmo morienti: ad ſolenne dein colloquium Wormatienſe proficiſcentibus Melanchthoni, Capitoni, Bucero, Calvino, aliis συνεργὸς additus eſt. Peſte ſublatus Obiit ibi A.C. 1541. *Fuit hic vir Latinè & Græcè excellenter doctus, in Philoſophia & diſciplinis Mathematicis diligenter verſatus, nullo ſupercilio, pudore penè immodico & provehendis liberalibus ſtudiis natus*, Eraſmi cui amiciſſimus erat, teſtimonio.

GRYNEUS Samuel, prioris fil. nat. A.C. 1539. JC. Collegii Juriſconſ. in Acad. Baſilienſi Anteceſſor, collega magni Baſilii Amerbachii Reip. Syndicus: 365. Doctorum in U. J. promotione inclytus. Ejus elogium exhibet Melch. Adami *in vita Juriſconſult. Germ.*

GRYNÆUS Samuel, prioris ex filio Simone nepos, Theologus Baſilienſis celeberrimus. Nat. A.C. 1595. Abr. Sculteto ex itinere Alſatico & Helvetico redeunti Heidelbergam, comes additus. Procerum Palatinorum favorem meruit. Redux in patriam in Eccleſia Leonhardino ſacro Miniſterio admotus, rerum Theologicarum ſcientiam incomparabilem in docendis publicè privatimque auditoribus, per annos 30. tanto cum ſucceſſu, collocavit, ut ex ejus ſchola, velut Seminario quodam ſacro, innumeri paſſim Theologi prodierint. Obiit A.C. 1656. Æt. 63. Plurima ſcripſit luce digniſſima, quæ ſuo tempore edenda; fil. Joh. Paſtor Franckendorffenſis inter cimelia ſua ſervavit; poſt Obitum ejus delata ad fil. Samuelem, paſtorem jam Longipontanum.

Dum vixi, docui: multiſque ad ſidera calle
Oſtenſo, clarum ſidus in orbe feror.

GRYNÆUS Thomas, Simonis ex fratre nepos, fide ac vitâ Theologus, bonarum literarum profeſſor, Rœtelæ primus Evangelium docuit.

GRYNÆUS Joh. Jac. Thomæ fil. Ecc. Baſilienſis Antiſtes, poſt Simonem Sulcerum, Defunctum A.C. 1585. Bernæ Aventicor. A.C. 1540. nat. Baſileæ docuit per annos complures. Inde A.C. 1584. Heidelbergam à Joh. Caſim. El. Pal. Adminiſtr. evocatus, de Euchariſtia publicè cum Theologis Lutheranis diſputationem ſubiit: Cujus iis ſucceſſus, ut Profeſſoribus Lutheranis dimiſſis Georg. Sohnius, & Fr. Junius in eorum locum ſurrogarentur, totuſque Palatinatus Helveticam confeſſionem amplexaretur. Obiit Baſil. Æt. ſuæ Climacterico undecimo. Scripſit plurima, in Sacros in primis libros Enarrationes, Explicationes, Prælectiones, Hypomnemata, Comm. Demonſtrationes, Exegeſes, &c. Dicere illum ſolitum, *Eraſmum plus Papæ jocando nocuiſſe, quàm Lutherum ſtomachando*, refert Melch. Adami *in vita ejus*. Fi in ſacra ſtatione ... Joh. Wollebius. Adde de *Grynæis* præf. Paul Freher. *Theat.* ...

GRYNEA: urbs Troadis. *Steph.*

CRYNEA, urbs Ætoliæ in confinibus Ioniæ.

GRYNEUM, ſeu GRYNIUM opp. Myrinæorum juxta Clazom... Strab. *l.* 13. *p.* 622. in quo templum Apollinis, & lucus vaticinandi per... ſtus. Templum autem candido marmore ſumptuoſum erat, in quo A... pollo colebatur: unde Apollo *Grynæus*. Virg. *Ecl.* 6. *v.* 72.

His tibi Grynæi nemoris dicatur origo:
Ne quis ſit lucus, quo ſe plus jactet Apollo.

GRYNEUS, nomen unius ex Centauris.

GRYPHISWALDIA, vide *Gripswaldia*.

CRYPHIUS, lacus in Helvetia, ex quo & Feſino oritur flumen G...

GRYPHUM pedes vel ungues poculis conficiendis inſervire, tradit ... Scriptor Damir c. *de aka* ſeu *anca* vel *gryphe*. Geſner. *de gryphe*, *Joh.* ... *villa ſcribit, ungues tanquam cornua bovis eſſe, è quibus magni pretii pocula* ... paulo pòſt, ſe vidiſſe apud Aurifabrum addit, *cornu nigrum leve &* ... *uncum, ferè ut in rupicapris, triplo fortè craſſius, cujus labris argentum* ... *rat, ut pro poculo menſis adhiberetur*: quod cùm is pro *gryphis* ungue ... bovis alicujus peregrini, ut quem *Indicum* vocant, aut bubali fuiſſe ... dem proin commatis hoc Arabum commentum eſt, cujus ... *Gryphibus* nugaciſſimi Scriptores Cteſias & Ariſteas Proconn... Vide Bochart. *Hieroz. Part. poſt. l.* 2. *c.* 5. & 6. *inprimis verò l.* 6. *c.* 2. ... la Græcorum Interpp. Levit. *c.* 11. *v.* 13. & Deut. *c.* 14. *v.* 12. ... ... quæ Vulgatus reddit, *Necomedatis* ... *gryphaquila*, interpretatur: quo vocabulo, poſt Æſchylum ... riſtoph. *in Ranis*, pro majore aquila, quæ roſtrum maximè adunc... Propriè enim γρυπότης eſt vel naſi vel roſtri inſignis quædam ... de ad reliqua transfertur, &c. De *Gryphum* apud Ægyptios cul... ce *Dii*: plura vide apud Jac. Ouzel. *Animadv. ad Minuc. Fel. p.* 175. ...

GRYTTUS, famoſus Cinædus Athenis, quem reum à Cleone ... ctum pop. morte adfecit. Vide Schol. *in Ariſtoph. Equit.*

GU. in notis antiquis, *Genus*. GX. *grex*, ſignificat &c.

GUACEJUM, ſeu *Vaccejum* vulgò *Gaſcy*, locus Galliæ ſeu ... go Oximenti, memoratum Order. Vitali *l.* 6. H. Valeſ. in voce ...

GUADALAXARA, vulgò *Guadalajara*, prov. America ... nova Galitia parte novæ Hiſpaniæ, inter provincias Zacatecas ad S... choacanum ad Ort. & Xaliſcum ad Occaſ.

GUADALAXARA, vulgò *Guadalajara*, opp. Hiſp. in Caſt... Algabriæ tractus primarium, *ad Henares* amnem, 4. leucis à ... in Ort. & 9. à Madrito.

GUADALAXARA, vulgò *Guadalajara*, urbs ampla Amer. ... nova Hiſp. in prov. Guadalaxara dicta. Eſt Juridica ſedes illius ... ſub Hiſp. 4. leucis Hiſpanicis diſtat ab ora maris Auſtrini in Bo... pe lacum cognominem; eſtque Epiſcopal. ſub Archiep. Mexica... tructa eſt A.C. 1521. à quodam è Guzmannorum fam. ... patus, quæ Compoſtellæ erat, illuc tranſlata eſt A.C. 1606. ... tie amœna, fertili, ac pluribus torrentibus fontibuſque irrigua ... aliquando hic reddunt agri, A Coſta *l.* 3. Herrera *c.* 11. &c.

GUADALUPIA, vulgò *la Guadaloupe*, ſeu *la Gardeloupe*, inſ. Amer. ... ex Antillis, & ex præcipuis totius tractus, ſub poteſtate Francorum ... Ibi multæ coloniæ & arces. Inſ. eſt valdè rigua & fertilis, Sacchari ... habetque in circuitu 56. circiter leucas. Diſtat à Dominica 12. leuc. in Bor... à Marigalanta, 15. autem ab Antiqua inſ. in Mer. Ab antiquis illius ... accolis vocabatur *Carucueira*, Sed Caſtellani novum illi indidêrunt ... occaſione Guadalupiæ in nova Caſtella, quò ingens peregrinatium ... In duas peninſ. diviſa eſt, quarum illa quæ Or. ſpectat, ... & vera eſt Guadalupia: altera quæ Mer. & Sept. ſpectat, in plura ... ſubdiviſa. Urbem habet ſatis cultam & tres arces in ora litorali. Vide Ro... fort *Hiſt. des Antilles*, Mappeum *Palma fidei*, Sanſon. *deſcr.* ...

GUADELA, vulgò *Guadel*: urbs Aſiæ, in Perſia, in ora ſinus ... ani, cum portu frequenti & capaci, in prov. *Kherman* dicta.

GUADER, opp. Brit. min. vulgò *Guer*, non procul à Montefort, ... *fort la Canne*, loco civitati Redonum propinquo. Hadr. Valeſ. *Not. Gal.*

GUADICIA, vulgò *Guadix*, urbs Hiſp. Epiſcopal. ſub Archiep. ... ſpalenſi. Vide *Acci*.

GUAGARA, Regnum Nigritarum, incolarum multitudine ... eſt, à Mer. cuidam regioni Argenous conjungitur, cui *Medra* ... auri fœcunda. *Joh. Matal. Metell.*

GUAJAQUILUM, vulgò *Guallaquil*: opp. Americæ Merid. ... Bor. Peruviæ, in ora littorali maris Pacifici, cum portu capaci è regione ... næ inſ. 50. leucis Hiſpanicis diſtat à Quinto in Auſtr.

GUAIRA, vulgò *Guaira*, prov. Amer. Merid. quæ pars ... jæ regionis, inter partem Auſtr. Braſiliæ ad Ort. & Paraguajam ... Occaſ. Ejus primaria urbs dicitur etiam Guaira ſeu Civitas ... ſeu *Ciudadreal oliveros*. Sedet juxta fluv. Paranam, ſub domin...

GUALATA, vulgò *Gualata*, regnum Africæ in Nigritia, ... num Atlanticum. Habet à Sept. Zanhagam deſertum, ab Ortu T... regnum, & à Mer. Genehoam regnum.

GUALBERTUS Johannes, vide *Johannes*.

GUALDUS Paulus, vide *Paulus*.

GUALTERUS, Athenarum Dux appellatus, 10. menſibus ... tyrannidem obtinuit, A.C. 1445. *Blondus*.

GUALTERUS, Archiep. Senonenſis, inauguravit Eudem Comitem ... riſ. poſt Carolum Craſſum, Regem dictum: Rodolphum item Burg... Ducem, Obiit A.C. 923. San-Marth. *Gall. Chriſt. Tom. I. p.* 614.

GUALTERUS Bernardus, vide *Bernardus*.

GUALTERUS Brennus, gener. Siculorum Regis Occiſus A. C. ... Item Connetabilis Galliæ. Item Comes Joppenſis, occiſus A. C. ...

GUALTERUS Brugenſis, Ep. Pictavienſis, acer Hierarchiæ E... defenſor. A. Clem. V. depoſitus, præ mœrore vitam finiit, intra ... dam tenens, quâ à Papa ad Concilium proximum, indeque ad judicium ... mum provocavit. Circa A.C. 1304. Vide de ſepulchro ejus A.C. 1664. ... litem, apud Thuan. *Hiſt. l.* 131. Scriptorum ejus catalogum exhibet Th... Vide quoque S. Antonin. 3. *part. Chron.* Swertium *Athen. Belg.* ...

GUALTERUS Burlæus, Anglus, diſcip. Joh. Duns Scoti, con... Occami, ſcripſit contra Magiſtrum. Geſner. *Biblioth.* Voſſ. *de Hiſt. Lat.* ...

GUALTERUS Calenius, vide *Calenius*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

GUALTERUS Cancellarius, comes expeditionis ſacræ Duce, Godofredo Bullionæo ſuſceptæ: ſcripſit res tum circa Antiochiam A.C. 1095 & 1119. geſtas.

GUALTERUS de Conſtantiis, cogn. Magnificus, Archidiaconus primò Oxonienſis, Ep. exin Lincolnienſis, tandem Archiep. Rotomagenſis factus eſt. Cum Philippo Aug. Gall. & Henrico Angl. Regibus in Orientem profectus, expeditionem memoriæ prodidit. Rigord. Gul. Brito, Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 2. c.* 54.

GUALTERUS Conventrius, ſcripſit Chronicon Magnæ Britanniæ, Item de Anglo-Saxonibus, Annales Angliæ, aliaque. A. C. 1226. Simler. *Biblioth. Geſner.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 2. c.* 58.

GUALTERUS Cornutus, Archiep. Senonſis, ſcripſit hiſtoriam Spinæ ſacræ: Obiit A. C. 1242. Albericus, Gul. Brito *Philipp. l.* 12. Sammarth. *Gall. Chriſt. Tom.* 1. *p.* 637.

GUALTERUS Diſſeus, Carmelita Anglus, Legatus Pontificis & tuba belli ſacri, A. C. 1590. Ejus ſcripta recenſet Trithem. *in Catal.*

GUALTERUS Exceſtrienſis, Jacobita Anglus, ſcripſit vitam Comitis Guidonis. Balæus *Cent.* 10.

GUALTERUS Hemingfordius Anglus, ſcripſit Chronicon Eduardi III. Hiſtoriam Angliæ, &c.

GUALTERUS Hunte, vel Vinantius, Carmelita Anglus. Ab Eugenio IV. in Angliam miſſus, ut ad Concilium Ferrarienſe, quod poſtea Florentiam tranſlatum eſt, patres invitaret. Scripſit quæ inter Latinos Græcoſque diſceptata, aliaque Theologica & Hiſtorica: Comeſtoris inprimis Epitomen. Poſſevin *Appar. ſacr.* Geſner. & Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 3. c.* 9. Obiit A. C. 1478. Petrus Lucius, *in Biblioth. Carmel.* Alios *Gualteros* vide apud Morer. *Dict. Hiſt.* Voſſ. *Baleum*, &c.

GUALTHERUS Philippus, vide *Philippus*.

Rudolphus GUALTERUS, Theologus Tigurinus, & Antiſtes: *Homiliaſta celeberrimus* Thuano. Edidit lucubrationes in omni propemodum doctrinæ genere innumeras, Homilias inprimis in libros ferè omnes V. & N. T. Obiit A. C. 1586. Æt. 74. Socer Joſiæ Simleri. Vir hic, ut vitæ integritate, morumque gravitate & muneris ratione reverendus; ſic eruditionis nomine colendus eſt, Verheiden. Vide & Melch. Adami, *in vitis Theol. Germ.* Catalogum librorum ab eo in lucem datorum, exhibent *Elogia* Anton. Teiſſier *Part.* 2. Placcius, eum auctorem verſionis Latinæ Bibliorum, quæ ſub nomine Fr. Vatabli prodiit, fuiſſe quoque, ſcribit, *de Script. Anon. p.* 270. ad Cæterum pater fuit filii cognominis, qui, ante patrem elatus, Græco & Latino ſermone carmina varia reliquit. *Ibid.*

GUAMANGA, vulgò *Guamanga*, urbs Americæ Mer. in Peruvia, media inter Civitatem Regum ad Occaſ. & Cuſcum ad Ort. Epiſcopal. ſub Archiep. Limenſi.

GUANUCUM, vulgò *Guanuco*, opp. Americæ Mer. in Peruvia, verſùs lacum Chincacocham & fontes fluvii Xauxæ, ad pedes montium, ſub Hiſpanis.

GUARANI, item *Guaranci* & *Guarangi*, iidem qui *Varingi* & Βαράγγοι Græcis dicuntur, apud Leonem Oſtienſ. *l. 2. c.* 58. & Anon. Bar. *Chron.* ſub A. C. 1046. 1047. & 1066. Vide C. du Freſne *Notis ad Villharduinum*, & *Alexiad. Annæ Comnenæ.* Alias *guarare* Gallis, fugere eſt & ἀπαματίζειν *fugiendi ſibi cavere*. i. e. varicare, crura pandere, varicatis cruribus aufugere. Unde iiſdem *lupiguaratores*, qui, cæterorum luporum fugientes conſortium, ſoli incedunt, μονοπεῖραι Græcis, Salmaſ. *ad Solin. p.* 944. Vide quoque infrà *Varus*.

GUARDASTALLUM, ſive *Guardiſtallum*, apud ſcriptores mediæ ætatis, poſtea *Vaſtalla*, & *Guaſtalla*, uti & vulgo dicitur, opp. Galliæ Ciſpadanæ, ad citeriorem Padi fluv. ripam, inter Mantuam & Regium Lepidi, utrinque 18. mill. paſſ. diſtans, elegans, & minimè obſcûrum, à Ferrando Gonzaga Principe, & primo illius Duce, olim à Ferdinando II. Imp. creato, auctum, noviſque mœnibus ſeptum: ac aliquot cœnobiis (in quibus unum pro Monialibus nuper magnificentiſſimè exſtructum eſt) exornatum, ita ut ſola dignitas Epiſcopalis propediem illi conferenda deſideretur. Hîc ſub Paſchali II. Pontifice Rom. Concilium habitum eſt A.C. 1116. ut in 2. P. Decretal. Gratiana *c.* 16. legitur.

GUARDIA, nomen Familiæ Hiſpanicæ, in Gallæcia illuſtris. Cùm enim Conſalvus Mexia Carrillo Dn. *de Sanctiſimia* duxiſſet Agnetem filiam ac hæredem Roderici Mexiæ Dn. *de la Guardia*, duæ hæ lineæ coivêre, atque inter poſteros, præcipua fuit Marchionum *de la Guardia*, reliquis Pontiorum *de Leon* & Guzmanniorum cognomina uſurpantibus. Primus autem March. *de la Guardia* titulum nactus eſt Gonſalvus Mexia Carrillo, fil. ac nepos Roderici; quo & Anna Manriciâ genitus Rodericus I. uxorem habuit Iſabellam de Mendoza: ex ea pater Gonſalvi; cui uxor Maria de Cardenas genuit Rodericum II. (cui uxor obtigit Luiſa Antonia filia Ludovici Antonii Portocarreri Com. de Palma: & Franciſcum, nominis *Mexia Carrillo March. de la Guardia*. Phil. Jac. Spener. *Theatro Nob. Part. II. p.* 118.

GUARDIA, urbs gemina: una Luſitaniæ, in regno Portugalliæ, Epiſcopal. ſub Archiep. Ulyſſiponenſi, Igæditæ urbi exciſæ, cui ſucceſſit, propinqua, inter Cauriam & Lamacum 14. leucis, Viſeo propior, 10. diſtans, vulgò *Guarda*: altera in Frentanis & Aprutio, ſive in Comitatu Moliſio, urbs Epiſcopal. ſub Archiep. Beneventano, Auxano urbi finitima, inde 8. mill. paſſ. in Eur. diſtans, *Gardia Alferia* cognomine.

GUARDIA, vulgo *lac de Guarde*, lacus Africæ, in Nigritia, per quem tranſit Niger fluv. inter regna Gagum & Canum.

GUARENNA, ſeu *Varenna*, locus in Caletis, cum tit. Comitatus olim, à fluv. ſuo nomen nactus: vulgò *Varrenne*. Hunc inter 9. Normanniæ fluv. cis Sequanam, Rotomago attributos numerat Ordericus Vitalis *Hiſt. l.* 7.

GUARGALA, regnum & deſertum Africæ, in regione Biledulgeridis, cum opp. cognomine, inter Gademeſſam ad Ort. & Tegortinam ad Occaſ. verſus montes & Zaharam tractum.

GUARIMARUS, Salerni princeps Northmannus, à ſuis interfectus A. C. 1049.

GUARIMBERTUS Matthæus, vide *Matthæus*.

GUARIMUNDUS, Gallus, poſt Arnulphum. Patr. CP. A. C. 1128. Gul. Tyr. *l.* 12. & 13.

GUASTECANA, regio novæ Hiſpaniæ ad mare del Zur expoſita, quæ parum fertilis eſt, unde incolæ inopia premuntur, & propterea piſcatu ut plurimum vivunt, ſunt tamen ſatis humani. Eſt in hac regione mons, in quo reperiuntur duo fontes, alter ſcilicet picis nigræ, alter verò picis rubræ ferventis. Duas hic colonias Hiſpani habent, nempe Panuco, & D. Jacobi à Vallibus. *Joh. Matal. Metell.*

GUASTUM, apud Plin. *l.* 20. *c.* 7. *Tertium genus eſt in ſylvis naſcens, Iſatin dicunt, cujus folia trita cum polenta vulneribus proſunt, quarto infectores lanarum utuntur, quod* guaſtum *vocant*: Uti legi jubet, pro *glaſtum* Salmaſ. Herba eſt multis regionibus quæſtuoſa, cœruleo colore inficiens, quâ vett. proin Brittannos in bello, ut hoſtibus eſſent formidabiliores, uſos ſcribit Alex. ab Alex. *Genial. Dier. l.* 1. *c.* 20. Sed & conjuges eorum eodem ſucco ſe pingebant. Plin. *l.* 22. *c.* 1. *Simile plantagini* glaſtum *in Gallia vocatur: quo Brittannorum conjuges nuruſque toto corpore oblitæ, quibuſdam in ſacris & nudæ incedunt, Æthiopum colorem imitantes.* Imo *omnes ſe Britanni vitro inficiebant, quod efficit cæruleum colorem.* Cæſ. Idem autem *vitrum* Latinorum, quod ἰσάτις Græcorum & Gallorum vett. *guaſtum*, quod hodierni *gueſdum* vocant: Iſatis nempe ſativa, quâ Infectores lanarum uti conſueviſſe notum. Præparatur ſic: viridem herbam molis truſatilibus premunt, ut herbaceam ſaniem excludant: dein abacto liquore digerunt in magnos globos, quos tabulatis in cinerem computreſcere ſinunt, *Paſtellum* pleriſque locis, ab effigie paſtillorum, in quam glomerantur, nominantes. Hos cortinis infectoriæ coquunt officinæ & laneos pannos ac vellera demergunt, ut cæruleum ebibant colorem. Cœruleam verò illam ſpumam innatantem, quam igni confervescentes eructant cortinæ, *Indum* Galli vocant, hanc ad Pictorum ſiccantes uſum C. du Freſne *Gloſſ.*

GUASTUM Amonium, *Guaſto di Amone*, opp. amplum Italiæ, in regno Neapolitano & in Aprutio citeriori, in ora littorali maris Hadriatici, prope oſtia fluv. Trigni. Unde Marchiones *del Vaſto* dicti, è gente Avalo. Hic operum antiquorum, inprimis prætorii, ac inſignis theatri, ſumptuoſi monumenta viſuntur. Dicitur & *Vaſtum Amonium*.

GUATEVILLA, vulgò *Vateville*, Guellebodo proxima, poſita eſt ad ripam ſiniſtram Sequanæ, contra Galidumbeccum, cum turre olim, contra piratarum incurſiones. Prope ſilvam Brotonam, *Routot*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

GUATIMALA, vulgò *Guatimala*, prov. Novæ Hiſp. in America Sept. juxta mare Auſtrin. ad Mer. per 150. leucas extenſa. Habet ad Bor. Honduram prov. ad Ort. Nicaraguam, & ad Occaſ. Soconuſcum. Ejus primaria dicitur Guatimala ſub dominio Hiſpanorum, quæ ibi condita eſt A. C. 1524. & 1525. cum urbibus S. Salvatoris, Trinitatis, S Michaëlis, &c. A. C. 1541. ignifero amne è proximo mònte flammivomo defluentis tantùm non ſubverſa. Solum friget admodum, & terræ motibus frequenter quatitur: cæterùm balſami eximii, ambræ, bezoaris, ſalis, omniſque generis frugum inprimis ejus, quam *Cacao* vocant; fertile, Benzo *l. 2. c.* 18. Herrera *c.* 11.

GUATIMALA, ſeu *Fanum S. Jacobi de Guatimala*, vulgò *Sant Jago di Guatimala*, urbs Ampla Americæ Sept. in Nova Hiſp. & in prov. Guatimala dicta, juxta fluv. Mitatajam, ubi conventus juridicus totius regionis, vix 15. leuc. Hiſp. ab ora maris Auſtrini, eſtque Epiſcopal. ſub Archiep. Mexicano.

GUAXACA, vulgò *Guaxaca*, prov. Novæ Hiſp. in America Sept. à mare Bor. ad mare Auſtrin. extenſa, inter provincias Tlaſcalam ad Occaſ. & Chiapam ad Ort. Planities ejus in quadrum formata eſt, cujus quilibet quadrans. 75. leucas continet. Ejus primaria urbs eſt Anticaria, ſub Hiſpanis, Epiſcopal. ſub Archiep. Mexicano. Reliquæ ſunt opp. S. Ildefonſi, S. Jacobi & Spiritus S. præter 300: burgos & totidem vicos incolarum. Solum frugum, ſerici, auri, &c. fertile eſt: *Cacao* ibi monetæ vicem ſupplet, Herrera *c.* 10.

per GUAZONEM inveſtitura, vide in hac voce.

GUBA, vulgò *Guben*, opp. Germaniæ, in Luſatia inf. ad fluv. Niſſam, 5. leucis à Francofurto in Auſtr. & 4. à Corbuſio, ſub dominio Ducis Saxoniæ Merſeburgenſis.

GUBER, vulgò *Guber*, regnum Africæ, in Nigritia, montibus altiſſimis cinctum, pagis compluribus paſtoribus atque bubulcis inhabitantibus frequens. Joh. Matal. Metell. Cum urbe primaria cognomine, inter Guineam ad Auſtr. & Nigrum fluv. ac lacum Guardiæ ad Bor. teſte *Marmolio*.

GUDELINUS Petrus, vide *Petrus*.

GUEL, fil. Machi, princeps tribùs Gad. Num. *c.* 13. *v.* 15.

GUELDRIA, vulgò *la Gueldre*, una ex ſeptendecim Germaniæ inf. provinciis, Ducatus titulo clara, cujus pars Sept. ſeu inf. ad Batavos ſpectat, Mer. verò ſeu ſup. *le haut quartier de Gueldre*, ad Hiſpanos, cum Gueldria urbe primaria; eſtque valde extenſa à Sept. uſque in Mer. nempe à mari Auſtrino uſque ad Ducatum Juliacenſem, ſed non æquè lata: Ejus pars fuit aliàs Comitat. Zutphanienſis.

Gueldriæ urbes clariores:

Arenacum, *Arnheim*, ſub Batavis.
Bommelia, *Bommel*, ſub Batavis.
Elburgum, *Elburg*, ſub Batavis.
Gueldria, *Gueldre*, ſub Hiſpanis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Hardervicum, *Harderwick*, ſub Batavis.
Neomagus, *Nimegue*, ſub Batavis.
Ruremonda, *Ruremonde*, ſub Hiſpanis.
Venloa, *Venlo*, ſub Hiſpanis.

GUELDRIA, urbs Belgii, vulgò *Gueldre*, provinciæ cognominis primaria, ad Nierſam amnem, media inter Rhinobergam ad Ort. & Venloam ad Occaſ. eſtque egregiè munita, ſub dominio Hiſpanorum, vulgò *Gelre* incolis; eſtque in Gueldria ſup.

GUELDRIA, arx Aſiæ, in ora ſinus Bengalæ, in India citeriori & in ora Coromandelis & regni Narſingæ, nuper ab Hollandis extructa & munita.

GUELFERBYTUM, urbs Germ. cum arce munitiſſima, in Ducatu Brunſvicenſi, ſub proprio Principe: vulgò *Wolffenbuttel*. Lineæ hujus *Guelferbytanæ* ſator Henricus fuit Magni fil. Dux Brunſvicenſis: cujus fil. Vilhelmo ſen. natus eſt Vilhelmus jun. pater Henrici ſen. ſeu mali, qui *Guelferbytanum* ramum & Erici ſen. qui Gœtingenſem ſeu Calenbergium eſt orſus. Henrico mortuo A. C. 1514. ſuceeſſit fil. Henricus jun. otii & quietis impatientiſſimus: qui A.C. 1542. à Smalcaldicis univerſo Ducatu exutus, ad Bavaros fugit. Dein copiis reparatis, *Guelferbytum* obſedit, ſed inde depulſus victusque in poteſtatem Mauritii Saxonis venit, libertate ejus, non niſi A. C. 1547. inter conditiones Haſſi reconciliandi, a Cæſare impetrata. Obiit A. C. 1568. Eum fil. Julius excepit, qui Evangelium in ditiones introduxit, Helmſtadienſis Academiæ fundator, A. C. 1576. Obiitque A. C. 1589. Pater Henr. Julii, qui A.C. 1596. Grubenhagiam ſucceſſionem ſoli ſibi aſſeruit, unde lis ei cum agnatis. Brunſvicum fruſtra obſedit A. C. 1605. Obiit A. C. 1613. Ei ſucceſſit fil. ex Eliſabetha Danica Fridericus Ulricus, qui A. C. 1615. pari ſucceſſu Brunſvicum obſedit, in cauſa Grubenhagia condemnatus eſt, tranſlationem Electoratus in Bavarum palam improbavit: deſertus à Dano, qui fratri ejus Chriſtiano Ducatum commiſit, rediit ad Cæſarem, & *Guelferbytum* à Danis poſſeſſum Okkari inundatione per Pappenhemium domuit. Deceſſit A. C. 1634. ultimus ſui rami. Succeſſit ei agnatus ex linea Dannebergica, Auguſtus fil. Henrici Ducis Luneburg. nepos ex fratre Vilhelmi, cui Cellenſis obtigit hæreditas. Auguſtus poſt ſterile cum Clara Maria Pomerana matrimonium, egregiam ſobolem ſuſtulit, ex Dorothea Anhaltina quidem Rudolphum Auguſtum, & Antonium Ulricum: ex Sophia verò Eliſabetha Megapolitana, Ferdinandum Albertum: Ipſe ſupra omnes reliquos Germaniæ Principes ætate provectus, pietate, juſtitia & literis inſigne nomen promeritus, Obiit haud pridem. Curæ ejus opus eſt Bibliotheca *Guelferbytana*.

GUELLEBODIUM, vulgò QUILLEBOEUF, vicus Galliæ ad Sequanam, in Oceanum properantem: hîc Sequana altiſſimus latiſſimusque eſt. Incolæ, ut & naves eorum, *les Quillebois*. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

GUELPHI, vide *Gibelini* & *Welphi*.

GUENGA, vulgò GUENGA, fluv. Indiæ citerioris, oritur in regno Decani, verſùs montes Gatæ, deinde per regnum Golcondæ labitur, & in ſinum Gangeticum ſe exonerat.

GUENORICUM, vulgò *Vignori*, locus Gall. in Bellovacis, ad amniculum, qui apud Bellum montem in Iſaram fluit. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

GUERANDA, vulgò GUERANDE, urbs Galliæ in Britannia minori, & in Comitatu Nannetenſi, verſùs oram litoralem Oceani Aquitanici, inter oſtia Ligeris & Vidanæ fluviorum, ubi ſalinæ, prope Crociliacum portum, & 14. leucis infra Nannetas in Occaſ.

GUERETUM, vulgò GUERET, urbs Galliæ, in Marchia Lemovicenſi, ad fluv. Gartempam. 12. leuc. diſtat à Lemovico in Ort.

GUERINUS, Eques Ord. S. Joh. Hieroſ. Gallus. Sub Philippo Aug. & Ludovico VIII. Conſiliarius, Cancellarius & Ep. Sylvanectenſis: In prælio, ad Bovinas, milites ad egregiè pugnandum hortatus. Obiit A. C. 1230. Æt. 70. Rigord. *in Phil. Aug.* Guliel. Brito *l.* 10. *Philipp.* Autevil. *Hiſt. de Miniſtr.* Morer. Item, Veronenſis. Chryſoloræ diſcip. Venetiis & Ferrariæ docuit. Scripſit vitas Platonis & Ariſtotelis, quædam Plutarchi, cum Strab. tranſtulit. Obiit A. C. 1460. Pater filii non minus docti. Leander Alberti *Deſcr. Ital.* Joh. Philipp. Bergam. *l.* 15. P. Jov. *in Elog.* Geſner. *in Bibl.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. Item, Dominicanus, Margarethæ Hungaricæ vitam contraxit, A. C. 1340.

GUERINUS Montacutius, M. Magiſter S. Joh. Hieroſ. Armeniorum Regi contra infideles ſubſidio venit, Andreæ quoque Hungariæ Regis contra hæreticos comes. Ejus tempore Damiata ab Equitibus capta. Obiit A. C. 1230. *Hiſt. Melit.*

GUERRICUS, vel GUARRICUS, Abbas Juniacenſis, diſcip. Bernhardi, Obiit A. C. 1158. variorum ſcriptorum auctor, ſed nihil ſupereſt, præter ſermones quoſdam, inter opera Bernardi, & in Bibl. PP. Trithem. *Cat.* Viſclius, *Bibl. Ciſtert.*

GUESPIA, vulgò *la Guepie*, caſtrum olim nobile Galliæ in territorio Albigenſi, cujus meminit Petrus *Hiſt. Albig. c.* 54.

GUETTA vel GUTTA, vulgò la GUJE, proximus Croſſæ fluv. amnis in Burgundia memoratus vett. tabb. Patriciaci Monaſterii, apud Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

De GUEVARA Antonius, Monachus S. Franciſci, Alavâ-Hiſpanus, Caroli V. Imp. Concionator, Hiſtoricus & Conſiliarius, Ep. Mendunenſis, Obiit Vallidoleti A. C. 1544. doctrinæ famâ prudentiæ conjunctâ celebris. Scripſit, *Un Volume de Lettere, Diſpreggio della Corte & Lode della Villa; Aviſo de Favoriti, & dottrina de Cortigiani; L'Orologio de Prencipi; Oratorio de Religioſi & Eſſenizio de Virtuoſi; Exegemata in Habacuc; Calvariæ montem* &c. P. Freher, *Theatro Vir. Erud. Clar.*

GUEUSII, Gall. *Gueux*, Belg. *Geuſen*, nomen ſec. præt. per probrum nobilibus Belgis, qui pro pace Religionis contra Inquiſitionem fœdus inierant, à Barlamontio aſperſum. Non minus poſtea nobilitatum, quàm *Proteſtantes* in Germania, & *Hugonoti* in Gallia: quo cùm ambeſas fortunas fœderatis alii exprobarent, ipſi in honorem traxêre, parum fauſti nominis appellatione profeſſi, fidem ſibi in regem, ad mendicitatem uſque conſtitutam, A. C. 1566. divitum terreſtres & aquatiles *Geuſios*, eadem irriſorum licentiâ, ſed hi A. C. 1572. Brilâ occupatâ, Reip. Belgarum hodie florentiſſimæ fundamenta jecêrunt, potentiâ Hiſpanorum toto orbe præcipuâ, divino auxilio, multùm labefactatâ. Vide Grot. *Ann.* Thuan. Strad. &c. *in Hiſt.*

GUFFIERIA Familia, inter illuſtres Galliæ, cujus originem alii qui à Guifredo Duce Aquitaniæ, alii ab Hunaldo I. *Guiferii*, Equitis Borbonii fil. arceſſunt. Claruit in ea inprimis Gulielmus, primus Cubicularius Caroli VII. cujus fil. Gulielmus genuit Artum & Guliel-mum; illum Dn. *de Boiſy*, ac Magnum Magiſtrum; hunc Dn. de *Bonnivet* & Admiralem Franciæ. In illius ramo nunc ſunt tituli Ducum *de Roannois*, Marchionum *de Boiſy*, Com. *de Carravas*. Ex hujus poſteritate ſunt March. *de Bonnivel* Domini *de Crevecœur*. Ar-tus enim *Gouffier* Dn. *de Boiſy* Com. Stamparum, ex Helena de *Hangoſt*, *de Genlis*, pater fuit Claudii Ducis *de Roannois*: quo & Maria *de Broſſe*, *de Blois*, *de Bretagne*, genitus Gilbertus, Johannam [illegible] ſeu Carolam Coſſæam ſibi junxit; ex ea pater Ludovici, Claudiæ [illegible] Lotharingæ, Ellebovii rami mariti: quo è matrimonio prodiit Henricus *Gouffier*, March. *de Boiſy*, pater ex Anna Hennequina, Artus *Gouffier* Duc *de Roannois*. Phil. Jac. Spener. *Theatr. Part. II. p.* [illegible]

GUGERNI, vulgò GIULIERS, teſte Rhenano, & Divæo, populi Germaniæ inf. quorum regio Juliac. Ducatus & urbs Juliacum, inter Coloniam Agrippinam 6. & Trajectum ad Moſam 7. leucis. Vide ibi. Ferrar. Baudr. populi fuêre juxta Rhenum [illegible] infra Coloniam, poſtea Sicambri dicti, teſte Cluv. erantque ubi nunc Cliviæ Ducatus. Nominis veſtigium idem Cluv. ſupereſſe dicit in opp. *Goch.* ad ripam Nerſii amnis, infra opp. Gelram 13. mill. paſſ. Tolbiacum vicum *Gugernorum* fuiſſe, opinatur Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide Tac. *Ann. l.* 4. *c.* 26. qui quoque *Gugernos* [illegible] fortè ſcripturâ tantùm diverſos. Sic in Itin. Ant. Tolbiacum [illegible] *Gugernorum*, de quo ſupra.

GUJANA, vulgò GUJANE, prov. Americæ Merid. quæ à quibuſdam Guajana dicitur. Eſt in mediterraneis, [illegible] ſùs lacum *Parime*, ad Auſtr. provinciæ Caribanæ. Ibi nullæ Europæorum coloniæ. Sunt tamen qui illam extendant ad oram [illegible] rum juxta mare Boreale, inter oſtia fluviorum Amazonum & [illegible] noci, ubi quædam coloniæ. Ab Hollandis enim, Anglis, Gallis & Hiſpanis, litoralis ejus pars frequentari ſolet. Sanſon illam 400. leucis longam, 150. latam refert, *Deſcr. Amer.* Cæterum, Incolas ejus æternam vitam, felicitatemque ac miſeriam poſt hanc vitam, bonis maliſque expectandam, credere, refert Rich. Whitborn *Deſcr. Nov. Angl. Part. I. c.* 4.

GUICCIARDINUS Franciſcus, Florentinus, Arte & Marte clarus, Leoni X. Hadriano VI. & Clem. VII. gratus, auctor Hiſtoriæ ſui temporis. Obiit A. C. 1540. Æt. 58. Joh. Bapt. Hadrianus, amicus ejus, illam continuavit libb. 22. Poſſevin. *Bibl. ſelecta, l.* 16. *c.* 41. Sed fides ejus non ubique integra, inprimis ubi de Franciſco Maria Urbinatium Duce, Principe rebus geſtis inclyto, à quo paulo durioribus verbis, cùm conſilium bellicum aliquando haberetur, exceptus fuerat. Proſtant etiam illius *Conſigli aurei & avertimenti Politici*. Vide Ant. Teiſſier *Elogiis P.* 2. & P. Freher. *Theatr. Vir. Erud. Clar.* Item Ludovicus, Belgicam deſcripſit, *Ludovicus*.

GUICHARDUS Claudius, vide *Claudius*.

Imperatores & Reges.

GUIDO, fil. Lamberti, Ducis Spoletani, poſt Caroli III. Craſſi mortem, Imp. ita cum Berengario Ducis Foro-Julii, convenit, ut hic Italiam, ille Galliam obtineret. Sed nimiùm cunctatus, faciem interea rerum ibi mutatam vidit, & ipſe cum Berengario collatis illum bis prælio vicit. Ab Arnulpho, filio Carolomanni, qui in Gallia Imp. proclamatus erat, Lombardiâ totâ pulſus, Spoletum A. C. 894. recepit. Reparaturus vires moritur ſanguinis effluvio, A. C. [illegible] Luitpr. *l.* 1. Otto Friſing. *l.* 6. *c.* 10. *& ſeqq.* Leo Oſtienſ. *l.* 1. *Chron. Caſſ.* Sigon. *l.* 3. Aventin. *l.* 4. *&c.*

GUIDO Luſignanus, Hieroſolymorum Rex, A. C. 1186. [illegible] Sibyllæ, Regis Almerici filiæ; Hieroſolymis, & totâ fere terra [illegible] à Saladino pulſus. Titulo regni Richardo Anglo, pro Cypro [illegible] vendito, quam poſteri ejus tenuêrunt, uſque ad A. C. 14[illegible] A. C. 1194. Pater 4. filiorum, qui in obſidione Acræ mortui. Succeſſorem habuit fratrem Emericum. Gul. Tyrius, *l.* 12. & 13. [illegible] nut. l. 3. *par.* 10. *c.* 8. *p.* 201. *Hiſt.* Luſiniana.

GUIDO Luſignanus, Cypri Rex, A.C. 1191. Idem cum [illegible]

GUIDO, nomen Lavalleis olim in Gallia dynaſtis commune: eſt autem hæc dynaſtia in Cenomanis ſita, Armoricæ Britanniæ [illegible] Hujus dominus *Guido* VIII. filiam Immam habuit, quæ Matthæo II. cogn. Magno, Montmorencio, Coneſtabili Regni, nupta [illegible] *Guidonem*, qui nomen Lavalleum pro Montmorencio retinuit [illegible] ad poſteros tranſmiſit. In quibus *Guido* X. duobus filiis [illegible] & XII. dominium reliquit; quorum poſterior cùm filiam [illegible] ret hæredem Annam, illa A. C. 1404. Joh. Montforto [illegible] cum conditione nominis & inſignium Lavalleorum aſſumendi [illegible] unde is *Guido* XIII. dictus eſt. Succeſſit tamen *Guidoni* XVI. fi[illegible] dius, dein vero iterum *Guido* XVII. qui mortuus [illegible] A. C. [illegible] ex ſorore hæredem habuit neptem Renatam, uxorem Ludovici [illegible] Maure March. de Nevelle, quæ ob hanc cauſam *Guiona* XIX. [illegible] tata eſt. Cùm verò hæc etiam careret ſobole, ſucceſſio tranſiit [illegible] ſororis Claudiæ, ex Franciſco Colinio Andelotio (primo è [illegible] ca Nobilitate reformationem amplexo liberos: in quibus, qui [illegible] lus prius fuerat, *Guido* XIX. *Com. Lavalli* dein dictus eſt, [illegible] licto avito nomine, gentile & adoptivum Illuſtriſſimæ Fam[illegible] aſſumpſit, Thuan. *l.* 1. ſed cum tribus fratribus ad [illegible] num Santonum Obiit, A. C. 1586. relicto fil. *Guidone* XX. qui [illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

tinctus bello Hungarico, ſub initium Sec. hujus, hæredes habuit Tremollios, qui ſuum cum alio nomen mutare noluére. Vide Phil. Jac. Spener. *Artis Herald. Part. II. l.* 1. *c.* 90. ubi *de Domo Tremollia.*

GUIDO I. Gallus, cogn. Carthuſianus, 5. Gen. Ordinis hujus, Bernardo charus. Obiit A.C. 1137. Item,

GUIDO II. cogn. Anglus, Obiit A. C. 1188. Vide Morer. *Dict. Hiſt.*

GUIDO, Perpiniano oriundus, Gen. Ordinis Carmelit. de Hæreſibus ſcripſit. Obiit Avenione, A. C. 1330. Idem.

GUIDO Ambianus, fil. Gualteri II. Comes & frater Fulconis Ep. huic ſucceſſit, A. C. 1058. poëmatis, inter alia, de Anglia à Gul. Conqueſtore devicta, auctor. Obiit A. C. 1076. Gul. de Jumieges, *l.* 7. *Hiſt. de geſt. Norm. c.* 44. Orderic. *Hiſt. l.* 3. *Voſſ.*

GUIDO Aretinus, vide ibi.

GUIDO Baſius, Roſarii, ſeu Comm. in lib. Decret. Gratiani, & in 5. libb. Decretal. Gregorii IX. auctor. Aliàs *Baiſius.* Trithem. *de ſcr. Eccl.* ſec. 13.

GUIDO Bonatus, Forojul. Auctor Theoricæ Planetarum, & Aſtrologiæ Judic. Venetiis impreſſæ, A. C. 1506.

GUIDO Cavalcantius, Florentinus, eruditione clarus, A. C. 1300.

GUIDO Columna, Siculus, Eduardi I. à ſacra expeditione reducis in regnum comes. Auctor Chronici libb. 36. Item Hiſtoriæ de Regibus Angliæ. A. C. 1287. Simler. *in append. Bibl. Geſn.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *p.* 491.

GUIDO Crementis, Octaviano defuncto. Imp. juſſu in Papam eſt ſuffectus. A. C. 1164. Blond. Vide *Paſchalis.*

GUIDO du Faur, Pibraci Dom. muneribus, legationibus ad Concil. Trid. & in Poloniam, ſcriptis item inclytus. *Thuan.*

GUIDO Ferrarienſis, Dominicanus, Auctor Margarithæ Bibliorum.

GUIDO Flonocherus, Narbonnenſis, auctor Chronici. Obiit A. C. 1352. Gen. Dominicanorum. *Simler.*

GUIDO Groſſus vel Craſſus, vide *Clemens IV.*

GUIDO de Montleheri, dictus *Rupefortius*, cogn. Rufus, Miniſter ſtatus, ſub Philippo I. quæ familiæ hujus averſum à ſe animum ſanaturus, Philippo filio ſuo Bertrudam Guidonis dicti Trouſſelli, nepotis Miniſtri ſui, filiam uxorem dedit. Reverſus è Palæſtina, Guido Lucianam filiam decennem Ludovico Craſſo uxorem conciliavit: ſed A. C. 1108. matrimonio hoc à Paſchali II. in Concil. Trecenſi irrito pronuntiato, offenſus, aulâ relictâ, Theobaldo Bleſenſi & Carnut. ſe junxit: Paulo pòſt mortuus. Suger. *in Ludov. Craſſo*, Auteuil. *Hiſt. de Min. Stat.* Mezerajus *in Phil. I.*

GUIDO Novellus, Florentinorum Dux, A. C. 1260.

GUIDO Pancirollus, vide *Pancirollus.*

GUIDO Papa, Conſiliarius in Parlament. Delphinat. Juriſc. celebris, à Ludovico XI. tum Delphino Viennenſis, plurimis negotiis adhibitus, Obiit A. C. 1464. Auctor 632. quæſtionum Juris, præter alia ſcripta. Cholerius, *Hiſt. Delph. tom.* 2. *l.* 13. & 14. Malè confunditur cum Guidone Craſſo JC. qui poſtmodum Clemens IV. Hic enim ſub Ludovico IX. floruit.

GUIDO Petramala, Præſul Mediolanenſis, Ludovico Bavaro Imp. ferream coronam impoſuit, A. C. 1327.

GUIDONES, Clerici dicti ſunt, à Carolo Mag. Romæ inſtituti, ut Peregrinos ad viſitanda ſacra Urbis loca deducerent, eoſque, ſi morerentur, ſepelirent; quod Clericorum Collegium *Schola Guidonum* appellatum eſt, de quo infrà in voce *Porticani.* Inde *Guidonea porta*, una ex quinque Baſilicæ Vaticanæ portis, apud Torrigium *de Cryptis Vat.* quòd ibi *Guidones* morarentur, hodie *Porta ſancta* vide Macros Fratres *in Hierol.* in hac voce, nec non in voce *Bordinati*, ubi ſic quoque XV. Eccleſiaſticos Ultramontanos, in Æde S. Salvatoris prope S. Petrum in Vaticano, ad id muneris inſtitutos à Carolo Mag. & *Guidones*, item (quæ vis vocis eſt) *Duces* vocatos eſſe, ac præter dicta Peregrinos, dum viverent Romæ, hoſpitio excepiſſe, addunt.

GUIEMANNUS, fidelis Conſiliarius Childerici I. Herum ſuum à ſubditis pulſum, inſigni aſtutiâ, miſſo aureæ monetæ dimidio, monitum, reſtituit. Gregor. Turonenſis *l.* 2. Aimon. Sigebertus, *Gaguinus.*

GUIENNA, vulgò GUIENNE, prov. Galliæ, cum tit. Ducat. alias Aquitania, quamvis longè ſit anguſtior, quàm olim Aquitania fuerat. Plin. *l.* 4. *c.* 17. *Aremoricæ* illi dat nomen. Ad Occaſ. Oceano, montibus Pyrenæis ad Mer. Languedociâ & Cadurcis ad Ort. & Encoliſmenſi ac Alnetenſi provinciâ ad Sept. terminatur. Ab aquis Romani nomen illi Aquitaniæ impoſuêre, quæ ante Aug. tempora Oceano, Pyrenæis & Garumnâ concluſa, ab illo poſtmodum mirum in modum aucta eſt. Viſigothi inde Romanos expulêrunt, à Chlodovæo tandem & ipſi exturbati. Habuit poſt hæc proprios Duces, ſub Carolo Mag. ejuſque poſteris, regno unita: donec Angli hic rerum ſunt potiti, quos tamen Carolus VII. ejecit. A Ludovico XI. fratri Carolo conceſſa, poſt ea ad regnum rediit. Solum fertile ac amœnum, aër ſubtilis eſt & temperatus, incolæ ingenioſi & mites, ſed jactatores: *Guienna* quoque in ſpecie dicitur juriſdictio Seneſcalli Burdigalenſis. Vide *Ann. Aquit.* Lurbeum *in Onomaſt.* & *de Illuſt. Viris Aquit.* Joh. Beſlium *Geneal. Duc. Guienn.* Chenium *de urbibus, &c.* ut & in voce *Aquitania.*

GUIGNARDUS Joh. Jeſuita, ob multa in Regem Henricum IV. cogn. Magnum contumelioſe dicta, inter quæ: *Sanbartholomeo tumultu peccatum eſſe, quòd venâ Baſilicâ ſanguis miſſus non ſit:* ſtrangulatus eſt, A. C. 1595. cùm paulo antè Joh. Caſtellus, ejuſdem ſcholæ alumnus, vitam Regis, fallente ſicâ, petiiſſet, vide Thuan. *Hiſt. l.* 111. & 112.

GULIELMI Schouteni inſulæ vulgò *Willem Schouten Eylandt*, inſ. Oceani Orientalis ſeu Indici verſùs Auſtr. in ora Bor. terræ Papuorum, ſic dicta à Gulielmo Schouteno Batavo, qui primus eam detexit A. C. 1617.

GULIELMINA, nomen duarum campanarum ingentis magnitudinis, quas Ep. quidam, *Gulielmus* nomine, Famaguſtæ Cypri metropoli faciundas curavit, & a nomine ſuo appellatas in D. Nicolai templo ſuſpendit. Meminit earum Hier. Magius *l. de Tintinnab. c.* 14.

GULIELMITÆ, Ordo ſacer, in Comm. Rom. à Gulielmo X. Aquitaniæ Duce inſtitutus, A. C. 1136. Vide Morer. *Dict. Hiſt.*

GULIELMIUS Joh. Lubecenſis, Cujacii diſcip. ut evaderet, Biturigum metropolim delatus, paulò poſt ibi Obiit, A. C. 1584. Æt. vix 30. Joſ. Scalig. in *Scaliger.* Thuano, Lipſio magni habitus, quorum hic ejus *Quæſtionibus Plautinis* nihil accuratius reperiri, ſcribit *Elect. l.* 2. *c.* 16. & *Ep.* 8. *ac* 47. *Centur.* 1. Reliqua ejus ſcripta ſunt, *Libri Veriſimilium*, *Aſſertio adverſùs Sigon.* de Conſolatione vulgò Cic. attributa, *Manes Palmeriani*, *Poëmata.* Etiam quædam Euripidea Dramata Latinè vertit, & novam Cic. editionem molitus eſt, ex Thuano Ant. Teiſſier *in Elogiis Part.* 1.

Reges Angliæ, Scotiæ & Siciliæ.

GULIELMUS I. Conquæſtor, Primus Normannorum Angliæ Rex Fil. nothus Roberti Ducis ex Herleva, cive Faleſiana: Hic, patre Nicææ in Bithynia mortuo, hæres inſtitutus, patruos duos adverſarios habuit; quibus, ope Henrici I. Gall. Regis victis, ab Eduardo quoque III. Angliæ Rege improle ſucceſſor dictus, Haraldum Godvini fil. ab Anglis electum, prælio cruentiſſimo ſuperatum Occidit, A. C. 1066. Angliæ ſic Rex, Canutum repulit, etiam Scotiæ Regem ſibi obnoxium habuit, dein in Aremorica bellum geſſit, cum Roberto fil. ob Normanniam conflixit, occiſuſque ab ipſo fuiſſet, niſi is patris ſauciati voce agnitâ, ei pepercíſſet. Hinc cum Ducatu ceſſiſſet, ſcommate Philippi Galli, qui audito eum Rothomagi, ob nimiam corporis molem, decumbere, *cubat nunc Rex Angliæ Rothomagi longo puerperio*, dixerat, excitus: reſpondit, *Cum partu levatus ad templum ero, mille tum faces in Francia lucebunt:* paulòque poſt ferro & flammâ Galliam vaſtavit. Fatigatus militari labore, Rothomagum redux, Obiit, Cadomi ſepultus, A. C. 1088. Æt. 74. Regni 22. Caput hodiernæ regiæ Anglorum familiæ, cui id etiam nocte victoriam contra Haraldum ſecutâ, audita per quietem vox, *Viciſti, Viciſti, regnabis tu, & qui a te creati ſunt*, prædixerat. Succeſſi, ei fii.

GULIELMUS II. Rufus, ex Mathilde Flandrica: excluſo primogenito Roberto III. Normanniæ Duce Largus primò in ſubjectos, amorem illorum ſibi conciliavit, conjurationem contra ſe initam ex facili diſſipavit, cum Roberto bellum geſſit, quod in pacem deſiit tum, cùm hic in Orientem ſe pararet. Vallos rebelles domuit, avariſſimè porro regnum adminiſtravit, Malcolmum Scotum interemit, *ne ſine ſua venia quiſquam Angliâ egrederetur*, legem tulit. Procelloſo vento navigationem in Normanniam impediri poſſe animosè negavit: ubi in venatione, improviſo Valteri ictu, occiſus. Henricum fratrem ſucceſſorem habuit. A. C. 1101. Gul. Pictav. *de geſt. Gul. I. & II.* Orderic. Vitalis *Chron. Normann.* Froiſſard. Gul. Malmesburius, Rogerius, Matth. Pariſ. Polydor. *Hiſt. Angl. l.* 8. & 9. &c.

GULIELMUS III. Henricus, ex Principe Arauſionenſi M. Britanniæ, poſt ſocerum Jacobum II. cujus majorem natu filiam Mariam uxorem duxerat, Rex conſtitutus coronatuſque A. C. 1689. annis ſeqq. aliquot. Hiberniam totam ſub obſequium redegit; inde in Gallos verſus, bello præſenti, multa fortiter ac præclarè geſſit, inſidias innumeras divino præſidio tutus feliciter hactenus exiit, hodieque, ingens Fœderatorum pars, pro Religione & totius Europæ ſalute ac libertate, pervigil excubat. Vide & infrà *Vilhelmus III. Arauſio* & Arauſiacenſis.

GULIELMUS, Scotiæ Rex Henrici fil Malcolmo IV. fratri ſucceſſit, A. C. 1165. Ab Henrico II. Angliæ Rege cui, domeſticis turbis implicito, bellum intulerat, captus, libertatem caro redemit, Barvico & Rogesburgo ceſſis, & regno ei tributario reddito. Cum Richardo I. dein & Joh. ipſi res fuit. Obiit A. C. 1214. Æt. 74. Regni 49. Succeſſit fil. Alexander II. Leslæus & Buchan. *Hiſt. Scot.*

GULIELMUS I. cogn. *Malus*, Siciliæ Rex patri Rogerio, ſui ſeculi principum potentiſſimo, ſucceſſit: Injuſtitiâ, avaritiâ, crudelitate infamis. Mortuo patre A. C. 1154. diripuit urbem Tanes in Ægypto, Græcorum ab Hadriano Pontif. cum quo ei contentio, in ſe concitatorum, claſſem ingentem depreſſit, Beneventum Pontifici eripuit, ipſum cepit, qui ut ſe captivitate liberaret, ſocios prodidit, & inveſtituram Siciliæ, Apuliæ & Capuæ, cum juribus extraordinariis, quæ dicta *Monachia Siciliæ*, hoſti confirmavit. Sæpius Tarpejo fulmine ictus, toties eliſit. Obiit A. C. 1166. Regni 13. Roger. Bar. A. C. 1155. Sigon. *l.* 12. 13. & 14.

GULIELMUS II. cogn. *Bonus*, fil. prioris, diſcip. Petri Bleſenſis, Æt. An. 12. Patris hæres, Alexandro III. contra Fridericum Imp. favit: mox utriuſque reconciliationi intentus, Clero paulo gravior viſus eſt. Bello contra Andronicum Comnenum, A. C. 1185. felix, Theſſalonicam cepit, aliaque loca, mox iterum perdidit. Obiit Panormi, A. C. 1189. relicto Tancredo filio notho, qui contra fidem Conſtantiæ Gulielmi materteræ, Henrici VI. Imp. uxori, datam, regnum invaſit, iliade malorum inde ſecutâ. Pet. Bleſenſis Ep. 131. Collenutius, *Hiſt. Neap.* Fazell. *de rebus Sic. Sigon.*

GULIELMUS III. fil. Tancredi, nepos prioris, patri ſucceſſit ſub tutela matris Sibyllæ, A. C. 1193. cum qua anno pòſt ab Henrico VI. Cajeta & Neapoli occupatis, perpetuo carceri incluſus & excæcatus eſt. Collenut. *Hiſt. Neap.* *Hugo Falcand.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Comites Hollandiæ.

GULIELMUS I. Holland. Comes, fil. Florentii III. Comes cùm eſſet Friſiæ Or. in terram S. profectus, poſtmodum Adâ, fil. Fratris Theodorici VII. pulsâ, Hollandiam uſurpavit. Obiit A. C. 1223. Princip. 19.

GULIELMUS II. Comes Holland. fil. Florentii IV. ab Innoc. IV. Friderico II. Imp. oppoſitus eſt, A. C. 1247. Aquiſgrani, poſt 6. menſes capto, coronatus, Flandros pepulit, A. C. 1256. in bello contra Friſones Occid. rebelles, à ruſticis, equo glacie fractâ in arundineto hærente, lapidibus obrutus. Joh. Leid. *l.* 23. Nang. *in vita S. Ludov.* Meyer. *Ann. Flandr. l.* 9. Stero, Siffrid. *Cuſpinian.* &c.

GULIELMUS III. cogn. *Bonus*, Joh. patri ſucceſſit, maritus Johannæ Valeſiæ, ſororis Philippi Regis. Fortitudine & juſtitiâ inclytus. Obiit A. C. 1337. Eo natus.

GULIELMUS IV. qui Hiſpan. Regi contra Mauros ſuppetias miſit, in Orientem profectus eſt, Ruſſis convertendis operam dedit, oblatum ab Electoribus Imperium recuſavit. Occiſus à Friſonibus, A. C. 1345. Margaretham ſororem hæredem habuit.

GULIELMUS V. Bavarus, hujus fil. ſucceſſit, bello contra matrem notus, inſania dein correptus, in carcere Obiit A. C. 1377. Fratre Alberto Bavaro ſucceſſore relicto, cui ſucceſſit fil.

GULIELMUS VI. ex Margaretha, filia Philippi Audacis, pater Jacobæ, quæ ei ſucceſſit. Obiit A. C. 1417.

Comites Provinciæ.

GULIELMUS I. Comes Provinciæ, Arelat. & Toloſæ, fil. Boſonis II. A. C. 971. Saracenos Fraxineto prorſus pepulit, alibi quoque victos: Monachus tandem Cluniac. factus.

GULIELMUS II. ejus fil. virtutibus inclytus, Obiit A. C. 1020. Æt. 50. Cui ſucceſſit fil.

GULIELMUS III. qui Obiit A. C. 1054. Delbenus, Guicheno, Ruffi. Noſtradamus, Bouchæus *Hiſt. Prov.*

Haſſiæ Landgravii.

GULIELMUS I. cogn. *Junior* vel *Dives*, Haſſiæ Landgravius, fil. Henrici, A. C. 1483. ex Elizabetha Palatina improlis, equi caſu in venatione, cui nimium indulſit, A. C. 1500. extinctus eſt.

GULIELMUS II. Ludovici Pii fil. A. C. 1471. in Palæſtinam profectus, in reditu ab Innoc. P. Romæ honeſtè habitus, in Italia, φίλτρῳ debilitatus, regimen fratri Gulielmo III. A. C. 1493. ceſſit.

GULIELMUS III. in Belgradi expugnatione, ſub Maximiliano Imp. fortiſſimè ſe geſſerat A. C. 1490. Obiit A. C. 1509. ex Anna Megapolitana, pater Phil. Magnanimi.

GULIELMUS IV. fil. hujus ex Chriſtiana Saxonica, Princeps literis egregiè cultus, ſingularis indolis radios mox evibravit: Patre captivo adminiſtrationem orſus, libertatem patris, Saxonis & Brandeburgici operâ, impetravit. Caſſellas munivit, architectonicæ peritiſſimus, magnâ auctoritate in imperio pollens, multas vicinorum controverſias diremit. Concordiæ libro non parum ſe oppoſuit. Pater Mauritii ſucceſſoris, ex Sabina Wirtembergica, Patriæ matre & pauperum nutrice, Obiit A. C. 1522. Vide Thuan. *l.* 76. *&c.*

GULIELMUS V. cogn. Conſtans, fil. Mauritii A. C. 1627. ſucceſſit, cum Rege Sueciæ fœdus iniit: hoc occiſo, Luneburgicis & Cniphuſio junctus, varia egit. Pace Pragenſi A. C. 1635. ferè ſolus in Germania comprehendi noluit, Hanoviam à Cæſarianis liberavit, Obiit in Friſia A. C. 1638. Uxore ejus Ameliâ Elizabethâ bellum feliciter perſequutâ, Lambojo A. C. 1642. & 1648. devicto.

GULIELMUS VI. fil. ejus pace Monaſter. Abbatiam Hirſchfeldiam, aliaque ditioni ſuæ adjecit, Princeps pius & prudens, A. C. 1663. repentinâ morte oppreſſus: Cujus fil.

GULIELMUS VII. Pariſiis haud pridem Obiit, non ſine veneni ſuſpicione. Ei ſucceſſit Carolus frater, qui nunc feliciter præeſt. Vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.*

Duces Aquitaniæ.

GULIELMUS I. Dux Aquitaniæ, Comes Arverniæ, Bituricenſis, &c. Fundator Abbatiæ Cluniac. Obiit A. C. 917.

GULIELMUS II. ejus nepos, ſucceſſit, Regem Rudolphum ad Ligerim ſuperiorem agnovit. Obiit A. C. 927. fratre Alfredo hærede relicto.

GULIELMUS III. cogn. Caput ſtuparum: fil. Eblis ſecundi, à Rege Lothario bello petitus, mox eidem reconciliatus eſt. Obiit A. C. 964.

GULIELMUS IV. fil. prioris cogn. *Fierabras*, illum excepit. Hugoni Capeto & Roberto primò non adeò bene cupiit, dein ſubmiſit ſe, & Godofredum Grifegonellum, Comitem Andegav. vicit. Patris more, monachi habitu ſumpto, Obiit, A. C. 993. Eo genitus.

GULIELMUS V. cogn. Magnus, ob fortitudinem, prudentiam & pietatem. Omnibus Regibus Principibusque gratus, habitu monachi ſumpto Obiit, A. C. 1301. Æt. 71. Ei ſucceſſit fil.

GULIELMUS VI. cogn. Craſſus, qui à Godofredo Martello, Comite Andegav. victus eſt, A. C. 1035. Obiit A. C. 1037. Frater ejus Petrus dictus.

GULIELMUS VII. ſucceſſit, Anno pòſt mortuus. Hunc frater Guido Godofredus, dictus

GULIELMUS VIII. excepit, Henrico I. Gall. Regi ſuppetias venit, ab Andegavenſibus victus, Saracenos in Hiſpania ſuperavit, Obiit A. C. 1086. fil. ejus

GULIELMUS IX. Alphonſo Arragoni, contra Mauros, auxiliatus, Obiit A. C. 1127.

GULIELMUS X. fil. per Philippam, filiam Gulielmi IV. Comitis Toloſani, Comit. hujus hæres: Anacleto II. Antipapæ contra Innoc. II. favit. Obiit in itinere Compeſtellano, A. C. 113[illegible] Chenius, Juſtellus, Morer. *Dict. Hiſt.* &c.

GULIELMUS, porro nomen 5. Comitum Toloſ. 2. Burgundiæ, unius Ducis Lotharingiæ.

Viri Celebres.

GULIELMUS, Arvernas, Ep. Pariſienſis. Scripſit in Hexameron, Pſalterium, Eccl. Canticum Cantic. in Matthæum lec[illegible] nes, aliaque quæ vide inter opera Fol. Pariſiis A. C. 1516. & V[illegible] tiis A. C. 1591. impreſſa. Obiit A. C. 1249. *Vir admodum pi[illegible] doctus*, Bellarm. *Eruditionis & pietatis nomine percelebris*, Catal. T[illegible] Vet. Quanto melius de Juſtificatione, aliiſque Religionis a[illegible] lis, cæteris ſui temporis Doctoribus ſenſerit, teſtantur ejus ſc[illegible]

GULIELMUS, Abbas, ſec. 12. celebris: Bernardi vitam [illegible] alia quoque ſcripſit. Phil. Bergomas, *in Chron. ſupp. l.* 12. T[illegible] them. *in Cat.* Henr. Gandav. *c.* 10. Item, dictus *Brito*, [illegible] Annales Rigordi in epitomen redegit. Philippidis libb. 12. [illegible] quod poëma eſt, de rebus geſtis Phil. Aug. Edidit Petrus P[illegible] in Hiſt. Gall. *edit. Francof.* A. C. 1596. Item Monachus S. Dio[illegible] ſii, auctor variarum epiſtolarum, & Hiſtoriæ libb. 3. &c.

GULIELMUS Abſelius, Carthuſ. aſcetica varia ſcripſit. O[illegible] A. C. 1471. Petrejus *bibl. Carthuſ. p.* 115. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* [illegible]

GULIELMUS Adhemarus, Provincialis, nobilis & poëta, [illegible] derico Imp. gratus, cujus uxori de feminis Ill. poëma dedicavit. Obiit A. C. 1190

GULIELMUS Agoultius, Provinc. poëta, tum quoque flor[illegible] Noſtradamus, *de Poet. Prov.*

GULIELMUS Alanus, Anglus, Card. ſcripſit quædam: A[illegible] & Lat. Obiit A. C. 1594. Nic. Fizebertus, *in vita ejus.* Ciacc. [illegible] *in Sixto V.* Pitſeus, *de Ill. Anglis.* Sanderus, *de ſcript. Fland.* &[illegible]

GULIELMUS de S. Albano, Monachus Anglus, auctor [illegible] rum quorundam Hiſtor. A. C. 1170.

GULIELMUS Ameſius, Anglus, Theologus celebris, & [illegible] luſtri Friſiorum Academia Profeſſor. Scripſit *Lectiones in Pſal[illegible] epiſtolas Petri*, *de Caſibus conſcientiæ*, *Bellarminum enervatum*. [illegible] opera ejus. Floruit A. C. 1630.

GULIELMUS Amicus, Lemovicenſis, Clementi VI. cha[illegible] Patr. Hieroſ. Obiit in Galliam reverſus, A. C. 1360. Item Fland[illegible] ibidem Patr. A. C. 1130. poſt Steph. Obiit A. C. 1146.

GULIELMUS de S. Amore, Burgundus, Doctor Pariſ. [illegible] Ludovico XI. Auctor libri *de periculis noviſſimorum temporum*, in [illegible] in paupertatem monachor. ſpontaneam acriter invectus, Alexandrum IV. infeſtum ſenſit, & Thomam, cum Bonaventura, adverſarios. Morer. *Dict. Hiſt.*

GULIEMUS Antiſſiodorenſis Ep. primò, dein Pariſ. Obiit A. C. 1223. Eruditione & virtute nulli ſecundus. Morer. *Dict. Hiſt.*

GULIELMUS Appulienſ. ſub Henrico IV. Imp. floruit Regnum Neap. aliaque in Italia à Normannis occupata, carmine heroico p[illegible] ſecutus eſt, hortatu Rogerii Buſſi, fratris Roberti Guiſchardi, Com. Siculi, unde Saracenos expulerat. Joh. Tirenius edidit, A. C. 1582. Simler. *Bibl. Geſn.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 4.

GULIELMUS Askelte, Angl. ſub Eduard. II. auctor Hiſt. Tripartitæ.

GULIELMUS Avenſonius, Cardin. & Archiep. Ebrodunenſis, Concilio Tridentino interfuit: captâ à Duce Dignierio [illegible] mam ſe recepit. Obiit Gratianopoli A. C. 1600. Vedel. [illegible] dig. Chorer. *Hiſt. Delphin. tom.* 2. *&c.*

GULIELMUS de Baldenſel, auctor Itinerarii T. S.

GULIELMUS de Bargemon, nobilis & poëta Prov. ſec. 12. No[illegible] *ſtrad.*

GULIELMUS Barlovius, Ep. Anglus, ſub Henr. VIII. & Eduardo VI. auctor Coſmographiæ, &c. Balæus & Geſnerus in Bibl.

GULIELMUS Batecombus, Mathematicus Anglus, [illegible] ſcripſit *de operatione Aſtrolabii*, *de Sphæra concava*, *ejuſdem* [illegible] *& uſu*, &c.

GULIELMUS Bellajus, præfectus Taurini, ſub Franciſc. I. [illegible] tis negotiis adhibitus. Auctor Hiſtoriæ, de rebus Galliæ, &c. [illegible] ter Joh. Cardin. & Martini, præf. Normanniæ, qui itidem Hiſtoriam ſcripſit, de regno Franciſci I. Vide *Bellajus*.

GULIELMUS Berchenus, Auctor epitomes Chron. Gel[illegible] uſque ad A. C. 1466.

GULIELMUS Bibaucus, Gen. Carthuſ. poſt Franciſcum du P[illegible] memoriæ adeò invictæ, ut quidquid ſemel legiſſet, oblivi[illegible] nunquam. Obiit A. C. 1535. ſcripſit quædam. Vide Petrejum, *in not. ad Chron. Dorl. & in Bibl. Carthuſ. p.* 117.

GULIELMUS, dictus *Bibliothecarius*, ſec. 9. Hiſtoriæ Pontifi[illegible] cum Anaſtaſii vitam addidit.

GULIELMUS Blaeu, Amſtelodam. diſcip. Tychonis B[illegible] impreſſis egregiis operibus, Geograph. inprimis Famam meritus.

GULIELMUS Blancus, Ep. Tolonenſis, Xiphilinum Latinè ver[illegible] tit, &c. Obiit Avenione, A. C. 1588.

GULIELMUS Botonerus, Eques Angl. Medicus, Hiſtoricus & Mathematicus. Scripſit A. C. 1460. de antiquit. Angliæ, Aſtrologica item ac Medica quædam: cum Gulielmo Woceſtrienſi non confundendus. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 9.

GULIELMUS Bongevillanus, Normannus Monachus, ſcripſit Chronicon Anglicum, ab A. C. 1000. uſque ad A. C. 1280.

GULIELMUS de Branthegen, Aloſtanus, Carthuſ. proſ[illegible] ſuáque quædam edidit, Petrejus *Bibl.*

GULIELMUS Briconnetus, Archiep. Remenſis, ab Alex. VI. Cardin. factus, Carolo VIII. & Ludov. XII. gratus, auctor prior[illegible] expeditionis Neapolit. Idem Concilium Piſanum, contra Jul. [illegible] urſit, Obiit A. C. 1514. Pater Gulielmi, Ep. Meldenſis & Dionyſii, Ep. Tolonenſis. Morer. *Dict. Hiſt.*

GULIELMUS Budæus, vide ibi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

GULIELMUS Buyerus, Prov. Mathematicus & poëta. Carolo II. acceptus, [illegible] proſâ verſuque ſcripſit, de Mineralibus pluriumque fontium ſcaturigine [illegible] &c. Noſtradam. *Verdier.*

GULIELMUS Cabeſtanus, poëta Prov. de Amore varia ſcripſit, ſed [illegible] exitu. Petrarcha, *Noſtradam.*

GULIELMUS Calculus, Monachus, ſcriptis inclytus, A. C. 1120.

GULIELMUS Cantuarienſis, auctor vitæ Thomæ Cantuar.

GULIELMUS Camdenus, Angliæ Strabo dictus, ſub fin. ſec. præt.

GULIELMUS Campanus, Archiepiſc. Remenſis, Card. & præcipuus Miniſter Status, ſub Philippo Aug. Fil. Theobaldi M. frater Adeleidis; quæ Philippi mater erat. Obiit A. C. 1202. vide Morer. *Dict. Hiſt.*

GULIELMUS Canterus, Ultraject. eruditus ſui ævi. Thuan. *l.* 61. de [illegible] in *Elogiis* Ant. Teiſſier *P.* 2.

GULIELMUS Caxtonus, Anglus, præter alia, Chronicon ſcripſit, uſque ad A. C. 23. Eduardi II. ſeu A. C. 1483. titulo, *Fructus temporum.* Simler. Voſſ. *de Hiſt. Lat.*

GULIELMUS Charterius, vide ibi.

GULIELMUS Choulius. Nobilis Lugdun. ſcripſit promptuarium numiſmatum, de religione vett. Roman. de Caſtrametatione, &c.

GULIELMUS Cortuſius, vide ibi.

GULIELMUS Coucinas, Duacenſis, auctor obſidionis Rhodi. Cuſpinianus, &c.

GULIELMUS Coventræus, Monachus Anglus, ſub Eduardo III. Hiſtorica quædam ſcripſit.

GULIELMUS de Cumo, Gallus, JC. celebris, ſec. 14.

GULIELMUS Durandus, vide ibi.

GULIELMUS Elphinſtonus, Auctor Chronici Scotiæ, &c. Vide *Elphinſtonus.*

GULIELMUS Eſtius, Lovanienſis, inter alia, comm. in Ep. Paulinas [illegible]

GULIELMUS d'Eſtouteville, Card. Rotomagenſis, ſub Carolo VII. & Ludov. XI. Captâ Conſtantinopoli, à Nicolao V. ad Carolum VII. miſſus [illegible] cum Anglo conciliandæ causâ, Pragmaticæ ſanctionis obſervationi [illegible], &c. Obiit A. C. 1482. Ætat. 80. marmorea ſtatua donatus. Mo[illegible]

GULIELMUS Fabri, Gener. Carthuſian. A. C. 1273. Obiit A. C. 1278.

GULIELMUS Farellus, nobilis Delphina, ex primis Evangelium in Gallia annuntiavit, A. C. 1523. Dein in Helvetia cum Zuinglio converſatus, [illegible] poſt tenebras lucem tamdiu optatam attulit, in Delphinatu quo[illegible] doctrinâ longè lateque propagatâ. Eruditione ſacra inclytus, [illegible] admirandus. Eccleſiam ſic Genevæ reformatam, Calvino tra[illegible], ipſe Neocaſtri poſtmodum eodem munere functus. Obiit A. C. 1565. Æt. 76. Beza *in Icon.*

GULIELMUS Fillaſtrius, Card. Rerum Mathematicarum & Juris, [illegible] Remis docuerat, peritiſſimus, inſigni ibi Bibliothecâ collectâ. In [illegible] Concilio Conſtant. Peroranti coram Carolo VI. contra libertatem [illegible] Gallicanæ, ſilentium impoſitum eſt, proin Romam inde ſe recepit. [illegible] A. C. 1422. Item hujus nepos, Ep. Tornacenſis, à Philippo Bono va[illegible] negotiis adhibitus, ſcripſit librum de Ordine aurei velleris. Obiit Gan[illegible] A. C. 1475. Morer. *Dict. Hiſt.*

GULIELMUS Gemeticenſis, Normannus, auctor libb. 6. de geſtis Normannorum. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 49.

GULIELMUS de Gilingham, Benedictinus Anglus, ſcripſit de ſui Ordinis ſcriptoribus, A. C. 1390.

GULIELMUS de Godialdo, Mathematicus celebris, ſec. 13.

GULIELMUS Granæus, vel Viretus, Carmelita Anglus, ſec. 15. auctor Carmelitarum Hagiologii.

GULIELMUS Griſantius, pater Urbani IV. Med. & Mathem. auctor libri de Quadratura circuli, de qualitatibus Aſtrorum, de ſignificationibus [illegible], de magnitudine Solis, &c.

GULIELMUS Guillevillanus. Ciſtert. Mon. ſcripſit de Anima & J. Chriſto.

GULIELMUS Haſſus, obſerv. Aſtrolog. edidit, ſec. præt. Vide ſupra.

GULIELMUS d'Hede, Batavus, Canonicus Antverp. à Maximiliano I. Legationibus adhibitus, Philippo I. à ſecretis. Auctor Genealogiæ Caroli V. &c.

GULIELMUS Hermannus, Goudanus, auctor belli Geldro-Hollandici, &c. Eraſmi condiſcip. Adr. Junius, *c.* 16. *Batav.*

GULIELMUS Hilacenſis, Carthuſ. auctor homiliarum, in Orationem Dominicam. *Simler.*

GULIELMUS Hirſaugenſis Abbas, 1080. auctor variorum ſcriptorum Mathem. Trithem. *de ſcript.*

GULIELMUS Hipporegius, Carthuſ. ſcripſit varia. Petrejus [illegible] A. C.

GULIELMUS Lindanus, Dordracenſis, Ep. Gandav. Inquiſitionis munere in Hollandia & Friſia functus. Auctor *Panopliæ Evangelicæ*, &c. Obiit A. C. 1588. Æt. 60.

GULIELMUS Lindwodus, Henrici V. Angli Secretarius, auctor aliquot ſcriptorum. *Balæus.*

GULIELMUS de Lorris, ſub Ludov. IX. poëta, auctor fabulæ de Roſa, à Joh. Clopinello poſtmodum ad umbilicum perductæ. Morer. *Dict. Hiſt.*

GULIELMUS Luddinctonus, Carthuſian. Anglus, quædam ſcripſit. *Petrejus.*

GULIELMUS Malmesburienſis, Benedictinus Anglus, ſec. 12. *Bibliothecarius* dictus. Auctor Hiſt. Eccl. celebris, ſcripſit porro libb. 5. *de rebus geſtis Regum Angl.* duos, *de Hiſtoria novella*: 4. *de Præſulibus Anglis*, *&c.* Vide Balæum, Piſeum, Geſner. *Voſſ.*

GULIELMUS Mandagotus, Metropolit. Ebrodunenſis, ſub Bonifacio VIII compilator 6. libri Decretalium, Cardinalis, ſub Clem. V. Obiit Avenione, A. C. 1321. Morer. *Dict. Hiſt.*

GULIELMUS Mellerius, JC. Lugdun. celebris, quædam edidit. Verdier. *Bibl.* [illegible] *p.* 498.

GULIELMUS Michaël & Morelius, ſec. præt. varios auctores priſcos, prophanos ille, ſacros iſte, verterunt. *Idem.*

GULIELMUS Moguntinus, Archiep. fil. Ottonis Imp. Chronici auctor, Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 40.

GULIELMUS de la Motte, Gallus, Gen. Carthuſianorum, A. C. 1420. Obiit A. C. 1437. Tertius hujus nominis.

GULIELMUS Nangius, auctor Chronici, à M. C. uſque ad A. C. 1301. quod ab aliis continuatum, uſque ad A. C. 1368. Item, Chronici Regum Galliæ, vitæ S. Ludov. cum Philippi Aud. & Roberti Borbonii fil. Pithæus edidit, A. C. 1596.

GULIELMUS Nebriſſenſis, Canonicus reg. Anglus, aliàs *Little*, ſcripſit Hiſt. Anglicam, libb. 5. ab A. C. 1066. quo Gulielmus I. Angliam occupavit, uſque ad A. C. 1135. ſibi natalem, perduxitque porro uſque ad A. C. 1197. Obiit A. C. 1208. Edidit cum notis A. C. 1610. Joh. Picardus. Eidem aſcribitur Comm. in Canticum, ad B. Virginem, applicatus, Balæus *Voſſ.* &c.

GULIELMUS Occamus, Franciſc. diſcip. Scoti, caput Nominalium, *Doctor Venerabilis & ſingularis*, Ludovici Bavari Imp. partes amplexus, ô *Imperator*, dicere ſolitus erat, *Tu me gladio defende, & ego te verbis ac ſcriptis defendam.* Scripſit contra Joh. XXII. unà cum Michaële Ceſenate, Gen. ſui ordinis, proin ambo ex communicati. Scripſit quoque plurima in Phil. & Theologia. Melchior Goldaſtus, in libro de Monarchia, edidit 93. quæſt. Occami. Luc. Vadingus, *Ann. & Bibl. Min.* Morer. *Dict. Hiſt.*

GULIELMUS Pantinus, Medicus Brugenſis, in Celſum ſcripſit, ſec. præt.

GULIELMUS Paradinus, ſcripſit Chronicon Sabaudiæ, Hiſtoriam ſui temporis, Ann. Burgund. libb. 3. &c. Morer. ſec præt. floruit.

GULIELMUS, Pariſienſis Ep. A. C. 1228. plurimos in Theologia errores, ex Scholaſtica Philoſ. ſubortos, damnavit A. C. 1241. Obiit A. C. 1248. Vide Volum. 4. *Bibl. PP.* De ejus ſcriptis & 6. aliis *Gulielmis*, ibidem Epiſcopis, vide Morer. *Dict. Hiſt.*

GULIELMUS Parvius, Ep. Sylvan. ſec. 16. Aſcetica quædam edidit.

GULIELMUS Paſtrengius, Veronenſis, librum de Origene ſcripſit. Alex. Becellius *in Indic. Hiſt. Veron.*

GULIELMUS Peiratus, Lugdun. auctor Hiſtorici cujuſdam operis.

GULIELMUS Pelicerius, primò Legatus Franciſci I. ad Venetos, inde Ep. Monſpelienſis, à Franciſco I. Venetias miſſus, ibi Hebræos, Græcos, Syroſque auctores plurimos collegit, quibus regia Bibliotheca exornata. Quòd Reformatorum partibus accedere crederetur, perſecutioni obnoxius Obiit A. C. 1568. Scripſit *Comm. in Plin.* aliosque auctores priſcos, qui non ampliùs ſuperſunt, unaque poſt Auctorem, cum inſigni illius Bibliotheca, periêrunt. In Bibliotheca tamen Pererii Senatoris. Aqu. magnam *Comm. ejus in Plin.* partem hodieque aſſervari, notat Ant. Teiſſier *Elog. P.* 1. Cum elogio ejus meminêrunt Cujacius, Turneb. &c. inprimis Thuan. *Hiſt. l.* 38. Paul. Jov. &c. Item patruus prioris, Ep. Magalonenſis. Obiit A. C. 1529.

GULIELMUS Peraldus, Archiep. Lugdunenſis, *Summæ virtutum & vitiorum* auctor, &c. Vide Morer. *Dict. Hiſt.*

GULIELMUS Peregrinus, Anglus, comes Richardi I. in Orientem, Hodæporicon ejus ſcripſit.

GULIELMUS Perkinſius, Anglo-Britannus, patriâ Varvicenſis, oppido Marſtonienſis, Theologus Cantabrigienſis celeberrimus. Natus primo Elizabethæ Reginæ Anno, Obiit ultimo A. C. 1602. Opera ejus Latinè reddita ab Abrahamo Mylio 2. tom. Fol. Genevæ, in alias etiam linguas tranſlata ſunt, *Sanctiſſimus & exercitatiſſimus Theologus, ſcriptis inprimis, quæ Chriſtianam praxin ſapiunt, clariſſimus.* Lætus *Comp. Hiſt. Univ.* Vide & Paul. Freher. *Theatro. Vir. Erud. Clar.*

GULIELMUS Petrus, vide *Petrus.*

GULIELMUS Philander, Cabillonenſis, in Vitruv. commentatus, cùm non præſtaret ea, quæ in Præf. promiſerat, ob ſupinam ignaviam, quæ etiam rerum domeſticarum eum incurioſum reddidit, Obiit poſt famam ſuam, A. C. 160. Toloſæ. Vide & infrà *Philander.*

GULIELMUS Pipinus, Dominicanus, Gallus, Obiit A. C. 1527. ſcriptis clarus.

GULIELMUS Poſtellus, Normannus, *abyſſus ſcientiarum* dictus, Polyglottus, Mathematicus, Cabaliſta, &c. inſignis. In varios errores prolapſus, inter alia, *de Virgine Veneta*, mira ſcripſit, Angeli Razielis commercium jactavit, *& feminas aliquando viris imperaturas, in omni ſecta homines ſalvari poſſe, myſteria pleraque Chriſtianiſmi meras eſſe fabulas*, aſſeruit &c. Obiit cælebs A. C. 1581. Æt. 100. nullo nunquam morbo tentatus. Ejus, *de Orbis Concordia*, liber præ reliquis laudatur. Vide Morer. *Dict. Hiſt.* du Vergier *Propopegr.* Bohortium *Vitâ S. Ignatii*, ubi eum πολυγλωττίᾳ ſuâ fretum totum orbem ſine interprete peragraturum venditaſſe, ſcribit; Sammarth. *Elog.* Scalig. *Ep.* 362. *l.* 4. ubi dementiæ potiùs, quàm malitiæ, illum arguit, Naudæum *Bibliogr.* Placcium *de Script. Anon.* & infrà aliquid in voce *Poſtellus.*

GULIELMUS Procurator, Chronicon Monaſterii Egmondani ſcripſit. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 64.

GULIELMUS Rainaldus, Arvernus, Gen. Carthuſian. A. C. 1367. ſecundus hujus nom. Purpuram & Infulam triplicem recuſavit. Carne, ne quidem in morbo, veſci voluit. Carthuſiam incendio deletam, ſolicitè reparavit. Epiſtolas ad varios ſcripſit, & nova ſtatuta edidit. Obiit A. C. 1402. Dorland. *in Chron. l.* 4. *c.* 24.

GULIELMUS Rameſpius, Benedictinus Anglus, ſub Henrico II. Rege variorum vitas ſcripſit.

GULIELMUS Regnodus, vel Rheginus, Medicus Lugdun. *Medicinæ exercitamenta*, inter alia, ſcripſit.

GULIELMUS Rhievalius, Ciſtert. Anglus, auctor Hiſt. Anglicæ. Obiit A. C. 1140.

GU.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

GULIELMUS Rondeletius, Medicus inſignis, Monſpelii & in Flandria docuit, auctor libri *de Piſcibus*, quem tamen exſcripſiſſe ex *Annotationibus* Gul. Pelicerii præfati *in Plin.* nunquam editis, Thuan. ait *Hiſt.* reliqua ejus opera, quæ ſemel concepta ſcriptaque nunquam relegere aut corrigere ſolitus eſt, enarrat Ant. Teiſſier *Elog. P.* 1. ubi addit conſilio ejus Theatrum Anatom. Monſpelii à Rege erectum eſſe, A. C. 1556. cæterùm à juventute eum vino abſtinuiſſe, ut à podagra immunis eſſet, ſupra modum largum fuiſſe noctes lectione magis ac ſtudiis, quàm ſomno, exegiſſe, ac poſt captivitatem Pelicerii Ep. ſuprà dicti, omnes libros Theologicos, quos, frequens legebat, in ignem conjeciſſe, atque erat Anatomicus eximius, unius liberorum ſuorum extincti ipſum anatomen inſtituiſſe, non ſine vituperio bonorum, fil. tandem nimiâ ingeſtione mortuum eſſe. Scævola San-Marth. *Elog. l.* 3. Obiit A. C. 1566. Vide quoque P. Caſtell. *Vir. illuſtr. Medic.* I. Jubert. *in Vita ejus.*

GULIELMUS Risbrouckius, de geſtis Tartarorum ſcripſit, cum Itin. Orientis.

GULIELMUS Rishangerus, Benedictinus Anglus, *Opus Chronicorum* edidit, continuationem Matthæi Pariſ.

GULIELMUS de Rubione, ſcriptor ſec. 14. Arrago.

GULIELMUS Salicetus, Medicus Placentinus, *Gulielmiæ* auctor, A. C. 1210.

GULIELMUS Salluſtius du Bartas, Poëta Gallus celebris, à Communione Rom. ſeceſſit. Obiit A. C. 1591. Vide *Bartas.*

GULIELMUS Samucus, Carmelita Gallus, Cyprum à Saracenis pulſus, de monaſteriis Ordinis ſui ſcripſit.

GULIELMUS Sirletus, Cardin. Calaber. Marcello II. Pio IV. & V. gratus. A' Sixto V. editione Bibliorum adhibitus. Obiit A. C. 1585. Æt. 71. Hebraicè, Græcè & Latinè egregiè doctus.

GULIELMUS Starnefeldius, auctor Anglus.

GULIELMUS Tellus, vide *Tellus.*

GULIELMUS Thornus, Benedictinus Anglus, cujus opera vide apud Poſſevin. Simler. *Voſſ.*

GULIELMUS Tripolitanus, Dominicanus, auctor libri de ſtatu Saracenorum. A. C. 1270.

GULIELMUS Turnebus, Anglus eruditus.

GULIELMUS Tyrius, Præſul hujus urbis, Gallus, an Germanus, an Syrus? Auctor Hiſt. ſacræ, de Palæſtina à Godofredo Bullionæo occupatæ: A. C. 1095. uſque ad A. C. 1180. libb. 23. quibus 6. alios Joh. Heroldus adjecit. Interfuit Concil. Lateranenſi, ſub Alex. III. cujus Hiſtoriam, unà cum Hiſt. Principum Occidentis, qui in Oriente ſedes fixêrunt, quoque edidit, &c. Henr. Pantaleon, *in ejus vita.* Jac. Bongarſius, *præf. ad Geſta Dei per Francos.* Voſſ. &c. Item alius, cujus epiſtolæ ad Bernardum Patr. Antiochiæ extant. Obiit A. C. 1127.

GULIELMUS Wolceſtrienſis, Angl. ſcripſit varia. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3.

GULIELMUS Xylander, Auguſtanus, Mathematicus celebris, Strab. Plutarch. Dion. Cedren. vertit, &c.

GUILLARDINUS Melchior, vide *ibi.*

GUILLEVILLANUS, vide *Gulielmus.*

GUIMARANUM, vulgò GUIMARANES, opp. Hiſp. in regno Portugalliæ, & in prov. inter Durium & Minium, Ducatus tit. inſignitum. 4. leuc. diſtat à Braccara in Ort. verſùs montes.

GUIMPA, in *Regula* Roberti Arbriſelli. *c.* 6. peplum eſt ſeu velum muliebre, quo etiamnum Monachæ utuntur, quod *Guimpe* Galli vocant. In ſpecie ſic Catanenſes appellant S. Agathæ velum, quod *Grympam* alii malè dicunt, vide C. du Freſne *Not. ad Stabilimenta S. Ludov. l.* 1. *c.* 54. & ſuprà in voce *Grympa.*

GUIMUNDUS, Cardin. ſub Greg. VII. floruit: auctor tractatus de veritate corporis & ſanguinis J. C. contra Berengarium, qui ab Eraſmo editus, A. C. 1530. &c. Gul. Malmesbur. Ivo Carthuſ. *Ep.* 78. Orderic. Vital. *Hiſt. Eccl. l.* 5. *c.* 17. cum elogio hujus Guimundi meminêrunt.

GUINA, vulgò GUINES, opp. Galliæ, in Picardia prov. & in recuperata ditione, ut vulgò ajunt, prope Caletum urbem, vix 2. leucis ab ea in Auſtr. & totidem ab ora Oceani; Comitatum ſeparatum facit. Eſt intra paludes.

GUINEA, vulgò *la Guinée*, regio Africæ perampla, inter Nigritiam ad Bor. & mare Atlanticum ad Auſtr. & inter regnum Congi ad Ort. & montem Leonis ad Occaſ. Regio eſt abundans & fertilis, ab Ort. in Occaſ. valdè extenſa, & ab Europæis admodum frequentata Dividitur in tres partes, nempe in *Guineam propriam*, in Malaguettam, quæ ad Occaſ. & in regnum Benini ad Ort. In *Guinea propria*, quæ media eſt inter Malaguettam & Beninum, ſunt quamplurimæ coloniæ Anglorum, Danorum, Hollandorum, & Suecorum, cum arcibus aliquot, Loca autem præcipua in ora ſunt arx S. Georgii de Mina, arx Naſſovia, arx Capitis Corſi, Commendum, Anta, Ferum, & Cormentinum, Guinea autem propria dividitur in oram Auream, *la Coſte d'Or*, oram Dentium, *la Coſte des Dents*, & in oram Malaguettæ, *la Coſte de Malguette.* Vide *Ora Aurea.* Detecta autem fuit Guinea primò A. C. 1365. à Gallis, qui in illius ora habuérunt aliquot colonias. Sed inteſtino ſub Carolo VI. & VII. bello flagrante Galliâ, egregiæ illorum ſpes interverſæ ſunt, iisque, de quibus ſuprà, aditus patefactus eſt. Vide Villaldi Bellefontii *Relation curieuſe des côtes de Guinée*, ubi de fertilitate ſoli, mercium, quæ inde exportantur, generibus, moribus & religione incolarum, ſuperſtitioſo imprimis cultu idolorum, quæ *Fetiches* vocant, quos tamen alii certos eſſe characteres, à Sacerdotibus illorum ipſis imprimi ſolitos, malunt; Inſuper Leonem African. *Marmolin.*

GUINEA Nova, vulgò *nouvelle Guinée*, pars Aſiæ recens detecta. Vide *Nova Guinea.*

GUINENSIS Lambertus, vide *Lambertus.*

GUINENSIS. mel. GISNENSIS Comitatus Picardiæ inf. qui diſterminatur ab Comitatu Oyo, per canalem majorem, qui opp. Guinenſium præterlabitur, territoriumque fere reddit inexpugnabile. Primarium opp. eſt *Guinenſium*, in duas diviſum partes, quarum una in paludibus ſita, altera in continenti, loci naturâ munitum & validum. Captum fuit ab Henr. II. Rege, miſſo illuc Franc. Lotharingo, Guiſiæ Duce, A. C. 1558. Sunt & alia oppida velut *Hartincourt*, *Peuplinquelle*, *Portus Nivelletius.* Continet hic Comitatus ſub ſe ba... driſium & Courtembronenſem. Merula. *Joh. Maul. Meto...*

GUINTERIUS Joh. Andernacenſis, Goſlariæ primum Gymn... ctor exin Lovanii Græcæ Ling. Profeſſor. Pariſios inde profectus ... Laſcari innotuit, ac favore Card. Bellaji inter Medicos Franc... ptus eſt. Obiit Argentinæ A. C. 1567. Æt. 80. Nobilitatis ... noratus à Ferdinando I. *Oribaſium in Aphoriſmos Hippocr.* ... emiſit. Reliqua ejus ſcripta, quorum quædam edidit ſub nom... *Auctoriacus*, habes *in Elog.* Teiſſerii. Vide & Melch. Adami ... *dic.*

GUIPUSCOA, vulgò GUIPUSCOA, quibuſdam IPUS... prov. eſt Hiſp. aliàs regno Navarræ annexa, ſed à trecentis anno... revulſa, & Biſcajæ attributa, quam habet ad Occaſ. uti Alavam ... Oceanum Aquitanicum ad Bor. & Navarram ad Ort. cum parte G... qua ſeparatur Bidaſſoa amne. Circuitus ejus eſt 36. mill. Nomen ... detur ab Opuſcua, civ. priſca. Hic Cantabri olim. In ea urbes ... ſunt Toloſa, *Toloſa*, regionis caput, Fanum S. Sebaſtiani, ... Fons rapidus.

GUISA, vulgò GUISE, opp. Galliæ, in Picardia pr... Tiraſcia tractu, ſatis munitum, cum caſtro, ad Oeſiam fluv. ... finia Hannoniæ. Fruſtra obſeſſum fuit ab Hiſp. A C. 1550. ... ces Guiſii è domo Lotharing. quorum ab antiquo patrimonium ... enim cùm Comitatus eſſet, Franciſcus I. Rex in Duc. dignitatem ... A. C. 1528. in gratiam Claudii Lotharingi, fil. minoris natu Re... Hic Claudius, fortitudine inclytus, ſuſcepit ex Antonia Borbon... octo: è quibus primogenitus Franciſcus Guiſii Dux Cla... Dux & Renatus Marchio Ellebovii fuère. Franciſcus, defen... captoque Caleto clarus, poſt prælium Druidenſe, occiſus eſt per... à Joh. Poltroto, A. C. 1553. Ex Anna Eſtenſi, pater Henr. I. ... Caroli Ducis Meduanii, &c. Henr. Pictavium contra Refor... fendit, Ligæ poſtea ſub Henr. III. caput hujus juſſu in Com... bus interemptus eſt; vide elogia ejus apud Balſacum. ... tharina Cliviaca ſeptem filiorum, totidemque filiarum: è ... Dux patri ſucceſſit, ex Henrica Catharina Joyſia pater ... II. Hiſtoriis noſtri temporis, electione inprimis ut in Regem ... cèt poſſeſſione haud diuturnâ, notiſſimi. Hodie *Guiſiæ* titulo ... Joſephi Ludov. Ducis *de Guiſe*, *de Joyeuſe*, *d'Angoulesme*, ... *ville* &c. (ex Ludov. Princ. Joinvillæ, Henr. II. fratre, & ... Valeſia Duc. Engoliſmenſi) nati A C. 1650. Den. A. C. 1670. & ... relianenſis, quæ ſecundo genita fuit Joh. Baptiſtæ Gaſtonis ... nenſis ex ſecundo matrimonio Mariæ Lotharingicæ. Phil. ... ubi ſuprà *Part. I. p.* 147. & *Part. III. p.* 78. & 88.

GUISCARDUS, cogn. Roberti Normanni Apuliæ Principis, ... voce *Wiſcardi.*

GUISCHARDUS Robertus, vide *Robertus.*

GUISIUS Jacobus, vide *Jacobus.*

GUISUM, caſtrum maritimum, Flandriæ proximum, & port... gne, memoratum Frodoardo *in Chron.* A. C. 938. debet eſſe, ut ... leſ. vult, *Viſan*, aut *Vitſan*, inter Amblitolium & *Caleſium* poſi... tus, ſed Amblitolio propior, nunc obſtructus. *Aliis Wiſſant*, ... Arena dicitur, *Notit. Gall.*

GUITEFLEDA, vel VITEFLEDA, fluv. Galliæ, in Caletis. O... co Vitali *l.* 12. memoratus, vulgò *Vitefleu* aut *Vitefleur*, Caneſium ... Guitefledam *Vitefleu*, Paludellum *Paluel*, Vellas *Veules* præterlabitur ... ad Clicadentes in Oceanum effluit. Nomen habet à ... acceſſuque maris: idem enim *fleda* eſt, quod *fleat* aut ... Belgis Hadr. Valeſ. in voce *Amfloat.* Oritur autem apud H... vicum S. Malloni & currit leucas plus minus 4. Vocatur *Riparia* ... in vett. tabb. Fiſcannenſibus: item *Pons de Witeſlou*, in literis ... 1229. vicus autem ipſe ibidem dicitur *Witeflo ſuper mare*, ... *teſlot villa.* Idem Hadr. Valeſ. in voce *Caleti.*

GUITMUNDUS, Lanfranci diſcip. ſcripſit *de Corporis & Sa... Chriſti veritate, in Euchariſtia*, vide Joh. Forbeſ. *Inſtruct. Hiſt. Theo... c.* 18. §. 10. & *ſeqq.*

GULA, Cenſoriis legibus apud Rom. coërcita, *Plin. l.* ... *Extant Cenſoriæ leges; glandia in cœnis, gliresque & alia ... ni vetantes. Marmora invehi, & maria hujus rei cauſâ ... lex nulla lata eſt.* Sapientioribus inſuper Ethnicorum ſæpius ... de eundem *l.* 9. *c.* 17. & 35. *l.* 10. *c.* 15. 22. 23. & 51. *l.* 12. ... *l.* 31. *c.* 8. &c. plura hanc in rem ſuprà, ubi de *Conviviis.* ... animalis ſic propriè dicatur, explicat idem *l.* 11. *c.* 37. ... *--- Quod inter eas uvæ nomine ultimo dependet palato, homini ... ca minor lingua; epiglottis --- Opera ejus gemina, duabus ... terior —— arteria —— exterior appellatur ſanè gula, quâ ... tur. Tendit hæc ad ſtomachum —— Ex cartilagine & ... & carne conſtat.* Et infrà, *Summum gulæ fauces vocantur, ... chus* &c. Apud Recentiores *Gula*, Gall. *Gueule*, vocabulum ... rum frequenter utuntur, ad deſignandum in inſignibus rube... Eſt autem *Gula* pellis rubricata, auctore Bernardo *Ep.* 42. *c.* 2. *& murium rubricatas pelliculas, quas Gulas vocant, manibus ... cratis.* Unde elicit C. du Freſne, *Gulas* fuiſſe pelles non ... rubricâ intinctas, ad idque adhibitas Armenicas, h. e. mur... rum: interdum etiam ipſas Martes Zebellinas, albas ſc. quales ... naſci docet Adam Bremenſis *c.* 239. Vide C. du Freſne in *Gr...*

GULA Aug. ſæpe occurrit in membranis antiquis, ... renſibus, pro feſto S. Petri ad vincula: quod ipſis Kalendis ... bratus. Occaſionem Durandus ſuggerit *l.* 7. *c.* 19. Quirinum ... filiam habuiſſe gutturoſam: quæ oſculata, juſſu Alexandri, ... bus Petrus ſub Nerone coërcitus fuerat, à morbo fuerit liberata, ... ſtum & templum. Belethus verò de feſto agens S. Petri, ... meminit. Henr. Spelmann. *Gl. ſſ. Arch.*

GULUS, fluv. Mauritaniæ Cæſarienſis, inter Igilgili & Aſar... in mare Africum exiens.

GUMMI, Græcis κόμμι. Sic Chymicis Auctoribus electrum ... cinum, τέλειον κόμμι. Unde Perſæ lac illud, quod lactis ...

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

manat primò, deinde concreſcit ut gummi, qualia ſunt lac Cyrenaicum & Hammoniacum, *Xir*, lac Mambu *tabaxir*, & mannæ aliquod genus *Xirqueſt*, appellant. Gummium enim genera omnia primo liquida ex arbore manant, deinde ſiccantur & dureſcunt, nunc rotundiore formâ, nunc longiore & cylindracea concreſcentia, ξηρὸν autem *ſiccum* Græcis aridumque eſt. Plin. *l.* 13. *c.* 11. *Gummi optimum eſſe ex Ægyptia ſpina convenit vermiculatum colore glauco purum, ſine cortice, dentibus adhærens, pretium ejus in libras X. iii.* Ex Ægyptia ſcilicet ſpina nigra, quod κόμμι ἀκάνθινον, hodie *Gummi Arabicum*, vocant. Et quidem Ægyptia ſpina (quæ & *acacia*) lachrymat gummi, tum inciſa, tum etiam ſponte ſuâ. Quod ſponte ſua manat, abſque ulla arboris plaga, circa corticem adhæreſcit, ut in arboribus myrrhæ & thuris quoque videre eſt. Eam igitur ferro deradunt. At quæ ex inciſa & percuſſa fluit, eam ſuppoſito vaſe excipiunt. Atque hæc optima habetur, utpote quæ ſine cortice eſt. Quemadmodum & è lachrymis thuris eam optimam & puriſſimam habitam, quæ in tegetes ſubjectas defluebat, ait Theophraſt. qui & hujus ſpinæ lucum ingentem circa Thebaicam præfecturam fuiſſe memorat. Quam in rem vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 533. & de reliquis quoque *Gummium* generibus, Plin. ubi ſuprà. De uſu verò *gummi*, in adulterandis ſuccis lachrymiſque arborum, quæ concreſcunt, eundem Salmaſ. *d. l. p.* 301.

GUNAS, locus Syriæ, uberis & fœcundi ſoli, unde nomen *Steph.*

GUNDAMORUS, Alemannorum Rex, à Juliano ad Argentoratum victus captuſque eſt, A.C. 357. Amm. Marcell. *l.* 16. *c.* 12. *l.* 21. *c.* 3.

GUNDAMUNDUS, Gizerichi ſeu Genſerici nepos Vandalorum in Africa Rex III. Hunerico ſucceſſit, non minus Orthodoxis æquus: regnavit Annos 12. ſucceſſore fratre Thraſimundo, quem vide: plura apud Procop. & Grot. *Hiſt. Vand.*

GUNDEBALDUS, Burgund. Rex à Clodoveo I. Francorum Rege tributarius factus eſt A.C. 501. Ab eo nomen habet *Lex Gundebada*, quæ eadem cum Burgundionum lege. Ejus prœmium, *In Dei nomine An.* 2. *Regni Domini noſtri glorioſiſſimi Gundebaldi Regis, Liber conſtitutionum de præteritis & præſentibus, atque in perpetuum conſervandis legibus, d.* 4. *Cal. April. Lugduni.* Ille enim, occiſo Godigeſilo fratre, Burgundiaque occupatâ, mitiores ſubditis, ne Romanos opprimerent, leges inſtituerat, teſte Greg. Tur. *l.* 2. *c.* 33. cum quibus Papiniani librum reſponſorum, ex jure Rom. ut veriſimile eſt, hujus quoque Regis mandato, collectum, planiſſimè convenire, notat Lindenbrogius. Vide Aimoin. *l.* 1. *c.* 19. Agobardi *l. ad Ludov. Imp.* & ſupra in voce *Gondebaldus.*

GUNDEBODINGI, appellati Burgundi, & generaliter, qui *lege Gundeboda* vivebant, eâ ſc. quam Gundebadus Burgundiæ Rex condidit, in *Capitular.* Aquiſgr. A.C. 789. *c.* 62.

GUNDEMARUS XXII. Viſigothorum in Hiſpania Rex, poſt Vitericum, regnavit Ann. 18. & dim. animoſus & magnæ ſpei. Obiit A.C. 612. ſucceſſore Siſebuto, quem vide.

GUNDULPHI Villa, Arduennæ & Moſæ propinqua, an *Gondreville*, hodiè vicus non obſcurus, ab Axona 2. leuc. ab opp. S. Menechildis 4. ab opp. Durocortoro Remorum, cujus diœceſi continetur, 14. diſtans. An vicus *Gondecourt*, in pago Vabrenſi, ac Epiſcopatu Tullenſi ſilvæ proximus, inter Moſellam & Carem fluv. Nomen ei à conditore Gundulfo, Majore Domus Theodeberti jun. Auſtraſiorum Regis, ante A.C. 1070. Hic Carolus Calvus Comitia generalia celebravit, A.C. 873. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

GUNI, fil. Nephthali. Gen. *c.* 46. *v.* 24. 1. Par. *c.* 7. *v.* 13. Lat. *hortus*, ſive *protegens.*

GUNNA, ſeu GUNA, veſtis pellicea Gallis *Gonne*, Anglis *Gowne*, Græcis recentioribus γοῦνα, vide Conſtantin. *de Admin. Imp. c.* 32. & alios, quos laudat Meurſ. *in Gloſſ.* Eandem vocem Italos pariter uſurpare, pro viliori veſte, obſervat Pergaminus ex Petrarcha *part.* 1. *cant.* 1. & 5. &c. apud C. du Freſne *in Gloſſ.* Hinc diminut. *Gunella*, Gall. *Cotillon*, Ital. *Gonella*: unde *Griſagonella*, cognomen Goffridi Comitis Andegav. quòd tunicam griſeam geſtaret: & *Tres gonellas*, cogn. Ep. cujuſdam Triſcam, quod triplici tunica uti ſoleret, in vett. *Schedis* apud Auguſtin. *du Pas*, in *Stemm. Armoric. part.* 1. *p.* 47. &c. Item *Gunarii*, pellium iſtiuſmodi mercatores, à quibus dicta olim CP. Baſilica τῶν γουναρίων, de qua vide *Chronicon* Alexandrin. *p.* 778. qui locus idem videtur cum eo, quem Leo Gramm. vocat ἐν γουναρείοις τοῦ φόρου *p.* 505. Originem vocis à *Gaunaco* deducit Cluv. *Germ. antiq. l.* 1. *c.* 15. quod Varro *majus ſagum* interpretatur, vocemque Græcam eſſe ait. Sunt autem Heſych. Καυνάκαι ſτρώματα, ἢ ἐπιβόλαια ἑτερόμαλλα, *Stragula, alterâ parte villoſa*, vide eundem C. du Freſne & Octav. Ferrar. *in Gonna.* Sed & *Gunna*, machinæ bellicæ ſeu miſſilis ſpecies, apud Th. Walſingham. *p.* 226. *alibique*, inprimis *p.* 398. *Et illic figere vel locare gunnas ſuas, quas Canones Galli vocant, quibus validius urbem infeſtare poſſent.* E quo loco patet, *gunnam* eandem fuiſſe machinam cum *Canone* Gallorum, & *à gunne* Anglorum: & fortè *canones*, quaſi *gunnones* dicti ſunt. Hinc *Magiſter Gunnarius*, confector gunnarum vel gunnis præfectus, *Maſter Gunner* Anglis. Vocem ex *Mango* vel *Mangona*, contractam eſſe, opinatur Somner. apud C. du Freſne *in Gloſſ.*

GUNSANÆ Villa, vulgò *Gonſainville*, vicus agri Pariſini; nomen habet à *Gunſana* vel *Gunſena*, muliere Franca, quod nomen idem planè eſt cum *Chunſena*, apud Gregor. Tur. & *Cunſina* apud *Fredegar.*

GUNTHERII Caſtellum, vulgò *Gontel*, Orderico Vitali memoratum *Hiſt. l.* 8. ad Olinam fluv. eſt, inter Argentomum & Scoterinum Olinæ impoſitum. *Idem.*

GUNTHERUS, Comes Schwarzenburgicus, Carolo IV. Imp. poſt Eduardum Angliæ Regem, & Fridericum Thuringiæ Landgravium, qui mox ſe excuſarunt, ab Electoribus oppoſitus, dignitatem aſſumpſit: ſed paulo pòſt, cùm Carolus Electores ab eo per matrimonia ſejunxiſſet, etiam per Medicum pecuniâ corruptum veneno illi propinato, inhærens ad imperandum, ceſſit, circa A.C. 1349. Vide Blond. *dec.* 2. *l.* 10. Platinam *in vitis Pontific.* &c.

GUNTHERUS, Monachus S. Amandi, ſcripſit, A.C. 1090. Trithem. *catal.* Sigeb. *c.* 167. Item, auctor poëmatis, libb. 10. de Frid. Barberoſſæ rebus geſtis: *Ligurinus* dictus. Item, Ep. Bambergenſis, Itinerarium Palæſtinæ ſcripſit. Item Ciſtertienſis Monachus, auctor Hiſtoriæ CPolitanæ. Caniſ. *Antiq. Lect. tom.* 5.

GUNTFANO, apud Hariulfum *Chron. Centul. l.* 3. *c.* 3. *Item pomæ gunfanonum ſeptem argento auroque parata*: vexillum, flammulum eſt, ex *Fano*, de quo ſuprà. Item *Fano* ſeu *Flammulum*, quod haſtis appendebatur, recentioribus Græcis φλαμμούλιον, cujuſmodi inſulatum ab haſtis ac lanceis pendentium, mentio eſt apud Frontin. *Stratag. l.* 1. *c.* 12. *n.* 5. quibus quæ carebant, *Haſtæ puræ* dicuntur, in vett. *Inſcr.* ubi donatos milites *Haſta pura ſine vexillis* interdum, in virtutis militaris præmium, legere eſt, 414, 8. 498. 13. &c. Hinc *Gonfanonarius*, uti vocatur Suppo, conſobrinus uxoris, Ludovici Pii, in *Syn. VIII.* CP. Vexillifer, Signifer: Ital. *Gonfaloniere*; quo nomine ſupremus olim apud Florentinos Magiſtratus indigitabatur. Sed & hodieque regitur Senenſis urbs à tribus *Gonfanonariis*, quorum ſingulis tertia urbis pars regenda datur. Imò & Eccl. Rom. ſuos habet *Gonfanonarios*, de quibus præ aliis agunt, Froiſſard. *vol.* 2. *c.* 135. Joh. Villaneus *l.* 8. *c.* 69. & Matth. Villaneus *l.* 9. *c.* 90. laudati C. du Freſne. *in Gloſſ.*

GUNTIA, Ant. *Itin.* Not. *Guntzberg*, teſte Rhenano, opp. Rhætiæ, in Suevia, apud Danub. ubi Guntiam fluv. vulgò *Guntz*, excipit. Sed hoc *Guntzburg* eſt, ab Auguſta Vindelicorum 6. leucis, Gepingam verſus totidem: *Guntzberg* verò longè abeſt à Danubio, ad Ort. Guntiæ fluv. inter Auguſtam & Lindavium 8. leucis. Hodie titulo Comitatus claret, qui haud pridem Ludovico March. Badenſi, Cæſarei exercitus Archiſtratego contra Hungaros primò, inde contra Gallos, fortiſſimo, muneri ab Auguſto. Vide B. Rhenan. *Rer. Germ. Nov-Antiqq. l.* 3. & ad eum *Notas Cl. Ottonis JC.*

GUNTRANUS, fil. Clotarii I. Aurelian. Biturigum & Burgundiæ Regis ſedem Cabilone habuit. Venerandæ ancillæ amores ſectatus, Marcatrudem, filiam, Ducis Magnacarii, quæ hujus filium veneno ſuſtulerat, repudiavit, ancillâ alterâ Auſtregildâ, cogn. Bobilâ, ſuperinductâ. Longobardos primùm contra Patritium Amarum victores, per Mummolium, ſuperavit. Chilperico junctus, contra Sigebertum: Leuvigildo Gothorum in Aquitania Rege infeliciter bellum intulit. Poſt Obitum Chilperici, filii ejus tutor, Gundebaldum bello occidit, nepotum acer defenſor. Tandem Childeberto planè ceſſit, juſtitiæ & Boni publici amans. Interim meticuloſus, ſuſpicax, inconſtans, & adulatoribus iræque obnoxius habitus eſt. Obiit, A.C. 594. Gregor. Turon. Aimonius, Tilletus, *Mezerajus*, &c.

GUNNUGI, Plin. *l.* 5. *c.* 3. *Gunucis* Anton. *Canuccis* Ptol. *Capo di Tenes* Moletio, opp. Mauritaniæ Cæſarienſis, apud prom. Apollinis & Caſtra Germanorum, inter Lar Caſtellum, & Juliam Cæſaream, 24. mill. paſſ. ex Antonino à Julia Cæſarea in Occ.

GUPLO, vulgò GUPLO, lacus parvus Poloniæ, in Palatinatu Breſtienſi, 6. leucis à Breſtia in Occaſ. & 8. à Lancicia in Bor. Longitudinis eſt 6. leucarum circiter à Sept. in Mer. latitudinis autem dimidiæ leucæ; diciturque aliter *Goplus*. Ei adjacet Kruſvichia arx, ubi Popielus II. Poloniæ Princeps à muribus devorutus fuit.

GUR, clivus montium Ibleiam. Lat. *catulus*, *habitatio*, aut *collectio*, vel *timor*. 2. Reg. *c.* 9. *v.* 27.

GURASIUM; opp. Volſanitarum, in Italia; Diod. *l.* 14.

GURBAAL, nomen loci. 2. Par. *c.* 26. *v.* 7. in quo Arabes habitavêrunt; eadem quæ *Gerara.*

GURCHO, Prutenorum olim idolum; quod cibo potuique præſidebat. Vide infrà *Pruſſia.*

GURCUM, Prov. Rom. *Gurck*, urbs Norici, in Carinthia, Epiſcopal. ſub Archiep. Salisburgenſi, ante A.C. 550. Epiſcopali ſede exornata, à Villaco urbe 6. leucis in Cæciam diſtans.

GURGES, cogn Qu. Fabii Rulliani filii, à devorato patrimonio illi impoſitum. Macrob. *Sat. l.* 2. *c.* 9.

GURGICULUS, nomen quo Mare Mediterr. appellare ſolebat Carolus Mag. apud Mon. Sangall. *l.* 1. *c.* 29.

GURTO, locus in diœceſi Cabillonenſi, hodieque *Gourdon*: unde Monaſterium Gurdonenſe, cujus meminit Greg. Turonenſis *de gloria Confeſſ. c.* 86.

GURULIS, vulgò GURULA, opp. olim Sardiniæ geminum, vetus & novum, circa inſ. medium, utrumque exciſum. Sic Moletio & aliis.

GUSIA, vulgò GUISE, caſtellum olim, nunc opp. Galliæ, ad Iſaram; cum tit. Duc. in diœceſi Laudunenſi finibuſque Remorum. Monſtreletius eam in Teoracia ponit, & *Guiſe en Terrace* cognominat, i.e. *en Tierache*, Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* Vide *Guiſa.*

GUSSA ſeu GOZA, machina bellica, in *Uſaticis* Barcinon. *MSS. c.* 83. alibique, quòd *canis* formam referret, dicta: Occitanis enim *Gouſſas* canis ſpecies eſt, C. du Freſne *in Gloſſ.*

GUSTATIO, Veteribus quid fuerit, docet Plin. Jun. *l.* 3. *Ep. Poſt Solem plerumque frigida lavabatur, deinde guſtabat dormiebatque minimùm: mox quaſi alio die ſtudebat in cœnæ tempus.* Nempe poſtquam exierant è balneis, ante unctionem aliquid eſitabant, quod *guſtatio* dicebatur. Sic in balneo demum poſt horam primam noctis, priuſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

quam incepiſſet ungi, duas bucceas ſe manducaſſe, refert Auguſt. apud Suet. *c.* 76. ubi Caſaub. vide, & quæ ſuprà diximus, de veterum *Edendi ratione.* Aliàs *guſtatio*, menſæ promulſis. Hinc *menſa guſtatoria*, eadem cum *promulſidari*, qualem in Trimalcionis epulo Petron. ſic deſcribit: Edit. Gonſali de Salaſ. *p.* 17. & Edit. Boſch. *c.* 31. *In promulſidari aſellus erat Corinthius cum biſſaccio poſitus, qui habebat olivas in altera parte albas, in altera nigras. Tegebant aſellum duæ lances, in quarum marginibus nomen Trimalcionis —— Ponticuli etiam ferruminati ſuſtinebant glires melle & papavere ſparſi: fuêrunt & tomacula ſupra craticulam ferventia argenteam poſita: infra craticulam Syriaca pruna cum granis Punici mali.* Vide quoque infra in voce *Promulſis.*

Reges Sueciæ.

GUSTAVUS I. Sueciæ Rex dictus *Ericſonius!* qui à Chriſtierno II. captus, A. C. 1518. ſub venationis prætextu liber, in Sueciam ſe recepit. Interim, Stenone victo, Chriſtiernus Holmiæ coronatus eſt, A. C. 1520. quo ob ſævitiam pulſo, Guſtavus Princeps & Præfectus Sueciæ electus eſt: quam dignitatem ex electiva hæreditariam fecit. Lutheri fidem, cum regno, amplexus, Obiit A. C. 1560. Joh. Magnus, *H. S. l.* 24. Chytræus, *Saxon. l.* 9. *c.* 20. Lud. Guicciardin. *l.* 3. &c.

GUSTAVUS Adolphus II. fil. Caroli, patri ſucceſſit, A. C. 1611. Æt. 18. Cum cura educatus, literis armisque à prima juventute incubuit: Germaniam, ſub Ferdinando II. oppreſſam, liberavit, poſtquàm Rigam, A. C. 1621. Polonis eripuiſſet. A. C. 1630. mari trajecto Stralſondæ, à Cæſarianis obſeſſæ, ſuppetias tulit, prælio Lipſiaco, aliisque victor; exin Palatinatu, Suevià, Bavarià, &c. fulminis ritu, peragratis, Tillium ad Lechum iterum vicit. Tandem pugna Lutzenſi, contra Wallenſtenium denuo victor, interemptus eſt A. C. 1632. Pater Chriſtinæ: cuivis priſcorum Ducum magnanimitate, rei militaris peritià, prudentià, clementiaque conferendus. Poſt Chriſtinam præfuit Carolus *Guſtavus.* Vide *Carolus.*

Viri Principes.

GUSTAVUS Adolphus, fil. minimus Friderici Marchionis Durlacenſis, Extincti A. C. 1659. literis probè excultus itinera varia Obiit. Inde in Polonico bello eaſdem cum fratribus partes, Suecicas nempe tutatus, inprimis in Boruſſia res egit. Præfectus Morungæ, eam cùm fortiter defendiſſet, demum dedere coactus eſt. Poſt alterum iter Italicum, Romanæ ſe communioni addixit, A. C. 1663. reſignato priùs Argentinenſi Canonicatu. Bello exin Hungarico A. C. 1665. in Imperiali exercitu adverſùs Turcas, peditatui Præfectus, in conflictu ad Gotthardi fanum inſignem fortitudinis laudem recuperavit. Caſſidem tandem mitrâ permutans, jam Abbas eſt Fuldenſis.

GUSTAVUS Adolphus, Dux Megapolitanus, rami Guſtroviani, fil. Joh. Alberti, ex Eleonora Maria Anhaltina, à Parentibus in Reformata religione educatus, mox Patre A. C. 1636. Extincto, à Tutore Patruo Adolpho Friderico Duce Suerinenſi, matri invitæ ereptus, ac Religioni Auguſtanæ Confeſſ. admotus eſt. Cùm Razenburgius adminiſtrator eſſet deſignatus, eo jure in pacis commodum ſeſe abdicavit, duobus in Capitulis Magdeburgico & Halberſtadienſi Canonicatibus acceptis: quibus Argentinenſis quoque acceſſit. Cùm Patruelis Roſtochium urbem homagio accipiendo ingreſſus eſſet, ipſe eodem ſe contulit: re citra motus majores peractâ. Uxorem habet Mariam Sibyllam Holſatam: ipſe verò natus eſt A. C. 1633. Vide Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Hiſt.*

GUSTROVIUM, vulgò GUSTROW, urbs Germaniæ, in Ducatu Megalopolitano, & Ducum ſedes, cum arce ſplendida. 7. leucis diſtat à Viſmaria in Ort. & 4. à Roſtochio in Auſtr. *Guſtrovianæ* familiæ auctor eſt Joh. Albertus, fil. Joh. Ducis Megalopolitani, in ipſo ætatis flore Extincti, A. C. 1592. frater Adolphi Friderici, qui major natu Suerinenſem lineam orſus eſt. Hic Joh. Albertus, paria cum fratre fata habuit, à Wallenſtenio, Cæſaris juſſu, A. C. 1628. ditionibus exutus, reſtitutus à Guſtavo Adolpho victore A. C. 1631. Ad Reformatos hic Princeps acceſſit, Mortuus, A. C. 1636. pater ex Eleonora Maria Anhaltina Guſtavi Adolphi, nati A. C. 1633. quem tutor patruus, è ſinu materno abreptum, Lutheri ſacris imbui curavit. Huic uxor contigit Magdalena Sibylla Holſata. Vide eundem.

GUTÆ, Ptol. populi Germaniæ ſeptentrionales, quorum regio Gothia, *Gotlandt*, in regno Suecorum, ut Ortelio videtur: ſed hæc non in Germania, at in Scandinavia eſt. Fortè populi eò ex Germania trajecto mari demigrarunt. Vide *Guti.*

GUTELI, Larium ſeu Dæmonum genus, apud Germanos, ſic dicta, à *bonitate*, quòd in domibus verſentur ſine noxa, curamque præſertim jumentorum habeant. A' quibus non diverſi, quos *Trullas* nuncupant, qui utroque ſexu ementito apud Sueonas maximè in famulatu feruntur fuiſſe. Vide Joh. Vierum *de Præſtigiis Dæmonum l.* 1. *c.* 16. & de uno alterove eorum lepidam Hiſtoriam apud Auctorem Anon. *Sinæ & Europ.*

GUTENBERGIUS Johannes, vide *Johannes.*

GUTHONES, German. gens, quam Maroboduus ſibi ſubjecit, Strab. *l.* 7. *p.* 290. Aliis *Gothones.* Pars eorum occupavit terras Vandalorum, expulſis inde Francis. Sed antea quoque ſæpius Danubio ſuperato, in Rom. provincias impetum fecêrunt. Vide ſuprà *Gutæ* & infra *Guti.*

GUTI, iidem qui GOTTI, GOTHI & GOTI: quibuſdam *Jutæ* & *Jutones*: Romanis *Getæ*; à priſco vocabulo *Jæd*, quod gigantem ſignificat: *Vitæ*, quaſi *Witæ*, Bedæ. Unus è tribus protogonis populis, qui, relictis in Germania ſedibus, Angliam olim applicuêre, in tractu Cantio & Vectâ inſ. ſede repertâ. Vide Henr. Spelmann. *in Gloſſ. Arch.* & ſupra in voce *Gotti.*

GUTKOVIA, vulgò GUTKOW, opp. Germaniæ, in Pomerania citeriori, ad Penam fluv. Comitatus cognominis caput. [illegible] 3. leucis diſtat à Gripſvaldia in Auſtr. & 4. à Volgaſtia in Occ. [illegible] dominio Suecorum.

GUTORINUS, in Dania cum fratre Haraldi Erico ex Fri[illegible] magna cum claſſe adveniente cruentiſſimè decertavit: interiêre [illegible] ambo tantumque regii ſanguinis fuſum eſt, ut vix unicus puellus Ericus, Regneri è filio nepos, ſupereſſet. Ubbo Emmius *in Hiſt. Friſ. A. C.* 854.

GUTRUNA, vide *Aurinia.*

GUTTA, Gr. σαγὼν, unde σαγονίας thus maſculum, quod [illegible] χόνι i. e. *guttæ*, ſimile ſit, vide infrà: item σαλαγμὸς, unde [illegible] quam corvi edunt, quum aquæ ſtillantis ſonum imitantur, eodem nomine indigitata, apud Ariſt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* [illegible] In gemmis idem cum puncto eſt, Solin. *c.* 5. *Dat Creta, quam [illegible] raliachatem vocant, curalio ſimilem; ſed inlitum* guttis *auro micantibus* [illegible] Cujuſmodi aureis guttis ſparſum ſapphirum χρυσόστιγῆ vocat Epiphan. Vide ejuſmodi gemmarum maculis hîc paſſim, ubi de [illegible] *Stellis* &c. item in vocibus *Sparſus*, ac *Superſperſus.* Etiam in [illegible] *guttæ*, vide infrà. At *Gutta* Sicula, apud Callimach. dicitur [illegible] mor ille, quem in poculo relictum, bibentes deſuper in [illegible] converſam invergebant, ac ludentes in cottabeum conjiciebant [illegible] Magni enim ſtudii cottabus olim apud Siculos erat, apud quos & [illegible] ventum fuiſſe, atque ita excultum, ut gradus etiam huic ludo con[illegible] ſtituerent, refert Dicæarchus *l. de Alcmane.* Guttam autem [illegible] ex poculis *cottabum* appellaſſe Theſſalos ac Rhodios, ſcribit Clearchus *tr. de linguis*, de quo Græcorum luſu vide Athen. *l.* 15. [illegible] Caſaub. *ad eum*, nec non Suid. in voce κοτταβίζειν. A' nomine [illegible] *Guttatus*, qui & *Scutulatus* equus, Romanis appellatus eſt, [illegible] Gr. ψαρὸς vel κνηκὸς: Vide ſuprà *Cneſus* & quidem *Scutulatum* [illegible] cari dicit Iſid. *propter orbes, quos habet candidos inter purpureos,* ſcutularum ſcil. formâ; *Guttatum* idem definit, *album* [illegible] *intervenientibus maculis*: mel. niger ſic dicitur albis punctis reſperſus, quales ſunt gallinæ Numidicæ, de quibus Mart. *l.* 3. *Epigr.* 58. *v.* 15. cujus Epigraphe de villa Fauſtini ad Baſſum.

Et picta Perdix, Numidicæque guttatæ.

Ita *guttatus* planè exprimit Hebræum ברוד *barud* i. e. *grandinatus*, [illegible] χαλαζόμενος, maculis albis grandinis inſtar reſperſus, [illegible] occurrit, apud Zachar. *c.* 6. *v.* 4. & 6. & Græcum λευκοστικτοῖς [illegible] de Eumeli equis uſurpat Euripid. *Iphig. in Aulide. v.* 221. [illegible] κλῳ τρίχι βαλιὰς πώλους, *pilo albis maculis guttato varios*, cùm [illegible] trà μελανόστικτοι ſint Admeti equæ, apud Stat. *Theb. l.* 6. *v.* 335.

—— —— *noctemque diemque*
Aſſimulant, maculis internigrantibus albæ.

Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 7. & infrà [illegible] alia omittam. Inter aromata *Gutta gamba*, non minimum [illegible] tenet, memorata Caſp. Barlæo in *Medicea*, *Erat adhæc* [illegible] *ſonia Draconis ſanguis, concreto ſucco rubens —— & Gutta gamba* [illegible] *vo colore reliquis intermicans. Sabæorum thus & myrrha &c.*

GUTTA jugiter manans, *le Tre Fontane*, teſte Marliano & [illegible] vio, Abbatia viâ Oſtienſi ab urbe Roma 3. mill. paſſ. diſtans, [illegible] cœnobium S. Pauli: qui locus etiam Aquæ Salviæ, teſte Baron. [illegible] minatur, Ferr. Baudr. eſt locus uno milliari à S. Pauli cœnobio. [illegible] citur etiam Abbatia SS. Vincentii & Anaſtaſii, ſeu trium Fontium, ad Aquas Salvias, 2. mill. paſſ. ab urbe Roma, ubi S. Paulus Apoſtolus martyrio coronatus.

GUTTALUS, Ptol. fluv. Germaniæ, Oceanum Germanicum [illegible] exiens: quem variè indigitant. Althamero eſt *Oder*, per Sileſiam, Marchiam, & Pomeraniam, in Balticum fluens. Henrico [illegible] eſt *Al*, fluv. Pruſſiæ, ad Montem Regium urbem, in mare labens. Sed cùm Guttalus in Oceanum, non in Mediterraneum mare, [illegible] le Balticum eſt, deferatur, in errore verſantur manifeſto. [illegible] eſt qui Jadua Ptol. dicitur, vulgò *die Jade*; is enim in Oceanum ſeu mare Germanicum inter Amaſium & Viſurgim fluv. exit. Oder verò Ptol. Viadrus dicitur. Plin. *l.* 4. *c.* 14.

GUTTENBERGIUS Johannes. Vide *Johannes Guttenbergius.*

GUTTONARII Equi, apud Veget. *l.* 4. *c.* 6. *Inter colatorios* [illegible] *& eos, quos vulgus* guttonarios *appellat, ambulatura eorum media* [illegible] iidem cum trepidariis ſeu trepidantibus ſunt. Idem *l.* 1. *c.* 56. [illegible] *ipſos equos, quos vulgò trepidarios, militari verbo guttonarios vocant.* Dicti à *gutto* vel *guttone*, qui propter oris anguſtiam minutim guttatimque evacuatur, quemadmodum *colatorii*, à ſacco vel [illegible] minutim ſimiliter vacuefieri conſuevit. Uti enim Græci [illegible] σθηκόπτειν, & σακκισμὸν, σθηκοπὴν interpretantur, h. e. [illegible] & *per gradus promotionem progreſſionemque*: Sic Latini [illegible] & *gutturnium* in eadem ſignificatione accepêrunt. Hinc [illegible] qui, gradatim & minutim ambulantes; nam & ipſi trepidi [illegible] du minuto incedunt, etſi non tam minutim ſuccreto colatoque [illegible] aſturcones: Græcis propterea καλπάζοντες vel καλπάσιμοι, à [illegible] *guttus*; quod vas cùm liquorem ore anguſto minutim & guttatim funderet, minutum illum crebrumque in curſu gradum tolutariorum & trepidantium equorum, ſenſim minutimque feſtinantium [illegible] ſubſultantium, eadem voce indigitare voluêrunt. Salmaſ. *ad* [illegible] Capitolin. *in Maximinis.*

GUTTONES, Plin. *l.* 4. *c.* 14. Populi Germaniæ, qui iidem [illegible] cum *Gutis*, ſeu *Guttis*, Ptol. eſſe videntur.

GUTTUR, animæ canalis, Plin. Græcè λάρυγξ, βρόγχος, [illegible] ex Heb. [illegible] τραχεῖα ἀρτηρία, canna pulmonis & aſpera arteria, [illegible] fortaſſe à *ſono glutientis.* Plin. *l.* XI. *c.* 37. *Homini tantùm & ſuibus* [illegible] *tumeſcit, aquarum quæ potantur vitio*, Præſertim auctore Vitruv. apud Æquicolas Italiæ & Medullos Alpinos, vulgò *Miollans & la Vallée de Tarentaiſe.* Juv. *Sat.* 13. *l.* 5. *v.* 108.

Quis tumidum guttur, *miratur in Alpibus?*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Non ineſt animalibus, quibus fauces non ſunt, uti nec ſtomachus, nec colla, quemadmodum piſcibus, in quibus *ora ventribus junguntur* &c. Vide ſæpius laudatum Plin. & Alex. ab Alex. *Genial. Dier. l. 2. c. 19.* ubi quid in ſingulis hominum partibus religioſum & venerabile, eruditè edifferit. Apud Rom. cùm ad ſcalas Gemonias rei damnarentur, ad eas unco trahebantur, h. e. impacto *gutturi* unco protrahebantur in harenam, ubi poſtea pendentium frangebantur crura & ſubjecto igni torrebantur. Quò refer illud Juv. Sat. 1. *l.* 1. v. 156.

Qui ſtantes ardent qui fixo gutture fumant.

Oliverius *ad Val. Max. l. 6. c. 6. ex. 3.* Vide quoque infrà ubi de jugulo in verbo *jugulare*. *Perſ. Sat.* 1. v. 17.

GUTTUS, apud Mart. *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 52. cujus Epigraphe *Guttus corneus*,

Geſtavit modò fronte me juvencus,
Verùm rhinocerota me putabis.

à *guttis* dictus eſt, quòd propter colli anguſtiam humor inde guttatim efflueret. Fiebat è cornu, ut & inſtrumenta alia domeſtica. Horat. Serm. *l.* 2. *Sat.* 2. *v.* 61.

——— *cornu ipſe bilibri*
Caulibus inſtillat, veteris non parcus aceti.

Naſumque habebat ſeu roſtrum, unde *rhinocerota* vocat poëta. Ut & Juv. *Sat.* 7. *l.* 3. v. 130.

——— *magno cum rhinocerote lavari.*

Ubi Schol. *i. e.* inquit, *magno gutto, quòd, ſicut rhinoceros, ſit ingens naſo*. Hoc enim in balneis utebantur lautiores ſuperfundendi. Et quidem luxum in talibus naſo extenſo corneis vaſis fuiſſe valdè antiquum, docent Theophraſti *Characteres*, c. 5. περὶ Ἀρεσκείας Καὶ τὰ πίνακον θρίξαι ἀεὶ, καὶ ... καὶ Σικελικὰς ..., καὶ ... ἀστραγάλους, καὶ ῥινοκέρωτας τῶν στλεγγίδων ... Vide Barth. ad *Stat. Theb. l.* 2. *v.* 144. Figuram ejus habes, apud Pignor. *Com. de Servis p.* 84. ubi de Aliptarum apud Vet. inſtrumentis.

GUTURVATUS, Princeps Carnutum, rebellione & bello concitato captus & verberibus exanimatus, ſecuri percuſſus eſt. Hirt. *l.* 8. *de bello Gall. c.* 38. *l.* 7. *c.* 3. vocatur *Cotuatus*: neque abit, quod Codices alii habent *Gutuatus*.

GUZARATA, vulgò GUZARATE, regnum Aſiæ, in India intra Gangem. Aliàs Reges habuit proprios, nunc autem ſubeſt imperio magni Mogolis. Dicitur etiam perſæpe regnum Cambaiæ à Cambaia urbe ipſius primaria; eſtque inter ſinum Indi fluv. ad Bor. & regnum Decani ad Auſtr. verſùs oram Oceani Indici. Ejus urbes præcipuæ ſunt Cambaia, Surrata, Amedebatum, Dium, & Damanum.

GUZMANNIUM nomen, plures in Hiſp. Stirpes illuſtres nobilitat, quarum communis radix nondum reperta eſt. Inter reliquas facile excellunt, in Bætica, Duces de Medina Sidonia, ab Alphonſo Perezio *de Guzman* Bono, Dn. *de S. Lucar de Barrameda* à Mauris cæſo A. C. 1347. derivati. Hujus nepos Joh. Alphonſus primus Comitis *de Niebla* titulum nactus eſt, & deinceps hujus major fil. (nam à minori Joh. poſthumo etiam Dni. *del Cadojo* orti ſunt) Henr. Joh. Alphonſ. primum Ducem de Medina Sidonia genuit: à cujus fratre Alphonſo Dni. *de Torralva & de Ugena* oriuntur; ſed à fil. Henr. (ut reliquorum mentionem, licet poſteritate abundarint, omittam) propagata eſt Ducalis dignitas, nunc quoque ſuperſtes. Vide infra in voce *Medina Sidonia*. Eidem Stirpi accenſendus eſt ramus Comitum *de Olivares*, à Petro Henrici, Alphonſi ac Joh. Alphonſi Ducum fratre protruſus, de quo infrà itidem *ſuo loco*. Sed & *Guzmannis* adnumerari volunt Comites *de Teba*, & March. *de Ardales*, quorum auctor Petrus Suarezius *de Toledo*, Dn. *de Bolanos*, Mariæ Ramiræ *Guzmanniæ* maritus. Hæreditatem verò horum, alia non minùs *Guzmanni* nominis à Ludovico *Gonſalez de Guzman*, M. Mag. Calatravæ, ſata linea Domin. & deinceps March. *de Algava*, crevit; cùm Ludovicus *de Guzman*, March. *de Algava*, avunculo Marchioni *de Ardales* ſuccederet. Idem nomen ferunt Comites priores *de Orgaz*, ab Alvaro Perezio *de Guzman*, Dn. *de Gibraion*, deſcendentes; qui ad Mendozios ſucceſſionem & nomen tranſmiſerunt. Hujus enim filia Maria, nupta Joh. Hurtado de Mendoza, Dn. *de Mendibil*, genuit ei Alvarum *de Mendoza & Guzman* Dn. *de Mendibil*; cujus ex Maria *de Roxas* Dn *de Santacruz*, fil. Ludovicus Hurtadus de Mendoza & Guzman, ex Agnete Toletana Joh. Hurtadum genuit Com. *de Orgaz*, maritum Leonoræ de Mendoza & Patrem Stephani: quo & Mariâ de Figueroa natus eſt Joh. Hurtadus de Mendoza & Guzman, frater Leonoræ, quam ſibi junxit Joh. Ludovicus de Silva & Ribera March. *de Montemajor*. Sed & in familia *de Sotomayar*, cognomen *Guzmannum* Antonius materno adjecit, cùm mater Tereſia de Zuniga, ſuccederet Patri in dominio *Ayamonte*, quod illius avia Tereſia *de Guzman*, dotis nomine à Patre Joh Alphonſo *de Guzman*, Duce de Medina Sidonia acceperat. Unde fil. ex hoc matrimonio nat. Antonius, modo dictus, cogn. *de Guzman & Zuniga March. de Ayamonte* tulit, pater ex Anna Cordubenſi Franciſci; qui, ex Anna Felicia *de Guzman & Zuniga* patruele ſua, genuit. Antonium (maritum Brianidæ, filiæ Franciſci Didaci, Lopezii de Zuniga Ducis *de Bejar*) Brianiam *Sarmento de la Cerda* (ux. Roderici March. *de Sauer* primò, dein Inici Lopezii *de Mendoza*, Com. *de Tendilla*) & Annam Feliciam de *Guzman*; omnes nominis *de Guzman & Zuniga*. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobilit. Europ. part. II. p.* 64. & 112. &c. imprimis verò *in Indic.* ubi *Familiæ diſpoſitionem exhibet*: nec non *Artis Heraldicæ Part. II.*

GUZZULA, Prov. regni Marocci, ad Sept. Atlanti adhærens, ad Ort. Heæ jungitur: Regio omnis incolis referta. *Mercator.*

GYARUS, & GYAROS, inſ. maris Ægæi, una ex Sporadibus, in quam Romani noxios ſuos deportabant. De qua Ovid. *l.* 7. *Met. v.* 469.

Et Gyaros, nitidæque ferax Peparethus olivæ.

Item *Gyara* plur. num. Juv. *Sat.* 1. *l.* 1. *v.* 73.

Aude aliquid brevibus Gyaris, & carcere dignum,
Si vis eſſe aliquis. ——— ———

Idem *Sat.* x. *l.* 4. *v.* 170.

Ut Gyaræ clauſus ſcopulis, parvaque Seripho.

Hanc inſ. Philo *in Flaccum*, vocat λυπρο... τῶν ἐν Αἰγαίῳ, *ſteriliſſimam omnium quæ ſunt in Ægæo mari*. Vide Tac. ubi de Tiberio. *Ann. l.* 33. *c.* 68. & 69. & *l.* 4. *c.* 30. Virg. ubi de Delo. *Æn. l.* 3. *v.* 75.

Quam pius Arcitenens oras & litora circum
Errantem Mycone celsâ, Gyaroque revinxit.

Ubi, ut poëta *revinxit*, ſic verbo contrario uſus eſt *Stat. revelli*. *Theb. l.* 3. *v.* 438.

----- *Ipſa tuâ Mycono Gyaroque revelli*
Dele times, magnique fidem teſtaris alumni.

Unde dicatur (inquit Bochart.) colligere eſt ex Hiſtoria veteri, quam ita attingit Plin. *l.* 4. *c.* 12. & *l.* 8. *c.* 29. *M. Varro author eſt*, &c. ex *Gyaro*, *Cycladum inſ. incolas à muribus fugatos*. Et c. 57. *Theophraſtus author eſt in Gyaro inſ. cum incolas fugaſſent, ferrum quoque roſiſſe eos.* Et Steph. Byzantius: Ἀ... ὁ Καρύς ... φασιν, ὅτι ἐν ταύτῃ οἱ μύες διατρώγουσι σίδηρον. Quæ & apud Suid. legas in Γύαρος. Phœnices igitur credibile eſt *Gyaron* appellaſſe inſ. עכבר *acbar*, vel כיר Phœnicia aphæreſi, i. e. *inſ. muris*. Nunc *Calorre*, A. Thevero *in opere maſcr. de inſulis l.* 4. *c.* 41. ubi figuram ejus exhibet, quam ſententiam ſequitur Lucas Holſten. ex tabb. Nauticis Batavorum. *Nic. Lloydius.*

GYAS, vir Thebanus, apud Stat. *Theb. l.* 2. *v.* 610.

Dircæumque Gyan, & Echionium Lycophontem

Alius apud eund. *l.* 5. *v.* 222.

——— *fortemque timebam,*
Quem deſponſa, Gyan, vidi lapſare cruentæ
Vulnere Myrmidones ———

GYAS, vir Trojanus, Æneæ comes. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 226. & 616. *l.* 5. *v.* 118. 152. 184. & 223.

GYAS, magna & bona pars Syracuſani agri, qui fuit Dionyſii tyranni. Plutarch. *in Dione*. Hodiè *la Cava di Georgia* vocari ſcribit Aretius. Græcè Γύας Γύαο. Poſt Anapum deſcribit Cluv. ex Plutarchi *Dione* τῆς Συρακουσίας τὸ καλούμενον Γύαν, πολλὴν καὶ ἀγαθὴν χώραν, ἀνήκουσαν ἀπὸ θαλάττης εἰς τὴν μεσόγειον. Punicè גיא *gavia*, *medium* ſonat. Itaque non niſi τὰ μεσόγεια videntur hac voce deſignaſſe.

GYFHORNIA, urbs Duc. Luneburg. ad Alleram fluv. 3. leuc. à Brunſvico in Bor. 5. à Cella in Ort.

GYGÆUS, Lydiæ lacus, ſtadiis 40. Sardibus diſtans, qui poſtea *Coloms* dictus eſt. Prop. *l.* 3. *Eleg.* xi. *v.* 18.

Lydia Gygæo tincta puella lacu.

Plin. *l.* 5. *c.* 29. *Stagnum Gygæum* vocat.

GYGARIUM, locus Ciliciæ, circa Pendadum, ad Amani mont. anguſtias, ex Curopal. Nunc quid ſit incertum.

GYGAS, prom. Troadis, apud Dardanum Urb. *Ferrar.*

GYGE, ancilla Paryſatidis Reginæ Perſarum, & matris Cyri. *Plutarch.*

GYGEMORUS, monticulus non longè à Theſſalia.

GYGES, Gigas centimanus, Cœli & Terræ fil. frater Briarei. Ovid. *Triſt. l.* 4. *Eleg.* 7. *v.* 18.

Centimanumque Gygen, ſemibovemque virum.

Horat. *Carm. l.* 2. *Od.* 17. *v.* 14.

Nec ſi reſurgat Centimanus Gyges.

Voſſ. Venti nomen in terra latentis, nam γυγαῖος σκοτεινός eſt, Heſych. è quo gigantem fecit Heſiod. *Theogon.* cui addidit duos alios, Briareum & Cottum; qui tres vocabantur Τριτοπάτορες, *tertio loco poſt Parentes*, viz. poſt Solem & Lunam; quibus apud Athenienſes ὑπὲρ γενέσεως παίδων; *pro nativitate filiorum*, vota fiebant; ſicut apud Rom. Veneri. Vide Auctor. *Etymologici* & Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 1. nec non ſuprà, ubi de Diis *Genethliis*.

GYGES Alter, Maximinus à militibus cognominatus eſt, apud *Capitolin.*

GYGES, fuit quidam Lydus, cui cùm Candaules, Lydiæ Rex uxorem ſuam nudam oſtendiſſet, illa id ægrè ferens, cùm apud Lydos, opprobrium eſſet ſummum, talem conſpici, Gygen ad necem ejus impulit, ſeſeque cum regno illi tradidit: Herod. *l.* 1. *v.* 8. quo pacto id ab Heraclidis ad *Mermnadas*, Regum Lydorum Dynaſtiam III. tranſlatum eſt: quo tempore, vide ſuprà in voce *Candaules*. Is verò *regno potitus, primus Barbarorum, poſt Midam Phrygiæ Regem Delphos miſit donaria, cùm argentea plurima, tum aureas ſex pateras pondo talentorum XXX. quæ in theſauro Cypſeli collocata fuerunt,*

runt, Herod. *Ibid.* Unde Strab. *Inſcriptiones manebant incolumes* --- Gyges, *Crœſus* &c. *l* 9. Porrò, Mileto & Smyrnæ arma intulit, & expugnavit Colophonem, iterum Herod. ubi ſuprà. Mileſiis verò Abydum condere permiſit, Strab. *l.* 13. *p.* 590. Idem γυναῖκας ἀνέχιζεν primus, Suid. in Ξανθ. quod Ardramyti Athen. tribuit, vide *Andramytes*. Regnavit An. 39. ſucceſſore Ardye, quem vide, ut & in voce *Mermnadæ*. De fabuloſo autem *Gygis* annulo, adi Platonem *de Republ. l.* 2. & ex eo Cic. *Offic. l.* 3.

GYGES, quidam, de quo Cic. *l.* 3. *Offic.* hæc ſcribit. Hinc ille Gyges inducitur à Platone, qui, cùm terrâ diſceſſiſſet, magnis quibuſdam imbribus, in illum hiatum deſcendit, æneumq́ue equum (ut ferunt fabulæ) animadvertit, cujus in lateribus fores eſſent, quibus apertis, hominis mortui corpus vidit magnitudine inuſitatâ, annulumq́ue aureum in digito; quem ut detraxit, atque ipſe induit, (erat enim paſtor) tum in concilium paſtorum ſe recepit. Ibi cùm palam ejus annuli ad palmam converterat, à nullo videbatur, ipſe autem omnia videbat. Itaque hac opportunitate annuli uſus. Reginæ ſtuprum intulit, eâque adjutrice regem Dominum interemit, regnoq́ue ejus potitus eſt. Idem cum priore. Vide Lucian. *in Vot.* Eraſm. *in Adag.*

GYGES, viri nomen. Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 762.

> *Principio Phalarim & ſucciſo poplite* Gygen.

GYGES, formoſi pueri nomen. Horat. Carm. *l.* 2. Od. 5. *v.* 19.

> *Ut pura nocturno renidet*
> *Luna mari, Cnidiuſque* Gyges.

GYLACEA, Illyriæ civitas, à *Gylace* Corinthio, aliàs *Apollonia.*

GYLIPPUS, vir Lacedæmonius, bello ſtrenuus, qui Athenienſes multis bellis, cladibusque affecit. Tibull. *l.* 4. *Eleg.* 1. *v.* 199.

> —— *Non magni potior ſit fama* Gylippi.

GYMNAS, apud Pap. Stat. *l.* 2. *Sylv.* 2. *v.* 8.

> *Cùm ſtadio jam pigra quies, canusque ſederet*
> *Pulvis, ad Ambracias converſa* gymnade *frondes.*

Et *l.* 3. *Sylv.* 1. *v.* 43.

> ———— *hîc tibi feſta*
> Gymnas, *& inſontes juvenum ſine cæſtibus ira.*

Gymnicus agon eſt, lucta, palæſtra. Hinc *Therapnæa Gymnas*, eidem *l.* 4. *Sylv.* 2. *v.* 48. i. e. Laconica palæſtra. Quæ *protervæ gymnades*, *Achill. l.* 1. *v.* 358.

> ———— *Tu frange regendo*
> *Indocilem, ſexumque tene, dum nubilis ætas,*
> *Solvendusque pudor neve exercere protervas*
> Gymnadas, *aut luſtris nemorum concede vagari.*

Ubi omnia virilia exercitia illuſtri puellæ, de qua ei ſermo, vitanda dicit, præcipuè nudandorum corporum, quo more Gymnaſia Spartana inſaniebant: unde & nomen &c. Vide quoque infrà ubi de *Gymnicis* Ludis.

GYMNASIA, magna urbs circa Colchidem, Diod. *l.* 14. *Gymnias* fortè Xenoph. *l.* 4. παιδ.

GYMNASIARCHA, vide infrà ubi de *Gymnaſio* ſeu Ludo literario.

GYMNASIUM, locus, in quo gymnaſticæ exercitationes fiebant, *publicus*, ut habet Galen. *de tuenda valet. l.* 2. *c.* 2. *in ſeparata urbis regione extructus, ubi ungebantur, fricabantur, luctabantur, diſcum jactitabant, aut tale quidpiam faciebant.* Sic nuncupatus, quoniam exercitatores ibi ut plurimum *denudabantur*, à Gr. verbo γυμνάζεσθαι, i. e. *nudari.* Unde Mart. *l.* 3. *Epigr.* 67. cujus Epigraphe ad Matronam pudicam.

> Gymnaſium, *Thermæ, Stadium eſt hac parte, recede,*
> *Exuimur, nudos parce videre viros.*

Suet. Aug. *c.* 44. Et Bardeſanes, apud Euſeb. *de Præpar. Evang. l.* 6. *c.* 8. Græcos ait, non potuiſse ullâ vi ſiderum prohiberi, quin in *Gymnaſiis* nudis exercerentur corporibus. An verò omnes & toti ſemper denudarentur, qui ſanitatis tantùm exercebantur causâ, non eſt uſque adeò compertum; veriſimile eſt tamen, Luctatores, Pugiles atque alios quoſdam potuiſse denudari, quemadmodum Athletis in uſu erat, quos tantùm ſubligacula pro verendis tegendis, tam in publicis, quàm in privatis certaminibus habuiſse, etiam uſque ad Homeri tempora, à quo τῶν ζωμάτων fit mentio, omnis ratio decori exigit. Namque Orſippi Hiſtoria ab Euſtachio *in Hom.* & Pauſ. *in Att.* relata, cui ſubligacula delapſa victoriam dempsêrunt, ut inde poſtmodum indulgeretur ea non geſtare, ita accipienda videtur, ut non magnis quidem & Athletam facilè impedituris, parvis tamen in poſterum utendi neceſſitas eſset, quem morem ad ſua uſque tempora perduraſse Romæ, ſcribit Pauſ. Primi autem qui *Gymaſia* extruxêre, Græci fuêre, ſi fides adhibenda eſt Soloni apud Lucian. *in Anacharſi*, & M. Tullio qui *de Orat. l.* 2. ſcribit, *Gymnaſia delectationis & exercitationis gratiâ ab ipſis primùm inſtituta eſſe.* Et quidem inter Græcos primi extitêrunt Lacedæmonii, ut Athen. ex Hippaſi ſententia, & Plato in *Theæt. de LL. l.* 1. memoriæ prodidêrunt, quos etiam illa omnium præſtantiſſima atque ſpecioſiſſima conſtruxiſse, ex Mart. *l.* 4. Epigr. 55. cujus Epigraphe ad Lucan. *v.* 4. intelligere eſt, ubi hi habentur verſus:

> *Argivas generatus inter urbes,*
> *Thebas carmine cantet aut Mycenas,*
> *Aut claram Rhodon, aut libidinoſæ*
> *Ledæas Lacedæmonis palæſtras.*

Poſt Lacedæmonios ſua quoque Athenienſes erexêrunt, in [illegible] rum urbe fuiſſe teſtantur Pauſ. ac Suid. unum Ἀκαδημίαν vocatum, in quo Plato Philoſophiam ſuam profeſſus eſt: alterum Λυκεῖον, ubi Ariſt. docuit, quod Apollinis Lycii templum fuiſſe [illegible] gitur, apud Lucian. *l. c.* tertium Κυνοσαργὲς, ubi nothi, ſpurii [illegible] ignobiliores quivis exercebantur. Sed & præter hæc tria alterius [illegible] quoque mentionem facit, quod *Canopum* vocat, Philoſtrat. in [illegible] *Herodis Attici.* Cùm verò dictum eſt, *Gymnaſia* hæc in Urbe Athenienſium fuiſſe, ſic capiendum, quòd, licet extra urbem eſſent, [illegible] li tamen eſſent proxima, ut ſic in ea fuiſſe dici potuerint. In [illegible] enim mortuos quoque ſepeliendi conſuetudinem Græcos habuiſſe [illegible] notat Cic. *Ep. fam.* 12. ubi Servius ſe Marcellum interfectum, in Academia Athenienſium, nobiliſſimo totius Orbis Gymnaſio, ſepeliviſſe refert. Quæ verò Ligorius inveniſſe ſcribit, in veſtigiis Hadr. Imp. Tiburtinæ villæ repræſentata, Athen. Hermæum, [illegible] nathenaicum; non tam *Gymnaſia*, ubi corpora exercerentur, [illegible] loca videntur fuiſſe, in quibus aut diſciplinarum artiumq́ue [illegible] opera dabatur; aut feſta aliqua celebrabantur. Corinthum quoque [illegible] *Gymnaſium* habuiſſe, *Craneum* vocatum, auctor eſt Laërt. *l.* [illegible] nullum penè Græcorum opp. fuiſſe, in quo *Gymnaſium* non eſſet [illegible] cere ſolitus eſt Anacharſis. Ad æmulationem poſtea eorum Romani quoque Gymnaſia, *Palæſtras* vocata, ædificare cœpêrunt; quos tamen cæteros quoſcunque tum magnificentiâ operum, tum inæſtimabili pulchritudine in hoc genere anteceſſiſse, ex illis Thermarum [illegible] ruinis, quæ ad hunc uſque diem, non ſine omnium ſtupore, perdurantes, conſpiciuntur, facilè convincitur. Mart. quoque *l.* 7. *Epigr.* 33. cujus Epigraphe ad Severum. *v.* 4.

> —— *Quid, Nerone pejus?*
> *Quid Thermis melius Neronianis?*

Verùm & ante Neronis tempora fuiſse Romæ Gymnaſia, ex Plauti *Bacchid. Act.* 3. *ſc.* 3. *v.* 21. patet. *Gymnaſia* enim tota aliquando [illegible] *Thermas*, ob aquæ calidæ uſum ibi frequentem, nuncupari, apud Auctores Latinæ ling. frequens eſt; ſicut etiam interdum *Thermæ* ſignificant eam Gymnaſii partem, in qua lavabantur, ubi Propnigeum, Laconicum, Calida lavatio ſitæ erant, ut ex verbis Martial. retro allatis videmus. Quomodo verò *Gymnaſia* extruxerint Græci, prolixè exponit Vitruv. *l.* 15. *c.* 11. & ex eo Hier. Mercurial. *de Arte Gymn. l.* 1. *c* 6. Ubi & duplicem curioſo Lectori iconem exhibet, unam Palæſtræ cum periſtylio quadrato; alteram cum oblongo [illegible] quò proin Lectorem remittimus. In his porrò locis tanta [illegible] varia hominum converſantium ſolebat eſſe multitudo, ut referente Galeno *l.* 10. *Meth.* non rarò contentiones inter ipſos exorirentur, atque hinc ingens ac diſſonus clamor: de quo conqueritur Seneca *Ep.* 56. & quem etiam in Thermis ſuo tempore Varro *obſervavit, his apud Nonium verbis: Ita, uti ſoliti Romæ eramus, in balneis plodere cœpimus & murmurari.* Primum autem hominum ibi convenire ſolitorum genus erant Philoſophi, Rhetores, reliquiq́ue qui ſtudiis [illegible] delectabantur; Hi ibi legebant, colloquebantur, interq́ue ſe diſputabant, ut Juv. *Sat.* 3. *l.* 1. *v.* 115. innuit. Unde tria literatarum exercitationum Romæ loca fuiſſe, non uno in loco, docet Galen. Templum Pacis, *Gymnaſia publica* & Ἀκυστήρια, &c. Alterum genus erant Adoleſcentes, qui, ut exercitationum obſervationes atque modos addiſcerent, ad *Gymnaſia* accedebant; & hi liberi erant atque ingenui Terent. *Eunuch. Act.* 3. *Sc.* 2. *v.* 23. *& ſeqq.*

> —— *Fac periculum in literis,*
> *Fac in Palæſtra, in Muſicis: quæ liberum*
> *Scire æquum eſt adoleſcentem, ſolertem dabo.*

Tertium Athletæ, qui inibi ſe exercebant, ut in publicis Ludis ludicriſq́ue certaminibus poſſent & Populum oblectare & victoria præmiisq́ue potiri: Unde Suet. Ner. Claud. *c.* 12. refert, Neronem quandoque Gymnaſium *ingredi ſolitum, ut certantes Athletas ſpectaret.* Præterea eodem confluebant omnes illi ſive nobiles, ſive ignobiles, qui vel militaris diſciplinæ, & fortitudinis, vel tuendæ ſanitatis & boni habitus comparandi gratiâ, variis exercitationum generibus incumbebant, Caſſiod. *l.* 5. *Ep.* 23. *Oſtentent juvenes noſtris bellis, quod in* Gymnaſio *didicêre virtutis.* Scribitq́ue Galen. *de Art. l.* 1. [illegible] anno Ætatis ſuæ trigeſimo quinto luxationem ſummi humeri in palæſtra paſſum eſſe. Nec pauci in *Gymnaſia* veniebant, ut ibi [illegible] rentur; Licèt enim frictiones à multis fierent ante reliquas exercitationes, nihilominus & multi erant, qui ſine ulla exercitatione [illegible] ſeorſim ab aliis, ut de Veſpaſ. tradit Suet. *v.* 8. ſolùm fricabantur. Item qui loturi erant: ubi divites atque Primates labra & colymbethras propriàs in cellis alioqui communibus habebant, ubi ſoli lavarentur [illegible] quidam ſolia vel lignea vel argentea ſecum ferebant, ne pedes nudos [illegible] collocarent, ubi viliſſimi quique ponebant, Plin. *l.* 33. *c.* 12. Hadrianum tamen Imp. lavari cum plebe ſolitum, referunt Auctores, idemq́ue de Tito Cæſ. Suet. ſcribit. Tandem plurima ſpectatorum hîc ſemper turba fuit, qui Athletarum certamina otioſi ſpectabant, quibus [illegible] Et quidem diebus feſtivis magis frequentata *Gymnaſia* fuêre, quod tum Artifices, aliiq́ue variis ſervitiis detenti aliàs, vacarent. An [illegible] Romanorum Thermis mulieres quoque verſarentur, non liquet; veriſimile tamen eſt, honeſtas Matronas ab iis abſtinuiſſe, [illegible] de Poppæa, Domitii Neronis uxore, Plin. refert *l.* 11. *c.* 41. [illegible] Spartanos verò mulieres unà cum viris in *Gymnaſiis* promiſcuè [illegible] ercuiſse, præter alios, ſatis teſtatur Propert. *l.* 3. *Eleg.* 12. [illegible] incipit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol 2

Multa tuæ, Sparte, miramur jura palæſtræ,
Sed mage Virginei tot bona Gymnaſii &c.

De partibus *Gymnaſiorum* dicemus infrà: eorum Miniſtros quod attinet, fuêre illi: *Gymnaſiarchus*, cujus munus erat toti Gymnaſio præeſſe, & omnia moderari, tempus & horas præſcribere, in peccantes animadvertere &c. *Xyſtarcha*, qui ambobus Xyſtis, ſtadio & denique cunctis athletarum exercitationibus præerat, victores proclamabat, præmia decernebat &c. à quo diverſus fuiſſe videtur ἐπιστάτης παλαίσματος, *Præfectus Luctæ*, qui luctantium duntaxat Magiſter erat; Hippocrati Παλαιστροφύλαξ, *Palæſtræ Cuſtos* appellatus: & *Agoniſtarcha*, qui certaminum publicorum præfectus eſſet, in Amphitheatris & *Gymnaſiis*, ubi Athletæ, in publicos ludos prodituri, prius exercebantur; munus ſuum obiens. *Gymnaſtes*, de quo infrà: *Pædotriba*, qui Gymnaſtæ præcepta faciebat & uſum, differentias ac modum exercitationum experientiâ quâdam callebat, ſed ob ignorantiam ſæpiſſimè aberrabat; militi proin & coquo a Galeno comparatus; quorum is Imp. hic Medici mandata exequens, ipſè quæ ad bellicam ſcientiam, vel medendi artem pertinerent, ignoraret. *Sphæriſticus*, eorum qui pila ludebant Inſtitutor; *Servi* item fricandis, ad præſcriptum Gymnaſtæ aut Pædotribæ, corporibus deſtinati: ut & *Reunctores*, qui corpora jam exercitata ungerent reungerentque. *Mediaſtini*, qui pavimenta everrebant, aliaque obibant miniſteria. Pign. *de Serv. p.* 44, 45. 103, 104, & 105. Aderant & *Servi balneares*, Idem *ibid. p.* 45. qui lotos cum ſpongiis, modò purpurâ tinctis, modò candefactis: deinde cum linteis exiccarent: aderant *Pilicrepi*, qui ſphæris pice oblitis curabant, ne ignis balneorum extingueretur: *Alipili*, qui ad vellendos ab aliquibus corporis partibus alis præſertim pilos adhibebantur. Etiam *Janitores* ſuos quodque Gymnaſium habuit; *Fornacatores* item: iiſdemque porro miniſtrabant variarum rerum *Venditores*, inter quos Seneca numerat *Ep.* 56. *Libarios*, *Botularios*, *Cruſtularios*: & quia inter exercendum ſæpè vulnera, contuſiones, contorſiones, luxationes, aliaque ejuſmodi contingere ſolebant, *Medici* quoque præſtò erant: unde *Medicos ludi matutini & Ludi magni* antiqua marmora habent, &c. Utrum autem temporibus luctus, *Gymnaſia* aperirentur Romæ, non adeò conſtat. Athenis notat Laërt. in morte Socratis clauſa illa fuiſſe, quòd Athenienſes ejus occiſi pœnituiſſet. De *Gymnaſticæ* ſpeciebus variis ac exercitationum generibus, agit prolixè præfatus Mercurial. *tr. de Arte Gymn.* quem ſi placet adi. Dicam ſaltem de iis pauca quædam infrà, ubi de *Gymnaſtica*; nunc verò *Gymnaſiorum* partes ſtrictim enarrabo.

Gymnaſiorum *apud Vett. partes variæ.*

Primæ eorum partes fuêre *Porticus*, exedris ſive cubilibus apertis plenæ, in quibus Philoſophi, aliarumque Diſciplinarum Profeſſores ac amatores diſputando, legendo, ac docendo ſe exercebant. Secunda fuit *Ephebeum*: ubi illi conveniebant, atque de præmiis & exercendi genere pactiones inibant, qui ſimul volebant exerceri ac certare. Tertia *Coriceum*, qui locus pro denudandis hominibus, qui vel exerceri vel lavari cupiebant, extructus erat: aliàs *Apodyterium*, Galeno Γυμναστήριον. Quarta, *Elæotheſium*, Polluci Ἀλειπτήριον, Plin. *Unctuarium*, ubi luctaturi & alias exercitationes vel balnea adituri, ungebantur reungebanturque. Quinta *Coniſterium*, in quo poſtquam Exercitatores uncti erant, pulvere conſpergebantur, ſeque inde in diverſas exercitationes diverſi prodibant. Et hæ quinque partes etiam in Palæſtra Græcorum è Vitruv. deſcriptæ reperiuntur. Sequuntur cæteræ, partim ab aliis indicatæ, uti paſſim videre eſt; partim ab eodem quoque explicatæ. Erat itaque pars Sexta, Plaut. *Bacchid. Act.* 3. *Sc.* 3. *v.* 24.

In curſu, luctando, haſtâ, diſco, pugilatu, pilâ,
Saliendo ſe exercebant, magis, quàm ſcorto & ſuaviis,

Galen. has ibi exercitationes obiri conſueviſſe tradit, *Luctam*, *pugilatum*, *appenſionem manibus ad funes*, *exercitationem quâ ſtabant pedibus & manibus in pugnum vinctis*, *easque alteri aperiendas porrigebant*, *quâ pondera manibus attollebant*, *& ita perſiſtebant*, *quod genus* Halteres *vocatum eſt*; *ſciamachiam & armorum pugnam* &c. Septima *Sphæriſterium*, in quo variæ exercitationes, pilæ præſertim cuncta exercitia peragebantur. Diverſa hæc pars à Coriceo fuit, neque in publicis ſolùm, ſed & in privatis *Gymnaſiis*, locum habuit. Octava pars fuêrunt *viæ* illæ, quæ inter porticus ac muros ſitæ erant, ab omnibus ædificiis nudæ, nec non tota periſtylii area; quæ & ad ſubminiſtrandam porticibus ac cellis lucem factæ erant, & ad obambulandum aliaſque exercitationes obeundas, quæ nec in alto pulvere, nec in Xyſtis, aliiſque locis fieri poſſent. Inprimis curſus in his factus videtur, atque ad id tum diauli, tum dolichi, ibi conſtituti: ſaltus item ac diſci exercitationes. Nona erant *Xyſti* & *Xyſta*: i.e. porticus tectæ, ubi Athletæ per hyemem & æſtatem, tempore luctationibus alieno exercebantur; ac ſubdiales ambulationes, ubi hyeme, tempeſtate leni, è porticu prodeuntes & æſtate ferè ſemper exercebantur ac ambulabant, quas παραδρομίδας Græci appellarunt. Decima & ultima pars, *Balneum* fuit: de quo, ut & reliquis *Gymnaſiorum* partibus, vide, præter Mercurial. ſuprà laudatum, Gerh. Joh. Voſſ. *tr. de* 4. *Artibus Popularibus* & in hoc opere paſſim *ſuis locis*.

GYMNASIUM, voce à corporis exercitiis ad animum tranſlatâ, poſtmodum pro Ludo Literario ſumi cœpit, quòd in eo exerceantur ingenia: occaſione à Lyco Pædagogo apud Plaut. *Bacch. Act.* 3. *Sc.* 3. *v.* 27. monſtratâ, cùm ait:

Inde de hippodromo & palæſtra ubi reveniſſes, domum
Cincticulo præcinctus in ſella apud Magiſtrum aſſideres &c.

Indigitat nempe, ex *Gymnaſiis* ſeu locis, in quibus palæſtritæ ſeſe exercebant, reverſos, in Scholas ſe contuliſſe, vide & Quintilian. *l.* 12. *c.* 2. Erant autem *Gymnaſiorum* hujuſmodi ornamenta plurima. Hinc Athen. *l.* 13. *c.* 5. inter alia docet, Vett. Amoris ſtatuam in omnibus Gymnaſiis, etiam Athenis, locaſſe: ut oſtenderent, amorem doctrinæ optimum eſſe diſcendi Magiſtrum. Vide quoque Lactant. *l.* 1. *c.* 20. Apulejum *de Philoſ. l.* 1. &c. Et quidem ut de *Gymnaſiis* Athenienſium quædam aſpergam. Ludum literarium ſeu *Gymnaſium*, in Rep. hac, ad orientem Solem aperiri, ante Occaſum claudi, lex voluit, ſicque pudicitiæ puerorum cavit, Æſchines *c. Timarch.* Eadem ætatem puerilem ſupergreſſum in ludum ingredi, quamdiu pueri in illo erant: Mercurii præſertim feſtis diebus, ſub pœna mortis vetuit. Non admittebantur etiam, niſi qui conditionis ingenuæ ac liberæ eſſent. Ne vero quid contra legem committeretur, Magiſtratus conſtitutus eſt, Κοσμητὴς dictus, qui videbat, ne vel Ludimagiſtri vel *Gymnaſiarchæ*, provectiorem ullum accedere ſinerent, etiam diebus Muſarum feſtis, quæ agitabant pueri in Scholis, aut Mercurii, quæ celebrabant in palæſtris: quorum illa Μουσεῖα, hæc Ἑρμαῖα dicta, per commeſſationes celebrabantur. Sed & Ephebi ſua habebant *Gymnaſia*, & ſuum Κοσμητήν: Verùm aliæ horum μελέται erant, jam enim ſolertes in literis, palæſtra, in Muſicis, militaribus exercitiis inſtruebantur, & juniorum ora in ſeſe convertendo, è re bene geſta gloriolam utcunque captabant. Utrique habebant ſuos *Gymnaſiarchas*, qui licèt inter Magiſtratus locum non haberent, tamen cùm plurium puerorum ſeu Epheborum cura illis eſſet comiſſa, nec inter idiotas cenſebantur. Servos à *Gymnaſiis* excluſos dictum ante, & fuit hac de re lex: Δοῦλον μὴ γυμνάζεσθαι, μηδὲ ξηραλοιφεῖν ἐν ταῖς παλαίστραις, *Servi ſe in palæſtra neque exercento, neque unguento.* Quin etiam pueris peregrinorum id conceſſum non fuiſſe, patet è populi ſcito, quo Coorum liberis id juris datum eſſe, in gratiam Hippocratis, legimus. Memoriam *Gymnaſiarcharum* Athenienſium ſervat vet. marmor, à Georgio Whelero Nobili Anglo Athenis in patriam translatum, in quo Coſmet, Hypocoſmetæ, *Gymnaſiarchæ*, ex Demo præſertim Azinia, occurrunt non ſemel. Quorum ultimorum functiones menſtruas fuiſſe, & curſum ſuum à Boedromione menſe incepiſſe, inde docet Jac. Spon. qui totam *Inſcr.* exhibet *Itin. Part.* 3. ubi *de Populis Atticæ* in voce Ἀζηνία. Vide quoque infrà in voce *Schola*.

GYMNASTES, miniſter erat Gymnaſiorum apud Vett. poſt Gymnaſiarcham ac Xyſtarcham, præcipuus: qui, quemadmodum Gymnaſiarcha loci princeps, Xyſtarchus Athletarum Magiſter; ita is omnibus exercitiis præfectus erat, non ignobiliis, ut qui eorum facultates pro ſanitate, modum & tempus utendi aliaque dignoſceret, haberetque ſub ſe miniſtros reliquos inferiores, Pædotribam, exercitationis luctæ Præfectum, Sphæriſticum, Fricatorem, Reunctorem ac Mediaſtinos, Pilicrepos, Alicrepos, Janitores ac Fornacatores. Eum omnium exercitationum Magiſtrum extitiſſe, & Medico in multis parem, ut qui exactè calleret, quas à quibuſvis exercitationes, quo modo, quamdiu obiri conveniret, tradit Galen. de *tuenda valetud. l.* 2. *c.* 2. Unde Plato *de LL. l.* 11. ſi quis ſervum ægrum Medico aut *Gymnaſtæ* vendat, non eſſe redhibendum vult, quaſi uterque languentes à ſanis dignoſcere ſcire debeat. Imò Baſil. *Hexaëm. Hom.* 11. de hominis natura æquè *Gymnaſten* ac Medicum ſpeculari & quærere conſueviſſe docet. Xenoph. *Progymnaſten* appellavit: Ἀλείπτην Ariſt. *Ethic. l.* 2. *c.* 6. & Celſus, ubi dixit, *Sanum hominem nullis ſeſe legibus obligare debere, neque Medico, neque Alipta egere*: per *Aliptam* hic non alium quàm *Gymnaſtam* intelligens. Vide quoque Cic. *Ep.* 9. *ad Lentul.* Plato cum eodem Pædotribam confundit: Galen. verò eos valde diverſos fuiſſe docet; dum *Gymnaſtam* Medico & Imp. Pædotribam militi & coquo aſſimilat merumque nominat *Gymnaſtæ* miniſtrum. Sicut enim miles nihil eorum, quæ ad bellicam ſcientiam pertinent; & coquus eorum, quæ ad Medicinam, novit, ſed alter Imp. alter Medici duntaxat mandata exequitur: pariter Pædotriba, exercitationum facultatem ipſe ignorans, *Gymnaſtæ* ſolùm juſſa exequebatur, niſi quòd & uſum & differentias & modum exercitationum experientiâ quadam calleret, interim ob ignorantiam toties aberraret, ut Galen. *de Puero Epil.* ſcribat, difficile fuiſſe prudentem Pædotribam invenire. Quam differentiam Ariſt. quoque cognoviſſe videtur, cùm *Politic. l.* 8. concludit, adoleſcentes *Gymnaſticæ*, atque Pædotribicæ, tràdendos eſſe: quarum altera qualem quendam faciat corporis habitum, altera operationes. Et *Polit. l.* 4. *c.* 3. Μηδὲν, ait, ἧττον τοῦ παιδοτρίβου καὶ τοῦ γυμναστικοῦ παρασκευάσαι τε καὶ ταύτην ἐστὶ τὴν δύναμιν. Ita *Gymnaſtes* Præfectus erat exercitationum; Pædotriba miniſter, & panifici, coquo ac ædificatori quodammodo reſpondens, facere panes, obſonia, ædes, ſcientibus quidem, minimè tamen, quid in ipſis ſit optimum, quid non optimum, intelligentibus & quam facultatem ipſorum unumquodque ad ſanitatem habeat, dignoſcentibus. Quod verò neutrum horum nominum apud Homer. extet, ratio eſt, quia ſemina duntaxat *Gymnaſticæ* artis, tum temporis apparebant, neque adhuc ars in regulas & formam redacta, adeoque nec Artifex, nec Miniſter tum erant. Hier. Mercurial. *de Arte Gymn. l.* 1. *c.* 12. *ubi de Gymnaſiorum Miniſtris.* In Olympicis ſeu Gymnicis Ludis, *Gymnaſtes* diu præexercitatum Athletam, ad ſacrum deducebat, & poſtquam à Præcone victor eſſet renuntiatus, eadem ratione inde reducebat, uti pluribus docet Car. Paſchal. *Coron. l.* 7. *c.* 10. & 11.

GYMNASTICA, Græcè Γυμναστικὴ, Latin. *Ars exercitatoria*, finitore Galeno *l. ad Thraſ.* ἐπιστήμη ἐστὶ τῆς ἐν πᾶσι γυμνασίοις δυνάμεως, *quæ omnium exercitationum facultates novit.* Mercuriali eſt *Facultas quædam omnium exercitationum facultates contemplans, earumque varietates opere ipſo edocens, vel gratia bonæ valetudinis conſervandæ, vel gratia optimi corporis habitus acquirendi atque tuendi.* Quartam enim is Medicinæ ſpeciem illam facit, & ab aliis affinibus hoc pacto diſtinguit. Quamvis enim ludi omnes antiquorum, nec non tota Athletica ipſa atque exercitationes belli gratiâ factæ circa eadem fere, circa quæ *Gymnaſtica* Medicina, verſabantur, finibus tamen multum diſcrepabant. Ludorum ſiquidem finis religio erat, Antiquis opinantibus, rem gratam ſeſe Diis eorum exhibitione præſtare; vel populi voluptas, cui maximè & Reſp. & Reges atque Impp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſtudebant, quò homines hoc pacto demulſi in officio continerentur. Qui verò belli gratiâ exercitationes iſtiuſmodi obibant, id non ob aliud quid agebant, quàm ut agilitatem ac peritiam compararent, quibus poſtea, cùm opus eſſet, hoſtes ſibi ſubjicerent. Et quidem priores tantopere honorati fuêre, ut, ſcribente Plinio *l. 7. c. 56. dum Ludos inirent, ſemper aſſurgi, etiam à Senatu, in more eſſet, nec non ſedendi in jus proximo Senatui, atque vacatio munerum omnium ipſis, patribuſque & avis paternis*: Poſterioris autem diſciplinæ Doctores, duplicem habebant annonam, uti teſtis eſt Veget. *de re Mil. l. 1. c. 13.* At *Gymnaſticæ* ſuperiùs deſcriptæ, finis ſanitas fuit & bonus corporis habitus: ad quæ concilianda tantum ei facultatis eſt, ut Galen. infinitos ſe propè imbecilles ad bonum habitum revocaſſe & innumeros item alios, ne in morbos laberentur, ſolâ *Gymnaſticâ* conſervaſse glorietur. Unde nullo pacto mirandum, ſi majores adeò corporis γυμνασίαν æſtimaverint, ut non tantùm publica, eaque præclariſſima, exercendis corporibus loca, qualia *Gymnaſia* & Romanæ Thermæ fuêrunt, extruxerint; verùm etiam in quibuſvis ædibus privatis exercitationibus hujuſmodi locus aliquis deſignaretur & quotidie in uſu eſset. Semina Artis hujus jam Trojani belli ævo fuiſse jacta, facilè ex Homeri libris colligitur, ubi animadvertimus, milites Græcos interdum diſco, luctâ, curſu, arcu & aliis hujuſcemodi, quæ poſtea ad *Gymnaſticam* Artem tranſiêrunt, ſeſe exercuiſse, ſicut 8. inprimis & 23. *Odyſſ. libb.* legitur. Sed quo modo, quove ordine ad hanc Artem deventum, non adeò liquet. Veriſimile eſt, ut ex Plutarcho *Symp. l. 5. Problem.* 3. elicitur, certamina priùs ſimplicia fuiſse, in quibus victoriam ſolummodò atque coronam pro fine habuerint; ab his poſtea ad ſacrificia rem fuiſſe tranſlatam, quando Deo ſacra facturi Populumque ad feſta accedentem oblectaturi, certamina inſtituebant: quæ à ſacrificiis demum ad *Gymnaſia* traducta, poſtquam creſcente luxu ſanitas variis inſultibus quati, ejuſque exactior proin cura haberi cœpit. Tum itaque, fortè paulo ante Hippocratis ætatem, Herodicus, cujus meminit Plato *de Rep. l. 3. Gymnaſticam*, quæ priùs in ſacrificiis & ludis, nec non in bellicis ſolùm exercitationibus locum habuerat, Medicinæ adjunxit; quam ab eo inchoatam poſtea Hippocrates, Diocles, Praxagoras, Eraſiſtratus, in Artis formam redactam, certis quibuſdam præceptis ac terminis concluſêrunt, eamque ad umbilicum perductam Γυμναςικὴν vocarunt ἀπὸ τῦ γυμνάζεσθαι, *ab exercendo.* quaſi nullus alius ejus finis eſset, quàm ut exercendo habitus corporis bonus obtineretur. Et quidem hanc ſolam *Gymnaſticen*, ſolitus eſt *legitimam*, Athleticam verò *vitioſam Gymnaſticam*, Galen. appellare. Viguit autem apud Græcos ſolùm Ars illa, ut teſtatum reliquit M. Varro *de Re Ruſt. l. 2. proœm. quamdiu rura colentes Romani & culturâ fœcundiſſimos agros habuêrunt, & ipſi valetudine firmiores extitêrunt.* Sed poſtquam creſcente deſidiâ in oppidis otiari, quàm ruri laborare, maluêre, Græcorum urbana Gymnaſia ita frequentia extruxêrunt, ut idem Varro conqueratur, ſuo tempore vix ſingula ſatis fuiſſe; quæ quidem, dum Roma ſub Imperatoribus floruit, omnium maxima ac ſpecioſiſſima: at Romano poſtea Imperio declinante cœteriſque in pejus ruentibus, unà etiam deſtructa fuêre. Quo pacto Ars ipſa non parvam paſſa eſt jacturam: quæ ante Plauti tempora in Artis normam redacta, ut ex illis *Moſtell. Act. 1. Sc. 2. v. 71.* patet:

> *Cor dolet, cùm ſcio nunc ut ſum, atque ut fui:*
> *Quo neque induſtrior de juventute erat*
> *Arte* Gymnaſticâ, *diſco, haſtis, pilâ,*
> *Curſu, armis, equo.*

uſque ad Imperii inclinationem adeò in frequenti uſu erat, ut Plutarch. notet, *Sympoſ. l. 3. Probl. 6. Omnes ſuâ ætate* Medicos *exercitationibus fuiſſe occupatos.* Ut meritò mirari liceat, cur Budæus, ſui ſeculi Phœnix, in ſuis *ad Pandectas Annot.* Romanos *Gymnaſiorum & palæſtræ exercitamentis minimè uſos fuiſſe*, tradat. De locis, ubi *Gymnaſtica* exercebatur, diximus ſuprà, ubi de *Gymnaſiis*. Species ejus, ut ex ſuperioribus patet, tres fuêre *Vera* ſeu *legitima*, (ut Galen. ait) *Bellica* & *Vitioſa* ſeu *Athletica*, quæ non tam ſanitati ſtudebat, quàm hominum robori, quò in certaminibus vincere, aut præmia ac coronas mereri poſsent; Græcis modò Ἀγωνιςικὴ, modò Ἀθλητικὴ, modò Γυμνικὴ dicta, & quinque inprimis exercitationum generibus, *Luctâ, Pugilatu, Curſu, Saltu, Diſco*, occupati, de qua vide ſuprà in voce *Athletica*. Primam verò quod attinet, nempe *Veram* ſeu *Medicam* (de *Bellica* enim plura hîc addere inſtituti ratio non permittit) Plato *de LL. l. 2.* ejus duo rurſus membra facit Πάλην ſeu *Luctam* & Ὄρχησιν ſeu *Saltationem*: ideoque illa vel *Orcheſtica* fuerit vel *Palæſtrica*; quo poſteriori nomine intelligenda eſt univerſa illa exercitationum ſeries, quæ vel in palæſtra Gymnaſiorum vel in loco palæſtræ vicem gerente peragebantur. Et videtur huic ſententiæ favere Galen. cùm Ὀρχηςικὰς καὶ Παλαιςικὰς *ſolos facilè crura flectere* ſcribit. Mercurial. tamen, non adæquatam eſſe hanc *Gymnaſticæ* partitionem deprehendens, eam hoc modo dividit: Duplicem nempe facit, alteram quæ motus hominum à ſeipſis factos ſolùm; alteram quæ motus ab aliis factos contempletur. Priorem in *Palæſtricam* & *Orcheſticam*, Platonem ſequutus, ſubdividit, quarum utraque varias exercitationes ſub ſe complectitur, ut videre eſt in utraque harum infrà *ſuis locis*. Poſteriorem ſimiliter, per omnes ejus ſpecies diligenter perſequitur, ut videre eſt in erudito ejus *Opere de Arte Gymn.* in quo *exercitationum omnium vetuſtarum, genera, loca, modos facultates, & quidquid ad corporis humani exercitium pertinet, diligenter explicatum, figuriſque authenticis repræſentatum* habes. Subjungam hîc ſaltem ex eodem elenchum exercitationum illarum, quæ in Gymnaſiis olim uſitatæ, ut tum operis ejus argumentum habeas, tum in hoc noſtro quamvis illarum ſuccinctè explicatam *ſuis locis* faciliùs invenias, poſtquam addidero, ab hac corporali exercitatione, cui ſe totos conſecrabant veteris ævi homines, ad longe præſtantiorem γυμνασίαν quæ in vera pietate conſiſtit, vocare nos Apoſt. 1. Tim. *c. 4. v. 8.* ad quem l. vide Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce Γυμνασία.

Exercitationum apud Vett. genera, per omnes Gymnaſticæ ſpecies.

Acrochiriſmus, Gr. Ἀκροχειριςμὸς, i. e. *manuum colluctatio*, fiebat ſummis tantùm manibus, ſic ut nulla reliqui corporis pars à digitis tangeretur. Quo in certamine Soſtratum, cogn. *Pancratiaſten*, maximam laudem conſequutum & Ἀκροχειριςὴν quoque propterea per excellentiam dictum eſſe, legimus apud Pauſ. *Eliac. l. 6.* Apud Celtas multùm floruiſſe id certaminis genus, tradit Pauſ. Vide Mercurial. *de arte Gymn. l. 3. c. 5.*

Alſulegian, apud Avicennam, genus exercitationis eſt, quod virgis retortis cum pila magna aut parva lignea efficiebatur: fortè *Pilamalleo* non abſimile. Idem. *l. 3. c. 8. ſub. fin.*

Ambulatio, uſque adeò Vett. æſtimata eſt, ut inter cætera privatis exercitationibus deſtinata, & in Gymnaſiis & extra illa, nullius majorem rei curam habuerint, quàm ut accommodata omni tempore deambulationibus loca ædificarentur, Idem *l. 3. c. 2.*

Cæſtus, Idem *l. 2. c. 9.* Vide *ſuprà*.

Cricilaſia, Gr. Κρικηλασία, i. e. *Circuli impulſu*, Idem *l. 3. c. 8.* Vide *ſuprà*.

Cubiſtica, vide hîc Ὄρχησις.

Curſus, cui locus in Gymnaſiis peculiaris aſſignatus quidem non erat, quòd in viis ut plurimum communibus, aut etiam in loco, ubi altus pulvis ſtratus erat, peragеretur, tanti interim Athletis æſtimatus eſt, ut lienem ſibi inurendum non pauci illorum curarent, quò minus ille currendi celeritatem, ſicut ſolet, impediret. *Idem l. 2. c.* 10.

Detractio, Galeno memorata, exercitatio erat, velut ſi cuipiam alter mandaſſet, ut ſe violenter detraheret inflecteretque, dum ipſe non manibus modò, verùm etiam cruribus ſpinaque conſtans & non flexus reſiſtebat. Sic Milo è diſco inuncto, ſuper quem erectus ſtabat, ab iis, quos provocaverat, nullâ ratione dimoveri potuiſſe legitur. Vide eundem. *l. 3. c. 5.*

Dielcyſtinda, q. d. *Ludus diſtractorum*, plerunque ludebatur in palæſtris, interdum tamen etiam alibi. Duæ autem erant puerorum partes alii trahentes alios; eratque penès illos victoria, qui ad alteram partem tranſmigraſſent, teſte Jul. Polluce. Ejuſdem exercitationis *in Theæt.* meminit Plato. Vide eundem ibid. *ſub fin.*

Diſci jactus, vide *ſuprà*.

Equitatio, vide itidem *ſuo loco*.

Exercitationem κατ' ἐξοχὴν agere dicebantur, ſi quis alterum, qui ipſum versùs ſe inclinabat, à latere aggreſſus, ilia manibus complexus, ſeu onus aliquod ſublatum, invicem prorenderet reduceretque, ac magis ſi dum geſtabat, ipſe, nutu renutuque corporis uſus eſſet. Item illi, qui à cervicibus pendentes deorſum trahebant, aliique ab Avicenna relati, apud eundem *l. c.*

per Funes aſcenſus, Gr. τὸ διὰ σχοινίȣ ἀναῤῥιχᾶσθαι, vehemens fuit exercitationis genus, ut ex icone è vett. gemmis expreſſa, apud præfatum Auctorem, videre eſt, *l. & c. cit. ſub init.* Vide etiam hîc infrà, ubi de *Scaparda* & *Schœnobatis*, ſed & ſuperius, ubi de *Funambulis*.

Geſtatio, fiebat vel in lectica & ſella; vel per lectos penſiles & per cunas. Vide eundem [illegible] *c. 11. & 12.* & in hoc opere *paſſim*.

Gladiatoria, vide ſuo loco.

Halteres, diſco ſimile exercitationis genus, quod in palæſtra actitari ſolitum [illegible] Galen. Vide infrà.

Harenam ruere, vide infrà *Rutrum*.

Hoplomachia, h. e. armorum ficta conflictio, Aurel. [illegible] eſt, quæ aliàs Monomachia, de qua *ſuo loco*.

Jaculatio, in genere erat [illegible] vis [illegible], i. e. *projectio*, [illegible] pidis, ſeu jaculi, ſeu [illegible] cujuſdam miſſilis; duas [illegible] ejus ſpecies præcipuas [illegible] tuit Plato, Τοξικὴν i. e. *Sagittationem*, & Ἀκοντιςικὴν [illegible] *lationem*; quarum illa [illegible] tum ſolis amentis, tum [illegible] bus tum baliſtis: iſta verò [illegible] modò ſine his efficiebatur [illegible] rùm etiam grandiores [illegible] tas, craſſioreſque virgas & [illegible] rumque graves requirebat [illegible] los. Quinimo Sagittarii [illegible] brachiis ſeſe movebant; [illegible] latores autem in jactu bra[illegible] contorquebant extend[illegible] que, & propterea dorſum [illegible] moraque pedibus immo[illegible] ctebant, uti infrà videbi[illegible] ubi de *Jaculatione*.

Lucta, Gr. Πάλη, ſeu Κα[illegible] τικὴ, i. e. *Dejectoria*, id [illegible] taminis fuit genus, quod [illegible] cobo cum Angelo intercede[illegible] legimus Gen *c. 32. v. 1.* [illegible] illa in loco Gymnaſii peculiari, nempe Palæſtra, ſive Peri[illegible] tecta, quæ Ξυςὸς vocabatur, [illegible] ubi Luctatores bini [illegible] cti oleo & pulvere aſperſi [illegible] brachiis complicabant [illegible] cemque concertabant, [illegible] alterum dejicere [illegible] dentes: ut videre eſt [illegible] vet. apud eundem [illegible] ſpecies. *Pancratium*, ex [illegible] & pugilatu compoſitum [illegible] *luctatoria lucta*, cùm [illegible] ſtrati athletæ atque [illegible] cem ſeque mutuò con[illegible] tes, alterum ſibi ſubjice[illegible] tebantur; quod Ἀνακλ[illegible] i. e. *Reflexionem*, videtur [illegible] xiſse Mart. *l. 14.* Aphor. [illegible] infrà, ubi de *Lucta*.

Macron ſparton, raptorium [illegible] chinamentum, *Cœl. Aurel.* [illegible] memoratum *Chron. l.* [illegible] exercitationi quoque [illegible] bat: quod vel ipſum [illegible] taurum, vel ei non diſſimi[illegible] iſſe, contendit Idem [illegible] *c. 8.*

Manus arcta compreſſio, [illegible] no & Æliano *Var. Hiſt. l. 2. c.* 24. memoratur, ubi de Milone narrant, manu eum [illegible] nicum malum adeò arctè [illegible] nere ſolitum, ut illud à [illegible] præterquam ab amaſia ip[illegible] ei eripi poſſet; nempe [illegible] in decertatione ſæpius [illegible] ipſo ſeſe exercuiſset. Idem [illegible] *3. c. 5.*

Manuum colluctatio [illegible] manibus fiebat, reliquâ [illegible] poris omni parte inta[illegible] durabatque donec adver[illegible] deficeret. Hac Athletæ [illegible] in publicis ſpectaculis [illegible] debant aliquando tamen [illegible] ſum eam eſſe revocatam, [illegible] tet ex Hiſtoria Soſtrati [illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

κρηγυελεῦ, apud Pauſ. *Eliac.* Aliter enim hæc exercitatio *Acrochiriſmus* dicebatur, vide hìc *ſuprà*.

Manuum digitorumque pectinatim junctorum certamen erat, cum alterum quis medium complexus, aut etiam ipſe medio comprehenſus, manibus digitiſque pectinatim junctis, aut quem complectebatur, abſolvere ſeſe jubebat, aut ipſe ſe à complectente ſolvebat. Vide iterum eundem *l.* 3. *c.* 5. *ſub fin.*

Naumachia, vide *ſuo loco.*

Petaurum, ſimiliter.

Natatio, itidem.

Navigatio, quoque.

Ὄρχηϲις, in genere *Saltatio*, in ſpecie tertia erat Saltationis ſpecies, à Cubiſtica, quâ homines variis modis pedes ac manus contorquentes in caput ſaltabant; & Sphæriſtica, ſive pilæ ludo; qui ſaltando quoque peragitur, diſtincta: facultas nempe motibus ac geſtibus corporis, artificio quodam, numero & ratione factis, hominum mores: affectus & actiones imitandi Ariſt. *princip. poëtic.* Vide Merc. *l.* 2. *c.* 7. & infrà ubi de *Orcheſtica.*

Oſcellæ, vide *ſuo loco.*

Palæſtrica, itidem.

Palus, ſimiliter.

Pancratium, quoque.

Phonaſcia, vocis exercitatio. Vide *ſuo loco.*

Pila, ſimiliter.

Piſcatio, quoque.

Plethriſlatio, Gr. τὸ ἐκπλεθρίζειν, Galeno & Avicennæ fuit, cùm in plethro, i. e. in ſexta parte ſtadii quis prorſum retrorſumque viciſſim, idque ſæpè in utramque partem ſine flexu curſitans, unoquoque curſu breve quiddam de ſpatio demebat, quoad denique in unico greſſu conſtitiſſet. Idem *l.* 3. *c.* 5.

Pugilatus, vide *infrâ.*

Pugna, in genere varias ſpecies ſub ſe comprehendit; peculiariter verò ſic dicebatur exercitatio illa, in qua duo ut plurimùm inter ſe dimicabant, vel ut ad bellicas pugnas ineundas fortitudinem ac peritiam ſibi compararent, vel ut in ludis, Amphitheatris atque aliis publicis certaminibus ſpectaculiſque coronas victoriæ conſequerentur populumque oblectarent. Vide infrà ubi de *Monomachia* & *Pugna.*

Pilamalleus, vide *ſuo loco.*

Pytiliſlatio, Gr. τὸ πυτιλίζειν, idem fuit, quod *geſticulari*, & crebro motu manus ciêre, Politiano *Miſcell.* Ex Galeno verò & Avicenna colligitur, fuiſſe tale exercitationis genus, ſi quando ſummis pedibus quis ingrediens vel ſtans tenſas in ſublime manus hanc antrorſum, illam retrorſum celerrimè moviſſet: quâ exercitatione maximè ante parietes ſtantes uti ſolebant; quò, ſi fortè aberraſſent, facilè, pariete apprehenſo, erigerentur. Hanc Lycurgus vetuiſse legitur, apud Plutarch. *in eo.* Vide Merc. *l.* 3. *c.* 5.

Riſus, inter vocis fuit exercitationes, quemadmodum & gemitus, & ploratus &c. Vide eund. *l.* 3. *c.*

Saltatoria, una ex Gymnaſticæ, hominum motus à ſe ipſis factos conſiderantis, ſpeciebus; triplex erat, *Cubiſtica*, *Sphæriſtica* & Ὄρχηϲις in ſpecie dicta, ſeu *Orcheſtica*, de quibus idem *l.* 1. *c.* 3. *l.* 2. *c.* 6.

Saltus: Gr. Ἅλμα, in Athletica facultate inſignem locum habuit: ut præter Pindaricos interpretes, qui, inter ludos in Pentathlo contentos, Saltum primum hoc verſiculo fecêrunt: Ἅλμα, Δίσκος, Ἀκόντιον, Δρόμος, ἡ Πάλη. *Saltus*, *Diſcus*, *Jaculum*, *Curſus* & *Lucta*: teſtatur Ariſt. *l. de commun. animalium greſſu.* In Gymnaſtica bellica non multum in uſu fuit: in medicina verò Gymnaſtica adhibitum fuiſse Galen. & apud Oribaſ. Antyllus, pluribus docent. Vide Merc. *l.* 2. *c.* 11. & infrà ubi de *Saltu.*

Scaparda, Gr. Σκαπάρδα, Heſych. & Polluci, genus ludi fuit Funambulis non admodum diſſimile; in eo trabs ſolo depacta erigebatur, in cujus ſummo foramen erat, per quod funis trajiciebatur, ex una parte funiculi, alter averſus circumligabatur: tum alter ab altera trahebat; ſique trahens ſocium uſque ad ſummum traxiſset, victor denunciabatur, ſin alter reſiſtens, minimè ſe trahi ſinebat, penes ipſum judicabatur victoria, Idem *l.* 3. *c.* 5.

Schœnobatica, exercitatio vehemens, eadem cum aſcenſione per *Funem*, de qua hìc paulò ſuprà diximus. Namque Funambulos, Gr. Σχοινοβάτας, qui hoc tempore luſus gratiâ per orbem vagantur, etiam Veteribus in oblectando populo fuiſſe adhibitos, ex icone, è Veterum ſculptis gemmis expreſsâ, apud eund. *l.* 3. *c.* 5. videre eſt. Sed & Terent. *Hecyra*, *Prolog. v.* 26. confirmat. Ei aliquid ſimile habuiſſe Scapardam diximus modò.

Sciamachia, vide infrà.

Sphæriſtica, altera ſaltationis ſpecies fuit, Pilæ nempe ludus, qui ſaltando peragitur. Vide infrà ubi de *Pila*, item *Sphæriſtica Merc. l.* 2. *c.* 4.

Spiritus cohibitio, inter exercitationes & præſertim apotherapeuticas, ab optimis Gymnaſticis, numerata legitur, apud Galen. *de tuenda valet. l.* 3. *circa fin.* Vide infrà.

Stando, quoque ſe exercuiſse Vett. dicemus infrà, *ſuo loco.* Vide Merc. *l.* 3. *c.* 3.

Trochus, vide *ſuo loco.* id. *l.* 8. *c.* 3.

Vectatio, una ex illis exercitationibus quæ motus hominis ab aliis factos conſiderat: *in curribus* inprimis, antiquiſſima fuit, & ab Erichthonio primùm inventa nonnullis tradita. Vide eund. *l.* 3. *c.* 10.

Venatio, ex omnibus corporum exercitationibus utiliſſima, ſecundùm Galen. bellicæ etiam fortitudini aſsequendæ maximum adjumentum præbere credebatur. Eam Plato *de LL. l.* 7. in tres ſpecies, Aquatilium, Volatilium & Terreſtrium animalium diſtinxit. Vide eund. *l.* 3. *c.* 15. & infrà *ſuo loco.*

Vociferatio, exercitium fuit Hiſtrionibus olim in crebro uſu, quod docebant Magiſtri *Phonaſci* dicti, unde Ars *Phonaſcia* Theophraſto. Vide eundem *l.* 3. *c.* 7. & infrà, ubi de *Voce* ac *Vociferatione.*

Volutatoria lucta fuit, cùm non recti manebant & quoad ſtantes complecterentur; ſed humi proſtrati ſeque mutuò convolventes, alter alterum ſibi ſupponere nitebantur &c. Vide in voce *Pancratium.*

GYMNESIÆ, duæ inſ. maris Iberici. Strab. *l.* 2. *p.* 129, 144. & 159. Græcè Γυμνησίαι. Dictæ ſic Baleares ſunt Græcis, non quod populi illarum nudi eſſent, ſed quòd funditores eximii, quales, ut & cæteræ leves armaturæ, quos ψιλοὺς vocant, Γυμνῆτες dicebantur. Heſych. Γυμνῆτες, οἱ μὴ ἔχοντες ὅπλα, οἱ δὲ τοὺς σφενδονιστάς κτλ. Vide ſuprà ubi de *Funditoribus*, it. in voce *Baleares.*

GYMNETÆ, ſervi Argivorum, ſicut *Helotæ* Spartanorum &c. de quibus vide Alex. ab Alex. *Genial. Dier. l.* 3. *c.* 20.

GYMNETES, pop. Æthiopiæ ſemper nudi, Nigretibus & Phauruſiis proximi. Plin. *l.* 5. *c.* 8. *Gymnetas* quoque Indos vocat Crates Pergamenus; qui 100. Annos excedant, *Macrobios* vocat Plin. *l.* 7. *c.* 2. Fuêre etiam *Gymnetæ*, in Hiſp. Tarr. unde *Gymneſiæ Inſ.*

GYMNICI Ludi, dicti ſunt apud Græcos olim, in quibus ſe *nudi* atque uncti exercebant palæſtritæ, Gr. Ἀγῶνες γυμνικοί: idque aliquo quinque horum certaminum. *Saltu*, *curſu*, *jactu*, *diſco*, *lucta*, quæ Simonides verſu hoc expreſſit,

> Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Vel omnibus ſimul, quod *Quinquertium*, vel *Quinquartium*, quaſi *quinque artium luſus*, Gr. πένταθλον dicebatur: victorque *Pentathli* nomen tulit: Erant ludorum horum 4. celeberrimi: Olympia, Nemea, Pythia, Iſthmia, de quibus vide *ſuo loco.* Ad Circenſes Romanorum quoque appellatio tranſlata eſt, namque & in iis, ſi non omnino, ſaltem maxima ex parte corpora, veſtibus, exutis, nudabant, quò expeditiores & agiliores ad certamen eſſent; Sed de his vide *ſuprà.* Quare autem Athletæ iſti, cùm tempore Homeri adhuc περιζώματα i. e. *ſubligacula* haberent, ſeqq. temporibus planè renudaverint corpus, ad Orſippum cauſam refert Euſtathius, qui circa Olympiadem 32. primùm id inſtituerit, poſtquam perizomate ſoluto victus eſſet. Sic à *nudis* dicti agones *Gymnici*, in quibus Athletæ, oleo uncti & pulvere aut arenâ conſperſi, certabant. Quam ob cauſam Aug. vetuit ejuſmodi ſpectaculis feminas intereſse, vide quoque ſuprà in voce *Gymnas*. Antiquitus autem campeſtria fibulata Athletas habuiſſe, Thucydides auctor: quam modeſtiam & à Barbaris ſuo tempore ſervatam, addit Jul. Cæſ. Scalig. *poëtic. l.* 1. *c.* 22. Plura de his Ludis vide infra in hac voce.

GYMNOPÆDIA, Græcè Γυμνοπαιδία ſaltationis ſpecies, apud Lacedæmonios olim in uſu, qua in ſacris *pueri nudi* defungebantur (unde nomen) Apollini pæana canentes, auctore Terpandro. Poſt quem Sacadas Argivus in Choris, contraria qui canerent, inſtituit: quippe ἐνδυμάτια, non nudi, ſed induti, Jul. Cæſ. Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 20. Fuit autem harmonia *Gymnopædica*, Emmeliæ propior, plus habens ſpondæorum, & anapæſtorum, cum interpoſitis choriambis: qualis Ode prima Horatii. Idem *ibid. c.* 48. ubi *de Lyricorum harmoniis.*

GYMNOPODIA, Gr. Γυμνοπόδια, apud Polluc. *l.* 7. *c.* 22. inter calceorum muliebrium ſpecies, quæ pedem oſtenderent. Cujuſmodi calceis Græcas mulieres delectatas olim, notum. Certè principes Græcarum formâ Thebanas mulieres, ore tecto, pedibus per calceos penè nudis, ſaltem conſpicuis, inambulaſſe, refert Dicæarchus *Vita Græciæ*, in deſcriptione Bœotiæ: Φοροῦσι δὲ --- ὑπόδημα λιτὸν, οὐ βαθύ. φοινικοῦν δὲ τῇ χροιᾷ καὶ ταπεινὸν ἀκατάλυτον δὲ ὥστε γυμνοὺς σχεδὸν ἐκφαίνεσθαι τοὺς πόδας, uti legi vult Caſaub. Vide Caſp. Barth. *ad Stad. Theb. l.* 2. *v.* 230.

GYMNOSOPHISTÆ, Philoſophi Indorum, ſic dicti quòd nudi incederent, Solem immobilibus oculis toto die intuentes. Frigora & flammas citra dolorem perferebant. Ferunt Alexandrum Mag. ad eos acceſſiſse, dixiſseque; *Petite quodcunque vultis.* Qui reſpondêrunt: *Da nobis immortalitatem, quam præ cæteris optamus.* Quibus ille ait: *Cùm ego ipſe ſim mortalis, immortalitatem nemini præſtare poſſum. Si ergo*, inquiunt, *mortalem te eſſe cognoſcis, cur non contentus patriis ſedibus, omnibus infeſtus totum orbem ſubjicere conaris?* Cic. *Tuſc. Qu. l.* 5. Saturi vitæ in rogum ardentem ſe conjiciebant. ut finirentur. Lucan. Civ. Bell. *l.* 3. *v.* 240.

> *Quique ſuas ſtruxêre pyras, vivique calentes*
> *Conſcendere rogos.*

Diviſi erant in duas ſectas, *Brachmanes* & *Gemnanes*, ſeu *Sermanes.* Quidam etiam *Hylobii* dicti, quòd ſylvas incolerent, rerum ſublimium contemplationi melius vacaturi. Docebant hi omnes μετεμψύχωσιν, ſpernebant Fortunæ bona, Principibus & Magiſtratibus à conſiliis erant, &c. Hylobios ſe arborum corticibus texiſse, & in cavis arborum habitaſse ferunt. Durant hodieque, uti videre eſt apud accuratiſſimum Scriptorem, P. de la Valle, *Itin. tom.* 4. qui ipſe cum hodiernis Indorum Sapientibus diu converſatus eſt. De veteribus autem Gymnoſophiſtis, vide Strab. *l.* 15. *p.* 713. Philoſtr. *l.* 3. Porph. *l.* 4. περὶ ἀποχῆς, Clem. Alex. 1. *Strom.* Tertull. *Apolog. c.* 41. & 42. Auguſt. *de Civ. Dei. l.* 15. Apulejum, Ariſt. Solin. Laërt. *l.* 1 &c. *Nic. Lloydius.*

GYNÆCEUM, vel GYNÆCONITIS, Gr. Γυναικεῖον, dicebatur locus ſecretior in ædibus ubi ſolæ *mulieres* degebant: Erat autem δίστεγος; in ſuperiori ædium contignatione, ut eò difficilior ad eas aditus pateret. Ita enim Didymus, Οἱ ἀρχαῖοι, inquit, ταῖς γυναιξὶν ὑπερῴους τοὺς θαλάμους κατεσκεύαζον ὑπὲρ τοῦ δυσεντεύκτους εἶναι, *Vett. mulieribus in ſuperiori ædium parte thalamos ſeu cubicula extruxêrunt, quò non ita facilè adiri poſſent.* Habebant ovalem figuram, Gr. Ὠὰ, vel Ὤϊα, unde fortè fabulæ de Helena ex ovo genita occaſio, cùm in iſtiuſmodi thalamo genita ac educata eſſet. Eò qui aſcenſum fuerit, an per ſcalas penſiles, an per gradus & anabathra conſueta, in incerto eſt: Prius arridet Fr. Roſſæo, probatque ex Euripide *in Phœniſſis*, ubi Pædagogum Antigone in ſuperius cœnaculum, ut exercitum ibi proſpiceret, ſe deducturum, ſic alloquitur:

Ὄρεγε-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Ὄρεγε νῦν, ὄρεγε γεραιὰν
Νέα χεῖρ᾽ ἀπὸ κλιμάκων
Ποδὸς ἴχνος ἐπαντέλλων.

Ejuſdem κλίμακος apud Homer. mentio eſt, ubi de Penelope:

Κλίμακα δ᾽ ὑψηλὴν κατεβήσατο οἷο δόμοιο,
De ſcala ſublimi deſcendit ſola domus.

Vide præfat. Auctor. *Archæologiæ Atticæ l. 4. c. 14.* Ibidem filioli, ut improbitate omni abſtinerent, educabantur, ut ex Heſiodo diſcimus, in Ἔργ. ubi pueros δωδεκαταίους, *duodecennes*, & δυωδεκαμήνους, *duodecimeſtres*, omnia communia cum matribus, δίαιταν, τροφὴν, οἶκον, habuiſſe ait: Sed, & qui provectiores ætate erant, quoties locus in cœnaculo deeſſet, pranſum eò cœnatumque mittebantur, uti apud Lucianum legimus, ubi Eucrates fil. ſuum εἰς γυναικωνῖτιδα ablegat, *in Gallo.* Puellæ porrò ad nuptias uſque eodem loco cuſtodiebantur, niſi haberent παρθενῶνα, œcum peculiatem *Virginibus* deſtinatum, de quo infrà, ubi de *Oecuria* Athenienſium, plura vide apud Dan. Heinſ. *Not. ad Heſiod. d. l. p. 274. & 289.* Eodem modo vocabatur interior locus in æde Bonæ Deæ, ubi ſacrificia peragebantur, quibus non niſi mulieribus intereſſe fas erat, vide Cic. *Orat. de Aruſpic. reſp.* Habebant autem *Gynæcea* ſuos Ephoros ac inſpectores, viros graves ac ſapientes; de quibus vide hic paſſim, inprimis in vocibus, *Cantor*, *Cuſtos*, *Monitor* &c. Donec progreſſu temporis ſceleſtiſſimi Eunuchi matronarum œcos, virtutum olim ac egregiarum artium, quæ hunc ſexum decerent, officinas, invaſêre, de qua labe ſuo loco: uti de ratione *Gynæcea* claudendi muniendique ſuprà in voce *Fores.* Vitruv. de hac ædium parte ſic *l. 6. c. 10.* ubi de Græcorum ædificiis: *In his locis introrſus conſtituuntur œci magni, in quibus matresfamiliâs cum lanificiis habent ſeſſiones. Circùm autem in porticibus triclinia quotidiana, cubicula etiam & cellæ familiaricæ conſtituuntur. Hæc pars autem Γυναικωνῖτις dicitur.* Ubi quod ſic vocat, *Gynæceum* Plauto eſt, ad hunc Græcorum morem eleganter alludenti *Moſtell. Actu 3. Sc. 2. v. 71.*

Dare volt uxorem filio, quantum poteſt:
Ad eam rem facere vult novum Gynæceum.

Uti autem locus feminis, *Gynæceum*, ſic locus viris deſtinatus Ἀνδρὼν, it. Ἀνδρωνῖτις dictus eſt, ut vidimus. Utriuſque meminit A. Gell. *l. 17. c. 12.* Alexandri Moloſſi dictum referens, ſe quidem ad Romanos ire, quaſi in Ἀνδρωνῖτιν. Macedonem verò Alexandrum iiſſe ad Perſas, quaſi in Γυναικωνῖτιν. Alia fuêre ſub Impp. poſterioris inprimis ævi *Gynæcea*, unde in Imperio Romano *Gynæceorum Procuratores* Magiſtratus erant, domibus, in quibus veſtes Imperatoriæ confiebant, & lanificia huic fini fervebant, præfecti, ſub Comite ſacrarum Largitionum, *Notitia* Imperii. Iis ſuberant *Gynæciarii*, in *l. 16. Cod. Theodoſ. de Murilegulis & Gynæciar. Si quis ex corpore* Gynæciariorum *vel Lineariorum, vel Linyfiariorum*: & *Gynæciariæ*, paſſim. Dicebantur ſic opifices, qui veſtibus Imperialibus texendis, in publicis Textrinis, quæ *Gynæcea* dicebantur operam dabant, obnoxiæ cæteroquin conditionis &c. Cujuſmodi *Gynæcia*, ſeu, uti vocabant, *Genicia*, etiam Franciæ Reges habuêre, in quibus ancillæ Regiæ rei lanariæ vacabant, *Geniciariæ* hinc & *Penſiles* dictæ: Imò à ſingulis fœminis lanarium tum opus Principes exigebant, præſtationis vice, adeò ut ab eo præſtando Sanctimoniales ipſæ vix eximerentur. Quia autem cum ancillis hujuſmodi domini ipſarum, corruptione creſcente, conſueſcere cœpêrunt, factum ut publica ac privatiſta *Gynæcea* peſſimè audirent, & vox paſſim de Lupanaribus ac meretricum cœtibus acciperetur. Imò in pœnam eò amandatæ tanquam in Lupanaria publica, ſi quæ vel ſtuprum commiſiſſent, vel impari conjugio ſe implicuiſſent. Sic in *L.* Longob. *l. 2. tit. 9. §. 2.* mulier libera vel puella, quæ ſervo nupſit, in *Curiam Regis* duci jubetur *& intra penſiles ancillas conſtitui*: ubi *Edictum* Rotharis Regis *tit. 88. §. 11.* *Piſile* habet, quod idem eſt cum *Penſili* ſeu *Gynæceo*, unde fortè Gallorum vox *Poile*, de vaporario &c. Vide C. du Freſne in *Gloſſ.* ut & ſuprà in voce *Domus.*

GYNECOCRATUMENI, pop. Sarmatiæ. Plin. *l. 6. c. 7.*

GYNECON-LIMEN, i. e. *mulierum portus*, circa Phidaliam eſt, inter Anaplum & Leoſthenium. *Steph.*

GYNÆCONOMI, Viri quidam Athenienſes convivia inſpiciebant, & numerum vocatorum, an eſset ſecundûm legem, inquirebant. *Gyneconomi* autem numero viginti præfecti fuêrunt mulieribus, qui in parum pudicas ac modeſtas animadvertêrunt, & multas earum inſcribentes expoſuêrunt in platano & ceramico. *Jul. Pollux.*

GYNÆCOPOLIS, civitas Phœnicum, & alia Ægypti. Steph. Plin. *l. 5. c. 9.*

GYNDES, Aſsyriorum fluv. maximus poſt Euphratem, qui deſcendens ex montibus Mantianis, per Dardanios labitur, & in Tigrim ſe exonerans, in Mari rubro nomen perdit. Is cùm Cyri impetum venientis contra Babylonios interciperet, & quidam ex militibus ſummè dilectus regi, ejus moliens tranſitum, rapacitate fluvii abſorptus eſset, Rex iratus amicum ulciſci ſtatuit, jurans eum, qui tam præclarum equitem voraviſſet, mox vix tincturum genua mulieris. Bellum itaque cum fluv. geſſit, ac totis copiis per magnas deductum foſſas in 46. alveos, alii habent 360. diſpertivit. Quidam ob equum abſorptum Regem ita ſuccenſuiſſe fluv. narrant, Herod. *l. 1.* Senec. *l. 3. de Ira.* Tibull. *l. 4. Eleg. 1. v. 14.*

——— *Rapidus Cyri dementia* Gyndes.

GYPÆETUS, Græcè γυπαίετος, aquila degener, ex aquilæ & vulturis adulterio nata, aliàs *Percnopteros*, quod vide, ut & *Racham*, it. in voce *Vultur.*

GYPEDÆ, vide ſuprà *Gipedæ.*

GYPSARA, Moletio *Tordunes*, portus Mauritaniæ Cæſ. inter Mega prom. & Sigam Urb.

GYPSATI Servi dicebantur, qui venum exponebantur olim. Non quòd calceos haberent, quibus nota cretacea eſſet impreſſa, ut Vir quidam eruditus ſcripſit, ſed quòd ipſi excalceati, cretatos ſeu *gypſatos* pedes haberent. Pro more enim nudis tales pedibus fuiſſe, indigitat de Cappadocibus & Bithynis Romam venum traductis loquens Juv. *Sat. 7. l. 3. v. 16.*

Altera quos nudo *traducit Gallica* talo.

Pedes autem cretâ ſeu gypſo notatos fuiſſe, docet Plin. *l. 35. c.* [illegible] *Cretâ pedes venalium trans mare advectorum notare inſtituerunt* [illegible] Idemque rurſus *ibid. c. 18. Cl. Cæſaris viderimus libertis,* [illegible] *non cum laureatis faſcibus remitti illo, unde cretatis pedibus adve*[illegible] Hinc Juv. *Sat. 1. l. 1. v. 111.*

Nuper tu hanc urbem pedibus *qui venerat* albis.

Ovid. *Amor. l. 1. Eleg. 8. v. 63.*

Nec in ſi quis erit capitis mercede redemptus,
Deſpice gypſati *crimen inane pedis.*

Propert. item *l. 4. Eleg. 5. v. 51.*

Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
Cretati medio quum ſaliêre foro &c.

Vide Pign. *de Servis*, Balduin. *de Calceo*, Nigron. *de Caliga* [illegible] ſuprà *Creta* & hìc infrà.

GYPSEIS, Inſ. Æthiopiæ, *Steph.*

GYPSOCHOI, vide hic infrà.

GYPSUM, Græc. γύψος, quaſi γῆ ἑψηθεῖσα, *terra cocta*, [illegible] gnata calci res eſt, Plin. *l. 36. c. 24. Plura ejus genera,* [illegible] *pide coquitur, ut in Syria ac Thuriis: & è terra foditur,* [illegible] *ac Perrhæbis: è ſumma tellure & Tymphaicum eſt. Qui* [illegible] *non diſſimilis alabaſtritæ eſſe debet, aut marmoroſo. In Syria* [illegible] *ad id eligunt, coquuntque fimo bubulo, ut celeriùs urantur.* [illegible] *autem optimum fieri compertum eſt è lapide ſpeculari.* Atque hinc [illegible] *lum gypſinum*, pro ſpeculari lapide: quo ornatas olim feneſtras [illegible] gere eſt apud Anaſtaſ. in *Vitis* Pontificum, ubi [illegible] perperam repoſuêre Correctores. Vide quoque infrà [illegible] *pſcas feneſtras* illas vocat Iſid. *l. 16. c. 3.* & *l. 19. c. 10.* [illegible] ſic Matthæus Sylvaticus *c. 47. Lapis ſpecularis, lapis Lunæ,* [illegible] *ſelinum — eſt lapis admodum vitri perſpicuus. Dicitur autem* [illegible] *ſpanorum urbe Segundia primitus inventus eſſe. Ego autem* [illegible] *abundantiùs inveniri, in diverſis partibus Theotoniæ: &* [illegible] *Gallia inveniri cum gypſo: quia eſt gypſi extremitas quædam.* [illegible] *autem ſcinditur in quaslibet partes tenues, & inde fiunt feneſtræ,* [illegible] *vitro: niſi quòd loco plumbi oportet ponere lignum*, apud C. du Freſne *in Gloſſ.* Vide de *gypſo* metallo perfectè pellucido, Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poſt. l. 5. c. 6.* & de *Feneſtris* plura ſuprà. [illegible] hìc ſaltem, uti plumbo hodie, ſic *gypſo* olim laminas vitreas [illegible] quam illæ in uſum venêre) in feneſtris lanternisque invicem, [illegible] *per artem*, quam teſſeræ eſſent, ſive orbes, committi conſueviſſe, Γυψεμπλαστικὴν vocat Philoponus *in Poſt. Ann. l. 2.* ad verba illa, διὰ τί διεισι λαμπτῆρος τὸ φῶς; Sed & *uſus* gypſi *in albariis, ſigillis* [illegible] *ædificiorum & coronis gratiſſimus*, Plin. ubi ſuprà: coronis tamen ad [illegible] miſceri prohibet Vitruv. *l. 7. c. 3.* Porrò eo uſi Vett. ad [illegible] arma, cùm noctu vellent hoſtes aggredi, ut ſuos ab adventantibus [illegible] gnoſcerent, Herod. *Uran.* & Pauſ. *l. 10.* Imò & ſeipſos, [illegible] pugnaturi eſſent, dimidiam partem minio, dimidiam *gypſo*, [illegible] gere ſolitos Æthiopas, dicemus infrà ubi de *Minio.* Etiam ad claudenda vini dolia operculaque continenda, uti diſcimus ex Petron. *Sat.* Edit. Gonſali de Salas *p. 19.* Edit. Boſch. *c. 34.* Plin. iterum, qui eo *vina condere Africam* ſcribit *l. 14. c. 10.* Præcipuè verò [illegible] Plaſtis (qui hinc *Gypſochoi*, aliàs *Paradigmatitæ*, quod [illegible] non diſcederent, dicti ſunt) inſerviit. Et quidem [illegible] dem *l. 35. c. 12. hominis imaginem* gypſo *è facie ipſa* [illegible] *expreſſit, ceraque in eam formam* gypſi *infuſâ emendare* [illegible] *tus Sicyonius, frater Lyſippi.* Alia vide *ibid.* Imò non homines [illegible] lùm, ſed & Dii è gypſo, memorantur Arnob. *l. 6.* ubi inter [illegible] quibus Gentilium idola formata, etiam legas *commiſſum glutinum gypſo*: quæ duo etiam Prudent. jungit *in Symmach. l. 1. v. 436.*

——— *Mollis ſi bractea* gypſum
Texerit, infido rareſcit glutine ſenſim.

Imbracteabantur enim interdum ejuſmodi imagines auro, vel alio metallo, Prudent. ἀποθεώσει. *v. 458.*

Quin & Apollineo frontem ſubmittere gypſo.

i. e. inclinare ſe coram Apollinis ſtatua è gypſo confecta. At eo in perniciem ſuam abuſus eſt C. Proculejus, Aug. Cæſaris familiaris [illegible] ſubnixus, qui *l. 36. c. 24. in maximo ſtomachi dolore mortem* [illegible] *vit*, gypſo *poto*, ut idem habet. In aliorum Dionyſius Tyran. qui quos uſu oculorum privare vellet, *gypſo* eos excœcavit, Galen. *de Uſu part. l. 10. c. 3.* Et Emanuel Imp. Græc. qui Conradi III. Imp. exercitum *gypſo* farinæ miſto, magna ex parte ſuſtulit, Sabellic. [illegible] *4. Ennead. 9.* Vide quoque ſuprà, in voce *Gypſati*: uti de Gypſi in Vett. cameris uſu, ubi de *Cameris* & *Laquearibus*; it. *Plaſtice*: de metalli fodina vero τῇ καλουμένῃ Γύψῳ, Juſtiniano memorata *Nov.* 12. infrà aliquid, in voce *Metalla.*

GYRAS, mons Teni Inſ. maris Ægæi. Plin. *l. 5. c. 5.*

GYREI, pop. Arabiæ fel. Idem *l. 6. c. 28.*

GYRISOENNI, pop. Hiſp. Tarr. in confin. Bæticæ, quorum urbs Giennium, vulgò *Jaen.*

GYROVAGI, propriè appellati Monachi, qui Monaſteriis relictis per diverſas cellas, neſcio quâ pietatis ſpecie, vagabantur: de quibus ita *Regula* S. Benedicti *c. 1. Quartum genus eſt Monachorum, quod nominatur* Gyrovagum: *quia totâ vitâ ſua per diverſorum* [illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

hoſpitantur, ſemper vagi & nunquam ſtabiles & propriis voluptatibus & gulæ illecebris ſervientes. Et Paulin. *Poëm. ad Cytherium*,

Qualia vagari per mare & terras ſolent
Avara mendicabula,
Qui dejerando Monachos ſe vel naufragos
Nomen caſumque venditant &c.

Vide C. du Freſne *Gloſſ.* De *Gyrovagis* verò Indorum, diximus alibi ex P. de la Valle *Itin. Tom. IV.* & Joh. Bapt Tavernier *Itin. Ind.* Sed & *Gyrovagi* dicuntur vett. Gentiles, qui in ſacris in *gyrum* circumagere corpus ſolebant, Magicis inprimus; ut hic paſſim videre eſt, præcipuè ubi de *Orandi Ritibus*, & in voce *Rhombus*. Sed & Thaumaturgorum genus, de quo vide ubi de *Orchiſtopalariis*. Hodieque Turcæ, in Feſto, quod *Machia* vocant, vel propter vota populi, vel ad aſſequendam pluviam, ſerenitatem, victoriam: inſtitui ſolito, poſt epulum feſtivum, ordine, uno illorum tympanum pulſante, ludunt, regulatâ primùm totius corporis agitatione, motibusque omnium membrorum valde decentibus, ad inſtrumenti præludentis modulos: Tum in modum vertiginis, quadam velociſſimâ *circumgyratione* totius corporis (in qua vis ludi) ita celeriter revolvuntur, ut homo ne ſit, an ſtatua, qui ſic gyratur; haud facilè diſcernas, uti ex Cuſpiniano Cl. Zuinger. refert *Theatro V. T. Tom. II. l. 5. p. 391. b.* Vide quoque P. de la Valle *Itin. Tom. I.* &c.

GYRTON, urbs Theſſaliæ & Perrhæbiæ, quam Homer. *Gyrtonam* vocat. Steph. Plin. *l. 4. c. 9.*

GYRUS, mons Ætoliæ, apud Acheloum fluv. Calydoni urbi imminens, unde & *Calydon.*

GYRUS, in vet. *Epigr.*

Septem etiam gyris *claudunt certamina palmæ,*
Quòd cœlum ſtringunt ſingula ſorte pari:

καμπτὴρ eſt in Circo ſeu καμπτὸς, qui, *flexus* propriè *circa metam*, hic pro toto ſpatii decurſu ſumitur, ut vidimus ſuprà. Certè in re Equeſtri vox nota, unde ſimilitudo frequens apud Poëtas Muſarum currus & equos agnoſcentes, inde deſumpta. Columella *l. 10. v. 226.*

Sed quid ego infreno volitare per æthera curſu
Paſſus equos audax, effreni tramite raptor?
Iſta canat majore Deo ——
Me mea Calliope, curâ leviore vagantem,
Jam revocat, parvoque jubet decurrere gyro.

Sic *contrahere gyros* Muſam orat Stat. *l. 4. Sylv. 7. v. 4. pro Heroicis cantibus Lyram redigere ad mitiores & tenuiores ſonos*, vet. Schol. Primi autem, Virg. Georg. *l. 3. v. 115.*

Frena Pelethronii Lapithæ, gyroſque *dedere*
Impoſiti dorſo ——

uti ex Virgilio oſtendimus ſuprà, ubi de *Equitandi arte*. A' voce *gyrus*, margarita *guroſa* dicitur, apud Valgium *Epigr.* Chariſio laudato,

Sint guroſa *rotunda margarita,*

pro *gyroſa*, Salmaſ. *ad Solin. p. 1123.* &c.

GYTHEATES, unus ex Peloponneſi ſinubus, memoratus Plin. *l. 4. c. 5.* de quo vide Salmaſ. ubi modò, *p. 140.*

GYTHEUM, opp. Laconicæ, quod Hercules & Apollo, depoſitis eo loci ſimultatibus, communi operâ condidêrunt. Cic. *l. 1. de Off. Claſſem Lacedæmoniorum, quæ ſubducta eſſet ad* Gytheum. Quem locum Herm. Barbarus emendavit, cùm antea *Ægyptium* lectum fuit. Apud Ptol. Γύθιον, apud Strab. *l. 8. p. 343. & 363.* Γυθεῖον vocatur. Polyb. *l. 5.* de Philippo loquens: Μεταβαλλόμενος δ' αὖθις ἐποιεῖτο τὴν πορείαν παρὰ τὸ ναύσταθμον τῶν Λακεδαιμονίων, ὃ καλεῖται μὲν Γύθιον, ἔχει δὲ ἀσφαλῆ λιμένα, τῆς δὲ πόλεως ἀπέχει τριάκοντα στάδια. Strabo ſecus, Γυθεῖον τὸ τῆς Σπάρτης ἐπίνειον ἐν διακοσίοις καὶ τεσσαράκοντα σταδίοις ἱδρυμένον, ἔχει δ' ὥς φασι ναύσταθμον ὀρυκτόν. Apud Liv. *l. 4. Dec. 4.* opp. omnium maritimarum rerum Lacedæmoniis receptaculum eſſe legitur. Vocatur & *Gythium* & *Gethion*, Pauſ. *in Arcad.* Navale Lacedæm. Xenoph. & Polyæn. *l. 11. c. 30.* ab urbe ſtadiis. *Paleopoli* hodie Nigro. *Paſabas* quoque Gemiſto. *Nic. Lloydius.*

GYTHITES, inſ. juxta Æthiopiam ſub Ægypto, *Genamani* hodie, teſte *Ortelio.*

GYTHONES, pop. Sarm. Eur. apud oſtia Viſtulæ. Quorum urbs Gadanum, *Dantzig.*

GYZACENI, Græcè Γυζακηνοὶ, apud Steph. dicti ſunt, qui priùs Βυζάντιοι, *Byzaceni*, vide ſuprà *Byzacium.*

GYZANTES, pop. Africæ, qui & *Zypantes* dicuntur. Nomen videtur à *mellificio* factum: Talmudicis ſaltem גזין *gazin* ſunt *apes*, & in Gyzantum regione μέλι μὲν πολλὸν μέλισσαι κατεργάζονται, πολλῷ δ' ἔτι πλέον λέγεται δημιουργοὺς ἄνδρας ποιέειν, Ita Herod. de iis *Muſâ quartâ. Nic. Lloydius.*

GYZIS, Caſtaldo *golfo de gli Arabi*, portus Marmaricæ, in ora, inter Parætonium ad Occ. & Alexandriam Ægypti ad Ort.

H.

H magis aſpiratio eſt, quam litera, ab Hebræis ad Græcos, inde ad Latinos derivata, quam pluribus vocibus ſine ratione & neceſſitate appoſitam, miratur A. Gell. *l. 2. c. 3.* Ciceronis tempore ſolis vocalibus adjecta, poſtmodum etiam conſonantibus addi cœpit: Unde illud Catull. *Epigr. 84.* de Ario aſpirante initio.

Chommoda dicebat, ſi quando commoda vellet
Dicere, & Hinſidias *Arius inſidias.*

Aliquando pro *F.* uſurpari ſolet, quod & viciſſim pro H. nonnunquam uſurpatur. Unde *Haba* pro *Faba*, *Fordeum* pro *Hordeum*, &c. Plura vide apud Cic. *in Orat.* Scaurum, *de Orthogr.* Voſſ. in *Ariſtarcho*, Methodum Latin. &c. in Notis antiqq. *honeſtas*, vel *hic*, ſeu *hoc*, vel *heredes*, vel *homo*, vel *habet*, vel *huic*, vel *hora*, vel *honor*, denotat. Etiam *Hadrianus* ſignificat, vide ubi de *Monogrammatis Antiquorum.* Eandem literam vocabulis propriis, non ſine myſterio, à Teutonibus præponi ſolitam cenſent nonnulli: v. g. in *H. Ludovicus*, *H. Lotharius*, *H. Rhabanus*, & ſimilibus; ajuntque *Herren*, i. e. *Dominum*, innuere, quemadmodum Latini *D.* plerunque uſurpant. *Herr* autem, ut auctor eſt Walafridus Strabo *de Reb. Eccl. c. 7.* ab *Heros*, ſeu potiùs *herus*, deducitur. Vide Olaum Wormium *in Monum. Danicis l. 5. H. coronatum*; in crucis centro in lilia & flores deſinente, cum *Inſcr.* SIT NOMEN DOMINI BENEDICTUM, conſpicitur in *Franciscis argenteis*, Gall. *Francs d'argent*, monetæ genere, cuſo ſub Henrico III. Gall. Rege. Item in *parvis Liardis*, ſub eodem; ejuſque nomen utrobique deſignat. Vide C. du Freſne in voce *Moneta*, & infrà in voce *Henrici*, item *Monogramma*, HC. AM. N. *hunc amicum noſtrum.* HC. L. *hunc locum.* HC. V. *huic vitæ.* H. D. *hic dedicavit*, *dedicarunt*, vel *dedicavêrunt.* H. D. D. *hoc dono datur* &c. in notis præfatis deſignat.

HAB, Palæſtinæ urbs, Gul. Tyrio.

HABA, fil. Gomer, filii Heber. 1. Par. *c. 7. v. 34.* Lat. *abſconſio*, vel *dilectio*, aut Syriacè *peccatum* ſive *obligatio.*

HABABA, mater ex Micea ſeu Micia, Maximini Imp. vide ſuprà *Ababa.*

HABACUC, i. e. *luctator*, vel *amplexans.* Nomen Prophetæ Hab. *c. 1. v. 1.* Græci Ἀμβακοὺμ vocant. In *Prophetiam* ejus, extant: Angelii *Comm.* Antverpiæ A. C. 1598. Beauxamis *Homiliæ*, Octav. Paris. A. C. 1578. Chytræi *Explicatio.* Danæi item. Grynæi *Hypomnemata.* Guevaræ *Ecphraſes & Exegemata*, Quart. Auguſtæ Vindel. A. C. 1609. Hafenrefferi *Comm.* Helvici Garthii *Comm.* Janſſonius, Octav. Heidelberg. Joachimus. Marbury. Angl. Quart. A. C. 1650. Marcellinus. Regius. Tarnovius. Theophylactus. Toſſani *Paraphraſis*, Octav. Francof. A. C. 1599. Willichii *Comm.* Baſileæ, A. C. 1546. Winckelmanni *Com.* Octav. Francof. &c. Vide Crowæi *Elenchum.*

HABASSIA, *Abaſſia*, *Abaſſinia* idem, vide *Abaſſinia.*

HABDANCK, nomen quod Skarbico, à Boleſlao Poloniæ Rege ad Henricum V. Imp. miſſo hæſit, ex frequente cauſa. Cùm enim Imp. magnam auri argentique vim in menſa expoſitam Legato oſtentaſſet, addens, *Hic Polonos perdomabit*: Legatus annulum digito exemptum acervo adjecit, dixitque: *Jungatur aurum auro.* Quo ſcommate nil offenſus Cæſar Germanicâ linguâ gratias illi egit *Hab danck.* A quo tempore Skarbico nomen, hoc ad poſteros uſque permanſit. Bucholcerus *Ind. Chr.*

HABE, pro *have* vel *ave*, in *Inſcr. LL.* in Cod. Theodoſ. *Habe Poſtumiane cariſſime nobis*: *Have Marcelline.* Sic apud Trebell. Pollion. *in Claud.* acclamat Senator *Claudi Dux fortiſſime*, *habeas virtutibus tuis*, h. e. χαίροις ἄν, ſeu χαῖρε, uti docuit pridem Jac. Cujacius *ad Paul. l. 3. Sent. tit. 4.* & *Obſerv. l. 1. c. 15.* Vide quoque Juret. *ad Symm. l. 5. Ep. 38.* Aliàs *Habe*, ab *habeo*, imperantis eſt cum plena conceſſione, velut in formula divortiorum, de quibus ſuprà. Virg. *Æn. l. 10. v. 827.*

Arma, quibus lætatus, habe *tua* —

Val. Flacc. Argon. *l. 8. v. 157.*

Vellus habe, *& noſtris ſi quid ſuper, accipe, Templis*

Imperioſius eſt, *tibi habe*, quod frequentatum Martiali. Vide Caſp. Barth. *ad Stat. Theb. l. 2. v. 116.*

HABENÆ, A. Gell. *l. 2. c. 26.* ſunt lora, quibus ſandalia ſeu ſoleæ ad pedem religabantur, circa digitos primores, non enim illæ, calceorum inſtar, concavæ erant, ſed planæ, & ſolùm πέλμα κάττυμα habentes, iſtiuſmodi *habenis* omnino opus habebant. Turpil.

Sandalio innexa digitis minoribus.

Græcis propriè ἱμάντες. Pollux, *l. 7. c. 22.* Τυρρηνικά, τὸ κάττυμα ξύλινον τετραδάκτυλον. οἱ δὲ ἱμάντες ἐπίχρυσοι. σανδάλιον γὰρ ἦν. Item ζυγοί. Idem, Καὶ ζυγοὶ δὲ τὸ περὶ τοῖς ὄνυξι τοῦ κοίλου ὑποδήματος, ἢ τοῦ σανδαλίου τὸ τοὺς δακτύλους συνέχον. Heſych. ζυγὸς ὁ παρακείμενος ἱμὰς τοῖς δακτύλοις ἐπὶ τῶν σανδαλίων &c. Salmaſ. *ad Tertull. de Pallio c. 5.* Sed & *habenæ*: fræna equeſtria, apud Stat. Theb. *l. 8. v. 563.*

--- *ruit primis immixtus & agmina Lernæ*
Nunc pedes enſe vago, prenſus nunc celſus habenis,
Ceu ſpectetur, agit ----

de quibus vide ſuprà in voce *Freni.*

HABENDUM, caſtr. in Voſago vet. ubi nunc Romarici mons Monaſt. vulgò *Romberg*, vide *Romarici mons.* Ejus mentio fit *in MS. vita S. Arnulphi Mettenſis Ep. ad Chlodulphum ejus fil. & ſucceſſorem, ante annos mille compoſita*, ubi priùs Arnulphus ſepultus erat, quàm Divodurum à Gœrico ex eremo Voſago transferretur. Fuit Monaſt. *Habendenſe*, in vertice montis olim poſitum duplex, Monachorum ac Virginum: Sed caſtello monaſterioque hoc funditus ab Hungaris diruto, poſt aliquot annos, adjutore Ludovico Arnulphi Aug. fil. non in eodem loco, verùm ad radices montis trans Moſellam Monaſterium inſtauratum eſſe ajunt: quod unà cum opp. ſuo Latini ſcriptores, prioris conditoris nomine *Romarici Montem*, Germ. *Rumersberg*, Galli *Remiremont* appellant, & nunc nobilium Virginum Canonicarum apud Lotharienſes illuſtre pridem Collegium eſt factum. *Hadr. Valeſ.*

HABEQUIUS Maximilianus, vide *Maximilianus.*

HABER, fil. Bariæ filii Aſer. 1. Par. *c. 7. v. 32.* Jud. *c. 4. v. 11. 17. & 27.* Lat. *ſocius*, *particeps*, *incantator*, aut *livor.*

HABERTUS Franciſcus, vide *Franciſcus.*

HABES, Gladiatorum verbum, de quo vide Senec. *Agamemn. v. 901.* & Donat. *ad Terent. And. Act. 2. ſc. 1. v. 56. Certè captus eſt, Habet.* Ex arena id mutuatus eſt Mart. *l. 9. Epigr. 88.* cujus Epigraphe de filio Silii. *v. 5.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Reſpexitque ſuam, quæ ſtabat proxima fratri,
Calliopen, & ait; tu quoque vulnus habes.

Vide ſuprà ubi de *Gladiatoribus*, & *Gladiatura*. item infra *Hoc habet*. At *Habere*, propriè de matrimonio dicitur. *Cimon* Nepotis *c.* 1. *habebat in matrimonio ſororem, ſuam germanam, nomine Elpinicem.* Terent. *Adelph. ſc.* 4. *Act.* 4. *v.* 13. *Valeas*, habeas *illam*, *quæ placet.* Ad quem locum Donatus, *Haberi uxor dicitur.* Joh. *c.* 3. *v.* 29. Ὁ ἔχων τὴν νύμφην, νυμφίος ἐστιν. Keucher. *ad Nep. d. l.*

HABESPURGUM, vulgò *Habspurg*, caſtrum Helvetiæ, paulo ſupra Brugas, ad dextrum Arulam, in clivo: hodie ſup. Rep. Bernenſi. Ab accipitre, qui à Comitum, qui in vicinia tum dominabantur, quodam emiſſus, hìc reſederit, quaſi *Habichspurgum* dictum quidam volunt. Hinc vetuſtiſſimæ & nobiliſſimæ Comitum *Habſpurgiorum* familiæ, è qua auguſta Auſtriacorum gens originem trahit, nomen. Horum auctor Erchenbaldus fuit, Clodovei II. Magiſter Palatii. Cujus Defuncti A.C. 661. fil. Leudeſius itidem Major domus ab Ebroino cæſus eſt, A.C. 680. Pater Ethiconis, qui Alſatiæ ducatum à Theodorico nactus eſt. Hujus ſecundò genitus Etho ſeu Hetto, pater fuit Alberici ſucceſſoris: cujus fil. Eberhardus ſuſcepit Hugonem Comitem, quo nati filii tres, Gerhardus Lotharingicæ, Hugo Dagsburgicæ, & Guntramus *Habſpurgicæ*, auctores fuêre. Maritus hic ſororis Landaloi Archiep. & Vindoniſſæ Comitis, in ſeditione Ludolphi Saxonis adverſus patrem illi adhærens, ditionis parte multatus eſt. Obiit A. C. 946. pater Cuonzelini, qui Hungaros ad Seckingam vicerat A. C. 937. quo geniti ſunt, Rapato ſeu Ratbodus, qui *Habspurgios* continuavit, & Cuonzelinus jun. à quo Zeringii, Teccii & Badenſes deſcendêre. Rapatoni fil. Wernerus I. fuit, nepos Otto: cujus A. C. 1110. cæſi fil. Wernerus II. Wernerum III. genuit, patrem Adelberti Divitis: qui Landgr. Alſatiæ titulum primus geſſit. Hoc editus Rudolphus, ex fil. minori Rudolpho ultimos Comites *Habſpurgios*, Lauffenburgios & Kyburgios: ex maj. Alberto Rudolphum I. Imp. genuit, Auſtriacæ gentis præcipuum decus. Vide Stumpf. *l.* 7. *de Argov. c.* 12. *& ſeqq.* & ſupra in voce *Auſtria*. Item arx, ad lacum Lucernatem, ab Helvetiis everſa, A. C. 1351. Vide *Habſpurgum*.

HABESSUS, Lyciæ civitas poſteà *Antiphellus* dicta. Plin. *l.* 5. *c.* 27.

HABIA, nomen viri Eſdr. *c.* 2. *v.* 61. Lat. *abſconſio*, vel *dilectio Domini*, vel ex Syro & Hebræo, *debitum*, vel *obligatio Domini*.

HABIS, Hiſp. Rex, qui barbarum populum primitus docuiſſe boves aratro domare fertur, teſte *Trogo Pompejo*.

HABITATIO, apud Suet. *Jul. c.* 38. *Annuam etiam* habitationem *Romæ uſque ad bina millia nummûm, in Italia non ultra quingenos ſeſtertios remiſit*: τὸ ἐνοίκιον eſt, penſio ſc. quæ habitationis causâ penditur. Juriſconſulti etiam *obventionem* vocant. Et quidem A. U. C. 706. lex iſta promulgata eſt à M. Cœlio Rufo Prætore, in ſumma rerum omnium perturbatione, Romæ; propter Cæſaris abſentiam: à quo exemplo manavit hæc Julia lex, indigitata quoque Dioni in actis A. C. 707. Eam renovavit Octavius, poſt prælium Philippenſe, teſte eodem, *l.* 48. in actis A. C. 713. Diverſæ autem in ea penſionum ſummæ expreſſæ, quia caro in urbe *habitationes* conſtabant: fuitque Cæſaris & Octavii mens, ut non niſi ad tenuiores hoc beneficium pertineret: pauperes autem adæquè, qui in Italia quingentis ſeſtertiis habitarent, quique in urbe binis millibus. Vide Plutarch. *initio Sullæ* & Cic. *pro M. Cœlio*, qui, etſi fil. familiâs, cùm à patre ſemigraſſet, XXX. millibus habitabat. Sed & ſolutæ à Principe *habitationis* exempla inſecutorum quoque Impp. ævo occurrunt. Namque Romanum Conſtantini fil. δεδωκέναι καὶ τὰ ἐνοίκια τῆς πόλεως, *ſolviſſe habitationem Urbis*; neque id cum aliqua diſtinctione civium, ſed promiſcuè omnium, ἀπὸ τοῦ ὑψηλοτέρου καὶ μέχρι τοῦ ἐσχάτου, *à ſummo ad imum*, auctor eſt Cedren. At advenæ & peregrini in ſacris publiciſque locis tendebant, ſi hoſpitem non haberent, ut infrà dicemus. Mendici item, inter quos vett. Philoſophorum multi, in porticibus templorum aliiſque locis publicis habitabant, uti de Diogene Dio Chryſoſtom. de Stilpone Athen. docent. Quòd ſi nimia eſſet eorum copia, Suet. ubi ſuprà *c.* 39. *inter vicos aut inter vias tabernaculis poſitis manebant.* Certè morari aliquantiſper prætervehentibus aut prætereuntibus, valetudinis, aut alia qua juſta de cauſa, licere debet. Itaque Ilioneus, apud Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 72. cùm Trojani in terra Africa conſiſtere vetarentur, Deos judices advocat; & probata Græcis querela Megarenſium, adversùs Athenienſes, qui eos portubus ſuis arcebant, παρὰ τὰ κοινὰ δίκαια, *contra jus commune*, ut Plutarch. loquitur *in Pericle.* Imò & perpetua *habitatio* his, qui, ſedibus ſuis expulſi, receptum quærunt, deneganda externis non eſt, qua de re vide Hug. Grot. *de Jure Belli & Pacis l.* 2. *c.* 2. §. 15. 16. & 17. Migrabant autem à conductis ædibus Romani Calendis Juliis, ut didiſcimus ex Mart. *l.* 12. *Epigr* 32. cujus epigraphe in Vacerram. Cæterùm antiquiſſimi mortalium in antris habitarunt, inde caſæ & tuguria, tandem domus extructæ, ut ſuprà viſum. Fiebant autem primæ *habitationes* rotundæ, unde *urbs*, ab *orbe* Latinis, πόλις ἀπὸ τοῦ πολεῖν Græcis, & דור *dur*, primò *rotundare*, inde *habitare* Hebræis eſt, uti docet Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poſt. l.* 5. *c.* 8. Vide quoquè hìc in voce *Cohors*, item *Urbs* &c.

HABITUS, corporis tegumentum eſt; hoc autem duplex, aut cum ornatu, ut *ſpinther*, *armilla*, *annulus*, *mitella*, *ſtalagmus*, *ſtrophium*, *capitium*, *zona*, *baltheus*, *pinnulæ*, aut ſimplex, quales *bardocuculli*, *chlamydes*, *pallia*, *pilei* &c. Apud Arnob. *adv. Gentes l.* 6. *Cùm* habitus *vobis Deos, non oris ſoleat proprietas indicare*: vox idem notat, quod *Inſignia* apud Tertull. *de Idol. Nec enim differt an exſtruas, vel exornes, ſi templum, ſi aram, ſi ædiculam ejus inſtruxeris, ſi bracteam expreſſeris, aut inſignia, aut etiam domum fabricaveris.* Sic Prud. *l.* 1. *c.* Symmach. *v.* 205.

Formatum Fortunæ habitum *cùm ſimplice cornu.*

Vide Deſid. Herald. *ad Arnob. loc.* ut & ubi de Deorum *Inſignibus*. Vide J. Scalig. *Poet. l.* 1. *c.* 13. ubi de *Comicis perſonis*. Sed & *Habitus*, geſtum formamque notat in homine. Stat. *l.* 1. *Sylv.* 1. *v.* 4[illegible]

At ſonipes, habitus *animoſque imitatus equeſtres,*
Acriùs attollit vultus ---

Idem Ibid. *v.* 71.

Ac primùm ingentes habitus *lucemque coruſcam*
Expavit majoris Equi &c.

Porro utitur frequenter ac mirè hac voce Val. Max. apud quem [illegible]gas, *Habitus animi, civitatis, corporis, crudelitatis, fortunæ, gloriæ, magiſtratus, maris, mortalis & divinus habitus, mundi, patriæ, patrimoniorum, pulveris roboris cœleſtis, ſtatus, terræ, tranquillitatis, vultus* &c. obſervante C. Barthio *in Gloſſ. ad eum.* Vide eundem, ad *Hiſt. Aug.* multis, *in Adverſ.*

HABOR, fluv. & nomen urbis Aſſyriorum. 2. Reg. *c.* 17. *v.* 6. *c.* 18. *v.* 11. 1. Par. *c.* 5. *v.* 26. Idem ſignificat quod *Haber.*

HABSANIAS, pater Jeremiæ. Jer. *c.* 35. *v.* 3, Lat. *Debitum clypei Domini*, ſive *dilectio*, vel *abſconſio clypei Domini.*

HABSPURGUM, Ergoviæ caſtrum fuit, quæ hodie in Bernenſium ditione eſt; antiquiſſima autem Comitum, à quibus Habſpurgum conditum, ſedes Altenburgum fuit, cujus rudera [illegible] procul Habſpurgo oſtenduntur. Vide ſuprà *Habeſpurgum*. it. Cl. Sarcer. *Chron. l.* 7. *c.* 23. &c.

HABUS, vulgò *Friſch-Haff*, ſinus parvus maris Balt. per Pruſſiam extenſus, inter Regiomontem ad Ort. & oſtia Viſtulæ Elbingamque ad Occ.

HABUS Ptol. poſterioribus *Humbrus*, vide *Abus.*

HACELDAMA, i. e. *ager ſanguinis*, nomen agri pecuniis illis, quibus Chriſtum vendiderat Judas proditor, empti, in ſepulturam peregrinorum. Matth. *c.* 27. *v.* 8. Act. *c.* 1. *v.* 19. Franc. Adrichomius vult eſſe ad latus Auſtrale Montis Sion, longitud. 72. latitud. 50. pedum, & à S. Helena muro circumdatum arcuatumque [illegible] ſeptem ſpiraculis, per quæ Chriſtianorum cadavera ſepeliantur [illegible]dit, *Deſcript. Urbis Hieroſolym. n.* 216.

HACHAMONI, Lat. *ſapiens*, aut *hamus numerationis*, *ſive expectatio muneris*, pater Lesbaam. 1. Par. *c.* 11. *v.* 11. Pater Jachiel [illegible] 1. Par. *c.* 27. *v.* 32.

HACHELAI, Lat. *expectans Dominum*, ſive *hamus Domini*. [illegible] Atherſatha. Neh. *c.* 10. *v.* 1.

HACHILA, collis in ſorte tribus Judæ, ad deſertum Ziph, in quo latuit David. 1. Sam. *c.* 23. *v.* 19. & *c.* 24. *v.* 1. Lat. *ſpes, hamus*, ſive *palatum*, vel *dulcedo in ipſa.*

HACOC, civitas Levitarum in tribu Aſer, Joſ. *c.* 19. *v.* 34. Lat. *ſculptor*, *ſcriba*, ſive *legiſlator.*

HACOTINA, Anton. Armeniæ urbs, circa Euphr. quà Taurum præterlabitur. *Locotena* legit *Simler.*

HACUPHA, nomen viri. Eſdr. *c.* 2. *v.* 51. Lat. *præceptum*, vel *ſculptura oris.*

HACUS, nomen viri. Neh. *c.* 3. *v.* 21. Lat. *ſpina*, *æſtus*, vel [illegible]*dium.*

HADA, vel ADA, Babyloniorum Dea. Heſych. Ἀδά· ἡδονή, [illegible] γῆ καὶ ὑπὸ Βαβυλωνίων ἡ Ἥρα, Ada, *voluptas*, *fons*, & *Babyloniis Juno*. Junonis autem nomine Lunam vel Aërem à Gentibus olim cultum eſſe, notum. Apud eoſdem proin Sol vel potiùs Æther [illegible] *dod* dictus eſt, quem Βασιλέα θεῶν, *Regem Deorum*, Sanchoniathon apud Euſeb. vocat, eumque cum Aſtarte & Jove. Demaroonte [illegible] Phœnice regnaſſe dicit. Apud Aſſyrios cultum, Macrob. habet [illegible] *l.* 1. *c.* 23. *Deo enim quem ſummum maximumque venerantur*, *Adad nomen dedêrunt. Ejus nominis interpretatio ſonat*, *unus* &c. Sed de hoc [illegible] prà, ut & Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 1. *c.* 22. [illegible]

HADAD, fil. Iſmaëlis. Gen. *c.* 25. *v.* 15. 1. Par. *c.* 1. *v.* 30. [illegible] *acutus*, vel *gaudens*, aut Syriace, *novus*, vel *unitas.*

HADADEZER, Syriæ Rex à Davide victus eſt gemino prælio. 2. Reg. *c.* 8. *v.* 9, 12, 13, 28, & 29. Tum contigit id, quod [illegible] 60. *v.* 2. dicitur *Incendit Meſopotamiam Syriæ & Sobal*. i. e. [illegible] præcipuas. Vide Torniel. *A. M.* 2992. Vide *Adadezer.*

HADADUS, Syriæ Phœniciæque throno conſenſu [illegible] coronatus eſt: Davidi, aliquem ſuorum confœderatorum [illegible]gnanti, infeliciter obnixus, ad Euphratem enim, ab illo XX. [illegible] amiſſis, victus eſt. Joſeph. *Antiqq. l.* 7. *c.* 6. Idem cum [illegible]dente.

HADADUS, Rex Syriæ, Samariam obſedit, cum 32. Regibus ſociis, ſed obſidionem ſolvere coactus eſt. Poſtea captus ab Achabo, cum muneribus liber eſt remiſſus, contra Dei mandatum [illegible] proin Achabum hoſti, beneficii prioris immemori, in manus [illegible]didit. Idem *l.* 8. *c.* 9. & 10. vide *Adadus.*

HADADUS, fil. Hezione primo Damaſci Rege geniti Tabremonis, patri ſucceſſit; 2. Par. *c.* 16. *v.* 4. ab obſidione Samariæ miraculosè amotus; cum nempe ſibi videretur audire ingentem adventantium copiarum ſtrepitum, Deo id in Elizæi Prophetæ gratiam ſic dirigente, ut vaticinio hujus de annonæ Pridiana vilitate [illegible] conſtaret, 1 Reg. *c.* 15. *v.* 20. Jer. *c.* 49. *v.* 27. Tantopere à [illegible] lectus eſt, ut à Syris Damaſceniſque Numinis loco haberetur. Suffocatus tandem ab Hazaele ſervo, Obiit. Idem *l.* 9. *c.* 2. Vide *Adad.*

HADADUS II. fil Hazaëlis, patri in regno Syriæ ſucceſſit: [illegible]ctus ab Iſraëlitarum Rege triplici prælio, exutuſque omnibus [illegible]ris, quas Pater Iſraëlitarum Regi eripuerat: juxta vaticinium Prophetæ. Vide Joſeph. *Antiqq.* ut & in voce *Benhadad.*

HADADUS, Princeps Idumæus, regiæ ſtirpis, à Deo contra Salomonem in pœnam excitatus. 1. Reg. *c.* 11. *v.* 14. [illegible] 21, & 25. Torniel. *A. M.* 3058.

HADALI, pater Amaſa. 2. Par. *c.* 28. *v.* 12. Lat. *ceſſatio*, vel *defectus.*

HADAMARIA, ſeu *Hademaria*, vide *Hademarium.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

HADASSA, eadem quæ *Heſther*. Lat. *novitas*, aut *menſis*, vel ex Syro & Hebræo, *unus actus*. Item civitas in tribu Juda. *Joſ.* c. 15. v. 36.

HADDAJANUS David, vide *David*.

HADEMARIUM, opp. Com. in Weteravia, cum tit. Princ. genti Naſſoviæ, prope Lanum fluv. 4. leuc. à Confluentibus in Occ. 7. à Moguntia Bor. Rivo *Eleb* alluitur, vico quam opp. vicinior, cum elect. diligentia Joh. Ludovici Com. Naſſoviæ, in Urbis ſpeciem [illegible], qui ſoldem arcem magnificam extruxit; cum Monaſterio duplici, Jeſuitarum & Franciſcanorum. Templum verò Cathedrale, itum quondam Dynaſtarum, Haſſiæ, Trevirorum & Naſſoviæ, qui *Hademarium* diviſis partibus regebant, conjunctâ operâ & ſumptu erat conditum. Fuit autem prælatus Joh. Ludovicus, fil. [illegible] Joh. ſenioris, nat. A. C. 1590. & diviſione hæreditatis inter fratres factâ, *Hademarium* cum Ellar [illegible] ſortitus: quibus poſtea Megenkirchæ dominium, & alia quædam, acceſſerunt. Ipſe A. C. 1629. Viennæ ad Pontificiam Religionem tranſiit, inde in Conſilium Aulicum Imp. receptus A. C. 1636. aurei Velleris dignitatem obtinuit, A. C. 1647. tandem inter Imperii Principes à Ferdinando III. Imp. aſſumptus, A. C. 1650. Quod ornamentum, ut Naſſoviæ nomen ſupra antiquam dignitatem extulit, ita *Hadamarien* lineam, ſingulari tum prærogativæ luce aſſudit, Cyr. Lentulus. *Principum Europ. Geneal.* Obiit A. C. 1653. ex Urſula Lippienſi, quæ exſtincta eſt, pater Mauritii Henrici, nat. A. C. 1626. (cui uxor obtigit Erneſtina Naſſovia) Hermanni Ottonis (nat. A. C. 1627. † A. C. 1661. Canonici Colonienſis & Argentinenſis) Philippi Ludovici, nat. A. C. 1628. † A. C. 1629. Joh. Erneſti (nat. A. C. 1631. Den. 1651. Canon. Colonienſ. & Argentin.) Anſelmi Ferdinandi (nat. A. C. 1637. ſed brevi Mortui) Franc. Bernardi (nat. A. C. 1637. Canonici Colonienſis &c.) in Joh. Ludovicum (nat. A. C. 1623. † A. C. 1624.) & Simonem Ludovicum (nat. A. C. 1624. † A. C. 1625.) prætereàm: præter filias complures, Johannam inprimis Eliſabetham (quæ nat. A. C. 1619. nupſit Friderico Princ. Anhaltino Deſſavio A. C. 1647.) & Sophiam Magdalenam (nat. A. C. 1621. uxorem Ludovici Henrici Princ. Naſſoviæ, Den. A. C. 1658.) qui omnes, *Principes & Comites Naſſoviæ &c.* *Lineæ Dillenburgicæ* [illegible]. Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Eur. Part. I. p.* 59.

HADERSLEBIA, urbs Duc. Sleſvic. verſus oram litor. maris Baltici & Fioniam Inſ. cum portu ſat capaci. A Suecis ſæpe capta receptaque. Sub Danis. Ei adjacet arx *Hansburga*, à Joh. Holſatiæ Duce exſtructa.

HADID, civitas. Neh. c. 11. v. 34. Lat. *acutus*, ſive *gaudens*, aut Syriacè *novitas*, vel ex Syro & Hebræo, *una manus*.

HADRANUM, vide *Adranum*.

HADRIA, vide *Adria*.

HADRIA, ſeu *Atria*, nunc tenue oppid. dit. Venetæ, in territ. Rhodigino, juxta Tartarum fluv. Ægrè habitata, ob aëris gravitatem.

HADRIANÆ, Ortelio *Elipoli*, urbs Lyciæ Medit. Imò.

HADRIANÆ, item *Aelia Hadriana*, ſeu *Hadrianopoles*, multæ civitates ab Hadriano Imp. dictæ ſunt, *ipſa etiam Carthago & Athenarum pars*, Æl. Spartian. *in Hadr.* Salmaſ. novem hoc nomine Urbes dictas eſſe obſervat, quarum notiſſimæ duæ *Hadrianopoles*, quibus præter hoc aliud nomen non fuit: reliquæ enim ſub prioribus nominibus remanſerunt, quamvis eorum cives pro *Hadrianopolitis* ſe jactitârint & ita voluerint appellari. Harum una in Cyrenaica, quæ *Hadrianopolis* in vetuſta Peutingerorum *tabula* appellatur, hoc modo: *Bernicide XXVIII. Hadrianopolis XXIV. Tauchira. Ptolemaide.* In *Itin.* Anton. *Adriane* vocatur: *Berenice. M. P. XXVIII. Adriane. M. P. XXIX. Theuchira. XVIII. Ptolemais. XXVI.* Altera in Thracia, viginti quatuor mill. paſſ. diſtans à Plotinopoli, de qua vide vet. *Itin.* & *tabul.* Peutingerorum præfatam: plura autem hanc in rem in voce *Hadrianopolis*.

HADRIANEA, ludi genus, in Hadriani Imp. honorem inſtitutum, de quo vide ſuprà *Eutyride*, & hîc infrà.

HADRIANALIA, ludi in honorem Hadriani Aug. celebrati, quorum memoria ſervatur in *Nummo* ejus, in quo Apis conſpicitur, cum ſigno corniculantis Lunæ, ac literæ iſtæ: *L. ENNA*, & infrà E. A. & A. apud Triſtan. *l.* 1. Alio item, in quo eædem Inſcr. cum Æſculapii imagine, apud Erizzum *p.* 223. Tam Apis, quàm Æſculapius, Memphi cultus eſt. Legendum itaque [illegible] A. & Δ. *Luſtro IX.* [illegible] *XXXII.* [illegible] enim tam per [illegible] quàm per A. in ſaxis & nummis exprimi ſolet. Fuerunt *Hadrianalia* tam annua, quàm quinquennalia. Octo luſtra conficiunt annos XXXII. Annus verò XXXIV. eſt ſecundus noni luſtri. Ob cujus anni ludos, poſt [illegible] Hadriani Memphi celebratam numerati, percuſſa hujuſmodi numiſmata, docet Marsham. *Canone Chron. Sec. IV.*

HADRIANI Moles, arx permunita Romæ, juxta Tiberim, Pontemque Ælium, nunc *S. Angelo*. Aliàs *Arx Creſcentii*, qui illam tenuit.

S. HADRIANI Mons Hiſp. à Pyrenæis, Compoſtellam uſque extenſus, *Cluv.*

HADRIANI Murus, ab Hadr. Imp. per 80. mill. paſſ. inter Angliam & Scotiam ductus eſt; ubi poſtea Carauſius, tempore Diocletiani, novum reædificavit, 7. caſtellis munitum, inter Cludi & Carumi fluv. oſtia. Ejus reliquiæ in agro Sterlingenſi, Joh. Speedus. *Vallum Anton.* *The wall of the Picts*, Pictorum vallum.

HADRIANISTÆ, Hæretici, qui Simonis Magi deliria ſectabantur, vel Diſcipulorum ejus, Baron. A. C. 34. Item diſcipuli Hadriani Hamſtedii, Anabaptiſtæ, Prateolus, Lindanus, Spond. A. C. 1580. *n.* 14.

HADRIANOPOLIS, urbs Bithyniæ, ubi victus à Conſtantino Licinius, A. C. 320. juxta vaticinium Apollinis Didymæi:

Te juvenes, grandæve pater, vexare Proceres:
Certum eſt, te infirmum manet ærumnoſa ſenectus.

Item urbs Thraciæ, condita ab Hadr. Imp. occupata ab Amurathe Turcarum Imp. A. C. 1360. recepta a Solimanno, cui frater Muſa illam prius eripuerat, A. C. 1410. Leunclav. *in Hiſt. Turc.* Turcis *Endren*. 130. mill. paſſ. à Conſtantinop. in Occ. Fuere & aliæ hujus nominis urbes: una in Achaia, Epiſcopal. ſub Archiep. Naupactenſi; alia in Piſidia, Epiſcopal. ſub Archiep. Antiocheno, &c. Vide *Adrianopolis*.

Imp. Rom.

HADRIANUS, cogn. Ælius, à Trajano adoptatus huic in imperio ſucceſſit. Inſignibus animi dotibus inſtructus, in populi incubuit commoda, peragrato hunc in finem toto imperio. Galliam enim ingreſſus, dein in Britanniam trajecit, ubi ad incurſiones Barbarorum ſubmovendas murum duxit 80. mill. paſſ. Regreſſus in Galliam, ut in Hiſpaniam tranſiret, auditâ in Aquitania Plotinæ, Trajani viduæ, morte, ei Nemauſi templum ſtruxit. Hinc in Hiſpaniam profectus, poſtmodum Orientem adiit, Parthis ibi coërcitis. Altero itinere eodem delatus, Athenas pervenit, Cererique Eleuſinæ Sacerdotibus adcenſeri voluit: quo tempore Quadratus Ep. Athenienſis, & Ariſtides Philoſophus Chriſtianus, durante ſemper perſecutione Chriſtianorum auctoritate ſuſtulit Sereni, unius ex Legatis Imp. apologiam ei pro Fide ſua obtulêrunt eo ſucceſſu, ut Imp. mitigationem aliquam pollicitus ſit. Dein Judæos rebelles ſemel atque iterum vicit, & loco Hieroſolymæ deſtructæ Æliam condidit, templo Jovis in monte Calvariæ, & fano Adonidis Bethlehemi excitatis, porcorum quoque imaginibus in portis Æliæ ſeu Hieroſolymæ collocatis: Cetera Mathematicarum artium, Aſtrologiæ, Arithmeticæ, Geometriæ, Poëtices, Philoſophiæ & Medicinæ peritiſſimus. In arte Sculptoria ſupra alios: memoriâ tam invictâ, ut etiam locorum minoris notæ, fluviorum, militumque ſingulorum nomina ſciret. Sed magicis artibus nimium deditus, ſævus in proceres, etiam leviter ſuſpectos fuit. Senio tandem ſanguiniſque fluxu debilitatus, cùm omnia, etiam illicita, nullo ſucceſſu tentaſſet, Bajas ſe contulit, ubi deſperabundus animam efflavit, A. C. 140. vel 138. ſecundùm alios, Imperii 20. Ann. 10. menſ. 29. d. Xiphilin. Spartian. Baron. *ab* A. C. 119. *uſque ad* A. C. 140. *&c.* Poëmata ejus Latina Græcaque, ut & Mathematica quædam ſcripta enarrat Voſſ. Vide quoque *Adrianus*. Addo hîc ſaltem, quòd is primus Impp. barbam nutrivit, Joh. Xiphilin. in *Traj.* cætera formâ comptus, flexo ad pectinem capillo, teſte Æl. Spartiano *in eo*: qui de ipſo quoque, *damnatorum bona in fiſcum privatum redigi vetuiſſe, omni ſumma in ærario publico receptâ*, refert. Idem Imp. ne ſpadones porrò fierent, pœna legis Corneliæ de Sicariis rogatâ, reſcripto cavit, *l. 4. ff. ad leg. Corn. de Sic.* ſervo inter duos Senatores ambulanti colaphum juſſit impingi, apud præfat. Spartian. ob ſeveritatem verò in Judæos exercitam, *Nebucadnezaris*, nomine ab iis fuiſſe inſignitum, dicemus infrà, in voce *Nebucadnezar*.

Pontifices Romani.

HADRIANUS I. centeſimus decimus ſeptimus Pontif. poſt Stephan. IV. Romanus fuit, fil. Theodori. A Deſiderio, Longobardorum Rege, infeſtatus, imploravit opem Caroli Mag. qui eum Ticini obſeſſum cum tota familia cepit, confirmavitque donationem Pipini patris ſedi Rom. factam. Sub eo, cum Irene Imperatrix Concilium Nicenum 2. A. C. 778. Conſtantinopoli convocaſſet ibique imaginum cultum ſtabiliviſſet: miſit acta hujus Concilii ad Carolum, ut ea ab Epp. Germaniæ Galliæque approbanda curaret. Sed Imp. Francofurti Concilio indicto, Græcorum Synodum deſtruxit, ac reſcidit, ſtatuitque Pſeudo Synodum illam vocandam: refutatione quoque ejus erudito alicui injunctâ, A. C. 794. Cæterum in templis exornandis multus, lychnuchum in forma crucis, in quo 1370 cerei lucere facilè poſſunt, altari S. Petri appendit. Obiit A. C. 795. Succeſſit Leo III. Vide Anaſtaſ. Biblioth. Platinam, Baron *ab* A. C. 772. *uſque ad* A. C. 795. &c. Addo, quòd eidem Carolo miſit Collectionem Canonum & Epiſtolarum Decretalium, ad uſum Eccl. Occid. quam olim Dionyſius Exiguus concinnaverat; quamque etiam tum in Germaniam, ſi non antea tranſiiſſe probabile eſt, ubi obtinuit uſque ad tempora Ricolfi Ep. Moguntini, qui Iſid. Mercatoris Collectionem ejus loco introduxit. Sed & ipſe *Hadrianus*, *Collectionem Canonum* aliorum, ex Græcis Latiniſque Rom. concinnavit, in gratiam Ingelramni Ep. Metenſis, A. C. 785. quæ complectitur Canones LXXII. quos Collectioni poſtea ſuæ inſeruit Iſid. Mercator. *Conciliorum volumen* eam vocat Lud. Jacob à S. Carolo Cabillon. Burgundus Ordin. Carmelit. *Biblioth. Pontif. lib.* 1. *in Vita Hadr.* &c. Vide Gerh. von Maſtricht. *Hiſt. Juris Eccl. n.* 191.

HADRIANUS II. Rom. Nicolao I. ſucceſſit, ſine conſenſu Imp. ægrè id Legatis ferentibus. Lothario, ob divortium cum conjuge: ex amore Valtradæ concubinæ, fatalem Euchariſtiam porrexit, A. C. 868. Obiit A. C. 872. ſedis Anno 5. Vide Sigon. *l.* 5. Baron. &c. Hic Alfridum Angliæ Reg. coronatum paulo ante mortem filium adoptivum vocavit, à quo Anno uſque ad A. C. 1538. quo Henricus VIII. jugum Papale excuſſit, numerantur A. C. *666.* numerus in Apocalypſi notus. Eodem regnante, Gaganus legatus, è Lotharingia redux, neminem ſe inveniſſe in regno illo Ep. renunciavit, qui Canonicis eſſet diſciplinis imbutus. Ei ſucceſſit, Joh. IX.

HADRIANUS III. Marini ſucceſſor, A. C. 884. legem tulit, ut Pontificis deſignati conſecratio ſine præſentia Regis aut Legatorum procederet: Utque Craſſo ſine filiis moriente, regnum Italicis Principibus, unà cum titulo Imperii traderetur. Photium, rogatus licèt à Baſilio Imp. in communionem recipere noluit; Obiit A. C. 885. ſedis menſe 16. Platina &c. Ei ſucceſſit Steph. V.

HADRIANUS IV. excepit Anaſtaſ. IV. natione Anglus. Hic ab Eugenio III. in Norvegiam miſſus fuerat, ut incolis Chriſtum annuntiaret: ſede poſtea conſcenſâ Romanos primò, qui concionibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Arnoldi Clerici moti, Papas, Sacrorum curâ illis relictâ, in ordinem redigere, conabantur: dein Gulielmum Siciliæ Regem excommunicavit, non niſi duris huic conditionibus placatus: Cum Friderico dein Barbaroſſa non ſolùm ob ſtrepam, ſed & nomen ipſius ſuo in literis prælatum, contendit: concitatis contra Imp. Siculis & Mediolanenſibus primò, dein ſubornato homine robuſto, qui illum in Abduam præcipitaret, &c. Tandem cùm Senatores Rom. videret ad priſcum decus aſpirare, Ananiam ſeceſſit, ibique muſcâ ſuffocatus, Obiit A. C. 1159. Sedis 4. menſ. 10. Ei ſurrogatus eſt Alexander II. Vide. Auctores ſupra laudatos.

HADRIANUS V. è Fliſcornm familia, nepos Innoc. IV. ſucceſſit Innoc. V. quadrageſimo die ab electione, Mortuus, A. C. 1276. Amicis ſe viſitantibus dixiſſe moriturus fertur: *Mallem me vidiſſetis ſanum Cardinalem, quam Papam moribundum.* Vide Mart. Polon. Onuphr. Spond. ei Succeſſit Joh. XXI.

HADRIANUS VI. Ultrajectinus, fil. Cereviſarii, vel, ut alii volunt, aulæorum contextoris, Caroli V. Imp. præceptor, ſucceſſit Leoni X. A. C. 1522. Rhodo à Turcis oppugnatæ auxilia ſummittere neglexit, ad avertendam peſtem Mago Demetrio Græco conceſſit Romæ, ſylveſtrem taurum Diis Gentilium mactare: Reformationem Eccleſiæ neceſſariam eſſe agnovit; nihil tamen egit, ob præmaturam mortem, quâ abreptus eſt, A. C. 1523. Cæterum eruditus, ſcripſit in libb. 4. Sentent. Item Epiſtolas aliquot. Ejus epitaphium: *Hic ſitus eſt Hadrianus VI. cui nihil unquam gravius, quam imperare, contigit.* Vide Jov. *tom.* 2. *l.* 21. Manlium *in locis Comm.* Baleum *in vitis Pontif. l.* 7. Onuphr. *Spond.* &c.

HADRIANUS, Sophiſta, ſub Marco Antonino & Commodo. Suid. Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 3. *c.* 17. Item Græcus auctor, cujus Iſagoge ſacr. lit. & antiquiſſimorum Græcorum in Prophetas fragmenta, ex Manuſcr. codice podiêrunt Græcè, operâ Davidis Hœſchelii, Auguſtæ Vindel. A. C. 1602.

Viri Clari.

HADRIANUS Butius, Monachus Flander, Hiſtoriographus.

HADRIANUS Joh. Babtiſta, Florentinus, fil. Marcelli Virgilii, inde *Marcellinus* cognominatus, ſcripſit Res Italiæ ab A. C. 1536. & continuavit Guicciardini Hiſtoriam, candore ac eruditione inclytus, Obiit A. C. 1579. Æt. 68. Thuan. *Hiſt.* ubi plurimum ſe illi debere, publicè profitetur. Anton. Teiſſier, meminit quoque trium Orationum funebrium Hadriani, in Obitum Caroli V. Coſmi I. & Johannæ Auſtriacæ Franciſco Mediceo nuptæ, ex Poggiano *de Scriptoribus Florentinis.*

HADRIANUS Junius, vide *Junius.*

HADRIANUS Mutius & Romanus, Mathematici celebres,

HADRIANUS Turnebus. Andeliaco ad Sequanam oriundus, ſtirpe nobili decus ac gloria fuit ſeculi ſui. Primò Toloſæ, exin Regius in Literatura Græca, & Latina; dein in Philoſophia, Profeſſor, Pariſiis, unde quoque Auditores nominis ſui famà excivit, *verus Antiquitatis theſaurus* ac *doctorum velut princeps*, meritò Barthio dictus, *Adverſ. l.* 43. *c.* 5. *l.* 39. *c.* 3. & Joſ. Scalig. maximi æſtimatus, qui plus eruditionis in uno Criticorum ejus libro, quàm in triginta Victorii aliorumque Italorum comprehendi, ait *Scaligeran.* Studiorum certè tantus in illo ardor fuit: ut, ſicut de Budæo legimus, nuptiarum quidem die ab illis abſtinuerit. Notatque Abbas Marollius, uno tempore tres totius orbis eruditiſſimos viros eodem in Collegio, dicto *le Card. le Moyne* literas humaniores docuiſse, Turneb. in prima, Buchanan. in ſecunda & Muretum in tertia claſse, *Epit. Hiſt. Franc. p.* 324. Staturâ exiguus, ſed ingenti oris commendatione, omnium animos facilè ſibi conciliavit; moribus irreprehenſus, ac humilis: unde verſus de illo H. Stephani:

Hic placuit cunctis, quòd ſibi non placuit.

Cæterùm carmen in laudem Poltroti, à quo Guiſiæ Dux interfectus, compoſuiſſe dicitur Labouretio *dans ſes Remarq.* quòd ſi ejus Turnebus auctor eſt, Proteſtantium religionem non averſatum eſſe oportet, quod & ex Ep. Operibus ejus Argentinæ editis A. C. 1600. ſubnexa colligitur. Obiit A. C. 1565. laudatus plurimorum elogiis. Scripta ejus, inter quæ *Adverſaria* illius Thuano maximi habentur, enarrat Teiſſier *Elog. p.* 1. Vide quoque Montagne *Eſſais liv.* 1. *ch.* 24. Naudæum *de Stud. liter.* Lipſ. *Miſcell. Epiſtolis, Cent.* V. *Ep.* 17. à Quena *Orat. in initio Profeſſ. habitâ* &c. Pater fuit itidem *Hadriani*, carminum Latinorum Gallicorumque Auctoris. Teiſſier *d. l.* ut & infrà *Turnebus Hadrianus.*

HADRIANUS de Veteri Ligno, Monachus Flander, auctor Chronologici operis. Voſs. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 6.

HADRIATICA Stagna prope Venetias, nunc *le lagune di Venetia*, ſunt in intimo receſſu maris Hadr. inter aliquot Inſ. & continentem. A Sept. in Mer. extenſâ. *Gallicæ paludes* antiq.

HADRIATICUM Mare, quod & *Atriaticum*, & *Superum* Plin. *l.* 3. *c.* 8. *Hadrianum* Lucano, *Adriaticum* Strab. Tac. & Melæ *Hadriaticus ſinus* Plin. *Hadria* quoque poëtis, & *Adria*, mare quod Picenum, Galliam Togatam ſive Æmiliam, Venetiam, Carnos, Iſtriam, & Illyricum alluit, Ionio Tyrrhenoque conterminum, *Golfo & Mare di Venetia*, quod à ſolis Venetis navigari ſolet, ipſi enim maris illius tenent imperium, Ferr. Baudr. *Hadriaticum* mare, ſeu ſinus Venetus, *le Golfe de Veniſe* Gallis, *Golfo di Venetia* Italis, pars eſt maris Mediterranei, inter Italiam & Illyricum. Ab omnibus navigari ſolet. Sed in illo Veneti non ſinunt ulla navigia bellica præter ſua. Dicitur etiam à Rom. *mare Adriatico.* Ejus partes ſunt ſinus Illyricus, *Golfe du Drin*, ſinus Rhizonicus, *Golfe de Cattaro*, ſinus Carnarius ſeu Flanaticus, *Golfe de Carnario*, ſinus Tergeſtinus, *Golfe de Trieſte*, ſinus Naronenſis, *Golfe de Norenza*, ſinus S. Crucis, *Golfe de Sainte Croix*, & ſinus Sipontinus, *Golfe de Siponto*; eſtque plurimis inſulis refertum versùs oram litoralem Illyrici. Illud circumſtant Albania, Dalmatia, Morlachia ſeu Croatia auſtralis, pars Carniolæ, uti Iſtria, provincia Foro Julii, Marchia Tarviſina, Ducatus Venetus, peninſ. Rhodigina, ditionis Venetæ, Ducatus Ferrarienſis, Romandiola, Ducatus Urbinas, & Marchia Anconitana, ditionis Pontificiæ; Aprutium, Capitanata, ager Barianus, & ager Hydruntinus; provinciæ regni Neapolitani, atque inter Au[illegible]lonem Albaniæ ad Ort. & Hydruntum ad Occaſ. mari mediterraneo miſcetur; ibique dicitur *Bocca del Golfo di Venetia*, ſeu os ſinus Veneti, ubi ejus latitudo eſt tantum 60. milliarium; ſed extenditur à Circio in Eurum ferè ad 700. milliaria.

HADRIEL, i. e. *grex Dei*, aut *ablatio*, vel *privatio Dei.* Gener Saulis, maritus Merob. 1. Sam. *c.* 18. *v.* 18.

HADROBOLUM, Græcè ἁδρόβωλον, apud Plin. *l.* 12. *c.* 29. Gum[illegible] *mi alii Brochon appellant, alii malachram, alii maldacon.* [illegible] *& in offas convolutum*, hadrobolon: inter nomina eſt à Mercatoribus Græcis bdellio impoſita, quòd in offas convolveretur, [illegible] *re glebâ.* Monet enim Menard. *Anime orientale*, ut illud vocat, [illegible] magnis glebis & adeò translucentibus afferri, ut plerique ſpeciem [illegible] ſe *Charabe*, ſeu ſuccini liquidioris ſint ſuſpicati *Brochon* vero ex Græco βρεχὸν, dicebatur, quod humectius & liquidius; *Malacha* ſeu *Malthachon*, quod molle eſſet, inſtar ceræ malaxatæ. Salmaſ. *ad Solin.* *p.* 1151. Vide quoque ſuprà ubi de *Bdellio*: & de *Hadroſphæro* [illegible] ubi de *Betre*, & *Malabathro.*

HADSI, Lat. *novitas*, aut *menſis*, aut ex Syrio & Hebræo, [illegible] *munus*, aut *novum munus.* Nomen loci. 2. Sam. *c.* 24. *v.* 6.

HÆBUDES, inſ. Vide *Ebudes.*

HÆC Dies, quam fecit Dominus &c. Verſus qui in Eccl. Rom. recitatur in Officio Paſchali, Auctor *de Ordin. Antiphon.* [illegible] *ſus, qui ſolet animum noſtrum revocare ad aliquam introductionem* [illegible] *tionem, auſertur in Paſchalibus diebus, & cantatur pro eo ad* [illegible] *ſus diurnales: Hæc dies, quam fecit Dominus*, apud Macros Fratres *Hierol.* in voce *Verſus.*

HÆDI, vide infrà *Hœdi.*

HÆGALOS, mons Atticæ ſylvoſus, prope Athenas & Parnetem mont. Pauſ. *Stat.*

HÆGERA, Germ. *Hâger*, locus Germaniæ, in Naſſoviæ Principum ditione, fertili & irriguo ſolo, à Dilleburgo horæ ſpatio verſùs Occid. æſtivum diſſitus, Patria Joh. Textoris, qui *Genealogiam* [illegible] *Naſſoviæ Comitum* texuit. Vide Cyr. Lentul. ubi ſuprà, *Appendic.* [illegible] *oppid. agriſque Naſſoviæ.*

HÆMACHATES, ſpecies achatis gemmæ; apud Plin. [illegible] 10. ſic dictus, quod *ſanguineo* colore rubeſcat; ſeu quòd totus [illegible] guinei coloris: cùm cæteri rubentibus & albis maculis diſtincti ſint. De quo vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 134.

HÆMATITES, itidem gemma, apud eundem *ibid. in Æthiopia* *quidem principalis, ſed & in Arabia & Africa invenitur, ſanguinea* [illegible] *re, non omittenda promiſſis, ad coarguendas Barbarorum inſidias.* [illegible] *chalias Babylonius --- humana gemmis attribuens facta, hac non con*[illegible] *oculorum & jecinorum medicinâ decoraſſe, à Rege etiam aliquid petituris dedit & litibus judiciiſque interpoſuit* Et *l. præc. c.* 2. [illegible] *ſchiſto*, hæmatiten *diſcernunt venæ rubentes, & friabilis* [illegible] *râ.* Ad quæ loca vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 408. & *ſeqq.* qui [illegible] de *Hæmatite*, ex magnetum genere qui ferrum rapit, & *Androdamas* quoque dictus eſt, *p.* 1103. de acoliis item & collyriis ex *Hæmatite* fieri ſolitis, *p.* 1332. *ibid.* agit. Plin. *l.* 36. *c.* 16.

HÆMIMONTUM. regio Thraciæ juxta Hæmum; Cujus urb. Græc. Hadrianopolis & Anchialus: ab Hæmo monte nomen habet, qui aliàs *Æmus* quoque. Sed & *Hæmimontanas celſitudines* [illegible] nominat Amm. Marcel. Vide Salmaſ. *Vopiſc. in Aurel.*

HÆMOCHARES, cognomen, ſeu potius epitheton Martis, quaſi *ſanguine gaudens*, uti notat Serv. *in illud Æn. l.* 12. *v.* 332.

Sanguineus Mavors *clypeo increpat.*

HÆMODES, Lyciæ mons. *Mela.*

HÆMON, juvenis Thebanus, qui Antigonem, Oedipi & Iocaſtæ filiam tanto amore proſecutus eſt, ut cùm eam Creontis juſſu [illegible] ciſam intelligeret, propter ſepulturæ honorem, quem fratri [illegible] pertiverat, doloris impatientiâ, ad tumulum ejus ſeſe jugularit. Propert. *l.* 2. Eleg. 8. *v.* 21.

--- *Antigones tumulo Bœotius* Hæmon.
Corruit ipſe ſuo ſaucius enſe latus.

Ovid. *Triſt. l.* 2. *v.* 401.

Quid Danaën, Danaïque nurus, matremque Idæi,
Hæmonaque *& noctes quæ coiere duas?*

Item *Hæmon*, Bœotiæ rivus in Cephiſum defluens, quem [illegible] *Thermodonta* vocatum putat Plutarch. *in Demoſthene.*

HÆMONIA, vide *Æmonia.*

HÆMORRHOUS, viperæ ſpecies, *colore arenoſo --- per corpus* [illegible] *rò notis nigris & albis variegata*, uti ait Aëtius, quæ morſu [illegible] nem elicit, ita *ut quidquid animæ eſt, per cruorem evocetur*, [illegible] 27. hinc nomen adepta Ceraſtæ in multis ſimilis eſt, unde [illegible] 49. *v.* 17. ubi Fata filiorum diſpenſans Jacobus de Dane ait, [illegible] *erit ſerpens ſuper viam*, שפיפן *ſephiphon*, *ſuper ſemitam, qui mordet calces equi, & cadit ſeſſor ejus retrorſum*: vocem *ſephiphon* [illegible] communem eſſe vult Bochart. Certè, ut alia omittam, hæmorrhoos & ceraſtas ſolos, ex omni ſerpentum genere, ob greſſum obliquum χωλεύειν & ἰσχιάζειν, i. e. *claudicare*, ait Nicander. Hebræis autem *ſaphah*, claudicare, & *ſephiphon*, ſerpens claudus eſt. Vide [illegible] *Hieroz. Parte Poſt. l. III. c.* 12. & hic ubi de *Ceraſtis*, item [illegible] ce *Sephiphon.* De *Hæmorrhoiſſæ* verò, mulieris *ſanguinis profluvio* laborantis, & à Chriſto ſanatæ, Matth. *c.* 9. *v.* 20. ſtatua [illegible] ne, quam Paneade, urbe Palæſtinæ, in Chriſti honorem [illegible] legitur, apud Scriptores varios, Philoſtorgium inprimis. Vide [illegible] thofred. *Diſſert. in Philoſtorgii l.* 7. *c.* 3. & Cl. Suicer. *Theſ.* [illegible] Αἱμοῤῥοοῦσα.

HÆMUS, mons Theſſaliam & Thraciam dividens, dictus ab *Hæmo*, Boreæ & Orithyiæ fil. Hujus vertice erat Martis domus [illegible] Claud. in Conſ. Prob. & Olybr. *Carm.* 1. *v.* 120.

Proculat horrendum Getico Gradivus in Hæmo.

Illa Statii proculdubio reſpexit: Theb. *l.* IX. *v.* 532.

—— *Getico qualis procumbit in* Hæmo
Cælo mixta comas ——

Idem *l.* 6.

—— *Adverſo riſit Gradivus in* Hæmo.

Idem *l.* 7. *v.* 42.

—— *Adverſo domus immanſueta ſub* Hæmo.

Idem ibid. *v.* 644. Martis hoſpitium deſcribens, Claud. *l.* 1. *in Ruf. Carm.* 3. *v.* 134.

Mavers, nubifero ſeu tu procumbis in Æmo.

Callimach. *Hymn. in Delo*,

Ἤ μὲν ὑψηλῆς κορυφῆς ἐπὶ Θρηΐκος Αἵμου
Θοῦρος Ἄρης ἐφύλασσε σὺν ἔντεσι.

Alii tamen apud Claud.

—— *Getico Gradivus* in agro.

Pro qua lectione facit illud Virg. Æn. *l.* 3. *v.* 35.

Gradivusque Pater Geticis qui præſidet arvis.

Poëtis ob frigiditatem celebris eſt Idem *Georg. l.* 2. *v.* 488.

—— *O quis me gelidis in vallibus* Hæmi
Siſtet, ac ingenti ramorum protegat umbra!

Horat. *Carm. l.* 1. *Od.* 12. *v.* 6.

Aut ſuper Pindo gelidove in Æmo.

Nic. Lloydius. P. Mela *l.* 2. *c.* XI.

HÆMUS, victima apud Rom. dicta eſt, Jovi Fulminatori ſacrificata, Lutat. quæ qualis fuerit, deprehendimus apud Stat. *Theb. l.* 11. *v.* 223.

Vidimus urgentem nubes, lateque benignum
Fulmen, & auditos proavis agnovimus ignes:
Accipe nunc pecudes, & magni thuris acervos,
Votivumque marem ——

Ubi vet. Schol. *Integrum Taurum*, inquit, *non exſectum. Qui ſacrificabatur Jovi Fulminatori, propter exhortam vim magnam fulminis.* Cur autem *Hæmum* talem victimam nuncupatam fuiſſe, notet *ad eund. l.* Lutat. in *Superſtitionum Comm.* exponit Gaſp. Barth. ſic tamen ut ſibi ipſi non ſatisfaciat.

HÆRERE lateri, dicebantur olim propriè Monitores atque Cuſtodes, viri inſignes, quos vett. Heroës filiis, in bellum primùm miſſis, adjungebant, ut comites eorum eſſent perpetui. Qualem Scipioni Majori Ennium poëtam adſcribit Claud. *præfat. l.* 3. *Conſ. Stilich. Carm.* 23. *v.* XI.

Hærebat *doctus* lateri, *caſtriſque ſolebat*
Omnibus in medias Ennius ire tubas.

Phœnicem Neoptolemo Stat. *l.* 5. *Sylv.* 2. *v.* 155. Dorceum Parthenopæo idem *Theb. l.* 9. *v.* 808.

Hærebat *juveni devinctus amore pudico*
Mænalius Dorceus, cui bella, ſuumque timorem
Mater, & audaces pueri mandaverat annos &c.

Vide ſuprà in vocibus *Cantor*, *Comes*, *Cuſtos*, alibiq́ue paſſim. In quorum locum ſequiore ævo ſucceſsêre morum corruptelæ. Hier. ad Furiam, *Nec procurator calamiſtratus nec formoſus collactaneus, nec candidulus ac rubicundus aſſecla adhæreat lateribus.* Vide quoque verſum Mart. *l.* 9. Epigr. 103. cujus Epigraphe in Baſſum *v.* 3.

Deinde hærere *tuo* lateri, *præcedere ſellam.*

Eſt autem *hærere alicui*, indefeſſum adeſſe: ut de gubernaculo ſuo Palinurus, Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 350. & C. Barth. *ad Stat. d. l.*

Cui datus hærebam *cuſtos* ——

Idem *l.* 9. *v.* 648.

—— *Fidusque* ad *ſumma* cuſtos.

HÆRES, Dea, cui vett. poſt acceptam hæreditatem rem divinam faciebant. *Feſtus.*

HÆRES, an ex *hærendo* in hæreditate, an ex Hebr. ירש *poſſidere*, an ab *ære*, an ab *hero*, quod herus fiat, dominio in ſe translato? dictus, ante Solonem, extra gentem & familiam Athenis non ſcribebatur, ex lege: Ἐν τῷ γένει τοῦ τεθνηκότος δεῖν ἐν χρήμασι καὶ τ οἶκον διατίθεσθαι, *Extra gentem familiamque hæredem ne ſcribito*, Plutarch. in Solone: cujus ratio, quia bona teſtantis non ſunt, ſed gentis & familiæ. Plato *l.* 11. *de LL.* Neque etiam omnibus fas fuit indiſcriminatim, è Solonis lege, ſua teſtamento dare legare: Feminis namque & pueris dare hoc pacto non licebat, quod excederet pretium medimni hordei. Cæteris, qui poterant teſtamentum facere, conceſſit Solon neceſſitudini generis amicitiam præferre, & quem vellent *Hæredem* ſcribere, nullis ſuperſtitibus liberis maſculis: quod tamen de aboriginibus & indigenis civibus ſolum intelligendum; adſcitis enim, & plebiſcito donatis, qui orti eſſent, eadem libertas negata fuit, bonis eorum in Ærarium relatis. Qui autem *Hæredes* ſcribebantur, etiam adſumebantur in filios, ut liquet ex Iſæi *Orat.* unde, cùm peregrini filiorum loco eſſe non poſſent, nec *Hæredes* ſcribi poterant, niſi adoptione in familiam eſſent aſciti. In conſcribendis autem Teſtamenti tabulis Magiſtratus advocabatur, qui præſentiâ ſua illas vel confirmaret, vel ſtabiliret, vel ſolveret vel infringeret: Nominatim *Aſtynomus* aderat. Interdum etiam nullæ ſcribebantur tabulæ, quemadmodum Romæ Comitiis calatis, ſed teſtator voluntatem ſuam pro concione declarabat & voce nuncupabat, quod fiebat itidem ἐν ταῖς κυρίαις ἐκκλησίαις. Quòd ſi Pater teſtamentum ſcripſiſſet, & liberis maſculis hæredes ſubſtituiſſet; ratum id erat, ſi ante annum 20. Æt. liberi deceſſiſſent: ab Anno autem viceſimo fil. ſui erat juris, neque ampliùs quidquam juris in ejus bona habebat alter, & proin ſubſtitutioni locus amplius non fuit. Superſtite nihilominus feminâ prole, licebat teſtamento ſua dare legare alteri, ſub conditione, ut ſuperſtitem filiam in matrimonium duceret. Adoptatis verò non licebat hæredem ſcribere: aut enim filios habebant ſuperſtites, aut ab inteſtatò hæreditatem ejus adibant Patris adoptantis propinqui. Itaque nec Pater τῇ φύσει cernere poterat hæreditatem filii, in alienam familiam adoptati. Filii porrò inter ſe hæreditatem paternam ex æquo dividebant, ſecus ac apud Hebræos, ubi primogenito dupla portio obtigit. Nothi verò hæreditatem paternam, vel unicâ filiâ legitimâ extante, herciſcere non poterant; imò ne quidem, Patre abſque legitima prole defuncto, in ejus bona ullo modo aut jure veniebant, cognitis ἀγχιστείας jure ad hæreditatem vocatis. Accipiebant ſaltem τῶν νοθείων nomine ad quinque minas; vel, ut Solon poſtea mutavit, ad decem. Qui autem hæreditatem ſibi vindicabat, faciebat id coram Prætore, toto vertente anno, excepto menſe Scirrhophorione: quia affecto jam anno referendis potiùs rationibus, quàm jure dicundo, vocabatur. Petenda autem erat intra 5. annos, à morte illius, qui hæreditatem adierat &c. Vide Sam. Petit. *Comm. in leges Att. l.* 6. *t.* 6. De more verò *hæreditatem adeundi*, apud Rom. recepto, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *part.* 3. *Legg. XII. Tabb. ubi de Jure privato*, ut & infrà in voce *Teſtamentum*: uti de *Hæreditatis* celebri pignore *Annuli traditione*, infrà it. in voce *Moribundi*: aliquid etiam in *Abelonii Viſceratio*, it. *Ultio.* Recentiori ævo *Hæredes*, nudè, interdum feudi paterni appellatione, dicebantur apud Francos, Nobilium filii ac *hæredes*, qui parentum hæreditatem quoad feuda adire non poterant, donec 21. Annorum attigiſſent ætatem; cum interim eorum Tutores ac Cuſtodes prædiis pupillorum feudalibus fruerentur & eo nomine militaribus obſequiis ac ſervitiis obnoxii hominia dominis præſtarent. Quod potiſſimùm introductum eſt, in favorem dominorum Feudalium, quorum intererat vaſſalles habere, qui feudalia omnia ſervitia poſſent adimplere. Idque jus eſt tutelæ Nobilis, quæ in Gallia adhuc obſervatur & in Anglia ac Normannia Regi defertur, cenſeturq́ue inter jura Regalia. Pupilli verò, minores ætate, quibus nullum ferè jus erat in bonis paternis, quorumq́ue uſusfructus erat penes tutores, qui eos alere & educare pro conditione ac dignitate tenebantur, eorundem bonorum tantùm *Hæredes* nuncupabantur, tanquam ſolum iis aliquando fruendi jus competeret, eorumq́ue adipiſcendorum, hæreditatis adeundæ inſtar, ſpe alerentur: quò etiam ſibi iis in bonis, quorum *Dominos* ſeſe inſcribebant Tutores, jus eſſe indicarent, licèt poſſeſſionem nondum adiiſſent. Sic in vet. *Charta*, apud C. du Freſne, Bernardus *Hæres*, Robertus verò de Bova, *Bailivus terræ de Morolio*, inſcribuntur: Nempe Robertus tutorio jure Morolium tenebat, Bernardo adhuc in pupillari ætate conſtituto &c. Imò & ſervatus hic mos in ipſis Regnorum Imperiorumque ſucceſſionibus occurriſt. Obſervant enim nonnulli, Francicum Regnum delatum Pipino eſſe, quò illud regeret tutorio jure, Childerico III. adhuc impubere. Nec in alium finem data Odoni Aquitaniæ Duci Regia dignitas: tutela quippe Caroli Simplicis à Francis donatus, ut majori auctoritate gubernaret Regnum, in *Regem* coronatus eſt, Continuator Aimoini *l.* 5. *c.* 42. Albertus A. C. 994. Ordericus Vitalis *l.* 7. Alii. Balduino quoque II. adhuc in puerili ætate conſtituto, Galli, qui CP. & in toto Imperio Orientali ſedem fixerant, conſilio habito eligendum Principem cenſuêrunt, qui Imperium, quoad Balduinus adolevíſſet, adminiſtraret & contra hoſtes tueretur. Quam in rem delectus Joh. Briennenſis Exrex Hieroſolymit. cui & filiam Balduino paciſceretur & Imperium tutoris vice adminiſtraret, conceſſo inſuper *Imp.* titulo, eoq́ue, ut mos eſt Impp. ſolenniter coronato; hac conditione, *ut quando Balduinus ſuæ tutelæ factus eſſet, Imperio cederet, illudque genero reſignaret.* Simili jure Philippus V. & Carolus Pulcher *Reges* ſeſe inſcripſêrunt *Navarræ*, quæ erat Johannæ, corundem ex fratre Philippo IV. Rege Franciæ & Nav. neptis, cujus adhuc impubèris tutelam ſuſcepêre, uſurpato titulo Regio, quo iis majus in Regni negotiis adminiſtrandis accederet pondus. Quod Francorum ſecutus exemplum Arſenius Patr. CP. coronâ donavit Michaëlem Palæologum, Joh. Laſcaris Imp. Tutorem à patre relictum: additâ pariter conditione, *quoad Joh. ſuæ tutelæ factus eſſet*, uti narrat Nicephorus Gregoras *l.* 4. Verùm ea fidei integritas, quam in Francis mirè prædicat Nicetas Choniates, à Græcis minimè ſervata eſt &c. Vide hanc in rem plura apud C. du Freſne *in Gloſſ.* ut & hìc infrà. Hinc *Hæreditaria Charta*, Epp. eſt, quâ ſc. quis filiam ſuam naturalem, quam ex ancilla ſuſcepit, ingenuamq́ue ac *Denarialem* factam (*h. e. manumiſſam per denarium*) ante Regem, ad hæreditatem ſuam vocat, dicta eſt. Cujuſmodi Ep. formulæ extant apud Bignonium *in Formulis vett. c.* 46. & 49.

Hæredum variæ ſpecies, ex Joh. Roſino, Joh. Frid. Gronovio
Sic Hæreditas 18. *m. nummum*, *e. g.*

ex Aſſe toto *Hæres* dicebatur, qui legatarius non erat, licèt cohæredes haberet. In aſſem vero totum inſtitutus dicebatur, qui ſolus hæres erat, Alex. ab Alexan. *Genial. Dier. l.* 1. *c.* 1.

ex Beſſe, qui octo uncias hæreditatis, adeoq́ue ex prænotata ſumma 12000. auferebat: ex Beſſe ſemuncia ſextula ſcriptus, 13000. honeſtabatur.

ex Deunce, undecim partes nanciſcebatur: ſicut ex Deunce binis ſextulis, habebat 17000.

ex Dextante, 15000. capiebat: ex Dextante ſemuncia ſextula 16000.

ex Dodrante, 13500. ex Dodrante binis ſextulis 14000. lucrabatur.

Extraneus dicebatur, qui nec neceſſarius, nec ſuus; & proin teſtatoris juri ſubjectus non erat.

Fiduciarius & Imaginarius.

in Ima cera ſcriptus *Hærès* idem cum ſecundo & legatario hærede fuiſſe videtur.

Legatarius, ſeu in ima cera dicebatur, cui donum aliquod in teſtamento relictum eſt.

ex Libella, dictus eſt Hæres omnium bonorum: Libellæ enim nomine As ſeu tota hæreditas ſignificata olim fuit.

Neceſſarius vocabatur, qui ſive vellet ſive nollet teſtator, *Hæres* erat: tam ab inteſtato, quàm ex teſtamento, ſecundùm LL. XII. Tabb.

Primæ ceræ, ſeu primæ tabulæ ſeu in primo gradu *Hæres*, appellabatur is, quem ex toto Aſſe hæredem vocat Alexander, & Legatario contra diſtinguit.

ex Quadrante, 4. uncias ſumebat, nempe 4500. nummos.

ex Quincunce, 7500. ex Quincunce binis ſextulis ſcriptus 8000. conſequebatur.

Secundi hæredes iidem cum Legatariis inque ima cera ſcriptis.

ex Semiſſe, 9000. ex Semiſſe ſemuncia ſextula, 10000. capiebat.

ex Semuncia ſeu tribus ſextulis, capiebat dimidiam totius aſſis unciam, adeoque 750. nummos.

ex Semuncia & ſextula 1000.

ex Septunce, 10500. ex Septunce binis ſextulis, 11000. capiebat.

ex Sextante ſcriptus habebat 3000. ex Sextante ſemuncia ſextula 4000. ex Sextantè uncia binis ſextulis 5000.

Sextulâ aſpergi dicebatur, qui ſextam unciæ partem adeoque ſeptuageſimam ſecundam portionem totius hæreditatis conſequebatur, ſc. 250.

Suus & neceſſarius Hæres dicebatur fil. filia, nepos, neptisque ex filio & deinceps cæteri liberi, qui in poteſtate morientis fuêre.

ex Teruncio ſcriptus, erat ex uncia & quinque ſcriptulis.

ex Triente, tertiam partem, nempe 6000. habebat: ex Triente ſemuncia ſextula ſcriptus 7000. lucrabatur.

ex Uncia, duodecimam habebat hæreditatis partem, nempe 1500. ex Uncia & duabus ſextulis 2000. &c. Ita dividebant olim hæreditatem 18000. nummum, velut denarium, in partes Aſſis, diſtributam. Vide Gronov. *de Pec. vet. l. 3. c. 11.* & Principalis *Hæreditatis* in XII. uncias diviſæ exemplum infrà in voce *Marpurgum.*

Nec omittendum, motas de hæreditate controverſias coram Centum viris Romæ ventilatas fuiſſe; Unde querela inofficioſi Teſtamenti, item actio petitionis hæreditatis *Centumvirale judicium* appellatur, Cic. *in Bruto*, Plin. *l. 6. Ep. 4.* &c. Vide quoque ſuprà, *Alode*, & infrà ubi de *Viceſima hæreditatum.*

HÆRES Norwegiæ, inter titulos Daniæ Regum, & qui ab iis originem trahunt, Holſatiæ Principum, à tempore Joh. Regis. Poſtquam enim Chriſtianus I. Theodorici Fortunati Oldenburgii Com. fil. ad Daniæ Regnum evectus, unà Norvegiam accepiſſet; hoc natus Joh. Rex Norvegos, rebellionem, ut ſæpe ante, auſos, miſſo idoneis cum viribus Chriſtierno fil. pulſis Suecis, quorum inſtinctu, fiduciaque obſequium exuerant, in ordinem redactos, in defectionis libertatisque malè uſurpatæ pœnam, potiſſimâ ejus parte multavit: unde *Hæredes Norvegiæ*, Daniæ Reges Holſatique Principes, tanquam novo belli jure domitæ poſſeſſores, ſe dixêre. Pfanner. *de præc. Germ. Princ. Gent. c. 11.*

HÆRES Poloniæ, tit. quem Vladislaus Locticus, Præmiſlai II. ſucceſſor, ſibi ſumpſit, ut infrà videbimus, ubi de hoc *Præmiſlao.*

HÆRESIS, Græcè αἵρεσις, ab *eligendo*, nomen habet. Vocarunt autem ſic illi Philoſophorum ſectas, quòd unusquiſque ſibi aliquod genus diſciplinæ ac ſectæ proprium eligit eique ſeſe addixit, tanquam ſuo judicio maximè probabili commodoque. Uſitatiſſimè ſanè tunc variæ Philoſophorum factiones, *Hæreſes* Græcis, *Sectæ* Latinis, citraque omnem contumeliam nominabantur, Vide Cic. *in Paradox.* Quinetiam in S. Literis pro indifferenti vox accipitur. Actor. *c. 15. v. 5.* Ἐξανέστησαν δέ τινες τῶν ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν Φαρισαίων. *c. 26. v. 5.* Ὅτι κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς ἡμετέρας θρησκείας ἔζησα Φαρισαῖος. & *c. 28. v. 22.* Περὶ μὲν γὰρ τῆς αἱρέσεως ταύτης γνωστόν ἐστιν ἡμῖν, ὅτι πανταχοῦ ἀντιλέγεται. Poſtea vox in malam partem ſumi cœpit, de iis, qui, Dei voluntate ac verbo ejus non contenti, proprio arbitrio, rationem Dei cognoſcendi colendique eligunt, jam Apoſtolo notati, Tit. *c. 3. v. 10.* Et quidem Patribus tales habentur inprimis, *Qui SS. Trinitatem non confitentur*, adeoque *Catholicis* opponuntur, *Chriſtianorum* nomine indigni. Dein, *Qui fidem Nicænam*, vel *IV. Conciliorum ſtatuta non recipiunt.* Tandem, *Qui in quocunque capite Religionis Chriſtianæ contraria Orthodoxæ fidei ſentiunt*, Zonar. *ad can. 6. Conc. præfati.* Qui omnes, non quidem ſupplicio afficiebantur, exceptis Manichæis, de quibus vide *Conſtitutionem* Anaſtaſii aut Juſtiniani, *Cod. l. 1. tit. 5. l. 11.* excommunicabantur tamen, & docere vetabantur, nec eorum contra Orthodoxos teſtimonia audiebantur. Porrò libri eorum exurebantur, pœnâ, in ſcribentes manus amputatione, *Nov. 42.* Juſtin. in legentes, ultimo ſupplicio, ſancitâ, Phot. *in Nomocan. tit. 12. c. 3.* in *Bibl. Juris Can. p. 165.* omnisque opera dabatur, ne virus ſuum latiùs ſpargere poſſent. Sed nec eorum cœmeteria, aut Martyres adire; nec cum iis orare, aut matrimonium contrahere; nec denique ullâ communione illis jungi, licebat, quæ omnia fusè exequitur Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in vocibus Αἵρεσις, & Αἱρετικός. Quòd ſi verò ad meliorem illi mentem redirent, illorum aliqui recipiebantur in Eccleſiæ gremium, præviâ libellorum, quos converſionis & fidei ſuæ teſtes dabant, exhibitione, ut inter alia de Valente & Urſacio legimus, apud Sozomen. *l. 3. c. 22.* qui ſic accedente manuum impoſitione, χειροθετούμενοι, ad Eccleſiam redibant, uti de Catharis habet *can.* 8. Concilii Nicæni. Alii etiam baptizabantur, ut de Paulianiſtis ſeu Samoſatenianis idem Concilium ſtatuit; eo quod [illegible] baptizati eſſent in nomine SS. Trinitatis, quippe quam nega[illegible] Auguſtin. *Hær.* 44. de Phrygibus ſeu Montaniſtis, Concil. La[illegible]odicenum: de Sabellianis inſuper ſimilibusque Conc. C[illegible] *can.* 7. &c. Nonnulli, non baptizabantur quidem, ungebantur tamen, ut de Novatianis, Photinianis & Quartadecimanis ſanc[illegible] *can.* 7. Concil. Laodicen quibus Arianos, Macedonianos & A[illegible]pollinariſtas addit Theod. Studites *Ep. ad Naucratium*, apud Balſamon. laudat. Sicut baptizandis Marcioniſtæ, Taſcodrugi, Manichæi, alii: iis verò, qui libello exhibito hæreſin ſolum ejurabant, Meletiani, Neſtoriani, Eutychianiſtæ, ſimilesque jungi poſſunt. Quam de receptione *Hæreticorum* materiam accuratè tractat [illegible] Virum Cl. ſuprà laudatum, Voſſ. *Diſputat.* 19. & 20. quarum [illegible] *de Catholicis promiſcue tingentibus quoſcunque ab Hæreticis [illegible] cis baptizatos*, iſta de *Catholicis in crimen jacientibus in Hæreticis [illegible]* [illegible] ta dicta, agit. *Hæreticorum* autem examen ingens, ut videre eſt a[illegible]pud Auguſtin. Epiphan. Philaſtrium, Alios, qui de *Hæreſibus Hæ[illegible] reticisque* ſcripſêre. De quibus id ſaltem addo, non paucos illorum, atque in his Priſcillianiſtas inprimis ac Donatiſtas, per [illegible] principem jurare, atque in ejus memoriis controverſias [illegible] mere conſueviſſe, uti adnotat *ad Jul. Suet. c. 86.* Caſaub. [illegible] unoquoque illorum ſuo loco, in ſpecie de iis, qui circa SS. Trinita[illegible]tem, Perſonam item Filii ac Spiritus S. hallucinati ſunt, [illegible] *Antitrinitarii*, *Chriſtomachi* & *Pneumatomachi.* In Concilio [illegible] A.C. 1246. *Hæretici Veſiti*, convicti ſunt & hæreſin palàm pro[illegible] quibus opponuntur *Crediti*, qui tales creduntur quidem, [illegible] ſin publicè non profitentur. C. du Freſne *in Gloſſ.* Quomodo re[illegible]tiori ævo in *Hæreſis ſuſpectos* inquiſitum, dicemus infrà.

HÆSITANTES, dicti ſunt Eutychiani Hæretici. Vide Leontium *de Sectis Act.* 6. & 7. & ſuprà, ubi de *Acephalis.* Græcè Διακρινόμενοι: quòd ſc. à Synodi Chalcedonenſis Communione [illegible] *bundi* abſtinerent. Quibus proin οἱ Συνοδῖται, *Synod[illegible]* do illi addicti, oppoſiti ſunt, *Ibid.* Vide Joh. Forbeſ. [illegible] *ſtorico-Theolog. l. 3. c. 14. §. 4.* & Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in [illegible] Διακρίνω, item Συνοδίτης.

HÆSTÆ, Caſſiod. *l.* 5. populi ad Oceani litora, unde S[illegible]num adfertur. *Æſtyi* fors Tac. *de Morib. Germ. c. 45.* [illegible] fortaſſè ſunt Jornandi & *Helſti* Callimacho Experienti. [illegible] prius etiam *Heſſi* legit Fabricius in Commentariis ad poë[illegible] ſtianos, & Atalarico tribuit, cùm ſint Theodorici.

HAFNIA, Daniæ urbs Regia, ampla & permunita, cum [illegible] recenti, portu capaciſſimo & Academia, vulgò *Copen[illegible]* Fretum *Oreſund*, è regione Scaniæ Inſ. Recepta eſt à Chriſtiano [illegible] Epiſcopis & Chriſtophoro Aldemburgico cum Lubecenſibus [illegible] obnixis: quo facto, Epiſcopis exturbatis Religionem Evang[illegible] Rex introduxit, A.C. 1535. Fruſtra, virtute Batavorum, [illegible] cis haud pridem obſeſſa. 4. leuc. Dan. à Roſchildia in Or. [illegible] litor. Scaniæ, 4. à Cronæburgo. Caput eſt Selandiæ Inſ. [illegible] *Stageiburg*, poſtea *Axelhuys*, dein *Kiobmanshaven*, *i. e.* portus [illegible]catorum, dicta, Pontan. Ei ad Ort, adjacet Amagria Inſ. cui po[illegible]te ligneo jungitur. *Academiam Hafnienſem* ſcripſit Eraſm. Vindingius: cujus reditus 60000. Imperialibus auxit Fridericus II. Dan. Rex, Phil. Jac. Spener. in *Fam. Oldenb. Danica.*

HAGA, ſeu HEGIN, dictus apud vett. Germanos eſt aliquot provincialium diſtrictus, certo pagorum ac vicorum numero conſtans, quem & *Circulum* vocabant; quæ vox hodieque eadem notione obtinet, vide quæ de *Circulis X.* Germanici Imp. (Germ. *Kraiß*) Politici habent. Appellationis rationem hanc adfert Monachus Sangall. *de Rebus Caroli M. l. 2. c. 2. Terra Hunnorum novem circulis cingebatur. Et cùm ego alios circulos, niſi vimineos, neſcius, interrogarem, quid aliud miraculi fuit Domine? novem [illegible] muniebatur. Cumque & illos ulteriùs eſſe generis neſcirem, [illegible] ſegetibus ſolent prætendi, inquiſitus etiam de hoc dixit: Tam [illegible] circulus — quantum eſt ſpatium de caſtro Turonico ad Con[illegible] ſtipitibus quercinis, faginis & abiegnis extructus, ut de margine [illegible] ginem 20. pedes tenderentur in latum & totidem erigerentur in [illegible] vitas autem univerſa aut duriſſimis lapidibus, aut cretâ tena[illegible] batur. Inter quorum confinia plantabantur arbuſcula, quas [illegible] ſolemus, abſciſſæ atque projectæ comas caudicum foliorumque [illegible] Inter hos itaque aggeres ita vici & villæ erant locatæ, ut de aliis [illegible] vox humana poſſet audiri. Contra eadem quoque ædificia, inter inexpugnabiles illos muros, portæ non ſatis latæ erant conſtitutæ, per [illegible] nandi gratiâ non ſolùm exteriores extre ſolebant. Idem de [illegible] qui ſimiliter ut primus erat extructus, 20. milliaria Teutonica, [illegible] 46. Italica, ad tertium uſque tenebatur: ſimiliter uſque ad nonum. Quamvis ipſi circuli alius alio multo contractiores fuêrunt. De circulo [illegible] circulum ſic erant poſſeſſiones & habitacula undique verſum ordinata, [illegible] clangor tubarum intra ſingula poſſet cujusque rei ſignificativus [illegible]* apud C. du Freſne *in Gloſſ.* Vide quoque quæ diximus, in [illegible] *ronica.* Aliàs vox *Haga* communiter Germanis notat, [illegible] ſepimentum ex virgultis confectum &c.

HAGA, Comitis, præc. totius Hollandiæ burgus, [illegible] ubi comitia prov. totiusque Belgii fœderati. Hîc edicto A.C. [illegible] ab Ordinibus promulgato, Philippo II. Hiſp. Rege imperium [illegible] rogatum eſt: Thuan. *Hiſt. l. 74.* Collatio dein, ſuper [illegible] ſtrantium articulis, ad pacem Eccleſiæ conciliandam, habita [illegible] 1610. quæ cùm ſucceſſu caruiſſet, decretum, ut Synodus [illegible] lis convocaretur. Vide præfat. *ad acta Syn. Dordr.* Ibi [illegible] latium ol. Comitis Holl. vix. 1. leuc. ab ora Oceani Germ. in[illegible] gdunum Bat. ad Bor. & oſtium Moſæ ad Auſtr. Pagus totius [illegible] ditiſſimus & pulcherrimus.

HAGA Paganelli, *la Haye Paynel*, vel *Hepenell*, locus eſt [illegible] liæ, inter quem & Abrincatas ponit Sabiniacum, Vicum in [illegible] nio Normanniæ & min. Britanniæ, Robertus de Monte S. Michaelis in *Chron.* apud Hadr. Valeſ. in voce *Saviennejum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

HAGA Turonica, opp. Gall. in Turonenſi prov. ad Crauſiam amnem, in ipſo confinio prov. Pictavienſis, 10. leuc. à Turon. in Auſtr. ut à Pictavio in Occ. 4. à caſtro Heraldi. Generalis autem vox *Haga*, domus, Vet. Sax. *Hagb*, *& hagh*. Inde fortè dicta, quod ex complicatis viminibus, inſtar cratis vel ſepis, quales in Hibernia hodieque frequentiſſimæ, fabricata, eſſet. Item circulus, vel ſepimentum militare, al. *Burgus* & *Ringus*. B. Rhenan. *Rer. Germ. l.* 1. *Hunnos*, inquit, *extructis novem* Hagis, *in Pannonia habitantes ultimum bello Carolus Mag. edomuit.* Hoc prolixius & clarius explicantem, vide ſis Munſterum *Coſmographiæ l.* 4. *c.* 2.

HAGAB, vel HAGABA, i.e. *locuſta*, viri nomen. Vide Eſdr. *c.* 2. *v.* 46.

HAGAG, præfectus Babylonius, præfuit 20. Annis, quo tempore CXXM. hominum interfeciſſe, in carceribus LM. extinxiſſe ſcribitur. Aſtrologum quoque, qui mortem Caini prædixerat, quia ipſe ſic vocaretur, decollari præcepit. A. C. 701.

HAGEN Johannes, vide *ibi*.

HAGENOIA, urbs Germ. ſup. libera & imperialis in Alſatia inf. vulgo *Hagenow*, ad amnem *Mater*, vix 2. leuc. à Rheno. 3. ab Argentina in Bor. 14. à Tabernis in Ort. Muro cincta A. C. 1164. à Frid. Ænob. Imp. qui ibi etiam palatium condidit. Ex 4. pagis Imp. Hic præfatus Imp. Imperii inſignia, coronam, ſceptrum, pomum, gladium Caroli Mag. &c. aſſervavit. Cæterum Hagenoa præfectura nunc eſt Imperii Germ. cum aliis novem oppidis ei conjunctis, Colmaria nimirum, Seleſtadio, Ehenhemia ſuperiore, Cæſaris monte, Landovia, Roshemia, Turchemia, Weiſſemburgo, & Monſterio S. Gregorii. Mülhuſium quoque, quod nunc Helvetico fœderi innexum, olim huc ſpectaſſe dicitur. Hanc præfecturam Sigiſmundus, circa A. C. 1423. Comiti Palatino pro 50000 flor. hypothecæ loco conceſſit, Ferdinandus autem I. eam reluens, A. C. 1558. Auſtriacæ domui vindicavit. Aliter paulo Hordlederus *l.* 5. *c.* 2. *n.* 24. Hodie pace Monaſter. Regi Galliæ ceſſa eſt, ut Patrono, cautum interim in Capitulatione Leopoldina, opera detur, ne quid decem Alſatiæ Imperiales civitates detrimentum capiant. Sed bello nunc fervente, alia rerum facies. Vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 21.

HAGES, frater Pori Regis Indorum, quem hic, advenienti Alexandro Mag. cum centum quadrigis & quatuor millibus equitum oppoſuit. Curt. *l.* 8. *c.* 5. & 14.

HAGES, unus ex adulatoribus Alexandri, qui primus unâ cum Cleone Siculo viventi Alexandro divinos honores tribuit. *Cæl. Rhodign.*

HAGES Cyzicenus, à Polluce in nocturno conflictu confoſſus. V. Flacc. Argon. *l.* 3. *v.* 191.

Frater Hagen, *Tapſumque, ſecuri gerumque Nealcen.*

HAGESARETUS, vide *Egeſaretus*.

HAGGAI, vel HAGGÆUS, unus ex XII. Prophetis minoribus, ſcribere incepit Anno 2. Regni Darii, primo Olymp. 65. M. 3533. U. C. 234. C. N. 520. Unà cum Zacharia Judæos ad ſtrenuè reparandum templum adhortatus, hujus gloriam priori longè illuſtriorem prædixit. Lat. *Gaudium*. Vide Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 18. *c.* 45. Torniel. A. M. 3533. *n.* 4. Bellarmin. *de Script. Eccl.* Prophetia ejus conſtat capp. 2. In eam extant, Balduini *Comm.* Brocardi *Explicatio*. Danæus, Draconites Eckii *Comm.* Grynæi item, & Melanchthonis Oecolampadii *Annotationes*, Argentinæ A. C. 1527. Pilkintoni *Angl.* Octav. A. C. 1562. Regius. Rupertus. Tarnovius. Vallii *Enarrationes*, Mogunt. A. C. 1541. Varenii *Collegium*, Wicelius. Willichii *Comm.* Baſileæ A. C. 1546. Willii *Comm.* Octav. Bremæ & Caſſellis, A. C. 1636. Winckelmann. &c. Vide Crowæi *Elenchum*.

HAGGIA, fil. Merari. 1. Par. *c.* 6. *v.* 29. & 30. Lat. *feſtivitas*, vel *ſolennitas*, aut *gyrus Domini*.

HAGIA, Leuncl. *Aiaiuni*, vel *Ajalrai*, i. e. Urbs S. Joh. in Caria, juxta limites Lydiæ.

HAGION, locus Scythiæ, ubi Æſculapius colebatur.

HAGIOGRAPHA, Hebr. כתובים *Cetubim*; dicuntur Judæis libri vet. Canonis XI. *Verba dierum*, ſeu *Chronica*, *Eſther*, *Ezra*, *Nehemia*, *Pſalmi*, *Proverbia*, *Eccleſiaſtes*, *Canticum Cantic.* *Liber Job*, *Daniel* (quem malè Prophetarum choro eximunt, aut reliquis ſaltem inferiorem habent, contra Matth. *c.* 24. *v.* 15. ubi Daniel titulo *Prophetæ* ab ipſo Chriſto inſignitur) & *Threni*. Dividunt enim totum V. T. in *Thora*, i. e. Legem, *Nebiim*, i. e. Prophetas, & *Cetuphim*, i. e. Hagiographa: quæ ultima Chriſtus ſub *Pſalmis*, ut præcipuâ eorum parte, comprehendere viſus eſt, Lucæ *c.* 24 *v.* 44. Quamvis aliàs in N. T. libri illi ſimpliciter in *Legem* & *Prophetas* dividantur, Matth. *c.* 5. *v.* 17. Lucæ *c.* 16. *v.* 29. & Actor. *c.* 28. *v.* 23. Sed & *Hagiographa* dicebantur ſcripta omnia, in quibus ſacra tractabantur, aut ex Canonicis libris petita, aut ad eorum exemplum compoſita, ex quibus ſententiæ aut Hiſtoriæ quædam in Eccl. recitabantur, ad populi ædificationem. Sic *Gloſſa ordin. Præf. ad l. Tob.* *Largè*, inquit, *accepit* Hagiographa, *h. e. ſanctorum ſcripta*. Et Driedo *de Catal. S. Script. l.* 1. *c.* 4. *p.* 21. *Dicemus duplicia eſſe apud Hebræos* Hagiographa, — *h. e. ſanctorum ſcripta* — *quædam*, *quorum auctoritas idonea eſt ad corroboranda ea*, *quæ ſunt fidei.* *Hujus generis ſunt* Hagiographa, *in Canone Bibliae.* *Alia vero ſunt* Hagiographa — *quorum auctoritas ad aſſertionem fidei corroborandam non eſt idonea, quamvis habeantur vera & ſancta.* Vide de quovis illorum ſuo loco. A voce Ἅγιος, *ſanctus*, & γράφω, *ſcribo*, quaſi *Sancta ſcripta*, uti vocantur Epiphan. de *Ponder.* & *Menſ.* De quarum priore voce ut pauca addam; Ἅγια non raro apud Scriptores Eccl. Græcæ, Sacra Cœna appellatur, ut & Ἅγια ἁγίων, uti videre eſt apud Cl. Suicer. *Obſerv. c.* 4. quo nomine pars olim Tabernaculi ſanctiſſima, quæ ſoli ſummo Sacerdoti patebat, indigitata eſt, ut notum. Quemadmodum & Græci recentiores, Ἅγια locum in Templo vocant, quò ſolis Clericis ordinariò venire permiſſum: Ἅγια ἁγίων vide Altare majus, *in quo corpus & ſanguis Domini conſecratur*, ut ait Gentian. Hervet. *in fine Liturgiar.* Sed & vox Ἅγιος apud eoſdem, Imperatoribus, cùm coronabantur, acclamari conſuevit, uti Meurſ. docet *in Gloſſ.* Vide quoque infra *Sanctus*. Inde autem derivata, Ἁγίασμα, inter alia, de S. Cœna itidem, ut & interdum de aqua benedicta: & Ἁγιασμὸς, de eodem Myſterio, ac de parte Liturgiæ, in qua celebratur nomen Domini hac formulâ, Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, κύριος Σαβαώθ, occurrit, apud eoſdem Græcæ Eccl. Scriptores: uti pluribus videre eſt, apud Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in his vocibus.

HAGIOSIDERUM, Gr. Ἁγιοσίδηρον, quaſi *ſacrum ferrum*, unum eſt ex illis tintinnabulorum generibus, quæ Græci hodierni campanarum loco habent. Poſtquam enim conſtructis Monachorum Sacerdotumque cœnobiis, Ethnicisque Principibus Græciæ imperium obtinentibus, æreis tintinnabulis, quòd eorum ſonus & nimiæ ſecuritatis & auctoritatis indicium eſſet, abſtinuêre, Symandri & *Hagioſideri* uſum excogitaſſe videntur: quem ſuccedentia Chriſtianorum Principum tempora adeò non excuſſêrunt, ut etiam campanis in multa Græcorum templa invectis (viz. quæ in Chriſtiano orbe ſunt, reliqua enim campanis carere Turcæ jubent) Symandris tamen & *Hagioſideris* locus ſit. Eſt autem *Hagioſiderum*, vel, ut hodierni Græco Barbari vocant, *Agioſydirum*, ferrea lamina 4. digitorum latitudine, 16. verò longitudine, funiculo in medio libraſari ſolet, qui Sacerdotem Euchariſtiam ad ægrotos lectoque decumbentes deferentem ſolet præcedere, ut inter tranſeundum quiſque rei admoneatur. Ejus figuram exhibet Hier. Magius *l. de Tintinnab. c.* 15.

HAGIRA, ſeu HEGIRA, æra Muhammedana, ab Arab. *hagar*, i. e. *fugit*, exordium cœpit à fuga Pſeudoprophetæ ex urbe Mecca in civ. *Medina Alnabi* facta, A. C. 622. die 19. Jul. veſpere illo, quod inter quintam & ſextam feriam intercedit: in cujus temporis memoriam ſacram ſuam ſolemnitatem Muhammedani quot ſeptimanis celebrant feriâ 6. ſive die Veneris, uti pluribus docet Joh. Forbeſ. *Inſtruct. Hiſt. Theolog. l.* 4. *c.* 1. qui *de annis Hagiræ & menſibus Hagarenis ac diebus* ſimiliter accuratè agit *c. ſeq.* Vide quoque in vocibus *Egira* & *Hegira*.

HAGNAUS, mel. HENIUS, HAISNE, fluv. Hannoniæ. Oritur in confin. tractus Namurc. dein prope Binchium & Montes labitur, ubi Trullam excipit, poſtea ad Condatum in Scaldim ſe exonerat.

HAI, i.e. ACERVUS, civitas Amorrhæorum trans Jordanem, quondam pulcherrima, non longè à Bethel. Joſ. *c.* 7. *v.* 2. *c.* 8. *v.* 23. & *c.* 12. *v.* 9. Jeſ. *c.* 20 *v.* 28. Geneſ. *c.* 12. *v.* 8. Jer. *c.* 49. *v.* 3. Eſdr. *c.* 2. *v.* 28. Eſaiæ *Ajath* dicitur.

HAJALON, Tudelenſi *Val de Luna*, pag. Palæſtinæ juxta Nicop.

HAIDONIS, caſtellum, *Haton chaſtel*, in Duc. Barrenſi.

HAILBRUNNA, urbs libera & Imp. in Duc. Wirtemberg. ad Necarum fluv. 2. leuc. à Wimpfena in Auſtr. 8. à Spira in Ort. Satis munita & culta. Lat. *Salubris fons*, à copia ſaluberrimorum fontium, quorum 200. prope urbem numerantur, inter quos præcipuus in templo S. Kiliani: in Urbis formam redacta eſt, & Imperii civitatibus adſcripta à Frid. II. A. C. 1240. In inſignibus aquilam Imp. integram habet. Vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 27.

HAIMERANUS, Præpoſitus Ratisbonenſis, ſcripſit, ſub Henr. IV. Imp. de Scriptoribus Eccl. Voſſ. *de Hiſt. Lat. c.* 47.

HAIMERICUS, Patr. Antiochen. poſt Rudolphum, A C. 1143. auctor Carmelitarum montis Carmeli. A Rege Angliæ, per literas, Chriſtianis, in Oriente, Barbarorum tyrannide oppreſſis, ſuppetias mitti petiit. A. C. 1187. Gul. Tyrius, Genebr. *in Chron.*

HAINOUM, hodie Hannonia, à fluv. *Haina* vel *Aina* totam regionem ſecante, nomen habet. Germ. *Henegau*, vel *Hanegow*. Gall. *le Hainau*, vel *Hainou*. Incolæ Hainoenſes, Gall. *Hainviers*, vel *Hennuiers*. An *Nervii* olim? Vide *Hannonia*.

HAIRSEMES, i.e. *Civ. Solis*, in tribu Dan. Joh. *c.* 19. *v.* 41.

HAIRUM, deſertum Libyæ in regni Targæ parte Auſtr. verſus Nigritiam. Ad 100. leuc. circiter inter Ignidum Deſ. ad Ort. & Zuenzigam regn. ad Occ. extenſum.

HAITI Inſ. hodie *Hiſpaniola*, Georg. Horn. *Orb. Imp. p.* 488. Vide ibi.

HAITO, vide *Hetto*.

HAKON, commune Tartariæ Regum nomen, unde *Chaganos* ſuos deduxêrunt Latini Græcique, quo nomine appellant omnes Reges Scytharum, Hungarorum, Avarum & Turcarum: Idem. Vide ſuprà, in voce *Chaganus* & *Chanus*.

HALA, vide *Servilius*.

HALA, nomen loci. 2. Reg. *c.* 17. *v.* 6. & *c.* 18. *v.* XI. i. e. *dolor*, ſive *infirmitas maxillæ*, ſive *principium humilitatis*, vel *teneritudinis*.

HALA, vide *Ahala*.

HALAA, i. e. *infirmitas*, vel *rubigo*. Altera uxor Aſhur. 1. Par. *c.* 4. *v.* 5.

HALABARCHES, ſeu ALABARCHES, apud Ruffin. Alexandriæ Magiſtratus fuit Judæorum. Ita enim Joſeph. *Antiqq. l.* 20. *c.* 3. *Fado autem*, inquit, *ſucceſſit Tiberius Alexander, ejus Alexandri fil. qui Alabarchiæ magiſtratum geſſit.* Hinc Equitem Rom. ſed natione Ægyptium, appellat. Idem Joſeph. *eod. l. c.* 5. *Eodemque tempore etiam Mariana, dedignata Archelaum, migravit in thalamum Demetrii, primi inter Alexandrinos Judæos, tam opibus, quàm genere, & tum* Alabarchiæ *Magiſtratum gerentis, è quo fil. Agrippinum genuit* &c. Vide ſuprà in *Alabarches*.

HALÆ, Araphenides, pop. tribus Ægeidis. *Idem.*

HALÆ, opp. Bœotiæ, eſt & alterum regionis Maſetis. Ciliciæ quoque civitas. Vide *Steph.*

HA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

HALÆ, Æxonides, pars tribûs Cecropiæ. *Idem.*

HALÆA, Minerva ab *Halæo* quodam Tegeate ſic dicta, qui Minervæ templum extruxit, quo igne conſumpto, Tegeatæ ſumptuoſius poſtea conſtruxérunt, quos cùm deviciſſet Aug. prælio Actiaco, dentes apri Calydonii, qui in eo templo erant, quique ulnæ longitudinem vincebant, Romam tranſtulit.

HALÆNUS, vide *Alaunius.*

HALÆSUS, vel HALESUS, Agamemnonis ex Briſeide, aut, ut alii volunt, ex Clytæmneſtra, fil. quem ajunt cum illa ſenſiſſe contra patrem, & poſtea patriâ pulſum, in Italiam veniſſe, atque apud Maſſicum Campaniæ montem conſediſſe. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 724. & *l.* 10. *v.* 352, 411, 417. 421. & 424.

HALÆUS, Apollo dictus eſt à Philoctete, qui cùm finem erroribus ſuis vellet ſtatuere, Apollini Halæo templum conſtruxit.

HALALA, vicus in radicibus montis Tauri, ubi Fauſtina, uxor M. Antonini Philoſ. ſubito morbo exanimata Obiit, Jul. Capitolinus in *Vita* Marci, ubi *Halalæ vicus* dicitur. Hinc ædes ibi Fauſtinæ poſita à Marco: in quo loco poſtea *fil. Baſſiani* Heliogabalus *Antoninus ſibi vel Jovi Syrio vel Soli* (incertum enim id eſt) *templum fecit*, Spartian. *in Caracallo ſub fin.* Α'λαλὶς fortè, in Ptolomæi libris, ad Euphratem in Palmyrena. Vide ſuprà *Alala* & in voce *Halale.*

HALALE, vide *Fauſtinopolis*: & hîc ſuprà.

HALANI, vide *Alani.*

HALAPIÆ Sultanus, Noradinus, fil. Saladini, A. C. 1193.

HALARA, urbs Iſlandiæ Inſ. in parte Bor. ſine mœnibus, paucorum incolarum, ſub Danis. Epiſcopal. ſub Archiep. Nidroſienſi. Aliis *Hola*, quod vide.

HALARODII, pop. circa Pontum. *Steph.*

HALBERSTADENSIS Conradus, vide *ibi.*

HALBERSTADIENSIS Princ. tractus parv. Saxoniæ Inf. Antea ſub proprio Ep. ex conceſſione Caroli Mag. qui Epiſcopatum A. C. 770. fundaverat, Salingſtadii primò, inde Halberſtadium translatum A. C. 819. nunc ſub El. Brandeb. pace Monaſter. Habet à Sept. Duc. Brunſvic. ut & Magdeburg. à Mer. Princ. Anhaltin. ab Ortu in Occaſ. per 9. mill. Germ. extenſus. Ejus caput.

HALBERSTADIUM, ol. ALBORESTADIUM, quia ad Albim & Oram amnes ſitum; Aliis q. *Alberti urbs*, Baudr. ad amnem *Hotheim*, 7. leuc. à Magdeburgo in Occ. 8. à Brunſvico in Auſtr. Hîc Carolus Mag. decretum, *Hariſtallenſe* Eginhardo & Cranzio vocatum, condidit T. VI. Concil. Albertus Crantz. & Gaſpar Neophar. *de Præſulibus Halberſt.* inter quos Haymo floruit, ſub Ludovico Pio, A. C. 826.

HALCATH, civitas in tribu Aſer. Joſ. *c.* 19. *v.* 25. Lat. *portio*, *diviſio*, *lenitas*, aut *lubricatio.*

HALCYON, marina avis, παρὰ τὸ ἐν ἁλὶ κύειν, *ex eo, quòd in mari concipit & parit*, dicta, à cantus dulcedine commendatur. *Eâ* enim *nullam avem ſuaviùs canere*, ait Oppian. & Tymnæus, ut avem à cantùs gratia maximè laudet, *Antholog. l.* 3. *c.* 24. dicit, eam alcyonum cantum exæquare:

Ο'ρνεον ὦ χάρισιν μεμελημένον, ὦ παρόμοιον
Α'λκυόσιν τὸν ζὸν φθόγγον ἰζωζάμενον:

Quæ cauſa, quòd, cùm Sirenes apud poëtas figuram avium ex parte habeant, & ſtationem ad maris litus & miram cantus ſuavitatem, Scripturæ Interpretes *Sirenum* nomine *alcyones* intelligere, vult Cyrill. *in Mich. c.* 1. *v.* 8. ubi pro ἀηδόνας, *luſcinias*, quæ cum mari & fluctibus nihil commune habent, ἀλκυόνας reſcribi jubet Bochart. quæ duæ voces, licèt ſcripturâ diſſimiles ſatis, tamen non rarò à librariis confunduntur. Addit Cyrill. *alcyones* in maris ſinibus ovis incubare & propter nidum à fluctibus abreptum lugubre melos fundere: ut Val. Flacc. *Arg. l.* 4. *v.* 44. & *ſeqq.*

Fluctus ab undiſoni ceu fortè crepidine ſaxi
Cùm rapit alcyonis *miſeræ fœtumque laremque,*
It ſuper ægra parens, queriturque tumentibus undis.

Imò velut omnium avium maximè θρηνητικὴν, i. e. *lugubrem*, eam poëtæ deſcribunt, ut videre eſt, apud Homer. *Il. ι. v.* 559. Eurip. *Iphig. in Tauris v.* 1089. Moſchum *in Epitaph. Bionis*, Propert. *l.* 3. *Eleg.* x. *de natali amicæ v.* 9.

Alcyonum *poſitis requieſcant ora querelis.*

Nec omittendum, avem hanc Plutarcho. autore, vincere, τῷ φιλοτέκνῳ χελιδόνας, *prolis amore hirundines*, & τῷ φιλάνδρῳ πελειάδας, *amore conjugis columbas*: hinc cerylos, maritos ſuos, ætate graves, dicuntur περιάγειν ἐπ' αὐτῶν τῶν καλουμένων μεσοπτερυγίων, interſcapiliis ſuis ſublatos circumferre. Quò pertinent Alcmanis verſus, apud Antigon. *Hiſt.* 27.

—— *βάλε δὴ, βάλε κηρύλος εἴην,*
Ο'ς τ' ἐπὶ κύματος ἄνθος ἅμ' ἀλκυόνεσσι ποτῆται.

—— *Utinam cerylus eſſem* (alcyonum mares ſic vocant)
Qui maris ſuperficiem ſupervolat cum alcyonibus &c.

Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſt. l.* 2. *c.* 14. de nidis vero earum, qui admirationem habent, *pilæ figura, nec ferro intercidi queunt*, ut ait Plin. infrà in voce *Nidus*: & plura de hac ave apud eundem *l.* 10. *c.* 32. alibiq́ue paſſim, Cœl. Rhodigin. *l.* 14. *c.* 11. alios: nec non in voce *Alcyone.*

HALCYONE, vide *Alcyone*, *Ceyx*, nec non hîc ſuprà.

HALCYONE, mater Philolai, nefando filii amore incenſa, ob quem ille ſolum vertit, Thebisq́ue vitam finivit. Ariſt. *l.* 12. *Pol. c. ult.*

HALCYONIÆ, Inſ. 2. Macedon. *Pallene* & *Phoſtonia*. Suid. *Steph.*

HALCYONIUM, Stagnum. Vide *Alcyonium.*

HALDEGASTES, Dux barbarus, memoratus Valeriano Ep. ad *Aurelian.* apud *Vopiſc.*

HALEC, piſcium genus, qui argenteo quodam ſquamarum fulgore, noctu præſertim, lucentes, vix dodrante majores ſunt & thriſſarum generi accenſentur, à Rondeletio rei piſcariæ graviſſimo Judice. *Leucomenidas* Franc. Maſſarius vocat & cum gerribus Plinii confundit. *Aleces* alii vocant: at ſi Cæſaris judicio ſtandum & cum multis loquendum, *haleces* dicantur, cum Priſciano & Soſipatro, qui *alecem* pro piſce muriâ condito accipiunt. Sunt autem ex iis, quos ἀγελαίους, *gregales*, Ariſt. vocat, quod agminatim per Oceanum ferantur palabundi, tantâ interdum multitudine, ut oppoſitis retibus ſiſti nequeat impetus, quin illa rapiantur ac [illegible] di æquoris faciem obfuſcent. Quæ cauſa eſt, cur tam copioſa ſit illorum in retia infuſórum captura. Nam poſtquam ex Arctoi maris latebris diſcedentes, præcipiti vere, velut commutatis natalibus in æſtiva contendunt: tum verò claſſes variæ, Hollandica, Seelandica, Friſica, Flandrica, Gallica, Britannica & Scotica, quaſi ex condicto, ad evitandas ſimultates ac contentiones, partitæ inter ſe certas ac definitas ſtationes, ſub Britannia, Scotiæ ora & Orcadibus, ſingulæ pro viribus, iſti piſcium generi inſidiantur, navigiis rotundis, alvo pandâ, obtuſâ prorâ, quas *buſas* vocant, ut ſuprà vidimus. Hi piſces vivi, quoad ejus fieri poteſt (nam ſimul cum deſerto ſalo vitam quoque protinus expirant) per jugulatorem eundem & eviſceratorem, cui præ cæteris omnibus liberaliſſima merces datur, aperto priùs jugulo exenterantur, dein per ſalitorem conditur, feſtinatis operis; inde conduntur ſalſamentariis cadis, quos Latini *orcas* dicunt; poſtea venditi per alecarios cupariosq́ue, denuo integro ſtipantur, inani turbâ, quæ lactibus & ovis caret, [illegible] ſubmotâ, ac novâ muriâ obruuntur. Poſtremò per delectos, [illegible] ratosq́ue arbitros bonitatis exploratur fides, ſigilloque [illegible] ſtringitur, non abſimili vetere religione, quâ Dianæ ſacerdotes [illegible] mniam rubricam, probatæ notæ ſigillo impreſſo, inſigniebant. [illegible] que id quidem primum genus *halecum* conditaneum [illegible] muriaticum, ut Plaut. vocat: Pæn. *Act.* 1. *Sc.* 2. *v.* 32. [illegible] alterum eſt, quod leviter ſalitum in fumario duratur, [illegible] auri, vel æris potiùs colorem ducit, unde *ſoretum* voce Gothicâ, Galli id genus nuncupant, quòd ſubruffus, ad [illegible] accedens, color eâ linguâ *ſorus* vocitetur. Quantam verò piſcatio hæc vel ſoli Hollandiæ utilitatem afferat, dici vix poteſt, cùm in pluribus ejus civitatibus, plebs urbana pariter ac ruſtica inde victum quærat, æs alienum diſſolvat, familias ſuſtentet, opes conquirat, ac partas tueatur. Certè Oudewaterum, Woerdam, Roterodamum, Sciedamum, Brielam, ut de aliis taceam, præcipuas hinc fortunas traxiſſe, plebemq́ue omnem propemodum, in [illegible] dis tragulis, everriculis, ſagenis, reliquoq́ue inſtrumento [illegible] reticulato, quo piſcatio inſtituitur; item in torquendis reſtibus, unde retia plectuntur, toto anno occupatam habere, conſtat. Ex quo facilè perſpicitur, quantum momenti ad [illegible] mnia poſitum ſit in hujus piſcationis ſucceſſu. Cum ea enim [illegible] cunda decreſcit rerum omnium fermè edulium pretium, adverſâ intenditur: doloris ſenſu celeriter ad alias quoque regiones tranſeunte, cùm in magnam Europæ partem diffundatur ea merx, utcunque res ceciderint, vendibilis & expetita. Auctor Anon. *Sinæ & Eur.* [illegible] Vide quoque infrà, ubi *de Harengarum piſcatione*: *de halece* vero ſucco, in quo mulli carnes olim tingebantur, Voſſ. *de Idol. l.* 4. [illegible] & infrà in voce *Mullus*; it. *Muria*: de ſuperſtitione autem eorum, qui *halece* aut apuâ guſtatis Deæ Syriæ iram verebantur, Plutarch. [illegible] *de Superſtit.*

HALES, fluv. Ioniæ frigidiſſimus, apud Colophon. [illegible] cophr. *Haleſus* Plin. *l.* 5. *c.* 29.

HALESA, Siciliæ civitas. Cic. *Verr.* 5. exciſa, ubi nunc [illegible] caſtr. Fazello. In ejus agro fons erat, ad ſonum tibiarum, [illegible] tans, Solin. Ibi fluv. Haleſus ex Aleſo monte proximo Ætnæ. [illegible] de *Alæſa.*

HALESIUS, ager in Epiro, ubi ſal copioſus fit. *Steph.*

HALESIUS, fluv. & mons non longè ab Ætna, ubi Proſerpina flores legebat. Columella.

Et quos Sicanii flores legiſtis Haleſi.

HALESUS, Argivus, Faliſcæ conditor, memoratur Solin. [illegible] Faliſcæ viz. non Æquorum, de qua Strab. *l.* 5. *p.* 226. ſed Hetruſcorum. Et quidem ab *Haleſo*, priùs *Faleſii*, & [illegible] mina gentium apud Vett. plerunque concipi ſolebant, *Faleſci*, inde contractè *Faliſci*, appellati: quorum urbs & *Falerii* indidem, pro *Faleſii*, dicta eſt. Salmaſ. *ad Solin. p.* 60.

Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 73.

Venerat Atridæ fatis agitatus Haleſus.
A quo ſe dictam terra Faliſca putat.

Idem *Amor. l.* 3. *Eleg.* 13. *v.* 31. & *ſeqq.*

Argiva eſt pompæ facies, Agamemnone cæſo,
Et ſcelus, & patrias fugit Haleſus *opes.*
Jamque pererratis populis terraque, marique,
Mœnia felici condidit alta manu.
Ille ſuos docuit Junonia ſacra Faliſcos.
Sint mihi, ſint populo ſemper amica ſuo.

HALESUS, apud Plin. *l.* 5. *c.* 29. fluv. eſt Colophonem alluens prope lucum, unde oracula olim petebantur: Α'λης Paus. [illegible] vide eund. Salmaſ. *ibid. p.* 860.

HALETES, fluv. Lucaniæ, juxta Veliam Urb. ab ea 3. mill. paſſ. in mare delabens.

HALFKINEG, ſeu HEALFKONING, dicitur Æthelredus [illegible] Orientalium Anglorum, i. e. Norfolciæ, *in L. Rames ſ.* 4. apud [illegible] Spelmann. quaſi *Semi Rex*, quòd apud Æthelſtanum Regem [illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol 2

maximè gratiâ auctoritate valeret: quemadmodum de Carolo Martello obſervavit C. du Freſne. Vox Saxonica eſt.

HALHUL, Lat. *dolor*, ſeu *principium doloris*, vel *immunditiæ*: aut *expectatio doloris*, vel *prophanationis*, ſive *obſtetricatio doloris*. Civitas in tribu Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 58.

HALI, Germani Plin. *l.* 4 *c.* 12. in recent. tamen codd. legitur *alii* appellativé.

HALIA, nympha marina, Nerei & Doridis filia, ἀπὸ τῆ ἁλὸς, h.e. *a mari* dicta. Item *Halia* eadem quæ *Theſſalonica*.

HALIA, opp. Peloponneſi, in Argia, apud *Trœzenen*.

HALIA, Feſtum Solis à Rhodiis obſervatum. Athen. *l.* 13. *p.* 561. Ῥόδιοι τὰ Ἅλια ἄγουσιν. Exiſtimarunt aliqui nomen eſſe deductum ab ἅλς, & notari θαλαττοκρατίας monumentum, quâ Rhodii olim floruêrunt. Sed veriſimilior eſt à voce Dorica ἅλιος pro Ἥλιος originatio, quia Rhodii Solem, tanquam apud ſe natum præcipuâ veneratione proſequebantur. Huc inſana referenda eſt Coloſſi ſubſtructio, quem fecit Chares Lyndius, Lyſippi diſcip. quodque Strabo narrat *l.* 14. *p.* 655. Ἡλιάδας, i.e. Ἡλίου, ſive *Solis* filios, aliquando Rhodum tenuiſſe, cujus mem. Cic. *l.* 3. *de Nat. Deor.* Euſt. *ad Odyſſ.* Z. Ἅλιον ὅπερ ἦν ἡλίου ἱερὸν κατὰ Ῥοδίους. Ariſtides etiam cùm Rhodon vocaſſet urbem Solis, & ὅτι τήνδε τὴν νῆσον ὅσαν ὑπὸ τῇ θαλάττῃ, καὶ κεκρυμμένην Ἡλίῳ δῶρον ἀνεῖσαν θεοὶ, addit; καὶ τὸν τῶν Ἁλίων ἀγῶνα ποιεῖσθε. Caſtellus. *Nic. Lloyd.*

HALIACMON, fluv. Macedoniæ. Plin. *l.* 4. *c.* 10. Herod. *l.* 7. *c.* 127. Pecora candida reddens. Vide *Aliacmon*.

HALIÆETUS, aquilæ ſpecies ſexto loco numerata Plin. *l.* 10 *c.* 3. *clariſſimâ oculorum acie, librans ex alto ſeſe: viſoque in mari piſce, præceps in eum ruens & diſcuſſis pectore aquis rapiens*; Inde nomen accepit. *Idem tantum implumes etiamnum pullos ſuos percutiens, ſubinde cogit adverſos intueri Solis radios, & ſi conniventem nictantemque animadvertit, præcipitat e nido, velut adulterinum atque degenerem* &c. *Ibid.* In eam avem Pandareus, item Niſus, Megarenſium Rex mutati finguntur poëtis: de quo poſteriori Ovid. *Met. l.* 8. *v.* 146.

> *Et modò factus erat fulvis* Halyætus *in alis.*

de utroque vide ſuo loco. Tam verò ſimilis illi, inter accipitrum ſeu falconum ſpecies, lanius ſeu lanarius, ut

> — — — *ſæpe periti*
> *Ambiguo peccent decepti lumina vultu:*
> *Et niſi diverſo paſtu gauderet uterque,*
> *Sæpe repertores artis turpiſſimus error*
> *Argueret* ———

ut canit Thuan. *de Re Accipitr. l.* 1. apud Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poſt. l.* 2. *c.* 19. &c.

HALIARTUS, urbs Bœotiæ. Strab. *l.* 9. *p.* 410. ab *Haliarto* Therſandri fil. condita. Steph. Stat. *Theb. l.* 7. *v.* 274.

> *Gargaphie quorumque novis* Haliartus *ariſtis*
> *Invidet.* ———

Eſt & Peloponneſi opp.

HALICA, nomen mulieris.

HALICACABUS, è ſtrychnorum genere, frutex eſt, cujus radicem vaticinaturi olim adhibebant. Plin. *l.* 21. *c.* 31. Halicacabi *radicem bibunt, qui ſunt vaticinandi callentes quod furere, ad confirmandas ſuperſtitiones adſpici ſe volunt.* Nempe qui volebant aſpici furere & vaticinari, quaſi ab alicujus Numinis inſpiratione immiſſo furore, quia id pertinebat, ad confirmandas religiones, radicem hanc bibere ſolebant, ut ἔκστασιν inde conciperent & Numine repleri viderentur. De quo ementito furore Gallorum Cybeles, & fictâ vaticinatione, Gallandíque modo, vide Appulej. *Met. l.* 8. uti de Strychnorum effectibus, plurà infrà. *Bellonariam* & *Vaticam* herbam eam, quam ſumebant ad hoc, ut entheato ſpiritu pleni apparerent, appellatam quoque eſſe, ex *Herbario* alterius Appuleji, docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 1087. Vide etiam ſuprà, ubi de *Corybantiaſmo*.

HALICARNA, vide *Chalcis*.

HALICARNASSEUS Julianus, vide *Julianus*.

HALICARNASSUS, Cariæ civitas maritima, ad ſinum Ceramicum Argivorum colonia, in qua Mauſole, quondam nobiliſſimum opus extabat. Patria Herodoti, & Heracliti poëtæ, Callimachi ſocii, ac Dionyſii Hiſtorici, qui res Romanas conſcripſit. Regia olim Cariæ fuit. *Iſthmus* aliàs dicta. Diod. Sic. *l.* 17. Plin. *l.* 5. *c.* 29. & 31. Herod. *l.* 2. *c.* 178. Strab. *l.* 14. *p.* 656. Nunc *Meſi* vel *Meſſi* Sophiano. *Caſtel di S. Pietro* Nigro. Inter Jaſum ad Bor. & Cnidum ad Auſtr. Non longè Salmacis fons eſt, homines reddens effœminatos. Met. *l.* 4. Ferrar. Cæterùm ruderum urbis hujus magna pars viſitur hodieque, in loco quodam inculto, è regione inſ. Co, cui *Boudron* nomen eſt. Sed & nummi, fœderis inter eam & civ. Pergamum, ſub Caracalla Imp. initi, memoriam ſervantis, in cujus antica parte, Caracallæ & Getæ, ſe mutuò reſpicientium, facies; in poſtica, Apollinis imago & Æſculapii, cum Inſcr. ΑΛΙΚΑΡΝΑCCΕΩΝ ΚΑΙ . . . . ΣΕΞΤ. ΦΛΑΟΥ . . ſculptæ, meminit Jac. Spon. *Itin. Part.* 3 *p.* 180. Vide quoque eum *Part.* 1. *p.* 365.

HALICIA, opp. Ruſſiæ nigræ, in tractu *Pocucia*, ad Tyram fluv. cum arce munita. Olim magni nominis, & caput regni *Haliciensis*. Pòſt Duces ſuos habuit. Nunc deficit indies.

HALICYÆ, urbs Siciliæ. Steph. Inter Lilybæum & Entellam: Oppidani Ἁλικυαῖοι Diod. Sic. Cic. ac Plin. *l.* 3. *c.* 8. *Halicyenſes*. Vide ſis Cluv.

HALICYRNA, urbs Acarnaniæ. *Steph.*

HALIEIS, maritima urbs Laconicæ. Steph. Vide illum, ubi origo nominis, quòd nimirum ad mare ſita ſit. Schol. Thucydidis *Peloponneſi urbem* vocat, ad Trœzenem in Argolica reg. *l.* 1. Ἁλιεῖς, πόλις Πελοποννήσου περὶ Τροιζῆνα τῆς Ἀργολικῆς μοίρας. Poſtea *Tirynthis* dicta. Vide Steph. in Τίρυνθς. *Nic. Lloyd.*

HALIEUTICUM Boletar, librarum XX. apud Treb. Poll. *in Claud.* inter dona Gallieni ad Claud. miſſa: expreſſum cœlo habebat piſcatoris vel piſcaturæ ſpeciem, undè nomen. Quàm variis enim argumentis, in cælandis vaſis, Vett. luxuria luſerit, notum. Sic planè apud Theocrit. in poculo piſcator expreſſus habetur & effigiatus:

> Τοῖς δὲ μέτα, γριπεύς τε γέρων, πέτρα τε τέτυκται
> Λεπράς, ἐφ' ᾇ σπεύδων, μέγα δίκτυον ἐς βόλον ἕλκει
> Ὁ πρέσβυς, κάμνοντι τὸ καρτερὸν ἀνδρὶ ἐοικώς.

Et in boletari picta Galatea, in vet. *Epigr.* incerti Auctoris,

> *Ludere ſueta vadis privato nympha natatu*
> *Exornat menſas, membra venuſta movens.*
> *Comptas nolo dapes, vacuum mihi pone* boletar,
> *Quod placet, aſpiciam* &c.

apud Salmaſ. *Not. ad Poll.* Quid verò *boletar* ſit, vide *ſuprà*.

HALIMEDE, nympha. Vide *Damaſcus*.

HALIMUM, apud Plin. *l.* 17. *c.* 24. *Necant invicem inter ſeſe* (plantæ) *umbrâ, vel denſitate, atque alimenti rapinâ, necat & edera vinciens, nec viſcum prodeſt, & cytiſus; nec auro, quod* Alimon *Græci vocant*: quid ſit, etiam olim diſceptatum, eodem teſte *l.* 22. *c.* 22. Salmaſ. eſt *frutex Chali*, uti Arabes vocant, in Ægypto & Syria frequens, ex cujus cineribus, cum quodam ſilicum genere mixtis, pretioſa ac nitidiſſima cryſtallina conficiunt Veneti vitrarii. Creſcit etiam in Narbonenſi prov. ubi inde *Vitraria* dicitur: ſicut cineres ejus in lapidem ferruminatos *ſoldam* vocant iidem. Latini *Ampullaciam* dixére, ob eandem cauſam, quòd viz. ampullæ vitreæ fierent ex ea vel quòd ampullæ fractæ ſolidarentur eâ & maltharentur. Græcis Auctoribus κίμαρις & κόμαρος eſt, qui de ea mira prædicant: unde & Ἑρμοῦ βάσιν, & Ἡλίου στέφανον, item ἱερὸν κλάδον, *Mercurii baſin, Solis coronam, Sacrum ramum*, illam paſſim nuncupant Scriptores Chymici. *Salis* enim *Chali*, ſeu *alumini Catinæ*, quod idem cum ſolda Narbonenſium, frequens illis uſus eſt, præcipuè, in quibus ἡ πῆξις requiritur: eo Mercurium ſuum figunt, & ad argentum in aurum commutandum (qui *Sol* ipſis) utuntur &c. Certè herba Chali ſapore ſalſo eſt, unde & *Salſolam* eam Pandectarius vocat: ἅλιμον autem idem Græcè ſonat: quam & ἁλμυρίδα proin vocavit Menander *Trophonio*. Chali frutex eſt, in maritimis & juxta ripas aquarum ſalſarum naſcens, cui folium pingue, ſpiſſum, læve, oblongum. Abſtergentem vim habere, pannosque eo lavari, ſaponemque etiam præbere optimum, quinetiam mulieres eo uti, ad fucandam faciem & nitorem corpori conciliandum, Neoterici tradunt &c. Quæ omnia *halimo* Veterum conveniunt, inter cujus virtutes & hanc recenſet Plin. *præterea nitorem corpori fieri, dentibusque candorem, ſi fricentur radice ejus.* Ut alia omittam, quæ Salmaſ. præfat. pluribus exequitur *ad Solin. p.* 174. & 1096. Vide quoque infrà *Sinapi*, ubi de Hebr. voce חלמות quæ occurrit Jud. *c.* 9. *v.* 45.

HALITÆA, fons Epheſi, memoratur Plin. *l.* 5. *c.* 29. *Fons in urbe* Halitæa, *& templum Dianæ, complexi e diverſis regionibus duo Selinuntes*: ubi vulgò *Callipia* legitur. Sed Ἁλιταίων habet Pauſ. Ὑπέλαιον quoque dictum, ex Creophylo diſcas, quòd ſub illa oliva flueret, quæ ibi oſtendebatur, ſub qua pauſaverat primùm enixa Latona. Vide Salm. ubi ſuprà, *p.* 810. & 811.

HALITGARIUS, Ep. Cameracenſis & Atrebat. poſt Hildoardum, A.C. 816. Datus, cum Ebbone Remenſi, concionatus: à Ludovico Pio ad Michaëlem Balbum miſſus, A.C. 828. in reditu Obiit, A.C. 830. Scripſit de Virtutibus & Vitiis, de Remediis peccatorum & pœnitentia, &c. Caniſius edidit, *T.* 1. *antiqq. lect.* Vide Baldric. *Chron. Camer.* & Auctores laudatos Moterio *Dict. Hiſt.*

HALITUS, cujus reciprocatione cor animalis nativo igne æſtuans refocillatur, inter præcipua Dei beneficia meritò reponitur Apoſtolo Actor. *c.* 17. *v.* 25. *Deus dat omnibus vitam &* halitum *& omnia.* Hominis inprimis, cui peculiari ratione *inſufflaviſſe* Creator *in nares halitum vitæ*, dicitur Gen. *c.* 2. *v.* 7. metonymiâ etiam profanis Scriptoribus frequenti. Unde idololatricus planè is cultus, quo Ruſſi Magnum ſuum Ducem venerantes, inter alia, quæ ei in acceptis ferunt, *halitum* quoque numerant, ut vidimus. Cùm verò à dignitate ſua ſponte deſciviſſet homo, inter alia factum, ut *ejus tantùm* halitum *infici natura voluerit pluribus modis, & ciborum ac dentium vitiis, ſed maximè ſenio*, ut Plin. obſervat *l.* 11. *c.* 53. agnoſcens, quod mireris, *hujus quoque repertam pœnam eſſe, ut neque id ipſum, quo vivitur, in vita juvaret.* Hinc remedia undecunque huic quoque malo quæſita, *Parthorumque* (quibus id vitii à juventa, propter indiſcretos cibos, familiare eſt) *Proceres medentur grano Aſſyrii mali — in eſculenta addito, Ibid.* Quemadmodum hodieque Indi ſuavitatem halitus malabathrum, ſeu *betre* ſuum continuè maſticando ſibi conciliant. Sed & jejunis ſua graveolentia eſt, quæ ſumpto cibo emendatur. Significat eam Cæcil. Comic. apud Non. introducens maritum, uxoris parùm acceptæ odioſam comitatem & blanditias dedignantem,

> —— *Quis mihi, inquit, ubi*
> *Domum adveni, aſſedi, extemplo ſuavium*
> *Dat jejuna* anima ——

Vinoſis præſertim, poſtridie crapulæ: cui proin pellendæ Feſcennia cùm trochiſcos, ex aromatibus & pulviſculis odoratis confectos, jejuna ſumpſiſset, neque verò remiſiſſet fœtor, lepidè in eam jocatur Mart. *l.* 1. *Epigr.* 88. cujus Epigraphe ad Feſcenniam *v.* 5. ubi inter alia, rationem à contrario adducit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Quid quòd olet graviùs miſtum diapaſmate virus
Atque duplex animæ longiùs exit odor?

Vide plura apud Plin. *l.* XI. *c.* 53. Ut de cæteris animantibus unum hoc addam, *Animæ leonis virus grave, urſi peſtiens, contacta* halitu ejus *nulla fera attingit* — *Elephantorum anima ſerpentes extrahit, cervorum item urit.* De *halitu* morientium ore chariſſimorum legi ſolito, vide ubi de rebus ad hominis extrema pertinentibus; nec non infrà, de *Oſculo*: de *halitu* verò in vocem formato, ſuo loco.

HALIZON, fluv. Plin. *l.* 5. *c.* 32.

HALIZONES, pop. Paphlagoniæ, ſic dicti, quòd undique mari circumdentur. Steph. hos populos inter Myſiam, Cariam, ac Lydiam habitaſſe ſcribit ex Ephoro; & ita dictos videri tanquam Ἀ-λαζόνες, quòd divitiis ſuis ſuperbirent. Strab. *l.* 14. *p.* 678. & 680. Herod. *l.* 4. *c.* 17. Plin. ut ſupra.

HALLA, apud Recentiores, domus, domicilium, aula; ſed propriè locus contectus *hallis*, i. e. ramalibus ſiccis (id enim vox *hallus* notat in *L. Sal. tit.* 43. §. 3.) Maximè verò Francicis Scriptoribus ſic dictæ ſunt aulæ majores & publicæ, in quibus *Communiæ* congregantur, pro communibus negotiis, ubi etiam venum merces ſuas Mercatores exponunt. Rigord. *in Philippo Aug.* A. C. 1183. *Duas magnas domos, quas vulgò* Halas *vocant, ædificari fecit, in quibus tempore pluviali omnes Mercatores mundiſſimè merces venderent, & in nocte, ab incurſu latronum, tutè cuſtodirent.* Nangius *eod. Anno* &c. apud C. du Freſne *in Gloſſ.* Vide quoque in voce *Hallæ*.

HALLA Sueviæ, urbec. libera ad Cockerum amnem, in conf. Duc. Wirtemberg. 8. leuc. à Nerolinga in Circ. 6. à Wimpina in Ort. Inter præruptos montes; à ſalinis initium & nomen adepta: Fontes enim ibi aquâ ſalsâ fluentes, jam Ptolemæi temporibus conſpecti. Officinas ſalinarias habet 111. Sedes olim Nobilium fuit, qui turribus lapideis, inſtar caſtellorum, ibi extructis, eam *Sibenburgum* vocaverant. Suevis adverſus Francos præſidium præbuit, ludis torneamentisque nobilitata. Palæſtræ locus à Cæſaribus priſcis datus iis; qui duello juſtitiam cauſæ ſuæ tum demonſtratum ivêre. Cujus legis Carolus Imp. auctor habetur, qui eodem loci ludos Germanis exhibuit, & duelli judicium ad Senatum Populumque Hallenſem tranſtulit. Hallenſium vexillum in expeditionibus Imperii inter antecurſores & rotarios eſt, rubro & flavo colore, mortis vitæque ſigno. Vide Limnæum Enucl. *l.* 4 *c.* 26. Dividitur urbs à Cockero in duas partes, ſc. urbem & ſuburbium, quæ ponte junguntur. Joh. Brentium doctorem habuit, A. C. 1530. Ab urbe hac dicti *Hallenſes*, Germ. *Heller*, minutiſſimæ monetæ uſualis genus, quod ibi loci primò ſignatum. Vide Chriſt. Becmann. *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c. de Commerciis.*

HALLA Saxon. ſup. urbs ſatis culta Miſniæ, ſub proprio Duce, qui etiam poſſidet territor. adjacens, cum media parte Thuringiæ locisque aliquot in Duc. Magdeburg. cujus pars hæc urbs, à 4. ſalis fontibus vocata. Initio fuit pag. *Dobredor* dictus, qui A. C. 981. ab Othone II. Imp. in urbem eſt converſus. 5. leuc. à Lipſia in Bor. 3. à Merſeburgo, 10. à Magdeb. in Auſtr. Ejus meminit Sylloge Scriptorum Germ.

Halla *urbs eſt doctis, divitibusque potens.*

Sedem ibi habuit Aug. Joh. Georgii Elect. fratrum natu maximus Coadjutor Magdeburgicus, qui Archiep. creatus à Canonicis, A. C. 1628. & introductus A. C. 1638. cum Leopoldo Vilhelmo Auſtriaco propterea litem habuit: cæterùm pace Pragenſi A. C. 1635. & Oſnabrugenſi A. C. 1648. dignitas ei ad dies vitæ confirmata eſt. Unde inter Evangelicos Principes Primas, de Evangeliorum communi causâ hactenus bene mereri ſtuduit. Idem Comitatum Barbienſem, ultimo Comite A. C. 1659. Defuncto adivit, tituloque adjecit. Heldrungam munivit: Gymnaſium Aug. Weiſenfelſæ inſtituit & ibidem arcem pulcherrimam extruxit: Pater ex Anna Maria Megapolitana, ducta A. C. 1647. & Defuncta A. C. 1669. Joh. Adolphi (qui nat. A. C. 1649. maritus eſt Johannæ Magdalenæ agnatæ, ex Altenburgicis) Aug. (nat. A. C. 1650. qui Præpoſitus Magdeburgicus & Suecorum Chiliarcha, Mortuus A. C. 1671. viduam reliquit Carolam Haſſiacam) Chriſtiani (qui nat. A. C. 1651. Dux bellicus jam Imperio inſervit) Henrici (nat. A. C. 1657. qui Præpoſitus Magdeburgicus poſt fratrem factus eſt) Alberti (nat. A. C. 1659.) præter filias Magdalenam Sibyllam (quæ nat. A. C. 1648. Friderico agnato ex Gothanis nupſit) Annam Mariam (nat. A. C. 1653.) Sophiam (nat. A. C. 1654.) Catharinam (nat. A. C. 1655. θ. A. C. 1663.) Chriſtinam (nat. A. C. 1656.) Eliſabetham (nat. A. C. 1660. θ. A. C. 1663.) & Dorotheam (nat. A. C. 1662. θ. A. C. 1663.) qui omnes *Duces Saxoniæ in Hall* &c. Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.* & *Theatr. Part.* 1. *p.* 162. Obiit autem Aug. præfat. Coadjutor Magdeburg. A. C. 1680. quo pacto, ad Sereniſſimum Electorem Brandeburgicum, vi Pacificationis Monaſterio-Oſnabrugenſis, Hallæ aliorumque eſt delata ſucceſſio. Vide Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Hiſt. in Fam. Saxonica & Brandeburg.* nec non infrà, in voce *Magdeburgum*. Jam ibi Academia inſtituta, à Frid. III. El. hodierno, A. C. 1693. quæ indies Inaugurationem expectat, ingenti Studioſorum confluxu jam ſub initium numeroſa. *Feliciter.*

HALLÆ, apud Francos forum dicitur illud rerum venalium, quod à leproſorum Conventu extra Pariſios comparatum, Philippus Aug. intra urbem ſtatuit, loco qui dicebatur *Campelli*: ubi ampliſſimis ædibus extructis merces ſine imbrium moleſtia à mercatoribus exponerentur. Gaguinus in *Philippo Aug.* Vide ſuprà *Halla*.

HALLANDIA, prov. Daniæ, ſub Suecis, ab A. C. 1645. pace ad Bromsbroam. Pars eſt Gothiæ Merid. à Sept. in Mer. per 600. mill. paſs. extenſa, juxta Sinum Codanum. Lata vix 15. mill. paſſ. ab Ort. in Occ. Habet ab Or. & Sept. Weſtrogothiam, ab Occ. ſinum Cod. à Mer. Scaniam. Ibi urbes Falcoburgum, Helmoſtadium, Laholmia & Varburgum.

HALLENSE fanum, Hallis Hanoviæ municipio celebre, longinquo curſu & prodigiis, quibus teſtatam Numinis præſentiam accolis perſuaſum. Hæc Juſtus Lipſius latinâ facundia illuſtravit, quo velut pignore Romanam religionem & Imaginum reverentiam obſignaret. Quanquam contra alii ſcripto diſſeruêre, notas Sacerdotum fraudes, aliaque in quæſtum conficta, plura, quæ miracula dicantur, fortè aut naturâ accidiſſe: & tamen veteres Magos Ægypti maximè Tyaniumque & alios damnandi cultus Magiſtros, cum ſua placita operibus ſtupendis firmaverint, argumento eſſe nobis, demum iis habendam fidem, quæ uni Deo animos allegant, non alias aſciſcunt tutelas, nec ſimulacrorum vetitâ ſuperſtitione pietatem corrumpunt. Hugo Grot. *Hiſt. Belg. l.* 7. *ad* A. C. 1578.

HALLENSES, monetæ minutioris genus, Germ. *Haller*. Vide *Halla Sueviæ*.

HALLUS Joſephus, Leiceſtriâ Anglus, Ep. Exonienſis, dein Norvicenſis. Scripſit in varia loca S. Scripturæ, Angl. 3. Vol. Fol. Londini A. C. 1647. & 1660. &c. Urbano VIII. oppreſſis in Gallia Proteſtantibus circa A. C. 1628. inſultanti oppoſuit ſe ſcripto edito, *c. triumph. Urbani VIII.* Obiit A. C. 1656. Ær. 80.

HALMA, una ex tribus Gaditanæ ſaltationis ſpeciebus, qui à *ſaltu* nomen datum: hoc enim ἅλμα Græcis notat. J. C. Scalig. *poët. l.* 1. *c.* 18.

HALMUS, Siſyphi fil. frater Porphyrionis, filiam habuit Chryſogonem, ex qua & Neptuno natus eſt Minyas Orchomeniorum Rex. Alii tamen volunt ex Jove & Heſione filia Danai natum eſſe Orchomenum, qui Orchomeno Bœotiæ urbi nomen impoſuit, & ex Hermippe Bœoti filia Minyam genuit, quem tamen multi Neptuni filium eſſe volunt, quamvis Orchomeni fil. vulgò habeGretur.

HALMYDESSUS, urbs Thraciæ, P. Mela. *l.* 2. *c.* 2. *Almydeſſus* Ptol. *Salmydiſſus* Xenoph. *Stagnara* hodiè *Moletio*.

HALMYRIS, lacus Myſiæ inf. quem Danubius efficit. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

HALOA, Heſych. Ἀλῶα ἑορτὴ Ἀθήνησι. Cujus verò Dei ſuerit, haudquaquam exprimit, ut neque Harpocration & Suid. qui tamen ex Philochoro nominis originem exponunt: Ἀλῶα ... ἐστιν Ἀττικὴ, Φιλόχορος δέ φησιν ὀνομασθῆναι ἀπὸ τοῦ τότε τοὺς ἀνθρώπους τὰς διατριβὰς ποιεῖσθαι περὶ τὰς ἅλως. Ubi indicare videntur, hoc feſtum ab agricolis obſervatum, cùm ad meſſem accingerentur. Euſt. *ad Il.* 1. Cereris & Bacchi ſacrum eſſe ait, quod comportatis in horrea frugibus agitatur. Ἰστέον δὲ ὅτι ἐπὶ συγκομιδῇ καρπῶν, ἐφ' ᾗ καὶ τὰ Θαλύσια ἐθύετο, ἑορτὴ ἤγετο Δήμητρος καὶ Διονύσου κατὰ Πανσανίαν, Ἀλῶα καλουμένη, διὰ τὰς ἀπαρχὰς, καὶ μάλιστα ... Ἀττικοὺς, ἀπὸ τοῦ Ἀλῶ τότε καταχρώμενοι φερόντας εἰς Ἐλευσῖνα, Caſtellanus Nic. Lloyd.

HALOANDER Gregorius, vide *Gregorius*.

HALONÆ, Leuncl. *Solbazar*, opp. Ioniæ, in conf. Cariæ, apud Mæandrum fluv.

HALONE, inſ. Propontidis ante Cyzicum, opp. habens ejuſdem nominis. Plin. *l.* 5. *c.* 31. & 32.

HALONNESUS, inſ. maris Ægæi prope Thraciam, quam aliquando, omnibus qui mares erant, cæſis, tantùm feminæ tenuiſſe dicuntur. P. Mela *l.* 2. *c.* 7. Ob hanc inſ. Philippus & Athenienſes inter ſe contendêrunt. Eſt & alia Ioniæ. *Steph.*

HALOTUS Spado, qui Claudio inferre epulas & explorare guſtu ſolitus, infudit delectabili cibo boletorum venenum, à Locuſta datum, Agrippinæ juſſu. Tac. *Ann. l.* 2. *c.* 66.

HALSBERGA in *Teſtam.* Everhardi Ducis Forojul. apud Miræum *Cod. Donat. piar. c.* 21. *Et helmum cum Halsberga*: *Habergeon* in *Statutis* Vilhelmi Regis Scotiæ *c.* 23. §. 2. Lorica eſt maculis contexta, Gallis *Cotte de mailles*, Germ. *Halsbergh*, i. e. munimen colli, ex *hals*, collum; & *berghen*, tueri, cuſtodire, Kilian. Sic λωρίκια fuiſſe docet Leo in *Tactic. c.* 5. §. 4. μέχρι ἀστραγάλων ἀναστελλόμενα διὰ λωρίων καὶ κρικελλίων. At Beslius etymon accerſit, ab *al*, omnis & *berghen*, cooperire, ut *halsberga* fuerit armatura integra. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.* & Cl. Ottonem JC. *Notis ad B. Rhenan. Rer. Germ. l.* 2. *p.* 343. nec non ſuprà in voce *Brunia*. Similiter & *Halsfang*, vox Saxon. occurrit in *LL.* Henrici I. Regis Angl. *c.* 11. in *LL.* Canuti §. 57. & 67. & Edmundi §. 1. idemque notat, quod Colliſtrigium Latinis, vulgò *Pilorium*. Supplicii nempe machina eſt, quæ rei collum ex pegmate ſublati, inter duas tabulas, comprehendit, populisque ad ignominiam exponit. Aliquando vero & ipſa mulcta pecuniaria, in commutationem pœnæ hujuſmodi Regi vel Domino exſolvi ſolita, ſic dicitur,

HALSIUS Campus, vide *Tragaſæ*.

HALTER, apud Mart. *l.* 7. *Epigr.* 66. cujus Epigraphe in Philænium.

— *gravisque draucos*
Alterno *facili rotat lacerto.*

Et Apoph. *l.* 14. *Epigr.* 49. cujus Epigraphe *alteres*.

Quid pereunt ſtulto fortes Altere *lacerti?*
Exercet meliùs vinea foſſa viros.

Maſſa è plumbo eſt, ferro vel lapide, quibus in *ſaltu* ſeſe olim librabant, in Gymnaſiis Balneisque, ad ſudorem excitandum. Vide hîc infrà.

HALTERISTÆ dicti, qui HALTERIBUS ludebant. Erant autem Ἀλτῆρες diſco ſimile exercitationis genus, quod in palæſtra actitari ſolitum ſcribit Galen. Nam quòd duplex ſaltationis genus, ſeu exilitionis fuiſſe legimus; unum, quando ſaltantes vacuis manibus ſeipſos in ſublime agebant: alterum, quando manibus pondusculа capiebant, ut illis firmati vehementius ſaltarent; quæ Ariſt. & Theophraſt. ἁλτῆρας quoque nuncupavit: hi tamen multùm à prioribus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ribus erant diverſi, ut legere eſt apud Oribaſ. c. περὶ ἁλτηροβολίας ſeu *Halteris jaculatione*, ubi inter alia docet, *Halteres* ſolitos fuiſſe projici, aut manibus extenſis & viciſſim inflexis: aut in manuum protenſione, quæ quieſcebant & ut plurimùm brevi motu movebantur, ſolùm contineri; ipſos verò, qui exercebantur, non ſecundùm dorſi aſſenſum manibus viciſſim ſe flectere, conſueviſſe. Hinc etiam videmus, pondere iſtiuſmodi, variis modis fuiſſe emiſſa: perinde ac noſtrâ ætate apud multos in uſu habetur, qui ſe exercent, aut lapidem vel ferreum vel plumbeum manibus ac brachiis extenſis & circumactis in altum mittentes. Cujuſmodi exercitationis formam exactè videre eſt, in imaginibus *Halteriſtarum*, quas ex gemmis veteribus ſculptis acceptas Ligorium ad ſe miſiſſe, ſcribit Hier. Mercur. *de Arte Gymn. l.* 2. *c.* 13. *ubi Icones expreſſe.* Quales verò fuerint hi *Halteres*, Pauſ. exponit *Eliac. l.* 5. Οἱ δὲ ἁλτῆρες εἰσὶ παρέχονται σχῆμα τοῖον δὲ κύκλου παραμηκεστέρου, καὶ οὐκ ἐς τὸ ἀκριβέστατον περιφερεῖς εἰσιν ἥμισυ, πεποίηται δὲ ὡς καὶ τοὺς δακτύλους τῶν χειρῶν διϊέναι, καθάπερ δι' ὀχάνων ἀσπίδος. *Hi autem* Halteres *circuli oblongioris figuram habent, neque dimidio ad exactiſſimam rotunditatem perveniunt. Ita verò facta earum eſt figura, ut manuum digiti tanquam per clypei anſam immittantur.* A quo paulo diverſus Cœl. Aurel. *Chron. l.* 4. *c.* 2. *Halteres* fuiſſe docet maſſulas quaſdam, ſive manipulos ex variis materiis modò levioribus modò gravioribus confectos, eâ magnitudine, ut manu quilibet caperetur: qui, Mercurialis ſententiâ, non tantùm ſolis manibus, verùm etiam funiculis halteribus ipſis circumfuſis, deinde inter projiciendum explicatis emittebatur; perindè ac faciunt hiſce temporibus multi qui ſic aut rotulas ferreas, aut caſeos, aut quid aliud ſimile projiciendo certant. An verò Ἁλτῆρες à Platone, inter cæteras ad fortitudinem militarem comparandam excogitatas exercitationes nominentur, explicatum non habetur. Videtur tamen *de LL. l.* 8. ubi de mulierum propriis exercitationibus ſcribit, verbis hiſce, καὶ λίθοις ἐκ χειρός τε καὶ σφενδόναις ἁμιλλωμένων, id voluiſſe, ut tum lapidibus à manibus, tum à fundis emiſſis inter ſe certarent. Nam & ἁλτῆρες aliquando lapides erant, quos è manibus exercitatores ejicere conſuevêre: ut adeò diſſimile veri non ſit, ſub nomine lapidis manibus emiſſi ἁλτῆρα intellexiſse Platonem. Veluti certum eſt, fundam ab *Halteribus* diverſam, funiculum quendam fuiſse, qui duobus capitibus manu capiebatur, altero cum anſula, ne exiret; altero ſine, ut dimitti poſset, atque in medio latior erat, ut ibi lapis contineretur, quem, circumacto validè funiculo, & ab uno capite dimiſso, vehementer Funditores evibrabant &c. Vide Hier. Mercur. *de Arte Gymn. l.* 2. *c.* 12. & ſuprà *ſuo loco.*

HALUNTIUM, opp. Siciliæ exciſum. Vide *Alontium.*

HALUS, civitas Achaiæ, & Phthiotidis. Parmeniſcus aliam facit Malliacam Achilli ſubditam, aliam Proteſilao. Vide Steph. Parthicum opp. Tac. *Ann. l.* 6. *c.* 41.

HALWILLA, opp. ſeu caſtrum vet. Argoviæ, unde nobiliſſimæ familiæ nomen: ad effluxum fluv. Aa è lacu cogn. *der Hallweiler ſee*, A Bernenſibus, qui Tharingum Hallvillanum ſæpius infeſtum ſenſerant, in cineres redactum, circa A. C. 1415. poſtea reparatum eſt. Vide Stumpf. *l.* 7. *de Argovia*, *c.* 35.

HALYÆTUS, proprium viri, qui mutatus fuit in avem ſui nominis. Lege *Halyætus.* Fuit autem Niſi nomen. Ovid. *Met. l.* 8. *v.* 145.

> — *(Nam jam pendebat in auras;*
> *Et modò factus erat fulvis* Halyætus *in alis.)*

HALYATTES, Lydiæ Rex, Croeſi pater, qui ab eo *Halyatticus* cognominatur. Horat. *Carm. l.* 3. *Od.* 16. *v.* 41.

> *Quàm ſi Mygdoniis regnum* Alyattici
> *Campis continuem.*

HALYCIDON, eſt portus Maſſilienſis. *Baudr.*

HALYS Cyzicenus, à Polluce, in conflictu nocturno interemptus. Val. Flacc. Argon. *l.* 3. *v.* 157.

> *Hinc* Halyn, *hinc rigido tranſcurrens demetit enſe.*

HALYS, quibuſd. *Calis*, fluv. Aſiæ min. in Tauri montis radicibus naſcens, Cappadociæque, Syriæ ac Paphlagoniæ agros irrigans, ac tandem contra Aquilonem in Euxinum mare ſe evolvens. Baudr. fontes habet in Galatia, ubi juxta Gangre labitur; & rigatis aliquot urbibus Galatiæ & Paphlagoniæ, ibi in ſinum Amiſenum cadit, 20. mill. ab Amiſo in Ort. Ovid. *l.* 4. *de Ponto Eleg.* 10. *v.* 48.

> — *Et crebro vortice tortus* Halys.

Crœſi fato nobilis erat olim hic fluv. Oraculum notum eſt,

> Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν διαλύσει.

Recitat aliquoties tum Suid. tum alii. *Sed oraculo Crœſus deceptus, quum regnorum opes expectaret, ſuas profligavit*, Cic. *de Div.* Lucan. Civ. Bell. *l.* 3. *v.* 272.

> *Quâ Crœſo fatalis* Halys. ——

Nic. Lloydius. Herod. *l.* 7. *c.* 26.

HALYZIA, opp. Epiri, nunc *Alcipo*, ad dextram Acheloi ripam. Baudr. Quibuſd. nunc *Trigordon*, ubi magna ſuperſunt antiquitatis veſtigia. Hîc Lacedæmonii ab Athenienſ. mari devicti ſunt. *Xenoph.*

HAM ſive HEM, lacus in tribu Gad, in quo olim habitavêrunt Zuzim vel Zozim, h. e. *viri robuſti*, horrendique gigantes.

HAMA, veterum Saxonum Numen, de quo Fabric. *in Saxonia ſua*, ipſum Solem fuiſſe tradit. Fortè ab Hebr. חמה *chama*, i. e. *Sol*: unde *Ammonis* quoque vox orta videtur. Vide Joh. Voſſ. *de orig. & progr. idol. l.* 2. *c.* 11.

HAMA, Gr. ἄμη, *l.* 3. *de Officio Præf. Vigil.* alibique *in Pandectis*, recenſetur inter inſtrumenta, quibus utebantur in reſtinguendis incendiis: quod etiam docet Juv. *l.* 5. *Sat.* 14. *v.* 305. Vide ſuprà in voce *Ama*

R. HAMA, præſes Nahardeæ, Annis 15. circa An. 4117. juxta calculum R. Davidis Ganz.

HAMADRYADES, nymphæ. Virg. *Ecl.* 10. *v.* 62.

> *Jam neque* Hamadryades *rurſus, nec carmina nobis*
> *Ipſa placent.* —— ——

Ubi Serv. *Nymphæ*, inquit, *ſunt, quæ cum arboribus naſcuntur & intereunt*; ἀπὸ τοῦ ἅμα, καὶ τῆς δρυός, qualis fuit illa, quam Eriſichthon occidit. Ovid. *Met. l.* 8. *v.* 738. quæ moriens ait:

> Nympha *ſub hoc ego ſum Cereri gratiſſima ligno.*

Catull. *Hamadryades Deas* vocat Carm. 63. *v.* 23. & poſuit pro Naiadibus, vel Napæis, ut vice versâ Naias pro Hamadryade poſita legitur apud Ovid. Faſt. *l.* 4. *v.* 229.

> Naiada *vulneribus ſuccidit in arbore factis;*
> *Illa perit: fatum Naiados arbor erat.*

Et Prop. *in fabula Hylæ*, Hamadryadas poſuit pro Naiadibus. *l.* 1. *Eleg.* 20. *v.* 32.

> *Ah dolor ibat Hylas; ibat* Hamadryaſin.

Idem *l.* 2. *Eleg.* 32. *v.* 37.

> *Hoc &* Hamadryadum *ſpectavit turba ſororum.*

Idem ibid. *El.* 34. *v.* 75.

> *Quamvis ille ſua laſſas requieſcit avena,*
> *Laudatur faciles inter* Hamadryadas.

Horat. *Carm. l.* 1. *Od.* 1. *v.* 31.

> Nympharum *Reges cum Satyris chori.*

Apollon. *l.* 2. *Argon.*

> — Ὃ γάρ οἱ οἶος ἐν οὔρεσι δένδρεα τέμνων
> Δή ποθ' Ἁμαδρυάδος νύμφης ἀθέριξε λιτάων.
> Ἥ μιν ὀδυρομένη ἀδινῷ μειλίσσετο μύθῳ,
> Μὴ ταμέειν πρέμνον δρυὸς ἥλικος, ᾗ ἔπι πουλὺν
> Αἰῶνα τρίβεσκε διηνεκές. αὐτὰρ ὁ τήν γε
> Ἀφραδέως ἔτμηξεν ἀγηνορίῃ νεότητος.

Ubi Scholiaſtes: Ἁμαδρυάδας νύμφας Μνησίμαχός φησι διὰ τὸ ἅμα ταῖς δρυσὶ γενέσθαι, ἢ ἐπεὶ δοκοῦσιν ἅμα ταῖς δρυσὶ φθείρεσθαι Ἁμαδρυάδες λέγονται. Χάρων δὲ ὁ Λαμψακηνὸς ἱστορεῖ, ὡς ἄρα Ῥοῖκος θεασάμενος δρῦν ὅσον οὔπω μέλλουσαν ἐπὶ γῆς καταφέρεσθαι, προσέταξε τοῖς παισὶν ὑποστηρίξαι αὐτήν, ἡ δὲ μέλλουσα συμφθείρεσθαι τῇ δρυῒ νύμφη, ἐπιστᾶσα τῷ Ῥοίκῳ, χάριν μὲν ἔφασκεν εἰδέναι ὑπὲρ τῆς σωτηρίας, ἐπέτρεπεν δὲ αἰτήσασθαι ὅ,τι βούλοιτο. Ὡς δὲ ἐκεῖνος ἠξίου συγγενέσθαι αὐτῇ, ὑπέσχετο δώσειν τοῦτο, φυλάξασθαι μέντοιγε ἑτέρας γυναικὸς ὁμιλίαν παρήγγειλεν, ἔσεσθαι δὲ μεταξὺ αὐτῶν ἄγγελον μέλισσαν, καί ποτε πεσσεύοντος αὐτοῦ παρίστατο ἡ μέλισσα. Πικρότερον δὲ ἀποφθεγξάμενος, εἰς ὀργὴν ἔτρεψε τὴν νύμφην, ὥστε πηρωθῆναι αὐτόν. Καὶ Πίνδαρος δέ φησι περὶ νυμφῶν ποιούμενος τὸν λόγον,

> Ἰσοδένδρου τέκμαρ αἰῶνος λαχοῖσαι.

Nic. Lloydius.

HAMÆ, opp. Camp. in monte, apud Cumas, urbem exciſam, ubi ſylva adhuc *Selva de Hami*, à lacu Tripergolino parum, à Cumis 3. mill. paſſ. diſtans.

HAMÆNICI, pop. Sarm. Eur. in ora Mœoticæ palud. inter oſtia Boryſthenis & Tanais. Forſan *Hamaxici.*

HAMAN, vide *Aman.*

HAMARTIGENIA, nomen libri, quem compoſuit Prudent. apologiæ loco, contra Marcionem; cujus ſectatores, quum Auctorem ſuum ſequuti, duos Deos, bonum bonorum & malum malorum architectum aſſererent: Prudent. ſententiam hanc refellens, veram mali originem hoc libro ſibi propoſuit exponere, quem proin ἁμαρτιγένειαν, h. e. *peccati generationem*, inſcripſit. Dom. Macer *in Hierol.*

HAMATA & Aſellata, factionum in Belgio nomina, vulgò *de Hoeckschen ende Kabeliaauſchen*, quorum illi Margarethæ, Ludovici Bavari uxori addicti erant, iſti Vilhelmo Margarithæ filio favebant. Eodem tempore in Anglia Roſæ albæ & rubræ: in Rep. Veneta Moroſinorum & Caloprinorum: in Friſia *van de Schiringers ende Vetkopers*: In Flandria *van de witte Munnikskappen*, & prius in Germ. Italiaque Gibellinorum & Guelphorum diſſidia fervebant, vide Aventin. Ann. Bojor. *l.* 7. Boxhorn. *Hiſt. Univ.* ad A. C. 1411. Item A. C. 1125. &c. & ſuprà in voce *Aſellata.*

HAMATH, 2. Sam. *c.* 8. *v.* 9. ubi *Toi* ſeu *Thui* regnaſſe, Davidis Regis tempore dicitur, magna eſt urbs ad Orontem ſita, quam Macedones *Antiochiam* poſtea dixêre. Caput fuit *terræ Hamath*, h. e. totius terræ tractus, à Terræ S. finibus uſque ad Euphratem, ad cujus introitum ponitur limes Iſraëlis Sept. Joſ. *c.* 13. *v.* 5. Ea eſt Syria Damaſcena, inter Antilibanum & Libanum ſita, cujus *caput Damaſcus*, Eſ. *c.* 7. *v.* 8. aliter *Arambeth-Rehob*, 2. Sam. *c.* 10. *v.* 6. In *Hamath-Soba* Salomon munivit Palmyram, in terra ſolitudinis, quæ uſque ad Euphratem pertingit, 2. Par. *c.* 8. *v.* 3. Syri *Thadamoram* vocant. Meridionalis vero pars propriè *Chanaan* dicta eſt. Marſham. *Can. Chron. Sec.* x.

HAMATHÆUS, fil. Chanaan. Gen. *c.* 10. *v.* 18. 1. Par. *c.* 1. *v.* 16. Inde *Hamathæi* terræ *Hamath* incolæ, quorum metropolis Hamath eſt Antiochia, ſi Olympiodoro credimus, & Paraphraſtis Jonathani & Jeruſalem, & Rabbino Solomoni. Sed obſtat quòd in ſcripturis toties *ad introitum Hamath* Sept. figitur Terræ ſanctæ terminus, quam nemo locorum peritus Antiochiam attigiſſe dixerit. Huic dubio facile eſt occurrere ex Hieronymo, qui *Hamath*, vel *Hemath* du-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

duplicem fuiſſe ſtatuit, quarum una ſit Græcorum *Antiochia*, altera *Epiphania*. Illam addit vocari *magnam*. Amoſ. *c.6. v.2.* ad diſtinctionem minoris, Epiphaniæ ſcilicet. Nic. Lloydius, vide ſuprà.

HAMATICUM, vulgò HAMAY, locus Flandriæ, ad Scarpim fluv. in diœc. Atrebatenſi, cum cœnobio, à Gertrude avia materna Adalbaldi Rictrudis viri condito. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

HAMAXA, regio Bithyniæ. Steph. Item ſidus quod nos Septentriones dicimus, à figura, quia plauſtri ſimile videtur. A. Gell. *l.2.c.21.* Hom. *Odyſſ. ε.*

Ἄρκτόν θ' ἣν καὶ Ἅμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσι.

Leander apud Muſæum,

Καί μιν ἐποπτεύων σὺν ὄψομαι δύσιν Βοώτου,
Οὐ θερμοῦ Ὠρίωνα καὶ ἄβροχον ὁλκὸν Ἁμάξης.

Nic. Lloydius.

HAMAXANTINA, pars tribûs Hippothoontidis. *Steph.*

HAMAXIA, civitas aſperæ Ciliciæ. Steph. ex Strab. *l.14. p.669.*

HAMAXOBITÆ, vel HAMAXOBII, pop. Sarm. Europeæ. Verſus conf. parvæ Scythiæ, ubi nunc pars Mer. Moſcoviæ:

Quorum plauſtra vagas rite trahunt domos.

Uti loquitur Horat. Sic etiam Africæ populi quidam vocari poſſunt, de quibus Sil. Ital. Pun. Bell. *l. 3. v. 290.*

Nulla domus, plauſtris habitant: migrare per arva
Mos, atque errantes circumvectare penates.

Plin. *l. 4. c. 12.*

HAMBERGA, Comitatus Germ. ſub propriis olim Comitibus, quibus originem dedit Arnoldus, quintus & minimus natu fil. Walravii Naſſoviæ Comitis, ex Barbara Muntzenbergii Toparchæ filia. Is enim ductâ in uxorem Demhildâ, Toparchæ Arenbergii filiâ, à feudo ſive dote ſponſali nomen poſteris tradidit. Fil. ejus Ludovicus arcem *Hambergenſem* ſtruxit, unde Comitum Hambergenſium Weſtriciorum origo: qui ſurculus jam arbori Naſſoviæ agnatus eſt. Cyr. Lentul. *Geneal. Princ. Naſſov. MS.*

HAMBURGA, munita, præclara & maxima inf. Saxoniæ urbs. Olim ſedes Archiepiſcopatus, qui poſtmodum à Præſule Anſgario Bremam translatus eſt, A. C. 830. Ludovico Germ. aſſentiente. Nomen habet ab *Hammone*, qui eam inſtauravit, unde Latinè *Hammanisburgum* F. Irenico dicitur. Alb. Crantzius ab *Hama*, inſigni pugile nomen accepiſſe exiſtimat, qui à Starcathero Dano gigante hoc loci, ante urbis ædificationem, occiſus perhibetur. Aliis potiùs dicta videtur, à voce *Ham*, i. e. ſilva, ſeu ſaltus, quòd olim ſilva inter Alſteram & Billam flum. *Ham* dicta, ibi fuerit. Addunt quidam. Dominos de Ham, tempore Caroli Mag. ibi locorum condidiſſe arcem, quam *Hamburg* appellarint. Sed Hamburgum à Carolo Mag. contra Danos conditum, A. C. 809. Crantzius vult *l. 2.* qui etiam Hamburgenſem Epiſcopatum, ubi primus Antiſtes Heridagus fuit, inſtituit. Idem. E cujus ſucceſſoribus Anſcarius floruit, A. C. 826. Dominum olim habuit Albionem Nord-Albingorum principem, Wittikindi patruelem, cum quo Chriſtianam fidem amplexus eſt. Dein Hermannus Billingus, inf. Saxoniæ Dux ab Ottone I. creatus, Hamburgum rexit, & poſt eum fil. Benno: cujus poſteritate extinctâ, Lotharius Saxoniæ Dux, Adolpho Comiti Schawenburgi, regimen Holſatiæ & Hamburgi commiſit, quod hic tenuit uſque ad A. C. 1137. Ejus nepos Adolphus III. acceptâ magnâ pecuniæ ſummâ, ampla civitati privilegia conceſſit, quæ à Friderico Barbaroſſa confirmata ſunt. Hoc abſente ab Henrico Leone urbs everſa, ſed ab Adolpho ex Oriente reduce recuperata eſt: quo tamen paulo pòſt à Waldemaro Duce Slesvic. fratre Canuti Regis Daniæ, victo, A. C. 1203. Rex Albertum, Comitem Orlamundenſem, Hamburgo præfecit, qui Senatui 150. marcis auri jus ſuum vendidit: viâ ſic urbi ad libertatem factâ, quam poſtea Adolphus IV. confirmavit: à quo tempore libera civitas titulotenus tantùm ſub imperio Holſatiæ Comitum fuit. De controverſia inde inter civitatem & Holſatiæ Duces oborta, vide Limnæum Enucl. *l. 4. c. 25.* Fridericus II. Daniæ Rex cum civibus, qui jam per totum ſexennium à portubus Daniæ, Norvegiæ & Islandiæ excluſi erant, tranſegit A. C. 1579. naves illorum dimiſit, novumque vectigal ſali impoſitum remiſit, hac lege, ut intra quinquennium L. talerorum cIɔ. ſibi ſolverentur. Thuan. *Hiſt. l. 68.* Status Reip. ſenſim ad puram Democratiam vergit. Bugenhagio, ſub initium Reformationis, doctore uſa, Lutheri doctrinam ſequitur; acerrimeque ſe Joachimus Weſtphalus, Reformatis, qui ſub Maria Regina Anglia ejecti huc appulêrunt, A. C. 1554. ſe oppoſuit. Horum tamen non contemnendus hodie ibi cœtus, quibus ad ſacra ſua, in vicinum pagum Daniæ Regi ſubjectum *Altena*, excurrere permiſſum. Vide Limnæum ſupra laudatum, Lætum *Comp. Hiſt. Univ.* Aquis eſt inſtructiſſima, & ad mercaturam ſitu admodum opportuno, ac Anglorum frequentiâ hodie celeberrima. Mœnibus, foſſis, vallo, divitiis & incolis, nihil Hamburga cultius, nihil munitius videri poteſt. Ex præcipuis eſt Hanſeaticarum, 16. mill. Germ. à Brema in Bor. 6. à Stada in Ort. Cum portu capaci, quò navigia ſupervehuntur per Albis æſtuar. Ibi Alſtera amnis in Albim cadit. 18. mill. Germ. ab Albis oſtio in Ort. Creſcit in dies; *Baudr.*

HAMBURGENSIS Albertus, vide *Albertus.*

HAMCOMUS Martinus, vide *Martinus.*

HAMDAN, fil. Diſan. Gen. *c. 36. v. 26.* qui 1. Par. *c. 1. v. 41.* *Hamra* dicitur.

HAMED Ben Abdalla, contendentibus inter ſe de Africæ Imperio Sceriphiis, ſimulato Spiritu Prophetico, ſeſe à Deo miſſum jactabat, pro liberanda ab eorum tyrannide Africa & Religionem Muhammedis tutandam: ſicque rebellione contra illos excitatâ, regnis Fezzæ & Maroci non contentus, *totius Africæ, omniumque ad Chinam uſque regionum* ſeſe appellavit *Regem*. Contra quem Mulei Sidan Marocci Rex ducto exercitu, arte Magicâ & incantationibus ab eo victus eſt; ſed fraude intellectâ, receptis ſecum aliis Magis, iiſdem artibus novum hunc Saracenorum Imp. ſuperavit ac fluctuantem Sceriphiorum familiam, extincto æmulo, reſtituit, circa A. C. 1612. Georg. Horn. *Orb. Imp. p. 478.* ubi eum *Mulei Hamed Ben Abdalla* vocat.

HAMELA, urbs Duc. Brunſvic. inter Hildeſſium ad Ort. & Paderbornam ad Occ. ſub Hannoveræ Duce. Hîc magus, ob non ſolutum pretium, quòd glires ſubmerſiſſet, 130. liberos civium monte obruit, A. C. 1284. unde nova Hamelenſibus ratio numerandi annos. Calviſ. ex *Hiſt. Hamelenſi.* Vallem urbis obequitans Chriſtianus IV. A. C. 1625. lapſu equi in foſſam profundam, malo omine prolapſus eſt. Hîc quoque Auſtriaci à Suecis gravi clade bello Germ. afflicti.

HAMELTONUS Patritius, ſuo martyrio lucem Evangelii in Scotia accendit, circa A. C. 1544. quo tempore doctrinâ ſuâ idem præſtitit Joh. Cnoxus, aliique, Buchan. *l. 15. &c.*

HAMILCAR, binominis fuit. Æmil. Probus. ſive C. Nep. in *ejus vita*, quæ ſic incipit: *Hamilcar, Hannibalis fil. cognomento Barca.* Polyb. *l. 1.* Οἱ δὲ Καρχηδόνιοι κατὰ ταῦτα στρατηγὸν καταστήσαντες αὐτῶν Ἀμίλκαν τὸν Βάρκαν ἐπικαλούμενον. Diod. Sic. *in Fragm.* Ἦν γὰρ ὁ Ἀμίλκας ὁ Βάρκας ἐπικαλούμενος.

HAMILCAR, patre Carthaginenſis, matre Syracuſanâ, ob virtutem factus Carthaginenſium Rex, h. e. Dux, poſt cladem ſuorum in Sicilia nuſquam comparuit, etſi Gelo Syracuſanus eum ſedulò juſſerit inquiri. Quare hinc factum, ut à ſuis in Deos referretur, Athenag. *Legat. pro Chriſtian.* Vide quoque Herod. *Muſa 7.*

HAMIPPI, Græce Ἅμιπποι, quaſi *Pedites ſimul Equitesque*, apud Heſych. militum genus, qui interdum pedeſtri, interdum equeſtri, certamine defungebantur. Ex equis autem iſtos pugnaviſſe, ex Iſæo; quàm inter pedites, ex Thucydide & Xenoph. Harpocrationis *Lexicon* notat: additque, à Philochoro πρόδρομοι, antecurſores, vocari. *Dimachos* appellat Curt. *l. 5. c. 13.* ubi de Alexandro Darii inſidiatores perſequente; quo demum tempore id militum genus ab ipſo inſtitutum, ex Ariano colligas *l. 3.* *Quum intelligeret, non poſſe pedites ſe feſtinanter equitantem ſequi, equites circiter quingentos equis deſilire jubet, & Duces peditum, aliosque præſtantiſſimos quosque, ita, ut pedites erant armati equos conſcendere.* Qua de re ſic Jul. Pollux, *Erat*, inquit, *& aliud equitum genus, Dimachæ dicti, ex inventione Alex. Mag. armorum apparatu inſtructi leviore, quàm qui eſt equitum: excr... eſt peditum gravis armaturæ; graviore verò, quàm qui eſt equitum: ... citati in utramque — pugnam — Equum autem apprehendebat ac cuſtodiebat famulus aliquis, qui in ſolum eum uſum unà ſequebatur &c.* Idem conſilium poſtea ſecutus eſt Cæſ. *de Bell. Gall. l. 1. c. 42.* *Commodiſſimum eſſe ſtatuit, omnibus equis Gallis equitibus detractis, legionarios eo milites — imponere.* Hodieque non abſimiles ab iſto genere ſunt equites, qui *Dragones* vulgò nuncupantur, bombardas geſtantes oblongas, ex humeris dependulas &c. Raderus & Freinshemius *Not. ad Curt. d. l.* Vide plura apud Sixtum Arcerium *Not. ad Ælian.*

HAMMÆUM Littus, Ptol. *Ammonium*, prom. Arabiæ Fel. in ora maris Rubri, *Capo d'Aden* Moletio. Ibi aurum. Plin. *l. 6. c. 29.*

HAMMANIENSES, pop. Africæ inter Naſamones ac Troglodytas: ubi domus ex ſale fiunt, teſte Solin. *c. 3.* qui etiam ib carbunculum gemmam reperiri tradit. De illorum ſitu ita Plin. *l. 5. c. 5.* *Poſt Naſamones Hasbitæ & Macæ vivunt. Ultra eos Hammanientes undecim dierum itinere à Syrtibus majoribus ad Occid.* Solino *Amantes* dicuntur, *c. 38.* ad quem vide Salmaſ. *p. 378. & 381.* Vulgò *Hammanienſes*, ut vidimus.

HAMMARIA, urbec. Epiſcopal. Norvegiæ, in præf. Aggerhuſia, in conf. Dalecarliæ prov. Suecicæ, 30. leuc. à Bergis in Ort. 25. ab Asloga in Bor. Vulgò *Hammeren*, vel *Hammer.*

HAMMOCHRYSOS Lapis, apud Solin. eundem *c. 37.* ubi de lapidibus Perſiæ, *arenis auro intermixtis, nunc bractearum nunc pulveris habet quadrulas* i. e. parvas teſſellas ſeu quadratos γόμφους: ab arenæ mixto *auro* dictus. Plin. *l. 37. c. 11.* *Similitudo eſt in hammochryſo, velut auro harenis mixto.* Sed quod de *quadrulis* habet. Solin. auctoritate deſtituitur, uti in Perſide hanc reperiri gemmam, præter illum, nemo ſcribit. Vide Salmaſ. ubi ſuprà *p. 712.*

HAMMODARA, opp. inter Ægyptum & Æthiopiam. Plin. *l. 6. c. 29.*

HAMMODYTES, ſerpentis genus *arenæ concolor*, unde ei nomen. Lucan.

Concolor exuſtis, atque indiſcretus arenis
Hammodytes ——

Quamvis enim ut ait Plin. *l. 8. c. 23.* *quod ad ſerpentes attinet, vulgo tum eſt colorem ejus plerasque terræ habere, quâ occultentur*, maximè tamen id de *hammodyte* verum; quem cum *cenchria* vel *cenchrine* eundem facit Salmaſ. *ad Solin. p. 340.* Sed de *ceraſte* idem Diod. Sic. habet *l. 3.* ubi eum χρόαν ἄμμῳ παραπλησίαν ἔχειν, arenam colore referre, & proin ab imprudentibus calcari illosque remordere, quo pacto Æthiopiæ partem Ægypto ſubjectam prorſus olim id genus deſolaverit, ſcribit. Vide ſuprà ubi de *Ceraſte*, nec non in voce *Ammodytes.*

HAMMOLANT vel HAMMELANT, nomen Comitatus memorati Nithardo *l. 1.* & in *Annalibus* Bertinianis *ad A. C. 832.* ut & in ...

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

iiſdem *ad* A.C. 839. inter Ducatum Friſiæ & Comitatum Batavorum locati, quem poſtea Hollandiam dictum eſſe putat Hadr. Valeſ. Nomen Germanicum eſt, compoſitum ex *haton* quod vicum ſignificat, & *lani*, vel *iand*, i. e. terra vel regio. Vide eum *Not. Gall.* in voce *Moilla*.

HAMMON, Tritonis Noë nepotis fil. Rex Aſiæ, qui Rheam accepit in uxorem. Beroſus *l.* 4.

HAMMONIACUM, Libybus olim ad ſuffitus ſacros adhibitum, θυμίαμα hinc ſimpliciter dictum eſt. Vide infrà *Sabina herba*.

HAMMONII, ſeu AMMONII Ptol. pop. Arabiæ Fel. ad Ammonii, ſeu Hammonium littus.

HAMMONIS Jovis fons, interdiu frigidus, noctibus fervet. Vide *Ammon*.

HAMMUS, non obſcurus locus, ad Suminam, à Francis conditoribus, nomine Francico *Ham*, quod vicum ſeu domum, & habitaculum, ſicut hodiernum *Haim*, notat, dictus. Vulgò *Han*: Picardis *Hen*. Ad idem flum. eſt minor Hammus, *Petit Hen*. Plurima alia loca hoc nomine venientia, vide apud Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

HAMON, Jovis cogn. qui in arena putatur inventus, quæ Græcè hoc nomine ἄμμος appellatur: Ei cornua affiguntur arietis, à genere pecoris, inter quod inventus eſt. Mela de Cyrenaica, *l.* 1. *c.* 8. *Ibi ea Ammonis oraculum*, Plin. *l.* 5. *c.* 5. Mirum autem eſt, Ammonis oraculum poni ab omnibus ferè Græcis Latiniſque in Cyrenaica, & vicinum ipſis Cyrenis; cùm tot interſint gentes, & quadringentis, ut ipſi fatentur, diſtet ab ea millibus. Sed variè accipitur Cyrene, vel Cyrenaica. Sæpiſſimè enim ponitur pro Pentapolitana provincia. Modò verò multo latiùs id vocabulum patet, accipiturque pro ea regione, quam ſub hoc nomine Ptol. deſcribit. Cum verò quàm latiſſimè ſumitur Cyrenaica; tum comprehendit omne id, quod à Syrti Majore uſque ad Ægyptum extenditur. Itaque ſub hoc nomine veniunt tota Marmarica, & Libya exterior. His contrarii ſunt illi, qui totum hunc tractum Marmaricam vocant, ipſamque etiam in ea collocant Cyrenaicam. In ſitu Ammoniaci templi non minor eſt auctorum diſcrepantia. Nonnulli enim proximè Syrtibus, quidam in Garamantum regione, alii alibi eſſe inquiunt. Mirus verò Geographus eſt Lucan. qui modò in Marmarica, modò ad Syrtin majorem inter Leptin & Berenicen, modò verò apud Garamantas templum hoc collocat, uti Civ. Bell. *l.* 9. *v.* 511.

Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus unum
Inculti Garamantes habens: ſtat certior illic
Jupiter, ut memorant, ſed non ut fulmina vibrans,
Aut ſimilis noſtro, ſed tortis cornibus Ammon.

Ita Voſſ. emendat hos verſus ex antiquiſſimis membranis, ubi vulgò, *Stat corniger illic*, quod ineptum iſto loco; cùm ſequatur *ſtatim*, *ſed tortis cornibus Ammon*. *Certior* autem Jupiter vocatur *Ammon*, quia ut inquit Arrian. *l.* 3. Ἀτρεκὲς ἐλέγετο εἶναι τὸ μαντεῖον Ἄμμωνος. Plures verò, uti diximus, Oraculum iſtud in ipſa putarunt eſſe Cyrenaica, cùm tamen neque imperium, neque nomen Cyrenenſium unquam eò pertigerit. Sed niſi fallor, quia Cyrenenſes hunc præcipuè Deum colerent, ac ſibi ſolis cultum ejus attribuerent, factum eſt; ut in Cyrenaica templum ejus eſſe multi exiſtimarint. Pindari eruditus Scholiaſtes idem ferè ſenſiſſe videtur *ad Odam* 4. *Pyth.* ubi Cyrene collocatur Διὸς ἐν Ἄμμωνος θεμέθλοις. Hæc enim annotavit ad iſtum locum, Πῶς τὴν Κυρήνην τοῦ μαντείου πλησίον εἶναί φησι; ἀπέχει γὰρ ἱκανοῖς σταδίοις. Ἀλλὰ ῥητέον ὅτι πᾶσα ἡ χώρα ἀφιέρωται τῷ θεῷ. Hinc eſt, quòd in multis Cyrenæorum nummis imago Ammonis compareat. Nic. Loydius. Ejus effigiem poſt extinctam Cyrenis Battiadarum familiam, in Cyrenenſium nummis, unà cum Silphii caule ſculpi cœpiſſe, diximus ſupra, in voce *Battus*. Vide quoque *Arietina Cornua*. Sed & *Hammonis cornu* gemma dicta; cujus Solin. meminit *c.* 27. ubi de Africa Cyrenaica reg. *Illic & lapis legitur*, Hammonis *vocant* cornu: *nam ita tortuoſus eſt & inflexus, ut effigiem reddat cornu arietini. Fulgore aureo eſt. Prædivina ſomnia repræſentare dicitur, ſubjectus capiti incubantium.* Ad quem locum vide Salmaſ. *p.* 350. & *ſeqq.* ubi etiam de arbore *Hammoniacum* ſtillante varia.

HAMON, civitas Nephthali. 1. Par. *c.* 6. *v.* 76. Joſ. *c.* 19. *v.* 28.

HAMON-NO, apud Ezech. *c.* 30. *v.* 15. urbs eſt Ægypti maxima & celeberrima, quæ *Thebæ* aliàs, Græcis Διόσπολις, *Jovis civitas* dicta eſt. Qui enim Hebræis *Ham* (h. e. Chamus ſeu Menes) Ægyptiis. *Jupiter Hammon* vocatus eſt. *Herod. l.* 2. *c.* 42. Ἀμμοῦν Αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία, *Ægyptii Jovem appellant Hammun.* Et Plutarch. *Iſide*, Ἴδιον παρ' Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Διὸς εἶναι τὸν Ἀμοῦν, ὃ παράγοντες ἡμεῖς Ἄμμωνα λέγομεν ſcribit, *Proprium Jovis nomen apud Ægyptios eſſe Hamun; unde Græci Hammonem deducunt.* Vide hîc paſſim, inprimis in voce *Menes*, it. ubi de *Thebis Ægyptiis*.

HAMOTH-DOR, civitas tribûs Nephthali. Joſ. *c.* 21. *v.* 32. Levitis & profugis homicidis aſſignata.

De HAMPOLO Richardus, vide *Richardus*.

HAMPTONI Curia, caſtrum Angliæ, in Midleſexia prov. cum palatio ſuperbiſſimo Regum, à Thoma Volſæo Cardin. excitato, & ab Henrico VIII. perfecto, ad Tameſin fluv. 8. mill. ſupra Londinum in Occaſ.

HAMRAM, vide *Hamdan*.

HAMUEL, fil. Maſma. 1. Par. *c.* 4. *v.* 26.

HAMUL, fil. Pharez Gen. *c.* 46. *v.* 12. 1. Par. *c.* 2. *v.* 5.

HAMUM, urbs Weſtphaliæ, ad Lippiam fluv. in Comit. Marchiæ, & conf. Diœc. Monaſter. 5. leuc. Germ. à Monaſterio in Auſt. Arensbergam verſus, ſub Elect. Brandeb. Quibuſdam *Hamma*; eſtque urbs Hanſeatica. Vide *Hammus*.

HAMUM ſeu HAMETUM, urbec. permunita Picardiæ, in Veromanduis ad Somonam fluv. media ferè inter Peronam ad Bor. & Noviodunum ad Auſtr. 4 leucis à Quintinopoli. Vide ſimiliter in voce *Hammus*.

HAMUS, an ab ἅμμα, *ligamentum*, an ab ἁρπάζω, *rapio*, an potiùs ab Hebr. חח, ut cenſet Becmann. in *Originib. L. L.* notum piſcibus capiendis inſtrumentum eſt: quo quòd non niſi ex auro uteretur Nero, inter argumenta luxus ejus jure reponitur. Vide infrà, ubi de Re *Piſcatoria*. Inventor ejus, ut & eſcæ, lineæque piſcatoriæ & ratium Chryſor. fertur, vide ibi. Imò & vulpes lupoſque *hamo* ſeu unco capi, dicemus ubi de *Vulpibus*. Sed & *hamus* in ſmaragdina Paſchalini armilla, ab altero capitulo eminens, cujus iconem Bartholin. exhibet, idem præſtitit, quod in aliis fibulæ, circulive, aut clavi, ſeu cloſulæ, de qua re vide Thom. Bartholin. *Sched. de Armillis Vet. p.* 59. & 60. de *hamulis* Loricarum verò infrà in voce *Lorica*. Vide etiam aliquid Lemmate, Uncæ *manus*. Inde *Hamatus*, cujuſmodi inſtrumentum utrinque *hamum* referens, ex auro, cum annulo à quo ſuſpendi poſſit, Germ. *gelber Widerhacken, oder inſtrument bey den enden, mit zweyen widerſtromiſchen angeln*, fortè *Gileiſen* olim dictum, Gileiſſiorum in Auſtria Baronum δεῖγμα eſſe, notat Phil. Jac. Spener. *Art. Heraldin. Part.* 11. *l.* 2. *c.* 31. §. 2.

HAN vel HAEN Ulricus, vide *Ulricus*.

HANAN fil. Maacha. 1. Par. *c.* 11. *v.* 43. Fil. Sirac. 1. Par. *c.* 8. *v.* 23. Fil. Aſel. Idem *c.* 8. *v.* 38. & *c.* 9. *v.* 44. Neh. *c.* 7. *v.* 49. *c.* 8. *v.* 8. Fil. Jegedeliæ Jer. *c.* 35. *v.* 4. 1. Par. *c.* 4. *v.* 20.

HANANEEL nomen Turris Jeroſolymæ, Neh. *c.* 3. *v.* 1. Jer. *c.* 31. *v.* 38.

HANANI, pater Jehu Prophetæ 1. Reg. *c.* 16. *v.* 3. 1. Par. *c.* 16. *v.* 18.

HANANIAS, pater Selemiæ, Jer. *c.* 37. *v.* 13. Pater Zedechiæ Principis, Jer. *c.* 36. *v.* 12. Fil. Zorobabel, 1. Par. *c.* 3. *v.* 19. & *c.* 8. *v.* 23. Nomen Prophetæ, Jer. *c.* 28. *v.* 1. Item comes Azariæ & Miſaël.

HANAPERIUM, apud Wilh. Thorn in *Chron. Hi* 4. *bacini in uno hanaperio*: vas amplum eſt, ſive locus hanapis (quâ voce *vas, patera, calix, crater, in Gloſſ.* Ælfraci, apud Hariulf. *l.* 2. *c.* 10. alibi, venit) recondendis aptus. Præſertim verò apud Anglos ſic dicitur Fiſcus, vel ſporta grandior, in Cancellaria Regis, cui inferuntur pecuniæ, è ſigillatione diplomatum, brevium, chartarum regiarum &c. provenientes, cui qui præeſt, *Clericus hanaperii* dicitur. Fortè, quia in Fiſco olim hoc recondebantur *hanapi & ſcutræ*, cæteraque vaſa, quæ in cenſum ac tributum perſolvi ſolebant. Guibert. de *Vita* ſua *l.* 3. *c.* 4. *Magnus ille cenſus monetæ Anglicæ*, hanaporum & *ſcutrarum, qui malè coaluerat, brevi dilapidatus eſt.* Vel etiam, quia, quæ in pecunia numerata Principibus quotannis exſolvabantur munera, in *hanapis* ſeu pateris, præſtabantur, uti monet C. du Freſne *ad Joinvillam p.* 86. De quo more Symmach. *l.* 10. *Ep.* 28. ubi de ſtrenis annuis Imp. oblatis: *Merito vobis ſolemnes pateras cum quinis ſolidis, ut Numinibus integritatis, offerimus* &c. apud eund. C. du Freſne *in Gloſſ.*

HANAPIS, fluv. Scythiæ. *Herod.*

HANATHON, civitas in terra Zabulon. Joſ. *c.* 19. *v.* 14.

HANCO Fortena, Friſo, ſub diverſis Principibus rerum à ſe geſtarum ſcriptor. Suffridus Petri, *de ſcr. Friſ. decur.* 6. *c.* 6.

HANES, civitas Ægypti. Iſa. *c.* 30. *v.* 4.

HANIEL, fil. Olla. 1. Par. *c.* 7. *v.* 39. Fil. Ephod, Princeps tribus Manaſſe. Num. *c.* 34. *v.* 23.

HANNEBONTUM, vulgò HENNEBONT, opp. Britanniæ min. aliàs permunitum, ad Blabiam fluv. 4. leuc. ab ora Oceani Aquit. 3. à Blabia opp. in Bor.

HANNI, nomen viri. Neh. *c.* 12. *v.* 9.

HANNIBAL, vide *Annibal*.

HANNIBAL Grimaldus, Com. Bobienſis, quòd ſe in clientelam Galliæ Regis dediſſet, à Duce Sabaudiæ capite plexus, Comitatuſque ejus in fiſcum redactus eſt, A. C. 1617. Horn. *Orb. Polit. p.* 242.

HANNO, Ep. Colonienſis, liberavit Germaniam à latrociniis, auſpiciis, Henrici IV. Imp. A. C. 1072. Lætus *Comp. Hiſt. Univ.*

HANNO, vide *Anno*.

HANNONIA, vulgò Le HAINAULT Gallis, HANNONIA Hiſpanis & Italis, HENNEGAW Germanis, provincia eſt ampla Belgii, quam Scaldis fluv. alluit ex parte, & Henius amnis, undè regioni nomen bifariam ſecat. *Pannonia* quibuſdam primitus dicta videtur, à Pane ibi culto. Poſtea *Saltus Carbonarius*; exin *Picardia inf.* tandem *Hannonia*. Longitudo ejus 20. leuc. latitudo 16. circiter cenſetur. Olim ſub Nerviis ſeu Tornacenſibus erat, poſtea ſub propriis Comitibus, ad quos Comitatus quoque Hollandiæ pervenit, Joh. Comite ſine liberis Mortuo, circa A. C. 1299. Ortis dein in Hollandia turbis, & ferventibus Aſellatâ ac Hamatâ factionibus, Margaretha tandem filio Vilhelmo cedere, & *Hannoniâ* contenta eſſe coacta eſt, circa A. C. 1351. Comes Hannoniæ poſtea, tempore horrendi illius in Eccleſia ſchiſmatis, cùm Paparum alter Romæ, Avenione alter reſideret, neutrum agnovit, ad imitationem Regis Aragoniæ, Ducis Britanniæ, & Reip. Leodienſis. Tandem Comitum ſtirpe extinctâ, ad Auſtriacos Comitatus matrimonii jure devenit: vaſtatus ab Henrico II. Gall. Rege circa A. C. 1552. Aër ibi temperatus, ſolum fertile, & celebribus quibuſdam fluminibus irriguum; marmoris inſuper, ferri & plumbi ferax: Urbes fertur continere mœnibus cinctas 24. vicos 950. exceptis caſtellis quorum non exiguus numerus. Ibidem unus Principatus, octo Comitatus minores, duodecim Pariatus, viginti duæ Baroniæ, viginti ſex Abbatiæ, cum Mareſcallo, Seneſcallo, Magno Venatore, Cubiculario, aliiſque Principis Officiariis, quæ dignitates hæreditariæ ſunt, eſſe dicuntur. Terminatur ab Or. partim Comitatu Namurcenſi, partim Brabantiâ, à Sept. Flandriâ, ab Occ. partim Flandriâ, partim Arteſiâ, à Mer. autem Picardiâ; ſubeſtque ex parte Regi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Franciæ, & ex parte Regi Hiſpaniæ. Ejus primaria eſt Montes, quam Valentianæ ſequuntur, quæ ambæ in medio ferè provinciæ ſitæ ſunt. Inter reliquas urbem Bavacum *Bavois*, quæ antiquis Cæſarum temporibus maximè floruit, notabilis viarum egreſſus memoratu dignam efficit. Vide *Via Brunchildis*, & plura de *Hannonia* apud Matth. Voſſ. *Ann. Hollandiæ*, Guicciardin. *deſcr. Belgii*, &c. Item in voce *Hainoum*.

Urbes Hannoniæ præcipuæ.

Anguianum, *Anguien*, ſub dominio Hiſpanorum.
Athum, *Ath*, ſub dominio Francorum.
Avenna, *Aveſnes*, Francorum.
Binchium, *Binche*, Francorum.
Bochanium, *Bouchain*, Francorum.
Condatum, *Condé*, Francorum.
Landrecium, *Landrecies*, Francorum.
Mariæburgum, *Mariembourg*, Francorum.
Malobodium, *Maubeuge*, Hiſpanorum.
Montes, *Mons*, Hiſpanorum.
Philippovilla, *Philippeville*, Francorum.
Quercetum, *le Queſnoy*, Francorum.
Valentianæ, *Valenciennes*, Hiſpanorum.

HANOVERA, vulgò *Hanover*, urbs Germ. in Ducatu Brunſvicenſi, egregiè munita, ad Leinum fluv. & Ducum ſedes, 3. leucis infra Hildeſium in Bor. Novoſtadium versùs, & 6. à Brunſvico in Occaſ. Ejus Princeps. Joh. Fridericus, qui Catholicus eſt & ex Ducibus Bruſvicenſibus, Georgii quippe Ducis Cellenſis, minor natu fil. Coadjutor Oſnabrugæ factus, poſſidet mediam partem Ducatus Brunſvicenſis cum territoriis Calembergico & Grubenhagenſi: ubi urbes Hannovera, Hamela Embeca, Neoſtadium, Gottinga, Northeimum, & Oſteroda. Præterito ſeculo fœderi Smalcaldico urbs inter alias Imp. civitates acceſſit, Sleidan. Jam ſedes IX. Electoratus.

HANNOVIA, regio Germ. Eſt autem Comitatus, & pars Veteraviæ, cujus opp. præcipuum *Hannovia*, ſcholâ illuſtri, arteque Typographicâ dives, ac nobilis, à Francofurto 10. mill. Germ. Vide *Hanovia*.

HANOK, clamor militaris, apud Anglos olim in uſu, cujus mentio apud Nic. Upton. *de Milit offic. l. 4.* ubi Statutum Henrici V. tempore belli exhibet, inter alia habens? *Item ſi quis clamorem vocatum* Hanok *aliquo modo ſine noſtra licentia inceperit, morte punietur.* Vide quoque ſuprà, *Clamor*.

HANONES, ſeu *Hannones*, Belgicæ populi.

HANOSBATES, Chiliarchus Perſa ſub Rege Dario Hyſtapſis, cujus meminit Polyæn. *l. 7.* quamvis ibidem Interpres legat Rhanosbates.

HANOTH, ſeu *Chanoth*, Hebr. i. e. *Tabernæ*, locus Synedrii olim Judæorum, de quo vide infra in voce *Lithoſtratus*.

HANOVIA, vulgò *Hanaw*, opp. permunitum Germ. in Franconia, medium inter Francofurtum ad Occaſ. & Aſciburgum ad Ort. Proprio Comiti patet. Sedet ad Kintzium fluv. qui paulò infra cadit in Mœnum; & varias Germ bello expertum eſt vices. Vide & *Hannovia*. Addo hîc, quòd Memoria ſtirpis hujus à pluribus jam ſeculis inter Wetteravicos Comites floruit; neque conjugia alia ſumpta ſunt, quàm dignitati propriæ paria. Plurium prætereà deficientium inſitione crevit; Unde Muntzenbergicus, Rheineccius, Ziegenhainenſis, (qui iterum è domo exiit) Liechtenbergius, Bipontinus, tituli A. C. 1451. Reinhardus Obiit, pater Reinhardi ac Philippi: quorum ille *Hanovicum* ramum propagavit, donec extremos ejus palmites, *Hanovicum* Philippus Ludovic. A. C. 1641. *Schvvartzenfelſium* Joh. Erneſtus A. C. 1642. terminarent. Hic ab uxore Lichtenbergicum dominium accepit, novæ lineæ auctor; cui ex Bipontina familia Bitſchenſis & Ochſenſtenia (non ſine controverſia cum Leiningenſibus Weſterburgicis) hæreditas acceſſit, atque demum ipſa Agnatorum ſucceſſio. Præcipua poſteritatis ſpes ſupereſt in ſobole Joh. Reinhardi *in Biſchoffsheim*, cujus Majores ita habent. Philipp. Comes *Hanoviæ in Liechtenberg* Extinctus A. C. 1538. ex Sibylla filia Chriſtophori March. Badenſis, pater fuit Philip. cognom. *Senioris*: qui Defunctus. A. C. 1590. ex Eleonora Furſtenbergia, reliquit Philippum cognom. *Juniorem*, qui Obiit A. C. 1599. Hoc & Margaretha Bipontina nat. Joh. Reinhardus I. Deceſſit A. C. 1627. ſucceſſore fil. ex Maria Eliſabetha Hohenloica, Philippo Wolffgango: qui (Extinctus A. C. 1641.) ex Johanna Oetingenſi ſuſcepit Frideric. Caſimirum, Joh. Philippum & Joh. Reinhardum II. quorum hic ex Anna Magdalena Palatina ſuſcepit Joh. Magdalenam, A. C. 1660. Luiſam Sophiam A. C. 1662. Franciſcam Albertinam A. C. 1663. Philippum Reinhardum A. C. 1664. & Joh. Reinhardum A. C. 1665. omnes *Comites Hanoviæ* &c. *lineæ Liechtenbergicæ in Biſchoffsheim*: Defunctus A. C. 1666. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Eur. p. 156. Parte I.* Idem ex illuſtriſſima familia lineæ Schwartzenfelſiæ, quam ramus Muntzenbergicus ex ſe dedit, mentionem facit *Part. II. p.* 116. & eorum, qui Muntzenbergici rami ultimi fuêre, Majores notat, *Part. III. p.* 56.

HANSA, vox priſca Germ. i. e. fœdus concilium, unde *Hanſeaticæ* civitates nomen traxêre: quamvis alii à mari, ubi præcipuæ earum ſitæ, quaſi *an der See* vocitatas illas malint. Continentur hoc fœdere non tantùm civitates immediatæ, ſed & aliæ; etiam extra Imperii limites ſitæ. Initum fœdus hoc, pro ſecuritate commerciorum, poſt confectum bellum Danicum, circa A. C. 1260. & firmius coiit, A. C. 1270. Aliis, ad A. C. 1206. imò altius ad A. C. 920. quo Henricus Auceps palabundos Hunnos ad Danubium propulit, ejus primordia referentibus. A ſinu Finnico uſque ad Rheni oſtia civitates extenſæ, etiam alias in ſocietatem admiſêrunt, quæ nempe jus claudendi & aperiendi portas ſuas haberent. Unde tantopere fœdus mox crevit, ut ſub Henrico III. Angliæ Rege 62. civitates in hoc corpus coaluerint, quibus poſtmodum quatuor aliæ acceſſêre. Diviſum eſt in 4. claſſes, membra ſeu Metropoles, Lubecenſem, Colonienſem, Brunſvicenſem & Boruſſiacam, cujus Dantiſcum; ſicut totius corporis Lubeca caput eſt: Vide infra. Præterea quatuor habuêrunt emporia civitates hæ, Londinum in Britannia, Brugas in Belgio, Novigradiam in Ruſſia, & Bergas in Norvegia. Gubernata primò Ariſtocraticè Societas fuit, cum ingenti mercatorum commodo, dein de Principe Teutonico tanquam capite conſtituendo deliberatum eſt, fuitque honor hic Magno Boruſſiæ Magiſtro delatus. Tandem à variis Principibus Regibusque expetita dignitas, exiguo ſocietatis emolumento: quæ claſſe olim opibusque potentiſſima hodie plurimum imminuta eſt, à quo poſt A. C. 1500. decreſcere cœpit. Vide Angelium Werdenhagen *in Centon* Waremundum ab Ehrenberg *de Fœderibus l. 2. c. 2. n.* 44. Conringium *de fœdere Hanſico exercit.* qui Flandrorum & Hollandorum mercaturæ & rei nauticæ ſtudium Hanſicis multum detrimenti attuliſſe docet: Sic enim interceptus monopolii fructus, & mox præcipua nautici commercii vis ab illis ad Hollandos tranſiit. De quæſtione *an fœdus hoc licitum Legibus atque Conſtitutionibus Imperii ſit?* Vide Limnæum Jur. publ. *l. 4. c. 1.* certè Conringius modò laudatus non minimum id Imperii labem arguere, quòd adeò ingens ſocietas nullâ auctoritate publicâ coieri, aſſerit, loco laudato. Interim à variis Imperatoribus fœdus hoc confirmatum oſtendunt alii: Apud eund. Vide *Hanzeaticæ urbes*.

HANSGRAVIUS, in *Privilegiis* Ratisbonæ datis à Friderico II. A. C. 1230. *Cives poteſtatem habebant eligendi* Hansgravium, *qui diſponat & ordinet extra civitatem & non intra, ea tantùm quæ reſpiciunt negotia nundinarum*: Comes eſt ſeu præfectus ſocietatis vel confraternitatis, ex Germ. *Hanſe*, ſocietas & *Grave*, Comes præfectus. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.* ut & in voce *Hanſa*.

HANTONIA, vulgò *Hantshire*, prov. eſt ſeu Comitatus Angliæ Meridionalis. Terminatur à Mer. mari Britannico & Vecti inſ. ab Occaſu Dorcetia & Viltonia, à Sept. Bercheria, & ab Or. Suſſexia; eſtque ſatis ampla & culta. Ejus caput eſt Vintonia, *Winchester*, ſuntque etiam in ea Suthamptonia, *Southampton*, opp. lautum, Portus oſtium, *Porthmouth*, & Rumſea, *Rumſey*, in mediterraneis.

HANTVILIUS Johannes, vide *Johannes*.

HANUM, nomen viri. Neh. *c. 3. v.* 30. Item oppid. Comitatus Veromanduorum, captum à Philippo II. Hiſpaniæ Rege A. C. 1557. ſed Anno ſeq. Henrico II. Gall. Regi redditum Joh. Matal. Metell. Vide *Hammum*.

HANUN, fil. Naash, Regis Ammonitarum. 2. *Reg. c.* 10. *v.* 1. 1. *Par. c.* 19. *v.* 2.

HANZEATICÆ, ſeu *Anzeaticæ* urbes, *les villes Anzeatiques*, urbes ſunt Germaniæ pro majori parte, quæ commercii causâ convenêrunt poſt piratica Danorum & Normannorum bella, fœdusque inter ſe iniêrunt; & collatis pecuniis, etiam claſſes inſtruxêrunt, & multa bella geſſêrunt. Sed nunc urbium illarum fama multùm imminuta eſt. Sic dicta fuêre aut à veteri voce Germanica *Hanſa*, *h. e. Aſſemblée*, aut à nomine Teutonico *Hanſa*, h. e. immunitas; quia illæ urbes multis privilegiis gaudebant. Porrò in quatuor provincias diſtinguuntur, Lubecenſem ſcilicet, Colonienſem, Brunſvicenſem, & Gedanenſem; habentque ſibi ſociatas urbes Sexaginta quatuor, nimirum Vandalicas Sex, Pomeranicas ſeptem, Boruſſicas ſex, Livonicas tres, Saxonicas tredecim, Weſtphalicas decem, Clivicas ſeu Marchicas ſex, Tranſiſalanas tres, Gueldricas ſeptem, Friſiacas tres. Lubeca, *Lubeck*, caput eſt totius Anzeatici fœderis. Habet autem junctas ſibi civitates Vandalicas quinque, Hamburgum nempe, Roſtochium, Wiſmariam, Stralſundam, & Luneburgum, ac præterea Pomeranicas, Stetinum, Anclamum, Golnoviam, Gripswaldiam, Colbergam, Stargardiam, & Stolpam. Colonia Agrippina, *Cologne*, quæ A. C. 1481. Hanzeaticarum urbium numerum auxit, primaria eſt ſecundæ regionis civitas; habetque ſibi ſociatas urbes Clivenſes & Marchicas, Veſaliam, Duisburgum, Emericum, Warburgum, Unnam. Hammam; tum Weſtphalicas, Monaſterium, Oſnabrugum, Tremoniam, Suſatum, Herfordiam; Paderbornam, Lemgoviam, Bilefeldiam, Lippiam, & Cosfeldiam; tum Gueldricas, Noviomagum, Zutphaniam, Ruremundam, Arenacum, Venloam, Elburgum, Harderovicum; & Tranſiſalanas, Daventriam, Campos, Zuollam; ac denique Friſicas, Groningam, Bolsverdiam, & Staveram. Brunſvicum, *Brunswick*, primaria tertiæ provinciæ Hanzeaticæ civitas, habet ſub ſe urbes Saxonicas, Magdeburgum, Goſlariam, Embecam, Gottingam, Hildeshemium, Hannoveram, Ulam, Buxtehudam, Stadam, Bremam, Hammelam & Mindam. Gedanum, *Dantzik*, primaria Pruſſiæ civitas, habet ſub ſe Regiomontem, Calmariam, Torunium, Elbingam, Brunsbergam, Livonicas quoque urbes, Rigam, Dorpatum, & Revaliam. Eſt & in Norvegia Berga, *Bergues*, juris Hanzeatici. Vide quoque ſupra in voce *Hanſa*.

HAOAXUS, vulgò *Haoaxe*, & *Aoaxe* fluv Africæ, oritur è vaſtis montibus in Abaſſinia, in confinio provinciarum Xaoæ & Oggæ, auctusque undis alterius fluminis dicti *Machi*. Orientem versùs excurrit in regnum *Adel*, quod vulgò à Luſitanis appellatur regnum *Zeila*, cujus primariam, dictam *Avea Gurrelé*, præterlabitur. Dicitur hic aquarum mole nihilo minor eſſe Nilo, & 600. mill. paſſ. curſu ſuo conficit; & quod Ægyptiis Nilus, id ipſum Adelis præſtat fluv. Haoaxus teſte Iſaaco Voſſ. & Hier. Lobo Luſitano qui illas partes luſtravit.

HAPALA. Ova, apud Marcell. Empiric. *ſtatim dare debes cimam & betam coactam vel alicam, vel ova* hapala, *vel ungellam diſcoctam*: item Apicium, ut obſervavit Turneb. Unde *hapalar & apalar*, vide ſuprà.

HAPHAM, fil. Hir. 1. Par. *c. 7. v.* 7.

HA-

HAPHE, vide *Coniſterium*, it. *Lucta*.

HAPHNIA, vulgò *Coppenhagen*; urbs eſt Selandiæ inſ. & Daniæ regni primaria. Diſtat 9. leucis à Varingburgo in Bor. Elſenoram verſus, fuitque obſeſſa per aliquot menſes à Rege Sueciæ hiſce poſterioribus annis, irrito tamen conatu. Dicitur etiam *Hafnia*, vide ibi.

HAPHRA, qui & *Apries*, Ægypti Rex.

HAPHRATAIM, civitas in tribu Zabulon. Joſ. *c.* 19. *v.* 19.

HAPHSIBA, mater Manaſſe Regis. 2. Reg. *c.* 21. *v.* 1. Lat. *voluntas mea in ea*.

HAPIOLA, cogn. Balduini Com. Flandriæ, filii Roberti II. in *Chron. o Andrenſi p.* 409. qui Mejero & aliis *Securis* dicitur. Bellocampius prom *hapiolam* interpretatur vernaculè *hapiette*, ſeu *ſeculam*, Gallicè *Hachette*, *petite Hache*, *in Hiſt. Merovingica*, apud C. du Freſne.

HAPPELIUS Wigandius, & interpres, Marpurgenſis, Lovanii Gemmæ Friſii & Petri Nannii; Witenbergæ Lutheri, Melanchthonis, C. Crucigeri & Joh. Pomerani; Argentorati Petri Martyris, Buceri, Sturmii, Fagii, Hedionis; Tiguri Conr. Pellicani, auditor: *Hebrææ* L. *Canones* Baſileæ edidit, ejuſque Profeſſor Marpurgi conſtitutus eſt. Poſtmodum A.C. 1556. Juris Utriuſque Doctor creatus, Codicem tractavit; Conſulatus dignitate tandem auctus. Obiit A. C. 1572. Æt. 50. P. Freher *Theatro Vir. erud. clarer.*

HAPPHIM, fil. Machir. 1. Par. *c.* 7. *v.* 15.

HAPSELIA, vulgò *Hapſel*, urbs Livoniæ: in Eſtonia provincia & Vickeſlandia regiunc. ad ſinum parvum cogn. in ora maris Baltici. Antea Epiſcopal. ſub Archiep. Rigenſi. 2. leuc. Suec. à Lehalio in Bor. 11. à Revalia in Occ. ſub Suecis.

HAPSUS, in 7. *l.* Celſi, *inducitur* hapſus *lanæ mollis*, *tepido oleo repletus*, inter Vett. periapta. Remedia enim, ſive quæ Medici imperabant, ſive quæ ſuperſtitio ſuadebat, vel ars Magica, perſæpè lanæ involuta affectæ parti admovebant. Et quidem ſuccum remedio futurum vel adhibebant *collectum flocco*, ut Plin. ait: vel *lanæ hapſo* utebantur &c. Caſaub. *ad Suet. Galba c.* 3. Vide quoque ſuprà *Galbea*, & infrà *Lana*.

HARACIUM, apud Vinc. Belvacenſem *l.* 31. *c.* 143. 10. *millia equorum --- præter illos qui erant in paſcuis & haraciis*, & *l.* 1. *Cod. Theod. de Grege Dominic. Greges dominici*, *haracia dominica*: grex equorum eſt ἱπποφορβεῖον Procopio *Vandalic. l.* 1. *c.* 12. & *Goth. l.* 4. *c.* 7. Gallis vulgò *Haras*. An ex Lat. *Hara*, ſtabulo vel grege porcorum; an ex Ital. *la Razza*, ſeu Gallico *la Race*, quòd in ejuſmodi *Haraciis* equi, ſecundum ortus, generationis ac nationis ſpeciem diſtinguantur. Nemeſian. *in Cyneget.*

> --- --- *Delectus equorum*
> *Quos Phrygiæ matres Argææque gramina paſtæ*
> *Semine Cappadocum ſacris præſepibus edunt.*

Vide omnino Jac. Gothofred. de gregibus dominicis Impp. *ad dict. tit.* Sed & Francici Reges ſua habuiſſe *haracia* leguntur, in *Capitulari de Villis*, quod Carolo Mag. adſcribitur; Vide quoque Greg. Turon. *l.* 8. *c.* 40. ubi *jumentorum fiſcalium* meminit. Etiam Impp. CP. citerioris ævi, quibus præerat Magiſtratus, Λογοθέτης τῶν ἀγελῶν dictus, cujus, præter Codin. meminit Pachymeres *l.* 9. *c.* 5. &c. Aliud longè eſt *Haraſſe*, in *Aſſiſiis* Hieroſolym. *MSS. c.* 94. ubi de armis agitur Militis, duello pedes decertantis, pro cauſa *murdri*: nempe ſcutum ingentis magnitudinis & ponderis; unde *haraſſer* Gallis hodie pro *fatigare*; quemadmodum *targer*, eadem fere notione, à *targia*, ſcuto itidem prægrandi, effictum eſt. Ingentium ejuſmodi ſcutorum meminit Rigordus A. C. 1214, *Quidam de obſidione conſueverat venire ad foſſas*, *parmâ prætentâ*, *quam quidem famulus ante ipſum portabat*; *non manuali quidem parmâ*, *ſed immensâ*, *quales in obſidionibus deferri ſolent*, apud C. du Freſne *in Gloſſ.*

HARAD, ſive *Harada*, fons, ſive locus in quo caſtrametati ſunt Iſraëlitæ profecti de Sepher. Num. *c.* 33. *v.* 24. Jud. *c.* 7. *v.* 1.

HARAJA, pater Eziel. Neh. *c.* 3. *v.* 8.

Reges Angliæ.

HARALDUS I. fil. nothus Canuti I. patri ſucceſſit in Anglia, excluſo Canuto II. filio ejus legitimo, quem Angli ſurrogatum volebant. Vitiis deditus, Canuti patris uxorem pepulit, ipſe ſubditis inviſus Deceſſit, A C. 1039. Regni 4. Gul. Malmesbur. Polyd. Virg. & Chenius *Hiſt. Angl. Rogerus.*

HARALDUS II. Anglorum Rex, Comitis Godwini fil. Toſto fratri regnum invidens, Haraldum Norvegiæ Regem, ſpe regni prædæque, in fratrem commovit. Nic. Lloyd. Electus poſt mortem Eduardi, qui Gulielmum Normannum hæredem dixerat, Haraldo Norvegiæ Rege qui Eboracum obſidebat victo, à Gulielmo poſtea prælio ſuperatus & occiſus eſt. A. C. 1066. Gul. Malmesbur. *Paris.*

Reges Daniæ.

HARALDUS I. Daniæ Rex pulſus à ſuis ob fidem, ad Ludov. Pium ſe recepit, A. C. 826.

HARALDUS II. Chriſtianiſmum amplexus eſt, miro ferri candentis, ſine læſione geſtati, permotus. Apoſtolus totius Septentrionis, à Suenone fil. adhuc Ethnico, interemptus. A. C. 980. Regni 50.

HARALDUS III. Suenonis hujus fil. Obiit A. C. 1076. Regni 2.

Reges Norvegiæ.

HARALDUS I. Rex Norvegiæ. *Harſagerus* ſeu *Comatus* cognominatus eſt, conditor regiæ *Harſagerorum* familiæ, quæ per 6. ſecula continuâ ſucceſſione in Norvegia regnavit, donec extingueretur in Olao A. C. 1388. Georg. Horn. *Orb. Imp. p.* 357.

HARALDUS II. ab Haraldo II. Anglo occiſus. Adam de Bremen, *Ditmarus*.

HARAN, civitas Meſopotamiæ, quæ & *Charran*. Gen. *c.* 11. *v.* 32. *c.* 12. *v.* 5. *c.* 27. *v.* 45. *c.* 28. *v.* 10. & *c.* 29. *v.* 4. 2. Reg. *c.* 19. *v.* 12. Iſa *c.* 37. *v.* 12. Ezech. *c.* 27. *v.* 23. Act. *c.* 7. *v.* 2. 1. Par. *c.* 9. *v.* 46.

HARBON, Celtarum Rex ante Romam conditam.

HARBONA, Eunuchus. Eſther. *c.* 1. *v.* 10.

HARBURGUM, vulgò *Harburg*, opp. Duc. Luneburg. ad Albim fluv. 2. leuc. ab Hamburgo in Auſtr. 6. à Luneburgo in Occ.

HARCALO; veneficus, qui leones impunè attrectabat. Sil. Ital. Pun. Bell. *l.* 1. *v.* 406.

> Kartalo, *non pavidus fœtas mulcere leænas.*

HARCURTIUM, vulgò *Harcourt*, oppid. Normanniæ cum caſtro, in Ebroicenſi tractu, vix 5. leuc. ab Ebroico in Circ. 2. à Bellemontio in Bor. Hinc dicti Principp. Lotharingi, & Comes bello haud pridem percelebris. Vide *Harecortis*.

HARDECCIA: Comitatus Germ. qui titulus ſeculo decimo tertio in Mansfeldia familia, unâ cum altero Burggraviorum Magdeburgenſium, reperitur; quâ verò ratione ex illa migraverit, minus compertum eſt. Poſt hæc tabulæ *Hardeccianæ* hodiernam familiam ex Dominis Prueſchenkiis *de Stettenberg*, quorum ſator Ulricus Annam Burggraviam Magdeburgicam atque Comitem *Hardecciæ* uxorem principio ſec. 14. habuerit deſcendere teſtantur: in quibus Henrico Comitatus in Comitiis Wormatienſibus conceſſus eſt, A. C. 1494. unde deinceps nomen eorum in ſubſcriptionibus Comitialium actorum reperitur & aſſignatus contributionis ad Imperii neceſſitates modus eſt, donec ab Auſtriacis eximerentur. Qui nunc ſuperant, patrueles ſunt, Julio & Philippo geniti: Phil. duas uxores habuit, & ex poſteriore Eva Maria Sinzendorfia, ſuſcepit Aug. (qui nat. A. C. 1644. Obiit Argentinæ A. C. 1665.) & . . . Sororem ejus quorum progenitores ſic habent. Steph. *Prueſchenk* Dn. in *Stettenberg*, ex Margaretha *de Reichenek*, genuit Henric. Com. ab *Hardeck*, qui Eliſabethæ *de Roſenberg* maritus, fil. habuit Julium, Defunctum A. C. 1557. Hoc & Gertrude Eberſtenia, genitus Henricus, uxorem habuit Annam Mariam de Turri, ex ea pater Georgii Friderici: qui ex Sidonia *de Herberſtein* Phil. præfatum ſuſcepit. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Part. II. p.* 137.

HARDERVICUM, urbs munita Geldriæ, in Velavia tractu, cum portu ſatis commodo, ad interiorem ſin. maris Auſtrini, Hanzeatica, cum Academia, 7. leuc. ab Ultrajecto in Cæc. 6. à Daventria in Occaſ. Aliter *Hardebones*, inter Arenacum & Campenam 5. leucis.

HARDERUS Joh. Jac. Baſil. Phil. & Med. D. Nat. A. C. 1656. Patre Viro Ampliſſimo Joh. Conrado Hardero Archigrammateo & Scholarcha, poſt multijugæ eruditionis, Medicæ præprimis fundamenta domi foriſque jacta, ad Profeſſionem Rhetoricæ in Academia Patria vocatus A. C. 1678. edidit Anno ſeq. tractatus binos: *Prodromum* viz. *Phyſiologicum*, *de humoribus nutritioni & generationi dicatis*; cum *Examine Anatom. cochleæ terreſtris Domiportæ*: A. C. dehinc 1682. *Pæonis & Pythagoræ Exercitationes Anatomico-Medicas*, S.R.I. Academiæ *Naturæ Curioſor.* (à cujus illuſtri Præſide Anno præc. Collega ſolenniter fuerat renuntiatus, & *Pæonis* agnomine inſignitus) conſecratas publici juris fecit: quas brevi, σὺν Θεῷ, ſequentur *Obſervationes Anatom. & Med. Curioſ. Admiranda* item *Côchleæ terr. Domiportæ* cum *Limacologia*. Cæterùm cum Medicis celebratiſſimis Galliæ, Italiæ, Belgii, Germaniæ Helvetiæque literarium fovet commercium & haud pridem *Sereniſſ. Principi Badena-Durlacenſi* dignus viſus eſt, cui ſanitatis curam concrederet &c. Jam Anatomices ac Botanices Profeſſor.

> *Pæona dum magni dixit me Cæſaris Argo*,
> *Non quis ſim*, *potiùs quem velit eſſe*, *docet.*

HARDES, in *Charta* Gaufridi Ducis de Baucignies, fratris Ducis Brabantiæ, apud C. du Freſne, tortiles ſunt ex virgultis laquei, Gallis *Hardi* & *Harcelles*, dicti: à qua voce indita reſti ac laqueo, quo furciferi ſuſpenduntur, appellatio fortè, quòd ejuſmodi tortilibus virgultis, ad majorem ignominiam eorum colla innecterentur iiſque furcæ appenderentur: quod teſtatur Wippo de *Vita* Conradi Salici *p.* 433. ubi de Romanis, qui ſeditionem commoverant, & jam ante *p.* 432. ubi de Ravennatibus &c. Sic Joh. Com. Hanoniæ, qui à fide defecerat, injunctum eſſe legimus, à Phil. Pulchro Gall. Rege cujus vaſſallus, propter Comit. Auſtrevanti fuerat, ut in Curiam veniret, *pour amender à ſa volonté*; *ayant un fil de ſoye entour ſon col*, *a guiſe de hart*; h. e. *filum ſericum circa collum habens*: *laquei inſtar*, vide infrà in *Retorta*.

HARDINGUS Johannes, vide *Johannes*.

HARECORTIS, vicus quondam Galliæ, nunc caſtellum, inter Auturam & Riſelam fluv. ſive inter Luparias *Louviers*, & Tetboldi villam *Tibouville*, à Philippo VI. Rege A. C. 1338. in Comitatum evectum. Hodie *Harcourt* dicitur. Vide *Harcurtium*.

HAREFLOTUM, & *Hunofletum*, duo caſtella Galliæ, ad os Sequanæ, hinc & inde poſita, illud in Caletis ad dextram *Harfleur*, hoc in Lexoviis ad ſiniſtram, *Honfleur*. Utrumque à *Fleat*, vel *Fleot*, quod ſinum maris & locum ad ſinum poſitum Germ. deſignat, Belgis *Vliet*, vel *Fliet*. Sinûs autem hujus maris ad oſtium Sequanæ meminit Fortunat. *Carm. l.* 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Pervenit, qua ſe piſcoſo Sequana fluctu
In mare fert juncto Rotomagenſe ſinu.

Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* & infra in voce *Harflevium*.

HARENAM, ſeu *Herrinam* Michaëli Scoto de *Phyſionom.* unum eſt è XII. auguriis, de quibus in verbo *Venta*: *quando homo vel avis à dextro latere tui vadit in ſiniſtrum, tranſiens poſt tergum tui & eam vides alicubi repauſare: tunc eſt tibi malum ſignum ſuper negotio.*

HARENARUM Remedium, apud Suet. *Aug. c.* 8. *Coxendice & femore & crure ſiniſtro non perindè valebat, ut ſæpe etiam inde claudicaret; ſed* remedio harenarum *atque harundinum confirmabatur*; vel de fomentis calidis affectæ parti admotis, inter quæ *harenam* quoque Celſ. numerat *l.* 2. vel de ambulatione in arena alta, capi poteſt, quam poſteriorem ſententiam plerique amplectuntur. Sed & de volutatione in *harena calida*, aut etiam litorali ac fluviali, locus intelligi poteſt. Sev. Sammonic. *c. de Hydrope*,

Nec non & tepidis convolves corpus arenis.

Symmach. contra podagram eo remedio uſus eſt; *l.* 8. *Ep.* 45. Multáque apud Græcos Medicos, Aetium, Æginetam, alios, legas περὶ ψαμμισμοῦ & ψαμμοχωσίας. Palæſtrico inprimis pulveri talem aliquam vim ineſſe credidit Lucan. cùm de fabuloſo Antæo, ad hoc remedii genus alludens, canit Civ. Bell. *l.* 4. *v.* 616.

Auxilium membris calidas infudit Harenas.

Imò etiam extra morbi neceſſitatem, Vett. in exercendo corpore, volutaſſe ſe ſuper *candente harena*, ut corpus ferendo calori aſſuefacerent, obſervant Eruditi; ex Laërtio, ubi de *Diogene Cane*. Vide Caſaub. *ad Suet. d. l.* & aliquid infra in voce *Rutrum*. De *harena* verò *palæſtrica* Plin. *l.* 36. *c.* 23. uti *de harena, quá marmora ſecantur*; *l. eod. c.* 6. Sed & ab *harena*, nomen gemmæ, ſerpenti, oraculo, uti vidimus in vocibus *Hammochryſos*, *Hammodytes*, *Hamon* &c. Vide quoque ſuprà *Arena*.

HARENGARUM piſcatio & commercium, quod præcipuè Hollandorum eſt, ita ſe habet. Initio Junii mille & ampliùs naves majores emittunt, quas *Buyſas* vel *Buſſas* vocant, quarumve plurimæ 120. aliæ 100. 60. 50. &c. tonnarum, ut ajunt, ſunt; impoſitis ſingulis 24. 18. 16. hominibus, quibus olim 30. vel 40. naves bellicas defenſionis ergò adjungebant, contra Oſtendanos & Duynkerkanos: pacis verò tempore non niſi 4. vel 6. iſtiuſmodi naves illos comitantur, ob metum piratarum. Sic inſtructæ hæ naves Hitlandiam verſùs pergunt, & usque ad d. 14. Junii ibi ſubſiſtunt: Statuti enim loco inter piſcatores obſervatur, ne ante diem iſtam retia projiciantur, quòd *Harengas* ſalituræ citiùs haud aptas eſſe autument. Hinc porrò piſcationem ordiuntur, ac è regione Scotiæ ac Angliæ Yarmutham uſque; h. e. totis 200. milliaribus progrediuntur, quò circa Feſtum S. Bartholomæanum perveniunt & interjecto tempore bis vel ter etiam *Harengis* replentur, quas aliæ naves ipſis obviam venientes excipiunt atque ilico in deſtinatas regiones deferunt. Quas dein poſt feſtum præfatum in regione Yarmouthenſi capiunt, cùm non ampliùs ad ſaliendum idoneas judicent vel domum avehunt, vel Anglis Yarmutham venientibus divendunt, unde *Harengæ* infumatæ fiunt. Lucrum, quod inde trahitur, ingens eſt, & ſingulæ harum navium unâ vice repletæ 2500. Imperiales lucrari creduntur, quod ſi bis aut ter fiat, tanto majorem efficiet ſummam. Unde non ſolùm Reipublicæ de neceſſariis proſpicitur, ſed & illi, qui Tutorum officio funguntur, orphanorum pecuniam, tanquam optimè collocandam, in Buſſas ejuſmodi impendunt. De aliorum generum navibus minoribus, Pinckis, Galiottis & ſimilibus, quarum 3000. & amplius eodem fine emitti ſolent, ut & aliis ad hoc commercium ſpectantibus vide Conſilium Anon. ad Ser. Regem Angliæ, *de incrementis Regni per capturam Harengarum*, *in Diario Europ. Continuat.* 6. *p.* 388. ac Joh. Keymontii *Obſervationes de Piſcatura Belgarum in Appendice ad Continuat.* 16. *Diarii Eur.* Quod enim Anglos attinet, illi itidem naves quidem emittunt, ſed vix ultra quadringentas, quæ non niſi 7. hebdomadibus huic negotio vacant, & menſe quidem Octobri ac Novembri, optimæ piſcaturæ tempore jam elapſo; Neque illi alto ſe committunt, ſed littora legentes, cùm tempeſtas ingruit, in portus ſe recipiunt: cùm è contrario Belgæ totis 26. hebdomadibus & uſque in finem Novembris ferè piſcationi immorentur, nec adverſæ tempeſtatis aut ullius periculi metu à propoſito ſeſe dimoveri patiantur. Proin ab Anglis res hæc non ſcriptis ſolùm, ſed & ferro aliquoties ventilata, & ad promovendum piſcationis ſucceſſum ſingularia privilegia indulta ſunt, d. 22. Aug. A. C. 1661. Imò jam Cromvelli tempore Belgæ intra decimum ab Anglia milliare piſcari ſunt prohibiti. Auctor Anon. *Hiſt. orbis Terr. Geogr. & Civil. c.* 10. *de Commerciis*. De eodem piſce, ſic Voſſ. *Harengus noſter, piſcis ut videtur Veteribus ignotus; ut quibus exigua maris Septentrionalis fuerit notitia ---- quandoque tantum continet ovorum, ut pondus æquet piſcem ipſum ---- Vulgò halecem nuncupant. Sed alius piſcis. Uti &* μαινὶς, *quæ Perſio mæna, uti & Plin.* & Voſſ. de Orig. *& Progreſſ. Idol. l.* 4. *c* 2. Idem de nomine ejus ita, *Harengi noſtri tot bona quis ſatis prædicat? Vox ipſa nova; ſed fortaſſe ex Græco* Τάριχος, *quia ſale conditur, unde* pekelharing *vocatur, quaſi muricatum harengum dixeris. Solum injicit ſcrupulum, quòd piſcis iſte nec recèns nec ſalitus, Romanis aut Græcis fuiſſe cognitus videtur*, *l. eod. c.* 27. Vide & ſuprà in vocè *Buſſæ*, it. *Alec*, & *Halec*.

HAREPH, nomen viri. Neh. *c.* 7. *v.* 24. & *c.* 10. *v.* 19.

HARES, nomen montis. Jud. *c.* 1. *v.* 35.

HARETH, nomen villæ. 1. Sam. *c.* 22. *v.* 5.

HARFLEVIUM, vulgò *Harfleur*, opp. tractus Caletenſis, ad Sequanæ æſtuar. 3. leuc. ab Honflevio in Bor. vix 2. à Portu Gratiæ in Ort. Vide *Hareflotum*.

HARFORDIA, urbs Angl. ad Leam amnem, 15. mill. à Londino in Bor. Cantabrigiam verſus. Hinc Comit. Harfordienſis, inter Comit. Cantabrigienſem ad Bor. Midleſexiam ad Auſtr.

HARHUR, nomen viri. Eſd. *c.* 2. *v.* 51.

HARIM, nomen ſacerdotis. 1. Par. *c.* 24. *v.* 8. Eſd. *c.* 2. *v.* 32. & *c.* 10. *v.* 21.

HARIMUNDUS, apud Vopiſc. in *Ep.* Valeriani ad Aurelian. in *Vita* hujus idem cum *Fanimundo* vel *Faramundo* eſt, Salmaſ. *Not. ad l.*

HARINGUS Sifridi Sinnama, Friſo, JC. celebris, A. C. 1494. ſcripſit in titulos Juris Canonici & Civilis. Trithem. *de Script. Eccl.*

HARIOLUS, vide *Ariolus*.

HARIPH, fil Hur. 1. Par. *c.* 2. *v.* 51.

HARISTALLIUM, ſeu *Heriſtellium*, locus celebris in Hiſtoria Caroli Magni. Hodie adhuc locus *Herſtel*, ad Weſeram ſeu Viſurgim. Aliud eſt in eadem Hiſtor. in ripa Moſæ fluminis, non procul Leodio. Fuit autem hoc villa publica; cujus amœnitate delectatus Pippinus, ibi & Palatium extruxit, & ſæpe commoratus, an & natus ibi & nutritus eſt: Unde *Heriſtallienſis* ſæpiſſimè ſcriptoribus dicitur. Vox Germanica eſt, & militarem manſionem, vel Domini ſtabulum deſignat. Hîc hodie pagus eſt, qui nomen quoque retinet. Cum tit. Baroniæ, Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

HARIULPHUS, Abbas Flander, auctor vitæ Arnulphi Ep. Sueſſionenſis, & Gervini ſecundi Abbatis Ardemburgici. Obiit A. C. 1143. Mejerus *Ann. l.* 3. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2.

HARLÆUS Chriſtophorus, Præſes Parlamenti Pariſienſis, ſec. præt. celeberrimus. Inter Dominos *de Harlay* primus legitur Steph. A. C. 1250. cujus pronepoti Philiberto illam avitam Baroniam in Burgundia ademit Joh. Dux Burgundiæ, quòd Regi Franciæ adſtitiſſet. Quare poſteri, Domini *de Granvilliers*, *Nogent*, *Sancy* & *Ceſy* dicti ſunt: inter quos Ludovic. ſuperioris ſec. principio, inter plures, filios tres habuit, totidem linearum auctores. A Chriſtophoro enim præfato, deſcendunt Comites *de Beaumont*: à Roberto, Domini *de Sancy* & Barones *de Montglat*; à Ludovico, Domini *de Chanvalon*, qui poſtea *Marchiones de Breval*, appellari meruêrunt. Et quidem Bellimontios Comites quod attinet, Chriſtophorus aliquoties dictus, *Dn. de Beaumont* (qui Obiit A. C. 1572.) ex Catharina *du Val*, pater fuit Achillis *de Harlay*, *Com. de Beaumont*, cui ex Cathar. *de Thou* filia Thuani Domini *da Bonneüil*, natus Chriſtophorus, Deceſſit A. C. 1615. relicto, ex Anna *de Rabot d'Illins*, fil. Achille, quo & Mariâ *de Bellievre* nati ſunt Achilles & Magdalena *de Harlay*. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Part. II. p.* 104. nec non ſuprà *Chriſtophorus*.

HARLEMUM, civitas Borealis Hollandiæ munita & ampliſſima, cam *Sparnus*, vel *Spara* fluv. interlabitur: extructa creditur à Friſiis circiter A. C. 506. Ei, incolarum ſuorum teſtimonio, Typographicæ artis inventio debetur. Ferunt prope hanc urbem, vaccam depaſcentem gramina, in cavernam quandam incidiſſe, ac triduo poſt in maris ſinu ei oppoſito verſus Orientem oppido, repertam eſſe. Joh. Matal. Metell. Merc. A filio Ducis Albæ, poſt 8. menſium obſidionem capta, & miſerè devaſtata eſt primo bello Belg. Nunc ſubeſt Reip. Belgicæ. 4. leuc. à Lugd. Bat. in Bor. 3. ab Amſtelodamo in Occ. 1. ab ora maris Germ. 9. ab Ultrajecto in Circium. Ab ea lacus adjacens *Haerlemer-meer* dicitur. Edidêrunt olim cives egregia fortitudinis ſpecimina, in expeditionibus ſacris. Vide *Damiata*. Urbs hæc ſedes Ep. A. C. 1559. à Philippo II. facta eſt, verùm mox Papatui Evangelium, jugo Hiſpanico libertas ſucceſſit. Vide Thuan. *Hiſt.* Mejer. Guicciard. *Deſcr. Belgii* Hug. Grot. *Ann. Belg.* Bentivolum, Strad. *Em. de Meteren*, &c.

HARLEPOLIUM, opp. Angliæ Bor. in ora litor. Diœceſis Dunelmenſis, 10. mill. Angl. à Dunelmo in Eur. 5. à confin. Eboracenſis prov. in Bor.

HARLINGA, urbs Friſiæ Occ. poſt Leovardiam prim. munita & expugnatu difficilis, inundari enim circumjecta regio poteſt. Cum portu ſatis capaci in ora maris Auſtral. Sub Belgis fœderatis.

HARMA, civitas in tribu Juda & Simeon. *Joſ. c.* 15. *v.* 30. & *c.* 19. *v.* 4. 1. Sam. *c.* 30. *v.* 30. Jud. *c.* 1. *v.* 17. dicitur & *Sephath*.

HARMA, urbs Bœotiæ Tanagricæ, vide Steph. Erat autem locus columnis ſeptus, propter vatem Amphiaraum hiatu terræ ibi abſorptum, ita execrandus, ut fama ſit neque aves illis columnis inſediſſe, neque feras herbam attigiſſe in intercolumnio illo creſcentem. Sic dictus non à curru, ut volunt, ſed ab execratione. Id enim eſt Phœnicium הרמה *Harma*. Item vicus Atticæ, ubi Adraſtus confracto curru, operâ Arionis ſervatus eſt. Hinc. Prov. *Ubi per Harma fulgur*, de iis quæ ſerò & rarò eveniunt.

HARMASTIS, urbs Aſiæ, in Iberia, quæ & *Armaſtica*, nunc *Cori*, totius Georgiæ prim. Sanſon. Plin. *l.* 6. *c.* 10.

HARMATA, urbs Indica, *Steph.*

HARMATELIA, opp. Indiæ Brachmanum, ab Alex. Mag. captum, Diod. Sic. *l.* 17. Hanc Trogus *l.* 12. videtur Ambigeri Regis urbem vocare. Circa Indi fluminis oſtia.

HARMATUS, opp. Troadis in Æolidis conf. in ora contra Methymnam urb. Lesbi. Populi *Harmatopolitæ*. Plin. *l.* 5. *c.* 30. Strab. *Hermatus*, ut quidam volunt.

HARMENOPULUS Conſtantinus, Πανσέβαστος σεβαςὸς, νομοφύλαξ καὶ κριτὴς Θεσσαλονίκης, ut vocatur in titulo, qui præfigitur ejus *Epitomæ div. Canonum*, h. e. *Sebaſtus*, *Nomophylax & Judex Theſſalonicenſis*, in utroque Jure verſatiſſimus; floruit Sec. XII. Scripſit in Jure Civili Πρόχειρον νόμων, *Promptuarium Juris vel Legum*, quod A. C. 1556. edidit, & Latinè vertit, Joh. Mercerus, poſtea Græcè & Latine edidit, Dion. Gothofredus, cum paratitlis ad ſingulos titulos, variis lectionibus & nomenclatore Græcarum dictionum, A. C. 1577. Item Ἐπιτομὴν τῶν ἁγίων καὶ ἱερῶν κανόνων, *Epitomen divinorum & ſacrorum Canonum*, quam collegit ex Codice Canonum Eccl. Orient ſeu Synodorum Oecumenic. & Provincialium, item Patrum Græcorum Canonibus; in Tomum I. verò Juris Græco-Romani inſervit Joh. Leunclavius, publicatum Francofurti A. C. 1596. cum ejuſdem Auctoris tr. de Sectis & veræ Fidei Confeſſoribus Græ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Græcè & Latinè, à Marquardo Frehero edito. Vide Geth. van Maſtricht *Hiſt. Jur. Eccl. n.* 283. *& ſeqq.*

HARMISCARA ſeu ARMISCARA, in *Capit.* Wormatienſi A. C. 829. *c.* 1. alibique paſſim, gravior mulcta eſt, quæ à Principibus viris præſertim militaribus, atque adeò Magnatibus irrogari ſolebat; *ſellæ* viz. vel *canis*, ſupra dorſum, per definitum ſpatium, geſtatio, ut patet ex *Capitulari* Ludovici III. edito à Camillo Peregrino. Sic refert Innoc. III. *l.* 13. *Ep.* 135. nobilem quendam Germanum, qui Subdiaconum quendam malè acceperat, ad hujuſmodi compoſitionem cum eo deveniſſe, *ut --- cum ducentis militibus, à loco, in quo præfatum Subdiaconum captivaverat, uſque ad civitatem Magdeburgenſem & per omnes conventuales Eccleſias portaret opprobrium, quod* Harmiſcare *vulgariter appellatur.* Cujuſmodi Harmiſcaræ, in Charta A. C. 1246. apud C. du Freſne, *Hachées* Gallicè, item *Proceſſiones* vocantur; quòd ſolenni indictâ proceſſione Eccleſiaſticâ à reis peragerentur: cujus moris exemplum idem C. du Freſne hoc profert, ex *Charta* A. C. 1296. *in Hiſt. MS. Remenſi* Joh. Rogerii. ubi de Præpoſito Remenſi, qui Canonicum Rem. malè tractaverat: *Item dilectus Petrus ---- chorum Remenſem euntem proceſſionaliter ſequatur in camiſia & brachiis, capite, pedibus & tibiis denudatis, Remis, in duabus proceſſionibus ſolennibus* &c. Ad vocis etymon pertinet, quod habet Browerus *Ann. Trevir. l.* 8. ubi ait, *ſcaram facere*, eſt *domino honeſta jubenti ſervire & nuntium ejus, mandatum ſeu literas perferre.* Sic ergo vox compoſita fuerit, ex Germ. *arm*, i. e. *brachium* & *ſhara*, h. e. *deferre*, Vide omnino C. du Freſne. Aliter Amerbachius *Not. ad Cap. Car. Mag.*

HARMODIUS, & *Ariſtogiton* Tyrannicidæ, à Leæna inſigni meretrice, tam fideliter & unicè adamati ſunt; ut illa, ne illorum conjurationem retegeret; torta, linguam dentibus præroſam in tyranni os expuerit. Plin. *l.* 7. *c.* 23. Vide *Ariſtogiton.*

HARMODIUS Lepreates, libro *de Legibus* in Phigalea citatur ab Athen. *l.* 15. *p.* 695.

HARMOGE, Græcè ἁρμογὴ, commiſſura & tranſitus colorum, in Pictura. Plin. *l.* 35. *c.* 5. *Quibus coloribus ſingulis primi pinxiſſent -- diximus ---- Tandem ſe ars ipſa diſtinxit & invenit lumen atque umbras, differentiâ colorum alternâ vice ſeſe excitante. Deinde adjectus eſt ſplendor, alius hic quàm lumen: quem quia inter hoc & umbram eſſet, appellavêrunt tonon: commiſſuras verò colorum & tranſitus, armogen.*

HARMONIA, Martis & Veneris filia, Cadmi uxor, cui Vulcanus pulchrum, ſed exitiale monile dedit, eò quòd ex conjugis adulterio fuiſſet propagata. Vide *Cadmus.*

HARMONIA; Empedocli principium boni eſt, diciturque aliter *Amor* ſeu *Amicitia* Plutarch. *de Iſide & Oſir.* Vide quoque infrà *Muſica.*

HARMONIDES, Trojanus, quem præcipuo quodam amore Minerva dilexit; ideòque nihil eum fugit, quod fabrili arte effici poſſet. Is inter alia naves Alexandro ædificavit, malorum omnium, quæ Trojanis contigêrunt, caput. Hom. *Il.* 5.

Μηριόνης δὲ Φέρεκλον ἐνήρατο, τέκτονος υἱὸν
Ἁρμονίδεω, ὃς χερσὶν ἐπίστατο δαίδαλα ἔργα.
Τεύχειν, ἔξοχα γάρ μιν ἐφίλατο Παλλὰς Ἀθήνη.
Ὃς καὶ Ἀλεξάνδρῳ τεκτήνατο νῆας ἐΐσας
Ἀρχεκάκους, αἳ πᾶσι κακὸν Τρώεσσι γένοντο.

Nic. Lloydius.

HARMOSTÆ, Magiſtratus apud Lacedæmonios, qui extruendis arcibus & reficiendis urbibus præerant: Græcè Ἁρμοσταί, *Aptatores* ſeu *Concinnatores.* Vide Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* in hac voce; *Epiſcopi*, item *Harmoſtes.*

HARMOSTES, apud Polyæn. *l.* 2. videtur à Vulrejo & Caſaub. pronomine proprio accipi: ſecus ſentiente Jano Gebhardo, qui opinatur officii nomen eſſe. Qui verò ſint *Harmoſtæ* Lacedæmoniorum; docere idem ait Diod. Sic. *l.* 13. *p.* 366. Nic. Lloyd. Vide & ſuprà. *pr. Edit. Henr. Steph.*

HARMOSYNI, Heſych. Ἁρμόσυνοι, ἀρχή τις ἐν Λακεδαίμονι, ἐπὶ τῆς εὐκοσμίας τῶν γυναικῶν.

HARNAPHER, fil. Suphæ. 1. Par. *c.* 7. *v.* 36. Lat. *ira tauri*, vel *ira creſcens.*

HARMOZON, prom. Carmaniæ, ad ipſas anguſtias Sinus Perſici, Gr. Ἁρμόζον, q. *conveniens & commodum.* Undè *Harmozæi* pop. ſeu *Armozei*, Plin. *l.* 6. *c.* 25. *A promontorio Carmanis junguntur Armozei. Ibi portus Macedonum & aræ Alexandri in prom.* Item *Harmozuſa* urbs, apud Ptol. quam hodie volunt eſſe *Hormus* vel *Ormus*, manifeſto nominis indicio. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1178. ut & in vocibus *Armozum*, *Armuziæ* &c.

HARO, nomen illuſtris in Hiſp. Fam. quæ ex Dominis prîſcis Biſcajæ deduci amat. Claruit inprimis ſub Joh. II. Rege, Didacus Lopezius de *Haro* IX. hujus nominis, Domin. de Buſto, cujus fil. Joh. Alphonſus, nepos autem fuit Didacus Lopezius, Dn. de *Sorbas & Lobrin.* Huic ab uxore Beatrice *de Sotomayor* dominium *del Carpio*: hujusque nomine *Marchionis* titulus, ex fil. Ludovico Mendezio, nepoti Didaco Lopezio *de Haro Sotomayor* obtigit. A quo reliqui Marchiones deſcendunt: & quamvis aliquoties ſucceſſio in filias inciderit, retenta tamen eſt vel retracta Agnatorum matrimoniis. Ludovici Mendezii *de Haro & Guzman* March. *del Carpio*, &c. nati A. C. 1618. progenitores ſic habent. Didacus Lopezius *de Haro* Dn. *de Sorbas*, ex Beatrice filia Ludov. Mendezii *de Sotomayor* Dn. *del Carpio*, fil. habuit cognominem: quo; & Annâ Guzmaniâ, nat. itidem Didacus Lopezius *de Haro & Sotomayor*, Mariam ſibi junxit *de Guzman*, ex ea Pater Ludovici: qui ductâ Beatrice *de Haro & Sotomayor* March. *del Carpio* agnata; ſuſcepit Didacum Lopezium March. *del Carpio*: cujus ex Franciſca de *Guzman*, fil. fuit præfatus Ludov. Mendezius *de Haro & Guzman*, March. *del Carpio.* Vide Phil. Jac. Spener. ubi ſuprà *Part. II. p.* 96. Hic celebris eſt ille εἰρηνοποιὸς & Miniſter Status in Regno Hiſpaniæ, cui Philippus IV. ob pacem A. C. 1650. feliciter ad Pyrenæos montes concluſam, cognomentum *della Paz*, ad poſteros tranſmittendum, conceſſit: unde tituli ejus hi, *Ludovicus Mendez de Haro, Sotomayor, Guzman de la Paz, Marchio & dein Dux del Carpio, Comes Dux d'Olivarez, primus Miniſter Status*: qui cùm haud diu paci à ſe factæ ſuperſtes fuiſſet, reliquit, ex Catharina Ferdinandina *de Cordua d'Aragon*, filia Henrici Duc. de Cardona & Segorbia March. *de Comares* fil. Caſpar. *de Haro Guzman Aragon de la Paz, Duc. del Carpio March. de Liche Com. Duc. d'Olivarez & S. Lucar*; cui uxor obtigit Antonia *de la Cerda de Medina Celi*, filia Joh. Ludovici Ducis de *Medina Celi.* Idem *Parte III. p.* 79. *& utrobique in Indic. ubi fam. diſpoſitio.*

HARO, ſeu *Harou*, item *Clamor de Haro*, in Normannia potiſſimùm obtinet, & inclamari ſolet, dum crimen aliquod capitale, *furtum*, *incendium*, *cædes* &c. perpetratur. Tum enim ii, qui in vocem audiunt, ad reum perſequendum foràs exire tenentur eumque detinere, ſi poteſt, ac Judicibus tradere: quod qui negligit, Principi aut Domino feudali, qui jus gladii habet, in cujus territorio crimen commiſſum eſt, *emendam* præſtat. Undè jus habere dicitur clamoris *de Harou*, qui *altâ*, ut Galli ajunt, *juſtitiâ gaudet.* Sed & interdum uſurpatur pro quovis clamore, in tumultibus excitari ſolito, apud Froiſſard. alibique. Origo ejus Rolloni, primo Neuſtriæ Duci, aſcribitur, qui hoc primùm inſtituiſse dicitur, ut nomen ſuum. *Ha Roul*, inclamaretur ab iis primò, quibus vis illata erat, aut ab eorum affinibus ac cognatis, tanquam auxilium Ducis præſens implorantibus: poſtmodum etiam ab aliis, qui crimen aliquod capitale perpetrati vidiſsent &c. Vide C. du Freſne in *Gloſſ.* & ſuprà *Clamor.*

HARODI, nomen civitatis. 2. Sam. *c.* 23. *v.* 2. Lat. *tremefactus*, vel *ſtupefactus*, vel *caloris* aut *iræ abundantia.*

HAROMAPH, fil. Jedajah. Neh. *c.* 3. *v.* 10. Lat. *deſtructio*, ſeu *anathema oris.*

HAROSETH, nomen civitatis. Jud. *c.* 4. *v.* 2. Lat. *artificium*, vel *aratura*, ſive *teſta*, aut *ſilentium*, vel *ſurditas*, aut Syriace *ſylva.*

HARPA ſeu *Arpa*, inſtrumentum Muſicum, cujus figura & forma *Delta* Græcorum efficit, ſequioribus ſeculis notum, Germ. *Harpffe*, Gallis *Harpe.* Hanc à lyra diſtinguit Fortunat. *l.* 7. *Carm.* 8.

Romanuſque lyrâ, plaudet tibi Barbarus harpâ,
Græcus Achilliacâ, Crotta Britanna canat.

Voſs. verò *l. de poëmat. cantu & viribus Rythmi p.* 118. illud fuiſse inſtrumentum exiſtimat, quo Bardi Gallorum olim uterentur Sacerdotes, quod lyræ non abſimile fuiſse teſtatur Diod Sic. Sed & *Harpa* nomen avis, in quam Cleinidis Babylonii uxorem *Harpam* mutatam eſse, unâ cum *Harpaſo* fil. in avem itidem cognominem, legas apud Ant. Liber. ex *Ornithogonia* Boei & Simmia Rhodio.

HARPADIUM, vulgò *Arpaja*, opp. Hirpinorum in Campaniæ conf. ubi *Furculæ Caudinæ*, inſigni Romanorum ignominiâ nobiles, quorum legionis hîc ſub jugum miſêre Samnites. 4. mill. paſſ. ab Avella intra montes.

HARPAGIUM, opp. juxta Parium, undè raptus Ganymedes. *Harpagia.* pl. num. *Steph.*

HARPAGO, in navibus, Anacharſidis inventum. Plin. *l.* 7. *c.* 56. *Roſtra addidit Piſeus -- Tyrrheni anchoram --- Anacharſis* harpagonas: *& manus Pericles Athenienſis, adminicula gubernandi Typhis.* Cujuſmodi *harpagones*, i. e. aſseres ferreo unco præfixos, ex punicis navibus in Romanas injectos, magno ſucceſſu, habes apud Liv. *l.* 30. *c.* 10. Cum manibus ferreis confundit Curt. *l.* 4. *c.* 2. Sed gratis, ut ex utriuſque machinamenti deſcriptione clarè liquet. Aliàs *Harpago* idem cum, unco quo triplici ſolent res in puteos aut profundas aquas delapſæ inveſtigari & extrahi. At ſextuplex occurrit Ezech. *c.* 39. *v.* 2. ubi Deus ךָיתִאשֵּׁשִׁוְ & *ſextabo te*, i. e. hamo (ut *c.* 38. *v.* 4. dixit) unco vel harpagone ſextuplici, i. e. ſex unci digitis ferreis conſtante, quibus te extremis Aquilonis partibus extraham. Hîc *ſextuplex* nominatur uncus, ut tanto certiùs hoſtem ſe comprehenſum & firmiùs retenturum indigites. Certè ad damnatos etiam & reos adhibitos fuiſse harpagonas ſeu uncos conſtat. Juv. *Sat.* 10. *l.* 4. *v.* 7.

---- impacto *Sejanus ducitur* unco.

Sed hac de re pluribus infrà. Vide & ſuprà *Hama.*

HARPAGUS, Dux Cyri, interiorem Aſiam ſubegit, poſtquam Aſtyages ipſi filium membratim diſcerptum comedendum propoſuerat, eò quòd Cyrum, quem exponere juſſus erat, in vita conſervaſſet. Herod. *l.* 1. *c.* 108. 111. & 119.

HARPAGUS, fluv. circa Colchidem regionem, Diod. Sic. *l.* 14. fortè idem cum Harpaſo *Xenoph.*

HARPALUS, cui Babyloniæ theſauri commiſſi ab Alexandro fuerant, deſperans Regis ex India reditum, lapſus eſt in luxuriam ac contumelias mulierum nefandas, Reverſo Alexandro, cùm audiſſet multos Satraparum pœnas delictorum dare metuens Regis juſtam iram, contractus ſex millibus mercenariorum, navigavit Athenas, populo ſupplex. Indè ab Antipatro & Olympiade expoſtulatus corruptis oratoribus evaſit Tænarumque profugit, ubi à Thimbrone quodam amico clam trucidatus eſt. Vide Diod. Sic. *l.* 17. *p.* 619 & 620. Plutarch. *in Phoc.*

HARPALUS, nomen prædonis, Cic. *l.* 3. *de Nat. Deor.* Hic Diis illudebat, quòd in tanta fortuna tam diu viveret.

HARPALUS, Cyclum 8. Annorum, à Cleoſtrato excogitatum correxit, alio 9. Annorum ſubſtituto: in quo cùm nævos quoque deprehendiſſet Meton, fil. Pauſ. Enneadecaeteridas ſuas *Aureum numerum* vulgò dictum, invenit. Feſt. Avien. Diod. Sic. *l.* 12.

HARPALYCE, Lycurgi filia, venationibus dedita, quæ cùm patrem ſenem à Getis captum ſenſiſſet, collectâ confeſtim multitudine, celeriùs quàm de femina ſperari potuerit, illum armis & robore liberavit: Virg. Æn. *l.* 1. *v.* 320.

---- *Vel qualis equos Threiſſa fatigat*
Harpalyce *volucremque fugâ prævertitur Hebrum.*

Item virgo quædam, quæ, cùm Iphiclum ardentiſſimo amore deperiret, ſpreta, & dolore animi confecta interiit, à qua & canticum quoddam *Harpalyce* dicebatur. Turneb. *Adverſ. l.* 10. *c.* 11. *Nic. Lloydius.*

HARPALYCEA, civitas Phrygiæ. *Steph.*

HARPASA, Aſiæ opp. in Caria, ubi cautes ingens digito mobilis: eadem, ſi toto corpore impellatur, reſiſtet. Plin. *l.* 2. *c.* 96. Ad Harpaſum fluv.

HARPASTUM, Gr. Ἁρπαστὸν, & ἁρπάζω, *rapio*, quòd plures projectum conentur arripere extráque ludi limites ejicere: Pilæ genus grande ac durum, ut Folle aliquanto minus, ſic Paganica majus; ex corio vel etiam ligno, intus lanâ, pilis, aut lino ſtipatum. Hanc non in ſublime, ut diſcum, ſed in terram rotabant incredibili volubilitate, & ſolo repercuſſam *at the rebound*, ut Angli dicunt, raptam revocabant, undè illi nomen ut diximus. Mart. *l.* 4. *Epigr.* 19. cujus epigraphe de Endromide *v.* 5.

Seu lentum ceroma teris trepidumque trigona
Sive Harpaſta *manu pulveru lenta rapis.*

Quo ludi genere qui ſe exercebant, inſtar reliquorum Athletarum ſubligacula induebant: teſte eodem *l.* 7. *Epigr.* 66. cujus epigraphe in Philænim.

Harpaſto *quoque ſubligata ludit.*

Quod de ceromate dictum, de unguento gymnaſtico intelligendum eſt, non in *Harpaſti* modò exercitatione; ſed in omnibus aliis, adhiberi ſolito. Senec. *de brev. vit. c.* 12. *Qui in ceromate (nam proh facinus, ne Romanis quidem vitiis laboramus) ſpectator puerorum rixantium ſedet.* Plin. *l.* 35. *c.* 12. *Plura de hac parte non ſum dicturus, non Hercules magis, quàm de terræ uſu in ceromatis, quibus exercendo juventus noſtra corpora vires animorum perdidit.* Juv. *Sat.* 6. *l.* 2. *v.* 245.

Endromidas Tyrias & fœmineum ceroma
Quis neſcit?

Vide Thom. Dempſter. *Paralip. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 1. & infrà *Phæninda*, it. *Pila.*

HARPASUS, Cariæ fluv. Plin. *l.* 5. *c.* 29. Liv. *l.* 38. *c.* 13. Steph. *Daphnus* Apollonio, teſte Rhodigino *l.* 29. *c.* 27. Ejus mem. Q. Smyrnæus *l.* 10.

Ἁρπάσου ἀμφὶ ῥέεθρα διειδέος.

HARPE, una ex præcipuis Amazonum, auxilio apparens Æetæ, Colchorum Regi, contra Perſen. Val. Flacc. Argon. *l.* 6. *v.* 275.

HARPE, enſis falcatus, quo Mercurius uſus fertur, in occidendo Argo illo centoculo, & Perſeus in amputando Meduſæ capite. Lucan. Civ. Bell. *l.* 9. *v.* 662. & ſeqq.

Et ſubitus præpes Cyllenida ſuſtulit Harpen,
Harpen *alterius monſtri jam cæde rubentem,*
A Jove dilectæ fuſo cuſtode juvencæ.

Ovid. *Met. l.* 5. *v.* 69.

Vertit in hunc Harpen *madefactam cæde Meduſæ.*

Nic. Lloydius. Eâdem Saturnus patrem Cœlum caſtraſſe legitur, apud Heſiod. *in Theog.* Saturnum dein fil. Jupiter, idque in Inſ. Corcyra, quæ ideò *Harpe* quoque dicta. Sed & Nemeſi *Harpen* tribuit Lycophron, reis infeſtam. Undè eſt, quòd Nonni *l.* 48. Diana Auræ irata, Nemeſin in illam ſic invocat,

Ἠὲ μινοιςρήσεις τεὴ χαλκήλατος ἅρπη.

Eam pòſtea, unà cum Perſeo, in cœlum inſeruêrunt Aſtronomi. Itaque apud Proclum, in Perſei aſteriſmo, quædam ſtellæ dicuntur κατεστερίσθαι εἰς ἅρπην, i. e. *ita diſponi, ut harpes formam imitentur.* Non tamen tota in cœlum tranſlata eſt. Argivis enim Mycenis ex ea nomen inditum, ut in *Alexipharmacis* tradit Nicander,

---- ---- μύκης ὅτι κάππεσεν ἅρπης
Ἄκρον ὑπὸ ᾗ ὑπὸ ῥηῶνα Μελανθίδος

---- ---- *capulus quòd decidit* Harpes
Super ſummum verticem Melanthidis:

unde à μύκης *Mycene*, Etymolog. &c. Σιφοδρέπανον autem *harpen* vocat Heſych. λογχοδρέπανον Suid. *hamatum ferrum*, Lucan. *l.* 9. cujus inventum Thracibus tribuit Clemens 1. *Strom.* potiùs à Phœnicibus Thraces accepêre. Romani *ſicam* dicebant: Fortaſſe κόπις & σάγαρις, apud Xenoph. *Cyropæd. l.* 2. ubi de Perſarum armatura, id ipſum fuit; neque diverſa Laconum ξυήλη, cujus Heſych. meminit &c. Bochart. *Hieroz. Part. poſt. l.* 5. *c.* 15. An indè *Harpigeri*, apud Albertin. Muſſatum *de Geſtis Italicorum poſt Henr. VII. rubr.* 1. *Per latera diſtinctis* harpigeris, *lanceariis, fundibulariis* &c. Vide quoque infrà *Indus.*

HARPESFELDIUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

HARPHIUS, Henricus, vide *Henricus.*

HARPINNATES, fluv. Peloponneſi, per Elidem fluens, & Harpinnum opp. alluens.

HARPIS, Myſiæ inf. urbs ad Lycoſtoma. Iſtri oſtium. *Ptol.*

HARPOCRAS, magnæ gratiæ apud Claud. Imp. Suet. in eo *c.* 28. *cui lecticâ per urbem vehendi, ſpectaculaque publicè edendi jus tribuit.*

HARPOCRATES, ſimulacrum in ſacris Iſidis & Serapidis erat, quod digito labiis impreſſo admonere videbatur, ut ſilentium fieret. Hunc Ægyptii ſilentii Deum eſſe volebant, fil. Iſidis, poſt mortem Oſiridis natum. Revera autem Græcus Philoſophus fuit Harpocrates, cujus eruditio ac præcepta eò maximè tendebant, ut ſilentium præciperet, & omnibus rebus anteponeret. Hinc *reddere Harpocratem* (ut monet Eraſmus *in Adagiis*) proverbialiter dictum pro *mutum facere* Catull. *Carm.* 74. *v.* 4.

---- *Et patruum reddidit* Harpocratem.

Idem *Carm.* 100. *v.* 4.

---- *& factum me eſſe puta* Harpocratem.

Hujus meminit Ovid. nomine prætermiſſo, cùm Deos Iſidis comites dinumerat. Met. *l.* 9. *v.* 791. *& ſeqq.*

Sanctaque Bubaſtis, variuſque coloribus Apis,
Quique premit vocem: digitoque ſilentia ſuadet,
Siſtraque erant, nunquàmque ſatis quæſitus Oſiris.

HARPOCRATIS Dei pridem effoſſa eſt imaguncula ex Mutinenſibus ruinis, quæ ita erat efficta. Puer erat imberbis, nudus, qui dextrâ indice os obſignabat, ſiniſtrâ verò deorſum extentâ ſuſtinebat cornucopiæ ſurſum ad aurem pertingens, frugibus refertum, inter quas eminebat nux pinea. Dei verò caput mitrâ Ægyptiacâ redimi videbatur, aut aliquantulum in altum erecta deſinebat in duas quaſi volucres. Ei Deo lentes & primitiæ leguminum offerri ſolebant. Illi etiam perſeam arborem dicavit Ægyptus, quòd ejus arboris frondes linguæ, fructus autem cordi ſit quàm ſimilimus. Natalis Comes. Roſſæus. *Myſtagog.* Carterius, *de Imagin. Deorum*, *Nic. Lloyd.*

HARPOCRATION, qui *Ælius* vocabatur, profeſſione Sophiſta fuit, præter alia commentatus eſt de iis, quæ à Rhetoribus ignorantur; ad hæc de agminum ordinibus, qui apud Xenoph. item librum, quòd ementita ſit Herodoti Hiſtoria, ſive, ut Græca teſtantur... neam, περὶ τῆς κατεψευσμένης τῆς Ἡροδότου ἱστορίας, Auctor Suid. qui quatuor Harpocrationes ponit. unum Argivum, Philoſophum Platonicum, è quo Stobæum eclogas ſuas congeſſiſſe, Photius teſtatur in *Bibliotheca*: alterum prænomine Cajum? Tertium *Ælium*, de quo dictum: quartum Valerium, Rhetorem Alexandrinum, auctorem Lexici in decem oratores. Vide Mauſſacum *in Harpocrationem.* Idem Horum Ælius, an Valerius; inter Præceptores Veri Imp. memoratur *Capitolino.*

HARPONES, in vet. *Charta*, apud C. du Freſne, ſpicula ſunt ferrea, 6. pedes longa, quibus balænæ configuntur: cujuſmodi *harpones*, Gall. *harpons*, deſcribuntur Cleiraco *ad LL. maris Oleron.* Hinc *Harponeurs* iiſdem balænarum piſcatores. C. du Freſne in *Gloſſ.*

HARPONIUM, opp. Lucaniæ. Vide *Arponium.*

HARPRECHTUS Joh. Walhemio Wirtenbergius, Juris Prof. Tubingæ celebris, floruit, A. C. 1597. Erhard. Cellius *Elogiis Profeſſorum Tubing. carminicè editis.* Obiit A. C. 1639. Æt. 80. Ædita ab eo. *Operum Tomi IV Orationes*, *Commentarii*, *Diſputationes ad IV. Inſtitution. libros*; *Poëmatum libb.* 4. *Tractatus de Patria poteſtate, de Nuptiis & Adoptionibus*, &c. Paul Freher. *Theatro Viror. erudit. claror.*

HARPYIÆ, Ponti ac Terræ filiæ, teſte Serv. unde in inſ. habitant, partem terrarum, partem maris tenentes. Val. Flacco, Typhone genitæ ſunt. Sic dictæ ſunt ἀπὸ τοῦ ἁρπάζειν, i. e. *à rapiendo.* Quam etymologiam confirmat. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 212.

Harpyjæque *colunt aliæ:*

Idem Ibid. *v.* 225. *& ſeqq.*

At ſubitæ horrifico lapſu de montibus adſunt
Harpyiæ, *& magnis quatiunt clangoribus alas:*
Diripiuntque dapes. ---

Itemque Horat. Serm. *l.* 2. Sat. 2. *v.* 40.

Vellem, ait, Harpyiis, *gula digna rapacibus.*

Heſiod. *in Theog. v.* 266.

---- Ἠ δ᾽ ὠκεανοῦ τέκεν Ἶριν,
Ἠϋκόμους θ᾽ Ἁρπυίας Ἀελλώ τ᾽, Ὠκυπέτην τε.

Et alibi alludens ad etymon.

Νῦν δέ μιν ἀκλειῶς Ἅρπυιαι ἀνηρείψαντο.

Etymologus: Αἱ ἁρπακτικαὶ θεαὶ, παρὰ τὸ ἅρπω τὸ ἁρπάζω ἅρπυιαι, ὡς αἴθω αἴθυια, & ἄγω ἄγυια. Volatiles autem fingebantur, auribus urſinis, corpore vulturino, vultu virgineo, manibus uncis. Virg. ex tres fuêrunt, *Aello*, *Ocypete*, *Celæno*, quæ Homero *Podarge*, ex qua Zephyrus Achillis equos Balium & Xanthum genuerit. Exegêrunt autem eas Boreadæ, per Ægæum Siculumque mare, ut ſcribit Pherecydes, perſecuti uſque ad *Plotas* inſ. quas Homer. *Calynas* nominat. Inde Boreæ filii ab Iride admoniti, ſeu ut alii, à Mercurio, reverſi ſunt, undè Inſ. *Strophades* ſunt appellatæ. Illæ verò in ſpecum Cretæ ſe fugâ proripuêrunt. Mythologiam earum habes apud Cæl. Rhod. *l.* 29. *c.* 27. Sidon. Apollinaris *Ep.* 7. Harpyias vocat ſanguinarios pecuniæ raptores & exactores, Plutarch. earum nomine fœneratores intelligit, in *Lucullo.* Apulejus mulieres malas, &c. Vide *Phineus*, & Voſſ. *de Theol. Gent. l.* 3. *c.* 99. Nic. Lloyd. è quibus fabulam iſtam nulli avium generi magis convenire ſentit Voſſ. quam veſpertilionibus Darienes in America; qui non modò gallos gallinaſque, ſed & canes feleſque morſu interimunt, homines etiam infeſtant, ſanguinemque iis exugendo in maximum vitæ periculum conjiciunt, quando & nonnulli hinc tabe emortui; uti teſtis eſt Petrus Martyr *Ocean. l.* 6. *Decad.* 3. Sed hoc genus avium Veteribus ignotum fuit, qui φυσικῶς per *Harpyjas* intellexêre ventos: ἱστορικῶς, pellices Phinei Reges, quas aulâ expulêre Calais & Zetes. Boreæ, h. e. Septentrionalis Reguli, ex Orythia apud Ilyſſum rapta, filii, quorum ſororem Cleopatram Phineus uxorem duxerat. *Cleopatram* autem vocant, Apollon. *Argon. l.* 2. Apollod. *de Diis l.* 3. & Valer. Flacc. *Argon. l.* 4. Sed *Cleobulam* appellant, Serv. *ad Æn. l.* 3. & Tzetzes *ad Lycophron.* Vide Gerh. Joh. Voſs. *de Idol. l.* 3. *c.* 99. Spinturnices, cùm pennæ iis adduntur, *Harpyjas* eſſe & exire, notat Petrus Bellon. *Obſervat. l.* 2. *c.* 46. Vide Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. Theb. l.* 2. *v.* 521. & hîc ubi de *Sphingibus* ac *Spinturnicibus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

HARRACH, nomen illuſtris in Germ. Fam.; è qua primus ex Bohemia Auſtriæ immigraſſe legitur, ſec. decimo tertio Pribiſlaus. Cujus pronepos Bernhardus, Leonhardum & Joh. genuit, duarum linearum auctores: ſed quæ à Joh. in *Goggiſch* deſcendebat, pridem defecit. Altera adhuc durat, Comitum axiomate illuſtris. Leonhardus enim Dn. *ab Harrach*, Extinctus A.C. 1536. fil. habuit ex Barbara *de Gleinix*, Leonhardum I. Bar. *ab Harrach*, qui Obiit A.C. 1590. Pater ex Barbara *de Windiſch-Graz* Leonhardi II. qui ex Maria Jacoba Zollerana, filia Caroli Com. *de Hohen-Zollera*, Carolum ſuſcepit Com. *ab Harrach*: quo, & Mariâ Eliſabethâ *de Schrattenbach*, nat. Carolus Leonhardus, fratrem habuit Erneſtum Adelbertum, *Cardinalis ab Harrach* nomine celebrem, & ex Maria Franciſca *ab Eggenberg*, filia Joh. Ulrici Principis, genuit Leonhardum Ulricum, Leonoram (uxor. Nicolai Com. Palfi) & Tereſiam. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobilit. Eur. Part. II.* p. 119.

HARRIA, ſeu *Harnlandia*, prov. Eſtoniæ, in ora litor. Sinus Finnici, ubi Revalia, totius Eſtoniæ caput, ſub Suecis.

HARSA, nomen viri Eſdr. *c.* 2. *v.* 52. Lat. *artificium*, vel *aratura*, ſive *teſta*, aut *ſilentium*, vel *ſurditas*; aut Syriacè *ſylva*.

HARSDORFFER Georg. Phil. Patritius Norimbergenſis, Philologus, Hiſtoricus & Poëta eximius, inclytæ Societatis Frugiferæ in Germ. membrum, *der Spielende* ab illa cognominatus eſt. Inter Aſſeſſores Dicaſterii Norimbergenſis receptus, A. C. 1637. Senator electus eſt A. C. 1655. Obiit A. C. 1658. Æt. 51. Pater *Car. Theophili*, & *Joh. Sigiſmundi*: & Auctor *der Geſprach-Spielen* VIII. Tom. *des Poetiſchen Trichters* Part. III. *Deliciarum Mathematicarum & Philoſophicarum*, aliorumque complurium ad Germanicæ Linguæ culturam facientium: *Orationum* porrò *aliquot Funebr.* Idem *Periſtromata Turcica* ex Gallico vertit, iiſque *Aulæa Romana* oppoſuit, ut alia præteream. Paul. Freher. *Theatro Viror. erud. clar.*

HART, nemus Germ. in Saxonia, de quo ſic Henr. Roſa *in Herlingsberga*,

Saxoniæ nemus eſt viginti millibus & ſex
Porrectum, dicit quod Teutona lingua vocans Hart,
Eſſe poteſt majus, ſed non præſtantius ullum
Silvis, ſive feris: hoc autem dives habetur,
Quod municipiis & pagis pullulet. Hart *eſt*
Hinc ideo dictum, quia durius omne, quod illud
Educat, eſt aliis.

Nempe Germanis vox *durum aſperumque* notat. Idem verò aliis quoque ſylvis, in agro Raurico, Suntgoja &c. nomen, vide in voce *Haraſſus*.

HARTENBURGUM, locus Germ. ſup. ſub proprio Comite, ex Fam. Comitum Leiningenſium. Emico enim Catharinæ Naſſoviæ (à qua Sarwerdenſis illi prætenſio obtigit) maritus; qui Obiit A.C. 1541. cùm varios haberet filios, eorum maximus natu Joh. Phil. I. *Hartenburgicam* lineam orſus eſt, minor verò Emico *Dagsburgio-Falckenburgii* rami auctor fuit. Obiit autem prior A. C. 1562. ex Anna Mansfeldia, pater Emiconis, qui Deceſſit A. C. 1607. relicto ex Maria Eliſabetha Palatina, Joh. Philippo II. Extincto A. C. 1643. Quo & Eliſabethâ Agnatâ, filiâ Emiconis Demortui A. C. 1593. nati ſunt Frid. Emico *in Hartenburg* nat. A. C. 1621. maritus Sibyllæ Waldecciæ (A. C. 1622. θ. A. C. 1666. poſtquam primis nuptiis Agnetem Waldecciam; alteris Eliſabetham Carolum Solmenſem ſibi junxiſſet.) E quibus Frid. Emico, genuit Mariam Eliſabetham A. C 1648. Emiconem A. C. 1649. Chriſtianam Magdalenam A. C. 1650. & Dorotheam Sibyllam A C. 1632. *Comites Leiningenſes & Dagsburgios &c. in Hartenburg*: Joh. verò Phil. ex poſteriore uxore; Mariam Magdalenam ſuſcepit, A. C. 1659. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatro Nobilit. Europ. Part. I. p* 36. & 164. *item in Ind.*

HARTMANNUS, Rudolphi I. Imp fil. A. C. 1281. circa natalem Domini, apud trajectum Confluentiæ Helvetiæ naufragium paſſus & merſus eſt. In adyto ſummi templi Baſileæ, cum matre, Anna Hochbergia, ſepultus. Chriſt. Urſtiſius *Epit. Hiſt. Baſil. c.* 8.

HARTMANNUS Georgius, vide *Ibi.*

HARTMANNUS Scedelius, Norimberg. auctor Chronologiæ Imperatorum, Regum, Paparum, &c. uſque ad A.C. 1492. Vulgo *Chronicon Norimbergenſe* dicitur. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 6. Item Annalium conditor, Stumpf. *in Comm. rer. Helv.*

HARTOMUNDUS, apud Vopiſc. in *Aurel.* ubi alii legunt *Hariomundus*, quod vide.

HARTUNGUS Joh. Miltenburgo ad Mœnum in Franconia oriundus, Heidelbergæ primùm, dein Friburgi Briſigaviæ, Græcæ literaturæ Profeſſor, ſcripſit *Annotat in 3. priores Odyſſeæ rhapſodias*, *Chiliades locorum Homericorum*, *Decurias locorum memorabil.* *Notas in Virg.* & *Apologiam Græcorum de igne purgatorio, exhibitam in Concilio Baſilienſi* & *Apollonii Argonautica* Latinè reddidit. Porrò, Dict. Græco-Lat. auxit, & Ariſt. Strab. correxit. Obiit Friburgi A.C. 1579. Æt. 75. Melch. Adami *in vitâ Philoſ.* & Anton. Teiſſier *Elogiis Parte I.*

HARTPENNY, vox Saxon. ex *heard*, focus, & *penny* denarius, dictus eſt Denarius S. Petri, *in LL.* Edgari Regis *c.* 4. quòd ſingulis focis, h.e. domibus imponeretur. Vide *Romeſcot.*

HARTZERODA, potiùs *Hartzkeroda*, caſtr. Princip. Anhaltini, ad Selkam amnem, 12. mill. paſſ. à Northuſia in Cæc. Magdeburgum verſus. Sedes unius è 5. Principibus Anhalt. dominum nacta Chriſtiani Bernburgici A. C. 1630. mortui fil. minorem natu Fridericum, qui Chymiæ ſtudio & peregrinationibus delectatus, ex Johanna Eliſ. Naſſovia ſuſcepit Vilhelmum. Vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Gen. Hiſt.*

HARVADA, fluv. regni Mogororum. *Joh. Metal. Metell.*

HARUDES, pop. Tranſrhenani, in Gall. Celtica, circa fines Sequanorum, ac Heduorum, ab Arioviſto, Germanorum Rege, tranſportati. Hos Jucundus Veronenſis Conſtantienſes interpretatur, ac totum eum tractum, intelligit, qui illis trans Rhenum & lacum Acronium eſt ſitus; ubi Buchornum, Merſburgum ac Uberlinga nunc poſitæ ſunt. At eum falli longiſſimè Ptol. *l.* 2. *c.* 11. arguit, qui & *harudes* non longè à Cimbrica Cherſoneſo ponit ac dicit Phunduſiis magis orientales eſſe.

HARVENGIUS Philippus, vide *Philippus.*

HARVICUM opp. munitum Angl. cum portu percapaci, in Eſſexia, in ora Oceani Germ. ubi Stura fluv. in eum ſe exonerat, prope conf. Suffolciæ.

HARUNDO, coronamentum apud poëtas fluviorum: Hos enim ii jacentes, nudos, canâ barbâ, multumque promiſſâ, *μυρίκῃ ἢ καλάμῳ ἐστεφανωμένους*, *myricâ aut harundine coronatos*, fingebant, teſte Dione Chryſoſtomo. Quâ ipſâ proin coronâ Tybrim donat Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 33.

---- *eum tenuis glauco velabat amictu*
Carbaſus; & crineis umbroſa tegebat arundo.

Item Mincium Idem *Æn. l.* 10. *v.* 206. uti Calydonium amnem Ovid. *Met. l.* 8. *v.* 694. & *l.* 9. *v.* 2. Peucona, Val Flacc. *Argon. l.* 6. *v.* 262. alios alii. Sed & homines ſæpe ſic coronati Et quidem Soſibius Lacedæmonios, feſtis Promachiorum diebus, *arundine vernaculâ* redimiri ſolitos, tradit, apud Athen. *l.* 15. *c.* 5. *p.* 674. Quo exemplo, Hiſpanos quoſdam capite geſtare fundas junceas, tres memorat Strabo *l.* 3. *p.* 68. Arundine quoque juventutem Atticam, quæ Academiam frequentabat, cingi conſueviſſe, utpote coronamento tenui, nec exquiſito, diſcas ex Ariſtoph. *in Nub.* hiſce, *Act.* 3. *Sc.* 3. *v.* 44.

Ἀλλ' εἰς Ἀκαδημίαν κατιὼν, ὑπὸ ταῖς μορίαις ἀποθρέξῃς
Στεφανωσάμενος καλάμῳ λευκῷ μετὰ σώφρονος ἡλικιώτου.

Inter Numina Gentilium, Dioſcurorum hujuſmodi corona propria credita eſt, etſi & Apollini gratam, propter arundines paluſtres lyris aptas, tradat idem Comicus *Ran.* vide Car. Paſchal. *Coron. l.* 4. *c.* 1. De *Harundinum* verò variis generibus earumque uſibus aliis bello pacique, inprimis *in aucupiis*, *in domibus tegendis in luxu*, *in navigando*: *in ſcribendo*, *in tibiis Veterum* &c. Vide Plin. *l.* 16. *c.* 36. Salmaſ. *ad Solin.* & ſuprà paſſim, in vocibus *Arundo*, *Calamus Canna.* Addam ſaltem verbum, de *Harundinum remedio*, ab Aug. in coxendicis ac cruris ſiniſtri ægritudine adhibito, apud Suet. *c.* 80. loco ſuprà cit. ubi de *Harenarum remedio.* Quod quale fuerit, ne Medicis quidem præſtantiſſimis notum, Caſaub. ſuſpicatur, non aliud id fuiſſe, quàm cujus Cato meminit *c.* 160. & ex illo Plin. *l.* 24. *c.* 11. ubi ait: *Cùm averti carmine grandines credant pleriq; cujus verba inſerere non equidem ſeriò auſim, quanquam à Catone prodita, contra luxata membra jungenda* harundinum *fiſſuræ* &c.

HARUS, i. e. *inciſus*, ſive *aureus*, aut *ſollicitus*, ſive *trituratus*: Pater Meſſalemeth matris Amon Regis Judæ. 2. Reg. *c.* 21. *v.* 19.

HARUSPICES, quibuſdam *ab aris inſpiciendis*, quaſi *Aruſpices*, dicti; aliis hoc nomen habuêre, quòd exta hoſtiarum *inſpicerent.* Ab *harviga* nempe appellati, quæ erat propriè hoſtia, quâ aries mactabatur: Ἀῤῥὰ enim *arietem* appellarunt Græci, juxta Heſych. unde & *aries* nomen accepit. Ab *harviga* itaque vel *haruga* dicti ſunt *Haruſpices*: illi enim, ut meminit Vitruv. immolatis pecoribus inſpiciebant exta, qualia ſunt jecur, pulmo, ren, cor, præcordia, renes, an integra eſſent, nec ne, vel ullâ contaminatâ labe. Habuit vana diſciplina hæc Hetruſcos auctores, ut pluribus docet Peucerus *de Divinat.* Vide quoque ſuprà in voce *Aruſpex.*

HASABA, fil. Zorobabel, fil. Phadajah. 1. Par. *c.* 3. *v.* 20. Lat. *numeratio*, ſive *æſtimatio*, vel *cogitatio*, aut *artificium*, vel *feſtinatio*, aut *ſilentium in ea.*

HASABIA, fil. Amaſiæ. 1. Par. *c.* 6. *v.* 45. *c.* 25. *v.* 3. & *c.* 35. *v.* 9. Princeps fuit Levitarum. 2. Par. *c.* 35. *v.* 9.

HASAEL, vel *Hazael*, quod vide Rex Syriæ, 1. Reg. *c.* 19. *v.* 17. 2. Reg. *c.* 8. *v.* 12. 2. Par. *c.* 22. *v.* 6. Amos *c.* 1. *v.* 4. Lat. *videns Deum.*

HASAR-MOTH, fil. Jectan. Gen. *c.* 10. *v.* 26. Vide omnino Bochart. *Phaleg. l.* 2. *c.* 17. Lat. *atrium mortis.*

HASAR-SUHAL, civ. 1. Par. *c.* 4. *v.* 28. i. e. *atrium*, vel *fœnum vulpis*, aut *fœnum ſemitæ.*

HASAR-SUSIM, i. e. *atrium*, vel *fœnum equorum*, nomen civitatis, 1. Par. *c.* 4. *v.* 31.

HASARTUS Julianus, vide *Julianus.*

HASASON-THAMAR, Lat. *glarea*, ſive *lapillus Commutationis*, vel *diviſio*, ſive *ſagitta palmæ*, i. e. *dactyli*, nomen opp. quod & *Engaddi*, 2. Par. *c.* 20. *v.* 2. Gen. *c.* 14. *v.* 7.

HASBADANA, i. e. *feſtinans*, aut *cogitans judicium ſuum*; ſive *ſolens*, aut *computans judicium ſuum*, nomen viri. Neh. *c.* 8. *v.* 5.

HASBANIA, vulgò *Haſpengaw*, regio Brabantiæ, in dit. Leod. inter Arduennam & Brabantiam: ſeu inter Trajectum Tungrorum, ad Moſam ac Ripariam, frumenti ferax. In ea olim Comitatus quatuor undè non mediocris tum amplitudinis fuiſſe colligitur. Ejus caput *Fanum S. Trudonis*, Baudr. Ad torrentem Ciſindriam. Ibidem Molanus Beliſiam opp. Ep. Leodienſi ſubjectum, vulgò *Bilſen* aut *Wilſen*: item Tenas, vulgò *Tienen*, Gall. *Tillemont*, ac Trajectum ad Moſam alii collocant. Gallis regio *Haſbaigne* dicitur: undè *Ville en* Heſbain, locus non procul ab Hojo, inter Moſam & Brabantiam Gallicam. Nomen accepit à fluv. Haſba, vulgò *Haſpen*, qui inter Landas & Tenas medius decurrens, alluit vicos præ cæteris duos, alterum *Cis-haſbam* à ſitu dictum, Germ. *Neer-Heſpen*, alterum *Trans-Haſbam*, Germ. *Over-Heſpen.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

HASBATA, prov. Fezzæ regni, magis in Bor. tendens, verſus Fretum Herculeum, ubi urbes Tingis, Cepta, & Arzilla.

HASCORA, ſeu ESCURA, prov. regni Marochii inter prov. Duccalam ad Bor. Marociam ad Mer. Tedieſam ad Ort. Ejus urbs præc. *Elmadina.*

HASDRUBAL, vide *Aſdrubal.*

HASE, unum ex 4. nominibus, quibus Æthiopes inſigniunt Imp. ſuum, vide infrà *Maſih.*

HASEBIAH, fil. Merari. 1. Par. *c.* 9. *v.* 14.

HASEBNA, nomen viri. Neh. *c.* 10. *v.* 26.

HASEBNIA, nomen viri. Idem *c.* 9. *v.* 5.

HASEBONIAS, nomen viri. Idem *c.* 3. *v.* 23.

HASELIA Vallis, vulgò *Hasli-land*, tractus terræ in vet. pago Tugino, in Helvetia; cujus incolæ, ſecundum Gullim. p. 330. ex Friſia Orient. & urbe Haſſelinga, quæ in Weſtphalia, aut potiùs Haſſelio opp. ad Viadrum fluv. finibus Friſiæ Occ. prov. Tranſiſalana, Reſtio Ductore huc delati, *Haſeliam* de ſe vallem conſtituêrunt. Liberi & fortes, cum tribus pagis vetuſtiſſimis, Guidone Duce, rogatu Pontificis, in Italiam tranſgreſſi, bello Saracenico urbi Romæ fortem fidamque navarunt operam, multis proin immunitatibus à Ludovico Pio Imp. donati. Bernatibus ſeſe junxêre, circa A. C. 1291. in quorum ditione hodieque degentes, Ammannum ſeu Præfectum habent ex ſuo corpore, qui à Senatu Bernenſi ad id munus deligitur, illique rationem reddit. Simlerus *deſcr. Helv.* Joh. Bapt. Plantin. *Helv. Antiq. & Nov. &c.* Fontem in hac valle, in monte, *Engſtlen* nominato, haud procul ab Arolæ fontibus, memorat Cl. Snicer. *Deſcr. Helvet.* qui nullo anni tempore fluere conſuevit, præterquam Junio, Julio & Aug. menſibus, cum pecora & armenta ibi paſcuntur, fluitque certis tantùm horis, manè & veſperi, quando ad potum pecora aguntur: In hunc ſi quid impuri immittas, evaneſcit, nec aquæ, niſi poſt aliquot dies, redeunt.

HASEM, i. e. *ſilentium*, vel *feſtinatio eorum*, nomen viri. Nehem. *c.* 7. *v.* 22.

HASERGADDA, civitas in tribu Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 27. Lat. *atrium hœdi ejus*, vel *felicitatis ejus*; aut ex Hebræo & Syro, *atrium inciſionis*, vel *ſciſſuræ.*

HASER-SUSA, civitas in tribu Simeon. Joſ. *c.* 19. *v.* 5. quæ & *Haſerſuſim.*

HASERIM, i. e. *atria*, ſive, *veſtibula*, aut *ſagitta excelſa*, civitas in dorſo montis Seir, inter Ægyptum & Chananæam. Deut. *c.* 2. *v.* 23. Aliàs *Haſeroth.*

HASEROTH, nomen Eremi, per quam tranſiêrunt Iſraëlitæ aſcendentes in terram Chanaan ex Ægypto. Idem *c.* 1. *v.* 1.

HASIM, i. e. *tacentes*, ſive *feſtinantes*, aut *ſilentium*, vel *feſtinatio maris*, nomen viri. 1. Par *c.* 7. *v.* 12.

HASLA, opp. Alſatiæ inf. ad Bruſſalium fluv. *Joh. Matal. Metell.*

HASMAL, vide *Æs Indicum*, it. *Pyropi.*

HASNONIUM, vulgò *Haſnon*, vetus Cœnobium ac illuſtre, ante Annos 1000. conditum, ad fluv. Scarpum, in Atrebatibus, pagoque Auſtrebanto, qui olim Comitatu Atrebatenſi contentus, nunc Hannoniæ attribuitur. Dictum eſt à vico vel villa Haſnone, vel Haſnonio, & ſuum ibi Advocatum; ſuum theſaurum, ſuam Bibliothecam habuit, hodieque ſecundo eſt inter Hannoniæ Abbatias loco. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

HASOM, i. e. *ſilentium*, vel *feſtinatio eorum*, nomen viri. Eſdr. *c.* 10. *v.* 33.

HASOR, civitas Regni Jabin Chananæorum Regis, quæ & *Heſron* dicitur. Joſ. *c.* 11. *v.* 10 & 13. *c.* 12. *v.* 19. *c.* 15. *v.* 23. & *c.* 19. *v.* 36. 1. Sam. *c.* 12. *v.* 11. 2. Reg. *c.* 15. *v.* 29.

HASPHAHAMUM, in prov. Perſiæ *Hyerach.* Quibuſdam *Hecatompylos* antiq. ferè media inter Tabriſium ad Bor. & Armuzium ad Auſtr. Vide *Aſpachan.*

HASPATICI, uti legit C. du Freſne in *Miraculis* Euſebiæ Abbatiſſæ Hamatici dicti ſunt, qui *haſpas* ſeu oſtia effringebant, iidemque proin cum iis, quos *Directarios* Latini dixêre. Vulgò habetur *Haſpalici*; cujus loco mallet *Raſpalici* Henſchen. hoc enim vocabulo fæcem hominum undique collectorum vocant Flandri. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.* & ſuprà ubi de *Directoriis*, uti de inveſtitura per *haſpam* ſuo loco.

HASRA, pater Thecuæ, patris Sellum, mariti Oldæ prophetidis. 2. Par. *c.* 34. *v.* 22. Lat. *defectus*, ſive *deficiens.* 2. Reg. *c.* 22. *v.* 14.

HASSAMONÆI, vide infrà *Maccabæi.*

HASSELT, opp. Ep. Leodienſis, Demeræ fluv. ſiniſtræ ripæ inſiſtens. *Joh. Matal. Metell.*

HASSEMON, civitas tribûs Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 4.

HASSI, ſeu *Baſſi*, quibuſd. pop. Flandr. ubi nunc *la Baſſée*, in conf. Arteſiæ, opp. aliàs munitum, 5. leuc. ab Atrebato in Bor. Sub Gallis.

HASSIA, Regio Germ. in circulo Rheni, quam habuerit originem, non conſtat, niſi quòd ferunt, à monte quodam cognomine eam appellari, qui quo loco ſitus ſit, non reperitur, niſi is fortè ſit, qui in Geldriæ urbe Noviomago extat, quod quidem à re non uſque adeò alienum videtur. Referunt enim nonnulli Battonem quendam, Regis Cattorum fil. qui Noviomagum auxerit, reſtaurarit, ac mœnibus cinxerit, Heſſum filium habuiſſe, qui favore ac amore patrii ſoli ei loco ſuum nomen communicarit, unde etiamnum *Heſſius mons* dicitur: Beatus Rhenan. *rer. Germ. l.* 1. aliud ſentit: arbitratur enim advenam Heſſorum nationem ex ulteriore Germ. Cattorum veterum ſedes occupaſſe, qui vel bellis erant abſumpti, vel cum Alanis in Hiſpaniam, cum Alemannis in Martianam ſylvam conceſſêrunt. Hi itaque Heſſi Cattorum regioni nomen ſuum, ſi Rhenano credimus, indidêrunt. Haſſiæ limes Occiduus eſt Rhenus, ad Ort. Thuringiæ ac Saxoniæ contigua eſt, in Sept. Brunſvicenſi ducatui ac Weſtphaliæ contermina eſt. Merid. latus Franconia excipit. Longa eſt ab Or. in Occid. milliaribus Germanicis 33. cum dimidio: Lata autem ex Auſtro in Bor. milliar. German. 23. & quartâ parte: Continet Heſſicum ſolum, complura in ſe dominia ac dynaſtias, Rheingoviam, Occidentalem ſylvam, vulgò *Weſterwald*, Wedderaw, Comitatus Anaſinum, vulgò Naſſovienſem, Konigſteinenſem, Hanawenſem, Iſenburgenſem, Waldeccenſem, ac pleraque alia dominia. Hæc Regio quondam Comitatus, nunc verò Landgraviatus titulo decoratur, cujus præcipuæ urbes ſunt Marpurgum & Caſſula. Joh. Matall. Metell. Baudr. habet Wetteraviam ad Occaſ. Weſtphaliam ad Sept. Franconiam ad Mer. & Thuringiam ad Ort. Sub duobus Principp. Caſſellenſi, qui majorem partem, & Darmſtadienſi, qui min. conſecutus eſt. Origo familiæ è Ducibus Brabantinis, inter quos Henricus II. Magnanimus, fil. Henrici Probi, nepos Godofridi III. qui in cunis prolatus hoſtes vicit, pater fuit Henrici III. qui Brabantini, & Henrici alterius, qui *Haſſiaci* rami, auctores fuêre: quorum hic cognom. Puer, Paderbornenſem & Moguntinum, excommunicationis fulmen in ſe nequicquam ſtringentes, vicit, Mortuuſque A. C. 1308. tres filios reliquit, quorum Otho principatum ad Lanum, Joh. Caſſellas, & Ludovicus Marpurgum habuit: Fratribus ſuperſtes Otho A.C. 1311. jus primogenituræ in familiam introduxit, à Moguntino poſtea quoque excommunicatus. Obiit A.C. 1326. pater Henrici Ferrei ſeu Magnanimi, qui à factione, cui à ſtella nomen, *Sterner*, mirè exagitatus, hæredem habuit ex fratre Ludovico nepotem Hermannum, Principem doctiſſimum: cui morienti A.C 1413. ſucceſſit fil. Ludovicus cognom. Mitis. qui non exiguæ in Imperio auctoritatis, Cæſareum tamen poſt Albertum II. diadema recuſavit: titulum contrà Comitis Ziegenheinæ & Niddæ, ultimo Comitum Joh. Extincto A. C. 1453. aſſumpſit. Pater Ludovici Pii, qui Caſſellas, & Henrici, qui Marpurgum tenuit, illum enim hic ad diviſionem adegerat, undè bellum. Ex his Henricus A.C. 1479 ſocero Comite Cattimelibocenſi mortuo, hunc Comitatum nactus eſt. Ludovicus verò A.C. 1471. Extinctus, genuit Gulielmum, patrem Philippi Magnanimi: qui bello Smalcaldico celebris, Obiit A. C. 1567. Princeps celſi & ingentis animi Thuano vocatus. Ei, ex Chriſtina Saxonica, nati Gulielmus, Caſtellanam: Georgius verò Darmſtattinam lineam, orſi ſunt. Vide ſuo loco, & plura de Sereniſſ. hac familia, apud Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.* Hodie *Haſſia Caſſellana* ſubeſt Carolo, nato A. C. 1655. ex conjugio Vilhelmi. VII. ac Hedvigis Sophiæ Brandeburgicæ, & Mariæ Ameliæ Curlandicæ marito, Principi pietate, magnanimitate, fortitudine inter Imperii primos, qui bello hodierno magna Confœderatorum pars, haud pridem Gallos ab obſidione Rhinfelſæ fortiſſimè repulit. Cæterùm *Haſſia Caſſelenſis* Landgravio ſubſunt Haſſia propria, ubi Caſſela, Comitatus Zigenemenſis, Abbatia Herofeldenſis, pars Orientalis Comitatus Waldeccenſis, pars Borealis Principatus Marpurgenſis, quatuor Præfecturæ Comitatus Scamburgenſis, in Weſtphalia, prope Mindam, & Smalcalda urbs Principatus Hennebergenſis, cum aliquot locis Veteraviæ. Adde quòd antiquiſſimis temporibus, unâ cum Thuringia, cujus pars tunc cenſebatur, *Occidentalis Thuringia* dicta, *Reges* habuit, in Hermenfrido; *Duces* indè, in Burcardo; poſtea Henrico II. Imp. *Comites*, qui Aurelianenſibus orti (è quibus Ludovici Barbari nepos *Landgravii* titulo, à ſucero Lothario Saxone Imp. ornatus) in Henrico Raſpone, quem in Friderici II. odium Proceres Pontifici addicti Imp. renuntiaverant Extinctos A. C. 1247. Hinc natâ inter Henricum illuſtrem, Miſniæ Marchionem, Juttæ (Henrici Raſponis ſoror erat) ex Theodorico filium & Sophiam Ludovico Henrici fratre prognatam Henrici Magnanimi Brabantiæ Ducis conjugem controverſiâ, bellum aliquot Annorum ortum, quod in hanc tandem pacem deſiit, ut Brabantinis *Haſſia*, Thuringia Miſnienſibus obveniret, eaſque ambas aliquando haberent, qui deficienti alterius ſtirpi manſiſſent ſuperſtites: adjectis de mutua defenſione pactis, & receptis in ſucceſſionem fœderiſque communionem Brandeburgicis, qua de re vide plura infrà, in voce *Thuringia.* Titulus horum Principum hic eſt: *Landgravius Haſſiæ, Princeps Herefeldæ, Comes Cattimeliboci, Diezæ, Ziegenhaini, Niddæ, Schauenburgi, Iſenburgi & Budingæ.* Vide ſuis locis, & in hanc rem plura, apud Tob. Pfanner. *de præcipuis Germ. Principp. gentibus.*

Haſſiæ Caſſelenſis Urbes.

Caſſela, *Caſſel.*	Rotenburgum, *Rotenburg.*
Eſcuvega *Eſchwege.*	Smalcalda, *Smalkalden.*
Herofelda *Hirſchveld.*	Waldeccum, *Waldeck.*
Marpurgum, *Marpurg.*	Zigenemium, *Ziegenhain.*

HASSIÆ *Darmſtadienſis* Landgravio ſubſunt pars minor ſeu Auſtralis, Principatus Marpurgenſis, ubi Gieſſa ac Butzbachium, & Geravia, ubi Darmoſtadium.

HASSUB, fil. Ezricam. Neh. *c.* 3. *v.* 11. i. e. *æſtimatus*, aut *numeratus*, ſive *cogitatio*, vel *artificium.*

HASSUS Henricus, vide *Henricus.*

HASSUS Gulielmus, vide *Gulielmus.*

HASTA, vel *Aſta*, opp. in extremis Italiæ finibus circa Iapygium prom. Claud. *De 6. Conſ. Honorii Carm.* 28. *v.* 202.

——— Nec plus Pollentia rebus
Contulit Auſoniis, aut mœnia vindicis Aſtæ.

HASTA, Regiæ olim dignitatis inſigne, Juſtin. *l.* 43. *c.* 3. cujus traditione quoque feuda collata ſunt, ſicut poſteri virga, feſtuca baculo prioris vice uti cœpêre. Hinc & ferula camboca, pedum, baculus paſtoralis, muneris inſigne, quod non Abbates modò, ſed ipſi etiam Romanorum Pontifices aliquando gerunt. Namque

In baculi forma Præſul datur hæc tibi norma,
Attrahe per primum, medio rege, punge per imum.

Attra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Attrahe peccantes, rege juſtos, punge vagantes:
Attrahe, ſuſtenta, ſtimula, vaga, morbida, lenta.

Vide in *Fiſtuca*, &c. *Haſta pura*, quæ à Catone *Donatica* dicitur, fortitudinis apud Rom. præmium fuit: *Pura*, quia ſine ferro, cùm honoris ergo, non pugnandi causâ daretur. Polyb. γαῖζον: Aliis *Gramica*, ut Turneb. exponit *Adverſ. l.* 29. *c.* 1. Nic. Lloyd. Cæterùm Lucinæ, quæ Græcis Ilithyia & Ζυγία, Latinis Juno quoque & Opigena, vota non ſolùm nuncupabant olim puerperæ, ſed & *Haſta* conſecrabant, publico vaccas nomine immolaturæ, quod in nummis ejus honori cuſis apparet, ubi ſæpe hæc Dea haſtæ ſubnixa conſpicitur. Idque olim voluit Plutarch. *in Quæſt. Rom.* Ἥρας, inquiens, ἱερὸν τὸ δόρυ νενόμισαι, καὶ τὰ ἀγάλματα αὐτῆς δόρατι ἐστήριξται τὰ πλεῖστα, καὶ Κυρῖτις ἡ θεὸς ἐπωνόμασαι, *Junoni ſacra habetur haſta, & pleræque ejus ſtatuæ haſta nituntur, ipſaque dicitur, Dea Quiritis.* Veteribus enim haſta *Quiris* dicta eſt. Unde etiam Juno paſſim *Quiris* ipſa appellatur, ut inter alia in inſcriptione apud Gruter. *p.* 308. Et Mars *Quirinus*, cui haſta ſacra fuit apud Romanos Sabinosque olim, Clem. Alexandrino ex Varrone teſte. De hiſce haſtis A. Gellius *l.* 4. *c.* 6. *Ut terram moviſſe, nuntiari ſolet; eaque re procuratur: ita in veteribus memoriis ſcriptum legimus, nunciatum eſſe Senatui, in Sacrario, in Regia*, haſtas Martias *moviſſe. Ejus rei cauſa Senatusconſultum factum eſt M. Antonio A. Poſthumio Coſſ.* &c. In Nuptiis, *Haſtæ* cuſpide Sponſæ comam diſcriminatam fuiſſe, docet Plutarch. *in Qu. Rom.* Nimirum Celibaris haſta gladiatoris dicta eſt, quæ in capite mortui ſtetit, quâ olim nova nupta ſiſymbrio priùs coronata caput comere frontemque diſcriminare ſolebat, quòd inde fortes ſe viros genituram ominaretur, aut quòd Sponſi diſciplinæ ſe obnoxiam fateretur. Ovid. Faſt. *l.* 2. *v.* 559.

Nec tibi quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas haſta recurva *comas.*

Vide Caſp. Bartholin. *de Inauribus veterum.* In Foro defixa *Haſta*, Centumviralis judicii nota erat, unde ipſum hoc aliquando *Centumviralis haſta*, item *Prætoria*, ac *Decemviralis*, dictum eſt. In Bello *Haſtæ* in agrum hoſtilem conjectæ ritus, belli erat denuntiatio. Quò reſpexit Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 52.

En, ait, & jaculum *intorquens immittit in auras,*
Principium pugnæ. ———

Hanc *ſanguineam* vocavit Liv. *l.* 43. *c.* 13. vel quòd è ſanguineo frutice & ex arbore ſanguinea, vel quòd cruenti coloris eſſet. Turneb. *Adverſ. l.* 9. *c.* 17. putat, eam, cujuscunque demum ligni haſtile haberet, ſanguine fuiſſe cruentatam, ut cruentum atroxque bellum minaretur. Quo faciunt illa Amm. Marcellini, de Perſis Amidam obſidentibus *l.* 19. *c.* 2. *Vix ubi Grumbates haſtam infectam ſanguine patrio noſtrique more conjecerat fecialis, armis exercitus concrepans involat in muros.* Servabatur autem illa in Templo Bellonæ Romæ, & ab ipſis Imperatoribus in hoſticum ſolebat ejici, poſtquam miſſa eſſet ante fanum Bellonæ. Feſtus, *Bellona dicebatur Dea bellorum, ante cujus templum erat columella, quæ Bellica dicebatur, ſupra quam haſtam jaciebant, cùm bellum indicebatur.* Vide quoque Xiphilin. *ex l.* 71. Dionis Caſſii de M. Antonio, & ſuprà in voce *Feciales.* Concluſo dein bello ſuo loco reponebatur, Ovid. *Faſt. l.* 6. *v.* 207. Vide Rob. Valtur. *de Mil. Rom. l.* 1. *c.* 11. Blond. Flav. *Rom. Antiqq.* primum ferè vindicem ante hæc duo ferè ſecula, Caſp. Barthium ad Stat. *Theb. l.* 6. *v.* 6. &c. Antiquiſſimis namque temporibus *haſtis* præcipuè pugnatum eſſe, ex Hom. habemus; quem in finem binas Heroes geſtaſſe notat idem Barth. *ad illud Stat. Theb. l.* 4. *v.* 86.

— *gemino lucent* haſtilia *ferro.*
Eaſque ingentes. Val. Flacc. Argon. *l.* 6. *v.* 235.

— *ingentem campis hoſtilibus umbram*
Fert abies obnixa genu —

Vide de Theſei haſta, Stat. rurſus Theb. *l.* 12. *v.* 730. Hinc iiſdem innitebantur, Duce perorante. Claud. de *Bell. Gild.* Carm. 15. *v.* 425.

— *ſtat circumfuſa juventus,*
Nixa haſtis, *pronasque ferox accommodat aures:*

De quo ſtatu militari, iterum Barth. pulchrè *ad Stat. Theb. l.* 5. *v.* 19. Erigebant verò, in ſignum deditionis: quod apud Macedones in uſu fuiſſe, ſicut ſcuta capiti impoſuêre Romani, alii vittas, & ramos olivarum, præbuêre, idem petituri, docet H. Grot. *de Jure Belli & Pacis l.* 3. *c.* 24. Inter præmia proin militaria *haſtas* fuiſſe, legimus apud Tac. *Ann. l.* 3. *c.* 21. ubi de Rufo Helvio, ab Apronio, *torquibus & haſtis donato*: Et imperii militaris indices, *ad haſtam*, ſicut *ad habenam*, *ad ſcutum*, & ſimilia, apud Ælian. Contra earum ademptio pœna erat, vide ſuprà *Cenſio haſtaria*: uti de *Haſtæ modo* ab Iphicrate *duplicato*, h. e. magnitudine ſeſquialtera aucto, ut Diod. Sic. interpretatur, C. Nep. *in eo c.* 1. Sed & *Haſtæ laureatæ*, aut Tabellæ laureatæ adhibebantur apud Romanos, à victoriarum & rerum ſecundarum nuntiis; pinnis verò ſignatas lanceas præferebant, cum adverſa haberent nuntianda. Vide infrà in voce *Pinnæ*, & Salmaſ. *ad Æl. Lamprid. in Alex. Sev.* Ut nihil in præſens dicam de *Haſtæ*, in auctionibus, quarum ſignum erat, publicè defixæ, uſu, unde non ſolùm pro ipſa auctione vox ſæpiſſimè ſumpta reperitur, ſed & hinc phraſes ortum traxêre, *ad haſtam locare*, *ſub haſta ſubire*, *emere ab haſta*: Vide Alex. ab Alex. Beroald. 4. *in Propertium Comm.* Zaſium *de orig. Juris.* neque de inveſtitura *per Haſtam*, de qua ſuo loco; neque de vallo, ex *haſtis* objectis, fieri ſolito, de quo Liv. *l.* 36. *c.* 18. &c. Cæterùm *haſtis* optima fraxinus, Plin. *l.* 16.

c. 13. *Procera hæc ac teres: pennata & ipſa folio; multumque Homeri præconio & Achillis* haſtâ *nobilitata.* Sed & ex corio hippopotami fiebant ξυστὰ ἀκόντια, ut Herod. vocat, h. e. *raſiles* vel *tornatiles haſtæ.* Ariſt. δόρατα ſimpliciter habet, Plin. *haſtas*: *Hippopotami corii craſſitudo talis, ut inde tornentur haſtæ.* Nam torno terebantur ac radebantur, Salmaſ. *ad Solin. p.* 456. Vide ubi de *Hippopotamo.* De inventione earum idem Plin. *l.* 7. *c.* 56. *Galeam, gladium*, haſtam *Lacedæmonii invenêrunt* — *Haſtas velitares Tyrrhenus* &c. De *haſta* verò Bacchi corymbis hederaque redimita, dicemus infrà in voce *Thyrſus*: uti de *haſta* vett. Francorum, jam dictum in voce *Angones.*

HASTA, veſtis Monachica, vide infrà *Superpellicium.*

HASTATOR, officium in Franciæ Regum coquina, cujus memoria ſervatur in *Ordinat.* Hoſpitii S. Ludovici Regis A. C. 1261. vulgò *Haſteur*, qui veru ad focum verſat, Froiſſard. *Vol.* 1. *c.* 182.

HASTATI, dicebantur in exercitu Rom. primi ordinis milites, qui armaturam Romanam ferebant. Erat autem illa primùm ſcutum, dein cum ſcuto enſis pendens ad dextrum femur, *Hiſpanienſis* dictus, anceps, mucrone ex imo: ad hæc veruta duo galeaque ænea & crurum tegmen ocrea, cum *Haſta*, unde illis nomen. Iidem *Anteſignani* dicti ſunt, quòd ante ſigna, & quaſi in eorum conſpectu, pugnarent: quemadmodum Principes *Subſignani* & Triarii *Poſtſignani* dicti ſunt. Vide Lipſ. *Milit. Rom. l.* 2. *dial.* 3. Ordo incedendi hic erat: primùm Pilani ſeu Velites ibant, ex iis qui minimi ætate ac cenſu, eligi ſoliti. His adultiores ſuccedebant *Haſtati*: quos ætate ac robore præſtantiores excepêre Principes; quibus tandem natu maximi & experientiâ cani ſucceſsêre Triarii, ſic appellati, quòd in acie tertio ordine extremo ſubſidio deponebantur, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 9.

HASTINGI, in *Charta* Guidonis Ep. Belvac. A. C. 1075. apud Loiſell. *Sed poſtmodum barbarorum incurſione & impiorum, i. e.* Haſtingorum, *pervaſione cuncta perdiderat*: Sunt Normanni Daniique ab Haſtingo Duce ſuo primario, quem natione Gallum ac in pago Tricaſſino ex infimo ruſticorum genere ortum aſſerit Glaber Rodolphus *l.* 1. *c.* 5. ſic dicti. Simeon Dunelmenſis, *Heaſtingenſes* vocat, ad A. C. 1049. apud C. du Freſne *in Gloſſ.*

HASUB, nomen viri. Neh. *c.* 3. *v.* 11.

HASUM, nomen viri. Eſdr. *c.* 2. *v.* 19. Neh. *c.* 8. *v.* 4. Vide *Haſom.*

HASUPHA, nomen viri. Idem *c.* 2. *v.* 43. i. e. *exhauſta*, vel *nudata.*

HATERIUS Agrippa, Senator ſub Tiberio, inviſus, quia ſomno aut libidinoſis vigiliis marcidus, & ob ſegnitiem, quamvis crudelem Principem non metuens, illuſtribus viris perniciem inter ganeum ac ſtupra meditabatur. Tac. *Ann. l.* 6. *c.* 4. Vide & *Decius.*

HATERIUS Antoninus, avitas opes per luxum diſſipavit cui tamen Nero annuam pecuniam ſtatuit. Idem *Ann. l.* 13. *c.* 34. Vide & *Quintus.*

HATERIUS, prænom. *Quintus*, familiâ Senatoriâ, promptus & popularis orator; qui cum ad 90. prope Annum ſummo honore perveniſſet, Obiit Lentulo Getulico, Cajo Calviſio Coſſ. fine anni, de quo vide Idem *Ann. l.* 4. *c.* 61. & Senecam Patrem.

HATHATH, fil. Othoniel. 1. Par. *c.* 4. *v.* 13. Lat. *contritio*, vel *timor.*

HATIL, nomen viri. Eſdr. *c.* 2. *v.* 54. Lat. *peccati ululatio.*

HATIPHA, nomen viri. Idem *c.* 2. *v.* 43. Lat. *rapina*, ſive *peccati coma*, aut *reliquiæ.*

HATITA, nomen viri. Idem ibid. *v.* 42. Lat. *peccati declinatio.*

HATTENUM, urbs Geldriæ ad Iſalam fluv. *Joh. Matal. Metell.*

Archiepiſcopi Moguntini.

HATTO I. Archiep. Moguntinus, poſt Sunzonem, A. C. 891. Literatus & Literatorum fautor. Ei Hubaldus Benedictinus, de Muſica tractatum, dedicavit. Obiit A. C. 913. Otto Friſing. *l.* 6. *c.* 15. Rhegino, *Ann. Fuld.* &c.

HATTO II. primò Abbas Fuldenſis, dein poſt Gul. Saxonem, ut Morerius habet, Moguntiæ Archiep. fuit, cujus tempore maxima graſſabatur in terris fames. Videns igitur ille pauperes inediâ & fame premi, convocavit in horreum plurimos, & concremavit eos. Hæc enim crebrò uſurpabat verba; *Non differunt*, inquit, *hi à muribus, qui frumentum comedunt, ad nihilum utiles.* At Deus tantam tyrannidem inultam non dimiſit. Præcepit namque muribus, ut catervatim illum invaderent, ac diu noctuque affligerent, atque vivum devorare feſtinarent. At ille in turrim ſe recepit, putans ſe tutum fore à morſibus murium, quod tamen ei minimè profuit. Nam venêrunt mures innumeri per Rhenum flumen natantes, executuri judicium Dei juſtum, quod miſer agnoſcens, tandem inter mures interiit, cujus quoque nomen parietibus ac tapetis prorſus abraſêrunt. Vide doctiſſimi Wendelini Hiſtoriam hancce latè confirmantem, *in Admirab. Nili c.* 21. Cogn. ei *Bonoſus* fuerat, Obiit A. C. 968. *Morer.*

HATTUS, fil. Semejæ. 1. Par. *c.* 3. *v.* 22. Eſdr. *c.* 8. *v.* 2. Neh. *c.* 10. *v.* 5. & *c.* 12. *v.* 2. Lat. *peccatum derelinquens.*

HAVANA, portus celeberrimus & capaciſſimus Cubæ Inſ. verſùs Bor. è regione Capitis Floridæ, ubi appellunt claſſes Hiſpan. Adjacet opp. permunitum cogn. cum valido præſidio & arce Hiſpan. Et quidem portus hic *Americæ clavis*, & unicum potentiæ Hiſpanicæ in novo Orbe fundamentum eſt, inde tot arcibus & propugnaculis munitus, ut omnium judicio inexpugnabilis cenſeatur. Quidquid auri & argenti America mittit, illud omne portu hoc receptum, inde in Hiſpaniam defertur. Quæ cauſa, quòd qui claſſibus auriferis Hiſpanorum inſidiantur, non niſi circa *Havanam* excubias agant, ut inter alia ab Hollandis factum, A. C. inprimis 1629. quo totam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Hiſpanicam claſſem, portu hoc egreſſam, cum omnibus theſauris, quibus mirè ſaburrata erat, abſque cæde & ſanguine, momento quaſi intercepêrunt. Georg. Horn. *Orb. Polit. part.* 1. *cum Animadverſ. Menckenii, p.* 64. Indè autem, poſtquam ibi Hiſpanorum convenêre naves, menſe dein Septembri in Hiſpaniam ſolvunt, Autor Anon. *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ.*

HAUCUTH Johannes, vide *Johannes.*

HAUD, i. e. *lignum*, Arabibus abſolutè dicitur aroma, quod ξύλοχον vel ξυλοχία Græcis, cum agallocho ſeu xylaloe minimè confundendum: de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1054. & 1055. nec non infrà *Tarum.*

HAVE, ſalutationis formula, crebra in *Conſtitutionibus* Impp. de qua vide Briſſon. *de Formulis l.* 3. & ſuprà in voce *Ave*, item *Habe.*

HAVELBERGA, urbs Epiſcopal. ſub Metrop. Magdeburg. in dit. Elect. Brandeburg. ad Havelam fluv. qui uno mill. infrà in Albim cadit; 10. leuc. infra Magdeburgum in Bor. 8. à Brandeburgo in Ort.

HAVERI, Officiales, in Civ. Bononienſi Italiæ. *Bullarium* Caſin. *Tom.* 2. *Conſtit* 320. & 330.

HAVILA, Arabiæ pars margaritifera circa Catipham & Baharain, quam *Piſon* alluit, h. e. ille Euphratis ramus, quem locorum αὐτόπτης Petrus Texeira, in ſinum Perſicum ferri ait, *en Catipha junto à Barhen*, i. e. ad Catipham, prope Barhen, vel Baharain verſùs, in quibus locis celebris illa margaritarum piſcatio eſt, *Itin. ab India in Ital. p.* 73. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. parte poſt. l.* 5. *c.* 5.

HAVOTH-JAIR, villæ Jair ſexaginta in Hermon monte & Galaad. Num. *c.* 32. *v.* 41. Deut. *c.* 3. *v.* 14. Lat. *oppida illuminationis*, vel *annunciationes luminis.*

HAUSERUS Matthias, vide *Matthias.*

HAUSTANES, Beſſo, conjurationis in Darium, particeps: idem Beſſi oppreſſor cum aliis; neque Alexandro Mag. fidus. Quippe defecit cum Spitamene ac Cathene; & poſtea captus eſt à Macedonibus. Curt. *l.* 8. *c.* 5.

HAUSTRA, in *verſu* Lucret. *de Rer. Nat. l.* 5. *v.* 517.

Ut fluvios verſare Rotas atque Hauſtra *videmus:*

modioli ſunt, rotis aquam haurientibus & in ſummum referentibus, affixi. Nempe *hauſtoriæ machinæ*, apud Vett. vel rotis ac tympanis verſabantur, hominibus calcantibus: atque hoc modo aqua è puteis extrahebatur, aut ſalinis affundenda, aut rigandis hortis aut ad alios quoſcunque uſus. Vel, citra hominum operam, ipſius fluminis impulſu, affixas circa earum frontes pinnas percutientis, circumagebantur ad eoſdem uſus. Atque has intelligit Lucretius: de quibus latiùs Vitruv. *Circa earum frontes*, inquit, *affiguntur pinnæ, quæ cùm percutiuntur ab impetu fluminis, cogunt progredientes verſari rotas, & ita modiolis aquam haurientes, & in ſummum referentes, ſine operarum calcatura, ipſius fluminis impetu verſatæ, præſtant quod opus eſt ad uſum.* Ab his modiolis ſeu *hauſtris* diſtinguenda ἄντλια Græcorum, ſeu *cadi*, qui propriè ſituli ſunt, tollenonibus ſuſpendi, aut trochleis per funes è puteo tolli ſoliti: *anclæ* Latinis, vide infrà in voce *Tolleno*, item ubi de *Trochleis.* Alia machina fuit, quâ Ægyptii aquam è Nilo *hauriebant*, agris rigandis: Κοχλίαν Græci, *Cochleam* Romani appellavêre, cujus deſcriptionem ex eodem Vitruv. pete. Iiſdem uſibus inſerviit Cteſibiaca machina, eidem memorata, ad aquam altiſſimè extollendam accommodata. *Pneumatica organa* vocat Plin. *l.* 19. *c.* 4. *Hortos —— riguos maximè habendos, ſi contingat profluo amne, ſi minus, è puteo pertica, organisque pneumaticis, vel tollenonum hauſtu.* Ad exhauriendam in navibus ſentinam *Celones* adhibiti, vide ſuprà &c. Cùm verò ſic irrigabantur horti, aqua è puteis *hauſta* & manibus infuſa, βροχὴ propriè Græcis dicebatur, ſicut ἀρδεία, quæ fiebat rivo inducto. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 588. & 589. Cæterùm machinas hujuſmodi conficiendi rationem tradit Μηχανοποιητικὴ pars *Mechanices*, de qua vide ſuo loco.

HAUTEQUERQUII Comites, vide infrà ubi de Familia *Hornana.*

De HAUTEVILLE Jacobus, vide *Jacobus.*

HAYDECCIA, ſeu HEIDECCIA Fam. in Norico, Germ. prov. illuſtris: ex qua memoratur vixiſſe Bernhardus A. C. 1392. Vilhelmus item & Georgius fratres A. C. 1360. quorum ille Herbrandum genuit, Friderici Patrem, cui uxor fuit Beatrix Dux Terciæ. Ultimus maſculorum Phil. Jac. Spenero videtur Joh. qui bello Smalcaldico Wirtenbergenſium copiarum Dux fuit, vide Sleidan. *l.* 17. & Thuan. *l.* 2. Hunc dein, licèt proſcriptus eſſet à Cæſare, Mauritius Saxon. Elector inter ſuos allegit; unde expeditionis in Cæſarem hic auctor habitus eſt, vide Thuan. *l.* 6. Filiam habuit is Mariam Dn. *de Heydeck*, quæ nupta Hier. Lib. Baroni *de Merſperg* & *Befort*, Obiit A. C. 1626. Ejus Majores ſic habent. Fridericus præfatus Lib. Baro *ab Heydeck*, ex Beatrice Duce, Extinctâ A. C. 1410. reliquit Joh. Annæ Hennebergicæ maritum & ex ea patrem Georgii: quo, & Annâ Truchſeſſia, natus Joh. ſuprà memoratus, Obiit A. C. 1553. ex Eliſabetha Rappolſtenia, pater Mariæ ultimæ ſuæ gentis. Ditiones hodie in Palatinæ Familiæ, aliquæ in Lobcovitiorum, ſunt poteſtate. Idem *Part.* 3. *p.* 48. Vide quoque eum *Arte Herald. Tom.* 2.

HAYMO Floriacenſis, Monachus Anglus, circa A. C. 1020. Auctor Hiſtoriæ, à Juſtiniano Imp. uſque ad Carolum Mag. à Gul. Malmesburienſi, in epitomen redactæ, &c. Item, auctor libri de miraculis S. Germani, ſub Carolo Calvo. Item, Archidiaconus Cantuar. A. C. 1054. Inter alia, *de Martyribus* ſcripſit, & *de memoria rerum Chriſtianarum, libb.* 10. Item ex Anglo-Saxonum genere Monachus Benedictinus, ex Abbate Hirsfeldenſi, Ep. Halberſtadienſis, Alcuini diſcipulus: Rabano Mauro contemporaneus, Bedæ frater, ſeu conſanguineus: Germanus quibuſdam. *Sagaciſſimus divinarum literarum interpres*, Trithem. Auctor fuit Commentar. in Scripturam & Homiliarum, in Evangelia Dominic. Obiit A. C. 853. Sigebert. *c.* 153. *de Viris Illuſt.* Vide & *Aimonius.*

HAYNPURGUM, urbs Carinthiæ, ad Dravi fluv. ripam, emporio ac mercatu felix, *Joh. Matal. Metell.*

HAZA Iſaacus, vide *Iſaacus.*

HAZAEL, Rex Syriæ Damſcenæ IV. Ben-adado I. ſucceſſit, ut diximus in voce *Aſael.* Qui ambo divinis honoribus à Syris culti, tum ob aliam beneficentiam, tum διὰ τῶν ναῶν ὡς οἰκοδομίας, οἷς ἐκόσμησαν τὴν τῶν Δαμασκηνῶν πόλιν. Πομπεύουσι δ' αὐτοῖς καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐπί τε τιμῇ τῶν βασιλέων καὶ σεμνύνονται τῇ τούτων ἀρχαιότητι, οὐκ εἰδότες ὅτι νεώτεροί εἰσι καὶ οὐκ ἔχουσι αὐτοὶ οἱ βασιλεῖς ἔτη χίλια καὶ ἑκατόν. *quia templis exſtructis urbem Damaſcenorum ornatiorem reddiderunt. Quotidie in honorem Regum horum pompas celebrant, & eorum antiquitatem jactitant, neſcientes, quòd non ſint admodum veteres, & nondum anni centum ſupra mille ab eorum ætate interceſſerint.* Joſeph. *Antiqq. l.* 9. *c.* 2. Adeò vetuſta eſt Orientalium Regum ἀποθέωσις. Numinibus hiſce cognatus fortaſse *Mars* ille *Edeſſenus*, Ἄζιζος, *Azizus* dictus, apud Julianum Aug. *Orat. IV. de Sole*, de quo ſuprà, plura apud Joh. Marsham. *Can. Chron. Sec. XIII.* ubi *de Regibus Damaſci.* Vide *Haſael*, it. *Aſael.* Ei ſucceſſit fil. *Ben-adad II.*

HAZFELDIA, Equeſtris in Germ. Fam. inprimis à fratribus Franciſco Herbipolitano & Bambergenſi Ep. Melchiore Conſiliario atque Campi Mareſchallo & Hermannó, propagatore gentis, ad ſublimiora evecta eſt, cùm Gleichenſi titulo atque ita Comitum dignitate mactarentur. Progenitores eorum quod attinet, Godfridus *ab Hazfeld*, ex Maria ſeu Juta *Wyſſin à Itarbach*, pater fuit Georgii: quo, & Annâ Steinbachiâ, genitus Godefridus, uxor. habuit Margaretham *à Schlitz*, exque ea ſuſcepit Vilhelmum, maritum Catharinæ *de Selbach in Crottorff* & Patrem Sebaſtiani; cui Lucia *de Sickingen*, filia, neptis, proneptis Franciſci, genuit Hermannum præfatum (cum fratribus) Com. *in Hazfeld* & *Gleichen*, patrem ex Maria Catharina *de Daalburg*, Franciſci, Melchioris, Henrici, Sebaſtiani, Luciæ (Chriſtiano Com. *de Hohenloe* nuptæ) Mariæ (cui maritus Ludovicus Guſtavus ex eadem Fam. *de Hohenloe* obtigit) Catharinæ, Eliſabethæ & Annæ. E quibus Henricus, junctâ ſibi Catharinâ Eliſabethâ *de Schœnborn*, ſobolem ſuſcepit. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatro præf. Part.* 2. *p.* 60. & *Part.* 3. *p.* 88. *ut & utrobique in Ind.* Plura vide hanc in rem, apud eund. *Arte Herald. Tom.* 2.

HAZIA, nomen viri. Neh. *c.* 11. *v.* 5. i. e. *videns Dominum.*

HAZIR, nomen viri. Idem *c.* 10. *v.* 21. Lat. *porcus*, aut Syriacè *converſus*, vel *reverſus.*

HC. pro K. non ſemel occurrit, præſertim in *Chartis Longobardicis. HCarolus* pro *Karolus* apud Leonem Oſtienſem, editum ab Angelo de Nuce; *HCalendæ*, pro *Kalendæ*, in *Epitaphio* Aligerni Abbatis Caſin. apud C. du Freſne,

Conditur bis ſeptis ter ternis ritè HCalendis &c.

ſed in priori voce aliam rationem τοῦ H. reddunt alii, quam vide ſuprà. H. F. in notis antiquorum, ſignificat, *Hic fundavit*, vel *honeſta femina*, vel *fortuna* &c.

HEBAL, vel EBAL, fil. Jectan Gen. *c.* 10. *v.* 28. Deut. *c.* XI. *v.* 29. Eſt & mons contrarius monti Garizim, ultra Jordanem, in terra Canaan, non longè ab Hierichunte, in quo altari conſtructo poſuit Moſes maledictiones, Joſeph. *Antiqq. l.* 4. *c.* 6. Cavernoſus & voraginoſus, terræ motibus obnoxius. In tribu Ephraim.

HEBDOMA, Gr. Ἑβδόμη, feſtum erat publicum Athenis, ſeptimo quoque die Lunæ celebrari ſolitum, in honorem Apollinis, cui dies ille ſacer. Suid. Ἡμέρας τινὰς ἐνόμιζον Ἀθήνησι θεοῖς τισὶν οἷον νουμηνία καὶ Ἑβδόμη Ἀπόλλωνος, *Dies quoſdam dicabant Athenis Diis nonnullis, ut Novilunium &* Hebdoma *Apollinis.* Factum id autem propterea volunt, quòd hic dies Apollinis haberetur natalis, ex Heſiodo Ἡμέραις, *v.* 7.

—— —— καὶ ἑβδόμη, ἱερὸν ἦμαρ,
Τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ.

—— —— *Et Septima ſacra dies eſt,*
Hac etenim Apollinem enſe aureo armatum genuit Latona.

Vide quoque Euſtathium *ad Odyſſ.* Υ. Celebrabatur hoc feſtum ab Athenienſibus Lauru cinctis caniſtrumque coronantibus, ac hymnum Deo canentibus, teſte Proclo *in Heſiodi Dies*: Et tunc temporis convivia à juvenibus agitari fuiſſe ſolenne, colligere eſt ex *A. Gellio l.* 15. *c.* 2. cùm ait: *Is in conviviis juvenum, quæ agitare Athenis hebdomadibus Lunæ ſolemne nobis fuit.* &c.

HEBDOMADARIUS, dicitur in Communione Rom. Monachus, qui ſuas in miniſteriis monaſticis vices per hebdomadem exſequitur: cujuſmodi *Hebdomadarii* tot erant, quod officia in Monaſteriis, ut colligitur ex Molano *de Canon. l.* 2. *c.* 15. ubi Theſaurarium in Eccl. S. Petri Lovanii, eundem & Hebdomadarium, à trecentis annis & ampliùs fuiſſe, cui incumbat quotidie ſummum ſacrum canere ſeu omnium horarum officium inchoare, licèt nomen ipſum indicet, hoc onus per hebdomadas ſolitum fuiſſe dividi, ait. Vide infrà. Quibus omnibus qui præerat, ut ſinguli ſua officia ritè exequerentur, *Archihebdomadarius* dictus eſt, Græcè Ἀρχιεβδομαδάριος, in Concilio CP. ſub Menna *act.* 5. Cæterùm, ut ſuper *Hebdomadarios*, priusquam ſeptimanas ſuas ordirentur, ita & cum eas abſolverant, orationes fundebantur, quarum Formulas habes inter *Opera* Alcuini *p.* 1194. Sed & *Hebdomadarii* vocabantur, qui per vices ſeptimanatim ad cubiculum Imp. excubabant, vide Codin. *de Orig. CP. p.* 20. & Meurſ. in Ἑβδομάριοι, laudatos C. du Freſne *in Gloſſ.* nec non Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce Ἑβδομαδάριοι, ubi Cæ- quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

quum *Monaſterii* primitùs ſic dictum ; item Ἑβδομάελ☉, ubi Juvenes *hebdomadarum* cubiculum Imp. cuſtodientes ita appellatos, hiſque majores τὸς Κοιτωνιτὰς ſive Κουβικουλαρίους, ac ſupra hos τὸν Πραιποσίτον τοῦ Κοιτῶνος, qui ſuberat τῷ Παρακοιμωμένῳ τοῦ Κοιτῶνος, fuiſſe, ex Meurſio docet.

Hebdomadariorum in Eccl. Rom. genera varia.

HEBDOMADARIUS Cantor, apud Udalric. *Conſuet. Cluniac.* l. 2. c. 29.

HEBDOMADARIUS Chori, cujus eſt *tota in hebdomade in Choro adminiſtrare officium*, apud Belet. c. 24.

HEBDOMADARIUS Coquinæ, cujus eſt *coquinas purgare, ſcutellas lavare & ad coquorum neceſſaria curſu pervolare*, in *Vita* Adelberti Ep. Prag. c. 13.

HEBDOMADARIUS Defunctorum, qui horum curat officia, in *Statutis* Ord. Sempringham. p. 730.

HEBDOMADARIUS Invitatorii, cui invitatorium præcinendi munus commiſſum, apud Udalricum *l. c.*

HEBDOMADARIUS Lector ad menſas, in *Regula* Magiſtri c. 24.

HEBDOMADARIUS majoris Miſſæ, apud Lanfranc. *c.* 13.

HEBDOMADARIUS Pſalterii, in *Statut.* Ord. Sempringh. p. 764.

HEBDOMADARIUS ſacri Altaris, in *Vita* Joh. Gorziæ Abbatis, &c. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.*

HEBDOMAS, Græcè Ἑβδομὰς, propriè ſeptimus dies Joſeph. de Eſſenis, Καὶ ταῖς ἑβδομάσιν ἔργων ἐφάπτεσθαι διαφορώτατα Ἰουδαίων· οὐ γὰρ μόνον τὰς τροφὰς ἑαυτοῖς πρὸ ἡμέρας μιᾶς παρασκευάζουσιν, ὡς μὴ πῦρ ἐναύοιεν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, κτλ. *Et ſingulis ſabbatis ab operibus abſtinent religioſius reliquis Judæis : non enim ſolum præcedente die cibos ſibi præparant, ne ignem accendere cogantur eo die* &c. Sic τετράς, *quarta dies*, menſis, ἐννάς, *nona*, & ſic de reliquis. Poſtmodum recentiores de ſeptenario dierum numero, quo ſeptimana conſtat, vocem uſurparunt, Salmaſ. *ad Solin. p.* 612. Fuit autem *Hebdomadum* obſervatio, qualis hodie obtinet, vix ante Theodoſii tempora vulgò recepta : interim tale aliquid multo ant Græcos præſertim & Aſiaticos, in functionibus vitæ quotidianæ, obſervaſſe conſtat. Quod quia imitatione Judæorum, qui jam tum per orbem ſparſi erant, inſtitutum eſt, etiam *Sabbathi* nomen retinuêre multi. Certè Diogenes Grammaticus *diſputare ſabbatis Rhodi* conſueviſſe, legitur apud Suet. *Tib. Ner. c.* 32. Septimo quoque die ferias pueris concedi a ludis ſolitas, tradit Lucian. *Pſeudoſog.* *Convivia juvenum hebdomadibus Lunæ Athenis agitari ſolenne fuiſſe.* A. Gell. *l.* 15. *c.* 2. *Sic extremum ſeptimi diei fuit omnium multum, ita ut ſagittas mitterent & arma luderent*, apud Vulc. Gallican. *in Avidio Caſſi* : Alex. Sev. *ſeptimo die Capitolium aſcendit*, *Templa frequentavit*, apud Lamprid. &c. Imò jam ſuâ ætate adeò increbuiſſe ſeptimi diei obſervationem, ex Judaico ritu ; ut urbs nulla aut Græcorum aut Barbarorum fuerit, quæ ceſſationem ab opere diei ſeptimi in ſuos mores non recepiſſet, ſcribit Joſeph. *c. Appion. l.* 2. Sed & ab intima antiquitate petendum Hebdomadis uſum, & καθ᾽ ἑβδομάδας *per hebdomades*, veteres partes diſtinxiſſe temporum ſpatia, priuſquam ratio computandi per menſes & annos ab Aſtrologis fuiſſet inventa, (ut ait Georg. Syncellus *Chronol. MS. in Bibl. Reg. Gall.*) Scriptores ſuperiorum ſeculorum exiſtimaſſe videmus, Joh. Philoponum, qui floruit ſub A. C. 600. *de Mundi creatione l.* 7. *c.* 14. Theoph. Patr. Antiochenum, qui ſeculo, Joſepho *Antiqq. Judaic.* Scriptori proximo, ſcripſit, *l.* 2. *ad Antolyc.* Alios : quibus adde Auctores, qui Planetarum VII. nominum diebus *Hebdomadis* adjectionem ejusque obſervationem, ex intima itidem antiquitate petunt, qua de re vide ſuprà in voce *Dies*. Dierum autem *Hebdomadis* ordo paſſim apud Vett. ejuſmodi eſt, ut primus Soli tribuatur, poſtremus Saturno, cæteris intervenientibus, non aliter atque juxta morem hodiernum ; ſeu, ut Auſ. de nominibus ſeptem dierum *v. ultimo*.

Cuncta ſupergrediens Saturni ſeptima lux eſt,
Octavum inſtaurat revolubilis orbita Solem.

Ubi ſolis diem *octavum*, *ſupremum* & *primum* pariter vocat ; in octonade ſc. ex repetitione facta, eſt is tam ſupremus, quàm primus : uti etiam ex iis liquet, quæ ex Vettio Valente aliisque depromit Joh. Selden. infrà laudandus. Nec obſtat, quòd Nicolaus de Cuſa Cardin. *in Reparat. Calendar.* *Septem*, inquit, *dierum numero apud omnes ſemina revolvuntur, licet de primo ſeptimanæ die ac dierum nomine diverſa ſit. Chriſtianorum ſeptimanæ initium eſt, à die Dominico, Græcorum & Alexandri à die Lunæ, Jeſnargit* (Jezdegird) *à die Martis, Nabuzodonoſor à die Mercurii, Ethnicorum à die Jovis, Elhigera à die Veneris, Hebræorum à die Sabbathi* : Dies enim, quos habet ille alios, velut pro variis ſeptimanæ initiis, ſunt dies Epocharum Chronologicarum, ſeu dies alii atque alii in ſeptimana. i. e. feriæ aliæ atque aliæ, à quibus anni ſolùm putantur, neque ad *orbis Hebdomadici* initium ſpectant, E. g. ubi ait, Septimanæ *Jeſdegird*, i. e. Perſicæ initium eſſe à die Martis, id non aliter verum eſt, niſi intelligas, characterem annorum Perſicorum à Regno Jeſdegird, eſſe diem ſeptimanæ tertium, interim ſeptimanæ initio, etiam apud Perſas in die Solis non Martis, collocato, &c. Vide præclara hanc in rem plurima, apud Joh. Selden. præfatum, *de Jure Nat. & Gent. juxta Diſcipl. Hebræor. l.* 3. *c.* 11. *& ſeqq.* Præterea Caſaub. *ad Suet. d. l.* & infrà ubi de *Planetaria dierum ratione*, *Sabbatho*, *Septimo die* &c. uti de Hebdomadali *Sabbathina prælectione Legis, in Synagogis Hebræorum, infra in voce Prælectio.* Erat verò apud Hebræos olim *Hebdomas* vel *ordinaria*, dierum ſeptem, Levit. *c.* 23. *v.* 15. & Dan. *c.* 10. *v.* 3. vel *extraordinaria*, annorum ſeptem, Levit. *c.* 15. *v.* 8. & Dan. *c.* 9. *v.* 24. Apud eoſdem *Hebdomadum feſtum* Pentecoſte dicta eſt, Exod. *c.* 34. *v.* 22. eo quòd ſeptem *hebdomades* à Paſchate numerandæ eſſent : de quo vide infrà ſuo loco. Addam hîc ſaltem ſtrictim varias *Hebdomadum* appellationes, in Eccl. Rom. uſitatas, ex C. du Freſne *in Gloſſ.* & Macris fratribus *in Hierol.* fuſiùs de iis agentibus.

Hebdomadum in Eccl. Rom. appellationes variæ.

HEBDOMADA in Albis, quæ hebdomadem Paſchalem & Dominicam in Albis ſubſequitur : incipit à Sabbatho in Albis & terminatur Sabbatho ſeq.

HEBDOMADA Authentica, in *Charta* A. C. 1075. apud Puricellum, *in Monum. Ambroſianæ Baſil.* Vide *Hebdomada Major*.

HEBDOMADA Crucis, Germanis, quæ aliàs *Rogationum Hebdomas*, vide Macros Fratres *in Hierol.*

HEBDOMADA de Excepto, dicitur in Ritu Ambroſiano, ultima hebdomas Adventus *Idem*.

HEBDOMADA Expectationis, tertia ſeptimana poſt Paſcha, quæ ſc. eſt poſt Aſcenſionem, quoniam repræſentat illud tempus, quo Apoſtoli expectavêrunt adventum Spiritus S. apud Belet. *c.* 130.

HEBDOMADA Indulgentiæ, dicitur *Hebdomas major*, quia *in ea pœnitentes abſolvuntur*, Honorius Auguſtodun. *l.* 3. *c.* 72.

HEBDOMADA Major, aliàs *Authentica*, *Indulgentiæ*, *Penoſa*, *Sancta*, *ultima hebdomas* Gr. Ἑβδομὰς μεγάλη, vide *Hebdomas major*. Colitur hæc maximè ab Orientalibus Chriſtianis, & Æthiopibus ; apud quos præcipuè Nobiles totâ hac hebdomade pullis induti veſtibus, parùm loquuntur ac rarò domo exeunt, Godign. *l.* 1. *c.* 19. Eâ durante campanam ceſſare uſum, earumque loco tabulam ligneam percuti, dicemus infra in voce *Tabula*.

HEBDOMADA Mediana, Quadrageſimæ eſt quarta, in *Ep.* Pelagii Pontif.

HEBDOMADA Media jejuniorum Paſchalium, apud Marcellin. Com. μέση Ἑβδομάς, in Concil. Chalcedon. *act.* 11. μεσονήστιμ☉ Joh. Chryſoſtomo, aliisque Græcis Scriptoribus eſt tertia Quadrageſimæ hebdomas, juxta Latinos, quarta juxta Græcos, Allatius *de Dominicis & Hebd. Græcor.*

HEBDOMADA Paſchalis, Gr. Διακαινήσιμ☉, quæ feſtum Paſchatis ſubſequitur & protenditur uſque ad Sabbathum in Albis excluſivè, apud Durand. *l.* 6. *c.* 81. *n.* 16.

HEBDOMADA Paſſionis, quæ Dominicam Palmarum præcedit C. du Freſne *ad Vilharduin.*

HEBDOMADA Pentecoſtes, Græcis ἡ ἀπὸ τῆς Πεντηκοστῆς Ἑβδομάς, ut eſt apud *Marin.*

HEBDOMADA Pœnalis, Gallis *la Semaine peneuſe*, quòd jejuniis & laboribus tranſigatur, illa eſt, quâ Chriſtus crucem ſubiit : eadem *Sancta* & *Ultima*, ſc. *Qudrageſimæ*. Vide ſuprà.

HEBDOMAS, apud Auſ. in *Moſella*, ubi inſignes aliquot Architectos & Artifices recenſet, *v.* 305. & *ſeqq.*

Forſan & inſignes hominumque operumque labores,
Heic habuit decimo celebrata volumine Marci
Hebdomas ———

nomen eſt operis celeberrimi, quod *Hebdomadum* libros inſcripſit M. Varro : qui in illis imagines illuſtrium in quocunque genere Artis virorum, ſubdito elogio verſibus ſcripto, conſignaverat. Salmaſ. *ad Solin. p.* 818.

HEBDOMAS Major, veteribus dicta eſt, quæ Dominicam palmarum ſubſequitur, & Paſcha immediatè præcedit. Vide Henr. Spelmann *in Gloſſ. Arch.* Gr. Ἑβδομὰς μεγάλη, vocatur hebdomas Paſſionis, in *Conſtitut.* quæ *Apoſtolicæ* dicuntur *l.* 1. *c.* 33. de qua vide inprimis Chryſoſt. *Tom.* 5. *Homil.* 58. quæ eſt εἰς τὴν Μεγάλην Ἑβδομάδα, ubi appellationis cauſas fuſè indicat. Τῶν ἁγίων παθῶν Ἑβδομὰς, *ſanctarum Paſſionum hebdomas*, vocatur in *Reſp.* Timothei Alexandr. Σωτηρίου πάθους Ἑβδομάς, *ſalutiferæ paſſionis hebdomas* Alexandro, qui dicit, Conſtantinum Mag. lege ſanciviſſe, ut ἄπρακτ☉, i. e. *feriata*, eſſet. Dies ejus σταυρωσίμους ἡμέρας, *crucifixioni adſcriptos dies*, nuncupat Pſellus *de operat. Dæmonum.* &c. apud Cl. Suic. *Theſ. Eccl.* in voce Ἑβδομάς : ubi & *Hebdomadas apud Græcos à ſubſequente, non à præcedente* (quod apud Latinos fit) *Dominica nomen ſortiri*, addit ex L. Allatio *de Dominicis & Hebdom. Græcor. n.* 5. Idem de *Hebdomade*, Διακαινησίμῳ Græcis dictâ, quæ Feſtum Paſchatis proximè ſequitur, quamque feriatam idem Imp. eſſe voluit, varia egregia habet, in voce Διακαινήσιμ☉, ut & Γονυκλισία. Vide quoque infrà, ubi de Vett. in Sacris *Ingeniculatione*.

HEBDOMUM, ſuburbium Byzantii ab eo 7. mill. paſs. diſtans.

HEBE, filia Junonis, abſque patre, Dea Juventutis. De cujus ortu hujuſmodi refertur fabula. Apollinem, cùm Junoni novercæ convivium in patris ſui domo paraſſet, inter alia lactucas agreſtes ei appoſuiſſe, quas cùm Juno avidè comediſſet, cùm antea ſterilis eſſet, prægnans effecta eſt, peperitque Heben, quam poſtea Jupiter, ob formæ elegantiam, poculis ſuis præfecit ; Verùm cùm, Jove apud Æthiopas cœnante, Hebe pocula illi adminiſtrans, perque lubricum minus cautè incedens, cecidiſſet, revolutisque veſtibus obſcœna ſuperis nudaſſet, ab officio eſt amota, ejuſque loco Ganymedes ſubrogatus : Hæc Servius. Homerum autem ex Jove eam conceptam eſſe tradit, neque omnino ab officio remotam, ſed cæterorum Deorum pincernam fuiſſe, Ganymedem verò ſolius Jovis. Hæc poſtremò Herculi nupſit, in Deorum numerum relato, cujus etiam precibus adducta Jolaum Iphicli filium florenti ætati reſtituit. Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 500.

Hoc illi dederat Junonia muneris. Hebe.

Val. Flacc. Argon. *l.* 8. *v.* 230.

Seu cùm cœleſtes Alcidæ viſere menſas
Jam vocat, & feſſum Junonia ſuſtinet Hebe.

Juv. *Sat.* 13. *l.* 5. *v.* 43.

Nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Nec puer Iliacus, formoſa nec Herculis uxor.

Cic. *l.* 1. *Tuſcul. Qu.* *Quo pacto*, inquit, *Hebe Junonis filia dicitur? quoniam è feliciſſima aëris temperie omnia herbarum, arborumque genera pullulant, & pubeſcunt.* Propert. *l.* 1. *Eleg.* 13. *v.* 23.

Nec ſic cœleſtem flagrans amor Herculis Heben,
Senſit in Oetæis gaudia prima jugis.

Juventa Latinis dicta. Ovid. *l.* 1. *De Ponto*, *Eleg.* XI. *v.* XI.

Nectar & Ambroſium latices: epulasque Deorum
Det mihi formosâ gnava Juventa manu.

Ganymeda etiam priſcis dicta, ut ſcribit Pauſ. *in Corinthiacis*, qui templum illi à Corinthiis extructum refert. Catull. *ad Manlium*, Carm. 68. *v.* 115.

Pluribus ut cœli tereretur Janua Divis:
Hebe, *nec longâ virginitate foret.*

Apollod. *l.* 1. Jovem ait ex Junone 3. filias ſuſcepiſſe, Heben, Ilithyam & Argen. Hom.

—— Καλλίσφυρον Ἥβην,
Παῖδα Διὸς μεγάλοιο, καὶ Ἥρης χρυσοπεδίλου.

Plura de ea paſſim apud poëtas Græcos, & Cic. *l.* 1. *Tuſcul.* *Nic. Lloydius.*

HEBENUS, vide *Ebenus*.

HEBER, fil. Sale Num. *c.* 26. *v.* 45. Natus A. M. 1754. Pater Phalegi: magnus Propheta, Obiit An. Æt. 464. Vide infrà. Item, fil. Briæ. Gen. *c.* 46. *v.* 17. Fil. item Ephaal. 1. Par. *c.* 4. *v.* 18. *c.* 7. *v.* 32. *c.* 8. *v.* 12.

HEBERNUS, vel HERBERNUS, Archiep. Turonenſis, poſt Adelardum, ſec. 9. De S. Martini miraculis librum edidit. Voſs. *de Hiſt. Lat.*

HEBERS, Clericus, auctor Hiſt. fabuloſæ, cui tit. *Dolophatus*, verſu ſcriptæ, ſub Ludovico Hutino. Morer. *Dict. Hiſt.*

HEBERTUS & HERBERTUS I. Com. Veromanduus, fil. Pipini II. occiſus à Balduini Calvi, Flandriæ Com. militibus, ob necem fratris Rudolphi, Com. Cameracenſis. Ei ſucceſſit fil.

HEBERTUS II. maritus Hildebrandæ, filiæ Roberti Fortis, Franciæ Ducis, proditor Caroli Simplicis. Obiit A. C. 943. Peronæ, indeſinenter clamans, *Noſtrum ſunt* 12. *qui prodidimus Regem Carolum.*

HEBERTUS III. fil. Alberti I. pater Alberti II. & Othonis: cujus fil.

HEBERTUS IV. duxit Adelaim, viduam Theobaldi III. Campaniæ Com. ex ea pater Eudonis, pulſi ob ingenium minus aptum & Adelaidis, quæ Comit. hunc marito Hugoni Magno, fil. Henrici I. attulit; Undè Comitum Veromanduorum fam. ſecunda incipit

HEBION, vide *Ebion*.

HEBRÆI, dicti ſunt Judæi, ab *Heber*, qui fuit abnepos Sem filii Noë. Et quia in ejus fam. remanſit lingua, quæ priùs humano generi creditur fuiſſe communis, quum gentes linguarum diverſitate ſunt diviſæ, deinceps Hebræa eſt nuncupata: ſic quidem, ut alii obſervant, poſteros Heber Hebræos appellatos non fuiſſe, uſque ad Abrahamum, qui primus *Hebræus* appellatus eſt, idque à Cananæis, qui hoc nominis illi indidêrunt, quòd à regione trans Euphratem in terram Canaan veniſſet. Et ſic etiam Ethnici ſcriptores Hebræorum nomen ab Abrahamo deducunt. Ita enim apud Euſeb. aſſerit Artabanus, Καλεῖσθαι αὐτοὺς Ἑβραίους ἀπὸ Ἀβραάμου. Et Charax apud Steph. Ἑβραῖοι, οὕτως Ἰουδαῖοι ἀπὸ Ἀβραμῶνος (ſic legendum, non Ἀβραβῶνος) in quam ſententiam videtur propendiſſe Auguſtin. qui *de Civ. Dei l.* 16. *c.* 3. poſtquam Hebræos ex Hebere deduxit, aliam addit poſſe eſſe opinionem, ut ex *Abraham* tanquam *Abrahæi* dicti eſſe videantur. Sed idem *l.* 2. *Retractationum c.* 16. hunc locum etiam retractavit, atque id quidem meritò; Hebræos enim Abrahamo antiquiores fuiſſe, vel ex eo conſtat, quòd ipſe Abrahamus *Hebræus* vocetur Gen. *c.* 10. *v.* 24. Luc. *c.* 3. *v.* 35. 1. Par. *c.* 5. *v.* 13. & *c.* 8. *v.* 12. In Euſebianis, ubi de tempore tranſitus: Ἔνθεν ἔρχεται τῶν Ἑβραίων προσωνυμία, Ἑβραῖοι γὰρ οἱ Περάται ἑρμηνεύονται, διαπεράσαντος Εὐφράτην Ἀβραάμ, καὶ οὐχ ὡς οἴονταί τινες, ἀπὸ Ἑβέρ. Indè Heſych. Ἀβραάμ, περάτης, ἢ πατὴρ μετέωρος. Meliùs autem alibi. Ἑβραί, Ἑβραῖος, καὶ ὁ Ἑβραῖος περάτης. Nic. Lloydius. Addo de veſtitu, quòd nudis communiter incedebant capitibus niſi quòd tæniis quibuſdam ſeu vittis fluentem cæſariem, extra luctus tempus, coërcebant ac religabant. Erant autem illæ admodum anguſtæ, putà minimi digiti latitudine, & in modum coronæ capita cingebant, ad capillos circum tempora coërcendos. Undè quia tempore luctus vel tondebatur coma, vel fluere ſinebatur, dicebatur deponi corona. In mœrore verò, item ob defectum pluviæ diuturnum, operuiſſe capita leguntur, Jer. *c.* 14. *v.* 3. *Etiam magnifici eorum emittent minimos ſuos ad aquas: venientes ad foſſas non invenient aquas, revertentur ſuis vaſis vacuis, erubeſcent & pudore ſuffuſi operient caput ſuum.* Idque arctè & validè appreſſo tegmine, quod non aliud erat, quàm pallium ad cervicem adhærens, quod condendo tum capiti adduxêre. Obſervant tamen eruditi, illos cùm alibi, tum maximè in templo orationi vacantes, velaſſe capita & caputiis fuiſſe tectos; imitatione Moſis, qui non audens aſpicere contra Deum, ad rubi conſpectum faciem ſuam abſcondit, Exod. *c.* 3. *v.* 6. Proin Abulenſis de variis capitis integumentis, quibus Sacerdotes olim uſos fuiſſe conjicit, ex Exod. *c.* 28. & 29. prolixè diſputat. De cidari Pontificis, ſeu Pileo, quo ſummus gentis Sacerdos tegi ſolebat vide Joſeph. *Antiqq. Judaic. l.* 3. *c.* 8. Reliqua veſtis pallium erat cum tunica, unde CHRISTUM noſtrum Dominum, cum ſectatoribus ſuis, palliatum fuiſſe more gentis docet Octav. Ferrar. contra illos, qui eos Tribonophoros fuiſſe contendunt. *Quòd ſi enim*, inquit, *Chriſtus in tribonio inceſſiſſet, fruſtra milites ſuper pannucea, ne centonibus quidem bonis digna, ſortem miſiſſent.* vide eum *de re veſt. part.* 2. *l.* 4. *c.* 18. Interius veſtimenti genus tunica & interula fuit, undè de Tunica Chriſti inconſutili notat Hiſtoria Evangelica. Porrò & nudis cruribus ac tibiis gens inceſſit, nec femoralium illis uſus fuit, quod ex Hiſtoria Noachi Gen. *c.* 9. *v.* 22. & 23. patet: ſoli eâ induere jubebantur Sacerdotes, cùm per gradus aſcenderent ad altare, Exod. *c.* 20. *v.* 26. & Ezech. *c.* 44. *v.* 17. Calceatos verò fuiſſe patet ex ſuprà laudato Exodi *c.* 3. *v.* 22. ubi Deus ad Moſem æquo propiùs accedentem, *Extrahe*, inquit, *calceamenta tua, à pedibus tuis.* Plura de *Hebræorum* ritibus vide apud Th. Godwyn. *l. cui hic titulus, quem modò dixi*, ut & in hoc Opere *paſſim*. De Lingua eorum vide ſuprà in voce *Hebræi* & infrà aliquid in *Targum*: uti de Jejuniis ſuo loco.

AD HEBRÆOS Epiſtola, à Paulo Apoſtolo conſcripta, *capp.* 13. docet, JESUM CHRISTUM non Redemptorem ſolùm & Meſſiam illum eſſe Patribus promiſſum, ſed & in illo omnes V. T. cerimonias impletas, ſicque finem illis impoſitum eſſe. In div. hanc Ep. extant: Amyraldus *in c.* 6. *&c.* Balduini *Analyſis.* Blandratæ Socin. *Expoſitio in c.* 1. Boruſſi *Reſolutio.* Capelli *Obſervationes.* Coccei *Explicatio.* Codurcus. Conſtantinus Presbyter. Crellii *Paraphraſis*, *in c.* 2. *pr.* Croquetii *Enarratio*, Octav. Duaci, A. C. 1578. Dalæus *in c.* 12. Delphinus Deringii *in c.* 5. *pr. & partem* 6. Angl. Quart. Londini A. C. 1590. Gerhardi *Comm.* Quart. Jenæ, A. C. 1641. & 1660. Gomari *Explic. locor. difficil.* Gouge Angl. Fol. Londini A. C. 1657. Grandis *Comm.* Octav. & Fol. Pariſiis Graweri *Examen Nearianorum*, *in c.* 1. Jenæ A. C. 1613. Grynæi *Explanatio*, Octav. Baſil. A. C. 1585. Hegendorffii *Annotat.* Hagenoæ A. C. 1529. Hornejus. Joneſii *Expoſitio* Angl. Fol. Londini A. C. 1635. Lawſoni *Comm.* Fol. A. C. 1662. Lushingtonii itidem, Angl. Fol. Londini A. C. 1646. Lyſeri quoque, Quart. Majoris *Comm.* Megander. Mejenreti *Reſolutio* Octav. Hanoviæ, A. C. 1605. Meſtrezatii *Conciones.* Gall. tom. 5. in Octav. Genevæ. Nahumi *Explicatio Anal.* Octav. A. C. 1602. Oecolampadii *Explicationes*, Argentorat. A. C. 1534. Oſiandri *Explicatio* Quart. Tubingæ A. C. 1584. de Palatio. Pareus. Perkinſius. Quiſtorpii *Comm.* Ribera. Rollocus. Sculteti *Idea Conc.* Stevartius. Streſonis *Comm.* Tenæ *Comm. & Diſput. cum exercit.* Frid. *Spanh. de Auctore & Ep. ad Hebr. &c.* Fol. Londini A. C. 1661. Turretinus *in c.* 12. Vaſquez. Urſens, Zuinglii Jun. *Comm. in c.* 11. Fol. Baſil. A. C. 1592. Vide Crowæi *Elench.*

HEBRÆUM Caſtrum, unum ex duobus caſtris urbis Corinthi, arci Acrocorintho contiguis, quod ſub Chriſtianis Impp. extructum, à Judæis, quibus ibi tum morari licuit, nomen nactum eſt. Vulgò *Hebræo-Caſtro.* Jam ſub Turcarum poteſtate, cum tota regione, qui Corintho Judæos pepulêrunt. Vide Jac. Spon. *Itin. Part.* 2. *p.* 301. Idem nomen hodie ruderibus veteris urbis Rhamnuntis eſt, in Attica, quam modò *Tauro-Caſtro*, modò *Hebræo-Caſtro*, hodierni Græci appellant *ib. p.* 315.

HEBRIDES, inſulæ Albionis, oræ Scotiæ occiduæ adjacentes. Primæ Evangelii luce colluſtratæ, Tertullian. Morer. Vide *Ebuda.*

HEBROMAGUM, Auſ. *Ep.* 22. *v.* 35.

Is nunc ad uſque vectus Hebromagum *tuam.*

HEBROMANUM, pagus Aquitaniæ, nunc quid ſit, non conſtat. *Baudr.*

HEBRON, à filio Calebi dicta, prius *Arbee & Mambre & Cariatharbe*, h. e. *civitas quatuor virorum*, eò quòd quatuor Patriarchæ, Adam, Abraham, Iſaac & Jacob ibi habitavêrunt, & ſepulti ſunt: vel *urbs Arbe*, qui Gigas erat, Enaci progenitor. Urbs fuit antiquiſſima urbium terræ Chanaan in tribu Juda, ſeptem enim annis ante Tapim, Ægypti urbem condita eſt, ſita in monte Hebron: regia olim & metropolis Philiſtinorum & habitaculum gigantum, quibus à Caleb expugnatis & deletis, urbs pro tutiſſimo Aſylo Aſignata eſt fugitivis, & data Levitis cum ſuburbano 2000. cubitorum. Dicitur aliquando *Convallis Membre.* Totius tribûs maxima, Davidis Regis per 7. Annos regia, tempore Chriſtianorum Epiſcopal. quâ tandem deſtructâ *nova Hebron* vicino loco ædificata eſt. Num. *c.* 13. *v.* 22. Joſ. *c.* 15. *v.* 13. Hier. *de Loc. Hebr.* Brochart. *deſcr. T. S.* Belon, *l.* 2. *c.* 87.

HEBRONA, locus in quo caſtrametati ſunt Iſraëlitæ. Num. *c.* 33. *v.* 34. Gen. *c.* 13. *v.* 18. *c.* 23. *v.* 2. Exod. *c.* 6. *v.* 17. 1. Par. *c.* 2. *v.* 43. *c.* 3. *v.* 4. *c.* 6. *v.* 18.

HEBRUS, adoleſcens Liparæus, quem Neobule amavit. Horat. *Car. l.* 3. *Od.* 12. *v.* 6.

—— *Neobule, Lyparæi nitor* Hebri.

HEBRUS, auxiliaris Perſæ, à Jaſone in prælio occiſus. Val. Flacc. Argon. *l.* 6. *v.* 620.

Tunc & terrificis ſudantem crinibus Hebrum.

HEBRUS, Cyzicenus à Polluce in conflictu nocturno cæſus ac ſemianimis relictus, Idem *l.* 3. *v.* 149.

Philas & trepido Pollux impingitur Hebro.

HEBRUS, nomen civitatis. Lucian. *in Fugitivis*: Ἕβρος ἐκαλεῖτο, ἡ πόλις ἔργον Φιλίππου ἐκείνου. Vocabatur etiam *Philippopolis*, quæ & *Poneropolis*, & *Pulpudena*, & *Eumolpias*; ſita erat ad Hebrum fluv. inter Æmum & Rhodopen. Dicta quoque *Trimontium* ex eo, quòd *tres montes* ſuôrum murorum ambitu complectebatur.

HEBRUS, Thraciæ fluv. aureas volvens arenas, in Rhodope monte naſcens; ſupra Philippopolim, & è regione Samothraciæ ins. in mare Ægæum ſeſe exonerans. Fabulantur poëtæ Orphei caput in hunc fluv. projectum fuiſſe, cùm à Ciconum mulieribus fuiſſet diſcerptus. Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 463.

Atque Getæ atque Hebrus *atque Actias Orithyia.* Idem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Idem ibid. v. 523. & ſeqq.

Tum quoque marmoreâ caput à cervice revulſum
Gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus
Volveret. ———

Idem *Æn. l.* 1. *v.* 321.

Harpalice, volucremque fuga prævertitur Hebrum.

Ovid. *Met. l.* 11. *v.* 51. *& ſeqq.*

——— *Caput* Hebre, *lyramque*
Excipis, (& mirum,) medio dum labitur amne,
Flebile neſcio quid queritur lyra, flebile lingua
Murmurat exanimis, reſpondent flebile ripæ.

Sil. Ital. Pun. Bell. v. 478. *& ſeqq.*

——— *Tulit ora revulſa*
In pontum ripis utrinque ſequentibus Hebrus.
Tum quoque cùm ripis caput à cervice reciſum
Portarent fluctus, ſubito emicuere per undas
Ad murmur cete toto exultantia ponto.

Stat. *Silv.* 2.

Sic ripis ego murmurantis Hebri.

Idem *Theb. l.* 3. *v.* 66. & *l.* 9. *v.* 438.

Stagna cruore natant non ſpumifer altius Ebrus.

Claud. in Ruf. *Carm.* 5. *v.* 290. in Eutrop. *Carm.* 20. *v.* 165. *de rapt. Proſerp. præf. Carm.* 34. *v.* 18.

Non mutum caput Orpheos ſequebar.

Hodie *Mariza* dicitur. Horat. *l.* 1. *Ep.* 16. *v.* 13. *Nic. Lloyd.*

HEBUDÆ, vide *Ebudæ.*

HECAERGE, nympha Claud. in 2. Conſ. Stilich. *Carm.* 24. *v.* 253.

——— *Metuenda feris* Hecaerge
Et ſoror, optatum numen venantibus, Opis.

Callimach.

Οὖπις τε Λοξώ τε καὶ εὐαίων Ἑκαέργη.

Nic. Lloyd. Eadem cum Hecate, Voſſ. Sicut enim Apollo Ἑκάεργος quaſi ὁ ἕκαθεν ἐργαζόμενος, h. e. *vim ſuam in longè diſſita exercens*, ut eſt apud Heraclidem Ponticum, ſic Luna Ἑκαέργη, dicta eſt, quòd & illa in longè diſſita operetur. Et ſanè Ἑκαέργην, utcunque virgo dicatur Hyperborea, non aliam primò, quàm Dianam ſive Lunam, aliterque Λοξώ vocitatam; innuit etiam Callimach. ejus Scholiaſtes *in Hymn. Dianæ*, v. 204. ubi hic: Οὖπις, inquit, ἐπίθετον Ἀρτέμιδος. [illegible] Οὖπιν, [illegible] τὰς Ὑπερβορέας κόρας, Οὖπιν, Ἑκαέργην, Λοξώ, ἃς [illegible] Ἀπόλλων, καὶ Ἄρτεμις; καὶ ἀπὸ μιᾶς μὲν Οὖπις ἡ Ἄρτεμις. Λοξίας δὲ καὶ Ἑκάεργος ἐκ τῶν λοιπῶν ὁ Ἀπόλλων. Opis epitheton eſt Dianæ: *ſive quia curam habeat parturientium: ſive quod Opis eam educaverit, ſive propter virgines Hyperboreas, Opin, Hecaergen & Loxonem; quas honorarunt Apollo ac Diana, ac ab una quidem Diana aſſumpſit nomen Opidis; ab aliis autem Apollo vocatur Loxias & Hecaergos.* Ubi Voſſ. mallet dixiſſet, ut Triviæ ſive Dianæ cuſtos dicta *Opis*; imò ipſa etiam Diana ſic eſt cognominata; quod apertè Serv. *Æn. l.* 11. *v.* 532. ut item à Loxone Apollo nuncupatus eſt vocatum *Hecaergum.* Sed de *Hecaerga* præterit, quia vix ea pro Hecate obtineret appellatio: at contra *Hecaergi* pro Apolline nomen poëtis frequens. Sic igitur colligit *Hecaergen* & Hecaten non ſolùm origine vocis convenire, namque & Hecate ab ἑκὰς; ſed eandem planè divam eſſe. Quod ipſum aliter etiam ſic aſtruit. Siquidem Deliæ Virgines, quando nupturæ eſſent, dicabant comam defectam Opidi & Hecaergæ; ut eſt apud Pauſ. *in Attic.* imò & Herod. *in Melpom.* Nam apud eum pro Ἄργην Ἑκαέργην legi debere, obſervatum jam diu doctiſſimo Leopardo *Emendat, l.* 10. *c.* 25. At cui convenientiùs, quàm Dianæ, Virginitatis præſidi, valedicturæ virginitati ſuæ hunc honorem habitum iviſſent? Et Athenis quoque pridie nuptiarum (προτέλεια dixêre) virgines in honorem Dianæ, ad Deam placandam, caniſtra tuliſſe, ſimiliter docet Theocriti Scholiaſtes *ad Idyll.* 2. Quare neutiquam dubitandum, quin Opis, *Hecaerga* & Loxo, diverſa ſint nomina uni eidemque Hecatæ ſive Dianæ impoſita, pro diverſo effectu: ac *Opis* ſit dicta, à cura puerperæ: *Hecaerga*, quòd è longinquo operetur: *Loxo*, quòd λοξῶς, i. e. obliquè per cœlum moveatur &c. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. & progr. Idol. l.* 2. *c.* 29.

HECALE, anus paupercula, quæ Theſeum adhuc adoleſcentulum hoſpitio ſuſcepit. Hujus paupertatem Callimach. juſto volumine celebravit. *Nunquam Hecale fies*, i.e. nunquam te inopia opprimet. Crinagoras *Anthol. l.* 1. *de Callimacho,*

Ἀείδει δ' Ἑκάλης τε φιλοξείνοιο καλιήν.

Ubi Scholiaſtes ὅτι Ἑκάλη ἐξένισε τὸν Θησέα. Et Apulej. *Theſeus non eſt aſpernatus Hecales anûs hoſpitium.* Quod Plutarch. *in Theſeo ſomnium putat.* Ἡ δὲ Ἑκάλη καὶ τὸ περὶ αὐτὴν μυθολόγημα. Ovid. *de Rem. Am. v.* 352.

Cur nemo eſt Hecalen, *nemo eſt quæ ceperit Irum?*
Nempe quòd alter egens, altera pauper erat.

Plin. *l.* 22. *c.* 22. Petron. Edit. Gonſali de Salas *p.* 81. Edit. Boſch. *c.* 95. Stat. *l.* 12. Theb. *v.* 582.

HECALE, Leontidis tribûs municipium. *Steph.*

HECALIUS, Jupiter ab *Hecale* ſic dictus, quæ cùm Theſeum quodam tempore comiter excepiſſet, promiſiſſetque ei, ſe ſuam ipſius animam Jovi immolaturam, ſi ſalvus ex prælio domum rediret; cumque ante Theſei reditum obiiſſet, occaſionem Theſeo dedit, ut in honorem ipſius ſacrum Jovi inſtitueret, eumque *Hecalium* vocaret.

HECAMEDE, Arſinoi filia, quæ, direptâ Tenedo, Neſtori in prædam cecidit. Hom. *Il.* 11.

HECATÆUS, Sindorum, qui paulò ſupra Boſporum colunt, Rex. De quo Polyæn. *l.* 8.

HECATÆUS, nobilis Macedo, amicus Alexandri, quem initio regni delegit, ad occidendum in Aſia Attalum, apparentem res novaturum. Diod. Sic. *l.* 17.

HECATÆUS, nobilis Macedo, invitùs in militiam, juſsu Alex. Mag. per Amyntam patriâ extractus. Curt. *l.* 7. *c.* 1. Item Abderitanus, Philoſ. & Hiſtoricus, in Alex. Mag. dein Ptol. Lagi aula, Joſeph. Euſeb. Auctor Hiſt. Judaicæ, &c.

HECATÆUS, Hiſtoricus Mileſius, fil. Ægeſandri, Protagoræ auditor, Olymp. 64. qui primus ſolutâ oratione Hiſtoriam condidit. De reliquis Hecatæis vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 1. *c.* 1. & 10. *& l.* 4. *c.* 3. Nic Lloyd. Addo de priore, quòd Γενεαλογίας inter alia compoſuit, teſte Steph. apud quem citatur paſſim, ἐν πρώτῳ, ἐν τετάρτῳ γενεαλογιῶν. Hiſtoriam verò ſuam hoc modo exorſus eſt, Ἑκαταῖος Μιλήσιος ὧδε μυθεῖται· τάδε γράφω, ὥς μοι ἀληθέα δοκεῖ εἶναι. οἱ γὰρ Ἑλλήνων λόγοι πολλοί τε καὶ γελοῖοι, ὡς ἐμοὶ φαίνονται, εἰσί, apud Demetr. Phaler. *l.* περὶ Ἑρμηνείας: quâ oratione nihil ſimplicius ac ſolutius: ita cola colis coacervata & temerè veluti ſparſa jacent, nihilque habent, quo invicem aptè cohæreant & ad unguem juncta conniveant. Vide de hoc genere ſcribendi antiquiſſimorum Scriptorum, Salmaſ. *ad Solin. p.* 846. *& ſeqq.* ubi *Hecatæum* Protagora & Pherecyde Athenienſi antiquiorem, Eumelo verò recentiorem fuiſse, inter alia, contendit.

HECATÆUS, inter nobiles Toreutas, memoratur Plin. *l.* 33. *c.* 12.

HECATE, Jovis & Latonæ filia, ſoror Apollinis; quæ & *Diana* dicitur. Huic triplex nomen attribuitur. Nam in cœlo creditur eſse *Luna*, in terra *Diana*, & apud inferos *Proſerpina.* *Hecate* verò Servio dicta, quòd centum victimis placetur, aut quòd 100. annos errare faciat inſepultos. Alii ab ἑκὰς, quòd eminus radios ſuos mittat Luna, & ejaculetur. Hæc & τρίμορφος cognominabatur, *quia (ut inquit Orpheus in Argon.) tria habuit capita, dextrum equinum, ſiniſtrum caninum, medium ſuis agreſtis.* Ovid. *Met. l.* 7. *v.* 174.

Non ſinat hoc Hecate:

Idem ibid. *v.* 195.

Tuque triceps Hecate. ———

Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 511.

Tergeminamque Hecatem, *tria virginis ora Dianæ.*

Item *Hecate* herbarum, veneficiorumque peritiſſima, quæ in Taurica Cherſoneſo regnavit, filia Perſæ, ex Taurica femina, fil. Solis, à quo & *Perſeis*, & *Perſeja* dicta: Tibull. *l.* 1. *Eleg.* 2. *v.* 51.

Sola tenere malas Medeæ dicitur artes,
Sola feros Hecate *perdomuiſſe canes.*

Hæc cùm venationis, pluſquàm muliebrem ſexum decebat, eſset ſtudioſa, dum in luſtris & montibus diu verſabatur, herbas invenit complures, præſentanei multas & efficaciſſimi veneni, multas etiam ſaluberrimas. Sed, cùm naturâ immitis eſset, atque crudelis, primùm veneno Patrem ſuſtulit, & ad Æëten patruum confugit; cui nupta, Circen & Medeam genuit. Alii tamen Jovis eam filiam faciunt. Heſiodus Perſæ & Aſteriæ; Orpheus Cereris Bacchylides nocte genitam fabulatur: Pherecides ex Ariſtæo natam. Muſæus ait, Jovem Aſteriem à ſe compreſsam Perſeo tradidiſse, quæ poſtea Hecaten peperit, unde credita eſt Perſei filia. *Hecates* Conſecrationem habemus, apud Euſeb. *Præpar. Evang. l.* 5. hoc modo ipſius Hecates prætenſo Oraculo:

Ἀλλὰ τελεῖν ξόανον κεκαθαρμένον ὥς σε διδάξω,
Πηγάνου ἐξ ἀγρίοιο δέμας ποίει ἠδ' ἐπικόσμει,
Ζώοισιν λεπτοῖς κατοικιδίοις [illegible]
Σμύρνης καὶ στύρακος λιβάνοιό τε μίγμασι τρίψας
Σὺν κείνοις ζώοισι, καὶ αἰθριάσας ὑπὸ μήνην
Αὔξουσαν τέλει, αὐτὸς ἐπευχόμενος τήνδ' εὐχήν.

Purum abſolve mihi ſimulachrum, quale docebo,
Sylveſtri è Ruta ſacrum mihi perfice corpus:
Accedat tenuis mediiſque penatibus errans
Stellio, quem ſtyracis, myrrhæ, thuriſque Sabæi
Pulvere creſcentis commiſce ad lumina Phœbes:
Dumque inſtas operi, ſimul hæc mihi concipe vota.

Addit porrò Euſeb. *Tum ipſam quoque voti formulam præſcripſit ſimulque docuit, quot ejuſmodi animalcula admiſcere oporteat.* Ubi habemus & materiam, ex qua ſimulacrum erat faciendum & ea quoque, quæ unguentum illud, quo conſecrandum erat idolum, componere debebant. Preces verò ſive vota illa formulam in Conſecrationibus hujuſmodi uſitatam procul dubio continentia, non addidit Euſeb. Effectus conſecrationis verò ibidem ſubjungitur:

καὶ ἀγάλματα πολλὰ
Κείνῳ ἐπευχόμενος. ὅς ὕπνον ἐμέ τοι ἀναθρήσεις.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

— ——— *Si multa precatus*
Effigiem, ſomni tandem me tempore cernes.

Vide Ant. van Dalen *Schediaſmate de Conſecrationibus Ethnicis.* Cæterùm & Genetylli (quod Veneris cognomen) pro naſcentibus olim vota fiebant, & canis immolabatur, non ob pariendi facilitatem, neque ob animalis ſinceritatem, ſed propter vigilantiæ omen, audaciæ inſuper ac fœcunditatis, Th. Barthol. *de Puerp. Vett.* Eidem periclitantes ſacrificabant. Undè narrat Scholiaſtes Ariſtoph. *in Pace*, Zerinthum antrum Thraciæ fuiſſe, quò confugere ſoliti, qui in magnis periculis verſarentur, mox ubi *Hecatæ* & Corybantibus ſacrificaſsent, fuerint liberati. Sed & nocturnis ſpectris & terriculamentis præeſse credebatur, uti docet *ad Lycophr.* Joh. Meurſ. *p.*301. Porrò eam Τρίμορφον, quoque à Græcis poëtis, & Τρίγληνον dictam eſse, docet ex Athen. *l.* 8. *p.* 325. prioris fil. Gaſpar *l. de Inauribus vett.* ubi τρίγληνον aſserit commodè exponi *Tribacciam*, vel *Tribacam*; ita enim apud Petron. Arbitr. legit: Edit. Gonſali de Salas *p.* 21. Edit. Boſch. *c.* 38. & in *Publ. Syr. verſ.*

Quo margarita cara, Tribaca, Indica?
An ut matrona ornata phaleris pelagii
Tollat pedes?

Significat autem vox illi margaritam, quæ tribus bacis unionibuſque inauri inſertis conſtabat: quippe binos ternoſque elenchos aurea bracteâ conjunctos auribuſque ſuſpenſos, idem *eod. l.* notat. Et quidem *Hecates*, cogn. τριμόρφου, ſtatua, ab Alcamene facta, Athenis erat, prope ſimulacrum Victoriæ alis privatæ, teſte Joh. Meurſio ubi ſuprà. Alterius meminit Plin. *l.* 36. *c.* 5. & Hecate. *Epheſi, in templo Dianæ, poſt ædem, in cujus contemplatione*, ait, *admonent æditui parcere oculis, tanta marmoris radiatio eſt.* Hodieque conſpicitur Epheſi, in muro arcis ex lapide *caput* ſculptum, ad cujus latus ſerpens, ad alterum arcus eſt, quo *Hecatem triformem*, & quidem *capite* Lunam, *ſerpente* Proſerpinam, *arcuque* Dianam, indigitari, judicat Jac. Spon. *Itin. VII. Eccl.* in deſcr. Epheſi. Non eſse tamen ſemper idem Numen cum Diana & Proſerpina, oſtendit Th. Dempſter. ex Heſiodo *in Theog.* interdum enim *Hecate* tantùm animarum præſes fuit. Luct. Placid. *ad v.* 481. *l.* 4. *Theb. Hecate*, inquit, *& Mercurius pias animas ducunt, nocentes Tiſiphone.* Illi divites olim ſingulis menſibus epulas parabant magnificas, quibus pauperes veſcerentur, ut patet ex Schol. Ariſtoph. in *Pluto*, vide Franc. Roſſæo *in Archæol. Attica* &c. Græcorum enim hæc Dea fuit, annotante Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 19. Ut de Fanis ejus coronamentique genere, quò cingi idolum hoc ſolebat, verbum addam; in antris ſecretiſque locis fana ejus erant, ut ex prædictis liquet. Sic in Colcho, ubi *ſecreta antra* Stat. *Theb. l.* 6. *v.* 735. *magnas Colchicas ſolitudines*, Plin. *l.* 6. *c.* 10. memorant, celebre Fanum, ſeu Aræ Hecatæ fuerunt. Ovid. *Met. l.* 7. *v.* 74.

Ibat ad antiquas Hecates *Perſeidos aras*,
Quas nemus umbroſum ſecretaque ſylva tegebat.

Quia verò Numen ſubterraneum fuit, eam antiquitas, præter draconem, coronavit ramo quercino, inquit Scholiaſtes Apollonii Rhodii *l.* 3. At Sophocles ἐν Ῥιζοτόμοις id tribuit *Hecatæ ἐνοδίᾳ, compitali*, cujus ſtatua τετραπρόσωπος in triviis locabatur, quæque proin terreſtris & ſenſibilis erat, juxta diviſionem Deorum Artemidoro traditam *l.* 2. *c.* 35. Sed & χθονίης *Hecatæ*, quam furiis ac dæmonibus aggregabant, idem ornatus fuit: in quo quercum umbras ſeu tenebras, in quibus degeret, ſignaſſe, docet Car. Paſchal. *Coron. l.* 7. *c.* 12. &c. Hinc *Hecateiæ Idus*, apud Stat. *l.* 3. *Sylv.* 1. *v.* 60. quòd hic dies Dianæ ſacer adeoque à venationibus feriatus eſſet, uti obſervavit Hadr. Turneb. *Adverſ. l.* 7. *c.* 26 *Hecateia ſacra*, apud Cor. Gallum in *Ceiri*, quæ *Lethæa* eidem Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 414. aliis *Magica*, mortuis excitandis inſtituta: Ἑκάτης ἀγάλματα, apud Heſych. canes; de quo epitheto, ut & plura de hoc cæcæ Gentilitatis ſpectro, vide apud Joh. Meurſ. *ad Lycophr. illud* κυνοσφαγοῦς θεᾶς, *p.* 216. Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. paſſim*, inprimis *Superſtitionum Comm.* Voſſ. *de Idol. l.* 1. *c.* 39. ubi, inter alia, pluſcula de trigla ſeu mullo ei ſacro, Alios innumeros Μυθολογικῶν Auctores.

HECATES, inſ. ante Delum, quæ & *Pſammite.* Suid. Eſt etiam alia circa Lesbum. *Heſych.*

HECATESIA, ſic Idrias urbs Cariæ nominatur.

HECATIS Nemus, prom. Sarm. Europææ. *Ptol.*

HECATOMBÆUM, locus Achajæ in Peloponn. circa Dymum in Achaja. Polyb. A ſacrificio Hecatombe.

HECATOMBÆUS Jupiter in Gortyna, ut Heſych. ait, appellatus eſt à Caribus & Cretenſibus. Hoc nomine Apollo etiam nuncupatus fuit ab Athenienſibus. Nic. Lloyd. Hinc feſta *Hecatombæa*, Kal. Jun. Athenis celebrari ſolita, memorantur Beuthero apud Theod. Zvingerum *Theatro Vitæ Hum. p.* 4031. *a.*

HECATOMBE, ſacrificii genus, in quo ritus ſic ſervabantur, ut centenæ ſui generis mactarentur victimæ; ut centum ſues, centum hœdi, &c. Ovid. *Met. l.* 8. *v.* 152.

Vota Jovi Minos taurorum corpora centum
Solvit. ———

Idem At, *ſi Imperatorium ſacrificium eſſet, centum leones, centum aquilæ, & cætera hujuſmodi animalia, feriebantur. Quod quidem etiam Græci quondam feciſſe dicuntur, quum peſtilentiâ laborarent: & à multis Imperatoribus id celebratum conſtat*, Jul. Capitol. *in Maximo & Balbino.* Sed & *Hecatombe* dicta, ſacrificium octoginta unius boum, quos Neſtor immolavit, cùm Telemachum hoſpitio excepiſſet, *Odyſſ.* γ. quòd hic numerus ſatis ingens & à centenario prope abeſſet, Euſtath. *ad l.* ubi & de ſimili ſacrificio Canonis, poſtquam circa Cnidum navalem victoriam reportaſſet. Idem *Chiliombæ*, quæ mille victimis conſtabat, ab Athenienſibus, victore Miltiade, menſe Thargelione, ſacrificatæ meminit *Ibid.* Plura de ratione *Hecatombarum*, ex Scholiaſtis Græcis aliiſque, etiam Chriſtianis Scriptoribus vide apud Caſp. Barth. in *Comm. Superſtition.* Ad convivia è Sacris illarum uſum tranſtulit Paphlagoniæ quidam Rex luxu inſignis, qui, ad imitationem ſacrificii hujuſmodi, Diis, ob ingentia beneficia, offerri ſuperſtitione veteris ævi ſoliti, omnibus centenis in convivio apponi juſſis, à bobus, undè ſacrificio nomen, incipiendo, ſuo ventri non ſimplicem hecatombam ſacrificaſſe legitur, apud eund. Euſtath. *ad Odyſſ.* α.

HECATOMNUS, Cariæ præfectus, cui Artaxerxes ſummam imperii, adverſus Evagoram Regulum Cypri, dedit Olympiadis 97. An. 2. Verùm is clam Evagoræ favit magnamque pecuniæ vim ad alendos mercenarios ſuppeditavit. Diod. Sic. *l.* 15.

HECATOMPEDUM, Sophiano *Sopoto*, urbs Epiri, in Chaonia reg. Elymæ urbi finitima. Item, apud Harpocrat. & Suid. dictum eſt templum Minervæ in arce Athenarum, quæ ἀκρόπολις appellata, non tam à pulchritudine ac ſymmetria, ut Scriptores hi volunt, quàm à *centum pedum longitudine*, ut docet Jac. Spon. qui illud pluribus deſcribit *Itin. Parte* 2. *p.* 142. & *ſeqq.* ubi & iconiſmum ejus exhibet. *Parthenona* appellat Pauſ. utpote ædem Semper-virgini dicatam: qualem Minervam ſuam finxiſſe Gentiles, notum.

HECATOMPHONEUMA, nomen ſacri, quod in Martis honorem, Athenis fiebat, apud Lil. Gyrald. *Syntagm.* 17. Vide & infrà aliqud in voce *Sus.*

HECATOMPHONIA, ſacrum veteri inſtituto ab iis Meſſeniorum olim fieri ſolitum, qui *centum occidiſſent* in pugna hoſtes. Sic Ariſtomenes Corinthios, Spartanis ad Eiræ obſidionem miſſos, noctu adortus, duces occidit, caſtra diripuit & Jovi Ithomatæ Ἑκατομφόνια iterum fecit: poſtquam prima ab illo peracta eſſent poſt prælium ad Apri monumentum, Anno 2. *Olymp.* 24. Imò & tertia ab eodem facta referunt, Pauſ. *l.* 4.

HECATOMPOLIS, Cretæ epitheton à *centum urbibus.* Item Laconica regio ſic dicta. Strab. *l.* XI. *p.* 514.

HECATOMPYLOS, Thebes Ægyptiacæ epitheton à *portarum numero centenario.* Juv. *l.* 4. Sat. XV. *v.* 6.

Atque vetus Thebe centum *jacet obruta* portis.

Ubi duo Thebes occurrunt epitheta, unum quòd *vetus ſit*, alterùm, quòd *centum portas* habeat, quæ etiam conjungit Dion. Halic.

Θήβην ὠγυγίην, ἑκατόμπυλον.

Et etiam ejuſdem nominis urbs in Parthia, à Græcis condita, teſte Steph. nunc *Aſpachanum.* Vide ibi: & in Hyrcania. Diod. Sic. Item in Lybia, ab Hercule conſtructa. Nic. Lloyd. De urbe Parthiæ, addo, quòd caput Parthiæ, Plin. *l.* 6. *c.* 15. à quo ad Caſpias Portas ſtadia mille nongenta & ſexaginta, ad Alexandriam verò ἐν Ἀρείοις, quatuor millia quingenta triginta, numerat, *Ibid.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 971.

HECATONTARCHUS, Græcè Ἑκατόνταρχος, h. e. *Centurio*; qua voce uſus eſt Balſamon in *Can.* 6. *in Trull.* ad denotandos Senes quoſdam, qui in Diabolicis artibus alios inſtruebant, quoſque Primicerios quoque & *Pſeudotheos*, h. e. *Deos mendaces*, appellat, apud Dom. Macr. *in Hierol.*

HECATONCHIROS, i. e. *Centimanus*, Briarei, ſive Ægæonis epitheton. Vide Plutarch. περὶ πολυφαγίας.

HECATONNESI, parvæ inſ. viginti circa Lesbum, ab *Hecato* Apolline dictæ, qui in illis locis plurimum colitur. Timoſtheni 40. Aliis 100. ſcopuli potius.

HECATONTACHIRIA, civ. quæ nunc *Oreſtiades* dicitur. Aliis *Leutkirch*, oppid. Sueviæ, 3. leuc. à Campoduno. Sub Auſtr.

HECHELIAS, pater Nehemiæ. Neh. *c.* 1. *v.* 1.

HECHINGUM, opp. Duc. Wirtemberg. Judæorum *aſylum.* Joh. Matal. Metell. Vulgò *Hechingen.* Idem Illuſtri Familiæ nomen, quæ Zollerenſis ſtirpis ramus eſt. Inter filios enim Caroli Com. *de Zolleren* ſeu *Hohenzollern*, qui communis omnium, quotquot hodie in iſta fam. vivunt, ſator, Obiit A. C. 1576. Eitelfridericus major natu, *Hechingenſem*, in qua primus Principale axioma obtinuit ipſius fil. Joh. Georgius: Carolus verò ſecundogenitus *Sigmarigenſem* ramum ex ſe dedit; qui nunc eadem dignitate gaudet. Et quidem *Hechingenſis* lineæ quod attinet γενεαλογίαν, Eitelfridericus Com. *de Hohenzollern*, Extinctus A. C. 1512. fil. habuit, ex Magdalena Brandeburgica (Friderici fil.) Eitelfridericum; qui Deceſſit A. C. 1525. Pater ex Johanna *de Borſel* (filia Henrici *de Borſel* Com. *de Puchen & Grandpré*) Caroli ſenioris, Defuncti A. C. 1576. Hoc & Annâ Badenſi (filiâ Erneſti March. Badenſis *in Pfortzheim*) genitus Eitelfridericus, Obiit A. C. 1604. ſuperſtite filio, ex conjugio Sibyllæ Zimmerenſis, Joh. Georgio, qui Principali axiomate primus in ſua fam. decoratus eſt. Huic genuit Franciſca Rheingravia (filia Friderici Com. Sylvarum & Rheni) Eitelfridericum (qui, maritus Mariæ filiæ Henrici Com. *de Berg*, Obiit A.C. 1661.) Georgium Fridericum (Defunctum ....) Leopoldum Fridericum (θ....) Philippum (cui nupſit Maria Sidonia Marchio Badenſis) Sibyllam (uxorem Erneſti Com. *de Marck*) Annam Mariam (uxorem Egonis Com. Furſtenbergici) Catharinam Urſulam (nuptam Vilhelmo March. Badenſi) Franciſcam (uxorem Jacobi Annib. Com. *ab Emps*) Mariam Renatam (uxorem Hugonis Com. Königseccii) Maximilianam (cui Joh. Fridericus Com. Trautſon maritus obtigit) & Mariam Annam (uxorem Com. Iſenburgici) *Principes omnes & Comites de Hohenzollern* &c. *in*

in Hechingen, Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobilit. Europ. Part. I. p.*154. Vide quoque ubi de Fam. *Zollerana*.

HECLA, mons peramplus & ignivomus Islandiæ Inſ. in parte Mer. verſus urbem *Scalholt* Epiſcopal. quum furit, ut horribilia tonitrua inſonat, projicit ingentia ſaxa, ſulphur evomit, cineribus egeſtis omnia longè lateque complet, ut ad viceſimum lapidem terra coli non poſſit. Qui naturam cauſaſque ejus incendii curioſiùs contemplaturi propiùs ad montem accedunt, facilè unâ aliquâ latente voragine vivi abſorbentur: nam & multæ ſunt, & cineribus ita tectæ, ut nemo ſibi cavere poſſit: locum propterea vocant carcerem ſordidarum animarum. Mercat. Joh. Matal. Metell. Indè etiam fulgura emicant permixta quaſi fulminibus. *Baudr.*

HECTODURUM, Rhætiæ opp. Ptol. *Echtal Lazio*.

HECTOR, Priami & Hecubæ fil. Trojanorum omnium fortiſſimus, ab Achille interfectus. Pater Aſtyanactis, ex Andromache, quem Græci è turri præcipitatum necarunt. Homer. *l.* 13. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 99. *l.* 2. *v.* 270. 282. 522. & *l.* 3. *v.* 312. 343. & *l.* 5. *v.* 371. *&c.* Dictus, teſte Platone, ἀπὸ τοῦ ἔχειν τὴν πόλιν, quòd urbem contra hoſtium impetum tenuerit, patriamque ſervarit. Eo namque ſoſpite Trojâ nunquam potuit expugnari. Unde Horat. *Carm. l.* 2. *Od.* 4. *v.* 10.

> —— *&* *Ademptus* Hector
> *Tradidit feſſis leviora tolli*
> *Pergama Grajis.*

Quod ſumpſit ex Hom. *Il.* 24.

> —— Ἄρρα γνώσεσθε καὶ ὔμμες,
> Ῥηΐτεροι γὰρ μᾶλλον Ἀχαιοῖσιν δὴ ἔσεσθε
> Κείνου τεθνειῶτος ἐναιρέμεν, &c.

Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 154.

> *Haud ſibi cum Danais rem ſaxo, & pube Pelaſgâ*
> *Eſſe putent, decimum quos diſtulit* Hector *in annum.*

Idem *l.* 2. *v.* 440.

> *Et Pater Æneas & avunculus excitet* Hector.

Inde Chorus apud Sen. *in Troadib. in Act.* 1. *choro v.* 85. *& ſeqq.*

> *Columen patriæ, mora fatorum,*
> *Tu præſidium Phrygibus feſſis,*
> *Tu murus eras; humeriſque tuis*
> *Stetit illa decem fulta per annos,*
> *Tecum cecidit, ſummuſque dies*
> Hectoris *idem patriæque fuit:*

Vide etiam *Achilles*. Nic. Lloyd. Addo, Ilienſibus cultum olim eſſe, unâ cum Helena, Athenagoras ait *Legat. pro Chriſt.* Οἱ μὲν Ἰλιεῖς θεὸν Ἕκτορα λέγουσι καὶ τὴν Ἑλένην Ἀδράστειαν ἐπιστάμενοι προσκυνοῦσι, *Ilienſes Deum* Hectorem *prædicant & Helenam, velut Adraſtiam, ſcientes adorant.* Atque idem de *Hectore* tradit Clemens Rom. Recognition. *l.* 10. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 1. *c.* 21. Sed & Hectoris lucum in agro Thebano, memorat Strab. *l.* 13. *p.* 595. in loco, qui Διὸς γοναί dicebatur, quòd ibi natus à quibuſdam crederetur Jupiter. Huc enim ex oraculo oſſa *Hectoris* è Phrygia tranſportata eſſe, in remedium variarum calamitatum, Thebanis (qui ſoli Bœotorum ad Ilium non militaverant, teſte Artemid. *l.* 4. *c.* 65.) incumbentium, tradit Scholiaſtes Homeri *ad Il.* ν. Cæterùm quæ de duobus his Heroibus Dio Chryſoſtomus in *Troica* narrat, veriſimiliora Homericis figmentis habent Eruditi. Fuêrunt autem ii inter ſe ſimiles admodum, fato & virtute, ut & proſapiâ; qua de re feſtivam narrationem reperies, apud Aphthonium Sophiſtam vide Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. Tom. III. p.* 1680. De *Hectorea* verò *tonſura*, memorata Anaxilao, apud Polluc. verſu,

> Τὴν ἐκτορείην τὴν ἐφίμερον κόμην,

Vide Euſtath. *Il.* ψ. Heſych. Meurſ. *ad Lycophr.* &c.

HECTOR, Parmenionis fil. cùm Alexander acceptâ in fidem Ægypto, ſecundo Nilo deflueret, parvum navigium conſcendit, pluribus quàm capere poſſet, impoſitis. Curt. *l.* 4. *c.* 8. & *l.* 6. *c.* 9. *Itaque merſá navi Hector flumini diu obluctatus tandem in ripam ſemianimis evaſit, ac mox nullo adjuvante (quippe in diverſum evaſerant alii) exanimatus eſt. Alexander repertum corpus magnifico extulit funere.*

HECTOR Boëtius, Scotus, Hiſtoricus celebris, condiſcip. Eraſmi, Pariſiis. Auctor Hiſtoriæ Scoticæ, &c. quæ à Ferrerio Pedemontano continuata eſt. Sub Carolo V. P. Jovius & Dempſter. *in Elog.* Buchan. Voſs. &c. contra Humfred. Lhuidum Anglum, à Dempſtero defenſus.

HECTOR Pinto, Luſitanus, in aliquot Prophetas commentatus eſt: Ejus tractatus duo, de imagine vitæ Chriſtianæ, à G. Curſolio verſi ſunt, A. C. 1580.

HECUBA, Priami uxor, filia Dymantis Hom. aut, (ut Virg. Euripidem ſecutus ſenſit) Ciſſei, captâ Trojâ in canem verſa. Ovid. *Met. l.* 13. *v.* 550, 557. & 621. Quam fabulam indè ortam putat Serv. quòd cum à Græco Ulyſſe captiva abducta Polyxenam primò immolari vidiſſet, dein filii ſui Polydori corpus in mare abjectum agnoviſſet, quoniam aliter injuriam ulciſci non poſſet, Græcos inanibus conviciis laceſſiverit, Juv. *Sat.* 10. *l.* 4. *v.* 271.

> —————— *Torva canino*
> *Latravit rictu.* ——————

HECUBÆ Sepulchrum, Thraciæ prom. Κυνὸς σῆμα dictum. Ovid. *ubi ſuprà.*

HEDDAÏ, nomen viri. 2. Sam. *c.* 23. *v.* 30. qui *Hurai* 1. Par. *c.* 11. *v.* 32. dicitur.

d'HEDE Gulielmus, vide *Gulielmus*.

HEDENA, vulgò HEDIN, arx permunita Arteſiæ, ad Quantiam fluv. in limite Picardiæ. Sub Gallis, ab A. C. 1639. 7. leuc. ab Abbevilla in Bor. 4. à Monſtrolio in Ort. intra paludes. Olim ab Hiſp. excitata contra Gallos.

HEDER, fil. Beriæ. 1. Par. *c.* 8. *v.* 15.

HEDERA, an ab *hærendo*, miræ enim tenacitatis eſt, an quòd *edita* petat, an quòd *exedat* parietes, dicta? celebre olim Bacchi coronamentum fuit. Plin. *l.* 16. *c.* 34. *Dicunt —— Alexandrum ob raritatem ita coronato exercitu, victorem ex India rediiſſe, exemplo Liberi patris: cujus Dei & nunc adornat thyrſos, galeaſque etiam & ſcuta, in Thraciæ populis, in ſolennibus ſacris.* Nempe is vino oppoſuit *hederam*, & ex ea coronam plectere docuit, Plutarch. *Sympoſ.* 3. Undè in convivia idem coronæ genus tranſit, & pocula inde ſumpta, de quibus ſuprà aliquid diximus, in voce *Ciſſybium*. Alii tamen Baccho placuiſſe *hederam* volunt, quòd illa vini vice fungitur, & *abſque vino inebriat*, ὅλως ἄοινον ἐπάγει μέθην, ut idem Plutarch. ait κεφαλ. καὶ ὑγρ. Ῥωμ. Certè *hedera* & *vitis* ſociatæ ſæpiſſime in ejuſdem Idoli coronamento, ob arctam utriuſque cognationem: namque & altera alteri implicita mirè pulchreſcit, Virg. *Ecl.* 5. *v.* 32. & vitem foro feraciorem, ſi putator ejus *hederâ* eſſet redimitus, exiſtimatum eſt, Conſtantin. Cæſ. *l.* 5. *c.* 24. Quò facit fabula de adoleſcente, è Bacchi ſaltatoribus uno, cui Κισσοῦ nomen, in *hederam* verſo, eidem indigitata *l.* 11. *c.* 31. Inſuper haſta Bacchi, uti in ſummo corymbis, ſic in medio & imo, *hederâ* implecti ſolita eſt, teſte Nonno *l.* 9. Ejuſdem aræ *hederas* imponi conſueviſſe, Scalig. docet *poët. l.* 1. *c.* 21. Omnes etiam, in ſacris ejus, eodem modo fuêre redimiti, vide Barth. *ad Stat. l.* 2. *Sylv.* 7. *v.* 11. infrà in voce *Hyacinthia*. &c. Sociabatur verò etiam violis, elichryſo, ſmilaci, & in militibus quoque lauro, ut videre eſt apud Car. Paſchal. *Coron. l.* 1. *c.* 17. & *l.* 3. *c.* 1. Præter Bacchum, Silenus quoque hederâ cingebatur, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1041. de quo Sileno, vide ſuo loco. Priapus item, & Satyri, Athen. *l* 5. *p.* 197. Apollo porrò: Namque *Hedera* Libero quondam ſacra, i. e. Soli, quemadmodum & laurus eidem, ſub nomine Apollinis, ob eandem cauſam. Hinc apud Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 18. inter alia legas, quòd Lacones feſto illo Apollinari, quod in Hyacinthi memoriam triduo ſolebant celebrare, *hederâ*, Bacchico ritu, conſueverint coronari. At Æſchyl. quoque dicit, ὁ κισσεὺς Ἀπόλλων, *Hederâ gaudens Apollo.* Euripid. item eundem ſic affatur, Deorum Δέσποτα, Φιλόδαφνε, Βάκχε, Παιὰν, Ἄπολλον, Εὔλυρε, *Domine, laurus amans, Bacche, Pæan, Apollo, lyrâ canore.* Vide iterum Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 2. *c.* 14. Muſæ tandem. Ita enim Calliopen, Muſarum nobiliſſimam, redimit Ovid. *Faſt. l.* 5. *v.* 79.

> *Tunc ſic neglectos* hederâ *redimita capillos*
> *Prima ſui cœpit Calliopeia chori.*

Qua de re vide iterum Paſchal. *Coron.* ubi ſuprà, *l.* 1. *c. ult.* A Diis ad homines idem *hederæ* uſus tranſiit, Principes, uti de Alexandro vidimus; Milites, in ejuſdem exercitu; Luxurioſos & laſciviæ deditos, de quibus Athen. *l.* 14. Mulieres quoque, quæ eadem capillitium religabant, uti de Thebanis habes, apud Euripid. Sed & poëtarum ſacrum genus, *hederâ* coronabantur. Fert namque hæc victricem ſe vetuſtatis atque eò comitem immortalitatis ejus, quam ſibi præclariſſimi Scriptores ut præmium proponunt, poëtæ inprimis, quorum proin celeberrimus quiſque ac cæterorum victor hac fronde caput evinxit. Hinc illa victrix Horat. *Carm. l.* 1. *Od.* 1. *ſub calcem.* & *l.* 1. *Ep.* 3. *v.* 24.

> —— *ſeu condis amabile carmen*
> *Prima feres,* hederæ *victricis præmia.* ——

Hoc autem poëticum, ut ſic dicam, hederæ genus Plin. ſic deſcribit *l.* 16. *c.* 34. *Alicui & ſemen nigrum, alii crocatum: cujus coronis poëtæ utuntur, foliis minùs nigris: quam quidam Nyſiam, alii Bacchicam vocant, maximis inter nigras corymbis.* Ab hominibus ad alia, aras, thyrſos, ut dictum: poëtarum imagines. Undè Ovid. in Pontum relegatus, ſuæ imagini *hederam* demi vult, velut omnem jucunditatem, eamque, quæ nomini ſuo adhærebat, æternitatem, abdicans, *Triſt. l.* 1. *Eleg.* 7. Initio.

> *Si quis habes noſtris ſimiles in imagine vultus,*
> *Deme meis* hederas, *Bacchica ſerta, comas.*

Pocula inſuper, quibus in conviviis libabant. Sic ποτήριον κίσσινον, *poculum hederaceum*, Hercules ſumit apud Admetum, Eurip. *Alceſt. Act.* 4. Cyclops, apud eund. *Cyclop. act.* 3. Ipſa convivia, quæ κισσοφόρους θαλίας, *hederata convivia*, appellat Idem *Bacch.* &c. Etiam pro diademate fuit Antigono Macedoniæ Regi apud Alex. ab Alex. *Genial. Dier. l.* 1. *c.* 28. Et ad ſimulacra Deorum Cilicia adhibita eſt, teſte Pauſ. *in Arcad.* &c. Quam in rem vide præfatum Paſchal. pluribus differentem ubi ſuprà, adde Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. paſſim*, Auctorem Anon. *Sinæ & Eur. c.* 34. Alios, De *Hederæ* verò *natura, corymbis, mammis* ſeu *acinis, genere triplici, nigra, candida & quæ helix dicta, nigræque ſpeciebus duabus, erythrano, & chryſocarpo*, vide præter Theophraſt. Dioſcord. Plin. Alios; Salmaſ. *ad Solin. p.* 364. *& ſeqq.* Addo ſaltem, Flamini Diali, apud Romanos, illam adeò expetitam aliis, *hederam* ne tangere quidem licuiſſe, an quòd, licèt formoſa virenſque, ſterilis tamen eſſet, & inutilis hominibus, imbecillaque, ac ea de cauſa aliis, quibus innitatur, opus habeat: an quòd eam mulieres Bacchicis furoribus deditæ rectam ferrent, & manibus diſcerperent ac devorarent; ideoque exiſtimaretur, ineſſe illi ſpiritum, qui de ſtatu rationis hominem deturbet aliamque prorſus ebrietatem, ab ea, quam vinum gignit, diverſam inducat? Debebat autem Jovis Sacerdos Bacchi orgia vitare. Joh. Roſin. *Antiqq.*

Rom. l. 3. *c.* 16. Sed nec hoc omittendum, aliquem *Hederæ* uſum & in Eccl. Rom. ritibus occurrere; de ea enim *in Paſcha*, *in Choro adminiſtranda*, quædam habet Hemereus *in Auguſta Viromand.* C. du Freſne laudatus: Nec quòd *hederæ* folio ſimilis fuit Amazonica pelta, ut infrà videbimus in voce *Pelta* &c. Hinc *Hederata patina argentea librarum XXX. & III.* inter munera à Gallieno Imp. miſſa Claudio Tribuno, apud Pollionem, quæ *hederæ* folia cælo expreſſa habebat. Variis enim argumentis, in cælandis vaſis, luſiſſe Vett. induſtriam ſuprà diximus. At quæ corymbos, h. e. uvas hederæ habebat, *corymbiata* dicebatur: Sed & inter *hederæ* ſpecies κορυμβίας κιττὸς recenſetur Theophraſto &c. De *Hederaceis* verò *poculis*, vide præter Plin. & quæ ſuprà diximus, Thom. Dempſter. *in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 30.

HEDETA, ſeu EDETA, LLIRIA, opp. Celtiberorum olim, nunc caſtrum regni Valentiæ, ad Turiam fluv.

HEDETANI, Hiſpan. Tarracon. pop. *Ptol.*

HEDFELDIA, urbs Angliæ, in qua Concil. Nationale A.C. 680. Theodoro Cantuarienſi Archiep. Præſide, Beda *l.* 4. *c.* 17.

HEDILA, Samia poëtria, filia poëtæ Moſchinis & mater Hedilogi epigrammatiſtæ. Athen. *l.* 7. *c.* 12.

HEDIMELES, mons Atticæ. Juv. *Sat.* 6. *l.* 2. *v.* 381. niſi fortè ſit perſonæ nomen. Vide *Hedymeles*.

HEDINUS, apud Hiſpanos, dicitur *Juſtitiarius Judæorum, qui exercet compulſiones & mandat ſententias executioni, & cognoſcit de minoribus cauſis* &c. Vitalis Ep. apud Blancam *in Comm. Rer. Aragonicar. p.* 784. laudatum C. du Freſne *in Gloſſ.*

HEDIO Caſparus, Eſlingenſis, Baſileæ primùm indè Mogontiaci concionatus; poſtea Evangelicam fidem amplexus, Matth. Zellii & Mart. Buceri collega, Argentinæ docuit Annos 24. Obiit A. C. 1532. Scripta ejus recenſentur *in Elogiis* Ant. Teiſſier *P.* 1.

HEDIUS Steph. monachus Anglus, Muſicus inſignis, Auctor vitæ Wilfridi Ep. &c. Beda *de geſt. Angl. l.* 4. *c.* 2. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 28.

HEDONACUM, Bœotiæ vicus. *Pauſ.*

HEDONES & HEDONI, Thraciæ pop. Steph. & *Suid.*

HEDRUS, ſeu EDROS, & ADROS, Hiberniæ inſ. Ptol. *Berdſey* Camdeno. Inſ. parva Angliæ, in ora Walliæ Bor. & Arvoniæ prov.

HEDUI, Gall. pop. Arvernis finitimi, poſt Helvetios & Sequanos in Occaſ. vergentes, juxta quos ex Alpibus fluit Araris, olim Romanorum fratres dicti, quorum hodie loca Burgundiones tenent. Illorum caput Auguſtodunum, vulgò *Autun*. Vide *Auguſtodunum*.

HEDVIGIS, Ludovici Poloniæ Regis filia natu minima, poſt Sigiſmundum affinem, coronata, Jagielonem, Principem Lithuaniæ Ethnicum, ſed qui Chriſtianam fidem amplexus eſt, maritum accepit. Mariti, qui poſt diſputationem Cracoviæ cum Huſſitis A. C. 1431. inſtitutam, Miniſtrum Evangelicum è Bohemia evocatum, ſæpius in occulto conclavi audiebat, pietatem imitata, Biblia ſacra in linguam Polonicam ſibi transferri curavit, ſeduloque legit: imo apud Regem zelo ſuo tantum effecit, ut is evocatis è Bohemia Verbi Miniſtris in templo S. Crucis Cracoviæ Sclavonicâ linguâ ſacra obeundi poteſtatem fecerit. Vide Laſicium *l.* 1. *de geſtis Fr.* apud Lætum *Comp. Hiſt. Univ.*

HEDYLIUM, mons Bœotiæ. Suid. Ejus quoque meminit Plin. Hic enim eſt, quem *Hadyliſum* vocat, *l.* 4. *c.* 7. vitio ſcribarum, cùm ſit legendum *Hadylius* vel *Hadyleus*.

HEDYMELES, citharœdus, ab ἡδὺ *dulce*, & μέλος *cantus*. Juv. *Sat.* 6. *l.* 2. *v.* 381.

—— *Criſpo numerantur pectine chorda,*
Quo tener Hedymeles *operam dedit.*

HEDYPHON, Babyloniæ reg. fluv. *Strab.*

HEDYPNUS, Suſianæ fluv. in Eulæum labens. Plin. *l.* 6. *c.* 27.

HEDYSMA, apud Plin. *l.* 13. *c.* 1. *Ratio faciendi* (unguenta) *duplex: ſuccus & corpus. Ille olei generibus ferè conſtat, hoc odorum. Hæc ſtymmata vocant, illa hedyſmata*: ex Græco ἥδυσμα. Cornario eſt omne id, quo ſpiſſatum oleum ſuavi odore imbuebatur & perfundebatur; qualia recenſentur Dioſcoridi amomum, nardum, myrrha, balſamum, carpobalſamum, coſtum, amaracum. At Salmaſ. odores σύμματα ſunt, oleum verò ἥδυσμα, condimentum viz. liquidum, quo veluti condiantur odores, qui corpus ſint & in oleum addantur, ut ſerventur quaſi quadam conditurâ. Ex liquidis autem ἡδύσματα præcipua facit, oleum & acetum, ex Polluce, ἡδύσματα, ἔλαιον καὶ ὄξος. Certè ἥδυσμα Græcis eſt, quidquid ad ſaporem & guſtum ſuaviorem conciliandum pertinet, proprieque τὸ ἡδὺ ad guſtum refertur; indè ad odoratum translatum eſt. Quo factum, ut, cùm odorum alii ſpiſſando oleo tantùm admiſcerentur in unguentis, alii ad conciliandam odoris ſuavitatem adhiberentur, hos poſteriores quoque ἡδύσματα vocet Dioſcorides. Adſpergebantur verò hi ſolùm, & immergebantur, ut in oleo jam decocto maderent, quod ἀποβρέχειν & ἐμβρέχειν eſt eidem: cùm reliqui odores ſimul cum oleo decoqui moris eſſet. Sed propriè *hedyſma*, quod diximus. Heſych. ἄρτυμα exponit, alii βάμμα quoque & ἔμβαμμα appellavêre. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 465. & 466.

HEGALEOS, vide *Ægaleos*.

HEGELOCHUS, ſex millium Athenienſium, Mantinenſibus auxilio miſſorum, Dux, qui conatus Epaminondæ Mantineam deſertam à civibus ſubjugare cupientis, retardavit Diod. Sic. *l.* 15. *p.* 501.

HEGELOCHUS, auctor Tragœdiarum, quem ob vocis inſuavitatem traduxêrunt Comici.

HEGEMON, Characenus (eſt autem Charax Phrygiæ urbs) verſificator, ſcripſit libellum Leuctricôn, Thebanorum, & Lacedæmoniorum. Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. p.* 370. Item, ex amicis Phocionis, cum eo bibere κώνειον coactus. Item Thaſius, Gigantomachiæ, &c. auctor. Ælian. *Hiſt. Anim. l.* 8. *c.* 11. *Suid.*

HEGESAGORAS, in Megaricis ab Apollonii Schol. *in l.* 1. citatur.

HEGESANDER, Delphicus Hiſtoricus, de quo vide Voſſ. *de Hiſt. Gr.* Michaël Apoſtolius, *Cent.* 2. *prov.* 51. Idem.

HEGESIANAX, Alexandrinus Hiſtoricus, Troica ſcripſit; teſte Athen. *l.* 3. *p.* 80. Vide Pauſ. Athen. Hygin. Voſſ. *de Hiſt. & Poet. Gr.*

HEGESIAS, tyrannus Epheſi, Alex. Mag. opibus fultus; interfectus tamen ab Anaxagora, Codro & Diodoro Echeanactis filiis. Vide Polyæn. *l.* 6.

HEGESIAS, Archon Athenis *Olymp.* 114. quâ Alex. Mag. Obiit. Joſeph. *c. Appion. l.* 1. Alius, *Cypriorum* auctor nonnullis, Athen. *l.* 14. *c.* 3. *p.* 620.

HEGESIAS, Cyrenaicus Philoſophus, qui tantâ eloquentiâ mala vitæ repræſentabat, ut eorum miſerandâ imagine audientium pectoribus inſertâ, multis voluntariæ mortis oppetendæ cupiditatem ingeneraret: Ideoque à Rege Ptolemæo ulterius hac de re dicere prohibitus. Cic. *l.* 1. *Tuſc. Qu.* πεισιθάνατος dictus eſt, auctorque Scholæ cognominis, & diſcip. Paræbati fuit, tempore Platonis. Diog. Laërt. *in Ariſt. l.* 2. Cic. *Tuſcul. l.* 1. Val. Max. *l.* 8. *c.* 9. *ex.* 7. Alter Magneſius, orator quoque egregius, cujus meminit Strab. *l.* 9. *p.* 396. & *l.* 14. *p.* 648. Idem Hiſtoricus fuit. Auctor ſtyli Aſiatici, ſcripſit plurima. Cic. *in Orat.* Dion. Halic. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1. *Nic. Lloyd.*

HEGESIGONUS, aliqua conſignavit de mirificis hominum in India formis, quemadmodum cognoſcimus ex Tzetze, *Chil.* 1. *Hiſt.* 18. & *Chil.* 7. *Hiſt.* 144.

HEGESINOUS, de rebus terræ Atticæ poëma condidit, teſte Pauſ. *in Bœotic.*

HEGESIPPUS, Hiſtoricus, quem 5. actuum Eccleſiaſticorum libros elucubraſſe, auctores ſunt Hieronymus, ac Honorius, & quintum eorum citat Euſeb. *Hiſt. Eccl. l.* 2. *c.* 22. ac Græcè κγ'. ubi de Jacobi fratris Domini martyrio, verba facit. Itemque Photius *Biblioth. cod.* 232. ubi vocatur ἀρχαῖός τε ἀνὴρ καὶ ἀποστολικός. Ex illuſtribus verò fragmentis, quæ apud Euſeb. habemus, omnes vident, quanto cum damno libri ejus interciderint. Edidit illa cum *Notis*, Halloixius. At Hegeſippus ille vulgaris, quem B. Ambroſius Latinè vertiſſe diu creditus fuit, ſcriptor eſt omnino ὑποβολιμαῖος, teſte Voſs. *de Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 14. *de Lat. l.* 3. Adde Joh. Frid. Gronov. *Obſerv. in Scriptores Eccl. paſſim c.* 1. præſertim. *Hegeſippus* alius Hiſtoricus, reliquit volumen de Pallene, auctor ſanè vet. quippe qui etiam Dionyſ. Halic. *antiquus* vocetur *l.* 1. *p.* 39. ubi eum cum Cephalone Gergithio conjungit, quos ἄνδρας ἀρχαίους, καὶ λόγου ἀξίους vocat. Palleniaca ejus citat Steph. in Μηκύβερνα; Item Parthenius *Eroticon c.* 6. Qui & *c.* 16. advocat librum primum Hegeſippi de rebus Mileſiorum. Idem ne an alius fuerit, haud temerè dixeris. Sed alius ſaltem ab eo eſt *Hegeſippus* Tarentinus poëta Comicus, de quo Suid. Fuit & alius *Hegeſippus*, Demoſthenis æqualis, & ejus in legatione collega: cujus eſſe creditur oratio de Haloneſo, quæ vocatur Philippica Demoſthenis ſeptima. Vide Etymologum in Ἡγήσιππος.

HEGESIPPUS, ὀψοποιητικῆς πραγματείας σοφιστής, cujus meminit Jul. Pollux *l.* 6. *c.* 10. Etiam Ὀψαρτυτικὰ *Hegeſippi* memorat Athen. *l.* 12. *c.* 3. *p.* 516. quod idem opus. Voſs. locis ſuprà notatis, vide Morer. *Dict. Hiſt.*

HEGESIS, Lacedæmonius, ex poſteris Herculis, fil. Euryſthenis, pater Echeſtrati. Herod. *l.* 7. *c.* 204.

HEGESISTRATUS Epheſius, ob tribulis ſui necem exul, Delphos perveniens, quemnam locum coleret, conſuluit Deum, cui Phœbus, ubi ſaltantes videris ruſticos cum coronis oleagineis. Itaque profectus in Aſiam, ruſticos eo modo cernens, urbem condidit Eleam; Pythocles Samius apud *Plutarch.*

HEGETHMATIA, Germ. urbs. Ptol. vulgò *Lignitz* A. C. 1672. incendio horrendum in modum vaſtata.

HEGETORIDES Thaſius, qui Patriam ab interitu vindicavit ingenio, in hunc modum: Oppugnabant Thaſum Athenienſes; Legem verò ſanxerant Thaſii: qui cenſuerit fœdus cum Athenienſibus eſſe faciendum, mortis damnas eſto. *Hegetorides* videns multos civium belli ac famis gravitate perire, laqueo collo circumdato in concionem prodiit, & Viri, inquit, cives, me quidem ut vobis libet & prodeſt, utimini: reliquos autem cives meâ morte ſuperſtites conſervate, legemque antiquate. His auditis Thaſii & legem abrogarunt & *Hegetoriden* conſervarunt incolumem. *Polyæn. l.* 2.

HEGIRA, Arabum computatio, ut Æra Hiſpanorum. Significat *fugam*: nam cùm omnia proſperè ſuccederent Mahumedi, poſtquam ex Medinath Talnabi fugam cepiſſet, ſuum Arabes ab hac fuga calculum ordiuntur. *Mahumedes completo* C. A. 621. *dedit legem, & à quo tempore computantur anni Arabum*, *ſub Honorii Papæ primo, & Heraclii II.* Beroald. *l.* 4. *c.* 4. Fugerat autem tum Meccham Pſeudopropheta, ne pœnas daret væſanæ doctrinæ, quam tum diſſeminare cœperat: factum id die Ven. 16. Julii. A. C. 622. Æræ Chriſtianæ. Petav. *de doctr. temp. c.* 50. & *l.* 7. *c.* 12. *Rat. temp.* 2. *P. l.* 4. *c.* 15. Scalig. *de Emend. Temp.* Ricciolus *Chr. ref. T.* 1. *l.* 2. *c.* 24. Kriſtomannus, *Mercator.* Nempe, ut in multis Chriſtianorum ſimia Muhamedes fuit, ita principium æræ ſuæ eadem appellatione donavit, quâ Chriſtiani à Diocletiano ſuam. Quemadmodum enim æra Diocletiani dicta eſt *æra Martyrii*, ita etiam Pſeudoprophetæ hujus dicta eſt *Hegira*, h. e. διωγμὸς ὑπὲρ τῆς θρησκείας, *Perſecutio Religionis ergò*, ut interpretatur Joh. Heſronita poſt Geographiam Nubienſem *c.* 8. Numerant autem Mahummedici menſes hujus epochæ, à phaſi Novilunii ad phaſin ſequentis Novilunii: quod intervallum nunquam 30. dies excedit, neque minus eſt 29. ita ut 4. menſes alternatim conſequentes 30. dierum ſint & tres 29. ſine ullo utrinque exceſſu &c. De *Veneris* hinc die, non minori apud Muhammedanos veneratione coli ſolito, quàm apud Hebræos *Sabbathum* eſt, apud Chriſtianos *Dies Dominica*, vide ſuprà in voce *Guma* & *Hegira*.

HE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

HEGLA, vel HOGLAH, filia Salphaad, vel Zelophehad. Num. c. 26. v. 33.

HEGONIS, Ptol. Nigro *Egoſpotamos*, aliis *Fainam*, prom. Macedoniæ, inter Theſſalonicam & Caſſandream, apud oſtia Chabrii fluv. ibi *Egoſpotamos* dicti.

HEGOVIA, tractus Sueviæ, inter Lacum Cellenſem ad Ort. & Sylvam Nigr. ad Occ. vix 6. milliarium. Hìc ſunt Landgraviatus Nellenburgicus, ſub Auſtr. cum opp. *Stocack*, Duellium ſub Duce Wirtemb. & aliquot alia loca.

HEGUA, vide *Ategua*.

HEGUMENI, Græcè Ἡγούμενοι, dicuntur Abbates apud Græcos, Anaſtaſ. *in Leone III.* alibique paſſim: undè *Egumenarchium*, apud eund. *in Hadr. I.* fortè idem cum eo, quod Ἡγουμενεῖον vocat Alexii Comneni *Novella*, Monaſterium viz. vel potiùs domicilium Hegumeni &c. Eorum nominibus vocem παπᾶς præponere Græcos, dicemus infrà, in *Papa*.

HEIDEBA, Crantzio *Sleſwick*, urbs Jutiæ Mer. caput Duc. Sleſvic. ad Sliam fluv. qui in mare Balt. aliquot infra leucis ſe exonerat. 4. leuc. à Rensburgo & conf. Holſatiæ in Bor. totidem à Flensburgo in Auſtr. 5. ab Huſumo in Ort. Ei adjacet Gottorpia arx, ubi Ducum ſedes è ſtirpe Regum Daniæ & Holſatiæ Ducum.

HEIDECCIA, vide *Heydeccia*.

HEIDEGGERUS Joh. Henricus, Theologus Tigurinus exercitatiſſimus. Nat. Berotiſvillæ in agro Tigurino A. C. 1633. patre Paſtore, tritavis Reformatoribus, ex avia, Zuinglii Bullingeríque nepte, in Patria Schola futuræ πολυμαθείας fundamenta jecit, ſub Rudolpho Stuckio, Joh. Wirtzio, & Joh. Henr. Hottingero, illis Theologiæ, hoc Lingg. tum Orientalium, Profeſſoribus celeberrimis. Marpurgi dein Chattorum audiit Joh. Crocium: indè Heidelbergam delatus, Linguam ibi Hebræam publicè extra ordinem profeſſus eſt, A. C. 1658. Philoſophiam dein ibidem docuit, A. C. 1659. Steinfurtum poſtea, à Comitibus Benthemiis vocatus, ibi Theologum egit, prius à celeberr. Hottingero S. Theol. Doctor renuntiatus. Sed flagrante inter Belgas Confœd. & Ep. Monaſterienſem bello, dum, urbe occupatâ, Schola diſſipatur, miſſione ſibi factâ, in patriam rediit, A. C. 1665. ubi ſequente Anno Ethicæ Chriſtianæ Profeſſionem ſibi mandatam, obiit: Hottingero poſt hæc A. C. 1670. in Prof. Theologica ſuffectus, tantam eruditionis multijugæ, ſacræ inprimis, Famam undiquaque ſparſit, ut paulo pòſt, Lugdunum Bat. ad Theologicam Cathedram honorificè vocaretur, verùm miſſione à Patriæ Patribus negatâ, in ſtatione ſummo cum fructu Stud. Juventutis, totiuſque in Patria rei ſacræ, hucuſque perſtat. Ejus prodiêrunt: *Libertas Chriſtiana à lege Cibaria V. T. De Paſſione Emortuali Chriſti; De Aug. Conf. cum fide Reformatorum conſenſu: De Fide decretorum Concilii Tridentini: Hiſtoria Patriarcharum tom. 2. De Peregrinationibus religioſis: Anatome Concilii Tridentini Hiſtorico-Theologica: Diſſertationum Selectarum* Τετρὰς: &c. Indè deſudavit in ſcribendis *Ethicæ Chriſtianæ* libris 5. aliiſque quàm plurimis excelſi ingenii ſui monumentis.

Dum micat hoc lumen, tenebras colit impius error,
Sed dolet, in tenebris non latuiſſe ſuis.

HEIDELBERGA, Urbs Germ. Comitum Palatinorum Rheni ſedes, ad Neccarum fluv. ſita: Ptol. ut putatur, *Budoris*. Cum caſtro probè munito in colle. Nomen oppido datum exiſtimant à Gentium colonia, quæ ante multos annos hìc habitaſſe, multis indiciis convincuntur. Vocant enim Germani gentilem hominem *Heiden*, vel à nigrorum vacciniorum, Teutonicè *Heidelbeer*, multitudine. Olim Vangionum imperio ſubdita fuit. Solum habet terrum omnium ferax. Eſt & florentiſſima ibi Academia à Ruperto Palatino inſtituta & multis privilegiis donata, A. C. 1346. Mirſilius d'Ingen, Ultrajectinus primus ibi Rector fuit. Bertius, *l. 3. Rer. Germ.* F. Irenicus, &c. Vulgò *Heydelberg*. In confinio ſita eſt Sueviæ, à qua vix quatuor leucis abeſt, ſicuti 3. à Spira in Cæciam, eſtque magnifica ſatis & elegans, cum ponte ligneo ad Neccarum, Baudr. Expugnata aliquoties bello Germanico, in antiquum decus, poſt pacem A. C. 1649. factam in dies magis magiſque rediit. Hìc cùm Tilemannus Heshuſius Paſtor, cui ſe Vilhelmus Klebitius oppoſuit, controverſias Sacramentales A. C. 1561. excitaſſet: Fridericus III. Elector, Eccleſiæ conſulturus, utrumque honeſtè dimiſit: Diſputationem dein inter Theologos ſuos & Thuringiacos inſtituit, quorum hos audaciâ & loquentiâ, illos modeſtiâ & ſolidâ veritatis ſimplicis aſſertione eſſe ſuperiores judicavit, atque, ut ſchiſma tolleretur, hypotypoſin doctrinæ, quæ *Catecheſis Heidelbergenſis* dicta, conſcribi ac publicari juſſit. Quam cùm Heshuſius, Flaccius, alii, rurſus impeterent, Colloquium Mulbrunenſe inſtitutum eſt, A. C. 1564. Poſtmodum A. C. 1617. jubileum ibidem celebratum, Deoque ſolennes gratiæ actæ ſunt, pro accenſa Evangelii luce: diſputatio quoque celebris inter alia à Davide Pareo magnæ famæ Theologo publicè habita eſt: de qua vide Lætum *Comp. Hiſt. Univ.* *Jam* verò *campus, ubi Troja fuit*, ab A. C. 1693. Cæterùm hinc nomen Fam. *Heidelbergenſis* Electoralis Palatinæ, cujus auctor fuit Fridericus, fil. Stephani Com. Palatini Rheni, Extincti A. C. 1445. & communis omnium, quotquot in parte Palatina ſuperſunt, genitoris: frater Ludovici, à quo reliquæ lineæ, *Bipontina* inprimis ac *Lucelſteina* ſive *Lautereccia* ſeu *Veldentia*. Et quidem nactus is *Simmerenſem Principatum*, pater fuit ex Margaretha Egmondana, Arnoldi Ducis Geldriæ filia, Joh. I. qui Extinctus A. C. 1509. ex Johanna Saræpontana, filia Joh. Com. Naſſovii, reliquit Joh. II. Com. Palatinum Rheni *in Simmeren*, Extinctum A. C. 1557. quo & Beatrice Badenſi, nat. Fridericus III. Elector Obiit A. C. 1576. genuitque ex Maria Brandenburgica, filia Caſimiri Marchionis, Ludovicum Electorem, qui Deceſſit A. C. 1583. Hoc & Eliſabethâ Haſſiacâ (fil. Vilhelmo geniti Philippi Landgravii) genitus Fridericus IV. Elector, Deceſſit A. C. 1610. ex Luiſa Juliana Naſſovia, filia Vilhelmi Naſſovii Principis Arauſionenſis, relicto Friderico V. Electore & Bohemiæ Rege Defuncto A. C. 1632. Huic Eliſabetha Anglica (filia Jacobi M. Britanniæ Regis, Extincta A. C. 1662.) genuit Henricum Fridericum (A. C. 1614. θ. A. C. 1629.) Carolum Ludovicum (A. C. 1617. maritum Carolæ Haſſiacæ) Eliſabetham (A. C. 1618.) Robertum (A C. 1619.) Mauritium (nat. A. C. 1621. θ, . .) Luiſam Hollandinam Monialem (A. C. 1622.) Ludovicum (A. C. 1623. θ. A. C. 1625.) Edoardum (A. C. 1624. maritum Annæ Gonzageæ Niverniæ, Defunctum A. C. 166 . .) Henricam (A. C. 1626. nuptam Sigiſmundo Rakozio Tranſylv. Principi, Def. A. C. 1651.) Philippum (A. C. 1627. θ. A. C. 1650.) Carolum (A. C. 1628. θ. A. C. 1631.) Sophiam (A. C. 1630. ux. Ern. Aug. Duc. Brunſvic. & Luneb.) & Guſtavum (qui nat. A. C. 1632. Deceſſit A. C. 1646.) *Omnes Comites Palatinos ad Rhenum* &c. *Lineæ Electoralis ſive Heidelbergenſis*. E' quibus Carolus Ludovicus Elector, ex uxore, Pater eſt Caroli, nat. A. C. 1651. & Eliſabethæ Carolæ, nat. A. C. 1652. quorum ille uxorem habet Vilhelminam Erneſtinam Chriſtiani V. hodierni Daniæ Regis ſororem; iſta Philippo Duci Aurelianenſi, Ludovici XIII. Gall. Regis fratri unico nupſit. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Eur. Part. I. p.* 142. & 162.

HEIDENHEMIUM, Dynaſtia in Ducatu Wittembergico. Hæc ad Helenſtenios & *Heidenhemios* Barones quondam pertinúit; quorum fam. in Degenhardo Præſule Auguſtano, A. C. 1307. Extincta, ad Helfenſtenios pignoris jure; inde ad Bavaros, migravit. Eam poſtea emit Ulricus Adamatus Wirtembergius, A. C. 1350. At iſte, ab Imp. proſcriptus, atque hujus in gratiam hoſtilia ab Ulrico paſſus, armis eam rurſus occupavit. Recepit quidem illius nepos, cui Ulrici itidem nomen, ab Alberto Bavaro, ob præſtitam adverſùs Palatinos egregiam operam: ſed rediit ad Bavaros, poſt cladem à Winarienſibus & Suecis ad Nordlingam acceptam, non niſi Pacis Weſtphalicæ beneficio, ad Wirtembergicos Principes reverſa, Tob. Pfanner. *de præc. Germ. Pr. gent. c.* 7.

HEIDEOTI, factio quædam in urbe Leodienſi, de qua Magnum *Chron.* Belg. A. C. 1403. *Cœpêrunt certi cives Leodienſes, qui ſeipſos nominabant* Heideotos (*quod interpretantur multi de Gallico in Latinum, Oſores Juſtitiæ*) *rebellare D. Iohanni de Bavaria Electo Leodienſi.* Suffridus Petri *in eodem Joh. c.* 4. *Hedrotios* appellat, ubi illos ſic vocatos addit, *ob effrænem linguæ petulantiam, quâ ſine pudore legitimis Magiſtratibus, ad captandam auram popularem, obtrudebant*, apud C. du Freſne *in Gloſſ.*

HEIDESHEMIA Fam. in Germ. illuſtris, ramus eſt Leiningenſium Comitum ſtirpis. Mortuo enim Emicone, Catharinæ Naſſoviæ marito, A. C. 1541. qui omnium, quotquot hodie in Fam. Leiningenſi Dagsburgica ſuperſunt, pater extitit: major ejus natu fil. Joh. Philippus Hartenburgicam lineam, minor Emico *Dagsburgico-Falckenburgiam*, orſi ſunt; cujus poſterioris ſurculi ſunt *Heideshemius*, & *Falckenburgius* ſeu *Dagsburgius*. Et quidem priorem quod attinet, Emico modò memoratus, cogn. *Senior*, Com. *in Leiningen & Dagsburg*, Extinctus A. C. 1593. ex Urſula Fleckenſtenia, fil. Joh. Ludovicum Com. Leining. & Dagsburg. *in Heydesheim* reliquit, qui Obiit A. C. 1625. Eo, & Mariâ Catharinâ Com. Sulzenſi, genitus Emico, Defunctus A. C. 1658. ex Chriſtina Solmenſi (filia Alberti Othonis Com.) ſuſcepit Fridericum Emiconem (nat. & θ. A. C. 1634.) & Georgium Vilhelmum (nat. A. C. 1638. maritum Annæ Eliſabethæ Falckenſteniæ) Ex altera verò conjuge, Dorothea Waldeccia, ſorore Philippi Comitis, nati ei ſunt Emico Chriſtianus A. C. 1642. qui Luiſam Chriſtinam Com. Falckenſteniam ſibi junxit: Joh. Ludovicus, A. C. 1643. Beatrix Eliſabetha (nat. & θ. A. C. 1644.) Alexandra Juliana (nat. A. C. 1521. uxor Georgii Haſſiæ Landgravii) & Anna Eleonora poſthuma, quæ Deceſſit A. C. 1661. omnes *Comites Leiningenſes & Dagsburg. lineæ Heideshemiæ*. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. P. I. p.* 102. & *P. II. p.* 84.

HEILBRONNA, vide *Hailbronna*.

HEILIGENBERGA, vulgò HEILIGENBERG, locus Germ. ſup. ſub Comite proprio, ex Fam. Furſtenbergica: cujus quantum nunc ſupereſt, dividitur in ramum *Heiligenbergo-Werdenbergium & Blombergium*, qui iterum in *Meſkirchium & Stulingenſem* diſpeſcitur. Et quidem priorem quod concernit, auctor ejus eſt Joachimus Comes, fil. Friderici, Extincti A. C. 1559. ex Anna Werdenbergica (filia Chriſtophori, Com. *Werdenbergici & Heiligenberg.*) frater Chriſtophori, qui Blombergium ramum inchoavit. Habuit Joachimus is in matrimonio Annam *de Zimberen* (Frobenii Chriſtophori Com. filiam) & Extinctus A. C. 1598. reliquit fil. Fridericum, ex Eliſabetha Sultzia, patrem Egonis: quo, & Annâ Mariâ Zolleranâ, complures liberi orti ſunt, ut videre eſt ſuprà, ubi de Fam. *Furſtenbergia*. Vide Phil. Jac. Spener. *ibid. Part. I. p.* 4.

HEILSBERGA, opp. Pruſſiæ reg. cum arce ad fluv. *Alle*, ubi ſedes Ep. Varmienſis. Condita eſt A. C. 1240. 8. mill. à Regiomonte in Mer.

HEINIUS Petrus, Belgarum fœderatorum Archithalaſſus, debellavit A. C. 1628. Hiſpanorum claſſem argentiferam ad portum Mantacæum: in qua præter alias merces argenti partim cuſi, partim in laminas fuſi, inerant 46. onera, i. e. tonnæ auri 300. Undè inter Hiſpanos diſſidium, militum querelæ, jactura Veſaliæ, Sylvæ Ducis, Duisburgi, Rhurortæ, Eſſenæ, Trajecti ad Moſam, &c. Occubuit A. C. 1630. in conflictu Dunkerkano, victor. Lætus *Comp. Hiſt. Univ.* Vide & *Petrus*.

HEINSIUS Daniel, S. Marci Eques, Politices & Hiſtoriarum, in Acad. Lugduno-Batava Profeſſor clariſſimus. Natus Gandavi A. C. 1580. ſtirpe Conſulari, inter maximos Reip. Belgicæ fluctus per multa dura & aſpera jactatus, vix triennis, patriâ extorris fuit, *Fortunæ privignum* ſe hinc vocare ſolitus: Hagæ Comitis initiis literarum jactis, inde in Zelandiam abiit, breviq́ue tantum profecit, ut decimo ætatis anno commilitoni ſuo venuſtâ parentaverit elegiâ, cujus ultimum diſtichon:

Qui nondum undecimum vidi tranſire decembrem,
Hæc ego de puero carmina canto puer.

Poſt hæc, ſeverioribus ſtudiis deſtinatus, Franequeræ Henricum Scotanum audiit: Græcæ quoque & omnigenæ literaturæ amore flagrans, Joſephum Scalig. Lugduni Bat. ἐργοδιώκτην habuit, in principatu literarum ejus poſtea ſucceſſor. Sic famâ quotidie creſcente, Anno Æt. 18. publicè primùm Latinos, dein Græcos Auctores profeſſus eſt, ultimò Politices & Hiſtoriarum Profeſſionem ſuſcepit: queis & Secretarii Acad. & Bibliothecarii nobile munus acceſſit. A' Guſtavo poſthæc Adolpho Sueciæ Rege in Conſiliariorum numerum aſcitus & à Sereniſſ. Venetorum Rep. Equeſtri D. Marci dignitate ornatus, ipſum Urbanum VIII. Pontif. Rom. eruditionis ſuæ admiratorem habuit, ampliſſimo honorario Romam, ut eam à barbarie vindicaret, invitatus. Obiit A. C. 1655. Pater Nicolai. Ejus prodiêre *poëmata*, *Notæ in N. T.* &c. Vide Ant. Thyſ. *Or. fun.*

HEINSIUS Simon, cogn. *Pontanus*, quòd in opp. *Bruck* prope Wittebergam natus eſſet, frater Gregorii JC. & Cancellarii Saxonici, Eccleſiaſtes Wittebergæ, cùm ob morbum concionari aliquandiu non poſſet, Lutheri vicaria opera uſus eſt, A. C. 1516. Obiit A. C. 1522. Joh. Bugenhagio Pomerano ſucceſſore. Melch. Adam. *Vit. Theolog.*

HEL, vel BEL, commune omnium ferè olim Orientalium gentium Numen, *Sol*: in unaquaque autem urbe peculiare cognomen habebat; ut Emiſſenorum *Elagabalus*. Palmyrenorum *Malchbelus* & *Aglibolus*, Perſarum *Mithres*, Babyloniorum *Belus* &c. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aurel.*

HELA, regiuncula Aſiæ, Attali Regis emporium. *Steph.*

HELA, ſeu HEILA, oppid. Pruſſiæ reg. ad apicem ſinus *Pautzerwick*, mari Balt. circumdatum maj. ex parte, A. C. 1572. incendio conflagravit, poſtea utcunque reparatum. 4. mill. Germ. à Gedano in Bor.

HELAM, civ. haud procul à Jordane. Eſr. *c.* 2. *v.* 7. 2. Sam. *c.* 10. *v.* 16. & 17. In tribu Benjam.

HELBA, civ. tribûs Aſer. Lat. *lac*, ſive *adeps*, aut *manſit in ea*, ſive *principium*, vel *dolor in ea*. Jud. *c.* 1. *v.* 31.

HELBESUS, nomen fontis & fluvii, in Sicilia. Solin. *c.* 5. *Apud Segeſtanos* Helbeſus *in medio flumine ſubitâ exæſtuatione fervet.* Ubi de aquis calidis Segeſtanis loqui videtur, quæ Αἰγεςαῖα ὕδατα Strab. Ἐγεςαῖα Diod. Sic. & Philoni apud Steph. dicuntur. *Helbeſi* verò, præter Solin. in Segeſtano agro, nemo meminit, Salmaſ. *ad eum p.* 111.

HELCATH, vel HALCATH, civ. tribûs Aſer, data Levitis. Joſ. *c.* 21. *v.* 31. i. e. *portio*, *pars*, aut *lenitas*.

HELCESAITÆ, Hæretici, à Magiſtro ſuo *Elxai*, qui Trajani principatu extitit, hanc accepêrunt traditionem, ut tempore perſecutionis idola adorarent, fidemque ſuam ore negarent; hoc enim peccatum non eſſe, dummodo ex animo id non facerent. Iidem, inter alia, in aquarum cultu Ægyptios imitabantur &c. Vide Euſeb. *Hiſt. Eccl. l.* 6. *c.* 31. Epiphan. *Hæreſi* 19. Auguſt. *Hær.* 10. ut & in voce *Elceſaitæ*.

HELCI, nomen viri. Neh. *c.* 12. *v.* 15.

HELCIA, pater Eliacim. 2. Reg. *c.* 18. *v.* 18. Jſa. *c.* 22. *v.* 20. Nomen Sacerdotis. 2. Reg. *c.* 22. *v.* 4. Pater Jeremiæ, Jer. *c.* 1. *v.* 1. 1. Par. *c.* 6. *v.* 13. Neh. *c.* 12. *v.* 7.

HELCIARII, apud Mart. *l.* 4. *Epigr.* 63. cujus Epigraphe de Hortis Martialis *v.* 21.

Quem (ſomnum) *nec rumpere nauticum celeuma,*
Nec clamor valet Helciariorum.

Sunt qui navem adverſo flumine, vel qui navis anchoram ſeu grave aliud pondus, uno connixu & mutuo hortatu, moliantur. Ab ἕλκω, *traho*; unde *Helcium*, apud Appulej. *Met. l.* 9. funis, quo equi currus oneraque trahunt, atque hinc *helciarii equi* quoque. Gerh. Joh. Voſſ. *Etymologic.* Vide quoque de *Helciariis Servis* Tit. Popmam *de Operis Serv.* ut & infrà *Taxo*, cujus pelle equorum helcia obtegi notum. Addo, *Helcia aurea*, pennis aquilinis nigris curvatis ornata, in apice, in rubeo ſolo, occurrere inter Inſignia Comitum Herberſteniorum, Germ. *ein Roſskumet*, al. Latinis, *Jugum Equinum*, ſeu *Equeſtre*: quod Güntherus Herberſteinius à materno ſuo avo Günthero *ab Haag*, in quo nomen id & genus defecit, acceptum, Principis auctoritate, ad familiam ſuam tranſtulit. *Duo verò hujuſmodi Jugi ligna* (Germ. *Kumet-höltzer*) ex auro, in area itidem rubea, Com. & Baronum de Pötting, in Auſtria, gentilis teſſera eſt, Phil. Jac. Spener. *Art. Herald. Part. II.*

HELDEBALDUS, Præfectus Veronæ, Rex Gothorum electus eſt, capto à Beliſario Vitige, Ravennæ A. C. 540. paulò poſt à Vila Gepida interemptus. Procop. *de bello Goth.*

HELDONA, fluv. Galliæ, in Normannia, cis Sequanam, aliàs *Elna* atque *Alna*, undè Novavilla ſuper Alnam, prope Albammarlam: Accolis *Eaune*, nonnunquam *Yaune*: Alluit Mortuum mare *Mortemer ſur Eaune*; Heldonam vel Elnam locum fluvio cogn. Vicum S. Germanni *S. Germain*, Profundam vallem *Parfondeval*, Longum denarium *Longdenier*, Albertivillam *Auberville*, Ebrardi Manſionile *Euvermeſnil*, Martini Eccleſiam *Martinleglije*, vulgò *Martenglije*, demumque infra Arcas ad vicum Butilam *Bouteille*, Deppâ flumine accipitur, mox apud Deppam portum & opp. clarum in Oceanum intraturo, Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* in voce *Caleti*.

HELEB, civ. terminus tr. Nephthalim. Joſ. *c.* 19. *v.* 33.

HELEC, fil. Galaad, fil. Machir, fil. Manaſſe, Num. *c.* 26. *v.* 30. Joſ. *c.* 17. *v.* 2.

HELED, fil. Baana. 2. Sam. *c.* 23. *v.* 28. i. e. *orbis*, *muſtela*, aut Syriacè *rubigo*.

HELELLUS, vulgò ILL, fluv. Germ. Oritur prope Ferretam, in Suntgoja; dein per Alſatiam ſup. labens, Mulhuſium, Enſishemium, Colmariam, Seleſtadium & Benofeldam rigat, cum Argentina, infra quam Rheno miſcetur. Hinc vico *Helello* nomen: de qua voce vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* & Cl. Ottonem *Notis ad B. Rhenan. Rer. Germ. Nov-Antiqq. l.* 3. nec non ſuprà in voce *Elceb.*

HELEM, nomen viri. 1. Par. *c.* 7. *v.* 35. Lat. *ſomnians*, aut *ſanans*, ſive *expectatio*, vel *dolor eorum*. Zach. *c.* 6. *v.* 14.

HELEMAIDA, urbs. Joſ. *c.* 12.

HELENA, filia Jovis, ex Leda Tyndari Laconiæ Regis uxore, quæ à Jove, in Cycni formam tranſmutato, compreſſa, duo peperit ova, ex quorum altero Helena & Pollux, ex altero Caſtor & Clytemneſtra excluſi fuêrunt. Ex his Helena, cùm cæteris ſuæ ætatis feminis formæ elegantiâ præſtaret, à Theſeo rapta eſt adhuc virguncula, non multò tamen pòſt Caſtori & Polluci fratribus eam repetentibus citra injuriam reſtituta eſt, & Menelao uxor tradita, cui & Hermionem filiam peperit. Poſthæc famâ pulchritudinis ejus illectus Paris, contractis aliquot navibus, in Græciam ſeſe contulit; ubi à Menelao hoſpitio exceptus clam ſe in amorem Helenæ inſinuavit, tandemque abſente conjuge, eam rapuit, & in patriam abduxit. Quâ tam inſigni injuriâ commoti Græcorum principes, de bello Trojanis inferendo in Aulide Bœotiæ conjurarunt. Nec multo pòſt mille contractis navibus in Aſiam trajecêrunt, multiſque expugnatis oppidis, tandem Ilium obſedêrunt. Quo in bello cùm Paris occubuiſſet, Helena Deiphobo fratri ejus nupſit. Verùm cùm eo jam res rediiſſet, ut Græci armis diffidentes, ad dolum ſe converterent, Helena quoque proditionis particeps fuiſſe putatur, & facem (quod ſignum aggrediundi negotii inter ipſam, & Græcos convenerat) ex arce ſuſtulit, captâque jam urbe Menelaum in Deiphobi cubiculum introduxit. eoque interfecto cum priore viro in gratiam rediit. Plutarch. *in Theſ.* Pauſ. *in Corinth.* Euſeb. *in Chron.* Homer. Virg. Ovid. &c. Nic. Lloyd. Cæterùm, cum Polluce ex ovis prognata dicitur, quia uterque educatus in ſuperiore ædium parte, quæ Lacedæmoniis, uti teſtatur Euſtathius *Odyſſ.* α. vocabatur ὠόν, undè in uſu ὑπερῷον. Ab Ilienſibus pro Dea habita eſt, unâ cum Hectore, ut ex Athenagora diſcimus *Legat. pro Chriſtian.* Ὁ μὲν Ἰλιεὺς θεὸν Ἕκτορα λέγει. καὶ τὴν Ἑλένην Ἀδράστειαν ἐπιστάμενος προσκυνεῖ, quæ verba jam ſuprà adduximus, in voce *Hector*. Alia fuit Helena. Epidauriis culta, de qua ſic Ptol. Hephæſtion *nov. Hiſt. l.* 4. apud Phot. Cod. 90. Ἡ διακονήσασα Ἀφροδίτῃ ἐν τῇ πρὸς Ἄδωνιν ὁμιλίᾳ, ἡ Ἐπιδαμνίου θυγάτηρ, ἣν Ἐπιδαύριοι ἐν Ἀφροδίτης χήματι τιμῶσι, χρήματα λιμώττουσιν ἐπιδιδοῦσαν, *Illa miniſtra Veneris in congreſſu cum Adonide Epidamnii filia, & ab Epidamniis Veneris figura culta, divitias inhiantibus largitur.* Ubi dubitari poſſe ait Voſſ. an non vel priori loco Ἐπιδαυρίου, vel poſteriori Ἐπιδάμνιοι, legi debeat. Namque veriſimile eſt, hanc Helenam filiam fuiſſe ejus, qui urbem ſive Epidamni ſive Epidauri, condidiſſet. Vide eum *de Idol. l.* 1. *c.* 36. quæ hanc in rem adnotavit Caſp. Barth. *ad Æneam Gazæum*, nec non Joh. Meurſ. *ad Lycophr. illud*,

Ποθῶν δὲ φάσμα πτηνὸν εἰς αἰθέρα φυγόν.

Amore ſpectri pervagantis æthera.

Picta porro à variis *Helena* eſt, iiſque excellentiſſimis Artificibus. Plin. *l.* 35 *c.* 3. *Similiter lanuvii ubi Atalanta & Helena cominus pictæ ſunt nudæ ab eodem artifice, utraque excellentiſſimâ formâ, ſed altera ut virgo: ne ruinis quidem Templi concuſſæ. Pontius legatus Caji Principis eas tollere conatus eſt, libidine accenſus, ſi tectorii natura permiſiſſet.* A' Zeuxide inprimis, cujus *Helena* ἑταίρα, *meretrix*, propterea dicta eſt, quòd ex illa pictura ingens feciſset lucrum, Ælian. *Var. Hiſt. l.* 4. *c.* 12. Ab eadem nomen ſideri nautis infauſto, habeturque pro ſigno naufragii, aut tempeſtatis ſaltem ærumnoſæ certiſſimo, cùm flamma illa apparet: ubi contrà ſalutaria ſidera, quæ *Pollucis & Caſtoris* dicunt. Stat. *Theb. l.* 7. *v.* 792.

Scit peritura ratis, cùm jam damnata ſororis
Igne, Therapnæi fugerunt carbaſa fratres.

Cui rei illuſtrandæ vide quæ produxêrunt Hermolaus Barbarus *ad Plin. l.* 2. *c.* 37. M. Ant. Muret. *Var. Lect. l.* 6. *c.* 11. Alii. At Euripid. *Helenæ* ſidus non minùs ſalutiferum agnoſcit in *Oreſte v.* 1637. ubi de Helena à ſe ſervata & aſtris illata ſermocinatus Apollo dicit,

Κάστορί τε Πολυδεύκει τ' ἐν αἰθέρος πτυχαῖς
Σύνθακος ἔσται ναυτίλοις σωτήριος.

Quem cum reliquis omnibus, in contrarium euntibus, quomodo conciliare conetur Barthius, vide hunc *Animadverſ. ad Stat. d. l.* uti de *Helenæ cratere*, inter Veterum celebria, numerato Appulejo *A-polog.* Joh. Meurſ. *Comm. in Lycophr. p.* 264. & 265.

HELENA, Adjabenorùm Regina, tempore famis ab Agabo prædictæ, Hieroſolymæ incolis multum annonæ ſummiſit. Cum fil. Izate Judaïſmum amplexa, ſecundùm Joſeph. *Antiq. l.* 20. *c.* 2. ſecundùm Oroſium verò, Chriſtianiſmum, *l.* 7. *c.* 6. Euſeb. *Hiſt. l.* 2. *c.* 11. Ado *in Chron.* Baron. A. C. 44. Eam grandiori natu filio Monobazo annulum Patris ſignatorium dediſſe, commiſsâ ipſi Reipublicæ adminiſtratione, donec adveniret frater Izates, quem Pater Regni hæredem deſtinaverat, auctor eſt Joſeph. *Antiqq. l.* 20. *c.* 2. Πείθεται τούτοις, dicens, ἡ Ἑλένη καὶ καθίστησι τὸν πρεσβύτερον τῶν παίδων Μονόβαζον βασιλέα, περιθεῖσα τὸ διάδημα καὶ δοῦσα τὸν σημαντῆρα τοῦ πατρὸς δακτύλιον, τήν τε σαμψηρὰν παρ' αὐτοῖς ὀνομαζομένην, διοικεῖν τε τούτοις τὴν βασιλείαν παρῄνεσε, μέχρι τοῦ τὸν ἀδελφὸν παραγενέσθαι. *Paruit his Helena & Proregem conſtituit grandiorem filium Monobazum, impoſito ei diademate & dato Patris annulo ſignatorio, ſimulque ſampſera, ut ipſi vocant: juſſitque eum adminiſtrare Remp. donec frater veniat.* Plerunque enim dominii ac poteſtatis ſymbolum annulum fuiſſe ſignatorium, ſeu ſigillum, notum eſt. Undè & Philippum Macedonem, cùm in Byzantinos moveret, Alexandro filio, decimum ſextum ætatis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

tatis annum agenti, Macedoniæ & ſigilli cum libera poteſtate curam demandaſſe, refert Plutarch. *in Alex.* Et Q. Catulum, cùm nocte quadam poſt dedicatum Capitolium ſomniaſſet, Suet. *in Aug. c.* 94. refert. *Jovem Opt. Max. prætextatis compluribus circum aram ludentibus, unum ſecreviſſe, atque in ejus ſinum ſignum Reip. quod manu geſtaret, repoſuiſſe*, undè conjectura facta, in Auguſti poteſtate fore aliquando Rempublicam. Rectè enim ibi *ſignum Reip.* Iſaac. Caſaub. interpretatur δημοσίαν σφραγῖδα, quâ obſignari ſolita diplomata & quæcunque alia Reip. nomine ſignabantur. Idem de Hadriano memorat Spartian. *a Trajano Imp. extraordinem gemmâ donatum & quidem ea, quæ jam ſemel omen imperii fuerat*, narrans. Ut de Joh. Comneno, patri Alexio jamjam morituro annulum eo fine, ut Imperium ſibi firmaret, dementi, apud *Nicetam*, aliiſque nihil addam. Vide Joh. Kirchmann. Lubec. *de Ann. c.* 22.

HELENA, Cauponaria, Ambroſ. obſcuris natalibus, Eutrop. concubina Conſtantini Chlori, Bedæ. Secundùm alios fil. Coëli M. Britanniæ Regis Nicephoro Bithyna mulier, ex Conſtantino Chloro, mater Conſtantini Mag. à marito repudiata, ut Theodoram ducere poſſet; Filio ad Imperium evecto, ſolemni edicto, Auguſta & Imperatrix appellata, ſacri ærarii curam geſſit, templa extruxit, pauperibus opitulata eſt. Obiit, in amplexu filii Conſtantini, An. Æt. 80. Seculo quarto. Ab illa Drepanum, in Bithynia, Helionopolim, & mare ſupra Bithyniam Helenopontum dictum volunt. Vide præter Scriptores Eccl. Morin. *de liberatione Eccl. & in vita Conſtantini.* Baron. A.C. 306. 315. & 326. &c.

HELENA, filia Conſtantini Mag. uxor Juliani Apoſt. Huic Euſebia, Conſtantii uxor, ſterilitatem potione conciliare conata eſt, & filium ex ea natum, per obſtetricem, necari curavit. Obiit Romæ A. C. 360. Amm. Marcell. *l.* 16. *c.* 10. *l.* 21. *c.* 1. Item uxor Simonis Magi, quam modò *Notionem*, modò *Minervam*, &c. vocabat, mox blaſphemè ipſi plurima tribuebat. Vide Iren. *l.* 1. *c.* 20. Epiphan. *hær.* 21. &c.

HELENA, Muſæi Athenienſis filia, Homero antiquior τὸν Βρακὸν πόλεμον, *Bellum Trojanum*, conſcripſit, à qua & Homerus dicitur, argumentum accepiſſe, καὶ κεκτῆσθαι τὸ δίγλωσσον ἀρνίον, *& bilinguem agnum poſſediſſe*, Photius Cod. CXC. ex *l.* 4. Ptol. Hephæſtionis, apud Joh. Marsham. *Canone Chron. Sec. XV.* ubi *de Heſiodo poeta* agens, recenſet eorum nomina, qui ante Homerum de rebus Belloque Trojano ſcripsêre.

HELENA, vel HELENE, inſ. Atticæ, Plin. *l.* 4. *c.* 12. ad quam appulit Helena, poſt captam Trojam, quæ & *Macris* ob longitudinem dicebatur. Hodie *Macroniſi* Sophiano. Eſt autem una Sporadum Sunio prom. adjacens. Eſt etiam fons in Chio, quo ſe Helena lavit. Steph. Item Pyrenæis montibus vicinum oppid. *Elna* hodie, Vaſæo. In Comit. Ruſcinonenſi, in colle, ad amnem *Tech*, ſub Gallis, ab A. C. 1640. Vix 1. leuc. ab ora maris Mediterr. 3. leuc. Gall. à Perpiniano in Auſtr. Caucoliberim verſus, à quo pari ſpatio diſtat. Baudr. Eſt etiam urbs Bithyniæ Procopio, & in Palæſtina. Utraque ab Helena Conſtantini matre ædificata. Vicus denique Azebatum, apud Sidon. quam nonnulli hodie *Heſdin* vocari exiſtimant. Vide *Hedena.*

HELENIANI Nummi, quorum in Eruditorum gazophylaciis complures, in Franciæ Regis cimeliarchio octo ærei ſervantur, non unius omnino figuræ ac ornatus inſcriptionisque, cui debeant aſcribi, dubitant hujus rei curioſi; Mattine Conſtantini Mag. vel Juliani Parabatæ, vel etiam Criſpi, ſi quæpiam fuit, conjugi. Matrem certè Helenam *Aug.* renuntiatam ejuſque effigie cuſos à Conſtantino aureos nummos, teſtantur Euſeb. *de V. Conſt. l.* 3. *c.* 46. Sozom. *l.* 2. *c.* 11. Niceph. *l.* 8. *c.* 31. & Theophanes *Anno* 20. *Conſtant.* qui monetam ὡς Βασιλίδι attribuiſſe ajunt. Ejuſmodi autem nummos aureos Romæ repertos A. C. 1398 auctor eſt Thom. Walſingham. ſed ii æreis rariores, quorum perindè inſcriptiones atque etiam capitis ornatus, diverſitatem quandam arguunt. Ac binorum quidem, qui hoſce characteres præferunt, FL. HELENA AUGUSTA; in averſa verò facie, SECURITAS REIPUBLICÆ: prior nitidiſſimus, *Helenæ* caput exhibet tectum calyptrâ deſuper reticulatâ & in caſſidis modum protenſâ, quæ aures ipſas & capillos, præterquam quà fronti ſuperfunduntur, abſcondit. Alter eam exprimit, duplici unionum lineâ caput cinctam, crinibus ad autem contractis & collectis, criſpatis aliis fronti imminentibus, uti fermè omnes alii, ita tamen, ut ſuperior capitis pars perindè tecta videatur; Utrumque vide apud C. du Freſne *in Diſſertat. de Numiſm. inf. ævi*, ut & alios quoſdam, quos ibidem eruditè interpretatur &c. Utcunque verò ſit de nummis hiſce, id conſtat, ex iis inditam à vulgo *Sanctarum Helenarum* appellationem omnibus fermè numiſmatis Auguſtorum CP. ævi inf. maximeque iis, quos ejuſmodi rerum ſtudioſi, propter formatos malè characteres aut vultus ipſos, vel quòd nihil exquiſitum contineant, ſolent aſpernari. Fortè, quòd non *Helenæ* duntaxat, ut Divis aſcriptæ, imagines, ſed & crucigeros omnes nummos, ſacri phylacterii aut encolpii vice ad collum quilibet appenderet; undè nummi hujuſmodi plerunque videntur perforati: quod quidem etiam ante Conſtantinum obtinuiſſe obſervavit *in Anaſtaſi* Chiffletius; tametſi id potiſſimum tum primùm profluxiſſe cenſendum eſt, ex nummis *Helenæ*, Romæ in ejus theſauro inventis, vide ſuprà; quæ fortaſſis Pontifex diſtribuerit, ut feminæ de Eccleſia bene meritæ. Sed ex pecunia illa reperta, Pontificem *Capitolium readificari & Caſtellum S. Angeli*, curaviſſe, refert Walſingham *p.* 356. Quod autem harum *S. Helenæ* monetarum vim mirè commendat Ant. Boſ. atque præſens eſſe adverſùs Comitialem morbum remedium, ait, ipſi relinquimus. Vide præfatum C. du Freſne *n.* 69.

HELENIUS, Inſ. parva ſeu locus juxta Canopum. Steph. Al. *Helenum.*

HELENOPOLIS, vide *Francofortum.*

HELENOPONTUS & HELLENOPONTUS, reg. Bithyniæ, *Pontus* Ptol. inter Bithyniam & Paphlagon. ad mare Euxinum. Sed in libro Concil. latius patet. *Ferrar.*

HELENUS, fil. Priami ex Hecuba, vaticinio clarus, quem quidam ob id à Græcis ſervatum dicunt, quòd loca opportuna ad capiendam patriam ipſis indicaſſet. Quin etiam, everſo Ilio, Pyrrhum à navigatione prohibuit, cæteris abeuntibus naufragium prædixit. Quamobrem non ſolùm à Pyrrho ſervatus, verùm etiam liberaliter habitus eſt: Quumque ille Oreſti Hermionem eripuiſſet, Andromachen, quam antea juſtæ uxoris loco habuerat, Heleno conceſſit, adjectâ etiam regni parte, quam Helenus, de fratris ſui nomine, Chaoniam appellavit, ubi & orbem, ad ſimilitudinem Trojæ, condidit, in qua profugum Æneam hoſpitio ſuſcepit. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 346. 369, 559. & 712. Item *Helenus*, fil. Dioclis, Sicambrorum Rex, qui ob inertiam regno ſe abdicare coactus eſt.

HELEPH, nomen civitatis, *Joſ. c.* 29. *v.* 33. in tribu Benjamin, terminus Nephthali.

HELEPOLIS, vox Græca, παρὰ τὸ ἑλεῖν τὰς πόλεις, i. e. *à capiendo urbes*, machinam militarem ingentis molis ſignificat, quâ loco arietum jam crebritate ſuâ deſpectorum, Demetrius Antigoni fil. feliciter uſus, Rhodo aliiſque urbibus ejus operâ expugnatis, *Poliorcetes* appellatus eſt, i. e. *Urbium expugnator.* Extructa erat hoc modo: Teſtudo compaginabatur immanis, axibus roborata longiſſimis, ferreiſque clavis aptata & contegebatur coriis bubulis, virgarumque recenti textura, atque limo ejus ſuprema adſpergebantur, ut flammeos detrectaret & miſſiles caſus. Conſerebantur autem ejus frontalibus triſulcæ cuſpides præacutæ ponderibus ferreis graves, qualia nobis Pictores oſtendunt fulmina vel Fictores, ut, quidquid petiiſſet, aculeis exertis abrumperet. Hanc ita validam molem, rotis & funibus regens numeroſus intrinſecus miles, languidiori murorum parti viribus admovebat concitis: & niſi deſuper propugnantium valebant vires, colliſis parietibus aditus patefaciebat ingentes, Amm. Marcell. *l.* 23. *c.* 3. In Argivæ urbis oppugnatione, cùm Demetrii milites, ob immenſam ponderis gravitatem, muris eam applicare non poſſent, accerſitus Herodorus Megarenſis, qui tubis ſimul duabus adeò violenter uti ſolebat, ut quàm latiſſimè exaudiretur, ſono illarum torpentes excitavit, ut velut adjuti, præter omnem ſpem, machinam, quam priùs nullâ ratione admovere poterant, urbi facilè admoverint, eamque expugnaverint. Vide Leon. Tho. *l.* 3. *c.* 2.

HELERNI Lucus, circa urbem Romam & Tiberim fluv. erat. Ovid. *Faſt. l.* 6. *v.* 105.

Adjacet antiquus Tiberino lucus Helerni.

HELES, nomen viri. 2. Sam. *c.* 23. *v.* 26.

HELEUTERI, pop. Celtarum, Cadurcis proximi, Cæſari; quorum opp. *Orillac* urbi S. Flori propinquum. Celticâ linguâ *Hellbüter.* Aliis fuêrunt, ubi nunc tractus Albigenſis. *Baudr.*

HELFENSTENIUM, vulgò HELFFENSTENIUM, caſtrum Germ. in Suevia, ſub proprio olim Comite: quorum fam. inter Sueviæ Comites, antiquitate & ſplendore ſemper ex præcipuis fuit. Primum eorum titulum volunt nonnulli fuiſſe, Com. *von der Fels.* Originem eorum aliqui adſcribunt veteri Guelforum ſanguini; & nominatim Eticoni Iſenbrandi Com. Altorfii fratri, ac XII. celeberrimorum Guelforum patruo. Alii propinquiorem ortum oſtendiſse contenti, eos ex Dilingenſibus Comitibus derivant. In his enim Ulricus Ep. Auguſtanus fratrem habuit ex Hugobaldo Patre Burchardum, caſtri præfati, atque ita hujus domus, cui indè *Helfenſteniæ* nomen, conditorem: à quo dein reliqui Comites hujus nominis ſunt orti. Qui, quamvis, Comitatus aliquot partibus venditis, ipſi diminuere gentis ſplendorem viſi ſunt, non tamen minùs inter illuſtriſſimas ſtirpes perrexit cenſeri; & dein Gundelfingenſis hæreditas acceſſit. Sup. ſec. in Ulrici & Catharinæ Sonnenbergiæ filiis Georgio atque Ulrico duo rami *Meßkirchius & Wieſenſteigius* in diverſum ire cœpêre. Sed intra anni ſpatium utriuſque maſculi defecêre, A. C. 1626. Habuit verò Georgius præfatus *Com. de Helfenſtein & Meßkirch* conjugem Apolloniam *de Zimberen*, filiam Frobenii Chriſtophori Com. & Extinctus A.C. 1573. fil. reliquit Georgium Frobenium, Defunctum A. C. 1622. Quo & Mariâ *Helfenſtenia* lineæ *Wieſenſtieg*, filiâ Rudolphi Com. nati ſunt Georgius Vilhelmus (qui Obiit A. C. 1626. mar. Sibyllæ filiæ Joh. Com. *de Hohenzollern*) & Johanna (uxor Vratislai Com. Furſtenbergici, Extincta A. C. 1629.) *Comites Helfenſtenii* &c. ultimi *lineæ Meßkirchiæ.* At Ulricus, Georgii frater, Catharinâ ſibi Montfortiâ (filiâ Hugonis Comitis) junctâ, Rudolphum I. genuit, Annæ Mariæ Lib. Baron, *de Stauffen*, maritum & patrem Rudolph. II. ultimi è totius ſtirpis maſculis, A. C. 1626. Demortui. Liberi enim ejus, ex Eleonora Furſtenbergia (filia Joachimi Comitis, quæ vitam produxit uſque ad A. C. 1650.) Henricus Fridericus (nat. A. C. 1605. Den. A. C. 1606.) Julius (nat. A. C. 1606. θ. A. C. 1607.) Henricus (nat. A. C. 1607. Den. A. C. 1626.) Maria Magdalena (nat. A. C. 1609. Den. A. C. 1618.) Anna Catharina (nat. & Den. A. C 1611.) Maria Johanna (nat. A. C. 1612. uxor primò Maximiliani Adami Landgr. Leuchtenbergici: exin Chriſtophori Com. Palatini Rheni *in Birckenfeld*, Den. A. C. 1665.) Iſabella Eleonora (nat. A. C. 1613. nupta Martino Franciſco Com. Oëtingenſi *in Wallerſtein*) Anna Victoria (nat. A. C. 1614. θ. A. C. 1618.) & Franciſca Carlotta (nat. A. C. 1618. ux. Vratislai Com. *de Furſtenberg* θ. A. C. 1641.) ante Patrem, exceptis filiabus aliquot, uti viſum, præpoſtero Fatorum ordine Deceſsêre. In bona quædam ſucceſſêre Bavari: alia (inprimis Meskirchium) occuparunt Furſtenbergii, quibus lis ab *Helfenſteniis* filiabus earumque hæredibus movetur, quæ nec dum deciſa. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobilit. Europ. Part. I. p.* 9. & 20. *ut & Ind.*

HELGALDUS, Monachus Floriacenſis, ſcripſit A.C. 1050. vitam Roberti Galliæ Regis ſeu potiùs prolixam alterius Monachi Hiſtoriam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſtoriam hujus Regis in compendium redegit. Item, vitam Abbonis edidit. Vide Morer. *Dict. Hiſt.*

HELI, nomen ſacerdotis, qui Samuelem unxit in prophetam. 1. Sam. *c.* 1. *v.* 3. Pater item Joſephi mariti B. Mariæ Virginis, Luc. *c.* 3. *v.* 23. Math. *c.* 1. *v.* 3.

HELIA, nomen fam. Rom. ab *Ælia* diverſæ, de qua vide Salmaſ. *ad Æl. Spartian. in Hadr.*

HELIA, inſ. parva Siciliæ apud Drepanum in ora occidua. Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Helia* item Bedæ, & *Elia*, vulgò *Ely*, urbs Angliæ Epiſcopal. ſic ab *anguillis* (quas Angli *Eeles* vocant) dicta, quarum ibi ingens copia, ob multas aquas, quibus, uti inſ. continetur. Cantabrigiæ proxima.

HELIACA Sacra, ab *Helios*, ex Græco Ἥλιος, ſicut *Perſica*, à *Perſes*, apud Salmaſ. *ad Lamprid. in Comm.*

HELIADES, filiæ Solis, & Clymenes, ſorores Phaëthontis, quarum duæ *Lampetie* & *Phaetuſa* Ovid. *Met. l.* 2. *v.* 341. 346. & 381. & *l.* 10. *v.* 91. dicuntur. A Patre *Sole* ſic dictæ. Ἥλιος enim *ſol* Græcis dicitur. Hæ cùm juxta Padum mortem fratris inſolabiliter deflerent, in alnos verſæ ſunt, electrum lacrymantes. Vocantur & *Phaetontiades*. Virg. *Eclog.* 6. *v.* 62.

> *Tum* Phaëtoniadas *muſco circumdat amara.*
> *Corticis, atque ſolo proceras erigit alnos.*

Alii in populos mutatas fuiſſe volunt. Mart. *l.* 4. *Epigr.* 59. cujus Epigraphe de vipero electro incluſa.

> *Flentibus* Heliadum *ramis dum vipera ſerpit,*
> *Fluxit in obſtantem ſuccina gemma feram.*

Indè ponitur pro Electro. Idem ibid. *Epigr.* 32. cujus Epigraphe de ape electro incluſa.

> *Et latet & lucet* Phaëtontide *condita guttâ.*

Idem *l.* 9. *Epigr.* 14. cujus Epigraphe de Earino Domitiani.

> *Gemma quod* Heliadum *pollice trita notet.*

Juv. *Sat.* 5. *l.* 1. *v.* 37.

> —— *Ipſe capaces*
> Heliadum *cruſtas*, &c.

i. e. phialas ex electro factas. Diod. Sic. alias Heliades habet, *l.* 5. *Nic. Lloydius.*

HELIÆA, Judicium Athenienſium maximum, cujus Judices *Heliaſtæ*. Sic dictum, quòd ſub Dio ſit, & in Sole conſideant Judices. Vide Petit. Comm. *in Leg. Attic.* Vide hic infrà.

HELIASTÆ, Judices erant numero 500. apud Athenienſes. Pollux, ἡ Ἡλιαία δὲ πεντακοσίων, dicti ab *Heliæa*, Foro primo ac celeberrimo ex ſex illis, ἐν οἷς τὸ πλεῖον περὶ δημοσίων πραγμάτων, *in quibus cauſas diſceptabant civiles*, vide ſuprà in voce *Dicaſterium*. Idem Forum ſeu Tribunal maximum horum erat, non quidem Judicum numero, nam par ille fuiſſe videtur ſaltem in duobus aliis: (Cùm enim fieret aliquando, ut duorum Tribunalium Judices coirent ad jus dicendum, fiebant mille Judices, Demoſth. *in Timocratea*: imò cùm tria convenirent, mille quingenti fuêre. Dinarch. ἐν τῷ κατὰ Δημοσθένους) ſed quia longè plures gravioresque lites & cauſæ in eo dijudicabantur: itaque nemo non optabat ſorte ad hoc Tribunal legi. Poſtquam autem hoc modo *Heliaſtæ* lecti ſunt, Jusjurandum ſolenne præſtitêrunt, cujus Latinè formula ſic habet: *Sententiam feram ſecundum Leges & Populi Athenienſis ſcita & Quingentorum Senatusconſulta. Tyrannum aut paucorum dominatum meo calculo non approbabo: Neque ſi quis popularem Athenienſium ſtatum evertere conetur, aut dicat aut decernat adversùs hæc, aſſenſum præbebo, neque novas tabulas fieri, aut agrum domosque populi Athenienſis dividi patiar. Exules non reſtituam, neque capitis damnatos: neque eos, qui urbem incolunt, eâ pellam, adversùs Leges receptas & populi Athenienſis ſcita Senatusque conſulta, neque quenquam alium id aggredi ſinam. Neminem Magiſtratum gerere ſinam, qui rationes alterius à ſe geſti Magiſtratus non retulerit, ſive ſit è Novemviris, ſive Hieromnemon, ſive quis alius eorum, qui eodem cum Novemviris die Magiſtratus ſortiuntur, ſive Præco, ſive Legatus, ſive Aſſeſſor: neque eundem bis in eodem Magiſtratu eſſe, aut duos Magiſtratus gerere eodem anno. Munera non accipiam propterea quòd judex in Heliæa ſedeo, non ego ipſe, neque alter mihi, neque ullus me conſcio, nullâ arte, nullâ fraude. Non ſum minor annis triginta. Utramque partem audiam ex æquo. Sententiam feram de ea re, de qua inſtituta erit actio. Jovem, Neptunum, Cererem vindices teſtor, imprecorque exitium ipſe mihi & familiæ meæ, ſi quid horum non obſervavero: ſi fidem contra datam libero, omnia proſpera atque fauſta*, vide Demoſthenem *in Timocratea*. Cæterorùm Judicum, qui in aliis Tribunalibus jus erant dicturi, paullo diverſum juramentum erat, quanquam certum eſt, multa fuiſſe omnibus Judicibus communia, in quæ jurabant omnes: In his inprimis Kaput iſtud, quod poſt exactos triginta Tyrannos adſcriptum fuit habeturque apud Andocidem ἐν τῷ περὶ τῶν Μυστηρίων, his verbis: Καὶ οὐ μνησικακήσω οὐδὲ ἄλλῳ πείσομαι, ψηφιοῦμαι δὲ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους. *Neque præteritorum in malum meminero, neque alteri meminenti aſſenſum præbebo: ſed ſententiam feram ſecundùm receptas Leges.* Fuêrunt tamen *Heliaſtarum* quædam propria, ut quæ de Magiſtratibus dicuntur: Namque Magiſtratus à Judicibus approbabantur & non niſi probati Magiſtratum gerebant, fiebatque eorum δοκιμασία, antequam munus ſuum adirent, in *Heliæa*. Vide Sam. Petit. *Comm. in Leges Attic. l.* 4. *tit.* 1. & infrà in voce *Milites*, ubi etiam horum delicta ab *Heliaſtis* cognoſci conſueviſſe videbimus.

HELICÆ duæ ſpirales, tortuoſis voluminibus ſerpentum gyros ſcitiſſimè mentientes: Organum [illegible] tympano animatum, omnis generis avium concentum edens & ſphæricum globulum in medio aëre continuò venti impulſu vacillantem ſuſtinens, *in Muſeo* Kircheriano Romæ. Vide Georg. de Sepibus *in C[illegible] R[illegible]* *Jeſu Muſeo p.* 2. *Helicum* autem inventorem Per[illegible], Dæmonas propterea propitiaſſe, habes apud Diog. Laërt. De *Helice* [illegible] Archimedis, vide aliquid infrà, ubi de *Nautica arte*.

HELICE, Græcè dicitur, quæ nobis *Urſa major*, ἀπὸ τῆς [illegible], i.e. *à circumvolutione*, quòd diei noctisque ſpatio circum polum arcticum vertatur. Lucan. Civ. Bell. *l.* 2. *v.* 237.

> *Parrhaſis obliquos* Helice *cum verteret axes.*

Vide *Cynoſura*. De utraque ſic miſcr. Duæ Urſæ, in Aquilonari reg. elucent, quarum *Cynoſura* minor eſt, ſic dicta, quòd canis caudæ inflexæ ſimilis ſit. *Helice* verò major, à circumvolutione nomen ſortita eſt. Aliis ab Helice, Theſſaliæ vel Pelopon. opp. Calliſthonem enim Lycaonis Arcadis filiam, à Jove vitiatam & à Junone converſam in urſam, cùm Arcas fil. ſagittis conficere vellet, in ſidus cum ea mutatus eſt & hic Cynoſura, illa verò *Helice* dicitur. Alii Jovis nutrices fuiſſe, dum à Corybantibus cuſtodiretur, fabulantur, atque inde nomina ſideribus facta. Item opp. Achaiæ ad ſinum Criſſeum, maris impetu hauſtum. Plin. *l.* 4. *c.* 5. Ovid. *l.* 15. *Met. v.* 293.

> *Si quæras* Helicen, *& Buran Achaidas urbes,*
> *Invenies ſub aquis.*

Vide Steph. in Ἑλίκη.

HELICES, Feſto *ſulci aquarii ſunt; per quos aqua collecta educitur è liris*; Vitruv. ſpiramina, Græcis ἀναπνοαί: aliter *Elices*, vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Probo*, & infrà in voce, *Nares canalis*. Sed & *Helix*, hederæ genus, vide ubi de *Hedera*.

HELICHRYSUS, memoratus Plin. *l.* 21. *c.* 8. *In nomine & Cyani colos: item* holochryſi: *omnes autem hi flores non fuere in uſu, Alex. Mag. ætate*; in Dioſcoridis antiquiſſimo exemplari, & apud Heſych. ἑλίχρυσος, flos fuit in coronis celeberrimus, uti ex Alcmane, Ibyco & Cratino laudatis Athen. *l.* 15. *p.* 680. palàm eſt. Undè halucinatum Plin. qui Alex. ætate nondum in uſu fuiſſe, affirmat, docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 966. Vide ſuprà in voce *E[illegible]*, item ubi de *Chryſanthemo*, namque & ſic flos ille ob colorem dictus. Plin. *l.* 21. *c.* XI. & 25.

HELICON, mons Bœotiæ à poëtis decantatiſſimus Muſis ſacer, Parnaſſo vicinus: Plin. *l.* 4. *c.* 3. & 7. Strab. *l.* 9. *p.* 409. & 410. Pauſ. Nat. Com. Nomen ei, ſi magno Caſaub. credimus, fecit הליכה *halica*, i.e. *ambulatio*, quia certos ibi conventus habuere vett. in quibus de rebus ſeriis agerent. Sed cùm hujuſmodi conventibus, ſi qui fuêre, Heliconis nomen videatur antiquius, Bochart. ὁ μέγας potius deductum putat ab Arabico *halic*, vel *halica*, quod, teſte Giggeio *montem ſublimem* ſonat, undè eo nomine *altus* ab Arato dicitur hic mons, *v.* 216.

> —— Καθ᾽ ὑψηλοῦ Ἑλικῶνος.

Helicon item fluv. Macedoniæ, Dium urbem præterlabens, qui Ptol. *B[illegible]* dici *Pharybus*, Liv. *Baphyrus*, *l.* 44. *c.* 6. & Lycophroni *[illegible]*, inter Mylen, videtur. Item fluv. Siciliæ, *Olivieri*, teſte Fazello, inter Mylen & Tyndarium fluens.

HELICON, inſtrumentum Muſicum apud Vett. à Muſarum monte nomen, & à numero earum chordarum numerum, ducens, uti ſcriptum reliquit Ptol. *l. de Muſica*. Vide Jul. Cæſ. Scalig. *poët. l.* 2. *c.* 48.

HELICONIUS, Sophiſta Byzantius, epitomen Annalium ſcripſit, à M. C. uſque ad Theodoſium Mag. Suid. Simler. *in Bibl. Geſn.* Item, nomen Mathematici inſignis. *Suid.*

HELIGASTUS, Sicambrorum vates, & ſacerdos admirabilis, A. U. C. 486. *Trithem.*

HELINGAS, Hiſp. Tarracon. civ. *Polyb.*

HELINI, pop. Theſprotiæ. *Steph.*

HELIOCEPIS, nomen Nymphæ.

HELIODORA, Nymphæ nomen.

HELIODORUS, unus ex ducibus Seleuci Philopatoris, templum Hieroſolymitanum direpturus, à duobus Angelis malè mulctatus legitur, 2. Macc. *c.* 3. *v.* 7.

HELIODORUS, Avidii Caſſii, cui *Heliodorus* quoque pater fuit, fil. juſſu Marci Imp. deportatus eſt, apud Jul. *Capitolin. in Vita Marci Anton. Philoſophi*

HELIODORUS, Sophiſta clarus, cujus etiam extat Hiſtoria Æthiopica. At verò Dramatis prædicti author, Triccæ opp. Theſſalici Ep. fuit, ut Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſcriptores perhibent, de quo certi ferè nihil eſt, niſi quod certiſſimum eſt, eum ipſum eſſe, ad quem D. Hier. epiſtolæ. Floruit ſub Theodoſio & Arcadio. Niceph. *l.* 12. *c.* 34. eum depoſitum ſcribit, quòd hunc librum abdicare nollet. Sed nec Socrates, *l.* 5. *c.* 21. nec Photius, vide cod. 72. & 94. hujus rei meminêrunt. Imo Cedren. ipſum de [illegible] quoque faciendi ratione librum Theodoſio Mag. dedicaſſe narrat. Heliodorus enim ille, de quo Philoſtratus περὶ σοφιστῶν, is eſt Sophiſta, qui Imp. Hadriano familiaris fuit. Fuêre olim duo Heliodori, quorum unus Geographus, alter Tragicus, ut ſæpiſſime per[illegible], de quo in Bibliotheca Medica. Fuit & unus Medicus, [illegible] Horatii commentator apud Græcos enarratores. Fuit præterea Heliodorus Rhetor Horatii comes, quem *Græcorum longè doctiſſimum* vocat *Serm. c.* 1. *Sat.* 5. *v.* 2. Item auctor libri de Sepulchris. Plutarch. *de* 10. *Orat.* Item poëta. Item Hadriani Imp. Secretarius [illegible] Philoſtrato laudatus, *de Sophiſt. l.* 2. Item Mathematicus Athen. *de [illegible]* [illegible] Item amicus Hier.

tis Athenienſium, & *de Architectonica*, ſcripſit. Plin. *l.* 34. *c.* 8. & *l.* 36. *c.* 5. Item Lariſſæus, de Optica ſcriptor. Item Stoicus, Arati commentator. Alii quoque *Heliodori* fuêre, de quibus Voſſ. *lis adi*, *de Hiſt. Gr. p.* 372. Lil. Girald. *l.* 3. *dial.* 3. *poet.* &c. *Nic. Lloyd.*

HELIOGABALUS, Deus peregrinus fuit, inprimis Phœnicum. Simulacrum ejus lapis erat maximus, ab imo rotundus, & ſenſim faſtigiatus propemodum ad coni figuram, niger & lapidi color, qui cœlitus deciſiſſe credebatur. Eminebant in lapide quædam, formæque nonnullæ viſebantur: ſolis imaginem eſſe illam affirmabant Emiſeni, minimè humano artificio fabrefactam.

HELIOGABALUS Marcus Aurelius Antoninus, Ant. Caracallæ fil. qui ad imperium aſſumptus fuit matris operâ apud Antiochiam. Etiam *Alagabalus* dictus eſt, quia antequam Imp. fieret, Solis Sacerdos inter Phœnices fuerat, qui Aſtro huic id nominis indidêrunt. Vide infrà. Mater Semis vel Semiamira appellata eſt. Electus ab Exercitu, poſt mortem Macrini, Romam Deaſtrum ſuum detulit, omnis alterius Dei cultu ſeverè prohibito: Huic delubrum condidit, quò ignem, qui in Veſtæ cuſtodiebatur, quò Palladium & ancilia delata voluit, ipſe ſacerdotis officio functus. Hujus mores impuriſſimos Lamprid. deſcribit, ut & Eutrop. *l.* 8. Aurel. Vict. *epit. vit. Caſ.* &c. Luxus ejus tantus, ut ex remotiſſimis provinciis gulæ irritamenta peteret, balſamoque lampades aleret. Piſcinarum ejus aquæ odoratæ erant: Aquiliam Severam, Veſtalem, clandeſtino connubio ſibi copulavit, quò cœleſtem planè, ut dicebant, prolem ſuſciperet, ipſe Pontifex ex puella ſacra. Prodigus theſaurorum ſupra modum, ſævus in Senatores, quòd Senatulum feminarum, cui mater ejus præſidebat, ratum non haberent. Tandem cùm & militibus intolerabilis evaſiſſet, jamque in eo eſſet, ut Alexandrum fil. Mammææ neci daret, quem Senatus Cæſarem vocaverat, vivente adhuc Macrino, cum matre ab illis in caſtris occiſus eſt. Cadaver ejus a plebe per urbem raptatum, tandem poſt mille ludibria, in Tiberim projectum eſt, d. 10. Mart. A. C. 222. Imperii 3. menſ. 9. d. 4. Ær. 18. vel ut alii, volunt 22. Patria Emiſſenus fuit, & in Emiſſa urbe Sacerdos Dei Alagabali, ut dictum, qui Deus peculiaris fuit illius urbis. Vide Salmaſ. *ad Lamprid.* ut & in voce *Marcus*. *Addo ſaltem, quod habuit in calceamentis gemmas & quidem ſculptas, quod riſum movit omnibus, quaſi poſſent ſculpturæ nobilium artificum videri in gemmis, quæ pedibus adhærebant*, Lamprid. *in eo*. Quem ſequutum poſtea Alexandrum Sev. idem, & Carolum Mag. Eginhardus prodidêre. In murrhinis quoque & onychinis minxiſſe, idem Lamprid. tradit. Idem gemmatum quoque Diadema, inter Impp. primus uſurpavit, uti diximus ſuprà, ubi de *Diademate*. Porro calceamentum nunquam iteraſſe, neque annulos bis induiſſe, narratur eidem Lamprid. à quo luxu annulorum inprimis vide graviter dehortantem Baſilium Mag. *Orat.* πρὸς τοὺς πλουτοῦντας. Joh. Kirchmann. *de Ann. c.* 17.

HELIONORA, vel LEONORA, Luſitaniæ Regis filia, Romæ cum Friderico Auſtriæ Duce coronata, A. C. 1451. Vide *Eleonora*.

HELIOPOLIS, Hebr. *On. Bethſemes* Arabibus, i. e. *Civitas*, ſive *domus Solis*, civitas Ægypti heroica, ambitu 150. ſtadiorum, inſignis publicis privatiſque ædificiis, Solis inprimis, templo olim clara, inter Alexandriam, & Coptum, quæ à Tenage condita, à Græcis, teſte Diod. Sic. *l.* 5. *Thebe* dicitur. Hîc templum erat Judæis, *Onion* dictum, quod à Veſpaſiano deſtructum. Joſeph. *Antiqq. l.* 7. *c.* 30. Ibidem ſævitum in Cyrillum Diaconum, ſimulacrorum dejectorem, alioſque fideles, ſub Juliano Ap. A. C. 363. Vide Theodoret. *l.* 3. *c.* 6. 7. & 15. Rufin. *l.* 1. *c.* 36. Strab. *l.* 14. *p.* 646. *l.* 17. *p.* 803. Nic Lloyd. At *Thebe* alia urbs, ut videbimus. *Heliopolis* verò inter præcipuas olim Ægypti urbes, ante adventum Paſtorum metropolis erat Inf. Ægypti: à paſtoribus diu oppreſſa, tandem illis expulſis, in Thebanorum poteſtatem redacta eſt. Et quidem uti Mœris Rex Memphim, ſic Amoſis *Heliopolim* ab his invaſoribus recuperavit, urbem ejuſque politiam ordinavit, conſuetudines pravas abolevit & privilegia inſtauravit. Ideoque Manetho, Sacerdos Heliopolitanus, ab Amoſe (qui Thebanorum primus *Heliopoli* præfuit) ſuam Thebanorum Regum ſeriem exorſus eſt. Joh. Marſham. *Can. Chron. Sec. XI.* Vide & hîc paſſim. Cæterùm, quòd in colliminio Arabiæ condita eſſet, & quidem ab Arabibus, ut Plin. ſcribit, hinc factum eſt, ut alii Arabiæ, alii Ægypto eam adjudicaverint. *Urbem Solis* Latinâ voce eam vocat Solin. *c.* 33. ubi de phoenice, *Rogos ſuos ſtruit cinnamis, quos prope Panchaiam concinnat, in Solis urbem ſtrue altaris ſuperpoſitâ.* Tac. *Ann. l.* 6. *c.* 28. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 549. uti de *Heliopolitano Obeliſco* infrà *Obeliſcus*.

HELIOPOLIS, urbs ejuſdem nominis in Cilicia, patria Chryſippi Stoici, Solin. *Corinthus* etiam olim Heliopolis dicta eſt. Steph. qui *Heliopolin* in Phœnicia, Thracia, & Arabia deſcribit. Item *Heliopolis*, Ptol. & Plin. *l.* 5. *c.* 9. in tribu Manaſſe, Cœleſyriæ urbs Epiſcopal. quæ hodiè *Balbec* Poſtello, vel *Marbech* Nigro. Item, opp. Germ. in Marchia, nunc *Soltwedel*, inter Gardilebiam 5. & Olzeniam 6. leuc. verſùs Luneburgum.

HELIOPOLIS, urbs fuit Phrygiæ, Mich. Glycas 4. qui ſtatuam hinc avexiſſe Conſtantinum Imp. & Conſtantinopoli columnæ impoſuiſſe addit. *Baudr.*

HELIOTROPIUM, Theſſaliæ urbs. *Polyb.*

HELIOTROPIUM, flos, terrâ editus parelius videtur: *Minimè certè quidem ambigas, Naturam, illud dum moliretur, direxiſſe manum & opus exegiſſe ad exemplum Regis aſtrorum; & floribus dare dum voluit Regem, ſuum ſtellis florentibus florentem dediſſe Solem, cùm hunc florem in lucem edidit. Ita eſt profectò; vel ex aſpectu ipſo & appellatione, non adumbratum, ſed expreſſum in flore Solem dicas* Heliotropium; *utque Solare nomen gerit, ſic Solis ſpeciem ipſam præferre, ac formæ præſtantiam. Et vero, nonne item, ut Sol, radiis caput habet redimitum aureis? Annon ad Solem nunquam non converſus hic flos, ut ipſius indicat nomen, eandem, quam ille, metitur viam, inſiſtit ſemitam? Quid multis? Ut Sol planetas reliquos & ſtellas ſplendore obſcurat, magnitudine ſuperat; Ita* Heliotropium *cæteros ſtaturæ proceritate facilè flores ſupereminet, totius habitus elegantiâ & ſingularum partium conformatione longè multumque antecellit*, Pomey *Deſcript. div.* Ex ἥλιος, *Sol*, & τρέπω, *verto*. Vide plura de hoc flore, apud Plin. *l.* 19. *c.* 6.

HELIOTROPIUM, gemma. Plin. *l.* 37. *c.* 10. Heliotropium *naſcitur in Æthiopia, Africa, Cypro, porracei coloris, ſanguineis venis diſtincta. Cauſa nominis, quoniam dejecta in vas aquæ fulgorem Solis accedentem percuſſu ſanguineo mutat, maximè Æthiopica. Eadem extra aquam ſpeculi modo Solem accipit, deprehenditque defectus, ſubeuntem Lunam oſtendens. Magorum impudentiæ vel manifeſtiſſimum in hac quoque exemplum eſt, quoniam admiſtâ herbâ* heliotropio, *quibuſdam quoque additis precationibus, gerentem conſpici negant.* Ubi quod *porraceum* vocat, πράσινον Græcis eſt, & *viridem colorem acutiſſimum* notat. Cætera ſic habent; in aquam miſſa hæc gemma fulgorem Solis accendebat, & augebat radios repercuſſu, contrà extra aquam, inſtar ſpeculi, Solem accipiebat, & deprehendebat ejus defectus, ſubeuntem lunam oſtendens. Quod vice verſâ quodammodo fiebat & contra naturam Solis, undè quòd naturam *Solis* quaſi *inverteret* & mutaret, nomen accepit. Sol enim in aqua, tanquam in ſpeculo videtur, non obſtantibus radiis, nec lumini officientibus; undè, qui Solis defectus contemplari volunt, aquâ in vas fusâ, deficientem eum Lunamque ſubeuntem otiosè ac ſecurè intuentur, quod oculis in ipſum Solem intentis facere non poſſent, fulgore ejus nimio oculorum aciem præſtinguente: at contrà accidit in heliotropio gemma, quæ fulgorem Solis accendit in aqua, eum verò ſine fulgore extra aquam oſtendit. Quod additur de uſu Magico, Solin. *præcantationibus legitimis conſecratam*, id præſtare ait *c.* 27. proprio verbo uſus, de quo vide ſuprà & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 344. & *ſeqq.*

HELIOTROPIUM, machina denotandis τῶν ἡλίου τροπῶν *Solſtitiis*, à Veteribus excogitata, ex polo (undè πόλος quoque dicta) & gnomone conſtans, ad cujus inſtar poſtmodum Horologia facta ſunt. Ipſa verò hæc inſtrumenta, non horis monſtrandis, quæ tum nondum inventæ erant, ſed ſolſtitiis ſolùm & æquinoctiis, inſerviebant, undè & *Horologia æquinoctialia* vocare poſſis. Nam & gnomonem erectum habebant, ad umbrarum incrementa & decrementa notanda; lineas item duodecim in hæmiſpherio vel polo ſignatas, ex numero partium diei æquinoctialis, per quas umbra decurreret. Interim ſolis Mathematicis & Aſtronomis uſui erant; nec populo, niſi quatenus populus ex iis diſcebat, quando futuri erant Solſtitiorum & Æquinoctiorum dies, quod in rebus inprimis Ruſticis procurandis non parvi momenti eſt. Ideo publicis locis urbium ponebantur ab Aſtrologis hujuſmodi ἡλιοτροπίων machinæ, quemadmodum in Achradine Syracuſarum Archimedes, Athenis in Pnyce Meton, in Syro Inſ. Pherecydes, alibi Alii fecêre. Sic enim populus ex iis diſcebat, quo die Solſtitia & Æquinoctia eſſent obſervanda, quot dies adhuc ſupereſſent ad illud & illud Æquinoctium ſive Solſtitium, quot dies præteriiſſent. Ut illud apud Ariſtoph. in Γηρυτάδῃ dici ſibi poſtulabat, ex *Heliotropio* Metonis, πόστην ἥλιος τέτραπται, quota dies eſſet numeranda à Solſtitio confecto? Quam in rem vide plura apud Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 645. & *ſeqq.* ut & retro in voce *Æquinoctia*, infrà quoque *Hemiſphærium*. it. *Polographia*.

HELISOS, fluv. Atticæ. Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 52.

— *Amfractu riparum incurvus* Eliſſos.

HELISYCI, pop. Ligurum. *Steph.*

HELIUM, oſtium Rheni, quod & Occ. & Moſæ oſtium, erat juxta Helium caſtr. in parte Auſtr. Bataviæ, ubi urbs Brilla eſt. Nunc *die Maes* incolis, Ortel. Secundum Voſſ. Batavis *Hiel* undè; vicus *Wiidhiel*, ubi latiùs *Helus*, ſeu *Hilus* fluit: item *Bree-hiel*, à quo contractum *Briel*; opp. Brilæ, ad Helium oſtium, quaſi dicas *latum Helum*, ſive, *Hilum*, vide in voce *Briela*. Sic quem Romani *Heſum*, quo nomine Martem Germani dixêre, extulêrunt, is Germanis, abſque Romana terminatione, fuit *Hees*, vel *Hies*, vocali variatâ &c. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 2. *c.* 33. Plin. *l.* 4. *c.* 15.

HELIUS, Neronis adulator potentiſſimus. De quo Dion. Caſſius *in Ner.*

HELIUS, proprium nomen viri, à *Sole*, qui Græcè ἥλιος dicitur. Plin. *l.* 33. *c.* 1.

HELIUS, gladiator nobilis, apud Mart. *l.* 5. *Epigr.* 25. cujus Epigraphe de Hermete *v.* 5.

Hermes, quem timet Ælius, *ſed unum.*

HELIX, primo flore nobilis adoleſcens, auxilio apparens Perſæ, contra Æëtem, Colchorum Regem haſtâ à Neſtore occiſus.

HELIXOEA, inſ. Hyperboreorum, non minor Siciliâ, ſub fluv. Cerambyca. Inſulani *Cerambycæ* dicuntur, Hecatæus. Non aſpiratur apud *Steph.*

HELIXUS, Cei inſ. fluv. juxta Coreſſum. Strab. *l.* 8. *p.* 338.

HELLADIUS, S. Baſilii diſcip. & in Pontificatu ſucceſſor, de Præceptoris ſui Baſilii vita librum reliquit; ex quo locum adducit Damaſcenus *Orat.* 1. *De imaginibus*.

HELLANICE, Clyti ſoror, Alex. Mag. nutrix. Curt. *l.* 8. *c.* 1.

HELLANICUS, octavum eumque ultimum inter Chiliarchas locum, in præmium fortitudinis, ab Alex. Mag. cùm in Satrapene ſubſiſteret, accepit. Curt. *l.* 5. *c.* 2.

HELLANICUS, nomen duorum Hiſtoricorum, quorum unus Mitylenæus, Herod. antiquior, A. Gell. *l.* 15. *c.* 23. alter Mileſius, an Lesbius? De priore Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 1. *c.* 1. de poſteriore idem *ibid.*

l. 4. *c.* 5. Et quidem hunc Hiſtoriam ſuam digeſſiſſe per ætates τῶν Ἡρεσίδων, *Sacerdotum Junonis* Argivæ, docet. Conſtant. *Them.* 2. 10. ex Steph. Dionyſ. Halic. *l.* 1. Fuiſſe autem 12. annis Herod. antiquiorem, ex A. Gellii *loco præf.* contendit, Joh. Marsham. *Canone Chron. Sec. IX.* ubi *de Danao*: qui proin cum Cl. Voſſio conciliandus. Fuit verò Sacerdotum harum prima *Callithyia*, tertia *Alcynoe* &c. Vide ſuprà.

HELLANOCRATES, Lariſſæus, ab Archelao ſtuprum paſſus eâ ſpe, ut ab illo in patriam reduceretur: poſtquam id non factum, contumeliâ accenſus, contra eum conjuravit. Ariſtot. *l.* 5. *Polit. c.* 10.

HELLAS, alio nomine *Græcia* dicta eſt, ab *Hellene* Deucalionis filio. Thucyd. *l.* 1. *p.* 3. Mel. Achaja eſt: Sub qua fuêre Attica, Bœotia, Ætolia, Doris, Locri & Phocis. Habebat à Sept. Macedoniam & Theſſal. ab Ort. mare Ægæum, ab Occ. mare Ionium, à Mer. ſinum Corinthiacum & Saronicum. Nunc *Livadie*; ſub Turcis.

Urbes Helladis, ſive Achaiæ exſtantes:

* Ægina, *Engia.*
Aquila, olim Calydon, *Ayton.*
Athenæ, *Setines.*
Aulis, intercidit.
Calydon. Vide *Aquila.*
Coronea, *Corone.*
Daulis, *Daulia.*
Delphi, poſtea Salona.
Elatia, olim Epiſcopal. Phocidis.
Marathon, *Marathona.*
Megara, *Megara.*
* Naupactum, *Lepante.*
Opus, olim Epiſcopal. cùm ſtaret, *in ruinis jacet.*
Salona, olim Delphi, Epiſcopal. Phocidis, ſub Naupacto, *Salona.*
Tanagra Bœotiæ, olim Epiſcopal. *Anatoria.*
Thebæ, *Stives.*
Thermopylæ, *non eſt urbs, ſed locus.*
Theſpiæ, *Teſpe.*

Baudr. Item urbs Theſſaliæ condita ab Hellene Phthii fil. & Chryſippes Iri filiæ. Phthius autem Achæi fil. erat. Eſt & alia *Hellas* Cœleſyriæ. Gentile *Hellanicus*, & *Helladius. Steph.*

HELLE, Athamantis Regis Thebarum, & Nepheles filia, quæ unà cum Phryxo fratre, novercales inſidias metuens, cùm accepto à patre ariete aureo Pontum vellet trajicere, magnitudine periculi perterrita, in mare decidit, eique nomen fecit, quod Helleſpontum hodie vocant. Ovid. *Ep.* 18. Heroid. Leander Heroni in *v.* 141. & *Ep.* 19. Hero Leandro *v.* 123.

HEELEBORUM, ſeu ELLEBORUM, non unius generis; inter quæ unum à Melampode, cujus fama divinationis artibus nota eſt. Plin. *l.* 25. *c.* 5. *Melampodii* accepit nomen, quod *paſtorem eodem nomine inveniſſe tradunt, capras purgari paſto illo animadvertentem, datoque lacte earum ſanaſſe Prætidas furentes*; Eodem *domos ſuffiebant purgabantque ſpargentes & pecora, cum precatione ſolemni*; quod proin & religioſiùs colligebatur, uti Plin. è quo hæc deprompta, exponit. *Primùm enim*, inquiens, *gladio circumſcribitur. Dein qui ſucciſurus eſt, Ortum ſpectat: & precatur, ut id liceat ſibi concedentibus Diis facere, obſervatque aquilæ volatus: ferè enim ſecantibus intereſt, & ſi prope advolavit, moriturum illo anno, qui ſuccidat, augurium eſt.* Cæterùm *elleborum* candidum, ſtudiorum gratiâ, ad pervidenda acriùs, quæ commentabantur, ſæpius Vett. ſumptitavêrunt, uti de Carneade, Zenonis libris reſponſuro, *ibid.* legimus. Idem *ſub fin. c. cit. Galli verò ſagittas in venatu* elleboro *tingebant, circumciſo vulnere teneriorem ſentiri carnem affirmantes.* Eodem aquæ mixto, Amphictyones, ex conſilio Eurylochi, hoſtes Cirrhenſes vicêrunt, apud Polyæn. *l.* 4. quod inventum Soloni tribuit Suid. Vide quoque Pauſ. *in Arcadicis.* Optimum in Anticyra, quam vocem proin pro ipſo *Helleboro* Perſ. ſumpſit. *Sat.* 3. *v.* 63. & *Sat.* 4. *v.* 16.

—— Anticyras *melior ſorbere meracas.*

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1093. ut & ubi de hac Inſ. plura verò de *Helleboro*, apud Herbariæ Rei Scriptores.

HELLEN, fil. Deucalionis, pater Æoli, Doris & Xuthi. Apollod. *l.* 1. Diod. Sic. *l.* 4. Pauſ. *in Att.* Conon apud Phot. *cod.* 186 Ἑλλάδα, urbem Theſſaliæ, condidit; undè *Helladis* nomen maximè propriè Theſſaliæ convenire, Dicæarchus ait. Qua de re vide Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 142.

HELLEN, à parvulo in miniſterio nutritus, & educatus. plurima inſolitè edebat miracula, ita, ut etiam ignem in ſinu portaret, & nequaquam ejus veſtis arderet. Sozom. *l.* 8. *c.* 1.

HELLENES, Græci, vide *Panellenes.* Item urbs Callaicorum in Hiſp. Tarracon. *Pontevedra*, teſte *Mariana.*

HELLENICA Religio, una ex IV. præcipuis Religionis Ethnicæ ſpeciebus, al. *Græcanica*, ab Ægyptiis & Chaldæis ſua hauſit, multis de novo inventis & additis. Hanc Græcis primus tradidit Cadmus, teſte Euſeb. *de Præp. l.* 10. *c.* 2. inprimis excoluêrunt poëtæ, Linus, Muſæus, Orpheus, Homerus. Itemque Sacerdotes & Legumlatores. Philoſophi tandem, in IV. nobiliores ſectas, *Platonicam, Peripateticam, Stoicam & Epicuream*, diſtincti; è quibus Platonica Theologia, cæteris ſanior, ut quæ multa de DEO ex Hebræorum fontibus hauſit, teſte Juſtino *Apolog. II.* in Scholis olim Chriſtianis Alexandriæ & alibi, velut propædia Religionis Chriſtianæ, habebatur ac prælegebatur: quamvis hinc fidem Chriſtianam, maximè per Arianos, corruptiorem evaſiſſe notat Cyrillus *c. Julian. l.* 1. Diſtinguebatur autem hæc *Theologia Hellenica*, in Μυθικὴν, Φυσικὴν & Πολιτικὴν, ut idem Euſeb. docet, ubi ſuprà *l.* 4. & Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 6. Vide hîc infrà, *Helleniſmus.*

HELLENICUM, & *Caricum*, loci in Memphitide. *Steph.*

HELLENISMUS, altera ſpecies Idololatriæ, quæ Sabaiſmo ſucceſſit. Cùm enim cœlum, Solem & ſtellas, mox à diſperſione Babylonica, colere incepiſſent Sabæi; huic cultui hominum defunctorum & dæmonum venerationem addidêre Græci, qui tantam Numinum turbam invexêrunt, *ut major ferè Cælitum inveniretur populus, quàm hominum*, Plin. Indè *Helleniſmi* nomen. Cùm enim homo eſſet creaturarum excellentiſſima & anima immortali præditus, indè pronum fuit hominibus eximiis & magna meritis divinitatem ac divinos honores, præcipuè poſt mortem, aſcribere. Quam Idololatriæ Græcanicæ originem & hominum ἀποθέωσιν, ex verò tradit Auctor libri Sapientiæ, *c.* 14. *v.* 15. 16. & 17. Vide quoque Plin. *l.* 2. *c.* 6. & plura hanc in rem, apud Franc. Burmann. *Synopſ. Theol. Chriſt. Part. prior. l.* 3. *c.* 8 §. 25. & *ſeqq.* Voſſ. Alios.

HELLENISTÆ, nonnullis dicti ſunt Judæi, per Græciam diſperſi. Cùm enim Hebræi partim in Palæſtina degerent, & Hebræo textu uterentur: partim extra Palæſtinam variis in locis, Græcia inprimis, morarentur, & Septuaginta Interpretum verſionem Græcam adhiberent, illi *Hebræi* ſeu *Judæi*, hi verò *Helleniſtæ* dicti ſunt. Meminit utrorumque Lucas *in Act. Ap. c.* 6. *v.* 1. Ἐγένετο γογγυσμὸς τῶν Ἑλληνιστῶν πρὸς τοὺς Ἑβραίους, *Ortum eſt murmur* Helleniſtarum *adversùs Hebræos*, ubi malè quidam exponunt, *Græcorum.* Hos enim Paulus pro Gentibus generaliter accipit, & Hebræis in genere, ſub quibus Hebræi Palæſtinam incolentes & per Helladem diſperſi, comprehenduntur, non uno in loco opponit. Vide Thom. Godwyn. *de Ritib. Hebr. l.* 1. *c.* 3. Patribus *Græcienſes* nonnunquam &c. Atque hanc ſententiam multis tuetur Heinſ. *Ariſtarcho* Cl. Suicer. vero hi Ἑλληνισταὶ, qui Eccleſiam Chriſti naſcentem compoſuêrunt cum Hebræis, gente extranei, religione Judæi adeoque proſelyti fuêre è Græcis. Sic autem ei dicti ſunt à ſermone, quo utebantur, inprimis quia non veri Græci erant, utpote in Syria nati, undè non tam Ἕλληνες, quàm Ἑλληνισταὶ appellati ſunt. Certè inter VII. Diaconos *Helleniſtas*, & ex Helleniſtarum corpore electos, unus *Proſelytus Antiochenus*, nomine Nicolaus, vocatur, Actor. *c.* 6. *v.* 5. Vide eum *Theſ. Eccl.* in hac voce, & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *de Helleniſtica*, Balduin. Walæum *ad Act. c. cit. v.* 1. inprimis Crojum *Obſervat. in N. T. c.* 30. 31. & 32. Nominis origo à verbo ἑλληνίζω, quod, præter vulgare ſignificatum, modò *more Græcorum* ſeu *Græcatim*, ut ait Tertullian. *de Pallio c.* 4. *vivere*: modò *Græcorum ſeu Gentilium impietatem amplecti & profiteri*, vel *docere*: modò *optimè Græcè loqui & ſcribere*, etiam ſignificat, apud Scriptores Eccl. qua de re vide eund. Suicer. in vocibus Ἑλληνίζω, & Ἑλληνισμός.

HELLENOPOLIS, vide *Helenopolis.*

HELLES, fil. Azariæ. 1. Par. *c.* 2. *v.* 39. *c.* XI. *v.* 26. *c.* 27. *v.* 10.

HELLESPONTUS, fretum anguſtum inter Propontidem, & mare Ægæum, Aſiam ab Europa ſeptem non amplius ſtadiorum intervallo diſterminans. *Stretto di Gallipoli*, Caſtaldo, *Braccio di S. Georgio.* Volater. Baudr. inter Thraciam & Aſiam min. Extenditur à Sept. in Mer. per 45. ferè mill. nempe à Propontide uſque ad mare Ægæum. Maximè reſtringitur ad Auſtr. inter Seſtum & Abydum, nunc *les Dardanelles.* Hinc aliquando quibuſdam Gall. *les bouches des Dardanelles.* Ovid. *in Ep.* 18. *Heroid. Leander Heroni. v.* 137. & *ſeqq.*

Fluctibus immodicis Athamantidos æquora canent,
Vixque manet portu tuta carina ſuo.
Hoc mare cùm primum de virgine nomina merſa
Quæ tenet, eſt nactum, tale fuiſſe puto.
Et ſatis amiſſâ locus hic infamis ab Helle,
Utque mihi parcat, crimine nomen habet.
Invideo Phryxo; quem per freta triſtia tutum
Aurea lanigero vellere vexit ovis.

Ovis illa Aries fuit, qui poſtea inter ſidera collocatus eſt, teſte eodem Ovid. *Triſt. l.* 3. *Eleg.* 12. *v.* 3.

Impoſitamque ſibi qui non bene pertulit Hellen,
Tempora nocturnis æqua diurna facit.

Vide Diod. Sic. *l.* 4. Solin. *c.* 15. *magnum* vocat. Sic enim ait, O*mnis autem magnus Helleſpontus ſtringitur in ſtadia ſeptem.* Latitu*dinem* dat ei Hom. *Il.* η.

Σῆμά τε οἱ χεύωσιν ἐπὶ πλατεῖ Ἑλλησπόντῳ.

Ita etiam Q. Calaber *l.* 9.

Μεσσηγύς τε πόληος ἰδ' ἱεροῦ Ἑλλησπόντου.

Longitudinem Ovid. *Met. l.* 13. *v.* 408.

Longus in anguſtum quâ clauditur Helleſpontus.

Idem *Faſt. l.* 4. *v.* 565.

Perque urbes Aſiæ longum petit Helleſpontum.

Rapiditatem denique Catull. *Carm.* 64. *in Epithal.* Pelei. & Thetidos *v.* 354.

Quæ paſſim rapido diffunditur Helleſponto.

Undè Muſæus,

Νήξομαι Ἑλλήσποντον ἀγάρροον.

Et ante eum Homer.

Ὅσσους Ἑλλήσποντος ἀγάρροος ἐντὸς ἐέργει.

Vide

Vide Voſſ. *ad P. Melam p.* 7. Plin. *l.* 4. *c.* xi. & 12. Strab *l.* 1. *p.* 49. & *l.* 2. *p.* 124. *l.* 7. *p.* 331. & *l.* 13. *p.* 583. Nic. Lloyd. Item, reg. Aſiæ, pars Myſiæ, apud mare prædictum. Ubi urbes Cyzicus, Parium, Lampſacus, Abydus cum Dardano. Hinc *Helleſpontiacus*. Ferrar. Et reg. *Helleſpontias*, *Steph.* Cum Cycladibus & Aſia propriè dicta, Proconſularem olim provinciam conſtituebat, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 806.

HELLEVIONES, ſeu HELUÆONES Ptol. *Hellusii* Tac. *de morib. Germ. c.* 46. *Helli* Amm. Marcell. pop. Germ. quorum locus Heu in ora ad ſinum Venedicum, apud Dantiſcum urb. teſte Willichio. Cluv. aliiſque etiam *Hilleviones*, pop. Scandinaviæ, ubi nunc Hallandia, prope fauces ſinus Codani, longè à Dantiſco in Occaſ. Ortel. *Dalecarii* ſunt: Hilleviones enim Cimbricâ linguâ, quæ Scandinavica eſt, *Monticolam* ſignificat. Habitant enim hi ad Sevonem montem, Riphæis non min. Plin. *l.* 4. *c.* 13. & *l.* 8. *c.* 15.

HELLINGUS Martinus, vide *ibi*.

HELLOPES, pop. Epiri circa Dodonam, quorum reg. *Hellopia*, Strab. *l.* 7. *p.* 328. Plin. *in præf. l.* 4. Vulgò *Lopeſia*.

HELLUM, vicus Alſatiæ inf. Vide *Elcebus*.

HELLUONES, flumine merſi, apud Scotos. H. Boëthius *in Scotia*.

HELMBOLDUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

HELMECHILDIS, Albionum Regem, victus Roſimundæ impudentiſſimæ mulieris promiſſis, interfecit.

HELMOLDUS, Presbyter Buſoënſis, prope Lubecam, Geroldi hortatu, qui primus Ep. Lubecenſis erat, Chronicon Sclavonum ſeu Dalmatarum ſcripſit, orſus à Saxonum converſione, ſub Carolo Mag. uſque ad A. C. 1168. quo vixit, ſub Friderico Barbaroſſa. Continuavit id poſtea Arnoldus, Abbas Lubec. edidit Reinerus Reineccius cum notis. Voſſ. *Simler.* &c.

HELMON-DEBLATHAIM, duo nomina ſunt, quorum prius exponitur *occultatio*, ſive *adoleſcentia* aut *ſeculum*, vel *contemptus*, poſterius autem *maſſæ de ficubus compactæ*, nomen loci, in quo caſtra metati ſunt filii Iſraël, profecti de Dibon Gad. Num. *c.* 33. *v.* 47.

HELMONTIUS Joh. Baptiſta, Nobilis Bruxellenſis, *Philoſophus per ignem* dictus, ſcripſit *Opuſcula Medica inaudita*, *Initia Phyſica inaudita*, adeoque *Ortum Medicinæ*; it. *Progreſſum Medic. novum in morborum ultionem ad vitam longam* &c. Obiit A. C. 1644. Æt. 50. poſtquam pridie amico ſcripſiſſet Pariſios, ſibi non ultra 24. horas vitam daturam. Pater Franc. Mercurii *Philoſophi per Unum, in quo omnia, Eremitâ peregrinante*, ut ſe ipſum vocavit. P. Freher. *Theatro Vir. erud. clar.*

HELMSTADIUM, urbec. Saxoniæ, munita à Carolo Mag. contra Wandalos, A. C. 808. aliàs ſub proprio Abbate, nunc Duci Brunſvic. paret ab A. C. 1490. In limite Duc. Magdeburgici, medio inter Magdeburgum & Brunſvic. itinere. Acad. inſignis, quæ *Julia* dicitur, à Julio Duce fundata A. C. 1576. Bertius *Rer. Germ. l.* 3.

HELMSTADIUM, urbs munita, cum portu, in Hallandia, in ora litorali ſinus Codani, verſus limites Scaniæ. Sub Suecis ab A. C. 1645.

HELNES, priſcus Arcadum Rex, qui Tegean incurſantes & depopulantes Lacedæmonios, quâ arte & ſolertiâ vicerit. Vide Polyæn. *l.* 1.

HELON, civ. in terra Moab, in tribu Dan, Num. *c.* 1. *v.* 9. Pater Eliab principis tribûs Zabulon. Item urbs Levitarum, quæ *Helon* dicitur. In tribu Ephraim, Lat. *feneſtra*, vel *profanatio*, ſive *dolor*, aut *infirmitas*. Jer. *c.* 48. *v.* 21.

HELORIS, à Rheginis Dux conſtitutus, ad obſidendam & expugnandam Meſſanam, à Dionyſio ſuperiore munitam. Sed eruptione à Meſſanis factâ plures quingentis ex Rheginis ceciderunt. Dein obſidente Dionyſio Cauloniam à Crotoniatis Dux ſumptus, utpote exſul, Syracuſanus & Dionyſio maximè infeſtus; dum nimis ad liberandam Cauloniam improvidè pergit, magno prælio ad Helorim fluv. a Dionyſio vincitur, & ipſe ſuorum ferè maximâ parte amiſsâ cadit. Diod. Sic. *l.* 14.

HELORUM, ſive HELORUS fluv. & opp. Siciliæ. Vibius in Catalogo fluv. *Elorus Syracuſarum, à quo civitas.* Steph. Ἕλωρος, πόλις Σικελίας ἀπὸ Ἑλώρου ποταμοῦ, ὃ κατὰ Πάχυνον, addit, ὅς λέγεται ἠθάσους ἰχθῦς ἔχειν, ἀπὸ χειρὸς ἐσθίοντας. Sil. Ital. Pun. Bell. *l.* 14. *v.* 270.

> *Atque undæ clamoſus* Helorus.

Vide Cluv. Sic. *Ant. l. c.* 13.

HELORUS, ſeu ELORUS Athen. *l.* 8. *p.* 331. *Eleſporus* Polyb. *Elleporus* Æliano, fluv. parvus Magnæ Græciæ, inter Cauloniam, & Scyllacium fluens, ubi Græci à Dionyſio victi. Item *Helorus* Iſtri fil. qui ab Ajace occiſus eſt in ea pugna, quam Græci cum Telepho Rege Myſorum habuêrunt.

HELOS, urbs Laconica, vel potiùs oppid. Nic. Lloydius. Marshamo opp. maritimum, quod Achæi cùm tenuiſſent, ab Alcamene Spartæ Rege everſum, & Argivi opp. ſuppetias venientes prælio victi ſunt, & Pauſ. *Laconicis*. Stat. *l.* 4. *Theb. v.* 181.

> *Quos* Helos, *&* *Pteleon*, *Getico quos flebile vati*
> *Dorion.*

Pop. *Helotæ*, pro ſervis, poſt patriam everſam, habiti à victoribus. Eſt etiam *Helos*, Ægypti. Steph. Strab. *l.* 8. *p.* 343. 349. 350. 363. 365. & *l.* 9. *p.* 406.

HELOTÆ, vide in voce *Helos*, it. infrà, ubi de *Nethinæis*.

HELPERICUS, Germanus, Monachus SanGall. ſcripſit de Muſica, de computo Eccleſiaſtico, & Carmina. Trithem. *in Catal.*

HELPIDIUS, Priſcillianiſta, condemnatus Concilio Cæſarauguſtano. A. C. 381. Vide *Elpidius*.

HELPIS, in *Inſcr. vett.* CII. 2. GENIO. GENIALIS. SPEI. HELPIDIS. ex Græco Ἐλπὶς, *Spes* eſt, quam Genialem coluiſſe Vett. cùm ſpe carere non poſſent, hinc patet. Sed & *Elpiſtici* Philoſophorum genus, omnia Spei tribuentes, de quibus vide Plutarch. *Sympoſ.* & plura hanc in rem, apud Barth. *Animadverſ. Stat. ad Theb. l.* 1. *v.* 322. nec non infrà in voce *Spes*.

HELSINGFORDIA, urbec. Sueciæ, in Nylandia; parte Finlandiæ, in ora litor. ſinus Finnici, ubi recipit amnem Wandam. Cum portu utcunque capaci.

HELSINGIA, prov. Sueciæ, inter Dalecarliam ad Occ. Jemptiam & Medelpadiam ad Bor. ſinumque Bothnicum ad Or. Ubi opp. præc. *Hudwickswaldia*. Olim Regni nomen, cujus quanta fuerit amplitudo, exindè patet, quòd ad Sundam Daniæ fretum hodieque Helſenburgum & Helſenora vett. potentis hujus per Norvegiam Sueciamque *Helſingici* Regni reliquiæ extent, ut à Scania in Potniam, Lappiam ac Scritofinniam uſque fuerint extenſæ. Tandem verò à Sueciæ Regibus ita deſtructum eſt, ut nulla præterea ejus ſuperſit memoria. Georg. Horn. *Orb. Imp. cum Notis Felleri p.* 362.

HELSINGOBURGUM, opp. munitum Scaniæ, cum portu, juxta Sundicum fretum, è regione Zeelandiæ Inſ. & Elſenoræ Urb. ſub Suecis, ab A. C. 1660. pace ad Roſchildam.

HELVÆ, urbs Portugall. *Elvas*; probè munita, ad Cajolam amnem, 1. leuc. ab Ana fluv. in prov. intra Tagum & Anam. 11. leuc. ab Ebora in Ort. Dicitur & *Elva*. Fruſtra A. C. 1659. ab Hiſp. obſeſſa, qui inſigni ibi à Luſit. clade affecti.

HELVECONES, Germ. pop. Tac. *de morib. Germ. c.* 43. Mutio laudantur *Helvetiani* vitioſiſſimè. Bartholin. *Eivones* legerat. Ego probem magis *Elvingonas*, à quibus Pruſſorum civitatem dictam *Elvingam* exiſtimare poſſimus. Plin. *Hilleviones* appellavit *l.* 4. *c.* 13. Vide *Ælvæones*, *Ferrar.*

HELVETIA, regio Germ. ſup. perampla, incolarum, quibus æqua libertas, quoſque falſò caput habere credidit Sabellicus, fide, induſtriâ, fortitudine celebris: montana armentis, feris, ac volucribus: plana frugibus plena habet. Undè & à re frumentaria, potiſſimum verò pecuaria, maximum quæſtum capiunt, ipſis ſterilibus locis labore incolarum improbo ad fertilitatem perductis. Ventorum violentiæ ſubjacet, cujus cauſa montium anfractus: & peculiare illi eſt, quod de Auſtrali vento Plantinus memorat, eum præſertim apud Urienſes omnia ſiccare & ſerenare, unaque nocte arboribus viriditatem, ac uvis, maturitatem afferre: aliquando ſummos tantùm montium apices perflare, ut omnia in iis vernent, vallibus interea nivem ſervantibus: aliâ iterum vice tanto furore ſpirare, ut ipſa tecta ædibus auferat. In eadem dracones frequentius quàm alibi naſci, narrat ex Joh. Cyſato *l. de* 4. *Sylvat. Civ.* Kircherius, cujus cauſâ forſan in congeſtorum ab aquilis, ingentibuſque vulturibus, qui in Alpium inacceſſis rupibus nidulantur, cadaverum varii generis putredine indeque factâ diverſorum ſeminum confuſione ac fermentatione, Becmann. *Hiſt. Orbis terr.* Reliqua vide infrà in voce, *Helvetii*.

HELVETII, gens nobiliſſima, cujus caput Aventicum olim, unâ cum Sequanis, Celtis ſive Gallis propriè dictis attribuuntur à Cæſare *l.* 1. *c.* 1. 2. & 3. qui illos *reliquos Gallos virtute præcedere*, *omnibusque præſtare*, & *totius Galliæ plurimum poſſe* ait: ipſoſque & Sequanos ac Æduos, *tres potentiſſimos & firmiſſimos totius Galliæ populos* vocat. Plin. in Belgica illos ponit *l.* 12. *c.* 1. Baudr. à Gallia Lugdunenſi decerptos poſtea, & Germaniæ attributos eſſe ait. Duplices fuêre, *Antiquiores*, quorum auctores præfati, & præter hos Cic. Plutarch. Strab. *l.* 4. *p.* 190. & 208. Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 67. Flor. &c. meminêre, & *Recentiores*, qui in priorem locum ſucceſſêrunt. Priores & antiquiores Græcis Ἐλουῆτιοι vel Ἐλβήττιοι, Latinis *Helvetii* ac *Elvetii*, *Elvitii* ac *Helvitii* nuncupantur. An ab *Helvetico* quodam Eructoni fil. Sequani & Allobrogis fratre, ut Vaudi Chronica volunt? An ab Helvetio Herculis fil. Norici, Hunni & Boji fratre, ſecundùm Aventinum? An potius *Helvetti*, quaſi *Helvetter* appellati fuêre, i. e. Ditis propinqui, ut ſtatuit Glarean. Certè *Galli ſe à Dite patre prognatos prædicant*, inquit Cæſar *l.* 7. & Beroſus. *Ditem in Galliam colonias duxiſſe*, memoriæ commendavit: hunc autem Ditem, quem Græci Plutum vel Plutonem, à Gallis præ cæteris Diis cultum, & *Hellum* ipſorum linguâ nominatum, nonnulli credunt. Alii illos Helvetios, quaſi *Held-Vatter*, Heroum patres: ab *Helvo* colore quidam, qui inter rufum eſt & album, teſte Salmaſ. *ad Solin.* quòd hic illis color eximius, denominatos ajunt: Simlerus nihil in hac ævi & diſcrepantium opinionum caligine certò definiri poſſe docet. Illos Cæſar loco præfato ex parte una flum. Rheno à Germanis, altera ex parte monte Jura à Sequanis, tertiâ lacu Lemano & fluv. Rhodano à Gallia prov. ſeu à Gallia Narbonenſi dividi, & eorum fines in longitudinem 140. mill. paſſ. in latitudinem 80. mill. ex emendatione Cluv. patere, ſcribit. *Rhodanum inter & Rhegum ſiti*, Floro *l.* 3. *c.* 10. Eoſdem in 4. pagos Tigurinum, Tugenum, Ambronicum & Urbigenum, ſec. Cluv. diviſos, oppida 12. vicos ad 400. habuiſſe, memorat Cæſar. *Corpora illis plusquàm humana* Jornand. *mirificâ ſpecie & magnitudine*, Hirt. *celſioris ſtaturæ*, Ammi. Marcell. *procera* Liv. fuiſſe tradidêre. *Celeres* Mantuan. facit:

> *Gens fera, contemptrix animæ, conſueta per Alpes*
> *Figere apros, certare urſis; nive candida ſemper*
> *Per juga veloces curſu prævertere cervos.*

Claudius Coſſus, eorum Legatus, *facundiâ* celebris Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 69. dicitur: & *Cauſidicos* in Helvetia fuiſſe, Epitaphium teſtatur antiquum. Habuit quoque *Medicos ſuos & Profeſſores* Aventicum, qui in Maſſilienſi Schola Græcis literis incubuiſſe leguntur. Sed vicit reliquas laudes militaris gloria. Prima cum Romanis bella geſſiſſe, circa A. M. 2230. ante C. N. 1740. videntur nonnullis;

nullis; & Tac. crebras illorum in vicinam Germaniam excurſiones, refert. In Italiam, ab Ericone fabro, (qui Româ, ubi artem ſuam tractabat, in patriam reverſus, ficum ſiccam & uvam, oleique ac vini promiſſa, ſecum attulerat) incitati, irrupêrunt, tempore Priſci quinti Rom. Regis A. U. C. 114. Hunc ſequutus Aruns Cluſinus, vino Italico Helvetios ad opem ferendam emolliit. A. dein M. 3381. cum reliquis Gallis, novâ expeditione, Tuſcos ſuis ſedibus expulêrnnt, qui in Lepontiis poſtea Alpibus, Rhæto Duce, novas quæſivêre. Ipſam tandem Romam à Senonibus Gallis, Helvetiorum auxilio, captam, hoſque ingenti prædâ ditatos domum rediiſſe, teſtatur Polyb. A. M. 3583. Cimbrorum poſt hæc ſocii fuêre circa A. M. 3866. quibus per Galliam Hiſpaniamque latè vagantibus, Tigurini, & Tugini rectâ, quâ in Italiam iter eſt, copias duxêrunt, Caſſiumque Conſ. in Allobrogum finibus prælio ſuperarunt, Liv. *Epit.* 65. P. Oroſ. *l.* 5. *c.* 15. J. Cæſ. *Comm. de Bell. Gall. l.* 1. *c.* 1. 2. & 3. Tandem, ſuaſu & hortatu Orgetorigis Gallicam meditati ſunt expeditionem, quæ illius ſupplicio cùm aliquandiu ſuſpenſa maneret, poſtea, ne patriæ deſiderium pulcherrimo conatui moram injiceret, oppida quique ſua cum vicis incendêrunt, magno animo meliores quæſituri ſedes, ſed à Cæſare itinere per Genevam prohibiti, dumque per Sequanos iter faciunt, in Heduis difficili & ancipiti prælio, dolo potius, quàm virtute victi, fœdus cum eo facere, cujus mentionem facit Cic. & ſedes patrias repetere coacti ſunt. Tum libertati vis facta, inprimis poſtquam ad Vindoniſſam ſuperati ab Aulo Cæcinna circa A. C. 71. provinciis Sequanorum Maximæ & Rhæticæ annumerari cœpêrunt. Tum coloniæ huc deductæ, tum Prætores, Præſides, aliique Magiſtratus huc miſſi, & jugum utcunque toleratum eſt, de quo excutiendo, Alemannis juncti ſec. à C. N. ſecundo conſilia agitarunt, variaque pro recuperanda libertate geſſêrunt. Tertio poſtea ſec. Alemanni irruptione factâ, urbes Helvetiorum diruêre, à Conſtantino Chloro ad Vindoniſſam repreſſi: qui iterum dein cum Conſtantino, Juliano, Valentiniano, Gratiano, rem gerentes, Helvetiæ partem occuparunt, & in eandem cum Helvetiis gentem, quibus & mores & ſermonem miſcuêrunt, coaluêre. Undè Aimoin. *l.* 1. *Hiſt.* & Hugo Floriacenſis Monachus *in Chr. Pagum Helvetiorum Alemannos incolere ſuâ ætate* ſcripsêre. Hi recentiores Helvetii *Suitones* Aventino, *Suiceri* Volaterrano & Rolvingo, Germ. *Schweitzer*, vel *Eydgnoſſen*, à fœdere poſtea inito, Italicè *gli Suizzeri*, vel *Suizzari*, Hiſp. *los Suiceros*, Gall. *les Suiſſes* dicuntur, an à Vitis gente Aquilonari: an à Succis?

—— Conſtantia Famæ
Nempe refert, patrio digreſſos Sueonas orbe
Auſpiciis Gotherice tuis, fauſtoque Gradivo
His ſedem ſtatuiſſe locis, perque oppida leges
Sanciviſſe ſuas, & longos regna per annos
Firmaviſſe manu:

Gariſſolius *Adolphidos l.* 10. An potius à pago *Suitia*, in quo confœderationis initium factum eſt, dicti? Sic, Imperii per barbaras gentes Gothos, Hunnos, Vandalos attriti jugo excuſſo, Attilam mox infeſtum ſenſêre Helvetii, qui infinito penè copiarum numero regionem illorum ingreſſus, oppida quàm plurima ſolo æquavit. Dein circa A. C. 499. Clodoveo ad Tolbiacum Alemannorum victore, Lucan. *Civ. Bell. l.* 7. *v.* 433. *& ſeqq.*

Libertas ultra Tigrim Rhenumque receſſit,
Ac toties nobis jugulo quæſita, negatur,
Germanum Scythicumque bonum:

qui rerum ſtatus ſub Francis duravit uſque ad A. C. 19. juxta Cl. Hottingeri calculum. Intra quod tempus, Helvetiorum ope A. C. 540. Mediolanum expugnatum, maximaque in Clerum poteſtas à Francorum Regibus eſt collata: ſed & Urii, Suitii, Subſylvani ac Haſelæ vallis incolæ, ob res in Italia contra Saracenos præclarè geſtas, inſignibus privilegiis ornati ſunt, ab Ludovico Pio. Extinctâ poſtmodum Carolinorum familiâ, Imperio Germanico Helvetii acceſſêre, ubi jam liberioris auræ afflatus, & novæ ſubindè à Cæſaribus, immunitates iis obtigêrunt: quas cùm Albertus Imp. funditus tollere, novum in Helvetiis principatum moliens, conaretur, tyrannideque inauditâ patientiam populorum tentaret, fœderis hinc perpetui A. C. 1308. prima fundamenta jacta ſunt, quòd cùm Auſtriaci omni niſu diſſolvere, & ſub grave ſervitutis jugum Helvetios retrahere pertenderent, hi, omni humanâ ope deſtituti, ab Imperatoribus quoque deſerti, & res ſuas ſibi habere juſſi, Deo armis eorum benedicente, libertatem jam ante C. N. Majoribus uſurpatam fortiter recuperarunt, bellis contra hoſtes ejus geſtis, ſupra omnes Europæ gentes, inclyti: ultimo, poſt plurima alia, ad Dornacum, arcem Baſileæ vicinam, prælio victores. Tum Baſileæ inter Maximilianum I. Imp. & Helvetios pax coalita, libertatique cautum eſt, circa quam cùm difficultates quædam etiam ad noſtram uſque ætatem à maleferiatis quibuſdam ſubindè moverentur, illæ Ferdinando III. imperante pacificatione Monaſterienſi penitus ſublatæ ſunt, A. C. 1649. articulo hac de re Inſtrumento pacis inſerto. Formam Reip. quod attinet, eandem ferè cum antiquis Celtis, quorum ſoli dignitatem tuentur, ſervant, ab omnibus Principibus in amicitiam & fœdera, quorum duo inprimis celebria; Alterum perpetuum cum domo Auſtriaca, *die Erbeinigung*, A. C. 1474. inchoatum, à Sigiſmundo Archid. Alterum, cum Galliæ Rege ad certum tempus; ab Ludovico XI. qui virtutem Helvetiorum prælio San Jacobæo, prope Baſileam, expertus erat, primitus initum; & cum hodierno Rege, A. C. 1663. in 60. annos de novo percuſſum: utrumque defenſivum tantùm, expetiti. Fidei quoque & fortitudinis ratioris nomine, non in ſatellitium modò, à plurimis Principibus, lecta ex gente juventus adſciſcitur, ſed & proximæ corporis cuſtodiæ adhibetur, quemadmodum Jul. Cæſarem, & Auguſtum Calagurritanorum manu eundem in finem uſos eſſe apud Suet. legimus. in eo *c.* 49. De Religione, ut pauca addam: Priores Helvetii Jovem coluêrunt, ut inſcriptio Paterniaci reperta, duo item loca in Penninis Alpibus teſtantur: Iiſdem Apollinem in pretio fuiſſe, Inſcriptiones tum Genevæ, tum Aventici docent. Præter hos Mercurium venerati ſunt, ut ex ſtatua ejus haud pridem Vindoniſſæ adhuc una, & variis locis Mercurii nomen referentibus, patet: Ex Dearum numero coluêrunt Iſidem, Eponam, Aventiam. Porro Auguſtorum venerati ſunt Numina, Genios item: habuêruntque ſuos Sacerdotes, Augures, Flamines & Flaminicas. Poſtquam verò Deo placuit ex Gentiliſmi his tenebris egregiam gentem eruere, miſit illi circa A. C. 177. Lucium quendam, qui in Rhætia & Tigurino pago, ſtrenuum ſe Evangelii præconem geſſit. S. Mauritius dein ſub Diocletiano, inter illos floruit. Poſt hunc S. Fridolinus, gente Hibernus, Glaronenſem regionem & viciniam convertit, ſub Chlodoveo I. Francorum Rege, quo tempore S. Severinus apud Agaunenſes & Antuates, in magna fuit virtutis fama. S. Columbanus dein & S. Gallus his ſucceſſêre: duoque in Helvetia Epiſcopatus inſtituti ſunt Aventicenſis & Vindoniſſenſis, quorum ille Lauſannam, hic Conſtantiam poſtea, translatus eſt. Poſtquam dein Orbi nox per aliquot ſecula incubuit, placuit iterum Deo Helvetia, in qua Evangelicæ tubæ ſonus præ aliis gentibus audiretur, Huldrichi Zuinglii miniſterio, qui ante Lutherum, vel ſaltem eodem tempore, religionem Chriſtianam in his locis ad primævam ſuam puritatem revocare ſtuduit, Pareus *in dedic. tom.* 3. cujus doctrinam novam non fuiſſe, fatetur Gullimann. *l.* 3. *c.* 5. cùm ait: *In Helvetia Udalricus Zuinglius, Sacerdotii ordinis, nonnulla quoque nova tradere cœpit, aut pleraque, quæ olim Arnoldus Brixianus Tiguri docuerat, longâ oblivione, & tenebris damnata, poſt quadringenteſimum annum, in lucem memoriamque revocavit.* Itaque ex Cantonibus XIII. Reformationem amplexi ſunt Tigurini, Bernates, Baſilienſes & Scaphuſiani: qui de rebus ſuis deliberaturi Arovii conveniunt: Ex Sociis Sangallenſes, Neocomenſes & Biennenſes. Horum *Confeſſio*, quæ à gente *Helvetica* nomen habet, magni in Eccleſia nominis, Synodi Baſileæ huic fini A. C. 1530. habitæ, juſſu, conſcripta eſt ab Henrico Bullingero, Oſwaldo Myconio, ac Simone Grynæo: quibus poſtea additi fuêre Leo Judæ & Caſparus Megander; ſponte inſuper Martino Bucero & Wolfgango Fabricio Capitone, operam ſuam offerentibus. Eam approbarunt tum Wittebergenſes Theologi, tum univerſi Smalcaldici fœderis Principes, Hoſpin. *Hiſt. Sacr. l.* 2. *c.* 156. Lutherus ipſe *orthodoxam ſe illam agnoſcere*, profeſſus eſt, Idem *l. c. p.* 148. Ambroſ. Wolfius *de Concord. Luth. cum Eccl. Helvet.* &c. Eandem poſtea, monitu Friderici III. Elect. Palatini, paulo uberius, theticè & antitheticè, expoſuit Henr. Bullingerus, A. C. 1565. in cujus jam editæ A. C. 1566. conſortium acceſſêrunt, eique ſubſcripſêrunt Eccleſiæ Polonicæ in Ducatu primum Zathorienſi & Oſuiecimenſi, quæ A. C. 1572. Sigiſmundo II. Confeſſionem hanc in idioma ſuum translatam obtulêrunt, in Comitiis Warſavienſibus: quibus dein plures in eodem regno ſe adjunxêrunt, poſtquam confeſſione viſà perpenſaque Stephanus Rex A. C. 1578. publicum Reformatis Religionis exercitium conceſſit. Similiter Scoticæ Eccleſiæ Andreapoli in Synodo coactæ, literis ad Theod. Bezam A. C. 1566. datis, conſenſum ſuum teſtatæ ſunt. Idem Hungari fecêre, in Synodo Debrecinenſi, A. C. 1567. ut alios omittam. Cum Pontificiis mixti degunt Rhæti, Glaronenſes & Abbatiſcellani. Reliqui, quorum conventibus Lucerna deſtinata eſt, Latinos ritus porro ſequuntur, longè nunc addictius, quàm Majores, quibus imaginum rarior cultus, Indulgentiarumque infrequens mercatus fuerat: imò qui Clerum refrænare, in eum ſupplicia ſtatuere, Papas officii ſui admonere non ſemel auſi ſunt: Undè Nicolaus Underwaldius apud Wimphelingum, ita olim populares ſuos affari ſolitus legitur: *Nolite confidere in cerimoniis, quas vobis ipſis impoſuiſtis: Nolite arbitrari, quod per ſacras literas Spiritus S. prohibet, id à vobis ſolis Deo acceptum eſſe. Geſtus & Cerimoniæ quædam inter orandum manifeſtè & in propatulo fieri poſſunt. Quaſdam autem, inter quas una eſt brachiorum per modum crucis expanſio, non in publico: ſed ſecretiſſimè in intimis penetralibus faciendas ſapientiſſimi patres edocuêrunt.* Sita eſt hodierna Helvetia, Germ. *Suitzerlandt*, Gall. *la Suiſſe*, inter montem Juram, Lacum Genevenſem, Italiam & Rhenum: habetque à Sept. Rhenum, ab egreſſu lacus Cellenſis ad Rauracos uſque, ſi pauca excipiantur; ob Or. Sueviæ partem, Comitatum Tirolis, & partem aliquam ditionis Venetorum: à Mer. Bergomates, Mediolanenſes, & Pedemontanos: Ab Occ. Sabaudiam Conſtatque univerſum Helvetiorum Corpus hodie tribus partibus, quarum I. conſtituunt Tredecim Populi, quos Galli & Itali *Cantones*, alii *Pagos* vocant: quorum Comitia Badæ ſeu Aquis Helveticis habentur. II. Socii & Confœderati. III. Præfecturæ Helvetiorum imperio ſubjectæ, quarum ſeriem vide infrà: plura autem de fortiſſima hac gente, apud Stumpfium, Stettler. Suicer. Hottinger. Joh. Bapt. Plantin. Gullimann. Lazium, &c. in Rer. *Chron. & deſcr. Helvet.* Adde Cl. Ottonem *Notis ad* B. Rhenan. *Rer. Germ. l.* 1. ubi is de *Alemannorum trans Rhenum in Germaniam Primam & partem Maximæ Sequanorum, h. e. Helveticorum & Rauracorum, ac in ſuperiores ad Rhenum agros ac Turgaviam, vallemque Tarinam & trans Danubium in Rhetiam primam*, p. 206. & ſeqq. de *Vitarum* & *Saxonum in Helvetios p.* 235. & de *Helvetiorum in Germaniam, migratione p.* 243. prolixè agit. De eadem ſic Glarean. in *Panegyr. Helv.*

Fœta armis regio, fœcundaque inclyta partu,
Gens nimium potum exhorrens, gens dedita ſacris,
Relligione viret, tota eſt affabilis, alto
Amne ſitim levat, & victu contenta minuto eſt.
Nullæ hîc inſidiæ raptorum, nulla tyrannos
Arx fovet, & nullam timet hîc mercator Eremum. O-

O nimium felix patria, ô digniſſima laude,
Si quod Majores duro peperere labore,
Imperium ſerves, libramque ſequare bilancem
Virginis Aſtrææ, timeat ſua dona cupido:
Imperium pia ſimplicitas regat, & bona virtus.
Jura ferat ſenior, venabula læta juventus
Dura acuat, ſubigatque ferox in cote ſagittas!

Et paulo pòſt:

Omnia ad exemplum Majorum pende tuorum:
Omnia reſpicienda tibi, tu diſcito Romæ
Creſcentis mores, tetricos imitare Catones,
Æneadasque duces, Decios, fidosque Camillos,
Fabritium, Curium, & contracto poplite Coclem.
Brutus erat nobis, Uro Gulielmus in arvo,
Aſſertor Patriæ, vindexque ultorque tyrannum:
Sic rogo Scipiadæ ſint nunc, fideique ſtupendæ
Attilius, ſit qui pacem Pyrrho eſſe negandam
Appius admoneat!

Et quæ ſequuntur.

Pagi ſeu Cantones Reipublicæ Helveticæ XIII. eo ordine, quo in Comitiis ſedent.

Tigurum *Zürich*, fœderi perpetuo nomen dedit A.C. 1351.
Berna *Bern*, A.C. 1353.
Lucerna, *Lucern*, A.C. 1332.
Uria *Uri*, Suitia *Schweitz*, Subſylvania *Underwalden*, A.C. 1315.
Tugium *Zug*, A.C. 1352.
Glarona *Glarus*, A.C. 1351.
Baſilea *Baſel*, A.C. 1501. confecto bello Suevico.
Friburgum *Friburg* A.C. 1481. poſt finitum bellum Burgundicum.
Solodorum *Solothurn*, ſimiliter.
Scaphuſia *Schaffhauſen*, A.C. 1501.
Abbatiſcellani *Appenzeller*, reliquis ſe junxêrunt, A.C. 1513.

Socii & Confœderati Helvetiorum.

Abbas Sangallenſis, cum Tigurinis, Lucernatibus, Suitiis & Glaronenſibus, fœdus iniit, A.C. 1451.
Baſilienſis Ep. cum 8. Vett. Pagis haud pridem.
Biennenſes, cum Bernatibus A.C. 1303. & 1367.
Conſtantienſis Ep. poſt Abbatem Sangall.
Geneva cum Friburgenſibus A.C. 1509. Bernatibus A.C. 1525. & 1526. Tigurinis A.C. 1584.
Mülhauſium, cum 13. Pagis fœdus iniit A.C. 1515.
Neocomenſes, peculiari fœdere Bernenſibus hodie obſtricti ſunt.
Rhætorum Fœdus Canum A.C. 1497. & Fœdus Domus Dei A.C. 1498. cum ſeptem Pagis.
Rotevilla, in Suevia, cum omnibus, A.C. 1519.
Sangallum opp. cum Tigur. Bernenſibus, Lucernatibus, Suitiis, Tugenis & Glaronenſibus, fœdus feriit A.C. 1454.
Valleſiani Bernenſibus ſe junxêrunt A.C. 1475. cum 7. dein Pagis Religioni Rom. tantùm addictis, A.C. 1533.

Præfecturæ Helvetiorum.

Aquenſis Comit. paret 8. veteribus Pagis.
Biltionum, vallis Brunia & Riviera, Suitiis ac Glaronenſibus.
Italicæ Præfecturæ, Luganenſis, Locarnenſis, Mendriſiana & vallis Madiæ omnibus Pagis, extra Abbatiſcellanos.
Liberæ Provinciæ *die Freyen Aempter*, 7. vetuſtioribus.
Muratum, Grandiſonum, Eſchalenium & Urba, Bernatibus ac Friburgiis.
Rheguſca vallis 8. Pagis.
Sarrunegaunenſis Comit. 7. veteribus Cantonibus.
Turgovienſis Comit. iiſdem, additis Bernenſibus, Friburgenſibus & Soloduriis, quo ad ſupremam juriſdictionem.
Uzenacum & Caſtra Rhætica, Suitiis & Glaronenſibus, &c.

HELVETIORUM Eremus, Ptol. ἡ τῶν Ἐλουηττίων ἔρημος, regio videtur inter Hercyniam ſylvam, Rhenumque & Mœnum amnes, Helvetiis habitata, Tac. *de mor. Germ. c.* 28. Hos enim in Germaniam colonias miſiſſe, oſtendit Joh. Bapt. Plantin. *Helv. Antiq. & Nov.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* qui Helvetios, Belgicam gentem, olim provinciæ Maximæ Sequanorum attributos; poſtea ſub Merovei poſteris amiſſo priori nomine in duas partes fuiſſe diviſos, quarum altera, pagus nempè Tigurinus, inter Rhenum & Urſam flum. ab Alemannis occupata, & Ducatui Alemanniæ ſeu Sueviæ, aſcripta, ſub Auſtraſiæ Regibus: altera ab Urſa ad Rhodanum & montem Juram pertinens, *Pagus Transjurenſis* Sequanis cæteriſque Gallis dicta, Burgundiæ Regibus attributa fuerit, addit. Vide ſuprà: adde præclarè in hanc rem dicto Ottoni JC. *ad B. Rhenan. p.* 243.

HELVETUM, urbs Germ. Sup. libera in Alſatia. Ant. *Schleſtadt. Simlero.*

HELVIA Reſina, urbs Piceni, in ruderibus, erat ad Potentiam fluv. verſus Maceratam: ex ejus ruinis crevit Recinetum urbs; *Recina rovinata.*

HELVIANI Sodales, dicti ſunt poſt mortem *Helvii* Pertinacis Imp. qui *Marciani* fuerant, uti loquitur Jul. Capitolin. *in Pertinace*; quaſi Marcianorum tum fuiſſet nomen ſublatum. Meminit tamen amborum lapis vet. Romæ, ubi hæc inter cætera: SODALI. MARCIANO. AURELIANO COMMODIANO. HELVIANO. SEVERIANO. Caſaub. *ad Capitolin.*

HELVICUS Chriſtophorus, Germanus, Gieſſæ Theologiæ Profeſſor. Ejus varia extant, *Chronologicum* inprimus *opus*, *æqualibus Denariorum, Quinquagenariorum & Centenariorum intervallis; cum*

aſſignatione Imperiorum, Regnorum, Dynaſtiarum, Regum, Electorum-Principum, Pontificum Romanorum, nec non & Turcicorum Impp. aliorumque Virorum illuſtrium, celebrium, Prophetarum, Theologorum, Jureconſultorum, Medicorum, Philoſophorum, Oratorum, Hiſtoricorum, Poëtarum, Hæreticorum, Rabbinorum, Conciliorum, Synodorum, Academiarum &c. itemque uſitatarum Epocharum, digeſtum. Quod de novo recognovit, auxit & continuavit Joh. Juſtus Winckelmannus Conſiliarius & Hiſtoriographus Haſſiaco-Oldenburgicus. De eo Neander *in Georg. Vir*, inquit, *præſtans pietate, doctrinâ, cognitione rerum ſacrarum & Hiſtoriarum ætatum, temporum atque Gentium omnium.* Obiit A.C. 1617. Schoppio teſte. Vide & *Chriſtophorus.*

HELVIDIUS, Siciliæ Prætor, à Conſtantino victus, A.C. 781.

HELVIDIUS, auctor Antidicomarianitarum, Mariam virginem, poſt natum Servatorum, liberos ex Joſepho ſuſcepiſſe ſtatuit, &c. Epiphan. *Hær.* 78. Auguſtin. *hær.* 56. & 84. Bar. A.C. 382. *n.* 28.

HELVIDIUS Priſcus, vide *Priſcus.*

HELVIGUS Martinus, vide *Martinus.*

HELVII, Cæſ. *l.* 1. *Bell. Gall. c.* 1. 2, & 3. *Helvi.* Strab. *l.* 4. *p.* 193. & 196. Ἔλουοι Scriptus Cæſ. codex *Ilvi*. forſan *Elvi* mel. pop. inter Celtas, monte Gebbennâ ab Arvernis diviſi, proximi Cadurcis. Hos Cæſ. *de Bell. Gall. l.* 7. *c.* 12. apertè provinciæ Romanorum, ſeu Galliæ Narbonenſi attribuit. Nam & Carnutibus, Arvernis & Biturigibus rebellantibus hi in fide manſêre: & Vercingetorix Cæſari bellum inferens in *Helvios* milites miſit, & *Helvii* ſpontè cum finitimis, Gabalis & Vellavis; congreſſi, C. Valerio Donotauro, Caburi filio; principe Civitatis interfecto, intra oppida muroſque compulſi ſunt. Hodiè *Albigeois* dicti, Ferrar. Baudr. ubi nunc Vivarienſis prov. quorum Caput Alba Auguſta olim, ſeu Alba Helviorum, nunc Vivario, *Viviers*, urbs Epiſcopal. ad Rhodanum, inter Valentiam ab Bor. & Avenionem ad Auſtr. in Occ. longè ab Albiga in Ort. Hinc *Albenſes* dicti ſunt, non ſolùm urbis cives, ſed ipſa gens *Helvii*. Inter Viennenſis prov. urbes quarto loco numeratur: inter ſedes 6. Viennæ metropoli ſubjectas. à Valentina proxima recenſetur Vivarienſis, in recentior. Notitiis, & Dienſi, Gratianopolitanæ Maurianenſi ac Genevenſi præfertur. Ex ejus Epiſcopis Venantius Concilio Epaonenſi & Arvenenſi, ſub Theodeberto Rege, Cautinus verò à Melanio miſſus Concilio Aurelianenſi 5. ſubſcripſit. Caput eſt pagi cogn. *le Viuarez*: Incolæ *les Vivarois*, vino *Helvico* à Plin. *l.* 23. *c.* 1. laudato, nobiles.

Loca Diœceſi Helvicâ ſeu Vivarienſi contenta.

Albanaſium.
Gaudioſa *Joyeuſe*, cum tit. Duc.
Inter aquas *Antraygues.*
Manſus Maurorum, *Mas de Mauras.*
S. Michaëlis locus *S. Michel.*
Paucinum *le Pouzin.*
Petra curta *Pierre gourde.*
Privatium *Privas.*
ad S. Privatum *S. Privat.*
Rupes Maura *Rochemaure.*
Rupes Morenata Theodulfo dicta.
Turno *Tournon.*
Vivarium, vel Vivaria in plur. *Viviers.*

Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

HELVILLUM, ſeu *us.* pag. Umbriæ, non extat.

HELVINA, vel *Helvinus*, fons Latii in agro Aquinate. Undè *Ceres Helvina.* Juv. *Sat.* 3. *l.* 1. *v.* 320.

Me quoque ad Helvinam Cererem *veſtramque Dianam.*

HELVINUM, fluv. Piceni, qui *Matrinus* Strab. *l.* 5. *p.* 241. in Ptol. dici videtur. *Piomba* hodie Nigro, & Leandro. Nunc *Salinelli* Brietio, in Aprutio ult. In mare Hadr. ſe exonerat, longè à Matrino fluv. qui *Piomba.*

Viri Illuſtres.

HELVIUS; vide R*ufus.*

HELVIUS Cinna, C. Cæſaris juſſu, paratam habuit legem, quam abſente iſto ferret, ut uxores, quas & quot quiſque vellet ducendi haberet poteſtatem ſed ne promulgata quidem, nedum perlata eſt. Suet. *in Cæſ. c.* 52.

HELVIUS Pertinax, Imp. Rom. Vide *Pertinax.*

HELVIUS Succeſſus, libertinus, pater *Helvii* Pertinacis Imp. filio nomen, ex continuatione lignariæ negotiationis; quòd *pertinaciter* eam rem gereret, impoſuiſſe fertur: Capitolin. in *Vita* hujus. Nempe coctiliciam in Liguria tabernam exercens pater cùm mediocres opes conſequutus eſſet, filium literas curavit docendum, ὅσον ἀπὸ ζῆν ἀπ᾽ αὐτῶν, ut ait Dio: Fil. verò, contra Patris voluntatem, maluit paternam negotiationem continuare, neque ab iſta ſententia diu potuit dimoveri, *Pertinacis* hinc nomen adeptus. Caſaub. *ad l.*

HELVOLÆ, uvæ varii coloris, è quibus dubii coloris vinum conficitur; *vin paillet* Gallis dictum. Plin. *l.* 14. *c.* 2. *Inſignes jam colore inter perpureas nigraſque medio* Helvolæ, *ſæpius varianti & ob id* Varianæ *à quibuſdam appellatæ.* Et Columella *l.* 4. *c.* 2. *Sunt &* Helvolæ, *quas nonnulli* varias *appellant, neque purpureæ, neque nigræ, ab helvo --- colore vocitatæ.* Vide Bochart. *Hieroz. Part. I. l.* 2. *c.* 7. & infrà. *Melinus color.*

HELYMUS & Panopes, Aceſtæ Regis Siciliæ comites, venatores fuêrunt. Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 73, 300, 323, & 339.

HEMAN, fil. Loran, filii Horræi. Gen *c.* 36. *v.* 22. qui 1. Par. *c.* 1. *v.* 39. dicitur *Homan.* Item Fil. Maol. 1. Reg. *c.* 4. *v.* 31. & Fil. Joel. 1. Par. *c.* 6. *v.* 33. *c.* 15. *v.* 17. & *c.* 16. *v.* 41. Vide Morer. *Dict.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Hiſt. Nepos Samuelis Proph. unus ex Cantoribus Davidis. Vide Pſalm. 88. v. 1. &c.

HEMASINI, Dalmatiæ gens. Plin. *l.* 3. *c.* 22.

HEMATH, vide *Emath.*

HEMEROBAPTISTÆ, ſecta Judæorum. Lavabant ſe quotidie, quod illis compendium ſanctitatis erat; hincque nomen nacti ſunt. Reſurrectionem mortuorum negabant, cætera Phariſæos ſequuti. Marci *c.* 7. *v.* 3. & 4. Epiph. *l.* 1. *Panar. c.* 17. & 18.

HEMEROCALLIS, flos eſt, *primo poſt violam loco, ineunte vere, ſpectabilis; officioſus adeo & liberalis, ut, quo maturius ſuâ nos præſentiâ recreet, gratiſſimoque odore reficiat, vix expectet, dum hiems abeat, dum defluant nives. Emergit binis ternisve ſtipatus à radice foliis prælongis ac latis, culmo erectus tereti, unguinoſo ac vacuo, ad inſtar tubuli; circum enaſcens à lateribus, non tantum ab apice; & in plurimos hinc inde emicans oblongos, molliculosque calyces, coloris modò candidi, modò cyanei, aliàs ſububri; effigie fiſtulæ, extrema ora ſerratim inciſa, reflexaque per ambitum*, Franc. Pomey *Deſcript. diverſ.*

HEMERODROMI, curſorum genus, apud Græcos, C. Nep. *in Miltiade, c.* 4. Ad quorum imitationem Aug. *Et quò celeriùs ac ſub manum annuntiari cognoſcique poſſet, quid in provincia quaque gereretur, juvenes primò modicis intervallis, per militares vias, dehinc vehicula, diſpoſuit*, apud Suet. in *Eo, c.* 49. Vide ſuprà in voce *Curſores*, item infrà, ubi de *Speculatoribus.* Liv. certè *Hemerodromos* Græcis dici, qui *Speculatores* Latinis, ait *l.* 31. *c.* 24. his ſimiles apud Perſas οἱ Ἀσάνδαι ſeu Ἀσκάνδαι, quos ἡμεροδρόμους interpretatur Heſych. memorati Plutarch. *Alex. c.* 29. & *de Fortuna Alex. Orat.* 2. 18. Vide quoque ſuprà, *Aſtandæ.* Propriè verò Ἡμεροδρόμος Sol, apud Suid. undè ad homines appellatio tranſiit: quòd vel totum diem curſitantes non fatigarentur; vel quòd uno die magnum viæ ſpatium emetirentur, ut Liv. habet *l.* 1. *dec.* 4. Δρομοκήρυκας eoſdem dictos, Harpocration docet. Vide quoque Polyæn. *l.* 5. *in Euduc.*

HEMEROSCOPIUM, urbs Celtiberorum, Phocenſium colonia. Steph. Prom. *Cabo Martin*, idem cum Dianio Artemiſio & Ferraria prom. Vide ibi. Ejus pars media *Punta del Emperador. Baudr.*

HEMEROUSIOS, nomen inſignis tabellæ, à Pauſia pictæ. Plin. *l.* 35. *c.* 11. *Parvas pingebat tabellas, maximeque pueros. Hoc æmuli eum interpretabantur facere, quoniam tarda picturæ ratio ulla eſſet. Quamobrem arti daturus & celeritatis famam, abſolvit uno die tabellam, quæ vocata eſt* hemereſios *puero picto.* Ex Græco ἡμερήσιος, *diurnus.*

HEMERTE, Inſ. in Ægæo mari. Vide *Lesbos.* Plin. *l.* 5. *c.* 31.

HEMESA, vide *Emiſſa.* Idem ibid. *c.* 26.

HEMICHARA, opp. Siciliæ mediterr. *Necoſia* Nigro, Ferrario *Macari.* Aliis *Imachara*, nunc *Traina*, opp. vallis Nemorenſis, in colle. Cluv. *Briet.*

HEMICYCLIUM, Græcè ἡμικύκλιον, *ſemirotundus ſuggeſtus* Apulejo, *ſigma* Latinis, de quo vide infrà. Dico hîc paucis, ſtibadium vel accubitum fuiſſe, formâ lunatâ vel ſemicirculari, Salmaſ. *ad Æl. Lamprid. in Ant. Heliogab.* De *Hemicyclio*, in Ædibus ſacris Communionis Rom. Vide infrà in voce *Tribuna.* Sed & inter machinas Theatrales *hemicyclium*, quo agebantur è mari enantes, memoratur Jul. Cæſ. Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 21.

HEMICYNES, pop. non procul à Maſſagetis & Hyperboreis, quaſi *ſemicanes*, quos Apollon. *in Argonauticis* canum inſtar latrare ſcribit. *Steph.*

HEMINA Monachorum, in *Regula* S. Benedicti, eſt certa vini menſura, quam iis ſufficere per diem exiſtimavit; de cujus quantitate cùm multa habeant *Regulæ* Interpretes, colligit ea omnia Haëftenus *Diſq. Monaſtic. l.* 10. *tract.* 4. *diſq.* 2. ac præſertim nuperus Scriptor, *in Diſſert. Gallica, de Vini hemina & libra panis, in Reg. S. Benedicti, edita A. C.* 1667. De ἡμίνα Βασιλικῇ, *Hemina Regia*, ſeu *Imperatoria*, quæ eadem cum *Capitolina, Italica, Urbana*, majorque ea, qua vulgò utebantur etiam Romæ, nedum in provinciis, vide Salmaſ. *ad Capitolin. in Maxim.* ubi docet, moris fuiſſe, ut publicæ menſuræ, & pondera in Capitolio ſervarentur, & *Heminam Romanam*, h. e. ſextarii dimidium, conſuetum modum fuiſſe modicorum potorum, addit.

HEMINGFORDIUS Gualterus, vide *Gualterus.*

HEMINGUS, Danorum Rex, fœdus cum Carolo Mag. Imp. icit, A. C. 812.

HEMISPHÆRIUM, Græcè ἡμισφαίριον, Architectis dicitur genus ædificii, quod inſtar habet illius hemiſphærii, quod ſuprà nos eſt, & à teſtudine ſic diſtinguitur, quòd hæc ex duobus arcubus conſtet, in medio centro invicem ſeſe ſecantibus, *hemiſphærium* verò in convexo totum ſit ſphæricum. Aſtronomis genus antiquiſſimi horologii, quod πόλος quoque vocatum æquinoctia oſtendebat, & in extuberanti facie gnomone erecto, horas monſtrabat, auctore Beroſo Chaldæo. Poſt quem ſcaphen ſeu ſcaphium, vas rotundum itidem, ſed cavum, in cujus medio fundo, ſtylus erigebatur, ad horas monſtrandas, repertum eſt, ab Ariſtarcho Samio: cujuſmodi horologia, hemiſphærio inverſo h. e. ſcaphæ, ſimilia Vitruv. quoque *hemiſphæria* vocat. Sed *hemiſphærium* id propriè eſt, quod diximus. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 639. & *ſeqq.* nec non infrà, in voce *Polus*, item *Scaphium.*

HEMMINGENSIS Sixtus, vide *Sixtus.*

HEMODES, quæ & *Hemodæ* & *Emodæ*, inſulæ 7. ſinus Codani Cimbricæ Cherſoneſo ad Ort. adjacentes, quarum nomina ſunt *Seelandt, Fuynen, Langlandt, Muen, Falſter, Loyland*, & *Femeren.* Cluv. fuêrunt, ubi nunc *Schetlandia* Inſ. ſupra Scotiam & Orcades ad Bor. Præcipua illarum *Maınlandia*; ſub Danis. Vide *Schetlandia.*

HEMODES, inter Tauri montis nomina. P. Mela *l.* 1. *c.* 15. *Ubi terras diremit, exit in pelagus. Idem autem & Taurus, ut dictum eſt, dicitur quâ ſpectat Orientem Imaus. Deinde* Hemodes, *Caucaſus & Paropamiſus* &c. Alias *Hemodus*, quod vide.

HEMODUS, mons Indiæ, vide *Emodus.* Strab. *l.* 15. *p.* 689. 698.

HEMONA, civ. in tribu Benjamin. Joſ. *c.* 18. *v.* 24.

HEMONA, nomen urbis apud Græcos, Latinoſque ſcriptores variè corruptum. Sed recta ſcriptura eſt *Emon*, vel *Emona*, ut *Narbo*, & *Narbona.* Græcè Ἥμων Zoſimo *l.* 5. ubi habes de conditu hujus urbis digreſſiunculam. Ptol. Ἥμωνα. In *tabula* autem *numerata*, quam Marco Velſero debemus, & antiquis inſcriptionibus nonnullis *Emona* rectè ſcribitur. Corruptè autem in Herodiano: Ἐπέστησαν πρώτῃ Ἰταλίας πόλει, ἣν καλοῦσιν Ἡμῶνοι ἐπιχώριοι. Ubi (ut & Capitolin. ex eo) Emonam Italiæ urbibus accenſet: quomodo videlicet urbes finitimæ modo huic, modo illi earum provinciarum, quas contingunt, attribui ſolent à ſcriptoribus, talium ſæpe incurioſis, ut & Strab. obſervat. Nam revera *Emona* Pannoniæ ſuperioris urbs erat, in finibus ejus ſita, quâ in Noricum ibatur & Italiam. ideo Ptol. ὑπὸ τὸ Νωρικόν inter Italiam, & Pannoniam ſuperiorem eſſe ſcribit. Zoſim. autem inter Pannoniam, & Noricum. Vide Caſaub. *ad Capitolin. p.* 185. *Nic. Lloyd.*

HEMOPSVESTIA, urbs Ciliciæ. Vide *Mopſveſtia.*

HEMOR, Pater Sichem. Gen. *c.* 33. *v.* 19. *c.* 34. *v.* 2. Act. *c.* 7. *v.* 16.

HEMUS, vide *Æmus*, & *Hæmus.* Eſt & *Hæmus* Græculi hiſtrionis nomen. Juv. *Sat.* 6. *l.* 2. *v.* 197.

> *- - Dicas hæc mollius Æmo*
> *Quanquam & Carpophoro.*

Idem *Sat. l.* 3. *l.* 1. *v.* 99.

> *Aut Stratocles, aut cum molli Demetrius* Hæmo.

HEN, Zephaniæ fil. Zach *c.* 6. *v.* 14.

HENEDAB, nomen viri. Neh. *c.* 3. *v.* 10.

HENESIOTUS, Regio Sarm. Aſiaticæ. *Ptol.*

HENETI, iidem cum *Vandalis* quibuſd. à Zemovito Polono victi, A. C. 892. quod bellum poſtea fil. ejus Lechus, qui quàm [illegible] bellicæ gloriæ amantior, deſervit. ut & Pomeranicum ac Caſſubicum, ſimiliter à patre inchoatum, Cromer. *l.* 2. Ab Henr. poſtea Leone Duce Bavariæ & Sax. cui Albert. Urſus Brandeburgicus ſe junxerat, poſt acerrimum bellum, occiſo Nicoloto Rege major pars gentis extirpata, alii in confinia Poloniæ rejecti: reliquiæ verò dignitatibus civilibus & honeſtis contractibus excluſi ſunt, deductis in exhauſtas provincias novis è Friſia & Saxonia coloniis, ſec. 12.

HENETI, Paphlagoniæ pop. quorum equi in pretio. Phædra in Euripidis *Hippolyto*, *v.* 230.

> Εἴτε γυμνάδας ἐν σοῖς δαπέδοις
> Πώλους Ἑνέτας δαμαζομένα.

Et Chorus *v.* 1131. de Hippolyto jam fato functo:

> Οὐκ ἔτι συζυγίαν
> Πώλων Ἑνετᾶν ἐπιβάσῃ.

Ubi Scholiaſtes: Ἑνετᾶν, Παφλαγονικῶν. Ἑνετοὶ γὰρ ἔθνος Παφλαγονίας. At Heſych. aliter: Ἑνετίδας, πώλους στεφανοφόρους, ἀπὸ τῆς Ἀδρίας Ἑνετίδος, διαφέρουσι γὰρ ἐκεῖ. Quibus conſentiunt hæc Strab. *l.* 5. *p.* 212. ubi de Italiæ Venetis; καὶ Διονύσιος ὁ τῆς Σικελίας τύραννος, ἐντεῦθεν τὸ ἱπποτροφεῖον συνεστήσατο τῶν ἀθλητῶν ἵππων. ὥστε καὶ ὄνομα ἐν τοῖς Ἕλλησι γενέσθαι τῆς Ἑνετικῆς πωλείας, καὶ πολὺν χρόνον εὐδοκιμῆσαι τὸ γένος. Proindè etiam Euripid. Schol. docet Πώλους Ἑνετὰς equas eſſe eorum Henetorum, οἱ Παφλαγονίαν πρότερον οἰκοῦντες, ὕστερον ἐπὶ τῆς Ἀδρίαν διέτριψαν. Plin. *l.* 6. *c.* 2. *Nic. Lloyd.*

HENETIA, olim dicta, quæ nunc *Venetia.*

HENGISTUS & *Horſa*, Saxones Angli fratres, Witgiſlo ſeu Witikindo, filio Wittichii Saxonum Regis quibuſdam placet, geniti, è Germania, A. C. 449. à Britonibus, quos Scoti Pictique acerrimè premebant, evocati, à Vortigerno Rege in Cantio ſedes accepêrunt. contra hoſtem mox victores. Dein Hengiſtus, per Romicen filiam Rege ineſcato, popularibus catervatim in Inſulam adveniendi viam paravit; A. C. 452. Interemptus in prælio ad Pancaſtrum, ab Aurelio Ambroſio, qui Horſam quoque prius interemerat. A. C. 456. Hengiſti fil. Idas regnum Northumbrorum orſus eſt, A. C. 547. in quo ipſi Ella fil. ſucceſſit. Vide Polyd. Virg. Duchen. &c. Alii ex Hengiſti fil. Otta ſeu Ebuſone per filios hunc Iddam, Northumbriæ Reges, in quibus Oſwaldus Sanctis adnumeratus, cecidit A. C. 642. & ultimus Adelfredus A. C. 783. à ſuis occiſus eſt: indè Wiſtam, Eaſt-Angliæ Reges, in quibus Sigibertus, Cantabrigienſis Acad. Fundator & ultimus Edmundus à Danis A. C. 871. cæſus, eminent: Item per alium Hengiſti fil. Otricum ſeu Oſcum Reges Cantii, in quibus Ethelbertus primus è Saxonibus A. C. 602. Chriſti fidem aſſumpſit, ultimus Edelwolfus ab Egberto Weſt-Saxone captus, deducêre amant. Alius Hengiſti fil. Hadwacker vel Odoacer, per longam nepotum ſeriem, Witikindi, Saxonicæ familiæ hodiernæ auctoris, genitor fertur: Vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.*

HENIOCHI, pop. Sarm. Aſiaticæ, circà Coracem montem, Caucaſi partem, & oram maris Euxini, poſt Colchos in Occid. incolentes, à Lacadæmoniis oriundi, apud quos montes *Heniochii*; qui & *Coraxici*, teſte Plin. dicuntur; ex quibus Cyrus ingens fluv. per Albanos fluit. Val. Flacc. *Argon. l.* 6. *v.* 42.

> *Miſerat ardentes (mox ipſe ſecutus) Alanos,*
> Heniochoſque *truces.* --- ---

Non longè ab Achæis ponuntur à Plin. *l.* 6. *c.* 4. & 5. Strab. verò *l.* 11. 492, 495. & 496. tradit Laconas habitaſſe Henochiam, quorum Duces Rhecas, & Amphiſtratus fuêrunt Caſtoris & Pollucis aurigæ, unde Ἡνίοχοι ab iis ſic dicti. Baudr. fuêre in ora Ponti Euxini uti hodie Avogaſia Reg. Circaſſiæ.

HEN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

HENSICHIUS Georgius, vide *Georgius*.

HENIUS, vulgò *Hayſne*, fluv. parv. Hannoniæ. Oritur ſupra Binchium, dein in Occ. prope montes labens, Fanum S. Ghisleni rigat, & ad Condatum in Scaldim influit; ſicque Hannoniam biſariam ſecat.

HENKINI, in *Vita* Caroli IV. Imp. *Si Pater noſter arripuerit iſtas pecunias, diſperget eas inter Rhenenſes* Henkinos, *& ſic decepti manebimus*: per contumeliam dicuntur Rheni accolæ, *die Hencker*, carnifices, furciferi, apud C. du Freſne in *Gloſſ.*

HENNEBERGA, caſtrum Franconiæ, in colle, juxta amnem Suream. 8. mill. Germ. à Fulda in Ort. 7. à Schumfurto in Bor. ſub Duce Sax. Naumburg. hinc

HENNEBERGENSIS Princ. tractus inter Haſſiam ad Occ. Thuringiam ad Bor. & Or. ditionemque Herbipol. ad Mer. ad 9. mill. extenſus, ab Ortu in Occ. Oppida præc. Mainunga, Smalcalda, & Themaria. Olim ſub propriis Principp. Sed Obitu Georgii Erneſti, A. C. 1583. qui præcipuus Formulæ Concordiæ pararius fuerat, ad Ducem Saxon. devolutus eſt. Smalcalda tamen & Dominium Franchenſtenium, Landgr. Haſſo-Caſſelano parent. Cæterùm Chronicon familiæ hujus edidit Cyriacus Spangenbergius. Originem aliqui per errorem adſcribere Columniis Romanis volunt. Cæterùm auctor modò laudatus primam memoriam alicujus Comitis *Hennebergici* invenit, qui Mareſcalli Herbipolenſis munere functus ſit A. C. 753. quod dein officium in familia hæreditarium manſit. Godwaldus Com. Henrici cogn. *Aucupis* Imp. gener, dicitur tres filios genuiſſe; inter quos duo poſteriores, Hermannus & Bertholdus, ille Dominos Durlacenſes, hic Marchiones Sumfurtenſes ſeverit, poſteritate tamen non in multos gradus protensâ. Primus verò Gebhardus ſtemma propogavit. Deinceps ex Popponis XIII. filiis, Hermannus Coburgum, quod habebat, per filiam Guthan ſeu Brigittam in Brandeburgo-Aſcaniam familiam tranſmiſit, paulo pòſt alterius conjugii occaſione in avitam domum reverſurum. Præcipua diviſio in Henrici VIII. qui prædictorum Popponis fil. & Hermanni frater erat, filiis incepit: in qua Henricus XII. Coburgum a conjuge recepit, ſed per filiam ad Miſnicam ſtirpem tranſtulit, à qua nunc etiam tenetur. Fuit autem illa Catharina, quæ à Matre Gutha, filia Hermanni March. Brandeburgici, obtentum, dotis loco marito Friderico cogn. *Strenuo* March. Miſniæ attulit: Undè ſuprà memoratus Spangenbergius *l.* 5. *c.* 11. memorat, Fridericum III. Electorem, quoties Avos & Avias pingi curaret, adjeciſſe: *Lieber mahlet mir die Henne nur luſtig und wacker, denn ſie iſt eine gute Henne geweſen.* In ejus Epitaphio:

Oderat hæc lucrum, nec pulchra monilia geſſit,
Indelibatæ ſimplicitatis amans.

Ipſa verò linea, Principibus adſcripta A. C. 1310. Bertholdo ab Henrico VII. Imp. id axioma primum nacto, duravit uſque ad A. C. 1583. quos Georg. Erneſtus memoratus totam domum clauſit. Medius ramus auctorem Henricum habuit, qui *Hartenberg*, *Schwartza* & *Rombild* obtinuit; ac tertius in *Aſcha* Hermannum: è quibus prioris poſteritas in filiis & nepotibus defecit; poſterioris ſtirps diutius floruit, ſed tandem accepto priùs titulo Principali A. C. 1486. exaruit in Alberto A. C. 1549. cujus Progenitores ita habent. Henricus II. Com. *Hennebergæ* lineæ Aſchenſis, Extinctus A. C. 1341. ex Sophia (filia Guntheri Com. Schwartzenburgici) Hermannum V. reliquit, maritum Agnetis Schwartzenburgicæ & Patrem Friderici I. qui Obiit A. C. 1422. Huic Eliſabetha *Hennebergicâ* filia Henr. XIII. & neptis Joh. Principis Henneberg. lineæ Schleuſingenſis, qui Deceſſit A. C. 1359.) genuit Georg. quo (Obiit is A. C. 1465. & Johannâ Naſſoviâ (filia Philippi Comitis) natus eſt Fridericus Princeps *Hennebergæ*, Extinctus A. C. 1488. cujus ex Eliſabetha Wirtenbergica filia Ulrici Adami Com. Wirtenbergiæ) fil. Hermannus, Defunctus eſt A. C. 1535. Pater, ex Eliſabetha Brandeburgica filia Alberti Elect.) Bertholdi XIX. qui Annâ filiâ Erneſti Com. Mansfeldi ductâ Obiit A. C. 1549. Alberti, qui maritus Catharinæ filiæ Botonis Com. Stolbergæ, ultimus ſuæ lineæ Deceſſit A. C. 1549. Othonis VI. Canonici Argentinenſis, Defuncti A. C. 1547. Georgii III. Canonici itidem Argentin. qui Obiit A. C. 1521. Friderici III. Defuncti A. C. 1501. Apolloniæ (cui maritus obtigit Gothofridus Wernerus Com. de *Zimberen*) Eliſabethæ, Annæ & Margarethæ, Monialium qui omnes *Principes ac Comites Hennebergæ* &c. *ultimi lineæ de Aſcha* fuére. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Parte I. p.* 132. & *in Ind. ubi Familiæ diſpoſitionem exhibet.* Qui ramum Schleuſingenſem gentis præcipuum terminarunt, hos habuére Majores Joh. Princeps & Comes *Hennebergæ*, qui Obiit A. C. 1359. ex Eliſabetha Leuchtenbergica filia Friderici Landgravii, Henricum genuit, Mechtildis Badenſis Rudolpho M. Marchione genitæ maritum & Patrem Vilhelmi, qui Defunctus eſt A. C. 1426. Hoc & Annâ Brunſvicenſi (filiâ Erneſti Ducis) genitus Vilhelmus, Obiit A. C. 1444. Pater ex Catharina Hanovica (filia Reinhardi Comitis) Vilhelmi, Extincti A. C. 1480. Huic Margaretha Brunſvicenſis (filia Henrici Ducis Brunſvico-Luneb.) genuit Vilhelmum, qui Deceſſit A. C. 1559. præmiſſis partim, partim relictis ex Anaſtaſia Brandeb. filia Alberti Elect. Vilhelmo, qui nat. A. C. 1500. Deceſſit A. C. 1503. Annâ, quæ nat. & Den. A. C. 1502. Joh. Abbate Fuldenſi, qui Obiit A. C. 1541. Æt. 38. Wolfgango nat. A. C. 1507. & Den. A. C. 1537. Margaretha nat. A. C. 1508. Den. A. C. 1543. poſtquam Joh. Com. de *Sayn* & *Witgenſtein* uxor fuiſset; Catharina, uxore Henrici Com. Schwartzenburgici, quæ nat. A. C. 1509. Obiit A. C. 1567. Chriſtophoro nat. A. C. 1510. θ. A. C. 1548. Georgio Erneſto, qui nat. A. C. 1511. maritus fuit primo Eliſabethæ filiæ Erici Ducis Brunſvicenſis) dein Eliſabethæ Wirtenbergicæ (filiæ Chriſtophori Ducis Defunctus eſt A. C. 1583. Dorotheâ nat. A. C. 1512. Poppone nat. A. C. 1513. marito Eliſabethæ primùm Brandeburgicæ (filiæ Joachimi Electoris) ſubindè Sophiæ Brunſvicenſis (filiæ Erneſti Ducis Mortuo A. C. 1574 Caſparo nat. A. C. 1515. Den. A. C. 1517. Walpurgi, quæ nupta Wolfgango Com. *de Hohenloë*, Obiit A. C. 1570. Æt. 54. & Eliſabetha nat. A. C. 1517. uxore Joh. Comitis Solmenſis & Reiferſcheidii, Extincta. A. C. 1577. qui omnes *Principes de Hennenberg* &c. *ex linea Schleuſingenſi*, ultimi fuêre familiæ ſuæ. Vide eund. Phil. Jac. Spener. *Part. II. Theatr. laudati*, *p.* 50. Nec omittendum Joh. Friderici, Joh. Gulielmi & Joh. Friderici junioris, Fratrum Ducum Saxoniæ, cum Gulielmo ejuſque filio Georgio Erneſto & Poppone Principibus *Hennebergæ*, adſentientibus reliquis Saxonibus atque Haſſis, pari jam vinculo adſtrictis de futura ſucceſſione pactum, eas in leges, ut, ſi Saxonum familiam deficere contingeret, Coburgia ditio Hennebergiis (quorum jam fuerat vetuſtis temporibus, à Carinthia Henrici Hennebergii filia, mariti Friderici Landgravii Thuringiæ domui illata, uti dictum) ſi Hennebergici, Saxoniæ Ducibus Principatus iſtorum obveniret, eo nomine ad 673040. fl. exſolvenda obligatis; cujus vi Saxonibus hæc acceſſio facta. Tob. Pfanner. *de præc. Germ. Principp. gent. c.* 2.

HENOCH, fil. Cain, Gen. *c.* 4. *v.* 18. Item fil. Jared, vir juſtus à Deo vivus ſublatus. Gen. *c.* 5. *v.* 18. Fil. etiam Madian filii Abrahæ, Gen. *c.* 25. *v.* 4. Fil. etiam Ruben. Gen. *c.* 46. *v.* 9. Item civ. quam Cain extruxit, illique filii ſui nomen indidit, 1. Par. *c.* 5. *v.* 3. Lat. *dedicatus*, vel *diſciplinatus*, vel *morigeratus*.

HENOTICON, q. *Ep. Pacificatoria* edictum Zenonis Imp. ſuaſu Acacii Patr. CP. promulgatum, ad Eutychianos cum Orthodoxis uniendos. Quo, quoad externam ſpeciem, ſymbolum fidei Conciliorum Oecum. Niceni, Conſtantinopolitani & Epheſini recipiendum inculcabatur, anathema Neſtorio & Eutychi dicebatur, & 12. capita S. Cyrilli approbabantur: re ipsâ autem Conc. Chalcedonenſe rejectum eſt A. C. 482. Evagr. *l.* 3. *c.* 17. Liberatus *c.* 18. Theod. Lector, *Collect. l.* 2. Vide & Georg. Horn. *Hiſt. Eccl. cum Notis & Obſervat.* M. Leydeckeri, ubi *Henoticon* hoc maximopere tollitur. Integrum id extat, apud Evagrium *Hiſt. Eccl. l.* 3. *c.* 14. & apud Nicephor. *Hiſt. Eccl. l.* 16. *c.* 12. De eodem libellus agit Synodicus, ſub Synodo Cl. Alexandr. Petri Mongi ad A. C. 480. ubi inter alia, Zenonem impium Mongum dato ei ſuo *Henotico*; Alexandriam remiſiſſe dicitur; Ὃς αἱρετικὴν στηςάμενος σύνοδον, τὴν ἐν Χαλκηδόνι ἁγίαν ἀνεθεμάτισε σύνοδον. Vox Græca à verbo ἑνόω, undè & ἕνωσις, quod apud Scriptores Eccleſ. in genere *unionem* ſeu *unitionem*, in ſpecie eam *unionem*, quâ temporibus Conſtantini Porphyrogeniti & Romani, ſchiſma ortum ſub Leone Philoſ. ob *de trigamia* quæſtionem, ſopitum eſt, denotat. Quam Ἕνωσιν quotannis menſe Julio è ſuggeſtu prælegi ſolitam, docet Joh. Meurſ. *in Gloſſ.* Vide quoque *Il.* Suicer. *Theſ. Eccl.* in hac voce, ut in voce Ἑνωτικόν.

HENOTICTONTI, genus hominum monſtroſorum *Tzetzæ*.

HENRICI, dicti ſunt in Gallia denarii aurei, ab Henrico II. Rege cuſi, in quibus ejus laureati & armis inſtructi efficta protome in averſa parte crux, ex literis H. coronatis compacta, pond. 2. den. 20. gran. pretii 50. ſolid. Turon. Gallicè *Deniers d'or*, *dits Henris*. Aliter *Ducati* quoque appellantur, & duplices etiam cuſi ſunt. Sed & utrique *Henrici*, paris ponderis, cum figura muliebri galeata, ſuper tropæo ſedente, Victoriolamque lauream porrigentem dextra præferente, cum *Inſcr.* GALLIA OPTIMO PRINCIPI, ſub eodem Rege, prodiêrunt. Vide C. du Freſne in *Gloſſ.* ubi de *Moneta*.

HENRICIANI, dicti ſunt per convitium à Pontificiis ii, qui adhærebant Henrico IV. & V. Impp. quorum inter errores hunc præcipuum cenſet Car. Macer, quod, quando dixerat Chriſtus Petro, *Paſce oves meas*, nullam his verbis Papæ in Impp. poteſtatem collatam eſſe, aſſeruerint. Vide eum in *Hierol.* C. du Freſne *Henricianam* hæreſin Simoniam fuiſſe, quam præfati Impp. Epiſcopatuum & Eccleſiarum inveſtituris exercuerint, ait, ex Gulielmo Apulienſi *de Geſtis Normann. l.* 3.

---- ---- Quia Rex Henricus ab illo
Damnatus fuerat, propter commiſſa nefandis
Accumulata modis: nec enim venundare ſanctas
Eccleſias veritus, perverſum dogma colebat
Simonis, & nullum donabat Pontificali
Culmine, præter eos: qui maxima dona tuliſſent &c.

Vide omnino *Henricum* IV. Quanto autem *Henricianos* hoſce odio proſequuti ſint Pontifices, diſcimus ex *Vita* S. Anſelmi Lucenſis Ep. à Luca Waddingo edita *cum Notis*, ubi inter alia hæc habentur §. 38. *Henricianos verò penitùs penituſque, niſi poſt magnam demum converſionem & pœnitentiam, reprobavit.*

Imperatores.

HENRICUS I. Saxo, fil. Othonis, Saxoniæ Ducis ex Luitgarde, filia Imp. Arnolphi, poſt Conradum affinem Imp. *Auceps* vocatus, quòd aucupio vacanti nuntius, de Imperio ei collato, allatus eſſet, Italis dictus Germaniæ Rex, A. C. 920. Burcardum Sueviæ & Arnulphum Bavariæ Ducem ad obſequium revocavit; à Carolo Simpl. Lotharingiæ regnum repetiit, Hungaros variis præliis vicit, cæciditque, Slavos ſubegit, Brenaburgum cepit, hinc Dalmatas, captâ Grono civitate, tributarios fecit, vicit & Bohemos. Wittich. *l.* 1. A. C. 928. Danos, navali incurſione Friſiones deprædantes, vicit, tributa iis impoſuit, & Nubam eorum Regem Baptiſmum ſuſcipere coëgit, Luithprand. *l.* 3. *c.* 3. Synodo Erfurti celebratâ, dies Apoſtolorum obſervari voluit, Baron. *Ann.* Chriſtianiſmum variis in locis propagavit, Eccleſias à nundinationibus mundavit, voti damnas, quod ante prælium cum Ungaris fecerat, Aventin. *l.* 4. In apparatu belli Italici, paralyſi correptus Obiit A. C. 936. Æt. 60. Ex Mathilde Saxonica, pater Ottonis I. ſucceſſoris. Flodoard. Sigebert. Genebr. *in Chron.* *Henricus* autem ſic Germanicè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

nicè ſit *Einric*, ſonat *Ever-rich*, aut *ſemper potens*. Sin origo ſit *Erric*, ſig. *rich Lord*. Fr. Philelphus & Camden putant contractum ab *Honoricus*: cujus nominis fuiſſe Vandalorum Principem, Honorii tempore, narrat Procop. *Nic. Lloyd.*

HENRICUS II. cogn. *Claudus*, eò quòd ab Arduino, de quo infrà, primùm victus: de muro quodam celſo deſiliens, femur luxaverat, & *Sanctus*, Bavariæ & Franconiæ Dux, poſt Othonem III. Rom. Imp. A. C. 1003. Principes defectores Arduinum Marchionem, qui ſe in Italia Regem fecerat, Jaromiro prius Principe Bohemo, Boleſlao Polono, Balduino Flandriæ Com. Lotharingiam Godofredo donatam raptante, Bernardo Saxone ſuperatis, vicit, atque ſubegit: Secundâ vice in Italiam veniens, Capuæ Saracenos vicit, ac Italiâ cedere compulit, Bubaganum Conſtantinopolitani Imp. Ducem, qui Saracenis favebat, bello acerrimo inſecutus eſt. Trojam in Apuliæ finibus, ubi olim Hannibalis caſtra fuêre, à Græcis ædificatam obſedit & per deditionem accepit, Græcis Apuliâ & Calabriâ pulſis, Blond. *l.* 3. *Dec.* 2. Papebergenſem Eccl. fundavit, templum ſummum Baſileæ, terræmotu concuſſum, reparavit, ornavit & auxit, A. C. 1010. & A. C. 1014. Romæ coronatus à Benedicto VIII. Symbolum Apoſtol. poſt Evangelia recitari juſſit, ut credendorum memoria auditoribus ſemper refricaretur; poſt ſecundam expeditionem Ital. cum Roberto Galliæ Rege de rebus Eccleſiæ collocutus, Obiit A. C. 1024. Imp. 22. prope Halberſtadium, Bambergæ ſepultus. Hunc Henricum, cum uxore Cunegunda virginitatem perpetuam obſervaſſe quidam ſcribunt, & poſt mortem miraculis claruiſſe, Glaber, Sigon, Sigebertus, Hermann. Ditmarus, Leo Oſtienſis, Fabricius *in Chron.* Friſingens. *l.* 6. Crantzius *l.* 4. *c.* 35. Hujus fil. *Henricus*, Cæſar Aquiſgrani electus eſt, A. C. 1025. Blond. *l.* 3. *Dec.* 2.

HENRICUS III. cogn. *Niger*, poſt Conradum II. Patrem. Rom. Imp. A. C. 1040. adverſus Oldericum Bohemorum Regem infeliciter pugnavit, tandem Oldericum ſuperavit, Albanum, vel Ovonem, qui Petro pulſo Ungariæ regnum rapuerat, tribus præliis vicit, Petro reſtituto, A. C. 1048. Quo ab Andrea occiſo, hunc quoque ſubegit, Ungariam feudum fecit, partem ejus Auſtriam Alberto Bavaro donavit, ac primum Auſtriæ Marchionem fecit, Lotharingum coërcuit, cum Theodorico Hollando contentionem habuit, A. C. 1046. Bohemos tributarios fecit, copias ſub finem anni, exercitumque validum Romam duxit; Ubi congregatâ Synodo tres Pontifices, tanquam tria teterrima monſtra Benedictum, Sylveſtrem, & Gregorium damnavit: Suitgerum Bambergenſem Ep. qui Clemens II. dictus eſt, Pontificem in Synodo fecit, à quo & Imperiale diadema accepit, Romanoſque à Pontificum electione prohibuit. Dein Italos quoſdam Principes ad obſequium revocavit, Friſiæ indè Hollandiæque Comites aggreſſurus. Conventu Wormatiæ habito A. C. 1048. Brunonem, Leonis IX. nomine, Papam Benedicto IX. oppoſuit. A' Vandalis victus, Obiit Botfeldiæ, A. C. 1056. Æt. 39. Imp. 17. Bernard. Carius, *in ejus vita.* Bonfin. *dec.* 2. *l.* 2. Crantzius *l.* 4. *c.* 40. Hermann. Contr. *in Chron.* Lambertus Schafn. in *Chronol.* Daubr. *Hiſt.* *l.* 7. &c. Pater Henrici IV. ex Agnete filia Gul. Comitis Pictav. & Guiennæ Ducis. Vide & Blond. *l.* 3. *Dec.* 2.

HENRICUS IV. cogn. *Senex*, Henrici III. fil. Rom. Imp. A. C. 1056. regnavit annis quinquaginta variâ fortunâ. A' ſtatibus Imperii, clam matre, abductus, periculosè in Rhenum deſiliit, Luſatios Vandalos ſibi ſubjecit, per Hannonem Ep. Colon. Germaniam à latrociniis liberavit, domuit Saxones Bavaroſque. A' Gregorio VIII. jus inveſtituræ beneficiorum Eccl. Imperatoribus ereptum eunte excommunicatus, ſupplex Canuſii Papæ factus eſt, A. C. 1077. ubi regio cultu depoſito, intra ſecundum murorum ambitum, ſine calceis, ſæviente hyeme, jejunus, per triduum, uſque ad veſperam reſponſum Pontificis expectavit, Sigon. *l.* 9. tandem nudis pedibus, forfices & Scopas in manu habens, admiſſus, & ſub duriſſimis conditionibus abſolutus eſt, Malmeſbur. *in Hiſt. Angl.* Nihilominus, Papâ annitente electum. feroque perfidiam ſuam deteſtantem Rodulphum Imperii æmulum ſæpius vicit. A. C. 1080. Pontificem Romanorum, à quo per injuriam è Chriſtianorum numero exemptus fuerat, urbe expulit, aliumque Pontificem, Clem. III. fecit, pulſis feliciter aliquot Anticæſaribus, Hermanno Lotharingo, Henrico Lucemburgenſi, &c. Poſtremo à fil. Conrado, inſtigatu Urbani II. bello petitus, dum ſe ad id parat, morbo periit, Leodii, A. C. 1106. Æt. 55. relicto ex Bertha Italica Henrico filio rebelli, à Paſchali II. ſimiliter contra ſe excitato, A' C. 1105. Sepulturâ 5. annis à Papa prohibitus. Ultimus, qui Majeſtatem Imp. adverſus Pontifices Rom. retinuit. Eo namque mortuo Mantuæ ſtatutum, *Papam à ſolis Cardinalibus eligendum eſſe.* Polyd. *de inv.* *l.* 4. *c.* 10. Vide Læti *Comp. Hiſt. Univ.*

HENRICUS V. cogn. *Junior*, Imp. Rom. prioris fil. Colomanno Ungariæ Regi bellum infeliciter intulit, à Boleſlao Polono ingenti clade ad Uratiſlaviam affectus: Romam venit, cepit Pontificem, Paſchalem II. & aliquot Cardinales, ſervavitque in vinculis, donec pace factâ, Pontifex obſervatam authoritatem Cæſari confirmaſſet, nempe beneficiorum, & Epiſcopatuum per baculum, & annulos inveſtiturâ, quam decreto abrogaverat Urbanus II. Blond. *l.* 4. *Dec.* 4. Dein à fœdifrago Pontifice excommunicatus Gelaſio II. Burdinum oppoſ. tandem Calixto II. hoc jure ceſſit. Obiit A. C. 1125. Ultrajecti, improlis ex Mathilde Anglica. *Lætus. Comp. Hiſt. Univ.*

HENRICUS VI. Frid. I. fil. Rom. Imp. A. C. 1190. Conſtantiâ ductâ, A. C. 1186. Siciliæ regnum obtinuit: Leodienſem Ep. rebellum oppreſſit, à Cœleſtino III. inſolentiſſimè coronatus, A. C. 1191. Neapolim aliquandiu fruſtra obſeſſam, mox cum Cajeta cepit, in Panormitanos, qui uxorem ejus Tancredo tradiderant, ſævus. Cujus viduam Sibyllam poſtmodum perpetuo carceri mancipavit, Gulielmo ejus fil. excæcato, & malè habitis reliquis captivis. Poſt hæc, ex Richardo Anglo, à bello ſacro reverſo, magnam pecuniæ vim extorſit, à Papa proin excommunicatus. Fridericum fil A. C. 1196. ab Electoribus ſucceſſorem deſtinari voluit, inque Italiam reverſus, rebelles Siculos crudeliſſimè tractavit., ab uxore A. C. 1197. quam præterea adulteriis offenderat, veneno ſublatus, Meſſanæ. Roger. *in Ann.* & Auctores Læto laudati. Ducibus Archiep. Moguntino, & Othone Saxoniæ Duce, ſubſidiarium exercitum in Aſiam miſit, qui anno ſequenti auditâ Imp. morte in Germaniam rediêre. Blond. Plutarch. *Æmil.*

HENRICUS VII. Lucemburgenſis, poſt Albertum I. Rom. Imp. A. C. 1309. primò Germaniam pacavit, Auſtriacis Fridericum Alberti fil. præfecit; Joh. fil. Bohemis Regem dedit, Thuringiacum bellum finiit. In Italiam tranſgreſſus ſingulis Longobardiæ civitatibus præſides dedit, Florentiam obſedit. Genuæ decretum tulit, *Imp. Rom. Pontifici Rom. juramentum præſtare non teneri*, Aventin. *l.* 2. *Ann.* Cum Friderico Siculo Rege fœdus icit, exercitum in Calabriam adverſus Robertum Neapolitanum à Clem. V. concitatum, duxit, apud Bonconventum morbo laborans, non ſine ſuſpicione veneni: à Monacho Dominicano ſub Sacramenti ſpecie oblati, diem clauſit extremum. Blond. *l.* 9. Æmil. *l* 8. A. C. 1313. Læti. *Comp. Hiſt. univ.*

HENRICUS, Imp. CP. ſucceſſit Balduino VIII. Flandriæ Comiti, fratri, A. C. 1206. Græcos ſæpius rebellantes vicit, Duci Valachiæ bellum movit, à Pontifice A. C. 1210. ob leges quaſdam Clericis minus gratas, reprehenſus: Obiit Theſſalonicæ A. C. 1216. Æt. 40. non ſine veneni ſuſpicione. Succeſſit Petrus Cortenæus, Comes Antiſſiod. maritus ſororis ejus Jolantæ, Petr. & Robertus Antiſſiod. ut & Georg. Logotheta, *in Chron.* Nicephorus Gregoras *l.* 2. Petr. Uttemann. *Conſt. Belg.* &c.

HENRICUS, fil. Conradi III. Rom. Rex electus, cùm Pater in Orientem proficiſceretur, paulo pòſt Obiit. Item, Thuringiæ & Haſſiæ Landgr. c. Frid. II. electus Rex A. C. 1245. ab hujus fil. Conrado, in prælio occiſus, A. C. 1247. Dictus *Rex Clericorum.* Item, fil. hujuſdem Friderici, Rex Rom. à Papa contra Patrem excitatus, victus & in Apuliam relegatus, A. C. 1235. paulo pòſt Obiit,

Galliæ Reges.

HENRICUS I. Galliæ Rex fil. Roberti, coronatus A. C. 1027. Patri A. C. 1031. mortuo ſucceſſit. Ope Roberti Ducis Normanniæ, matrem Conſtantiam, quæ Roberto fil. juniori favebat, vicit, fratri Burgundiæ Ducatu conceſſo, undè prima Ducum ex Regio ſanguine familia. Dein Theobaldum & Stephanum, Campaniæ Comitis filios, quos contra Conradum Imp. defenderat, ſuperavit; Henrico Roberti Ducis filio, pulſo Gulielmo notho. cui Pater favebat, Ducatum reſtituit. Sub illo Leo IX. Remis concilium habuit, Normanni Duce Roberto Guiſchardo in Italiam tranſgreſſi, Neapolis & Siciliæ Regnum Saracenis eripuerunt Obiit A. C. 1060. Regni 29. Æt. 55. Ex Anna Ruſſa, filia Jaroslai Ruſſorum Regis pater Philippi I. ſe vivo adhuc coronati, Hugonis Mag. undè Comites Veromandui: & Roberti medii, qui juvenis Deceſſit. *Hiſt. Gall.*

HENRICUS II. fil. Franciſci I. ex Claudia Francica, patri ſucceſſit, A. C. 1547. Bononiâ Anglis pulſis, Octavium Farneſium, contra Carolum V. & Julium III. tuitus eſt, A. C. 1551. A Principibus Germ. contra Imp. evocatus, Metim cepit A. C. 1552. Argentorato fruſtra tentato. Hannoniam vaſtavit, Rentiaci obſidione repulſus rediit, magnâ Cæſarianorum clade victor, A. C. 1554. Metim, fraude Franciſcanorum vix non amiſſam, contra Imp. fortiter defendit; ad Marcianum ab Hiſpanis fugatus, auſpiciis Philippi II. ad Fanum Quintini, tantâ clade affectus eſt, A. C. 1557. Laurentii die, ut Luteriæ paſſim cives diffugerent: Non minori clade anno poſt ad Gravelingam affectus: quam purioris religionis in Gallia anſam notant Hiſtorici, dum Gallica nobilitas captivitatis tædium Bibliorum lectione diſcuteret. In ſolatium tot cladium per Ducem Guiſium Caletum poſt 210. An. Anglis eripuit: Pace Cameraci, quæ *infelix* dicta, A. C. 1559. ducentis locis hoſti redditis, mutuiſque nuptiis ſancita. Concilium Tridentinum, non Concilium, ſed conventum vocavit, quod Patres ægerrimè tulêrunt, *P. Suavis, in Conc. Trid. p.* 369. In Evangelicos à Valentina Strige *accenſus*, Senatores Ludovicum Fabrum & Annam Burgæum diſſuadentes, carcere mulctavit: à Mongomerio Com. in haſtiludio lethaliter vulneratus, juxta Baſtiliam, ubi illi captivi languebant, portatus, ſæpius repetiit, *Vereri ſe, ne innocentibus hominibus injuriam feciſſet.* Obiit ex vulnere A. C. 1559. Thuan. *Hiſt.* *l.* 12. 22. & 23. &c. Regni 12. Æt. 40. Ex Catharina Medicæa, pater Franciſci II. Caroli IX. Henrici III. &c. *Hiſt. Gall.*

HENRICUS III. prius Eduardus Alexander dictus, fratri Carolo IX. ſucceſſit A. C. 1575. poſtquam ſub Ducis Andegavenſis, nomine, inteſtino bello, regii exercitus Dux, orbi innotuiſſet, & poſt mortem Sigiſmundi Aug. Rupellam tum obſidens, Pol. Rex electus eſſet, indè, fratris obitu audito, clam reverſus. Ordin. S. Spiritus auctor A. C. 1578. ambitione Guiſiorum, quibus Condæus, Alençonius & Navarræus ſe oppoſuerant, regnum turbari vidit: Religionis libertatem mox, ita in Turonibus juxta Lochias conventum, per univerſum regnum permiſit. Anno vix elapſo Bleſis denuo A. C. 1577. pro una Catholica religione edictum ſibi extorqueri paſſus, rurſus res turbari indoluit, ſed Mompenſerii interceſſione pax reſtituta. Alençonio veneno ſublato, majores orti motus. Catharina mater, ut Navarro gradum ad ſucceſſionem præcideret, de Lotharingi liberis ex Claudia filia evehendis cogitavit, Guiſiis ad ſe id [illegible] pere contendentibus. Hinc Liga illa adeò famoſa, quæ Peronnæ prius cœpta, Duce Guiſio, jam Philippo II. & Sixto V. [illegible] ta lacertos movere, Religio prætexi, Carolo Cardin. ut ambitio tegeretur, regnum deferri: ſciſſo in 3. factiones regno, quarum illa quæ Regi adhærebat, *Politicorum* dicta, infirmiſſima erat, altera Ligiſtarum potentiſſima, tertia Reformatorum, ſub auſpiciis Hen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Henrici Navarri, per quos Regis latus à Ligiſtis petebatur, bonitate cauſæ valida: Undè bellum *trium Henricorum*: quo Annas Joyeſius, Politicorum Dux, a Navarro ad Curtracum prælio victus, A. C. 1587. periit, Germani verò à Reformatis vocati, à Duce Guiſio retrocedere coacti ſunt. Qui tandem perſonâ detractâ, jam in Regem ipſum acer, primò varia fruſtra machinatus detegente ſemper inſidias Polino, tandem illo Pariſiis pulſo, de eo in Monaſterium detrudendo conſilia agitavit, jamque omnia infra ſe deſpexit: paulò poſt Bleſis, quò ab Henrico Rege pellectus erat, in eo ipſo cubiculo, in quo olim de Laniena Pariſ. deliberatum, trucidatus, unâ cum fratre Ludovico Cardin. Sed hic malorum nullus finis. Rex. à Pontifice excommunicatus, ut Ligiſtis ſub Meduanio Duce formidoloſis par eſſet, ad Navarrum & Reformatos confugit, quorum copiis ſubnixus Lutetiæ jam gravis imminebat: cum Jacobus Clemens, Dominicanus, illum cultro nefario lethaliter ſauciavit: Obiit A. C. 1589. Æt. 39. Regni 15. Poſtquam prius Ordines, *de non obtinenda religione vi monuiſſet*, *Navarrum vero ſucceſſorem deſignaſſet*: fruſtra à Gulielmo Haſſo præmonitus, *à capuce raſo ſibi caveret*. Ex Claudia Lotharinga nullâ prole ſuſceptâ, ultimus Valeſiæ ſtirpis. Serre. *in Henr. III.* Ludov. Lucius *Hiſt. Jeſuit. l.* 4. *c.* 3. Præ primis Jac. Aug. Thuan. *in Hiſt.*

HENRICUS IV. cogn. *Magnus*, *Invictus*, *&* *Reſtaurator regni*, fil. Antonii Navarræ Regis ex Johanna Albretana, primò Bearniæ Princeps, dein matre A. C. 1572. paulo ante Lanienam Pariſ. chirothecis venenatis ſublata, Navarræ Rex unà cum Principe Condæo, à Carolo IX. captivus detentus eſt, infauſtis illis cum Margaretha Francica nuptiis, de quibus cives paſſim jactaverant, *plus ſanguinis, quam vini effuſum iri*. Indè elapſus, varias res feliciter contra hoſtes geſſit, unà cum Condæo à Sixto V. convitiis laceſſitus & excommunicatus, Romæ per amicos, programmare Paſquino affixo, illum *falsò & malitiosè mentiri*, regeſſit, *ſe eum pro Antichriſto reputare* addens: quâ voce perculſus Pontifex, deinceps nihil ſe contra eum tentaturum ſpopondit, ob hoc frigus Jeſuitis & Guiſianis *Navarriſta* dictus. Victor ad Curtracum, Henrico III. Regi ſe contra Ligiſtas junxit, illo mortuo Succeſſor, fruſtra ab Henotica factione Carolo Cardin. oppoſito; qui paulò poſt in vinculis Henrici IV. Obiit, familiæ ſuæ & regni ludibrio natus, quem Guiſius tanquam larvam hactenus oſtentaverat. Dein Meduanium, Ligæ caput, 30000. millibus ſuffultum ipſe vix 4000. habens, in Normannia, ad Arcam, vicit A. C. 1589. eundem Euriaci cum 1200. ſolum aggreſſus, decuplo plures hoſtium copias iterum ſuperavit. A. C. 1590. per Duces rebus non minus in Arvernia feliciter geſtis. Parmenſem amovit, Lutetiam, inauditâ fame preſſam, occupavit, in victos benignus, qui tantâ bonitate moti, Pontificis bullis per carnificem crematis, ſuaſêrunt, ut in Gallia Patriarcha conſtitueretur; jam enim Rex Proteſtantium ſacris, quibus innutritus erat, deſertis ſolennia Miſſæ adierat, prolatâ interioris ſenſus voce: *Suam ſe animam perditum ire*, *ut populum ærumnis eriperet*. Sic ab omnibus Rex proclamatus, coronatus eſt Carnuti, A. C. 1593. primus ex Borbonia fam. irato Pontifice, & adhuc abſolutionem negante. Hiſpanorum dein 18000. ſub Conneſtabili Caſtellæ, ad Divionem, cum 1500. ſolùm ſuorum, vicit A. C. 1594. Ambianum recepit, aliaque fortiter & feliciter geſſit. Interea, Petrus primò Barrerius ſicarius in ejus vitam ſubornatus eſt, cujus conatu detecto, Joh. dein Caſtellus emiſſus, fallente ictu dentem Reg excuſſit, exclamanti, *Itane fieri oportebat*, *ut Jeſuitæ ore meo convincerentur?* Undè columnâ, ubi prius parricidæ domus ſteterat, erectâ, Jeſuitæ regno pulſi; Joh. Guignardus ex eadem Soc. quòd venam Baſilicam Sanbartholomæano tumultu incidendam fuiſſe, dixiſſet, ſtrangulatus, &c. Poſt hæc; Rex à Pontifice graviora verito abſolutus, paulo pòſt etiam Meduanium & Mercurium obnoxios habuit, A. C. 1598. Sabaudum ad pacem, & Breſſani Marchionatus redditionem adegit, Bironum Ducem capite plexit, quod unicum ſub ejus regno juſtæ ſeveritatis exemplum. Poſt quæ profundâ pace Regnum per 10. An. beatum, gloriſiſſimum Regem ſuum à Franciſco Ravaillaco, in publica lætitia, cùm ad expeditionem ingentem accinctus, Reginam coronari voluiſſet, repetito cultri ictu, A. C. 1610. interemptum doluit: Æt. 57. Regni 21. tantâ omnium triſtitiâ, ut plurimi impatientiâ doloris contabeſcerent. Pater ex Maria Medicæa, Ludovici XIII. ſucceſſoris. &c. Vide Caſaub. *Præf. in Polyb.* Serres, *Invent. Gall.* Lucium *Hiſt. Jeſuit.* Lanſium, *Orat. de Gall.* inprimis Thuan. *in Hiſt.*

Hiſpaniæ Reges.

HENRICUS I. Hiſp. Rex, ludens cum pueris, tegulæ caſu apud Palantiam periit, A. C. 1217. Ær. 10. Roderic. *rer. Hiſp. l.* 8. *c. ult. l.* 9. *c.* 4. Mariana. *l.* 12. *c.* 3. & 6.

HENRICUS II. Caſtellæ Rex ſucceſſit Alphonſo V. Patri, cujus fil. nothus erat, ſicut Petrus, ex legitima uxore ei natus eſt. Sed hic, uxore Blancâ, matre & altero fratrum Henrici, occiſis, cognomen *Crudelis* meritus, Henricum cum magna parte regni ad ultionem inſurgere vidit: Verùm hic victus, ad Carolum V. Galliæ Regem confugit, qui eum ſub Comitis Marcani & Conneſtabilis Gueſclini auſpiciis in regnum reduxit. Mox Petrus, ope Anglorum, reſtitutus, Henrico acie victo, ſævire perrexit: hinc ab Hiſpanis revocatus Henricus, Petrum ſuſtulit. Coronatus A. C. 1369. fruſtra Rege Arragoniæ, Navarræ, Luſitaniæ, Granatæ & Joh. Lancaſtriæ Duce fil. Eduardi Angliæ Regis renitentibus, quos omnes Henricus victos pacem petere coëgit. Veneno poſtmodum à Rege Granatæ, potentiam ejus verito, ſublatus, Obiit A. C. 1379. Inaugurationis 10. Garibajus *Hiſt. Hiſp. l.* 25. *c.* 20. Mariana *l.* 17. Surita *Ind. l.* 3. Froiſſard. Belleforeſt. Argentræus *Hiſt. Brit. l.* 5. 6. 7. 8. *&* 9.

HENRICUS III. fil. Joh. nepos prioris, cogn. *Valetudinarius*, ſucceſſit Patri, A. C. 1390. Æt. 11. Turbis implicitus in minori hac ætate, provectior jam illas diſſipavit, terque hebomadatim ſubditis liberum ad ſe acceſſum permiſit. Luſitaniæ & Granatæ Rex hanc regni quietem turbatum euntes vicit; ingenti exercitu contra Mauros miſſo, Obiit Toleti, A. C. 1406. Regni 17. Æt. 27. Mariana *l.* 18. *&* 19.

HENRICUS IV. cogn. *Impotens*, & *Liberalis*, poſt Patrem Joh. II Rex, A. C. 1454. Initio compoſitâ inter ſe & Navarræ Regem lite, Iſmaëlem Granatenſem, dein Muley Hacemum bello agreſſus eſt. Pulſus dein à ſubditis, quòd Bertrandum de la Cueva ad uxorem admiſiſſet, ex qua natum Joh. hæredem dixit: undè bellum inter illam & Iſabellam, Henrici ſororem, Ferdinando Arragoniæ Regi nuptam. Obiit Segoviæ A. C. 1474. Idem *Hiſt. Hiſp. l.* 21. 22. & 23.

Angliæ Reges.

HENRICUS I. Gulielmi I. fil. Angliæ Rex, poſt fratrem Gulielmum II. A. C. 1101. fratrem Robertum natu majorem; Normannorum Ducem inſtructâ acie vicit, A. C. 1106. & Normanniam illo capto obtinuit. Polyd. Virg. *l.* 2. Wallos vicit, cæcidit, & in ſua verba jurare coëgit, Imp. filiam ſponſam cum dote uxorem dedit: Bello contra Ludovicum Craſſum, non adeo felix. Obiit in caſtro quodam Diœceſis Rhotomagenſis, A. C. 1135. Ex Mathilde, Malcolmi Scoti fil. pater Gulielmi ac Richardi, qui in mari periêrunt, & Mathildis, Henrico V. Imp. primùm, dein Godofredo V. Comiti Andegav. nuptæ. Matthæus Malmesbur. Cluemus *Hiſt. Angl.* Hic Henricus patrem, (qui legas Danorum & Gentium Borealium, è quibus prognati Normanni, Anglis inducere volens; Baronum interceſſione, divi Eduardi leges reſtituerat) imitatus, ſub initium regni, dum ad Robertum fratrem populi vereretur defectionem, idem fecit. Deinceps verò congeſtum novi Juris codicem, in quo multa è lege Salica & Ripuariorum, multa ex aliarum gentium legibus antiquis, plurima è Danicis illis Canuti Regis concinnaverat, Anglis impoſuit obſervandum. Quo auſpicio, liceat è Florentio conjectare, ſic in A. C. 1142. referente: *Interpellata eſt à civibus Londinenſibus*, Mathildis Imperatrix Henrici filia *ut leges eis Regis Eduardi obſervare liceret*, *non vero patris Henrici*, *quia graves erant. Verum illa*, *præ nimia auſteritate*, *non acquievit illis*, *unde & motus magnus factus eſt in urbe*, *& factâ conjuratione adverſus eam*, *ignominioſam cum ſuis fugam arripuit*, *omni ſuâ*, *ſuorumque ſupellectile poſt tergum relicta*. À quo tempore leges illæ obſoleverunt, Interim de Joh. Rege refert Pariſius, ad A. C. 1213. juſiſſe illum, ut leges proavi ſui Henrici ab omnibus in regno cuſtodirentur: quod tamen alii de legibus Eduardi Confeſſoris, quas partim recepit, partim rejecit, intelligi volunt, Henr. Spelmann. *in Gloſſ. Arch.*

HENRICUS II. Andegavenſis, Godofredi III. fil. Angliæ Rex, poſt Steph. A. C. 1155. ob matrem Mathildem, filiam Henrici I. ductâ Eleonorâ, Aquitaniam quoque & Pictones nactus eſt. Legibus primò, tum contra peregrinos, tum contra Proceres novarum rerum cupidos latis, regnum firmavit. Cumbriam, Northumbriamque recepit, ac Wallos ad defectionem declinantes domuit, Hiberniam ſubegit, ac Pontificis Romani conſenſu, ſuo adjecit regno. Godofredum fratrem; hæreditatis portionem ſibi debitam petentem, eluſit: quo à Britonibus in Ducem electo, mortuoque, ſucceſſioni inhians. Conanum Comitem Redonenſem coëgit, filiam ſuam Godofredo tertio ſuorum filiorum elocare. Ob Eleonoram, à Ludovico VII. Gall. Rege prius ſeparatam, Comitatui Tholoſano imminens, Raimundo bellum movit, ſed gemino conjugio pax compoſita, annitente Ludovico. Poſtmodum Gulielmum Scotiæ Regem cepit, Richardum fil. rebellem in Pictonibus ſuperavit, pace cum Ludovico initâ, hujusque filiâ Richardo promiſsâ. Jura regni antiqua inſtauraturus, dum Thomam Cantuarienſem Archiep. adverſarium habet, iratus occaſionem eum necandi dedit: ob id juſſu Papæ Alex. III. à Monachis, virgis cæſus. Matth. Pariſ. *in Henr, II.* Dein cum Philippo Aug. colliſus, pace conciliatâ, cum eo in Orientem proficiſcendi conſilium cepit. Tandem Richardum fil. denuo infeſtum habens: Obiit in Turonibus, A. C. 1189. Regni 34. filiis rebellibus diras imprecatus. Vide Matth. Malmesbur. & Polyd. Virg. *Hiſt. Angl.* Etiam huic Regi adſcribuntur ſuæ leges hodie ſub Glanvillæ nomine in lucem datæ: videturque Hovedenus leges Eduardi Confeſsoris à Gulielmo I. emendatas, & ab Henrico II. denuo reſtitutas, reſtituenti attribuere. Sic enim ille in A.C. 1180. Eodem anno Henricus Rex Angliæ pater conſtituit Ranulphum de Glanvilla, ſummum Juſtitiarium totius Angliæ, cujus ſapientiâ conditæ ſunt leges ſubſcriptæ, quas *Anglicanas* vocamus. Recitat deinde dictas leges Eduardi a Gulielmo emendatas, Henr. Spelmann. *in Gloſſ. Arch.*

HENRICUS III. prioris nepos, Joh. ſine Terris, Patri ſucceſſit, A. C. 1216. remiſſo in Galliam Ludovico Gallo, poſtmodum VIII. hujus nominis, quem Anglorum quidam in regnum vocaverant. A Philippo Aug. & Ludovico VIII. regiones Patri ereptas fruſtra repetiit, per fratrem Richardum Gallorum progreſsus ſtitit, cum Ludovico IX. pacem iniit, parte Aquitaniæ ultra Garumnam contentus. Regulum Hiberniæ & Wallenſes compeſcuit, cum Baronibus diſſedit, cum fratre Richardo & Henrico fil. ab iis captus; Sed hic elapſus Patrem Patruumque liberavit victor. Miſso tandem in Orientem contra Saracenos, Eduardo fil. ſucceſsore. Obiit A. C. 1272. Æt. 65. Regni 56. Matth. Pariſ. Polyd. Virg. *l.* 16. Froiſſard. &c. Ex Eleonora Provinciali, filia Raimundi Berengarii ſecunda, pater duorum filiorum & trium filiarum.

HENRICUS IV. Lancaſtriæ Dux fil. Joh. è Gallia exul revocatus, ubi Richardo II. in vincula conjecto, & occiſo, Angliæ Rex evaſit, A. C. 1399. neglectâ Annâ, uxore Richardi Com. Cantabrigienſis, filiâ Eduardi Eborac. proximioris coronæ hæredis, undè utriuſque Roſæ diſſidia. Carolo VI. Gall. Regi Iſabellam fil. Richardi filiam remiſit, non ſemel inducias cum illo pactus. Principes plurimi adverſus hunc Regem poſtea conſpirarunt, & manus con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

conſeruêrunt, ſed triumphavit Henricus victis hoſtibus. Variis ſeditionibus, conjurationibus, inteſtinis bellis laboravit: Cum Scotis, cum Gallis rem habuit. Obiit A.C.1413. Regni 13. Pater ex Maria, filia Comitis Herefordii, Henrici V. ſucceſſoris, &c. Polyd. Virg. *l.* 20. & 21. *Hiſt. Angl.* Harpsfeld, *Hiſt. Eccl. Angl. ſec.* 14. & 15.

HENRICUS V. Angliæ Rex, A. C. 1414. Galliam vaſtavit, interclusſus, ex deſperatione, cùm tantùm 10000. habuiſſet, prælio ad Azincurtium, in Picardia A. C. 1415. tam acriter conflixit, ut 10. millia caperet. Quam litem Sigiſmundus Imp. in Galliam Angliamque tranſiens componere fruſtra conatus eſt. Junctus enim Burgundo Henricus, poſt celebrem illam Rotomagi obſidionem, A. C. 1419. Normanniam ſibi ſubjecit; illo occiſo Regis Caroli juſſu; Iſabellam hujus matrem in ſuas partes pertraxit. Hinc A. C. 1420. ad Trecas cum Carolo, & Philippo Burgundo pactus, Franciæ regnum, & Catharinam Caroli VI. Francorum Regis filiam uxorem accepit. Poſt quæ, urbibus aliquot Delphino ereptis, Pariſios venit. Ex Anglia, quò abiverat majores copias adducturus, redux Druidum urbem cepit: Obiit A. C. 1422. Æt. 36. Regni 9. Pater Henrici VI. ſub tutela Ducis Glocestriæ, Angliæ, & Joh. Ducis Bethfordiæ, Galliæ Regentis. Ejus uxor poſtmodum, ex Ovino quodam infimæ ſortis, cui nupſit, præter alios, Edmundum Com. Richemontanum, patrem Henrici VII. ſuſcepit. Monſtrelet. *l.* 1. *c.* 101. 140. *&c.* Walſingam. *in Henr. V.* Joh. Juv. de Urſinis & Laborator *in Caroli VI.* Polyd. Virg. *l.* 22. *&c.*

HENRICUS VI. Angliæ Rex, A, C. 1424. regnum Galliæ aliquot annis obtinuit; Pariſiis coronatus, A. C. 1431. duplici coronâ, tandem amiſsâ virtute Caroli VII. & domeſticis inſidiis totâ Galliâ, Caleto & paucis aliis locis exceptis, à Richardo Duce Eborac. bis victus & in vincula conjectus, à Margaretha Andegav. uxore, Scotorum viribus ſubnixa occiſo hoſte, liberatus: mox ab Eduardo fil. Richardi iterum regno Angliæ pulſus, & A. C. 1465. in carcerem denuo conjectus, indè iterum liber A. C. 1471. rurſusque captus, tandem trucidatus eſt, An. Æt. 52. Philipp. Comin. *l.* 6. *&c.*

HENRICUS VII. Comes Richemontanus, fil. Eduardi, ex Margaretha, Joh. Ducis Somerſeti, è fam. Lancaſtrenſi, filia, nepos Ovini Tideri Galli, clandeſtinis nuptiis Catharinæ Henrici V. viduæ juncti. Henrico VI. ſtrangulato, in Armoricam ſe recepit, inde Richardum III. regni uſurpatorem, in Angliam reverſus, vicit, throno conſcenſo. Maritus Elizabethæ, filiæ Eduardi IV. coronatus eſt, A. C. 1485. ab inimicis fruſtra duobus impoſtoribus ſubornatis. Maximiliano Imp. contra Carolum VIII. Gall. Regem ſuppetias miſit, nuptiis Annæ Britannicæ jam formidoloſum: Cum Scotis bellum geſſit, egregias leges ſanxit, literatis favit, *Salomo Angliæ* dictus. Obiit A. C. 1509. Regni 24. Pater Henrici VIII. Polydor. Virg. *l.* 26. Verulam. *in Henrico VII.* &c.

HENRICUS VIII. Patri ſucceſſit, A. C. 1509. cum uxore Catharina Arragonia, vidua fratris ſui Arturi coronatus. Inſtigatu Julii II. Maximiliano Imp. junctus, Ludovico XII. Galliæ Regi bellum movit, A. C. 1513. Gallos ad Guinegaſtam, *prælio Calcarium* dicto, quòd hi plus calcaribus tum, quàm gladiis uſi eſſent, vicit, captoque Tornaco, in Angliam rediit. Ubi Jacobum IV. à Gallo excitatum, prælio ad Fluidonem fudit atque trucidavit; pace dein cum Ludovico initâ; Mariam ſororem ei elocavit; A. C. 1514. Poſt hæc, contra Lutherum ſcripſit, *Defenſoris fidei* titulo proin à Leone X. ornatus. Franciſco I. in Hiſp. captivo, regni Protector eſse voluit, A. C. 1525. liberationi Clem. VII. Româ captâ, in vinculis à Carolo V. detenti, ſimiliter operâ navatâ, A.C. 1528. Exin Thomæ Volſæi ſuggeſtione, repudiatâ Catharinâ, Annam Boleniam duxit, A. C. 1533. Hinc excommunicatus à Pontifice, *Ordinum regni decreto auctoritatem Pontificiam per regnum abrogavit*, tributo annuo, quod ab Inæ temporibus pendebatur, negato: coëgitque ſacramento Eccleſiaſticos, ut ſe, Eccleſiæ caput à Chriſto proximum agnoſcerent. Monachos ejecit, quorum cœnobia in lupanaria & Cynædorum ac Sodomitarum latibula fuiſſe converſa, deprehendit, Joh. Speed. *in Chron.* In doctrina adeo nihil mutavit, ut in Lutheranos igne ſævierit. Joh. Fiſcher. Cardin. Thomamque Morum capite mulctavit, Ordinem Melitenſem in ſuo regno abolevit, Thomæ Cantuar. oſſa refodi & comburi juſſit. Johannæ Seimeræ formâ captus, Annam Boleniam capite plexit; quâ in nixu Extinctâ, Annam Clivenſem duxit, moxque repudiavit: ductâ Catharinâ Havardâ, filia Nortfolciæ Ducis quâ etiam decollatâ, quòd virgo non eſſet, Catharinam Parvam viduam ſuperinduxit. Iterum contra Gallos, Bononiâ captâ, A.C. 1545. Scotosque bellum movit. Obiit A.C. 1547. Æt. 57. Regni 38. poſtquam ad Amicos moriturus: *Væ mihi, qui nunquam Viro in ira, & mulieri in luxuria peperci.* Teſtamento voluit, ut Eduardus, ex Seimera genitus, ſibi ſuccederet; quo ſine prole Defuncto Mariam ex Catharina Arrag. filiam, & huic Elizabetham, ex Anna Bolenia ſuſceptam ſubſtituit. Thuan. *Hiſt.* Bellaj. *l.* 4. *Hiſt.* Guicciard, *l.* 19. & 20. Polyd. Virg. *Sleidan*, &c.

Alii Reges.

HENRICUS Craſſus, Navarræ Rex, fil. Theobaldi VI. Com. Campaniæ, tertius hujus nominis ſucceſſit fratri Theobaldo II. A. C. 1271. Saginâ ſuffocatus, Obiit Pompejopoli, A. C. 1274. Ex Blanca-Arteſia, quæ poſtmodum Edmundo Lancaſtr. Comiti, filio Henrici III. nupſit, pater filii, quem nutrix è manibus elabi paſſa eſt, & Johannæ, Philippo Pulchro Gall. Regi nuptæ. Nangius *in Chron. & Philipp. III.*

HENRICUS Albretanus, fil. Joh. Navarræ Regis, regno à Ferdinando Aragonio exuti, magni animi Princeps, Johannam genuit Navarræ Reginam, quæ ex Antonio Borbonio mater fuit Henrici IV. Galliæ & Navarræ Regis, cogn. Magni.

HENRICUS Campanus, fil. Henrici I. cogn. *Junior*, poſt mortem uxoris Hermancellæ, Theobaldo jun. fratri Campaniâ relictâ, inque Oriente ductâ Iſabellâ, filiâ Regis Almerici, viduâ Conradi Comit. Montferratenſis, ante urbem Tyrum occiſi, A. C. 1192. Hieroſolymæ Rex Obiit è feneſtra prolapſus, A. C. 1197. De hoc conjugio, cùm Umfredus Toronenſis, maritus ejus, cui eam Conradus rapuerat, adhuc in vivis eſſet, ingens quæſtio orta, A. C. 1216. deciſa A. C. 1221. inter Erardum Briennenſem, & Theobaldum VI. Henrici Craſſi patrem. Reliquit Henricus hic Adelaidem, Hugoni Cypri Rege & Philippam Erardo Briennenſi nuptam. Vide Morer. *Dict. Hiſt.*

HENRICUS Carinthiæ Dux, Rex Bohemiæ. A. C. 1307.

HENRICUS, Comes Luſitaniæ, frater minimus Hugonis I. & Eudis II. Burgundiæ Ducum, fil. Roberti, nepos Roberti Gall. Regis In Hiſpaniam tranſgreſſus, A. C. 1096. Alphonſo VI. Caſtellæ Regi ſuppetias tulit, Luſitaniam Mauris ereptam, cum filia ejus Tereſa, nactus. Pater ex ea Alphonſi Henrici, primi Portugalliæ Regis. Obiit in obſidione Auſtricæ, A. C. 1112. Anton. de Vaſconcellos, *Anaceph. de Reg. Port.* *Eduardus Nugnez*, &c.

HENRICUS, Cardinalis Luſitanus, quintus Emanuelis Regis ex Maria Caſtellana fil. ſucceſſit Sebaſtiano abnepoti, A. C. 1578. Extremâ jam ætate, cum varii Principes Regnum ſibi vindicatum irent, & Comitiis habitis A. C. 1579. de Succeſſore deliberaretur, Obiit A. C. 1580. Æt. 68. Regno poſt eum ab Philippo II. uſurpato, donec A. C. 1640. pulſis Hiſpanis, Joh. IV. Bragantiæ Dux in thronum evectus eſt.

HENRICUS I. Luſignanus, poſt patrem Hugonem I. Cypri Regem Obiit A. C. 1253. Ex Placentia, filia Boëmundi IV. pater Hugonis II.

HENRICUS II. fil Hugonis III. fratri Joh. ſucceſſit, A. C. 1286. Rex Hieroſol. coronatus.

Principes Regii ſanguinis.

HENRICUS, fil. Ludovici VI. Archiep. Remenſis, Obiit A. C. 1175. Vide Morer. *Dict. Hiſt.*

HENRICUS Burgundus, fil. Roberti I. Ducis Burgund. Obiit ante patrem A. C. 1066. Ex Sibylla, inter alios, pater Henrici, unde Portugalliæ Reges orti.

HENRICUS I. Princeps Condæus, fil. Ludovici I. paterni zeli, in Orthodoxia defendenda, imitator: tempore lanienæ Pariſ. cum Navarræ Rege captus, proponenti Regi *Miſſam, mortem aut perpetuum carcerem*, generosè reſpondit: ſe nunquam favente Deo commiſſurum, ut primum eligat, ex duobus alterum Regis voluntati relinquere. Nihilominus à Rozario, qui metu mortis tum fidem ejuraverat, quem lapſum poſtea Heidelbergæ publico ſcripto deflevit, ſeductus, ad tempus ad Pontificios acceſſiſse viſus eſt. Mox liber, Religionem, cui innutritus erat, uſque ad mortem profeſsus. Obiit, rarum fortitudinis, pietatis, & conſtantiæ exemplar, A. C. A. C. 1558. Ex uxore Carlotta Tremollia, pater Henrici II. Quo pacto, injuriam à Sixto V. ſibi unâ cum Henrico Navarræ Rege ultus ſit, vide apud Thuan. *in Hiſt.*

HENRICUS II. fil. prioris, per aliquot annos, Religioni Reform. curâ Patris innutritus, poſtmodum ab Henrico IV. à Papa, in communionem Rom. recepto, hiſce Doctoribus erudiendus traditus eſt. Varia fortunâ conflictatus, Obiit A. C. 1646. fortitudine inclytus. Ex Carlotta Margaretha Montmorantia, parens Ludovici Principis Condæi, &c.

Principes ex fam. Palatino-Bavarica.

HENRICUS, fil. Othonis, poſt patris obitum Bavariam inf. ſicut frater ejus major Ludovicus cum ſup. Bavaria Palatinatum nactus eſt. Hi ambo A. C. 1282. in Comitiis Auguſtanis, Auſtriam, Stiriam, aliaque tanquam Majoribus ſuis ablata, repetivêre. Sed *Henrici* progenies in pronepote Joh. A. C. 1340. defecit, in qua ante alios eminet Otho, qui cum fil. *Henrico*, regnum Hungariæ, adverſus Carolum Martellum ſibi aſſerere conatus eſt. Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.*

HENRICUS, cogn. *Dives*, parſimoniæ laude inclytus, fil. Friderici Landshutenſis, nepos Ludovici Imp. Mortuo Ludovico Barbato, A. C. 1447. quem in vinculis tenuerat, Ingolſtadienſem hæreditatem, exclusis agnatis, ſolus adivit. Pater Ludovici, in cujus fil. Georgio, Ingolſtadienſis Acad. conditore; linea extincta eſt, A. C. 1503. Hic, cùm hæredem ſcripſit Eliſabetham Ruperto Palatino nuptam, *bellum Bavaricum* ortum eſt. *Idem.*

Ex fam. Saxonica.

HENRICUS, fil. ſecundo-genitus Alberti lineæ Albertinæ conditoris, poſt Patrem, in Friſiis debellandis, fruſtra occupatus, jus ſuum Auſtriacis vendidit. Luthero impensè favit, & non tantùm A. C. 1538. Smalcaldico fœderi nomen dedit, ſed & oblatam majoris fratris Georgii hæreditatem, hac conditione, ut Pontificiis accederet, recuſavit. Mox ditiones, à Smalcaldici fœderis Principibus adjutus, occupavit, religionemque Evang. introduxit, Luthero à Lipſia initium faciente. Pater fuit Mauritii Aug. *Idem.*

Ex fam. Guelfica.

HENRICUS, cogn. *Niger* vel *Catulus*, fil. Welphi I. Bavariæ Ducatum; poſt patrem fratremque Welphum II. tenuit: pater ex Wulfilde Saxonica Welphi III. & *Henrici* cogn. *Superbi*, Ducis Saxoniæ, (quam à ſocero Lothario Imp. A. C. 1137. acceperat) & Bavariæ, Monachii conditoris. Hic Winsbergæ obſeſſus, uxoris Uthæ Calvenſis, quæ humeris maritum oppido extulit, pietate & ſolertiâ vitam ſervavit, ac in amicitiam Conradi III. intenſi prius, receptus eſt. Eo natus.

HENRICUS, cogn. *Leo*, Dux Bavariæ & Saxoniæ longè potentiſſimus, latè in Germania ab Albi ad Rhenum, à Baltico mari, ad Italiæ fines, imperavit. Danubium pontibus, Ratisbonæ & La-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

& Lawenburgi, ſtravit: Henetos tantùm non extirpavit, ductis in exhauſtas provincias novis è Friſia Saxoniaque coloniis: Romæ Fridericum Barbaroſſam amitinum furori plebis ſeditioſæ ſtrenuè eripuit: ab hoc tamen, quòd in Alexandriæ oppugnatione herum deſeruiſſet, eo colore, quia à Pontifice proſcriptus ſit, majeſtatis A.C. 1180. damnatus, Bavariâ Othoni IV. Wittelſpachio Schirenſi, & Saxoniâ Bernhardo Aſcanio collatis Cui calamitati acceſſit, quòd & alii Principes ampliſſimi principatus partes ſibi aſſererent: quare exul in Angliam ad ſocerum Regem perfugium habuit, cujus interpoſitione Brunſvicum cum Luneburgo *Henrico* reddita ſunt. Obiit A.C. 1195. Pater trium filiorum, è quibus *Henricus jun.* ab uxore Clementia, filia Conradi Suevi, nepte Barbaroſſæ, Comitatum Palatinum habuit, & per filiam Agnetem ad Othonem Bavarum tranſmiſit: alia loca per alteram filiam Irmengardim ad Hermannum March. Badenſem. *Idem.*

HENRICUS, cogn. *Mirabilis*, fil. Alberti Mag. Brunſvicenſis lineæ ſatoris, Grubenhagiam lineam orſus eſt, quemadmodum frater ejus Albertus Pinguis Brunſvicenſem ramum continuavit. Brunſvigâ, ubi Tribunorum plebis, adverſus Senatum, factionem fovit, pulſus Einbecam obtinuit. Filii ejus *Henricus Jun.* pater Othonis, Johannæ Reginæ Neap. mariti: & Erneſti, cujus ex fil Alberto nepos *Henricus*, genuit *Henricum*, patrem *Henrici* & Albertum Philippi, Smalcaldico bello & filiorum numero inclyti: quorum ultimus Philippus Moriens A.C. 1596. lineam terminavit.

HENRICUS, fil. Magni, nepos Alberti Pinguis, de quo ſuprà, frater Bernhardi, Luneburgici rami auctoris, (è cujus poſteris *Henricus*, bello Hildeshemio A.C 1519. adverſus Brunſvicenſes Ep. altit, partibus dein Gallicis, interregni tempore, favere viſus, progenitor fuit *Henrici* Dannebergicæ & Vilhelmi Cellenſis lineæ auctorum,) cum Calenbergio Guelferbytanum principatum tenuit. Pater *Henrici* cogn. *Pacifici*, vel *Lappenkrieg*, & Vilhelmi cogn. *Victorioſi*, vel *Gottskube*: qui Vilhelmum genuit, cui Gœtinga, & Friderico, cui Hannovera obtigêre. Mortuus A.C. 1503. duos reliquit filios *Henricum*, Guelferbytanæ, & Ericum Gœtingenſis ſeu Calenbergiæ lineæ ſatores.

HENRICUS I. cogn. *Senior* ſeu *Malus* fil Vilhelmi jun de quo ſupra, Guelferbytanæ lineæ auctor, cum Hildeſhemiis, ac urbe Brunſvicenſi A.C. 1491. bellum geſſit: Obiit A.C. 1514. in Oſtfriſia, in obſidione arcis Orthi globo tormentario ictus. Eo præter alios plurimos, natus.

HENRICUS II. Jun. Princeps otii & quietis impatiens, qui cum fratre Gulielmo jus Primogenituræ ſancivit, à Carolo V. confirmatum A.C. 1537. Cui adverſus Gallos, in Italia, fidam navavit operam, in bello etiam ruſticorum fortitudinis laude impetratâ. Fœderi, quod *Sanctum* appellabant, A.C. 1536. nomen dedit: à Smalcaldicis poſtea cùm non ceſſaret Goſlariam & Brunſvigam vexare, univerſo ducatu ejectus, A.C. 1542. Sic exul aliquandiu, cùm à Rege Galliæ pecuniâ adjutus, iterum turbas daret, à Mauritio Saxone, cum filio captus, demum A.C. 1547. libertatem recuperavit. Poſt quæ, cùm quieſcere nondum poſſet, variè iterum jactatus eſt, tandem tamen tot bellorum cladibus & ruinis ſarciendis ad civilem adminiſtrationem animum applicuit & diu ſatis Concilii Chriſtiani expectatione eluſus, Auguſtanam Confeſſ. veram ſe judicare publico diplomate profeſſus, A.C. 1568. Obiit.

HENRICUS Julius, fil. Julii, nepos *Henrici II.* de quo ſupra, Defuncto A.C. 1596. Philippo, ſuæ lineæ ultimo, ſucceſſionem Grubenhagiam ſibi ſoli aſſeruit, ſed in juris diſceptatione cum agnatis, ad extremum victus. Urbem Brunſvigam A.C. 1605. fruſtra obſedit, Obiit A.C. 1613. ex Eliſabetha Danica pater Friderici Ulrici, Chriſtiani, *Henrici* Caroli & Rudolphi, qui duo poſtremi Epiſcopat. Halberſtadenſem geſſêre, in adoleſcentia Extincti. Phil. Jac. Spener. *l. ſuprà laud.*

Ex fam. Wirtenbergica.

HENRICUS, fil. Ulrici, Stutgardianæ lineæ auctoris, prius ſacris deſtinatus, Coadjutor Moguntini fuit. Cùm Monpelicardum teneret, Hagenbachio decapitato, Baſilienſes & Sundgojos, pro Carolo Burgundo, armatâ manu è Monpelicardo infeſtavit, A.C. 1474. Obiit captivus Uraci A.C. 1519. Pater ex Eliſabetha Biponrina Ulrici, qui lineam I. Ducalem, & Georgii, qui Montisbelicardenſem ſeu lineam II. ſevêre. *Idem.*

Ex fam. Badenſi.

HENRICUS I. fil. Hermanni III. Marchionis Badenſis, Hochbergiam lineam orſus eſt; quemadmodum frater ejus natu major Badenſem continuavit. Ei præter Hochbergam, patrimonium avitum, Fridericus II. Imp. Briſgojam, agnatis Zeringiis Extinctis conceſſiſſe traditur. Obiit A.C. 1221. Pater Rudolphi & Hermanni, quorum illi fil. *Henricus II.* huic *Henricus III.* Rudolphus, Fridericus fuêre. *Henricus* modò dictus Rudolphi Imp. exercitum contra Othocarum duxit, factusque eques Johannitarum ordini Heitershemium dedit. Duo ejus filii *Henricus* & Rudolphus III. ditiones iterum partiti ſunt: è quibus ille Hochbergam ad fil. cogn. ejusque filios Othonem, qui prælio Sempacenſi Cecidit A.C. 1386. ac Heſſionem tranſmiſit: in cujus filiis *Henrico*, Heſſone II. & Othone III. Mortuo A.C. 1418. Hochbergius ramus defecit, ſucceſſione ad Suſenbergium delapsâ: cujus auctor Rudolphus III. ſupra memoratus, pater fuit *Henrici*, qui dominium Rœtelenſe A.C. 1315. Dono Leopoldi ultimi dynaſtæ accepit: poſteritate in Philippo Extinctâ, A.C. 1503. *Idem.*

Ex fam. Brabantino-Haſſiaca.

HENRICUS I. cogn. *Probus*, fil. Godefridi III. cogn. *in cunis*, Lotharingiæ Ducis, in Palæſtina Berythum expugnavit. Florentium Hollandiæ Comitem & Othonem Gelrum prælio cepit, occupavit Leodium, Tungrorum opp. delevit, ab Ep. Leodienſi victus, Obiit A.C. 1235. Eo genitus.

HENRICUS II. cogn. *Magnanimus*, varia geſſit bella, ab Innoc. IV. contra Frideric. II. Imp. ad regnum Rom. vocatus. Pater *Henrici III.* & alterius *Henrici*, undè duo familiæ rami, Brabantinus & Haſſiacus.

HENRICUS III. cogn. *Manſuetus*, Brabantiæ Dux, ab Alphonſo Hiſp. ut Imp. univerſalis tutor & defenſor patrium Imperii, à Brabantia ad Rhenum uſque conſtitui meruit: Obiit A.C. 1260. Pater *Henrici IV.* qui dein monaſterium ingreſſus ceſſit regimine, Joh. I. & Godofredi: poſteritate in Joh. III. Extinctâ. *Idem.*

HENRICUS I. cogn *Puer. Henrici II.* alter fil. Haſſiacos ſevit. Paderbornenſes, & Moguntinum excommunicationis fulmen intentantem terruit, Nobiles rebelles coërcuit, à proprio fil. *Henrico* infeſtatus, Adolphi Cæſaris auxilium ſenſit, Mortuus poſt fil. immorigerum A.C. 1308 reliquit Othonem, Joh & Ludovic.

HENRICUS II. cogn. *Ferreus*, fil. Othonis, à factione Stelliferorum (*die Sterner*) mirè exagitatus ad ſummam ætatem pervenit, & filios *Henricum* ac Othonem ante ſe efferri conſpicatus hæredem habuit, ex fratre Ludovico, nepotem Hermannum: cui Dux Brunſvicenſis, cui *Henrici* Ferrei filia nupſerat, controverſiam movit, & cum factione *Stellæ* non exiguas dedit turbas. Sed victor Hermannus, Obiit A.C 1413. pater Ludovici, avus Ludovici Pii, & *Henrici*, qui Marpurgum tenuit, ſucceſſor dein A.C. 1479. ſoceri Comitis Catimelibocenſis, pater fuit Vilhelmi Jun. ſeu Divitis, in quo linea Marpurgenſis terminata eſt.

Ex fam. Vandalica.

HENRICUS I. fil. minor Godſcalci, nepos Udonis Herulorum Regis, auxilio Danorum, Critonem tyrannum Rugiorum Principem, in fratris Buthuenis ab illo occiſi ultionem, aliquoties vicit, tandemque ſuſtulit, viduâ ejus Slavina ductâ. Rugios bis debellavit, aliis quoque bellis inclytus, filios reliquit Woldemarum à Rugiis occiſum, & Canutum à fratre Suantopolco necatum, cujus poſtremi fil. Suinico *Henrici* lineam terminavit, A.C. 1135. Poſt quem Canutus Danus, beneficio Lotharii Imp. Vandalici ſibi Regni jus titulumque uſurpavit: *Phil Jac. Spener.*

HENRICUS II. cogn. *Burvinus*, fil. Pribiſlai, (qui ultimus gentis Rex, Ducis nomen ab Henrico Leone & Alberto Urſo coactus, aſſumpſit, Roſtochii conditor) ex poſteris Buthuenis, fratris Henrici I. quaſdam belli ruinas reſtauravit. Eo natus.

HENRICUS III junior, pater fuit Joh. undè Megapolitani, & Nicoloti, undè Vandalici Principes, qui A.C. 1430. defecêre, orti ſunt. *Idem.*

HENRICUS I. Dux Megapolitanus, fil. Joh. de quo ſuprà, Ludovici IX. Gall. Regis in Palæſtinam comes, captus à Saracenis 26. annos in dura ſervitute exegit, tandem à Sultano dimiſſus, cùm ad ſuos rediiſset, Obiit. A.C. 1302.

HENRICUS II. cogn. *Leo*, quòd patre Henrico I. abſente adverſus Marchiones Brandeburg. ſtrenuè ſe defendiſset, ab uxore Beatrice Brandeb. Stargardiam, à Chriſtophoro Daniæ Rege Roſtochium accepit. Mortuus A.C. 1329. pater fuit Alberti & Joh. quos in Comitiis Pragenſibus A.C. 1348. Carolus IV. quòd olim in bello adverſus Anglos, in Gallia, militiæ fuiſsent ſocii Principes Imperii creavit. E quibus fil. Alberti *Henricus* cùm uxorem Ingelburgim, Margarethæ Danicæ ſororem, haberet, ex qua natus Albertus & Maria Vratislao Pomerano nupta, avus fuit Erici Pomerani, qui intuitu aviæ Septentrionis Rex electus eſt.

HENRICUS III. cogn. *Pinguis*, fil. Joh. nepos Magni, Alberto prædicto geniti, Vandaliæ principatum, agnatis extinctis, nactus eſt. Sub eo Roſtochienſes à Sigiſmundo Imp. proſcripti, & Academia, quam pater Henrici Joh. fundaverat, Gryphiſwaldiam annos 5. tranſlata eſt, Obiit A.C. 1477. Pater, inter alios, Magni, qui ſtirpem continuavit.

HENRICUS, fil. Nicoloti, quem Vendalici rami auctorem prædiximus, cum fratre Nicoloto patrem ſuſtulit, proin in exilium ejectus, Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.*

Ex fam. Aſcania.

HENRICUS, cogn. *Sine Terris*, fil. Conradi, nepos Joh. El. Brandeburgici: Pater fuit Waldemari & Joh. IV. qui ordine geſsêre poſt patruum Waldemarum, dignitatem Electoralem: ſed intra non totum menſem interque A.C. 1322. Extincti ſunt.

Franciſcus HENRICUS, Dux Lauenburgicus, fil. Franciſci II. Obiit A.C. 1658.

Julius HENRICUS, ejuſdem Franciſci II. natus fil. A.C. 1586. religionem Rom. amplexus, Cæſari militavit. Pater ex Eliſabetha Sophia Brandeburgica; Franciſci Erdmanni, & Julii Franciſci.

Ex fam. Piaſtea.

HENRICUS I. cogn. *Barbatus*, vel *Sapiens*, fil. Boleſlai Sileſiæ ſup. Ducis, A.C. 1225. adverſus Leſcum Album ad principatum Poloniæ vocatus eſt. Captus dein à Conrado Mazovio Cracovienſi principatui renuntiavit: poſt hæc A.C. 1233. Vladiſlaum Sputatorem Poloniâ maj. exuit, atque ita ad mortem uſque utramque tenuit Poloniam, in qua multas barbaras leges correxit. Obiit A.C. 1238. Eo natus, inter alios,

HENRICUS II. cogn. *Pius*, qui Vladiſlao Sputatore in Pomeraniam uſque expulſo: dein celebri illo prope Lignicium prælio à Tartaris cæſus eſt, A. C. 1241. Pater *Henrici*, Conradi, Boleſlai & Vladiſlai.

HENRICUS III. cogn. *Fidelis*, prioris ex Anna Bohema fil. Lignitium initio tenuit, quod poſtea fratri Boleſlao, pro Vladiſlavia, conceſſit, A. C. 1244. Obiit A. C. 1266.

HENRICUS IV. cogn. *Probus*, fil. prioris, à Boleſlao patruo captus, A. C. 1275. multa cedere coactus eſt. Sed viciſſim ipſe A. C. 1285 ejus fil. cum Henrico Glogovienſi ac Ponſanienſi ad convivium invitatum cepit, nec niſi lytro ſoluto dimiſit. Diſſidens ab Ep. Vratiſlavienſi & ab eo excommunicatus, à concilio Lugdun abſolutus eſt. Indè A. C. 1289. adverſus Boleſlaum Mazovium ad principatum Poloniæ vocatus, illum & poſtea Vladiſlaum Locticum pepulit, brevi pòſt A. C. 1290. non ſine veneni ſuſpicione Extinctus.

HENRICUS I. cogn. *Craſſus*, fil. Boleſlai, de quo ſuprà, Ducis Lignicenſis, patri ſucceſſit, A. C. 1281. A patruele, ut dictum, captus, ei poſtea A. C. 1289. fideliter adverſus Vladiſlaum Locticum aſtitit. Proditus poſtea à miniſtro quodam Conrado Glogovienſi patruo, ædiculæ ferreæ anguſtiſſimæ incluſus, in illa ferè computruit, damnoſiſque conditionibus initis dimiſſus, Obiit A. C. 1295. Pater inter alios *Henrici*, qui Vratiſlaviam tenuit, Mortuus A. C. 1337.

HENRICUS II. cogn. *Stigmatias*, fil. Ludovici, Lignicium à Patruele Ruperto obtinuit: Pater ex Salome Mazovia Ludovici Lignicii & Brigæ, ac *Henrici* Lubenæ Principis.

HENRICUS III. fil. prioris, regimen habuit fame, peſte ac Caſimiri Polonici adverſus Albertum II. coronam Bohemicam ambientis, expeditione infelix. Pater Ludovici, cui *Henricus* & Joh. filii fuêre.

HENRICUS, fil. Bernhardi Suidniciæ lineæ auctoris, Mortui A. C. 1347. cum fratre Boleſlao, obſequium Bohemiæ detrectavit: ex hæreditate patrui Javeram & Furſtenbergam obtinuit. Sed, Boleslao ſine prole Extincto, A. C. 1368. principatus eos Carolus IV. Imp. crevit, à quo tempore Sileſia Germanicis moribus aſſueſcere didicit.

HENRICUS I. cogn. *Fidelis*, fil. Conradi Ducis Glogovienſis, de quo ſuprà; à Poſnanienſibus, adverſus Vladiſlaum Locticum vocatus, Poloniæ principatum ſibi adſeruit: mox Regno ab æmulo exutus. Obiit præ mœrore A. C. 1309.

HENRICUS II. fil. prioris, auctor lineæ Sagano-Glogovienſis, à Joh. Bohemiæ Rege quòd ei partem ſuam Glogoviæ vendere nollet, pulſus eſt A. C. 1332. cùm tamen ſua bona Saganum, Croſnam & Reliqua Bohemis, à quibus feudo teneret, ſubmiſiſſet, A. C. 1329. Obiit præ Mœrore A.C. 1339.

HENRICUS III. cogn. *Ferreus*, fil. prioris, à Carolo IV. dimidiam Glogoviam, patri ereptam recepit. Obiit A. C. 1369. pater trium *Henricorum*, è quibus minimus natu, reliquis præmortuis.

HENRICUS IV. cogn. *Paſſer*, initio Sprottæ & Freiſtadii Dux, dein fratrum hæres, A. C. 1395. reliquit *Henricum* Rapoldum, *Henricum*, cogn. *Patrem patriæ*, & Joh. è quibus primus ſine prole Obiit.

HENRICUS V. prioris fil. Glogoviam & Freiſtadium tenuit, & A. C. 1467. Mortuus, ſucceſſionem ad filios Sigiſmundum & *Henricum* tranſmiſit, quorum hic improlis Extinctus eſt, A. C. 1476.

HENRICUS, fil. Boleſlai III. è fam. Oppolienſi, Mortuus eſt abſque liberis, &c. Vide ſæpius memoratum Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt. &c.*

HENRICUS, Foro Julianorum D. Iringum, Avarorum D. ſuperavit, inæſtimabili theſauro, quo illum exuerat, ad Carolum Francorum Regem miſſo, A. U. C. 1147.

Comites Principeſque Viri, ex Fam. Naſſovia.

HENRICUS, fil. Diederici, ex poſteriore ejus conjuge Eliſabetha, Toparchæ Breuburgi filia, Patri in Comitatu ſucceſſit: Ductâ Irmingardâ, Com. Sponhemii filiâ, pater Joh. qui ex Sibylla Com. Lucelburgica fil. quoque *Henricum*, equi lapſu mortuum; &, ex filio Walravio primogenito, nepotem habuit ejuſdem nominis, religionis voto, cum Waremundo & Joh. fratribus, obſtrictum.

HENRICUS, primogenitus Othonis Com. Naſſoviæ, Toparchæ Lopperæ, Laureburgi & Sonnebergii, capitis omnium quotquot hodiè ſuperſunt linearum, ex Magdalena Walravii Comitis Sponhemii filia, Canonicorum Eccleſiæ Cathedralis, quæ eſt Moguntiæ, numero adſcriptus eſt. Hujus fratre Walravio mortuo, prima ſtemmatis diviſio facta eſt, altero ejus filiorum in provincia Naſſoviæ Patri ſuffecto, altero Geldriæ adepto Principatum: donec altera diremptio facta eſt octavo ab Othone præfato gradu, cùm ex liberis Henrici cogn. *Divitis*, Othoni Dilleburgum cederet, Walravio Weisbadenſis obtingeret Principatus. Vide infrà.

HENRICUS, fil. major natu Walravii (qui egregiam Conrado Imp. navavit operam) *Principis* nomine aliquoties in priſcis Annalibus venit: ſive quòd Comitis amplitudinem videretur egreſſus, ſive quòd communi *Principum* nomine etiam Comites tum comprehenderentur. Pater fuit, ex Agnete filia Burggravii Strombergenſis, *Henrici*, qui primâ adoleſcentiâ in Impp. comitatu exceſſit, Othonis & Walravii: è quibus Otho, præter Naſſovicam ditionem & prædia Noribergæ ruſtica ac urbana à Majoribus hæreditate tradita, etiam Suabachiam & Cadelbergiam poſſedit. Ei, è Comitiſſa Varneburgenſi, natus eſt fil. *Henricus* de quo jam. Obiit verò *Henricus* præfatus, A. C. 1199. Cyriac. Lentul. *Geneal. Naſſov.*

HENRICUS, cogn. *Dives*, fil. prædicti Othonis, opum magnitudine & territorio ultra Majorum fines dilatato fuit inclytus: captus à Gallorum Rege 100000. coronatorum ei perſolvit lytrum; hodieque Bruxellis pictura conſpicitur, urbis ex humeris ejus dependentis. Obiit A. C. 1254. Ex Machtilde, Diederici Geldriæ & Zutphaniæ, Com. filia, liberi ei nati ſunt plures; è quibus Walravius, primus Weisbadæ, Weilburgi & Idſtenii Comes: Otho, Dillenburgici Comitatus primus auctor, hæreditate Patris diviſâ, fuêre.

HENRICUS, Othonis modò dicti fil. primo-genitus, ex Agnete Solmenſi, arcem Dillenburgenſem incendio collapſam, ampliorem quàm erat antea ſpecioſioremque reddidit. Memoria ejus ſervatur aulæis intexta, his verbis: *Henricus Comes de Naſſow, à Leyden, de Aſten, Solms, habens conjugem, præter cæteras quibus abundabat virtutes, in re quoque militari non infimam nactus eſt gloriam, ſed ſtrenuum, vigilantem & integrum præbuit ſe ſemper Ducem, quæ res ſanè & civibus & ſubditis univerſis plurimum peperit admirationis pariter & amoris.* Deceſſit A. C. 1323. Ei ex Adelheida Com. Arembergii filia, nati ſunt Otho & *Henricus*, qui, factâ cum fratre hæreditatis partitione, Beylſtenii dominium ſortitus eſt, vide hìc infrà.

HENRICUS I. modò dictus, Beylſtenii rami conditor, ductâ uxore, ex Weſterburgicorum Comitum fam. fil. reliquit nominis ſui ac ditionum hæredem.

HENRICUS II. fil. prioris, maritus fuit Comitis Loniæ: è qua ipſi natus eſt.

HENRICUS III. qui ex Maria Randerodia uxore Joh. I. ſuſcepit, cujus fil:

HENRICUS IV. uxorem duxit Evam, Comitis Senæi filiam; ex ea pater Joh. II. & Bernardi: quorum is *Henricum* genuit ex Maria Solmenſi, Ordinis Hieroſolym. Equitem, prælio ad Papiam Occiſum, & Joh. III. in quo Beilſtenius ramus exaruit, Dillenburgicis ſucceſſoribus.

HENRICUS, ex poſteris Othonis præfati (cujus minorem natu fratrem *Henricum I.* Beylſtenium ramum dediſſe diximus) fil. natu maximus Joh. (qui Cattimelibocenſi Comitatu & reducto Dietzenſi, Naſſoviæ fines auxit, Defunctus A. C. 1516.) ex Eliſabetha Henrici Haſſiæ Landgr. & Annæ Cattimelibocenſis filiæ hæreditatem cum Gulielmo fratre ita crevit, ut conceſſis ei Germanicarum ditionum poſſeſſionibus, ipſe Belgicarum ditionum ac præfecturarum commoda ſortiretur, ſicque in bona ab Engelberto patruo poſſeſſa ſuccederet. Princeps fuit belli paciſque artibus eximius, gratiâ apud Carolum V. cui à cubiculo & conſiliis intimis fuerat, florentiſſimus: ut cui Imp. coronam Imperialem captumque Galliarum Regem Franciſcum I. ſe inprimis debere confeſſus eſt. Hinc Brabantiæ, provinciarumque annexarum adminiſtratio ei commiſſa: nec minor apud Cæſaris ſororem Mariam gratiæ gradus, quâ jubente exercitum, Cæſaris nomine contra Regem Galliæ conſcriptum, duxit; nominis Famâ per totam Europam longè lateque diſperſâ. Obiit A. C. 1538. Æt. 55. Bredæ ſepultus. Ei ex Franciſca, Jacobi Sabaudi, Comitis Romandii & Valiſenſis, filia, uxore prima: Mencia item Mendoza Marchionis Genettæ & Calabriæ Ducis filia conjuge tertia, nulli nati ſunt liberi. Media verò, Claudia Auriaca, Joh. Cabillonenſis filia, Philiberti Auriaci ſoror, in conſpectu Annæ Galliæ Reginæ educata & ab ipſo Franciſco I. elocata, Renatum Cabillonenſem, *René de Chalon*, ei peperit, qui Defunctus A. C. 1544. Gulielmum, Gulielmi Patrui Naſſoviæ Com. natu maximum fil. hæredem ſcripſit, à quo hodierni Principes Arauſionenſes deſcendunt, vide infrà, *ſuo loco.*

HENRICUS, fil. minimus natu Gulielmi præfati (cujus filium maximum Gulielmum à patrueli Renaro hæredem ſcriptum eſſe diximus) per eadem cum fratribus Ludovico & Adolpho literarum veſtigia, ad res gerendas præparatus, eandem cum iis in Gallia & Belgio ſortem, adverſis & ſecundis belli eventibus, expertus eſt. Tandem, pro derelictis Religionis & Libertatis in Belgio rebus fortiter pugnans, unâ cum Ludovico & Adolpho fratribus in deſerto Moccano, occubuit A. æt. 24. ſec. præt. Fuit & *Henricus* fil. Joh. Mauritii, ex Margaretha Holſata (Joh. Duc. filia) frater Joh. Mauritii, qui Americanâ expeditione celebris hodieque ſuperſtes eſt, Hulſtæ præfectus, diem ibi Obiit extremum, A. C. 1652.

HENRICUS, fil. Gregorii Ludovici (Ludovico Henrico, cui Dillenburgi ſedes, geniti, A. C. 1618. θ. A. C. 1656. ex Anna Auguſta, Auguſti Ducis Brunſvico-Luneburgici filia, nono ætatis Anno Scholæ Herbornenſis gubernaculum rexit: panegyrico carmine, à Cyriaco Lentulo laudatus; cujus ultimum diſtichon ita habet,

Henricum *timeant hoſtes, vereantur amici,*
Dum rapidas Rhenus volvet & Iſter aquas.

HENRICUS, fil. primò-genitus Erneſti Caſimiri) inter Joh. Senioris filios quarto loco geniti) ex Sophia Hedvige Duc. Brunſvicenſi & Luneburgenſi, nat. A. C. 1612. Arnhemii; Lugduni ac Groningæ literarum depoſito tyrocinio, militiam Anno Æt. 17. ſectari cœpit: Sylvæ Ducis obſidioni interfuit, hoſtium in Velaviam conatus coërcuit, rebusque aliis præclarè geſtis, Patri (cui ſuprema caſtrorum ac provinciarum poſt Mauritium Principem cura, Ultrajecti inſuper Præfectura, commiſſa erat) A. C. 1632. ad Ruremundam ſclopeti ictu occiſo, ſucceſſit: novâ Tencterorum adminiſtratione auctus. Omnium dein Auriaco periculorum ac triumphorum ſocius, A. C. 1640. Æt. 28. præeunte (quod rarum in Batavia) terræ motu, ſtrenuè pugnando Obiit.

HENRICUS, major natu fil. Gerhardi, lineæ Geldricæ & Zutphanienſis (cui Otho, Valravio Com. Naſſoviæ natus, originem dedit) ex Hedvige, Florentii Craſſi, Hollandiæ & Seelandiæ Comitis filia. Friderico Barbaroſſæ Imp. bello in Inſubribus geſto adfuit: indè reverſus Cœnobium opulentiſſimis reditibus inſtructum erexit prope Dotecomum; pietatem ac munificentiam Friderici, qui, pœnitentiâ incenſi apud Mediolanenſes templi adductus, Trajecti ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ad Rhenum idem fecerat, æmulatus. Obiit A. C. 1162. ex Maria, Godofredi II. Hieroſolym. Regis filia, quæ ipſi magnam Velaviæ partem dotis loco attulit, pater Gerhardi II. Othonis II. (qui fratri ſucceſſit) Mariæ (Comiti Lonæ nuptum datæ) & Margarethæ: cui Engelbertus Marcæ & Montium Comes maritus obtigit.) Idem nomen fuit Othonis II. modò dicti filio primò-genito, qui, ob vitæ ſanctimoniam, Divorum numero adſcriptus eſt: item, ejuſdem ex filio Gerhardo III. nepoti, qui Leodii fuit Ep. bello, quàm ſacris, aptior. Impoſuit is Gulielmo Hollandiæ Comiti coronam Imperatoriam Aquiſgrani, frementeque Pontifice ac Epiſcopis, diœceſin 26. per annos armis tutatus, in armis tandem periit. Vide Cyr. Lentul. *Geneal. Naſſov. Princ.*

Fridericus HENRICUS, fil. Vilhelmi Principis Arauſionenſis, Belgicæ Libertatis ſtatoris, ex quarta ejus conjuge Ludovica, Caſpari Colinii Galliæ Admiralii filia frater Mauritii Principis, rerum geſtarum gloriâ celeberrimi, nat. eſt A. C. 1584. Inter armorum ſtrepitus educatus, quantum otii ſuffurari potuit, literis & literatorum converſationi dedit: Ephebos vix egreſſus caſtris Mauritii ſe adjunxit, omnium ejus periculorum ac victoriarum ſocius, te in diſcrimen ſummum ad Neoportum Flandriæ deductâ fratrem deſerere, obſecratus licèt, ut ſe meliori temporum articulo ſervaret, noluit. Induciarum tempore, Procerum decreto, liberando obſidione Brunſvico copias, & inſequenti tempore, majores in Palatinatum Principi auxiliares ipſe duxit. Mauritio Extincto ſummæ rerum admotus, anno rerum mutationibus inſigni A. C. 1629. Sylvam-Ducis expugnavit, Veſaliam cepit, Velaviam purgavit; Bredam porrò, Trajectum ad Moſam, Schenckianam arcem, partim occupavit, partim recepit &c. mari non minùs victoriis, auſpiciis ſuis, obtentis, glorioſus, Obiit vitæ felicitatiſque ſatur, niſi quòd Antverpiæ recipiendæ facultatem à ſuis civibus commodatam non eſſe ingemuit, A. C. 1647. Æt. 63. ex Amalia Solmenſi Braunfelſia, Joh. Alberti, Gulielmi, qui Patris ſucceſſor ei non diu ſuperfuit; Ludovicæ, quæ Friderico Vilhelmo Electori Brandeburgico nupſit; Albertinæ Agnetis, cui maritus obtigit Gulielmus Fridericus Com. Naſſoviæ & Dietziæ, Præfectus Groningenſis; Henriettæ Catharinæ, quam Enno Chaucorum Satrapa ſibi junxit, & Mariæ, quæ Ducis Simmerenſis, haud pridem ſine prole Extincti (undè ditiones illæ ad Electorem Palat. revolutæ) uxor fuit, Pater. E quibus Gulielmus, ex Maria Britannica, filia Caroli I. Mag. Britanniæ Regis, fil. habuit poſtmodum Gulielmum *Henricum* Principem Arauſion. qui matrimonio ſibi juxit Mariam Jacobi Eboracenſis Ducis, filiam Caroli II. Mag Brit. Regis ex fratre Neptem A.C. 1677.

Ludovicus HENRICUS, fil. Georgii, Joh. Seniore tertiò geniti, Saræ ponte nat. A. C. 1594. literis: peregrinationibus, militiâ exercitus, primogenitorum locum & præcipuam Comitum Naſſoviæ ſedem Dillenburgum; cum oppidis territoriiſque eò pertinentibus, obtinuit. Difficillimis temporibus Remp. ſapienter rexit; Hanoviam à Cæſareanis occupatam, uno die neque illo integro cepit, captam ſuæ libertati & juſto Rectori reſtituit; pace per Germaniam reſtitutâ, concordiæ inter ſuos & finitimos conſervandæ incubuit; Lyceum Herbornenſe, bellorum injuriâ fere collapſum, reſtauravit, Profeſſoribus longinquis è locis, ubi illos eruditionis famâ florere audierat, accitis; citeriorem Rheni ripam recrudeſcenti latrocinio liberavit. Uxorem duxit A. Æt. 21. Catharinam, Ludovici Com. Sayno-Witgenſteini filiam, Extinctam A.C. 1651. è qua ei nati ſunt Georgius Ludovicus, Joh. Albertus, Henricus Gulielmus, Adolphus, Philippus, Anna Amalia, Eliſabetha, Juliana, Catharina, Ludovica & Magdalena; non ordinis naſcendi, ſed ſexûs hic ratione habitâ. Horum è numero Anna Amalia, (nat. A. C. 1616) uxor primò fuit Ludovici Com. Wiedani; exin Chriſtiani Com. Sayn. Georgius Ludovicus, (nat. A. C. 1618. Den. A. C. 1656.) uxorem habuit Annam Auguſtam Brunſvicenſem, ex ea pater *Henrici* ſuprà memorati: Ludovica (nat. A. C. 1623. Den. A. C. 1666.) nupta fuit Joh. Ludovico Com. Iſenburgico: Adolphus (nat. A. C. 1629.) Eliſabetham Carolam Holtzapfeliam ſibi junxit. Ipſe verò horum omnium Pater primus lineæ ſuæ Principale axioma intulit. Vide Cyriac. Lentul. ſæpius memoratum *Geneal. Hiſt. Princip. Naſſov.* & Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nob. paſſim, inprimis part. I. p.* 82. Vide quoque infrà *Ludovicus*.

Vilhelmus HENRICUS, Friderici Henrici præf. ex fil. Vilhelmo itidem prædicto nepos, ſolus ex Illuſtri Principum Arauſianenſium Stirpe ſuperſtes, Mag. Britanniæ Rex, Fidei & Libertatis Europæ Defenſor, Vide *Vilhelmus* III.

Viri Illuſtres.

HENRICUS, nomen commune omnium Ruthenorum ſ. *Reuſſen de Plavia*, quæ illuſtris in Germ. Fam. eſt, de qua infrà, in voce *Rutheni*. Undè lineas ſtirpis cognoſcere à ſe invicem difficile eſt. Et quidem defecêre ſup. ſec. tres nobiles rami, hodieque qui ſuperſunt, in duas lineas *ſeniorem* & *juniorem* diſpeſcuntur; quarum illi annumerantur, qui in Graiziæ utraque domo & Burckii habitant: ad iſtam decem filii *Henrici* ex Magdalena Schwartzenburgica (quibus in *Gera*, *Salburg*, *Schlez* & *Lobenſtein* ſedes) ſpectant. Et quidem hos quod attinet, *Henricus* cogn. *Jun.* ex Dorothea de Gera, pater fuit *Henrici* Dn. *in Plaw*, Extincti A. C. 1461. quo & Irmgardi Kirchbergiâ genitus *Henricus*, Obiit A. C. 1498. pater ex Magdalena Schwartzenbergia (filia Erckingi Baronis) *Henrici*: qui junctâ ſibi Æm. Annâ Mansfeldiâ, filia Erneſti Com. ſuſcepit *Henricum* Defunctum A. C. 1572. Huic Dorothea Solmenſis (filia Friderici Magni Com.) peperit *Henricum*, Extinctum A. C. 1635. cui ex Magdalena Schwartzenburgica (filia Alberti Com. Schwartzenburgi *in Rudelſtat*) præter filias, Julianam Mariam (nat A. C. 1598. ux. Davidis Com. Mansfeldii) Agnetem (nat. A.C. 1600. ux. Erneſti Ludovici Com. Mansfeldii) Eliſabetham Magdalenam (nat. A. C. 1601. Den. . .) Sophiam Hedvigem; Dorotheam Sibyllam (nat. A. C. 1609. uxorem Chriſtiani Pincernæ *de Tautenberg*) Annam Catharinam (nat. A. C. 1615.) & Erneſtam (nat. A. C. 1618. uxorem Othonis Alberti Domini *de Schœnburg*) geniti ſunt filii decem ſequentes;

HENRICUS I. nat. & Den. A. C. 1599.

HENRICUS II. in *Gera*, nat. A. C. 1602. duxit Catharinam Eliſabetham Schwartzenburgicam.

HENRICUS III. *in Salburg*, nat. A. C. 1603. Obiit A. C. 1640. pater ex Juliana Eliſabetha Rhingravia, Defuncta A. C. 1653. *Henrici* I. (qui nat. A. C. 1639. uxorem ſibi junxit ex Comitum Hardeccenſium ſtirpe) ac Magdalenæ Julianæ (nat. A. C. 1641. θ. A. C. 1649.

HENRICUS IV. nat. A. C. 1604. Extinctus. A. C. 1628. Æt. 24.

HENRICUS V. & VI. nati & Denati A. C. 1606.

HENRICUS VII. nat. A. C. 1610. Den. A. C. 1611.

HENRICUS VIII. nat. & Den. A. C. 1613.

HENRICUS IX. in *Schleitz*, nat. A. C. 1616. Den. A. C. 1666.

HENRICUS X. *in Lobenſtein*, nat. A. C. 1621. uxorem duxit Mariam Sibyllam Ruthenam. Omnes nominis *Rutheni*, *Dn. de Plawen* &c. *Lineæ junioris*. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nob. Eur. Part. I. p.* 15. & 48. ut & *in Ind.* Quod autem de *Henrici* nomine, toti huic inclytæ Fam. communi dictum, ſimile quid in Generoſis Dominis *de Bunaw* obſervat Joh. Chriſt. Sagittanus, qui iis *Henrici quidem etiam*, inquit, *ſed non ſoli ſacri ſunt; nam Rudolphos & Guntheros æſtimant ejuſdem dignitatis. Non aliud, niſi horum trium ex numero nomen eligere ſolent*, *Corpuſculo Hiſtorico --- Heraldico.*

Viri Celebres.

HENRICUS, Monachus Toloſanus, in Gallia Petri Bruis, diſcip. Miſſas pro mortuis, Sanctorum invocationem, Cœlibatum, Peregrinationes religioſas, Chriſmatis & olei conſecrationem, ſuperflua Feſta, Tranſubſtantiationem oppugnavit, Pontificum Antiſtitumque luxu ac faſtu damnato: A. C. 1147. tanto ſucceſſu: ut Galliam ferè totam doctrinâ ſuâ impleret, & *Baſilicæ ſine plebibus, plebes ſine ſacerdotibus eſſent*, Bernhar *l.* 2. *c.* 5. *vit.* Ep. 240. & 241. Serm. 66. *in Cantic.* Adhærebant doctori huic, & Proceres nonnulli Regni, & ex Epiſcopis aliqui; ſub patrocinio inprimis Hildefonſi S. Ægidii Comitis & Tholoſanorum multum creſcente cultorum numero, &c. Vide etiam *Ericus*.

HENRICUS Patriarcha CP. ſub. Clemente VI. A.C. 1343.

HENRICUS Anſiæus, ſcripſit diſputationem de Conceptione immaculatæ B. Virginis, circa A. C. 1589.

HENRICUS de Aquila Carmelita, Comm. ſcripſit in Cantic. A. C. 1330.

HENRICUS Arnolphus, vel *Arnoldi*, Saxo, à Patribus Conc. Baſilienſis Secretarius lectus, ibi Carthuſianum ſe fecit, mox Prior Ordinis: ſcripſit 12. tractatus, de quibus vide Petrejum *Biblioth. Carth. p.* 124. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *p.* 567. Obiit A. C. 1487.

HENRICUS Barthol. de Suſa, vulgo *Henricus de Seguſia*, Cardin. Oſtienſis, A. C. 1262. Juriſconſultus, Theologus, Orator. Scripſit *Summam Oſtienſem*, &c. Gul. Durandi præceptor, Obiit Lugduni A.C. 1272. Matthæus *Pariſ. in Hiſt. Angl.* Ughel. *Ital. ſacr.* Ciacon. Frizo *Gall. Purp.*

HENRICUS Batenus, Mechlinienſis, auctor 10. libb. de rebus divinis, ubi curioſæ de Philoſophia & Muſica quæſtiones. In tabb. Alphonſinis errores notavit, &c. A. C. 1350.

HENRICUS Bebelius, Suevus, ſcriptis editis immortalem nominis Famam adeptus. Vide Schardium, *tom.* 1. *ſcript. Germ.* Cruſium *in Ann. Suev.* Geſner. *in Biblioth.* Voſſ. *de Hiſt. Lat.* Floruit A.C. 1497.

HENRICUS Boycus, ex Armorica oriundus, floruit A. C. 1390.

HENRICUS Bradshau, Benedictinus Anglus, libros varios Hiſtor. partim Latinè, partim Anglicè, edidit. Obiit A. C. 1515. Balæus, *Cent.* 14.

HENRIGUS Braerſius, vel *Venkenſtil.* Mathematicus & Typographus Lovanienſis, edidit A. C. 1528. *Tabulas perpetuas long. & lat. Planetarum*, A. C. 1530. *De Compoſitione & uſu decretorii Planetarum*, A. C. 1535. *De Compoſitione & uſu quadrantis.*

HENRICUS Briggius, &c.

HENRICUS Brucæus, anticus Turnebi & Rami, *de motu primo*, *Inſtitutionibus Sphæræ, &c.* editis clarus, Mathematici inſignes. Docuit hic Lutetiæ, Romæ, Roſtochii.

HENRICUS Bruxellanus, Benedictiuus, de correctione Calendarii ſcripſit, A. C. 1250.

HENRICUS Bullingerus, Theol. Tigurinus, Huldrico Zuinglio ſucceſſit, A. C. 1531. *Helveticæ Confeſſionis, poſt. cum & Oecolampadium, ſummus propugnator*, Thuan. *doctrinæ ſimplicitate, zeli & pietatis ardore, ingenii candore, ac manſuetudine, prudentiæ inſuper laude celeberrimus*, L. Gernlero *diſp.* 2. *prælim in Confeſſ. Helvet.* à Bernenſi & Baſilienſi Rep. ad Miniſterii ſui προστασίαν ob dotes tantas expetitus, A. C. 1531. Jam ſexagenario major, Confeſſionem Helvet. Latinè vertit, monitus à Friderico III. Elect. Palatino, eamque uberius, theticè & antitheticè, explicuit: adjutus à Rod. Gualtero, Joh. Hallero, Theod. Beza, illo Tigurino, iſto Bernenſi, hoc Genevenſi Theologis Opera ejus 10. tom. prodiêrunt: Obiit A. C. 1575. Æt. 76. cùm docuiſſet A. C. 43. Vide quoque in voce *Bullingerus*.

HENRICUS Buntingus, auctor Chronologicorum operum plurimorum.

HENRICUS Caniſius, Neomagenſis, Corpus Canonicum in epitomen redegit, 5. libb. Antiquarum lectionum; theſaurum Hiſtor. & Chronologicum edidit.

HENRICUS Coesfeldt, Weſtphalus, Carthuſ. varia ſcripſit. Obiit A. C. 1410.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

HENRICUS Cornelius Agrippa, vide *Agrippa.*

HENRICUS Diſſenius, Oſnabrugenſis, Carthuſianus, 22. tractatus ſcripſit. Obiit A. C. 1484. Petrei *Bibl. Carthuſ.*

HENRICUS de Erfordia, Saxo, Jacobinus, ſcripſit *de Factis illuſtribus*, à C. M. uſque ad A. C. 1255. &c. Leand. Alb. *l. 4. de Vir. illuſtr. Ord. Prædic. &c.*

HENRICUS Friſius, Carthuſianus, Chronicon Ordinis ſui condidit. Obiit A. C. 1500. Jacobus Wimphelingus, *c. 52. rer. Germ.* Suffridus Petri, *de ſcript. Friſiæ. Voſſ.*

HENRICUS Gandavenſis, vulgò *Doctor Solennis*, Obiit A. C. 1293. Æt. 76. Catalogum Hier. & Sigeberti continuavit, ſcripſit *Theologica Quodlibeta, & ſummam Quæſtionum Theolog. ordinariam* Geſner. Voſſ. Morer. *Dict. Hiſt.*

HENRICUS Geilhuſius, Benedictinus, vitam fundatoris carmine expreſſit. Obiit A. C. 1488

HENRICUS Glareanus. Helvetius. variis ſcriptis Arithmeticis, Geographicis, Muſicis, &c. & Medicinæ peritiâ inclytus. Obiit A. C. 1563. Æt. 75.

HENRICUS Gorrichemus, Theologus Colonienſis, magni nominis A. C. 1460.

HENRICUS Goudanus, Profeſſor Heidelbergenſi, in Magiſtrum ſentent. commentatus eſt, A. C. 1435.

HENRICUS de Grave, cogn. Vermolanus, notis in Epiſtolas Hier. & Cyprianum, clarus, A. C. 1549.

HENRICUS Harphius, Franciſcanus, auctor Theologiæ myſticæ, Speculativæ Affectivæ, &c. Deſſelius *Bibl. Belg.* Morer. *Dict. Hiſt.*

HENRICUS Haſſus, dictus *Junior*, Carthuſ. Geneſin, Exodum, Salomonis Proverbia, Apocalypſin, &c. Item Magiſtrum ſentent. Commentariis illuſtravit. Obiit A. C. 1428. Idem, qui & videndus de duobus aliis *Henricis* Haſſis.

HENRICUS Hutington, floruit A. C. 1158. ſub Stephano Angliæ Rege Auctor Hiſtoriæ Angl. libb. 10. Chronici, tabb. Chronologicarum continuationis Bedæ, &c. *Hiſtoricus egregius*, Polyd Virg. *Probatus auctor*, Joh. Lelando. Voſſ. Morer. *Dict. Hiſt.*

HENRICUS de Kalkar, cogn. *Æger*, Carthuſianus, ſcripſit de origine & progreſſu ſui ordinis, &c. Obiit A. C. 1408. Petrejus *in not. ad Dorl. & in Bibl. Carthuſ. p. 131. & ſeqq.*

HENRICUS Kalteiſen, Confluentiâ, urbe Germ. ortus, Dominicanus diſputavit contra Bohemos, A. C. 1433. in Conc. Baſil. Morer. *Dict. Hiſt.*

HENRICUS Comes *de Kalwen*, Abbas Richenov. Obiit A. C. 1237. Auctor vitæ S. Pirmini, primi hujus loci Abbatis.

HENRICUS de Klingenberg, Ep. Conſtantienſis Interfuit Comitiis Norimberg. ubi Adolphus Naſſovius Imp. depoſitus eſt, A. C. 1298. cum Archiep. Moguntino de præcedentia rixatus. Auctor quæſtionis de Angelis, & Hiſtoriæ Comitum Habsburgicorum, Obiit A. C. 1306. Pantaleon, *de Ill. Germ. Viris*

HENRICUS Knigtonus, Angl. ſcripſit Hiſtoriam Patriæ, A. C. 1380.

HENRICUS Lœnus, Lovanienſis, Carthuſianus, ſcripſit in Pſalmos, & Ethicam Ariſtot. Obiit A. C. 1481. Morer. *Dict. Hiſt.*

HENRICUS de Maria, Cancellarius Galliæ, ſub Carolo VI. Occiſus A. C. 1418. Pariſiis, in laniena à Burgundis excitata.

HENRICUS Martinus, vide *Martinus.*

HENRICUS à Melchthal, Subſylvano-Helvetius, vir opulentus & libertatis ſtudioſus. Huic cùm Landebergius præfectus Auſtriacus aliquot boum paria, ſine cauſa ulla abduci per ſervum juſſiſset: fil. Henrici Arnoldus, ſtimulo ſervum percuſſit, herique tyrannidem fugiens ad Uranios ſe recepit. Quo facto parenti ſeni Landebergius oculos eruit, illo maximâ bonorum parte mulctato. Quod audiens Arnoldus, cum Furſtio & Stouffachero, ſeriâ deliberatione inſtitutâ, prima fœderis Helvetici fundamenta jecit A. C. 1307. Simler. *de Rep. Helv.*

Poſt dominos triſtes, & ſævi dura tyranni
Imperia, ad Fœdus mitior hora vocat.

HENRICUS Memmius, ſec. præt. probitate, eruditione, munerum ſublimitate, ſub variis Regibus, inclytus. Scævola San-Marth. *l. 4. elog.*

HENRICUS Monatholius, Medicus & Mathematicus Pariſienſis: Mechanica Ariſtotelis vertit & notis illuſtravit.

HENRICUS de Novo Caſtro, Ep. Baſilienſis, grave geſſit bellum cum Rudolpho Com. Habſpurgico, qui urbem Baſileam, exulibus Stelliferæ factionis frigidam ſuffundentibus, bis obſedit: donec hic Henrico Noricorum Burggravio internuncio, ab Electoribus inſperarò ad Imperium vocatus, Ep. urbique pacem dedit. Obiit hac partâ Henricus, A. C. 1274.

HENRICUS Pantaleon, Baſilienſis, Medicus & Hiſtoricus inſignis. Tractatu *de Viris Ill. Germ.* nomen meritus.

HENRICUS Penia, ſcripſit de bello Sophorum & Turcarum.

HENRICUS de Piro, aliis Brunus, Colon. J. C. inſignis, Conc. Conſtantienſi interfuit. Carthuſianus dein factus, ſcripſit in 4. libb. Inſtitutionum Juſtiniani, &c. Dorland. *c. 32.* Petrejus, *Bibl. Carthuſ.*

HENRICUS Prudens, Carthuſianus, Obiit A. C. 1484. ſcriptorum variorum auctor. Boſtius *l. 36.* Sutor. *l. 2. vitæ Carthuſ. tr. c. 7.* eum Vrœdium vocat.

HENRICUS Ranzovius, nobilis Danus, *de Genethliacorum judiciis*, aliaque Mathematica & Aſtrologica opera in lucem emiſit.

HENRICUS Rebdorſius, Monachus, auctor Ann. ab. A. C. 1295. uſque ad A. C. 1362. Geſner. & Voſſ. *de Hiſt. Lat.*

HENRICUS Samerus, Jeſuita, Lucemburgenſis, auctor Chronologiæ ſacræ, à C. M. uſque ad C. N.

HENRICUS Smetius, Aloſtanus, Medicus & Profeſſor Heidelbergenſis, auctor Proſodiæ, in ſcholis uſurpatæ.

HENRICUS Soliacus, magni in Anglia nominis, A. C. 1190. Sub Richardo I. nepos Adelaidis, quæ ſecundis nuptiis Henrici I. Regis uxor fuerat: Ep. Winceſtrienſis. Scripſit de inventione corporis Regis Arturi. Voſs. *de Hiſt. Lat.*

HENRICUS Spondus, Ep. Apamienſis, ſcripſit *de Cœmeteriis ſacris*, continuavit epitomen Baronianam, ab A. C. 1600. uſque ad A. C. 1640. Annalibus quoque Eccl. V. T. intentus. Obiit Toloſæ A. C. 1643. Æt. 75. Vide Morer. *Dict, Hiſt.*

HENRICUS Stain, Hiſtoricus ſec. 11. Præpoſitus Udinenſis.

HENRICUS Stephanus, Pariſinus, fil. Roberti, qui *Notis in Biblia* Theologorum Pariſienſium odium in ſe provocavit, Typographus celebris, eruditione inter primos ſui ſec. Juvenis ex Italia reverſus, Anacreontem cum notis edidit, & verſibus Latinis expreſſit. πολύγλωττος excellens, ſcripta in omni literarum genere edidit in lucem, inter alia & Gallicæ ling. cum Græca conformitatem, tractatu Regi dedicato, monſtravit: De publico impensè meritus. Apologia ſola ejus pro Herodoto quibuſdam ingrata eſt. Majoris ſecuritatis causâ Genevam ſe recepit, undè ſæpe excurſiones faciens, A. C. 1598. Lugduni Obiit. Pater Pauli, bonorum eruditionis paternæ hæredis, ac filiæ, quæ Iſaaco Caſaubono nupſit. Thuan. *Hiſt.* San Marth. *l. 4. Elog.* Vide de omnibus tribus, Roberto, Henrico & Paulo, *les Eloges des Hommes Sçavants* Antonii Teiſſier *Part. I. & 2.*

HENRICUS Steron. Monachus Germ. ſcripſit Annales ab A. C. 1152. qui primus erat imperii Friderici II. uſque ad A. C. 1273. quo Rudolphus I. Imperio potitus eſt. Eberhardus Archidiac. Ratisbon. continuavit, uſque ad A. C. 1305. Adjunxit Steron vitas Rudolphi, Adolphi, & Alberti Impp. uſque ad A. C. 1300. quibus additio uſque ad A. C. 1335. acceſſit à Welingis fratribus, Benedictinis Auguſtanis. P. Freher. *tom. 1. ſcript. Germ.* Geſner. *Voſſ.*

HENRICUS de Suſe, Suevus, Dominicanus, ſcripſit ſec. 14. Germanicâ linguâ, inter alia, 100. *Meditationes in Paſſionem; de Novem Rupibus, Horologium ſapientiæ, Officium quotidianum de æterna ſapientia, &c.* Obiit A. C. 1365. Antonius Senenſis, *Biblioth. Præd.* Alph. Fernandez, in *Concert. Præd.* Bollandus *in SS. Menſ. Januar. &c.*

HENRICUS Thaborita, ſcripſit Hiſtor. Eccl. & Politicam, à N. C. uſque ad A. 1508. Suffridus Petri *de Scr. Friſiæ.*

HENRICUS Utidonenſis, Hiſtoricus Anglus.

HENRICUS de Zœmeren, Brabantus, Theologus Lovanienſis, precibus Beſſarionis Cardin. in Italiam venit. Obiit ſub Sixto IV. Epitomator primæ partis Occami, & Hiſtoriæ de capta Conſtantinopoli: ut & de Hæreticis libri. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 3.* Simler. *in Bibl. Germ.* Vide quoque *Ericus.*

HENRIQUEZIA, Fam. Hiſp. illuſtris: orta ab Alphonſo *Henriquez*, Friderici Mag. Magiſtri Ord. S. Jacobi (qui frater gemellus Henrici Caſtiliæ Regis occiſus eſt A. C. 1358.) filio, & primo ex ſua fam. Caſtellæ Thalaſſiarcha ſeu Admiralio. Hic duos cùm genuiſset filios, eorum minor Henricus Comites *de Alba de Aliſte* ſive *de Liſte* ſevit. Primogenitus Fridericus patris in Admiralis officio ſucceſſor, Comitis *de Melgar* & *Rueda* titulum acquiſivit. In ejus filiis iterum duæ incepêre lineæ: nam Alphonſus ad poſteros Thalaſſiarchæ munus tranſmiſit: qui inſuper nomen *Ducum Medinæ de Rio ſecco* obtinuêrunt. Ex Maria enim (filia Petri Fernand. *de Velaſco* Com. *de Haro*) pater fuit Ferdinandi Henricii Adm. Caſtiliæ Ducis de *Medina de Rio ſecco*, qui ex Maria Girona genuit Ludovicum Henricium ſeu *Henriquez*, maritum Annæ *de Cabrera & Monçada*, à ex hac patrem Ludovici II. qui præter dignitates tituloſque avitos, à matre nomen *de Cabrera* inſuper aſſumpſit. Eo & Annâ Mendoziâ genitus Ludovicus III. pater fuit ex Victoria Columna (filia Marci Antonii Columnæ Ducis *de Paliano* Princ. *de Tagliacozzo*) Joh. Alphonſi *Henriquez de Cabrera* Admiral. Caſtiliæ Ducis *de Medina de Rio ſecco*, cui juncta Luiſa *de Sandoval* (filia Chriſtophori Ducis *de Uzeda*) liberos ei complures peperit nominis *Henriquezii de Cabrera*. Phil. Jac. Spener. *Theatro Nobil. Europ. Part. I. p. 134.* Alter verò Friderici præfati fil. Petrus, ab uxoribus Beatrice & Catharina (quæ germanæ & filiæ Perafani *de Ribera* Com. *de los Molares* erant) ſucceſſionem nomenque *de Ribera* ſuæ domui, cum officio ſupremi Judicis Andaluziæ, intulit. Undè Comites *de los Molares* & Marchiones de *Tarifa* deſcendunt, quibus axioma Ducale *Alcalæ* titulo acceſſit. Habuit Petrus is, ex Catharina, fil. Ferdinandum I. Henriquez *de Ribera* Com. *de los Molares*; qui ex Agnete Portocarrera, genuit Ferdinandum II. *Henriquez de Ribera* Duc. *Alcalæ*: cui Johanna Corteſia (filia Ferdinandi Extincti A. C. 1547.) Ferdinandum II. March. Tarifæ peperit; quo & Annâ Gironâ (filiâ Petri Gironi Ducis Oſſunæ) nati ſunt, Ferdinandus *Henriquez de Ribera* Ducis *Alcalæ*, maritus Beatricis (filiæ Chriſtophori *de Mora* March. de *Caſtel Rodrigo*) Petrus Gironus (cui nupſit Antonia Portocarrera Marchio de *Alcala de la Lameda*) & Johanna Henriquezia de Ribera (ux. Alphonſi Fernand. *de Corduba Figueroa* M. *de Priego*) nominis Henriquez *de Ribera*. Idem *p. 98.* Sed &, præter Duces Alcalæ ac Marchiones Tarifæ, in altero hoc fam. ramo, clarent etiam Marchiones *de Villa nueva del Rio*, à Friderico *Henriquez*, Ferdinandi I. præfati Ducis Alcalæ, fratre derivati: Hic enim Marchio *de Villa nueva del Rio*, ex eadem Catharina prædicta genitus, Mariam de Corduba uxorem habuit: pater ex ea Ferdinandi; qui ex Maria Manricia (filia Garſiæ Fernandezii Manricii Com. *de Oſſorno*) genuit Antonium *Henriquez de Ribera* March. *de Villa nueva del Rio*, qui Obiit, prole nullâ ex Anna filia Antonii. *Alvari de Toledo* Duc. *de Alva*, ſuſce-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſuſceptâ, & Antoniam hæredem, cui maritus obtigit Ferdinandus Alvarus de Toledo Dux Albanus (de *Alva & Hueſca*) Vide eund. *Part. II. p.* 56.

HEORTA, opp. Pannoniæ inf. in Scordiſcis. *Hardberg Lazius.*

HEPAR, in Extiſpicina Vett. inprimis ſpectabatur: undè *Extorum* nomine κατ' ἐξοχὴν denotatum, licèt pulmonem quoque & cor cæteraque inſpicerent. Virg. *Georg. l.* 1, *v.* 484.

Triſtibus aut extis fibræ apparere minaces.

Ubi *fibræ*, jecoris extremitates ſunt, λοβοὶ τοῦ ἥπατος. Et Appulejus *jecinoris conformandis, extis fiſſiculandis.* Ubi *exta* iterum de jecore, cujus propriè *fibram* dicebatur, ut vidimus ſuprà. Et quidem ſummam & extimam *Hepatis* fibram inprimis conſiderabant, quam proin *Caput extorum* ſolebant nuncupare. Id geminum, vel impensè auctum, vel fibrâ introrſum replicatum contractumque felicia promittebat; triſtia verò lurdum, ſanioſum, puſtuloſum, coctura tabeſcens, quovis modo vitioſum. Qua de re vide Alex. ab Alex. *l.* 5. *c.* 25. Sic ritè exploratum & probatum *Hepar* in ara ponebatur, Hygin. *Prometheus immolat tauros duos, prius vero eorum jecinora cum in ara poſuiſſet, reliquam carnem ex utroque tauro in unum compoſitam corio bubulo texit.* Neque verò ſolum, ſed quod ex immolata quoque hoſtia deſectum, quaſi auctarii vice, ſimul imponebatur, *augmenti* nomine. Aliquando & *magmentum* ſuperaddebatur: quas voces vide ut & infrà in voce *Proſiciæ*. Atque hæc pars extorum proſicata Diis adolebatur: reliquâ inter eos, qui ſacro intererant, ad comedendum, diſtributâ. Salmaſ. *ad Solin. p.* 129. Vide quoque infrà in voce *Jecur*, ut & ubi de variis *Divinationis* ſpeciebus. Hinc *Hepatites* gemma, memorata Plin. *l.* 37. *c.* 11. & *Hepatizon* genus æris, *ſuo colore prope, ad jecinoris imaginem vergens*, apud eund. *l.* 24. *c.* 2. &c.

HEPHÆSTIA, urbs in Lemno Steph. nunc *Cochio*, planè deſerta, & deſtructa. Eſt etiam vicus in tribu Acamantide, ubi Vulcani templum erat: Tribules *Hephæſtiades*. Steph. juxta hunc vicum collis eſt, Vulcani, ut creditur, caſu nobilitatus. Ferunt enim, Vulcanum à Junone, ob inſignem deformitatem, è cœlo præcipitatum, in collem illum decidiſſe. Cujus fabulæ occaſio inde ſumpta eſt, quod totus hic collis combuſto ſimillimus videatur, neque planta ulla in eo gignatur. Ex hoc colle effodiebatur terra Lemnia, Dioſcoridis & Galeni ſcriptis maximè celebrata. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

HEPHÆSTII, montes in Lycia, qui tædâ flammante tacti adeo flagrant, ut lapides in ipſis aquis ardeant, aliturque ignis ille pluviis. Baculo ſi quis, ex iis accenſo, traxerit ſulcos; rivos ignium ſequi narrant. Plin. *l.* 2 *c.* 106.

HEPHÆSTION, unus ex Alex. Mag. Ducibus, multum ab eo amatus, quem ille ita cum Cratero conferebat, ut hunc quidem φιλοβασιλέα, Hephæſtionem verò φιλαλέξανδρον appellaret. Vide Curt. *l.* 3. *c.* 4. &c. Hunc vita functum Ecbatanis, morbo ex crapula contracto, Olymp. 113. An. 3. Anticle Athenis Archonte, L. Cornelio, Q. Popilio Coſſ. tam magnifico funere proſecutus eſt, ut facilè omnes pompas ſuperaret. In funus enim hoc ſupra 12. talentorum millia impenſa feruntur. Vide Voſſ. *Theol. Gent. l.* 1. *c.* 15. Imò & *ei tanquam Heroi ſacrificari juſſit*, Curt. *l.* 10. *c.* 4. Vide & Plutarch. *in Alex.* poſt petitum videlicet allatumque ab Ammone hac de re oraculum, imò poſt illud tantùm non imperatum, ut ex Arriano diſcimus *l.* 7. Hinc *Vaticinandi* illi poteſtas affictæ, & μαντεῖον erectum, ut videre eſt in *Continuatione*: Oracula certè per illum data memorat Lucian. *de non cred. calumn.* Hinc per ipſum *juratum*, ὁ μέγιστος ὅρκος ἦν ἅπασιν, Ἡφαιστίων, *Erat nomen Hephæſtionis jusjurandum omnibus religioſiſſimum*, *Ibid* gloriante Alex. quòd non modò Dei fil. eſſet, ſed & Deos creare poſſet. Vide Anton. van Dalen *Diſſertat. de Orac. II. p.* 430. & *ſeqq.* Per eundem ſomnia immitti, curationes fieri & oracula reddi, creditum eſſe, refert Lucian. Ut enim aliquâ divinitatis auctoritate iſtiuſmodi Deorum Paredri (quo nomine dicebantur, qui beneficio Principis, aut propriæ virtutis merito, in conſortium Deorum erant recepti, cenſerentur, talia illis vulgò adſcribi ſolebant. Vide Salmaſ. *ad Spartian. in Hadr.* Voſſ. *de Idol. l.* 1. *c.* 25. & inf à ubi de *Paredris*. Mortem ejus prædixit Pythagoras vates apud App. Alex. *Civil. Bell. l.* 2. & Arrian. *l.* 7. & Plutarch. *c.* 124. Mortuus autem eſt ad Ecbatana, ut dictum, Ælian. *Var. Hiſt. l.* 7. *c.* 8.

HEPHÆSTION, Alexandrinus Grammaticus, de quo Suid. &c. Extat unà cum Scholiaſte Pariſiis, A. C. 1553. apud Hadrian. Turneb. Typographum regium. Inter Græcos Grammaticos, quos Verus Imp. audivit, memoratur Julio Capitolino; extatque ejus Enchiridion de Re *Metrica* elegans libellus. Salmaſ. *ad l.*

HEPHÆSTION, Thebanus, de Horoſcop: effectis ſcripſit. Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 37. §. 11. Vide *Epheſtio*.

HEPHÆSTION, ſeu *Hephæſtium*, Græcè Ἡφαίστιον, quaſi τὸ ἱερὸν, *templum Vulcani*, uti hanc urbem vocat Scylax in *Periplo*, urbs Lyciæ prope Chimæram, eſt Plin. *l.* 5. *c.* 27 *Mons Chimæra noctibus flagrans*, Hephæſtium *civitas*, & *ipſa ſæpe flagrantibus jugis*. Et Solino *c.* 39. *Et quoniam natura ſubeſt ignea, Vulcano urbem proximam Lyciæ dicarunt, quam de vocabulo nominis ſui* Hephæſtiam *vocant*. Sed ultra Tauri prom. quod eſt contra Chelidonias, in parte Pamphyliæ, longè utique à Chimæra, aliud *Hephæſtion* alii ponunt: & eundem in *Hephæſtiis* montibus, de quibus vide ſuo loco, & plura hac de re apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 801.

HEPHÆSTIUM, Lyciæ opp. Plin. *l.* 5. *c.* 27. Vide *Hephæſtion*.

HEPHÆSTOS, Proprium viri, & nomen Vulcani, Doricè Ἅφαιστος, i. e. אבךאשתא *af-eſto*, *pater*, ſeu *inventor ignis*, quia, ut Græci fabulantur ἀφῆκε πῦρ, καὶ τέχνας ἐκ πυρὸς ὁπόσας, uti loquitur Tzetzes *Chil.* 10. 335. Bochart. *Hephæſti* urbis Ep. in Ægypto meminit Conc. Epheſ. tertium.

HEPHÆSTUNESI, i. e. *Vulcani inſulæ*, regioni Adiabenæ adnumerantur, *Steph.*

HEPHER, fil. Aſhur ex Naara uxore. 1. Par. *c.* 4. *v.* 6. Portio Regni, terræque Chanaan, quam Joſue expugnavit. 2. Reg. *c.* 14. *v.* 25. Joſ. *c.* 12. *v.* 17.

HEPITALIUM, urbs Triphyliæ. *Steph.*

HEPTACOMETÆ, barbari in Cyzico monte habitantes, quorum nonnulli *Byzeres* vocabantur. *Steph.* Sic autem dicti ſunt à *ſeptem vicis Moſſynæci* à Strab. *l.* 12. *p.* 548. & 349. & *Moſynes* à Diod. Sic cognominantur.

HEPTAGONIÆ, nomen loci. *Liv. l.* 54. *c.* 38.

HEPTAGRAMMATOS, cogn. Serapidis. Vide infrà *Joſephus*.

HEPTAMYXOS Lucerna, apud Hegeſipp. *l.* 5. *c.* 10. *Lucerna quæ ſuper candelabrum ponitur, antè ſub modio erat, i. e. ſub legis menſura, nunc eſt ſub gratiæ plenitudine*, heptamyxo *frequens lumen effundens*; ut ἑπτάμυξος, ἑπτάμυξον, eſt lucerna ſeptem *myxos* ſeu *nares*, ut alii vocant, habens. Candelabra enim antiquitus fiebant, ut plurimis loculis inſertas candelas capere poſſent. Vide Gronov. *Obſerv. in Scriptores Eccleſ. c.* 22.

HEPTANESIA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

HEPTAPHONOS, nomen porticus, quod in eo ſepties vox reddatur in Olympia. Plin. *l.* 36. *c.* 15. Ejus meminit Plutarch. *l.* περὶ ἀδολεσχίας. Et quid ni putem eò reſpexiſſe Lucret. de Rer. Nat. *l.* 4. *v.* 578. & ſeqq. cùm ait,

Sex etiam ſeptem loca vidi reddere voces,
Unam cùm jaceres ita colles collibus ipſis
Verba repulſantes iterabant dicta referre.

Nic. Lloyd.

HEPTAPOLIS, Regio Ægypti, quæ & *Heptanonios*, ſic dicta, quia ex ſeptem urbibus vel nomis conſtabat.

HEPTAPOROS, fluv. Troadis ex Ida monte profluens, qui ſeptem locis vadari poteſt eâdem viâ, propter quod & *Polyporos* Strab. *l.* 13. *p.* 587. appellatus eſt. Plin *l.* 5 *c.* 30.

HEPTAPYLOS, Thebarum Bœoticarum epitheton, à ſeptem portarum numero dictum, idque ad diſcrimen Thebarum Ægyptiarum, quæ à numero 100. portarum ἑκατόμπυλος dicebantur.

HEPTAS, Græcè ἑπτὰς, *ſeptenarius*, quod nihil gignit, par virgini perhibetur, uſque adeò ut & *Pallas* dicatur. Undè coronam Virginitatis ſeu diadema virginale conſtare ex *heptade* radiorum, *ac maximè, in medialis gemmæ lumine prænitere*, ait Martian. Capella *l.* 1. 2. & 7. Vide quoque Macrob. *in Somn. Scip. l.* 1. *c.* 6. Hier. *Ep. l.* 2. *Ep.* 19. Car. Paſchal. *Coron. l.* 1. *c.* 6. & plura de hoc numero hìc paſſim, in vocibus *Fringilla*, *Hebdomas*, *Septem*, *Septimana*, *Synecejis*.

HEPTATEUCHUS, tomus SS. Bibliorum primus, cum Pentateucho Moſis, Joſuæ & Judicum libros comprehendens. Solebant enim, teſte Ivone Carnutenſi *in Ep.* 38. veteres Eccleſiaſtæ in unum conjungere, & colligare quinque libros Moyſis, cum reliquis duobus; quotieſque ex illis aliquid proponebant, citabant id ſub nomine *Heptatici*, vel *Heptateuchi*. Hujus mentio fit apud Euſeb. Emiſſenum *Homil. in Domin.* 7. *poſt Pentecoſte*, & *Hom. in Luc. c.* 15. Sidon. Apollin. *l.* 5. *Ep.* 15. Gregor. Mag. *l.* 7. Ep. 49. & *l.* 12. *Ep.* 30. Hincmar. &c. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.* & hìc infrà.

HEPTAICUS, in Ord. Rom. *In ſeptuageſima Paſcha ponunt* heptaticum, *usque in quintam decimam diem, ante Paſcha*: & *Eptaticus*, in *poëm.* Alcuini præfixo *Bibliothecæ* ſeu *Libris ſacris*, edito *l.* 2. *Comm. Bibl. Caſ. p.* 406.

Eptaticus *enim librum decurrit in iſtum,*
Quem Ruth conſequitur fœmina clara ſatis;

corruptè pro *Heptateucho*, ſeu tomo *SS.* Bibliorum, continente Pentateuchum Moyſis & ſequentes duos libros Joſuæ & Judic. In hunc commentatus eſt Greg. Mag. quem tractatum à Succeſſore ejus Steph. II. Cantorum Scholæ donatum fuiſſe, tradit Gulielmus Bibl. apud Toringium *de Cryptis Vaticanis*, laudatum Dom. Macro *in Hierol.* Vide in voce *Heptateuchus*.

HEPTAYDATON, Cic. *Septem aquæ*, locus Latii, apud Fucinum lacum & Maruvium opp. ab eo 40. Stad. diſtans.

HEPTAZONUM, vide *Planetæ*, it. *Septizonium*.

HER, vel *Er*, fil. Judæ ex Sue uxore ſua, Gen. *c.* 38. *v.* 3. Item pater Elmodad. Luc. *c.* 3. *v.* 28.

HER, ex Græco χὴρ, apud Calpurn.

--- *ſpinoſa corporis* herem.

idem eum echino ſeu erinacio eſt, quas voces vide.

HERA, Juno Græcis ſic dicta. Item Cereris cogn. apud Pauſ. *in Arcadic.* Item urbs Siciliæ, quæ aliàs Hybla minima. *Steph.* Item Æolidis opp. & Arcadiæ. *Pauſ.*

HERA, vide ſupra *Æræ*, & *Era*. Sed & in Bibliotheca Thuanæa habetur vet. Canonum Codex, qui in ſectiones vel capita dividitur, quæ *Heræ* appellantur: ubi interdum HR. per contractionem ſcribitur. Similiter in veteri forma celebrandi Concilii provinc. apud Mabillon. Conciliorum Canones per *Heras* laudantur, *p.* 458. & 459. Fauſtus Rejenſis *Ep.* 6. *per crucis enim ſignum & per ſacrum Jeſu nomen apud Græcos*, Hera *utriuſque ſupputationis imprimitur*, *Capitula ad L. Alem. c.* 27. *Si litus fuerit in Eccl. in* heris *generationis dimiſſus fuerit*, 13. *ſol.* --- *componat.* Ubi *Hera Generationis* videtur appellari ſeries ipſa generationis, ut tam ipſe quam filii, & nepotes libertatem conſecuti fuerint, &c. Vide C. du Freſne in voce *Æra*.

HERA Diana, apud Joh. Sariſberienſem *l.* 2. *c.* 17. Luna dicitur ſeu *Noctiluca*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

HERACL. in nummo Juliani, *Heracleæ* nota eſt, ubi moneta percuſſa. C. du Freſne *de inf. ævi Numiſmatibus.*

HERACLAMMON, duorum Numinum, *Herculis* & *Ammonis*, appellatio in unum conſtata; ſicut *Beſſammous*, *Hermammon*, *Hermathena*, *Hermeraclas* &c. Salmaſ. *ad Spartian. in Hadr.*

HERACLAMON, proditor Thyanæ urbis, ab Imp. Valerio Aureliano occiſus, A. C. 273. dicente; *Qui mihi fidem ſervaret, qui patriæ non pepercit.* Eutrop. *l.* 9

HERACLAS, diſcip. Origenis, ei in ſchola Alexandrina ſucceſſit, poſtmodum Ep. hujus urbis, ab A. C. 234. uſque ad A. C. 248. Euſeb. *Hiſt. l. 6. c.* 12. 20. & *ſeqq.* Dionyſius ei ſucceſſit.

HERACLAS Presbyter, ἀσκηλικώτατος, per complures annos nudipes inceſſit, a vino aliisque ad vitam neceſſariis in tantum abſtinens, ut in vitæ diſcrimen incideret: pallium quoque Philoſophicum, quo, qui puriore & exactiore normâ Chriſti fidem colebant, tum utebantur, geſtavit, &c. Euſeb. *Hiſt. Eccl. l. 6. c.* 3. & 20. Vide Salmaſ. *Præf. ad Tertullian. de Pallio c.* 1.

HERACLEA, urbs triplex in Ægypto; una magna cognomine ad Nilum, quæ Herculis urbs magna Ptol. Altera Herculis urbs parva, apud Bubaſticum fluv. & Bubaſtum urbem. Tertia in ora apud Heracleoticum oſtium Nili, ab ea ſic appellatum, Canopo finitima. Plin. *l.* 5. *c.* 10.

HERACLEA, urbs Cariæ, quæ & *Latmus* Strab. *l.* 14. *p.* 635. à vicino monte, *Palatia* Caſtaldo, & Moletio, *Erges* Turcis dicitur, teſte Leunclavio. In ora litorali maris Ægæi & Sinus Lathmiaci, inter Miletum & oſtia Mæandri fluv. 30. mill. ab Epheſo in Auſtr. Aliis dicitur *Heraclea ad Latmum*, in Sintica reg. hodie *Bagna Bebuſco*, ſeu *Bilibuſca*. Sub Archiep. Sardicenſi. L. *Holſten.*

HERACLEA Cretæ, *Heraclium* Strab. *l.* 17. *p.* 838. & Ptol. opp. & navale Gnoſſiorum, Mirabello *Pineto*.

HERACLEA, urbs Hiſp. Bæt. juxta Fretum Herculeum, ad rad montis Calpe: cujus rudera nunc *Gibraltar Viejo*, cum portu ſatis capaci, 4 mill. paſſ. à Gibraltaria urbe.

HERACLEA, Italiæ urbs olim Epiſcopal in ora Venetiæ à D. Magno Ep. Opitergino extructa, & ipſa exciſa, cui Urbs Nova, etiam everſa, ſucceſſit. Vide ſis Steph. in Ἡράκλεια. P. Mela *l.* 2. *c.* 4.

HERACLEA, opp. Libycorum in Gall. Narbon. *S. Gilles*, Poldo teſte, in Occid. inter Taraſconem & Aquas mortuas. Aliis, vicus *les Saintes Maries*, ad oſtia Rhodani. Plin. *l.* 3. *c.* 4.

HERACLEA Macedoniæ, inter Lychnidum & Ædeſſam, *Xevoſna* Moletio & Nardo; Eſt & in Macedonia *Heraclea* altera *Sintica* cognomine. Ptol. Cæſ. *Sentica l.* 3. *de Civ. Bel. c.* 15. quæ *Cheſeſia*, ſeu *Cheſia* Nigro nominatur. Plin. *l.* 4. *c.* 10.

HERACLEA, urbs exciſa Magnæ Græciæ, apud ſinum Tarentinum, *Pelicore*, teſte Pyrrho Ligorio. Hujus navale etiam *Heraclea* Strab. *l.* 10. *p.* 476. vocatur, ab ipſa urbe 24. ſtadiis diſtans, quod hodie *Amendolara* opp. teſte Barrio, dicitur.

HERACLEA, quæ & *Minoa* Liv. *l.* 24. *c.* 35. opp. Siciliæ in ora Auſtrali, locus nunc *Capo Bianco*, teſte Fazello, dicitur.

HERACLEA Ponti, urbs Bithyniæ reg. Mariandynorum metropolis, ab Hercule, teſte P. Melâ, *l.* 1. *c.* 19. condita in ora maris Euxini. *Penacrachi* hodie dicta. Nunc ſub Turcr. 120 mill. ab Boſphoro Thracico, 40. ab oſtio Sangari fluv. in Ort.

HERACLEA Phthiotidis: quæ & *Trachinia*, Plin *l.* 11. *c.* 3. *Comaro* teſte Pineto, urbs Trachiniæ reg. in Phthiotidis & Theſſaliæ conf. ubi tranſitus in Theſſaliam ex Græcia difficilis. Baudr. urbs Macedoniæ in Theſſalia, & prov. Phthiotide, prope Aſopum fluv. Ad hanc ſe combuſſit Hercules.

HERACLEA, quæ & *Sini* antea, urbs fuit Lucaniæ, ab Aciris fluv. oſtia. Vix rudera ſuperſunt.

HERACLEA Syriæ, *Imira* Bonacciolo, urbs in Cyrreſtica regione. *Heraclium* Strab. *l.* 17. *p.* 838. Plin. *l.* 3. *c.* 11.

HERACLEA urbs Syriæ, ad Tauri montis radices, & Ciliciæ confinia, *Heraclia*, teſte Bellonio. Idem *l.* 5. *c.* 20.

HERACLEA Tauricæ Cherſoneſi, *Heracleum* Strab. & Ptol. Plin. *l* 6. *c.* 4. & 5. urbs in ora Bor. ad Mœoticam paludem, quæ adhuc *Héraclia*, teſte Bonacciolo, nominatur. Μιλησίων κτίσμα dicitur Strab. *l.* 12. *p.* 548. Μεγαρέων ἄποικος vocatur ab Arriano, itemque Xenoph. *Anabaſ. l.* 6. Τοῦτον δὲ παραπλεύσαντες, inquit, ἀφικνοῦνται εἰς Ἡράκλειαν, πόλιν Ἑλληνίδα, Μεγαρέων ἄποικον, οὖσαν δ' ἐν τῇ Μαριανδυνῶν χώρᾳ. Scholiaſtes Apollonii *in l.* 2. ait Μεγαρέων καὶ Βοιωτῶν. Vide Palmer. *p.* 333. *Plin. l.* 4. *c.* 12.

HERACLEA Thraciæ, quæ & *Perinthus* Ptol. Plin. *l.* 4. *c.* 11. urbs ampliſſima in ora Propontidis, inter Byzantium & Callipolim, *Panuro* Leunclavio, Claud. *in Ruf. l.* 2. *Carm.* 5. *v.* 292.

Thrace ad Herculei perventum nominis urbem.

Et quidem nomen *Perinthi* hodieque lapidi inſculptum, in Eccl. Cathedrali Græcorum hujus urbis, cernitur; Sed jam iterum antiquum *Heracleæ* nomen, quod ſub poſterioribus Impp. reſumpſit, ſervat. Fuit autem *Inſcr.* modò indigitata facta in honorem Sev. Imp. qui urbem Byzantium hujus urbis imperio ſubdiderat, in pœnam partium Peſcennii Nigri pertinaciter nimis defenſarum. Jac. Spon *Itin. Part. I. p.* 217. & *ſeqq.*

HERACLEA, apud vet. Interpretem Alex. Jatroſophiſtæ *Paſſion. l.* 2. ubi de ligaturis & characteribus, *Aliud de Lapide medicamentum; ſculpens in eo* Heracleam *rectam ſuffocantem leonem, includens in annulo aureo & dabis ad utendum in digito & ſanus erit*, ſtatua Herculis eſt. Cujuſmodi fortè gemma eſt, quam ſervat Gazophylacium Canonicorum Regular. S. Genovefæ Pariſ. in qua ſculptus *Hercules leonem ſuffocans*, cum hiſce characteribus ſat malè formatis, ΗΡΑΚΛΙΩΝ; quam propediem cum aliis rarioribus ejuſdem gazophylacii monumentis publicabit C. de *Moulinet*, Ordinis Procurator Gener. uti habet C. du Freſne *in Gloſſ.*

HERACLEANUS, Africæ Præſes, Attalum Imp. in locum Honorii, ab Alarico nominatum, commeatu privavit: Hinc fames Romæ, & Attali ruina. A. C. 411. Socr. *l.* 7. *c.* 10. &c.

HERACLEO, pro *Heracleopolis*, quod vide, & de ejuſmodi urbium appellationibus, apud Recentiores paſſim occurrentibus, Salmaſ. *in Æl. Spartian. in Hadr.*

HERACLEOBUCOLI, vicus in Ægypto.

HERACLEODORUS, qui in Oreo habitans, cùm tacitè Ariocratiam odiſſet, Prætor urbis factus, eam in Democratiam convertit. Ariſtot. *l.* 5. *Polit. c.* 3.

HERACLEON, Grammaticus Ægyptius, ſcripſit comm. in Homer. & Lyricos. Steph. Item, diſcip. Valentini, mortuos ſuos juſſit oleo peculiari, & balſamo, defunctorum cadavera inungere, ad mitigandas illorum pœnas. Tertullian. *de præſcr. c.* 49. Iren. *l.* 1. *c.* 4. Epiph. *hær.* 36.

HERACLEONAS, vide *Conſtantinus IV.*

HERACLEOPOLIS, nomen trium civitatum, una eſt in Ægypto, ex qua Theophanes Phyſicus; altera non longè à Peluſio: tertia ſecundùm Nili oſtium, quod Canopicum eſt. Volaterr. *ex Steph.* Plin. *l.* 5. *c.* 9.

HERACLEOTES, dictus eſt Dionyſius philoſophus, Zenonis diſcip. Item locus ſic dictus à Cic. 2. *Tuſc.* ubi fuit amphitheatrum unum è ſeptem ſpectaculis. Vide & 4. *Tuſc.* & 5. *de Fin.* Item inſ. inter Italiam & Siciliam. *Anton.*

HERACLEOTICA Nux, eadem cum Pontica, ab urbe Ponti *Heraclea* de quo ſuo loco, vide Theophraſt. *Hiſt. l.* 3. *c.* 2. ubi Ἡρακλεωτικῶν ſolidum ac denſum putamen eſſe dicit, alibique paſſim. Διὸς βάλανος Græcis dicta eſt, uti pluribus docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 602. Vide infrà in voce *Nux*. De *Heracleotico* verò Nili oſtio, conſ. Salmaſ. *p.* 477. & *ſeqq.* ubi principalem Nili alveum circa oſtia Canopicum & *Heracleoticum* vocatum eſſe, probat.

HERACLEUM, prom. Cappadociæ apud Themiſcyram urbem, inter illam & oſtia Thermodontis: *Capo di Limon*, Moletio. Strab. *l.* 12. *p.* 548.

HERACLEUM, prom. cum fluv. & opp. cognomine, in ora Colchorum, *Cacari Mercat.* Plin. *l.* 6. *c.* 4. & 5.

HERACLIANUS, Ep. Chalcedonenſis, ſcripſit libb. 20. contra Manichæos. Photius *cod.* 85. & 231. Item Dux Honorii Imp. Stiliconem occidit, hinc Africæ donatus præfectura. Ab Attalo turbis excitatis, fidem Imp. ſervavit, provinciam fortiter, occiſo Conſtantino quodam partium Duce, tuitus. Hinc Conſ. ſed Sabini generi pravis conſiliis aures præbens, dum majora concupiſcit, claſſem paravit, quâ à Comite Marino fugatâ, is unica nave Carthaginem elapſus, à militibus interemptus eſt, A. C. 414. Zoſim. *l.* 5. Oroſ. *l.* 7. *c.* 42.

HERACLIANUS, Dux Gallieni, poſt interemptum Odenatum, ad ſeram nimis vindictam contra Perſas miſſus, à Palmyrenis victus eſt. Treb. Pollio *in Gallienis.*

HERACLIDARUM Deſcenſus, ſeu Reditus, nota celebris & character temporum eſt in antiquis Chronicis, à quo initium plerique faciunt Hiſtoriæ veræ. Undè Ephorum Cumanum, cùm res publicè geſtas ſcribere inſtituiſſet, veteribus fabulis omiſſis, τὰ ἀπὸ τῆς Ἡρακλειδῶν καθόδου πραχθέντα συντάξασθαι, ποιήσασθαι τὴν ἀρχὴν τῆς ἱστορίας, *illa, quæ ab* Heraclidarum reditu *facta colligiſſe, hocque initium feciſſe Hiſtoriæ ſuæ*, legimus apud Diod. Sic. *l.* 4. ubi Caliſthenem & Theopompum ejus exemplo pariter abſtinuiſſe à priſcis fabulis, addit. Sed in diverſa tempora conjicitur ab Hiſtoricis hæc epocha: fortè quia τῆς Καθόδου conatus etiam irriti id nomen à nonnullis tulerunt, uti conjicit Scalig. *in Euſebianis*, qui 4. nobilia intervalla, inter cladem Ilii & primam Olympiadem, notans, quibus tanquam metis deſignari tempus a vett. Chronologis, Herod. aliis, obſervavit, primam locat Ἡρακλειδῶν καθόδον à Troja capta LXXX. ann. Certè Heraclidæ, mortuo Euryſtheo; à quo Peloponneſo pulſi fuerant, poſtea cùm primò reditum conantes cæde Hylli auſis excidiſſent; rurſum fruſtrà eundem conatum reſumpſiſſent; tertiâ demum vice, Tiſameno in Peloponneſo imperante, deſtinata perfecêrunt. De quo ultimo & vero reditu ſic Vellejus Paterc. *l.* 1. *c.* 1. & 2. *Poſt Oreſtem interitum, filii ejus Penthilus & Tiſamenus regnavêre triennio. Tum ferè anno octogeſimo poſt Trojam captam, centeſimo & vigeſimo, quàm Hercules ad Deos exceſſerat, Pelopis progenies, quæ omni hoc tempore, pulſis Heraclidis, Peloponneſi imperium obtinuerat, ab Herculis progenie expellitur, Duces recuperandi Imperii fuêre, Temenus, Creſphontes, Ariſtodemus; quorum atavus fuerat. Eodem ferè tempore Athenæ ſub Regibus eſſe deſierunt.* E quibus Temeno (cui utpote maximo natu & expeditionis principi ab aliis tota hæc res tribuitur) Argi ceſſere; Creſphonti per ſortem Meſſene. Ariſtodemus ipſe jam fulmine perierat: igitur filii ejus gemini Procles & Euryſthenes Sparta potiti ſunt, à quibus familiæ duæ Regiæ Spartan. ſunt ortæ, vide Pauſaniam & C. Nep. *in Ageſilao*, c. 4. Conſentiunt in tempore reditus Velleio Thucydid. Plutarch. Tatian. Quos inter recentiores ſecuti ſunt Scalig. Calviſius, Alii: quam in rem vide plura apud Ant. Thyſ. JC. *Not. ad Vellej. Paterc. d. l.* Strab. *l.* 8. *p.* 383. & *l.* 9. *p.* 427.

Viri Celebres.

HERACLIDES, Ep. Epheſinus: à duobus Monachis: Joh. & Iſaco, in Pſeudo-ſynodo, quâ Chryſoſtomus tam malè exceptus eſt, accuſatus, & Nicomediæ 4. annos captivus detentus eſt, cavillante amico. Socr. *l.* 6. Pallad. *in dial.* Phot. *in actis Synodi ad Quercum*, *cod.* 59.

HERACLIDES Ænius, vide *Paron.*

HERACLIDES, Agathoclis fil. quo obſide dato Ophelæ Cyrenenſi inſidias comparavit. Polyæn. *l.* 5. *com.* 4.

HERACLIDES, præſidii præfectus, à Demetrio Rege, Athenis impoſiti, de quo *Idem. l.* 5.

HERACLIDES, Lycius Sophiſta, Smyrnæ docuit, ubi in honore maximo fuit. Dicunt eum olim apud Severum Principem extemporali facultate dicentem, aulicis præſentibus exterritum, ſermone cecidiſſe. Solus Sophiſtarum ad hanc artem induſtriâ, & labore, naturâ minimè juvante contendit. *Philoſtrat.*

HERA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

HERACLIDES, è Mopſo civitate Ciliciæ, Grammaticus nobilis. Steph. Item pictor nobilis Macedo, qui initio naves pinxit, capróque Perſeo a Paulo Æmilio Athenas commigravit, eodem tempore, quo & Metrodor. Philoſophus & pictor. *Plin.*

HERACLIDES, fil. Euthyphronis, Ponticus Philoſophus Heracleâ oriundus, Athenas conceſſit, Platonem, deinde Ariſtotelem audivit. Reliquit ingenii monumenta quæ non extant. Vir fuit mollioris habitus, ut pro *Pontico Pompicus* vocaretur. Plurima ſcripſit, quorum Catalogum habes, apud Diog. Laërt. *in vit. Philoſ. l.* 5. ubi 14. Heraclides memorat. Cic. 5. *Tuſcul.* Scripſit mulierem quandam 7. diebus exanimem ad vitam fuiſſe revocatam. Plin. *l.* 7. *c.* 52. Moriturus, ſerpentem lecto clam à quodam amicorum imponi juſſit, ut illo poſt mortem conſpecto, Deus crederetur, ſed importuno ſtrepitu excitatus ſerpens, ante tempus proſilit, vanitatis ejus teſtis locuples. Vide Cic. *l.* 3. *Ep.* 5. *ad Quintum fratrem.* Tertull. *de anima c.* 10. Plin. *l.* 7. *c.* 52. Suid. Geſner. Cæterùm plura de hoc, uti & de Heraclide Cumano, Lembo, ac Magneſio, inprimis de Allegoriis Heraclidis, quis earum auctor? Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 1. *c.* 9. & 20. *l.* 34. *Nic. Lloyd.*

HERACLIDES, Tarentinus, Architectus intimus amicorum Philippi, Regis Macedonum: ſimulatâ offenſione & transfugio ad Rhodios, Navale & claſſem eorum, captâ occaſione, incendit. Polyæn. *l.* 5.

HERACLITÆ, Hæretici, qui, *Heraclium* auctorem ſequuti, conjugium damnabant, & infantes Regnum Dei conſequi inficiabantur, 24. *quæſt.* 3 *can.* 39. apud. C. Macr. *in Hierol.*

HERACLITUS, miſſus à Sev. Imp. *ad obtinendas Britannias*, memoratur Spartiano in *Sev.* in *Vita* Peſcennii tamen idem Auctor *Bi-tynniam* habet, *Caſaub.*

HERACLITUS, fil. Blyſonis, an Heracionis? philoſophus Epheſius. Σκοτεινὸς cogn. h. e. *tenebricoſus*, propterea quòd de induſtria adeò ſtylum obſcuraret, ut ejus ſcripta philoſophi ſudantes vix intelligerent: Cic. Plutarch. Lucian. Clemens Alex. De hoc memoriæ proditum, quoties domo egrederetur, fiere ſolitum, cùm Democritus contra ſoleret ridere, propterea quòd alteri omnia quæ agimus, miſeriæ alteri ineptiæ viderentur. Vergente in ſenium ætate in hydropem incidiſſe ferunt: cumque ſpretis medicis fimo bubulo ſe oblevisset, & ad ſolem ſe ſiccaret dormientem à canibus eſse dilaceratum. Nullum invenitur habuiſse præceptorem, tantùm naturâ, & diligentiâ ſolâ profecit, quidam tamen audiſse Xenocratem, & Hippaſum Pythagoricum volunt. Omnia ex igne conſtare, & in ignem reſolvi, caſu cuncta fieri, omnia ſpiritibus plena eſse &c. docuit. Floruit temporibus ultimi Darii, à quo in aulam humaniter invitatus, inurbane reſpondit. Scripſit poëticè multa, ab Ariſtotele ſæpe teſtis citatur. Vide Morer. *Dict. Hiſt.* Diog. Laërt. *in ejus vita, &c.* Fuêrunt quatuor alii *Heracliti*, primus poëta Lyricus, ſecundus Halicarnaſſæus, ſummæ elegantiæ, tertius Leſbius, qui Macedonum ſcripſit Hiſtoriam, quartus vir ridiculus. Vide Diog. modò laudatum. Idem *Nic. Lloydius.*

HERACLITUS Sicyonius, ſcripſit de lapidibus, cujus ſecundum citat Plutarch. *de flum. c. de Scamandro.* Leo Allatius libr. *de Incredibilibus*, ſub Heracliti nomine, in lucem emiſit, A.C. 1641. è Bibliotheca Vaticana depromptum, quem credit Voſs. *de Hiſt. Græc. l.* 4. *p.* 515. auctorem eſse Allegoriarum in Hom.

Imper. Conſtantinopol.

HERACLIUS Cappadox, Imp. fil. Heraclii, Africæ præfectus, Phocâ devicto, & capite truncato thronum conſcendit, A. C. 610. cum uxore Eudoxia, à Patriarcha Sergio, coronatus: quâ mortuâ neptem ſuam Martinam ſibi junxit: Coſroi II. Perſiæ Regis qui bellum ſub Phoca inceptum, contra Heraclium acrius continuabat, tributo oblato irriſus eſt, ille enim pergens Palæſtinâ, Cappadociâ & Armeniâ ſubjugatis, Hieroſolymam cepit & diripuit, magnâ fidelium maniâ, cum Zacharia Patriarcha in captivitatem abducta. Secundò rogavit pacem, dura lex abnegandi Chriſtum impoſita, hinc indignatio preces ad Deum, collata in ærarium bona Eccleſ. exin. victus ad internecionem Barbarus, A. C. 621. qui trepidâ fugâ in regnum elapſus à Syroë primogenito, quem pater, juniore ſurrogato præterire decreverat, in vinculis occiſus eſt. Cùm hoc pax facilè coaluit. Dein religionis controverſiis temerè immiſcens ſe Imp. Anaſtaſium ab Eutychianiſmo abducturus, in Monothelitarum errorem Hierapoli incidit, & Sergii Monothelitæ ſuaſu, *Ecthesin* edidit, Orthodoxiæ perniciosam. Quibus dum Eccleſia affligitur, ab altera parte, ſucceſſores Mahometis, in Oriente, non exiguos progreſſus fecêrunt. Obiit hydrope, A.C. 641. Imperii 30. Evagr. *l.* 6. Cedren. *in Heracl.* Theophanes *miſcell. l.* 18. Niceph. *in Chron.* Zonaras, Suid. De nummo adulterino Heraclii, medallione videlicet inſigni aureo, adeptæ ab eo crucis, à Perſis, atque in urbem Regiam relatæ, Hiſtoriam referente: de nummis item Conſtantini & Conſtant. ex fam. *Heracliana*: porrò de nummis ejuſdem fam. Τρικεφάλοις ſeu *tricipitinis*, vide C. du Freſne *Diſſert. de inf. ævi Numiſm. n.* 65. & 72. ubi etiam de *Heraclio* Parente, *Heraclio* Juniore, qui & *Conſtantinus* nuncupatus, diebus tantùm 103. poſt patris exceſſum imperavit, pater Conſtantis; quo genitus Conſtantinus Pogonatus, *Heraclius* & Tiberius II. varia, vide quoque infrà, ubi de nummis *Tricipitinis*.

Viri Illuſtres.

HERACLIUS, Ep. Cæſarienſis, Patriarcha Hieroſolym. poſt Almericum, A. C. 1180. Succeſſit Albertus. Gul. Tyrius. Item, Ep. Pariſienſis, Conc. 1. Aurelianenſi interfuit, A.C. 511. Item, Ep. Santonum, Nantinum Com. Engoliſmenſem, qui ſacerdotem quendam occiderat, excommunicavit, dolorem confeſſum recepit. De quo vide Greg. Turon. *l.* 5. *c.* 37. Item, frater Conſtantini IV. Pogonati, primò in conſortium Imperii aſcitus, dein naribus truncatus. Vide *Conſtantinus IV.*

HERACLIUS, fluv. Græciæ, circa Bulidem, Phocidis urbem. Pauſ. Item, Imp. proprium, ab Hercule deductum, formatione Græcâ. Vide ſuprà.

HERACLIUS Lapis, Græcè Ἡράκλεια λίθος, apud Ptol. lapis eſt, qui ferrum trahit, quemque poſteriores Græci μαγνῆτιν λίθον, *Magnetem*, appellarunt; contrà vetuſtiorum conſuetudinem, qui eum lapidem, qui ferrum trahit, Ἡράκλειον λίθον, *Heraclium lapidem*, perpetuo appellantes, a Magnete eum ſepararunt: hoc nomine intelligentes lapidem argentei nitoris, qui in vaſcula tornabatur, uti diſcimus ex Theophraſto *Comm. de Lapp.* & Heſych. quorum hic Μαγνῆτις, inquit, λίθος, αὕτη πλανᾷ τὴν ὄψιν ἀργύρῳ ἐμφερὴς οὖσα, ἡ δὲ Ἡρακλεῶτις τὸν σίδηρον ἐπισπᾶται. Interim & Heracius lapis, Μαγνῆτις & Μάγνης dici potuit. uti enim ab *Heraclea* Lydiæ urbe, *Heraclius*, ita a Magneſia, ejuſdem regionis urbe, Μάγνης vocatus eſt: Sed & naſcebatur quoque in Magneſia Europæa Macedoniæ contermina. Undè factum, ut, cùm primum Μάγνης λίθος propriè *Magneſiarum lapidem*, denotaret, poſteà eo nomine cenſeri cœperit omnis lapis, hujus generis, etiamſi patriam non haberet Magneſiam. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1102. & *ſeqq.* & infrà ubi de *Magnete*.

HERACON, alter fil. Phricodemi tyranni, ab Acarnanibus tortus & enectus. Polyæn. *l.* 8.

HERÆA, prom. è regione Chalcedonis: Deſcriptionem ejus carmine Demoſthenis Bithyni Steph. recitat, cujus hoc initium;

> Ἔστι δέ τις προπάροιθε κλυτῆς Χαλκηδόνος ἄκρη
> Ἡραία, τρηχεῖα, πολυσπιλάς. ——

Item urbs Arcadiæ. *Ravoli* Moletio, ad Alpheum fluv. Vide *Steph.*

HERÆI Ludi, Argis olim in laudem τῆς Ἥρας *Junonis*, celebrari ſoliti, memorantur Liv. *l.* 27. *c.* 30. ubi de curatione eorum ad Philippum delata. Vide ſuprà *Argiva.*

HERÆUM, urbs Thraciæ, Steph. juxta Perinthum, Herod. Item Sardiniæ opp. Ptol. Item templum Junonis ſic dictum, ab ejus Græco nomine Ἥρα.

HERÆUS, portus Bithyniæ ad Boſporum Thracium. *Molo di S. Giovanni Calamelo, Petro Gyllio.*

HERALDUS, Germ. *Herold*, nuntius ſacer, qui inter hoſtium cuneos liberè fert imperata; munus antiquiſſimum & ab Heroum ævo. Exegit enim ſemper neceſſitas, ut inter ipſos hoſtes belli haberetur indictio. captivorum redemptio, occiſorum ſepulturæ, colloquia, nuncia, reſponſiones, induciæ: pax interdum & fœdera. Electi igitur, qui in his operam navarent, ex ipſis honoratioribus viri ſpectabiles, qui non ſolùm auctoritate pollerent, ſed è cultu etiam religionis, immunitatem præ ſe ferentes, tutò irent & redirent, ac illæſi inter arma verſarentur. Hi propterea Græcis Κήρυκες, i. e. Præcones, Caduceatores, & verbo autochthone, quod apud Senec. legitur, *Cerytes* dicti ſunt: Sic enim ille ad Seren. *Non vis niſi Conſul aut Prytanis, aut Ceryx, aut Suffes adminiſtrare Rempublicam.* Ab adjunctis verò θεράποντες, & ἄγγελοι. Hom. *Il.* α.

> Χαίρετε κήρυκες, Διὸς ἄγγελοι, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν,
> *Ceryces ſalvete, Jovis famuli atque Deorum, &c.*

Quibus, ob perſonarum reverentiam, ſævius ipſe Achilles ſic excipit, licèt delitias ejus ſublatum Briſeida venirent. Fas enim *Cerycibus*, etiam apud hoſtes, imperata liberè enuntiare. Hinc execta in ſacrificiis lingua, illis dabatur: Mercurioque ſacri & inter Sacerdotes ſunt habiti. Sceptra etiam geſtabant, tum ad auctoritatem arguendam, tum ad pangenda fœdera, & dimicationes dirimendas: ſic Hectorem & Ajacem acerrimè contendentes, *Cerycum* diremit interventus, *Iliad.* η. Principibus tamen Heroibusque famulabantur: in conviviis aquam manibus affundentes, vinumque & cytharam porrigentes: in publicis quoque negotiis, ſua paſſim obeuntes munera. Undè ab Hom. τοῖς ἥρωσι διακονεῖν, modò δημιουργοὶ dicuntur. Erant horum in Græcorum exercitu, qui è 12. fertur myriadibus conſtitiſſe, novem. Sic enim. Homer. *Iliad.* β.

> —— Ἐννέα δέ σφεας
> Κήρυκες βοόωντες ἐρήτυον.

Nomina eorum è Spondano:

Talthybius.	Aſphalio.
Eurybates I.	Eteoneus.
Odius.	Stentor.
Eurybates II.	Theotes.

Calchas.

Qui Homero ἄγγελοι, illi Virg. *Nuncii* ſunt: *Æn. l.* 12. *v.* 75.

> Nuncius *hæc Idmon Phrygio mea dicta tyranno*
> *Haud placitura refer.*

Quo ſenſu apud Liv. *l.* 1. *c.* 54. *Nuncius Regius*, & *Nuncius publicus*. Qui autem bellum apud Rom. indicabant, & in iſtiuſmodi verſabantur muneribus, *Feciales* vulgariter nuncupati ſunt, à *Faciendo*, ut Feſto placuit, *quod belli paciſque faciendæ penes eos jus erat* aliis à fœdere ſanciendo, qui vocem proin per æ. ſcribunt, ut Marcell. & Liv. Bellum verò inferre non licebat, niſi quatuor ex his de injuria conquerentes, ſatisfieri prius ab inferentibus petiiſſent, juſte ſuſceptum denuntiaſſent, atque unus *haſtam ferratam, ſanguineam & præuſtam, ad fines eorum tuliſſet, & non minus tribus præſenti-*

bus puberibus, re expoſitâ, bellum indixiſſet, ipſamque haſtam in fines eorum projeciſſet, Liv. De clarigandis & repetendis ſic emiſſi Feciales, *Legati ſancti*, nec non *Oratores* appellati ſunt, ut è Nonio Marcello *l.* 3. *c.* 12. conſtat, qui præterea è Varronis *de Pop. R. vita l.* 3. Fecialium numerum refert fuiſſe 20. atque eos de injuriis cognoviſſe & judicaſſe, legatis impoſitis, addit. Erant autem Sacerdotes, à Numa Pompilio in collegium inſtituti, ſub ſuo Antiſtite: qui à patrando fœdere, *Pater patratus* dictus eſt: Cujus ut & *Fœcialium* creandorum cerimoniam Liv. exhibet *l.* 1. *c.* 24. ubi inter alia: *Fœcialis erat M. Valerius: Patrem patratum Sp. Fuſium fecit, verbenâ caput capilloſque tangens*. Moris quippe fuit, ut Feciales verbenâ aut ſagmine, herbis ſacris è Capitolio petitis, coronarentur: præſertim de pace acturi. Indè *Verbenarii*, *Sagmarii* & *Sagminarii* nuncupati ſunt: quæ tamen omnes appellationes interdum ad minaces ipſos *Feciales*, belli nuncios, transferuntur, quippe & his eadem ſymbola, ut è geſtaminis ſanctitate ſancti dignoſcerentur, eoque forent ab injuria immunes. Hinc Catonis illud: *Caduceatori nemo homo nocet*. Verbenâ autem redimitos fuiſſe Feciales, tam bellum indicentes, quàm pangentes fœdera, docet Serv. ad illud Virg. *Æn. l.* 12. *v.* 120.

Velati lino & verbenâ tempore vincti.

Apud Germanos, Gallos, Anglos, &c. *Heraldorum* nomen celebre, Germanicæ utique originis. Hinc quidam *Herhault* ſcribunt, i. e. dominium celſum; quidam *Herold*, quaſi dominium veteranum: nonnulli *Herald*, i. e. miniſtrum exercitus: alii *Heer-houd*, i. e. domino vel exercitui fidelis. Hos Angli habuêre, ſub exceſſu Henricii III. in claſſes jam tum diſtinctos. Alii nempè merè fuêre adminiſtri Regis & ad regiam dignitatem, tanquam in capite, pertinuêrunt; Alii ad regiam ſobolem ejuſdemque familias & apennagia: Alii ad familias Procerum è Regio thoro non oriundas. Primi generis Heraldi, ſolùm appellabantur *Reges armorum* ſeu Heraldorum, habentes provincias, Reges item provinciales, Cujuſmodi tantùm duo Angliæ fuêre antiquitus deſignati, viz. *Rex partium Auſtralium*: ſeu prov. *Auſtralis*, i. e. *Cis Trentanæ*, & *Rex partium Borealium*, ſeu *prov. Borealis* i. e. *Ultra-Trentanæ*. Illæ ſubindè *Clarencieux*, hic *Norroy* vulgariter dictus eſt: Duo item ex partibus Franciæ, quæ tùm Anglo patebant, ſcilicet *Guyon*, ſub Eduardo I. deinceps *Agencourt*, ab Henrico V. in memoriam partæ illic victoriæ, inſtitutus. Unus inſuper Hiberniæ, *Jerland* vocatus; quod nomen Eduardus VI. in *Ulſter* mutavit. Hi omnes immediatè ad Regem pertinebant, & *Reges* dicti ſunt. Qui verò Reginæ ſoboli ejuſdemque aſcripti ſunt apennagiis, non Reges armorum, ſed *Heraldi* ſimpliciter appellabantur: ut & tertium genus procerum familiis inſervientes. Sed exolevit hoc omninò: & in ſacrum patrimonium redeuntibus apennagiis, genus ſecundum ad Regem revolutum, non extinctum eſt. Primus Angliæ Heraldos in collegium ſcripſit Richardus III. corporationiſque privilegiis honeſtavit. Immunes à ſubſidiis. teloniis & omnibus muneribus Reip. Eduardus VI. declaravit. Sed in novenarium redactos numerum vid. tres Reges, & ſex Heraldos Philippus & Maria uberius adornantes, novo firmarunt diplomate, in quo tituli & ordo Heraldorum ſic eduntur:

Garter, Rex Armorum Anglicorum.
Clarencieux, Rex Armorum partium Auſtralium.
Norroy, Rex Armorum partium Borealium.

Windſor.	*York.*
Somerſet.	*Richmond.*
Cheſter.	*Lancaſter.*

E quibus *Garter*, ab Henrico V. *Clarencieux*, ab Eduardo IV. *Windſor* & *Cheſter*, ab Eduardo III. *Somerſet*, ab Henrico VIII. *Yorck & Lancaſter*, à filiis Eduardi III. inſtituti leguntur: incertâ reliquorum origine. Domi hi omnes miniſterium navant, in faſtu regio adornando, in Coronationibus, Nuptiis, Baptiſmatibus, Exequiis, Principum congreſſibus & Feſtis majoribus celebrandis. Pompas ducunt & curant: ut & illuſtria ſpectacula, haſtiludia, duella, Nobilium item inſignia & genealogias. Quidquid denique ad nobilitatem ſpectat & rem honorariam, iſtorum curæ tanquam ſacris cuſtodibus & templi Honoris Æditùis, demandatur. Foris obeunt legationes; belli, pacis, fœderiſque ſunt nuntii. His inferiores ſunt *Purſuivandi*, quibus *milites caligati*, de quibus omnibus vide Henr. Spelmann. *in Gloſſ. Arch.* Coronari *Heraldos* & conſecrari & torque inſignibuſque Regis indui mos: ſceptro tamen poteſtatis ſymbolo, ut olim *Ceryces*, hodiè non donantur. Sed nec *Cerycium* ſeu *Cerycum* σκῆπτρον virgam præcisè Regiam notabat, verùm baculus erat utrinque habens duos ſerpentes implexos, & faciebus invicem adverſos, teſte Suida: qui addit, rectum baculum inter adverſos ſerpentes, rectam rationem notare, inter adverſos exercitus, obſervandam. En Mercurio ſacri Mercurii gerunt inſigne; clientes patroni caduceum, ſeu virgam ſacratam. Vide quoque Philon. Jud. *l. de legatione ad Cajum*. Franci vert. qui in multis Græcos ſequuntur, in iſtiuſmodi ritibus virgis quoque conſecratis uſi ſunt, vide Gregor. Tur. *l.* 7. *c.* 32. Cujus ritus veſtigium Joh. Frid Saxoniæ Elector retinuit, qui A. C. 1545. bellum Carolo V. indicturum famulum nobilem delegans, virgâ eum tenui, quali utuntur equitantes, inſignivit. Cur autem ſceptrum ad fœdera adhibeatur, docet Serv. *in Æn. l.* 12. *v.* 206. *Majores*, inquit, *ſemper ad fœdus ſimulacrum Jovis adhibebant, quod cùm fieri ſemper commodè non poſſet, inventum eſt, ut ſceptrum tenentes, quaſi imaginem ſimulacrumque redderent Jovis*. Cur autem Heraldi *Reges* dicantur, variæ afferuntur rationes. *Roy*, apud Francos, præpoſitum & viſitatorem interdum ſignificat: ſic *Roy de merciers* appellatus olim eſt, qui rem venalem in Aula exercentibus præpoſitus, merces, pondera & menſuras curabat, ab A. C. 1597. *Viſiteur* dictus. Et antiquius *Roy de Ribauldes*, Aulam luſtrabat, balatrones, inſidiatores & fæcem populi, manu ſagittariorum ſtipatus, arcebat, à Carolo VI. mutatus in *Prevoſt de l'hoſtel*, A. C. 1381. Apud Rom. qui ſacris & cerimoniis præfuit, Rex quoque dictus eſt: Sic ergò Heraldis, Regis curantibus cerimonias & ſacram dignitatem, ſua manſit Regia appellatio; Præſertim dum perſonam Regis quodammodo exhiberent, coronati, conſecrati, & armis ſeu inſignibus Regiis, tanquam ipſius Regis militari indumento, adornati. Ob Regium proin honorem ſanctius conſervandum, edicto cavit Philippus Aug. ut Regalium hæ rituum cerimoniæ, nulli conferrentur, donec cingulo militari, Regibus ipſis in deſiderio, ornaretur. Conſecrantur tandem hodieque *Heraldi*, è priſco Ethnicorum more: Principe, aut vicario ejus Comite Mariſcallo, craterem vini in *Heraldi* caput provoluti in genua effundente, nomenque muneris imponente: quæ libandi olim & conſecrandi cerimonia. Plura de his vide apud Æneam Sylv. *Ep.* 126. *ad Joh. Hinderbach.* Henric. Spelmann. *in Gloſſ. Arch. &c.* Item Nicolaum Uptonum *de Mil. officio l.* 1. *c.* 12. Auctorem libri Gall. *Heraud de la Guerre*, editi Pariſiis A. C. 1610. Columberium, &, qui primo loco dicendus erat, Phil. Jac. Spener. Opere illuſtri *de Arte Herald. II. Vol. in Fol.* Francof. impreſſo.

HERALDUS, Angliæ Rex, A. C. 1038. lege *Heraldus*.

HERAN, fil. Suthala, filii Ephraim. Num. *c.* 26. *v.* 32.

HERAS, Medici nomen, apud Mart. *l.* 6. *Epigr.* 78. cujus epigraphe ad Aulum de Luſco, *v.* 3.

HERAS, & HELII, i. e. Junonis vel Solis inſ. quæ quoque *Autolala* dicitur. Ptol. eam deſcribit in mari Atlantico è regione Libyæ, *Madera* qui poſſet interpretari.

HERATIA, inſ. in mari Ægæo, una Sporadum.

HERBA, antiquis *Ferba*, à φέρβη Æolico, pro φορβὴ, Hebr. עשב boum enim pabulum eſt. Dan. *c.* 4. *v.* 32. *herbâ, ut boves, te cibabunt*. Et *v.* 33. *Herbam, boum inſtar, comedebat*. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 11. *c.* 31. Sed & priſcis Ægyptiis herbas ac paluſtres caules radiceſque quas guſtu experti comprobaſſent, in eſum placuiſſe, ac proin, in priſci victus memoriam, eâ herbâ, quàm *gramen* dicunt, manibus decerptâ, Deos orare ad ſuam uſque ætatem ſolitos, refert Diod. Sic. *l.* 1. *c.* 4. Hinc in coronas quoque adhibita, quibus victi victores donabant, Pindar. *Pythior. Od.* 4. Accius in *Meleagro*, *Gaudent, currunt, celebrant, herbam conferunt, donant, tenent; pro ſe quiſque cum corona clarum connectit caput &c.* Erat nempe hæc herbæ traditio confeſſio ejus, qui victus eſſet in loco herbido. Ipſam Obſidionalem Romanorum, non ex gramine ſolùm, ſed ex omni herbæ genere, necti conſueviſſe, colligitur ex Plin. *l.* 22 *c.* 6. *Nullæ ergò herbæ fuêre certæ in hoc honore, ſed quæcunque fuerant in periculi ſede, quamvis ignobiles ignotæque honorem nobilem faciebant*. Undè mos, in inveſtituris prædiorum terrarumque, medio ævo, *herbam* uſurpandi tradendique fluxiſſe videtur, uti diximus ſuprà, in voce *Ceſpes*. Nominatim certè inveſtituræ *per herbam & terram*, qui ceſpes eſt, mentio occurrit in *Formulis* incerti Auctoris *c.* 20. Et in *Conſuet. Hanovienſi*, cùm apparitor feudum Vaſſalli pignori capit, *herbam & waſonem* de terra eruit, apud C. du Freſne ubi de *Inveſtitura*. Aliud eſt *herbas dare*, in *L.* Salica *tit.* 21. §. 1. *Si quis* herbas *alii dederit bibere & mortuus fuerit*. Hîc enin veneficio ſeu veneficis potionibus alicui vitam vel mentem auferre, phraſis notat. Venenorum enim plura ſunt genera, *aliud ex radicibus herbarum contrahitur &c.* Quintil. *Declam.* 350. Claud. *in Ruf. l.* 1. Carm. 3. *v.* 149. & ſeqq.

——— *Nec me latuêre fluentes*
Arboribus ſucci, funeſtarumque *poteſtas*
Herbarum ———

Cujuſmodi proin *herbas ſuper ſe habere*, vetantur campiones, *in L. Longob. l.* 2. *tit.* 55. §. 11. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.* Tranſiit ad luxum *herbarum* uſus, ſequiori ævo, & *formæ gratiâ* —— *in corporibus ſuis aliquas exterarum gentium uſos herbis, advertit animum*, Plin. *l.* 22. *c.* 1. qui herbis quoque *infici veſtes, & parietes pingi* conſueviſse, notat c. ſeq. Imò ad ſupplicium, *herbis* enim quoque Eunuchos factos, dicemus infrà in voce *Thladias*: ut de uſu Magico nil dicam, de quo præter id, quod dictum, multa habet idem Plin. *l.* 24. *c.* 17. *toto &c.* Hinc *Herbaria* Ars, quam à Chirone inventam, apud eund. legas *l.* 7. *c.* 56. & *Herbarii*, Scriptores qui περὶ τῶν βοτανῶν, *de Herbis*, aliquid memoriæ prodidêre: quales complures jam olim inter Græcos Latinoſque fuêre, eidem memorati *l.* 25. *c.* 2. Poſteà *Herbarii* dicti ſunt οἱ Ῥιζοτόμοι ſeu Βοτανολόγοι, qui Medicas herbas legebant vendebantque, ut ex Firmico diſcimus, vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1051. Primi verò pinxêre *Herbarum effigies atque ita ſubſcripsêre effectus*. Cratevas, Dionyſ. & Metrodor. teſte Plin. ubi ſuprà &c. Plura hanc in rem vide apud eund. *toto hoc l.* præterea Theophraſt. & Dioſcorid. ex medii & recentioris ævi Scriptoribus, Conſtantinum Imp. περὶ Γεωργίας, Matthiolum, Tabernæmontan. Salmaſ. *ad Solin*, Alios: ut & hîc paſſim.

HERBA Medica, Gallis *Sainfoin*: Chaldæo Interpreti apud Hiob. *c.* 6. *v.* 5. *An rudit onager apud teneram herbam boatne bos ad faraginem ſuam*, אספסתא *Iſapbſatha*: Arabicè *Ratba*, cùm eſt recens & *Coth*, cùm eſt arida, Plin. ſic deſcribitur *l.* 18. *c.* 16. *Medica, externa etiam Græcia, ut à Medis advecta per bella Perſarum, quæ Darius intulit: ſed vel inprimis dicenda. Tanta dos ejus eſt, cum uno ſatis ampliùs, quàm tricenis annis duret. Similis eſt trifolio, caule foliiſque geniculata: quidquid in caule aſſurgit, folia contrahuntur. Unum de ea & cytiſo volumen Amphilochus fecit confuſum. Solum, in quo ſeratur, elapidatum purgatumque ſubigitur autumno: mox aratum & occatum integitur crate iterum & tertium* —— *Ita præparato ſeritur menſe Majo* —— *Secatur incipiens florere & quoties refloruit. Id ſexies evenit per annos, cùm minimum, quater. In ſemen matureſcere prohibenda eſt, quia pabulum utilius eſt, uſque ad trimatum. Dari non ad ſatietatem debet. Et viridis utilior eſt.* Vide quoque Theophraſt. *Hiſt. l.* 8. *c.* 8. Columellam *l.* 2. *c.* 12. Dioſcorid. Alios: è quibus Dioſcorides, Μηδικὴ, inquit, ἔοικε μὲν ἄρτι φυομένη τριφύλλῳ τῷ ἐν χωρίοις...

γετα δὲ στενοφυλλοτέρα γίγνεται. *Medica, cùm recens prodit, ſimilis eſt trifolio pratenſi: at cùm aſſurgit, foliis fit anguſtioribus.* Ariſtot. ſi credimus *Hiſt. l. 3. c. 21.* Medica herba ſi vaccis detur, & reliquis animalibus, quæ ruminant, copiam lactis extinguet. Contrà Sotion *in Geoponicis l. 17.* hac herba nutritas boves lactantes plus lactis habere affirmat. Certè apud Ælian. Var. *Hiſt. l. 12. c. 11.* bos Onuphis in Ægypto ſιτεῖται πόαν Μηδικὴν, *herbâ Medicâ paſcitur*; quaſi ſacro bovi ſaginando nulla aptior crederetur Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l. 2. c. 31.* Indè *Cataſtegona*, quaſi Herbæ *Medicæ regio*, dictus eſt in media Niſæus campus, de quo vide infrà ubi de *Niſæis equis.* De *Herba Paradiſi*, vide in voce *Folium*, item *Malabathrum*; de *Herba Sabina*, infrà in voce. Strab. *l. 11. p. 525.*

HERBANUM, Tuſciæ opp. Epiſcopal. hodie *Orvieto.* Sub Pontif. ſitu munitiſſimum, quippe undequaque rupibus & præcipitiis vallatum. Hinc *Ager Orvietanus*, vulgò *Territorio d'Orvieto.* Ad Pelium fluv. ubi Clanim excipit, vix 4. mill. à Tiberi, 12. ab Aquila. 18. circiter à Tuderto.

HERBATICA Animalia, apud Vopiſc. *in Probo*, *Venationem in Circo ampliſſimam dedit, ita ut populus cuncta diriperet. Genus autem ſpectaculi fuit tale: Arbores validæ per milites radicitus vulſæ connexis longè lateque trabibus affixæ ſunt, terra deinde ſuperjecta, totuſque Circus ad ſylvæ conſitus ſpeciem, gratiâ novi viroris effronduit. Immiſſi deindè per omnes aditus Struthiones mille, mille cervi, mille apri, mille damæ, ibices, oves feræ & cætera* herbatica animalia, *quanta vel ali potuêrunt. vel inveniri. Immiſſi deindè populares, rapuit quiſque quod voluit* &c. ſunt, quæ Græcis ποηφάγα dicuntur. Cujuſmodi animalia populo diripienda primus legitur exhibuiſſe Heliogabalus, *boves, camelos, aſinos & cervos, Imperatorium id eſſe* dictitans, apud Lamprid. cùm ante ipſum, qui Conſulatum inibant, ut Nero Claud. apud Suet. *c. 11. Miſerunt in populum nummos aureos, argenteoſque, veſtem, gemmas, margaritas, tabulas pictas, mancipia* etiam, *jumenta, atque manſuetas feras.* Sed ſic, ut teſſeræ harum rerum animaliumque nominibus inſcriptæ raperentur à popularibus, dein ſingulis daretur in manum, quod teſsêra cuique rapta adſignabat ſive illud animal eſset, ſive mancipium, ſive veſtis, ſive aliud quid. Ut autem nemo ante Alagabalum boves ipſos & aſinos & mulos cæteraque id genus *Animalia herbatica* populo objecit diripienda ſic venationis hoc genus, quod *Sylva* dicebatur, item *Direptionis venatio*, ſub Impp. recentioribus exolevit, neque à Conſtantino Mag. uſque ad Juſtinianum alioſque ſequentes, alia in uſu fuêre miſſilia ac ſparſiones Conſulares, quàm aureorum, argenteorum & æreorum numiſmatum. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. l. c.* & infra in voce *Sylva*, quam cum *Pancarpo* malè nonnulli confundunt.

HERBATICUS Panis, vide infrà ubi de variis *Panis* ſpeciebus.

HERBATILICUM, vulgò *le Comté d'Herbauge* vel *Arbauge*, pagus Galliæ, in Nannetum, Pictonumque conf. in diœceſi Pictavienſi. In hoc pago Deas Monaſterium ponit Armentarius, quod Mon. S. Filiberti recentiores dixêre, & de *Grandilacu* cognominavêre, *S. Filibert de Grand lieu.* Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

HERBECHTUS, continuavit Hiſtoriam Pauli Diaconi de geſtis Longobardorum. Leo Oſtiens. *in Chron. Montis Caſſ.*

HERBENIUS Matthæus, vide *Matthæus.*

HERBERÆUS Nicolaus, vide *ibi.*

HERBERTUS, vide *Hebertus*, it. *Benedictus.*

HERBERTUS Eduardus Baro de *Cherburg*, Anglus, peculiari libro probare conatus eſt, omnes Religionis ad ſalutem neceſſariæ partes abſolvi quinque his articulis: *I. Eſſe Deum. II. Illum debere coli. III. Virtutem cum pietate conjunctam præcipuam partem eſſe cultus divini. IV. Horrore ſcelerum adeoque pœnitentia. V. denique fore poſt hanc vitam præmia ac pœnas.* Vide librum ejus de *Relig. Gentil.*

HERBESSUS, it. ERBESSUS, Ptol. *Erbeſſum* Polyb. opp. olim Siciliæ, nunc pagus 8. mill. paſſ. diſtans ab Agrigento *Grutte* hodie, teſte Facello, Nigro *Bicari* dicitur. Baudr. *le Grotte*, in valle Mazara, prope Halicum amnem, intra montes 25. mill. paſſ. à Biccaro in Eur. Item Herbeſſus altera urbs Siciliæ, & ipſa everſa, inter Syracuſas, & Leontino, *Pantalica* Fazello, populi *Herbeſſenſes* Plin. *l. 3. c. 8.* Sil. Ital. Punic. Bell. *Herbeſos*, *l. 14. v. 265.*

> Non Herbeſos *iners*; *non Naulocha pigra pericli*
> *Sedêrunt.* ——

Baudr. nunc *Palazzuolo*, 20. mill. à Syracuſis in Occaſ. verſus montes, 18. à Leontinis in Auſtr. De nomine Bochart. Supra Agrigentum, inquit, in mediterraneis Sicanorum urbs fuit Herbeſus, de qua Polyb. *l. 1.* ac Diod. Sic. *l. 20. & 23.* Hodiè *le Grotte*, ſeu *Cryptæ*, dicta propter cryptas ſubterraneas. Itaque *Herbeſſus* Pœnis erat הרבצע *Harbeſſa*, mons foveæ, ſeu cryptæ, quod etiam dici poteſt de altera Erbeſſo ad fontes Anapi flum. Proindè neglectâ compoſitione hæc Sicanorum *Herbeſſus* etiam בצע *Beſſa*, vel *Veſſa* dicta eſt. Quippe in his Polyæni verbis, quæ Cluverii diligentiam fugiſſe rectè obſervat Palmarius, Φάλαρις πρὸς Τεῦτον ἄρχοντα Οὐέσσης, ἥπερ ἀκμαιοτάτη καὶ μεγίστη Σικανῶν πόλις, ἔπεμψε. Omnino *Veſſa* eſt Herbeſſus, Sicanorum urbs inclyta non procul ab Agrigento, in qua regnabat Phalaris. Alioqui enim *Veſſæ* nulla mentio apud vett. Nec Ortelii conjectura, qui pro *Veſſa Ineſſam* legit, ullo modo eſt probabilis. Quia ſita erat Ineſſa circa Ætnam in tractu plane diverſo, neque unquam fuit magna urbs, ſed πόλισμα, h. e. *oppid.* Ita teſtatur Thucyd. *l. 4.* & 6. ac Strab. *l. 6. Nic. Lloyd.*

HERBIDÆ Veſtes, memoratæ Cypriano *L. de diſc. & hab. Virg.* cùm ait, *Neque enim Deus coccineas aut purpureas oves fecit, aut* herbarum *ſuccis, i. e. virides, ſeu carinas & conchyliis tingere & colorare lanas docuit*: à colore haud dubiè nomen habuêre. An eædem cum Earinis, veſtibus viridis coloris & verno tempori convenientiſſimis? Vide ibi. Fuêre autem in Græco uſu, ut Conſtitutio Syracuſanorum docet, quæ floridas veſtes penitùs prohibuit, apud Phylarch. *Hiſt. l. 24.* Neque minùs lex Athenienſium, quâ ſcorta jubebantur ἀνθινὰ φορεῖν, *veſtes floridas ferre.* Non enim mollitiei ſuſpicione hic veſtitus caruit: quare Liber Pater iis indutus introducitur apud Diod. Sic. *Bibl. l. 5.* Et dedicatiores Romæ plerunque eo indumento velabantur. Stat. *l. 2. Sylv. 1. v. 132.*

> —— *Modò puniceo velabat amictu,*
> *Nunc* herbas *imitante ſinu, nunc dulcè rubenti*
> *Murice, nunc vivis digitos accendere gemmis*
> Gaudebat.

Mart. *l. 5. Epigr.* 24. cujus epigraphe ad Baſſum.

> Herbarum *fuerat indutus, Baſſe, colores*, &c.

Interim & Reges Perſarum ſic indutos fuiſſe, docet Athen. hodieque in Anglia, ubi hyems frigora ſua remiſit, & lætiori facie terra aperitur, Rex totuſque Procerum ordo venatum proficiſcens hoc indumenti genere utitur, neque minùs, quàm ſaltus ipſi ac campi, vireſcit aula. Fluvii quin etiam penè ſic ornabantur olim; Unde Auſ. *in Moſella, v.* 418.

> *Cæruleos nunc Rhene ſinus; hyaloque* virentem
> *Pande* peplum.

In calceis quoque *Herbidum* hunc colorem quibuſdam attriſiſſe, diſcimus ex Martiano Capella, *de Nupt. Mercurii & Philologiæ l. 1. Calceos autem ſmaragdineæ fluctu viriditatis herboſos, veſtigiis ejus annexuit*, &c. Vide Thom. Dempſter. *Paralip. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l. 5. c. 31.* Barth. *ad Stat. d. l.* & *l. 2. Sylv. 2. v. 90.* ubi *herbidum* colorem, à *viridi*, diſtingui, ex Martiano Capella *l. c.* & non ſolùm hunc, ſed varium quandoque colorem, ad viridem tamen magis ſpectantem, eâ voce denotari, ex Sidonio Prud. Aliis, docet &c. ſuprà quoque *Chronicos lapis.*

HERBIPOLIS, Francorum Orientalium caput; Germanicè *Wirtzburg*, à dulci muſto, quod Herbipolenſis ager ſuppeditat, nomen obtinere videtur. Urbs eſt in plano ſita, collibus vitiferis, amœnis hortis & pratis ornata, Academiaque celebris. Foſſis, vallis, mœnibus & propugnaculis benè munita, & populoſa. Ad Occaſ. Mœnus eam præterlabitur, Utramque ripam ingens pons jungit lapideus, fortibus nitens pilis. Ultra Mœnum proximus mons pulchram & loci naturâ benè munitam arcem Ep. *Marienberg*, (qui ditiſſimus eſt & Dux Francorum appellatur) ſedem continet. Hic quum à Martino IV. & Honorio V. Germania mirum in modum expilaretur, Synodo habitâ, Legatus Pontificius de vita periclitatus eſt; Probuſque Tullenſis Ep. aculeatiſſimam in Papas orationem habuit. A. C. 1287. Aventin. *Ann. Boj. l. 7.* Bullinger. *de Concil. l. 2. &c.*

HERBIPOLITANUS Epiſcopatus prov. Franconiæ, à Carolo Mag Ep. conceſsa. Mœno fluv. in duas partes ſcinditur, per 15. mill. Germ. à Sept. in Mer. extenſa, non æquè lata. Ab Ort. habet Epiſcopatum Bamberg. Ab Occ. dit. Moguntin. & Fuldenſem Abbat. A Sept. Principatum Henneberg. A Mer. dit. Anſpachienſem. Urbes ſunt Herbipolis *Wirtzburg*, prim. Ochſenfurtum *Ochſenfurt*, Gemundia *Gemund*, Curia Regis *Konigshoven*, & Hasfurtum *Hasfurt*, ad Mœnum fluv.

HERBITA, Siciliæ urbs. Ptol. *Erbita*, Diod. Sic. *l. 12. &* 14. Vide Cluv. Cic. *Verrinâ quintâ*: *Herbitenſis civitas, honeſta antea & copioſa.* Bocharto הרבטח *har-beta* dici Punicè videtur, i. e. ὄρος ἀσφαλείας, *mons tutus & ſecurus.* Situm ita deſcribit Aretius *in Sicilia ſua*: *Nicoſiæ vet. nomen incertum eſſet, niſi conjectura, quam* Herbitam *antiquitus appellabant, honeſtam & copioſam civitatem eſſe doceret. Alii à proximo loco Cæſilinis nomine, illuc eam tranſlatam eſſe ajunt. Aqua haud procul Sperlinga arx in rupe ex una parte in excelſa altitudine exciſa. Opp. ibi antiquitus fuiſſe, ubi ruinæ atque antiquitatis adhuc viſuntur veſtigia, vicini populi teſtantur.* Proindè Dionyſ. Ætnâ & Leontinis & Ennâ occupatis, Herbitam fruſtra attentavit, & cùm res non ſuccederet, pacem cum Herbitenſibus inire coactus eſt. Hodie *Nicoſia*, Cluv. oppid. intra montes Nic. Lloyd. In valle Demonæ 12. mill. paſs. ab Enna in Bor. 9. à Traina in Occaſ. *Baudr.*

HERBORNA, opp. celebre Germ. in Circulo Rhenano ſup. in Wetteravia, ubi Gymnaſium illuſtre, è quo ad Dordracenam Synodum Theologi miſſi ſunt, A. C. 1618. Haud procul Dillenburgo; ſimul cum hoc ſub Comitibus Naſsoviæ; è quibus Joh. Ludovicus, à Ferdinando III. in Principum Imperii claſsem relatus eſt, A. C. 1650. Pater Mauritii Henrici & Joh. Franciſci Deſiderati. Habuêrunt olim Gelriam per annos 300. Naſsovii, è quibus Adolphus Imp. fil. Gerlacum ex Imagine Limpurgenſi ſuſcepit, undè hodierni Comites: ſicut è filia ejuſdem Mechtilde Rudolpho II. Palatino nupta, tota Palatinorum auguſta fam. deſcendit. Ex eadem illuſtri Naſsoviorum fam. Arauſionis Principes rerum in Belgio inprimis geſtarum laude celebratiſſimi, prodiêrunt. Inſignia fam. Leonem aureum inter duo cornua variegata in galea eminentem præ ſe ferunt. Plura vide apud Limnæum Enucl. *l. 3. c. 9.* Genealogiam Comitum Noſsoviæ, cum tabula Geographica Comitatus Naſſovico Dillenburgici exhibet J. O. *Lugdun. edit.* A. C. 1616. *Fol.* Addo ex Mſcr. quòd horæ ſpatio expedito viro Mer. versùs, à Dillenburgo diſtat, inter Dillam ac Or. & aſſurgentes ad Occid. colles porrecta nomenque accepit an à fonte (*born* enim Germanis *fontem* notat) quo Dynaſtæ olim delectati, an à ſalubri & peculiari Dei munere conceſſa aqua: Namque & his temporibus, circa A. C. 1650. inter aridos ad Solem occiduum colles, ſcaturigo multiplici venâ erupit, multorum ex periculoſis morbis ut & à cœcitate ad ſanitatem reverſorum experimento comprobata; quam egre-

egregio carmine proſequutus eſt Cyr. Lentul. Emporium eſt non incelebre, mercatu ſeptendiali; præterea ternis in biduum nundinis, vernis, autumnalibus & hyemalibus, ſtridens: Sed Gymnaſio, in quo Theologiæ inprimis hactenus ſtudium viguit, clarius. Cum Sigena, Beylſtenio & aliis ultra Lanum locis, ſortitò obtigit Othoni, primo Comiti Dillenburgico, qui ſedem in hac arce fixit A. C. 1250. fil. minor natu Henrici cogn. *Divus*, frater Walravii, cui Weisbada, Weilburgum & Idſtenium obtigêre. Sed in nepotibus Othonis Beylſtenium à Dillenburgo avulſum eſt. Sequentibus temporibus, Joh. cogn. *Senioris* (qui, frater minor natu Gulielmi Auriaci, patri Gulielmo in ditionibus Germanicis ſucceſſit) hæreditas ita intèr filios ejus diviſa eſt, ut maximo natu Gulielmo Ludovico, Friſiæ, Groningæ, Tencterorum, & Tubantum Præfecto, Dillenburgum, adjectis *Herborna*, Dringenſteinio, Ebersbachio & Hægera; Joh. Sigena; Georgio Weſterwaldia; Erneſto Caſimiro Dietza & Naſſovia; Joh. tandem Ludovico Hadamaria obvenirent, ſicque Dillenburgenſis Comitum Naſſoviæ linea in quinque ramos diſpeſceretur, A. C. 1606. Quorum primo ſine liberis Defuncto, cùm ſucceſſioni ejus Joh. Sigenenſis liberi deſtinarentur; factum tamen vel morientis teſtamento, vel ſuperſtitum fratrum conventione, ut ne patrimonium ampliſſ. & Schola *Herbornenſis* in illorum manus veniret, qui Religionis Reformatæ jacta in illis locis fundamenta labefactare poſſent, Georgii fil. Ludovicus Henricus (hac tamen conditione, ut Weſterwaldiâ & Beylſtenio, quod itidem pater acceperat, cederet) primogeniti locum, Gulielmi Ludovici ex aſſe hæres, occuparet, vide de eo ſuprà Theologi, qui in illuſtri hoc Lyceo floruêre, ab A. C. 1584. fuêre, Doctor Caſpar Olevianus, Trevirenſis; Mag. Joh. Piſcator Argentinenſis; M. Jodocus Nahumius Palatinus; Matthias Martinius Waldeccenſis, quem poſtea Schola Bremenſis Rectorem nacta eſt; Joh. Heidfeldius Waltorffenſis, Sphinge editâ celebris; Gulielmus Zepperus *Herbornenſis*; Joh. Biſterfeldius Luneburgenſis; D. Hermannus Ravenſpergerus, Groningâ Friſiorum huc vocatus; Georgius Paſor, Ellariâ Hadamarienſis, Groningam viciſſim ad docendum hinc evocatus; Joh. Jacobus Hermannus, Argentinenſis; Erneſtus Nolde nobilis Livonus aliique editis ſcriptis & pietate clariſſimi. Etiam Juriſconſulti non incelebres Gymnaſium hoc illuſtrarunt, præter alios Joh. Gœddæus J. U. D. Weſtphalus, in Academiam dein Marpurgenſem vocatus; Doct. Joh. Althuſius, Witgenſtenius, Juridicis & Politicis ſcriptis clarus, Emdæ poſteà Syndicus; Doct. Antonius Matthæus Marpurgenſis in Patriam indè revocatus; Phil. Henricus Hoenonius, J. U. D. quem ſcripta, & Cæſaris, Nobilium ordini eum inſerentis, favor, celebrem fecêre; ut alios omittam. Nec Medicinæ illuſtrandæ defuêre, Joh. Pincierus Haſſus, poëta inſignis, Marpurgum *Herbornâ* invitatus; Joh. Matthæus Marpurgenſis, alii. Philoſophiam tandem ibidem non ſine laude docuêrunt, Hier. Treutlerus Sileſius, Marpurgi exin Profeſsor & Rudolpho II. Imp. à conſiliis: Doct. Otho Melander Matthiæ Imp. itidem à conſiliis; Mag. Henricus Gutberlethus Hersfeldenſis, Hammenſis poſtea Scholæ in Weſtphalia Rector; Joh. Henricus Alſtedius Ballersbacenſis ex *Herbornenſi* diſtrictu eruditione & ſcriptis, Encyclopædiâ inprimis ſuâ celeberrimus; Mag. Philippus Lud. Piſcator; &, qui extra ordinem docendi hic munus ſubiêrunt M. Gilbertus Jacchæus Aberdonenſis Scotus, quem Lugduno-Batavi pretio ſuperiores ſibi vindicarunt; ac Mag. Haloinus Godfredus Ultrajectinus. Hodiè docendi munere funguntur: in Theologia, Doct. Joh. Heinius Gutenbergâ Haſsus, operi in Feurbornium intentus, & Conradus Poſthius *Herbornenſis*. In Jure Philippus Daumius, Dillenburgenſis, in locum Cunonis, Heidelbergam evocati, ſuffectus; & D. Jacobus Burkardus Baſilienſis, Principi à Conſiliis ac in Patria Academia Inſtitutionum Profeſſor deſignatus. Medicinam feliciter facit Lud. Chriſtianus Cnopius, aliàs *Blanckenpot*, Herbornenſis. Philoſophiam cum laude docent Cyr. Lentul. Politices Profeſs. & *Principum Naſſov. Genealogiæ proximè edendæ* (undè iſta hauſimus) Auctor, Joh. Phil. Schmid, Wetteravus, Ethicam & Metaphyſicam prælegit, Godofridus Heidfeldius Naſſovio-Tridorffianus Hiſtorias & Græcam Linguam profitetur, Juſti Henrici, Naſſovicæ Domus Conſiliarii, frater. Quibus extra ordinem acceſſit haud pridem Joh. Jacob. Gantenſuilerus, Baſilienſis, L. A. tum Mag. & Logicæ Profeſsor: poſtea Hanoviam, & anno proximè elapſo, in Academiam Duysburgenſem, à Sereniſſimo Electore Brandeburgico, ad Theologiam docendam, vocatus &c. Ita A. C. 1683. à quo tempore præf. D. D. Burkardus, in Patriam redux, poſtquam Profeſſione Inſtitutionum cum laude aliquandiu defunctus eſset, ad Codicis Profeſſionem tranſlatus, hactenus Spartam hanc egregiè exornat, D.D. Gantenſuilerus verò, haud pridem Obiit. Seculum alterum Illuſtre Gymnaſium auſpicatum eſt, die 30. Octobris A. C. 1684. verba præeunte Joh. Melchioris. SS. Theol. Doct. & Pr. P. Viro Cl. quo tempore Theologiam docebant, Matthias Nethenus, Joh. Melchioris & Hermannus Hildebrandt: Jura, Joh. Anton. Blanckenheim: Medicinam, Lud. Chriſtianus Cnopius: Philoſophiam & Philologiam, Joh. à Lent, Theod. Everhardus Brandt, & Nic. Gürtlerus Baſil. jam Hanoviæ S. Theol. Profeſsor.

HERBULENSES, Siciliæ pop. Plin. *l.* 3. *c.* 9.

HERCEUS vel *Hercejus*, Græcè Ἕρκιος vel Ἕρκειος, epitheton Jovis, de quo vide in *Continuation* in voce *Jupiter*. Illius meminit Ariſtoph. *in Danaidibus*.

> Μαρτύρομαι δὲ Ζηνὸς Ἑρκείου χύτρας,
> Μεθ' ὧν ὁ βωμὸς οὗτος ἱδρύθη ποτέ.
>
> *Teſtor autem Jovis* Hercii *ollas,*
> *Quibus ara hæc conſecrata eſt olim.*

Χύτρας enim ſive *ollas* ad ſacrificia in Conſecrationibus adhiberi conſueviſſe notum; vide Scholiaſtem poëtæ cit. *ad Plutum*, & Suid. in vocibus, χύτρας ἱδρυτίον. Hinc idem Scholiaſtes *ad Pacem*, *Aliquando quidem in Ollis legumina coquebant: aliquando verò ſumptuoſius aliquam victimam offerebant, & ita conſecrabant.* Plura apud Ant. van Dalen *Schediaſmate de Conſecrationibus Ethnicis*.

HERCIA, apud Bernard. Mon. *in Conſuet. Clun. MS. c.* 77. *Palia ſuper altare non ponuntur, &* hercia *non illuminatur*: candelabrum eſt, in modum orcæ ſeu trigoni, Gall. *herce*, confectum. Sic apud Vilhelm. *Thorn. p.* 2152. *Hercia*, candelabrum eſt luminibus inſtructum variis, quod ad Cenotaphii caput erigi ſolebat. Vide C. du Freſne in *Gloſſ.*

HERCITÆ, ſervorum genus, qui in agris verſabantur, apud Vett. Vide Alex. ab Alex. *Genial. Dier. l.* 3. *c.* 25.

HERCTUM, vox antiqua, hæreditatem, patrimonium, bona, denotans; ab *hercto* quod & *forctum* & *horctum*, & *erctum*, pro bono. Undè formula, *Hercto non cito*, apud vett. Jurecoſſ. de cohæredibus, qui hæreditatem inter ſe non ciebant, h. e. hæreditatem & bona defuncti non dividebant. In cujuſmodi ſocietate inſeparabili vixiſſe omnes olim, qui à Pythagora in cohortem diſcipulorum ſuorum aſſumebantur, ait A Gellius, *l.* 1. *c.* 5. Et Actio XII. Tabb. quæ dabatur *Hercto ciundo*, i. e. hæreditati dividendæ, his verbis concepta, *Familiæ, hercti, ciundæ*. Ubi *Familiæ* appellatione nobiliſſimam partem familiæ, quæ in ſervis conſiſtebat; *hercti* verò, reliqua bona, contineri, docet Salmaſ. Tribonianum, quòd loquendi hoc genus non caperet, id mutaſſe in *Familiæ herciſcundæ*, qui titulus in *Digeſtis* occurrit & familiæ id eſſe dividendæ putaviſſe, addens, *ad Solin. p.* 1262. & 1263. Vide quoque ſuprà in voce *Conſortium*.

HERCULANEÆ Machæræ, apud. Jul. Capitolin. in *Pert. Imp.* ubi de auctione rerum Commodi; *Et toga armaque gladiatoria — & machæras* Herculaneas, *& torques* &c. enſes ſunt iis ſimiles, quos pictores & poëtæ Herculi tribuunt, nam & Commodus *alter Hercules* haberi voluit. Alioquin *Herculaneus gladius* magnus eſt, ut Ἡρακλεία νόσος, i.e. μεγάλη, interprete Galeno. Sic *Lanceæ Herculaneæ* in *Claud. II.* apud Trebell. Pollion. vide Caſaub. *Not. ad Capitolin.*

HERCULANEUM, ſeu HERCULANUM, Cic. *l.* 7. *Ep. ad Attic.* Strab. *l.* 5. *p.* 246. *Herculeum*, *Torre del Greco*, teſte Sanfelicio, opp. Campaniæ in ora littorali inter Neapolim & Stabias; *urbs Hercula* dicitur Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 711.

> Herculeamque urbem, *Scabiaſque & in otia natam*
> *Parthenopen.* ———

Nunc Baudr. vicus cum caſtro, in ora ſinus Neapol. 5. mill. à Turri Annuntiatæ, quæ magis ad Auſtr. Liv. *l.* 10. *c.* 45.

HERCULANEUS Vicus, aliis *rivus*, apud Sublacum, ab urbe Roma 62. mill. paſſ.

HERCULANUS, Coſ. Collega Aſporatii A. U. C. 1205.

HERCULEA Via, in Camp. inter Avernum lacum & mare, apud Puteolos.

HERCULEÆ Idus, Idus Octobres à Commodo Imp. dictæ, qui cum nova nomina cuique menſium impoſuiſſet, Octobrem *Herculem* vocaſſe legitur, apud Lamprid. *Commodo*, vide Salmaſ. *ibi.*

HERCULES, ita vett. pro more ſolito fortes ferè appellarunt. Sic tres hujus nominis numerat Diod. Sic. *l.* 4. Sex Arnob. itidem *l.* 4. uti & Cic. *de Nat. Deor.* Imò Varroni erant *Hercules* quadraginta tres: In quibus tamen quoſdam fuiſſe totos Symbolicos, non ad geſtorum hiſtoriam, ſed ad rerum naturam prorſus ſpectantes veriſimile eſt, qualis *Ogmius*, ſive *Hercules Celticus* apud Lucian. qui eloqentiæ ſymbolum erat. Item *Hercules Romanus* S. Aurelio Victori ex L. Caſſii Heminæ Ann. *l.* 1. *Recaranus*, & Verrio Flacco apud Serv. ad *l.* 8. *Æn. Caranus*, vel *Garanus*. poetis *Gradivus* dictus.

Omnium verò antiquiſſimus erat ille *Hercules Ægyptius*, qui Diod. Sic. *l.* 1. teſte, Mitzraimo, Oſiridi illi antiquiſſimo, filio Chami, genere propinquus, ac Dux fuit exercitûs ſecundùm aliquos, *Gignon*, vel *Gigon* dictus. Undè Heſych. *p.* 217. Γιγνῶν, οἱ δὲ Γιγῶν Παταϊκός, Ἐπιχώριος πατέξιος, οἱ δὲ Αἰγύπτιον Ἡρακλέα. Et ab hoc diverſus, qui longè junior, eſt alter *Ægyptius*; vel potius *Ægyptio-Cananæus*, à devicta Cananæa ſic dictus, quem nullum alium quam *Joſuam* eſſe, maximus ille Voſſ. *l.* 1. *de Idol. c.* 26. luculentiſſimè demonſtravit. Atque ſic ad minimum duo ſunt Hercules Ægyptii.

Præter hos alius fuit *Hercules Phœnicius*, ſive *Tyrius*, Athamantis, ſive, ut traditum Sanchoniathoni, aut Philoni Byblienſi, Jovis Demaroontis Regis Phœniciæ fil. & Cadmi Phœnicis ex filia Ino nepos. Hic *Palæmon* dictus, poſteà vocabatur *Melicarthus*, ſive *Melicerta*, h.e. *Rex civitatis*. θεὸς πολιοῦχος, ex Hebræo מלך *melech* Rex, & קרתא *carta*, civitas, Amathuſiis verò, teſte Heſych. *Malica*, quod ex priori forma tum videtur, literis ultimis abjectis: Et Euſeb. *in Chron.* ad Num. 497. *Deſanaus*, ſive *Deſanes*, Indis, teſte Heſych. *Dorſanes*, denique Georgio Syncello Διωδᾶς, *Diodas*. Atque hic ortus eſt ex poſteris *Eſau*, ſive *Edomi*, quem gentiles interpretatione Regem *Erythram* memorant.

Cæterùm alter ille *Tyrius Hercules*, ſive *Aſiaticus* Juſtino dictus, *l.* xi. *c.* 10. qui florentibus demum Tyriorum rebus, iiſque maris imperium præ aliis obtinentibus, in Gades Hiſpaniæ inſulam coloniam duxit, ac Gervonem, teſte Juſt. *l.* 44. *c.* 4. cum duobus fratribus regno excuſſit, hic, inquam, multo junior eſt, quàm *Idumæus* ille, cui nomen *Melicartho*. Hic enim Tyri natus; ſed in inſ. Gaditana (cui denique nomen datum *Erythiæ* ab ἐρυθρός, h. e. *rubor*, quaſi *Phœniciam*, ſive *Idumæam* dixeris) Denatus ac ſepultus eſt: quod prodidit P. Mela, *l.* 3. *c.* 6.

Rurſus alius fuit *Hercules Libycus*, cogn. *Maceris*, pater Sardi, qui coloniam in inſ. maris Tyrrheni, ſive Inferi, tunc *Ichnuſam*, ſed poſtea *Sardiniam* dictam, ex Libya duxit: ubi & unâ cum patre cultus eſt, teſte Pauſ. *in Phocicis*, Sil. Ital. Pun. Bell. *l.* 12. *v.* x1, 431 & 433. Solino, *c.* 10. & Iſid. *l.* 14. *Origin. c.* 6.

Alius *Hercules Creticus*, ſive *Telchinus*, unus ex Idæis Dactylis, ſive Cure-

Curetibus, præſtigiator, ac Imp. celebris: à quo, teſte Diod. Sic. inſtitutum certamen Olympicum.

Alius Hercules *Rom.* quem *Sangum* vel *Sancum*, vel *Sanctum*, item *Sancum Semonem Fidium* dixere. De hoc Varro *l. 4. de Ling. Lat. Putabant Fidium eſſe Sanctum a Sabina lingua, & Herculem à Græca.* Et Feſtus. *Propter viam fit ſacrificium, quod eſt proficiſcendi gratiâ*, Herculi, aut Sanco, *qui ſcilicet idem eſt Deus.*

Alius item Hercules *Germ.* quem & *Celticam* pleriſque dictum memorat Elias Schedius *de Diis Germanis*, *p.* 476. De hoc ſic Tac. *de morib. Germ. c. 2. Fuiſſe apud eos & Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in prælia canunt.* Aventin. *l.* 1, *Ann. Boj.* ſcribit, hunc *Alemannum* cogn. *Herculem*, cujus inſigne fuerit Leo, cauſa nominis, poſtremum extitiſſe Regum Germ. quos Beroſus enumerat, & primum Bojorum conditorem. Cæterùm de hoc vide plura apud Cæſium *in Cœlo Aſtronomico Poetico*, *p.* 161. & 162.

Nunc ſequitur omnium horum licèt noviſſimus, tamen longè celeberrimus, ac famigeratiſſimus Heros *Hercules Thebanus*, patronymicè *Amphitryoniades* dictus; Quippe fil. erat Amphitryonis ex Alcmena, Thebis Bœoticis natus. Sed communis opinio eſt, prodente Euripide *in Herc. Fur.* quòd Jupiter quidam tralatitius, dum Amphitryo unà cum Rege Creonte adverſus conſanguineos ſuos Teleboas, Ætoliæ populos, bellum gerebat, ut patris ac fratrum Alcmenæ cædem ulciſceretur, nequiter apud Alcmenam res egerit marito, undè Hercules ſit natus. Atque huic Herculi omnia, quæ à ſuperioribus priùs enumeratis geſta ſunt, pro more ſolito tribuêrunt Græculi, quaſi ipſe ea ſolus perpetraſſet, ut eo magnificentior, ac illuſtrior fieret. Adoleſcentes legant, quæ de Virtute & Voluptate cum Hercule colloquentibus, elegantiſſimo commento ex Prodico recitantur à Xenoph. *l. 2. de dictis & factis Socratis.* Quæ elegantibus verſibus Sil. expreſſit, Ital. Punic. Bell. *l.* 5. Ab uxore Deianira Zelotypa veſte venenatâ ſublatus, poſt mortem, inter Deos relatus, & Hebes maritus evaſiſſe fingitur. Plura de illo vide apud Diod. Sic. Hygin. Apollod. Clem. Alexandrin. Plutarch. *in Theſeo.* Euſeb. *in Chron.* Scholiaſtem Lycophronis, Cononem & Himerium, apud Phot. *cod.* 186. & 243. Natalem Comitem, Alex. Roſſæum *in Myſtagogo poetico*, &c. Addo ſaltem, in Hyetto Bœotiæ templum fuiſſe *Herculis*, ὄντ⊙ οὐχὶ ἀγάλματ⊙ ξὺν τέχνῃ, λίθȣ δὲ ἀργȣ̃, κατὰ τὸ ἀρχαῖον, *in quo non fuit ſimulacrum arte factum, ſed rudis lapis, more priſco*, Pauſ. *l.* 9. ante viz. Dædali ætatem, ſub quo ἀγαλματοποιΐα demum & ars affabrè cælandi inventa eſt. Vide ſuprà ubi de Deaſtrorum Gentilium *Bœtylis*. Cæterùm triplici modo *Herculem* ſuum conſiderarunt, ac venerati ſunt gentes; nempe ἱστορικῶς, ut Heróa, ſive Deum animalem; ἠθικῶς, ſive φιλοσοφικῶς, ut Deum ethicum, & moralem, h. e. ut exemplum ſiderum prudentiæ ac fortitudinis, & φυσικῶς, ſive θεολογικῶς, ut Deum merè naturalem, ſub quo intellexérunt, ac venerati ſunt Solem. Ejuſmodi erat Perſarum & Medorum, *Hercules Sandes*; ut auctores ſunt apud Agathiam *l.* 2. Symmachus & Athenocles. Atque hinc eſt, cùm ſcil. Sol. quotannis permeet duodecim ſigna cœleſtia, quod pro iſtis 12. ſignis *duodecim* præcipuos ſtatuerint *Herculis labores*, imò totidem illi attribuerint annos, quibus Euryſtheo, id imperante Oraculo, miniſterium ſuum exhibuerit.

* Illos verò 12. labores enumerat Lucret. *l.* 5. *Initio*; *v.* 22. & alii paſſim Græci Latinique ſcriptores. Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 182. Senec. *Agam. v.* 806. *Herc. fur. v.* 214 & 526. *Herc. Oet. v.* 15. Sil. Ital. Punic Bell. *l.* 3. *v.* 333. Sidon. *Carm.* 9. Boëtius *l.* 4. *Met.* 7. Claud. *præf. in l. 2. de Raptu Proſerpinæ* Carm. 34. *v.* 3. Nos Mart. tantùm impræſentiarum, & Auſ. in medium producemus quorum hic Mart. *l.* 9. *Epigr.* 104. cujus epigraphe adulatur Domitiano *v.* 3. & ſeqq.

Si cupis Alcidæ cognoſcere facta prioris,
Diſce, Libyn domuit; aurea poma tulit.
Peltatam Scythico diſcinxit Amazona nodo:
Addidit Arcadio terga leonis apro.
Æripedem ſylvis cervum, Stymphalidas undis
Abſtulit, à Stygia cum cane venit aqua.
Fœcundam vetuit reparari mortibus Hydram.
Heſperias Tuſco lavit in amne boves.

Ubi novem tantum enumerantur. Ille Auſ. *Edyll.* 19. Initio, Monoſticha de Ærumnis Herculis.

Prima Cleonæi tolerata ærumna Leonis.
Proxima Lernæam ferro & face contudit hydram.
Mox Erymantheum vis tertia perculit aprum.
Æripedis quarto tulit aurea cornua cervi.
Stymphalidas pepulit volucres diſcrimine quinto.
Threiciam ſexto ſpoliavit Amazona baltheo.
Septima in Augeæ ſtabulis impenſa laboris.
Octava expulſo numeratur adorea Tauro.
In Diomedeis victoria nona quadrigis.
Geryone extincto decimam dat Iberia palmam.
Undecimo mala Heſperidum diſtricta triumpho.
Cerberus extremi ſuprema eſt meta laboris.

Quintus, Calaber octodecim Herculis labores deſcribit *in Eurypyli clypeo*, *l.* 6. quem ſis conſule. Idem, citante Eliâ Schedio; tredecim alibi recenſet: Sunt autem ſequentes,

Πρῶτα μὲν ἐν Νεμέῃ βεβαρὸν κατέπεφνε λέοντα,
Δεύτερον, ἐν Λέρνῃ πολυαύχενον ὤλεσεν Ὕδρην,
Τὸ τρίτον αὖτ' ἐπὶ τοῖς Ἐρυμάνθιον ἔκτανε κάπρον,
Χρυσοκέρων δ' ἔλαφον μετὰ ταῦτ' ἤγρευσε τέταρτον,
Πέμπτον δ' ὄρνιθας Στυμφηλίδας ἐξεδίωξεν,
Ἕκτον, Ἀμαζονίδ⊙ κόμισε ζωστῆρα φαεινὸν,
Ἕβδομον Αὐγείȣ πολλὴν κόπρον ἐξεκάθηρεν,
Ὄγδοον ἐκ Κρήτης Διομήδε⊙ ἤγαγεν ἵππȣς.

Γηρυόνȣ δέκατον βόας ἤγαγεν ἐξ Ἐρυθείης.
Δωδέκατον δ' ἐκόμισσεν ἐς Ἑλλάδα χρύσεα μῆλα,
Τὸ τρισκαιδέκατον τοῖον λεγεται ἔργον ἄεθλον,
Μȣνονυχὶ πεντήκοντα ζυνελέξατο κούρας.

Paulo brevius hos labores enumerat Philippus Byzantius, uti videre eſt in his,

Ὤλεσα τὸν Νεμέας θῆρ' ἄπλετον, ὤλεσα δ' Ὕδρην,
Καὶ ταῦρον, κάπρȣ δ' ἀμφεκλάσα γένυν.
Ζωστῆρ' ἑλκύσας, πώλȣς Διομήδε⊙ εἷλον,
Χρύσεα μῆλα κλάσας, Γηρυόνην ἔλαβον.
Αὐγείαν ἔδειξα, κεμάδ' ἐφύγεν, ἔκτανον ὄρνιν,
Κέρβερον ἠγαγόμην, αὐτὸς Ὄλυμπον ἔχω.

Nec omittendum, quòd Hercules hic, vel auctor, vel reſtaurator Olympicorum ludorum fuerit, prope Piſam Elidis urbem ad Alpheum fluv. 442. An. ante Olympiadem, Iphiti Regis tempore inchoatam, Anno poſt bellum à ſeptem Heroibus contra Thebas geſtum A. M. 2830. ante C. N. 218. De qua celebri Epocha, vide Girald. *de ann. & menſib.* Polyd. Virg. *de J. R. l.* 2. Jac. Kriſtmann. *de computl. Ann. in Alphagran.* Cruſium *de Epoch.* Joſ. Scalig. *de Emend. Temp. l.* 1. & 5. Petav. *de Doct. Temp. l.* 9. Calviſium & Ricciolum, *in Chron.* &c. Nominis rationem quod attinet, ſunt qui *Herculem* ab Hæbræo האיר בל *Heir col*, h. e. *illuminavit omnia* deducunt. Cui confine eſt Etymon Græcum. *Hercules* enim Græcis quid aliud eſt. quàm Ἡρας κλέ⊙ i.e. *aëris gloria*? quæ porrò eſt aëris gloria, niſi Solis illuminatio. Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 20. Porrò de Hercule, & ejus geſtis vide Lil. Gyrald. *peculiari Syntagmate*, & N. Comitem *l.* 7. *c* 2. Nic. Lloyd Adde quod à ceto devoratum, in ejus ventre aliquandiu *Herculem* delituiſſe, Lycophr. ait,

——— ὅν ποτε γνάθοις
Τρίτων⊙ ἠμάλαψε κάρχαρ⊙ κύων κτλ.
——— *ori quem quondam ſuo*
Conſi voravit campa manducus canis &c.

Triduum habet Theophylact. *Comm. in Jonam*, ubi Hiſtoriam hanc ad Servatorem noſtrum detorquet. Aliter Val. Flacc. *Argon. l.* 2. *v.* 571. aliique. Certè ex ſacra Jonæ Hiſtoria occaſionem fabulæ huic inter Græcos datam, docet Voſſ. *de Idol.* Vide quoque quæ ſuprà diximus, ubi de *Cane Carcharia* &c. ſicut quæ de *ſcabie* illius leguntur, ex Hiobi Hiſtoria deprompta judicant Eruditi: vide infra in voce *Keren-happuch.* Ejus ſimulacrum ex ferro, Alconis opus, memoratur Plin. *l.* 34. *c.* 14. ut &, Antæum ſuſtinentis, ex ære; Idem *Herculem fictilem*, *l.* 35. *c.* 12. marmoreum, Meneſtrati, alium Dipœni ac Scillidis opus, *l.* 36. *c.* 5. item triſtis inſaniæ pœnitentia pictam effigiem, *l.* 35. *c.* 11. &c. habet. Communiter ſubſtrato pallio in cubitum nixum conſueviſſe fingi, obſervat Barth. ex *Lapithis* Luciani, Εἰ δὲ καὶ χάμοιμι, χαμαὶ καὶ τ τρίβωνα ὑποβαλλόμεν⊙, κείσομαι ἐπ' ἀγκῶν⊙, οἷον τὸν Ἡρακλέα γράφȣσιν. Quò alludit Stat. *l.* 3. *Sylv.* 1. cujus tit. *Hercules Surrentinus Pollii Fel. v.* 37.

Hîc tibi Sidonio celſum pulvinar acantho
Texitur, & ſignis creſcit torus aſper eburnis.

Ad quem locum vide præfat. Barth. qui ad eund. poëtam de *Hercule* plurima egregia paſſim aſpergit. Indè *Herculaneus nodus*, ſeu *Herculeus*, memoratus Plin. *l.* 28. *c.* 6. *Vulnera nodo Herculis præligare, mirum quantùm ocyor medicina eſt. Atque etiam quotidiani cinctus tali nodo, vim quandam habere utilem dicuntur: quippe cùm Hercules eum prodiderit.* Macrob Sat. *l.* 1. *c.* 19. Græcè Ἡρακλειωτικὸν ἅμμα, ſeu Ἡράκλειον, quod Athenag. in *Apol.* & Oribaſ. deſcribunt. Eo cingulum inprimis Sponſarum Romanarum, ex ovilla contextum lana, necti ſolitum, quòd Heros ille fœcundiſſimùs ab omnibus creditus eſſet, diſcas ex Alex. ab Alex. *Gen. Dier. l.* 2. *c.* 5. & Jul. Cæſ. Scalig. *poët. l.* 3. *c.* 100. nec non ſuprà in voce *Heraclea* & ubi de *Heraclidis*, & infrà in voce *Stellæ.* &c. Plura vero *de Hercule*, vide apud Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 1. & 2. paſſim, uti de *Herculis ſtella*, quæ eadem ac *Martis*, *l.* 2. *c.* 33.

Herculis varia cognomina.

Ægyptius, *Gignon* vel *Gigon* vocatus: qui duplex, unus Oſiridi æqualis, alter Joſua ſeu Hercules Cananæus. Vide Voſſ. *de op. l.* 1. *c.* 27. & infrà *Joſua.*

Ἀλεξίκακ⊙.

Ἀπόμυ⊙, à Rom. cultus.

Βȣκλόπ⊙, i. e. *Boum Abactor*, ut Firmicus interpretatur *de Errore prof. relig.* ubi de Mithra Perſarum Deo. Hoc enim nomine Solem, cum quo Herculem idem Numen facit Macrob. cultum eſſe tradunt Eruditi. Itaque & Mithram βȣκλόπος diſertè Porphyr. vocat in *Antro*, & τελετὴν ejus βοοκλοπίην, imò quia quotannis redibat, κύκλα βοοκλοπίης, Propheta Mithriacus eidem Firmico laudatur. Stat. quoque idem expreſſit verbis, Theb. *l.* 1. *v.* 720.

Indignata ſequi torquentem cornua Mithram.

Vide infrà *Mithra.*

Cananæus, idem cum Joſua.

Caranus, & *Recaranus*, ſub Aventino Inventori patri dedicavit aram, quam *Maximam* appellavit, Auctor incertus *de Orig. urb. Rom.* ex Caſſio. Vide Voſſ. ubi ſuprà *l.* 2. *c.* 15.

Cubans, cujus ſimulacrum in urbis regione XIV. fuit.

Defenſor, templum habuit Romæ in eadem regione; in quo, ut Jovis Propugnatoris, milites honeſta miſſione donati, & gladiatores emeriti, arma clypeoſque ſuſpendebant.

Deſanaus, vide ſuprà *Dorſanes*, ibid.

Magnus, ædem habuit, in regione IX. quam L. Corn. Sylla ex carmine Sibyllino ædificaſſe

caſſe dicitur. P. Victor *ædes Herculis Magni Cuſtodis Circi Flaminii*: idque pridiè Non, Junias.

Maguſanus, vide Voſſ. *de Idol. l.* 1. *c.* 35.

Melicarthus, idem cum Tyrio; qui & Sidone cultus, *idem ib. c.* 22.

Muſagetes, cum novem Muſis repræſentatur in nummo Q. Pomponii Muſæ, quem habet in ſuis *Emblem. Joh. Sambuc.*

Muſarum Herculi, ædem condidit M. Fulvius Nobilior Cenſor A. U. C. 566. triennio poſtquam de Ætolis triumphavit, in qua Muſarum ſigna, quæ captâ Ambraciâ Romam tranſmiſerat, poſuit, Liv. *l.* 40. *c.* 51. Vetuſtate dein collapſam reſtituit Marcius Philippus, Vitricus Aug. Suet. *in Aug. c.* 29.

Muſcarius, à Romanis cultus eſt, ſicut ab Elidis incolis Jupiter ἀπόμυιος, & à Philiſtæis 2. Reg. *c.* 1. *v.* 2. *Beelzebub.*

Ogmius, Gallis eloquentiæ ſymbolum fuit, Voſſ. *de Idol. l.* 1. *c.* 35. & *l.* 2. *c.* 15.

Olivarius & Pacifer, vide Hub. Goltzii *Theſ.*

Pacifer, in vet. *Inſcr.* quam vide infrà in voce *Sanctiſſimi.*

Pollens, in *Inſcr.* Interamnæ Nahartium in Umbria. Vide Voſſ. *de Idol. l.* 1. *c.* 22.

Prodicius, ſignum adoleſcentis in lubrico conſtituti, vide *eund. l.* 2. *c.* 15.

Recaranus, vide infra.

Remphan, ibid.

Sanctiſſimus.

Sanctus, vide infrà *Sanctiſſimi.*

Sandes, vide ſuprà *Deſanaus.*

Saxanus, vocatur, in marmore Tiburtino, vide infrà *Saxanus.*

Silvanus, ſeu Ruſticus in *Inſcr.* antiquis idem cum Marte Sylvano: utrumque enim apud Pontifices eundem habitum, notat Macrob. Vide & infrà.

Somnialis ſeu Ὀνειροπομπὸς, vide infrà in voce *Somnialis.*

Thebanus, vide Voſſ. *de Idol. l.* 1. *c.* 13. 26. & 27.

Trinoctigena, vide Caſp. Barthium *ad Stat. Theb. l.* 5. *v.* 179.

Triumphalis, ſimulacrum habuit in Foro Boario; Cui nomen, quòd iis diebus; quibus Romæ triumphus agebatur, triumphali indueretur habitu.

Tyrius, vide Voſſ *de Idol. l.* 1. *c.* 34.

Victor dictus eſt, quòd omne genus animalium vicerit: Macrob. Sat. *l.* 2. *c.* 6. Ejus Romæ duæ fuêre ædes, una ad portam Trigeminam, altera in Foro Boario. Hæc ad maximam aram extructa fuit rotunda, in quam nec ſervi nec mulieres admittebantur. Macrob. Sat. *l.* 1. *c.* 12. Eandem neque canes neque muſcæ intrabant, Plin. *l.* 10. *c.* 29. In illa quoque nullum lectiſternium factum fuiſſe, Macrob. in *Corn. Balbo* & Serv. docent. Alteram verò M. Octavius Herennius extruxit, qui primò tibicen, dein Mercator, à prædonibus circumventus fortiſſime pugnavit, & victor evaſit, Macrob. Plura alia Herculis cognomina vide apud Hub. Goltz. in *Theſ.* Salmaſ. ædem *Herculis Victoris* in Foro Boario, cum æde Herculis *Triumphalis*, eandem facit *ad Solin. p.* 10. ad quem Autorem, de hoc Gentium idolo idem plura paſſim.

HERCULES Alter, inter cognomina Maximini Imp. à militibus ei tributa, apud *Capitolin.*

HERCULES Rom. Ῥωμαῖος Ἡρακλῆς, inter titulos Commodi Imp. quoties ad Senatum ſcribebat, apud *Lamprid.*

HERCULES Ruſticus, apud Æl. Lamprid. in *Vita* ejuſdem, *Habuit & hominem --- quem Onon appellabat, ſibi chariſſimum, quem & ditavit & Sacerdotio Herculis Ruſtici præpoſuit*: is dicebatur, qui jungebatur cum Sylvano, quem & *Sylvanum Herculem* dicebant. *Hercules* autem & *Silvanus* ſæpè conjunguntur in antiquis *Inſcr.* ut HERCVLI ET SILVANO; SILVANO ET HERCVLI Salmaſ. *ad l.*

Ferrariæ Duces.

HERCULES I. Ferrariæ Dux, fil. Nicolai III. ſucceſſit A. C. 1471. Borſo Fratri, Dux exercitus à Venetis & Florentinis electus. Obiit A. C. 1505. ex Eleonora Arragonia, numeroſæ prolis parens

HERCULES II. fil. Alphonſi I. Dux exercitus Pontificii, & Legatus Gallici, ſub Henrico II. contra Phil. II. A. C. 1557. Obiit A.C. 1559. Maritus Renatæ, fil. Ludovici XII. Joh. Baptiſta Giraldus, Leander Alb. *deſcr. Ital.* *Caſpar Sardus.*

Viri Illuſtres.

HERCULES, Fil. Uberti March. Ep. Auguſtæ, à conſiliis Carolo III. Sabaudiæ Duci Obiit A.C. 1515. Ughel. T. IV. Ital. ſacr. Franciſcus Auguſt. *in Hiſt. Chron. Ep. Pedemon.*

HERCULES Gonzaga, Cardin. Mantuanus, ſub Pio IV. fil. Franciſci II & fráter Frid. II. Præſes Conc. Trid. Obiit A. C. 1563. Morer. *Dict. Hiſt.*

HERCVLFS Rangonius, Mutinenſis, Cardin. ſub Leone X.

HERCULES Strozza, Ferrarienſis, poëta ingenioſus, edidit varia carmina. Occiſus A. C. 1508.

HERCULEUM fretum, Hiſp. *Eſtrecho de Gibraltar*, Gall. *deſtroit de Gibraltar*, Ital. *Stretto di Gibilterra*, quo mare Medit. Occeano jungitur, inter Hiſp. ad Bor. & Mauritaniam ad Auſtr. ubi ejus latit. eſt 5. leuc. circiter, inter montes Calpen & Abilam, ubi magis reſtringitur. Ejus longit. ab Ort. ad Occ. eſt 12. leuc. Hiſp. circumſtant illud, à parte Hiſp. Gibraltaria & Tariffa; à parte autem Mauritaniæ ſeu Africæ Septa, Alcaſaria & Tingis.

HERCULEUM, prom. Brutiorum, in Calabria ulter. *Capo di Spartivento*, teſte Barrio, inter Leucopetram 36. & Zephyrium in Bor. versùs Locros 12. mill. Strab. *l.* 6. *p.* 259.

HERCULEUM prom. Albionis, in ora Cornubiæ Bor. vulgò *Hertlond.* Vide *Herculis. prom.*

HERCULEUM Tybur, nunc *Tivoli*, urbs Italiæ ad Anienem fluv. Inſcr. antiqua. Vide *Tybur.*

HERCULEUS, Trierarchus in Claſſe, apud Miſenum; qui caput Agrippinæ fuſti affixit. Tac. Ann. *l.* 14. *c.* 8.

HERCULEUS, Commodi juſſu September menſis dictus, vide infrà *September.*

HERCULEUS Lacus, hodiè *Lago di Leontini*, teſte Fazello, lacus Siciliæ apud Leontinos. Strab. *l.* 6. *p.* 272.

HERCULIA, opp. Pannoniæ inf. *Altofen*, teſte *Lazio.*

HERCULIS Caſtra, ſeu *Herculeum*, opp. fuit Ubiorum, nunc ſup. Geldriæ, vulgò *Erckelens*: Inſertum tam Duc. Juliacenſi, aliàs munitum ab Hiſp. Ad Ruram fluv. vix 3. mill. à. Juliaco in Bor. Geldriam versùs 6.

HERCULIS Civ. magna & parva cognominatæ Ptol. in Ægypto. Plin. *l.* 5. *c.* 9. *&c.*

HERCULIS Columnæ, locus Friſiæ citer. in Grœningam, & Covordiam ad Occid. *Duvels Cutz*, teſte Ortel. Item *Herculis* columnæ, ſunt duo montes, Calpe & Abyla, qui conſtituunt fretum illud, quod *fretum Herculis* dicitur. Referunt enim Chronographi, Herculem Olympium Oſyris, cùm ex Africa in Europam transfretaſſet, primum ad Gades (quæ nunc Inſ. eſt, tunc reliquæ Hiſpaniæ conjuncta erat) continentem attigiſſe, luſtratoque maris litore, his in montibus duas magnæ altitudinis columnas poſuiſſe, à quo tempore Hiſtorici omnes Columnarum Herculis meminêrunt. Alii autem eas columnas non ex marmore fuiſſe, taleſque quales ſunt, quæ nunc *Columnæ* dicuntur, ſed magnos lapidum acervos, quos Hercules in mari coacervarit, tamque firmos reddiderit, quàm nunc ſunt. Illis qui ex longinquo vel mari vel terrâ eos ſpectant, duæ columnæ altæ, loco in plano poſitæ, apparent. Petrus Med. Lib. *rer. memor.* Hiſpani credunt fuiſſe, in parte Occ. Inſ. Gaditanæ, prope Gaditanam Urb. ubi etiamnum duas turres incolæ oſtendunt *Colonnas de Hercoles* dictas Baudr. De his Dionyſ. *v.* 64.

> Ἔνθα τε καὶ στῆλαι περὶ τέρμασιν Ἡρακλῆος
> Ἑστᾶσιν (μέγα θαῦμα) παρ' ἐσχατόωντα Γάδειρα,
> Μακρὴν ὑπὸ πρηῶνα πολυσπερέων Ἀτλάντων.

Sil. Ital. *Pun. Bell. l.* 1. *v.* 142.

> *Dum fert* Herculeis *Garamantica ſigna* columnis.

De columnis hiſce plurima paſſim ab authoribus vulgantur, de quibus Tzetzem *in Chil. p.* 295. conſ. & Hannonem *in Periplo.* Apollod. *l.* 2. de Hercule. Καὶ παρελθὼν Ταρτησσὸν, ἔστησε σημεῖα τῆς πορείας ἐπὶ τῶν ὅρων Εὐρώπης τε καὶ Λιβύης ἀντιστοίχων δύο στήλας. Vide Bochart. Geogr. *Sacr. p.* 675. & Voſſ. *ad Scylacem. p.* 1. Plin. *l.* 2. *c.* 67. & *in Præf. l.* 3. *Nic. Lloyd.*

HERCULIS fanum, pag. Hetruriæ inter oſtia Anſeris fluv. & Feroniæ lucum, *Librafatta* Moletio, ubi nunc pag. *Maſſaciuccoli*, in ora lacus cogn. Ibi ruinæ templi, *Templo d'Ercole*, viſuntur. In dit Reip. Lucenſis, in limite territ. Piſani, 9. mill. à Luca in Occ. 5. à pago *Librafatta* in Circ. Baudr. Item locus Gadium inſ. Hiſp. Bæticæ, vulgò *Caſtillo*, teſte Ortelio. Denique portus Melitæ inſ. *Marza-ſirocco*, teſte Q. *Heduo.* Plin. *l.* 2. *c.* 97.

HERCULIS inſ. hodie *Aſinara*, teſte Ortelio, inſ. Sardiniæ in ora Occid. ubi duas Herculis inſulas, Plin. *l.* 3. *c.* 7. habet. Ea *Linaria*, teſte Fran. Fara, cui magis habenda fides tanquam indigenæ.

HERCULIS Portus, geminus: unus in Hetruria, opp. parv. cum arce & portu utcunque capaci, *Porto Hercole*, in dit. Hiſp. in parte Or. montis Argentarii, 6. mill. ab Orbetello in Auſtr. Baudr. Alter pag. Brutiorum in ora Calabriæ ulter. Plin. *le Formicole*, teſte Barrio. Quibuſd. eſt ipſa urbs Tropea, in Calabria ult. in ora maris Tyrrheni. P. Mela ſub ipſa urbe, *Baudr.*

HERCULIS Monæci portus, opp. parvum cum arce firmiſſima in ora Liguriæ, in rupe, Nicææ finitimum, *Monaco*, vulgò *Mourgues* Gall. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Sub proprio Principe, è gente Grimalda, qui A. C. 1641. Hiſpanis ejectis Gallicum præſidium recepit. Gaudet palatio ſuperbiſſimo, & portu capaci. Ditionem anguſtam habet in litore, ubi Mentonium, *Menton* oppid. & vicus *Roccabruna.*

HERCULIS prom. geminum: unum in Maurit. Tingitana, *Capo Cantin*, teſte Merc. in Oceanum Atlanticum excurrens: Alterum Albionis in Cornubiæ ora Bor. *Hertlond* vulgò & *Hartland point.* in Comit. Devoniæ, in ora maris Verginii, in limite Cornubiæ. 34. mill. Angl. ab Exonia in Circ. J. Speed. Dicitur & *Herculeum.*

HERCULIS Pyrgos, ſive *Turris*, opp. Cyrenaicæ marit. *Camera Torre*, teſte Marmolio, in ora, inter Drepanum & Boreum prom. apud Diarrhœam portum.

HERCULIUS; vide *Heraclius.*

HERCUNIATES, pop. Pannoniæ inſ. inter Dravum & Danubium fluvios. Plin. *l.* 3. *c.* 25.

HPRCYNA, virgo fuit, Proſerpinæ comes, à quo & fluv. *Hercyna* nomen conſecutus eſt. In templo conſecratum Virginis illius ſimulacrum anſerem manibus gerebat. Hujus meminit Liv. & ex illo Turneb. *Adverſ. l.* 11. *c.* 18. Ἕρκυννα Pauſ. Trophonii filia Lebadiæ culta eſt. Vide Liv. *l.* 45. *c.* 27. & Pauſ. *l.* 9.

HERCYNIA, maxima Germ. ſylva, quæ pro regionum, & locorum ratione, varia obtinet hodie cognomina, de qua Cæſar *de Bell. Gall. l.* 6. *c.* 3. *Hujus*, inquit, *Hercyniæ ſylvæ latitudo novem dierum iter expeditio patet, non enim aliter finiri poteſt, neque menſuras itinerum novêrunt. Oritur ab Helvetiorum & Nemetum, & Rauracorum finibus, rectaque fluminis Danubii regione pertinet ad fines Dacorum, & Anartium;*

tium. Hinc ſe flectit ſiniſtrorſum, diverſis à flumine, regionibus, multarumque gentium fines, propter magnitudinem attingit, neque quiſquam eſt hujus Germaniæ, qui ſe aut audiviſſe, aut adiiſſe ad initium ejus ſylvæ dicat, cùm dierum iter 60. proceſſerit, aut quo ex loco oriatur, acceperit. Plin. *l.* 4. *c.* 12. Hactenus Cæſar. Sedes ferarum, aliis locis non viſarum. Steph. Ἑρκύνιον mons Italiæ, à quo *Hercynia* regio. Claud. de 4. Conſ. Honor. Carm. 8. *v.* 450. Idem *l.* 1. in pr. Conſ. Stilich. Carm. 21. *v.* 228. Idem de Bello Getico Carm. 26. *v.* 329.

——— *Sublimis in Arcton*
Prominet Hercynia *confinis Rhætia* ſylvæ.

Ἑρκύνιος δρυμὸς dicuntur Dionyſio Periegetæ. Seneca *lucum* appellat *in Medea*, *Act.* 4. *v.* 713.

Lucis *Suevi nobiles* Hercyniis.

Dictam *Hercyniam* putant ab ἕρκος, i. e. *ſeptum*, ſeu *circuitus*, ideò quod hæc Sylva Germaniam ferè totam valli inſtar circumdet. Germanica verò appellatio eſt a *piciferis arboribus*, undè & Latinum vocabulum procul dubio, derivatum. Vide Cluv. *Germ. Antiq. l.* 3. *c.* 47. B. Rhenan. *Rer. Germ. l.* 3. *tit. Expoſitus & emendatus apud Cæſarem locus, de ortu Sylvæ Hercyniæ.* ibique *Notis* Jac. Othonis JC. nec non hîc infrà. Adde eund. Rhenan. *ibid. l.* 1. tit. *Externæ nationes in Germaniam vet. Galli in Hercyniam Sylvam.*

HERCYNIÆ, ſunt lata cornua & varii tractus, ipſa tamen intra Germaniam, quod ad Occ. & Mer. attinet, continentur. Ideoque *Arduennam* ſylvam, ut illius partem neutiquam annumerat Loritus: vix etiam Bacenim ejus exiſtimat partem. At Bohemiæ ſylvas, & quæ inde in Sarmatas inter Orientem ac Septentrionem ſequuntur, ſanè connumerat. Ex verbis autem Cæſ. de Bell. Gallic. *l.* 6. *c.* 5. quàm latè olim patuerit, liquet. Caput ejus eſt, quæ à reſina nomen habet *Hartzwald*. *Hartz* enim vocant reſinam & Galli & Germani. Nunc corruptè vocatur *Schwartzwald*, quaſi dicas nigram ſylvam. Amm. Marcell. aliique *Hartianam* ſylvam nominant (quanquam *Hartziana* ſcribi oporteat) quod imperitus aliquis Linguarum Gallicæ & German. temerè in *Martianam* commutavit; niſi quis exiſtimet, cùm Romanis interrogantibus ejus nomen, reſponſum eſſet *Hartzwald*, relictâ voce *Wald* (ſylva) ad alterum verbum, quod Reſinam notat, Romanos animum attendiſſe ac *Hars* pro *Hartz* ſcripſiſſe. Dein accommodato ad ipſorum linguam elemento *H.* in *M.* ex *Hars* fecerunt *Mars*: unde increbuit *Martianum* pro *Hartzianum* apud indoctos. Nam nemini eſt dubium, nomen eſſe Germanicum Gallicumque, non Romanum. Ideoque ubique apud Amm. Marcell. cæteroſque, qui ejus meminêrunt, *Hartzianam* legendum, non *Martianam*. Hujus autem *Hartzianæ* ſylvæ pars eſt Helvetiorum Eremus, à Rheno ad Nicrum uſque amnem. *Hercynia* Romanis aſpiratur & ſanè Germanicus Gallicuſque ſermo aſpirationem poſtulat. Eratoſthenes quartam vocalem *Orcyniam* primâ ſyllabâ notaſſe videtur, quod in Strab. *l.* 4. *p.* 207. *l.* 7. 290. & 292. per ſecundam, ut Latinis, ſcriptum reperias. At Gall. & Germanor. linguâ per primam vocalem *Hartz* vocat reſinam, niſi quòd Germanor. quidam craſſius *Horn* per quartam Latinorum vocalem, undè Eratoſthenes *Orcyniam* fortaſſis mutuatus eſt. At *Hertz* per ſecundam vocalem Gallis Germaniſque cor ſignificat. Qui ergò *Hartzianam ſylvam* ſcripſêrunt, meliùs Germanicâ linguâ expreſſêrunt. Hæc in Briſgoia, apud Friburg. dicitur *Schwartzwald*, i. e. nigra ſylva; apud Heidelbergam, *Odenwaldt*, i. e. Othonia; inter Herbipolim & Bambergam *Steygerwaldt*, i. e. regia; ad confluentiam Loriæ cum Mœno *Weſterwaldt*; circa Magontiam, Francofordiam, & Aſciburgium, *Speshart*: in Thuringia, juxta fines Franconiæ & Voitlandiæ, *Thuringerwaldt*; in Comitatu Mansfeld. in Saxoniæ faucibus, *Auff der Hartz*; in Bohemia *Behemerwaldt*. Ferrar. ſed hodiè anguſtior eſt, & Bohemiam propriam circundat. Ab ea montes adjacentes *Hercynii montes* dicti, qui & *Suditi*. Baudr.

HERCYNII, populi, vetus Pelaſgorum colonia.

HERDONIA, opp. Apuliæ exciſum, Sil. *Ital. Bell. Pun. l.* 8. *v.* 568.

Obſcura incultis Herdonia *miſit ab agris.*

Nunc opp. *Ardona*, inter Cerbarum & Carapellum fluv. *L. Holſtein.* Strab. *l.* 6. *p.* 282.

HERBERGA, ſeu *Alberga*, apud medii ævi Scriptores, jus *Giſti* eſt, quam vocem, vide ſuprà.

HERED, fil. Balæ, filii Benjamin, Num. *c.* 26. *v.* 40. Item civ. Joſ. *c.* 12. *v.* 14.

HEREFORDIA, vulgò *Hereford*, urbs Cambriæ Epiſcopal. ſub Archiep. Cantuarienſi, nomen dans Herefordienſi Comitatui, *Hereford Shire*, in conf. Walliæ Mer. qui formâ eſt quaſi circulari, ab Ort. Vigornienſibus & Glоceſtrienſibus; à Mer. Monumethenſibus, ab Occaſ. Valliâ Merid. à Sept. Salopia definitur. Merc. Joh. Matal. Metell. Ibi aliàs fuêre Catieuchlani ex parte. Baudr. Hîc & Conc. à Theodoro Archiep. Cantuar. celebratum, A. C. 673. Beda *Hiſt. Angl. l.* 4. *c.* 5. De Epiſcopis Hereford. Vide Gul. Malmesbur. *l.* 4.

HEREGRAVIUS, vel *Hærgravius*, apud eoſdem. Comes militaris ſeu exercitus Dux, ut inter alia in *Chronico* Alſatiæ non ſemel *Heretochius*, Scriptoribus Anglicis, Saxon. Quod officium qui gerebant, gradu inferiores Vicecomitibus, *ordinabant acies denſiſſimas in præliis & alias conſtituebant --- eligebantur verò per commune Concilium per provincias & patrias univerſas per ſingulos Comitatus*, &c. Vide LL. Eduardi Confeſſ. *c.* 35. *de Heretochiis*, apud Henr. Spelmann. *in Gloſſ. Arch.*

HEREM, nomen viri. Eſdr. *c.* 10. *v.* 31. Lat. *anathema* ſive reticulum, vel *dedicatum* ſc. *Deo.*

HEREN, mons in Mauritaniâ Cæſarienſi. *Ptol.*

HERENACHUS, Dignitas Eccl. apud Hibernos hæreditaria, eadem cum Vicedomini vel Oeconomi functione. Vide Henr. Spelmann. in *Gloſſ. Arch.* ut & in voce *Corba.*

HERENATIUM, Germ. inf opp. Anton. Vide *Arenacum.*

HERENNIANUS, Coſ. cum Severo, A. U. C. 923. Item fil. Odenati, uſurpator. Orientis. Hunc cum fratre Timolao purpura indutos, Zenobia ulnis ſolita eſt tenere, quoties militibus locuta eſt. Ambo ab Aureliano occiſi. Trebellius Poll. *de* 30. *Tyr. c.* 26.

HERENNIANUS, inter Duces, qui è Probi diſciplina prodiêrunt, memoratur Vopiſco *in Probo.*

Viri Celebres.

HERENNIUS Gallus, ſub Hordeonio Flacco conſulari; legionis primæ legatus, Bonnam obtinuit. Tac. *Hiſt. l.* 4. *c.* 19. Voculæ additus in partem curarum, *c.* 26. Sed à Germanis militibus protractus è tentorio, ſciſſâ veſte, verberato corpore, tanquam proditor; dein vinctus, adventu demum Voculæ, exſolutus eſt. *c.* 27. Iterum à Militibus perfidiam & transfugium meditantibus vinctus *c.* 59. à Tullio Valentino ac Tutore unà cum Numiſio occiſus, quò minore ſpe veniæ creſceret vinculum ſceleris. *c.* 70.

HERENNIUS Marcus, vide *Marcus.*

HERENNIUS Modeſtinus, diſcip. Ulpiani, vel Papiniani J. J. C celebris. Græcè Latineque doctiſſimus, Severo à conſiliis, ſub ipſo Coſ. cum Probo. Præceptor Maximiani Jun. In jure varia ſcripſit. Lamprid *in Sev.* Jul. Capitol. *in Maximin.* Forſter. *l.* 2. *Hiſt. Civ.* Henelius, *de Vett. Jure Coſſ. Rutilius.*

HERENNIUS Nepos, inter Nobiles Rom. à Sev. ſine cauſæ dictione, occiſos, apud *Spartian.*

HERENNIUS Philo, vide *Byblius.*

HERENNIUS Senecio, Hiſtoricus Rom. ſub Domitiano, à Mettio Caro accúſatus, & Cæſaris juſſu interfectus fuit, quòd rogatu Fanniæ, filiæ Pæti, uxoris Helvidii, libros ſcripſiſſet de vita Helvidii Priſci. Tac. *Agric. c* 2. & 45. Plin. *l.* 7. *Ep. ad Priſc.* Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. p.* 154.

HERENOPOLIS, vide *Irenopolis.*

HERESBACHIUS Conradus, vico Ducatus Cliviaci cognomine oriundus, ſtirpe ac eruditione nobilis, Duci Clivenſi à conſiliis & Filii ejus præceptor, Eraſmi, Sturmii, Melanchthonis intimus amicus, πολύγλωττος, ſcripſit, vertitque ex Græco varia, de quibus Ant. Teſſier. vide in *Elogus P.* 1. doctam inter alia *Pſalmorum explicationem.* Obiit A. C. 1576. Thuan. *Hiſt.* Melch. Adami *Vit. Jurecoſſ.* Eraſmus *Præt. Apophth.* Alii.

HERESIDES, Græcè Ἡρεσίδες, dictæ ſunt αἱ τῆς Ἥρας, *Junonis* Argolicæ ſacerdotes, tanto olim apud eam gentem in pretio, ut non per Regum, ſed per Sacerdotum harum ætates, res ſuas digereret. Etymologicum Mag. Ἡρεσίδες αἱ ἱέρειαι τῆς ἐν Ἄργει Ἥρας. Earum prima fuit Callithyia, quam vide, ut & in voce *Hellanicus*: plura verò hanc in rem, apud Joh. Marsham, *Canone Chron.*

HERETUM, apud Solin. *c.* 2. ubi de oppidis in Italia, à Græcis extructis, *Heretum à Græcis in honorem Heræ; ſic enim Junonem Græci vocant:* Ἥρητον Steph. eſt. Vide in voce *Eretum.*

HEREUS, mons Siciliæ, *Artiſino* Fazello, qui & *Tavis*, ab Enna in Occ. & à Nicoſia in Auſtr. 10. mill. paſſ. diſtans, ex quo Chryſas fluv. *Vibius.*

HERFORTUS Rogerius, vide *Rogerius.*

HERI; fil. Gad, filii Jacob. Gen. *c.* 46. *v.* 16.

HERIBANNUM, & *Aribannum*, indictio exercitus, & mulcta non euntis in exercitum, evocati. A Germ. *Heer*, exercitus, & *Ban*, exilium, mulcta. Apud Francos enim Germanoſque in lege fuit, ut die & loco indictis, evocatus quilibet ſe exercitui ſiſteret, militaturus. Vaſallus equo & armis, pro more feudi, inſtructus: ne abſentiam interdum lueret amiſſione feudi. Omnes verò ſub pœna 60. ſolid. quam qui non eſſet ſolvendo, in ſervitutem Principis mancipatus eſt, donec per ſpatia ſatisfaceret. Vide Capitul. Caroli *l.* 3. *c.* 67. Mitius poſtea cautum eſt, in Additionibus ejuſdem Caroli *ad L. Salic. part.* 3. §. 12. &c. In chartis antiquis idem ſæpe eſt, *Profectio militaris* & *Expeditio*: quod Germanis *Heribannum*: Gallis & Anglis penè *Eſcuagium*. Vide Henr. Spelmann. *in Gloſſ. Arch.* At non exigebatur mulcta, niſi præceſſiſſet juſſio dominica: & tum pars tertia ejus ad Comitem ſpectabat: quam tamen ipſi exigere non licebat, ſed Miſſo dominico, à quo is ſuam tertiam recipiebat. Perſolvebatur autem non in terris vel mancipiis, ſed in auro & argento, armis, palliis & animalibus, ſive talibus ſpeciebus, quæ ad utilitatem pertinent. Donec tandem graviſſimis Normannorum ingruentibus bellis & incurſionibus, indicta in Francia à Carolo Calvo ad exſolvendum, de quo convenerat, iis tributum, vectigalia & collectæ, à quibus ne ipſi quidem eximebantur Presbyteri: *Et Herbanni ab omnibus Francis accipiuntur, in Ann. Francorum Bertin. A.* C. 866. idque pro modo prædiorum, ita ut pro manſo ingenuili ſeu ſervili denarius perſolveretur. Undè percipitur, cur in Impp. aliquot privilegiis, pro Eccl. Mindenſi *Bannum* ſive *Heribannum* ab illius poſſeſſionibus & agris exigere prohibeantur Judices publici &c. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.*

HERIBERGUM, vox itidem Saxon. domicilium, domus hoſpitium, vide ſuprà *Alberga*, *Giſta* &c. plura vide ea, apud Auctorem modò laudatum.

Viri Clari.

HERIBERTUS, Ep. Mediolanenſis, quòd vexillo inſolenti in ſtupendo curru erecto, uſus fuiſſet, depoſitus ac exilio mulctatus eſt, à Conrado II. Imp. A. C. 1037. Sigon. *l.* 8.

HERI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

HERIBERTUS, Clericus Aurelian. à femina quadam, ex Italia veniente, Manichæiſmum hauſit, junctusque Liſoio, qui ambo in clero eruditione longè eminebant, plurimos ſeduxit. Hi tandem, ſub Roberto Rege Conc. convocato, convicti A. C. 1017. & cùm renunciare errori nollent, ambo combuſti ſunt.

HERIBERTUS de Boſham, Cardin. Sec. 12. Auctor vitæ Thomæ Cantuar. & itinerarii. Geſner. *in Bibl.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2.

HERIBERTUS Loſinga, Anglus, A. C. 1120. Monachus Cluniac. ſcripſit *adverſus malos Sacerdotes*, *de prolixitate temporum*, *de fine Mundi*, &c. Vide *Hebertus*.

HERICIUS, ſeu HERINACEUS, in cibis, apud Damirem, Scriptorem Arab. *c. de Reptil.* Tum autem carnem ejus jucundam eſſe, ſi capite percuſſo uno ictu interficiatur, priuſquam in ſe urinam reddat, tradit Plin. *l.* 30. *c.* 8. qui idem prolixè animal hoc deſcribit *l.* 8. *c.* 27. Vide ſuprà, in voce *Erinaceus*.

HERIGEM, urbs Epiſcopal. ſub Metrop. Emiſſena. *Gul. Tyrius.*

HERIGERUS, Abbas Benedictinus, ſcripſit de corpore & ſanguine J. C. vitas Epiſcoporum Leodienſium, Urſmari carmine &c. Obiit A. C. 990. Sigeb. *Catal. c.* 138. Philippus Bergom. *l.* 12. *Chron. Suppl.*

HERILES Principum ſeu Dominorum filii, quaſi *minores Heri*; quos ſequior ætas *Domicellos* dixit. Vide Terent. in Phorm. Act. 1. *ſc.* 1. *v.* 5. Prud. *περὶ στεφάν. in Fructuoſo Hymno* 7. *v.* 23. Alios: Δεσπόσυνοι Xenoph. Theophilo, Harmenopulo &c. Eodem modo *Regum Fratres* vocat Jonas Aurelianenſis, *Præf. ad Opuſc. de Inſtit. reg. ad Pipinum Regem Aquit.* Vide ſuprà in *Deſpoſini*.

HERILLUS, Chalcedonius philoſophus, Zenonis diſcip. qui cùm audiſſet ſcientiam laudatam eſſe ab Ariſtotele, & Theophraſto, ſummum bonum in ea poſuit. Cic. *l.* 4. *Acad. Qu.* & *l.* 2. *de Fin.* Quibuſdam Carthaginenſis eſt. Sequenti tempore ad Cyrenaicos deflectens, vitiis frænum laxavit, tandemque fame periit, Diog. Laërt. *l.* 7. *in Zenone.*

HERIMANNI ſeu ARIMANNI, certum nominum apud Longobardos genus, quos immediatè ſubditos fuiſſe Comitibus ipſis, Judicibus, Sculdaſiis &c. legimus in *LL.* Longobard. ſub quibus in oppidis & caſtris militabant, invigilabantque eorum tuitioni: quaſi *viri exercituum*, ex Germ. *here*. exercitus & *mann*. vir; Galli dicerent *Hommes de guerre*, *Hommes d'armée*: adeoque milites, beneficia ac prædia ab Imp. conceſsa poſſidentes, vaſsalli minores. Goldaſt. Vel certè fuêre ipſi villarum incolæ ſeu ſubditi, prorſus diverſi à ſervis, cùm nulli oneri ſubjacerent, præterquam *hoſtis* & *placiti*, ex *here* dominus & *man* homo, quaſi *Homines Domini*, i. e. vaſsalli. Liberæ enim conditionis homines fuiſse, certum eſt. Obligatio eorum eundi in exercitum, *Arimannia* ſeu *Arimandia*, *Feudor. l.* 5. quæ meritò inter jura Regalia ibi recenſetur &c. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.* in voce hac.

HERIMANNUS, Abbas monaſterii S. Martini, Tornaci, ſcripſit de inſtauratione ejus, facta ab Odone, qui poſtmodum Ep. Cameracenſis fuit. Hìc de Regibus Galliæ & Comitibus Flandriæ varia habentur notatu digna. Sec. 12. Chron. Tornac. Simler. Voſſ. &c. Vide *Hermannus*.

HERINUM, Ferr. *Reina*, opp. Calabriæ, inter Conſentiam 16. & Lamperiam 10. mill. paſſ.

HERIOTUM, vel HEREOTUM, à Germ. *Heer*, i. e. exercitus, militaris fuit ſupellectilis præſtatio, quam obeunte vaſallo, dominus reportavit in ſui ipſius munitionem. Origo à Clodoveo Francorum Rege qui cùm Alamannos circa A. C. 511. prælio funeſtiſſimo attriviſſet, alios fiſco, alios Eccleſiæ in ſervitutem tradidit. Indixit prætereà, ut cùm moreretur quiſpiam ex iis paterfamilias, Regis vel Ep. procurator. præſtantiſſimum ejus è ſtabulis jumentum aut veſtem ex ædibus pretioſiſſimam (Germanis hodie *beſt Haupt*) tolleret, B. Rhenan. *Rer. Germ. l.* 2.

HERIPERRELUS, apud Browerum *Ann. Trevir. p.* 473. equus militaris, quem tres manſi collato ſumptu Seniori, Curiam Imp. vel Longobardicam aliamve meditanti expeditionem, cogebantur ſubminiſtrare, addito mancipio quod equum curaret. Vox Germ. eſt, Lat. *Domini equus*, vel *Exercitus*, i. e. *militaris equus*.

HERIPHILE, aliàs *Sibylla Erythræa*, agebat, ut vulgatior eſt opinio, antequam à Græcis obſideretur Troja. At Strabo *l.* 13. *p.* 645. duas fecit Erythræas Sibyllas: *Priſcam* nempe alteram, item alteram *recentiorem*, *Athenam* nomine, tempore Alex. Porrò Lactant. Erythræam Babylone natam eſſe ait, & ſe *Erythræam* appellari maluiſſe, quæ ſola nomen ſuum carmini verum inſeruerit: & à Græcis ac Latinis præcipua dicta ſit. Vide Lactant. de falſa Relig. *l.* 6. *c.* 6. *Div.* & *Lib. de ira Dei c.* 22. Feneſtella legatos Erythras à Senatu Rom. miſſos eſſe refert, ut hujus Sibyllæ carmina Româ deportarentur: & ea Coſſ. Curio & Octavius in Capitolio (quod tunc erat curante Q. Catulo refectum) ponenda curarent. Erythræ autem urbs eſt Aſiæ minoris.

HERIUS, inſ. maris Pictonici, vulgò *Heis*: nunc *l'Iſle de Nermouſtier*, ab inſigni Monaſterio Benedictinorum vel Prioratu Nigro dicto, cujus auctor Filibertus fuit. Ibi & Abbatia Alba eſt, *l'Abbaye Blanche*, Monachorum Bernardinorum, Ambitu leucas 4. latitudine unam inſ. implet, & oppid. habet 800. domorum. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

HERIUS, Gall. Lugdunenſis fluv. Ptol. Quibuſdam Vidana, ſeu Vicenonia. Quid ſit, non conſtat. *Baudr.*

HERLININI Milites, apud Petr. Bleſenſem *Ep.* 14. per contemptum vocantur Aulici, quòd poculis potiùs, quàm gladiis, dimicent. An ab *Herlino*, Anglo, exercitus in Saracenos ductore, ſed militiæ prorſus imperito? vide Car. Macr. *in Hierol.*

HERLINUS Chriſtianus, vide *Chriſtianus*.

HERMA, civ. Hiſp. Avien. Item urbs in tribu Judæ. Joh. *c.* 12. *v.* 14.

HERMACHUS, Mitylenæus, fil. Agemarchi, diſcip. Epicuri, opibus egens, ingenio dives, à Præceptore ſucceſsor dictus, qui in Horto ſuo doceret. Obiit apud Lyſiam. Scripſit 22. literas de Empedocle, 2. libb. de diſciplinis, aliaque contra Ariſtot. & Platon. Diog. Laërt. *in Epicuro l.* 10. Gaſsend. *l.* 1. *vitæ Epicuri, c.* 8.

HERMÆ, apud C. Nep. *Alcib. c.* 3. *Accidit, ut una nocte omnes Hermæ, qui in opp. erant Athenis, dejicerentur, præter unum, qui ante januam Andocidis erat, Andocidiſque Hermes vocatus eſt.* Græcis Ἕρμαι, ſunt τετράγωνοι κίονες, *quadratæ ſtatuæ*; æneæ aut marmoreæ, ſine manibus, caput humanum oſtendentes, reliquo corpore rudi relicto, Mercuriumque referentes, undè nomen, quas ante januas religionis ergò poſitas habuêrunt Athenienſes. Apud eoſdem ſingulæ Tribus in viis publicis ſimiles ſtatuas erectas habuiſſe videntur: Ut & viri de Rep. bene meriti. Ponebantur etiam in biviis, triviis & quadriviis & in fronte ſcriptum habebant, qua viâ duceret, inſuper ſalubria quædam vitæ monita, qua de re vide Voſſ. *de Orig. & progr. Idol. l.* 2. *c.* 32. & ſuprà *Enodiis* & *infrà Trivium*. Quod primum feciſſe Hipparchum, inſcriptis Ethicis præceptis ſaluberrimis tradit *in eo* Plutarch. Sed & *Hermæ* προπύλαιοι ante portas ſtatuebantur &c. quorum unum Anagniæ ictum cœlitus, refert Liv. *l.* 27. *c.* 5. Vide Hildebrand. *ad Nep.* Apud Philox. Ἕρμας ἀφετήριος, repagulum eſt in Stadio, quod ab *Hermulis*, (parvis hujuſmodi ſtatuis) laxabatur, inventum Tlepolemi Myrenſis. Ita enim is,

Τληπόλεμος ὁ Μυρεὺς Ἑρμᾶν ἀφετήριον ἱππ.
Ἰσοδρόμοις θῆκεν παῖς ὁ Πολυκρίτεω κλ.

Quod inde in Circum traductum, teſte Caſſiod. Nempè tranſverſarium lignum, inter duo arrectaria & extantia poſitum, quod ὕσπληγξ dicebatur, ſigno dato funibus laxabatur, & in lineam cavatam (quæ βαλβίς) decidens, limini januæ complanato ſimile exiſtebat, quo pacto poteſtas dabatur currendi. Duo vero illa ligna arrectaria, quæ ἐπαναστάσεις ἑκατέρωθεν τῆς βαλβῖδος Heſych. in modum *Hermarum* efformata fuêre, qui fune demiſſo utrinque repagulum ſolvebant. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 924. ut & ſuprà in voce *Balbis*. infrà item *Repagula*. Adde quæ dicemus, in voce *Mercurius*, it. *Somnia* &c.

HERMÆ, duo pueri dicti, qui occupabantur olim circa eos, qui Trophonii oraculum conſulturi erant. Pauſ. *Bœotic.* ubi de eo, ... ἀγαγόντες πρῶτα μὲν τῇ νυκτὶ αὐτὸν ἄγουσιν ἐπὶ τὸν ποταμὸν τὴν Ἕρκυναν. ... δὲ ἐλαίῳ χρίουσι καὶ λούουσι δύο παῖδες τῶν ἀστῶν ἔτη τρία που καὶ δέκα ... γονότες ὃς Ἑρμᾶς ἐπονομάζουσιν ... *Deducunt ſacrificati eum* (*conſultorem*) *noctu ad Hercynam fluv. ibi hominem Deo perungunt & abluunt pueri duo ex oppidanorum liberis annos fermè tredecim nati: Hermas, i. e.* Mercurios) *illos nuncupant. Hi ſunt. qui deſcendentem abluunt, quique miniſtrant quibus opus omnia, ut puerorum eſt captus.*

HERMÆA, ſeu *Mercurii* prom. Africæ propriæ in ora inter Carthaginem, & Hadrumetum, *Capo Bon* Merc. & *Capo di Nubia* Olivario. In mare Medit. verſus Pantalaream Inſ. maximè excurrit, 70. mill. à Tuneto in Bor.

HERMÆA, Gr. Ἑρμαῖα, feſtum erat apud Cretenſes, in quo Domini ſervis epulantibus miniſtrabant. Cariſtius *in Hiſt. Comm.* apud Athen. *l.* 14. *c.* 10. Idem mos apud Athenienſes obtinuit, & Babylonios, apud quos durante feſto *Saceas*, per 5. integros dies, ſervi imperabant ſuis dominis, & unus ex illis ſtolam regiam induebat. Cteſias *Ann. Perſic. l.* 2. & Beroſ. *Rer. Babyl. l.* 1. Simile omnino jus in feſto *Peloria* dicto, apud Theſſalos; Et cui ignota Saturnalia Romanorum? Vide Thom. Dempſter. *Paralip. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 4. Sed & in urbe Pellene Θεοξένια, vel Ἑρμαῖα, Ludos, quibus ἔπαθλον erat læna, memorat Salmaſ. *ad Solin. p.* 849. A. apud Suet. *in Tib. Claud. c.* 10. *Hermæum* diætæ nomen eſt, ſeu domus, quæ à parte fam. Cæſareæ inhabitata videtur. Caſaub. ſicut de Germanico Domo videmus. Vide quoque ſuprà, ubi de *Gymnaſiis*, & infrà in voce *Zeta*.

HERMÆUM, prom. Thraciæ ad Boſporum ultra Byzantium, *Neocaſtro* P. Gyllio. Eſt & prom. Sardiniæ. Ptol. in ora Occid. prope id quod *Maraſo* vulgò dicitur. Nunc *Capo della Cacca*, prope Algaram Urb. in Occ. Item locus Myſiæ ad Helleſpontum Polyæno, inter Parium ad Bor. & Lampſacum ad Mer. indè 70. hinc 200. ſtadiis diſtans. Apud Philoſtrat. *in Sophiſt.* accipitur, pro theſauro in ædificiis reperto: item pro lucro ingenti, & quod fortuito nobis obtigit.

HERMAGORAS Æolides, Carion cognominatus, Rhetor egregius, ſcripſit artem Rhetoricam libb. 6. De diligentia orationis, de decoro, de elocutione, & de figuris. Docuit Romæ Aug. tempore, deceſſitque ſenex. Item Amphipolitanus philoſophus, diſcip. Perſei, plures ſcripſit Dialogos, Suid. Alius philoſophus & orator. Cic. *in l. de claris Oratoribus.*

HERMAMMON, duorum Numinum *Mercurii* & *Ammonis* in unum conflatum nomen. Vide ſuprà *Heraclammon*.

HERMAN, vide *Irmin*.

HERMANDURI, Plin. *l.* 4. *c.* 14. & mel. *Hermunduri*, Germ. pop. Cheruſcis finitimi, in eo tractu, quem hodiè *Miſniam* vocant. Baudr. habitabant, ubi nunc Voigtlandia, pars Auſtr. Thuringiæ & pars ſup. Franconiæ. Vide B. Rhenan. *Rer. Germ. l.* 1. tit. *Marcomanni cum Nariſcis & Hermunduris, in Noricum & Rhetiam II. quæ & Vindelicia*: ibique *Notas* Cl. Othonis JC.

HERMANDUS, Arachoſiæ fluv. Plin. *l.* 23. *c.* 5. *Erymanthus* à Polyb. vocatur *l.* 2.

HERMANNI Saxum, vulgò *Hermann*-ſeu *Ehrenbreitſtein*, arx firmiſſima Germ. ad Rhen. in colle, oppoſita Confluentiis, ubi Moſella in Rhenum labitur, 8. leuc. à Moguntia in Circ. 10. à Colonia in Auſtr. ſub Elect. Moguntino. Nota longâ obſidione, A. C. 1636.

HERMANNOPOLIS, Vide *Cibinium*.

Impe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Imperatores & Principes.

HERMANNUS, Lotharingus cogn. Comes Salmenſis, poſt Rudolphi Svevi obitum, contra Henricum IV. Imp. electus, A. C. 1081. interfuit Synodo Quintilineburgenſi, in qua Imp. excommunicatus eſt. Mox deſertus à ſuis, in Lotharingia Obiit, A. C. 1088. Metis ſepultus, Berthold. *Hiſt*, Sigebert. *Marianus*, &c.

HERMANNUS, Suevorum Dux, Luitprand. *l. 6. c. 4.*

HERMANNUS, Thuringiæ Landgravius, ductâ Sophiâ, filiâ Friderici V. Com. Pal. Saxoniæ, domus hæres evaſit: Pater Judithæ, quæ nupta Theodorico, fil. Othonis Divitis March. Miſniæ, illam prætenſionem in domum Witikindeam intulit: prom ultimo ejus gentis Henrico Extincto, A. C. 1249. Theodorici fil. Henricus cogn. Illuſtris, Landgraviatum ſibi vindicavit; cumque eo Palatinatum Saxoniæ in familiam ſuam poſtliminiò reduxit, vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.*

Duces Teccenſes.

HERMANNUS I. fil. Ludovici, Ducis Teccenſis.

HERMANNUS II. ſen. ſucceſſit Alberto III.

HERMANNUS III. jun. fil. prioris, pater fuit Alberti IV. quo mediante reconciliati ſunt Rudolphus I. Imp. & Eberhardus Wirtenbergicus, ac Bertholdi Ep. Argentoratenſis; A. C. 1223. à quo adverſus Henricum fil. Friderici II. Imp. bellum feliciter geſtum eſt.

HERMANNUS IV. pater fuit *Hermanni V.* (ex hoc avus *Hermanni VI.* cujus fil. Fridericus IV. *Hermannum VII.* genuit. Friderici V. & Lucelmanni II. patrem:) Conradi, in cujus poſterorum ultimo Friderico, A. C. 1439. Extincto, Teccenſium Ducum ſtirps deſiit, ditionibus in domum Wirtenbergicam, Beatricis ſeu Judithæ filiæ matrimonio, illatis.

Principes ex Fam. Badenſi.

HERMANNUS fil. Bertholdi I. Zeringiæ Ducis, frater Bertholdi II. rami Zeringio-Teccii auctoris, Hochbergio-Badenſem orſus eſt Hic Hochbergam & alia in Briſgoja, ex avita hæreditate, cum tit. Marchionis obtinuit: Mortuus A. C 1074. Eo natus

HERMANNUS I. acceptâ à conjuge Juditha Badenſi ditione, hujus ſumpſit titulum, in fam. nova primus.

HERMANNUS II. fil. prioris, Conrado III. Imp. in expeditione primò Weinſpergia, dein Aſiatica militavit. Obiit A. C. 1160. pater ex Bertha Lotharingica fil. cogn.

HERMANNUS III. fil. Hermanni II. Friderico Barbaroſſæ inprimis gratus, dono ipſius Veronam, poſt victoriam adverſus Mediolanenſes, accepiſſe creditur. Obiit Antiochiæ, A. C. 1190. quò herum ſecutus erat. Pater *Hermanni IV.* Badenſis, & Henrici, (cui quoque fil. *Hermannus* erat, pater Henrici III. Rudolphi & Friderici) Hochbergenſis rami, auctorum.

HERMANNUS IV. Badenſem Marchionatum, in diviſione, obtinuit, cumque Friderico II. adverſus fil. Henricum rebellem ſtuderet, ab hoc vexatus ſtrenuè ſe defendit. Ab uxore Irmengardi filia Henrici Brunſvicenſis Com. Pal. Rheni Durlacum, Pfortzhemium & Etlingam, nactus, Obiit A. C 1242. Eo nati Hermannus & Rudolphus.

HERMANNUS V. fil. prioris, ductâ Gertrude, filiâ Henrici Medlingenſis, hærede Auſtriæ, hunc & Stiriæ principatus adiit, & morte ſuâ A. C. 1250. tranſmiſit ad fil. Fridericum, qui A. C. 1268. Neapoli, cum Conradino Sueviæ hærede, decollatus, ſororem reliquit Agnetem, quæ mater fuit Eliſabethæ Tirolenſis, Alberto Imp. primo inter Habſpurgios Auſtriæ Duci nuptæ.

HERMANNUS VI. fil. Rodolphi, de quo ſupra, bello adverſus Walramum Com. Bipontinum, victor, Obiit A. C. 1291. pater Friderici II. cui *Hermannus* fil. fuit, Rudolphi V. & *Hermanni VII.*

HERMANNUS VII. fil. natu minimus Hermanni VI. improlis Obiit, A. C. 1300.

HERMANNUS VIII. fil. Heſſonis, Rudolpho fratre Hermanni V. geniti, frater fuit Rudolphi Heſſonis, de Imp. Ludovico Bav. benè meriti.

HERMANNUS, fil. minor Eduardi Fortunati, Marchionis Badenſis, nat. A. C. 1596. ex Maria filia Jodoci ab Eicken, Rodemacheram nactus eſt. Pater Caroli Vilhelmi Eugenii & Philippi Balthaſaris. Vilhelmus verò, major natu Hermanni frater, & ipſe fil. inter alios genuit *Hermannum*, qui, Canonicus Colonienſis & Paderbornenſis, Cæſari adverſus Suecos in Pomerania militavit, dein legionum à Circ. Burgundico adverſus Turcam ſcriptarum deſtinatus Imp. hodie magna pars exercitus Imperialis, egregiè rem gerit, in Philippoburgi expugnatione inprimis, operâ ſtrenuè nuper navatâ:

Ex Fam. Haſſiaca.

HERMANNUS, fil. Ludovici Haſſiæ Landgravii, ex Comite Spanhemia, patruo Henrico Ferreo ſucceſſit. Auxilio Miſnenſium, (cum quibus confraternitatem, prius jam ab Henrico II. Puero initam, confirmavit) hoſtiles Brunſvicenſium conatus retudit. Princeps doctiſſimus, Obiit A.C. 1413. pater ex Margaretha Norimbergica Ludovici Mitis, ſeu Pacifici, inter cujus filios *Hermannus* Archiep. Colonienſis fuit: qui cùm pro Ruperto Palatino arma gereret: Carolus Dux Burg. & Hermannum Noveſii obſideret, hic jam cum extrema fame colluctatus, fratris Ludovici Pii, qui Caſſellas tenebat, auxilio & ſuperveniente exercitu Imperiali ſervatus eſt.

Ex Fam. Piaſtea.

Vladiſlaus HERMANNUS, fil. Caſimiri Poloniæ Regis, regio nomine abſtinens, Princeps voluit dici: cum Bohemis feliciter pugnavit. Ei ſucceſſit A. C. 1102. fil. Boleſlaus Crivouſtus. Vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.* &c.

Epiſcopi & Viri Celebres.

HERMANNUS, cogn. Saxo, Ep. Metenſis, poſt Adalberonem Lucemburgicum, Gregorii VII. contra Henricum IV. partes amplexus, ſurrogato Brunone, depoſitus eſt. Obiit A.C. 1090. Gregor. VII. *l.* 1. *Ep.* 53. & 82. *l.* 8. *Ep.* 20 Sigebert. Meuriſſ. *Hiſt. Met.* &c. Item, Abbas Benedictinus, in Bavaria, Benedicti vitam ſcripſit. A. C. 1280.

HERMANNUS Appeldorn, Carthus. Colonienſis, ſcripſit varia. Obiit A. C. 1450. Petrejus *B. C.*

HERMANNUS Bilingius, ab Othone I. Imp. Saxoniæ ducatum, præteritis agnatis, accepit & ad poſteros ſuos, quorum ultimus Magnus tranſmiſit, Phil. Jac. Spener. *in Fam. Sax.*

HERMANNUS Buſchius. Poeta, A.C. 1500.

HERMANNUS, Contractus, à morbo ſic dictus, fil. Wolferadi, Comitis Weringenſis, Monachus Richenov. Græcè, Latinè, Arabicè doctus. Auctor inter alia Chronici de 6. mundi ætatibus, quam A. C. 1054. finitam Bertholdus continuavit. Obiit Aleshuſiæ. Urſtiſius *de Script. Germ.* Marianus Scotus, *in Chron.* Aventin. Balæus, *Voſſ.* &c.

HERMANNUS Grun. Cos. Colonienſis, à duobus Canonicis leoni objectus, feram feliciter confecit, circa A. C. 1260. quo Ep. Urbem ſibi ſubjicere omni niſu conatus eſt. Georg. Horn. *Orb. Polit. Part.* 2. *cum Animadverſ. Menckenii.*

HERMANNUS Gulielmus, vide *Gulielmus.*

HERMANNUS Lerbeke, Jacobinus, Chronicon Comit. Schauenburg ſcripſit. Sec. 15. Meibomius edidit. A. C. 1620.

HERMANNUS Mœrſenſis, Comes Videnſis. Achiep. Colon. Reformationem Religionis molitus, Bucerum & Melanchthonem adhibuit, A. C, 1543. Hinc Caroli Imp. & Pontificis auctoritate loco motus, & totâ ditione Evangelium iterum exulare juſſum, A.C. 1547. Obiit A. C. 1552. Inter ejus ſucceſſores eodem ſec. Gebhardus fuit Truchſeſſius, ejuſdem inſtituti, nec Fati diſſimilis, vide ibi.

HERMANNUS Petra, vel Petri, Carthuſ. Brugenſis, *de regimine Monialium, de Immac. Conceptione*, &c. ſcripſit, Obiit A. C. 1428.

HERMANNUS Riſſwich, Batavus, Angelos creatos eſſe negavit, Animæ quoque immortalitatem, Infernumque inficiatus, materiam Elementorum æternam eſſe aſſeruit: ut taceam quæ de Moſe deliria, quas de Chriſto blaſphemias evomuit, Scripturam S. tandem V. T. rejecit. Vivicomburio Hagæ Comitis punitus, A. C. 1512.

HERMANNUS Schildius, ſcriptis celebris, A. C. 1340.

HERMAPHRODITUS, Mercurii & Veneris fil. ut ex ipſa ſtatim vocis compoſitione apparet. Nam Mercurius Ἑρμῆς, Venus Ἀφροδίτη Græcis dicitur. Hic cùm vagabundus in Caria ad limpidiſſimum fontem, quem Salmacis nympha incolebat, perveniſſet, illa ſubito ejus amore correpta (erat enim adoleſcens formoſiſſimus) cùm neque blanditiis neque precibus ad concubitum flectere eum poſſet, ſimulato receſſu poſt vepres latuit. Is autem nympham abiiſſe ratus, fontem nudus intravit: quod videns Salmacis ſubitò accurrit, & abjectis veſtibus arctiſſimè eum complexa eſt. Sed cùm ne ſic quidem obſtinatum juvenis animum exorare poſſet, à diis petiit, ut ex duobus corporibus in unum redigerentur. Quibus precibus à ſuperis exauditis, ambo in unum corpus coaluêrunt, ita tamen, ut ſexus uterque integer remaneret; Quod cùm vidiſſet Hermaphroditus, à ſuperis petiiſſe dicitur, ut ea fonti natura maneret, ut qui vir eum intraret, ἀνδρόγυνος, i.e. utrumque ſexum habens, exiret. Ovid. *Met. l.4. v.347.* & 383. Fingitur autem *Hermaphroditus* Mercurii & Veneris fil. eò quòd ſtella Mercurii, ob qualitates, quibus præeſt, mediæ naturæ putatur. Nam cùm aliæ ſtellæ ab Aſtrologis dicantur *maſculinæ*, propter majus robur. quo colorem excitant: aliæ verò, propter debiliores vires, & naturam humidi, cui dominantur, *femininæ*, Mercurii ſtella nunc humidum, nunc calidum abundè excitat, pro ſitu & motu ſuo. Porro Salmacidis nymphæ fabula, non tam ad vitium aquæ, quàm ad inertiam, & otium, quo vires hominum enervantur, referenda eſt. Erant enim Cares, qui eo loco habitabant, homines deſidiæ, & luxuriæ pleni, ac fœdis dediti libidinibus, unde & *Hermaphroditi* vulgò appellabantur, nam ſic etiam dicuntur, qui molles ſunt, & utramque Venerem exercent. In eam ferè ſententiam & Strab. exponit hanc fabulam *l.* 14. *p.* 656. cui conſentit Ovid. Salmacidem nympham otio & libidini deditam, deſcribens. Cæterùm de Hermaphrodito lubet elegantiſſimos antiqui poëtæ verſiculos hîc apponere;

Quum mea me genetrix gravida geſtaret in alvo,
Quid pareret, fertur conſuluiſſe Deos.
Mas eſt, Phœbus ait, Mars femina, Junoque neutrum,
Quumque forem natus, Hermaphroditus *eram.*
Quærenti Lethum, Dea ſic ait, Occidet armis,
Mars cruce, Phœbus aquis; Sors rata quæque fuit.
Arbor obumbrat aquas, aſcendo, decidit enſis,
Quem tuleram, caſu labor & ipſe ſuper.
Pes hæſit ramis, caput incidit amne tulique
Femina vir, neutrum, flumina, tela, crucem.

Nic. Lloyd.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

HERMAS, Rom. *c.* 16. *v.* 14. inter eos, qui à Paulo Apoſt. ſalutantur; quis fuerit, acriter inter Bellarmin. & Baron. Purpuratos Rom. Eccl. Patres controvertitur. vide C. Macrum in *Hierol.* & voce *Hermes*. In Bibliotheca Patrum habentur libri tres *Hermæ* huic inſcripti, qui à Patribus Ποιμέν☉ *Paſtoris*, nomine inſigniuntur, ut videre eſt apud Tertullian. *de Orat. c.* 12. Origen. *Philocal. c.* 1. & 8. *Clem.* 1. *Strom.* Alios. De cujus libri auctoritate quid ſtatuendum ſit, docent Rob. Cocus *Cenſur. quorundam vett. Scriptor.* & Andr. Rivet. *Critico Sacr. l.* 1. *c.* 12.

HERMATHENA, Mercurii & Minervæ ſtatua conjúncta. Collocabatur ſimulacrum hoc miro artificio implicatum in omnibus olim Bibliothecis, Gymnaſiis & Scholis, quo Philoſophiam cum Eloquentia jungendam eſſe ſignificatum eſt. Et talem certè fuiſſe Philoſophiam Græcorum, docet Cic. *de Orat. l.* 3. ubi *iidem erant*, inquit, *& ſapienter ſentiendi & ornatè dicendi Auctores.* Nec Numinum iſtiuſmodi mixtio infrequens erat: Sic Mercurius Herculi miſcebatur; de quo vide infrà in voce *Hermeraclas*. Sic Phœbus Baccho. Lucan. Civ. Bell. *l.* 5. *de Parnaſſo, v.* 73.

> *Mons Phœbo Bromioque ſacer, cui Numine mixto*
> *Delphica Thebanæ referunt Trieterica Bacchæ.*

Vide Georg. Horn. *Hiſt. Phil. l.* 7. *c.* 7.

HERMATOTROPHI, circa Margianam populi. *Plin.*

HERMEAS Aternenſium tyrannus, ab Artaxerxe Ocho defecit multiſque munimentis præſidiis occupatis, multum negotii faceſſere Regi poſſe viſus eſt. Sed à Mentore, pollicente ei præteritorum à Rege veniam, ad colloquium illectus, ſubverſus eſt, qui accepto ejus annulo atque literis obſignatis omnia oppida reſtituit Regi. Vide Diod. Sic. *l.* 6. *p.* 538. Vide Polyæn. *l.* 6. *p.* 461. Athen. *l.* 15. *c.* 16.

HERMEAS, è Curia Dux inclytus Antiochi magni, qui cum eo & Taurum pertranſiit, & res magnas geſſit. Ad extremum ab eo ob ſuſpicionem interfectus unà cum conjuge, & liberis, qui erant Apameæ. *Polyb.*

HERMEAS, frater Philumenæ, pro Ariſtide Hadriani Imp. fermè æquali, graviſſimè ægrotante, mortem Obiit, ut ipſe Ariſtides narrat, *Sacrar. quinta*, vide ſuprà ubi *de Fatis producendis*.

HERMEIAS Methymnæus, Hiſtoricus, res Siculas conſcripſit, 10. aut ſecundùm alios 12. libb. quorum *l.* 3. citat. Athen. *l.* 10. *c.* 21. Ἑρμαῖ☉ dicitur Diod. Sic. *l.* 15. Ei quoque Terræ deſcriptio, aliaque attribuuntur. Vide Voſſ. *Nic. Lloyd.*

HERMELLINA, apud Thwroczium *in Salomone Rege Hung. c.* 52. *Cumque tetigiſſet veprem lanceâ, quædam* Hermellina *albiſſima mirum in modum lanceæ ejus inſedit, & ſuper ipſam diſcurrendo, in ſinum ejus uſque devenit*: mus Ponticus eſt, Gallis *Hermine*, ab *Armenia* dictus, quòd inde ejuſmodi murium pelles in Europam adveherentur; *Hermeniam* enim pro *Armenia* dixêre recentioris ævi Scriptores. C. du Freſne in *Gloſſ.* & *Diſſertat. I. ad Joinvillam*. Vide quoque infrà *Mures Moſcovitici*.

HERMENDATUM, Hiſpanis & Navarrenis maximè, juriſdictionis in fures & facinoroſos certa quædam & memoratu digna ſpecies eſt. Cùm enim inter bella tam externa, quam civilia, Magiſtratuum ſolicitudo latrociniis compeſcendis non ſufficeret, cœpêre plebeji, quorum præcipuè res agebatur, ſocietates (Hiſpan. *Hermendadas*) inter ſe contrahere, conſtitutumque eſt, ut, quoties hujuſmodi aliquod ſcelus à facinoroſis committeretur, univerſi facto ad æris campani ſonum concurſu (*ab erit & repici de campanes*, in *Charta* A. C. 1452.) in illos impetum facerent, pœnas ab ipſis debitas ſumpturi: quæ quidem Societatum harum juriſdictio poſteà Regiâ auctoritate confirmata eſt. Vide Oyhenart. *in Notis Vaſcon. l.* 1. *c.* 6. & infrà, *Hueſium*, it. *Juncta*.

HERMENFRIDUS, Thuringiæ Rex fratribus occiſis, ipſe quoque miſerè periit. Vide *Amalaberga*.

HERMENIGILDUS, fil. Leuvigildi, Regis Gothorum in Hiſp. ſuaſu uxoris Ingondes, filiæ Sigiberti Regis Arianiſmum ejuravit. Proin bello à Patre petitus, Hiſpalim ſe recepit, Tiberii Imp. ope inde imploratâ. Intereà in vincula à Patre conjectus, cùm conſtans in fide maneret, immiſſis percuſſoribus occiſus eſt, A. C. 588. Greg. Tur. *Hiſt. l.* 56. *& ſeqq.* Iſid. *in Chron.* Gregor. *l.* 3. *dial.* 31. Ado *Chron.*

HERMERACLAS, ex Ἑρμῆς, *Mercurius*, & Ἡρακλῆς, *Hercules*, ſimulacrum erat Mercurium ſimul ac Herculem referens, quemadmodum *Hermathena* cum Mercurio τὴν Ἀθηνᾶν, *Minervam* expreſſit. Indigitavit autem id commentum, cum Fortitudine facilè Eloquentiam conciliari. Hinc is, qui Hercules Gallicus appellatus eſt, inſignis Philoſophus & Orator fuiſſe dicitur, quem proin ita effigiabant: Clava Leonis exuviis armatus, linguam tenebat exertam, cujus è mucrone innumerabiles aureæ catenulæ prodeuntes, innumeram hominum pone ſequentium turbam trahebant, Lucian. *in Hercule Gallico*. Eundem cum Mercurio ſive Hermete Ægyptio plurimi commiſcent, namque hic inter alia nomina, *Hercules* quoque legitur appellatus: unde nota Ἑρμαϊκὴ σειρά, vide Georg. Horn. *Hiſt. Philoſ. l.* 2. *c.* 12. *ſub fin.* & ſuprà in voce *Heraclammon*.

HERMES, cogn. Mercurii, ἀπὸ τῆς ἑρμηνείας i. e. *ab interpretatione*, quòd nuncius & interpres Deorum ſit habitus. Vide *Mercurius*.

HERMES, gladiator nobilis, apud Mart. *l.* 5. *Epigr.* 25. cujus epigraphe de Hermete *v.* 14. quod, ejus laudibus dicatum, ſic finit, alludens ad Hermetem Triſmegiſtum, cujus ſumma in Philoſophia ſcientia erat,

> Hermes, *gloria Martis univerſi*;
> Hermes, *omnia ſolus & ter unus*.

HERMES Triſmegiſtus, Philoſophus Ægyptius, poſt Moſen fuit, cujus tempore in Ægypto ſtudia Philoſophiæ clarere cœpêrunt, cùm antea tantùm circa Aſtronomiam, & hujus generis diſciplinas verſarentur, quæ ad exercendum ingenium magis, quàm ad illuſtrandum animum valent. Scripſit patriâ linguâ Dialogum, ubi Aſclepius introducitur. Deum omninò unum opinatur, omnium conditorem, erroremque fatetur parentum ſuorum, qui ſuperſtitiones Idolorum invenêrunt. Suid. & Auguſtin. *de civ. Dei.* Hic cùm in Ægypto ſacrum quoddam animal Serapi dicatum, in tota die duodecies urinam facere, pari ſemper temporis intervallo obſervaſset, per 12. horas diem dividi debere conjecit. Exinde hic horarum numerus longo tempore eſt cuſtoditus, & poſteà per horas diviſus eſt dies. Polyd. Virg. *de Rer. Inv. l.* 2. *c.* 5. Ejus de 12. *locorum ſive ſignorum appellationibus*, librum Joach. Camerarius edidit *Centiloquium* quoque ei attribuitur, tractatus *de Horoſcopis*, &c. Item alius *Hermes* Ægyptius fuit, auditor Syriani Sophiſtæ, condiſcip. Procli ſub Hadriano Imp. Vide Suid. Cardanus meminit quoque Hermetis auctoris *de Revolutionibus nativitatum*, quod opus à Wolphio editum, A. C. 1559. Sed quis hic auctor ſit, ignorare ſe fatetur. Vide Cardan. *ad l.* 3. *Ptolem. de Aſtr. Judiciis, textu* 3. Geſner. *in Epit.* De priore, vide judicium Antonii van Dalen *de Oraculis Ethnic. Diſſertat.* 1. *p.* 5.

HERMES, vel HERMAS, frater Pii II. A. C. 1450. Auctor libri *de Paſtore*; de quo vide Morer. *Dict. Hiſt.* Item, cujus meminit Paulus Apoſt. Rom. *c.* 16. *v.* 14.

HERMESIANAX, vetus author, ex quo quintam, & vigeſimam ſecundam Hiſtoriam ſumpſit Parthenius *in Eroticis*. Ex *Eliacis* Pauſ. diſcere eſt, Colophonium hunc poëtam filium Agonei, ac publicæ Colophoniorum ſumptibus ſtatuam ei poſitam fuiſse. Sed vide quæ de hoc, & altero ejus nominis Colophonio, Nicandri *in Theriaca* Interpres, & ex eo Lilius Gyrald. tradit *in l. de Poetis*. Præterea fuit alius *Hermeſianax* Cyprius, qui rerum Phrygiarum Hiſtoriam dedit. Plutarch. *de Fluminibus*.

HERMETIS Arx, in Inſ. Melita, à Solimanno Turcarum Imp. tanto labore expugnata eſt, ut Muſtaphas Dux opp aggreſſurus, *quid parentem facturum putemus*, exclamarit, *cujus nos fil hic exiguus tam longâ oppugnatione detinuit?* A. C. 1565. Vide Tuan. *Hiſt. l.* 38.

HERMIAS, Eunuchus, trapezitæ cujuſdam famulus, Athenas profectus, Platonem, Ariſtotelemque audivit, ac domum reverſus, cum domino ſuo, Atarneuſes, & Aſsenſes aggreſsus, eos ſubegit, & illis ſimul cum domino imperavit.

HERMIAS, caput Hermianorum vel Seleucianorum, Deum corporeum eſse, docuit, cum Seleuco quodam, A. C. 170. Vide *Seleuciani*.

HERMIAS, Philoſophus Chriſtianus, auctor Eccleſ. ſec. 4. Bibl. PP. *tom.* 1. *edit. Græco-Latin. Col.* A. C. 187 *& in Indice Chronol.*

HERMIAS, puer quem Delphinus in mare portabat.

HERMIAS Sozomenus. Vide *Sozomenus*.

HERMICUS Cajadus Luſitanus, Latinis carminibus commentus eſt Sibyllinam vaticinationem, columnis marmoreis tribus inciſam, quæ per ambages ſignificabat, Indos ſub imperium & ditionem Luſitanorum eſse venturos: eosque lapides datâ operâ detruncatos, ut aliqua veſtigia ineſsent antiquitatis, terrâ obrui, & aliquanto pòſt quàm ex humore terreno vitium fecerant, iterum erui juſſit. Id commentum qui operâ mercatorum Ulyſſiponenſium, etiam cum præfatione Valentini Moravi cujuſdam evulgatum undique, ſimulatione antiquitatis, Univerſo Orbi impoſuit. Varrerius, *in Cenſura Beroſi*.

HERMINERICUS, Coſ. cum Flavio Baſilico, A. U. C. 1218.

HERMINGARDIS, filia Deſiderii Longobardorum Regis prima uxor Caroli Mag. ab illo repudiata. Item, filia Hugonis Alſatiæ Com. uxor Lotharii Imp. ex illo, 3. filiorum & 2. filiarum mater. Ultima hujus nominis rapta eſt, A. C. 846. à Gilberto Comite Manſuariorum. *Hiſt. Gall.*

HERMINIANUS Claudius, vide *Claudius*.

HERMINIUS, Hermannorum Dux fuit, qui Varum Aug. legatum cum tribus legionibus ad internecionem deduxit. *Suet. & Tac. Hiſt. l.* 3. *c.* 42. Vide *Arminius*. It. Romanus quidam, unus ex his qui unà cum Coclite Hetruſcis in ponte Sublicio reſtitêrunt, donec à tergo ſolveretur. Liv. *l.* 2. *c.* 10. Coſ. cum Sp. Lartio, *A. U. C.* 248. Integrum nomen *T. Herminius Æſquilinus*. Item Hetruſci nobilis nomen apud Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 64.

> ---- *Ingentem corpore & armis*
> *Dejicit* Herminium. ----

Vide & *Titus*.

HERMINIUS, mons in Luſitania, hodiè *monte Armino*: in quo Medobriga, urbs exciſa, Amæa ſive Portus Alacus, ut nunc vocant, urbes; Marvanum & Alacretum oppida; teſte Andreâ Reſandio Luſitano. *Erminius Dioni*.

HERMIONA, Græciæ opp. Junonis fano inclytum, ut notat apud Pomponium Vadianus. Item civ. in conſpectu maris Ægæi Virg. ſive Catull. *in Ciri*, *v.* 442.

> *Hinc ſinus, hinc ſtatio contra patet* Hermionea.

In ora ſinus Argolici, qui tunc *ſinus Hermionicus*, vulgò *Golfo de Napoli de Romania*. Nunc diruta Baudr. Item urbs circa Riphæos montes, Orph. *in Argon.*

HERMIONE, filia Menelai ex Helena, quam Tyndarus avus maternus Oreſti deſpondit, ignaro patre, qui id temporis pro Helena uxore bellum ad Trojam gerebat. Quo in bello cùm Achilles Paridis fraude occiſus eſſet, Pyrrhusque fil. ejus in patris locum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

locum ſucceſſiſſet, Menelaus ignarus eorum, quæ à ſocero geſta e-rant, Hermionem Pyrrho deſpondit, & in patriam reverſus uxorem ei tradidit; quam rem ægrè ferens Oreſtes Pyrrhum in Apollinis templo trucidavit, ſponſamque ſuam recepit. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 328. Extat apud Ovid Ep. Heroid. 8. Hermiones ad Oreſtem.

HERMIONE, civ. quæ etiam *Laceria* dicebatur. Steph. Item templum in Peloponneſo, Cereri ac Proſerpinæ ſacrum, ad quod qui confugêrunt, tuti erant propter loci religionem. Unde natum proverbium, *Hermiones vice* apud Zenob. pro *aſylo*, ex Ariſtoph. *in Babyloniis.*

HERMIONES, quaſi *Herom-wohner*, pop. Germ. P. Mela *l.* 3. valde potentes. Horum regio Pomerania putatur à Vadiano; ſed id Tac. *de morib. Germ. c* 2. verbis repugnat. Baudr. erant è 5. præcipuis Germ. populis, habebantque ſub ſe Cheruſcos, Chattos, Hermunduros, Alemannos, Armalauſios, Marcomannos, Quados, Gothinos, Oſios & Lugios. Longè à Pomeraniæ Ducatu diſiti.

HERMIONIÆ, urbs circa Riphæos montes, Orph. *in Argon.*

HERMIONICUS Sinus, circa Hermionem Peloponneſi. Strab. *l.* 1. *p.* 59. *l.* 8. *p.* 355. & *l.* 8. *p.* 368.

HERMIPPUS, Athenienſis, poëta antiquæ comœdiæ, altero captus oculo, frater Myrtili Comici, ſcripſit fabulas 40

HEMIPPUS, Berytius, Philonis Byblii diſcip. qui multa compoſuit ſub Hadriano Principe Forſan is eſt, cujus meminêrunt Schol. Ariſtoph. Scripſit de Diis, Schol. *in Veſp.* Item Dimetros. Ejus Trimetros quoque laudat idem *Avib.* Ejus Hiſtoriam de Somniis, citat Tertullian. *l. de Anima, c.* 48. De legiſlatoribus librum, Origenes c. Celſ. *l* 1.

HERMIPPUS, Smyrnenſis, ſcripſit vitam Virorum Illuſtrium. Joſepho c. Appionem laudatus, ubi *Peripateticus* dicitur. Diog. Laërt. Origenes, Hier. Suid. &c. ſæpe ejus meminêrunt.

HERMOCHEMIA, Gr. Ἑρμοχήμιος (ita enim apud Steph. Byzantium in Αἴγυπτος legit Voſſ.) Ægyptus dicta eſt, quaſi *Chemia* ſeu *Ægyptus Hermæ.* Ægyptum enim à Chamo, *Chemiam* ſeu *Chamiam* dictam eſſe, notum: *Hermes* autem ſive Mercurius, maximo apud Oſiridem in pretio fuit, & gentem multò accuratiùs loqui, variarum etiam rerum nova nomina, ſcribendi item legendique artificium, ſideream porrò ſcientiam ac ſacrificia tandem ſacrosque ritus docuit, à quo prima terra appellata eſt primitus. Heſych. Ἑρμοχοίνιος· ἡ Αἴγυπτος τὸ πρότερον οὕτως ἐκαλεῖτο, *Hermochamia* (ſcribi jubet præfatus Voſſ.) *terra Ægyptus primò ſic vocabatur.* Et quidem Mercurii ſepulchrum Hermupoli oſtenſum, refert Clem. Rom. *Recognition. p.* 110. *edit. Sonnianæ* A. C. 1568. Vide Voſs. *de Idol. l.* 1. *c.* 2.

HERMOCRATES, Princeps Syracuſis, qui ſervilem tumultum, Duce Soſiſtrato, per quemdam Daïmachum aſtutè ſopivit: de quo Polyæn. *l.* 1.

HERMOCRATES, affinis Dionyſii majoris, Idem *l.* 5.

HERMOCRATES, Phocenſis, Sophiſtica facultate clarus, Antipatri, magiſtri Epiſtolarum Sev. Principis, filiam haud formâ bonâ invitus, Imp. cogente, duxit, quam poſteà repudiavit. *Philoſtrat.*

HERMOCRATES, Sophiſta, Præceptor Pauſ. Macedonis, qui Philippum Regem interemit: qui cùm ab hoc interrogaretur, quo facto clariſſimus evaderet, reſpondit, ſi perpetrantem maxima ſuſtuliſſet Diod. Sic. *l.* 16. *in fine.*

HERMODORUS, Siculus, Platonis auditor, cui vitio datum, quòd quæſtu Philoſophiam habuerit, dicta, quæ ſub Præceptore audiverat, colligendo, ac deinde in Sicilia venditando; undè adagium, *Verba importat Hermodorus.* Item Philoſophus Epheſius, quem in Italia exulantem, Pomp. J. C. tradit authorem fuiſſe duodecim Tabularum ferendarum Decemviris. Plin. *l.* 34. *c.* 5. dicit, hunc fuiſſe interpretem Legum Decemviralium, eique ob id ſtatuam publicè dicatam. Strabo *l.* 14. *p.* 642. In Epheſo fuêre viri memoratu digni, ex antiquis Heraclitus & Hermodorus; de quo hic idem inquit: Dignos eſſe omnes Epheſios ſtrangulari, qui Hermodorum virum inter eos frugi ejecêrunt, dicentes, Nemo noſtrûm frugi eſto, alioqui cum aliis ejiciatur. Item alius *Hermodorus* Salamin. qui cum Philone Architecto Athenis contendit de armamentario faciendo, qua in contentione, ut minus eloquens, victus fuit. Cic. 1. *de Orat. Hermodorus* etiam quidam fuit, qui Νόμιμα tradidit. Athen. *l.* 2. *c.* 16. his retulit leges variarum gentium. Denique *Hermodorus* Poëta, Plutarch. *in Apophtheg.*

HERMOGENES, ex Ducibus Conſtantii Imp. Paulum Patr. CP. cui Arriani Macedonium ſurrogatum ibant, pulſurus, tumultu oborto, interemptus eſt, A. C. 343. Sozom. *l.* 3. *c.* 6.

HERMOGENES, Hæreticus, præter alia, materiam mundi Deo coæternam eſſe, docuit A. C. 170. in Africa, occaſione erroris è Platone depromptâ, qui Deum non ποιητὴν, ſed δημιουργὸν eſſe ſtatuit. Contra eum Tertullian. ſcripſit Tractatum, qui incipit, *Solemus hæreticis, compendii gratiâ, de poſteritate præſcribere.* Ubi inter alia docet, *Hæreticorum Patriarchas Philoſophos eſſe.* Vide Pamel. *in Tertull. Hermog. in præf. p.* 423. *edit. Rothom.* A. C. 1662. Theophilus Antioch, Origenes, & eundem hæreticum ſcriptis ſuis refutarunt.

HERMOGENES, Tarſenſis, Annos nat. 15. Sophiſta adeò probatus eſt, ut fama ejus ad auditorium M. Antoninum Principem exciverit, ab eoque munera egregia tulerit: An. Ært. 18. libros edidit, qui exſtant, deinde tempore procedente, An. 24. viz. eum facultatis habitum deperdidit, nulla morbi cauſa. Proinde Antiochus Sophiſta dicebat, *Hermogenes in pueritia ſenex, & in ſenectute puer.* Volaterr. *Anthrop. l.* 15. *col.* 462. Vignierius, A. C. 163. Aliam oportet fuiſſe Hermogenem Tarſenſem, de quo Suet. *in Domit. c.* 10. *Occidit item Hermogenem Tarſenſem, propter quaſdam in hiſtoria figuras; librarios etiam, qui eam deſcripſerant, crucifixis.* Quin & Flav. Joſeph. *Hermogenis* cujuſdam meminit, *l.* 1. *c. Apionem*; ubi eum & Judæorum ait non obiter feciſſe mentionem. Scripſit περὶ Ἀυρίας, uti teſtatur Apollonii Scholiaſtes *in l.* 2. *Nic. Lloyd.*

HERMOGENES JC. Severo à conſiliis, diſcip. Papiniani. Lamprid. cui *Hermogenianus* dicitur, *in Sev. c.* 68. Rutil. *in Jure Co*. Scripſit *Epitomen Juris libb.* 6. &c. Jac. Cujacius *Obſerv. l.* 2. *c.* 27.

HERMOGENES & *Philetus*, fidem primò amplexi, 2. Tim. *c.* 1. *v.* 15. dein ejus naufragium fecêre, negantes Reſurrectionem, vel jam factam aſſerentes.

HERMOGLYPHUS, marmorarius, & ſtatuarius.

HERMOLAUS, CP. Grammaticus, ſcripſit ad Juſtinianum Cæſarem Epitomen in librum Steph. de Urbibus item Hiſt. CP. Suid. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 22. Memoratur & ante hunc alius, qui contra Alex. Mag. conjuravit. Curt. *l.* 8. *c.* 6. Item ſtatuarius quidam inter eos, qui ædes Principum ſignis nobilibus ornarunt. Plin. *l.* 36. *c.* 5.

HERMOLAUS Barbarus, Venetus. fil. Franciſci, nepos Zachariæ, pietate & eruditione illuſtris, Sec. 15. Romam miſſus à Rep. ab Innoc. VIII. Patr. Aquilejenſis factus eſt, quod cùm Senatus neutiquam probaret, præ dolore tum ille, tum pater mortuus dicitur. Alii peſte eum ſublatum narrant, A. C. 1493. Æt. 39. Edidit Hiſtoriam naturalem Plin. &c. Vide Juſtinian. *Hiſt. Ven. l.* 9. Bemb. *l.* 1. Crinit. *de Hon. diſciplina l.* 1. *c.* 7. Trithem. *de Scr. Eccl.* Joh. Pier. Valerian. *de Lit. infelic.* P. Jov. *in elog. doct. Vir. c.* 36. Spond. A. C. 1495. *n.* 9. Eraſmum, A. Politian. &c. Hunc Volaterranus reprehendit, quòd in Plin. ſit commentatus, quaſi indignum id Præſule, ſed à doctis aſſenſum non impetrat. Plura apud Anton. Teiſſier *in Elogiis Eruditorum Vol.* 1.

HEMON, Lydorum Rex, in prima illorum Dynaſtia, ſed cui ſucceſſerit, aut quis illum exceperit, ignoratur: cùm Atyadarum Regum pleraque nomina neglectu Euſebii, qui demum ab Ardyſo orſus eſt, periêrunt, ut diximus in voce H *yadæ.* Secundùm quoſdam Adramythium, Plin. *l.* 5. *c.* 30. Myſiæ urbem ad Caicum, condidit: τῷ Ἕρμωνι Λυδοὶ Ἀδραμυν καλοῦσι, Φρύγες, *Hermon enim Lydis & Phrygibus vocatur Adramys*, Steph. Ἄδραμ.

HERMON, Pelaſgorum Princeps, qui, quia una cum ſua gente Pelaſga coactus, nimirum Darii Athenienſium Ducis metu, reliquiſſet Lemnum, quam occupaverat, ſimulabat tamen ſe volentem cedere, quò gratum faceret Athenienſibus; ideò factus eſt proverbio locus, *Hermonium officium*: de eo qui vult videri aliquid officii gratiâ facere, quod alioqui coactus facit. Vide totam Hiſtoriam apud Eraſm. *in Chiliadibus.*

HERMON, ſeu THERMON, Patr. Hieroſol. poſt Zambdam A. C. 298. uſque ad A. C. 312. Macarium ſucceſſorem habuit. Euſeb. *Hier.*

HERMON Mons, in tribu Manaſſe, qui ab Hebræis *Chermon*; ab Amorrhæis *Santr. Deut. c.* 3. *v* 8. *Joſ. c.* 13. *v.* 5. *Pſ.* 89. *v.* 13. 1. Par. *c.* 5. *v.* 23. à Sidoniis *Sarion*, in Deuteronomio *Sion*, *Deut. c.* 5. *v.* 5. vel *Seon* appellatur: ſitus eſt ultra Jordanem è regione civitatis Paneadis, quam quidem ab Aurora deſpicit: à Mer. verò monti Se r jungitur, ac vergens verſus Sept. prope Damaſcum Libano ſe copulat: Mons iſte excelſæ magnitudinis eſt & altitudinis: proceris ac laudatiſſimis abundat abietibus, quæ multis vitæ operibus, præcipuè trabibus & navigiis aptiſſimæ ſunt. Habuit & mons iſte inſignes ſpeluncas, quarum una, ut Marius Niger ſcripſit, quatuor hominum millia capere poterat.

HERMON, qui HIPPOS Ptol. mons Paleſtinæ geminus: major, qui pars eſt Libani orientalis apud ortum Jordanis fluv. Alter minor apud montem Gelboe, & Chiſonium torrentem, teſte Maſio. Vide infrà. Item piſcatorium in Peloponneſo.

HERMON major, ita ad differentiam minoris dicitur: mons Palæſtinæ, ubi ob pinguis roris abundantiam, & ipſam ſoli fœcunditatem paſcebantur animalia & pecora, quæ Hieroſolymis offerebantur & immolabantur Dominò.

HERMON minor, in tribu Iſſachar, alius à majore, in cujus latere Aquilonari eſt civ. Naim, exciſa, Brocard. *itin.* 5. Breiden. *ibid.*

HERMON Mons. Hier. *Aermon*, ad cujus radices in terra Maſpha Evæi habitabant, quorum regionem Joſua obtinuit. Joſ. *c.* 11. *v.* 17. & *c.* 13. *v.* 5. Jud. *c.* 3. *v.* 3. Hier. *in Loc. Hebr. Lit. A.* Eſt in tribu Aſer.

HERMONIUM, mons eſt, in tribu Iſſachar, non proprius & diſtinctus ab alio, ſed jugum quoddam humile, ſeu tumor quidam, à monte Hermon contra montem Tabor procedens. Pſ. 42. *v.* 7.

HERMONASSA, urbs Myſiæ inf. ad oſtium Iſtri Boreale, *Moncaſtro* Nigro, *Bialogrod* Moldavis, *Belgrad* Turcis, item *Neſter Alba*, teſte Leunclavio. Sed hic decipitur: *Neſter Alba* enim, altera *Bialogrod*, i. e. caſtrum album, urbs eſt ad oſtia Tyræ, quæ Turcis *Akerman* dicitur, ſedes Præfecti regionis, Ferrar. Altera apud Ptol. urbs eſt Sarm. Aſianæ apud Cimmerium prom. & Boſphorum, *Madaque* Moletio; *Matriga* Nigro dicta. Tertia apud Strab. *l.* XI. *p.* 495. & *l.* 12. *p.* 548. in ora Cappadociæ, inter Polemonium ad occid. & Ceraſuntem ad Ort. *Lovana* hodiè, teſte *Nigro.*

HERMONIUS, vide *Iotire*, it. *Sines.*

HERMONTHIS, urbs Ægypti. Steph. ubi Jupiter, Apollo, & Iſis coluntur.

HERMOPOLIS, urbs Ægypti in Sebenitica præfectura, ubi Pan colitur, & Hircus, ut ait Pindar. *Beneſuaif*, teſte Joh. Leone. Ad Nilum fluv. inter Cynopolim & Antinoum, benè habitata, ubi lini optimi copia, à Babylone 120. mill. paſſ. in Mer. *Hermetis urbs* & *Hermupolis* Ptol. Ejus quoque meminit Sozom. in *Hiſt. Eccleſ.* Herodian. duas eſſe ſcribit, magnam, & parvam. Vide *Steph.*

HERMOS, vicus in tribu Acamantide. *Idem.*

HERMOTIMUS, Clazomenius, cujus anima, relicto corpore, errare ſolebat. Vide Plin. *l.* 7. *c.* 52. Clazomeniis olim cultus. Tertullian. *de Anima*, *ut Hermotimum*, *cui Clazomenii mortuo templum contulêrunt.* Nam *Hermippum*, hîc perperam legi ſolere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

monitum jam diu Paulo Leopardo *Emendat. l. 8. c. 3.* Sana lectio retenta à Tertulliano ejuſd. *l. c.* 44. *Cæterùm de Hermotimo, anima, ut ajunt, in ſomno carebat; quaſi per occaſionem vagaturi hominis, proficiſcente de corpore. Uxor hoc prodidit: Inimici dormientem nacti, pro defuncto cremavêrunt. Cives* Hermotimum *Templo conſolantur.* Ubi repone *vacaturi.* Vide eund. Voſſ. *c. 21. loc. cit.*

HERMOTYMBICI, mel. HERMOTYBII, pars bellicoſorum in Ægypto, dicuntur & *Labarai* Steph. Ἑρμοτύβιες Herod. alterum militum genus, à Seſoſtri juxta Calaſirios, de quibus ſuprà, inſtitutum. Horum Nomina erant, Buſirites, Saites, Chemmites, Papremites, & inſ. Proſopitis ex dimidia parte. Numerus eorum 160000. Conditio, qualis Calaſiriorum, quos vide. Ex utroque genere cohortibus nonnullis aſſignatus eſt Nomus Thebæus, & Chemmites in Thebaide pariter; ut illi præſtò eſſent Regi: milites reliqui in inf. Ægypto unâ collocati ſunt. Quo pacto ingens ille exercitus in inſ. Δέλτα quaſi in caſtris metatus eſt, hinc Peluſiaco, indè Canobico Nili alveo vallatus; ad Orientem Calaſirii, ad Occaſum Hermotybii, vide illum *l. 2. c.* 164. & 165. Nihilominus Sennacheribo Ægyptum invadente, militarem hunc ordinem Sethoni Regi opitulari noluiſse, obſervat idem *Ibid. c.* 141. imò ex inteſtina fortè rebellione eveniſse, ut peſſundatâ paulò pòſt Majeſtate Thebanâ, plurimi in Ægypto pullularent Reguli, videtur Marshamo *ad Sec. XV.* Vide in voce *Dodecarchia*, it. *Feudum Militare.*

HERMULÆ Ἀφετήελοι, vide *Hermæ.*

HERMUNDURI, pop. Germ. Eutrop. *l. 8.* Eorum meminit & Capitolin. in *Marco Imp. Gentes omnes ab Illyrici limite uſque ad Galliam conſpiraverant, ut Marcomanni, Nariſci,* Hermunduri *& Quadi*, quos 4. populos Tac. Ann. *l. 2. c. 63. l. 12. c. 30. & l. 13. c.* 57. de morib. Germ. *c.* 41. etiam jungit. Caſaub. *ad l.* Vide quoque *Hermanduri.*

HERMUNII, al. HERMANII, ſpecies apud Aragonios *Infancionum*, quorum alii *Barones* vel *Rici homines*: alii *Meſnadarii*, alii ſimpliciter *Milites*, alii ſimpliciter *Infanciones* nominantur, uti habet Vitalis Ep. Oſcenſis. Vide infrà *Infanciones.*

HERMUPEDIUM, locus apud Cumanos. *Steph.*

HERMUS, fluv. minoris Aſiæ, *Sarabat* Caſtaldo. Oritur juxta Dorylaum, Phrygiæ civitatem, auctuſque Pactolo, Smyrnæ campos irrigat, tandemque in Phocaicum ſinum illabitur. Solin. *c.* 42. *Hunc quoque* Hermon *fluctibus aureis æſtuaſſe antiquitas credidit.* Virg. *Georg. l. 2. v.* 137.

Nec pulcher Ganges, *atque auro turbidus* Hermus.

Mart. *l.* 8. Epigr. 78. cujus epigraphe de Ludis ſtellæ.

Non illi ſatis eſt turbato ſordidus auro
Hermus. ———

Stat. *l. 1. Sylv. 2. v.* 127.

Huic Hermum *fulvoque Tagum decurrere limo.*

Claud. *l. 1. in Ruf.* Carm. 3. *v.* 101. & ſeqq.

Non Tarteſſiacis illum ſatiaret arenis
Tempeſtas pretioſa Tagi, non ſtagna rubentis
Aurea Pactoli, totumque exhauſerit Hermum,
Ardebit majore ſiti. ———

Idem, *de Raptu* Proſerp. *l. 2.* Carm. 35. *v.* 67. & ſeqq.

Aut quales referunt Baccho ſolennia Nymphæ
Mæoniæ, quas Hermus *alit, ripaſque paternas*
Percurrunt auro madidæ, Lætatur in antro
Amnis, & undantem declinat prodigus urnam.

Nic. Lloydius. Hodiè verò ejuſmodi auri ramenta, nec in *Hermo*, nec in Pactolo, ampliùs obſervari, notat Jac. Spon. *Itin. Part. 1. p.* 301. Qui idem in egregio nummo, fluvium hunc, pro more reclinatum, innixumque urnæ aquam effundenti, cum fronde in manu & voce ΦΩΚΑΙΕΩΝ infrà (utpote qui à Phocæa urbe non procul diſtabat) & *Inſcr.* in circuitu, ΕΠ. CΤΡ. ΑΥΡ. ΕΥΤΥΧΟΥC. ΤΟ. Β. h. e. *ſub Strategia* ſeu *Præfectura Aurelii Eutychis, qua ſecundâ vice fungebatur*, memorat *Part. 3. p.* 191.

HERNDALIA, vulgò HERNDALL, tractus Norvegiæ, cis Sevum montem, juxta Jemptiam prov. Suecis conceſſus à Daniæ Rege A. C. 1645. pace ad Bromsbroam. Hinc pendent Nomedalia, Helgelandia, Froſſena, Indera, Heroa & aliæ dit. quæ anteà erant ſub præfectura Nidroſiana.

HERNICI, pop. Campaniæ loca ſaxoſa incolentes; undè & nomen accepêrunt, nam *herna* Sabini *ſaxa* vocant. Feſtus. *Hernici dicti ſunt è ſaxis, quæ Marſi herna dicunt.* Ideò Virg. *Æn. l. 7. v.* 683.

——— *Roſcida rivis*
Hernica *ſaxa colunt.* ———

Ubi Serv. ad *Æn. l. 7. v.* 684. *Sabinorum linguâ ſaxa herna vocantur.* Sil. Ital. Punic. Bell. *l. 8. v.* 393. Virg. imitator

Hernicaque *impreſſo raduntur vomere ſaxa.*

Strab. Ἕρνικοι, Dionyſ. Ἕρνικες dicuntur. *Nic. Lloydius.* Baudr. fuêre pop. in Latio, verſus montes, ad fontes Liris & Avienis, ubi urbes Anagnia, Alatrium, Verulæ & Ferrentinum, erantque ſatis reſtricti inter Volſcos, Æquos & Marſos, ubi nunc pars Campaniæ Rom. ſub Pontif. in conf. regni Neapol.

HERNUONES, Plin. corruptè aliquantò nominat Germanos mediterraneos, qui ipſorum linguâ *Hertuoner* vocantur. Glaren. *ad l. 4. Comm. Cæſaris initio.*

HERO, puella formoſiſſima, ex Seſto Thraciæ urbe ad Helleſpontum ſita, Veneris ſacerdos, cujus mutuo amore correptus Leander Abydenus adoleſcens, noctu ejus causâ Helleſpontum volebat trajicere. Verùm cùm aliquando nimio amatæ deſiderio, mari tempeſtatibus agitato ſe commiſiſſet, viribus deſtitutus, ſubmerſus eſt. Cujus cadaver, cùm fluctuum impulſu Seſtum eſſet delatum, Hero doloris impatientiâ, ex editiſſima ſeſe ſpecula in mare præcipitavit, ut Muſæus habet. *v.* 339.

Ῥοιζηδὸν προκάρηνος ἀπ' ἠλιβάτου πέσε πύργου.

Nic. Lloyd. In vet. nummo, ab Abydenis cuſo, *Hero & Leander* conſpiciuntur, quorum hic fretum trajicit, illa in turre excelſa facem oſtentat, cum *Inſcr.* ΗΡΩ. ΛΗΑΝΔΡΟΣ ΑΒΥΔΗΝΩΝ. In alio Sev. Imp. latus alterum eandem Hiſtoriam repræſentat, niſi quòd non *Hero*, ſed loco ejus Cupido, facem effert. Memorantur ambo Jac. Spon. *Itin. Part. 3. p.* 172. ubi prioris typum curioſo Lectori exhibet.

HERO, urbs Ægyptiaca, *Hæmus* etiam dicta, eo quòd Typhon ibi fulminatus ſanguinem ſuum fuderit. Strabo *l. 2. p.* 85. 86. & *l. 17. p.* 837. Heroum civitatem vocat. *Steph.*

Reges Judææ & Chalcidis.

HERODES, Tres hoc nomine Judææ Reges fuêre. *Herodes* cogn. *Magnus*: Herodes *Antipas*, ejus fil. & Herodes *Agrippa*, Magni nepos. De quibus verſiculi,

Aſcalonita necat pueros; Antipa Joannem,
Agrippas Jacobum, clauditque in carcere Petrum.

Vide infrà. Ad Magnum pertinet Aug. jocus, Macrob. *l. 2. Sat. c.* 4. relatus. *Nam cùm audiiſſet inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Judæorum, intra bimatum juſſit interfici, filium quoque ejus occiſum, ait: Ælian. l. 12. c.* 56. *Melius eſt* Herodis *porcum eſſe, quàm filium.* Nempe illic vivebat, uti loquitur Juv. Sat. *6. l. 2. v.* 158.

Obſervant ubi feſta mero pede Sabbatha Reges,
Et vetus indulget ſenibus clementia porcis.

Ab eo nomen accepêrunt *Herodiani*, ſecta apud Judæos, quæ Herodem Meſſiam credidit, undè quidam, illum Judæum fuiſſe, collegêrunt. Vide Scalig. *ad Euſeb. p.* 150. Caſaub. *com. in Perſ. Sat. 5. v.* 180. Item *Exercit. 1. in Baron. S.* 5. & H. Grot. *Annot. in Matth. c. 16. v.* 6. Et Marc. *c. 3. v. 6.* Denique Sam. Petit. *l. 5. Var. Lect. l. 2. c. 1. & l. 4. c.* 9. qui tamen à cæteris diverſus abit. *Nic. Lloyd.*

HERODES I. cogn. *Magnus*, ſeu *Aſcalonita*, fil. Antipatri Idumæi. Annos natus 27. præfectus Judææ, Caſſium Brutumque ſequutus eſt: dein M. Antonio totum ſe dedit, cum Phazaële fratre, Tetrarcha Judææ factus. Poſteà Antonio annitente à Senatu Rom. Rex dictus, & Antigonus, ejus æmulus, capite mulctatus eſt. Ductâ Mariamme, filiâ Alex. nepte Ariſtobuli, Ariſtobulo fratri ejus Pontificatum contulit, mox eum mergi, & Hyrcanum avum, Æt. 80. interimi juſſit. Victo ad Actium Antonio, Ab Aug. in inſ. Rhodo veniam nactus, poſt reditum Sohemum primò, dein Mariammen necavit: ejus furiis poſtmodum miſerè exagitatus. Exin Alexandram hujus matrem interfecit, nec amiciſſimis parcens, ſororis Salomes maritum, omneſque de ſtirpe Aſſamonæorum è medio ſuſtulit: Humanitatem utcunque erga Judæos, peſtis famiſque tempore, teſtatus. Reparavit templum, ſed & theatro atque Amphitheatro extructo, quinquennales in Aug. honorem ludos celebravit: ab ipſo è Syria reverſo, trium novarum provinciarum dominio donatus. Hinc porrò templum in Trachonitide Imp. ſacravit, & Cæſareæ, alio templo condito, Coloſſum erexit, qui Jovem Olympicum mole æquaret. Agrippam Hieroſolymis magnificentiſſimè excepit, annoque pòſt viribus, conſiliis ſuâque perſonâ ipſi præſtò fuit. Hinc Romam profectus eſt, ut Aug. inviſeret, filios dein ſuos in ejus aula educatos, Alexandrum & Ariſtobulum, in Judæam reverſus occidit, ſuperaddito paulò poſt calumniatore illorum Antipatro, quem adhuc privatus genuerat. Undè illa vox Aug. ut quidam volunt, de qua ſuprà. In morbum implicitus, Judam & Matthiam, Doctores celebres, à quibus concitata juventus aquilam inauratam de apice Templi decuſſerat, vivos comburi juſſit. Infanticidio Bethlemitico & odio nati Meſſiæ, infamis, miſerrimè Obiit, poſtquam ſuis mandaſſet, ut quidquid inter Judæos eminebat, necaretur, quo publico luctu ſibi parentaretur, A. C. 1. Julian. 46. Æt. 71. Pater Archelai, Herodis Antipæ, & Philippi ſucceſſorum. Crudeliſſimus, injuſtiſſimus, ſed & fortunatiſſimus, teſtimonio Joſephi *Antiqq. l.* 14. 15. 16. & 17. Vide Matth. *c. 2. v.* 1, 3, 7, 12, 13, 14, 16, 19, & 22. & Moreri. *Dict. Hiſt.*

HERODES II. Antipas, fil. Aſcalonitæ, poſt mortem Patris, Judææ tetrarcha. In honorem Tiberii, Tiberiade conditâ, filiam Aretæ Arabum Regis duxit. Mox Herodiadem, fratris uxorem, rapuit, priore repudiatâ: Hinc ſæpius ab Areta pulſus. Intereà Joh. Baptiſtæ caput puellæ libidini ſacrificavit, Marc. *c. 6. v.* 24, 25, & 27. paulò poſt Lugdunum, juſſu Calig. Imp. cum uxore relegatus, ubi miſerrimè Obiêrunt. Hic ille eſt Herodes, qui Chriſti miraculis auditis, Joh. revixiſſe credidit, eundemque Servatorem à Pilato ad ſe miſſum, poſt varias interrogatiunculas curioſas, veſte candidâ, tanquam ſanæ mentis non eſſet, contectum remiſit. Obiit A. C. 40. Vide Joſeph. *Antiqq. l. 17. & 18. de B. J. c. 2.*

HERODES III. Agrippa, aliàs Agrippa Mag. primus hujus nom. fil. fuit Ariſtobuli, ex Berenice, Romam miſſus, paulo ante mortem Herodis Antipæ, avunculi ſui, dexteritate & munificentiâ ſuâ multorum in aula Tiberii, Antoniæ inprimis, Druſi uxoris, animos ſibi conciliavit: Mox cùm pecunia deficeret, Romam reliquit. Sed brevi reverſus, cum quibuſdam, quos Tiberius ſuſpectos habebat, in vincula compingitur. Indè liberatus à Caligula, & aureâ catenâ, in locum ferreæ, donatus, illam grati animi conteſtandi ergò in templo Hiero-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Hieroſolymitano ſuſpendit. Mox ditiones Philippi, Herodis quoque Antipæ nactus, a Claud. Imp. Samariam inſuper & Judæam accepit, Joſeph. *Antiqq. l.* 18. & 19. Poſt neci dem datum Jacobum Ap. in gratiam Judæorum & Petrum in carcerem conjectum, odio Tyriorum & Sidoniorum Cæſaream profectus, ibi Dei appellationem ab adulatore populo ſibi delatam non averſatus eſt: prom ab Angelo percuſſus & à vermibus corroſus, A. C. 40. vel 34. Actor. *c.* 12. *v.* 19, 20, 21, & 22. Joſeph. *Antiqq. l.* 19. Pater Agrippæ II. Vide *Agrippa.*

HERODES, Chalcidis R. frater Regis Agrippæ M. A' Claud. Imp. jus in templum, ſacroſque theſauros, & poteſtatem Pontificatum conferendi accepit. Hinc Antharâ depoſito, Joſephum primò dein Ananiam Sacerdotio Summo ornavit. Obiit A. C. 49. Imperii Claudii 8 Ex uxore ſecunda, parens Ariſtobuli, Berenciani & Hyrcani. Joſeph. *Antiqq. l.* 20. *c.* 1. & 3. *de B. J. l.* 2. *c.* 11.

HERODES, Rex Parthorum, qui M. Craſſum occidit. Lege *Herodes* vel *Orodes. Nic. Lloyd.*

HERODES, inter XXX. Rom. Tyrannos, Odenati, ex priore uxore fil. cum Patre accepit Imperium, homo omnium delicatiſſimus, cui erant ſigillata tentoria & aurati papiliones & omnia Perſica &c. Cui quantum Pater indulſerit, quantumque infeſta noverva Zenobia fuerit, vide apud *Pollion.*

HERODES Atticus, vir Conſularis, amœno ingenio, Græcaque facundia ita excellens, ut gravitate, copiâ, & elegantiâ omnes alios longè præſtiterit. Vide A. Gell. *l.* 1. *c.* 2. *l.* 9. *c.* 2. & *l.* 19. *c.* 12. Vitam ejus habes apud Philoſtrat. Phavorini & Scopeliani diſcip. Veri Imp. præceptor. Rufo Perinthio *lingua Gr. & Rex Eloquentiæ* dictus. Volaterr. *in Anthrop.* Jul. Capitol. *in Vero.* Cæterum Marathone oriundus, patre Attico, qui Nervæ principatu, reperto theſauro, immenſas opes conceſſu Imp. ſibi paraverat; avo Hipparcho, ſeu, ut Suid. vocat, Plutarcho, qui ob avare & crudeliter adminiſtratam provinciam, bonis fuerat exutus: floruit ſub Trajano, Hadriano, Antonino Pio, & Marco Aurelio. Extructis in Græcia pluribus ædificiis ſacris profaniſque, & legatis cuique Athenienſium denis thaleris, de patria optimè meritus eſt. In ſtudiis egregiè verſatus, eloquentiâ inprimis inclytus (cujus tyrocinia ſub celebri illo Rhetore Phavorino poſuerat) opera quædam reliquit, Philoſtrato indigitata, ſed quæ temporum injuriâ periêre. Etiam Conſulatu functus eſt, collega Torquato à. C. 143. & ducta matronâ inſigni Romanâ, cui *Regillæ* nomen, in ejus memoriam Odeum Athenis extruxit, illaque Defunctâ domum ſuam marmore nigro ex Paro inſ. luctus indice, undique ornavit, templo quoque illi in ſuburbano ſuo *Triopæa* dicto, Romæ haud procul, conſecrato Obiit Æt. An. 76. duorum liberorum pater, Marathone genitali ſolo ex ultima ſua voluntate ſepeliendus: ſed Athenienſes grati erga eum animi teſtandi causâ, in ipſa Urbe, inque Stadio Panathenaico, quod ejus magnificentiâ in priſtinum ſplendorem reparatum fuerat, proſequente funus toto Populo, ſplendidè tumularunt. Nomen ejus integrum fuit, *Tiberius Claudius Atticus Herodes,* uti ex vet. *Inſcr.* Athenis hodieque ſuperſtite, in qua *Pontifex Imperatorum* inter alia vocatur, docet Jac. Spon. *Itin. Part.* 2. *p.* 213.

HERODIANI, Secta Judæorum, qui Herodem Mag. Meſſiam eſſe, eo quòd ſceptrum à Juda eſſet ablatum, illo in regnum evecto, credentes, ei adhærebant, & tributum Cæſari dandum eſſe, contra reliquos, tuebantur. Alii exiſtimant, illos diu poſt Herodis mortem, ejus diem natalem anniverſariâ ſolemnitate celebraſſe. & trahunt huc Perſii illud, *Sat.* 5. *v.* 180.

——— *At cùm*
Herodis *venêre dies.* ———

Quidam tamen id de Herode Agrippa intelligunt. Epiph. *hær.* 20. Tertull. de *præſc. c.* 45. Hier. *c. Lucifer.* Vide G. Horn. *Hiſt. Eccl.* Nov. *Teſt.* F. Spanhem. *Introduct. ad Hiſt. Eccl.* Joh. Leuſden. *Philolog. Mixt. Diſſ.* 23. Alios.

HERODIANUS, Grammaticus Alexandrinus, fil. Apollonii cogn. Dyſcoli, in aula Imperatoria ut plurimum verſatus, condidit Hiſtoriarum libros 8. Eos exorſus ab exceſſu Marci Aurelii Antonini Philoſophi; deſiit in morte Balbini, & Maximi, ac imperio Gordiani nepotis. Stylus, Photio teſte, eſt elegans, perſpicuus, ac talis planè, ut vix hiſtoricorum ulli ullâ virtute cedat. Veritati etiam ſtuduit, niſi quòd fides ejus nutet in Alex. & Maximino, quod obſervatum Julio Capitolino *in Maximinis duobus,* ubi ait, *Herodianus, Græcus ſcriptor, ei, quantum videmus, in odium Alex. plurimum favit.* Ex illo cerimonias, in Cæſarum inauguratione adhiberi ſolitas, addiſcimus. Angelus Politianus primus eum Latinè reddidit: Alia quædam illi inſuper Suid. tribuit. Vixit ſec. 3. Jul. Capitolin. Treb. Pollio, Lamprid. Phot. *Cod.* 99. Voſſ. *de Hiſt. Græc.* &c.

HERODIAS, Herodis primi neptis, ſoror Agrippæ M. ex filio Ariſtobulo, nupta fuit primùm Philippo. Ab hoc eam abduxit frater ejus Herodes Antipas, quem & in exilium poſtea ſecuta eſt: Quod ſcelus cùm accuſaret Joh. Baptiſta, fraude & violentiâ Herodis interfectus eſt. Matth. *c.* 14. *v.* 3. Hier. memorat, illam linguam Joh. Baptiſtæ aciculis compunxiſſe. Maritum Lugdunum relegatum ſponte ſecuta eſt, ubi cum illo miſerè periit. Joſeph. *Antiqq. l.* 18. *c.* 7. & 9. Extat etiamnum Herodiadis & Antipæ memorabile monumentum, pyramis lapidea, quam vulgus *duorum amantium pyramidem* vocat Comeſt. Hujus filia ſaltavit coram Herode, & caput D. Joh. Baptiſtæ petiit. Marci *c.* 6. *v.* 22. & 24. Luc. *c.* 3. *v.* 19. Vide ſuprà.

HERODICUS, nomen Grammatici, apud Schol. in Ariſtoph. *Ran. Act.* 4. *ſc.* 2.

HERODICUS, cogn. Cratæus, diſcip. Cratetis, varia ſcripſit. Vide Suid. Item, Præceptor Hippocratis. Soranus, *in hujus vita.* Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 1. *c.* 21. & *l.* 4. *c.* 6.

HERODION, cognatus Pauli. Rom. *c.* 16. *v.* 11.

HERODIUM, caſtrum non procul Hieroſolymis, in primis memorabile, in tribu Juda naturâ ſimul & arte munitum, quod Herodes magnus exædificavit: diſtat ab Hieroſolymis ſexaginta ſtadiis: locus ipſe ita ſe habet. Collis eſt leniter acclivis, attollens ſe in manu factam altitudinem, habens mammæ ſpecie circumferentiam: eſtque diſtinctus teretibus turribus, quò aſcenſu perarduo per ducentos gradus marmoreos aſcendebatur. Intus autem diverſoria regia magnis impenſis ſtructa, tam ad firmitatem quàm ad pulchritudinem, & in pede collis habitationes ſpectatu digniſſimæ, tum propter alia, tum propter aquæductus egregios, magno ſumptu è longinquo deductos. Circumjacens regio ædificiis referta eſt ad juſtæ urbis magnitudinem, cui collis ille vice arcis imminet: atque ita inſtructum de ſuo nomine vocavit Herodium fuitque ex undecim toparchis Judææ ordine decimum, vide Zonar. *Joſeph. Antiqq.* &c.

HERODORUS, commentarium reliquit de Macronibus, gente Pontica, de quo vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 3. *p.* 374.

HERODORUS, Megarenſis, corpore brevi, ſed valido, & vegeto, homuncio, ac tibicen, tantæ fuiſſe voracitatis dicitur, ut ſiliginei quidem panis caniſtros 6. carnium verò 20. librarum pondo ſolus facilè devoraret, ac vini congios 2. biberet. Cæterùm tubis ſimul duabus adeò violenter uti ſolitum tradunt, ut quàm latiſſimè illarum ſonus exaudiretur. Feruntque aliquando, cùm Demetrii milites, ejus ſcilicet, qui *Urbium Expugnator* eſt cognominatus, maximam illius machinam, quam Helepolim vocabant, in Argivæ urbis oppugnatione, ob immenſam ponderis gravitatem, muris applicare non poſſent, violento, terribilique hujus duarum tubarum ſono excitatos, ac velut adjutos præter omnem ſpem, machinam illam, quam prius admovere non poterant, urbi haud magna cum re admoviſſe, illamque vi expugnaſſe. Leon. Tho. *l.* 3. *c.* 2.

HERODOTUS Halicarnaſſæus, Cic. *Parens Hiſtoriæ, & Hiſtoricorum Princeps,* floruit circa A. Ante N. C. 450. In inſ. Samo dialectum addidicit, ibique Hiſtoriam libris novem; quorum quilibet Muſæ nominis inſcribitur, elogio hoc in ludis Olympicis; poſt ejus lecturam, impetrato, Suid. Plin. verò *l.* 12. *c.* 4. in Thuriorum urbe id contigiſſe narrat, vide infrà. Cœpit à Cyro Perſarum Rege, & uſque ad Xerxen, memorabilia Annorum 240. perſequutus eſt. Seceſſit in Samum, Lygdami tyrannide offenſus, qui tunc in patria regnabat, eoque expulſo, rediit. Poſtremò invidiæ civium obnoxius, ſponte Thurium conceſſit, Athenienſium coloniam, ubi Extinctus eſt, & ſepultus; licèt aliqui Pellæ dicant. Suid. Et quidem hunc Plutarch. Dio Chryſoſtomus, & Harpocratio non uno in loco carpunt: defendunt tamen ex recentioribus Aldus Manutius Joach. Camerarius, Henricus Steph. Voſs. ex vett. Dionyſ. Halic. Strabo, Diod. Sic. Lucian. Plin. loco ſuprà citato, A. Gell. Phot. Suid. Imo illum Cic. *in l. de LL. & 2. de orat. Patrem Hiſtoriæ,* ut dictum, appellat. Vita Homeri ejus non eſt. Alius ab hoc eſt *Herodotus,* qui de pubertate Epicuri ſcripſit, teſte Diog. Laërtio, de quo. uti & de priori, Voſs. adi.

HERODOTUS, alius quidam auctor, frequens in Scriptorum vett. ore. Vide Voſs. toties laudatum, *de Hiſt. Gr. p.* 374. & 375.

HEROES, dicti ſunt à veteribus viri nobiles, & illuſtres, qui mortales cùm eſſent, rerum tamen à ſe geſtarum magnitudine, quàm proximè ad Deos immortales acceſsêrunt, eamque apud vulgus opinionem emeruêrunt, ut poſt mortem in Deorum numerum credantur relati: Quales fuêrunt ſemidei illi, de quibus fabulatur antiquitas, quos altero parente Deo, altero mortali, prognatos credebant. Heſiod.

Ἀνδρῶν Ἡρώων θεῖον γένος, οἳ καλέονται
Ἡμίθεοι. ———

Ubi Proclus: Ἡμιθέους δὲ ὡς τὸ μὲν ἔχοντας θεῖον, τὸ δὲ ἀνθρωπικὸν κατὰ τὴν φύσιν, ὥσπερ οὖν ἐστι θεῶν μόνων, τὸ ἐξ ἀμφοτέρων θεῶν καὶ ἀνθρώπων, οὕτω δὲ τὸ σύμμικτον ἐκ τε θεῶν καὶ ἀνθρώπων ἡμίθεοι λέγονται. Lycophr. *in Alex.* ἡμιθνῆτας nuncupat,

Τοῖς ἡμιθνῆτοις διπτύχοις Λαπερσίοις.

Ubi Tzetzes: Ἡμιθνὴς, καὶ ἡμίθνητος διαφέρει, ἡμιθνὴς γὰρ λέγεται ὁ ψυχορραγῶν, καὶ ἤδη τὸ ἥμισυ θανὼν, ἡμίθνητος δὲ, ὁ τὸ ἥμισυ ἔχων θνητὸν, καὶ τὸ ἥμισυ ἀθάνατον, ἤτοι ἡμίθεος. Vide Hieroclem ad *Aurea carmina Pythagoræ.* Lucian. 3. *Dialog. Mortuorum,* definit Heroa hunc in modum: Ἥρως ἐστὶ μήτε ἄνθρωπος, μήτε θεὸς, ἀλλὰ συναμφότερος, *Neque homo eſt neque Deus, ſed utrumque ſimul.* Sed Ἥρως, unde ſit, non convenit. *Heroas,* inquit Serv. *ad Eclog.* 4. *quidam a terra dictos volunt, quod terra* ἧρα *dicta ſit, undè initio nati creduntur homines, qui nomen à matre traxêrunt.* Ubi pro ἧρα legendum ἔρα, nam ἥρη eſt Juno, h. e. *aër.* Mart. Capella, *l.* 2. *A medietate aëris, uſque in montium, terræque confinia, hemidei heroeſque verſantur, qui ex eo quòd Heram* (lege *Eran*) *terram vett, dixêrunt, heroes nuncupati.* Sed Platoni *in Cratylo* placet id nomen eſſe ἀπὸ τοῦ ἔρωτος, i. e. ab *amore,* quòd viz. Heroes vel ex amore eorum erga mulieres humanas, vel amore virorum erga Deas ſint geniti. Sic enim ille, SOCR. Οὐκ οἶσθα ὅτι ἡμίθεοι οἱ ἥρωες, HER; Τί οὖν; SOCR. πάντες δήπου γεγόνασιν ἐρασθέντες, ἢ θεοὶ θνητῆς, ἢ θνητοὶ θεᾶς. Vide & Dionyſ. Halic. *l.* 1. *c.* 78. Et hanc ob cauſam Cic. *Heroica tempora* vocavit, quibus Hercules, Caſtor, Orpheus, & alii hujus generis, ex Diis, ut credebantur, geniti floruerant. Undè Catull. *de Argon.* Carm. 64. *v.* 23.

Heroes, *ſalvete Deûm genus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Vel, ſecundùm eundem Platon. *Heroes* nomen habent ἀπὸ τοῦ εἴρειν, i. e. *dicere*; Antiquâ enim, ut ait, Atticorum linguâ ἥρωες ii, qui dicendi, ſeu interrogandi facultate valerent, appellati ſunt. Itaque Oratorum, quod addit. & Sophiſtarum genus, eſt Heroica natio. Hierocles, Η'ΡΩΕΣ δὲ ὡς ἐρωτές τινες ὄντες, καὶ ἔρωντες, οἷον ἐρωτικοὶ, καὶ διαλεκτικοὶ ἐρασταὶ τοῦ θεοῦ. Alii denique ſic dici arbitrantur ἀπὸ τῆς ἥρας, i. e. à *Junone*, uti tradit Aug. *in l. 10. de Civ. Dei c. 21.* & ex eo Iſid. *l.* 8. *c.* 9. nempè quia aër eſt dicatus Junoni, ac *Heroes* putantur poſt obitum in aëre cum dæmonibus habitare; quod & ſuperior Capellæ locus indicat, ac hic Heſiodi verſus confirmat:

Η'έρα ἑσσάμενοι πάντη φοιτῶντες ἐπ' αἶαν.

Quin & Philo *l. de mundo* ἥρωας καὶ δαίμονας Græcis dictos ſcribit, quos Moſes ἀγγέλους appellavit, qui inter Deum & Homines medium locum obtinent, ſc. inter Cœlum & Terram. Atque huc pertinent, quæ & Jamblichus de differentia Dæmonum, Heroum, & humanorum animorum in *l. de Myſteriis* diſputat. Tales verò hominum animas jam ſeparatas corporibus, *Heroes* appellavit, quemadmodum Athenagoras Legatione pro Chriſtianis obſervat. Quò fortaſſe Virg. reſpexit *Æn. l. 6. v. 672.*

Atque huic reſponſum paucis ita reddidit Heros.

Ubi *Heroem* de anima Muſæi dixit. Atque hæc oſtendunt, ut ſe torſerint Græci in hujus vocis etymo. Sed veriſimile eſt, id vocabulum originem potius Chaldæis debere. Nam his חורין dicuntur *nobiles, liberi candidati* ἥρωες, uti docet Fabric. in Dict. Syro-Chaldaico. Hinc *Herois* femina nobilis. Stat. *l. 3. Sylv. 5. v. 45.*

Qua veteres Latias, Grajaſque Heroidas *æquas.*

Propert. *l. 3. Eleg. l. 13. v. 31.*

Illa ſit Inachiis & blandior Heroinis.

Nic. Lloyd. in Theatro eadem machina, quæ demiſſa Deos oſtendebat ex improviſo, per aërem quoque *Heroas* vehebat; veluti Tlepolemum, Medeam, Perſeum, Bellerophontem. Jul. Cæſ. Scalig. *poët. l. 1. c. 21. de Theatro.* Plura de *Heroibus*, vide apud Car. Paſchal. *in Coron. libb.* Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat.* & hîc paſſim, inprimis in voce, *Anima*, item *Dii.*

HEROFELDA, vulgò *Hirſchfeld*, opp. Haſſiæ, ad Fuldam fluv. antea Abbatia celebris, nunc ſub Landgr. Haſſo-Caſſellano, pace Monaſter. 5. milliar. Germ. à Fulda urbe in Sept. 7. à Caſſela in Mer.

HEROICUM Carmen, vide ſuprà *Cyclus Epicus*, it. *Epicum Carmen*, & infrà, aliquid in voce *lyra*, it. *Panothea.*

HEROIS, una ex tribus ſolennitatibus, nono quoque anno Delphis olim celebrari ſolitis. Plutarch. *Quæſt. Græc.* Τῆς Ἡρωΐδος τὰ πλεῖστα μυθικὸν ἔχει λόγον, οἱ ἴσασιν αἱ Θυιάδες· ἐκ δὲ τῶν δρωμένων φανερῶς Σεμέλης ἄν τις ἀναγωγὴν εἰκάσειε. *Heroidis pleraque fabuloſam habent rationem, Thyadibus notam: ex iis quæ aguntur liquido quis excitationem Semeles repræſentari conjiciat.* Suprà autem dixerat, Τρεῖς ἄγουσι Δελφοὶ ἐνναετηρίδας, κατὰ τὸ ἑξῆς, ὧν τὴν μὲν Σεπτήριον καλοῦσι, τὴν δ' Ἡρωΐδα, τὴν δὲ Χαρίλαν, *Delphi tres deinceps nono quoque anno agant ſolennitates, Septerium*, Heroida *& Charilam.*

HEROMITH, villa in Daroma, in tribu Juda. Hier. *in Loco Hebr.*

HERON I. Diaconus primò, dein Ep. Antioch. poſt. Ignatium, A. C. 110. Obiit martyr. A. C. 131.

HERON II. Ep. Antiochenus, ab A. C. 143. uſque ab A. C. 170.

HERON, Alexandrinus, cogn. *Senior*, & alius ſub Heraclio *Junior* dictus: Mathematici inſignes, ſcriptis inclyti. Baldus, *in vita Heronis.* Biancanus, *in Chron. Math.* Voſſ. *de Math.*

HERON, Athenienſis orator, ſcripſit comm. in Herodot. Xenoph. & Thucydid. *Suid.*

HERON, Martyr ſub Decio Imp. A. C. 251.

HERONA, Dalmatiæ urbs. *Ptol.*

HERONE, prom. Indiæ intra Gangem. *Arrianus.*

HERONES, apud Plin. *l.* 36. *c.* 14. ubi de Dianæ Templo, *Summo miracula, epiſtylia tantæ molis attolli potuiſſe, id conſecutus eſt* heronibus *harenâ plenis, molli pulvino ſuper capita columnarum exaggerato, paulatim exinaniens imo, ut totum inſideret.* Turnebo ſunt texta quædam ſtorearum & tegetum more, in quibus interdum pauperes dormiebant, & fruges reponebantur; ſed & vaſa ſic viminea vocabantur, tegetibus ſimilia & cophinis, φορμοὶ Græcis Macri Fratres *in Hierol.* Vide ſuprà *Airones.*

HEROPHILA, nomen proprium Sibyllæ Erythrææ, quæ Tarquinii tempore Romam venit, treſque ſecum libros attulit heroico carmine conſcriptos: quorum nomine quum magnam pecuniæ ſummam à Rege petiiſset, nec obtinuiſset, duos exuſſit: uniuſque qui reliquus erat, nomine tantundem obtinuit, quantum paulò antè pro tribus popoſcerat. Suid. Vide *Eriphila* & *Heriphile.* Aliis *Herophila*, eſt Sibylla Samia, quæ claruit in Samo inſ. autoribus Euſeb. Auguſt. & Caſſiod. circiter A. M. 3297. A. C. N. 665. Eratoſthenes in antiquis Samiorum annalibus ſe reperiſse ſcribit, hanc dictam fuiſſe nomine *Phytho.*

HEROPHILUS, Medicus celebris, Phalaridem ſanitati reſtituit. Circa Olymp 53. Plin. *l. 11. c. 37. l. 26. c. 2. & 3. & l. 29. c. 1.* Cic. *quæſt. Acad. l. 2.* Plutarch. *de placitis Phil. l. 4. c. 22. & l. 5. c. 2.* Tertull. *l. de Anima, c. 10.* Neander *in Syntagm. de Medicis vett.* *Nic. Lloyd.*

HEROPOLIS, Heroum civ. in Ægypto ad ſinum Arabicum. Ptol. P. Melæ *Heropoliticum.* Nunc *Herou* ſeu *Heroua*, opp. prope oram ſinus Arabici, 90. milliar. à Peluſio in Auſtr. *Baudr.*

HEROPOLITES. Ægypti nomus. *Plin. l. 5. c. 9.*

HEROS. vir ſanctus, Arelatenſis Ep. à populo innocens pulſus eſt, & Patroclus ordinatus, quæ res inter Epiſcopos magnarum diſcordiarum cauſa fuit. A. C. 414.

HEROSTRATUS, vide *Eroſtratus.*

HEROUM, civ. Ægypti, Hucuſque occurrit obviam venienti patri ſuo Jacobo Joſeph. fil. Joſeph. *l. 2. Antiqq. c. 7.* Vide *Heropolis.*

HEROUM, Græcè Ἡρῷον, ſacellum, in Herois alicujus honorem extructum: etiam Σηκὸς Græcis. Quamvis enim ἐνδότερον τόπον τοῦ ἱεροῦ, *interiorem locum Templi*, ubi ſc. ſimulacrum Numinis poni ſolitum, eâ voce intelligat Heſych. peculiariter tamen pro *Heroo* & divatorum hominum ſacello ſumi diſcimus ex Polluce, ubi τοὺς ἀκριβέστερον λέγοντας vocem σηκὸν ſic accipere ait. Sic Eurip. *Bacchid.*

Αἰνῶ δὲ Κάδμον, ἄβατον ὃς πέδον τόδε
Τίθησι θυγατρὸς σηκόν. ---

Nempe Σηκὸς hoc modo, non ſuperbum aliquod templum, qualia in urbibus extrui Diis majoribus ſolebant: ſed ſacellum potiùs, quàm templum Heroi, & in agris præcipuè excogitatum. Quomodo hodieque *Sacella* appellantur nonnullis ædes, quas, velut Divis quibuſdam, ruri conſtituunt. Erant igitur Heroum & minorum Deorum breviora & anguſtiora templa, imò ſacella potiùs ac cellulæ, quam vera Templa. Hinc Auguſtin. *de Civ. Dei, l. 4. c.* 23. *Quis enim ferat, quòd neque inter Deos Conſentes -- nec inter -- Selectos -- Felicitas conſtituta eſt: ut templum aliquod ei fieret, quod & loci ſublimitate & operis dignitate præemineret?* Vide Deſid. Herald. *Animadverſ. Arnob. l. 6.* plura verò de Vett. *Herois*, apud Cælium Rhodigin. *Antiqq. Lect. l. 17. c. 18.*

HERPA, opp. in Sagarauſena Cappadociæ reg. ad Carmalium fluv. *Strabo l. 12. p. 537.* & 539.

HERPEDITANI, Maurit. Tingitanæ pop. *Ptol.*

HERPHE, Armeniæ urbs.

HERRERA Antonius, vide *Antonius.*

HERSE, Cecropis filia formæ præſtantiſſimæ, à Mercurio adamata, cui ſoror Aglauros invidens, & Mercurium, à quo aurum pacta erat, ut illum ſorori conciliaret, introitu prohibens, in lapidem verſa eſt. Ovid. *Met. l. 2. v. 560. 725. 740.* & 810. Cæterùm ex Herſe & Mercurio natus eſt Cephalus. Apollod. *l. 3.*

HERSEPHORIA, vide Caſtellanum in Ἀρρηφορία.

HERSILIA, uxor, Romuli, quam rapuerat Sabinis inter alias virgines, cùm ex invidia filias ſuas Romanis collocare recuſarent. Hæc poſteà à Junone immortalitate donata & in Oram Deam mutata eſt, vide Liv. *l. 1. c. xi.* Ovid. *Met. l. 14. v. 832.* & 841. Sil. Ital. Pun. Bell. *l. 13. v. 812.* Nam mortuis honore Deorum conſecratis nomina immutabantur, ne crederentur mortales fuiſſe. Sic Romulus, mutato nomine, dictus eſt Quirinus. Quin & Herſilia *Horta* etiam dicta, ut Plutarch. refert *in l. Problematum*, eo quòd juvenes ad virtutem & res gerendas *hortetur.* Hanc Rom. ſuo Quirino, perindè ut uxorem conſecrarunt, ſignificantes imperium non deſidiâ & otio, ſed virtute, & fortitudine parari, atque conſervari: Virtutem verò bellicam niti flore juventutis, Herſilia enim apud Rom. erat, qualis Hebe apud Græcos. *Nic. Lloyd.*

HERTA-TURRIS, Lazio *Erdeuudy*, locus cum cœnobio, in Pannonia inf. in inſ. intra Danubium apud rudera Teutoburgi urbis excisæ, inter Bathiam, & Bononiam 5. leuc. à Murſa 3. in Ort. à Quinque Eccleſiis 10.

HERTHUS & HERTUS, Suevorum & Borealium Germanorum olim Dea: ut & eorum Anglorum, qui, cum Saxonibus Britanniâ occupatâ, nomen ei ſuum indidêrunt. Cultum & immanitatem deæ refert Tac. *de Germ. morib. c. 40.* ubi *Herthum* Terram Matrem interpretatur, inque Balthico mari, quod fortè per Oceanum ibi intelligit, inſ. eſſe ait, *Caſto* luco & penetrali *Herti* Deæ inſignem. Meliùs forſan *Hertha* ſcribitur, hodieque vox Germanis in uſu eſt, pro ſolo, ſicut Saxon. & Angl. *Earth*, pro terra, à Græco ἔρα. In Anglia, ingentia illa ſaxa, quæ in planitie Saliſburienſi conſpiciuntur, *Herthi* templum videntur indicare. Cùm enim terra orbis ſit, in aëre ſuſpenſus, hæc ipſa rudera orbicularis templi veſtigium præferunt, ſaxis aliis ita aliis impoſitis, ut pendere quædam magis, quàm ſuffulciri videantur: inde *Stoneheng*, i. e. ſaxa penſilia, dicta. *Hac* templi ſpecie terram coluêre vett. *Magnam* eam *Matrem* nominantes, quòd, ut cœlum Deos, ſic ipſa Deos pariter & homines, cæteraque animalia procreaſſet, rerumque omnium cuſtos eſſet & origo: ut Lucret. de Rer. Nat. *l. 2. v.* 598.

Quare magna Deûm mater, materque ferarum,
Et noſtri genetrix hæc dicta eſt corporis una.

E' plurimis enim terræ facultatibus, plurium ſibi effinxit Ethnica ſtultitia Numinum appellationes: quibus interdum illas facultates, interdum Terram ipſam adumbrabant, Cybeles, Idææ, Opis, Rheæ, Majæ, Cereris, Iſidis, Heræ, Hecates, Proſerpinæ, aliorumque Infernalium, quæ una, licet ignotis nobis vocabulis, populi Boreales antè alia coluêre. Ea enim terræ fructibus præeſſe opinati ſunt, virtutemque vegetantem hyeme in latibula Terræ receptam, conſervare: vere & æſtate in mortalium uſus reddere fœcundiſſimam. Vim etiam gignendi & procreandi penes illa eſſe: largitaque hanc ex abundanti Aquilonem incolentibus, cultum viciſſim abundantiùs vindicare. Hinc in Infernalium honorem, temporis ſpatia, non per dies & annos, ut & cæteræ gentes, ſed per noctes & hyemes, Boreales populi numerabant: juxta illud Tac. *Nox diem ducit.* Et hinc nocturna illa ſacrificia, calenteſque humano ſanguine hecatombæ: Inferis gratæ, ob ſævitiam, Terræque propter effuſi cruoris fœcunditatem. Unde Ovid. Ep. 1. Heroid. Penelope Uliſſi v. 57.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Luxuriat Phrygio ſanguine pinguis humus.

Cùm autem omnia iſta Numina in Terræ penetralibus, tanquam in utero matris ſuæ, foverentur: honores Terræ impenſi, ad ſingula pertinebant: ideoque unà in Terræ ſimulacro, velut in Pantheo, colebantur. Simulacrum Tac. non deſcribit; quòd in vehiculo tectum, (ut in terra ſunt omnia) ſoli innotuerit ſacerdoti. Intro tamen fuiſse, prodit: Nam *Deam*, ait, *templo reddi & Numen abnui*. Quale apud Barbaros fuerit, nuſquam fortè conſtiterit. Sed, ut in aureis nummis M. Figuli & antiquis aliis Romanorum, deprehenditur ſub Cybeles effigie: Matrona nempe erat turrigero capite; cui Serv. *Æn. l.* 10. *v.* 252. clavem addit, quòd tempore verno aperitur, hyemali clauditur, Lucret. *de Rer. Nat. loco ſupra cit.* Terram Deam plurimis deſcripſit: & ſic inter alia canit; *l.* 2. *v.* 600. & ſeqq.

Hanc veteres Grajùm docti cecinêre Poëtæ,
Sublimem in curru bijugos agitare Leones:
Aëris in ſpatio magnam pendere docentes
Tellurem, neque poſſe in terra ſiſtere Terram.
Adjunxêre feras, quia quamvis effera proles,
Officiis debet molliri victa parentum,
Muralique caput ſummum cinxêre coronâ,
Eximiis munita locis quod ſuſtinet urbes:
Quo nunc inſigni per magnas prædita terras
Horrificè fertur divinæ Matris imago.

Virg. hæc multò ſuccinctius, *Æn. l.* 10. *v.* 252.

Alma parens Idæo Deûm, cui Dindyma cordi,
Turrigeræque urbes, bijugique ad frena leones.

Hi leones in curru jungunt, ratione à Lucretio redditâ. Tac. verò femineas, agriculturam & ubertatem ſignificaturas. Priſcæ hujus inſaniæ in hunc uſque diem reliquias exſtare in Anglia, non ſolùm enim ſeptimanas per noctes edicunt, ut *Seneights*, *Fortneights*, ſed & fluvios plures habent Iſidis nomine inſignes, refert Henr. Spelmann. in *Gloſſ. Arch.*

HERVÆUS, cogn. *Brito* Gen. 14. Ordinis Dominic. doctrinæ S. Thomæ celebris defenſor. Scripſit commentarios in 4. libb. Sent. impreſſos Venetiæ, A. C. 1503. & Pariſiis, A. C. 1647. cum *tr. de poteſt. Papæ, &c.* Item Benedictinus Burdigal. auctor comm. in Epiſt. Paulinas, &c. Vide Morer. *Dict. Hiſt.*

HERVÆUS, Archiep. Remenſis A. C. 900. Cancellarius Galliæ, ſub Carolo Simplice: cui non ſatis gratus, Robertum æmulum ejus Remis coronavit, A. C 922. triduo pòſt Mortuus. Flodoard. *l.* 4. *c.* 11. *Hiſt. Rem.* Aimon. *in ſupplem. l.* 5. *c.* 42. &c.

HERVETUS Gentianus, Aurelianenſi ex agro, præceptor Claudii Albaſpinæi, Francisco I. Henrico II. & Carolo IX. à Secretis; inde Lutetiæ Galeni operibus, à Thoma Linacro Latinè verſis, in publicum emittendis operam impendit. Hinc in Angliam profectus, atque inde Romam evocatus à Card. Polo, variis Auctoribus Græcis Latinè vertendis adhibitus eſt. In Franciam reverſus Burdigalæ docuit: indeque altero itinere Româ petitâ Cardin. Marcello Cervino, qui poſtmodum Pontifex fuit, adhæſit, illius etiam ad Conc. Tridentinum comes; in quo varias orationes, unam præſertim, *in Conjugii honorem*, habuit. Obiit Rhemis, ubi Canonicatum adeptus erat. A. C. 1584. Senex admodum. Ejus ſcripta & verſiones magno ſunt numero, quas diligenter enarratas habes, *in Elogiis* Anton. Teisſier. P. I. Vide quoque Paul. Freher. *Theatr. Viror. Erudit. Claror.*

HERULI, pop. à Francis ad Parmam cæſi, A. U. C. 1312. dicuntur etiam *Langobardi*, ab inſ. Scandinavia egreſſi, inquit Aimon. monachus. Nic. Lloyd. Horum quoque regio Mechelburga Duc. putatur. Ferrar. Ultra Danubium veteres gentis ſedes. Procop. Hi tempore, & multitudine, & vi ſupra vicinos aucti, Longobardos ad tributum coëgêre: poſtea ab his, quos durius habebant, cum Duce Rodalpho victi, cùm ſedes avitas tutari nequirent, venêre ad eum tractum, quem Rugii olim tenuerant, cum, Gotthis Italiam ingreſſi. Sed pars urgente fame, ſterili quippe vaſtaque humo, inde recedentes proximè Gepidas ſe locarunt: a quibus indignè tractati, tranſierunt Danubium, imperante Anaſtaſio, qui eos, cùm ſæva in Romanos cœptaſſent, miſſo exercitu vicit, pollicitiſque, ſe in poſterum in obſequio ac militia Imp. fore, pepercit. Ita *Herulorum* ſervatæ reliquiæ, neque tamen Romanis aut auxilio, aut uſui fuêre. At poſtquam compos Imperii Juſtinianus agros dedit fertiles muneraque adjecit, permoti benignitate ejus *Heruli*, non ſocietatem modò, ſed Chriſtianam pietatem induêrunt. Inde traductâ inclementius vitâ, plenaque Chriſtianorum ex inſtitutis agere cœpêrunt, manſit tamen infidus animus & alieni cupiditas, cujus nulla apud ipſos infamia. Secutis temporibus, paucis in ſocietate Rom. manere placuit, reliqui, interfecto Rege ſuo Ochone, diſſidiis colliſi ſunt. Pars enim è Thule, in qua Herulorum à Longobardis victorum quidam conſederant, Regem petiêre, Todaſium nomine: pars ab Imp. accepêre, nomine Suartuam: quo neglecto Romanam ultionem metuentes Gepidis ſe addidêrunt, unde defectionis origo. Eorum, qui fidi manſêre Romanis, 400. Duce Pharâ, Beliſario: 2000. Narſeti militarunt; quo digreſſo, in Italia manere recuſantes, vaſis collectis primùm Liguriam adivêre, ubi reperto Vrajæ exercitu, mancipia & pecora hoſtibus vendidêre, magniſque pecuniis acceptis jurejurando ſe obſtrinxêre, nunquam ſe in Gotthos manum commodaturos. Ita paratum nacti abitum in Venetiam ſe contulêrunt, mox pœnitentiâ admiſſi in Juſtinianum ſubeunte, legatos Byzantium miſêre: paulo pòſt, hujus auſpiciis, Slavorum victores: Narſeti quoque, cujus inprimis ſtudioſi erant, contra Totilam auxiliati. Reliqui, qui ad Gepidas defecêre, Duce Aordo, cæſi ſunt à Romanis. Vide Procop *l.* 1. & 2. *Hiſt. Vand.* Hugo Grot. poſt Tac. tempora *Herulos*, Rugioſque in Scanziam penetraſſe, ſuoſque habuiſſe Regulos: inde à Danis, non

multùm ante Juſtiniani tempora, ſedibus ſuis pulſos fuiſſe docet. Eorum Regem Gethen, A.C. 528. Baptiſmo initiatum eſſe, refert Pantaleon *in Chron.* Miſtævo poſteà eorundem Regem ob negatam à Bernardo Duce Saxoniæ, cum quo Othoni II. Imp. in Italia contra Saracenos militaverat, filiam & ingeſtum à M. Theodorico convitium, *canem* non morſurum minus, quàm latraturam, proteſtatus, Saxoniam horrendum in modum depopulatus eſt, & Chriſtianâ fide extinctâ univerſum Slavicum nomen ad Deorum gentilium cultum reduxit. Tandem tamen ipſe ſenex converſus, an à ſuis pulſus, an ſponte exul, Bardovici reliquum vitæ exegit. Pater, præter alios, Udonis, à quo Wandaliæ & Megapolis: & Ratibori ac Bogiſlai, unde Pomeraniæ Principes orti ſunt. Udo, ſummus Chriſtianorum oſor, cùm aliquandiu *Herulos* rexiſſet, tandem ab aliquo Saxone transfuga cæſus eſt: cujus necem fil. Godeſcalcus in Saxonibus vindicavit: cæterùm cùm apud ſuos fidem propagare vellet, ipſe ejus præco, à ſubditis occiſus A. C. 1066. duos reliquit filios Buthuen & Henricum: quorum ille à Critone Rugio pulſus, & poſtquam à Saxonibus reſtitutus eſſet, per inſidias ſublatus eſt. Hic Critonem ſuſtulit, Rugioſque ſibi ſubjecit: cujus ex Suantipolco filio nepos Suinico A. C. 1131. Erdenoburgi occiſus eſt: poſt quem Canutus Danus regni titulum & jus ſibi vindicavit: quo occiſo Buthuenis filii Pribiſlaus & Nicolotus, uterque idololatra, regno potiti ſunt. Verum illo à Rugiis capto, hic ab Henrico Leone & Alberto Urſo toto penè regno exutus, in prælio cecidit, majorque pars gentis bellis ſuppliciiſque exhauſta, reliquiæ exſortes omnis dignitatis eſſe juſſi, aut in Poloniæ fines rejecti ſunt, novis è Friſia & Saxonia coloniis introductis. Vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt. in fam. Vandalica, in qua Herulorum Reges, &c.* Item infrà in voce *Vandali*. Nudos olim *Herulos* pugnaſſe, corporis verecundis ſolummodo opertis, narrat P. Warnefrid. *de geſtis Longob. l.* 1. Eoſdem Deos humanis victimis placaſſe, ſenes & morbidos neci dediſſe, horum quoque conjuges vitam ſibi laqueo abrumpere, ni mariti cognationem famamque adverſam habere vellent, coëgiſſe: Veneris nullum exhorruiſse nefas, levitate, ſtoliditate, ſceleribuſque omnes alios populos ſuperaſse, refert Procop. ſuprà laudatus *Goth. Hiſt. l.* 2. *ubi de illis prolixè diſſerit.* Vide quoque H. Grot. *Proleg. in Hiſt. Suecorum, Gothorum & Vandalorum*, B. item Rhenan. *Rer. Germ. l.* 1. tit. *Heruli & Rugii in Italiam*, cum *Notis* Cl. Othonis JC. Eorum mentio fit Itin. *l.* 4.

Nos Ducibus, qui nunc Herulos, *Henetoſque gubernant.*

HERVORDIA, vulgò HERVORDEN, urbs Imper. & Hanzeat. Weſtphaliæ in Comitat. Raveſpergenſi, ſub Elect. Brandeburg. 10. mill. Germ. à Monaſterio in Ort. Mindam verſus. Vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 28.

HERUS, quintus Antiochiæ Eccl. Ep. A. C. 143.

HERZEGOVINÆ, vulgò HERZEGOVIN, prov. Dalmatiæ, antea *Chulmia*, cujus caput Naro, *Narenza*, pars eſt regni Serviæ. Tota ſub Turcis, verſus ſinum Naronenſem.

HESA, vel HÆSA, urbs Siciliæ. Sil. Ital. Pun. Bell. *l.* 14. *v.* 219.

Venit ab amne trahens nomen Gela, venit & Haleſa.

HESÆNUS, mons qui Pæoniam & Mediam diſtinguit. Ariſtot. *initio Mirabilium narrationum*, alibi tamen *Hiſt. Anim. l.* 9. *c.* 45. *Meſſapus* dicitur.

HESAJAS, vide *Iſajas*.

HESDINIUM Vet. Quantiæ flum. appoſitum eſt, in Morinorum & Ambianorum conf. cujus caſtri vel municipii pars ad diœc. Ambianenſem, pars ad Bononienſem pertinet. Nunc caſtellum munitiſſimum eſt Atrebatenſis Comitatus, Gall. *Heſdin*. Sub Gallis, ab A. C. 1639.

HESEBON, civ. in qua habitavit Sehon Rex Amorrhæorum, Num. *c.* 21. *v.* 30. quam ædificavêrunt filii Ruben, Idem *c.* 32. *v.* 37. Jeſ. *c.* 16. *v.* 4. 1. Par. *c.* 6. *v.* 81.

HESER, civ. à Solomone ædificata. 1. Reg. *c.* 9. *v.* 15.

HESIDRUM, Indiæ fluv. Plin. *l.* 6. *c.* 17.

HESIODUS, Poëta nat. in Aſcra Bœotiæ vico, unde & *Aſcræus* dictus. Hic miſsus à patre, qui Cumis pulſus Aſcram conceſſerat, ad ovium cuſtodiam, dormiens ſomniavit, ſe repentè poëtam factum. Scribit Pauſ. ejus carmen adhuc ſuo tempore in plumbeis tabulis in Muſarum templo (cujus ſacerdos Heſiod. fuit) ſervatum fuiſse. Scripſit poëmata, *Clypeum*, *Theogoniam*, unde eum *fabularum auctorem* Quintilian. dixit, Ἔργα καὶ Ἡμέρας, *Opera & Dies*, librum παραινετικὸν, & *moralem*, quem ediſcere Græci pueri ſolebant, quemadmodum & Leptæ Cic. præcepit, *l.* 6. *Fam. Lepta ſuaviſſimus ediſcat Heſiod. & habeat in ore*:

Τῆς δ᾽ ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν,
Sudorem poſuêre dii Virtutis ad arcem.

Item Γεωργικὰ, nam qui illud unum & idem opus eſse cum Ἔργοις putant, valdè falluntur, ut eruditè oſtendit Heinſ. *in Introductione ad Heſiodi l.* Fuit Heſiod. poſterior Homero Annis 120. circiter, ut Vellejus auctor eſt *l.* 1. *c.* 7. Alii verò majorem Homero; nonnulli æqualem prodidêrunt. Vide A. Gell. *l.* 3. *c.* 11. *l.* 17. *c.* 19. & 21. Jul. Scalig. *l.* 1. *poet. c.* 5. iis accedit, qui majorem ſtatuêrunt: *quòd major ſimplicitas, & quaſi rudior antiquitas in Heſiodo appareat.* Contrarium Euſtath. commentator Homeri, non uno in loco probat; inter alia ex eo, quòd Nilum Hom. non Νεῖλον, ſed Αἴγυπτον, quæ vetuſtior fluvii hujus appellatio eſt, vocet; item quòd publicis in ludis certantes Ζώμασι præcinctos introducat, cùm Heſiodi tempore penitus nudis luctari mos eſset, quod demum tum factum, cùm Orſippus quidam iſtiuſmodi faſciæ ſolutione præpeditus, ab Antagoniſta ſupera-

peratus eſt. Sed litem decidit *Marmor* Arundelianum, in quo legimus: Α᾽φ᾽ ȣ̃ ... ἰοδ@ ὁ ποιητὴς ... ἔτη IH, HIΔ, ΔΔ .... *βασιλεύοντ@ Α᾽θηνῶν* .... *Ex quo Heſiodus poeta floruit, anni* DCLXX. ...... *regnante Athenis* .... Megacle. Sequitur, Α᾽φ᾽ ȣ̃ Ο᾽μηρ@ ὁ ποιητὴς ἐφάνη, ἔτη III, HΔ, ΔΔΔIII. *βασιλεύοντ@* Α᾽θηνῶν .... *ιογνήτȣ. Ex quo Homerus poeta floruit A.C.* DCXLIII. *regnante Athenis Diogneto.* Ubi diſparuit quidem numeri pars poſterior, ex reliquiis tamen conjicere eſt, annos plus minùs 30. *Heſiodo* Homerum recentiorem eſſe. Joh. Marsham. *Canone Chron.* Sec. XV. ubi de *Heſiodo poëta* agens, ſimul & Catalogum texit Græcorum poëtarum, qui ante eum nomen aliquod adepti ſunt, Olenem memorans Lycium, Pamphon Athenienſem, Linum Thebanum, Thamyrim, Orpheum, Thymœtera, Muſæum utrumque, Daphnen Tireſiæ filiam, Orœbantrum Trœzenium, Melēſandrum Mileſium, Syagrum, Helenam Muſæi Athenienſis filiam Alios, quorum omnium mentio hîc paſſim. Addo hoc unum, quòd eum cum cithara pingi, carminaque illius epica à Rhapſodis quoque, ἐπὶ ῥάβδῳ, pronuntiari conſueviſse, docet Salmaſ. *ad Solin.* p. 867. & 868. qui & *Heſiodi Aſtrologiæ*, quæ Α᾽ςρικὴ βίβλ@ inſcripta, ex Plin. & Callimacho meminit *p.* 747. Porrò quo caſu in Locris interfectus ſit Heſiodus & in mare projectus, ex quo cadaver recens in litus exportarit grex Delphinorum, interfectores verò ejus inventi, atque in mare demerſi ſint, ædibus ipſorum ſuccenſis prius, optimè narrat Plutarch. *in convivio* 7. *ſapientum*, & *l. de induſtria animalium*, ubi auctores cædis à cane proditos narrat. Vide quoque Plutarch. Euſeb. Voſſ. *de poët.* & hîc in voce *Nemejum*.

HESIONE, Laomedontis Trojæ Regis filia: quam Hercules ceto expoſitam liberavit. Verùm cùm Laomedon, accepti beneficii immemor, pactam ei mercedem denegaret. Hercules hominis perfidiam ægrè ferens, Trojam diripuit Heſionemque Telamoni, qui primus murum conſcenderat uxorem dedit. Ovid. *Met. l.* 11. *v.* 218. Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 157. Inter opera Antiphili pictoris ſua ætate clariſſimi, memoratur Plin. *l.* 35. *c.* 10. ubi de eo, *Heſionam nobilem pinxit & Alexandrum ac Philippum cum Minerva, qui ſunt in Schola in Octaviæ porticibus.* Vide infra in vocibus *Schola* & *Porticus*.

HESIUS Johannes, vide *Johannes*.

HESLI, pater Nahum, patris Amos. Luc. *c.* 3. *v.* 25.

HESMONA, locus in quo caſtramentati ſunt filii Iſraël profecti de Metha, dividens Ægyptum, & ſortem tribûs Judæ ad mare uſque tendentem. Num. *c.* 33. *v.* 29.

HESPERA, inſ. valde magna, olim Amazonum ſedes, Diod. Sic. *l.* 3.

HESPERIA, nomen tam Italiæ, quàm Hiſpaniæ commune, Italiæ quidem ab *Heſpero* Atlantis fratre impoſitum, qui à fratre pulſus regionem eam tenuit. Hiſpaniæ verò ab *Heſpero* ſtella, quæ veſperi ad Occid. apparet, propterea quòd hæc regio omnium extrema ſit ad Occid. unde & *Heſperiam ultimam*, à poëtis ferè videmus appellari, ut eo veluti peculiari epitheto, ab Italia diſtinguatur. Horat. Carm. *l.* 1. Ode. 36. *v.* 4.

Qui nunc Heſperia *ſoſpes ab ultima*, &c.

Quoties verò *Heſperiam*, ſine adjectione dicimus, *Italiam* ferè intelligimus. Idem Ibid. *l.* 3. Ode. 6. *v.* 7.

Dii multa neglecti dederunt
Heſperiæ *mala luctuoſa.*

Idem Ibid. *l.* 4. Ode. 5. *v.* 45.

Longas ô utinam Dux bone ferias
Præſtes Heſperiæ;

Item *Heſperia* urbs Cyrenaicæ apud Pomp. quam Olivarius dicit nunc vocari *Bernio*. *Nic. Lloyd.*

HESPERICA vel HESPERIDUM Mala, inter initia Dionyſii myſteriorum olim, recenſentur Orpheo, verſibus his apud Clementem,

Κῶν@ ϰ᾽ ῥέμβ@ ϰ᾽ παίγνια καμπεσίγυια,
Μῆλα τε χρύσεα καλὰ παρ᾽ Ε᾽σπερίδων λιγυφώνων.

Dicta ab *Heſperidum* Nympharum hortis, unde ab Hercule primitus in Græciam illata ſunt. Ε᾽σπερίδας quoque Timachidas vocat & Ariſtocrates, qui apud Laconas hæc mala Diis apponi conſueviſſe, in *Laconicis* tradunt. Eadem ſunt cum aurantiis noſtris, de quibus ſuprà diximus. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 955. & *ſeqq.* Fuit autem hortus is ad Oceanum Atlanticum, minimè confundendus cum horto *Heſperidum*, ab urbe Libyæ *Heſperidibus* (quæ poſteà *Berenice* dicta) cui vicinus erat, nomen adepto, uti docet idem *ibid. p.* 373. & 374. Cæterùm *Heſperidum* fabulam φυσικῶς interpretatur ita Voſſ. *Quòd Hercules rapuiſſe fertur mala Heſperidum, eo ſignatur, Solem exortum luce ſuâ præſtringere lumen ſtellarum, quæ generali nomine per* Heſperidas *intelliguntur ---- Per hortum Heſperidum intelligitur cœlum ſtellarum ---- mala aurea ſunt ſtellæ ---- Draco, qui cuſtodit; vel Zodiacus eſt, vel Horizon* &c. Vide eum *de Orig. & Progr. Idol. l.* 2. *c.* 15. Virg. in Bucol. *Eclog.* 6. *v.* 62. Strab. *l.* 3. *p.* 150.

HESPERIDES, Heſperi, fratris Atlantis, filiæ, *Ægle*, *Arethuſa*, & *Heſperethuſa*, quas poëtæ fabulantur habuiſſe hortos, nemore aurifero pretioſos, à dracone pervigili ſervatos, quem Hercules dicitur interfeciſſe, pomaque aurea ad vitricum Euryſtheum retuliſſe. Plin. & Solin. interpretatur fuiſſe æſtuarium maris, meatu flexuoſo inſtar draconis, quod hortos Heſperidum amplectebatur, ubi præter oleaſtrum, nihil aliud ex narrato illo aurifero nemore extare prodidêrunt. Varro per mala aurea, oves intelligit, quas Hercules ex Africa in Græciam exportaverit. Nam μῆλον apud Græcos ſignificat *ovem* & *pomum*. Vide Diod. Sic. *l.* 5. *Bibl.* Nat. Com. *l.* 7. *c.* 7.

HESPERIDES, quæ & *Gorgades*, inſulæ maris Atlantici, contra Heſperium cornu prom. à Luſitanis detectæ, & coli cœptæ, quibus etiam nunc ſubſunt, hodie *Ilhas Verdes*, vel *Iſlas de Cabo Verde* Luſitanis, *Zout Eylanden* Belgis, *les Iſles du Cap Verd* Gallis, *Iſole di capo Verde* Italis. ibi maxima ſalis copia. Vide & *Caſſiterides*. Baudr. diſtant 150. leuc. in Occaſ. ab Arſinario prom. ſeu Cap. Viridi; ſuntque decem. Præcipua eſt *S. Jacobi* Inſ. in ejus parte Auſtr. & cum aliquot aliis oppidulis Aliæ ſunt, S. Luciæ, *Santa Luzza*, probè culta & ampla, ad Bor. S. Jacobi; S. Nicolai, *San Nicolao*, ampla etiam & culta, prope S. Luciam; S. Vincentii, *San Vincente*, circuitus 90. mill. paſſ. uti inſ. S. Antonii, *Ilha de Sant Antonio*, utraque ſatis culta. Minores dein Inſulæ Salis, *do Sal*, Boni viſus, Maji, Ignium & Brava, vulgò *de Boa Viſta, do Mayo, do Fuego*, & *Brava*. Aliis tamen Gorgades fuêrunt inſ. Capitis Viridis, Heſperides autem nunc Cuba, Hiſpaniola & aliæ Inſ. in America Sept. & mari Bor. verſus ſinum Mexicanum, cùm dixerint Antiqui, Heſperides diſtare 40. dies ab ora Africæ. Sed de his nil certi. Strab. *l.* 2. *p.* 123.

HESPERIDUM Horti, deſcribuntur à Virg *Æn. l.* 4. *v.* 484. & Solin. in Mauritania Tingitana prope Lixum urbem. It. à Plin. *l.* 5. *c.* 1. & 5. ad Syrtim magnam, ſed idem eos quoque ponit in Pentapoleos regione, ubi etiam à Ptolemæo ſtatuuntur. Hoc loco à Strab. *l.* 17. *p.* 836. & 838. Heſperidum lacus deſignari videtur. Vide quoque *Heſperica Mala*.

HESPERII Æthiopes, pop. in Africa Ptol. quos Joh. Barroſus *Pangelungos*, Regi *Manicongio* ſubditos appellat. Fuêrunt ubi nunc regnum Congi, cum annexis regnis Loangi & Anzicanorum in illo tractu. *Sanſon.*

HESPERII alii, pop. Libyæ, in ora, ad Oceanum Atlant. ad Lethæum fluv. apud Heſperium prom *Biſnege* & *Mandangan*, Luſitanis dictum.

HESPERION Cornu, Ptol. Plin. *l.* 5. *c.* 1. & P. Melæ, Africæ aut potius Libyæ prom. quod Mercator *Capo bianco* interpretatur, Hiſpanis verò *Cabo Verde* in ora maris Atlantici contra Heſperidas inſulas Gr. Ε᾽σπερίȣ κέρας. Aliis *Capo di Sierra Liona*, 70. circiter leuc. in Auſtr. ab oſtio Mer. Nigri fluv. in parte Orientali Guineæ, ubi quædam Coloniæ Europæorum.

HESPERITÆ, Diod. Sic. *l.* 18. Barcæis finitimi, Libyæ gens, inter auxilia Thimbronis Cyrenenſes vexantis.

HESPERIUS, mons in Æthiopia, juxta quem campi Stellarum modo noctu nitent. Plin. *l.* 1. *c.* 106.

HESPERUS, fil. Japeti & frater Atlantis, qui à fratre regno pulſus, in Italiam ſeſe contulit, regionemque eam *Heſperiam* de ſuo nomine appellavit. Diod. Sic. *l.* 2. ait, Heſperum hunc Atlantis montis cacumen aſcendiſſe, ut ex loco eminentiore aſtrorum curſum commodius obſervaret, nunquam autem deinde comparuiſſe. Quo factum eſt, ut vulgus in aſtrum illud lucidiſſimum verſum putarit, quod manè ſolem præcedens *Luciferum*, veſperi ſubſequens, de nomine ejus *Heſperum* appellamus. Vide Nat. Com. *l.* 4. *c.* 7. Nic. Lloyd. Addo quòd ſicut Sol exoriens, quadrigis vectus, annuli Amphitruonis, apud Plaut. in eo *Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 265. apoſphragiſma fuit, ſic in publico ſigillo Locrorum Heſperiorum, qui & *Ozoli* dicti, *Heſperum* fuiſſe, refert Plato *l.* 10. Ε᾽χȣσι τε ἐπὶ τῇ δημοσίᾳ σφραγῖδι τ̃ Ε᾽σπερον ἀστέρα ἐγκεχαραγμένον. Vide Joh. Kirchmann. *de Ann. c.* 13. *ubi varia animalia, hiſtorias item & fabulas, res inanimatas, literas Hieroglyphicas, & alia annulis inſculpi conſueviſſe, docet.* Deſultorii autem illi equi ſacri erant, uti diximus ſuo loco. Cæterùm idem hoc cum Lucifero ſidus eſſe, primus Pythagoras oſtendit, vide infrà in voce *Lucifer*, item *Nocturnus Phoſphorus*, & ſuprà *Ciun*.

HESRAI, nomen viri. 2. Sam. *c.* 23. *v.* 35. qui *Heſdron*. 1. Par. *c.* 11. *v.* 37. dicitur.

HESRON, civ. quæ eſt Azor in tribu Juda, Joſ. *c.* 15. *v.* 3. Fil. Ruben, Gen. *c.* 46. *v.* 9. fil. Pharez. filii. Judæ. Idem Ib. *v.* 12.

HESRONITÆ, pop. Num. *c.* 26. *v.* 6.

HESSENI, vide *Eſſeni*.

HESSI, advenæ ex ulteriore Germ. partim Catthorum vett. ſedes occuparunt, qui vel bellis erant abſumpti, vel cum Alanis in Hiſpaniam, cum Alemannis in Martianam ſylvam conceſſerant. Nam Catthos Meliboci montis accolas remanſiſſe, reliquiæ gentis, nomen argumento eſt. B. Rhenan. *Rer. Germ. l.* 1. cum *Notis* D. Othonis JC. Vide ſuprà in voce *Haſſia*: & plura hanc in rem, apud Vilh. Dulich. *Chron. Haß.* cum quo Althamerum, ſi placet, confer, *p.* 357. & *ſeqq.*

HESSUS Martinus, vide *Martinus*.

HESTIÆA Alexandrina, diſſertationem edidit, *Utrum*, quæ Homerus de bello circa Trojam geſto cecinit, Hiſtoria, an fabula, ſint. Quam rem plenius docet Strab. *l.* 13. *p.* 599. Aliqui *Hiſtiæam* vocant.

HESTIÆA, Theſſaliæ pars. Homero opp. eſt Eubœæ, & alia Acarnaniæ. *Steph.*

HESTIÆUS, Tyrannus Mileſius. Herod. *l.* 5. *c.* 30.

HESUS, Gallorum Deus. Lucan. Civ. Bell. *l.* 1. *v.* 445.

Teutates, horrenſque feris altaribus Heſus;

Bochart. Martem fuiſse putat; *Heſus*, inquit, *propriè fortem ſonat*, ut quod Hebræis *Hizzuz*: Inde Marti factum nomen apud Phœnices, quod Α᾽ζιζ@ Α᾽ρης ex Jamblicho docet Julian. ὁ παραβάτης, *Orat. in Solem*: Α᾽ζιζ@ λεγόμεν@ ὑπὸ τ̃ οἰκȣ́ντων τὴν Ε᾽δεσσαν Σύρων. Nic. Lloyd. Hunc proin Galli, ut eſt apud Cæſ. *de bello Gall. l.* 6. *bella regere arbitrantur.* Unde & illi, ut ibidem legere eſt, *cùm prælio dimicare conſtituerunt, ea, quæ bello cepiſſent plerunque devovebant.* Victima homo fuit: Procop. *Gothic. Rer. l.* 2. ubi de Thules ſive Scandinaviæ (ſic enim cepit) incolis, Τῶν ἱερείων σφίσι τὸ κάλλιστον ἄνθρωπός ἐστιν, ὅνπερ ἂν δορυάλωτον ποιήσαιντο πρῶτον. τȣ̃τον γὰρ τῷ Α᾽ρει θύȣσιν, ἐπεὶ θεὸν αὐτὸν νομίζȣσι μέγιστον, *Hoſtiarum illis pulcherrima eſt homo, quem bello primum ceperint. Hunc verò ſarificant Marti, quoniam illum Deorum cenſent maximum.* Quem verò Romani *Heſum* extulêre, is Germanis abſque terminatione Romana, fuit *Hees*, vel *Hies*, vocali variatâ: ut Rheni oſtium, quod Romanis *Helium*, id Batavis *Hiel*, uti ſuprà vidimus. Hinc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Hinc *Hiſes-dag*, & contracte *Hiiſdag*, qui Romanâ linguâ *Martis dies* Vulgò uſitatius, *t*, vel *d*, ut in aliis multis præmiſſo, Germanis inferioribus *Thiis-dag*, vel *diiſ-dag*, Niſi malis fuiſſe priùs *Chiiſ-dag*, à *Cheſus* ſeu *Chiſius*. Nam olim *H*. & *CH*. variabant, haud ſecus ac *S*. & *Z*. unde iidem, pro diverſa dialecto, *Catti*, *Chatti*, *Heſſi*. Idem autem dies nonnullis Germanorum *Erich-dag* dicitur, cujus vocabuli pars prior magnam habet convenientiam cum Græco Ἄρης, *Mars*, vel Ἔρις, *contentio*. Interim Germani, non ut Romani, *Martis* nomine ſidus Martis, ſed, ut videtur, Jovem vel Apollinem, intellexêre, h.e. *Solem* ac *Cœlum*, vide Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 2. *c.* 13. 32. & 33.

HESYCHASTÆ, in *Nov.* Juſtin. 5. *tit.* 3. Monachi ſunt, à communi vita ſegregati & ab aliorum conſortio ſeparati, ut cœleſtium rerum contemplationi meliùs vacent, ab ἡσυχάζω, *quieſco*, *Mac.*

HESYCHIA, Clazomeniis Palladis Sacerdos. Alex. Neapol. *l.* 2. *c.* 8.

HESYCHIUS, Patriarcha Hieroſolymitanus, poſt Hamoſum A. C. 601. à Greg. Magno monitus, ut Simoniam in ſua Diœceſi extirparet, Obiit A. C. 609. Gregor. *l.* 9. *Ep.* 40. Item Ep. Salonenſis in Dalmatia, auctor libb. 7. explicationum, in Exod. Sub Honorio A. C. 418. Ejus meminuêre Zoſim. P. *Ep.* 1. Auguſtin. *Ep.* 78. 80. & *de Civ. Dei l.* 20. *c.* 5. Item, diſcip. Gregorii Naz. A. C. 400. Sub Arcadio & Honorio. An commentarii inſignis in Leviticum auctor? An alius, presbyter Hieroſol. qui ſec. 5. floruit, cui etiam Hiſt. Eccleſ. citata Conc. 5. A. C. 553. tribuitur? Vide Morer. *Dict. Hiſt.* Item Ep. Ægyptius, Martyr. Euſeb. *Hiſt. l.* 8. *c.* 25. Cui Hieronym. novam Scripturæ editionem attribuit, in Ægypto poſtmodum uſurpatam. Item, Presbyter CP. auctor libri de æneo ſerpente. Phot. cod. 51. Item Presbyter Hieroſolym. auctor elogii S. Jacobi, Davidis, Andreæ Apoſt. Bibl. PP. Volum. 15. *p.* 821. *edit.* *Morer.* &c. Vide infrà.

HESYCHIUS, Mileſius, Advocati fil. Sophiſta, cogn. *Illuſtris*, qui tempore Anaſtaſii Principis floruit. Scripſit inter alia univerſalem Hiſtoriam; à Belo ad hunc: quam *Romanam* & *Omnigenam* inſcripſit. Phot. *cod.* 69. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 22. Aliis autem ab hoc eſt *Heſychius ὁ ταχυγράφος*, h.e. *Notarius*; cujus meminit Georg. Codin. *l. de Originib.* CP. Item *Heſychius* Grammaticus, *Gloſſographorum longè principem* Caſaub. *in Athen.* vocat. Idem *Ep.* 49. *Omnium veterum Criticorum, quos habemus hodie, longè ſi quid judico, doctiſſimus, & ſeriò Græcantibus apprime utilis.* Ex nuda indicis percurſione, ſtructorem vocabularii illius (rem nondum omnibus creditam) patebit Chriſtianum fuiſſe. Quis enim (ut novi Fœderis tot φωνὰς mittam) Evangeliſtas, Apoſtolos, Prophetas, Prophetarum expoſitores, à vera fide alienus ſuo operi inſeruiſſet? Priceus *præf. ad Ind. Alphab. Scriptorum qui in Heſych. Græc. vocab. laudantur.* Gregorii Nazianzeni auditorem ac diſcip. vocat Flacc. Illyr. *Catal. Teſt.* cui etiam vir in divinis Scripturis multùm verſatus, & Hieroſolymitanæ Eccl. Presbyter dicitur. Floruit A. C. 400. Sixt. Sen. 601. Bellarm. Obiit Gualterio A. C. 609. *Nic. Lloyd.*

HETÆRIARCHÆ, Gr. Ἑταιριάρχαι, dicti ſunt, qui cohortibus conflatis ex Romanorum ſociis præerant, de qua dignitate multa dixit C. du Freſne *Notis ad Alexiad. p.* 227. Horum præfectus *Megaet Ariarcha* appellatus eſt, Gul. Tyrio *Hiſt. Sacr. l.* 21. *c.* 6. Vide infrà in hac voce. Sed & ala Equitum, apud Macedones, *Hetæ*vice jam olim dicta occurrit in *Eumene* Nep. *c.* 1. *Noviſſimo tempore præfuit etiam alteri Equitum alæ, quæ* Hetærice *appellabatur.* Gr. Ἑταιρικὴ, q. *Socialis*, cujus inſuper meminérunt, Diod. Sic. *l.* 18. Arrian. *de reb. Alex. l.* 6. Harpocratio in voce πεζέταιρος; Alii: ut fruſtrà *Eretrice* reponat, apud Nep. Longolius. Ita enim vocabatur apud Macedones honoris cauſâ Equitum illa ala ab amicitia, ac veluti *ſodalitate* regia: quemadmodum apud Thebanos delecta CCC. cohors, quam *ſacram* vocavêre, ut infrà dicemus. An Gallorum *Soldurii* iidem conferendi?

HETEROGENEA, tam Hebræis, quam Ægyptiis, immunda olim. Et quidem tres eorum commixtiones vetitæ erant, *Animalium* diverſi generis (mundi immundique ſimul) vel ad coitum, vel ad aratrum, plauſtrumve: *Seminum*, in rem cibariam, in eadem vineæ vel agri parte: *Lanæ* tandem *Linique* in veſtibus, Lev. *c.* 19. *v.* 19. & Deut. *c.* 22. *v.* 9, 10, & 11. Erat & quarta *Heterogeneorum* commixtio, ſed ad tempus ſolum certum impura, paulatim verò impuritatem exuebat, uti habetur Lev. *c.* 19. *v.* 23. *Quando plantaveritis arborem (cibi) pomiferam, auferetis præputia ejus, poma quæ germinant; tribus annis erunt vobis immunda, nec edetis ex iis. Quarto anno omnis fructus ejus ſanctificetur Domino. Quinto anno comedetis fructus ejus; ſit vobis proventus ejus.* Inſitivæ ſc. arbores *heterogeneæ* ſunt: quarum proin fructus per tres annos impurus erat & penitus deſtruendus; anno quarto Deo dicatus, vel edendus, vel redimendus, inſtar *decimarum ſecundarum*; quinto demum proderant domino. Adeò gradatim evaneſcebat immundities. Non aliter licet conjugia cum alienigenis immunda eſſent, tamen proſelytorum Ægyptiorum & Idumæorum liberi, *in tertia generatione*, *venêrunt in Eccl. Domini*, Deut. *c.* 23. *v.* 7. &c. Vide quoque infrà *Immundi*.

HETH, nomen populi. Gen. *c.* 23. *v.* 3.

HETHÆUS, fil. Canaan. Idem *c.* 10. *v.* 15. à quo *Hethæi* pop. Idem *c.* 15. *v.* 20. dicuntur & *Hitthæi*. Vide Boch. *Phaleg. l.* 4. *c.* 36.

HETHALON, urbs, terminus Judææ ad Sept. Ezech. *c.* 47. *v.* 15. In tribu Aſer.

HETHO, al. HAITO, ſeu OTHO, monachus primùm Augienſis, dein Præſul Baſilienſis, magnâ apud Carol. Mag. gratiâ, ei à conſiliis fuit: ab hoc, cum Hugone Turonum Comite, miſſus ad Orientis Imp. aliiſque graviſſimis Imperii nomine legationibus functus, Epiſcopatum abdicavit, A. C. 821. Obiit A. C. 836. Rhegino *l.* 2. Hermann. Contractus, Alii.

HETLANDICÆ Inſ. vide *Schetlandicæ*.

HETRICULUM, Brutiorum opp. Liv. *l.* 30. *c.* 19. quod hodie *Laterico* vulgus vocat, teſte G. Barrio, inter Lampetiam & Dampetiam, 6. mill. paſſ. à Marcopoli.

HETRURIA, quæ & *Tuſcia*, regio Italiæ, Tyrrheno mari incumbens, ad primam uſque Tyberis ripam protenſa, Macra fluv. à Liguria diſcreta, auguriorum olim & haruſpicinæ peritiſſima. Inde forſan *ſolers Hetruria* Claud. *l.* 1. in Eutrop. Carm. 18. *v.* 12. Caput ejus Florentia eſt, ad Arnum fluv. Porrò *Hetruria* dicta eſt, teſte Serv. quòd ejus fines tenebantur olim uſque ad ripam Tyberis, & quaſi ἑτερουρία, & per Syncopen ἑτρουρία, nam ἕτερος *alter*, & ὅρος *finis* vocatur. Ejus Vicariatum, unà cum Senatoria dignitate, ademit Carolo Siculo Nicolaus III Pontif. Rom. quòd ille regiæ ſtirpis puellam ſuo fratri elocare nollet. A. C. 1280. Papyr. Maſſon. *Hiſt. l.* 3. Baudr. *Hetruria*, ſeu *Etruria*, pars eſt Italiæ ſatis ampla, inter mare Tyrrhen. ad Occaſ. & Mer. montem Apenninum ad Sept. & Tiberim fluv. ad Ort. comprehenſa. Ejus pars major, quæ ad Occaſ. extenditur, nunc *la Toſcana* dicitur, Gallis *la Toſcane*: cujus partes ſunt quatuor, nempe ditio Florentina, *il Fiorentino*, ditio Piſana, *il Piſano*, ditio Senenſis, *il Saneſe*, quæ parent magno Duci Hetruriæ, qua dignitate primus ornatus eſt Coſmus Mediceus, antea Florentiæ ac Senarum Dux, & ditio Lucenſis, *il Lucheſe*, quæ Rempublicam ſeparatam facit. Minor Hetruriæ portio, & quæ magis extenditur ad Ort. ſubeſt Rom. Pontifici; & in ea ſunt prov. Patrimonii S. Petri, *la Provincia del Patrimonio*, Ducatus Caſtrenſis, *lo Strato di Caſtro*, territorium Urbevetanum, *l'Orvietano* & territorium Peruſin. *il Perugino*. Pop. *Hetruſci*, *Tuſci*, & *Tyrrheni*, qui Lydis originem ſuam debebant. Vide omninò Cluv. *Ital. Antiq. l.* 2. *c.* 1. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

Hetruriæ urbes nunc exſtantes.

Acula, *Aquapendente*, in ditione Rom. Pontificis.
Aretium, *Arezzo*, in ditione magni Ducis.
Balneoregium, *Baguarea*, Rom. Pontificis.
Centumcellæ, *Civita Vechia*, Rom. Pontificis.
Cluſium, *Chiuſi*, magni Ducis.
Collis, *Colle*, magni Ducis.
Cornuetum, *Corneto*, Rom. Pontificis.
Cortona, *Cortona*, magni Ducis.
Fæſulæ, *Fieſoli*, magni Ducis, ferè in ruinis jacet.
Faliſca, poſtea Galeſium.
Feſcennia, *Citta Caſtellana*, Rom. Pontificis.
Florentia, *Florenza*, & *Firenze*, magni Ducis ſedes.
Galeſium, *Galeſe*, oppid. Rom. Pontificis.
Groſſetum, *Groſſeto*, magni Ducis.
Hortanum, *Horta*, Rom. Pontificis.
Liburnus portus, *Livorno*, magni Ducis.
Luca, *Lucca*, ſui juris Reſp.
Maſſa, *Maſſa*, magni Ducis, Epiſcopal. ſub Archiep. Senenſi.
Maſſa, *Maſſa*, Ducis cognominis.
Miniatopolis, *S. Miniato*, magni Ducis.
Mons Ilcinus, *Montalcino*, magni Ducis.
Mons Phyſcon, *Monte Fiaſcone*, Rom. Pontificis.
Mons Politianus, *Monte Pulciano*, magni Ducis.
Nepeta, *Nepi*, Rom. Pontificis.
Oropitum, & urbs vet. *Orvieto*, Rom. Pontificis.
Peruſa, *Perugia*, Acad. ditionis Pontificiæ.
Pientia, antea Corſinianum, *Pienza*, magni Ducis.
Piſæ, *Piſa*, magni Ducis.
Piſtoria *Piſtoria*, magni Ducis.
Plebs, *Civita della Pieve*, Rom. Pontificis urbecula.
Plumbinum, *Piombino*, Principis proprii.
Radicofanum, *Radicofani*, magni Ducis.
Sarſana, *Sarzana*, ditionis Genuenſis.
Sena, *Siena*, magni Ducis.
Suana, *Soana*, magni Ducis.
Sutrium, *Sutri*, Rom. Pontificis.
Tuſcania, *Toſcanella*, Rom. Pontificis.
Viterbium, *Viterbo*, Rom. Pontificis.
Volaterræ, *Volterra*, magni Ducis.
Urbetellum, *Orbitello*, ſub Hiſp.

HETRURIÆ Prom. *Monte Argentaro*, Tuſciæ mons, in mare, inter portum Herculis & Telamonis contra Igilum & Dianium. Inſ. maximè porrectus, apud Coſam urbem exciſam.

HETRUSCÆ Coronæ, quæ binæ Magiſtratibus apud Rom. præferri ſolebant olim, memorantur Tertullian. de Cor. *Milit.* *Præferuntur etiam illis* Hetruſcæ. *Hoc vocabulum eſt coronarum, quas, gemmis & foliis ex auro quercinis ob Jovem inſignes, ad deducendas thenſas cum palmatis togis ſumunt.* Earundem meminit Plin. *l.* 33. *c.* 1. ubi de triumphantibus: *Neque aliis, uti mos fuit, quàm qui —— vulgo ſic triumphabant. Et cum corona ex auro* Hetruſca *ſuſtineretur à tergo, annulus tamen in digito ferreus erat, æquè triumphantis & ſervi fortaſſe coronam ſuſtinentis.* In quibus verbis tamen *Hetruſcam* videtur is nominare, non tam, quæ exemplo Magiſtratuum triumphantibus præferebatur, quàm eam, quam ſervus eodem curru cum triumphante vectus, ſuſtinebat, quamque *Inſignem* Paſchal. vocat. ut infrà videbimus. Cæterum aurei illarum lemniſci fuêre, ut ex eodem diſcimus *l.* 21. *c.* 3. *Acceſſêrunt* (coronis) *& lemniſci, quos adjici ipſarum coronarum honos erat, propter* Hetruſcas, *quibus jungi niſi aurei non debebant.* Hinc Tertullian. iterum, *Triumphi laurea foliis ſtruitur, hæc adumbratur lemniſcis & inauratis laminulis, unguentis delibuitur* &c. Nempe harum coronarum altera civica querna altera victrix laurea; utraque aureis lemniſcis & gemmis inſuper ornata erat. Vide Car. Paſchal. *Coron.* l. 8. *c.* 6. &c.

HETRUSCI Campi, *Prato magno*, Ortel. tractus Thuſciæ fertilis inter Fæſulas & Aretium, juxta Arnum fluv.

HETRUSCUM Iter, vide *Iter*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

HETTAN, prædium, diſtans ab Hieroſolymis duobus ſchœnis, h. e. ſtadiis 120. hortis & inductis fontibus amœnum, ſimul & opulentum, eſt in tribu Ephraim.

HEVA, prima mulier creata à Deo. Gen. *c.* 3. *v.* 20. Lat. *viva*, vel *vivens*.

HEVÆUS, fil. Chanaan. Gen. *c.* 10. *v.* 17. à quo populi *Hevæi*, habitantes ad Mer. de quibus vide Boch. *Geogr. p.* 345.

HEVILA, fil. Chus, Gen. *c.* 2. *v.* 11. & *c.* 25. *v.* 18. qui & *Havilah* & *Chavilah*, de quo vide Idem Ib. *l.* 2. *c.* 28.

HEURNIUS Johannes, Ultrajectinus, Medicus clariſſimus, Anatomices apprime peritus, Philologus inſuper magni nominis. Docuit Medicinam Lugduni Batav. ſcripſit complura, ſed de *Capitis morbis* præcipuâ laude. Unde J. C. Scalig. hoc libro ait,

Tanto libros ſupereminet omnes,
Quanto cuncta ſuper cætera membra caput.

Obiit A. C. 1601. Æt. 58. Scripta illius enarrat Anton. Teiſſier *in Elog. P.* 2. Vide quoque Val. Andreæ *Bibl. Belg. Academ.* Leid. &c. Pater Othonis, qui ei ſucceſſit, auctor *Antiquitatum Barbaricarum*, & *Babylonicar. Ægyptiac. inan.* &c. Scripſit etiam *Principia Philoſophiæ. Ibid.* vide & *Johannes*.

HEURNUS Otho, vide *Otho*, & hîc ſuprà.

HEXACLINON, apud Mart. *l.* 9. *Epigr.* 60. cujus Epigraphe in Mamurram. *v.* 9.

Et teſtudineum menſus quater hexaclinon,
Ingemuit citro non ſatis eſſe ſuo:

ſtibadium eſt ſeu accubitum ſex lectis inſtructum. Poſtquam enim triclinia, quæ tribus lectis conſtantia omnibus menſis poterant convenire, ab uſu receſſêrunt, ſigmata & ſtibadia iis ſucceſſêre, quæ, cùm eſſent unus perpetuus lectus ſemirotundus, ſecundùm menſarum magnitudinem varianda erant, atque hinc à numero convivarum, modò *Hexaclina*, ut hîc cùm ſex, modò *Octoclina*, cùm octo caperent &c. dicta ſunt. Salmaſ. *ad l.* Vide quoque hîc in vocibus, *Sigma*, *Stibadium*, *Triclinium*.

HEXAEMEROS, Ἑξαήμερος Gr. h. e. *ſex dierum opus*, nomen libri operiſque inſignis, à Baſilio, Greg. Nyſſ. ut & Ambroſio editi: in quo Hiſtoriam Creationis VI. dierum eruditè exponunt.

HEXAGON, legatus Ophiogenum (qui populi ſunt in Cypro) à Conſulibus Romæ in dolium ſerpentium conjectus, experimenti causâ, circummulcentibus linguis miraculum præbuit. *Plin. l.* 18. *c.* 3.

HEXAMILIUM, urbs Thraciæ Epiſcopal. ad Iſthmum Cherroneſi, 6. mill. paſſ. à Callipoli in Bor.

HEXAMITA Veſtimenta tapetiaque, quorum apud Vett. occurrit non rara mentio, ad polymitum opus referuntur Salmaſ. ut quæ eodem modo in tela de liciis variantibus texebantur: cùm τὰ κεντητὰ & ποικίλα, *plumata* ſeu *acu picta opera*, acu defigerentur & variarentur. Nicetæ βλαττίαν ἑξάμιτα, item πευκία ἑξάμιτα; πευκία enim & ἐπεύχια recentioribus Græcis *tapetia* ſunt. Fluxit autem ex illa voce ἑξάμιτον *ſamitum* infimæ Latinitatis, de quodam panni ſericei genere. Vide infrà ubi *de Polymitis*, & plura *de Hexamitis*, item *Dimitis* & *Trimitis*, à liciorum numero ſic dictis, apud Vopiſc. *in Carino Imp.*

HEXAMITUS Murus, vide *Murus Hexamitus*.

HIEXAPHOLLUM, ſex folles, Salmaſ. *ad Tertull. de Pall.* Vide ſuprà.

HEXAPHORON, apud Mart. *l.* 2. *Epigr.* 81. cujus Epigraphe in Zoilum.

Laxior hexaphoris *tua ſit lectica licebit.* &c.

genus lecticæ, à *ſex* ſervis, unde nomen, *geſtatæ*, quibus divites & nobiliores Romani circumferebantur, ſicut *Octophorum* ab *octo*, vide infrà. Erat id laxius, ad modulum opum & luxus, itaque delicatiorum proprium: cùm modeſti & frugi homines quatuor tantùm bajulos adhiberent ut de Philologia in cœlum eunte docet Martian. Capella *l.* 2. Uti verò vivi in *Hexaphoris* delitiabantur, ſic mortui in iiſdem efferebantur. Idem *l.* 6. *Epigr.* 77. cujus Epigraphe in Afrum *v.* 7.

Invidioſa tibi quam ſit lectica, requiris?
Non debes ferri mortuus hexapholo.

Vide Laur. Pignor. *Comm. de Servis*, & infrà ubi de *Lectica*.

HEXAPLA, vide in voce *Biblia*.

HEXAPOLLIS Dorienſium, vide *Triopium*.

HEXAPSALMUS, Gr. Ἑξάψαλμος, ſeu Ἑξάψαλμον, ſenio Pſalmorum in Matutinis cantari ſolitus, in Eccl. Græcan. ut & in Apodipnis ſeu Completorio, memoratur *Typico* Sabæ *c.* 1. & 5. nec non *Menæo*. Ut plurimùm verò in Matutinis canebatur, erantque III. XXXVII. LXII. LXXXVII. CII. & CXLII. Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in hac voce, vide & Joh. Meurſ. *Gloſſ.*

HEXAPYLUM, locus eminens Syracuſarum, Liv. *l.* 24. *c.* 21. Eundem eſſe cum eo, quem Thucydides Labdalum vocat, & in crepidine Epipolarum erectum putat Ortel. hodie *Mongibelliſio* nominari tradit. *Fazellus*.

HEXECONTALITHOS, Gr ἑξηκοντάλιθος, gemmæ nomen, apud Solin. *c.* 31. ubi de Troglodytis, *Lapide uno gloriantur, quem* Hexecontalithon *nominamus, tam diverſis notis ſparſum, ut ſexaginta gemmarum colores in parvo ejus orbiculo deprehendas.* Ἑξήκοντα autem *ſexaginta* Græcis eſt. Sed cùm non tot ſint colores principales, rectius Plin. ait, *l.* 37. *c.* 10. *Hexecontalithos in parva magnitudine multicolor hoc ſibi nomen adoptavit*, quòd multos colores illa gemma oſtenderet, non quòd exactè & rotundè 60. gemmarum præferret colores, ſic dictam eſſe, ſignificans. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 411.

HEXHAMUS Johannes, vide *Johannes*.

HEXI, Plin. & Ptol. *Sexi*, Athen. *l.* 3. *p.* 121. *Sexitania*, Henr. Coquo nunc *Velez Malaga*, urbs Hiſpan. Bæt. apud oram litor. 5. leuc. à Malaca. Floriano *Motril*, oppid. apud Selambinam. Inde 1. leuc. Malacam verſus recedens.

HEYLON, urbs Epiſcopal. ſub ſede Boſtrenſi. G. *Tyrius*.

HEZECI, fil. Elphaal. 1. Par. *c.* 8. *v.* 17.

HEZION, pater Tabremon, patris Benhadad Regis Syriæ 1. Reg. *c.* 15. *v.* 18. idem cum Rezone, primo Syriæ Damaſcenæ Rege, de quo infrà.

HEZIONGABER, in Sacris Bibliis, portus maris Rubri in ſinu Elanitico, quo Hebræi Reges utebantur ad navigationes, teſte D. Hier. *Eſſia Zieglero*.

HEZIR, nomen viri. 1. Par. *c.* 24. *v.* 15. Latinè *porcus* aut Syriacè *reverſus*.

H. I. in notis antiquorum: *hæreditatis jure*, vel *herclè juravit*, vel *hîc invenies*. H. L. *honeſto loco*, vel *hic locus*. HIC. LOC. HÆR. NON. SEQ. *hic locus hæredes non ſequitur*. H. L. N. *honeſto loco natus*. H. M. *honeſta mulier*, vel *hora mala*, vel *hora mortis*.

HIALI, caſtellum in Amurgo vel Mergo, Ægæi maris inſ. Joh. Matal Metell. Item *Diod. Sic.*

HIARBAS, vide *Jarbas*.

HIBBAS, Dux Theodorici, proſtravit Francorum 30000. A. C. 508.

HIBERI, apud Fl. Vopiſc. in *Aurel.* ubi de ſeditione intramurana, à monetariis excitata, *Hi compreſſi ſunt, ſeptem millibus Hiberorum, Ripárienſium & Caſtrianorum & Daciſcorum interemptis;* fuêre, qui in Prætorianis legionibus vel aliis aut inter auxiliares merebant. Vide *Iberia*.

HIBERNACULA, primùm militibus apud Rom. ædificata, tabernacula viz. pellibus contecta, memorantur Liv. *l.* 5. *c.* 2. ubi de obſidione Vejorum. In oppidis autem illa extruere vetiti ſunt, apud eund. *l.* 26 *c.* 10. Vide infrà ubi de *Pellibus* &c. uti de locis in quibus Franciæ Reges olim *hibernare* ſoliti, in voce *Palatium*.

HIBERNIA, vel HYBERNIA, Orpheo, Ariſtot. & Claud. de 4. Conſ. Honor. Carm. 8. *v.* 33. *Ierna l.* 2. in 1. Conſ. Stilich. Carm. 22. *v.* 251.

Munivit Stilicho totam cùm Scotus Iernen

Juv. *Sat.* 2. *l.* 1. *v.* 160. & P. Melæ *l.* 3. *Juverna*, Diod. Sic. *Iris*, Ptol. *Britannia min.* Euſtath. *Vernia* & *Bernia*, incolis *Erin* & *Gwydhill*, Britannis *Yverdhon*, Anglis *Iriſh*, *Ireland*, &c. vulgò *Irlandia* dicta. Vet. opinio Annalium Hiberniæ eſt, id nomen vel ab Hibero ſeu Ebero Hiſpanienſi flum. vel ab Ibero Rege Hiſpanorum ſecundo fuiſſe jam olim traductum. Alii ab hyeme ibi ſatis diuturna: Nonnulli à voce *Hier*, i. e. Occidens, Angliæ enim Scotiæque Occidentalis eſt, denominatam reg. volunt. Antiquitatum medii ævi ſcriptores huic etiam inſ. nomen *Scotiæ* impoſuêrunt: cùm duplicem fuiſſe Scotiam conſtet, majorem & minorem: Hibernia majoris, ea verò Britanniæ pars quæ à nonnullis *Albania*, jam *Scotia* communiter appellatur, minoris nomine ſignata eſt. Imò ſunt, qui Scotiæ nomen cum Scotiis hinc in Britanniam penetrâſſe volunt. Poſt Britanniam inſularum maxima, Camden. alii tamen vix 120 milliaria in longit. 60. in latitudinem patere ajunt: Collateralem habet magnam Britanniam ab Or. Oceanum ab Occid. Ab Aquilonari parte, trium dierum velifico curſu Borealium inſularum maxima Iſlandia, jacet. Inæqualis, aquoſa, paludoſa & ſylveſtris Hibernia eſt, interim gleba, præpingui, uberique frugum proventu felix. Pecore montes, nemora feris abundant: paſcuis tamen quàm frugibus, gramine quàm grano fœcundior eſt, unde greges ne crepent, à pabulo tam læto abigi habent neceſſe. Melle & lacte dives. Fluminibus egregiis ſcinditur, & rigatur, quorum præcipuus tum curſus ſpatio, tum piſcium copiâ, Sinnenus appellatur. Lacus quoque plurimos habet. Falcones, accipitres, & niſos præ aliis regionibus copioſè producit. Peculiari naturæ privilegio, venenoſis omnibus caret, quod idem de Orcadibus, Gaulea, agro Toletano in Hiſp. Inſ. Melita, & aliis referunt: cujus rei cauſa, ut apud Hiſpanos S. Hildefonſo, apud Melitenſes naufragio B. Pauli, ita hîc S. Patricio à ſuperſtitioſis tribuitur; qui etiam Purgatorium ejus in Inſ. quadam Occidentalis Hiberniæ partis oſtendunt, variiſque extollunt viſionibus, nihil ſingulare in eo ſe agnoſcere poſſe, modeſtè fatente P. Carve, ſcriptore Pontificio, *Anal. Hibern.* Lignum, quòd Inſulæ ſaltus ſuppeditant, à tineis araneiſque immune, in palatiorum opera tignaria expetitur, ut in Weſtmonaſterienſi, in Anglia, & Hagienſi in Hollandia factum. Terræ motus hîc nunquam. Vix ſemel in anno *tonitru* auditur. Sed quòd dulciſſimas quoque hinc Varronis *animulas apes* exulare jubeat Solin. *c.* 22. qui inſuper pulverem & lapides inſulæ aliorſum tranſlatos illis perniciem afferre ſcribit, magnopere in regionem hanc injurius eſt: ubique enim illa magna apum vis, etiam in locis ſylveſtribus, ubi antra arborumque cava mellifluo ſuo ſucco replent. Prope Armacham porro lacus dicitur ſtagnare, cujus fundo infixa pertica, poſt aliquot menſes, illâ parte, quæ in terra hæſit, in ferrum, alterâ, quæ aquæ fuit immerſa, in lapidem indureſcit. Sed & hoc Hibernia habet, quòd advenæ illuc venientes plerunque dyſenteria corripiantur: unde [illegible] quens hîc Tithymalus tuberoſus Hibernicus, incolis [illegible] ſi quis ibi ſecum geſtat, vim ſolutivam non levem [illegible] Baudr. *Hibernia* inſ. eſt ampla Europæ, in Oceano Occid. [illegible] gliam & ad ejus Occaſ. ſed multo minor ipſa. Vide infrà. Anglicis ſeparatur [illegible] tenditur à Sept. in Mer. vixque 30. milliar. [illegible] 15. autem à [illegible] ab Anglia ſeu à Wallia Merid. mari Vergivio, [illegible] Scotia Auſtrali. Hanc antiquiſſimis temporibus Reguli multi [illegible] næ multipartitò tenuêre, quorum facilè potentiſſimus Dermitius, Munhardi fil. ob multa ſævè facta regno exturbatus, Richardum Penbrochiæ Comitem, generum ſibi & auxiliatorem aſcivit,

aſcivit. Cui cùm in Hibernia bellanti res pulchrè procederent, Henricus II. Angl. Rex cum edicto revocatum coëgit jus omne ac ſpem principatus in ſe tranſcribere: Et ipſe magnis cum copiis in Hiberniam advectus, Regulorum alios vi, alios pollicendo permovit, ſuum ut Imperium agnoſcerent A. C. 1171. Sed, quæ erat ſimplicitas ſeculi, creditum eſt firmando juri futurum, ſi Pontificiis Rom. auctoritas accederet: qui ne verba quidem gratis concedere ſolitus, dominium Hiberniæ Anglis Regibus donavit, ſed ita, ut feudum eſſet Eccleſiæ, ac tributum ei perſolveret, quod ſecuti poſtea Reges pendere abnuérunt, hoc colore, quòd regni Anglici Proceres onus illud nunquam approbaſſent. Henricus VIII. contempto *Domini* nomine, auguſtius vocabulum *Hiberniæ Regis* primus aſſumpſit, ſibique eum dedit honorem, quem Maria, ipſius filia à Pontifice accipere poſtea maluit. Sed quanquam Hibernia, quâ cultior moribus, rectores legeſque ex Anglia pati paulatim didicit; manſit tamen aliis in partibus, quas ſylvæ ac paludes abſcondunt, libertatis amor, quo nomine vocabatur omnium ferè, quæ vetita alibi, licentia. Clara inter cæteras Onealum familia, Ultoniæ ſibi principatum, mox & Hiberniæ totius auſa eſt aſcribere. Crevêre his ſpiritus, Anglis inter Eboracenſes & Lancaſtrios feraliter diſſidentibus. Sed Conum, ejus gentis hæredem, Henr. VIII. pacate ſevereque regnans, compulit ejurato Onealis vocabulo, ac dignitate, in Comitis Tironi nomen tranſire. Hujus fil. nothum Matthæum, Joh. ſecundùm leges Conno natum ſe ferens, interemit: ſed Matthæi fil. Hugo, Tironi Comitatum & quæ Conus poſſederat, Joh. dum rebellat, perempto & bonis in fiſcum redactis, Eliſabethæ beneficio accepit, certis ſub legibus, quæ nocendi poteſtatem in poſterum acciderent. Vir bello ingens & quibuſvis par negotiis fidem Reginæ præſtitit, donec A. C. 1588. disjectâ nobiliſſimâ claſſe Hiſpani Duces Hibernicum in litus ejecti, arcanis illum colloquiis, ad recuperandum jus Onealum incitavêre: Unde turbæ A. C. 1595. ortæ ſatis diuturnæ, quas felicitas Eliſabethæ ſopivit, non ita tamen, ut non ad noſtram ætatem ejus reliquiæ Angliæ Reges exercuerint: inprimis ab A. C. 1645. uſque ad A. C. 1649. donec totâ Inſ. ferro flammaque ab Anglis vaſtatâ, major incolarum pars in Virginiam Americæ Sept. regionem tranſlata eſt. Bello hodierno, à Vilhelmo III. M. Britanniæ Rege poſtquam pertinaciter Jacobo II. Regis ſocero ejus adhæſiſſet, poſt acre ad fluv. *Boyne* prælium, feliciter fortiterque regnum ſubactum eſt, haud pridem. Dividitur *Hibernia* vel ex moribus incolarum in Sylveſtrem, cujus incolæ incultiùs vivunt, & legibus teneri recuſant: ac Politam ſeu Anglo-Hibernicam *the English Pale*, in qua legum Anglicarum poteſtatem ſanctam habent, & judiciis ſe ſiſtunt: vel ex ſitu & vett. Rectorum numero in quatuor partes, ſub quibus ſunt triginta tres Comitatus ſeu regiunculæ, Momoniam nempe ad Auſtr. Lageniam ad Ort. Connaciam ad Occ. & Ultoniam ad Sept. quibus Becmannus quintam addit, Mediam *Meth*, in Meditullio Inſ. ſitam, ex Camdeno *deſcr. Hiberniæ*. In Momonia regione, *Mounſter*, ſunt Comitatus Limericenſis, *de Limerick*, Kerrienſis, *de Kerry*, Corcagienſis, *de Cork*, Waterfordienſis, *de Waterford*, Deſmonienſis, *de Deſmond*, & Typerarienſis ſeu S. Crucis, *de Typerari* ſeu *Holy Croſſ*. In Lagenia regione, *Leinſter*, ſunt Comitatus Midia Orientalis, *d'Eaſt Meath*, Midia Occidentalis, *de Weſt Meath*, Kilkennienſis, *de Kilkenny*, Caterloghenſis, *de Caterlogh*, Comitatus Regis, *Kings Countie*, Comitatus Reginæ, *Queenes Countie*, Kildarienſis, *de Kildare*, Vexfordienſis, *de Vexford*, & Dublinienſis, *de Dublin*. In Connacia regione, *Connaught*, ſunt Comitatus Claræ, *de Clare*, Galwaienſis, *de Galway*, Maji, *de Majo*, Slegi, *de Slego*, Letrimenſis, *de Letrim*, Roſcomenſis, *de Roſcomen*, & Longfordienſis, *de Longford*. In Ultonia regione, *Ulſter*, ſunt Comitatus Dungaliæ ſive Tyrconellenſis *de Donghal*, aut *Tyrconell*, Tyronenſis ſup. *Upper Tyrone*, Tyronenſis inf. *Nether Tyrone*, Fermanaghenſis, *de Fermanagh*, Cavanenſis, *de Cavan*, Colranenſis, *de Colrane*, Monaghanus, *de Monaghan*, Antrimenſis, *d'Antrim*, Dunenſis, *de Downe*, Luthenſis, *de Louth*, & Armachanus, *d'Armagh*. Eſt autem Hibernia multò minor Anglia; extenditurque à Sept. in Mer. 250. mill. paſſ. ſed ab Ortu in Occaſ. non excedit 120. mill. paſſ. ubi magis lata. Alluiturque ab Occ. mari Occiduo, à Sept. mari Deucaledonio, & Mer. Virginio mari. Totius regni præcipua urbs eſt Dublinum, *Dublin*, ubi Academia & Proregis, qui Conſervator quoque & Juſtitiarius dicitur, ſedes, in ora Orientali inſ. Pop. *Hiberni*, Gall. *les Irlandois*, Germ. *die Irren*, vel *Irlander* eximiâ plerunque corporis ſpecie, ſed vindictæ cupidi, inſulſi, & furaces: porrò ad otium, blaſphemias, & ſeditiones proni. Unde Henr. III. Regulum Hiberniæ compeſcere, neceſſe habuit A. C. 1230. eoſdem Roberto Bruſſio adhærentes infeſtos ſenſit Eduardus II. A. C. 1314. Richardus dein II. eoſdem quatuor Regulis captis ægre coërcuit, A. C. 1394. Henricus VII. novam rebellionem, auctore Richardo Simone Sacerdote Oxonienſi, obortam, cæſis 4000. oppreſſit A. C. 1488. Elizabetha inprimis turbis Hibernicis exercita, per Joh. Perrotum & Henr. Sidneium A. C. 1567. per Arturum Grajum A. C. 1578. rebelles, à Pontifice Hiſpaniæque Rege fotos, fortiter repreſſit, ut non repetam turbas ab Hugone retro memorato motas. Cæterùm fidem Chriſtianam in inſ. plantavit S. Patricius, circa A. C. 450. quæ potiùs aliquandiu hìc quàm in aliis Europæ partibus, conſervata eſt. Namque in ſede Archiepiſcopali Armachana uſque ad Bernardi Ær. 7. Præſules, alii habent, 15. uxorati ac literati præſedêre, qui à Pontifice Rom ordinari noluêrunt: & circa A. C. 1118. Clericus quidam in Hibernia Berengarii ſententiam fortiter defendit. Præterito ſec. magnus ibi eorum numerus, qui Latinos ſequuntur ritus unde ſeditionum anſa. Nunc verò cœtus, iſtiuſmodi infrequentiores, inprimis à quo magnum illud Hiberniæ lumen Jacobus Uſſerius Archiep. Armachanus voce ſcriptoque veritatem feliciſſimè aſſeruit. Vide præter jam dictos Richard. Stanihurſt. *Hiſt. Hibern.* Botterum, Magin. Thuan. & Hug. Grot. *Hiſt.* Chriſt. Becmann. *Hiſt. Orbis terr. Geogr. & Civ.* Alios, Sylveſtrum inprimis Gyrald. è quo de moribus incolarum, & ſtupendis naturæ in hac Inſ. operibus, nonnulla deſcripſit Abr. Ortel. *in Theatr. Orbis terr.*

Urbes Hiberniæ inſulæ (olim 50.) Epiſcopales.

Achada, Epiſcopal. Connaciæ, ſub Archiep. Tuamenſi, *Achonry* Waræo, ſemidiruta.
Alachda, Epiſcopal. Connaciæ, ſub eod. Archiep. T. *Kill-alla*, eidem.
Ardacha, Epiſcopal. Ultoniæ, ſub Archiep. Armachano, *Ardagh*.
* Armacha, Archiepiſcopal. Ultoniæ, *Armagh*.
Atlona, *Atlone*, in Connacia.
* Caſſilia, Archiepiſcopal. Momoniæ, *Cashel*.
Clocherium, *Clogher*, Ultoniæ.
* Clona, Epiſcopal. Momoniæ, ſub Archiep. Caſſilienſi, *Cloney*.
Clonfertum, Epiſcopal. Connaciæ, ſub Archiep. Tuamenſi, *Clonefert*.
Cluanum, *Kiloom*, Lageniæ.
Connertum, Epiſcopal. Ultoniæ, ſub Archiep. Armachano *Conner*.
* Corcagia, *Corck*, Momoniæ.
* Deræ, Epiſcopal. Ultoniæ, ſub Archiep. Armachano, *Derry*.
Drogheda, *Droghdagh*, in Ultonia.
Dromora, Epiſcopal. Ultoniæ, ſub Archiep. Armachano, *Dromore*.
* Duacum, *Kilmacogh* Waræo, aliis *Galway*, Connaciæ.
* Dublinum, olim Eblana, *Dublin*, Lageniæ.
* Dumbroſa, Connaciæ.
* Duncheranum, olim Ivernis, emporium Momoniæ, *Dunkeren*.
* Dundalcum, Epiſcopal. Ultoniæ, ſub Archiep. Armachano, *Dundalk*.
* Dungallum, Comitatus Ultoniæ, *Donegall*.
* Dunum, *Downe*, Ultoniæ.
Emelia, *Emeley*, vel *Awn*, Momoniæ.
Fernum, Epiſcopal. Lageniæ, ſub Archiep. Dublinenſi, *Fernes*.
Glandelacum, *Glandilaugh*, Lageniæ.
Kilmora, Epiſcopal. Ultoniæ, ſub Archiep. Armachano, *Kilmorne*.
Kilchennium, Epiſcopal. & Academia, Lageniæ, ſub Archiep. Dublinenſi, *Kilcenny*.
* Kildaria, *Kildare*, Lageniæ.
* Kilmalocum, Epiſcopal. Momoniæ, ſub Archiep. Caſſilienſi, *Kilmalock*.
* Laglinum, *Leighlin*, Lageniæ.
* Limericum, & Lumbricum, *Limerick*, Momoniæ.
Liſmora, Epiſcopal. Momoniæ, ſub Archiep. Caſſiliæ, *Liſmore*
Media, Comitatus, *Methe*, ſedes Ep. *Navan*.
* Olfinum, Epiſcopal. Connaciæ, ſub Archiep. Tuamenſi, aliis Helfenia, *Elphen*.
Oſſeria, *Oſſery*, Lageniæ.
Rapotum, *Robogh*, Ultoniæ.
Roſcomia, *Roſcomen*, Connaciæ.
* Roſſa, Epiſcopal. Momoniæ, ſub Archiep. Caſſilienſi, *Roße*.
Rupes Ferguſii, *Knockfergus*, in Ultonia.
Tuama, *Toam*, Connaciæ.
* Waterfordia, olim Manapia, Epiſcopal. Momoniæ, ſub Archiep. Caſſilienſi, *Waterford*.
Vexfordia, *Vexford*, in Lagenia.

Sed notandum ex his urbibus Achadam, Alachdam, Clocherium, Clonfertum. Cluanum, Connertum, Dumbroſam, Emeliam, Glandelacum, Oſſeriam, Rapotum, & Tuamam eſſe tantùm minuta oppidula & caſtra à plurimis annis.

HIBERNUS Hugo, vide *Hugo*.

HIBRILDES, Athenienſium Imp. A. U. C. 262. Dion. Halic. *l.* 7. lege *Hybriides*.

HICESIUS, Hiſtoricus, opus reliquit de myſteriis. Clem. *in Protrept.* Plin. *l.* 14. *c.* 19. *l.* 20. *c.* 5. *l.* 22. *c.* 16. & *l.* 27. *c.* 4. *Hiceſii* cujuſdam meminit, quem *non parvæ autoritatis medicum* vocat. De vino eum ſcripſiſſe innuit idem *l.* 14. *c.* 19.

HICETAS, Syracuſanus, priſcus Philoſophus, Terram moveri credidit. Diog. Laërt. *in Philolao*, *l.* 8.

HICETERIA, vide *Eireſione*.

HICETESIUS Jupiter, h. e. ἱκετήσιος Ζεὺς, deprecabilis videlicet, & qui ſupplicum preces audit. Heſych. *Hinc* ἱκετήρια *dicuntur, quæ ipſæ ſunt ſupplicationes & ſupplicandi modus: & ramus inſuper oleæ, lanâ obvolutus, quo in his ſupplicationibus utebantur antiqui*, qualis fermè εἰρεσιώνη. Vide ſupra.

HIDA & HYDA, vox Saxon. terræ portio, quantum ſufficit ad arandum uni aratro per annum; aliis *Carrucata*. Order. Vital. *l.* 8. *p.* 678. *Omnes carrucatas, quas Angli* Hidas *vocant, funiculo menſus eſt & deſcripſit*. Hanc 100. acris conſtare, ait Gervaſ. Tilleber. 4. virgatis, *Codex MS.* apud Henr. Spelmann. 8. harum, alius *in Monaſt.* Angl. Omnium autem *Hidarum* in qualibet Angliæ prov. miſſis per unamquamque *ſcyram* Juſtitiariis ſuis, numerum iniit Gulielmus Rex, apud Robertum de Monte A. C. 1083. quem ex vet. ſcheda maxima ex parte exhibet Henr. Spelmann. *Gloſſ.*

HIDALGUS, Nobilis apud Hiſp. qui aliàs *Infancio*, apud Hier. Blancam *Comm. Rer. Aragon. p.* 734. de cujus vocis etymo vide Covarruv. *var. Reſol. Tom. c.* 1. *n.* 11. & Seb. Cobarruv. *Theſ. ling. Caſtel.* in voce *Fidalgo*. Illos *Hijos dalgo*, vocat Blanca & Militibus ſeu *Cavalleris* opponit *l. c.* *Filii dalgo* dicuntur in *Foris* Aragon. *l.* 1. *tit. de Officio Juſtitiæ Aragon*, apud C. du Freſne in *Gloſſ.*

HIECTUS, alii HIETTUS, Argivus, primus pœnarum in adulteros ſtatutarum auctor, cenſetur Alex. ab Alex. *Genial. Dier. l.* 4. *c.* 1.

HIEL, nomen viri illius, qui reædificat Jericho 1. Reg. *c.* 16. *v.* 36.

HIELMERUS, vulgò HIELMER, lacus Sueciæ, inter Sudermanniam & Noriciam prov. ſeu inter Orebum & Torſiliam urbes.

HIEMS, ex Æolico χειμῶς, ut habet Salmaſ. *ad Solin. p.* 310. in tres partes ab antiquiſſimis Græcis diviſa eſt, quarum mediam Brumæ aſſignabant. Galenus, de anni partitione, ſecundùm Hippocratem, *Epidem. princ.* Οἱ δ᾽ αὐτοὶ καὶ τ χειμῶνα τριχῆ τέμνουσι, μέσον μὲν αὐτῶ ποιοῦντες τ ἀεὶ τὰς τροπὰς χρόνον. Hæc aliter *adulta hyems*; ſicut pars prima, *nova*, & ultima, *præceps*. At Romani initium *Hiemis* ducebant à Bruma, ſive Solſtitio hiberno, ut tempus æſtivum à Solſtitio æſtivo auſpicabantur. Sicque Attici initia hiemis & æſtatis menſe uno & dimidiato altero ante Solſtitia numerabant, & totidem diebus poſt utrumque Solſtitium, tam hiemem, quàm æſtatem, finiebant. Appulejus *in Medicinal. Incipit tempus æſtivum VIII. Kalendas Julias* &c. Quod non obſervatum multis eruditis fraudi fuit, in conſtituendis hibernis & æſtivis Atticorum menſibus, nec non in conciliandis variis Græcorum ac Romanorum Scriptorum locis, quibus hiberni menſes diverſimodè conſtituti occurrunt, uti pluribus docet idem Salmaſ. ubi ſuprà p. 314. & *ſeqq.* Erat autem non December ſolùm pluribus apud Romanos Dæmoniorum feſtis, *Agonalibus*, *Conſualibus*, *Divalibus*, *Divi Julii feſto*, *Laurentialibus*, *Saturnalibus*, occupatus; ſed & tota *Hiems* Liberæ ſacra erat, quam Liberi ſeu Bacchi ſororem ſanctè cultam, docet Cic. *de Nat. Deor. l.* 2. Id quod videre eſt in argenteo toreumate vetere, cui IV. anni tempora inſculpta, à Steph. Pighio *Comm.* inſigni illuſtrato. Pingebantur porrò *Tempora Hiemalia* variis modis. Ventus aperto hiatu frigora exſpirans, eorum emblema frequens. Quò alludit Mart. *l.* 7. *Epigr.* 36. cujus epigraphe. ad Caſtricum de Theta.

Turpis ab inviſo pendebat ſtiria naſo.
Cùm flaret madidâ fauce December atrox.

Vide Caſp. Barth. *Animadv. ad Stat. l.* 2. *Sylv.* 1. *v.* 215. In vet. nummo Laodicenſium Neocororum, cui inſcriptum, ΕΥΤΥΧΕΙϹ ΚΑΙΡΟΙ, *Hiems*, exprimitur imagine hominis veſtiti, ſiniſtrâ leporem tenentis. Tum enim, ut Virg. Georg. *l.* 1. *v.* 308. & 310.

Auritoſque ſequi lepores, tum figere damas &c.
Cùm nix alta jacet, glaciem *cùm flumina trudunt.*

Vide ſuprà *Felicia Tempora*. Nonnunquam oleo cæteriſque dotibus coronari conſueviſſe, habes apud C. Paſchal. *Coron. l.* 4. *c.* 2. vide quoque infrà *Hyems*. Velis autem ac ſpecularibus cœnationes ſuas hoc tempore muniebant, & igne multo *hiemem* domabant priſci, ut ſcribit Seneca, *Natur.* 4. igne ἀνθρακιᾶς nempe ſeu prunarum, quas in foculis vel batillis inferebant cœnationibus. At carbonum loco thus, cinamomum, caſſiam, coſtum & alia odorata adhibuit Heliogabalus, de quo Lamprid. proin, *Odores*, inquit, *Indicos ſine carbonibus ad vaporandas zetas jubebat incendi*, ad quem locum Caſaub. vide. Sed &, ut pacatior *Hiems* eſſet, Jovi Mæmacti, ſacra fieri ſolita, menſe Mæmactaſione, hiemalium primo, infrà dicemus in voce *Mæmactes* &c. Hinc *Hiemantes*, Pœnitentium Ordo in vet. Eccl. vide infrà *Hyemantes*.

HIENIPA, opp. Hiſp. Bæticæ, nunc *Alcala de Guadaria* Roder. Carus *in Antiq. Hiſpalis*.

HIERA, uxor Telephi Regis Myſorum, cui tanta fuit formæ præſtantia, ut ipſam etiam Helenam dicatur ſuperaſſe. Hygin. *Laodicen* vocat eam, Priami filiam. Item Pandari, & Bitiæ mater. Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 673.

Quos Jovis eduxit luco ſylveſtris Hiera.

HIERA, Lat *ſacra*, inſ. Siciliæ, una ex ſeptem Æoliis, *Vulcano*, teſte Fazello, ignes emittens, Liparæ vicina, priùs *Theraſia*, teſte Plin. *l.* 2. *c.* 87. *l.* 3. *c.* 9. & *l.* 4. *c.* 12. dicta.

HIERA altera, quæ ab Anton. *Maritima* dicitur, inſ. Siciliæ contra Drepanum, thymo abundans, hodie *Maretamo*. Item inſ. maris Cretici, ſeu Myrtoi, *Giera* vulgò. Item prom. Lyciæ, *Capo delle Chelidonie* hodie dicitur. Eſt & fluv. Bithyniæ, illam à Galatia ſeparans qui & *Hierus*: *Tarſus* etiam olim, teſte Steph. *Hiera* dicebatur.

HIERA Petra, vulgò *Giera petra*, urbec. Cretæ Epiſcopal. cum portu, in ora Auſtr. Inſ. & territorio Sitiæ, cum prom. cogn. 20. mill. à Sitia in Afr. 60. ab urbe Candia in Eur. Sub Turcis.

HIERA Sycamina, opp. Ægypti, ad orientem Nili, memoratum in *Tab.* Peutingeriana, de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 448.

HIERACITÆ, à quodam *Hierace*, in Ægypto, ortu, negant reſurrectionem corporum, improbant conjugia, negant infantes eſſe hæredes vitæ æternæ *Epiphan.*

HIERACITES, gemmæ nomen, apud Plin. *l.* 37. *c.* 10. *Hieracites alternata milvinis nigrieque velut plumis*. Ex Græco Ἱερακίτης quòd ab ἱέραξ, *accipiter*, *milvus*; hujus enim colorem refert. Aëtitius, Ἱερακίτης λίθος ὑπόχλωρός μέν ἐστι, καὶ πρὸς τὸ μέλαν ἐπιπεριγραμμένος χρώματι ἱερακίῳ ὥστε ποικίλον εἶναι &c.

HIERACIUM, vernaculè *Gierazzo*, civ. Calabriæ ſup. Epiſcopal. ſub Archiep. Rheginenſi, titulo Marchionatus inſignis, dicta à viſo accipitris augurio, dum conderetur. Olim *Locri*, caput magnæ Græciæ. Vide *Locri*.

HIERACUM Inſ. *S. Pietro* Leandro, Inſ. Sardiniæ, Plumbeæ proxima, contra Sulci urbem exciſam, ac Sulcitanæ Inſ. finitima.

HIERÆA, exigua regio Libyæ in Cyrene. *Steph.*

HIERAMÆ, Cariæ urbs. *Idem.*

HIRANNESUS in mari, Cretico eſt, & alia Ægypti. *Idem.*

HIERAPHE, inſ. Libyæ. *Idem.*

HIERAPOLIS, quæ & *Bambyca*, urbs Syriæ Archiepiſcopal. ſub Patr. Antiocheno, in Cyrreſtica reg. quæ *Haleppo*, teſte Bellonio, cum aliis, dicitur, urbs Syriæ maxima, & emporium celeberrimum. Aliis Aleppum eſt, ubi Berrhœa fuit, ad Marſyam fluv. & Hierapolis, ubi nunc *Tedith*, opp. illius tractus. Baudr. Capta eſt ab Amurathe. Turc. Imp. A. C. 1380. Hierapolitanæ Eccl. præfuit Papias. A. C. 80. Cæterum, Derceto ibi culta olim, quæ *Atargatis*, Strab. *l.* 12. *p.* 579. & *l.* 16. *p.* 748. & Plin. *l.* 4. *c.* 12. *l.* 5. *c.* 23. & 26. Salmaſ. vero *Syriam Deam* κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dictam. Numen fuiſſe peculiare Hierapolitanorum, idque totum fœmineum, Lucian. Ἡ δὲ ἐν τῇ ἱρῇ πόλει πᾶσα γυνή ἐστι; cum Atargatis ſeu Derceto piſcis imagine, vel figurâ ex piſce & femina mixta coleretur: docet ubi ſuprà *p.* 574. Quanquam nomina hæc non raro confundantur, ut diximus, in voce *Atargatis*, item *Derceto*.

HIERAPOLIS altera, Phrygiæ magnæ urbs Archiepiſcopal. ſub Patr. CP. aliis ſub Antiocheno, proxima Laodiceæ ibi puteus amplus nebulas noxias exhalans. Turcis *Seideſceber*, Leuncl. Cruſius. Vide Strab. *l.* 13. *p.* 629. Coloſſ. *c.* 4. *v.* 13. Ven. Fortunat. & Steph. Hodie penitùs deſerta, Turcis *Bambouk-kalé*, h. e. turris bombacina, ob rupium vicinarum albedinem, dicitur, viſunturque rudera ejus è regione Laodiceæ, inter quas ambas urbes Lycus interfluit, ſed propior Hierapoli. Templorum ibi ruinæ quamplurimæ, ingenſque copia fontium mineralium, ut neutiquam mirum ſit, ἱερὰν πόλιν, *ſanctam urbem*, fuiſſe olim appellatam. Inprimis, pulcherrimum ex candido marmore balneum, ubi *Inſcr.* à Tinctorum corpore facta, & magnifici Theatri ſuperbæ reliquiæ, in cujus introitu *Inſc.* ΑΠΟΛΛΩΝΙ ΑΡΧΗΓΗΤΕΙ dicata, etiamnum ibidem conſpiciuntur. Jac. Spon. *Itin. Part.* 1. *p.* 357. & 358. Vide eund. *Part.* 3. *p.* 150. & 151. & de *aquis Hierapolitanis*, Strab. *l.* 13. *p.* 629. uti de *Hierapolitico marmore*. Salmaſ. *ad Solin. p.* 574.

HIERA-PYTNA, urbs Cretæ in ora Auſtrali, quæ priùs *Cyrba*, poſtea *Camiros* dicta eſt.

HIERARCHA, Græcè Ἱεράρχης, quid Gentilibus, vide infrà *Prytaneia*. Pachymeri Sacrorum moderator eſt & curator ac proviſor: cujus officium καθαίρειν, φωτίζειν, τελειοῦν, *purgare*, *illuſtrare*, & *perficere*, ut habet S. Maximus *de cæleſti Hierarch. c.* 3. qui primò quidem Chriſtum ipſum, dein S. Paulum ac cæteros Apoſtolos, & poſt hos Epiſcopos, hoc elogio inſignit, Ἱεροτελεστὰς quoque, Τελεάρχας & Τελεσιουργοὺς illos appellans. Auctor *Hierarchiæ Eccl.* Dionyſii nomen præ ſe ferens, Ἱεράρχην hujuſmodi θεῖον nominat, epitheto uſitato. Sic θεῖος, Ἀθανάσιος, θειότατος πίστεως τ̃ Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος & ſimilia, apud Theodoretum alioſque. Iidem Θεοφιλέστατοι, ἁγιώτατοι, paſſim: quam quidem conſuetudinem carpit obiter Socrates *præf. Hiſt. Eccl. l.* 6. Vide Deſid. Herald. *Animadv. Arnob. l.* 4. *p.* 191. Hinc Ἱεραρχία, *ſacrum regimen*: de qua utraque voce vide Cl. Suic. *Theſ. Eccl.* Sed & *Hierarchia* nomen libri, quem Dionyſio Areopagitæ vulgò aſcribunt, de Angelorum variis ordinibus gradibuſque tractantis, Dom. Macer. in *Hierol.* De quo quid ſentiendum, vide in voce *Dionyſius Areopagita*, it. infrà *Virtutes*.

HIERASSON, urbs Epiſcopal. Arabiæ, ſub Becerra. G. Tyrius.

HIERASUS, Daciæ fluv. Ptol. *Pruth.* Cromero, *Seret* verò Lazio. Per Moldaviam in Iſtrum fluit.

HIERATIS, opp. Perſidis, ad ſinum Perſicum. *Arrian.*

HIERAX, Ægyptius, in ſcientia Græcorum probè ſubactus, Aſtrologus & Magus, hæreſeos auctor. Docuit, corpus non reſurrecturum, ſolos cœlibes cœli candidatos eſſe, infantes non viſuros faciem Dei, Paradiſum nullis ſenſibus percipi, Melchiſedecum Spiritum S. eſſe. Porrò ſubſtantiam Verbi diſtinxit à Subſtantia Patris, lampadi duo ellychnia habenti illam comparans. Hinc *Hieraciani*, qui & *Abſtinentes* dicti, quòd à vino & certo ciborum genere abſtinerent: Hexaëmeron ſcripſit fabulis refertum. Epiphan. *hær.* 67. Hilar. *de Trin. l.* 6. Baron. A.C. 287. *Evagr.* &c.

HIERAX, Mareotis Nomi opp. Ptol. Item adoleſcens, qui cùm Io vaccam rapere vellet Mercurius, Argo cuſtode excitato à Mercurio in accipitrem, avem ſui nominis, mutatus eſt.

HIEREI, in *l.* 4. *Cod. Theod. de Jud. cæl. & Sam.* dicuntur Presbyteri Judæorum, ex Gr. Ἱερεὺς, Salmaſ. De cujus vocis apud Scriptores Eccl. uſu, vide quæ eruditè congeſſit Cl. Suic. ubi ſuprà.

HIEREMIAS, Vide *Jeremia*.

HIERI, pop. ultra Sauromatas, calvi & ſimi à nativitate omnes, qui ideò ἱεροὶ, i. e. *ſacri* dicuntur, quia nihil injuſtè ajunt, nec bella norunt.

HIERIA, Lombardiæ fluv. Diacono, ubi Majoranum occiſum ſcribit. *Scrivia* hodiè nominatur.

HIERICHO, vel *Hierichus*, *chuntis*, opp. Judææ, notiſſimum in V. T. quòd, cùm Joſue illud ſepties circumiſſet cum arca Domini, muri ejus firmiſſimi corruerint, Joſ. *c.* 6. *v.* 4. & 5. Vide *Jericho*. Inter Hieroſolymam & Jordanem ſitum, palmetis conſitum, & fontibus irriguum. Plin. *l.* 5. *c.* 14. In tribu Benjamin, 150. ſtadia ab Hieroſol. in Ort. Jordanem verſus 60.

HIERIUS, Coſ. Collega Ardabutii, A. U. C. 1118.

HIERIUS, Eloquentiam Romæ profeſſus eſt, cui Aug. *l. de apto & pulchro*, dedicavit, cùm Carthagine Rhetoricam doceret.

Reges Siciliæ.

HIERO I. Rex Syracuſanus, poſt fratrem Gelonem, An. 3. Olymp. 75. U. C. 276. Theronem, Tyrannum Agrigentinum, vicit. Obiit Catanæ A. Regni 11. Diod. Sic. *l.* 11.

HIERO II. Syracuſanus, cùm eſset ex Duce Rex factus, primùm Pyrrhi, exin Pœnorum, poſtea populi Rom. perpetuus amicus fuit, & cùm omnis expers diſciplinæ in morbum incidiſset, erudiri cœpit, ac ſeſe ultro ſermonibus Phyſicis accommodare, donec paulatim, dum per valetudinem licuit, poëtis Pindaro, & Simonide acceſſitis uſus eſt. Ælian. *Var. Hiſt. l.* 4. *c.* 15. & *l.* 8. *c.* 1. Hic corporis pulchritudine, & viribus adeò præſtitit, ut omnibus penè miraculum eſset; Bello tamen minus felix dicitur. Obiit A. U. C. 529. Regni 54. Succeſſit Hieronym. fil. Gelonis filii, ante patrem Mortui, Liv. *l.* 26. Florus, *l.* 2. *c.* 2. Eutrop. Polyb. Juſtin. *l.* 23. *c.* 4. Item Atheinienſis quidam, familiaris Niciæ Ducis Athenienſium, unàque cum eo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

eo diſciplinis, eruditus, poëmata nonnulla conſcripſit, quæ Plutarch. *in Nicia* ad ætatem ſuam perveniſſe teſtatur.

HIERO, Parthus, validiſſimæ præfecturæ additus, Tac. Ann. *l.* 6. *c.* 42. & 43.

HIEROBOAM, vide *Jeroboam*.

HIEROCÆSAREA, Mœoniæ in Aſia min. urbs. *Ptol.*

HIEROCEPIA, inſ. in Cypro prope Paphum. Strab. *l.* 15. *p.* 684. *Bourg de Hierochipe* Steph. Luſignano, opp. Cypri exciſum, in ora Occ. inter Paphum, & Acamantem, *Ferrar.*

Viri Illuſtres & Clari.

HIEROCLES, genere Car. Mercenariorum, in partibus Demetrii, Dux. Vide Polyæn. *l.* 5.

HIEROCLES, libros edidit nomine φιλίστορας, quaſi *Hiſtoriæ amans* dicas. Steph. & Tzetzes. Alius videtur is eſſe, de quo Steph. in Ὕλλαμμα, hoſtis Chriſtianorum acerrimus, cujus fuerit commentarius, qui extat in Aurea Pythagoræ carmina. Item Φιλαλήθης, liber ſic dictus, in quo, durante perſecutione Diocletianæâ, contradictiones in S. Scriptura oſtendere niſus eſt. Vixit Nicomediæ; Philoſophus Platonicus, A. C. 302. Lactant. *l.* 5. *c.* 2. Alius, Philoſophus ſimiliter Ethnicus, ex Senatu Areopagitico, edito libro Apollonium Tyanæum Servatori noſtro Chriſto impiè comparat, cui ſacro ejus ac horribili libro reſpondit Euſeb. Pamphili. Baron. A. C. 68. Alius etiam videtur fuiſſe *Hierocles*, de quo Athen. *l.* 14. Etiam *Hieroclis*. Excerpta habemus in Mulomedicinæ ſcriptoribus. Fuit & *Hierocles* orator Alabandenſis. Strab. *l.* 14.

HIEROCLES, Grammaticus, edidit notitiam Imper. CP. cujus adhuc maxima pars ſupereſt. Cæterùm de variis hujuſce nominis hominibus videndus Vir Doctiſſimus Joh. Pearſonus *in Prolog. ad Hieroclem de Provid. & Fato* Geſner. *Bibl.* Voſs. *de Hiſt. Græc. l.* 3. & 4.

HIEROCLES, Heliogabali amaſius, apud *Lamprid.*

HIEROCOMITÆ, pop. ab *Hierocome* civ. Cariæ. *Polyb.*

HIERODULUM, urbs Libyæ. Strab. *l.* 14.

HIERODULUS, Græcè Ἱερόδουλος, æditũus, ſacrorum miniſter Strab. *l.* XI. *p.* 535. ἱεροδούλους γυναῖκας vocat *mulieres Deo vel Deæ alicui conſecratas*. Cujuſmodi *Hierodulas Veneri* Corinthiæ ἑταίρας appellat. Heſych. ex mente Caſaub. ut infrà videbimus in voce *Virginitas*. In Sacris, Ἱεροδούλους reddunt Interpp. Nethinæos, de quibus ſuo loco.

HIEROGERMA, Ptol. ἱερὰ γέρμη, in libris Concil. *Germa*, ex *tab.* Geog. *Germaſti*, urbs Phrygiæ min. inter Sceplim & Ilium. Epiſcopal. ſub Archiep. Cyziceno.

HIEROGLYPHICA, ſunt ſacræ ſculpturæ ſeu imagines, quibus Ægyptii olim præcipua Sapientiæ ſuæ, Theologicæ, Phyſiologicæ & Politicæ inprimis dogmata repræſentabant. Horum ſcientia magni ſemper nominis fuit, inter arcanas numerata diſciplinas, & paucis, iiſque nobilibus Sacerdotum ingeniis celebrata, qua & imbutum Moyſen accepimus: unde Philo *de Vita Moſis*: Moyſen ait, numeros & Geometriam univerſamque Muſicam accepiſſe ab Ægyptiorum Doctoribus, & inſuper *occultam Philoſophiam deſcriptam literis, ut vocant, Hieroglyphicis, h. e. notis animalium, quæ ipſi venerantur pro Numinibus*. Plato *in Philebo*, literarum harum inventionem tribuit Teuto ſeu Taauto, quem hujus gentis primum Doctorem facit Philobiblus. Græcos poſtea his excultos diſciplinis, teſtatur idem Plato *in Epinomide*, & Orpheus *in Argon*. Proclus quoque refert, Solonem apud Ægyptios, in Sai audiiſſe ſacerdotem, nomine *Partanit*: in Heliopoli *Oclapi*: in Sebemyto *Ethymon*, à quibus non dubium eſt, quin hanc ſymbolicam Sapientiam acceperit: Cujus veſtigia etiam in ſuis ſententiis reliquit Pythagoras, cum *Ænuphium* Heliopolitam præceptorem habuiſſet miratus, quam ab eo acceperat, *Hieroglyphicorum* ſolertiam, in ſuis quoque ſymbolis eam apud Græcos propagavit. Sed ipſos Scientiæ hujus prima ſemina ab Hebræis hauſiſſe Ægyptios, credibile eſt. Abrahamum enim Heliopoli cum ſacerdotibus Ægyptiis vixiſſe, illoſque Aſtrologiam docuiſſe, narrat Alex. *in Hiſt. Jud. apud Euſeb.* Unde non ſine ratione creditur, cæterarum quoque ſcientiarum ſemina per Patriarcham hunc ſparſa, nec ſymbolorum aut ænigmatum velis, quibus omnis antiquorum adumbrata fuit ſapientia, caruiſſe. Hinc & totius Religionis myſteria in S. Inſtrumento ſymbolis figuriſque adumbrata videmus, tantiſque apud vett. Hebræos figuratus ſermo fuit, ut quidquid eſſet acutè dictum, quidquid aculeos haberet & ingenii gratiam, hoc משל *Maſchal* appellarent, quod nomen propriè ad parabolas ſimilitudineſque pertinet. Interim ab Ægyptiis hanc de ſymbolis ſcientiam præ cæteris excultam multiſque figurarum monumentis celebratam eſſe, certum eſt, quam ἱερατικὰ γράμματα Origenes appellat *in Ep. ad Rom. c.* 2. Hujus memoria ne unquam excideret, avebant in operoſis obeliſcorum pyramidumque molibus, tum in apparatiſſimis templorum valvis ſymbolorum ſuorum monumenta collocare: quod qui faciebant, *Hieroglyphi* dicti ſunt, vide Cyrill. *adverſ. Julian. l.* 9. & Anaſtaſ. Synaitam Patr. Antioch. qui Pyramidum hujuſmodi figuris cælatarum meminit, *in Hexaem. l.* 1. *ſub fin.* Unde Lucan. *Civ. Bell. l.* 3. *v.* 221.

Nondum flumineos Memphis contexere biblos
Noverat: in ſaxis tantum volucreſque feræque,
Sculptaque ſervabant magicas animalia linguas.

Sed nec Septentrionalibus populis hanc ſcribendi normam ignotam fuiſſe diſcimus ex Olao Magno, *l.* 1. *c.* 21. Eadem ænigmatum ſocietate Scythas fuiſſe delectatos, ex eorum Rege Idanthura conjicere eſt, qui Dario bellum minanti pro literis miſit *murem*, *ranam*, *avem*, *jaculum*, *aratrum*, apud Clem. Alex. Diod. Sic. quoque teſtatur, Æthiopum literas variis animantibus, extremitatibuſque hominum, ſed præcipuè inſtrumentis fabrilibus perſimiles fuiſſe *Bibl. Hiſt. l.* 3. *c.* 2. Idem de Sinenſibus hodiernis legimus. Scripſit de ſacris literis ſuæ gentis Horus Niliacus, cujus libellum Philippus Græcus Auctor in linguam ſuam vertit, quem poſterioribus vixiſſe temporibus, quibus jam mundiſſimis Græcorum elegantiis barbaries ſe illeverat, ſtylus teſtatur. Explicant illa Pierius *in Hierogl.* & Nic. Cauſinus *in Symbolica Ægypt. Sapientia*, quos vide. Addam exempla quædam: *Diademata aſpidibus implexa*, qualia Reges Ægyptiorum geſtaſſe legimus, ſtabilem imperii firmitatem declararunt, ſec. Ælian. *de Anim. l.* 6. *c.* 38. vel eorum potius ſanctitudinem, quos violare ſacrilegium eſt, ſec. Diod. Sic. *Accipiter*, cujus tripodem nobilem aliquando fuiſſe apud Ægyptios memorat modò laudatus Ælian. Solis Animæque erat idolum. *Scarabæus* viri ſymbolum fuit: Unde idem annotat, Ægyptios milites, ex lege quadam patria, conſueviſſe in annulis geſtare inſculptam Scarabæi effigiem, quemadmodum Romani Imp. imaginem & nomen candenti plerunque ferro in cute inuſtum gerebant, quò fidei & fortitudinis admonerentur. *Sidus* Fati Hieroglyphicum fuit: *Leo* Majeſtatis: *Cornix* amoris conjugalis: *Ciconia* caſtitatis, &c. Etiam verò literas *Hieroglyphicas* Vett. annulis inſculptas fuiſſe, ex Heliodoro planum eſt *l.* 8. apud quem memoratur Charicleæ annulus, lapidem, qui *Pantarbe* vocatur, in pala inſertum habens, & literis quibuſdam pictus: Δακτύλιος — λίθω τῇ καλουμένῃ παντάρβῃ τὴν σφενδόνην διάδετος, γράμμασι δὲ ἱεροῖς ἐστιν ἀνάγραπτος. Nempe quod cuique in mentem veniebat, hoc vel illo apoſphragiſmate utebatur: plerunque tamen, ut Meurſ. notavit, eas annulis ſignaturas inſculpſêrunt, quæ ſibi convenirent, vel ob eventum quempiam, vel artem quam factitarent, vel munus quod gererent &c. Kirchmann. *l. c.* Cæterùm *Ars veterum Ægyptiorum Hieroglyphica*, quâ Sacerdotum priſcorum in Obeliſcorum, ſtatuarum aliorumque monumentorum, hieroglyphicis ſymbolis diſponendis, ordinandis & ſingula cum ſingulis combinandis, ratio, modus & methodus, genuinè exponitur & *Hieroglyphyca Sapientia tandem Reſtituta* jure dici poteſt, auctore Athan. Kirchero, prelum expectat. Vide etiam infrà ubi de *Obeliſcis*.

HIEROGRAMMATEI, Gr. Ἱερογραμματεῖς, erant apud Ægyptios olim, de genere Sacerdorum, iidem qui apud Aſſyrios ἱερῶν λόγων ἐπιλεγόμενοι, ut auctor eſt Lucian. *in Macrobiis*, Ægyptiorum ſacris & doctrinis præfecti, aliàs ἱεροφόροι & ἱεροστόλοι. Hi non literarum tantùm ſacrarum, de quibus ſupra, Notarii fuêrunt, ſed ſacræ quoque doctrinæ interpretes: Eoſdem vates fuiſſe Suid. innuit, qui unum ex iis Ægyptiorum Regi prædixiſſe refert, futurum Iſraëlitam virtute & gloria clariſſimum, qui imperium Ægyptiorum depreſſurus eſſet; Moſe indigitato. Iidem etiam phylacteriorum erant peritiſſimi, quorum auctor pervetuſtus fertur Jachim, in ea gente, φυλακτηρίων καὶ ἐπαοιδῶν ἔμπειρος. Porro legimus & diſciplinæ erant præfecti, & velut Senatus Principes, Regi ſemper præſtò aderant, quâ operâ, quâ conſilio, quâ doctrinâ eum adjuvantes: Tum ex Aſtrologia & ſacrorum inſpectione futura divinando, tum ex ſacrorum librorum annotatis res geſtas cum utilitate interpretando. Unde à cunctis oneribus immunes, primas à Rege obtinebant, ſceptrum quoque cum his, in formam aratri effictum, commune habentes. At, poſtquam ſub Romanorum imperio Ægyptus eſſe cœpit, nihil his hominibus contemptius, in viles tum Chaldæos, haruſpices & aliptas converſis; quod liquet ex Hadriani Ep. apud Phlegontem, quæ refertur à Flavio Vopiſco *in Saturnino*: ubi præcautione opus eſt, ad diluendam Imp. calumniam, qui perversè Chriſtianos cum Iſiacis Sacerdotibus confundens, Serapidis iis cultum tribuit. Vide plura apud Cyprian. *in Senatorem ex Apoſtatam à Chriſto ad Iſim*, & Apulej. *Met. l.* 8. ubi de eorum veſtibus, flagitioſiſſimis moribus & fanaticis furoribus prolixè agunt. Quibus adde Herod. *l.* 2. qui animadvertit, eos deraſos fuiſſe, circumciſos, veſte linea, & calceis papyraceis indutos, frigida interdiu ter, noctu bis lotos & in Deorum ſuppliciis frequenti diverberatione ſuâ ſponte cæſos. Cauſin. *in Hieroglyph. ſeu Symbol. Ægypt. Sap.*

HIEROLOGIA Nuptialis, ſeu Benedictio, quæ Sacrorum genus ab Hebræis & Chriſtianis, uti varia Sacra à Paganis, Nuptiis adhiberi ſolita eſt, magna cum religione. Et quidem, præter ſolennem Sponſalium benedictionem, deductioni in Thalamum ſeu ipſis Nuptiis, alia Benedictio ſolennis, apud Hebræos, præmitti conſuevit: dicta ברכת חתנים *Benedictio Sponſorum* ſeu ברכת נישואין *Benedictio Nuptiarum* ſeu *Deductionis*, quæ ritè adhibebatur, tam in in domo, ubi epularis lætitia celebrabatur, & ubi Thalamus erat, quàm in alio quovis loco ex more præſtituto. Cùm verò unica in domo Sponſalia ſequebatur Deductio in thalamum, utraque benedictio eadem in domo fiebat. Formula verò hæc erat: *Benedictus ſis Domine Deus noſter, Rex mundi, qui univerſa creavit in gloriam ſuam. Benedictus ſis Domine Deus noſter, Rex mundi, creator hominis. Benedictus ſis Domine Deus noſter, qui creavit hominem ad ſimilitudinem ſuam & ad ſimilitudinem imaginis Archetypi ſui, & præparavit ei ex ſe ipſo artificium* (i.e. feminam) *uſque in ſeculum. Benedictus ſis Domine Deus noſter, Creator hominis; Gaudendo gaudebit & exultabit ſterilis, colligendo liberos ſuos in ſinum ſuum in lætitia. Benedictus ſis Domine Deus noſter, qui lætari facis Sion in liberis ſuis. Lætando lætari fac par hoc amatum, juxta lætitiam à te donatam creaturæ tuæ in horto Eden ab antiquo. Benedictus ſis Domine Deus noſter, qui lætari facis Sponſum & Sponſam. Benedictus Domine Deus noſter, Rex Mundi, qui creavit gaudium & lætitiam Sponſo & Sponſæ, exultationem, cantum, hilaritatem, jubilationem, amorem, fraternitatem pacem & amicitiam. Confeſtim Domine Deus noſter audiatur in urbibus Judææ, & in plateis Jeruſalem vox gaudii & lætitiæ, vox Sponſi & Sponſæ, vox affectus mutui Sponſorum ex thalamo ſuo & pueri è choro modulationis ſuæ. Benedictus ſis Domine Deus noſter, qui lætari facis Sponſum cum Sponſa.* Eadem in *Ritualibus* Judæorum hodiernis habetur, nec ſine præeunte vini poculo ejuſque benedictione, ut in Sponſalium benedictione. Adjicitur in *Ritualibus*, *Benedictus ſis Domine, qui lætificas Sponſum & Sponſam, quique eos fortunas. Confitemini Domino, quoniam*

bonus eſt, quoniam in ſeculum miſericordia ejus durat. Multiplicentur gaudia in Iſraele & fugiant ſuſpiria. Cujuſmodi formulas aliaſque Eſræ acceptas ferunt. Quin ut decem minimùm eique majores ætate, atque ingenui adeſſent huic benedictioni, ex more exigebatur: cujus numeri anſam ex Hiſtoria Ruthæ ſumunt Magiſtri, ubi hujus & Boazi nuptiis adfuiſſe decem Seniores, legimus Ruth. *c.* 4. *v.* 2. & 11. Horum qui maximus natu aut digniſſimus, Benedictionem præibat; quæ integra, poſt ſolennem menſæ benedictionem, toties iteranda erat, quoties, durante Virginis convivio ſeptiduano, convivæ alii aderant, quàm qui Benedictionem audierant Deductionis; at quamdiu idem tantùm, qui Benedictioni deductionis adfuerant, convivæ manebant, poſtrema ejuſdem pars duntaxat menſæ Benedictionem, in Virginis convivio nuptiali, quotidie ſequebatur. Quod itidem dicendum, ubi cœlebs Viduam duxerat, at ubi Viduus Viduam, poſt Deductionis diem non erat iteranda. Si verò, contra morem Majorum, Benedictionem deductio fortè antevertebat, adhibenda ea erat tempore aliquo opportuno inſequenti. Habent autem Benedictionis hujuſmodi exemplum, ut ante Legem datam, in eo quod de Rebecca legitur, Gen. *c.* 24. *v.* 60. ita poſt, Ruthæ & Boazi nuptiis, Ruth. *c.* 4. *v.* 11. Etiam inter formulas, actuſque primarios Legis Studioſo ediſcendos, Benedictionis, quam exhibuimus, formulam, non omnino ignorandam fuiſſe, ajunt nonnulli. Utrum verò hanc, aliamve Sponſalitiam, an utramque intellexerit Joſeph. Antiqq. *l.* 4. *c.* 8. ubi *τὰς ἐπὶ τοῦ γάμου θυσίας*, ſeu *Sacra Nuptialia* memorat, viderint alii, Selden. *l.* 2. *Ux. Hebr. c.* 12. Septem Benedictionum meminit auctor libri Tobiæ *c.* 7. *v.* 15. & 20. & *c.* 8. *v.* 14. & 17. ubi de nuptiis Raguelis & Saræ prolixè agens, inter alia addit: *Statim etiam dictis ſeptem Benedictionibus, epulari cœpêrunt*; quo de numero conſule Maimonidem, Joſ. Caro, alioſque præfato Seldeno citatos *c.* 6. Apud Paganos loco Benedictionis Sacræ, varia erant Nuptialia Sacra, de quibus alibi actum. Sed & Benedictio planè Conjugalis habetur in illo Juv. *Sat.* 2. ſupra laudato, ut & Græcorum formula, cuivis actui ſolenni præmitti ſolita Ἀγαθῇ τύχῃ; Latinorum item, *Quod fauſtum felixque ſit* &c. Vide Liban. *Declam.* 35. Apud Chriſtianos Sacra itidem Nuptialia, ipſaque veluti contractus Conſecratio ac Benedictiones Nuptiis paſſim conſuevêre adhiberi atque à Sacrorum Miniſtro peragi, nec ſine Euchariſtiæ ſæpius communione, ut in Occidentis moribus, à qua in Oriente arcentur Digami Trigamique per biennium trienniumque. Quin & à nonnullis ſancitum legimus, Nuptias non celebrandas omnino die, quo habetur Cœna Domini, *Ordinat.* Eccl. Genev. 134. Quanquam etiam dotis aſſignatio, arrarum uſus, rituſque vett. velut non neceſſarii, aut ſæpius prætermiſſi, aut pro arbitrio aboliti ſunt, nihilominus tum in Occidente paſſim (idque non magis inter Pontificios, quàm Reformatos) Bedediction is ſacræ ac celebrationis Nuptialis à Miniſtro ſacro peragendæ uſus obtinet, ac per plura ſecula obtinuit; tum in Oriente, ubi ſacra hæc nomine *τῆς τελείας Ἱερολογίας & Ἱεροτελεστείας*, i. e. *Benedictionis Nuptialis*, continentur. Hinc Tertullian. ad Uxor. *l.* 2. *c. poſtr.* de Chriſtianorum ſui temporis, circa A. nempe C. 200. matrimoniis, *Unde*, inquit, *ſufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Eccl. conciliat, & confirmat Oblatio & obſignat Benedictio, Angeli renuntiant* &c. Ubi oblationem pro Euchariſtia ſumit Baron. etiam, & Angelos pro Miniſtris, contractum ritè initum renuntiantibus. Eique coævus Clem. Alex. *Pædagog. l.* 3. *c.* 1. ubi in uxorum ex alienis capillis ornatum invehitur, Τίνι γὰρ, inquit, ὁ Πρεσβύτερος ἐπιθήσει χεῖρα; τίνα δὲ εὐλογήσει; *Cui enim manum imponit Presbyter? Cui autem benedicet?* Et quidem Alphonſus Ciaccon. in *Evariſto* (qui Obiit A.C. 120.) inquit, *Ut connubia publicè ac legitimè fierent, juſſit; & ne vir & uxor antea unà dormirent, quàm à Sacerdote benedicerentur.* Platina verò id Soteri Papæ tribuit, circa A. C. 175. à quo decretum eſſe ſcribit. *Ne legitima haberetur uxor, niſi cui Sacerdos ex inſtituto benedixiſſet* &c. *Ep.* item Decretali Calliſti I. qui floruit A. C. 220. pro non legitimè conjunctis habentur, *abſque dotali titulo ac benedictione Sacerdotis copulati*; & de Sylveſtro, qui Papa fuit ſub A. C. 320. legitur, conſtituiſſe eum, ut Ep. fieret, qui unius uxoris fuerat, *uxore à Sacerdote benedictâ*, apud Damaſ. *in eo.* Ut de Siricio & Hormiſda, quorum illa circa A.C. 390. iſte circa A.C. 520. vixêre, nil addam: Apud quorum, ut & recentiorum ſeculorum, Scriptores ſatis obvia eſt Benedictionis Nuptialis ſeu Ἱερολογίας τῆς γαμικῆς mentio. In Synodo quoque Carthag. IV. ſub A. C. 398. Canon habetur, *Sponſus & Sponſa, cùm benedicendi ſunt à Sacerdote, à Parentibus ſuis, vel à Paranymphis offerantur, qui cùm Benedictionem acceperit, eadem nocte, pro reverentia ipſius benedictionis, in virginitate permaneant.* Hincmarus it. Archiep. Remenſ. A. C. 860. invectus in eos, qui ex raptu fieri arbitrabantur conjugium & ex iniquo contubernio legitimum matrimonium, & divinam memorans primi Conjugii Benedictionem, *Ejus rei*, ait, *imitatione etiam ſanctâ Eccl. antiquitus ſolenniter & venerabiliter cuſtodivit eos, qui in illa, velut in Paradiſo Dei, conjugio copulandi eſſent divinâ benedictione & miſſarum celebratione conjungens. Quæ viz. honeſta & religioſa conjunctio, Deo auctore cœpta, & ejus benedictione firmata, etiam inter Gentes, quæ nullam legem accepêrunt, nullam Dei habuêrunt notitiam, legitimo ordine & naturali lege ſervata eſt.* Sic ille; ſeu potius Epp. omnes, per Gallias & Germaniam *in Ep.* ad Cæſarem pro cultu & ſanctimonia Domus Domini, edita ad calcem Opuſculorum Petri Bleſenſis. A quo tempore per totum Chriſtianum inolevit orbem, ut Nuptiæ non ſolùm à Miniſtro Sacro benedicerentur, ſed & ejuſdem interventu contraherentur, aut contractus, antè à Sponſis initus, denuò ipſo præeunte celebraretur: ut eò faciliùs legitimæ Nuptiæ à clandeſtinis, aut illicitis contuberniis, diſterminarentur. Interim Selden. contendit, non pro recepto undique jure obtinuiſſe, ut Benedictio ſacra, & quidem à ſacro Miniſtro peragenda, Nuptiis eſſet neceſſaria, ante Leonem Imp. ſeu A. C. 900. aut circiter, Imò ex *Novell.* 74. *c.* 4. probare conatur, nondum Juſtiniani tempore apud Chriſtianos Orbis Rom. inoleviſſe, ut Matrimonia Benedictione ſacrâ ſacrove aliquo Miniſtro, ex jure recepto neceſſariove firmarentur: quidquid in adverſum ſive Pontifices decreverint, ſive Patres ſcripſerint. Leo itaque illo docente, ſanctionem primus edidit, *περὶ τοῦ τὰ συνοικέσια ἄνευ τῆς ἱερᾶς εὐλογίας μὴ ἐῤῥῶσθαι*, *Ne matrimonia circa ſacram Benedictionem firma habeantur.* Quam in rem ejuſdem memorat conſtitutionem Harmenopulus *Prochir l.* 4. *tit.* 4. ut & aliam Alexii Comneni 200. poſtea Annis Orientis Aug. Atque Leonina hæc vim juris poſtea obtinuit, ſicque hinc jus in matrimoniis celebrandis Sacerdotale, quatenus jus intuemur Cæſareum, ortum habuit, cùm antea, etiam ſine Sacris, rata ſatis in Oriente haberentur conjugia. Quod ad Occidentem, ex verbis Ep. Evariſti Papæ, ſaltem Evariſto tributis, in Capitula Caroli & Ludovici Cæſarum relatis, ibique vim Legis obtinentibus, videtur ſanè non ſolùm Benedictionis ſacræ uſus, adeoque ipſa contrahendi formula, in cœtu ſacro, præeunte Sacro Miniſtro inoleviſſe, ſed & Matrimonium ipſum inde tantùm pro legitimo habitum eſſe: quod evenit ſub A. C. 820. Alibi autem iidem Impp. ut publicæ fierent Nuptiæ ſtatuere, ubi nihil de Benedictione ſacra. Etiam in LL. Wiſigothorum hiſce antiquioribus *l.* 3. *c.* 14. &c. expreſſa in connubiis mentio permiſſus Comitis, Dotis conſtitutionis, Tabularumque Dotalium, ut quæ teſtimonii publici vicem obtinerent, nulla verò Benedictionis ſacræ aut Miniſtri ſacri. Quod & de aliis LL. Veterum dicendum, quæ in Re Nuptiali, ſub illud ævum, adeò diverſæ, ut Francus v. g. qui Saxonicam jure Saxonico duxiſſet, eam non legitimam uxorem cenſeret, quia non ducta jure ſeu ritu Francico, renitente interim Conc. Tiburienſi. Poſtea verò, quod de Benedictione Sacra ſic in Imp. Occidentale receptum eſt, in alia Regna Chriſtiana, quæ vicina fuêre, aliter atque aliter ſenſim diffuſum eſt, &c. De ritu Benedictionis in Eccl. Rom. ex *Ordine* Rom. cui tit. *Ordo ad benedicendam Sponſam*, alibique dicemus quædam infrà, ubi de *Nuptialibus Ritibus ac Formulis.* Addo hîc ſaltem, eſſe præter Bededictionem communem, apud Pontificios, Benedictionem aliam, *Sacramentalem* dictam, quæ ſecundis Nuptiis jure Eccl. Rom. Canonico negatur, idque tametſi pars altera tantùm antea conjugium iniviſſet nullum. Unde in Ordine præfato, ſub finem, SI BENEDICENDÆ SINT NUPTIÆ, habetur, *Parochus Miſſam pro Sponſo & Sponſa, ut in Miſſali Rom. celebret, ſervatis omnibus, quæ ibi præſcribuntur.* In Miſſali autem habetur hæc Miſſa, cujus initium: *Deus Iſrael conjungat vos, & ipſe ſit vobiſcum, qui miſertus eſt duobus, unicis, & nunc Domine fac eos plenius benedicere te.* Et ſequitur Pſ. 128. aliaque ex Epiſtolis & Evangeliis, Epheſ. *c.* 5. *v.* 22. & Matth. *c.* 19. *v.* 6. Nuptiis propria, præter communionem atque de invicem fide ſervanda commonitionem. Quo facto aſpergi ſolent aquâ benedictâ, dicitque Sacerdos: *Placeat tibi Sancta Trinitas*, & det BENEDICTIONEM, legitque ut ſolitum eſt, Evangelium S. Joh. *In principio erat Verbum* &c. uti ſuprà meminimus. In eadem Eccl. præterea Annulus (alicubi & arræ) coronaque Nuptialis benedicuntur, vide infrà. In Anglia ſequuntur inſuper Benedictiones ſigulares Cubiculi Sponſalitii ac Lecti, ipſorumque in lecto Sponſorum, nocte ſequente peragendæ ibidem, finitis ſolemnibus atque orationibus, quæ dicebantur ſuper Sponſos proſtratos ad altaris gradum & introductis illis in Presbyterium, ſcilicet inter Chorum & Altare, ex parte Eccl. Auſtrali & ſtaturâ muliere à dextris Viri, viz. inter ipſum & altare, incipiebat olim officium Miſſæ, & proſternebat ſe Sponſus & Sponſa, in oratione ad gradum Altaris, extenſo ſuper eos pallio, quod tenebatur à quatuor Clericis per 4. cornua, in ſuperpelliceis, niſi alter eorum priùs fuiſſet deſponſatus & benedictus: tunc enim non habebatur pallium ſuper eos, nec dicebatur Sacramentalis Benedictio; i. e. Benedictio aliqua, cujus verba myſterium Sponſaliorum inter Chriſtum & Eccl. ſuam deſignent. Hæc enim, ut monitum, ſecundis nuptiis negata, *Quia caro benedicta trahit ad ſe* (ut habet Rituale Sariſburienſe) *carnem non benedictam.* Verùm olim ſub Eduardo III. A.C. 1321. quamplurimi Sacerdotes etiam ſecundis Nuptiis iſtiuſmodi Benedictionem adhibebant, inde Romam convolare coacti, ut ſuſpenſionis, quæ hinc contracta, relaxationem à Joh. XXII. impetrarent. *Poſt Miſſam* (pergit idem Rituale) *benedicatur panis & vinum vel aliud quid potabile, in vaſculo & guſtent in nomine Domini, Sacerdote dicente, Dominus vobiſcum.* Oremus: *Benedic Domine panem iſtum & hunc potum & hoc vaſculum, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto & ſex hydrias in Chanaan Galilææ, ut ſint ſani & ſobrii atque immaculati omnes guſtantes ex eis; Salvator Mundi, qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus Sancti Deus.* Et ſequuntur Benedictiones Cubiculi atque Lecti &c. uti diximus. In qua formula quid immutatum ſub Eduardo VI. A.C. 1549. qui biennio poſt, pluraque alia hanc in rem vide apud Selden. laudato *l.* 2. *c.* 24. & *ſeqq.* ut & hic infra, ubi de *Velandi more.*

HIEROMIACE, Syriæ fluv. Gadaram præterfluens, in Geneſaram lacum excurrit. Plin. *l.* 5. *c.* 18.

HIEROMNEMON, Græcè Ἱερομνήμων, Diaconale officium erat in Eccl. CP. magnæ exiſtimationis; cui incumbebat, Patriarcham *Pontificaliter* induere, preces in libro indicare, in throno locum electis ac conſecratis adſignare, & *contacium* ordinationis conſuetum intonare: uti Cerimoniarum Magiſtri in Aula Pontificia ſolent, vide Dom. Macr. *in Hierol.* Faciebat autem id unà cum Canſtriſio, ut viz. ſacra ſtola indueret Patriarcham; quòd ſi Sacerdos eſſet *Hieromnemon*; *κενῷ ὀνόματι nudo nomine*, officio ſuo defungebatur, neque, in miniſterio indumentorum Patriarchalium, Diaconi vicem agebat, ut auctor eſt Joh. Ep. Citri *Reſp. ad Conſtant Cabaſilam.* Vide plura apud Codin. *de Officiis* Aulæ CP. De *contacio* verò, Græcè *κοντάκιον*, quod in genere *tomum* ſeu *volumen*, in ſpecie librum denotat Vitam factaque alicujus Sancti continentem, vide Joh. Meurſ. in *Gloſſ.* Habuêre autem & Gentiles Ἱερομνήμονας ſuos imò, ab ilis vox retenta in Eccl. de quibus diximus aliquid retro in voce *Grammateus.* Vide & *Amphictyon*: namque & hos Ἱερομνήμονας dictos, diſcas ex Schol. Ariſtoph. *in Nebulis.*

HIEROMONACHI, Græci Ἱερομόναχοι Græcis dicuntur, qui non ſimpl. Monachi, ſed Sacerdotes ſunt. *Hiſt.* Conc. Florent. *ſ.* 3. *c.* 15. Ἱερομόναχος ὁ Κύριος Παχώμιος κλ. *Monachus conſecratus*

eratus D. Pachomius &c. Aliter Ἱερωμένοι Μοναχοὶ & Ἱερεῖς Μοναχοί. Vide Meurſ. *Gloſſ.* in voce Ἱερομόναχος, & Cl. Suic. *Theſ. Eccl.* in eadem quorum hic etiam de vocibus Ἱερουργιστὴς & Ἱεροτελεστὴς, Apoſtolis κατ᾽ ἐξοχὴν tributis apud Scriptores Eccleſ. quædam addit.

HIERON, ſive Alexandrinus, ſive Epheſius, commemoratur Phlegonti Tralliano, *de Mirab. c.* 2.

HIERON, Hiberniæ prom. & aliud in Sarm. Europ. *Ptol.*

HIERON, Oros, Cretæ maritimum opp. Ptol. *Monte Sacro*, Pineto. prom. in ora Auſtr. apud Hierapytnam, Ferr. Item lacus Aſiæ min. ad Pontum Euxinum. *Arrian.*

HIERON Stoma, i. e Sacrum oſtium, unum ex oſtiis Iſtri, in Myſia inf. Auſtr. apud Peucen inſ.

HIERONESUS, inſ. Siciliæ; fortè *Hiera.*

HIERONICA Lex, cujus meminit Cic. *Verrinâ* 4. ab Hierone Siciliæ tyranno lata, conſtituit quantum frumenti, aut quo pretio, quove tempore arator frumentum decumano, i. e. publicano, qui decimas redemerat, daret. Quod tam cautè ſcriptum erat, ut nec arator decumanum fraudare, nec decumanus plus decima ab aratore auferre poſſet. Proin ob legis æquitatem, Romani Sicilia potiti, nihil mutarunt. Illud quoque in hac lege memorabile fuit, quòd numerus aratorum quotannis apud Magiſtratus publcè ſubſcribebatur. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 12..

HIERONICÆ, vide infrà ubi *de Ludis Iſelaſticis, Sacris, Olympionicis*, in voce *Victor* &c.

HIERONYMITÆ, aliàs *Eremytæ*, *S. Hieronymi*, congregatio ſacra Commun. Rom. in Italia & Hiſpania ſtabilita, & A.C. 1373. à Greg. XI. confirmata. Ad hanc ſpectat congregatio S. Iſid. cujus monaſter. Hiſpali eſt, cum Monaſt. S. Laurentii, Eſcurialis nomine à Philippo II. magnificentiſſimè extructo. Polyd. Virg. *de Inv. Rer. l.* 7. *c.* 4.

Reges & Viri Illuſtres.

HIERONYMUS Siciliæ tyrannus, Hieroni patri ſucceſſit, admodum puer; cui pater metuens, relictis tutoribus duodecim moriens injunxit, ut fidem erga pop. Rom. Annos 50. à ſe cultam, inviolatam ſervaret. Hic poſteà abjectâ tutelâ contemptâ patris diſciplinâ ac moderatione, luxurioſius, & arrogantius agendo, à Romanis deſcivit, Annibalique adhæſit. Cumque ſuperbè nimis in cives ſeſe haberet, ab eis interfectus eſt. Item hiſtoricus Rhodius familiaris Demetrii Poliorcetis, relictuſque ab eo præfectus in regione Bœotiæ, ſcripſit res ipſius Demetrii geſtas. Plutarch. *in Demetr.* Item Rhodius Philoſophus qui finem ſummi Boni ponebat in indolentia.

HIERONYMUS, ſcriptor Eccleſiaſticus, vir doctiſſimus, ac eloquentiſſimus. Natus eſt Stridone opp. ſito in finibus Dalmatiæ & Pannoniæ, poſtea everſo à Gothis. Patris nomen erat Euſebius: adoleſcens à parentibus, diſcendi causâ, Romam miſſus eſt, ubi Donatum ac Victorinum rhetorem audivit, & aliquandiu Damaſi Papæ ſcriba fuit, ibi baptizatus. Poſtea, ut linguas, & doctrinam Eccleſiæ cognoſceret, & cum præcipuis Eccleſiæ Doctoribus colloqui, & vivas audire, & reddere voces poſſet, magnam partem Europæ, & Aſiæ peragravit. Gregorium Nazianzen. in Cappadocia Epiphan. in inſ. Cypro, Didymum Alexandriæ in Ægypto audivit. Linguæ Hebrææ cognitionem tantâ aviditate & ardore expetiit, ut noctu Judæum Barrabanum diſcendi causâ conveniret. Tandem bonam vitæ ſuæ partem in Bethleem tranſegit, quò ut liberius orationibus vacaret, Bibliaque Latina faceret, ſe receperat. Hic contrà Vigilantium & Jovinianum ſcripſit, ſed dum contra hunc Cœlibatum extollit, Conjugium nimis depreſſiſſe viſus eſt. Contra illum, Martyres in Oriente, Ægypto & Romæ adorari, cereoſque clarâ luce ſub religionis prætextu accendi, negat: quòd ſi à feminis id in Martyrum honorem fiat, ex zelo ſine ſcientia fieri contendit. Primus in dialogis ſuis Pelagium aggreſſus, cum infeſtum habuit, inprimis cum Joh. Patriarch. Hieroſolymitani favore hic niteretur. Cum Rufino colliſus, paulo vehementior fuit. Auguſtino, de origine Animæ, interroganti ſe, reſpondit. Vitam cum morte ibidem commutavit, An. 91. ſecundùm alios 81. agens, A.C. 422. *Linguarum Hiſtoriarum, & locorum ſitus peritiſſimus vir* dicitur Fullero *Miſcell. l.* 2. *c.* 8. Quod de Cardinalatu ejus quidam commenti ſunt, meritò exploditur ab eruditis, cùm ejus tempore nondum natus ſit ille murex, cujus ſanguine Cardinalium purpurâ tingi ſolet. Scripta ejus Mariani Victorini opera collecta, alterâ editione Pariſiis 9. tom. impreſſa ſunt, A.C. 1623. Vide Morer. *Dict. Hiſt.*

HIERONYMUS, Athen. unà cum Nicodemo claſſi à Conone præpoſitus, dum ipſe ad Regem alloquendum proficiſcitur. Diod. Sic. *l.* 14.

HIERONYMUS, Xenophontis fil. Poëta Dithyrambicus, puerorum amore inſaniens eoque famoſus, traducitur ab Ariſtoph. hirſuto, veluti Centaurus, exſtitiſſe corpore. Scholia ad *Acharn. Act.* 2. *ſc.* 3. Eum quoque tragœdiarum auctorem fuiſſe affirmant, ſed inæqualem & diſpoſitionis artificio deſtitutum; præterea argumenta nimis affectibus ac perturbationibus referta tractaſſe & terribilibus perſonis uſum. Eundem etiam, quòd eſſet denſis & hirtis capillis, *Orcigaleam* vocat Comicus *p.* 390. *E.*

HIERONYMUS Æmilianus, Venetus nobilis, fundator Clericorum Regularium, qui *Somaſci* dicuntur, pôſtquam in bello copiarum ductor, fortitudinis plurima edidiſſet ſpecimina. Congregationis finis educatio orphanorum eſt. A. C. 1530. Obiit A. C. 1537. Vide Morer. *Dict. Hiſt.*

HIERONYMUS Albani, Bergomas, Cardin. ſcripſit *de Donatione Conſtantini: De Cardinalibus, &c.*

HIERONYMUS Albertuccius Burſelli, Bononienſis, Dominicanus. Auctor Chronici, ad A. C. 1491. &c. Obiit A. C. 1497. Leander Alb. *l.* 4. *de Vir. Ill. Prædic. & Deſcr. Ital.*

HIERONYMUS Alex. Cardin. ex Comit. Landriacis, in Foro Julienſi ditione: A Ludov. XII. Lutetiam vocatus, Græc. Linguam ibi docuit. Dein ſub Leone X. Bibliothecarius; ſub Clem. VII. Ep. Brunduſinus, ab eodem Nuntius in Galliam miſſus, cum Franciſco I. ad Ticinum captus eſt. Sub Paulo III. purpuram meruit, in Germaniam miſſus, cum Evangelicis diſputavit. Obiit Medici imprudentiâ Romæ A. C. 1542. Memoriæ inprimis felicitate inclytus: ipſe ſibi Epitaphium græcis verſibus condidit. Paul. Jov. *in Elog. c.* 98. Victorel. *in addit. ad Ciaccon. &c.*

HIERONYMUS Balbus & Bardus, quorum ille primus Ep. Carinthiæ, *de Coronatione.* Item *de civili & bellica fortitudine*: iſte Monachus Florentinus, Chronicon ſcripſit, uſque ad A. C. 1580.

HIERONYMUS Bolſecus, Medicus Lugdunenſis, religione ſuâ ejuratâ, Calvinum & Bezam ſcriptis laceravit, cui Antibolſecus in Germania oppoſitus.

HIERONYMUS Cagnolius, Vercellenſis, Jus Patavii profeſſus eſt. Opera ejus 3. volum. proſtant.

HIERONYMUS Cardanus, vide *Cardanus.*

HIERONYMUS Cardianus, Cardiâ vel Cardiopoli Thraciæ oriundus, Hiſtoriam Alex. ſcripſit, aliaque, de quibus vide Suid. Diod. Sic. Apollod. &c. Non confundendus cum Phœnicio vel Ægyptio illo Syriæ præfecto, de quo Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 11.

HIERONYMUS Donatus, Venetus Julio II. gratus, Joh. Damaſcenum, Alex. Aphrodiſæum, &c. Latinè vertit. Paulus Jov. *Elog. c.* 56.

HIERONYMUS Empſerus, Germanus, contra Lutherum ſcripſit, ejuſque verſioni Bibliorum aliam oppoſuit.

HIERONYMUS Fabricius ab Aquapendente, Anatomicus celeberrimus, ſec. præt.

HIERONYMUS de S. Fide, ex Judæo Chriſtianus, eruditione inclytus, ſec. 15. Obiit A. C. 1412.

HIERONYMUS Forojulienſis, Jacobinus, Hiſtoricus. Leander Alb. *l.* 4. *de VI. Ord. Præd.*

HIERONYMUS Fracaſtorius, Veronenſis, Medicus, Poëta & Mathematicus, Obiit A. C. 1553. Vide *Fracaſtorius.*

HIERONYMUS Jacobus, vide *Jacobus.*

HIERONYMUS Lignanus, Gen. Carthuſianorum edidit hymnos. Obiit A. C. 1594.

HIERONYMUS Magius, eruditione multiplici, machinarum inprimis peritiâ præt. ſec. inclaruit. Natus apud Inſubres Anglariæ, in ditione Mediolanenſi, quæ Petrum quoque Martyrem, Hiſpanicarum rerum ac novi Orbis per decades Scriptorum, & Angelum Caninium eruditis linguis ad miraculum inſtructum dedit: ſub Franciſco Robortello Utinenſi Bononiæ Duce Eloquentiæ atque Hiſtoriæ, literis vacavit. Ad Juriſprudentiam dein ſe, Græcis etiam literis probè inſtructus, contulit. Inde Judex cauſarum militaris à Venetis in Cyprum miſſus, jus ibidem dixit. Obſeſſâ poſtea à Turcico exercitu Famaguſtâ A.C. 1571. ac vertente anno captâ, vivus in hoſtium manus perveniens & in Aſiam abductus, ibi duro ſervitutis onere preſſus eſt. E qua ut liberaretur, ſcripſit è vinculis *de Tintinnab. Comm.* ad Carolum Rymium Maximiliani II. Imp. & alterum *de Equuleo*, ad Franciſcum de Noailles Ep. Aquenſem Caroli VII. Gall. Regis Legatos, qui cùm nihilominus miſerum negligerent, à Mahomete Baſſa domino ſuo die 27. Martii A. C. 1572. nocte ſtrangulatus & inter ejus mancipia ſepultus eſt. Edidit ſuperſtes hæc fere: *Annotat. in Æmil. Prob. de Mundi exuſtione & die Judicii*, *Variarum lectionum ſeu Miſcellaneorum libb.* &c. Edere verò promiſit *in Bucolica Virg. de Antiquorum prandiis & cœnis*, *Annotationes in A. Gell. Hortorum libros, de Machinis, de Urbium expugnatione & propugnatione Ital. de Urbium Architectura, Necrotaphologiam ſeu de ſepulchris & ſepeliendi ritu l.* 10. Μισοπωγισίας *l.* 5. Porro, *Lexicon Juris*, *Annotationes in Inſtitut. Juris, ad L. Juliam de adult. L. Cùm vir nubit*, *Apophyades ad Budæi Annotationes in Pandectas* &c.

HIERONYMUS Manfredus, Ferrarienſis, Bononiæ docuit. Scripſit *de Cardinalibus*, *de Attentatis.* Alius Medicus & Aſtrologus Bononienſis. A. C. 1450.

HIERONYMUS Methnicus, vulgò Vadiana, ſcripſit *Flagellum Dæmonum, Fuſtis Dæmonum, &c.*

HIERONYMUS Oleaſter, Jacobinus Luſitanus, in S. Scripturam commentatus eſt.

HIERONYMUS Oſorius, Ep. Portugall. ſub ſec. præt. finem. Opera ejus 4. volum. habentur.

HIERONYMUS Pauli, Barcinonenſis, varia ſcripſit. Tom. 2. *Hiſp. Illuſtr.* Voſſ. *de Hiſt. Lat.*

HIERONYMUS Pragenſis, purioris religionis aſſertor inſignis, Wiclefi & Joh. Huſſi diſcip. Artium Magiſter, ingenio, eruditione, facundiâ excellens, vide Ep. *Poggii ad Leonh. Aretinum.* Damnatus in Conc. Conſtantienſi, & aliquandiu poſt Joh. Huſſium, crematus eſt die Sabbathi, poſt feſtum Aſcenſionis, ſeu 30. Maji A.C. 1416. Tantæ conſtantiæ Vir, ut in ipſo rogo lætus cantaret:

Salve feſta dies, toto venerabilis anno!

Carnificem vero à tergo accedentem inclamarit, *Huc accede & ante oculos accende ignem; quem ſi timuiſſem, cùm fugere licuit, huc non acceſſiſſem.* Vide præter Poggium, Æneam quoque Sylv. Item Dubrav. *Hiſt. Bohem.* & in voce *Johannes Huſſius.*

HIERONYMUS Presbyter, Æthicum Hiſtriæ Sophiſtam Græcum compilavit, de quo vide Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 826.

HIERONYMUS Rhodius, diſcip. Ariſtot. hiſtoricos comment. ſcripſit. Athen. Plutarch. *Diog.*

HIERONYMUS Rubæus, Hiſtoriæ Ravennatis Auctor.

HIERONYMUS Savanarola, vide ibi.

HIERONYMUS Seripandus, Cardin. Apulus, legatus Pii IV. ad Conc. Trident. ibi Obiit A.C. 1563. ſcripſit comm. in Epp. Paulinas, & Epiſtolas Catholicas. Item de Juſtificatione libb. 3. Victorel. *in addit. ad Ciaccon*

HIERONYMUS Surita, vel Zurita, Auctor Ann. Hiſpan. & nota-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

notarum, in Itinerarium Antonini. Invenit in Bibl. quadam Sicula Chronicon Alexandrin. Vide *Surita Hieronymus*.

HIERONYMUS *la Vallée*, Patavinus, Medicus, Poëta & Orator, proſâ verſuque editis ſcriptis nomen adeptus, floruit A. C. 1440. Legatus Venetus, Romæ Obiit, A. C. 1443. Scardeon. *l.* 3. *Rer. Patav.* Geſner. *in Bibl.* &c.

HIERONYMUS Zanchius, Italus, ſacrarum literarum, Argentinæ, Heidelbergæ & in Schola Neapol. Nemetum Profeſſor, multis in re Theologica ſcriptis libris, optimè de Eccl. Chriſtiana meritus, Obiit Heidelbergæ, A. C. 1490. Æt. 75. Vide quoque in voce *Zanchius*.

HIERONYMUS Zurita, vide paulò ſuprà.

HIEROPHANTA, Græcè Ἱεροφάντης, Sacerdotis nomen apud Athenienſes, quos cicutæ hauſtu Veneris ardorem reſtringere conſueviſſe; imò ſe ipſos eviraſſe, tradit Hier. *c. Jovinian.* & *Ep.* 11. Propriè verò ſic dicebatur in ſacris Hecates: quemadmodum in ſacris Mithriacis *Pater ſacrorum*; in ſacris Matris Deûm, *Tauroboliatus*. Vet. *Inſcr.* Romæ: VETTIO. AGORIO. PRÆTEXTATO. VIRO. C. PONTIFICI. VESTÆ. PONTIFICI. SOLIS. QVINDECIMVIRO. AUGURI. TAVROBOLIATO. CURIALI. NEOCORO. HIEROPHANTÆ. PATRI. SACRORUM. Eum ἠχεῖον, *i.e. tintinnabulum* ſive nolam pulſare Athenis conſueviſſe, refert Apollod. *l. de Diis.* Vide Franc. Swertii *Notas in Hier. Mag. l. de Tintinnab. c.* 10. ubi & inter Symbola Eleuſiniorum *Hierophanta* fuit, Salmaſ. *ad Solin. p.* 750. & 752. Heſych. Ἱεροφάντης eſt μυσταγωγὸς, ἱερεὺς ὁ τὰ μυστήρια δεικνύων. Nempe ὁ τὰ ἱερὰ φαίνων, qui ſacra & ſymbola τοῖς τελουμένοις oſtendebat. uti diſcimus ex *Alcibiade* Plutarchi. Atque hic erat cæterorum Sacerdotum Antiſtes: unde idem *in Numa* Pontificem Max. apud Rom. eum obtinuiſſe inter Sacerdotes locum ait, quem προφήτης vel Ἐξηγητὴς, aut potiùs Ἱεροφάντης, apud Græcos tenebat. Idem enim cum *Hierophanta* Propheta fuit, ut cujus partes fuiſſe, ſiparia, reducere, ſimulacrum initiatis oſtendere, & myſteriorum obſcura interpretari, docet Themiſtus *Orat.* 2. ornare porrò ſeu veſtire idola & cerimonias bajulare, Firmicus *l.* 3. *c.* 11. & 16. Hoc tamen videtur inter utrumque interceſſiſſe diſcrimen: quòd *Hierophanta* ὁ φαίνων τὰ ἱερὰ, quatuor officio ſuo fungebatur, erat etiam προφήτης, quatenus ſc. myſticam religionem explanabat: at verò ſubjectos quoque habebat προφήτας & Ἐξηγητὰς, quorum opera quandoque utebatur. Deſid. Herald. *Animadv. Arnob. l.* 5. Hinc Fem. *Hierophantria* uti de ejuſdem Vettii uxore legimus, in alia Inſcr. FABIÆ. AGORIÆ. PAULINÆ. &c. SACRATÆ. APUD. ELEUSINAM. DEO. JACCHO. CERERI. ET. CORÆ. SACRATÆ. APUD. ÆGINAM. DEABUS. TAUROBOLIATÆ. ISIACÆ. HIEROPHANTRIÆ. DEÆ. HECATÆ. &c. apud eund. *ad Lamprid. in Heliogab.* Sic porrò Sacri Doctores ſive ſacrarum rerum conſulti dicti ſunt, quales Romanorum fuêre Pontifices, de quibus ita Dionyſ. Halic. *l.* 2. *p.* 132. *Pontifices*, inquit, *de omnibus cauſis ad ſacra pertinentibus judicant, tam inter Magiſtratus ſacrificos, quàm inter privatos homines: novaſque leges de ſacris arbitratu ſuo condunt, ſicubi deſtituuntur ſcriptis legibus: & magiſtratus, penes quos cerimoniæ ſunt, ac ſacrificia Sacerdoteſque omnes, examinant: Miniſtros quoque ſacrorum in officio continent, ne quid præter ſolennes ritus faciant, à profano etiam & imperito vulgo conſuluntur de cultu Deorum ac Geniorum, aliiſque Religionibus, quòd ſi quem animadvertant præſcripta ſua contemnere, eum mulctant pro delicti magnitudine. Ipſi nullius poteſtati ſunt obnoxii, nec tenentur ad reddendam rationem vel Senatui vel Populo.* Eadem ferè Cic. habet in *Orat. pro Domo, pro Lentulo* &c.

HIEROPHILUS Chalcedonius, Phalaridis σύγχρονος, eum graviſſimo morbo laborantem ſanavit, Anatomica inprimis ſcientia illuſtris, ut quam facinoroſorum à Rege ſibi miſſorum diſſectione magnopere auxit: Unde Tertullian. *de Anima c.* 10. *Hierophilus ille Medicus, aut lanius, qui ſeptingentos* (vivos nempe) *exſecuit, ut naturam ſcrutaretur* &c. Vide Voſſ. *de Philoſ. c.* 11. §. 2.

HIEROPHYLAX, Græca itidem vox, *ſacrarum rerum cuſtos*, nomen officii in Eccl. Gr. *Sacriſto* Latinis. Vide Dom. Macr. in *Hierol.* & in vocibus *Ædituus* ac *Sacriſta*. Aſt *Hieroſiarchus*, Princeps ſacrorum, quod Pontificis Max. proprium; pro *Hierophylace* legit *in L. annua* 20. §. 1. *de ann. leg*, Alex. ab Alex. *Genial. Dier. l.* 5. *c.* 17.

HIEROS-COLPOS, i.e. *ſacer ſinus*, prope Aradum civitatem eſt. *Steph.*

HIEROSCOPIA, Vide *Divinatio*, it. *Extiſpices*.

HIEROSOLYMA, plur. num. & *Hieroſolyma* ſing. & *Hieruſalem* indeclinab. Aliter

Solyma, Luſa, Bethel, Jeroſolyma, Jebus, Eliæ,
Urbs ſacra, Jeruſalem *dicitur, atque Salem.*

Urbs Palæſtinæ, clariſſima, & florentiſſima urbium Orientis, quemadmodum Plin. ſcripſit, *l.* 5. *c.* 14. In tribu Benjamin, edito in loco, in montanis nempe, ſita eſt. A Mer. eſt mons Sion, in cujus latere ſedet: ab Occaſ. idem mons: Ab Or. ejus murum torrens Cedron alluit. 40. mill. paſſ. à Joppe & litore maris Syrii, inter Damaſcum & Babylonem Ægypti, inde 160. mill. paſſ. hinc 300. ab Alexandria 400. Dicta autem primùm fuit *Solyma*. Sed cùm Rex Cananææ, Juſtus nomine templum addidiſſet, *Hieroſolyma* appellari cœpta eſt. Græci enim ἱερὸν, *templum* vocant. Euſeb. quaſi ἱερὸν Σολομῶντος, i.e. *ædem Solomonis*, dictam putavit, *l.* 9. *Præp. Evang.* B. Hier. *in Ep. ad Euſtachium de vitâ Paulæ: Ingreſſa eſt Hieroſolymam urbem trinominem Jebus Salem, Hieruſalem: quæ ab Ælio poſtea Adriano, de ruinis & cineribus civitatis in Æliam ſuſcitata eſt.* Nempe ſignificat, Hadrianum de reliquiis & ruinis, novam extruxiſſe urbem, quam ab re *Æliam* appellavit, quod & *ad c.* 1. *Joëlis* docet. Malè, ut Scal. oſtendit *Animadverſ. Euſeb. p.* 164. Sed nomen *Hieruſalem* contractum & leviter immutatum ex *Jebus* & *Salem*, quæ vera originatio eſt: Jebuſitæ enim captâ olim urbe, arcem hîc ædificârant, *Jebus* nomine, à Davide expugnatam. Vide infrà. Nugæ enim ſunt, quæ de *Solymis* gente Homero celebrata & *Hieroſolymo* Duce apud Tac. *Hiſt. l.* 5. *c.* 1 & 2. & apud Plutarch. legimus. Hîc tot ex Sacerdotali fam. commorari ſoliti, ut circa tempora Davidis & Salomonis eorum XXXVIM. numerarentur. Sedes divini cultus regnique Iſraëlitici primò, totius dein Judaici. Hiſtoria altiùs repetita ſic habet: Extructa urbs fuit à Melchiſedecho, quam cùm occupâſſent poſtmodum Jebuſitæ, nihil obſtante arce eorum *Jebus*, de qua ſuprà, Joſua urbem expugnavit, Regemque Adonizedec, cum quinque aliis principibus captum neci dedit. Poſt ejus Obitum, urbe Jebuſitæ rurſus potiti, mox iterum ab Iſraëlitis in arcem compulſi ſunt: quam demum Rex David ſuam fecit, ei nomine indito *Civitatis Sion*. Quo factum, ut, quamvis in tribu eſſet Benjamin, nihilominus ad tribum Juda referretur: & hactenus quidem Iſraëlitæ Jebuſitis mixti hîc degebant. Rex dein Salomon inſignibus ædificiis, templo inprimis magnificentiſſimo urbem exornavit. Sed ſtatim poſt mortem ejus, à Siſaco Ægypti Rege capta, & direpta eſt, regnante Roboamo. Iterum in manus Joæ Iſraëlitarum Regis pervenit, ſub Amazia Rege Judæ; poſtea quoque occupata ab Aſſyriis, cùm Manaſſes: & à Nebucadnezare Babyloniæ Rege cùm Jechonias rerum potirentur. Hic Sedeciâ in throno collocato, perfidiâ ejus commotus, obſedit Hieroſolymam, cepitque, poſt difficile obſidium, d. 5. menſis quarti A. M. 3444. quo per portam Piſcium ingreſſi Chaldæi urbem, cædibus flammiſque omnia vaſtârunt, reliquiis populi cum Rege in Chaldæam abductis. Ubi poſtquam ſub duro ſervitutis jugo Annos 70. duraſſent, à Cyro veniam impetrarunt in Palæſtinam redeundi muroſque Hieroſolymorum cum templo reædificandi, quod factum Zorobabelis, Eſræque auſpiciis. Sequentibus temporibus denuo ab Antiocho Epiphane capta urbs, brevi tamen à Juda Macchabæo recuperata eſt: fruſtra iterum à variis Syriæ regibus aliquoties tentata. Pompejus dein urbe occupatâ, nihil non licentiæ furenti ibi militi permiſit: quam malè quoque habuit poſt eum Herodes Aſcalonita, poſteà tamen reparavit mirumque in modum exornavit. Donec, FILIO DEI in crucem hîc acto, capta, direpta, & ſecundùm Chriſti vaticinium funditus everſa eſt, poſt obſidionem ſemeſtrem famemque incolarum inauditam, ut & alia obſeſſorum mala, à Tito, A. C. 73. Templo capto d. 4. Aug. qui Sabbathum erat, & incenſo, arce quoque d. 8. Septembr. ab hoſte expugnatâ. Sic in cineribus ſedit tota, Regina Orientis & veræ Religionis per 1100. Annos metropolis, templumque adeò everſum eſt, ut *nec lapis ſuper lapide remanſerit*, prædicente CHRISTO: quæ verba eluſurus Julianus Apoſtata, fruſtra fuit, flammarum è ſubterraneis locis proſilientium vi devoratis iis, quos moliendis fundamentis adhibuêre Judæi, quibus is veniam reædificandi urbem conceſſerat. Vaſa autem templi à Veſpaſiano in templo Pacis Romæ repoſita, docet Hier. Ab eo tempore urbs prorſus jacet. Quæ enim ab Hadriano Imp. A. C. 132. extructa, *Ælia* etiam quibuſdam dicitur, non eodem loco ſita eſt. Vide infrà. Hîc cum Duce Barchocheba Judæi rebellaſſent, ſubterraneis ſibi perfugiis præparatis, nihilominus ab Imp. excuſſi ſunt, & totâ Judæâ peſſimè habiti, quos ut acrius caſtigaret, etiam ingreſſu urbis illos in poſterum arcuit, imò vel eminens, aut ex loco editiore urbem aſpiciendi poteſtate demptâ, Inſuper porcum in porta Bethlehemum ducente ſculpi, Templum Veneri in monte Calvariæ: Jovi in loco Reſurrectionis CHRISTI, Adonidi in pago Bethlehem dicavit, quæ uſque ad Conſtantin. Mag. extitêre. Hic urbem novis colonis auctam, magnificè ornavit, quæ tamen ſub Heraclio Imp. à Coſroë II. Perſarum Rege iterum occupata eſt. Septimo & octavo ſec. ſub Saracenis Mahometi ſucceſſoribus gemuit, donec illam is Aaron Perſarum Rex Carolo Magno donavit, Legati ſolùm titulo in hac regione ſibi reſervato. Sed poſt Caroli mortem, relapſa eſt ſub jugum Barbaricum: uſque dum expeditione ſacrâ in Conc. Claramontano decretâ, Godofredus Bullionæus Dux expeditionis, illam occupavit, A. C. 1099. d. 15. Jul. Regni Hieroſolymitani fundator & primus Monarcha dictus, cujus ſucceſſores ſubinde à Saracenis, bello petiti ſunt, uſque ad tempora Guidonis Luſiniani mariti Sibyllæ, ditionum iſtarum hæredis, qui à Saladino Syriæ Ægyptique Sultano urbe captâ A. C. 1187. d. 2. Octobris toto regno, exceptâ Tyro, Tripli, Antiochia, & caſtris aliquot exutus eſt; poſtquam Regnum 88. ſolùm Annos durâſſet: à quo tempore titulus Regni, poſt ambitioſas Chriſtianorum Principum lites, Hiſpaniæ Regibus tandem manſit. Captâ ſic urbe & occupato regno, Chriſtianorum conatus quidem varii, ſed irriti ſemper fuêrunt. Imo ab Alfiro Sultano Ægypti, quidquid reſtabat in Or. Chriſtianis ereptum eſt, A. C. 1288. exceptâ Ptolemaide, quæ & ipſa tandem, in manus Sultani Melec-Arafi, qui Alfiro ſucceſſit, redacta eſt, A. C. 1291. d. 19. Maji, cæſis pulſiſque omnibus Chriſtianis. Sub Califis Ægypti ſic Terra olim Sancta poſtquam fuiſſet uſque ad A. C. 1507. Selimus Turcarum Imp. illa potitus eſt. Nunc *Chuz* Turcis: Parvi circuitus eſt, vix decem mille incolas Turcas partim Æthiopes, Arabes, Judæos: Item Chriſtianos ſchiſmaticos, Græcos, Armenios, Maronitas, Abyſſinos, Neſtorianos, Latinos Ordinis plerunque Franciſcani, quibus ibi inſigne templum S. Salvatoris continens, deficitque indies, propter Arabum incurſiones. Vide infrà. Eccl. Hieroſolymitana à Chriſto fundata ejus nativitate, vitâ, miraculis, paſſione & morte, ſepulturâ, reſurrectione, & aſcenſu in cœlum, miſſione Spiritus S. concionibus, miraculis, martyrio etiam unius Apoſtolorum, ſanctificata; fuit ſub Metrop. Cæſarienſi, ſecundùm Canonem 7. Conc. Niceni: *Mos antiquus obtinuit, ut Æliæ, i.e. Jeroſolimæ Ep. honoretur, ſalvâ Metropolis propriâ dignitate.* Nihilominus Juvenalis Ep. in Conc. Chalcedonenſi obtinuit, ut Hieroſolyma triplicem Palæſtinam in poſterum ſibi haberet: quod demum Conc. 2. CP. effectui datum eſt, A. C. 553. quo, poſt condemnationem trium Capitulorum, Hieroſolymitanæ Eccl. ſubjectæ ſunt Metropoles, Cæſarea, & Scythopolis, quæ priùs dependebant ab Antiocheno Patriarcha, Berytus item & Rubenſis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

benſis in Syria, quæ ſub Alexandrino fuerant. In cujus rei ſolatium Cæſareæ Imp. reddidit titulum urbis Proconſularis, quo prius uſa fuerat. Floruêrunt in Eccleſia hac viri inſignes, ſed & gravia illam afflixêre mala, ſub Idolatris, Hæreticis, Saracenis & Turcis. Primum hic Chriſtianorum Concilium habitum eſt, A. C. 49. vel 50. cujus hiſtoriam vide *Actor. c.* 15. *v.* 22. 23. & Aliud ibidem celebratum eſt A. C. 197. ob celebrationem Paſchatis. A. C. 335. auctoritate Conſtantini Magni, quo de dedicatione templi prope locum ſepulturæ JESU CHRISTI actum. Poſtquam Orthodoxi Præſules hinc diceſſêrunt, Synodo ab Arianis, qui Euſebiani dicebantur, habitâ, Arius in communionem Eccl. receptus eſt. Sed aliâ à Maximo ibidem A. C. 350. indictâ, reſciſſa ſunt acta Synodi Tyri habitæ, cujus prior appendix fuerat, iique qui Athanaſii condemnationi ſubſcripſerant, palinodiam cantârunt. De cætero vide Morer. *Dict. Hiſt.* Plura autem qui de inclyta hac urbe, magnifico Salomonis templo, viciſſitudinibus variis, Eccl. &c. ſcire deſiderat, adeat fontes ipſos ſacros Verbi Dei, libros Regum inprimis, Prophetas, Evangeliſtas, Acta Apoſtolorum: Præterea Joſeph. *in Antiqq. & de Bello*, Euſeb. Socrat. Theodoret. Sozomen. Item Bedam, Gulielmum Tyr. Geſta Dei per Francos, Jacob. Vitriacenſem, Adrichomium, Buchard. *Deſcript. Terræ S.* Torniel. & Salian. *in Ann. V. T.* Petr. de la Valle *Itin. tom.* 1. Inſuperque in vocibus *Judæa*, *Palæſtina*, & *Templum Hieroſolymitanum*. Hinc *Hieroſolymitanus*, & *Hieroſolymarius*, quo nomine dictus eſt Cn. Pompejus ab Hieroſolymis expugnatis: Cic. 2. *ad Attic. Si verò quæ de me pacta ſunt, ea non ſervantur, in cœlo ſum, ut ſciat hic noſter Hieroſolymarius traductor ad plebem, quàm bonam meis puriſſimis orationibus gratiam retulerit.*

HIEROSOLYMA, nova urbs, ab Ælio Hadriano Imp. condita. Hic enim, cum A. C. 135. Judæi rebellantes Templum reſtituere conarentur, 58. myriadas eorum uno die concidit, & reſidua veteris Hieroſolymæ prorſus deſtruxit, montem quoque Moriah, in quo templum olim conditum erat, in planitiem redegit, ne gens montis & templi fiduciâ jugum denuo excuteret. Porro 50. in Judæa arces diruit, vicoſque 980. ferro ignique vaſtavit. Poſt eam exciſionem diſperſionemque Judæorum ruinas & ſaxa murorum ex ipſis fundamentis eruit, omneſque lapides in minutiſſimas partes confregit, diminuit ac diſſipavit. Sic, cùm quidquid de urbe Hieroſolyma reſiduum erat, in pulverem cineremque eſſet redactum, nomenque etiam urbis deletum ac ſublatum, novam condidit in vicino loco, eamque de ſuo nomine Æliam, Chriſtianis etiam *Hieroſolymam*, appellavit. Poſita eſt ad montes Gibon & Golgotha, ubi Jovi atque Veneri templum conſtruxit, & in loco prioris templi equeſtrem erexit ſtatuam, imaginem nempe ſuam in columna marmorea: quæ 400. poſt C. N. Annis, Hieronymi adhuc tempore, conſpecta eſt. Porcorum etiam imaginibus è marmore ſupra portas urbis conſtitutis, urbem Jovi Capitolino conſecravit: hinc porro *Capitolinam* dictam, omnibuſque Judæis ejus ingreſſu in perpetuum, ſub inevitabili capitis pœna, interdixit: Porcorum autem illa ſimulacra, vel in ludibrium Judæorum, quibus ad eſum & ſacrificia porcinæ uſus vetitus erat, vergebant: vel veteris Albæ auſpicia renovabant: Priſcis enim Romanis hoc animalis genus ſacrum fuiſſe, innuit Virg. in loco ubi ait: *Æn. l.* 3. *v.* 390.

> —— *Alba ſub ilicibus ſus*
> *Triginta capitum fœtus enixa jacebit.*

Vide ſuprà.

HIEROSOLYMITANI Equites, vide Melitenſes *Equites*.

HIERUS, ſeu ſacer, fluv. parvus Corſicæ, nunc *Orto*. In mare Thuſcum labitur, 12. mill. ab Aleria in Auſtr. Plin. *l.* 5. *c.* 27. *l.* 6. *c.* 5 & 32.

HIGNATIA via, Strabo *l.* 7. *p.* 329. quæ & *Egnatia*, Cic. Prov. Conſ. 2. *via militaris*, à mari Ionio ad Helleſp. uſque per Macedoniam producens, longa 530. mill. paſſ. à Dyrrachio ad Occaſ. & Calipolim ad Ort.

HIGRA, Anglis dicitur quidam *quotidianus aquarum* Sabrinæ fluv. *furor, quem vel voraginem vel vertiginem undarum dicam, neſcio*, ait Gulielmus Malmesbur. *l. de Pontif. qui fundo ab imo verrens arenas & conglobans in cumulum cum impetu venit, nec ultra quam ad pontem pertendit nonnunquam etiam ripas tranſcendit & magnâ parte circuitâ terræ victor egreditur. Infelix navis; ſi quam à latere attigerit: nautæ gnari cùm vident illam* higram --- *venire, navem obvertunt & per medium ſecantes violentiam ejus eludunt*, apud C. du Freſne in Gloſſ.

HII, Inſ. Scotiæ ad Occaſ. adjacens, hodie *Jona*. Populi *Hienſes*. Camd.

HIKENILD, nomen unius ex 4. Angliæ viis celebrioribus, vide ſuprà *Ermingſtreet*.

HILACENSIS Gulielmus, vide *Gulielmus*.

HILARA, vulgò ILER, fluv. Sueviæ, juxta Memingam, in Danubium apud Ulmam labens.

HILARENSE opp. Afr. propriæ, verſus Carthaginem.

HILARIA, feſtum apud Rom. ad 8. Kal. Aprilis, quo primùm tempore Sol diem nocte longiorem portendit, celebrari ſolitum: in honorem Matris Deûm, ut ex Macrob. Lamprid. *in vita Alex. Sev.* Turnebo *Adv. l.* 24. *c.* 45. aliiſque patet. Fiebat autem id maximâ populi lætitiâ, & nobiliſſimâ pompâ, quo vice populo inſignia cujuſque dignitatis libere & impunè ſimulante, Herodian. *in Commodo*. Vide plura apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 7. Græci, à quibus Romani accepêre, hunc diem vocabant ΑΝΑΒΑΣΙΝ (ſicut præcedentem, planctu & lamentatione perſonantem, ΚΑΤΑΒΑΣΙΝ) ſicque finitâ catabaſi & luctus ſimulatione peractâ hoc die τὴν ἀνάβασιν & lætitiæ exordium celebrabant. Poſtea verò & ipſi τῶν Ἱλαρείων aſſumpsêre nomen, ut Photius docet *in Excerptis ex Iſid. vita*, Dionyſ. *Ep. ad Demophil.* & Maximus Scholiaſtes, vide Caſaub. *ad Lamprid. in Alex. Sev.* & Salmaſ. *ad Flav. Vopiſc. in Aurel.* Cæterùm *Hilaritatis* ſedes frons eſt Plin. *l.* 11. *c.* 37. *Frons & aliis, ſed homini tantùm triſtitiæ* hilaritatis; *clementiæ, ſeveritatis index.* Oculi Plauto, *Rud.* Act. 2. ſc. 4. *v.* 8.

> *Pro Di immortales Veneris effigia hæc quidem eſt,*
> *Ut in ocellis* hilaritudo *eſt!*

Et neſcio cui in nudo corpore prædicata *hilaritas membrorum*: Barth. *Animadverſ. ad Stat. Achill l.* 1. *v.* 167. In coloribus *Hilare* idem, quod *vegetum*, *floridum*, *acutum*, *clarum*, *excitatum*, Græcis ὀξὺ, εὐανθὲς, λαμπρὸν; quum ſcilicet color lumine intenſiore & clariore excitatur. Ei *plenum*, *ſaturum*, *preſſum*, Græcè βαθὺ, βαρὺ, καταχορὲς, &c. cùm viz. plus coloris, quàm luminis adeſt, opponitur, ut hîc paſſim videre eſt, ubi de his vocibus. Vide quoque Salmaſ. *ad Solin. p.* 345.

HILARION, Eremita clarus, in Syria Monachorum inſtitutum adauxit, qui cùm ſignis & miraculis jam clareſceret, in Gaza urbe tres cujuſdam matronæ filios, ſimul repentè morbo correptos, invocato nomine Jeſu, extemplo curavit: quod poſtquam auditum eſt, certatim ad eum de Syria & Ægypto confluebant ita, ut multi crederent in Chriſtum, & ſe monachos profiterentur. Nondum enim tunc monaſteria erant in Palæſtina, nec quiſquam monachos ante S. Hilarionem in Syria noverat. Ille fundator & eruditor hujus converſationis, ac ſtudii in hac provincia fuit. Hier. *in vita ejus.*

HILARION Q. Julus, auctor Chronologiæ, ſeu *l. de mundi duratione*. Pithœus edidit. Vide & *Bibl. PP. tom.* 7. Item, Monachus Veronenſis, Damaſceni, Dorothei &c. quædam vertitit, alia ipſe compoſuit. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *p.* 813.

Pontifices, Præſules, & Viri Illuſtres.

HILARIUS, Papa Rom. poſt mortem Leonis Mag. A. C. 461. Sardiniâ oriundus. Prius à Leone ad Conc. Epheſinum 2. miſſus, contra Eutychem, Orthodoxiam aſſeruit. Sub initium dein Papatus, Epiſtolam Circularem ſcripſit, quâ denuo Eutychen Neſtoriumque damnavit, & Oecumenica Conc. 4. confirmavit. Diſciplinæ Eccleſiaſticæ intentus, omnem dedit operam, ut Macedoniani hæretici, ab Anthemio Imp. Romam deducti, nullos ibi cœtus haberent. Sacerdotes nonniſi Virgines in uxores ducere juſſit. Obiit A. C. 467. Anaſtaſ. *in vitis Pontif.* Succeſſit Simplicius.

D. HILARIUS, Pictavienſis Ep. ſec. 4. hæreticorum flagellum, & malleus, rectæ fidei dogmata tam Italis, quàm Gallicanis Epiſcopis præſeminavit, ac tanquam diſertus; ſuis libris ſatiſfactionem de Trinitatis conſubſtantialitate conſcripſit & Arianorum dogmata deſtruxit. Sozom. *l.* 6. *c.* 24. Scripto Conſtantinum Imp. ab Arianiſmo, & perſequutione fidelium, Athanaſii inprimis, cohortatus, anno elapſo, Saturnini Arelat. Ariani operâ, cum Rhodanio Toloſano, in Phrygiam relegatus eſt, A. C. 356. Qradriennio pòſt, in Synodo Seleucienſi & Conſtantinop. contra Arianos fortiter Orthodoxiam tuitus, in præſentia Imp. ut cum illis diſputaret, impetrare non potuit: In Galliam proin, fraude Arianorum, qui ab homine ſibi tam gravi liberari avebant, remiſſus. Mediolani Auxentium erroris & impietatis, coram Valentiniano, accuſavit: Inde Pictavium redux, Obiit A. C. 369. Scripſit varia, de quibus, ut & plura de ipſo vide apud Morer. *Dict. Hiſt. Romani Sermonis tuba, Latinæque eloquentiæ Rhodanus*, Hier. *Murus fidei valida atque columna*, Paulino: *Eccleſiæ adverſus hæreticos acerrimus*, & ut in Epiphanio habetur, *terrificus defenſor*, Labbæo: vide Magiri *Eponym. Crit.*

HILARIUS, Aurelianenſis Ep. Gallus. Inter alia, interfuit Conc. Arauſicano A. C. 444. quo Chelidonius Ep. Veſontinus, depoſitus eſt: qui cùm Romam ad Leonem I. appellaret, & Hilarius, inſalutato Pontifice, inde decederet, irritum eſſe juſſum eſt, quidquid ab Hilario eſſet ſtatutum. Hinc, cùm provincia abſque Præſule eſſet, ſummiſſus eſt Leontius Forojul. qui Metropolitano munere fungerêtur. Obiit A. C. 449. Plura de ipſo, ſcriptiſque ejus, vide apud Auctores Morer. *Dict. Hiſt.* laudatos, Voſſ. imprimis *l.* 1. *Hiſt. contr. Pelagianos c.* 19. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 16.

HILARIUS, Diaconus Eccl. Rom. ad Conſtantium Imp. à Liberio, Ep. Rom. miſſus, cum Lucifero Callieno & Pancratio Presbytero, veritate in Conc. Mediol. acerrimè defensâ, flagris cæſus & in exilium miſſus eſt. Dein in Luciferianorum errorem prolapſus, hæreticorum baptiſmum invalidum eſſe aſſeruit: proin rebaptizatis omnibus lapſis, *Deucalion Univerſi* ab Hier. dictus eſt. Ipſi comm. in Epp. Paulinas, qui inter opera Ambroſii reperitur, & quæſtiones in V. & N. T. quæ in Auguſtini opere, tribuuntur. Athanaſ. *Epiſt. ad Solit.* Hier. *adv. Lucif.* &c.

HILARIUS, Vitellii libertus, quòd M. Cluvium Rufum detuliſſet, tanquam audito Vitellii & Othonis Principatu, propriam ipſe potentiam & poſſeſſionem Hiſpaniarum tentaſſet, ultro à Vitellio puniri juſſus eſt. Tac. Hiſt. *l.* 2. *c.* 65.

HILARIUS, Phrygius quidam vates, ſub Joviniano Principe, literarum quidem imperitus: cæterùm tantâ divinandi peritiâ præditus, ut Deus cum illo futurorum cognitionem communicâſſe videretur. Item Senator quidam Antiochenus, de quo multa apud *Suid.*

HILARODI, Græcè Ἱλαρῳδοὶ, poëtarum genus, Ionicis minùs fœdi. Inter quos Simus cum fuiſſet præſtantiſſimus, *Simodi* ſunt poſtea cognominati. Prodibant in veſte candida, virili, auro coro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

coronati, calceiſque primùm, dein crepidis uſi ſunt. Similes his Aulodi, Magodi, Lyſiodi. Eratque Aulodus *Hilarodo* per omnia ſimilis & par. Sed *Hilarodus* puero puellave pſallente canebat, Aulodus tibicine modos faciente. Aulodo & Hilarodo præmium corona, tibicini & pſaltæ nulla &c. Poſtea, uti Mimi & Satyri, ita & hæc introducta quoque inter fabulas, & *Hilarodus* quidem à Tragœdo, Magodus à Comico. Jul. Cæſ. Scalig. *Poët. l. 1. c. 52.* Vide quoque Salmaſ. *ad Solin.* ubi de variis Mimilogiæ ſpeciebus agens Γλαρῳδίαν, cum Γλαρῳτραγῳδία, quæ & Φλυακογραφία, & Rhintonica fabula, eandem facit, *p. 109.*

HILDA Abbatiſſa, *poſt multa, quæ fecit in terris, opera cœleſtia, ad percipienda præmia vitæ cœleſtis, de terris ablata tranſivit, A. C.* 680. Beda *Hiſt. Eccl. gentis Angl. l. 4. c. 23.* Monaſterium, cui præfuit, *Streaneshalh* dictum eſt, Joh. Forbeſ. *Inſtruct. Hiſt. Theolog. l. XIII. c. 9. §. ult.*

HILDANUS Gul. Fabritius, Chirurgus celeberrimus, Georgii Friderici March. Badenſis, praxin Chirurgicam feliciter exercuit Lauſannæ, quò venit A. C. 1586. & Bernæ, quò à Senatu vocatus eſt, A. C. 1615. Obiit A. C. 1634. Æt. 74. In ſua arte varia ſcripſit ſummopere æſtimata. P. Freher. *Theatro Viror. Erud. Clar.*

HILDEBERTUS Lavardinus Archiep. Turonenſis, diſcip. Berengarii; de quo ſuo tempore dictum:

Inclytus & proſâ verſuque per omnia primus,
Hildebertus *olet prorſus ubique roſam.*

Scripſit contra Berengarium, vitam Hugonis Cluniac. & Mariæ Ægyptiæ, Item 83. Epiſtolas, &c. A Baronio & Sirmondo impuritatis accuſatus defenditur à Morer. *Dict. Hiſt.* Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 2. c. 49.* Item Archiep. Moguntinus, Dux Franciæ Or. frater Conradi Imp. A. C. 931. Vitas quorundam SS. edidit. Cuſpinian. *in Othone Mag.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 2. c. 40.*

HILDEBRANDUS, Longobardorum Rex in Italia, ordine XVIII. poſt patruum A. C. 744. Ob ſeveritatem nimiam, poſt 7. menſ. Rachi cedere coactus. Paul. Diac. *Hiſt. Longob.* Sigon. *de Reg. Ital.* Vide *Childebrandus*. Item *Gregorius VII.*

HILDEFONSUS, S. Ægidii Comes & Tholoſanorum, Albigenſium in Gallia, circa A. C. 1147. patronus: cujus tempore Petrus Bruis & Henricus Monachus totam ferè Galliam, Evangelii doctrinâ, ſic replevêrunt, ut *Baſilicæ ſine plebibus, plebes ſine ſacerdotibus eſſent*, teſte Bernardo *Serm. 66. in Cantic.*

HILDEGARDIS, virgo monialis, Abbatiſſa Ord. Benedictini & Prophetiſſa, A. C. 1150. in opp. Bingio in Germania, quæ rapta frequenter in ſomnis, didicit non ſolùm, quod verbis effunderet, ſed quod ſcribendo Latinè dictaret. Multa fertur prædixiſſe de futuris: magnam inprimis Religionis mutationem. Ab Eugenio III. magni æſtimata: Obiit A. C. 1181. Æt. 82. De ſcriptis ejus, vide Voſſ. Morer. *Dict. Hiſt.* Ad hanc etiam D. Bernardus ſcripſit literas. Item conjux ſecunda Caroli Mag. filia Hildebrandi Suevorum Regis, condidit monaſterium Campidonenſe in Suevia, A. C. 777. Obiit A. C. 782. filiorum 4. filiarum 5. mater. Munſterus *in Coſmogr.* illam filiam Eſuieri; Domini Campidonenſis, ex Reginda Bavara: Vet. quidam auctor Immæ, ex Ulrici monachi San. Gall. ſorore, filiam facit. Metis ſepulta.

HILDEGASTUS, Philoſophus, & vates Gallorum, A. C. 240. carmine Sunonis Regis vitam ſcripſit. Simler. *in append. Geſn.* Sed hoc opus ὑποβολιμαῖον judicat Voſs. *de Hiſt. Lat. p. 829.*

HILDERICUS, vel HUNERICUS, nepos Genſerici ex Hunerico fil. & Valentiniani III. filia. Rex Vandalorum V. poſt Thraſimundum, A. C. 523. Ob nimiam lenitatem contemptus à ſubditis ſeptimo pòſt Anno, Gilimeri fraudibus, regno cedere compulſus eſt. Juſtiniano Imp. amicus fuit. Vide *Gelimer* ſeu *Gilimer.*

HILDEMUNDUS, Dux barbarorum, apud Vopiſc. *in Aurel.*

HILDERSHAM Arthurus, Theologus Anglus, eruditione, pietate, zelo, ſcriptis, inter quæ *Conciones in Pſalmi 51. novem priores verſ.* Item *in Hiſtoriam Samaritanæ, Joh. 4. v. 5. 7. 9. & 39.* elucent, nomen immortale adeptus. Obiit haud pridem.

de HILDESHEIM Johannes, vide *Johannes.*

HILDESHEIMENSIS Epiſcopatus, vulgò *Biſchthumb Hildesheim*, Germ. *Eveſché d'Hildesheim* Gallis, tractus Saxoniæ Inf. ſub proprio Ep. qui ſolus in tota Saxonia Pontificius eſt. Fundatus fuit ab Ludovico Pio Imp. habebatque antea juriſdictionem majorem, nunc multùm imminutam, pro maj. parte Ducatu Brunſv. cinctam. Sed ab Ort. terminatur Principatu Halberſtad. à Sept. Ducatu Luneburg. Ab Ortu in Occ. ad 10. mill. Germ. extenſus; Urbes ejus ſunt Peina, Poppenberga, Vinthuſia, & tractus caput.

HILDESIA, vulgò HILDESHEIM, ad amnem *Imerſte*, 7. leuc. à Zella in Auſtr. 6. ab Hamelia in Ort. vix 6. mill. paſs. à conf. dit. Brunsvicenſis.

HILDUINUS, Abbas S. Dionyſii in Gallia, Ludovico Pio, & filio ejus Lothario gratus. Scripſit *Areopagitica*, ubi Dionyſium Areopagitam, cum Dionyſio Pariſienſi confundit. Obiit A. C. 842. Vide Sigebert. *c. 82. Cat. & A. C. 825. Chron.* Trithem. Voſs. *de Hiſt. Lat. l. 2. c. 33.* Morer. *Dict. Hiſt.*

HILDUINUS, Archiep. Mediolanenſis, Hugonis Regis Italiæ, conſanguinei ſui, operâ. Obiit A. C. 942. ſcripſit vitas Abbatum Lobienſium. Trithem. *in Catal.* Ripamont. *Hiſt. Eccl. Mediol. l. 9.*

HILLEL & SCHAMMAI, principes Sectarum inter Phariſæos famoſiſſimi, perpetui Antagoniſtæ fuêre: unde omnes ferme contentiones Thalmudicæ eorum nomina præ ſe ferunt, *Domus Hillel* & *Domus Schammai*. Ætate & dignitate ſeu generis nobilitate quidem Hillel Schammæum antecelluit, utpote è Davidis ſtirpe oriundus. Accedebat, quòd *Naſi* eſſet, h. e. Princeps præſeſque ſupremæ Curiæ, quæ Hieroſolymis erat. Inter præſtantiores ejus diſcipulos gregem ducit Jonathan F. Uziel Chaldæus paraphraſtes Prophetarum de quo infrà: plura verò hanc in rem, vide apud R. David Ganz *Chronol. Rer. & Ducum ſub Templo II. ad Ann. 728.* & Vorſt *ad eum p. 280.*

HILLEL, fil. R. Judæ Naſi, Princeps Synedrii itidem, decimum ſec. ab Hillele Sen. abfuit; concinnavit ordinem intercalationis juxta modum revolutionis R. Adæ, Idem Ganz. *ibid. Sec. V. Gemaricorum*: ubi concatenationem exhibet proſapiæ *ab Hillele ad Hillelem.*

HILLESEMIUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

HILLUS, vide *Hyllus.*

HILTPOLSTENIUM, vulgò HILPOLTSTEIN, caſtrum Palatinatus, obtigit in diviſione hæreditatis paternæ, Joh. Friderico, filio Philippi Ludovici, qui Wolphgango Bipontino Duce nat. Neoburgicum Principatum tenuit: fratres Joh. Friderici fuêre, Wolphg. Vilhelmus, qui Neoburgicam & Aug. qui Sultzbacenſem lineas orſi ſunt. Cum Aug. fratre, à Wolphg. Vilhelmo, ob conſtantiam in religione Euangelica, multa paſſus, orbus Deceſſit A. C. 1644. Vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.*

HIMANTOPODES, pop. Æthiopiæ loripedes, quibus ſerpendo ingredi natura eſt, h. e. quod Solinus interpretatur, flexis crurum nexibus ingredi, ἱμάντα enim Græci *lorum* dicunt. Plin. *l. 5. c. 8.*

HIMBA; Scotiæ inſ. maris Hibernici, una Acmodum, 10. mill. paſs. ab Ihona. *Ferrar.*

HIMELLA, Ligorio *Aggia.* & *Himella*, fluv. parvus Sabinæ, in Italia, Virg. *Æn. l. 7. v. 714.*

——— *Et flumen* Himellæ,
Et Tiberim, Fabarimque bibunt.

In Tiberim labitur, 6. mill. infrà Maglianum.

HIMERA, Siciliæ Græca urbs, Steſichori poëtæ patria, ad Thermas urb. & Himeram fluv. quem veteres per ſummum errorem putavêrunt eundem eſſe, & ex eodem fonte oriri cum altero Himera, nunc *Salſo*, qui in Mer. fluit inter Gelam, & Agrigentum. Vide Antigon, *in mirandis* & P. Melam, & Solin. & Vibium, & Vitruv. Quin licet utriuſque fontes ex Nebrode monte ebulliant, diſtant tamen ab invicem ferè quadraginta millibus. *Himerenſes* autem ſoli Græcorum, ætate Thucydidis, ad mare Tyrrhenum habitabant. Urbem à Zanclæis conditam Strab. *l. 6. p. 272.* ad Occaſ. Himeræ amnis, cùm floruiſſet per Annos 140. Poeni Duce Annibale ſolo æquarunt, A. A. C. minimè quadringentis. Sed in altera parte fluminis iidem biennio poſt, ut habet Diod. Sic *l. 13.* καταλέξαντες τῶν πολιτῶν τινὰς, ἐκ τῶν ἄλλων Λιβύων τοὺς βουλομένους, ἔκτισαν πρὸς αὐτοῖς τοῖς θερμοῖς ὕδασι πόλιν, ὀνομάσαντες Θέρμα, h. e. *Volonum ex civibus aliiſque Afris delectu habito, novam ad ipſas calidas aquas urbem condidêrunt, quam Thermas appellarunt.* Has porro aquas, fabuloſo heroum ævo jam innotuiſſe Græcis, patet ex Diod. Sic. qui *l. 4.* narrat Herculem, cùm Siciliæ litora peragraret, & à Peloro, iret ad Erycem, τὰς νύμφας ἀνεῖναι θερμὰ λουτρὰ πρὸς τὴν ἀνάπαυσιν τῆς κατὰ τὴν ὁδοιπορίαν γενομένης αὐτῷ κακοπαθείας. Τούτων δ' ὄντων διττῶν τὰ μὲν Ἱμεραῖα, τὰ δὲ Ἐγεσταῖα προσαγορεύεται, τὴν ἐπωνυμίαν ἔχοντα ταύτην ἀπὸ τῶν τόπων. *Nymphas calida illa balnea excitaſſe, quibus contractam ex itinere laſſitudinem allevaret. Quæ bina cùm ſint, illa Himerenſia, hæc Egeſtana dici, nomine facto à locis.* Inde Pindar. *Olymp. 12. Ergoteli Himerenſi*:

Θερμὰ νυμφᾶν λουτρὰ βαστάζεις
Ὁμιλέων παρ' οἰκείαις ἀρούραις.

Calida nympharum balnea extollis
Verſans apud domeſtica arva.

Ubi Scholiaſtes: Τὰ ἐν τῇ Σικελίᾳ θερμὰ λουτρὰ τῆς Ἱμέρας πόλεως λέγεται Ἀθηνᾶν ἀναδοῦναι εἰς ἀνάπαυσιν Ἡρακλεῖ, ἡνίκα ἐκεῖ ἐφάνη: τινὲς δὲ νύμφας, ὡς καὶ Πίνδαρος; *Calida Himeræ urbis in Sicilia balnea Minervam ajunt aperuiſſe Herculi in laborum recreationem, cum illuc perveniſſet; Alii autem nymphas, ut & Pindar.* Ab his aquis Himeræ nomen. Res manifeſta, cùm Syris חמר *hamar* ſit incaleſcere. Nic. Lloyd. Plin. *l. 3. c. 8.*

HIMERA, amnis Siciliæ, unus ex maximis, à quo Siciliam dividi ferè mediam tradunt, Polyb. *in Excerptis Legat. c. 1.* Liv. *l. 24. c. 6.* & Strabo *l. 6. p. 266.* Ejuſdem nominis alter eſt fluv. ad Himeram urbem, & Thermas Himerenſes, influens in mare Thuſcum, Ferr. Vide ſuprà. Hic Baudr. nunc *Termini* dicitur: Vallem Demonæ ſeparat à Valle Mazaræ, & in mare Tyrrhenum ſe exonerat, ferè 25. mill. à Panormo in Ort. Ad hujus oſtia *Himera urbs* eſt. Hi ambo fluvii cùm diverſos fontes habeant, & ab invicem valde diſſitos, quadraginta ſc. millibus, tamen quia ſunt ejuſdem nominis, & ex eodem monte oriuntur, à veteribus crediti ſunt non niſi unum habere fontem. Sil. Ital. Punic. Bell. *l. 14. v. 233.* & ſeqq.

——— *Quâ mergitur* Himera *ponto*
Æolio, nam dividuas ſe ſcindit in oras,
Nec minus occaſus petit incita, quàm petit ortus,
Nebrodes gemini nutrit divortia fontis.

P. Mela *l. 2. c. 7. De amnibus Himera referendus, quia in media admodum inſ. ortus, in diverſa decurrit, ſcindenſque eam utrinque alto ore in Libycum, alto in Thuſcum mare devenit.* Vibius: *Himero opp. Thermitanorum dedit nomen Himeræ. Hoc flumen in duas ſcindi partes ait Steſichorus, unâ in Tyrrhenum mare, alterâ in Libycum decurrere.* Proinde cùm Himera Thuſcus, & Himera Libycus (ſic enim liceat diſtinguere,) diverſi ſint

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſi ſint Lepores, ille dulcis, hic ſalſi, ſubamari; id inter miracula referunt, quòd unus idemque fluv. pro diverſitate regionum, aliter atque aliter ſapiat. Antigon. in mirandis: Περὶ δὲ ποταμῶν κ. κρηνῶν, Λύκον μὲν φασι λέγειν τὸν Ἱμέραν ἐκ μιᾶς πηγῆς σχιζόμενον, τὸ μὲν ἁλυκὸν τὸ ὕδωρ ἔχειν, τὸ δὲ πότιμον. De fluminibus & fontibus Lycum ait perhibere, Himeram ex uno fonte in duos ſcindi alveos, alterumque flumen eſſe ſalſum, alterum potabilem. Vitruv. l. 8. c. 3. Uti in Sicilia flumen eſt Himera, quod à fonte cum eſt progreſſum, dividitur in duas partes. Quæ pars profluit contra Ætnam, quod per terræ dulcem ſuccum percurrit, eſt infinita dulcedine: altera pars, quæ per eam terram currit, unde ſal foditur, ſalſum habet ſaporem. Quæ pars profluit contra Ætnam, i. e. Himera Tuſcus, qui reverſa eſt dulciſſimus, cùm alter nullo modo ſit potabilis, hodieque Salſo dicatur, ab inſigni ſalſugine. Itaque, inverſo rerum ordine, Solin. Tuſco tribuens, quod Libyci erat proprium, Himeram, inquit, cæleſtes mutant plagæ: Amarus denique eſt, dum in Aquilonem fluit, dulcis ubi ad Mer. flectitur. Jam de nomine dicendum. Tuſco, à Calore, ut ſuprà diximus: At Libyco nomen eſt ab amaritudine aquarum. Hebræis quippe verbum המר hemar eſt πικραίνειν amarum reddere, vel amaricare, quo verbo utuntur Theologi poſt vulgatum interpretem Apocal. c. 10. v. 9. Idem Nic. Lloyd.

HIMERIA, urbs fuit Epiſcopal. Meſopotamiæ, in Oſrhoena reg. ſub. Archiep. Ediſſeno, G. Tyrus.

HIMILCO, Pœnus, à Senatu Carthaginenſi miſſus eſt, ut occidua Europæ litora exploraret, quo officio functus iter ſuum in commentaria retulit. Feſtus Avien. Item fil. Amilcaris, patri in Sicilia occiſo ſucceſſit, terrâ marique ſæpius victor, poſt urbes varias expugnatas, peſte cum exercitu Obiit. Juſtin. l. 19. c. 2. Vide & Amilco.

HINCMANNUS Chevalier, errores Origenis, de Dæmonum pœnitentia & receptione in gratiam, ſub initium hujus ſec. voce calamoque incruſtavit, in Anglia.

Viri Illuſtres.

HINCMARUS, Archiep. Remenſis, A. C. 845. poſt Ebbonem, decennio antè, depoſitum. Eruditione & zelo, pro libertate Eccl. Gallic. inter primos ſui ſec. Sed juſto rigidior, in negotio Godeſcalci monachi, in Synodo Creſciacenſi & nepotis ſui Hincmari Ep. Laudunenſis, in Conciliis Attiniacenſi & Diciacenſi. Obiit A. C. 882. tempore, quo à Normannis Gallia miſerè raptabatur. Opera ejus impreſſa Moguntiæ, A. C. 1602. Pariſiis A.C. 1615. operâ Sirmondi, A. C. 1645. Flodoard. Hiſt. Rem. l. 3. Sigebert. c. 99. de V. I. & in Chron. Rabanus Maurus, Voſs. de Hiſt. Lat. Morer. Dict. Hiſt.

HINCMARUS, Ep. Laudunenſis, prioris nepos, Papæ contra Carolum Calvum, regnique jura & privilegia Eccl. Gallicanæ mordicus adhæſit: excommunicato quoque nobili Normanno, qui prædium aliquod ad ſuam Eccleſiam pertinens, beneficiario jure, à Rege obtinuerat. Quod improbatum à Galliæ Epiſcopis, A.C. 869 A quibus ille ad Papam appellavit, ſed hoc iterum Synodo Attiniacenſi reprehenſum: Cui cùm ſe nollet ſubmittere, annitente Patruo, depoſitus eſt Synodo Diciacenſi. Scripta ejus vide, in Bibl. PP. & operibus Hincmari Remenſis. Flodoard. Hiſt. Rem. l. 3. Aimon. & Balderic. in Chron. Morer. Dict. Hiſt.

HINDENI Homines, in LL. Adelſtani Regis c. 3. & 7. ex Saxon. hyndene, h. e. ſocietas, ſunt homines ejuſdem ſocietatis ac contubernii, contubernales. Saxonibus enim in more erat, ut omnem hominem olim æſtimarent ac pro natalis ſui ratione capite cenſerent; præterea ſecundum cujuſque valorem in claſſem (vel collegium) pariùm ſuorum, quam hyndene nuncuparunt, referrent: trium ſc. harum unam, infimam, mediam, ſummam. Infimæ claſſis erant, qui valerent 200. ſol. dicti Thwyhindemen: Mediæ, qui 600. ſol. Syxhyndam; Summæ, quorum ſinguli valerent 1200. ſol. Twelſhindi. Paritereque uxores eorum Cyrtiſcam i. e. Twyhyndam, Syxhyndam & Twelſhyndam nominârunt, Somnerus apud C. du Freſne in Gloſſ. Vide eandem hominum partitionem, è quibus Twelſhindi, aliter Thani, perfectè nobiles habebantur, præſertim in LL. Alvredi Regis c. 12. 30. 31. & 32. &c. apud Brompton. & Henric. I. c. 76. & 87.

HINDERLING, in LL. Edwardi Confeſſ. c. 35. vocabulum contumeliæ eſt, Occidentalibus olim Saxonibus familiare: quaſi poſthabitus & remotus, ex voce hinder, remotus & ling, imago. Sicut contrà Adeling, iiſdem erat nobiliſsimago. Vide C. du Freſne in Gloſſ.

HINNIENS Equus, in annulo Darii, vide ſuprà Celes & infrà Jugurtha.

HINNULEUS, Græcè νεβρὸς, cervus anniculus eſt, qui nihil adhuc cornuum habet, niſi ὥσπερ σημεῖα χηλῶν, ἀρχὴν τινα, velut initium quoddam, ut habet Philoſophus: tuber vocant Venatores, Salmaſ. ad Solin. p. 221. Ἐλλὸς quoque Græcis cervi hinnulus eſt, tanquam ἐν ἕλει τὰς διατριβὰς ἔχων, in paludoſis locis degens. Bochart. Hieroz. Part. prior. l. 3. c. 17. Namque & ad caprearum, damarum, leporum, ſimiliumque hinnuli vox quoque extenditur, ab hinni ſimilitudine ducta. Et quidem hinnulis cervorum nihil pernicius, teſte Xenoph. Cynegetic. unde Sponſi celeritas, in ſuppetiis Sponſæ ferendis, hinnulorum celeritati confertur, Cant. c. 2. v. 9. Similis eſt dilectus meus capreæ, aut hinnulo cervorum, vide quoque v. 17. & c. 8. v. 7. Nempe ut venatorum adventu, tanquam re inaſſuetâ, magis percelluntur, quàm cervi jam adulti, ita majore niſu fugiunt & alas pedibus addit timor. Sed ille impetus non diu durat: quò enim acriori fugâ auferuntur, eò facilius faticunt, ut ex eodem Xenoph. Pollux habet l. 5. c. 12. Pellis illorum νεβρὶς ab Hiſtrionibus, qui Satyros ſimulabant, adhibita; inprimis in Bacchicis olim Sacris magni fuit uſus, uti dicemus infrà in voce Nebris. Plura vero hanc in rem vide apud Bochart. ubi ſuprà c. 24. Plin. l. 8. c. 44.

HINNUS, dicitur ex equo & aſina genitus, Varroni l. 2. c. 8. ſicut mulus, qui procreatur ex aſino & equa. Plin. l. 8. c. 44. Græcis ἴννος, ἶννος, & γίννος, vide ſuprà Ginnus, & infrà ubi de Animalibus fecundis.

HIOB, vide Job.

HIOLCOS, vide Jolcos.

HIONA, Hebridum clariſſima, in qua Sodora urbs Epiſcopal. Ubi Cœnob. Benedictin. Regum ſepulturâ inſigne, à litore 12. mill. in Occaſ.

HIPERUS Johannes, vide Johannes.

HIPPACE, Plin. l. 25. c. 8. ubi de Scythica herba, ſeu glycyrrhiza, herbæ genus eſt. Ita enim is, In ore eam habentes ſitim fameinque non ſentiunt, idem præſtat apud eos Hippice dicta, quod in equis quoque eundem effectum habeat. Traduntque his duabus herbis Scythas etiam in duodenos dies durare in fame ſitique. Salmaſ. verò lac equinum concretum hac voce denotari, docet ex Theopompo, quem Heſych. laudat in Ἱππάκη. quò alluditur verſu illo,

Et lac concretum *cum ſanguine potat equino.*

Nempe duabus his rebus, radice Scythicâ ſeu glycyrrhizâ, & Hippace ſeu lacte equino concreto ſitim tolerabant, vel in duodecimum uſque diem Scythæ vett. quod & hodierni faciunt, uti vidimus de Tartaris. Vide eum Exercit. Plin. ad Solin. p. 125.

HIPPADIS Pelagus, Ptol. pars Rubri maris juxta Æthiopiam, poſt Aromata prom. Azonium Plin. l. 6. c. 26. Baudr. pars Oceani Æth. verſus Africam, inter Dioſcoridis Inſ. & Aromata prom. ad Bor. Menuthiamque Inſ. ad Auſtr. Vulgò mare Æthiopicum, ſeu Zanguebariæ, à regione adjacente.

HIPPAGORAS, famam ſibi peperit, opere de Carthaginenſi Rep. Athen. l. 14.

HIPPALUS, Gubernator primus navigationem ex Arabia in Indiam alto mari pleniſque velis ingreſſus eſt, quum antea parvis navigiis ſinus circumveherentur, Auctor Peripl. In cujus proin honorem Indi Favonio vento, cujus beneficio navigatio illa feliciter ſuccedit, Hippali indidêre nomen, uti docet Plin. l. 6. c. 23. Indos autem petentibus utiliſſimum eſt ab Oceli egredi. Inde vento Hypapalo navigant diebus quadraginta, ad primum emporium Indiæ Muzirim. Αἰθιοπικὸν verò ſic Indis vocitatum, ſcribit Peripli Auctor præfatus. Vide Salmaſ. ubi ſuprà p. 1185. ut & hìc ubi de Libonoto.

HIPPANIS, vulgò Bog, fluv. Poloniæ. Vide Hypanis.

HIPPARCHIA, mulier quædam Græca doctiſſima, quæ Philoſophicis valdè excelluit, uxor Cratetis. Stylo Platonem imitata, Tragœdias quaſdam compoſuit. Diog. Laërt. l. 6.

HIPPARCHIDES, traducitur per Comœdias ut improbus, & obſcœnus. Vide Schol. in Ariſtoph. Acharn. 399. G. 2.

HIPPARCHUS, Dux Athenienſium, conjurans contra Heraclidem Demetrii præſidem, Athenas frenantem; occiſus ab eodem detectâ per Hieroclem conjuratione. Polyæn. l. 5.

HIPPARCHUS, fil. Piſiſtrati & Myrrhinæ, frater Hippiæ Tyranni. Vide Schol. Ariſtoph. in Equit.

HIPPARCHUS, Nicæus Aſtrologus, ſcripſit de Arati Phænomenis, de ſtellis fixis, de Lunæ motu contra Platonem. Primus inſtrumenta Mathematica invenit, unde hæc ſenſibus deprehendi poſſent, Plin. maximè laudatus l. 2. c. 26. & cæleſtium motuum obſervationes, à Caliſthene, Ariſtot. diſcip. Babylone, ubi obſervabantur, in Græciam tranſmiſſas, ad ἀστρολογίαν Ægyptiacam accommodavit, Ptol. l. 4. c. ult. Quarum exempla non pauca, annis Nabonaſſari notata, Ptol. idem nobis conſervavit: primâ incidente in Annum Nabonaſſari 27. quâ hodie non alia vetuſtior innoteſcit. Nam defectum Solarem, aut in Romuli concepti, aut Romæ conditæ tempus, ex apoteleſmate L. Tarrutii Firmani, Cic. coævi ac familiaris, conjectum, omnino nullum eſſe, docet Joh. Marſham. Canone Chron. Sec. XVII. ubi de Æra Nabonaſſari. Floruit ſub Ptolemæo & Philometore Euergete, Regibus Ægypti. Eum Rhodium Ptol. facit. Vide Voſs. de Math. ſcient. c. 33. §. 4. Item poëta Comicus, cujus fabula quædam περὶ γάμων inſcribitur. Suid. Alius diſcip. Pythagoræ. Alius propinquus Ariſtot. alius Eretriæ Tyrannus. Hipparchus quoque fil. Piſiſtrati Tyranni, qui ob libidinem in Harmodium Ariſtogitonis conjurationem in ſe excitavit, A. U. C. 241. Thucyd. Herod. l. 5. c. 55. Pauſ. Euſeb. Chr. Idem ut invidiam tyrannidis ſapientiæ opinione extingueret, literas coluit, viriſque doctis maximè favit. Ælian. Var. Hiſt. l. 8. c. 2.

HIPPARINUS, Dionyſii Jun. fil. ejecto Callippo dominatum Syracuſis tenuit Annos 2. Olymp. 106. An. 4. & 5. Stratagema, quo Syracuſis potitus eſt, vide apud Polyæn. l. 5.

HIPPARION, alter ex Dionis filiis. Idem l. 5. in Dionyſio. comm. 8.

HIPPARIS, fluv. in Camarina, cujus aquarum pars dulcis eſt, pars ſalſa. Schol. Pind. in illud. Olymp. Od. 5.

Καὶ σεμνὸς ὀχετὸς Ἵπ-
παρις οἷσιν ἄρδει στρατόν.

Ejus meminit Nonnus Baſſaricorum. l. 13.

Οἵτε ἔχον Καμαρίναν, ὅπῃ κελάδοντι ῥεέθρῳ
Ἵππαρις ἀστήρικτος ἐρεύγεται ἀγκύλον ὕδωρ.

Vide Cluv. Camarina Fazello, ab urbe cogn.

HIPPASUS, Metapontinus, auditor Pythagoræ, vir doctiſſimus nihil ſcripſit. Muſicus quoque excellens. Theon. Smyrn. Mathem. l. 2. c. 12. Omnia ex igne creari dixit. Sunt quidam, qui eum tractatum de religione ſub Pythagoræ nomine edidiſſe ferant, ipſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

damnoſum, Diog. Laërt. *l.* 8. Plutarch. Item unus ex Centauris, qui, in nuptiis Pirithoi, & Hippodamiæ, cum Lapithis manus conſeruêrunt. Meminit ejus, ſed metu ſe occultantis, V. Flacc. *Argon. l.* 1. *v.* 148.

In mediis vacuo condit caput Hippaſus *auro.*

HIPPE, Chironis Centauri filia, quæ cùm in monte Pelio ſeſe venando exerceret, gravida facta eſt, & ob id patris indignationem timens, deorum miſeratione in equam converſa eſt, & in cœlum tranſlata. Sunt qui mulierem fatidicam fuiſſe aſſerant.

HIPPI, Inſ. parvæ 4. Ioniæ apud Erythras urbem adjacentes. Strab. *l.* 13. *p.* 644.

HIPPI, Marmolio *Capo di Sorta*, prom. Africæ, ad Syrtim magnam, apud villam Philæni, in conf. Cyrenaicæ.

HIPPIA, Minerva Arcadibus, quòd uſum quadrigarum inveniſſe crederetur. Item urbs Perrhæbiæ, quæ & *Phalanna. Steph.*

HIPPIAS, Piſuthni Dux, Polyæn. *l.* 3.

HIPPIAS, Eleus Philoſophus, diſcip. Hegeſidemi, ita ſe comparavit, ne cujuſquam ope egeret. Summum Bonum Αὐτάρκειαν poſuit, h. e. eo contentum eſſe, quod ſimplici victui ſat eſſet. Is Olympiam cùm veniſſet, maximâ illâ quinquennali celebritate ludorum gloriatus eſt: nihil eſſe ulla in arte rerum omnium, quod ipſe neſciret; nec ſolùm has artes, quibus liberales doctrinæ, atque ingenuæ continerentur, Geometriam, Muſicam, literarum cognitionem, & Poëtarum, atque illa quæ de naturis rerum, deque hominum moribus, quæ de rebus publicis dicerentur: ſed etiam annulum quem haberet, pallium quo amictus, ſoccos quibus indutus eſſet, ſe ſuâ manu confeciſſe. Huic Plutarch. Epitomen rerum in ludis Olympicis geſtarum aſcribit. Cic. *l.* 3. *de Orat.* Item Piſiſtrati fil. qui cùm Hipparchi fratris, in tyrannide, ſocius, illum occiſum ulciſci vellet: Triennio pòſt A. U. C. 244. pulſus ad Darium ſe recepit, & Dux copiarum in Marathonia pugna cecidit, arma contra patriam ferens. Alius Erythræus, qui de Erythris, Ioniæ urbe, Hiſtoriam reliquit. *Athen.*

HIPPICI, montes Sarm. Aſiaticæ ſunt. Ptol. *Mazariſci* dicuntur. *Merc.*

HIPPICUM, in *L.* Solonis, apud Plutarch. Ὅπε μὲν ἐςὶ φρέαρ ἐντὸς Ἱππικοῦ, χρῆσθαι τέτῳ, ὅπε δὲ πλεῖον ἀπέχει, ζητεῖν ὕδωρ ἴδιον. *Publico puteo, qui intra* Hippicum *ſit, utuntor; ſi majus ſit intervallum, privatum ſibi quiſque effodiunto*: eidem Auctori ſtadiorum quatuor intervallum eſt. Heſych. verò unius tantum ſtadii facit, Ἱππικὸν, τὸ ςάδιον: quod Petitus præfert notatione nominis, nam videtur eſſe illud intervallum, quod ſine ulla intermiſſione equus conficit & decurrit. Vide eum *Comm. in LL. Attic. l.* 5. *tit.* 1. nec non infrà in voce *Puteus.*

HIPPIS, Rhegienſis, Hiſtoricus & Poëta, ſub Dario & Xerxe: hiſtoriam Siculam, &c. ſcripſit. Ælian. *Hiſt. Anim. l.* 9. *c.* 33.

HIPPION, is fuit, quem ferunt edocuiſſe Medicinam Æſculapium.

HIPPIUS, cogn. Neptuni, Lat. *Equeſter*, qui primus equos domuiſſe artemque equitandi tradidiſſe fertur, Diod. Sic. *l.* 6. *c.* 15. Vide quoque Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 13.

HIPPIUS, mons Phrygiæ min. apud Ilium.

HIPPO, filia Scedaſi, à Legatis Lacedæmoniis violata, doloris impatientiâ manus ſibi attulit, & diris devotionibus Urbem, tales Legatos emittentem, obruit, vide Diod. Sic. *l.* 15. Item puellæ Bœoticæ nomen *Plutarch.*

HIPPO, Africæ civ. quam D. Auguſt. *de Civ. Dei. l.* 22. *c.* 8. *Hipponem regium* vocat. Liv. *l.* 29. *c.* 3. C. *Lælius nocte ad Hipponem regium cùm acceſſiſſet.* Sil. Ital. Pun. Bell. *l.* 3. *v.* 259.

Tum Vaga, & antiquis dilectus Regibus Hippo.

Gallis *Bone*, etiamnum urbs eſt munita, cum ſinu parvo cogn & portu capaci, in ora regni Conſtantiæ. Sub Algeriæ Rege Parva & malè culta, cum arce in colle *Boled & Ugneb.* Arab. Duæ autem feruntur hoc nomine civitates parum diſſitæ, ambæ Regiæ, teſte Strab. *l.* 17. *p.* 832. Ἦτε δὴ Κίρτα πόλις ἐνταῦθα, καὶ οἱ δύο Ἱππῶνες, ὁ μὲν πλησίον Ἰτύκης, ὁ δὲ ἀπωτέρω πρὸς τῇ Τρητῷ μᾶλλον, ἄμφω βασίλεια. Plin. *Hipponem* Numidiæ inſerit *l.* 5. *c.* 3. & *Hipponis diluti* meminit *c.* 4. Vide Dauſqueium *ad Silii loc. ſuprà productum*, & Bochart. *Geogr. p.* 517. ut & *Hippon.* Nic. Lloyd. Ad hujus diſcrimen *Hipponem* alterum Græci Διάῤῥυτον dixêre, *propter aquarum ſigna*, ut ait Plin. *d. l.* ubi Græcâ voce retentâ *Diarrutum* vocat, uti pro *Dilutum* legi vult Salmaſ. Certè & Solin. *Diarrhyton* habet, *c.* 27. ubi tamen in eo recedit à Plin. quòd à freto interfluente ſic dictum vult. Sed nullum ibi fretum, & uterque Hippo mari adpoſitus; quorum hic Διάῤῥυτος dictus eſt non ob aliam cauſam, quàm quòd aquarum riguis abundaret. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 321.

HIPPO, quæ & *Vibo*, nunc *Monte Leone*, urbs Brutiorum in Calabria ult. in colle, 4. mill. ab ora maris Tyrrheni & ſinus Hipponiatis. Ejus navale *Bevona* dicitur. 20. milliar. à mari Ionio in Occaſ.

HIPPOBINUS, nomen cujuſdam, ob libidines inſani, à Comicis Athenienſi in theatro traducti.

HIPPOBOTES, pratum quoddam ampliſſimum ſub Caſpiis portis, in quo regium armentum quinquaginta millium equorum paſcitur. Strabo *l.* 11. *p.* 525. Al. *Hippobotum*, vide ubi *de Niſæis Equis.*

HIPPOBOTUS, Hiſtoricus Gr. de ſectis Philoſophorum librum edidit. Diog. Laërt. & Porphyr. *in vita Pythagoræ.*

HIPPOCENTAURI, monſtroſum hominum genus in Theſſalia juxta Pelion montem, anteriore parte (ut poëtæ fabulantur) hominum, poſteriore equorum effigiem referentium. Cui fabulæ occaſionem miniſtraſſe videtur, quod primi equos domare cœperint, iiſque ita aptè inſidere, ut homines, cum equis unum in corpus coaluiſſe viderentur. Iidem antea *Centauri* dicebantur παρὰ τὸ κεντεῖν τὲς ταύρες, h. e. quòd tauros ſtimulis agitarent. Verùm cùm idem poſtea ex equis præſtarent, iiſque inſidentes ſtimulis tauros præ ſe agerent, *Hippocentauri* dici cœpêrunt: qui cùm ad Peneum amnem aquatum veniſſent, conſpecti ab ulterioris ripæ accolis, pro monſtris habiti ſunt: præſertim cùm inclinata, potandi gratia, equorum capita non conſpicerentur. *Hippocentaurus* quidam D. Antonium eſt allocutus, ei viam quâ tenderet commonſtrans. D. Hier. *in vita Pauli Eremit.* Bocharto Centaurus vel Hippocentaurus idem eſt, qui κέντωρ vel ἱπποκέντωρ, i. e. qui pungit equum. Unde apud Poëtam *Il.* δ.

——— Καδμεῖοι κέντορες ἵππων.

Ex κέντωρ dein factum Κένταυρος, ut ταῦρος ex Phœnicio תור tor &c. Idem conjectat Ælian. de Italico illo Mari, quem biformem fuiſſe volunt: *Hippocentaurum* vero, quem Antonio apparuiſſe dicit Hier. ſpectrum fuiſſe diabolicum, facilè ex verbis ejus colligas, qui monſtro huic ſermonem & humani ſermonis intellectum tribuit, quæ in brutum animal neutiquam quadrant. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſt. l.* 5. *c.* 10.

HIPPOCOON, Oebali fil. cum liberis ab Hercule interfectus, quòd Tyndareum fratrem regno ejeciſſet. Pauſ. *Lacon.*

HIPPOCRATES, Cous medicus, nat. eſt Olymp. 80. Soranus *in ejus vita.* Fil. Heraclidis, ex Praxithea, quorum hæc ab Hercule, ille ab Æſculapio deſcendit. Proavus ejus Gnoſidicus, libri de fracturis Auctor, ut Galen. ait. Auditor Democratis, ut quidam volunt, vixit apud Perdiccam Macedoniæ Regem. Exceſſit è vivis Annos natus 104. Suſcepit filios Theſſalum, & Draconem, habuitque generum Polybium, diſcip. Dexippum, omnes Medicinæ gloriâ florentes. Hic vir divinâ ſcientiâ, dicebat coitum eſſe morbum comitialem leviorem. Ejus libri, tanquam divino emanaverint ore, ubique celebrantur. In primo enim Jusjurandum continetur, in ſecundo Prognoſtica, tertio Aphoriſmi, quarto illa admirabilis compoſitio 60. libris omnem ſcientiam Medicinæ complectens. Artem medicam in lucem revocavit, in qua uſque adeò enituit, vide Plin. *l.* 7. *c.* 37. *l.* 26. *c.* 2. *ut venientem ab Illyriis peſtilentiam prædixerit, ac diſcipulos ad auxiliandum circa urbes dimiſerit: cui ob meritum honores illos, quos Herculi, tota Græcia decrevit.* De eo Macrob. in Somn. Scip. *l.* 1. *c.* 7. *Hippocrates, qui tam fallere, quàm falli neſcit.* Celſ. Senecam, Galen. Suid. Voſſ. *de Sectis Philoſ.* Hodieque in Inſ. Co pretioſa ejus Pu-*cra* incolis dicti memoria, & caſa quædam, quam inhabitaverit, curioſis monſtratur. P. de la Valle *Itin. tom.* 1. Vide quoque in voce *Democritus.* Quinque alios ejuſdem nominis omneſque ejuſdem artis, & fam. Suid. memorat. *Hippocratem* etiam alium Athenienſ. Ducem ponit in bello Peloponneſiaco Thucydides. Denique Mathematicus quidam, qui mercaturam exercuit: quia tunc temporis hæc non habebatur vilis, modò tenuis non eſſet, teſte *Plutarcho.* Strabo *l.* 14. *p.* 657.

HIPPOCRATES, ex Siculorum gente tyrannus, qui Ergetinorum ſceleratiſſimo dolo & civium internecione invaſit tenuitque urbem. Poliæn. *l.* 5.

HIPPOCRATES Geometra, à Pythagora, Scholâ expulſus, quòd mercede Mathematicam doceret.

HIPPOCRATIS Annus, legitur in *l.* de *Septimeſtri partu*, quem dierum 360. fuiſſe probat Marſil. Cagnatus *Obſerv. var. l.* 4. *c.* 14.

HIPPOCRENE, fons in Bœotia, non procul ab Helicone monte, quem poëtæ fabulantur factum eſſe ungulâ Pegaſi alati. Hunc à Cadmo, literarum Reſtauratore, repertum quidam dicunt, unde fabulæ origo. Ovid. Faſt. *l.* 5. *v.* 7.

Dicite quæ fontes Aganippidos Hippocrenes.

Juv. Sat. 3. *l.* 1. *v.* 117. Ovid. *Met. l.* 5. *v.* 256.

Fama novi fontis *noſtras pervenit ad aures.*

De nomine Bochart. *Epigranea*, inquit, fons à Phœnicibus פגרן *Pigran* dictus eſt, ab *erumpendo.* Radix Arabicè פגר *phagara*, in prima ſecunda, & quarta conjugatione *fontem aperire*, in quinta & ſeptima *fontem erumpere*, ſignificat. Articulo præfixo ex *Pigran* factum *Hippigran*, vel *Happigrana*, unde Græcis Ἱπποκρήνη, tanquam ab equo deductâ voce, & Perſio *fons Caballinus* Prolog. *v.* 1.

Nec fonte *labra prolui* Caballino.

Hinc nata fabula de fonte è terra edito equi ungulâ percuſsâ. Nic. Lloyd. Claud. Anon. Poëtæ Carm. 101. *v.* 5. Laudes Herculis.

Hippocrenæum *victorem inſiſtere* fontem.

HIPPOCURÆ, Indiæ intra Gangem urbes duæ. Ptol. una maritima, altera mediterranea. Priorem *Onor* vocat Caſtald. Aliis *Liſper* opp. munitum, in regno Decani, in tractu *Balagate*, in mediterr. 70. leuc. Hiſp. ab ora litor. maris indici in Ort. verſus ſinum Gangeticum, 60.

HIPPODAMAS, Lacedæmoniorum, qui à Praſiis obſidebantur, Dux, vide Polyæn. *l.* 2.

HIPPODAME, & HIPPODAMIA, filia Oenomai Regis Elidis & Piſarum, qui cùm ex oraculo ſe à genero interemptum iri didiciſſet, & illa tamen à multis procis, ob formæ præſtantiam, expeteretur, curule certamen procis propoſuit (habebat enim equos velociſſimos, qui ex ventorum flatu creati erant) eâ lege ut qui vinceret, filiam haberet, victus ſubiret mortem. Tredecim igitur victis ac occiſis, Pelops Tantali fil. viſâ puellâ, ejus amore protinus exarſit; Cujus nuptias aſſequeretur, Myrtilum ejus aurigam pollicitis corrupit, ſic ut ille axes infirmos, & fragiles ſubjunxerit, vel, ut alii volunt, obicem axi non objecerit. Sic fracto ac diſſoluto curru, Oenomaus excidit, morienſque Myrtili caput devovit; obteſtans Pelopem, ut vicem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

vicem ſuam ulciſceretur, quod & factum eſt. Cùm enim pactum ſibi perfidiæ præmium à Pelope poſceret, ab eo in mare dejectus eſt, atque hoc modo Pelops puella & regno potitus eſt. Ovid. Heroid. Ep. xv. Paris Helenæ v. 266.

Venit ut in Phrygios Hippodamia *ſinus*

Propert. *l.* 1. *Eleg.* 2. *v.* 19.

Nec Phrygium falſo traxit candore maritum,
Avecta externis Hippodamia *rotis.*

Nic. Lloyd.

HIPPODAMIA, Pirithoi uxor, quam cùm ipſo nuptiarum die Centauri ei eripere conarentur, ab Hercule & Theſeo ingenti clade profligati ſunt. Ovid. *Met. l.* 12. *v.* 218. Idem *in Ep.* 16. Heroid. *v.* 247. Helena Paridi.

An fera Centauris indicere bella coëgit
Atracis Æmonios Hippodamia *viros?*

Idem *Amor. l.* 1. *Eleg.* 4. *v.* 7.

Deſine mirari poſito quòd candida vino
Atracis ambiguos traxit in arma viros.

Plutarch. *in Theſ.* *Deidamiam* vocat. Propert. ex Callimacho *Iſchomachen*, *l.* 2. *Eleg.* 2. *v.* 9.

Qualis & Iſchomache Lapithæ genus Heroinæ.
Centauris medio grata rapina mero.

Item *Hippodamia*, Briſei filia, quam Achilles expugnato Lyrneſſo opp. ſecum abduxit, quæ & *Briſeis* dicta. Alia Anchiſæ filia, Alcathoi Trojani uxor, quem poſtea Idomeneus Cretenſis in pugna cæcidit.

HIPPODAMUS, Archon Athenis, An. 2. Olymp. 101.

HIPPODAMUS, Athenienſis, qui domum ſuam in Piræeo publico donavit, ut inde rectius portus ædificaretur. Dicitur in bello Medico primus Piræeum contraxiſſe. Vixit admodum inter cives honoratus, de quo plura Scholia *in Ariſtoph. Equites.*

HIPPODAMUS, alius fuit Doricus & Italicus ſectâ Pythagoræus, cujus inſtituta Stobæus recitat. *Hippodamus* alius voracitatis nomine nobilis. Scholia *in Ariſtoph. Equites.*

HIPPODAMUS Mileſius, Euryphontis fil. primus eorum, qui in Rep. verſati non eſſent, cœpit aliquid docere de optimo civitatis ſtatu. Conſtituit enim civitatem ex numero 10. millium, diviſam in partes tres, artifices, agricolas & milites. Regiones in totidem partes ſacram, publicam, & privatam. Ariſtot. *l.* 2. *Polit. c.* 8. Item alius Mileſius Architectus, qui Athenienſibus Piræum portum extruxit, à quo forum Piræi *Hippodamiam* appellârunt, *Suid.*

HIPPODORUS, unus Codridarum, invidiam populi vitare cupiens, & optimam ſimul Principis famam inter Athenienſes adipiſci, ſeveritate in ſuos uſus, filiam cum moecho deprehenſam currui juſſit alligari, atque diſcerpi.

HIPPODROMUS, Theſſalus genere, patriâ Lariſſæus, circa M. Antonini Principis tempora, Athenis Scholæ ſucceſſit. *Philoſtr.*

HIPPODROMUS & Periſtylum, loca erant Alexandriæ, quorum hoc ingens intercolumnium, è quo Hermon elephantos, ad tempus agitatos, in *Hippodromum* ſuburbanum, ubi Judæi horam morti ſuæ deſtinatam expectabant, deduxiſſe, Maccab. *l.* 3. legitur. Ille, conditus eſt à Lagi fil. Ptolomæo, qui primus in Ægypto regnavit & de patris nomine locum hunc *Lagium* quoque nominavit, vide Strab. *l.* 17. *p* 795. Plutarch. *in Ant.* & Epiphan. *l. de Pond. & Menſ.* laudato Bocharto *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 26. Apud Latinos pro Circo vox accepta Mart. *l.* 12. *Epigr.* 50. cujus Epigraphe in habentem amœnas ædes *v.* 5.

Pulvereumque fugax Hippodromon *ungula plaudit:*

quòd ibi equi de pernicitate certabant. Nempe ἱπποδρομία, item ἀγὼν ἱπποδρομίας, Græcis dictum eſt equeſtre curſus certamen, cujus coronam primus Jolaus equos ab Hercule mutuatus, accepit. Ejus ſpatium Ἱππικὸν διάστημα, appellatum eſt, item Ἱππόδρομος, à voce ἵππος, equus & δρόμος, *curſus.* Vide C. Paſchal. *Coron. l.* 6. *c.* 15. & ſuprà ubi de *Circo, Curſu, Equis* &c. Addo ſaltem, *Hippodromum* CP. qui 550. paſſus longus, 120. latus eſt, hodieque *Atmeydan* Turcis appellatur, accuratè deſcribi à Jac. Spon. *Itin. Part.* 1. *p.* 231. & *ſeqq.* ubi, inter alia, typum ejus ex ære exhibet, cum hac *Inſc.* Græca, in baſi obeliſci, à Theodoſio, poſtquam callapſus eſſet, denuo erecti:

ΚΙΟΝΑ ΤΕΤΡΑΠΛΕΥΡΟΝ ΑΕΙ ΧΘΟΝΙ ΚΕΙΜΕΝΟΝ ΑΧΘΟΣ
ΜΟΥΝΟΣ ΑΝΑΣΤΗΣΑΙ ΘΕΥΔΟΣΙΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ
ΤΟΛΜΗΣΑΣ ΠΡΟΚΛΟΣ ΕΠΕΚΕΚΛΕΤΟ ΚΑΙ ΤΟΣΟΣ ΕΣΤΗ
ΚΙΩΝ ΗΕΛΙΟΙΣ ΕΝ ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ ΔΥΩ.

Eſt autem hic obeliſcus, ex quinque columnis una, quibus *Hippodromus* iſte inſignis erat, cùm olim in Stadio non niſi tres columnæ extarent, uti infrà dicemus.

HIPPOLA, urbs vet. Laconica, Gentile *Hippolaines*. Steph. In ora litor. ſinus Meſſeniaci, ad rad. Taygeti, 12. mill. à Tænaro prom. in Occ. Jam tempore Pauſ. diruta.

HIPPOLOCHUS, fil. Bellerophontis, & pater Glauci. Hom. 6. Il. Item Antimachi Trojani fil. unà cum Piſandro fratre in bello Trojano interfectus. Hom. 11. *Il.*

HIPPOLYTE, Amazonum Regina, quam Hercules prælio ſuperatam Theſeo uxorem dedit, cui & Hippolytum peperit. Propert. *l.* 4. Eleg. 3. *v.* 43.

Felix Hippolyte *nudâ tulit arma papillâ.*

Claud. Carm. xi. *v.* 35. in Nupt. Honorii & Mariæ, Idem in Eutrop. Carm. 18. *v.* 335. Idem de Rapt. Proſerp. Carm. 35. *v.* 64.

Hippolyte *niveas ducit poſt prælia turmas*

Fuit altera Acaſti uxor, de qua Horat. *Carm. l.* 3. Od. 7. *v.* 17.

Narrat pænè datum Pelea Tartaro,
Magneſſam Hippolyten *dum fugit abſtinens;*

Vide *Acaſtus.*

HIPPOLYTUS, Theſei, & Hippolytes Amazonis fil. qui cùm cœlibem ducens vitam venatu ſeſe exerceret, & conſtanti animo ſperneret mulieres, à Phædra noverca abſente patre amatus eſt: cujus turpi deſiderio cùm obtemperare noluiſſet, illa filium apud patrem detulit, tanquam de ſtupro eam appellâſſet. Quamobrem cùm videret Hippolytus patrem, novercæ dolo perſuaſum, de nece ſua cogitare, conſcenſo curru fugam arripuit. Sed dum phocæ, quæ tum fortè in litus exierant, equorum, & rotarum ſtrepitu perterritæ, magno impetu ſe in mare præcipitarent, exterriti equi, fruſtra obluctante Hippolyto, currum per ſcopulos, & ſaxa traxêrunt, juvenemque infelicem loris implicitum, varias in partes diſcerpsêrunt: In nemore autem Aricino Dianæ ſacro ſepultus eſt. Ovid. *Faſt. l.* 3. *v.* 266.

Hîc latet Hippolytus *loris diſtractus equorum,*
Unde nemus nullis illud aditur equis.

Ubi alii *direptus* legunt. Sic Idem *l.* 5. *v.* 308.

Hippolyte *infelix velles coluiſſe Dionem,*
Cùm conſternatis diripereris equis.

Idem *l.* 6. *v.* 742.
Idem *de Art. Am. l.* 1. *v.* 340.

Hippolytum *rapidi diripuiſtis equi.*

Porro caſtitatem ejus meminit Propert. *l.* 4. *Eleg.* 5. *v.* 5.

Docta vel Hippolytum *Veneri mollire negantem.*

Ovid. *Amor. l.* 2. *Eleg.* 4. *v.* 32.

Illic Hippolytum *pone, Priapus erit.*

Mart. *l.* 14. Apoph. cujus epigraphe *Pulla Gaditana*,

Tam tremulum criſſat, tam blandum prurit, ut ipſum
Maſturbatorem fecerit Hippolytum.

Et *in Priapeis.*

Criſſabit tibi fluctuante lumbo,
Sic ut non modo te, Priape, poſſet,
Privignum quoque ſed movere Phædræ.

Horat. *Carm. l.* 4. Od. 7. *v.* 25.

Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum.

Vide *Virbius. Nic. Lloyd.*

Viri Illuſtres.

HIPPOLYTUS, Ep. Arabiæ, vel, ut alii volunt, *Portus urbis* ſeu *Aug.* in Diœceſi Rom. diſcip. Clem. Alexandrini. Ab Ambroſio quodam, qui Marcionitarum deliria ejuraverat, permotus eſt, ut in S. Scripturam commentaretur, additis ſeptem amanuenſibus, & penſo quotidie examinato. Plurima ſcripta ei Euſeb. *in Chron. & l.* 6. *Hiſt. c.* 10. Hier. *c.* 6. *Catal. Quæſt.* 3. *ad Damaſ. Ep. ad Magn. & Proœm. in Math.* tribuunt, quorum nihil ſupereſt, præter tract. de Antichriſto, & fragmenta quædam. Obiit martyr, ſub Alex. Sev. A.C. 230. Statua ejus honori erecta, reperta eſt A. C. 1551. & in Bibl. Vaticanam tranſlata, operâ Marcelli II. Sedet ibi in ſella, ubi Græcis literis inſculptus Cyclus Paſchalis A. C. 16. editus, cum egregiis Comm. Græcè à Joſ. Scalig. A. C. 1595. & Latinè ab Ægidio Buchero, A. C. 1634. Vide & Gruter. *in Inſcr.* Gelaſ. *l. de* 2. *nat.* Phot. *cod.* 121. & 122. Iſid. *l.* 6. *Orig. c.* 17. Niceph. *l.* 5. *c.* 15. Theodoret. *in Polymorpho.* Cyrillus *in Euthymio c.* 19. Georg. Syncellus, *in Chron. Anaſtaſ.* &c.

HIPPOLYTUS *Bonnacoſſa*, Ferrarienſis, JC. celebris, ſec. præt. Auctor *Repertorii Alphabetici, de Præſumptionibus.*

HIPPOLYTUS Eſtenſis, fil. Herculis I. Ferrariæ Ducis Card. celebris, Obiit A. C. 1520. P. Jov. Ciaccon. Victorellus, Garimbertus, Ughelius, &c. Inprimis Sardius, *in vita ejus.* Item, fil. Alphonſi I. Card. Legationibus inclytus, literatorum, Pauli Manutii inprimis, Mureti & Oſſati Mecænas. Obiit Romæ A.C. 1572. Thuan. *l.* 45. Petramellarius, *Victorellus*, &c.

HIPPOLYTUS de Marſillis, JC. Bononiæ docuit, A. C. 1524. In cauſis criminalibus magni judicii.

HIPPOLYTUS de Medicis, Card. nepos Leonis X. & Clem. VII. Archiep. Avenionenſis, Legatus ad Carolum V. Obiit A. C. 1535. Garimbert. *Hiſt. l.* 4. *c.* 4. *Guicciard.* &c.

HIPPOLYTUS Thebanus, auctor Chronici, Geſner. *Poſſevin.* &c.

HIPPOMACHUS aliptes, olim irriſiſſe fertur quoſdam laudantes procerum quemdam hominem & longa brachia habentem, tanquam à natura pugilem factum: verum illos tum conſecuturos dicens, ſi corona ex alto aliquo loco demenda & capiti imponenda

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

nenda ; non agilitate corporis & viribus conſequenda. *Plutarch.*

HIPPOMACHUS, tibicen, qui cùm videret à plebe laudari diſcipulum, quem tamen in arte peccare cognoſcebat, baculo tactum deſiſtere juſſit, dicens, maximum erroris argumentum, quòd ab ignara turba laudaretur. Ælian. *Var. Hiſt. l. 2. c. 6.*

HIPPOMANES, Archon Athenis, τ̃ Δεκαετῶν ſeu *Decennalium* IV. τ̃ Κοδριδῶν τῦ φύσεως, *e Codri ſtirpe*, dicitur βαζιλεύσας, Suid. in Πάρεργον. Nam & decennali huic Magiſtratui *Regis* nomen, quamvis minùs propriè dari nonnunquam diximus in voce *Charops.* Vide & infrà *Hippomenes.* Ei ſucceſſit Leocrates, quem vide.

HIPPOMANES, herba Theocrito in Arcadia naſcens,

> Ἱππομανὲς φυτὸν ἐστι παρ' Ἀρκασιν, ᾧ ἔπι πᾶσαι
> Καὶ πῶλοι μαίνονται ἀν ὤρεα κὴ θοαὶ ἵπποι;

ſic ei dicta, quod ejus inſano deſiderio equi teneantur : ſed aliis omnibus Auctoribus indicta inauditaque. Ἱππομανὲς nempe virus eſt, quod effluit ab inguine equarum, quando in Venerem incitantur. Inde tuberculum, quod caricæ magnitudine innatum fronti pulli equini de ventre afferunt & à matribus ſtatim præroditur. Quod utrumque ad veneficia & amatoria facere creditum eſſe olim, ex Ariſt. *Hiſt. Anim. l. 8. c. 24.* notum eſt. Sed præcipuè ad philtra quærebatur caruncula illa in fronte pullorum naſcentium reperta. Juv. *Sat. 6. l. 2. v. 615.*

> *Cui totum tremuli frontem Cæſonia pulli*
> *Infudit* ———

Dulcedinem hinnientium vocat Lælius *in Apologia* Appuleji, ubi pleraque philtra deſcribit; *Matri præreptum amorem* Virg. Æn. *l. 4. v. 515.*

> *Quæritur & naſcentis equi de fronte revulſus,*
> *Et matri præreptus amor* ———

Plin. *l. 8. c. 42. Namque id ſtatim edito partu devorat fœta, aut partum ad ubera non admittit. Si quis præreptum habeat, olfactu in rabiem id genus agitur.* Idem *l. 28. c. 11.* Sed & prius *Hippomanes tantas in veneficio vires habet, ut, affuſum æris miſturæ in effigiem equæ Olympiæ, admotos mares equos ad rabiem coitus agat.* Ubi indigitat equam ære fuſam Olympiæ dedicatam à Phormide Arcade, cui magicâ arte, in effigie ejus fundenda, æris mixturæ virus illud affuſum erat, vide infrà in voce *Phormis.* Et hujus meminiſſe videtur Theocritus, illudque non Ἱππομανὲς φυτὸν, *Hippomanem herbam*, ſed Ἱππομανὲς χυτὸν, *Hippomanes fuſile*, aptè vocaſſe. Quo pacto & ille liberatur à culpa, & ſenſus prodit facilis : *Quemadmodum equi furore perciti per montes decurrunt ad* Hippomanes χυτὸν, *quod eſt apud Arcades : ita Delphis amore præditus relictâ palæſtrâ huc ſtatim accurrat.* Præter hæc verò, tertium quoque *Hippomanes* occurrit apud Ariſtot. quod equæ tum ejiciant, ubi ſemel ſalitæ, ſed non ad ſatietatem, fuerint ; quodque præcipuè venenariis & φαρμακεῦσι expetitum tradit, *Hiſt. Anim. l. 6. c. 18.* de quo, ut & plura hanc in rem, vide apud Salmaſ. *ad Solin. p. 939. & ſeqq.*

HIPPOMEDON, Niſimachi & Mythidices Talai filiæ, ſororis Adraſti (ut vult Hygin. *fab. 69.*) vel Niſimachi, & Naſicæ fil. (ut vult Stat. *l. 1. Theb. v. 524.*) unus ex 7. Ducibus, qui ad Thebas profecti ſunt, dum in Iſmeno fluv. pedeſtri certamine decertaret, Extinctus Stat. Theb. *l. 9. v. 91. 136. 145. & 514.*

> *En meus* Hippomedon, *cui gentis origo Mycenæ,*
> *Argolicique lares, numenque ante omnia Juno.*

HIPPOMENES XVII. Athenienſium Archon. à Medonte numerando : τ̃ Δεκαετῶν V. Vide paulo ſuprà. Is filiam Limonem in adulterio deprehenſam equo feroci vorandam præbuit. Dio Chryſoſt. *Orat. 32.* Suid. Unde Proverb. *magis impius Hippomene.* Ovid. *in Ibin. v. 459.*

> *Solaque Limone pœnam ne ſenſerit illam:*
> *Et tua dente ferox viſcera carpat equus.*

Ejuſdem Anno 4. Anno 1. Olymp. 14. Ithome Meſſeniorum à Spartanis expugnata, bello Meſſeniaco I. finem impoſuit. Vide *Ithome.*

HIPPOMENES, Macarei, vel Megarei & Meropes fil. Neptuni pronepos, vel, ut alii, Martis : cùm Atalantam Schœnei filiam adamaret, Veneris beneficio voti ſui compos factus eſt. Nam cùm illa virginitatem illibatam cuperet ſervare, procis ſuis curſus certamen eâ lege propoſuit, ut illi inermes currerent, ipſa cum telo inſequeretur, & quem curſu aſſequi poſſet, venabulo confoderet. Cùm itaque non paucos ſpe nuptiarum ejus illectos, neci tradidiſſet, Hippomenes, qui & ipſe amore ejus tenebatur, neque tamen pedibus ſatis valebat, Veneris opem imploravit, quæ tria illi aurea mala tradidit, & quis uſus eſſet in illis, edocuit. Hiſce itaque fretus Hippomenes, curſu cum Atalanta certare non dubitavit, cùmque parum abeſſe videret, quin illa præcurrentem aſſequeretur, mala aurea à Venere accepta, quàm longiſſimè extra viam diverſa in latera abjecit, quorum pulchritudine capta Atalanta, dum ea colligit, aurumque admiratur, Hippomeni victoriam tradidit. Hâc itaque ratione voti ſui compos effectus, cùm Veneri, cui victoriam debebat, gratias agere neglexiſſet, illa indignata, tam effrænatam illi cupiditatem injecit, ut in ipſo matris Deûm delubro, nullâ habitâ Numinis reverentiâ, cum uxore concubuerit. Quod flagitium ægrè ferens Cybele, Hippomenem leonem, Atalantam in leænam commutavit. Ovid. *Met. l. 10. v. 375, 608, 640, 658, & 690.*

HIPPOMOLGI, pop. ab *equis mulgendis* ſic dicti. Dionyſ. Perieg. *v. 309.*

> Ἔνθα Μελαγχλαῖνοί τε κὴ ἀνέρες ἱππημολγοί.

Populi ſunt Scythiæ. Epitheton hocce Homerus Myſis attribuit, inquit Nicodemus Friſchlin. Sed fallitur, nam poëta gentem aliquam peculiarem deſignat *Il. N.*

> Μυσῶν τ' ἀγχεμάχων κὴ ἀγαυῶν Ἱππημολγῶν.

Callimachus quidem *Hymn. 3.* Cimmeriis accommodavit.

> ——— Ἐπὶ δὲ στρατὸν Ἱππημολγῶν
> Ἤγαγε Κιμμερίων. ———

Nic. Lloyd.

HIPPON, Philoſophus à Cratete, in Panoptis, (Comœdiæ nomen eſt) exagitatus. Vide Ariſtoph. *Nub.*

HIPPON, cujus Ep. fuit S. Auguſtinus, qui ibi Obiit, cùm Vandali urbem A.C. 430. obſiderent. Ptol. Strab. Plin. *l. 5. c. 18.* Mela, &c. Ibi Conc. A. C. 393. ad diſciplinam Eccl. rigidè obſervandam. Vide *Hippo & Hippona.*

HIPPON Diarrhytos, urbs fuit Africæ, nunc. caſtr. regni Tunetani, in ora maris Medit. cum portu percommodo. Quibuſdam *Biſerta vecchia*, aliis autem *Razamilara*, in ora inter Uticam ſeu Biſertam ad Ort. & Tabracam ad Occ. paucíſque conſtat incolis. Vide ſuprà *Hippo.*

HIPPON Regius, Gallis *Bone*, urbs Africæ maritima Epiſcopal. inter Aphrodiſium & Tabracam, à Carthagine 228. mill. pall. in Occ. à Cirtha 94. in Bor. & Cæciam, à Tabraca ſupra 100. in Occ. Cullu versùs 76. Etiamnum urbs munita eſt, cum ſinu parvo cogn. & portu capace, in ora regni Conſtantinæ, ſub Regibus Algerii: Parva tamen & malè culta, cum arce, in colle. Afris *Beled & Ugneb*, teſte Marmolio. Sil. Ital. Punic. Bell. *l. 3. v. 259.*

> *Tum Vaga, & antiquis dilectus Regibus* Hippon.

HIPPONA, Dea equorum, quam ſtabularii colebant. Juv. *Sat. 8. l. 3. v. 156.*

> ——— ——— *Jurat*
> *Solam* Eponam *& facies olida ad præſepia pictas.*

Sed hæc codicum corruptorum lectio, in melioribus tam editis, quàm Manuſcriptis ita legitur,

> *Solam Eponam, & facies, &c.*

Atque hanc lectionem etiam vet. Scholiaſtes agnoſcit. Nam ad illa verba *Solam Eponam*, hæc notat. *Quia mulio eſt qui conſulitur, Epona Dea mulionum.* Meminit hujus Deæ Apul. *l. 3. Mileſ.* & Tertull. in *Apol.* Item Min. Felix. Vet. Inſcr. DEÆ EPONÆ MANLIUS RESTIO. Prud. in Apotheoſi. *v. 265.*

> *Nemo Cloacinæ, aut* Eponæ *ſuper aſtra Deabus.*

Plutarch. *in Paral.* Ἐςὶ δὲ θεὸς Ἐπόνα [illegible] Vide Turneb. *Adverſ. l. 14. c. 4. & l. 26. c. 10.* Valeat igitur commentitia *Hippona*, & in ejus locum ſuccedat *Epona. Nic. Lloyd.*

HIPPONA, urbs Epiſcopal. Africæ expugnata, à Ferdinando Mag. Hetruriæ Duce, A. C. 1607. Vide Thuan. *l. 38.* & in voce *Hippon Regius.*

HIPPONAX, Poëta Epheſius, fil. Proteæ ex Protide, à quo Jambicum *Hipponacticum*, ſeu *Hipponacteum* carmen, quod & *Scazon* dictum eſt, nomen ſortitum videtur. Floruit Olymp. 60. ut Plin. diſertè teſtatur, *l. 36 c. 5.* Hic tam deformi, & fœdâ facie fuit, ut ejus effigies à pictoribus quibuſdam publicè expoſita fuerit deridenda: quamobrem indignatus Hipponax, in illos invectus eſt, ut aliquot ex illis, Anthernum nempe & Bupalum, ad ſuſpendium adegerit. Unde natum Proverb. *Hipponacteum præconium.*

HIPPONESUS, urbs Cariæ, & alia Lydiæ. *Steph.*

HIPPONIATES, ſinus Tyrrheni maris in Brutiis. Ptol. *Napitinus* vocatur ab Antiocho apud Strab. *l. 6. p. 255.* *Terinæus* Plin. *l. 3. c. 5. & 10.* dicitur, teſte Hermolao, & *Vibonenſis. Lameticum* ab Ariſt. nominari tradit Barrius. Hodiè *Golfo di S. Eufemia.*

HIPPONICUS, Calliæ fil. Athenienſis, cùm patriæ ſtatuam dedicare decreviſſet, nonnullis eam à Polycleto confici ſuadentibus illi nequaquam viſum eſt, quòd ob operis pulchritudinem ab aſpicientibus, non dedicantis, ſed potius artificis virtus laudaretur. Ælian. *Var. Hiſt. l. 14. c. 16.* Vide Schol. Ariſtoph. *Nubul.*

HIPPONIUM, urbs Brutiorum in Calabria ulter. à Locris condita, ubi Agathocles Siculorum Tyrannus Navale exſtruxit. Romani Brutiis ademptam *Vibonem Valentiam* nominârunt, Coloniâ deductâ A. U. C. 515. Unde in recentioribus eorum nummis VALENTIA legitur; uti in vett. ΙΠΠΟΝΙΕΩΝ. Vide Strab. *l. 6. p. 256.* & Joh. Marsham. *Canone Chron. Sec. XVII.* ubi de *Magna Græcia*, ut & infrà in voce *Valentia. Bivona* Nigro. Item prom. ibidem Lycophroni memoratum, hodiè *Salobron*, teſte Barrio. De urbe addo: Græcè Ἱππώνιον, urbs hæc Brutiorum, Latinis ut dictum, *Vibo Valentia*, colonia deducta, memoratur Solin. *c. 2.* *Zanclenſibus Metaurum locatum, à Locrenſibus* Hipponium, *quod nunc Vibo dicitur:* Uti veram lectionem reponit Salmaſ. Marcian.

> Ἱππώνιον κὴ Μέδμαι ὤκισαν Λοκροί.

Græcis Ἵππων quoque, unde Latinum *Vibo.* Eò Proſerpinam ad legendos flores profectam eſſe, Strabo ait, [illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

περιείμβρα χωρία, *quòd pulchris pratis abundarent circumjecta loca*, *l.* 6. *p.* 256. Unde *apud matronas uſus obtinuit, ut ſibi quælibet coronas flecteret, quas ipſa ſibi legiſſet, vitioque daretur, ſi quæ diebus feſtis emptitias geſtaret*. C. Paſchal. *Coron. l.* 3. *c.* 18. Inde *Vibonenſis Sinus*, quem Ἱππωνιάτιν Græci Scriptores vocant. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 67.

HIPPONON, Ægypti urbs Antonino, fortè *Hippon* in libr. *Not.*

HIPPOPHAES & HIPPOPHÆOS, phei vel ſtœbes genus, à magnitudine ſic dictum, ſpiniſque ingeniculatum, ante Plinii ætatem, Fullonibus in uſu fuit ad veſtes poliendas, hinc & κνάφ☉ appellatum. Nempe Fullones antiquitus acervo ſpinarum accumulato & contorto veſtes pumicabant vellicabantque, cum τυρὸν vocantes & κνάφον: quem ex ipſa hac planta contorta, ut in unum ſpinæ contraherentur, facere ſolebant, unde & ipſam ϛοιβὴν inſuper & τυρὸν nuncapabant. Eundem uſum & *Hippophæſton* præbuit, de quo utroque vide Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 295. & *ſeqq.* Poſtmodum aliæ res ad eundem finem à Fullonibus adhiberi cœpêrunt, erinaceorum cutis, ſpinæ aliæ, aliterque diſpoſitæ ut quas *inias* vocat idem Plin. quòd inſtrumentum erat ſpinis refertum ex hippophæſto &c. Vide ſuprà, ubi de hac Arte.

HIPPOPHAGI, Scythiæ in Aſia populi.

HIPPOPODES, pop. in Oceano Scythico, qui teſte Solino humanam uſque ad veſtigium formam tenent, ſed in equinos pedes deſinunt. Dionyſ. Perieg. *v.* 310.

> Νωμάδες θ' Ἱππόποδές τε, Γελωνοί τ' ἠδ' Ἀγάθυρσοι.

Avien. legit hunc verſum, teſte Morellio, hunc in modum,

> Νωμάδες θ' Ἱππόποδές τε Γελωνοὶ, &c.

Qui etiam ita vertit,

> *Cerele/que Geloni.* ———

Priſcian. proprium nomen agnoſcit. Sic enim hos verſus Latinè reddidit,

> *Poſt Hippemolgi*, Hippopodeſque *potentes*,
> *Atque Geloni cum Neuris, pictique Agathyrſi.*

Et ſic omnes alii interpretes P. Mela *l.* 3. *c.* 6. *Equinis pedibus Hippopodes*. A celere curſu fortè hæc fabula. Meminit horum Plin. *l.* 4. *c.* 13. *Nic. Lloyd.*

HIPPOPOTAMI, cum tigribus; exhibiti occurrunt, apud Capitolin. *in Ant. Pio*, *Edita munera, in quibus elephantos & crocutas, & ſtrepſicerotas & crocodilos etiam atque* hippopotamos --- *cum tigridibus exhibuit.* Etiam *Hippopotamo ſediſſe*, legitur Firmus apud Vopiſc. Eſt autem *Hippopotamus* bellua aquatica, Nili incola, uti crocodilus; magnitudine & corporis mole paucis animalium ſuppar: hinc θηρίον Græcis, Latinis *Bellua* κατ' ἐξοχὴν, Hebræis *Behemoth*; Quam vocem, apud Hiob. *c.* 40. *v.* 20. de *Hippopotamo*, exponit Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſt. l. V. c.* 15. idque eo fidentiùs, quòd *Hippopotamus* animal eſt amphibium, tam terreſtre, quàm fluviatile; neque ullum aquatilium ad terreſtrium formam tam prope accedit. Licèt enim in fundo plerunque Nili degat, bovis tamen inſtar (quem etiam mole corporis & formâ capitis pedumque refert, Italis hinc *bomarin*, h. e. *bos marinus* dictus) ad pabulum prodit, è fluvio,

> Χίλοις ὅτε χλοάουσι νέον δ' ἀπεχεύατο ποίην.
> *Pabula cùm incipiunt herbâ florere recenti:*

ut Nicander ait *Theriac. v.* 569. In eo, præter vaſtam corporis molem, admirationem excitant, robur immane, tergus impenetrabile, ſtupendus oris hiatus, & portentoſa voracitas, candor dentium & firmitas; mari, terræ & amni vita communis & in tanta corii duritie, inter omnia animalia bruta, ingenium ſagaciſſimum, ut eſt in Amm. Marcell. *l.* 22. *c.* 15. Ob quæ, apud Papremitanos, ſacrum fuiſſe animal, ſcribunt Herod. & Plutarch. quamvis in reliqua Ægypto, tanquam Typhonis ſymbolum, execrationi fuerit. Oſſium inprimis firmitatem quod attinet, major ea in hippopotamo, quàm in elephante eſt; qui cùm nihil habeat dente firmius, tamen hippopotami dens, non candore ſolùm, Sed & duritie antecedit, Odoard. Barboſa *in Cephalæ deſcript.* quod & confirmant Dieppenſes; artifices in ea arte peritiſſimi, qui belluæ hujus dentem ebore difficiliùs ſcalpi aſſerunt. Nec ignotus dentium ejus apud Vett. uſus, è quibus Pauſ. in matris magnæ ſtatua Proconneſi, cætera ſcribit ex auro conſtitiſſe, ſed faciem ex hoc dente, quo pro ebore uſi ſint, Καὶ αὐτῷ τὸ πρόσωπον ἀντὶ ἐλέφαντος ἵππων τῶν ποταμίων ὀδόντες εἰσὶν εἰργασμένοι, *in Arcad.* Sed & tantæ ſoliditatis ac ſpiſſitudinis corium ejus eſt, ut tornetur in haſtas & miſſilia. Δόρατα vocat Philoſ. *Hiſt. l.* 2. *c.* 7. Ξυστὰ ἀκόντια, *raſilia tela*, h. e. torno, aut radulâ ſeu dolabrâ expolita, Horod. *l.* 2. *c.* 71. ubi in Papremitamia Ægypti reg. animal. hoc cultum addit. Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 358.

> ——— *raſæ* haſtilia *virgæ.*

Captura ejus operoſa admodum & difficilis eſt, nec aliter quàm dolo capitur. Voſſ. de Orig. & Prog. Idol. *l.* 3. *c.* 73. Nempe circa cubile illius foſſa excavata cannis obtegitur & arenâ aggeſtâ, in qua latet arca, in quam ex improviſo bellua decidens includitur, Achilles Stat. *l.* 4. quod non aliter fieri, quàm πολυχειρία τῶν τυπτόντων τοῖς σιδηρέοις ἰχθύσιν, *multâ manu & molimine cædentium retibus ferreis*, congregatis in eam rem undiquaque navigiis, ubicunque apparuerit, refert Diod. Sic &c. Primus autem *Hippopotamum* Romæ oſtendit, in temporario Euripo, Scaurus Ædilis, pater illius quem defendit Tullius: à quo tempore in amphitheatris ſæpe viſi ſunt, ut dictum. Unde apud Calpurn. *Ecl.* 7. Corydem Romæ in Spectaculis, inter cætera, ſe vidiſſe narrat,

> ——— *Equorum nomine dignum,*
> *Sed* deforme pecus, *quod in illo naſcitur amne,*
> *Qui ſata riparum venientibus irrigat undis.*

Sed ætate Juliani Apoſtatæ in Ægypto jam defecerant, Themiſtius *Orat.* 10. *inſectantis multitudinis tædio ad Blemmyas migrare compulſi*, ut ait Amm. Marcell. *l. c.* ubi hodieque Hippopotamus reperitur & *Bichth* vocatur & *Gomar*, quod in *profundis demerſum* hoc animal ea veluti *ſcrutetur*. Vide omnino Bochart. ubi *ſuprà*, cui adde Salmaſ. *ad Solin. p.* 442. & *ſeqq.* nec non Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 56. ubi *de tergoris ejus duritie*; *c.* 62. ubi *de ejus libidine & impietate in patrem*; *c.* 85. ubi *de hieroglyphico vett. Ægyptiorum, quo imis Regum ſceptra* Hippotamum *ſubjiciebant*, alibique paſſim: ut & ſuprà, ubi *de Equo marino*. Plin. *l.* 6. *c.* 29. *l.* 8. *c.* 25. 26. P. Mela *l.* 1. *c.* 9.

HIPPOREÆ, pop. Æthiopiæ, ſub Ægypto. *Plin.*

HIPPOREGIUS Gulielmus, vide *Gulielmus*.

HIPPORUM, Calabriæ ulter. opp. Anton. hodie *Felo* dici ſcribit Barrius, 10. mill. paſſ. Altano, apud Scunnum ſeu Roſarnum opp. *Ferrar.*

HIPPOS, ſive HIPPUS, clara Judæorum civ. eſt, in tribu Manaſſe, cujus incolæ Hippeni dicuntur: ſita ultra Jordanem in Orientali maris Galilææ litore, è regione urbis Tiberiadis. Urbs Cœleſyriæ Dioni: Epiſcopal. ſub Archiep. Hieroſolymitano, haud procul à lacu Geneſara, *Hippon.* Plin. *l.* 5. *c.* 15.

HIPPOS, opp. Siciliæ, Steph. de quo, ut & opp. Palæſtinæ cogn. in Reg. Decapolitana, vide Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 617. Plin. *l.* 6. *c.* 4.

HIPPOSELINUM, Nemeonicis olim, cum præfatione virtutum, præmii loco datum eſt. Vide Alex. ab Alex. *Genial. Dier. l.* 5. *c.* 8.

HIPPOSTRATUS, genealogias Siculas expoſuit, teſte Pindari Scholiaſte. Minois quoque res geſtas conſignavit, authore Phlegonte Tralliano, *Mirab. c.* 30. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. p.* 378. Etiam *Hippoſtratus* inter eos, qui de mirificis hominum formis in India ſcripſêrunt, à Tzetze refertur *Chil.* 7. *Hiſt.* 144.

HIPPOTA, unus ex Heraclidis, quòd Carnum vatem Nunpacti occidiſſet, exulatum abiit. Pater Aletis vel Alethis, qui regnum Corinthi, Siſyphidis ejectis, occupavit. Vide *Alethes*, it. *Carnus*.

HIPPOTADES, patronymicum ab *Hippota* deductum: quo poëtæ ferè utuntur pro Æolo, ventorum Rege, Hippotæ Trojani ex Segeſta filia nepote, Ovid. *Met. l.* 11. *v.* 432.

> *Quòd ſocer* Hippotades *tibi ſit, qui carcere fortes*
> *Contineat ventos, & cùm velit æquora placet.*

Nic. Lloyd.

HIPPOTAMADA, vicus in tribu Oeneide. *Steph.*

HIPPOTHOE, inter Neptuno dilectas, memoratur Arnobio *adv. Gentes l.* 4.

HIPPOTHOONTIS, una ex duodecim Tribubus Athenienſium, ab Hippothoonte Heroë indigena nomen accepit. Vide Pauſ. *in Attic. p.* 4. & 5. Franc. Roſſæum *Archæol. Attica l.* 1. *c.* 5. ut & ſuprà in voce *Demarchi*.

Δῆμοι *ſeu Populi Tribûs Hippothoontidis.*

Achardus.	Corydallus.
Amaxantea.	Decelia.
Anazæa.	Eleæus.
Aræadæ.	Eleuſis.
Azania.	Oeum Decelicum.
Cæriada.	Oeum ad Eleutheras.

Sphendale. &c.

HIPPOTOXOTÆ, dicti ſunt equeſtres ſagittarii, qua voce utitur Hirtius *l.* 5. *belli Aſiatici*.

HIPPUACRA, (i. e. *equi prom.*) urbs Libyæ.

HIPPUCOME, Lyciæ vicus. *Steph.*

HIPPURIS, inſ. quædam Cariæ maris Mediterranei, una Cycladum, Plin. *l.* 4. *c.* 12. P. Mela. *l.* 2. *c.* 7. Vide *Anaphe*.

HIPPURISCUS, inſ. quædam Cariæ. *Steph.*

HIPPUROS, portus Taprobanes, apud Solin. *c.* 73. quem *Hippurus* vocat Plin. *l.* 4. *c.* 12. unde Ἵππουροι nomen ejus fuiſſe, colligit Salmaſ. *ad Solin.* p. 1117. & Voſſ. *de Orig. & Progr. Idol. l.* 4. *c.* 27. *Aliàs*, Hippurus, *Gr.* ἵππουρος, inter *pelagicos piſces refertur* Ovid. in Halieut. fragm. *v.* 94. & Oppiano, *ſic dictus*: quia *pinnarum longitudine* caudam *referat* equinam; *vel potiùs* quia *inſtar* equi ὀρούει, *i. e.* ruit, *ſive concito fertur gradu.* Quem *Caryſtium inprimis laudabat Archeſtratus*, apud Athen. *l.* 7. *p.* 304. ut ſuavem, commendabat Epicharmus *in Hebes nuptiis* & Matron parodus, *ibid.* Rondeletio hodie *lampugo* eſt Hiſpanorum, qui carne eſt pingui ac ſuavi, ſed duriori, ut glauci thunique. Vide eum de *Piſc. mar. l.* 9. *c.* 19. At ἵππουρις, apud Homer. galea eſt, ex cauda equina ſeu ſetis conum habens. Vide ſuprà.

HIPPUS, fluv. Meſcorum in Phaſim defluens. Strabo *l.* 11. *p.* 498. & 500. Item inſ. Eretriæ, & urbs Siciliæ, ac alia Palæſtinæ, Steph. Gent. *Hippenos* & *Hippinus*.

HIPSA, Vide *Selinus*.

HIPSALA, urbs Thraciæ, ab Amurathe Turc. Imp. Joh. Cantacuzeno erepta, A. C. 1359. Laonic. *l.* 1.

HIPSIDES, amicus Menedemi, Prætoris Macedonici; quem cùm his multis vulneribus (quæ in inſidiis à Spitamene poſitis acceperat) exſanguis hortatus eſſet, ut in equum ſuum aſcenderet & ſe fugâ eriperet; Hipſides, cæſo amico, mori maluit quàm fugere. Itaque ſubditis calcaribus equo in medios hoſtes ſe immiſit & memorabili editâ pugnâ obrutus telis eſt. Curt. *l.* 7. *c.* 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

HIR, fil. Caleb, filii Jephone, 1. Par. *c.* 4. *v.* 15.

HIRA, fil. Acces. 2. *Sam. c.* 23. *v.* 26. 1. *Par. c.* 27. *v.* 7.

HIRA, maritima urbs Peloponneſi, in agro propinquo Pylo, ſub Agamemnonis dominio. Hom. *Il.* 11. Ἱρὴ Steph. mons & urbs Meſſeniæ, & alia Melienſium.

HIRA, apud Arnob. *adv. Gentes l. ult. Non ſimiliter ſendices, quæ & ipſæ ſunt* hiræ: *quas plebis oratio hillas ſolet* --- *nuncupare*, quid ſit, exponit Feſtus, Græcè νῆστιν, *inteſtinum eſt*, inquiens, *quod jejunum vocant.* Unde Soſipater Chariſius, *Hic Lucanicus ſubauditur botulus* --- *hæc Lucanica* -- *intelligitur hira, h.e. inteſtinum.* Et Varro *de Ling. Lat. l.* 4. *Ab eadem fartura farcimina in extis appellata. à quo, quod in eo tenuiſſimum inteſtinum factum hila, ab hilo dicta, i. e. minimo,* quod ait Ennius,

——— *neque diſpendi facit tutum.*

Vide Godef. Stewech. *Electis ad Arnobii loc.* Nonium it. Marcell. in voce *Hillas.*

HIRAM, Rex Tyri. 2. Sam. *c.* 5. *v.* 11. qui 2. Par. *c.* 2. *v.* 3. 11. & 12. *c.* 4. *v.* 11. & *c.* 8. *v.* 14. *Huram* dicitur. Amicus Davidis primò, dein Salomonis, cui cedros è Libano ſummiſit, ad templi ſtructuram; 20. urbibus ab ipſo donatus. Fil. erat Abibali, regnavitque An. 60. Succeſſit fil. Balatorus, per An. 7. Joſeph. *Antiqq. l.* 8. Theophil. Antioch. *l.* 3. *ad Autol.* ex Ann. Tyriis Menandri Epheſii. Item civ. Idumæorum. Gen. *c.* 36. *v.* 43. Nic. Lloyd. Vide quoque infrà *Hiromus* item in voce *Balcazarus.*

HIRAM, nomen viri Odollamitis. Gen. *c.* 39. *v.* 1. & 12. 1. Par. *c.* 1. *v.* 45.

HIRASA, locus Libyæ, in quem Afri Battum tranſtulêrunt. *Steph.*

HIRCIA Lex, ab A. Hircio, qui poſteà in pugna ad Mutinam cecidit, lata eſt: *Ut Pompejani ad dignitates non admitterentur.* Cic. *Philipp.* 13. *in Anton. Ep.* Etiam *Hirtia* nonnulli ſcribunt. Vide in voce *Hirtius.* Aliàs *Hircia*, genus farciminis hircino ſanguine inculcatum, quo in ſacrificiis olim utebantur. Arnob. *l.* 7. *Sed ſi magnificum videtur atque amplum, jugulare Diis tauros, ſi illibata, ſi ſolida concremari animantium viſcera, quid ſibi reliqua hæc volunt* -- *apexaones*, hirciæ, *ſilicernia, longavi?* Feſto *Irceus* dicitur &c. Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 128.

HIRCIPILI, apud Feſtum ſunt *denſorum pilorum homines*, ab *hirco*, animali maximè hirſuto, dicti. Hinc שעירים *Hirci*, idola vel dæmones dicti ſunt, Lev. *c.* 17. *v.* 7. & 2. Par. *c.* 11. *v.* 5. fortè proper Ægyptios, qui non modò *Hircum* in Deos retulêrunt, ſed & in ejus cultum tanto furore ferebantur, ut oporteret Sacerdotes, paterna Sacerdotia per Ægyptum ſuſcepturos, huic Deo primùm initiari, Diod Sic *Bibl. l.* 1. Accedit, quòd complures Dii gentium, ut Pan Mendeſius, Faunorumque & Satyrorum omne genus, aut hircinâ ſpecie aut hirco proximâ culti ſunt. Et in Majmonide *More Nev. l.* 3. *c.* 46. Ethnici, apud Arabes & Chaldæos, Dæmones exiſtimabant *Hircipilos* eſſe. Nempe Diabolus *hirci* ſpecie potiſſimùm ſe conſpiciendum præbet, uti legimus in Jamblichi *Babylonicis*, & apud Philoſtrat. *Vit. Apollon. l.* 6. *c.* 13. Idem judicium de Silvanis & Faunis & Gallorum Duſiis, de quibus Auguſtin. *de Civ. Dei. l.* 15. *c.* 23. Neque in Hebræos latuit, qui proin Eſa. *c.* 13. *v.* 21. & *c.* 34. *v.* 14. pro voce *hirci*, quæ in textu eſt, ponunt dæmonia vel *piloſos*, Græcis reddentibus τριχιῶντας & ὀρθοτριχῶντας &c. Vide Bochart. *Hieroz. Parte poſt. l. VI. c.* 7.

HIRCUS, inter animalia, quæ magnificè incedunt, memoratur Prov. *c.* 30. *v.* 31. quod priſci Interpretes intelligunt de hirco, qui præcedit gregem. Hic enim tum non minùs, barbæ & ſexus fiduciâ, quàm leo & equus, de quibus *ibid.* cum quadam pompa ac faſtu fertur, tanquam capris ſuis ſe venditans, quod Ælian. non latuit *l.* 7. *c.* 26. nec Polluc. *l.* 1. *c.* 12. *ſ.* 19. *Hircos* autem ſingulos ad denas capras parat Varro *de Re Ruſt. l.* 2. *c.* 3. quâ proportione ſervatâ enim inter oves & arietes, Jacob Eſavo fratri obtulit cum ducentis capris viginti hircos, & cum ovibus ducentis arietes viginti, Gen. *c.* 32. *v.* 14. Deducit autem capras *Hircus* ad paſcua ſummo manè, unde inter alia nomina, quæ Hebræi illi tribuunt, צפיר *tſaphir* quoque, i. e. *matutinus*, dicitur Dan. *c.* 8. *v.* 5. & 21. Quod cùm & aliis pecoribus commune ſit, id tamen peculiare huic generi, quòd certo anni tempore (nempe tum cùm Canicula oritur cum Sole) eò converſi Ortum reſpiciunt, Plutarch. *utra Anim.* &c. Porrò *Hirci* ad ſacrificia, ad lanienam, ad commercia, ad Venerem, aliaque, non minùs ac ad præcedendum gregem, parati ſunt & idonei, ut videre eſt Pſ. 66. *v.* 15. Ezech. *c.* 27. *v.* 21. Prov. *c.* 27. *v.* 26. Gen. *c.* 31. *v.* 10. & Jer. *c.* 50. *v.* 8. In quibus proin locis omnibus עתודים i. e. *parati*, dicuntur, unde Phrygium *Attidis* vel *Athydis*, qui Cybeli in delitiis fuit, nomen deducit Cl. Bochart. Certè hircinum eſſe nomen Atydis & ab hirco ſumptum apertè docet Arnob *l.* 5. De uſu eorum in V. T. Sacris, vide inprimis ſuprà in voce *Azazel.* Quem cacozeliâ ſuâ imitata Gentiles, eandem victimam Baccho immolarunt, quòd vites rodat. Mart. *l.* 3. *Epigr.* 24. cujus epigraphe de fuſco haruſpice initio.

Vite nocens roſa ſtabat moriturus ad aras
Hircus, *Bacche, tuis victima grata ſacris.*

Sed & Athenienſes, ingruente bello, in campis Marathoniis, voviſſe totidem Dianæ *hircos*, quot peremiſſent hoſtes, notat Cæl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 23. *c.* 26. Contrà *Hirci* à Mendeſiis culti, apud quos feminæ quædam, quod rélatu horrendum eæque non de plebe, ſe iis fœdè ſubmittebant, tanquam religione addictæ, idque ἀναφανδὸν aliquando, ut ait Herod. propalàm:

Tantum relligio potuit ſuadere malorum:

Vide Ælian. *Hiſt. Anim. l.* 7. *c.* 19. ut & in voce *Mendes.* A' qua tamen fœditate abominanda animal aliàs ſalaciſſimum & à mulieribus formoſiſſimis provocatum nonnunquam abhorruiſſe, teſtatur Plutarch *l. quòd bruta ratione utantur.* Nempe ſola in brutis natura ſæpe plus poteſt, quàm in homine ratio ſibi relicta. Atque hinc Moſes, Lev. *c.* 17. *v.* 7. ubi Iſraëlitas ex Ægyptiaca ſervitute liberatos offerre vetat ampliùs ſacrificia ſua *piloſis*, *cum quibus fornicati erant*; ſic illos à cultu hircorum dehortatur, ut videatur ſimul alludere ad impuriſſimas has Ægyptiorum libidines, eidem Bocharto: ut taceam templa ab iiſdem animali huic erecta, feſtoſque dies conſecratos, de quibus vide Eliam Cretenſem *in Naz. Orat.* 4. Niſi malis Panem in hirci forma iis cultum, hincque id animalis pro ſacro habitum, qua de re vide quæ ſuprà diximus, ut & aliquid apud Jac. Ouzelii *Animadverſ. ad Minuc. Fel. p.* 167. & 168. Alia quædam ut adjiciam, *Hircum* Tragicis poëtis præmium fuiſſe, docet Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 44. & innuit id ipſum *Tragœdiæ* nomen. Sed & *Hircos*, in Circenſibus, pueri olim equitabant phaleratos atque capiſtratos. Anyte *Antholog. l.* 1. *c.* 33. *Epigr.* 28.

Ἡνία δή τοι παῖδες ἔνι, τράγε, φοινικόεντα
Θέντες, καὶ λασίῳ φιμὰ περὶ στόματι.
Ἵππια παιδεύουσι θεοῦ περὶ ναὸν ἄεθλα,
Ὄφρ' αὐτοὺς φορέῃς ἤπια τερπομένους.

Purpureas tibi pueri, ó hirce, *habenas*
Imponentes & capiſtrum circa hirſutum os:
Equeſtria ludunt Dei circa templum certamina;
Ut ipſos portes blandè exhilaratos.

Vide ſuprà quoque in voce *Capella.* Inſuper *hircinæ barbæ* ſuffitu Arabes morbis ſuis occurriſſe; eoſdem in *hircinis pellibus* ſtyracem urere conſueviſſe, ad ſanandum odorum ſuorum faſtidium, tradit Plin. ubi de *Styrace*, qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 541. Sed & *hircorum*, aut hinnulorum pellibus, qui Satyrorum in Theatris perſonam ſuſtinebant, indui ſolitos. Pollux habet. Pyrrhi galeam & *cornibus hircinis* fuiſſe inſignem, refert Plutarch. in *Vita ejus:* & cui ignota *cilicia*, à *Ciliciis hircis*, quorum ſetæ productæ & hirſutæ illis, texendis erant optimæ, ut & Ciniphiorum, nomen nacta? vide ſuprà in ea voce &c. Cæterùm in Arabia inprimis ingens hujus pecoris proventus eſt. Unde *Arabes* Joſaphato Regi pro tributo ſolviſſe leguntur arietum ſeptingentos ultra ſeptem millia totidemque hircorum, 2. Par. *c.* 17. *v.* 11. notaque, quæ de Arabum Nabathæorumque hircis, in Hiſtoria ladani, habent Herod. *l.* 3. *c.* 112. & Plin. *l.* 12. *c.* 17. Tranſlata vox ad Principes, qui, uti *Arietes*, ſic & *Hirci*, quandoque appellantur, occurrit Eſai. *c.* 14. *v.* 9. & Dan. *c.* 8. *v.* 5. in quo poſteriori loco Alexander *Hircus caprarum* vocatur, vide Commentatores *ad eum*, & plura hanc in rem, apud Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l. II. c.* 53. & 54. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 62. 69. & 71. alios.

HIRCUS Emiſſarius, vide ſuprà *Azazel* & infrà *Lingua coccinea:* nec non ubi de *Expiationis feſto.* Dico hîc ſaltem poſtquam Pontifex manus ſuas, &, ſolenni confeſſione editâ, univerſi populi peccata impoſuiſset ei, his onuſtum à viro opportuno in deſertum educi ſolitum, compellente undiquaque populo. Ferunt autem, inter Hieroſolymam, locumque quo educendus erat, idoneis intervallis ſtationes ac tentoria diſpoſita fuiſse: proceresque Hieroſolymitanos eum ad primum lapidem deduxiſse: aliam pompam ulteriùs iviſse: ab ultimo autem tabernaculo ad locum deſtinatum, à Duce ſuo, ſolo, perductum. Quò cùm perveniſset, ex rupe præcipitatum; albeſcente interea, ut ipſi quidem narrant, filo coccino, quod fauſtum peractæ expiationis ſignum cornuum cantu aliaque ratione inſigni populi lætitiâ ſignificatum fuerit, Franc. Burmann. *Synopſi Theol. Chriſt. Parte prior. l. IV. c.* 18. & 19. Quæ dum in deſerto fierent Pontifex in Sanctuario ſacris vacabat, ut infrà dicemus in voce hac.

HIRCUS Barbariæ, vide infrà *Tragelapſius.*

HIRDSTRAA, appellatum eſt *vet. Jus Aulicum Norvegicum*, cum Jani Delmeri Dani *Lat. verſione & Notis* editum; à voce Saxon. Hired. i. e. conventus, familia, ſeu Dan. *Hird*, Aula, domus, & *ſtraa*, Leges ſcripto comprehenſæ. C. du Freſne *in Gloſſ.*

HIREMANNI, apud Anglo Saxones, videntur iidem Henr. Spelmannno fuiſse, qui *Arimanni* apud Longobardos: Somnero verò iidem fuêre cum *Hirdemannis*, h. e. *Aulici*, in *Jure Aulico Norveg.* ſic ſæpiùs appellatis, vide hîc ſuprà.

HIRMINIUM, Siciliæ fluv. Plin. *l.* 3. *c.* 8. *Mauli & Raguſæ* Fazello. *Magunt*, Ortel.

HIRMOLOGIUM, liber Eccl. apud Græcos, Εἱρμολόγιον dictus quòd εἱρμοὺς *contineat omnes Octoechi herilium & Diparæ ſolemnitatum ac totius anni.* Eſt autem iis *Hirmus* ſeu Εἱρμὸς hymnus ſeu troparium, à quo reliquorum troporiorum, quæ in ea Ode canerentur, conſequentia & ſpecies ducebatur, uti docet Allatius *Diſſertat.* 1. *de l. Eccl. Græcor.* ex Simeone Theſſalon. Archiep. *l. de Templo, Sacerdote & Myſtagogia*, & Zonara *Comm. in Can. Anaſtaſimos Damaſceni in Proœm.* In Eccl. Latina *Tractum* appellari vult Meurſ. ſed *tractum* à trahendo dictum, eò quòd *tractim* cantetur: nec, quæ ſubſequuntur, ad illius Muſices normam concinantur: *Hirmum* verò eſſe canonem & regulam modulationis ſubſequentium tropariorum, ait idem; qui & *Hirmos* Muſicalibus notis à Joſaph. Cucuzele digeſtos aſſervari in Bibliotheca Barberina, adnotat. Cæterùm Εἱρμῶν frequentiſſiam mentionem fieri in *Euchologio, Menologio, Paracletice* & reliquis Græcorum *Ritualibus*, docet Cl. Suicer. *Theſ. Eccleſ.* in voce Εἱρμός.

HIROMUS, Menandro Epheſio apud Joſeph. *c. Apionem*, & Dio *Rerum Phœnic.* Scriptori, apud eund. Εἴρωμος, Tyriorum vetus Rex, orientalem urbis partem aggeribus auxit, Jovis Olympii templum, quod antea ſeparatum erat, ſpatio medio aggeribus repleto, cum urbe conjunxit, & columnam auream in eo poſuit. Aſcendens autem in Libanum, ad Templorum ſtructuram ligna cæcidit, delubrum dedicavit tam Herculi, quàm Aſtartæ, Titiceos (populum ignotum) quòd tributa non ſolverent, bello

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

bello ſubegit. Ei Salomon Hieroſolymorum Rex ænigmata miſit & ab eo popoſcit; adjecto, ut qui non poſſet dirimere, pecuniam ſolventi expenderet. Quod cum is non poſſet, pecunia multatus eſt: donec Abdemono uſus paria Salomoni rependit. Vide Joſeph. d. l. & *Antiq. l.* 8. *c.* 2. ut & ſupra in voce *Abdemonus*, it. *Hiram*. Vixit Annos 53. regnavit 34. De claſſe ejus, quam Salomonis claſſi junxit, vide 1. *Reg. c.* 10. *v.* 22. Initium ejus incidit in Annum 33. Davidis: initium verò, Salomonis incidit in Annum 7. vel 8. *Hirami*. Nam Anno II. vel 12. Regni ejus, Templum Hieroſol. condi cœpit, Anno Salomonis 4. Joh. Marſham. *Canone Chron. ad Sec. XIV. de Hiromo Rege* ubi & filiam ſuam Salomoni deſiſſe *Hiromum* ex Clem. 1. *Strom.* addit.

HIRPEX, à Græco ἅρπαξ; Ἁρπάγη Euripidi,

Σκαφν σιδηρᾶ τῇ τε κ' ἀρπάγῃ δόμους:

Εὐστρο Heſych. Feſto *genus eſt raſtrorum ferreorum, quod plures habet dentes, ad exſtirpandas herbas in agris*: hincque quod *rapiat* & vertat quæ in terra ſerpant inutilia, & ſic agrum purget ac mundet, nomen accepit. A cujus inſtrumenti ſimilitudine occatorias quoque crates ſeu raſtra dentata, quibus occabatur ager ad glebas comminuendas, & exæquandas, Ruſticos *irpices* vocaſſe, docet Serv. *ad illud* Virg. Georg. *l.* 1. *v.* 95.

Vimineaſque *trahit* crates ———

Quam vocem hodieque retinentes Galli crates hujuſmodi dentatas, quibus ſemina, poſtquam jacta ſint, operiunt, *Herſes* vocant. Utuntur autem ut plurimum hujuſmodi *irpicibus* in iis agris, qui nec depreſſos habent ſulcos, nec porcas extantes. Quales agri non ſolent inarari jactis ſeminibus, ſed arantur, priuſquam ſe rantur, dein tractis illis cratibus dentatis operiuntur, terrâ ſemina: quem ſerendi modum Gallis vindicat Plin. *l.* 18. *c.* 24. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 729.

HIRPIÆ familiæ, Plin. *l.* 7. *c.* 2. Haud procul ab urbe Roma in Faliſcorum agro *familiæ* ſunt paucæ, quæ vocantur *Hirpiæ*, quæ ſacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, ſuper ambuſtam ligni ſtruem, ambulantes, non aduruntur, & ob id perpetuo Senatuſconſulto militiæ, omniumque aliorum munerum vacationem habent. Verùm Strab. *l.* 5. *p.* 250. non Apollini, ſed Feroniæ hæc ſacra fieri ſolita tradit Serv. præterea *in Æn. l.* 2. *v.* 696. & *l.* XI. *v.* 785. hos *Soranos* vocatos ſcribit, ſed *Hirpinos* pro *Hirpis* malè legit. Hirpini enim longè à Faliſcis abſunt. Solino *Hirpi* vocantur. *Nic. Lloyd.*

HIRPINI, pop. Samnitum, non tantùm contermini ab ortu Solis, hiberni, ſed & conſanguinei, adeoque pars fuêre. Strabo *l.* 5. *p.* 250 Ἑξῆς δ' εἰσὶ Ἱρπινοὶ καὶ οἱ Σαυνῖται. Τοὔνομα δ' ἔσχον ἀπὸ τοῦ ἡγησαμένου λύκου τῆς ἀποικίας, ἵρπον γὰρ καλοῦσιν οἱ Σαυνῖται τὸν λύκον. Opp. eorum *Hirpinum*, hodie *Harpaia* Leandro, qui hoc quoque *Harpadium* antiquis nominatum addit, quod vide. Leandro *Hirpinorum* regio, hodie eſt Principatus ulterior *Principato ultra*, in regno Neapol. Caput eorum & Metropolis Beneventum, Plin. *l.* 3. *c.* XI. cæteræ urbes Compſa, Abellinum, Frequentum, &c. Illorum Sil. Ital. Punic Bell. meminit *l.* 8. *v.* 570.

Lucanis excita jugis, Hirpinaque pubes.

HIRPINI, montes ex quibus Aufidus fluv. Apuliæ oritur.

HIRPINUS, generoſus equus. Juv. *Sat.* 8. *l.* 3. *v.* 62.

Sed venale pecus Corithæ, poſteritas &
Hirpini, *ſi rara jugo victoria ſedit.*

Mart. *l.* 3. Epigr. 63. cujus epigraphe in Cotilum effeminatum *v.* 12.

Hirpini *veteres qui benè novit avos.*

HIRRI pop. Germ. ubi nunc Livonia, erant, Cluv. Aliis, ubi nunc Hilandia, in Finlandia. Horum tantùm meminit *Plin.*

HIRRIUS, prænomine *Cajus*, ædilis, de quo Cæſ. *l.* 1. *de Bello Civ. c.* 15. Hic murænarum vivarium primus excogitavit privatim, Cæſariſque cænis triumphalibus ſex millia numero murænarum mutuo appendit, nam permutare quidem precio ullo noluit aliâve merce. Hujus *Hirrii* villam, quamvis non amplam aut latam conſtat propter vivaria, quæ habuit, quadragies ſeſtertiûm venumdatam. Vide Plin. *l.* 9. *c.* 55. Macrob. Sat. *l.* 2. *c.* XI.

HIRRUS, ex LUCEJA gente, Cic. in Auguratu, & M. Cœlii in ædilitate, competitor, ſed utrobique repulſam paſſus.

HIRSENGENSIS Gulielmus, vide *ibi*.

HIRSEMESH, i. e. *civ. Solis*, civ. in tribu Dan, Joſ. *c.* 19. *v.* 41.

HIRSFELDIA, Abbatia Germ. cum tit. Principatus: cujus Præſules cùm ab aliquot jam ſeculis, ad depellendas vicinorum Nobilium injurias, quas à Buchenaviis, Goerziis, aliiſque varias pertulêre, aliena ope indigerent; Friderico Miſniæ Marchioni ab Ludovico V. Imp. A. C. 1327. poſtea Gunthero Trevirorum Archiep. atque Falckenſteniis Comitibus A. C. 1398. tuendi traditi fuêre. Tandem Albertus Abbas, perpetuo patrocinio Eccleſiæ ſuæ conſultaturus, ab Ludovico Haſſiæ Landgravio illis legibus illud obtinuit A. C. 1432. *Ne unquam à Landgraviis Abbatia avelleretur, quorum fidei ſpontaneâ clientelâ ſe ſubmiſerit; ut arcibus atque urbibus, præſidiis Haſſicis, quando Landgraviis lubeat, firmandi viriſque contra quoſcunque hos juvare obſtricta eſſet*: translatâ in eoſdem facultate redimendi bona, aliis ab Abbatibus obligata &c. In quam formulam utrinque reperitis pactionibus conſenſum eſt A. C. 1458. & 1490. Poſtea Philippus, metu amittendorum jurium ex Abbatia iſta à Majoribus paratorum, quem Volperti Antiſtitis tentata in Abbatiam Fuldenſem *incorporatio* intenderat, ad novas conditiones Cratonem Abbatem adegit A. C. 1517. *Ne viz. unquam* Hirsfeldia *alienæ Eccl. acceſſio fieret, neve ad Præſulatum ejus alia quàm Electionis aut Poſtulationis via, neque iis pateret, qui ſacri Principatus dignitate jam ornati aut Haſſiæ Landgraviis exoſi eſſent.* Bello dein Ruſtico, quo ſubditi quoque Abbatis correpti, *Hirsfeldiam* velut belli jure ingreſſus, Urbem immunitatibus, Abbates atque Capitulares libertate exuit, atque per totam illam ditionem publicæ Religionis cultum mutavit. A quo tempore cum ſubditis ſuis in ordinem redacti *Hirsfeldiæ* Principes propiùs ſervitio, quam imperio, abfuêre, donec Haſſi melius rati, ſi Abbatum jure nonimeque ipſi regnarent, non multo labore, quod voluêre, indepti ſunt; Otthone Mauritii filio primùm Joachimo Abbati & ſui fratre Gulielmo qui morituris ſuccederent, ſic rogato. Quod cùm Rudolphus II. & Matthias Impp. propoſito edicto, nemine tamen nominato, improbarent A. C. 1617. non tamen ceſſêre Catti, qui potius Pace Weſtphalicâ id tandem impetrârunt, ut ſatisfactionis loco, ob accepta ab Pontificio milite damna, flagitatæ, terram illam *ſecularis Principatus* nomine ſibi retinerent. Tob. Pfanner. *de præc. Germ. Princip. Genio. c.* 8.

HIRSUTUS Comes, vide ſuprà.

HIRTHA, quaſi HIRCHIA, extrema Hebridum; in Bor. vergens, ab hircorum copia & magnitudine; à Scotia verſus Thulen recedens.

HIRTIUS Aulus, Coſ. Rom. unà cum C. Panſa, quo tempore Brutus ab Antonio obſeſſus fuit Mutinæ, ad quem liberandum profectus, unà cum collega interfectus eſt. A. U. C. 711. Item *A. Hirtius*, ſive *Hircius* hiſtoricus, ſuaſu Balbi, author libri 8. de Cæſaris bello Gallico, ut Suet. in Aug. *c.* X. teſtatur. Ejuſdem ſunt libri de bello Alexandrino, & Africano. Dictionem ejus meritò commenda: Juſt. Lipſ. *l.* 2. *Ant. Lec. Hirtius*, inquit, *terſiſſimo belli Africi commentariolo*, Vide Voſſ. *de Hiſt. de Lat.* p. 66.

HIRUDO, apud vetuſtiores Latinos, quaſi *hiludo*, ex Græco ἕλος, *palus*, quòd in paludoſis locis degat; Græcis βδέλλα, à verbo βδάλλειν, quod *exſugere* notat. Hebr. עלקה *alaka*, dicitur, à *pendendo* & adhærendo. Horat. de arte poët. *v.* 476.

Non miſſura cutem, niſi piena cruoris Hirudo

Quò reſpiciens Plaut. *Epid. Actu* 2. *Sc.* 2. *v.* 4.

— *jam ego me convortam in* hirudinem,
Atque eorum exſugebo ſanguinem.

Apud Plin legimus *l.* 32. *c.* 10. *Atque hinc in Medicina ad eliciendum ſanguinem* hirudines *adhibentur; ſed ſi aliquando affixæ capita relinquant, inſanabile inde vulnus, & certa pernicies. Uti de Meſſalino è Conſularibus patriciis, cùm ad genua admiſiſſet*. Sed & aliquando corpus ſubingrediuntur. Et tum, *ſi in ventriculo aut inteſtinis hæreant, per ſeceſſum, muriæ exhibitione, pelluntur: Si in faucibus; æger in ſolio calido admentum uſque demerſus, frigidam ore copioſam continet, cujus illecebra* hirudo *allecta, calorem fugiens, egreditur*, Æginеta *l.* 5. *c.* 36. & Aëtius Tetrab. *l.* 4. Serm. 1. *c.* 56. Plinii ævo *ſanguiſugæ* vox in uſum venit, in qua infrà plura. Plin. *l.* XI. *c.* 34.

HIRUNDO, Diis olim Penatibus carum animal, uti ex Æliano docet Lil. Girald. *de Gentium Diis*, & ex Varronis in Menippeis loco, de templo Apollinis exuſto, cujus Arnob. meminit *adv. Gentes l.* 6. God Stewech *Electis ad eum*: avis migratoria eſt. Anacreon Ode 33.

Σὺ μὲν φίλη χελιδὼν
Ἐτησίη μολοῦσα,
Θέρει πλέκεις καλιὴν,
Χειμῶνι δ' εἰς ἄφαντος &c.

Abit autem hibernis menſibus, & ſub veris initium redit. Unde apud Theognim *l.* 3. de Rhodiorum ſacrificiis, ita incipit cantilena, quam oſtiatim canebant οἱ χελιδονίζοντες, i. e. *Agyrtæ, qui hirundinem veniſſe nuntiabant*, Ἦλθ' ἦλθε χελιδὼν καλὰς ὥρας ἄγουσα, καὶ καλοὺς ἐνιαυτούς, ἐπὶ γαστέρα λευκά, κἀπὶ νῶτα μέλαινα, *Venit, venit* hirundo, *pulchra tempora adducens & pulchros annos, albo ventre & nigro dorſo.* Et, uti Theon ad Aratum ſcribit, piſcem Borealem Vett. cum *hirundinis* capite pingebant, & ἰχθὺν χελιδονίαν vocabant, quæ veris præludium ortu ſuo ſignificabat. Mora earum 6. menſium; uti enim initio veris veniunt, ſic recedunt in fine æſtatis. At quò migrent, non compertum eſt. Iſid. in genere. *maria*, inquit, *transvolat ibique hieme commoratur* hirundo. Herod. de Æthiopia ſub Ægypto *l.* 2. *c.* 22. milvos & *hirundines* toto anni tempore ibi eſſe, nec per hyemem diſcedere, ait Anacreon *ubi ſuprà.*

Χειμῶνι δ' εἰς ἄφαντος,
Ἢ Νεῖλον, ἢ 'πὶ Μέμφιν.

Hyeme autem non conſpiceris,
Sive Nilum, ſive Memphim petas &c.

Utut ſit, diſcedens agmen deſerere apud eas grave crimen, ſi fides Mart. *l.* 5. *Epigr.* 68. cujus epigraphe de hirundine,

Hibernos peterent ſolito cùm more receſſus,
Atthides in nidis una remanſit avis.
Deprendere nefas ad tempora verna reverſæ,
Et profugam volucres diripuêre ſuæ.

Sed & à frigore manentibus non leve periculum. Plin. *l.* 2. *c.* 37. *Signum orientis ſideris* (Arcturi) *ſervetur* hirundinum *abitu, namque deprehenſæ intereunt.* Tamen in apricis locis quaſdam manere certum eſt, quæ non moriuntur omnes, ſed mutantur & deplumantur, Ariſtot. *Hiſt. Anim. l.* 8. *c.* 16. Cujuſmodi *hirundini* Eutropii Eunuchi jam effœti depile caput & tineâ exeſum confert Claud. *in Eutrop. l.* 1. Carm. 18. *v.* 118. &c. Cæterùm Plin. *l.* 10. *c.* 24. *Hirundines Thebarum tecta ſubire negantur, quoniam urbs illa ſæpe capta ſit: nec Biziæ in Thracia, propter ſcelera Terei*, Qua de re vide ubi de *Philomela*, *Progne*, *Tereo*. Cujus tamen facinus in Daulide Phocidis ponit Pauſ. & inde eſſe ait, quòd in illa regione *hirundines* non nidulentur; neque ova excludant. Eidem volucrum *ſoli flexuoſi volatus, velox celeritas*;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

quibus ex cauſis neque rapinæ cæterarum avium obnoxia eſt. Eadem demum ſola avium non niſi in volatu paſcitur, Plin. ubi modò. Nempe: cùm multæ aliæ ſint aves, quæ & flexuosè volent & celeritate præſtent, nullæ tamen ſunt, quæ volatum flexuoſum tantâ velocitate expediant. Hinc ab hominibus aliquando ad varia celeriter annuntianda adhibitæ. Plin. *ibid. Cecina Volaterranus equeſtris ordinis quadrigarum dominus, comprehenſas in urbem ſecum auferens, victoriæ nuntias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes illito victoriæ colore. Tradit & Fabius Pictor — cùm obſideretur præſidium Romanum à Liguſtinis*, hirundinem *à pullis ad ſe allatam: ut lino ad pedem ejus alligato nodis ſignificaret, quoto die adveniente auxilio eruptio fieri deberet* &c. Idem Ib. *c.* 33. & 53. De ſpecie *Hirundinum*, quales in Medo quo templo degunt, ſuprà *in Ababilo* vide. A' fuſco earum colore *Chelidoniæ aſpides*, & *Chelidoniæ gemmæ*, nomen accepêre, de quibus vide aliquid ſuprà: uti de cavo ungulæ equinæ, χελιδὼν Græcis dicto, infrà in voce *Ungula*. Sed & in *Hirundinis* nido lapis *Icterias*, h. e. quo ſanantur Icterici, reperiri dicitur, docetque Bochart. ejus pullos croco tingi ab Arabibus, quo viſo pater, eos ictero laborare ſuſpicatus, lapidem illum ex India in nidum afferat & pullis ſupponat, *Hieroz. Part. poſt. l. I. c.* 10. ubi plura alia de hac ave. Adde Gerh. Joh. Voſſ. *de* Orig. & Progr. *Idol. l.* 3. *c.* 15. 73. 78. 82. 84. 85. & 97. ubi de eadem: & *l.* 4. *c.* 19. ubi de *Hirundine*, piſce volucri &c.

HIRUNDO, machinæ bellicæ ſpecies. Henricus Roſla *in Herlingsberga*, apud C. du Freſne *in Gloſſ.*

> *Non hîc unigena fabricatur machina: nomen*
> *Hæc Librilla, quaſi ſaxea pondera librans:*
> *Obtinet illa Suis, ſed* Hirundinis *hæc: ſtat Aſelli*
> *Illa vocata notâ* &c.

HIRUNDO Marina, piſcis eſt volans, Hiſp. *Voladore*, cujus ala pluſquam palmaris, aſſervatur in *Muſeo* Kircher. Romæ. Ibidem *Hirundo Marina* pendula, ventos ſpirantes extra Muſeum monſtrat. Piſciculus nempe in Muſei laqueari intra nauticæ pyxidis ventorum ſchemata & differentias ad mundi plagas collocata referentia, pendulus eſt; qui ſe continuo motu agitando nunquam quieſcit, niſi ſupra venti ejus rhombo, qui extra Muſeum ſpirat. Itaque ad flantium ventorum varietatem, in loco ventis impervio, roſtro ſuo ad rhombum ſpirantis venti ſe perpetuò convertit. Georg. de Sepib. *in Collegii Rom. S. J. Muſeo p.* 23. Vide quoque infrà Magnes Æolius.

HISARA, Vide *Iſara*.

HISARCI ſive HISARSI, pop. Alpini Inſubriæ, quorum pag. adhuc *Iſarſo* & *Arciſate*, pag. alius vicinus, Merula, Caſtilion. Cluv. pop. ſunt Vindeliciæ, ad Ort. Iſaræ flum. *Germ. antiq. p.* 725. Thſcudus *Miſaucos* legit: ſunt autem hi Lepontiorum pop. (incolæ vallis Miſauciæ *Majoxerthal*, cujus præc. locus Miſaucum *Maſox*, arx munita, in primo Rhætorum fœdere,) ſupra Verbanum lacum. Vide Joh. Bapt. Plantin. *de variis Rhatiæ pop. p.* 342.

HISMAELITÆ, pop. qui nunc *Saraceni*, ab *Hiſmaele* ſic dicti. Lege *Iſmaelitæ*.

HISPALIS, Bæticæ prov. urbs pulcherrima, antiquiſſima, clariſſima, & omnium Hiſpaniæ maxima, Romanorum colonia cognomine *Romulenſis*, à qua unus ex 4. Bæticæ conventibus Hiſpalenſis dicitur. Plin. *l.* 3. *c.* 3. Hodiè *Sevilla* vulgò, Italis *Seviglia*, Gallis *Seville*, Anglis *Sevil*, dicitur, *Hiſpali*, Herculis filio, nomen, atque primordium, Jul. Cæſari reſtaurationem; Raymiro Regi, ac longo deinde tempore Ferdinando III. à Mauris, qui eam, cum reliqua regni parte cepêrunt, A. C. 713. tenuêruntque uſque ad A. C. 1248. liberationem defert. Ariæ Montano videtur nomen Phœnicum, ex *Spila* ſeu *Spala* deflexum, quod planitiem ſeu virentem reg. ſignificat. Urbs ad mare Gaditanum ſita eſt, formâ rotundâ, ædium pulcherrimarum frequentiâ nitidiſſimè culta, totiuſque Hiſpaniæ emporium florentiſſimum, quod ex variis mundi partibus, maximè verò ex India Occid. quæſtus incredibiles facit. Situ omnes Hiſp. urbes excedit. Agrum habet pinguem & peramœnum, omnis generis frugum, olei, olivarum, dactylorum, & citriorum feracem. Eam nobiliſſimus fluv. Bætis præterlabitur: In cujus adverſa ripa ſuburbium habet, amplum, *Triana*. Cum caſtro antiquo, ſedes Metropolitæ. 20. leuc. Hiſp. à Corduba in Occ. 55. ab Ulyſſipone in Eur. totidem à Toleto, in Auſtr. 16. ab ora Oceani. Baudr. Præterea Academia hîc, Inquiſitio, Moneta, quæ vulgò *aurea Turris* dicitur: tantumque hîc & Segoviæ moneta Hiſpanica cuditur. De hac Hiſp. *Qui no ha viſto Sevilla, no ha viſto Maravilla.* In urbe hac regia, A. C. 1555. fidelium ultra 300. Eccleſia erat occulta: de qua quamprimum Inquiſitoribus ſuboluit, perſecutio inſtituta & Joh. Pontius Comes, Joh. Conſalvus, Joh. Ægidius, concionatores Hiſpalenſes, combuſti, A. C. 1559. Iſabellæ Veniæ domus diruta, ipſaque cum Maria Virœſia, Cornelia Bohorquia, aliiſque ſimiliter neci tradita eſt. Paſſus item Garcias Arias, qui primus in Iſid. ſodalitium religionem intulerat, plurimique alii. Nec parcitum Conſtantino Pontio, paulo antè Carolo V. à confeſſionibus. Hiſpali dein Pinciam flamma pervolavit &c. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 23. ac Librum Inquiſit. Hiſp. apud Læt. *Comp. Hiſt. Univ.* Et plura de Urbe apud Rodrig. Carum *Antiquid. de Sevilla.* Alphonſum Morgad. *Hiſt. de Sev.* Meridam *Deſcript. Hiſt.* Marianam *Hiſt. Hiſp.* Alios. *Hiſpal* Sil. Ital. Punic. Bell. dicitur. *l.* 3. *v.* 391.

> *Et celebre Oceano, atque alternis æſtibus* Hiſpal.

Strabo *l.* 3. *p.* 141.

HISPALIS, vulgò AUREA dicta, urbs in parte Bor. Jamaicæ inſ. in ſinu Mexicano, in qua templum cum Abbatiali dignitate, ubi primatum geſſit Petrus Martyr Anglerius Mediolanenſis, vir in tractandis Judicis rebus deligens. Hodie etiam dicitur *Sevilla del Oro*. Joh. Matal. Metell. Cum portu, ſub Anglis, à paucis annis, parva & malè culta. *Baudr.*

HISPALUS, Celtiberorum Rex. Diod. Sic. *l.* 6.

HISPANIA, & HISPANIÆ plur. num. & apud poëtas *Heſperia ultima*, ac *Iberia*, Italis *Spagna*, Germ. *Hiſpanien*, Anglis *Spain*, Gallis *Eſpagne*, ipſis Hiſpanis *Eſpanna*, Prov. Europæ ampliſſima, Galliæ contigua, ab ea Pyrenæis montibus ſeparata, & in Auſtr. recedens, à 3. lateribus Oceano & mari mediterraneo inſtar peninſ. circumflua. Nam Oceanus ad Bor. ad Occ. & ad Mer. Mediterraneum etiam ad Mer. & ad Ort. eam adluunt. Cujus peninſ. Iſthmus eſt Pyrene mons 89. leuc. Hiſpanicis inter 2. maria, inter Occid. & Ort. excurrens. Ea à Romanis primùm in duas Hiſpanias, citeriorem, & ulteriorum, Ibero fluv. diviſas: poſtea in tres, Tarraconenſem, Bæticam, & Luſitaniam partita; quarum quælibet plures continet regiones; ſed maxima Tarraconenſis, quæ reliquas ſimul acceptas magnitudine, utpote Navarram, Caſtellam & Aragoniam ſimul complexa, ſuperat. Hodie quoque regnis diſtincta eſt, *Portugalliæ*, *Caſtellæ*, *Legionis*, *Aragoniæ*, & *Navarræ*, ut Mariana enumerat *l.* 1. *de reb. Hiſp. c.* 4. Becmanno hodiernam ejus diviſionem tria regna efficiunt, *Portugalliæ*, *Caſtellæ* & *Aragoniæ*, quam & Philippus ſubjectâ jam Portugalliâ tribus galeis ſcuto ſuo impoſitis exprimere amavit, utpote vett. Portugalliæ, Caſtellæ & Aragoniæ Regum propriis, cùm antea duabus tantùm uſus fuiſſet, ex Chiffletio *de Eq. Aur. Vell. c.* 8. *p.* 23. Ubertatem & fertilitatem Hiſpaniæ multis modis celebrant vett. Polyb. apud Athen. Strab. Diod. Sic. Melam. Juſtin. uſque adeò, ut Pacatus Latinus *terris omnibus terram feliciorem* pronuntiet, *Paneg. Theodoſii c.* 4. neque aliud evincit hodiernus generoſi vini, ſalis, olei, metallorum in Aſturia præſertim, Gallæcia & Portugallia, proventus, ſed frumenti non æquè ferax eſt, ob ſoli ſiccitatem; cujus defectus notabile ſpecimen ſenſit Fridericus II. Elector Palat. cùm ad Carolum V. Legatus iret, Vide Hub. Thom. Leod. *l.* 6. *de vita Frid. El.* & eo ex Lanſium *Or. contra Hiſp.* Et Plin. verò hanc ubertatem ad loca maritima tantùm, in fine operis videtur adſtringere: & *l.* 3. *c.* 1. ad Bæticam imprimis: Morer. versùs Ort. & Mer. fertiliorem eſſe docet. Nec hoc tamen ſine omni compenſatione eſt, quam Mela jam agnovit, cùm ſcripſit: *Sicubi ob penuriam aquarum effœta & ſui diſſimilis eſt, linum tamen, aut ſpartum alit.* Interim miſerior hodie ſoli facies, unde quibus de cauſis à veteri ingenio mutata ſit in tantum, inquiſivêre viri eruditi jam olim. Chriſtoph. Foſterus, aliique hoc non ad ſoli vitium, ſed incolarum & agricultorum infrequentiam refert: Quam ex aſſiduis bellis, feminarum rarâ fœcunditate, Maurorum quorum ad 900000. ſolo A. C. 1610. exiêrunt, & Judæorum, quorum ad 170000. à Ferdin. & Iſabella ejecti, A. C. 1492. expulſione, coloniis crebris, Inquiſitionis rigore, denique quòd Hiſpanorum bellicoſa natio tanto ſtudio externa arma ſequi ſolet, invectam putant. Vide & Lud. Nonium *in ſua Hiſp. c.* 5. qui hoc fuſius explicat. Plures ejus rei cauſas afferre licet, ſed illud ingredi, hujus loci non eſt. Juvabit tamen ex Latini Pacati *Panegyrico*, quem ſuprà laudavimus, aſcribere nonnulla, quæ ad alias Hiſpaniæ laudes pertinent: *Hiſpania* inquit, *quicquid ubique laudatur, aſſurgat. Hæc duriſſimos milites, hæc experientiſſimos Duces, hæc facundiſſimos Oratores, hæc clariſſimos vates parit, hæc judicum mater, hæc principum eſt. Hæc Trajanum illum, hæc deinceps Hadrianum miſit imperio, huic te debet imperium, &c.* Hodie divitiis inprimis ex India quotannis afferi ſolitis inclyta eſt, quæ tantæ ut calculo inito A. C. 1618. deprehenſum ſit, à tempore repertæ Indiæ, 1536. milliones auri inde rediiſſe, cùm 12000. ſolùm ducatis, quos Status quidam Secretarius ſuppeditaverat, Indiæ occupatio conſtitiſſet. Interim continua bella, Belgicum inprimis, merciumque aliunde petendarum neceſſitas, multum theſauros hoſce Hiſpanicos attrivêre, hodieque atterunt. Græci Σπανίαν vocant. Vulgò autem dictam volunt à *Pane* Bacchi ſocio, qui *Pania*. Abſit tamen, ut putemus *Spaniæ* nomen dediſſe Panem Arcadem. Quin potiùs Phœnicium eſt. שפן *Saphan*; cuniculus eſt, inde שפניה *Sphaniiam* vel *Spaniiam* nominarunt Phœnices hanc regionem, *i. e. cuniculariam*, vel *cuniculoſam*; quomodo Catull. *ad Contubernales ſuos*, Carm. 37. *ad Contubernales v.* 17.

> *Tu præter omneis une de capillatis*
> *Cuniculoſæ Celtiberiæ fili.*

Varro *de Re Ruſt. l.* 3. *c.* 12. *In Hiſpania annis fuiſti ita multis, ut inde tu cuniculos perſecutos credam.* Plin. *l.* 8. *c.* 59. *In Ebuſo cuniculi non ſunt, ſcatent in Hiſpania*, Ælian. de *Anim. l.* 13. *c.* 15. Πέφυκε ἢ λαγὼς ἕτερος μικρὸς τὴν φύσιν, οὐδὲ αὔξεταί ποτε. Κόνικλος ὄνομα αὐτῷ, παρ' Ἴβηρσι γίνεταί τε καὶ ἔστι παμπολύ. Vide Boch. *Geogr.* p. 700. Equos fert inſignes, qui in Vandalitia quidem alacritatis, in Aſturia, unde *Aſturcones* Romanis dicti, roboris, ac in Luſitania pernicitatis gloriam ferunt: unde non immeritò veteribus crediti ſunt vento concipere. Tria præterea in Hiſpania memoratu digna notantur, urbs igne cincta, quæ Madritum eſt, cujus muri ex ſilicibus: Pons infrà aquam, aquæductus nempe Hiſpalenſis: & alter Pons, in quo 10000. ovium paſcuntur, imo integer exercitus luſtrari poteſt, in loco *la Guadiane*. Porro viros quondam Hiſpania celebres ac doctos nobis genuit, *Quintilian. Senec. Martial. Lucan. Sil. &c.* quò reſpexit Latinus ubi ſuprà. Figura ejus, ἔοικε τῇ βύρσῃ, teſte Strab. *l.* 3. *p.* 163. *& ſeqq.* Dionyſ. Periegetes,

> Ἤπειρον κείνην ἰκέλην ἐνέπουσι βοείῃ.

P. Mela τὸ σχῆμα Hiſpaniæ ſic explicat. *Ipſa Hiſpania, niſi quà Gallias tangit, pelago undique cincta eſt: ubi illis adhæret, maximè anguſta, paulatim ſe in noſtrum mare & Oceanum extendit*

tendit magis, magiſque latior ad Occid. abit, ac fit ibi latiſſima. De eadem ſic M. Cato apud Gell. *l.* 2. *c.* 22. *Sunt in his regionibus*, inquit, *ferrariæ, argenti fodinæ pulcherrimæ, mons ex ſale mero magnus: quantum demas, tantum adcreſcit.* Hinc maximam argenti fodinam ad novam Carthaginem fuiſſe, quæ continuo labore 40000. hominum ſingulis diebus 20000. drachmarum Populo Rom. tribuerit, teſtatur Strabo *l.* 3. & vicena millia pondo argenti annis ſingulis Aſturiam, Galliciam ac Luſitaniam exhibuiſſe, aliorum fide commemorat Plin. Erat & χρυσῖτις ἄμμος, *aureum ſabulum*, quod *baluca* vel *baluca* incolis dicebatur, teſte Plin. modo laudato *l.* 33. *c.* 4. Ejus mentio in Jure quoque Civ. *l.* 1. *Cod. de Metall.* & *l.* 3. & *ſeqq. Cod. Theodoſ. eod. tit.* De arena illa autem ſeu ſabulo ita Plin. *Apud nos tribus modis* (aurum invenitur) *fluminum ramentis, ut in Tago Hiſpaniæ, Pado Italiæ, Hebro Thraciæ, Pactolo Aſiæ, Gange Indiæ: nec ullum abſolutius aurum eſt, curſu ipſo trituque perpolitum. Alio modo puteorum ſcrobibus effoditur.* De puteis quoque Strabo: & inter hæc ramenta nonnuquam grandiores deprehendi maſſas, annotant Scriptores neoterici, Petrus Martyr inprimis &c. Nec præclaros ſolùm viros dedit hæc regio variis temporibus, verùm etiam Arabicæ Philoſophiæ ſatis diu ſedes fuit, à quo tempore Mauri in *Hiſpaniam* fuêre poſt Rodericum tranſgreſſi. Cordubæ inprimis, qua de re vide Georg. Horn. *Hiſt. Philoſ. l.* 5. *c.* 10. Victi à Romanis Hiſpani, in eorum habitum tranſiêrunt & togati incedere cœpêrunt: calceos verò antiquitus è ſparto, (quod *Hiſpanica herba* & *Hiſpanicus juncus* Vett. dictum, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 264. & infrà ubi de *Sparto*) ſicut è papyro Ægyptii habuêre. Quare Plin. de ſparto, quod in Hiſpania frequens, cùm loquitur, ait: *Hinc ſtrata ruſticis, hinc calceamina, & paſtorum veſtis*: Quod hodieque obtinere, docet B. Balduin. qui ſe eos in Gallia ſæpe in ſparteis cujuſmodi calceis incedere vidiſſe, teſtatur Iſtiuſmodi calcei iconem habes, in Auctoris hujus *edit. ult. Amſtel.* A. C. 1667. p. 23. In bello, lanceæ illis & clypei ſeu ſcuti, quâ *Cetram* vocavêre, olim uſus. Liv. *l.* 21. *c.* 27. *Hiſpani ſine ulla mole in utres veſtimentis conjectis ipſi cetris ſuppoſitis incumbentes, flumen tranſivêre.* Cæſ. de bello Civ. *l.* 1. *c.* 9. *Erant legiones Afranii tres, Petreji duæ, præterea ſcutatæ citerioris Hiſpaniæ, & cetratæ ulterioris Hiſpaniæ cohortes circiter octoginta* &c. Hinc *Hiſpanus* & *Hiſpanienſis*, quæ veteres ſic diſtinxêre, ut *Hiſpanus* diceretur, qui origine & patriâ talis eſſet; *Hiſpanienſis*, qui alibi ortus ibi moraretur. Ut *Hiſpanienſem exercitum* vocat Suet. *Veſp. c.* 6. qui in illa provincia erat collocatus, nec tamen ex illa provincia eſſet. Omnes enim legionarii cives Romani erant. At illud diſcrimen poſterioribus neglectum. Unde apud Vopiſc. Bonoſus *domo Hiſpanienſis* dicitur, qui origine Hiſpanus erat &c. Solin. *res Hiſpanienſes* de rebus Hiſpanicis dixit, & Hiſpaniæ quidem nativus. Salmaſ. *ad eum p.* 840. Vide quoque eum *p.* 260. ubi de *Hiſpaniæ, poſt Conſtantinum Mag. in VI. provincias facta diviſione*, & de *Hiſpanienſi gladio* ſuprà in voce *Gladius*. At *Hiſpanus*, apud Thwroczium *in Chron. Hung.* 1. *part. c.* 15. ubi de Attila & prælio Catalaunico, nomen dignitatis militaris eſt. A' cujuſmodi *Hiſpanis* Capitaneis ortum nomen apud Hungaros *Iſpan* quidam cenſent quibus idem eſt ac *Comitatus*, Judicium provinciale, cui ſc. *Hiſpanus* Capitaneus præerat, C. du Freſne *in Gloſſ.* De gentis origine & fatis iſta damus: Celtarum gentem, ab Aſchenaze propagatam, omnem poſt terrarum inundationem obtediſſe *Hiſpaniam*, præter alias regiones, patet tum ex nomine *Celticorum*, qui partem Bæticæ ac Luſitaniæ, partemq́ue Tarraconenſis prov. aduſque prom. Celticum, vulgò *Cabo finis terræ* tenuêre: tum *Celtiberorum*, ad Iberum flumen incolentium. Unde Plin. *l.* 3. *c.* 3. Oretanos, Tarr. prov. incolas. Germanos vocet, diſquirendum. Primi dein exterorum ad Celtas in Hiſpaniam venêre Phœnices, quos partem Bæticæ, poſteà *Turdetaniam* dictam occupâſſe, memorant Diod. Sic. & Strabo Græci poſtmodum à Maſſilia colonias deduxêrunt, inter Pyrenæum & Iberum Rhodam & Emporias, hodieque *Rojas* & *Empulias*: imo & interius illos penetrâſſe arguit corruptum nomen Graviorum pro Grajorum, Græcorumq́ue caſtellum Tyde, nunc *Tuy*, in Gallæcia. Poſteà Carthaginenſes majorem ejus partem occuparunt, ad Internum mare, Amilcaris auſpiciis: quibus ſecundo bello Punico victis, tota Romanorum facta eſt, qui ibi habuêre Vir. Spectabilem Comitem Hiſpaniarum cum 16. numeris peditum: Rationalem ſummarum, cui ſuberat Comiti ſacrarum largitionum: Procuratorem baphii inſularum Balearium: Rationalem denique rei privatæ, ſub Comite Rerum Privatarum: Sub his manſit uſque ad Honorii Imp. tempeſtatem. Poſt hanc triplicem notant Hiſtorici periodum, *Gothicam*, *Mauricam* & *Caſtellanam*. Poſtquam enim Gothi, Vandali, Suevi, Alani & Silingii occaſione Legionum præſidiariarum à Conſtantino Mag. in Orientem tranſlatarum tum aliis Imper. provinciis, tum quoque Hiſpaniæ incubuiſſent, Gothi tandem hîc rerum potiti ſunt, Duce Walliâ, qui poſt Athanaric. Alaric. Athaulfum, & Segeric. Weſtrogothorum Rex primus in hoc regno ſedem fixit, A. C. 418 cujus ſucceſſores, ſub quibus Monachatus à Donato huc ex Africa illatus eſt, A. C. 567. illud tenuére, uſque ad Rodericum, qui ob vim filiæ Juliani Septæ Comitis illatam, à Mauris, pleraque Gothorum nobilitate extinctâ, eo exutus eſt, A. C. 713. à quo tempore *Juliani* nomen hodieque fatale ac infauſtum Hiſpanis habetur. Mauri periodum ſuam utcunque produxêrunt uſque ad tempora Ferdinandi Catholici: ſed diſpar eorum à priori pariter ac moderno regimine gubernandi ratio fuit. Tot enim Hiſpaniæ regna ferè numerabantur, quot provinciæ & urbes extantiores erant, quæ Gothorum reliquiæ i. e. Chriſtiani, (qui poſt cladem prædictam in Legionis, Aſturiæ & Gallæciæ montana ſe receperant) cùm Maurorum, à Carolo Martello in Gallia & Carolo Mag. in Hiſpania devictorum, jugum ſenſim excuterent, in ſuos titulos aſſumpſêre, & quod quiſque occupaverat, ſeparatim tenuêre. Donec illa omnia ad tria redacta ſunt Caſtellam, Aragoniam & Luſitanium, quæ, hâc ultimâ, exceptâ A. C. 1470. in unius Ferdinandi Catholici Aragoniæ Regis poteſtatem venêrunt, periodoq́ue *Caſtellanæ* initium præbuêrunt. Hic enim ductâ Iſabellâ, Caſtellæ & Legionis hærede, prima magnitudinis Hiſpaniæ jecit fundamenta: Navarram Henrico Albretano eripuit, Novum orbem per Chriſtophorum Columbum detexit, Neapolim, &c. occupavit. Pater Johannæ, quæ Philippo Auſtriaco nupta, ex eo genuit Carolum V. Imp. & primum hujus nominis Hiſpaniæ Regem. Huic fil. ſucceſſit Philippus II. qui Regnum Portugalliæ, ſimulq́ue totam Africam & Aſiam litoralem ferè imperio ſuo adjecit: unde occaſio nata dicendi: *Solem in Hiſpanico Regno nunquam occidere*, & ſcribendi Perſis, *Regi, cui pro pileo Sol eſt.* Ei A. C. 1598. Phthiriaſi extincto ſucceſſit Philippus III. fil. qui Mortuus A. C. 1621. ſucceſſorem reliquit fil. Philippum IV. perpetuò, amiſſa inprimis Luſitaniâ, infelicem, qui Obiit ſanguinis profluvio A. C. 1665. Pater Caroli II. qui A. C. 1661. nat. degit ſub tutela matris Mariæ Annæ Auſtriacæ, quæ & Reginæ Regentis munus propterea, dignitatemq́ue gerit. *Catholici* titulus Regibus his eximius eſt, à tempore Ferdinandi prædicti. Sacrorum ſpeciem conſiliis prætexêre, inter primas Status regulas habent, unde Religionis Pontificiæ tenaciſſimi & Pontificis Rom. obſervantiſſimi habentur: quamvis non deſtiterint Hiſpaniæ Reges rebus Pontificiis ſubinde moleſtiam faceſſere. Hinc olim Witiza, ſub mortis pœna, ne quis Pontifici obediret, prohibuit, Baron. *Ann. ad* A. C. 701. Et Carolus V. Româ occupatâ, Pontificem cum Cardinalibus captivum fecit, nominis Pontificii auctoritate, per univerſam Hiſpaniam, abrogatâ, Thuan. *Hiſt. l.* 1. Philippus quoq́ue II. ſub quo Evangelii aliquis radius regnum perſtrinxit, Hiſpali A. C. 1555. & Pinciæ A. C. 1560. mox crudeliſſimis ſuppliciis Extinctus, Thuan. *Hiſt. l.* 23. in cauſa Portugalliæ Gregorii XIII. judicium repudiavit, ut Philippo III. ſub quo Illuminatorum ſecta, quam quidam Reform. Religioni conformem, alii difformem faciunt, orta. & IV. nil addam: Imo ordinem ſive Rituale Rom. diu Hiſpani rejeciſſe leguntur, Gothico ſeu Mozarabico retento, quod à S. Leandro & S. Iſidoro inſtitutum, poſt adventum Maurorum, à Chriſtianis ſub Maurorum dominio degentibus, unde *Mozarabes* dicti, continuatum, à Gregorio VII. magna ex parte ſublatum, hodieque Toleti certis in locis, permitti docet Voëtius *Part.* 3. *diſp. de Peregr. Compoſtellanis.* Ex hoc in Relig. affectu Inquiſitio Hiſpanica nata eſt, quæ A. C. 1200. primùm contra Albigenſes & Waldenſes inſtituta, inde per conſtitutiones Friderici II. Imp. ſuccrevit, ſed in plenum tandem vigorem demum erupit, auſpiciis Ferdinandi ac Iſabellæ, circa A. C. 1480. quo exactius & accuratius tribunal, cui etiam Reges ſubjecti, erectum fuit, vide P. Servitam *Inq Hiſt.* ex eo Boxhorn. *Hiſt. Univ. p.* 289. *& ſeqq.* Cæterùm nomina Ferdinandi & Iſabellæ, pro auſpicatis & felicibus habentur, Regibus de genibus flexis inſervitur, eoſq́ue niſi pullâ veſte indutis adire nefas: Iidem morituri pœnitentiam accipiunt, quod eſt genus Conſecrationis jam olim uſurpari ſolitæ, & ab extrema Unctione, qua paſſim Pontificii utuntur, diſcrepantis. Tutelaris regni S. Jacobus Major eſt; Ordines hîc militares plurimi à S. Jacobo, Alcantara, Calatrava, S. Servatore de monte Regio, &c. nomen habentes. Ibidem XI. Archiepiſcopatus, inter quos Archiep. Toletanus, qui regni Primas eſt, & Cancellarius Natus Caſtellæ, 300. vel 400000. ducatorum in reditibus habet. LVI. Epiſcopatus, XXVM. Parœciæ, Abbatiarum Cœnobiorumq́ue opulentiſſimorum numerus ingens. Æra *Hiſpanica* computus eſt annorum 38. annis æram Chriſtianam anticipans, quæ in Cippis, Inſcriptionibus & Conciliis Hiſpanicis uſitata, deſiit in Aragonia A. C. 1358. in Caſtella A. C. 1383. in Portugallia A. C. 1405. Vide Joſ. Scalig. *de Emend. Temp. l.* 5. &c. Hinc adjectiva *Hiſpanus*, qui eſt ex Hiſpania; Claud. *in Rufin.* Carm. 5. *v.* 154.

> *Cuncta ſibi; regit Italiam Libienque coërcet,*
> Hiſpanis, *Galliſque jubet.*

Et *Hiſpanienſis*, qui in Hiſpania tantùm verſatur, ut *Hiſpanienſis exercitus*, h. e. Romanorum qui in Hiſpania erant cum Prætoribus. Ita *Hiſpanienſem victoriam* Suet. in Jul. Cæſ. *c.* 37. *& ſeqq.* dixit, non de Hiſpanis, ſed de Pompeii in Hiſpania copiis quæ parta eſſet. Vide ſuprà Bellicoſam nationem, καὶ πολέμῳ συνεχεῖ πρός τε ἀλλήλους, καὶ πρὸς τοὺς ὁμόρους olim fuiſſe teſtatur Strab. ubi ſuprà. Hinc Horat. Carm. *l.* 2. Od. XI. Initio.

> *Quid* bellicoſus Cantaber *& Scythes.*

Idem ibid. Od. 6. *v.* 2.

> *Cantabrum indoctum juga ferre noſtra.*

Juſtin. *l.* 44. *c.* 2. penè ad verbum Strab. *Corpora hominum ad inediam, laboremque, animi ad mortem parati. Bellum quàm otium malunt: ſi extraneus deeſt, domi hoſtem quærunt.* Sil. Ital. Bell. Punic. *l.* 1. *v.* 225. & ſeqq.

> *Prodiga gens animæ, & properare facillima mortem,*
> *Namque ubi tranſcendit florentes viribus annos,*
> *Impatiens ævi ſpernit noviſſe ſenectam.*

Quàm commendata illis gravitas ſit & morum ſeveritas, monitu non eget: unde ſingularem tacendi, ſimulandi, diſſimulandique dexteritatem ſibi comparant. E quo fonte Conſiliorum ille lentor, & ſubtiles, quibus in Theologica & Philoſophica, excellunt, ſpeculationes, ſed & nimia in minimis quoq́ue circumſpectio, Italis *Puntualita* dicta, quâ rerum gerendarum occaſiones ſæpe elabuntur. In Gallos naturali quadam averſione feruntur, quam lites & æmulationes utriuſque gentis Regum, ſub Carolo VIII. aut potiùs Ludov. XI. & Ferdinando Catholico cœptæ, & hucuſque continuatæ, immensùm augent, &c. Vide Joh. Piſtorii & Andreæ Schotti *Hiſp. Illuſtr. tomis IV.* Luc. Marineum Siculum *de Reb. Hiſp. memor.* Joh. Vaſæum *Chr. Hiſp.* Joh. de Laët. *Comm. de Hiſp.* Roderic. Ximenium *de Reb. Hiſp.* Lud. de Mayerne *Hiſt. gen. Hiſp.* Mich. Ritium *de Reg. Hiſp.* Steph. de Garibay *in Comp. Hiſt. Hiſp.* & qui reliquos omnes antecellit Joh. Marianam *Hiſt. de Reb. Hiſp.* His

adde, quoad Hiſtoriam antiquam Joh. Margarinum Ep. Gerundenſem *Paralip. Hiſp.* quoad Geographiam Lud. Nonium *Hiſp.* De claris Viris ſcripſère Alphonſus Garcias, Matamorus & Valerius Andreas Taxander: de dignitate Regni Regumque Jac. Valdeſius. Nobiliarium Genealogicum adornavit Alph. Lopez de Haro & Greg. Lopez: Porrò de antipathia Gallorum & Hiſpanorum ſcripſit Car. Garſias: de SS. Hiſpaniæ Laurentius à Padilla: de Conciliis Garſias Loayſa: de Inquiſitione Hiſpan. Ludovicus à Paramo, Carena, Paulus Servita & Reginaldus Conſalvus: de Prærogativa Hiſp. & Galliæ Regni, infrà in voce *Lugdunenſis Gallia*, de Regum circa prærogativam contentione, de Viris præcipuo miniſterio dominationis Hiſpanicæ claris, Grandibus Hiſpaniæ, aliiſque Chriſt. Becmannum *Hiſt. Orb. Terr. Geogr. & Civ.* &c. Adi quoque præter veteres, Polyb. Plutarch. Diod. Sic. Flor. Juſtin. Liv. Dion. Caſſ. Senec. Plin. Strab. Ptol. Priſcian. Avien. Beroſ. Pomp. Mel. S. Iſid. Idac. Roder. Sanctium Alphonſ. de Carthagena, Hier. Paul. Hier. Blancan. Ambr. Moral. Car. Verard. Cæſarem Campan. Bern. Gomeſ. Sandoval. Franc. Tarapham, Petr. Anton. Joh. Bracellium, Anton. Nebriſſenſem, Damianum, Goëzium, Salazarium, Philip. Prudentem, Turquetum, Zuritam, &c. Amplitudinem Monarchiæ hoc modo deſcribit Baudr. Tota *Hiſpania* nunc dividitur in quatuordecim partes, quæ poſtea reducuntur ad tres coronas ſeu tria Regna. Caſtellæ & Aragoniæ regna cum ſuis appendicibus & pertinentiis ſubſunt Regi Catholico, Portugallia autem cum Algarbia parent proprio Regi è gente Brigantina. Partes Hiſpaniæ ſub corona Caſtellæ ſunt Caſtella vet. *Caſtilla la vieja*, Caſtella nova ſeu regnum Toletan. *Caſtilla la nueva*, Vandalitia, *Andaluzia*, Granata, *Granada*, Murcia, *Murcia*, regnum Legionienſe, *regno de Leon*; quibus adjunguntur Aſturiæ, *las Aſturias*, & Extremadura, *l'Eſtremadura*, Galæcia, *Galizia*, & Navarra, *Navarra*, quibus adjungitur Biſcaia, *Biſcaia*. Sub corona Portugalliæ ſunt Portugallia, *Portugal*, & Algarbia, *Algarve*. Sub corona autem Aragoniæ ſunt Aragonia, *Aragon*, Catalonia, *Cataluna*, Valentia, *Valencia*, & Majorica, Minorica, ac Ebuſus, *Mallorca*. Antea etiam ex hac pendebat Comitatus Ruſcinonenſis; ſed à paucis annis ab ea revulſus, Galliæ acceſſit, à qua aliàs disjunctus fuerat, cùm ſit pars Galliæ Narbonenſis. Extra Hiſpaniam Regi ſubſunt regnum Neapolitanum, in Italia, *le Royaume de Naples*, uti regnum Siciliæ, *la Sicile*, & Inſ. Sardinia, *la Sardaigne*: Hæc autem pendent à corona Aragoniæ. Eidem uti Regi Caſtellæ, ſubeſt pars Auſtralis Belgii, ubi partes provinciarum Flandriæ, *la Flandre*, Brabantiæ, *Brabant*, Hannoniæ, *Haynaut*, Luxemburgenſis, *Luxembourg*, Limburgi, *Limbourg*, Namurcenſis, *Namur*, & minuta pars Gueldriæ, *Gueldres*, & Arteſiæ, *Artois*. Subſunt etiam Comitatus Burgundiæ, *la Franche Comté*, Ducatus Mediolanenſis, *le Duché de Milan*, Marchionatus Finalii, *le Marquiſat de Final*, in ora Liguſtica, Status præſidii, ubi Orbatellum, *Orbetello & ſes annexes*, in Hetruria, uti etiam cuſtodia Plumbini, *Piombino*, & Portus longus, *Porto longone*, in Ilua inſ. uti in Africa, urbes ſeu oppida Septa, *Ceuta*, Oranum, *Oran*, Portus magnus, *Marſalquivir*, & Rupes Velia, *Penon de Velez*, ac inſ. Canariæ, *les Canaries*: In Aſia autem Philippinæ inſulæ *les Philippines*, ex parte tantùm. Hiſpaniæ Regi ſubeſt etiam major pars Americæ, nempe hæ regiones, nova Hiſpania cum annexis provinciis, *la nouvelle Eſpagne*, Florida ex parte, *partie de la Floride*, & inſulæ Cuba, *Cuba*, Hiſpaniola, *Hiſpaniola* ſeu *S. Domingue*, & S. Johannis Portus divitis, *S. Ivan de Puerto ricco*; cum adjacentibus, Terra firma latè ſumpta, *la Terre ferme*; in America Mer. cum annexis, regnum Popayani, *le Popayan*, novum regnum Granatenſe, *nouveau Royaume de Grenade*, Peruvia, *le Perou*, regnum Chiles, *le Chili*, ex parte, & Paraguaia, *le Paraguay*, cum provinciis adjacentibus. Hiſpaniæ pars eſt etiam regnum Portugalliæ, proprio parens Regi, cui ſubſunt Portugallia & Algarbia, in Hiſpania; extra Hiſpaniam autem ejus dominio ſubſunt Braſilia, regio Amer. Mer. *le Brezil*, inſulæ Azores ſeu Tertiariæ, *les Azores*, Madera, *l'isle de Madere*, & inſulæ Capitis Viridis, *les isles du Cap Vert*, in Oceano Atlantico, uti aliquot arces in regno Congi & in ora Zanguebaris, in Africa: cum aliquo tractu Malabariæ, in India intra Gangem, ubi etiam plurimæ arces. Sed de his fuſius in voce *Portugalliæ*.

Urbes Hiſpaniæ Tarraconenſis hujus temporis.

* Abula, *Avila*, Caſtiliæ veteris.
Albaracinum. Vide *Lobetum*.
Alcaratium, *Alcaraz*, Caſtellæ novæ.
Alone, *Alicante*, Valentiæ.
Aſturica, *Aſtorga*, Aſturiæ. Aliis eſt regni Legionis.
Auguſta Bracarum. Vide *Bracara*.
Auria, ſive Aurienſis, *Orenſe*, Galliciæ.
Auſa, & Auſona. Vide *Vicus*.
Balagurium, *Balaguer*, Catalauniæ.
Barbaſtrum, olim Burtina, *Balbaſtro*, Aragoniæ.
Barchino, ſeu Barcino, *Barcelona*, Catalauniæ.
Belſinum, *Borja*, Aragoniæ.
Bigerra, *Viliena*, Caſtiliæ novæ.
Bilbilis, *Calatayud*, Aragoniæ.
Bracara, ſeu Bræcara, *Braga*, Portugalliæ.
Brigantia, *Braganza*, Portugalliæ.
* Burgi, olim Masburgi, *Burgos*, Caſtiliæ veteris.
* Cæſarauguſta, *Saragoza*, Aragoniæ.
Calagurris, ſeu Calagurrium, *Calahorra*, Caſtiliæ veteris.
Caronium; *Corunna*, Galliciæ.
Cartago nova, *Cartagena*, Murciæ.
Celſona, *Solſona*, Catalauniæ.
Civitas Regalis, *Ciudad Real*, Caſtiliæ novæ.
Complutum, *Alcala de Henares*, Caſtiliæ novæ.
Compoſtellum, olim Ianaſum, *S. Iago*, Galliciæ. Aliis omnibus eſt Compoſtella.
Concha, *Cuenca* Caſtiliæ novæ.
Concia. Vide *Miranda*.
Cyntilia, *Chinchilla*, Caſtiliæ novæ.
Daroca, *Daroca*, Aragoniæ.
Dertuſa, *Tortoſa*, Catalauniæ.
Dominicopolis, *S. Domingo de la Calzada*, Caſtiliæ veteris.
Eliocrata, *Lorca*, Murciæ.
Fanum S. Sebaſtiani; *S. Sebaſtien*, Guipuſcoæ.
* Flaviobriga, *Bermeo* vel *Bilbao*, Biſcaiæ.
* Flavionavia, *S. Ander*, Aſturiæ. Aliis eſt Biſcaiæ.
Flavium Brigantium, *Betanzos*, Galliciæ.
Fons rapidus, *Fuenterabia*, Guipuſcoæ.
Gerunda, *Girona*, Catalauniæ.
Iaca, *Iacca*, Aragoniæ
Ilerda, *Lerida*, Catalauniæ, *Aliis* Lleyda.
Ituriſſa, *Toloſa*, Guipuſcoæ, vel *Sangueſa*, Navarræ.
Iuliobriga, *Logronno*, Caſtiliæ veteris.
* Legio, *Leon*, Legionenſis regni.
Lobetum, poſtea Albaracinum, *Albaracin*, Aragoniæ.
Lucus, *Lugo*. Galliciæ.
Lucus Aſturum, nunc Ovetum prope ædificatum. Vide ibi.
* Madritum, *Madrid*, Caſtiliæ novæ Urbs regia.
Majorica. Vide *Palma*.
Methymna campeſtris, *Medina del campo*, Caſtiliæ veteris.
Mindon, *Mondonnedo*, Galliciæ.
Minoriſſa, *Manreſa*, Catalauniæ.
Miranda olim Concia, *Miranda*, Portugalliæ.
Murgis & Murcia, *Murcia*, regni cognominis.
Nagara, *Najara*, Caſtiliæ veteris.
Opta, *Huertes*, Caſtiliæ novæ, caſtrum tantùm.
Orcelis, Oriola poſtea, *Oribuela*, Murciæ.
Orgella. Vide *Vrgella*.
Oſca, *Hueſca*, Aragoniæ.
Ovetum, *Oviedo*, Aſturiæ.
Oxoma. Vide *Vxama*.
Palentia, olim Palantia, *Palentia*, Legionenſis regni.
* Palma, poſtea Majorica, *Mallorca*, inſulæ cogn.
Placentia, *Placencia*, Caſtiliæ veteris. eſt in Extremadura; eratque aliàs in Luſitania.
* Pompelon, *Pamplona*, Navarræ.
Rhoda, *Roſes*, Cataloniæ.
Rodericopolis, *Ciudad Rodrigo*, Caſtiliæ veteris. Eſt regni Legionenſis; eratque aliàs in Luſitania.
* Salmantica, *Salamanca*, Caſtiliæ veteris. Eſt regni Legionenſis, eratque in Luſitania.
Sarabis. Vide *Taurum*.
Secontia. Vide *Seguntia*.
Segobia, *Segovia*, Caſtiliæ veteris.
Segorbia, *Segorve*, Valentiæ.
Seguntia, quæ & Saguntia, & Secontia, ac Segontia, *Siguenza*, Caſtiliæ novæ.
Sentica. Vide *Zamora*.
Setabis, *Xativa*, Valentiæ.
Stella, *Eſtella*, Navarræ.
Tarraco, *Tarragona*, Catalauniæ.
Taurum, olim Sarabis, *Toro*, Caſtiliæ veteris. Eſt regni Legionenſis.
Tiariulia quæ & Terulium, ac Turulium, *Tervel*, Aragoniæ.
* Toletum, *Toledo*, Caſtiliæ novæ.
Tude *Tuy*, Galliciæ.
Turiaſa, *Tarazona*, Aragoniæ.
Tutela, *Tudela*, Navarræ.
* Valentia, *Valencia*, regni cogn.
Valliſoletum *Valladolid*, Caſtiliæ veteris.
Vergi, *Vera*, Granatenſis regni.
Vicus, olim Auſa, vel prope, *Vich*, Catalauniæ.
Vrgella, *Vrgel*, Catalauniæ.
Vxama, *Oſma*, Caſtiliæ veteris.
Zamora, olim Sentica, *Zamora*, regni Legionenſis.

Urbes Hiſpaniæ Bæticæ hujus temporis ſub Archieſ. Hiſpalenſi.

Acci, *Guadix*, Granatenſis regni.
Alcala Regalis, *Alcala Real*, ejuſdem.
Almeria, olim Portus magnus, *Almeria*, ejuſdem.
Anticaria. Vide *Singylia*.
Arcenſis colonia, *Arcos*, Andaluziæ.
Artigi, *Alhama*, Granatenſis regni.
Arunda, *Ronda*, ejuſdem.
Aſindon & Aſſidonia, *Medina Sidonia*, Andaluziæ.
* Aſtigi, *Ecya*, ejuſdem.
Barbeſula, *Marbella*, regni Granatenſis.
Baſti, *Baza*, ejuſdem.
Biatia, *Baeza*, Andaluziæ.
* Cæſariana, *Xeres de la Frontiera*, Andaluziæ.
Calpe, *Gibraltar*, ejuſdem.
* Corduba, *Cordova*, ejuſdem.
Eliberis nova (vetus enim interiit,) vide *Granatum*.
Fanum Fidei, *Santa Fe*, regni Granatenſis.
Fanum Luciferi, *S. Lucar de Barameda*, Andaluziæ.
Gades & Gadira, *Cadiz*, ejuſdem.
Giennium, *Iaen*, ejuſdem.
* Granatum, *Granada*, regni cogn.
* Hiſpalis, *Sevilla*, Andaluziæ.
Illiturgis nova, *Anduiar*, ejuſdem.

Lora

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Loxa, *Loxa*, Granatenſis regni.
Magnus Portus. Vide *Almeria.*
* Malaca, *Malaga*, regni Granatenſis.
Menoba, *Bezmiliana*, ejuſdem. Eſt tantùm caſtrum.
Orſona. Vide *Vrſo.*
Orca, *Hueſcar*, ejuſdem, vel Caſtiliæ novæ. Eſt regni Granatenſis.
Sexi, *Velez Malaga*, ejuſdem. Eſt regni Granatenſis.
Singylia, quæ & Anticaria, *Antequera*, Andaluziæ. Eſt regni Granatenſis.
Vbeda, *Vbeda*, Andaluziæ.
Vrſo; quæ & Genua Vrbanorum, *Oſſuna*, ejuſdem.

Urbes Hiſpaniæ Luſitanicæ, quarum aliquæ ſunt extra Portugalliam.

Ægita nova, ſive Igedita. Vide *Guardia.*
Amæa, poſtea Portus Alacris. Vide ibi.
Balſa, *Tavila*, Algarbiæ.
Cauria & Caurium, *Coria*, Extremaduræ Caſtellanæ.
Cœtobrix, ſeu Setubalia, *Setuval*, Portugalliæ.
* Conimbrica, & Conimbrica, *Coimbra*, Portugalliæ.
* Ebora, *Evora*, ejuſdem.
Emerita, *Merida*, Extremaduræ Caſtellanæ.
Guardia, ſeu Guarda, *Guarda*, Portugalliæ.
Helvæ, ſive Helviæ, *Elvas*, ejuſdem.
Irenopolis, olim Scalabis, & Epiſcopal. *Santaren*, ejuſdem.
Iulia Myrtilis. Vide *Myrtilis.*
Lacobrica, *Lagos*, Algarbiæ.
Lamacum, *Lamego*, Portugalliæ.
Lancia, poſtea Viſeum. Vide ibi.
Leria, ſeu Leiria, pro Colippone, *Leira*, Portugalliæ.
Myrtilis, *Mertola*, ejuſdem. Caſtrum eſt.
Norba Cæſarea, *Alcantara*, Extremaduræ Caſtellanæ.
OlivFentia, *Olivenza*, Portugalliæ.
* Olyſſipo, *Lisbona* & *Lisboa*, ejuſdem: *Portugalliæ regia.*
Olloñaba nova. Vide *Sylva.*
* Pax Auguſti, *Badajox*, Extremaduræ Caſtellanæ.
Pax Julia, *Beja*, Portugalliæ.
Pharus, *Faro*, Algarbiæ.
Portus Alacris, olim Amæa, *Portalegre*, Portugalliæ.
* Portus Calenſis, *Porto*, (unde nomen regno Portugalliæ) ejuſdem.
Rodericopolis, extra Portugalliam, in Caſtella vet. ſub Archiep. Compoſtellano, *Ciudad Rodrigro.* Eſt in regno Legionenſi.
Sylva, ſeu Sylvæ, *Silves*, Algarbiæ.
Turris Julia, olim Caſtra Julia, & Julium præſidium, *Trugillo*, Extremaduræ Caſtellanæ.
Viſeum, olim Lancia, *Viſeo*, Epiſcopal. ſub Archiep. Bracarenſi, Portugalliæ.
Xera, *Xeres de Badajox*, Extremaduræ Caſtellanæ.

Regiones Hiſpaniæ extremæ.

Catalonia, *Cataluna.*
Aragonia, *Aragon.*
Navarra, *Navarra.*
Guipuſcoa, *Guipuſcoa.*
Biſcaia, *Viſcaia.*
Aſturia, *las Aſturias.*
Gallæcia, *Galizia.*
Portugallia, *Portugal.*
Algarbia, *Algarve.*
Vandalitia, *Andaluzia.*
Granata, *Granada.*
Murcia, *Murcia.*
Valentia, *Valencia.*

Interiores.

Extremadura, *Extremadura.*
Caſtella nova, *Caſtilla nueva.*
Caſtella vetus, *Caſtilla vieja.*
Legionenſe regnum *Reyno de Leon.*
De Hiſpania Claud. de Laude Reg. Serenæ Carm. 29. *v.* 5.

> *Quid dignum memorare tuis,* Hiſpania, *terris*
> *Vox humana valet?*

HISPANIA Nova, *nueva Eſpana*, Gallis *nouvelle Eſpagne*, regio præcipua Americæ Sept. & aliàs regnum fuit ampliſſimum. Vide *Nova Hiſpania.*

HISPANIOLA, quæ & S. *Dominici Inſ.* à primaria civ. Gallis, Anglis & Batavis, vulgo *S. Domingue*, vocatur, *Ayti* incolis, Inſ. perampla maris Occid. totius occidui orbis antiquiſſima: quo nomine tota America Sept. in qua eſt, aliquando venit: Cancri Tropicum inter, & Æquinoctialem circulum ſita, ab Or. ad Occid in longum porrigitur ad 140. leuc. Oriens, clauditur longo Inſularum Antillarum & Inſ. S. Joh. de Portu divite, agmine, ab Occid. Cubam & Jamaicam reſpicit, quâ in latum protenditur, eſt autem lata 48. leuc. Baudr. ad Septentriones aut Auſtrum inclinat. Septentrionis latus ad Cancri Tropicum fertur verſus Lucajas Inſ. à Mer. quantum ſatis longo ſatis intervallo occurrit continens terra Auriferæ ſive novæ Caſtiliæ. Ambitus ejus eſt 1400. milliar. ſeu 350. leuc. longitudo 600. milliar. 140. leuc. Hiſp. Baudr. Latitudo pro ſinuum & promontoriorum ratione varia. Hanc inſ. primâ navigatione Chriſtophorus Columbus detexit Anno Reparatæ Salutis 1492. habitatoribuſque frequentem invenit. A Barbaris *Haitti* dicebatur, propter montium aſperitatem. Interdum etiam *Guiſqueia*, & *Cipangi* à primis occupatoribus nuncupata eſt. Hos Barbaros Babalicæ memoriæ ex maritima inſ. quam alii *S. Crucis terram* vocant, veniſſe memorant; quæ tranſmigratio accidit ultra centum annos, ante Columbi adventum: ſed Columbus diminutivo *Hiſpaniolæ* nomine illam inſignivit. Regio eſt portuoſa & multis fluviis irrigua: Sed præcipuam amœnitatem & commoditatem inhabitantibus præſtant 4 ingentia flumina, quæ in ipſo inſ. umbilico delapſa ex altiſſimorum montium jugis in diverſiſſimas mundi partes abeunt, Juna ad Or. ad Occid. decurrit Attibunicus, Jacchus Septentrionalibus, Naibus Meridionalibus æquis miſcetur. Quo tempore Columbus primum eo delatus eſt, quinque potentiſſimi Reguli inſ. obtinebant, inde provincia in quinquè partes aut præfecturas à quibuſdam dividi cœpit, quarum prima, quæ Occidentalem inſ. partem reſpicit Caizincu; principium vocatur, cujus fines à prima & ultima Orientis fronte ad Ozamam uſque fluv. in cujus ripa S. Dominici civitas extructa eſt, producuntur: In Sept. Hetti montibus & Juna fluv. terminatur. Secunda in meditullio inſ. Huhaboo Incolis dicitur. Tertia pars Occid. Solem reſpicit, vocaturque Cajabe. In Sept. Cibariis montibus & Jaccho flumine terminatur, & ad Naibi uſque fluvii fontes excurrit. Quarta Bainoa eſt, quæ Septentrionalia tenet, à Cajalo ad Inſ. uſque finem, Occid. verſus ſeſe extendens. Reſiduum totius inſ. Guacayrima, h.e. finem tanquam poſteriorem & magis arctam ceu ſtrictam inſ. partem appellavêre: Sed hæc Barbarica nomina nunc parum frequentantur, ſucceſſu temporis novis ſubinde impoſitis aut uſitatis. Joh. Matal Metell. Subeſt partim Hiſp. qui in ea plurimas habent colonias, ut & Galli in parte Occid. inſ. verſus Cubam. Aliàs tota inſ. diviſa fuit in 14. provincias Ejus urbes ſunt Dominicopolis, primaria, extructa a Bartholomæo, fratre Chriſtophori Columbi, ſedes Archiep. Parlamenti. Vice-Regis, Curiæ Rationum Fiſci, & ſupremæ Curiæ Virorum Monetalium: in parte Auſtr. Conceptio de Vega, ſedes antè Ep nunc Dominicopolitanæ juncta, Zeibum, *Zeibo*, Fanum S. Jacobi, *Sant Jago*, egregio ſitu inclyta, Portus Argenteus, ſeu *Puerto de la Plata*, ob commercii frequentiam, ſecundo à Dominicopoli loco memoranda, Salvaleon ſacchari proventu nobilis, Cotuja auri ferax, S. Maria de portu, caſia dives, Azua ſeu Compoſtella & Mons Chriſti, ſalis fodinis fructuoſa. Baudr. Hanc quamprimum, poſt inauditam crudelitatem exercitam, & totam penè incolis, quorum innumerus erat numerus, exhauſtam, Hiſpani occupârunt, far illuc, alioſque fructus & animalia ex Europa importârunt, ſed primum ſine ſucceſſu tentatum eſt; reliqua numeroſè provenêrunt. Sacchari arundines, quæ in inſ. hanc ex Canariis afferri ſolent, magno ibi diſtrahuntur fœnore, ſed auri, cupri, aliorumque metallorum fodinæ, incolis maxima parte extinctis, non amplius excoluntur, Benzo *Hiſt. novi Orb. l.* 1. *c.* 18. Herrera, Oviedus, Sanſo, &c. Vide quoque in voce *Cuba.*

> *Sanguinis heu tanti pretio cur quæritur aurum?*
> *Hoc quia quærenti creditur eſſe Deus.*

HISPANUM Mare, Ptol. *Ibericum*, ac *Balearicum* dicitur, mare Mediterran. quod latus Orient. Hiſpaniæ partemque Auſtralis alluit. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

HISPANUS Petrus, vide infrà *Petrus Hiſpanus.*

HISPANUS Stephanus, vide *Stephanus.*

HISPELLUM, Umbriæ opp. Plin. *l.* 3. *c.* 14. *Hipellà colonia* in vet. inſcr. marmorea, Epiſcopal. olim, in colle, amplum, apud Fulginium, inde 3. mill. paſſ. in Occ. Peruſiam verſus; ubi theatrum & alia antiquæ ejus magnitudinis exſtant veſtigia, hodie *Spello* Fabricio & Leandro. Ptol. Ἴσπελλον, Strab. Εἴσπελλον, unde Sil. Ital. Punic. Bell. *l.* 4. *v.* 187. ac Plin. Juniori *Hiſpellates* oppidani. Juv. fem. gen. *Hiſpella* dicitur. *Sat.* 12. *l.* 4. *v.* XI.

> *Pinguior* Hiſpullâ *traheretur taurus.*

Ita Cluv. Baudr. nunc caſtrum eſt Umbriæ, ſub Pontif. 3. mill. à Fulginio in Circ. Aſſiſium verſus. Alias *Colonia Julia Hiſpella*, Goltzius, Baudr. Alii autem non *Hiſpella* eo loco legunt, ſed *Hiſpulla*, ubi Lub. obiter mulierem notat Satyricè ſui temporis craſſiſſimam, & maximè obæſam, de qua Idem *Sat.* 6. *l.* 2. *v.* 74.

> ——— Hiſpulla *Tragædo*
> *Gaudet.*

HISPO, Romanus celeber, ſub Tiberio, delator, qui formam (referente Tac. *Ann. l.* 1. *c.* 74.) vitæ iniit, quam poſteà celebrem miſeriæ temporum & audaciæ hominum fecêrunt: Nam egens, ignotus, inquiens, dum occultis libellis ſævitiæ Principis adrepit, clariſſimo cuique periculum faceſſit, potentiam apud unum, odium apud omnes adeptus.

HISTASPES, Darii ultimi propinquus magni exercitus Prætor, bello abſumptus, Curt. *l.* 4 *c.* 5. Vide *Hyſtaſpes.*

HISTER, Tuſcis ludio vocabatur, h.e. ſaltator: unde Rom. rem pariter cum nomine accepére. Salmaſ. *Not. ad Flav. Vopiſc. Carino Imp.* Vide quoque in voce *Hiſtrio.*

HISTIÆA, civ. in Eubœa. Hom. *Il.* 2.

HISTIÆUS, Mileſiorum Tyrannus, qui Græcos contra Perſas concitavit, Herod. *l.* 5. *c.* 30. It. *Hiſtiæus* Mileſius hiſtoricus, qui res Phœnicum conſignavit, Joſepho teſte, *Antiqq. l.* 1. *c.* 3. Euſeb. *Chron. l.* 1. Aliis *Hiſtiæus*; vel *Eſtiæus*, nec non *Eſtius* Ruffino Joſephi interpreti.

HISTIÆUS Colophonius, Lyræ decimam chordam adjecit.

HISTIONIUM, Italiæ opp. non procul à monte Gargano. P. Mela *l.* 2. *Il Vaſto & il Guaſto d'Amone*, nunc opp. præclarum, apud oram Frentanorum, ad Trinium fluv. inter Anaxanum urbem ad Ocaſ. & Thermulas. Habet Marchionem antiquum. Plin. *l.* 3. *c.* 12.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

HISTOPODES, Eunomiani appellati, ob cauſam, quam infrà vide in voce *Spado*.

HISTORIA, quæ ad memoriam refertur, ſicut Poëſis ad phantaſiam & Philoſophia ad rationem, Cadmi inventum perhibetur Plin. *l.* 6. *c.* 56. eſtque vel *Naturalis*, vel *Civilis*. Illa naturæ res geſtas & facinora commemorans, pro triplici ejus ſtatu, prout nempe illa vel libera eſt & curſu conſueto ſe explicans; vel à pravitatibus & inſolentiis materiæ contumacis, & ab impedimentorem violentia, de ſtatu ſuo detruditur; vel denique ab arte & opera humana conſtringitur fingiturque: ſubdividitur, *in Hiſtoriam Generationum*, *Prætergenerationum* & *Artium* ſeu Mechanicam & Experimentalem; quarum prima libertatem Naturæ, altera errores, tertia vincula pertractat. Iſta nempe *Civilis*, in tres quoque ſpecies diſpeſcitur, *Sacram* ſive *Eccleſiaſticam*, *Civilem* in ſpecie dictam, & *Literarum ac Artium*. Quarum hæc ultima ex omni memoria repetit, quæ Doctrinæ & Artes, quibus mundi ætatibus & regionibus floruerint; Iſta exempla Majorum, viciſſitudines rerum, fundamenta prudentiæ civilis, hominumque nomen & famam, ſuæ curæ commiſſa habet, & in *Memorias*, *Antiquitates* ac *Hiſtoriam juſtam* (hæcque iterum in *Chronica*, *Vitas* & *Relationes*, & Chronica in *Hiſtoriam Univerſalem* ac *Particularem*, item in *Annales* & *Acta Diurna*) ſubdiſtinguitur: Illa, ſc. Sacra ſeu Eccleſiaſtica, res ad Eccleſiam ſpectantes perſequitur, & tres iterum partes habet. *Hiſtoriam Eccl.* in ſpecie ſic appellatam, *Hiſtoriam ad Prophetiam* & *Hiſtoriam Nemeſeos* ſeu *Providentiæ*. Quarum illa Eccleſiæ militantis tempora & ſtatum diverſum memorat, ſive illa fluctuet, ut Arca in diluvio, ſive itineretur, ut Arca in eremo, ſive conſiſtat, ut Arca in templo. Secunda ſingulis è Scriptura propheſiis eventuum veritatem jungit. Tertia, vindictas Dei ſeras & inopinas, ſalutes ſubitò affulgentes & inſperatas, conſilia divina per ambages rerum tortuoſas & ſtupendas ſpiras, tandem ſe manifeſtò expedientia & ſimilia pertractat. Appendices *Hiſtoriæ*, quæ circa *verba* hominum, (quemadmodum Hiſtoria ipſa circa *facta*) verſantur tres conſtitui poſſunt, *Orationes Epiſtolæ* & *Apophthegmata*. De quibus omnibus vide accuratiſſimè diſſerentem, Franc. Bac. de Verulamio de *Aug. Scient. l.* 2. *c.* 12. *prior*. Methodum verò *Hiſtoriam*, Civilem inprimis, legendi, egregiam, præſcribit Juſt. Lipſ. *Chil. Ep. p.* 463. ipſos autem *Hiſtoricos* omnis ævi, paucis enarrat & de quovis eorum judicium fert, Gerh. Joh. Voſſ. *de Hiſt. Gr. & Lat.* Horum primum Pherecydem fuiſſe Syrium Euſebio tradi, videbimus & infrà. Ut de *Hiſtorico tempore* aliquid adjiciam, Varro Mythicum tempus uſque ad primam Olympiadem deducit, & inde Hiſtoricum tempus facit incipere. Alii ab Heraclidarum Reditu illud ordiuntur. Et quidem Scalig. *in Euſebiana*, quatuor nobilia intervalla, inter cladem Ilii & primam Olympiadem notat, quibus tanquam metis deſignaverint tempus illud vett Chronologi, Herod. aliique. Primum eſt, Ἡρακλειδῶν κάθοδος, *Heraclidarum Reditus*, à Troja capta, LXXX. an. Secundum, Οἰκισμὸς Λέσβου κατὰ πόλεις, *Habitatio Leſbi per urbes ſingulas*, poſt cladem Ilii CXX. Tertium, Ἰωνικὴ ἀποικία, καὶ κτίσις Κύμης Φρικωνίδος, *Ionica tranſmigratio & Cumæ Phricotidis extructio*, poſt Trojam CXL. Ultimum. Κύμης ὑπὸ Σμυρναίων, *Cumæ à Smyrnæis conditæ initia*, CLVIII. poſt Trojam. De quorum primo vide ſuprà, *Heraclidarum Deſcenſus*, it. ubi de *Chronologia*.

HISTORIÆ, dicuntur Eccl. Rom. Scriptoribus, Lectiones, deſumptæ ex libris Hiſtoricis V. T. & aliis, quæ in Eccl. ſtatis diebus recitantur, vide C. du Freſne *Gloſſ.* ubi verſus, *Hiſtorias* per circulum anni continentes.

HISTORIGRAPHUS, Pictor Hiſtoriarum, apud Ugutionem. Ἱστορογράφος Ματιάτως, in *Inſcr.* quæ viſitur in æde Deiparæ Betleemitana, legiturque apud C. du Freſne *ad Joinvillam Diſſertat.* 27. Ἱστορεῖν ut & ἀνιστορεῖν Græcis recentioribus pingere eſt, Joh. Damaſcen. *in Synodica ad Theophilum Imp.* Unde Italorum *hiſtoriare* &c. C. du Freſne *in Gloſſ.* Aliàs *Hiſtorigraphus*, cui munus incumbit *hiſtoriæ* literis conſignandæ, qualem apud Rom. olim *Pontificem Max.* fuiſſe infrà dicemus.

HISTRIA, quæ & ISTRIA, pars fuit Galliæ Tranſpad. in Italia. Nunc ſub Venetis, exceptis locis quibuſdam ſub Imp. ut Auſtriæ Archiduce. Longa 60. circiter mill. lata 40. ab Ortu in Occaſum. Gallis *l'Iſtrie*, Italis *Iſtria*, Germanis *Hyſterreych*. Pars eſt Italiæ extrema, Illyrico ad Ortum confinis, Arſia fluv. diviſa, in mare, velut peninſ. inter Carnos ad Occaſ. & Liburniam ad Ort. excurrens. Pop. *Iſtri* Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Hiſtri* Luc. Bell. Civ. *l.* 4. *v.* 529.

Detegit orta dies ſtantes in rupibus Iſtros,

Vide etiam *Iſtria*. Addo ſaltem, quòd de *Hiſtriæ* vel *Hiſtricæ Civ.* excidio, videri poſſit Capitolin. *in Maximino & Balbino*.

HISTRIONES, quòd ex Hiſtria Romam venerint primùm, dicti, *muliebri indumento, geſtus feminarum impudicarum, exprimere* ſolebant, Iſid. *Hiſpal. l.* 18. *Etymol. c.* 48. Non iidem ſemper cum Pantomimis, quorum primus Pylades eodem, quo *Hiſtriones*, tempore, Romam appulit. *Hiſtriones* enim in ſcena ſolùm, Pantomimi verò etiam alibi viſebantur, Suet. *in Domit. c.* 7. Plin. *Panegyr. &c.* De his lex Solonis, Μὴ εἰσελθεῖν ἵνα εἰπεῖν, μήπω τριάκοντα ἔτη γεγονότα, *Hiſtrio fabulam ne agito annorum triginta minor.* Athenis enim *Hiſtriones* omni notâ vacui erant & poëtæ ipſi cives Attici in ſcenam prodibant, quod de Sophocle, Ariſtoph. aliis, obſervatum eſt veteribus. Romæ verò notabantur infamiâ. Unde Laberii querela, quem aſperæ libertatis Equitem Rom. Cæſar invitavit quingentis millibus, ut prodiret in ſcenam & ipſe Mimos ageret, quos ſcriptitabat:

Ergo bis tricenis annis actis ſine nota
Eques Romanus, Lare ègreſſus meo,
Domum revertor Mimus. *Nimirum hoc die.*
Uno plus vixi, mihi quam vivendum fuit.

Scilicet: *Ait Prætor: qui in Scenam prodierit, infamis eſt.* Unde factum, ut Scenici ſpectaculorum deberentur obſequiis eaque Scenicis nati non poſſent detrectare, ſed vel inviti ad ea præſtanda adigerentur. Nec niſi dubiis in rebus Reip. ad arma vocabantur: & primus Valentinianus Imp. A.C. Dionyſiano 371. conſtituit, licere Scenicos, in extremo vitæ periculo conſtitutos, baptizare, & ſi fortè evaſiſſent, noluit, ad ſcenam revocari. Mulieres verò Scenicis prognatas, antequam poſſent ſcenica præſtare officia, ſacro tingere lavacro licebat, *l.* 1. *Cod. Theod. de Scenicis*. Imò & mulier Scenica, quæ in Eccl. Chriſti admitti & baptiſmate tingi deſiderans, poſtulabat eo nomine vacationem officiorum ſcenicorum, impetrabat eam *l.* 8. *Cod. Theod.* Si verò, poſtquam religionis obtentu hanc veniam nacta erat, quæſtum corpore feciſſet, in Scenam revocabatur, & *miniſteriis ludicris* pœnæ ergò deputabatur, i. e. repræſentabant tales non niſi Γραΐδια ſeu ridiculas anus, donec ipſæ revera ſenectute fierent deformes: Sed nec tunc quoque abſolvebantur, quanquam non poſſent non pudicè, quod ævi reliquum ſupererat, agere propter ſervitutem ac deformitatem. Inter *Hiſtriones* tamen infames non cenſebantur, qui agebant Attellanas. Has enim & iis ſparſim conſerta Exodia tenuit olim Romana juventus nec *ab Hiſtrionibus pollui paſſa eſt*, Liv. *l.* 7. *c.* 2. Poſteà tamen fabulas illas cùm *Hiſtriones* quoque agere cœpiſſent, illi inter cæteros ludiones honeſtiſſimi, & cùm cæteri infamia notarentur, neque pro civibus haberentur, Attellanarum actores neque tribubus movebantur, neque à militaribus ſtipendiis repellebantur, Val. Max. *l.* 2. *c.* 4. Dicti autem hi ſunt *Juvenes*, quorum ludos meminêrunt vett. Inſcript. & Calliſtratus *l.* 6. *de Cognitionibus*, apud Jure-Coſſ. *l.* 28. §. 3. *D. de Pœnis*. Vide Sam. Petit. *Comm. in Leges Attic. l.* 1. *tit.* 1. *p.* 75. & *ſeqq.* E' ſcena in convivium Comœdos, & *Hiſtriones* & Archimimos & Pantomimos familiares frequenter, jam inde à devicta Aſia, inductos, conqueritur Liv. *l.* 39. *c.* 6. *Luxuriæ enim peregrinæ origo ab exercitu Aſiatico invecta in urbem eſt. Ii primùm lectos æratos, veſtem ſtragulam precioſam, plagulas & alia textilia, & quæ tum magnificæ ſupellectilis habebantur, monopodia & abacos Romam advexêrunt. Tum Pſaltriæ Sambuciſtriæque & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis.* Et notat de luxu Metelli Saluſt. in Fragm. Hiſt. *l.* 2. *Eum ad cœnam invitaverant exornatis ædibus per aulæa & inſignia, ſceniſque ad oſtentationem* Hiſtrionum *fabricatis.* Hinc apud eund. *in Bell. Jugurth.* Marius *c.* 85. *Sordidum me*, inquit, *& incultis moribus ajunt: quia parum ſcitè convivium exorno, neque Hi*ſtrionem *ullum, neque pluris pretii coquum, quàm villicum, habeo.* Vide Pignor. *l. de Serv. p.* 267. & 268. & Tit. Popmam *de Oper. Serv.* Addam paucis, *Hiſtriones* ſcenam ingreſſos, populum ſalutaſſe. In vet. *Epigr.* de Pantomimo,

Ingreſſus ſcenam populum ſaltator *adorat*:

Unde Neronis in ſcenam prodeuntis vox, Κύριέ μου εὐμενῶς μου ἀκούσατε, Dioni notata. Baculum autem in manu habebant, cumque pro argumento fabulæ, forma ac materia varium, (cujus loco ſceptrum erat, cùm Regem ſaltarent) uti de eodem Nerone docet Philoſtrat. *l.* 5. Dein, proœmium recitabant, quo ſpectatorum ſuo gregi benevolentiam conciliarent, idque coronati, more Oratorum, fauſti ominis ergò, Dionyſ. Halic. *Antiqq. Rom. l.* 3. Vide ſuprà ubi *de Coronario ære*. Iidem è Scena diſcedentes plauſum petebant, eaque erat extrema fabulæ clauſula. Erat illa, apud Suet. Aug. *c.* 99.

Δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε.

Quibus verbis vitæ ſuæ mimum quoque Auguſtum clauſiſſe legitur, vide quoque ſuprà in voce *Dixi*. Cùm verò diſplicuiſſent, ſuppoſione pedum *exſibilabantur*, vide ſuprà ubi de hoc more. Præmia eorum quænam fuerint attigimus ſuprà, ubi de *Donationibus ſcenicis*. Quod ſi quid commiſiſſent, *virgis* in eos animadvertebatur, hiſque per trina Theatra cæſi traducebantur; quod jus, Magiſtratibus ademptum, Aug. ipſe ſeveriſſimè exercuit, ut de Stephanione docet Suet. *c.* 45. Nec omittendum, *Hiſtrionibus* in Scena, velut in Templo, neque excreare, neque mungere licuiſſe, uti ad eund. Auctorem notat Caſaub. *Ner. c.* 24. &c. Vide quoque infrà *Scenici*, *it. Scr*racum, ubi τὰ σκεύη τῶν ὑποκριτῶν, *ſupellectilem Hiſtrionum*, in cophino *ſcraco* dicto, ſervari conſueviſſe videbimus.

HISTRIX, Gall. *Porc-eſpic*, Ordo Eq. Aureliani inſtitutus à Ludovico, ſecundo-genito Caroli V. Galliæ Reg. cùm ei natus eſſet fil. Carolus, A. C. 1394. Conſtabat è 25. equitibus, quorum Dux caput: Hi in pectore hiſtricem ex auro geſſêrunt, cum lemmate: *Cominus & Eminus*, quo ſymbolo poſteà Ludovicus XI. uſus eſt. Abolitus eſt à Ludovico XII. cùm throno eſſet potitus. Vide Sanmarthan, *Hiſt. gen. l.* 15. Favin. *Theatr. d'Honn. & de Cheval.* Idem Ordo *Camalli* dictus eſt, juxta C. du Freſne, *in Gloſſ.* inſtitutus à Car. Aureliani & Vadenſi Duce; à *camallo*, quod conſpicitur in torque, in cujus ima parte pendet *hiſtrix*, ſurrectis echinis horrida, virenti humo inſiſtens & collum camallo tecta: *hiſtrici* verò impendet corona Ducalis, ut in Caſulis & Dalmaticis, olim ab eodem Duce Cæleſtinis Pariſienſibus donatis. Meminêre prætereà hujus ordinis Monſtrelletus Volum. 1. & 2. Joh. à S. Gelaſio in *Vita* Ludovici XII. Petrus Sanjulianus *in Miſcell. Hiſt. p.* 734. &c. Porrò *Hiſtrix*, in Gallicis quibuſdam monetis viſitur. Et quidem ſub Ludovico XII. prodiêrunt *Scuta cum Hiſtrice*, Gall. *Eſcus au Porc-eſpic*, in quibus binæ hiſtrices ſcuti latera ambiunt: in averſa parte crux conſpicitur in mutis Pontici vellus deſinens, inter binas hiſtrices & bina *L.* pond. 2. den. 17. gran. pretii 36. ſol. 3. d. Turon. Similia Franciſcus I. ſucceſſor ejus cudi curavit. Idem Ludovicus *Magnos Albos cum Hiſtrice*, Gall. *Grands Blancs au Porc Eſpic*, dictos *Ludovicos*, ſignavit, pond. 2. den. l. 4. den. 12. gr. cum cruce inter 4. lilia & Inſcr. SIT NOMEN DOMINI BENEDICTUM: in averſa parte, cum ſcuto & 3. liliis coronato & ab hiſtrice ſuſtentato, ac Inſcr. LUDOVICUS FRAN-

FRANCOR. REX. C. du Freſne in voce *Moneta*. De ipſo verò animali vide infrà in voce *Hubert*.

HITUS, opp. Comagenæ, inter Catamanam & Niſum. *Santo*.

HIULCA, pars Pannoniæ inf. in Hung. apud Cibalim urbem, quam Probus Imp. circa Sirmium ſiccari juſſit. Fl. Vopiſc. Hodie *Palma*.

HO. in Notis antiquorum, *Homo* vel *honeſtus*. HO. Nº. *Homo honeſtus*. HOM, itidem *Homo*. H. HON. *Homo honeſtus*. HOR. *bona*. H. P. *honeſta perſona* H. R I P. *hic requieſcit in pace*, denotat, *Fr. Gouldmann*.

HOANG, fluv. Sinici Imperii celeberrimus, Latinè *Croceus*, ſeu luteus, à colore, quo imbutus. Ortus è montibus *Quenlum* (quos Amaſæos omnino eſſe exiſtimat Preyelius) è quibus & Ganges, & Meion, & Hiltor, aliique, primitus videri poſſet palus, nisi incredibilis illi eſſet velocitas, quâ naves adverſas ſubire non patitur, niſi in duplum, quam alibi ſoleat, major remulco trahentium numerus, pertinaciam ejus evincat: Dimidii miliaris latitudinem modò æquat, modò exuperat: longitudo tanta, ut ad 800. & ampliùs milliaria pertingat Fluit autem primùm Bor. verſus, nonnihil in Ort. deflectens: mox Xenſiam prov. præterlabitur, rectaque ad Ort. pergit, Murum illum magnum alludens ra-denſque. Dein deſertam ſolitudinem ſeu campos arenoſos, qua in Ort. quâ in Bor. celerrimo curſu prætervectus, ad bis mille plus minùs ſtadiorum longitudinem, ad Auſtr. vertit iter, & per Se, Muri magni portam, illapſus, limites ſtatuit inter Xenſiam & Xanſiam provincias. Inde Honaniam adit, tum Xantoniam, perque *Kiagnan* prov. magnam itineris partem conficit, donec ad *Hoaigan* urbem in mare, turbidus adhuc & violentus, ſeſe immergat. Olim *Peking* quoque & *Xantung* prov. percurrere ſolebat; ſed Sinarum induſtria alveum illius procul avertit: rivo ſaltem relicto, qui antiquam fluvii ſemitam hodieque commonſtrat. Cæterum aqua limo obſita luteum habet colorem, quam ne mille quidem Annorum ſpatio limpidam evadere poſſe, ajunt Sinæ, unde apud eos diverbio locus, *Quando Croceus clareſcet*, de re admodum difficili aut prorſus impoſſibili. Auctor Anon. *Sinæ & Eur.* c. 27. Vide & ſuprà *Croceus*.

HOASCER, ſeu HOASER, arbor Indica, unde ſaccharum *Hoaſcer* ſive *Haſer*, apud Avicennam; eadem eſt cum planta *Albaſar* ſeu *Albaſor*, de qua dictum: Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1312.

HOBA, regio Syriæ ad dexteram Damaſci, i. e. Euphratem verſus, dicta etiam *Saba*, & *Sophene*.

HOBA, aliàs CHOBA & SABA, locus eſt ad lævam partem Damaſci, in tribu Manaſſe, ad quem uſque Abraham quatuor Aſſyriorum Reges perſecutus eſt.

HOBAB, fil. Raguel, ſoceri Moſis. Jud. c. 4. v. xi. Num. c. 10. v. 29. i. e. *dilectus*.

HOBELLARII & HOBERARII, Anglis dicti ſunt milites levis armaturæ & mediocri equo ac *curſorio* merentes, quem Angli an *hoby* vocant, *Hobin* Phil. Cominæus l. 6. c. 7. quos Jac. Waræus in *Antiqq. Hibern.* c. 7. ait eſſe ex Hibernia equos, ſic appellatos ob mollem inceſſum & magno in pretio habitos: unde & *Hobiners* Gallis interdum *Hobellarii* iſti appellati ſunt; quam quidem vocem *Hobin* ab Hebr. *habras* arceſſit Steph. Guichart. Meminit *Hobellariorum* hujuſmodi Vilhelmus Thorn, A. C. 1364. ubi *ſagittarios* eoſdem fuiſſe, indigitat. Idem confirmat *Charta* Henrici V. in *Monaſtico* Angl. *Tom. I. p.* 976. Duravitque id vocabuli, uſque ad ætatem Henrici VIII. ut ait Henr. Spelmann. Vide quoque Dugdal. in *Antiqq. Warvic* & Iſ. Caſaub. *de Ling. Angl. vet.* p. 192. *col.* 1. laudato; C. du Freſne in *Gloſſ.*

HOBBES Thomas, Anglus, Thucydidem Anglicè vertit, A. C. 1628. eo fine, ut ineptias *Democraticorum Athenienſium* civibus ſuis patefaceret. Euclidis dein methodo delectatus, in illo evolvendo diligentiſſimè verſatus eſt. Poſt quæ, dum moraretur Pariſiis, Scientiæ naturalis principia inveſtigare cœpit, P. Marini Merſenni, in omni genere Philoſophiæ verſatiſſimi, familiaritate, nec non Gaſſendi aliorumque egregiorum virorum commercio uſus. Libellum *de Cive* edidit A. C. 1646. Librum, intit. *Leviathan*, A. C. 1651. in quo jus Regium tum ſpirituale, tum temporale, aſſerere conatus, varias hominum judicia eſt expertus. Scripſit porrò *de Jure Naturali*, *de Conſtitutione civitatum*, *de Jure eorum qui ſummam habent poteſtatem*, *de Homine*, *de Corpore* &c. In Mathematicis, principia Geometriæ nonnulla correxit, Problemata aliquot difficillima à ſummis Geometris fruſtra tentata feliciter ſolvit. Jam octuagenarius conſcripſit *Hiſt. Belli Civ. Angl. inter Carolum I. Regem & Parliamentum ejus*, *Anglicè*; ut & *Ortum & incrementa poteſtatis Pontificiæ*, *carmine Latino*; *Homerum* itidem *vernaculo metro expreſſit*; denique *Cyclometriam*, annum agens 91. in lucem emiſit, præter varia minoris momenti. Obiit cœlebs A. C. 1679. & Anno præf. conditus ſub nigro marmore, cum hac Inſcr. *Condita hîc ſunt oſſa Thomæ Hobbes Malmesburienſis, qui per multos ſervivit Annos duobus Devoniæ Comitibus Patri & filio; Vir probus & famâ eruditionis domi foriſque bene cognitus. Obiit* &c. Ex Vita ejus Carolopoli impreſſa, Paul. Freherus *Theatro Viror. Erud. Claror.*

HOC age, apud Rom. cùm Coſ. auſpicaretur, ac immolaret, clarâ voce à Præcone acclamabatur, ut adſtantes officii admonerentur, teſte Plutarch. *in Numa*. Quam proin Caſſius Chærea, conjuratorum in Cajum Cæſ. Princeps, ſuis teſſeram dedit, quaſi victimam Diis gratam imolaturis, uti diſcimus ex Suet. Joſeph. tamen de *bello Jud.* l. 19. c. 1. teſſeram fuiſſe, *Repete*, memoriæ prodidit. Nempe ſic populum affabatur ſacra facturus rituà Græcis, ut videtur mutuato, apud quos, paulo ante ſacrum peragendum, Sacerdos populum circumſtantem interrogabat, ἴς εἰ ἢ; reſpondent illo, πολλοὶ κἀγαθοί, ut infrà dicemus in voce *Victima*. *Hoc habet*, apud Prud. *Pſychom.* v. 73.

> Hoc habet, *exclamat victrix Regina, Supremus*
> *Hic tibi finis erit*,

Proverbialis ſermo, ſumptus à gladiatore vulnerato, quem vulgus victum eſſe exclamat. Habet autem ἐλεεινόν. Seneca *Agamemn.* *Act.* 5. v. 35. integrum poſuit, *Habet, peractum eſt*. German, *Er halt ſein theil*. Vide ſuprà *Habes*. Terent. Andr. *Act.* 1. *Sc.* 1. v. 56.

HOCDAY, feſtivitas, quam demptis ejectiſque jam Danis Angli, ut exactis Regibus Rom. *Fugalia*, annuè olim læti celebrabant: quæ nec hodie apud Mediterraneos penitus exolevit. Lambardo *in Itin. Cantii tit. Sandwich* dicta videtur, quaſi *dies Martis irriſorius*: nec malè convenit hodiernus celebrandi ritus. Nam cùm *Hocken*, Germ. ſit obſidere, cingere, incubare: alii in hac celebritate alios obſident, capiunt, ligant, præſertim viros feminæ, atque inde *binding Tuesday*, i. e. diem Martis ligatorium, appellant. Origo rei ab Ethelredo Rege qui, ſub armorum luſtrandorum ſpecie, ſubitò uno eodemque die per univerſum regnum Danos omnes occidit: conſummatio verò ab Eduardo Confeſſ. qui irruentes in ultionem Danos, ſic rurſus ejecit, ut ſpem omnem redeundi illis ademerit. Dies celebrationis incerta, cùm cædes ſub Ethelredo perpetrata, in 13. Novembr. inciderit. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.* Perpetrata cædes illa ab Ethelredo A. C. 1002. in feſto S. Bricii, in diem Veneris incidente: cujus memoriam celebrari hoc die, qui Quindenam Paſchæ expletam proximè excipit, docet Matth. Pariſ. *A. C.* 1255. *Circa idem tempus, ſc. in Quindena Paſchæ, quæ vulgariter* Hokeday *appellatur, convenerunt Londini omnes nobiles Angliæ.* Addunt Henr. Spelmann. & Watſius, adhuc in eo die mulieres ſolere jocosè vias oppidorum funibus impedire, & tranſeuntes ad ſe attrahere, ut ab eis munuſculum aliquod extorqueant, in pios uſus erogandum; ſed & domi eaſdem magiſterium obtinere, quòd hæc Danorum cædes ab ipſis etiam mulieribus ſit patrata: quod tamen non habent vett. Hiſtorici, C. du Freſne in *Gloſſ.* Vide quoque Steph. S. Kinner. in *Etymol. Anglico*, in *Hok tide*.

HOCHBERGA, caſtrum Briſgaviæ, unde illuſtri fam. nomen. Hanc enim, cum aliis, ex avita hæreditate Hermannus, frater Bertholdi II. Zeringiæ Ducis fil. Bertholdi I. Marchionis cum nomine obtinuit, Mortuus A. C. 1074. relicto fil. Hermanno I. qui, per uxorem, Badenſi ditione potitus, hujus titulum primus ſumpſit. Pater Hermanni II. avus Hermanni III. qui Friderico Barbaroſſæ inprimis gratus, dono ipſius Veronam. poſt victoriam Mediolan. accepiſſe creditur. Hujus A. C. 1190. in Palæſtina defuncti filii, Henricus *Hochbergiæ*, Hermannus verò IV. Badenſis lineæ auctores fuêre. Prioris poſteritas deſiit in Philippo, *Hochbergiorum* ultimo, Hic enim, fil. Rudolphi, cum agnato Chriſtophoro Badenſi renovatis hæreditariæ ſucceſſionis pactis, moriens A. C. 1503. eum hæredem reliquit. Quam ex Maria Sabauda ſuſceperat, filia Johanna, nupta Ludovico Aureliano Duci Longavillano, attulit ei Comitatum Novocaſtrenſem & prætenſionem in princip. Arauſionenſem. Cùm verò idem ſucceſſionem reliquarum ditionum, inprimis Rœtelanum dominium ſibi vendicaret, jure diſceptatum, quo penes Badenſes, qui 250000. aureos Ludovico numerârunt, manſit poſſeſſio. Servarunt nihilominus ad hodierna uſque tempora Longavillæi tit. Marchionis Rotelini, vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.*

HOCOTA, Rex & Imp. Tartarorum, Cangii Cami etiam Imp. fil. vir prudens & fortis: qui Gebeſabada Duce, ad Occid. regiones debellandas, miſſo, Caſpiis anguſtiis ſuperatis, ad radices Tauri montis, ubertate illius regionis, & præda antè parta fruens, hybernavit. Vere autem relictis ad Caucaſi ſive Tauri montis radices hybernis, montium cacumina ſuperat & ſubjectos populos invadit: eoſque omnes prædatus, in Indiam penetrat, quanta in utramque ripam maximi fluviorum Indi patet, Imperii finem Oceanum conſtituit, ibique regia Cambalu condita, Rex ſedem ſuam poſuit. Habebat in animo ſummus ille Tartarorum Princeps, Imperii ſui limites, undique litoribus maris terminare, ſed amœniſſimæ regionis Indiæ delitiis enervatus, provinciis, urbibus, ædibus, prædiis feraciſſimis, delicatiſſimiſque inter ſuos diſtributis conquievit, & Aſſyriorum, Perſarum, Chaldæorumque ritus accepit. *Joh. Matal. Metell.*

HOD, fil. Supha, filii Helem. 1. Paral. c. 7. v. 37. i. e. *latus*, ſive *confeſſio*.

HODANUM, vulgò HOUDAN, urbec. Belſiæ, ad Vegram amnem, 12. leuc. à Lutetia in Occaſ. Drocum verſus, à quo 4. leuc. diſtat, in tractu feraci.

HODEGITRIA, Græca vox, h. e. *viæ Dux*, appellata eſt imago B. Mariæ Virg. quam D. Lucam depinxiſſe dicunt; eo quòd, cùm expulſis Latinis Michaël Palæologus Urbem triumphans ingrederetur, imaginem hanc ſibi prælatam pedes ſequutus fuerit. Gregoras l. 4. *Poſt dies complures Imp. Conſtantinopolim intrat non prius tamen, quàm ſacroſanctæ Deiparæ, quam quaſi viæ monſtratricem* Hodegitriam *nuncupant, imago per portam, quæ Aurea dicitur, ingreſſa eſt* &c. Hodie in Sicilia, & Meſſanæ præcipuè, ſub eodem nomine Deipara colitur, quam corruptè *Itria* vocant, Romæque hæc gens ædem habet cognominem, quam vulgò *CPolitanam* appellant. Solet autem depingi ſupra arcam, à duobus Caloceris ſuper humeros delata, eodem modo quo qualibet feriâ tertiâ per urbem CP. deferebatur, Niceph. l. 15. apud C. Macr. *in Hierol.* ubi in ejus honorem, magnificum templum Pulcheriam extruxiſſe; eandem imaginem in triumpho CPolim delatam, Joh. Comneno Imp. pedibus præcedente, hodieque à Dominicanis in Conventu ſuo, quem Peræ habeant, ſub titulo S. Petri, aſſervari:

Siculos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Siculos etiam qualibet feriâ tertiâ, ob devotionem ejus, jejunare, addit. Scripſit peculiarem de imagine hac tractatum Michaël Juſtinian. impreſſum Romæ A. C. 1656.

HODES, i. e. *menſis*, aut *novitas*, ux. Saharaim. 1. Par. *c.* 8. *v.* 9.

HODIE nate ſalve, formula gratulandi in Puerperio, Vett. uſitata. Meliorum enim gentium mos erat, de feliciter tranſacto hoc diſcrimine lætari, gaudiumque & ſalutatio inter amicos & clientes, verbis præfatis, ab Oriente ad Romanos conſuetudine delatâ, fieri ſolebat. Unde A. Gell. *Noct. Attic. l.* 12. *c.* 1. *Eamus* inquit *& puerperium viſum & Patri gratulatum.* Vide Thom. Bartholin. *de Puerp.* ubi Plauti locum adfert.

HODIUS, unus ex Græcorum præconibus, in bello Trojano. Hom. *Il.* 9.

HODOEDOCUS, Vide *Calliarus.*

HODOMANTI, pop. Thraciæ, Steph. ex Thucydid. *l.* 2.

HOEDI, apud Hebræos olim maximè in delitiis, ut apparet ex Hiſtoria Iſaaci, Gen. *c.* 27. *v.* 11. 16. & 18. Gedeonis, Jud *c.* 6. *v.* 10. Manoæ, *c.* 13. *v.* 15. Iſai, 1. Sam. *c.* 16. *v.* 21. ut de Juda taceam, qui pro concubitus mercede *hœdum* Thamari obtulit, Gen. *c.* 38. *v.* 17. & de Samſone, qui Dalilæ idem munus deſtinavit, Jud. *c.* 15. *v.* 1. Ut qui dicit apud Virg. Eclog. 2. *v.* 40. & ſeqq.

Præterea duo nec tutâ mihi valle reperti
Capreoli, ſparſis etiam nunc pellibus albo,
Bina die ſiccant ovis ubera: quos tibi ſervo &c.

Et verò, antequam tot gulæ mangonia reperta eſſent, quibus harum artium Magiſtri id tandem obtinuêre, ut ad communes dapes palatum obbruteſceret, magni fiebat *hœdina* caro, & in conviviis apud Vett. ſæpe laudatur, inter præcipuos cibos, vide Athen. *l.* 9. *c.* 14. Ariſtoph. *in Ciconiis*, Xenoph. Colophonium *in Elegis*, Alios. Juv. quoque Perſico, ad cœnam invitato, *hœdum* pollicetur, *Sat.* 11. *l.* 4. *v.* 65. & ſeqq.

De Tiburtino veniet pinguiſſimus agro
Hœdulus *& toto grege mollior, inſcius herbæ,*
Necdum auſus virgas humilis mordere ſalicti.
Qui plus lactis habet, quam ſanguinis; ---

Nec minoris à Medicis hæc caro fit, ut quæ illis ſaluberrima habetur, vide Galen. περὶ Εὐχυμ. *c.* 4. Sim Sethi *c. de cibarior. facult.* Platinam *de Hon. volupt. & valet.* &c. Et hactenus permiſſa voluptas; ſed quis crudelem eorum gulam probet, qui gravidæ matris uterum & mammas calcibus ideo impetebant, ut fœtus per abortum ex utero excidens eſſet palato gratior, quod Plutarch. alicubi tradit, apud Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l. II. c.* 52. ubi plura hanc in rem; è quibus unicum illud addam, quod Abarbanel de hoc animali refert; conſueviſſe Idololatras, hœdos in lacte coquere, quo tempore legebant fruges, ut ſic magis propitios haberent Deos ſuos, *ad Exod. c.* 23. *v.* 19. ubi de Lege, *Hœdum non coques in lacte matris ſuæ*, quæ repetitur *c.* 34. *v.* 26. & Deut. *c.* 14. *v.* 21. Adjicit Karaita Scriptor anon. factum id fuiſſe magicâ ratione, vetereſque Idololatras, poſt collectionem frugum, hoc lacte arbores, agros, hortos & paradiſos ideò aſperſiſſe, ut in ſequentem Annum eſſent feraciores &c. Vide quoque *Faunalia*, & infrà *Muræna.*

HOEDI, primùm inter ſidera oſtenſi Clæoſtrato Hygin. *l.* 2. *de Henioch.*

HOELUS-DHA, i. e. *Bonus*, aliis *Hælius*, Princeps Britannorum, qui à Saxonibus in Walliam profligati, libertatem illic & ritus patrios tuebantur. Hic A. C. 914. adhibitis populi ſui frequentibus Comitiis, aderant quippe ex Eccleſiaſticorum cœtu 146. in loco celebri, cui nomen *Twy Gwynar Taf*, i. e. Caſa candida ſuper fluv. *Taf*, leges priſtinas longâ receptas conſuetudine abolevit, Britanniſque novas dedit, hinc *Leges Hoëli Dha* appellatas. Habentur juſto volumine antiqua earum exemplaria, cùm Latinè tum & Britannicè MS. at ſubactâ ab Anglis Walliâ, ſub horum Legibus hodiè floret, partim ab Eduardo I. circa A. C. 1284. partim ab Henrico VIII. impoſitis Henr. Spelmann. in *Gloſſ. Arch.*

HOFMANNUS Gregorius vide *Haloander.*

HOFMANNUS Sebaſtianus, Argentinenſis, Doctor Theologiæ apud Franciſcanos, quem ordinem primò profeſſus erat, poſtea in reformatione Eccl. Scaphuſianæ, Sebaſtiani Wagneri collaborator. Lector primò Lucernæ, cùm A. C. 1522. publicè Invocationem Sanctorum ibi impugnaſſet, unà cum M. Conrado Schmidio, inde pulſus, Scaphuſiam pervenit, ibique Wagnero reformationem nolienti fidelem navavit operam. Interfuit dein colloquio Tiguri inſtituto A. C. 1523. Vide Leonh. Meyerum *l. de Reform. Eccl. Scaphuſianæ*, & in voce *Wagnerus.*

Sanctos qui, Numen velùti, colit, haud colit ille,
Virtutes imitans, qui colit, ille colit.

HOFMEISTERUS Joh. Rudolphus, Theologus Tigurinus celebris. Nat. A. C. 1615. ſtudiis, ſacris imprimis, maturè animum applicuit, tanto cum ſucceſſu, ut poſt peregrinationem in Galliam, A. C. 1640. ad Hebræam, A. C. 1643. ad Græcam & Latinam cathedram, in patria vocaretur. Profeſſio dein Theol. ei commiſſa eſt A. C. 1668. qua hactenus ſummâ fide nec minori ſucceſſu defungitur. Edidit varia, *Panaceam* inprimis, *Praxin Temperantiæ*, *Praxin Perſeverantiæ*, *Syllogen precum*, *&c.*

HOFMEISTERUS Sebaſtianus, Reformator Eccl. Scaphuſianæ, vide *Wagnerus Sebaſtianus.*

HOGIA, apud Turcas quid notet, vide infra *Muſlimi.*

HOHENGEROLDSECCIA, Fam. Germ. illuſtris. Vide ſupra *Geroldſeccia.*

HOHENLOE, Fam. ejuſdem regionis, in Franconia prov inter illuſtriores: in qua gente Cratonem, Germ. *Craft*, quod dein familiare admodum poſteris fuit, primum nominant & Luitgardis Helfenſteniæ A. C. 897. maritum conſtituunt. Ejus poſteritatem ferunt, Sigfrido cum Henrico IV. in Italiam profecto, hic aliquandiu ſubſtitiſſe, & Comites *de Alta Flamma* (quod Germanis *Hohen-Lohe* eſt) & Romandiolæ atque Marchiones Italiæ dictos eſſe, donec rediret ſub Friderico I. Godofredus, Pontificum odio pulſus. Godofredi fil. patri cogn. inter alios, genuit Gothofredum & Conradum; à quorum iſto peculiaris linea in *Braunek* ſata, ſub fin. ſec. XIV. defecit. Iſtius verò pronepos Crato, Ludovici Imp. Mareſcallus, denuo ex filiis Cratone, *Uffenhemiam & Speckfeldiam*, terminatam A. C. 1412. ex Ulrico hodie adhuc ſuperſtitem lineam dedit. Ut alias partitiones præteram: Præcipua hodie diviſio eſt in *Langenburgicum & Waidenburgicum* ramum; quorum ille ab Ludovico Caſimiro, iſte ab Eberhardo, utroque Georgii Extincti A. C. 1551. filiis, orti ſunt. Et quidem in illo Wolfgangus tres filios ſucceſſores; Georg. Frideric. in *Weickersheim*, cujus (ex Maria Magdalena Oëtingenſi, extinctâ A. C. 1636.) filia Eleonora Magdalena (Defuncta A. C. 1657.) nupta agnato Henrico Friderico Com. Philippo Erneſto, Georgii Friderici fratre genito; pepetit Sophiam Magdalenam (nat. & Den. A. C. 1653.) Philippum Albertum Fridericum (nat. Den. 1654.) Mariam Magdalenam (nat. & Den. A. C. 1655.) & Erneſtum Eberhardum Fridericum A. C. 1656. omnes *Comites de Hohenlohe* &c. *lineæ Langenburgicæ.* Cratonem porro *in Neuenſtein* & Phil. Erneſtum modò memoratum. E quibus Georgius Fridericus, quot filios habuit, totidem novos familia palmites emiſit, *Pfædelbachium*, per filium, ex Dorothea Ruthena (quæ Obiit A. C. 1615.) Ludovicum Eberhardum, Extinctum A. C. 1650. *Waidenburgicum*, per filium ex eadem uxore ſuſceptum Phil. Henricum, qui Obiit A. C. 1644. & *Scilingsfurſtium*, per filium ex eadem Georg. Frideric. Defunctum, A. C. 1635. E quibus, Ludov. Eberhardus præfatus, ex Dorothea Erpachia (quæ Obiit A. C. 1643.) pater fuit Dorotheæ Mariæ (quæ nat. A. C. 1618. nupſit Ludovico Caſimiro Dn. *de Limpurg*) Georgii Erneſti (nat. A. C. 1619. Den. A. C. 1620.) Sophiæ Julianæ (ux. Wolfgangi Georgii Com. *à Caſtell.*) Friderici Cratonis (nat. A. C. 1623. cui uxor obtigit Floriana Erneſta Wirtenbergica) Agathæ Erneſtæ (nat. A. C. 1625. Den. A. C. 1647.) Praxedis (nat. A. C. 1627. nuptæ Georgio Friderico Com. Solmenſi) Eliſabethæ (nat. A. C. 1629. Den. A. C. 1655.) & Hiskiæ (qui nat. A. C. 1631. uxorem habet Dorotheam Eliſabetham agnatam) omnium *Comit. de Hohenlohe &c. in Pfedelbach.* Phil. verò Henricus ex Dorothea Walpurgi agnata, genuit Wolfgangum Frideric. (A. C. 1617. Den. .... maritum Evæ Chriſtinæ agnatæ) Phil. Godofredum (qui nat. A. C. 1618. uxorem habet Annam Chriſtinam Limpurgiam) Magdalenam Julianam (nat. A. C. 1619. Den. ... uxorem Maxim. Wilibaldi Truchſeſſii Com. Wolfecci) Sophiam Eliſabetham (nat. A. C. 1620. Den. ...) Evam Dorotheam (nat. A. C. 1624. Joh. Ludovico Com. Sylvarum & Rheni nuptam) Joh. Chriſtianum (nat. A. C. 1625. Den. ..) Walpurgim Dorotheam (A. C. 1626. Den. ...) Maximil. Henricum (nat. A. C. 1627. Den. ...) Praxedin Mattham (nat. A. C. 1630. Den. ...) & Eleonoram Annam Euſebiam (nat. 1633. Den. ...) omnes *Com. de Hohenlohe &c. in Waidenburg*, A Georgio tandem Friderico, Dorotheæ Sophiæ Saimenſis (quæ Obiit A. C. 1660.) marito, prognati ſunt, Eliſabetha Dorothea (A. C. 1617. ux. Georgii Alberti Com. Erpachi Def. ...) Erneſtina Sophia (A. C. 1618. ux. Vilhelmi Com. Solmenſis) Philippa Sabina (nat. A. C. 1620. ux. Friderici Com. Wiedæ) Mauritius Fridericus (nat. A. C. 1621. Den. A. C. 1646.) Maria Juliana (nat. A. C. 1622. ux. Caroli. Mag. March. Badenſis Durlacenſis, Def. A. C. 1676.) Guſtavus Adolphus (nat. A. C. 1623. Den 1656.) Vilhelmus Henricus (nat. A. C. 1624. Den. A. C. 1656.) Carolo Chriſtina (nat. A. C. 1625. nupta Georgio Erneſto Com. Erpachio) Crato (nat. A. C 1626. Den. A. C. 1644.) Chriſtianus (nat. A. C. 1627. maritus Luciæ Hazfeldiæ, fil. Hermanni Com. *Hazfeld & Gleichen*) Joachimus Albertus (nat. 1628. den. ...) Ludovica (nat. A. C. 1629.) Erneſtus Otho (nat. A. C. 1631. Den. A. C. 1664.) Ludovicus Axelius (nat. & Den. A. C. 1633.) Lud. Guſtavus (nat. A. C. 1634. maritus Mariæ filiæ alterius Hermanni Com. præfati) & Georgius Fridericus (nat. & Den. A. C. 1636. omnes *Com. de Hohenlohe &c. in Schilingsfurſt.* Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Part. I. p.* 53. 136. 160. & 164. Medius verò fil. Wolfgangi Crato, Def. A. C. 1641. ex Sophia Palatina (filia Caroli Com. Palatini in Birckenfeld, Mortui A. C. 1600.) ſobolem itidem numeroſam habuit: ei enim nati Sophia Magdalena (nat. A. C. 1616. Den. A. C. 1627.) Joh. Fridericus (nat. A. C. 1617.) Crato Mag. (A. C. 1618.) Sigfridus (A. C. 1619.) Anna Dorothea (nat. A. C. 1621. ux. Joachimi Erneſti Com. Oëtingenſis, Def. A. C. 1646.) Wolfgangus Julius (A. C. 1622.) Clara Diana (A. C. 1623. Den. A. C. 1632.) Joh. Ludovicus (A. C. 1626.) Margaretha Hedvigis, (A. C. 1625. ux. Caroli Othonis Com. Palatini Rheni, ducta A. C. 1658.) Carola Suſanna Maria (nat. A. C. 1626. ux. Ludovici Com. Lœvenhauptii) Sophia Magdalena (A. C. 1628.) Eva Cratolina (A. C. 1629. Den. ...) Phil. Maximilianus Joh. (A. C. 1630. ✝. A. C. 1658.) & Eleonora Clara (quæ nat. A. C. 1632. nupſit Guſtavo Adolpho Com. Naſſovio, A. C. 1662.) omnes *Comites de Hohenlohe* in *Langenburg &c. lineæ Neuenſteniæ.* Ultimus è Wolfgangi filiis Phil. Erneſtus, Extinctus eſt A. C. 1628. de cujus liberis infra, in voce *Langenburgum.* Vide Phil. Jac. Spener. *Theatro Nobil. Europ. Part. citat.* paſſim ut & *Arte Herald. Tom. II.*

HOHENSOLMIUS Ramus, illuſtris Comitum Solmenſium in Germ. fam. Cùm enim omnes, qui nunc in illa ſuperſunt, com-

communem Patrem agnoſcant, Othonem, qui Deceſſit A. C. 1409. à majori ejus filio Bernardo *Braunfelſina* linea orta eſt: quæ iterum in tres ramos, *Braunfelſinam*, *Hungenſem* & *Grieſſenſtenium*, ſubdivisa. Alter Othonis fil. *Lichenſem* & *Laubachiam* lineam ex ſe dedit: quarum illa denuo in *Lichenſem* & *Hohenſolmiam* diverſa abiit, in abnepotibus Joh. Com. qui Extinctus eſt A. C. 1457. Hic enim, præfato Othone genitus, ex Eliſabetha Catharina Crongbergia, Cunonem genuit, Denatum A. C. 1477. Cujus ex Walpurgi Rhingravia fil. Phil. (qui Obiit A. C. 1514.) Adrianæ Hanovicæ maritus & Reinhardi pater fuit: quo (Deceſſit is A. C. 1562.) & Mariâ Seynenſi geniti Erneſtus & Hermannus Adolphus, ille Lichenſem lineam continuavit, iſte *Hohenſolmenſem* orſus eſt, & ſuſcepto Philippo Reinhardo ex Anna Sophia Mansfeldia (filia Joh. Com.) Obiit A. C. 1601. Philippus is Reinhardus, fato Functus A. C. 1635. reliquit ex Eliſabetha Wiedenſi (filia Joh. Comitis) Phil. Reinhardum (qui nat. A. C. 1625. Annam Amaliam agnatam ſibi junxit) Eleonoram Mariam (ux. Erneſti Landgr. Haſſiæ) & Johannam Sibyllam (nuptam Vilhelmo Com. Solmenſi; è quibus Philippus Reinhardus filios ſuſcepit, Joh. Henr Chriſtianum (qui Obiit A. C. 1668.) Ludovicum &c. *Comites Solmenſes* &c. *lineæ in Hohenſolms*. vide Phil. Jac Spener. *Part. II. p.* 46. & *Part. III. p.* 86.

HOHENWALDECCIA, Germ. *Hohen-Waldek*, nomen dynaſtiæ, Comitatûs jam titulo ornatæ, quam Viro de *Maxetrain* Margaretha hæres & filia Wolfgangi, attulit. Et quidem Comitiis Ratisbonenſibus A. C. 1654. ſubſcripſit *Vilhelmus Com. de Hohenwaldek, Dn. de Maxetrain, Supremus Venator Bavariæ*. Inſignia Comitatûs hujus, *avis in argento expanſa coronata, cum ſuppoſita decuſſi ſeu lignis indecuſſim diſpoſitis miniatis*. An phœnicem dicemus eſſe, rogo incubantem. Apex triplici colli nigro inſiſtens urogallus, ut Sibmacherus vocat, auro coronatus. Gentis originem refert Celeb. Bucelinus ad quendam anom. Dn. in *Waldek*, *Waldenburg* & *Schliers* qui vixerit ſec. VIII. pater, inter alios Odoacri, Schlierenſis Monaſterii, cum fratibus conditoris. Inde patrem, filium & nepotem, Sigiſmundum, Emericum, Sigiſmundum jun. allegat ex haſtiludiis Rotenburgiis, A. C. 942. Conſtantienſibus A. C. 948. Brunſvicenſibus A. C. 996. Juſtam dein ſeriem de novo orditur, ab Othone cogn. *Seniore*, cujus abnepos fuit Wolfgangus præfatus. Vide eum *German. Tom. IV. p.* 307. & Phil. Jac. Spener. *Artis Herald. Parte Speciali l. II. c.* 53. §. 4. & 5.

HOHENZOLLERIA Familia, vide infrà in *Zolleria*.

HOJUM, olim vicus, nunc civ. in Epiſcopatu Leodienſi, appellationem habens à torrente quodam impetuoſo, ibidem in Moſam influente; olim famoſa, ampla potenſque, authoribus nonnullis *Benefacta* appellabatur. Joh. Matal. Metell. Vulgò *Hui*, ad dextram ripam Moſæ flum. Incenſa eſt à Balduino Comite Flandrenſi A. C. 1053. Sigibertus *in Chron.* Capta à Gallis, bello hoc, A. C. 1693.

HOKEDAY, Vide *Hocday*.

HOLA, Prov. Rom. urbs Thulæ inſ. in Oceano Caledonio, Epiſcopal. ſub Archiep. Lundenſi, cum tota inſ. noſtrâ tempeſtate Regi Daniæ parens, cùm priùs Norvegiæ ſubeſſet, Ferrar. Baudr. *Halar* incolis, urbs eſt Epiſcopal. Islandiæ inſ. in parte Bor. inſ. & in ora litorali, prope ſinum *Skagafiord* dictum. Subeſt dominio Regis Daniæ tanquam Regi Norvegiæ; eſtque parvi circuitus.

HOLACHIUS, vulgò HOHENLOE, ſeu etiam HOLACH, tractus Germaniæ, in Suevia regione. Dicitur Comitatus Holachienſis, eſtque in Othonia ſylva, inter Franconiam propriam & Ducatum Wirtembergenſem ſub proprio Comite. Ibi *Oringen* opp. primarium. Vide *Hohenloë*.

HOLBENIUS Joh. celeberrimus Germ. alter Apelles, civis Baſilienſis. Patre ſimiliter pictore genitus circa A. C. 1495. tantos brevi in arte ſua fecit progreſſus, ut cum peritiſſimo quoque facilè contenderet, cælaturâ inſuper, fuſoriâ, plaſticâ, & architectonicâ excellens. Nihilominus cum ſumma egeſtate conflictatus, Eraſmi & Amerbachii JC. liberalitatem expertus eſt. Poſt, cùm Arundelius Comes Anglus, legationis nomine Baſileâ tranſiens, tabulas quaſdam ab eo pictas fortè conſpexiſſet, viri induſtriam miratus, ut in Angliam ſe conferret, monuit. Quod conſilium nonniſi diu pòſt ſecutus, ab Eraſmo Thomæ Moro literis commendatus, dum Argentorato tranſit, præſtantiſſimo urbis ejus pictori, muſcâ in fronte imaginis illo abſente coloribus expreſſâ, impoſuit. In Angliam delatus, latuit per biennium integrum apud Morum, cui Comitis Angli ſemel tantùm per viſum viſi, à quo olim in Angliam invitatus fuerat, imaginem penicillo tam feliciter figuravit, ut Morus aliique exinde hominem è veſtigio cognoſcerent. Exornatâ per hoc biennium exquiſitiſſimis picturis Mori domo, Henrico VIII. ab hoc ad convivium invitato, innotuit, à quo tempore in aula vixit: Regi adeò gratus, ut Comiti cuidam, quem ad ſe, præter mandatum Regis, venientem Holbenius per ſcalas præcipitem dederat, graviter de injuria conquerenti, reſponderit: *E ſeptem ruſticis faciliùs ſeptem Comites, quam è tot Comitibus unum Holbenium finxero.* Poſt triennii in Anglia moram, Baſileam rediit, de re familiari diſpoſiturus; inde reverſus in Angliam, Obiit peſte correptus Londini A. C. 1554. Inter imagines ab eo pictas, quarum Indicem habes (cum vita Holbenii, in noviſſima editione Moriæ Eraſmianæ, cum Comm. Liſtrii & figuris Holbenii, è codice Academiæ Baſil. A. C. 1676. Baſileæ procurata:) quæque non omnium admirationem ſolùm, ſed venationem quoque religioſam, apud plurimos Latinæ Communionis, quorum templa imagines ſacræ ab ipſo delineatæ multis in locis exornant, ſibi conciliârunt, excellunt, *Cœna in linteo picta ligno agglutinata* in Bibl. Baſil. *Effigies Caroli V. Imp.* in ædibus Buckingamii: *Effigies Eraſmi & Frobenii*, in Cimeliarchio regio Londini; *Effigies Joh. Mori, Cancellarii patris*, in theſauro Cæſareo Vindobonæ: *Imago Holbenii propriâ manu depicta*, in Pinacotheca Regis Gall. &c. Cæterum & illud in hoc viro ſingulare, quòd lævâ manu, quod in ſolo Turpilio equite Rom. obſervabat olim Plin. pinxerit: à Friderico Zuccario, pictore non incelebri Raphaeli Urbino æquiparatus, à Goltzio eidem prælatus. Vide vitam ejus, de qua ſuprà. In hunc Sequenti Amicus epigrammate luſit:

Principe Pictorum, magno qui gratus Eraſmo,
Immenſum crevit laus, Baſilea, tibi.
Diviſus noſtro mox te abſtulit orbe Britannus,
Holbeni, *orbe uno laus tua ſtare nequit.*

HOLCOTUS Robertus vide *Robertus*.

HOLDES, in *LL.* Æthelſtani *de Wergildis*, Henr. Spelmann. ſunt militiæ Præfecti; C. du Freſne civitatum & provinciarum cuſtodes, quales apud Francos, *in Gloſſ.*

HOLDA, vel HULDAH, nomen viri. 1. Paral. *c.* 27. *v.* 15. Item Prophetis, uxor Sellum. 2. Reg. *c.* 22. *v.* 14.

HOLEADES, pop. intra Iberum fluv. *Steph.*

HOLLANDIA, Comitatus Galliæ Belgicæ, dicta quaſi *Holtlandia*, terra lignoſa, ut quidam volunt: alii verò exiſtimant eam dici Hollandiam, quaſi terram cavernoſam: alii à fœno Hollandiam, quaſi *Hoylandiam* nominatam arbitrantur: ſed alii aliam etymologiam afferunt, dicentes Hollandiam Gothicæ & Danicæ gentis coloniam fuiſſe, ut & Zelandiam, Danoſque & Normannos deſertis in Codano ſinu inſulis Olandiæ Zelandiæque, in hæc loca migraſſe, & à ſua patria Hollandiam Zelandiamque nominaſſe. Olim dicebatur *Batavia*, à Batavo vel Battone, ut quidam dicunt, Regis Cattorum fil. Merc. Hugoni Grotio olim nobiliſſima fuit Batavorum inſ. Germanis Galliſque media, poſita ad ducendum tranſmittendumque bellum opportuniſſima. Nomen habitatoribus & origo à Cattis. Romanâ ſocietate, extra dilectus, cætera ſui juris egêre; equitandi, nandi peritiâ, fide virtute auxiliarium honoratiſſimi: nec minùs clari eo bello, quo ſub initia Veſpaſiani, Civili Duce, Gallias ad libertatem excitârunt. Poſt quæ tempora modò Franci, modò Saxones, tandem & Angli his partibus ſedêre. Sunt qui & Slavos & Varnos adjiciant. Eam Inſ. Rhenus in Vahalim & ſui nominis alveum diſtinctus amplectitur. Hodie principium agri Batavi vet. in parte nomen retinens Geldriæ accenſetur. Vicina huic Tranſiſalania, infra Geldriam, quâ Velavia dicitur Trajectum eſt. Inde jam *Hollandia* frequentiſſimè urbibus & vicis habitatur, duobuſque angulis in Vahalim & ſinum maris excurrens, ſenſim aquis utrinque recedentibus, diffuſum litus Oceano objicit: cujus Septentrionalia, pars olim Friſiorum, partim armis, partim pactionibus Hollandiæ adjecta *Weſtfriſia* dicuntur. Ager omnis multis amnium brachiis lacubuſque & foſſis manu ductis interſciſſus, paſcuis quàm ſegete felicior: piſcaturam & navigationem amnes & mare nulli gentium largiùs præſtant. Huic Zelandia contigua, Utriuſque inſeſſores olim Danos de ſuis vocabula indidiſſe; quibuſdam conjectura eſt. Sed vetera monumenta evolventi patebit, hoc commune cunctis inſulis eſſe nomen, illud proprium olim regioni haud magnæ, Lugduno non procul, ſilvis horridæ; nam id nomen ſonat. Id certum eſt, ex Sept. populos, cùm ſæpe incendiis, ſedibus, & rapinis graſſarentur, cauſam dediſſe in commune conſulendi, legendique aut accipiendi Principes *Comitum* vocabulo, qui Francorum primò, pòſt Impp. Germaniæ Majeſtatem ita obſervârunt, ut legibus non ſubderentur. Quæ prima illis domus fuerit, ut ferè antiqua, incertum. Vulgo recepta opinio, ex Aquitania miſſos, ſed indigenas fuiſſe, qui multo arctiùs quondam eo in loco, unde *Hollandia* fluxerat nomen, imperantes, paulatim creverint, argumentis non caret. Horum primum Theodoricus, à Carolo Calvo Comitis titulo ornatus Normanniſque oppoſitus legitur, circa A. C. 863. è cujus ſucceſſoribus Vilhelmus Imp. ſalutatus eſt A. C. 1248. Per muliebres dein ſucceſſiones ad Hænovios, poſt mortem Joh. Comitis A. C. 1299. Bojoaros, Margarethâ Ludovico Bavaro Imp. nuptâ A. C. 1324. Burgundiones, (Philippo Bono neptis ſuæ Jacobæ quæ Hannoniam, Hollandiam, Zelandiam & Dominium Groninganum tenuerat, hæreditatem adeunte ſec. 15.) Auſtriacos tandem deſcenſum eſt; quorum è genere Philippus II. Rex ordine triceſimus primus fuit: quo privilegia Ordinum convellere & intolerabili rigore Inquiſitionem obtrudere contendente, poſt ultimæ patientiæ experimenta, jugo excuſſo, in priſtinam libertatem Hollandia rediit, ſec. præt. Eam à plaga mundi occidua Britannicum mare, à Sept. Cimbricum ambit & litora pulſat: ab Ortu Solis fretum amplum Friſiam procul aperit: ad Euronotum Tranſiſalana & Velavia, ad Auſtr. Trajectina ditio obtenduntur. Ambitus ejus ad 60. milliaria extenditur, latitudo perexigua eſt. Merc. Ab inundante Oceano unà cum Zelandia, Flandria, & maximè Friſia, ingentia pertulit damna, A. C. 1176. Seditione ruſticanâ, poſt mortem Vilhelmi Imp. A. C. 1256. Factionibus Aſellatâ & Hamata, quas Margaretha excitavit A. C. 1350. per Annos 200. bello Hiſpanico præt. ſec. & præſenti Gallico inſigniter exercita. Vide Matth. Voſs. Douzam, Hugon. Grot. *in Ann. Belg.* Meteran. Strad. Heiſd. &c. Item ſuprà in voce *Belgæ*, & *Belgium*, Baudr. *Hollandia* vulgò *la Hollande*, Hiſpanis & Italis *Olanda*, una ex ſeptendecim Provinciis Germ. inf. cum titulo Comitatus, ſub Dominio Statuum Provinciarum unitarum Belgii, qui ab ea perſæpe dicuntur Status Hollandiæ, *les Eſtats d'Hollande*: Provincia eſt ampla, mirè rigua, & fertilis. Clauditur ab Occid. mari Germanico, uti à Sept. mari Auſtrino, quod habet ad Or. ac Dominium Ultrajectinum, & ad Mer. Zelandiam & Brabantiam ex parte. Dividitur Hollandia in plures partes, quæ peculiaria nomina ſortiuntur, ut Kennemariam, Waterlandiam, Amſtelandiam, Goe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

landiam, Vornanas inſulas Schielandiam, Delflandiam, quæ & Maſelandia, Rhenolandiam ac ſimiles. Sed maximè communis & alicujus uſus diviſio eſt in Auſtralem Hollandiam, *Sud-Hollande*, ubi aliàs Batavi populi, & in Septentrionalem, *Nort-Hollande*, quæ & Weſtfriſia dicitur. Eam pluribus deſcripſit Ludovic. Guicciardin. Adde huic, ut & Auctoribus ſuprà laudatis Adr. Jun. Barland. Parival. *delic. de Hollande*, Bentivol. Cardin. qui inter alia, ſolam Hollandiam, imò unicam ejus urbem Amſtelodamum, plus navium, quàm totam reliquam Europam poſſidere refert, Cluv. Magin. Morer. qui aërem gravem, ſolum inſtabile, & uliginoſum, ſtupendas moles Oceani inſultibus objectas, aliaque addit, &c. Joſeph. Scalig. ſic *de Hollandia* ad Douſam:

Ignorata tuæ referam miracula terræ
Douſa, peregrinis non habitura fidem.
Omnia lanicium hîc laſſat textrina Minervæ,
Lanigeros tamen hinc ſcimus abeſſe greges.
Non capiunt operas fabriles oppida veſtra,
Nulla fabris tamen hæc ligna miniſtrat humus.
Horrea triticea rumpunt hîc frugis acervi,
Paſcuus hîc tamen eſt, non Cerealis, ager.
Hîc numeroſa meri ſtipantur dolia cellis,
Quæ vineta colat, nulla putator habet.
Hîc nulla, aut certè ſeges, eſt rariſſima lini:
Linifici tamen eſt copia major ubi?
Hîc mediis habitamus aquis, quis credere poſſit?
Et tamen hîc nullæ, Douſa, bibuntur aquæ.

Ab Hollandiæ prov. Belgium unitum, vulgô dicitur *la Hollande* apud exteros: Et ſub Hollandia, ſeu, & meliùs, ſub Belgio unito, ſunt etiam Comitatus Zelandiæ, *la Zelande*, Comitatus Zutphaniæ, *le Comté de Zutphen*, Dominium Ultrajecti, *la Seigneurie d'Utrecht*, Tranſiſalania, *l'Over-Iſſel*, Friſia Occidentalis, *la Friſe*, Dominium Groningæ, *la Seigneurie de Groningue*, & Geldria inferior, *la baſſe Gueldre*, uti etiam pars Borealis Brabantiæ Ducatûs, minuta pars Flandriæ, Trajectum ad Moſam, *Maeſtricht*, aliquot loca Ducatus Limburgi & Cliviæ, Rhenoberga, *Rhinberg*, in ditione Colonienſi, & Embda, *Embden*, in Friſia Or. Hollandorum etiam ſeu Statuum Belgii uniti dominio ſubſunt in Africa Mina & aliquot fortalitia in ora Guineæ regionis & Nigritarum; in America Sept. novum Belgium, *le nouveau Païs-Bas*, & aliquot inſulæ Antillæ, uti & Curaſoa in ora Venezuelæ; in Aſia autem eis ſubſunt Malaca, *Malaca*, in India extra Gangem, Batavia, *Batavia*, in Java inſ. inſulæ Moluccæ propriæ in mari Indico pro majori parte, uti inſulæ Amboina & Banda in eodem tractu, aliquot arces in ora ſinus Bengalæ, Columbum, *Colombo*, arx Taprobanæ inſ. & Cocinum, *Cochin*, Cananora, *Cananor*, & aliquot portus in ora Indiæ intra Gangem.

Urbes Hollandiæ præcipuæ.

Alcmaria *Alcmaar*.	Haga Comitis, *s'Graavenhaage*, ſeu *la Haye*.
Amſtelodamum, *Amſterdam*.	Harlemum, *Haarlem*.
Briela, *Briel*.	Horna, *Hoorn*.
Delphi, *Delft*.	Lugdunum Batavorum, *Leyden*.
Dorderacum, *Dordrecht*, ſeu *Dort*.	Medemelaca, *Medemblik*.
Enchuſa, *Enchuyſen*.	Purmerenda, *Purmerent*.
Gertrudenberga, *Geertruydenberg*.	Roterodamum, *Rotterdam*.
Gorichemum, *Gornichem* ſeu *Gorkom*.	Schoonhovia, *Schoonhoven*.
Gouda, *Goude*.	Scidamum, *Schiedam*, &c.

Ex his cùm ſex olim eſſent, quæ unà cum Nobilitate de rebus pleriſque conſulerent, Dordracum, Harlemum, Delphi, Lugdunum, Amſtelodamum & Gouda, Gulielmus Arauſionenſis Princeps, Belgicæ libertatis Vindex minores aduſque duodecim admiſit, quarum nomina & ordo: in Auſtrina parte Roterodamum, Gorichemum, Scidamum, Schoonhovia, & in inſ. Moſæ Brila: ad Sept. Alcmaria, Horna, Enchuſa, ibidemque in aquoſo receſſu, qui *Waterlandia* dicitur, Edamum & Monachodamum, nec longè Medemelaca, & Purmerenda, A. C. 1572. Grotius. Exiguus enim hic terræ angulus, qui 60. leuc. in ambitu continens ſex horarum ſpatio totus peragrari poteſt, ultra 400. pagos, 29. urbes muris cinctas complectitur, & Comopolim Hagam Comitis, in qua 2000. ædium, quamque cum Cteſiphonte ad Tigrim fluv. ubi Parthorum Reges hyemare ſoliti, jure comparaveris, *Becmann.*

HOLLANDIA NOVA, vulgò NOUVELLE HOLLANDE, regio Americæ Sept. ab Hollandis antea inhabitata & culta. Vide *Nova Hollandia.*

HOLLANDIA NOVA, vulgò NIEW HOLLAND Belgis, NOUVELLE HOLLANDE Gallis, regio perampla terræ Auſtralis, recèns detecta ab Hollandis, nempe A. C. 1644. & ab ipſis nomen ſortita. Sedet ad Auſt. novæ Guineæ & inſularum Moluccarum, in Occeano Indico. Sed vix detecta eſt versùs oram litoralem. Ejus partes ſunt terra Concordiæ & terra Petri Nuitii in parte Occid. illius regionis.

HOLLERIUS Jacobus, Stampenſes, Philoſophus & Medicus inſignis, non tam arte, quàm conſortii ac alloquii dulcedine, ægros, etiam deſperatos, ſanare ſolitus. Lutetiæ diu, ſumma cum gloria, in hac functione verſatus. Obiit A. C. 1565. auctor plurium ſcriptorum, de quibus vide *Elogia* Sammarth. & Anton. Teiſſier P. 1. ac pater filii cognominis eruditione itidem ac muneribus variis cum gloria obitis, inclyti. *Ibid.* vide quoque aliquid infrà, *Johannes Hollerius.*

HOLMETIA, vulgò LE PAYS DU HOULME', aut LE HOULME, regio Galliæ in Normania, ad fluv. Olinam, Damfrontem uſque olim pertinens, in quo majores vicos, quales burgos vocant, Ferrariam, Brioſam, Ranam, Quadrugias *Carouges*, Firmitatem *la Ferté Maßé*, numerant Vaſſoris tabulæ, apud Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Eſt & *Holmus*, caſtellum in Comit. Conſtantienſi Galliæ, cujus mentio à Richardo Duce Nortmann. III. in donatione propter nuptias Adelæ facta eſt, A. C. 1026. Vide Eundem.

HOLMI, Xenoph. Strab. *l.* 14. *p.* 663. *Olmi* Plin. *l.* 5. *c.* 26. urbs Ciliciæ aſperæ, quæ & *Seleucia*; quò Holmienſes tranſlati ſunt, teſte Strab. qui ab Antiochia Piſidiæ 115. mill. paſſ. in Ort. diſtabant. Ferrar. Baudr. *Holmi*, ſeu *Seleucia Hormia*, urbs fuit parva Ciliciæ aſperæ, in ora maris Cilicii, & ad oſtia Calycadni fluv. diſtabatque 20. mill. à Corycio in Occaſ.

HOLMIA, Sax. Gram. *Stockolm*, ſeu *Stockholm*, urbs Scandinaviæ, regia Sueciæ, intra ſtagna (ut Venetiæ in Italia) exſtructa, cum arce firmiſſima. Ferrar. Baudr. *Stockholm* urbs eſt ampla, & caput regni Sueciæ, in Uplandia prov. ad fauces lacus Meleri, in conf. Sudermanniæ, cum arce & palatio planè regio. Sed non eſt intra ſtagna, ut Venetiæ. Cincta undique rupibus, montibus & lacubus, Morer. Urbi hanc fuiſſe originem perhibent Scriptores: Cùm antiquiſſimi regionis incolæ metropolim ſuam incendio amiſiſſent, novam condituri, decrevêrunt Fortunæ arbitrio rem concredere: Itaque conjecto in mare baculo, auſpicium ejus ſecuti, in loco, quo ille terræ appropinquavit, urbem ſtatuêre. Diviſa illa in quatuor partes, *Sud malm*, & *Nord malm* ſuburbia, in quorum medio urbs in inſ. ſita eſt, & *Garceland*, ingens admodum eſt & tutiſſimum habet portum. Regum tumuli in templo *Cloſter-kirch*, ubi olim Franciſcanorum Monaſt. viſuntur, inter quos inprimis ſpectari meretur Guſtavi Adolphi monumentum. Fruſtra obſeſſa eſt à Chriſtierno Daniæ Rege A. C. 1518. Ibi dein Guſtavus I. Biblia ſacra Suecico ſermone primus typis exprimi curavit, circa A. C. 1530. Ibidem, in Comitiis, regnum Sigiſmundo abrogàtum eſt A. C. 1608. Diſtat 8. leucis Suecicis ab Upſalia in Auſtr. & 5. ab ora maris Baltici in Occaſ. Porrò 80. milliaribus Germanicis diſtat à Gedano in Bor. & à Ruthenis Stecolna dicitur. Vide Sax. Gramm. *Payen.* &c.

HOLMIUM, urbs Bœotiæ. Ejus meminit Heſiod. *initio Theogoniæ*, ſed ut fluvii, non civitatis, *v.* 6.

Ἠ' Ἱπποκρήνης, ἢ Ὀλμειοῦ ζαθέοιο.
Aut in Hippocrene, aut in Olmio *ſacro.*

Strab. *l.* 9. *p.* 407. author eſt. *Permeſſum autem & Holmium, ſeu fontes, ſeu fluviolos ex Helicone ortos, & ſtatim confluentes in Copaidem lacum prope Haliartum incidere. Holmium* autem dici volunt ἀπὸ Ὀλμέως τοῦ Σισύφου παιδός. Bochart. autem deducit ex Phœnicio חול מיא *hol maja*, quaſi *dulcem aquam* dixeris. quippe tam חול *hul*, quàm חלי *hali* Syris eſt *dulceſcere.* Stat. *Theb. l.* 7. *v.* 284.

—— *Tuque o Permeſſe canoris*
Et felix Olmie *vadis.*

Nic. Lloyd.

HOLMUS, vulgò OUMOY, vicus Galliæ, aliquot paſſuum millibus ab Olina fluv. diſtans, unde *Holmetia* regio, vel potiùs *Ulmetiæ Olmetiaque* nomen accepit, niſi fortè ab Olina vel Olna fluv. circa cujus ripas jacet, dictam velis: Aliàs quoque *Ulmetum* vel *Olmetum.* Vide Hadr. Valeſ. in voce *Guntheri Caſtellum*, Item in *Holmetia.* Aliàs *Holmus* ſeu *Hulmus*, Anglis & Danis, *Holm* vel *Holme*, Germanis, clivus, monticulus, collis eſt. Lelandus *Comm. in Cygn. Cantion. Holm eminentis loci, interdum &* [illegible] *aquis circumſepti, verticem aut eminentiam exprimit.* Addunt Camden. in *Inſulis Britann.* & Henr. Spelmann. ſic interdum dici depreſſiores & herbidas planites, plurimis rivulis & aquarum divortiis circumfuſas. Adjungitur vox nominibus Urbium Inſularumque non paucis, *Bornholm*, *Stockholm* &c.

HOLO, Hiſpaniæ urbs. Liv. *l.* 35. *c.* 22.

HOLOCAUSTUM, Græcè ὁλόκαυστον, dicebatur ſacrificium, quod totum igne conſumebatur; quale fuit Sacrificium *juge*, Hebr. תמיד, Græcis ἐνδελεχισμὸς, de quo infrà: ut & alia nonnulla, de quibus poſtea. Ejus duo nomina, apud Hebræos, כליל & עולה, quæ juncta ſignificant, *id totum in fumum ſurſum aſcendere.* Unum enim ab *integritate*, alterum ab *aſcenſione* ſumptum. Factum autem id, ut offerens hoc pacto ſe ſuaque omnia Deo debere profiteretur. Et quidem, ut de victimarum præcipua dicam, ſicut *Holocauſtum* ſacrificiorum præcipuum erat, ad *Holocauſtum* bos mas & integer ſelectus, ad oſtium Tabernaculi conventus adducebatur & ab offerente manus capiti ejus imponebantur. Tum Levita illum jugulabat. Et, poſtquam alius ſanguinem vaſe exceptum altari inſperſerat, hoſtiam excoriatam idem Levita in fruſta concidebat, quæ igni impoſita Sacerdos adolebat, in holocauſtum grati odoris Domino, Lev. *c.* 1. *v.* 1. & *ſeqq.* Nempe ſine pelle, hæc enim Sacerdoti cedebat, *Ibid.* Cùm in Sacrificiis pro peccato juvenci pellis cremaretur unà cum carne, ſed extra caſtra, ſolus adeps, renes & lobus jecoris in Altari adolerentur, Exod. *c.* 29. *v.* 14 Vide ubi de ritu *Excoriandi victimas.* Affundebatur porrò libamen *Holocauſtis* ex vino, uti & ſacrificio votivo, & ſpontaneæ oblationis, & in feſtis, quibus & munus dapale adjungebatur, Idem *c.* 29. *v.* 40. Altare iis deſtinatum æneum fuit, *Altare Holocauſtorum* inde dictum, in quo dum victima ardebat, Levitæ Muſico concentu Deum celebrabant, utque propitius ſacrificium acciperet, precabantur: conſumptæ tandem cinereâ æratâ medio Altaris ſpatiò laminâ, foraminibus plenâ, egerebantur: Ut pluribus videre eſt Lev. *c. d.* ubi de triplici *Holocauſtorum* genere, *bove*, *ove* aut *capra*, & *volucri*, Legiſlator voluntatem

luntatem ſuam populo aperuit. Offerebantur verò in *Holocauſtum* ſingulis diebus agni duo, ut dictum, qui numerus die Sabbathi duplicabatur. Neomeniis dein juvenci duo, aries unus & agni ſeptem, Num. *c.* 28. *v.* 11. Quod itidem factum feſto Paſchatis per ſingulos dies, *v.* 19. & die Pentecoſtes, *v.* 27. *Die tabarum juvencus unus, aries unus, ſeptem agni & hircus unus*, Idem. *c.* 29. *v.* 25. quod idem præſtitum die propitiationum, *v.* 8. & 11. Eodem die Sacerdos in Sacrarium ingreſſurus, uti juvencum pro peccato, ſic arietem in *Holocauſtum*, offerebat, & hircum unum, Lev. *c.* 16. *v.* 5. Diebus tandem ſeptem Tabernaculorum ſeptuaginta boves offerebantur &c. ut videre eſt Num. *c.* 29. *v.* 13. Sed & Levitæ, antequam ad munus ſacrum admitterentur, juvencum unum pro peccato, alterum *in Holocauſtum* offerebant, Idem *c.* 8. *v.* 8. & 12. ut de Principibus XII. tribuum Iſraëlis, poſt actum cenſum, Deo ſacrificantibus, Idem *c.* 7. nil addam: nil quoque de votivis & extraordinariis ſacrificiis, in conſecratione Altaris, dedicatione Templi, aliiſque occaſionibus, oblatis, de quibus omnibus vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. L.* 11. *c.* 33. Æmulati Iſraëlitas & hîc pro cacozelia ſua Gentiles, *Holocauſta* Diis ſuis paſſim etiam obtuliſſe leguntur, vide de Cyro & Perſis Xenoph. *Cyrop. l.* 8. de Euclide Phliaſio vate *l. præc.* de Gallis Strab. *l.* 4. de Smyrnæis, Plutarch. *Sympoſ. l.* 2. *Problem.* 8. de aliis alios. Imò primitus omnium hoſtiarum tota & illibata viſcera igne conſumebant, donec Prometheus partem hoſtiæ in ignem conjicere, partem ad ſuum victum abuti, ſui ævi homines docuit, uti videbimus infrà, in voce *Proſiciæ*. Magi verò, qui Numen immolatæ hoſtiæ animâ contentum eſſe credebant, nihil omnino proſecabant; multo minus *holocauſtum* faciebant unquam &c Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 128. & 129.

HOLOCHRYSUS, vide ſuprà *Elichryſus.* Plin. *l.* 21. *c.* 8.

HOLOCRON, Macedoniæ mons. Plutarch. in *Æmilio.*

HOLOFERNES, Princeps militiæ Regis Nabuchodonoſor, Judith. *c.* 2. *v.* 4. &c. Vide Frid. Spanhem. *de auct. libror. Apocryphor.*

HOLON, quæ de tribu Judæ, vel Simeonis data fuit Levitis. Joſ. *c.* 15. *v.* 51. *c.* 21. *v.* 15. quæ & *Helon.* dicitur.

HOLOPYXOS, Cretæ urbs. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

HOLOSERICA Veſtis, primo Romanorum Heliogabalo in uſu fuit. Unde Spartian. de illo ait, *Primum Rom. ſericam veſtem*, i.e. holoſericam, *cùm antea ſubſerica in uſu eſſet*, in qua ſtamen ex lino, ſubtemen ſericum erat, *induiſſe*. De eadem Vopiſc. *in Aurel. Veſtem* holoſericam *neque ipſe in veſtiario habuit, neque alteri utendam dedit. Et cum ab eo uxor ſua peteret, ut unico palliò blatteo ſerico uteretur, ille reſpondit: Abſit ut auro fila penſentur. Libra enim auri tunc libra ſerici fuit.* Jam Cæſarem tamen Dio *l.* 43. ludis theatrum velis ſericis texiſſe ſive *Holoſericis* ſcribit, cùm ait: Τοῦτο δὲ ὕφασμα χλιδῆς βαρβάρου ἐστὶν ἔργον, καὶ παρ' ἐκείνων καὶ ἐς ἡμᾶς ἐς τρυφὴν τῶν πάνυ γυναικῶν περιττὴν ἐπιπεφοίτηκεν, Sericum quo Theatrum Cæſar velavit, fuit *textura barbaricæ luxuriæ, ad ſupervacuum luxum Romanarum mulierum advecta.* Idem poſtea *l.* 59. de Caligula, καὶ ἐπ' αὐτῷ, inquit, χλαμύδα σηρικὴν ἁλουργῆ ἐπενέδυ, *I. ſuper ipſam, Chlamydem ſericam purpurei coloris induit.* Et paulo *infrà*, Ἄλλως τε δὴ ἔν τε τῇ σηρικῇ καὶ ἐν τῇ νικητηρίᾳ σκευῇ τὰ πλείω ἐδημοσίευεν, *Ut plurimum in ſerico veſtitu, aut triumphali ornatu, in publico verſabatur* &c. Vide Octav. Ferrar. *de Re Veſt. l.* I. *c.* 20. Apud Græcos rarus ſerici uſus, Id. *Part. II. l.* 4. *c.* 11. Vide quoque *infrà.*

HOLOSPHYRATOS, ſtatuæ genus, apud Plin. *l.* 33. *c.* 4. *Aurea ſtatua prima omnium nullâ inanitate & antequam ex ære aliqua illa modo fieret, quam vocant* holoſphyraton, *in templo Anaitidis poſita dicitur.* Ex Græco ὅλος, *ſolidus*, & σφύριον, *malleolus*, fabrile inſtrumentum, quaſi ὁλοσφυρήλατον, *ſolidum, non conflatum, ſed malleo ductum.* Sic in Templo Hieroſolym. δοκὸν ὁλοσφυρήλατον χρυσῆν, trabem ſolidam ex auro, Craſſum dedicaſſe, ait Joſeph. in *Antiqq. Jud.* &c.

HOLOVERA Veſtis, Hadr. Turnebo *Adverſ. l.* 1. *c.* 13. birrus fuit totus ſericus & totus conchyliatus. Nec diſſentiunt Juris conſ. ad *Tit.* 8. *l.* 11. *Cod. de veſtibus Holoberis*, qui nil eas aliud eſſe contendunt, quàm togas ſericas, Zonaræ & Balſamonis interpretatione inducti. Et in eo quidem, quòd hæ veſtes totæ purpureæ eſſent, rectè cenſuit Turnebus: quòd vero totæ ſericæ, ſeu holoſericæ, falſam notationem oſtendit Salmaſ. *ad Trebell. Poll.* idque valido argumento: Nam ſi *Holovera* tota ex ſerico texta veſtimenta fuiſſent, nullum inter ea ac holoſerica diſcrimen fuiſſet: Cùm tamen promiſcuus eo tempore uſus eſſet holoſericæ veſtis, ſolis *Holoveris* privatis interdictum, quæ Principi ejuſque domui dedicabantur. Origo vocis Græca eſt; contracta enim, mox & corrupta videtur ex Ὁλοπόρφυρος, i.e. tota purpurea. Quia verè talia erant, quorum utraque pars texturæ, ſtamen ſcilicet & trama, purpurâ tincta eſſet. Ut minùs placeat, Viri magni modò laudati notatio, qui hæc veſtimenta ſic dicta contendit, voce hybridâ, ſive Græco-Latinâ, quaſi *Tota vera*, i.e. ex *vero* colore, quòd nempe purpureum colorem, per quandam excellentiam, *verum* appellabant: Unde *Chlamydes veri luminis* Trebellio, & Græci ἀληθινὸν χρῶμα de purpura dixêre. Octav. Ferrar. *de Re Veſt. l.* 2. *c.* 10. Vide quoque Salmaſ. *ad Solin. p.* 899. ubi *Holoveri* libram quadruplo auro repenſam eſse notat.

HOLSATIA, Ducatus Daniæ, à nemoribus ſylviſque nomen habet, eſt enim ea regio ſylvis ſaltibuſque frequentiſſima, & *holt* Cimbris ac Germanis inferioribus lignum ſignificat. Nec deſunt, qui à *Cavo lapide* nomen regioni vindicent, quod Duces Holſatiæ, Comites à *Cavo lapide* dicti prius ſint. Eſt autem hic tractus portio Cymbricæ Cherſoneſi, quæ continentis in Arctos extenſæ extrema pars eſt. Terminos habet ab Ortu Bilenam fluv. ab Occaſu Storam, ab Auſtro Albim, à Sept. verò Eidorum. Holſatia quòd per Albim à reliqua Germania verſus Mer. ſejungatur, *Nord. Albinga* in Hiſtoriis nuncupata, & in quatuor partes tributa fuit: quarum extrema *Teutomarſia* inter Albis & Eidori oſtia: Inde *Marſi*, à Stora flum. nomen habentes Stormariorum, ad inclytam urbem Hamburgum & Billenam ad Travum fluv. habitant: Supra hos *Holſatia vet.* ad Eidorum & Leveſoum uſque pertinet, cujus Chilonium metropolis eſt: Inde verſus Ort. *Wagria* Slavorum ſeu Henetorum ſedes vetuſta, uſque ad mare Balthicum & Travam porrigitur, & regionis amplitudine cæteris partibus antecellit Joh. Matal. Metell. Baudr. *Holſatiæ* Ducatus, *Holſtein* incolis, *Holſace* Gallis, *Holſatia* Hiſpanis & Italis, provincia eſt Germaniæ, in Saxonia inf. nuncque in Daniæ regno comprehenſa, cùm partim Regi Daniæ ſubjaceat, partim Duci Holſatiæ Sleſvicenſi. Terminatur à Sept. Ducatu Sleſvicenſi ſeu Jutia Merid. ab Occaſ. mari Germanico, ab Ortu mari Balthico & Ducatu Lavenburgenſi, à Mer. autem Ducatu Bremenſi & Ducatu Luneburgenſi, à quibus ſeparatur Albi fluvio. Dividitur autem in quatuor partes, nempe in Ditmarſiam, *Dithmarſen*, Holſatiam propriam, *Holſtein*, Stormariam *Stormaren*. & Wagriam *Wageren.* Ejus urbes præcipuæ ſunt Lubeca, *Lubeck*, & Hamburgum *Hambourg*, quæ Imperiales ſunt, ſeu liberæ, & Hanzeaticæ. Regi Daniæ ſubſunt Glucſtadium, Krempa, Brunsbutela, Meldorpium, Rensburgum, Pinneberga, cum toto Comitatu, Segeberga, & alia loca minoris notæ: Duci autem Holſatiæ Sleſvicenſi parent Chilonium, Lunda, Heyda, Oldenburgum, Bordesholmia, & alia oppidula. Origo Ducum ex familia *Oldenburgo-Danica*, in qua Theodoricus, cogn. *Fortunatus*, Comes Oldenburgicus, fil. Chriſtiani linearum reliquarum bona collegit: ex pacto etiam A. C. 1360. Com. Delmenhorſtanum ſibi adversùs Bremenſes aſſeruit, & ob uxorem Hedvigem filiam Gerhardi *Holſati* Ducis Sleſvici familiæ Schawenburgicæ, jus ſucceſſionis in Sleſvicenſem Principatum & Holſatiam liberis reliquit. Pater Chriſtiani & Gerhardi, quorum hic Oldenburgios continuavit, ille lineæ *Dano-Holſaticæ* auctor fuit. Hic, poſt mortem Chriſtophori Palatini, ad regnum vocatus, A. C. 1448. in Dania & Norvegia coronatus eſt: à Succis quoque Carolo Canuti ejecto, receptus. In ejus gratiam Holſatiam, cum Stormaria & Dithmarſia (cujus incolæ de hoc moniti, quòd Bremenſibus hactenus paruiſſent, ſe ſubmittere detrectârunt) conjunxit atque unum Ducatum effecit, Fridericus III. Imp. A. C. 1474. Obiit A. C. 1478. Academiæ Hafnienſis fundator. Ejus filii, Joh. lineam priorem Regiam, & Fridericus ſecundam orſi ſunt. Quorum hic, ob Holſatiæ iniquam diviſionem cum fratre diſſedit, Chriſtierno dein II. fratris filio pulſo primùm, dein cùm in regnum rediiſſet, capto, regnum adeptus eſt. Obiit A. C. 1533. libertatis Danicæ auctor. Eo geniti ſunt Chriſtianus III. *Regiæ Holſaticæ*, & Adolphus *Gottorpinæ Holſaticæ*, familiarum auctores. Chriſtiano III. qui Obiit A. C. 1558. ſucceſſit fil. Fridericus II. pater Chriſtiani IV. & Joh. qui Sonderburgicum ramum ſevit. Adolphus verò, non ſine ſanguine Diethmarſos domuit, pater ex Chriſtina Haſſiaca, inter alios Joh. Adolphi, qui Archiep. Bremenſis primùm, dein Ep. Lubecenſis, primus in ea dignitate maritus, Obiit A. C. 1616. & Friderici majoris natu, qui A. C. 1621. Fridericoſtadium ab Arminianis condi paſſus eſt, in vicennium libertate Religionis promiſſâ, quæ dein in aliud prorogata. Cæſarei dein belli turbis involutus, pacis causâ ad Tillium profectus, non aliud obtinuit, quàm ut promiſſo à Rege ſeceſſu tolerabilius ſuis eſſet. Itinere Perſico inprimis fama ejus increbuit, quod ſuaſore, Othone Bruckmanno, ſuis auſpiciis, ſuſcipi voluit, A. C. 1636. Cùm A. C. 1640. ultimus Sahawenburgiorum Extinctus eſſet, ei pars Binnebergici Comit. in Holſatia, quam A. C. 1460. Otho Comes pro jure ſuo in Holſatiam à Chriſtiano I. acceperat, obtigit. Obiit A. C. 1659. Pater Friderici, qui in Gallia: Joh. Georgii, qui in Italia Obiêrunt: Chriſtiani Alberti & Aug. Friderici. Habuit etiam fratrem Joh. Frideric. qui, cùm primus ex Holſatis paſsus eſset, ſibi perſuaderi, ut hæreditariam portionem, apennagio accepto, non exigeret, Ep. fuit Lubecenſis (cujus ab habitatione lineam Eutinenſem vocant) ſuſcepitque ex Julia Felicitate Wirtenbergica Joh. Aug. literis, quarum causâ Argentinæ, Lipſiæ & in Belgio commoratus eſt, egregiè imbutum, vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.* Cæterùm *Holſatos* & Vandalos Marchiones in concordiam reduxit Ericus VI. A. C. 1286. Ab iiſdem Valdemarus IV. Daniæ Rex, quòd duriùs illos tractâſset, oppugnatus eſt, circa A. C. 1360. Albertus dein Megapolitanus Sueciæ Rex, declaratus A. C. 1363. Hamburgum dejectâ ſtatuâ Rolandi, Carolo IV. Imp. approbante, iis adjudicavit. Flos *Holſaticæ* nobilitatis periit A. C. 1500. bello contra Diethmarſos, ſub Joh. Rege Cum Ducibus Holſatiæ de Ducatus Sleſwicenſis feudo tranſegit Frideric. II. A. C. 1566. Occupatam Holſatiam à Tillio Chriſtianus IV. recepturus, pacem facere coactus eſt, bello Germ. A. C. 1629. &c. Cluv. *Hiſt. Univerſ.* Læt. *Comp. Hiſt. Univ. &c.* Addo de Joh. Friderici II. patre qui Sondersburgici rami auctor eſt ſe duabus conjugibus Eliſabetha Brunſvico-Grubenhagia & Agnete Hedvige Anhaltina, numeroſam ſuſcepit prolem, filios inprimis complures; è quibus Chriſtianus (nat. A. C. 1570.) Arram inſ. habitavit improlis: Erneſtus (nat. A. C. 1572.) & Aug. (nat. A. C. 1574.) prœlio contra Turcas, ad Agriam, cecidêre A. C. 1596. Joh. Adolphus (nat. A. C. 1576.) ante fratrem Fridericum, Nordburgum inhabitavit, Def. A. C. 1624. alii etiam vitam clauſêre cælibes: quatuor exceptis, à quibus totidem lineæ, *Sonderburgica*, quam continuavit Alexander, nat. A. C. 1573. *Nordburgia*, quam Fridericus (nat. A. C. 1581.) inchoavit: *Glucksburgia* ſeu *Lucksburgia*, quæ Philippum (nat. A. C. 1584.) auctorem habet, & *Arnſpekia* ſeu *Plœnenſis*, cui originem dedit Joachimus Erneſtus (nat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

1595.) quas omnes vide *ſuis locis.* Quod verò *Schawenburgo-Holſaticam* Familiam attinet, deſcendit illa ab Adolpho Brunonis Ep. Mindenſis fratre, qui *Schawenburgicum* Comitatum à Conrado II. Imp. obtinuit, A. C. 1030. Ejus nepos à Lothario I. *Holſatiam* adeptus eſt. Poſtea ſec. decimo tertio in duos ramos ſtirps abiit, *Kielenſem* ſeu *Chilonienſem*, vel *Wagrium*, qui defecit in Adolpho, A.C. 1390. atque *Rensburgenſem*: qui iterum in *Rensburgenſem* & *Pinnebergenſem* ſeu *Schawenburgicum* ſubdiviſus eſt. Priori dignitas acceſſit Ducalis, cùm Gerhardo Sleſvicum concederetur, ſed in ejuſdem filio linea defecit. Poſterior rurſus in duas lineas abiit, quarum una in Erneſto, Principali axiomate inſignito, defecit, A. C. 1622. altera, & ſic tota familia, in Othone terminata eſt, A. C. 1640. Vide infrà ubi de Fam. *Schawenburgica.* Phil. Jac. Spener. *Theatr. Part. I. in Indic. & Part. II. p.* 16. Antiquiora ejus tempora quod attinet, Carolo Mag. Cæſare, *Holſatis*, Stormaris atque Ditmarſis Albion præfuit. Poſt hunc à Carolo Otho ſeu Udo rector impoſitus: Inde Saxonum Witikindeæ & poſtea per Annos 120. Billingianæ familiæ Principes habuêre; quorum auſpiciis Comites plerunque ejuſdem ſæpe cum iſtis proſapiæ, regioni moderati ſunt. Ex his Godefredus, à Magno, Billingianorum poſtremo, Holſatis Comes datus, Vandalorum, dum prædas in Stormaria agitantes incautiùs perſequitur, inſidiis circumventus, Adolphum, Adolphi I. Schauenburgii Com. nepotem pronepotemve, incertum, ſucceſſorem habuit, Lotharii ſponte præfectum, qui tum, poſt Billingianorum ſtirpem extinctam, Saxonum Ducem agebat. Cujus familiæ Principes variâ ſorte egêre, donec multis caſibus jactati, Oldenburgiis, Danici regni opibus ſuffultis, tandem concederent. Ex iis enim Adolphus III. ab Alberto Aſcanio exturbatus, juſſu Conradi III. Cæſ. amiſſa recepit, ope Lotharii Imp. viduæ & generi ejus Henrici Catuli Ducis Saxon. ob quos pulſus fuerat. Eadem Adolpho IV. rerum viciſſitudo, cui bis ereptam ab Henrico Leone terram, primùm Fridericus Imp. iterum Bernardus Saxo, & Otho Brandeburgicus, fratres Aſcanii, reſtituêrunt. Atrociùs adversùs Canutum Daniæ Regem hujuſque poſtea ſucceſſorem Woldemarum certamen fuit, multis Adolphi in iſtos injuriis contractum: quas hic primò certâ pecuniæ ſummâ, dein cùm offenſas iteraret, ditione multatus, eâ à victore recipiendæ libertatis lege impoſitâ captivo, ut ſimul cum poſſeſſione etiam repetendi animum ſolenni ſacramento datiſque obſidibus abdicaret. Sic provinciæ impoſitus eſt Albertus Orlamundanus Comes, eadem quâ Adolphus matre genitus, Regis nomine præeſſe juſſus. Sed Præfectorum auſteritate & Danorum ſuperbiâ irritati Holſati, ad domeſtica imperia reſpicere cœpêrunt. Quorum in Danos odio animadverſo, nobilis quædam matrona (*von Deeſt*) Adolphum Schawenburgi tum agentem adiit expoſitoque rerum ſtatu perpulit, ut filium natu minimum Adolphum in Holſatiam ducendum permitteret, popularibus oſtentandum, quando proviſis, quæ tempus moneret, certior proſperi exitus fiducia foret. Qui dum Kellingsdorfii apud feminam aliquandiu latet, Nobilium promptiſſimi Segebergæ Præfectum adorti eum obtruncant, auctique popularium affluxu, Patris præterea, atque Gerhardi Pontificis Brem. & Henricorum Suerini ac Werlæ Comitum, opibus, jugum excutiunt; quo pacto Adolphus non multo labore provinciam recuperavit: adeò mutatâ in contrarium fortunâ, ut Woldemarus, quem Henricus Suerini Com. egregio facinore jam duobus abhinc annis regia domo abreptum captivum abſtraxerat, ſupra 45000. marc. arg. etiam ejuratâ Holſatiâ libertatem redimere cogeretur. Qui cùm fidei immemor, totâ mole Regni, vim ultum iret, inſigni ad Bornhowedam ſtrage perjurium luit. Tantis verò caſibus ſuperſtitem Schawenburgicam gentem Oldenburgii Comites pervertere. Vide omnino Tob. Pfanner. *de præcipuis Germ. Princip. gentib. c.* 11. Duces præter *Holſatiam*, in titulis ſuis, *Hæredes Norvegiæ*, *Duces Sleſvici*, *Stormariæ*, *Ditmarſiæ*, *Comites Oldenburgi & Delmenhorſti*, cluent, de quibus omnibus vide *ſuis locis.*

Holſatiæ urbes.

Brunsbutela, *Brunsbüttel*, in Dithmarſia.
Chilonium, *Kiell*, in Holſatia propria.
Crempa, *Krempen*, in Stormaria.
Glucſtadium, *Gluckſtadt*, in Stormaria.
Hamburgum, *Hambourg*, in Stormaria.
Itzehoa, *Itzehoe*, in Holſatia propria.
Lubeca, *Lubeck* in Vagria.
Lunda, *Lunden*, in Dithmarſia.
Meldorpium, *Meldorp*, in Dithmarſia.
Oldenburgum, *Oldenburg*, in Vagria.
Oldeſloa. *Oldeſloe*, in Vagria.
Pinneberga, *Pinnenberg*, in Stormaria.
Plœna, *Ploen*, in Vagria.
Rensburgum, *Rensburg*, in Holſatia,

HOLII Procopius, vide *Procopius.*
HOLSTENIUS Lucas, vide *Lucas.*

HOMAGIUM, olim HOMINIUM, vox feudalis, deducta ab *Homo*, pro vaſallo, quaſi *Hominis agium*: Cliens enim profitetur, ſe Domini ſui *Hominem*, i.e. vaſallum *acturum.* Eſt autem ſolennius, arctius, & humilius ſervi genus, quod liber homo beneficii ratione domino ſuo præſtat: priſco Romano civi incognitum, ſed graſſantibus per Imperium Barbaris introductum, & feodali militi, quem *Hominem* vocant, impoſitum. Conditiones & duræ admodum ſervitutes alibi exponuntur, profeſſionis hîc formulam, quæ apud pleraſque gentes eadem fuit, hanc indicat Henr. Spelmann. Novus quiſque in feudum ſucceſſor, tenetur intra annum ſe domino ſiſtere, atque inermis, diſcinctus, nudus capite & provolutus in genua, ſupplicibus item manibus inter ſedentis domini manus comprehenſis, eum, velut adoraturus, hunc in modum alloquitur: *Devenio homo veſter ab hac die in poſterum, de vita, de membro, & de terreno honore, verus & fidelis vobis ero, & fidem vobis portabo, ob terras, quas à vobis teneo; ſalvâ fide Domino noſtro Regi & hæredibus ſuis.* His dictis dominus oſculum ei impingit, & vaſallus erectus jusjurandum fidelitatis præſtat. Manibus vaſalli inter manus domini concluſis, ſignificatur ex parte domini, *protectio & defenſio*: ex parte vaſalli, *reverentia & ſubjectio.* Bracton. *l.* 2. *c.* 35. *n.* 8. Fit *Homagium* ſemel tantùm ab eodem vaſallo, licèt domini ſæpius mutentur: ac nec per literas, nec per procuratorem, ſed in perſona tam ipſius domini, quàm vaſalli; loco & conventu celebrioribus: propriè in Aula dominica. Hinc Philippus Pulcher Francorum Rex omnino renuit ab Eduardi III. procuratore, *Homagium* ſuſcipere, pro Ducatu Aquitaniæ & Comit. Pontivo; unde Eduardus ipſe dein id implevit. A. C. 1328. De rigore tamen certis caſibus poſtea remiſſum. De Eccleſiaſticis ad *Homagium* aſtringendis magna olim lis, Urbanuſque in Conc. Rom. excommunicavit eos A. C. 1099. qui *pro Eccleſiaſticis honoribus laicorum homines fiunt*: & Ludovicus Craſſus Rex Francorum A. C. 1137. immunitatem Gaufrido Burdigalenſi Archiep. indulſit. Anglis verò incaluit diſputatio: *Homagium* enim fortius exegêrunt Gulielmus jun: & Henricus I. Tranſacta tandem res, & conceſſit Paſchalis II. ut *Rex Homagia de electis ſuſciperet, ſed nulla per baculum & annulum inveſtiret*, Vilhelm. Malmesbur. *de geſtis Pontif. l.* 2. Multo autem antiquius *Homagii* profecto ab Ep. in Epiſcoporum Synodo, ſcriptis porrecta reperitur, apud Aimoin. *l.* 5 *c.* 24. *ad A. C.* 870. *Ego Hincmarus, Eccl. Laudunenſis Ep. ſeniori meo Carolo Regi ſic fidelis & obediens ero, ſicut homo ſuo ſeniori &c. eſſe debet.* Ut alia omittam. *Homagium ligium* illud eſt, quod ſolummodo Regi debetur, ratione ſupremi dominii, à *ligando*, quod ab hoc nemo ſe poteſt liberare, ut, renuntiando feudo, ab aliis Homagiis. Nemo etiam in hoc excipitur. Hinc. *Homo ligius*, quem ſic expreſſit Britto Armoric. *Philipp. l.* 2. loquens de Richardo Pictaviæ Comite:

Eſſe tenebatur homo ligius atque fidelis,
Et tanquam domino jurando jure ligari,
Reddere ſervitium, quod jus feodale requirit.

Plura vide apud Henr. Spelmann. in *Gloſſ. Arch.*

HOMAJON, fil. Baburi, qui Regno Mawaranalhariæ pulſus Imperium Magni Mogolis condidit A. C. 1526. ſucceſſit patri A. C. 1530. Sed totâ Indiâ pulſus à *Tzeer Khan*, ex India ultra Gangem, quæ hodie *Bengala* & *Potana*, adveniente, in Perſiam fugit & Regis Scha-Thamaſi armis primò in Regum Candahariæ & *Kabul* A. C. 1550. ac quinquennio pôſt in ipſum Indoſtanum, pulſis Potanenſibus, reſtitutus eſt. At ſexto regni menſe, cùm fractis cervicibus repentè expiraſſet, ſucceſſorem habuit Acbarem fil. qui Regum Indiæ potentiſſimus evaſit. Georg. Horn. *Orb. Imp.*

HOMAR, affinis Mahometis, pro legis ab hoc propoſitæ integritate ac recepta interpretatione, contra Alim, fratrem Mahometis patruelem & generum, qui illam ſuis interpretationibus adeò interpolavarat, ut planè alia videretur, acriter contendit. Unde Superſtitio in duas ſectas diviſa, quod hodieque obtinet: Arabibus *Homaris* ſectatoribus, Perſas Ali addictos, non ſecus ac exleges & deſertores legiſque patriæ corruptores, averſantibus; nec Perſis mitiùs agentibus in Arabes *Homari* addictos. Cùm autem non exiguo tempore pars *Homaris* prævaluiſſet, exortus eſt circa A. C. 1370. qui ſe ex Ali prognatum diceret, *Sofi* & acerrimus vindex ſectæ illius haberi vellet. Is, ut ſuos ab *Homaritis* diſtingueret, pro lineo albo turbante, quo *Homaritæ* utebantur, in memoriam 12. filiorum Hocemi Alis filii, turbantem inſtituit, è cujus medio pileolus acuminatus, è lana conſtipata colore rubro confectus & ſenis utrinque gradibus diſtinctus, accommodatè ad contractionem vel diffuſionem, emicaret. Quam ob cauſam etiamnum Perſæ à Turcis, quaſi defectionem à Muhammede exprobrantibus, per ignominiam appellantur *Kiſulbaſſi*, i.e. *Capita rubra.* Anſelm. Solcr. *de Pileo ſ.* 8.

HOMAN, fil. Lotan, filii Seir. 1. Par. *c.* 1. *v.* 39. qui Gen. *c.* 36. *v.* 22. *Heman* dicitur.

HOMARES, unus ex Saccarum Regulis, de quibus Polyæn. *l.* 7. *Dar. ſ.* 8.

HOMBURGUM, vulgò HOMBURG, opp. *Haſſiæ*, quò Conventu provinciali indicto, A. C. 1525. omnem Clerum convocavit Philippus Landgrav. & per Cancellarium diſſidia in Religione proponi, atque per Franc. Lambertum 23. propoſitiones contra Franciſcanum quendam, ac Joh. Sperberum diſputando defendi juſſit. Ita effectum, ut Pontificiâ abolitâ Evangelica Religio aſſumeretur, annoque ſeq. Monaſteria in Scholas & Xenodochia commutarentur: quæ res Academiæ Marpurgenſi primordia dedit. Hoc dein nactus Fridericus, ex Georgio, minimo natu filio Philippi præfati nepos, frater Ludov. Darmſtattinæ lineæ auctoris, *Homburgicam* lineam orſus eſt: pater Vilhelmi Chriſtophori, quo Leopoldus Georgius genitus, Friderici & Georgii Chriſtiani, qui Latinos ritus amplexus eſt. Vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Gen. Hiſt.* Fuit nempe Frideric. lineæ auctor, fil. Georgii Landgravii *Haſſiæ in Darmſtatt* (Extincti A. C. 1596.) ex Magdalena Lippienſi, & Deceſſit A. C. 1638. Pater ex Margaretha Eliſabetha (filia Chriſtophori Com. Leiningenſis Weſterburgii) Ludovici Philippi, qui nat. A. C. 1623. Obiit A. C. 1643. Georgii (nat. A. C. 1624. Den. A. C. 1625. Vilhelmi Chriſtophori, qui nat. A. C. 1625. Bingenheimium inhabitat, & ex Sophia Eleonora agnata Chriſtianam Vilhelminam, Friderici Duc. Megapolitani conjugem A. C. 1653. & Leopoldum Georgium, A. C. 1654. genuit, quorum hic ſponſus filiæ Friderici Com. Ahleſeldiæ, morte oppreſſus Patris ſpem deſtituit. Idem uxore Defunctâ, aliam ſibi junxit A. C. 1665. Annam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

nam Eliſabetham, Aug. Duc. Saxoniæ inf. filiam, quæ nunc Philippiecciam habitandam accepit. Porro Friderici fil. tertius Georgius Chriſtianus fuit, qui genitus A. C. 1626. Hiſpanicis, dein Gallicis auſpiciis militavit, & ad Pontificiam religionem tranſiit; maritus --- Comitis Ranzoviæ, qui tamen unà non vivunt. Poſt hunc nata eſt Friderico Anna Margaretha, A. C. 1629. nupta Philippo Ludovico Holſatiæ Duci A. C. 1650. & Fridericus A. C. 1633. qui Suecis ſerviens, in Hafnienſi obſidione, globi tormentarii ictu pedem amiſit, exin Brandeburgico Electori operam addixit, in occupanda Pomerania, A. C. 1678. ſtrenuâ operâ navatâ. Emit is bona quædam in Marchia Brandeburgica & Wevelingæ habitat: cæterùm reformatæ religioni ſe applicuit. Uxorem habuit primò Margaretham Braheam (filiam Abrahami Brahei Com. Wiſingburgii, Benedicti Oxenſtiernæ viduam) quâ Defunctâ A. C. 1669. inde Ludovicam Eliſabetham (filiam Jacobi Duc. Curlandiæ) in thorum aſcivit, aliquot ex ea filiorum pater, quorum prior ---- A. C. 1673. alter Carolus Chriſtianus A. C. 1674. lucem aſpexêre. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Part III. p. 25. ubi de Landgraviis Haſſiæ in Homburg & Bingenheim ei ſermo eſt.* Sed &, in illuſtri Saynenſium & Witgenſteinenſium Comitum familia, *Homburgicus* ramus viget. Ludovico enim cogn. *Seniore*, qui Obiit ineunte hoc ſec. & omnium, quotquot in hac ſtirpe vivunt, hodie communis pater eſt, natus Georgius è primo ejus matrimonio *Berlenbergiam* lineam orſus eſt; Vilhelmus & Ludovicus, è ſecundo conjugio orti, ille filium Erneſtum genuit, duarum filiarum Patrem: iſte tertiæ lineæ caput, qui Joh. fuit πολύτας, locum tenens Electoris Brandeburgici. E quibus Georgius ex Eliſabetha Naſſovica Defuncta A. C. 1606.) pater fuit Erneſti Com. Saynæ & Witgenſt. qui Defunctus A. C. 1649. ex Eliſabetha agnata, filia Ludovici patrui, reliquit, præter Georgium Ludovicum, (qui nat. A. C. 1637. Deceſſit A. C. 1661. complures, utriuſque ſexus liberos, Catharinam inprimis Eliſabetham (ux. Ludovici Erneſti Com. Læwenſtenii & Werthemii) omnes *Comites Saynæ & Witgenſteinæ* &c. *Lineæ Bernleburgiæ, al. in Homburg.* Eodem porrò Erneſto, ex Chriſtiana Waldeccia, altera conjuge, nat. ſunt, Chriſtiana Eliſabetha (ux. Friderici Com. Naſſoviæ) Phil. Erneſtus, Chriſtianus, Joſias (Den. A. C. 1647.) & Carolus Otho. Vide Phil. Jac. Spener. *Theat. ſæpius laud. Part. I. p. 72. & Part. III. p. 85.*

HOMBURGUM, caſtrum agri Baſilienſis, edito in loco prope inferioris Rupis ſciſsæ iter, nobiliſſimorum quondam Comitum cognom. ſedes. Hanc Wernerus Othoni Ep. Baſil. circa A. C. 1307 vendidit, cujus ſucceſsor Humbertus, eam cum territorio ſuo A. C. 1400. Magiſtratui Baſilienſi, ære accepto, tradidit, qui hodieque Præfectum eò mittit. Defecit *Homburgiorum* ſtirps in præfati Werneri Com. Extincti A. C. 1322. filio patri homonymo, cujus poſſeſſiones Auſtrii poſtea Principes ſibi vindicârunt, eaſque Joh. Habſpurgiorum Comiti, Defuncti adoleſcentuli materteram conjugem habenti, in feudum dedêrunt. Vide Chriſtian. Urſtiſium, *Epit. Hiſt. Baſil. c. 2. & 3.*

HOMELEA, vulgò HOMBLE, teſte Ortel. fluv. Albionis, in ora Angliæ Auſtrali contra Vectim inſ. in mare influens.

HOMERIDÆ Gr. Ὁμηρίδαι, memorantur Pindaro, & ex eo Strabo *l.* 13. p. 645. Ἀμφισβητοῦσι δὲ καὶ Ὁμήρου Χῖοι μαρτύριον μὲν τοὺς Ὁμηρίδας καλουμένους, ἀπὸ τοῦ ἐκείνου γένους προχειριζόμενοι, ὧν καὶ Πίνδαρος μέμνηται). Ubi inter alia teſtimonia & argumenta, quibus Homerum Chii vindicabant, id non minimum fuiſſe, tradit, quòd *Homeridas* haberent, familiam ſc. hoc nomine veluti ab *Homero* deſcendentium. Quamvis enim duplices *Homeridas* faciant vett. Grammatici, atque inter eos Pindari Scholiaſtes, primò nempe eos, qui ab Homero genus arceſſerent; deinde Ῥαψῳδοὺς, qui carmina ejus publicè recitabant, quamvis ad Homeri genus nihil attinerent hoc tamen potiùs Ὁμηριστὰς vocari conſueviſſe, Ariſtocles apud Athen. docet. *Homeridæ* itaque propriè Homeri ἐπίγονοι, ſeu *poſteri*, quos & ipſos Homeri carmina per ſucceſſionem tradita, ῥαψῳδῆσαι, notum. Sanè Cynæthus ille Chius, qui primus ea publicis conventibus recitaſſe fertur, Ὁμηρίδης etiam fuit, vel ſaltem ab Homero genus ſuum jactavit &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 864. & 865. Vide quoque Jul. Cæſ. Scalig. *Poët. l. 1. c.* 41. ſupra Cynæthus & infrà, ubi de *Panathenæis* & *Rhapſodis*: de alia vide notione vocis Ὁμηρισταὶ in voce Mendaces.

HOMERITÆ, Plin. *l. 6. c.* 28. Ptol. *Regno di Aden* Caſtaldo ex tab. Geographicis, populi & regio Arabiæ felicis in ora ad Ort. extra fauces ſinûs Arabici. Quorum regia Arabiæ empor. Pop. Æthiopiæ *Steph.* Circumciſos eos, tradit Epiphan. *Hær.* 30. *prope fin.* Cum *Homeritis* Æthiopibus, qui Chriſtianis erant ὁμόδοξοι, voluiſſe Juſtinianum Imp. pactum inire, ut ab Indis ipſi metaxam mercarentur Romaniſque venderent, ne tam caram ſpeciem & luxui adeò neceſſariam ab hoſtibus emere Romani ſui cogerentur, narrat Procop. *Perſicæ̃n l.* 1. Quod conſilium maximè agitanti commodè ſeſe obtulêrunt duo Monachi ex India revertentes, omnemque ſerici faciendi rationem Imperatorem docuêre. Vide Salmaſ. Not. *ad Tertullian. de Pallio c.* 3. Charibaelis, Regis illorum, ſimul & Sabæorum, meminit contemporaneus Scriptor Arrian. ubi de *Dioſcoridis Inſ.* agens, *Azaniam* vocat mare, juxta quod hi populi degebant, quod alii *Erythræum* propriè dixêrunt, inter Arabicum Sinum & Indicum mare. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 449.

HOMEROMASTIX, Vide *Zoilus.*

HOMERUS, nomen Poëtæ Græci excellentiſſimi, quem quidam tempore Pythagoræ vixiſse, cùm Servius Tullus rerum potiretur, aſſerunt. Strabo *l. 5. p.* 221. & *l. 17. p.* 834. Alii probabilius judicant, natum eum, cùm Smyrna ab Æolibus conderetur, 18. An. poſt Cumas extructas, 168. poſt Trojæ ruinam. Vide Auctores infrà citatos. Floruiſse ante Romam conditam Annis circiter centum ſexaginta C. Nep. tradit *in libris Chronicorum.* Cæcum fuiſse volunt, & ob id *Homeri* nomen ſortitum fuiſse, quum prius *Meleſigenes* diceretur, quòd ad *Meletem* fluv. natus elset. Cumæi namque & Jones captos oculis ὁμήρους vocant. Hinc cæcutiens Mæonius nuncupatur à Martiano Capella *l.* 1. De patria ejus nihil certi traditur. Peculiarem libellum de ea ſcripſit vir doctiſſimus Leo Allatius. Ejus carmen, quod Iliados, & Odyſseæ nomen habet, Hymni enim Apollinis, Dianæ, Mercurii, &c. non illum habuêre auctorem, oſtendit Principum familias ejus ætatis, & pingit imagines variarum perſonarum, conciliorum, & mirabilium eventuum in hac vita Baſil. Magnus univerſam Homeri poëſin *laudem* dixit *eſſe virtutis.* Et ante eum Horat. *l. 1. Ep. 2. v.* 4.

Qui quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius, ac melius Chryſippo, & Crantore dicit.

Ælian. ſcribit, Agathonem pictorem quendam Homerum pinxiſse vomentem, reliquos verò poëtas, ea quæ ipſe evomuiſſet, exhaurientes, ad quod & Ovid. reſpexit, Amor. Eleg. 8. *v.* 25.

Aſpice Mæoniden, *à quo ſeu fonte perennis*
Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

Et Manil. *l.* 2.

——— *Cujuſque ex ore profuſos*
Omnis poſteritas latices in carmima duxit.

Ariſtarchus textum Homeri correxit, & menda, quæ librariorum incuriâ irrepſerant, ſuſtulit: Euſtathius Archiep. Theſſalonicenſis, luculentiſſimis commentariis eum illuſtravit: Didymi notæ ſuppoſititiæ ſunt. Mortuum eſse Homerum ſenem, dolore victum, quòd quæſtionem ſtultam de pediculis ſolvere non potuerit, fabula eſt à quodam oſore Homeri conficta. Sotades apud Stobæum fame extinctum prodidit: Τὸν θεῖον Ὅμηρον λιμὸς κατεδαπάνησε. Peculiarem *de vita Homeri* librum Herodot. vel potius alius quidam, ſub hoc nomine, ſcripſit, Plutarch. item, & Porphyr. qui hodie extant & conjunguntur ab Henr. Steph. editione Homeri, A. C. 1566. Vide & Clem. 1. *Strom.* Euſ. *Chron. A. C.* 908. *Abrah* A. Gell. *l.* 17. *c.* 12. Solin. *c.* 42. Petav. *de Dict. Timp. l. 9. c.* 30. Gordon. Calviſ. Scalig. Ricciolum, *in Chron.* Voſſ. *de Poet. Gr.* Crinitum, &c. Sed de Homero nos alibi. Nic. Lloyd. Fuit alter. *Homerus* Chius, medicinâ clarus, teſte Archilocho. Tertius Chius magicâ arte clarus. Idem. Quartus, inſtitoriâ arte Salaminenſis civis perdives. Idem Quintus Colophonius pictor & ſtatuarius præclarus habitus. Idem. Sextus civis Athenienſibus leges dedit. Idem. Septimus, arte Muſicâ & Geometriâ clarus. Idem. Octavus, patriâ Mæon, certamine Olympico vicit, cui poſtea jus literarum, & linguæ Græcæ emendandarum ſoli tributum eſt, cujus quoque emendatione, & literæ, & lingua Græca uſque in hanc diem contenta fuit. Idem Cæterùm *Homero* illi inclyto Smyrna, quæ præ cæteris ejus natales ſibi depoſcebat, templum extruxit, inque eo ſimulacrum illius collocavit, teſte Strab. *l.* 14. *p.* 646. Jetæ quoque ſeu Jus inſ. quæ Cycladum una eſt, prope Theram, incolæ divinis eum honoribus excoluêre, ut Varroni relatum *de Imagin. l.* 1. ubi A. Gell. teſte *l. 3. c.* 11. *Homeri* imagini hoc epigramma appoſuit:

Capella Homeri *candida hoc tumulum indicat.*
Quòd ara Jetæ mortuo faciunt ſacra.

Gerh. Joh. Voſs. *de orig. & progr. Idol. l. 1. c. 13. ſub fin.* Ἰήτης *enim gentile ab* Ἴος, *ut Steph. indicat in hac voce: ubi & matrem Homeri ex hac inſ. fuiſſe, ſuggerit. Unde videmus ſententiam Varronis eſse, non aliunde melius intelligi, quæ patria ſit* Homeri, *quàm quòd Jetæ ſive Jenſes ſacra ei faciunt. Atque addit, id candida eos fecisse capella, nempe ut Apollinari viro. Nam Apollini ſolere capros albos ſacrificari, etiam Liv. indicat l. 25. c. 12. Ion autem patriam eſſe Homeri, etiam Ariſtoteli proditum, ibique ſepultum fuiſſe, traditum* Dionyſ. Halic. Strab. Plutarcho, Suid. Vide Hier. Magium Miſcell. *l. 3. c.* 1. Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, alios, & ſuprà *Homeridæ.* Addam ſaltem, nummi antiqui, ex genere eorum, quos *Contorniatos* vocant, Smyrnæ reperti, in cujus una parte *Homeri* effigies, cum *Inſcr.* ΟΜΗΡΟC & palma ad latus; in altera aliquis equum manu tenens, qui fortè in publicis Ludis ejus Urbis victoriam conſecutus erat, hocque rei monumentum extare voluit, meminiſſe, ejuſque typum exhibere Jac. Spon. *Itin. Part. III. p.* 193. Sed & Amaſtrianorum nummi, in cujus altera facie fluv. Meles jacens lyramque tenens alterâ bene barbatum ac coronatum *Homeri* caput expreſſum, meminêre Pignor. & Ramireſius, ut infrà videbimus in voce *Meles.*

HOMERUS Jun. vel Tragicus, ultimus ex Plejade Poëtarum, Hierapoli anus, cui mater Byzantina Myro, poëtria.

HOMICIDII Cauſa, Athenis in Areopago diſceptari olim ſolita eſt, ex lege, Δικάζειν δὲ τὴν βουλὴν τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ φόνου καὶ τραύματος ἐκ προνοίας καὶ πυρκαϊᾶς καὶ φαρμάκων ἐάν τις ἀποκτείνῃ δούς, *Senatus Areopagiticus jus dicito de cæde, aut vulnere, non caſu, ſed voluntate, inflicto. De incendio item & malo veneno hominis necandi cauſâ dato.* Sedebant autem hi Judices ternis diebus in menſes ſingulos, nempe quinto, quarto & tertio Kal. cujuſque menſis, idque ſubdiali in loco, & quidem noctu ac in tenebris, ne viz. ad dicentes reſpicere poſſent, ſed ad ea quæ dicebantur, Lucian. *Hermotimo.* Coram hoc judicio, ad cæſa porrecta ſuovetaurilii, jurabat Actor, ſi ſciens falleret, ſibi ſuiſque & toti genti mala omnia imprecatus. Hoc præterea juramento affirmabat, ſe eſſe è cognatis occiſi, quibus ſolis ad ſobrinos uſque jus erat cædis aliquem accuſare, Pollux *l. 8, c.* 10. Quòd ſi pejeraſſet, pœna non infligebatur, ſed divino judicio relinquebatur plectendus, *Deorum enim injuriæ Diis curæ ſunt*, Tiberius apud Tac. At ſi ſuffragiorum quintam non tuliſſet partem, mille multabatur drachmis, Pollux iterum *l. 8. c.* 6. Contra Reus jurabat, ἢ μὴν μὴ ἀδικεῖν: quorum prior actus προωμοσία,

alter ἀντωμοσία, uterque διωμοσία dictus eſt. Sequebatur ita ſecunda pars Judicii, Λόγος dicta, & duobus argenteis ſcabellis, ad dexteram quidem *ſcabello innocentiæ* Reus, ad ſiniſtram *ſcabello contumeliæ* Actor, inſidentes, dicebant, ſed ἄνευ προοιμίου καὶ παθῶν, in quam legem qui peccâſſent, ſilere ſunt juſſi. Orabant autem alternis ac reſpondebant, Lucian. *in Anacharſide.* Sed Reus, poſtquam primas dicendi partes executus eſſet, poterat illinc rectà in exilium ire, neque Accuſatoris, neque Areopagitarum, neque ullius cujuſquam erat revocare abeuntem vel impedire: etiamſi conſultò & prûdens necâſſet. Suprema pars Κρίσις appellata eſt. Judicabant itaque tacentes Areopagitæ, teſte Macrob. *Sat. l.* 7. peractis ſacris & deſumptis ab ipſa ara, quibus ſententiam ferrent, calculis, Demoſth. ἐν τῷ περὶ στεφάνου: neque poterant multam ullam irrogare, quæ legibus non eſſet definita. Secundùm Leges itaque Reum multabant, neque poterat Actori Reus addici, ut ejus arbitrio plecteretur: videbat ille tantùm cùm pœnas dabat. Quòd ſi capitis periculo Reus liberatus erat, Plutoni, Mercurio ac Telluri, quorum ſtatuæ ibi erant conſecratæ, ſacra faciebant. Dica autem cædis apud Regem ſcribebatur, qui poſt delatum *Homicidæ* nomen, per tres menſes apud ſe diſceptandi τοῖς ἀντιδίκοις dabat poteſtatem, antequam ad Judices de cædis controverſia referret; quarta demum à ſcripta dica menſe ad Judices referebat, ac ſimul cum illis judicium reddebat: quod omnibus fieri poterat menſibus, Thargelione & Scirrophorione exceptis. Pœna mors erat, ex Lege: Τὸν ἐκ προνοίας ἀποκτείναντα, θανάτῳ ζημιοῦσθαι, *Si quis hominem ſciens morti duit, capital eſto.* Hæc ut Reo infligeretur, Thesmothetarum erat curare, ex lege: Τοὺς Θεσμοθέτας τοὺς ἐπὶ φόνῳ φεύγοντας θανάτῳ ζημιοῦν, *Thesmothetæ in homicidas animadvertunto.* Plectebatur autem *Homicida* in patria occiſi terra: Reliquos autem, qui ſive cùm primam apud Areopagitas Judices habuerant orationem, ſive ſuâ ſponte conſcii ſibi cædis humanæ, ultroneum amplectebantur exilium, occidere non licebat, dummodo Foro, Urbis territorio, ſacris certaminibuſque publicis abſtinerent. Excidebant enim *Homicidæ* omnibus civitatis juribus, ſacris pariter ac publicis, ab eo ipſo die, quo apud Regem deferebantur, at quæ invidia alienâ conſiſtere terrâ? Qui proin talem occidiſſent, rei cædis erant, perinde ac ſi civem Athenienſem ſcientes morti dediſſent, atque hujus rei cognitio Ephetis committebatur. Eorum verò, qui caſu occiderant, pœna erat ἀπενιαυτισμὸς, oportebat enim illos excedere annum integrum Patriæ finibus, juxta legem: Τὸν ἐργασάμενον φόνον φεύγειν ὅλον ἐνιαυτὸν, μὴ ἐπιβαίνειν τῆς πατρίδος, *Qui alium caſu fortuito necaſſit, annum extra Patriæ fines exulato*: intra quod tempus oportebat *Homicidam* placaſſe eos, quorum jus erat illum cædis poſtulare, deinde redibat peractis ſacris, quibus à cæde luſtrabatur. Quòd ſi ante Judicium adverſarios placâſſet, aut eum ipſum, quem morti dabat, annuo hoc exilio non multabatur. Vide ſuprà in voce *Abannatio.* Quinetiam dominus, ſi quem ſervum ſuum occidiſſet, quamvis nemo pœnas ab illo repeteret, tenebatur volens ἀπέχεσθαι ὁσίων καὶ ἱερῶν καὶ καθαρθῆναι, *abſtinere à ſacris & luſtrari.* Vide *ibid.* Judicabantque de hiſce cædibus Ephetæ in illo foro, cui à Pallade erat nomen, eodem prorſus ordine, quo Areopagitæ; ab iis tamen ad Regem dabatur appellatio. Nolebant autem Athenienſes ullas dare pœnas eum, qui imprudens in certaminibus alterum necâſſet, aut inſidiantem aut ignotum in prælio, aut in uxore, vel matre, vel ſorore, vel filia vel concubina, vel ea quam in ſuis liberis habebat, deprehenſum, etiam ſi quis alium injuſtè vim inferentem in continenti occidiſſet, jure cæſum eſſe pronuntiavêre. Cujus legis primus auctor Rhadamanthus fuiſſe dicitur Apollod. *Biblioth. l.* 2. cautiones deinde addidit Draco: & tales, qui jure occidiſſe fatebantur, cauſam in Foro τῷ ἐπὶ Δελφινίῳ dicebant, utque ſignificarent jure ſe id feciſſe, Soti gladium oſtendebant. Erat quoque Tribunal φρεατικὸν, quod ἐν Φρεαττοῖ dicebatur, in quo illi qui tempore ἐκπλεύσας alium ſcientes occidiſſe accuſabantur, de navi cauſam dicebant, Judicibus in terra ſedentibus: qui iterum Ephetæ erant. Quòd ſi is, qui cædem fecerat, ſive ſciens, ſive imprudens, protenus ſe fugæ daret, pedemque ſtrueret, aut omnino ignotus eſſet, judicabatur in tribunali, quod ἐπὶ Πρυτανείῳ dicebatur. Qui ſibi ipſi manus intuliſſet, manus ei præcidebatur, eodem tumulo non condenda, ex Lege: Ἐάν τις αὑτὸν διαχειρίσηται, τὴν χεῖρα τὴν τοῦτο πράξασαν ἀποκόπτειν, καὶ χωρὶς τοῦ σώματος θάπτειν, *Qui ſibi manus intulerit, ei manus præciditor, nec eodem tumulo conditor*, Æſchines c. *Cteſiph.* Tandem inanimata quoque, quorum caſu cædes erat perpetrata, finibus ejici juſſit Draco, hac lege: Τὰ ἄψυχα, ἐάν τινα ἐμπεσόντα ἀποκτείνῃ, ὑπερορίζειν, *Inanimata, quorum caſu cædes aliqua ſit facta, finibus ejiciunto*: Præerat verò huic judicio Rex, cui οἱ φυλοβασιλεῖς aſſidebant. Vide Sam. Petit. *Comm. in LL. Attic. l.* 7. *tit.* 1. *de Sicar.* Apud Iſraëlitas, quorum Politiam ipſe Deus ſanctiſſimis legibus inſtruxit, *Homicidium* voluntarium morte luebatur, ex lege: Gen. *c.* 9. *v.* 6. *Qui ſanguinem hominis fuderit, ejus ſanguis viciſſim per homines funditor*, Fortuitum verò qui commiſiſſet, in aliqua civitatum refugii à vindice ſanguinis tutus manſit, donec Sacerdote ſummo, qui tunc vivebat, è vivis excedente, tali jus domum redeundi fieret, de quo vide ſuprà in voce *Aſylum.* In vet. Eccl. Chriſtiana, ὁ ἀκουσίως φονεύσας, *qui invitus homicidium commiſiſſet*, decem annis à ſacramentorum communione excludebatur; quorum duo primi προσκλαύσει, tres ſequentes ἀκροάσει, quatuor ſuccedentes ὑποπτώσει, annus ultimis στάσει, inſumebatur, *canon.* 57. *Ep. Canon.* Baſilii Magni ad Amphilochium. At qui ἑκουσίως, *ſponte*, interfeciſſet, & poſtea pœnitentiâ ductus eſſet, altero tanto multabatur, *can. præc.* Vide Joh. Forbeſ. *Inſtruct. Hiſt. Theol. l. XII. c.* 6. §. 4. Imò adeo illi ab *Homicidio* abhorrebant, ut *nec videre* quidem *nec audire* illis *fas* eſſet, Minucius *Octavio.* Hinc non ſolum Gladiatorum ſpectaculis non intererant, Lactant. *l.* 6. *c.* 20. Sed & non ſuſtinebant ἰδεῖν κἂν δικαίως φονευόμενον, *ut vel juſtè quenquam interimi* viderent, uti habet Athenagoras *Apologiâ pro Chriſtian.* Vide. G. Elmenhorſt *Comm. Minucian. p.* 83. *&c.* & plura hanc in rem hîc paſſim, inprimis ſuprà ubi de *Cæde Circulis ferreis* verbo *Componere*, ubi de vett. Germanorum more homicidas multandi; & infrà in voce *Kelchyn.* It. *Murdrum, Parentela, Pretium* ubi de *Sepeliendi jure.*

HOMILIÆ, Theſſaliæ urbs *Ptol.*

HOMILIÆ, dictæ ſunt familiares collationes, quæ à Præſulibus habebantur in ædibus ſacris, in quibus & interrogabant populum & interrogabantur à populo: ita enim Ὁμιλίαν à Λόγῳ ſeu *oratione* diſtinguit Phot. *in Biblioth. Cod. l.*172. unde *Tractatus populares* dicuntur Auguſtino *Ep.* 2. *ad Quod vult Deum libro de Hæreſ. præfixâ*, & Victori Vitenſi *de Perſecut. Vandalor. l.* 1. ubi de eodem Auguſtino ſermo eſt. A' qua voce *Tractatores* quoque appellati, qui *populos dulciſſimo ſermone* hujuſmodi deliniebant, uti loquitur Senator *de Divin. Lect. c.* 17. &c. Hinc *Homiliare* S. Auguſtini, continens Sermones 147. in *Chron.* Fontanell. *c.* 16. & *Homiliarius*, quo nomine in Eccl. Rom. appellatur liber, continens Sanctorum homilias, quæ legi ſolent in Dominicis, in Natali, & in Feſtis Sanctorum propria Evangelia habentium, ut & in Paſchate ac Pentecoſte, cum ferialibus eorum. Vide Auctores hanc in rem laudatos C. du Freſne *in Gloſſ.* & infrà *Poſtilla*, it. *Sermologus*, & *Tractare*; adde Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.*

HOMINICOLÆ, Græcè Ἀνθρωπολάτραι, dicti ab Apollinariſtis Fideles ſunt, quòd deum hominem ſe adorare dicerent. Vide Facundum Hermian. *l.* 19. *c.* 3. & Athanaſ. *de Incarn.*

HOMINIUM, vide in voce *Homagium*, & plura in eam rem, apud C. du Freſne in *Gloſſ.*

HOMO, à Rom. ſignificatione variè novatur. In jure feudali is primariò dicitur, qui, accepto feudo, domino tenetur militare. Al. *Vaſallus*, olim quoque *Baro* & *Leudes.* Item quilibet prædiorum tenens. Etiam cliens, famulus, ſubditus quivis. Aliquando pro Armigero vox ſumpta reperitur. In gentium LL. antiquis mancipium notat, ut *Mann* Germanis, Græcis interdum ἄνθρωπος. Sic *Homo* fiſcalis, *Homo* Eccleſiaſticus, *Homo* Romanus, cui opp. *Homo* Francus: everſo enim Imperio, eâdem appellatione, quæ olim honorifica erat, à victrici populo i. e. Barbaris victi, in Gallia & Italia diſtincti ſunt. Vide Henr. Spelmann. in *Gloſſ. Arch.* In ſignificatu communi cùm vox ſumitur, apud Gentiles *Homines* olim à morte culti, memoriæ & ſolatii causâ: unde Deorum illa caterva. Namque ſacra eorum non naturæ ſolum myſteriis, ſed & Hiſtoriæ veteri innixa fuiſſe, docet Arnob. *l.* 5. & Origenes *l.* 8. Liber certè Sapientiæ, Salomoni à multis etiam Vett. attributus, cùm ſine dubio alterius ſit, &, ut credibile, Philonis, non illius, qui Claudii vixit ætate, & *Moſes Atticiſſans* dictus eſt, ſed longè vetuſtioris, qui, ſub Onia Sacerdote, Annis ante C. N. 160. tot pulchras ſententias vel ſcripſerit vel congeſſerit, originem hujus Idololatriæ clariſſimè oſtendit, cultumque hunc, *ſolatii & memoriæ causâ*, primitùs *introductum* fuiſſe, docet *c.* 14. Idem confirmat. Min. Felix *in Octavio*: *Dum Reges ſuos colunt religioſè, dum geſtiunt eorum memorias in ſtatuis detinere, ſacra facta ſunt, quæ fuerant adſumpta ſolatia.* Sed & judicatum, facere ad virtutem in viventibus magis excitandam, quam rationem adfert Occ. Cic. *de Nat. Deor. l.* 3. Ex ſolatiis verò & memoriis tum facta ſunt ſacra, quando additus eſt defunctis ſacris interdies feſtus, populoque perſuaſum, animam defuncti ... eſſe: ſed hoc arcanum erat Sacerdotum & Sapientum, quod detegere vulgò nefarium fuiſſet. Unde Cyprian. *tr. quòd Idola Dii non ſunt*, ſcribit: *Hoc ita eſſe Alexander Mag. inſigni volumine ad matrem ſuam ſcribit, metu ſuæ poteſtatis proditum ſibi de iis hominibus à Sacerdote ſecretum, quòd Majorum & Regum memoria ſervata ſit: inde colendi & ſacrificandi ritus inoleverit.* Nempe hujuſmodi Sacrorum originem diſſimulabant Sacerdotes callidè apud vulgus. Hinc Varro *Rer. Rom. libris*, apud Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 13. *c.* 5. *Quoniam verò*, ait, *in omnibus templis*, ubi colebatur Iſis & Serapis, erat etiam ſimulacrum, quod digito labiis impreſſo admonere videbatur, ut ſilentia fierent, *hoc ſignificant, ut homines eos fuiſſe taceretur.* Et profectò priùs *Homines* fuiſſe clarè *in Comm. ſuo de Diis*, evicit Euhemerus Meſſenius; quem quidem, ut impoſtorem ſugillat Plutarch. *de Iſ.* & *Oſir.* ſed longè benigniùs hac parte de eo ſenſit B. Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 6. *c.* 7. cùm ait: *Omnes Deos non fabuloſâ garrulitate, ſed hiſtoricâ diligentiâ, homines fuiſſe mortaleſque deſcripſit.* Ac prorſus ſubſcribit in hoc Varro: ut docent iſta ejuſdem B. Auguſtini *Ejuſd. operis l.* 8. *c.* 26. *Non attendunt, in omnibus literis paganorum, aut non inveniri, aut vix inveniri Deos, qui non* Homines *fuerint: omnibus tamen honores ſtudent exhibere divinos, quaſi nihil unquam humanitatis habuerint. Omitto, quod Varro dicit, omnes ab his mortuos exiſtimari Manes Deos: & probat per ea ſacra, quæ omnibus ferè exhibentur mortuis, ubi & ludos commemorat funebres, tanquam hoc ſit maximum divinitatis indicium, quòd non ſoleant Ludi, niſi Numinibus, celebrari.* Quibus dein ſimilia ſubjungit ex Hermete Triſmegiſto. Et quidem, duûm generum hic defunctorum cultus fuit: namque animarum aliæ privatâ colebantur auctoritate, ut Lares; alias princeps poteſtas cœlo locavit, ſive quoniam quia nobili reperto profuiſſent generi humano; ſive, gentis vel urbis forent conditores, ſive quia bello rem præclarè geſſiſſent, uti docent Lactant. *de Falſ. Relig. l.* 1. *c.* 5. & Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 8. *c.* 5. Imò nec Gentiles diffitentur. Cic. *de Nat. Deor. l.* 1. Quid, qui aut fortes, aut claros *aut potentes viros, tradunt poſt mortem ad Deos perveniſſe, eoſque ipſos, quos nos colere, precari venerarique ſoleamus.* Subjungit deinde de Euhemero antea memorato: *Quæ ratio maximè tractata ab Euhemero eſt. quem noſter & interpretatus, & ſecutus eſt, præter cæteros, Ennius. Ab Euhemero autem & mortes & ſepulturæ demonſtrantur Deorum.* Cujuſmodi ἡρωοδαίμονες Latinis dicebantur *Dii Indigetes*, ab honore eo, quòd publicè invocarentur, unde & Feſtus ſive Paulus, *indigitanto* exponit *imprecanto*, vide infra in voce *Indigetes*, & de cultu hoc Hominum defunctorum quoque ſuprà in voce *Anima.* Locum tem

tem addam Cic. apprimè huc facientem; Ita enim is *Tuſcul. Quæſt.* 1. *Cœlo*, inquit, *noſtrorum opinione* receptus Romulus, cum Diis agit ævum; *ut Famæ aſſentiens dixit Ennius*, & *apud Græcos, indeque perlapſus ad nos* & *uſque ad Oceanum Hercules, tantus* & *tam præſens habetur Deus. Hinc Liber Semele natus* —— *Quid? Totum prope Cœlum, ne plures perſequar, nonne humano genere completum eſt? Si verò ſcrutari vetera*, & *ex his ea, quæ Scriptores Græciæ prodidêrunt, eruere coner? Ipſi illi Majorum Gentium Dii qui habentur, hinc à nobis in cœlum profecti reperientur* &c. Nec hîc ſuperſtitio ſubſtitit, ſed, procedente tempore, *Homines* quoque vivi, Reges Principeſque, Diis inferri voluêrunt, vel à ſubditis illati ſunt; reliquiis moris hodieque, in Oriente inprimis, ſuperſtitibus, ubi major humano cultus Regibus exhiberi pluribus in locis ſolet, ut alibi latius videmus. Imò Porphyrius quoque in ea Ep. quam ſcripſit, ad Anebonem Ægyptium, teſtatur *Hominem* in Anabi villa pro Deo coli ſolitum eſſe, cui ſuper aram rem divinam facerent, certoque ac opportuno tempore proprium illi epulum convenienſque offerrent, apud Theodoret. *c. Gentes Orat.* 3. Quò reſpiciens Octav. apud Min. *Ægyptii ſanè*, inquit, *hominem ſibi quem colunt eligunt, illum unum propitiant, illum de omnibus conſulunt, illi victimas cædunt*, & *ille, qui cæteris Deus ſibi certe homo eſt velit nolit* &c. Vide quoque Porphyr. *de Abſtin. l.* 4. §. 9. Ipſum enim paulò pòſt ex privato penu ea comedere coactum eſſe, quæ ſibi tanquam Homini parata erant, adnotat Euſeb. *Præp. Evang. l.* 3. *c.* 4. & 12. Neque vero ob prædicta ſolùm, ſed & ob ipſam *Hominis* dignitatem, eò ſuperſtitio delapſa eſt: Tanta enim illa, ut velut *viſibilem in Terris Deum*, veri Numinis ignari, facilè habuerint. Quam cùm variis variis expreſſerint, nulli tamen magnificentiùs de *Homine* ſenſiſſe videntur, quàm qui *parvum* cum dixêre *Mundum*. Unde Manil. *l.* 4.

> —— *Quid mirum, noſcere Mundum*
> *Si poſſunt* homines, *quibus eſt* & *Mundus in ipſis,*
> *Exemplumque Dei quiſque eſt in imagine parva.*

Ubi per *Deum* capiendus eſt *Mundus*, qui Gentilibus cenſebatur Deus: quam mentem Manilii eſſe, indicat Jul. Firmic. *Matheſ. l.* 3. Vide quoque Chalcidium *in Timæum Plat.* ubi utriuſque Mundi ſimilitudinem in eo conſtituit; quòd, ſeu corpus ſeu animam attendat, & corpus utriuſque quatuor conſtet elementis, & Anima utrique ejuſdem ſit naturæ; ſicut & Platonicorum illi cenſent, quibus Anima noſtra eſt particula Animæ mundanæ, eoque divinæ. Gerh. Joh. Voſſ. *de Idol. l.* 3. *c.* 5. *Accuratius ſimilitudinem exequitur Andr. Laurent.* Anat. *l.* 1. *c.* 2. *hoc loco ſaltem conſiderabimus, quatenus* μεγάλῳ κόσμῳ *ſimilis eſt. Quomodo fulgura referunt excandeſcentium oculi coruſcantes; tonitru, ructus* & *inteſtinorum murmura, quæ Græci* βορβορυγὰς & βορβορυγμοὺς *appellant; pluviam, humores è cerebro in nares, laryngem, pulmonem, diſtillantes; rorem, lachrymæ; ventos, cruditatum exhalationes auriumque ſibili ac tinnitus; terræ motum palpitatio cordis, membrorumque convulſio* &c. De *Hominis* ſtatura, & pondere uſitato, ut aliquid addam: Statura, pedem fere ſex eſt, unde *ſeptipedes Burgundiones*, apud Sidon. pro proceriſſimis, quam Herculis fuiſſe ſtaturam Vett. tradunt. Vide infrà in voce Septipedes. Pondus librarum Romanarum centum plus minùs. Plaut. *Aſin.* Act. 2. Sc. 2. v. 35.

> *Nudus vinctus centum pondo eſt.*

Quâ proportione homo bipedalis alterum ferè tantum pendere debuit. At in Trojæ ludo exhibuit Aug. apud Suet. *in eo c.* 43. *adoleſcentulum Lucium, qui bipedali minor librarum ſeptendecim, ac vocis immenſæ erat*, ad quem l. Vide *Animadv.* Caſaub. uti de colluvie Deorum, quos *Homini* præfecêre olim Romani, aliquid infrà in voce *Seniores*.

HOMOEOPTOTA, homoeoteleuta, iſocola, pariſa, & id genus alia Gorgiæ Leontini inventum cui propterea apud Delphos aurea dicata ſtatua eſt. Sed, quòd hiſce præter modum uteretur, diſcip. ejus Polus, Agrigentinus Sophiſta, ſeque jactaret inſolentiùs, Plato hominis arrogantiam tùm nominis ambiguitate, tum ὁμοιοπτώτῳ, ſimili, egregiè retudit, ὦ πῶλε, dicens, ἵνα προσείπω σε κατὰ σε, O Pole, (ſeu ô pulle equine) *ut te tuo alloquar modo*, apud Diog. Laërt. *l.* 3. Vide Cæl. Rhodigin. *Antiqq. Lect. l.* 11. *c.* 25.

HOMOGRAMMI, in publicis olim Ludis ſecum invicem committebantur. Sic enim Lucian. Athletarum & Pancratiaſtarum ſortitionem deſcribens: *In argenteam*, inquit, *calpin*, i. e. urnam. *conjiciebantur minutulæ ſortes, fabâ non ampliores: eo ſemper ordine ſervato, ut binis eadem inſcriberetur elementi nota, pro athletarum numero, ſortibus item auctoribus. Quum itaque impenderet certandi tempus, prodibant ex Athletis ſinguli ſortem educturi: nec inſpectandi protinus jus erant, quando id prohiberet aſſiſtens Maſtigophorus. Peracto autem orbe, circumiens Alytarches inſpectabat ſortes, atque ita diſpenſabat, ut qui alpha eſſet ſortitus, cum eo componeretur, qui eandem eduxiſſet literam, atque ita deinceps.* Homogrammi *certaturi prodibant.* Fieri verò ſic moris erat, ſi certaturi pares fuiſſent: quòd ſi impar eſſet eorum numerus, conjiciebatur in urnam ſolitaria litera, quæ antigramma non haberet. Quam qui eduxiſſet, reſidebat exſpectans, quamdiu certarent alii, congreſſurus poſtmodum cum fatigatis, vigens ipſe atque viribus integer: quod ſanè feliciſſimum cenſebatur. Vocabatur autem hic Ἔφεδρος, quæ proin vox apud Sophoclem *Maſtigophoro* deſignat *noviſſimum*. Cæl. Rhodigin. *Antiqq. Lect. l.* 22. *c.* 18. Aliam vero notionem vocis, vide infrà in *Meridiani*: adde quæ dicemus in voce *Sortes*.

HOMOGYNUS Jupiter, in Ægio verſus mare templum habuit, quo loco Agamemnonem ferunt Græciæ Principes collegiſſe, unde nomen eſt deductum: inibique cum deliberaſſe de bello Priamo inferendo, ut ulciſceretur Helenam raptam.

HOMOLE, mons Theſſal. excelſus, Thebis Phthioticis propinquus, Centaurorum olim ſedes, quemadmodum & Othrys. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 674. & *ſeqq.*

> *Ceu duo nubigenæ, cum vertice montis ab alto*
> *Deſcendunt Centauri*, Homolen, *Othrymque nivalem*
> *Linquentes.* ——

Lege Omole. De quo rara mentio. *Omolium* in Magneſia opp. Plin. conſtituit *l.* 4. *c.* 9. Vide Suid. *Nic. Lloyd.*

HOMOLEA, mons Magneſiæ. Strabo *l.* 9. & *p.* 443. *Homolium* opp. Magneſiæ, & Macedoniæ. *Steph.*

HOMOLOGARE, Gallis eſt, Regia Edicta aut Statuta in Acta Parlamenti referre: quod quidem tunc primum cœpit, cùm Joh. Rege capto & in Angliam abducto, Corolus fil. Regni Vicarius & *Regens* dictus eſt. Literis enim regiis, quibus ea dignitas Carolo attributa, adſcripta hæc verba memorat C. du Freſne in *Regeſto* Parlam. ſignato C. & D. *Lecta* & *præſentata in Camera Parlamenti* 3. *Maji A. C.* 1356. cùm ante hæc tempora vix Regias literas inter Acta Parlamentaria videre ſit. Certè olim Principum edicta, à Senatu confirmari conſueviſse, docet Julian. *Apolog.* 2. ubi de Edicto Imp. pro Chriſtianis: Ταῦτα δὲ καὶ συγκλήτου δόγματι κυρωθῆναι βούλομαι, *Hæc autem* & *Senatus ſententiâ confirmari volo.* Quam in rem Marcian. Capella *l.* 1. *Auguſtinus fieri Joviale decretum, cùm cætu Deorum atteſtante depromitur*, dixit; vide Cujacium *Obſerv. l.* 1. *c.* 19. laudatum C. du Freſne *in Gloſſ.* At *Homologi* Coloni, *in l.* 6. *Cod. Theodoſ. de patrocin. vicor.* Græcè ὁμόλογοι, ſunt glebæ adſcripti, dedititii, conditionales; more gentium ejuſmodi ſervituti, ex pacto & conditione, obnoxii. Nam ὁμολογία, *confeſſio*, *profeſſio* eſt. Id.

HOMOLOIDES, apud Stat. *Theb. l.* 7. *v.* 251.

> —— *quam celſus aëna*
> *Sphinge per ingentes* Homoloidas *exeat Hæmon:*

una eſt ex ſeptem Thebarum portis, quam ob ſonum hîc præ reliquis nominaſſe poëta videtur. Æn. *l.* 7. *v.* 675. Meminit earundem Euripid. *Phœniſſis*,

> Ὁμολωΐσι δ' τάξιν εἶχε πρὸς πύλαις
> Τυδεὺς, λεόντειον δέρος ἔχων ἐπ' ἀσπίδος.

Nomen an ab *Homole* monte, urbi vicino; an ab Heroe cognomine, Amphionis filio; an ab *Homoloide*, Niobes filiarum una: quorum illud Pauſ. iſtud Euripidis, hoc Æſchyli Scholiaſtæ cenſent? vide Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. d. l.* nec non *l.* 8. *v.* 354.

HOMONA, opp. & HOMONADES, gens Iſaurica. Plin. *l.* 5. *c.* 27.

HOMONADENSES in Cilicia à P. Sulpicio Quirino fame expugnati; ex quibus quatuor virorum millia capti & in vicinas urbes diſtributi ſunt, omni regione à juventute deſertâ relictâ. Vide Tac. Ann. *l.* 3. *c.* 48. Strabo *l.* 12. *p.* 569.

HOMONÆA, locus Palæſtinæ. In Vita Joſephi.

HOMOPATORIA, feſta Athenienſium, ita dicta, quòd patres liberorum Curiæ adſcribendorum gratiâ tum convenirent. Vide *Suid.*

HOMOUSIANI, apud Victorem Vit. *de Perſecut. Vandalic. l.* 4. *Rex Hunericus Vandalorum* & *Alanorum, univerſis Epiſcopis homouſianis*; Aliis *Homouſiones* & *Homouſioniſtæ*, apud Auguſtin. *Ep.* 177. ab Arrianis Orthodoxi appellati ſunt: quòd SS. Triadis Perſonas ὁμοουσίους ſeu *conſubſtantiales* aſſererent; id quod in Filio Arrius, in Spiritu S. Macedonius, negabant: non ſaniora docentibus Neſtorio & Eutyche. Quorum proin ille Nicenâ, iſte CPolitanâ, hi Epheſinâ & Chalcedonicâ Synodo, condemnati ſunt. A quo tempore vox *Homouſios* inter Sanctiſſimæ Trinitatis epitheta frequenter à Fidelibus adhiberi cœpit. *Ego Berengarius* —— *jurans per Sanctam* & Homouſion *Trinitatem* & *per hæc Sacroſancta Chriſti Evangelia, de Conſecr. diſt.* 1. *Can. Ego Berengarius* &c. Hinc Anaſtaſius de Pſeudoſynodis loquens, *Quæ contra* Homouſion *factæ ſunt, juſſiones Impp. firmant* & *non pia fides, in Diſput. Maximi Martyris, in ejus Collectan. à Jac. Sirmondo in Octav. edit. p.* 161. &c. apud Macros fratres *in Hierol.* Vide quoque ubi *de Arrianis* & *Semiarrianis, alibique paſſim.* Vocis autem ὁμοουσίου incunabula ſunt qui Nicænæ Synodo adſcribant, ſed jam antè in uſu fuiſse, liquet ex Origene, Dionyſ. Ep. Alex. Athanaſio, Aliis. Interim minùs tum is frequens, at poſt Synodum hancce adeò increbuit, ut non tantùm *Homouſianorum* ſeu *Homouſiaſtarum* nomen Catholicis probroſè objectarent Ariani, ſed & ipſi Catholici, poſt Conſtantini Mag. tempora, ex hoc vocabulo potiſſimùm ab Hæreticis diſtinguerentur: οἱ τῆς ὁμοουσίου πίστεως inde appellari ſoliti, item οἱ τὸ ὁμοούσιον πρεσβεύοντες. Cùm Heretici modò ἑτεροούσιον, modò ἀνόμοιον, modò ἐξ οὐκ ὄντων, modò ἀπαράλλακτον, modò κατ' οὐσίαν ὅμοιον, modò tandem ſimpliciter, ὅμοιον, Patri filium dicerent, uti pluribus oſtendit Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce Ὁμοούσιος: de Spiritu S. ſimiliter delirantes. Vide quoque hîc aliquid, ubi de *Antitrinariis, Chriſtamachis* & *Pneumatomachis.*

HOMULLUS, apud Ælium Lamprid. *in Alex. Sev. Et id quidem ab* Homullo, *ipſi Trajano dictum eſt, quum illi diceret, Domitianum peſſimum fuiſſe, amicos autem bonos habuiſſe, atque ideo Claudium magis odio fuiſſe in Republica temporis ſui, quàm ille, quia melius eſt unum malum pati, quàm multos*, ad quem locum vide *Salmaſ.*

HOMUNCIONATES, dicuntur ab Arianis Orthodoxi, *qui dicunt duas naturas eſſe in Chriſto duaſque ſubſtantias*, apud Arnob. Jun. *in conflictu cum Serap. initio l.* 1. quos alii *Homoouſianos* vocant, ut Victor *Vitenſis.*

HOMUNCIONISTÆ, nomen quorundam Photini ſectatorum, qui ſolam naturam humanam in Chriſto agnoſcebant. Auguſtin. *Serm.* 26. *ex addit. fragm. edit. Lovan.* Baron. *A. C.* 357.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

HON, fil. Pheleth. Num. *c.* 16. *v.* 1.

HONAMIA, vulgò HONAM, provincia eſt Borealis regni Sinarum, inter provincias Chuquamum ad Mer. & Scianſium ad Sept. Urbem primariam habet cognominem, *Honam Fu* vocatam. Dividitur autem in duas partes, fluvio *Caramoran* dicto. Aliæ ejus urbes præcipuæ ſunt Nanianum, *Nantan Fu*, Chaifunum, *Chaifun Fu*. Huquanum, *Huquan Fu*, Ciantea, *Ciante Fu*, & Quaichinum, *Quaichin Fu*, teſte *Martino Martinio*.

HONDURA, vulgò HONDURAS, provincia ampla novæ Hiſpaniæ, in America Sept. juxta mare Boreale & ſinum Honduræ dictum, inter ipſam & Jucataniam. Habet ad Occaſ. Guatimalam, & ad Auſtr Nicaraguam provincias. Subeſt Dominio Hiſpanorum. Ejus longitudo eſt 200. leuc. circiter ab Ortu in Occaſ. latitudo verò 100. ferè leuc. eſtque ſub Præfectura Guatimalæ. Ejus primaria urbs eſt Valliſoletum, *Valladolid*, incolis *Commajagua*, Epiſcopal. ab A. C. 1558. Aliæ urbes ſunt Gratia Dei, *Gracias à Dion*, Fanum S. Petri, *San Pedro*, Fanum S. Joh. portus Equorum. *S. Ivan de puerto de Cavallos*, Trugillum, *Trugilho*, & Fanum S. Georgii, *S. Jorge de Olancho*.

HONDURÆ Sinus, vulgò GOLFO DE HONDURAS, pars maris Borealis in America, inter Honduram provinciam ad Mer. & Jucataniam ad Bor. eſtque plurimis inſulis refertus: & ejus intimus receſſus ad Occaſ. dicitur *Golfo de Guanajos*.

R. HONE, primus rector Academiæ Soranæ, cui R. Ami quoque & R. Aſe, Sacerdotes terræ Iſraëlis, ſeſe incurvabant. Floruit A. M. 4010. juxta calculum R. Ganz.

HONESTI, apud Liv. *l.* 23. *c.* 35. *Liber voloni ſeſe exæquari ſineret. Omnet ſatis* honeſtos *generoſoſque ducerent, quibus arma ſua Populus Romanus commiſiſſet.* Aliter *Honeſtè geniti*, apud eund *l.* 26. *c.* 2. *Cn. Fulvium Quiritium Rom. exercitum*, honeſtè genitos, *liberaliter educatos, ſervilibus vitiis inbuiſſe.* Græcis εὐγενεῖς καὶ γενναῖοι, etſi diſtinguit Ariſtot. itèm εὖ γεγονότης καὶ καλῶς γεγονότες: ingenui ſc. & ſervilis aut libertinæ conditionis hominibus oppoſiti; imò & νόθοις: quo prorſus modo generoſos liberos dicit Zeno Veron. *Serm. de Spe, Fide & Char.* ne legitimos & quorum *honeſti natales*, ut Tertullian. ait *Apologet.* Quibus proin oppoſiti nothi κακῶς γεγονότες dicuntur Plutarch. in *Lyſandro*. Interim uti *Honeſta perſona* mediocris potiùs quàm clara & illuſtris eſt: Ita *Honeſti natales* ſunt mediæ conditionis potiùs, quam valde glorioſæ. Quare Arnob. εὐγενείας τὸ ἄκρον ſignificare volens, *honeſtamenta natalium*, quàm *honeſtos natales*, dicere maluit, *adv. Gentes l.* 2. ubi Deſ. Herald. vide: adde quæ *ad eund. l.* 7. de eadem voce commentatur God. Stewechius. Alia vocis, & quidem ex priori orta notio, apud eund. occurrit *l.* 7. *Honeſtus unus & locuples.* Ita & à Iurecoſſ. *Honeſtus* locuples dicitur, & egeno opponitur, *l.* 52. §. 11. *ff. de Turtis*: uti homini vulgari, *l.* 5. *ff. de legit. Tutor.* Vide *Animadverſiones* Deſ. Heraldi modò laudati, *ad eund. Auctor. l. c.* & de oppoſita voce *Inhoneſti* ſuo loco.

HONFLORIUM, ſeu HONFLEVIUS, vulgò HONFLEUR, urbs Galliæ, in Normannia provincia, in ora litor. maris Britannici, & ad æſtuarium Sequanæ, ex adverſo Harflevii, à quo diſtat 3. leucis in Auſtr. & quatuor à portu Gratiæ.

HONOR, ab antiquis Deus eſt putatus, ut videre eſt apud Lactantium & Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 20. Illius templum, à M. Marcello renovatum fuit, quod multis antè annis erat bello Liguſtico à Q. Maximo dicatum. Ejus ſtatua plerunque Virtuti juncta, per cujus templum ad Honoris delubrum ibatur. Marius, qui utrique ædem ſacravit, humilem voluit eſſe, an ut Auguribus ſatisfaceret, an ut humilitatem doceret? Cic. *Tuſc. Queſt. l.* 2. Liv. *l.* 27 *c.* 27. Quid *Honor* apud Anglos, vide Henr. Spelmann. in *Gloſſ. Arch.*

HONOR, apud Eccl. Rom. Scriptores, potiſſimùm notat majores & excellentiores in Eccl. dignitates, ut ſunt Epiſcopatus, Presbyteratus, Diaconatus: unde *Honorabiles* dicti, hiſce functionibus eminentes, in *Capitular.* Caroli Mag. *l.* 5. *c.* 8. & *Honorati*, *in Charta Diviſ. Imp.* Franc. Caroli ejuſdem *c.* 2. Poſtmodum in eadem Commun. generatim ſic dicta ſunt majora in Eccleſiis Cathedralibus beneficia, ſeu, uti vocantur, *Dignitates*, atque adeò *Canoniæ* ipſæ. Præterea id nominis accepêre Beneficia ſeu prædia, quæ ad vitam variis Nobilibus aſſignabantur, ad militare ſervitium, à quibus dein Feuda profluxêre, nomine *Honoris* ſæpiſſimè obvia. Abbo Mon. *l.* 2.

Perdidit ergo ſuos illic Vilhelmus honores,
Hugoni regnante datos; qui Bituricenſis
Extiterat Conſul &c.

Sic apud Anglos *Honor*, Feudum quoque ſignificat vel manerium, ſed nobilius, quod Regalibus exornatur & multa inferiora ſibi ſervitutem debentia habet, Cowellus *Inſtitut. l.* 2. *c.* 2. §. 7. Apud Hiſpanos verò, ſic differt à Feudo & Terra, ut *terra* dicatur, quam Dominus annuatim dat in pecunia vaſſallo; *Feudum*, quod alicui datur, ut certum ſervitium faciat; *Honor* aut quem Dominus ſibi dat ſine conditione, ut reditus alicujus villæ; qui honor non aufertur ei in vita ſine cauſa. Interdum tamen *Honores* laxiùs dicuntur, quævis poſſeſſiones, in *Capit. Car. Mag. l.* 5. *c.* 5. &c. Vide hanc in rem pluribus diſſerentem C. du Freſne *in Gloſſ.* Ad priſcum vocis ſignificatum ut redeam; verbo moneo, ἀτίμους ἐγγεγράφθαι, *honoribus prohibitos eſſe*, Antiphanis, ut proditoris, poſteros, apud Plutarch. quemadmodum Romæ liberos à Sulla proſcriptorum. Sic in Arcadii Lege, *Ad nullos honores, ad nulla ſacramenta perveniant*, in perduellium liberos edicitur: qua de re vide Hug. Grot. *de Jur. Belli & Pacis l.* 2. *c.* 21. §. 16. Cur autem voce hac tantopere delectatus Virg. ſit, rationem Scalig. reddit *poetic. l.* 4. *c.* 16. *Illud animadvertentes voce hac*, honorem, *frequenter uſum eſſe, ad augendam dictionis majeſtatem.* Sic. Virg. Æn. *l.* 1. *v.* 49.

---- *aut ſimplex aris imponat* honorem.

Idem Ibid. *v.* 632.

---- *ſimul Divûm templis inducit* honorem.

Idem Ibid. *v.* 736.

---- *& in menſa, laticum libavit* honorem,

eſt enim σπονδὴν, *quod proprium in ſacrificiis, in quibus bene ominatis verbis utebantur,* ἵνα &c. De *Honoribus Heroicis*, à Senatu bene meritis de Rep. decretis, apud Romanos olim, vide Caſaub. ad *Suet. Jul. c.* 88. uti de *Honorum* apud Romanos diſtinctis gradibus, Liv. *l.* 1. *c.* 31. *l.* 10. *c.* 6. & *l.* 22. *c.* 26. de eoſdem auſpicandi more, eund. Caſaub. *ibid. Tib. Ner. c.* 7. de eorundem *nundinatione*, apud eoſdem, quæ eo uſque proceſſit, ut Candidati palàm in Comitiis nummarias menſas ponerent, & Populi ſuffragia redimerent, Plutarch. in *Caſ.* & Lucan. Civ. Bell. *l.* 1. *v.* 178. & *ſeqq.* ubi hic inter alia,

Hinc rapti faſces pretio, ſectorque favoris
Ipſe ſui populus, letaliſque ambitus Urbi;
Annua venali referent certamina campo.

HONORABILES, in *l. un. Cod. Theod. de Comit. vacantib.* ſunt *Honoribus perfuncti*, qui proin titulus vulgò in Galliæ Civitatibus iis conceſſus eſt, qui civilia munera obierant, dicti *Honorables perſonnes*: tametſi hodie ejuſmodi appellatio in gente hac viluit, quod nobilitati, quam omnes ambiunt, quodammodo opponatur. Interdum verò etiam ſic dicti occurrunt, qui in dignitate conſtituti ſunt, ut in *Capitul.* Caroli Mag. *l.* 5. §. 8. Vide quoque ſuprà in voce *Honor*. Hinc *Honorabilitas*, titulus Epiſcoporum, apud Facund. Herman. *l.* 4. *c.* 2. vide C. du Freſne in *Gloſſ.*

HONORARII, in *Novell.* Valentiniani *de Honor.* ubi quinque enumerantur Illuſtrium dignitatum gradus, quorum primus eſt eorum, qui verè illuſtrem dignitatem geſsérunt; Secundus vacantium præſentium; Tertius vacantium abſentium; Quartus *Honorariorum præſentium*? Quintus *Honorariorum abſentium*: à vacantibus in eo diverſi ſunt, quod *Illuſtratus* ſub cingulo vacantibus; ſine cingulo verò *Honorariis* delatus, hincque illi ζωστοί, hi ἄζωστοι, dicti ſunt; ut qui nullo merito antegeſtæ adminiſtrationis, ſed ſolo codicillorum principalium beneficio, hunc honorem conſequi ſolebant. Cujus generis Pontifices etiam & Augures & XV. Viros ſacris faciundis Severum feciſſe, memoriæ proditum eſt. Præterea vacantibus datas annonas eſſe, Lamprid. ſcribit, quas *Honorarium* nullum conſtat habuiſſe: unde colligitur Vacantes *Honorariis* optimo jure præferri. Non tamen omnibus: His namque, qui ſimili dignitate ornati ſunt, procul dubio præferuntur, veluti Præfectorius vacans Præfectorio honorario, Quæſtorius vacans Quæſtorio honorario; His verò, qui ampliori dignitate præditi, non præferuntur, veluti Quæſtorius vacans non præfertur Prætorio honorario, Comes vacans non præfertur Quæſtorio vel Exmagiſtro honorario: adeoque Vacantes omnibus Honorariis non præferuntur; At Adminiſtratores omnibus Vacantibus & Honorariis &c. Vide Jac. Cujac. *l.* 1. *de Primicerio & Secundicerio & Notar.* C. *l.* 10, laudatum Joh. Calvino *Lex. Jur.*

HONORARII Ludi, apud Suet. *Aug. c.* 32. *Ne quod autem maleficium negotiumve impunitate vel morâ elaberetur, XXX. amplius dies, qui* Honorariis Ludis *occupabantur, actui rerum accommodavit*: Feſto *Liberalia* ſunt, Caſaub. Ludi, qui *ad honorem edentium* pertinerent. Cùm enim triplex olim Ludorum & Agonum exhibendorum cauſa eſſet, Deorum religio, mortuorum ὁσία & edentium honos: ultimi hi ſequiori ævo tam frequentes facti ſunt, ut temporibus Aug. nemo aliquem honeſtiorem in Rep. locum ſortiretur, quin magnam patrimonii partem, in editione ſpectaculorum, impenderet aut impendiſſet, ſicque ab honoribus Deorum & mortuorum ad honores viventium, Quæſturas ſc. Magiſtratus, & Flaminia ac Sacerdotia, Ludi ii tranſiêrunt, Tertull. *de Spect.* Sed &, quia Aug. principatu plurimi Magiſtratus Prætores erant, à majori parte *Honorarii Ludi*, quaſi Prætorii, ita potuêrunt dici, ut *Jus honorarium*, κατ' ἐξοχὴν appellatum eſt jus Prætorium, & ipſi Prætores *honoratus Magiſtratus*, Ovid. *Faſt. l.* 1. *v.* 52.

Verbaque honoratus *libera Prætor habet.*

Etſi, ut dictum, non de ſolis Prætorum ludis Suet. accipiendus ſit. Eodem referas *Ludos privatos*, eidem in *Ner.* dictos, qui à Magiſtratibus aut Sacerdotibus propriâ pecuniâ honoris ſui gratiâ edi ſolebant. Item, quos extra ordinem, in honorem Principis, ex ambitioſo aliquo decreto Senatus edi conſueviſſe, legimus paſſim vide Caſaub. *d. l.*

HONORARIUM, eſt, quod Magiſtratibus aut eorum miniſtris ſolvitur, honoris potiùs, quàm neceſſitatis causâ, unde etiam nomen habet, nec exigi debet aut peti, ſed accipi, ſi offeratur, Connan. *l.* 14. *c.* 15. *n.* 7. Etiam ſic dicebatur, quod olim Conſulibus in provincias advenientibus, honoris loco dabatur, non tanquam debitum. Cic. *in Piſon. Qui modus tibi fuit frumenti æſtimandi? qui Honorarii? ſiquidem poteſt vi & metu extortum* Honorarium *nominari.* Porro, quod à Decurionibus pro Curiæ introitu dari ſolebat Plin. *l.* 10. *Ep.* 16. *Supereſt ergo ut ipſe diſpicias, an in omnibus civitatibus certum aliquid omnes, qui deinde Buleutæ leguntur, debeant pro introitu dare.* Ad quam Ep. reſcribens Trajan. *Honararium*, inquit, *Decurionatus omnes, qui in quaque Civitate fiunt, inferre debeant nec ne, in univerſum à me non poteſt ſtatui.* Tandem merces ita vocata eſt, quæ Advocatis, Jurecoſſ. Liberalium Artium Profeſſoribus, Menſoribus & cæteris, qui operam beneficii loco præſtabant, dabatur: *l.* 1. *ff. ſi menſ. falſ. mod. l.* 1. *de extraord cog. l.* 38. *ff. loc. l.* 3. *C. de poſt. l.* 2. *de leg.* 13. Cod. de *Jud.* &c. Briſſon. apud Calvin. in *Lex. Jur.* Vide quoque infrà, in voce *Profeſſores*.

HONORATI, in *Gloſſ. Lat. MS. Satrapæ, Judices, Honorati vel Principes*; dicti ſunt, qui in honoribus aut dignitatibus conſtituti, vel qui dignitates geſsêre, ſeu in urbe, ſeu in provinciis. Ἀξιωματικοὶ in vet. *Gloſſ.* οἱ ἐν ἀρχαῖς γεγονότες, Libanio: οἱ ἐν ἀξίαις

ἀξίας, Gregor. Nazianz. *Stiliteut.* I. *Honoribus uſi*, in aliquot *Inſc.* maximè enim *Honorati* dicebantur, poſt geſtos honores. Vide ſuprà in voce *Honorarii*, & quæ congeſſit Jac. Gothofred. *ad L.* 1. *Cod. Theodoſ. de Offic. Jud. Civ.*

Viri Celebres,

HONORATUS, Fundator Monaſterii Lerinenſis, Archiep. Arelatenſis, poſt Patroclum A. C. 426. Obiit A. C. 429. Vide Moreri. *Dict. Hiſt.*

HONORATUS Auguſtodunenſis, floruit ſub Henrico V. Imp. A. C. 1120. Auctor, inter alia, Chronici, libri de Scriptoribus Eccl. quem inſcribit, *de luminaribus Eccleſiæ*, Dialogi de Prædeſtinatione & Libero arbitrio, Commentariorum in libb. Salomonis, &c. Simler. *in Bibl.* Voſſ. *de Hiſt. Lat.* Vide quoque *Honorius*.

HONORATUS Maſſilienſis, Ep. Sec. 5. multùm laudatus Gennadio. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 18. Barth, *Adverſ. l.* 58. *c.* 5. *&c.*

HONORATUS Servius, vide *Servius*.

HONORIA, Valentiniani Imp. ſoror. P *Diacon.*

HONORIAS, regio Aſiæ, pars Ponti, in qua Heraclea, Tium, Claudiopolis; Gratia & Hadrianopolis urbes, *Volli* ſeu *Bolli* hodie.

HONORICHUS, Vandalorum Rex, A. U. C. 1231. Vide *Hunericus*.

HONORIFICENTIA, titulus honorarius Pontificum, in *Ep.* Iſid. Ep. Hiſpal. ad Maſonam Emerit. Ep. de cujus fide viri docti dubitant. Vide quoque Joh. VIII. Pont. *Ep.* 169. laudatum C. du Freſne *in Gloſſ.*

Imp. Rom.

HONORIUS, 46. Rom. Imp. cum fratre Arcadio A. U. C. 1149. Imp. ipſe Occidentis, A. C. 395. fil. Theodoſii Mag. ex Flacilla regiminis curâ à Patre Stiliconi commiſſâ, Gildone Africæ præpoſito, dum ille adoleſceret. Sed uterque infidus: & Gildo quidem primò rebellis, à Maſcezele fratre punitus eſt. Stilico, bis ſocer Honorii hunc throno deturbare, ſurrogato Eucherio fil. conſtituit. Hinc victo Radagaiſo Gothis ſub Alarici ductu uſurus in hunc finem, Alaricum ad obſidendam Romam invitavit, ſubitoque affectatione ejus per Olympium proditâ, corruit, juſſu Honorii, cum filio necatus. Quâ cæde Alaricus irritatior Romam diripuit, Honorioque interea Ravennæ deſidi, & gallinæ pugnacis jacturam deflenti, Imperium abrogavit, Attalo ſubſtituto: Dum Gratianus, Conſtantinus cum filio Conſtante, Maximus & Jovianus in Britannia & Gallia, Heracleanus in Africa, alii alibi inſurgerent: quibus tamen omnibus per Duces, Conſtantem inprimis Placidiæ maritum, victis, Obiit A. C. 423. Æt. 39. Imp. 28. Menſ. 5. Religionem contra Judæos, Ethnicos Hæreticos & Schiſmaticos ſtrenuè tutatus, quas porro laudes meruerit, vide Proſper. Marcellin. Caſſiod. *in Chron.* Socrat. *l.* 7. Oroſ. *l.* 6. *&* 7. *Paul. Diacon.* &c.

Pontifices Romani.

HONORIUS I. 68. Rom. Pontifex A. C. 626. Campaniâ Italiæ oriundus, Bonifacii V. ſucceſſor. Schiſma Epiſcoporum Iſtriæ 70. Annorum ſuſtulit, Angliæ Scotiæque Eccleſiarum curam geſſit, ſacras ædes novas ædificavit, veteres inſtauravit. Monothelitarum interim errore coinquinatus, Sergio Patriarchæ Conſtantinop. capiti hujus hæreſeos, nimium favit. Obiit A. C. 638. Literæ ejus, tanquam hæreſeos plenæ, Conc. 6. Oecum. V. 7. & 8. damnatæ, ipſe ab Agathone Ep. Rom. in epiſtola ad Conſtantinum Pogonatum, notatus eſt. Imò & Leo II. anathema ei & Monothelitis dixit, in Ep. ad eund. Imp. Anaſtaſ. & Platina *in ejus vita.* Melchior Canus, *de locis*, *c. ult.* Centuriat. Magdeb. *cent.* 7. *c.* 10. & 11. *col.* 553. *&c.* Succeſſit Severinus.

HONORIUS II. priùs Lambertus, Ep. Oſtienſis, poſt mortem Calixti II. electo à Cardinalibus Theobaldo, à Roberto Frangipani, cujus magna tum potentia, Papa proclamatus, A. C. 1124. Obiit A. C. 1130. Abbates Cluniac. & Montis Caſſini, ob crimina, damnavit, Guhelmum Siciliæ Duc. coërcuit, &c. Gul. Tyrius *l.* 13. *c.* 15. Pandulfus Piſanus, *in vitis Pontif.* Succeſſit Innoc. II.

HONORIUS III. Rom. prius Cencius Sabellus, ſucceſſor Innoc. III. A. C. 1216. poſt ipſum in Scotos ſæviit, Anglis & Francis exactionibus gravis. Joh. Baleus *l.* 7. Matth. Pariſ. *in Henr.* Dominici ordinem confirmavit, officium Magiſtri S. Palatii fundavit, Petrum Cortenæum Imp. Conſtant. coronavit: Obiit A. C. 1227. Onuphrius & Platina, *in ejus vita.* Eum excepit Gregorius IX.

HONORIUS IV. Rom. antea Jacobus Savellus, Papa Rom. A. C. 1285. poſt Martinum IV. Podagra mirè excruciatus, per Paudulphum fratrem prædones pepulit, Angliæ Regi decimas neganti reſtitit, Petrum Arragonium excommunicavit, Germaniam, Anteceſſorem imitatus, expilavit, donec Synodus Virceburgum convocaretur, ubi ejus Legatus de vita periclitatus eſt: Probo Tullenſi Ep. Papas *Romuleos vultures*, *genus Archiſynagogæ peſſimum*, &c. vocante. Aventin. *Ann. l.* 7. Bulling. *de Concil. l.* 2. Ei ſucceſſit Nicolaus IV.

HONORIUS, Antipapa, Vide *Cadalous*.

HONORIUS, Auguſtodunenſis Eccl. in Duc. Burgundiæ Presbyter & Scholaſticus. Scripſit in Hexaëmeron, in Pſalterium, in Prov. Salomonis, Eccleſiaſten & Canticum. Floruit A. C. 1130. *Vir in Scripturis ſtudioſiſſimus & valdè eruditus*, Trithem. *In ſacris prophaniſque literis inſigniter doctus*, Catal. Teſt. Ver.

HONOSCA, Hiſpan. Tarracon maritima urbs inter Iberum fluv. & Carthaginem novam. Liv. *l.* 22. *c.* 20. Forte nunc *Villa Joyoſa*, *Ortel.*

HONSEMIUS Johannes, vide *Johannes Honſemius*.

HONSTENIA, vulgò HONSTEIN, Fam. Germ. illuſtris, ab arce nomen adepta; quam Conradus Ludovici Barbati Thuringi, ex filio Berengario, nepos, condidiſſe dicitur A. C. 1061. Idem dein, cùm prole careret, hæreditatem tranſcripſiſſe amitino Berengario Ludovici Com. Linderbecani filio, à quo propagata familia eſt. In Theodorici IV. liberis duæ lineæ, *Viradienſis* & *Clettenbergia*, cœpêre: quarum tamen utraque ſup. ſec. exituro, maſculorum defectu, terminata eſt; ditionibus eorum à Saxonibus, Brunsvicenſibus & Halberſtadienſibus, non tamen citra aliorum contradictionem occupatis. Ultimus totius familiæ fuit Erneſtus VII. Com. Honſtenius, cujus progenitores ſic habent. Erneſtus IV. Com. *Honſtenii*, ex Anna (filia Botonis Com. Stolbergæ, Defuncta A. C. 1430.) genuit Henricum, Margarethæ Waldecciæ (filiæ Henrici Com.) maritum & ex ea patrem Erneſti V. quo & Felicitate Beichlingenſi (filia Joh. Comitis) nat. Erneſtus VI. Obiit A. C. 1552. ex Anna Benthemia (filia Eberwini Comitis) genitor Wolmari Wolfgangi, Defuncti A. C. 1580. Huic Margaretha *de Barby* (filia Wolfgangi Comitis) genuit Erneſtum VII. præfatum ultimum maſculum rami Clettenbergii totiuſque adeò familiæ *Honſteniæ*. Ejus enim fil. ex Juliana Barbienſi, filia Alberti Comitis) nat. A. C. 1583. Vollmarus Wolfgangus, Obiit A. C. 1586. ex filiabus Maria Magdalena (nat. A. C. 1584. Deceſſit A. C. 1590.) Erdmutha Juliana (nat. A. C. 1587. ux. fuit Joh. Ludovici Com. Gleichenſis Defuncta A. C. 1606.) Eliſabetha (nat. & Den. A. C. 1588.) & Dorothea Eliſabetha nat. A. C. 1589. Obiit . . . ipſe verò Pater fato ſuo Defunctus eſt, A. C. 1593. Phil. Jac. Spener. *Theatr. Part. II. p.* 31.

HONTERUS Johannes, vide *Johannes Honterus*.

HOORNBEEK Johannes, Harlemo Batavus, Theologiæ Ultrajecti Prof. ejuſdemque Eccl. Paſtor, A. C. 1645. dein Cathedram Theologicam & Paſtoratum Eccl. Belgicæ nactus eſt, Lugd. Batav. A. C. 1653. Linguas novit, præter vernaculam, Germanicamque, Anglicam, Gallicam, Italicam: Latinam, Græcam, Hebraicam, Syriacam, & Rabbinicam: Arabicæ & Hiſpanicæ rudimenta attigit. Philoſophiam tenuit, quantum Theologo opus eſt, Juriſprudentiam deguſtavit, Medicinam infelici experientiâ didicit, ob morbos frequentes: Hiſtoriam, ſacram præſertim, multùm excoluit, & ad Theologiam mirificè applicuit, Oratoriam perſpectam habuit, in Theologia verò principatum obtinuit. Libros ſcripſit plurimos, *Exegeticos*, *Didaſcalicos*, *Polomicos*, *Practicos* & *Hiſtoricos*: in quibus eminet *Summa Controverſiarum Religionis*, *Tom. II.* Ex reliquis ſunt, *Apologia pro. Eccleſia Chriſtiana*, *de Convincendis & convertendis Judæis*, *De Bulla Urbani VIII. Examen Bullæ Papalis Innoc. X. De præcepto Decalogi IV. De Independentiſmo*, *Socinianiſmus confutatus*, *Inſtitutiones Theologicæ*, *De modo conſcribendæ Hiſtoriæ Reformationis*, *De Converſione Indorum & Gentilium* &c. Obiit A. C. 1666. Æt. 58. præter dicta, inſigni corporis formâ conſpicuus. *Vita* ejus.

HOPLIAS, fluv. Bœotiæ juxta Coroneam urb. in Phliorum fluv. influens. *Iſomantus* Plutarch. *in vita Lyſandri.*

HOPLITÆ, inter opera Paraſii, apud Plin. *l.* 35. *c.* 10. *Sunt & duæ picturæ ejus nobiliſſimæ*, *Hoplitæ* (alii habent *Hoplitides*) *alter in certamine ita decurrens*, *ut ſudare videatur*: *alter arma deponens*, *ut anhelare ſentiatur*. Sic dicti ſunt, qui armati currebant in Olympicis, aliiſque ſacris certaminibus, de quo peditum gravioris armaturæ curſu, bellicisque excurſionibus ſimillimâ exercitatione, vide C. Paſchal. *Coron l.* 6. *c.* 14. Ὁπλίτην δρόμον vocat Scalig. *poet. l.* 1. *c.* 22. unde compoſitâ voce Ὁπλιτοδρόμοι iidem &c. At *Hoplomachus*, apud Mart. *l.* 8. *Epigr.* 74. gladiator armatus eſt, vide Lipſ. *Sat.* & hìc paſſim, inprimus in voce *Monomachia*, it. *Ocrea*.

HOPPERUS Joachimus vide *Joachimus*.

HOPPERUS Johannes, Ep. Gloceſtrienſis, Evangelicam doctrinam, cum Thoma Cramero, Archiep. Cantuar. ſub Eduardo VI. in Anglia ſtrenuè promovit, poſtea ſub Maria Regina, A. C. 1555. ob religionem exuſtus. Bucholcerus *Ind. Chronol.*

HOPPHA, nomen viri. 1. Par. *c.* 24. *v.* 13. Lat. *thalamus*, ſive *coopertorium*, aut *litus*, vel *ripa ejus*.

HOPHRA, Jer. *c.* 44. *v. ult.* *Tradam Pharaonem* Hophra, *Regem Ægypti*, *in manum inimicorum ejus* &c. Chaldæo vertitur *Tractus*, Syro *Claudus*; ironicè forſan, quòd in ferendo auxilio Judæis claudicaverit. Græci autem nomen proprium agnoſcunt, vertuntque Δίδωμι τὸν Οὐαφρὴ βασιλέα Αἰγύπτου, *Dabo Vaphrem Regem Ægypti*: quam lectionem retinent Clemens Alex. Africanus, Euſeb. Syncellus, qui *Apriem* Herodoti intelligunt. *l.* 2. *c.* 161. & 162. Vide *Apries*.

HOR, mons in finibus terræ Idumææ prope Petram civitatem, in quo Aaron primus Iſraëlitarum ſummus Pontifex mortuus eſt & ſepultus. Num. *c.* 20. *v.* 22. & *c.* 33. *v.* 38. Lat. *mons*, ſive *concipiens*, vel *demonſtrans*.

HORA, Dea quædam apud Rom. ita dicta ἀπὸ τῆς ὥρας, i. e. *à venuſtate*, & *pulchritudine*, cui præeſſe putabatur. Hanc Romani putarunt eſſe Herſiliam, Romuli uxorem, quæ, poſt mariti apotheoſin, in cœlum tranſlata, *Hora* vocata eſt Qu. Ennius,

Teque Quirine pater veneror, Horamque *Quirinam*.

Apud Ovid. tamen Met. *l.* 14. legitur *Ora*, ſine aſpiratione, & priore correpta, *v.* 852.

——— *Priſcum pariter cum corpore nomen*
Mutat, Oramque *vocat*, *quæ nunc Dea juncta Quirino eſt.*

HORA, duodecima pars diei, Romæ trecentis Annis ignorata fuit, teſte Plin. *l. 7. c. 60.* ut & Cenſorino *l. de Die Natali c. 19.* unde in Legibus XII. *Tabb.* Ortus tantùm & Occaſus nominantur, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 8.* Sic autem ſonant verba Cenſorini; *Horarum nomen non minus Annos CCC. Romæ ignoratum eſſe credibile eſt. Nam duodecim tabulis nuſquam nominatas Horas invenias, ut in aliis poſtea Legg. ſed* ANTE MERIDIEM. Plin. verò *l. 7. Duodecim Tabb. Ortus tantum & Occaſus nominantur, poſt aliquot Annos adjectus & Meridies, accenſo Coſ. id pronunciante.* Imò Annis pluſquam 450. cùm eo demum tempore *Horologium* primum viſum Romæ, ut infrà dicemus neque prius *Horæ* à Romanis obſervatæ & appellatæ ſint. Unde apud Cenſorin. legendum Salmaſ. iudicat, *non minus Annos CCCCL. Romæ ignoratum eſſe* &c. Poſt reperta dein Solaria, de quibus Vide paulo infrà in voce *Horologium*, & *Horæ*, more reliquarum gentium, à Romanis obſervari cœpêrunt: in cujus rei auctorem ita facundè invehitur Paraſitus Plautinus apud Aul. Gell. *l. 3. c. 3.*

Ut illum DI perdant, primus qui Horas *repperit,*
Quique adeo primus ſtatuit hic Solarium.
Qui mihi comminuit miſero articulatim diem.
Nam me puero uterus erat Solarium, &c.

Quomodo verò illi *Horas* ſuas diviſerint, Mart. hoc *Epigr.* explicat, quod octavum eſt *l. 4.* cujus epigraphe ad Ephemum.

Prima *ſalutantes, atque* altera *continet* hora.
Exercet raucos tertia *Cauſidicos.*
In quintam *varios extendit Roma labores,*
Sexta *quies laſſis*, ſeptima *finis erit.*
Sufficit in nonam *nitidis* octava *palæſtris;*
Imperat exſtructos frangere nona *thoros.*
Hora *libellorum* decima *eſt* &c.

Saturis nempe & mero incaleſcentibus, poſt cœnam nonâ ſumptam, lectitare carmina jocoſa mos erat. Vide Rameſ. *ad l.* Ad Græciam quod attinet, certum eſt, *Horarum* apud illos uſum non multo anteceſſiſſe Alex. Mag. ætatem, adeoque pluſquam 200. Annis ab Anaximandri morte, nec vulgò tamen ab omnibus Græciæ populis niſi ſero acceptam fuiſſe, Salmaſ. *ad Solin. p. 651.* Vtriſque *Horas* priùs non niſi ex umbra corporis humani pedibus dimenſa colligentibus, ut videbimus infrà ubi de *Umbra.* Muniviſſe autem viam rei reperiundæ videtur antiqua diei æquinoctialis partitio, in XII. *μόρια*, quam Babylonii primi vel Ægyptii Aſtrologi inſtituêrunt, occaſione indigitatâ, in voce *Cynocephalus*; quaque adeò Græci vett. uſi ſunt in explorandis multis Aſtricæ ſcientiæ arcanis, quæ ex gnomonica ratione & umbris deprehendi datur: in dierum augmentis & detrimentis per menſes judicandis, Horoſcopo inveniendo &c. Quâ ratione & apud Herod. jam in XII. partes diem diviſum legas. At poſterius hoc horarum inventum diem omnem in XII. horas diviſit, æquinoctialem, brumalem, ſolſtitialem & Horologia fecit Gnomonica, horis illis XII. in dies notandis, per omnia Anni tempora. Quæ ratio inſtituta eſt, non ut Mathematicis uſibus ac demonſtrationibus ſerviret, ſed ut civilem & negotioſam vitam, quam *περιστατικὴν* vocabant, his intervallis diſtingueret. Quod quando primum cœperit, ex *Horologiorum* hiſtoria petendum eſt. Ad *Horas* autem, poſtquam illæ inventæ, nuntiandas, puéros habebant Romani proceres. Poëta,

——— *Puer qui nuntiet* horas.

Et alibi,

Nuntiat octavam *Phariæ ſua turba juvencæ.*

Quod & in Græcia obtinuit, ubi dominæ ancillas, quæ hoc munus ſibi fungerentur, habebant, *περητελίας* dictas Heſych. Longius enim inviſere Horologium in publico loco poſitum: nondum frequentato illorum multiplicatoque uſu. Quam ob cauſam, in veteri more, umbris dimetiendi tempus, diu perſtitêre de plebe homines, & *αὐτοδιάκονοι*, etiam poſt ea excogitata, uti pluribus docet Salmaſ. *ad Solin. d. l.* Apud Hebræos duplicis generis erant *Horæ*, viz. *minores*, quarum 12. diem, totidemque noctem conſtituebant, & *majores*, quarum quatuor utrobique erant, quaque tres minores complectente. Noctis *Horæ* majores *vigiliæ* appellabantur, quarum prima *Caput Vigiliarum* Jerem. Lament. *c. 2. v. 19.* à 6. veſpertina incipiebat: Secunda *Media*, ad mediam noctem pertingebat: Tertiâ horâ 3. Quartâ, Sextâ nocturnâ, ſeu matutinâ potiùs finiebabatur. Nominantur Marc. *c. 13. v. 35.* Ὀψὲ, Μεσονύκτιον, Ἀλεκτοροφωνία, ἢ Πρωΐ. Similiter in quatuor partes diem apud ipſos diviſum fuiſſe, ex Matth. *c. 20.* colligitur: Quarum prima à 6. matutina incepit & duravit, uſque ad nonam, vocaturque *v. 3. Tertia hora*: Secunda duodecimâ finiebatur, quam *v. 5. Sextam* vocat: Tertia uſque ad tertiam pomeridianam pertingens *Nona* appellatur, *eod. v.* Ultima tandem, quam ſexta veſpertina finiebat. *Undecima* dicitur *v. 6.* quæ quidem *Duodecima* fuiſſet appellanda, cùm ſemper à finiente hora minore major diceretur, ſed maluit Chriſtus eam undecimam appellare, ut oſtenderet, licèt aliquando uſque ad undecimam diei *Horam* Dominus vineæ expectet, operarios conducendo, tamen raro duodecima ad hoc ipſum venire, cùm hæc hora potiùs dimiſſioni & quieti, quàm conductioni & labori, deſtinata ſit. Hac diſtinctione *Horarum* præſuppoſitâ, facilis eſt conciliatio, inter Marcum Evangel. qui *c. 15. v. 25.* ait, *Erat hora tertia, quando crucifixêrunt eum*: & Joh. qui *c. 19. v. 14.* ubi de examine SERVATORIS coram Pilato loquitur, *Erat autem Paraſceve, paſchæ* inquit, *hora vero quaſi ſexta.* Non enim Marcus de crucifixione ſeu ſuſpenſione aut affixione ipſa ad crucem loquitur, quæ demum facta eſt horâ ſextâ, Lucæ *c. 23. v. 44.* neque de expiratione ejus, quæ contigit circa horam nonam, Marci *c. 15. v. 34.* ſed de tempore eo, quo Chriſtus coram Pilato examini ſubiectus eſt & populus *Crucifige Crucifige*, inclamavit: Cumque hora tertia, & ſexta, ſeu ſecunda & tertia major, immediatè ſe ſequerentur, facilè pro ſe mutuò ſumi poterant. Porro minores illæ horæ, *Horæ diei* dici ſolitæ ſunt, Joh. *c. 11. v. 9.* majores verò *Horæ templi* vel *precationis* ſunt appellatæ: unde Petrus & Joh. in templum aſcendiſſe dicuntur *ſub horam precationis*, nempe *nonam* Actor. *c. 3. v. 1.* in quem tamen locum notat Druſius, *Non fuiſſe ultra tres horas precationis in die, apud Judæos, clare teſtatur R. David Kimchi*: Nimirum tertiam, inſtitutam ab Abrahamo, quâ etiam Spiritus S. in Apoſtolos effuſus eſt, Idem *c. 2. v. 15.* Sextam, ab Iſaco, quâ Petrus *aſcendit in ſolarium, ut oraret*, Idem *c. 10. v. 9.* & Nonam, ab Jacobo inſtitutam, quâ Petrum & Joh. in templum aſcendiſſe, paulo antè dictum. Ab iſtiuſmodi majoribus Hebræorum *Horis* accepêre originem *Horæ Canonicæ* in Eccl. Latina, quarum octo dies civilis continet, nox quaternas totidemque dies. Harum prima, incipiens horâ 6. veſpertinâ, *Hora veſpertina*, vel *Veſpertinum* ſubint. Officium vocatur. Secunda, quam nona inchoat, *Completorium* dicitur. Tertia, cui à media nocte initium, *Nocturnum*, & quarta, quam ſexta finit, *Matutinum* appellatur, Germ. *die Mette*, Diei verò *Horæ, prima, tertia, ſexta, nona* nuncupantur. Quem *Horarum* uſum (*Curſum* Galli vocant.) Eleutherium Papam inſtituiſſe, Polyd. Virg. ait Vide Macros Fratres in *Hierol.* & C. du Freſne *in Gloſſ.* quorum hic in quibuſdam Monaſteriis, *Horas de Sancta Maria*, unà cum *Horis Regularibus* ſeu *Canonicis* ſimul cantari, addit, ex libro *Ordinis S. Victoris Pariſienſis MS. c. 50.* Inde *Horarium*, liber *Horas* continens, apud Gillebertum Lunic. Ep. *de uſu Eccl.* Qui verò illas perſolvendas curat, & ſtipendia Canonicis, qui iis interſunt, perſolvit, *Horoſcopus* in vet. *Charta* & *Horarum Receptor* in *Necrologio* Eccl. Pariſienſis dicitur, apud eund. C. du Freſne. Plura hanc in rem, *de Horis Hebræorum* inprimis, apud Thomam Godwyn. *de Ritib. Hebr. l. 3. c. 1.* & hîc paſſim.

HORACITÆ, pop. Illyriis finitimi. *Polyb.*

HORÆ, Calabriæ urbs. *Curopalates.*

HORÆ, Jovis ac Themidis filiæ. Heſiod. *in Theogonia*,

Δεύτερον ἠγάγετο λιπαρὴν Θέμιν, ἣ τέκεν Ὥρας,
Εὐνομίην τε, Δίκην τε, καὶ Εἰρήνην τεθαλυῖαν,
Αἵ τ' ἔργ' ὠρεύουσι καταθνητοῖσι βροτοῖσι.

Orpheus non ſolùm ex prædictis parentibus, ſed etiam verno tempore natas eſſe dixit in his carminibus:

Ὧραι θυγατέρες Θέμιδος καὶ Ζηνὸς ἄνακτος,
Εὐνομίητε Δίκη τε καὶ Εἰρήνη πολύολβε
Εἰαριναί, λειμωνιάδες.

Pauſ. *in Bœot.* non hæc ſed alia Horarum nomina attulit longè diverſa; vocavitque aliam *Carpo*, aliam *Thalloten*, alterius nomen non dixit. Καρπὸς autem *fructum* ſig. θάλλειν verò pullulare. Quas idcirco ἐπικαρπίους, ſive *fructiferas* vocavit Aratus, uti videre eſt in his:

Ἐν τοῖς ἠέλιος φέρεται δυοκαίδεκα πάσι
Πάντ' ἐνιαυτὸν ἄγων, καὶ οἱ περὶ τοῦτον ἰόντι
Κύκλον, ἀέξονται πᾶσαι ἐπικάρπιοι Ὧραι.

Has portas cœli ſervare dixit Ovid. *Faſt. l. 1. v. 125.*

Præſideo foribus cœli cum mitibus Horis.

Idem *Met. l. 2. v. 118.* miniſtras Phœbi, ſive Solis facit,

Jungere equos Titan velocibus imperat Horis,
Juſſa Deæ celeres peragunt.

Has & molles habere pedes, & omnium Deorum tardiſſimas eſſe, & novi ſemper aliquid adferre, teſtatur Theocrit. *in Syracuſiis*:

Μηνὶ δυωδεκάτῳ μαλακαίποδες ἤγαγον Ὧραι,
Βάρδισται μακάρων Ὧραι φίλαι, ἀλλὰ ποθειναὶ
Ἔρχονται πάντεσσι βροτοῖσιν αἰεί τι φέρουσαι.

Homer. *Il. 5.* non ſolùm portas Cœli ſervare, ſed etiam nubes inducere, & ſerenum facere cùm libuerit, inquit,

Αὐτόμαται δὲ πύλαι μύκον οὐρανοῦ, ἃς ἔχον Ὧραι
Τῇς ἐπιτέτραπται μέγας οὐρανὸς, Οὔλυμπός τε,
Ἠμὲν ἀνακλῖναι πυκνὸν νέφος, ἠδ' ἐπιθεῖναι.

Nic. Lloyd.

HORAM, Rex Gazer, Joſ. *c. 10. v. 33.* Lat. *mons eorum*, ſive *manifeſtans*, vel *concipiens eos.*

HORARIVS Cupido, in *Muſeo* Kircher. theatrum eſt Catoptricum parvum, tribus planis ſpeculis inſtructum, quæ ad angulos rectos ſibi invicem connexa ſunt: cujus medio *Cupido* pendulo ſuprà ſtantis horologii alligatus continuo volitat; ſpeciebus ejus; quæ à ſpeculis reflectuntur, jucundum ludentium puerulorum agmen oſtentantibus. G. de Sepibus *Coll. R. S. J. Muſeo p. 37.*

HORATA, inſ. Galliæ, inter Veneticas loco non extremo: vulgò *Houat*, al. *l. Iſle Houat* monaſterio S. Gildæ adverſa. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* in voce *Reumviſius pagus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

HORATIA lex, quam tulit M. Horatius, fuit: *Ut Cajæ Tarratiæ virgini Veſtali certi honores tribuerentur, in his ut teſtabilis eſſet; Ut ſi 40. Annos nata Sacerdotio abire ac nubere voluiſſet, jus ei poteſtaſque exaugurandi atque nubendi eſſet: munificentiæ & beneficii gratiâ, quod campum Tiberinum ſive Martium Pop. Rom. condonaſſet*, A. Gell. *l.* 6. *c.* 7. Plutarch. *in Publ.* eam vocat *Tarquiniam.* Alia lata à M. Horatio Barbato Coſ. cum Valerio Poplicola, *Ut qui Tribunis Pl. Ædilibus, Judicibus nocuiſſet, ejus caput Jovi ſacrum eſſet, familia ad ædem Cereris Liberi Liberæque venum iret*, Liv. *l.* 3. *c.* 55. Dionyſ. *l.* 5. *p.* 292. &c. Fuit & *Horatia Valeria* lex ab iiſdem rogata A. U. C. 304. *Ut quod tributim plebs juſſiſſet, populus teneret*, Liv. *l.* 1. Dionyſ. Halic. *l.* 2. &c.

HORATIA Tribus, quo nomine antiquitus dicta fuerit, ignoratur: Poſtea appellata fuit *Horatia*, à gente cognomine, nobili admodum ac clara. Mentio ejus fit in antiquis inſcriptionibus novies, ut Paulus Manutius annotavit; Inter primas illas à Serv. inſtitutas refertur à Sigonio & Onuphrio. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 15.

HORATII Villa, vulgò *S. Giovanni in campo Oratio*, teſte Blondo locus erat prope urb. Romam.

Viri Celebres

HORATIUS. Rom. Poëta, Nicolai V. juſſu, primum Iliadis Homericæ librum Latinè vertit. Scripſit etiam carmen *Porcaria*; de conjuratione videlicet Stephani Porcarii, contra Pontif. hunc inita; ubi ſic orditur:

Inſidias Patriæ qui ſtruxit, & arma Parenti,
Ipſe parens refer, & ſceleri ſi Roma nefando
Annuerit, &c.

Item *Venus aurea*, Item ad Franc. Sfortiam Ducem Mediol. poëma quod incipit: *Dive virum*, &c. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. Sabellic. *Hiſt. Venet. l.* 27.

HORATIVS Barbarus, Vide *Lucius.*

HORATIVS Cocles, nobilis Rom. qui in eo bello, quod Porſena Hetruriæ Rex pro reſtitutione Tarquiniorum cum Romanis geſſit, cùm Janiculum jam captum videret, hoſteſque in urb. irruere, reliquis omnibus attonitis, & in fugam converſis, duobus tantum comitatus, hoſtium impetum tantiſper remoratus eſt, donec pons à tergo ſolveretur; quem cùm jam interciſum videret, ut erat armatus, in Tyberim inſiliit, & incolumis ad ſuos tranavit. Hinc ſtatuam meruit, & agri, quantum unâ die arari poſſet. Liv. *l.* 2. *c.* 10 Flor. *l.* 1. *c.* 10. Vide *Cocles* Fuêre præterea 3. *Horatii*, qui cum Curiatiis, ibi ſingulare certamen iniêrunt. Vide Liv. *l.* 1. *c.* 24. & 25.

HORATIVS Q. Flaccus, fil. liberti, poëta Venuſinus, Lyricorum, & Satyrarum ſcriptor, qui An. Imp. Aug. 33. Æt. verò ſuæ 63. Alii habent 57. A. U. C. 747. moriens Aug. reliquit hæredem, maximâ pompâ juxta Mæcenatem in Exquiliis conſepultus Ovid. Triſt. *l.* 4. Eleg. x. *v.* 40.

Et tenuit noſtras numeroſus Horatius *aures:*
Dum ferit Auſoniâ carmina culta lyrâ.

Vide L. Gyrald. & *Crinit.*

HORATIVS Giovagnonus, JC. Bononienſis, ſec. præt.

HORATIVS Menneus, Auctor Hiſtoriæ urbis veteris.

HORATIVS Publius, Vide *ibi.*

HORATIVS Pulvillus, Vide *Cajus*, it. *Marcus.*

HORATIVS Turſellinus, Auctor Epitomæ Hiſt. Univerſ. vitæ Franciſci Xaverii, & Hiſtoriæ Lauretanæ.

HORBATII, pop. Illyrii in conf. Norici, quorum reg. *Crabatem* Lazio hodie dicitur.

HORCHIA, Etruriæ urbis Dea, in qua fanum habebat. Ab ea vicus *Horchianus*, ſumpſit nomen: Nunc *Vitorchiano*, caſtrum prov. Patrimonii D. Petri, vix 6. mill. à Viterbio in Cæc. totidem à Tiberi in Auſtr. Sub Pontif. *Baudr.*

HORCIAS, ter mille Macedonum, qui ab Antigono in Cappadocia defecerant, Dux, aſtu per Leonidam comprehenſus de quo vide Polyæn. *l.* 4. *in Antigono com.* 6.

HORCVS, apud Lamprid. *in Heliog. Cui* (Deo Heliogabalo) *templum Romæ in eo loco conſtituit, in quo prius ædes Horci fuit:* idem cum Orco eſt ſeu *Plutone.* Vide *ibi.*

HORDA, Hunnorum Rex cum ſuis baptizatus, A. C. 529. Pantal. *Chron.*

HORDACHA, fluv. Thuringiæ; cujus meminit Ven. Fortunat. vulgo *Herdach.*

HORDEONIUS Flaccus, ſuperioris exercitus Germanici legatus, ſenectâ ac debilitate pedum invalidus, ſine conſtantia atque auctoritate. Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 9. 19. & 56.

HORDEVM inter Iſidis inventa, priſcis mortalibus cibi loco. Plin. *l.* 18. *c.* 7. *Antiquiſſimum in cibis hordeum, ſicut Athenienſium ritu Menandro auctore apparet, & gladiatorum cognomine, qui Hordearii vocabantur.* Hinc Eleuſinii certaminis, Gymnicorum primi, in ornamentum Feſti Eleuſinii inſtituti, id præmium fuit. Ἀγὼν Κόρης κ̓ Δημήτερος καλεῖ. Ἐλευσίνια ὃ ἔπαθλον κριθαί. *Certamen Cereris & Proſerpinæ Vocatur Eleuſinia; cujus præmium, Hordeum*, Scholiaſtes Pindari *Olymp.* 9. Nempe poſtquam frugibus victitari cœptum eſt. Hinc in proventu ejus opulentia Vett. ipſumque πλοῦτος ſacrâ voce dictum ἐν τοῖς Ἀθηναϊκοῖς, ubi Daduch. geſtans facem, clamabat ΚΑΛΕΙΤΕ ΘΕΟΝ, reſpondentibus reliquis ΣΕΜΕΛΗ, ΙΑΚΧΕ ΠΛΟΥΤΟΔΟΤΑ. Qui πλοῦτον id dicebant, quod in cornucopiæ continebatur, & τὸ κανοῦν, i. e. *caniſtrum*, in quo *ſacra hordea* erant, ὄυπλουτον vocabant. Vide quoque infrà *Paraſiti.* Et quidem Hordeum torrebant prius Vett. deinde molebant, unde *toſta polenta.* Vide infrà in hac voce ut & in voce *Mola.* Cum dein triticum inventum eſſet, *Panem ex hordeo antiquis uſitatum vita damnavit, quadrupedumque tradidit refectibus.* Plin. ubi ſuprà. Et proin Romani, qui avenam non ſerebant, *hordeum* equis dabatur. Unde apud Comicum Aſinar Act. 3. Sc. 3. *v.* 116

Demam hercule jam hordeo, tolutim ni badizas:

& *hordearius miſſus*, quòd quadrigis pro præmio hordeum dabatur. Idem & Græci faciebant, qui κριθῶντας πώλους inde vocitârunt. In cujus Locum quod Verus Imp. Volucri equo ſuo uvas paſſas nucleoſque apponi curavit, luxurioſæ vaſaniæ meruit notam. Vide infrà *Verus* Manſêre tamen *hordeacei panes*, in uſu pauperum & frugaliorum, Seneca *Ep.* 18. Alimentum item, uti de Monachis quibusdam Orientalibus ſcribit Sulpit. Sev. *Dial.* 1. & videre eſt ſuprà in voce *Crithophagus.* Cætera ſordidus habitus Romæ is panis, & quibuſdam in pœnam ad edendum datus. Suet. *Aug. c.* 24. *Cohortes, ſi quæ ceſſiſſent loco, decimatas hordeo pavit.* Vide quoque ſuprà, ubi *de Campeſtri meditatione.* Certè triticeo minus laudabilis, & parata ex hordeo alimenta φυσώδη dicta Dioſcoridi apud Suet. *de claris Rhet. n.* 2. *Vide Ordearium Rhetorem, ut inflatum ac levem & ſordidum, Lucium Plotium Gallum vocat M. Cælius.* quem M. Tull. *Oratorem gracilem & ſtrigoſum* appellat ad M. Tritinnium. Vide Caſaub. *ad l.* De *Hordeacei panis*, in purgatione Veterum vulgari uſu, Vide ſuprà *Carined. hordeaciæ ſtipulæ* in tibiis Vett. infra in voce *Tibia* uti & de *grani hordeacei*, in ponderibus, loco, alibi. Ad Veterum κριθοφαγίαν reſpicit Auctor. *Panegyr. ad Piſon.*

—— nam quid memorare neceſſe eſt
Ut domus à Calpo nomen Calpurnia ducat,
Claraque Piſonis tulerit cognomina prima,
Fumida callosa cum pinſeret hordea *dextrâ* &c.

Neque verò panis ſolùm, ſed & potus ex *hordeo* fieri conſuevit, auctore Oſiride, vino multo minoris efficaciæ, uti docet Diod. Sic. *l.* 1. *c.* 2. &c. Vide ſuprà quoque *Cerevisia* & *Curmen.* Citius autem, quam aliæ fruges, provenit *Hordeum.* Unde inter alios ritus nuptiales. *ponebant terram in vaſis ſaligneis* Hebræi, *ibique ſerebant hordeum ante dies Deductionis in thalamum; Afferebant autem, cum germinabat, coram Sponſo & Sponſa, dicentes illis, Creſcite & multiplicamini, ut hordeum hoc.* quemadmodum in *Talmud* legitur apud Joh. Selden. *Uxor. Hebraic. l.* 2. *c.* 15. Plura de *Hordeo*, Vide apud Plin. *l.* 18. *c.* 7. & *ſeqq.* Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, nec non ſupra in voce *Cachrys* & infrà *Julus.*

HORDONIENSES, Apuliæ pop. Plin. *l.* 3. *c.* XI. Quorum urbs *Hordonia*, aliis *Erdonia* exciſa. Vide ibi.

HOREB, mons in reg. Madianitarum, Exod. c. 3. *v.* 1. Pſalm. 106. *v.* 19. Ad hujus radicem, inſcriptionem antiquiſſimam, charactere Aſſyrio vetuſtiſſimo, conſtantem, & ab Iſraëlitis ſine dubio in memoriam beneficiorum divinitus ibi acceptorum rupibus inciſam, ſic interpretatus eſt Athan. Kircher. *Deus Virginém concipere faciet.* Item *Locus in quo* 70. *palmæ: Locus doctrinæ, inciſionis arcanorum: Novem tituli: Nonaginta nomina (eorum) quos excidit Moſes: Locus ubi orabat.* Vide ejus Oed. *Æg. T. II. l. II. c. II. §. V.* Eſt & nomen petræ. Exod. *c.* 17. *v.* 6. Lat. *deſertum, ſolitudo, deſtructio, ſiccitas*, vel *gladius.*

HOREM, civ. in tribu Nephthali. Joſ. *c.* 19. *v.* 38. Lat. *deſtructio*, vel *anathema*, ſive *rete*, vel *dedicatum* ſc. *Deo.*

HORESTI, Scotiæ pop. quorum regiones hodie *Mernia*. & *Anguſia*, H. Boethio; Camd. verò *Eskedale.*

HORI, fil. Lotan. filii Seir, Gen. *c.* 36. *v.* 22. Lat. *princeps, liber*, vel *ingenuus*, aut *iraſcens.*

HORICI, pop. Italiæ. *Steph.*

HORICVS Eraſmus Vide *Eraſmus.*

HORISIVS, fluv. Phrygiæ min. juxta Troadem urb.

HORITÆ, vide *Oritæ.*

HORMA, opp. Macedoniæ. Ptol. *Coria*, Moletio. Item civ. in tribu tam Judæ quàm Simeonis, inter Haſmonem & Cadesbarne. Num. *c.* 21. *v.* 3. quæ Judic. *c.* 1. *v.* 17. dicitur *Zephath.* & Joſ. *c.* 15. *v.* 30. *Harma.*

HORMANVS, in dynaſtia Mahometana, poſt Othomani mortem, diſſidentibus Barbaris. Africam ſub tributum redegit, A. C. 684.

HORMAS, civ. in tribu Aſer. Joſ. *c.* 19. *v.* 4. Juxta Eleutherum fluv. in colle.

HORMASDES, apud Chaldæos bonus erat Dæmon, qui *Jupiter* putabatur.

HORMENTIO, fluv. Galliæ, vulgò *l'Armanſon.* Oritur in finibus Aleſienſium & poſtquam Nucetum, caſtrum Sinemurum, Ternodorum, Germiniacum, ac S. Florentini alluit, apud opp. S. Juliani de Saltu in Icaunam labitur. Recipit Armantium *Armance.* in miraculis S Bernardi celebratum. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

HORMESTA Mundi, vel *Ormeſta*, in *MSS. Codd.* inſcribitur Pauli Oroſii Hiſtoria: quam de *Miſeria hominum*, in quodam antiquo Codice, inſcribi monet Joſias Arndius in *Lexico Antiqq. Eccl.* In *Codice* vero alio apud C. du Freſne titulus ita concipitur; *Pauli Oroſii Preſbyteri Liber de Ormeſta ſeu Miſeria Mundi*: ex quo ille titulus, *Hormeſta Mundi*, Vide Bongarſ. *Præfat. ad Geſta Dei per Francos ſub fin.* laudatum C. du Freſne in *Gloſſ.* & infrà in voce *Ormeſta.*

HORMIÆ, Vide *Formiæ.*

HORMIDASTES, fil. Saporis, A. C. 273. regnavit An. 1.

HORMINIVS, Bithyniæ mons. Ptol. *Hyppius* Plin. *l.* 5. *c.* 32. videtur ab App. Alex. *Scorobas* vocari *in l. de bello Mithrid. p.* 183. Vide *Hyppius* & *Ormenius.*

Perſarum Reges.

HORMISDA I. Perſarum Rex Choſrois I. patris ſucceſſor, A.C. ſævus in ſubditos, miſſo Varane contra Romanos infelix, huic muliebrem miſit ſtolam, inexplicabile apud Perſas probrum, Hinc Dux in Regem rebellis, uxore ejus marito præſente occiſâ, ipſum excæcavit, Choſroë II. filio ſurrogato, qui Patrem fuſtibus ad necem cædi juſſit, A. C. 587. Agathias *l.* 4. Nicephorus *l.* 18. Evagrius, Zonaras in *Mauritio*, Theopylactus *l.* 3. *c.* 16.

HORMISDA II. Idem cum Iſdigerde, A. C. 630. aliquot pòſt Annis pulſus à Saracenis, Perſia potitis. Sigibert. *in Chron.* Vide *Isdegerdes* III.

Pontific. & Viri Clari.

HORMISDAS Papa Rom. poſt Symmachum, A. C. 514. Patriarcha à Cæſare pronuntiatus, apud Anaſtaſ. Imp. primò, non ſatis ſucceſſu optato: ejus legatis enim quòd imperioſius agerent, per poſticum emiſſis Anaſtaſ. Imp. Græcia omni interdixit, ajens, *Nos imperare volumus, nobis imperari nolumus.* Zonar. *in Anaſtaſ.* felicius apud Juſtin. contra Eutychianos, egit; Pſalmodias Clerum docuit, Manichæos Roma pepulit, Obiit A. C. 523. Succeſſit Johannes I.

HORMISDAS, Architectus Perſa, à Conſtantino Imp. juſſus equum Trojani inſtar ædificare, ſtabulum ut prius ejus capax appararetur, rogavit. Aliâ vice ab eodem interrogatus, quid Romæ optimum eſſet, quòd homines ibi æquè ac alibi fato ſuo Obirent, reſpondit. Item nobilis Martyr, ſub Iſdigerde Perſa, A. C. 421. Theodoret. *l.* 5. *c.* 39.

HORMIUM, ſicut ORTHIUM, carminis apud Vett. genus, quo militum animi ad pugnam inflammabantur, à Gr. ὁρμᾶν, de quo vide Alex. ab Alex. *Genial. Dier. l.* 4. *c.* 2.

HORMUS, libertus Veſpaſiani inter Duces Tac. *Hiſt. l.* 3. *c.* 12. Eidem dignitas equeſtris data. Ibid. *l.* 4. *c.* 39.

HORNA, vulgò, HORNE, Gall. HORNE, opp. Geldriæ ſup. vix 1. leuc. à Moſa fluv. cum caſtro lepido Comitis proprii, unde Comitat. Hornenſis. 1. leuc. à Ruremunda in Occaſ. 6. à Trajecto ad Moſam in Sept. Sub Hiſp. Cæterùm Comitum horum ſtirps in duos ramos capitales diviſa eſt, cùm Gulielmus V. Dn. *de Horn & Perweis*, præter Arnoldum Ep. Ultrajectinum, genuiſſet Gulielmum & Theodoricum; à quorum illo reliqui Domini & Comites *de Horn*, atque Domini *de Montigny* deſcendêrunt, ſed tandem defecêre, hæredibus Montmorenciis. Ab hoc Domini *de Bauſſignies*, *de Montcornes*, *de Heeze* derivantur: ita tamen, ut in Theodorici abnepotibus Philippi *de Hautekerke* filiis, Arnoldo atque Joh. denuo novæ in diverſum ierint lineæ. Cùm enim huic Domini & dein Comites *de Bauſſignies*, Domini *de Loquern*, *de Keſſel*; illi ortum debent Comites *de Hautequerque*, Vicecomites *de Furnes*, quorum poſtremorum progenitores ſic habent. Arnoldus *de Horn*, Com. *de Hautekerke*, ex Margaretha Montmorencia (filia Joh. *de Montmorency* Dn. *de Nivelle*) pater fuit Maximiliani: cui Barbara *de Montfort* (filia Joh. Comitis) genuit Martinum, maritum Annæ Croviacæ Vicecom. *de Furnes* (filiam Antonii *de Crouy* Dn. *de S. Piat* & Aſiæ *von der Gaeſt*) & ex ea patrem Georgii: quo & Eleonorâ Egmondanâ (filiâ Lamoralli Com. Egmondani Princ. Gaveræ, decollati A. C. 1568.) genitus Lamorallus Julianam Merodiam (filiam Joh. de *Merode* Bar. *de Peterſem*) ſibi junxit, atque ex ea genuit Philippum, cui Dorothea Arenbergia (filia Caroli Principis Arenbergæ, qui Obiit A. C. 1616.) genuit utriuſque ſexus liberos, *Comites de Hautekerke Fam. de Horn*: è quibus Anna Franciſca Eugenia *Hornana* uxor eſt Lamoralli Claudii Franciſci Comit. Turriani *de Taxis*. Vide Phil. Jac. Spener. ubi ſuprà *p.* 9 & *in Ind.*

HORNA, vulgò HORNE, urbs munita Hollandiæ, cum portu capaci, in ora maris Auſtr. Emporium celebre, 4. leuc. ab Alcmaria in Ort. 6. ab Amſtelodamo in Sept. 3. ab Enchuſa in Occ.

HORNANUM Caput, vide *Caput Hornanum.*

HORODES, vel ORODES, Rex Parthorum, qui M. Craſſum occidit.

HOROLOGIUM, antiquitus venter fuit, ut Paraſitus ille Plautinus apud A. Gell. *l.* 3. *c.* 4 ait:

Nam me puero uterus erat ſolarium
Multò omnium iſtorum optumum & veriſſimum
Ubi ubi iſte monebat eſſe, niſi quùm nihil erat.
Nunc etiam quod eſt, niſi Soli lubet.
Itaque adeò jam oppletum eſt oppidum ſolariis,
Major pars populi aridi reptant fame.

Adeoque tum nec *horarum* uſus erat, ſed Accenſi, quodnam dici tempus eſſet, clamabant. Varro *de Ling. Lat: l.* 5. *Hoc idem Coſconius in Actionibus ſcribit, Prætorem accenſum ſolitum tum eſſe jubere, ubi ei videbatur eſſe horam tertiam* (i. e. tempus illud, quod poſtmodum horâ tertiâ metiebantur) *inclamare, horam eſſe tertiam, item meridiem & horam nonam.* Duo autem diei tempora primitus, nempe Ort. & Occaſ. quibus poſt Annos aliquot tertium, nempe Mer. adjectum; habuêre Rom. teſte Plin. *l.* 7. Apud Græcos in 12. partes jam Herod. ætate dies dividebatur, verùm Æquinoctialis, horæque pro dierum ratione creſcebant ac decreſcebant. Ad partes has diei duodenario numero æqualiter dividendas, Babylonii Græcique omnes Aſtrologi vett. ac Gnomonici rationes ſuas accommodârunt: quod factum, nondum publicato horarum nomine ac uſu. Poſt quas repertas & *Horologia* inventa, cùm horæ ipſæ, ut dictum, variarent. Aſtronomi tamen Aſtrologique omnes & Gnomonici, inſuper habita Horarum civili obſervatione, Æquinoctiales ſolas ad uſum ac rationes ſuas obſervabant. Etenim cùm horologia omnia tum ad curſum Solis facta, horas exhiberent omnium Anni menſium, ex umbrarum momentis creſcentes ac decreſcentes, ſolius gnomonis Æquinoctialis umbras reſpiciebant Gnomonici, & rationes omnes Mathematicas, ad eum dirigebant. Etiam diverſi regionem ſitus, quos varia facit inclinatio cœli, quique ex umbrarum incrementis ac mutationibus deprehenduntur, non aliter colligi ſolebant, niſi per umbræ Æquinoctialis gnomonem, ut Vitruv. oſtendit *l.* 9. *c.* 8. Quibuſcunque igitur in locis *Horologia* deſcriberentur, eò loci ſumebant Æquinoctialem umbram, Salmaſ. *ad Solin. p.* 641. Quando *Horologia* Romæ primùm cœperint, non ita proclive dictu, verùm 477. Annos elapſo, fuiſſe, cùm à M. Valerio *Horologium* in Foro poſitum, commemorat Plin. De primo Solario Romæ ita Cenſorin. *Quorum antiquiſſimum quod fuerit, inventu difficile eſt. Alii enim apud ædem Quirini primum ſtatutum dicunt* (nimirum à L. Papyrio Curſore, Plin. *l.* 7. *c.* 60.) *alii in Capitolio, nonnulli ad ædem Dianæ in Aventino. Illud ſatis conſtat, nullum in Foro prius fuiſſe, quàm id quod M. Valerius Meſſala Catanâ captâ, ex Sicilia advectum, ad Roſtra in columna poſuit. Quod quum ad clima Siciliæ deſcriptum ad horas Romæ non conveniret, Philippus Cenſor juxtà conſtituit.* Qua de re vide eund. Salmaſ. *ibid. p.* 650. & *ſeqq.* Atque hæc (namque horologium aliud à Siculo & diligentius ornatum à M. Philippo hoc poſitum, idem docet) & quæ deinceps ibi uſurpata ſunt, non brumalia tantùm, aut æſtiva, vel æquinoctialia fuêre, ſed etiam menſtrua planè ac diurna. Unde vet. Diſtich.

Ὠρανὸν ἁ χωρεῦσα σοφὰ λίθος, ἁ διὰ τυτθῶ
Γνώμονος ἀελίῳ παντὶ μεταδρομένα.

Quàm parvus cœlum capit hic lapis, atque puſillo
Gnomone, ſe Solis vertit ad omnis iter.

Quia verò diebus tantùm, non noctibus, uſui fuêre horologia iſta Solaria, ideo *aquaria* etiam *Horologia* habuêre, quæ horas noctium æque ac dierum dividerent, cum ejuſmodi horarum incrementi ac decrementi notis & indiciis, ut in Solaribus: idque beneficio Scipionis Naſicæ Cenſoris, *qui primus aquâ diviſit horas æque noctium ac dierum*, teſte Plin. ubi ſuprà. Cujuſmodi horologia, quia & nubilo & ſereno æquè utilia, nec diei tantùm, ſed etiam noctis horas notabant, paſſim poſtea uſurpata ſunt. Ab his paulo diverſum fuit horologium Athenæi Mechanici hydraulicis rationibus compoſitum, in vet. Antiphili Epigr. memoratum, ut quod diurnum tantùm, ſole nubibus condito, adhibebatur, aëre, qui aquæ violentiâ ſtricto canali exprimebatur, ſonitum ter edente quo horæ indicabantur. At ex aqua Horologia, quæ æquè noctium ac dierum horas dividerent, primus apud Græcos Cteſibius reperit, Plin. *l.* 7. *c.* 37. & Vitruv. *l.* 9. *c.* 9. vixit autem Ptolomæorum temporibus, jam repertis Solariis horologiis, & diei in horas XII. diviſione ac obſervatione: Atque ex ejus inventis fluxit illud, quo primùm uſos Romanos diximus. Solaria verò in eadem gente non longo tempore præceſsêre ætatem Alex. Mag. primuſque eorum meminit Baton unus ex Novæ Comœdiæ Auctoribus,

—— ὥστε περιφέρειν
Ὡρολόγιον δόξεις, οὐχὶ λήκυθον.

E quibus tamen verbis fruſtrà Vir doctus conjicit, jam tum vulgata fuiſſe *Horologia viatoria* & *penſilia*, quorum meminit Vitruv. quæque recentioris eſſe inventi, conſtat. Inventorem autem Solarium idem nominat, primum velut antiquiſſimum, Beroſum Chaldæum; poſtea Ariſtarchi Samii meminit, qui ſcaphen ſive hæmiſphærium reperit; ſequuntur alii, ut Eudoxius, Apollon. & Scopas Syracuſius: qua de re vide Salmaſ. *d. l. p.* 647. Ad Anaximandrum, vel Anaximenem ejus diſcip. non aſſurgit, cùm ab hoc in Græcia primò horarum obſervationem proditam tradiderit Plin. *l* 2. *c.* 76. & *l.* 7. *c.* 60. Nempe τὸ *γνώμονα ἐπὶ σκιοθήρων, organum gnomonicum & ſciothericum*, quod primus Anaximander, vel juxta alios Anaximenes, Lacedæmone conſtituit, ad Solſtitia & Æquinoctia deprehendenda, pro *Horologio* hîc perperam accepit; quod & alii non pauci fecêrunt. Quemadmodum & Andronici octogonum, quæ machina erat explorandis noſcendiſque ſolùm ventis facta Athenis, *Horologium* abuſivè dictum & Varroni, cùm *aurologium* potiùs dicendum eſſet, ut ſcripſit idem *p.* 1247. apud quem vide plura hanc in rem, nec non de *Vaſis Horologior. horumque ab Analemmatis diſcrimine*, ut & hîc paſſim, in vocibus *Analemma*, *Hora*, *Polographia*, *Scaphe* &c. Apud Hebræos, diei partes non lineis, ſed gradibus diſtinguebantur ſcalæque ſpeciem Solarium habebat: qualibet ſemihorâ ad novum gradum ſe promovente umbrâ. Unde, *in gradibus Solaribus Achazi, reverſus dicitur Sol decem gradibus, iiſdem gradibus, quibus deſcenderat*, Eſa. *c.* 38. *v.* 8. Vide ſuprà. Cæterùm *Horologii*, per aquam & ſonitum horas diſtinguentis, cujuſmodi Lucian. meminit, deſcriptionem ac iconem exhibet Hier. Mag. *de Tintinnab. c.* 6. Medio ævo, *Horologium nocturnum*, ut ex Panvinio refert Ughellus in *Ital. ſac. Tom. V.* Pacifici Archidiaconi Veronenſis, qui vixit ſub Lothario Ludovici Pii fil. inventum eſt: quod fortè idem fuit cum eo, cujus hodie frequens uſus eſt; æreum ſc. aut ferreum, quod rotis, ponderibus, libraminibus ac campanulis conſtat. Tradunt tamen *Ann.* Francorum A. C. 807. Aaronis, Perſarum Regis, Legatos, inter cætera munera Carolo Mag. attuliſſe *horologium ex aurichalco arte mechanicâ confectum, in quo* 12. *horarum curſus ad clepſidram vertebatur, cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & caſu ſuo ſubjectum ſibi cymbalum tinnire faciebant, additis in eodem ejuſdem numeri equitibus, qui per* 12. *feneſtras completis horis exibant & impulſu egreſſionis ſuæ, totidem feneſtras, quæ priùs erant apertæ, claudebant*, apud C. du Freſne. Ex hodiernis *Horologiis* eminet Argentoratenſe, quod in locum veteris, ſingulari arte ac induſtriâ, à Conrado Daſypodio, Academiæ Prof. Mathem. A. C. 1571. menſe Junio, cœptum, triennio poſt, A. C. 1574 eodem menſe ad Feſtum Joh. Baptiſtæ, abſolutum fuit. Ejus deſcriptionem exhibet Adam Preyelius *Sinâ & Europâ c.* 43. *p.* 1286. & *ſeqq.* In *Muſeo* Kircheriano *Horologium mirificum aſſervatur.* Conſpicitur ibi mons aquis incubans, qui 24. horarum ſpatia exactè deſcribit, hoc modo. Mediis in undis, multis anfractibus, abſceſſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

abſceſſibus & cavernis horrens mons, & inſtar montis ex Oceano ſurgentis inſ. innatat; ita ut verticalis linea, quæ à montis apice in centrum baſis, ſeu vaſis umbilicum, quod aquam continet, obtineat. In circuli limbo hominum imagines ſceptris inſtructæ viſuntur, juxta 24. horarum ſpatia ita diſpoſitæ, ut unaquæque habitum referat provinciæ & nationis, cujus horam indicat. In limbo verò vaſis ſphærico, totidemque intervallis diviſo & horarum numeris diſtincto, magneticus circulus per ſceptra imaginum, clandeſtino motu, omnium regionum per totum Mundum currentem horam, quamque ſuæ nationi propriam, incredibili artificio, demonſtrat. Georg. de Sepibus *in Colleg. Rom. S. J. Muſeo p.* 19. Ibidem & alia quædam viſuntur, quorum indiculum ſubjungemus. Vide quoque ſuprà, in voce *Gnomonica*, item ubi de *Chryſtallinis ſphæris*: uti de inſtrumento ingenioſiſſimo, ad *Horologia* in muris deſcribendis infra in voce *Retchorarium*. Græcis *Horologia* χαλκογραφεῖα dicta eſſe, vidimus in *Catagrapha*: de verbo verò Ζῆθι, ab iiſdem *Horologiis* inſcribi ſolito, dicemus infrà in voce *vas*.

Horologia in Muſeo Kircheriano.

Anacamptica.	Mirifica.
Aquatica.	Pendulo horas indicantia.
Aſtronomica.	Rotalia, Muſicam ſonantia.
Cauſtica.	Sciatherica ſeu Solaria.
Hydraulica.	Sympathetica.
Mechanica.	

Vide eund. de Sepib. *in Collegii Rom. Soc. J. Muſeo*, ubi hæc omnia accuratè deſcribuntur.

HOROLOGIUM, Varroni *de Re Ruſt. l.* 3. *c.* 5. turris dicitur, vento, undecunque flaret, indicando exſtincto. vide infrà *Turris* it. ſupra *Aurologium*.

HOROLOGIUM, liber Eccleſiaſticus apud Græcos, ita vocatus, quòd *Horas* diurnas & Officia contineat. Præter Horas & Meſoria, & alia, quæ ſingulis Officiis neceſſariò dicuntur, ut Troparia, Pſalmos, preces varias, habetur *Canon compunctivus*, *Canones Paracletici in B. Virginem, & Angelum cuſtodem, & deprecatorius in omnes Angelos & Sanctos, officium ſatis amplum ſanctiſſimæ Communionis & alia minutiora.* Demum annectuntur Cyrilli Alex. *Oratio de exitu animæ; & de ſecundo adventu*, Chriſtophori Patricii Mitylenæi Troparia *Proſomia* dicta, totum Menologium complectentia, Paſchalium Annorum 54. Jonæ Gialeni *Selenodromium perpetuum*, Niceph. Paſchalei *de Jejun. Græc. tract*, ling. vulg. Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce Ὡρολόγιον.

HOROMASDES, à vett. Ægyptiis, h. e. Jupiter, Nilus inundatione ſuâ fertilem Ægyptum reddens, dictus eſt, ſi Diog. Laërtio fides: ſed Perſicum id eſſe nomen, quo Kalendæ deſignentur, ait Joh. Meurſ *ad Lycophron. p.* 130. Principium verò boni Zoroaſtri habitum, ſicut Arimanium mali, refert Gerh. Joh. Voſſ. *de Idol. l.* 1. *c.* 5. Vide quoque *Oromaſdes*.

HOROSCOPA Vaſa, apud Plin. *l.* 2. *c.* 71. & 72. *Qua de cauſa ad Oceanum navigantes, quamvis breviſſimo die vincunt ſpatia nocturna navigationis, ut Solem ipſum comitantes, vaſaque* Horoſcopa *non ubique eadem ſunt uſui in trecentis ſtadiis, aut ut longiſſime, in quingentis, mutantibus ſemet Solis umbris*: ſunt τὰ ὡροσκόπια, horologia viz. gnomonica, in quibus *inſpiciuntur horæ*; quæ *vaſa* vocat, quia erant ad inſtar vaſis concava, utpote σκάφαις ſeu *ſcaphiis*, ſimilia. Unde Tertullian. qui Plin. diligenter lectitarat, *araneorum Horoſcopa* eleganter vocat telas araneorum, multis lineis ac filis à centro ductis ad circumferentiam diſtinctas, quòd ad hanc formam lineis plurifariam ductis, à medio ubi eſt gnomon, *Horoſcopa vaſa* ſolerent deſcribi. At proprie Græci ſic appellârunt ea inſtrumenta, quibus *horoſcopus* deprehenditur, qualiacunque illa aut cujuſcunque generis ſint, Sextus Empir. *c. Aſtrolog. l.* 5. Δεύτερον δὲ τὸ [illegible] ταύτην ὡροσκόπιον ἁπλανὲς ὑπάρχειν. Sic Hephæſtion, *l.* 2. *c.* [illegible] ὡροσκοπεύσης, aſtrolabium vocat ὡροσκόπιον, quo horoſcopum ſpeculabantur, præter quod reliqua omnia, ἡλιακὰ, ὑδραγώγια &c. rejicit. Quo ſenſu vox ὥρα, non horam ſignificat, ſed τὸν χρόνον τῆς ἀποτέξεως, *nativitatis tempus*, & quidem τὸ λεπτὸν τῆς ὥρας *momentum ipſum*, ac τὴν τοῦ χρόνου *ſtigmen temporis punctum*, quo quis in lucem exit. Atque hujuſmodi *Horoſcopiorum* inventorem Anaximandrum Diog. Laërtius facit. Cùm autem τὸν Ὡροσκόπον genere maſculino ſemper enuntient, non tam ἀστὴρ, *aſtrum*, nec τόπος, *locus*, primus ſc. è XII. quorum poteſtates deſcribunt Mathematici; quàm Θεὸς, aut Δεκανὸς, ſubintelligendus videtur Salmaſ. qui multa hanc in rem congeſſit, *Exercit. Plin. ad Solin. p.* 651. & *ſeqq.* Vide quoque ſuprà, in voce *Decanus*. In Eccl. verò Rom. *Horoſcopus*, officii Eccl. genus eſt, de quo diximus aliquid, in *Hora*.

HOROSCOPUS, in Sacra Ægyptiorum Proceſſione, Philoſophiam eorum peculiarem exhibente, quis dictus ſit, vidimus in voce *Cantor*.

HORRATAS, miles Macedo, qui Dioxippum pugilem ad duellum provocavit, ab eoque nudo cum clava comparente in conſpectu totius exercitus, victus eſt. Curt. *l.* 9. *c.* 7. à Diod Sic. *l.* 17. *parte poſteriore* vocatur *Coragus p.* 615.

HORREA, quorum in *Pandectis*, ut & *Horreariorum*, creberrima mentio, erant jam olim in urbe, ut *Sulpicia*, & quas vocat Dio in Commodo, ἀποθήκας τῶν τε Αἰγυπτίων καὶ τῶν Ἀραβίων φορτίων: ſed in ſingulis urbis regionibus certa *Horrea publica* primus inſtituit Alex. Sev. ad quæ bona conferrent, qui privatas cuſtodias non habebant, ſiquidem Lampridio fides. Conſtat tamen, ſub Antonino jam ejuſmodi loca publica in Urbe fuiſſe, in quibus homines pretioſiſſima quæque ſua reconderent, Paulus *de Offic. præf. Vigil.* Argentarios inprimis inſtrumenta ibi ſua habuiſſe repoſita, diſcimus ex *l.* 6. *D. de ed.* &c. Salmaſ. ad Lamprid. in *Alex. Sev.* Habuêre vero & Principes ſua *Horrea* & conditoria; in quibus res raræ & inuſitatæ reponebantur. Solin. *c.* 1. *Deprehenſum tamen eſt Romanis temporibus, ſub D. Aug. Puſionem & Secundillam denos pedes & amplius* [illegible] *quorum reliquiæ adhuc in conditorio Salluſtianorum* [illegible]. Sic [illegible] χρύσεος, *in horreis Imp.* conditum aromatibus hippocentaurum aſſervari, ſcribit Phlegon Trallian. *de Mirabil.* Vox Græca omninò. Οὖρος enim & ὦρος Græcis φύλακα, i. e. *cuſtodem*, deſignat, unde ὥρειον & ὅριον τὸ φυλάκιον & φυλακτήριον, idem Salmaſ. *ad Spartian in Hadr.* ubi complura de *Horreis Caſtrenſibus* ſeu *Fiſcalibus*, de quibus etiam habes ſuprà quædem in voce *Condita*. Apud Euſeb. in *Epit. Temp.* duo *Horrea* in honorem filiarum Anaſtaſiæ & Caroſæ, Ἀναστασιανὰς & Καρωσιανὰς vocata, erexiſſe Valens Imp. legitur, CPoli, ubi Δημόσια appellat Auctor, de qua voce vide Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* De *Horreis* autem vulgaribus ſeu Granariis, in quibus frumenta conduntur, multa Plin. *l.* 18. c. 30. Addam ſaltem, de Theodorici Oſtrogothorum Regis, in Italia, *Horreis*, fuiſſe trium milliarium Italicorum in longitudine & amplitudine unius milliaris continuatâ menſurâ, adnotare Procop. apud Theod. Zwinger. *Theat. Vitæ Hum. p.* 2411. qui etiam in *Horreis* igni conſumptorum exempla ſuggerit *p.* 478. Uti verò fœnilia & palearia, ſic apothecas & horrea, extra villam Vitruv. rejicit, ut ab ignis periculo tuta eſſent, quod & legibus locationum exprimi aliquando conſueviſſe, diſcimus ex *L.* II. *in fine ff. Locati & Cond.* qua de re Vide Pignor. *Comm. de Servis*, & *de Horreis* Afrorum Bactrianorum Cappadocum, Thracum, Vide infra in voce *Siti*: aliquid etiam in voce *Sitarcha*.

HORREUM Caſtrenſe, dictum olim Tinurtium eſt ad Ararim, quia manſio vel ſtatio fuit militaris, annonam & cætera militibus iter facientibus neceſſaria ſervans: quales ſtante Imperio Rom. manſiones fuerunt, in viis publicis inque vicis plerunque ad ripas fluminum maj. poſitæ, & omnibus rebus abundantes. Talia fuêre *Horrea Cælia*, inter Putput vicum & Hadrumetum coloniam, in prov. Byzacena, aliàs *Horrea* abſolute dicta: tale *Horreum Margi* in Mœſia, à Naiſſo 57. mil. paſſ. diſtans, quod Ptol. ſimpliciter *Horrea* vocat: talis inter Forum Julii & Antipolim locus, Æthico dictus *ad Horrea*. Talia fuêre ad Moſellam caſtella, olim condita à Romanis, adverſus Germanorum incurſiones: quæ jam ſecurâ Belgicâ ac nihil à Germanis metuente, pro horreis potius, quam pro caſtellis haberi, ait Auſ. *in Moſella*: v. 456.

Addam præſidiis dubiatum condita rerum.
Sed modo ſecuris non caſtra, ſed Horrea *Belgis*.

Sic Amm. Marcell. *l.* 18. *c.* 2. *Horrea ad Rhenum* commemorat. Et Sidon. ait *l.* 6. Ep. 12. *Vidimus per Araris & Rhodani ripam non unum horreum.* Eumenius quoque *in Panegyr. Conſtant.* de Maximiano Herculeo, qui ab urbe Treviris per Araris Rhodanique ripas itinere facto Arelatum pervenerat, loquens, ejuſmodi *Horreorum* manſionumque meminit. Fuêre & *Horrea* publica apud urbem Treviros, in quibus annona militaris ſtante Imperio ſervabatur, quæ poſtea in Monaſterium clariſſimum mutata ſunt: quod *Monaſtarium ad Horrea* Annales Metenſes, alii Cœnobium *Horrenſe*; alii *Horrea*, puellare ac Abbatiale Monaſterium S. Mariæ, vocant. Horrea prædicta hodie Gall. *Magazins*, German. *Provianthauſer* dicuntur. Hadr. *Valeſ.*

HORRHÆI, Gigantes, quos expulêrunt filii Edom à monte Seir. Deut. c. 2. v. 12. & 22. Gen. *c.* 4. *v.* 6.

HORSA, Anglo Saxonum Dux, cum Hengiſto, à Britonibus in Angliam vocatus, A. C. 449. poſt res ibi præclare geſtas, Obiit in pugna contra Aurelium Ambroſ. A. C. 456.

HORTA Dea, cum viveret *Herſilia*, uxor Romuli, ab hortando & incitando dicta. Hujus ædem nunquam claudi ſolitam tradit Plutarch. ea ſcilicet cauſa, quod ſemper aliquid præclari fieri hortaretur, nunquamque ceſſandum. Quidam Stimulam appellatam dixêrunt.

HORTA, ſeu ORTA, oppid. agri Novarienſis in Duc. Mediol. cum lacu parvo cogn. 5. mill. ab Arona, totidem à lacu Verbano in Occ. 7. à conf Pedemontii.

HORTANUM, Tuſciæ urbs. Plin. *l.* 3. c. 5. *Horti* Leandro. *Orta* Baudr. nunc oppid. prov. Patrimonii S. Petri, in colle, prope Tiberim, ubi Neram amnem recipit. Deficit in dies.

HORATOR, Græce Κελευστὴς, officium nauticum dicebatur, qui pertica ſignum dabat remigandi. Ovidius *Met. l.* 3. *v.* 618.

----- Et qui requiemque modumque
Vore dabat remis animorum hortator *Epopeus*.

Cujus loco tubam adhibet Seneca Agamemn. *Actu.* 3. *v.* 426.

Signum recurſus regiâ ut fulſit rate
Et clara lentum remigem monuit tuba:

ubi Gron. vide, inſuper Salmaſ. *ad Solin.* p. 734. & hic ubi de *Celeuſmate*, item in voce *Portiſculus*: de *Hortationibus* verò eorum qui in Ludis Sacris decertabant, ſuo loco.

HORTENSIA, Hortenſii filia eloquentiſſima, quæ Val. Max. *l.* 8. *c.* 3. *Ex,* 3. *cum ordo matronarum gravi tributo à Triumviris, Octavio, Antonio, & Lepido eſſet oneratus, nec quiſquam virorum patrocinium eis accommodare auderet; cauſam feminarum apud triumviros & conſtanter & feliciter egit, repræſentata enim patris facundiâ impetravit; ut major pars impetratæ pecuniæ his remitteretur* App. de Bello *Civ. l.* 4. Quintilian l. 1. c. 2.

HORTENSIUS Q. Ortalus, Rom: Rhetor, qui in foro Rom. *Cauſarum Rex*, ob eloquentiam dictus eſt, licet ejus ſcripta intra famam fuerint. De quo Cic. *in Bruto* ſic refert: *Primum memoria tanta quantam in viro cognoviſſe me arbitror, ut quæ ſecum commentatus eſſet, ea ſine ſcripto verbis iiſdem redderet, quibus cogitaſſet.* De illo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

etiam fertur, quod ſedens olim totum diem in auctione, omnes res venales, ut & pretia & emptores ordine ſuo recenſuerit, agentariis recognoſcentibus, ita ut à nullo falleretur. Coſ. fuit cum Cecilio Metello: quod nimium ſe declamando moveret, *Dionyſia ſaltatricula* dictus. Scripſit Orationes, verſus minus probatos, & Annales. Vellejus Pat. *Hiſt. l.* 2. Ovid. Triſt. *l.* 2. *v.* 441. Cic. *Ep. ad Attic. l.* 12. *Ep.* 5. *l.* 3. *de Orat. &c.* Varro, *de Re Ruſt. l.* 3. *c.* 5. *& ult.* Plin. *l.* 9. *c.* 55. *& l.* 10. *c.* 20. Aul. Gell. *l.* 1. *c.* 5. *l.* 19. *c.* 9. Macrob. Sat. *l.* 3. *c.* 11. Fil. ejus cogn. Obiit in bello civili Bruti, Vellej. Pat. *l.* 2. Plutarch. *in Cat.* Nepos verè nepos. Valer. Max. *l.* 3. *c.* 5. *Ex* 4. *l.* 5. *c.* 9. *Ex* 2. & *l.* 8. *c.* 10. Ex 2. Tac. *Ann. l.* 2. *c.* 37. & 38. Suet. *in Tib. Ner. c.* 47.

HORTENSIVS Corbio. Hortenſii Oratoris nepos degener: Nam teſte Valer. Max. omnibus ſcortis abjectiorem & obſcœniorem vitam exegit: ad ultimum lingua ejus tam libidini cunctorum inter lupanaria proſtitit, quàm avi pro ſalute civum in foro excubuerat.

HORTENSIVS Martinus, Vide *Martinus.*

HORTONA, opp. Italiæ in conf. Æquorum. *Ortona* Liv. l. 3. c. 30. Ὄρτοι Dionyſ. fortè pro Ὀρτῶν. Vide Cluv. *Ital. Antiq. p.* 969.

HORTOSPANVM, Vide *Ortoſpanum.*

HORTVLANVS, Officium Monaſticum, cui horti incumbit cura: apud Uldalric. *in Conſuet. Cluniac. l.* 3. *c.* 20. Eum Cellerario ſubjectum eſſe, ex *l. Ordinis S. Victoris MS.* docet C. du Freſne. Apud Romanos *Olitor* dictus eſt &c. Vide infrà.

HORTVS, ex Græco χόρτος, villa Veteribus dicebatur. Plin. *l.* 19. *c.* 4. *in XII. tabulis legum noſtrarum nuſquam nominatur, villa ſemper in ſignificatione ea* hortus: *in horti vero heredium quam rem comitata eſt & religio quædam, hortosque & fores tantum contra invidentium effaſcinationes dicari videmus in remedio Satyrica ſigna, quamquam hortos tutelæ veneris aſſignante Plauto.* Nempe cùm Vett. tam in Urbe, quàm ruri, munire ſe vellent aliquo remedio adverſus invidiæ faſcinum, in *foro tantum,* h. e. in urbe, publicè ea ſigna conſecrabant, & privatim ruri quiſque apud ſe *in horto,* i. e. in villa. Qui mos poſtea, cùm notio vocis mutata eſſet, retentus tamen & in *Horto* Satyrica illa ſigna dicari perrexêrunt, quæ qualia fuerint, infrà dicemus. Eorum apud Romanos cura admodum vet. fuit, cùm & Regibus illa cordi, Plin. iique ut plurimum in ſuburbiis erant, quod præcipit Varro *de Re Ruſt. l.* 1. *c.* 16. & Cato, *in Villa,* inquiens, *vinea primum locum,* Hortus *ſecundum obtinet, de Re Ruſt. c.* 1. Hinc Mart. *l.* 7. *Epigr.* 48. cujus epigraphe ad Severum.

Parva ſuburbani munuſcula mittimus horti.

Aut prope Tiberim, ut de hortis Cæſaris & Antonii, in rebus Octaviani, teſtis eſt Dio *l.* 47. Poſtea in Urbem tranſiêre Idem Plin. *ibid. Jam quidem Hortorum nomine, in ipſa urbe, delicias, agros, villasque poſſident. Primus hoc inſtituit Athenis Epicurus, otii Magiſter. Uſque ad eum moris non fuerat in oppidis habitari rura.* E ſolo aſcendêre in feneſtras. *Ibid. Jam in feneſtris ſuis plebs urbana in imagine hortorum quotidiana oculis rura præbebant, antequam præfigi proſpectus omnis coëgit multitudinis innumeratæ ſæva latrocinatio.* Directarii enim malis artibus in aliena cœnacula ſe dirigentes, feneſtras uncinis & hamis aperiebant, ut Dalechamp. *ad l.* notat. Imò ſupra tecta tandem ſe extulêrunt. Adeò enim hortis nemoribuſque capiebantur elegantiores, ut etiam in urbanis ædibus, ſi alio loco nequirent, in tectis ſaltem haberent, Caſaub. *ad Suet. Aug. c.* 72. Cæterum palatiis Principum vicinos eſſe debere, in ſacris docetur Eſth. *c.* 7. *v.* 7. & 8. aut domibus privatorum, apud Pallad. *l.* 1. *c.* 34. Legari *Hortos* ſuetum fuiſſe, ex *Inſcr.* vetuſta Julii Carnici extante, cujus Lazius meminit *l.* 12. *c.* 1. patet. Inter commoda familiaria ponit Phædr. *l.* 4. *Fab.* 5. *v.* 26. & 34. Maximâ autem curâ providebatur, ne ſiccitate laborarent, ideoque aqua canalibus induceba tur, vel fiſtulis aquariis, ut vocat Jul. Capitolin. *in Maximo & Balbino Augg.* quibus materia plumbum, ubi ditiorum horti erant, vel lignum, ubi tenuiorum. His qui Romæ præpoſitus erat, *ab Hortu cultura* dictus eſt: Qualis genero Vandalorum Regis in Africa fuiſſe legitur Paulin. Ep. vir ſanctiſſimus, qui ſeipſum pro redimendo viduæ filio in ſervitutem dedit. At in familia Cæſarum Villici ſeu *Procuratores Hortorum* fuêrunt tam urbanorum, quàm ſuburbanorum, pro dignitate, ne dicam ſuperbia, divinæ domus: ad quod hortenſe Cæſarum patrimonium reſpexit Plin. jun. *Panegyr. Circumfertur ſub nomine Cæſaris tabula ingens rerum venalium, quod ſit deteſtanda avaritia illius, qui tam multa concupiſcebat, cum haberet ſupra vacua tam multa. Tunc exitialis erat apud Principem huic laxior domus, illi amœnior villa. Nunc Princeps in hac eadem dominos quærit, ipſe inducit ipſos. Illos magni aliquando Imp. hortos, illud nunquam niſi Cæſaris ſuburbanum licemur, emimus, implemus.* Vide Pignor. *de Servis. p.* 245. 246. 247. & 248. Olim verò, matrum familias hæc cura erat. Inde *primum agricolæ æſtimabantur priſci & ſic ſtatim faciebant judicium, nequam eſſe in domo matremfamilias (etenim hac cura feminæ dicabatur) ubi indiligens eſſet hortus,* iterum Plin. Sed nec uſui, aut delitiis ſolùm, verùm & habitationi, inſerviêre *Horti.* Sic Thraſeam in hortis egiſſe, cum advesperaſcente jam die Conſulis Quæſtor ad eum miſſus eſſet, notat Tac. Ann. *l.* 16. & Claud. abjectâ ſpe dignitatis, ad otium conceſſit in Hortis & ſuburbano, in Campaniæ ſeceſſu deliteſcens, apud Suet. Tib. Claud. *c.* 10. Quo ſine ædificia in iis extruebant, quæ *diætas* Romani, *zetas* Græci vocavêre, uti ex Lamprid. *Heliogab.* conſtat. Vide B. Briſſon. *l.* 13. *c.* 3. ut & hîc in vocibus hiſce. In iiſdem Philoſophantibus locus fuit. Sic Epicurus non minus in *Horto,* ac in Academia Plato, in Lyceo Ariſtoteles, in porticu Zeno docuit: unde Stat. *l.* 1. Sylv. 3. v. 94.

Mallet deſerto ſenior Gargettius horto:

quem 80. minis ab eo emptum, tradit Apollod. apud Diog. Laërt. Hunc dein teſtamento Epicurus huic rei legavit, cujus proin ſectatores ibidem diſputare conſuevêrunt. Unde ſæpe *Hortus* pro *Schola Epicuri*: Cic. *Sed tamen tantam Epicuri hortus habuit licentiam.* Virg. *in Ciri Initio,*

Et ſi me vario jactatum laudis amore,
Irritaque expertum fallacis præmia vulgi,
Cecropius ſuaves exſpirans Hortulus *auras.*
Florentis Sophiæ viridi complectitur umbra &c.

Nec ſine ratione *Hortus* Academicis hiſce meletemaſi ſelectus, cùm multum ad ingenii acumen ſalubritatem loci conferre tradant Medicorum filii Georg. Horn. *Hiſt. Philoſ. l.* 7. *c.* 3. Vide quoque infrà in voce *Spes,* ubi de *Hortis Spei veteris,* ad quos ſeceſſiſſe Heliogabalum memorat Lamprid. cum contra Alexandrum varia machinaretur. Tandem & funeribus in *Hortis* locus fuit, apud Judæos inprimis, unde & SERVATOR noſter in tali ſepultus, Joh. *c.* 19. *v.* 41. *In eo autem loco, ubi fuerat crucifixus, erat hortus, & in horto monumentum novum, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat.* Etiam Zungchinius Imp. Sinarum ultimus, poſtquam ab hoſtibus regiam urbem occupatam audiviſſet, in pomarium digreſſus, ex vitta laqueum feciſſe & ſemet ex pruno ſuſpendiſſe legitur; neque alium finem ſibi Regina, & fidiſſimi Eunuchorum elegêre. Sic loca delitiarum funeſtata ſunt, & fructus tulêrunt arbores nefandos, Adamus Preyelius *Sinæ & Europæ c.* 50. Vide quoque ſuprà in voce *Cenotaphium.* Fuêre autem inter nobiliores Veterum hortos, *Horti penſiles* Semiramidis apud Strab. *l.* 16. *p.* 738. & Plin. *l.* 19. *c.* 4. qui ait, *Antiquitas nihil prius* (Hortorum causâ) *mirata eſt, quam Heſperidum hortos ac Regum Adonis & Alcinoi, itemque penſiles ſive illos Semiramis ſive Aſſyriæ Rex Cyrus fecit.* Vide quoque ſupra *Cucumis,* & *Cupreſſus.* Lyſander apud Xenoph. *l.* 5. *Memor.* narrat, Hortum Sardibus viſum, quem Cyrus Rex ſua manu confeciſſet: & domibus Regum Perſarum juncti ſemper erant *Horti,* Plutarch. in *Artaxerxe,* quos *Paradiſos* vocabant, Jul. Pollux *l.* 9. *c.* 3. At verò de Alcinoi & Heſperidum hortis, quis poſt Homerum, Alios, præfatum inprimis Plin. plura dicat? Vide Thom. Dempſter. *Paralip. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 11. Alios, olim hodieque celebres ſic perſequitur, Auctor *Sinæ & Eur. c.* 23. *Hortus memorat Antiquitas illos balſami, juxta urbem Engaddi in Palæſtina, à Cleopatra in Ægyptum tranſlatos, inter Heliopolim & Babylonem. Alii in monte Thabor, tum in monte Oliveti, Regii, Herodis, Memphitici, & juxta Cairum Matarei —— In Colchorum regione, intra Pontum, horti oſtendebantur Jaſonis; in Creta Labyrinthus Dædali. In Italia ſuperbiunt Venetiæ hortis Muranis & Patavinis. Ferraria oſtentat ſuum* Belvedere *Bononia Poetarum hortum & Cœnobium S. Michaëlis in ſylva: Mantua penſiles Palatinos & villam Marmiolanam: Parma Nymphæum, Florentia Pratolinum & Caſtellum novum? & intra pomœria Pittorum ac Alexandri Medicæi Cardinalis hortos: Farneſius Caprarolæ, Romæ Vaticani, Mattheorum, Bellæi, Cardin. Carpenſis, Salluſtianos, Hetruſcos, Farneſianos, Pontificios in monte Cavallo, S. Mariæ novæ, Buffalorum, Julii II. Neapolis ſeſe offert horto Palatino, Toletano, ſuburbano, Pogio regali. Tiburtinus, Piſanus, Genuenſis & Salernitanus non immerito his ſubjunguntur. Neque Germania hac parte gloriæ fruſtranda: Sunt horti Monacenſes, Salisburgenſes, Eyſtettenſes, Oenipontani, Landishutani, Auguſtani, Dresdenſes, Vinarienſes, Chonhoviani, Bardani, Egrani, Pragenſes, Baſilienſes, Heidelbergenſes. Sunt Ingelheimenſes, Neuſtadenſes, Francofurtenſes, ubi in uno ramulo novem mala auraica glycypicra vidimus heri menſæ illata. De Gallia & Hiſpania ſuperſedemus quidquam dicere, propter ubertatem materiæ. Repetimus vero ex Faventino horto hanc Inſcriptionem: Satis dives, qui non indiget pane; Satis potens, qui non cogitat ſervire. Civiles curæ procul abite. Sabbas Caſt. Solitarius ſe ipſo contentus, hos ſecurus incolit hortulos; pauper, an dives, ſi cordatus es cogita.* Hactenus ille. De *Hortorum* idolo apud Gentiles, Vide quoque infrà ut voce *Priapus*; ornamenti uti de *Topiario opere*; uti de *Horto aureo* in Templo Hieroſolymitano infrà item *Vitis aurea.*

HORVS, Iſidis fil. quem cum Iſis amiſiſſet, verita eſt ne illi obveniret, quod Oſiridi patri accidirat: ſed eo invento, mœrorem in lætitiam covertit. Idem Aſſyriorum Rex Plin. *l.* 30. *c.* 15. Ab Ægyptiis Apollinem ſive Solem ſic dictum eſſe, teſtatur Macrob *Sat. l.* 1. *c.* 21. Unde compoſita vox *Horapollo.* Origo autem nomini ex Hebræo חרס, quod Judic. *c.* 8. LXX. Interpretes Ἄρες vertunt ἀπὸ ἀναβάσεως Ἄρεος. Inde pro Sole & Marte ſumitur. Georg. Horn. *Hiſt. Phil. l.* 1. *c.* 6. Vide infrà *Orus.* Cæterum Græcam vocem Ὅρος quod attinet, apud Scriptores Eccl. ea decreta Conciliorum, decreta περὶ τῆς πίστεως, περὶ τῆς εὐταξίας, ſicut in voce Ὑποτύπωσις, indigitari, & Νόμους quoque nonnunquam appellari, quamvis diſcrimen hoc non perpetuò obſervetur, docet pluribus Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in Ὅρος.

HOSA, janitor quidam. 1. Par. *c.* 16. *v.* 38. & *c.* 26. *v.* 10. Hebr. חוסה Lat. *confidens.* vel *protegens.*

HOSA, nomen civitatis. 1. Par. *c.* 4. *v.* 4. Heb. חושה. Lat. *Feſtinans, tacens,* aut *ſenſualis.*

HOSA, Tuſcorum fluv. Ptol. *Martha* hodie.

HOSAE, dictæ olim bracæ, crurum tegumenta vel pedum, ſuper quæ tubrucos accipiebant, qui nobis *ocreæ,* Gall. *botes.* Paulus de geſtis Longobard. *Calcei vero eis erant uſque ad ſummum pollicem pæne aperti, & alternatim laqueis corrigiarum retenti. Poſtea vero cœpêrunt hoſis uti, ſuper quas equitantes tubrucos birreos mittebant. Sed hoc de Romanorum conſuetudine traxêrunt.* Vide Salmaſ. *ad Lamprid. in Alex. Sev.* & infra in voce *Oſa,*

HOSANNA, quid Hebræis notaverit, dicemus infrà in *Oſanna,* & ubi de *Tabernaculorum feſto.* Remanſit acclamatio in Eccl. tam Græca, quam Latina, ubi bis in Miſſa dicitur, ſemel nempe Angelorum vice, atque iterum hominum nomine. Dom. Macer in *Hierol.*

HO-

HOSCHELIVS David, Auguſtâ-Vindelicus Gymnaſio Annæo præfectus A. C. 1593. per Annos 36. illud magnâ nominis ſui famâ rexit, Græcæ inprimis Linguæ peritiſſimus. Bibliothecæ publicæ curâ quoque interea ſuſceptâ, rariſſimorum Codicum MSS. Græcorum magno ære ab Antonio Eparchio Ep. Corcyrenſi coëmptorum ingenti copiâ illam auxit, *Photium*, illum omnium Eruditorum tanto peritum ambitu, tanto datum, primus in lucem edidit, gratias ei omnium eorum nomine peculiari epiſtolâ agente Is. Caſaub. *Procopii* etiam Græcam editionem immenſò labore ac ſtudio maturavit. *Patrum* præterea quædam monumenta Græcè edidit; ob hæc in Rem Literar. merita, *totius Europæ ſidus*, *Græcarum Literarum phoſphorus*, *veterumque librorum Reſtitutor* crebro ſalutatus. Obiit A.C 1617. Æt. 61. Cætera quæ ſcripſit quam plurima, Vide apud Theoph. Spizelium *Templo Hon*. Paul. Freher. *Theat. Viror. Erudit. Claror.* Alios.

HOSDENCVM, vulgò HOUDAN, caſtrum Gall. in Carnutibus, ubi Eccleſia eſt, ad Monaſt. Columbenſe pertinens, ab Amalrico, Comite Montisfortis, Simonis patre, extructa, qui in eodem caſtro duas nundinas inſtituit. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

HOSEA, fil. Ela, regnavit in Samaria ſuper Iſraelem, poſt Pekahum, quem occiderat, A. M. 3195. A. C. N. 767. Anno ſeptimo Regni ſui. Salmanaſſar Aſſyriorum Rex, Samariam obſedit, Hoſeamque tributarium fecit. At verò Hoſeas dum rebellat, tributaque Aſſyrio recuſat, & dum à Sua, Rege Ægypti, auxilium petit, à Salmanaſſare obſeſſus eſt, qui vinctum miſit in carcerem. Samariam cepit, Iſraëlitarum regnum perdidit, decemque tribus abduxit: transferens Iſraël in Aſſyrios. Conſule Reg. *l.* 4. *c.* 17. & Joſeph. *l.* 9. *c.* 15.

HOSEA, fil. Beeri, primus ex 12. Proph. min. è tribu Iſaſchar; prophetavit ſub Ozia, Joathan, Achaſe, Ezechia, & Jerobeamo II. Iſraëlitiſque rebellibus captivitatem prædixit, Capp. 14. Eum 100. Annos quidam vixiſſe volunt. Hier. *in Prologo Gal.* & alibi. Epiphan. *de Vit. Proph.* Salian. & Torniel. *in Ann.* &c. In *Prophetiam* ejus extant, Brentii *Comm.* ut & Capitonis in Octav. Argent. A. C. 1539. à Caſtro. Donnami *in c.* 4. *pr.* Angl. Quart. A. C. 1608. Fabricii conciones, Quart. Bernæ A. C. 1623. Geſneri *Illuſtr.* Octav. Witteb. A. C. 1601. Hier. Guadal. *Comm.* Quart. Brixiæ, A. C. 1604. Huſſi *Comm.* ut & Krakevitzi, Quart. Lamberti Octav. Francof. A. C. 1539. Liveleji *Annotat.* Octav. Londini A. C. 1587. Matthæus. Meiſneri *Comm.* Merceri *Comm.* Fol. Genevæ A. C. 1565. Molleri item. Oecolampadii *Annotat.* Baſil. A. C. 1535. Oſorius. Polani *Partitiones, Theſes & Analyſes*, Quart. Baſil. A. C. 1599. Rivetus. Ruffinius. Tarnovius, Theophylactus. Tremellius. Zanchius, &c. Vide Crowæi *Elenchum*.

HOSIUS, Ep. Cordubenſis, vide *Oſius*.

HOSIUS Staniſlaus, Cracovienſis, Ep. Varmienſis Card. A Sigiſmundo I. ad Julium III. & Imp. à Pio IV. ad Ferdinandum iterum, & Regem Bohemiæ, Concilii Tridentini continuandi ergò miſſus: ubi Seſſioni 24. intereſſe noluit. Obiit Romæ A. C. 1579. Æt. 76. Opera ejus in diverſas linguas tranſlata. Vide Moter *Dict. Hiſt.*

HOSMANNUS Melchior, vide *Melchior*.

HOSPES, nomen venerandum olim ac Majeſtate plenum. Stat. *Achill. l.* 2. *v.* 147. & *ſeqq.*

Nec minùs egreſſæ thalamis Scyreides ibant
Oſtentare choros, promiſſaque ſacra verendis
Hoſpitibus ———

Et *Hoſpitii* neceſſitudo magna: Unde A. Gell. *l.* 5. *c.* 13. *Conveniebat autem facile, ex moribus Pop. Rom. primum juxta parentes locum pupillos tenere debere, fidei tutelæque noſtræ creditos; ſecundum eos proximum locum clientes habere, qui ſeſe itidem in fidem & patrocinium noſtrum dediderunt: tum in tertio loco eſſe* Hoſpites: *poſtea eſſe cognatos, affineſque.* Apud eundem paulò infrà, etiam clienti anteponit *Hoſpitem* Maſſurius Sabinus, cujus rei firmum ac clarum teſtimonium perhibet auctoritas C. Cæſaris qui *Orat. pro Bithynis*, hoc principio uſus eſt: *Vel pro hoſpitio Regis Nicomedis, vel pro horum neceſſitate, quorum res agitur, defugere hoc munus M. V. non potui. Namque neque hominum memoria deleri morte debet, quin à proximis, retineatur: neque clientes ſine ſumma infamia deſeri poſſunt.* Erat autem hæc neceſſitas non modò inter privatos, ſed etiam inter populos, vel ſingulos & civitates: Ita inter Eumenem Regem & Populum Romanum publicum *Hoſpitium* fuiſſe, ſcribit Liv. *l.* 2. *c.* 14. cujus nota erat teſſera hoſpitalis, & Jupiter hoſpitalis, Græcè Ξένιος, vindex illius neceſſitatis violatæ. Ovid. *Met. l.* 10. *v.* 224.

Ante fores ſtabat Jovis Hoſpitis *ara.*

Nec inter viventes ſolùm, ſed & inter defunctorum liberos nepoteſque ad quos *Hoſpitii* tranſiiſſe jus, diſcimus è Plauti *Pœnulo*, *Sc.* 5. *Actu* 1. Cic. *ad Famil.* 13. 19. Alii Græci inprimis circa *Hoſpitii* jus admodum religioſi fuêre, neque *Hoſpitem* ullum, ſine cærimoniarum plurimarum pompa, excepêre. Dexteram illi porrigebant, πιστώσεως δηλωτικὸν, Euſtath. in *Iliad.* 9. juxta illud Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 597.

——— *En dextra fideſque.*

Sale aſpergebant luſtrabantque, quod etiam primo loco in conviviis proponebant, unde hoc inviolabilis amicitiæ ſignum: πῦ ἅλες; *ubi ſal*, h. e. ubi amicitiæ fides? Præſervandi enim vim ſal habet, & ex variis granis conſtat. Ita etiam ex variis gentibus hoſpites coaleſcunt & mutuam fovent memoriam nunquam interituram. Inſuper Jovi Xenio ſacrificabant, inter ſacrificandum hac verborum formula uſi: Εἰς Δία Ξένιον [illegible], *in Jovem Xenium peccavero; ſi neglexero hoſpitem.* Tandem aſtragalo in duo fruſta diſſiecto, alterum *Hoſpiti* dabant in patriam redituro, alterum ſibi ſervabant: poſtea, cùm iterum convenire occaſio vel neceſſitas cogeret, [illegible] ἀνανεοῦντες τὴν ξενίαν, *Reſpectantes dimidium fruſtum, renovabant amicitiam.* Vocabatur id *Symbolum*, Gr. Σύμβολον: quæ aliquando familiaribus mittere ſunt ſoliti, in alterum gratiam, quemadmodum Jaſo apud Euripid. Medeæ promittit, [illegible], *mittere hoſpitum ſymbola, ut illi benefacerent.* De cujuſmodi *Teſſeris Hoſpitalitatis* vide Stuckium *Antiqq. Conviv. l.* 1. *c.* 27. & Tomaſinum *tractat ſpecial.* Similiter Germanorum veterum in *Hoſpites* fidem præter Tac. *de moribus Germ. c.* 22. commendat Cæſ. de Bell. Hiſp. *l.* 1. *c.* 2. *Hoſpites violare fas non putant: qui quaque de cauſa ad eos venerint, ab injuria prohibent, ſanctoſque habent: iis omnibus domus patent, victuſque communicatur.* Epulum inprimis olim hodieque in hac re frequens. Ovid. *Met. l.* 11. *v.* 96.

Hoſpitis *adventu feſtum genialiter egit*
Per bis quinque dies & junctas ordine noctes.

Vide quoque Homer. paſſim, Stat. *Achill. l.* 2. *v.* 100. Priſcum Rhetorem, Attilæ illius Magni Regium epulum deſcribentem, Alios. Unde coronæ, inter *Hoſpitalia dona*; his enim cunctis convivia olim agitata, ſuprà diximus. Sic Apollonius ab Rege Indorum ἐς τὸ συσσίτιον, *ad locum convivii*, coronatus deductus eſt, apud Philoſtratum, in *Vita* ejus. Nec tantùm præſentibus dabantur; ſed, ſi quando *hoſpes* magnus tecto excipi non poterat, ei mittebantur. Tac. *Ann. l.* 14. *c.* 24. *Nec multo poſt legati Tigranocertâ miſſi, patere mœnia afferunt, intentos popularis ad juſſa. Simul hoſpitale donum, coronam tradebant.* Vide Car. Paſchal. *Coron. l.* 2. *c.* 3. De Sueris vide *ſuo loco*. Quantò verò humaniores hi, quàm vel Spartani, qui teſte Alex. ab Alex. *l.* 4. *c.* 10. ξενηλάται inde dicti ſunt, quòd hoſpites ab urbe repellerent: vel Moſchi, qui neminem facilè peregrinum admittunt, ut ſcribit Sigiſm. Baro Herberſten. *in Hiſt. Moſc.* vel Chinenſes, quos idem factitare docet Maffejus *Hiſt. Ind. l.* 6. Sed nec Tartarorum *Hoſpitalitas* probanda, in quorum provincia *Camul*, incolæ peregrinos quoſcunque vel invitos ſuſcipiunt: domo cedit hoſpiti pater familiâs, uxorem commendans, nec ante diſceſſum hoſpitis redit. Idem de Laponibus, Ruſſiæ gente, Alex. Guagninus, de Lydis Strab. refert *l.* 11. *in fine*, de aliis alii. Nec omittendum, non raro, ſub ſacra *Hoſpitum* perſona, proditores occultatos graviſſimè nocuiſſe. Nota exempla Zopyri, Sinonis, Demarati Spartiatæ, Amilcaris Carthaginenſis, aliorum. Imò Ariſtot. *Polit. l.* 5. *c.* 3. novem civitatum adducit exempla, ubi peregrini in civium perniciem conjurarunt. Denique *Hoſpitii* jus tamdiu ſervandum, quamdiu *hoſpes* non in *hoſtem* mutatur. Qua de cauſa duobus ab hinc ſeculis paſſim in Germania graviter in Judæos animadverſum eſt, quòd veneficiis & uſuris jus hoſpitii violâſſent. Matth. Berneggerus *in Tac. Germ. Quæſt.* 125. Vide quoque ſuprà: in voce *Excuneati*, nec non ubi de *Peregrinis* ac in voce *Oboni*: Alian. vide notionem vocis, infra ubi de *Obſidibus*.

HOSPES, in *LL.* Burgundionum paſſim, potiſſimùm verò *tit.* 54. §. 1. & *tit. ſeq.* §. 1. i. e. Romanus. Burgundi enim, pervaſis Galliarum finibus, cum veteribus incolis, quos *Romanos* vocabant, agros, terras ac prædia & mancipia ita partiti ſunt, ut Burgundis duæ terrarum partes, mancipiorum tertia, reliquæ cederent Romanis; quos ex eo *Hoſpites* appellabant, quod ab iis Burgundi, atque adeò Barbari, veluti advenæ hoſpitio excepti & in rerum poſſeſſionis partem aſciti, rebus iiſdem *Hoſpitalitatis jure* gaudere ac frui dicerentur. Unde fortè *Hoſpites* Gallis dici cœpêre, villarum ſeu vicorum incolæ, quos alii *Manſionarios* vocant, qui ſc. domos incolunt ſub cenſu annuo, qui *Hoſtiſia* nuncupatur, &, à ſervis ſeu adſcriptitiis diſtincti, colonis accenſentur, in *Charta* Ludovici VII. A. C. 1179. apud C. du Freſne, in *Gloſſ.*

HOSPITA, cogn. Minervæ, vide infrà.

HOSPITALARIUS, ſeu HOSPITALIS, Græcis Ἡγουμενιάρχης, dictus eſt, [illegible] ξένων, cui cura Monachici hoſpitii commiſſa. Aimoin. *de Miracul. S. Benedicti c.* 3. *Leutherius* ---- *Monachus habitu, ſuſcipiendorum hoſpitum tunc delegatus miniſterio*; de cujuſmodi *Hoſpitalariis* Monaſteriorum agit *Regula* S. Pachomii *c.* 51. aliique Auctores, laudati C. du Freſne *in Gloſſ.* Ab *Hoſpitali*, h. e. loco ſeu æde in Monaſteriis, ubi hoſpites & advenæ excipiebantur, quæ *Domus Hoſpitum* dicitur Hugoni de S. Victore *l.* 3. *de Clauſtro animæ*: cujuſmodi loca in Monaſteriis varia fuiſſe, *Nobilium* nempe & *Peregrinorum* quorumvis, diſcimus ex *Charta* A. C. 871. pro Monaſterio S. Medardi Sueſs. *in Hiſt. S. Mariæ Sueſſ.* apud eund. Sed & *Hoſpitalarii*, appellati ſunt Milites Ordinis S. Joh. Hieroſolym. quòd primitus Hieroſolymis in Hoſpitali S. Joh. Eleemonis ſedes ſuas fixiſſent, peregrinorum obſequiis addicti: [illegible] Cantacuzeno *l.* 2. *c.* 12. & 29. Præter quos occurrunt *Hoſpitalarii Teutonici* ſeu *ſanctæ Mariæ Teutonicorum in Hieruſalem*: Ordo inſtitutus ſub Regula S. Auguſtini, de quo pluribus diximus alibi. Iis alborum palliorum, quæ Militum Templariorum erant, uſu interdixit Innoc. III. *l.* 13. *Ep.* 125. & 126. Etiam *Hoſpitalariorum S. Spiritus* Ordinem in Gallia inſtituiſſe ajunt Guidonem quendam Comitem, apud Montempeſſulanum, quem poſtea confirmaverit Innoc. modò laudatus. Tandem *Hoſpitalarii* utriuſque ſexus, qui in Hoſpitalibus, ægrorum ac pauperum obſequiis addicti, Regulam eandem Auguſtini profitentur, occurrunt apud Jac. de Vitriaco *in Hiſt. Occid. c.* 29. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.* & qui de *Ordin. Equeſt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Equeſt, ſcripſêrunt, Franc. Mennenium, Belloium, Favynum, alios: nec non infrà in voce *Xenodochium*. De *Hoſpitalibus* verò Theatri, Scalig. *poët.* *l.* 1. *c.* 21.

HOSPITALIUS Michaël, nepos ex filio (qui Medicus fuerat Johannæ Borboniæ Antonio Navarræo nuptæ) Judæi cujuſdam Avenionenſis, virtute & eruditione ſuâ, Galliæ Cancellarius factus, ſuffragio Catharinæ Mediceæ Reginæ ejuſdem poſtea inſtinctu, cùm conſiliis ejus contra Reformatos obniteretur, functione tam honorificâ, motus. Scripſit quædam, *Ep.* inprimis *in inaugurationem Franciſci* II. maximi inter poëmata ejus habitam. Obiit A. C. 1553. Æt. 70. Thuan. *Hiſt.* *l.* 24. Thevetus *vie des homines Illuſtr.* Brautome Laboureur, Nic. Paſchalius *l.* 6. *Ep. ad Buſſi*, Colomeſius *Opuſc.* Anton. Teiſſier *Elogiis* P. 1. & 2. &c. Vide & infrà *Michaël*.

HOSPITIA Studiorum, in Anglia, vocantur Juris Collegia in Univerſitatibus ſeu Academiis, in quibus, qui Juri addiſcendo operam collocant, morantur. Joh. Forteſcutus de *Laudibus LL. Angliæ c.* 49. ait in quolibet *Studio eſſe decem hoſpitia minora, quandoque verò plura, quæ nominantur* Hoſpitia Cancellariæ, *ad quorum quodlibet pertinent centum Studentes ad minus, & ad aliqua eorum major in multo numerus, licèt non omnes ſemper in iis conveniant: Studentes etenim iſti, pro eorum parte majori, juvenes ſunt, originalia & quaſi legis elementa addiſcentes, qui in illis proficientes, ut ipſi matureſcunt, ad majora Hoſpitia Studii illius, quæ* Hoſpitia Curiæ *appellantur, aſſumuntur, Quorum majorum quatuor ſunt* --- in quibus *nequaquam poteſt ſtudens aliquis ſuſtentari minoribus expenſis in anno, quàm* 80. *ſcutorum --- Hinc Nobilium filii tantùm in Hoſpitiis illis leges ad diſcunt --- In his* verò *Hoſpitiis majoribus & minoribus, ultra ſtudia Legum, eſt quaſi gymnaſium omnium morum, qui Nobiles decent. Ibi cantare ipſi addiſcunt --- Ibi tripudiare ac jocos ſingulos Nobilibus convenientes, qualiter in domo Regia exercere ſolent enutriti: in ferialibus diebus eorum pars major legalis diſciplinæ ſtudio, & in feſtivalibus ſacræ Scripturæ & Chronicorum lectioni, poſt divina obſequia, ſe confert* &c. De *Hoſpitii* apud Recentiores *jure*, Principibus in Monaſteriis Eccleſiiſque competente ſuprà *Giſta*.

HOSPITIUS, vir quidam Nicenſis, qui tam auſteræ vitæ fuiſſe traditur, ut antro incluſus perpetuo cilicio carnem maceraret, & corpus catenis ferreis vinctum contineret. *Volaterr.*

HOSSÆI, qui & HESSÆI, pars Eſſenorum, ſeu Heſſenorum, in Moabitide & Ituræa, trans Mare Mortuum, locantur Epiphanio *Hær.* 19. de quibus vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 613.

HOSSEJA, vulgò LA HOUSSOJE, vicus Galliæ, in Briegio, confinioque Pariſiorum & Meldorum, non longè à Mucra fluv. Nomen ei à copia aquifoliæ Gall. *du houx*.

HOSTANES ſeu OSTANES, vide hic infrà.

HOSTANUS, unus ex comitibus Alexandri Mag. magus præſtantiſſimus. Vide etiam *Dies*.

HOSTASIUS, Ravennatum princeps fuit, qui à ſuis civibus relegatus eſt, quòd in otio, & ignaviâ torpeſceret, publicæque adminiſtrationi eſſet ineptus.

HOSTIA, urbs Italiæ: cujus Ep. fuit Lucius, poſtea Papa, de quo hoc Epigr. legitur,

> *Luca dedit lucem tibi, Luci, Pontificatum*
> Hoſtia, *Papatum Roma, Verona mori.*
> *Imo Verona dedit tibi verè vivere, Roma*
> *Exilium curas* Hoſtia, *Luca mori.*

Cardinalis *Hoſtienſis*, primus eſt inter omnes Cardinales, & recens electum Pontificem conſecrare ſolet. Vide *Oſtia*. Item puella, quam à ſe amatam Propert. *l.* 2. Eleg. 29. 30. 31. 32. & 33. *Cynthiam* vocavit.

HOSTIA, ab HOSTIBUS. Ovid. *Faſt. l.* 1. *v.* 340.

> *Hoſtibus à domitis* Hoſtia *nomen habet.*

Immolabatur enim animal aut pro victoria impetrata, aut impetranda contra hoſtes; Feſto ab *hoſtire*, i. e. ferire: Aliis à Gr. voce *θυσία*, literis tranſpoſitis, & θ. in 7. verſo. Aliquando cum victima confunditur, propriè tamen ſacrificium, quod Laribus immolabant, ſic dictum volunt, quòd ab illis hoſtes arceri putabant. Fronto & Iſid. victimas majora eſſe ſacrificia, quàm *Hoſtias*, dixêre. Ita maxima victima, taurus: maxima *Hoſtia* ovis. *Hoſtiæ* autem mactatio hoc modo apud Rom. peragebatur. Cùm Sacerdos eam ad aram adduxiſſet, ſtans manum prehendebat, & preces fundebat: initio à Jano & Veſta facto, ac Jove: patre O. M. omnibuſque Diis cæteris patribus advocatis. Ne quid verò verborum prætermitteretur aut præpoſterè recitaretur, de ſcripto præire aliquem rurſuſque cuſtodem dari, qui attenderet ſedulò: alium qui favere linguis juberet & tibicinem canere, ne quid infauſtum exaudiretur, oportebat. Quibus peractis ſacrum ab immolatione Sacerdos inchoabat, fruges aut molam ſalſam in caput victimæ deponendo, addito thure maſculo, qui ritus *Immolatio* dictus eſt. Deinde vinum aſpergebat, poſtquam id ſimpuvio ligneo vel fictili admodum parvo & ipſe leviter libaſſet, & aſtantibus pariter guſtandum detuliſſet; quod *Libatio* erat. Porrò ſetas inter cornua victimæ manu evulſas, tanquam prima libamina, projiciebat in ignem, converſuſque ad Ort. obliquum cultrum à fronte victimæ ad caudam ducebat, tandemque eam Diis exhibitam & dedicatam jubebat jugulare miniſtros: quæ poſtquam perpurgata eſſet, mox Aruſpex, Flamen aut Sacerdos cultro ferreo viſcera rimabatur, attenteque explorabat, an perlitatum foret: Non autem manu ea contrectare licebat, ne qua offenſa pollutis ſacris intercideret. Inſpectis tandem & exquiſitis ſingulis, ex omni viſcere & membro Miniſtri partes deciſas certas, farinâ farris involvebant & in calathis ſacrificanti offerebant, quas Sacerdos aris impoſitas foculo incenſo comburebat, quod *reddere* vocabatur ac *litare*. Eum ignem ex olea, lauro aut quercu corticis craſſioris, aut cujus caudex cavus fungoſuſque eſſet, accendere, vel Numinibus adolere nefas erat: ubi verò, quod Diis tributum erat, conflagrâſſet, ad epulas ipſi & convivia vertebantur. Inter veſcendum Diis laudes canebant, pedibuſque circum aras complodentes ad numeros pſallebant & pulſatis cymbalis agebant choreas, cujus rei cauſam vide apud Serv. *in Virg. Ecl.* 5. *v.* 66. Eundem ritum imitantes olim Iſraëlitas idololatras, reprehendit Apoſtolus 1. *Cor. c.* 10. *v.* 7. *Sedit populus ad edendum ac bibendum & ſurrexêrunt ad ludendum.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 33. *cum Paralip. Thom. Dempſt.* Quando autem *hoſtiarum* partes deſectæ Diis cœperint offerri & adoleri, parte ad veſcendum ſervatâ, diximus ſuprà ubi de *Holocauſto*. Vide plura hanc in rem, apud Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. paſſim*, ubi is inter alia, *de more nigras hoſtias Diis inferis, & quidem feminas Proſerpinæ, & mares Diti: hoſtias ſolùm virgines Minervæ offerendi; deque hoſtiæ non placidè ſtantis malo omine*: C. Paſchal. *Coron. l.* 4. *c.* 17. *ubi de ritu hoſtias coronandi*, ut & hîc non uno loco, inprimis in vocibus *Sacrificium* & *Victima*, ubi de ritibus, circa *Hoſtias* divinitus in V. T. injunctis, ſuccinctè agemus. Addam hoc unum, ſtetiſſe ad aras ſimulacra, & ad eorum proin faciem converſas *hoſtias* mactari conſueviſſe. Arnob. *adv. Gentes l.* 7. *Si gallinulam, vitulum ſub illius oculis atque altaribus concremaro. Et, quod iſtud honoris eſt genus, vervecem, arietem, taurum, Dei ſub ore conncidere, conſpectuque in ejus occidere.* Lucret. de Rer. Nat. *l.* 2. *v.* 352.

> *Nam ſæpe ante Deûm vitulus delubra decora*
> *Turicremas propter mactatus concidit aras,*

Unde *θεῶν δεξίμηλα ἀγάλματα* Euripidi *Phœniſſis*, *ᾧδε τὸ δέχεσθαι τὰ μῆλα*: quemadmodum & *δεξίμηλον δρῦμον* & *δεξίμηλον ἐσχάραν* idem *Andromache* appellat. Vide Deſid. Herald. *ad Arnobii locum* hunc locum adqui & paulo infrà, de ratione victimarum Servii hunc locum adfert: *Ratio victimarum ſit pro qualitate Numinum. Nam aut hæ immolantur, quæ obſunt eorum, muneribus; ut porcus Cereri, quia obeſt frugibus; hircus Libero, quia vitibus nocet: aut certè ob ſimilitudinem, ut inferis nigras pecudes, ſuperis albas immolant.* Quam in ſententiam citantur à Porphyrro Apollinis verſus, qui extant apud Euſeb. de *Præparat. Evang.* Arnobii locus eſt, *Quæ --- cauſa --- ut ille turris Deus, hædis alius honoretur, aut ovibus: hic lactantibus porculis, alter intonſis agnis: hic virginibus buculis, capris ille cornutis: hic ſterilibus vacculis, at ille incentibus ſcrofis, hic albentibus, ille tetris: alter feminei, generis alter animantibus maſculinis?* Manſit vox apud Scriptores Eccl. N. T. ſed aliâ notione. Qui enim in Scripturis *panis Domini* dicitur, is Scriptoribus hiſce *hoſtia* etiam, *& oblata.* Ac illud quidem inde, quòd panis benedictus ſit Dominici corporis figurâ, quod Servator noſter, pro peccatis noſtris, *hoſtiam* obtulit in ara crucis. Iſtud verò, quòd populus olim farinam vel panem offerret, in S. Euchariſtiæ uſum, uti infrà dicemus. Atque hinc tenuiſſimæ illæ & leviſſimæ formulæ, quibus Eccl. Rom. loco Dominici panis utitur, *hoſtiæ* etiamnum appellantur, de quarum uſu vide Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce *Σύναξις*.

Hoſtiarum variæ ſpecies ac appellotiones.

Ambarvalis dicta eſt, quæ pro arvis à 12. Fratribus ſacrificabatur: ducebatur rei divinæ causâ, circum arva, ab iis qui pro frugibus faciebant.

Ambegni bos aut vervex appellabantur, cùm ad eorum utraque latera agni in ſacrificium ducebantur, *Feſt.*

Ambignæ vel Ambegnæ vel Ambiguæ oves in ſacris dicebantur, quas circum aliæ hoſtiæ conſtituebantur.

Amburbales, circùm terminos Urbis Romæ ducebantur.

Animalis vocata eſt, cùm ſola anima Deo ſacrabatur. Talis inter alia Bonæ Deæ oblata legitur. Unde Trebatius apud Macrob. *Sat. l.* 3. *c.* 5. duo inprimis *Hoſtiarum* genera facit. Alterum, in quo voluntas Dei per exta diſquirebatur; alterum, quo ſola anima Deo ſacrabatur.

Bidentes dicebantur, quæ cornigeræ eſſent & duos dentes eminulos haberent.

Caviares, cùm Cavia, i. e. pars *Hoſtiæ*, caudâ tenus duceretur & poneretur in ſacrificio pro Collegio Pontificum, quinto quoque Anno.

Eximiæ, quæ ad ſacrificium deſtinatæ eximebantur è grege: vel quòd eximiâ ſpecie offerendæ Diis eligerentur.

Furvæ, Diis inferis oblatæ, Meurſ. *ad Lycophr.*

Harviga, vel, ut Joſ. Scalig. legit, *Aringa* dicebatur, cujus adhærentia inſpiciebantur exta. Vide etiam ſuprà *Haruſpices*.

Humana, vide infrà.

Injuges, quæ nunquam domitæ, ac jugo nulli ſubditæ fuêrunt.

Majores, eædem cum eximiis.

Maxima, vide infrà in hac voce.

Præcidaneæ dicebantur, quæ ante ſolenne ſacrificium pridie mactabantur, ad imitationem *προτελείας* Græcorum: *Præcidariam* vocat *Marius Victorin.*

Prodigiæ vocatæ ſunt, quæ conſumebantur.

Succidaneæ, quaſi *ſuccedaneæ*, appellatæ ſunt, quæ, ſi primis hoſtiis litatum non erat, poſt eandem ductæ cædebantur. Alii tamen potiùs à *ſuccedendo* dictas volunt. Succidanea autem dabatur femina, ſi per marem litari non poſſet: quòd ſi per feminam non litâſſent, ſuccidanea adhiberi non poterat, teſte Serv. *ad Æn. l.* 8. Vide præter Roſin. præfat. A. Gell. *l.* 4. *c.* 6. *cum notis Jac. Oiſelii* JC.

HOSTIA Humana, ex lege perpetua & expreſſa, minimè permiſſa: ex præcepto verò Numinis ſingulari atque extraordinario, ſive

ſive quale de immolando filio accepit Abraham, ſive ejuſmodi alio, cædem humanam licitam fuiſſe, utpote ab eo, cui tota rerum Natura ſimpliciter ac omni modo ſubeſt, imperatam neutiquam dubitandum. At quis probet Afrorum olim, maximè Carthaginenſium; Phœnicum inſuper, & Arcadum; Judæorum quoque idololatrarum, qui pueros vivos igne concremabant Molocho: etiam variis in locis Europæorum, Romanorum in Pantheo, Druidarum Gallorumque vett. inſuper Germanorum, vide Berneggerum *ad Juſtin. l. 18. c. 7.* Barbarum morem, qui non vero Deo, neque ex illius juſſu, ſed Idolis ſuis, cæde humanâ voluêrunt litatum; qua de re Vide & ubi *de Diana Taurica* infrà *Impietas. Mithra*, alibique. Addam hìc ſaltem, non quosvis tamen illos immolare conſueviſſe, ſed filios ſolum, ſervos, advenas, ut Tauroſcythæ, alioſque qui in poteſtate eorum erant: Niſi quòd apud Triballos etiam Patrem immolare honeſtum erat, teſte Ariſtot. *in Topicis l. 2. c. ult.* Vide Wier. *de Præſtigiis Dæmonum l. 1. c. 7.* Joh. Selden. *de Jure Nat. ac Gent. juxta Diſcipl. vett. Hebr. l. 4. c. 6.* Jac. Ouzelium *ad Minuc. Felic. p. 190.* &c. ut & ſuprà aliquid, ubi de *Expiationis feſto.* Addo ſaltem quo ritu Pœnis, olim liberos immolârint, referre Plutarch. *de Superſtit. c. 1.* & Diod. Sic *l. 20. c. 14.* rationem occurrere apud Varronem *Rer. Div. l. 16.* laudatum Auguſtino *de Civ. Dei l. 7. c. 19.* neminem verò hanc ἀνθρωποθυσίαν facundius exſecrari Lactant. *l. 1. c. 21.* quam Carthagine, ubi inprimis vigebat, ſuſtulit Darius Perſarum Rex Juſtin. *l. 19. c. 1.* Iphicrates, Porphyrio *de Abſtin. l. 2.* Gelo, Scholiaſti *Pindari in Pytheis Ode 2.* ubi Voſs. docet *ad Juſtin. d. l.* Curtius tamen, uſque ad excidium urbis ſuæ *Sacrilegium hoc*, uti vocat, feciſſe eos ſcribit *l. 4. c. 3.* Tertullian. quoque principatu Tiberii fuiſſe prohibitos id facere, crucifixis etiam Sacerdotibus; nihilominus tamen in eo ſacrificio, ſed occultè, etiam ſuâ ætate perſeveraſſe, memorat *Apolog. c.* Cæterùm in orbe Romano deſitæ ἀνθρωποθυσία, lege latâ ab Hadr. Imp. uti ex Pallante refert Porphyr. ubi ſuprà. Nempe variis temporibus interruptus mos ſubinde in uſum denuo revocatus eſt, Berneggerus *ad Juſtin. eod. l.* Hodieque apud varias Novi Orbis incolas frequens. Vide quoque infrà *Pædothyſia.*

HOSTIÆI, vel HOSTIONES, pop. juxta Oceanum Occidentalem, quos Artemidorus *Caſſinos* vocat. *Steph.*

HOSTICUS, nomen poëtæ. Lege *Hoſtius.*

HOSTILIA, opp. amplum Venetiæ ad Padum in agro Mantuano. Tac. Ann. *l. 2. c. 40. l. 11. c. 26. & 29.* *Hoſtia* Leandro. *Oſtiglia* etiamnum, medium inter Mantuam ad Occaſ. & Ferrar. ad Ort. Hinc 33. illinc 25. mill. diſtans.

HOSTILIA Curia, nomen habüit ab Hoſtilio Rege conditore, in qua Senatus plerunque congregabatur. Fuit autem primitus Tulli hujus Hoſtilii regia, eratque in monte Cœlio: poſtmodum, cùm Senatum niſi in loco per Augures conſtituto, quod templum dicebatur, haberi non licuiſſet, *Hoſtilia* hæc Curia, ut & ſeqq. temporibus Pompeja & Julia, quia profana priùs loca erant, templa fuêre per Augures conſtituta, ut in iis Senatusconſulta, more Majorum, juſta fieri poſſent. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 7. c. 6. & 7.* Sæpe vox hæc ſolius *Curiæ* nomine apud Scriptores effertur, quoniam *Hoſtilia Curia* reliquas longo intervallo anteiret: Hîc enim nemini, niſi qui Senator eſſet, ſedendi jus fuit, cùm in Pompeja Curia alii quoque Magiſtratus civici Senatoribus miſcerentur, in Julia verò de negotiis tantùm exoticis ageretur. Idem *eod. l. c. 5.*

HOSTILIA Lex, cujus auctor Aulus Hoſtilius Mancinus Coſ. cum Aulo Attilio Serrano A.U.C. 583. fuit: *Ut furti agere liceret eorum nomine, qui apud hoſtes eſſent, aut Reipublicæ causâ abeſſent, quive in eorum cujus tutela eſſent.* Hinc illæ *Hoſtilianæ* actiones, i. e. formulæ apud Cic. *l. de Orat. c. 1.* ubi de militis Teſtamento agitur. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 8. c. 19.*

HOSTILIANUS Perpenna Aug. poſt Vibium Voluſianum, delatum à Senatu Imperium accepit, uti docet Victor uterque, non multò pòſt peſtilentia conſumptus. Vide Auctorem *Hiſt. Miſc.* Eum excepit C. Jul. Æmilian. Aug. à Mœſiacis legionibus creatus. Vide Caſaub. *ad Hiſt. Aug.*

HOSTILII, Lares, memorantur Feſto ſive Paulo, cùm ait: *Hoſtilius Laribus immolatum, quòd ab his hoſtes arceri putarent.* Unde colligimus præter cultum Latium domeſticum in foro, & compitalitium in compitis, unde *Viales* quoque & *Compitales* dicti, etiam hunc viguiſſe, niſi eoſdem *Hoſtilios* cum Vialibus facias, qui, cùm ſingulis ſuis familiis cuſtodes eſſent, jure exiſtimatum, junctim urbi præſidere, atque adeò & hoſtes à mœnibus depellere. Quòd clarè illis tribuit Ovid. *Faſt. l. 5.* & Propert. *l. 3. Eleg. 3. v. 11.* ubi eos Hannibalem ab urbe fugaſſe ait. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Idol. l. 1. c. 11. ſub fin.*

HOSTILINA, Dea colebatur, cùm ſegetes novis ariſtis æquantur, ut Auguſtin. ait, quia *Hoſtire.* Vett. æquare dixêrunt, unde & *Hoſtimentum* & *Hoſtorium.*

HOSTILIS, pars jecoris, vide *Extiſpices.*

HOSTILIUS, Poëta Hiſtoricus, Annales carmine ſcripſit: è quibus Priſcianus hunc verſum citat:

Sæpe greges pecuum ex hibernis paſtubu' pulſi.

An Comicus ille eſt cujus Tertull. *in Apolog.* meminit. Vide *Perpenna, Tullus.*

HOSTILIUS Mancinus, vide *Cajus*, & *Lucius.*

HOSTILIUS Pulvillus, vide *Lucius.*

HOSTIS, vett. Latinis peregrinus & hoſpes eſt. D. Ambroſ. *Offic. l. 1. c. 29. Denique etiam adverſarios molli Veteres appellatione nominabant, ut peregrinos vocarent Hoſtes enim antiquo ritu peregrini dicebantur.* Quemadmodum βάρβαρος Spartianis ξένος Herod. *Uran.* Vide hac de re Hug. Grot. *de Jure Belli & Pac. l. 2. c. 15. §. 5.* Poſtea mutata vocis notio, & apud Rom. Jurecoſſ. *Hoſtes* dicti ſunt, *qui nobis aut quibus nos publice bellum decernimus, l. Hoſtes de verb. ſign.* Cic. ſignantius, *ille* Hoſtis *eſt, qui habet Rempublicam, Curiam, Ærarium, conſenſum & concordiam civilem, & rationem aliquam, ſi res ita tulerit, pacis & fœderis, Philipp. 4.* cæteris omnibus in latrunculorum prædonumque numero deputatis. Vide eund. Grot. ibid. *l. 3. c. 2. §. 1.* Quâ ratione huc pertinet, quæ de *Bello Clarigatione, Fecialibus, Induciis, Pace, Præda* &c. hîc paſſim occurrunt. Vide quoque infrà in voce *Perduellis.* Monebo hîc ſaltem, etiam *Hoſtibus publicis* ſepulturam deberi, omnium conſenſu: Quod belli jus κοινὸν ἐν τοῖς πολέμοις vocat Appian. *belli commercia* Philo. Unde Hercules ſuos hoſtes, Alexander ad Iſſum victos, Hannibal C. Flaminium, P. Æmilium, Tib. Gracchum, Marcellum Romanos, quæſiviſſe ad ſepulturam, leguntur. Idem Hannoni à Romanis præſtitum, Mithridati à Pompejo, à Demetrio multis, Archelao Regi ab Antonio. Imò in Græcorum adversùs Perſas militantium juramento erat: *Socios omnes ſepeliam; bello victor etiam barbaros.* Et paſſim in Hiſtoriis legas impetratam, νεκρῶν ἀναίρεσιν, *facultatem tollendi mortuos.* Vide Dion. Chryſoſtom. *Orat. de Lege*, Ælian. *Var. l. 12.* Diod. Sic *l. 17.* Pauſ. *in Attic.* Philon. *in Flacc.* Plutarch. *Theſeo & Marcello*, Alios. Sed nec illud omittendum, uſitatum fuiſſe priſcis Regibus, *Hoſtium* regiones vacuefacere omneſque incolas correptos conſtrictoſque eò transferre, ubi pro libitu iis illuderent vel ad abjectiſſima miniſteria abuterentur. Vide 1. Reg. *c. 20. v. 18.* Polyæn. *l. 4. in Philippo*, C. Nep. *Miltiade c. 4.* Quod poſtmodum, humanitatis in devictos uſu increbeſcente, non niſi in contumaces, h. e. rebelles & Majeſtatis reos, ſervatum. Idem Nep. *Cimone c. 2. Scyrum --- quod contumacius ſe geſſerat, vacuefecit: ſeſſores* (an poſſeſſores) *veteres urbe inſulaque ejecit, agros civibus diviſit.* Ἐξοικίζειν ἐκ τῆς πατρίδος id vocat Diod. Sic *l. 12.* ubi de Pericle Heſtiææ in Eubœa incolis idem faciente. Vide quoque Juſtin. *l. 8. c. 5.* de Philippo &c. unde vacuefactionem, quâ poſſeſſores vel ſub corona vendebantur, vel in alias trajiciebantur ſedes, pœnam fuiſſe olim in rebelles ac victos conſtitutam, porrò diſcas. Quod cùm Lemnii probè noſſent, Miltiadis *ſecundâ fortunâ adverſariorum capti, reſiſtere auſi non ſunt ex Inſ. demigrarunt* apud eund. Nep. *Miltiade c. 2.* Apud Recentiores vox, pro *exercitu* paſſim. Gall. *Hoſt* & *Oſt*, Hiſp. *Hueſte.* Inde poſtmodum propriè ſic dictum eſt Francis ſervitium militare, quod dominis ſuis feudalibus debebant vaſſalli ac tenentes: ita ut ad bellicam *ſubmonitionem* ſeu citationem, militaribus armis inſtructi, cum iis in exercitum pergere tenerentur. Id nempe vocabant *Hoſtem* vel *Exercitum*, quibus vocabulis adjungitur ferè ſemper, *Cavalcata*, *Equitatus* ſeu *Expeditio*; ita ut una eademque videatur fuiſſe obligatio, cui vaſſalli eſſent obnoxii; niſi quòd per *Hoſtem* intellexiſſe videntur eam expeditionem, quæ pro patria tuenda intra domini fines peragitur: per *Cavalcatam* verò, quæ pro bellis domini, etiam extra dominii ejus limites, ſuſcipitur. Spectabat verò hæc obligatio, non *tenentes* modò & *manſionarios*, ſed & viros *nobiles* ſeu *vaſſallos*, cùm nemini eorum immunitas concederetur, ac ne ipſis quidem *Epiſcopis*, *Abbatibus* aut *Sacerdotibus*, quos paſſim legere eſt, obnoxios fuiſſe *Hoſti* & *Cavalcatæ*, ratione Regalium aut poſſeſſionum Eccleſiaſticarum. Non omnes tamen *hoſtes* vel *hoſtem facere* tenebantur, ut loquuntur *LL.* Longobard. Immunes enim erant *Mulieres*, *Viri qui annum 60. attigerant, pueri infrà 16. Æt. Annum, Urbium Jurati vel Ædiles, Gubernatores, Notarii, Phyſici, Juriſperiti, Furnarii ac Molitores, Ægri & Pauperes.* Præterea, *qui uxorem acceperat*, primo Anno ab *hoſte* omnibuſque neceſſitatibus publicis immunis erat: ii tandem, qui *ſpeciali privilegio* à Principibus *exempti* fuêre. Ita tamen, ut interdum expenſarum partem alii, qui in hoſtem non pergebant, iis exſolverent, qui expeditionem ſuſcipiebant. Sed & nec illi immunes omnes à bellicis oneribus erant: nam, ut eſt *in Capitulis* Caroli Calvi *tit. 31. c. 27. illi, qui in hoſtem pergere non poterant, juxta antiquam & aliarum gentium conſuetudinem, ad civitates novas & pontes ac tranſitus paludium operabantur & in civitate atque marcha wactas faciebant*, ita ut *ad defenſionem patriæ omnes ſine ulla excuſatione venire* tenerentur. Verùm *in Hoſtem* eundi oneris non una eademque ratio fuit; ſed ſecundùm locorum libertates ac immunitates prorſus extitit diverſa. Siquidem quorundam locorum incolæ non tenebantur ire extra territorii ſui fines: alii *in hoſtem* ita pergebant, ut domum redire eadem die poſſent: quidam duos, nonnulli tres dies *hoſtem* debebant: ultra quos ſi à domino detinerentur in exercitu vaſſalli, ac tenentes, dominus eis *vadia* dare tenebatur. In Francia tamen, regia expeditio 60. dierum fuit, niſi infeudationem tabulis numerus reſtrictus eſſet. Sed & fuêre, qui *Hoſti* non obnoxii erant, niſi pro defendenda patria & ſi domini caſtra aut dominia ab inimicis impeterentur; non verò pro fœderatis ferendo auxilio. Denique erant, qui ad quasvis dominorum expeditiones etiam extra dominii fines, ire tenebantur: De quibus omnibus vide eruditè diſſerentem C. du Freſne *in Gloſſ.* ubi ultimum hoc bellum *indictum & nominatum* fuiſſe appellatum, ait additque, de jure communi vaſſallos *hoſtem* debuiſſe & *equitationem* propriis impenſis, interdum tamen *vadia* illis data eorumque damna; in expeditione perpeſſa, à dominis reſarcita fuiſſe. *Ibidem* habes elegantem Diſſertat. *de Hoſte & exercitu Epiſcoporum.* Hinc *Hoſtenditium* ſeu *Hoſtenduciæ*, Germ. *Hoſtendienſt*, ſervitium bellicum, quod vaſſallus domino præſtare tenetur: vel potiùs ea præſtatio, quæ à vaſſallis domino fit pro *Hoſte* &c.

HOSTIUS, tempore Salluſtii, Hiſtoriam de bello Iſtriano verſibus ſcripſit. Macrob. *Sat. l. 6. c. 3.* Hunc Virg. alicubi imitatus eſt. An pater Hoſtiæ, quam Propert. ſub nomine Cynthiæ, laudat.

HOSTIUS Hoſtilius, vir bello ſtrenuus, qui ob virtutum à Romulo frondea corona donatus eſt. Dionyſ. Halicarn. *l. 3.*

HOSTIUS Lucretius Tricipitinus, Coſ. unà cum L. Sergio, A.U.C. 327.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

HOSTORIUS Centurio, ſub Numidio Quadrato, miſſus ad accipiendos Parthorum Regi datos obſides à Syriæ Præſide. Tac. Ann. *l.* 13. *c.* 8.

HOSTRECHAMUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

HOSTUNIUM, vulgò HOSTUNI, urbs parva prov. Hydruntinæ, 2. mill. ab ora maris Hadriat. inter Brunduſium ad Ort. & Monopolim ad Occaſ.

HOTHAM, fil. Heber, Latinè *ſigillum, ſignaculum,* ſive *clauſura.* 1. Par. *c.* 7. *v.* 32. & *c.* XI. *v.* 44.

HOTTINGERUS Joh. Henricus, Tigurinus, Philologus & Theologus inter primos noſtri ſeculi. Nat. A. C. 1620. inter Majores ſuos habit Nicolaum Hottingerum, primum à Reformatione, in Helvetia martyrem. Studiis maturè admotus, ſub Joh. Jacobo Wolphio linguis operam dedit, artibuſque, in quibus poſtquam feliciſſimè verſatus eſt, ad altiora ſe applicuit. Ad exteros dein profectus, Genevæ primò Frid. Spanhem. audiit: dein luſtratâ Galliâ Belgioque Groningæ Frid. Gomaro & Henr. Altingio præceptoribus uſus eſt, A. C. 1639. Ibidem Matthiam Paſorem in Arabicis manuductorem habuit: inde Lugdun. Batav. delatus Jacobum Golium Oriental. Lingg. peritiſſimum Magiſtrum nactus eſt: apud quem, commercio cum Turca quodam inſtituto, hujus quoque linguæ peritiam ſibi conciliavit. Gulielmo poſtea Boſwello ad aulam Ottomannicam ab Ordd. Fœd. Belgii legato comes deſtinatus, cùm in Patriam revocaretur, eò redire ſtatuit. In Angliam ergo profectus Jacobo Uſſerio Archiep. Armachano Joh. Seldeno & Pocokio innotuit. Inde in Galliam delatus, Lutetiæ Hugon. Grot. Drelincurt. Dallæum, Meſtrezatium: Gabrielem etiam Sionitam Syrum & Marinum Marſennum Monachum Hebr. doctiſſimum, &c. vidit & coluit. In patriam reverſus, A. C. 1642. Hiſtoriæ Eccl. A. C. 1643. Theol. Catecheticæ ac Lingg. Orientalium: A. C. 1653. Artium & Theologiæ Vet. Teſt. atque Controverſiarum Profeſſionem nactus: tantam multijugæ eruditionis ſuæ Famam voce ſcriptiſque in exteras oras ſparſit, ut à Gallis, Germanis, Belgis, Anglis, Suecis, Danis, Italis, per literas quotidie adiretur. Ipſe Sereniſſ. Elect. Palatinus A. C. 1655. uſuram ejus à Proceribus Tigurinæ Reipubl. petiit & impetravit, ad tempus: quo exacto, fruſtra ab Heſſis, Amſtelodamenſibus, Bremenſibus, aliis expetitus, rediit in Patriam, A. C. 1661. quam porro illuſtrare perrexit, donec à Curatoribus Acad. Lugd. Batav. vocatus, veniam eò diſcedendi ad annos aliquot à Magiſtratu Tigur. imperravit. Cui itineri dum ſeparat, in Limagi trajectu, undis merſus, Obiit, A. C. 1667. *Fortiſſimus Religionis vindex, abyſſus eruditionis & Literatorum facilè Princeps,* Heidegger. Scripſit innumera, inter quæ: *Hodegus, Theſaurus Philologicus ſeu Clavis S. Scripturæ: Hiſtoria Eccleſ. Nov. Teſt. tom.* 9. *Grammatica Chaldaicæ & Syriacæ linguæ Harmonica: Juris Hebræorum Leges: Collegium Sapientiæ Reſtitutum: Smegma Orientale: Promptuarium ſeu Bibliotheca Orientalis: Cippi Hebraici: Schola Carolina: Speculum Tigurinum: Primitiæ Heidelbergenſes: Lexicon Harmonicum Pentaglotton: Bibliotheca Theologico-Hiſtorico-Critica, &c.* Eo nati Joh. Henricus A. C. 1647. ab A. C. 1670. Linguæ S. in Collegio Humanitatis Profeſſor, Salomon A. C. 1649. qui Medicinam in Patria cum laude facit, & Joh. Jacobus Theologiæ Candidatus, qui omnes per tanti Parentis veſtigia citatis paſſibus ad gloriam graſſantur. Vide Joh. Henric. Heideggerum *in Hiſt. vitæ ejus & mortis*: Item *in Orat. Fun. &c.* In funeſtum Viri Obitum, Amici τετράστιχον adjungere viſum eſt:

In mare cuncta fluunt, verùm hîc, mirabile dictu,
Æquor in exiguam nobile fluxit aquam.
Anguſtoque alveo ſe immenſa incluſit abyſſus,
Et totum heu! Limagus ſorbuit Oceanum.

HOTTOMANNUS Antonius, Regis & L. Salicæ auctoritatem acriter, in Parlamento, mediis in Ligæ turbis tuitus. Scripſit Dialogum *de Barba* Frater Franciſci, de quo jam.

HOTTOMANNUS Franciſcus, Pariſiis natus, gente Sileſius, Juriſconſultus inſignis, dubiam Cujacio palmam fecit: Scriptis inclytus. Ob Religionis profeſſionem, ſub lanienæ Pariſienſis, in Reformatos horribiliter deſævientis, tempus, Baſileam ſe recepit. Obiit ibi A. C. 1591. Æt. 65. Vide Sanmarth. *Elog. l.* 4. ut & *Elog.* A. Teiſſier, ubi *de Scriptis* ejus, inter alia. Pater fuit Joh. qui edidit *Antichopinum,* & Danielis, *ibid.*

HOVEDENUS, Rogerius, vide *Rogerius.*

HOVETMANNI Judices Groningani dicebantur, quos circa A. C. 1400. colligendo tributo per agros præfuiſſe, quemadmodum per Urbem Conſules, docet Ubbo Emius *in Groninga*, ubi & *Cameræ Hovetmannorum* meminit, *p.* 78. 82. & 173.

HOVIA Anna, virgo, familiari miniſterio vitam tolerans, cum ſororibus Rampardis, quibus Bruxellæ inſerviebat, ſuſpecta diſſenſionis circa Pontificum ſanctiones, & in carcerem protruſa eſt, A. C. 1597. Cumque illæ victæ aut minis aut precibus amicorum ac vitæ illecebris, imperitiam fatendo veniam meruiſſent, hæc una nihil moveri: modeſto interim ſermone obteſtari, feminam ſe & ſexu & ſorte extra turbas, ut ipſa crederet, recte ſentientem: Sin minùs, erroris ream, cui par eſſet, ignoſci: ad illud ſcelus non hominibus, ſed Deo vindicandum, ſi quis contra animi ſententiam metu ſubactus, quamvis vera dicendo, mentiretur. Conſultante Senatu, an judicium redderet, Albertus Archidux reſpondiſſe fertur, exercendas leges. Illud juſtiùs mireris, quòd tam acerbum, infeſtumque etiam ſpectantibus, ſupplicium placuit. Viva ſub terram defoſſa eſt, auctores ejus ſævitiæ pœnitentiam expectaſſe credibile eſt. Sed illa jam in ſpecum deſcendens, inter mortem poſita, & proritantes veniâ Sacerdotes, ſuperfuſam humum imperterrita, tantumque Deo ſupplex accepit. Ea mulieris conſtantia magnâ Belgarum miſeratione celebrata eſt; & pòſt Albertus id genus crimina ſatis habuit, minis, aut ſi urgeretur, pœnis ſecretioribus compeſcere. Grot. *Hiſt. l.* 6. *ad* A. C. 1597.

HOVIUS Matthias, vide *Matthias.*

HOYA, vulgò HOY, Inſ. Oceani Caledonii & Orcadum Meridionalior verſus Picticum fretum. Vix 3. mill. à Mainlandia Inſ. in Auſtr. longa 8. lata 5. mill. Sunt in ea montes excelſi.

HOYA, vulgò HOYE, urbs Weſtphaliæ, ad Viſurgim fluv. Comitat. Hoyenſis caput. Sub Duce Brunſvic. 2. leuc. à Ferda in Auſtr. 3. à Neoburgo in Bor.

HOZAI, nomen Prophetæ. 2. Par. *c.* 33. *v.* 19. Lat. *videns.*

HOZIEL, i. e. *videns Deum,* fil. Semei. 1. Par. *c.* 23. *v.* 8.

HRADIUM Reginæ, Germ. *Koningsgretz,* Boh. *Kralowihradec.* urbs Bohemiæ ad Albim, Epiſcopal. facta ab Alex. VII. Vide *Reginogradecium.*

HRINGUS, ſeu RINGUS, in *Ann.* Francorum A. C. 796. alibique paſſim, Avarum ſeu Hungarorum caſtra dicuntur, quòd in circuli modum circumducta eſſent, à voce Sax. *Hring.* & Germ. *ringh,* h. e. *circulus,* orbis, annulus: ſeu quòd revera *hringus* fuerit is circulus, quem & *Hagin* vocabant, ut dictum ſuprà &c. à qua voce deductam inveſtiturarum formulam Gall. *Par rain & baſton,* cenſet Cujac. *ad Feud. l.* 2. *tit.* 2. h. e. *per annulum & virgam.* Meminit quoque *Ringi,* Eginhard. *in Ann.* Spoliata Hunorum regia, quæ *Ringus* vocabatur: & Poëta Saxonicus, *l.* 3.

Nam ſpoliata fuit Hunorum regia, Hringum
Quam vocitant &c.

Vide C. du Freſne *Gloſſ.*

HU. in notis antiquis, *Hujus.* H. V. *honeſta vita.* H. V. B. P. *Herus verus bonorum poſſeſſor,* denotat, *Fr.* Gouldmann.

HUBALDUS, ſeu HUCBALDUS, vel HUGBALDUS, Benedictinus: de Muſica, cujus peritiſſimus erat, ſcripſit, ut & Poëma 300. verſuum, in laudem Caroli Calvi, in quibus omnes voces à C. incipiunt: Orditur,

Carmina clariſonæ calvis cantate Camœnæ, &c.

Obiit A. C. 930. Reliquit etiam vitas variorum SS. Sigebert. *in Chron. & in Cat. c.* 108. Simler. Voſſ. &c. In monumento Milonis, patrui & præceptoris ſepultus.

HUBEN, caſtellum olim Galliæ, in agro Nivernenſi; nunc ferè vicus, *Yban* vulgò, non longè ab amne, qui in Icaunam decurrit.

HUBERTINUS de Caſali, Franciſcanus, ſcripſit in Apocalypſin, de 7. ſtatibus Eccl. Item, Arborem vitæ crucifixæ. Trithem. Petrejus *Bibl. Carthuſ.*

HUBERTINUS Creſcentinus, in Valerium Max. & Epiſt. familiares Cic. commentatus eſt, A. C. 1470.

HUBERTINUS Puſculus, de Obſidione Conſtantinopolitana, ſcripſit. Cuſpin. *in Imp.*

HUBERTUS Folieta, Genuâ Italus Presbyter, auctor Hiſtoriæ Genuenſis, Stylo & eloquio inclytus. A. C. 1581. Vide *Elogia* Anton. Teiſſier. *Elogii* item di Lorenzo Craſſo, Nauclæum *Bibliogr. Polit.* Maſcardum *dell' Art. Hiſt. Tr.* 2. *c.* 5. præter Thuan. *Hiſt. l.* 61.

HUBERTUS Giphanius, JC. Germ. ſcriptis celebris Quenſtedt. *de part. Doct. p.* 131.

HUBERTUS Leonhardus, Germ. Carthus. Theologiam Pariſiis docuit, dein Ep. & Inquiſitor, præter alia, Genealogiam de nobilibus Gallis, ſcripſit, A. C. 1490. Geſn. *in Bibl.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 6. &c.

HUCTONUS Johannes, Vide *Johannes.*

HUCUCA, civ. in tribu Nephthali. Joſ. *c.* 19. *v.* 74. Lat. *ſculptura,* vel *præceptum,* aut *legiſlatio.*

HUCUMBRA, vici nomen apud Marcellin. *Zumbra* Zoſimo, qui eum inter duo oppida collocat, quorum nomina ſunt *Niſbara* & *Miſchanabe,* quæ Tigris dividit.

HUDSONII Sinus peramplus Americæ Sept. verſus terras Arcticas, ab Henr. Hudſonio detectus A. C. 1612. Maximè in Auſtr. tendit verſus Novam Franciam, *Hudſon Bay* Anglis. Sic.

HUDSONTUM Fretum, *Deſtroit de Hudſon,* Gall. *Straet of Hudſon* Angl. in Amer. Sept, oblongum & ſatis latum, inter terras Arcticas ad Bor. & Eſtotilandiam ad Auſtr.

HUDVICSWALDUM. urbs Helſingiæ, in Suecia, ad Bothnicum ſin. in litore, verſùs Medelpadiam prov. Vulgò *Hudwicswald.*

HUENA, vulgò WEEN, Inſ. parva Sundici freti, media inter Scaniam & Zelandiam Inſ. à qua pendet. Ibi *Vranoburgus,* arx excitata à Tychone Brahé, percelebri Mathematico, ſub Chriſtiano IV. Rege.

HUESIUM ſeu HUTESIUM, in Vita Ludov. Pii, *Quibus id agentibus --- converſâ acie in ſiniſtram partem --- dixit bis,* Hutz, Hutz; *quod ſignificat Foràs, Foràs. Unde patet, quia malignum ſpiritum vidit* &c. clamor eſt militaris inconditus & confuſus. Item clamor multitudinis, quo ut plurimum quempiam, latronem inprimis aut capitalis criminis reum, ſeu in ipſo crimine deprehenſum, ſeu fugientem ac latitantem, pagani inſectantur aut proſequuntur: ex Gallico *Hus,* formato ex ipſo ſibilo, quo quis aliquem explodit; *Huer* unde hodie ac *Huée.* Obtinuit autem apud Francos à primæva Regni origine, ut iſtiuſmodi clamore reum inſequerentur omnes, donec comprehenderetur & in Judicis manus traderetur; quod qui omiſiſſet, mulctæ ſubjaceret, ut videre eſt in *LL. Canuti Regis Saxonicis* §. 26. Idem mos in Anglia & Scotia; Hiſpania quoque, in Navarra maximè, apud quos incuntur ſocietates, quas *Hermandatas,* quaſi *Fraternitates* Navarri: *Junctas,* quaſi *Uniones,* Aragonii vocant, quibus qui adſcripti ſunt, quoties

quoties gravius quoddam delictum committitur, facto ad ſonitum campanæ concurſu, de compacto in reos impetum facere & eos Judicibus ſiſtere tenentur, vide ſuprà, & plura hanc in rem apud C. du Freſne in *Gloſſ.* nec non infrà aliquid in voce *Ordea.*

Reges varii.

HUGO, dictus *Abbas*, *Albus* vel *Magnus*, Dux Franciæ & Burgundiæ, Comes Pariſiorum, &c. fil. Roberti III. Regis, ex Beatrice Veromandua, ſine ſceptro regnavit An. 20. fil. Regis pater Regis patruus Regis & trium Regum affinis. Obiit A. C. 956. filiorum cura Richardo I. Normanniæ Duci commiſſa. Et filia Othonis Regis pater Hugonis Capeti, Othonis, Eudis & Henrici, Burg. Ducum, Morer. *Dict. Hiſt.*

HUGO, cogn. *Capetus*, ex Pariſienſium Comitum familia, Francorum regnum occupavit. Fil. Hugonis Mag. ex poſteris Pipini Mag. per Comitem Childebrandum, ſicut illi à Clodoveo, per feminas, origo. Sed & uxor Roberti III. ex Caroli Mag. ſanguine, & mater ejus Adelais, uxor Roberti fortis, fil. Ludovici Pii fuit. Mortuo patre quindecennis, triennio pòſt in exercitibus comparuit, prudentia & fortitudine inclytus. Proin Ludovico filio Lotharii ſublato, Rex proclamatus eſt, Novioduni, Remiſque coronatus A. C. 987. Præterito Carolo I. Lotharingiæ Ducis fil. Ludovici IV. Ultramarini, quòd Germanis addictior eſſet. Qui cùm jus ſuum armis tueretur, ab Hugone captus Aurelianum miſſus eſt: Sic *tertium ſtemma in ſolio locatum*, A. C. 988. ſuccedente nihilominus in Lotharingia Caroli fil. Othone. Rebus regni pacatis, & Arnolpho notho Lotharii, Archiep. Remenſi ſummoto, ſexto pòſt menſe Robertum fil. in conſortium regni aſcivit. Obiit A. C. 997. Æt. 57. *Eccleſiæ defenſor & Status Reſtaurator* dictus. Vide Morer. *Dict. Hiſt.*

HUGO, Comes & Marchio Provinciæ, Rex Arelatenſis primò, dein Italiæ, fil. Theobaldi ex Bertha, filia Lotharii Lotharingiæ Regi Rodolpho oppoſitus, eo pulſo, A. C. 926. Saracenis bellum movit. Pòſt An. 20 Regni, à Manaſſe Archiep. Arelatenſi Berengario II. proditus, in Provinciam rediit, A. C. 946 Maroziâ fratris filiâ ductâ, & duobus fratribus excæcatis infamis. Obiit A. C. 947. Lotharius fil. in regno Italiæ ſucceſſit. Luitpr. *l.* 4. *&* 5. Leo Oſtiens. *l.* 1. Flodoard. *in Chron.* Bouch. *Hiſt. Prov. l.* 6.

HUGO Magnus, fil. Roberti Regis patre vivente coronatus, A. C. 1017. Obiit A. C. 1026. Item, caput ſecundæ familiæ Comitum Veromanduorum, fil. Henrici I. Gall. Regis. In prima & ſecunda expeditione ſacra copiarum Dux. Ab Imp. Græco, cum reliquis, proditus, vulnere accepto Obiit Tarſi, A. C. 1102. Æt. 45.

HUGO I. Luſignanus, Cypri Rex. Blondus *l.* 10. *c.* 2. Obiit A. C. 1218. Ex Adelaide, filia Henrici II. Campaniæ Com. pater Henrici ſucceſſoris, &c.

HUGO II. fil. Henrici I. Obiit An. Æt. 14. Succeſſit.

HUGO III. fil. Henrici Pictavienſis, Princ. Antiochiæ. Rex Hieroſolymæ coronatus Tyri, A. C. 1269 ibi Obiit A. C. 1284. Ex Iſabella filia Guidonis, Conneſtabilis Cyprii, numeroſæ prolis parens. Sanut. *l.* 3. *Par.* 12. *c.* 18. *&* 19.

Viri Principes.

HUGO, Comes, nepos ex Eberhardo Ethici ſeu Athici cogn. *Adelrici* Alſatiæ Ducis, communis trium Familiarum ex Alſatica hac procedentium Lotharingicæ, Dagsburgicæ & Habſpurgicæ auctor fuit. Ejus enim fil. natu maximus Gerhardus Metenſium Comes, Lotharingiæ Duces ſevit: Alter *Hugo* Comes Dagsburgicus illorum Comitum, è quibus Leo IX. Pontifex, auctor fuit: Minimus natu Guntramus cogn. *Dives*, Landaloi Archiep. & Vindoniſſæ Comitis ſorore ſibi junctâ. Habeſpurgiorum fuit progenitor. Vide Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Hiſt. in Fam. Auſtr.*

HUGO I. Burgundiæ Dux fil. Henrici, ſucceſſit avo Roberto, tertio filio Roberti Regis Monachum ſe fecit. Obiit A. C. 1092.

HUGO II. dictus Pacificus, fil. Eudis I. Obiit A. C. 1142. ex Mathilde, filia Boſonis I. Vicecomitis Turenii, numeroſâ prole ſuſceptâ.

HUGO III. fil. Eudis II. Tyri Obiit, A. C. 1192.

HUGO IV. Eudis III. Obiit A. C. 1272.

HUGO, nothus Lotharii Regis ex Valdrada, Normannos in Galliam vocavit: à Carolo Craſſo, oculis orbatus, A. C. 885. & in monaſterium S. Galli detruſus. Obiit tempore Zuindeboldi, in monaſt. Prumienſi. *Regino.*

HUGO, Archiep. Lugdunenſis, floruit Sec. 11.

HUGO de Brajeſelve, priſcus poëta Gallus, fabularum aliquot auctor.

HUGO de S. Cæſario, Ludovico II. Regi Neap. gratus. Noſtradamus, *de Poët. Prov.*

HUGO Cameracenſis, auctor Hiſtoriæ fabuloſæ, *la male honte*, contra Henricum Angliæ Regem.

HUGO Campo Fleuriacenſis, Ep. Sueſſionium, Cancellarius Ludovici Jun. Celebre in Hiſtoriis nomen. Otho Friſing. *l.* 1. *c.* 51. P. Freher. *Sylloge p.* 303. *&* 308.

HUGO Catalaunus, auctor *Panomiæ.* Vide infrà *Ivo Carnut.* & *Panomia.*

HUGO de S. Charo, vel *de S. Theodorico*, Provincialis, vel, ut alii accuratius, ex Barcinoneta, opp. Delphinatus, in valle, quæ ad Ebrodunum ſpectat, oriundus: Aliis tamen in opp. S. Chari natus, primus Card. Ordinis Dominicani, tit. S. Sabinæ, A. C. 1244. Auctor Concordantiæ Biblicæ, ad quam conficiendam 500. fratres adhibuit. Hinc Eutalio Monacho Rhodio, in græca, & Iſaaco Nathani, in Hebræa Lingua idem faciendi occaſio. Obiit Lugduni, A. C. 1260. Vid. Morer. *Dict. Hiſt.* Opera ejus Fol. Baſileæ A. C. 1498. 7. tom. Fol. Venetiis A. C. 1600. 8. tomis Fol. Coloniæ Agr. A. C. 1621. prodiérunt. Vir fuit *morum ſanctitate & literarum copiâ inſignis*, Sixt. Sen.

HUGO Cluniacenſis, ſcripſit Sec. 12. vitam Hugonis I. Abbatis. Petrus Damian. *l.* 2. *Ep.* 4. *&* 16. Godofr. Vindocin. *l.* 4. *Ep.* 1. Sigebertus, Aimonius, Vincentius Bellov. Fuêrunt alii 5. hujus nominis Abbates Cluniacenſes.

HUGO Etherianus, Tuſcus Sec. 12. Manueli Comneno gratus. Scripſit de Proceſſione Spir. S. contra Græcos. Item, de Anima corpore exuta. Trithem. & Bellarminus *de Script. Eccl.* Genebr. *in Chron.*

HUGO Falcandus, Hiſtoricus Siculus, ſub Friderico Barb.

HUGO Farſitus, Aſcetica quædam ſcripſit, A. C. 1120.

HUGO Flavinius, Abbas, auctor Chronici, à N. C. uſque ad A. C. 1102.

HUGO Fleuriacenſis, auctor Chronici libb. 6.

HUGO de Flore, auctor vitæ S. Ivettæ.

HUGO Folieta, Auctor celebris, Sec. 12. *Trithem.*

HUGO Hibernus, inter alia, ſcripſit Itinerarium, ſub Eduardo III.

HUGO Lingonenſis Ep. depoſitus Conc. Remenſi, à Leone IX. A. C. 1049. Scripſit de corpore & ſanguine J. C. ad Berengarium, & vitam Victoris metro. Obiit A. C. 1060.

HUGO Loubenius, Gallus, M. Melitenſis M. & Card. rebus bello geſtis inclytus. A Sixto V. jus coronam Princ. in inſignibus geſtandi accepit. Obiit A. C. 1595. Frizo *Gall. Purp.* Hiſt. Melitenſis.

HUGO Metellus, Canonicus S. Auguſtini, eruditione celebris. Sec. 12.

HUGO Novantus, Normannus, Ep. Liſfeld. in Anglia, A. C. 1190. ſcripſit Hiſtoriam memorabilem de caſu Gulielmi Longchampi, Cancellarii Richardi Regis A. C. 1198.

HUGO de Paganis, unus ex illis, qui Ordinem Templariorum orſi ſunt. A. C. 1118. Gul. Tyr, *l.* 12. *c.* 7.

HUGO de Portu Gallo, Ep. unus ex auctoribus Hiſtoriæ Compoſtellanæ. Valæus, *in Chron. Hiſp.*

HUGO Rohanius, vel *Ambianus*, Archiep. Rotomagenſis. Scripſit Quæſtiones diverſas, de hæreſibus in Armorica ortis, &c.

HUGO Sempelius, Scotus, auctor libb. 12. *de Mathematicis Diſciplinis.*

HUGO Senenſis, cogn. de Benciis, Medicus celebris, A. C. 1430.

HUGO de S. Victore, Saxo, Theologus inter ſuos clariſſimus. Obiit A. C. 1130. Scripta ejus habentur 3. tomis Fol. Bernh. *Ep.* 77. Henricus Gandav. *c.* 25. Trithemius. *Vir divinarum & humanarum literarum exquiſitâ eruditione clariſſimus*, Sixto Sen. *velut alter Auguſtinus* Trithem. & *Labbeo.*

Viri Clari.

HUGOLINUS, dictus Malabranca, Urbe vetere oriundus PCpolit. A. C. 1290. ſcripſit, inter alia, in Magiſtrum ſententiarum. Trithem. *in Cat.* Pamphilus, *in Chron. Ord. Eremit.* Item, JC. celebris, Sec. 12. Joh. Fichard. *in vitis Jurecoſſ. recent. p.* 226.

HUGOLINUS Verrinus, Florentinus, Michaëlis Verrini, poëtæ caſtiſſimi, pater, qui Obiit, An. Æt. 17. Petrus Crinitus diſcip. ejus fuit. Scripſit poëma 3. libb. *de illuſtratione Florentiæ*, &c. Voſſ. *de Hiſt. Lat. p.* 626.

HUGONES, qui Regem Angliæ malis imbuêrunt moribus, à Principibus pulſi ſunt, quos Rex ab exilio revocavit, regnoque præfecit, A. C. 1321.

HUGONOTÆ, vulgò LES HUGUENOTS, nomen Reformatis, in Gallia, tribui ſolitum. Quidam id à porta Hugonis, in Turonum urbe, prope quam primò cœtus habuêrunt, aut à Rege Hugone, ſpectro in illa urbe notiſſimo, cùm, ob inimicorum inſidias, noctu convenirent: Alii è verbis *Huc nos venimus*, quibus Deputati eorum aliquando, vel Germani ejuſdem confeſſionis, ob religionem in Gallia examinati, uſi erant, ortum credunt. De horum cauſa quid judicandum, vel ex eo patet, quòd Dinot. *Hiſt. Gall.* memorat, in civilibus bellis, à quodam hoſtium globo, Bibliorum codicem haſtæ affixum, & aliquandiu ignominiosè circumlatum fuiſſe, cum hoc proſphonemate: *Veritas Hugonotarum* ! Hiſtoria paulò altius repetita hæc eſt: Diſſidia inteſtina, quæ Galliam præt. Sec. Religionis ſeu causâ, ſeu obtentu exercuêre, cœpêrunt: Ligâ Sacrâ primò in extirpandos Proteſtantes conditâ, cujus quidem initia ſub Franciſco I. & Henrico II. ſumpta, circa A. C. 1565. interveniente verò Philippo II. Hiſpaniæ Rege complementum additum eſt, vide Thuan. *Hiſt. l.* 37. Ex eo tempore Factionum nomina orta, ut hinc Catholici, illhinc *Hugonotæ* vocarentur, quæ tamen Carolus IX. publico edicto prohibuit, A. C. 1567. Idem *l.* 38. Acceſſêrunt dein alia nomina, his Politicorum, illis Zelotarum, cùm Pontificii cauſam hanc Religionis in civilem transformarent, & tenore fœderis ſui ſe Regiis partibus opponerent, vide Eund. *l.* 40. 45. & 52. *ad A. C.* 1568. Atque ex his principiis enata Proteſtantium bella ſunt, quorum non alius finis, quàm, ut in regno tutò conſiſterent, liberoque Religionis ſuæ uſu fruerentur. Quibus tandem poſt varias pacificationes & illuſiones, *Edicto Nannetico* ab Henrico IV. cautum eſt, A. C. 1598. quo non ſolùm illis liberum Religionis exercitium indultum, ſed & ii honores ex æquo admiſſi ſunt. Quod cùm adverſarii ægrè ferrent, inſigni his oratione Rex ſatisfecit, Lazario Coquerello, Senatore doctiſſimo, facundè exemplis ex antiquitate petitis, factum Regis probante,

Thuan. *l.* 122. Porrò majoris ſecuritatis ergô oppida aliqua ad 8. Annos ipſis conceſſa ſunt, ad quorum præſidia alenda 180000. coronatorum quotannis Rex pollicitus eſt. Ab eo tempore tranquillè vixêrunt Reformati, uſque ad mediam ætatem Ludovici XIII. cujus auſpiciis Rupellam, fortiſſimum eorum munimentum, expugnavit Cardinalis Richelius, *au deſpit des trois Rois*, ut ille jactare ſolebat: ſicque ſub ſpecie *Hugonotarum* opprimendorum, Monarchiam Gallicam ſtabilivit. Poſt quæ pax inſperatò Reformatis obtigit, & manſit aliqua Edicto firmitas, ſed quam novis indies technis imminutum eunt Religionis hoſtes, allegantes varias rationes, ut: quòd pacto perpetuo firmatum non ſit, quòd in leges Regni publicas non ſit receptum, &c. Vide Irenæum Eubul. *de Pace perpet. Proteſtantibus danda*, *p.* 105. & ſuprà in voce *Genſis*. Donec illud penitus abolitum, & ad Latina ſacra reverti nolentibus gravia indicta ſunt, A. C. 1685.

HUGUITIO Fagiolanus, Piſanorum Dux. A. C. 1314.

HUGUTIO, vel, ut alii, HUGO Vercellis, quæ ejus Patria fuit, poſtea Ferrariæ Ep. inter primos Decreti Gloſsatores. Vide Gerh. von Maſtricht. *Hiſt. Jur. Eccl. n.* 334.

HUHOCIONIUS Franciſcus vide *Franciſcus*.

HUJONUM, aliter HUUM & HUYUM. Vide ibi.

HUL, Lat. DOLOR, vel INFIRMITAS, ſive ARENA, vel PRÆSTOLATIO, aut OBSTETRICATIO. Fil. Aram, Gen. *c.* 10. *v.* 23.

HULDERICUS Dux Wirtembergenſis, ex avito Ducatu pulſus eſt, A. C. 1519.

HULDERICUS, vide *Ulricus*.

HULLINUS Johannes, vide *Johannes*.

HULLUM, vulgò HULL, antea PETUARIA, urbs probè munita Angliæ, in prov. Eboracenſi, ad Abi fluv. oſtia, ubi recipit Hullum amnem. Cum armamentario inſtructiſſimo. Hæc prima contra Carolum I. rebellavit, ultimis motibus.

HULSEMANNUS Johannes, Eſenâ Friſius fil. Henrici Oſnabrug. Paſtoris Eſenſis, Theologiæ Profeſſor Wittenbergæ creatus, A. C. 1629. interfuit Colloquio charitativo à Sereniſſ. Poloniæ Rege Thorunii inſtituto A. C. 1645. inde poſt Obitum Matth. Hoë Concionator Aulicus Dreſdæ & Conſilianus Eccl. mox Lipſiæ Paſtor, & Theologiæ Profeſſor electus, A. C. 1646. poſteà Præpoſitus Zizenſis, Decemvir Univerſitatis, Canonicus Miſnenſis, & tandem Superintendens Eccleſiarum & Scholarum Circuli Saxonici, factus eſt A. C. 1660. Obiit A. C. eod. Æt. 58. Menſ. 8. Socer per filiam Margaretham Sophiam Joh. Matt. Lutheri (qui Pauli Lutheri, Matt. Luthero illo Reformatore celebri geniti, ex fil. Joh. Erneſto nepos fuit) Conſiliarii Elect. Saxon. Scripſit plurima Latinò vernaculoque ſermone, quorum catalogum exhibet Paul. Freher. *Theatro Viror. Erudit. Claror.*

HULSTUM, urbs parva ſed probè munita Flandriæ, Vaſiæ tractus caput. Sub Hollandis ab A. C. 1645. 4. leuc. ab Antverpia in Occ. 1. cum dimid. ab Axela in Ort. 4, à Gandavo in Cæc.

HUMA ſive UMA, opp. Sueciæ, ad oſtia fluv. cogn. in Bothnia Occ. prope ſinum Bothn. Hinc tractus adjacens *Uma Lapmark*, Eſtque pars Lapponiæ Suecicæ.

HUMANA, nomen civitatis. Blond. *l.* 10. *c.* 1. In Piceno, nunc *Humana rouinata*, cujus tantùm rudera ſuperſunt, in ora maris Hadr. vix 6. mill. à Laureto in Bor. Anconam versùs.

HUMANA Caro comeſta. vide ſupra *Caro humana*: Addo hîc ſaltem, quòd humanis corporibus milites veſci Hannibalem docuiſse, legimus apud Liv. *l.* 23. c. 5. De *Humana hoſtia*, vide ſuprà *Hoſtia*. Apud Vett. qui *Humanarum Virtutum* modum videbantur ſupergreſſi, horum nomina, poſt ipſorum Obitum, in Rituales libros referebantur, & Anno vertente memoria illorum celebratur; animas eorum in Beatorum inſulas receptas eſſe, omni pôſt futuro judicio liberas, ſibi perſuadentibus: quem ritum vide pluribus deſcriptum Cedreno, ubi de antiquis Aſſyriis: adde Caſaub. *ad Athen. l.* 6. *c.* 14. & quæ ſuprà diximus, de more *in Deorum numerum referendi*; ab illis enim principiis huc tandem deventum eſt &c.

HUMATUS, à ſepulto quî differat, Plin. exponit *l.* 7. *c.* 54. *Sepultus intelligitur quoquo modo conditus*: humatus *verò humo contectus*. Ad quem l. Dalechamp. *In uſtrina*, inquit, *mortui comburebantur*: humabantur, *cùm juſta perſoluta fuiſſent, poſt Denicale ſacrum, ſepulchro invecti: Siti vocabantur, impoſito ſepulchri titulo.* Idem non *ſepeliri* eum, qui urebatur, ſed *humari*, dictum eſse, docet ex lege XII. Tabb. *In urbe ne ſepelito, ne urito.* Meurſ. verò hominem mortuum ante glebæ in os injectionem, *humitem*; poſt illam verò, *humatum* vocari conſueviſſe, docet ex Varrone *de Vita Pop. Rom. l.* 3. *Quod* humatus *non ſit, hæredi porca præcidanea ſuccidenda Telluri & Cereri, aliter familia pura non eſt.* Vide eum *Comm. ad Lycophron. p.* 187. & ſuprà ubi *de Gleba ſepulchrali*. Fuit autem *humandi* ſeu *humo obruendi* defunctorum corpora nos antiquiſſimus convenientiſſimuſque. Cic. *de LL. l.* 2. *Mihi quidem antiquiſſimum ſepulturæ genus videtur, quo apud Xenoph. Cyrus utitur, redditur enim terræ corpus, & ita locatum ac ſitum quaſi operimento matris obducitur.* Vide quoque Lactant. *l.* 6. *c.* 12. Origenem *c. Celſum l.* 8. Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 1. *c.* 13. Alios. Et proin non Hebræis ſolum, ſed & Ægyptiis, Perſis item ac Græcis vetuſtioribus, Romanis tandem, ſi Plinio credimus *l.* 7. *c.* 54. in uſu. Apud hos tamen non minùs *crematio* ac *humatio* antiqua fuiſse videtur ex teſtamento Numæ, quo cavit, *Ne corpus ſuum poſt mortem combureretur*, apud Plutarch. & lege poſthumiâ ejuſdem, *Vino rogum ne adſpergito*: ipſi Plinio me moratâ *l.* 14. *c.* 12. Vide Jac. Ouzel. *ad Minuc. Fel. p.* 203. & 204. Plura verò de iis, quæ ad funerandi ſepeliendique cadavera leges pertinent, inprimis de antiquo itidem cremandi ritu, ſub Antoninorum tandem imperio, antiquato, apud Alex. ab Alex. *l.* 3. *c.* 2. cui adde Vetranium *in Varron. de Ling. Lat. l.* 4. Joh. Kirchmann. *de Funeribus*, & quæ hîc paſſim congeſta.

Delphini Viennenſes.

HUMBERTUS I. Delphinus Viennenſis, bello contra Sabaudiæ Ducem clarus, gratus Principibus, pietate inclytus. Maritus Annæ Delphinæ, filiæ Guidonis XI. ipſe ex Turriorum familia. Obiit A. C. 1307. Guicheno & Paradinus, *Hiſt. Sab.* Chenius *Hiſt. Delphin* Chorer. *Hiſt. Delph. l.* 6. *c.* 2.

HUMBERTUS II. Delphinus, ſucceſſit Guidoni XII. A. C. 1333. fil. prioris. Huic cum fil. infans ludens ad feneſtram è manibus decidiſſet. Iſarâ merſus, Duxque ipſe expeditionis ſacræ in Græciam profectus eſſet, inde reverſus, Delphinatum Philippo Valeſiô Regi dono dedit, A. C. 1343. eâ lege, A. C. 1349. ut primogenitus Galliæ Regum titulum hunc gereret. Obiit Claromonte, in Arvernia, A. C. 1354. Prior Jacobinorum Lutetiæ, & Adminiſtrator Archiep. Remenſis. Carolus Regis nepos ei ſucceſſit. *Iidem.*

Comites Sabaudiæ.

HUMBERTUS I. Comes Mautianenſis vallis, & Sabaudiæ, caput familiæ Sabaudicæ hodie regnantis. Ex poſteris Beroldi Saxonis, è Witikindæa familia. Conrado Imp. contra Principem Campaniæ, præſtò fuit. Obiit A. C. 1048. Paradin. & Guicheno, *Hiſt. Sab.*

HUMBERTUS II. Amadeo II. Patri ſucceſſit, A. C. 1095. ditiones inſigniter auxit. Expeditione ſacra defunctus, Obiit A. C. 1103. Maritus Giſlæ Burgundicæ.

HUMBERTUS III cogn. *Sanctus*, Amadeo III. Patri, in Cypro Mortuo, ſucceſſit. Contra Delphinos bellum geſſit, Friderícum I. Barb. Alexandro III. adhærens, infenſum habuit. Obiit A. C. 1188. Guicheno *Hiſt. Sab.*

Viri Illuſtres.

HUMBERTUS Card. à Leone IX. Conſtantinopolim miſſus, varia ſcripſit contra Græcos. Formulam ejurationis, Berengario obtruſam, in Conc. Rom. ſub Nicolao II. A. C. 1059. condidiſſe fertur. Lanfranc. *in l. de C. & S. D.* Sigebert. *c.* 150. *de Viris Ill.* Thrithemius, &c. Item, 5. Gen. Dominicanorum, Delphinas, Obiit A. C. 1276. Scripſit Sermones, *de variis argumentis, Ep. de* 3. *votis, Inſtit. Spiritualium libb.* 6. *Expoſitionem regulæ S. Aug.* Michaël Pius, *de V. I. Ord. Præd. l.* 5. Leand. Alberti *l.* 1. Chorer. *Hiſt. Delph.* &c.

HUMERALE, pars veſtis Pontificalis in V. T. Exod. *c.* 28. ubi de Amiculo ſeu Ephod. *Primùm facturi ſunt amiculum --- Duo humeralia conjungentia ſunto illi in duabus extremitatibus, quibus conjungatur*, v. 6. & 7. *Scapulare* aliis: ſunt autem ſcapulæ propriè humeri ſummitas & junctura. Vult nempe Legiſlator, jungendas eſſe duas partes Ephod ſeu Superhumeralis, anteriorem & poſteriorem, ſcapulariis ſibi mutuò reſpondentibus, ſuper utramque humeri partem. His verò *Humeralibus* imponi voluit duos lapides ſardonychas, quibus nomina filiorum Iſraëlis inſculpta, *ut portaret Aaron nomina eorum coram Jehova ſuper duos humeros ſuos in monimentum*, v. 12. atque his gemmis fibularum vice epomidem connexam fuiſſe, ait Joſeph. Quibus quid fuerit ſignificatum, vide apud A. Rivet. Burmann. Alios, *Comm. in l.* Nempe typus fuit Pontifex ejus, *cujus humero adeſt Principatus ipſe*, Eſai. *c.* 9. *v.* 6. ad cujus promiſſionem τὸ Δωδεκάφυλον, Actor. *c.* 26. *v.* 7. *duodecim tribus noſtræ nocte & die aſſiduè* (Deum) *colentes, ſperant ſe deventuras*. Porrò Pectorale ſa *Humeralibus* Amiculi, versùs anteriorem partem ejus, ubi erum duobus annulis aureis connectebatur; qua de re vide infrà, ubi de *Pectorali*. Sed & inter Eccl. Rom. veſtes ſacras occurrit *Humerale*, apud Alcuin. *de div. Offic. ex lino puriſſimo*: idemque quod *Amictus* vel *Superhumerale*, veſtis Clericalis eſt, Gall. *Eſpauliere* &c. Hildebertus Cenoman. *de Officio Miſſæ*,

——— *Scapulas* humerale *tegebat*
Præſulis intrantis interiora ſacri.

apud C. du Freſne in *Gloſſ.* Idem in Græca Ὠμοφόριον, de quo ſic Cl. Suicer. Ὠμοφόριον, *Humerale. Veſtis Patriarcharum & Epiſcoporum --- referebat figuram agni --- aliudque erat Patriarchale, aliud Epiſcopale. Priori deſignabatur ſtola Aaronis, poſteriori ovis perdita; habebatque etiam cruces intertextas, quæ ita imitandum eſſe Chriſtum innuerent --- Latini etiam Pallium vocant.* Vide & infrà Omophorium.

HUMERI, an ἀπὸ τῶν ὤμων, quæ vox Græcis idem notat; an ab *armis*, qui idem in quadrupedibus, quod *Humeri* in homine; an ab *humo*, quòd ſicut *humus*, ita & *Humeri*, oneri ferendo facti ſint? Certè hac inprimis parte onera optimè ſedent. Unde Humero *Meſſiæ principatus* adeſſe dicitur, Eſaj. d. *l.* & perditam ovem repertam *humeris* ad gregem reportat in Evangelio Paſtor fidus; & *humeris* præcipuè nitebantur olim feminæ principes vide infrà ut & ubi de *Innitendi more*; & ex incendio Trojæ patrem in humeros ſublatum eripuit Æneas; & ſequiori ævo *humeris* militum impoſiti novi Principes: & *humeris* proximorum defunctos efferre, mos priſcus: Imò & naves transferri, ut de Æthiopibus legas, apud Plin. *l.* 5. *c.* 9. de Argonautis, apud Juſtin. *l.* 32. *c.* 3. &c. Quò pertinet vet. Inſcr. Herod. memorata, ubi de Seſoſtra Ægypti Rege *l.* 2. *c.* 106. *Viſuntur*, ait, *circa Ioniam duæ hujus viri figuræ è petris inciſæ: una quidem quâ ex Epheſo in Phocæam itur, altera verò quâ ex Sardibus Smyrnam verſus. In quarum utraque inſculptus eſt vir magnitudine quinùm palmorum dextrâ ſiniſtrâ ſpiculum tenens: arcus ceteramque item arma-*

ermaturam & *Ægyptiacam & Æthiopicam geſtans*: & ex altero al-terum humerum euntes *Inſcriptio ſacris literis Ægyptiis eſt quæ Græcè ſic habet*, ΕΓΩ ΤΗΝ ΔΕ ΓΗΝ ΧΩΡΗΝ ΩΜΟΙΣΙ ΤΟΙΣΙ ΕΜΟΙΣΙ ΕΚΤΗΣΑΜΗΝ, EGO REGIONEM HANC MEIS HUMERIS OBTINUI. *Lati* tributi, apud prom Heroibus Poëtas Homer. paſſim. *Il.* ψ.

> Πνοιῇ τ' Εὐμήλοιο μετάφρενον, εὐρέε τ' ὤμω
> Θέρμετ'.

Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 721.

> ——— latos humeros *ſubjectaque colla*
> *Veſte ſuper, fulvique inſternor pelle leonis.*

Idem *l.* 11. *v.* 679.

> *Cui pellis latos* humeros *erepta juvenco*
> *Pugnatori operit*:

Eoſdem *ingentes* in Amyco fingit Val. Flacc. Argon. *l.* 6. *ferreos* commendat Antipater *Epigr.* εἰς ἀγῶνας: in his enim præcipuum hominis robur. Unde *Humeri* pro extremo conatu & contentione ſumma. Virg. *l.* 9. *de Pandaro*, *v.* 724.

> *Portam vi multa converſo cardine torquet*
> *Obnixus latis* humeris, ———

Claud. *Bello Gildon.* Carm. 15. *v.* 114.

> *Aſt ego, quæ terras* humeris, *Pontumque ſubegi* &c.

Exerebant dextrum vett. Rom. unà cùm brachio, ut ex ſtatuis nummiſque liquet, iis præcipuè in quibus Adlocutiones, Congiaria, Reſtitutiones provinciarum, quæ plurimæ in Hadriani numiſmatis, repræſentantur. Et quidem, in quibuſdam iiſque paucioribus ſuperior tantùm humeri pars inrecta viſitur, reliqui omnes totum cum brachio humerum & bonam ſcapularum partem exertam oſtendunt. Quo modo pars Togæ delapſa, & brachio ſubjecta, eademque in pectus *ſinum* efficiebat. Vide Octav. Ferrar. *de Re Veſt. l. I. c.* 29. ut & in voce *Toga*, item infrà *Prætor.* Similiter Græci Philoſophi, Cynici inprimis, pallium ſic geſtabant, ut dextro brachio ſubjectum in lævum humerum rejiceretur, exerto humero dextro & plerunque nudo, utpote tunicæ damnato uſu. Quare S. Cyprian. Cynicorum notat *exerti ac ſeminudi pectoris inverecundam jactantiam.* Sed & ſervi, quò dextra liberior atque expeditior eſſet, exomidem geſtârunt ἑτερομάσχαλον, h. e. veſtem ſtrictam & anguſtam, ex qua *humeri* exererentur & nudi conſpicerentur, ut vidimus ſuprà, in voce *Exomis*: de Diaconis in Eccl. Rom. vide infrà in voce *Orarium* it. *Stola*: de Militibus mediis vide in voce *Nodus*. Porrò apud Juv. *Sat.* 6. *l.* 2. *v.* 489. dominæ,

> *Diſponit crinem laceratis ipſa capillis*
> *Nuda* humero *Pſecas infelix.*

Nempe ut ad pœnam parata eſſet, ſi qua in parte peccaſſet iſta capillorum ornatrix, qua de re hîc paſſim, ubi de *Capillis*, *Coma*, ut & in voce *Ornatrix*. Nec enim ulla olim, hodieque pars humani corporis frequentiùs ſubjecta plagis ſuppliciiſque, ut inter alia videre eſt in verbo *Catomidiari*, item ubi de *Scapulis*, *Tergo* &c. Eodem habitu, ad amaræ aquæ hauſtum condemnatam mulierem adulterii ſuſpectam, coram Judicibus comparere ſolitam, infrà dicemus. Ut alia quædam addam, ad ſplendoris & dignitatis oſtentationem faciebat, famulantium *humeris* inniti. De Ner. Claud. Suet. *c.* 43. *Cum poſt epulas triclinio egrederetur innixus humeris familiarium.* De femina illuſtri *Hier. Ep.* 22. *Vocem ex induſtria, quaſi confectam jejuniis ne tenues, & deficientis imitata greſſum humeris ne innitaris alterius.* Eoſdem, velut in quibus non minima pars pulchritudinis ac majeſtatis humanæ, juxta illud Virg. Æn. *l.* 1. *v.* 593.

> Os humeroſque *Deo ſimilis* ———

oſculo quoque dignos habitos legimus. Sic enim Gemes Othomannus ad Alex. VI. Pontif. Rom. miſſus à Rhodienſium militum Magiſtro, non pedes iſtius pro more, ſed *humerum* oſculatus eſt, apud Zuinger. *Theat. Vitæ Hum. p.* 252. De ritu comam in *humeros* ſpargendi, vide ſuprà in voce *Apochymæ*; de more ex illis enſes ſuſpendi, in illis fibula veſtes apertas nectendi, aliiſque huc pertinentibus, ſuo loco: ubi de ritu Pontificis inaugurandi *humeris* librum Evangeliorum imponendi infrà, ubi de *Pontificalibus ceremoniis*.

HUMFREDUS, Northmannus, Drogoni fratri in Apuliæ comitatu ſucceſſit. A. C. 1041. *Blond.*

HUMFREDUS, Gloceſtriæ Dux, vir militiâ clarus, Angliæ Regens, noctu à conjuratis in Burienſi cœnobio laqueo ſtrangulatus eſt. A. C. 1447.

HUMI cubare, apud Suet. *Jul. c.* 72. *Amicos tantâ ---- indulgentiâ tractavit, ut C. Oppio ---- in diverſorio loco, quod unum erat, ceſſerit: ac ſub divo cubuerit*: erat ἐπὶ στιβάδος, vel culcitrâ viatoriâ humi ſtratâ, cubare. Sic Græcis χαμεῦναι, qui in ſtramentis vel culcitris ſuper humo conſtratis ſomnum capiunt; quod in Theſmophoriis olim matronis uſitatum, Aſcetis item Græcis Chriſtianiſque in frequenti uſu fuit, de quibus vide aliquid ſuprà in voce *Camæ.* Idem ſitus infimi ordinis diſcipulorum fuit, in Hebræorum Scholis, ut infrà videbimus in voce *Rab.* At in pœnam ſternebantur *humi*, qui vel ſecuri percutiendi vel fuſte puniendi ac verberibus multandi erant. Suet. *Tib.* Ner. *c.* 60. *exploratorem viæ primarum cohortium Centurionem proſtratum* humi *pæne ad necem verberavit.* Tac. *Ann. l.* 1. *proſtratos verberibus multant* &c. Sed & aliàs lugentium, reorum, pœnitentium hic ſitus, de quibus vide hîc paſſim: uti de veneratione Perſarum olim Regibus, qui non niſi *ab humi proſtratis* ſalutari voluêrunt, exhiberi ſolitâ, quam προσκυνεῖν Græcos dixiſſe monet Nep. in *Conone* ſuprà ubi de *Adorandi ritu.* In pancratio verò, οἱ χαμαὶ τρόποι, ſeu συμπλοκαὶ, *nexus* humi *explicandi & implicandi*, etiam artis erant. Uti enim in Lucta, quæ à ſtantibus & erectis peragebatur, viciſſe erat adverſarium ſolo dejeciſſe & contrà victi ignominiâ, cecidiſse: Sic in pancratio, ſuccubuiſſe erat artis, & dejectus ac humi proſtratus pancratiaſtes pugnabat tamen, ac quâ mordendo, quâ depilando, quâ fauces ſtringendo, pedis digitos defringendo, ſæpe antagoniſtam jam victorem adigebat, victum ſe confiteri. Quo in certamine ὑπτιασμοὶ quoque & ἀνακλινοπάλη, apud Græcos, item ἅμμαλα; apud Latinos *nexus* & *nodi*, appellati, vide infrà, ubi de *Pancratio*, & *Volutatoria Lucta*. Porrò *humi* defixis oculis Cupidinem pingi conſueviſſe, diximus ſuprà.

HUMILIATI, Congregatio religioſa, in Comm. Rom. à Nobilibus quibuſdam Mediol. poſtquam è captivitate Conradi, vel, ut alii malunt, Frid. I. Imp. rediiſſent, inſtituta. Sub Pio V. abolita, ob luxum, & ſævitiam. Abbas Urſperg. *in Chron.* Thuan. *l.* 50. Morer. *Dict. Hiſt.* In eorum, ut & Pauperum de Lugduno, quorum Ordo pariter damnatus eſt, ſurrogati poſtmodum locum ſunt Ordines Fratrum Minor. & Prædicatorum. Vide quoque Jac. à Vitriaco *in Hiſt. Occid. c.* 28. & Hier. *dalla Corte*, Hiſt. *Veron. l.* 10. At *Humilitatis ſarcina*, dicitur in Comm. Rom. Velum Monialis, Macer *in Hierol.* Qui verò *Humiles* olim Romanis dicti, vide ſuprà, in voce *Humatus*. In Eccl. Græca, Patriarchas & Epiſcopos, in ſubſcriptionibus ſeipſos vocare Ταπεινοὺς, *Humiles*, & frequentiùs Ἐλαχίστους, *Minimos*, docet Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce Ταπεινὸς, ad imitationem ſc. Pauli Apoſt. qui ἐλαχιστότερον ſe, extremæ *humilitatis* teſtificandæ ergò, vocat alicubi in Epiſtolis, ut notum.

HUMOLARIÆ, poſtea *Humbleriæ*, vulgò *Homblieres*, locus & à loco Cœnobium in Epiſcopatu Noviomagenſi: memoratur *in l. de mir. S. Bernardi.* Henricus Abbas *Humolarienſis*, interfuit coronationi Philippi, Henrici filii. A. C. 1059. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

HUMOR, in Igniſpicio Veterum, flammæ contrarius, obſervatur Euripidi *Phœniſſis*, *v.* 1262.

> Μάντεις δ' ἦ μῆλ' ἔσφαζον, ἐμπύρους δ' ἀκμὰς,
> Ῥήξεις τ' ἐνώμων, ὑγρότητ' ὅρους ἐναντίαν,
> Ἄκραν τε λαμπάδ', ἣ δυοῖν ὅρους ἔχει.

Inde enim fumus oritur, qui ignem obſervantibus adverſus erat. Qua de re vide Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. Theb. l.* 4. *v.* 412. de *Humore* verò inter Numina olim relato, hîc paſſim, inprimis ubi de *Amphitrite*, *Aqua*, *Diis*, *Neptuno*, *Nereidibus*, *Thetide* &c.

HUNDREDUS, & UM, vox Sax. à Germ. *Hunderd*, i. e. centum: Lat. *Centena*, *Centuria*, *Centenariatus*: Saxon. aliter *Wapentachium*: Cambro Britannis *Cantreda*, portio eſt Comitatus in Anglia, quâ olim degebant centum pacis Regiæ, fidejuſſores; uti Decuria, quâ decem: Origo ab Alvredo Rege à quo tota Anglia diviſa legitur in Comitatus, pro locorum varietate, in Trithingas, Rapas, & Lathas: quæ iterum in Hundreda ſeu Wapentachia, atque iſta denuo in Decurias & Friborgas. Diviſiones tamen nuſquam æquæ, nec partium ubique certa quantitas: unde & *Hundredum* unum duplo, triplo, quadruplo aliud ſuperat. Fidejuſsores iſti *Hundredarii* dicti, juxta Latinum *Centuriones* & *Centenarii*, de litibus mediis in Centuriatu ſuo cognoſcebant & judicabant, ſicut Centenarii illi apud Tac. & Ovid. judices. Leves enim à Decurionibus in ſuis Decuriis: difficiles à Comitatu terminabantur. His præerat *Dominus Hundredi*, Centurio κατ' ἐξοχὴν *Centgravius*. qui tanquam Vicarius Comitis aut Vicecomitis Hundredum rexit; inde varia auxilia, tributa aliaſque præſtationes, cùm ad utilitatem, tum ad voluptatem, recipiens: Cererem inprimis & frumentum, ad alendos venaticos canes, cujus hodie nomine, annuum pendi tributum pecuniarium ſolet. Hoc autem ideo conceſſum primò, ut lupos, vulpes, taxos, infeſtaque Reip. animalia perderet & arceret. Plura in hanc rem. Vide apud. Henr. Spelmann. in *Gloſſ. Arch.*

HUNERICUS, quaſi HUN-REICH, i. e. Centuriis dives, Arianus, Vandalorum in Africa Rex II. poſt patrem Genſericum, A. C. 476. Maritus Eudoxiæ, filiæ Valentiniani, in Chriſtianos ſupra Patrem ſævus. Obiit An. Regni 8. à vermibus corroſus, Victor Utic. *de Perſec. Vand. l.* 3. Jornand. *in Longob.* eum eodem cum Arrio mortis genere periiſse tradit. Vide & Gregor. Turon. *Hiſt. l.* 2. *c.* 3. Iſid. Procop. &c. Succeſſit Gundamundus, quem vide.

HUNGARI, nobilis & bellicoſa natio, ab Ugris originem ducent; Hiſtoria ſic habet. Hunnorum nomen ſub Valentiniano primùm in Europa innotuit. Complectebatur hæc gens Scythica multas alias nationes, Turcas inprimis, Tartaros, Alanoſque & prima ab illis in Europam Attilâ Duce expeditio ſuſcepta eſt, quâ Pannoniam occupârunt, ac toti Occidenti exitium minabantur, niſi vim eorum Ætius in campis Catalaunicis ac poſtea Aquilejæ obſidio fregiſset. Paſſim tamen hujus ſuæ expeditionis reliquêre viſtigia, velut ſunt *Huningen*, vicus Suntgojæ, Baſileâ vix ſemihorio diſtans, ad Voſegum & Moſellam tractus *Hundſruck Caſtelhun*, *Hunoldſtein*, *Huntheim*, *Hunenborn*, *Hundſrode*, Germaniæ loca. Eorundem reliquiæ feruntur *Sdekelys*, ſeu Siculi in Hungaria, quod nomen reliquias ſignificare videtur quibuſdam, Nadayno *Flor. Hung. c.* 12. fixum locum id denotare aſserente. Alia migratio Avarum ſeu nomine; ſeu admixtâ virtute ſuſcepta fuit Chagano Duce, temporibus Juſtiniani, Juſtini, Tiberii, Mauritii: quos ex parte cum Bajoa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

riis coaluiſſe, indeque nomen *Bavarorum* emerſiſſe volunt, cæteris itidem partim deletis, partim in aliud nomen tranſeuntibus. Iterum nova migratio inſtituta, tempore Arnolphi Imp. circa A. C. 888. erumpentibus in Pannoniam ex ultimo Sep. *Juburis* ſeu *Juguris* ſeu *Ugris*, qui ſoli ſui ſterilitate preſſi novas ſevas ſedes toto orbe quærebant. Hi in Pannoniam delati hodiernis *Hungaris* originem præbuêre: non quòd alia natio fuerit à priſcis iſtis Hunnis & Avaribus, id enim linguæ Siculi cum Hungarica affinitas clarè redarguit: Sed quia in feliciora tempora incidêrunt, & firmiùs quàm Anteceſſores ipſorum radicari potuêrunt. Cæterùm *Hungarorum* nomen, à prima uſque expeditione notum fuit. Unde Amm. Marcell. recenſet *Ungorios*, Agathias *Onogoros*, & Eginhard. *in vita Caroli Mag. Ungros*, *Ugros*, &c. De *Jugria*, ſeu *Jugoria* & *Juguris*, in Borealiſſimis Sarmatiæ Eur. & Ruſſiæ partibus ſitis, quàm planè iidem cum Hungaris ſint, agit Sigiſm. Baro Herberſtenius, præter M. Gaguinum, Gul. de Rubruquis & Planocarp. *in Itin. Tartar.* &c. Lingua utuntur propria, quæ una ex matricibus minoribus Europæ linguis: incolæ tamen Borealis regni partis, inter Danubium & Tibiſcum, Jazygica utuntur, quæ ab Hungarica prorſus differt Vide infrà in vocibus *Hungaria*, *Hunni*, *Ugri*, & *Ungari*.

HUNGARIA, vulgò ONGARIA, Ital. provincia Europæ, Pannoniam cis Danubium, & Jazyges trans Danubium complectens, regnum amplum, inter Auſtriam Stiriam, & Moraviam ad Occaſ. Serviam ad Ort. Illyricum ad Mer. Poloniamque ad Sept. contentum: cujus maxima pars à Turcis occupatur; Rege, qui ex familia Auſtriaca eſt, Jaurinum, Poſſonium, Veſprinium, Tirnaviam, Nytriam, Caſſoviam, Varadinum, ex urbibus poſſidente. In ea Buda regia, metropoles 2. Strigonium & Colocia, Epiſcopatus 8. Ferr. Baudr. *Hungaria* regnum eſt Europæ ſatis amplum, quod vulgò indigenis *Magiar* dicitur, *Wegierſka* Slavis, *Hungerland* Germanis, *Hongrie* Gallis, *Ongaria* Hiſpanis & Italis. Olim à Ponto Euxino ad Auſtriam, & à Polonia ad mare Hadriat. ſe extendit. Hodie habet à Sept. Poloniam ſup. & Ruſſiam nigram, ab Or. Tranſylvaniam; ab Occid. Moraviam, Auſtriam, & Stiriam, & à Mer. Croatiam, Boſniam, & Serviam, à quibus ſeparatur Savo fluv. uti à Polonia Carpatho monte. Sale nativo & minerali abundat: habet etiam thermas ſeu aquas medicatas, & alias admirabiles, ut ſunt illæ quæ in Zepuſienſi agro nonnullis in locis reperiuntur, in quibus ligna injecta lapide ſeu cortice obducuntur & eodem in loco ad ædem D. Martini erumpit aqua, bullienti ſimilis, quæ tam ſupra quàm ſubtus terram lapideſcit, qui lapides levitate & raritate pumicibus non ſunt diſſimiles. Et in Comit. Zolienſi hiatus terræ famoſus extat, ob peſtilentes expirationes, quibus aves ſupervolantes necat, nam inacceſſibilis eſt is locus, & volatilibus ſolùm patens. Ad opp. Smolinciam, intra montes, aqua emanat in foveas, in qua ferrum impoſitum in limum ſeu lutum pauco tempore vertitur, quod quidem eliquatum, cuprum eſt optimum. Wernerus *de Admir. Hung. Aquis*, addit: fontes ibi reperiri lethiferos, quorum aqua, cum luna creſcat & decreſcat, donec illâ plenâ planè ſe ſubducat; tantamque in fluviis quibuſdam piſcium vim, ut unico aureo mille carpiones veneant. Unde de Tibiſco accolæ dicere ſoliti, *duas ejus partes eſſe aquas, tertiam piſcem*. Generoſi ibidem vini, Tockajenſis præcipuè & Sermienſis, ingens proventus: Auri copia non contemnenda: rei pecuariæ tanta felicitas, ut ſolam Viennam octoginta millia boum quotannis inde ducantur. Fertilitas ſoli tanta, ut totius Europæ horreum dici mereatur. In Carpathiis montibus equi ſylveſtres errant, qui à tempore Belæ IV. cùm Tartari toto triennio regnum deſolaſſent, ibi viſi ſunt, cicuribus equis tunc ſine dominis hinc inde vagantibus & tandem efferatis. Cæterùm aër peregrinis noxius eſt ac insalubris, unde & caſtra ultra menſem non poſſunt ſine periculo in eodem loco retineri. Incolæ, Nobiles inprimis, magnifici ſunt, equis, venationi, conviviis plus æquo dediti: tota gens militaris, libertatiſque amans, ſed in ſævitiam, aliorum contemptum, vindictæ cupiditatem, inteſtina diſſidia nimiùm proclivis. Primos in Hungaria progreſſus Julius Cæſar fecit, quem alii dein Duces ſecuti ſunt. Gothi dein, ſub tempora declinantis Imperii, illic rerum potiti ſunt, pulſi ab Hunnis & Longobardis, quos Hunni iterum exegêrunt. Horum tres in Europam expeditiones, de quibus aliquid ſuprà in voce *Hungari*, notæ ſunt: in quarum prima Attila, ſecundâ Chaganus, tertiâ circa Arnulphi, Imp. tempora Almus ſupremus ſeptem Ducum, tum Cuſſales, Durſachus Bugothus inclaruêrunt. Geyſa demum circa A. C. 980. ſuſceptâ religione Chriſtianâ, ad eandemque perductâ ſuâ gente celebris fuit. Hujus fil. Steph. corona Regia primùm à Pontifice donatus eſt, cruce inſuper duplicata, quæ hodienum in inſignibus Hungaricis. Inde continuata eſt Regum ſeries, uſque ad Ludovicum Mag. cujus filia Maria, Regni hæres, Sigiſmundo Luxemburgico Imp. nupſit. Verùm cùm muliebre imperium generoſa gens faſtidiret, vocârunt Carolum Dyrrhachinum Neapol. Regem, quo tempore Steph. Tranſylvaniæ Princeps Bajazethis I. Imp. Turc. auxilium reſpexit, circa A. C. 1394. Hinc lerna malorum, quæ gentem illam, ad noſtra ferè tempora, exercent: inprimis à quo Ladiſlaus Poloniæ Ungariæque Rex induciis, quas cum Amurathe initas ſanctè juraverat, ſuaſu Juliani Card. violatis A. C. 1444. ad Varnam ingenti clade fractus Occubuit. Ab eo enim tempore Hungaria internecini belli theatrum fuit, maximaque parte in prædam Turcis ceſſit; quamvis Matthias Corvinus, fil. Joh. Hunniadis mallei Turcarum, ad regnum evectus, ſatis ſtrenuè rem geſſerit. Ei Extincto A. C. 1485. Uladislaus Bohemus ſucceſſit: qui pacem cum Turca initam, iterum, Varnæ immemor, impulſu Thomæ Card. Strigonienſis, qui indulgentiis liberaliter propoſitis omnem plebem concitaverat, rupit, circa A. C. 1514. Hunc Mortuum A. C. 1516. excepit fil. Ludovicus decennis, qui prælio Mohaczenſi, Duce Monacho Franciſcano Tomoræo, infeliciſſimè cum Turcis initio A. C. 1526. Occubuit. Tum Ferdinandus, Caroli V. frater, poſtea Imp. qui Annam Ludovici ſororem conjugem habebat, uxorio jure, & Bohemiam & Hungariam ſibi vindicavit. Joh. Vaivodam Tranſylvaniæ contra ſe electum vicit & expulit, à Turcis, quorum opem Joh. vidua imploraverat, infeſtatus. Dalmatia & Croatia *Hungariæ* acceſſêre, ſub Edomiro, Dalmatarum Rege cui uxor erat Ladislai ſoror. Hic enim ſine prole cùm eſſet, moriens regnum conjugi legavit, quæ illo poſtea fratri poſteriſque ejus addicto, juſſit Croatiam Dalmatiamque in poſterum Hungarici juris eſſe. Vide infrà. A quo ſub Auſtriacis Hungaria eſt, aliquoties ejus cum Imperio Germ. unio tentata eſt, ſed ſucceſſu res caruit, imo ob morum animorumque diverſitatem, non è re Imperii illam fore, credunt eruditi. Religio in regno triplex Reformata, Lutherana, quæ ambæ ab aliquot annis multum ibi paſſæ, & Pontificia viget. Præterea Socinianorum, Arrianorumque ibi non exiguus numerus: quâ parte Luna dominatur, Mahometiſmus ſævit. Olim numerabantur in Hungaria 73. Comitatus ſeu provinciæ Hung. *Iſpan*, Germ. *Span*, unde nomen *der Ungariſchen Spannſchafften*, qui poſtea ad 54. contracti ſunt. Illius Reges eliguntur in Dietis regni. Verùm à centum quinquaginta Annis maxima ejus pars ſubeſt dominio Turcarum, nempe pars quæ magis ad Auſtrum tendit, cum Buda regni primaria; minor verò portio ad Bor. ſubeſt dominio Regis, qui in præſentia eſt Imp. ſed urbes Hungariæ ſup. versùs fontes Tibiſci & Poloniam, gubernantur à Magiſtratibus eodem modo ferè quo civitates liberæ Germaniæ. In ſtatibus Hungariæ eminent Archiep. Strigonienſis, qui ſimul Legatus Natus Sedis Rom. & juxta eum Archiep. Coloczenſis. Vice-Rex peculiari nomine *Palatini* inſignitur, ad imitationem Vet. Com. Caſtrenſis S. Palatii, quem Græci *Curopalatam* dixêre: cui ſimile eſt cognomen *Banni*, in Dalmatia, Croatia & Sclavonia: *Flammularis* Græcorum & *Sanzar Begi* Turcarum. Vide Scriptores Rer. Hung. *ex recenſione Joh. Sambuci* Francof. A.C. 1581. *Fol.* Ant. Bonfin. *in Decad. regni Hung.* Mich. Ritium *de Regibus Hung. l. 2.* Abrah. Bakſchay *Chronol. Hung.* Joh. Herold. *Chron. Pannoniæ*, Joh. de Thurotz *Chron. Hungar.* Joh. Nadayni *Flor. Hung.* Nic. Iſthuanfi *Hiſt. de reb. Hung. l. 34.* Petr. Rewam, *Deſcr. Hung.* Martinum Zellerum *Deſcr. Hung.* auctâ à Joh. Beza, Steph. Werbenzium *de Jure Conſuetudinario Hung.* præter Æneam Sylv. poſtea Pium II. Petrum Randanum. Melchiorem Sorrerum, Ciaccon. Stuart. Roger. Thevet. & Paul. Jov. *in Matth. Corvino & Huniade*, S. Antonin. Blond. Davity, Ortel. Magin. Boiſſard. Volaterran. du May *diſc. de la guer. de Hong.* Szenkelii *Chr. Lexic. Geogr.* Contingium *de finibus Imp.* Thuan Lær. &c. Item ſuprà in voce *Hungari*, & infrà in *Pannonia*. De urbibus Hungariæ præcipuis vide, in voce *Pannonia*.

Comitatus ſeu provinciæ Hungariæ.

Abanvivarienſis, d'*Abanvivar*, ſub Auſtriacis.
Albenſis, d'*Ekekes Feyervar*, ſub Turcis.
Arvenſis, d'*Arva*, ſub Auſtriacis.
Barſienſis, *de Bars*, ſub Turcis.
Barzodienſis, *de Barzod*, ſub Auſtriacis.
Bathienſis, *de Bath*, ſub Turcis.
Bihorienſis, *de Debreczin*, ſub Turcis.
Biſtricienſis, *de Biſtricz*, ſub Auſtriacis.
Bodrogenſis, *de Bodrogh*, ſub Turcis.
Caſtriferrenſis, *de Sarwar*, ſub Auſtriacis.
Cepuſienſis, *de Czepuſs*, ſub Auſtriacis.
Chonadienſis, *de Chonad*, ſub Turcis.
Comarienſis, *de Komara*, ſub Auſtriacis.
Gevinarienſis, *de Gewinar*, ſub Auſtriacis.
Heweſenſis, *de Hewecz*, ſub Turcis.
Hontenſis, *de Sag*, ſub Turcis.
Iavarienſis, *de Gewer*, ſub Auſtriacis.
Liptovienſis, *de Lypcze*, ſub Auſtriacis.
Moramaruſienſis, *de Moramaruſs*, ſub Auſtriacis.
Muſonienſis, *de Muzon*, ſub Auſtriacis.
Nitrienſis, *de Neytracht*, ſub Auſtriacis.
Novigradienſis, *de Novigrad*, ſub Turcis.
Orodienſis, *Czongrad*, ſub Turcis.
Pelyſienſis, *Pelicz*, ſub Turcis.
Peregienſis, *de Peretzaz*, ſub Auſtriacis.
Peſtenſis, *de Peſt*, ſub Turcis.
Poſegienſis, *de Poſega*, ſub Turcis.
Poſonienſis, *de Poſon*, ſub Auſtriacis.
Riſienſis, *de Kreiſs*, ſub Auſtriacis.
Sagorienſis, *de Sellia*, ſub Turcis.
Saladienſis, *de Salawar*, ſub Turcis.
Sarienſis, *de Saraz*, ſub Auſtriacis.
Semlynienſis, *de Semlyn*, ſub Auſtriacis.
Sigetenſis, *de Szygeth*, ſub Turcis.
Simigienſis, *de Zegzard*, ſub Turcis.
Sirmienſis, *de Szerem*, ſub Turcis.
Sodronienſis, *de Sopron*, ſub Auſtriacis.
Strigonienſis, *de Gran*, ſub Turcis.
Temeſuenſis, *de Temeſuar*, ſub Turcis.
Tolnenſis, *de Tolna*, ſub Turcis.
Torantalienſis, *de Thurtur*, ſub Turcis.
Tornenſis, *de Torna*, ſub Auſtriacis.
Tranſchimienſis, *de Tranſchyn*, ſub Auſttiacis.
Turocenſis, *de Owar*, ſub Auſtriacis.
Valkonienſis, *de Valpon*, ſub Turcis.
Varadienſis, *de Varadin*, ſub Auſtriacis.
Varanienſis, *de Baranyuar*, ſub Turcis.
Veſprimienſis, *de Veſprim*, ſub Auſtriacis.

Vgoghen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Vgoghenſis, *de Vgoza*, ſub Auſtriacis.
Vnghenſis, *de Vnghwar*, ſub Auſtriacis.
Zabolcenſis, *de Chege*, ſub Turcis.
Zagrabienſis, *de Zagrabia*, ſub Auſtriacis.
Zatmarienſis, *de Zatmar*, ſub Auſtriacis.
Zolnocenſis, *de Zolnock*, ſub Turcis.

Ex his Comitatibus ſeu partibus Hungariæ viginti ſex tantùm ſubſunt Turcis, reliqui omnes Auſtriacum agnoſcunt dominium. Sed Comitatus ditionis Turcicæ multò majores ſunt & ampliores aliis. Notandum eſt etiam, majorem partem Comitatus Cepuſienſis cum 12. oppidis eſſe ſub dominio Regis Poloniæ à 200. Annis. Aliàs unà cum Hungaria parebant etiam Regi Hungariæ Tranſſylvania, quæ ab ea ſeparata fuit à Joh. Rege A. C. 1541. habetque Principem proprium; Valachia, nunc proprio Principi parens ſub clientela Turcarum, uti etiam Moldavia: Sclavonia propriè dicta, cujus maxima pars ſubeſt nunc dominio Turcarum, minor verò ad Occaſ. Imp. paret, Croatia, cujus pars eſt Turcici juris ad Ort. & Auſtriaci ad Occaſ. Dalmatia, quæ pro majori parte ſubeſt Turcis, exceptis aliquot urbibus in ora litorali, quæ Venetis ſubſunt, & quas eis vendiderant Reges Hungariæ. Servia quoque & Boſſena Hungariæ Reges agnovêre dominos, antequam jugum Othomannicum reciperent. Nunc Hungariæ regnum complectitur tantùm *Hungariam propriam* cum Sclavonia & Croatia; dividiturque in *ſup.* & *inf.* Danubio fluv. *Hungaria inf.* ſeu *Cis-Danubiana* eſt inter Danubium & Savum versùs Mer. & Occaſ. in qua Buda, Regiâ olim ſede clara, Peſthum, Strigonium, Zigethum, Belgradum, &c. *Hungaria* autem *ſup.* ſeu *Trans-Danubiana* eſt inter Danubium fluv. & Tranſſylvaniam Poloniamque versùs Ort. & Bor. In ea autem quatuor Comitatus versùs Carpathem montem & Tibiſcum fluv. ſubſunt Principi Tranſsylvaniæ, in clientela tamen Auſtriacorum. Hungariæ verò Auſtriacæ caput eſt Poſonium *Presburg*, in ſup. reliquæ urbes ſunt Tocajum, Temeſva, Varidinum, Caſſovia, Fragopolis *Eperies* Neuſolium, Altſolium, &c. Hungaria tandem propria extenditur ab Ortu in Occaſ. ad 65. milliaria Germanica, & à Sept. in Mer. ad 60. milliaria ſimilia. Vide plura apud Bonfin. *in Decadibus Rer. Hung.*

HUNGENIUS, Ramus illuſtris Comitum Solmenſium, in Germ. Familiæ, ab arce cogn. dictus eſt. Cùm enim Otho, communis omnium, qui hodie ſuperſunt. Comitum Solmenſium, pater Deceſſiſſet, A. C. 1409. major ejus fil. Bernardus *Braunfelſinam* lineam orſus eſt, fratre Joh. *Lichenſis* & *Laubachiæ* lineæ auctore. Prior, *Braunfelſina* nempe, iterum in tres ramos diviſa eſt, *Braunfelſinum*, *Hungenſem* & *Greiffenſteinium*, è quibus medius ſic habet. Bernardus Com. *de Salms in Braunfels*, qui Obiit A. C. 1459. ex Eliſabetha Iſenburgica, (filia Joh. Comitis) Othonem genuit, Defunctum A. C. 1504. cui ex Anna Naſſovia (filia Joh. Com. Naſſoviæ *Wiſbad*) genitus Bernardus Deceſſit A. C. 1547. ſuſcepto ex Margaretha Hennebergica (filia Vilhelmi Principis, Extinctâ A. C. 1510.) fil. Philippo, Defuncto A. C. 1544. quo & Annâ Falckenburgiâ (filiâ Othonis Comitis) nat. Conradus, Deceſſit A. C. 1592. pater ex Eliſabetha Naſſovia Reinhardi, qui Defunctus A. C. 1630. ex Eliſabetha Rhingravia (filia Adolphi Henrici Com. Sylv. & Rheni *in Daun*) reliquit fil. Mauritium *Com. Solmenſem* &c. *Lineæ Braunfelſinæ in Hungen*, cui uxor obtigit Florentina filia Joh. Wolfardi *Dn. de Brederode*. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobilit. Europ. Part. I. p.* 151. ut & *in Ind.*

HUNIADES Joh. Corvinus, Vaivoda Tranſyl. Dux copiarum Ladislai Regis ingentibus contra Turcas victoriis A. C. 1442. & 1443. obtentis, inclytus. Varnenſi prælio, Chriſtianiſmo fatali, interfuit, A. C. 1444. ubi Ladislaus, à Card. Juliano perſuaſus, ut fidem induciarum Amurathi datam falleret, occiſus eſt. Poſtea Præfectus Hungariæ, adeò formidabile. Turcis nomen, ut illum *Jancus Lairi*, i. e. Janus Sceleratus, vocarent. Mahometem II. Belgradi obſidione depulit, Obiit A. C. 1456. à Mahomete hoſte impensè laudatus. Æger in templum deferri voluit, ut ibi ſacra ſynaxi defungeretur. Thuroſ. *in Chron. Hung.* Bonfin. *in Hiſt.* Chalcondylas *l.* 5. 7. & 8. Æn. Sylv. *Europ.* Monſtrelet. Meyer. Naucler. Vide & *Johannes*.

HUNIBALDUS, ſeu Clodoveo Mag. Hiſtoriam ſuæ gentis ſcripſit, ex Druidûm monumentis collectam. Pontanus *de Orig. Franc.* Cluv. *l.* 3. *Antiq. Germ. c.* 20. Simler. *Voſſ.* &c.

HUNILA, Gotha, nuptum Bonoſo data eſt ab Aureliano Imp. de quibus nuptiis, ut & donis, quæ Sponſo Imp. dari nuptiarum causâ juſſit, vide Ep. hujus ad Legatum Thraciarum, apud Vopiſc. *in Bonoſo.*

HUNNI, qui & ABARES, ſive AVARES, teſte. P. Diacono, dicuntur pop. Sarmatiæ ultra Mæoticam paludem incolentes, quas ex magnarum mulierum, quæ *Aliorumnæ* Scythis dictæ, & à Filimero Gothorum Rege in ſolitudinem abactæ feruntur, commercio Dæmones ſuſcepiſſe, fabulatur Jornandes. Hi, dum venationibus vacant, cervæ ductu paludem tranſgreſſi, Scythiam invaſêrunt: ilicoque Alipzuros, Alzidzuros, Itamaros, Tuncaſſos, & Boiſcos, qui ripæ iſtius Scythiæ inſidebant, quaſi quodam turbine rapuêre. Alanos quoque ſubjugavêre, quoſque bello non poterant, vultus terrore in fugam conjecêre. Ermanaricum dein Gothorum Regem auſpiciis Balamiri, aggreſſi, Oſtrogothos ſedibus ſuis pepulêrunt, A. C. 374. in Pannonias effuſi (quibus Hungariæ nomen ab his inditum traditur.) Quo Wiſigothi perculſi, partem Thraciæ, ſeu Mœſiæ à Valente Imp. habitandam petiêre & impetravêre. Auxiliares poſtea *Hunni* Romanorum, Uldini ductu, Radagiſium Scytham Italiam ingreſſum, juncti Stiliconi Rom. & Saro Gotthorum Ducibus vicêre, A. C. 407. Deinde in Galliam migrârunt, *Duce* Attilâ, qui eam ac Italiam fœdiſſimis cladibus affecit, donec grandi clade affecti, in Catalaunicis campis à Meroveo Francorum Rege, & Ætio Romanorum Duce, A. C. 450. rurſus ſe in Pannoniam recepêrunt, variis cladibus, poſt Attilæ inprimis mortem, exerciti, tandem ab Ugris, Scythica gente, ſub Carolo Craſſo pulſi. A' vafritie & malitia omni remoti; Procop. *Goth. Hiſt. l.* 3. literas ne fando quidem novêre, Idem *l.* 4. nunc pecorum fibras, nunc quaſdam venas in abraſis oſſibus intuentes futura rimari ſoliti ſunt. Semper in equis edebant, dormiebant, &c. Eorum Rex Horda, eodem tempore, quo Herulorum Rex Gethes circa A. C. 528. cum ſuis baptizatus eſt. Vide Amm. Marcell. *l.* 31. *c.* 2. & 3. P. Diacon. Agathiam, Claud. *l.* 1. *in Ruf.* Jornand. *de Reb. Geticis*, B. Rhenan. *Rer. Germ. l.* 2. tit. *Hunnorum Forma & Mores*, ibique *Notas* Othonis JC. & ſuprà in voce *Hungari*. Claud. *l.* 1. *in Ruf.* Carm. 3. *v.* 321. & *ſeqq.*

> Hunnorum *laturus opem!*
> *Eſt genus extremos Scythiæ vergentis in ortus*
> *Trans gelidum Tanain:*

Prudent. *l.* 2. *contra Symmach. v.* 807.

> *Denique Romanus Daha Sarmata, Wandalus,* Hunus.

HUNINGA, fortalitium Gallorum, in Rheni ripa, paulo infrà Baſileam, eo loci, ubi olim *Hunnorum ſtatio* fuit, cùm Attila devaſtatâ Auguſtâ Rauracorum, ibi caſtra poſuiſſet, Germ. *Hüningen.*

HUNNISCUM, in *Ep.* Caroli Mag. ad Offam Merciorum Rege apud Auctorem *Vitarum* Abbatum S. Albani: *Veſtræ quoque dilectioni unum baltheum & unum gladium*, hunniſcum, *& duo pallia ſerica duximus deſtinanda*; Watſio eſt adjectivum gladii: C. verò du Freſne aulæum ſic dictum, quòd apud *Hunnos* texeretur, idemque cum eo, quod ἀμφίθυρον Οὐννικὸν dicitur, in *Ep. Choſrois*, apud Theophylact. Simocatt. *l.* 5. *c.* 14. Euagr. *l.* 6. *c.* 20. & Nicephor. Calliſti. Sunt autem ἀμφίθυρα vela, quibus januæ cancellatæ obducebantur, quaſi ἄμφια θυρῶν, uti innuit idem C. du Freſne *Deſcript. Ædis Sophianæ n.* 72. Neque aliud eſt *Coopertorium Sarmaticum quo altare Dominicum cum oblationibus tegebatur*, apud Gregor. Turon. *de Vita Patrum c.* 8. Id. *in Gloſſ.* Neque verò id ſolùm *Hunniſcum*, quod ad *Hunnis*, ſed & ipſi Hunni *Hunniſci* dicti ſunt, uti Daci *Daciſci*, Faleſii *Faleſiſci* & contractè *Faliſci* &c. ὑποκοριστικῶς, uti nomina gentium apud Vett. plerunque concipi ſolebant. Salmaſ. *ad Solin. p.* 60.

HUNNUM, opp. Angliæ in Northumbria, *Seavenshale*, teſte *Camd.*

HUNO, cogn. *Glorioſus*, fil. Joh. Com. Oldenburgenſis, cùm Friſios, qui ab ipſo ad Albertum Archiep. Bremenſem defecerant, ſummis viribus in ordinem redigere tentarat, apud Henricum IV. Imp. accuſatus, cumque ſe non ſiſteret, Majeſtatis reus declaratus & demum, ubi acceſserat, ut cum Leone pugnaret, Goslariæ, damnatus eſt: quod certamen pro Patre ſene fil. Fridericus ſubiit & leonem aſtu devicit. Poſtea cùm fil. hic ejus Cœnobium Raſtedenſe cælebs ingreſsus eſset, Elimarus I. Rixæ *Hunonis* ſororis, ex Hajone Dynaſta, Friſio, fil. ditione potitus eſt; à quo continuâ ſerie reliqui Comites Oldenburgici deſcendent, vide Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Hiſt. in Fam. Oldenb. Danica.*

HUNOLDUS, Aquitaniæ nobiliſſimus Dux, frater Gaifronis, fil. Eudis, Ducis. A' Carolo Martello, cùm fratre victus, veniam impetravit. Item fil. Gaifronis: contra Carolum Mag. rebellis, à feminis, ante Ticinum, occiſus eſt. Aimon. *l.* 4. Rhegino *in Chron.* Æmil. *l.* 3.

HUNONIA, ſeu SUNDIS, quæ Marionis altera cenſetur, ex Ptol. deſcriptione, hodie *Strenſunda*, opp. Pomeraniæ ſplendidum, in litore maris. *Joh. Matal. Metell.*

HUNTE Gualterus, vide *Gualterus*.

HUNTINGTONIA, ſeu HONTINGTONIA, vulgò HUNTINGTON, urbs Angl. ad Uſam fluv. media inter Bedfordiam ad Occ. & Eliam ad Ort. 10. mill. à Cantabrigia in Caur. Hinc Comit. *Huntingtonienſis*, vulgò *Huntingtonshire*.

HUNULFI Curtis, i. e. villa, vel vicus, ab Hunulfo Domino vel conditore ſuo dicta, vulgò *Houncourt*: Locus eſt in agro quidem & diœceſi Camaracenſi ad Scaldim, ſed in ditione Galliarum Regis Monaſterio S. Petri, à Viridiciano Ep. extructo, veteri Benedictinorum Abbatia, cui olim Valeria præfuit, poſtea ejectis puellis à Canonicis occupata, tandem Benedictinis ceſſit, ac pugna inter Gallos Hiſpanoſque A. C. 1642. nobilitatus, 4. leuc. Gall. à Camaraco. Vide Hadr. *Valeſ. Not. Gall.*

HUON de Meri, Poëta, ſub Lud. IX. auctor Hiſtoriæ fabuloſæ, de Antichriſto.

HUON Villanovanus, ſub Philippo Aug. ſimilis farinæ auctor. Morer. *Dict. Hiſt.*

HUPHAM, fil. Benjamin. Num. *c.* 26. *v.* 39. Lat. *thalamus*, aut *operimentum*, ſive *litus*, vel *ripa eorum*.

HUQUANTA, prov. ampla Regni Sinarùm, quibuſdam etiam *Chuquanta*. Habet à Sept. Honaniam prov. à Mer. Chianſiam, Quianſiam ad Or. Suchienam ad Occ. Urbs præc. Uchanum eſt, vulgò *Uchang Fu.*

HUQUANUM, vulgò HUQUAN, urbs ampla regni Sinarum, in Honania prov. versùs conf. Pechinæ prov. M. Martinius, vulgò *Huquan Fu.*

HUR, fil. Judæ. 1. Par. *c.* 4. *v.* 1. qui Gen. *c.* 46. *v.* 12. dicitur *Onan*. Fil. Caleb ex Ephrata uxore. 1. Par. *c.* 2. *v.* 19. & 20. Item Rex Madianitarum. Num. *c.* 31. *v.* 8. Lat. *albedo*, ait *foramen*.

HURAI, nomen viri, 1. Par. *c.* 11. *v.* 32. qui 2. Sam. *c.* 23. *v.* 30. *Heddai* dicitur.

HURALDUS Philippus, vide *Philippus*.

HURAM, fil. Belæ, filii Benjamin. 1. Par. *c.* 8. *v.* 5.

HUR-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

HURDASPALENSE cœnob. *Urdax* & *Urdache*, in regno Navarræ, intra Pyrenæos montes, vix 1. leuc. à conf. Galliæ, 5. à Bajona.

HURDICUM ſeu HURDICIA, apud Gulielmum Briton. *Philippidos l.* 1.

Ictibus aſſiduis Hurdicia *fracta recedunt* &c.

cratis eſt lignea, quâ mænia obducebantur, ne ab arietibus vel miſſilibus lapidibus læderentur: vel pali in foſſatorum marginibus infixi, ne ſtatim ad ipſa mœnia acceſſus pateret, C. du Freſne in *Gloſſ.*

HURI, pater Saphat. Num. *c.* 13. *v.* 65. Pater Abihail. 1. Par. *c.* 5. *v.* 14.

HURONES, pop. Canadæ, merè feri, mortuos globatim recondunt, parentum nomina aſpernantur, frumenti variis modis præparandi, ignis ſolùm aquæque beneficio, artem mirè callent.

HURSTA, vox Sax. *ſylvam* denotans, nomen fuit caſtelli, quod in tutelam portus Avonienſis extructum eſt, à ſylveſtri ſitu ſic dicti. De eo ſic Lelandus, apud Eund.

Non tulit hanc labem magni mens Principis alta,
Qui Hurſtam *ſtatuit vindicis illa loco.*

HUS, fil. Aram. Gen *c.* 10. *v.* 23. qui principatum tenuit, inter Palæſtinam, & Cæleſyriam. Hujus regio Ἀυσῖτις ab Interpp. 70. in Jobo dicitur, *c.* 1. *v.* 1. Primogenitus item Nachor. Gen. *c.* 22. *v.* 20. Fil quoque Diſon. Idem *c.* 36. *v.* 28. Lat. *conſilium* aut *lignum*, vel Syriacè *fixus*.

HUS, urbec. in Auſitide reg. in Syriæ Arabiæque conf. Patria Jobi. *Omps*, Th. *Minadojo*.

HUSAM, Rex tertius qui regnavit in Edom. Gen. *c.* 36. *v.* 34.

HUSATHI, nomen civitatis. 2. Sam. *c.* 21. *v.* 18.

HUSCARLÆ, vox Sax. quaſi *Domeſtici famuli*, aulici dicuntur & Regum domeſtici, apud Hoveden. Sim. Dunelmenſem, Florentium Wigorn. Alios. *De Huſcarlorum Danicorum* dignitate ſic *Jus Aul. Norwegicum vet. c.* 26. ex verſione Joh. Delmeri: *Omnes viri, qui fidem ſervitii, ex veteri conſuetudine, Regi adjuraverant, ſive manus datæ, ſive apprehenſi gladii confirmatione, vocabulo* Huskarla *appellabantur, quamvis illi poſtmodum multo excellentiore & eminentiore titulo, pro ſua quiſque conditione ſint honorati. Omnes verò in Regia aula ſervientes Hirdmen vernaculè nominantur, Regem obſervaturi ac tuituri* &c, Idem tradit *alibi*, Præfectis provinciarum conceſſum à Rege, ut 40. non verò plures, ſervos domeſticos nomine *Huſcarlarum* in ſervitio ſuo haberent: Scribitque Sueno *in LL. Caſtrenſ. c.* 8. *Colloquium*, ſeu Curiam Aulicam, in qua de rebus ad *Huſcarlas* pertinentibus judicia fiebant, *Huskarleſteffne* appellatam. Addit Steph. Stephanius *Huſcarle* dictos eſſe Officiales aulicos ſive officia Palatina, milites prætorianos & quotcunque in aula Regis ac Principis alicujus verſantes. Sed & etiamnum *Huſcarl* Danicè domeſticos, operarios & vernas appellari: antiquiores item Danos aulam Regiam linguâ ſuâ *Huus* appellaſſe, tradit Reſenius apud C. du Freſne in *Gloſſ.* Significat autem hodieque *Haus* Germanicis domum, ſicut *carl*, maſculum &c.

HUSENUM ſeu HUSUNUM, vulgò HUSUM, urbs in parte Occ. Holſatiæ, in ora maris Cimbr. ad ſinum Heverùm, cum arce præclara Ducum 5. leuc. à Sleſvico in Occ. 2. à Fridericopoli in Bor. Probè haud pridem munita.

HUSI, pater Baanah. 1. Reg. *c.* 4. *v.* 16.

HUSIM, altera uxor Saharaim. 1. Par. *c.* 8. *v.* 8. Item fil. Dan. Gen. *c.* 46. *v.* 23.

HUSO, piſcium grandiorum genus, vide infrà *Ichthyocolla*, it. in voce *Uſo*.

HUSSENEC, patria Joh. Huſſi, quò ille, cùm ei Pragæ concionibus interdictum eſſet, ſeceſſit, ibique docuit: paulo pòſt Pragam revocatus. A. C. 1408.

HUSSITÆ, in Bohemia dicti, qui, Joh. Huſſo doctore, Evangelii doctrinam amplexi, Sec. 15. ab adverſariis dira ſæpe ſunt paſſi. Illorum anteſignanus Joh. Ziſca, undecies victor cum Sigiſmundo pugnavit, poſt ipſum Procop. Holy, ſtrenuè rem geſſit; agnoſcente Conc. Baſil. *ſeſſ.* 3. *Bohemiam occulto Dei judicio bello pluries attentatam, ſuperari non potuiſſe.* Tandem Bohemiam reſtituêre Sigiſmundo, admittenti 4. articulos, qui *Compactata* dicti, Latinè, Germanicè & Bohemicè promulgati ſunt, ac marmori aureis literis inſcriptum: *Bohemos, communicantes ſub duplici ſpecie panis & vini, eſſe legitimos & germanos Catholicæ Eccl. filios.* In Poloniam mox diffuſi ſunt, ubi Diſputatione cum Huſſitis inſtitutâ, A. C. 1431. Jagielo Rex adeo motus eſt, ut Miniſtrum Evangelicum ex Bohemia evocaverit, eumque ſæpius in occluſo conclavi audierit, maximè propinquam ſentiens mortem. Regina quoque Hedvigis Biblia S. in linguam Polonicam transferri curavit, ſeduloque, legit, &c. *Fratres* etiam dicti: quorum reliquiæ in Polonia, collimitioque Sileſiæ & regnorum adjacentium, adhuc ſuperſtites. Laſicius *de geſtis Fratrum. è m. ſ.* Daubrav. *in Hiſt. Boh.* Camerar. *in Hiſt. Fratrum.* Cochlæus *in Hiſtor. Huſſ.* Læt. &c. Vide *Johannes Huſſus* Addo hîc ſaltem, quòd poſt mortem Ziſcæ, in duas illis factiones diviſis, quarum una Ducem ſibi creavit Procopium Magnum; cæteri, nullum inveniri poſſe dictitantes, qui jure Ziſcæ ſuccederet, ſe *Orphanos* appellavêre: multum ex his diſſidiis detrimenti cauſa ipſorum cepit. Georg. Horn. *Orb. Imp.* Penitùs tamen extingui non potuêre, uſque ad A. C. 1630. quo toto Regno pulſi *Huſſitæ* in vicinis regionibus latebras petiêre. Vide quoque in vocibus *Calixtini*, *Fratres* &c.

HUSTINGUM, nomen olim Curiæ ſupremæ, Londinenſis civitatis, à loco, ut Prytanæum Athenis. *Hus* enim Saxonibus domus; & *Ding*, cauſa, res, lis, judicium eſt: quaſi *Domus Cauſarum*. Hoc ſingulis ſeptimanis die Lunæ teneri, mandavit Lex Eduardi Confeſſoris, quod hodie Martis die fit. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.*

HUTCHINSONIA, Angla, mulier callida, ſagax & ſpiritus contumacis, ab Antinomis novis Angliæ, Independentium genere, ſeducta Eccleſias Novæ Angliæ, mirè hoc Sec. turbavit. Prætextu enim repetendi ſermones Cottonianos (vide de *Cottono Joh.* ſuprà) Boſtoniæ furores illos, hincque in totam regionem diſperſit: *Legem nullum uſum habere in adducendis hominibus ad Chriſtum, Hominem eſſe unitum Chriſto, ſine fide ab omni æternitate, Sanctificationem non eſſe bonum ſignum ſtatus gratiæ, Magiſtratui non obediendum*, & Synodus enim Nov-Anglica non tantùm *Fraternitatem* (uti vocant, *Presbyterio* rejecto,) ſed & *Sororitatem*, ſubjectum fecit privatæ poteſtatis clavium, unde feminis in illa Independentium Congregatione, concionandi, diſputandi & decidendi controverſias ſuffragiis ſuis, jus conceſsum. Quo in genere *Hutchinſonia* ita aliquandiu invaluit, ut Cottonum quoque ipſum, Virum aliàs pium & doctum, in ſuas partes, inque errores graviſſimos, cum multis aliis pertraheret. Tandem verò, juſto Dei judicio, poſtquam monſtroſos aliquot partus omnium cum horrore enixa eſſet, relegata in quandam inſ. cum ſuis, ab Indis cæſa, & ultricibus flammis conſumpta eſt. Georg. Horn. *Hiſt. Eccl. N. T. Period. III. artic.* 3. *cum Notis & Obſervation.* Leydeckeri.

HUTINGTON Henricus vide *Henricus*.

HUTINUS, cogn. Ludovici X. Franc. Regis quòd, ut quidam ajunt, dum adhuc puer eſſet, rixas & contentiones cum coætaneis crebras excitaret: Nam hodieque de pueris Galli dicunt, *Il aime le hutin*, h. e. *tintamarre, les querelles*, ſtrepitum rixaſque amat. Vox, ut videtur, ejuſdem originis, cujus *Hueſium* eſt: quòd, qui *hux* clamare ſolent; id potiſſimùm ſeditionis ac contentionis excitandæ cauſæ faciant. Vide C. du Freſne in *Gloſſ.* & ſuprà, in voce *Hueſium* ſeu *Hutejium*.

☞ HUTITÆ, Anabaptiſtæ, à Joh. Hutto: poſteros ſe Iſraëlis, ut Chananæos extirparent, adveniſſe, delirantes: Diem ultimum præſtò eſſe, ad quem cibo potuque homines præparandos eſſe, dixêrunt. Sec. 16.

HUTTEN Ulricus, Eques Franco, eruditione inclytus, corpore exiguus, verum animo tam ſublimis ac intrepidus ut, ſi in ejus poteſtate fuiſſet, univerſum totum penitus invertiſſet. Poëta eximius, ſed ſtylo acer, ut docent, quæ in Eraſmum, it. contra Curiam Rom. ſcripſit. Obiit in inſ. quadam lacus Tigurini, A. C. 1523. Æt. 36. Catalogum ſcriptorum ejus exhibet, *in Elogiis Part.* 1. *Anton. Teiſſier.*

HUUM, vulgò HUY, opp. Leodienſis dit. medium inter Leodium ad Ort. & Namurcum ad Occ. ad Moſam. *Fuit ſæpe everſum*, cum caſtro in monte, 5. leuc. à Leodio. Aliter *Huyum ſeu Hujonum*, it. *Hojum*, quod vide.

HUXETERUS Joſephus. vide *Ludovicus Joſephus*.

HUYA, Inſ. fortè HOLYLAND, ſeu Inſ. ſacra, litori Northumbriæ ferè adjacens, 6. mill. à Bervico, & à conf. Scotiæ in Auſtr. Bamburgum versùs. *Baudr.*

HY, Inſ. Scotiæ, monaſterio S. Columbani olim celeberrima, momoratur Bedæ *Hiſt. Eccl. gentis Angl. l.* 3. *c.* 3. &c. inde hodieque *Ycolmkill*, quaſi *Columbani cella*, vide infrà.

HYACINTHIA, Feſtum Apollinis ſive Bacchi: Liberum enim eundem cum Sole eſſe, Ariſtot. ſcripſit, in deperditis Theologumenis, Macrob. teſte *Sat. l.* 1. *c.* 18. & Ulpianus Rhetor *ad Orat. Demoſth. c. Midiam*, ait, Εἴπερ τὸν Διόνυσον καὶ Ἀπόλλωνα καὶ Ἥλιον καλοῦσι, *Quia Bacchum & Apollinem & Solem vocant.* Maronem quoque idem ſenſiſſe, oſtendit illud, in aurei operis *l.* 10. *v.* 315.

Inde Lycam ferit exemptum jam matre peremptâ
Et tibi, Phœbe, ſacrum:

Ubi *Phœbum* pro *Libero* dixit: huic enim ſacrabantur è matre exſecti, idque quia ſimilis horum origo ſit ortui Διονύσου ſeu Liberi, ut qui ſecto patris femore prodierit in lucem, vide plura hanc in rem apud Macrob. *l. c.* Sic itaque Lacones, in feſto illo Apollinari, quod in *Hyacinthi* memoriam triduo celebrare ſolebant, hederâ, Bacchico ritu, coronabantur, vide Gerh. Joh. Voſſ. de *Idol. l.* 2. *c.* 14. & infrà *Hyacinthina* itidem, nec non in *Hyacinthus*.

HYACINTHIA, plur. num. ſacra nocturna à Lacedæmoniis inſtituta in honorem Hyacinthi pueri, ab Apolline *diſci jactu* interfecti. Ovid. *Met. l.* 10. *v.* 219. Feſtum erat triduanum: quod ut tutiùs celebrarent Lacedœmonii, bello Meſſeniaco II. dierum XL. inducias cum Meſeniis pepigêrunt. Interea Ariſtomeni induciarum fiduciâ ſecurius vaganti, ſeptem ſagittarii Cretenſes inſidias faciunt captumque loris Pharetrarum vinciunt, è quibus quo pacto ſe expedierit, Vide apud Pauſ. *l.* 4. adde Athen. *l.* 4. *c.* 7.

HYACINTHIDES, quænam ſint non convenit inter authores. Harpocration tradit Hyacinthi Lacedæmonii filias eſſe. In eadem ſententia eſt Apollod. qui quatuor eas memorat, *Antheidem*, *Ægleidem*, *Eutheniden*, & *Lytæam*, mactataſque ab Athenienſibus ex vet. Oraculo pro ſalute publica ad tumulum Geræſti Cyclopis, Bibliothecæ *l.* 3. Alii Erechthei filias fuiſſe tradunt, in quibus eſt Demoſthenes *Orat. Fun.* Alii 6. commemorant *Protogeniam*, *Pandoram*, *Procridem*, *Creuſam*, *Orithyiam*, & *Chthoniam*; atque ex his duas priores mactandas ſeſe præbuiſſe in colle Hyacinthio, unde *Hyacinthides* dictæ. Hygin. unam tantùm memorat, Spartantidem, *fab.* 231. Meminit earum. *Heſych.* Voſſ. Erechthei fuêre filiæ, qui Pandionem, in Athenienſium regno, excepit; ſic dictæ Demoſtheni *Or. Fun.* quia in *Hyacintho* pago immolatæ, ut ait Suid.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Suid. Eædem per exellentiam Παρθένοι, *Virgines*, vocitatæ ſunt, eodem auctore. Unde Græcorum exemplo Tull. *pro S. Roſcio*, *Mortes etiam Virgines Athenis, Regis, opinor, Erechthei filiæ, pro Patria contempſiſſe dicuntur.* Hæ unà cum Parente in Deorum propterea numerum relatæ ſunt; Et pater quidem, quia paruiſſet Oraculo, dicenti, ſuperiorem fore bello contra Eumolpum, Thracum Regem, ſi filiarum unam immolaret: filiæ autem, quia & illa, quam Parens ſacrificio deſtinârat, lubenti animo ſeſe ad hoc obtulit; & ſoror, imò univerſæ, ut alii ajunt, Sorores, ſeſe pro ſalute Patriæ, interemiſſent. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Idol. l.* 1. *c.* 13.

HYACINTHINA, in Amyclæo celebrari ſolita, ludi ſacri, memorantur Strab. in conſpiratione Eilotarum *l.* 6. *p.* 278. Vocata ſunt & *Hyacinthia*, quæ auctoribus Xenoph. *Hellenic. l.* 4. & Plutarch. *in Ageſilao*, Lacedæmone agebantur. Ibi canebatur Pæan, ad quem Amyclæi conveniebant. C. Paſchal. *Coron. l.* 6. *c.* 30. Vide quoque ſuprà *Hyacinthia*.

HYACINTHINUS Color, eximius olim habitus. Hinc Panthea marito offert, cum aurea caſſide & armillis, Χιτῶνα πορφυροῦν ποδήρη --- καὶ λόφον ὑακινθινοβαφῆ, *tunicam purpuream talarem --- & conum* hyacinthini *coloris*, apud Xenoph. *Cyrop. l.* 6. Circa Cyri ejuſdem ſepulchrum, apud Paſargades, ἀναξυρίδες Μηδικαὶ καὶ στολαὶ ὑακινθινοβαφεῖς ἔκειντο κτλ. *braccæ Medicæ & ſtolæ* hyacinthinæ *jacebant* &c. Apud Perſ. *Sat.* 1. *v.* 32.

> *Hic aliquis, cui circum humeros* hyacinthina *læna eſt*,

i.e. tricliniaris veſtis mollior & coloris exquiſitiſſimi. Quod ad ætatis ſuæ mulieres ſolito comtiores referens Hier. *Ep.* 10. *ad Fur. Hic aliqua*, inquit, *cui circum humeros* hyacinthina *læna eſt* &c. Sed qualis propriè fuerit, ambigunt eruditi. Cum *rubro purpureo* plerique eundem faciunt, aut illi ſimillimum, ſive ab *hyacintho* flore aut ab *hyacintho* lapide nomen habeat. Certè Virg. de flore *Ecl.* 3. ait, *v.* 63.

> *Munera ſunt lauri & ſuave rubens* hyacinthus.

Idem *Georg. l.* 4. *v.* 183.

> *Et pinguem tiliam & ferrugineos* hyacinthos.

h. e. purpureos aut ſubpurpureos; Nam *ferrugo*, *color eſt vicinus purpuræ ſubnigræ*, Serv. Lapis quoque *hyacinthus*, vel violaceus deſcribitur, vel purpureus, ſed dilutior. Plin. *l.* 37. *c.* 9. Quin rubinus noſter ab Arabibus & Perſis hodieque *hyacinthus* nominatur, quaſi *hya inthini* ſit coloris: ut alia omittam. Tamen *cæruleum* potiùs hoc nomine colorem indigitari, contendit Cl. Bochart. Namque & flori hujus nominis cœruleum colorem tribuunt idonei Scriptores: Columella in Horto,

> *Nec non & niveos & cæruleos* hyacinthos.

Quomodo Græci quoque poëtæ κυανέους ὑακίνθους, ut obſervatum Salmaſ. *in Solin. p.* 997. Et lapis cognominis cœruleus ac cœlo congener à multis deſcribitur, Solino Martiano Capellæ *l.* 1. Ambroſio *in Apocal. c.* 21. *v.* 20. Andr. Cæſarienſi, Hier. *ad Demetriad. Ep.* 7. Iſid. *Orig. l.* 16. *c.* 9. Epiphan. *de XII. gemmis*, Aliis, apud quos *hyacinthum* & *hyacinthinum* colorem cum cœlo & aëre ſexcentis locis videas conferri. Sic quia tabernaculi velum ex byſſo, purpura, hyacintho & cocco fuit, Exodi *c.* 26. *v.* 31. in iis quatuor quærunt Vett. imaginem quatuor elementorum, terræ in byſſo, quæ ex terra; aquæ in purpura, quæ ex mari; aëris in *hyacintho* & ignis in cocco, propter coloris ſimilitudinem, vide Joſeph. *Antiqq. l.* 3. *c.* 8. Origenem *in Exod. Homil.* 13. Theodoret. *in Exod. Quæſt.* 6. Gregor. Nyſſ. *l. de V. Moſis*, Hier. *in Jerem. c.* 18. *v.* 9. & *in Ezech. c.* 16. *v.* 10. ut & *c.* 27. *v.* 24. &c. Diverſus igitur à purpureo colore *hyacinthinus* fuit, non verò ab omni: Purpuræ enim marinæ duo ſunt genera, quorum illud cœruleum, ex conchylii; hoc propriè purpureum fuit, ex purpuræ propriè dictæ ſanie factum: qua de re vide pluribus agentem Bochart. præfat. *Hieroz. Part. poſt. L. V. c.* 11. & 12.

HYACINTHUS, Amyclæ Spartanorum Regis fil. Eurotæ nepos, eodem tempore à Zephyro & Apolline adamatus. Verùm cùm in Apollinis amorem propenſior eſſet, ægrè id ferens Zephyrus, amorem in odium convertit. Cum Hyacintho deliciis ſuis diſci jactu dum ſeſe exerceret Apollo, Zephyrus nocendi occaſionem nactus, diſcum ab Apolline emiſſum flatu ſuo in caput Hyacinthi convertit, puerumque interemit. Cujus mortem cùm ægerrimè ferret Apollo, Tellus in amatoris Dei ſolatium, cruorem ejus commutavit in florem ſui nominis. Palæphatus paulo aliter. Ovid. *Met l.* 10. Nicander in *Theriacis*,

> — Καρπόν τε πολυθρήνου Ὑακίνθου,
> Ὃν Φοῖβος θρήνησεν, ἐπεὶ ῥ᾽ ἀέκουσιος ἔκτα
> Παῖδα, λαβὼν προπάροιθεν Ἀμυκλαίου ποταμοῖο
> Πρωθήβην Ὑάκινθον, ἐπεὶ σόλος ἔμπεσε κόρσην
> Πέτρου ἀφαλλόμενος, νέαιρον δ᾽ ἤραξε κάλυμμα.

Coluthus Theban. *in Helenæ Raptu*:

> Ἔνθα δὲ Καρνείοιο περιγνάμψας Ὑακίνθου,
> Ὅν ποτε κουρίζοντα σὺν Ἀπόλλωνι νοήσας
> Δῆμος Ἀμυκλαίων ἠγάσσατο, μὴ Διὶ Λητὼ
> Σκυζομένη καὶ τόξον ἀνήγαγεν· Ἀυτὰρ Ἀπόλλων
> Οὐκ ἐδάη Ζεφύρῳ ζηλήμονι παῖδα φυλάσσων.
> Γαῖα δὲ δακρύσαντι χαριζομένη βασιλῆι,
> Ἄνθος ἀνηνύξησε παραίφασιν Ἀπόλλωνι,
> Ἄνθος ἐπιζήλοιο φερώνυμον ἡβητῆρος.

Tumulus ejus Amyclis ſub ſigno Apollinis, *Amyclides* dictus eſt, & poëticè *Oebalides*, Ovid. *Met. l.* 10. *fab.* 5. Cæterum inter Laconum fuit Heroas, cujus ſacra in Apollinari feſto celebrabantur. Unde illud Apollini & *Hyacintho* peragi ait Pauſ. *in Lacon.* At ſolum Apollinem (quippe Deum, non Heroëm) nominat Macrob. ubi ſuprà: fortaſſe enim Spartani ejus quidem memoriam feſto Apollinari colebant ſoli interim Apollini ſacrificabant. Quod ſi eſt, non ad Heroicos hoc, ſed divinos pertineat honores. Quomodo & iis, in honorem Timomachi (quo Duce Ægidæ Lacedæmoniis opem tulerant, adverſùs Amyclæos) eodem in feſto ſolebat χάλκεος θώραξ προτίθεσθαι, *ærea proponi lorica*, ut eſt apud Scholiaſtem Pindari *Iſthm. Ode* 7. Vide ſuprà, in voce *Hyacinthia*. Inter opera Niciæ Athenienſis, Plin. *l.* 35. *c.* 11. celebris *Hyacinthi* hujus tabula, *quam Cæſar Aug. delectatus ea ſecum deportavit Alexandriâ capta: & ob id Tiberius Cæſar in templo ejus dicavit*, memoratur.

HYACINTHUS alius Lacedæmonius, prioris ex Cynorta fratre nepos, Oebali fil. pater Hyacinthidum. Item pagus ſupra Sphendonios, ubi Erechthei filias immolatas eſſe tradit Suid. in Παρθένοι.

HYACINTHUS Flos, lugubres notas foliis præfert, & ex duplici fabula funus oſtentat: altera, quæ ſanguine Ajacis florem aſſerit editum, cujus & nomen foliis inſcriptum præfert, venis, quæ per illum diſcurrunt, linearum ductu literas illas αἰ αἰ efficientibus; altera, quæ notas eſſe luctus narrat, ob *Hyacinthi*, dilecti Apollini pueri, de quo ſuprà, interitum. Plin. *l.* 21. *c.* 11. Unde inter *inſcriptos flores* recenſetur, de quibus vide C. Paſchal. *Coron. l.* 3. *c.* 10. Sed quis ille flos, plerique ignorant: nec mirum, apud Maronem à paſtore paſtori hanc quæſtionem pro inexplicabili propoſitam, notis illis verſibus, *Ecl.* 3. *v.* 106.

> *Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,*
> *Naſcantur flores inſcripti nomina Regum.*

Ubi poëta ad florem hunc & Ajacem alludit, de induſtria mentem, dicendo *Reges* & *quibus in terris*, obſcurans. Si quis enim putat, eum eſſe *Hyacinthum*, qui vulgò ſic vocatur, quique ſub hoc nomine à Dioſcoride deſcribitur, totâ viâ errat. Nec enim in illo diſcurrentes illæ venæ, nec lilii inſtar, nec ruber ſeu niger color, qui atræ ſaturatæque purpuræ eſt, quæ omnia poëtæ ſuo *Hyacintho* tribuunt, reperiuntur: ſed ut plurimum coloris ex cœruleo pallidi, vel ex cineraceo purpuraſcentis eſt, ad lilii formam neutiquam accedens. Potiùs itaque aliis coſmoſandalum, *Hyacinthus* ille fabularis vetuſtiſſimorum Græcorum; Salmaſ. Romanorum gladiolus eſt, ſeu vaccinium, ξυρίδιος nomine Dioſcoridi deſcriptum, quo Chymici ad tingendas vitreas gemmas, Galli ad hysginum inficiendum, Romani mangones ad tardandam ac coërcendam venalium pubertatem, utebantur, uti pluribus rem hanc perſequitur *ad Solin. p.* 1222. & *ſeqq.* Certè & ex ὑακίνθιον, *vacindium* primò, inde *vacinium* eſſe factum videtur, Idem *p.* 292. Fuit autem flos hic præcipuæ inter coronarios olim nobilitatis, cujus laudes Bion carmine & Nicander integro libro, ſed qui periêre ambo, deſcripſiſſe leguntur. Et licèt in luctu natus, ob hilarem tamen ſpeciem, quâ provenit (*ſuave rubens* hinc proprio epitheto poëtis cognominatus) hilaritatis eſt & animi ſoluti index in corollam plexus, apud Anacreontem. Sic hyacintho florente redimitæ virgines choreas inſtituunt, apud Theocrit. *Idyll.* 18. Eodem Muſas veneratur Virg. *Cir.* & præſidem earum Apollinem *Ecl.* 3. Homer. inter lectiſſimos & odoratiſſimos flores, quos Jovi & Junoni tellus ſubſtravit *Il.* ξ. etiam huncce recenſet: In Cereris quoque Sacris, coronas hujuſmodi, Chthoniis diebus Feſtis adhibitas, docet Pauſ. ut alia omittam. Viciſſim verò, quia luctus indices notas præfert, hinc fortaſſe mos manavit *hyacinthis* ſepulchra ſpargendi, indigitatus Prop. *l.* 4. *Eleg.* 7. *v.* 33.

> *Hoc etiam grave erat, nullâ mercede* hyacinthos
> *Injicere & fracto buſta piare cado* &c.

Miſcebatur omnibus floribus vernis: violæ, ſerpyllo, croco, roſæ, apud Theocrit. *Id.* 18. loto & croco, apud Homer. *d. l.* amarantho, apud Ovid. *Faſt. l.* 4. narciſſo, croco, aci, myrrhæ, *l.* 5. &c. Vide C. Paſchal. *Coron. l.* 3. *c.* 10. & ſuprà paſſim. Alius eſt *Hyacinthus* flos, quem ſic deſcribit Franc. Pomey, *Hyacinthus, Tuberoſæ perſimilis, flores effert è tubulatis anguſtiis, in calathi formam repandos, lilii diviſurâ per oram reflexos, à medio plerunque, nonnunquam etiam ab imo caule, ad ſummum, nunc per ambitum, modò denſatâ, modò rarâ ſerie, digeſtos omnium ferè colorum*, *Deſcript. diverſ.* Hinc *Hyacinthinus*, primò quod ex *Hyacintho* flore, inde quidquid ſpecioſum ac pulchrum eſt. Sic capillitium formoſum ὑακινθίνας τρίχας, *hyacinthinos capillos*, vocat Lucian. *de Imag.* aliique paſſim, ut videre eſt ſuprà, ubi *de Coma Hyacinthina*. Et Catull. formam Juliæ hyacinthinæ pulchritudini aſſimilat, *Epithal. Jul. & Manl. Carm.* 61. *v.* 93. Quo factum, ut originem vocis nonnulli ex ἴος, *ſolus*, & Attico κύαθος, *flos*, quaſi *ſolus flos*, vel ex ἴον & Κύνθιος, quaſi *viola Apollinis*, arceſſant &c. De colore ſuprà dictum.

HYACINTHUS Gemma, inter ardentes, quas India mittit, Strab. memoratur, παιδέρωτος ἀνθράκων nomine illas comprehendenti, de quibus diximus aliquid ſuprà in voce *Anthrax*. Ejus genera Epiphan. quinque facit, quorum primum θαλασσίτην vocat, proximum ῥοδινὸν, unde *rubinum* feciſſe infimam Latinitatem, ait Salmaſ. cui rubinus noſter Veterum hyacinthus eſt, Perſis Arabibusque etiamnum *jacut*, inde detortâ voce: quartum ὑδαρίστερον & χαμαιδῖον, quintum πελλόμενον, quòd circumferentiam habeat albicantem. Idem νάτιβον, i. e. *nativum* hyacinthi ter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

tertium genus vocat, manu & arte non elaboratum, vel à *nativo* colore, utpote qui inter roſeum & dilutiorem, qualis propriè eſt paſtelli rubri ſeu φοινικοπασέλλυ, quod *natif* inde Arabibus dicitur. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1332. Plin. *l.* 37. *c.* 9. ubi de Jaſpidum generibus, ita de hac gemma, *Multum ab ea* (amethyſto) *diſtat hyacinthos, tamen è vicino deſcendens. Differentia hæc, quod ille emicans in amethyſto fulgor violaceus, dilutus eſt in* hyacintho. *Primo quoque aſpectu gratus evaneſcit, antequam ſatiet, adeoque non implet oculos, ut penè non attingat, marceſcens celeriùs nominis ſui flore. Hyacinthos Æthiopia mittit, —— præferuntur Indicæ —— Optimæ ſunt, quæ in collatione aurum albicare quadam argenti facie cogunt. Funda includuntur perſpicuæ.* Hinc *hyacinthizontes* gemmæ, quæ ad *hyacinthum* propiùs accedunt, ut *berylli hyacinthizontes*, de quibus Salmaſ. ubi ſuprà, *p.* 1107. &c. *Hyacinthis* radiantes galeas habet in voce hac.

HYADES, ſtellæ 7. in capite Tauri, quæ quoties naſcuntur, vel occidunt, pluvias creant, unde & nomen accepêrunt, ἀπὸ τȣ̃ ὕειν, quod eſt *pluere.* Ovid. *Faſt. l.* 5. *v.* 165.

Ora micant tauri ſeptem radiantia flammis
Navita quas Hyadas *Grajus ab imbre vocat.*

Idem Triſt. *l.* 1. Eleg. x. *v.* 16. Faſt. *l.* 3. *v.* 105. *l.* 4. *v.* 676. & 677. *l.* 6. *v.* 197. Met. *l.* 3. *v.* 595. Vide A. Gell. *l.* 13. *c.* 9. Fabulantur poëtæ has Bacchi nutrices fuiſſe quæ & *Dodonides* nymphæ vocatæ ſunt, à *Dodona* Epiri civitate: quæ tùm Junonis iram vererentur, fugerentque Lycurgi Regis ſævitiam, à Jove in cœlum ſunt translatæ. Alii tradunt, Atlantem ex Æthra uxore Hyan fil. ſuſcepiſſe, ſeptemque puellas, quarum hæc ſunt nomina, Ambroſia, Eudoxa, Paſithoe, Corone, Plexauris, Pytho & Tyche, quæ cùm fratrem à leone devoratum implacabili luctu proſequerentur, dolorisque magnitudine extabeſcerent, Jovis miſeratione in 7. ſtellas ſunt converſæ, &, ut in perpetuum maneret tantæ pietatis teſtimonium, à fratris nomine *Hyades* appellatæ. A Latinis *Suculæ* dicuntur, quòd propter maximas, quas ex ortu ſuo afferunt, pluvias, luto gaudere videantur, tanquam ſues. *Nic. Lloyd.*

HYADETÆ Inſ. mel. *Stadæ*, Camd. *ſeptem Inſ.* Gall. *les ſept Isles*, in ora Bor. Britanniæ min. verſùs Trecorium.

HYÆA, urbs Locrorum Ozolorum. *Steph.*

HYÆNA, Græcè ὕαινα, ex ὗς, *porcus*, quòd dorſum ejus ſetis quaſi *ſuillis* rigeat: aliter γλάνος, apud Ariſtot. *Zeſef* Turcis & Afris. *Dabuh* Arabibus, hiſce deſcribitur Plin. *l.* 8. *c.* 30. *Collum & juba continuitate ſpinæ porrigitur, flectique, niſi circumactu totius corporis, nequit. Multa præterea mira traduntur. Sed maximè ſermonem humanum, inter paſtorum ſtabula, aſſimulare, nomenque alicujus addiſcere, quem evocatum foràs laceret. Item vomitionem hominis imitari, ad ſolicitandos canes, quos invadat. Ab uno animali ſepulchra erui, inquiſitione corporum. Feminam raro capi. Oculis mille eſſe varietates, colorumque mutationes. Et quibusdam magicis artibus omne animal, quod ter luſtraverit, in veſtigio hærere --- plurimæ gignuntur in Africa* &c. Ubi quod de magica poteſtate huic animali à Vett. tributa habet, exequitur pluribus Salmaſ. *ad Solin. p.* 1087. & *ſeqq.* Vide quoque infrà in voce *Nodus hyænæ.* Cæterùm *Hyæna*, in *Gloſſis* vett. ζῶον, *bellua*, & apud Arnob. *l.* 7. *Cur non & canes & urſos & vulpes & camelos & beluas & leones*: unde apud Jul. Capitolin. *in Gord.* III. pro, *Belbi, item Hyænæ X.* reponit, *Belbi*, i. e. *hyænæ X.* & *Belbus*, pro *beluus*, hocque pro *bellua*, h. e. *hyæna*, poſitum eſſe, docet, deſcribens hoc animal pluribus Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior l. III. c.* 11. è quo unum hoc de modo capiendi illud adſpergo. Busbequius *Ep. I. de Leg. Tur. Ajunt*, inquit, *hyænam, quam ipſi* Zirtlan *vocant, ſermonem intelligere humanum, propterea que a venatoribus hunc in modum capi. Accedunt ad ejus cavernam, quam ex oſſium cumulo deprehendi facile eſt. Subit unus cum fune, cujus partem extremam foris ſociis tenendam relinquit: ipſe identidem pronuntians*, Joctur, Joctur, icela, *illam ſe non reperire, illam non adeſſe, introrepit.* Quod paulo aliter narrans Abrah. Ecchelenſis Maronita *Not. ad Abdarachmanum* De propriet. *Anim. c.* 24. *Hujus*, ait, *animalis venatio omnium lepidiſſima & ſingularis eſt. Nam muſico concentu adeò mulcetur & manſueſcit, ut frequenter hoc venationis genere capiatur, quod ita fit. Ubi de antro ſeu latibulo conſtiterit, ad ejus oſtium ſua pulſant venatores inſtrumenta & cantiones quaſdam occinunt. Unusque eorum ſemper dicit*, Dabaha *eſt hîc, alter verò reſpondet negando*, Dabaha *non eſt hîc. His per aliquod temporis ſpatium cantatis, egreditur animal illud cicuratum ac totum manſuetum, omni feritate depoſitâ, & hoſpitibus blanditur, & ipſi hoſpites, ſed adblandiendo camum imponunt ori & fune collum adſtringunt & ducunt captivum* &c. Porrò coitu *Hyænæ* leænam Æthiopicam crocottam parere, Plin. docet ubi ſuprà; nec obſtat, quòd idem alibi id animalis ex cane & lupo conceptum facit; *hyæna* enim lupo, leo cani ſimilis. Vide ſuprà in voce *Crocotta.* Hinc *Hyænetta*, diminut. unde factum *gnetta* vel *genetta*, animal in Hiſpania frequens, & nomine ac maculis aliisque nonnullis Vett. *hyænam* referens. Indidem Sacra quædam *Hyænica*, quòd in iis mulieres *hyænæ*, ſicut viri *leones*, vocarentur, olim dicta fuiſſe, monet Salmaſ. *Not. ad Commod. Lamprid.* Vide quoque infrà in voce *Mithra*; & præter Auctores laudatos, eund. Salmaſ. *ad Solin.* ubi multa inſuper hanc in rem, & de *hyænia gemma*, in oculis hyænæ inventa, & de piſce ὕαινα, varia habet, *p.* 335. & *ſeqq.* Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 7. ubi de ſententia Palladii & Plutarchi, *Hyænam non tangi fulmine*; *c.* 54. ubi, *an quotannis ſexum immutet*, diſquirit; *c.* 59. ubi de ejus *ſolertia*; & *imitatione humani ſermonis fabuloſè ei tributa*; *c.* 60. ubi de *inimicitia illius cum pardali & canibus*, & *c.* 70. ubi de Ægyptiorum commento, *Hyænæ pelle indutum vulnerari non poſſe*: Alios. Species *Hyænæ*, Slavis *Roſomacha* dicta, in Sept. frequens eſt, & Nobilibus, pellis gratiâ, eximiè appetitur, ut infrà videbimus in hac voce.

HYAGNIS, Phryx, Marſyæ pater, an fil. variant enim Auctores, primus duas tibias uno ſpiritu animavit, *lævaque & dextra acuto tinnitu, gravi bombo concentum Muſicum miſcuit*, Appulejus *in Floridis.* Quod tamen alii Marſyæ tribuunt. Poëta Græcus hinc in Epigr. Αὐλοὶ τȣ̃ Φρυγὸς ἔργον Ὑαγνίδος, ſub finem addit de Marſya.

Ἡ δὲ Κελαινείτης ποιμὴν πάρος, οἷσπερ ἀείσας
Ἐγνώθη, Φοίβȣ κεῖνον ἔδειξε ἔρις.

Sed nomi ejus Phrygii, & Lydii tantùm, reliquis poſtea demum accedentibus. Eundem obliquæ ſeu curvæ tibiæ inventorem fuiſſe, & in ſacris Deûm matris primum tibiâ ceciniſſe, Dioſcorid. *in Epigr. Græc.* tradit, quod Siritæ Libyco alii aſcribunt: qua de re vide Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 120. & *ſeqq.*

HYALA, ad Indi flum. oſtia, urbs ſimilibus Spartæ inſtitutis utens: nam ex duabus familiis duo Reges conſtituebantur, ſummæ rei in bello præpoſiti. Cætera Seniorum magiſtratus adminiſtrabat. Diod. Sic. *l.* 17.

HYALE, nympha una ex Comitibus Dianæ. Ovid. Met. *l.* 2. *v.* 171.

HYAMÆA, urbs Meſſeniæ, una ex quinque. *Steph.*

HYAMION, urbs Trojana. *Idem.*

HYAMPOLIS, in tabb. recentibus *Jampoli*, urbs Phocidis in Bœotiæ conf. Chæroneæ & Coroniæ proximum, ubi *Hyampolus* vertex montis apud Parnaſſum, Steph. Strabo *l.* 9. *p.* 416. & 424. cui *Anemoria* dicitur, Plin. *l.* 4. *c.* 7. Plutarch. Stat. Theb. *l.* 7. *v.* 345.

Et valles Lebadea tuas, & Hyampolin *acri*
Subnixam ſcopulo. ——

Eſt & altera in Bœotia, non procul ab Orchomeno. Ptol. *l.* 4. *c.* 15. Herod. *l.* 8. *c.* 28. & 33.

HYANTHES, ab antiquis vocabantur Græciæ pop. poſteà *Bœoti* dicti. Plin. *l.* 4. *c.* 7. quod nomen ab *Hyante* Rege traxiſſe putantur. Strabo *l.* 10. *p.* 464. Hinc *Hyantius*, idem quod *Bœotius*, Cadmi epitheton. Ovid. Met. *l.* 3. *v.* 147.

HYANTIA, urbs Locrorum. *Steph.*

HYAPEA, urbs Phocidis. *Idem.*

HYAROTIS, vide *Hydraotæ.*

HYAS, vide *Hyades*, & *Hyanthes.*

HYASIS, urbs Libyæ, quæ & *Oaſis.* *Steph.*

HYBA, vel HYBADÆ, vicus in tribu Leontidis. *Idem.*

HYBANDA, Ioniæ olim inſ. poſtea maris receſſu continenti annexa. Plin. *l.* 2. *c.* 89.

HYBELE, urbs juxta Carthaginem. *Steph.*

HYBERIA, vide *Iberia.*

HYBERNIA, vide *Hibernia.*

HYBLA, mons Siciliæ, thymi copiâ, ſalicum, & apibus abundans, unà cum opp. ejuſdem nominis ab *Hyblo* Rege dicto. Strabo *l.* 6. *p.* 267. à Dorienſibus conditam ſcribit. Mart. in Xeniis *l.* 13. Epigr. 104. cujus Epigraphe Favi Siculi.

Cum dederis Siculos mediis de collibus Hyblæ
Cecropios dicas tu licet eſſe favos.

Sil. Ital. Punic. Bell. *l.* 14. *v.* 200.

Tum quæ nectareis vocat ad certamen Hymettum
Audax Hybla *favis.*

Hinc *Hyblæus.* Virg. Eclog. 1. *v.* 55.

Hyblæis *apibus florem depaſta ſalicti.*

Mart. *l.* 11. Epigr. 43. cujus Epigraphe in Cæcilianum.

Mella jubes Hyblæa *tibi vel Hymettia naſci.*

Porrò tres *Hyblas* in Sicilia ponit Steph. de quibus vide Boch. *Geograph. p.* 584. 593. & 604. Plin. *l.* xi. *c.* 13. & Herod. *l.* 7. *c.* 155. Senec. Oedip. *Act.* 3. *v.* 93. & infrà. Lucan. Civ. Bell. *l.* 9. *v.* 291. *Nic. Lloyd.*

HYBLA Maj. nunc *Paterno*, opp. ad radices Ætnæ, prope Simethum fluv. 10. mill. à Centuripe in Ort. 17. à Catania in Occ. *Brietius.*

HYBLA Min. aliis *Heræa*, eſt *Raguſa*, opp. Siciliæ in valle Neatina 15. mill. ab ora maris Africi.

HYBLA Parva, quæ & *Megara*, urbs fuit Siciliæ, in ora Or. Ejus rudera ad Allabi fluv. oſtia viſuntur, inter Auguſtam ad Bor. & Syracuſas ad Auſtr. Brietius. Aliis fuit, ubi nunc vicus *Mirilli* in illo tractu, ſed à mari tantiſper remotus.

HYBLON, Siciliæ Regulus, qui Hyblæ civitati nomen fecit, quæ poſtea *Megara* dicta eſt. *Steph.*

HYBREAS, inſignis Orator ex Mylaſſis Cariæ urbe, qui, cùm pater nihil præter mulum lignarium, & mulionem reliquiſſet, illorum operâ aliquandiu nutritus, Diotrephi Sophiſtæ operam dedit, tandemque ad Reip. gubernacula pervenit. Vide Strabo *l.* 13. *p.* 630. & *l.* 14. *p.* 659. & 660.

HYBRIANES, pop. circa Thraciam, à Scordiſcis infeſtati. Strabo *l.* 7. *p.* 318.

HYBRIDA, apud Mart. *l.* 6. Epigr. 39. cujus Epigraphe in Cinnam. *v.* 20.

Jamque Hybridarum *grex tibi foret plenus,*
Si ſpado Coreulus, Dindymusque non eſſet:

ingenuâ matre & ſervo patre natus eſt; quales idem poëta equites *vernas* appellat, *l.* 1. Epigr. 85. cujus Epigraphe de Quirinal. *v.* 4. Propriè enim *hybridæ* fœtus ex imparibus parentibus; uti porcus ex fero & manſueta natus: qualem à Gallico ſibi appoſitum idem habet *l.* 8. Epigr. 22. cujus Epigraphe in Gallicum.

Ic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Invitas ad aprum; ponis mihi, Gallice, porcum;
Hybrida *ſum: ſi das, Gallice,* verba *mihi* &c.

Sic apud Suet. *Aug. c.* 19. *Conjurationes --- Aſinii Epicadi ex gente Parthyna hybridæ:* Et Hirtium *de bello Afric. Præterea ex fuga prælioque Pompejano, quos ſecum à Brundiſio transportaverat, equites Germanos Galloſque. ibique poſtea ex* hybridis *libertinis ſervisque conſcripſerat;* vox notat Numidarum abjectiſſimum quemque, è libertinis ſervisque prognatum. Vide Caſaub. *ad Suet.* E' Græco ὕβρις, *probrum, contumelia.*

HYCCARA, opp. Siciliæ, à Sicanis conditum, ſed everſum, ubi Laidem meretricem natam ajunt: Athen. *l.* 13. *p.*588. *Carbolongi & Garbolangi*, ſeu *Carini*, teſte Fazello: olim Epiſcopal ubi nunc opp. Carinum, quod ſub Gregorio Mag. ſedem Ep. habuit, inter Panormum & Elymam, à Panormo 12. mill. paſſ. diſtans. Vet. autem *Hyccara*, nunc *Muro Carini* nominatur, apud Carin. Ὕκκαρα βαρβαρικὸν χωρίον, ita Plutarch. *in Nicia*: Et Thucyd. *l.* 6. πόλισμα Σικανικὸν μὲν, Ἐγεσταίοις δὲ πολέμιον. Itaque non placet quòd apud Athen. *l.* 7. *p.* 317. Timæus nominis originem ex Græca lingua arceſſens, *Hyccara* dici vult διὰ τὸ τοὺς πρώτους τῶν ἀνθρώπων ἐλθόντας ἐπὶ τὸν τόπον ἰχθῦς εὑρεῖν καλουμένους ὕκκας. Hycca pro Erythrimo piſce Cyrenæorum eſt vox, alibi raro in uſu, præter quam apud Poëtas. Et ut ab *Hycca* fiat *Hyccara*, non patitur analogia. Denique barbari opp. vocabulum è Græco ſermone petere non licet. Proinde conſultius ex Punica lingua deducas, quâ חוק כורא *Hekcaura* eſt *ſinus piſcis*, i. e. *piſcoſus*, qualem eſſe ſinum Hyccaræ ex Fazello patet, *Dec.* 1. *l.* 7. *Nic. Lloyd.*

HYCCARUM, opp. Siciliæ, *Biccari* ſeu *Vicari* fortè inter Panormum & Agrigentum, à Thermis Himerenſibus 24. mill. paſſ.

HYCSOS, quaſi *Paſtores Reges*, contemptim Ægyptiis dicti ſunt Reges, qui altis à metropoli *Tanite*, circa ultima Joſephi Patr. tempora, ex Arabia, numen 240000. in inf. Ægyptum irruptione factâ, novam ibi Dynaſtiam condidêrunt, atque ſub VI. primis ſuis Regibus, quorum nomina *Salatis*, *Beon*, *Apachnas*, *Aphophis*, *Janias* & *Aſſis*, res Ægyptiacas tantùm non funditus exſcidêrunt, donec ſub XI. horum ſucceſſoribus Ægyptii, longâ neceſſitate armorum uſum edocti, illos tandem, Duce Miſphragmuthoſe Thebanor. Regem vicêrunt, & in Abarim S. Peluſium incluſêrunt, pauloque pòſt ſub Thummoſe hujus ſucceſſore, Ægypto penitùs pepulêrunt, circa tempora Jaïri Judic. Iſraëlit. Redièrunt quidem ſub Amenophe, qui Thummoſem excepit, ſed pòſt Anno 13. pulſi ſunt denuo, poſtquam in Ægypto regnaſſent Ann. SII. totaque Ægyptus in Monarchiam coaluit. Vide Manethonis fragmenta, apud Joſ. C. *Apion.* *l.* 1. aliosque laudatos Equ. Marsham. *Can. Chron. Sec. VIII.* & *ſeqq.*

HYCTANIS, Carmaniæ flumen, apud Solin. *c.* 54. *Ex India revertentes ab* Hyctani *Carmaniæ flumine ſeptentriones primùm vident.* Ἄναμις dicitur Arriano *in Indicis*, Ἄνδανις Marciano, Ἄνδανις, Ptol. *Azanius* vett. Codicibus, quam proin vocem reponit Salmaſ. *d. l.*

HYDA, vel HYDE, opp. Lydiæ ſub Tmolo monte. Hom. *Il.* 2. Sunt qui idem eſſe putant cum Sardibus, Strabo *l.* 13. *p.* 626.

HYDÆ, Lydiæ urbs, vide *Hyda.*

HYDARA, Armeniæ maj. urbs. Strabo *l.* 12. *p.* 555.

HYDARCÆ, pop. Indici, qui contra Bacchum pugnavêrunt. *Steph.*

HYDARNES, nobilis Perſa, qui Herod. *l.* 3. *c.* 70. *l.* 6. *c.* 133. cum Dario in Magos conjuravit. Strabo *l.* 11. *p.* 531.

HYDASPES, vel HYSTASPES, celebris priſco ævo vates, Juſtino, Clementi Alex. & Lactant. non minoris ac Hermes Triſmegiſtus, ac Sibyllæ, æſtimatus. E quibus Juſtinus non timuit aſſerere, *malorum dæmonum machinamentis effectum eſſe, ut mortis ſupplicium adverſùs librorum Hyſtaspis, aut Sibyllæ, aut Prophetarum conſtitutum ſit*, *Apolog. II.* Clemens 6. *Strom. Hyſtaſpem ſumite & legite; & invenietis Dei Filium* πολλῷ τηλαυγέστερον καὶ σαφέστερον γεγραμμένον, *multo clarius & apertiùs eſſe ſcriptum.* Lactant. tandem *l.* 7. *c.* 15. & 18. *Hyſtaſpes -- deſcriptâ iniquitate ſeculi hujus extremi, pios ac fideles à nocentibus ſegregatos ait, cum fletu & gemitu extenſuros eſſe ad cœlum manus &c.* Verùm *Hydaſpen* hunc, cum Hermete illô & Sibyllis, perſonatum eſſe, & vaticinia illa non pia certè fraude quorundam inter vett. Chriſtianos malè feriatorum irrepſiſſe, multis probat Ant. van Dalen *de Oraculis Ethnic. Diſſertat.* 1. *ſub init. ſtatim.*

HYDASPES, fluv. Aſiæ geminus, Strabo *l.* 15. *p.* 696. & 697. unus per Suſianam apud Suſam urbem fluens delicatiſſimus. Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 211.

Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes.

Alter nunc *Rowey*, Indiæ cit. terminus itineris Alex. Mag. cùm Aſiam ſubjugaret, in Indum influens apud Nyſam urbem, cujus incolæ *Hydaſpii* Trogo dicuntur. Lahorium Urbem tractus illius prim. rigat. Baudr. Luc. Civ. Bell. *l.* 8. *v.* 227.

Quà rapidus Ganges, & qua Nyſæus Hydaſpes.

Horat. *Carm. l.* 1. Ode 22. *v.* 8.

—— *Vel quæ loca fabuloſus*
Lambit Hydaſpes.

Gemmiferum facit Seneca Tragœdus Medea. *Act.* 4. *v.* 56.

Tepidis Hydaſpes *gemmifer currens aquis.*

Inde Claud. in Conſ. Prob. & Olybr. *Carm.* 1. *v.* 80.

Sive petat Parthos, ſeu cuſpide turbet Hydaſpen.

Idem *l.* 2. in Ruf. *Carm.* 5. *v.* 243.

—— *Auriferum veniam poturus* Hydaſpen.

Idem de 3. Conſ. Hon. *Carm.* 7. *v.* 4.

Dives Hydaſpeis *augeſcat purpura* gemmis

Idem de 4. Conſ. Hon. *Carm.* 8. *v.* 600.

—— *Seres Subtemina, pondus* Hydaſpes.

Idem de Conſ. Mall. & Theod. *Carm.* 17. *v.* 29.

—— *Quæ famulus quondam ditavit* Hydaſpes.

Idem Ep. ad Olybr. *Carm.* 41. *v.* 13.

—— *Lucem jam condet* Hydaſpes.

Idem *l.* 2. de Rapta Proſerp. *Carm.* 33. *v.* 82. & *Carm.* 36. *v.* 325. Seneca alibi,

—— *Ruraque dives cingat* Hydaſpes.

χρύσεος etiam Nonno *in Baſſaricis* dicitur. Plin. *l.* 6. *c.* 17. & 20. Curt. *l.* 5. *c.* 2. & *l.* 9. *c.* 4. Athen. *l.* 13. *p.* 595. Lucan. Civ. Bell. *l.* 3. *v.* 236. *Nic. Lloyd.*

HYDATHOLCIA, pars Stutices, de qua infrà.

HYDIA, Siciliæ opp. Ptol. exciſum, *Cabra* Fazello, in finibus Leontinorum, ubi adhuc turris ſic dicta. Aliis eſt *Francofonte*, caſtr. à Paliconia 11. mill. paſſ. Licodiam verſùs diſtans. *Fontana murata Nigro.*

HYDISSUS, urbs Cariæ. Steph. Plin. *l.* 5. *c.* 29.

HYDRA Lernæa, ſerpens erat 50. capita, unicumque duntaxat corpus habens, ex quibus uno occiſo, duo alia ſtatim repullulabant. Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 192.

—— *Nec profuit* Hydræ
Creſcere per damnum, geminasque reſumere vires.

Horat. *Carm. l.* 4. Ode 4. *v.* 61.

Non Hydra *ſecto corpore firmior.*
Vinci dolentem crevit in Herculem.

Senec. Herc. Fur. *Act.* 3. *v.* 164. Lucan. Civ. Bell. *l.* 4. *v.* 635. & *l.* 9. *v.* 644. Item opp. Ætoliæ. Item, inſ. Libyæ in mari Mediterr. circa Carthaginem. Steph. Alia Hadriatici maris. Pomp. Æolidis prom. inter Myrinam & Phocæam urb. Strabo *l.* 8. *p.* 346. Dolopum inſ. Phavorino. Vide *Lyſimachia.*

HYDRALIS, fluviol. prope Conſtantinopolim in Barbyſim influens. Nicetas; *Belgrado Gyllio.*

HYDRAMIA, urbs Cretæ. *Steph.*

HYDRAOTÆ, regionem Indiæ habet Philoſtrat. *l.* 2. *Apollonii.* Idem auctor fluv. *Hydraotem* habet, *in fine ejuſdem libri.* Strabo *Hyarotis* eſt *l.* 15. *p.* 694, 697. & 699. ſine d. *Hydraotim* fluv. etiam deſcribit Philoſtrat. Curt. *l.* 9. *c.* 3. & Arrian. *de Reb. Alex. Mag.* & idem *in Indicis*; cumque receptis prius in ſe multis fluminibus in Indum incidere tradit. Ex quo fortaſſe *Zadadrus* Ptol. erit: nihil tamen affirmat Ortel. cui *Adris* Ptol. potius videtur.

HYDRARGYRO-STATICUM Experimentum, quo plures Philoſophi in Phyſicis, vacuum admitti poſſe, contendunt, ſic habet: Eſto vas vitreum ſeu tubus oblongus, qui in ſupremitate globum habeat, ex quo foramen canalis paulatim & ſenſim diminuendo excurrat. Repleto Mercurio globulo, alteri vaſi inverſo ore indatur in quo etiam argentum vivum inſit ſenſimque amoto digito orificium tubi in inverſione claudendo, videbis ergaſtuli vitrei impatientem Mercurium tumultuari, ſubſidere, rurſum attolli, donec vibrationibus continuatis laſſus ad quietem ſe componat, ita tamen, ut magnam tubi partem inanem relinquat, quod *vacuum* eſſe dicunt. Verùm naturâ accuratiùs conſideratâ, licèt peregrinus aer ſuccedere non poſſit, tamen cùm tenuiſſima quædam corp[illegible]ſcula aërea omni mixto inſint, Mercurius tamdiu continuatâ vibratione agitatur, donec ei inſita corpuſcula ſeparata, metuentis vacui naturæ vi, in ſuperiorem partem tubi ſe recipiant ſicque in aëre ſuſpenſum teneant Mercurium. Georg. de Sepib. *in Muſeo Kirch. p.* 47. ubi tubi hujus iconem exhibet. Quid autem *Hydrargyrum* propriè ſit, vide apud Plin. *l.* 33. *c.* 8. pigmenti viz. genus, *quod vita invenit, in vicem argenti vivi, paulo antè dilatum.* Quod quo modo fiat, ibi pluribus exponit; *eo argentum inaurari* addens. Nomen ex ὕδωρ, *aqua*, & ἄργυρος, *argentum*, quaſi dicas *argentum aqueum*. Fit enim *argenti colore* & *aquæ liquore.* Unde nota ex Matthiolo Hiſtoria ejus, qui delirio oberrans, cùm in pharmacopolio *hydrargyrum* aquæ vice bibiſſet, paucis pòſt horis congelatus interiit, *in Dioſcor. l.* 6.

HYDRAULA, in *l.* HYDRAULÆ, *de excuſat. muner. l.* 10. C. Accurſio eſt, qui aquam deferebat in Palatium Principis, vel qui cuſtodiebat aquæductum aulæ Imperialis: Melius aliis, Præfectus machinæ hydraulicæ, nobiliſſimi inſtrumenti Muſici, cujus Cteſibius Alexandrinus repertor fuiſſe traditur: quodque accuratiſſimè deſcribit Vitruv. item Porphyr. *in Panegyr.* & Gul. Malmeſbur. *in Reb. Angl.* Vide Salmaſ. *ad Lamprid. in Heliogab.* & infrà. Sed & *Hydraulæ* & Organarii dicebantur olim, qui organa

aquâ animata pulſare docti erant: imò & follibus quoque *Hydraulica* ipſa non caruérunt. De iis ita Porphyr. *in Panegyr. dicto Conſtantino Aug.*

Hæc erit in varios ſpecies aptiſſima cantus,
Perque modos gradibus ſurget ſœcunda ſonoris,
Ære cavo & tereti, calamis creſcentibus aucta.
Quis bene ſuppoſitis quadratis ordine plectris,
Artificis manus in numeros clauditque aperitque,
Spiramenta probans placidu bene conſona rhythmis,
Sub quibus unda latens properantibus incita ventis,
Quos vicibus crebris juvenum labor haud ſibi diſcors,
Hinc atque hinc animæque agitant.

Aquâ ergo impellente edi hunc concentum patet, quod & ipſa nominis ratio indigitat. Hinc iterum Aur. Caſſiod. *l.* 1. *Ep.* 45. *Facit aquas ex imo ſurgentes præcipites cadere, ignem ponderibus currere, organa extraneis vocibus inſonare, & peregrinis flatibus calamos complet, ut Muſicâ poſſint arte cantare.* Idem *l.* 3. *Ep.* 53. Huic *tamen mechanicus omnino adjungendus eſt, ut undas, quas iſte reperit, ille levet, & arte ſubire faciat, quod aſcendere non prævalet per naturam.* Unde & Serv. *ad* Virg. *Æn. l.* 7. *in limine, v.* 23.

Neptunus ventis implevit vela ſecundis.

Phyſicè, inquit, *locutus eſt: motu enim aquæ ventus creatur, ut videmus in bombis Organorum.* Rationem ea pulſandi indigitat Claud. *in Conſ. Mallii Theodori* Carm. 17. *v.* 316. *& ſeqq.*

Et qui magna levi detrudens murmura tactu,
Innumeras voces ſegetis moderator ahenæ
Intonet erranti digito, pedibusque trabali
Vecte, laborantes in carmina concitat undas.

Pulſabantur namque pedum manuumque agili miniſterio; quod artificium abundè perſequutus eſt M. Vitruv. *l.* 10. Inveniſſe hanc Muſices partem, ut reliquas, Euterpem, contendit Martian. Capella *l.* 9. ſed magis ad hiſtoricam veritatem. Tertullian. *l. de Anima, portentoſiſſimum Archimedis* eam *inventum* vocat. Secundùm Vitruv. verò *Architect. l.* 9. *c. ult.* Cteſibius, *cùm animadvertiſſet ex cæli tactu & expreſſionibus ſpiritus voceſque naſci, his principiis uſus* Hydraulicas *machinas primus inſtituit.* Quod ipſum docuit Alcides apud Athen. *l.* 4. *c.* 23. *p.* 174. addens Cteſibium hunc & Alexandrinum & Tonſorem fuiſſe. Vide quoque Plin. *l.* 7. *c.* 37. Erat horum organorum frequentiſſimus olim in conviviis uſus: Quamvis enim dum ſtructores ſuis fungebantur muneribus, organa, tibiæ, citharæ, variaque alia inſonarent inſtrumenta, præcipua tamen *Hydraulica* fuêre. Petron. Sat. Edit. Gonſal. de Salus *p.* 20. Edit. Boſch. *c.* 36. *cantante* Hydraule *Darium pugnare.* Suet. *in Ner. Claud. c.* 41. *Ac ne tunc quidem aut Senatu aut populo coràm appellato, quoſdam è primoribus viris domum evocavit; transactaque raptim conſultatione, reliquam diei partem, per organa* Hydraulica *novi & ignoti generis circumduxit* &c. Quare laus illa non vulgaris Theodorici Gothorum Regis, quòd, dum epularetur, *Organa Hydraulica non ſonarent*, ut loquitur Sidon. Apoll. *l.* 1. *Ep.* 2. Ipſe Amm. Marcell. in hunc luxum acriter invectus eſt, *l.* 14. *c.* 6. *Pro Philoſopho cantor, & in locum Oratoris, artium Doctor ludicrarum accitur, & Bibliothecis ſepulcrorum ritu clauſis in perpetuum, organa fabricantur* Hydraulica, *& lyræ ad ſpeciem carpentorum ingentes, tibiæque & hiſtrionici geſtus inſtrumenta non levia* &c. Vide Thom. Dempſter. *Paralip. in Joh. Roſin. Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 29. Sed quia aquaticorum horum organorum non eſſet facilis ratio, ſpiritalia dein noſtra & pneumatica prævaluêre. Hinc incertus quidam Auctor in Annales Gallicos retulit, A. C. 826. Georgium quendam Presbyterum de Venetia organum *Hydraulicum* Aquisgrani feciſſe: quod argumento ſit, aut deſiiſſe prorſus jam tum, aut minùs fuiſſe in uſu, Pignor. *de Serv.* ubi Romæ in Quirinali, in hortis Pontificiis, hujus generis organum ſe vidiſſe, audiviſſeque non ſine comitum admiratione, cùm Muſicos modos variaret, nemine plectra manu tangente, refert *p.* 177. Vide quoque infrà *Organica*: De *Hydraulo* Cteſibii, verò plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 637. ubi & de *Hydraulicis Veterum Horologiis.* Ut & recentiora quædam addam: *Hydraulica Machina*, perpetui motus ſimia, recenter ab Auctore inventa, clepſydra eſt, quæ, ubi effluxit, inverſa, iterum fluit obverſa, cœlum aquarum aſpergine irrorans, *in Muſeo Kircher.* memoraturque Georgio de Sepibus *p.* 3. *Ibidem* machina viſitur *Hydraulica*, primum Mobile ſcitiſſimè exprimens, & æreum colubrum deſuper aquæ incumbentem violento rore in ſpiras & volumina impellens. Porrò aquivoma machina *Hydraulica*, in cujus coronide ſtat figura varios liquores hoſpitibus propinando eructans. Horologium quinetiam *Hydraulicum*, intra cryſtalinos tubos, quinque palmorum altitudinis globos aut genios ſusque deque urgendo aut deferendo, horas interdiſtinctas indicans. Item machina *Hydraulica*, cui innititur ſcyphus cryſtallinus, cui ab uno latere ſitibunda innititur volucris aquam ebibens, quam ex altero latere incumbens hiante ore coluber revomit. Machina quoque *Hydrotectonica*, perennibus guttis hinc armatos equites, inde remeantium turbam verſans &c. De quibus omnibus vide Georg. de Sepibus *in Muſeo Kircher. p.* 2. & 3. adde infrà dicenda ubi de *Magnete*, & *Mechanice.*

HYDRAX, Africæ opp. in reg. Pentapoleos. *Ptol.*

HYDREA, inſ. juxta Troezenem. *Steph.*

HYDRELA, urbs Cariæ. *Idem.*

HYDREUM, Græcè Ὑδρεῖον, loci nomen apud Solin. *c.* 54. *Dicendum hoc loco, quatenus ab Alexandria Ægypti pergatur in usque Indiam. Nilo vehente Copton usque eteſiis flatibus curſus eſt, deinde terreſtre iter* Hydreum *tenus* &c. Propriè locus aquationis eſt. Ita enim Plin. *à Copto camelis itur, aquationum ratione manſionibus diſpoſitis, prima appellatur* Hydreuma. Agatharchides πολίσματα vocat. At ὑδρεία, ipſa *aquatio.* Sic memorat Cic. *Aquationes*, *Offic. l.* 3. *Hoc loco eſt Syracuſis, quidquid eſt piſcium. Hîc aquatio. Hac villa iſti carere non poſſunt.* Ὑδρευμα verò ipſe *aquandi actus*: quam tamen vocem Græci poſteriores etiam pro aquationis loco accepêrunt, ut videre eſt apud Auctor. *Peripli maris Erythr.* Unde & manſio prope Berenicem, ubi aquabantur, quam Plin. *novum Hydreum* appellat, alii καινὸν ὕδρευμα vocitârunt: Mox *ad novum Hydreuma Apollinis à Copto* CLXXXIV. mill. paſs. Ad differentiam ſc. *veteris Hydrei*, quod in diverticulo erat duûm millium & *Troglodyticum* dicebatur, ubi & præſidium excubabat, *l.* 6. *c.* 23. In *Itin.* Antonini *Cænon Hydreuma* vocatur &c. qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1184. & infrà in voce *Manſio.*

HYDREUMA, nomen variorum locorum, Æthiopiæ ſub Ægypto, & alibi. Plin. *l.* 6. *c.* 23.

HYDRIA, vas aquarium, ut ipſa vox innuit, idem cum *ſitella* Plaut. Caſina *Act.* 2. *Sc.* 4. *v.* 17. tum *modiolo* Vitruv. culeum plus minus cepit, Piſcat. Multi uſus, etiam in conviviis Vett. ut ex Hiſtoria Evangel. patet, ubi *lapideas hydrias ſex poſitas ſecundùm purificationem Judæorum, capientes ſingulas amphoras binas aut ternas*, miraculosè vino repleviſſe Dominus noſter legitur Joh. *c.* 2. *v.* 6. & *ſeqq.* Sed & cùm peplus Panathenæis maximâ pompâ inferretur Athenis, Inquilini in ea ligones, eorumque filiæ ὑδρεῖα καὶ σκιάδια, *hydrias & umbellas*, ferre tenebantur, ex lege memorata Harpocrat. de qua vide Petit. *Comm. ad LL. Attic. l.* 1. *tit.* 1. In eadem gente, in cælibum monumentis, imponi Λουτροφόρον, *pueri hydriam habentis effigiem*, conſueviſſe, diſcimus ex Demoſthene *in Leochar.* de quo more vide eund. *ibid. l.* 6. *c.* 8. De *hydriis*, quibus faces impoſitæ à Gideone Duce Iſraëlitarum, in bello contra Midianitas, adhibitis, vide Jud. *c.* 7. *v.* 16. & *ſeqq.* ut & alia quædam hanc in rem ſuprà, in voce *Aqua*, item *Canopus.*

HYDRIACUS, Carmaniæ fluv. *Ptol.*

HYDRIAS, Aſiæ min. regio. Herod. *l.* 5. *c.* 118.

HYDROCHOUS, ſignum Cœleſte, quod aliàs *Aquarii* nomine venire ſolet.

HYDROGARUM, Romanorum Ducum primus exhibuit, publicè Heliogabalus, *cùm antea militaris* (parca & caſtrenſibus tantùm cibis inſtructa) *menſa eſſet, quam poſtea ſtatim Alexander reddidit*, Lamprid. *in Vita* ejus. Vide Caſaub. *ad l.*

HYDROGRAPHIA, ſeu *Deſcriptio Aquæ*, altera pars Geographiæ, Mare, freta, flumina, inſulas, ſinus, litora, portus, fontes &c. conſiderat. Et quidem, qui digni quidpiam hîc præſtitêre, ſunt in *Hydrographia veteri*, Claud. Barthol. Moriſætus *in Gener. Hiſt. Orb. Maritimi, ſeu rer. in Mari & Litoribus geſtarum*, ed. Divione *in Fol. A. C.* 1643. Thomas Rivius *Hiſt. Nav. Antiquæ libb.* 4. Londini A. C. 1633. *in Octav.* Joh. Scheffer. *Tract. de varietate Navium.* Item *de Mil. Nav. Vett.* edit. Upſaliæ *A. C.* 1654. *in Quarto.* Etiam extat Lilii Gregorii Giraldi *de Re Nautica libellus* &c. *In nova ac hodierna* habentur: Georg. Furnerii *Hydrographia. Arcano del Mare* Roberti Dudlei Ducis Northumbriæ: conſtat libris 6. tom. 2. edit. Florentiæ A. C. 1661. *Fol. maj.* quorum ſexto libro continentur *Tabula Hydrographica.* Porro *Zee-Atlas* Arnoldi Colonii Amſtel. *Fol. maj.* Henrici Danckeri *Zee-Atlas*, ibid. A. C. 1660. *Fol.* Tomus V. *Atlantis* Janſonii edit. A. C. 1650. titulo *Hydrographia*, German. *die Waſſerwelt.* Riccioli *Geographiæ Gener. l.* x. quem *Hydrographicum* vocat. Athanaſii Kircheri *Mundi Subt. Partis primæ l.* 3. Marini Merſenni *Hiſtiodromia*: ut & Petri Herigonii, in tomo quarto *Opp. Mathem.* Willibrodi Snellii *Tiphys Batavus*, Barthol. Creſcentii *Nautica Mediterr. Edit.* A. C. 1602. Indici Maris *Nauticam* exhibet *Hiſt. Navigat. Indic. Tom. II. in Append.* Joh. Twiſtii *Deſcriptio Regni Decam p.* 84. & *ſeqq.* &c. Vide Auctorem Anon. *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. ac Civ. Part. I. c.* 3. *toto*, quod *Hydrographiam* exhibet.

HYDROMANTIA, Græcè ὑδρομαντεία, ars divinandi ex aqua, Veteribus, hujuſmodi ſuperſtitionibus addictis, multo in uſu fuit. Et quidem aquâ implebatur cyathus, annulusque filo ſuſpenſus ex digito librabatur in aquam, atque ſic conceptis verbis poſtulabatur rei quæſitæ declaratio, vel confirmatio. Tunc ſi, quod proponebatur, verum erat, annulus ſuo nutu cyathum feriebat conſtitutis ictibus, Vierus *l.* 2. *c.* 12. Aliud *Hydromantiæ* genus memoratur Iſid. cùm aquis inſpectis φαντάσματα ſeu imagines Dæmonum apparebant: à quibus Numa ſciſcitatus legitur, quid in Sacris conſtituere deberet. Quod genus à Perſis allatum, etiam Pythagoræ poſtmodum placuiſſe, Varro tradit, vide Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 7. *c.* 35. Sic puerum, in aqua ſimulacrum Mercurii contemplantem, Trallibus de eventu Mithridatici belli ſollicitis, 160. verſibus futura ceciniſſe, L. Vives memorat, *ad h. l.* Vide quoque quæ de Setho Mago, de ſucceſſore interrogato, ab Andronico Comneno Imp. ſcribit Nicetas *l.* 2. Aliud iterum, uti de Aqua Inûs, (paludis id nomen) in Laconia legimus, cùm panificia feſto Inûs die ſolenni in eam porricientes, ſi demergerentur, ſecunda ei qui porriciebat, promitti autumabant: contrà adverſa, quoties illa aqua rejeciſſet &c. Qui verò *Hydromantiæ* nulla ſpecies frequentior uſitatiorque Πηγομαντεία, vide quæ diximus ſupra, ubi de *Fontibus*: & adde, quæ infrà dicemus, ubi de divinatione per *Specula.*

HYDROMELI, Græcè Ὑδρόμελι, aqua mulſa, cùm vetus aqua miſcetur melli, ſicut μελίκρατον, cùm recens, Dioſcor. *l.* 5. *c.* 15. Vide quoque *Geoponica* Conſtantino dicata *l.* 8. *c.* 24. Celtiberorum olim, Taulantiorumque, imò & Græcorum potus, antequam vinum noſſent. *Melinam* dixit Plaut. *Pſeud. Actu* 2. *Sc.* 4. *v.* 51. ubi jungit.

— *Murrhinam, paſſum, defrutum,* melinam.

Damnavit Themiſon, apud Plin. *l.* 14. *c.* 17. *l.* 25. *c.* 8. & *l.* 31. *c.* 6. &c. Vide quoque infrà in voce *Mulſum.*

HYDROMYLÆ, Vitruv. memoratæ, circa Cic. ærum rece-

receptæ fuêre, uti docet elegantiſſimo *Epigr.* Antipater, apud Salmaſ. *Not. ad Lamprid. in Heliogab.* Vide infra ubi de *Rotis Aquariis*, & in voce *Mola.*

HYDROMYSTA, Gr. Ὑδρομύστης, apud Syneſ. *Ep.* 121. dictus eſt Macro, qui curam in Eccl. conficiendi aquam benedictam habebat, *in Hierol.*

HYDROPARASTÆ, mel. *Hydroparaſtatæ*, Hæretici, aqua, vini loco, in S. Cœna, uſi. Vide *Aquarii* & *Encratitæ.* Addo hîc, quòd Tatianum Hæreticum ſectati ſunt, qui inter alia à vini uſu abhorrere à Saturnino & Marcione eſt edoctus. Contra eos ſcripſit Clem. Alexandrin. *Pædagogi l.* 2. *c.* 2. Auguſtin. qui *Aquarios* vocat, *Hær.* 64. Cyprian. *l.* 2. *Ep.* 3. Theodoret. Alii. Vide Joh. Forbeſ. *Inſtruct. Hiſt. Theologic. l.* XI. *c.* 10. §. 13. & 17. & Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce Σύναξις, item Ὑδροπαραστάται.

HYDROPHYLARIA Naturæ, vide infrà *Montes.*

HYDROSTATICO-MAGNETICA Machina, horas, Zodiacum, planetas & totam cœli fabricam repræſentans, ſimpliciſſimoque motu horas verticaliter, ſub aſcendentis & deſcendentis alterna tim Solis & Lunæ ſimulacris, perque aërem vero volitantis aviculæ motu diviſa horarum ſpatia ſympathetico motu deſcribens, in Muſeo Kircher. memoratur Georg. de Sepib. *p.* 2. Apud quem *Hydrotechna p.* 5. Vide quoque ſuprà, *Cylinder Cryſtallinus*, & infrà ubi de partibus *Statices.*

HYDRUNTINA Terra, nunc *Terra di Otranto*, prov. regni Neap. ferè in modum peninſ. extenſa ad Ort. inter ſinum Tarentinum & mare Hadr. ubi aliàs Salentina & Japygia. Ejus prim. Hydruntum fuit, nunc Aletium. In ea etiamnum plurimi Græci, in parte Auſtrali.

Terræ Hydruntinæ urbes:

Aletium, *Lecce*, prov. caput.
Alexanum, *Aleſſano.*
Brunduſium, *Brindiſi.*
Caſtellaneta, *Caſtellaneta.*
Caſtrum, *Caſtro.*
Gallipolis, *Gallipoli.*
Hoſtunium, *Oſtuni.*
Hydruntum, **Otranto.**
Mateola, *Matera.*
Neritum, *Nardo.*
Tarentum, *Taranto.*
Uria, *Oria.*

HYDRUNTUM, ſeu HYDRUS, Strabo *l.* 6. *p.* 281. Liv. *l.* 36. *c.* 21. ac Ptol. *poſt Japigium prom. quo longiſſimè in maria excurrit Italia*, ſita urbs, *quá in Græciam breviſſimus tranſitus*, Plin. *l.* 3. *c.* 11. totius Apuliæ metropolis, vetuſtate, ac civium fide atque animi magnitudine nobilis. Eam à Totila obſeſſam liberavit Belizarius Juſtiniani Imp. Dux, per Valentinum. Procop. *Goth.* Luc. Civ. Bell. *l.* 5. *v.* 375.

Et cunctas revocare rates, quas avius Hydrus.
Antiquusque Taras, &c.

Item *Hydrus*, mons urbi imminens, ac fluv. Lucan. ut ſupra Plin. *l.* 3. *c.* XI. Civitas *Otranto* incolis, *Otrante* Gallis, dicitur. Baudr. urbs permunita regni Neap. in ora maris Hadriatici, cum caſtro & portu capaci, ſub Hiſp. A. C. 1480. miſerè devaſtata à Turcis, ſub Mahomete Imp. poſtea fortiter recepta. Diſtat 45. mill. à Brunduſio in Auſtr. ut ab Aletio 20. 24. à Gallipoli in Ort. Archiepiſcopal. In nummis occurrit ΥΔΡΩΝΤΙΝΩΝ, apud Joh. Marsham. *Canone Chron. Sec. XVII.* ubi de *Magna Græcia.*

HYDRUS, Hebr. שרף *ſaraph*, ſerpentis genus conſideratione digniſſimum, cùm & Chriſti typus fuerit, Num. *c.* 21. *v.* 9. & Joh. *c.* 3. *v.* 14. Angelorumque nobiliſſimos habeat cognomines, Eſ. *c.* 6. *v.* 2. Accedit, quòd ſerpentum ſolus volare legitur, Idem *c.* 14. *v.* 29. Alitur potiſſimùm in Arabia deſerta & Ægypto, nomenque ab *uſtione* habet: ſeu propter colorem igneum, quem expreſſerit æneus ſerpens, ſecundùm Vatablum: vel, quia flatu & morſu adurit. Aliter *Cherſydrus* dicitur: Qui enim *hydrus* hyeme fuerat, dum aqua erat in lacunis, poſtquàm ea defecit æſtu, in ſicco degere cogitur, atque ita fit *Cherſydrus*, h. e. *hydrus* ἐν χέρσῳ, *in ſicco degens*: quo tempore, infeſtante ſiti, in calidis regionibus virus multò nocentius habet & acrius. Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 432. & *ſeqq.*

Poſtquam exuſta palus, terræque ardore dehiſcunt,
Exſilit in ſiccum & flammantia lumina torquens,
Sævit agris, aſperque ſiti, atque exterritus æſtu.

Itaque tum morſu ſuo adurit, quidquid attingit: unde hoc igne conſumptum fuiſſe Herculem poëtæ fingunt, cum veſtem induiſſet Hydræ Lerneæ veneno tinctam, Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 69. & 159. Seneca *in Hercule Oeteo*, *Act.* 4. *v.* 1216. Sophocles *in Trachiniis*, Alii. Verius, ab hoc ſerpentum genere Iſaëlitas in deſerto morſos fuiſſe, Num. *c.* 21. *v.* 6. *Miſit Dominus in populum ſerpentes* SERAPHIM: qua de plaga, aliaque huc pertinentia, vide apud Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poſt. L. III. c.* 13.

HYDRUSA, urbs Atticæ, Strabo *l.* 9. *p.* 398. Eſt & una Cycladum inſularum quæ *Andros* dicitur. Vide ibi, ut & *Zea*, ac *Tina.* Namque & hodie *Tiné*; ultima eſt earum, quas in Oriente Veneti adhuc poſſident. Frumenti, ficuum, vitium ferax eſt, unde uvam in numiſmate antiquo hujus inſ. expreſſam videas: ſicut in alio Neptunus conſpicitur tridentifer, qui celebre olim hîc templum habebat. Marmoris ibi multum, vici circiter 24. quorum incolæ, ſerico nendo intenti, licèt Græcè loquantur, Latinos tamen plerunque ſequuntur ritus. Opp. inſ. plagæ S. Nicolai (non enim portus ibi ullus) proximum, in ruinis jacet, vix tribus quatuorque caſis ſuperſtitibus, *Polis* nihilominus etiamnum dicitur. Jac. Spon. *Itin. Part. I.* *p.* 168.

HYELA, opp. Brutiorum in Calabriæ citer. ora inter Blandam & Lampetiam, *Bonifacio*, ſeu *Bonfatti* Barrio. Item Strabo *l.* 6. *p.* 26. urbs Lucaniæ exciſa; Vide *Velia*, & Caſaub. *in Strab. p.* 99.

HYEMANTES, in Eccl. vet. Chriſtiana dicti ſunt, qui propter enormia delicta, non in Ædis ſacræ porticum admittebantur cum aliis pœnitentibus, ſed foris, ſub dio, omnibus aëris injuriis expoſiti, ſtare cogebantur, cilicio induti & veniam ab intrantibus in Eccleſiam rogantes. Conc. Ancyr. *can.* 17. apud Balſamonem, *Eos, qui ratione expertia animantia inîerunt, & qui lepreſi ſunt, vel ſuêrunt, juſſit ſancta Synodus inter* Hyemantes *orare*: & Tertullian. *de Lu dis*: *Reliquas autem libidinum furias --- non ſolùm limine, verùm omni Eccleſiæ tecto ſubmovemus, quia non ſunt delicta, ſed monſtra.* Fuiſſe autem quinque tum pœnitentium gradus in Eccl. notum, de quibus ſic Greg. Thaumaturgus ſuccinctè: *Fletus ſeu Luctus* (Hyemantes enim *Flentes* aliter, ac *Lugentes* dicti ſunt) *eſt extra portam Oratorii, ubi peccatorem ſtantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro ſe precentur. Auditio eſt juxta portam in porticu, ubi oportet eum, qui peccavit, ſtare, uſque ad Catechumenos & illinc egredi --- Subjectio autem ſeu Subſtratio eſt, ut intra Templi portam, ſtans cum Catechumenis egrediatur. Congregatio ſeu conſiſtentia eſt, ut cum fidelibus conſiſtat & cum Catechumenis non egrediatur. Poſtremò eſt participatio Sacramentorum.* E quibus ultimi, peractâ jam pœnitentiâ, Euchariſtiæ quidem fiebant participes, ſed, nondum inter reliquos Fideles recepti, adhuc ſedebant in humiliore loco, & quibusdam Chriſtianorum cæterorum privilegiis carebant. Vide Macros Fratres *in Hierol.* inprimis verò Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce Χειμάζομαι, ubi circa τοὺς χειμαζομένους, in Conc. Ancyr. memoratos, h. e. *Hyemantes*, varia eruditè congeſſit.

HYEMPSAL, fil. Micipſæ, frater Adherbalis: poſt mortem Patris, à Jugurta occiſus. Salluſt. *de Bell. Jugurt. c.* 5. 9. 10. XI. 12. & 17. Flor. *l.* 3. *Bell. Jugurt. c.* 1.

HYEMS, inter Numina Gentilium, cui nigram pecudem immolatam diſcimus ex Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 120.

——— *Nigram* Hyemi *pecudem.*

Nigricat enim cœlum hybernum, ob nubes, imbres & ventos: ac, ut à pluvia Latinis dicitur *Hyems*, nempe ab ὕω, *pluo*; ſic Germanis & Belgis, *Winter* à *Wint*, h. e. ventus, Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 99. Vide quoque ſuprà, *Hiems*: uti de *Hyemis* ſymbolo, veneto colore, infrà *Veneta factio.* In nummis Antiochi Soteris inſculpta triangula tria in ſe ducta vocem ΥΓΙΕΙΑ denotâſſe, videbimus infrà ubi de *Tachygraphia*: aliquid etiam in voce *Valentia.* Sed & cùm, qui ſacra fecerant, victimarum aliquid ſecum ex Lege domum, bonæ ſcævæ gratiâ, reportarent, Ὑγίεια inde nomen invenit, ut Heſych. in hac voce docet: maza, quæ in ſacrificiis deguſtanda præbebatur. Vide quoque Athen. *l.* 3. & infrà *Victima.*

HYETTUS, Bœotiæ urbs. Vide *Steph.* ubi Herculis ſignum, λίθος ἀργός, *lapis rudis*, fuit, Pauſ. *l.* 9. Vide *Hercules.*

HYETUSSA, inſ. in Cariæ ora. Plin. *l.* 5. *c.* 31.

HYGASSUS, urbs Cariæ. *Steph.*

HYGENNENSES, Aſiæ min. populi. Herod. *l.* 3. *c.* 90.

HYGEIA, quæ & *Salus*, Æſculapii filia,

Ulcus habet quod habere ſuam vult quisque puellam,
Quod ſanare Criton, non quod Hygeia *poteſt.*

Simulacrum ejus ex ære, Miccrati opus, unà cum Æſculapii, in Concordiæ templo, Romæ, aſſervatum, memoratur Plin. *l.* 34. *c.* 8. Idem, inter Socratis pictoris viſenda, Æſculapii, & filiarum ejus *Hygiæ*, Ægles & Panaceæ, meminit *l.* 35. *c.* 11.

HYGIÆA, Minerva à medendi arte ſic dicta. Nic. Lloyd. Marshamo Iſis eſt, φαρμάκων πολλῶν πρὸς ὑγείαν εὑρέτις, *medicamentorum multorum inventrix*, Diod. Sic. *l.* 1. quâ *Salutem* Romani dixêre. Vide *Salus.*

HYGIANA, Triphyliæ in Peloponneſo urbs. *Polyb.*

HYGINUS, Ep. Rom. poſt Teleſphorum, gente Athenienſis, profeſſione Philoſophus, A. C. 153. Obiit Martyr, A. C. 156. Compatres & templorum conſecrationes ordinaſſe ſcribitur. Scripſit Ep. de Deo & Filii Dei incarnatione, ex antro. Nam & talis, juxta Mantuanum, erat:

Ut nemoris vaſti latebras habitaret & umbram.

Ei ſucceſſit Pius. Euſeb. *in Chron. & Hiſt. l.* 4. Plat. *in vitis Pontif.*

C. Julius HYGINUS, Aug. libertus, natione Hiſp. etſi nonnulli Alexandrinum putent, & à Cæſare Romam advectum, Alexandriâ captâ. Studioſè imitatus eſt Cornelium Alexandr. Grammaticum Græcum, quem propter antiquitatis notitiam Polyhiſtorem multi vocârunt. Præfuit Palatinæ Bibliothecæ, fuitque familiariſſimus Ovid. Poëtæ, & C. Aſinio Conſulari hiſtorico, qui eum pauperem deceſſiſſe tradit, & liberalitate ſuâ quoad vixit ſuſtentatum. Scripſit de vita rebusque geſtis illuſtrium virorum, præterea Exemplorum volumen, A. Gell. *l.* 1. *c.* 16. Item de urbibus Italicis, Serv. & Macrob. teſtibus. Genealogiarum quoque libros reliquit, ut ait ipſe in *poëtic. aſtronomico*, quo loco de Perſeo tractat. Commentarios quoque in Virg. Προπεμπτικὸν Cinnæ, de Agricultura, de Penatibus, de Proprietatibus Deorum, &c. Hodie nihil Hygini habemus præter poëticon, & fabularum librum. Nam Gromatica, ſive de limitibus conſtituendis, non hujus ſunt Hygini, ſed alterius, qui Trajani ætate vixit: ut ex ipſis Gromaticis videre eſt. Vide Suet. *de Ill. Gramm.* Macrob. *Sat. l.* 1. & 6. Euſeb. & Hier. *in Chron.* Crinit. *l.* 3. *c.* 46. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 20. Volaterr. Geſner. &c. *Nic. Lloyd.*

HYGRIS, civ. Sarmatiæ Europ. Ptol. *Sabardi* Villanov. *Tabardi* Moletio: in ora maris Euxini, ſeu Mœotidis, inter oſtia Tanais & Gerri fluv.

HYI, Suſianæ populi. Plin. *l.* 6. *c.* 27.

HYLA ſeu ILA, vulgò YLE, Inſ. Scotiæ, ferè rotunda, ad Auſtr. Juræ Inſ. circuitus 45. mill. Scot. circiter; 14. mill. à Scotia & Cantira prov. in Occ. 10. à parte Bor. Hiberniæ. Ibi tantùm aliquot caſtra cum opp. *Kilcholmkil.* Scribitur & *Yla* Inſ. & 25. mill. à Mula inſ. in Auſtr. 48. à Novanto prom. in Circ. abeſt.

HYLA, aliis HYLAS, fluv. Myſiæ Aſianæ, Pruſiam urbem alluens, ubi fons & lacus, ab Hyla puero ibi ſubmerſo dictus: de quo Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 6.

Cui non dictus Hylas *puer, aut Latonia tellus?*

Plin. *l.* 5. *c.* 32.

HYLACTOR, nomen unius ex canibus Actæonis ἀπὸ τοῦ ὑλακτεῖν, i. e. à *latrando* impoſitum. Ovid. *Met. l.* 3. *v.* 224.

——— *Acutæ vocis* Hylactor.

HYLA, Phocenſium colonia, poſtea *Elæa* dicta. *Suid.* Strabo *l.* 6. *p.* 252.

HYLÆA, ſive HYLEA, regio parva Sarmatiæ Aſiat. ad oram maris Euxini. Val. Flac. Argon. *l.* 6. *v.* 74.

Movit & Hylea ſupplex cum gente Syenen.

Nic. Lloyd. Baudr. reg. Scythiæ Eur. ſeu parvæ, in qua Georgi ſeu Agricolæ Scythæ, verſùs Boriſthenem, & Nomades ſeu Pecuarii Scythæ verſùs Pontum Eux. & Sinum Carcinitem, ex *Sanſone.*

HYLÆUS, Centauri nomen à *ſylvis* deductum, qui à Pirithoo invitatus ad nuptias, conſpectâ puellâ permotus, & cùm violentus ei eſſe conaretur, à Lapithis prohibitus eſt. Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 457.

Et magno Hylæum *Lapithis cratere minantem.*

Horat. Carm. *l.* 2. *Ode* 12. *v.* 5.

Nec ſævos Lapithas & nimium mero
Hylæum. ———

Item canis Actæonis, Ovid. *Met. l.* 3. *v.* 213.

Hylæusque *ferox nuper percuſſus ab apro.*

HYLAMI, urbs Lyciæ. Steph.

HYLAS, fil. Theodamantis, quem Hercules rapuit. Cùm enim ex Calydonia, occiſo Oenei pincernâ fugeret, veniſſetque cum Deianira & Hyllo fil. ad Dryopes, & eſurienti puero, cùm Lichas pædagogus abeſſet, à Theodamante aliquid cibi poſtulaſſet, ille autem denegaſſet, arreptum unum ex bobus Theodamantis mactavit, atque coxit. Quamobrem Theodamas, convocatis popularibus, arma adverſus Herculem movit: & quamvis in ea pugna penè oppreſſus fuerit Hercules, tamen victoriam obtinuit, & occiſo Theodamante Hylam fil. ejus ſecum abduxit, quem poſteà unicè dilexit, ſecumque cum reliquis Argonautis Colchos navigans duxit. Verùm cùm inter remigandùm Hercules remum ſuum fregiſſet, unà cum Hyla navi egreſſus eſt, ut alium in Myſiæ ſylvis quæreret; Invaleſcente autem æſtu, cùm ſiti premeretur, Hylam cum urna ad Aſcanium fluv. miſit, ut inde ſibi aquam afferret; Verùm cùm ripa altior eſſet, quàm ut ſtans haurire poſſet, procumbens in pectus Hylas urnam è manibus amiſit: quam cùm ſubito recipere conaretur, pondere ejus demerſus eſt; Quæ res poëtis occaſionem dedit fabulandi, Hylam à Nymphis fuiſſe raptum. Hercules autem cùm Hylas nuſquam compareret, caſum ejus tam ægre tulit, ut relictis Argonautis, Myſiam totam oberrans, Hylam quæreret. *Hylas*, ſecundùm aliquos non ab Hercule amatus, ſed ejus fil. fuit: quod teſtatur Socrates ad Idotheum, additque non ab Hercule, qui pater erat, turpiter amatum, ſed à Polyphemo. Et mira de eo eſt inter ſcriptores Græcos varietas: ſiquidem plures quidem Theodamantis filium fuiſſe volunt, inter quos ſunt Apollonius & Mnaſeas. Euphorion verò Euphemi, ejus qui à Neptuno amatus eſt. Hellanicus Theomenetis. Strabo *l.* 12. *p.* 564. unum ex Argonautis Herculiſque ſocium fuiſſe ſcribit, qui cùm in Bithynia aquatum egreſſus eſſet, nec comparuiſſet, creditus eſt à Nymphis raptus; eique inſtituta ſunt quædam apud Pruſienſes, in quibus per montes vagi *Hylan* vocant, quaſi in illum inquirendum egrediantur. Urbs etiam cognominis extructa. Idem ferè refert Solin. dicens, in Bithynia lacum eſse nomine *Hylam*, in quem Hylan Herculis delitias cecidiſſe credunt, in cujus memoriam ſolemni tripudiatione Populus lacum circumit, *Hylan* voce clamans. Hunc Apollonius ab una tantùm Nympha raptum tradit. Theocritus à tribus, quas his appellat nominibus Εὐνίκα καὶ Μάλις ἔαρ θ' ὁρόωσα Νυχεῖα. Nicander ab omnibus Nymphis raptum ſcribit, ſimiliter & Orpheus. Onaſus primo τῶν Ἀμαζονικῶν veriorem narrat Hiſtoriam, non raptum ſcilicet à Nymphis, ſed in fonte ſubmerſum. Anticlides autem *in Deliacis*, non *Hylam* ſcribit aquatum egreſſum, ſed *Hylum* ac poſteà non comparuiſse. Fuêrunt autem multi Herculis amaſii *Hylas*, *Philoctetes*, *Diomus* & *Phryx*, à quo urbs Libyæ. Dionyſ. Perieg. *v.* 807. De Cio fluv. loquens,

Τοῦ ποτ' ἐπὶ προχοῇσιν Ὕλαν ἥρπαξαν νύμφη
Ὀτρηρὸν θεράποντα πελωρίου Ἡρακλῆος.

Juv. *Sat.* 1. *l.* 1. *v.* 164.

Aut multum quæſitus Hylas, *urnamque ſecutus.*

Stat. *l.* 1. *Sylv.* 5. *v.* 22. *l.* 3. *Sylv.* 4. *v.* 43. & *Theb. l.* v. *v.* 443. *l.* 8. *v.* 507.

Quantum non clamatus Hylas.

Propert. *l.* 1. *Eleg.* 20. Theocritus de *Hyla*,

——— Τρὶς μὲν Ὕλαν ἄυσε.

Virg. *Ecl.* 6. *v.* 43. & 44.

His adjungit, Hylam *nautæ quo fonte relictum*
Clamaſſent: ut littus Hyla Hyla *omne ſonaret.*

Val. Flacc. Argon.

Rurſus Hylan, *& rurſus* Hylan *per longa reclamant*
Avia, reſpondent ſylvæ, & vaga certat imago.

Sed *Cui non dictus Hylas puer? Hylas* etiam hiſtrio, cujus meminit Macrob. *l.* 2. *Sat. c.* 7. & Plin. *l.* 5. *c.* 32. Ovid. *de Art. Am. l.* 2. *v.* 109. Nic. Lloyd. Vide & hîc infrà.

HYLAS, Pyladis Pantomimi illius celebris, qui juxta Bathyllum ſub Aug. floruit, diſcip. cùm canticum quoddam ſaltaret, cujus clauſula erat, τὸν μέγαν Ἀγαμέμνονα, *ſublimem ingentemque* ſe faciebat, ut verba illa exprimeret. Non tulit hoc Pylades, atque ut errorem ejus caſtigaret, exclamavit è cavea, Σὺ μακρὸν, οὐ μέγαν ποιεῖς, *Tu longum, non magnum, facis.* Quare à populo coactus idem canticum ſaltare, cùm ad eum locum, quem reprehenderat, perveniſset, expreſſit Agamemnonem *cogitantem*; nihil enim magis convenit magno Duci, quàm *pro omnibus cogitare.* Quæ Ducis cogitantis imitatio multum πάθους, ſed & multum moræ, habuit. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino.*

HYLATÆ, Syriæ Cœles populi. Plin. *l.* 5. *c.* 23.

HYLATES, Apollo colitur in Eryſthea urbe Cypria. *Steph.*

HYLAX, canis nomen apud Virg. *Ecl.* 8. *v.* 107.

——— Hylax *in limine latrat.*

HYLE, urbs Cypri, ubi Apollo *Hylates* colitur, Item urbs Locrorum Ozolorum; & regiuncula inter Sabinorum, & Romanorum urbem. *Steph.*

HYLE, urbecula Bœotiæ, non longè à Thebis, de qua Strabo *l.* 9. *p.* 408. & Plin. *l.* 4. *c.* 7. Etiam Homer. ejus meminit *Il.* ε.

Ὅς ῥ' ἐν Ὕλῃ ναίεσκε μέγα πλούτοιο μεμηλὼς,
Λίμνῃ κεκλιμένος Κηφισίδι, πὰρ δέ οἱ ἄλλοι
Ναῖον Βοιωτοί. ———

Ubi Schol. Ὕλη πόλις Βοιωτίας. Unde apud Moſchum, *Id.* 3. *v.* 89.

Πίνδαρον οὐ ποθέοντι τόσον Βοιωτίδες Ὗλαι.

Ita enim locum iſtum legit Palmerius. *Nic. Lloyd.*

HYLEATES, Adiabenorum Imp. A. U. C. 801.

HYLEESSA, Paros, una Cycladum ſic olim dicta. Eſt & Zacynthi epitheton apud Homer. *Steph.*

HYLIAS, fluv. magnæ Græciæ. *Thucyd. l.* 7. *p.* 509.

HYLLAICUS portus fuit Peloponn. juxta Meſſenem, *Herod.*

HYLLARIMA, Cariæ opp. patria Hieroclis ex athleta Philoſophi. *Steph.*

HYLLIENSES, Ὑλλεῖς gens Illyrica. *Steph.*

HYLLIS, peninſ. vel prom. Liburniæ ad mare Hadriat. Plin. *l.* 3. *c.* 22. *Capo ciſta*, teſte Nigro, vide Steph. Adjacet regioni Bulinorum, circuitus 30. mill. paſſ. nunc *Sabioncello.* Extenditur ab Ortu in Occ. eſtque in Dalmatia, inter Phariam ad Bor. Melitam ad Auſtr. & Corcyram nigram ad Occ. ſub Raguſina Rep. Hîc tantùm rudera Prætorii maritimi, ab Anton. & Peutingero memorati, in portu *Hyllico* Apollonii, nunc *Mirara*, vel *S. Arcangelo*, J. Lucius. *Hylli* pop. *Idem.*

HYLLUALA, vicus Cariæ, ubi Hyllus interiit, & Cares quidam templum Apollini ædificavit. Vide *eund.*

HYLLUS, fil. Herculis ex Deianira, qui Jolem, patre mortuo, uxorem du-
Herod. *l.* 7. *c.* 204. *l.* 8. *c.* 131. & Strabo *l.* 9. *p.* 427. *Ep. Heroid.* 9. *v. ult.*
xit, ex eâ pater Jolæ. Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 279. ſuperſtites fuêre,
Hic poſtea cum cæteris fratribus, qui ex Hercule ſuo loco, è Pe-
ab Euryſtheo, fil. Stheneli Mycenarum Regis de quo Miſericordiæ tem-
loponneſo pulſus, Athenas confugit, ibique beneficii teſtimo-
plum condidit, quod & accepti ab Athenienſibus profugium. Inde
nium, & miſeris in poſterum aſylum eſset, & obtinuerant, in-
Pelopidas, qui exactis ſic Heraclidis Peloponneſum Apollinem de redi-
vaſit quidem, ſed graſſante peſte remigravit, & τὸν τρίτον καρπὸν
tu percunctatus, reſponſum accepit, [illegible] Apollod. *Biblioth. l.* 2.
καρτερόχειρ, *Tertium fructum expectandum eſſe*, *Hyllus* [illegible]
Poſt triennium igitur, congreſſuris in Iſthmo copiis, eâ conditione; ſi
libet hoſtium ad ſingulare certamen provocavit, [illegible]
vinceret Hyllus, ut Heraclidæ in paterna reverterentur; ſin
eſſet, Heraclidæ retro cederent, neque intra Annos 100. ut habet
Herod. *l.* 9. *c.* 26. vel meliùs 50. ut Diod. Sic. *l.* 4. in Peloponneſum
redirent. Tum Echemus Tegeatarum Rex conditionem accepit,
Hyllumque ſingulari pugnâ interemit. Quo facto Heraclidæ regreſſi
ſunt Tetrapolim Dorienſium, juxta montem Oetam, cujus Rex Æ-
gimus regno ejectus, ab Hercule reſtitutus fuerat, & beneficii me-
mor *Hyllum* adoptaverat, qui regnum ſuſceptum ad poſteros tranſ-
miſit Strabo *l.* 9. Atque hinc Heraclidæ reditum in Peloponneſum
parabant: cum Dorienſibus enim in unum corpus coaluêrunt. Quæ
cauſa quòd Pindar. junctim celebrat ἀλκᾶντας Ἡρακλέος ἐκγόνους,
Αἰγιμιοῦ τε. *Pyth, Ode* 5. qui Ægimus cùm duos haberet filios, Di-
manta & Pamphylum; inde tres φυλαὶ Dorienſium, Δυμᾶνες, πάμ-
φυλοι & Ὑλλεῖς, Steph. in Δυμᾶν. Atque hæc ante bellum Tro-
janum geſta. *Hyllo* ſucceſſit fil. Cleodæus. *Hyllus*, alius Herculis
fil. ex Melita Ægæi fluv. filia, à quo populi *Hyllienſes.* Eſt & fluv.
Lydiæ in Hermum influens, Strabo *l.* 12. *p.* 554 & Liv. Phrygius
dictus. *l.* 37. *c.* 38.

HYLO-

HYLOBII, genus Sapientum, apud vett. Indos, à ſilvis, in quibus contemplationi vacabant, dicti. Voſſ. *de Sect. Philoſ.*

HYLONOME, mulier ex genere Centaurorum, Cyllari uxor, quæ mortuo marito, gladio ſuo incubuit. Ovid. *Met. l.* 12. *v.* 405.

HYLOPHAGI, pop. fuêre Æthiopiæ. *Diod. Sic.*

HYLYCUS, fluv. Argiæ, *Taurius* ſeu *Taurus* Athen. *l.* 3. *p.* 122. inter Hermionem & Trœzenen in mare fluens.

HYMANI, Liburnorum populi. Plin. *l.* 3. *c.* 21.

HYMENÆUS, Deus nuptiarum præſes, qui & *Hymen* dicitur, & conjunctis dictionibus *Hymen Hymenæus*. Hic liberi patris, & Veneris, aut ut alii malunt, Uraniæ fil. fuiſſe putatur, & primus certas nuptias inſtituiſſe. Nomen autem accepiſſe creditur ἀπὸ τοῦ Ὑμένος, h. e. à *membrana*, quæ clauſtrum virginitatis eſſe, & primo coitu rumpi putabatur. Quanquam anatomicæ rei periti negant, in virginum diſſectionibus, pelliculam ejuſmodi ullam inveniri. Alii virum Atticum fuiſſe volunt, qui raptas à latronibus virgines parentibus intactas reſtituit: Ideoque nuptiis ejus nomen invocari, tanquam defenſoris Virginitatis, vocemque hanc nuptialem factam apud Græcos, quemadmodum Romani in nuptiis Virginalibus *Thalaſſii* nomen invocant. Alii dicunt eum fuiſſe juvenem, qui die nuptiarum ruinâ oppreſſus interiit, unde poſteà inſtitutum eſt, ut expiationis gratiâ nominaretur in nuptiis. Non raro quoque poëtæ *Hymenæos* ponunt pro nuptiis. Virg. Georg. *l.* 3. *v.* 60. *Æn. l.* 1. *v.* 655.

Pergama cùm peteret inconceſſosque Hymenæos.

Obiter emendabis Claud. *de Raptu Proſerp. Carm.* 35. *v.* 230.

—— *Nimbis* Hymenæus *hiulcis*
Intonat. ——

Mirum enim eſt Hymenæum intonare, & Jovis τοῦ Βροντῶντος officio fungi, quare *Hymenæon* legendum putat Nicol. Heinſ. ut ad Jovem referatur. Apul. *Met. l.* 4. *Tota domus lauris obſita, tædis lucida obſtrepebat Hymenæum.* Heſych. Ὑμέναιος, γάμος, ἡ ᾠδὴ ἐπιγάμιος. Nihil frequentius poëtis hac locutione: Stat. *Genethliaco Lucani*, *l.* 2. *Sylv.* 7. *v.* 87.

Et veſtros Hymenæon *ante poſtes,*
Feſtis cantibus ipſe perſonabo.

Ovid. *Met. l.* 12. *v.* 215.

Ecce canunt Hymenæon, *& ignibus atria fumant.*

Seneca in Troad. *Act.* 2. *v.* 202.

Tritonum ab alto cecinit Hymenæum *chorus.*

Idem in Phœniſſ. *Act.* 1. *v.* 262. & in Troad. *Act.* 4. *v.* 1. Muſæus,

Οὐχ Ὑμένιον ἄεισε πατὴρ, &c.

Nic. Lloyd. Canebatur ante domum nuptialem. Stat. *l.* 2. *Sylv.* *v.* 87. *cit.*

Et veſtros Hymenæon *ante poſtes*
Feſtis cantibus ipſa perſonabo.

Quam pompam dicit Claud. *in Nuptiis Honorii*, *Carm.* 10. *v.* 286.

Ante fores jam pompa ſonat, pilentaque ſacram
Præradiant ductura nurum ——

Eundem ritum tangens Plaut. *Caſinâ*, ait, *Act.* 4. *Sc.* 3. *Initio.*

Age, tibicen, dum illam educunt huc novam nuptam foràs,
Suavi cantu concelebra omnem hanc plateam hymenæio.

Ordiebatur autem pronuba, vocem poſtea cuique pro arbitrio addente. Et opus omnino hoc ſono ad nuptias eſſe credebant; uti obſervat, *ad eund. Stat.* Barth. *l.* 3. *Sylv.* 1. *v.* 75. qui plura de hac perſuaſione Vett: alibi ex Nonno, aliiſque. Fiebat verò hæc acclamatio carmine intercalari, & ſæpenumero eo ſolo conſtabat nomine: tametſi alia quoque interponebantur, cujuſmodi illæ: Duos habes apud Catull. *Carm.* in Nuptias Juliæ & Manlii 57. *v.* 132. & 183.

Concubine nuceis da. ——

Idem *Carm.* de Nuptiis Pelei & Theſidos 60. *v.* 327. 333, & 385.

Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.

Et quidem duo illius genera, alterum purius, alterum cum Feſcennina licentia: alterum ſenariis dactylicis ſtatariis; alterum pentaſtrophis choriambicis: tantâ ſuavitate & puritate, ut quantum alliciat ad legendum, tantum deterreat ab imitando. Totidem apud Claud. æquè diverſo genere carminum. Auſ. pulcherrimum atque operoſiſſimum exhibet, ex portiunculis Virgilianis &c: Jul. Cæſ. Scalig. *poet. l.* 1. *c.* 50. Ei medio ævo affine *Charivarium*, quod vide.

HYMENÆUS, nomen viri, Reſurrectionem jam contigiſſe dicentis, qui à Chriſtiana fide excidit. 1. Tim. *c.* 1. *v.* 20. & 2. Tim. *c.* 2. *v.* 17.

HYMENÆUS, Patr. Hieroſolymit. poſt Mezabenem, A. C. 265. Interfuit Conc. Antiocheno, contra Paulum Samoſatenum celebrato, A. C. 68. Zambdas ei ſucceſſit, A. C. 296. Baron. *in Ann.*

HYMETTUS, ol. etiam *Cecropius*, nunc vulgò *Himetto*, mons Atticæ, apibus, & optimi mellis copiâ abundans. Mart. *l.* 7. Epigr. 87. cujus Epigraphe de ſuis libris *v.* 8.

Paſcat & Hybla meas paſcat Hymettos *apes*

Idem in Xenys *l.* 13. Epigr. 103. cujus Epigraphe Mel Attic.

Hoc tibi Theſei populatrix miſit Hymetti.

Juv. *l.* 5. *Sat.* 13. *v.* 185.

Dulcique ſenex vicinus Hymetto.

Stat. Theb. *l.* 12. *v.* 622.

Et olentis arator Hymetti.

Strabo *l.* 9. *p.* 399. Ὁ δὲ Ὑμηττὸς καὶ μέλι ἄριστον ποιεῖ. Pauſ. Καὶ Ὑμηττὸς ὃς φύει νομὰς μελίτταις ἐπιτηδειοτάτας. Dioſcor. Μέλι πρωτεύει τὸ Ἀττικὸν, καὶ τούτου τὸ Ὑμήττιον καλούμενον. Plin. *l.* 4. *c.* 7. Sil. Ital. Punic. Bell. *l.* 2. *v.* 217.

Aut ubi Cecropius formidine nubis aquoſæ
Sparſa ſuper flores examina tollit Hymettos.

Val. Flacc. Argon. *l.* 5. *v.* 343.

Florea per verni qualis juga fluxit Hymetti,
Aut Sicula ſub rupe choros.

Ex hoc monte marmora pulcherrima effodiebantur. Plin. *l.* 11. *c.* 13. *Lucius Craſſus orator primus peregrini marmoris columnas habuit Hymettias.* Nic. Lloyd. Cæterùm duplicem fuiſſe in Attica hujus nominis montem, unum μέγαν, alterum ἄνυδρον, dictum, docet ex Theophraſto *l. de Signis pluviar. ac tempeſt.* Salmaſ. *ad Solin. p.* 862. Jac. Spon. apiaria hujus montis, inprimis quod eſt in Monaſterio Cyriani, in parte ejus Bor. ſito, (Turcis *Cosbachi*, à capite arietino, quod ibi fontem fundit, unde montis hujus mel optimum *Cosbachi* iiſdem) accuratè deſcribit, & mel illud ἀκάπνιστον, quaſi *ſine fumo factum*, Græcis appellari ait. In eodem monte, præter monaſterium hoc, recenſentur eidem, *Agios Johannis o Carios*, *Agios Georgios o Contelas*, *Aſteri*, *Agios Johannis o Kynegos* & *Agios Johannis o Theologos*. In latere Occiduo, vix leucâ Athenis, Albanenſis eſt vicus *Caramamet*; in Auſtrino alius nomine *Lambrica*, priùs *Lampra*, à quo huic montis lateri nomen *Lamprovouni* vulgò datum, uti reliquum *Telovouni* appellant. Franci verò *Monte-matto*, corr. ex voce *Hymettus*, montem vocitant. Ex plantis porrò, mandragoram copiosè fert, tithymalum ſpinoſum, ſcorzoneræ ſpeciem noſtris oris incognitam, quam *galochorton* accolæ vocant, utpote lacte turgentem & lactis mulieribus cauſam &c. Vide præfatum Jac. Spon. *Itin. Part.* 2. *p.* 222. & *ſeqq.* Plin. *l.* 17. *c.* 1. &c. de *Hymettio* verò marmore, è quo 4. columnas, in atrio ſuæ domus, primus ſtatuit Craſſus.

HYMMAS, ſeu HYMAS, vicus Antiochiæ Syriæ, ſub Zenobia victa, *Jornand.*

HYMNORUM & Sequentiarum genera, Fridgoræ & Occidentanæ: ſic dicta à tropis & modis Muſicis, quos *tonos* Monachi appellare maluêrunt, Martian. Capellam imitati. Vide Goldaſtum *ad Ekkehardi jun. c.* 4. & Ekkehard. minim. *in vita Notkeri c.* 9. Originem *Frigdoræum* à Græcis, *Occidentanarum* ab Latinis eſſe, ipſa nomina fidem faciunt. *Frigdoræ* enim ex modis conſtant, quos Græci Phrygium & Dorium vocant, quéis de, præter antiquos, qui de Muſica integros libros reliquêre, Mart. Capellam, Aur. Auguſtin. Boëth. & Iſid. Hiſpalenſem, videri poſſunt Henr. Loritus Glareanus *in Dodecachordo*, M. Ant. Majorag. *Orat.* 23. &, poſt Vinc. Galilæum *de nov. & ant. Muſica*, Erycius Putean. *in Muſathena*. *Occidentanæ* videntur mutatis Gr. Eccl. modis ab B. Ambroſio Mediol. Ep. inventæ, à Greg. Mag. in Occ. Eccl. inſtitutæ, & in Alemanniam atque Franciam invectæ, ut tradunt Joh. Diac. *in ejus vita*, Ekkehardus, & innominatus Hugonis Reutlingenſis Interpres. Initio autem quatuor tantùm Muſici modi veteribus noti fuêrunt, *Dorius*, *Phrygius*, *Lydius & Æolius*: quibus poſtea acceſſêrunt *Aſius* & *Jonicus*. Quorum duorum virtus mediæ ætatis Muſicis nota, appellatio ignota fuit: quippe *Authentos* nominârunt ordine cardinalis numeri, *primum*, *ſecundum*, *tertium*, *quartum*: quibus ſubjunxêrunt alios quatuor, *Plagales* ſeu *Subjugales* dictos, quos primus Glareanus Græcâ præpoſitione à cæteris diſtinxit, nominibus inditis *Hypodorii*, *Hypophrygii*, *Hypolydii*, & *Hypo-Æolii*: & hi octo toni ſoli à media ætate cogniti, quod nos præter Guidonem & Joh. Magiſtrum, docet Interpres ille *c.* 4. Tandem & Muſices totius renovatio, & novorum modorum adjectio, notarumque transformatio facta eſt, circa A. C. 1360. notata id Fr. Petro Herp. Monacho Dominic. *in Chronico Francof.* qui ad illum Annum ſcribit: *Muſica ampliata eſt. Nam novi Cantores ſurrexêre & Componiſtæ & Figuriſtæ, incepêrunt alios modos aſſuere.* Etenim prius ex uſu tantùm addiſcebant canere, neglectâ artis diſciplinâ, quæ primùm Anno illo, aut non multum antè reducta videtur in Eccl. Occidental. vide Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.*

HYMNUS, Nicæam amavit. Nonnus *Baſſaricôn*, *l.* 15.

Ὤμοσα οἱ πέλεν Ὕμνος, ὃς ἀγελάδος μέσον ὕλης
Ἱμερτὰς ἐνόμευε βόας παρὰ γείτονι κούρη.

HYMNUS, Græcè ὕμνος, Latinis quoque *celebratio*, carmen propriè in Numinis laudes compoſitum eſt. Cujus majeſtatem cùm in plures ſpargerent Gentilium Theologi, Orpheus, Linus, Muſæus, pro iis officiis, quæ unum in uno ſunt à nobis cognita; mirum nemini eſſe debet, ſi *Hymnorum* naturam varia in genera ſunt partiti, in κλητικοὺς, ἀποπεμπτικοὺς, φυσικοὺς, μυθικοὺς, γενεαλογικοὺς, πεπλασμένους, εὐκτικοὺς, ἀποδυκτικοὺς, μικτοὺς. *Ad quæ genera ſi* παιᾶνες & προσῴδια *reducuntur, diverſarum rationum ſpecies cum illis connumerabuntur. Didymus enim auctor eſt, hymnos cum cithara,* προσῴδια *cum tibia, ad aras, ab Athenienſibus cani ſolitos*, Jul. Cæſ. Scalig. *poet. l.* 3. *c.* 111. Idem de pæanum & hymnorum diſcrimine *l.* 1. *c.* 44. *Pæanes, quibus gratulabantur Diis --- pro victoria in præliis ---* Hymni, *qui ad aras Diis dicebantur.* Interim illis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

illis hos ſimillimos eſſe agnoſcit, quamvis & alio carminis genere (ſolis Jambis exceptis) confici conſueverint, primumque *Hymnorum* conditorem Anthem Anthedonium creditum, addit *c.*45. Sed & inter epulas *Hymnos* antiquitus cantatos eſſe, docet Caſpar. Barthius *Animadverſ. ad Stat. Theb. l.* 1. *v.* 709. & diximus de ea re aliquid ſuprà, ubi de Vett. *Cibi capiendi ratione.* Ad viros fortes poſtea, utpote divinitatis æmulos, vox tranſlata. Unde Pindar. ὕμνον, ἄποιν' ἀρετᾶς βασιλήων, *præmia virtutis Regibus*, eleganter vocat *Pythicor. Ode* 2. Vide C. Paſchal. *Coron. l.* 5. *c.* 8. ubi de *Hymnorum certamine* à Domit. Imp. inſtituto, infrà in voce *Minerva*. Quanto potiori jure Deo noſtro *Hymnos* canimus quotidie, qui unus eſt in omnibus omnia? Unde, ad veterem vocis notionem reſpicienti Ruffino *in tit. Pſalmi* 72. *Hymni ſunt Cantus continentes laudem Dei*: Cujuſmodi *Hymnos* in Eccl. Græca dicitur primus compoſuiſſe Hierotheus, apud Euſeb. *Hiſt. Eccl. l.* 7. *c.* 19. in Latina, Hilarius Ep. Pictav. quem ſequutus Ambroſ. eſt Mediolan. Ep. cujus Hymnos ab Eccl. receptos eſſe, legitur in Conc. Turon. II. *can.* 23. & Toletano IV. *can.* 13. *Ambroſianumque* nudè, pro *Ambroſiano Hymno* nonnunquam occurrere, ait C. du Freſne in *Gloſſ.* Vide ſuprà in voce *Doxologia*, & plura hanc in rem, apud Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* paſſim in vocibus Ἁγιασμὸς, Ἀντίφωνον, Τρισάγιον, inprimis in voce Ὕμνου ἀντιφώνου, & Ὕμνου χερουβικοῦ, qui iidem cum modo dictis; inſuper Ὕμνου ἑωθινοῦ, *Hymni matutini*, ac χαριστηρίου, *gratiarum actorii* meminit. In Eccl. Rom. quinam hodie adhibeantur, mox dicemus: qui quando & quibus cerimoniis decantentur, explicant Macri Fratres in *Hierol.* Hinc *Hymnarium* vel *Hymnarius*, liber iis dicitur, Hymnos continens, apud Leon. Oſtienſ. *l.* 2. *c.* 52. *Duo etiam Hymnaria in Choro habenda.* Pro quo corruptè *Immarium* legitur, in lapide Rom. in S. Maria ad Scholam Græc. &c. Vide quoque infrà *Muſica*, it. *Triſagius hymnus.*

Hymni, in Eccl. Rom. cantari ſoliti.

HYMNI Ambroſiani, vide hic *ſuprà.*

HYMNUS Angelicus dicitur, qui in Miſſa, ante ſacrificium, ut vocant, canitur, *Gloria in Excelſis Deo*, quòd initium ejus ex hymno, in Domini Natalitio ab Angelis decantato, deſumptum ſit. Ejus Auctor Teleſphorus Ep. Rom. dicitur fuiſſe. Addidit dein Symmachus Pontif. ut omni quoque die Dominico vel Natalitiis Martyrum diceretur, Anaſtaſ. in *Vit.* Ad Matutinas decantatum fuiſſe, conjiciunt quidam inde, quòd in *MSS.* antiquis *Hymnus in Die Dominico ad Matutinas* inſcribatur. Sed & *Angelici Hymni* appellatione interdum *Triſagium* donatum eſſe, auctor eſt Micrologus, apud C. du Freſne *in Gloſſ.*

HYMNUS Euangelicus, ſeu *de Euangelio*, apud Beletum *c.*36. idem cum *Angelico.*

HYMNI Feriales, apud Joh. Ep. Abrinc. *de Officiis Eccl.* qui in feriis canuntur.

HYMNUS S. Mariæ, *Magnificat*, apud *Eund.*

HYMNUS S. Trinitatis, Græcis Τρισάγιον, in utraque Eccl. canitur in die Paraſceves Græcè & Lat. *Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, miſerere nobis*, Ἅγιος ὁ θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς. Cui cùm addidiſſet Petrus Gnaphæus, σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, additio hæc velut hæretica damnata eſt, Conc. Rom. I. A. C. 483. Vide Meurſ. *in Gloſſ.* Sirmond, *Not. ad Avit. Vienn. Ep.* 3. Alios.

HYMNUS Te Deum laudamus, vulgò tribuitur Ambroſio & Auguſtino: *in Breviario* verò Caſinenſi, *Hymnus Siſebuti Monachi*; & in *Pſalterio* Gallico-Lat. vet. *Hymnus S. Niceti* dicitur, vide Uſſerium Archiep. Armachan. *de Symbolo*; aliosque laudatos C. du Freſne ubi ſuprà.

HYNIDOS, Aſiæ min. in Mœonia opp. Plin. *l.* 5. *c.* 29. in Caria. Forte *Idymos*, *Ptol.*

HYNILON, urbs Aſiæ Epiſcopal. ſub ſede Amidenſi. G. *Tyrius.*

HYOPE, urbs Matienorum. *Steph.*

HYOPS, urbs in Iberia Cherſoneſi, non procul à Leſyro fluv. *Idem.*

HYPACYRIS, ſeu PACYRIS, & CARCINITES fluv. Scythiæ Europ. qui cum Gerrho in Carciniten ſinum Mæotidis influit, *Deſna*, Peucero teſte. Quid nunc ſit, non conſtat. *Baudr.*

HYPÆA, ſeu HYPATA, Maſſilienſium inſ. una 3. Stœchadum. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Sanſoni, Brietio, al. eſt *l'isle du Levant*, ſeu *du Titan*; una Olbienſium Inſ. ſeu Stoechadum, in Prov. *les Isles de Hieres.* 12. leuc. à Telone in Ort. ut 24. à Maſſilia; 5. à Fano S. Eutropii in Auſtr. ut etiam 3. leuc. ab ora Provinciæ, ſed vix dimid. leuc. ab altera Inſ. *Portecros* in Occ. Baudr. Valeſ. tertia eſt atque extrema Stœchadum, Maſſiliæ proxima, dicta nomine græco ὑπάτη, quòd ſub reliquis duabus *Prote* nempe, & *Meſe*, poſita ſit. Nunc primâ vet. nominis ſyllabâ retentâ *Iſ* nuncupatur. Cum arce, quæ vulgò *le chaſteau d'Iſ*, aliàs *la tour d'Iſ* vocatur. Inter Stœchades minima eſt, *Not. Gall.*

HYPÆLOCHI, gens Moloſſica. *Steph.*

HYPÆPA, vulgò IPEPA, Steph. & Strab. *l.* 13. *p.* 627. Lydiæ opp. Veneri ſacrum, inter Tmolum mont. & Cayſtrum fluv. ſed Pauſ. & Ovid. plu. num. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Ovid. *Met. l.* 11. *v.* 152.

Tmolus in aſcenſu; clivoque extenſus utroque,
Sardibus hinc, illinc parvis finitur Hypepis.

HYPÆSIA. Peloponneſi regio circa Arenen. Strabo *l.* 8. *p.* 347.

HYPÆTHRA, Græce Ὕπαιθρα, loca ſunt aperta, quaſi *ſub æthere* conſtituta, in quibus Numina olim colebantur. Primitus enim Gentiles templa nulla habuêrunt, divina Majeſtate indignum rati loco aliquo circumcludi. Unde de Sole, quem præcipuo honore coluêre, dicere ſoliti ſunt: *Mundus univerſus eſt templum Solis*, apud Alex. ab Alex. *l.* 2. *c.* 22. Proin etiam tum, cùm templorum uſus invaluit, Deus Terminus tamen, ut & alii quidam, in templis tecto carentibus, quæ propterea *Hypæthra* ſeu *Subdialia* appellata ſunt, coli ſunt ſoliti. Quæ cauſa fortè, quòd non alia ſacro cultui loca convenientiora eſse crederent, quàm colles monteſque, uno nomine in Scriptura *Excelſa* dictos. Vide Thom. Godwyn. *de ritib. Hebr. l.* 2. *c.* 4. uti de *Hypæthris deambulationibus* Vett. infrà in voce *Xyſti.*

HYPANAGNOSTA, Græcè Ὑπαναγνώστης, apud Greg. Nazianzen. ubi Julianum in Eccl. Ὑπαναγνώστην fuiſse, ait *Orat.* 3. idem cum Anagnoſta eſt Cl. Suicero. Dicebantur autem ſic in Eccl. Græca *Lectores, qui lectiones pronuntiabant, & ea, quæ Prophetæ annuntiaverunt, populis prædicabant*, Iſid. Hiſpal. *de Eccl. Offic. l.* 2. *c.* 12. Vide ſuprà in voce *Anagnoſtes*, & infrà, *Lector.*

HYPANIA, opp. Peloponneſi, *Epina* Strabo *l.* 8. *p.* 344. vel *Hypana* eidem. *Accumba* Nigro, in Elide reg. *Epim* Steph. opp. Triphyliæ

HYPANIS, nunc *Bog*, fluv. Scythiæ ex magna palude profluens, ſapore dulciſſimo, donec ad quadrageſimum milliare miſcetur ei exiguus fonticulus (*Exampæum* nominat Herod. *l.* 4.) qui ſuâ amaritudine totum corrumpit Hypanim. Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 285.

Quid? non & Scythicis Hypanis *de montibus ortus,*
Qui fuerat dulcis, ſalibus vitiatur amaris.

Oritur in Podolia ſup. quam ſeparat à Volhinia ſup. dein rigatis Chmielnico, Braclovia, aliiſque urb. & Podoliâ inf. in duas partes ſectâ, in Boriſthenem, & paulo pòſt cum ipſo in Pontum Euxinum ſe exonerat. Eſtque diverſus à fluv. *Bug*, qui in Viſtulam cadit infra Varſoviam. Curſus Hypanis eſt circiter 200. mill. ab Occ. in Ort. Baudr. Eſt & Hypanis alter, *Panticapes* Herod. *l.* 4. *c.* 17. 52, & *l.* 18. *c.* 47. & Plin. *l.* 4. *c.* 12. & *l.* 11. *c.* 36. de quo fortè Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 370.

Saxoſumque ſonans Hypanis, *Myſuſque Caicus.*

Strabo *l.* 15. *p.* 686. & 790. Athen. *l.* 2. *p.* 43.

HYPANIS fluv. apud Cimmerium Boſporum, ubi animal quoddam volatile, *Ephemeron*, gignitur, quod non ultra diem vivat. Ariſtot. *l.* 5. *Hiſt. Anim.*

HYPANIS, Indiæ fluv. nobiliſſimus, ultra quem in Indiam non progreſſus eſt Alex. Mag. Strabo *l.* 15. ὕστατος Ὕπανις, προελθεῖν γὰρ περαιτέρω (Ἀλέξανδρος) ἐκωλύθη. Plin. *l.* 2. *c.* 73. & *l.* 6. *c.* 17. & 20. *Hypaſin* vocat, Arrian. & Ὕφασιν. Ad eum, Gandaridas pop. metantur omnes ii, qui hunc fluvium Alexandri itinerum terminum faciunt; aliis, qui ad Gangem uſque illum, penetraſse volunt, eos ulteriùs rejicientibus. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 992. & *ſeqq.* infrà, in voce *Hyphaſis*, ut & in *Hypaſis.*

HYPANTE, corruptè pro *Hypapante*, Gr. Ὑπαπάντη, i. e. *humilis occurſus*, dicitur Græcis feſtum Purificationis B. Mariæ Virg. ab *occurſu* tunc facto, à Simeone ſene & Anna vidua; unde & *Feſtum S. Simeonis* aliquando appellari, monet Menardus. *Præſentatio Domini* dicitur, apud Joh. Ep. Abrinc. ubi *ſuprà.* Inſtitutum hoc feſtum apud Latinos, ab Innoc. III. in locum antiquorum *Amburbialium* ſeu *Ambarvalium*, adèoque incidere in menſem Februarium & cum cereis accenſis celebrari; apud Græcos verò, Juſtiniani principatu primùm peragi cœpiſse, legas apud Macros *in Hierol.* Apud Græcos inſtitutum id Feſti ſub Juſtiniano Pelagio Pontifice, circa A. C. 542. ſecundùm nonnullos; ſecundùm alios, Anno 9. Juſtini, quem Juſtinianus excepit, & celebrari conſueviſse poſtr. Kal. Febr. docet Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce Ὑπαντὴ. Vide quoque Joh. Meurſ. in *Gloſſ.* & Hoſpinian. *de Feſtis Chriſtian.* nec non infrà *Luminum feſtum.*

HYPARCHUS, dignitas olim in Aula. CP. de qua aliquid infrà, in voce *Patricius.*

HYPARINUS, Dionis fil. Siciliæ Imp. duobus Annis paternum regnum obtinuit.

HYPASIS, Indiæ cit. fluv. in Indum influens, Alex. Mag. terminus. Plin. *l.* 6. *c.* 17. & 20. Vide *Hydaſpes*, & *Hypanis*, Indiæ fluv.

HYPATA, Theſsaliæ olim civ. prim. Steph. ad ſinum Maliacum, ad radices montis Oetæ.

HYPATE, Græcè Ὑπάτη, locus τῆς Αἰνιανῆς χώρας, apud Ariſtot. *in Admirandis c.* 130. de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 286. ubi Camertem, ex *Hypate* Inſ. Herculem Geryonis boves abduxiſse contendentem, paucis refellit. *Hypæa* verò, una Stœchadum eſt, de quibus vide ſuo loco.

HYPATES, fluv. Siciliæ prope Camerinam. Sil. *Pauperis alvei Hypaten*: quod corruptum pro *Hipparin* putat Cluv. Ferr. *Caminei* videtur: qui idem *Iporo* Ptol. & *Hypari*, Pindar. Sil. Ital. Pun. Bell. *l.* 14. *v.* 230.

——— *& pauperis alvei*
Hypaten, *ac facilem ſuperari gurgite parco.*

HYPATIA, mulier Alexandrina, Theonis Geometræ filia, uxor Iſid. Philoſophi, ſub Arcadio Imp. profeſsa eſt Alexandriæ varia diſciplinarum genera, magno & frequenti auditorio, convolantibus undique diſcipulis. Suid. & Socrates *l.* 11. *c.* 12. Occiſa in ſeditione populari, A. C. 415. varia ſcripſit. Syneſ. Ep. diſcip. ejus, *Ep.* 10. 80. & 124. Socr. *Hiſt. Eccl. l.* 7. *c.* 15. Niceph. Calliſtus, *l.* 14. *c.* 16. Anthol. *Epigr. l.* 1. Savil. *præl. in Euclid.* Voſſ. *de Philol. & de Scient. Mathem.*

HYPATIUS, nepos Anaſtaſii Imp. Dux copiarum, poſt mortem Juſtini, per ſeditionem Imp. factus, cum cæteris ſeditionis principibus, morte punitus eſt, à Juſtiniano, cum Procopio nempe & Probo, Marcell. *in Chr.* Procop. *l.* 1. *Bell. Perſ.* Item Coſ. cum Euſebio, A. U. C. 1112. Alius Coſ. cum Patricio, A. U. C. 1253.

HY

HYPATUS, apud Anaſtaſ. *in Agathone*, *Poſt hæc Patricii*, *Ypati*, *omneſque Inclyti*, *introiêrunt*, & apud Leon. Oſtienſ. *l.* 3. *c.* 37. *Joh. Imperialis Patricius Cajetanus fil. Docibilis Hypati*: dignitas fuit in Aula CP. Sed & *Hypati Civitatum*, apud eund. Leon. Unde *Hypatiſſa*, uxor Hypati, in Bulla plumbea, quæ aſſervatur in Gazophylacio Canonicorum Regul. S. Genovefæ Pariſ. ΕΥΦΥΜΙΑϹ ΥΠΑΤΙϹϹΗϹ. Vide Caniſ. *Tomo I. Antiqq. Lect. p.* 120. & quæ de *Hypato Philoſophorum* obſervavit C. du Freſne *ad Alexiad. p.* 304. quibus adde Lambecium *de Biblioth. Cæſ. p.* 148. & *l.* 7. *p.* 232. Ὕπατος Græcis anterioribus *Conſul* fuit, ut notum.

HYPATUS, mons Bœotiæ, Thebis imminens: Incolis *Monte de Stives*, *Ferrar.*

HYPERBIUS, Martis fil. dicitur primus occidiſſe animal, Prometheus bovem. Plin. *l.* 7. *c.* 56. Vide & ſuprà *Euryalus*.

HYPERBOLUS, confector quidam candelarum mirè verſutus: nam non ſolum ære ad candelarum confectionem utebatur; ſed & plumbum infundebat, ut inde tantò ponderoſiores pluris poſſet vendere.

HYPERBOREI populi, & montes, qui & *Riphæi*, ultra Scythiam, teſte Ariſt. Virg. Georg. *l.* 3. *v.* 196. & 381. Vett. hos circa Tanais fluv. fontes deſcribunt, cùm ibi maxima ſit planities. Argumenti ratio poſtulat (inquit H. Jacobius) ut in Hyperboreorum ſedes inquiratur, quarum certitudo celebritati gentis haud reſpondet. In quorum nomine præpoſitio Ὑπὲρ veteres vexavit. Plerique exponunt *ultra Bor. ſitos*. Herod. παρ' οἷς ὁ Βορέας οὐ πνεῖ. Orpheus *Argon.* paulò incommodiùs νηνέμους *omni vento carentes*, de Riphæis vel Hyperboreis. Herod. *l.* 4. *c.* 13, 32, 33, & 36. admittit dubitanter, quia tum eſſent etiam pari jure Ὑπερνότιοι, qui nulli dantur. Sed hanc dubitationem Eratoſthenes apud Strab. *l.* 1. eludit facetè. Strabo *l.* 11. *p.* 507. & *l.* 15. *p.* 71. ipſe aliam viam ſecat, cui ὑπὲρ adornat ſuperlativum gradum, unde Ὑπερβορέους exponit βορειοτάτους, ut in his apud Æſcyhl. Sophoclemque ὑπέρπικρος, *amariſſimus*, ὑπέρξηρος *aridiſſimus*, Caſaub. rectè adnotante, præterquam quòd illi apud Æſchyl. *in Supplic.* Ὑπερβορέη τύχη exponitur *Fortuna quæ flat admodum ſecunda*. Cùm ſit *Fortuna Hyperborealis*, vel *Hyperboreorum*. Nempe doctiſſimo viro non ſuccurrebant, quæ de ſumma pace ac opulentia eorum prædicantur. Hecatæo apud Diod. Sic. regio Hyperboreorum dicitur νῆσος *inſ. l.* 2. Ἐν τοῖς ἀντιπέραν τῆς Κελτικῆς τόποις κατὰ τὸν Ὠκεανὸν εἶναι νῆσον οὐκ ἐλάττω τῆς Σικελίας, ταύτην ὑπάρχειν μὲν κατὰ τὰς ἄρκτους, κατοικεῖσθαι δὲ ὑπὸ τῶν ὀνομαζομένων Ὑπερβορέων, ἀπὸ τοῦ πορρωτέρω κεῖσθαι τῆς Βορείου πνοῆς, οὖσαν δ' αὐτὴν εὔγειόν τε καὶ σύγκρατον διαφέρουσαν, διττοὺς κατ' ἔτος ἐκφέρειν καρπούς. Μυθολογοῦσι δ' ἐν αὐτῇ τὴν Λητὼ γεγονέναι, διὸ καὶ τὸν Ἀπόλλωνα μάλιστα τῶν ἄλλων θεῶν παρ' αὐτοῖς τιμᾶσθαι. At communiter eſt regio Riphæis montibus incluſa & interſepta. Inde Sophocles appellavit *Apollinis hortum* elegantiſſimè, apud Strab. *l.* 7. *p.* 295. de Borea Orithyjam raptam auferente,

> Ὑπέρ τε Πόντον πάντ' ἐπ' ἔσχατα χθονὸς,
> Νυκτός τε πηγὰς, οὐρανοῦ τ' ἀναπτυχὰς,
> Φοίβου τε παλαιὸν κῆπον.

Steph. *de urbibus*: Ῥιπαία, ὄρος Ὑπερβορέων, P. Mela *l.* 3. *c.* 5. *In Aſiatico litore primi Hyperborei ſuper Aquilonem Ripheoſque montes ſub ipſo ſiderum cardine jacent: Ubi Sol non quotidie*, &c. Totum non exſcribimus, quia breviter in omnibus cum Plin. convenit, quem ſis vide *l.* 4. *c.* 12. & *l.* 6. *c.* 13. & 17. Scriptor Argonauticus (qui ſub Orphei nomine ambulat, quem Onomacritum ſortilegum docet fuiſſe Tatianus, familiarem & Xerxi Perſarum Regi, teſte Herod. & Theognidi poëtæ, ut probabiliter affirmat Scalig.) de ſitu Hyperboreorum vel Riphæorum inter veteres exactiſſimè ſcribit. Ille Periplum Argonauticum non ἐν τῇ ἔσω θαλάσσῃ *mari interiori*, vel *mediterraneo* (ut Apollon. facit, quem ſequitur Val. Flacc.) verùm ἐν τῇ ἔξω θαλάσσῃ *mari exteriori*, vel Oceano longè doctius perducit. Unde facit Argonautas à Mæotide palude rectà in Aquilonem (nempe quaſi per Tanain fluv.) *v.* 1075. ferri ad Ὑπερβορέους & Ῥιπαίους αὐλῶνας, ac inde διὰ στεινοῖο ῥεέθρου *per anguſtum fluv.* (Riphæum ſcilicet) Oceano potitos, quem mortales vocant Κρόνιον πόντον, νεκρήν τε θάλασσαν. Tum

> Νῆα μολεῖν ἴθυν' ἐπὶ δεξιὸν αἰγιαλοῖο
> Ἀγκαῖος. ———

Argo navem in dextra litorum Ancæus gubernabat, delatam ad Μακροβίους, quorum longævitas & mitis affluentia, tum Juſtitia & Sapientia Αἴσιμά τε ῥέζειν, πεπνυμένα τ' ἐξαγορεύειν verboſius ibi celebrantur, ut non alios ab Hyperboreis aliorum authorum eſſe ſuſpicemur: Hinc ad Κιμμερίους æternâ nocte inſignes ex montibus Solarem lucem impedientibus, ab Ortu Mer. & Occaſu quos nominat,

> Ἐν μὲν γὰρ Ῥιπαῖον ὄρος, καὶ Κάλπιος αὐχὴν
> Ἀντολίας εἴργουσ'. ἐπικέκλιται δὲ πελώρη
> Ἄλσον ἐπισκιάζουσα μεσημβρινὸν ἠέρα Φλέγρη.
> Δείελον ἂν κρύπτουσι φάος ταναήκεες Ἄλπεις.

In qua frigida reg. eſt χρυσορόας Ἀχέρων, fluv. in cujus ripa ſunt arbores

> ——— Οἷσί τε καρπὸς,
> Βέβριθε νύκτας τε καὶ ἤματα συννεχὲς αἰεί.

Item urbs Ἑρμιονία, unde ad Ἀΐδαο πύλας navigatur. Hinc per πέλαγος Ἀτλαντικὸν ad νῆσον Ἰερνίδα, & νῆσον Πευκήεσσαν, Cereri ſacram, perpetuâ nube cinctam, ex ſolida & celſa rupe conſtantem, ideoque importuoſam navibus. Inde ad Circes inſ.

> ——— Λυκαῖον ποτὶ χέρσον.

Unde mox,

> ——— Ἀνάσσης Τερμησοῖο
> Ἱκόμεθα, στῆλαισι δ' ἐπέλσαμεν Ἡρακλῆος.

Per fretum Gaditanum mari mediterraneo reſtituuntur Argonautæ. Periplum hunc explicantem vide Henr. Jacobium in *Philologiæ ἀνακαλυπτηρίῳ p.* 83. Porro apud Pindar. *Pyth.* 10. inſignis eſt Hyperboreorum cum religio tum conditio. Apollini ſuo ſacrificant κλειτὰς ὄνων ἑκατόμβας, *illuſtres aſinorum victimas*, ubi Deus γελᾷ θ' ὁρῶν ὕβριν ὀρθίαν κνωδάλων ridet videns procacitatem arrectarum beſtiarum. Quam Aſininam ſalacitatem capere non potuit omnium cum Scholiaſte Græco reliquorum interpretum inſulſitas. Conditio talis. Perpetuæ Virginum choreæ, Lyrarum, Tibiarumque ſonitus, ex aurata lauro coronæ, Epulationes, Morborum & Senectutis, Laborum & belli vacuitas: Quæ felicitas Ὑπερβορέων fingi creditur, qualis aurei ſeculi & inſularum Fortunatarum. Unde Æſchyl. *Coeph.* adagialiter uſurpat de proſperrimo rerum ſtatu,

> Ταῦτα μὲν ὦ παῖ, κρείσσονα χρυσοῦ,
> Καὶ Ὑπερβορέους μείζω γε τύχης.

Hyperboreos hoſce è Titanibus oriundos tradit Pherenicus quòd illis in locis habitare perhibentur, quò Titanes cum Saturno profligatos fugiſſe credidit antiquitas. Romani tandem de Palatii ſui, vel montis Palatini nomine inquirentes, Hyperboreorum cognationem ſibi vendicant. Feſti Abbreviator: *Alii quòd ibi Hyperborei cujuſdam filia Palanto habitaverit, quæ ex Hercule Latinum peperit.* Nec aliter Solinus *c.* 1. Dion. Halic. *l.* 1. *de Hercule*: Λατῖνον δὲ ἔκ τινος Ὑπερβορείου κόρης, ἣν (πατρὸς εἰς ὁμηρείαν δόντος) ἐπήγετο. Puellæ nomen Græcè concipitur ἡ Φαλαντὼ Salmaſ. verius autem ἡ Παλαντὼ Scalig. quia conſtanter eſt in Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 51. & 54.

> Pallantis *proavi de nomine Pallanteum.*

Idem ibid. *v.* 341. Ad ſummum: Quando hæc ſunt ἀσύστατα, ſitus quidem ſub vertice Borealiſſimus, ac beata cœli, ſolique temperies; Hyperboreorum ſedes adhuc penitùs ignorantur, nec ulla vet. Geographia vel nova verè definit. Unde adagialiter: *In montibus Hyperboreis* eſt idem quod *extra mundum*, vel *in ſola mentis imaginatione*. Tamen uſque adeò antiqui narrationi de pop. *Hyperboreis* fidem adhibuêrunt, ut Abaris Scytha, Seuthæ fil. oracula ſcripſerit, *Scythica dicta*, nuptias Hebri fluv. luſtrationes. Deorum origines ſolutâ oratione, & *Apollinis adventum ad Hyperboreos*, verſu. Fertur & oraculum hujus celebre laborantibus peſte Græcis, oportere à pop. Athenienſi vota fieri pro omnibus. Suid. in voce Ἄβαρις ex *M. Baſil.* Jamblich. *l. de vita Pythag. c.* 19, Ἦλθε μὲν Ἄβαρις ἀπὸ ὑπερβορέων ἱερεὺς τοῦ Ἀπόλλωνος. Scholiaſtos Pindari *Olymp.* Ode 3. *initio.*

> Δᾶμον ὑπερβορέων πείσαις Ἀπόλλωνος θεράποντα.

Meminit & *Pythior.* Ode 10. Ælian. *Var. Hiſt. l.* 2. *c.* 26. Ἀριστοτέλης λέγει, ὑπὸ τῶν Κροτωνιατῶν τὸν Πυθαγόραν Ἀπόλλωνα ὑπερβόρειον προσαγορεύεσθαι. Claud. *de* 6. *Hon. Conſ. Carm.* 28. *v.* 24. *& ſeqq.*

> *Auget ſpes Italas: & certiùs omnia ſurgunt,*
> *Victrici concepta ſolo. cum pulcer Apollo*
> *Luſtrat* Hyperboreas *Delphis ceſſantibus aras.*

Idem in 2. Conſ. Stilich. *Carm.* 24. *v.* 256.

> ——— Hyperboreis *Delos prælata pruinis.*

Unde multa dona à Græcis ad hos Apollinis cultores miſſa, refert Diod. Sic. *Bibl. l.* 2. Imo & illos, per virgines probatiſſimas, primitias frugum Apollini Delio miſſitâſſe, docet Solin. *c.* 21. Apollini autem *Hyperboreo* Gryphes dicatos eſſe indicant Claud. loco ſuprà laudato, & Apulejus *Mileſiar. l.* 11. ubi de myſteriis Iſidis: *Hinc Dracones*, inquit, *Indici*, *inde Gryphes* Hyperborei, *quos in ſpeciem pinnatæ alitis generat mundus alter.* De his vide plura apud Serv. *ad Eclog.* 8. P. Melam. *de ſitu orbis l.* 3. *c.* 1. *&* 7. Solin. *c.* 20. Aurel. Caſſiod. *l.* 9. *Ep.* 3. Claud. porrò *Ep. ad Senec.* & Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *paralip. ad c.* 7. Nic. Lloyd. Baudr. *Hyperborei* montes, nunc *Cameni pojas*, eorumque vertex *Stolp*; in parte Sept. Ruſſiæ Albæ ſeu Moſcoviæ, verſùs Obyum fluv. & Duinam. Hyperborei autem pop. Sarmatiæ fuêre, ubi nunc *Petzora* prov. in parte Sept. Moſcoviæ, verſùs Weigatium fretum & Obyum fluv. teſtibus Herbeſtenio, ex Merc. & *Ortel.*

HYPERDEXION, regio Lesbi, ubi Jupiter *Hyperdexios* & Minerva *Hyperdexia* coluntur. *Steph.*

HYPEREA, ſeu HYPERIA, fons geminus: Unus in Theſſalia, apud Pharſalum, Helladem & Phthiam opp. ſeu teſte Plin. *l.* 4. *c.* 8. Strab. *l.* 9. *p.* 432. & 439. apud Pheras & Atracem: alter in Meſſenia, reg. Peloponneſi. Val. Flacc. *Argon. l.* 4. *v.* 375.

> *Flevit, & effuſis revocans* Hyperia *lacertis.*

HYPERECHIUS, Alexandrinus Grammaticus ſub Principe Marciano; ſcripſit artem Grammaticam, de nominibus, de verbo, & Orthographia. *Suid.*

HYPERESIA, urbs Achajæ, ab *Hyperete* Lycaonis fil. Steph. Strab. *l.* 8. *p.* 383. Inde ortus eſt Icarus Olympionices, qui Stadium vicit Olympiade 23. Vide infrà *Icarus*.

HYPERIA, urbs in Theſſalia. Homer. Phæacum opp. Heſych. Siciliæ urbs. *Euſtath.*

HYPERIA, fons eſt Theſſaliæ in urbe Pheris, ut Sophocles apud in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

interpretem teſtatur. Nominat eundem Homer. *in Navium catalogo.* Pherecydes ab Hyperete illi nomen inditum vult. Melas, inquit, Phryxi fil. duxit uxorem Eurycleam: ex his naſcitur *Hyperes*, qui proximè fontem habitat, dictum ab eo *Hyperiam*.

HYPERIDES, Athenienſis, fil. Glaucippi, diſcip. Platonis & Iſocratis, unus ex decem Oratoribus clariſſimis, æmulus quandoque Demoſthenis, accuſatusque ab ea ſuper rapina pecuniæ, deinde cum eo damnatus juſſu Antipatri, aufugit in Æginam. Plutarch. *in Demoſth.* Occiſus, tyranni juſſu, linguam morſu prius abſtulit, ne arcana proderet. Idem *de* 10. *Orator. c.* 9.

HYPERION, aliis Solis pater, aliis Sol ipſe, quòd *eat ſuper terras*; Diod. Sic. Saturni fratrem facit Cœli fil. qui Solis ac Lunæ aliorumque aſtrorum motus, horasque primus obſervârit. Frequens eſt Solis Epitheton apud Hom. Inde *Hyperionii currus. Val. Flacc.*

HYPERIS, Perſiæ fluv. Plin. *l.* 6. *c.* 23. *Flumen* Hyperis, *in medio ſinu Perſico, onerariarum navium capax.* Ubi *Superis* alios habere, monet Salmaſ. *ad Solin. p.* 1181.

HYPERIUS Andreas Gerhardus, natione Flander, opp. *Hyperi* natus, Theologus inſignis, imò *inter Belgas clariſſimus*, Verheiden. Scripſit plurima, in maximam S. Scripturæ partem, quæ omnia 3. *Vol. Fol.* prodiêrunt Tiguri A. C. 1584. Obiit Marpurgi, ubi & ſepultus eſt, A. C. 1564. Ætat. 53. De illo Calvin. *Ep. Chr. Thretio, Præter raram pietatem, quæ in ejus ſcriptis relucet, ajunt hominem eſſe manſueto judicio, magnâ ſinceritate*, ſcribit.

HYPERMNESTRA, una ex 50. Danai filiabus, quæ cùm totidem Ægypti filiis nupſiſſent, juſſæque eſſent à patre primâ nocte maritos interficere, ſola ex omnibus maritum ſuum Lynceum nomine ab inſidiis liberavit, qui poſtea Danaum occidit. Cùm enim Lynceus in Lyrceam opp. evaſiſſet, inde uxori ſignum dederat, quæ viciſſim à Lariſſa facem extulit. Unde Argivis πυρσῶν ἑορτὴ, *Facularum feſtum* annuum. Illa quidem à Patre in judicium vocata, ſed abſoluta eſt, ſtatuitque proin templum Ἀρτέμιδος πειθοῦς, *Dianæ Suadæ*, & Ἀφροδίτην Νικηφόρον, *Venerem Victricem*, dedicavit: quæ Ἔγχειος forſan, ſeu *Haſtata*, qualem Cyprii coluêrunt, Matshamo *Canone Chron. Sec. IX.* ubi de *Danao*. Vide Pauſ. *l.* 2. *p.* 119. 122. & 130. Extat inter *Ep.* Ovid. *una* 14. *Hypermneſtræ, ad Lynceum virum ſuum.* Eandem Junonis Sacerdotem fuiſſe, refert Euſeb. *n.* 582. Inde pro Numine, unà cum Lynceo, culta. Higin. Fab. 168. *Sola* Hypermeſtra *Lynceum ſervavit. Ob id cateræ dicuntur apud Inferos in dolium pertuſum aquam ingerere.* Hypermneſtræ *&* *Lynceo fanum factum eſt.* Plura de ejus rebus *Pauſ.*

HYPEROCHA, in Dianæ delubro ſepulta memoratur Arnob. *adv. Gentes l.* 6. *Non in Dianæ delubro, quod in Apollinis conſtitutum eſt Deli*, Hyperocha *Laodiceque* (ſepultæ) *quos advectas illuc eſſe, finibus ab Hyperboreis indicatur?*

HYPEROCHUS, plerisque auctor creditur Hiſtoriæ Cumanæ carmine contextæ. Athen. *l.* 13. Pauſ. *in Phoc.*

HYPERPYRUM, corruptè *Perperum*, *Perperi* &c. moneta fuit Impp. Byzant. aurea, quòd ex auro eximiè rutilo & recocto confecta eſſet, ſic dicta, quaſi *ſupra modum igni excalefacta.* Valuit 20. ſolidis denariorum, & nota ii. deſignatur, apud Harmenopuli Scholiaſten, ut notavit Jul. Cæſ. Scalig. *de Re numm. p.* 63. A Francis, ad Sacrum bellum profecturis, cùm CPolin. adirent, vel in Syria cum Græcis agerent, primùm nomen auditum &c. Hinc *Perpyrarii* dicti quidam liberæ conditionis homines in Regno Cypri Luſinianorum, quòd Regi *Hyperpyra* 15. quotannis penderent, apud Loredan. *Hiſt. Cypr. l.* 1. & 7. Verùm addit Porcacchius *de Inſ.* ejuſmodi *Hyperpyra* valoris fuiſſe Marcelli argentei Veneti: quod ſi eſt, non aurea, ſed argentea Cypria illa *hyperpyra* fuiſſe oportet. Vide C. du Freſne *Diſſert. de Inf. ævi Numiſm. n.* 80. Meurſ. *in Gloſſ.* Reineſ. *Var.* 50. *l.* 3. *c.* 1. & Joh. Frid. Gronov. *Obſerv. in Eccl. Script. c.* 25. nec non ſuprà, ubi de *Flava moneta*, & infrà *PP*, it. ubi de *Tricipitinis nummis.*

HYPERSEBASTUS, vide infrà *Sebaſtus.*

HYPOTAAN, ex Ducibus auxiliaribus Æëtæ, occiſus à Colaxe. Val. Flacc. Argon. *l.* 6. *v.* 639.

HYPHÆUS, Campaniæ mons. Plutarch. *in Sylla.*

HYPHANTICE, vide infrà *Sartoria*, it. *Texendi ars.*

HYPHASIS ſeu HYPASIS, fluv. Indiæ, ad quem, utpote itinerum ſuorum terminum, aræ conſtitutæ ab Alex. Vide Salmaſ. de illo *ad Solin. p.* 790. & 791. nec non ſuprà in voce *Hypanis.*

HYPHORMUS, Achajæ portus. *Ptol.*

HYPICLI & HYPOSCHISMATA, calcei fuêre viriles; hi quidem vulgares, illi verò pretioſi, apud Græcos. Balduin. *de Calceo*, ex *Polluce.*

HYPNALE, Græcè ὑπνάλη, epitheton aſpidis, cujus rationem habes apud *Solin. c.* 27. *Hypnale, quòd ſomno necat, teſte Cleopatrâ, emitur ad mortem.* Quòd viz. nullo ſenſu doloris, quaſi *ſomno* ſolutos extinguat, quos pupugit. Unde Cinna,

> *Somniculoſam ut Pœnus* aſpidem *Pſyllus.*

Hæc in ſacris Iſidis, cum tumido collo, caput arduum attollens, circumferebatur: Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 393. ubi de Iſidis myſteriis,

> *Siſtraque erant, nunquam ſatis quæſitus Oſiris,*
> *Plenaque ſomniferis* ſerpens peregrina *venenis.*

Vide ſuprà ubi de *Aſpide*, item in voce *Chelidonia.*

HYPNOS, pueri nomen, apud Mart. *l.* 11. Epigr. 37. cujus Epigraphe de Cajo. Proculo.

> Hypne, *quid exſpectas piger?*

HYPOBARUS, Indiæ fluv. juxta quem arbores electrum ferunt. Plin. *l.* 37. *c.* 2.

HYPOCAMISIUM, apud Anaſtaſ. in *Vita* S. Joh. Eleemoſ. *c.* 35. Græcè ὑποκάμισον, Codin. *in Orig.* CP. veſtimentum eſt, quod ſubtus *camiſiam* induitur, vide Macrum in *Hierol.* & C. du Freſne *in Gloſſ.*

HYPOCAUSTUM, inter loca, quæ non eſſent intra balneas, ſed iis tantùm inſerviebant, Vitruv. infrà laudando fuit fornax ſeu caminata ſtructura ſubterranea, Calidario, Calidæ lavationi, atque Vaſario (Balnearum partibus) ſubpoſita, in qua ad calefaciendum tum aquam, tum prædicta loca, ignis ſuccendebatur, & ne extingueretur, à ſervis, *Fornacatoribus* ob id in Pandectis, à Papiniano vocatis, frequenter injectis pilis & glomis pice illitis excitabatur. De lignis eundem in uſum adhibitis, narrat Plutarch. *Sympoſ. l.* 3. *Problem.* 10. Ædiles caviſſe, *Ne ignis balnearum ex olea ſuccenderetur, neque in eum conjiceretur lolium*, quòd horum nidores gravedinem capitis & vertiginem lavantibus invehant. Prædictarum pilarum Vitruv. meminit, *l.* 5. *c.* 10. ubi docet, ſolum Caldariorum ita eſſe ſternendum, *inclinatum ad hypocauſtum, uti pila cùm mittatur non poſſit intrò reſiſtere, ſed rurſus redire ad præfurnium, atque ſic facilius flammâ pervagari, ſub ſuſpenſione.* De iiſdem habemus loquentem Stat. *in deſcript. Baln. Etruſci l.* 1. *Sylv.* 5. *v.* 57. *&* *ſeqq.*

> ——— *Crepantes*
> *Auditura pilas, ubi languidus ignis inerrat*
> *Ædibus, & tenuem volvunt* Hypocauſta *vaporem.*

E quibus facile eſt colligere, errare illos, qui *Hypocauſtum* & Laconicum idem eſſe credidêrunt. Auctor Senec. eſt *Natur. Quaſt. l.* 3. *c.* 24. nec non *Ep.* 90. tempeſtate ſuâ inventos eſſe parietibus impreſſos tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima ſimul & ſumma foveret æqualiter; illum verò calorem immitti conſueviſſe ex *Hypocauſto.* A Juriſconſultis quoque memoriæ mandatum, & ab Auſ. *Moſell. v.* 337. & ſeqq. ſic expreſſum eſt,

> *Quid quæ ſulphureâ ſubſtructa crepidine fumant*
> *Balnea, ferventi cùm Mulciber hauſtus operto*
> *Volvit anhelatas tectoria per cava flammas,*
> *Incluſum glomerans æſtu expirante vaporem?*

Vide Hier. Mercurial. de *Arte Gymn. l.* 1. *c.* 10. *Horum tuborum veſtigia adhuc quamplurima Romæ conſpiciuntur, in Diocletiani atque Caracallæ Gymnaſiis. Ante* Hypocauſtum *autem via quædam erat* Propnigeum, *quaſi dixeris* Præfurnium, *a Vitruv.* vocata, *l.* 5. *c.* 10. &c. ut de Aquario & Vaſario nil addam, de quo Auctor præfatus ita *l. c.* *Ahenea vaſa ſupra* Hypocauſtum *tria compoſita fuere, unum Caldarium, alterum Tepidarium, tertium Frigidarium, & ita collocata, ut ex Tepidario in Caldarium, quantum aquæ calidæ exiiſſet, influeret; de Frigidario in Tepidarium ad eundem modum.* Lycophron πυελαίνειον ſimile ſeu ὑπόκαυστον, *in Caſſandra*, indigitat his verbis, ubi de Agamemnone in balneo interempto,

> Θερμὴν δ' ὕπαι λουτρῶν ὀρνδέων στέγην:

ad quæ verba notat Meurſ. intrâſſe illuc à laboribus vacantes & otioſos, qualis erat Agamemnon à bello Trojano reverſus, aut à morbo ſe recolligentes; ex Artemidoro, ubi ἢ γδ, inquit, ἀναλαμβάνοντες ἢ ἀπεργυῶντες εἰς θερμὰ πορεύονται. Aliud quid ſonat *Hypocauſti* vox, apud Germanos, quibus *Stuben* vocatur; Sed nec eadem huic quoque vocabulo ubique ſignificatio eſt. Vide de Anglorum *Stubis*, in hac voce.

HYPOCHALCIS, urbs Ætoliæ, ſub Chalcide monte. *Steph.*

HYPOCHARTOSIS, in Gloſſ. *tectorium*, cujuſmodi opere cameræ olim inducebantur, & picturis tectorio ſuperinductis decorabantur. In *Epiſtolis* Pontif. *Camaratum* dicitur, vide ubi, & *Ep.* inprimis 61. ubi ὑποχάρτωσις videtur dici *coronarium opus, quod cameris ſubjiciebatur*; à *chartæ* tenuitate & ſubtilitate, idemque eſſe, quod ὑποπλάκωσις. niſi quis ὑποχάρτωσιν dictam malit quòd uſus *chartarum* fuerit in cameris intexendis & diſponendis vel etiam decorandis. Sed prius mavult Salmaſ. *Not. ad Vopiſc. in Aurel.*

HYPOCRITA, Gr. Ὑποκριτὴς, antiquis poëta dictus eſt. Ulpian. JC. *in Demoſth. p.* 40. *Vett.* inquit, *poëtas vocavêrunt* Hypocritas, *Actores, quos novâ voce nunc appellamus Tragœdos, ut ſunt Euripides, Ariſtophanes* &c. E quibus verbis colligit Franc. Roſſæus, primos & antiquiſſimos poëtarum, non alienas, ſed ſuas actitâſſe fabulas. Sequentibus demum temporibus, alienas in uſum veniſſe, *Archæol. Att. l.* 2. *c.* 11. Idque inprimis feſtis diebus, ſiquidem inter præcipua eorum oblectamenta, numerandæ veniunt commiſſiones Tragœdiarum, quibus tum delectare, tum prodeſſe volebant, δι' ἐλέους καὶ φόβου περαίνοντες τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν, ut loquitur Ariſtot. *in poëtic.* Sed honorem haberi voluit Lycurgus Rhetor poëtis Tragicis, Æſchylo, Sophocli & Euripidi, lege latâ: Τὰς τραγῳδίας τῶν ποιητῶν Αἰσχύλου, Σοφοκλέους, Εὐριπίδου τοῖς ὑποκρινομένοις, τὸν Γραμματέα τῆς πόλεως παραναγινώσκειν, οὐκ ἐξεῖναι αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι, *Æſchyli, Sophoclis & Euripidis tragœdias Urbis Scriba publicè prælegito: Hiſtriones eas ne agunto.* Vide Sam. Petit. *Comm. in LL. Attic. l.* 1. *tit.* 1. Apud Suet. *Ner. Claud. c.* 24. *Atque etiam in quodam Tragico actu — non aliter confirmatus eſt, quam adjurante* Hypocrita *non animadverſum id* &c. idem quod *Hiſtrio* Tragœdi ſeu *Pantomimus* eſt, cui ſaltanti *ad manum canebat* Nero, Tragœdi vicem agens, h. e. geſticulationi ejus, quæ ſaltando fiebat & loquaci manu, cantando reſpondebat, & pronuntiabat modulatè, quæ is agebat, uti phraſin Livianam exponit Joh. Frid. Gronov. *ad Liv. l.* 7. *c.* 2. ubi inter alia, *Tragœdus*, inquit, *canebat*, Hypocrita *ſaltabat & geſticulabatur: & præter hos aderat tibicen.* Vide quoque infrà ubi de *Pantomimis*, nec non ubi de *Rhapſodis.*

HYPODIACONISSA, quæ vox præponitur Hymno, in Eccl. Rom. in Natali S. Steph. cantari ſolito, videtur fuiſſe certus Muſicus tonus ac modus, quo hic Hymnus decantandus. C. du Freſne in *Frigdoræ.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

HYPODIACONUS, apud Cyprian. in *Epiſtolis*, Subdiaconus eſt, qui alias Ὑπηρέτης: cujuſmodi Miniſtrorum LXX. in Eccl. fuiſſe CP. diſcimus ex *Nov.* Heraclii. Conjugio illis interdictum eſt *Decreto* 34. Leonis Pontificis. Officium fuit, portis Eccleſiæ adſidere, & introeuntibus ac exeuntibus, nec non in Narthece ſtantibus, modum imponere, diſſidia ſedare, voces comprimere, &, ne quid tum temporis tumultûs oriretur, ſedulò curare: quo fine, à portis abſcedere, niſi Sacris peractis illis non licebat, Syn. Laodicenæ *can.* 22. & 43. Vide Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* vocibus Ὑπηρέτης, & Ὑποδιάκονος, nec non infrà, ubi de *Kalendis* & *Subdiaconis*.

HYPODROMUS, apud Orderic. Vital. *l.* 2. Hypodromum *& per gyrum arcus deambulatorios*: longior porticus eſt, Gall. *Galerie*. Vide Sirmond. *ad Sidon. l.* 2. *Ep.* 2.

HYPODROMUS, urbs Æthiopiæ. *Ptol.*

HYPOGÆÆ Deambulationes, vide ſuprà *Cryptæ*; & plura apud Salmaſ. *ad Spartian. in Hadr.* ubi de *Hypogæis ſepulchralibus*, hîc paſſim in vocibus inprimis *Camera*, *Crupta*, *Monumentum*.

HYPOGLOTTIS, Græcè ὑπογλωττίς, nomen coronæ, ſic dictæ, quòd ea ſit frænum quaſi loquacitati, inter pocula plerunque oriri ſolitæ: de qua vide Athen. *l.* 15. *c.* 6. & 7. *p.* 677. & 678. Pollux. *l.* 4. *c.* 25. Caſaub. *ad Athen.* & C. Paſchal. *Coron. l.* 2. *c.* 4. de *Hypoglosso* herba verò, Salmaſ. *ad Solin. p.* 402.

HYPOGONATION, idem cum *Epigonatio*, pulvinar Græcis dictum eſt, quod genibus ſubſternebant, preces facturi. Græcè Ἐπιγονάτιον, & Ὑπογονάτιον, item Γονυκλινές· quas voces vide apud Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.*

HYPOGYPONES, Græcè Ὑπογύπωνες, dicti ſunt ſaltatores cum ſcipionibus; de quibus ſic Jul. Cæſ. Scalig. *poët. l.* 1. *c.* 18. ubi de Morphaſmi ſpeciebus: *Species alia* σκώψ —— *Avis hæc eſt, quem Aſionem Latini: ridicula & mirabunda circumactu capitis & colli flexu. Imitabantur autem in hac etiam ætates. itaque ſenes exprimebant cum ſcipionibus, ii tum ſaltatores* ὑπογύπωνες *dicebantur. Siquidem* γύπωνες *ſignificârunt ligna teretia. quo nomine dicebantur ii, qui in grallatoriis phalis ſaltabant amicti pellucidâ Tarentinâ veſte.* Vide quoque ſuprà ubi de *Grallatoribus*.

HYPOMIMNISCON, Græcè Ὑπομιμνήσκων, in *Ep.* Conc. Lugd. ad Gregor. X. dictus eſt, cui incumbebat *ſuggerere & rememorare*. Lat. à *Memoria*; Hodie *Cerimoniarum Magiſter*. C. Macer in *Hierol.*

HYPOMNEMATA, Græcè Ὑπομνήματα, item Ὑπομνηματισμοὶ, Latinis *Regeſta*. Vide *ibi*, & plura de hac voce apud Budæum *Poſterior, Comm. ad ff.* Hinc *Hypomnematographus*, Ὑπομνηματογράφος, Miniſter erat in Eccl. CP. qui *Epiſcoporum conſecrationes regiſtrabat*, Macer *ib.* Cl. Suicero ſuffragia Epiſcoporum notabat, ſcribebatque quicquid illi præcepiſſet Antiſtes, vel, ut Meurſius, perſcribendis Commentariis vacabat. Erat aut duplex, *Palatinus* unus, alter *Eccleſiaſticus*: quorum hic ſecundum poſt Exocatacœlos locum primitus tenebat, poſtea in quintum rejectus &c. Vide Meurſ. in *Gloſſ.* & Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce hac.

HYPOMNESTICUM, h.e. *ſcolion*, compendium; titulus quo Compendium ſuum inſignivit Anaſtaſ. *in Collectaneis*, per Sirmond. edit. in Octavo ab eadem origine, cum præcedente.

HYPOPSALMA, apud Auguſtin. *Retractat. l.* 1. *c.* 20. eſt, *quod ad ſingulas Pſalmi partes ſuccinitur & reſpondetur.* Gallis *Refrains*, C. du Freſne in *Gloſſ.*

HYPORCHEMA, Græcè Ὑπόρχημα, poëmatis genus laxum ac remiſſum, geſtuoſum tamen & affectuum plenum: quale Pratinæ Poëtæ Phliaſii, pyrrhichiis refertum, ob celeritatem, exhibet Jul. Cæſ. Scalig. *poët. l.* 1. *c.* 47. cujus initium:

> Τίς ὁ θόρυβος ὅδε;
> τίνα τάδε τὰ χορεύ ——
> ματα; τίς ὕβρις ἔμολεν
> ἐπὶ Διονυσιάδα
> πολυπάταγα θυμέλαν;
> ἐμὸς ἐμὸς ὁ Βρόμιος. ἐμὲ δεῖ
> κελαδεῖν:
> ἐμὲ δεῖ
> παταγεῖν.

Cujuſmodi cantiones non ſine thyrſo ac face ſaltatæ videntur. Harmonia inde *Hyporchematica* appellata, ex Pyrrhichica & Gymnopædica miſta: quam Cretenſium propriam, plenam luſus, idem facit, ubi de Cordacis ſpeciebus *l. eod. c.* 18. Imò canticum omne, quod cum ſaltatione peragebatur, ὑπόρχημα. Sic cantica, quæ in comœdiis Latinis ad manum ab hiſtrionibus ſaltabantur, vera ὑπορχήματα fuêre, uti & Eunapius *in Ædeſio* teſtatur, ubi Ariſtophanem id primùm in ſcena factum ait. Satyrica item: quæ utraque ad tibiam cantabantur ac ſaltabantur; ſicut ad lyram ea, quæ Pindarus ſcripſit. Atque is, qui ſub cantu tibiæ aut lyræ aut alterius cujuslibet organi ſaltabat, propriè dicebatur ὑπορχηστής. Sic accipiendum apud Plutarch. *Sympoſ. l.* 7. *c.* 11. ὑπόρχημα Πανὸς & Σατύρου, de Panis & Satyri ſaltatione ſub tibicine. Cujuſmodi ὑπορχήματα, Bathyllus, Pantomimus ille celebris ſub Aug. in ſua ſaltatione exhibebat, quæ revera fuit ὑπορχηστική. Uniformis enim ac ſimplex erat & nihil aliud fermè quàm ſaltabat: nullam quippe moram, nullum πάθος admittebat, ſed concitatiſſimo ferebatur motu; cujuſmodi φορτικὰ σχήματα Baccho & Veneri adſignat Lucian. περὶ ὀρχήσ. Cùm contrà Pyladæa ſaltatio ὀγκώδης, tragica & cothurnata eſſet. Vide de utraque Salmaſ. *ad Vopiſc. Carin.* & hîc ubi de *Bathyllo* ac *Pylade*. Primum autem Thaletem in Creta compoſuiſſe τὰ ὑπορχήματα in Pyrrhichen, quæ ſaltatio Κρητικὴ dicebatur, hincque omne genus Ὑπορχήματα, Κρητικὰ, *Cretica* dicenda, tradit Soſibius apud Pindari Scholiaſten vide Salmaſ. eund. *ad Solin. p.* 171. ut & ſuprà *Dactylicæ tibiæ*.

HYPOSCENIUM, Græcè ὑποσκήνιον, in magnificis olim Theatris, ſub proſcenio erat, eo aliquanto depreſſius, in quod per gradus deſcendebatur. *Sic Græci*, verba ſunt Scalig. *noſtri vero podium inter pulpitum & proſcenium, depreſſius proſcenio, altius pulpito, poët. l.* 1. *c.* 21.

HYPOSOPHRONISTA, Græcè Ὑποσωφρονιστὴς, dicebatur Athenis olim, qui τὸν Σωφρονιστὴν, h. e. *Cenſorem* vel *Correctorem Juventutis Gymnaſticæ*, in munere ſuo ſublevabat, eique ſuberat: memoratur in vet. *Inſcr.* apud Cl. Spon. *Itin. Græc. Part.* 3. ubi *de* 174. *opp. Atticæ*, voce Μαραθὼ, in qua & *Hypocoſmetarum* aliorumque officiorum ad Gymnaſium Athenienſe pertinentium mentio fit.

HYPOSTASIS, Græcè Ὑπόστασις, vox in Eccl. Dei frequens: In Symbolo Athanaſii occurrit, de *Perſona*, præeunte Scripturâ, Hebr. *c.* 1. *v.* 3. Ubi Chriſtus dicitur χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρὸς, *Character ſubſiſtentiæ* (i. e. perſonæ) *Patris*, q. d. imago ſic Patrem exprimens quemadmodum id, quod in cera eſt, exprimit formam, quæ eſt in ſigillo. Ut moroſe nimis diu olim Latini Patres vocem refugerint, tres *Hypoſtaſes* in divinis admittere renuentes; eo quòd exiſtimarent, ut Auguſtin. ait *de Trinit. l.* 7. *c.* 8. & 9. quòd hoc *ſubſtantiam* ſignificaret vocabulum, fides autem unam tantùm in Deo ſubſtantiam eſſe doceret. De qua Latinorum hæſitatione *ad Euſeb. Ep.* 10. ſic Baſil. *Quale nobis auxilium ab Occidentalium ſupercilio & faſtu aderit, qui veritatem neque norunt, neque dicere ſuſtinent.* Donec tractu temporis meliùs edocti vocem admisêrunt, vide Dom. Mac. *in Hierol.* Sed & hodie Mennonitæ aliique illam averſantur; verùm longè deteriori conſilio: cùm ipſam SS. Trinitatem hoc prætextu laceſſere non vereantur &c. Franc. Burmann. *Synopſ. Theol. Chriſt. Part. I. l.* 1. *Loc.* 3. *c.* 30. Vide quoque Cl. Suicer. in voce Ὑπόστασις, & infrà in voce *Perſona*.

HYPOTHECÆ, vocatæ ſunt Potniæ in Bœotia. *Steph.*

HYPOTHYMIS, ſeu HYPOTHYMIAS, corona dicta eſt, quæ collo appenſa deſcendebat ad pectus, pulchritudine florum & odorum ſuavitate, unde nomen (διὰ τὴν ἀποφορὰν ſc. τῆς ἀναθυμιάσεως, ut ait Plutarch. *Sympoſ.* 3.) commendabilis: ςέφανον ὑποτραχήλιον, *Coronam ſubcollarem*, vocat Heſych. Meminit earum etiam Alcæus apud Athen. *l.* 15. *c.* 7. & XI. *p.* 688.

> Ἀλλὰ ἀνήθω μὲν περὶ ταῖς δέραις περ ——
> θέτω πλεκτὰς ὑποθυμιάδας τίς.

> *At Anethi quidem cervici ap* ——
> *ponat plicatiles* hypothymiadas *aliquis.*

Et Anacreon, apud Athen. *l.* 15. *c.* 5. *p.* 674.

> Πλεκτὰς δ' ὑποθυμιάδας περὶ ςήθεσι λωτίνας ἔθεντο.

> *Plicatiles* hypothymiadas *è loto circa pectus ſtatuêrunt.*

Eaſdem indigitat Ovid. Faſt. *l.* 2. his verbis, *v.* 739.

> *Ecce nurum Regis fuſis per colla coronis,*
> *Inveniunt poſito pervigilare mero.*

Vide plura de illis, apud Paſchal. *Coron. l.* 2. *c.* 3. & ſuprà in voce *Collum*.

HYPPIUS, urbs & fluv. nunc *Lippo*, ſub Pontica Heraclea, in mare Euxinum, inter Saugarium & Lycum fluv. exiens. Vide Stuckium *ad Arrian. p.* 126. Ibidem *Hyppii montes*. Steph. Turcis *Armendagh*. Aliis *Horminii*, ſeu *Ormenii*. *Ferrar.*

HYPRÆ, ſeu IPRÆ, à fluv. interfluente dicta, *Yperen* incolis, *Ipres* Gallis, *Ipri* Italis, urbs Flandriæ ſatis munita, condita dicitur à Balduino Comite, fil. Arnulphi, A. C. 960. muris demum cincta A. C. 1288. Galliæ Regis conſenſu impetrato. Opulenta admodum eſt, templaque magnificè extructa habet. Epiſcopatus ejus, inſtitutus A. C. 1559. à Paulo IV. Machlinienſi Archiepiſcopatui ſubeſt, fuitque primus ejus Ep. Martinus Balduinus Rithovius. Vide Georg. Brun. *T.* 2. *Civ. Orb.* Miræum *Orig. Aug. c.* 44. & 125. *de Colleg. Canon.* Morer. *Dict. Hiſt. &c.* Bis haud pridem capta à Gallis, ſed reddita eſt Hiſp. jam verò Gallis iterum ſubeſt, à tempore pacis Neomagenſis. In planitie, 8. leuc. à Novoportu in Auſtr. 6. à Cortraco in Occaſ. prope amnem Ipram. Hinc *tractus Iprenſis*, vulgò *le quartier d'Ipres*, ſub quo ſunt Caſtellaniæ Iprenſis, Caſſelenſis & Baleolenſis, in Flandria Teutonica.

HYPSA, fluv. Siciliæ: *Belici* vel *Bilici*, teſte Fazello: in oram fluit Auſtralem, inter Thermas & Selinuntem urbes. Sil. Ital. Punic. Bell. *l.* 14. *v.* 228.

> *Nec non qui potant* Hypſamque *Alabinque ſonoros.*

Aliis *Hyſpa*. Plin. *l.* 3. *c.* 8.

HYPSALTÆ, pop. Thraciæ, Plin. *l.* 4. *c.* XI. *Hypſelitæ, Steph.*

HYPSEA, mulier quædam infamis notæque cæcitatis, de qua Horat. Serm. *l.* 1. Sat. 2. *v.* 90.

> —— *Nec corporis optima Lynceis*
> *Contemplans oculis*, Hypſea *cæcior, illa*
> *Quæ mala ſunt ſpectes.*

HYPSELA, Leuncl. *Alaſcehar*, opp. Pamphyliæ, in Ciliciæ conf. Sive è contra, Pergæ finitimum, *Strabo*.

HYPSELIS, vicus Ægypti, unde *Hypſelitæ*. Sunt etiam *Hypſelitæ* in vico quodam Thraciæ. *Steph.*

HYPSENOR, fil. Dolopionis, qui erat Sacerdos Scamandri, in tanto honore habitus, ac ſi Deus quidam eſſet: Illum Eurypylus in bello Trojano interemit. Hom. *Il.* 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

HYPSEUS, filiam habuit *Cyren*, quæ *Cyrenæ* in Africa nomen dediſſe exiſtimatur. *Steph.*

HYPSICRATEA, uxor Mithridatis Regis, quæ Perſico habitu induta, & Val. Max. *l.* 4. *c.* 6. *ex.* 3. in habitum virilem reformata tonſis capillis, victum à Cn. Pompejo Mithridatem per efferatas gentes fugientem, animo pariter & corpore infatigabili ſecuta eſt. Plutarch. *in Pompejo. Volaterr.*

HYPSICRATES, Phœnicum res eorum linguâ perſcripſit, Auctor Tatian. *Orat. ad Gentes*, & ex eo Euſeb. *l.* 10. *Præp. Euangel.* Alius ſine dubio *Hypſicrates* eſt Grammaticus, cujus meminit Varr. *l.* 4. *de Ling. Lat.* & Steph. in Ἀἰϑίοψ, & A. Gell. *l.* 16. *c.* 12. ubi eum compoſuiſſe ait, *libros ſanè nobiles ſuper his quæ à Græcis accepta ſunt.*

HYPSILE, Ægypti urbs. Ptol. *Hyſipis* Antonini eſt, ut Simlerus ſcribit.

HYPSIPYLE, Lemni Regina, Thoantis filia, quæ cùm reliquæ mulieres ejus inſ. viros, cognatosque omnes ex communi ſententia occidiſſent, ſola patrem ſervavit. Ob quam pietatem à Lemno ejecta, capta fuit à piratis, & Lycurgo Nemeæ Regi vendita; à quo liberaliter habita fuit, & nutriendo filio ejus præpoſita. Nam paulò ante fugam gemellos pepererat, quos conceperat ex Jaſone, quem in Colchos navigantem hoſpitio ſimul & lecto exceperat. Poſtea cùm Argivis, ad Thebanam expeditionem proficiſcentibus, Langiam fontem oſtendiſſet, & Archemorum alumnum humi depoſuiſſet, eâ abſente, adrepens ſerpens puerum interemit: quo nomine cùm à Lycurgo ad ſupplicium quæreretur, ab Adraſto, cæteriſque Argivis ſervata eſt. Stat. *Theb. l.* 4. & 5. Inde *Hyſipylæus*, ut *tellus Hypſipylæa* pro Lemno, apud Ovid. Faſt. *l.* 3. *v.* 82.

HYPSISTARII, Hæretici Sec. 4. Judaiſmum cum Paganiſmo, miſcentes: adorabant ignem cum his, Sabbathum & abſtinentiam ciborum obſervabant cum illis. Greg. Nazianzen. *Orat. de fun. Patris.* Græcè Ὑψιστάριοι, quòd Ὕψιστον, i. e. *Supremum*, adorarent, patrem tamen eum eſſe inficiati. Iis non multum diſſimiles Euphemitæ ſeu Maſſaliani, apud Epiphan. *Hær.* 80. Vide Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce Ὕψιστος.

HYPSISTUS (i. e. *altiſſimus* & *excelſus*) Jupiter cognominatus: ſic autem appellatus Thebis, ab Hypſiſta porta, quæ inter Thebanas portas quinta fuit, & quoniam ſuper ipſum Jovis templum erat.

HYPSIZORUS, mons circa Pallenem. Plin. *l.* 4. *c.* x.

HYPSURANIUS, Tyri conditor, juxta Sanchuniathonem, apud Euſeb. *Præp. Euang. l.* 1. ubi eum tradit οἰκῆσαι Τύρον, καλύβας τε ἐπινοῆσαι ἀπὸ καλάμων καὶ θρύων καὶ παπύρων, *habitaſſe Tyri, & fabricaſſe caſas ex calamis, juncis & papyris.* A quo Sacerdotes Tyrii numerabant Annos 2300. Nempe licèt Sidone Tyrus longè eſſet recentior, ut cujus illa parens habetur, ipſi tamen Tyrii maximam ſibi vindicabant antiquitatem, Eſ. *c.* 23. *v.* 7. Idem Sanchuniathon Hypſuranio fratrem tribuit Uſoum, quem primùm εἰς θάλασσαν ἐμβῆναι, *mare ingreſſum*, ait. *Ibid.* Vide infrà *Uſous*, & de Tyri origine plura apud Joh. Marsham. *Canone Chron. Sec. XII.* ubi *de Tyro condita*: nec non hîc in voce *Tyrus*.

HYPSUS, *untis*, Lycaonis fil. condidit Thyræum Arcadiæ civitatem. Steph. in Θυραῖον. Item Arcadiæ urbs. Steph. *ex Pauſ.*

HYPSUS, quæ & HYPSOPOLIS, vulgò UPSU Leunclav. urbs Phrygiæ magnæ, Epiſcopal. ſub Archiep. Synnadenſi; quæ Turcis *Alaſchehyr*, eodem teſte, dicitur, *Ferrar.*

HYRCANE, Græcè Ὑρκάνη, urbs Lydiæ, ab *Hyrcanis*, quos ibi collocaverant Perſæ, nomen nacta, cujus memoriam ſervat vet. numiſma, in cujus antica parte caput turrigerum, cum *Inſcr.* ΥΡΚΑΝΗ in poſtica, Fortuna, dextrâ manu clavum, alterâ cornu copiæ tenens, cum voce ΥΡΚΑΝΩΝ, apud Jac. Spon. *Itin. Part.* 3. *p.* 188. Steph. & Strabo *l.* XI. *p.* 507. πεδίον ſolùm, *planitiem*, *agrum*, vocant: ſed urbem fuiſſe, hinc clarum eſt &c.

HYRCANI, cum Indis Bactriſque legatum ad Antoninum Pium Imp. miſêrunt, A. C. 142. Vide *Hyrcania.*

HYRCANIA, prov. Perſiæ, variis nominibus hodie nominata, magna ex parte plana, & præclariſſimis urbibus adornata, quarum celeberrimæ ſunt *Talebrota, Samaria, Carta* & *Tape*: adeò fertilis & opulenta, ut vitis vini metretam ferat, & ficus ſexaginta modios ficuum, frumentum ex ſemine naſcatur quod cadit ex culmo, in arboribus mellificetur, profluat mel ex oleis. Habet à Sept. mare Caſpium, ſeu Hyrcanum, à Mer. Parthiam, ab Ortu Margianam, ab Occ. Mediam. In ea regione pantheræ, pardi & tigres abundant, cùm ſylvis quoque aſpera ſit. Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 367.

> Hyrcanæque *admorunt ubera* tigres.

Baudr. fuit, ubi nunc *Tabareſtan, Gilan,* & *Gorgian*, partes Perſiæ, quarum prima extenditur verſus mare Caſpium. *Gorgian* autem diſtat à mari, cum urbe prim. cogn. quæ creditur Hyrcaniæ urbs antiqua. Utraque ſub Perſis. Erat Hyrcania propriè pars Parthiæ latè ſumptæ. Inde *mare Hyrcanum*, quod & *Caſpium*, dicitur. Nunc *mer de Bacu*, ab urbe cogn. in Media, & *mer de Sala* & *Salacinit* ab urbe ſic dicta in Tartaria. Ruſſis *Gualentza more*, Armenis *mer di Giorgian*, Perſis *Dario Guaylani* ſeu *mer de Gueylan* & de *Tabareſtan*. Item *mer de Chowarezem*, à prov. Perſidis contermina Siruvaniæ ab Ortu, Arabibus *Curzum* aut *Bohar Curſum*, quod nomen commune habet cum ſinu Arabico, & mare clauſum ſignificat. Vide Texeiram *l.* 1. Extenditur à Sept. in Mer. ad 600. mill. paſſ. nempe ab ora Olgariæ ad oram Chilaniæ. Sed ab Ortu in Occaſ. ad 300. tantum, ut tradunt recentiores, quibus hoc mare navigatum; quod meliùs convenit cum ſententia Agrippæ in Plin. *l.* 6. *c.* 13. & 16. & Strabo *l.* 2. *p.* 72. 118. *l.* XI. *p.* 107. & 108. cùm alii antiqui, ac multi recentiores, inter quos Joh. Perſa, etiam illud extenderint ad 800. mill. paſſ. in longitudinem. Terminatur à Sept. regno Aſtrachani, & Olgaria, ſeu Calmuchiis Tartaris; ab Ortu Mauralnaharia reg. ab Occaſ. Circaſſis & Tartaris Dagheſtaniæ dictis, uti Sirvania, prov. Perſiæ, à Mer. autem Chilaniâ, Tabareſtaniâ & Choraſaniâ, etiam Perſiæ prov. In illud ſe exonerant plurimi fluv. uti Rha, Rhymnicus, Jaxartes, Oxus, Araxes, alii. Vide Olearium. Prop. *l.* 2. *Eleg.* 30. *v.* 19.

> *Nunc jam, dura, paras Phrygias nunc ire per undas,*
> *Et petere* Hyrcani *litora nota maris?*

Reges Judæorum, &c.

HYRCANUS I. qui & *Joh.* Simonis fil. patri ſucceſſit, Duxque populi 4. fuit A. M. 3831. A. C. N. 131. A. U. C. 621. Hic ſumma cum laude populo præfuit, vitæ ſuæ inſidiantes, à Ptol. miſſos, occidit. Antiochus Soter, qui & *Pius*, Hyrcanum Hieroſolymis obſedit, acceptâ tandem pecuniâ obſidionem ſolvit. Hyrcanus Davidis ſepulchrum aperuit, ingentes theſauros reperit, quibus primus Judæorum cœpit peregrinos alere, cum Rom. fœdus renovavit. Cognitâ Antiochi morte Samariam, quæ rurſum à Judæis defecerat, obſedit, ac poſt Annum captam, ſolo æquavit, templum Garizim deſtruxit, magnas opes cumulavit (nam à Regibus Syriæ, qui inter ſe certabant, liber factus, nullum iis vectigal, ab Antiochi morte, pendebat) quin etiam civitates Idumææ domuit. Vide 1. Macchab. *c.* 16. Joſeph. *Antiqq. l.* 13. *à c.* 13. *ad* 18. Fuit quoque Hyrcanus, ſummus Sacerdos, ac Propheta: rexit An. 25. Joſeph. ait *Antiqq. l.* 31. Vide & *Johannes*.

HYRCANUS II. Alex. I. Jamnei fil. Fortunæ pila, poſt matrem Alexandram apud Judæos regnat non ita diu, nam frater ejus Ariſtobulus minor natu, eum Scauri, Pompeji Ducis ope, unà cum Areta fugat: convenit tandem inter ipſos, ut Hyrcanus privatum, Ariſtobulus Regem vivat. Verùm poſt An. 6. à Cæſare & Gabinio Hyrcanus reſtituitur; & regnum cum Antipatro Herodis patre, adminiſtrat: tandem ei aures dentibus præcidit Antigonus. Hinc Alexandræ filiæ, matris Mariammes ſuaſu, ad Arabas profugus, ab hoc occiſus eſt, A. U. C. 724. Æt. 80. Joſeph. *Antiqq. l.* 14. *c.* 1. & 22. & *de Bell. Jud. l.* 1.

HYRCANUS, Joſephi fil. ſibi mortem conſcivit. Joſeph. *Antiqq. l.* 11. *c.* 5.

HYRCANUS ſin. pars eſt maris Caſpii, in Merid. extenſus, inter Hyrcaniam & Margianam.

HYREUS, ruſticus quidam Bœotius, qui cùm Jovem, Mercurium, ac Neptunum hoſpitio ſuſcepiſſet, juſſus perere quicquid vellet, mox voti compos futurus, reſpondit quidem, ſe nihil æquè cupere ac filium, uxorem tamen ducere nolle. Quo intellecto tres Dii in bubulum tergus, quod ille juvenco detraxerat, quem Jovi recens immolaverat, lotium reddidêre. Ex quo 10. menſe natus eſt puer, quem illi ἀπὸ τοῦ οὔρου, *ab urina*, *Urionem* vocavêre; qui deinde primâ literâ immutatâ, dictus eſt *Orion*. Hygin. verò *Fab.* 195. vult *Hyreum* Regem fuiſſe, non ruſticum.

HYRGIS, fluv. Scythiæ Europææ in Tanaim influens, qui incolis *Scoſna* dicitur, teſte *Merc.*

HYRIA, Bœotiæ reg. circa Aulidem cum opp. & lacu cogn. apud Homer. Strabo *l.* 9. *p.* 404. Herod. *l.* 7. *c.* 170. Plin. & alios. Ovid. *Met. l.* 7. *v.* 370.

> *Inde lacus* Hyries *videt & Cycneia Tempe.*

HYRIA, Græcè Ὑρία, Seleucia Trachea in Cilicia dicta eſt, apud Steph. Ὑρία, ἡ κατ' Ἰσαυρίαν Σελεύκεια: uti legi vult Salmaſ. *ad Solin. p.* 620. Vide ubi de *Seleucia Trachea*.

HYRIA, opp. Iſauriæ, ad Calycadnum fluv. Seleuciæ urbi vicinum; pop. *Hyrienſes*. Plin. *l.* 4. *c.* 7. & Liv. vide ſuprà. Item eadem quæ *Paros*. Steph. Item opp. Ciliciæ, 15. mill. ſupra Seleuciam in Bor. *Baudr.*

HYRIS, prom. Bithyniæ ad Boſp. Thracium circa Chalcedonem urb. quod & *Euron* vocatur. *Steph.*

HYRIUM, ſeu HURIUM, opp. Apuliæ Dauniæ maritimum ad Gargani montis radices, *Hyria* Herod. *Rhode*, teſte Nigro, in ora Occid. ubi *Urias* ſinus apud P. Melam, vulgò *Golfo di Rhode*, inter Leſinam urbec. ad Occ. 15. & Apeneſte in Cæc. 8. mill. paſſ. Ferrar. Baudr. nunc *Rodia* oppid. parvi momenti, in Capitanata prov. in ora maris Hadriat. ad Bor. montis Gargani, 25. mill. à Leſina in Ort. 15. ab Apeneſte. Pop. *Hyrini* Plin. *l.* 3. *c.* XI. De eo Dionyſ. Afer *de ſitu Orb.*

> *Uſque* Hyrii *ſummum ſe tendit Japygis ora.*

HYRMINE, opp. Peloponneſi, in Elide. *Steph.* Strabo *l.* 8. *p.* 341.

HYRNITHIUM, parva reg. in Epidauro, cui nomen dedit *Hyrnitho* filia Temeni. *Idem.*

HYRTACUS, urbs Crætæ. Steph. Idem *Hyrtacus*, à quo *Hyrtacedes*. Virg. Æn. *l.* 9. *v.* 406. vir Trojanus ex Ida monte, qui fil. habuit Niſum Æneæ comitem.

HYRULI, in *Chorographia MS.* corr. pro *Eruli*, apud Salmaſ. *Not. ad Claud. Pollion.*

HYSAEIS, inſ. parva ac magna Æthiopum. *Steph.*

HYSBE, urbs Lydiæ. *Idem.*

HYSCENA, urbs Illyrica. *Idem.*

HYSGINUS, Græcè ὕσγινος, Hebr. תחש *thachas*, Chald. *Saſgona*; coloris genus, quo pelles, quibus Tabernaculum operiebatur, Exod. *c.* 25. *v.* 5. & *c.* 35. *v.* 23. erant ſpectabiles. Sic Num. *c.* 4. *v.* 8, 10, 11, 13, & 14. ſuper arcam & menſam & candelabrum & altare aureum & omnia vaſa ejus expandi jubetur operimentum è pelle *thachas*. Et *v.* 25. Gerſonitæ jubentur ferre aulæa tabernaculi & tentorium conventus ejus, & operimentum *thachas*, *quod eſt ſuper illud*. Denique Ezech. *c.* 16. *v.* 10. Deus varia dona in Iſraëlitas à ſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſe collata proponens, ſub figura Sponſæ, quæ ad nuptias ornatur, inter cætera hæc habet, *Veſtivi te verſicoloribus, & calceavi te thachas.* Ubi *thachas*, quod pro animali alii ſumunt, coloris genus eſſe, eruditè probat Bochart. Græci Interpretes certè ὑακίνθινον aut ἰάνθινον, & Hier. *janthinum*, reddunt: quibus proximus eſt *hyſginus* color. Unde Plin. *l.* 2. *c.* 26. *Hyacinthus in Gallia optimè provenit: hoc ibi pro cocco* hyſginum *tingitur.* Ad quem locum Turneb. *in Adverſ. l.* 19. *c.* 25. *Hæc Plinii*, inquit, *verba indicant, hyſgen hyacinthum eſſe, unde factitius color vocabatur, quem hyſginum vocabant.* In Heſych. *byſſus* eſt color ἀντὶ τῆς ὕσγης παραλαμβανόμενος, *qui hyſges loco aſſumitur.* Eidem porrò *byſſinum* eſt πορφυροῦν, purpureum. In Dioſcoride *l.* 3. ariſtolochia florem habet purpureum. At in Nicandri *Theriac. v.* 511. ejuſdem flores *hyſgino* rubeſcunt,

> ἄνθεα δ' ὑσγίνῳ ἐνερεύθεται.

Cujus Scholiaſtes, Τὸ δὲ ὕσγινον φυτόν ἐστι ξανθὸν τῷ χρώματι, καὶ μᾶλλον ἰοβαφεῖν ἐπιτήδειον. ὑσγινοβαφῆ ὧν λέγεται τὰ ὑσγίνῳ βεβαμμένα, *Hyſginum plantæ eſt lutei coloris, aut potiùs ad tingendum violaceo colore idonea, quâ quæ tinguntur* Hyſginobapha *appellantur.* Dicitque Pauſ. Galatas coccum voce vernaculâ *hyſgen* vocare *in Phocicis.* Tamen alii diſtingunt: Hinc Plin. *l.* 9. *c.* 41. *Coccoque tinctum Tyrio tingere, ut fieret hysginum.* Vitruv. verò *l.* 7. *c.* 14. *purpureos colores* fieri tradit, *infectâ cretâ rubiæ radice & hysgino.* De quo argumento vide plura, apud Salmaſ. *in Solin. p.* 272. & 273. ubi *hyacinthinum* & *hyſginum* (quem *Zinzolin* vulgò dici, & inter coccum & purpuram medium ait eſſe, ſic tamen, ut ad purpuram Tyriam magis accedat,) ita differre multis probat, ut tamen ſint affines tincturæ & utrumque pro purpureo uſurpetur: Adde Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l. III. c.* 13. & quæ infrà dicemus in voce *Saſgona.*

HYSIA, urbs Bœotiæ, colonia Hyreorum. Thucyd. *l.* 5. *p.* 399. à Nycteo, Antiopes patre, condita. Eſt & alia regia ſedes Parthorum. Item vicus Argivus Thucydidi, Characi verò civ. Item Arcadiæ urbs. Idem Strabo *l.* 9. *p.* 404.

HYSPA, fluv. Siciliæ, cum oppid. ad Motucam, inde 6. mill. paſſ. in Ort. vulgò *Spacafurno.* De fluv. Sil. Ital. Punic. Bell. *l.* 14. *v.* 228.

> *Nec non qui potant* Hyſpamque, *Alabinque ſonoros.*

Vide quoque *Hypſa.*

HYSPIRATIS, Armeniæ reg. apud Strab. in qua ſandyx metallica. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1152.

HYSSOPI faſciculus, quâ aſpergantur ædium poſtes & ſuperliminaria, in agni ſanguine tingi jubentur Exod. *c.* 12. *v.* 7. Ita Lev. *c.* 14. *v.* 6. & 7. ex cedro, coccino & *hyſſopo* fit aſpergillum, quo in aquam, & immolati paſſeris ſanguinem immerſo, leproſus aſpergitur ſepties, ut à lepra ſua mundetur: quâ eadem ratione purgabatur domus leprâ infecta, *v.* 49. & 52. Neque aliter aſpergebantur aquis נדה *ſeparationis*, homines, tentoria, vaſa & quidquid aliud cadaveris contactu erat pollutum, Num. *c.* 19. *v.* 6. & 18. Quò alludens David, à peccatis ſuis purgari petit *hyſſopo*, ut ſit mundus, Pſ. 51. *v.* 9. Et ob id ipſum ὕσσωπος Heſych. eſt βοτάνη σμήχουσα, *herba abſtergens* ſeu *purgans*, nempe in Lege Moſis. Quomodo autem iſtiuſmodi aſpergillum fieret, ſic docet Maimonides *de vacca rufa, c.* 11. *ſ.* 1. *Sumit vir mundus tres* hyſſopi *caules, quos in faſciculum unum compingit & ſinguli rami ſpicas habent, quarum apices immergit, in aquam ſeparationis, quæ eſt in vaſe* &c. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l. II. c.* 50. Atque hinc eſt, quòd *Hyſſopus* inter vaſa ſacra numeretur, in *Hiſtoria* Abbatiæ Condom. apud C. du Freſne, *Duas canetas & unum urceum, pro aqua benedicta portanda, cum* hyſſopo *de argento.* Plura de *Hyſſopo* vide apud Theophraſt. Dioſcorid. Plin. *l.* 20. *c.* 4. & *l.* 14. *c.* 16. ubi de *Hyſſopite vino*, aliosque Herbariæ Rei Scriptores; Cl. inſuper Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce Ὕσσωπος; ubi de ejus præſertim in Sacris uſu, nec non infrà in voce *Marum.* Addo ſaltem, pauca de *Hyſſopo* in crucifixione Chriſti adhibito. Sic enim Joh. *c.* 19. *v.* 29. *Illi autem, cùm ſpongiam aceto implevissent.* καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες, *& hyſſopo circumdediſſent, ori ejus admovêrunt.* At Matth. *c.* 27. *v.* 48. & Marc. *c.* 15. *v.* 36. habent, καλάμῳ, *calamo.* Quæ cùm videantur ſecum conſiſtere non poſſe, cùm hyſſopi rami non ſolùm exiles ſint, ſed & humi jaceant, adeoque calamorum vicem, qui firmi ac rigidi, præſtare non poſſint: exiſtimat Bochart. caſu mutato, pro ὑσσώπῳ, ὕσσωπον ſcribendum, ut non ſpongia hyſſopum, ſed hyſſopus ſpongiam circumdederit, quò aceti acore cum hyſſopi amaritudine mixto fieret ſitienti Chriſto potus ingratior. Amaram enim in Judæa eſſe hyſopum, ex Iſaaco Ben-Omran idem probat. Et ſic perfectè adimpletum eſt Davidis vaticinium, quo ſub perſona Chriſti loquens, Pſ. 69. *v.* 22. *Fel*, inquit, *in cibum mihi dedêrunt, & aceto me potavêrunt in ſiti mea.* Ubi *fel* redditur, quod in Hebræo ראש, propriè herbæ amaræ genus in ſegetibus naſcens, Hoſ. *c.* 10. *v.* 4. quæ cum abſinthio ſæpè jungitur, ut æquè amara, Deut. *c.* 29. *v.* 18. Jer. *c.* 9. *v.* 15. Thren. *c.* 3. *v.* 19. & Amoſi *c.* 6. *v.* 12. Atque hoc pacto reliqui duo Evangeliſtæ de aceti ſpongia agunt, & quomodo calamo alligata Chriſti ori fuerit admota: Joh. quod ab ipſis præteritum eſt, ſupplens, ſpongiam illam fuiſſe *hyſſopo* circumdatam addit, ut non ſolùm acerbus, ſed & amarus Chriſti potus eſſet, juxta vaticinium præfatum &c. Vide Bochart. ut & Cl. Suicer. ubi ſuprà.

HYSSUS, ſeu HYSSI, portus & fluv. Cappadociæ circa Cerafuntem urb. fluens. Ejus mem. Arrian. *in Periplo.* Ptol. & Sophron. *in vita Matthiæ*, his verbis: Ἐν τῇ δευτέρᾳ Αἰθιοπίᾳ (lege Καππαδοκίᾳ) ὅπου ἡ παρεμβολὴ Ἀψάρου καὶ Ὕσσου λιμήν. Baudr. in ora Ponti Euxini, ad oſtia Hyſſi fluv. portus eſt, 15. mill. à Trapezunte in Occaſ. 40. circiter à Ceraſunte in Ort.

HYSTASPÆ, populi Perſici. *Steph.*

HYSTASPES, Darii Perſarum Regis fil. ex Atoſsa Cyri filia Herod. *l.* 7. *c.* 64. Fuit & ante hunc alter eodem nomine Arſamenis fil. & jam dicti Darii pater, ex Achæmenis ſtirpe, de quo Herod. *l.* 2. Unde Darius is perpetuò *Darius Hyſpaſis* fil. apud Hiſtoricos appellari ſolet, qui quomodo poſt Magos occiſos, ad Perſarum regnum pervenerit, notum eſt. Nempe illi, cùm unus ex conjuratis eſſet de regno ſolicito, equi cuſtos ait, ſi res ea victoriam moraretur, nihil negotii ſupereſſe: Ita autem inter ſe pacti erant, ut die ſtatutâ omnes equos ante regiam primo manè producerent: & cujus equus inter Solis ortum hinnitum primus edidiſſet, is Rex eſſet. Equiſo ergo equum pridie conſtitutam diem in eo loco equæ admittit, qui poſtero die, cognito loco, ex deſiderio feminæ, fauſtum hero hinnitum edidit. Eundem Darium Aſſuerum Eſræ & Philonis eſse, ſunt qui volunt; cùm de illo Herod. narrat, Aſſyriam eum & Babylonem recuperâſse, quod de Aſsuero præfati auctores tradunt. Idem Herod. *l.* 3. *c.* 70. Artiſtanam illi concubinam tribuit, quæ appellatio non multùm ab Eſteræ nomine abludit. *Celes* quoque Darius hic dictus, unde ejus Epitaphium tale fertur: *Celes*, i. e. *eques & ſagittarius optimus fui*: Et ultimo Dario Alex. Mag. hoc nomine illuſit, Ep. ad eum inſcribens, *Rex Alexander Dario Celeti.* Alludendo nimirum ad Darii Hyſtaſpis Hiſtoriam, qui equi hinnientis auſpicio Perſarum Rex evaſit. Vide Freinshem. *Notis in Curt. l.* 4. *c.* 5.

HYSTASPES, celebris in Juſtini Mart. Clem. Alexandrini & Lactantii ſcriptis, Gentilium vates, aliter *Hydaſpes*, quam vocem ſuprà vide.

HYSTERIA, nomen celebritatis Argis olim peragi ſolitæ, de qua vide infrà in voce *Sus.*

HYSTRIX, in cibis, apud Damirem *c. de Reptil.* laudatum Bochart. ubi ſuprà, *l. I. c.* 4. De quo animali ſic Plin. *l.* 8. *c.* 35. Hyſtrices *generat India & Africa ſpinâ contectas, ac herinaceorum genere: ſed hyſtrici longiores aculei, &, cùm intendit cutem, miſſiles. Ora urgentium figit canum & paulò longius jaculatur. hybernis autem ſe menſibus condit* &c. ad quæ verba vide *Exercitationes* Salmaſ. *ad Solin. p.* 390. ubi, inter alia, Heſych. cum echino marino *hyſtricem* confundere, notat. *Mures Africanos* Plauto hyſtrices dici in *Pænulo, Act.* 5. *Sc.* 2. *v.* 51.

> *Non audis? mures Africanos prædicat*
> *In pompam ludis dare ſe velle ædilibus.*

habet Dalechamp. *ad Plin. loc. eund.* In Quanſia prov. Regni Sinenſis dari, quarum ſpinæ ad cubiti ſæpe erigantur altitudinem, in obvios corpore concuſſio evibrandæ, non ſine noxa, tradit Auctor Anon. *Sinæ & Europæ c.* 40. Unde jaculandi artem excogitandi hominibus occaſio &c. Vide quoque Voſs. de *Idol. l.* 3. *c.* 56. nec non ſuprà in voce *Hiſtrix*, uti de *ſcutica è pelle hiſtricis*, inter Veterum ſerviles pœnas, infrà *Servi.* Inde *Hyſtriculus*, apud Tertullian. *de Pallio c.* 4. *Feras ſi in puero matris ſolicitudinem patiens, certè jam* hyſtriculus, *jam virum alicujus clanculo functus, ſuſtinet ſtolam fundere, comam ſtruere* &c. Ubi de Achille loquitur: eſt, quem Græci δασύπρωκτον vocârunt: nota enim *hyſtricis* pilorum denſitas & aſperitas. Sic & *ericium*, pro hiſpido & hirſuto Varr. dixit apud Non. Vide Salmaſ. *ad l. d.*

HYTA, vulgò HYTH, portus Angl. cum caſtro munito, in Cantio prov. ad fretum Gall. medius inter ripam & Dubrim.

HYTANIS, Plin. *l.* 6. *c.* 23. Sol. Capella, *Tab* nunc, fluv. Carmaniæ, in ora, inter oſtia Bagradæ fluv. Perſidis & Armuzam urb. ad Ort. Fortè *Andanius. Ptol.*

HYTENNA, urbs Lyciæ. *Steph.*

HYTHMITÆ, pop. juxta Liburnos. *Idem.*

I.

I Litera hæc *I.* modò vocalis modò conſonans, molli & quodammodo languido ſono pronuntiatur. Ad res ſubtiles exprimendas idonea Platoni eſt. Pro varietate gentium variè ſonat, Italique inprimis atque Hiſpani, aliquoties *I.* tum vocalis, tum conſonantis pronuntiationem variant. In *U*, priſcis quandoque mutata, *Decumus* & *Maxumus*, pro *Decimus* & *Maximus*, dicentibus. *E* quoque in *I* nonnunquam mutatum eſse, A. Gell. docet, *l.* 10. *c.* 29. Vide Cæſ. Scalig. *de Cauſis Ling. Lat.* Voſs. *in Ariſtarcho, &c.* In notis antiqq. *in, inter.* Interdum *intra, unum, Junius, Julius*: I. AGL. *in angulo.* I. D. T. S. P. *in diem tertium ſive perendinum.* JA. D. *jam dudum.* JA. RI. *jam reſpondi.* J. U. *Juris utriusque* &c. deſignat; Franc. Gouldmann. Cùm Imperativus eſt verbi *Eo*, impetum & indignationem jubentis præfert. Apud Stat. *Theb. l.* 8. *v.* 65.

> *Sed quid ego hæc?* I, *Tartareas ulciſcere ſedes.*

Vig. *Æn. l.* 4. *v.* 381.

> *I, ſequere Italiam ventis* &c.

Vide Gul. Canter. *Novar. Lect. l.* 2. *c.* 8. & Barr. *ad Stat. d. l.* Apud Græcos I. non ſemel Vett. pro Ξ uſurpatum: ut in ΑΛΕΙΑΝΔΡΟϹ, & ſexcentis aliis videre eſt. Sic in numiſmate antiquo, quod Gordiani imperio circumfertur, legimus ΝΕΟΚΟΡΩΝ ΚΥΙΚΗΝΩΝ. quæ ſanè ſcriptura Criticis non minimam occaſionem dedit, ut pro *Cyzicus, Cyxicus* inducerent, Keuchen. *ad Timoth. Nept. c.* 1.

JA, nomen min. filiæ Atlantis. Arnob. *l.* 5. *Nonne illarum repetitio lanarum eſt, quibus Ja deficientem contexit, &c.* Ita Meurſ. *Ja* enim Atridem expirantem lanâ contexit, non Mater magna, Arnob. antè, *Virgo ſponſa quæ fuerat, quam Valerius Pontifex Jam nomine fuiſſe conſcribit, exanimati pectus lanis mollioribus velât.*

JABADIU, Eoi Oceani inſ. Ptol. *l.* 7. *c.* 2. Ἰαβαδίου, ὃ σημαίνει κριθῆς νῆσος. Εὐφορωτάτη δὲ λέγεται ἡ νῆσος εἶναι, καὶ ἔτι πλεῖστον χρυσὸν ποιεῖν, ἔχειν τε μητρόπολιν ὄνομα Ἀργυρᾶν ἐπὶ τοῖς δυσμικοῖς πέρασι. *Jabadiu*, i. e. *Jaba diu* ſive inſ. *Juva.* Perſis enim ac Indis *diu* inſ. ſonare, nemo eſt qui neſciat; Et inde dici inſulas *Maldivas,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

vas, *Anchedivas*, *Serindivam*, &c. Sed quia *hordei inſ.* explicatur, putat Bochart. verum nomen olim fuiſſe *Jabaddiu*, & alterum D. excidiſſe ad vitandam κακοφωνίαν. Quæ conjectura nititur Arabicâ voce יבד *Jabad*, vel איבד *aibad*, quâ ſignificatur herba, aut ſeges hordeo ſimilis, jumentis ſaginandis deſtinata. Baudr. *Jabadii* Inſ. quæ ſint non conſtat. Sanſo Japoniæ Inſſ. interpretatur.

JABAL, frater Jubalis, apud Moſen Gen. *c.* 4. *v.* 20. *Pater fuit habitantis in tabernaculo & pecoris*: i. e. *primus auctor habitantium in tabernaculis cum pecore*; non enim *pater* fuit *pecoris*, i. e. *auctor cogendi pecoris*, quod jam Abel occupaverat, idem inſtitutum haud dubiè Patrum plurimis ſequentibus. Sed arti, jam antè inventæ, *Jabal* aliquid inſigne addidit: nempe, ut ne cogerentur greges ſemper iiſdem hærere paſcuis, tanquam uni glebæ addicti, ſed è loco in locum migrarent, pro ratione paſcuorum & ubicunque nox aut frigus illis eſſet moleſta, ſub tentoriis ſecederent, tanquam in caulis αὐτοκαβδάλοις ac tumultuariâ operâ factis fabricatiſque: Quam vivendi rationem ſequuti in Arabia Scenitæ; in Africa, Nomades. Ex eo Gentiles poſtea *Palem*, paſtorum Deum, ut Varro habet, apud Serv. *Eclog.* 5. *v.* 35. *Georg. l.* 3. *v.* 1. (Deam aliis pleriſque facientibus) feciſſe videntur Bocharto, quem vide *Hieroz. Part. prior. L. I. c.* 45. & infrà *Jabel*.

JABE, in Dei nominibus, Epiphan. *Hær.* 40. ubi Ἰάω, ſummum Deum & Ἰαβὲ vocari ait. Nempe, ut Theodoret. refert *in Exod. Quæſt.* 15. Καλοῦσι δὲ αὐτὸν Σαμαρεῖται μὲν Ἰαβὲ, Ἰουδαῖοι δὲ Ἰάω, *Vocant autem illum Samaritæ quidem* Jabé; *Judæi verò Jao*. Ubi tamen vulgò Ἰα editur; ſed ſic non fuerit tetragrammaton, quale eſſe id nomen ibidem addit Theodoret. Verùm cogitandum, Jones non habuiſſe *vau* literam; ſed ſolos è Græcis Æoles, qui dixiſſent Ἰάϝω, ut Latini *Javo*. Solent verò Græci pro litera *vau*, ſive *V.* conſono, ponere *B.* vel diphthongum OY. uti pro *Virgilius* ſcripsêre Βιργίλιος & Οὐιργίλιος; eò quod *vau* inter β & ου haberet medium quendam ſonum, qua de re vide Voſſ. *de Arte Gramm. l.* 1. In *B.* itaque convertitur, cùm effertur Ἰαβὲ, de quo hîc; in OY. verò ab iis, qui ſcripsêre Ἰαουέ, de quo ſic Clem. Alex. in fragmentis nondum editis; unde hæc adducuntur à Joh. Crojo *Sacr. & Hiſt. Obſerv. Part. I. c.* 12. Καὶ τὸ τετραγράμματον ὄνομα τὸ μυστικὸν, ὃ περιέκειτο, οἷς μόνοις τὸ ἄδυτον βάσιμον ἦν, λέγεται Ἰαουὲ, ὃ ἑρμηνεύεται ὁ ὢν καὶ ἐσόμενος. *Et quatuor literarum ſacrum ac occultum nomen, quo redimiti erant ii, quibus ſolis adytum intrare licebat, effertur* JAVE: *quod exponitur*, QUI EST, ET ERIT. Cum hoc nomine, quod alii quoque *Juabo* & *Jabo* extulêrunt, magnam convenientiam habet nomen *Juba*, quorundam Mauritaniæ Regum; unde ſuſpicatur Voſſ. ejus qui primus ſic vocatus eſt, id non proprium nomen, ſed cognomen fuiſſe: ut Nimrodi *Bel*, h. e. *Dominus*. Certè Mauris non ſolùm pro Numine ſuos Reges, ut Tertullian. *Apolog. c.* 24. Cyprian. *de Vanit. Gent.* & Lactant. *l.* 1. *c.* 15. docent: ſed præcipuè Regem *Jubam* cultum fuiſſe, teſtatur Min. Felix *in Octav.* *Niſi fortè poſt mortem Deos fingitis, & pejerante Proculo Deus Romulus & Juba Mauris volentibus Deus eſt*: cui aſſentientem vide Iſid. *Orig. l.* 8. *c.* 11. & plura in hanc rem, apud Voſs. *de Idol. l.* 1. *c.* 32.

JABEL, fil. Lamech ex Ada uxore, habitavit in tentoriis, & paſtoritiam vitam reſtituit. Gen. *c.* 4. *v.* 20. Lat. *defluens*, ſive *apportans*, vel *inveteraſcens*, aut *germinans*, ſive *jubilæus*, aut *buccina*. Vide *Jabal*.

JABES, pater Sellum. 2. Reg. *c.* 15. *v.* 10. Jud. *c.* 21. *v.* 8. Hebraicè יבש, i. e. *ſiccatas*, vel *confuſio*. 1. Sam. *c.* XI. *v.* 1.

JABES, nomen loci. 1. Par. *c.* 2. *v.* 55. Hebraicè יעבץ, i. e. *triſtitia*, ſive *dolor*. Eſt & nomen viri. *Idem c.* 4. *v.* 9.

JABES Galaad, civ. in tribu Benjamin, cujus incolis occiſis, quòd Iſraëlitis contra Benjaminitas non fuiſſent præſtò: 400. tamen virgines reſiduis de tribu Benjamin conjuges ſunt datæ, Jud. *c.* 21. *v.* 8. Poſtea à Saule liberata, è manibus Naaſi Ammonitæ. 1. Sam. *c.* 11. *v.* 1. Lat. *ſiccitas*, vel *confuſio acervi teſtimonii*.

JABIN, Rex Hazor, à Joſua victus, Joſ. *c.* 11. *v.* 1. Torniel. A. M. 2584. *n.* 22. Item Rex Cananæus, 20. An. ſervitute Iſraëlitis preſſis à Baraco ſuperatus eſt. Jud. *c.* 4. *v.* 2. Pſ. 83. *v.* 10. Torniel. A. M. 2721. *n.* 1. Lat. *intelligens*, vel *ædificans*.

JABIS, vel JABISSUS, nomen urbis apud Steph. ex *Joſepho*.

JABNE, Hebr. יבנה urbs olim Palæſtinæ celebris, memoratur, 2. Par. *c.* 26. *v.* 6. ubi Græci codices nunc habent Ἰαβνής, nunc Ἰαβνᾶ, nunc Ἰαβνή, & Vulgata *Jabnia*. In Maccabaicis paſſim, ut & Strabo *l.* 16. *p.* 659. Joſepho *Haloſ. l.* 2. *c.* 9. Steph. *de Urbibus*, Aliis, nuncupatur Ἰαμνία & Ἰαμνεία, unde incolæ Ἰαμνῖται: celebris, ut dictum, Urbs, in maritimis Daniricis, quam, ut Joppæ vicinam, finitimis præfuiſse, ſcripſit Joſeph. *Haloſ. l.* 3. *c.* 4. ab Hieroſolymis, ſtadiis 240. diſſita, ſi nempe portus Jamnitarum, à Juda Maccabæo ſuccenſus, pro urbis illius portu, ut nonnulli faciunt, ſumendus ſit, 2. Maccab. *c.* 12. *v.* 9. Cæterùm Ptol. Ἰαμνειτῶν λιμὴν, *Jamnitarum portus*, (in MS. Ἰαμνητῶν dictus) collocatur in long. gr. 65. lat. 32. ipſa autem *Jamnia* long. 65. 40. lat. 32. adeò ut portus hic ab urbe haud parùm diſtaret. Κώμην, *vicum*, vocat Strabo; πολίχνιον, *urbeculam* Palæſtinæ, Steph. Sed *Jamnes* duas memorat Plin. *l.* 5. *c.* 13. quarum *alteram vicum* appellat, in editionibus vetuſtioribus, pro quo in nuperis ſubſtituitur, *altera intus*. Et de יבנאל *Jabneel*, in Joſua, Andreas Maſius *c.* 15. *v.* 11. *quin ſit duarum Jamniarum altera, nihil dubito. Nam ſolent Græci literam Beth in ſuum Mi ſæpius convertere. Sitæ enim erant ambæ Jamnes ſive Jamniæ, inter Dioſpolim & Azotum* &c. *Sed noſtram Jabneel eam fuiſſe Jamniam apparet, quæ maritima erat, non autem, quæ intus, ut Plinius loquitur, exſtabat.* Alibi autem Jamniam memorat idem, *ad Joſ. c.* 11. *quam Veneti hodie Zaniam vocant & Caſtrum Beroaldi.* Eſt etiam Jamnia, inter ſuperioris Galilææ vicos, à Joſepho, dum illic præfectus erat, munitos; de qua expreſsè is *in vita ſua*. In utram harum migraverit Synedrium magnum, poſtquam Tabernas reliquit, non adeò certum eſt. Poſtquam enim è *Liskath hagazith* (qui locus conſuetus ac antiquitus conſtitutus erat) i. e. *conclavi ſaxeo*, Synedrium hoc migrâſſet, in *Hanoth* ſeu *Chanoth* (i. e. *Tabernas* in monte Templi poſitas) ſe contulit: inde in Hieroſolymæ alia quædam loca; ab Hieroſolymis in *Jabnen*, à *Jabne* in Usham, ab Usha in Sepharajim, à Sepharajim in Bethshairim, inde in Zephori, atque demum Tiberiadem, vide *Sepher Juchaſin Fol.* 21. 1. & 2. & 23. 1. Joh. Cochium *ad Gemar. Sanhedr. p.* 160. Joh. Buxtorf. *Comm. Maſor. c.* 5. &c. Et quidem migrationis è conclavi præfatò in Tabernas, ſeu primæ, tempus collocant ſub Annum ante excidium Templi ſecundi quadrageſimum; à C. N. 30. In Tabernis autem alibique Hieroſolymæ ſedes habuit uſque ad Templi excidium, cùm in *Jabniam* Urbem, Principe Jochanan Ben Zacai, migravit. Poſtmodum verò in Usham, Principe Rabban Gamaliele I. & demum in urbes cæteras, temporibus Principum, qui uſque ad ejuſdem finem ſequuti ſunt. *Jabnen* hanc fuiſſe veriſimile judicat Selden. illam Galileæ ſup. utpote à reliquis migrationis urbibus haud ita diſſitam, adeoque interiorem, quem hac de re pluribus agentem vide *Tr. de Synedriis Veterum Hebr. l.* 2. *c.* 15. §. 9. Vide quoque in voce *Jamnia*.

JABNIA, civ. Philiſtæorum. 2. Par. *c.* 26. *v.* 6.

JABOC, i. e. *evacuatio*, vel *diſſipatio*, aut *lucta*, nomen torrentis, qui ortus ex montibus Arabiæ, urbem Rabba irrigat, regionemque Ammonitarum terminans, in Jordanem profluit. Gen. *c.* 32. *v.* 22. In tribu Gad.

JABOLENUS JC. apud Capitolin. *in Ant. Pio*, *Multa de jure ſanxit, uſusque eſt Juris peritis, Vindio Vero, Salvio Valente, Voluſio Metiano, Ulpio Marcello &* Jaboleno: Salmaſ. eſt pro *Zaboleno*, ut *jugum*, ζυγόν & *Jonarius* pro *Zonario*, apud Nonium. Utrumque autem pro *Diaboleno*, quomodo ſe ſcriptum hoc loco reperiſſe ait, in optimo Cod. Palatino. Vide eum *Not. ad d. l.*

JABRUDA, urbs Syriæ, Laodiceæ Scabioſæ proxima. *Ptol.*

JACA, nomen fructus, totius Orbis maximi vulgò habiti, in Imperio Sinenſi, de quo ſic Auctor Anon. *Sinæ & Eur. c.* 36. *In Quangtung creſcunt ubique nuces Indicæ majores & minores: fructusque ille, vulgò habitus totius Orbis maximus, Indis* Jaca *dictus, qui ob eximiam magnitudinem non in arborum ramis, quamvis illi quoque ingentes ſint, ſed ipſi trunco adnaſcitur, quaſi ex metu, ne tantum onus rami ferre detrectent, quantumvis firmi aut robuſti fuerint. Fructûs cortex adeò durus eſt craſſusque, ut ſecuri aperiendus ſit: Innumeræ intus domunculæ ſeu folliculi, in quibus pulpa eſt flavi coloris, quæ nucem veluti caſtaneam ambit. Illa, ubi maturuit, ſuaviſſima eſt, & caſtaneas Europæ igne toſtas refert.*

JACAN, i. e. *tribulatio*, aut *labor*, vel *ablatio poſſeſſionis*, aut *nidi*, fil. Eſer filii Seir. 1. Par. *c.* 1. *v.* 42. qui Gen. *c.* 36. *v.* 18. dicitur *Acan*. *Deut. c.* 10. *v.* 6.

JACANAM, i. e. *poſſidens populum*, ſive *nidificatio populi*. Locus in Carmelo. Joſ. *c.* 12. *v.* 22.

JACATRA, urbs ampla & permunita Inſ. Javæ, ab Hollandis expugnata. Vide *Batavia*.

JACCA, urbs Epiſcopal. Hiſp. Tarracon. ad montium Pyrenæorum radices. Ep. ſub Archiep. Cæſarauguſtano, inde 19. leucis in Bor. ad montium Pyrenæorum radices: à Pompejo Mag. condita putatur; ſecundùm alios Bacchum diu antè auctorem habuit. Ferrar. Baudr. urbs eſt Aragoniæ, ad Aragonium fluv. 16. leuc. à Cæſarauguſta, 6. à conf. Galliæ, ut & Pyrenæis montibus. Cum arce ſitu munita. 8. leuc. Hiſp. ab Oſca in Sept. Pop. *Jaccetani*. *Ptol.*

JACCHÆ, pop. Africæ ferociſſimus, vicini Congenſibus, ſub Alvaro I. Congi Rege Regnum hoc aggreſſi, A. C. 1560. illud ingenti cæde exhauſtum occupârunt, pulſo Alvaro, in exiguam inſulam fluminis *Zaire*: ubi is tamdiu delituit, donec Sebaſtianus Portugalliæ Rex cujus imploraverat auxilium, miſſo cum copiis Franc. de Govia, *Jacchas* iterum exturbavit, Alvaro reſtituto. Vide ſuprà *Agages*.

JACCHUS, unum ex Bacchi nominibus ἀπὸ τοῦ ἰάχειν, i. e. à vociferando. Euſtath. *ad fin. Il.* α: Ἰάχειν, inquit, τὸ ἠχεῖν, καὶ ἰάχειν λέγεται κατὰ ὀνοματοποιΐαν, ἀφ' οὗ καὶ Ἴακχος οὐ μόνον ὁ ἐπὶ Διονύσῳ ἦχος, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἐκεῖνος. Solent enim Bacchæ: Liberi patris Orgia celebrantes, omnia inconditis clamoribus implere. Et quoniam Bacchus vini præſes eſſe creditur, non rarò *Jacchum* poëtæ pro vino uſurpant. Virg. *Eclog.* 6. *v.* 15.

Inflatum heſterno venas, ut ſemper, Jaccho.

Nic. Lloyd. Sunt qui Cereris eum filium faciant, qui à matre ductus ad filiam inveſtigandam, in ædibus anus Eleuſiniæ Baubûs, quæ Cererem hoſpitio excepit, matrem ad riſum compulit, fecitque, ut cyceonem mœrore paululum remiſſo ebiberit: hinc in Eleuſiniis ſacris unà cum Cerere ac Proſerpina cultus. Certè in Sacris illis ſemper juncti leguntur, Δημήτηρ καὶ Κόρη καὶ Ἴακχος. Alii tamen, non ipſius Cereris puerum, licèt ejus lacte nutritum, unde *mammoſa Ceres ab Jaccho* Lucretio dicitur; *de Rer. Nat. l.* 2. *v.* 654. *l.* 4. *v.* 1162. *l.* 5. *v.* 14. ſed indigenam Attici ſoli heroëm, & Baubûs modò dictæ filium fuiſſe, ajunt, eundemque cum Cyamite Heroë, de quo ſuprà. Alii aliter, ut videre eſt apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 750. Vide quoque infrà *September*, it. *Sol*.

JACERE oſculum & *Jactare baſia*, inter ritus adorantium. Adorantes enim non manum porrigebant eam poſtea ad os referentes, quod voluit Lipſ. *in Electis*: ſed manum oſculabantur, deinde eam verſùs illum quem adorabant, ſolebant protendere, quod *jacere oſculum* dicebatur. Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 36. *Nec deerat Otho, protendens manus, adorare vulgum, jacere oſcula & omnia ſerviliter pro dominatione.* Sic apud Phædr. *l.* 5. *Fab.* 7. *v.* 28.

—— *Tibicen* Jactat baſia.

i. e. populum adorat. Manum nempe tales oſculabantur, dein eam ad eos porrigebant, quorum honori ac venerationi dabant illud oſculum:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

culum: ſicque protenſione manus, quam priùs erant oſculati, quodammodo oſculum ipſum porrigere & *jactare* ad eos videbantur, quibus honorem illum deferebant. Hinc Juv. *l.* 1. *Sat.* 3. *v.* 106. & *Sat.* 4. *v.* 118. &

A facie jactare manus, *laudare paratus*
Si bene rictavit.

Quod qui facit, is utique manu priùs faciem tangit, quàm eam jactet. *Manu venerari & manu ſalutare* idem dicebant. Tac. de Ner. cantante. *Poſtremò genu flexus & cœtum illum manu veneratus eſt.* Hiſtrionem ille verum agebat: at hiſtrionum, pantomimorum & cantorum hic mos erat, ut populum ſcenam ingreſſi adorarent. Vet. *Epigr.*

Ingreſſus ſcenam populum ſaltator adorat.

Sic Aurigæ *flagello* populum venerabantur, uti diximus ſuprà. Plura hanc in rem vide, apud Salmaſ. *ad Vopiſc. in Probo*, & infrà in voce *Labratum*. Sed & *bellaria* ac *lemniſcos jaciendi* mos, indigitatur Suet. *in Ner. Claud. c.* 25. *Incedenti paſſim victimæ cæſæ, ſparſo per vias identidem croco ingeſtæque aves ac lemniſci & bellaria.* Flores, alibi paſſim: quarum ſimiliumque rerum injectione Hieronicæ, item Numinum ſtatuæ, honorari ſolebant, ut pluribus docet Caſaub. *ad l.* & nos hîc aliquid, ubi de *Conjectu florum*. Porrò miſſilia *jaciebantur* in populum Spectaculis intentum, idque è Baſilica ſive Regia, quæ Foro imminebat: quod ἐκ κορυφῶν ῥίπτειν, *de ſuperiori loco in caput inferiorum jacere*, vocat Dio *l.* 49. Vide eund. Caſaub. *ad Ner. Claud. c.* 21. Contumeliæ verò causâ in Imperatores exoſos, fragmina panis, lapides lutum, pulverem, rapa, alia *jaci* conſueviſſe, dicimus hîc paſſim, vide quoque Theod. Marcil. *ad eund. Auct. Veſp. c.* 4. ut & infrà verbo *Spargere*.

JACHAN, nomen viri. 1. Par. *c.* 5. *v.* 13. Hebr. יעכן i. e. *conterens*, vel *comprimens*, ſive *ablatio baſis*.

JACHIM, fil. Semei. 1. Par. *c.* 9. *v.* 10. 2. Par. *c.* 3. *v.* 17.

JACHIN, Hebr. יכין i. e. *præparans*, ſive *præparatio*, vel *firmitas*. Fil. Simeonis fil. Jacob. Gen. *c.* 46. *v.* 10. Item columna in porticu Salomonis. 1. Reg. *c.* 7. *v.* 21. Nomen item ſacerdotis. 1. Par. 9. *v.* 10.

JACKE, ſeu JAQUE, ſagum militare, quod loricæ ſuperinduebatur, apud Thom. Walſing. A. C. 1379. Froiſſard. *Vol.* 4. *c.* 114. *ſub* A. C. 1199. & *in Chron. MS.* Bertrandi Gueſclini, apud C. du Freſne *in Gloſſ.* An à *Jacobis* factioſis quibuſdam in agro Galliæ Bellovacenſi, quibus Dux eorum, quem *Jaque Bonhomme* vocabant, nomen dedit, ſub A. C. 1358. de quibus copiosè idem Froiſſard. *Volum.* 1. *c.* 187. 188. & 189. Matth. Villaneus *l.* 8. *c.* 67. Continuator Nangii Gall. MS. Aliis, qui factionem ipſam *Jaqueriam* nuncupant. De iiſdem *Regeſtum* 3. Memorialium Cameræ Computor. Pariſ. *Sigillum Capitanei Ruſticorum vocatorum Jacoborum decapitati, apud Claromontem in Belvacino, fuit traditum Cameræ per Thomam Brochardi* A. C. 1358. apud C. du Freſne *in Gloſſ. præf.* Hodieque Occitani *Jaquetos* vocant, quod cæteri Galli *Pourpoinct*.

JACOB, fil. Iſaac, Lat. *Patriarcha & ſupplantator*, quòd ex utero matris Rebeccæ exiens A. M. 2299. fratrem Eſau plantâ pedis arreptum teneret, quem poſtea etiam non ſine Dei providentia ſupplantavit. Gen. *c.* 25. *v.* 26. & *c.* 27. *v.* 38. Deinde *Iſraël* dictus eſt, i. e. *Dei princeps*, in celebri illa cum angelo lucta, quam deſcribit Moſes Gen. *c.* 35. *v.* 4. 9. 14. 20. & 27. Obiit A. M. 2345 Vide inſuper Malach. 1. Rom. *c.* 9. *v.* 13. Joſeph. *Antiqq. Jud.* Epiphan. *de vitis Prophetarum.* Euſeb. *in Chron.* Sulpic. Sever. *Hiſt. Sacra.* Torniel. Salian. &c. *in Ann.*

JACOB, fil. Mathan, unus ex progenitoribus CHRISTI. Matth. *c.* 1. *v.* 15. & 16. & *c.* 4. *v.* 21. Luc. *c.* 3. *v.* 23. Heli dictus.

JACOB Ben Habib, Rabbinus Sec. præteriti, auctor operis *En-Jaacob*, & *Ben-Jaacob*. Genebrardus *in Notis Chron. Sec.* 16, *&c.*

JACOB Ben Naphthali, celebris Rabbinus, Sec. 5. Unus ex præcipuis Maſoretharum. Genebr. *in Script. & in not. Chron. V. S.* Seranus *l. de Rabbin, &c.*

JACOB Wiel, auctor *Theſchuvot* floruit tempore R. Iſraëlis quem vide. Vide & *Jakoti*.

JACOBA, nomen Principis. 1. Par. *c.* 4. *v.* 36. Item muliercula quædam apud Rhodiginos, ex cujus ventre immundi ſpiritus interroganti futura prædicebant. *Cæl. Rhod.*

JACOBA, filia unica Gulielmi VI. Hollandiæ Comitis, ex filia Philippi Audacis Ducis Burgundiæ. Hæc ut ſe tueretur adverſùs Joh. patruum, Ep. Leodienſem prius, poſtea Eliſabethæ Lucemburgicæ maritum, Joh. Brabantiæ Duci nupſit: mox eo femineâ levitate repudiato, Glocestriæ Duci. Quare Aſellata factio Philippum ei tutorem conſtituit, renitente Hamatâ, unde bellum: in quo tandem Gloceſtrii victor Burgundus hæres Jacobæ declaratus eſt, A. C. 1430. Vide Suffrid. *in Chron.* Ann. Flandr. &c. Item, *Ep. Jacobæ Bavaræ, ad Joh. patruum*, auctore Jano Dousâ: & *reſponſum Joh. Bavari ad Jacobam*, ab Hug. Grot. concinnatum, inter hujus *Elegias l.* 1.

S. JACOBI Inſ. una eſt ex iis quas vocant *inſulas Capitis Viridis*, eaque primaria. Diſtans à Linea Æquinoctiali 15. gradibus, conſita variis arborum generibus, patens in longitud. mill. 7. *J. Matal. Metell.*

JACOBINI, nomen religioſorum in Communione Rom. quorum inſtitutum Dominicum, à Greg. IX. inter Sanctos relatum, auctorem habet; unde & *Dominicani* appellantur, aliter *Fratres Prædicatores*. Veſtis eorum ex panno raſo denſeque texto albi coloris, cui ſimile ſcapulare gerunt, cum capucio nigro. Etiam *Jacobinæ*, ab eodem inſtitutæ religioſæ ſunt, quæ *filiæ S. Dominici* quoque nonnullis appellantur. Richel. Vide ubi de *Dominico* Guſmanno. At *Jacobitæ*, in eadem Eccl Rom. qui peregrinationem religionis ergò inſtituit, ad *S. Jacobum* Compoſtellanum, Gall. *Pelerin de S. Jaques.* Ibidem ſic vocantur Dominicani iidem, quòd eis *Hoſpitale Peregrinorum S. Jacobi* Pariſiis, ad manſionem aſſignatum primitus fuerit, à celebri quodam Anglo, Magiſtro Joh. *Phyſico præcipuo & Regis curam agente*, uti refert Matth. Paris *in* A. C. 1198. quam donationem A. C. 1218. à Magiſtro Joh. Decano S. Quintini, factam ait Broſſius *Antiqq. Pariſ. l.* 2. Et quidem hoc *Jacobitarum* vocabulo nuncupantur, apud Thierricum Vallicolor. *in Urbano IV.* & Joh. Hocſem. *c.* 32. *Prædicatores S. Jacobi* vocantur, in *Chronico* Andrenſi A. C. 1222. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.* In Ægypto verò ac in Judæa, *Jacobitæ* vel *Jacobini* dicuntur, Chriſtiani quidam, ob varios errores olim à Patriarcha CP. excommunicati: quibus nomen dedit *Jacobus* quidam, Severi Patr. Antiocheni diſcip. qui annuente & præcipiente Timotheo Patr. Alexandr. Chriſtianos ad ſectam Dioſcori Alexandrini ibidem Patr. revocabat: cujus hæreſin amplexus Anaſtaſ. Imp. non ſemel *Jacobita* dicitur, in *Chron. Or.* ab Abrahamo Echellenſi edito, *p.* 59. & 60. &c. Vide de eorum hæreſibus, Jacobum de Vitriaco *Hiſt. Hieroſ. c.* 75. Aithon. *c.* 13. & 14. Willebrand. ab Oldenborg *Itin. T. S.* &c. de eorum Patriarcha Godefrid. Mon. S. Pantal. A. C. 1237. de eorum auctore, in vocibus *Jacobitæ* & *Monophyſitæ*. Conſule inſuper Voſſ. *de Idol. l.* 3. *c.* 40. Addam ſaltem, de Jejuniis ſeu Quadrageſimis illorum verbum, ex eodem C. du Freſne in voce *Quadrageſima*: *Quatuor Græcorum Quadrageſimis quintam addidêrunt* Jacobitæ *ſeu Suriani, Quadrageſimam ſc. Ninives. Primam obſervant ante Paſcha, ut Græci: ſecundam Apoſtolorum à* 1. *die poſt feſtum Pentecoſtes auſpicantur: Tertiam à* 14. *die ante Aſſumptionem: Quartam à* 25. *die ante Nativitatem Chriſti: Quinta Ninives vel Jonæ eſt trium dierum, quam celebrant in hebdomade ante Septuageſimam, feriâ* 2. 3. *& quartâ, in memoriam pœnitentiæ Ninivitarum. In Majori Quadrageſima jejunant, ut Græci: in ſecunda, bis in die & piſces comedunt. Ita in tertia & quarta. Quintam Ninives obſervant, ut Majorem.* Sic nempe, ut à carne abſtineant, lacticiniis & ovis veſcantur, bibantque vinum. Vide quoque Fileſacum *de Quadrageſima* &c. ut & ubi de *Armenis*, ac *Dominicanis*.

JACOBIPOLIS, urbs Virginiæ, ab Anglis excitata, in memoriam Jacobi Regis juxta fluv. Pouvatanium, aliquot mill. à mari. Vulgò *Jameſtowne*.

JACOBI SINUS, vulgò JAMES-BAY, pars ſinus Hudſonii, maximè in Auſtr. extenſa, verſùs novam Franciam, in ora novæ Walliæ Mer. Dicta à Thoma Jacobo Anglo, qui has oras primus luſtravit. A. C. 1631.

JACOBITÆ, ſectatores Jacobi Zanzali Syri, qui Sec. 6. ex Eutychis, Dioſcori, aliorumque erronum deliriis novam hanc ſectam conflavit. Negant Trinitatem perſonarum, baptiſmum adminiſtrant applicando ferrum candens fronti infantum prius circumciſorum: Abuſi loco Matthæi 3. de ſpiritu & igne. In Aſia, Aſſyria, Diarbec, Meſopotamia, Nubia, Ægypto, Æthiopia, &c. numeroſos habent cœtus. Sub Patriarcha. cui ſedes hodie in urbe Caramit, cum titulo Patriarchæ Antiocheni: Plurimos hic habet ſibi obnoxios Archiepiſcopos, Hieroſolymitanum, Damaſcenum, Edeſſenum, Cyprium, &c. Vide Niceph. *l.* 18. *c.* 52. Jac. Vitriac. *Hiſt. Or. c.* 76. & 77. Matth. Pariſ. *in Henrico III.* Morer. *Dict. Hiſt.* Georg. Horn. *Hiſt. Eccl. cum Notis* M. Ledeckeri; nec non in *Continuat.* in voce *Jacobini*: infrà quoque in voce *Melchitæ*.

Apoſtoli.

JACOBUS, dictus *Major*, Apoſtolus, frater Joh. Euangeliſtæ, cum illo *Boanerges* dictus, quorum pater Zebedæus dicebatur. Matth. *c.* 4. *v.* 21. Herodis Agrippæ juſſu decollatus, Act. *c.* 12. *v.* 2. converſo, Apoſtoli ad mortem euntis conſtantiâ, accuſatore, A. C. 41. Hunc Tutelarem Hiſpania agnoſcit, cujus & ſepulchrum Compoſtellæ oſtenditur, unde peregrinationes Compoſtellanæ. Sed illas unà cum tota hac Hiſtoria in dubium vocant Baron. *in Martyrol. ad* 25. *Jul.* & *in Ann. Eccl. ad* A. C. 816. Simon Boſchus, Eraſm. *in coll. Peregrinationis religioſæ*: imò totam hanc controverſiam eruditè decidit Morer. *in Dict. Hiſt.* In *Ep.* ejus divin. extant: Althameri *Annot.* Argentor. A. C. 1527. Bracchus. Quarto Parmæ A. C. 1605. Brochmanni *Comm.* Clem. Alex. Cavotti *in c.* 1. *Lect.* Romæ Quarto de Daça. Feuardentii *Comm.* Folengius, in Octavo Baſil. A. C 1555. Gail, *Aſſertion. Theol.* Octavo, Dilingæ A. C. 1565. Hornejus. Laurentii *Comm.* Quarto Amſtelod. A. C. 1645. Longenhagen *Annot.* Duodecimo Lovanii. Paez. Paræi *Comm.* Quiros. Stancarus. Stevartius. Turcki *Index fidei in c.* 1. *&* 2. Quarto. Londini A. C. 1618. Volzogenius Socin. Winckelmanni *Comm.* Zonaras. Zuinglii *Annot.* Vide Crowæi *Elench.*

JACOBUS, cogn. *Minor*, fil. Alphæi, *Juſtus* & *Frater Domini* inſuper dictus, frater Judæ Apoſt. ipſe Apoſtolus. In Conc. Hieroſolymitano Præſidem egit, Act. *c.* 15. *v.* 13. & à Paulo Gal. *c.* 2. *v.* 9. inter columnas Eccl. primo loco ponitur. Anani II. Pontificis S. juſſu occiſus, A. C. 62. Ob quam cædem ipſe Joſephus ruinam Hieroſolymæ contigiſſe poſtea credidit, viri ſanctitatem admiratus. Auctor Ep. Canonicæ, ad 12. Tribus in toto orbe diſperſas. Torniel. A. M. 4018. *n.* 2. & 4082. *n.* 7. *&* 8. Pamel. *in Tertull.* Morer. *Dict. Hiſt.* Vide ſuprà.

Reges Arragoniæ.

JACOBUS I. Arragoniæ Rex, An. Æt. 6. poſt Petrum II. in prælio contra Simonem Montfortium, A. C. 1213. occiſum. Cùm 13. An. attigiſſet, duxit Eleonoram ſororem Ferdinandi Caſtellæ Regis decimoque poſt Anno repudiavit. Mauris Majoricam, Minoricam regnum Valentiæ, &c. eripuit, Principibusque rebellibus devictis, *Bellicoſi* elogium meruit. Convenit A. C. 1258. cum Ludovico IX. ob Comitatum Monſpelienſem ad ſe pertinentem, & expeditionem ſacram pollicitus, paucas ſaltem naves in Orientem miſit. In ſequiorem ſexum plus æquo pronior. Condidiſſe dicitur ad 2000. templorum. Obiit A. C. 1276. Æt. 70. Regni 63. Ex Yolanta,

filia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

filia Andreæ Hungariæ Regis parens Petri ſucceſſoris, Jacobi Majoricæ Regis &c. Surita *Hiſt.* *l.* 2. &c. Mariana *l.* 13. & 14. Hier. Blanc. *de Reb. Arrag.*

JACOBUS II. fil. Conſtantiæ Siculæ, ex Petro III. Siciliæ regnum occupavit, ſucceſſit fratri Alphonſo III. A. C. 1291. Cæſaraugustæ coronatus, Siciliæ adminiſtratione Friderico conceſsâ. Pacem iniit cum Gallis, bello contra Mauros & Navarrenos minus felix, Comitiis indictis, Arragoniæ, Valentiæ & Catalauniæ regna inſeparabilia eſſe in poſterum voluit: Obiit Barcinone, A. C. 1327. Regni 36. Ætat. 66. Ex Blanca, filia Caroli Regis Neap. pater Alphonſi IV. Succeſſoris, &c. Surita, *l.* 2. *Ind.* Mariana *l.* 14. Villan. *l.* 7. *&c.*

Scotiæ & Angliæ Reges.

JACOBUS I. Scotiæ Rex fil. Roberti III. vivo adhuc patre, in Galliam tranſiturus; ab Anglis captus, & poſt 18. An. eâ lege dimiſſus eſt, A. C. 1424. ut Johannam filiam Com. Somerſeti duceret, dotisque loco illis 100000. marcarum argenti penderet. Patri, paucis poſt nuntium de filii captivitate diebus, mortuo ſucceſſit, jamque liber pœnam ab illis ſumpſit, qui ſe abſente officio defuiſſent. Diſſimulato quoque habitu ſæpe ſubditis immixtus, exploravit, qui cum illis ageretur. Obiit A. C. 1437. in lecto, 26. ictibus confoſſus à cognatis eorum, quos ob crimina puniverat: Reginâ, quæ maritum ſuo corpore objecto tuebatur, bis terque læsâ. Boëth. *l.* 17. *&* 18. Buchan. *l.* 10. *&* 11. Leslæus *Hiſt. Scot.* *l.* 7. *&* 8. Monſtrelet. *l.* 2.

JACOBUS II. An. Æt. 7. poſt mortem Jacobi I. patris coronatus, ſub tutela Alex. Leviſtoni. Turbas, ex diverſis matris nuptiis obortas, compoſuit, Carolo VII. contra Anglos ſuppetias miſit, in obſidione arcis *Roxburg*, globi ictu, occiſus. A. C. 1460. Æt. 29. Ex Maria Geldrica, quæ mortuo marito arcem occupavit, pater Jacobi III. Alex. & Joh. Boëth. *l.* 18. Leslæus *l.* 8. Buchan. *l.* 11.

JACOBUS III. An. Æt. 7. patri ſucceſſit, ſub tutela Matris, cui à Statibus regimen, abrogatum, & Sex-Viris commiſſum eſt. Duxit dein Margaretham filiam Chriſtierni I. Daniæ Regis. Sed Aſtrologiæ nimium deditus, fratres detineri juſſit, & Alex. in Galliam profugo, Joh. ſuſtulit. Ab Alex. in Angliam reverſo eò redactus, ut in vincula conjiceretur, illo nitente rurſus liberatus eſt. Poſtea in prælio contra ſuos, Occiſus. A. C. 1488. Æt. 35. Buchan. *Hiſt. Scot.*

JACOBUS IV. fil. prioris ſucceſſit, An. Æt. 16. Pius, Juſtitiæ aſſertor, pacis & boni publici amantiſſimus. Proceres rebelles ad obſequium redegit, corpus catenâ cinxit, quam quotannis annulo auctiorem reddidit. Ludovico XII. fidus, cùm totus fermè in illum conjuraret orbis, occiſus eſt in prælio contra Henricum VIII. poſtquam ſalutare monitum Angeli cujuſdam neglexiſſet. A.C. 1513. Buchan. *l.* 13. Lesl. *Hiſt. Scot.* *l.* 8. Polyd. Virg. *l.* 27.

JACOBUS V. fil. prioris, ſub tutela Margarethæ ſororis Henr. VIII. Angliæ Regi, ſucceſſit, ſecundis matris nuptiis turbatus. An. Æt. 17. res regni compoſuit, remotis quorum gravis potentia, juſtitiæ pacisque cultor, affulgere ſubditis purioris religionis lumen vidit. Non rogatus, ſuppetias tulit Franciſco I. contra Carolum V. ejuſque filiam Magdalenam duxit Lutetiæ, A. C. 1537. Quâ incredibili Scotorum luctu, Anno vix exacto, mortuâ, Mariam filiam Claudii Guiſii, Longavillani Ducis viduam ſibi junxit. Acie ſemel contra Henricum VIII. victor, longè graviori poſtmodum clade affectus eſt. Obiit A. C. 1542. Pater Mariæ Stuartæ. Lesl. *Hiſt.* *l.* 9.

JACOBUS VI. Rex Scotiæ, & I. Magnæ Britanniæ, fil. Mariæ Stuartæ, ex Henrico Stuarto, A. C. 1566. Æt. 1. coronatus; Matrem in Anglia decollari indoluit; inſidias procerum quorundam admirabili felicitate evaſit, ab Elizabetha hæres dictus ei ſucceſſit, A. C. 1603. & ſicut *Henricus roſas*, *regna Jacobus* conjunxit. Pulverariam conjurationem, jam Mag. Britanniæ Rex Dei providentiâ denuo tutus, disjecit, literis egregiè imbutus, quod opera ejus edita abundè teſtantur. Scripſit enim *Meditationes binas, pr. in v.* 7. 8. 9. & 10. *c.* 20. *Apoc. poſt. in v.* 25. & 29. *c.* 15. *Chron. Paraphraſin in Apocal.* Δῶρον βασιλικὸν *ad fil. aliaque omnia* 1. *tom. Angl. Londini A. C.* 1616. *& Lat. Fol. ibidem A. C.* 1619. *prodiêrunt.* Pontificios toties ſuæ vitæ inſidiatos Angliâ pepulit, Batavos, ut ſibi ab Arminio caverent, graviter hortatus eſt; pacis amans. Obiit A. C. 1625. menſe Martio, unde diſtichon,

Non miror, Regem ſi Martius abſtulit Anglis,
Pacificis ſemper Mars inimicus adeſt.

Relicto ſucceſſore Carolo I. fil.

JACOBUS VII. Rex Scotiæ, & II. Magnæ Britanniæ, fratri Carolo I. Regi ſucceſſit, A. C. 1685. Com. Argylii in Scotia, & Monmouthii Ducis in Anglia, initia regni ejus turbantium, conatus feliciter repreſſit: ac utriusque ſupplicio res ſuas ſtabilivit. Poſt quæ, *quidvis credendi licentiâ cuivis permiſſâ*, Latinis cerimoniis liberiorem aditum fecit, Regiæque poteſtatis limites extendit ulteriùs, quàm abſoluto regimini gens inadſueta æquo animo ferre poſſet, unde occulta indignatio & vota liberioris auræ. Acceſſêre natales Walliæ Principis, quos dubios facere non pauca videbantur. Vocatus igitur ex Belgio Fœderato Vilhelmus Princeps Arauſionenſis. Mariæ Britannicæ filiæ Regis, maritus, hujusque ex ſorore nepos, promptis Anglorum animis excipitur, Rex declaratur coronaturque A. C. 1689. quem rerum tranſitum cum impedire Socer neutiquam poſſet, in Hiberniam primò, inde in Galliam trajecit, ubi hodieque Regis potentiſſimi ſub clypeo degens S. Germani Fano plerunque cum Regina, Maria Mutinenſi, & aula, commoratur. Vide etiam *Gulielmus III. Magnæ Britanniæ Rex.*

Reges Cypri & Principes regii ſanguinis.

JACOBUS, Cypri Rex, fil. nothus Jani Luſigniani, Charlotam Jani filiam, quæ Ludovico Sabaudo nupſerat, regno expulit: ductâ Margarethâ Cornanâ, matre Jacobi brevi poſt mortui. Item, Rex Majoricæ, à Petro Crudeli, Arragoniæ Rege pulſus. Marian. *l.* 15. *c.* 18. Pater Jacobi, qui tertius maritus Johannæ I. Neap. ab illa poſt trimeſtre repudiatus eſt. Noſtrad. *Hiſt. Prov. p.* 429. Boucheus *l.* 9. Item, Rex Nicoſiæ, vel Cypri, poſtea Armeniæ, captus à Genuenſibus, thronum conſcendit A. C. 1383. Folieta, *Hiſt. Genu.* *l.* 9. Steph. Luſinian. *Hiſt. Cypr.*

JACOBUS Borbonius, fil. Ludov. I. tertius, ex Maria Hannonica, Comes Marchiæ, &c. Conneſtabilis Galliæ, Obiit Lugduni vulneribus graviter ſauciatus in prælio ad locum *Brignais*, contra *Tardè advenientes.* Ex Johanna de S. Paulo, pater Petri, Joh. & Jacobi, atque hoc avus *Jacobi*, ſub Carolo VI. VII. & Iſabella, famoſi. Sicut ex Joh. qui familiam propagavit, alterius Jacobi, qui Johannæ II. Neap. maritus, uxoris moribus offenſus, Veſontionem conceſſit, Franciſcam habitu ſumpto, Obiitque A. C. 1438.

Principes alii.

JACOBUS, fil. Mauritii, Comitis Oldenburgici, cui in diviſione paternæ hæreditatis Delmenhorſtum obtigerat, adhuc impubes patrimonio exutus, piraticam exercuit, & in Norvegia exul Defunctus eſt; ſub fin. Sec. 15.

JACOBUS, Marchio Badenſis, fil. Bernardi: ubi latrocinium in ſua ditione commiſſum agnovit, damnum ex ærario ſuo refudit: Obiit A. C. 1453. In ejus elogiis recenſendis totus eſt, Æneas Sylvius. Pater, inter alios, Caroli fuit, cujus fil. Chriſtophorus, præter alios genuit *Jacobum*, in Archiep. Trevirenſi Propatrui ſucceſſorem, & ex diſciplina Phil. Beroaldi principem illo tempore doctiſſimum, & linguarum apprimè peritum.

JACOBUS, fil. Caroli, Marchionis Durlacenſis, cùm ejus nomine Formulæ Concordiæ tutores ſubſcripſiſſent, A. C. 1589. à Piſtorio apoſtata, ad Latinos ritus, ſe abduci paſſus eſt. Obiit A. C. 1590. Vide Thuan. *l.* 99. Pater fuit Erneſti Jacobi, non toto Anno patri ſuperſtitis, cujus tutor Euangelicam religionem in ditionem reduxit.

JACOBUS, fil. ſecundò-genitus Vladiſlai Sileſiæ ſup. Ducis A. C. 1272. Extincti, frater fuit Miciſlai Ducis Teſchinenſis. Ei quidam Ducatum Troppavienſem ſeu Oppavienſem & Ratiborium aſſignant, & horum Principum conditorem faciunt: Aliis aliter ſententibus. Vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.*

Viri Celebres.

JACOBUS, Diaconus Eccl. Hieroſolymitanæ in Phœnicia, ſcripſit vitam S. Pelagiæ pœnitentis.

JACOBUS & Conradus, Cantabrigienſes, Viclefi diſcipuli, diſputârunt in Pragenſi Academia publicè, contra Tranſubſtantiationem, Confeſſionem Auricularem, Ordinationem &c. Docentes inſuper, Papam Antichriſtum eſſe. A. C. 1404. Læt. *Comp. Hiſt. Univ.*

JACOBUS Acontius, Tridentinus, Theologus, JC. & Philoſophus, præter alia, ſcripſit *de technis Satanæ*, libb. 8. Sec. Præt.

JACOBUS Alkindus, Mathematicus, A. C. 1235. Præter alia, *de Radiis ſtellarum* ſcripſit.

JACOBUS Almanius, Cenomanenſis, Scoti & Occami ſententiæ mordicus adhæſit. Scripſit *Moralem Phil. Lecturam in* 3. *Magiſtri Sent. De poteſtate & auctoritate Eccl. &c.*

JACOBUS Alvarotus, JC. Ticino oriundus, ſcripſit *Comm. in libb. feudorum, &c.* Forſter. *l.* 3. *Hiſt. Juris Civ. c.* 34. *n.* 8.

JACOBUS Amiotus, vide ibi.

JACOBUS de Arena, Ravennas, vel Parmenſis, eruditione inclytus, A. C. 1280. Trithem. *in Cat. de S. E.*

JACOBUS Arminius, vide *Arminius.*

JACOBUS Arteville, cereviſiæ coctor, Flandriam turbavit, Occiſus A. C. 1345. cùm fil. Eduardi Angli, ad Comit. Flandrici dignitatem provectum iret.

JACOBUS Aſculanus, Scotum in tabulas redegit, A. C. 1476.

JACOBUS Auguſtus Thuanus Pariſienſis, fil. Chriſtophori, genere illuſtri, à conſiliis Galliæ Regi Præſes Parlamenti Pariſ. Cato ſui ævi, & Galliæ ornamentum. Compoſuit Hiſtoriam ſui temporis, ab A. C. 1543. uſque ad A. C. 1607. libb. 138. cum quolibet veterum facilè conferendus: Quam cur quidam, cauſæ ſuæ diffiſi, caſtraverint, ipſe prædixiſſe viſus eſt, in carmine, inter alia, Hiſtoriæ vitæ ſuæ, ſubjuncto; Ubi orditur:

Libertatis ego nimiùm, verique quòd acer
Aſſertor fuerim, vitiorumque horridus oſor,
Et Romæ, & noſtra paſſim traducor in aula, &c.

Obiit, A.C. 1617. Scævola San Marth. *Elog. Doct. Gall.* ei dedicavit.

JACOBUS Baſſentinus, Scotus, de uſu Aſtrolabii, de Sphæra, &c. ſcripſit, Sec. Præt.

JACOBUS Bavia, Luſitanus, Conc. Tridentino interfuit, eruditione inter ſuos notus.

JACOBUS de Beauvoir, JC. Bononienſis, 7. libb. Item Comm. *de Feudis* ſcripſit. A. C. 1270.

JACOCUS Bereau, Picto, Poëta celebris, Sec. Præt.

JACOBUS Beſſonus, Delphinas, varios libros Mathem. edidit eodem tempore.

JACOBUS Billius, Abbas Ordinis S. Benedicti, Theologus, Mathematicus, JC. Poëta, S. Gregorium Theologum, & Iſid. Peluſiotem vertit, &c. Obiit A. C. 1580. Pariſiis. Vide *Elogia* Ant. Teiſſier *Vol.* 1.

JA-

JACOBUS Bracciolinus, vel Brandolinus, fil. Poggii Florentini, Orator celebris, Hiſtoriam Patris Italicè tranſtulit, aliaque ipſe compoſuit. Implicitus conjurationi Pactiorum contrà Mediceos, de feneſtra capitis conjuratorum ſuſpenſus eſt. A. C. 1478. Polit. *Conj. Pact.* Paul. Jov. *in Elog. Pop.*

JACOBUS Bracellus, Genuenſis: ſcripſit res inter Hiſpanos & Genuenſes bello geſtas, ab A. C. 1412. uſque ad A. C. 1444. Item de Viris ill. Genuenſibus, de ora litorali Genuæ, &c. Circa A. C. 1450. Leander Alb. *deſcr. Ital.* Paul. Jov. *Elog. c.* 112. Gorla, *in præf. Hiſt. Brac.* Voſs. *de Hiſt. Lat.* &c.

JACOBUS de Bugy, Andegavenſis, poëta Latinus & Gallus excellens, Margarethæ Navarreæ ſorori Franciſci I. gratus. Obiit A. Æt. 73. Scævola San Matth. *l.* 3. *Elog.*

JACOBUS Buſſularius. Vide ibi.

JACOBUS Butrigarius, JC. Bononienſis, ſcriptis celebris, Baldi præceptor.

JACOBUS Chriſtmannus, Mathematicus ſcriptis celebris, Sec. Præt.

JACOBUS Clericus, Atrebas nobilis, in aula Philippi Boni, memoriam ſuæ vitæ edidit.

JACOBUS de Cluſa, Carthuſ. Aſcetica ſcripſit. Petrejus B. C.

JACOBUS Congelshofius, Auctor Hiſtoriæ Argentinenſis.

JACOBUS Cor, argentei vaſarii præfectus, ſub Carolo VII. & ærarii tribunus, divitiis potens. Delatus A. C. 1452. variorum criminum, 100000. thaleris culpam eluit. Capitaneus Gen. Eccl. contra Infideles, in elogio ſuo, dictus. Obiit A. C. 1456. Mezerajus *in Car. VII.*

JACOBUS Cujacius, vide ibi.

JACOBUS Curtius, JC. Brugenſis, *Conjecturalium* 2. tomos, &c. ſcripſit. Idem nomen primo Ep. Brugenſi fuit. Obiit A. C. 1567.

JACOBUS Dalechampius, nobilis Cadomenſis, Medicinam Lugdum fecit, ab A. C. 1552. uſque ad A. C. 1588. quo Obiit Scripſit Hiſtoriam plantarum, vertit Galenum, illuſtravit Æginetam & Plin. ſcholiis notisque.

JACOBUS Drieſchius, Flander, Chronici auctor, &c. Meyer, *l.* 5. *Ann.*

JACOBUS Duportus, Anglus, Cantabrigiæ natus, familiâ per antiquâ, in agro Leiceſtrienſi, apud *Shepshey*, Gr. Lit. Exprofeſſor, S. T. P. Decanus Petroburgenſis & Collegii D. Magdalenæ Præfectus, floret adhuc in Anglia. Ejus extant: *In Jobum* Θρηνοθρησκός *Græc. & Lat. In Pſalmos Metaphraſis metrica. Solomon* ἔμμετρος, &c. Avus ei fuit egregium Eccl. lumen R. Coxus, Ep. Elienſis; Pater Joh. Duportus, Gr. & Hebr. Lit. callentiſſimus, Collegii Jeſuani apud Catabrig. Profeſſor, Whelocus ante Θρηνοθρησκόν.

JACOBUS de Enſe, ordo mil. in Hiſp. contra Mauros primùm inſtitutus. Confirmatus ab Alex. III. A. C. 1175. &c. Inſigne, enſis, cum lemmate, *Rubet enſis ſanguine Arabum.* Ipſe Rex Magnus Ord. Magiſter eſt. Rodericus Tolet. Mariana & Favin. *Theat. hon. & Eq.*

JACOBUS Faber, Stapulenſis, Sorbonicus Doctor, mole exiguus, ingenio maximus, ex ſeipſo natus. Divinarum humanarumque rerum callentiſſimus, ſcripſit in Ariſtot. & Mathematica quædam. Hunc N. T. vulgatæ verſionis emendationem & purioris religionis inſtaurationem fortiter aggreſſum, exulem, tutata eſt Margaretha Valeſis, pietate heroina, virtute ac literis laudatiſſima; & piè in Domino mortuum, marmore, quod pro ſe exſcindi curaverat, contegi voluit. Ejus extant: *Pſalterium quintuplex: Comm. in Eccl. & Danielem: in* 4. *Euang. Comm. Initatori: Comm. in Epp. Pauli, item in Epp. Canonicas, &c. Philoſophus ſuo tempore celeberrimus*, Trithem. *Faber ingeniorum appellari volebat, quum in omni ferè doctrinæ genere ad docendum aptiſſimus haberetur. A. Lutherana doctrina non procul abſuit, ita ut in ea ſuſpicione ſenex moreretur*, P. Jov. *in Elog. Vir. doct. c.* 121. Vide etiam Hubert. Thom. Leod. Spond. A. C. 1525. *n.* 15. Thuan. *Hiſt. l.* 17. &c.

JACOBUS Fayus, celebris Sec. Præt. Scævola S. Marth. *Elog. l.* 4.

JACOBUS Fornerius, vide *Benedictus XII.*

JACOBUS Forojulienſis, Medicus inſignis, A. C. 1430. In Hippocratis aphoriſmos, Galenum &c. commentatus.

JACOBUS de S. Georgio, Card. Bonifacii VIII. nepos, ſcripſit de Jubilæo.

JACOBUS Gohorius, Pariſinus, auctor Hiſt. Peruvianæ, ſcripſit de uſu & myſteriis notarum, &c. A. C. 1550.

JACOBUS Gopilius, Medicus celebris, eodem tempore; ſcripſit varia. Bibliothecâ à militibus direptâ, præ mœrore Obiit. San Marth. *Elog. l.* 2.

JACOBUS Gordonum, Jeſuita Scotus, à Confeſſionibus Lud. XIII. Chronologiam & Comm. in Scripturam 3. volum. Fol. edidit. Obiit A. C. 1641. Alius, in Controverſiis ſubactus, Obiit Pariſiis A. C. 1620.

JACOBUS Gretſerus, Jeſuita Germanus, varia edidit.

JACOBUS Gruitrœdus, Carthuſ. auctor 27. tractatuum. Petrejus B. C. Obiit A. C. 1472.

JACOBUS Guiſius, Auctor Chronici & Ann. Hannoniæ. Obiit A. C. 1348.

JACOBUS de Hauteville, in diœceſi Mogunt. eruditione inſigni præditus, A. C. 1360.

JACOBUS Hieronymus, Carthuſ. Pariſinus, auctor *Hecatoſtichi*, ſ. apologiæ Brunonis. A. C. 1530. Simler. *in Bibl. Geſn. Epit.*

JACOBUS Hollerius, Stampenſis, Medicus inſignis, Sec. Præt. Thuan. *Hiſt. l.* 32. San Marth. *in Elog. l.* 2.

JACOBUS Junter Butch, Carthuſ. Germ. Auctor 75. tractatuum, Obiit A. C. 1466. Petrejus *in Cat.*

JACOBUS Juſti, Catalaunus, ex præcipuis Beguardorum capitibus; Conc. Viennenſi condemnatus. A. C. 1311.

JACOBUS Kebelius, Germanus, ſcripſit de Aſtrolabio, de Arithmetica, &c.

JACOBUS Latomus, Doctor Lovanienſis, celebris inter ſuos. Obiit A. C. 1544. Opera ejus nepos cogn. edidit, A. C. 1550. *Swertius*, &c.

JACOBUS Laurentius, Amſtelodamo Batavus, floruit A. C. 1641. Ejus extant: *Expoſitio Hiſtoriæ Joſephi: S. Paulus* ὀνομαστός: *Comm. in Epp. Jacobi, Petri, &c.* 3. *pr. Apocalypſeos.*

JACOBUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

JACOBUS Ludov. Strebæus, Gallus, à Scævola San Marth. *Elog. l.* 1. laudatus.

JACOBUS Magnus, Doctor celebris, Toloſæ floruit, A. C. 1415.

JACOBUS Malvetius, Medicus & Hiſtoricus Brixienſis, A. C. 1432.

JACOBUS Mangotus, à Scæv. San Marth. *Elog. l.* 3. laudatus.

JACOBUS Maſſonius, ſcripſit concordiam Platonis, & Ariſtotelis: Thomæ & Scoti, comm. in Dantem, &c.

JACOBUS Mauritius, Carthuſ. Pariſinus ſcripſit, A. C. 1602.

JACOBUS Menochius, Ticinenſis, JC. inclytus. A. C. 1580.

JACOBUS Middendorpius, Oldenzilâ oriundus, ſcripſit libb. 8. *de Academiis orbis univerſi, de vita Cœnobiali, &c.*

JACOBUS Mycillus, Argentinenſis, quia in juventute ſua Mycillum dialogi Lucianei, cui tit. *Somnium*, vel *Gallus*, pulchrè repræſentavit, ſic dictus. Scripſit A. C. 1530. varios libros Mathematicos. Præceptor illuſtrium diſcipulorum, & Pater duorum filiorum, quorum alter JC. celebris. Voſs. *de Scientiis Mathem.*

JACOBUS Moſander, Flander, Carthuſ. celebris.

JACOBUS de Niſibe, cogn. Sapiens, Ep. urbis hujus, in Meſopotamia. Zelo pro orthodoxia, & tolerantia malorum inclytus. Interfuit Conc. Niceno: Niſiben contra Perſas tuitus eſt. A. C. 350. In Syriaca lingua varios ſcripſit Comm. Gennad *c.* 1. *de Viris illuſt.* Theod. *in ejus vita.* Theodoret. *l.* 2. *Hiſt.* Hier. *in Chron. &c.*

JACOBUS Palæologus, ex Imperatoria ſtirpe, Romam venit, Jacobinus ibi factus. Inde per Germaniam, in Poloniam delatus, Arianis ſe junxit, plurimis in Moravia, quò miſſus erat, ſeductis. Maximiliani II. juſſu captus, A. C. 1575.

JACOBUS Pamelius, Brugenſis, operibus ſuis, notis inprimis in Tertullian. Cyprian. &c. nomen immortale promeritus. Obiit A. C. 1587. Swert. *in Athen. Belg.* Val. Andreas, *in Bibl.*

JACOBUS Pantaleon, Tercenſis, vide *Urbanus VIII.*

JACOBUS Pellio, Cœnomanenſis, Mathematicus, Medicus & Poëta. Scripſit varia, Sec. Præt.

JACOBUS Perezius, aliàs *Jacobus de Valentia*, ſcripſit in Pſalmos, Canticum, &c. contra Judæos, &c. Obiit A. C. 1491. Thomas de Herrera, Simler. Morer. *Dict. Hiſt.*

JACOBUS Philippus de Foreſta, dictus *Bergomas*, Eremita, Innoc. VIII. gratus. Auctor Chronici, A. M. C. uſque ad A. C. 1503. cum tit. *Supplementum Chronicorum*, ſ. *Supplementum Supplementi*, libb. 16. Item, libri de matronis Chriſtianis ill. Item *Confeſſionalis* ſ. *Interrogatorii.* Sabellic. Voſs. &c. Obiit A. C. 1515. Æt. 85.

JACOBUS Picolomineus, Lucenſis Card. ſcripſit Hiſtoriam & Epiſtolas. Obiit A. C. 1489. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3.

JACOBUS Raimolanus, Carmelita Gandav. Mathematicus Poëta & Orator, Obiit Romæ, A. C. 1508.

JACOBUS Rammingus, Mathemat. Scripſit de ædificiis & Architectura.

JACOBUS Ravanus, Lotharingus, Juriſconſultus, diſputationum Scholaſticarum, in Jure, auctor, A. C. 1300. Forſterus, *Hiſt. Jur. civ. Rom. l.* 3. *c.* 22.

JACOBUS Romanus, Jacobinus, ſcripſit *de victoriis, de perſecutionibus*, &c. Leander Alb. *l.* 4. *de V. I. O. P.*

JACOBUS Roſius, auctor Ephemeridum celebris. Voſs. *de Mathem. c.* 68. §. 27.

JACOBUS Sadoletus, Mutinenſis, fil. Joh. JC. inclyti, Græcè Latineque doctiſſimus, Nicolai Leoniceni in Philoſ. diſcip. Theologus, Orator, Philoſophus, Poëta celebris, Ep. Carpentoractenſis, Franc. I. gratus, miſſus à Paulo III. in Galliam ad Regem hunc permovendum, ut cum Car. V. pacem iniret, Card. factus, A. C. 1534. Parmæ pace concluſâ inter Imp. & Papam, ſcripſit Orationem *de bono Pacis.* Obiit Romæ A. C. 1547. Æt. 70. Edidit libb. 16. Epiſtolarum, Orationes, Poëmata, interpretationem in Pſalmos, & Epp. Paulinas, de Philoſophica conſolatione & meditatione in adverſis, de liberis rectè inſtituendis, de Philoſophiæ laudibus, &c. *Eximium ſuæ ætatis decus*, Eraſmo: *Vir doctiſſimus & Ciceronis imitator non vulgaris*, Geſnero. *Orator ævi ſui uberrimus*, aliis: Maximi fecit Joh. Oecolampadium, Eccl. Baſil. Reformatorem, *quem utinam*, dicere ſolitus erat, *extinctum poſſem, jure dolere; ſic enim literæ & doctrina hominis poſtulabant.* Videatur Bembus, Thuan. Jov. Morer. *Dict. Hiſt. &c.*

JACOBUS Salianus, Avenionenſis Jeſuita, Auctor Ann. V. T. Obiit Lutetiæ, A. C. 1650. De eo ſiniſtrè admodum judicat Montacutius *in appar.* cùm ait: *Voluminoſus ille Chrono-rhapſodus exſcripſit undecunque collecta & arroſa, ſine delectu plerunque ac judicio è Lyrano, Abulenſi, Carthuſiano, Joſepho, Hebræorum Chronologia, more ſolenni: quippe ſe profeſſus eſt Joſepho adverſarium, omnia depravat, & pervertit in ſenſum certe vertit deteriorem, &c.*

JACOBUS de S. Martha, Medicus inſignis.

JACOBUS Sannazarius, ad imitationem Pontani, qui Joviani cogn. aſſumpſit, *Actius Sincerus Sannazarius Parthenopæus* dici voluit. Poëta eximius, ſcripſit libb. 3. *de partu Virginis, Lamentationem de morte Chriſti*, cum Eclogis. Ferd. jun. Neapol. Regi gratus & fidus. Obiit A. C. 1530. Æt. 73. Joh. Bapt. Criſpus *in vita ejus*, A. C. 1593. P. Jov. *in Elog. Doct. c.* 80. Lilius Girald. *in Dial. Poët.* Voſs. *de P. L. Jul. C. Scalig.* &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

JACOBUS Schegkius, Medicus & Philoſophus Tubingenſis, libris magno numero editis celebris. Melchior Adami *in vitis Medic. Germ.*

JACOBUS Schmidelinus, ſeu Andreæ, Theologus Luth. cum Brentio & Flaccio, dogma de Ubiquitate corporis Chriſti, quod Academia Wittebergenſis & Lipſienſis oppugnabant, acriter urſit, cùm vehementis ingenii eſſet, Wittebergenſium ſententiam pro Mahometana habere ſe dicens. Hinc lites coram Aug. Electore, delationes, conventus, tandem Torgæ formula *Concordiæ* conſcripta, cui qui ſubſcribere renuebant, ſub cuſtodiam miſſi, extrà fines ejecti, &c. Hæc Bergenſi poſtmodum Monaſterio, A.C. 1577. à Smidelino, Muſculo, Selneccero, Chemnitio, Chytræo & Cernero ſolenniter ſtabilita ac promulgata, omnibus Eccleſiis diverſum ſentientibus anathema dixit, plurimis Principibus attonitis, Friderico Daniæ Rege ſubſcriptionem ſuis prohibente. Ad extremum ipſi Electori exoſus, Deceſſit. A.C. 1589. Poſtquam & cum Beza, irrito ſucceſſu, collocutus eſſet.

JACOBUS Sirmondus, Arvernus, Jeſuita, Confeſſionarius Lud. XIII. ſcriptis celebris. Obiit A.C. 1651. Æt. 90.

JACOBUS Spiegelius, JC. Carolo V. & Ferd. I. à conſiliis. Nepos B. Rhenani ex ſorore.

JACOBUS Spifamus, Pariſinus, Ep. Nivernienſis, Genevam ſe recepit, A.C. 1559. ubi quid inter illum & Calvinum contigerit, Vide apud Bulling. *l. 1. Hiſt. ſui temp.*

JACOBUS Sprengerus, Jacobinus, eruditione excellens. A.C. 1490.

JACOBUS Suedericus, Franciſc. de origine Ordinum ſacrorum, ſcripſit, A.C. 1439. Simler. *in Bibl.*

JACOBUS Suffrenus, Confeſſionarius Mariæ de Medicis Reginæ. Aſceticorum variorum auctor, Obiit A.C. 1641.

JACOBUS de Suſato, Dominicanus, auctor Chronici, &c.

JACOBUS Sylvius, Ambianus, Medicus celebris, ſcriptis immortale nomen meruit. Sed Galeno & avaritiæ nimium litavit. unde verſus:

> Sylvius *hic ſitus eſt, gratis qui nil dedit unquam,*
> *Mortuus & gratis quod legis iſta, dolet.*

Obiit A.C. 1555. Æt. 63. San. Marth. *Elog. l. 1.*

JACOBUS Ticinenſis, vulgò *Card. Papienſis*: ſcripſit Epiſtolas & Hiſtoriam ſui temporis. Pio II. gratus. Volaterram patriam habuit, ab imperito Medico necatus. Paul. Jov. *in Elog. c.20.* Leand. Alb. *deſcr. Ital.*

JACOBUS Tuſſanus, Remenſis, Græcè doctiſſimus, ſub Franc. I. Thuan. *Hiſt. l. 3.* San Marth. & Paul. Jov. *in Elog.*

JACOBUS de Viſs, de Itro, Gallus, Archiep. Hydruntinus, Card. à Clem. VII. creatus, A.C. 1375. poſtquam à Greg. IX. Patr. Conſtantin. pro Latinis dictus eſſet, Macario à Græcis Philotheo ſurrogato.

JACOBUS Viterbienſis, Archiep. Neapolit. magni nominis. A.C. 1310.

JACOBUS Vitriacenſis, Ep. Ptolemaidis Card. & Legatus in Gallia ac Oriente, ſcripſit inter alia, Hiſtoriam Or. & Occ. libb. 3. Librum contra Saracenos, &c. Obiit Romæ, A.C. 1244. Voſs. *de Hiſt. Lat. l. 2. c. 57.* Morer. *Dict. Hiſt.*

JACOBUS de Voragine, Archiep. Genuenſis, primus Biblia Italicè vertit, Chronicon Genuenſe ſcripſit; auctor *Legendæ aureæ*, quam ſcriptam eſſe *ab homine ferrei oris, plumbei cordis*, dicere ſolebat Claudius Eſpenſæus, Theologus Sorbon. ex Ludovico Vive. Obiit A.C. 1294. Voſs. *de Hiſt. Lat. l. 2. c. 60.* Morer. *Dict. Hiſt.*

JACOBUS Uſſerius, Dublino Hibernus, nat. A.C. 1580. clarâ familiâ, Cancellarius Patritii Dublinienſis, Archiep. Armachanus, & totius Hiberniæ, poſt avunculum Henr. Primas. Ejus extant, *Chronologia V. T. Fol. Ann. N. T. Fol. Tractatus de Cainane Quart. Syntagma de Gr. LXX. Interpretum verſione, Quart.* &c. Obiit A.C 1655. *Vaſtæ lectionis, & eruditionis Theologus, inque Eccl. Antiquitate verſatiſſimus*, Voetio. *Eruditione, & pietate & ſcriptis inprimis, clarus*, Bertio. *Acatholicorum doctiſſimus*, Fitz-Simondo P. *Inſignis Calviniſta Hibernus*, Moraneſio *in Anti-janſenio.* Vide Bernard. *in ejus vita.*

JACOBUS Wimphelingus, Seleſtadienſis, Profeſſor Heidelberg. Theologus, Orator, Philoſophus, Poëta & Hiſtoricus, ſcriptis clarus. Sub initium Sec. 16. floruit. Geſn. *Bibl.* Paul. Langius *in Chron. Citizenſi*, p. 886. Lil. Giraldus, *dial. 2. de Poët. Voſſ.* &c.

JACOBUS Zabarella, Patavinus, Philoſoph. celebris, Obiit A.C. 1589.

JACOBUS Zanzalus, vide *Jacobitæ*. Nempe *Jacobus* hic Theopaſchitarum & Monophyſitarum hæreſin, imprimis apud Syros ac in Or. propagavit, ibique ampliſſimam hanc ſibi ſectam conſtituit. Sed & ab eodem dimanavit portentoſa *Armeniorum* ſecta, ex Arianiſmo, Apollinariſmo, Marcioniſmo, aliisque hæreſibus conſarcinata, de qua ſuprà aliquid diximus.

JACOBUS Zenus, Venetus, Ep. Patavinus, vitas Paparum condidit. Obiit A.C. 1476. Jac. Bergomenſis, *l. 15.* &c.

JACOBUS Zieglerus, Mathematicus, Aſtrologicos, Geographicos, &c. tractatus edidit.

JACOBUS, Gall. JAQUES, minutior moneta, cujus mentio in *Foris* Beneharn *Rubr. de Peages art. 12.* & in *Conſuet.* Solenſi *tit. 7. art. 4.* *Jakes* moneta, incertum an Anglica: occurrit etiam ſub Henr. IV. apud Vilhelmum Stanford. *de Placitis Coronæ l. 2. c. 30.* C. du Freſne *in Gloſſ.* Richelieto nomen quoque monetæ eſt aureæ Anglicæ 14. libris Gall. 10. ſol. æſtimatæ &c.

JACTANTES, in Cloacinæ ſacro quærendi, apud Plaut. *in Curcul. Act. 4. Sc. 1. v. 9.*

> *Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in Comitium,*
> *Qui mendacem & glorioſum, apud Cloacinæ ſacrum.*

Nempe cùm nihil odioſius aut putidius ſit hominis glorioſi ac ſemetipſum *jactantis* oratione, neque ullum ἄκουσμα auribus æquè accidat ingratum, meritò *putidi* ac *ſtercorei* ejuſmodi homines vocati ſunt. Idem *in Mil. Glor. Act. 2. Sc. 1. v. xi.*

> *Qui hinc ad Forum abit, glorioſus, impudens,*
> *Stercoreus, plenus perjurii atque adultery.*

Hinc Græcis κοπρεία, μύξα, βλέννα, κόρυζα, pro *jactantia*: Κοπρολόγοι, Κόπρειοι, κορύζης μεστοὶ, κορυζῶντες & ἀλαζόνες, pro *jactantibus*; & prom Empedoclis, Philoſophi ſuprà modum jactabundi, ſorores *Cloacinas* non illepidè vocat Tertullian. *de Pallio c. 4.* ubi vide Salmaſ. hanc in rem plura afferentem, ut & hic paſſim. Certè *jactantiam* tantopere Diis diſplicere, credidêre Gentiles, ut non alio vitio acriûs imminere Nemeſin fuerint perſuaſi. Unde, quoties aliquid excidiſſet jactabundi, Numen hoc deprecari ſoliti ſunt. Auſ. in Protreptico *Edyll. 4. v. 85.*

> *Abſiſtat Nemeſis: ferat & fortuna jocantem.*

Idem Præcatio *Edyll. 8. v. 40.*

> —— *(mitibus audi*
> *Auribus hoc. Nemeſis)* &c.

Vide aliquid hac de re ſuprà, ubi de *Fortuna*, item infrà in voce *Invidia*, ut & *Mendaces*, *Myxus*, *Neanicologi*, *Nemeſis.*

JACTARE Baſia, vide ſuprà *Jacere oſculum.*

JACTARE Manus ad cava buxa, apud Prop. ubi de Nano choraule, *l. 4. Eleg. 9. v. 15.*

> *Nanus & ipſe ſuos breviter contractus in artus*
> Jactabat *truncas ad cava buxa manus.*

idem eſt ac *ſaltare* καὶ χειρονομεῖν ad tibiam, vide ſuprà in voce *Choraules.*

JACTATIO Penſilis, vide infrà in *Oſcillum.*

JACTATORIUM, apud Galbertum in *Vita Caroli Com. Flandr. n. 96.* *Arietes, ſues,* jactatoria, *ſcalæ & conſimilia, quibus muros & lapideas compoſitiones deſtruere ſolent*: machina bellica eſt, quæ tela complura ſimul, vel certè lapides, emittebat, *Petraria.* Gr. Λιθοβόλον C. du Freſne in *Gloſſ.*

JACTI vel JACTONES, Gallis ſunt calculi, quibus in putandis rationibus utuntur, *jettons*, voce è Tabulæ ludo mutuatâ. Nempe cùm *jactus* propriè vocari debuiſſet teſſera, quòd *jaceretur.* Ovid. de Arte Am. *l. 2. v. 204.*

> *Tu malè jactato, tu malè* jacta *dato.*

Uti enim calculi *dari*, ſic teſſeræ *jaci* dicebantur, hincque Græci βόλους, non tantùm teſſerarum jactus ſed etiam teſſeras ipſas nuncuparunt: vice verſâ *datos* vel *dados* vocant Galli teſſeras, *jactus* vero calculos. Vide Salmaſ. *ab Vopiſc. in Proc.* ubi de jactu teſſerarum complura. Apud Suet. *de Claris Rhet.* *bolus* Græcâ voce retentâ *jactus* dicitur, de piſcium captura, uno retis *jactu* factâ; ex βάλλω, *jacio*: *Æſtivo tempore adoleſcentes urbani cum Oſtiam veniſſent, litus ingreſſi piſcatores trahentes rete adiêrunt: & pepigêrunt, bolum quanti emerent.* Ubi *bolum emere*, eſt Græcè βόλον πρίασθαι, Lat. *jactum emere.* Vide Caſaub. *Animadverſ. ad l.* &c. Apud Cencium Camerar. *in Cerim. Rom.* *Jactus*, non ſemel ὑπαλεία dicitur ſeu *miſſile*, ut annotat Baron. A.C. 1191. Falconariæ Artis Magiſtris *jacti*, laquei ſunt de corio facti, qui pedibus falconum imponi ſolent, *ut cum eis retineantur, & jactentur ad prædandum*, uti habet Frid. II. Imp. *de Arte Ven. l. 2. c. 38.* apud C. du Freſne *in Gloſſ.* Nec verò *jacti* ſolùm, ſed & *Jacula*, vett. Latinis teſſeræ appellabantur, à *jaciendo*, Iſid. ſicut Græcis βόλοι & βόλια, unde παίζειν εἰς τὰ βόλια, in vet. Inſcr. Tabulæ luſoriæ: Item βολίδες, Epigr. Gr. εἰς ἄβλαν.

> Μήτε δὲ νικήσας μεγαλίζεο, μήτ' ἀπολειφθεὶς
> Ἄχνυσο, τὴν ὀλίγην μεμφόμενος βολίδα.
> *Neque autem, ſi viceris, gloriare, neque ſi fruſtratus fueris,*
> *Contriſtare, exilem incuſans teſſeram:*

apud Salmaſ. ubi ſuprà.

JACTUM, fluv. Liguriæ. Plin. *Grana* quibuſdam, ex Apennino in Padum ante Tanarum influens, per montem Ferrarum.

JACULATIO, inter Vett. exercitamenta, vide ſuprà *Gymnaſtica*, ubi quamvis ῥίψιν, *projectionem*, hoc nomine veniſſe diximus. In ſpecie *Jaculum*, Græcè ἀκόντιον, inter 5. certaminum genera, in Ludis olim Gymnicis obita, quæ hoc μονόστιχον complectitur,

> Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Ubi diſcum mox ſequitur, cujus exercitationi *jaculum* adnexum videtur. Certè Horat. de his ita junctim loquitur, *Carm. l. 1. Ode 8. v. xi.*

> —— *ſæpe diſco,*
> *Sæpe trans finem jaculo nobilis expedito.*

Fuêruntque ambo rudimenta & exercitamenta duritiæ & laborum militarium; quibus non tam coronæ propoſitæ fuerint, quàm alia quædam præmia, νικητήρια, ἐπινίκια, γέρα, ἆθλα καὶ ἔπαθλα, dicta, de quibus vide C. Paſchal. *Coron. l. 6. c. 24.* Scalig. ubi de ordine certaminum, ſic de poët. *l. 1. c. 22.* *Jaculorum* *Pedum*, inquit, *initio jactum ar*[illegible]*, mox lapidem* [illegible] *Qui modus fit quaſi introrſum.* *Contrarius autem* [illegible] *quem in diſco jaciendo exercebant. Nam ad jacula* [illegible] *chium pandimus, mox prorſum impellimus. Contra* [illegible] *pectus adductâ, atque extrorſum diſcluſâ*, Laboris militaris exercita[illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

mentum id fuiſſe, dixi: nempe Plin. facit *l. 7. c. 56.* Jaculum *proprie armorum genus, quod, una cum amento, Ætoli Marte geniti inventum.* Ejus jaciendi uſum veterem indigitat Stat. *Theb. l. 6. v. 354.*

Quale quater jaculo *ſpatium, ter arundine vincas.*

Ubi cùm trium ſagittarum ſpatium quatuor jaculorum longitudinem habuiſſe innuit, h. e. quatuor jaculorum ictus æquâſſe trium ſagittarum ſpatium, diſcimus hinc longè aliam rationem *ſagittandi* & *jaculi jaciendi* priſcis fuiſſe. Hodie enim res ſecus habet, uniuſcujusque ſagittæ expulſio decem ampliùs *jaculorum* ſpatium conficit, eoque amplius. *Sed verum eſt, ſagittarum nos tenere veterem uſum, etſi habitiorem longè redditum, jaculorum ferè omnem amiſiſſe*, verba ſunt Caſp. Barthii *ad h. l.* Vide quoque Serv. *ad Æn. l.* XI. *v.* 608.

Jamque intra jactum *teli progreſſus uterque*
Conſtiterat ——

Juſt. Lipſ. *de Mil. Rom. l. 5. c. 20.* & hîc paſſim in vocibus *Haſta, Pilum, Pugna*, ubi Vett. jaculum primò hoſti intorſiſſe, dein enſem expediiſſe, dicemus; *Sibyna* &c. Novum *jaculi* genus excogitavit C. Marius, qui primus bello, an contrà Cimbros, an adverſus Santones, telis uſus eſt ſeu *Jaculis pilatis*, quæ in hoſtem intorta frangebantur, ita ut vel in ſcuto, vel in corpore pars altera figeretur, altera remaneret pendula, maximo impedimento repugnaturis, vel exitio, vel certè, ut nulli eſſent poſtea hoſti uſui, vide Plutarch. *in Mario.* Ad ea reſpicit Horat. *Serm. l. 2. Sat. 1. v. 13. & ſeqq.*

—— *neque enim quivis horrentia pilis*
Agmina, nec fracta pereuntes cuſpide Gallos,
Aut labentis equo deſcribat vulnera Parthi &c.

Jaculandi verò artem ab hyſtrice nos accepiſſe, conjectat Claud. qui *de Hyſtrice* poëmation ſic claudit: *Carm. 45. v. 44. & ſeqq.*

Quod ſi omnis noſtræ paulatim induſtria vitæ
Fluxit ab exemplis; quidquid procul appetit hoſtem,
Hinc reor inventum; morem hinc traxiſſe Cydonas
Bellandi, Parthosque retro didiciſſe ferire;
Prima ſagittiferæ pecudis documenta ſecutos.

Ludicrum *jaculationis* genus habes ſuprà in Contacopæctes.

JACULATOR, Græcè τοξευτὴς, lupi genus, apud Oppian. *Cyneget. l. 3.* à curſus velocitate ſic dictum. Vide infrà *Lupus.*

JACULUS, Hebr. *Kippoz*, aliter *acontias*, ſerpentis genus eſt, cujus morſum ἀνίατον vel ἀνήκεστον, h. e. *inſanabilem eſſe*, ſcribunt Agatharchides, Diod. Sic. & Strabo *l. 12. p. 570.* inter omnes Africæ peſtes deterrima. Neque vitabile eſt hoc telum, cùm ex inſidiis erumpat tanto impetu, ut omnem prævertat fugam. *Miſſu volare tormento*, dicit Plin. Et Ælian. Ἀκόντιον δὲ ὡς ἐκ μηχανῆς [illegible] ἐνέφυ, *Inſiliens ſtatim adhæret.* Quæ tam præceps rapiditas ſic deſcribitur Lucano Civ. Bell. *l. 9. v. 822.*

Ecce procul ſævus ſterilis ſe robore trunci
Torſit, & immiſit (jaculum *vocat Africa*) *ſerpens,*
Perque caput Pauli transactaque tempora fugit.
Nil ibi virus agit, rapuit cum vulnere Fatum:
Deprenſum eſt, quæ funda rotat, quàm lenta volaret,
Quàm ſegnis Scythicæ ſtrideret arundinis aër.

Etiam viginti cubitos tranſilire, in Æliano legimus: unde patet, vaſta omnia & inculta oportere eſſe loca, quæ tali peſte fœcunda ſunt. Reperitur autem, extra Africam; etiam in Idumæa, ex *l. c.* Ægypto, Amm. Marcell. *l. 22. c. 15.* in Sabæis, Strab. & Arabia, Lucan. idem Civ. Bell. *l. 6. v. 677.*

Non Arabum volucer ſerpens.

Idem *l. 9. v. 720.*

Et natrix violator aquæ, jaculique *volucres* &c.

Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſt. L. III. c. 11.*

JADA, i. e. *ſciens*, vel *cognoſcens*, fil. Onan. 1. Par. *c. 2. v. 28.*

JADAJA, nomen viri. Eſdr. *c. 2. v. 38.*

JADAN, Propheta. Joſeph. *Antiqq. l. 8. c. 8.*

JADDAS, fil. Joh. ſummus ſacerdos apud Judæos.

JADDER, J. Lucio *Salona*, Slavis *Solin*, fluv. Dalmatiæ in Hadriaticum mare ſe exonerans, juxta quem eſt opp. *Jadera* Apolloniæ, & Salonæ ruinis vicinum, hodie *Zara* Venetis ſubditum. Lucan. Civ. Bell. *l. 4. v. 405.*

Et tepidum in molles Zephyros excurrit Jader.

JADDO, i. e. *manus, poteſtas*, ſive *confeſſio ejus*, nomen viri. Nehem. *c. 3. v. 7.*

JADDUS, vel JEDDOA, ſummus Sacerdos Judæorum, poſt Jonathanem. A. M. 3711. Alex. Mag. genti ſuæ iratum, quòd Tyrum obſidenti annonam non ſummiſiſſent, Pontificalibus veſtibus indutus placavit, eumque de vanitate Deorum gentilium edocuit, qui hac de re ad matrem Olympiadem ſcripſiſſe dicitur. Poſt An. 10. Oniam ſucceſſorem habuit. Joſeph. *Antiqq. l. 11. c. 1.* Euſeb. *in Chron.* Cyprian. *in tr. de vanit. Idol.* Auguſtin. *de Civ. Dei, l. 18. c. 45.* Rigalt. *in Tertull. Cyprian. & Minuc. Fel.*

JADERA, urbs Illyrici, *Zara* Italis, *Zadar* Slavis, Liburniæ caput, permunita, undique mari cincta. 100. mill. circiter à Pola, 40. a Sibenico in Occ. Archiepiſcopal. cui ſubſunt Senia, quæ Auſtriacis paret, Enona, Abſorus, Arba, Vegia & Scardona: Antea ſub Hung. Rege nunc ſub Venetis. Pop. *Jadertini* Plin. *l. 3. c. 21.* & *Iadertini* Hirtio. Hinc regiunc. adjacens Comit. Jaderæ, vulgò *Contado di Zara.* Addo, quod urbs Colonia fuit Romana, ut ex *Inſcr.* hac patet:

IMP. CÆSAR. DIVI. F. AUG.
PARENS COLONIÆ MVRVM
ET TVRRIS DEDIT
TI. IVLIVS OPTATVS TVRRES
VETVSTATE CONSVMPTAS
IMPENSA SVA RETITVIT.

Longè amplior olim, ut ex reliquiis Arcus antiqui, quibus porta S. Chryſogoni hodie ornata eſt, illuc è loco quadrantis horæ ſpatio diſtante delatis, patet, quibus hæc inſcripta:

MELIA ANNIANA IN MEMORIAM Q. LÆPICI Q. F.
SERG. BASSI MARITI SVI
EMPORIVM STERNI ET ARCVM FIERI ET STATVAS
SVPERPONI TEST. IVSSIT EX HS. DC DXX. P. R.

cùm hodie murorum ambitus duo milliaria Italica ægrè impleat, nec incolarum numerus ultra 5. aut ſex hominum milia aſſurgat. Prope Templum Græcorum, quod *S. Eliæ* vocant, rudera viſuntur Templi Junonis cogn. *Auguſtæ*, uti *Inſcr.* in vicinia docet. Ibidem Amphitheatrum fuerat, cujus hodie nihil ſupereſt: Aquæ ductus verò à Trajano Imp. conſtructi, cujus ope aqua à decem milliaribus urbi illata, veſtigia nonnulla conſpiciuntur etiamnum. Cæterum urbem, qualis hodie eſt, Marinus Sanutus Venetus, refeciſſe legitur, ante aliquot ſecula, in ſeq. diſticho, quod *Inſcriptioni* ſuprà dictæ ſubjectum ita ſonat,

Urbe hac præfectus Sanuta ex prole Marinus,
Me ſtruxit tandem Veneto dominante Senatu.

Vide Jac. Spon. *Itin. Part. I. p. 86. & ſeqq.* ubi inter alia, iconiſmum reliquiarum Arcus præfati, & indiculum operum excellentiſſimorum Pictorum, qui in Ædibus ſacris ibi viſuntur; & *Part. 3. p. 73. & ſeqq.* ubi præter Inſcriptiones jam indigitatas, reliquas quoque, quæ Jaderæ ſuperſunt, inter quas una *Iſiai Serapidi Libero Liberæ* ſacra, exhibet. Idem cives *Jadeſtinos*, non *Jadertinos*, in antiquis monumentis frequenter appellari obſervat *ibid.*

JADES, Auctor Gr. de Muſica ſcripſit. Priſcian. *de Pond.* Item Statuarius. Plin. *l. 34. c. 8.*

JADIAS, i. e. *ſimul*, vel *ſolus dominus*, aut *gaudium*, ſive *acumen domini*, vel ex Syro & Hebr. *unus Dominus.* Nomen viri. 1. Par. *c. 27. v. 20.*

JADIHEL, fil. Benjamin. 1. Par. *c. 7. v. 6.* qui Gen. *c. 46. v. 24.* dicitur *Asbel.* Lat. *ſcientia*, vel *cognitio Dei.*

JADON, i. e. *judicans, litigans*, vel *manus ejus*, nomen viri. Nehem. *c. 3. v. 7.* It. nomen Prophetæ, qui contra Jeroboamum miſſus, à falſo Propheta ſeduci ſe paſſus eſt Joſeph. *Antiqq. l. 8. c. 3.*

JADUA, vulgo JADE, Plin. *l. 4. c. 14.* *Guttalus*, fluv. parvus, in Comit. Oldenburgico. Prope oſtia Viſurgis, in Oceanum ſe exonerat, ſeu potius in Sinum inundatione maris factum, *de Jade.* Adjacet ei caſtrum *Jada.*

JAGERNDORFFIUM, vide *Jegerndorffium.*

JÆTIA, urbs Siciliæ. *Steph.*

JAFANAPATANUM, urbs Ceylani inſ. in parte Sept. cum arce, ſub Hollandis. Caput eſt regni cogn. 60. mill. ab ora Coromandelis in Ort. in quo numerus Indorum, ad Chriſti fidem, à Batavis, converſorum, ſe extendit ad 141466. A. C. 1684. quibus præſunt quinque Paſtores Batavi, juxtà plurimos alios ex indigenis, uti ſcribit in *Ep. ſcripta Columbo d. 20. Dec. anni præfati*, Hermannus Spectil. Paſtor Eccl. Columbenſis: quibus intra quadriennii ſeq. ſpatium acceſsêrunt 40. uti idem alibi. Sic, cùm incolarum totius Regni ſit numerus 278759. jam converſi ſunt 180364. Ibid. Seminarium à Rhedano Belga Viro perluſtri inſtitutum eſt, in quo Malabarica juventus in lingua Hollandica & bonis Literis inſtituitur, uti *Jafanapatano* ſcripſit ad Amicum Adr. de Mey Miniſter Verbi divini & primus Seminarii hujus Malabarici Rector, d. 7. Nov. 1690.

JAFFA, vide *Joppe.*

JAGARA, aut JAGRA, Indis ſaccharum dicitur, uti quidem viſum Scalig. *Exercit.* 164. Sed ſaccharum in genere illos *ſacar*, ſolùm verò ſpeciem ſacchari ejus, quod ex liquore Tengæ conficitur, *Jagara* vel *Jagra* appellare, docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 1313. Vide infrà, ubi de *Saccharo.*

JAGATH, Maurit. Ting. opp. infrà fretum Herculeum, Abylæ propinquum. Ptol. *Targa Caſtaldo.*

JAGES, vulgò *les Jacques*, pop. inculti & Barbari, in Æthiop. inf. Sine urbibus vagi, inter lacum amplum, in imperio Monemugi & conf. Congi.

JAGIELO, vel JAGELLO, Princeps Lithuaniæ, ex Ethnico Chriſtianus, meruit Hedvigis, Ludovici Poloniæ Regis filiæ natu minimæ, nuptias, hincque ſceptrum. Ut Lithuanos ſimiliter ad fidem perduceret, omnibus ſpectantibus, ipſe arboribus, quas hactenus coluerat, ſecuri impactâ, ignibusque tam diu adoratis aquâ affuſâ, *Non eſt*, clamabat, *non eſt Deus, quod exſcindi, dejici, extingui poteſt.* Orationem dein Dominicam, Symbolum Apoſt. aliaque in idioma Lithuanicum vertit. Baptizatus *Vladislai* nomen accepit, & Lithuaniam Poloniæ junxit. Prœlium contra Crucigeros initurus, Deo pro victoria publicè ſupplicavit. Palatinum Valachiæ in fidem accepit, A. C. 1411. Cracoviæ cum Huſſitis diſputationem inſtituit, A. C. 1431. quâ tantopere motus eſt, ut in veritatem ſedulo inquirere cœperit, & Miniſtro Euangelico è Bohemia evocato, ſub prætextu Aſtronomici ſtudii, ſæpius ad pacandam conſcientiam uſus ſit. Eo facilius quoque uxoris petitioni annuit, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Eccleſiaſtis Bohemis vulgari linguâ Slavonicâ ſacra adminiſtrare, in templo ſanctæ Crucis Cracoviæ, permiſit. Cujus zelum & alii imitari, Corybutus inprimis Regis patruelis, qui armatâ quoque manu Bohemos propugnavit. Ex hujus fam. ultimus Sigiſmundus Aug. Obiit A. C. 1572. Ipſi verò Jagieloni ſucceſſit Uladislaus fil. Vide Cromerum *Hiſt. Pol. l.* 16. & 18. Ant. Muret. *in Orat. Læt. in Comp. Hiſt. Univ.*

JAGIELO, vide *Ladislaus.*

JAGUR, civ. in tribu Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 21. Lat. *colonus*, vel *advena*, ſive *timens*, vel *congregans.*

JAHADDAI, nomen viri. 1. Par. *c.* 2. *v.* 47. Lat. *ſimul*, aut *ſolus ego*, ſive *acutus*, vel *gaudens.*

R. JAHAKOB, F. Ras, quem vide, ſcripſit *Arbah Thurim* An. 5100. juxtà calculum R. Ganz.

JAHALA, nomen viri. Nehem. *c.* 7. *v.* 58. Lat. *aſcendens*, aut *damula*, vel *capnea.*

JAHATH, i. e. *confractus*, aut *formidans*, vel *ſtupens*, fil. Lobni. 1. Par. *c.* 4. *v.* 2. Fil. Raja. Idem *c.* 6. *v.* 20. & *c.* 24. *v.* 22. Præpoſitus inſtaurantibus templum de filiis Merari. 2. Par. *c.* 34. *v.* 12.

JAHAZIA, i. e. *viſio Domini.* Nomen viri. Eſdr. *c.* 10. *v.* 15.

JAHAZIEL, Sacerdos. 1. Par. *c.* 16. *v.* 6. Fil. Hebron. Idem *c.* 23. *v.* 18. Fil. Jahath. Idem *c.* 24. *v.* 23. 2. Par. *c.* 20. *v.* 14.

JAHEL, uxor Heber Cinæi, Siſeram ſopitum clavo transfixit, Jud. *c.* 4. *v.* 17, 18, 21. & 22.

JAHELEL, i. e. *expectans*, aut *orans Deum*, ſive *incœpit Deus.* Fil. Zabulon, Gen. *c.* 46. *v.* 14.

JAHIEL, nomen viri. 1. Par. *c.* 15. *v.* 18. *c.* 16. *v.* 5. *c.* 23. *v.* 7. *c.* 29. *v.* 8. 2. Par. *c.* 21. *v.* 2. *c.* 29. *v.* 14. *c.* 31. *v.* 13. & *c.* 35. *v.* 8. Eſdr. *c.* 8. *v.* 9. & *c.* 10. *v.* 2. Lat. *Vivit Deus.*

JAIR, i. e. *illuminans*, vel *illuminatus*, fil. Segub. 1. Par. *c.* 2. *v.* 22. Item Judex Iſraëlis. Jud. *c.* 10. *v.* 13. Item loci nomen. Joſ. *c.* 13. *v.* 30. In Baſanitide reg. civ. tribus Manaſſe.

JAIRUS, nomen viri, cujus filiam JESUS CHRISTUS ſuſcitavit. Marc. *c.* 5. *v.* 22. Luc. *c.* 8. *v.* 41.

R. JAKOB F. Chabib, unus ex captivis in Hiſp. ſcripſit *Hain Jakob* & *Beit Jakob*, circa An. 252. Millen. VI. uti ſupputat R. Ganz, qui & Rabbinorum ei *συγχρόνων* meminit *ibid.*

R. JAKOB, Wormatienſis, per Germaniam celebris fuit; pater R. Chajim Fridburgenſis R. Liva, R. Sinai & R. Simſonis, qui omnes præſides Scholarum hîc ibi fuêre. Obiit An. 323. Millen. VI. juxtà calculum R. Ganz *in Chronol. Rabbinorum.*

R. JAKOB Falk, vide *Falk.*

JAKOTYNUM, vulgò JAKOTYN, opp. Ucraniæ, in Palat. Kyovienſi, trans Boryſthenem, cum arce munita, juxtà fluv. *Supoi*, 8. mill. ſupra Elmiazoviam in Bor. 11. à Kiovia in Ort.

JALA, urbs Indiæ, in parte Or. Ceylani Inſ. aliquot mill. diſtans ab ora litor. regni cogn. caput. Paucis ob aſperitatem reg. incolis conſtat.

JALALEEL, nomen viri. 1. Par. *c.* 4. *v.* 16. Lat. *laudans Deum*, vel *illuminatio Dei.*

JALEMUS, Calliopæ fil. infelix, nulliusque pretii homo, præſertim in cantu ſuprà modum frigidus, unde pro cantilena lugubri poni ſolet. Apollon. *Arg. l.* 4.

> Παννύχιοι ἐλεεινὸν Ἰήλεμον ὠδύροντο.

Athen. *l.* 14. *p.* 619. Ἐν γάμοις Ὑμέναιος· ἐν δὲ πένθεσιν Ἰάλεμος. Vide Henr. Steph. in Ἰάλεμος. *Nic. Lloyd.*

JALGEJUM, memoratum Orderico Vitali *Hiſt. Eccl. l.* 8. vulgò *la Roche d'Igé*, aut *Mont-Jallu*, caſtellum vet. Galliæ, prope Novum Caſtellum, in pago Sagonenſi: aliis *Jauſe* eſt. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

JALMENUS, vide *Aſcalaphus.*

JALON, i. e. *manens*, vel *murmurans*, fil. Eſra. 1. Par. *c.* 4. *v.* 17.

JALYSUS, Rhodi urbs. P. Mela *l.* 2. *c.* 7. *Uxilica* Nigro; Nunc pagus. Hîc Imago, Protogenis opus, adeò pulchra, ut Demetrius Rex illius potiundæ causâ bellum Jalyſiis intulerit. A. Gell. *l.* 15. *c.* 31. Ἴαλυσος in Seldeni MS. Hæc urbs Telchinas olim aluit, maleficum genus hominum, & præſtigiis infame. Ovid. *Met. l.* 7. *v.* 364. Plin. *l.* 5. *c.* 31. Cic. *l.* 3. *de Nat. Deor.* Quid Jalyſus fuerit, ſunt qui dubitant. Moſellanus venatorem fuiſſe ſuſpicatur, quòd cum cane pingatur. Sunt qui Satyrum hoc cognomine fuiſſe putent, alii Bacchum, qui à Rhodiis ita vocaretur. Erat autem Cercaphi fil. qui urbi cognomen dedit, quæ Ἰάλυσος Steph. dicitur. Porrò hæc urbs olim *Achæa* dicebatur. Ergias Rhodius apud Athen. *l.* 6. *p.* 262. Οἱ περὶ Φάλανθον ἐν τῇ Ἰαλυσῷ πόλιν ἔχοντες ἰσχυροτάτην, τὴν Ἀχαΐαν καλουμένην. Diod. Sic. *l.* 5. *de Heliadis*: Καὶ ᾤκησαν ἐν τῇ Ἰαλυσίᾳ κτίσαντες πόλιν Ἀχαΐαν. Senſus eſt; Achæam urbem, quam condiderant Heliadæ, primi Rhodi incolæ, eandem eſſe quam Jalyſum, à qua inſ. pars *Jalyſia* dicta eſt. Nempe qui Heliades ſucceſsêrunt, Phœnices priſcum Achææ nomen mutavêrunt in Jalyſum, ad vitandam δυσφημίαν. *Achæa* enim *triſtitiam*, atque *animi mœrorem* ſonat. Heſych. Ἀχαίας, λύπας. Item Ἀχαία, ἐπίθετον Δήμητρος ἀπὸ τοῦ περὶ τὴν κόρην ἄχους, ὅπερ ἐποιεῖτο ἀναζητοῦσα αὐτήν. Vult *Achæam* dici Cererem à mœrore, quo confecta eſt, filiam Proſerpinam quærens. Quod ipſum aſſerit Scholiaſtes Ariſtoph. *in Acharnan. Act.* 2. *Sc.* 6. Et qui ſcripſit in Nicandri *Theriaca v.* 484. Contra Phœnicum *Jalyſus* (i. e. יעליץ *jaalits*, vel יעלים *jaalis*) eſt à *lætitia* factum. Itaque eodem animo Achææ vocabulum mutatum à Phœnicibus in *Jalyſum*, quo à Græcis Ἄξενος in Εὔξεινος, à Romanis *Maleventum* in *Beneventum*, & à nautis vulgari linguâ *malacia* in *bonaciam.* Bochart. *Nic. Lloyd.*

JAMA, arx Ingriæ, quæ Sueciæ provincia eſt, permunita, in margine fluenti *Jamiſche Beck*: Hæc Imper. Moſcovitici clavis, cum tota Diœceſi, A. C. 1617. pace Suecis ceſſit: è regione arcis, trans fluentum quoddam municipium Ruſſi, ſed Suecorum juris inhabitant, 3. mill. Germ. à Narva Livonica, vulgò *Jamagorod.*

JAMÆ, pop. Scythiæ. *Steph.*

JAMAICA, quæ nunc *Inſ. S. Jacobi* nuncupatur, inſ. eſt ampla maris Sept. ab Hiſpaniola 25. leuc. in Occ. à Cuba inſ. in Auſtr. 20. Mer. S. Bernardi inſulas & Carthagenam reſpicit, Occ. Jucatanas terras, ſeu Fonduram verſùs fertur, in longit. 50. mill. protenditur. Baudr. 40. leuc. Hiſp. longa, 18. lata Ambitus ejus 600. milliarium. Eid. 100. leuc. Hiſp. Hanc inſ. Columbus ſecundâ navigatione detexit, ejusque inſulanos Didacus, Columbi fil. A. C. 1509. rebellantes ſubegit, & Jamaicam Coronæ Hiſpanicæ ſtipendiariam tributariamque reddidit. Duabus civitatibus habitatur, quarum primaria Sevillia ſive *Hiſpalis* vocatur, in parte Sept. Inſ. Joh. Matal. Metell. Merc *Melilla* urbs, in eodem tractu, ad Ort. Hiſpalis, & Oriſtanium *Oriſtagni*, ad Mer. cum aliquot coloniis Anglorum, quibus maj. ex parte nunc Inſ. patet, ab A. C. 1654. Baudr. Linſchot. *Hiſt. Amer.* A Coſta, &c. ingenti terræ motu haud pridem horrendum in modum concuſſa vaſtataque. Hinc nomen fam. in Hiſp. illuſtris, Marchionum *de Jamaica*, quæ ramus eſt ſtirpis Portugallenſis. Inter Fam. enim, quæ ex naturalibus Luſitaniæ Regum filiis ortæ, cùm tres præcipuæ ſint, harum ſecunda, *Bragantina*, ab Alphonſo Duce Bragantiæ ac Com. *de Barcellos*, Joh. I. Regis notho deſcendit: Ex cujus liberis Ferdinandus I. poſt Patrem Dux, ex tribus filiis totidem linearum fuit ſator. Et maximus quidem natu Ferdinandus II. Ducalem domum continuavit, ex qua nunc Reges, nec non Marchiones *de Flechilla* & *Xarandilla* atque Comites *de Cropeſa* oriundi ſunt. Ejuſdem rami palmites ſunt Comites *de Lemos* Duces Tauriſani cogn. *de Caſtro*, atque ex hiſce iterum Comites *de Gelves* Duces *de Veragua*, in quorum domum ſucceſſio fam. Columbiæ, cum dignitate March. *de Jamaica*, delapſa eſt. Georg. enim *de Portugal* Com. *de Gelves*, fil. Alvari & Philippæ (fil. Roderici *de Melo* Com. *de Olivenza*) junxerat ſibi Iſabeliam Colombo (quæ ex Didaco Columbo Duc. *de Veragua* neptis fuit Chriſtophori, famoſi illius Argonautæ & Americæ repertoris) è quo matrimonio natus Alvarus I. *de Portugal* Com. *de Gelves*, ex Leonora *de Corduba*, genuit Nunium *de Portugal* Columbum Duce *de Veragua*: quo, & Aldonciâ Portocarrerâ, natus Alvarus II. maritus fuit Catharinæ de *Portugal* Com. *de Gelves* (fil. Ferdinandi de Caſtro Com. *de Gelves*) & ex ea ſuſcepit Petrum Nunium I. Columbum *de Portugal* Duc. *de Veragua* & *de la Vega*; cui Iſabella Ferdinandina *de la Cueva* (filia Ferdinandi Franciſci Duc. Albuquerquii) genuit Petrum Nunium II. Columbum *de Portugal* March. *de Jamaica.* Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Part. III. Eur. p.* 72.

JAMAISOTIA, vulgò JAMAYSOIT, reg. Japoniæ, in parte Occ. Niphoniæ Inſ. ſub qua 12. regna, nempe Aquia, Bingum, Biteum, Fochium, Idzuum, Inaba, Ivamum, Mimalaca, Nangatum, Suvum & Tajimum. *Brietius.*

JAMAMA, urbs Arabiæ fel. regionis cogn. caput, ad *Aſtan* fluv. prope conf. Arab. deſ. 250. mill. à ſinu Perſ. in Occaſ. verſùs Meccam.

JAMBA, urbs Indiæ, cis Gangem, prov. cogn. caput, in dit. Mag. Mogolis. Vix 80. mill. à Gange fluv. in Ort. Laborium verſùs.

JAMBE, muliercula quædam Meraniræ ancilla, uti tradit Philochorus. Panos & Echûs filia, quæ cùm Cererem mœſtam videret, ridiculas narratiunculas, & ſales Jambico metro, ad commovendam Deam ad riſum, & ad ſedandum dolorem interponebat. Nicander *in Alexipharmacis.*

> Ἐμπλήδην κυκεῶνα πόρεις ἐς κύμβεσι τεύξας
> Νηστείρης Δηοῦς μορόεν ποτόν, ᾧ ποτε Δηὼ
> Λαυκανίην ἔβρεξεν ἀν' ἄστυρον Ἱπποθόωντος
> Θρῃίσσης ἀθύρμασιν ὑπαὶ ῥήτρῃσιν Ἰάμβης.

Nic. Lloyd.

JAMBLICHUS, Pythagoricus philoſophus, è Chalcide Syriæ, Porphyrii diſcip. Conſtantini Mag. tempore, qui adeò profecit, ut ſecundas poſt præceptorem Romæ obtineret. Vixit adhuc ſub Conſtantini filiis, & Juliano Ap. cujus 3. ad illum epiſtolæ. Scripſit inter alia, vitam Pythagoræ, Alypii, Orationes parænetica ad Philoſophiæ ſtudium capeſſendum. Cum Porphyrio tamen, Magicâ impietate, videtur Philoſophiam polluiſſe. Eunapius *in ejus vita.* Item Babylonius, auctor amorum Rhodani & Sinonidis. Sub Antonino Philoſ. itidem Magus. Vide plura de variis *Jamblichis*, apud Jonſium *de Script. Hiſt. Phil. p.* 174. & 292. &c. Critici *Jamblichum* ſcribi volunt, accentu penultimam longam denotante. Sanè Syrophœnicium iſtud nomen ſervatur adhuc, in ſacris Hebræorum literis ימלך *Yamlech* pro ימליך *Yamlich.* 1. Par. *c.* 4. *v.* 34. Ubi tertia futuri perſona ſingularis migrat in proprium nomen, & quòd ſit in conjugatione *Hiphil*, habet vocalem longam accentu notatam, i. e. *Hhirek* magnum, quod optimè per ει diphthongum exprimitur, ut אלהים Ἐλωείμ in Philone Biblio apud Euſeb. Ita ſi ſcriberetur Ἰαμβλειχος, omne dubium evaneſcet. Græcè autem M. & Λ. concurrere non poſſunt niſi B. interveniente. Sic M. & P. ut נימרד *Nimrod*, Græcè Νεμβρώδης, ab ἡμέρα, μεσημβρία. *Nic. Lloyd.*

JAMBOLI, inſ. vide *Taprobane.*

JAMBOLI, BALACHEJUM, arx & civ. Tauricæ Cherſoneſi. *Joh. Matal. Metell.*

JAMBOLUS, de mirificis hominum in India formis quædam tradidit. Tzetzes *Chil.* 7. *Hiſt.* 144.

JAMBULARIUS Petrus Franciſcus, Florentinus, πολύγλωττος, Aſtrologus, Coſmographus, Chronologus, Philoſophus, Theologus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

logus celebris, ſcripſit *Hiſt. Italiæ* uſque ad A. C. 1200. morte prævertus, A. C. 1564. alia quædam ad culturam dignæ patriæ pertinentia, de quibus vide *Elogia* A. Teiſſerii *P. I.* ex Poggianto *de Scriptor. Florent.* Thuano *Hiſt.* Ghillino *P.* 2.

JAMBUM, urbs in parte Auſtr. Sumarræ, inter fretum Malaccæ in Sept. & Palimbanum in Mer. Aliquot mill. ab ora litor. Hollandis frequentata; vulgò *Jambis.*

JAMESIUM, vulgò JAMETZ, oppid. Lotharingiæ probè munitum in conf. dit Luxemburg. Sub Gallis. Inter Mommedium ad Bor. & Danvillerium ad Auſtr. vix 2. leuc. utrinque, paulo amplius à Stenæo in Ort.

JAMI, pop. Scythiæ. *Steph.*

JAMIN, fil. Simeonis Patriarchæ. Gen. *c.* 46. *v.* 10. 1. Par. *c.* 2. *v.* 17. Fil. Ram, primogeniti Jerameel. Idem *c.* 4. *v.* 24.

JAMISSA, vel JAMESA, Ptol. Vide *Thameſis.*

JAMNA, urbs Balearis inſ. Ptol. *Cittadella* Ep. Gerundinenſi. Minoricæ caput, in ora Occ. è regione Majoricæ; cum portu utcunque capaci, recèns munita.

JAMNA altera, *Jamnis* Plin. *l.* 5. *c.* 13. *Jamnia* Antonino, *Jamnetorum portus* Ptol. *Zania* Maſio & aliis, urbs Palæſtinæ marit. inter Joppen ad Bor. & Azotum ad Mer. proxima Gazæ, ab Azoto & Aſcalone 200. ſtad. à Joppe 10. mill. paſſ. Aſcalonem verſùs ſuprà 20.

JAMNEA, Græcè Ἰάμνεια, opp. Phœnices, ab Joppe 12. mill. paſſ. diſtans, in *Tab.* Peutingeriana, *Aſcalone XII. Azoto X. Jamnia XII. Joppe.* Ubi *Jamniam* vocat, namque & Ἰαμνία dicebatur. Portum habuit ad mare, eumque paulo longiùs remotum, quæ cauſa, quòd duas *Jamnias* ponit Plin. *alteram intus*: *l.* 5. *c.* 13. Conſtat id ex Ptol. cui in ora recenſentur, Ἰόππη, Ἰαμνιτῶν λιμὴν, Ἄζωτος; deinde in mediterraneis urbibus τὴν Ἰάμνειαν numerat. In diviſione Regni Herodis Magni teſtamento facta, quâ Archelao dignitas Regia cum Judæa, Samaria & Idumæa obtigit, fratribus ejus Tetrarchis conſtitutis, tres urbes Salomæ ſorori aſſignatæ ſunt, inter quas *Jamnea* quoque, ut apud Joſeph. videre eſt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 569. & 576. ut & in voce *Jabne*, *Jamna*, item *Jamnia.*

JAMNIA, opp. Phœniciæ. Strabo *l.* 6. *p.* 759. vicum eſſe ſcribit. Vide Steph. Civ. maritima, in campeſtribus, in tribu Dan. 1. Mach. *c.* 4. *v.* 15.

JAMNIA, ſup. Galilææ vicus, prærupto ſitu, in tribu Nephthalim quem Joſeph. cùm Galilææ præeſſet, contra Romanos communivit. Joſeph. *in vita ſua.* Vide ſuprà.

JAMNICI, dicti fratres Bohemi, à ſpeluncis, in quas ingruente perſecutione latitabant. Poſtquam enim, Rokyzanâ annitente, ſeceſſionem à Taboritis Calixtini feciſſent, illi ab his victi, A. C. 1434. & decennio pòſt fraude Rokyzanæ tantùm non penitùs extincti ſunt. Cùm verò hic à Papa eluſus denuo Taboritis favere cœpiſſet, illi liberum in Montanis Sileſiæ vicinis habitandi locum à Georgio Rege nacti, eò ſeceſsêrunt A. C. 1460. Scripturarum lectioni ac precibus intenti, fide ac vitâ ad Apoſtolicam ſimplicitatem compoſitâ. Sed non diu pace ſunt gaviſi, ipſo Rokyzana Regem ad novam perſecutionem inflammante. Quare Taboritæ in ſylvas & ſpeluncas fugere compulſi, à *Jamnis* hujuſmodi, uti in lingua ſua vocant, h. e. ſpeluncis, *Jamnici*, quaſi ſpeluncales, appellari cœpêrunt, in quibus acerrimâ licèt hyeme ignem excitare interdiu non audebant, ne fumo proderentur. Etiam *Waldenſes* interdum appellabantur, quòd cum iis in Moravia latitantibus, communionem aliquam haberent: *Boleslavienſium* quoque & *Picardorum* exoſo nomine traducti. Graviſſima inde ſub Georgio Podiebradio Rege Vladiſlao aliiſque paſſi, durârunt tamen uſque ad A. C. 1500. quo Lutherus ipſe, ſeculi tum torrente abreptus, acerrimè in illos invectus eſt: imò ad hoc uſque ſec. piæ illorum reliquiæ perſeverârunt, uti alibi vidimus. Lege de his Regenſvolſcium *Hiſt. Sclavon.* Hottingerum *Sec. XV.* & qui inſtar omnium eſſe poteſt, Mutrum *in Chron.* Vide etiam aliquid in voce *Fratres*, *Taboritæ*, it. ubi de *Calixtinis.*

JAMNOR, nomen viri. Judith. *c.* 8. *v.* 1.

JAMRA, fil. Supha, filii Helem. 1. Par. *c.* 7. *v.* 37.

JAMUEL, fil. Simeonis Patriarchæ. Gen. *c.* 46. *v.* 10. qui 1. Par. *c.* 4. *v.* 24. dicitur *Namuel.* Item opp. Palæſtinæ in tribu Juda. Hier. *in Loco Hebr.*

JAMUS, vide *Jamus.*

JANA priùs, & deinde *Diana*, D. literæ appoſitione, ut ait Nigidius. Nic. Lloyd. Sanè Lunam dictam eſſe *Janam*, indicat Varro *de Re Ruſt. l.* 1. *c.* 37. *Jana creſcens & ſeneſcens.* Et hinc *Diva Jana*; per ſyncopen, *Diana*; Ut in carmine Saliari, apud eund. *de Ling. Lat. l.* 6. *Divus Janos*, i. e. Sol. Sed & *Jana novella*, *ibid. l.* 5. quod idem ac *Neomenia*, *Novilunium* &c. G. Joh. Voſſ. *de Idol. l.* 2. *c.* 16. & 25.

JANAI, fil. Gad. 1. Par. *c.* 5. *v.* 12.

JANASSA, Nympha, dicta à ſuaviter regendo, *ἰαίνω dulcoro*, & *ἀνάσσω impero.*

JANASUM, opp. Celtarum. P. Mela *l.* 2. Olim *Sant Jago*, nunc *Compoſtella*, urbs Callaicorum Lucenſium, in Hiſp. Brietio. Archiepiſcopal. cum Academia & conventu Juridico. Ex Chronicis Hiſp. urbs recens eſt, ab Alphonſo Rege circa tempora Caroli Mag. exſtructa, Iriæ Flaviæ urbi proximæ ſurrogata, & Archiep. poſtea ſede, quæ Emeritæ erat, decorata.

JANCOMA, Regn. Indiæ extra Gangem, ſub Rege Pegu.

JANIAS, Paſtorum ſeu *Hycſos* in Ægypto Rex V. Aphophis ſucceſſor, paulò pòſt exitum Iſraëlitarum, regnavit Annos 50. m. 1. Ejus tempore, Moſes mortuus eſt, Joſue Iſraëlitas duxit trans Jordanem, & in Thebaide regnavit Siſtoſichermes. Illum excepit Aſſis. Joh. Marsham. *Canone Chron.* ex Manethone & *Syncello.*

JANICULA, vet. Tuſciæ nomen *Leandro.*

JANICULENSIS Pons, urbis Romæ, nunc *Ponte Siſto Marliano.*

JANICULUM vel JANICULARIS, unus ex ſeptem Rom. collibus, ab Anco Martio Rege, qui eum facto ſuper Tiberim ponte ſublicio, muro cinxerat, urbi additus. Dictus eſt, vel quòd per eum, velut per januam populus Rom. primitus tranſierit in agrum Hetruſcum: vel ab opp. vetuſtiſſimo, quod Janus condidit: hodiè à flavis arenis Mons aureus vulgò *Montorio* nominatur. Ex hoc, ob altitudinem maximè conſpicua Roma eſt, cæteris autem infrequentior, ob aëris gravitatem, ut Mart. *l.* 4. Epigr. 64. *v.* 3. cujus Epigraphe de hortis Martialis teſtatur. Celebris fuit Numæ Regis & Statii Cæcilii Poëtæ ſepulchris. In eundem aliquando plebem ſeceſſiſſe Romanam, & à Q. Hortenſio Dictatore revocatam, ſcribunt Plin. & Liv. *l.* 1. *c.* 33. Hîc quoque Rex Tuſcorum Porſenna caſtra habuit, Liv. Dionyſ. Sil. Punic. Bell. *l.* x. *v.* 489. Sidon. Apollin. *c.* 5.

——— *Porſenna ſuperbus*
Tarquinium impingens, complevit milite Thuſco
Janiculum *quondam.* ———

Senatores tandem, metu perculſi, ſub initio bellorum civilium, ut iram Octavii evitarent, in collem iſtum ſe recepêrunt, veluti in ſedem tutam ac quietam, Dio *l.* 47. Ovid. *l.* 1. *Faſt. v.* 246. & Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 358.

JANICULUS, oppid. in Janiculo monte trans Tyberim, ita dictum à *Jano* conditore, vel quòd tanquam *Janua* eſſet Romanis in Hetruriam proficiſcentibus. Vide ſuprà. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

JANINEÆ Columnæ, à *Jano* patre in Arabia Fel. poſitæ.

JANIRA, Nympha. Oceani & Tethyos filia ἀπὸ τοῦ ἰαίνειν τοὺς ἄνδρας, h. e. *à viris demulcendis.* Heſiod. *in Theog.*

JANISCUS, fil. Æſculapii & Lampeties. Vide Schol. *in Plut. Ariſtoph.*

JANITORES, moribus Rom. catenis vincti aditus domorum ſervabant: viliſſimaque mancipia fuêre habiti. Jul. Firmic. *l.* 6. *Egeſtatem & onus miſeræ paupertatis indicunt & hos eoſdem* Janitores *faciunt, ad hoc obſequium mendicitatis neceſſitate compulſos.* Unde & in perſonis Eccl. ſervientibus *Janitores* olim ultimi, ut nunc etiam, qui *Cuſtodes* vulgò perhibentur. Eginhartus *in Car. Mag. Veſtimentorum Sacerdotalium tantam copiam procuravit, ut in ſacrificiis celebrandis ne* Janitoribus *quidem, qui ultimi Eccleſiaſtici Ordinis ſunt, privato habitu miniſtrare neceſſe fuerit.* Interim adeò neceſſaria hæc ſervitia habebantur, adeoque recepta, ut pro re valde mira fuerit, Cic. domicilium aliquando ſine Janitore fuiſſe: id quod notat Plutarch. *in eo*, *Ipſe*, inquiens, *probos & doctos viros quotidie convivos habuit, non ſumptuosè, ſed liberaliter, habitos. Domus ejus carebat* Janitore. *Decumbentem conſpexit nemo* &c. Vide de iis notata Joh. Brodæo *Miſcell. l.* 4. *c.* 3. Parrhaſio *ad Claud. de Raptu Proſerp. l.* 38. *v.* 86. *l.* 1. in Ruf. *Carm.* 3. *v.* 295. J. Rævardo *Varior. l.* 5. *c.* 20. Caſp. Barthio *Animadverſ. ad Stat. l.* 1. *ſylv.* 2. *v.* 35. & quæ infrà dicemus, in voce *Janua*. item *Oſtiarii.*

JANIZERI ſeu JANIZARII, prætoriani milites Turcici Imp. Diviſi in Conſtantinopolitanos & Damaſcenos, magni ad augendum & turbandum Imperium momenti. An ab Amurathe I. A. C. 1362. an ab Oſmanno I. Imp. inſtituti? Hi enim in poteſtatem ſuam dudum traxêrunt, ut regnum transferant quò velint. Unde & noſtro Sec. Oſmanem ac Ibrahimum è medio ſuſtulêrunt; nec meliora Fata hodiernum Muhammedem manſiſſent, niſi prudentiâ Magni Vezirii conſervatus, ac loco ejus ipſa inſidiarum architecta Avia, Achmedis Imp. quondam Saltana, ſtrangulata fuiſſet. Vide Auctor. *deſcr. St. Turc. l.* 1. *c.* 4. Proin ne ſimili licentiâ in poſterum in fam. Ottomannicam graſſerentur, feruntur omnibus modis nunc enervari: crediturque id inter conſilia ultimi belli Hungarici Mag. Vezirius poſuiſſe, ut *Janizarios* præſentiſſimis periculis objiceret, eoſque in tantum minueret, quò eò citius viam ſibi ad novam & obſequii patientiorem militiam pararet. Vide Leunclav. *Ann. Turc. & in Pandect.* 35. Chalcondyl. *l.* 1. inprimis P. de la Valle, *Itin. tom.* 1. 2. & 3.

JANIZZERI, ſolicitatores expeditionum, in Curia Rom. C. du Freſne in *Gloſſ.* ſeu Officiales Cancellariæ Rom. qui ſupplicationes beneficiorum ſubſcriptione ſuâ firmant, Car. Macro *in Hierol.* Vide Octav. Veſtrium *de Judic. Aulæ Rom. l.* 1. & 2.

JANNE, Pater Melchi, patris Levi. Luc. *c.* 3. *v.* 24.

JANNES, nomen incantatoris, ex eorum numero, qui Moſi reſtitêrunt, cùm ſigna faceret coram Pharaone. Exod. *c.* 7. *v.* 11. Socius Mambris: quæ nomina, Moyſi ſilentio tranſmiſſa, revelavit nobis Paulus 2. Tim. *c.* 3. *v.* 8. Liber in Eccl. prim. nominibus illorum inſignitus, apocryphis jam olim accenſitus eſt. Sixtus Sen. *l.* 2. *Bibl. S.* De illo, & ſocio ejus, locum inſignem Numenii, apud Euſeb. *Præp. Euang. l.* 9. *p.* 241. eruditè illuſtrat Sam. Bochart. *Hieroz. Parte Prior. l. II. c.* 53. Vide quoque ſuprà in voce *Cepotaphium*, & plura apud Cl. Suicer. *Theſ. Eccl. in* vocibus Ἰαννῆς & Ἰαμβρῆς.

JANNETI, in *Statutis* Ordinis S. Joh. Hieroſolym. *tit.* 19. §. 33. nummi argentei ſunt, à *Jano* Cypri Rege cuſi, C. du Freſne in *Gloſſ.*

JANNEUS, qui & Alex. Sextus Judæorum Dux, ob crudelitatem famoſus: Joſeph. *Antiqq. l.* 13. *c.* 20.

JANOE, civ. in tribu Ephraim. Joſ. *c.* 16. *v.* 6.

JANOTIUS Donatus Reip. Florentiæ à Secretis; poſtquam verò hæc in principatum verſa eſt, voluntarium ſibi ipſi exilium indixit, neque ullis Coſmi I. pollicitationibus, ut in patriam rediret, ſe moveri paſſus eſt. Venetiis ergo reliquum vitæ degit, ſcripſitque vernaculo Sermone *Dialogum* in Reip. hujus gratiam. Ejus *Diſcorſi delle coſe d'Italia*, & *la Republica Florentina*, adhuc inediti ſunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Obiit A. C. 1572. Ant. Teiſſier *in Elogiis P.* 1. ex Thuano, & Poggianto *de Scriptor. Florentinis.*

JANOVESIUS Bartholomæus, vide *Bartholomæus.*

JANOVITIUM, vulgò JANOWITZ, oppid. Bohemiæ, prope Caurzimam urb. ubi Auſtriaci à Suecis grandi clade affecti, Duce Torſtenſohnio, A. C. 1645. 6. mill. Germ. à Praga in Afr. verſùs Moraviam.

JANSENISTÆ, in Eccl. Rom. à Corn. Janſenio Ep. Iprenſi in Flandria nomen habentes, doctrinæ Auguſtini contra Pelagianos & Semipelagianos defenſione ſuſceptâ, adverſarios nacti ſunt Moliniſtas, qui *de Gratia & Libero Arbitrio* ad Semipelagianos propius accedere videbantur. Ut verò in herba malum ſuccideretur, Urbanus VIII. *Bullâ* editâ A. C. 1641. repetitaque Conſtitutione Pii V. & Decreto Pauli V. ne quis impoſterum *de materia Auxiliorum divinorum*, ſine expreſſa & ſpeciali licentia tractaret, inhibuit: iterumque A. C. 1644. perpetuum contradicentibus ſilentium impoſuit. Sequutus ipſum Innoc. X. iiſdem veſtigiis inſtitit, omnesque libros utrinque de hac materia ſcriptos prohibuit, ſtatim ſub initium Pontificatus ſui, A. C. 1645. Verùm his *Bullis* acriùs cum accenderentur odia, aliis falſa Janſenio affingi, doctrinam hanc non illius, non nuperum inventum (namque Mich. Bajus Cancell. Acad. Lovan. idem jam ſenſerat ſub Philippo II. & Pio V.) imò ipſius Auguſtini doctrinam eſſe, dicentibus: aliis *infallibilitatem* Pontificum Rom. contrà objicientibus: ulteriùs progreſſus *V. Propoſitiones Janſenii*, editâ A. C. 1653. *Bullâ* damnavit, in qua recipienda Epiſcoporum Galliæ major pars conſenſit, Archiep. verò Senonenſis, Ep. Ambianenſis aliique ſubſcribere renuêrunt. Alex. VII. deceſſore acrior, *Bullâ* A. C. 1657. evulgatâ, eaſdem Propoſitiones, *etiam in ſenſu à Janſenio intento*, condemnavit; cumque ne ſic quidem mori fluctus quieſcerent, & in Gallia maximè Janſeniſmus incrementum caperet, novam *Bullam* emiſit, Formulaque adverſùs Janſenium compoſitâ, in ejus verba Clerum adegit, A. C. 1664. quo pacto tota illa inter *Janſeniſtas* S. Auguſtinianos (quo potiùs nomine illi inſigniri volebant) & Jeſuitas controverſia, tandem in quæſtionem *de Infallibilitate Papæ* exiit. Nec verò de hoc ſaltem controvertebatur inter utroſque, ſed & circa *Attritionem*; ac Janſeniſtæ quidem quæſtionem hanc, *An illa Attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ, excludens voluntatem peccandi, cum ſpe veniæ ad impetrandam gratiam in Sacramento pœnitentiæ, requirat inſuper aliquem actum dilectionis Dei?* affirmabant, negantibus Jeſuitis, Sirmondo potiſſimùm, Annato, Pinterello, Moynio, aliis. Acceſſit nova odii materies, à *Verſione Novi Teſt. Montibus Hannoniæ edita*, quæ cum Vulgata parùm conſentire, & gratiam ſeipsâ efficacem adſtruere videbatur; cui etiam præfatione præmiſſâ S. Scripturæ lectionem cuivis neceſſariam aſſerebant Janſeniſtæ: unde quæ illis in Gallia contigerint, aliaque huc pertinentia, vide apud Georg. Horn. *Hiſt. Eccl. Novi Teſt. Periodo III. Art.* 3. §. 68. nec non *Continuat.* §. 15. & *ſeqq.* adde Heidegger. *Hiſt. Papatus* §. 245. & *ſeqq.*

JANSENIUS Cornelius, vide *Cornelius Janſenius.*

JANTHE, puella Cretenſis, uxor Iphidis, quæ ipſo nuptiarum die ex femina mutata eſt in marem. Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 815. 860. & 896.

JANTHINA, apud Mart. *l.* 2. *Epigr.* 39. cujus Epigraphe de Muneribus Mœchæ.

Coccina famoſæ donas, & janthina *mœchæ* &c.

Veſtes dicuntur violacei coloris. Plin. *l.* 21. *c.* 6. *Violis honos proximus. Earum plura genera — Ex iis verò, quæ ſponte apricis & macris locis proveniunt, purpureæ latiore folio ſtatim ab radice carnoſa exeunt, ſolæque Græco nomine Ja, ut ab his* Janthina *veſtis.* Nempe veſtibus quoque *eos flores, qui colore commendantur, Veterum provocavit luxuria*, Idem *ibid. c.* 8. Dictum igitur ἴανθον, pro ἰανθὲς, quòd *colorem violæ* præferret: ſicut χάλκανθον, pro χαλκανθὲς, quòd colorem haberet κάλχης, i. e. cœruleæ purpuræ. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1159. ex hiſce Heſychii, ἴανθον, ἄνθος καὶ χρῶμά τι πορφυροειδές. Hinc *Janthis*, vide ſuprà *Columba Stellæ.*

JANUA, villa in tribu Zabulon, in 3. milliario Legionis contra Mer. Hier. *in Loc. Hebr.*

JANUA, vide *Genua.*

JANUA, à Jano nomen habet, qui foribus præeſſe olim creditus eſt. Cic. *de Nat. Deor. l.* 1. *Principem in ſacrificando Janum eſſe voluêrunt; quod ab eundo nomen eſt ductum, ex quo tranſitiones perviæ Jani, foresque in liminibus profanarum ædium* januæ *nominantur*: quæ quales olim fuêrint. Vide ſuprà in voce *Fores.* His cuſtodiam appoſuit non tam ſecuritas, quàm conſcientia. Unde *Pueri ab Janua* meminit C. Nep. *Hannib. c.* 12. qui aditum obſidebat, ut admitteret nimirum vel dimitteret, qui dominum conveniebant: *Janitoris* Cic. *pro Plancio*, cùm ait: *Neminem à congreſſu meo neque* Janitor *meus, neque ſomnus abſterruit*: & Mart. *l.* 5. *Epigr.* 23. cujus Epigraphe in Paulum *v.* 9.

Illud adhuc gravius, quòd te poſt mille labores,
Paule, negat laſſo Janitor *eſſe domi*

Oſtiarii alii: nam hæ voces ſynonymæ ſunt. Fuit hic catenatus. Columella *in præf. l.* 1. *An putem fortunatiùs à catenato repulſum* Janitore, *ſæpe nocte ſerâ foribus ingratis adjacere?* Et hæc ſunt Oſtiarii impedimenta apud Afranium. Suet. *de claris Rhet.* 3. *L. Otacilius Pilitus ſerviſſe dicitur, atque etiam hoſtiarius, veteri more in catena fuiſſe.* Unde colligitur, non ita ampliùs Suet. æſtate factum eſſe. Et ſanè longò pòſt ipſum intervallo legimus, apud Corippum *l.* 1. catenas à *Janitore* in *Januam* tranſlatas eſſe:

Et jam crebra manus veloci concita pulſu,
Limina quaſſabat, ductis munita catenis
Ad ſtrepitum cuſtos, *cura eſt cui clauſtra tueri?*
Sic ait indignans.

Janitoris comes plerunque fuit canis. Plaut. *Moſtell. Act.* 3. *Sc.* 2. *v.* 166.

Tranio, age canem iſtam à foribus abducas face.

Idem Mil. Glor. *Act.* 2. *Sc.* 2. *v.* 57. & 117. in Trinumm. *Act.* 4. *Sc.* 2. *v.* 28. Suet. de Vitell. Imp. latebras quærente, *c.* 16. *Confugitque in cellulam* Janitoris *religato pro foribus cane.* Et hic erat mutus, vel potiùs vocalis cuſtos, qui Excubitore dormiente vigilaret: Erant autem & qui ponè *Januam* canem pictum haberent, ut apud Petron. Trimalcio. Porrò *Janitorum* erat ignem ſervare, Larium nempe familiarium, qui in Atrio fuit non procul à janua. Ovid. *Faſt. l.* 1. *v.* 135.

Omnis habet geminas hinc atque hinc Janua *frontes,*
E quibus hæc populum ſpectat at illa Larem.

Confirmat Petron. qui Lares argenteos apud Trimalcionem, in ædicula, inter *Januam* & Atrium videtur locare, in armario, ut Plin. explicat. Aliud *Janitoris* officium idem Petron. tangit: Edit. Gonſalis de Salas *p.* 15. Edit. Boſch. *c.* 28. & 29. *In aditu ipſo ſtabat Oſtiarius praſinatus, ceraſino ſuccinctus cingulo, atque in lance argentea piſum purgabat*: vile nimirum & ſordidum opus, quo & Venus Pſychen exercuit. Ideò autem *Janitores* fores obſervabant, quia ſordidum videbatur appenſo ut olim marculo eas pulſare. Sed & *Janitrices* invenimus apud Plaut Curcul. *Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 76.

Anus hîc ſolet cubare cuſtos Janitrix.

Idem Turcul. *Act.* 2. *Sc.* 4. Initio apud Petron. Edit. Gonſalis de Salas *p.* 17. Edit. Boſch. *c.* 55. *Anus præcipuè lippa, ſordidiſſimo linteo præcincta, ſoleis ligneis imparibus impoſita, canem ingentis magnitudinis catenâ trahit, inſtigatque in Eumolpum.* Apud ipſum Homerum *Janitrices cœli* Horas Pauſ. notat *l.* 5. A quo more ſunt ancilla oſtiaria in Euangelio, & Rhode puella in Actis Apoſtolorum, quæ pulſante oſtium Petro proceſſit ad audiendum. Hæc in privatorum ædibus. Excubiæ, quas tangit D. Bernardus *Meditat. c.* 5. Cæſarum & Regum fuêre. Stat. *Theb. l.* 1. *v.* 147. & *ſeqq.*

Non impacatis Regum ad vigilantia ſomnis
Pila, nec alterna ferri ſtatione gementes
Excubiæ.

Idque in veſtibulis. Unde Virg. Buten *fidum ad limina cuſtodem* appellat: & *Æn. l.* 6. *v.* 574. ait,

——— *Cernis*, Cuſtodia, *qualis*
Veſtibulo ſedeat?

Sed harum Excubiarum Palatinarum imaginem nemo meliùs Corippo *l.* 3. expreſſit. Neque verò privati non habuêrunt & ipſi ſuas excubias, ut ad Tac. adnotavit Lipſ. *in l.* 14. *Ann.* vide ſuprà. Alius à *Janitore* fuit miniſter, qui à *Jano* dictus eſt: Jano enim, à quo *Januæ*, ut dictum, aras Græci ante fores ſtatuebant, Macrob. Auctore *Sat. l.* 1. *c.* 9. Latinique videntur intus, & non uno in loco domus coluiſſe, ut qui apud ipſos omnibus *Januis* præeſſet. Ideoque homines recenſentur in antiquis monumentis, *à Jano primo Palatino, à Jano medio, à Jano ab Atrio.* Vide Laur. Pignor. *Tr. de Servis. p.* 220, 221, 222, 223, 224, 225, 226, & 228. Addam ſaltem *Janitores* villarum, qui *januas* ad tranſmittendum populum per villas obſervabant, ut notat Siculus Flaccus: non enim unus tantùm in tota villa fuit. Item *Janitores* ſepulchrorum, qui, ad familiam Libitinariorum pertinentes, claudendis & aperiendis ſepulchris erant deſtinati. De his Jul. Firmic. *l.* 3. *c.* 2. *In tertio loco Mercurius cum Saturno ab horoſcopo pariter conſtitutus, pollinctores faciet, ac funerarios mortuorum cadaverum cuſtodes aut ſepulchrorum* Janitores. Tit. Popma *de operis Servorum.* Nec omittendum, Romæ in viarum capitibus, portas ingentes extrui olim fuiſſe ſolitas, unicâ tantùm *januâ* aditum præbentes easque *Janos*, quaſi *Januas*, dictas. Vide infrà & Jac. Oiſel. *Notis in A. Gell. l.* 1. *c.* 16. In quibuſdam ſepulchris exſculpta eſſe ædificia, partim *januis* apertis, quibus animæ immortalitas ſignificetur, cujuſmodi ſit in palatio Capitolino Triumvirûm: partim clauſis, quibus interitus ejus unà cum corpore denotetur: quale in domo civis cujuſdam Transtiberinæ regionis, è regione pontis Fabricii, refert Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 39. Plura hanc in rem, inprimis de *Januas aperiendi & claudendi*, eaſdem *coronis floribusque exornandi*, item *pingendi lucernas ardentes iis appendendi, ratione*; porrò de *Janitorum cellulis*, quarum apud vett. Scriptores, Vitruv. Petron. Suet. *in Vitell.* frequens mentio, aliiſque, vide apud Caſaub. *ad Suet. in Calig. c.* 55. & *Vitell. c.* 16. ubi *in cellulam Janitoris confugiſſe* hic dicitur, inde ad necem extractus, C. Paſchal. *Coron. l.* 2. *c.* 5. & hîc paſſim, ubi de *Aperiendi ratione*, item in vocibus *Balanagra, Clavis, Cliens, Encauſtice, Fores, Flos, Luminum, Feſtum, Natalis dies, Oſtium, Peſſulus, Poſtis, Sera, Valva* &c. de *Janua* verò *Conſulum*, ſeu oſtio medio Circi, ſenos carceres fornicatos utrinque habente, ubi Conſules olim ludos ſpectabant, in vocibus *Circus*, item *Oſtia.* At Æthiopes, inque his Macrobii præcipuè, *januas* in ædibus nullas habebant, apud Herod. *l.* 2. quemadmodum & Romani, inter alias cerimonias, quibus peſtilentiæ tempore Deos ſuos ibant propitiatum, januas ædium omnium quibuslibet adire volentibus patefecêrunt, apud Liv. *l.* 5. *c.* 1. *promiſcuoque uſu rerum omnium in propatulo poſito.* Sic apud antiquiſſimos mortalium, utpote innocentia ſua tutos, teſte Seneca *in Octav.* &c.

per

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

——— *pervium cunctis iter*
Communis uſus omnium rerum fuit.

JANUAL, feſtum Jani, cui ſacra fiebant in libo, quod inde quoque ſic dictum, Feſtus. Item ex mola, quæ farinâ hornâ & ſale miſcebatur, quin etiam thure & mero. Ovid. faſt. *l.* 1. *v.* 172.

Jane *tibi primùm thura, merumque fero.*

JANUALIS Porta, vide *Janus.*
JANUARIUS, Coſ. collega Juſti, A. U. C. 1080.
JANUARIUS Menſis, à *Jano* dictus. Cenſorin. *l. de Die Nat. c.* 22. *Januarius à Jano, cui attributus eſt, nomen traxit.* Suaves autem ſunt Græci, qui ſic dictum volunt qu. Αἰωνάριον Suid. Αἰωνάριος, ὁ Ἰανουάριος μὴν παρὰ Ῥωμαίοις, αἰὼν ἑρμηνεύεται βιάζεται, ὡσανεὶ αἰῶνος πατέρα. Vel à *Janua.* Porphyr. *l. de antro Muſarum*: Διὸ Ἰανὸν εἰπόντες τὴν θύραν, καὶ Ἰανουάριον μῆνα τὸν θυραῖον προσεῖπον. Quamvis hoc Lat. etiam nonnullis placuit. Nic. Lloyd. Menſis hic, unà cum Februario reliquis menſibus, quorum Romulus fuit auctor, à Numa Pompilio adjectus eſt, nomenque à *Jano* accepit, quòd is hujus inſtar, reſpiciat & finem tranſacti anni & principium futuri, vide Voſs. *de orig. & progr. Idol. l.* 2. *c.* 17. Ei primas aſſignavit Numa, vel quia pacis ſtudioſus *Jano*, utpote civilis vitæ & terræ colendæ auctori, plus quam Marti detulit: vel quòd, cum poſt brumam Sol ad nos curſum reflectens quaſi de novo curſum ſuum incipiat, optimum judicaverit, idem anni, quod Solis, eſſe principium: Juxta Ovid. *Faſt. l.* 1. *v.* 163.

Bruma novi prima eſt, veteri que noviſſima Solis,
Principium capiunt Phœbus & annus idem.

In tutela Junonis erat, habuitque ex conſtitutione Numæ dies 29. ex ordinatione autem C. Julii Cæſaris 31. quorum qui feſti fuerint, vide infrà. Apud Athenienſes menſis hic Γαμηλιὼν dictus itidemque Junoni Pronubæ ſeu Conjugali ſacer fuit: à voce γάμος, *nuptiæ*, quæ eo menſe celebrari ſolebant. Apud Hebræos ei menſis Tebeth reſpondit. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 5. Fr. Roſſæum *Archæol. Att. l.* 2. *c.* 10. Godwyn. *de Rit. Hebr. l.* 3. *c.* 1. &c.

Feſta menſe Januario apud Rom. olim celebrari ſolita.

Kalendæ omnes in Junonis tutela erant, ſed Januarii præter cæteras fuêre celebres: Namque iis omne genus operis in ſua quiſque arte inchoabant: deſignati Conſules Conſulatum inibant, ab A. U. C. 601. Amici porrò lætis precationibus tantum ſibi invicem ominabantur, muneraque mittebant. Eodem die feſtum erat Jani: item feſtum dedicationis templorum Æſculapii & Jovis, in inſ. Tiberina.
III. poſt Kal. *Vota* it. *Votorum dies* dictus eſt, qua de re vide infrà *Vota.*
IX. die, qui erat V. Iduum, celebrabantur Agonia ſeu Agonalia: quibus Rex ſacrorum arietem immolabat.
XI. dies, Carmentalibus erat ſacer, Eodem die Juthurnæ ædes dicata eſt, in campo Martio.
XIII. ſeu Idus Jovi ſacra fuit, ut Idus omnes, ideoque ovis mactabatur *Idulis* dicta. Eadem Octav. Imp. *Aug.* dictus, & provinciæ in formam redactæ ſunt, Ovid. Tibicines item habitu muliebri urbem luſtrârunt, quod alii ad Idus Junii referunt.
XV. die ſeu XIX. Kal. Febr. Carmentalia iterabantur. Poſt quæ nullæ amplius menſis hujus feriæ in Kal. annotatæ ſunt, ſed dies omnes, uſque ad IV. Kal. Febr. Comitiales fuiſse dicuntur. Ovid. tamen adhuc aliquot celebritatum meminit, quas hic ſubjungere viſum eſt.
XVI. die ſeu XVII. Kal. Februar. feſtum erat dedicationis templi Concordiæ, quod à Camillo poſitum fuiſse, Plutarch. docet: A' Livia, Ovid.
XXIV. die, qui eſt IX. Kal. Februar. Sementinæ feriæ celebrabantur, quæ tamen non ſtatæ, verum conceptivæ, erant. His durantibus ſacra in æde Telluris Cereri & Telluri fiebant.
XXVII. die ſeu IV. Kal. Febr. feſtum fuit dedicationis templi Caſtoris & Pollucis.
XXX. die, qui eſt III. Kal. Febr. feſtum Pacis erat. Lil. Greg. Giraldus *in ſuo Kal. Rom.* XXIX. diem hujus menſis Equiriis aſſignat, quæ ad prid. Idus Martii Joh. Roſin. refert. Diis Penatibus quoque menſe hoc ſacrum fuiſse factum, clarum eſt ex Kal. vet. ruſtico, quod Hub. Goltzius edidit.

JANUARIUS, vulgò *Rio de Janeiro*, fluv. ingens Braſiliæ, *Ganabara* Gallis. In Ocean. Braſilicum ſe exonerat, maximè ad Auſtr. regionis, ubi portu gaudet capaciſſimo. Hinc prov. adjacens dicitur *Præfectura Januarii* fluv. vulgo *Capitania de Rio de Janeiro.* Sub Luſitanus. Prope ejus oſtia *Fanum S. Sebaſtiani*, urbs munita eſt.

JANUARIUS Pomponius, vide *Pomponius.*
JANUARUM Poteſtates, apud Tertullian. *Janitores* ſunt, quibus *Cancellorum Poteſtates*, h. e. *Cancellarios* jungit, quorum illi οἱ ἐπὶ θυρῶν, iſti οἱ ἐπὶ κιγκλίδων, Græcis dicti ſunt. Apud Vett. enim ſolidis foribus, præcipuè in prima janua, præponebantur cancellatæ ac reticulatæ, uti docet Scholiaſt. Ariſtoph. *ad illud*, Κλεῖς πηλίνας ὀμμάτων. Πρὸς ταῖς ἔμπροσθεν τῶν θυρῶν ἰσαρμίας κιγκλίδας, τὰς θύρας εἶπε διὰ τὸ ἐν ὅλῳ ἀσφαλίζειν καὶ ἀποκλείειν ὡς ὄψεις. Hinc diverſa illa miniſteria &c. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 927. & hîc paſſim, ubi de *Cancellis*, *Janua*, *Tranſenna* &c.
JANVILLA, vulgò JOINVILLE, quibuſd. JOANVILLA. Vide ibi.
JANUM, civ. in tribu Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 53.

Rex Italiæ.

JANUS, antiquiſſimus Italiæ Rex, A. M. 2722. ante adventum Æneæ A. 150. Fil. Apollinis ex Creuſa, Erechthei filia, à Xipheo hujus marito adoptatus, quibuſdam dicitur. Hic cum ingenti claſſe in Italiam venit, & Saturnum à Jove fil. Cretâ fugatum, navique in Latium ſimiliter appulſum, hoſpitio ſuſcepit, agrique colendi rationem ab eo edoctus in regni portionem eum recepit: Amboque unanimi conſenſu imperantes, duo condidêrunt oppida, quorum alterum *Janiculum*, alterum *Saturnium* vocârunt. Monetam quoque æream primi cudêrunt, in cujus altero latere roſtrum navis, in altero Jani imago erat impreſſa. Plutarch. in Ῥωμαϊκοῖς ad Quæſtionem, (cur nummi veteres ab una parte haberent Ἰανοῦ διπρόσωπον εἰκόνα *Jani biſrontem imaginem*, ab altera πλοίου πρύμναν ἢ πρῷραν ἐγκεχαραγμένον, *navigii puppim, aut proram inſculptam*) à pleriſque aſſeri dicit id fieri, ἐπὶ τιμῇ Κρόνου πλοίῳ διαπεράσαντος εἰς Ἰταλίαν, *in Saturni honorem, qui navi in Italiam trajecerit.* Janum autem Regum omnium ſuæ ætatis prudentiſſimum fuiſſe volunt, & præterita ſcientem, & futura prævidentem; unde & Bifrons fuiſſe fingitur, pingiturque alterâ manu clavem, alterâ virgam tenens. Mortuus, inter Deos relatus eſt. A Macrob. Deus Anni creditus, cui Ovid. ſuffragatur: *Faſt. l.* 1. *v.* 65.

Jane *biceps, anni tacitè labentis origo,*
Solus de ſuperis qui tua tecta vides.

Templumque 2. portarum habuit Romæ ad infimum Argiletum à Numa Pompilio poſitum, quod tempore belli patebat, pacis tempore claudebatur. Unde *Patulcjus* & *Cluſius* dictus eſt. Conſtat autem, templum hoc ter fuiſſe clauſum, primùm regnante Numâ, iterum poſt bellum Punicum ſecundum, tertio poſt bellum Actiacum: (imò ter ſub Aug. ſolo, ut alibi vidimus) Hujus autem claudendi, vel aperiendi ratio varia eſt. Alii dicunt, Romulo contra Sabinos pugnante, cùm jam propè vinceretur, calidam aquam ex hoc loco erupiſſe, quæ fugarit exercitum Sabinorum. Hinc ergo tractum morem, ut pugnaturi aperirent templum, quod in eo loco fuerat conſtitutum, quaſi ad ſpem priſtini auxilii. Alii dicunt Tatium, & Romulum facto fœdere templum ædificâſſe. Unde & Janus ipſe duas facies habet, ut oſtendat duorum Regum coitionem: vel quòd ad bellum ituri debeant de pace cogitare: vel quod ad prælium exituri locum ſibi apertum debeant relinquere, quo tuto poſſint reverti. Hunc nonnulli eundem eſſe putârunt cum Sole, ideoque & Quadrifrontem fecêrunt ob 4. quos ambit orbis cardines. Eundem hunc cum Gyge ac Noe fuiſſe volunt. Verſus Ovid. de Jani moneta *Faſt. l.* 1. hi ſunt: *v.* 229.

Multa quidem didici. Sed cur navalis in ære,
Altera ſignata eſt, altera forma biceps?

Idem ibid. *v.* 239.

At bona poſteritas puppim formavit in ære,
Hoſpitis adventum teſtificata Dei.

Oſtendimus antea ex Plutarcho veterum de hac re opinionem, quam tamen ipſe non probat, quia cum multis aliis Saturno commune id fuit: Καὶ γὰρ Ἰανὸς καὶ Εὔανδρος, καὶ Αἰνείας ἐκ θαλάττης προσεκομίσθησαν. Itaque videntur vett. ſymbolo navis aliud ſignaſſe, nempe arcam Noæ, quâ cum ſuis ſervatus eſt ab univerſali diluvio. Cæterùm *Janus* ab Hebræo יין *Jain* derivari videtur, quia vini repertor fuit, quâ ſignificatione *Oenotrius* dicitur Dion. Halic. *Hiſt. Rom. l.* 1. Hujus nominis uſus vel nullus, vel rarus ſemper fuit apud Græcos. Ovid. *l.* 1. *Faſt. v.* 89.

Quem tamen eſſe Deum te dicam, Jane *biformis?*
Nam tibi par nullum Græcia numen habet.

Nic Lloyd. Plura de illo vide apud Thom. Dempſt. ad Joh. Roſin. *Antiqq. Rom.* Virg. Æn. *l.* 7. *v.* 180. & *l.* 8. *v.* 357. Addo hîc ſaltem, quòd fuit primus ex Selectis Diis, quorum octo duodecim Diis Conſentibus ſeu præcipuis addidêre Romani, primo etiam loco in omnibus ſacrificiis nominatus eſt. Idem primus docuit Italos vinum & far ad ſacrificia & religionem magis: quàm ad potum & eſum, producta eſſe: Primus aras & pomœria & ſacra docuit: ad pudorem & ſanctimoniam domorum primus valvas, ſeras & claves excogitavit, unde ab eo *Januæ* dictæ, quibus etiam præeſſe credebatur. Olympo Regi Hetruriæ fano ſacrato, duodenis coloniis totidem pomœria araſque ſacravit & ad continendum recentes tum colonias in officio, virgas faſceſque ſingulis ſingulos dedit: unde ipſe in manu virgam & clavem, ſub pedibus verò bis ſenas aras, habebat, Q. Fab. Pictor, Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 9. &c. Simulacrum ejus, quod in Capitolio fuit, ita fuiſse formatum, ut in manu dextra trecentorum, in ſiniſtra ſexaginta quinque numerum teneret, ad demonſtrandam anni dimenſionem, idem Macrob. cum Plin. memoriæ prodidit, vide quoque Lil. Greg. Girald. *Syntagm. Deor.* Addi poſſunt retro memoratis ejus inventis coronæ, navigia, tumultuarii pontes &c. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 3. ubi triplicis templi, primi à Romulo conditi, quod tempore pacis claudi ſolebat: alterius, Jani Quadrifrontis, ampliſſimi quatuor portarum in foro Rom. ab Aug dedicati: tertii ad Forum Olitorium à Duillio conditi: item ædis Jani Curiatii, meminit. In Foro habitâſſe *Janus* Senecæ dictus eſt, quod ad ſtatuas ei in Foro Rom. erectas, refert P. Victor *in octava Urbis Regione.* Vide quoque Thom. Dempſter. *Paralip. in loc. Joh. Roſini ſuprà laud.* De more claudendi aperiendique *Jani Quirini* Fanum, ut aliquid addam, non ter ſolùm; ſed pluries illud factum eſſe, adnotavit Caſaub. Primò quidem ſub Numa, inſtituti auctore, cujus temporibus per Annos quadra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

draginta tres Jani portæ clauſæ fuêrunt. A. dein ab. U. C. 519. Coſſ. T. Manlio Torquato, C. Attilio Balbo II. iterum Janum clauſum, eodemque Anno rurſum apertum eſſe, referunt multi. Tertiùm clauſit Aug. A. U. C. 725. Coſſ. ſe V. & Sexto Apulejo, poſt victum Antonium. Quartùm idem Princeps, Coſſ. ipſo IX. & M. Junio Silano, quum ex bello Cantabrico Romam rediiſſet, A. U. C. 729. Quintùm rurſus clauſit idem Imp. circa tempora nati Regis & Pontificis Summi SERVATORIS noſtri: manſitque ſic obſeratus ferè per duodecim Annos, ad Varianam uſque cladem. Tum apertæ ejus fores ad Neronis uſque tempora patuêrunt. Sextùm cluſit Nero, ſe III. & Valerio Meſſalâ Coſſ. A. U. C. 811. Septimùm (Tacitus & Oroſius dicunt *ſextùm*, quia Nero ſine cauſa clauſerat) Veſpaſianus A. U. C. 824. ſe III. & Nervâ Coſſ. à quo tempore ſuper *Jani portis* altum ſilentium eſt, uſque ad Gordianum Jun. quem, *Jano aperto*, contra Perſas eſſe profectum, A. U. C. 995. Prætextato & Attico Coſs. teſtatur *in eo* Capitolin. Sed & Chriſtianis Impp. ſervatum aliquandiu vet. hoc inſtitutum, diſcimus ex Amm. Marcell. *l.* 16. *c.* x. ubi, poſt victum Magnentium, Conſtantium, ſublatis omnibus Tyrannis jam unum Orbis Dominum, *Janum clauſiſſe*, memorat, A. U. C. 1105. Vide Caſaub. *ad Aug. Suet. c.* 22. ubi *Inſcriptionis*, quæ Emeritæ in Hiſpania extat, initium hanc in rem iſtud quoque exhibet: IMP. CÆS. DIVI. F. AUGUSTUS. PONT. MAX. COS. XI. TRIBUNIC. POT. X. IMP. VIIII. ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATO. TEMPLO. JANO. CLAUSO. &c. Plura de *Jano*, præter Auctores præfatos, vide apud Caſp. Barthium *Comm. Superſtition.* & Gerh. Joh. Voſs. *de orig. & progr. Idol. l.* 1. *c.* 12. ubi *inter Reges Aborigenes, eosque Deos Indigetes eum falsò referri; c.* 18. *ubi Noë*, vel *potiùs Javan illum*, patrem Jonam: *l.* 2. *c.* 15. & 16. ubi *Solem* per eum cultum fuiſse, docet, & de variis epithetis ejus, *Sceptro* inſuper & *clave*, cum quibus pingebatur, aliisque huc pertinentibus, accuratè agit.

Varia Jani cognomina.

Bifrons dictus eſt, vel quòd genere Græcus, ſede Italus fuerit: vel quòd Italos à fero vitæ genere ad civiliorem vitam traduxerit: vel quòd vir prudentiſſimus fuerit: vel quòd Janus ſit mundus geminâ facie, hac Ort. ſpectante, illâ Occaſ.

Cluſius appellatus eſt, quia valvæ ejus pace claudebantur.

Conſivus, à conſerendo nomen habuit, i. e. à propagatione generis humani.

Curiatius, ædem habuit ab Horatio extructam, in memoriam Curiatii à ſe interfecti, in nobili illa Tergeminorum pugna.

Deus Deorum, in Saliorum carmine appellatus eſt.

Geminus ſive Quadrifrons fictus & vocatus fuit, quòd univerſa climata Majeſtate ſuâ complecteretur.

Junonius, nomen habuit ex eo, quòd non ſolum menſis Januarii, ſed omnium menſium, ingreſsus teneat. Unde 12. ei aras pro totidem menſibus dedicatas ſcribit Varro *Rer. Rom. l.* 5.

Pater dictus eſt, quia omnium Deorum primus fuit. Vide infrà *Pater.*

Patulcius, quia belli tempore valvæ ejus patebant. Ovid. *Faſt. l.* 1. *v.* 129.

Nomina ridebis, modò namque Patulcius idem,
Et modò ſacrifico Cluſius *ore vocor.*

Quadrifrons, vide ſuprà *Geminus.* Habebat templum ampliſſimum 4. portarum in Foro Rom. quod ei Aug. dedicavit: Janus ipſe, qui in eo colebatur, Faliſcis Thuſciæ civitate captis, in Forum tranſitorium Romam translatus erat. Templi iconem è veteri lapide exhibet Joh. Roſin. *loc. præf.*

Quirinus appellatus eſt, quaſi bellorum potens; ab haſta, quam Sabini Curim vocabant.

Septimianus, non Dei, ſed ædificii pervii, à Sept. Sev. fortaſſe extructi, nomen fuiſſe videtur. *Janos* enim talia ædificia quadriformia ac pervia appellata fuiſſe, infrà videbimus.

Thyræus, vide infrà.

Viri Celebres.

JANUS Baifius, Gallus, à Scævola SanMarth. *Elog. l.* 1. laudatus.

JANUS Cornarus, Germanus Medicus, varios auctores Græcos Latinè vertit. Obiit A. C. 1558. Vide & *Johannes Cornarius.*

JANUS Damaſcenus, Medicus Syrus, auctor 7. libb. de arte ſanandi morbos, &c.

JANUS Douza, Nordvicus, auctor Principi Arauſionenſi condendæ Lugduni Batavorum, Anno 1575. Academiæ, primusque ejus Rector, poſtquam in ſuſtinenda obſidione Urbis Præfectus egregiam operam navâſſet. Hic Muſis cum Marte optimè convenire docuit, tantâ Vir doctrinâ, ut *Batavix Varro*, & *Academiæ commune Oraculum* vulgò diceretur. Meurſ. in *Athen. Bat.* Poëta, Hiſtoricusque, inter alia, inſignis, edidit quædam. Vide *Douza.*

JANUS Gruterus, Brabantus, JC. Philologus, Poëta & Hiſtoricus. Bibliothecarius Archipalatinus, nat. Antverpiæ A. C. 1560. ſcriptis immortale nomen meritus, Obiit A. C. 1627. Vitam ejus prolixè deſcripſit Balth. Venator. Inter ſcripta ejus eminent, *Suſpicionum libb.* IX. *Polyanthea* vel *Theſaurus Criticus Tom. IV. inſcriptiones Antiqq. totius Orbis Rom. Criticorum Tomi VI. Chronicon Chronicorum, ſub nomine Joh. Gualteri* &c. Vide & P. Fieherum *Theat. Viror. Erudit. Clar.*

JANUS Laſcaris, poſt Tiphernatem, in Gallia magni nominis.

JANUS, vel JANUTTIUS Manetus, Florentinus, diſcip. Emanuelis Chryſoloræ, gratus Nicolao V. ampliſſimis honoribus in patria defunctus. Pſalmos ex Hebræo, & Iſagogen Porphyrii, cum Categoriis Ariſtotelis ex Græco Latinè vertit. Scripſit porro *de Illuſtribus longævis*, libb. 6. De vita Nicolai V. libb. 4. Hiſtoriam Genuenſem libb. 2. Hiſt. Piſtorienſem libb. 3. Vitas Socratis, Senecæ, Plutarchi, Dantis, Boccatii, &c. Obiit Neapoli A. C. 1459. Leander Alberti *deſcr. Ital.* Voſſ. *de Hiſt. Lat.* Hugolin. Verrin. *l.* 2. *Flor. Ill.* ubi inter alia ſic de illo:

Eſt quoque Jannoti *celeberrima Fama trilinguis,*
Plurima qui Hebræo de fonte volumina vertit
In Latium, & noſtris dedit hæc noſcenda Manetus.

JANUS Morellus, Gallus, laudatus Scævolæ SanMatth. *Elog. l.* 3.

JANUS Parraſius, Conſentinus, docuit Mediolani, unde diſceſſit parum honeſtè. In Claudianum & Ibim Ovid. commentatus eſt. Obiit podagrâ, gener Demetrii Chalcondylæ.

JANUS Vitalis, Panormitanus, eruditione ſuâ Seculum Præteritum illuſtravit, &c.

JANUS, locus Romæ, ubi fœneratores conſiſtebant, ubi Jani ſimulacra fuêre. Ovid. *de Rem. Amoris. l.* 2. *v.* 165.

Qui puteal Janumque *timet, celeresque Kalendas.*

Horat. *Ep.* 1. *l.* 1. *v.* 55.

——— *Hæc* Janus *ſummus ab imo*
Perdocet ———

Vide Torrent. *ad locum.* Nic. Lloyd. Lucan. Civ. Bell. *l.* 5. *v.* 6. *Jani medii* meminit inter alios A. Gell. qui eum *in clientela L. Antonii* fuiſſe ait. Hic cur id nomen tulerit, quærunt Eruditi. In Regione Fori Rom. duo *Jani* erant, ad arcam Fabianam, ut ait Victor, incruſtati & adornati ſignis, *ſuperior & inferior*, celebris mercatorum locus & fœneratorum, apparetque, ſpatium inter utrumque *Janum medium* fuiſſe dictum, Hadr. Turneb. *Adverſ. l.* 26. *c.* 26. Ita Cornutus ad Palæmonem, *Jani templum biforis*, inquit, *in clivo Capitolino vetuſtiſſimum, cruſtatis marmoreis vel è Partis columnis vidimus: quia in medio ejus clivi ſummitas, Janus ſummus: & imus, in extremo clivo appellatur. Locus ſub templo, medius etiam Janus dicitur, ubi puteal & fœneratores incolerent.* Hier. Magius *Miſcell. l.* 2. *c.* 12. ideo *Janum medium* dici exiſtimat, quod inter duo fora ſacratus ſtaret, ad quem tanquam celebriorem ac ratione loci commodiorem & fœneratores & mercatores convenire ſolerent. Marcell. Donat. ad illud Suet. *in Domit. c.* 13. *Janos arcusque cum quadrijugis extruxit*, annotat: Nos arbitramur, per *Janos* intelligendas eſſe portas illas magnas, quæ in viarum capitibus extrui ſolebant ab antiquis Romanis, unicâ tantum januâ, aditum præbentes, vulgò *Portoni*. Otiel. in A. Gell. *l.* 1. *c.* 16. ſuſpicatur quoque, *Janum medium* dictum eſſe ſpatium, quod erat inter *Janum ſummum & imum*: De quo Horat. *l.* 1. *Ep.* 1. *v.* 55.

——— *Hæc* Janus *ſummus ad imum.*

& Cic. *l.* 2. *Offic. à quibuſdam viris optimis ad medium Jani ſedentibus* Non deſunt, qui tres *Janos* fuiſſe ſcribant: inter quos Liv. *l.* 41. *c.* 28. de Q. Fulvio Flacco Cenſore, *In his & cloacam circumducendam & forum porticibus tabernisque claudendum, & Janos tres faciendos.* Verùm & plures in Urbe *Janos* eſſe, dixit Ovid. per quos intelligendæ tranſitiones vel fornicata opera, & arcus marmorei, ut ex Suet. patet. Sic Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 3. *in plurali numero Jani, dicta ſunt ædificia quadriformia & pervia, ſive ſtata illa & lapidea, ſive ex materia pro tempore excitata, cujuſmodi multi in Urbe fuêrunt, teſte P. Victore, cùm ait: Jani Quadrifrontes per omnes regiones marmoribus incruſtati & adornati inſignibus militaribus & ſignis, duo præcipuè ad arcum Fabianum* (in aliquibus eſt, *ad arcam Fabianam*) *ſuperior inferiorque, ubi Argentarii & Nummularii artem exercebant.* Vide quoque Acron. & Porphyrion. in *Horat.* nec non Joh. Brodæum *Miſcell. l.* 2. *c.* 19. Fuiſse autem *Janos* hujuſmodi, ſeu *tranſitiones pervias*, ut Tullius interpretatur, non minùs ac Fora, magnâ hominum frequentiâ celebrari ſolitos, Amm. Marcell. docet *l.* 38. *c.* 4. *potiores auctoritate longævâ, per janos & fora clamitant ſæpe, Remp. ſtare non poſſe.* Sed & ex urbe in colonias tranſiiſse, teſtis eſt Liv. *l. c. Fulvius Flaccus locavit forum porticibus tabernisque claudendum &* Janos *tres faciendos.* Vide Caſaub. ad Suet. *Aug. c.* 31. ubi hic, *Pompeji*, ait, *ſtatuam marmoreo Jano ſuppoſuit* &c. Vide quoque Salmaſ. *ad Spartian. in Sev.* ubi de *Jano Septimiano*

JANUSSIUS, fil. Boleslai, Regis Poloniæ à quibuſdam electi, ſua contra Caſimirum; regnum adverſùs Joh. Albertum affectans, ſua etiam amiſit. In ejus ex fratre Conrado nepotibus Joh. & Stanislao A. C. 1526. linea Varſovienſis, & in Polonia mox omnis Piaſteus ſanguis Defecit, Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.*

JANXUATIS, urbs Libyæ. *Steph.*

JAO, ita Ethnici Jehovam vocavêre, teſte Diod. Sic. *l.* 1. ubi poſtquam oſtendit, veteres Nomothetas leges ſuas à Diis acceptas fuiſse, populo perſuadere ſolitos, ſubdit: Παρά τε τοῖς Ἰουδαίοις Μωσῆν τὸν Ἰαὼ ἐπικαλούμενον θεόν. Vide *Jehova*, it. *Fabr.*

JAONITÆ, pop. Lydiæ, aliàs *Iones* dicti. *Steph.*

JAPARA, urbs in parte Bor. Javæ inſ. cum portu capaci. Caput regni cogn. 100. mill. à Materano in Eur. 250. à Batavia in Ort. Mel. *Javara.*

JAPETUS, Cœli, ſive Titanis & Terræ fil. (ut inquit Heſiod.) vir quidam potens apud Theſſalos, ſed protervi ingenii, magisque filiorum, quàm ſuâ virtute clarus. Ferunt hunc Aſiam Nympham uxorem duxiſſe; & ex ea Heſperum, Atlantem, Epimetheum & Prometheum ſuſcepiſse. Hic Gigas erat proceriſſimæ ſtaturæ, de quo paſſim poëtæ. Virg. Georg. *l.* 1. *v.* 279. *Japetum autem*, i. e.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

i. e. *Japhetum* Græci generis ſui authorem eſſe agnoſcunt, nec putant Japeto quicquam eſſe antiquius. Unde eſt, quòd decrepiti & deliri ſenes per convitium *Japeti* vocabantur. Heſych. Ἰαπετ- ὁ ἐπὶ σκωπτικῷ πρεσβύτερος, ἀρχαῖος, (ita lege, non ἀρχαιγός) idque ex Suida, apud quem Japetus ὄνομα κύριον, λῆρος, μωρός, ἀρχαῖος. *Nic. Lloyd.*

JAPHA, Galilææ opp. Jotapatæ finitimum, contrà expugnationem munitiſſimum, nam præter naturam, quâ tutum erat, etiam duplici muro cingebatur, in tribu Zabulon.

JAPHET, i. e. *dilatatus*, aut *pulcher*, ſive *perſuadens*, fil. Noë. Gen. c. 5. v. 32. Primogenitus, ut Hebræorum aliorumque ſententia fert, Auguſtino Semum præferente, cum aliis quibuſdam. Cum Patre arcam Idem c. 7. v. 13. ingreſſus, ab eo morti vicino benedictionem hanc tulit: *Dilatet Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem, ſitque Chanaan ſervus ejus.* Idem c. 9. v. 27. Habuit 7. filios è quibus Gomer & Javan genus propagârunt, poſteris à Tauro & Amano in Cilicia, uſque ad Tanaim, & hinc Gades uſque ſeſe extendentibus. Joſeph. *Antiq.* l. 1. Genebr. *in Chr.* Lyranus, *in c. 5. Gen.* Tornicl. A. M. 1659. n. 2. A. M. 1666. n. 49 A. M. 1931. n. 20. & 21.

JAPHIA, fil. David. 2 Sam. c. 5. v. 15. 1. Par. c. 3. v. 7. & c. 14. v. 6.

JAPHIE, opp. in tribu Zabulon. Joſ. c. 19. v. 11. Item montes, in tribu Manaſſe, à Joppe, uſque ad Doram.

JAPIDIA, regio Illyrici triplex fuit, Prima à fontibus Timavianis uſque ad Iſtriam. Secunda, ab Arſia fluv uſque ad Tedanum flum. Tertia Inalpina, in montibus Albio & reliquis Alpibus, ſupra Iſtriam ſe extendentibus. J Lucius. Vide *Japis*.

JAPIS, nobilis Ætolus, qui patriâ pulſus, cùm ad intimum maris Hadriatici ſinum veniſſet, opp. de ſuo nomine condidit, à quo ea pars Italiæ, quæ Timavo fluv. irrigatur, *Japidia* dicta eſt. Quin etiam Timavum ipſum ab hujus nomine *Japidem* cognominat Virg. *Georg.* l. 3. v. 475.

Caſtella in tumulis, & Japidis *arva Timavi.*

JAPODES, ſ. JAPYDES Ptol. Plin. l. 3. c. 21. pop. Celtici verſus Illyriam Steph. in Liburniæ, Hiſtriæ, Carnorumque ſ. Noricorum conf. hodiè *Craner*, vel *Kramer*, & interius *Japſenavv*, Auſtriæ Principibus ſubditi Lazius. Ibi Japodum opp. teſte Serv. *Japuy* Plin. l. 3. c. 5. & 21. regiuncula *Japygia*. Virg. *Japis*, *Garganus* Æn. l. XI v. 247.

JAPON, Solin. c. 27. qui aliis *Hiarbas*, ſeu *Jarbas*, Vide ibi.

JAPONIA, ſ. JAPONICÆ inſ. *Zipangry* Paulo Veneto, *Cryſe* Magino, *Aurea Cherſoneſus* Merc hodie *le Japon* Gallis, *Japan* Hiſpanis & Batavis, regio ampla Aſiæ, in mari Or. ſ. Sinico, quæ tum nativâ ſuâ nobilitate, tum rerum ab Europæis ibi geſtarum occaſione, multorum calamis tractari meruit; ultima eſt regionum à nobis verſus Ort. remotarum, elevationemque Poli habet 35. gr. tres inſulas complectens, nempe Niphoniam, Ximum & Xicocum, in quibus ſunt ſexaginta octo regna, ſ. potius provinciæ, teſte Brietio, nempe quatuor in Xicoco inſ. decem in Ximo inſ. quæ ad Occaſ. tendit, & quinquaginta quatuor in Niphonia inſ. quæ ampliſſima eſt & cæteris major maximè ad Ort. & Sept. tendit. Totius regionis caput & primaria urbs eſt Meacum, *Meaco*. Sed ab aliquot Annis ſedes regia Jendum, *Jedo*, tranſlata eſt. Ad Bor. ſeparatur à terra Æſonis freto Sangario, & vix diſtat centum milliaribus à Corea regione in Or. Ab Occ. Sinenſes, à Mer. vaſto mari interfuſo inexploratas habet terras, è quibus caſu nautas olim quoſdam in *Japoniam* delatos fama eſt, neque inde ſolviſſe. Ejus major longitudo à Cæcia in Afric. vix eſt 750. mill. paſſ. latitudo autem, ubi major eſt, à Sept. in Mer. non excedit 300 mill. paſſ. Nunc autem cum inſulis adjacentibus dividitur in ſeptem partes ſ. regiones, quarum nomina iſta ſunt, Ximoa, ſ. Saycoca, *Ximo*, Tocoeſia ſ. Xicoca, *Tocoeſi*, Jamaiſotia, *Jamaiſoit*, Ietſenga, *Jetſengo*, Jetſegena, *Jetſegen*, Quantoa, *Quanto*, & Ochia. *Ochio* Et 68. regna in his regionibus contenta ſubſunt dominio Regum viginti & unius, qui tamen illa omnia poſſident uti feuda, & ſub clientela Imp. Japoniæ teſte Carone, cui tit. *Vo* ſeu *Dair*, qui cùm olim è luxuria in deſidiam prolapſus fuiſſet, Præfecti & Satrapæ ejus, *Cubi* præſertim, quod duobus primariis nomen erat, arma contrà illum ſumentes, in plura dominia Imperium diſcerpſêrunt: quorum quidam Legatos miſêrunt Romam ad Greg. XIII. Pontif. quem hacce à Jeſuitis formulâ ſuggeſtâ: *Adorando & cæli Regis locum in terris obtinenti magno & ſanctiſſimo P. P.* ſalutârunt. A. C. 1585. Thuan. l. 77. Religio poſtmodum Chriſtiana ibi crudeliſſimè extirpata eſt, iis ſuppliciorum generibus, ad quæ veterum equuleus pluma mollis fuit. Utrum autem Inſ. ſit an Continenti adhæreat, dubitant Geographi: tota certè admodum fertilis, & culta eſt, inter arbores ceteris, inter fructus oryzâ, animalibusque non tam cicuribus quàm feris abundans, cum plurimis urbibus magni momenti. At aliis maximâ parte nivalis ac frigida eſt neque ferax. Ex tritico non panes more noſtro, ſed genus quoddam offæ ſ. polentæ conficiunt. Montes apud nos paſſim, illic verò duo, præcipuâ nobilitate viſuntur, quorum alter incertæ appellationis: inque ejus cacumine certis hominibus, poſtquam voti cauſâ diu ſe maceraverint, ſplendidâ circumfuſus nube ſeſe Cacodæmon oſtendit, alter *Figenotama* nomine, leucarum aliquot aſcenſu trans nubes attollitur. Arborum genera quod attinet; unius, quæ palmam imitatur, ignoto nomine, admirabile prorſus ingenium. Siquidem (uti perhibent) humorem quenlibet reformidat: ſi fortè maduerit, contrahit ilico ſeſe, ac veluti peſtifero contactu marceſſit. Remedio eſt, avulſam radicitus in ſole ſiccare, & in vacuam ſcrobem ſtoreâ ferri contuſam, vel ſitientem arenam infundere, ibi poſtquam aruerit, rurſus depacta reviveſcit, ac priſtinum docorem, nitoremque recipit: In lucem Japonii editi, vel hyeme ſummâ, protinus lavandi, ad flumina deferuntur, ab ubere avulſi, venatu exercentur, & procul à matre & nutrice, locis habentur aſperis, quòd ita ſentiant, nullâ re magis infringi animos, quam molli ac blandâ educatione. Somnum, ſubjecto cervicibus lapide vel tigillo, & cibum capiunt genibus nixi cruribus inſidentes: cœnationem intrant excalceati; è cedro, pinuve cibi conficiuntur, nonnunquam etiam roſtro, pedibusque inauratis aves integræ nobilibus patinis inferuntur. Egregiam porro chalybis temperaturam habent, ut ferrum noſtrum acie propemodum illæſa diffindat. Variis utuntur moribus, à noſtris valde abhorrentibus; Noſtris enim dentium, in candore; illis, quod mirère, in ipſa nigritie decor eſt. Itaque atro quodam eos pigmento identidem inficiunt. Inter ſalutandum nos caput; illi pedes vi crepidarum vel ſandaliorum excuſſis pedes aperiunt, adveniente amico nos aſſurgimus, illi ſubſidunt: nobis gemmæ, illis ferrea vel fictilia in honore ſunt. Jam in curationibus illi ſalſa & acria & cruda ægrotis apponunt: Neque cur ejusmodi infinitaque alia faciant, probabilem plerunque rationem afferre non poſſunt. Proin *morales* à quibusdam *Antipodes* dicti: ſuperbus & aliorum contemptor illis animus, ſed fidus, & promiſſi tenax, interim adeò belli avens, ut ne domi quidem diſcincti appareant. Lingua illorum virilis eſt, & à noſtris haud imperitis rerum æſtimatoribus, Latinæ vel genere ipſo, vel ubertate præfertur: itaque non niſi magno labore & tempore perdiſcitur. Becman. apud eos *Mos raſoik guſar* E. g. Lumen affer: *Kurs guſavi mas* Adeſdum: *Has maſſio* propino tibi, ſignificare refert. Ingens porro apud eos religioſorum utriusque ſexus numerus eſt, quibus *Bonziorum* nomen. Hi in duo genera plane ſibi adverſa diviſi, colore quoque albo nigroque diſcernuntur. Certè in exigua quadam Japoniæ prov. Jeſuita Xaverius, *Indorum Apoſtolus* à ſuis dictus, octingentas Bonziorum ædes numeravit. Cæterùm novem apud illos ſectæ, quarum principes Xaca & Amida harum nulla mundi animarumque originem agnoſcit. Propagandi ſuperſtitionem apud illos, quod ubique, medium uſitatiſſimum impoſtura eſt, inter quas hæc non minima, quòd, dum quinque legis ſuæ præcepta negant à quoquam de plebe obſervari poſſe, loco populi ſe ea implere jactant, in veneratione hinc ſumma habiti. Sunt autem illa: 1. *De animali occiſo ne comedito.* 2. *Ne furator.* 3. *Ne adulterium committito.* 4. *Ne falſum dicas teſtimonium.* 5. *A vino abſtineto.* Interim toti intus vitiis ſcatent, nullum nefas, modò clam committi poſſit, horrentes. Addi ſuperioribus poſſent quædam de Japonenſium Academiis, quæ numeroſæ: regiminis modo, qui ad Europeorum Principum imperandi legem prope accedit: literis, & Scriptura que Sinenſium affinis eſt: aliisque, ſed ea videri poſſunt, apud Maffæum *Hiſt. Indic.* Fr. Xaver. *Ep.* l. 3. & 4. Marcum, Paulum, A Coſta, Linſchotum, Gul. Adamum, Guerrerum, Solerium, Brietium, Thevet. *in Coſmogr.* Franc. Caron. *de Regno Jap. Belg.* Arn. Montan. *Denckwurdige Geſandſchafft an die K. von Japan*, &c. Subjungo ſaltem, regnum hoc, nulli veterum cognitum, detectum eſſe demum Præt. Sec. à Luſitanis A. C. 1542. Ibi primùm fidem Chriſtianam Xaverium docuiſſe, a quo tempore Jeſuitæ illuc confluxére, & à Greg. III. Hiſp. Rege Phil. II. circa A. C. 1584. reliquis omnibus Religioſorum ordinibus excluſis, ibi prædicandi Religionem privilegium nacti ſunt. Verum cùm hi magnam populi vim ad ſe traherent, veriti Bonzii, ne quid res ſua detrimenti pateretur, Imp. contrà Chriſtianos acriter incitárunt, unde perſecutio, cujus ſupra mentio. Alii tamen id mali Jeſuitarum πολυπραγμοσύνη, Nicolaus Trigaltius, odio Hiſp. Regis, cujus potentia formidoloſa tum Japonenſibus, aſcribit. Tum Jeſuitæ & Luſitani, poſt exquiſitiſſimis ſuppliciis excarnificatas aliquot Chriſtianorum myriadas, pulſi, Belgis tamen merces inferendi, & efferendi veniâ, ſed ſub gravi Evangelium non docendi lege, conceſſâ: ipſis tamen privato cultu non interdictum eſt; unde etiam Bibliothecas ſacris libris refertas Præfectis urbis *Nangeſacque* habere licet. Hodiè tamen liberior in regnum Europæis aditus patere dicitur. De origine & Hiſtoria Gentis iſta non omittenda. Incolæ ante 8. circiter Secula à Sinenſibus originem traxiſſe dicuntur, ſubfuêruntque uni Monarchæ, quem *Dairum* appellabant, & velut Numen quoddam venerabantur; donec, decreſcente indies ob inteſtina diſſidia *Dairorum* potentiâ ab A. C. 1500. Reges provinciarum paſſim rebellare ac ſuo arbitrio vivere cœpêrunt, circa A. C 1600. E quibus præcipuus Nubananga Rex Voaris, urbe Meaco captâ, totius *Japoniæ* Rex potentiſſimus evaſit, A. C. 1570. ita tamen, ut auctoritatem *Dairi* adhuc agnoſceret. Ei ſucceſſit Taxiba Quaba Condonus, A. C. 1586. quem excepit Taikoſamma, *Imp. Japoniæ*, ab ipſo Dairo, ſponte ſe abdicante, declaratus, novæque ſic Monarchiæ conditor, de cujus factis, potentia ac magnificentia, ſtupenda referuntur. Illi ſucceſſit fil. Fidery Samma A. C. 1607. ſub tutela Ongoſchionis; qui, pupillò nefariè obtruncato, ipſe Imperium arripuit, A. C. 1616. intra vertentem annum Extinctus. Poſt hunc Komboſamma præfuit, cui Chiongon ſucceſſit A. C. 1630 Hôrn. *Orb. Impr.* p. 455. Cæterùm de *Dæmonum cultu*, qui in hac gente viget; de ridicula eorundum opinione, *de Manibus ſuorum*; *de ſuo imprimis Bonzio Combadaxo*, quem anniverſariâ die colunt ac invocant. Joh. Ger. Voſſ. *de Orig. & progr. Idol.* l. 1. c. 8. & 25. uti de famoſo illorum idolo *Armida* ſuprà.

Japoniæ regna ſeu partes minores:

Amacuſa, *Amacuſa*, in Ximoa regione.
Aquia, *Aqui*, in Jamaiſotia regione.
Aquita, *Aquita*, in Ochia regione.
Ava, *Ava*, in Ochia.
Ava, *Ava*, in Tocoeſia regione.
Ayzua, *Ayzu*, in Ochia.
Bigena, *Bigen*, in Jetſenga regione.
Bingum, *Bingo*, in Jamaiſotia.
Bitcum, *Bitchu*, in Jamaiſotia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Bugenum, *Bugen*, in Ximoa.
Bungum, *Bungo*, in Ximoa.
Caium, *Cai*, in Quantoa regione.
Canga, *Canga*, in Jetſegena regione.
Canzula, *Canzula*, in Ochia.
Cavachum, *Cavachi*, in Jetſenga.
Chicuanum, *Chicuien*, in Ximoa.
Chicungum, *Chicungo*, in Ximoa.
Conzucum, *Conzuque*, in Quantoa.
Deva, *Deva*, in Ochia.
Farima, *Farima*, in Jetſenga.
Figenum, *Figen*, in Ximoa.
Finda, *Finda*, in Jetſegena.
Fingum, *Fingo*, in Ximoa.
Firandum, *Firando*, in Ximoa.
Fitacum, *Fitaqui*, in Ochia.
Fiunga, *Fiunga*, in Ximoa.
Fochium, *Foqui*, in Iamaiſotia.
Idzuum, *Idzu*, in Iamaiſotia.
Idzuum, *Idzu*, in Quantoa.
Idzumum, *Idzumi*, in Ietſenga.
Iechinum, *Iechien*, in Ietſegena.
Ietchuum, *Ietchu*, in Ietſegena.
Inaba, *Inaba*, in Iamaiſotia.
Ingum, *Ingo*, in Ietſegena.
Ivamum, *Ivami*, in Iamaiſotia.
Ixum, *Ixe*, in Ietſegena.
Iyum, *Iyo*, in Tocoeſia.
Micava, *Micava*, in Quantoa.
Mimalaca, *Mimalaca*, in Iamaiſotia.
Minum, *Mino*, in Ietſegena.
Mulaxium, *Mulaxi*, in Ochia.
Nambum, *Nambu*, in Ochia.
Nangatum, *Nangato*, in Iamaiſotia.
Nivata, *Nivata*, in Quantoa.
Notum, *Noto*, in Ietſegena.
Quinocunum, *Quinocuni*, in Ietſegena.
Sangamum; *Sangami*, in Quantoa.
Sanuquium, *Sanuqui*, in Tocoeſia.
Satcuma, *Satcuma*, in Ximoa.
Surunga, *Surunga*, in Quantoa.
Suvum, *Suvo*, in Iamaiſotia.
Tajimum, *Tajima*, in Iamaiſotia.
Tamba, *Tamba*, in Ietſenga.
Tatomum, *Tatomi*, in Quantoa.
Toſa, *Toſa*, in Tocoeſia.
Tzuconum, *Tzuconi*, in Ietſenga.
Vacaſa, *Vacaſa*, in Ietſenga.
Vomum, *Vomi*, in Ietſegena.
Voſumum, *Voſumi*, in Ximoa.
Vovarum, *Vovari*, in Ietſegena.
Voxum, *Voxu*, in Ochia.
Vtum, *Vto*, in Ximoa.
Xima, *Xima*, in Ietſegena.
Ximola, *Ximola*, in Ochia.
Ximotucum, *Ximotcuque*, in Ochia.
Xinanum, *Xinano*, in Quantoa.
Yamatum, *Yamato*, in Ietſenga.
Yamaxirum, *Yamaxiro*, in Ietſenga.

Japoniæ urbes principuæ.

Amacuſa, *Amacuſa*, in regno cogn.
Amangucium, *Amanguchi*, in Suvo regno.
Arima, *Arima*, in regno Figeni.
Ava, *Ava*, in regno cogn.
Bungum, *Bungo*, in regno cogn.
Dongum, *Dongo*, in regno Iyo.
Farima, *Farima*, in regno Farima.
Firandum, *Firando*, in regno cogn.
Meacum, *Meaco*, in regno Yamaxiro.
Nangaſacum, *Nangaſachi*, in regno Figeni.
Oyama, *Oyama*, in regno Ietchuo.
Ozaca, *Ozaca*, in regno Cavacho.
Sacaium, *Sacay*, in regno Idzumo.
Surunga, *Surunga*, in regno cogn.
Vomura, *Vomura*, in regno Figeni.
Yendum, *Yendo*, in regno Mulaxio.

JAPYGIA, reg. in finibus Italiæ, in Cherroneſi formam coacta, cujus Iſthmus Tarento Brunduſium uſque extenditur, alio nomine *Meſſapia* dicitur. Strabo *l.* 6. *p.* 277. Serv. *Japygia*, inquit, *pars eſt Apuliæ, in qua mons eſt Garganus qui ad mare Hadriaticum extenditur.* Quod ſi verum eſt, longe majores ſunt Japygiæ fines, quàm quos modò ex ſententia Strab. deſcripſimus, Nam Garganus mons multis paſſ. mill. extra jam dictam peninſ. ſitus eſt. Hanc regionem *Calabriam* & *Salentinam* multi nominant. Nic. Lloyd. Ea nunc, Apuliâ excluſâ, *Terra d'Otranto* dicitur, in qua Calabria in ora Bor. collocatur, Meſſapia in Auſtr. vergit & Occ. Salentini & Japygia in Ort. Pop. *Japyges*, Plin. *l.* 5. *c.* XI. *Meſſapii & Salentini*. Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 52.

Thurinosque ſinus, Temeſenque & Japygis *arva*,

Idem ibid. *v.* 703.

Linquit Japygiam, *lævisque Amphiſia remis.*

Nomen ab *Japyge* vento habet, an hoc nomen Caurus Japygiam perflans à regione accepit, Ferrar. Herod. *l.* 3. *c.* 138. *l.* 4. *c.* 99. & *l.* 8. *c.* 170.

JAPYGIA, urbs Italiæ. Steph. & alia Illyriæ.

JAPYGIUM, ſ. Salentinorum prom. Ptol. vel, ut Plin. *l.* 3. *c.* XI. *Acra Japygia.* Hodie *Capo di S. Maria*, in mare valde excurrit, ab Hydrunto 20. mill. paſſ. in Auſtr. à Tarento 80. in Ort. Acrocerauniis Epiri montibus 50. tanta enim ibi Jonii maris latitudo, Ferrar. Strabo *l.* 2. *p.* 108. *l.* 5. *p.* 210. & *l.* 6. *p.* 261. & 2[illegible].

JAPYS, nomen auguris, ac citharœdi, lege *Japis.* Virg. *Æn. l.* 12. *v.* 391. & ſeqq.

Jamque aderat Phœbo ante alios dilectus Japis,
Jaſides acri quondam cui captus amore
Ipſe ſuas artes, ſua munera lætus Apollo,
Augurium citharamque dabat, celereſque ſagittas.

Idem ibid. *v.* 125. & 420.

JAPYX, Dædali fil. à quo *Japyges* pop. Solin. *c.* 8. Item ventus ex Apuliæ ora proficiſcens. Horat. *Carm. l.* 1. *Ode* 3. *v.* 4.

---- *Obſtrictis aliis præter* Japyga.

Idem *Carm. l.* 3. Ode 27. *v.* 18.

Adriæ novi ſinus, & quid albus
---- *Ego quid ſit ater*
Peccat Japyx.

Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 709.

Illam inter cædes pallentem morte futurâ
Fecerat Ignipotens undis & Japyge *ferri.*

h. e. vento ex Apulia ſpirante. Lucan. Civ. Bell. *l.* 6. *v.* 33[illegible]. non pecularis hic illi regioni ventus eſt, verùm qui generali nomine Græcis Ἀργέστης, Romani *Chaurus* dictus eſt, apud Calabros, qui ex *Japygia* flatum ejus accipiebant, peculiari & locali appellatione, *Japyx* eſt nominatus. Quemadmodum eundem ventum Athenienſes, quòd ex Scironiis ſaxis cum ſentirent, nomine *Scironis*, Atticæ regioni peculiari nequa alibi noto, inſigniêrunt. Tranſiit dein peculiaris hæc appellatio in nomen generale; unde *Japyga*, pro Argeſte, dixit Virg. *Æn. l.* 8. *c.* 710.

Fecerat ignipotens flammis, & Japyge, *ferri.*

Idem, *l.* 10. *v.* 247.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1257. Strabo *l.* 6. *p.* 279. & 328.

JAQUERIA, factio *Jacoborum*, in Gallia olim, vide ſuprà *Jacke*.

JAR, fil. Ahaz. 1. Par. *c.* 8. *v.* 36. & *c.* 9. *v.* 42. Item, ſecundus Hebræorum menſis, dierum 30. Aprili noſtro reſpondens. Nullo feſto extraordinario memorabilis, præter feſtum liberationis arcis Sion, à Juda Maccabæo factæ; cujus memoria die 23. menſis recolebatur quotannis. Sigon. *Catal. Hebr.* Torniel. A. M. 2545. *n.* 28.

JARA, pater Huri. 1. Par. *c.* 5. *v.* 14.

JARBAS, Jovis & Garamantidis Nymphæ fil. Gætulorum Rex, qui, cùm Didûs ambiret nuptias, ab ea repulſus naſcenti adhuc Carthagini bellum intulit: quod cùm Pœni propulſare non poſſent, reginam ſuam eò adegêrunt, ut nuptiis ſuis pacem redimeret. Quod cùm illa aliâ ratione effugere non poſſet, ſimulat ſe antè Sichæi, prioris mariti manes placare velle. Eam itaque ad rem impetrato ſpatio, pyram ingentem extruxit, cui ſuperincumbens ſuis ſibi manibus necem conſcivit. Ita enim habet veritas Hiſtoriæ, etiamſi Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 36. 196. & 326. de Jarba Rege, & excitu Didûs alia quædam comminiſcatur, Ovid. Epiſt. Heroid. 7. Dido Æneæ *v.* 125. Nic. Lloyd. Addo quod *Japon* Solino dictus, ut vidimus, Mauruſiorum Rex Virg. ut ſupra Maxitanorum Juſtino fuit. *l.* 8. *c.* 6. Sunt autem hi, qui Græcis Μάξυες, ſeu Μάζυες, Latinis quoque *Mazuces & Maxices*, appellantur de quibus dicemus infrà ſuo loco.

JARCHAS, vel JARCAS, Indorum philoſophorum princeps. Philoſtr. *in vita Apoll. Tyanes.* Ejus ſeptem annuli, quos Apollonio Thyaneo dono dedit, celebres ſunt; quorum beneficio illum Juventæ nitorem prætuliſſe, quamvis jam centeſimum Annum exceſſiſſet, auctor eſt Philoſtrat. *l.* 3. Cujuſmodi annulus Magicus Gygi fuit, quo circumacto habentem nemo cernebat, ſi vera ſunt, quæ de illo ſcribit Plato *de Repub. l.* 2. & eum ſequutus Cic. *Offic. l.* 3. ſicque tandem habuit poteſtatem, cum Orci galea, Ἄϊδος κυνῆ quâ qui indutus erat, omnes quidem videbat, ipſe vero à nemine conſpiciebatur, ut habet Zenob. *Proverb.* Quam ob cauſam & duo hæc conjunguntur à Platone *de Repub. l.* 10. & poſt eum à Greg. Naz. 1. *in Jul.* De annulis Execeſti, Phocenſium Tyranni, ſuprà vidimus, ut & de eo, quem Eleazarus habuit Judæus, qui ejus ope, coram Veſpaſiano Imp. multos à malo genio obſeſſos liberâſſe traditur Joſepho *Antiqq. Jud. l.* 8. *c.* 2. Vide ubi de hoc Eleazaro: ut de iſtiusmodi annulis, qui malis geniis pellendis efficaces creduntur fuiſſe, ex Luciano *in Philopſeude*; deque iis, quos apud eundem *in Navig.* vel *Votis*, Timolaus ſibi optavit, nil addam. Pertinet in eundem cenſum annulus ille fatidicus, quo de ſucceſſore Valentis Imp. quæſitum, apud Amm. Marcell. *l.* 29. *c.* 1. ubi totus ordo infandæ illius decantationis prolixè deſcriptus extat. De annulis, in morbos valentibus, multa differit Marcell. Empiric. *c.* 29. Alex. item Trallian. *l.* 10. *de Colico aff.* cujus generis fuiſſe videtur is, quo S. Eduardus Angliæ Rex Comitiali morbo laborantibus auxiliatus eſt, apud Carion. *Chronic. l.* 3. Atque hunc in uſum apprimè facere inter gemmas dicuntur Achates & Jaſpis viridis, ut de illo videre eſt apud Serv. P. Danielis *in Paralip. ad Virg. l.* 1. de iſto, apud Paulum Æginet. *de Re Med. l.* 7. *ſub lit.* A. & Aëtium *Tetrabibli* I. *Serm.* 2. *c.* 30. In recentiori Hiſtoria, memorabilis eſt annulus, in ore cujuſdam mulierculæ mortuæ inventus, cujus inſano amore Car. Mag. Imp. olim captum fuiſſe memorant: cujus Hiſtoriæ, quæ à fabula non multùm abludit, meminit Steph. Paſchaſ. *des Recherches de la France l.* 5. *c.* 31. teſtem laudans Franc. Petrarcham, cujus verba *l.* 1. *Ep.* 3. hæc ſunt: *Vidi Aquenſem Carol ſedem & in templo marmoreo verendum barbaris gentibus*

gentibus illius Principis ſepulchrum : ubi fabellam audivi non inamœnam cognitu, à quibusdam Templi ſacerdotibus, quam ſcriptam mihi oſtenderunt; & poſtea apud modernos ſcriptores accuratiùs etiam tractatam legi &c paulo poſt: Carolum Regem, quem Magni cognomine æquare Pompejo & Alexandro audent, mulierculam quandam perditè ac effictim amaſſe, memorant. Ejus blanditus enervatum, neglecta fama, cui plurimùm inſervire conſueverat, & poſthabitis regni curis aliarum rerum omnium & poſtremò ſui ipſius oblitum : diu nulla prorſus in re, niſi in illius amplexibus acquieviſſe, ſumma cum indignatione ſuorum ac dolore. Tandem, cùm jam ſpei nihil ſupereſſet, feminam ipſam malorum cauſam inſperata mors abſtulit : cujus rei ingens primùm in regia, ſed latens gaudium fuit. Deinde dolor tantum priore gravior, quantum fœdiore morbo correptum Regis animum videbant : cujus nec morte lenitus furor, ſed in ipſum obſcœnum cadaver & exangue tranſlatus eſt; quod balſamo & odoribus conditum, onuſtum gemmis & velatum purpurâ, diebus ac noctibus, tam miſerabili, quàm cupido fovebat amplexu --- Itaque cum certatim ad eum, pro ſummis Regni negotiis, Legationes gentium, Præfectique & Provinciarum Præſides convenirent, is in lectulo ſuo miſer, omnibus excluſis, ac obſeratis foribus, amato corpuſculo cohærebat; amicam ſuam cerebrò velut ſpirantem reſponſuramque compellans ------ Erat ea tempeſtate in aula Colonienſis Antiſtes, vir (ut memorant) ſanctitate & ſcientia clarus, nec non comitatus & conſilii Regii prima vox, qui Domini ſui ſtatum miſeratus, ubi animadvertit humanis remedus nihil agi, ad Deum converſus illum aſſiduè precari, in illo ſpem repoſuere, ab eo finem mali poſcere, multo cum gemitu. Quod cùm diu feciſſet, nec deſiturus videretur, die quodam illuſtri miraculo recreatus eſt. Siquidem ex more ſacrificanti &, poſt devotiſſimas preces, pectus & aram lacrymis implenti, de cælo vox inſonuit, ſub extinctæ mulieris lingua furoris regii cauſam latere. Quo lætior, mox ad locum, ubi corpus erat, ſe proripuit, & jure nobiliſſimæ familiaritatis regiæ introgreſſus, os digito clam ſcrutatus gemmam perexiguo annulo incluſam, ſub gelida rigentique lingua, repertam feſtinantibus avexit. Nec multò poſt rediens Carolus, & ex conſuetudine, ad mortuam properans, repentè aridi cadaveris ſpectaculo percuſſus, obriguit exhorruitque contactum: auferri eam quanto ocyus ac ſepeliri jubens. Inde totus in Antiſtitem converſus, illum amare, illum indies arctiùs amplecti: denique nihil niſi ex ſententia illius agere, ab illo nec diebus nec noctibus avelli. Quod ubi ſenſit vir juſtus ac prudens, optabilem fortè multis, ſed onerosam ſibi ſarcinam abjicere ſtatuit : veritusque ne ſi vel ad alterius manus perveniret, vel flammis conſumeretur, domino ſuo aliquid periculi afferret, annulum in vicinæ paludis præaltam voraginem demerſit. Aquis tum Rex cum Proceribus habitabat: ex eoque tempore cunctis civitatibus ſedes illa prælata eſt &c. Vide Joh. Kirchmann. de Ann. c. 21.

JARCHI Salomo, vide *Salomoni Raſis.*

JARCHI Samuel, Rabbinus celebris, præſes Kahardeæ, Aſtrologus, Medicus, Philoſophus inſignis; ab Aſtrologiæ peritia *Jarchonai*, q. d. *Lunatici*, à ירח : *Luna*, nomen accepit. R. Ganz *Chronol.* ad *Ann.* 4003. Vide quoque *in Bara Metzia p.* 65, 2.

JARDAN, vicus in tribu Juda, adjacens Arabum finibus ubi meridiana Judææ pars terminabatur. Joſeph. Jud bell. *l.* 3. *c.* 2.

JARDANUS, Lydius, pater Omphales, cui Hercules ſervit. Hinc ob inimicitias quas cum Clambleta Lydorum Rege, (& *Cambles*) exercebat, illum veneficiis appetiiſſe, (de quibus ſuprà in voce hac) ſcribunt. Ex ejuſdem ancilla, Herculi [illegible] *tempore ſervitutis*, natum Cleolaum, cujus poſteri Alyadis in regno ſucceſſerant, ſcribit Herod. *l.* 1. *c.* 7. de Omphale, videbimus infrà.

JARDANUS, fluv. Cretæ, & Lydiæ. Pauſ. Steph. Fluvii *Jardani* meminit Hom. *Il.* 8.

Φειᾶς παρ' τείχεσσιν Ἰαρδάνου ἀμφὶ ῥέεθρα.

JARE, fil. Jectan. Gen. *c.* 10. *v.* 26.

JAREB, apud Hoſ. *c.* 5. *v.* 13. & *c.* 10. *v.* 6. vocatur Aſſyriæ Rex, מלך ירב *Rex Jareb*, quæ vox *vindicem* denotat; eo quòd Aſſyriæ Rex, cum univerſa gente, Iſraëlitarum quoque Deos in captivitatem abduxit. Si enim Judæis credimus in *Seder Olam maj.* A. 20. Phace Rex Iſrael, Teglath Phalaſſar Rex Aſſur, abſtulit è Dane vitulum aureum; & 12. Regis Achazi, i. e. octavo pòſt Anno, etiam alterum è Bethele Salmanaſſer abduxit. In quo morem agnoſcere eſt vett. Ducum qui non ſolùm de victis gentibus, ſed & de Diis, triumphabant. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſt. l. II. c.* 34.

JARED, fil. Malaleel, natus A. M. 461. pater Enochi, Obiit A. M. 1422. Gen. *c.* 5. *v.* 15. 1 Par. *c.* XI. *v.* 18. Salian. Torniel. *in Ann.*

JAREPHEL, civ. in tribu Benjamin. Joſ. *c.* 18. *v.* 27. *Jerphel*, Hier. *loc. Hebr.*

JARGANUM, Phrygiæ magnæ prom. Ptol. hodie *Capo de S. Maria* Leunclavio & *Sophiano.*

JARGOLIUM, aliis GERGOLIUM, opp. Aurelianenſis prov. in Solonia tractu, cum ponte ad Ligerim, 4. leuc. ab Aureliis in Ort. Aliàs munitum, vulgò *Jargeau*, vel *Gergeau.*

JARIB, fil. Simeonis Patriarchæ 1. Par. c. 4. *v.* 24. qui Gen. *c.* 46. *v.* 10. dicitur *Ahod.*

JARIM, inter Cariathiarim & montem Baal ſita eſt ſylva, in tribu Dan, à qua urbs & mons nomen habent, unde *mons Jarem* dicitur, Joſ. *c.* 15. *v.* 10.

JARMUTH, civ. in tribu Iſſachar data Levitis Joſ. *c.* 10. *v.* 3.

JARNACUM, vulgo *Jarnac*, oppid. Inculiſmenſis prov. ad Carentonum fluv. inter Caſtrum Novum & Cogniacum, prælio inter partes, Sec. Præt. commiſſo, memorabile, medium ferè inter Inculiſmam ad Ort. & Santones ad Occ. Sed & Idem nomen illuſtris eſt in Gallia Fam. quæ Cabotiæ ſeu Chabotiæ ſtirpis eſt ramus. In Theobaldi namque filiis, ſub principium Sec. XIII. cum tres lineæ cepiſſent, nempe in Theobaldo IV. Gerhardo, & Sebrano, ab illo Domini de *Rochecerviere*, ſed non niſi ad duos gradus : ab iſto Domini de *la Motte Achard* & *de Raiz*, exeunte Sec. XIV. Extincti; ab hoc, præter Dominos *de Chantemerle*, lineâ Dominorum *de la Greve* orta eſt. Ex quibus directa primogenitorum ſucceſſio defecit, in Ludovico Mortuo A. C. 1472. ſucceſſione, per ſorores ejus, ad Caſtillonios & Comineum devoluta. Ludovici patruus fuit Renaldus de *Jarnac*, ejus fil. Jacobus duarum linearum extitit auctor. Nam ex minore ejus fil. Philippo Dn *de Brion*, & Com. *de Buzançois*, ac deinde *de Charny*, Admiralli Franciæ, proveniunt reliqui illuſtres Comites de *Buzançois* &c. Ex majori autem Carolo, reliqui Barones & Comites *de Jarnac* deſcendunt, inter quos Henricus inprimis celebris eſt, qui hærede Ducali Rohaneâ ductâ, illam ſucceſſionem domui ſuæ intulit. Ejus progenitores hi: Jacobus Chabotius Dn. *de Jarnac.* & *Brion*, ex Magdalena (filia Theobaldi *de Luxembourg*, Dn. *de Fiennes*) genuit Carolum Bar. *de Jarnac*, maritum Johannæ de S. Gelaſio (fil. Joh. de S. Gelaſio, Bar. *de Montlieu en Bordlois*) & ex ea patrem Guidonis Baronis *de Jarnac*: quo & Luiſâ *de Piſſeleu* (filiâ Gulielmi *de Piſſeleu* Dn. *de Heilly*) genitus Leonorus Baro de *Jarnac*, Obiit A. C. 1605. Huic Margaretha *de Durfort* (filia Symphoriani *de Durfort*, Bar. *de Duras*) peperit Car. Chabotium de S. Gelaſio, Dn. *de Mucidan* & *S. Aulaye*; cujus ex Henrica de *Lur* (filia Michaelis *de Lur* Dn. *de Longa*, *Barriere* & *Mucidan*) fil. Henricus præfatùs, Margaretham (filiam Henrici Ducis *de Rohan*, Princ. *de Leon*) ſibi junxit; uti ſuperiùs vidimus, ubi de Fam. *Chabotia.* Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nob. Eur. Part. I. p.* 97.

JAROMIRUS, Princeps Bohemus, ab Henrico II. Imp. reſtitutus. Circa A. C. 1008.

JAROMITIA, vulgò JAROMITZ, quibuſd. *Jaromierſa*, opp. Bohemiæ, ad Albim fluv. 2. mill. Germ. ſuprà Reginogradecium in Bor. 12. à Praga in Ort.

JAROSLAVIA, vulgò JAROSLAVV, opp. celebre & amœnum Ruſſiæ nigræ, cujus arcem Sanus fluv. alluit, ubi famoſæ nundinæ d. 15. Aug. quotannis. Majori ex parte deflagravit incendio, A. C. 1625.

JAROSLAVIA, urbs ampla Moſcoviæ, cum arce lignea, 45. mill. Pol. à Moſcua in Bor. ad Volgæ ripam. Etiam *Jeroſlavia*, caput Jaroſlaviæ Duc. ſatis ampli, inter Vologdam ad Bor. & Roſtoviam ad Mer. verſùs Volgam fluv. Aliàs ſub proprio Principe, ſed à Joh. Baſilide M. D. vindicati.

JAROSLAUS, fil. ex Wenceſlaa Moſca Boleſlai, Sileſiæ ſup. Ducis, A. C. 1201. Extincti, adverſùs Patrem & Novercam bellum movit: Reconciliatus Epiſcopatum nactus eſt Vratiſlavienſem, A. C. 1198. cui, ut ſuis ægrè faceret, Neiſſam ſibi attributam addixit. ſed ante patrem Extinctus, Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.*

JARRA, vide *Vas Virginis.*

JARSATH, Mauritaniæ Cæſarienſis, urbs marit. Ptol. *Teledex* Caſtaldo. Inter Saldas Urb. & Audum prom.

JAS, pars Illyriæ, quæ dicitur Jonica Pop. *Jatæ. Steph.*

JASA, civ. Moabitarum, quæ ex tribu Ruben Merari nepotibus, ſublatis Amorrhæis, data eſt. 1. Par. *c.* 6. *v.* 78. quæ Joſ. *c.* 13. *v.* 18. *Jaſſa* dicitur. Hæc extra terram promiſſam fuit, neque, quod legimus, unquam à Judæis poſſeſſa. Num. *c.* 21. *v.* 23. Deut. *c.* 21. *v.* 32. Jud. *c.* 11. *v.* 22.

JASER, fil. Caleb, ex Azuba prima uxore. 1. Par. *c.* 2. *v.* 18.

JASIEL, fil. Nephthali. Gen. *c.* 46. *v.* 24. 1. Par. 7. *v.* 13. Item vir de Maſobia. 1. Par. *c.* 11. *v.* 47. & *c.* 27. *v.* 21.

JASION, quem Diod. Sic *l.* 6. etiam *Jaſium* appellat, nec non *Ectionem.* Jovis & Electræ fil. adeò a Cerere adamatus, ut, in ejus gratiam, ad nuptias Hermiones ſororis ipſius maximam & frumenti & panis copiam attulerit. Quin & Plutum ex ea fertur genuiſſe, qui cultum vitæ inſtituere, pecuniaſque coacervare, ac in uſus cuſtodire omnium primus docuit. Quidam cum à Jove ex invidia fulminatum ferunt: quamvis non deſint, qui aliam mortis cauſam afferant, nempe quòd ſimulacrum ejus contumeliâ affeciſſet. Ovid. Triſt. *l.* 2. *v.* 300.

JASIS, dicta eſt Atalanta ab *Jaſio* patre.

JASIUS, fil. Abantis Argivorum Regis, frater Dardani Serv. ad Virg. Æn. *l.* 3. *v.* 168.

JASIUS Janigena, tempore Deucalionis imperabat Italis, in cujus nuptiis affuit Io Ægyptia. Vide Beroſ. *l.* 5.

JASO, Æſculapii & Lampetiæ Solis filiæ, filia, nom ἀπὸ τὴν ἴασιν i. e. à medela & ſanitate ſortita. Eſt & hoc nomine Amphiarai filia.

Viri Illuſtres.

JASON, Pontifex Max. Judæorum, primus ex Sacerdotum numero gymnaſium Hieroſolymis inſtituit, in quo juventus more Græcorum exerceretur in diſciplinis Ethnicis 1. Mach. *c.* 12. *v.* 16. Quanquam Joſephus hujus fratri Oniæ, qui & Menelaus, hoc facinus adſcribat.

JASON, fil. Æſonis, Theſſaliæ Regis ex Alcimede, quem pater moriens Peliæ fratri in tutelam commendavit, tradito ei regno, ita tamen ut illud adulto Jaſoni reſtitueret. Alcimede verò ſuſpectum habens Peliam, Jaſonem Chironi alendum dedit. Itaque Jaſon adultus cùm ad repetendum paternum regnum veniſſet, Pelias juvenem laudis avidum ad Colchicam expeditionem excitavit, ſperans futurum ut periculi magnitudini ſuccumberet. Secundùm alios *Pelias* oraculum acceperat, ut ſibi ab eo caveret, quem cum altero tantùm calceo ad ſe venientem videret. *Jaſon* autem, jam grandior, fortè in ripa Anauri offendit Junonem vetulæ ſimilem, quam humeris ſuſcipiens in ulteriorem fluvii ripam tranſtulit, atque uno in flumine calceo amiſſo ad Peliam Patruum venit : qui oraculi recordatus veritusque ne ab eo interficeretur, mandavit illi expeditionem in Colchos, ſperans aut ab aliquo occiſum iri, aut certè inter Symplegadas periturum. Fabricatâ itaque navi, quæ ab Architecti nomine dicta eſt Argo, Jaſon cum Græcæ juventutis flore mari

ſe commiſit, primumque ad Lemnum inſ. appulit, ubi ab Hypſipyle, & hoſpitio, & thalamo ſuſceptus eſt. Deinde venit ad Phineum Regem, à quo muneris loco edoctus eſt, quomodo per Cyaneas petras inter ſe concurrentes, ad Colchos uſque tutò navigare poſſet. Quò cùm perveniſſet, Medea Colchorum Regis filia, formâ ejus capta, à certiſſimo eum eripuit exitio, oſtensâ ratione, quâ & æripides tauros perdomare, & draconem pervigilem ſopire poſſet; Ejus itaque conſilia ſecutus Jaſon, aureum vellus ſuſtulit, & inde clam cum ſociis & Medea fugam arripiens ad Iſtri oſtium pervenit, adverſoque fluvio ſubiens, cùm eum tandem in locum perveniſſet, ubi Danubius Liburniæ montibus proximus eſt, navim, quâ vectus erat, ſuis, ſociorumque humeris ſuperatis montibus in mare Hadriaticum deportavit tandemque ſoſpes in patriam revectus, duos ex Medea filios ſuſcepit. Sed poſtea cùm Creuſæ Corinthiorum Regis filiæ amore flagrans, eam uxorem duxiſſet, Medea ægrè ferens divortium, Creuſam cum regia exuſſit. Sunt qui tradunt, Medeæ poſteà reconciliatum Jaſonem, multaque præclara geſſiſſe, adeò ut divinos in Aſia honores fuerit promeritus. Orpheus, Apoll. Rhodius, Val. Flacc. *Jaſonis* & *Medeæ Amores*, paulò fuſiùs ſic habent. Cùm *Jaſon* cum cæteris Argonautis ad Colchos appuliſſet, *Medeam* fortè ad Phaſidis ripam obviam habuêrunt. Cui cùm *Jaſon* adventus ſui cauſam expoſuiſſet atque ab ea de crudelitate Patris eſſet edoctus, ad preces converſus, fidem de conjugio dedit, ſi in diſcrimine ab ea præmonſtrato ferret opem. Acceperat ante *Jaſon* à Venere *Iyngem* aviculam, quam Magæ mulieres tantam ad amatoria carmina vim habere credunt, ut omnia venena & unguenta ad amorem excitandum idonea *Tynges* appellentur, teſte Theocriti antiquo Enarratore; & ipſe Amor *Iynx* à Pindaro dicatur: qui ſcribit hanc ex Olympo à Venere primùm ad mortales allatam & datam *Jaſoni*, ut eâ ſimul & quibusdam amatoriis carminibus, quæ ipſa Venus docuit, Medeam amore ad inſaniam uſque accenderet. Quod cùm feciſſet, illa amore correpta, ſuum ei promiſit auxilium, ac ſtatim herbas medicatas & pharmaca quædam dedit, quibus à taurorum igne tutus eſſet, & eum quid agendum eſſet docuit. Ille *Æetam* convenit ac vellus aureum popoſcit: quod *Æetas* ſe daturum eſſe pollicitus, ſi tauros ingentes flammas ore & naribus evomentes junxiſſet, atque dentes, quos ipſe daret, ſemınâſſet, hominesque armatos, qui inde pullularent, viciſſet. Quæ omnia *Jaſon*, *Medeâ* opitulante, cum ſumma ſua laude & gloria perfecit. *Æetas* tamen vellus aureum negavit, ac de *Argonautarum* cæde tractare cœpit. *Jaſonis* & *Medeæ nuptias* Val. Flacc. in *Pence* inſ. fieri incœptas eſſe ſcribit: inopino autem Abſyrti adventu turbatas & interruptas. Timæus & Apollon. *l.* 4. atque Orpheus Corcyræ ſcribunt. Dionyſ. Mileſ. *in ſecundo Argonautic.* Byzantii, Antimachus in Lyde prope fluv. dicit Jaſonem cum Medea coiiſſe. Philetas, in Alcinoi domo celebratas ait. Timonax verò *in Colchide* ſcribit, Medeam ab Jaſone ductam uxorem, non ſine patris Æetæ voluntate. Refert autem idem, monſtrari juxta Pontum hortos quoſdam *Jaſonios* vocatos, è quibus ipſe diſceſsùm fecit; & in Ææa Gymnaſia quædam & thalamum, in quo Medea Jaſoni nupſit. Vide porrò Euſeb. *in Chron.* Hygin. Apollod. Ovid. *Met. l.* 7. *v.* 25, 26. 48, 66. & 175. Strabo *l.* 9. *p.* 436. & *l.* XI. *p.* 503. Seneca *Med.* Val. Flacc. *de Argon* Nic. Lloyd. Addo quod: *Ei totus fermè Oriens, ut conditori, divinos honores templaque conſtituit*, teſte Juſtino *l.* 42. *c.* 3. Ἰασόνεια dicta Strab., & Ἰασόνεια ἡρῷα Barbaris eximiè culta; qualia multa Reguli evertêrunt: Parmenion autem id, quod erat Abdeus, diruit, *ne cujusquam nomen in Oriente venerabilius, quam Alex. eſſet*, Juſtin. *ibid.* De iisdem capiendus Tac. Ann. *l.* 6. *c.* 34. ubi *multa de nomine Jaſonis* (ſc. appellata templa ſacellaque *celebrari* eſt.) Vide Bernegger. *ad* Juſtin. *d. l.*

JASON; frater Oniæ, ſummi Sacerdotis, apud Antiochum Epiphanem tantùm effecit, ut dignitatem Fratris obtineret. Voto improbo potitus, Judaicos ritus Ethnicis mutare conſtituit, A. M. 3879. biennio pòſt, à Menelao, Simonis fratre, ex tribu Benjamin, ſupplantatus, atque Sacerdotii dignitate privatus, rumore poſtmodum mortis Antiochi diſperſo, ingreſſus Hieroſolymam pepulit Menelaum, civiumque complures neci dedit: nihilominus urbe coactus excedere, ad Aretam Arabum Reg. confugit, à quo ſimiliter pulſus Lacedæmonem ſe recepit, ubi miſerè periit. 1. Macc. *c.* 1. & *v.* 2. *c.* 4. & 5. Joſeph. *in Antiqq.* & *de B. I.* Torniel. & Salian. *in Ann.* Vide ſuprà.

JASON, nomen viri. Act. *c.* 17. *v.* 7. & Rom. *c.* 16. *v.* 21.

JASON, Argivus, Grammaticus celebris, Athen. *l.* 13. *p.* 560. & Steph. Byzantino laudatus. Scripſit libb. de Græcia, ubi Alex. Mag. mentionem facit.

JASON, Byzantinus, opere de Tragicis innotuit. Plutarch. *de fluminibus.* Vir eruditus, *in notis ad eum locum*; eundem eſſe ſuſpicatur, de quo Steph. in Ἀλεξανδρεία & Τῆλος, ſed fallitur, nam *Jaſon* iſte Argivus Grammaticus fuit, vide ſuprà.

JASON, Cyrenæus, Hiſtoricus, ſub Ptol. Philometore. Olymp. 150. Scripſit libb. 5. de rebus geſtis Aſmonæorum, in epitomen redactos, ab Auctore 2. *l.* Macc. Torniel. *A. M.* 3893. *n.* 8.

JASON Denores, Cyprius, floruit Patavii, Sec Præt..

JASON Maynius, Mediol. JC. & Orator, Piſæ Ticinique docuit. Obiit A. C. 1519. Fichardus, *in vitis Jurecoſs.* Thevet. *l.* 6. *de Vir. Ill.* Fortunæ ſuæ faber. Vide Paul. Jov. *in Elog. c.* 66.

JASON Trallianus, Tragœdiarum auctor. apud Herod. Parthorum Regi in delitiis. Vide Polyæn. *l.* 7.

JASONIUM, prom. Cappadociæ, hodiè *S. Thomas.* Item magnus mons ſuprà Caſpias portas ad lævam, pars Tauri. Strabo *l.* XI. *p.* 526. Item Margianæ urbs. Ptol. Item locus juxta Conſtantinopolim. *Beſitas* Turcis. *Diplociana* Græcis.

JASPIS, mel. *Aſpis*, vulgò *Aſpe viejo*, oppid. regni Valentini, 3. leuc. ab Alone in Occ. Murciam verſùs. 1. leuc. ab Illici in Bor.

JASPIS, gemma, Plin. *l.* 37. *c.* 8. *viret & ſæpe tranſlucet, etiamſi victa à multis, antiquitatis tamen gloriam retinens --- Optima, quæ purpuræ quicquam habet: ſecunda quæ roſæ: tertia, quæ ſmaragdi. Singulis autem Græci nomina ex argumento dedêre. Quarta apud eos vocatur Borea, cœlo autumnali matutino ſimilis: & hæc erit illa, quæ vocatur aërizuſa. Similis eſt & ſarda, imitata & violas. Non minùs multæ ſpecies reliquæ, ſed omnes in vitio cœruleæ aut cryſtallo ſimiles --- Quamobrem præſtantiores fundâ clauduntur, i. e. patentes, nec præterquam margines auro amplectente* &c. Ubi quam *aërizuſam* ex Græco vocat, ἀερόεσσα appellatur Dion. h. e. cœlini coloris, quem & *aërinum* dicebant, ut ſuprà vidimus; Hodie Perſis *Firuſa* vel *Feruſa*, quod corruptum ex contracto ἀερόσσα; eadem cum noſtra Turchesia, ſeu Turcica gemma, Gall. *Turquoiſe.* Hanc ad cuſtodiam & tutelam proficere olim creditum, unde pro amuleto geſtatam, præcipuè adverſùs phaſmata, teſtis eſt modò laudatus Auctor, verbis hisce,

--- ἠδ' ἠερόεσσαν ἴασπιν
Ἔχθρην ἑρπηστῆσι ϗ ἄλλοις εἰδώλοισι.

Epiphan. item, cui illa ἄκος φαντασιῶν propterea appellatur. Concionantibus etiam utilem eſſe, Magi affirmabant & ad gratiam valere. Sed omnem *Jaſpidem* amuletum fuiſſe, tradit Dioſcorides λέγονται δὲ πάντες εἶναι φυλακτήρια περίαπτα. Et Plin. ibid. *c.* 9. *Totus verò Oriens pro amuleto eam traditur geſtare*: qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 131. & 1130. Porrò uſus *Jaſpidum*, ad ſignandum. Plin. ubi ſuprà, *c.* 8. *Nec diverſæ, quas ſphragidas vocant, publico gemmarum dominio iis tantùm dato, quoniam optimè ſignent*, ad enſes ſtellandos. Virg. Æn. *l.* 4. *v.* 261.

--- atque illi ſtellatus jaſpide *fulva*
Enſis erat ---

Ubi gemmatum jaſpidibus enſis capulum, in quo jaſpides plures, velut ſtellæ, fulgebant, exponit Salmaſ. Ad pectus puellarum coronandum coarctandumque Claud. de 4. *Conſ. Honor.* Carm. 8. *v.* 590. Idem de 6. *Conſ. Hon.* Carm. 28. *v.* 526.

--- viridique anguſtat jaſpide *pectus.*

Ex eadem fiebant fibulæ in veſtibus. Idem *l.* 2. de Raptu Proſerp, Carm. 35. *v.* 40.

Collectæ tereti nodantur Jaſpide *veſtes.*

Fortunat. *de D. Martino*, *l.* 4.

Trama topatus erat, rutilans & aſt men Jaſpis,
Et tunicæ inſignis currunt pro vellere gemmæ.

Imò & digna gemma hæc viſa, quæ ſacro Pectorali Pontificis Hebræorum Summi insereretur. *In ſecundo enim ordine carbunculus, ſapphirus & jaſpis*, ut vulgò redditur, recenſentur Exod. *c.* 28. *v.* 18. ubi in Hebr. eſt vox, יהלם. Sed cùm in quarto ordine ultimo loco *v.* 20 occurrat vox ישפה, *jaſchpeh*, quæ *jaſpidem* referre videtur, malunt alii hoc potiùs loco jaſpidem intelligi, quibus ſuffragatur Rabbi David, lapidem, qui Arabicè *Eliaſph* vocatur, hic indigitari docens. Vide Andr. Rivet. *Comm. in h. l.* In Nov. Teſt. diſertè gemma hæc binis locis memoratur, in Apoc. *c.* 4. *v.* 3. ubi is, qui inſidebat throno, aſpectu ſimilis dicitur *lapidi jaſpidi & ſardio*; quorum illo gratiam, iſto juſtitiam Dei, denotari volunt. Item *c.* 21. *v.* 19. ubi inter XII. Fundamenta novæ Hieroſolymæ, *Jaſpis*, principe loco ponitur &c. Ut de magnitudine aliquid addam. *Magnitudinem Jaſpidis*, inquit Plin. *l.* 37. *c.* 9. *cit undecim unciarum* (ubi XV. habet codex MS.) *vidimus, formatamque inde effigiem Neronis thoracatam.* Plura de *Jaſpide*, ejusque variis generibus, vide apud eund. ibid *c.* 8. & 9. *cit.* Auctoresque, qui ex profeſſo, *de Gemmis* ſcripſêrunt, laudatos ſuprà in voce *Gemma.* *Jaſpidem Petri Raſchaſii*, Bacchum racemis uviferis coronatum referentem, edidit, Caſaub. in libellis *de Satyra*: de *Jaſpide* inprimis ἀεριζοῦσα, *Chalcedonia.* καπνίας *à fumido colore* ſic dicta. Vide Salmaſ. ad Solin. *p.* 202. 346. & 561. & ſuprà in his vocibus: uti de tabula luſoria *ex Jaſpide & Chalcedonio* cum familia viz. unâ parte de Jaſpide & *alterâ de cryſtallo* infrà in voce *Scacci.* Voces compoſitæ ex hac: *Jaſpachates*, apud Orpheum de achate, Jaſpidi ſimili; *Jaſponyx*, jaſpis onychem referens, apud Plin. Et *Jaſpopallius*, apud Epiphan. *de XII. gemmis*, Jaſpis opallio, vel contra, ſimilis. Salmaſ. ubi ſuprà, *p.* 130.

JASPRINUM, opp. Hungariæ, captum à Rudolpho II. Imp. per Matthiam fratrem. A. C. 1593. Thuan. *Hiſt.*

JASSA, locus in deſerto, ubi Iſraëlitæ caſtra metati ſunt. Num. *c.* 21. *v.* 23.

JASSEN, nomen viri. 2. Reg. *c.* 23. *v.* 19. & 34. qui 1. Par. *c.* XI. *v.* 34. *Aſſem* dicitur.

JASSII, Pannoniæ populi. Ptol. Circa Draum fluv. *Ferr.*

JASSIUM, vulgò *Jaſſy*, urbs Moldaviæ, aliquando Principis ſedes, ad amnem *Pruth*, cum arce munita, aliàs à Coſaicis capta. 50. mill. paſſ. a Suckova in Ort. 30. à conf. Poloniæ in Auſtr. ubi forſan alias Auguſtia, ad Hieraſſum fluv. *Baudr.*

JASSUS, vel JASUS, hodie *S. Pietro*, urbs Cariæ maritima apud Halicarnaſſum urb. ad ſinum, qui ex ea *Jaſſius* dicitur, vulgò *Golfo di S. Pietro* Incolæ *Jaſſii* Plin. *l.* 5. *c.* 29. vide Steph. Alias urbs Joniæ fuit, in limite Cariæ, in ora maris Ægæi, ad ſinum Jaſſi cum, media inter Epheſum ad Sept. & Mindum ad Mer. 40. utrimque mill. 15. à Mileto 56. ab Halicarnaſſo in Bor. *Baudr.* Epiſcopal. ſub. Archiep. Stauropolitano Ferrar. Strabo *l.* 14. *p.* 658. Rudera ejus hodie Turcis appellari *Askemkaleſi*, ſeu *Caſtrum de Lyſimachus kem*, docet Jac. Spon. ex vet. marmore ibi reperto, in quo Lyſimachus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſimachus quidam monumentum id ſibi, filio ſuo filiæque, & liberis ex illis vel jam natis, vel demum naſcituris, ſocero item ſuo, generoque Leoni, filio Artemiſii, qui civis Mileſius, ſed ΦΥΣΕΙ ΙΑΣΕΥΣ, ortundo Jaſſius eſſet, erigi curâſſe, ſignificat: partem Inſcriptionis exhibet idem *Itin. Part.* 3. *p.* 161. In inſ. fuiſſe hanc urbem, continenti proxima, ibidem reliquias mœnium & theatri è marmore conſtructi, ubi vet. *Inſc.* Græca, quæ Zoparrum quendam, Epicrate genitum, Baccho illud dedicâſſe, teſtetur, etiamnum conſpici, aliaque huc pertinentia, legas apud eund. *Itin. Part. I. p.* 360. Addo ſaltem, apud urbem hanc, Babylonem puerum à delphino olim adamatum, & ob id ab Alex. Mag. qui ibi tum fortè agebat, Neptuni ſacerdotio ibidem præfectum fuiſſe, tradere Solin. *c.* 12. ad quem l. Vide egregiam *Exercitationem* Salmaſii *p.* 185.

JASTUS, fluv. Scythiæ, intrà Imaum. *Ptol.*

JASUB, fil. Eſaiæ Prophetæ. Iſ. *c.* 7. *v.* 3. Fil. item Iſſachar. 1 Par. *c.* 7. *v.* 1. qui Gen. *c.* 46. *v.* 13. dicitur *Job.*

JASUS, Argivorum Rex VII. Triopam patrem excepit, Pauſ. cui ſuffragatur Schol. ad illud Homeri Ἴασον Ἄργος Ἀχαιοί. neque regnavit tantùm, ſed etiam urbi nomen ſuum reliquit. Cæterum Agenor frater, cum multo equitatu invaſit Argos, Idem Schol. *ad Il.* γ. *v.* 75 Vide ibi: & plura hanc in rem apud Joh. Marsham. *Canone Chron. ad Sec. VI.* Hinc *Jaſides*, epitheton Adraſti, apud Stat. *l.* 6. *Theb. v.* 911. Sed & *Jaſon* Lycius, cujus interfecti canem inediâ obiiſſe, refert Solin. *c.* 15. *Jaſius*, in *MSS.* dicitur teſte Salmaſ. *ad l.*

JATAMANÆ, lacus Lunæ, in Athamania reg. ubi fanum Nympharum, & fons ſarmenta inflammans. *Antig.*

JATEBA, nomen loci. 2 Reg. *c.* 21. *v.* 19.

JATHANEEL, nomen viri. 1 Par. *c.* 26. *v.* 2.

JATHRIPPA, urbs Arabiæ. *Steph.*

JATII, circa Margianam gens. *Plin.*

JATINA, Balearidis maj. opp. *Idem.*

JATINUM, urbs Gall. Belgicæ ad Matronam fluv. Ptol. *Meldæ* Villanovano. Vide *Meldæ.*

JATRALEPTICE, Græcè Ἰατραλειπτική, pars Medicinæ memoratur Plin. *l.* 29. *c.* 1. ubi poſtquam Clinicen ab Hippocrate inſtitutam dixiſſet, pergit: *Nec fuit poſtea quæſtus modus, quoniam Prodicus Selymbriæ natus diſcip. ejus, inſtituens, quam vocant* JatraleptICEN, *reunctoribus quoque Medicorum atque mediaſtinis vectigal invenit. Horum placita Chryſippus ingenti garrulitate mutavit* &c. *Unguentariam* dicas, quæ frictionibus, ac oleorum illitu, morbos curat & ſanitatem tuetur. *Athleticam* eum Medicinæ addidiſſe, ait Plutarch. Vide ſuprà in voce *Aliptice*: & infrà ubi de *Medicis.*

JATRONICES, cogn. Theſſali Medici ſub Nerone clariſſimi, de quo ſuo loco, & infrà aliquid, ubi de *Phonaſcia.*

JATRUS, Plin. *l.* 3. *c.* 26. *Jeterus*, ex tabb. Geogr. *Jſchar* & *Abitz*, fluv. Myſiæ, apud Nicopolin Urb. in Danubium influens. Nunc *Jater*, apud Ternobum Urb.

JATUR, urbs Indiæ, intrà Gangem *Ptol.*

JAVA, vulgò *Java*, inſ. perampla Aſiæ, in mari Indico, & una ex inſulis Sindæ, Ptol. teſte. Ab Or. in Occid. extenditur ſpatio 200. leucarum. Ad Occaſ. habet Sumatram inſ. à qua ſeparatur freto Sundæ. Ad Ort. ei adjacent aliquot minores inſulæ. Ad Auſtr. habet Oceanum auſtralem, & ad Bor. inſ. Bornei, à qua tamen diſtat 45. milliaribus Germanicis. In ea ſunt novem regna, utpote Bantami, Jacatræ, Japaræ, Tubani, Jortani, Paſſarvani, Panarucani, Palimbuani, quæ ſunt in ora Bor. inſ. & Materani, in ora Auſtr. cujus Rex totius inſ. eſt potentiſſimus; habentque urbes cognomines. Tota inſ. dives eſt aromatum proventu & abundantiâ; hinc *Compendium orbis* dicta Scalig. ob omnium rerum tam facilem & uberem proventum, ideóque valde ab Europæis frequentatur, præſertim ab Anglis & Hollandis, qui ubi habet Bataviam arcem permunitam, olim *Jacatra* ab A. C. 1617. Sed pars Auſtralis inſ. nondum luſtrata fuit ab Europæis; eratque aliàs una ex tribus inſulis. Sindæ, ut Sanſon probare nititur. Dicitur etiam *Java* major, ad deſcrimen minoris Inſ. quæ ei verſùs Or. adjacens *Java minor* dicitur. Incolæ maximam partem Mahometani ſunt, & piraticâ perfidiâque infames: Immunda animalia, ut ſorices, ſerpentes, &c. ipſis præter terræ fructus, in quotidiano ſunt eſu, humana etiam carne quidam veſcuntur, hodieque regna Bantami & Materani, extantiora ſunt. Vide Texeiram *l.* 1. Maffæum *Hiſt. Ind. l.* 5. Linſchot. *c.* 17. & 20. &c. Maginum Georg. Marc. Paulum, *l.* 5. *c.* 10. alios.

Javæ inſ. urbes præcipuæ.

Balambuanum, *Balambuan.*	Materanum, *Materan.*
Bantanum, *Bantam.*	Panarucanum, *Panarucan.*
Batavia, alias Iacatra, *Batavia.*	Paſſarvanum, *Paſſarvan.*
Duama, *Duama.*	Saraboa, *Saraboy.*
Japara, *Japara.*	Sura, *Sura.*
Jortanum, *Jortan.*	Tubanum, *Tuban.*

JAVA, Hiſp. civ. Ptol. vulgò *Laca.*

JAVAN, fil. Japhet. Gen. *c.* 10. *v.* 1. Iſ. *c.* 66. *v.* 19. Ezech. *c.* 27. *v.* 13. & 19. Jonum Patriarcha. Hujus filii 4. Eliſam Æcolum caput. Tharſis Cilicum auctor, Chettim Cypriorum, & Rhodanim Rhodienſium progenitor. Torniel. A. M. 1931. *n.* 22. Sed vide Boch. *Phaleg. p.* 175. & infrà *Jon.* Addo hîc de illo Joſephi locum *Antiqq. l.* 1. *c.* 7. ἀπὸ δὲ Ἰωυάνου Ἰωνία καὶ πάντες Ἕλληνες γεγόνασι, *a Javane Ionia & omnes Græci orti ſunt.* Proin in S. Scriptura, non uno in loco, *Javan* pro Græcis ponitur; inter alia Dan. *c.* 10. *v.* 20. & *c.* 11. *v.* 2. Etiam Strabo *l.* 14. *p.* 632. Iones Ἰάονες vocat, extruſâ vocali υ. quod non rarò contingit: & Æſchyl. *in Perſis,*

Ἰαόνων γῆν οἴχεται πέρσαι θέλων,
Jaonum terram vadit vaſtaturus.

In quæ verba Schol. Ἰστέον δὲ, inquit, ὅτι Ἰάονες οἱ Ἀθηναῖοι λέγονται ἐκ τοῦ Ἴωνος βασιλεύοντος αὐτῶν. Namque & Attica priùs *Jas* & *Jonia* dicta eſt. Vide Roſſ. *Archæol. Attic. l.* 1. *c.* 1. & G. Joh. Voſſ. de orig. & progr. *Idol. l.* 1. *c.* 36.

JAVARINUM, Prov. Rom. *Gravarin* Italis, & *Rab* Hungaris, urbs Pannoniæ ſup. in Hungaria, munitiſſima adversùs Turcas, ad Arabonem fluv. ubi is Danubio congreditur, Epiſcopal. ſub Archiep. Strigonienſi, à Poſonio 10. leuc. in Auſtr. à Vienna 13. in Eur. Veſprimum verſùs. Vide *Arabo*, ſive *Arrabo*, *Ferr.* Baudr. hæc urbs eſt parva, ſed munita in conf. Auſtr. Capta fuit à Turcis A. C. 1591. proditione Comitis Hardeckii, (qui ſcelus poſtea capite luit:) ſed poſtea recepta mirabili audaciâ à Domino de Vaubecourt nobili Gallo, ſubeſt etiamnum Auſtriacis. A Germanis *Gewer* dicitur, & Gallis *Javarin.* Diſtat 5. milliaribus Germanis à Comora in Occaſ. eſtque in limite ditionis Turcicæ, & è regione Schutiæ inſ.

JAVE, vide *Jabe.*

JAUNA, fluv. Vide *Icauna.*

JAURIA, quibuſd. *Jauravia*, vulgò *Jawer*, urbs parva Germ. in Sileſia, Duc. titulo inſignita, à qua pendet tractus adjacens. Vix duabus leuc. diſtat à Lignitio in Auſtr. & 6. ab Vratiſlavia in Occ.

JAUS, nomen viri. 1 Par. *c.* 23. *v.* 10.

JAXAMATÆ, pop. circa Mæotim paludem. P. Melæ *Examatæ*, ut quidam volunt *l.* 1. *c.* 19. Steph. Ἰαξαμάται, quos Ephorus appellat *Sauromatas.* Val. Flacc. *Argon. l.* 6. *v.* 146.

Exomatas *venatus alit.*

JAXARTÆ, Sogdianæ pop. Ptol. ſeu Scythiæ intrà Imaum in Sogdianæ conf. unde Turcæ profecti feruntur. Quare ſedem eorum hodiè *Turcheſtan* appellat *Niger.*

JAXARTES, auxilio Æëtæ adverſùs Perſen venit, magnidicus & manu promptus. Val. Flacc. Argon. *l.* 5. *v.* 596.

JAXARTES, fluv. ingens Sogdianorum, qui in Occid. fluens in mare Caſpium ſe exonerat, *Cheſel* Nigro, qui & *Organz* Barbaris, & à Scythis *Schittim*, teſte Bonfin. Strabo *l.* XI. *p.* 507. Ei Tanais, qui in Mæotidem paludem influit, à Macedonibus nomen impoſitum, & prope illum fuiſſe Alex. aram, ut & Herculis Liberi patris, Semiramidis & Cyri, Græcè τὰ Κυρέσχατα, docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 790.

JAXTES, fluv. quem eodem cum ſuperiore tractu quidam locant, cujus meminit Claud. *de Prob. & Olyb. Conſ.* Carm. 1. *v.* 160.

----- *Sit nobis Scythicus famulatur* Araxes.

le JAY, nomen illuſtris in Gallia Fam. è qua memoratur Steph. Eques circa A. C. 1000. In ejus deſcendentibus ſervatus ferè eſt titulus Domin. *de Floigny.* Acceſſit dein, cùm Oudardo *le Jay*, Dn. *de Boutebac*, nupſiſſet Nicolaa *Muſnier* (dicta ab Avia paterna *du Pré*) novum hoc nomen, quod nunc quoque cum priori ſervatur. Probatio modernorum hæc eſt. Bernardus *le Jay*, Dn. *de Boutebac*, ex Genovefa (filia Petri Dn. *de Quignon*) pater fuit Petri *le Jay*, Dn. *de Boutebac*, Equitis; cui Franciſca *de Frangeon*, genuit Oudardum, de quo antè: Huic Nicolaa, itidem prædicta, genuit Claudium *du Pré* (ex conditione materni conjungii) *Scut. D. de maiſon pré Kaerdaniel*; quo & Suſannâ *Laiſné* Dn. *de Kaerrodierne*, Dn. *de Kaerr* (filia Petri *Laiſné* Dn. *de Kaerrodierne*, *Kaerdaniel* &c.) genitus Joh. *du Pré*, Dn. *de Kaereal*, *Kaerdaniel*, *Kaermerieu*, junctâ ſibi Eliſabethâ Ferræâ *de la Garraye* (filiâ Caroli *Ferré de la Garraye* Equ. Dn. *de la Villes-blancs la Verrie*) ſuſcepit Gedeonem *du Pré le Jay*, Dn. *de Kaerdaniel* Vicecom. *de la Belliere en Loudeac*; cui ex Sara Barbier (filia Petri *Barbier* Dn. *de Vancelles & de Pillaut*) nati ſunt Petrus Gedeon Dom. *de Floigny*, Joh. Phil. Dn. *de Brinnouetz*, Gedeon Dn. *de Botpierre*, Eſthera Olympia *Mademoiſelle de Kaerdaniel*, Carola *Mademoiſelle de la Belliere*, & Juditha Eliſabetha *Mademoiſelle du Pré*, omnes nominis *du Pré le Jay.* Phil. Jac. Spener. *Theat. Nob. Part III. p.* 66. & *Indic.*

JAYCZA, vulgò *Jaycza*, urbs Boſniæ, ad fluv. Plenam, aliàs caput regni. In monte, cum caſtro munitiſſimo, ſub Turcis, à 152. Annis In limite Croatiæ, ubi forſan ol. *Æmate.* Vix 8. mill. Germ. à Dravo fluv. in Auſtr. 15. à Jadera in Eur. Sedes aliàs Principum.

JAZABATÆ, vide *Jaxamatæ.*

JAZATES, Adiabenorum Rex, Judaicæ religionis, cujus mater Helena. De origine hujus Regis & progreſſu, multaque alia, quæ operæ ſit legere, Joſeph. *l.* 20. *Antiqq. c.* 2. & 3.

JAZEL, fil. Azmoth. 1 Par. *c.* 12. *v.* 3.

JAZER, ubs Amorrhæorum. Iſ. *c.* 16. *v.* 9. quam conſtruxerunt filii Gad. Joſ. *c.* 13. *v.* 25. Num. *c.* 32. *v.* 35. Terminus tribûs Gad. in 10. lapide Philadelphiæ, ad Occ. trans Jordanem Levitis ſeparata.

JAZERAN, in *Chron.* Bertrandi Gueſclini *MS.* veſtis militaris ſpecies, *Giazerino* apud Joh. Villan. *l.* 8. *c.* 78. laudatum C. du Freſne *in Gloſſ.*

JAZIEL, nomen Sacerdotis. 1 Par. *c.* 15. *v.* 18.

JAZITHA, opp. Libyæ inter. *Ptol.*

JAZYGES, pop. Sarm. Europææ, quos Martin. Cromerus *Jaſuingos* vocat, pop. Pruſſiæ in regno Polonico, à Boleſlao Caſto, A. C. 1264. & Leſco, A. C. 1282. tantùm non deſtructi. Crom. *l.* 9. & 10. Michov. *l.* 3. Plurimi horum in Hung. ſup. conceſſêre, Jazyges Metanaſtæ. Ovid. *de Ponto l.* 1. Eleg. 3. *v.* XI.

Aut quid Sauromatæ faciant, & Jazyges acres.

Idem ibid v. 135. Val. Flacc. Argon. *l.* 6. *v.* 121.

Neurus, & expertes canentis Jazyges ævi.

Etiam *Jazyges Mœotæ* dicti, verſùs paludem Mœotid. inter Naubaros ad Occ. & Roxolanos ad Ort. Eorum oppida fuêre, Acras, Cuema & Lianum. G. Sanſo. Ubi nunc pars Tartariæ min. Baudr. Plin. *l.* 4. *c.* 12. Strabo *l.* 7. *p.* 294.

JAZYGES Metanaſtæ pop. latè extenſi, & regio Europæ inter Danubium ad Occ. & Mer. Tranſylvaniam ad Ort. ac Carpathum montem ad Bor. Hodie *Ongaria di la dal. Danubio*. Baudr. ubi nunc Hung. ſup. quæ maj. ex parte ſub Auſtr. præſertim verſùs Bor.

JAZYS, nomen proprium viri. 1 Par. *c.* 27. *v.* 31.

IBAI, & *Ibeni*, populi Celticæ. Sunt etiam *Ibeni* Lydiæ, aliàs *Jaoniæ* dicti. *Steph.*

IBAN, vulgò *Ian*, urbec. Armeniæ; in conf. Mediæ, munita, cum caſtro, ſub Turcis, à 100. prope Annis, in limite Perſiæ. Aliquot mill. à lacu cogn.

IBAS, Ep. Edeſſenus, primò Neſtorii hyperaſpiſtes, dein Orthodoxus Depoſitus in Synodo Lyſtrica, Conc. Chalcedonenſi abſolutus eſt, & in ſedem ſuam reſtitutus. Poſtmodum Theodorus Ep. Cæſareæ, Originis fautor & Acephalus, cùm conſuluiſſet Juſtiniano, ut condemnaret ſcripta Theodori Mopſveſteni, anathemata Theodoreti Cyrenſis, oppoſita anathematis S. Cyrilli, & epiſtolam Ibæ ab Marim Perſam, quam ſcripſerat, cùm adhuc Neſtorianus eſſet, Imp. Conc. 5. Gen. Conſtantinopoli habito, A. C. 553. hæc omnia condemnari curavit. Quæ *tria Capitula* dicta. Unde Schiſma diuturnam Niceph. *l.* 17. *c.* 9. 26. & 37. Conc. Chalc. *Act.* 8. & 9. Conc. 5. Gen. *ſeſſ.* 6. Liberatus, *c.* 24. &c.

IBELLINUM Præſidium, à Fulcone Andegavenſium Comite, Hieroſolymorum Rege conditum, A. C. 1122.

IBERA, opp. Hiſp. Tarracon. ad Iberum fluv. apud Carthaginem vet. medium ferè inter Cæſarauguſtam, & Dertuſam. *Flix.* opp. Illercaonum, teſte Ant. Auguſtin. nunc caſtr. munitum Catalon. Aliis eſt ipſa Dertoſa, *Tortoſa*, urbs Epiſcopal. Cataloniæ, paulò ſuprà oſtia Iberi fluv. Vide *Dertoſa*.

IBERIA, reg. Aſiæ inter Colchidem ad Occid. & Albaniam ad Ort. Armeniæ maj. ad Mer. contermina, ad Bor. montibus Caucaſeis definita. Nunc *Gurgiſtan* incolis, Gall. *Georgie*. Ibi urbes aliàs celebres, Armotica ſeu Harmaſtis, nunc *Cori* & Artaniſſa, nunc *Baſſachiuc*. Dividitur ab Albania Caſpio monte ad Ort. à Colchide Moſchicis montibus. Sub Principe proprio, ſub clientela tamen Regum Perſ. Baudr. Populi *Iberes* Strabo aliis *Iberi*, *Giorgiani* vulgò: quamvis Giorgiana reg. magnam Armeniæ partem complectitur. Vide quoque infrà.

IBERIA, primùm appellata fuit Hiſp. regio Ibero fluv. proxima an hinc, an ab Ibero Rege quam poſtea, Celtæ Gallorum pop. relictis ſedibus ſuis habitavêre, unde compoſito ex nomine gentis utriuſque vocabulo, *Celtiberi* dicti ſunt. Luc. Civ. Bell. *l.* 4. *c.* 10.

----- Profugique à gente vetuſta
Gallorum Celtæ miſcentes nomen Iberis.

Idem ibid. *v.* 335. *l.* 5. *v.* 343. & *l.* 7. *v.* 232. Porro Ar. Montanus Iberiam Aſiaticam hodie *Georgiam*, in ſacris literis ſub nomine *Tubal* deſcribit, atque hinc profectos Hiſpanos, qui Europæ ultimam partem verſùs Occid. occupant, teſtatur. Hoc ipſum etiam voluit Joſeph. Plin. *l.* 3. *c.* 3. *l.* 6. *c.* 4. & *l.* 6. *c.* 9. quoque Varronem ſecutus Iberes ſive Iberos primo loco collocat inter nationes, quæ ante Romanos in Hiſp. ſedes fixêrunt. Sic enim Scribit *l.* 3. *c.* 1. *Un univerſam Hiſpaniam M. Varro perveniſſe Iberos & Perſas, & Phœnices, Celtaſque & Pœnos tradit.* Longè tamen aliter Megaſthenes, qui Seleuci Nicanoris tempore rerum Chaldaicarum, & Aſſyriarum Hiſtoriam condidit, ex qua ſic Abyden. apud Euſeb. *de Præp. Evang.* *l.* 9. *c.* 41. Μεγασθένης δέ φησι Ναβουκοδρόσορον Ἡρακλέος ἀλκιμώτερον γεγονότα, ἐπί τε Λιβύην, καὶ Ἰβηρίην στρατεῦσαι. Ταύτας δὲ χειρωσάμενον, ἀπόδασμον αὐτέων εἰς τὰ δεξιὰ τοῦ πόντου κατοικίσαι. Strabo etiam inprimo tradit, Iberos Occidentales in loca ultra Pontum, & Colchidem commigrâſſe. Imò & ſimiliter Dion. *in Periegeſi* ſcribit:

Τῷ δ' ἐπὶ ναιετάουσιν ἑωθινὸν ἔθνος Ἰβήρων,
Οἵ ποτε Πυρρήνηθεν ἐπ' ἀντολίην ἀφίκοντο.

Sequitur hanc opinionem etiam Socrates, *Hiſt. Eccl.* *l.* 1. *c.* 16. Non pauci tamen ab hac ſententia receſſêrunt. Nam Appian. *in Ibericis* tradit, cùm aliqui putarent, Iberos Europæ eſſe προγόνους Iberum Aſiæ; alios contra exiſtimâſſe, eos iſtorum eſſe ἀποίκους, fuiſſe etiam, qui neutros vel progenitores, vel colonos arbitrarentur. Quomodo Ἴβηρ ratione gentis utriuſque erit ὁμώνυμον ἀπὸ τύχης. Atqui ſi diligentiùs perpendamus, multò veriſimiliùs videtur, Hiſpanos eſſe colonos Iberum in Aſia: quàm ut contra Hiſpani per immenſa terrarum ſpatia ultra Colchidem commigrârint. Quod eo minus arridet, quia ab Or. propagatum eſt genus humanum. Quanquam verò faciliùs in animum induxero, Iberos Aſiaticos coloniam duxiſſe in Hiſpaniam, quam è contra, Hiſpanos in loca Aſiæ Sept. inprimis tamen eo propendeo, ut putem, neutros alteris originem ſuæ gentis debere: præſertim quando, ut Appian. ait: ἔθος οὐδὲν ἦν ὅμοιον, ἢ γλῶσσα, *Nec moribus ulla ex parte, nec linguâ convenirent.* Iberiæ Europææ meminit, Claud. Laus Serenæ. Reg. Carm. 29. *v.* 63.

Sola novum Latiis vectigal Iberia *rebus*
Contulit Auguſtus.

Iberiæ verò Aſiaticæ. Virg. *Georg.* *l.* 3. *v.* 408.

Aut impacatos à tergo horrebis Iberos.

De nomine ſic Bochart. Iberiæ vox, inquit, (i. e. Hiſpaniæ) ex Phœnicum lingua petenda eſt. Nam Caucaſeos Iberos in Hiſp. veniſſe, & regioni dediſſe nomen meræ nugæ ſunt. Quid igitur? Hebræis עבר eber, Chaldæis עברא ebra, vel *ibra* eſt *tranſitus*, & quicquid eſt ulterius. Inde plurale *ebrin*, vel *ibrin*, *terminos*, & *fines* ſignificat. In Evangelio Syro, & in verſione Syra Pſalmorum paſſim uſurpatur hæc vox, ubi Græca habent πέρατα τῆς γῆς, אפסי ארץ *Aphſe eretz*, i. e. *fines terræ*. Meritò igitur *Iberi* dicti, qui ex Phænicum ſententia terrarum fines ultimos habitârunt, eſſe Hiſpani nempe, quorum urbem Calpen Tyrii putavêrunt τέρμονας τῆς οἰκουμένης, ut in Strab. *l.* 3. *p.* 166. habetur. Tale eſt quòd Gaditanum templum Poſidonius ſcribit eſſe καὶ γῆς θαλάττης πέρας. Et quòd in Homero Proteus Menelaum ita compellat:

Ἀλλά σ' ἐς Ἠλύσιον πεδίον, καὶ πείρατα γαίης
Ἀθάνατοι πέμψουσι. ----- -----

i. e. in Hiſpaniam, ut interpretatur Strabo *l.* 1. *p.* 129. Eodem ſenſu apud Dion. τήλιστοι, i. e. *remotiſſimi* dicuntur:

Ὀππόθι τηλίστων μετεκίαθεν ἔθνος Ἰβήρων.

Ita legendum, non τελλίστων, ut vulgò legitur. Unde Claud in 2. Conſ. *Stilich.* ait: Carm. 24. v. 147.

----- In extremos aciem mittebat Iberos.

Notandum hic, Galliam olim etiam *Iberiam* nominatam, ut conſtat ex Strab. *l.* 3. ut ſuprà ubi antiquitùs Iberiam ait dictam, quicquid foret inter Pyrenæos montes & flum. Rhodanum, ut veriſimile etiam ſit eam veteribus extenſam uſque ad Rhenum, eamque credo cauſam eſſe, cur Nonno *l.* 23. *Dionyſ.* dicatur Ῥῆνος Ἴβηρ *Rhenus Iberus*. Sed quanto aliter Gorop. Becanus ſenſerit *l. Hiſpanicorum* 2. ubi ſuſpicatur Ἴβηρ Germanicam eſſe vocem, quia Germanis *Iver* idem ſit ac *Zelotypus*, quomodo Rhenus in vet. epigram. ζηλήμων vocatur. Sed ejus ſententiæ eo minùs ratio habenda eſt, quia apud vett. omnes de hoc Rheni cognomine ſilentium ſit, nec Nonnus homo Ægyptiacus ſciverit Germanicè Voſſius. Nic. Lloyd. *Iberia* tota ad Chriſtum converſa eſt Sec. 4. mulierculæ captivæ operâ, quæ cùm invocatione nominis Domini Jeſu Reginam à graviſſimo morbo liberâſſet, hac fide ſuſceptâ maritum Regem quoque convertit; ſicque utcunque ritus Chriſtianos à femina edocti, *Rex viris*, *Regina mulieribus*, Chriſtum prædicârunt, donec iis à Conſtantino Mag. Epiſcopi ſummiſſi ſunt. Rufin. *l.* 1. *c.* 10. Socr. *l.* 1. *c.* 16. App. Alex. de Bell. Annib. *p.* 313. &c. Addo hoc unum, quòd *Iberos* purpureis veſtibus in pugna amictos, patrio more, fuiſſe hoſtibus terribiles, prodit Polyb. *l.* 3. Cæterum de *Iberis Aſiæ* monet Salmaſ. eos, cum Colchis & Albanis, *Scythiæ* nomine à poëtis comprehendi, *ad Solin.* *p.* 890.

IBERUS, nobilis agitator apud Sil. Ital. Punic Bell. *l.* 16. *v.* 355. ubi de Ludis à Scipione in Africa celebratis,

Cinyphio rector cocco radiabat Iberus.

Quadriga ejus *Panchatis* equi nomine inſignis fuit, de quo infrà.

IBERUS, fluv. Hiſp. nobiliſſimus, navigabili commercio dives; ab Iberia urbe, totius Europæ olim præſtantiſſima, quæ hodie cenſetur Elix eſſe, dictus. Oritur in Caſtella vet. in conf. & ex montibus Aſturiæ, juxtà vicum *Fuentibre*. Baudr. Becmann. eum apud Cantabros, prope *Aquilar del Campo* ex binis fontibus, unde nomen *Fontibre*, quaſi Fontes Iberi, oriri ait. Dein partem Bor. Caſtellæ vet. rigat & Navarræ regnum, uti & urbes Calagurim & Tutelam: poſteà Aragoniam biſariam ſecans, juxtà Cæſarauguſtam labitur, recipitque Salonem, Cogedum, Gallæcum, Martinum, Secorum, alioſque fluv. Tandem per portem Occ. Cataloniæ, paulò infrà Dertoſam urb. duobus oſtiis, quæ Inſ. Alphaciam *Alfaquens* formant, mari Mediterr. excipitur. Suprà Variam recipit Argam fluv. ideoque aliquot infra leuc. lintrium capax eſt. Antiquiſſimè dividebat Hiſp. in citer. & ulter. ſed poſtea Hiſp. ulter. ad ſolam Bæticam reſtricta eſt. Ejus oſtia à fontibus diſtant 450. mill. paſſ. Plin. *Dives Iberus* Claud. dicitur, de Conſ. Mall. & Theod. Carm. XVII. *v.* 53. *rapidus* Lucan. Civ. Bell. *l.* 4. *v.* 335. *Ebro* hodiè incolis, *Ebre* Gallis, vocatur. Eſt & fluv. in Bætica, per Vandaliam fluens, inter Bætim & Anam, leuc. in oſtia latus, quem hodie *Rio Tinto* & *Azech* vocant. Item fluv. Iberiæ Aſiaticæ Plin. *l.* 3. *c.* 3. & *l.* 6. *c.* 10. ex Caucaſo in Cyrum fluv. maj. defluens. Strabo *l.* 3. *p.* 151. 156. 158. & 161.

IBI, Indiæ gens, quos credunt, ab Hercule originem trahere, ibidemque ab eo relictos, cùm *Aornum* Petram expugnare fruſtra tentâſſet, referente Diod. Sic. *l.* 7. *parte poſt.* *Sibi* vel *Sybi* Oroſio *l.* 3. *c.* 19. *Aſybi* Trogo. *Sobis* eſt in *Curtii* *l.* 10. *c.* 11. Verum Janus Gebhardus ibi legit *Hinc decurrit in fines Iborum* vel *Ibiorum*: *in Exercitationibus ad Q. Ruffum*, quod ante ipſum natum cenſebat *Abrah. Ortel.*

IBICES CC. inter alia animalia herbatica, quæ die muneris rapienda populo conceſſit Gordianus apud Jul. Capitolin. in *Vita* ejus. Eſt autem *Ibex*, Hebr. יעל *jaal*, quod nomen ab *aſcenſu* accepit, eò quòd in ſummis montibus degit, Pſalm. 104. *v.* 18. Cornua habet vaſtiſſima, quæ à capite uſque ad clunes protenduntur, memoratque Scalig. vetulorum cornu pependiſſe pondo duodeviginti, & in quibuſdam nodos 24. numerari totidem Annorum conjecturam. Ea inter pretioſas merces recenſentur Ezech. *c.* 27. *v.* 15. idque propter multiplicem eorum uſum. In Libya enim ingentium poculorum vicem præſtare, & ſi peritè excaventur, tricongiorum, refert Ælian. *l.* 14. *c.* 16. Ex iiſdem arcus in Creta fieri, apud Bellon. extat. Unde non dubitat Bochart. quin Homeri ἴξαλος, *Il.* δ. *v.* 105. ſit *Ibex*, cùm & agreſtis capra & in rupibus deprehenſa dicatur & habuiſſe κέρατα ἑκκαιδεκάδωρα, cornua

cornua palmarum ſedecim, ex quibus Pandaro arcus fabricatus, vide Hom. In hæc cornua, ait Plin. *l.* 8. *c.* 53. *ſe librant Ibices, ut tormento aliquo rotati in petras, potiſſimùm è monte aliquo in alium tranſilire quærentes, atque recuſſis pernicius, quo libuerit, exultant.* Quò pertinent illa Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 152.

Ecce feræ ſaxi dejectæ vertice capræ
Decurrêre jugis.

Quòd ſi earum aliqua in præceps cadat, tali membrorum ſunt robore, ut maneant illæſæ, cùm ſimilem habeant petris duritiem, in cornibus maximè; quæ à capite uſque ad nates pertingentia ita eas tutantur, ut ne à petris quidquam timeant, Ælian. Ibid. Alii. Porro in cornibus duo eſſe foramina, per quæ reſpirent, quibuſque obturatis pereant ilico, ſcribit Damir; idemque refert de ægagro, qui cum *Ibice* idem, Oppian. *l.* 2.

Εἰ δέ τις αἰγάγρε κερῶν κηρὸν περιχεύοι,
Ζωῆς ἐξέκλεισεν ὁδὸς, πνοιῆς τε διαύλους.
Quòd ſi quis ægagri cornibus ceram circumfuderit,
Vitæ is intercluſerit vias, reſpirationiſque meatus &c.

Plura de hoc animali, στοργῇ inprimis earum tum in catulos, cùm capti abducentur, tum in parentes ſenio confectos: de fabella item Judæorum, Jonam ab *ibice* lactatum, dicentium, vide apud Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 3. *c.* 23. de partu illarum difficili, apud G. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 49.

IBIRTHA, urbs Arabiæ Fel. *Ptol.*

IBIS, quod ſerpentes, Nilo exundante, devoraret, pro Numine Ægyptiis fuit. Vide Cic. *de Nat. Deor. l.* 1. *c.* 36. & Con[illegible] Lucian. *Iov. Trag. Tom.* 3. *p.* 469. Et quidem tam religioſe culta, ut capitis eſſet, ſi quis *Ibin*, ſicut & accipitrem, occidiſſet ſive ſciens ſive ignarus, Herod. *Euterpe.* Vide quoque Jac. Ouzel. *Animadverſ. ad Minuc. Fel.* Unde iis ante exercitum poſitis cùm parcerent Ægyptii, Peluſium expugnavit, ſicque in Ægyptum pervenit Cambyſes, apud Polyæn. *l.* 7. &c. De ea & Solin. *c.* 32. *Circum eaſdem ripas* (Nili viz.) *ales eſt ibis. Ea ſerpentium populatur ova, gratiſſimamque ex his eſcam nidis ſuis defert ---Nec tamen aves iſtæ tantum intra fines Ægyptios proſunt; nam quando Arabicæ paludes pennatorum anguium mittunt examina ---- in procinctum eunt univerſa, & priuſquam terminos proprios externum malum tranſeat, in aëre occurſant catervis peſtilentibus, ibi agmen devorant univerſum: quo merito ſacræ ſunt & illæſæ. Ore pariunt. Nigras ſolum Peluſium mittit, reliqua pars candidas.* Ubi quòd *ore* hanc Ægypto peculiarem avem *parere* tradit, refellitur à Salmaſ. *ore tantùm coire* ait, uti corvos, vulgò creditum docente pluribus *ad eum p.* 418. Roſtro clyſterem inventum earum Plin. facit *l.* 8. *c.* 27. & in Alexandria plateas omnes iis cicuribus ac domeſticis refertas eſſe, apud Strab. legas &c. Quòd verò avis hæc cùm collum & caput ſub plumis abdiderit, cordis figuram exprimit, teſte Æliano *de Anim. l.* 10. *c.* 39. quodque, ad evitandas feles, in palmis nidificat, ut idem alibi refert, inter Hieroglyphica cordis Deo grati, & mentis generoſæ ac in celſa virtute quieſcentis, recenſetur: vide Nic. Cauſin. *Hieroglyph.* In eam Idmonem poëtam converſum, apud Ovid. habes ut plura hanc in rem, apud G. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 74. 78. 82. & 96. Plin. *l.* 10. *c.* 29.

IBLIODUNUM, ſ. IBLIODURUS, oppid. fuit Mediomatricum, *la Beuville* nunc quibuſd. Aliis eſt *Conflans en Jarnisy*, oppid. Lotharing. ad Ornam amnem, 8. leuc. à Virduno Divodurum verſus.

IBNALACH, Saracenorum Rex, Hiſpaniam obtinuit, A. C. 777.

IBNU Giulgiul, Arabs, Chronologiæ vitarum Philoſophorum auctor. Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 67. §. 25. Auctor vitæ Pha-[illegible].

Imp. & Vezirii Turcici.

IBRAHIMUS, Imp. Turcarum, fil. Achmetis, ſucceſſit fratri Amurathi IV. A. C. 1640. è carcere diuturno ægrè extractus. Sed ob voluptates, Imperii neglectum aliaque vitia, à Janizeris ſtrangulatus eſt, A. C. 1649. Mahomete fil. ſurrogato. Mezerajus, Contin. Chalcond.

IBRAHIMUS, Vezirius, Solimanno II. gratus. Genuenſis quidam fuiſſe dicitur, unde Chriſtianis in occulto favens, Imp. contra Perſas concitavit. Mox à Roxolana Sultana apud Imp. labefactatus, & cùm hic olim juraſſet, ſe vivo, Ibrahimum non neci daturum, dormiente eo, neci datus eſt: cùm ſopor mortis quædam ſpecies videatur. Proditio ipſi multiplex objecta, & literæ quoque ad Carolum V. oſtenſæ. Contin. Chalcondylæ, *in Solimanno II.* Vide *Vezirius.*

IBREJUM, oppid. ſ. municipiolum Galliæ, arce validum, ad Auturam fluv. inter Anetum & Pacejum, Henrici Mag. clarâ de conjuratis ac rebellibus victoriâ nobile: nunc *Ivry.* Plurimi nunc *Ebriacum* appellant, quod eſt caſtrum in Aulercis Eburovicibus. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

IBRIONES, P. Diacono *Briones*, pop. Germ. in Bavariæ fin. inter Lycum & Oenum. M. Velſerus. Aliis *Pryoner*, incolæ Pyrenæi ſunt, in Tirolenſi Duc.

IBYCUS, Lyricus poëta, cujus fragmenta Henr. Steph. collegit. Hunc maximè omnium amore flagraſſe, ex ipſius ſcriptis conſtare, ſcribit Cic. *Tuſc. Qu. l.* 4. Inde proverb. *Ibyci grues*, quoties ſceleribus novo quodam & improviſo caſu proditis ſceleſti pœnas dant iis, quos læſerant. Id ex hujuſmodi quodam eventu natum memorant. Ibycus cùm in latrones incidiſſet jam occidendus, grues forte ſupervolantes obteſtatus eſt. Aliquanto poſt tempore, cùm iidem latrones in foro ſederent, rurſumque grues ſupervolarent, per jocum inter ſe ſuſurrabant in aurem: Αἱ Ἰβύκου ἔκδικοι πάρεισι. Eum ſermonem aſſidentes in ſuſpicionem rapuêrunt, maximè deſiderato jam pridem Ibyco. Rogati quidnam ſibi vellet ea oratio, hæſitanter & inconſtanter reſpondêrunt, ſubjecti tormentis facinus confeſſi ſunt. Atque ita velut gruum indicio pœnas Ibyco dedêrunt. Cujuſmodi fermè Plutarch. *in de Futili loquacitate.* Auſ. *in Technopegnion de Hiſtoriis. v.* 12.

Ibycus *ut periit, vindex fuit altivolans grus.*

Antipater ei Epitaphium ſcripſit. Vide Plat. *in Parmen* Pauſ. *l.* 2. Athen. *l.* 12. *c.* 5. Eraſm. *in adag.* Strabo *l.* 1. *p.* 59. & *l.* 6. *p.* 271. Nic. Lloyd. Addo, quod hic primus variantia quinque planetarum nomina digeſſit, & inſtrumentum Muſicum, jambis canendis idoneum, excogitavit, quo Romanos Galloſque olim in bello uſos, legimus. *Sambycam* ſ. *Jambycam*, vocavêre &c. Vide G. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 2. *c.* 33.

IBYCUS, Rheginus Poëta. Ælian. *Hiſt. Anim. l.* 6. *c.* 51. Schol. Apollon. *l.* 1.

IBYLLA, urbs Tarteſſia, cives *Ibyllini*, apud quos auri & argenti metalla ſunt. *Steph.*

IBZAN, Bethlechemites, judicavit Iſraëlem Annis 7. Judic. *c.* 12. *v.* 8. Hunc quidam Hebræorum putant eſſe Boaz patrem Obed. patris Iſai, patris David.

JC. in notis antiqq. *Juriſconſultis*, *Julius Cæſar.* IC. E. V. *juſta cauſa eſſe videtur*, ſignificat, Fr. Couldmann. IC XP NI KA. *Inſcriptio* in inf. ævi numiſmatibus Impp. Græcorum frequens. Vide ſuprà in *Chriſti Monogramma*, & hanc in rem plura, apud C. du Freſne *Diſſert. de Numiſm. inf. ævi*, *n.* 25.

ICDIEN, Epigraphe, quâ Walliæ Principes, ſub emblemate trium pennarum utuntur. Significat, è Saxonico, *Ego ſervus*, vel *Ipſe Servus* ſum, ſecundùm illud Apoſtoli ad Galatas *c.* 1. Inde Barones Regum Anglo-Saxonum, juxta linguam eorum vernaculam *Theini*, & *Thani Theigni* juxtà Lat. *Miniſtri* appellati ſunt. Henr. Spelm. in *Gloſſ. Arch.*

ICADES, Græcè Εἰκάδες, feriæ in honorem Epicuri inſtitutæ. Plin. *l.* 35. *c.* 2. *Iidem palæſtras athletarum imaginibus & ceromata ſua exornant, & vultus Epicuri per cubicula geſtant ac circumferunt ſecum. Natali ejus viceſimâ Lunâ ſacrificant, feriaſque omni menſe cuſtodiunt, quas* Icadas *vocant.* Vide in voce *Icadiſtæ.*

ICADISTÆ, Epicurei ſic dicti, quòd εἰς εἰκάδας, h. e. viceſimum quemque Lunæ diem, quo natus eſt Epicurus, celebrarent, imagines ejus per cubicula circumferentes. Athen. *l.* 7. *p.* 298.

ICADIUS, prædo, de cujus fato ſic ſcribit Cic. *in l. de Fato*: *Ne hercule quidem* Icadii *prædonis video fatum ullum, nihil enim ſcribit ei prædictum. Quid mirum igitur, ex ſpelunca, ſaxum in crura ejus incidiſſe?*

ICAMIA, fil. Sellum. 1 Par. *c.* 2. *v.* 41.

ICANATI, vide *Domeſticus*, it. *Mandator.*

ICARIA, vide *Icarus.* It. vicus in tribu Ægeide ab *Icario*, Erigones patre. *Steph.*

ICARIA, Strabo *l.* 10. *p.* 488. & *l.* 14. *p.* 639. Plin. P. Melæ, *l.* 2. *c.* 7. Solin. vulgo *Nicaria*, Inſ. exigua in mari Ægæo, inter Samum ad Ort. & Naxum ad Occ. 60. mill. ſ. inter Chium ad Bor. 40. mill. & Pathmum ad Auſtr. 25. minimè lata eſt, ſed in longitudinem protenditur; In ea templum Dianæ fuit, *Tauropolion* dictum. Ejus circuitus eſt circiter 37. mill. Priùs *Douche*, *Macris* & *Ichthyuſa* vocabatur, nec non etiam *Pergamum* fuiſſe nuncupatam, antequam ibi Icarus in mari ſubmergeretur, teſtatur Pauſ. ab hac vicinum pelagus *Icarium* denominatur. Inſ. niſi à piratis infeſtaretur, ſatis culta eſſet. Inter eam & Samum ſcopuli aſperrimi ſunt, modò *fornaces* vocati, olim *Melanthii*, qui nautis celebris ac metuendi maximè ſunt, præſertim nocturno tempore. In Inſ. parte Or. in maris litore turris eſt altiſſima, *Fauci* dicta, in cujus faſtigio lumine nautis hic navigantibus ſignum datur, ut rupes, quæ circa inſ. ſunt, vitent. Joh. Matal. Metell. Sub Turcis à 200. An. Antea ſub Juſtinianis Genuenſibus Chii Inſ. Dominis. Baudr. Olim hæc cum reliquis Archipelagi inſulis, quæ frequentiſſimo apud Græcos XII. Inſularum aut *Dodecanſi* nomine celebres, præter Cyprum & Candiam, ſub præfectura erat Callipolitana: Unde & Præfectus hic, Præfectus Dodecanſi dictus eſt, quemadmodum & Turcæ hodienum Sanzacko Callipolitano inſpectionem harum inſularum commendant, Chr. Becman. *Hiſt. Inſ. c.* 5. Cæterùm *Icaria* urbem habuit cogn. Epiſcopal. ſub Archiep. Rhodio.

ICARIA, Inſ. in Oceano Bor. fruges nullas habet, ſed piſces tantùm & animalia, ex quibus vivunt accolæ. Hanc nomen habere ſcribunt ab Icaro, Dædali Scotiæ Regis, fil. qui Inſulanis dominatus eſt, ac leges dedit: hujus inſ. populi advenas non recipiunt, niſi fortè ſit unus tantùm, quod quidem nulla alia de cauſa faciunt, niſi ut ex eo linguam externam percipiant. Ad hanc inſ. cùm Zuchminus, aliarum inſularum Borealium Rex, appuliſſet A. C. 1390. expulſus armis ab inſulanis fuit. *Joh. Matal. Metell.*

ICARIUM, inſ. ſinus Perſici, oſtio Euphratis objecta. Ptol. Strabo *l.* 14. *p.* 639. Arrian. *l.* 7. *Carai* hodiè vel *Carge.* Vide *Ichara.*

ICARIUM Mare, pars maris Ægæi ab *Icaro*, Dædali fil. *Mare di Nicaria*, teſte Caſtaldo. Plin. *l.* 4. *c.* 11. 12. & *l.* 5. *c.* 31. Strabo *l.* 2. *p.* 124.

ICARIUS, Oebali fil. pater Erigones, qui cùm à Libero patre utrem vini accepiſſet, ut ejus uſum mortalibus communicaret, in Atticum agrum ſeſe contulit, ibique paſtoribus, qui æſtu Solis ſitim contraxerant, vinum propinavit, qui cùm novo potûs genere delectati, largiùs hauſiſſent, altiſſimoque primùm ſomno, deinde & crapulâ correpti eſſent, toxicum ſibi datum rati, Icarium interfecêrunt, occiſumque in puteum projecêrunt. Aderat fortè Icario canicula nomine Mæra, quæ ad Erigonen reverſa,

veſtem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

veſtem ejus mordicus arripuit, illamque ſequentem ad patris cadaver perduxit: quæ tantum ex patris nece dolorem concepit, ut, mala multa ejus percuſſoribus imprecata, laqueo vitam finierit, Mæram quoque tam heri quàm filiæ herilis deſiderio ferunt contabuiſſe, Joviſque miſeratione in cœlum tranſlatam, in Caniculæ ſtellam converſam eſſe, Icarium autem in Booten, Erigonem verò in Zodiaci ſignum, quam Virginem appellamus. Hygyn. *l.* 1. *Fab.* 130. *l.* 2. *Aſtron.* Hic *Icarus* Tibull. dicitur, *l.* 4. *Ad Meſſalam*, *v.* 8. & ſeqq.

> ----- *Etiam Phœbo gratiſſima dona*
> *Cres tulit & cunctis Baccho jucundior hoſpes*
> Icarus, *ut puro teſtantur ſidera cœlo*
> *Erigoneque Caniſque.* ----- -----

Nic. Lloyd.

ICARIUS, patriâ Lacedæmonius, pater Penelopes; Hinc illud,

> Κούρη Ἰκαρίοιο περίφρων Πηνελόπεια.

Paſſim apud Hom. *in Odyſſ.* Ovid. 1. *Ep.* Heroid. Penelope Ulyſſi. *v.* 82.

> *Me pater* Icarius *viduo diſcedere lecto*
> *Cogit.*

Inde Penelope vocatur *Icaris.* Ovid. *in Ibin. v.* 391.

> *Et velut* Icaridos *famulæ periêre procique.*

Item *Icariotis.* Prop. *l.* 3. *Eleg.* 13. *v.* 10.

> *Hæc etiam clauſas expugnant arma pudicas,*
> *Quæque terunt faſtus* Icarioti *tuos.*

Ovid. *de Ponto l.* 3. *Eleg.* 1. *v.* 113.

> *Nil opus eſt letho, nihil* Icariotide *tela.*

Nic. Lloyd. Strabo *l.* 10. *p.* 452.

ICARIUS, Atticæ mons, Plin. *l.* 4. *c.* 7.

ICARUS, Dædali fil. qui unà cum patre è Creta fugiens, fretus alarum fiduciâ, quum ultrà patris juſſa altiùs evolâſſet, Soliſque ardore cera, quâ pennæ continebantur, liquefacta eſſet, ita ab alis deflueret, decidit in mare, quod eſt inter Myconem & Gyarum, à quo poſtea *Icarium mare* appellatum fuit. Plin. *l.* 4. *c.* 11. Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 281.

> *Tranſit & Icarium, lapſas ubi perdidit alas*
> Icarus. ----- -----

Idem *Triſt. l.* 1. *Eleg.* 1. *v.* 90.

> Icarus *Icarias nomina fecit aquas.*

ICARUS, Hypereſienſis, Olympionices, Stadium vicit, Olymp. 23. cujus Anno 4. Tleſiâ Athenis, Archonte, apud Lacedæmonios autem regnantibus Anaxandro & Anaxidamo, Meſſenii, Anno poſt Ithomes excidium 39. à Lacedæmoniis defecêre, unde Bellum Meſſeniacum II. conflatum, de quo Vide Pauſ. *l.* 4. & Marsham. *Canon. Chron. Sec.* XVII.

ICARUS, Aſiæ fluv. in Oxum, Sogdianorum fluv. influens. Solin. Et inſ. juxtà mare Rubrum. Steph. Et mons Atticæ, Plin. *l.* 6. *c.* 17.

ICARUS, vel ICARIA, inſ. una Cycladum, quæ priùs *Macris* vocabatur, ac *Doliche.* De nomine Bochart. *Icarus*, inquit, eſt איכר *Icar*, Plin. *l.* 4. *c.* 12. & *l.* 5. *c.* 31. ad verbum, *inſ. paſcui.* Quæ Etymologia quàm quadret, docebunt verba Strab. *l.* 10. Ἡ μὲν δὲ Ἰκαρία ἔρημός ἐστι, νομὰς δ' ἔχει, ᾗ χρῶνται αὐτῇ οἱ Σάμιοι. Tamen aliud etymon occurrit, quod huic meritò præferendum. Inſ. hæc olim *Ichthyuſa*, vel *Ichthyoeſſa* dicta eſt. Athen. *l.* 1. *c.* 24. Ἐκαλεῖτο δ' ἡ Ἴκαρος πρότερον ἰχθυόεσσα, διὰ τὸ ἐν αὐτῇ τῶν ἰχθύων πλῆθος. Inde Phœniciè dicta eſt אי כורי *I-caure*, i. e. *inſ. piſcium.* Vide quoque *Icaria. Nic. Lloyd.*

ICARUSA, flum. Sarmatiæ Aſiat. apud Cercetas. Plin. *l.* 6. *c.* 5.

ICATALÆ, Sarm. Aſiat. pop. Idem Ibid. *c.* 7.

ICAUNA, vulgò *l'Yonne* fluv. Gall. Celt. Oritur in Duc. Burg. apud Auguſtodunenſes è montibus Morundiæ, ſ. Morvinnicis, *de Morvant*, alluitque caſtrum Chinonium in Morvinno pago, quâ diœceſim Auguſtodunenſem à Nivernenſi dirimit. Tum attingit Marcelliacum *Marcilly*, Mariniacum, Silviniacum *Sauvigny*, Vanacum *Tanay*, Alnetum *Aunoy*, & urbem luſtrat Clamecium, ſ. Climiciacum, *Clameci*, ubi primùm navigia tolerat, in prov. Nivern. dein Colonicam *Coulange*, Caſtrum Cenſorium *Chaſtel Cenſoy*, Malliacum Caſtellum, Malliacum Villam, Crevantium opp. rigans, ubi recipit Curam amnem, poſteà Antiſſiodorum Burg. urbem, Caſtellum Novum, Eponiacum *Eſpogny*, opp. S. Juliani de Saltu lavat. Hinc receptis Semno & Armancione flum. juxtà Jogniacum, Villam Novam Regis, Senones Urb. Pontes Icaunæ *Pons ſur Yonne*, Villam Novam Gujardi labitur; & demum ad Monaſteriolum ſ. Montem Reg. ut quidam volunt, in Campania Sequanæ miſcetur. Dicitur in pago montoſo troctis abundare, piſce aquam torrentem amante. Hunc fluv. *Itumnam*, vel potius *Icumnam* vocat Gul. Britto *Philipp. l.* 10. his verbis:

> *At Senones & terra ferax à flumine* Itumna
> *Uſque locum, quo Sequanio Lupa confluit amni,*
> *Et quæ Moretum Monteḿque interjacet Argi,*
> *Herveo Comiti volo dimittatur habenda.*

Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ICCIUS Portus, unde breviſſimus in Britanniam trajectus; *Itium* Strabo *l.* 4. *p.* 199. Ἴκιον ἄκρον Ptol. Camd. eſt locus Caleto vicinus, in Comit. Bononienſi in Picardia, *Viſſent* indigenis, Angl. *Widſant*, Flandris *Iſten*, Nautis *Eſſen.* Nunc caſtrum tenue cum portu in ora maris Britann. ad Fretum Gall. 3. leuc. à Caleto in Occaſ. 4. à Bononia in Bor. 6. ab ora prox. Angliæ in Afr. *Iccium* verò *prom.* eſt *Blaneſt*, cum vico cogn. in ora, prope Iccium port. 3. à Bononia leucis. Baudr. Vide quoque *Icius portus.* Cæſ. *de Bell. Gall. l.* 2. *c.* 2.

ICCIUS Rhemus, primus ſuæ civitatis Legatus, ad Cæſarem à ſuis miſſus. Idem *Ibid. l.* 2. *c.* 1.

ICELOS, unus filiorum Somni, cui ab *aſſimulando* nomen factum. Ovid. *Met. l.* 11. *v.* 639. & *ſeqq.*

> ------ *At alter*
> *Fit fera, fit volucris, fit longo tempore ſerpens.*
> *Hunc* Icelon *ſuperi, mortale Phobetora vulgus*
> *Nominat.* ----- -----

ICELUS, Galbæ Imp. libertus, quem annulis donatum equeſtri nomine *Martianum* appellitabant, magnâ in ea aula potentia & gratiâ. Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 13. In eum occiſo Galbâ, ut in libertum palàm, Othonis juſſu, animadverſum. *Ibid. c.* 46. Vertranius Maurus *Hicellius* legendum cenſet, additque ei prænomen cajus fuiſſe atque unum eundem fuiſſe, ex vet. Galbæ concubinis.

ICENI, pop. Albionis, in ora Or. ad mare Germ. *Simeni* Ptol. *Cenimagni* Cæſ. quorum regio *Eſſexia* in Anglia, teſte Nic. Lloyd. & Cæſ. *de Bell. Gall. l.* 5. *c.* 7. Sed Camd. eſt *Suffolcia*, *Norfolcia*, *tractus Cantabrigienſis*, & *Huntingdonenſis*; ubi olim Eaſt Angliæ regnum, quem Vide. Eorum Venta *Icenorum* caput erat. Habebantque ad Occ. Caticuchlan.

ICENORUM Stratum, *Ikenild-ſtreet*, una è 4. viis celeberrimis, Angliam totam à diverſis plagis percurrentibus; priſco Romanorum opere Britannorum mixto elaboratis. De qua, ut & reliquis vide Camd. *Britan.* Henr. Spelm. *Gloß. Arch.* &c.

ICESIA, inſ. juxtà Siciliam, *Panaria* Fazello. *Didymæ* proxima & Liparæ, ab ea 8. mill. paſſ. in Ort. recedens, circuitu 6. *Ferr.* *Thermiſſa* Strabo *l.* 6. *p.* 275. & 276. ob aquas calidas;

ICETAS, poſt Dionem interfectum, tyrannidem Syracuſarum invaſit; ita ut ille Acradinam & Neapolim teneret; Dionyſius Inſ. Syracuſas quoque, Timoleonte Leptinen, qui Engyum. tyrannide oppreſſum tenebat, ex urbe expellere conante, aliquandiu oppugnavit: ſed mox re infectâ Leontinos, unde eruptionem fecerat, rediit. Idem conatus eſt Timoleontem, ſubornatis duobus ſicariis & percuſſoribus dolo interficere, ſed cùm hi Adranum, ubi erat Timoleon, veniſſent, eumque ſacrificantem offendiſſent: alter eorum fortè ibidem quendam conſpicatus; qui Patrem ipſius interfecerat, omiſſo Timoleonte, ad quem interficiendum venerat, Patris ſui interfectorem percuſſit: quo facto curſum tenens confeſtim ſe in altam quandam rupem falcu corripuit: alter verò aram tangens à Timoleonte facti veniam petivit, pollicitus ſe ei omnia patefacturum. Ita miro quodam caſu Timoleon ſervatus: Icetas tandem à Timoleonte ſuperatus & occiſus eſt. An. 2. Olymp. 110.

ICHABOD, fil. Phinees filii Heli Sacerdotis. 1 Sam. c. 4. v. 21. Lat. *ubi gloria?*

ICHANA, opp. Siciliæ, obſeſſione Syracuſiorum nobile. Steph. Cujus incolæ *Ichanenſes.*

ICHARA, inſ. ſinûs Perſici ante Euphratis oſtia. Plin. *l.* 6. *c.* 28. vide *Icarium. Carai* quibuſd.

ICHNÆ, urbs Macedoniæ, unde Themis *Ichnæa*, quam perſequens Jupiter κατ' ἴχνος apud *Ichnæos* deprehendit. Item vic. in Or. Steph. Plin. *l.* 4. *c.* 10.

ICHNÆA, Themidis epitheton, vel cognomentum. Hom. in *Hymno Apollinis*,

> ----- Θεαὶ δ' ἔσαν ἔνδοθι πᾶσαι,
> Ὅσσαι ἄρισται ἔσαν, Διώνη τε Ῥείη τε,
> Ἰχναίη τε Θέμις, καὶ ἀγάστονος Ἀμφιτρίτη.

Lycophron de Themide, Solis filia,

> Τῆς θ' ἡλίου θυγατρὸς ἰχναίας βραβεύς.

Vide Steph. Dicitur & Nemeſis *Ichnæa.* Diod. Poëta Epigrammatarius,

> Ἀδρήστεια δίκα καὶ Ἰχναίη σε φυλάσσοι,
> Παρθένος ἡ πολλοὺς ψευσαμένη Νέμεσις.

Item regio Macedoniæ. Heſych. Ἰχναίη, χώρα τῆς Μακεδονίας, ἔνθα τὸ μαντεῖον ὁ Ἀπόλλων κατέσχε καὶ ἐτιμᾶτο. *Nic. Lloyd.*

ICHNEUMON, Heracleopolitis olim cultus, Clem. Alex. *Protrept. p.* 19. & Ælian. *de Anim. l.* 10. *c.* 47. ubi & Latonæ ac Lucinæ eos ſacros fuiſſe, ſcribit. Arſinoïtis contrà neglectus, in quibus crocodili ſummo in honore erant, quorum ova non ſolum conterere, ſed & ipſos necare ichneumon ſolet, ut mox videbimus: adde ſuprà de *Crocodilo* dicta. Græcè ἰχνεύμων, item ἰχνευτής: quòd roſtro ſuo prælongo quærat & *inveſtiget*; recentioribus ὕδρος, & Latinè *Sullus*, ut in verſu Dracontii,

> *Præcidit* Sullus *vim cujuſcunque veneni,*

quòd more *ſuis* roſtrum ſemper in terra habeat: animal fluviatile, vel potiùs ἀμφίβιον Strab. & Vitruv. Salmaſ. terreſtre ſolùm Plin. *l.* 8. *c.* 24. *notum hac gloriâ maximè* (*internecini cum aſpide belli*) *in eadem natum Ægypto. Mergit ſe limo ſæpius, ſiccatque Sole. Mox ubi pluribus eodem modo ſe coriis loricavit, in dimicationem pergit. In ea caudam attollens, ictus irritos averſus excipit, donec obliquo capite ſpeculatus invadat in fauces. Nec hoc contentus, aliud haud mitius debellat animal.* Crocodilum ſc. cujus dentes primò, mox intus fauces, dum trochilus avis repurgat, *Idem c.* 25. *in qua voluptate ſomno preſſum conſpicatus* ichneumon, *per eaſdem fauces, ut telum aliquod, immiſſus, erodit alvum. Similis crocodilo, ſed minor ichneumone, in eodem Nilo ſcincos eſt* &c. Ubi quod de ejus cum aſpide bello habet, illuſtratur hiſce Nicandri in *Theriacis*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

——— ἠὲ καὶ ὕρης
Ἅρπαξ βρυνέντος ἔσω ποταμοῖο κύλισσεν.

Nempe cùm parvum os habeat *ichneumon*, & minimè ad morſus dehiſcens, adeo ut manum hominis, cùm clauſum eſt in pugnum, morſu appetere nequeat, ubi videt, ſe non poſſe aliter conficere hoſtem ſuum, luto Sole ſiccato loricatus ad flumen eum trahit & ſubmergit: merè terreſtrem enim ſerpentem eſſe aſpidem notum. Neque hoc ſolùm in utrumque hoſtem modo pugnat, ſed & ova eorum diligenter inveſtigat, illaque, cùm reperit, diſſipat & frangit. Atque hinc *pernicioſus* vocatur Mart. *l.* 7. *Epigr.* 86. Cujus epigraphe de ſe *v.* 5.

Delectat Marium, ſi pernicioſus ichneumon,
Pica ſalutatrix ſi tibi, Lauſe, placet.

Cæterùm ſimiliter parit & iiſdem veſcitur, quibus canes & feles, teſte Philoſopho, canique parvo ſimilis Diod. Sic, inter feles (quas & caudâ refert, & murium capturâ, quo ſine catulos ejus Alexandriæ divendunt ruſtici) recenſetur Plin. *l.* 10. *c.* 63. *de generatione terreſtrium*, *Murem Pharaonis* hodie appellari ferunt: nonnulli & *murem Indicum*, apud Oppian. ſed perperam. Vide de illo plura, apud Ælian. *l.* 8. *c.* 25. Athen. *l.* 9. *c.* 10. Salmaſ. *ad Solin. p.* 446. & *ſeqq.* G. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 73. & 74. Alios.

ICHNOGRAPHA, Græcè Ἰχνογραφία, modulus diſpoſitionis eſt futuræ ſtructuræ, quæ in plano priùs deformabatur in charta aliqua aut membrana; unde poſtmodum formarum in ſolo areæ deſcriptio capta, quam ὑπογραφὴν τοῦ κτίσματος vocabant. Succedebat Ὀρθογραφία, quæ operis futuri rectam faciem modicè depictam oſtendebat: & Σκηνογραφία, quæ non frontis ſolùm, ſed & totius corporis ædificii imaginem, cum laterum abſcedentium adumbratione formatam, præferebat. Salmaſ. *ad Solin. p.* 821. Galli *planum* vocant. In linea tela id plerunque factitatum eſſe, innuit Stat. *l.* 3. *Sylv.* 1. *v.* 117. & *ſeqq.*

Nec mora, conſcripta formatur imagine tela:
Innumeræ coiêre manus, hic cadere ſylvas,
Et lavare trabes: illis immergere curæ
Fundamenta ſolo

Ad quem l. Vide Barth. & plura de Vett. *Ichnographia*, apud Vitruv. *l.* 1. *c.* 2.

ICHNUSA, dicta eſt inſ. Sardinia, quòd ad ſimilitudinem veſtigii facta ſit. Sil. Ital. Punic. Bell. *l.* 12. *v.* 356. de Sardinia,

——— ——— *Terras*
Enormes cohibet nudæ ſub imagine plantæ;
Inde Ichnuſa *prius Graiis memorata colonis.*

Claud. de Bell. Gild. *Carm.* 15. *v.* 507.

Humanæ in ſpeciem plantæ ſe magna figurat,
Inſula Sardoam veteres dixêre coloni.

Vide *Sardini.* Plin. *l.* 3. *c.* 7.

ICHOBALUS, Aſtartæ Sacerdos, Phelletem peremit, & regnavit apud Tyrum Annis 32. Vide *Ithobalus.*

ICHOGLANI, vide *Oda.*

ICHONUPHYS, Sacerdos Heliopolitanus, cum quo Eudoxus Cnidius, in Ægyptum cum Platone profectus, ut anni rationem accuratiùs addiſceret, verſatus eſt. Didicit autem à Sacerdotibus illis τὰ ἐπιτρέχοντα τῆς ἡμέρας καὶ τῆς νυκτὸς μόρια ταῖς τριακόσιαις ἑξήκοντα πέντε ἡμέραις εἰς τὴν πλήρωσιν τοῦ ἐνιαυτοῦ χρόνου, *diei ac noctis particulas ſuprà* 365. *dies ad anni complementum excurrentes*, quod hucuſque Græci ignoraverant. Diog. Laërt. *in Eudoxo.* Vide quoque ſuprà, hac in voce, & plura in eam rem, apud Joh. Marsham. *Canon. Chron. Sec.* X. ubi *de Anno Ægyptiorum*, nec non *Sec.* XVIII. ubi de *Octaeteride.*

ICHTHYOCOLLA, inter tentipellia Vett. faciei cutem erugantia ac extendentia. Plin. *l.* 32. *c.* 7. Ichthyocolla *appellatur piſcis, cui glutinoſum eſt corium: idemque nomen glutino ejus* ——— *quod quidam ex ventre, non è corio, fieri dicunt, ut glutinum taurinum. Laudatur Pontica, candicans & carens venis ſquamiſque, & quæ celerrimè liqueſcit* ——— *Utilem eam in capitis doloribus affirmant, & tetanothris.* Inventum, inter alia, Dædali, apud eund. *l.* 7. *c.* 56. ubi tamen *lithocollam* ſunt qui legant. *Exos* Rondeletio hic piſcis eſt, *de Piſc. fluv. c.* 8. Germani, ad quos à Danubio etiam 600. advehitur librarum, dixêre *hauſſen*: quia magnitudine domum exiguam refert: indeque glutinum ejus (quod non minùs è corio, quàm ventre, paratur) vocatur *hauſleim*, i. e. huſonis glutinum; ac generali vocabulo *fiſchleim*, h. e. piſcium glutinum; item *mundleim*, i. e. orale glutinum: quia *ore* madefit, ut faciliùs conglutinet. Sic fabris lignariis, aliiſque Artificum, in emplaſtris, inſtrumentis Muſicis, chartis, inſuper eximie hic piſcis ſervit. G. Joh. Voſſ. *de orig. & prog. Idol. l.* 4. *c.* 48.

ICHTHYOPHAGI, populi Sinarum. Ptol. ubi nunc Sciantonenſis & Nanquinenſis prov. in parte Or. regni, Sanſo. Et apud Agatharchidem populi oræ inter Carmaniam ad Occid. & Gedroſiam ad Ort. Apud Plin. *l.* 6. *c.* 23. 28. & 29. verò inſulæ Arabiæ Fel. in ora Or. ſic *ab eſu piſcium* dicti. Horum regio magna ex parte arboribus caret. Raritas in ea aquarum, & domeſtici cibi maxima eſt. Veſcuntur piſcibus: tum ipſi, tum eorum pecora, & aquas fluviales ac foſſiles potant. Pecorum carnes piſcibus præbent, domicilia ex oſſibus cetorum, & oſtreorum conchis faciunt. Trabium & fulcrorum uſum coſtæ præbent, portas maxillæ; è vertebris fiunt mortaria, in quibus piſces ſubiguntur, & ad ſolem aſſantur; poſteà ex his panem conficiunt, frumenti paululum admiſcentes. Nam & molas habent, quanquam ferrum non habeant, quod nequaquam mirandum eſt, id enim aliunde afferri non poteſt. Concidunt eas, cùm attritæ ſunt lapidibus iis, quibus & ſagittas & miſſilia præuſta exacuunt. Piſces partim in cuppis panariis aſſant, partim (quod frequenter fit) crudos edunt. Capiunt autem eos retibus ex corticè palmarum factis. Cæterùm, non unos eos fuiſſe, ſed quoſdam Arabici ſinus oram, in parte Troglodytarum, habuiſſe, Agatharchides teſtis eſt. Quin etiam Diod. Sic. *Ichthyophagos* ab ora Carmaniæ ac Gedroſiæ, uſque ad intima ſinûs Arabici tenuiſſe prodit; qui ſinus ab uno latere Troglodytas prætentos habet, ab altero, Fel. Arabiæ populos. Quod ſi verum eſt, quoſdam eorum etiam in illa parte fuiſſe cenſendum eſt, quâ Indus fluv. in mare evolvitur. Unde erroris anſa P. Melæ, qui Inſulam Solis, quæ in Ichthyophagorum Carmaniæ vicinorum ſinu jacet, contrà Indi oſtia metatur. Plin. item, Pomp. verbis deceptus, illam in eo trajectu ponit, qui Taprobanem & latus Indiæ Meridionale interfluit &c. qua de re vide pluribus differentem Salmaſ. *ad Solin. p.* 1178. & *ſeqq.* ubi verba hæc explicat: *Poſt Indos* ——— *regiones* Ichthyophagi *tenent, quos ſubactos Alex. Mag. in reliquum juſſit abſtinere à piſcibus: nam anteà ſic alebantur*: Plin. verò de iis agit, *l.* 6. *c.* 23. & 29. Herod. *l.* 3. *c.* 19. & 20. Strabo *l.* 2. *p.* 9. 23. & 133. *l.* 15. *p.* 723.

ICHTHYS, Græcè Ἰχθὺς, acroſtichis eſt, quam ex carminibus Sibyllæ Erythrææ, de Iudicio extremo, Euſeb. *de V. Conſt. l.* 5. ſive *Orat. ad Cœt. Sanct. c.* 18. & Auguſt. *de Civ. Dei l.* 18. *c.* 23. afferunt: ubi ex primis verſûs cujuſque vocabulis hæc verba componuntur, Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς, Σωτὴρ. ut Chriſtophorſonus, Euſebii Interpres, felicior iſto, cujus interpretatione Auguſtin. uſus eſt, congruarum literarum vocibus verſum quemque inchoans, reddidit, *Jeſus Chriſtus, Dei Filius, Servator*; Ex quorum verborum initialibus literis vox Ἰχθὺς, i. e. *Piſcis*, colligitur: quo nomine myſticè Chriſtum intelligi, Auguſtin. *d. l.* monet, eò quòd in hujus mortalitatis abyſſo, velut in aquarum profunditate, ſine peccato eſſe potuerit. Vide Tob. Pfanner. *Theol. Gentil. pur. l.* 1. *c.* 4. & ſuprà in voce *Acroſtichia.*

ICHTHYS Elidis, in Achaia prom. Plin. *l.* 4. *c.* 5. Strabo *l.* 15. *p.* 836. Athen. *l.* 8. *p.* 346. Thucyd. *Jardan.* Theveto. In ora Occ. inter Chelonatem ſinum, & oſtia Alphei fluv. De quo *Itin. l.* 2.

Conduntur Sphagia & piſci cognominis Ichthys.

ICHTHYUSA, vide ICARUS.

ICIANI, Camd. *Icborough*, opp. Nortfolciæ, in *Icenis.* Talboto eſt *Thetford*, opp. ejuſdem tractûs.

ICIDII Dii, apud Solin. *c.* 2. *Præneſte*---- *à Cæculo* (conditum) *quem juxtà ignes fortuitos invenêrunt, ut fama eſt*, Igidiorum *ſorores.* Ubi *Igidii*, pro *Icidii*, ex Gr. Οἰκίδιοι; Lares familiares ſunt, qui in Gloſſis θεοὶ κατοικίδιοι, alibi οἰκίδιοι, appellantur. *Divos Fratres* vocat Serv. ubi de Cæculo eodem & Præneſtina urbe: Arnob. agens de Laribus, qui Ocriſiam in foco gravidam fecêrunt, unde natus Rex Servius, ſimili fabulâ, *Conſerentes Deos*, vide ſuprà in voce *Conſerentes*, & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 64.

ICILIA Lex, vide *Icilius.*

L. ICILIUS Tr. Pl. legem tulit, M. Val. Max. Sp. Verginio Tricoſto Cælimontano Coſſ. A. U. C. 397. ut Aventinus mons plebi ad ædificia concederetur. Vide Dion. Halic. *l.* 10. *p.* 659. Liv. *l.* 3. *c.* 54.

Sp. ICILIUS Tr. Pl. T. Geganio Macerino, P. Minutio Augurino Coſſ. A. U. C. 261. legem tulit: *Ne quis Tribuno ad pop. concionanti contradiceret, neve eum interpellaret.* Vide Dion. Halic. *l.* 16. *p.* 410. Liv. *l.* 2. *c.* 58.

ICIODORUM, vicus Galliæ; in Arvernis ad fluv. Elaver, memoratus Greg. Tur. *l. de gl. Confeſſ.* nunc *Iſſoire* dicitur. In Schola *Icciodorenſi* literas didiciſſe Præfectus Arvernorum Ep. legitur: *Icciodorenſis* cœnobii mentio fit, in libello *de* 2. *Tranſlatione S. Auſtremontii*, vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Item vicus Gall. in finibus Turonum, confinis Biturigibus Cubis, vulgò *Iterre*, aliàs *Iſeure*, ad Croſam fluv.

ICIUS Portus, in Morinis eſt, è quo Cæſ. in Britanniam ſolvit, de Bell. Gall. *l.* 5. *c.* 1. A Ptol. inter Frudis vel Suminæ oſtium & Geſoriacum, navale Morinorum, quod ulteriorem: ſ. ſuperiorem horum portum à ſitu idem Cæſar vocat, collocatur *Icium* prom. in quo haud dubie portus *Icius* erat: qui hodie Valeſ. eſt Stapulæ *Eſtaples en Boulonnois*, portus in Morinis ad os Quantiæ fluv. adverſus cellæ S. Judoci. Videntur huic loco nomen dediſſe *Icii*, pars Morinorum, à quibus nomen Ventæ Iciorum vel Icinorum in Britannia, Coloniæ Iciorum à portu huc profectorum, Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

ICKANUS Petrus, vide *Petrus.*

ICONICUM Simulacrum, apud Suet. *Calig. c.* 22. *Templum etiam Numini ſuo proprium* ——— *inſtituit. In Templo* ſimulacrum *ſtabat* aureum iconicum: ex Græco εἰκονικὸν, quid propriè ſit, ex Plin. diſcimus *l.* 34. *c.* 4. *Effigies hominum non ſolebant exprimi, niſi aliquâ illuſtri causâ perpetuitatem merentium, primò ſacrorum certaminum victoriâ, maximeque Olympiæ: ubi omnium, qui viciſſent, ſtatuas dicari mos erat. Eorum verò, qui ter ibi ſuperaviſſent, ex membris ipſorum ſimilitudine expreſſâ, quas* Iconicas *vocant.* Statua viz. ex membris alicujus ſimilitudine expreſſa: Cujuſmodi proin ſtatuæ ut exactiſſimè fierent, ad magnitudinem corporis τοῦ τρισολυμπιονίκου, Hellanodicæ curabant.

Vide Lucian. περὶ Εἰκόνων. Hinc Plato *in Phædro*, *p.* 235. ὑπισχνοῦμαι, χρυσῆν εἰκόνα ἰσομέτρητον εἰς Δελφοὺς ἀναθήσειν. Cujus ritus inprimis Cretenſes inſtauratores fuiſſe Pauſ. *Eliacis* auctor eſt. Plerunque verò æneæ erant, ut palàm eſt ex hiſce Ariſtides κατὰ τῶν ἐξορχουμ. οἷον τὸν Δωριέα τὸν Ῥόδιον, καὶ Γλαῦκον τὸν Καρύστιον, καὶ Μίλωνα δὴ καὶ Πουλυδάμαντα, καὶ παντας ὧν εἰκόνες χαλκαῖ, ubi per illos omnes, *quorum icones æneæ*, intelligit, quotquot inter athletas fuêre celeberrimi &c. Vide in hanc rem plura, apud C. Paſchal. *Coron. l.* 6. *c.* 8. ubi *de Hieronicis Olympiis*, *& ſtatuis illorum.*

ICONIUM, urbs Lycaoniæ Archiepiſcopal. ſub Patr. CP. & caput, inter Cappadociam & Ciliciam, capta à Godofr. Bullionæo, A. C. 1097. iterum à Friderico Barbaroſſa Imp. A. C. 1190. poſtquam ibidem Emanuël Imp. Græc. à Turcico Sultano turpiter victus fuiſſet, A. C. 1173. Dein relapſa, ſub jugum Barbaricum, ſub Saracenis primùm, dein ſub Sultanis fuit, è quibus Sultanus, Icavienſis vicit Conradum III. in Bello Sacro, & Galliæ cum eo Regem; ultimus Cladinus vel Azatines, ob irruptionem Tartarorum è regno fugit, Otrugarele Carmaniæ præfecto; cujus dein filium Ottomannum Caramaniæ Regem creavit, unde hodierni Turcarum Impp. Factum hoc A. C. 1296. Hic, cùm Cataphryges, ab Eccleſia ad ſe venientes rebaptizâſſent, Synodo habitâ A. C. 256. decretum eſt; Hæreticorum Baptiſmum nullum eſſe, Firmiliano inprimis id urgente. Unde Orientis Epiſcopi à Stephano Ep. Rom. excommunicati, tranſiitque incendium in Africam quoque. Vide Cyprian. *Ep.* 70. & 71. &c. *Cogni* hodiè, quo nomine & regio ipſa vocatur. Πολίχνιον εὖ ᾠκισμένον vocat Strabo *l.* 12. *p.* 658. Etiamnum ampla eſt & probè munita, Caramaniæ latè ſumptæ caput, ubi Præfectus totius reg. degit, ſub Turcis. 100. mill. circiter ab ora maris Pamphylii in Bor. Baudr. de Regno verò *Sultanorum Iconienſium*, quòd à conditore Sultano Aladine, ex Tangrolipicis familia oriundo, *Aladinium* quoque dictum, ipſorumque ſucceſſione, ac rebus, contrà Conſtantinopolitanos inprimis Cæſares, admirando ſucceſſu geſtis, vide Joh. Forbeſ. *Inſtruction. Hiſt. Theologic. l.* 4. *c.* 22. *n.* 2. & *ſeqq.*

ICONOMACHI ſ. ICONOCLASTÆ, vuldò dicti, qui imagines Dei, Chriſti & SS. è templis ſummovent confringuntque illarum uſu penitus in religione damnato. Quales inter alios Leo Iſauricus olim, Conſtantinus Copronymus, Leo IV. Theophilus, Bardas, Imperatores Græci, ut & Reformatores Sec. Præteriti, ab adverſariis proin hoc epithetô notati. Hiſtoria paulò altius repetita ſic habet. Poſt Scripturæ non ſilentium modò, verùm etiam interdictum, primitivam Eccleſiam nullas habuiſſe imagines, habuiſſe verò Simonis Magi, Baſilidis, Carpocrationis, &c. poſteros, refert Irenæus *l.* 1. *c.* 23. *&* 35. Epiphan. *hær.* 27. &c. Introductus illarum *uſus Hiſtoricus*, A. C. 395. Paulo Ep. Nolano auctore, Martin. Chemn. *de Imaginibus*: Baſilio, Cyrillo, Auguſtino, Chryſoſtomo retinentibus: Epiphanio enim *velum Chriſti imagine ornatum diſcerpente.* Arnob. *l.* 8. Eodem tempore, quo invocatio Sanctorum, Auguſtino & Epiphanio acriter ſeſe opponentibus, invehi cœpit, Lætus in *Comp. Univ. Hiſt.* Gregorius quoque Mag. ad Serenum Ep. Maſſilienſem, qui imagines confregerat, poſſe eas tolerari, *ut libri ſint Laicorum*, ſcripſit. Poſtea à Conſtantino Papa A. C. 712. *qui ſanctis imaginibus venerationem conſtitutam ab Eccleſia denegarent*, damnati, Sigon. *de Regno Ital. l.* 3. Gregorius Dialogus Succeſſor, *ad excitandam multitudinis imperitæ memoriam*, retinendas ſtatuit. Idem, A. C. 715. Sed illas templis ejectas concremari juſſit, in Or. Leo Iſauricus, ſucceſſoreſque ejus, de quibus jam ſuprà. Conſtantinus Conc. Oecum 7. A. C. 754. illas Idola vocanda cenſuit, *eò quòd divina natura Chriſti pingi non poſſit, Humana verò, cùm exaltata ſit, ut & Sanctorum, coloribus exprimi nequeat.* Zonar. *tom.* 3. Cedren. *in Hiſt.* Cujus ingenium cùm Leo fil. retineret, Irene uxor hujus mortuo marito, excitata à Paulo Patr. primò Byzantium Conc. convocavit, quòd cùm turbatum eſſet, exarmatis primus adverſariis, Nicæam tranſtulit, A. C. 788. Oecum. 8. dictum, in quo rebus ita inſtructis, ut nemo contradicere auderet, decretum, *Imagines non tantùm haberi poſſe ad uſum hiſtoricum, ſed illas, ex mandato divino Eccleſiis neceſſarias eſſe, imo venerandas, ſalutandas, oſculandas, colendas, & adorandas, cereis etiam, ſuffitu, &c. honorandas*: Effoſſo Conſtantini ſoceri cadavere, & Conſtantino fil. qui imagines denuo deturbabat, excæcato. Huic Conc. Carolus Mag. Francofurtanum oppoſuit, A. C. 794. ubi uſu Hiſtorico probato, adoratio damnata, & Nicena Synodus velut Pſeudoſynodus rejecta eſt. Poſt Irenen Leo Armenius iterum tolli imagines imperavit. Theophilus, ne pingi quidem voluit, A. C. 830. Circà quod tempus ſynodus Pariſ. *nec ſtultâ præſumptione abolendas, nec ſuperſtitioſâ aſſertione adorandas, ſed memoria causâ habendas*, concluſit: Claudius verò Taurinenſis Ep. prius Cæſaris Ludov. Pii concionator aulicus, cunctas Baſilicas ſuæ diœceſeos picturis atque imaginibus nudavit, Pap. Maſſon. *in Hiſt. Gall.* P. Martyr, *in* 1. *Reg. c.* 7. Verùm Theodora Theophili uxor, Conſtantinopoli imagines reſtituit, A. C. 842. quarum à Barda iterum ſublatarum cultum, Baſilius rurſus confirmavit, Conc. Oecumen. nono, Conſtantinopoli habito, A. C. 863. & 871. A quo tempore per complura ſecula hic mos, ſubinde tamen reclamantibus quibuſdam, viguit, donec Seculo Præterito, Heroibus divinitus excitatis, Reformatio cœpta, mutis his falſiſque Doctoribus ſummotis, priſcus Eccl. ſplendor redditus, & CHRISTUS, qui *imago Patris* eſt, Coloſſ. *c.* 1. *v.* 15. fidelibus in Verbo & Sacramentis, *ob oculos depingi*, Gal. *c.* 3. *v.* 1. *memoriaque potius*, 2 Tim. *c.* 2. *v.* 8. infigi denuo cœpit, in Helvetiâ, Germania, Gallia ex parte, Anglia, Sept. aliiſque regionibus.

ICOS, inſ. parva, una Cycladum, Eubœæ proxima: Inſularis *Icius*, & *Iciacus*. Ejus præter Strab. *l.* 9. *p.* 435. meminêre Scylax, & Phanodemus apud Steph. & Liv. *l.* 31. *c.* 45. Item Appian. Alex. *l.* 5. Ἐμφυλ. Sed & Antipater Sidon. *Epitaphio in Homer. Antholog. l.* 3. *c.* 25. ubi βραχύβωλον appellat, i. e. *brevis glebæ* inſulam, anguſtam ſcilicet & perpuſillam. Nomen ab *anguſtiis* factum (ait Vir magnus.) Id enim Syris eſt איקא *Ico*, à verbo עוק *uk*, i. e. *coarctare*. Prope Pelaſgicum Sin. inter Eubœam ad Auſtr. & Peparethum ad Bor. 20. circiter mill. ab utraque. *Baudr.*

ICOSAPROTI, Viginti-primi, *Icoſaprotia*, Viginti-primatus not. *l. fin.* §. 26. *ff. de muner. & honor.* apud Joh. Calvin. *Lexic. Jur.* Ex Græco Εἰκοσάπρωτοι, de qua dignitate vide Budæum *in Adnotat.*

ICOSIUM, Mauritaniæ Cæſarienſis opp. & colonia, *Acor*, teſte Caſtaldo, ab Herculis comitibus condita. Hercule enim illac tranſeunte, viginti, qui à comitatu ejus deſciverant, locum deligunt, jaciunt mœnia, ac ne quis poſito à ſe nomine gloriaretur, de condentium numero, urbi nomen datum, Solin. Epiſcopal. fuit ſub Archiep. Cæſarienſi; inter Tipaſam & Ruſconiam, ad mare. Ferrar. Plin. *l.* 5. *c.* 3.

ICRIUM, cenotaphii gnoriſma, apud Athenienſes olim, ſignumque fuit patrium ac legitimum, ubi quis patriâ excidens ibi haud foret ſepultus. *Icrium* verò, ex Græco ἴκριον, ſurrectum eſt lignum, vide Cœl. Rhodigin. *Antiqq. Lection. l.* 10. *c.* 5. & *l.* 17. *c.* 19.

ICTÆUS, Tarentinus, nobilis palæſtrita, toto vitæ tempore Veneris expers fuit, ut arti accommodatior eſſet, tanta illi gloriæ libido. Ælian. *Var. Hiſt.* Lege autem *Icchus*. locus eſt *l.* 11. *c.* 3. Vide eund. *de Anim. l.* 6. *c.* 1. Vide ſic etiam Pauſ. *in Eliacis*, nec non Platon. *de Legg. l.* 8.

ICTERUS, Græcè ἴκτερος, avicula flavi coloris, Plin. *l.* 30. *c.* 11. *quæ ſi ſpectetur, ſanari id malum* (icterum, ſ. morbum regium) *tradunt & avem mori. Hanc puto Latinè vocari galgulum.* Hinc ei nomen à morbo, cui medetur; morbo autem ab oculis muſtelæ, ſ. viverræ auricoloribus, quam ἴκτιδα vocant Græci. Idem verò *regius*, quoniam mulſo rebuſque pretioſis & exhilarantibus curatur: Celſo *arquatus* etiam, ſ. *arcuatus*, à colore arcus cœleſtis, Scribonio *aurigo* dicitur. Indidem *Icterias* gemma, Plin. *l.* 37. *c.* 10. *aliti lurido ſimilis, ideoque exiſtimata ſalubris contra regios morbos*, idem ubi quatuor ejus genera recenſet. Hinc *Icterius* lapis, de quo vide ſuprà aliquid in voce *Hirundo*. G. Joh. Voſſ. de orig. & Progr. Idol. *l.* 3. *c.* 96.

ICTUMULORUM Vicus, apud quem aurifodinæ erant, haud dubiè ſuprà Vercellas, non procul in Alpium radicibus fuiſſe ex Strab. verbis claret, *l.* 5. *p.* 218. Καὶ ἐν Οὐιρκέλλαις χρυσωρυχεῖον ἦν, κώμη δ' ἐςὶ πλησίον Ἰκτουμούλων, καὶ ταύτης κώμης. Plin. *l.* 33. *c.* 44. *Extat lex Cenſoria Ictumulorum aurifodinæ, quâ in Vercellenſi agro cavebatur, ne plus* 5. *millibus hominum in opere publicani haberent.* Ex duabus vocibus conflari videtur οἱ τοῦ Ἴκτου μοῦλοι, i. e. *Icti muli*, quia *Icti* cujuſdam viri nobilis *muli* hîc ſtabulati fuerint, unde vicus dictus *Ad Icti mulos.*

ICULISNA, vel ECOLISMA, vulgò ENGOLESME, vel ANGOULESME, urbs Galliæ, celebris Ep. ſedes; primùm memorata Auſ. *Ep.* 15. *v.* 22.

Iculiſna *quùm te abſconderet,*
Et invidebam devio ac ſolo loco
Opus Camœnarum tegi.

Ubi urbem *devium ac ſolum locum* vocat poëta, non quòd malè ſita, vel in agro ſterili & injucundo, ſed quòd extrà viam militarem. In priſcis Not. inter prov. Aquitaniæ ſecundæ civitates ſex tertio loco ponitur, ante civitates Santonum Pictonumque clariſſimas: ſoli Burdigalæ Metropoli & Aginno poſtpoſita. In recent. Notit. ſub Burdigalenſi Metrop. poſt Pictavenſem & Santonenſem, tertius eſt Ep. Engoliſmenſis: è quibus Lupianus Conc. Aurelianenſi 1. & 2. Aphthonius Aurelianenſi 5. Nicaſius Matiſconenſi 2. Namatius Remenſi ſubſcripſêre. Quibuſdam urbs olim *Ageſina* dicta, adeoque illa caput Ageſinatum, quos Pictonibus junctos memorat Plin. *l.* 4. *c.* 19. fuiſſe videtur. Ager ei ſubjectus, vulgò *l'Angoumois* vel *l'Engoumoiſin*, inter Pictones, Santones, Lemovices & Petrocorios intercipitur. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* & ſuprà in voce *Encoliſma* & *Inculiſma*.

ICUNCULA Puellaris, in Magico Veterum inſtrumento, occurrit apud Suet. *Ner. Claud. c.* 56. *Icunculam puellarem, cùm quaſi remedium inſidiarum à plebejo quodam & ignoto muneri accepiſſet; detectâ confeſtim conjuratione, pro ſummo Numine triniſque in die ſacrificiis colere perſeveravit: volebatque credi monitione ejus futura prænoſcere.* Moris nempe fuit hominibus præſtigiatoribus & planis remedia adversùs omnes morbos caſuſque vendere, quæ ſemper circumferri facilia eſſent. Cujuſmodi quoque annuli illi erant φαρμακῖται ſ. φυσικοὶ; quorum mentio apud Ariſtoph. alioſque, ut & ſuprà, in voce *Eleaſarus*, nec non *Jarchas*. Item laminæ, Arnob. memoratæ *l.* 2. &c. Vide infrà ubi de *Periaptis*, & plura hanc in rem apud Caſaub. *ad l. c.* ut & in voce *Sigilla*.

ICUS, Inſ. parva maris Ægæi, prope Pelaſgicum ſinum, inter Eubœam ad Auſtr. & Peparethum ad Bor. 20. mill. utrinque, vide Strab. *l.* 9. *p.* 436. & *Liv.* &c.

ICUTIEL, ſive JECUTIEL, nomen viri. 2. Par. *c.* 4. *v.* 18.

ID. in notis antiqq. *Judex*; interdum *Idus*, item *judicatum*. I.D. *inferis Diis*, vel *in dimidio*. J. D. C. *juris dicendi cauſâ*. ID. E. *idem eſt* IDQ. *Idemque* &c. ſignificat, Fr. Gouldmann. ubi ſuprà.

IDA, hodie mons *Troade*, mons altiſſimus, qui ad Troadem ſpectat, totius Helleſponti altiſſimus, Diod. Sic. *l.* 17. cujus cacumen

men Gargarus Strab. *l.* 10. *p.* 472. 475. *l.* 12. *p.* 574. *l.* 13. *p.* 581. 583. & 604. Athen. *l.* 15. *p.* 682. dicitur. In hoc monte Paris ſententiam tulit pro Venere, de pomo aureo adverſus Palladem & Junonem. Ovid. *Faſt. l.* 6. *v.* 15.

> *Nec quas Priamides in aquoſæ vallibus* Idæ
> *Contulit.* ———

Altitudinem ei tribuit Hom. *Il.* ξ.

> ——— Προσεβήσατο Γάργαρον ἄκρον
> Ἴδης ὑψηλῆς.

Ovid. *in Ep.* 17. *Helena* Paridi. *v.* 115:

> *At Venus hoc pacta eſt : & in altæ vallibus* Idæ.

Idem, *Faſt. l.* 4. *v.* 205.

> *Ardua jamdudum reſonat tinnitibus* Ida.

Longitudinem Calaber *l.* 3.

> ——— Ὅσε μακεδνῆς
> Ἴδης ναιετάουσιν ὑπὸ πτύχας.

Et, *l.* 14.

> ——— Μακρὴ δ᾽ ἀμφίσενεν Ἴδη
> Καὶ Σιμόεις. ———

Humiditatem Homer. *Il.* θ.

> Ἴδην δ᾽ ἵκανέν πολυπίδακα, μητέρα θηρῶν.

Idèm *Il.* λ.

> Ἴδης ἐν κορυφῇσι καθήζετο πιδηέσσης.

Horat. *Carm. l.* 3. *Ode* 20. *v.* 15.

> *Qualis aut Nireus fuit, aut* aquoſa
> ——— *Raptus ab* Ida.

Ovid. *Met. l.* 10. *v.* 71.

> ——— *Quos humida ſuſtinet* Ida.

Hinc enim orta 9. flum. Athen. aliis 15. licèt famâ quàm naturâ majora, & quorum plurima Plin. ſuo tempore exaruiſſe tradit. *Umbram* Tryphiodorus,

> Εὔρεμε νυμφαίησιν ἅμα δρυσὶ δάσκιος Ἴδη.

Ovid. *Met. l.* 11. *v.* 763.

> *Æſacon* umbroſa *furtim peperiſſe ſub* Ida.

Valer. Flacc. *Argon. l.* 2. *v.* 414.

> *Pars &* frondoſæ *raptus expreſſerat* Idæ.

Idque ob arbores, quibus abundabat, Theocr. *Idyll.* 1 ζ.

> Ἴδαν ἐς πολύδενδρον ἀνὴρ ὑλητόμος ἐνθών.

Dionyſ. Ἴδη καλλικόμοισιν ὑπαὶ δρυσὶ τηλεθόωσα. Nic. Lloyd. Vide P. de la Valle *Itin. tom.* 1. Plin. *l.* 5. *c.* 30.

IDA, mons Cretæ. *Pſiloriti* hodie Bellonio, ut plurimum nive conſperſus, inde *Idæa* Creta dicta, item Troja. *Steph.* Plin. *l.* 4. *c.* 12. Hinc inter *Albos montes* hujus Inſ. quos Græci quoque λευκὰ ὄρη propterea, quòd jùga eorum nunquam nix deſerat, appellant, recenſetur Plin. *l.* 16. *c.* 33. ex Theophraſto *Hiſt. Plant. l.* 4. *c.* 1. Vide ſuprà in voce *Albi Montes*, item *Dicte*, it. infrà, de ſepulchro Jovis in hoc monte, in voce *Jupiter*.

IDA, ſinus à monte *Ida*, ſ. *Troade* dictus, vett. ſinus *Adramyttenus*, hodie *Golfo di Ladramiti*. Vide *Idæus*.

IDACIUS, ſ. ITHATIUS, vel HIDATIUS, Ep. Hiſpanus, ſub Valentiniano III. auctor Chronici, ab An. 8. Theodoſii, ubi Hier. Chron. deſinit, uſque ad An. 8. Leonis Imp. ſ. A. C. 464. Eidem tribuuntur Faſti Conſulares, Iſid. *de Viris Illuſtrib. c.* 9. Sigebert. *in Cat. c.* 18. *& in Chron. A. C.* 490. *Voſſ.* &c.

IDACIUS Clarus, Ep. floruit in Hiſpania, A. C. 380. Zelo contra Apollinariſtas fermè ultra decorum invectus, pietate & eruditione aliàs celebris. An libb. 3. contra Varimundum Diac. Arianum, auctor. an alius Idacius? An idem cum eo, quem poſt Obitum Priſcilliani depoſitum, refert Sulpit. Sev. *Hiſt. Sacræ l.* 2. qui de Idacio quodam, & Ithatio verba faciens, hunc impudentiæ & temeritatis arguit? vide Voſſ. *de Hiſt. Lat.*

IDÆA, Deorum mater. Lucret. *de Rer. nat. l.* 2. *v.* 610.

> *Hanc variæ gentes antiquo more ſacrorum*
> Idæam *vocitant* Matrem.

Veram etymologiam eſſe arbitratur Tan. Faber, non quam Lucretium, & alii omnes attulêre, ſed hanc: Ἴδαι (inquit) ſunt montes, & loca ſaltuoſa Heſychio, & Euſtathio, unde & Ἴδη pro ligno ſ. materia tectonica. At primi homines glande veſcebantur, & in quercu penuarium iis erat. Hinc itaque mater Deûm *Idæa*. Sed poſt inventum tritici uſum Φρυγία dicta fuit, nam triticum φρύγειν ſ. *torrere* ſolebant, quod hodieque fit circa farinam, ubi major alendi pueri cura eſt. Strabo *l.* 1. *p.* 45.

IDÆI Dactyli, magnæ Matris miniſtri & aſſeſſores dicti fuêrunt, filii Minervæ & Solis, vel (ut alii volunt) Saturni & Alciopes Strabo *l.* 8. *p.* 355. & dicuntur aliàs *Corybantes*. Dicuntur autem *Idæi*, quòd ſub Ida habitarent, Idæos dactylos decem Sophocles exiſtimavit, quinque mares primùm natos, qui ferri fabricam excogitavêre, aliaque permulta: quinque horum fuêrunt ſorores ab hoc numero *dactyli*, i. e. *digiti* nuncupati. Horum nomina Hercules, Pæon, Epimedes, Jaſius, Idas. De his vide plura apud Lilium Girald. *Idæ* ſunt etiam gemmæ, quæ ferreo colore humanum pollicem exprimunt. Plin. *l.* 37. *c.* 10. Nempe *Lapis quoque* Idæus Dactylus *dicitur*, *Inſ. iſti familiaris, coloris ferrei, humano pollici ſimilis*, Solin. *c.* 11. Vide etiam ſuprà in voce *Digiti*, item ubi de *Samothracibus Diis*.

IDÆUM Jovem, quidam ab Ida Phrygiæ, alii ab Ida Cretæ cognominatum credidêre, ubi Jovis incunabula & ſepulchrum. Fuit etiam ara ipſius, apud Celænem Phrygiæ opp. à Mida Rege conſtructa, de qua vide in *Anchurus*.

IDÆUS, Rhodius verſificator, ſcripſit Rhodiorum res geſtas verſibus ter mille. *Suid.*

IDÆUS, ſinus Troadis, à monte Ida dictus, quem alii, teſte Strab. *l.* 13. *p.* 584. *Adramyttenum*, *Golfo di Landramiti* vocant, pars maris Ægæi eſt inter Myſiam, & Leſbum. Item mons Cretæ, etiam *Ida*: & Phrygiæ, de quo Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 105.

> Mons Idæus *ubi, & gentis cunabula noſtræ.*

IDAI, nomen viri. Nehem. *c.* 7. *v.* 39. & *c.* 11. *v.* 10. Zach. *c.* 6. *v.* 14.

IDAJA, pater Allon. 1. Par. *c.* 4. *v.* 37.

IDALUS, mons Cypri, olim Veneri ſacer, ad cujus radices ſitum eſt *Idalium*, Plin. *l.* 5. *c.* 31. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 685. & Lucan. *Civ. Bell. l.* 8. *v.* 716. Cypri nunc pagus, *Bourg Dalim*, olim opp. quod ab eventu nomen accepit. Nam cùm oraculum Chalcenori datum eſſet, ut illic urbem conderet, ubi primum orientem ſolem conſpicaretur, unus è comitibus, qui fortè aſtabat, ad eum converſus εἶδον ἅλιον, inquit, i. e. *vidi ſolem*. Quo audito, Chalcenor arripuit omen, civitatemque ibi ſtatuit, & ab *eo* vocavit. Ita Steph. At, ut cætera taceam, in *Idalium a* breve eſt, quod in ἅλιον non poteſt non eſſe longum quia eſt loco τοῦ η. Proinde videtur Idalium Phœnicium eſſe ידאלה *Iidala*, vel *Idala*, cujus nominis opp. in tribu Zabulon memoratur Joſ. *c.* 19. *v.* 15. Hier. *in loc. Hebr.* ſcribit *Jadela*, tanquam conflatâ voce ex duabus יד *Jad*, & אלה *ela Dea*, quod ad verbum eſt *locus Deæ*, i. e. *locus Veneri ſacer*. Boch. Virg. *Æn. l.* 10. *v.* 86.

> *Eſt Paphos*, Idaliumque *tibi, ſunt alta Cythera:*

Nic. Lloyd.

IDANTHYRSUS, Scytharum Rex, bello res magnas geſſit, bonam partem Aſiæ ſubjugavit, uſque in Ægyptum excurrit. Strabo *l.* 13. *p.* 587.

IDARNES, Prætor Darii, quo ſuperato, Miletus amiſſa eſt. Curt. *l.* 4. *c.* 5.

IDAS, nepos Hengiſti ex fratre, regnum Northumbrorum, in Britannia Inſ. orſus eſt, A. C. 547. Succeſſit ei fil. Ella.

IDAS, Apharei fil. nomine, re autem ipſâ Neptuni, qui, acceptis à patre velociſſimis equis, Marpeſſam filiam formoſiſſimam Eveni Regis Ætoliæ, Martis filii, in Dianæ luco ſaltantem rapuit: (Hic nulli procorum filiam ſuam nuptum dare voluerat, niſi certamine curſûs fuiſſet victus: à ſe autem victos decollare, eorumque capita in aliorum terrorem de muris ædium ſuarum ſuſpendere ſolebat.) Qui dolore commotus, interemptis, quos habebat, equis, ſe in fluv. Lycormam, qui poſtea ab ipſo Evenus dictus eſt, præcipitavit. Cæterùm fugienti cum puella, Apollo in itinere obvius factus eſt, qui cùm Marpeſſam & ipſe præripere Idæ vellet, ventum utrinque ad certamen eſt. Sed à Jove miſſus Mercurius arbitrium Marpeſſæ commiſit, ut ipſâ, utrum vellet, eligeret: illa autem Idam elegit, verita ne ſe ætate provectam Apollo relinqueret. Vide *Marpeſſa*.

IDAS, Darii Prætor, inſulas præſidiis occupavit, & pecuniâ multavit.

IDAS, è Principibus Minyarum, inter Argonautarum præcipuos, memoratur Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 405.

> *Nunc magnum Oenidem, nunc ille hortatibus* Idam,
> *Et Talaum &* ———
> *Tyndariden iterans* ———

Val. item Flacc. *Argon. l.* 1. *v.* 166.

> ---- *neque enim Telamon, aut Canthus &* Idas,
> *Tyndareuſve puer mihi vellere dignior Helles.*

Deorum interim contemptor, & ore procax. Higin. *f.* 14. *Idem Idas, acer & ferox*. Vide eum, velut alterum Mezentium, objurgantem Jaſonem. apud Apollon. *l.* 1. *v.* 464. & *ſeqq.*

IDEA, Strab. IDÆA, opp. erat Lydiæ, apud Sipylum montem: quod abſorptum, in paludem eſt verſum, *Sale*, Plin. *l.* 5. *c.* 29.

IDEONNI regnum, Ἰδεόννου γῆ, Strabo *l.* 4. *p.* 204. Cottii regno jungebatur in Alpibus versùs Sept. Vide Cluv. *It. Ant.* *p.* 93.

IDESSA, urbs fuit Iberiæ, in conf. Colchidis ad radices Moſchici montis, quæ olim *Phryxium* vocabatur. Strabo *l.* 1. *p.* 45.

IDETES, pop. Iberici. *Steph.*

IDICRA, urbs Mauritaniæ Cæſ. *Antonini Itin.*

IDICUS, & IDÆUS, poſſeſſivum ab *Ida* monte.

IDIA, mater Joſiæ. 2. Reg. *c.* 22. *v.* 1.

IDIENSIS, opp. ſ. pagus Hiſp. Bæt. in Conventu Cardubenſi. Morali adhuc *Idia*. Vet. Inſ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

IDIOTA, Juriſconſultis Anglis, dicitur à natura ſtultus, qui numerare non poteſt 20. denarios, & patris matriſque nomina ignorat, vel quam ætatem habeat, & ſimilia: ejuſmodi enim homines rebus ſuis ſupereſſe non poſſunt. Verùm ſi non adeò ingenio privatus ſit, ut Magiſtro adjuvante literas addiſcere poſſit, vel ulnam panni menſurare, vel aliud quid agere, è quo erui poſſit, ingenio non omninò deſtitutum eſſe, pro *Idiota* non habetur, Raſtall. Aliàs in genere illiteratus & imperitus quivis, *Idiota* dicitur, recentioris ævi Scriptoribus, *Gloſſæ* Gr. Lat. Ἰδιώτης ὁ μὴ νοήμων. In Eccl. Rom. *Idiotæ* appellantur Monachi, qui vulgò *Converſi* dicuntur, & nullo Ordine Eccleſiaſtico ſunt donati, Allat. *de Narthece vet. Eccl.* p. 15. Sed & *Idiota*, humilitatis agnomen eſt, ab Auctore uſurpatum libelli illius, quem ex Lugdunenſi Cod. MS. reſtituit Theophil. Raynald. ac Lugduni edidit A. C. 1632. ſub tit. *Idiota Sapiens*: ubi in calce libri Raymundum Jordanum Auctorem dictum fuiſſe, variis conjecturis probat. Vide C. du Freſne *Gloſſ.* & Dominic. Macr. *Hierol.* uti de *Idiotis*, qui apud Pontificios aliàs dicuntur *Coadjutores*, Bonaventuram quoque in *Vita* Franciſci c. 3. & Lud. de la Cerda *c.* 67. *n.* 4. Antiquioribus temporibus in Eccl. Ἰδιῶται dicti, quibus οἱ μεμυημένοι *myſteriis initiati* ſ. Eccleſiaſtici oppoſiti; *Laicos* poſtmodum vocavêre. Propriè verò Ἰδιώτης, eſt *homo privatus*, qui non negotia publica, ſed tantùm res ſuas, tractat, atque adeò homo plebejus eſt & è medio vulgo &c. Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in hac voce.

IDIOTA, vide RAIMUNDUS *Jordanus*.

IDISTAVISUS, campus Germ. medius inter Viſurgim & colles; ut ripæ fluminis cedunt aut prominentia montium reſiſtunt, inæqualiter ſinuatur. Tac. *Ann. l.* 2. *c.* 16.

IDITHON, pater Galal. 1. Par. *c.* 9. *v.* 16. Pſalm. 39. *v.* 1.

IDMON, vates inter Argonautas, Apollinis & Aſteriæ fil. Apollonio verò & Herod. Abantis fil. Orph. *in Argon.*

Δὴ τοτ' Ἄβαντος παῖς νόθος ἤλυθε κάρτερος Ἴδμων.

Ἀμπυκίδης eidem dicitur. Obiit in Mariandynia, ab Apio vulneratus, & Heracleæ in foro ſepultus.

IDMON, Cyzicenorum unus, in conflictu nocturno, ab Hercule, per errorem trucidatus. Val. Flacc. Argon. *l.* 3. *v.* 167.

Albet ager levis ante pedes ſubſederat Idmon.

IDMON, vocatur Sophus, ab Auctore Schol. *in Ariſtoph. Aves*, qui Æſopum manu miſit.

IDOLOLATRIÆ Incunabula: quæ cùm duplex, nam vel verus Deus in imagine qualicunque, vel vagus Deus, colitur de utraque, hac præſertim, paucis. Infinita Dei Majeſtas licèt omnium creaturarum captum longè tranſcendat, tamen homines, vel ex ipſo Naturæ libro ejus veſtigia odorantur, ita quidem ut nec Athei ipſi illius notitiam, quantumcunque velint, penitùs queant excutere. At tantùm corrupta abeſt natura, ut norit quis ſit verus ille Deus, ut potiùs creaturam pro Creatore adoret, & licèt Numen multiplicet ad modum ſtellarum cœli & reptilium terræ, adhuc tamen in ambiguo hæreat, an in verum inciderit, an id adhuc ſibi maneat incognitum. Quæ cauſa eſt, quòd nautæ in navi, quâ Jonas vehebatur, poſtquam inclamâſſent quiſque Deum ſuum, tandem etiam Jonam, *ut inclamaret Deum ſuum*, hortati ſunt Jonæ *c.* 1. *v.* 5. & 6. velut dubitantes, an à ſe verus Deus invocatus fuerit. Ex eodem fonte formula, precibus ſingulis Gentilium adjici ſolita, apud Serv. *Georg. l.* 1. *v.* 21. orta eſt.

Dii que Deæque omnes,

Arabes quoque ſuæ Πολυθεΐᾳ minimè ſiſi, *Ignoto Deo*, aras ſuas inſcripſêrunt, teſte Lilio Gyraldo *Syntagm.* 17. cui ſimilem titulum in ara quadam Athenis reperit Paulus, Actor. *c.* 17. *v.* 23. Unde in vicinis huic urbi regionibus, ſolennem jurandi formulam fuiſſe, Νὴ τὸν ἐν Ἀθήναις ἄγνωστον, *Per Ignotum Athenienſium*, refert Lucian. *in Philopatride.* Imò, quia incertum iis erat, quis Deus ille eſſet, id quod ſummè unum eſt, in plurima diſcerpentes, in plurativo quoque numero leguntur Altaria habuiſſe inſcripta: Θεῶν Ἀγνώστων, *Deorum ignotorum*, teſte Pauſ. in *Attic.* Nec deſunt qui dicant, Altaris, quod Apoſtolus vidit Athenis, plenam inſcriptionem fuiſſe, Θεοῖς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης καὶ Λιβύης Θεῷ ἀγνώστῳ καὶ ξένῳ, *Diis Aſiæ & Europæ, & Libyæ, Deo ignoto & peregrino.* Theophyl. *in Acta Ap. c.* 17. *v.* 29. Hier. *in Tit. c.* 1. *v.* 12. *&c.* ut ita epigraphe hæc cum formula memorata *Dii Deæque omnes*, coincidat. Et hæc incertitudo præcipua videtur fuiſſe inſcriptionis Atticæ cauſa: accedere potuit alia, quòd Numen hoc, cui ara illa poſita erat, fortè fuerit Urbi Tutelare. Notum autem omni ope Gentiles Tutelaris ſui Divi nomen in abdito tenuiſſe, ne, ſi id evulgaretur publiceque innoteſceret, Numen ab hoſtibus magico carmine evocatum priſtinum locum relinqueret ſuoſque deſereret cultores. Qua in re cautiores cæteris videri voluêre Tyrii, Lacedæmonii, alii qui Idolis ſuis compedes injecêrunt, ne eos unquam loci ſui deſerendi vel libido ſubiret, vel facultas, Macrob. Sat. *l.* 3. *c.* 9. Sed & fieri id potuit, ad imitationem Judæorum, qui circa SERVATORIS noſtri tempora nomen Dei eſſentiale *Jehovah*, pronuntiari illicitum rati ejus loco *Adonai* dici legique voluêre. Cujus rei prima origo hæc fuiſſe videtur, ne ſanctiſſimum hoc nomen indignè uſurparetur ab Ethnicis, qui inde jam aliquot *Idolis* ſuis nomina, *Jovis*, Ἰαὼ, *Jaoth*, Ἰαώια &c. mutuati ſunt, vide Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 18. Iren. *l.* 2. *c.* 16. Origen. *Celſ. l.* 6. Quemadmodum itaque modò memorata nomina Idololatrica nihil aliud fuêrunt, quam depravationes nominis Dei proprii *Jehovah*, ita origo tot *Idololatriæ* ſpeciebus ſeſe mutuò ſequutis, ex depravato & detorto S. Scripturæ ſenſu, maximam partem arceſſenda videtur. Quia enim Sidera, Solem & Lunam inprimis, *ad præfecturam diei ac noctis*, collocata eſſe, per traditionem homines, veri jam Numinis obliti, accepêrunt, admirari primùm illa, plus quam decebat, deinde divinis etiam honoribus proſequi cœpêre. Ingraveſcente poſtmodum torrente ſuperſtitionis, Apotheoſis ſeu Deificandi ritus ad ea quoque extenſus eſt, quæ ſub Luna ſunt: quæ partim ut ſymbola cœleſtium luminum, partim ut ipſimet Dii, cultum humano majorem meruiſſe viſa ſunt. Prioris generis erat, divinus cultus Igni à Chaldæis exhibitus, quem illi אור *Ur* appellarunt, à quo civitati nomen, Gen. *c.* 11. *v.* 28. Nec alius videtur fuiſſe *Deus Nachoris*, de quo vide Idem *c.* 31. *v.* 53. Poſterioris generis fuit, quo res has inferiores, ob beneficia ab illis accepta, ſunt proſequnti. Hinc Mare, Venti, Aër, Tellus, Fruges, Viri porrò bene-meriti; etiam Crocodili, Angues, Sorices, Cati, Canes. Allium & Cepæ inter Deos relati. Imò tandem & Virtutes & Vitia, hominumque Affectus, & Morbos ac Peſtes in genera deſcripſêrunt, templiſque ac aris cœci mortales coluêrunt: ita ut univerſa Natura deificata fuerit, nec vero Deo in iſto regno ſuo quicquam relictum. Ac primò quidem iſte cultus citra *Idola* ſeu imagines peragebatur, mox, ut Numen quiſque ſuum ſibi haberet præſentius, εἴδωλα eorum effingi ac publicè privatimque erigi cœpêrunt, turpiſſimâ halucinatione. Cùm non aliâ ratione à Deo longiùs recedatur, quàm hac ipſâ, quâ illud ſibi propiùs admoveri, ψυχικὰ φρονοῦντες. Idololatrentur. Vide Eſaj. *c.* 40. *v.* 18. & *ſeqq.* Primam autem *Idololatriæ* mentionem invenimus in cognatione Abrahami, Gen. *c.* 31. *v.* 19. *Furata eſt Rachel imagines, quas habebat Pater ejus.* Et Joſ. *c.* 24. *v.* 2. *Ultra flumen habitabant majores veſtri olim, Therah pater Abrahami & pater Nachoris: colebantque Deos alienos.* Quanquam ea jam ante illius tempora invaluiſſe videatur, Franc. Burmann. *Synopſi Theol. Chriſt. Part. prior. l. III. c.* 8. §. 24. & *ſeqq.* ubi *Idololatriæ Hiſtoriam* ſuccinctè exhibet. Sic primi *idolorum* effigiatores fuerunt Chaldæi, præeunte Nilo Beli fil. qui, contemporaneus Tharæ, fieri curâſſe imaginem Patri ſuo eamque ſubditis adorandam propoſuiſſe fertur. Proximi Ægyptii, ut quorum terra jam plena idolis erat, Moſis tempore, Exodi *c.* 12. *v.* 12. Hos Græci ſequuti aliæque gentes; porrò Romani, poſtquam ultra Annos 170. ſine ſimulacro Deos coluiſſent, uti Varro docet, apud Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 31. &c. In populo Dei prima *Idololatriæ* veſtigia comparent, in Exodo, ubi de Μοσχολατρείᾳ. dein in Judicum libris, ubi de Michæ amiculo *c.* 17. acceſſêrunt ſequenti tempore ſub Regibus Vituli Hieroboami: quibus omnibus verus Deus ab Idololatris colebatur. At poſterioris generis *Idololatria* demum poſtmodum occurrit, in Eccl. vet. ut ex Hiſtoria Regum poſteriorum liquet. Quæ utraque in Eccl. N. T. iterum lacertos movere cœpit, circa tempora Conſtantini Mag. uti pluribus docet Joh. Forbeſ. *Inſtruction. Hiſt. Theol. l.* 7. *c.* 6. & *ſeqq.* Et quidem primitus inſignia erigebantur ligna & columnæ ex lapidibus ponebantur. Sic in Icaro imago Dianæ lignum erat non elaboratum, & Cithæroniæ Junonis, apud Theſpios, truncus exciſus. Mox radi expolirique iſta hinc ξόανα (de qua voce vide infrà in voce *Tenſa*) dicta: uti Samiæ Junonis *idolum*, cùm priùs rudis aſſer eſſet, Archonte Procleo, ἀνδριαντοειδὴς ἐγένετο, *effigiata imago facta eſt.* Tandem in hominis effigiem formari cœpêrunt, atque tunc βρέτη ἀπὸ τῶν βροτῶν, *ab hominibus*, dicta ſunt: hæcque iterum vel *Iconica*; vel *Coloſſea* facta: *poſtquam ars floruit, aucto errore*, ut ait Clem. Alex. *Protreptico*, &c. Vide Thom. Godwyn. *de Ritib. Hebr. l.* 4. *c.* 1. Caſp. Barth. *Comm. Superſtition.* Gerh. Joh. Voſſ. *inprimis de orig. & progr. Idol. l.* 1. *c.* 3. ubi *de Idololatria propriè accepta* duplici, *plenâ*, quâ pro Deo falſum Numen colitur; & *ex parte*, cùm adverſùs Dei mandatum in ſimulacro colitur verus Deus: *c.* 4. ubi *de Idololatriæ*, quâ cultus à Deo ad opificium transfertur, cauſâ & origine: *c.* 5. ubi de *Idololatrici cultus*, in *proprium* & *ſymbolicum*, diviſione, horumque variis ſubdiviſionibus: *c.* 11. ubi de duplici fundamento *Idololatrici* cultus, *veteri geſtorum Hiſtoria*, & *Hiſtoria natura*: *c.* 22. ubi *de Idololatria* à Phœnicibus & Ægyptiis migratione, accuratè agit: nec non *l.* 2. *c.* 1. & hic paſſim, ubi de *Diis*; *Helleniſmo* & *Sabaiſmo*, *Idololatriæ* ſpeciebus: aliquid etiam, in voce *Lapis*, ubi de ejus in Sacris pœna &c.

IDOLOTHYTA, Græcè εἰδωλόθυτα, ſunt quæ *Idolis immolantur*; circa quorum eſum vel abſtinentiam quid obſervandum ſit, extat conſtitutio Apoſtolica 1. Cor. *c.* 8. *v.* 4. 7. & 10. Quid autem de victimarum carne in eſum uſumque ſacrificantium, apud Gentiles, ceſſerit, videre hîc paſſim eſt, ubi de *Carne. Victimarum*, & *Holocauſto*, item in voce *Proficiæ*. Quia verò Sacerdotes & ſacrificantes, ut & quicunque alii Diis quicquam conſecrantes ac dedicantes, geſtabant coronas Numinibus convenientes; hederaceam, qui Baccho; lauream, qui Apollini; querceam vel oleaginam, qui Jovi &c. immolarent: uti de Hercule, cùm Olympicos Ludos Jovi dedicaret, legimus apud Stat. *Theb. l.* 6. v. 5. & ſeqq.

——— Primus Piſæa per arva
Hunc pius Alcides Pelopi certavit honorem,
Pulvereumque ferâ crinem deterſit olivâ.

Hinc *corona Idolothytorum* meminit Tertullian. *de Cor. Mil. Ita*, inquiens, *& corona idolothytorum efficitur. Hoc enim ritu & habitu & apparatu idolis immolatur.* Quam & in conviviis ſacris à convivarum quolibet ſimiliter geſtari conſueviſſe, docet C. Paſchal. *Coron. l.* 4. *v.* 15. Præter eſum autem religioſum *Idolothytorum*, qui fiebat ex religione falſa in ſacrificiis idolorum & ſacris atque euchariſticis epulis, de quibus 1. Cor. *l.* 10. *v.* 20.

v. 20. & 21. alius erat communis, in conviviis communibus; cum, quæ idolis erant immolata, in macello venderentur, communis uſûs gratiâ, aut, quæ idolis eſſent immolata; in uſum privatum ac communem à Gentilibus converterentur: Quorum ille per ſe illicitus, rejicitur Actor. *c.* 15. *v.* 29. & in Nicolaitis damnatur, Apoc. *c.* 2. *v.* 15. & 16. Iſte per ſe licitus, per accidens tamen, conſcientiæ imbecillis fratris præſentis ac monentis, illicitus fiebat, atque propriè is erat, de quo 1. Cor. *c.* 8. *cit.* agitur. Gomarus *Explicat. in Apoc. c.* 2. Vide quoque infrà in voce *Immolata.*

IDOLUM, Græcè εἴδωλον, ἀπὸ τοῦ εἴδειν, quòd Numinis forma illa oculis *viſenda* repræſentetur, cui qui exhibetur cultus *Idololatria* dicitur. Atque hac notione vox Latinis Patribus ſatis trita eſt, vide inprimis Tertullian. *de Idol. l. c.* 3. & 4. Appellatur autem *Idolum* in Sacris, non ſolùm imago fictitio alicui Numini dicata. Sed etiam verò Iſraëlis Deo fabricata, ut erat vitulus in eremo, qui εἴδωλον vocatur Actor. *c.* 7. *v.* 41. & ſculptilia *Præc.* 2. prohibita, quæ εἴδωλα ſimiliter appellantur LXX. Interpretibus. Unde Tertullian. iterum *omnes Idolorum artifices corpora Dæmonibus conficere*, ait *c.* 7. & Deus in ſuo cultu πᾶσαν εἰκόνα, *omnem imaginem*, fieri prohibet. Deut. *c.* 4. *v.* 16. & abominatur omnes τύπους, οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς *figuras, quas feciſtis, ut adoraretis eas*, Amos. *c.* 5. *v.* 26. coll. cum Actor. *c.* 7. *v.* 43. Quam in rem vide plura apud Joh. Forbeſ. ubi ſuprà *c. VI. toto*; adde Deſ. Herald. *ad Arnob. l.* 6. Ita Græcis hoc vocabulum idem eſt, quod Latinis *ſimulacrum*, *effigies* viz. quâ nobis repræſentetur forma alicujus rei fictæ vel veræ. Tranſlativè poſtea accommodari cœpit ad formas ac ſpecies rerum in animo conceptas: quo ſenſu ab εἶδος, *ſpecies*, origo ejus arceſſi poſſet, ſicque ſumitur apud Dionyſ. ubi jaſpidem ἠερόεσσαν ait eſſe,

Ἐχθρὴν ἐμπνείουσι καὶ ἄλλοις εἰδώλοισι,

per εἴδωλα intelligens, quæ φαντάσματα Æſchyl. *Perſ. conſpicuas imagines* Plin. vocat, ſpecies viz. vanas, quæ Corybantiaſmo laborantibus obverſari conſuevêre, de quibus vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1086. & hîc, ubi de *Corybantiaſmo* & *Strychno*, nec non in voce *Phantaſia.* Tandem ad mortuorum ſpectra, quæ Latini *Umbras* & *Manes*, Virg. quoque *Simulacra* nuncupat, vox extenſa. Unde toties εἴδωλα καμόντων, apud poëtas. Sic in ſcena inquit Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 13. *Idola tamen, ſive formæ defunctorum pro ipſis corporibus introducta ſunt, ab Euripide Polydoti, ab Æſchylo Darei, an idola hæc alia ſint ab animabus videndum in Græcis nugis & apud Lucian Diogenem* & *in Platonis Phædone*, jubet *ibid. De Idolorum conſecratione*, diximus ſuprà aliquid ubi de *Dedicandi ritibus*; de *reſecratione*, vide infrà in hac voce.

IDOMENE, urbs Macedoniæ, *Idomena*, Steph. Inter Doberum & Atalantam, Europæ proxima. Pop. *Idomenenſes*, Gortyniis finitimi.

IDOMENEUS, Deucalionis fil. nepos Minois, Rex Cretenſium Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 401. populos ſuos ad Trojam duxit, & cùm poſt everſam Trojam reverteretur, in tempeſtate devovit. Diis ſacrificaturum ſe rem quæ ei primùm occurriſſet; contigit autem ut ei fil. primùm occurreret: quem cùm, ut alii dicunt, immolâſſet, vel, ut alii, immolare voluiſſet, à civibus pulſus regno, Salentinum Calabriæ prom. tenuit, juxta quod civitatem condidit. Poſt Obitum verò immortalibus honoribus à Cretenſibus cultum eſſe, Diod. Sic narrat *l.* 5. ubi & ſacrificatum illi, & opem ejus in bellis imploratam, ait.

IDOMENEUS Lampſacenus, Hiſtoricus antiquus & Philoſophus, qui ſcripſit Hiſtoriam Samothraciæ, quem tamen non ſatis fidum Plutarch. *in Demoſth. Pericle, &c.* putat. Laudatur à Schol. *in Ariſtoph. Crabr.* Præterea de Socrate librum edidit; diſcip. Epicuri. Floruit ſub Ptol. Lago. Diog. Laërt. *in Socr. & Epicuro* Athen. *l.* 4. *p.* 133. *p.* 589. Strabo. *l.* 13. *p.* 479. 480. & 589. *Suid.*

IDONEA, fluv. Galliæ, vulgò *Huine*, vel *Huigne.* Condate *Condé*, in majori Pertico, Novigentum Rotroci, & Firmitatem Bernardi Pontemque Longum alluit, & in pratis infra urbem Cenomanos, in Sartam influit. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

IDONEUS, apud Arnob. *adv. Gentes l.* 4. *Fingite enim nos vel auctoritate idoneâ motos:* vocabulum admodum, ſignificans, quâ phraſi in *Conſtitutionibus* Imp. *idonea* dicitur ſubſtantia Curat. i. e. ſufficiens, *in l. cùm furioſus* §. *Sin verò, Cod. de Curatore furioſi* Itemque homines *Idonei* vocati, quibus pecunia rectè & tutò creditur, *l.* 3. *Cod. de uſur. popular.* ſicut contrà *minus Idonei* efficiuntur, qui pinguiore fortunâ exidunt *l.* 1. *Cod. de divid tutela.* Sic ergo *Idonei* quoque Auctores, dicuntur ii, quibus vetuſtas hoc meritum arrogavit, *Neotericis* oppoſiti, de quibus utriſque vide Salmaſ. *Proleg. in Solin.*

IDOTHEA, Oceani, vel, ut alii, Meliſſi filia, Jovis nutrix.

IDOTHEA, filia Proeti Argivorum Regis, quàm, unà cum ſororibus, furiis agitatam, Melampus ſanitati reſtituit. Hom. *Od.* 11.

IDOTHEA, Protei ſenis marini filia, cujus monitu Menelaus Proteum adegit, ut ſibi ab illo diceretur, quando domum repetere poſſet. Hom. *Od.* 4.

Πρώτεος ἰφθίμου θυγάτηρ ἁλίοιο γέροντος
Εἰδοθέη.

Vide Euſt. *in illud Dionyſii*: ἢ χίπερ ἄκρῃ

Φαίνονται σκοπιαὶ Παλληνίδος Εἰδοθείης.

Nic. Lloyd.

IDRIAS, urbs Cariæ, quæ prius *Chryſaoris* dicebatur. *Steph.*

IDRIEUS, fil. Euromi Caris, frater Artemiſiæ, vide Polyæn. *l.* 7. *in Mauſolo com.* 2. Succeſſit Mauſolo juſſuque Ochi oppugnavit Cypri Regulos, à Rege deficientes Diod. Sic *l.* 16. Obiit A. 1. Olymp. 109.

IDRINUM, opp. agri Brixiani, ſub Veneris, juxtà lacum Parinum, verſùs conf. dit. Tridentinæ, vulgò *Idro.*

IDRIT, Fezzam condidit, vide ſupra ubi *de Fezzano regno.*

IDSARDUS Gravius, Presbyter Friſius, Chronici patriæ ſuæ auctor, ab A. C. 763. uſque ad A. C. 1514. Suffridus Petri *de ſc. Friſ. dec.* 9. *c.* 7.

IDSTENIUM, vulgò ITZSTEIN, locus Germ. ſup. in Comitatu Saræpontano, ſub proprio Com. ex Fam. Naſſovia: unde *Izſtenia*, aliàs *Weisbadenſis* fam. cujus primus conditor fuit Walravius, fil. ſecundo-genitus Henrici cogn. *Divitis*, frater Othonis majoris, qui Dillenburgenſem lineam orſus eſt, & prioris quidem, nempe Walravii, linea defecit in Joh. Ludovico, cui Joh. Com. Dillenburgici filia nupſerat, hujus verò adhuc durat. Cœpit autem Comitatus hic *Wisbadenſis* ſ. *Idſtenius*, unà cum Dillenburgico, circà A. C. 1292. Joh. poſtea Com. Weilburgi & *Idſtenii*, Adolphi Imp. nepos, filia unica, Comit. Saræpontanum, cujus lineæ parens auctor extiterat, nacta eſt: in Phil. Joh. Ludovici fil. ſtirpe extinctâ, ſucceſſore Alberto Com. Weilburgi, A. C. 1559. Hodie totus hic Naſſoviæ arboris truncus, *Saræpontanus* nempe, cùm in tribus ramis ſubſiſtat, qui in communi Patre Ludovico, Extincto A. C. 1627. coiêrunt: ex hujus filiis Vilhelmus Ludovicus *Saræpontanum* ſ. *Sarbrücken* continuavit; Joh. Wisbada, cum *Idſtenio*, obtigit, Erneſtus verò Caſimirus *Weilburgum* nactus eſt. E quibus Joh. Com. Naſſoviæ, *in Wisbaden ſeu Izſtein*, ex Sibylla Magdalena Badenſi (filia Georgii Frid. March. Durlacenſis, Extincta A. C. 1644.) ſuſcepit liberos complures, inter quos Anna Ottilia (nat. A. C. 1630. Obiit A. C. 1642.) Guſtavus Adolphus (nat. A. C. 1632. Defunctus eſt A. C. 1664.) Ludovicus Frid. (nat. A. C. 1633. Deceſſit A. C. 1656.) Bernardina Sophia (nat. A. C. 1634. Den. A. C. 1642.) Joh. (nat. A. C. 1638. Den. A. C. 1658.) & Sabina Juliana (nat. ac Den. A. C. 1639.) Eidem ex ſecundo conjugio Annæ Com. Leiningenſis itidem numeroſa fuit proles: Carolus (nat. A. C. 1649. Den. A. C. 1651.) Chriſtina Eliſabetha (nat. A. C. 1651.) Eleonora Luiſa (nat. A. C. 1653.) Erneſta (nat. A. C. 1654. Obiit 1655.) Georgius Vilhelmus (nat. A. C. 1656. Den. A. C. 1657.) Johanna (nat. A. C. 1657.) Sibylla Carola (nat. A. C. 1658. Den. A. C. 1660.) Dorothea Amalia (nat. A. C. 1661.) Phil. Ludov. (nat. A. C. 1662. Den. A. C. 1664.) & Georg. Aug. Samuel (nat. A. C. 1665.) omnes Comites Naſſoviæ &c. lin. Wisbadenſis ſ. *Idſtenia.* Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Part. I. Ind. & Part. III. p.* 28. & 85.

IDUBEDA, mons Hiſp. Ptol. Hunc hodie ſaltum Aucenſem ab Auca urbe antiquiſſima, cujus veſtigia cum nomine adhuc viſuntur, nominari ſcribit Nebriſſenſis. Olivarius dicit eum à Pyrenæis mont. ad Portugal. promitti. Baudr. extenditur ab Ibero fluv. uſque ad Luſitaniam. Et primum in Caſtella vet. *montes d'Occa*, ab urbe Auca, dein *Sierra la Rex*, & *Sierra d'Urbion*, verſùs Rivogiam prov. hinc in conf. Caſtellæ novæ & vet. *Sierra d'Atienza* & *Somo Sierra*; poſtea *Sierra d'Avila* in Caſtella vet. juxta urbem cogn. *Montes de Toledo*, in Caſtella nov. & tandem in Extremadura *Sierra de Pico* & *de Tornas vivai*, in ipſo limite Portugalliæ dicitur. Strabo *l.* 3. *p.* 161. & 162.

IDUBEDA, fluv. Hiſp. Tarrac. per Valentiæ regn. in mare Balear. inter Iberum & Turiam prolabens; Beuthero *Rio de Millas*, Naugerio *Zema* à monte, à cujus rad. oritur in Celtiberis. Plin. *l.* 3. *c.* 3.

IDUME, & IDUMÆA, regio Syriæ ab *Edom*, fil. Eſau, ſic dicta. Hîc, præter alias urbes, Gaza nobilis, ubi Cambyſes in Ægyptum properans theſauros ſuos repoſuit Lucan. Civ. Bell. *l.* 3. *v.* 216.

Gazaque & arbuſto palmarum dives Idume.

Idumæi, ab *Idume* Mart. *l.* 2. Epigr. 2 cujus epigraphe. ad Cæſ. Domit.

Frater Idumæos *meruit cum patre triumphos*:

Ab Eſavo orti, à Davide ſubacti, jugo poſtea excuſſo, à Joſaphato, cum Ammonitis miraculosè devicti, Hieroſolymâ à Chaldæis obſeſſâ, his ſe junxêrunt, in eandem dein ſervitutum, juſto Dei judicio, prolapſi. A Juda Maccabæo ad Judaiſmum adacti, Hieroſolymam patriam ſuam, urbem ſanctam, urbem communem, & Metropolim appellare didicêrunt. Joſeph. *de Bell. Jud.* Hos Philo *l. de Monarch.* cum Judæis, per omnia iiſdem juribus fruitos, narrat, niſi quòd à Conſilio Sanhedrim excluderentur, quibus Judæa mater non contigiſſet. Vide libb. Regum, Paralip. Prophet. &c. Joſeph. quoque *in Antiqq.* Salian. Tornielum, &c. Vicina Judææ ad Mer. Judæam, inter, Arabiam & Ægyptum; & ipſa aliquando Judææ pars, aut ſaltem Judææ ſubdita, verſùs oram litor. maris Medit. Nunc valde ſterilis & arenoſa, ſub Turcis, regio eſt. Plin. *l.* 5. *c.* 12. Strabo *l.* 16. *p.* 749. & 760. & Lucan. Civ. Bell. *l.* 3. *v.* 216. 2. Reg. *c.* 8. *v.* 21.

IDUMANIA, Angliæ fluv. per Eſſeniam fluens, *Blackwater*, teſte Camd. inter Tameſin & Garyenum. Dicitur & *Jumanius.*

IDUNUM opp. Ambiſontiorum, in Norico nunc, Sanſ. eſt *Windiſch Matray*, oppid. dit. Salisburgenſis, ad amnem Iſolam, qui in Dravum paulò infrà cadit: vix 10. mill. paſſ. ab Alpibus, & paulò minus à conf. Carinthiæ, 25. circiter mill. Germ. in Occ. à Judenburgo urbe Stiriæ, ad Muram fluv.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

IDUS, nomen 8. dierum in quolibet menſe: decimi quinti inprimis in Martio, Majo, Junio & Octobri: vel decimi tertii in reliquis menſibus Dictæ vocabulo Thuſco, apud quos idem dies *Itis* vocabatur, quod ſignificat *Jovis fiduciam*, Cùm enim Jupiter ſit auctor lucis, unde etiam *Lucetius* & *Dieſpiter* dicitur: hujus autem diei lux, non cum Solis occaſu finiatur, ſed ſplendorem diei ac noctis continuet Lunâ colluſtrante, quod ſemper in plenilunio, i. e. medio menſe fieri ſoleat, ideò jure *Jovis fiduciam* eum vocari putavêrunt. Alii malunt ſic vocatas, quaſi *Vidus*, à videndo, vel ἀπὸ τοῦ εἴδειν, quòd eo die plenam ſpeciem Luna demonſtret. Alii ab ove iduli, quæ *Idibus* omnibus immolabatur Jovi, cui *Idus* ſacræ erant. Alii iterum credunt, Hetruſcam fuiſſe vocem, apud quos *iduare* dividere ſignificabat: ideoque hanc diem *Idus* nominatam, propterea quòd menſem iduet, i. e. dividat, cùm plerunque in medium menſem incidant. Ab illis dies reliqui omnes, referuntur ad Kalendas ſequentis menſis: ipſæ Nonas ſequuntur. Dies poſtridie *Iduum*, quemadmodum & Kalendarum ac Nonarum, atri vel infauſti habiti ſunt, in quibus nec rem divinam facere, nec rem quampiam novam exordiri licebat, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 4. Vide quoque infrà, ubi de *Præliaribus diebus*, Majæ *Idus* Mercurio ſacræ fuêre, quòd illis natus haberetur: vel quòd tunc ædes ei vota. Iiſdem Mercatorum dies feſtus erat, & fœneratorum. Unde poëta, colligere hos *Idibus* pecuniam, quam Calendis ponere ſatagant, ait, Martiæ, quòd Julii Cæſaris cæde eſſent funeſtatæ, *Parricidii* nomine inſignitæ ſunt. Suet. *in Jul. Cæſ. c.* 88. *Curiam, in qua occiſus eſt obſtrui placuit: Iduſque Martias parricidium nominari: ac ne unquam eo die Senatus ageretur.* Quare Aug. nominis familiæque hæres, captivos bello Peruſino eodem die trucidari voluit, apud eund. *in Aug. c.* 15. *hoſtiarum more, ad aram Divo Julio extructam*, &c. Ad nuptias aptiſſimùm habebatur tempus, quod *Idus* Junias ſequitur. Ovid. *Faſt. l.* 6. *v.* 221. & ſeqq.

Hanc ego cùm vellem genero dare, tempora tædis
Apta requirebam: quæque cavenda forent.
Tunc mihi poſt ſacras monſtratur Junius Idus,
Utilis & nuptis, utilis eſſe viris.

Aug. *Idus* Dianæ erant ſacræ: Unde Mart. *l.* 12. *Epigr.* 68. cujus epigraphe de Idibus Maronis.

Majæ Mercurium creaſtis Idus
Auguſtis redit Idibus *Diana*, &c.

Vide quoque infrà *Venatio*. Eædem à ſervis celebrabantur, qua de re Vid. Alex. ab Alex. *Genial. Dier. l.* 3. *c.* 8. Septembres ſolennes erant auſpicio Magiſtratus, Liv. *l.* 4. *c.* 37. ſicut Majæ olim Magiſtratibus ineundis, *Idem, l.* 3. *c.* 36. poſtmodum Martiæ, *Idem l.* 23. *c.* 36. & Quintiles, tranſvectionibus Equitum, *Idem l.* 9. *c.* 46. &c. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. paſſim.*

IDYJA, mater Medeæ Cic. quam Ovid. *Ipſeam* vocat.

IDYJA, Oceani & Thetyos filia altera Æetæ conjux.

IDYLLIUM, Græcè Εἰδύλλιον ſ. Ἰδύλλιον, carmen paſtorale voce diminut. ex εἶδος ſ. ἰδέα, *ſpecies* ſive *imago*, quòd poëmata rerum eſſent ſpecies quædam, & in hoc genere novum ſemper argumentum tractaretur. Jul. Cæſ. Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 4. *Propterea verò quòd imitatione aliquid repræſentabant* (Bucolici Poëtæ) *à ſpecie, i. e. imagine*, εἰδύλλια, παρὰ τὰ εἴδη καὶ τὰς ἰδέας, *dixêre diminutivo flexu, vel propter brevitatem, vel ob modeſtiam, ac rei humilitatem. Poſtea cùm quædam* (id quod ſapientiſſimo cuique evenire ſolet) *etiam ſuis auctoribus diſplicuiſſent, ex incondita; turba —— ſelecta quædam ----* ἐκλογὰς *appellare placuit.* Vide Scholiaſtem Theocriti in hoc genere poëtæ eximii &c

IDYMA, urbs Cariæ, ubi *Idymus* fluv. eſt. *Steph.*

IDYRUS, urbs & fluv. Pamphiliæ. *Idem.*

JE, in notis antiqq. *intereſt, in eum*, vel *Judex eſto*, vel *in ære* &c. deſignat. Apud Græcos ἰὲ, ſeu ἰὴ παιάν, acclamatio erat Pæanibus peculiaris, ἐπίφθεγμα & ἐπίῤῥημα vulgò dicta, quâ ſolâ pæanes à ſcoliis differebant: quamvis & hoc quoque poſtea deſitum, uti ex pæane Ariphronis Sicyonii; quem fecit in honorem bonæ valetudinis, & altero Ariſtot. in Hermiam Atarnenſem, docet Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 44. Origo acclamationis inde; Latona, cùm ex Eubœæ Chalcide Apollinem Dianamque reportans Delphos, à Pythone ex improviſo penè oppreſſa eſſet, puello animos addiderit, ut ſagittis, quas habebat; peſtem illam occuparet, acclamando ἵε παῖ, ἵε παῖ, unde nomen ei poſtea factum certia ſyllabis additis, παιὰν, παιὼν, παιήων. Idem, *l. eod. c.* 23.

JEABARIM, 38. Iſraëlitarum manſio in Moabitarum finibus, Num. *c.* 21. *v.* 11. & *c.* 33. *v.* 44. Lat. *acervi Hebræorum*, vel *tranſeuntium*, ſive *iraſcentium*, aut *prægnantium*.

JEBAHAR, fil. David. 2. Sam. *c.* 5. *v.* 15. 1. Par. *c.* 3. *v.* 6. & *c.* 14. *v.* 15. Lat. *electio*, ſive *electus*.

JEBANIAS, pater Rahuel. 1. Par. *c.* 9. *v.* 8. Lat. *ædificatio*, ſive *filiatio*, vel *intellectus Domini*.

JEBLAAM, i. e. *inveteratio populi*, vel *defluens populus*, aut *germinatio populi*, ſive *deglutiens eos*. Nomen urbis validæ & potentis, in tribu Manaſſe. Joſ. *c.* 17. *v.* 11. Jud. *c.* 1. *v.* 27. Hujus habitatores initio non potuit Manaſſe delere. 2. Reg. *c.* 9. *v.* 27.

JEBNAEL civ. terminus tribûs Nephthali. Joſ. *c.* 19. *v.* 33. Lat. *ædificatio*, vel *intellectus Dei*.

JEBNEEL, idem civ. in tribu Juda. Joſ. *c.* 15. *v.* 11.

JEBOC, vel IABOC, nomen torrentis. Num. *c.* 21. *v.* 24. Deut. *c.* 2. *v.* 37. Jer. *c.* 12. *v.* 2. Gen. *c.* 32. *v.* 22. Lat. *evacuatio*, *diſſipatio*, aut *lucta*.

JEBSEM, fil. Tholæ, filii Iſſaſchar. 1. Par. *c.* 7. *v.* 1. Lat. *aromatizan.* aut *ſiccitas*, *confuſio*, vel *erubeſcentia eorum*.

JEBUS, nomen civitatis, quæ & *Jeruſalem*, Jud. *c.* 19. *v.* 10. Joſ. *c.* 18. *v.* 28. Lat. *conculcatio*, *volutatio*, vel *præſepium*.

JEBUSÆUS, fil. Canaan. Gen. *c.* 10. *v.* 16. à quo *Jebuſæi*. Hi à Davide Hieroſolymis demum penitus pulſi, poſtquam à Benjamin & Juda olim ſubjugati eſſent. Jud. *c.* 1. *v.* 21. Denuo memorati, Eſræ *c.* 9. *v.* 1. Torniel. A. M. 1931. & 2594. Vide inprimis Bochart. *in Phal. p.* 344.

JECBAA, al JEGHAA, civ. munita, reſtaurata à filiis Gad. Num. *c.* 32. *v.* 35. Jud. *c.* 8. *v.* 11.

JECDAAN, in tribu Juda Hier. *in Loc. Hebr.*

JECEMIA, fil. Jeconiæ, filii Joacim. 1. Par. *c.* 3. *v.* 18. Lat. *reſurrectio*, ſive *confirmatio*, aut *vindicta Domini*.

JECHELIA, mater Azariæ Regis Judæ 2. Reg. *c.* 15. *v.* 2. Lat. *conſummatio*, vel *poteſtas Domini*.

R. JECHIEL, pater R. Aſcher & Rabbenit Niſſim, auctor *Daraſchot*, diſcip. Rambam, ut & R. Iſaac Fil. Salomonis, qui ſcripſit *Maſchal a Kadmonim*, h. e. Proverbium antiquorum, floruêrunt circa Ann. 20. Millenarii VI. juxta *Chronologiam R. Ganz.*

JECHONIAS, fil. Joakim, filii Joſiæ, Rex Judæ, qui Jer. *c.* 22. *v.* 28. & *c.* 37. *v.* 1. *Chonias* dicitur. A patre An. 2. regni, in conſortium aſcitus, ſolus regnare cœpit, A. M. 3435. Anno pòſt à Nebucadnezare, Babylonem abductus, in vinculis fuit, uſquead A. C. 3472. quo Evilmerodachus eum denuo evexit. Sterilis dicitur Jeremiæ, quia *de ſemine ſuo non habuit virum, qui ſederet ſuper ſolium David*, Vide quoque 1. Par. *c.* 23. *v.* 16. Eſth. *c.* 2. *v.* 6. Matth. *c.* 1. *v.* 12. Joſeph. *in Antiqq. &c.* Lat. *præparatio*, aut *firmitas Domini*.

JECMAN, civ. Levitarum, in tribu Ephraim. Aliis in tribu Zabulon. 1. Reg. *c.* 4. *v.* 12. Item fil. Hebron. 1. Par. *c.* 23. *v.* 18. Lat. *reſurrectio*, ſive *confirmatio*, aut *vindicta Domini*.

JECNAM, civ. in tribu Zabulon. Joſ. *c.* 21. *v.* 34. quæ & *Jeconam*, Joſ. *c.* 19. *v.* 11. Lat. *poſſeſſio*, *emptio*, aut *nidificatio populi*.

JECSAN, fil. Abrahæ ex Keturah. Gen. *c.* 25. *v.* 2. Pater Sabæ, cujus poſteri partem Arabiæ incoluêrunt, & Dadani, à quo Dadanæi orti, quorum meminit Ezech. *c.* 22. *v.* 15. 19. & 20. *c.* 38. *v.* 13. Vide Torniel. A. M. 1931. *n.* 54. A. M. 2179. *n.* 3. & 4. Lat. *durities*, aut *ſcandalum*, ſive Syriacè *colliſio*.

JECTAN, fil. Eber. Gen. *c.* 10. *v.* 26. Frater Phalegi, pater 13. filiorum, qui totidem familiarum capita fuêrunt. Torniel. A. M. 1931. *n.* 44. & 53. Lat. *parvulus*, *tædium*, vel *contentio*.

JECTHEEL, petra ex qua Amaſias præcipitavit decem millia Idumæorum. 2. Reg. *c.* 14. *v.* 7. eſt & Jethoël nomen petræ in regnorum libris, ut ait *Hier.*

JECTHEL, civ. tribûs Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 38. Lat. *congregatio Dei*.

IECUR, extorum nomine olim intellectum, quòd in Extiſpicina illius potiſſimum ratio haberetur. Plin. *l.* 11. *c.* 37. *Jecur in dextra parte eſt. In eo, quod caput extorum vocant, magna varietatis. M. Marcello, circa mortem —— defuit in extis. Sequenti deinde die geminum repertum eſt. Defuit & C. Mario, cùm immolaret Uticæ —— Divo Auguſto Spoleti ſacrificanti primo poteſtatis ſuæ die ſex victimarum jecinora replicata intrinſecus ab ima fibra reperta ſunt, reſponſumque duplicaturum intra annum Imperium. Caput extorum triſtis oſtenti caſum* (victimarii cultro tactum aut vulneratum) *quoque eſt, præterquam in ſolicitudine ac metu, Tunc enim perimit curas* &c. ad quem locum vide *Notas* Dalechampii ut & quæ ſuprà diximus, in voce *Hepar*, item ubi de *Extiſpicina*, *Fibris*, & *Fiſſiculatione*. Plura verò de *Jecoris pecuini* lobis, maximo inprimis eorum, Arabibus *Ziada*, i. e. κατ' ἐξοχὴν, *augmentum* l. *extuberantia*. Hebr. eodem ſenſu יותרת Græcis τράπεζα, i. e. *menſa*, quòd inſtar menſæ latus ſit, dicto, quam partem *jecoris* Deus olim in Altare ſuum adoleri juſſit, Exod. *c.* 29. *v.* 13. & 22. & paſſim in Levitico, apud Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 45. &c. Hinc *Inſpector jecinoris*, Hebr. ראה בכבר *Roë baccabed*, Ezech. *c.* 21. *v.* 21. pro Haruſpice, vide ſuprà, ubi de IX. Divinationis generibus, quorum in Sacris mentio, in voce *Divinatio*. Sed & in menſariis Veterum deliciis anſeris aut porculi *jecur* fuit, mulſo, lacte, ficu & caricâ fartum. Athen. *l.* 9. *c.* 8. Χηνὸς ἧπαρ περισπούδαστον κατὰ τὴν Ῥώμην. Juv. *l. Sat.* 5. *v.* 113.

Anſeris ante ipſum magni jecur ——

Unde jocus Mart. *l.* 13. in Xeniis *Epigr.* 57. cujus Epigraphe jecur anſeris.

Adſpice quàm tumeat magno jecur *anſere majus!*
Miratus dices; hoc, rogo, crevit ubi?

Et à ficis infartis ἡπάτια σεσυκασμένα, apud Polluc. aliis συκωτὰ, jecinora talia. Quâ voce recentiores Græci quodlibet *jecur* appellarunt, ut eos imitati Latini *ficatum*: quod hodieque Galli in lingua ſua retinent. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1055. Vide quoque Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l.* 3. *c.* 93. ubi & in ſuibus vivis hepar præparari ficorum paſtu, ex Galeno, addit, ut & ſuprà in voce *Anſer*: ſicut de *jecore* mulli, ibidem in Vett. deliciis, in voce *Mullus*; Scauri, *Scarus*. Aliter vox ſumitur, in Eupolidis illo, apud Athen. *l.* 9. *c.* 8. *p.* 384.

Εἰ μὴ σὺ χηνὸς ἧπαρ, ἢ ψυχὴν ἔχεις.
Ni tu fortaſſis jecur, *vel mentem habes.*

Hic enim *Sapientiam* notat: ut in iſto *vet. Epigr. in Caton. Gramm.* 11. apud Suet. de Ill. Gramm. *p.* 827. in Octavo.

En cor Zenodoti, en jecur *Cratetis.*

JEDAJAH, Hebr. ידיה, fil. Haromaph. Nehem. *c.* 3. *v.* 10. Lat. *manus*, ſive *confeſſio Domini*.

JEDAJAH, ידעיה Sacerdos, 1. Par. *c.* 9. *v.* 10. & *c.* 24. *v.* 7. Lat. *ſcientia*, vel *cognitio Domini*.

JEDA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

JEDALA, civ. in tribu Zabulon. Joſ. *c.* 19. *v.* 15. Lat. *manus juramenti*, aut *maledictionis*; aut ex Hebræo & Syro, *manus Dei.*

JEDDA, nomen viri. Nehem. *c.* 12. *v.* 11. & 21. Lat. *ſcitus*, aut *cognitus.*

JEDDO, fil. Buz. 1. Par. *c.* 5. *v.* 14. Lat. *ſolus*, vel *unus ipſe*, aut *lætitia ejus*, ſive *acumen ejus*, vel Syriacè, *novitas ejus.*

JEDDU, nomen viri. Eſdr. *c.* 10. *v.* 43. Lat. *manus*, vel *confeſſiones meæ.* Nehem. *c.* 12. *v.* 10.

JEDDUA, nomen viri. Nehem. *c.* 12. *v.* 21. Lat. *ſcitus*, vel *cognitus.*

JEDEBOS, fil. Etam. 1. Paral. *c.* 4. *v.* 3. Lat. *melliſluus*, aut *manus confuſionis*, vel *erubeſcentiæ.*

JEDIEL, nomen Principis. 1. Par. *c.* 5. *v.* 24. Lat. *unitas*, *lætitiæ*, vel *acumen Dei*, vel ex Syro & Hebræo, *renovatio Dei.*

JEDIHEL, fil. Samri. 1. Par. *c.* 11. *v.* 45. Princeps militum. 1. Par. *c.* 12. *v.* 20. Lat. *ſcientia*, vel *cognitio Dei.*

JEDLAPH, fil. Nachor & Melcha. Gen. *c.* 22. *v.* 22. Lat. *diſtillatio*, *ſtillicidium*: aut ex Hebræo & Syro, *manus juncta.*

JEDNA, in ſexto ab Eleutheropoli lapide pergentibus Hebron. Hier. *in Loc. Hebr.*

JEFLETI, vel JEPHLETI, civ. in tribu Ephraim, terminus fil. Joſeph. Joſ. *c.* 16. *v.* 3. *Benedictus.*

JEGAAL, fil. Semejæ. 1. Par. *c.* 3. *v.* 22. Lat. *redemptor*, vel *redemptus*, aut *inquinatus.*

JEGBAA, civ. quam ædificârunt filii Gad, Jud. *c.* 8. *v.* 11. Lat. *exaltatio*, vel *altitudo.* Num. *c.* 32. *v.* 35.

JEGEDELIA, pater Hanan. Jer. *c.* 35. *v.* 4. Lat. *magnitudo Domini.*

JEGERNDORFFIUM, Lat. *Cannovia*, opp. Sileſiæ, cum caſtro, ad Oppam fluv. Principatus olim cognominis caput, vulgò *Jagerndorff.* Hunc Principatum gratitudinis ergò, Georgius, fil. Friderici Brandeburgici, Franconici lineæ auctoris, à Ludovico Bohemiæ & Hung. Rege quem educaverat, nactus eſt A. C. 1524. quem ſucceſſor Ferdinandus ei, ſed ſub feudi conditione, reliquit. Idem Oppolienſi etiam & Oppavienſi Duc. donatus erat, ſed hi ad regnum rediêre. Euangelicæ Religionis conſtans aſſertor, obiit A. C. 1545. Pater Gedrici Friderici, qui deceſſit improlis, A. C. 1603. Princeps candidus, conſtans & in omni fortuna ſibi ſimilis. Ab hoc Principatum ſibi donatum occupavit, circà eundem A. C. 1603. Joachimus Fridericus El. Brandeburgicus: quem hic dein A. C. 1606. in filium ſecundogenitum Joh. Georgium, Ep. Argentinenſem, electum A. C. 1592. unde bellum, de quo Thuanus, *l.* 104. *&* 105. tranſtulit. Hic A. C. 1618. Sileſiæ utriuſque militiæ Generalis Dux conſtitutus, ſequentibus annis, turbis Palatinis implicitus eſt; ob Sileſiam & Moraviam A. C. 1621. infeſtatas, ab Imp. proſcriptus, Bethlemi Gaboris conatus in Hungaria juvit. Demum A. C. 1624. in Tranſylvania mortuus & Caſſoviæ ſepultus, reliquit filium Erneſtum, qui in Wirtembergica aula aliquandiu vixit, tum produx Berolini fuit: Mortuus abſque hærede. Vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.* qui inter alia, de præfato Gedrico Friderico memorat, natali ſuo die A. C. 1582. Heilsbronnæ gymnaſium aperuiſſe, in quo centum alumni ſuſtentarentur, & cum ſtipendio 50. aureorum in Academias mitterentur, &c.

JEHEDIA, nomen viri. 1. Par. *c.* 24. *v.* 20. Idem ſig. quod *Jedhiel.*

JEHETH, nomen viri. 1. Par. *c.* 23. *v.* 10. Lat. *confractus*, *formidans*, aut *ſtupens*, vel Syriacè *deſcendens.*

JEHEZIEL, nomen viri. 1. Par. *c.* 12. *v.* 4. Lat. *videns Deum*, vel *viſio Dei.*

JEHIAZ, Sacerdos quidam. 1. Par. *c.* 15. *v.* 23. Lat. *vivit Dominus.*

JEHIEL, Scriba. 2. Par. *c.* 26. *v.* 11. Cantor. 1. Par. *c.* 9. *v.* 35. *c.* 11. *v.* 44. *c.* 15. *v.* 18. 20. 21. & *c.* 16. *v.* 5. 2. Par. *c.* 35. *v.* 9. Eſdr. *c.* 8. *v.* 13. & *c.* 10. *v.* 43. Princeps. 1. Par. *c.* 5. *v.* 24. Lat. *abſtulit Deus*, aut *coacervans Deus.*

JEHIELI, nomen viri. 1. Par. *c.* 26. *v.* 21. Lat. *Vivit Deus.*

JEHOACHAS, *Jehojada*, *Jehojachim*, *Jehojachin*, *Jehojarib.* *Jehora*, *Jehoram*, *Jehoſaphat*, *Jehoſue.* Vide in *Joachas*, *Jojada*, *Joachim*, *Joachin*, *Jojarib.* *Jora*, *Joram*, *Joſaphat*, *Joſue.*

JEHOSUA, fil. Perachiæ, cum Nathæo Arbalæo, Kabalam à Joſi filio Johazer, & Joſi fil. Johannis accepiſſe dicitur: aufugit in Ægyptum, Alexandro Judæorum Rege in ſapientes graſſante. Unde patet, fictitium eſſe, quòd Jeſus Nazarenus eo præceptore uſus traditur *in Juchaſin.* Vorſt. *Obſervat. ad Chronol. R. Dav. Ganz* p. 27. *& ſeqq.* ubi varias Judæorum blaſphemias, deſperatæ cauſæ indicia, contrà D. Jeſum, verum atque unicum Meſſiam, è Rabbinorum ſcriptis producit.

R. JEHOSUA F. Chananiæ, ſocius R. Eliazaris M. pater Senatus, carbonarius & præceptor in ſuggeſto: magnus fuit in domo Cæſaris Trajani, à quo facultatem exſtruendi domum Sanctuarii nactus eſt. R. David Ganz. *Chronolog. Rabbinorum ſub Templo II. ad Ann.* 3833. Vide *Joſua.*

JEHOVA, יהוה quod nomen recentiores Judæi, creſcente inter eos ſuperſtitione, ἀνεκφώνητον judicârunt, cùm à Magiſtris eorum denunciatum jam eſſet; *Partem non habiturum in futuro ſeculo quiſquis nomen illud pronunciare præſumeret.* Quod tamen; per ætates retro ab orbe condito antegreſſas, proferre non licitum tantummodo, ſed & pium, ac laude dignum habebatur. Etymon quod attinet, deſcendit à verbo היה *fuit ait* יהוה ſit ὁ ὤν, i. e. *exiſtens*, *qui eſt*, vel *qui exiſtit*; Deus ſc. æternus nulli mutationi obnoxius. Gen. *c.* 4. *v.* 26. *c.* 14. *v.* 22. & *c.* 15. *v.* 7. Itaque docuit & Rabbi Moſes Ægyptius in libro *More*, cætera Creatoris nomina ab flectibus eſſe derivata, ſolum verò nomen hoc τετραγράμματον, quod etiam *Schem hammephoras* nominant, peculiare eſſe & proprium ſoli ejus ſubſtantiæ. Imò Rabbi Haccadosh in *Arcanorum revelatore*, probare nititur, comprehendi in eo divæ Trinitatis myſterium, ut haud abſque ratione aſſerat Philo Judæus, meritò & juſtè tribu Dan: maximè cùm Moſi ſciſcitanti ipſius nomen reſponderit אני אהיה אשר אהיה. Ubi quanquam futuri temporis ſit אהיה *Ehie*, h. e. *ero*, tamen cùm in lingua Hebræa pro præſentibus ſæpe uſurpentur futura, non exiſtimandum eſt, malè reddidiſſe Hier. cum Septuaginta Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. Ut ita efficacius & evidentius ſubſiſtentem per ſe eſſentiam divinam exprimerent, inque eo vivere, & ab eò proficiſci omnia & pendere ſignificarent. Hebræi יהוה legunt *Adonai*, & Septuaginta Κύριος ſemper interpretantur, quod nomen non legitur *c.* 1. Geneſeos, ſed Elohim ὁ Θεός. At in ſecundo יהוה Κύριος. Hinc argutati ſunt Tertullianus & quidam veterum. Deum non priùs Dominum fuiſſe, quàm Adam factus eſſet. Phœnices Ἰεύω dixêrunt pro *Jehova*, Samaritæ Ἰαβαί. Alii Ἰαώ, ut Orpheus ac Diod. Sic. Vide doctiſſ. Gatakerum in tractatu cui titulus, *De nomine Tetragrammato diſſertatio*, in quà vocis *Jehova* apud Noſtros receptæ uſus defenditur, & à quorundam cavillationibus iniquis pariter atque inanibus vindicatur. Nic. Lloyd. Exod. *c.* 6. *v.* 20. Pſalm. 83. *v.* 19. Jeſ. *c.* 42. *v.* 8. Num. *c.* 21. *v.* 3, 6. & 8. 1. Cor. *c.* 10. *v.* 9. Num. *c.* 12. *v.* 6. 2. Petr. *c.* 1. *v.* 21. Uti autem ſanctiſſimum hoc & incommunicabile Dei nomen ad Idola ſua nefariè traduxêrunt Gentiles, ut ex nominibus eorum *Jao*, *Javo*, *Javis*, qui (antiquis nominativus fuit) Ἴακχος & Ἰώβακχος, quæ Bacchi nomina, *Jani* item & *Dianæ*, perſpicuum eſt: ſic Hæreticorum peſſimi Baſilidiani Gnoſticique, nominis hujus tetragrammati literis variè immutatis, nefando auſu ad turpiſſima ſua myſteria involvenda abſcondendaque, abuſi ſunt, uti inter alia videre eſt, apud Jac. Spon. *Itin. part.* 3. *p.* 152. & *ſeqq.* ubi *Inſcr.* Græcam Mileti repertam & *Taliſmanis* ſpeciem referente exhibet, & amethyſtum inſignem Thuanæam, In qua Michael Archangelus ſculptus, ab hæreticis hiſce, ſingula membra characteribus variis inſcripta, in altera verò parte ſeptem vocales Græcas ΑΕΗΙΟΥΩ, quibus illi nomen *Jehova* exprimebant, ſepties variatas, habet, eruditè exponit. Vide quoque ſuprà, ubi *de Idololatriæ incun.* & infrà in voce *Nefarium tetragrammaton.*

JEHOUD, vel JEOUD, à Saturno immolatus dicitur Porphyrio, ab Euſeb. adducto *Præpar. Euang. l.* 1. Κρόνος τοίνυν, ὃν οἱ Φοίνικες Ἰσραὴλ προσαγορεύουσι, βασιλεύων τῆς χώρας (Φοινίκων) καὶ ὕστερον μετὰ τὴν τοῦ βίου τελευτὴν εἰς τὸν τοῦ Κρόνου ἀστέρα καθιερωθεὶς, ἐξ ἐπιχωρίας Νύμφης Ἀνωβρὲθ λεγομένης υἱὸν ἔχων μονογενῆ ὃν διὰ τοῦτο Ἰεοὺδ ἐκάλουν, τοῦ μονογενοῦς οὕτως ἔτι καὶ νῦν καλουμένου παρὰ τοῖς Φοίνιξι. κινδύνων ἐκ πολέμου μεγίστων κατειληφότων τὴν χώραν βασιλικῷ κοσμήσας σχήματι τὸν υἱὸν βωμόν τε κατασκευασάμενος κλ. *Saturnus igitur, quem Phœnices Iſraëlem nominant, quemque poſt Obitum in aſtrum ejuſdem nominis conſecrârunt; cùm iis in locis regnaret, ac filium unigenitum ex Nympha quadam indigena nomine Anobret haberet, quem propterea* Jehud *dixêre, vocabulo hodieque unigenitum notante linguâ Phœniciâ, cumque in graviſſimum belli periculum Regio incidiſſet, illum ipſum regio ornatum habitu, in ara ad hoc extructa, immolavit.* Ubi tria hæc dici videmus, *Iſraël* eſſe Phœniciæ Regem vetuſtiſſimum, eundem ac Saturnum: fuiſſe ei filium unigenitum, unde *Jeoud* dictus ſit Phœnicibus; illumque eſſe à Patre immolatum. Quæ inde originem duxêre, quòd Abrahamum avum (quem etiam in Saturno Gentilibus cultum eſſe, hinc videmus) cum Iſraële nepote confuderit, huic enim mandatum, ut ſacrificaret Deo filium μονογενῆ Gen. *c.* 22. *v.* 1. *Accipe filium tuum, unicum tuum.* Ubi *unicum* Hebr. dicit יחיד *Jehid*; quod valdè convenit cum Phœnicio *Jehoud*: nempe hæ linguæ ſolâ differebant dialecto. Et ſanè in *Orphaicis* etiam ſ. *Onomacriticis*, Abrahamus vocatur μονογενής; ubi confunduntur Abrahamus & Iſaacus, quod in aliis quoque frequentiſſimè ſactum, &c. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 1. *c.* 18.

JEHU, fil. Joſaphati, nepos Nanifi, 10. Rex Iſraëlitarum, ab Heliſeo unctus, omnem domum Achab delevit, Joram interemit, Jezabelem è domo præcipitavit, ſacerdotes Baal occidit, Idoli templum ſuccendit. Sed Jeroboami idololatriâ retentâ, iram divinam, hincque Hazaëlem Syriæ Regem in ſe concitavit, à quo ditiones ipſi ſubjectæ miſerè direptæ ſunt. Obiit A. M. 3178. Regni 28. & ſeqq. Joſeph. *Antiqq. l.* 5. *c.* 6. Lat. *ipſe*, ſive *exiſtens.* 2. Reg. *c.* 9. *v.* 2. 1. Reg. *c.* 16. *v.* 3. & *c.* 19. *v.* 17. 1. Par. *c.* 2. *v.* 38. *c.* 4. *v.* 35. & *c.* 12. *v.* 3.

JEHU, fil. Hanani, Propheta Dei, Baaſæ Iſraëlis Regis ruinam prædixit. An idem cum illo, qui Joſaphati geſta conſcripſit? Vide Torniel, A. M. 3095. *n.* 8.

JEHUDA F. Bethiræ, ſocius R. Johannis F. Zechai, Rabbinus celebris fuit inter Sitarchos, ac longè dies extendit uſque ad tertiam ætatem pòſt excidium. R. Ganz. ubi ſuprà ad Ann. 3833.

JEHUDA, vel Ben David Feſſean., cogn. Hijug. Rabbinus Sec. 21. Princeps Gramm. Hebræus in Occid. item, Levita Hebr. Sec. 12. Genebr. *in Chron.*

JEHUDA F. Elihæi, obſignavit *Siphra*, quæ eſt lex Sacerdotum. R. *Jeuuda* ſimpliciter dictus. Idem Anno 3881.

JEHUDA F. Jezekiel, præſes Pumbeditæ, diſcip. Sam. Jarchinæi, floruit ſub initium Millenarii, vide eundem Ann. 4010.

JEHUDA F. Nachman, rexit Scholam Soranam, compoſuitque *Hilchot Peſukot*, eas congerens ex Hilchot gedolot, de quibus vide in voce *Kajira.* Ejus tempore fuit Annen, de quo ſuprà.

JEHUDA Levi, auctor libri *Cuzri* vel *Coſri*: ſecundùm quoſdam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

dam ſocer Aben-Ezræ, ſecundùm alios conſobrinus ejus. Floruit Ann. 49[illegible] juxtà R. Ganz.

JEHUEL, fil. Zara. 1. Par. *c.* 9. *v.* 6. Lat. *abſtulit Deus*, aut *[illegible] Deus*.

JEHUS, fil. Eſau ex Oolibama. Gen. *c.* 36. *v.* 5. Fil. Balan. 1. Par. *c.* 7. *v.* 11. Secundus fil. Eſec. Idem *c.* 8. *v.* 39. Fil. Saharaim ex Hodes uxore ſua. Idem Ibid. *v.* 10. Lat. *tineâ corroſus*, aut *compreſſus* vel *congregatus*.

JEJUNIUM quadrageſimale, auctorem habuiſſe dicitur Teleſphorum: de quo tamen apud Euſeb. *l.* 5. *c.* 23. Irenæus ait, fuiſſe *conſuetudinem, ab hominibus ſimplicibus privatâ obſervatione introductam.* Nec conſtitit in abſtinentia à carne, ut ex Ignatii *Ep. ad Heronem*, patet: Vide Mart. Chemnitium *Exam, de Jejunio.* Poſtea *Jejunium* 4. temporum inſtitutum eſt à Calixto I. Pontif. Joh. Balæus *in ejus vita.* Mercurii & Veneris diebus jejunabant olim in Or. & in Africa: ſed ita, ut non magis à carne, quàm vino & piſcibus abſtinerent. Sabbathi die autem cibis veſcebantur, quemadmodum & Mediolani, teſtante id Ambroſ. Imo etiam Quadrageſimæ tempore ibi hoc die non jejunatum eſt: *Quadrageſimâ totis*, inquit, *præter Sabbathum & Dominicam, jejunatur diebus.* Porro à Sabbathi jejunio adeò Orientales abhorruêrunt, ut in Ignatii *Ep. ad Philipp.* dicatur: *Si quis Dominico die aut Sabbatho jejunarit, χριστοκτόνος ἐστί.* Unde teſtatur Auguſtin. paucas Occidentales Eccl. Romanam in jejunio Sabbathi imitatas eſſe: idemque Urbicum, homines ad tale jejunium cogere volentem, acriter reprehendit *Ep. ad Caſulanum*: In talibus tutiſſimum judicans, obſervare dictum Pauli Rom. *c.* 14. *v.* 3. *Qui edit, non edentem ne pro nihilo habeat & qui non edit, edentem ne condemnet.* De jejunio hodiernorum Orientalium, cum Chriſtianorum, tum aliorum, vide P. de la Valle *Itin. tom.* 4. In Anglia hodieque jejunium Veneris & Sabbathi retineri, ut piſcium ibi ingens copia abſumatur, habet Becmann. *Hiſt. Orb. terr.* Apud Iſraëlitas olim dies expiationis Magnæ; *Kippurim* dictus, qui inter Judæos longe ſacratiſſimus erat, non ſacro clangore ſolum, peculiari item ſacrificio & quiete, ſed & *Jejunio*, celebrabatur, Lev. *c.* 23. *v.* 27. & 28. Atque hoc *Jejunium* indigitari Actor. *c.* 27. *v.* 9. ubi τῆς νηστείας nomine tempus ſacer Scriptor, ex Judaici Populi more, deſignat, monent eruditi. Alii fuêrunt *Jejuniorum dies*, in memoriam exilii Babylonici, humano inſtituto, apud eoſdem celebrati, quorum fit mentio Zachar. *c.* 7. *v.* 3. & 5. & *c.* 8. *v.* 19. Vide Franc. Burmann. *Synopſ. Theol. Chriſt. Part. prior l.* 4. *c.* 18. & 19. ubi de *Feſtis Judæorum.* Tranſiit *jejunandi* ritus à populo Dei, ad Gentiles, quibus in ſacris ſuis crebro jejunatum. Unde inter Eleuſiniorum ſymbola Arnob. *l.* 10. etiam illud recenſetur, *jejunavi atque ebibi cyceonem*, ex Clem. τὸ σύνθημα Ἐλευσινίων μυστηρίων, ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα κλ. qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 150. & Jul. Cæſ. Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 32. *ubi de Cerealibus Ludis*; nec non infrà aliquid in voce *Oraculum* it. *Paraſiare.* De *Jejuniis*, verò vett. Chriſtianorum, Cl. *Suicer. Theſ. Eccl.* in voce Νηστεία, uti de variis in Eccl. Rom. *Jejuniis*, Car. du Freſne in *Gloſſ.* & Macros fratres in *Hierol.* nec non infrà ubi de *Ordallo*, & verbo ſuperponere, it. ubi de *Tetraditis*, inprimis in voce *Xerophagia.* Græcorum hodiernorum *Jejunia* accuratè perſequitur Jac. Spon. *Itin. Part.* 2. *p.* 351. & *ſeqq.* De *Jejunio* Armeniorum *Arziburi* dicto: *Jejuniis* item *Muhammedanis*, agit Job. Forbeſ. *Inſtruct. Hiſt. Theol. l.* 3. *c.* 17. §. 7. & *l.* 4. *c.* 9. §. 2. ac *c.* 11. §. 8. de iiſdem aliiſque hic paſſim, vide quoque in voce *Quadrageſima*, it. *Pol.* de re *Jejunium*: uti de S. Cœna à *jejunis* accipi ſolita, ſuprà in voce *Eulogia*; de Placitis eodem modo obitis, infra ubi de iis.

per JEJUNIUM purgatio, occurrit in *LL.* Kanuti Regis *c.* 7. apud Bramptonum, *Cum ſociis ſe purget, vel jejunium ineat, ſi opus eſt, & applicetur ad Corſned, & fiat voluntas Dei.* Sic Gregor. VII. *Jejunium* Cardinalibus indixiſſe, ut Deus oſtenderet, quis rectiùs ſentiret de Corpore Domini, Rom. Eccl. an Berengarius, legitur apud Bennon. Card. *de vita Hildebrandi*, &c.

JELLEJA, urbs inter Genuam & Placentiam, Strabo *l.* 5. *p.* 217. *Stradella* Mario Nigro. Vide *Jella.*

JELLA, vel JELLEJA, opp. agri Ticinenſis, *Seradella.* Medium ferè inter Placentiam & Dertonam, ad 20. mill. paſſ. à Ticino 10.

JELON, in tribu Dan. Hier. *in Loc. Hebr.*

JEMAI, fil. Tola filii Iſſaſchar. 1. Par. *c.* 7. *v.* 2. Lat. *calefaciens*, aut *calidus.*

JEMIMA, Hebr. ימימה maxima natu filiarum Hiobi, quæ ipſi poſt afflictionem in priſtinum ſtatum reſtituto natæ ſunt, Hiobi *c.* 42. *v.* 14. ſic dicta quaſi *diurna*, vel *diei* inſtar, eo quòd formoſa erat inſtar diei, vel quòd nata *diurno* tempore, patre emerſo velut ex profunda miſeriarum nocte & tenebris calamitatis, Idem *c.* 19. *v.* 8. cuique jam *dies* gratior illuxiſſet, H. Grot. *Annot, ad h. l.* Ab ea nomen videtur accepiſſe terra *Jemama*, vel *Jamama*, ſita in Arabiæ Fel. parte Sept. quà Deſertam ſpectat, hinc Arabum excurſionibus maximè expoſita, ut obſervat Geographus Arabs: qui addit, patere viam per deſerta à Jamama ad Boſtram in extrema Idumæa. Niſi malis, aliam hoc nomine deinceps inter Arabes inclyto, quo ad iſtius exemplum illuſtres feminæ appellari ſunt ſolitæ, nomen regioni impoſuiſſe. Certe idem Auctor Geographiæ Nubienſis *Clim.* 2. *Part.* 6. dictam omnino vult terram *Jemama*, ab antiquiſſima Regina, cui nomen *Jemama* fuerit ſolenne iſtis temporibus, illiſque in locis imperâſſe feminas, ut de Æthiopibus, Sabæis, Saracenis obſervant eruditi, refert. Etiam multum affinitatis cum quadam ex Gentilium Dianis habuit hæc *Jemima*, femina & paternâ virtute, & formæ venuſtate, & ampliſſimâ hæreditate, in Or. haud dubiè percelebris. Namque & nomen utrobique idem, cùm & Diana Græcis Ἡμέρα dicta ſit: nec ſedes aliena, cùm & Dianam Perſicam finxerint, & quæ vagaretur circùm Euphratem, i. e. versùs Arabica, quàm Perſica. Agreſtem quoque fecêrunt, montium, & nemorum cuſtodem, i. e. quæ in Arabia Deſerta, quam incultam credidêrunt, ſedem habuerit ſuam. Formæ etiam idem utrique decus, &c. Vide Frid. Spanh. *Hiſt. Hiobi c.* 12.

JEMINI, pater Aphia. 1. Sam. *c.* 9. *v.* 1. 2. Sam. *c.* 16. *v.* 11. Pater Chuſi, Pſ. 7. *v.* 1. Lat. *dextera* vel *dexter.*

JEMLA, pater Michææ prophetæ. 1. Reg. *c.* 22. *v.* 8. & 9. *repletio*, aut *circumciſio.*

JEMLECH, nomen Principis cujuſdam. 1. Par. *c.* 4. *v.* 14. Lat. *regnans*, aut Syriacè *conſulens.*

JEMNA, Hebr. ימנה fil. Aſſer Patriarchæ. Gen. *c.* 46. *v.* 17. Pater Core. 1. Par. *c.* 7. *v.* 30. 2. Par. *c.* 31. *v.* 14. Lat. *dextera*, aut *numerans*, ſive *præparans*, vel Syriacè *conſtituens.*

JEMNA, Hebr. ימנע, fil. Helem. 1. Par. *c.* 7. *v.* 35. Lat. *prohibitio*, aut *impedimentum*, ſive *mare commotum.*

JEMNI, pag. tribûs Manaſſe, ubi 10. leproſos mundavit Chriſtus, Luc. *c.* 17. *v.* 12. ut quidam volunt.

JEMPTIA, vulgò JEMPTERLAND, prov. Norvegiæ, ſub Suecis ab A. C. 1645. Habet Angermanniam ad Ort. Medelpadiam ad Mer. Helſingiam ad Occ. Norvegiam ad Sept. Ibi tria caſtra tantùm, *Reſſundt, Docre & Lidh.*

JENA, Thuringiæ urbs, imâ jacens valle, muris ac turribus firma, ponte lapideo utramque Salæ ripam conjungens, circumcirca apricis montibus ac vinetis cincta. Cum Academia, A. C. 1555. erecta, 3. leuc. à Veimaria in Ort. 6. ab Erfurto, 9. à Lipſia in Occ. Parva, ſed culta. Sedes unius è Ducibus Weimarienſibus. Theologi *Jenenſes*, Sec. Præt. cùm orto de Ubiquitate corporis Chriſti dogmate, auctoribus Brentio, Andrea, Flaccio, &c. Eccl. in Saxonia plurimæ ei non adſtipularentur, Conſenſum Dreſdenſem, inter Flaccianos & Wittenbergenſes non approbârunt: Hinc Torgæ conventum, ibique ex mente Flaccianorum formula *Concordiæ* conſcripta. Georg. Lært. *Comp. Hiſt. Univ. Nomenclatorem Profeſſorum Jenenſium* edidit Adrian. Beyerus. Hodie ſedem ibi habet Bernhardus Dux Saxoniæ lineæ Vinarienſis, nat. A. C. 1638. Duxit Mariam Tremolliam Principem, Henrici Ducis Thoarſii filiam quæ præter præmortuos filios duos, Vilhelmum (nat. A. C. 1664. Den. A. C. 1666.) & Bernhardum (nat. A. C. 1667. Den. A. C. 1668.) ac filiam Carolam Mariam (nat. A. C. 1669.) recentius filiolo maritum beavit; omnes *Duces Saxoniæ lineæ Vinar. in Jena.* Vide Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Hiſt. in Fam. Saxonica & Theatr. Nobil. Part.* 3. *p.* 83.

JENA, æſtuarium Scotiæ Mer. vulgò *Cree-Fyrth*, ad oſtia fluv. *Crée*, in Gallovidia prov. ad Ort. Lncopibiæ urbis, è regione Monedæ Inſ. in mari Hibernico.

JENDUM, vulgò JENDO, ſ. YENDO, urbs ampla, ex Japoniæ primariis, in Niphonia inſ. ubi ſedes Imp. ab Annis aliquot. In Quantoa reg. 120. mill. paſſ. à Meaco in Or. Sanſo. Dicitur etiam *Jedo*, habetque palatium ſuperbiſſimum recens, undique deauratum.

JENDUS, vulgò JENDE, ſ. PAJENDE, lacus Finniæ, in Tavaſthia prov. à Sept. extenſus in Mer. prope Savolaxiam prov.

JENEKOPIA, vulgò JENKOPING, urbs Smalandiæ, in Oſtrogothia reg. Tota lignea, nec muris clauſa, ad Mer. lacus *Wether.* Quibuſdam *Jonekoping*, 16. leuc. Suec. ab ora maris Balt. in Occ. in conf. Weſtrogothiæ.

JENISCEA, vulgò JENISCEY, fluv. Moſcoviæ Bor. prope Tingœſios pop. peramplus, longeque Obio major. Ab Ortu habet excelſos montes, quorum quidam ignivomi ſulphur identidem ejiciunt, ab Occaſ. planum inſigniter fertile; inundatque campos ad 70. leuc. circiter verno tempore, ſicut Nilus Ægyptum. *Iſ. Maſſa.*

JENTACULUM, à JEJUNIO, quòd jejuni eo uterentur, dictum, cibus erat matutinus, qui ſumi ſolebat, antequam homines opus aggrederentur. Antiqui *Silatum* vocabant, auctore Feſto, quia jejuni vinum ſibi conditum ante Meridiem abſorbebant. Plutarch. *in Sympoſiacis l.* 8. *quæſt.* 6. priſcos, cùm & laboribus dediti & temperantes eſſent, manè panem ediſſe, mero intinctum, aliud nihil, refert: unde etiam *Jentaculum* vel prandium (hæc enim antiquitus pro iiſdem accipiebant) ἀκρατισμὸν Græcis dixerint, quod ἄκρατον ſit merum: cum aliàs ἀκρατισμὸς *Jejunium* & in dictum ſit uti videbimus infrà in phraſi *Polluere Jejunium* & in voce *Veſperna.* Poſteà verò diſtingui *Jentaculum* & aliquantò ante prandium ſumi cœpit. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 27. Sed primitus non niſi à pueris, ægris aut luxurioſis, uti Raderus notat, *ad illud Mart. l.* 1. *Epigr.* 88. cujus Epigraphe ad Feſceniam *v.* 3.

Iſta linunt dentes, Jentacula ———

De paſtillis ſ. trochiſcis ex aromatibus & pulviſculis odoratis confectis loquens, quos Coſmus, ne gravis pridiano mero fragraret, in jentaculo devorabat. Poſtmodum & alii uſurpârunt. Unde Suet. refert Vitell. *c.* 7. *manè ſingulos* (milites) *jamne jentâſſent ſciſcitaretur, ſeque feciſſe ructu quoque oſtenderet.* Tempus Mart. quoque indigitat, Apoph. *l.* 14. *Epigr.* 223. cujus Epigraphe jentacula.

Surgite, jam vendit pueris Jentacula *piſtor*
Criſtataque ſonant undique lucis aves.

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Et ſpeciatim horam, *l.* 8. *Epigr.* 67. cujus Epigraphe ad Cæcilianum *v.* 9.

Manè veni potiùs. Nam cur te quinta moretur,
Aut cur non, ſerò, Cæciliane, venis?

tertiam vel quartam indigitans; niſi eum voce hac prandium intelligere dicas, Vett. more. Nunquam verò *Jentaculum* ſine pane, imo panis caput ejus erat, aliquando ſiccus & ſolus, uti de Antonino Pio Spartianus, *Senex etiam*, ait, *antequam ſalutatores venirent, panem ſiccum comedit, ad ſuſtentandas vires.* Interdum cum aliis rebus, palmulis, uvis paſſis, nucleis, melle Attico, crudo aut coćto, aut aliquo melliti operisve dulciarii. Hinc *panem comedere* & *panem guſtare*, Latini pro *jentare*; & βουκκισμὸν, *jentaculum*, Græci appellavêre, à voce Latina *bucca* ſ. *buccea*, quæ fruſtum panis vel panem denotat &c. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Tac.* & Caſaub. *ad Suet. Aug.* c. 76. quibus adde Jul. Cæſ. Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 5. Athen. *l.* 1. *c.* 9. *p.* x1. & quæ dicemus infrà in voce *Panis*, it. verbo *Polluere* & *buccis panis*.

JENUPARA, vulgò JENUPAR, urbs Indiæ citer. cum regno cogn. ſub M. Mogole, ad amnem Coul, fere media, inter Dellium ad Auſtr. & Lahorium ad Bor. 130. mill. utrinque. Verſùs montes

JENYSUS, opp. in ora Syriæ, tridui itinere à Caſio monte diſtans. Herod. *l.* 3. *c.* 5.

JEPHDAJA, fil. Seſac. 1. Par. *c.* 8. *v.* 25. Lat. *redemptio Domini.*

JEPHLAT, fil. Heber. 1. Par. *c.* 7. *v.* 33. Lat. *liberatus*, aut *expulſus.*

JEPHLETI, idem. Terminus filiorum Joſeph. Joſ. *c.* 16. *v.* 3.

JEPHONE, pater Caleb. Num. *c.* 13. *v.* 6. Latinè *aſpiciens*, ſive *intuens.*

JEPHTHA, civ. quæ in ſortem tribui Judæ ceſſit. Joh. *c.* 15. *v.* 43. Lat. *aperiens.*

JEPHTHAHAL, vallis, & torrens, contrà Jeronam, terminus tribuum Aſer & Zabulonis. Joſ. *c.* 19. *v.* 14. Lat. *aperiens Deus.*

JEPHTHE, fil. Galaad ex meretrice. Judex in Iſraël. Cujus res geſtas & votum, vide Judic. *c.* 11. *v.* 3. & *c.* 12. *v.* 4. Joſeph. *Antiqq. l.* 5. Obiit A. M. 2854. regiminis 6. Filiam ejus verè immolatam, docet inter alios Fr. Burmann. *Medit. ad Jud. capp. citata*; indeque occaſionem fabellæ, de mactata ab Agamemnone filia Iphigenia, ſ. Iphianaſſa, præbitam, Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 1. *c.* 23. Vide & infrà, *Syria*, ubi de cultu ejus.

JERAA, i. e. *Luna*, aut *menſis*, ſive *odoratio*. Servus Ægyptius Seſan fil. Jeſi, fil. Apphaim 1. Par. *c.* 2. *v.* 34.

JERABRICÆ, Hiſp. urbs inter Olyſſiponem, ſuprà 7. & Scalabim ſuprà 5. leuc. ad Tagum fluv. Ant. Nonnulli *Gerabrica*, ſcribunt. Vulgò *Alanquera*, teſte A. Reſendio. Aliis eſt *Povos*, non longò diſtans. Videtur *Arabrica* Ptol. Sed hæc *Abrigada*, vel Povos eſt.

JERAMEEL, fil. Eſrom. 1. Par. *c.* 2. *v.* 9. Eſt & reg. ultrà Judæam ac Arabiam. Lat. *miſericordia Dei*, aut ex Hebræo & Syro, *dilectio Dei.*

JERCAAM, civ. quæ in ſortem tribui Dan ceſſit. 2. Par. *c.* 2. *v.* 44. Lat. *extenſio eorum*, ſive *viriditas populi*, aut *ſputum populi*, vel *armatura*, aut *evacuatio populi.*

JERCON, civ. in tribu Dan. Joſ. *c.* 19. *v.* 46. Lat. *ærugo*, *viriditas*, aut *ſputum*, vel *armatura*, aut *evacuatio.*

JEREMIA, Propheta, fil. Hilkiæ. Jer. *c.* 1. *v.* 1. Lat. *celſitudo Domini*, aut *exaltans Dominum.* Puer adhuc vaticinari incepit Anno 12. regni Joſiæ, Regis Judæ, qui erat A. M. 3407. A. C. N. 564. Hic in Juda tantùm & Benjamin prophetavit, jam enim decem tribus Iſraël Aſſyrii in Medos tranſtulerant: civitatis Hieroſolymæ ruinas quintuplici planxit alphabeto. *Anathothites* dictus eſt à viculo tribus ab Hieroſolymis mill. diſtante. Hic ſacerdos ex ſacerdotibus & in matris utero ſanctificatus eſt, ac ad prophetiam ſegregatus, quam cùm detrectaret, cauſatus imperitiam, doctrinam, animum quoque à Deo accepit. Tandem apud Taphnas in Ægypto, à populo lapidibus obrutus, occubuit. Vide Prophetiam ejus, & Threnos. Item Epiphan. *de vitis Proph.* Auguſtin. Joſeph. Hier. *in Jerem.* &c. In ejus *Prophetiam* extant: Adrianus. Ambroſius. de Aquino *Comm.* Brandmyllerus. Brentius. Bugenhagii *Annotat.* Quart. Witteb. A. C. 1546. Bullingeri *Conciones*, Fol. Tiguri A. C. 1575. Calvini *Comm.* Fol. Genevæ A. C. 1610. Capella à Caſtro. Chryſoſtom. *Homiliæ.* Chytræi *Comm.* à Figueiro *Paraphraſis.* Forſterus. Ghiſlerii *Catena.* 3. tom. Fol. Lugd. A. C. 1623. Graminæi *Myſticus Aquilo.* Octav. Col. A. C. 1576. Haymo. Heilbrunneri *Quæſtiones* Quart. A. C. 1586. Hier. *Comm.* & Hülſemanni, Quart. A. C. 1663. à Jeſu Maria *Interpretatio*, Octav. Col. A. C. 1611. Joachimi item, Octav. Col. A. C. 1577. Don Iſaac Abarbenel. de Lapide. Lavateri *Homiliæ*, Fol. Genevæ A. C. 1581. Lauretі *Hexoar.* Octav. Pariſiis A. C. 1610. Maldonatus. Malvenda. Mandina. R. Meir Armaah. Melanchthonis *Argum.* R. Moiſche Alſchich. Origenis *Homilia.* Panicarola. Pappus. Paulutius. Pintus. Polanus, Baſil. A. C. 1608. Rabanus. del Rio. Sanctius. Selnecceri *Explicatio*, Quart. Lipſiæ A. C. 1566. Strigelius. Strigenitius *in c. pr.* Quart. Lipſiæ A. C. 1559. Szegedinus. Tallepied. Toſſani *Paraphraſis*, Octav. Francof. A. C. 1586. Toſſarius *Comm.* Fol. Baſileæ. A. C. 1558. Theodoret. Lichemius. Zuinglii *Explicatio.* &c. Vide Crowæi *Elenchum.* In *Threnos* Prophetæ hujus, Vide *Threni.*

JEREMIA, nomen Principis, 1. Par. *c.* 5. *v.* 24.

Patriarchæ Conſtantinopolitani.

JEREMIA I. Patr. CP. poſt Theoleptem, A. C. 1520. Quo Hieroſolymis abſente, Johannicus quidam, majus Imp. tributum pollicitus, ei ſurrogatus eſt: Sed Jeremias reverſus, ope Ibrahimi Vezirii pepulit æmulum, ob modeſtiam & lenitatem Græcis gratiſſimus. Periclitatus poſtmodum, ob populum ſuum, quem Turcæ, ex urbibus, quæ Ottomannicis armis reſtiterant, ibant expulſum; Obiit A. C. 1545. Emanuel Malax. *l.* 2. *Turcograph.* Genebr. & Onuphrius, *in Chron.* Spondan. *in Ann.*

JEREMIA II. poſt Metrophanum, A. C. 1572. eruditione inclytus. Huic cum Euangelicis è Germania dein cum Latinis negotium fuit. Literas Jacobi Andreæ, cum Confeſſione Auguſtana Græcè verſa, humaniter excepit ac reſcripſit, impugnatis modeſtè nonnullis. Tum vices ſuſcipiens Lucas Oſiander reſpondit, Compendio Theologiæ, in quo præcipuè de regula in S. Scripturæ interpretatione tenenda & Spiritus S. proceſſione actum, unà tranſmiſſo. Ad quod ubi reſponſum à Patriarcha, Wittembergenſes tertium ſcriptum oppoſuêrunt; cui poſtquam repoſuit Patr. illi, officioſâ gratiarum actione, Diſceptationem clauſêrunt. A. C. 1573. 1575. & 1579. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 70. Pulſus, reſtitutus, in exilium miſſus. Emanuel Malax. *l.* 2. *Turcogr.*

JEREMIEL, fil. Amelech. Jer. *c.* 36. *v.* 26. Idem ſig. quod *Jerameel.*

JERIA, fil. Selemiæ. Jer. *c.* 37. *v.* 13. Lat. *timor*, *viſio*, vel *projectio Domini.*

JERIAU, idem. Fil. Hebron. 1. Par. *c.* 23. *v.* 18.

JERIBAI, fil. Elnaem. 1. Par. *c.* 11. *v.* 46. Latinè *pugnans*, *objurgans*, aut *multiplicans.*

JERICHO, i. e. *Luna*, *menſis*, aut *odor ejus.* Civ. opulentiſſima in tribu Benjamin, ab Hieroſolymis 150. & à Jordane 60. ſtad. Num. *c.* 22. *v.* 1. Joſ. *c.* 2. *v.* 1. Hanc à Joſue dirutam *c.* 5. & 6. ædificavit Hiel de Bethel. 1. Sam. *c.* 16. *v.* 34. 2. Par. *c.* 28. *v.* 15. Math. *c.* 20. *v.* 29. ſed cum jactura maximi minimique filiorum, juxtà diras, quibus Joſue reædificatorem devoverat. Nobilis fuit palmetis, & balſami viridariis, unde etiam *civitas palmarum* appellatur. Deut. *c.* 34. *v.* 3. In agro fertiliſſimo hortiſque pulcherrimis referto ſita. Unde Prov. *Plantatio roſæ in Jericho.* Hodieque planities urbi vicina, verno tempore, hoc plantæ genere mirè abundat, cujus deſcriptionem Morer. *in Dict. Hiſt.* exhibet. Honoravit urbem hanc miraculis ſuis SERVATOR MUNDI, cœco, ibi ſanato, &c Capta à Romanis, Veſpaſiani & Titi tempore, Chriſtianis poſtmodum terra ſancta magni nominis; hodie vix pagus eſt, ab aliquot Æthiopum familiis, malè cultus. Vide porro Luc. *c.* 18. *v.* 35. & *c.* 19. *v.* 1. Joſeph. *Antiqq. l.* 5. *c.* 1. *De B. J. l.* 5. *c.* 4. Plin. *l.* 5. *c.* 14. Strabo Ptol. Torniel. & Salian. *in Ann. Vet. Teſt.* ut & in voce *Hiericho.*

JERICON, in tribu Dan, Hier. *in Loc. Hebr.*

JERIEL, fil. Thou fil. Iſſachar. 1. Par. *c.* 7. *v.* 2. Lat. *timor*, *viſio*, vel *projectio Dei.*

JERIMOTH, i. e. *altitudines*, ſive *timens*, aut *videns mortem*, ſ. *projectio mortis.* Fil. Bela, filii Benjamin. Filii Jacob. 1. Par. *c.* 7. *v.* 7. Fil. Beziæ. 1. Par. *c.* 8. *v.* 14. It. civ. Joſ. *c.* 10. *v.* 3. Alia in tribu Judæ. Idem *c.* 15. *v.* 35. Alia in tribu Iſſachar, data Levitis, quæ & *Jarmoth.* Idem *c.* 21. *v.* 29. 2. Par. *c.* 31. *v.* 13.

JERIMUTH, idem. Nomen viri. 1. Par. *c.* 12. *v.* 5.

JERIOTH, fil. Caleb ex Azuba uxore. 1. Par. *c.* 2. *v.* 18. Lat. *Cortina*, ſive *lineamina*, aut *ululationes*, ſive *confractiones.*

JERMAI, nomen viri. Eſdr. *c.* 10. *v.* 33.

JERMUS, in tribu Juda. Erat autem, uſque tempora Hier. villa *Jermucha*, in decimo ab Eleutheropoli miliario, aſcendentibus Æliam. Hier. *in Loc. Hebr.*

JERNA, Hiſp. fluv. P. Mela *l.* 3. in Gallæcia, apud Celticum prom. Vulgò *Jerne.* Strabo *Jernam* his locis commemorat montem, à quo amnis fortè ſic dictus.

JERNE, & JERNIA, vel (quod inde detortum) *Hibernia*, inſ. in Occid. Oceano non procul à Britannia, quæ, ob ſitum depreſſiorem, cœlo ſoloque utitur humecto, cui agilitas incolarum aſſignatur, & nervi flexiliter molles. Lacubus abundat; præſertim ibi paſſim occurrunt cœnoſæ voragines, Anglo-ſaxonicè *Bogges*: ubi terra uliginoſa & levi graminis ceſpite obducta, ſupergradientium pedibus inopinis abſorptim cedit. Hæ dici quoque poſſunt ἄορνα *averna*, non tantùm quòd ab iis abſorbeantur animalia, & velut ad Orcum demittantur, ſed quòd ſint etiam ἄγονα *infrugifera*, nullum ἔρνος *plantam* ſc. vel *fruges producentia.* Inde enim ἄορνα dicta, non quòd ſint infeſta avium ſupervolatui. Igitur H. Jacobio eſt Ἰέρνη vel Ἰέρνις pro ἄορνη, vel ἀορνὶς *Inſ. avernoſa*, h. e. *The Boggy Iſland.* Camd. quidem non prorſus incommodè ducit à vernaculo *Erin*, quod *Occaſum* ſonat. Νῆσον Ἰερνίδα vocat Orpheus *in Argon.* Claud. de 4. Conſ. Honor. Carm. 8. *v.* 33. *Glacialis Jerne* dicitur. Nic. Lloyd. Vide *Hibernia.*

JERNUS, vulgò DROSES, fluv. Hiberniæ, in ora Connaciæ, apud Dyngam opp. in mare labens. Camd. *Matre* videtur, in Deſmonia, Comitatu Momoniæ.

JEROBAAL, Judex Iſraëlis, qui & *Gideon* dicebatur. Jud. *c.* 6. *v.* 32. 1. Sam. *c.* 12. *v.* 13. Lat. *impugnans Idolum.*

JEROBESETH, nomen viri. 2. Sam. *c.* 11. *v.* 21. Lat. *impugnans confuſionem*, vel *ignominiam.*

Reges Iſraëlis

JEROBOAMUS I. fil. Nabati, Iſraëlis Rex impius. 1. Reg. *c.* 11. *v.* 26. 2 Par. *c.* 13. *v.* 19. & *ſeqq.* Joſeph. *Antiqq. l.* 8. ubi de eo: Γενναῖος καὶ τολμηρὸς, φύσει θερμὸς ὢν, καὶ μεγάλων ἐπιθυμητὴς πραγμάτων. Decem tribus à Rehabeamo, Salomonis fil. abduxit, regni Iſraëlitici, regno Judææ contradiſtincti, fundator; quod ut certius retineret, abominandam vitulorum aureorum idololatriam (Ægyptios imitatus, vide infrà *Mnevis*) inſtituit, quam omnes ejus ſucceſſores, nequicquam à Prophetis ſubinde moniti, mordicus retinuêrunt, donec in perpetuam captivitatem tanti facinoris rei Iſraëlitæ, regno funditus everſo, abſtracti ſunt, Obiit Anno Regni 21. Vide etiam 2. Reg. *c.* 9. *v.* 9. 2. Par. *c.* 9. *v.* 29. Torniel. Salian. & Spond. *in Ann. ſacris.* Lat. *Impugnans*, *objurgans*, vel *multiplicans populum.* Græci Interpretes & Joſephus iſtos *Jerobeami vitulos* appellant δύο δαμάλεις χρυσᾶς, *duas juvencas aureas*: & Tobias *c.* 1. *v.* 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

αἱ Φυλαὶ αἱ συναποςάσαι ἔθυον τῇ Βάαλ τῇ δαμάλει, *Tribus, quæ defecerant, ſacra faciebant Baali juvencæ.* Quod nec ipſum à ritu Ægyptio alienum: Boves enim & mares & feminas in Ægypto ſacros fuiſſe, diſcimus ex Strab. *l.* 17. Vide quoque hîc, in vocibus *Apis*, *Mnevis*, *Momemphis*.

JEROBOAMUS II. fil. Joas Regis Iſraël, ſucceſſit patri A. C. 1015. Amaſiæ, fil. Joas Regis Judæ, qui erat A. M. 3211. A. C. N. 759. Hic imitatus eſt impietatem Jeroboam, filii Nabat, qui peccare fecit Iſraël: Fortis aliàs & felix, reſtituit terminos Iſraël ab introitu Emath uſque ad mare ſolitudinis. Vide 2. Reg. *c.* 14. *v.* 23. & Joſeph. *Antiqq. l.* 9. *c.* 11. Obiit A. M. 3251. imperavit Annos 41. Succeſſit ei Zacharias, fil. ejus. Genebr. *in Chron.* Torniel. *Salian.* &c.

JEROBAM, fil. Elcana fil. Caath. 1. Par. *c.* 6. *v.* 27. *c.* 12. *v.* 7. & *c.* 27. *v.* 22. Lat. *miſericors*, aut Syriacè *dilectus*. Item fil. Phaſor. 1. Par. *c.* 9. *v.* 12. Fil. Elihu. 2. Par. *c.* 23. *v.* 1. 1. Sam. *c.* 1. *v.* 1.

R. JEROHAM ſcripſit *Adam & Evam*, it. *Miſſarum* A. 94. Millenarii VI. juxtà *R. Ganz*.

JERON, civ. in tribu Nephthali, Joſ. *c.* 19. *v.* 38. Lat. *timor*, vel *viſio*, aut *projiciens dolorem*, vel *fortitudinem*.

JEROSLAVIA, vulgò JEROSLAW, urbs Moſcoviæ Duc, cogn. caput, cum arce, ad Volgam fluv. 40. mill. paſſ. à Roſtovia in Bor. 140. à Moſcua. 150. à Novograda parva in Occ.

JERSIA, fil. Jeroham. 1. Par. *c.* 8. *v.* 27. Lat. *lectulus*, ſive *ſtratum Domini*, aut *abſtulit paupertatem Dominus*.

JERUEL, nomen ſolitudinis. 2. Par. *c.* 20. *v.* 16. Lat. *timor*, aut *viſio Dei*.

JERUSA, Pater Joathan. 2. Par. *c.* 27. *v.* 1. Lat. *hæreditas*, ſive *exilium*.

JERUSALEM, Judææ metropolis, à Melchiſedec, teſte Joſepho, condita: aliàs *Salem*, & *Jebus*, à *Jebuſæo* Chananæi fil. Joſ. *c.* 18. *v.* 28. Poſtremò *Ælia*, ab *Ælio* Hadriano Imp. Rom. teſte Volaterrano. Latinè *viſio pacis*, aut *viſio perfecta*, ſive *conſummata*, ſive *timor perfectus*, aut *conſummatus*, vel *timete Salem*; quaſi adventantibus hoſtibus timorem incutere voluerint. Vide *Hieroſolyma*. 1. Par. *c.* 3. *v.* 4. & 5. Matth. *c.* 2. *v.* 3. & *c.* 3. *v.* 5. Nehem. *c.* XI. *v.* 4.

JES, JETIS, civ. Achajæ in prom. ejuſdem nominis, juxtà quod Alpheus amnis præterfluens 6. mill. paſſ. navigatur. *Tortellius*.

JESAAR, fil. Caath fil. Gerſom. Num. *c.* 3. *v.* 19. Lat. *claritas*, *oleum*, aut *meridianus*.

JESABAT, Vir Gaderothites, 1. Par. *c.* 12. *v.* 4. Lat. *dotatus*.

JESAJA, vide *Jeſajas*. 1. Par. *c.* 25. *v.* 15. Nehem. *c.* XI. *v.* 7.

JESAMARI, fil. Elphaal. 1. Par. *c.* 8. *v.* 18. Lat. *cuſtos*, vel *cuſtodia*.

JESANA, nomen urbis. 2. Par. *c.* 13. *v.* 19. Lat. *dormiens*, aut *antiqua*, vel *annoſa*, ſive *mutatio*.

JESBA, fil. Eſra. 1. Par. *c.* 4. *v.* 17. Lat. *laus*, vel *tranquillitas*.

JESBAAM, fil. Hachamoni. 1. Par. *c.* 11. *v.* XI. & *c.* 12. *v.* 6. Lat. *ſedens populus*, aut *converſio populi*, ſive *inſufflatio*, aut *captivitas populi*.

JESBACASSA, nomen viri. 1. Par. *c.* 25. *v.* 4. Lat. *eſt requirens*, vel *deprecans*, aut *ſeſſio dura*, vel *inſufflatio*, ſive *converſio dura*.

JESBAN, civ. Levitarum, in tribu Ephraim. Joſ. *c.* 21. *v.* 39.

JESBIBENOB, Gigas quidam. 2. Sam. *c.* 21. *v.* 16. Lat. *ſedens in prophetia*, vel *in locutione*, vel *in germinatione*: aut *converſio*, ſive *inſufflatio in prophetia*, vel *in locutione*, ſive *in germinatione*, aut *captivans in prophetia*, vel *in locutione*, ſive *in germinatione*, L. *Iſhbibenob*.

JESBOAM, i. e. *converſio*, ſive *ſeſſio*, aut *inſufflatio*, vel *captivitas populi*, nomen Principis. 1. Par. *c.* 27. *v.* 2.

JESBOC, fil. Abrahæ ex Ketura. Gen. *c.* 25. *v.* 2. Lat. *eſt vacuus*, vel *evacuatus*, aut Syriacè *derelictus*, vel *derelinquens*.

JESCHA, fil. Haran, quæ & Sarai. Gen. *c.* 11. *v.* 29. Lat. *ungens*, ſive *cooperiens*, aut *protegens*, vel *obumbrans*, vel Syriacè *ſpeculans*.

JESEJAS, fil. Phaltiæ. 1. Par. *c.* 3. *v.* 21. Lat. *ſalus Domini*.

JESEMA, fil. Eram. 1. Par. *c.* 4. *v.* 9. Lat. *appoſitus*, *nominatus*, aut *admiratio*, ſive *deſolatio*.

JESER, fil. Nephthali. Gen. *c.* 46. *v.* 24. 1. Par. *c.* 7. *v.* 13. Lat. *figmentum*, *plaſmatio*, ſive *tribulatio*, aut *anguſtians*.

JESERZISCIA, urbs Moſcoviæ, capta à Steph. Polon. Rege A. C 1581. Vide Thuan *Hiſt. l.* 56.

JESESI, fil. Jeddo. 1. Par. *c.* 5. *v.* 14. Lat. *antiquus*, vel *ſexagenarius*, aut *exultans*, vel *eſt munus*.

JESI, fil. Aphaim. 1. Par. *c.* 2. *v.* 31. & *c.* 4. *v.* 20. Lat. *ſalus*, aut *reſpiciens*. Pater Phaltiæ 1. Par. *c.* 4. *v.* 42. & *c.* 5. *v.* 24.

JESIA, fil. Izrahja. 1. Par. *c.* 7. *v.* 3. & *c.* 24. *v.* 21. Lat. *eſt Dominus*.

JESIEL, fil. Nephthali. Num. *c.* 26. *v.* 48. Lat. *dividens*, vel *dimidians Deus*, aut *feſtinatio Dei*.

JESIMON, nomen deſerti. 1. Sam. *c.* 23. *v.* 24. Lat. *deſolatio*, aut *ſolitudo*.

JESMACHIAS, nomen viri. 2. Par. *c.* 31. *v.* 13. Lat. *adhærens*, vel *innitens*, aut *junctus Domino*.

JESMAJAS, nomen viri. 1. Par. *c.* 27. *v.* 19. Lat. *audiens Dominum*, vel *obediens Domino*.

JESONIS Regio, *terre d'Ieſo*, pars terræ Arcticæ, recèns detecta, ad Bor. Japoniæ. Vide *Eſonis terra*.

JESPHA, fil. Beriæ. 1. Par. *c.* 8. *v.* 16. Lat. *Jaſpis*, aut *eſt hic*, h. e. *in hoc loco*, aut *labium*, ſive *conterens*.

JESPHAN, fil. Seſac. Lat. *abſconditus*, ſive *confractus*, aut *cuniculus*, 1. Par. *c.* 8. *v.* 22.

JESRAB, urbs Arabiæ, nunc *Medina Talnabi* Poſtello, patria Mahometis Pſeudoprophetæ.

JESRAEL, mel. JEZRAEL, 2. Sam. *c.* 17. *v.* 25. urbs fuit tribûs Iſſachar, in limite tribûs Manaſſe & in Galilæa, *Zerezin* hodie Poſtello. *Jezrael* etiam urbs fuit ſexta, in 8. parte tribûs Judæ, inter Jota & Jucadam. Vide *Jezrael*.

JESSA, i. e. Jupiter, inter Sarmatarum Europæorum olim Deos, Vide *Sarmatia*.

JESSE, pater David, qui & *Iſai* dicitur. Jeſ. *c.* 11. *v.* 10.

JESSE, nomen candelabri, apud Vilh. Thorn. A. C. 1097. *Candelabrum etiam magnum in Choro, æreum, quod* Jeſſe *vocatur, in partibus emit tranſmarinis.* Cujuſmodi ſunt candelabra & polycandela etiamnum, in aliquot Eccl. Rom. ædibus ſacris, ab humo altiùs educta & in latum expanſa, *Arboris Jeſſe* (unde nomen) ſpeciem referentia. *Stirpem Jeſſe* illorum unum vocat Sugerius *de Adminiſtratione ſua p.* 348. apud C. du Freſne in *Gloſſ.*

JESSELMERA, vulgò JESLEMERE, ſ. & GISLEMERE, urbs ampla Indiæ, caput prov. cogn. ſub M. Mogole, inter montes. 120. mill. ab Indo fluv. in Ort. ut à conf. Guzaratæ regni in Bor. abeſt, *Ferrar.*

JESSENIUS Joh. Bohemus, vir profundæ eruditionis, in reditu ex Hungaria, quò legatus miſſus fuerat, captus A. C. 1619. Viennam deductus eſt: mox permutatione cujuſdam Itali dimiſſus, è carcere proditurus parieti inſcripſit literas *I. M. M. M. M.* Quas cùm interpretari multi incaſſum niterentur, unus Ferdinandus ingreſſus, rem tetigit, illas ſic explicans: *Imp. Matthias menſe Martio morietur*: qui mox arreptâ cretâ repoſuit, *Jeſſeni mentiris, malâ morte morieris.* Quod cùm Jeſſenio relatum eſſet, dixit, *Ut ego mentitus non ſum, ita Ferdinandus operam dabit, ne vanus ſit vates.* Contigit utrumque; Cæſar Martio Diſceſſit, Jeſſenius poſt cladem Bohemorum, A. C. 1620. acceptam, & ſubactum ab Auſtriacis regnum, ſupplicio affectus eſt, A. C. 1621. Vide Lær. *Comp. Hiſt. Univ.*

JESSUS, fil. Aſer, Gen. *c.* 46. *v.* 17. 1. Par. *c.* 7. *v.* 30. 1. Sam. *c.* 14. *v.* 49. Lat. *planus*, *æqualis*, *ponens*, aut *poſitus*.

JESTO, urbs Scyri inſ. apud Scylacem Caryandenum, Καὶ Ἐξελέαν, Σκῦρος, καὶ πόλις Ἰησώ, αὕτη Δίπολις. Cujus cùm mentio alibi non occurrat, mendoſa eſſe hæc verba cenſet Barthius ſicque ſcribendum, Σκῦρος καὶ πόλις, αὕτη δίπολις. Ἴκος. Nam Inſulam hoc nomine Scyro vicinam memorat Strabo *l.* 2. *p.* 124. & *l.* 9. *p.* 436. in Scyro duas urbes fuiſſe addens, quarum altera nomen inſ. habuêrit, Vide Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. Achill. l.* 2. *v.* 18.

R. JESUA, auctor *Halichot Olam*, floruit circa An. 227. Millenarii VI. juxtà *Chronolog.* R. Ganz: quo tempore R. David Vithal, Sapiens & Muſicus inſignis, ſcripſit *Mictam David*, h. e. Aureum carmen Davidis.

JESUALUM, vulgò JESUAL, regnum Indiæ ulter. ſub M. Mogole, inter Udeſſæ regn. ad Ort. & Patnam ad Occaſ. Urbs præc. Racapora.

JESUATI, Ordo ſacer, in Communione Rom. fundatus, à Joh. Columbino. Senenſi, Sec. 14. approbatus ab Urbano V. A. C. 1367. abolitus à Clem. IX. A. C. 1668. Dicti quoque *Clerici Apoſtolici*. Vide Morer. *Dict. Hiſt.*

JESUITÆ, Ordo Religioſorum in Eccl. Rom. ab Ignatio Lojola fundatus, circa A. C. 1534. confirmatus à Paulo III. A. C. 1540. *Novo atque ut pleriſque viſum eſt, ſuperbo nomine appellati ſunt*, inquit Thuan. *Hiſt. Tom.* 1. *l.* 15. Hi ex tenuibus initiis orti, vide P. de la Valle *Itin. tom.* 4. *ſub fin.* præter 3. conſueta reliquorum religioſorum vota, quartum *Miſſionis* Papæ faciunt: Eruditione inter ſuos maximè conſpicui, in Eccleſiis docent, in Scholis, quas, teſte Verulamio *de augm. ſcient.* optimè conſtitutas habent, gratis erudiunt: ſed & *gratis nocere* Paſſeratius dixit. Cæterùm reliquis Comm. ſuæ Ordinibus graves, illos, ut in prov. dicitur, de ponte dejiciunt, eorumque nidis aut exuviis ſe veſtiunt, Surius. Sub fin. Præc. Sec. fiduciâ ſ. doctrinæ, ſ. auctoritatis Romæ alibique publicè defenderunt, *Clementem VIII. credere legitimum Petri ſucceſſorem, non eſſe ex articulis fidei: Confeſſionem per epiſtolas & per curſores peragi poſſe, &c.* Unde toti ſocietati periculum, ni Philippicus Orator interveniſſet, Thuan. *l.* 131. Cum Dominicanis Auguſtini ſententiam tuentibus, de Gratia Dei Liberoque arbitrio ſub Clem. VIII. diſceptârunt, ut tota fere arſerit in diſſidii incendium Hiſpania. Thuan. *Hiſt. l.* 132. Item de Conceptione B. Virginis tanto fervore, ſub Paulo V. A. Rivet. *in Apol. pro B. Virgine c.* 5. A. C. 678. Quid cum Janſenii ſectatoribus illis hactenus litis interceſſerit, patet ex *Ep. Provincialis*, &c. Quid in Magiſtratus Principeſque machinari ſoleant, exilia eorum Dantiſco, A. C. 1586. è Gallia, A. C. 1598. erectâ in æternam rei memoriam Pariſiis columnâ, Thuan. *l.* 112. è Venetorum Ditionibus, A. C. 1605. ex Anglia, poſt detectam conſpirationem pulverariam, eodem Anno: quam legem Jacobus Rex, Henrici IV. cæde territus, renovavit, A. C. 1610. è Bohemia, A. C. 1616. &c. apprimè docent. Idem in Comitiis Varſavienſibus ab Ordinibus Regni Poloniæ petitum, A. C. 1607. Thorunenſes Dantiſcanorum exemplum ſecuti, ſcholâ & templo illos arcuêrunt; cumque varia adverſùs ſe Jeſuitarum molimina experiretur Elizabetha Angliæ Regina, edicto juventutem ex extraneis ſcholis, *Jeſuiticis* inprimis, revocavit, in deprehenſos capitis pœnâ ſancitâ: eadem in Edmundum Campianum, Radulphum Schervinum, & Alex. Briantum, è ſocietate hac conjurationis auctores, animadvertit. Eoſdem, poſt motam in Academia Cracovienſi cruentam litem, Academici libro *Gratis* emiſſo, reprehendêrunt, quòd dum ſe gratis docere ſimulant, bona Nobilium ac divitias ingentes ad ſe pertrahant: qui quidem Regis juſſu combuſtus, Jeſuitis autem injunctum eſt A. C. 1626. Scholam ſuam in urbe Cracovia claudant, & Academiæ illius loci in poſterum moleſti eſſe deſinant. Quanta Conſtantinop. contrà Cyrillum Patriarcham, A. C. 1628. & ſeqq. moliti ſint, exhibet A. Rivet. *in Jeſuita vapulante.* Omnium loco eſſe poteſt, quod Parlamento Pariſienſi actum, menſe Dec. A. C. 1611. in quo, ab Univerſitatis Advocato Martillerio, & Regio, Servio, ipſis varia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

vatia exprobrata, probatumque eſt, eorum doctrinâ & hortatu bella excitata, cæſosque Reges eſſe. Cumque nihilominus ſe recipi in corpus Univerſitatis peterent, ſe idem docturos quod Sorbona polliciti. Senatus causâ ad conſilium rejectâ, pronuntiavit, intrà præſcriptum tempus ſcripto ſubſignato declararent, quod hodie ore profiterentur, ſe doctrinam Sorbonicam amplecti: *Concilium ſuprà Papam eſſe: huic in temporalibus poteſtatem nullam: Non licere ei Reges noſtros excommunicare: Nec Sacramento ſubditos ſolvere: Clericos crimen Majeſtatis committere: Quæ in confeſſione ad Remp. ſpectantia cognoſcuntur, omnino deferenda eſſe.* Quæ cuncta in præſentia Condæi Principis, Bellovacenſis quoque & Laudunenſis Epiſcoporum, Parium regni peracta ſunt. Vide Bucholcer. *Ind. Chronol.* Plurima *Jeſuitis* in Europæ regnis collegia ædificavit, Greg. XIII. Urbanus dein VIII. petentibus illis, ut è Kalendario S. Germano eraſo, Ignatius ſectæ ſuæ auctor, ſubſtitueretur, decrevit: ſi ſimul ſtare non poſſint, expectaret Ignatius annum biſſextilem, & diem intercalarem ſibi haberet. Idem ſectam Virginum Jeſuitici ordinis, citra approbationem Apoſtolicæ auctoritatis introductam, condemnavit ac radicitus ſuſtulit, Jac. Revius *in Urbano VIII.* Plura de origine & progreſſu Ordinis. Vide apud Thuan. *in Hiſt.* Lud. Lucium *Hiſt. Jeſuit.* &c. Addam ſolùm, quæ hanc in rem Hugo Grot. habet, *Hiſt. l. 3. ad* A. C. 1594. *Auctor inſtituti*, inquit, *Ignatius Lojola Navarrico bello ad Pompejopolim vulnere debilis, fortem adhuc & militarem animum quietiores ad curas retulerat: acceſſitque ambitio condendi familiam, cui in ſpem futuræ magnitudinis, non hominis alicujus eximii, ut tum mos ferebat, ſed ipſius* Jeſu *nomen præſcripſit. Aggregati, quibus nova volentibus erant, incredibili ſtudio duo maxima percoluère, vim Pontificis Rom. & opes Hiſpaniæ: primique in cauſam labantem egregia præſidia induxêrunt, & neglecta hactenus, mores inculpatos & bonas artes: crebris certaminibus exerciti varias adverſus religiones, quæ per ea tempora Romano nomini inſultabant. Auctâ per Americam & Indiam gloriâ, dum feras inter gentes Philippo imperium Chriſtianâ inſtitutione circumdant. Claraque prodigia velut ipſis evenerint, per locorum longinquitatem celebrantur fiduciâ affirmantium & credendi facilitate. Cætera re ipsâ aut in ſpeciem abunde ſunt. Fidem & pudorem ſunt in quibus requiras. Magna in vulgus auctoritas, ob vitæ ſanctimoniam, & quia non ſumptâ mercede juventus literis imbuitur, ſui per urbes & populos præſides: cunctis per orbem unus imponitur, ut plurimùm gente Hiſpanus. Sapienter imperant, fideliter parent. Transgreſſi in morem non unà habitant omnes: anguſtum videbatur, ſocietatis incrementa parietibus includere; dant nomina & conjuges, nec quicquam prius docentur, quàm mortis metum & cunctos hominum affectus exuere. Sed maximè adſciſcitur, ſi quis ingenio, ante alios, aut ſanguine divitiiſque pollet. Uſus in ſingulis: nam ingenia diſtinguunt non minus prudenter, quàm eligunt, ut quem facundiâ aut ſcribendi meditationibus ſperant clareſcere. Per ſuorum nobilitatem maximis conſiliis miſcentur, explorandi ſagacitate, & quia ad eruenda arcana nullum vehementius tormentum religione eſt. Opes legatis ac muneribus in ſe vertunt, quas per artes noviſſimi omnium brevi ſectas priores famâ & opulentiâ vicere; hoc ipſo cæteris inviſi & tanquam è diverſo mores exprobrarent. Sed ſuper æmulantes evecti, tenent principum domos, laudabili temperamento: quippe medii fœdum inter obſequium, & triſtem arrogantiam, nec fugiunt hominum vitia, nec ſequuntur. Præcipuum id Hiſpano dominationis inſtrumentum, quo domi concordiam retinet, quo turbat externa. Nam eorum mentibus infuſi, qui Latina ſacra adorant, per Galliam & Angliam, ipſosque Batavos, hic pro regno diſſerunt, ibi contra regnum: & quanquam capitis ſupplicio finibus arcentur, non obſtat periculum, quò minus audeant fallantque.* Hactenus Grot. *Catalagum Scriptorum* Societatis hujus contexuit *Petrus Ribadineira.*

JESUITISSÆ, Ordo Religioſarum in Eccl. Rom. in Italia & Belgio caput exſerens, ab Urbano VIII. abolitus eſt, *Bullâ* Id. Jan. A. C. 1630. editâ: *In nonnullis Italiæ*, ſic illa, *& Ultramontanis partibus certæ mulieres, Jeſuitiſſarum nomine aſſumpto, citra ullam ſedis Apoſtolicæ approbationem, ab aliquot Annis in unum convenire ſolitæ, vitæ religioſæ prætextu, peculiarem & diſtinctum à cæteris habitum uſurpârunt, ædificia in Collegiorum formam redegêrunt, domos probationum erexêrunt, in eisque ſuperiorem indito Præpoſitæ titulo, & attributis facultatibus bene viſis conſtituêrunt, in illiusque manibus paupertatis, caſtitatis & obedientiæ vota ad inſtar, ſolemnium emittere, clauſuræque legibus non adſtrictæ pro libitu divagari, ac, ſpecie ſalutis animarum promovendæ, alia permulta ſexus & ingenii imbecillitati, & modeſtiæ muliebri ac virginali præſertim pudori, minimè convenientia attentare & exercere conſuevêrunt.* Sectam igitur illam, ſeu *arrogantem, contumacem, ſanæ doctrinæ adverſam, Zizaniam denique in agro. Domini pullulantem, ac proinde radicitus exſtirpandam*, de conſilio Cardd. ac hæreticæ pravitatis Inquiſitorum, ſe *penitùs ſuppreſſiſſe, redegiſſe in nihilum, æternæ abolitioni ſubjeciſſe, ac à corpore ſanctiſſimæ Eccl. amputâſſe, ſub excommunicationis pœna* Pontifex declarat. J. Hentic. Heidegger. *Hiſt. Pap.* §. 235. Originem Ordinis ita enarrat Wilſonus, *Hic ordo*, inquiens, *natus eſt per quandam Wardam & Tuittiam, Anglicas feminas, in Flandria. Atque illæ quidem Ignatianam veſtem induêrunt, excitatæ — per P. Gerhardum Rectorem Collegii Leodii, P. Flaccum, P. Morum, at P. Singleton, P. Beneficld, aliique ſe oppoſuêrunt, nec voluêrunt illas ſua cum benedictione, ite*, prædicate, *dimittere: nam ipſarum conſilium erat, Evangelium prædicare ſuis femellis in Anglia. At brevi Warda, Papali indulgentiâ evaſit Mater Generalis circiter 200. Domicellarum, quas emiſit quaquaverſum ad prædicandum &c. Aſt eas ſupprimere coactus fuit poſtea Urbanus VIII.* Vide eum *Hiſt. Jacobi I. ad A.* C. 1620.

JESUPOLIS, vulgò JESUPOL, opp. munitum Poloniæ, cum arce, in Podolia & in limite Pocuciæ, in ſiniſtra Biſtris fluentis ripa.

JESUS, Hebræum nomen, quod Latinè *Servator* dicitur. Matth. c. 1. v. 21. Τέξεται δὲ υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ ΙΗΣΟΥΝ. αὐτὸς γὰρ ΣΩΣΕΙ τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν. Luc. c. 2. v. 21. Act. c. 4. v. 12. Καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ἡ σωτηρία. Οὔτε γὰρ ὄνομά ἐστιν ἕτερον ὑπὸ τὸν οὐρανὸν τὸ δεδομένον ἐν ἀνθρώποις ἐν ᾧ δεῖ ΣΩΘΗΝΑΙ ἡμᾶς. Zach. c. 3. v. 1. & c. 6. v. 11. Hagg. c. 1. v. 1. Coloſſ. c. 4. v. 11. In tres ſententias eunt, qui SS. hujus nominis Etymon inveſtigârunt. Primò, Alii à radice ישע originem ejus ducunt. Hique adeò יהושע, aut ישוע Hebraicè ſcribi volunt. Sententia ipsâ canitie ſuâ ex longo ævi decurſu veneranda. Secundò, Reliquæ duæ multò videntur juniores. Et quidem hæc (Reuchlini, Andreæ Oſiandri & aliorum ſententia) à יהוה nomen hoc deducit ש licentiâ neſcio quâ utcunque interpoſitâ, in hunc videlicet finem, ut Tetragrammaton illud Dei nomen prius ineffabile, deinceps pronunciari poſſit. Sententia parum ſolida, & vacillans. Nam ut libenter concedamus, cùm cætera Dei nomina, tum maximè auguſtiſſimum illud Jehovæ nomen, niſi graviſſimâ de causâ, prorſus ineffandum eſſe, ne libertas in licentiam exeat, & contemptus nominis in contemptum Numinis redundet, nemo admittet illud in Hebraicæ ſaltem linguæ idiomate ineffabile habendum, Græcè quidem ἀνεκφώνητον eſſe in confeſſo eſt, Inde enim Græcè Ἰαὼ pro Jehova corruptè enunciârunt, ut auctor eſt Diod. Sic. *l.* 1. Inde etiam 70. illi ſacri codicis Interpretes nunquam nomen hoc κατὰ πόδας reddidêre, cùm ne poſſit quidem, ſed tantùm κατ' ἰσοδυναμείαν, nimirum in locum ejus, quoties occaſio tulit, Κύριον ſubſtituentes. At verò Hebraicè ineffabile eſſe nunquam evinci poteſt. Certè teſtantur Talmudici Doctores vel ipſos Judæos nomen illud ad mortem Simeonis effari ſolitos. Sed ut hoc demus, quid cauſæ fuerit, quòd ש ſola omnium Alphabeti literarum admiſcenda eſſet, ut ineffabile illud nomen tandem linguæ potens evaderet? Atqui hiſce diluendis immorari operæ pretium haud fuerit. Neque enim profectò opus eſt, cùm jam viderim Oſiandrum à Flacco Illyrico, & aliis, eo nomine meritò enervatum. Verùm, ut per omnia cum illo ſentire integrum non ſit, ſummo tamen viro debitus honos minimè denegandus eſt, quòd Reuchlini auſpiciis veritati jam diu obrutæ indagandæ aditum nobis utcunque aperuerit. Tertiò, Cæterum corona unico Caſtellioni reſervanda, utpote qui in tertia ſua, quæ jam ſupereſt, ſententia, opus ab Oſiandro feliciter inchoatum ad culmen uſque perduxit. Ille enim pulcherrimam interpoſitionis ש, quam Oſiander non potuit, rationem exhibet. Qua de re verba ipſius hîc apponam. Cùm diu, multumque (inquit) conſiderarem, neque cur hæc litera ש interpoſita foret, viderem, quippe cùm non ſit ſervilis, h. e. ejus literarum generis, quæ ſolent in deductis aliunde verbis ad primigenia adhiberi: cœpi cogitare, verbum hoc compoſitum eſſe oportere, tandemque Dei beneficio comperiſſe videor. Quemadmodum enim *Jeſus*, & Deus eſt & Homo, ita nomen ejus ex Dei & Hominis nomine eſſe conflatum. Id autem didici ex Exodo *c.* 15. *v.* 3. ubi dicitur יהוה איש מלחמה, i. e. *Jehova vir belli.* Ubi vir bellicoſus dicitur, quoniam de Chriſto ſermo eſt, qui vir futurus erat. Eſt igitur JESUS nomen compoſitum ex יהוה איש, interpoſitâ literâ ש ex nomine איש, reliquis autem duabus rejectis, quippe quæ ſerviles ſint, & addi, adimique ſæpe ſoleant, ut ſit יהשוה *Jeſus*, idem quod *Jehova Vir*, ut intelligamus *Jeſum* non eſſe *Jehovam* ſolùm (nam hoc de ejus Patre dicitur) ſed *Jehovam hominem*, i. e. corporatum, &c. Sic ille *ſuper Matth. c. 1. v. 21.* ut extat in elegantiſſima ejus Bibliorum verſione A. C. 1573. Baſileæ edita. Vide libellum, cujus titulus eſt, *Exercitatio de Vera SS. Nominis Jeſu Etymologia, Lond.* A. C. 1652. *Nic. Lloyd.*

JESUS, Nave fil. qui & *Joſue* vocatur, Iſraëlitarum poſt Moſem Dux ſapientiſſimus. Item Sirachi fil. libri Eccleſiaſtici auctor. A. M. 3798. Scalig. Petav. Liranus *in Eccl.* Fuêrunt & alii ejuſdem nominis in V. & N. T.

JESUS CHRISTUS ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΣ, Servator mundi, natus ex Virgine, opera Diaboli deſtruxit, (quod, inter alia, perpetuum Delphici Oraculi ſilentium, à nato *puero Hebræo, Deorum Deo*, Aug. Imp. teſtatum eſt) & genus humanum, in peccatum & damnationem prolapſum reſtauravit. Nativitatem Ejus incidiſſe in Conſulatum Corn. Lentuli, & L. Calpurnii Piſonis, A. M. 4052. A. U. C. 723. Olymp. 194. An. 4. Aug. 42. Morer. oſtendere nititur *in Dict. Hiſt.* Tanta geſſit, ut ſi omnia ſcribi deberent, *ne mundus quidem univerſus ea capere poſſet*, Joh. *c.* 21. *v.* 25. Quæ verò ad gloriam Dei, & ſalutem noſtram de ſe ſcitu neceſſaria duxit, ex Euangel. Hiſt. haurire nos jubet, Joh. *c.* 20. *v.* 31. quò avidum ſalutis lectorem remitto.

JETA, civ. quæ Levitis è tribu Judæ vel Simeonis eſt data. Joh. *c.* 21. *v.* 16. Eadem videtur, quæ & *Jota.* Joſ. *c.* 15. *v.* 55.

JETÆ, caſtellum Siciliæ. Steph. Alii urbem eſſe volunt, in monte, penè jacentem, inter Salenium 16. & Corileonem 18. mill. paſſ. prope Alcamum opp. Incolæ *Jetenſes* Plin. *l.* 3. *c.* 8. At in Legationum excerptis ex Diod. Sic. *l.* 23. ſunt Ἰετῖνοι. Atque idem vocabulum uſurpare videtur Cic. *Verrinâ tertiâ*, ubi nunc mendosè *Letini* Sil. Ital. Punic. Bell. legitur, neſcio an metri causâ maſculino genere, & ſing. num. formavit, *l.* 14. *v.* 272.

— *Arbeia ferox, & celſus* Jetas.

Ferr. opp. eſt, à Chriſtianis, inde Saracenis ejectis, ſub Frid. II. Imp. exciſum, in monte prærupto. Baudr. caſtrum eſt Siciliæ, in valle Mazarana, juxta Crimiſſum fluv. 16. mill. ab Alcamo in Auſtr. paulò minùs à Juliano 30. ferè mill. à Panormo in Auſtr. Vulgò *Jato.*

JETE, civ. quæ Levitis data eſt è tribu Judæ, vel Simeonis. Lat. *declinans*, vel *divertens.* Joſ. *c.* 21. *v.* 16.

JETEBATHA, locus in quo caſtrametati ſunt filii Iſraël, profecti de Gadgad. monte. Num. *c.* 33. *v.* 33. & 34. Lat. *bonitas ſua*, ſive *declinans filia ejus*, aut *declinans deſertum.*

JETERUS, Mœſiæ fluv. ex Rhodope profluens. Plin. *l.* 3. *c.* 26. Vide *Jatrus.*

JETH, fil. Geſron. 1. Par. *c.* 6. *v.* 43. Lat. *confringens*, *formidans*, vel *ſtupens*, aut Syriacè *deſcendens.*

JETHABA, urbs antiqua Judææ, Hier. *in Loc. Hebr.*

JETHAEL, in tribu Juda. *Idem.*

JETHAN, ſ. JETA, h. e. *declinans*, vel *extendens*, civ. ſacerdotalis, in tribu Juda, hodieque vicus eſt pergrandis in decimo octavo ab Eleutheropoli, ad Auſtralem partem in Daroma, & notant viri doctiſſimi, eandem hanc eſſe videri, quæ infrà *Jota* appellatur, Joſ. *c.* 15. *v.* 55. licèt plerique diverſum ſentiant.

JETHELA, civ. in tribu Dan. Joſ. *c.* 19. *v.* 42. Lat. *pendens*, *ſuſpenſio*, ſive *coacervatio.*

JETHER & JECTER, civ. excellens Levitis data de tribu Juda. Joſ. *c.* 15. *v.* 48. & *c.* 21. *v.* 14. Ad quam David munera miſit. Inde *Jethræus* & *Jethrites.* Primogenitus Gideonis. Jud. *c.* 8. *v.* 20. Fil. Ezra 1. Par. *c.* 4. *v.* 17. & *c.* 6. *v.* 57. Nomen civitatis 1. Sam. *c.* 30. *v.* 27. Nomen viri. 1. Par. *c.* 7. *v.* 38. Fil. Jada, Idem *c.* 2. *v.* 17. & 32. 2. Sam. *c.* 17. *v.* 25. Lat. *excellens*, *reſiduus*, ſive *remanens*, aut *explorans*, vel *funiculus.*

JETHETH, civ. Idumæorum Gen. *c.* 36. *v.* 40. 1. Par. *c.* 1. *v.* 51. Lat. *donans.*

JETHMA, vir Moabites 1. Par. *c.* 11. *v.* 46. Lat. *orphanus*, *admiratio*, aut *conſummatio*, ſive *profectio.*

JETHNAN, civ. tribûs Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 23.

JETHRA, pater Amaſæ fil. Abigail ſororis David. 2. Sam. *c.* 17. *v.* 25. Idem ſig. quod *Jether.*

JETHRÆUS, fil. Sobol. 1. Par. *c.* 2. *v.* 53. & *c.* XI. *v.* 40. Idem *c.* 2. *v.* 17.

JETHRAHAM, fil. David ex Egla 2. Sam. *c.* 3. *v.* 5. 1. Par. *c.* 3. *v.* 3.

JETHRAN, fil. Supha. 1. Par. *c.* 7. *v.* 37. Fil. Diſon fil. Seir Horræi. Gen. *c.* 36. *v.* 26.

JETHRO, ſocer Moſis. Exod. *c.* 3. *v.* 1. qui & *Raguel*, Exod. *c.* 2. *v.* 18. De quo vide porrò &c. Sulpic. Sev. *l.* 1. *Hiſt. Sacr.* *c.* 22. & 29. Euſeb. Salian. & Torniel. A.M. 2544. *n.* 3. A.M. 2545. *n.* 47. & 49. &c. Tertull. *l. contra Judæos.* Hier. *in c.* 5. *ad Gal.* Aug. *quæſt.* 11. & 12 *in Exod. l.* 4. *de Bapt. c.* 24. *Serm.* 86. *de temp.* &c. Addo hîc, quòd cùm apud Hebræos Moſes, poſt migrationem ex Ægypto, aliquandiu judiciis præfuiſſet unicus, adeoque juriſdictionem, tam circà ſacra, quàm profana exercuiſſet ſolus, conſilium is genero ſuggeſſit, de minoribus præfecturis inſtituendis, uti legimus Exod. *c.* 18. *v.* 13. *Fuit autem poſtero die ſedente Moſche ad judicandum populum, quum adſtaret populus ipſe Moſchi; à mane illius diei uſque ad veſperam,* *v.* 14. *Ut aſpiciens ſocer Moſchis quicquid ipſe faciebat populo, diceret; quid hoc eſt quod facis huic populo? cur ſedes tu ſolus, & toties hic populus ſiſtit ſe coram te à mane uſque ad veſperam.* *v.* 15. *Tum dixit Moſche ſocero ſuo, nam venit ad me hic populus ad conſulendum Deum* (Gr. ἐκζητῆσαι κρίσιν παρὰ τῦ Θεῦ) *v.* 16. *Quum eſt inter illos negotium, venit quiſque ad me, ut judicem inter utrumque, & nota facio ſtatuta Dei & Leges ejus.* *v.* 17. *Dixit verò ſocer Moſchis & non eſt bona hæc res qualem tu facis.* *v.* 19. *At nunc auſculta voci meæ, conſulam tibi, & erit Deus tecum: eſto tu pro hoc populo ergà Deum ipſum ut tu referas eorum res ad Deum:* *v.* 20. *Et commonefaciens eos de Statutis ac Legibus ejus notam facias ei viam ipſam per quam ambulaturi ſunt, & opus ipſum quod ſunt facturi.* *v.* 21. *Tu autem provideto ex toto hoc populo, & curato eligi viros ſtrenuos, timentes Dei, Viros veraces. oſores turpis lucri: quos conſtituas ſuper eos præfectos millenis, præfectos centenis præfectos quinquagenis, & decuriones* (Græca verſio habet Chiliarchos, Hecatontarchos, Pentecontarchos & Decarchos) *v.* 22. *Ut judicent populum hunc omni tempore: ſitque ut omnem rem quæ magna erit, referant ad te; omnem vero rem quæ parva erit, judicent* (Gr. τὰ βραχέα τῶν κριμάτων) *ipſi ſic alleva te onere ut ferant tecum,* *v.* 24. *auſcultans itaque Moſche voci ſoceri ſui fecit quicquid dixerat.* *v.* 25. *Eligens enim Moſche viros ſtrenuos ex toto Iſraële conſtituit eos primores in populo præfecto.* Et quidem veſtigia minorum harum ſeu *Jethronearum* præfecturarum obſcura non ſunt, in crebra *Seniorum* ac *Judicum* mentione, poſt Legem datam, quò expreſſius ſpectant ea de Judicibus, quibus Moſes præcepit, ut morte punirent initiatos Beelphegori. Quin & in illo Joſ. *c.* 8. *v.* 33. *Quum totus Iſraël & Seniores ejus moderatoresque & judices ejus adſtarent arcæ*, in hiſtoria ſc. ſacra de publicis illis Benedictionibus & Maledictionibus, ſub Joſua, nomine Judicum, Præfecturas illas etiam tunc denotari volunt Viri docti. Quod verò ad inſtitutionis tempus attinet, res non adeò in liquido eſt. Videtur tamen hiſtoriola hæc tota de *Jethrone*, per anticipationem in *c.* hoc collocata, revera ad tempora Legis in Sinai dationem inſequentia ſpectare; adeoque non ad ſtationem ab exitu undecimam, quæ in *Raphidim* erat ſeu proximam ante eam, quæ in Sinai; ſed ad tempus, quo ſtatio in hoc monte erat, adeoque poſt legis illic divinitùs acceptionem. Et certè, ipſe Moſes, verba faciens de *Horeb* monte, Deut. *c.* 1. *v.* 6. & 9. &c. (qui prò jugo montis Sinai accipitur) & de Iſraëlitarum inde tranſitu, *& dixi*, inquit, *vobis in tempore illo, non poſſum ſolus ferre vos &c. date ex vobis viros ſapientes & prudentes &c.* reliqua dein narrans, quæ ad inſtitutionem Præfecturarum *Jethronearum* ſpectant. Alia itidem Num. *c.* 10. *v.* 29. idem probant: Scilicet, poſt ſtationem, in *Raphidim* Exod. *c.* 19. *v.* 2. adeoque in Sinai tranſitum, ubi Lex data, rem fuiſſe factam. Quid quòd etiam in ipſa narratione libri Exod. *c.* 18. *v.* 5. diſertè dicitur, *Jethronem* veniſſe ad Moſem, ubi caſtrametatus eſt, *in Monte Domini*, quo nomine *Horeb* & *Sinai* denominari ſoliti, Exod. *c.* 3. *v.* 1. & *c.* 4. *v.* 27. Sic ex loco tempus ediſcitur, quod Legis dationem ita ſequitur manifeſtè. Et quidem, cùm ex Lege data, tam multiplicibus capitibus conſtante, quæſtiones, quæ in Foro ante pauciores multo erant, numeroſiſſimæ ut orirentur, neceſſe eſſet, tempeſtivum erat atque è re nata Soceri ejus, hanc circà rem, conſilium, quod ſic ſequutus eſt. Quo verò menſe, quove menſis die id contigerit, ſimiliter controverſia non caret. Maximè inter Hebræos ea obtinuit ſententia, quæ generatim Præfecturarum inſtitutionem adeoque *Jethronis* adventum illum Legis in Sinai dationem inſecutum eſſe aſſerit, nec locum in Exodo, ante menſem ab exitu tertium, in quo Lex data, aliter atque per prolepſin habuiſſe. Alii etiam dein in Annum exitus primum, alii in ſecundum rejiciunt. Atque inolevit quidem antiquitus inter eos opinio, ipſum diem, quo conſilium *Jethroneum* datum eſt, fuiſſe undecimum menſis *Tiſri* ſ. ſeptimi, i. e. à datione Legis prima menſibus ampliùs tribus ſeu ſimulac Moſes ſecundas tabulas acceperat. Quod etiam legitur in ſacra Hiſtoria, Exod. *c.* 18. *v.* 14. poſt Moſis, Aaronis, Seniorum ſimul & *Jethronis* ſacra epulaſque, *Et evenit, ut die craſtino ſederet Moſes ad judicandum* (unde conſilii occaſio) acceptum eſt, quaſi dies ille fuiſſet craſtinus Feſto Expiationum, quod ad decimum menſis *Turi* attinet. Sic *Sepher Mechilta*, ſic paraphraſis Jonathani tributa, ſic Alii. Ita planè juxtà receptiorem, rationique magis conſonam Hebræorum ſententiam, admittitur ab Eruditis, poſt Legem datam Moſen & *Jethronem* conveniſſe adeoque Juridicas illas Præfecturas initium cœpiſſe. Data enim Lex eſt ſub menſis *Sivam* ſeu tertii, initia, Exod. *c.* 19. *v.* 1. Anno nempe ab exitu primo, i. e. ſub initia æſtatis; tempus autem hîc aſſignatum ad Autumnum inſequentem pertinet, &c. Plura hanc in rem vide apud Joh. Selden. *de Synedriis Vett. Hebræorum L. II. c.* 2.

JETSEGENA, vulgò JETSEGEN, una ex 5. regionibus Niphoniæ Inſ. in Japonia: ſub qua 10. prov. ſ. regna, Nempe *Canga*, *Finda*, *Jechuenum*, *Jetchuum*, *Ingum*, *Ixium*, *Minum*, *Notum*, *Kazarium*, & *Vomium.* Sanſo, Brietius. Habet ad Ort. Quantoam reg. ad Occaſ. Jetſengam.

JETSENGA, vulgò JETSEN, vel JETSENGO, regio Niphoniæ Inſ. 12. ſub ſe habens regna, *Bigenum*, *Cavachum*, *Farima*, *Tzuno-Jazumium*, *Jamaxirum*, *Jamatum*, *Quinocunum*, *Tamba*, *Tzunocunum*, *Voacaſa*, & *Xima.* Ejus prim. eſt Meacum, urbs peramplа, caput totius Japoniæ, Brietius. Habet ad Ort. Jetſegenam & ad Occaſ. Jamaiſotiam regg.

JETHSON, nomen civ. Joſ. *c.* 21. *v.* 36.

JETTAN, in tribu Juda. Hier. *in Loc. Hebr.*

JETUR, fil. Iſmaëlis. Gen. *c.* 25. *v.* 15. 1. Par. *c.* 1. *v.* 31.

JEVERA, Comitatus in Friſia Or. ita dictus à primario ejus opp. ſic vocato: trans Jadam ad Occaſ. eſt 18. parochias continens, & non procul ab oſtio Jadæ in Viſurgim & Oceanum ſe exonerantis: duabus inſulis, Wangeroga & Spiceroda, ferè deſertis munitus. Joh. Matal. Metell. Fam. Oldenburgicæ proprius, Ant. Gunthero ultimo Comite haud pridem Extincto, ejus ex ſorore nepoti Principi Anhalt. Serveſtano ceſſit. Phil. Jac. Spener. Olim verò Dynaſtiam hanc Maria Edonis Wimmekenii *Jeveræ* Domini filia, Gerardi Comitis Oldenburgici ex filia neptis, poſtquam ultra 40. Annos ipſa gubernâſſet, duobus, antequam mortem obiret, Annis, Joh. Gerardi pronepoti obtulit. Ita feminæ beneficio ad Oldenburgios delatam, Joh. Serveſtanæ Fam. Princeps, matris Magdalenæ jure, ex avunculi hæreditate ſortitus eſt. Tob. Pfanner. *de præc. Germ. Princip. gentib. c.* 10.

JEUS, fil. Roboam ex Abihal. 2. Par. *c.* 11. *v.* 19. Lat. *cuſtodiens*, aut *ordo*, vel *ſeries*, ſive Syriacè *montanus.*

JEXÆUS, & Elxaï, fratres, Trajano imperante, adjunxiſſe ſe Oſſenis, & non pauca in ea ſecta innovâſſe, ac ab inſtituto deflexiſſe, leguntur apud Epiphan. ubi de *Oſſenis*, Salmaſ. *ad Solin. p.* 610. & ſuprà, ubi de *Elxai* ac *Elceſaitis.*

JEZABAD, vir Gaderothites. 1. Par. *c.* 12. *v.* 4. Lat. *dotatus.*

JEZABEL, filia Ethbaal Regis Sidoniorum, uxor Regis Ahab ſceleratiſſima. 1. Reg. *c.* 16. *v.* 33. & *c.* 21. *v.* 5. Torniel. & Salian. *in Ann.* Lat. *inſ. habitaculi*, vel *væ habitaculo*, aut ex Hebræo & Syro, *inſ. ſterquilinii*, vel *væ ſterquilinio.* Τὸ γύναιον δραστήριόν τε καὶ τολμηρὸν eam vocat Joſeph. ubi de ea. Nic. Lloyd. Sulp. Sev. Hiſt. Sacr. *l.* 1. *c.* 75.

JEZATHA, fil. Aman. Eſth. *c.* 9. *v.* 9. Lat. *aſpergens thalamum*, aut ex Syro & Hebræo, *væ olivæ.*

JEZDEGIRDES, Rex Perſarum, ab Othman fil. Ophan Scenitarum Arabum Amirano victus ac interfectus eſt. Græcis Scriptoribus nonnullis vocatur Ἰασδαγέρδης Σαρὶν Μασεὶ βασιλεὺς Περσῶν: Georg. Chryſococco Medico *Comm. de Anno Perſ.* Ἰασδακέρδης Σαρίας, i. e. *Strois fil.* Georg. Mon. Ἀδεσὴς, voce minùm quantum corruptâ. Obiit A. C. 632. Hunc quidam faciunt ultimum ex Artaxerxis, qui regnum hoc inſtituit A. C. 226. ſucceſſoribus: idem verò modò dictus Georg. Hormiſdam ultimum fuiſſe ſcribit &c. Vide Caſaub. *ad Lamprid. in Alex. Sev.* & ſuprà in voce *Hebdomas*, it. *Iſdegerdes.*

JEZEKIAS F. Davidis Zachæi, princeps captivitatis poſt mortem R. Haï ex Geonim ultimi, à Perſiæ Rege captus, totaque ejus familia cum ipſo exciſa eſt, duobus filiis exceptis, qui in Hiſpaniam evaſêrunt. Et tum in univerſum Schola Babylonica abolita eſt, A. M. 4747. juxtà R. Ganz *Chronol. Rabbinorum.*

JEZER, fil. Galaad. Num. *c.* 26. *v.* 30. qui *Abiezer*, Joſ. *c.* 17. *v.* 2. dicitur. Hebr. אייעזר i. e. *inſ. adjutorii*, ſive *atrii*, aut *væ adjutorio*, vel *atrio.*

JEZER, civ. Amorrhæorum, quæ Levitis & homicidis pro aſylo è tribu Gad eſt attributa. Hebr. יעזר, i. e. *axiliator*, ſive *adjutor.* 1. Par. *c.* 6. *v.* 81.

JEZIA, nomen viri. Eſdr. *c.* 10. *v.* 25. Latinè *diſtillatio*, vel *aſperſio Domini.*

JEZID I. ſ. YHEZID, Calipha Saracenorum VII. Mawyæ I. ſucceſſit, bello infelix; regnavit Annos 3. Defunctus A. C. 685. Ei ſucceſſit Mawya II.

JE

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

JEZID II. Calipha XIII. exemit Omarum II. regnavit Annos 4. menſ. 8. Ei ſucceſſit Ochon. Vide Cedren. *Leone Iſauro.*

JEZID III. Oelidi II. ſucceſſor, felix, ſed menſ. 6. ſolùm præfuit. Eum excepit Ebrahem frater. *Idem.*

JEZIDÆI, h. e. Hæretici, dicuntur Muhammedanis, qui inter illos pro heterodoxis habentur. Cùm nempè omnes Muhammedicæ ſuperſtitioni addicti, cujuſcunque nationis ac ſectæ ſint, *Muſulmanni* dici ament, uti omnes Chriſtiani *Catholici* ac *Orthodoxi*: illi inter ſe variè diſſidentes, *Jezidæorum* nomine ac notâ eos inurunt, qui eadem ſecum non ſentiunt. Appellationis originem Leunclav. hanc tradit, fuiſſe ſc. quendam nomine *Jezidem*, qui Agarenicus Emir ſive Princeps fuerit; cumque filios Ali Haſanem & Huſeinem, Muhammedis ex filia nepotes interfeciſſet, ac multas contumelias Pſeudoprophetæ poſteris intuliſſet, ab Agarenis propterea, pro latrone, parricida ac hæretico, habitum, indeque hæreticos quoſcunque *Jezidæos* fuiſſe appellatos, vide eum in *Hiſt. Muſulm. l.* 1.

JEZLERUS Joh. Theologus doctiſſimus, cujus inter alia potiſſimum de diuturnitate belli Euchariſtici & de fructu mortis Dominicæ extant ſcripta, die 25. Novemb. A. C. 1543. Obiit Scaphuſii in Helvetia. Bucholcerus *Ind. Chron.*

JEZLIA, fil. Elphaal. 1. Par. *c.* 8. *v.* 18. Lat. *diſtillatio laborioſa.*

JEZONIAS, יאזניהו i. e. *auſcultatio*, aut *ſtatera*, vel *arma Domini*, fil. Maachati. 2. Reg. *c.* 25. *v.* 26.

JEZONIAS, יזניהו i. e. *nutrimentum Domini.* Nomen viri. Jer. *c.* 35. *v.* 3. *c.* 40. *v.* 8. & *c.* 42. *v.* 1. Ezech. *c.* 8. *v.* XI.

JEZRA, fil. Moſollam. 1. Par. *c.* 9. *v.* 12. Lat. *porcinus*, aut Syriacè *converſus*.

JEZRAHEL, urbs regalis, &, ut Hier. vult, metropolis decem tribuum, terminus eſt Manaſse, in qua eſt, & Iſſaſchar, ſita in pede montis Gelboë ad Occaſ. inſigni ſpeculâ & turre ſpectabilis, unde indicium ſit accenſo igne, tanquam ex Pharo, de adventu hoſtium, ipſaque urbs pulchrum habet proſpectum per totam Galilæam uſque ad Carmelum & montes Phœnicis, monteſque Tabor & Galaad, & ultra Jordanem.

JEZRAHEL, civ. in tribu Juda, Joſ. *c.* 15. *v.* 56. *c.* 17. *v.* 16. & *c.* 19. *v.* 18. Jud. *c.* 6. *v.* 33. 1. Sam. *c.* 25. *v.* 43. nomen accepit à Jezrael, fil. Ephratæ aut Etham, in qua habitabat. Naboth, ut Hier. vult. Fil. Oſee ex Gomer. Hoſ. *c.* 1. *v.* 4. Lat. *ſemen*, ſive *diſtillatio amicitiæ Dei*, vel *aſperſio paſtoris Dei*, aut *diſtillans contritionem*, vel *malum Deus.*

JEZRAJAH, nomen viri. Nehem. *c.* 12. *v.* 42. Lat. *oriens Dominus*, aut *claritas Domini.*

IGAAL, fil. Nathan de Soba. 2. Sam. *c.* 23. *v.* 36. Lat. *redemptus* ſive *inquinatus.*

IGÆDITA, Luſitaniæ urbs Epiſcopal. olim fuit, ſub Archiep. Emeritenſi, ut inquit Vaſæus, qui addit hodie vicum obſcurum eſſe, urbi Guardenſi, quæ ei in Epiſc. dignitate ſurrogata eſt, finitimum, nomine *Edania.* *Idannas* dicitur Varrerio. *Idantia a Velha* incolis. Baudr. nunc parva urbs eſt Luſitan. a conf. Extremaduræ, vix 2. leuc. in Occ. uti 6. à Cauria, 6. ab Alcantara in Bor. ei adjacet caſtrum *Idanha à nueva*, i. e. *Igædita nova.*

IGAL, idem fil. Joſeph. Num. *c.* 13. *v.* 7.

IGENI, Tac. *Ann. l.* 12. *c.* 31. *l.* 13. *c.* 32. & *l.* 14. *c.* 31. pop. Albionis, an Northumbri?

IGENIA, ſ. *Tegengil*, opp. Cambriæ, apud urbem Aſaphenſem & Varim opp. Camd. pars regionis, ſc. Flintenſis Comit. dicitur, *Tegengle*, Brit. i. e. *formoſa Anglia.*

IGILGILI, ſ. IGILGILIUM, vulgò GIGERI, urbec. Africæ, in ora maris Medit. cum portu ſatis capaci, in regno Algerii, 140. mill. circiter à Ruſucuro in Ort. 60. à Bugia urbe ſ. Salde in Ort. 20. ab oſtio Ampſagæ in Occ. Capta à Gallis A.C. 1664. Sed paulo poſt, magna cum clade, derelicta. Plin. *l.* 5. *c.* 2.

IGILIUM, Hetruſci litoris inſ. *contra Coſanum*, ut Plin. ait, *litus*, ſive ante Argentarium prom. hodieque vulgò vocatur *Giglio*, Gallis *l'Iſle du Lys.* De quo Rutil. *in Itin.*

Eminus Igilii *ſylvoſa cacumina miror*,
Quam fraudare nefas laudis honore ſuæ.

Baudr. Inſ. parva & montuoſa maris Tyrrheni, cum caſtro & oppid. Sub M. Hetruriæ Duce Vitioſè *Ægilium* apud Plin. *l.* 3. *c.* 6. & *Igilium* P. apud Melam, *l.* 3. *c.* 7. in quibuſdam codd. legitur.

IGLA, fluv. Moraviæ, à quo Iglavia urbs nomen ſortita eſt, dirimit Moravos à Bohemis, & Moraviam quoque ingreditur. *Joh. Matal. Metell.*

IGLACUS, Anglus, Benedictinus, magni nominis, Sec. 8. vitam Abbatis Sigwini, &c. ſcripſit. Baleus & Voſs. *de Hiſt. Lat.*

IGLAVIA, opp. Moraviæ, ubi forma Concordiæ, *Compactata* vocant, inter miſſos à Synodo Baſilienſi legatos & Bohemorum Oratores, d. 5. Julii, A. C. 1438. præſente Sigiſmundo Imp. inſtrumentis ac ſigillis roborata eſt. In hac inter alia Bohemis calicis uſus conceſſus eſt, *utpote dignè ſumentibus ſalutaris*: quo & *Nos*, & *parens uterque noſter*, & *avus quoque uſi ſumus*, ſcribit Georg. Podiebracius, Bohemiæ Rex ad Matthiam Hungariæ Regem A.C. 1468. Poſtea cùm Pontifices Rom. ſoluto Conc. Baſil. *Compactatis* his ſtare nolentes, in Georgium præfatum excommunicationis dirum ſtrinxiſſent fulmen, ritumque communicandi Bohemis à Conc. conceſſum vocare hæreſin non dubitarent: offenſi Bohemi, etiam Paparum aliàs partibus addicti, his viciſſim nuntium remisêrunt, eos ſe pro veris Chriſti Vicariis habere negantes: communionemque porro minimè aliter, quàm ſub utraque ſpecie, miniſtrandam eſſe cenſuêrunt. Vide Joh Dallæum, *de cultibus Latinorum*, *l.* 5. *c.* 26. & ſuprà in voce *Compactata.*

IGMANUS, Gall. Aquitanicæ fluv. Vide *Sigmanus.*

IGNATIA, Vide *Egnatia.*

Viri Illuſtres.

IGNATIUS, cum Polycarpo, diſcip. Apoſtolorum, S. Joh. inprimis, Antiochenæ Eccl. poſt Evodium Præſes, A. C. 66. Is poſt 40. An. Romam perductus, ac beſtiis objectus eſt, A. C. 108 3. perſecutione ſub Trajano ſæviente. Epiſtolas edidêrunt, Uſſerius, Archiep. Armachanus, & Iſaac. Voſſ. Vide Polycarp. *Ep. ad Philipp.* Iren. *l.* 5. *c.* 28. *adv. hær.* Orig. *homil.* 6. *in Lucam.* Athanaſ. *Ep. ad Epict. & de Syn. Arim. & Seleuc.* Hier. *Catal. & l.* 3. *adv. Pelag.* Chryſoſt. *in ejus encom.* Socr. *l.* 6. *c.* 8. Theodoret. *dial.* 1. 2. & 3. Evagr. *l.* 1. *c.* 16. Simon Metaphraſten, Euſeb. *l.* 3. *c.* 35. &c.

IGNATIUS, Patriarcha CP. fil. tertius Michaëlis I. Imp. à Leone Armenio pulſi, prius Nicetas dictus, unà cum fratre Theophylacto, juſſu Tyranni, evitatus & in Monaſterium detruſus eſt. Sub Michaële dein III. A.C. 847. Methodio ſucceſſit, Theodorâ electionem approbante. Poſtea Bardum, Imperatricis fratrem, nurus ſuæ inceſto amore correptum, primò objurgavit, dein reſipiſcere neſcium à ſacra communione arcuit. Qui ultione ardens, ſuaſit Imp. ut ſolus in poſterum regnaret, ſororesque cum matre à Patriarcha tonſas in Cœnobium detruderet. Quod facere recuſans Ignatius, in exilium tum pulſus, Photio ei ſurrogato: Sed ſub Baſilio magnificâ pompâ reſtitutus eſt, æmulo pulſo. Obiit A. C. 878. Nicetas David *in ejus vita*, *Baron.* &c.

IGNATIUS, Archiep. Nicenus, ſub Irene & Nicephoro, floruit ſub fin. 9. & initium 10. Sec. Vitas Taraſii ſcripſit & Nicephori Patr. CP. Διάκονος καὶ Σκευοφύλαξ dictus *Suidæ.*

IGNATIUS Lojola, nobilis Cantaber, cùm ex militia utroque pede claudus, A. C. 1521. rediiſſet, vitæ ſuſtentationem à religione, aſſumptis ſibi ſociis, A. C. 1528. quæſivit, Ordinis Jeſuitarum, ut ſe vocant, fundator, A. C. 1534. & primus Generalis. Obiit A. C. 1556. Sanctis aſcriptus, A. C. 1609. a Paulo V. Ei ſucceſſit Jacobus Lainez, Hiſpanus, qui Obiit A. C. 1565. Æt. 53. Hunc Franciſcus Borgia excepit. Quem ſecutus eſt Everardus Mercurianus, Leodienſis, poſt quem Claudius Aquaviva Neapolitanus, Ordini præfuit. Hujus ſucceſſor Mutius Vitelleſcus, Rom. Obiit A. C. 1645. Dein Vincentius Caraffa, Neapol. Porro Franciſcus Piccolomineus, Senenſis; Poſt hunc Alex. Godofredus, exin Goſvinus Nickel, Germ. ſocietatem rexêrunt. Joh. Paulus Oliva, hodie eodem munere fungitur. Sedes Generalis perpetua Romæ eſt, cui quatuor additi aſſeſſores, Italus, Hiſpanus, Germanus & Gallus; quibus tamen nil niſi conſultativum votum relictum eſt, deciſione à Generalis arbitrio ſuſpensâ. Vide Thuan. *Hiſt.* Lud. Luc. *Hiſt. Jeſuit.* & Orlandin. *Hiſt. Societ.*

IGNAVI, veſtibus nudati ab Ageſilao, & ſic per caſtra ignominiosè traducti, bello Peloponneſiaco, qua de re vide Alex. ab Alex. *Genial. Dier. l.* 2. *c.* 13.

IGNEI Fontes, vide ſuprà *Fons Vennæ.*

per IGNEM traducendi infantes mos Vett. idololatricus, in S. Scriptura, memoratur non uno loco, ubi de Molocho, Ammonitarum idolo, ſermo eſt. Et quidem ſunt, qui ei filios filiaſque cremâſſe Parentes velint; more Pœnarum, Phœnicum, Cretenſiumque, qui ſimili τεκνοθυσίαν Saturnum coluêre. Alii tamen non combuſtos in honorem Molochi, aut mactatos infantes ajunt, ſed tantùm *per ignem traductos*, quæ traductio luſtratio quædam ſ. februatio fuiſſe videtur. Id enim ſaltem indigitari videtur 2. Reg. *c.* 23. *v.* 10. & plerique Hebræorum ſic ſentiunt: è quibus R. Moſes Majmonides ritum ſic deſcribit, ex tralatione Dionyſ. Voſſ. *Accenſo igne magno, partem ſui accipiebant ſeminis, quam dein Sacerdotibus Igni ſervientibus tradebant. At Sacerdotes, ubi filium accepiſſent eum patri reſtituebant; quò ipſe ex ſententia ſua eum per ignem traduceret. Igitur pater filium, permiſſu Sacerdotum, per ignem agebat. Pedibus autem jubebat tranſire, donec flammæ quidquid erat immerſus foret. Nam enim Molocho eum comburebant, quomodo liberos ſuos aliis exurebant Diis; ſed cultus ille Molochi tantum in tranſitu conſiſtebat*: Sed nil impedit, quo minùs utrumque factum dicamus: ſanè id ſuadet locus Pſ. 106. *v.* 37. & Jer. *c.* 7. *v.* 31. Vide quoque 2. Reg. *c.* & *v. cit.* ubi Tophet, quod erat in valle Hinnom, contraminatum, ritumque hunc horrendum à Joſia ſublatum habes. Plura hanc in rem, apud Joh. Selden. *Syntagm. de Diis Syris*, ubi de Molocho, Jac. Ouzel. *Animadv. Minucianis p.* 190. & 191. nec non in voce *Moloch.*

IGNES Nuntii, vide *Curſores.*

IGNETES, pop. Rhodii, quos Telchinibus ſucceſſiſse tradit Heſych. Γνῆτες, inquit, οὕτως ὀνομάζονται οἱ μετὰ τοὺς Τελχῖνας ἐποικήσαντες τὴν Ῥόδον. Tamen *Ignetes*, ſive *Gnetes* iidem qui γνήσιοι ſ. ἰθαγενεῖς, i. e. *indigena.* Steph. Γνῆς, ἔθνος οἰκῆσαν τὴν Ῥόδον. Ἐνθεν καὶ Γνῆτες, οἱ ἰθαγενεῖς, λέγεται ὅτι καὶ ... Γνῆτες. Itaque ante Ignetes nullos habuit incolas Rhodus. Vide Bochart. *Geograph. p.* 400. *Nic. Lloyd.*

IGNIARIUM, minùs vulgò nota vox, expoſita occurrit in *Onomaſtico* probiſſimæ notæ, quod *Gloſſarum Servii* nomine à doctiſſimis viris citatur, aliter *Ignitabulum*, Græcis πυρεῖον dicitur: proprieque notat lignum, quod altero ligno tam diu terebrabatur, donec ignem conciperet. Vide Scholiaſt. Apollon. *ad illud.*

— οἱ δ' ἀμφὶ πυρήϊα δινεύεσκον.

Et quidem lignum, quod ſubſternebatur, quodque levius & rariùs, ἐσχάρα; alterum, quo perforaculi vice utebantur, quodque durius ac fortius, τρύπανον dictum: Sed & ἐσχάραν Theophraſt. vocat, quod alii στορέα appellabant, *Hiſt. l.* 5. *c.* 10. Sic nempe *ignem* Vett. eliciebant, ut lignum ligno tererent & inter ſe verterent: unde πυρεῖον quoque *ignitabulum* eſt vet. Gloſſarum Auctori; ἀγάλλιδα τρύπανα hujuſmodi ligna Sophocl. dixit. Quo fine quænam ligna adhibita, cujusque id inventum, Plin. docet *l.* 16. *c.* 40. *Calidæ & morus, laurus, edera, & omnes, è quibus igniaria fiunt. Ex-*

ploratorum hoc uſus in caſtris, paſtorumque reperit, quoniam ad excudendum ignem non ſemper lapidis occaſio eſt. Teritur ergo lignum ligno, ignemque concipit attritu, excipiente materiâ aridi fomitis, fungi vel foliorum, facillimi conceptus ſed nihil edera præſtantius quæ teratur, lauro quæ terat &c. Ubi hoc modò eliciendi inventionem paſtoribus ac exploratoribus caſtrorum aſſerit. At ferrea terebra uti, Mercurius docuit primus, apud Homer. in *Hymno* ejus,

> Δάφνης ἀγλαὸν ὄζον ἑλὼν ἐπέλεψε σιδήρῳ,
> Ἄρμενον ἐν παλάμῃ, ἀνὰ δ' ἄμπνυτο βαιὸς ἀϋτμήν.

Quam rationem Veſtales ſervârunt, ignem æternum, ſi quà defecerat, reparantes materiâ ligni felicis, ſ. tabula quadrata, quam ferro terebrabant, Feſto teſte, vide ubi *de Veſtalibus*. Poſtmodum Plin. *l. 7. c. 56. ignem è ſilice Pyrodes Cilix* excogitavit, *eundem aſſervare in ferula*, *Prometheus*, quod tamen Phoroneo aſcribit Pauſ. Locum, ubi id factum, idem Plin. *Pyrpylem* vocat, *l. 4. c. 12.* & Solin. *c. 11.* quorum hic, *Delon — eadem eſt Ortygia -- Pyrpole etiam, quoniam & ignitabula ibi & ignis inventa ſunt*: nomine inde impoſito. πυρπολεῖν enim *ignem accendere* eſt &c. Apud Macrob. verò *Sat. l. 3. c. 8. æſtimavit fomitem eſſe quendam & ignitabulum ingenii virtutiſque, ſi mens & corpus hominis vino flagret*: *ignitabulum* eſt ὑπέκκαυμα, *fomes*, materia, viz. levis & arida, quo ignis ab ignitabulo excuſſus excipitur, vide ſuprà in voce *Fomes*, & plura hanc in rem apud Cœl. Rhodigin. *Antiqq. Lect. l. 15. c. 14.* & *15.* & Salmaſ. *ad Solin. p. 179.* & *180.* nec non infrà voce *Pyreum*, it. ubi de *Pyrite*.

IGNIARIUS Uncus, chalybs eſt in forma literæ *B.* cujus in re Igniaria frequens uſus. Apud Heraldiſtas quid notet, diximus ſuprà lit. *B.*

IGNICULANDI Pocula artificium, vide infrà, ubi de *Poculis Gemmatis*.

IGNIS, Perſarum Deus, captus, victo Coſroë, à Tiberio II. A. C. 578. Affusâ aquâ Extinctus, à Jagielone Duce Lithuaniæ priùs, dein Poloniæ Rege, ad fidem converſo, A. C. 1390. Imò jam antiquiſſimis temporibus à Chaldæis cultus eſt, qui eum אור *Ur* vocavêre: unde etiam metropoli ſuæ hoc nomen indidêrunt, Gen. *c. 11. v. 3.* Nec alius videtur fuiſſe *Deus Nachoris*, Idem *c. 31. v. 53.* Proin ex Oriente, ut alia, etiam hæc Idololatriæ ſpecies ad Perſas, Græcos, Romanos, aliaſque gentes dimanavit, qui eum partim nomine ſuo, partim ſub Veſtæ Vulcanique nominibus venerati ſunt. Apud Rom. imprimis in pretio fuit, qui perpetuum æternumque *Ignem* in templo Veſtæ, tanquam Imperii certiſſimum pignus, ſolicite aſſervabant. Val. Max. *l. 5. c. 4. Ext. 7. Ignoſcite vetuſtiſſimi foci, veniamque æterni date Ignes, ſi à veſtro ſacratiſſimo templo, ad neceſſarium magiſque ſpecioſum urbis locum contextus operis noſtri progreſſus fuerit.* Virg, *Æn. l. 2. v. 296.*

> —— *Manibus vittas, Veſtamque potentem*
> *Æternumque adytis effert penetralibus* ignem.

Aſſervabatur autem *Ignis* non in focis aut altaribus, ſed ſuſpenſus in vaſculis quibuſdam fictilibus, ut innuit Val. Max. ſuprà laudatus *l. 4. c. 4. ſub fin. Namque per Romuli caſam perque veteris Capitolii humilia tecta, & æternos Veſtæ focos, fictilibus etiamnum vaſis contentos, juro.* Nec ſine portento credebatur extingui, quod ſi fortè contigiſſet, anxiâ ſolicitudine expiabatur. Ita factum ante initia bellorum civilium, motaque inter Cæſarem & Pompejum arma. Lucan. Civ. Bell. ab eodem certiſſimum futurorum argumentum deſumptum eſſe, indigitat *l. 1. v. 549.* & *ſeqq.*

> —— *Veſtali raptus ab ara*
> Ignis & *oſtendens confectas flamma Latinas,*
> *Scinditur in partes, geminoque cacumine ſurgit,*
> *Thebanos imitata rogos.*

Tum itaque omnia publica privataque intermittebantur negotia, eratque juſtitium indictum, donec procuratio ſolennis inſtitueretur: Virgo quoque, cujus incuriâ id eveniſſet, à Pontifice ſeverè plectebatur, &c. Sed & licèt extinctus non eſſet, renovabatur tamen, quem in operto aſſervabant, *Ignis*, & accendebatur quotannis Kalendis Martiis. Ovid. *Faſt. l. 3. v. 144.*

> *Adde quòd arcana fieri novus* ignis *in æde*
> *Dicitur, & vires flamma refecta capit.*

Vide Thom. Dempſt. *Paralip. in Joh. Roſin. Antiqq. Rom. l. 2. c. 12.* Nec publicè ſolùm, ſed & privatim *Ignis* cultus eſt; quem ſervare inter Janitorum officia erat: *Ignem* videlicèt Larum familiarium, qui in atrio foveri ſolebat, non procul à janua. Non enim ſolùm venerationis gratiâ hic *Ignis* conſueverat accendi, juxtà illud Capitol. *in Pertin. & cùm apud Lares ſacrificaret, carbones vivaciſſimi extincti ſunt, cùm inflammari ſoleant.* Sed & ipſe *Ignis* Lar dictus eſt. Sedulius *Carm. l. 1.*

> *Hic laticem colit, ille Larem: ſed jungere ſacris*
> *Non audent inimica ſuis, ne lite propinquâ,*
> *Aut rogus exiguas deſiccet fortior undas,*
> *Aut validis tenues moriantur fontibus* Ignes.

Ut alias gentes, quibus idem Elementum in Deorum numero fuit, omittam. Addam ex J. Seldeno *præfat. in Synt. de Diis Syris*, à Sole & Igne pleroſque Gentilium Deos denominatos eſſe, & Europæorum maximè Deos à Syris pendere, ut propaginem ab origine. Sed de eo jam aliquid ſuprà. Præterea ejus in ſacrificiis inprimis, ac Nuptiis uſus fuit: quorum illum ex olea, lauro aut quercu corticis craſſioris, aut cujus caudex cavus fungoſuſque eſſet, accendere vel Numinibus adolere nefas erat, quòd ea ligna, tanquam diri & mali ominis ſuſpecta eſſent. Hic unà cum aqua inter nuptiarum ſolennia fuit, Plutarch. *Rom. Probl. c. 1.* Hinc Feſtus *l. 6. Facem,* inquit, *in nuptiis in honorem Cereris præferebant, aquaque aſpergebatur nova nupta, ſive ut caſta puraque ad virum veniret, ſive ut* Ignem *& aquam cum viro communicaret.* Et Scævola JC. *l. 66. ff. de donat. inter vir. & uxor. accipere conjugem aquâ & igni*, dixit, h. e. domum ſuam ſponſam ducere. Virg. *Æn. l. 4. v. 167.* de nuptiarum præſagio inter Æneam & Didonem,

> —— *Fulsêre* Ignes, *& conſcius æther.*

Imò tam neceſſariæ hæ faces habitæ, ut exinde *Ignem & undam* legitimos viros facere, dicat Ovid. *de Arte Am. l. 2.* fabulâ deprenſæ Veneris: Vide Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. Theb. l. 2. v. 259.* ut & de *Ignis & aquæ* in Mithriacis ſacris uſu infrà in voce *Mithra*. Recentiori ævo Imperatoribus quoque præferri cœpit, à quo & Fortunam auream in cubiculo iidem habuêre, ſub Obitum ſucceſſori tranſmittendam, de quo utroque vide Caſaub. *ad Suet. Aug. c. 7.* Lipſ. *ad Tac. Ann. Excurſu 1.* aliquid etiam infrà in voce *Uxor*. Imitatione viz vett. Perſiæ Regum, quibus in publicum prodeuntibus ſacrum Ignem præferri, defunctis verò extingui conſueviſſe, legimus, &c. Quibus ritibus occaſionem præbuit elementi hujus præſtantia, ut quod majorem reliquis vim habet agendi cœloque calore, ſplendore, & puritate ſimilius eſt. Addit Cic. *de Nat. Deor. l. 2.* vim purgandi. Unde & apud Inferos, Virg. *Æn. l. 6. v. 741.*

> —— *Aliis ſub gurgite vaſto*
> *Infectum eluitur ſcelus aut exuritur* igni.

Et ad expiandas cædes arma olim cremabant cum Marti & Vulcano, tum Minervæ & Lunæ. Quid quòd etiam verum Numen, quod colimus non ſolùm in V. T. *Ignem* ad varia adhibuit, ut dicemus infrà in voce *Nubes*; ſed & in N. T. cùm feſto Pentecoſtes mitteret Apoſtolis Spiritum S. Symbolum *ignearum* elegit linguarum, uti legimus Actor. *c. 2. v. 9.* & *10.* Quam in rem, ut & plura *de ignis cultu, apud Chaldæos. Perſas*, vett. ac hodiernorum quoſdam, *Medos, Cappadocas, Phrygas, aliaſque Aſiæ gentes, Macedones, Philoſophos Græcos ac Sacerdotes Græcos & Romanos, Ægyptios, Lithuanos, incolas inſularum Chenerag, &c.* Vide apud Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. Part. II. c. 64.* & *66.* ut & hîc paſſim, in vocibus, *Dii, Flaminea, Pyrætheja, Veſta, Vulcanus*, alibique. Et quidem apud Perſas, quâ fraude Magi in ſpecu, ubi *Ignem* colebant, hominem occultarint, ad decipiendum Regem Iſdigerden, atque ut dolum hunc detexerit Maruthas Meſopotamiæ Ep. pulchrè narrat Socrates *Hiſt. Eccl. l. 7. c. 8.* Facit ad hunc Ignis cultum, quod de *Ignis* in ludis uſu Scalig. notat *Poët. l. 1. c. 32. Nocturni ignis uſus multis in ludis extitit, quippe in Vulcanalibus, ob ignis numen. In Prometheis, ob ſurreptum ignem --- Iſidis quoque ſacra nocturnis vigiliis imitabantur* (Cereas ludi) *expreſſâ Cereris peregrinatione, Liberam cum face quæritantis.* Sed &, quod hoc modo narrat Olaus *l. 27. c. 6. Apud Aulas Septentrionalium Principum hieme ignes maximi ex abietinis lignis fiunt. Quorum fragore ſeu tympanis excitati ſatellites & aulici circum* Ignem *choreas tanto impetu in gyrum ducunt, ut neceſſe ſit poſtremum quemque in ignem præcipitari. Inde extractus in ſublimi throno poſitus, ob ignis regii violationem, cyathum cereviſiæ generoſioris ebibit*, &c. Paucis ut perſtringam alia quædam hanc in rem: illuſtris *Ignis* olim in bello uſus fuit, ut ſuprà vidimus, ubi de *Bello*, item in voce *Fax*. Apud Liv. *Ignibus* armati Fidenates, terruêrunt Rom. exercitum, *l. 4. c. 33.* apud quem etiam nocturnorum in caſtris aſtum habes, *l. 22. c. 41.* & *l. 36. c. 10.* Hodieque Turcæ *Ignes* plurimos parant, biduo antè ejus diei, in quem pugna collata eſt, hymnoque decantato in honorem Dei & Mahometis; hoc pacto ſignificant, tertio adhinc die prælium ſe commiſſuros, teſte Chalcondylâ *l. 1.* Sed & *Ignis* inter ſupplicum ritus de quibus infrà, it. quæſtionibus ac ſuppliciis deſtinatus, qua de re vide hîc paſſim in verbo *Exurere* imprimis, & ubi de *Vivicomburio*. Adde quæ retro dicta, in voce *Nedfri*, quæque dicentur infrà in voce *Nodfyri*, it. ubi de *Vulcanalibus* &c.

Nomina, quibus Ignis olim cultus, aliaque huc pertinentia.

Camarim, Sacerdotes *Ignis*, apud Chaldæos.

Dugbiim, vocari cultores *Ignis*, in Inſ. *Chenerag*, tradit Benjaminus Tudel. *p. 108.*

Jupiter, Græcè Ζεὺς, ἀπὸ τοῦ ζέειν, quod eſt *fervere*, ex Phurnuti ſententia, cœleſtis & purior ignis dictus eſt, hocque nomine apud Græcos cultus.

Πρυτανεῖα, fuêre apud Athenienſes loca Veſtæ ſacrata, quaſi πυρὸς ταμιεῖα. Hinc πρυτανίτιδες viduæ, quæ illum ignem inextinctum ſervabant.

Pyræthea, apud Cappadoces, ſepta ſuêre ingentia, in quorum medio ara perenni igne fulgebat. Dicta à *Pyræthis*, Magorum in ea gente genere.

Veſta Junior, ſoror Cereris & Junonis, filia ſenioris Veſtæ, quæ & *Rhea* & *Ops* dicebatur, apud Græcos, Albanos, Rom. Ignem elementarem, aquis, aëri & imprimis terræ permixtum repræſentans, hoc nomine venerationem invenit.

Ur, Chaldæorum idolum fuit, unde civ. *Urie* & *Camarina*, à *Camarim* præfatis.

Vulcanus, ſ. Ἥφαιστος, notans partim in nubibus exardeſcentem, partim è terris erumpentem, partim in ſacrificiis Deorum conſpicuum, partim privatis uſibus illucentem, partim denique & quidem potiſſimùm in fabrorum fornacibus, armis cudendis, aliiſque è metallo apparandis, inſervientem, apud Ægyptios, Græcos, Rom. cultus eſt. Unde Χάλκεια, feſtum ejus, apud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

pud Athenienſes. At Vulcanus Germanorum, Jupiter potiùs fuit, tonitrua ac fulgura ciens.
Znicz, nomen ignis, apud Lithuanos, culti fuit &c.

IGNIS Brigidæ, quem inſtar Veſtalium inextinguibilem dicunt, memoratur Sylveſtro Giraldo *Topogr. Hibern. l.* 2. *c.* 34. 35. 36. & 48. De cujuſmodi *Ignibus* apud Vett. Vide Bochart. *Hieroz. part. prior. l. II. c.* 3. ut & ſuprà *Ardentes*, ac infrà ubi de vett. *Lucernis*.

IGNIS Græcus, ſæviſſimum ignis genus, quod ne aquâ quidem extinguitur: ſed inſanâ quadam velocitate omnia rapit, & devorat, *Wild feur*. Ejus auctorem fuiſſe narrat ex Zonara Pancirolus, Callinicum Græcum A. C. 670. qui in ſubſidium Conſtantini Pogonati, naves Saracenas ſub ipſa aqua incendit: deletaque magnâ earum multitudine reliquas in fugam egit, Rigordus *de geſtis Philippi Aug. Phialæ vitri plenæ igne Græco*. Matthæus Pariſienſis, *in Richardo I.* A. C. 1191. quoque ejus meminit. Vide Henr. Spelmann. in *Gloſſ. Arch.* Græcè, πῦρ Ῥωμαϊκὸν, Theophani, *Ignis Romaicus* Paulo Diacono dicitur *Hiſt. Miſcell. l.* 21. Quo quidem *Igne* ſoli diu leguntur uſi Græci Orientales, adeò ut illius conficiendi rationem & modum cum exteris non modò non communicarent, ſed iis id rogati reſponderent, interdictum hoc ſibi à Conſtantino Mag. à quo inventum primò eſſe fingebant. Licèt verò conficiendi ejus modum exteros docere renuerent, confectum tamen ſæpè cum Principibus fœderatis communicabant, naveſque eo repletas locabant, quibus hoſtium ii claſſem comburerent, uti patet ex Luithprando *l.* 5. *c.* 4. & Ditmaro *l.* 3. *p.* 33. In mari enim potiſſimùm uſus hujus *Ignis* fuit, unde πῦρ θαλάσσιον Theophani dicitur, *Ignis marinus*: quo ad quem modum naves inſtruxerint Græci & quo pacto in navalibus partim in terreſtribus prælius fuerint uſi, pluribus exponit C. du Freſne *ad Joinvillam p.* 71. & Cinnam. *p.* 480. Vide quoque Thwroczium *in Salomon. Hung. Rege p.* 50. Poſtquam autem diu inextincta ſæviit hæc peſtis, tandem tamen extinguendæ ejus rationes repertæ ſunt variæ. *Aceto* enim extingui, annotant Luithprand. *l.* 3. *c.* 6. Ditmarus *d. l.* Matth. Paris. A. C. 1219. Alii: *arena* & *ſabulo*, idem Matthæus: *vino*, poëta Gallus, apud C. du Freſne: *urinâ*, Jac. de Vitriaco *l.* 3. *c.* 84. & Gobelin. Perſonæ *Æt.* 6. *c.* 49. *oleo* tandem, Baldricus Dolenſis *Hiſt. Hieroſolym. l.* 3. *p.* 125. idemque Jac. Vitriac. *ubi ſuprà*. In phiaſis porrò & ollis *Ignem* hunc in hoſtes projectum, habent Albertus Aqu. *l.* 9. *c.* 49. & Nic. Trivetus *Chron.* A. C. 1191. Interdum tormentis & machinis bellicis in hoſtem immiſſum eſſe, auctor eſt Joinvilla *p.* 38. At ex quibus ſoleret confici, exponunt Anna Comnena & Scalig. *Exerc. in Cardan.* 13. &c. Vide C. du Freſne in *Gloſſ.* è quo illud quoque addam de *Igne Græco*, Monachi Florent. *Expugnat. Accon.*

Pereat ô utinam Ignis *hujus vena*,
Non enim extinguitur aquâ, ſed arenâ,
Vixque vinum acidum arctat ejus fræna,
Et urinâ ſtringitur ejus vix habena.
Ignis hic conficitur tantùm per paganos,
Ignis hic exterminat tantùm Chriſtianos:
Incantatus namque eſt per illos profanos,
Ab hoc perpetuò Chriſte libera nos.

IGNIS Judicium, inter purgationes olim vulgares; quo ſc. manu in *Ignem* immiſsâ, innocentiam quis ſuam tueri tenebatur: occurrit in *L.* Ripuar. *tit.* 30. §. 1. & 31. §. 5. quemadmodum & *Judicium Ignis & aquæ*, in *Diplom.* Henr. III. Angl. Regis niſi hoc ad purgationem, per *Ferrum candens*, pertineat, de qua *ſuo loco*. Interdum etiam, quamvis rariùs, per rogum accenſum tranſeuntes illæſos, innocentiam ſuam, aut rei, quam aſſerebant, veritatem, probâſſe legimus, apud Cedren. An. 16. Zenonis Victorem III. Pontif. *Dialog. l.* 3. *p.* 98. de B. Petro, inde *Igneo* cognominato, poſtea Card. Albanenſi, Alios. Quemadmodum examinis reliquiarum per *Ignem* exempla ſuggerunt varii Auctores, quorum meminit Ferrand. *in Diſquiſit. Reliquiar.* laudatus C. du Freſne in *Gloſſ.* ubi etiam *de Igne Hieroſolym Sacro*, quo olim quotannis Sabbatho Sancto lampades, ſuprà Dominicum ſepulchrum appenſæ, ſub horam veſpertinam, accendebantur; de *Igne Novo*, qui in Eccl. Rom. Sabbatho Sancto Paſchæ veteri extincto benedici ac accendi ſolet; de *Igne Paſchali*, cujus Zacharias Pontif. Rom. meminit, *Ep.* 12. *ad Bonifac. Archiep. Mogunt.* varia habes.

IGNISPICIUM, genus divinationis apud Vett. in uſu, excogitatum ab Amphiarao, ſi Plin. fides, id firmanti *l.* 7. *c.* 56. Vide ſuprà, in voce *Flamma* & *Fomes*: infrà *Pyromantia*.

IGNITABULUM, vide ſuprà ubi de re *Igniaria* Vett.

IGNITEGIUM, in *LL.* Burgorum Scotic. *c.* 86. *Quando pulſatur ignitegium*: hora eſt, quâ oppidorum incolæ intra ædes ſuas ſe recipere, nocte adveniente & *ignem* ſuum *tegere* coguntur, campanæ, quæ inde *Curfu-bell* appellata eſt, ſono indicata, ut furtis nocturnis caveretur: Gallis *Couvre-feu*. Quod à Gulielmo Notho Rege Anglorum primò inſtitutum ajunt. Pulſari autem *Ignitegium* conſueviſſe qualibet nocte per Annum horâ 7. exceptis Feſtis, quibus Matutinæ dicantur poſt Completorium, habent *Statuta* Leichfeldenſis Eccl. in Anglia. Addidit poſtmodum Joh. XXII. ut ad pulſationem *Ignitegii* ter *Ave Maria* diceretur, quod etiamnum in Eccl. Rom. obtinere, docet C. du Freſne in *Gloſſ.*

IGNIUM Regio, *terra del Fuego* Hiſpan. *Terre des Feux* Gall. Inſ. ampliſſima, inter freta Magellanicum & Mereum, ſic dicta à Ferd. Magellano, qui primus eam detexit. In ea nulla eſt urbs, & ab Europæis tantùm luſtrata fuit, verſùs oram litor. Ejus prom. Auſtrale dicitur *Cap de Horn*.

IGNOBILES, quinam olim Romanis dicti, vide infrà in voce *Novi*.

IGNORANTES, Chriſtiani olim à Gentilibus habiti, vide ſuprà *Agreſtes*.

IGNOSCE, apud Pelagium, *l.* 15. *n.* 20. συγχώρησον, apud Sozom. *l.* 8. *c.* 17. formula eſt loquendi Monachis olim familiaris; quemadmodum Gallis etiamnum, *Pardonnez moy*. Idem.

IGNOTUS Deus, nomen erat Dei, cui Arabes, Diis ſuis quos notos habebant diffiſi, aras ſuas dedicavêrunt, teſte Giraldo *Syntagm.* 17. Idem Athenienſes feciſſe, non Pauſ. ſolùm *in Attic.* ſed & Lucas in Actis Apoſt. *c.* 17. *v.* 23. docet. Cujus rei occaſio ſecundum quoſdam hæc fuit. Philippidi Athenienſium ad Lacedæmonios auxiliorum causâ contrà Perſas legato horribile ſpectrum ſe obtulit, quod cùm ſe ab Athenienſibus neglectum, alioſque Deos ab iis cultos, graviter conqueſtum eſſet; opem promptam pollicitum eſt, ſi & ſibi ſacra feciſſent. Quare victoriâ obtentâ Athenienſes, ne in poſterum Numen hoc iratum ſibi haberent, templum aramque erexêre, cum epigraphe: Ἀγνώστῳ Θεῷ *Ignoto Deo*. Alii dicunt, cùm graviſſimâ peſte graſſante Athenienſes fruſtrà Deorum ſibi cognitorum opem precibus ſolicitâſſent, ratos malum ſibi ab aliquo ſibi ignoto fuiſſe immiſſum, erexiſſe altare, eique inſcripſiſſe: Θεοῖς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης καὶ Λιβύης, Θεῷ Ἀγνώστῳ καὶ ξένῳ, *Diis Aſiæ, Europæ & Libyæ, Deo Ignoto & peregrino*, Juſtin. Martyr, Oecumen. &c. Vide Fr. Roſſæum *Archæol. Attic. l.* 2. *c.* 1. Nec Athenis ſe Numinis hujus cultus continuit, ſed in viciniam longè lateque ſe diffudit. Unde vicinas gentes Νὴ τὸν ἐν Ἀθήναις ἄγνωστον, *Per Ignotum Athenienſium Deum*, jurare ſolitos fuiſſe, docet Lucian. *in Philopatride*. Etiam Romæ quid ſimile. Tertullian. *adv. Marcion. l.* 1. *c.* 9. *Invenio planè Ignotis Deis aras proſtitutas: ſed Attica idololatria eſt. Item Incertis Deis, ſed ſuperſtitio Romana eſt.* Burdigalæ item in Gallia, ubi aram *Ignoti Dei* fuiſſe, docet Martial. Ep. *Ep. ad Burdegal. c.* 3. &c. Aurelian. Ep. Leovicenſis *vitâ S. Martialis*. Vide Joh. à Wower & Geverh. Delmenhorſt *ad Minuc. Fel.* ubi *ignota Numina & Manes* Cæcilius jungit, non ſine ratione, adnotante Rigaltio &c. Plura hanc in rem vide ſuprà, ubi de *Idololatriæ* incunabulis. Quomodo autem occaſione hujus inſcriptionis, quam Athenis in ara quadam Ap. Paulus deprehendit, hic incolas ad veri Dei notitiam pertraxerit, vide Act. *c.* 17. *v.* 23. Simile quid quòd in Terræmotibus incerto ac innominato Numini ſacrificatum legimus, uti dicemus infrà in voce *Neptunus*. Vide quoque *Quiſquis es*. De *Ignotorum hominum*, origine, ad cœlum Terramque olim à Gentilibus relatâ, habes aliquid lemmate, *Terræ filius*.

IGORANDIS, vulgò INGRANDE, vicus Pictonum, inter caſtellum Heraldi & Croſæ ac Vingennæ confluentes poſitus: Ejus meminit Auctor *vitæ B. Leodegarii*. Item locus in Biturigibus Cubis, Cella ſ. Prioratu & Eccl. B. Mariæ clarus, vulgò *Aigurande*. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

IGUANA Mexicana, animal eſt, quod more piſcium natat ac ſub aquis degit; & more quadrupedum, veprium herbarumque inter arboreta luxuriatur, arboreſque ſcandit. Forma crocodilo ſimillimum, ſolo cutis colore differt, qui in atrum inclinat & duritie; utpote, quod ſine ſquamis terſum, ac de more ſerpentum maculoſum eſt. Per dorſi longitudinem ſpinas habet pectinatim ad caudam uſque deſcendentes, in modum ſerræ dentatas aculeataſque. Oris rictus magnus eſt, dentes modici & minuti; ungues avium unguibus ſimiles, ſed debiles & innoxii. Oviparum eſt, & magnum ovorum numerum parit, quæ guſtui gratiſſima; decem, imò viginti dierum ſpatium ſine cibo ac potu vivit. Caro dulciſſima ac maximarum in America deliciarum ac illecebrarum menſalium complementum eſt; quod ab indigenis demum Hiſpani dedicêrunt. Primi enim horum, cùm in illas plagas penetrâſſent, *Iguanam*, utpote viſu horridam, diu neglexêrunt; donec à Barbaris edocti, non niſi Magnatum illam ſervari epulis, demum guſtus ſui eam ſcitamentum fecêrunt. Georg de Sepibus *in Colleg. Rom. S. J. Muſeo* *p.* 28. Vide quoque Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 4. *c.* 62.

IGUVIUM, poſteà EUGUBIUM, vulgò GUBIO, Umbriæ opp. Cæſ. *Com. l.* 1. *Intereà certior factus* Iguvium *Thermum Prætorem cohortibus* 5. *tenere*. Cic *ad Att. l.* 7. *c.* 13. *Quid agat Domitius in Marſis*, Iguvii *Thermus*. Verùm neſcio quo fato clariſſimi hujus municipii nomen apud omnes ferè antiquos ſcriptores ſit vitiatum. Nam apud Ptol. vulgò eſt Ἰουΐον & apud Strabo *l.* 5. Ἰτουργον pro Ἰγουΐον. Item apud Plin. *l.* 3. *c.* 14. variis in exemplaribus, *Iguini*, *Inguini*, *Ingini*, pro *Iguvini*. Sed & apud Sil. Ital. Punic. Bell. *l.* 8. *v.* 459. ubi Umbriæ urbes recenſet, pro vulgaris *Inginum* & *Inginium*, reponendum erat *Iguvium*, In his,

Et infeſtum nebulis humentibus olim
Iguvium *patuloque jacens ſine mœnibus arvo*
Fulginia.

Nic. Lloyd. Nunc in Duc. Urbini, ſub Pontif. in amœna planitie, 28. mill. ab Urbino, 15. à Peruſia in Ort. 12. ab Aſſiſio in Bor. *Baudr.*

IHELON fil. Eſau ex Oholibama uxore. Gen. *c.* 36. *v.* 5. Lat. *occultus*, ſive *adoleſcens*, aut *caprea eorum*, vel *ſeculum*. Hebraicè enim יעלם dicitur.

IHONA & JONA, vulgò CHILCA, Inſ. Scotiæ. Vide *Hiona*.

IHORA, vulgò IHOR, urbs Indiæ ulter. in tractu Malaccæ, regni cogn. caput, cum portu, prope prom. Sincapuræ. Ejus Rex potens eſt in illo tractu, plurieſque Malaccam, ſed fruſtra tentavit.

IIM, civ. tribûs Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 29. Lat. *acervi*.

IKENILD-STREAT, una ex IV. publicis Angliæ viis, vide ſuprà *Ermen-ſtreat*.

ILA,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ILA, locus prope ſinum Perſicum. Eſt & Albionis parvus fluv. Ptol. in Scotia Bor. *Wiſle* Camd. In Comitat. Cathaneſia, ubi in Oc. Germ. ſe exonerat, inter Beruvium prom. ad Sept. & Varar. æſtuar. ad Mer. *Baudr.*

ILA, vide *Epidium.*

ILACURIS, Ptol. opp. Hiſp. Tarrac. in finibus Carpetanorum & novæ Caſtellæ: quod Moletius *Caros de los Infantes* dici teſtatur. Aliis *Ilarcuris* vocatur.

ILAPINASTES, cogn. Jovis apud Cyprios inde dictum, quòd magnifico apparatu, ſplendidisque epulis, quas Εἰλαπίνας Græci vocant, coleretur.

ILARCURIS, Hiſp. Tarrac. opp. Ptol. vide *Ilacuris.*

ILARGUS, fluv. Germ. Sueviam ſecat, dein cadit in Danubium, ad Ulmam. Oritur in conf. Comit. Tirolenſis, ſuprà *Oberdorff* caſtr. & Campidunum rigat; vulgò *Iler.*

ILARIS, urbs Lyciæ. *Steph.*

ILATRIA, urbs Cretæ, Steph. vulgò dicta *Elbe.*

ILBA, vel ILVA, inſ. maris Tyrrheni, diſtans à continenti 10. mill. paſſ. Plin. *l.* 3. *c.* 6. *Ferri metalla ubique propemodum reperiuntur, quippe inſ. etiam Italiæ Ilvâ gignente.* Virg. *Æn. l.* 10. *v.* 173.

—— *Aſt* Ilva *trecenos*
Inſula in exhauſtis chalybum generoſa metallis.

Sil. Ital. Punic. Bell. *l.* 8. *v.* 616.

Non totidem Ilva *vires, ſed lectos cingere ferrum*
Armârat patrio, quo nutrit bella, metallo.

Rutill.

Occurrit chalybum memorabilis Ilva *metallis.*

Nic. Lloyd.

ILCUSSUM, vulgò ILKUSCH & ILCUSSIA, opp. Poloniæ min. in Palatinatu Cracovienſi 5. mill. Pol. à Cracovia in Occ. Slaucoviam verſùs. In tractu, Severienſi Duc. dicto, celebre fodinis argentum plumbo mixtum ſuppeditantibus.

Comites & Præſules.

ILDEFONSUS I. Comes Provinciæ, poſt Raimundum Berengarium, conſanguineum ſuum. Vide *Alphonſus II. Rex Arrag.*

ILDEFONSUS II. ſecundo genitus prioris, Garſendæ Forcalqueriæ maritus, varia geſſit bella: Captus, quum Petrus Arragoniæ Regis frater ejus Romæ ageret. Pius, liberalis, ſtrenuus: Obiit, in ætatis flore, A. C. 1209. pater Raimundi Berengarii V. & Garſendæ. Noſtradamus, & Bonch. *Hiſt. Prov.* Surita *l.* 1. Ruffius *Hiſt. Com. Prov.*

ILDEFONSUS, ſ. ISLEFONSUS, ſ. ALPHONSUS, Archiep. Toletanus, Iſidori Hiſpalenſis diſcip. Opera ejus in Bibl. PP. habentur, è quibus Joh. Poſa, ſolum, de puritate Virginis, geminum ejus fœtum eſſe, ait. Obiit A. C. 667. Trithem. *de Scr. Eccl.* Voſſ. *de Hiſt. Lat.* Marian. Bibl. PP. tom. 9. *edit.* 2.

ILDERICUS, Vandalorum Rex, A. C. 525.

ILDIBALDUS, vide *Ildovadus.*

ILDICO, Attilæ uxor, A. U. C. 1036. *Blond.*

ILDOVADUS, Gothorum Rex, omnes Tranſpadanos, omnesque Venetæ regionis urbes in poteſtatem ſuam recepit, ab U. C. 1295. Blond. *l.* 5. Ejus ex fratre nepos Totilas fuit, penultimus Oſtrogothorum in Italia Rex. Vide & *Theobaldus.*

ILDUM, ſ. ILDUS, opp. Ilercaonum, nunc pag. *Salſadella*, in parte Bor. regni Valentini, vix 8, mill. ab ora maris Medit. 32. à Segobriga in Eur.

ILERCAONES, Ptol. ILERCAONENSES Liv. *l.* 22. *c.* 21. *Illurgavonenſes* Cæſ. pop. fuêre, Bell. Civ. *l.* 1. *c.* 13. ubi nunc pars Cataloniæ trans Iberum, & pars Sept. Plin. *l.* 3. *c.* 3. regni Valentiæ. Sedetanos & Edetanos habebant ad Occ.

ILERDA, opp. citer. Hiſp. in conventu Tarraconenſi, non procul à Sicori fluv. *Lerida* hodie. Luc. Civ. Bell. *l.* 4. *v.* 13.

—— *Super hunc fundata vetuſtâ*
Surgit Ilerda *manu; placidis prælabitur undis.*

Idem ibid. *v.* 144. Nunc urbs permunita Cataloniæ, ad Secorim fluv. pluries capta & tentata. 17. leuc. Hiſp. à Tarracone verſùs Bor. uti & 15. à Dertuſa, 25. à Barcinone. Baudr. Epiſcopal. ſub Archiep. Tarrac. Hiſpanis *Llerida.* Aliis *Lerida.* Præliis in vicinia geſtis, hodie & olim, inprimis Julii Cæſaris contrà Afranium & Petrejum: Academia, in qua Calixtus III. & Vincentius Ferrerius Doctores creati: Conc. tandem A. C. 524. ſub Theodorico Oſtrogoth. in Italia Rege & tutore Amalarici Viſigoth. Regis in Hiſp. Vide Tom. IV. Conc. nobilis. *Morer.* Orph. App. Alex. Civ. Bell. *l.* 2. *p.* 459.

ILERGETES, Hiſp. pop. in tractu Tarraconenſi, non procul ab Ibero amne, Plin. *l.* 3. *c.* 3. circa Ilerdam. Quorum oppida Ilerda & Oſca; urbes Burdina, Bergidum, Berguſia & Celſa. Nonnulli Urgellam urbem, Ilergetum caput faciunt, ex alluſione nominis. *Ferrar.*

ILESIUM, nomen loci. *Steph.*

ILEX, civicis apud Rom. coronis primùm adhibita. Plin. *l.* 16. *c.* 4. *Samnitium bello civica iligna primò fuit, poſtea magis placuit ex eſculo, Jovi ſacra. Variatumque & cum quercu eſt; ac data ubique quæ fuerat, cuſtodito tantùm honore glandis.* i. e. priſci in danda corona civica *ilicem* ab eſculo, eſculum à quercu propriè dicta, diſtinxêrunt: quanquam omnes hæ glandiferæ ſint. Id. *ibid. c.* 6. *Glandem quæ propriè intelligitur, ferunt robur, quercus, eſculus, cerrus,* ilex, *ſuber.* Manſitque quercui honos, in qua *glans optima in quercu atque grandiſſima. Nam præter glandem ilicis, quam Homerus acylon vocat, eoque nomine à glande diſtinguit: quæ & ipſa eſt brevior & gracilior robori eſt parva, cerro triſtis.* Proximum genus A. Gell. *l.* 5. *c.* 6. *ilex, ſicut ſcriptum eſt in quadam Comœdia Cæcilii, Advehuntur inquit, cum iliginea corona, & chlamyde,* Symbolum eadem fertilitatis habita, quotiesque ipſa ferax eſt, inſequentem annum fertilem fore creditum, Conſtantinus Cæſ. *l.* 11. *c.* 15. Fuit autem religioſè habita, antiquiſſimis jam temporibus. Plin. iterum *l.* 16. *c.* 44. *Vetuſtior autem urbe in Vaticano* ilex, *in qua titulus æreis literis Hetruſcis, religione arborem jam tum dignam fuiſſe, ſignificat.* De cujus uſibus aliis, vide eund. *l. cit. c.* 8. Cæterùm *Ilicis* genera duo, unum folio minùs aculeato & oleis ſimili; alterum aculeatis foliis, unde *aquifolia* hæc ilex dicta: quæ præter glandem producit κόκκον φοινικοῦν, *coccum ex puniceo nigricantem*; ſed quem cum cocco βαφικῷ ſ. *tinctorio*, qui & abſolutè κόκκος, malè confundit Auctor ſæpius dictus *loco modò cit.* qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 268. & *ſeqq.* Vide quoque ſuprà, ubi de *Cocco*, item in voce *Cuſculia.* Addam hîc ſaltem, *ilicem cocciferam*, quæ de genere eſt ilicum aquifoliarum, fruticem eſſe parvum, qui nunquam inſtar arboris ſurgendo aſſumat. Ejuſdem granum cinerei coloris eſt, nec naſcitur niſi in calidioribus locis. Præterea eadem arbor, quæ coccum novella tulit, ubi in tantum adolevit, ut glandem generare poſſit, non ampliùs coccum tingendo generare: majuſculuſque frutex qui glandem fert, ab Hiſpanis *carraſca*; minor, qui cocco fœcundus eſt, *coſcoia*, ex antiqua voce *cuſculium*, appellari hodieque, dicitur. Salmaſ. *ad Solin. p.* 962.

ILIA, quæ & *Rhea*, Numitoris Albanorum Regis filia, quam Amulius, pulſo jam Numitore fratre, & interfecto ejus fil. Lauſo, Virginem Veſtalem fecit, ut ſub ſpecie honoris ſpem partûs ei adimeret. Verùm cùm illa aquam è Tyberi ad obeunda ſacra peteret, in ripa fluminis obdormivit, & in ſomnis ſibi viſa eſt à Marte comprimi, & ſic gemellos concepit: quos cùm peperiſſet, exponi juſſit; matremque Iliam vivam apud Tyberim fluv. infodi, unde Poëtæ eam Tyberi nupſiſſe fingunt, qui ob id quoque *Uxorius amnis* ab Horat. *Carm. l.* 1. *Ode* 2. *v.* 19. dicitur.

Jove non probante
Uxorius amnis.

ILIA implicare, veræ luctæ ſchema, Stat. *Theb. l.* 6. *v.* 886.

—— *tergo nec opinus inhæret,*
Mox latus & firmo celer implicat ilia *nexu.*

Quod *vitalia contorquere*, dicit Trebell. Pollio *in Claud.* Græci ἐγκοίλια θλίβειν; μεσολαβεῖν quoque ſeu potiùs μεσοπέρδειν, Pollux: qua voce ſchema hoc palæſtricum inſignitum eſt, quòd, quibus vehementi nexu *ilia* ſtringerentur, plerunque ventris crepitum emitterent. Inde itaque elogium veteris Athletæ, ὃ μέσα οὐδεὶς ἔλαβε, *cujus vitalia nemo contorſit* &c. At non licebat, in militari illa luctandi ratione, quæ, ludicri tantùm & exercitationis gratiâ inſtituta, non tam ſeveris legibus peragebatur: Tum enim nec nudi luctabantur, ut mos erat, in Græcia luctantium; nec vitalia & τὰ μέσα, ſed eorum loco baltheum, ſibi invicem contorquere ſolebant. Unde Claud. II. Imp. cùm adoleſcens in ludicro Martiali iſtiuſmodi certamen obiret, *iratus ei, qui non baltheum, ſed vitalia ſibi contorſerat, omnes dentes uno pugno excuſſit*, apud Capitolin. præfat. ad quem vide Salmaſ. *Notas.* Cæterùm de *Ilibus* vide Plin. *l.* xi. *c.* 37. Riolan. Bartholin. alios *Rei Anatomicæ* Scriptores. *Ilia apri*, in deliciis Vett. recenſet Mart. *l.* 10. *Epigr.* 45. cujus Epigraphe in *delicatum lectorem* carmen ſuum nauſeantem, *v.* 3.

Hoc, tu pingue putas, & coſtam rodere mavis,
Ilia *Laurentis cùm tibi demus apri.*

Apud Plin. verò, ubi de navibus Taprobanitarum, *Magnitudo*, inquit, *alterna ilium ad forum*, *l.* 6. *c.* 22. *Ilia* ſunt, τὰ ἐγκοίλια, *coſtæ*, *latera*, metaphora ab animantibus deſumpta, *forus*, τὸ καταςρωμα. Dicit is autem, ilium magnitudinem alternam fuiſſe in navibus Taprobaniticis, quia plana erant illorum magnitudinis: alternum enim παράλληλον, ὅμοιον, ἴσον. Atque hoc eſt, quod de iiſdem Strabo ſcribit, ἐγκοίλια eos non habere, quia ſc. plana illis latera, non carinata, nec panda eſſent. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1116.

ILIANTUM, vulgò ILANTZ, opp. in Rhætia in fœdere ſup. ſ. Cano, habitatum à Griſonibus. Sub quo *Glenner* fluv. ex valle Lugnitia deſcendens, ab hoc Rheni fonte à dextris ſuſcipitur. Hîc colloquium de Religione celebratum eſt. A. C. 1526. præſentibus omnium trium fœderum Eccleſiaſtis. Occaſio fuit calumnia Vicarii Curienſis, quâ ipſe Joh. Dorffmanni Paſtoris S. Martini in urbe Curia, reliquorumque in tribus Fœderibus Euangelii Miniſtrorum doctrinam impetere non fuit veritus. Interfuit inter alios colloquio Sebaſtianus Hofmeiſterus S. T. D. & Reformator Eccl. Scaphuſianæ. Vide Leonh. Meyerum *de Ref. hujus Eccl.*

ILIAS, Homeri opus clariſſimum, ab eo dicta, quòd bellum Helenæ contineat apud *Ilium* inter Græcos ac Trojanos ob raptum geſtum. Quoniam verò hoc in opere nullum mali genus non recenſetur, factum eſt, ut *Ilias malorum* pro omni genere calamitatis accipiatur. Hanc *Iliadem* in nuce incluſam tradidit Cic. Plin. *l.* 7. *c.* 21. Herod. lib. de vita Homeri *c.* 16. Item mulier Trojana. Unde *Iliades.* Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 483.

—— *Ad templum non æquæ Palladis ibant*
Crinibus Iliades *paſſis.* ——

Ponitur & pro Æneide Virgiliana, de qua Prop. *l.* 2. *Eleg.* 34. *v.* 65.

Cedite Romani ſcriptores, cedite Graii,
Neſcio quid majus naſcitur Iliade.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ILIAS Parva, Græcè Ἰλιὰς μικρὰ, Græcum eſt poëma, (pars Cycli Epici, de quo ſuprà) cujus Leſches auctor, poëta Lesbius, Ilii excidium eo decantabat. Hier. *ad Olymp.* 30. *Alcmæon clarus habetur & Leſches Lesbius, qui parvam fecit Iliada.* Ex ea verſum hunc,

Καί κε γυνὴ φέροι ἄχθος ἐπεὶ κεν ἀνὴρ ἀναθείη,

qui in *Equitibus* Ariſtoph. legitur, deſumptum eſſe, adnotat Scholiaſtes. Ἰλίου πέρσιν vocat Pauſ. & quidem unicus, ἐν Ἰλίου πέρσει laudans Leſchem, cum Ἰλιάδα μικρὰν reliqui conſtanter vocent. Et ſanè *Ilias* hæc, cùm decantaverit Ilii vaſtationem, reverà potuit etiam hoc titulo inſcribi. Sed proprius hic titulus tragœdiæ fuit, ex *parva Iliade* deſumptæ uti Ariſtot. docet, ubi tragœdiarum argumenta utplurimum ex opere & carmine Epico depromi conſueviſſe oſtendit, *de Poët. c.* 23. Alia itidem fuit Ἰλιὰς ἐλάττων, *Ilias muſcula*, quam apud Theſtoridem Homer. compoſuiſſe ſicque ad diſcrimen majoris Iliadis appelâſſe dicitur Herod. qui ejus initium hoc fuiſſe ait,

Ἴλιον ἀείδω καὶ Δαρδανίην εὔπωλον,
Ἧς πέρι πολλ' ἔπαθον Δαναοὶ θεράποντες Ἄρηος.

Ea enim eadem cum τοῖς Κυπρίοις, ſ. Κυπρίᾳ Ἰλιάδι, quam nonnulli Staſimo aſcribunt, Læviusque vetuſtiſſimus poëta, Chariſio Soſipatro laudatus, Latinè vertit, *Cypriæ Iliados* nomine, vide ſuprà in voce *Cypria*; & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 852. & *ſeqq.*

ILIBERIS, vide *Illiberis*.

ILICET, q. *ire licet*, in funeribus olim Rom. conſumpto cadavere, & collectis cineribus, dici ſolebat. Quò Virg. reſpiciens *Æn. l.* 2. *v.* 424. *l.* 4. *v.* 650. & *l.* 6. *v.* 231.

——— *Dixitque noviſſima verba*,

Et ſic qui funus proſequutus erat populus, ad Lares ſuos remittebatur: de quo ritu vide ſuprà, ubi de *Cadaverum Cura*, & plura hanc in rem, apud Alex. ab Alex. *Genial. Dier. l.* 3. *c.* 7. Sed & re divinâ & cerimoniis concelebratis eadem vox à Sacerdote ſucclamabatur, ſicque, qui ſacris interfuerant, miſſos is faciebat, in eadem gente: quemadmodum apud Græcos functus myſterio Sacerdos λαοῖς ἄφεσιν renuntiabat, qua de re vide eund. *l.* 4. *c.* 17. Simile quid in Eccl. Latina & Græca factum olim, ut videre eſt inſtà in voce *Miſſa*: & plenius apud Cl. Suicer. in vocibus, Ἀπόλυσις & Ἀπολυτίκιον, quorum hoc erat troparium ultimo loco, ante dimiſſionem populi recitari ſolitum, illud ipſa dimiſſionis apud Græcos formula &c

ILIENSES, pop. Sardiniæ antiquiſſimi, circa medium illius incolentes, Pomp. quorum tractus *Ilena*, teſte *Pineto*.

ILIENSIS Minerva, in *Fragm.* Ulpiani, ab *Ilio* Phrygiæ minoris Civ. dicta eſt: cujus Civitatis meminit Plin. *l.* 5. *c.* 30. ubi immunem eam fuiſſe dicit & ab ea omnium rerum effulſiſſe claritatem, vide *l. non ſolum ff. de excuſ.* Hinc itaque & *Ilienſi Minervæ* id juris tributum eſt à Rom. ut ei legari poſſet. Vide omnino de *Ilienſium* privilegiis, Cujac. *Obſerv. l.* 10. *c.* 5. laudatum Joh. Calvino *Lexic. Jurid.*

ILINGÆ, Germ. pop. Ptol. qui *Elyſii* Tac. de morib. Germ. *c.* 43. eſſe videntur. Horum urbs *Leigneitz*, teſte Ortelio in Sileſia inter Gorlitium ad Occ. 9. & Vratiſlaviam ad Ort. 6. leuc.

ILIONE, Priami filia natu maxima, Polymneſtoris Thraciæ Regis uxor. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 657.

Præterea ſceptrum Ilione *quod geſſerat olim*,
Maxima natarum Priami.

ILIONEUS, nomen Trojani Phorbantis, fil. qui deleto Ilio Æneam in Italiam ſecutus, & quoniam eloquentiâ plurimum pollebat, legationibus aliquot ab eo præfectus eſt. Serv. *in Æn. l.* 1. *v.* 525.

ILIONEUS, Artabani, Principis purpuratorum fil. à Parmenione, prope Damaſcum, captus. Curt. *l.* 3. *c.* 13.

ILIPA, Morali *Calamea en la Serena*, opp, Extremaduræ Luſit. à Metallino & Zephyra 12. leuc. ab Emerita 18. in Auſtr. Item, opp. Hiſp. Bæt. *Elipla*, in *l.* Conc. nunc *Niebla*. opp. Liv. *l.* 40. *c.* 1.

ILISSUS, amnis in Attica regione, per fines Athenienſium fluit, ipſaſque Athenas ex adverſo Cephiſi alluens, mari ad Piræum excipitur: Muſis dicatus, quas ab eo *Iliſſidas* vocant. Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 52. & ſeqq. videtur hunc fluv. Furiis conſecrare, cùm ait:

——— *Anfracta riparum incurvus* Eliſſos,
Sævus honos fluvio! Stygias luſtrare ſeveris
Eumenides perhibentur aquis.

Idem, *l.* 12. *v.* 631.

Celavit Geticos ripis Iliſſos *amores.*

Nic. Lloyd. Græcè Ἰλισσὸς, quaſi Εἰλισσὸς, à *recurvo* & *flexuoſo curſu*. Seneca in *Hippol.* Act. 1. *v.* 13. & ſeqq.

Ubi par glacie, lenis Iliſſus,
Ubi Mæander ſic per inæquales
Labitur agros, piger & ſteriles
Amne maligno radit arenas.

Sed Statio non Atticæ hunc fluv. verùm alium haud longè Sicyone, qui Ἐλισσὼν Pauſ. *in Corinthiac.* indigitari *l. c.* docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 836. ubi alium cognominem in Arcadia quoque occurrere, addit. Vide in voce *Eliſſus* Jac. Spon. hodieque vet. nomen retinere, ſed aliquando planè exſiccari, atque in ejus alveo *Callirhoen* ſontem ſcaturire, refert *Itin. part.* 2. *p.* 209.

ILISSUS, urbs Atticæ, Steph. & fluv. Imbri inſ.

ILITHYA, Dea parturientium, quæ & Juno Lucina. Horat. *in Carm. Sec. v.* 14.

Lenis Ilithyia *tuere matres*

Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 283.

Præpoſitam timidis parientibus Ilithyiam.

Idem Amor. *l.* 2. Eleg. 13. *v.* 21. Itaque & Græci pro partu ipſo dixêre *Ilithyiam*, ut Oppian. *Halieut.* 4. ubi non modò mulieribus, ſed etiam piſcium ſexui femineo partus ait eſſe difficiles:

——— *Οὐδ' ἄρα μοῦνον ἐπιχθονίοισι γυναιξὶν*
Ἄλγεα, πάντη δ' εἰσὶν ἐπαχθέες Εἰλείθυιαι.

Etymon ex Or. petendum eſt. Eſt autem ab ילד *jeled*, h. e. *partus, proles, puer*, vel *puella*, hoc ab *jalad*, quod tum de viris dicitur, qui gignunt, tum de mulieribus, quæ pariunt. Item civ. in Ægypto. Steph. Nic. Lloyd. Eadem Græcis Ζυγία quoque dicitur. Eam parturientes advocare ſolebant, teſte Eurip. *in Ione*:

Σὲ τὰν ὠδίνων λοχίαν
Εἰλείθυιαν ἐμὰν
Ἀθάναν ἱκετεύω,
Te partuum obſtetricem
Eilithyiam, *meamque*
Minervam obſecro.

Sic Nonnus, *Dionyſ. l.* 1.

Ἑπτάκις Εἰλείθυιαν ἑῇ καλέουσα λοχείῃ.
Septies Ilithyiam *ſuo vocans partui.*

Puerperæ eidem vota nuncupârunt, haſtas conſecrârunt, publico vaccas nomine immolaturæ, & ne quid deeſſet, nummis cuſis monumenta erexêre. Vota eleganter expreſſit Propert. *l.* 2. *Eleg.* 1. *v.* 39. & ſeqq.

Idem ego cum Cynaræ traheret Lucina dolores,
Et facerent uteri pondera lenta moram.
Junonis votum facite impetrabile, dixi:
Illa parit.

Cujus rei etiam memoria in Inſcriptionibus, ut in illa Gruteri *p.* 41. *Dianæ. Lucinæ. Invictæ. Cn. Pompejus. Cn. Lib. Barbus. Procurat. tibicen. Rom. voto. ſuſcepto. L. M.* Suid. non unam tantùm, ſed plurimas *Ilithyias* protulit, Deas parturientibus aſſiſtentes. Vide Thom. Bartholin. *de Puerp. Vett.*

ILITURGIS ſ. ILLITURGIS, Bæticæ Urbs, Plin. *l.* 3. *c.* 4. cui *Forum Julium* cognominatur, ad Bætim fluv. à Scipione, unà cum Caſtulone, quòd ad Pœnos defeciſſent, everſa. *Andujar el Viego* Ambr. Morali. 3. mill. paſſ. ab *Andujar*. Corruptè *Ilurgis* Ptol. *Baudr.*

ILIUM, civ. propriè Trojana, nam *Troja* regio eſt, à Græcis everſa, poſteà reparata. Sedes fuit Ep. ſub Archiep. Cyziceno, modò jacens, & adhuc *Troja* dicta, 13. mill. paſſ. a Dardano urbe. De ejus ruderibus, vide P. de la Valle, *Itin. tom.* 1. *Ilios* fem. gen. poëtis dicitur Ovid. Heroid. *Ep.* 1. Penelope Ulyſſi *v.* 47.

Sed mihi quid prodeſt veſtris disjecta lacertis
Ilios?

Idem de Arte Am. *l.* 1. *v.* 365. Hor. *Carm. l.* 4. *Ode* 9. *v.* 18.

——— *Non ſemel* Ilios
Vexata:

Hinc *Ilius*, ut *Ilia tellus*. Item *Iliacus*. Horat. *l.* 1. *Ep.* 2. *v.* 16.

Iliacos *intra muros peccatur & extra.*

App. Alex. Pun. Bell. *p.* 1. Plin. *l.* 5. *c.* 30. Strabo *l.* 13. *p.* 581. & 592. Herod. *l.* 2. *c.* 10. Liv. *l.* 35. *c.* 43. & *l.* 37. *c.* 9. Hinc Apollo *Iliensis*. *Steph.*

ILL, qualis Vett. nota? V. *N.*

ILLA, fluv. Galliæ *Lille*, in Aquit, Oritur in prov. Lemovic. dein per Petrocorios, ubi Veſunam primar. reg. rigat & Muſſidanum opp. poſteà ad Curracum Dormiam fluv. recipit: Tandem infrà Liburniam in Duranium fluv. ſe exonerat.

ILLÆ Res, apud Arnob. *adv. Gentes l.* 3. ubi de Principe, *Circumferentem res illas*: Lucretio *Veneris res* dicuntur de Rer. Nat. *l.* 1. *v.* 556. *l.* 3. *v.* 771. & *l.* 5. *v.* 845.

Nec potuêre cupitum ætatis tangere florem;
Nec reperire cibum; nec jungi per Veneris res.

Ἐμφατικῶς autem addit *Illæ* pronomen, quo eleganter utebantur Vet. quum partes illas, quumque earum uſum ſignificarent Catull. *Carm.* 8. *v.* 6.

Ibat illa multa *& tam jocoſa fiebant*,

Eleganter illa multa, τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια κεῖνα λέλειπται, in Sardanapali monumento. Plaut. *Amphit. Prologo, v.* 104.

Nam ego vos noviſſe credo jam, ut ſit Pater meus;
Quàm uber harum rerum multarum ſiet:

Hæc multa, Illa multa, hæ res multæ dicuntur voluptates & Veneris nequitia ac ludus. *Matiarum* tamen in hoc Plauti loco alii legunt, i. e. mollium, ex Græco Μαλθακὸς &c. Sic verò & Ariſtoph. πάντα ταῦτα dicit in *Pluto*.

——— *Ἦν δέ μοί τι μειράκιον φίλον,*
Πενιχρὸν μὲν ἄλλως δ' εὐπρόσωπον καὶ καλὸν,
Καὶ χρηστὸν· εἰ γάρ του δεηθείην ἐγὼ,
Ἅπαντ' ἐποίει κοσμίως μοι καὶ καλῶς.
Ἐγὼ δ' ἐκείνῳ πάντα ταῦθ' ὑπηρέτουν,

Vide Deſid. Herald. *Animadverſ. Arnob. p.* 133.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ILLARCO, Plin. *l.* 3. *c.* 1. opp. Caſtellæ novæ, medium ferè inter Toletum & Valentiam; vulgò *Alarco.*

ILLATIO, in Miſſa Mozarabica, eſt id quod in miſſa Rom. *Præfatio* dicitur, quæ in ſingulis Miſſis propria eſt, C. du Freſne in *Gloſſ.* & Dom. Macro in *Hierol.*

ILLE, inſignis aliquis præ cæteris. Stat. *Achill. l.* 2. *v.* 72.

—— velut ille *cubilia prædæ.*
Indubitatâ tenens multo legit arva Moloſſo
Venator

Vide Scholiaſt. vet. *ad l.* Sic apud eund. *Theb. l.* 2. *v.* 469. de apro, Dianæ immiſſo,

—— Vindex ſic ille *Dianæ,*

inſignis bellua voce notatur. Eadem velut præſentem aliquem talem exhibet & ob oculos poſitum, ipſo prope digito demonſtrat. Val. Flacc. *Argon. l.* 2. *v.* 300.

—— Ille procul truncâ fugit anxius alno.

Cum pronom. *ego* conjuncta, gloriantis eſt: Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 1.

Ille *ego, qui quondam* &c.

De quo uſu poëtarum vide Gul. Canterum *Nov. Lect. l.* 3. *c.* 26. Ovid. *Triſt. l.* 4. *Eleg.* x. *Initio.*

ILLEX Columba, vide ſuprà *Columba Allectatrix.*

ILLIBERIS, ubs Gall. Narb. per quam, ut & Ruſcinorum, Hannibal, ex Hiſpania per Gallias in Italiam tendens, interfecit, Plin. *l.* 3. *c.* 1. Liv. *l.* 21. *c.* 3. A' fluv. cogn. dicta, qui Melæ quoque *Ticis*, vulgò *Tec* hodiè, parvus eſt, verùm ubi accrevit, perſævus. *Caucoliberis*, poſterioribus ſcriptoribus, Hiſpanis *Colibre*, Gallis *Côlioure*, vide *Caucoliberis*: & Mendoſam ad Conc. *Illiberitanum*, ubi duplicem in Hiſp. fuiſse docet.

ILLIBERIS, ſ. ELLIBERIS, urbs Archiepiſcopal. Hiſp. Bæticæ, hodiè *Elvire* locus ſ. pagus dicitur, à Granato, quæ illi ſucceſſit, & nova Illiberis dici poteſt. 2. leuc. diſtans. Cognomen *Florentiæ* habuit, in lapp. antiquis. Pop. *Illiberini.* Plin. *l.* 3. *c.* 4. Liv. *l.* 21. *c.* 61.

ILLICE, P. Melæ; *l.* 2. *c.* 6. *Ilicias* Ptol. opp. Hiſp. Tarrac. Epiſcopal. ſub Archiep. Toletano, ad Sarabim fluv. in regno Valentiæ. *Elche* hodiè, his *Alicante.* Quibuſdam quoque *Leiche*, opp. fuit Conteſtanorum, nunc regni Valentini, versùs oram maris Mediter. à qua 4. leuc. abeſt. Baudr. Unde *Sinus Illicitanus.* Vide Voſs. *ad P. Mel. p.* 191. Plin. *l.* 3. *c.* 3.

ILLICIAS vel ILICIAS, aliis *Lucena* eſt, opp. Hiſp. Tarr. in ora regni Valentiæ. Aliis idem quod *Illice*, *Lucena* enim opp. eſt inter Segobiam urbem & opp. S. Matthæi, longè à ſitu *Illiciæ* diſtans, *Ferr.*

ILLIPULA (opp. Hiſp. Bæt. geminum) major, & minor. Major Ἰλλίπυλα μεγάλη Ptol. *Ilipa* Plin. *l.* 3. *c.* 1. *Penaflor* hodiè, teſte Mor. opp. fuit Turditanorum, nunc Vandalitiæ, in colle, paulo infrà confluentes Singulis in Bætim. Minor in Turditanis eſt apud Luſitan. conf. *Ilipa* itidem Liv. *l.* 40. *c.* 1. Strab. *l.* 3. *p.* 141. 142. & 174.

ILLITURGIS, vel ILITURGIS, ILURGIA Polyb. urbs Hiſp. Baeticae exciſa ad Bætim fluv. à Scipione, unà cum Caſtulone, quòd ad Pœnos defeciſsent, everſa *Lietor* Marianæ. Alii *Jaen*, & alii *Aldea el Rio* eſse putant. Vide *Iliturgis.* Plin. *l.* 3. *c.* 1. Liv. *l.* 23. *c.* 49. & *l.* 33. *c.* 19.

ILLUMINATI, apud Scriptores Eccl. pro *Baptizatis*, eo quod in Baptiſmi ritibus etiam is eſset, ut, poſt indutam veſtem candidam, ſanctitatis ac innocentiæ teſtem, cereus accenderetur, in ſignum fidei gratiæque acceptæ. Vide Greg. Turon. *Hiſt. l.* 5. *c.* xi. alioſque laudatos C. du Freſne *in Gloſſ.* Unde *Illuminatorium*, in *Vita* S. Marci Presbyteri, pro *Baptiſterio*, apud Dom. Macr. in *Hierol.*

ILLUMINATI, vulgò *Alumbrados*, in Hiſp. Secta, exorta A. C. 1575. mox authoribus Cordubæ, Inquiſitorum vigili induſtriâ, capite multatis, ſuppreſsa, iterum lacertos movit, A. C. 1623. in diœceſi Hiſpalenſi, tanto quidem vigore, ut perſecutione abſtinendum fuerit, & ſpe veniæ illos revocari conſultius fuerit viſum. Quod cùm non prodeſſet, vis imprimis in Luſitania admota: Unde multarum familiarum fuga. Hos, inter alia, vi orationis mentalis & unionis cum Deo, hominem eò perfectionis ſubvehi, docuiſſe, ut neque Sacramentis, neque bonis operibus illi opus, &c. referunt quidam: Alii eadem cum Euangelicis credidiſſe ſtatuunt. Et certè jam A. C. 1555. Hiſpali Eccl. occulta erat 300. hominum, at perſecutione mox obortâ, Joh. Pontius Comes, Joh. Conſalvus, Joh. Ægidius, concionatores Hiſpalenſes combuſti: paſſus Garſias Arias, qui primus veram religionem in Iſidori ſodalitium intulerat, plurimique alii; nec parſum Conſtantino Pontio, qui, paulò ante Caroli V. confeſſionarius, uſtulatus ſimiliter eſt. Flammâ etiam Pinciam delatâ, ubi ſpectante Phil. II. Rege ex præcipua nobilitate 28. igne conſumpti Thuan. *Hiſt. l.* 23. *l. Inquiſit. Hiſp.*

ILLURCIS, Iberiæ urbs, Hiſp. Tarr. ſcilicet, poſteà à Sempronio Graccho, *Gracchuris* dicta. *Steph.*

ILLURO, *Alaro*, teſte Mor. opp. olim Laletanorum, nunc pagus Hiſp. Tarr. in Catalaunia, qui *Diluron* Ptol. dici videtur. Multis eſt *Arenys*: in ora maris Medit. inter Blandam, ad Ort. & Barcinonem, in Occaſ. Aliis eſt *Mataro*, in illo tractu. Baudr. Vide quoque *Iluro*, Plin. *l.* 3. *c.* 3.

ILLUSTRES, dicti ſunt apud Rom. olim Equites inſigniores, quos jus laticlavi non ſecus, ac Senatores habuiſse, ex Dione notavit Lipſ. *ad Tac.* Ita autem Dio *l.* 59. *Cujus, cùm ordo Equeſtris ad paucos redigeretur, primores ex omni Imperio, etiam extra Italiam, qui genere & opibus excellerent, in eum allegit, & quibuſdam eorum etiam* ἐσθῆτι τῇ βουλευτικῇ, *Senatoriâ veſte, priusquam Magiſtratum ullum cepiſſent, uti conceſſit in ſpem dignitatis.* Quòd tamen non diu obtinuiſse illud declarat, quòd Præfecti Prætorio, qui ferme ex Equitibus legebantur, laticlavi jus non habuêre. Non ſolùm autem Equites ipſi *Illuſtres*, ſed & filii eorum idem jus habuêre: quod Ovid. teſtimonio confirmant Eruditi, *Triſt. l.* 4. *Eleg.* x. *v.* 27. & ſeqq.

Interea tacito paſſu labentibus annis,
Liberior fratri ſumpta mihique toga eſt:
Induiturque humeris cum lato purpura clavo.

Qui ubi ad ætatem Senatoriam pervenêre, ſi nolebant, aut non poterant in ampliſſimum ordinem adſcribi, anguſtum clavum reſumebant: Idem poëta, Ibid. *v.* 33.

Curia reſtabat, clavi menſura coacta eſt,
Majus erat noſtris viribus illud onus.

Vide Octav. Ferrar. *de Re Veſt. l.* 3. *c.* 14. Poſtmodum ſic dicebantur, qui inter Honoratos principem tenebant locum, *Clariſſimis* & *Spectabilibus* digniores, ut apparet ex *Nov. de appellat. & intra quæ temp. ad fin.* & ex *l. un. C. de ratiocin. oper. publ.* ut & ex *ult. Cod. de Sportis* &c. Unde non tributus hic dignitatis gradus, niſi *Præfectis Prætorio, Præfectis Urbis, Quæſtoribus, Magiſtris militum, Magiſtris officiorum, Comitibus rerum privatarum, Comitibus domeſticorum, Principibus agentium in rebus* &c. quod pluribus docent Briſſon. Panciroll. Sirmond. & Joh. Selden. *de tit. Honor.*. Atque de his interpretantur eruditi *Illuſtrem dignitatem* & *Illuſtrem adminiſtrationem*, in *Conſtitutionibus*, *leg.* 32. & *leg.* 36. *C. de appellat. l.* 63. & 65. *de Decur. l.* 10. C. nec non *Illuſtratus* dignitatem, apud Caſſiod. *Ep.* xi. *l.* 6. & *Illuſtratus gradum*, in *l.* xi. §. *ſin autem utraque*, C. *de Jud.* Fuêre autem *Illuſtrium* virorum gradus, alii majores alii minores: Namque Præfectus Prætorio major erat Magiſtro officiorum, licèt uterque *Illuſtris* eſſet, Cujac. *l. ult. de dignitat.* C. *l.* 12. Præterea 5. gradus *Illuſtrium Virorum* habet *Novella* Valentiniani *tit. de Honoratis*, è quibus *Illuſtres adminiſtratores* præcipui, quippe qui omnibus *Illuſtr. vacantibus* & *Illuſtribus honorariis* præferuntur: Illuſtribus autem adminiſtratoribus adnumerantur Vacantes, qui non ſunt otioſi, ſed dignitatem aliquam ordinariam gerunt: Veluti Germanus, Magiſter militum vacans contra Wandalos Dux magna cum claſſe miſſus à Theodoſio, jam non pro vacante Illuſtri, ſed pro adminiſtratore, habetur. Ducatus ipſe ordinarius eſt, h. e. clariſſimus vel perfectiſſimus. Vide Cujac. *l.* 1. *de primicerio & ſecundicerio & Notariis* C. *l.* 10. apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* ut & ſuprà in voce *Honorarii*, & infrà *Nobiliſſimus.* Apud Francos quoque, ſtirpe primâ & ſecundâ Regum ſtante, diu hæc dignitas viguit, cùm Reges ipſi, & poſt eos Majores domûs *Viros illuſtres* ſemet indigitarent, ut ex *Diplomatibus* eorum colligere eſt, apud Doublet. *in Hiſt. Sandionyſ. paſſim.* Ad quos verò hic titulus ſpectaverit, inclinato jam Imperio, diſcimus ex *Speculo Saxon. l.* 3. *art.* 58. *Nullum eſt feudum vexilli, de quo poſſit* Illuſtris *vel Princeps fieri, niſi illud ſibi à Rege conferatur. Feudum alii prius collatum, ſequenti illuſtriam non tribuit dignitatem*, apud C. du Freſne *in Gloſſ.* Vide quoque Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce Ἰλλούστριος.

ILLYBIRRIS, vide *Illyberis.*

ILLYBIRRIS, Gall. Narbon. fluv. Eundem eſſe cum *Thici* Melæ, *l.* 2. *c.* 5. & 6. & hodiè *Tec* dici docet Varrerius. *Illeris* Ptol. *Illebernis* Athen. dicitur. *l.* 8. *c.* 2.

ILLYRICUM, quòd ILLYRIS Ptol. & Lucano Civ. Bell. *l.* 4. *v.* 433. *Illyria* Steph. regio eſt in ora maris Hadriatici, Italiæ oppoſita, cujus termini non ab omnibus iiſdem limitibus circum ſcribuntur. Plin. *l.* 3. *c.* 21. 22. & 26. enim hanc inter Aſium & Titium fluvios conſtringit. Ptol. verò eam ab Hiſtria ad Macedoniæ uſque confinia ſecundum maris litora producit: mediterranea ejus ad Pannones & Mœſiam ſup. extendit. Multo ampliorem eam deſcribit P. Mela; & Dionyſius totam maris Hadriatici oram à Tergeſto uſque ad Ceraunios montes Illyriis adſcribit. Danubium etiam intrà ejus amnes numerat Pomponius. Strabo, *l.* 2. *p.* 123. & *l.* 7. *p.* 313. eam Macedoniae ac Thraciae propinquam facit. Sed omnium latiſſimè Illyrici fines extendit App. Alex. quem vide ſis initio *l. de Bell. Illyr.* Populos ab *Illyrio* Cadmi fil. dictos perhibet Euſtathius. In duas regiones ferè dividi ſolet, Liburniam ad Occ. & Dalmatiam ad Ort. Vulgò *Schiavonia* in univerſum hodiè appellatur. In Illyricam urbem relegatus eſt Euſtathius Antioch. Præſul, A. C. 326. Pix Illyrica commendatur Ovid. *l.* 2. *De Arte Am. v.* 658.

Nigrior Illyricâ *cui* pice *ſanguis erat.*

Baudr. *Illyricum* antiquum regio aprica atque amœna eſt, ſolo fertili ac vitifero, niſi quòd ubi Pannoniis proximum, aſperius paulò duriuſque eſt: proprios habuit Reges: Terminabatur Titio flumine & montibus Scardo & Ceraunîis. Regione autem à Rom. qui Liburniam edomuêrunt A. U. C. 525. Annis 10. ante ſecundum bellum Punicum, Dalmatiâ demum ſub Aug. occupatâ: ejus pars, quæ intra Drilonem fluv. & montes Ceraunios continebatur, tractu temporis in Macedonicum nomen tranſiit, & Epirus nova dicta fuit. Sed Illyricum regnum reſtrictum fuerat inter flumina Naronem & Drilonem: poſteà tamen extendebatur uſque ad Carnos; ita ut comprehenderet Illyricum proprium, Dalmatiam, Liburniam, tres Japidias, Carnos, & Iſtriam. App. Alex. Bell. Civ. *l.* 2. *p.* 452. *Illyricum* autem *proprium* erat ea regio, quæ intra amnes Naronem & Drilonem ſita, victo Gentio ejuſdem Rege, à Rom. in provinciam redacta fuerat. Sub Aug. Japidia prima cum Iſtria & Carnis Italiæ additae fuêrunt. Sed poſteà Imperio Rom. diviſo in Orientale & Occidentale, Illyricum etiam ſimili modo diviſum fuit. *Illyricum Occidentale* habebat has provincias, Noricum Mediterraneum, Noricum Ripenſe, Pannoniam ſuperiorem, Pannoniam inferiorem, Saviam, Valeriam, Dalmatias, quæ cùm Præfecto Italiæ parerent, exinde Dalmatiæ uti Italiæ proximæ, inter Italicas provincias aliquando cenſitæ fuêrunt. *Illyricum Orientale* habebat diœceſes Macedoniam & Daciam. Sub Macedonia erant Achaia, Macedonia, Theſſalia, Creta, Epirus vet. & Epirus nova. Sub Dacia erant Dacia Mediterranea, Dacia Ripenſis, Mœſia prima, Mœſia ſecunda, Dardania, & Prævalitana, quæ Praefecto Praetorii Illyrici parebant. Quamobrem auctores, quando Illyricum nominant, ut plurimum de Illyrico Orientali intelligendi ſunt. Poſt Romanos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

nos Gothi regionem vaſtârunt, quibus Sclavonii, à Mæotide palude ſucceſsêre: in hos poſtmodum Hungari imperium tenuêrunt, donec Turcæ, his oppreſſis interiora ſibi vindicârunt: Venetis in hunc uſque diem maritimam oram obtinentibus, exceptis duabus civitatibus, Scardonâ, quæ Turcici juris, & Raguſio; quod ſui eſt. Illyricum hodiernum apud auctores Latinos continet Dalmatiam, Croatiam, Boſnam, & Sclavoniam. Ab Italis verò uno nomine *Schiavonia* dictum fuit, & *Eſclavonie* à Gallis. De quibus fuſiùs Joh. Lucius Tragurinus vir doctiſſimus *in ſuo opere de regno Dalmatiæ*. Pop. *Illyrii*, gens fera, atrox; & latrociniis olim piraticaque infamis. Liv. *l.* 10. *c.* 2.

Urbes Illyrici:

Abſorus ſ. Apſorus, *Oſero*, ſub Venetis.
Æquum, *Clucci*, ſub Turcis.
Almiſſa, olim Piguntiæ, *Amiſſa*, ſub Turcis.
Andecrium, *Moſtar*, ſub Turcis.
Andecrium, ſ. & meliùs, Andetrium, aliis eſt *Cliſſa*, Slavè *Kliß*, ſub Venetis.
* Antibarum, *Antivari*, ſub Turcis.
Arauzona, *Oſtroviza*, ſub Turcis.
Arba, *Arbe*, Slavis *Rab*, ſub Venetis.
* Aſcrivium, *Cataro*, ſub Venetis.
Bianona, *Vrana*, ſub Venetis.
Bulua, poſtea Butua, *Budoa*, ſub Venetis.
* Caſtrum novum, *Caſtel novo*, ſub Turcis.
* Cueanis, *Knin* forſan, ſub Turcis.
Corcyra melana, *Curzola*, ſub Venetis.
Curcum, *Cruch*, ſub Turcis.
Delminium, *Denna*, ſub Turcis.
Doclea. Vide *Antibarum*.
Drivaſtum, *Drivaſto*, ſub Turcis.
Enderum, *Ender*, ſub Turcis.
Enona, *Nona*, ſub Venetis.
Epetium, poſtea Spalatum.
Epetium, aliis *Zarnouviza*, fuit prope Spalatum ſub Venetis.
* Epidaurus, poſteà Raguſium.
Flavona, *Fianona*, ſub Venetis.
* Jadera, *Zara*, ſub Venetis.
Liſſus, *Aleſſio*, ſub Turcis.
Marcana, *Marcana*, ſub Raguſæis.
Modruſſia, olim Tediaſtum, *Modruſch*, ſub Auſtriacis
Narona, *Narenza*, ſub Turcis.
Nedinum, *Nadin*, ſub Turcis.
Olchinium. Vide *Vlcinium*.
Olliricum ob mare, ad mare forſan, vel opp. maritimum, quid ſit non conſtat.
Onæum. Vide *Stagnum*. Aliis eſt *Sabioncello*, ſub Raguſæis.
Ouporum, *Obrovazo*, ſub Turcis.
Peguntium & Piguntiæ, *Almiſſa*, ſub Turcis.
Pharia, *Leſina*, ſub Venetis.
Polatum, *Polati*, ſ. *Pulati*, ſub Turcis.
* Raguſium, *Raguſi*, ſui juris Reſp.
Rhiſinium, *Rudine*, ſub Turcis.
Rizana, *Riſano*, ſub Turcis.
Salo, & Salona, ſic vulgò, olim Epiſcopal: Liburniæ, apud Spalatum. Nunc deſtructa jacet, ſub Turcis.
Saloniana, *Czernicz*, ſub Auſtriacis.
Saloniana aliis eſt *Moſtar*, ſub Turcis.
Sanadria, ubi ſit non conſtat.
Scardona, *Scardo* vel *Scardona*, ſub Turcis.
* Scodra, *Scutari*, ſub Turcis.
Senia, *Segna*, *Zeng*, ſub Auſtriacis.
Sibenicum, olim Sicum, *Sebonico*, ſub Venetis.
Sidrona, *Belas*, ſub Turcis.
Sirbia, prov. eſt.
* Spalatum, olim Epetium, *Spalatro*, ſub Venetis.
Stagnum, olim Onæum, *Stagno*, ſub Raguſæis.
Suacium, *Suatim*, ſub Turcis.
Tarſatica, poſteà Fumium, *Terſacz*, vel *Fiume*, ſub Auſtriacis.
Thermidava, *Dagno*, ſub Turcis.
Tinia, *Tina*, ſub Turcis.
Tragurium, *Trau*, ſub Venetis.
Tribunia, *Tribigna*, ſub Raguſæis
Vegium, *Veggia* & *Vegla*, ſub Venetis.
Velcera, *Bacharin*, ſ. *Bucariza*, ſub Auſtriacis.
Vlcinium, *Dolcigno*, ſub Turcis.
Zacolmia, prov. eſt, non urbs.

De aliis urbibus non conſtat ubi ſint, nec quæ ſint. De iſtis autem notabis quòd multæ ſint parvi momenti, & vix alicujus nominis in præſenti. Polatum non eſt urbs, ſed nomen regiunculæ. Curcum, Riſinium, Nedinum, Æquum, Marcana, & Tribunia ſunt tantùm caſtra. Sunt in Illyrico Archiepiſcopatus 4. Jaderenſis, Spalatenſis, Raguſinus, & Antibarenſis: ſub quibus Epp. 22. numerantur. Illyricum Epiro conterminum non ſine manifeſto errore ſcribitur in Theſ. Ling. Lat.

ILLYRICUS ſinus dictus fuit antiquitus mare Univerſum, quod eſt inter Italiam & Illyricum uſque ad intima ſinûs ejuſdem, dictus deinde *Liburnicus ſinus*, poſteà ab Atrienſibus Tuſcis intima ſinus colentibus, *Hadriaticum mare*, quod non extendebatur ultrà Epidaurum ex parte Illyrici & montem Ariona ſive Garganum ex parte Italiæ; reliquum verò uſque ad fauces ſinûs Ionium mare dicebatur: ipſumque Hadriaticum mare dictum fuit *Dalmaticum mare* poſt declinationem Imperii. Tandem ſinus integer dictus fuit ſinus Venetus, *Golfe de Veniſe*. De his fuſiùs Joh. Lucius, Lucan. Civ. Bell. *l.* 4. *v.* 433.

ILLYRICUS Sinus, ſinus maris Hadriatici, in Illyrico, qui vulgò *Golfo dello Drino* dicitur, *Golfe du Drin* Gallis, à Drilone fluv. ibi ſe exonerante. Illic notandum quoſdam ignaros ſcribere *Golfo de Lodrino*, & fingere Lodrinum urbem; ſed toto cœlo errant, cùm nulla ſit urbs Lodrinum dicta in illis partibus; & in eo loco ubi finxère Lodrinum, ſita eſt urbs Liſſus, *Aleſſio*, ut videre eſt apud omnes, qui de illis partibus; ſcripsêre.

ILMENUS Lacus. *lac d'Ilmen*, lacus Moſcoviæ, in Principatu Novogardiæ magnæ. Urbem cogn. rigat, & per fluv. Voldgam in Ladogam lacum ſe exonerat.

ILORCI, Plin. *l.* 3. *c.* 3. *Lorca*, teſte Marali, urbs Hiſp. Tarraconenſis, ad Taderum fluv. olim Epiſcopal. ſub Archiep. Toletano, in regno Murcienſi, à Murcia regni primaria 14. leucis. Baſti versùs diſtans. Aliis eſt *Lorqui*, opp. ejuſdem regni, ad Staberum fluv. Luri à Liv. nominatur, ubi Cneus Scipio cum Romanis a Pœnis cæſus eſt, & ſepultus: qua de re vide Liv. & Plin. Ego poſteriori ſententiæ ſubſcribo; nam *Lorqui*, non *Lorca*, ad Taderum ſive Staberum fluv. ubi victi Rom. fuêrunt, eſt inter Murciam 3. & Cæcam opp. 4. leucis diſſitum, Ferr. Baudr. *Ilorci* ſ. *Eliocroca* quibuſdam, opp. fuit Baſtitanorum, nunc regni Murciæ, in parte Mer. Hiſp. ad amnem *Guadalentin*. 12. leucis à Murcia in Occaſ. vixque 3. à conf. regni Granatenſis diſtat.

ILUA, Plin. *l.* 3. *c.* 6. P. Mela Ptol. *Æthalia* Strab. *Elba*, inſ. maris Tyrrheni, contra Populonium urbem Hetruriæ, à qua 10. mill paſs. abeſt, circuitu 125. ferro abundans. Populi *Iluates* Liv. *l.* 30. *c.* 39. De qua Virg. *Æn. l.* 10. *v.* 173.

——— *aſt* Ilva *trecentos*
Inſula, inexhauſtis chalybum generoſa metallis.

Ferr. Baudr. *Ilua* inſ. patet Principi Piumbini, ſub clientela tamen Hiſp. qui ibi habent Portum longum, *Porto longone*, arcem probè munitam in colle: & magus Dux Hetruriæ ibi tantùm gaudet portu Argoo, *Porto Ferraio*, opp. permunito. A Gallis dicitur *l'isle d'Elbe*. Ejus circuitus eſt 40. mill. Italicorum circiter, ut ipſe pluries vidit; ſuntque tantùm in ea quinque parrochiæ, ultrà Argoum portum & Portum longum, arces. Strabo *l.* 2. *p.* 123.

ILVARODAMUS, dicitur *in Canone Regum Babyl.* qui in S. Literis *Evilmerodach appellatur*. Vide *ibi*.

ILUMBERITANI, Plin. *l.* 3. *c.* 3. pop. Hiſp. Tarraconnenſis & citerioris, qui *Lumbritani* adhuc, teſte Marinæo Siculo, nominantur & opp. *Lombier*, in Navarra, inter Pompelonem 6. & Sueſtaſium 4. leuc. occurrens.

ILURGAVONENSES, fortè *Ilercaones*.

ILURGIS, Ptol. *Ilurgia* Polib. & Appian. de Bell. Hiſp. *p.* 272. Morali *Illora*, opp. Hiſp. Bæt. in regni Granat. & Vandalitiæ conf. à Malaca urbe 7. leuc. Hiſpalim versùs, Carthamæ propinquum.

ILURO, aliàs *Elarona*, item *Elloronenſium civ.* nunc *Oleron*, urbs Aquitaniæ. Epiſcopal. ad Gabarum Oloronenſem fluv. à Normannis vaſtata, Sec. 9. reparata à Vicecomitibus hujus tractûs: in priſcis Notit. inter prov. Novempopulanæ civitates 12. undecimo loco ponitur: Sita eſt in colle, inter duos amniculos confluentes Oſſavum *Oſſeau* & *Aſpe*, ſed cujus gentis caput fuerit, ignoratur. 20. leuc. ab Auſciis in Occ. uti 10. Tarba, 4 à Palo. 5. à conf. Hiſp. Ex Epiſcopis ejus Conc. Agathenſi A.C. 500. Gratus & Pariſienſi 4. A.C. 537. Licerius interfuére, Epiſcopatum autem hunc in Vaſconia ſ. Novempopulania ſeptimum ponunt inter Metropoli Auſcitanæ ſuffragantes. Nomen urbs dedit Gavo, cui adſidet & per quem à ſuburbio dividitur, ſ. Gabero Iluronenſi *la Gave d'Oleron*; ut Benearnum Gavo Benearnenſi *le Gave Bearnou*, qui Iluronenſem in Aturum cum aliis defert. Eſt & in Hiſp. Tarrac. *Illuro*, aliàs Blanda. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* de Marca *Hiſt. Benearn.* Arnold. Oihenartum *Not. utr. Vaſconiæ*, &c.

ILUS, in Theologia Sanchuniathonis, apud Euſeb. *Præp. l.* 1. Saturnus eſt, quem primum *pudenda circumcidiſſe*, ϗ τὺς ἀμ' ἀυτῷ συμμάχȣς, *ſecum militantes*, ad idem faciendum adegiſſe, ait. Eundem παιδοθυσίας auctorem ex eodem Sanchuniathone facit Philo Byblius, cùm illum, maximo ex bello periculo imminente, filium unicum *Jeud*. ex Anobret nympha ſuſceptum, Cœlo patri immolâſſe tradit, *Hiſt. Phœnicum l.* 1. apud eund. *Ibid.* & *l.* 4. *c.* 16. Quæ tamen ex Hiſt. Patriarcharum deprompta depravataque, non ſine cauſa ſuſpicantur Scalig. Selden. Bochart. refragante licèt Marshamo *Canon. Chron. Sec. V.* ubi in primam, πειδοθυσίας originem inquirit.

ILUS, Rex Trojæ IV. fil. Regis Trojanorum, ex Callirhoë, pater Laomedontis, quem maturâ ætate moriens, regni hæredem reliquit. Frater Ganymedis & Aſſaraci. Regnavit ab A. M. 2740. uſque ad A.C. 2794. Tantalum pepuliſse regno dicitur. Ab hoc celeberrimum illud Myſiæ min. ſive Troadis caput *Ilii* nomen accepit: ſive quòd ab *Ilo* primùm fuerit conditum, cùm Dardanus anteà in montibus Dardaniam condidiſſet, ut placet Hom. *Il.* 23. ſive quòd à Dardano exſtructum inſtauravit Ilus, & auctius reddidit. Author eſt Strabo *l.* 13. *p.* 593. primum omnium Ilum auſum fuiſſe in campis habitare, proindeque in mediis campis fuiſſe ſepultum: cujus ſepulcri meminit Hom. *Il.* 3. Idem cùm in Ilio Minervæ templum arderet, curſu concitus, demiſſum cœlo Palladium eripuit, ſtatimque oculis captus eſt (haud enim ulli mortalium oculis illud cerni licebat) poſtmodum placatâ Deâ priſtinum viſum recuperavit. Apollod. *l.* 3. Diod. Sic. *l.* 4. Hom. Virg. Fuit & alter *Ilus* Æneæ fil. Aſcanii nomine appellatus. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 271.

At puer Aſcanius, cui nunc cognomen Julo
Additur, Ilus *erat, dum res ſtetit Ilia regno.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ILUS, homo potens, ſuaſit Zenoni Imp. ut Armatum occideret, A. C. 478. Evagr. *l.* 3. *c.* 24. 25. & 26.

ILZA, urbec. Poloniæ, min. in Palatin. Sandomir. cum arce Ep. Cracovienſis, apud radices montis Calvi, vulgò *Ilz*, & *Iſilz*.

IM. in notis antiqq. Hymnus. IM. *jam*. IMP. *Imperator* &c. deſignat, Fr. *Gouldm.*

IMACHARA, opp. Siciliæ Ἰμαχάρα πόλις Ptol. Opidani *Imacharenſes* Tull. & Plin. *Imacarenſes l.* 3. *c.* 8. vulgò *Citadella di Machari*. Baudr. *Imacharenſes* pop. fuêre Siciliæ, quorum opp. Imachara, nunc *Traina*, in valle Demonæ prope Simethum fluv. ex Cluv. non longè ab Hycara in Ort.

IMÆ, vel IMMÆ, apud Sext. Ruf. ubi de prælio inter Aurelianum Imp. & Zenobiam commiſſo; *apud* Imas, *non procul ab Antiochia*; & Euſeb. *apud* Imas *vincitur*; opp. fuit, quod in in vet. *Itin.* Tab. ubi *Emma* extat: triginta tribus mill. paſſ. Antiochiâ diſtare dicitur, Vide Salmaſ. *Not. ad Vopiſc. Aurel.* ubi docet, levi hîc conflictu habito, Aurelianum exiguam aliquam Palmyrenorum partem profligâſſe; apud Emeſſam verò poſteà de ſumma rerum utrinque fuiſſe dimicatum.

IMAGINES, in Gentilium religione multi uſûs, qui tamen non apud omnes eorum ſemper viguit. Nam fuêre, qui utcunque Numina colentes varia, aut Solem ſaltem ſub variis nominibus, neque aras, neque ſtatuas *Imagineſque* ullas eorum habuêre, nec Templis eos circumſcribebant, hoſtias interim pro placito, loco quocunque, immolantes atque Orbem terrarum Cœlo tectûm Mundumque ipſum tantum eſſe Deorum ſuorum Templum, exiſtimantes. Sic ex Magorum diſciplina, Perſæ, Scythæ, Afrorum Nomades ſ. Numidæ, aliique, Vide Herod. *l.* 1. Strab. *l.* 15. Cic. *in Verrem Orat.* 2. Alios. Celſus apud Orig. *Non ferunt* (gentes aliquæ) *Templa, Aras, Statuas,* (Deorum) *aſpicere. Ita enim nec Scythæ, nec in Afris Nomades, nec Seres illi athei, uti & aliæ gentes maximè profanæ & legibus deſtitutæ. Etiam & Perſæ idem ſibi ſtatuêre, ut narrat in iis Herod. Perſarum ritus hoſce novi; Statuas, Aras, Templa nec ipſi dedicant & alios pro ſtultis habent, qui hoc faciunt.* Sed verò etiam nec Romanos ipſos ſtatuis ſ. ſimulacris Deorum pluſquam Annos centum & ſeptuaginta in cultu uſos eſſe, teſtis eſt Varr. apud Auguſtin, *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 31. i. e. ab Romuli initiis, uſque ad Tarquinii Priſci fermè exitum, qui Hieroſolymorum excidio primo coævus erat. Nec quidem diſſimile eſt veri, ex fama, quæ procul dubio tam per Occid. quàm Or. paſſim increbuerat, de clade illa Hieroſolymorum Templique adeò inſignis, deque templo illo ac inſtitutis gentis, Numinis *imagines* non admittentibus, Romanos, Hebræorum ea in re hactenus imitatores, velut in tutiorem ſibi partem, ut cladis exemplo monitos, tranſeuntes (quâ Numina, quâ Homines etiam ob religionem ejuſque prætextu, invicem acriùs dimicare ſolitos ſpectarent) *Imaginum* quoque cultum uſumque in templa, ſibi poſteriſque ſuis cautiùs conſultores, adſciviſſe. Imò Tertullian. *Apolog. c.* 25. diu ſine Templis etiam, cultum apud eos fuiſſe omnimodum, docet. Et quidem de ſimulacris totque annorum ſpatio conſentiunt alii; ut Clearchus apud Clem. 5. *Strom.* ac Euſeb. *Præpar. Evang. l.* 8. *c.* 6. Plutarch. *in Numa*, Dion. Halic. *l.* 2. &c. Sed Templa interim (ναοὺς καὶ τέμενη) tunc à Romanis, ſine illis extructa, adjiciunt. Vide Joh. Selden. *de Synedriis Vett. Hebr. l.* 3. *c.* 13. Et nihil magis ſub Regum tempora obvium, quàm ab ipſis Templa dedicata, ſed ſine ſimulacris, quæ poſteà demum inolevêre. Unde facilè intelligitur, cur Numæ Pompilii libros, circa A. U. C. 570. ſub Janiculo effoſſos, comburendos decerneret Senatus, apud Liv. *l.* 10. *c.* 29. utpote Pythagoricos & qui pleraque haberent diſſolvendarum religionum, ſub Numa ſcilicet ſcripti, cùm ſimulacra & pulvinaria Numinum non ſolùm in uſu non eſſent, ſed neque ex religione ac doctrina Pythagorica permiſſa. Ita enim Plutarch. *l. c.* Ἔτι δὲ καὶ τὰ περὶ τῶν ἀφιδρυμάτων νομοθετήματα παντάπασιν ἀδελφὰ τῶν Πυθαγόρου δογμάτων. Οὔτε γὰρ ἐκεῖνος αἰσθητὸν, ἢ παθητὸν, ἀόρατον δὲ καὶ ἀκήρατον καὶ νοητὸν ὑπελάμβανεν εἶναι τὸ Πρῶτον. Οὗτος δὲ διεκώλυσεν ἀνθρωποειδῆ καὶ ζωόμορφον εἰκόνα Θεοῦ Ῥωμαίοις νομίζειν, *Jam hujus de ſtatuis ſcita undequaque Pythagoræ placitorum ſunt germana. Neque enim ille ſenſui, aut ulli dolori expoſitum rerum principium eſſe, ſed inviſibile, incorruptum, ſolâ mente exiſtimavit apprehenſibile; hic vetuit Romanis, hominis vel beſtiæ formam tribuere Deo.* Ex Moſe verò id inſtituti Numam hauſiſſe, exiſtimat Clem. Alex. 1. *Strom.* Νουμᾶς δὲ ὁ Ῥωμαίων βασιλεὺς, Πυθαγόρειος μὲν ἦν ἐκ δὲ τῶν Μωϋσέως ὠφεληθεὶς, διεκώλυσεν ἀνθρωποειδῆ καὶ ζωόμορφον εἰκόνα Θεοῦ Ῥωμαίοις κτίζειν κτλ. *Numa autem Rex Romanorum erat quidem Pythagoræus* (quanquam multis ante Pythagoram annis eum fuiſſe, Catulus apud Cic. *de Orat. l.* 2. affirmet) *ex iis autem, quæ à Moſe tradita ſunt, adjutus prohibuit Romanis, ne homini aut animali ſimilem facerent Dei imaginem* &c. Imò & inſequentibus temporibus non defuiſſe apud Rom. qui hunc *Imaginum* in ſacris uſum improbarent, diſcimus ex Auguſt. *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 31. & *l.* 18. *c.* 24. ubi de Varrone, *Quod ſi adhuc*, inquit, *manſiſſet, caſtius Dii obſervarentur: cujus ſententiæ ſuæ teſtem adhibet inter cætera gentem Judæam: nec dubitat eum locum ita concludere, ut dicat, qui primi ſimulacra Deorum populis poſuêrunt, eos civitatibus ſuis & metum dempſiſſe & errorem addidiſſe.* Quam ad formam Zeno Clem. eodem 5. *Strom.* referente, Μήτε ναοὺς, dixit, μήτε ἀγάλματα, *Nec oportere templa facere, nec imagines*. Quem plurimi inter Græcos Sapientes ſequuti ſunt. Certè apud eund. Autorem *Protrept. ad Gent.* in *Imaginum* vanitatem acriter invehitur Heraclitus Epheſius, hancque ſuis ſtultitiam acerbè exprobrat. Sic de Stilpone, recenſet Diog. Laërt. eum à Judicibus, quod *Minervam Phidiæ, non Jovis filiam, ſed Phidiæ; adeoque non Deum*, dixiſſet, exilio fuiſſe multatum. Quamvis enim is ſe hoc modo defenderet, ut *Deum* Minervam appellari non poſſe diceret, quòd videlicet *Dea* eſſet. Diis quippe etiam in ſexum diſtinctis; Judices tamen, quo Stilpo tenderet, facilè videntes, fuêre ſoliciti, ne quid is in Religione occultè innovaret. Vide quæ de Xenoph. Colophonio, apud ſæpius memoratum Auctor. 5. *Strom.* de Cotta, apud Cic. *de Nat. Deor. l.* 1. de Seneca, apud Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 6. *c.* 10. de Diagora, apud Clem. iterum *Protrept.* de Lucian. *Dial. de Imaginibus*: de Clodio, apud Cic. *pro Domo ſua*, hanc in rem leguntur. Quam proin vanitatem, ab ipſis Gentilibus agnitam, obſervans Ambroſ. ubi Symmach. refellit, pro veteri Deorum cultu pugnantem, *Non vult ſe*, inquit, *in lapidibus coli: etiam ipſi Philoſophi veſtri iſta riſerunt.* Cæterùm, præter gentes memoratas, (in quibus Perſæ à veteri inſtituto receſſêrunt, Artaxerxe auctore, qui primus Veneris Tanaidis *imaginem* Babylone, Suſis, Ecbatanis, Perſide, Bactris, Damaſci & Sardibus à ſe poſitam coli juſſit, teſte Beroſo, apud Clem.) Syri quoque, ſaltem illi, qui circum Carmelum aegebant, caruêre *Imaginibus*, ut videre eſt apud Tac. *Hiſt. l.* 2. *c.* 89. Imò & *antiquitus apud Ægyptios* (gentem alioquin in ſuperſtitionem effuſiſſimam) *abſque ſimulacris & ſtatuis templa fuiſſe*, refert Lucian. *de Dea Syr Tom. II. p.* 749. Et de Germanis Tac. *de Mor. Germ. c.* 9. *Cæterùm nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris ſpeciem adſimilare, ex magnitudine cœleſtium arbitrantur.* Atque idem de aliis Hoſpinian. tradit, *de Orig. Templor. l.* 2. *c.* 8. Vide Tob. Pfanner. *Theol. Gentil. pur. c.* 11. §. 7. Apud quos verò receptæ *Imagines*, illi primùm eas rudes habuêre, dein politas exaſciataſque, tandem in hominis formam effigiatas: uti vidimus ſuprà, ubi de *Idololatriæ incunabulis*. Haſque iterum primò nudas, inde minio illitas, tandem veſtitas, coronatas armataſque: qua de re aliiſque huc pertinentibus. Vide Caſp. Barth. *Comm. Superſtition.* & hic paſſim inprimis ubi de *Simulacris* ac *Statuis*: In ſpecie verò de *Imaginibus* illis, quas Gentiles Διοπετεῖς, quaſi *cœlitus delapſas*, & Chriſtiani vett. Iconolatræ Ἀχειροποιήτους, dixêre, quaſi *nullius hominis manu fabricatas*, Salmaſ. *ad Solin. p.* 816. Adde Cl. Suicer. qui hanc in rem varia congeſſit *in Theſ. Eccl.* paſſim, inprimis in voce Εἰκὼν, ubi, *de Imaginibus Chriſtianorum* agens, ſub fin. IV. Sec. demum à quibuſdam Imagines in Eccl. ornatûs causâ introductas, initio à Cappadocibus facto; quinto poſtmodum ex ſexto coli eouſque, ut in præliis quoque ad fugandos hoſtes adhiberentur, cœpiſſe, pluribus docet: in Græca Eccl. non niſi pictas, admitti ſubjungens &c. De coronandi more, ut pauca ſubnectam, ſimulacra Deorum coronis, ſertis floribuſque ornare, Gentibus in more fuiſſe poſitum, paſſim apud Auctoribus obſervare eſt, Arnob. *adv. Gentes l.* 7. Clem. Alex. παιδαγ. *l.* 2. *c.* 8. Alios. Rebus ſcil. lætis. Lactant. *Divinar. Inſt. l.* 2. *c.* 1. *Poſtquam metus deſeruit & pericula receſſêrunt: tum verò alacres ad Deorum templa concurrunt; His libant, his ſacrificant, hos coronant.* Imò antiquitus neminem, niſi Deos, coronis ornari ſolitum, habes apud Plin. *l.* 16. *c.* 4. & *l.* 21. *c.* 2. Inter eos autem, *Saturnum Pherecydem ante omnes refert coronatum, Jovem Diod. poſt devictos Titanas*, apud Tertullian. *de Cor. Mil. c.* 7. poſtmodum honor ad reliquos tranſiit, ut idem pergit: *Eſt Claudii Saturni de Coronis, l. & origines & cauſas, & ſpecies, & ſolennitates eorum ita ediſſerens, ut nullam gratiam floris, nullam lætitiam frondis, nullum ceſpitem aut palmitem, non alicujus capiti invenias conſecratum*: Hinc *incoronata ſimulacra*, &c. vituperatur inter alia Venus apud Apulej. *Mileſiar. l.* 4. &c. Vide Deſid. Herald. *ad Arnob. l. c.* Jac. Ouzel. *ad Minuc. Fel. p.* 15. & *ſeqq.* hîc, ubi de *Coronis, Statuis, iterum alibique.*

IMAGINES, in communi vita non minùs frequentes. Et quidem illas dedicatas in variis ædium partibus Vett. habebant: ſuorum quidem majorum, in Atrio, celeberrimo & maximè conſpicuo ædium loco, ut Polyb. vocat *l.* 6. Eorum verò, quos amarent, in cubiculo, Plin. *l.* 35. *c.* 2. *Iidem & vultus Epicuri per cubicula geſtant ac circumferunt.* Sic infantis *jam pueraſcentis effigiem Aug. in cubiculo ſuo poſitam, quotieſcunque introiret, exoſculatus* legitur, apud Suet. *Calig. c.* 7. *Cubicularium* hinc *imaginum* mentio apud eund. *Aug. c.* 7. Colebantur hæ unà cum Laribus, puerque cuſtodiæ apponebatur, cujus miniſterii Macrob. meminit *Sat. l.* 1. *ſub fin.* Ibidem erant & eorum Numinum ſimulacra, quæ thori genialis curam habere credebantur, Auguſt. *de Civ. Dei l.* 6. *c.* 9. Poſterioribus Imperatoribus peculiaris moris fuit, ut in cubiculo ipſorum Fortuna eſſet aurea, quam morituri ad eum tranſmitterent, qui ſibi eſſet ſucceſſurus Capitolino teſte in *Pio* & *Marco.* Sed & ipſorummet Impp. poſt Obitum inter Deos relatorum *Imagines*, non minùs ac Deorum, radiis, aſtris, fulminibus inſignes, habebantur, uti diſcimus ex Lucan. *Civ. Bell. l.* 7. *v.* 458.

—— Divos
Fulminibus Manes radiiſque ornabit & aſtris.

Collocabantur autem illæ inter Deos itidem Penates; ita ut iis probro eſſet, quorum in ædibus non haberentur. Capitolin. *In Antonino Philoſ. Etiam ſacrilegus judicatus eſt, qui ejus imaginem in ſua domo non habuit, qui per fortunam vel poſſit habere vel deberet.* Tacitumque Imp. *ut Aurelianum omnes pictum haberent*, caviſſe tradit Th. Vopiſc. Imagines verò hæ vel propriæ Imperatorum, vel Deorum alicujus erant. Sic enim Aug. Jovis effigie, Liviam Junonis ac Druſillam Veneris habitu conſecratas legimus, ut de aliis nil dicam. Vide Jac. Ouzel. *Animadverſ. Minuc. p.* 187. cui adde Joh. Wowerium, *Notis*, & G. Elmenhorſt. *Comm. ad eund.* qui *Imaginibus* his Impp. à Gentilibus ſupplicatum thure, vino, hoſtiis; eoſque, qui id detrectâſſent, atque hinc Chriſtianos, Majeſtatis damnatos, addunt. At viri docti in Bibliothecis, Aſinii Pollionis Romæ invento, habebant vett. Auctorum imagines, ut ex Cic. Plin. Juv. Aliis conſtat. Quò inſignis inprimis locus facit Suet. *Calig. c.* 14. 23. & 94. *Tib. Ner. c.* 70. ad quem, moris fuiſſe magnorum Virorum imagines per genera deſtinctas habere, docet pluribus Caſaub. &c. Uſus imaginum, quibus Majorum expreſſi vultus, vetuſtiſſimus, Plin. notatur *d. l. Aliter apud Majo-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Majores in Atriis —— *expreſſi cerâ vultus ſingulis diſponebantur armariis, ut eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera, ſemperque defuncto aliquo totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus.* Quo de ritu Vide Caſp. Barth. *ad Stat. Part. I. p.* 267. & *III. p.* 445. Habebant autem imagines hæ affixa hoſtium ſpolia, quæ nec emptori refigere licebat, Plin. *d. l. triumphabantque etiam dominis mutatis ipſæ domus*, iiſdem res præclare geſtas inſcribere, mos fuit, Herald. *ad Mart. l.* 5. *Epigr.* 20. cujus Epigraphe ad Cæſ. Domit. &c. Qui amoris ergo *imagines* faciebant, ſervabantque, erant vel Parentes, qui liberorum defunctorum memoriam hoc pacto ſibi refricabant, uti de effigie adoleſcentis Camomi habet Mart. idem, *l.* 9. *Epigr.* 76. cujus Epigraphe de effigie Camomi vel Amici, qui diſcedentium amicorum ſibi effingi ſimulacra mutuò curabant, uti de Cæcilio Secundo legas, apud eund *l.* 7. *Epigr* 83. cujus Epigraphe ad Librum, vel Amantes, unde Plutarch. inter res amatorias, ἀνωνεῖν τὰ εἰκόνια, *redimere icunculas*, dominæ ſc. reponit Ἐρωτικ. Ut de cereis imaginibus, etiam ſagis noſtris non incognitis, quibus Veneficæ olim etiam ab invitis amorem extortum ibant, jam nil dicam: nil etiam de ornatu imaginum memoratarum, cùm feſtiva aliqua lætitia imminebat Hoc ſaltem addo, uti quos honore auctos volebant priſci, ſive Deos, ſive homines, ἐφυλλοβόλουν, ſic contrà per contumeliam utrorumque *imagines*, cœno lapidibuſque conſpurcare impetereque conſuevisſe, Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 55. *Primam quintamque turbidi, adeò, ut quidem ſaxa in Galbæ imagines jecerint.* Unde illa Theatralis lapidatio, de qua multa Caſaub. dicta, *Animadverſ. in Athen. l.* 6. *c.* XI. Plura verò hanc in rem Vide apud Plin. *l. c.* ut & hîc paſſim. Tranſeo ad uſum *Imaginum* in Annulis Veterum, in quibus illæ erant vel *cavæ*, quæ ſcalpro fiebant; vel *extuberantes* prominenteſque, quæ cælo: unde & gemmæ quæ ejuſmodi imaginem exhibebant, *Ectypæ* dictæ ſunt Seneca, *de Benef. l.* 4. *c.* 26. *Paulus Prætorius in convivio quodam Tiberii Cæſaris habens imaginem ectypâ & prominente gemmâ.* Inſculpebantur verò iſtiuſmodi annularibus gemmis, *imagines* amicorum. Ovid. *Triſt. l.* 1. *Eleg.* 6. *v.* 5. & *ſeqq.*

Hæc tibi diſſimula, ſentis tamen omnia dici,
In digito qui me ferſque referſque tuo.
Effigiemque meam fulvo complexus in auro,
Chara relegati, quà potes, ora vides.

Sic Epicuri *imaginem* in annulis habebant familiares ejus, apud Cic. *de Finib l.* 5. Et Commodum Imp. ſigno Amazoniæ, ea erat concubina Martia, quam pictam in Amazone diligebat, literas ſignare ſolitum, videre eſt ex ipſius Ep. ad Clodium Albinum, quam in *hujus vita* Jul. Capitolin. recitat. Etiam Majorum *imagines* in annulis fulſére, qui tamen illis, ſi à Majorum virtute degeneraſſent, demebantur. Val. Max. *l.* 3 *c.* 5. de Africani fil. loquens, *C. Scipio ſuperioris Africani fil. Præturæ petitor candidam togam adeo turpitudinis maculis obſoleſaciam in Campum detulit, ut niſi gratiâ Cicerei, qui Patris ejus Scriba fuerat, adjutus eſſet, honorem à Populo impetraturus non videretur. Quanquam quid interfuit, utrum repulſam, an ſic adeptam Præturam domum referret? Inſuperque è manu ejus annulum, in quo caput Africani ſculptum erat detraxêrunt.* Ita Publ. Lentul. Sura Avi ſui *imagine* in ſignando uſus eſt, apud Cic. 3. *Catilinar.* Porro & Regum Principumque geſtabantur *Imagines*. Ariſtomenem certe Agathoclis imaginem in annulo geſtâſſe tradit Polyb. *l.* 15. Callicratem, Ptolemæi paraſitum, Ulyſſis iconem in annulo circumtuliſſe, auctor eſt Athen. *in Dipnoſophiſt. l.* 6. Alex. Mag. effigie Auguſtum, ipſius verò Auguſti Principes inſecutos ſignâſſe, narrat Suet. *c.* 50. & Dion. *l.* 51. De Conſtantino Mag. refert Conſtantin. Porphyrogenitus *de adminiſtr. Imp. c.* 53. illum Cherſonitis, inter alia laborum pro Imperio Rom. exantlatorum præmia, etiam annulos aureos, in quibus *Imago* ejus erat expreſſa, donâſſe. Similiter Meletii Ep. imaginem in annuli pala expreſsam, geſtâſse Antiochenſes, tradit Chryſoſtom. *Orat. de ejus laudib.* Nec in auro ſolùm, ſed & ferro Imperatorum *imagines* ſculpi conſuevisſe, diſcimus ex Greg. Nazianz. *Oratione in S. Baptiſm.* Interim de Cæſarum *Imaginibus* notant Eruditi, Claudii Principatu fas non fuiſſe, imaginem Principis in annulo aureo geſtare, niſi quibus admiſſionum Liberti jus illud dediſſent; ex Plin. *l.* 33. *c.* 3. magnamque cautionem fuiſſe adhibendam, ne qui iſtiuſmodi quid geſtarent delatoribus calumniandi præberent occaſionem. Sub Tiberio certè capitale fuiſſe, diſcimus ex Suet. qui *c.* 58. *circa Aug. ſimulacrum ſervum cecidiſſe veſtimenta mutâſſe, nummo vel annulo effigiem impreſſam, latrinæ aut lupanari intuliſſe*, graviſſimi criminis loco fuiſſe habitum refert. Imò & matulam ſumere eâ manu, quæ annulum Principis imagine ſignatum habebat, crimini datum fuiſſe, legimus apud Senec. *de Beneſ. l.* 3. *c.* 26. Quid quod etiam ſuâ ipſorum *Imagine* nonnulli ſignabant. Fecit id Aug. qui licet initio in diplomatibus libelliſque & epiſtolis ſignandis Sphinge, mox imagine Alex. Mag. noviſſimè verò ſuâ ipſius Dioſcoridis manu ſculpta, utebatur, teſte Suet. ſuprà laudato. Unde & in *Pſeudolo* Plautino *Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 53.

Eâ causâ miles hîc reliquit ſymbolum,
Expreſſam in cera ex annulo ſuam imaginem.

At Deorum formas annulis inſculpi, apud Rom. ſaltem antiquitus fas non fuit. Migravit tamen & hic mos poſteà, iique cum aliorum, tum Ægyptiorum Numinum imagines, geſtare cœpére. Plin. *l.* 2. *c.* 7. *digitis Deos geſtant:* & *l.* 33. *c.* 3. *Harpocratem ſtatuaſque Ægyptiorum Numinum in digitis Viri quoque portare incipiunt.* Quæ loca licet de annulis Magicâ arte formatis exponantur; nihil tamen impedit, quò minus etiam intelligamus de ſuperſtitione illorum, qui ſimulacrum alicujus Numinis, à quo ſe juvari putarent, quotidie circumferebant. Sic Veneris Armatæ effigiem geſtabat Cæſar, apud Dion. *l.* 43. Deæ Cœleſtis Aſclepiades Philoſophus, apud Amm. Marcell. qui illis temporibus vivebat, *l.* 22. *c.* 5. &c. Plura hanc in rem vide apud Joh. Kirchmann. L. *de Annul.* adde Joh. Selden. *de Jure Nat. & Gent. l.* 2. *c.* 7. & 8. de *imaginibus Impp.* etiam infrà aliquid, ubi de *Latrato oſculo*: uti de more Orphicorum per *imagines* philoſophandi, in voce *Orpheus*.

IMAGINIFERI, apud Jan. Gruter. *p.* 5621. & 1007. ſunt, qui vexilla, in quibus Imperatorum imagines pictæ, in acie deferebant. Vide Stewech. *ad Veget. l.* 2. *c.* 6. & Pancirol. *in Not. Imp. c.* 24. laudatos, C. du Freſne in *Gloſſ.* Sic vexillum, Sanctorum imaginibus inſignitum, qui mos ſequiori ævo inolevit, *Imaginem* vocat Hadr. Pontif. Rom. *in Ep.* quæ habetur in Codice Carolino 92. quâ notione *icona* ſumitur, ab Honorio III. in *Compilatione V. Decret. tit.* 6. *c.* 1. &c.

IMAGINUM Morbus, indigitatur Catullo *Carm.* 39. *v.* 7.

—— *Nec rogate,*
Qualis ſit, ſolet hæc imaginoſum:

Eſtque mania, phrenitis, Corybantiaſmus, quo laborantibus phantaſmata & *imagines* obverſantur ſonoreſque ſemper in auribus tinniunt. vide ſuprà in voce *Corybantiaſmus*, item, *Idolum* & infrà *Phantaſiæ*.

IMAGO Apollinis, *ex ſummo faſtigio in lectulo poſita*, inter omnia Imperii, quæ Tac. fuerant, recenſetur Flav. Vopiſco in *Floriano Imp.* ubi hanc imaginem cubicularem vult eſſe Caſaub. de cujuſmodi imaginibus varia idem adnotavit, *ad Suet. l.* 2. *c.* 7. Salmaſ. verò verba hæc de faſtigio domûs intelligit, in quo Deorum imagines & ſtatuas collocari moris fuiſſe, quemadmodum & in faſtigiis templorum, docet Spartian. *in Peſcennio Domus ejus hodie Romæ viſitur, in qua ſimulacrum ejus in trichoro conſtituit.* Sic in faſtigio domûs cujuſdam Gaji quatuor Victoriæ privatæ & quaſi in cœlum adſcenſuræ, quarum quælibet Deum aliquem vel Deam tergo ferebat, *Minervam* ſc. *Venerem*, *Herculem* & *Martem*, collocatas leguntur in *Epigr.* Antipatri, apud eund. Salmaſ. *Ibid.* Vide infrà, ubi de *Tectis*.

IMAGO Celſi, unius e XXX. Romanorum Tyrannis, pro ipſo Celſo, patibulo affixa, occurrit apud Treb. Pollion. *in vita ejus*, ubi *novum injuriæ genus* vocat. Nempe in imagines & ſtatuas ſævire, eaſdem dejicere, confringere, conflare, luto etiam conſpergere, ſcalis Gemoniis inferre, omni denique contumeliæ genere eas afficere, novum non erat; Namque & *in Philopœmene* Plutarchi exemplum eſt judicii habiti de *Imaginibus* & ſtatuis defuncti, ſeu de vivo ipſo & ſunt aliæ apud eundem ſimiles hiſtoriæ: Sed *imaginem* Celſi ad vivum expreſsam & de induſtria ſic effictam, in crucem tollere, inſultante vulgo, quaſi ipſe Celſus in cruce illa penderet, is verò novus planè mos & *novum injuriæ genus* fuit; cui ſimile in tota Hiſtoria Græca Romanaque, non reperias. Idem mos hodieque ſervatur in reis abſentibus judicatis, & capitis damnatis, quorum imago eadem planè formâ eodemque genere à carnifice in patibulum defertur & ſuſpenditur; quâ ipſi rei ſi adeſſent, idem ſupplicium ex ſententia reapſe ſubituri. Caſaub. & *Salmaſ.*

IMAMIA Secta, inter Mahummedanos illa vocatur, cui Perſæ adhærent. Leunclav. *Hiſt. Muſulmann. l.* 1. *Muhammetani plerumque hunc Ali Imamem ſolent appellare, vocabulo Præceptorem ſignificante, cui debetur obedientia: videturque nomen* Imamiæ *ſectæ, quam Ali hanc addictiſſima Perſæ ac Sophini hodieque reſpiciuntur, hinc originem ſuam habere: licèt in genere putem hac voce doctrinam ſignificari*, &c.

IMANI, Vide infrà *Muſlmi*.

IMANUENTIUS, Rex Trinobantum, interfectus à Caſſivelauno. Cæſ. *Bell. Gall. l.* 5. *c.* 7.

IMAUS, mons Scythiæ maximus, Tauri pars, qui crucis formâ progrediens tam verſus Or. & Occ. quàm verſus Auſtr. & Bor. Scythiam apud Ptol. dividit in citer. vulgò *intra Imaum*, quæ Occ. ſpectat, & ulter. vulgò *extra Imaum*, quæ ad Or. eſt, *Imaus* tamen Ptol. ab *Imao* Strabo *l.* 2. *p.* 229. & Plin. diverſus eſſe videtur, nam ex Ptol. is à Tauro monte deciſus in Bor. ad mare glaciale uſque porrigitur, apud Plin. *l.* 5. *c.* 27. *l.* 6. *c.* 17. & *l.* 7. *c.* 2. verò & Strab. in Ort. uſque ad mare Eoum extenditur. Hic varia hodie apud incolas nómina habet: *Altai*, teſte Caſt. *Imja* Merc. ille, h. e. apud Ptol. *Dalanguer* & *Navagrot*, eodem Caſt. teſte Baudr. mons Aſiæ max. per Scythiam longè lateque extenſus, ut etiam verſùs Indiam Sept. quam à Scythia ſeparat. In Tartaria des. *Moreghar*, in vera *Belgian* & *Altai*, ubi ſepulchra Regum Tartariæ, in India vera in Imperio M. Mogolis *Dalanguer*, & *Naugracut* quibuſd. verſùs fontes Gangis, in parte Bor. Indiæ veræ, dicitur. Hujus etiam Pontan. *l.* 5. *Uran.* meminit:

Caucaſia, & ſuperis jam jam calcandus Imaüs.

IMBARUS, portio mont. Tauri in Arm. maj. apud Strab. *l.* XI. *p.* 531. ſed apud Plin *l.* 5. *c.* 27. in Cilicia.

IMBER, ſignum ſerendi, apud Plin. *l.* 18. *c.* 26. *Sementis tempora plerique præſumunt, & ab undecimo die autumnalis æquinoctii fruges ſerunt,* —— *continuis diebus certo prope imbrium promiſſo; Xenophon; antequam Deus ſignum dederit. Hoc Cic. noſter* imbre *fieri interpretatus eſt.* Ubi verba Xenoph. πρὶν κελεῦσαι τὸν Θεόν, eleganter reddit, *antequam Deus ſignum dederit*, metaphora, è re nauticâ deſumpta: κελεύειν enim dicebatur, qui ſignum remigibus dabat, quo remigare inciperent deſinerentque. Sed &, dum miſſo *imbre* Deum ἀφιέναι ἀφέσιν, *dimittere ad ſeminandum* agricolas, idem Xenoph. ait, à quadrigis Olympicis loquendi rationem mutuatur, quæ ſigno dato emittebantur ad curſum: quemadmodum in Circenſibus Romanis Prætor mappâ ſignum currendi dabat, hinc Ἀφέτης vocatus &c. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 734. infrà de *Satione*, & plura de *imbrium*

brium natura ac effectis, apud Plin. *l.* 16. *c.* 33. *l.* 17. *c.* 2. 18. 24. *l.* 18. *c.* 22. & *l.* 19. *c.* 11. *&c.* Aliud *Imber*, In illo Senecæ, *Adorare imbres*, vide ſuprà.

IMBERBES, Viri veteris ævi, Juvenes barbatuli, vide infrà in voce *Tonſor*.

IMBLOCANDI excommunicatos ritus, memoratur Lamberto Ardenſi *p.* 173. de Arnoldo Ardeæ Domino, in excommunicatione defuncto: *Dominum Arnoldum juvenem extrà atrium ad cellam ſuam apud Bramas adduxêrunt & cum ita* imblocatum *extrà parietes capellæ ſuæ ---- collocavêrunt.* Vide eund. *p.* 177. & Rudolphum Mon. *Vita S. Liobæ Abbatiſſæ*, c. 3. & 4. *ex edit. Mabillonii.* Cùm enim *LL.* Eccleſiaſticis vetaretur, excommunicatorum corpora ſepelire, ac proinde neceſſe eſſet in plateis, aut agris inhumata relinquere, ne tamen fœtor nares, aut ſpectaculi horror mentes fœdaret, illa ut plurimum humo injectâ aut tumultuaria lapidum congeriè operire ſolebant: id quod *Imblocare* dicebant Gallo Belgæ, quibus *bloc* eſt altior tumulus. Vide C. du Freſne in *Gloſſ.* ubi etiam de inolita apud Latinos, Græcos imprimis, opinione, quòd cadavera Excommunicatorum; niſi mortui abſolverentur, in cineres non abeant, ſed, in horrendum poſteris exemplum, indiſſolubili membrorum compage integra permaneant, varia addit. Cùm verò Gallis *bloc*, truncum ſignificet, uti hodieque Picardi hac voce utuntur, alium quoque ritum nobis vox ſuggerit: quo viz. qui excommunicati moriebantur, cùm humo vetarentur mandari, in truncum arboris cavum immittebantur: cujus moris exemplum profert, *Charta* Imberti Pariſ. Ep. apud. Jac. Petit. poſt *Pœnitentiale* Theodori *p.* 557. de quodam Milite, uti notavit idem C. du Freſne *in Additionibus.* Vide quoque ſuprà, ubi *de Excommunicandi ritu.*

IMBRASUS, qui & *Parthenius*, Sami fluv. Plin. *l.* 5. *c.* 31. ex quo illa *Imbraſia* dicta eſt. Pater Imbraſidarum. Virg. *Æn. l.* 12. *v.* 343.

Imbraſidas Glaucum atque Ladem, quos Imbraſus *ipſe*
Nutrierat Lyciâ.

Hinc Samus *Parthenias.* *Nic. Lloydius.*

IMBREX, tegula eſt σωληνοειδὴς *canaliculata*, & tubulata, quòd *rorem* derivet in tectis, an ex Gr. ὄμβρος, *imber*, & βρέχω, *rigo*, quòd *imbribus rigetur*, nomen nacta, Gloſſæ, *Imbrices*, καλυπτῆρες. item στεγαστῆρες. Horum vicem olim conyzæ maſculæ folia præbuêre, uti docet Heſych. qui & ſtramenta ex illa, & ſcopas fieri conſueviſſe, & tegulas ait, quod eſſet φυτὸν ἱκανῶς εὔφυλλον, *planta amplis foliis* luxurians. Sed & ulvâ paluſtri, frondibus, harundine, ſtramentis olim tuguria tegi ſolita, uti pluribus docemus infrà in voce *Tegula.* Item plauſus genus. Suet. *Ner. Claud. c.* 20. *Neque eo ſegnius adoleſcentulos ---- elegit, qui diviſi in factiones plauſuum genera condiſcerent (bombos &* imbrices *& teſtas vocabant) operamque navarent cantanti ſibi.* Sic appellatum à ſimilitudine crepitantis ſuper tegulas pluviæ, quem ſonitum in voce καχλάζειν eleganter exprimit Lycophr. in diluvii deſcriptione,

Ὅτ' ἠμάθυνε πᾶσαν ὀμβρήσας χθόνα
Ζηνὸς καχλάζων νασμός.
Cùm corruebat omnem humum Dieſpitris
Rapax aqualis nimbus.

De eodem Sophocles, κἂν ὑπὸ στέγῃ πυκνᾶς ἀκούειν ψεκάδος εὑδούσῃ φρενί. Vide Caſaub. *ad l. Imbricem porci*, inter delicias epulonum habes apud Mart. *l.* 2. *Epigr.* 47. cujus Epigraphe in Cæciliam.

Quidquid ponitur hinc & inde verris:
Mammas ſuminis imbricemque *porci* &c.

Hinc *imbricatus*, ut *imbricati ungues* ſimiarum, & *imbricata* per ambitum *folia* Cypriæ laurus, apud Plin. Vide quoque infrà *Licinius Imbrex.*

IMBRIVIUM, locus Samnii, Liv. *l.* 8. *c.* 24.

IMBROS, inſ. maris Ægæi, inter Lemnum ad Occ. ac Cherroneſum Thraciæ ad Ort. inde 22. hinc 72. mill. paſſ. cum opp. cognomine prope Samothracem Cabiris & Mercurio ſacram, Steph. Hæc inſ. leporibus mirè ſcatet. Geographus Anon. ſub Conſtantio, *Imbros leporinam veſtem multam ejicit*, i. e. emittit. Addit horum animalium ibi eſſe multitudinem. Lepus Hebræis eſt ארנבת *arnebeth*; Arabibus *arneb*, vel *arnib*, unde literis trajectis factum *Inbros* & *Imbros*, atque ita eadem fuerit cum *Laguſa* Græcis, cujus nominis aliquot inſulas habuit Ægæum mare circa Troadem. Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Lembro* hodiè Sophiano. Hinc *Imbrius.* Ovid. *Triſt. l.* 1. *Eleg.* 9. *v.* 18.

Venimus ad portus, Imbria terra, *tuos.*

Populi *Imbris*, & Lemnii, apud Dion. Halic. & Heſych. proverbio ſunt in eos, qui judicium vel aliam rem ſubterfugientes, abſentiam cauſantur: uti qui ſe in Imbrum vel in Lemnum navigâſſe dicebant, Ferrar. Strabo *l.* 2. *p.* 124.

IMENHUSANUS Johannes, vide *Johannes.*

IM-HOF Hier. patricius Norimbergenſis, Legationis à Frid. III. Holſatiæ Domino in Moſcoviam & Perſicam expeditæ ſocius A. C. 1635. Legatus poſtmodùm Chriſtinæ Sueciæ Reginæ ad M. Moſcoviæ Ducem A. C. 1640. tandem ab Aug. Brunſv. Duce in Conſiliariorum numerum receptus, filiorum ejus ephoriam geſſit. Obiit A. C. 1668. Æt. 62. *Freherus Theatr. Viror. Erud. Claror.*

IMILCE, Heroina Punica, apud Sil. Ital. Pun. Bell. *l.* 3. *v.* 57. ut *Imilco*, Dux Punicus apud Oroſ. *l.* 4. *c.* 6. Vide de utroque Voſſ. de orig. & progr. *Idol. l.* 2. *c.* 11. & de Punicis hujuſmodi vocabulis latè differentem Alderbretum Cordub. *de Antiqq. Hiſp. l. Hiſpanice ſcripto.*

IMILCO, vide *Amilco.*

IME vel IMME, opp. Seleucidis Syriæ, Plin. Ptol. Ἴμμα dicitur. *Imas* vocat Sextus Rufus in *Breviar.* & non longè ab Antiochia diſſitas tradit. In Tab. Peutingeriana *Emma* appellatur. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 631.

IMIN, vide *Mahamed Amin.*

IMISILUM ſ. IMIZILUM, apud Anaſtaſ. *in Sergio II. Obtulit veſtes quatuor:* & in *Leone III. Fecit veſtem albam holoſericam, ornatam in circuitu de myzilo*; pro quo *myzinum* habet, in *Nicolao I.* Buſlingero, ſericum eſt lenius, quod Italicè dicitur *Erimeſino*, vel *Byſſinum.* C. du Freſne videtur idem quod Camiſile. Vide eum in *Gloſſ.* & Dom. Macr. in *Hierol.*

IMMANICELLUM & IMMACELLUM & MANICELUM, pag. agri Genuenſis, *Immaticen* Auguſtin. Juſtin. à Genua 6. mill. paſſ. apud ædem S. Urſicini.

IMMANIS Xerxes, apud Arnob. *Adv. Gentes l.* 1. Græcis φρενοβλαβὴς καὶ ἀτάσθαλος dicitur, homo ſc. deploratæ ſpei, & jam ſuis malis non aſſuetus modò, ſed etiam gaudens: qualem Xerxem deſcribit Herod. *Muſâ* 8. ut qui præ nimia vecordia Deorum hominumque contemptor res aggreſſus eſt *immanes* & plus quàm humanas. Quemadmodum idem *Muſâ* 2. Pheronem Ægyptiorum Regem ἀτασθαλίῃ χρησάμενον ait jaculum in Nilum arva inundantem torquere auſum, & idcirco luminibus captum. Πάθη enim hæc ἀ-γεια & θηριώδη. quemadmodum contrà magnæ & inuſitatæ virtutes θεῖαι appellatæ &c. Vide Deſid. Herald. *ad Arnob. l.* 1.

Principes & Viri illuſtres.

IMMANUEL, Princeps Anhaltinus, fil. tertiò genitus Aug. qui, rami Plæzkenſis auctor, Obiit A. C. 1653. Suecorum in Dania miles, res egregias geſſit.

IMMANUEL Tremellius, Italus, Ferrarienſis, patre Judæo natus, poſteà Dominicanum inſtitutum, apud Pontificios ſectatus eſt: tandem ad Reformatos ſe applicuit, linguæ Hebrææ Profeſſor Heidelbergæ. Edidit in Biblia Annotationes, Scholiaque brevia, unà cum Franciſco Junio. Idem N. T. libros ex ſermone Syro, ſicut Theod. Beza è Græco Latinè vertit. De hoc Laurentius Jeſuita Liberal. *Tremellius, Franciſci Junii Proteſtantis eximii, in tranſlatione Bibliorum, ſocius & coadjutor, ex Judæo naturali factus eſt Judæus Proteſtans, non ſine Proteſtantium opera.*

IMMANUEL, vide etiam *Emanuel.*

IMMANUENTIUS, Britannus, qui in civ. Trinobantum regnum obtinuit. Cæſ. de Bell. Gall. *l.* 5. *c.* 20. Vide *Imanuentius.*

IMMATURA Mors, vide *Abori.*

IMMERSOR, Græcè Βαπτιστὴς, dicitur, ad quem in Baptiſmo infantem ſpectabat apud Græcos in aquam *immergere.* Solent enim ad E' adminiſtrationem hujus Sacramenti tres miniſtros adhibere; quibus digniſſimus aquæ benedicit, alter exorciſmum adhibet; tertius immergit, hinc Βαπτιστὴς, *Immerſor*, dictus, qui Sacerdos eſt. Quemadmodum Romæ quoque in Baptiſmo Catechumenorum, eorum Rector exorciſmo aliiſque cerimoniis defungitur, poſteà Ep. ſolenniter baptizat. Vide eund. Macr. ut ſuprà.

IMMIRENI gens Perſis ſubjecta, fidem admiſit Chriſtianam, A. C. 500.

IMMOBILIA, dicta Gallis Inſubribus ſigna quædam aurea, quæ habebant in templo Minervæ, unde non niſi ad graviſſima bella promebantur, apud Polyb. *l.* 2.

IMMOLATA Dæmonibus, in Conc. Aurelianenſi IV. *can.* 15. εἰδωλόθυτα dicuntur Apoſt. 1. Cor. 8. ubi toto hoc capite novitios in Gentibus Chriſtianos inſtruit, quomodo circa ea gerere ſe debeant, ſi fortè ad convivia à Gentilibus invitarentur. Solebant enim Gentiles, qui è ſacrificio domum redibant, victimæ conſecratæ portiunculam aliquam domeſticis ſuis afferre, quod Ariſtoph. Scholiaſtes in *Pluto* docet. Sed & interdum in macellis venum exponebant, ubi conflata ex illis pecunia Sacerdotum erat, ut eſt apud Auguſtin. *l. Expoſ. quar. Propoſit. ex Ep. ad Rom. c.* 78. Unde eſcas iſtiuſmodi ſæpè legimus à Paganis ad manducandum Chriſtianis Martyribus porrectas, in *Actis* Martyrii SS. Taraſii & Socior. apud Baron. *n.* 40. apud Greg. M. Dial. *l.* 3. *c.* 27. A. C. 290. Quas qui guſtâſſent Chriſtiani decem dierum pœnitentiâ multantur in *Pœnitentiali Rom. tit.* 7. *c.* 24. *Si comediſti de cibo Judæorum vel Paganorum, quem ipſi ſibi præparavêrunt, decem dies pœniteas* &c. Vide G. Delmenhorſt. *Comm. ad Minuc. Fel. Octav.* ubi inter alia, Baſilidem hæreticum, *Immolata* ſuis permiſiſſe, guſtanda, ex Euſeb. *Hiſt. Eccl. l.* 4. *c.* 8. adnotat C. du Freſne in *Gloſſ.* & ſuprà in voce *Idolothyta.* Ratio autem immolandi hæc erat. in Sacris Sacerdotes primùm precabantur: mox hoſtiam *molâ* (unde toti actioni nomen) vino, coſto, thure mactabant; dein libabant, è ſympulo fictili vel ligneo vinum guſtantes & adſtantibus propinantes. Tum victimariis ſ. cultrariis, popis agonibus, *immolare & excoriare* victimas mandabant ac excepto pateris ſanguine, mortuam proſcindere. Hinc exta inſpiciebant, &, ſi litatum fuiſſet, poſteà reddebant, i. e. Diis, quod deberetur, miniſtris adſtantibus, partiebantur, ac poſtremò epulabantur, carne perpetuò toſtâ vel aſſâ, niſi ex ariete quæ elixabatur: quibus peractis Græci λαῶν ἄφεσιν denunciabant, Rom. verò *Ilicet* proclamabant, eos, qui adſtiterant, dimittentes. Vide Alex. ab Alex. *Genial. Dier. l.* 4. *c.* 17. & infrà in voce *Mola*, it. ubi de *Sacrificiis.*

IMMORTALES, nomen agminis militaris apud Perſas. Curt. *l.* 3. *c.* 3. ubi de exercitu Darii, *Proximi ibant, quos Perſæ Immortales vocant, ad decem millia --- illi aureos torques, illi veſtem auro diſtinctam habebant, manicataſque tunicas gemmis etiam adornatas. Exiguo intervallo, quos cognatos Regis appellant,* &c. Sic dicti, quòd, *ſi quis eorum numerum imminuerit, alius ſufficiebatur: nec unquam plures pancioreſque eſſent decem millibus*, Herod. Robur hi exercitûs Perſici, ex nobiliſſimis & fortiſſimis Perſarum ſelecti, Cyrum Auctorem habuêre. Sed tandem per Duces ſuos *mori* potuiſſe, docuit Theodoſ. Theodoſii Mag. nepos, uti notat Rader. *ad Curt. d. l.* Alii ſunt apud eund. Herod. *l.* 4. *c.* 93. *Immortales*, Getæ viz. οἱ ἀθανατίζοντες, quòd

quòd mori ſe non putarent, ſed meare ad Zamoixin, hic appellati, Freinſhem. *ad Curt. ibid.* Vide quoque ſuprà *Athanati*.

IMMORTALES, vide *Roſæcrucii*.

IMMUNDI, è caſtris emiſſi, Num. *c.* 5 *v.* 4. qua de re vide Joh. Selden. *de Synedriis l.* 2. §. 5. (qui & de *Immundorum Paſchate, ibid.* §. 3. 6. & 7.) ut & ſuprà ubi de *pollutorum Baptiſmo*, ac infrà, ubi de *Munditie Cærimoniali*, & *Paſchate Secundario*.

IMMURATIO, ſ. Condemnatio ad perpetuum *muri* carcerem, in Communione Rom. graviſſima pæna eſt, *Credentibus* hæreticorum & *ægre pœnitentiam agentibus*; aut qui in judicio conſtituti diu *negavêrunt* veritatem & ſe *perjurio* obſtrinxêrunt &c. irrogari ſolita, ut ibi peragant in pane doloris & aqua tribulationis pœnitentiam ſalutarem. *Conc.* Tholoſ. *c.* 10. It. *Biterr.* & Frid. II. Imp. *in l. Commiſ.* §. 2. Delicta, ob quæ *Immuratio* decernitur, enumerantur *Concil. Narb. c.* 9. Ritus immurationis definitur *Conc. Biterr. c.* 23. 24. & 25. Vide quoque *Inſtruct.* Madrilianam A.C. 1561. *c.* 79. & 80. Hodie verò rarior ejus uſus eſt, & Epp. ac Inquiſitores ſæpius hanc pœnam in detruſionem in Monaſterium commutant. Sed & Inquiſitores cum Ordinariis, hodie poteſtatem habent diſpenſandi: quod ſi pœna carceris irremiſſibilis ſit impoſita elapſo octavo Anno relaxari ſolet, idque de conſilio Diœceſanorum. Poſſunt verò & hæ remiſſiones pecuniâ obtineri, uti docet Phil. à Limborch *Hiſt. Inquiſit. l.* 4. *c.* 32. Vide quoque infrà, ubi de *Redemptione pœnarum*: it. *Perpetuo Carcere*.

IMOLA, vulgò quoque *Imola*, urbs in Æmilia, quæ olim *Forum Cornelii* dicebatur, Sub Pontif. in Romandiola, ad Vatrenum fluv. Epiſcopal. ſub Archiep. Ravennate. Hanc conditam à Rom. Narſes deſtruxit: reparârunt Lombardi. Poſt varias viciſſitudines, à Cæſare Borgia Alex. VI. fil. notho tandem capta eſt. Strabo *l.* 5. *p.* 216. Plin. *l.* 3. *c.* 16. Proc. *de Bell. Gall. l.* 2. Blond. *l.* 8. *Hiſt.* Leand. Alb. *Deſcr. Ital.* Vide *Forum Cornelii*.

d'IMOLA Johannes, vide *Johannes*.

IMPALATIO, ſupplicii atrox genus, de quo vide infrà *Stipes*.

IMPAR Numerus, apud Gentiles olim, in Magicis inprimis eorum ſacris, magni habitus. Plin. *l.* 28. *c.* 2. *Cur impares numeros ad omnia vehementiores credimus? idque in febribus dierum obſervatione intelligitur.* Unde Virgiliana. *Pharmaceutria Ecl.* 8. *v.* 73.

> Terna *tibi hæc primùm triplici diverſa colore*
> *Licia circundo*, terque *hæc altaria circum*
> *Effigiem duco.*

Et paulò poſt, Ibid. *v.* 77.

> *Necte* tribus *nodis* ternos *Amarylli colores.*

Rationem addit Ibid. *v.* 75.

> —— Numero *Deus* impare *gaudet.*

Quò facit illud Lutatii *ad Stat. Theb. l.* 5. *v.* 87. *Omnis impar numerus proſpera ſignificat & viris adſcribitur. Id vero, quod par, exit infectum, atque perit in ordine ſuo: quod ergo nihil agit, ut maneat, inferorum eſt. Et ubique mortuis geminum, h. e. parem adſcribit numerum*, &c. Hinc Romanos parilem numerum in Anni ſui computatione ſemper vitâſſe, & ſtatim a Numa, qui Annum Romuli correxit, unum diem abundâſſe quòd *impar numerus plenus & fauſtior* haberetur, ait Cenſorin. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 19. At Pythagoræi parem *impari* præferebant, teſte Plutarcho *de imm. Verec.* vide infrà ubi de *Numero*, *Quaternario*, *Pari* &c. uti de *Imparibus* Vett. *tibiis*, ubi de *Tibia*.

IMPECCABILES, dicuntur Forbeſ. Hæretici, qui tales ſe falſo jactantes, *ſpiritualium* ac *perfectorum* elogium ſibi arrogabant, atque hoc prætextu omnem pœnitentiam è medio tollebant. Quales fuêre veteri ævo Gnoſtici, inter quorum commenta furoris plena, hoc etiam Irenæus commemorat, *quòd intemeratè omnia quæ in Sacris Literis vetantur, ii, qui erant eorum perfecti, operarentur: dicentes, impoſſibile eſſe, eos inde corruptelam ſuſcipere, l.* 1. *c.* 1. ubi de Valentini diſcipulis. Poſt eos Priſcillianiſtæ, Maſſaliani, alii, de quibus ſuo loco. Hodie Anabaptiſtarum illi, qui *Libertini* dicuntur, aliique: Qui omnes è Simonis Magi Schola, licèt variè à diverſis errorum Magiſtris denominati, exorti ſunt. Vide de illis Joh. Forbeſ. præfatum *Inſtruct. Hiſtorico* ---- *Theolog. l.* 12. *c.* 9. Eis opponit *Implacabiles*, de quibus vide infrà.

IMPEDIMENTA, vide infrà *Tuldum*.

IMPEDITORES Officii Inquiſitionis, in Eccl. Rom. Fautoribus hæreticorum proximi ſunt habiti. Nempe, ut officium Inquiſitionis ſtrenue exerceatur, omnibus, cujuſcunque ſint dignitatis ac conditionis, ſeveriſſimè præceptum eſt, uti diſcimus ex Bulla Alex. IV. *Orthod. Fidei Chriſt.* & V. Decret. *in c. Excommunicamus*, ubi in fine Epiſcopis mandatur, ſub pœna depoſitionis, ut Inquiſitores in officio ſuo pro viribus juvent. Magiſtratibus verò, ſi ullâ ratione illos *impedire* præſumant, omnes diras & terribile exitium interminatus eſt, Innoc. IV. Bullâ *Tunc potiſſime*. Imò contra tales, ſive directè, ſive indirectè id faciant, Inquiſitoribus procedendi poteſtas data eſt per Innoc. IV. alioſque Papas, reſcripto ad Inquiſitores hæreticæ pravitatis, cujus initium, *Præ cunctis*. Nec deſunt exempla Inquiſitionis inſtitutæ, non tantùm contra privatos, ſed & contrà Magiſtratus, imò integras civitates & communitates, quæ Inquiſitioni impedimentum objecêrunt, apud Bzovium A. C. 1285. §. 12. ubi de ditione Parmenſi, & in libro *Sententiar. Inquiſit. Tholoſ.* ubi de caſtro quodam ditionis Tholoſanæ In alios Magiſtratus excommunicationis ſententiæ vibratæ, terræ ipſorum Interdicto ſuppoſitæ & conceſſæ primo occupanti, ut pluribus patet ex Hiſtoriis, Albigenſium præcipuè. Severitas autem hæc extenditur ad omnes, offendentes ſtatum, res & perſonas Officii præfati, contra quos proin ſeveriſſimam edidit Bullam Pius V. A. C. 1569. quæ incipit, *Si de protegendis*. Imò couſque nonnunquam, ut, quæcunque etiam extrà cauſas Fidei contra Inquiſitorum Familiarem commiſſa, puniantur, non aliter ac ſi per ea aut Inquiſitionis Officium eſſet *impeditum*, aut ipſi Inquiſitori gravis injuria illata, cujus memorabile exemplum refert Regin. Gonſalvius S. *Officii Art. det.* Vide Phil. à Limborch *Hiſt. Inquiſit. l.* 3. *c.* 10.

IMPENSOR Miniſter, nomen officii militaris, apud Juſtin. *l.* 6. *c.* 2. *Conon ---- agit cum eo* (Perſarum Rege) *per internuntios, & queritur, opulentiſſimi Regis bella inopiâ iuvari, & qui exercitum parem hoſtibus habeat, pecuniâ vinci, quâ præſtet. Poſtulat dari ſibi Miniſtrum impenſæ, quia pluribus id mandare perniciosum ſit.* Ταμίας Diod. Sic. *l.* 14. *c.* 82. Recentioribus *Ærarii caſtrenſis præfectus* eſt, cui pecunias (nervum belli) conquirere aſſervare & erogare incumbit.

IMPERATIVÆ Feriæ, vide ſuprà *Feriae*, ubi de *Imperativis Auguriis*, infra in voce *Oblativa*.

IMPERATOR, appellatio apud Rom. olim militaris fuit, quâ Dux præſens re bene geſta primum militum acclamatione in caſtris, deinde ſententiâ Senatus in urbe exornatus eſt. Factum id autem antiquitus, non niſi magnis rebus geſtis: at ſuâ ætate, decem millibus occiſis, acclamatum eſſe ſcribit App Alex. qui ſub Hadr. vixit *Civ. Bell. l.* 2. Addit Dio, non niſi ſemel de uno bello aliquem appellari *Imperatorem* licuiſſe, *l.* 60. Nihil autem referebat, an ipſi Duces, an Legati illorum Quæſtoreſque rem præclarè geſſiſſent, Cic. *in Piſ.* Aliàs *Imperatores* in genere dicti ſunt omnes illi, qui ſuis auſpiciis rem gererent, & qui imperium, i. e. jus belli gerendi haberent. Poſtea mutato ſub Jul. Cæſ. Reip. ſtatu, vox eum ſignificare cœpit, qui potentiam & auctoritatem in Rep. ſummam eſſet adeptus: quo factum ut quotquot Cæſari ſucceſſere, *Imperatores* dicerentur. Quanquam & prior tituli uſus non penitus abolitus, ſed tum in aliis, tum in ipſis Principibus fuit retentus & obſervatus: cùm rebus in bello egregiè patratis, pro numero victoriarum *Imperatores* II. III. IV. V. nuncuparentur. Quemadmodum de Octavio legimus, quòd XX. i. e. viceſimum Imp. ob toties reportatam victoriam, fuerit dictus. Fuit etiam Jovis epitheton, quòd omnibus imperet, ſic dicti. Talis à Præneſtinis cultus eſt, cujus ſimulacrum T. Quintus, Præneſte in ditionem accepto, Romam devectum in Capitolium tulit, dedicavitque inter cellam Jovis & Minervæ, tabulâ rerum geſtarum teſte ſub eo fixâ. Imo & alibi Jovem hoc nomine cultum, refert Cic. *Verrina* 6. Vide Thom. Dempſter. in Joh. Roſin. *Antiqq. Rom.* Eund. titulum ſequiori ævo præter Impp Byzantinos & qui Occidentis Imperium tenebant, etiam ſibi ſumpsêre Bulgariæ Principes, ut quos *Baσιλέας* ſeſe inſcripſiſſe, & iiſdem quibus Impp. CP. inſignibus uſos eſſe, docent, Luithprand. *in Leg.* & Scylitzas *p.* 623. Vide ſuprà in *Baſileus*. Hinc in *Actis* Innoc. III. Johannicius Bulgariæ Rex Epiſtolam ſuam ſic orditur: *Ego Calojohannes Imp. Bulgarorum ſeu Blancorum.* A Latinis tamen non *Impp.* ſed *Reges*, compellabantur, ut videre eſt apud eund. Innoc. *ibid.* Idem feciſſe Reges Anglo-Saxones ex hoc patet, quòd *Baſileas* ſeſe itidem paſſim indigitarent. *Ego Edgarus Anglorum Baſileus, omniumque Regum Inſularum Oceani ---- Imp. & Dominus*, in *Reſcripto*, quod habetur in *Epiſtolis Hibern.* Jac. Uſſerii Archiep. Armach. Idem in alia *Charta*, de Clericis uxor. ſubſcribit, *Ego Eadgar Baſileus Anglorum &* Imp. *Regum Gentium* &c. Sic in alia, *Ego Imp. Knuto* &c. Regibus porrò Franciæ idem axioma à Scriptoribus non ſemel tribuitur, ac Chlodovæo, apud Balther. in *Vita* S. Fridolini Abb. *n.* 30. Pipino, apud Suger. *de adminiſtr. ſua*: aliis. Sed & de Caſtellæ tandem Regibus idem legitur, qui *Impp. Hiſpaniæ*, vel *Hiſpaniarum*, appellari amavêrunt, *quod*, ut ait Matth. Pariſ. A. C. 1155. *Principarentur Regulis Aragonum & Galiciæ.* Unde narrat Mariana *Hiſt. Hiſp. l.* 9. *c.* 5. ad Conc. Turonenſe, miſſos eſſe ab Henr. II. Imp. Legatos, A. C. 1055. ejus nomine queſtos, adverſus Ferd. M. Caſtellæ ac Legionis Regem quòd contrà morem Majorum & legum præſcripta, ſe Imperii Rom. jure exemptum ferret & in ipſum *Imperii* invaderet nomen. Sic in vet. *Scheda*, apud Martinez. *in Hiſt. Pinnat. l.* 5. *c.* 8. ubi de pacto inter Alphonſum Aragoniæ & Alphonſum fil. Caſtellæ RR. *Alphonſus de Aragonia tradidit abſolute totam illam terram Caſtellæ, quæ pro ipſo tenebatur, Alphonſo de Caſtella, & deinde noluit, quòd vocaretur* Imp. *niſi Rex Aragonum Pampilonæ & Navarræ.* Vide plura apud C. du Freſne *in Gloſſ.* ubi Reges etiam Wiſigothorum *Imp.* affectâſſe titulum, colligit ex *LL.* Wiſigothor. *l.* 12. *tit.* 2. §. 13. Adde Georg. Horn. *in Orbe Imp.* In nummis tamen Impp. CP. crebro *Imp.* titulum omiſſum eſſe, obſervatum eſt Ez. Spanhem. exceptis fortè Juliani æreis, in quibus ſolitum illud IMP. legitur. Sed & conſtat *Imperatorium* hunc titulum à Julio Cæſare in nummis haud receptum, nec ab Aug Succeſſoribus Tiberio, Cajo, Claudio etiam, niſi rariùs, in iis admiſſum. Unde etiam eorum exemplo neglectus eſt, à Severo, Caracalla, Gallieno, quorum nummi hoc prænomine frequentiùs carent, &c. Vide eund. C. du Freſne *Diſſertat. de poſterioris ævi numiſmatibus n.* 33. *& ſeqq.* Ut de ornatu habituque *Imperatorio*, quem *ſpeciem Principatus* vocat Suet. *Calig. c.* 22. (eò quod Imp. Rom. propriè *Princeps*, & Imperium *Principatus* appellaretur, ex inſtituto Aug. ut ex Tac. docent Eruditi) quædam addam: Eorum corona ſupernè operta, & ut Anaſtaſ. Bibliothecarius *in Leone III.* appellat, *epanoclyſta* fuit, cùm cæterorum Regum Principumque coronæ radiatæ ſupernè paterent vel potius non ita pridem ſuperne pateant. In bello, & ubi aperiri capita mos erat, pileis Laconicis contecti capita, deſcribuntur Syneſio *in Orat. de regno*. Carini pileum ex lana fuiſſe idem indigitat cùm Parthorum Regem, qui tiarâ & candye ornabatur, dicit ceſſiſſe ei, cui ex viliſſimis lanis amictus pileuſque eſſent. *Impp.* CP. communiter uſi leguntur pileo, ut videre eſt apud Codin. *de Offic. CP. c.* 6. *n.* 18. quem in ſolennitatibus alio tegmine, putà Crinoniâ, cui à lilii ſpecie nomen: vel Tetraphyllo, cui à quatuor foliis, mutabant. Idem Codin. *c.* 6. *n.* 36. meminit variorum *Imperatorii* capitis tegminum, Tropæuchiæ inprimis & Juſtinianæi, quorum illud à tropæo, hoc à Juſtiniano Imp. accepit nomen. Diadematis porro uſum primis *Imperatoribus* exoſum, poſterioribus familiarem fuiſſe conſtat; & Jornandes quidem Diocletiano, Cedren. verò & Faſti Sic. Conſtantino

illud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

illud attribuunt. Neronem noctu lupanaria pervagatum, cucullione tectum, non moramur. Calceamenta quod attinet, priſcis illa Imperatoribus ſerica fuêrunt, neque enim φοινικόχροα illa πέδιλα, quæ propria erant Imperii inſignia, è vili materia fuiſſe credibile eſt: cùm ea etiam auro gemmiſque inſigniret eſſent ornata. Julium Cæſarem *calceamentis altioribus & coloris rubri, more Regum Albanorum, uſum fuiſſe*, docet Dio. Spartian. *in Alex.* proin ipſum notat præter morem feciſſe. quòd *baxeis albis uteretur, non coccineis, ut prius alii ſolebant Impp.* Sed id ſingulare fuiſſe CPolitanus videtur innuere Paul. Diac. *l.* 16. his verbis. *Ut agnoſceretur Imp. ex rubris calceis.* Hinc Manuel, *conceſſo uſu cocco tinctorum calceamentorum*, Succeſſor ab omnibus agnitus eſt, apud Georg. Phraanzem Protoveſtiarium *in Chron.* Itaque alios iiſdem uti non licebat, cùm in illis, ſicuti in chlamyde purpurea, elucerent expreſſa Imperii inſignia. Unde Coripp. *de Juſtino Jun. l.* 2.

Purpureo ſuræ rutilant fulgente cothurno,
Cruraque puniceis induxit Regia vinclis.
Parthica Campano dederant quæ tergora ſuco:
Auguſtis ſolis hoc cultu competit uti.

Et hi *Mullei* dicuntur Latinis *calcei*, quos paſſim Græci Auctores ὑποδήματα ſ. πέδιλα ἐρυθρὰ & ἐρυθρόχροα ſ. φοινικόχροα appellant: quorum uſus ab *Imperatoribus* tandem ad Pontifices Rom. tranſiit. In ſpecie memorantur Campagi & Tzangæ: Fuit autem Campagus, formâ reticulatâ prorſus, & frequentibus inciſuris conſpicuâ. Tzangæ in ſummitate pedis quandam quaſi lamellam, quæ Aquilæ effigiem repræſentabat, &, præter intextum hoc vel adſutum decus, purpureo colore inſignes erant. Addebatur aurum, gemmæ, aliaque ſplendoris inſignia. Sed de his plura vide apud Anſelm. Soler. *l. de Calceo antiquo*, ut & in voce *Tzancæ*. Reliquus *Imperatorum* habitus, etiam ſublatâ libertate, toga fuit. Nam & Cæſar in toga confoſſus eſt, Suet. *c.* 82. & Calig. *c.* 35. *ut calcatâ laciniâ togæ præceps per gradus iret.* & Domit. *Mars togatus* dictus eſt Mart. & apud Spartian. Hadr. *cum in Italia eſſet, ſemper togatus inceſſit.* Idem de Antonino Philoſopho & Pertinace, apud Capitolin. de Alex. apud Lamprid. legimus. Sed quandoque illa toga purpurea ac triumphalis fuit, cujus uſus perpetuus primùm Cæſari datus eſt, apud Dion. *l.* 44. Lamprid. tamen de Alex. tradit, adeò civili ingenio fuiſſe, ut licèt *Imp.* prætextam & togam pictam nunquam ſumeret: Et proin non niſi mali ſuperbique Principes invidioſum eum habitum uſurpârunt, ut Nero, in adventu Teridatis, apud Dion. *l.* 63. Domitianus quoties in Senatum veniret, apud eund. *l.* 67. Heliògabalus apud Herodian. Galienus apud Trebell. Inferiori ergò ævo veſtis purpurea, i. e. toga & paludamentum, *Imperatorum* eſſe cœpit: unde *ſumere purpuram*, pro, *ſumere Imperium* dictum, & in tumultuariis creationibus direpta de vexillis, aut de ſimulacris Deorum, cùm aliunde non ſuppeteret, à militibus purpura eſt, quâ *Imperatorem* induerent, ut Hiſtoriæ Auguſtæ interpretes adnotârunt. At in pænulis hic rerum apex nunquam fuit, niſi fortè in itinere pluviæ cauſa illas adhibitas credimus. Vide Octav. Ferrar. *de Re Veſt. paſſim*: plura verò hanc in rem, inprimis *de ritu novos Impp. ſuprà ſcutum in inauguratione efferendi*, quod Gr. ἐπαίρειν, dixêre, Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce hac, item in voce Βασιλεύς: *de more Impp. populum alloquendi, Natalem ſuum aliquo donativo proſequendi, damna fortuitis caſibus accepta largitione aliquâ compenſandi, illuſtrium virorum funera proſequendi*: viciſſim, de populi more, *illos, poſt inſignem inprimis hoſtibus cladem illatam ſalutandi; urbem aliquam ingredientes excipiendi; imò & adorandi* &c. Vide Caſaub. *Animadv. ad Suet.* ut & hîc paſſim.

IMPERATOR, al. *Rex*, in Scacchorum ludo, vide infrà *Latronum luſus.*

IMPERATORIA, radicis nomen, Germanis à magiſterio dictæ, quod emineat maximè & coronam ferat, cujus deſcriptionem elegantem habes apud Auctor. Anon. *Sinæ & Eur. c.* 31. Vide quoque ſuprà in voce *Aſtrantia.* De *Imperiali* verò *flore* ſic Franc. Pomey, per proſopopœjam illum loquentem introducens: *Quid meo rectius caule? quid politius? quid ornatius? Hoc ſolium eſt meum. Quid, conferto illo ad pèdes meos præacutorum globo foliorum ordinatius? Mei hi ſunt haſtati milites & prætoriani cuſtodes. Quid porrò cirro illo item foliorum viridantium, in diadema rotundato, præclarius, quem noſtro vides tam eleganter impoſitum vertici? Corona hæc mea eſt & umbella ſolii mei. Sed enim quis unquam florem vidit uſquam ſimilem mei? Unus ſum ac plures, ſimplex ſimul ac multiplex; Et verò, plurium unus ego decora colligo & dotes. Denique in me oculos, qui volet ---- adjiciat; ſpectet ---- quaternas, quinas ſenaſve campanulas, illigatas aptiſſimè, ſcitiſſimeque pendulas, & coronæ ſubjectas, quam mihi texuit natura virenti e ſmaragdo ---- At inops ab odore ſum. Inopiam agnoſco meam, haud nihilo tamen minùs dignum me agnoſco, qui imperem. Quid enim in terris tam uſquequaque ſuis abſolutum numeris eſt ---- in quo nihil deſideres* &c. in *l. cui tit. Diverſ. Deſcript.*

IMPERATORIA Cœna, vide infrà *Paſcere.*

IMPERFECTA Artificum opera, *Iris* Ariſtidis, *Tyndaridæ* Nicomachi, *Medea* Timomachi, *Venus* Apellis, in majori admiratione fuêre, quàm perfecta; quod perquam rarum ac memoriâ dignum meritò judicat Plin. *l.* 35. *c.* XI. rationem rei adjungens; quam vide infrà in voce *Medea.*

IMPERIA, vox memorata, in Pandectis, *l.* 3. *tit. de ſupell. leg.* ubi enumerantur quæ continentur ſupellectile legatâ; ſcilicet *Menſæ, Trapezophora, Delficæ, Subſellia, Scamna, Lecti etiam inargentati, Culcitæ, Toralia, Imperia* (ſic Florentinæ) *Vaſa aquaria* &c. In quibus *Imperia* ait Cujacius heic verti in Baſilicis προσκεφάλαια ſ. *Pulvinos*, quod & *Impilia* inde ſignificare vult. Quin is diſertè, *Imperia ſunt Impilia*, de qua voce paulò infrà. Pancirollo hoc diſplicet *Theſ. Var. Lect. l.* 2. *c.* 92. qui *Impiliorum* nomine aliud præter veſtem venire non admittit: adeoque *Imperia* ibi denotare vult genus accubitalis. Pandectæ minùs correctæ, ſaltem non ex Florentinis, habent ibi *Mappæ villoſæ* etiam aliquæ *Impanalioſa*, vide Alciatum *Prætermiſſ.* 1. *in Baucalium.* Nec deeſt, qui *Impilia* ait eſſe mappas ſine villis, & Toralia cum villis, ipſi Paulo. *Imperia* autem veram lectionem eſſe, non dubitat Joſeph. Scalig. *Conjectan. ad Varronem de Re Ruſt. l.* 1. nec aliud ibi eſſe, quàm *Imparia.* Ejuſmodi nempe Veteribus admiſſâ ſcribendi variatione, ut *e.* loca *a.* non rarò poneretur: veluti, *in præperata, opiperata, opipera*, &c. Et *Imperia* ſic ſ. *Imparia* ſignificare vult, ſive toralia, ſive vaſa aliave in ſupellectile, quæ Paterfamiliâs ſibi ſervat præter ea, quæ ſunt uſûs quotidiani. Etiam ex Catone *de Re Ruſt. c.* 3. locum adfert, ubi *Imparia* ſic ſumi vult, ſ. pro *Supervacaneis.* Qua in re non immeritò diſſentiunt, qui pridem Catonem accuratiùs edidêre. Neque enim τῷ *Impar* ejuſmodi notio hactenus comperta, ne quidem apud Catonem alibive. Quin expreſſè Alfenus & Tubero *l.* 6. & 7. *D. de Supell. leg.* ſupellectilis etiam definitione venire volunt, *res ad uſum communem paratas & ad uſum quotidianum*, quæ non ſatis quadrant cum iſto Scaligeri ſenſu. Quòd verò ait Cujac. in Baſilicis ſubſtitui προσκεφάλαια ſ. *pulvinos*, pro eo, quod eſt *Imperia* (ſ. ut vult ille, *Impelia*) apud Paul. non ita facilè admitti poteſt. Græca ſunt in Synopſi *Baſilic. l.* 44. *tit.* 13. Latinorum nempe paulò antè citatorum, poſt vocem, *Subſellia*, (quæ in Græcis Συβέλλια eſt, uti item in optimo Synopſis codice MS. Bibliothecæ Arundellianæ) Σκάμνα, Κλίναι, κἂν ὦσιν ἠργυρωμένοι, Στρώματα, Προσκεφάλαια, Σκεύη ὑδρηλά. &c. *Scamna, Lecti, etiamſi fuerint inargentati, Stromata, Pulvini, Vaſa aquaria* &c. Nec ſatis liquet, utrum pro eo, quod eſt in Florentinis *Imperia* hîc, an pro *Toralia* ſubſtituendum ſit, προσκεφάλαια. Certe videtur pro *Toralia*, prætermiſſo omnino, aut non lecto vocabulo illo altero, quod à nemine ibi ſatis intellectum comperitur. Joh. Selden. *Uxor. Hebr. l.* 1. *c.* 14. *ſub fin.*

IMPERIALES, dicti olim, qui Conc. Chalcedonenſi adhærebant, vide infrà *Melchitae.*

IMPERIALIS Johannes auctor *Muſei Hiſtorici.* Vide *Johannes Baptiſta.*

IMPERIALIS, urbs Epiſcopal. regni *Chiles*, ad fluv. cogn. 4. leuc. Hiſp. ab ora maris Pacifici. Sub Hiſp. à quibus haud pridem extructa eſt. Vulgò *Imperiale.*

IMPERIALIS, in *Bulla* Urbani III. pro Fratribus Cruciferis Hoſpitalis Bonon, *Ad indicium autem, quod domus veſtra ſpecialiter B. Petri exiſtat*, 12. Imperiales *nobis noſtriſque Succeſſoribus annis ſingulis perſolvatis*; in *Chron.* S. Ricardi de S. Germano A.C. 1236. alibique *paſſim*, moneta Impp. quæ in Italia currebat; jam unde ab A.C. 1187. in *Gloſſ.* Græco-Lat. Ἀυτοκρατορικός. Vide ſuprà, ubi de *Auguſtariis*, & in voce *Talerus.*

IMPERIUM, titulus Honorarius Imp. in *Ep.* Theodoberti Regis ad Juſtinianum Imp. *Amorem noſtrum erga Imperium veſtrum.* Sic Nicolaus I. Pontif. Rom. Ep. 8. ad Michaëlem Imp. *Paro ſcripſit nobis Imperium veſtrum* &c. ἡ βασιλεία μου, Impp. CP. cùm de ſe loquuntur, C. du Freſne in *Gloſſ.*

IMPETRITUM, apud Plin. *l.* 28. *c.* 2. *Victimas cædi ſine precatione non videtur, referri ad Deos, ritè conſuli, Præterea alia ſunt verba impetrantis, alia depulſorii, alia commentationis*: ſacrificium eſt, cùm victimas cædebant, ut extis inquirerent; Salmaſ. *ad Solin. p.* 585. Alii addunt & ſortibus, vel auſpicio. Quaſi *in petra fixum*, ratum, ſtabile, augurio, extis, ſortibus *impetratum.* Plaut. *in Aſin. Act.* 2. *Sc.* 1. *v.* XI. *Impetritum, inauguratum eſt, quovis admittunt aves.* Vide Hadr. Turneb. *Adverſ. l.* 5. *c.* 18. & *l.* 23. *c.* 10. & Dalechamp. *Not. ad Plin. l. d.* Certè & *Impetrio* augurale verbum eſt, idemque in auſpiciis quod *litare* in ſacrificiis, notat Scalig. idem cum *impetro*, vide eum *ad Feſt.* Alio ſenſu *Impetrita* vocat Georg. de Sepib. *in Deſcr. Muſei Collegii S. J. Rom.* in lapidem viz. converſa, ſ. petrificata, *fungos, ligna* &c. de quibus vide ſuo loco.

IMPETUS, inter Martis comites apud Stat. *Theb. l.* 7. *v.* 51. Vide infrà *Nefas.*

IMPHES, pop. vicini Perrhæbis.

IMPIETAS, Jure Gentium punibilis. Ut enim utcunque excuſabiles ſunt, & ab hominibus certè puniri non poſſunt, qui, ab infantia ſic inſtituti, aut aſtrorum, aut aliarum rerum naturalium virtutes, aut ſpiritus, ſive in imaginibus, ſive in animantibus, ſive in rebus aliis colunt, aut etiam animas eorum, qui virtute & beneficiis in humanum genus excelluêrunt, aut mentes quaſdam incorporeas, præſerrim ſi non ipſi tales cultus commenti fuerint; ita *Impiis* magis, quàm errantibus annumerandi ſunt, qui aut cacodæmones, quos tales eſſe norunt, aut vitiorum nomina, aut homines, quorum vita fuit flagitiis plena, divinis honoribus colere inſtituunt. Nec minùs illi, qui Deos colunt hominum innocentum ſanguine, à quo more quòd Carthaginenſes abſtinere coëgerit, laudatur Darius Perſarum Rex, & Gelo Syciliæ Tyrannus, apud Juſtin. *l.* 23 *c.* 4. Narrat & Plutarch, barbaros quoſdam, qui humanis victimis Deos colebant, pœnas daturos Romanis fuiſſe ſed cum antiquitate moris ſe excuſarent, nihil mali paſſos, vetitos tantùm, ne quid in poſterum tale facerent, *Apophth.* & *ſera Num. vind.* Vide quoque eum *Quæſt. Rom.* 12. H. Grot. *de Jure Belli & Pacis l.* 2. *c.* 20 §. 47. De *Impietatis* vero generibus IV. Vide Voſs. *de orig. & progr. Idol. l.* 1. *c.* 3. uti de *Impiis* ſepulturâ prohibitis, infrà ubi de *Sepeliendi Jure.* Apud Rom. cùm Numinum inſtar coli cœpiſſent Principes, maledicere Principi *impietatis* crimen habitum eſſe, docet Caſaub. *ad Aug. Suet. c.* 66. Iidem hoc crimine Chriſtianos infamabant, communi convicio *illos* & *Impios* vocando. Sic apud Prudent. *Hymno* 14. περὶ στεφ. *v.* 88.

Quos, ut profanos & impiati ſeculi appel-
Reos,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

appellat Chriſtianos Præſes Rom. apud Minuc. Cæcilius templa illorum *Sacraria teterrima* impiæ *coitionis*. Et nota ſævientis populi exclamatio, apud Euſeb. *Hiſt. l.* 4. αἶρε τοὺς ἀθέους Πολύκαρπος, quam etiam pronuntiare jubebantur, qui Chriſtum & pietatem Chriſtianam ejurabant. Sic in *Ep.* Smyrnenſis Eccl. apud Euſeb. eund. Proconſul Polycarpum ad negandum hortatus, ὄμοσον, inquit, τὴν Καίσαρος τύχην. μετανόησον εἶπον, αἶρε τοὺς ἀθέους, quod quidem exlamavit Martyr. fortiſſimus, ſed ſenſu planè contrario &c. Vide quoque Arnob. *l.* 1. & 5. &c. Lactant. *l.* 5. *c.* 9 Alios.

IMPILIA, Hebr. אנפיליא *Inpilia* (velut nomen ſingulare) in Miſna *tit. Jabimoth. c.* 12. Maimonid. *hal. lebom vechalitza c.* 4. *&c.* ubi de ritu Calcei exuendi apud Hebræos uſi ratio, cùm Levir Fratriam ducere nollet: *Res ritè peragebatur Calceamento, non Impilio. Ritè etiam ſandalio, cui ſolea eſſet. Neutiquam, ſi deeſſet ſolea, etiamſi partes genu inferiores tegeret* (ut ocrea ſ. cothurnus) *rite peragebatur res*, &c. Ita *Inpilia* etiam plurale τοῦ *Inpilium*, ſ. ut alii malunt, *Inpile*, legitur in Pandectis Florentinis, pro eo quod eſt in libris editis, nec inde ſatis correctis nunc *& pilea*; nunc *item pilea*, & in correctioribus aliquot, *Impilia*: in loco ſc. illo Ulpiani *l.* 25. *D. Auro, Arg. &c. leg.* §. 4. non ſolùm à Grammaticis, ſed etiam Jureconſultis politioribus aliquod haud parùm vexato, *Faſciæ crurales pedulesque & Impilia veſtimenta ſunt, quia partem corporis veſtiunt.* Codex autem Hieroſolymitan. tam in Miſna heic ſua, quàm Gemata, idque ſæpius, habet אמפילייא *Impilia*, uti item à R. Nathan in *Aruch* & Phil. Aquinate exaratur. Etiam plurale habetur in Gemara Babylonia אנפיריות *Inpilioth*; adeò ut ex Latinorum *Impilia* voce plurali neutrâ (quemadmodum item Græcis τα Ἰμπίλια) fecerint Talmudici femineam ſingularem, in linguam ſuam vocabulum hoc, uti & hîc *Sandalium*, alibique complura alia, recipientes. Sumitur autem illis pro calceolo ſ. ſocco ſive laneo, ſive lineo, ſive cilicino, ſed plerunque pro laneo aut lineo, qualis ſc. tametſi pedem ſ. partem ejus majorem obtegeret, careret nihilominus ſolea materiæ robuſtioris firmiorisve, veluti ſuberis; ligni ſ. corii craſſioris atque ita compacti, ut plantæ pedis aut ſaltem calcaneo ſuſtentaculum præſtaret, cui ut crepidæ inniteretur. Nimirum ritè peragebatur renuntiatio hæc caligâ, qualis à Jul. Nigronio doctiſſimè aſſeritur, perone, cothurno, ultra genu non aſcendente, crepidâ, non ſocco qualicunque. Salmaſ. Luria *in Crit.* de Talmude opere *Sapientia Salomonis* dicto, Miſnam ſic, interpretatur: *Verbum illud* impilia *denotat laneum vel lineum ſ. pannoſum calceolum.* Alii autem Magiſtrorum de corio pariter loquuntur, aliis idem ipſum cum Salomone illo docentibus, ac plerunque קלצונש *Chauſſons* Gallicè per *Impilia*, intelligentibus. Certè calceamenta linea ſingulari in uſu fuiſse ſacris Antiſtitibus, in Phœnicia, adeoque in regionibus vicinis atque ut inde fieri amat ipſis, quarum res hîc agitur, ſatis ſcimus ex Herodiani Heliogabalo. Vox autem *Impilia*, cum apud Græcos, tum Latinos, unde à Talmudicis, qui ea ſæpius utuntur, deſumpta eſt, perrarò occurrit. Sed ex Heſych. Philoxeni Lexico, Plin. MS. atque allato ſuprà Ulpiani in Florentinis loco, ejuſmodi quid & Græcis & Latinis ſignificare palàm eſt, tametſi à Viris doctis Sec. Præt. perquam diverſimode acciperetur: Neque enim inter Accurſios, Bartolos, Alexandros, Imolas horumque ſimiles ullibi audita eſt. Alii faſciolas fuiſſe mulierum quaſdam crinales credidêre (ut Franciſcus Hottomann.) περικεφάλαια ſ. pulvinos alii, capitis integumenta alii, alii aliter. Sed optimè ii, qui pro pedum tegumentis ſumunt, ex lana, aliave materia ſimili coacta, i.e. ſoccis ejuſmodi ſive circumvolutis, ſive plantis ſolùm ſuppoſitis. Eadem ipſa Theophraſto vocantur Ποδεῖα, ubi de herba lanigera loquens, Ὑφαίνεται δὲ, inquit, ἐξ αὐτοῦ καὶ ποδεῖα καὶ ἄλλα ἱμάτια. *Texuntur ex ea, Impilia veſteſque aliæ*; unde illud ſuum habuit Plin. *l.* 16. *c.* 38. ubi malè legitur in impreſſis, *Mapalia.* Sed vero nec melior eſt Latina Theophraſti verſio: *Texuntur ex ea & togæ & alia veſtimenta.* Quaſi ποδεῖα ibi *Togæ* fuiſſent, quæ ſoccos ſ. calceolos laneos denotent, quemadmodum & *Impilia.* Quod ſanè ex jam oſtenſo Talmudicorum uſu non parùm confirmatur. Græci etiam (quibus ἐμπιλεῖν eſt *condenſare ſ. coactilia facere*, uti & πιλεῖν) eoſdem ipſos πίλους vocitabant, qua voce, eodem ſenſu, uſus eſt Heſiod. in Ἔργ. καὶ ἡμέρ. *l.* 2. ἀμφὶ δὲ ποσσὶ &c. Heſych. Cratinus apud Jul. Polluc. *Onomaſt. l.* 7. *c.* περὶ πιλοποιοῦ & *l.* 10. *c.* 11. Et Vir ſummus, Iſaacus Caſaub. *in Collectan. de Re Veſt. MSS.* πῖλοι, inquit, *Eſcarpins, Impilia. Differunt materiâ noſtri Eſcarpini à veterum Impilibus. Uſu non differunt ullo modo.* Dein locum adfert illum ex Luciano *in* Ῥητορ. Διδασκ. Ἡ ἐμβὰς ἔστω Σικυωνία πίλοις τοῖς λευκοῖς ἐπιπρέπουσα, ubi de crepida Attica ſimul cum hiſce muliebribus, & amatoriis pedum tegumentis, quibus ludendo ornari vult Rhetorem ſuum, loquitur. At verò proximè poſt ſuperius citata ex Ulpiano ſequitur, *Alia cauſa eſt Odonum, quia uſum calceamentorum præſtant.* Ubi *Odonis* pro *Udonibus*, quales in Mart. *Apoph. l.* 14. *Epigr.* 140. cujus Epigraphe udones cilicei plerunque ſumuntur; licet nec defuerint, in Juriſconſultis, qui *Undonum* ibi legerint & pro veſtibus undulatis ſatis inſcitè acceperint. Sed verò veſtis nomine continentur faſciæ crurales, faſciæ pedules ac *Impilia*, quia partem corporis veſtiunt. *Alia autem*, adjicitur, *cauſa eſt Odonum*, quia uſum calceamentorum præſtant. Cæterùm cùm & *Impilia* ipſa calceolos ac pedum integumenta qualiacunque eſſe ex dictis ſit in confeſſo, adeoque veſtes eſſe, cur alia ſic Odonum cauſa? Etiam quidquid ex lana, lino, ſerico, corio induitur, veſtis eſt, *D.D. ad L.* 127. *D. tit. de verb. ſignif.* Quin & expreſſè in Lexico Philoxeni Ἐμπίλιον redditur Udo. Nec fere inter ſe omnino differre volunt viri doctiſſimi Udones, *Impilia* & faſcias pedules &c. Vide Jac. Cujac *Obſerv. l.* 10. *c.* 17. Guid. Panciroll. *Theſ. Var. Lect. l.* 2. *c.* 99. & Salmaſ. *in Lamprid. p.* 221. Inprimis verò, qui hac de re prolixè agit, Joh. Selden. *Uxor. Hebr. l.* 1. *c.* 14.

IMPLACABILES, dicuntur Forbeſ. Hæretici, qui, peccatum agnoſcentes, ejus irremiſſibilitatem atrociter exaggerabant, hocque prætextu pacem Eccleſiaſticam pœnitentibus negabant. In qua claſſe primi fuêrunt, qui *Montaniſtæ*, ab hæreſeos autore Montano, *Cataphryges*, à prov. Phrygia, unde is prodit, & à Pepuza, civ. Phrygiæ, *Pepuziani*, dicti ſunt; de quibus Hier. Ep. ad Marcellam, *Illi*, ait, *ad omne pene delictum Eccl. obſerant fores, nos quotidie legimus, Malo pœnitentiam peccatoris, quàm mortem.* Eorum errorem arripuêre poſtea Novatiani, qui lapſos in perſequutione Deciana non admittebant ad pœnitentiam, nec pœnitentes ad pacem & communionem, uti legimus apud Cyprian. *Ep.* 49. & 52. *alibi.* Meletiani item, *quos noluiſſe orare cum converſis*, Auguſtin. refert *Hær.* 48. Porrò Apotactici, ſ. Apoſtolici, ut ſe ipſos arroganter vocabant, apud quos nullam lapſorum ſuſceptionem fuiſſe ſcribit Epiphan. *Hær.* 61. Luciferiani quoque, quoad Epiſcopos ſaltem & Clericos lapſos, quos in ſuis gradibus non eſſe recipiendos, ſed ad Laïcalem tantùm, uti vocabant, communionem, admittendos, ſentientes; abſtinebant à communione eorum, qui illos poſt pœnitentiam ſic recipiebant, ut eos ſinerent permanere Epiſcopos & retinere priſtinum gradum in Clero, vide Auguſtin. *Hær.* 81. &c. plura verò hanc in rem, apud Joh. Forbeſ. *Inſtruct. Hiſt. Theol. l. XII. c.* 10.

IMPLUVIATA Veſtis, memorata Plauto *Epidic. Act.* 2. *Sc.* 2. *v.* 39.

> *Quid erat induta? an Regillam induculam, an mendiculam, an*
> Impluviatam? *ut iſtæ faciunt veſtimentis nomina.*

Agit enim ibi muliebris luxûs cenſuram ſenex. A' colore ſic dictam vult Nonius, cùm ait: *Impluviatus color, quaſi fumato ſtillicidio implutus, qui eſt Mutinenſis, quem nunc dicimus.* Sed quid ſit *ſtillicidium fumatum*, & qui *Mutinenſis color*, fruſtra quærimus. Turneb. *Adverſ. l.* 14. *c.* 19. à forma ita dictam contendit, ſcilicet à ſimilitudine impluvii. Ut enim *impluvia*, ſic & veſtem à forma *impluviorum* dictam, quæ eſſet quaternata, i. e. quatuor quadrata lateribus undique corpus ambiret, quæ eſt figura impluviorum in cavædiis. Sed num tunicam, aut pallium hac formâ compactum uſui eſſe poſſet, videant Docti, Octav. Ferrar. *de Re Veſt. l.* 3. *c.* 20.

IMPLUVIUM, Caſaub. idem cum atrio. Nempe Atria ædium tablina & pinacothecas habebant ad latera, in medio erat area ſub dio, columnis cincta, hincque *periſtylium*; uti, quòd pluviis expoſita eſſet, *Impluvium* dicta, & propriè *atrium*, Græcis non ὕπαιθρον ſolùm, ſed & αἴθριον propterea appellatum. *Subdival* exponit Tertullian. *ad Ezech. c.* 9. *Compluvium* idem Caſaub. quoque dici putat, apud Suet. *Aug. c.* 92. ubi, *enatam inter juncturas lapidum ante domum ſuam palmam, in compluvium Deorum Penatium tranſtuliſſe* eum refert. Quamvis enim maximè in Foro, item in cubiculo, ſæpe tamen & in Atrio, Penates colebantur. Vide eum ad eund. *ibid. c.* 29. ſuprà ubi de *Atrio*, & plura de *Impluvio*, apud Vitruv. *l.* 6 *c* 4. ut & infrà in voce *Subdival.* it. *Veſtibulum*, ubi de *impluvio* Templorum in Eccl. Græca aliquid.

IMPORCITOR, inter Divos Romanorum agricolas, quos hoc ordine invocabat Flamen Cerealis, quum ſacrum Cereri & Telluri faciebat, *Vervactor*, *Redarator*, Imporcitor, *Inſitor* &c. dicebatur, qui tertiæ arationi præerat, poſt quam ſemina jaciebant. A' *porca*, i. e. terra elata inter duos ſulcos, quæ aliàs *lira* quoque ſedem ſiccam ſeminibus præbebat, aquâ per ſulcos delabente. Unde *imporcare ſemen* Columellæ, idem quod *ſatum in liras redigere*, *l.* 1. *c.* 4. Nempe nonnulli cùm tertiò arabant, poſt jactum ſemen, illud ſimul in liras ſive porcas redigebant, cratem vel tabulam ad vomerem adjungendo; Alii ſeorſim tertiatione factâ, cratem illam per ſatum ducebant, ut apud eund. legere eſt. Sed & litationem ſ. imporcationem à nonnullis priùs fieri ſolitam, quàm tertiationem, ex ordine Deorum præfato conjicere licet. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 724. & *ſeqq.* ut & infrà in voce *Porca.*

IMPOENITENTES Hæretici, dicuntur in Eccl. Rom. qui coram Judice Fidei, ut vocant, hæreſeos convicti, vel eam confitentes, errorem abjurare & ſatisfactionem competentem exhibere renuunt. Talis arcto in carcere aſſervatur, compedibus catenisque conſtrictus, ne poſſit evadere alioſque inficere; nec ullus ad eum intrare permittitur, nec cum eo loqui niſi cuſtodes: interim ad converſionem ejus omnia adhibentur media, juxta *Conc. Biterr. c.* 17. Quæ ſi fruſtra ſint omnia, atque ipſe, poſt dimidii, vel integri anni ſpatium, in eodem ſtatu maneat, neque pœnitere, nec opiniones ſuas abjurare velit, condemnatur ut hæreticus pertinax, & ut talis brachio ſeculari traditur. Si conſentiat abjurare, admittitur; & factâ abjuratione, quia creditur metu mortis potiùs facta, quàm amore veritatis, olim ad perpetuum imum carcerem condemnabatur, cujus loco hodie triremes adhibentur. Quòd ſi delatus ſit Hæreticus impœnitens & relapſus, licèt convertatur, à morte tamen liberari non poteſt: at vivus non comburitur, ſed ſtrangulatur priùs, ut ſuo loco dicemus. Vide Phil. à Limborch. *Hiſt. Inquiſit. l.* 3. *c.* 5. & *l.* 4. *c.* 35.

IMPORTUNUS, Coſ. A. U C. 1263.

IMPOSITIO in Manus, ſacer apud Hebræos Sacerdotum initiandorum ritus, de quo vide infrà in voce *Sacerdos*: uti de *Manuum impoſitione* ſuo loco.

IMPOSTOR, vide ſuprà *Græci Impoſtores* & infrà *Stellatura.*

IMPRAEL, fil. Mohammedis I. Caliphæ Babylonii, patri ſucceſſit. Alii Mahamumo an Mohammedi, in Regno Perſiæ ſubſtituunt Abii-Ezach fratrem, qui regnavit Annos 8. Mortuus A. C. 833. poſt XIX. alios Caliphas, ſurrogato tandem Tajaphâ, quem vide. Nomina eorum, qui interjecto tempore præfuêrunt, ſunt:

Vacecus *Almoto* frater, *Montacer*, *Abul-Abas*, *Moſtabin*, *Almahez*, *Motady*, *Almat-Hamed*, *Hamer*, *Matazed*, *Moktaſi*, *Moktader*, *Jaſar* frater *Kaherbila*, *Razin-Billam*, *Mukaſi*, *Muktaſi* *Abdela*, & *Motya*, qui Extinctus A. C. 977. ſucceſſorem habuit *Tajaham* præf. In Babylonia verò *Mohammed* II. fil. *Impraelis* ſucceſſit, regno exutus à Turcis, uti habet Zonaras *p.* 203. Devictis autem Saracenis, Sultani Turcarum varii extitêre, *Nicenus*, *Iconienſis*, *Damaſcenus*, *Aleppinus*; *Muſulanus* ſ. *Ninivitanus* tandem; de quibus duobus poſterioribus nihil certi habetur, de reliquis vide in vocibus, *Damaſcus*, *Nicæa*, *Iconium*.

IMPRECATIONES, privatim publiceque hoſtibus fieri ſolitæ. Vide ſuprà *Diræ*.

IMPROBI, & obſcœni, deridebantur apud Rom. medio digito, aut manibus in obſcœnum modum formatis. Salmaſ. *ad Tertull. de Pallio c.* 4. Iidem myricâ coronabantur, ut dicemus in hac voce. Cujuſmodi hominum 2000. Phil. collecta in opp. collocavit, huic πονηρόπολις, appellato, vide infrà *Poneropolis*.

IMPROBUS Color, pro purpureo, non ſemel Latinis. Hinc *improba Tyros* Mart. *l.* x. *Epigr.* 16. cujus Epigraphe in Caj. *& nomen improbum*, de tyriamethyſtino, apud Plin. Senecam *qui lacernas coloris improbi ſumunt*, i. e. purpureas. Sic *improba tegmina pedum*, Val. Flacc. *Argon.* de calceis purpureis,

Improba *barbaricæ procurrunt* tegmina *plantæ*.

Nempe quidquid ſupra modum extollitur atque eminet, quidquid nimium eſt & modùm normamque excedit, *imbrobum* Latinis dictum eſt: ut *improbiora labra*, apud Velium Gramm. *improbius natus*, apud Suet. &c. Hinc itaque excellentem illum & eminentem & ſuper cæteros colores vividum fulgentemque, *improbum* appellârunt, quaſi ſuperbum, & cæteros colores infrà ſe poſitos prægravantem: cui opponitur *malus* color ac *nequam*, h. e. pallidus luteuſque. Vide quoque infrà *ſuperbia*: plura vide apud Salmaſ. *ad Tertull. de Pallio, c.* 3. & *ad Spartian. in Peſcennio Nigro.*

IMPUDENS, in Jure Hebræo, ad teſtimonium in Foro dicendum non admittebatur olim. Arcebantur enim decem hominum genera, ut habet Maimonides *Tract. Aldoth. c.* 9, 10. & 11. &c. *Feminæ*, *Servi*, *Minores*, *Fatui*, *Surdi*, *quibuſcum copulant Mutos*, *Cæci*. *Impii*, הבויין *Impudentiores*, *Propinqui*, *falſi antè convicti*. Et quidem *Impudentioris* exemplum afferunt Magiſtri, comedentis in plateis coram populo, nudi ambulantis in plateis aliorumque ſimilium, שכל הא לו השובין ככלב ואין מקפידין על עדות שקר, *Quoniam ejuſmodi univerſi reputantur, ut canes. Neque teſtimonium falſum metuebant.* Vide Joh. Selden. *de Synedr. l.* 2. *c.* 9. 11. & 13. Arnob. verò, in apertis manifeſtiſque mendaciis calumniam nihilominus inculcare ac defendere, pro *Impudentiæ* apice habet, *adv. Gentes l.* 1. *Non calumniari vos improbè in apertis conſpicitis manifeſtiſque mendaciis.* Ubi *improbè*, i. e. impudentiſſimè, ait: ut qui rapit propalam, dicitur *fur improbior* JureConſ. Certè impudentiæ pars eſt τὸ τὰ φανερὰ ἀρνεῖσθαι, Ariſtot. *Rhetor.* Plaut. hinc *Menæchmis.* Act. 4. ſc. 2. *v.* 51.

Nihil hoc confidentius, qui quæ vides, ea pernegat.

Et in Ariſtoph. *Equitib.* ubi Cleon & Ἀλλαντοπώλης de laude *Impudentiæ* contendunt. Cleon quidem ait omni pudore depoſito furta ſua confiteri ſe, nec ullam inde infamiam reformidare: at Agoracritus non ſolùm furari ſe adiicit, ſed etiam aperta manifeſtaque furta pernegare, imò perjurio caput obligare ſe.

ΚΛ. Οὐχ ὁμολογῶ κλέπτειν. σὺ δ' οὐχί;
ΑΛ. Νὴ τὸν Ἑρμῆν τὸν Ἀγοραῖον.
Κἀπιορκῶ γε βλεπόντων.

Vide Deſid. Herald. *ad loc. Arnob.* ut & *l.* 2. *p.* 79. & ſeqq. & ſuprà ubi *de canis convitio*, infrà quoque in voce *Pallidi*. Apud Athenienſes *Impudentiæ* aram dicatam, prodidit Theophraſt. *de L. L.*

IMPUDICI, infames habiti; hincque ut tales vetiti poſtulare, Domit. Ulpian. *l.* 1. §. 6. *de poſtul.* Eoſdem Attica lex vetabat ἀγορεύειν, ſive *concionari*, uti autor eſt Demoſthenes *c. Androtionem*, & ibi Ulpian. Suid. in Ἔνδειξις & in Δοκιμασία & in ἐπαγγελίας. Vetiti etiam, jure Attico, ſacra limina intrare. Demoſth. *Orat. ead.* &c. *Timocrat.* Jure itaque notat Suet. in *Veſpaſ. c.* 13. quòd is *Licinium Mucianum notæ* impudicitiæ, *ſed meritorum fiduciâ minùs ſui reverentem, nunquam niſi clam —— retaxare ſuſtinuerit.* Vide quoque hîc paſſim, infrà inter alia in voce *Pallidi*.

IMPULSORIA, pars Statices, de qua ſuo loco.

IMPUNE occidendi quoſdam ſceleratos, extra Judicium, apud Hebræos alioſque jus; vide infrà *Zelotæ*.

IMUNI Pyrenæi, ſ. IMUS PYRENÆUS, opp. Gall. nunc *Fanum S. Joh. Pedeportuenſis*, in Navarra inf. ad Nivam amnem, cum caſtro munito, ſub Gallis. Vulgò *S. Jean pied de Port.* Vix 2. leuc. à conf. Hiſp. 9. à Pompelone in Eur. 8. à Bajona in Auſtr. olim Epiſcopal.

IMYRA, urbs Phœniciæ. *Steph.*

IN. in notis antiqq. *interciſum diem.* IN. B. M. *in bona memoria.* I. N. EE. *juſtum non eſſe.* IN. FR. P. VI. LAT. VII. *in fronte pedes ſex*, *Latum ſeptem*, uti IN. AGR. P. XX. *in agro pedes viginti*: cujuſmodi inſcriptione ſepulchri Vett. de modo agri, qui ad monumentum pertinebat, cavere ſoliti ſunt. INC. vel INT. *initio*, &c. ſignificat. Porrò *In*, præpoſitio Germanis, Polonis & Bohemis in uſu, cùm de Dominis locorum ſermo eſt: iis verò, qui inde duntaxat òrti vel oriundi ſunt, etiamſi ibi non habeant, ubi pedem figant, *de*, *à*, vel *ab*, tribuunt, uti docet Martin. Cromerus *Polon. l.* 1. *p.* 105. Addit Ægidius Boillæus, locorum vel dignitatum ejuſmodi primogenitos *dominos* nudè, ſecundogenitos verò *in* iiſdem perinde ſeſe indigitate, cùm in Germania Feuda majora diviſionem admittant, *Notis ad Lud. Davilam de Bello Germ. p.* 37. apud C. du Freſne *in Gloſſ.* Vide quoque ſuprà *Ain.*

IN Defens, h. e. *In Defenſionem*, Epigraphe eſt galeæ Scoticæ, ubi leo ſedens, altero pede enſem, altero vexillum crucis Andreanæ geſtat, apud Limnæum. *Jur. Publ. l.* VI. *c.* 6. §. 85. Vide & Phil. Jac. Spener. *Artis Herald. l.* 1. *c.* 3. §. 23.

IN Hoc ſigno vinces, verba, quæ Chriſtus ad Alphonſum olim Portugalliæ Regem cum ei apparuiſſet, prologuutus legitur apud Hiſpanicarum rerum Scriptores. Unde Symbolum id Regibus iis peculiare fuiſſe, conjicit Idem Spener. certè in monetis illud videre eſt, vide eum ubi de Inſignibus Regum horum, *Ibid. c.* 72. §. 12.

INA, tenuiſſima chartæ pars Feſto; Plin. *l.* 13. *c.* 12 verò, unde chartæ vitiis, *inæ è junco papyri bibulo*, filamentum eſt ſ. fibra junci papyri, quæ τ̃ χαρτοποιῶν incuriâ, aut etiam fraude, mediis chartæ glutinamentis inſerta deprehendebatur, ad ſarciendam, ſi fortè, philurarum rimam aliquam aut rupturam. Dicit enim, *Deprehenditur & lentigo oculis: ſed inſerta mediis glutinamentis ena è junco papyri bibulo vix niſi literâ fundente ſe: tantum ineſt fraudis.* Nempe lentignoſæ maculæ oculis deprehendebantur; non verò *ina*, niſi cùm ad illam pervenerat calamus; tunc enim ſolidè nitideque non formabatur litera, ſed propter junci bibulum, ſpargebatur eo loci & fundebatur atramentum, ex quo intelligebatur *ina* aliqua ſubeſſe è papyri junco, h. e. ἰνῶδές τι ἐκ τ̃ παπύρου. Atque ſic plus inerat fraudis in ejuſmodi ina, quàm in lenugine, vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Firmo.* Sed & excitabantur *inarum* filamenta ac fibræ, cùm charta manibus ac mento ſæpe terebatur. Charta enim dum legebatur & evolvebatur, mento ſubjiciebatur, quo modo multo uſu detrita illa *inæ* ſurgebant eamque faciebant horridam. Mart. *l.* 1. *Epigr.* 67. cujus Epigraphe ad furem de libro *v.* 6.

—— —— *charta*,
Quæ trita duro non inhorruit mento.

Vide infrà in voce *Mentum*. Pari ratione flocci molles & tenues veſtium, quos pecten fullonum ſpineus excitabat & polibat, *inæ* dictæ. Unde *inca*, inſtrumentum illud ſpinis horridum, quo inæ in veſtibus erigebantur ac tenuabantur, ut pexa mollities in his ſurgeret. *Ineæ* quoque ferreæ, quibus linum pectebatur atque in multas veluti tenues inas diſcriminabatur: *eneas* vocat Plin. *l.* 19. *c.* 1. Unde ἰνίζειν, *ſupra tenuare*, Græcis, quod & ἰνῶσαι & ἐξινῶσαι dixêre; [illegible], quos Græci *modum attenuatus*, &c. Nempe Latini appellavêre *inas*, quas Græci ἶνας, ab ἴς, ἶνος, *nervus*, *fibra*; unde *vitales inæ*, apud Varronem *de Re Ruſt.* Idem Salmaſ. *ad Solin. p.* 392. Vide quoque ſuprà in voce *Æneæ*.

INACHIA, Peloponneſus ab *Inacho* fluv. Steph. Strabo *l.* 7. *p.* 326.

INACHIUM, Peloponneſi opp. inter Scylleum prom. & Iſthmum ſitum, aliàs *Argos Hippium*. Plin. *l.* 4. *c.* 5. Quid nunc ſit, non conſtat.

INACHORIUM, opp. olim, nunc pagus Cretæ, in ora Occ. inter Cherſoneſum parvam, & Criumetopon prom. *Inachori* vulgò.

INACHUS, primus Argivorum Rex, qui Inacho fluv. nomen dedit: Strabo *l.* 5. *p.* 221. & *l.* 6. *p.* 270 in Peloponneſo, A. M. 2197. Poſt exitum Iſraëlitarum ex Ægypto, 346. An. Euſ. Cæſ. *l.* 1. *Chron.* Petav. *l.* 9. *de Doct. Temp. c.* 18. &c. Hujus filiam nomine Io cùm Jupiter corrupiſſet, & in Cretam advexiſſet, Juno pellicis impatiens odiis eam exagitavit. Quæ res poëtis occaſionem fabulandi dedit, eam fuiſſe Junonis metu à Jove in vaccam mutatam. Vide *Io*. Succeſſit fil. Phoroneus. Horat. *Carm. l.* 2. *Ode* 3. *v.* 21.

Diveſne priſco natus ab Inacho,
Nil intereſt, &c.

Lucan. *Civ. Bell. l.* 6. *v* 363. Nic. Lloyd. Marsham. verò, illum, utpote fluv. ſolùm, in ſerie Argivorum Regum omittit, & à Phoroneo incipit, *Canone Chron.* quem & nos ſequuti. Vide *Phoroneus*.

INACHUS, vulgò PLANIZZA; fluv. Peloponneſi in ſinum Argolicum exiens. Ab Inacho, Argivorum Rege dictus. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 372. &

Cælataque amnem fundens pater Inachus *urnâ*.

Plin. *l.* 4. *v.* 5.

INACHUS, quoque fluv. Acarnaniæ, qui Acheloo ſe jungit. De quo Ovid. *Met. l.* 1. *v.* 583.

Inachus *unus abeſt imoque reconditus antro.*

INALPHABETI, ex Græco Ἀναλφάβητοι dicti ſunt olim in Eccl. Rom duo Fratres Ciſtercienſes Converſi, qui ad cudendas bullas applicabantur, & vocabantur quoque *Fratres Plumbi*, i. *de Plumbo*: à quibus ad Seculares poſtea cum id muneris eſſet delatum, hi in proceſſione cum aliis Cancellariæ Pontificiæ Officialibus incedentes, ſimiliter laicalem Ciſtercienſium habitum ferre conſuevêrunt, Macri Fratres *in Hierol.* in voce *Bulla*.

INAMAMES, fluv. Orientis, ad quem regnum ſuum porrexit Semiramis, ut gloriatur ipſa apud Polyæn. *l* 8. Iſaac. Caſaub. ait, eundem fluv. eſſe, quem non uno loco Plin. *Iomanem* vocat. Videatur *l.* 6. *c.* 19.

INAMBULANDI varii apud Vett. modi: quorum unus indigitatur Suet. *in Aug. c.* 83. *Deambulabat: ita ut in extremis ſpatiis ſubſultim decurreret, ſeſtertio vel lodicula involutus*; idque ex præſcripto Medicorum. Vett. namque Aſclepiadarum divinâ ſolertiâ, quæ *ambulatio* cuique morbo conveniret, ſubtiliſſimè veſtigaverat. Itaque alium jubebant per plana, alium per clivoſa, alium brevioribus ſpatiis, alium longioribus ambulare: quoſdam contento curſu, quoſdam leni, nonnullos ſubſiliendo &c. ut videre eſt apud Hippocr. *de Diæta l.* 2. & 3. Oribaſ. *l.* 6. Caſaub. *ad l.* Alios, & hîc paſſim. Et quidem, qui in campo ſe vel gymnaſio exercebant, cætera nudi, τὴν αἰδῶ campeſtri tegebant. aut ſi corpore infirmiore erant, gauſapam vel pallam, vel lodiculam (ut hîc Aug. vel ſabana ſumebant &c. Vide & ſuprà in voce *Ambulatio*, nec non ubi de *Gymnaſiis*.

INANIMA, etiam Gentilibus adorata. Stat. *Theb. l.* 6. *v.* 663.

—— *Conceſſit cætera pubes*
Sponte & adorato rediit ingloria diſco:

Ut re ſacrâ viz. cui ori manu admotâ cultum exhibuêre. Vide Jan. Gruter. *ad Panegyr. IV. c.* 11. *p.* 587. Caſp. Barth. *ad Arnob.* & *Appul.* nec non *Animadv. ad Stat. d. l.* At, ſi noxam dediſſent & in illa animadverſum eſt. Draco certè legem Athenienſibus ſcripſit, quâ ſanxit τὰ ἄψυχα,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ἄψυχα, *inanimata*, quorum caſu cædes perpetrata eſſet, finibus ejici, τὰ ἄψυχα ἐάν τινα ἐμπεσόντα ἀποκτείνῃ, ὑπερορίζειν, apud Æſchinem *in Cteſiph.* ſive lapis, ſive lignum, ſive ferrum fuerit, quo id factum. Memoratque de Thaſiis Pauſ. καταποντῶσαι τὴν εἰκόνα, *in navi ſubmerſiſſe ſtatuam*, cujus ruinâ Theagenes oppreſſus erat: quod etiam apud Suid. legas, mutato tantùm nomine *Theagenis* in Niconem. Atque hæ cædes Athenis judicabantur in Foro τῷ ἐπὶ Πρυτανείῳ, præeratque judicio Rex, aſſidentibus τοῖς φυλοβασιλεῦσι, *tribuum Regibus*, uti diſcimus ex Pauſ. *Attic.* Demoſthene *in Ariſtocr.* Polluce *l.* 8. *c.* 10. &c. Plura hanc in rem vide apud Sam. Petit. *Comm. in LL. Attic. l.* 7. *tit.* 1. *de Sicariis*, ut & ſuprà, ubi de Athenienſium *Dicaſteriis*, item in voce *Deodanda.*

INARCULUM ſ. ARCULUM, virga fuit ex malo Punico incurvata, quæ facta eſt, velut corona, & ima ſummaque inter ſe alligari ſolita eſt vinculo laneo, albo, quam in ſacrificiis certis Regina (verba ſunt Servii de Didone) in capite habebat; Flaminica autem Dialis in omni ſacrificatione uti debebat, vide Virg. *Æn. l.* 4. Quod hìc Servius dicit, *virgam* fuiſſe *ex malo Punico incurvatam*: A. Gell. *l.* 10. *c.* 16. ex quacunque *arbore felici* affirmat, cùm ait: *Et quòd in rica ſurculum de arbore felici habet*, quod veroſimilius. Pro *felici* tamen Scalig. legit *Siliqua.* Vide Ant. Thyſ. & Jac. Ouzel. *in l. Gell. laud.* Similes fuiſſe hujuſmodi corollas iis, quibus ſtatuæ Dianæ Epheſiæ in Græcia fuerint conſpicuæ, cenſet C. Paſchal. *Coron. l.* 4. *c.* 15.

INARIME, vulgò ISCHIA, inſ. in ſinu Puteolano, non procul à Neapoli, cum urbe cogn. Epiſcopal. ſub Archiep. Neapol. In ea mons fuit, qui terræ motum paſſus, alteram fudit Inſ. quæ Prochyte ab effuſione dicta. Sub hanc inſ. Typhoen Gigantem à Jove detruſum eſſe, autor eſt Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 715.

Tum ſonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile
Inarime, *Jovis imperiis, impoſta Typhœo.*

Idem *l.* 10. *v.* 389. Vide ſis illic Lud. de la Cerda. Plin. *l.* 3. *c.* 6. *Ænaria à ſtatione navium Æneæ, Homero* Inarime *dicta, Græcis Pithecuſa*, Strabo *l.* 13. *p.* 626. non à ſimiarum multitudine, ut aliqui exiſtimavêre, ſed à figlinis doliariorum. Quæ omnia (inquit Vir Magnus) ſunt perabſurda. Neque enim Homer. *Inarimen* dixit (licèt id ſequantur Virg. Ovid. Met. *l.* 14. *v.* 89. Lucan *Civ. Bell. l.* 5. *v.* 101. Stat. Sil. Ital. alii,) ſed diſtinctis vocibus Εἰν Ἀρίμοις. *In Arimis.* Et ab Ænea, non diceretur *Ænaria*, ſed *Ænearia*, aut *Æneia* potius, & à doliis *Pithuſa.* At à ſimiis eſt Pithecuſa. Vide Boch. *Geogr. p.* 655. *Nic. Lloyd.*

INARUS, Græcè Ἴναρος, urbs Ægypti, quâ expugnatâ Mileſii, qui in Ægyptum pervenerant, 30 navibus, ad oſtium Bolbitinum exſtenſione factâ, Naucratim condidérunt, in Saitico Nomo, apud Strab. *l.* 17 *p.* 801. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 476.

INAS, 11. Rex Saxonum Occ. in Anglia, fortis & pius. Vicit Saxones Merid. Templa Monaſteriaque plurima fundavit, regnum ſuum, pro ratione temporis, Papæ vectigale fecit, juſſâ quaque domo aureum nummum S. Petro pendere. A. C. 72\. Quod duravit uſque ad A. C. 1534. quo Henr. VIII. tributum hoc ſuſtulit. Obiit Romæ. Chenius *Hiſt. Angl.*

INATAMANA, lacus Lunæ & fons in Athamania, in Epiri Theſſaliæque conf. ligna accendens & bibentes inſanos reddens. Antig. *de mir.*

INATUS, urbs Cretæ, ubi colitur *Ilythyia Jatina.* Steph.

INAURANDI, non una apud Vett. ratio, Flav. Vopiſc. *Aurel. Habuit in animo, ut aurum neque in cameras, neque in tunicas, neque in pelles, neque in argentum mitteretur, dicens --- aurum per varios bractearum, filorum & liquationum uſus perire*: ubi ſingula ſingulis ordine ſuo reddit, *fila veſtibus, liquationes pellibus & argento, bracteas cameris.* Cameræ enim *inaurabantur* per bracteas, veſtes auro intexebantur per fila; pelles & argentea vaſa deaurabantur per liquationes: quo modo etiam in membranas aurum mittebatur, quum aureis literis perſcribebantur, uti legimus apud Hier. *ad Euſtoch. de Cuſtod. Virgin.* Omiſit hìc Aurelian. aliud genus *inaurandi* pocula argentea, quod non fiebat auro liquato, ſed aureis clavis immiſſis in argentum & inſertis; quo genere deaurata *aure cluſa* & *auro vincta* dicebantur, ut ſuprà vidimus: Non quòd principatu ejus jam exoleverat hæc *inaurandi* ratio; ſed quia ſic in argentea pocula immiſſum aurum non peribat, ſed integrum & in ſua natura manebat. Peribat autem, nec in ſuo uſu manebat, quod in bracteas extendebatur, aut in fila deducabatur, aut liquabatur, &c. Salmaſ. *ad Flav. Vopiſc. l. c.* & ſuprà paſſim, inprimis ubi *de Deaurandi capillos artificio.*

INAURES, ornamentum aureum, cujus apud Vett. uſus, qui tamen hodieque apud alios non plane obſolevit. De eo ſic Iſid. *Orig. l.* 19. *c.* 31. Inaures *ab aurium foraminibus nuncupatæ, quibus pretioſa genera lapidum dependuntur. Harum uſus in Græcia: puellæ utraque aure, pueri tantùm dextrâ gerebant.* Unde Juv. *Sat.* 1. *l.* 1. *v.* 104.

——— *Molles quod* in aure *feneſtræ,*

Dicitur aliàs *Callaica*, *Stalagmion*, *Elenchus*, *Titulus* &c. quæ tamen quomodo inter ſe differant, ſi penſiculatius conſiderentur, *infrà* adnotabimus, Hebr. לחשׁ הלחשׁים, quod ſignificat *muſſitationem*, quòd ornamentum ſit auris, cujus eſt audire muſſitationem & incantationem, qua de re vide Mercer. *in Eſai c.* 3. *v.* 19. Item עגיל, à rotunditate, veluti teres quoddam ornamentum, Num. *c.* 30. *v.* 50. Sic & apud Polluc. βοτρύδια pro *Inaure.* Vide Ezech. *c.* 16. *v.* 12. Græcis Ἐνώτης vel Ἐνώτιον, Ἀμφωτίς, Ἐλλόβιον &c. Multæ enim ſive à Gentibus ſive à forma *Inaurium* ortæ apud Græcos nominis differentiæ, de quibus aliquid *infrà.* Cæterùm ut forma earum varia, ita nec pondus nec pretium omnibus idem fuit. Integra aliquando patrimonia ex auribus pependiſſe, docet Hier. ad Demetriadem: *Ut taceam*, inquiens, *de* Inaurium *preciis, candore margaritarum rubri maris profunda teſtantium, ſmaragdorum virore, cerauniorum flammis, hyacinthorum pelago, ad quæ ardent & inſaniunt ſtudia matronarum. Hæc eſt illis per ſingulos dies cura præcipua, ſuſpendere ex auribus patrimonia.* Pondus indicatur apud Plaut. *Menæchm. Act.* 3. *Sc.* 3. *v.* 17.

——— In aureis *da mihi*
Faciundas pondo duûm nummûm ſtalagmia.

Apud Lamprid. *in Sev.* cujus uxori cùm quidam Legatus obtuliſſet *magni ponderis & inuſitatæ menſuræ* uniones duos, vendi eos juſſit, atque, cùm pretium non invenirent, ne exemplum malum à Regina naſceretur, ſi eo uteretur, quod emi non poſſet, *Inauribus* Veneris eos dicavit. Pondus *Nezem auri* Rebeccæ à ſervo Abrahæ oblati Gen. *c.* 24. *v.* 22. dicitur fuiſſe dimidiati ſicli. Perſarum Rex Peroſa in expeditione adversùs albos Hunnos, à dextra aure detractum unionem abjecit, quem poſtea repertum Juſtinian. 100. auri libris à Barbaris voluit redimere, Zonar. Serviliæ Catonis Uticenſis ſorori, Jul. Cæſ. margaritam emit ſexagies ſeſtertio, apud Suet. in eo *c.* 50. i. e. ex calculo Budæi, 150000. coronatis. Similis unio Cleopatræ, quæ maximè ſingulare illud & verè unicum naturæ opus auribus geſtâſſe cumque ſponſionibus cum Antonio factis ex aure detractum ac liquefactum abſorbuiſſet, unâ cœnâ dicitur centies ſeſtertiûm conſumpſiſſe, apud Plin. *l.* 9. *c.* 35. Pari ingluvie filium Æſopi, in unica ex aure Metellæ detractâ baccâ, decies centùm millia ſeſtertiûm nummûm devorâſſe, dicit Horat. *Serm. l.* 2. *Sat.* 3. Ut de Lollia Paulina Caji Principis matrona, cujus meminit Plin. *l.* 9. *c.* 35. & Vitellii unione, quem, cùm exituro viaticum defuiſſet, detractum ex aure matris ſolum pignoraverat ad itineris impenſas omnes, apud Suet. in eo *c.* 7. nil dicam. Non contenti enim materiâ facilè parabili, margaritas & ſpolia Orientis pro ornamentis aurium hi luxûs pancratiaſtæ habuêrunt: Et quidem receptiſſima hæc *Inaurium* fuit materia. Seneca *Hippol. Act.* 2. *Sc.* 1. *v.* 391.

——— *Nec niveus lapis*
Deducat aures, Indici donum maris.

Horat. *Epod.* Ode 8. *v.* 13.

Nec ſit marita, quæ rotundioribus
Onuſta baccis ambulet:

i. e. margaritis, quas ad ſimilitudinem baccarum lauri, oleæ, myrti & hujuſmodi arborum, ſic Autores non raró vocant. Margaritarum autem dos omnis in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere conſiſtit, Plin. *l.* 9 *c.* 35. Nec unum ſolùm unionem in auribus geſtabant, ſed quodam quaſi luxûs certamine binos, ternos, quaternoſve jungebant aliquando, ut idem docet *ibid.* & Seneca *de Benef. l.* 12. *c.* 9. Sed & ex auro fuére, Proverb. *c.* 25. *v.* 12. & quidem nobilium puerorum *Inaures*, quas in ſignum generis ferebant, non ex alio fuêre metallo. Apulejus *de Dogm. Plat. Auri tantum*, inquit, *quantum puer nobilitatis inſigne in auricula geſtavit.* Argenteas *Inaures* ſuggerit Athen. *Deipnoſ. l.* 8. imò & ex ære exhibet Laur, Pignor. *Comm. de Servis*, gemmis tribus vitreis oblongis dependentibus ornatam, forſan ex mundo tenuioris alicujus & pauperculæ feminæ. Quales exactè deſcribit Ovid. *Met. l.* 10. *v.* 115.

——— *Parilique ex ære nitebant*
Auribus in geminis, circum cava tempora, baccæ.

Oſſeas porrò atque ligneas *Inaures* vel pauperioribus quibusvis vel tantùm Orientalibus gentibus uſitatas fuiſſe, illud argumento eſt, quòd eas Braſiliæ incolis etiam in labro inf. ab adoleſcentia perforato uſitatas refert Joh. Laetius *Nov. Orb. Deſcr. l.* 12. *c* 16. & 20. Vocant autem hæc oſſea vel lignea (mulieribus enim globuli lignei magis in uſu) aurium ornamenta *Nambipaya*, de quibus ita Georg. Marcgrav. *l.* 8. *c.* 6. *de veſtitu & ornatu Braſilienſium: Auriculas*, inquit, *perforant, in tantum, ut digitum immittere poſſint foramini. Huic inſerunt vel os aliquod cercopithecorum & vocant* Nambipaya: *vel lignum aliquod digiti humani magnitudine filis goſſypinis circumvolutum.* Denique flores in auribus geſtari ſolitos, monet Joh. Laurent. *Polymath. l.* 2. *Diſſertat.* 36. & confirmat ex Athen. *l.* 12. *Molle Syſimbrium, aut roſa, aut lilium auri inſidebat.* Quò forſan reſpiciens Calphurn. inquit *Ecl. l.* 6.

——— *Ramoſaque tempora molles*
Implicuêre roſæ.

Artem *Inaures* fabricandi jure quodam ſibi vindicat Vulcanus apud Hom. *Il.* σ. ubi ἕλικες, quam vocem Camerar. reddit *torques*, Heſych. interpretatur ἐνώτια: & certè monilia, quæ *Inauribus* affinia ſunt, eum fabricâſſe autor eſt Nonnus *Dionyſiacôn l.* 2. Cur autem aures hoc ornamenti genere honeſtari ſoleant, varii varias afferunt rationes. In auribus *gentium virtutem poſitam*, ait Cic. *Ep. ad Q. Fratrem.* Plin. *in ima aure memoriam* locat, *l.* 10. *c.* 45. Poſt aurem dextram Nemeſis habitare credita: Benevolentiæ eadem pars ſignum eſt, unde olim pueri Patres oſculabantur arreptis utrinque auribus: imò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

pro Deabus aures à Paganis fuiſſe cultas; docet Gruter. *Inſcript. Antiq. p. 89. n. 6.* Harum ſumma pars, περιλόβιον, dicta, in flagitio deprehenſis, ignominiæ causà à Veteribus præciſa eſt: Imam verò partem, *lobon* dictam, pro appendendis *Inauribus* perforârunt. Et huic miniſterium peculiare dicatum eſt: unde *Auriculæ Ornatrix* apud Gruter. legitur. Fuit *Inaurium* uſus omni genti, ſexui, ætati, conditioni promiſcuus; imò ne prodiga illa luxurioſorum turba hæc ſuperbiæ inſtrumenta ſibi ſoli retineret, brutis etiam, quæ ſua erant, communicabat. De elephanto Pori priùs Indorum Regis, dein hoc devicto Alex. Soli dicato, cui *Ajacis* nomen erat, memorat Philoſtrat. *de vita Apollon. l. 2.* in *Inauribus* ejus literis Græcis inſculpta fuiſſe hæc verba: *Alex. Jovis fil. Ajacem Soli.* De cervo Nymphis ſacro Ovid. *Met. l. 10.* ut ſuprà.

> —— *Parileſque ex ære nitebant*
> *Auribus è geminis circùm cava tempora bacæ.*

Idem de cervo Dianæ conſecrato refert. Auctor *Mirabil. Auſcultat.* cujus *Inauribus* inſcriptum erat: *Diomedes Dianæ.* Fuêre autem hæ Diis ſacratæ & in eorundem templis ſuſpenſæ. Boum auriculas fibulâ vel circulo ſignatas, tradit Columella *l. 6. c. 1.* Idem de piſcibus, qui in delitiis erant, obſervatum. Unde Antoniam Druſi murænæ, quam deligebat, *Inaures* addidiſſe, ex Plin. diſcimus *l. 9. c. 55.* De Craſſi muræna, quam mortuam flevit ac ſepelivit, idem Dalechamp. notat, *ad Plin. l. 32. c. 2.* In Labrondæi Jovis fonte piſces *Inauribus* ornatos fuiſſe, teſtis eſt Ælian. *l. 12. c. 30.* quod genus piſcium anguillas fuiſſe, docet Plin. ut ſupra & Athen. auctor eſt aureis argenteiſque *Inauribus* anguillas ornari fuiſſe ſolitas, *l. 8.* Tranſeo ad ſtatuas Deorum, quibus nec hic ornatus defuit. Apud Sigæum Achillis ſtatuam imâ auris parte elenchum more femineo habuiſſe, narrat Serv. *ad Æn. l. 1.* Inter Deas, Veneris inprimis ſtatua, hoc luxûs genere ſuperbiit, Plin. *l. 9. c. 35.* Minervæ apud Gruter. attributæ *aures argenteæ*, non niſi *Inaures* quoque fuiſſe videntur &c. Tandem nec hoc omittam, *Inaures* etiam ſepulchris fuiſſe illatas: Quare Cyri ſepulchro apud Arrian. *l. 6.* condita feruntur, καὶ στρεπτοὶ καὶ ἀκινάκαι καὶ ἐνώτια χρυσᾶ τε καὶ λιθοκόλλητα, *torques, acinaces*, Inaures ex *auro & gemmis* &c. Vide Caſp. Bartholin. *de Inauribus Vett.*

Inaurium variæ appellationes & ſpecies.

Ἀμφωτὶς, in vulgatis Lexicis exponitur etiam *Inauris*: Pauſ. tamen ſignificat tegmen auris vel munimentum, quod Athletæ habebant circa aures.

Βοτρύδιον, *Inauris* genus erat, ταῖς θεσμοφοριαζούσαις in uſu, Heſych. à rotunditate.

Callaica, fuit *Inauris* colore viridi, ſed patens & nimis craſſa; à decore nomen adepta. Iſid. *Orig. l. 16. c. 7.*

Circuli in auribus memorantur Ezech. *c. 16. v. 12.* è quibus margaritæ dependebant.

Cylindri, erant margaritæ in auribus proceritatis æqualiter orbiculatæ. Bayfius *l. de Vaſculis.*

Elenchi verò fuêrunt, faſtigiatâ longitudine alabaſtrorum figurâ in pleniorem orbem deſinentes, Plin. *l. 9. c. 35.* Iconèm eorum exhibet Bartholin. *l. ſuprà laud.*

Ἑλικτὴρ, pro *Inaure* & armilla legitur apud *Polluc.*

Ἕλιξ, ab eodem, inter plurimas *Inaurium* apud Græcos appellationum varietates, ponitur.

Ἐλλόβιον, dicta *Inauris* illa, vel ornamentum, quod inſerebatur τοῖς λοβοῖς τῶν ὤτων. Aliàs tamen cum voce ἐνώτιον confunditur.

Ἐνώτη vel Ἐνώτιον, in genere denotat *Inaurem*, quam vocem etiam preſſè exprimit.

Ἕρμα, quoque pro aurium ornamento apud Græcos uſitatum reperitur. Vide Homer. *Il. ξ.* ubi ejus, in ornatu Junonis, mentio. Euſtath exponit τὸ τοῖς ὠτίοις ἐνειρόμενον κόσμιον.

Nambipaya, Braſilianis vocatur os aliquod cercopithecorum, quod auriculis perforatis *Inaurium* loco immittere ſolent, vide *ſuprà.*

Pendens, vide infrà in hac voce.

Stalagmium, etiam pro *Inauribus* ſumptum, cum σταλαγμοῦ ſive guttæ figuram haberet baca, quæ in genere hoc *Inaurium* pendula erat. Tale è rudi amethyſto Romæ olim extabat apud Læl. Paſchalin. *Laur. Pignor. de Servis.*

Στροβύλιον, pineæ nucis, quam Græci *ſtrobulum* vocant, habuit figuram: geſtamen ex auro Barbarorum quorundam fuit.

Σχολαρίκιον, pro *Inaure*, apud Suid. *in Etym.* reperitur: ut & *in Lexico* Cyrilli. Vide inprimis Meurſ. *in Gloſſis.*

Titulus, idem cum Elencho, Genus *Inaurium* apud mulieres fuit oblongum ac rotundum, uti ſunt tituli ſive columellæ, quas Græcè στήλας appellant. Salmaſ. *de Uſur. p. 670.*

Tribaca, apud Petron. Arbitr. margaritam ſignificat, quæ tribus bacis unionibuſque *Inauri* inſertis conſtabat: quippe binos ternoſque elenchos aureâ bracteâ conjunctos auribus aliquando ſuſpendêrunt.

Τρίγληνα, erant *Inaures* trium pupillarum formas habentes, ſub. ἕρματα. Ita enim apud Dioſcorid. *l. 1. c. 176.* genus meſpili quoddam τρίκοκκον vocatur, quòd tria intus habeat oſſicula, veluti grana. Ἕρματα ergo τρίγληνα item Græcis fuêre, quod *Tribacæ* Latinis.

Τρίπος, ſimiliter *Inaurium* ſpecies fuit, à figura nomen adepta, &c

INCANTATOR, Hebr. חובר quis dictus in Sacris, vide ſuprà ubi de *Divinatione.* Certè *Incantatores*, Legg. XII. *Tabb.* puniti, indigitantur, Plin. *l. 28. c. 2. Quid? non & legum ipſarum in Duodecim tabulis verba ſunt. Qui fruges excantâſſet. Et alibi, Qui malum carmen incantâſſet.* Verſus hi ſunt, *Ne pelliciundo alienas ſegetes excantanto: Ne incantanto, ne agrum defraudanto. Ne frugem aratro quæſitam noctu furtim depaſcunto. Puberes ſi ſecanto, Cereri eos ſuſpendunto: Impuberes arbitratu Prætoris verberanto. Ac noxam duplionem decernunto.* Ad quæ verba vide Jac. Rævard. *in LL. 12. Tabb.* Gaudent. Merulam *l. 1. c. 4.* Alios: adde Senec. *Nat. Quæſt. l. 4. c. 7.* & Apulej. *Apolog.* Licuiſſe maleficos hos indemnatos unicuique occidere, Scalig. *in Feſt.* tradit. Hinc arcanè talia fieri ſolita, metu graviſſimæ pœnæ, ſi res propalata eſſet, uti inter alia, de peſſima anu, cadaver filii violenter loqui compellente, præſente Charicleâ & Calaſiride, diſcimus ex Heliod. ſub *fin. l. 6.* apud quem, poſt Homer. alioſque poëtas, habes talium evocationum cerimonias. Alii verò aliter: ut qui, ſcriptis carminibus & gallis mactatis, animas poëtarum aut Regem evocabant, ut videre eſt apud Æn. Gazæum *Theophraſto.* Sed nemo eas melius ob oculos poſuit Luciano, ex cujus diſſertationibus magnam partem *Superſtitionum Comm.* ſuos deduxit Caſp. Barth. Vide quoque Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce Γόης, & ubi præſtigias hujuſmodi *can.* 65. Baſilii ſeveriſſimè prohibitas docet, nec non hîc paſſim, inprimis ubi de *Carminibus & Magicis Sacris*, uti de *incantato pileo* Sereniani Ducis, in voce *Pileus.* Alii ſunt, *Incantatores*, in *Charta* A. C. 1309. Phil. Pulchri Regis Franciæ, *Bajuli, Notarii, Servientes*, Incantatores, *Præcones & alii Curiales dictarum villarum* &c. Sic dicti ab *incantare*, quod apud recentioris ævi Scriptores idem eſt ac *ſub haſta vendere*, Gall. *Mettre à l'encant.* Hinc *Incantator Gabellæ ſalis*, in *Ch.* A. C. 1372. apud C. du Freſne *in Gloſſ.*

ab INCARNATIONE Chriſti, Annos numerandi rationem, primus invenit Dionyſ. Exiguus, qui Juſtiniano imperante & cum Caſſiodoro familiariſſimè Sec. VI. vixit. Cùm enim Annorum ſeries, in Canone B. Cyrilli ab Anno Diocletiani 153. incepta nihil aliud foret, quàm eorundem Annorum Diocletianorum conſecutio, indignum exiſtimavit circulis ſacris innectere impii Tyranni memoriam, ſatiuſque duxit Annorum ſeriem, ab ipſa *Incarnatione Chriſti* adhibere. Sed, cùm is Cyclum ſuum ad Chriſti incarnationem accommodâſſet, & primum ejus Annum nominâſſet eum, in quo Chriſtus conceptus in utero erat; qui Dionyſium ſequuti ſunt, videntes hominum vitam non à conceptione, ſed ab ortu, vulgò putari, prætereaque animadvertentes, nativitatem Chriſti non longè abeſſe à fine Anni Juliani, & circumciſionem ipſis Kal. Januarii celebrari, communi ferè conſenſu conſtituêrunt, ut primus Chriſti Annus ab ejus nativitate duceret exordium. Unde factum poſtea, ut æra communis invaluerit uno Anno inferior ærâ Dionyſii, ſervato tamen toto Cyclo Dionyſiano in cæteris i. e. Lunâ, Sole, Literâ Dominicali & Indictione, ſolo excepto capite, quod obſervatum jam pridem Petav. *de Doctr. Temp. l. 12. c. 2. & 3. alibique* & Jacobo Grandamico *de Die Nat. Chr. p. 84.* Vide quoque P. Gaſſend. *in Kal. Rom. c. 5.* Factum id autem à Dionyſio fuiſſe A. C. 527. cùm poſt Juſtinian. Faſti Conſulares defeciſſent, notat ad hunc Annum Baron. Sed jam antè Paul. Diacon. h. e. ab Anno jam 492. ab Annis Dominicæ, *Incarnationis*, Annos numerare cœpiſſe, ipſa ait *l. 17. Ceſſante jam Romanæ Urbis Imperio, utilius aptiuſque mihi videtur, ab annis Dominicæ Incarnationis ſupputationis lineam deducere: ad eund.* Ann. 492. Verùm tum nondum publicè hæc ratio recepta. Vide hanc in rem plura apud C. Macr. *in Hierol.* & C. du Freſne *in Gloſſ.* in voce *Annus.*

INCARUS, pagus Provinciæ, cum portu utcunque capaci, in ora maris Medit. 3. leuc. fere à Maſſilia in Occ. Maritimam verſùs, Vulgò *Cary.*

INCAS, nomen Regum Peruvianorum. Vide *Peruvia.*

INCASTELLARE Eccleſias, h. e. Ædes ſacras vallo munire, & ad modum uſumque caſtrorum aut caſtellorum redigere. non ſemel vetitum in Conc. Lateranenſi A. C. 1122. *can.* 12. Avenionenſi A. C. 1209. *can.* 9. Budenſi A. C. 1279. *can.* 53. Palentino A. C. 1322. *can.* 17. in Synodo Colon. A. C. 1280. *can.* 11. Herbipolenſi A. C. 1287. *can.* 13. &c, Quintilian. *Declam.* 369. *Tecta in ſubeuntes & ſacra quin etiam Templorum faſtigia deſperantium, tela ſunt Certum eſt omnia licere pro patria*, apud C. du Freſne in *Gloſſ.* Vide quæ de Templo Hieroſolymitano diximus ſuo loco.

INCENDIARIÆ Aves, antè lucum, inter prodigia, quæ Commodi Imperium præceſſêrunt, recenſentur Æl. Lamprid. *in Vita* Commodi Earundem inter prodigia, in Hiſt. Rom. crebra mentio, vide de iis Plin. *l. 10. c. 13.*

INCENDIUM, vel nominâſſe inter epulas, infauſtum apud Rom. Plin. *l. 28. c. 2. Incendia inter epulas nominata, aquis ſub menſis profuſis abominamur.* teſte Suet. *in* Aug. *c. 30. Adverſus incendia excubias nocturnas vigileſque commentus eſt.* Strab. *l. 5.* Dione *l. 55.* in *Ann.* 752. & JC. ff. *de offic. præf. Vigil.* cùm antea Ædiles eorum curam habuiſſent, ut ex eodem Dione ac App. Alex. conſtat. Erant autem cohortes Præfecti vigilum è libertinis conſcriptæ: quos propterea alii milites vocabant per contemptum *ſparteolos*, an à funibus, quorum multus olim in reſtinguendis Incendiis uſus; an à ſparteis, quibus amicti, tunicis; an à certo calceamentorum genere, è ſparteis funibus contexto. Conſueviſſe illos *cum hamis & cum aqua vigilias curare*, docet vet. Scholiaſt. Juv. *ad illud, l. 5. Sat. 14. v. 305.*

> *Diſpoſitis prædives hamis* ——

Vide Caſaub. *ad Suet. d. l.* & ſuprà in voce *Ama*, item *Collegiati & Mama*: infrà quoque *Publici*, & *Siphon*, & *Teca*, nec non ubi de *Triumviris, ædibus ſacris incendio conſumptis reſtituendis*, & *Triumviris nocturnis*, it. Præfecto *Vigilum.* Interim & *Incendia* ſuum uſum habent, indigitatum Plin. eidem *l. 36. c. 15.* ubi *lucrum punire* ea, graviter dicit: *Computet in hac æſtimatione, qui volet, marmorum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

morum molem, opera pictorum impendia regalia & cum pulcherrima laudatiſſimaque certantes centum domos, poſteaque eas ab innumerabilibus alus in hunc diem victas. Profecto incendia *puniunt luxum, nec tamen effici poteſt, ut mores aliquid ipſo homine mortalius intelligant*, &c.

INCENSIO Lunæ, in Kal. S. Victoris Pariſ. & in alio Bibl. Reg. 6. *Id. Januar. Incenſio Lunæ Septuageſimalis*. 8. *Id. April. prima incenſio Lunæ Rogationum*. Sic Luna dicitur *reaccendi à Sole*, apud Honor. *in Imag. Mundi l.* 2. *c.* 61. & 85. C. du Freſne in *Gloſſ.*

INCENSUM, recentioris Latinitatis auctoribus, idem quod θυμίαμα Uranio *in Arabicis*, apud Steph. ubi thus hoc nomine per excellentiam denotatur, quod hodieque *Encens* Galli vocant: aliàs in genere pro ſuffimento. Cujuſmodi ſuffimentorum ſ. thymiamatum uſus in Vet. Teſt. Eccl. inſignis fuit, peculiari Altari (quod *Altare thymiamatum* dicebatur & quadratum duoſque cubitos altum ſuperiùs craticulam habebat, quâ cineres deciderent) huic rei deſtinato. Quem ritum, pro cacozelia ſua, imitatos Gentiles diſcimus ex Ovid. ubi Sibylla Æneæ *Met. l.* 14. dicenti *v.* 128.

Templa tibi ſtatuam, tribuam tibi thurus *honores*:

Idem reponit, Ibid. *v.* 130.

Nec Dea ſum, dixit, nec ſacri thurus *honore*
Humanum dignare caput, ——

Sed & Harpocrates. *imagines Jeſu, Pauli, Homeri atque Pythagoræ, occulte effingens, iis ſuffitum faciebat, eaſque adorabat*, apud Epiphan. *Hær.* 80. *anacæphal.* De Chriſtianis verò, Auguſtin. *in Pſ.* 49. *Securi, inquit, ſumus, non imus in Arabiam thus quærere, non ſarcinas avari negotiatoris excutimus: ſacrificium laudis quærit à nobis Deus*. Item *in Pſ.* 150. *Noli extrinſecus thura comparare, ſed dic, in me ſunt Deus vota tua, quæ reddant laudes tibi*. Et ante eum Tertullian. ſe offerre Deo dicit *orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu S. profectam. Non grana thuris unius aſſis, non Arabiæ arboris lacrymas, nec duas meri guttas* &c. *Apolog. c.* 30. Unde Conſtantinus Imp. *Tale Euchariſtiæ ſacrificium*, ait, *ab hominibus peragitur*, ᾧ τε μὴν ὀσμὴ λιβάνων ἐπιποθεῖ) οὐδὲ πύρκαια, i. e. *neque thuris odor deſideratur, nec ignis incenſus*, apud Euſeb. *Orat. ad Sanctum cœtum c.* 12. Nempe ſuffimentorum is priſcus uſus in Sacris umbra & figura fuit, ſub legis pædagogia, uti docet Paul. Hebr. *c.* 9. *v.* 8, & 9. ubi cùm de Tabernaculi inſtrumentis, ſpeciatim verò de thuribulo aureo, egiſſet, addit: *Hoc declarante Spiritu Sancto, nondum factam fuiſſe manifeſtam ad Sacrarium viam, priore Tabernaculo adhuc conſiſtente: quod erat exemplar pro tempore præſenti* &c. Vide plura infrà ubi de *Odoribus* & *Suffimentis*, item in voce *Thymiama*. Tango hîc ſaltem, à Diis ad Principum, inde ad Epiſcoporum quoque in vet. Eccl. honorem, *incenſi* uſum tranſlatum, uti hîc paſſim videre eſt. In Eccl. CP. diebus Catecheſeon, poſt Dominicam τῆς Τελώνου *incenſa*, ἀντὶ ῥογῶν καὶ βαΐων, in feſto Palmarum ſ. τῶν Βαΐων, cereos & cruces; rurium magnâ feriâ IV. cereos & *incenſa* dari conſueviſſe, docet Balſamon *de Incenſ. Patriarch. die Catecheſ.* &c. Hinc *Incenſorium* in Eccl. Rom. vide ſuprà. *Acerna*.

INCERAMENTA Navium, memorantur Liv. *l.* 28. *c.* 45. *Hetruriæ primum: populi pro ſuis quiſque facultatibus Conſulem adjuturos polliciti* -- *Volaterrani* inceramenta *navium & frumentum* &c. Nempe *cerâ* piceque oblini naves olim ſolitæ. Unde Jul. Pollux, inter τὰ τῶν Ναυτικῶν ponit πίσσαν καὶ κηρόν. Et Plin. *l.* 16. *c.* 11. *Zopiſſam* ait vocari deraſam navibus maritimis *picem cum cera*; quam mixturam unâ voce κηρὸν dixêre Græci, uti videre eſt apud Arrian. *Periplo Ponti Eux.* & *ceram* Latini, ut apud Veget. *l.* 1. *c.* 7. *Colore Veneto* cerâ *etiam, quâ ungere ſolent naves, inficitur*. Sic Val. Flacc. *Argon. l.* 1. *v.* 128.

—— *tenues ſubiêre latentia ceræ*
Lumina —— ——

Idem Ibid. *v.* 480.

—— *Fiſſaque fluctu*
Vel pice, vel molli conducere vulnera cerâ.

Adhibita autem, ad rimas obturandas. Ovid. *Met. l.* 11. *v.* 515.

—— *ſpoliataque tegmine ceræ*
Rima patet ——


Vide quoque Lucian. *Dialogo Charontis & Mercurii*. Cujuſmodi proin naves *ceratæ* eidem Ovid. *Ep. Oenones*, &c. Sed & nonnunquam iis exitialis. Veget. ubi ſuprà *c.* 14. *Ardentes ſagittæ per baliſtas in hoſticarum navium alveos infiguntur, inunctaſque cerâ & pice & reſinâ tabulas tot fomentis igneum repentè ſuccendunt* &c. Vide Joh. Frid. Gronov. *Not. ad Liv. d. l.* ut & hîc ubi de *Cera*, *Pice*, item in voce *Zacynthus*. Italos hodieque verbum utrumque, *Incerare* & *Inceramento*, in vernacula, ſua retinere conſtat. Verbum autem *incerare*, apud Juv. extat *Sat.* 10. *l.* 4. *v.* 54.

Ergo ſupervacua hæc, aut pernicioſa petuntur,
Propter quæ fas eſt genua incerare *Deorum.*

Ubi non ſignificat, cereris candelis oblatis illinere, ut quidam volunt: ſed concepta vota, & in tabulis conſcripta Deorum genibus (quæ miſericordiæ ſedes habita) cerâ obſignata figere, quod ἐπισφραγίζειν, vocat Philoſtrat. *in Heroicis*. Vide Hadr. Turneb. *Adverſar. l.* 1. *c.* 17. & *l.* 30. *c.* 19. Farnab. *Notis ad Juv. d. l.* &c.

INCERTI Dii, Romanis olim culti, vide ſuprà *Ignotus Deus*.

INCESTUS, flagitium eſt cum ea commiſſum, cum qua Religio aut ſanguinis ratio conjugium prohibet. Quænam autem conjugia vetita ſint, apud Hebræos, aliter Talmudici, Karræi aliter pronuntiant. Et quidem Talmudicis, ex diſertis Legis Moſaicæ verbis atque eo quod ex ipſis ita neceſſariò conſequitur, ut non admitti nulla cum ratione queat, pro vetitis, partim ſanguinis, partim affinitatis ſ. propinquitatis nomine, feminæ habentur octodecim (in quibus etiam Mater, Noverca & Soror, ex jure ipſis naturali ſ. Noachidarum antea pariter vetitæ) ut in Schemate ſequenti.



Scilicet turpitudinum harum revelatio, in Lege ſacra, adeoque
Concubitus & Matrimonium hic Mariæ conjugi (quem ut contin-
gunt ſive ſanguine ſive affinitate, ſic nominantur hîc feminæ cun-
ctæ) ut tot *Inceſtus* genera interdicuntur. Ita tamen, ut quindecim
tantùm diſertis Legis ſacræ verbis, tres reliquas ex neceſſario conſe-
quenti, ajant vetitas: è quibus quindecim illæ majuſculis in Sche-
mate exhibentur literis; reliquæ tres, nimirum Proſocrus utraque
ac filia minoribus; ideo tantum adjectis interea charactere diverſo,
Avorum, Patrui, Patris, Soceri, Fratris, Filii ac Privigni nomini-
bus, ut relationum connexio faciliùs intuenti appareat. Occur-
runt autem *Inceſtûs* hæc interdicta, Lev. *c.* 18. *à v.* 6. *ad* 18. &
c. 20. *v.* 14, 17, 19, 20, & 21. Deut. item *c.* 22. *v.* 30. alibique.
Quali verò ratione utantur Talmudici, dum reliquas tres illas, ſ.
Proſocrum utramque ac filiam, ex Lege ſacra ſatis vetitas aſſe-
runt; quidnam item ex avita diſciplina ſentiant de eo, quod eſt,
utrum interdicta illa *Inceſtûs* ſacra, quatenus in Pentateucho haben-
tur, ad genus indiſcriminatim humanum univerſum, an tantùm ad
Hebræos, i. e. an ad Jus Gentium hic imperativum, an ad He-
bræorum Civile, ſpectent, ut & alia non pauca inprimis huc atti-
nentia, fusè explicat Joh. Selden. *de Jure Nat. & Gent.* Vide quo-
que eum *de Uxor. Hebr. l.* 1. *c.* 1. & 2. *ubi de Feminis ſecundariis,*
quarum conjugia, ex Majorum inſtituto, extra Legis ſacræ verba ac
vim, juxta Talmudicos, vetita ſunt, ſive ſanguinis ſive affinitatu nomi-
ne. Aliter longe Secta altera Judæorum ſ. Karæi, qui præciſè Le-
gis literæ inhærentes, in diverſa tamen ipſimet inter ſe abeunt, ut
videre eſt *l. c. c.* 3. 4. 5. & 6. Addo ſaltem, interdictorum *de In-*
ceſtu violationem, pœnâ Exciſionis cœlitùs exſpectandâ, plecti con-
ſueviſſe, & prolem ex tali congreſſu ſuſceptam pro Mamzere ſ.
ſpurio, cui ingrediendi in Eccl. Domini (i. e. Iſraëlitidem puri ſan-
guinis ducendi) jus non eſſet, habitam fuiſſe, unde & Parentis im-
pietatis graviſſimæ, & liberi maximæ natalium impuritatis nomi-
ne, fuêre inviſi: in quo Karæi cum Talmudicis conveniebant,
quamvis illi ipſi inter ſe ſententiis diſcreparent quam maximè. Vide
iterum Selden. *modò laud. c.* 6. *ſub fin. & de Jure Nat. & Gent.*
juxta Diſcipl. Hebr. l. 5. *c.* 11. nec non infrà in voce *Lapis*. Sed &
apud alias gentes, ἀδιαφθόρους ſc. & κατὰ φύσιν ἐχούσας, *non corrup-*
tas, & naturæ convenienter ſe habentes, uti loquitur Michaël Epheſ.
ad Nicomach. iſtiuſmodi conjugia impermiſſa: & *inceſtum* jure gen-
tium committi, inter gradus aſcendentium & deſcendentium, ait
Paul. JC. *de ritu Nupt.* Imò Sen. in Hipp. Act. 3. *v.* 913.

Feræ quoque ipſæ Veneris evitant nefas,
Generiſque Leges inſcius ſervat pudor,

Et proin non eo minùs jus h. e. quòd ex Zaradæ inſtituto, ut habet Theodoret. *c. Græcos Orat.* 9. *de LL.* à Perſis contemnebatur: cui ſpeciatim mori cauſam pravam educationem prudenter aſſignat Dion Pruſæenſis *orat.* 20. nec quòd conjugium cum fratris filia vetitum antè apud Rom. permiſit Claud. vetuit Nerva. permiſit Heraclius. Meritoque *in Ep. Can.* Baſilii Mag. ad *Amiloch. can.* 75. qui cum propria ſorore pollutus eſt, poſtquam ſeriò flagitium agnovit, triennio ſtans deflere prope fores τῶν Εὐκτηρίων, *domus oratoriæ*; dein alio triennio ad ἀκρόασιν ſolùm recipi; porrò itidem triennio ſe proſternere; decimo Anno in fidelium orationes ſuſcipi, ſed ſine oblatione, demumque biennio poſt, ad communionem admitti, jubetur. At Canonibus, qui dicuntur *Apoſtolici*, qui duas ſorores, alteram poſt alteram duxiſſet, aut ἀδελφιδῆν i. e. *fratris aut ſororis filiam*, tantùm à Clero arcetur &c. Quam in rem vide plura apud Hug. Grot. *de Jure Belli & Pacis l.* 2. *c.* 5. §. 12. & *ſeqq.*

adde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

addeCaſp. Barth. *Animadverſ. Stat. Theb. l.* 1. *v.* 68. Joh. Wowerium & G. Elmenhorſt *ad Minuciena illa Jus eſt apud Perſas miſceri cum matribus. Ægyptiis & Athenis cum ſororibus legitima connùbia. Memoriæ & Tragœdiæ veſtræ inceſtis gloriantur* &c.

INCIBILIS, ſ. INDIBILIS, opp. Hiſp. Tarr. *Chelva* Floriano. Baudr. etiam *Tiara Julia*, opp. fuit aliàs Ilercaonum, nunc *Trayguera*, in regno Valentiæ, ad amnem *Servol*, versùs conf. Cataloniæ, vix 10. mill. ab ora maris Medit. 20. leuc. à Chelva in Eur. *Baudr.*

INCILE, ab INCIDENDO, foſſa eſt in viis ducta, ad deducendam aquam, Feſt. Cujuſmodi *incilibus* lacunoſis voraginoſa Ægyptùs inprimis olim facta eſt, tum ne aqua deeſſet iis, qui à Nilo erant remotiores, tum ut merces terræque proventus hinc inde deportarentur, tum in viatorum uſum, tum denique ut regio invia fieret atque inacceſſa. Quod opus Seſoſtris inchoavit, Nilus poſtea, & Sabacon Æthiops (cujus ſucceſſor Sethon Sennacheribo fuit æqualis) perfecère. Quo pacto cùm magna Ægypti pars equitatui inacceſſa fieret, ἱπποτροφία Ægyptia, illa adeò in Sacris celebris, paulatim in deſuetudinem abiit, ita ut non ſolùm Oppian. Nemeſian. Veget. Abſyrtus, Alii, de Ægyptiis equis altùm ſileant, ſed & è Græcia venales equos Alexandriam Nicagoras, Meſſenius deduxiſſe legitur, apud Plutarch. *in Cleom.* Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte pr. l.* 2. *c.* 9.

INCISA, opp. Lombardiæ Ciſpadanæ, in Marchionatu Montis ferrati, ſitum ubi quondam Ptolemæi Libarnum extitit, uti Merula cenſet.

INCISI, quinam Veteribus dicti, vide infrà, in *Matricula*: uti de profanis *inciſionibus* Gentilium, in luctu, Levit. *c.* 19. *v.* 28. & *c.* 21. *v.* 5. Vide quoque 1. Reg. *c.* 18. *v.* 28. & ſuprà Exequiæ. Apud Walafr. Strab. *Præf. ad Theganum* κόμμα ſ. *lectio* dicitur *inciſio*, alibi *pauſatio*. Alia notio vocis in illo, *Signum ſecundâ inciſione pulſare*, apud C. du Freſne in *Gloſſ.* Sed & vox Architectorum eſt, de qua vide Jac. Godofred. *ad l.* 3. *Cod. de Excuſ. antiſ.* &c. Vide & infrà *Incomma.*

INCISOR, idem cum *Carptore Sciſſore*, *Structore*, quas voces vide. In Gallia *Inciſoris Regis* inſigne furcilla eſt cum cultro decuſſata. *Cultri* verò *Inciſorii* duo decuſſatim locati, laminiſque argenteis & ex auro capulis inſtructi, Abbatiæ Quedelinburgiæ in Germania ſymbolum, uti docet Phil. Jac. Spener. Cyriaco Spangenbergio *limas* non rectè vocante. Sunt autem cultri hujuſmodò Germanis *Credentz-meſſer*. Vide eund. *Artis Herald. Parte II. l.* 3. *c.* 27. §. 33.

INCITARIA, Anton. portus erat Hetruriæ, inter Portum Herculis, 9. & Almianam fluv. 3. mill. paſs. *Ferr.*

INCITATUS, nomen equi inſano Caji Caligulæ affectu nobilis. Ita enim de eo Suet. in eo *c.* 55. Incitato *equo*, *cujus causâ pridie Circenſes, ne inquietaretur, viciniæ ſilentium per milites indicere ſolebat, præter equile marmoreum, & præſepe eburneum, præterque purpurea tegumenta, ac monile è gemmis, domum etiam & familiam & ſupellectilem dedit, quò lautius nomine ejus invitati acciperentur.* Dio quoque, *Unum verò ex equis ſuis, quem* Incitatum *nominabat, invitabat ad cœnam; ita ut ei hordeum ex auro apponeret funderetque vinum &c. ac per ſalutem ejus & fortunam juraret; ſeque eum Conſulem facturum polliceretur* &c. Ejuſdem meminit Mart. *l.* 10. *Epigr.* 76. cujus Epigraphe de Mævio *v.* 8.

Pullo Mævius alget in cucullo,
Cocco mulio fulget Incitatus?

Quaſi diceret, Mævius, vir bonus licèt ac poëta, & utraque diſertus linguâ, cucullo nihilominus mulionico præ egeſtate utitur; cùm è contrario mulio, i. e. curator equi, cui nomen erat *Incitato*, ſplendidiſſimè fuerit veſtitus. Alii legunt *Incitatus*, in verbis Martialis, ut auriga hoc nomine ſub Domit. Imp. indigitetur. Vide Anſelm. Soler. *de Pil. S.* 15. Screvel. *Notis in Mart.*

INCITI, dicuntur in Latrunculorum ludo calculi, qui eò ſunt redacti, ut *cieri* moverique amplius nequeant. Unde Prov. *ad incitas*, vel *ad incita* redigere, pro ad extremas metas compellere, & in ſummam deſperationem aliquem adducere. Galli iſtiuſmodi calculum vocant *ſcaccum mattum* i. e. *contritum* & ſubactum. *Mattus* enim antiqua vox & Latina, emollitum, *ſubactum* & maceratum ſignificat: à Græco verbo μάττω, *pinſo*, *ſubigo*. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Proc.*

INCLAMANDI Mortuos ritus, vide hîc paſſim ubi *Funebria* tractamus, & infrà in voce *Oculi.*

INCLINATIO, ſalutationis ſpecies apud Monachos, quæ ſoli Abbati debetur. Ingulphus *p.* 886. *de Priore*, *Et quia in medio Fratrum rector eſt eorum, in honore, præter inclinationes, omnis honor ei & reverentia exhibeatur.* Quomodo autem illa fieri debeat, exponit Udalric. *Conſuetud. Cluniac. l.* 3. *c.* 2. *Quilibet Novitius eſt inſtruendus, ut regulariter ſciat caput* inclinare, *ſcilicet non dorſo arcuato, ut quibuſdam negligentibus eſt familiare; Sed ita, ut dorſum ſit ſummiſſius quàm lumbi & caput ſummiſſius quàm dorſum: quam* inclinationem *nos per uſum* antè & retro *appellamus, quia incipit contra Or. & finit contra Occid.* apud C. du Freſne in *Gloſſ.* In eadem Communione, cùm profertur *Gloria Patri*, caput detegere illudque inclinare, qui in Choro ſunt, non verò erigere ſe, jubentur in Ep. *Cerimoniali l.* 2. *c.* 1. Idem obſervant, ad verba inter pſallendum occurrentia, *Sit nomen Domini benedictum --- ſanctum & terribile --- Benedictum nomen Majeſtatis --- Benedictus Dominus quotidie --- Benedicamus Patrem & Filium, cum Sancto Spiritu* &c. Macri Fratres *in Hierol.* in voce *Gloria.* Vide quoque infrà, *Metania.* Sed & cùm fulgura conſpicerent, vett. Chriſtianos ad terram ſe *inclinâſſe*, docet Cl. Suicer. in *Theſ. Eccl.* in voce Ἀστραπή. Quia verò *Inclinando* corpus, minores apparemus, hinc verbo *Decreſcere*, de hoc reverentiæ ſigno loquens, eleganter uſus eſt Tertullian. ut vidimus ſuprà.

INCLUSI, ſ. RECLUSI, Græcè ἔγκλειστοι, dicuntur Theophani *Ann.* 17. & 25. Conſtantini Copron. Monachi, qui aut prope vicos vel Cœnobia, vel etiam in ipſis Monaſteriis, in ſingulares cellas, ex iis non ampliùs exituri, vitæ ſolitariæ intuitu ſeſe concludunt, ut liberiùs Deo ſibique vacent: quod Monachorum genus Caſſiano *Collat.* 18. *c.* 8. & Iſid. *in Regula c.* 5. minùs probatur. Ad hanc autem ſtrictiorem vivendi rationem nemo admittebatur, niſi qui poſt emeritos labores & data virtutum Monaſticarum argumenta, probe eſſent explorati, & quidem impetratâ Ep. vel Abbatis veniâ, à cujus poteſtate neque ſic eximebantur. Imò decretum in Synodo Trullana *c.* 41. ut, qui *clauſuram* hanc amplecti volunt. Monachi, ab Abbate primùm, dein ab Ep. ſtrictiùs examinentur, nec tamen ſtatim, ſed elapſo pòſt Anno includantur, hac adhibitâ lege, ut eis in poſterum omnis prohibeatur regreſſus, niſi id evincat utilitas communis vel alia quævis neceſſitas: cujuſmodi *Incluſorum* egreſſus, præeunte Ep. benedictione, ob communem utilitatem factus, legitur apud Audoën. *de Vita S. Eligii l.* 2. *c.* 29. & in *Chron.* Fontanell. *c.* 11. Sed & interdum Abbates ipſos ſtrictius hoc vitæ inſtitutum amplexos eſſe, ſic tamen ut Monaſterii interim regimen non deponerent, docet vet. *Epitaphium* Leoniani Abbatis, in ſuburbana æde S. Petri Viennæ, quod deſcripſit C. du Freſne in *Gloſſ.* Etiam *Incluſæ* paſſim Moniales, apud Scriptores occurrunt, Greg. Turon. *l.* 6. *c.* 29. V. Malmeſbur. *Hiſt. l.* 3. *p.* 112. Alios: Ædes, ubi hujuſmodi *Incluſi* degunt, ἐγκλείστρα in Syn. Trull. *c. d.* Latinis *Incluſa*, *Incluſoria*, *Incluſeria*, *Recluſorium*, *Cluſa*, *Cluſorium*, dicitur. Unde Menard. *Obſerv. l.* 2. id olim in more fuiſſe docet, ut virorum Ordinis Benedicti Monaſteriis adjunctæ eſſent quædam cellulæ, quas *Cluſas* ſ. *Incluſoria* vocaverint, arctiori ſtudio virtutem exercitaturis. Cella vero iſtiuſmodi, in *Ordine Incluſorum*, apud Roder. *in Bavaria ſancta*, ſic deſcribitur, *Incluſa*, *i. e. domus Incluſi, debet eſſe lapidea, longitudo & latitudo in* 12. *pedes abeat,* 3. *feneſtras, unam contra chorum, per quam corpus Chriſti accipiat, alteram in oppoſito, per quam victum recipiat, tertiam unde lucem habeat, quæ ſemper debet eſſe clauſa vitro vel cornu* &c. Deſcripſit *Incluſorum* Regulam peculiarem idem Rader. & ex eo Haeften. *Diſq. Monaſtic. l.* 1. *tract.* 8. *diſquis.* 2. aliam habet Codex Regular. *Monaſtic.* Holſtenii *Tom II. p.* 281. Vide omnino laud. *Gloſſ.* Autor. Cl. Suicer. in voce Ἐγκλειστή, quâ dies ſepulti Servatoris Græcis dictus eſt, ut & infrà quædam, ubi de *Recluſis*, item in voce *Laura.*

INCLUSOR, apud Hier. *in Jer. c.* 24. *Fabros &* Incluſores, *vel Legis interpretes, atque doctores debemus accipere vel artifices incluſoreſque auri & gemmarum: quæ ars apud Barbaras nationes pretioſiſſima eſt:* Aliàs *Cluſor*; in *Gloſſis* Latino-Arab. Scalig. & Raphelengii, *Cluſor, qui gemmas auro concludit.* Sunt nempe *Cluſores* vel *Incluſores*, qui aurum argento *includebant*, & gemmas auro, διὰ τῆς ἐμπαιστικῆς τέχνης. quorum opera λιθοκόλλητα Græcis, item χρυσόκλειστα; *auro cluſa* Latinis dicta ſunt: de qua arte accipienda illa Lucret. *de Rer. Nat. l.* 4. *v.* 119.

Scilicet & grandes viridi cum luce ſmaragdi
Auro includuntur.

Vide Salmaſ. *ad Spartian. in Hadr.* & ſuprà paſſim, inprimis ubi de *auro Cluſis*, & verbo *Claudere.*

INCOGNITUS, nomen Autoris, qui, *in Pſalmos commentatus*, humilitatis ergò, proprium celavit. *Michaelem Ayguanum* fuiſſe appellatum, docet ex *MSS.* Benedicti XII. quæ extant in Bibliotheca Vaticana *n.* 4006. C. Macer. *in Hierol.*

INCOMMA, apud Veget. *l.* 1. *c.* 5. *Proceritatum tyronum ad incommam ſcio ſemper exactam*: fuit palus quidam menſuralis in caſtris hac fini poſitus, ut ad eum admotis, qui ad militiam deligebantur, tyronibus, vel qui ſponte ad militiam accedebant, an juſtâ ac legitimâ eſſent ſtaturâ, examinabantur. Eſt enim ἔγκομμα, palus in terram defixus, Salmaſ. *ad Lamprid.* Fuiſſe verò eam menſuram 5. pedum & ſemis, colligit C. du Freſne ex Dolitheo *l.* 3. ubi quendam in militiam adſcribi poſtulantem *Hadr.* Imp. interrogat, ποῖον μῆκος, *quantum longitudinis* habere; cui ille reſpondit, πέντε πόδας καὶ ἥμισυ, *quinque pedes cum dimidio.* Milites certè non ætate tantùm, ac fortitudine, ſed & *ſtaturâ* æſtimatos eſſe, palam eſt. Hinc apud Frontin. *l.* 4. *c.* 1. *n.* 3. Pyrrho delectori ſuo dixiſſe legitur, *Tu grandes elige, ego eos fortes reddam.* Vide Jac. Cujac. *l.* 21. *c.* 5. laudatum C. du Freſne in *Gloſſ.* & infrà, ubi de *Militari ſtatura* it. in voce *Spatha.*

INCRA, vulgò ENCRE, vicus cum tit. Marchiæ, Perronam inter & Corbejam poſitus, ad amnem cognominem, in Suminam apud Corbejam Ambianorum effluentem; olim ad Monaſterium B. Richarii, nunc ad Cluniacum pertinet. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

INCREMENTUM liberalitatis, apud Spartian. *in Hadr. Pueris ac puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit*, ſignate additum ab Autore eſt. Hujuſmodi enim largitiones *Incrementa* vocabant. Flav. Vopiſc. *in Probo Ut ejus dignitas* incrementis *adjuvetur*, i. e. *liberalitate.* Sic in vet. Inſcr. INCREMENTA. PUERIS. CURIÆ. ET. SPARSIONEM. NUCUM DENT. Contrà *Augmentum*, proprium tributi nomen eſt, apud Caſſiod. *l.* 9. &c. Vide Caſaub. *ad Spartian.*

INCRUSTATIONES, tectoria ſunt parietum, ex cruſtis marmoreis ita factæ, ut ſolido de marmore ſubductis detractiſque cruſtis parietes operirentur: Cùm *tectoria* propriè dicta eſſent, quibus è marmore contuſo crebriuſque excreto & harenato cum calce mixto, illi inducebantur diligentique fricatione levigabantur. B. Briſſon. apud Joh. Calv. *Lexic. Jurid.* Vide quoque infrà *Marmor*, it. *Paries.* Sed & *incruſtabantur* parietes aliaque etiam calce, argillâ, gypſo, lapide aliaque materiâ, Corraſius *Miſcell. l.* 4. *c.* 16.

INCUBARE, vox in Sacris Gentilium uſitata, de iis, qui in Fanis Deorum ſomnia captabant, occurrit paſſim apud poëtas: Manſitque hic mos uſque ad tempora Prudentii, canentis in *Apoth. v.* 254.

Et

Et quis in idolio recubans inter ſacra mille.
Imò hodieque manere in Italia, docet Georg. Fabric. *Comm. in Poëtas Chriſt.* ubi Paravii certa nocte, in D. Antonii, adoleſcentes & puellas ruſticanas *incubare*, eo cœnobio, quo non aliud eâ urbe frequentius refert: de quo *incubandi*, & caſtus ſive jejunii prævii, atque id genus aliis ritibus, plura vide apud Cic. *de Div. l.* 1. Strab. *l.* 16. Pauſ. *Laconic.* Tertullian. *de Anima c.*27. Arnob. *l.*1. Suet. *Tib. Ner. c.*14. & hîc non uno loco, inprimis in voce *Dormio*, item *Melota*. *Incubi*, Dæmonum genus, vide infrà *Piloſi*, *Pilumnus*, *Puerpera*.

INCULISMA, vel *Inculiſmenſis ager*, provincia Aquitaniæ, versùs Carentonium fluv. Ducatûs titulo inſignis: ad Sept. Pictonibus eſt contermina: ad Occid. Santonibus: ad Mer. Burdigalenſibus & Petrocoriis: ad Or. denique Lemovicibus. Longitudo ejus ab Ortu in Occaſ. 24. eſt mill. latitudo à Mer. in Sept. 16. Ejus metropolis eſt Inculiſma: Vulgò *Angouleſme*. Merula. Urbs Epiſcopal. ſub Archiep. Burdegalenſi ad Carentonium fluv. cum caſtro munito 12. leuc. à Mediolano Santonum, in Ort. Vide & *Engoliſma*, & *Inculiſma*.

INCULTI Capilli, lugentium, ſupplicum &c. vide ſuprà *Capilli*, *Crinis*.

INCUNABULA, quibus infans cunis alligatur, memorantur Plaut. *in Amphitr. Act.* 5. *Sc.* 1. *v.* 52.

Neque enim quiſquam colligare quivit Incunabulis.

Diſcernendæ utique a faſciis ſ. pannis toti corpori circumduci ſolitis, quæ ideo adhibebantur, ut per aliquod tempus membra ſtringerent, & talem, quo tenella corpora conſpergebantur, continerent. Hæc verò, nempe *incunabula*, uſurpata, ne infans motu exturbaretur: & quidem illuſtriorum ex purpura erant. Tranſiêrunt ſubinde ad mortuos, ſicuti κειρία mortuorum ad *cunas*. Unde apud Georg. Palamum *Orat.* 1. elegantiſſimè accuſat Anima corpus, & ſe eo contineri ac ſtringi in ipſo matris utero queritur, nec liberari dum in lucem prodit, ſed oriri hinc ejulatus natalitiis cantibus ex adverſo reſpondentes & undique devincientes faſcias & cunabulorum vincula, ſepulchralibus ligamentis cognata: Ἐντεῦθεν, inquit, καὶ κλαυθμυρισμοὶ τῶν γενεθλίων ᾀσμάτων ἀντίφθογγοι καὶ περισφίγγουσαι ταινίαι καὶ κειρίαι σπαργάνων συγγενεῖς. Quem locum Gilbertus Cuperus *Obſerv. l.* 2. *c.* 9. optime explicat, ex nummo Antonini Pii, cujus averſa in parte Fauſtinæ partus videtur, ſub ſpecie matris Ideæ, cum tympaniſtis & tibicinibus Annum in us infantes nunquam ſuperârunt. quibus tripudia quoque inter ornamenta. Vide quoque infrà ubi de *Pannis infantiæ*. Ipſas verò cunas quod attinet, movebant eas vel ſervi Cunarii, Pign. de Serv. *p.*122. & 123. qui poſtea forſan eorundem puerorum pædagogi, Idem *p.* 191. & 192. vel ancillæ Cunariæ. Formæ variæ, ut & uſus. Et quidem puerorum Cunæ ad latera, Medicorum (namque & hi cunis uſi) etiam ſurſum deorſumque duci potuêrunt; ad quarum priores referri poteſt elegantiſſima tabula antiquiſſimi codicis manuſcripti Geneſeos, apud Lambecium *Comm. Biblioth. Cæſ. l.* 3. Vide quoque Arnob. *l.* 4. *adv. Gentes*. Præerat his cunis & pueris ipſis intra cunas Cunina Dea. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 19. Juxta eas verò congeſtæ aviculæ, quibuſcum luderent, item ſpecula: adjunctique catelli & dracunculi, nec non cymbala; cultelli quoque apud populos Septentrionales. Aliis nummi à Nutrice accepti, à quibus etiam mobilibus curribus circumacti ferebantur. Circa Nilum Ægyptiaci in cymbiis ludebant, cymbalis & tibiis adhibitis, quem luſum inſigniter illuſtrat ſepulchrale marmor, apud Petrum la Sena *in Cleombroto c.* 6. &c. Vide Thom. Bartholin. *de Puerp. Vett.* ut & ſuprà in voce *Cunabula*.

INCUS, Cinyræ inventum. Plin. *l.* 7. *c.* 56. *Invenit Cinyra --- & metalla æris --- in inſ. Cypro: Item forcipem, marculum, vectem, incudem.* Quæ, cùm cudendo proprie ferro deſtinata ſit, adamantibus etiam deprehendendis inſervire, tradit Idem *l.* 37. *c.* 4. *Incudibus hi (adamantes) deprehenduntur, ita reſpuentes ictum ut ferrum utrinque diſſultet, incudesque etiam ipſi diſſiliant. Quippe duritia inenarrabilis eſt* &c. Sed fabuloſum hoc eſſe, & in ſcobem malleolo redigi facillimeque confringi hanc gemmam, idem alibi docet, vide Dalechamp. *ad l.* At robori oſtentando, *Incudem*, pectori ſuperpoſitam, aliis tundentibus, conſtanter fert Firmus, apud Vopiſc. *quum ipſe reclinus ac reſupinus & curvatus in manus penderet potius, quàm jaceret.* Quod genus θαυματοποιίας hodiernis hominibus non eſt ignotum. Fuiſſe enim ſuo tempore Pariſiis hominem, qui non *incudem*, ſed ſaxum ſeptingentorum pondo, & eò gravius, pectori ſuperpoſitum, aliis tundentibus ſimiliter, in manus pendens, perferret, notat Caſaub. *ad l.* Vide Thuan. *Hiſt.* ubi de cerimoniis, quibus Imp. Turcici filii octennis Circumciſio celebrata &c.

INCUSANDI Deos conſuetudo apud Gentiles, occurrit apud Autores paſſim. Et quidem, quoties res malè ceſſiſſet, non fata ſolum, ſed & Deos ipſos, graviſſimis ſæpe conviciis probisque feriebant. Lucan. *Civ. Bell. l.* 7. *v.* 723.

——— *Avehit inde,*
Pompejum ſonipes: gemitus lachrymæque ſequuntur,
Plurimaque in ſævos populi convicia divos.

Vide eund. *l.* 9. Sophoclem *in Trachiniis*, ubi de Hyllo, quum Herculis videret cruciatus, ἀγνωμοσύνην Diis exprobrante, Alios. Atque hoc *invidiam Diis facere* dicebant. Sil. Ital. *Punic. Bell. l.* 11.

——— *nullis defuit aris*
Invidiam *factura parens.* ——

Seneca *Hercule Oetæo*, *Act.* 5. ſub calcem *v.* 1860.

—— *Expedi in planctus tamen*
Defeſſa quanquam brachia; ut invidiam *Deis*
Lugendo facias. ———

Nempe in ipſo planctu de Diis querebantur, eosque *vocibus pulſabant*, quod *ibid.* legas. Nec intra hæcce contumelia ſtetit. Verum & lapidabantur Deorum templa, in hujuſmodi ἀσεβείας, ac evertebantur conterebantur atque in publicum ejiciebantur eorum ſimulacra, uti ex Artemidoro *l.* 2. *c.* 34. docet Herald. *ad Arnob. l.* 4. Vide & infrà de *Statuis*, uti de more ipſorum Deorum, ſua fata, quibus obnoxii erant, *incuſandi*, apud ipſum Arnob. modò laudat. *l. cod.* alibique paſſim.

INDA, locus memoratus in diviſione regni Lotharii, inter Lud. & Car. fratres A. C. 870. facta: Monaſterio nobilis, quod S. Cornelii Monaſterium *S. Cornelis Munſter* vulgo dicitur, prope Aquiſgranum. Hoc cum plurimis aliis vaſtatum a Normannis eſt, A. C. 881. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

INDACUS, Leonis Imp. curſor velociſſimus, vide Leoncer. *l.* 3. *c.* 29.

INDAGARUS, Ep. Manichæorum, unà cum horum ſcriptis, combuſtus, juſſu Cabadis Perſarum Regis, quòd fil. ſuum Pharſuaſam ſeduxiſſent, irati: Idem Manichæos, quos in unum locum convocaverat, omnes internecione delevit. A. C. 524. Cedren. *in Hiſt.*

INDARA, Sicanorum civ. *Steph.*

INDATHURAS, Rex Scytharum, adversùs quem bellum Darius movit, non ſatis proſpero exitu memoratur Pherecydi Hiſtorico, quem ad Olymp. 61. Euſeb. reponit. Græcè Ἰνδαθύρσος · Clem. Ἰνδαθύρας, Herod. Ἰδάνθυρσος, fortè pro Ἰνδάθυρσος. Trogi Abbreviatori *Jancyrus* corruptè. Salmaſ. *ad Solin. p.* 846. Vide & in voce *Idanthyrſus*.

INDELLA, amnis Galliæ, quaſi parvus Inda, vulgò *Andelle*. Oritur in Veliocaſſium finibus, & Carolivallem *Charleval*, Floriacum *Fleury*, Radepontem *Ratepont*, ac Pontem S. Patri alluit, ac in Sequanam effluit, paulò ſuprà Pontem Arquatum. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

INDENTATÆ Chartæ, in Fleta *l.* 1. *c.* 18. §. 4. ſ. *Indentura*, apud alios, Gall. *Endenture*, Jureconſultis Anglis, idem eſt cum *Chirographo*; nempe ſyngrapha vel ſcriptura conventionalis, aliidem continenti quaſi parallelâ, & ab ea deciſa in modum *dentium*, ut pares eſſe & unà confectæ videantur, ſi fortè controverſiâ aliquâ inde emergente ſimul aptentur invicemque conferantur. Cujus modi *Indenturarum* uſum apud Anglos ejuſdem eſſe ævi, quo Chirographa, docet Ingulfus A. C. 875. Uti igitur in Chirographis, ſic in *Indenturis* obſervabatur, ut contrahentium alter ſigillum ſuum apponeret *Indenturæ*, quæ penès alterum remanebat. In *Monaſtico* Angl. *Tom. II. p.* 259. *In cujus rei teſtimonium huic* indenturæ *tam dicta Eliſabetha, quam prædicti Prior & Conventus --- alternatim ſigilla ſua appoſuêrunt.* Vide quoque Littletonem *ſ.* 371. & 372. Thom. Walſingham. A. C. 1354. Alios. Pro contrahentium verò numero, non bipartitæ modo, ſed & tripartitæ, quadripartitæ &c. interdum ejuſmodi Chartæ erant, uti idem Littleton docet *ſ.* 370. Vide iterum *Monaſticon* Angl. *Tom. I. p.* 280. ubi *Tripartitæ Indenturæ* exemplum habes, C. du Freſne *in Gloſſ.*

INDEPENDENTES, nomen Sectariorum in Anglia, qui ex Separatiſtis orti. Quid enim, poſt Eccl. illius reformationem ſub Eduardo VI. cœptam, & ſub Elizabetha conſummatam, diſſidii ortum ſit, ex reſidua cerimoniarum, veſtium & Hierarchiæ pompa, dicemus infra ubi de *Puritanis* aliquid etiam jam retro attigimus, ubi de *Browniſtis*. Notum dixiſſe Pontificium quendam haud incelebrem, *Elizabetha nos regno expulit, ſed retinuit noſtras veſtes & ornamenta*. Id animos non paucorum offendit, qui reformationem ad ſimplicitatem Apoſtolicam propius accedentem avebant. Sed prudentiores eorum, ob iſta, quæ *tolerabiles nugas* appellare Calvino viſum, ſeceſſionem neutiquam faciendam judicârunt. Alii fervidiores ulterius progreſſi ſunt: Inprimis cùm progreſſu temporis, Epiſcoporum creſceret auctoritas, & in Non-Conformiſtas ac Separatiſtas rigor, tunc ab utraque parte indies magis magisque excedi cœpit. Jacobus enim I. Mag. Brit. Rex utprimùm Elizabethæ ſucceſſit, Scotiam, ſtatim à reformatione ad formam Helveticæ Eccl. compoſitam, in Regimine ac Ordine diſciplinæ, voluit eſſe Angliæ conformem, ac Rainoldo eximio Theologo hac de re ad ſe miſſo, ut Epiſcopatum deprecaretur, reſpondit, *Domine Rainolde, no Biſchop no King.* Etiam ne Bucero Paſtore Veriano, quod Ep. Downami Concioni *de Epiſcopatu* reſpondiſſet erudito *de Gubernatione Eccl.* tractatu, pœnas poſtulari exegit, Synodo Zinzæanâ defenſo A. C. 1618. Interim, ut *Ep. Jus divinum ſibi arrogare permitteret*, nunquam adigi potuit, quod dein demum ſub ſucceſſore ejus obtinuêrunt. Sub Car. itaque poſtea I. omnia in pejus non ire, ſed ruere; maximè poſtquam ad Cantuarienſem Præſulatum emerſit Gul. Laud, *homo ambitioſus, turbulentus, crudelis, cujus præcipuum opus erat novas introducere cerimonias* (adeò non quidquam de veteribus demere) *illosque, qui eis ſe conformare nollent, quà pote, perſequi.* Tum non animo, ſed & corpore, ab Anglia averti non pauci, quibus hæ innovationes diſplicebant, & metu perſecutionis in exteras regiones, maximè in illam Americæ partem, quæ Nova Anglia dicitur, migrare. Inter quos præcipuæ autoritatis Joh. Cottonus, cœptum a Robinſono *independentiſmum*, A. C. 1635. abſolvit, eaque dogmata ſingulari facundiâ & dexteritate interpolare cœpit. De *Robinſono* vide ſuo loco, ut & in voce *Separatiſtæ*; de ipſo Cottone plura *ſuprà*; uti de ſtatu Eccl. Angl. circa hæc tempora, apud Joh. Baſtwick πράξει τῶν Ἐπισκόπων, ſive *Apologetico ad Præſules Anglicanos*. Miſſis ergo ex Nova Anglia in veterem literis, Cottonus novam Eccl. formam mirè deprædicare cœpit, & novum Doctorem amplexus Thom. Godwyn, vir egregiè doctus, admiratione Cottoni plures ſecum eò traxit. Interea in Scotia turbari cœptum. Scoti enim moleſtè ferentes à Laudo præſ. ſibi novas cerimonias ac Litûrgiam obtrudi, Regis auctoritate abuſo, ſeſe iis opponere, neque pati, ut omnia in Eccl. ac Politia conturbarentur, conſtituêrunt. Initium rei Edinburgi factum, cùm nova Liturgia primùm prælegeretur, A. C. 1637. Scoti ad preces primùm, inde ad arma, confugientes, Synodo Glaſcuenſi Epiſcopatum per Scotiam funditus ſuſtulêrunt: ſcintillisque incendii in Angliam tranſvolantibus, Parliamentum coiit A. C. 1640. in quo præcipue de Reformatione Eccl. ageretur. Mox Laudus in vincula conjectus. Epp. ex Ordinum Regni numero, & Parliamento excluſi: ac ſuperſtitiones, vanæque, & ſuperfluæ cerimoniæ vel abrogatæ vel mitigatæ ſunt. Hæc inter, libertas in licentiam abiit, & ſublatâ Epiſcoporum auctoritate,

cùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

cùm nondum de novo regimine conveniret, multæ ſectæ, hæreſes, ſchiſmata paſſim exorta ſunt. Epiſcopi contrà Regem ad arma concitare, lanienaque Hibernicâ ultra 200. m. Proteſtantium infrà trimeſtre cadere. Convocata itaque Londini Synodus ex utriuſque gentis Theologis conſtans, ſi fortè tot malis remedium reperiri poſſet. Sed & hîc Patres diviſi, quorum major numerus, omnia ad normam Eccl. Scoticæ conformari volebant, hinc *Presbyteriani* dicti, alii contrà Independentiſmum, qualis in Nova Anglia erat, etiam in veteri tolerandum cenſebant; qui numero erant VII. & *Independentes* appellati ſunt. Inter hos jam aliquot Annos contenditur *de regimine Eccl.* medio tempore quælibet ſectarum genera ut dictum, hoc quaſi interregno abutebantur, ita ut tota Angliâ illo veneno inficeretur. Abrogatoque Epiſcopali regimine in univerſum, G. Laudus ſecuri percuſſus, A. C. 1645. ac factio *Independentium*, quibus ſe fanatici complures junxerant, ſuperior in Parliamento facta. victricibus armis Angliam debellavit, Scotiam cum Hibernia ſibi ſubjecit, ac nec ipſi Sacro Regis capiti vitæque pepercit, A. C. 1648. À quo tempore, Schiſmatici omnes, Angliam infeſtantes, unà & communi nomine *Independentium* gaviſi ſunt, ſeque illis quoties contra Presbyterianos res gerebatur, sociârunt, conſiliis eorum maſculè ſeſe opponentibus Scotis, ut videre eſt ex G. Gilleſpii doctis *contra Colemannum Diſputat.* & Rhetorfortii *refutatione Eraſtianiſmi Colemanni.* Nec defuêrunt occaſioni Jeſuitæ, palàm & verbo Independentibus favere præ ſe ferentes, ut ſub iſto in vulgus grato titulo rem ſuam agerent &c. Ut verbo dicam, *Independentes* igitur *S. Novi Puritani*, illis Annis in duo hominum genera abivêre: quorum alii cetera orthodoxi ac in doctrina cum Presbyterianis conſentientes, in ſolo de Regimine articulo ab illis diſſident, *neutiquam ullas cerimonias bonâ conſcientiâ tolerari poſſe exiſtimantes*; alterum genus colluvies eſt peſſimorum Hæreticorum, Anabaptiſtarum, Familiariſtarum, Antinomorum, Socinianorum, Libertinorum & mille aliorum nominum: quæ tamen ad III. præcipuas Claſſes, *Quærentium*, ſ. *Expectantium*, *Antinomorum* & *Anabaptiſtarum*, referri ſolent. Quo factum, ut priores, ne propter commune nomen eorundem criminum infamiâ, vel ſaltem ſuſpicione, laborarent, *Independentium* nomine relicto, *Congregationales* in poſterum dici voluêrunt. Cæterorum, qui Londini, Independentiſmi metropolim conſtituêrunt, palmarium opus eſt, *Reformationem impedire, ſchiſmata & hæreſes fovere, Synodum ac ejus conſilia ſubvertere*: atque hinc propriè illis nomen, *quòd nulli Synodicæ autoritati & juriſdictioni ſubjecti eſſe velint.* Cætera eorum deliria, ac migrationem ex Nova-Anglia in Hollandiam, ubi prima Eccl. *Independens* Roterodami excitata eſt ab Hug. Petro, famoſiſſimo belli Anglicani præcone Decretum Synodi Catentonienſis Gallicæ A. C. 1644. contra *Independentes*, qui in regnum illud irrepere tum cœpêrunt. Item originem Eraſtianorum, qui, *contendentibus cum Presbyterianis Independentibus* tertii emersêrunt, pluraque alia hanc in rem, vide apud Georg. Hornium *Hiſt. Eccl. N. Teſt. Periodo III. artic.* 3. §. 11. *uſque ad* 62. & hîc *paſſim.*

INDEPENDENTISMUS, Secta Independentium, Leydeckero Democratia eſt, deſinens in *ἀναρχίαν*, perimens Jura regiminis Eccl. Presbyterii, Claſſium ac Synodorum. Origo illi ab Anabaptiſtis: Sedes Vet. ac Nova-Anglia. In Galliis quidem J. Morellius populare regimen in Eccl. rejectâ Synodo, commendare cæpit, at Synodo Rupellenſi, quam Beza moderabatur, confutatus, ſectatores non habuit. Apud Batavos, Hugo Grot. Claſſium Synodorumque auctoritate negatâ *Independentiſmo*, aut Politicæ religioni favere videbatur, ſed eruditè eſt refutatus à non paucis. Vide præf. Leydecker. *Notis & Obſervat. ad Horn. Hiſt. Eccl. Period. III. Art.* 3. §. 14. ac *ſeqq.* Honor. Reggium *de Statu Eccl. in Britannia*, & *Hiſt. Britann.* &c.

INDEPENDENTES, vide *Anicium.*

INDEX, ſ. digitorum ſecundus, annulo quoque olim erat inſignis. Plin. ubi de digitis, quibus annuli inſerebantur, *l.* 33. *c.* 1. *Singulis*, inquit, *primò digitis geri mos fuerat, qui ſunt minimis proximi: Sic in Numæ & Servii Tullii ſtatuis videmus. Poſtea pollici proximo induêre, etiam Deorum ſimulacris: dein juvit & minimo dare. Galliæ Britanniæque in medio dicuntur uſæ. Hic nunc ſolus excipitur: cæteri omnes onerantur.* Ubi videmus, inter digitos, qui annulo inſigniebantur, primum fuiſſe eum, qui minimo proximus eſt, dictus ob id Δακτυλιώτης vel *Annularis.* Rationem reddit Macrob. Sat. *l.* 7. *c.* 13. *Quia is aptior cæteris. Nam pollex nec in ſiniſtra ceſſat, nec minùs quàm tota manus ſemper in officio eſt --- Pollici verò vicinus nudus & ſine tuitione alterius appoſiti videbatur: Nam pollex ita inferior eſt, ut vix radicem ejus excedat. Medium & minimum vitavêrunt, ut ineptos, alterum magnitudine, brevitate alterum* &c. At idem honoris *Indici* poſteà tributum teſtatur præfat. Plin. annulum autem, quo is ornabatur, Græcis Κορίανον dictum eſſe peculiari nomine, Jul. Pollux teſtatur *l.* 5. *c.* 16. Κορίανον ἐκάλουν τῷ λιχανῷ περιτηθέμενον. Sed de hoc digito pauciora extant apud Autores probatos veſtigia. Vide Joh. Kirchmann. *de Ann. c.* 4. Ab *indicando* nomen habet, unde & *Indices* dicti, qui ad Principes Magiſtratuſque clam patrata deferrent, vide aliquid de *indice Bacchanalium* ſuprà in voce *Cuſtodiæ* & de præmiis hujuſmodi *Indicum*, Liv. *l.* 2. *c.* 5. *l.* 4. *c.* 45. *l.* 22. *c.* 32. *l.* 26. *c.* 27. & *l.* 27. *c* 3. &c. Adhibebant autem *indicem* digitum Vett. quoties manu aliquid affirmare volebant; & quidem ſolum eum inclinabant, allevatâ ac ſpectante humerum manu; ut ait eleganter Quintilian. in exprimendo numero CCCC. cum eodem pollicem erigebant, ſic aptatos invicem, ut indicis lateri ſuperinducerentur interiora pollicis, quod ex Beda novimus Iſ. Caſaub. *ad Jul. Cæſ. Suet. c.* 34. Apud Smaragdum *Regulæ Bened. Comm. in c.* 4. *Cùm* index *in Oratorio percuſſus fuerit, mox omnes audientes, antequam currant faciant ſibi crucem in fronte, reſpondentes Deo gratias & tunc laborantes opus projiciant, artifices ferramenta dimittant, ſcriptores literam non integrent, omnis fratrum manus deſerat, quod agebat*: vox tabellam notat, quâ, loco campanulæ, ad danda exercitiorum ſigna utebantur, uti habet Dom. Macer in *Hierol.* De *Indicibus libro*rum, apud Vet.. Vide præclara apud Salmaſ. *Proleg. ad Solin.* & Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce Πίναξ, nec non infrà aliquid, in voce *Liber*, *Pittacium*, & *Verſus.*

INDI ſ. INDIN, caſtellum fratrum Teutonicorum, versùs Vulturnum à Ptolemaide quatuor, contra Africum autem à Caſtro regio tribus miliaribus in montanis. Saron ſitum. Broc. *itin.* 3. In tribu Aſer.

INDIA, regio Aſiæ ampliſſima, inter Indum fluv. Plin. *l.* 5. *c.* 28. & *l.* 6. *c.* 20. Strabo *l.* 1. *p.* 64. *l.* 2. *p.* 87. *l.* 15. *p.* 680. 690. & 697. Herod. *l.* 4. *c.* 44. ad Occ. à quo nomen habet, & Serum ad Ort. à Sinis ſeparantem, in longum extenſa Oceano Indico ad Mer. & Emmodis, aliiſque mont. ad Bor. à Scythia ſecernentibus, terminata; à Gange fluv. in duas diviſa citer. & ulter. Citerior *intra Gangem* à Ptol. nominatur. *Indoſtan* incolis, cujus pars auſtralis *Malabar* dicitur. Ulterior *extra Gangem*, non unico hodiè nomine dicta. Indiæ ora 60. diebus ac noctibus, teſte Melâ navigatur, Ferr. Baudr. India, *l'Inde* Gallis, *India* Hiſpanis & Italis regio eſt Aſiæ ampliſſima, quæ etiam perſæpe dicitur Indiæ Orientales, *les Indes Orientales* Gallis, *Ooſt-Indien* Belgis, & *las Indias orientales* Hiſpanis, ad differentiam Americæ, quæ à multis, licèt impropriè, dicitur India occidentalis. India hæc orientalis, quæ vera eſt & propria, dicitur ab incolis *Indoſtan*; habetque ad Ort. regnum Sinarum, ad Sept. Tartariam, ad Occaſ. Perſiam, & ad Mer. Oceanum Indicum. Hiſtoria ejus, circa antiquiora tempora, ob exiguum Indorum cum Europæis commercium, multis involuta fabulis eſt. Bacchum enim ſ. Liberum, in Indiæ celeberrima urbe Nyſa de Indis primùm triumphâſſe regnaque ejus ſubjugâſſe ferunt. Poſtea tempora certum eſt, partem Indiæ à Perſis occupatam eſse, donec his devictis eò quoque Alex. Mag. victricia arma intulit, Porumque potentiſſimum Indorum Regem ſuperavit: quamvis non deſint, qui Semiramidem jam, Nini conjugem, res ibi egregias geſſiſſe tradant Scriptores, Sequentibus temporibus, ſub propriis Principibus diu tranquillè vixêrunt, pacem cum exteris colentes & Majeſtatem Imperii Rom. comiter venerati, Antoninum Pium Imp. per Legatos ſalutâſſe, circa A. C. 142. leguntur. Donec Luſitani, Sec. 15. ductu Vaſquii de Gama ibi ſedem figere, magno Hiſpaniæ Regis bono, cœpêre: quos ſecutæ poſtea aliæ Europæorum gentes, Belgæ inprimis, non exiguam ejus regionis partem occupârunt, ſub finem Sec. Præt. Dividitur nunc in tres partes præcipuas, nempe *in Indiam versùs Sept.* ſ. Imperium Mag. Mogolis inter Gangem & Indum, in *Peninſ. Indiæ intra Gangem* ſ. ad Occaſ. & in *Indiam extra Gangem* ſ. ad Or. In parte Sept. ſ. Imperio Mag. Mogolis ſunt 37. regna aut provinciæ amplæ. In Peninſ. Indiæ intra Gangem ſunt quatuor partes præcipuæ, nempe regna Decani, Golcondæ, & Narſingæ ſ. Biſnagariæ, cum Malabaria: ſub quibus plurima alia regna minoris famæ. In India extra Gangem ſunt tres partes præcipuæ, nempe regna Peguanum ad Bor. Siamum ad Mer. & Cocinſinæ ad Ort. ſub quibus etiam quamplurima regna comprehenduntur. Indiæ pars ſeptentrionalis, quæ propriè *India*, vulgò *l'Indoſtan*, ſ. Imperium Mag. Mogolis, *l'Eſtat du grand Mogol*, tota ſubeſt Mogolis Imperio à centum quinquaginta Annis tantùm. Alii *Mogorem* vocant: qui divitiis, unionum inprimis, gemmarumque, à quibus etiam titulos ſumit, copiâ, florentiſſimus, cætera Mahometanus, è Tamerlanis fam. originem ducit: à quo decimus ordine fuit, qui ante paucos Annos Obiit Gelal Edim Muhammed, cujus filii quatuor mutuis cædibus in ſe ſævientes miras dedêre turbas, donec tertio genitus Aorangzerus, tribus reliquis ſublatis, thronum tenuit. Ex anteceſſoribus Accabas Rex ſeptimus, à Tamerlane armis pariter ac ingenii perſpicacitate toto Oriente celeberrimus fuit, vide de Majeſtate Mag. Mogolis, Kircher. *Deſcr. chin. l.* 2. *c.* 5. P. de la Valle *Itin. tom.* 4. &c. De turbis ultimis Mandelslovium *l.* 1. *c.* 28. & *ſeqq.* Henr. Rothium *Diar. Europ. Contin.* &c. Terminatur hæc Indiæ pars à Sept. Tartariâ magnâ & regno Thibeto, ab Occaſu regno Perſiæ, ab Ort. fluv. Coſmino, quo à reliqua India extra Gangem dividitur, à Mer. ſinu Gangetico & Peninſulâ Indiæ intra Gangem. Sed aliquot regna trans Gangem fluv. & verſùs Chiamæum lacum ac conf. Sinarum Regês habent proprius. Mogolis regia eſt Agra, *Agra*; & ei ſubſunt 37. regna. Plin. *l.* 6. *c.* 17.

Indiæ propriæ ſ. Imperii Mag. Mogolis Regna:

Agra, *Agra.*	Haiacanum. *Hatacan.*
Attochium, *Attock.*	Iamba, *Iamba.*
Bacarum, *Bakar.*	Ienupara, *Ienupar.*
Bachiſcum, *Bakiſch.*	Ieſſelmera, *Ieſſelmere.*
Bandum, *Bando.*	Ieſualum, *Ieſual.*
Bengala, *Bengala.*	Malvæum, *Malvay.*
Berarum, *Berar.*	Mevatum, *Mevat.*
Bucara, *Buchar.*	Multanum, *Multan.*
Cabulum, *Cabul.*	Narvæa. *Narva.*
Cacharum, *Kakares.*	Naugracutium, *Naugracut.*
Candaharia, *Candahar.*	Patna, *Patna.*
Candiſium, *Candis.*	Pengabum, *Pengab.*
Canduana, *Kanduana.*	Pitanum, *Pitan.*
Caſſimera, *Caſſimere.*	Sambalium, *Sambal.*
Chitorium, *Chitor.*	Siba, *Siba.*
Dellum, *Delli.*	Soretum, *Soret.*
Gorum, *Gor.*	Tatta, *Tatta.*
Guzarata, *Guzarate.*	Vdeſſa, *Vdeſſa.*

Urbes præcipuæ Indiæ propriæ ſ. Imperii Mag. Mogolis:

Agra. *Agra.*	Bandum, *Bando.*
Amedebatum, *Amedebat.*	Barocum, *Baroche.*
Aſmera, *Aſmeere.*	Bengala, *Bengalæ.*
Attochium, *Attock.*	Breampora, *Breampore.*

Cabu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Cabulum, *Cabul*
Cambaia, *Cambaia.*
Candaharia, *Candahar.*
Chatiganum, *Chatigan.*
Damanum, *Daman.*
Dellum, *Delli.*
Gualeorum, *Gualeor.*
Gurum, *Gouro.*
Holobaſſia, *Holobaſſe.*
Ienupara, *Ienupar.*
Lahorium, *Lahor.*
Multanum, *Multan.*
Surata, *Surate.*
Tatta, *Tatta.*

Peninſ. *Indiæ intra Gangem*, vulgò *la preſqu'isle de l'Inde deça le Gange*, terminatur à Sept. Indiâ propriâ ſ. Imperio Magni Mogolis, ab ortu ſinu Gangetico, ab Occaſu autem & à Mer. mari Indico. In ea ſunt quamplurima regna.

Regna Peninſ. Indiæ intra Gangem.

Auriola, *Auriole*, in Malabaria.
Badara, *Badara*, in Malabaria.
Balagatta, *Balagate*, in Decano.
Baticala: *Baticala*, in Malabaria.
Batimena, *Batimena.*
Bipurium, *Bipur*, in Malabaria.
Biſnagaria *Biſnagar.*
Calecoulanum, *Calecoulan*, in Malabaria.
Calecutum, *Calicut*, in Malabaria.
Cananorium, *Cananor*, in Malabaria.
Changanata, *Changanar*, in Malabaria.
Chombæum, *Chombais*, in Malabaria.
Choromandelum, *Choromandel*, in Biſnagaria.
Cochinum, *Cochin*, in Malabaria.
Cota, *Cota*, in Malabaria.
Coulanum, *Coulan*, in Malabaria.
Cranganora, *Cranganor*, in Malabaria.
Cunchanum, *Cunchan*, in Decano.
Cucuranum, *Cucuran*, in Malabaria.
Curiga, *Curiga*, in Malabaria.
Decanum. *Decan.*
Golconda, *Golconde.*
Gorzopa, *Gorzopa*, in Canara.
Mangatum, *Mangate*, in Malabaria.
Marta, *Marte*, in Malabaria.
Mouticum, *Moutique*, in Malabaria.
Mutertum, *Muterte*, in Malabaria.
Narſinga, *Narſinga*, in Biſnagaria.
Onorium, *Onor*, in Canara.
Orixa, *Orixa*, in Golconda.
Panhapelum, *Panhapel*, in Malabaria.
Paurum, *Panur*, in Malabaria.
Porcanum, *Porca*, in Malabaria.
Punhalum, *Punhali*, in Malabaria.
Tamulum, *Tamul*, in Biſnagaria.
Tanorum, *Tanor*, in Malabaria.
Tienlicum, *Tienlique*, in Biſnagaria.
Travancorium, *Travancor*, in Malabaria.
Trivilaria, *Trivilar*, in Malabaria.
Tutucorinum, *Tutucorin*, in ora Piſcariae.

Sunt etiam regna ſ. principatus ampli Gingis, *de Gingi*, Maduræ *de Maduræ*, & Tanjorii, *de Tanjaor*, aliàs ſub regno Biſnagariae. Ex his notandum eſt, regna Malabariae pro majori parte eſſe parvi admodum circuitûs, ita ut vix principatus Europae exæquent: & regna Badarae, Bipurii, Chombaei, Cucurani, Curigae, Mangati, Moutici, Panuri, & Tanori ſunt ſub clientela Regis Calecuti.

Urbes Peninſ. Indiae intra Gangem.

Andanagara, *Andanagar*, in regno Decani.
Angamala, *Angamale*, in Malabaria.
Barcelora, *Barcelor*, in Canara.
Calecutum, *Calecut*, in Malabaria.
Cananorium, *Cananor*, in Malabaria.
Candegrium, *Chandegry*, in Biſnagaria.
Caulum, *Chaul*, in regno Decani.
Cochinum, *Cochin*, in Malabaria.
Condapolis, *Condapoli*, in Golcondæ regno.
Coulanum, *Coulan*, in Malabaria.
Cranganora, *Cranganor*, in Malabaria.
Dabulum, *Dabul*, in regno Decani.
Doltabadum, *Doltabad*, in regno Decani.
Gingis, *Gingi*, in Biſnagaria.
Goa, *Goa*, in regno Decani.
Golconda, *Golconda*, in regno cogn.
Madura, *Madure*, in Biſnagaria.
Maliapura, *Maliapur*, in Biſnagaria.
Mangalora, *Mangalor*, in Canara.
Maſulepatanum, *Maſulepatan*, in regno Golcondæ.
Narſinga, *Narſinga*, in Biſnagaria.
Negapatanum, *Negapatan*, in Coromandelia.
Viſapora, *Viſapor*, in regno Decani.

Peninſ. *Indiae extra Gangem*, ſubeſt plurimis Regibus, uti major pars Indiae extra Gangem. Sed regna in ejus parte Bor. contenta, intra Sinas nempe ad Or. & ditionem Magni Mogolis ad Occaſ. vix nomine nota ſunt Europaeis. Peninſ. autem ipſa terminatur ab Or. ſinu Siami, ab Occaſu ſinu Gangetico, à Sept Indiâ extra Gangem, & à Mer. freto Sundae, quo dirimitur à Sumatra inſ. aliaſque Aurea Cherſoneſus dicta fuit. Regna autem tam peninſ. quàm illius partis Indiæ extrà Gangem, quæ non pendet à Magno Mogole, communiter reducuntur ad tres partes, quòd aliàs pro majori parte ab ipſis penderent.

Regna Indiæ extra Gangem:

Abdiara, *Abdiara*, ſub regno Peguano.
Arracanum, *Arracan*, ſub regno Peguano.
Ava, *Ava*, ſub regno Peguano.
Bacaium, *Bacay*, ſub regno Peguano.
Brama, *Brama*, ſub regno Peguano.
Cablan, *Cablan*, ſub regno Peguano.
Camboia, *Camboia*, ſub regno Siami.
Canaranum, *Canarane*, ſub regno Peguano.
Caorium, *Caor*, ſub regno Peguano.
Caſſubum, *Caſſubi*, ſub regno Peguano.
Cacomaeum, *Chacomas*, ſub regno Peguano.
Ciampaa, *Chiampaa*, ſub Cocinſina.
Cocinſina, ſ. Annamiticum regnum, *la Cochinchine.*
Comotaeum, *Comotay*, ſub regno Peguano.
Jangoma, *Jangoma*, ſub regno Peguano.
Ihorium, *Ihor*, ſub regno Siami.
Iuncalanum, *Iuncalaon*, ſub regno Siami.
Lanianum, *Laniang*, ſub regno Siami.
Largaraeum, *Largaray*, ſub regno Peguano.
Ligorium, *Ligor*, ſub regno Siami.
Malacca, *Malacca*, ſub regno Siami.
Mandranella, *Mandranelle*, ſub regno Peguano.
Manarium, *Manar*, ſub regno Peguano.
Marſinum, *Marſin*, ſub regno Peguano.
Martavanum, *Martavan*, ſub regno Siami.
Moantaeum, *Moantay*, ſub regno Peguano.
Pahanum, *Pahang*, ſub regno Siami.
Panum, *Pan*, ſub regno Siami.
Patanum, *Patane*, ſub regno Siami.
Peguanum, *Pegis*, in regione cogn.
Pera, *Pera*, ſub regno Siami.
Pronum, *Pron*, ſub regno Peguano.
Queda, *Queda*, ſub regno Siami.
Siamum, *Siam*, in regione cogn.
Singora, *Singora*, ſub regno Siami.
Tanaſſerium, *Tanaſſerim*, ſub regno Siami.
Tanguum, *Tangu*, ſub regno Peguano.
Tavaeum, *Tavay*, ſub regno Peguano.
Tazataeum, *Tazatay*, ſub regno Peguano.
Tincum, *Tinco*, ſub regno Peguano.
Tipoura, *Tipoura*, ſub regno Peguano.
Totaeum, *Totay*, ſub regno Peguano.
Tranſiana, *Tranſiane*, ſub regno Peguano.
Tunchinnm, *Tunchin*, ſub Cocinſina.
Vilepum, *Vilep*, ſub regno Peguano.

Indiæ extra Gangem urbes præcipuae,

Arracamum, *Arracam*, in regno cogn.
Canarana, *Canarane*, in regno cogn.
Carpa, *Carpa*, in regno Bramæ.
Iuncalanum, *Iuncalaon*, in regno cogn.
Ihorium, *Ihor*, in regno cogn.
Judia, *Judia*, ſ. Odia, in regno Siami.
Keccium, *Keccio*, in regno Tunchini.
Leuvecum, *Leuveck*, in regno Camboiae.
Ligorium, *Ligor*, in regno cogn.
Malacca, *Malacca*, in regno cogn.
Martavanum, *Martavan*, in regno cogn.
Patana, *Patane*, in regno cogn.
Peguum, *Pegu*, in regno cogn.
Queda, *Queda*, in regno cogn.
Tanaſerium, *Tanaſſerim*, in regno cogn,

Sunt & in Aſia quamplurimae inſulae nempe Borneum, Celebes ſ. Macaſſaria, Ceylanum ſ. Taprobana, Gilolum, Java, Maldivae, Moluccae, Sumatra, & aliae: quae omnes ſunt in Oceano Indico. Sed de his fuſiùs ſuis in locis.

Inſularum Indiae regna præcipua.

Acemum, *Achem*, in Sumatra inſ,
Balambuanum, *Balambuan*, in Java inſ.
Baticala, *Baticala*, in Taprobana inſ.
Bendarmaſſia, *Bendarmaſſen*, in inſ. Bornei.
Borneum, *Borneo*, in inſ. cogn.
Campera, *Camper*, in Sumatra inſ.
Candea, *Candy*, in Taprobana inſ.
Cauripana, *Cauripana*, in Celebis inſ.
Cettavaca, *Ceitavaca*, in Taprobana inſ.
Chilaum, *Chilao*, in Taprobana inſ.
Cionium, *Cion*, in Celebis inſ.
Columbum, *Columbo*, in Taprobana inſ.
Getiganum, *Getigan*, in Celebis inſ.
Gilolum, *Gilolo*, in Gilolo inſ.
Iafanapatanum, *Iafanapatan*, in Taprobana inſ.
Iala, *Iala*, in Taprobana inſ.
Iambium, *Iamby*, in Sumatra inſ.
Iapara, *Iapara*, in Iava inſ
Iortanum, *Iortan*, in Iava inſ.
Loloda, *Loloda*, in Gilolo inſ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Macaſſaria, *Macaſſar*, in Celebis inſ.
Maldivarum, *des Maldives*, in inſulis Maldivis.
Materanum, *Materan*, in Iava inſ.
Palimbanum, *Palimban*, in Sumatra inſ.
Panarucanum, *Panarucan*, in Java inſ.
Paſſarvanum, *Paſſarvan*, in Java inſ.
Pedirium, *Pedir*, in Sumatra inſ.
Sanguinum, *Sanguin*, in Celebis inſ.
Solorium, *Solor*, in Moluccis inſulis
Supara, *Supara*, in Celebis inſ.
Ternatum, *Ternate*, in Moluccis inſulis
Tidorium, *Tidor*, in Moluccis inſulis
Trinquilemala, *Trinquilemale*, in Taprobana inſ.
Tubanum, *Tuban*, in Java inſ.

Hîc non omittendum, veteres Geographos 9000. populorum genera & 5000. urbium memoratu dignarum in India numerâſſe, quarum celebritate reliquos ſuperavit, urbs Nyſa, ubi Bacchum genitum vett. ferunt. Indiæ ora, quæ tota fermè Zonæ torridæ ſubeſt, Strabo *l. 2. p. 95.* pluviis ventiſque non parum recreatur. Duæ ibi anni tempeſtates, Æſtas & Hyems, quarum hæc quatuor durat menſes, Junii, Julii, Auguſti & Septembris nominibus inſignes, quo tempore continua pluvia ardorem Solis mitigat hominibus frugibuſque grata. Illa reliquum anni tempus ſibi vindicat, unde ingens terræ fertilitas, quamvis oryzæ potius miliique, quàm farris proventu, luxurians. Palma ibi arbor eſt frequens & quæ citreis aurantiiſque pomis turget: Sacchari quoque vis, & unionum, gemmarumque ingens copia. Præterea tanta auri & argenti abundantia, ut ſabulum etiam Indiæ, ſilices & agrorum, glebas aureas argenteaſque finxerit antiquitas. Hinc divitiis olim abundavit hodieque abundat, Porro Pſittacos mittit: Serpentes prodigioſæ magnitudinis habet. Strabo *l. 2. p. 68, 69,* & 70. Ὄφεις τε καὶ βοῦς καὶ ἐλάφους σὺν κέρασι καταπίνονται. Plin. *l. 8. c.* 14. Megaſthenes ſcribit, in India ſerpentes in tantam magnitudinem adoleſcere, ut ſolidos hauriant cervos tauroſque. Inde Horat. *Carm. l. 3. Ode 14. v. 2.*

Theſauris Arabum & divitis Indiæ

Virg. *Georg. l. 1. v. 57.* & *l. 2. v. 116.*

——— Sola India *nigrum*
Fert ebenum

Theophr. *l. 4. Hiſt. c.* ubi de India, ἴδιον δὲ καὶ ἡ ἐβένη τῆς χώρας ταύτης. Strabo, *l. 15.* in narratione rerum Indicarum loquens de Paſyis, φύεσθαι δὲ καὶ ἔβενον. Vide Plin. *l. 12. c. 4.* & Solin. *c. 65.* Sed an ſolius Indiæ hæc ſit merx, dubium eſt. Nam Herod. *l. 3.* αὕτη δὲ χρυσόν τε φέρει πολλὸν, καὶ δένδρεα πάντα ἄγρια καὶ ἔβενον, de Æthiopia loquitur. Plin. *l. 6. c. 30.* *Sita eſt Æthiopia ab oriente hyberno ad occidentem hybernum. Meridiano cardine ſylvæ ebeno maxime virent.* Lucan. *Civ. Bell. l. 10. v. XI.* de regia Ægyptiorum,

——— *Ebenus Marcotica vaſtos*
Non operit poſtes, ſed ſtat pro robore vili.

Serv. ut poëtam ſuum defendat, ita ait: *Atqui & in Ægypto naſcitur, ſed Indiam, omnem plagam Æthiopiæ accipimus.* Sed qui poteſt ita defendere? Nam Dioſcorides *l. 1. c. 3.* apertè diſcriminat, & principatum dat Æthiopicæ ebeno: Ἔβενος κρατίστη ἡ Αἰθιοπικὴ καὶ μέλαινα. &c. ἔστι δέ τις καὶ Ἰνδική. Verùm in magnis Scriptoribus diſſidia talia occurrere nihil mirandum. Tam opulentæ regionis incolæ, nunquam inde egreſſi ſunt, ut aliò colonias deducerent, unde non mirùm; tot hominum diverſa genera à vett. ibi fuiſſe annotata: Inter quos Brachmanes vel Gymnoſophiſtæ eminuêrunt olim hodieque, ſub nomine *Braminum*, & *Gioghorum*, qui Philoſophi Theologique gentis ſunt: nec minor Gangaridarum fama, quorum Regem aggredi Alex. Mag. nunquam auſus eſt. Vide laudes Indiæ pulcherrimè deſcribentem Dionyſ. *perieg. v. 1027.*

Πρὸς δ' αὐγὰς Ἰνδῶν ἐρατεινὴ πέπταται αἶα, &c.

Nic. Lloyd. Cui adde præter Vett. Berlingerum, Cluv. Marium Nigrum, Munſter. Merc. Ortel. Merul. Magin. Bert. Sanſ. Du Val. Maffæum *Hiſt. Indic.* Joh. de Barros, Vincent. Blanc. Jarric. Linſchot. la Boulaye le Goux, Texeiram, Barboſam, Boterum, Pyrardum, Xaver. *in Ep.* Trigaltium; Theod. de Bry *Ind. Orient.* Ferdin. Lopezium de Caſtanella, *Hiſt. Ind. Orient.* &c. nec non quæ dicemus in voce *Mogor* &c. Pop. *Indi*, ob nigrorem quondam noti. Ovid. *l. 1. de Arte Am. v. 53.*

Andromeden Perſeus nigris *portavit ab* Indis.

Sen. *in* Oedip. *Act.* 1. *v.* 122.

Phœbus hic flammâ propiore nudos
Inficit Indos.

Inde *colorati* forſan. Virg. *Georg. l. 4. v. 293.* Ovid. *Met. l. 4. v. 21.*

Decolor extremo quà cingitur India *Gange.*

Dionyſ. de Indis, ὑπὸ χρόα κυανέουσι. Præterea robuſti ſunt, & egregiâ corporis ſpecie, ſed ignavi ac in luxum effuſi. Sacrificant in ſublimibus editiſve locis: humi, tapetibus ſtratis, cibum capiunt: bovinis cornibus in pocula uſi: herbam *Betel* perpetuò maſticant. Vini loco ſuccum, quem Palma arbor, vel oriza expreſſa præbet, hauriunt: Ligneos olim habuêre calceos, unde Philoſtrat. vitam Apollonii deſcribens *l. 2. c. 9.* inter cætera, quæ de moribus Indorum diſſerit, eos *ex arborum corticibus ſibi calceos conficere ſolitos eſſe*, teſtatur: à quibus poſteà, ut credere par eſt, horum uſus ad alias gentes manavit: Apud eoſdem fuiſſe Ædiles, qui fructus maturos ſigno dato vendi curarent, auctor eſt Strabo *l. 15.* quemadmodum hodieque Antverpiæ moris eſt, ut venditiones tintinnabuli ſigno plateatim indicentur. Annis porrò utuntur Lunaribus, & aliquam Medicinæ, Aſtrologiæ ac Mathematicæ habent peritiam, cætera planè rudes. Qui inter illos Ethnici ſunt, defunctorum cadavera comburunt, gloriæque ducit uxorum fidiſſima, mariti rogum vivam ſubire: quam ſuperſtitionem pleniſſimè expoſuit P. de la Valle *Itin. tom. 4.* Reliqui Mahometani ſunt: tamen ibi & Chriſtiani quidem, à Luſitanis, Anglis, Belgis luce huc illatâ. Imò & Judæi nonnulli ibidem degunt. Sed & jam olim in regnis Narſinga, Cranganora & vicinis provinciis Euangelium à S. Thoma Apoſtolo annuntiatum eſſe, conſtans eſt traditio: Unde *Chriſtiani Divi Thomæ.* Proin ejus res geſtas, apud Malabares, vernaculis cantionibus inſtillari infantibus legimus. Corpus etiam ejus, in veteris Templi ruderibus, in urbe Maliapura, repertum, indeque Goam tranſlatum eſſe, credi vult Maffæus. Certè magnifica ædes, à Vice-Rege juſſu Emanuelis Regis ejus honori erecta ibi cernitur. Ab hoc ergo qui iis in locis nomen habent Chriſtianis, à Patriarcha Orientis Neſtoriano Ep. obtigêre, antequam Europæi illuc penetrarent, unde auro illorum multum ſcoriæ immixtum. Etiam ſub fin. Sec. 2. Pantænum à Demetrio Ep. Alexandriæ ad prædicandum Indis Euangelium, miſſum eſſe legimus quem Euangelium S. Matthæi illuc à Bartholomæo olim illatum ibi reperiſſe dicunt. Sub Conſtantino Mag. quoque Ædeſius & Frumentius religionem Chriſtianam ibidem propagârunt, &c. Vide Auctores laudatos, quibus adde Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, inprimis, *p. 189.* ubi *de duplici ratione cæſariem, quæ naturâ nigra, inficiendi*, & *p. 1092.* ubi *de invento illorum, gemmas cryſtallo ſeu vitro tingendo adulterandi.* At *India*, in Judaicis velis picta, apud Claud. *in Eutrop. l. 1. Carm.* 18. *v.* 350. & ſeqq. ubi invectus in eum, Conſulem in Oriente factum, ideò maximè quòd abjectiſſimus fuiſſet ſervorum & caſtratus Rem incredibilem ait viſam.

Atque aliquis gravior morum, ſi talibus, inquit,
Creditur, & nimiis turgent mendacia monſtris:
Jam teſtudo volat, profert jam cornua vultur:
Pronæ petunt retro fluvii juga: Gadibus ortum
Carmani texêre diem: jam frugibus aptum
Æquor, & advectum ſilvis delphina videbo:
Jam cochleis homines junctos, & quidquid inane.
Nutrit Judaicis quæ pingitur India *velis.*

Congeries eſt qualiſcunque ſive textoris ſive pictoris artificioſa, animalium figuris perquàm ſtupendis nec omninò creditis, eiſque, tum ex *India* petitis ac receptis, tum famam inde ea de re portentoſam, pro vario Artificum arbitrio, interdum ſuperantibus, conſtans. Veluti Monoſcelorum ſeu hominum qui naſcuntur ſingulis cruribus & Sciapodum, ſeu qui plantarum ſuarum magnitudine inumbrantur, qui item cervicibus carentes in humeris habent oculos, Sylveſtrium & Hirtorum, Serpentium cervos & animantia ad parem molem, alia item tota haurientium, Leucrocotarum, Ealarum, Mantichorarum, aliorum id genus, quæ Plin. Solin. alii, ſive Indiæ tribuebant, ſive ſomniabant in acceſſionem. Adeò ut mirantis apud Claud. ſenſus ſit; ſi monſtrum hoc credendum, ne quidem dubitabo, quin hiſce oculis poſthac revera videro etiam, quidquid falſum atque, ut ſomnium inane, hactenus creditum, nutrire ſolet ſeu exhibere India illa, ſeu portentoſum illud animalium Indicorum vivarium, grex, armentum, in velis illis ſeu tapetibus belluatis pingi ſolitum. *Judaica* autem hæc vela Claud. Ibid. ut ſuprà *v.* 357. vocat, quia Judæi tum in Oriente, utcunque diſperſi, Urbeque Majorum & Templo carentes, vitæ tamen ſplendore, ædiumque ac ſuppellectilis, veluti aulæorum, velorum, id genus aliorum copiâ, ac luxu etiam, multùm adhuc florebant: & licèt ſua etiam Chriſtianis ſua Paganis, vela picta eſſent, Judæorum tamen belluata potiſſimùm erant &c. Vide quæ hanc in rem plura congeſſit eruditus Selden. *de Jure Nat. & Gent. juxta Diſcipl. Hebræor. l. 2. c. 9.*

INDIÆ Occidentales, *les Indes Occidentales* Gallis, *Weſt-Indien* Belgis, pars orbis recèns detecta, quæ aliter, & meliùs, dicitur *America.* Vide ibi.

INDICA Gallina, hodie dicitur, non quòd ex *India* primùm id genus invectum, ſed quia, quidquid ad nos tranſmarinum adfertur, *Indicum* vulgus appellare ſolet. In Bœotia enim & Græcia paſſim naſcuntur, eædem cum iis, quæ *meleagrides* Vett. appellatæ ſunt. Namque & illis inſigne corporeum, veluti clavus rotundus è capite exit, quod maribus ultra roſtrum propendet, cùm in Venerem incitantur & feminas ambiunt. Et ſimiliter ova pariunt rubris punctis notata: ipſæque ut plurimum habent plumas nigro alboque variatas, ſic ut rotundis maculis albis rhombi nigri diſtincti ſint. Adde quòd, uti illæ, nec viroſum illum ſaporem habent, quem in Africanis ſ. Numidicis priſci notârunt, nec paludicolæ ſunt. Salmaſ. *ad Solin. p.* 871. & 872. Bochart. tamen adhuc in ambiguo ponit, an longâ illâ meleagridum deſcriptione, quam ex Clyto Athen. exhibet *l.* 14. gallina Africana (hodie *Gallina Barbariæ*) aut gallo pavo (noſtratibus *Gallus Indicus*) aut avis tertium genus ab utroque diſſimile intelligatur. Quippe cùm præter id, quòd alendæ meleagridi deſtinat τόπον ἑλώδη, *locum paluſtrem* (quæ verba, quomodo Salmaſ. explicet, vide *d. l.*) eam dicat eſſe ἄστοργον πρὸς τὰ ἔκγονα ὄρνεον καὶ ὀλιγωρεῖν τῶν νεωτέρων, ὥστε ἀνάγκη τοῖς ἱερεῦσιν ἐπιμελεῖσθαι αὐτῶν, *avem ſine ullo in prolem affectu, quæque pullos ſuos ita negligat, ut Sacerdotes neceſſe ſit illorum curam gerere*: quod nec Numidicis, nec *Indicis* noſtris gallinis convenit. Vide eum *Hieroz. Parte poſt. l. 1. c. 19.* ut & ſuprà ubi de *Africanis Gallinis*, ac infra in voce *meleagrides*. De *Indicis* verò *arboribus laniferis ſ. linigeris*; *harundinibus* item, *mercibuſque* ab Ἰνδοδρόμοις olim Mercatoribus Rom. orbi illatis, aliiſque, vide Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 216. 296. 1115. & 1300. &c. nec non hîc infrà alibique paſſim.

INDI-

INDICA Rom. navigatio, indigitatur Vopiſco *in Firmo*, *Idem & cum Blemyis ſocietatem maximam tenuit & cum Saracenis: naves quoque ad* Indos *negotiatorias ſæpe miſit*. Sic libro ſup. in *Vita Probi* inter præcipua Pacis bona numerat idem Auctor. quòd multi navigarent: *Indicam* hanc navigationem ſine dubio intelligens, cujus eâ ætate videntur Romani fuiſſe ſtudioſiores. Fiebat autem omnis illa in Oceano Mer. quam *Atlantici partem* Vett. & *Indicum* & *Erythræum* ſive *Rubrum Mare*, appellârunt. *Indorum* enim nomen ita hîc accipitur, ut cum ſcribunt Hiſtorici, Trajanum in Sinu Rubro claſſem inſtituiſſe, ut per eam Indiæ fines vaſtaret. i. e. oras regionum, infra & ſupra Arabicum Sinum ſitarum; quam Indiam ait ab Ægypto contingi, Joſeph. *de Bell. Jud. l.* 2. Atque ita ſæpe apud Geographos Græcos, Latinos, Arabes. Negotiatoriæ itaque naves iſtæ Firmi & aliorum Ægyptiorum, è Myoshormo, Ægypti vetuſtiſſimo emporio, ſolventes, per Arabicum Sinum, pars Orientem, pars Occidentem versùs, tendebant. Et quidem Orientalis navigationis terminum ſtatuit Arrian. eundem, quem & oræ univerſæ Merid. quam totam Romani notam habuêrunt jam inde ab illius & Ptol. temporibus: neque illam ſolùm oram, verùm etiam continuam plagam, quæ Orienti obverſa, ita jam tum Romani notant, ut ad cognitionem illius non magna videatur facta acceſſio, per noſtrorum hominum navigationes; quæ ab altera parte tantùm terras Vett. ignotas nobis aperuêrunt. Nam Græcorum Romanorumque navigationes Occidentem versùs, cùm Arabicum & Avalitem ſinum ſuperavêrunt, ultra Praſſum non progrediebantur: quod prom. eſt Æthiopiæ inf. in ea, ut videtur, regione, quæ hodie *Monambico* dicitur. Ut meritò reprehendantur, qui exiſtimant cognitam jam illis temporibus fuiſſe navigationem in eam *Indiam*, quam *Occid.* vulgò vocant. Mercatores autem, qui ad *Indos* currebant, Ἰνδοδέγμοι dicebantur: à quibus diverſi omnino erant Ἰνδικοπλάσαι (pro qua voce alii Ἰνδικοπλάσται legunt, in vet. *Gloſſ.*) Sic enim dicebantur Coloratores, coloribus parietes pingentes & colores tectoriis inducentes: in quibus præcipuum aut unum de præcipuis locum obtinebat *Indicum*, quod ex India veniebat, harundinum ſpumæ adhæreſcente limo, vide infrà. Aliter iidem Σιλβωταὶ dicti &c. Vide Caſaub. & Salmaſ. *ad Vopiſc. & Solin. l. c.* De Belgarum verò hodiernorum in *Indiam* navigationibus Georg. Horn. *Orb. Polit.* ut & in voce *Moluccæ*, item infrà, *Societas*.

INDICARE, venditoris eſt, ſicut *liceri* vel *licitari* emptoris. Et quidem apud Athenienſes lege Ariſtorici cautum eſt, ne Piſcarii piſces minoris, quàm *indicaſſent*, venderent; ſi ſecus feciſſent, in carcerem raperentur, ut infrà videbimus, ubi de *Vendendi jure*. Idem hodie mercatores in Anglia obſervant, qui Quackerorum ſectam profitentur, notum iis, qui oras illas luſtrârunt.

INDICES Expurgatorii, in Eccl. Rom. unde originem traxerint, dicemus infrà, ubi de *Librorum prohibitione*. Iis verò non tantùm auctorum, ab Eccl. præf. condemnatorum, libri prohibentur; ſed & omnium, etiam maximè Romanenſium, ſcripta cenſuræ ſubjiciuntur, &, quidquid in illis Rom. Eccl. placitis adverſum, aut non per omnia conſentaneum reperitur, obelo tranſfigitur & deleri jubetur, ſingulaque loca accuratè adnotantur; ut nemo ignoret, quæ verba velint deleta, Indices autem illi primùm concinnati ab Inquiſitoribus Rom. deinde auctoritate Conc. Tridentini, paucis demptis atque additis, confirmati ſunt, ex Bulla Clem. VIII. 17. Octobr. A.C. 1595. in qua & Pium IV. Prælatis quibuſdam adhibitis, *Indicem librorum prohibitorum*, & *Regulas quaſdam*, per ſuas literas in forma Brevis, promulagaviſſe refertur. Vide quoque ipſius Pii Bullam, d. 24. Mart. A. C. 1564. quo ipſo Anno juſſu illius *Index Tridentinus* prodiit, poſtquam, A. C. 1548. 1552. 1554. & 1559. Pontif. auctoritate hujuſmodi Indices jam fuiſſent excuſi. Pii dein Sixtus V. multis ad Regulas adjectis augeri juſſit; quod, poſt Obitum ejus, perfecit Clem. VIII. Regulaſque præmiſit, A. C. 1595. quarum prima hæc: *Libri omnes, quos ante* A. C. CIↃ IↃXV. *aut ſummi Pontifices aut Concilia Oecumenica damnârunt, & in hoc indice non ſunt, eodem modo damnati eſſe cenſentur, ſicut olim damnati fuêrunt.* Regulâ verò IV. S. Scripturæ lectio promiſcua prohibetur. Regulâ tandem X. varia in librorum impreſſione obſervanda præſcribuntur: ut Romæ nullus edatur liber niſi priùs per Vicarium Papæ & S. Palatii Magiſtrum, vel perſonas à Papa deputandas examinetur: in aliis verò locis, niſi per Ep. vel aliquem ab Ep. deputandum, ac Inquiſitorem hæreticæ pravitatis, ſit approbatus & approbatio eorum manu ſubſcribatur &c. ac tandem in Inſtructione eorum, qui libris cum prohibendis, tum expurgandis, tum etiam inprimendis operam ſunt daturi, Jura mentum Typographis & Bibliopolis præſcribitur, *c. de Impreſſione librorum*, §. 6 Hoc itaque Indice Tridentino edito, Phil. II. Hiſp. Rex Antverpiæ alium copioſiorem excudi juſſit, A. C. 1571. ſed in Cenſorum is Bibliothecis latuit, donec in manus Franc. Junii pervenit atque, ab illo publici juris factus & A.C. 1586. uti docet Joh. Pappus *Præf.* quam Indicis hujus novæ editioni Argentorati factæ A. C. 1599. præmiſit, Præter hunc alius in Hiſp. editus eſt, A.C. 1584. cujus exemplar in direptione Gaditana ab Anglis rogo ereptum, & Mornæo Pleſſiaci Dom. tranſmiſſum eſt, qui eum paulò poſt Salmurii excudi curavit. Exin plures prodiêrunt Romæ & Neapoli, præſertim verò in Hiſp. auctoritate Bern. de Sandoval Archiep. Toletani & Inquiſitoris Gener. multò locupletior, ac tandem omnium locupletiſſimus juſſu Anton. à Sotomayor, Supremi Præſidis, & in Regnis Hiſpaniarum &c. Gen. Inquiſitoris, A. C. 1640. quem Genevenſes recudêrunt, A. C. 1667. Huic multo plures Regulæ præfixæ ſunt: ſimulque Genevenſi editioni ſubjunctus Index Decretorum, quæ vel à Magiſtro S. Palatii, cùm ratione officii ſui, tum. Juſſu S. Congregationis, vel ab ipſis S. Congregationibus Indicis & S. Officii emanârunt; poſt prædictum Conc. Tridentini Indicem. Inter quas Regulas quinta inprimis, varia continens ad majorem elucidationem Regulæ IV. Indicis Tridentini, circa prohibitionem promiſcuæ Bibliorum lectionis, pertinentia, memorabilis eſt. Vide Phil. à Limborch *Hiſt. Inquiſ. l.* 2. *c.* 16. & infrà ubi de *Legentibus libros prohibitos*.

INDICIACUS, ol. pag. Arvernorum, nunc urbs S. Flori, Epiſcopal. ſub Archiep. Bituricenſi, in Gallia Aquit. inter Arvernos ſ. Claromontem 14. & Ruthenos 10. leuc. Vide *Vitam S. Flori Ep.*

INDICTIO, ab indicendo, ad Pontifices pertinet, juxta illud:

Edicunt Reges, indicit *feſta ſacerdos*:

Syſtema eſt trium luſtrorum, i. e. ſpatium 15. Annorum, ſumptâ ab A. C. 312. origine, in ſe perpetuo repetitum. Vulgaris & non recens opinio, Imperatores perhibet tributa Gentibus impoſuiſſe; vicinis, annuam annonæ portionem; remotioribus verò, ut propter tranſitus difficultatem, in fine primi luſtri aurum penderent, dominationis typum: in ſecundi fine, argentum, ad ſtipendia militibus eroganda: Et in fine tertii, æs & ferrum, ad armorum miniſterium & ſupplementum. Inde *Indictio* ipſa *ærea* & *ferrea* appellata, teſte Sacroboſco. Beda *l. de rat. temp. c.* 48. antiquâ Romanorum induſtriâ, *Indictiones* ad cavendum errorem, qui de temporibus fortè oboriri poterat, inſtitutas ait. Scilicet ne dum Imp. aliquis medio Anni tempore, vitâ vel regno cederet: eundem Annum Hiſtoricus unus eidem adſcriberet Imp. alter verò ſucceſſori ejus. Cedren. *in Theodoſio*. earum originem ab Actiaca victoria: Onuphr. Panvin. *Faſt. l.* 2. à cæde Maxentii & Eccl. liberata: Scalig. *in Emend. tempp. l.* 5. ab editione ludorum, quos Conſtantinus exhibuit: Baron. *ad* A. C. 312. *n.* 107. à ſtipendiis militaribus quindecennalibus: Paulus Petavius ab indicto tributo, arceſſit. Henr. Spelmann. duplices facit, *Fiſcales* ſ. *Tributarias*, & *Militares* ſ. *Erogatorias*. *Fiſcales*, inquit, ſunt, quæ populum evocant ad tributum, ut illa ſub Aug. Cæſ. in Euangelio, de qua Caſſiodor. *l.* 4. *Ep.* 42. Hujuſmodi *Indictionum* meminit Plin. *ad Trajanum*, & crebra earum in jure Civ. mentio eſt. *Militares* ſunt, de quibus Baron. modò laudatus. De his quidquid ſit, certum eſt, ſub Conſtantino cœpiſſe *Indictiones* fieri Chronologicas, & ab eo computari Anno, quo libertatis accepit primordium Religio Chriſtiana: ſc. Anno Conſtantini 7. A. C. 313. eaſque Conc. Niceni auctoritate, ſublatis Olympiadibus, inſtitutas. Annus enim Chriſti demum invectus eſt à Dionyſio Exiguo, Abbate Rom. A. C. 532. cùm exoſo Diocletiani nomini oppedens, Anni ejuſdem memoriam ab encyclis Paſchalibus, quæ tunc moliebatur Abbas, exploderet. De die autem & menſe, quo *Indictio* cœperit, cùm non conveniret inter Imperium Orient. & Eccl. Rom. duplex inde exorta eſt *Indictionalis* Anni origo: *Imperatoria*, quæ 8. Kal. Octobr. ſ. 24. Sept. orditur, & *Eccleſiaſtica*, quæ à 19. Kal. Jan. i. e. 14. die Decembris, initium ſumit: Eſtque hæc velut anchora Chronologicæ ſupputationis & fidele in Inſtrumentis datorum examen. In tribus autem maximo venit uſu: ſc. in privilegiis, in cereo Paſchali, & in Eccleſiarum dedicationibus. Modus Rom. *Indictionem* inveniendi hujuſmodi eſt: Adde 3. ad Annum Chriſti, qui in 4. Indictionis Anno perhibetur natus, deinde totum divide per 15. & reſiduum dabit Annum Indictionis Hoc ſi nil fuerit, ipſe Annus Indictionis eſt ultimus. Ad Græcam inveniendam 4. ſunt addendi. En verſus:

Si per quindenos Domini diviſeris annos,
His tribus adjunctis, Indictio *certa patebit*,
Si nihil excedit, quindena Indictio *currit*.

Dicitur vox & de toto quindecennali cyclo, & de quolibet ejuſdem Anno. Plura vide apud Henr. Spelm. in *Gloſſ. Arch.* Addo, quòd *Indictionem*, quæ ab 8. Kal. Octob. proficiſcitur, à Conſtantino Mag. Inſtitutam docent paſſim Chronologi, unde & *Conſtantinianam* vocant, quam ab hac die ideò cœptam volunt, quòd tum imperare cœperit A. C. 307. Atque hujus quidem uſum Gallis & Britannis familiarem fuiſſe conſtat, etiam ad extrema uſque ſecula. Profert enim C. du Freſne ex 4. *Regeſto Memorialium* Cameræ Pariſ. Acta hominii à Duce Britanniæ Regi Franciæ præſtiti, quæ confecta dicuntur A. C. 1366. *Indictione quintâ ſecundùm morem Franciæ, menſis Decembris die* 13. cùm Indictio Romana quarta tum curreret. Eadem in Germ. perinde ſemper obtinuit obtinetque etiamnum; unde & *Cæſaream* vocant: in Italia quoque obſervatam, patet ex *Charta* Mathildis Com. apud Franc. Mariam *l.* 3. *p.* 108. Præter hanc verò fuit *Indictio CP.* qua Impp. CP. utebantur, quaque ſemper utuntur Hiſtoriæ Byzantinæ Scriptores, Juſtiniano Imp. coæva, ſub quo conſtat numeratam *Indictionem* à Kal. Sept. ex Cedreno & Paulo Warnefrido, *l.* 2. *c.* 25. In Italia obtinuiſſe, docet ex *Chartis* vett. idem C. du Freſne, qui ejuſdem inveniendæ rationem ex recentiori Scriptore MS. Bibliothecæ Regiæ, qui inſcribitur περὶ τοῦ ψήφου τοῦ πασχαλίου, c. περὶ τῆς Ἰνδίκτου, ſubjungit, *in Gloſſ.* Quod autem *Indictionem Romanam* ſ. *Pontificiam* concernit, quando illa cœperit, non omnino conſtat. Ex *Epiſtolis* enim Greg. Mag. aliorumque Pontificum, Pontificia Diplomata ac Epiſtolas Indictionibus, more Græcorum à prima ipſa Sept. die inchoatis, ſubnotari, obſervare eſt: quod & adſtruunt Acta vetera Vaticana, apud Baron. A. C. 1154. At Acta Alex. III. apud eund. A. C. 1158. videntur *Indictionem* à Kal. Jan. exordiri. E quibus colligit Chifletius *in Trenorchiò, p.* 252. Indictionum initia variè, pro Scriptorum aut Notariorum arbitrio, eâ tempeſtate tabulis adſcribi conſueviſſe. Præter hanc triplicem *Indictionem*, quartam addit *Antiochenam*, à neomenia *Iiar*; i. e. Maji menſis, incipientem, Scalig. qui Græcis Ἐπινέμησιν, *Indictionem* dictam eſſe, quod Eruditi quidam negant, obſervat *de Emend. Temp. l.* 5. *p.* 501. Plura hanc in rem vide, apud Jac. Gothofred. *Proleg. ad Cod. Theodoſ.* (ubi inter alia quadruplicem *Indictionem* facit, *Italicam* ab A. C. 312. *Oriental.*

ab A. C. 313. *Carthaginenſem ſ. Proconſularem Africæ*, ab A. C. 314. & *Africanæ Diœceſeos*, ad A. C. 315. auſpicantes) alioſque Auctores, laudatos C. du Freſne *in Gloſſ cit.* adde Joh. Forbeſ. *Inſtruct. Hiſt. Theol. l. 5. c. 20. §. 5.*

INDICTIO Belli, neceſſariò præmittenda cùm pro re una res alia, aut pro debito res debitoris invaditur, multoque magis, ſi res eorum, qui debitori ſunt, occupare quis velit; tunc enim interpellatio requiritur, quâ conſtet, alio modo fieri nequire, ut noſtrum aut nobis debitum conſequamur. Sic etiam, antequam ſummam poteſtatem habens imperatur ex debito aut delicto ſubditi, interpellatio intercedat oportet, quæ illum in culpa conſtituat, ex qua aut damnum dare cenſeatur, aut & ipſe delinquere. Imò & ubi jus naturæ non præcipit tale quid fieri, ut cùm vis illata arcetur, aut ab eo ipſo qui deliquit, pœna depoſcitur, aut cùm dominus rei ſuæ manum vult injicere, honeſtè tamen & laudabiliter interpellatio hujuſmodi interponitur, putà ut ab offendendo abſtineatur, aut delictum pœnitentiâ & ſatisſactione expietur: ſecundum illud,

Extrema primo nemo tentavit loco.

H. Grot. *de Jure Belli & Pacis l. 3. c. 3.* Quibus verò ritibus id fieri ſolitum. Vide ſuprà, ubi de *Bello*, *Clarigatione*, *Denuntiatione belli*, *Fetialibus* &c.

INDICTUM, apud Recentiores, in genere, Nundinæ & Feriæ indictæ ſ. publicatæ; in ſpecie nundinæ San-Dionyſienſes in Gallia dicuntur, quas à Dagoberto Rege Doublet. *p.* 434. alii à Carolo Calvo, inſtitutas volunt: in platea, quæ *Indictum* ſimiliter appellata, celebrari conſueviſse, habet Nangius *in Chron.* vulgò *la Foire du Lendit.* Vide C. du Freſne *d. l.* & *ſuprà.*

INDICULUS Dagoberti Regis ad Sulpit. Archiep. Bituric. in *Vita* S. Deſid. Ep. Cadurc. *c.* 8. Ep. eſt, quâ præcipit ei ſ. *indicit*, ut eum ad Cadurcenſem Eccl. ordinet ac conſecret; cujus clauſula, *Quod verò indicimus, manus noſtræ ſubſcriptione, ut mos eſt, decrevimus roborare: Dagobertus Rex ſubſcripſit.* Sic habetur *Indiculus Regis ad Ep. ut alium benedicat*, apud Marculfum *l. 1. form.* 6. &c. Secundùm Bignonium ita differt *Indiculus* à *Præcepto*, ut *Præceptum* majoris auctoritatis fuerit diploma, non modò manu propriâ ſubſcriptum, ſed etiam ſigillo roboratum, quo caruerit *Indiculus*. Vide de iſtiuſmodi *Indiculis* Regum Auctores varios laudatos C. du Freſne in *Gloſſ.* qui interdum pro quavis Ep. vocem occurrere, addit.

INDICUM, apud Plin *l. 35. c. 6. E liquidis coloribus, quos à dominis dari diximus* (pingenti) *propter magnitudinem pretii, ante omnes eſt purpuriſſum, è creta argentaria; Ab hoc maxima auctoritas* Indico. *Ex India venit, harundinum ſpumæ adhæreſcente limo, cùm teritur, nigrum: at in diluendo miſturam purpuræ cœruleique mirabilem reddit. Alterum genus ejus eſt in purpurariis officinis innatans cortinis: & eſt purpuræ ſpuma. Qui adulterant, vero* Indico *ſtercora columbina, aut cretam Selinuſiam vel annulariam ultro inficiunt;* & Vitruv. *Item, qui propter inopiam coloris* Indici *cretam Selinuſiam vitro, quod Græci* ἴσατιν *appellant, inficientes, imitationem faciunt,* Indici *coloris*: coloris genus eſt: vulgò *Indigo* dictum, quòd vel factitium, vel nativum. Illud coloris purpurei & obſcuri, fiebat apud infectores ex flore nigro, vel ſpuma purpuræ, ſupernatante cortinis tinctoriis, Græciſque recentioribus λαχὰν & λάχιον dicebatur: Iſtud ex India apportabatur, Ἰνδικὸν μέλαν, *Indicum nigrum*, & Ἰνδικὸν, *Indicum* abſolutè, appellatum. Priuſquam enim dilueretur, terebatur & cernebatur, ſ. ſuccernebatur cribro, tumque nigrum apparebat & atramento ferè ſimile, unde erroris occaſio Plin. *Indicum atramentum eod. c.* confingendi: at dilutum mirabilem mixturam præferebat cœruli & purpuræ. Quam autem illud originem haberet, incertum olim, atque *inexploratæ inventionis*, ut ibidem legas. Sponte hoc pigmentum naſci in arundinibus Indicis, οἷον ἔκβρασμα, *velut ebullitionem*, ſ. ebulliens quoddam ejectamentum, tradidit Dioſcorides aliique Vett. Plin. *ſpumam* vertit *adhæreſcente limo*, minùs fortaſſe rectè. Nihil vero aliud eſſe, quàm pigmentum confectum in *Guzarate* ex Indico glaſto, & *Anil* Turcis, Indis *Gali*, pleriſque *Nil* vocari, Garcias ab Horto *l. 2. c. 26.* refert, aliique. Salmaſ. ſic de eo: πάστιλλος apud Græcos Veterinarios *c. 523. eſt Iſatis, quam vulgò Europæi ferè omnes paſtellum vocant. Arabes vocant Nil, quo nomine & cœruleum colorem nuncupant. Inde & aliam herbam, quæ ſimili modo præparata ſimilem colorem efficit, eadem appellatione impertiunt. In Guſaratte, ubi plurimùm celebratur hujus herbæ ad tincturam* σκλαρία, *vocari ferunt Gali. eam rori marino ſimilem de facie faciunt Linſchotus & Paludanus. Ocimo Garcias —— Iſatis noſtra plantagini ſimilia habet folia. Nec dubium porrò, quin Veterum* Ἰνδικὸν, *quod hodie ajunt inexploratæ inventionis eſſe, ex illa herba Indica parari ſolitum ſit. Harundinum limum eſſe priſci credidêre. Nempe neſciebant, quomodo fieret & unde ſumeretur. Ex India allatum & limo indurato ſimile quum viderent, putârunt ſpumam eſſe harundinum limo adhæreſcente.* Et infrà, *Iſatidem & Indicum eodem colore inficere, oſtendit Zoſim.* ἐπὶ ὑακίνθου ἢ πόαν ὑακίνθου καὶ μέλαν. Ἰνδικὸν καὶ ἰσάτιδος ῥίζαν. *Illud* μέλαν Ἰνδικὸν *eſt Nil Indicum. Iſatis, noſtras Nil. Hoc paſtellum cœruleum Narbonenſium* &c. *ad Solin. p.* 1332. Herba certè eſt, quæ ſeri quotannis ſolet, poſtquam pluviæ ceſſârunt, cannabiſque ſpeciem, cùm excrevit, præfert. Secatur trinis per Annum vicibus, & primò quidem, cùm ad duos vel 3. pedes aſſurrexit, uſque ad ſemipedem demetitur, quæ optimæ notæ eſt, & *Indicum* profert cyanei ſ. cœrulei coloris longe floridioris & vegetioris, quàm quæ ſecunda, ac tertiâ vice ſecatur. Deſectam ſic conficiunt Indi in ſtagna huic rei ex calce facta, quæ adeò dura evadit, ut unum continuum marmor videatur. Ambitus ſtagnorum communiter 80. aut 100. pedum eſt, quæ plerunque dimidiâ parte aquâ repleta, ſectâ poſtmodum hâc herbâ penitùs complentur. Tum quotidie herba ſubigitur & cum aqua confunditur, donec folium (ſcapus enim ſ. caulis inutilis) limoſum fiat ac incraſſeſcat. Quo facto, poſt aliquot dierum quietem, cùm maſſa hæc in fundo ſedit, aquâ deſuper limpidâ exiſtente, per foramina quædam in ſtagni ambitu facta, aqua omnis emittitur, ac calathis limus colligitur. Tunc videas unumquemque, circa cophinum ſuum occupatum, digitis oleo lubricatis prehenſam maſſam diducere ac in paſtillos formare, dimidii ovi inſtar habentes, inferiori ſc. parte planos, ſuperiore convexos: niſi quòd *Indicum Amadabathenſe* utraque parte planum, placenta velut, & id, quod in vicinia Agræ colligitur, quodque omnium præſtantiſſimum eſt, in globos formatur. Sic ſoli exponunt ſiccandum. Quia verò ſabuli non parùm ſic formatis offis adhæret, ſolent eas incolæ, antequam in Europam transferuntur, cribro diligenter ſuccernere, ut purum *Indicum* & itinerum impenſis dignum eò perveniat, pulverem verò domi tinctoribus vendunt. Ubi memorabile, illos qui huic operæ vacant, quantumcunque faciem tegant; tamen impedire non poſſe, quò minus intra octiduum ita imbuantur hoc colore, ut ſalivam non niſi cœruleam excernant. Sed & ovum juxta hos homines manè repoſitum, ſi ſub veſperam frangatur, intus penitus colorem bibiſſe apparet: adeò acer ac penetrans pigmento huic vis eſt &c. Tingit autem *Indicum* & cœruleo & nigro colore telas, cujus rei cauſam ſuprà videre eſt; & in Imperio M. Mogolis magnâ copiâ colligitur, in regione Biana, *Indova* & *Corſa*, quæ bidui circiter itinere, aut propiùs à Regni Metropoli Agra abſunt, hocque omnium optimum eſt. Sed & provenit in loco, qui octidui itinere Suratâ, & in pago *Sarguesſe*, qui 2. leuc. Amadabatho diſtat; quod planum eſt, ut diximus, quale etiam in Regno *Golconda* reperitur. Reperitur idem in vico magno *Raout* aliiſque minoribus vicinis, 36. leuc. diſſitis à civ. *Brampour*; etiam Bengalenſe habetur, & aliud, quod Mexicanum Americæ Regnum mittit &c. Quam in rem vide plura apud Joh. Bapt. Tavern. *Obſerv. ſur les Commerces des Indes Orient.* ut & ſuprà ubi de *Indica Navig.* item in voce *Guaſtum*.

INDICUM Mare, pars eſt Oceani Or. Indiæ utriuſque oram alluens, uti etiam Ceylanum Inſ. Maldivas, Sumatram, Javam, aliaſque Inſulas quàm plurimas. Vide Oceanus *Ind.*

INDIGETES, Dii antiquis vocati, quòd nullius rei *indigeant*, vel Dii ex hominibus facti: Heroës, ut Hercules, Romulus, Cæſar, &c. Alii *Indigetes* fuiſſe volunt, quos *indigetari*, i. e. vocare, & nuncupare fas eſſet, atque hos Deos fuiſſe, in quorum cuſtodia eſſent urbes, & invocari faciles, præſtoque aderant. Alii ſunt, qui putant ſic dictos, quaſi *in loco geniti*, vel *degentes*. Virg. *Georg. l. 1. v.* 498.

Dii patrii Indigetes *& Romule, Veſtaque mater.*

Vide ſis illic Lud. de la Cerda. Macrob. *Sat. l. 1. c. 9. de Somn. Scip.* Lipſ. &c. Hinc & Æneas *Indiges* dictus fuit. Ovid. *Met. l.* 14. *v.* 605. *& ſeqq.*

Luſtratum genetrix divino corpus odore
Unxit, & ambroſiâ cum dulci nectare mixtâ
Contigit os, fecitque Deum, quem turba Quirini
Nuncupat Indigetem, *temploque ariſque recepit.*

Lucan. *Civ. Bell. l. 1. v.* 556. Virg. *Æn. l. 12. v.* 794.

Indigetem Æneam *ſcis ipſa & ſcire fateris.*

Nic. Lloyd. Salmaſ. Deus *Indiges* propriè eſt, quem Græci ἐγχώριον θεὸν vocant. Virg. *Georg. l. 1. v.* 498.

Dii *patrii*, Indigetes &c.

Item, χθόνιον, non enim ſolùm τὸν ὑπόγειον, ſed etiam τὸν ἐπίγειον vox notat, Δαίμονα quoque εἰναέτην, quod verbum *Indigetem* exprimit, ex *indis* & *ago*, qui ibi agit & incolit. Iidem porrò Semidei & Locales, dicti. Gloſſæ, *Indigetes*, ἡμίθεοι κύρητης. iidem & τοπικοί. Serv. *Dii topici, i.e. locales, ad alias regiones nunquam tranſeunt.* Sed & *Indigetes*, quaſi *Indicetes* dici poſſint, h. e. homines *indicati*, quaſi conſecrati & dedicati, ἀφιερωθέντες vide eum *ad Solin. p.* 71. Serv. *in Æn. l.* 5. illos *Divos*, non *Deos*, appellari vult, ut diſtinguantur à Diis majorum gentium ſ. Conſentibus, de quibus vide ſuo loco. Quæ cauſa eſt, quòd Impp. olim, poſt mortem Deorum numero illati, *Divi* dicerentur: quod quâ pompâ fieri conſueverit, vide ſuprà, in voce *Apotheoſis*, item *Conſecratio.* Iidem Græcè Ἀνθρωποδαίμονες, animæ ſc. erant demortuorum, quos princeps poteſtas cœlo locavit, ſive, quia nobili reperto profuiſſent generi humano, ſive quoniam gentis vel urbis erant conditores, ſive quia bello rem præclarè geſſiſſent, vide Lactant. *de Fals. Relig. l. 1. c.* 5. Auguſtin. *de Civ. Dei. l. 8. c.* 5. præter Cic. *de Nat. Deor. l.* 1. &c. Unde & dicti videntur ab honore eo, quòd publice vocarentur. Certè & Feſtus ſive Paulus *indigitanto*, exponit *imprecanto*: & apud Macrob. *Sat. l. 1. c.* 17. legimus: *Namque Virgines Veſtales, ita* indigitant, *Apollo Medice, Apollo Pæan.* Atque hinc *Indigitamenta*, ἱερατικὰ βιβλία; libri vocabantur, quibus continerentur Deorum nomina & preces rituſque, quibus invocarentur. Fortaſſe iidem ſunt, quos *Genitales* vocat Enn. *Ann. l.* 1. videtur tamen Auſ. aliter accepiſſe, *perioch. Iliad.* 4. *Æn.* ubi *Deos Genitales* à Jove in concilium vocatos refert ubi Conſentes & Selecti ſine dubio intelligendi. Primus vero quem *Indigetis* nomen ſortitum invenimus, Æneas eſt; cui ſacellum extructum cum hujuſmodi Inſcr. PATRI DEO INDIGETI QUI NUMICI AMNIS UNDAS TEMPERAT, auctore Dion. Halic. *l.* 1. Liv. *Jovem Indigetem* vocat, *l. 1. c.* 3. & *l. 6. c.* 12. Tempus & autorem ſuggerit Feſt. *Indigetis nomine Æneas ab Aſcanio appellatus.*

latus, cùm pugnans cum Mezentio nuſquam apparuiſſet, in cujus nomine etiam templum conſtruxit. Fuêre tamen Latinis & alii *Indigetes*, iique Ænea antiquiores: quales, ſi unum exceperis Quirinum, omnes illi a Tullio memorati *de LL. l. 2. Colunto & illos, quos in cœlum merita vocârint, Herculem, Liberum, Æſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum.* E quibus ſex antiquiſſimus eſt Liber, cujus ſacrum Liberalia 16, Kal. Aprilis, dies prima ſui parte nefaſtus, ut conſtat ex Kal. Rom. Quo per totum opp. ſedebant, i. e. feriabantur, Liberi Sacerdotes, ut ait Varro *de Ling. Lat. l. 5.* Pueritiam item egreſſi virilem togam induebant, cujus cauſam exponit Ovid. *Faſt.* Etiam inter *Indigetes* Deos Romanis fuit Semo Sanctus, qui & *Fidius*: Faunus item, quem *Indigetem* Sil. Ital. *Pun. Bell.* vocat *l. 9. v. 294.*

Indigeteſque Dii, *Faunuſque ſatorque Quirinus,*
Alternuſque animæ mutato Caſtore Pollux.

Ubi ex ſex iſtis Tullio relatis tres referuntur, & præterea intactus illi Faunus. Nec negari poteſt ei inter *Indigetes* locus, ſi Aboriginum Reges hoc ordine ſucceſsêrunt, quo memorat Euſeb. Janus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus. Sed in eo multa requirit Voſſ. Nam Janus & Saturnus non fuêre Aboriginum Reges, verùm ad Deos Selectos pertinuêre, adeoque non animales, ſed naturales, erant Dii. Præterea, commentum de Pico Rege & augure unde promanaverit, Dionyſ. docet. Nec ullus inter Aboriginum Reges fuiſſe Faunus videtur; ſed is iterum non animalis, verum naturalis Deus fuit; cum Silvano idem ac Pane, cujus cultum ex Arcadia Euander Italiæ intulit. Juſtius inter *Indigetes* Euander refertur, qui Italos literas docuit & agriculturam; quæ poſtea Saturno attributa, quia Euandrum in Saturno honorari placuit. Euandrum vero in Deos eſſe relatum argumento eſt, quod ei quotannis ſacrificârint Romani, apud montem Aventinum, juxtà portam Tergeminam. Porrò & Deas *Indigetes* Romani habuêre: quales Carmenta & Acca Larentia; quarum illa à Majoribus accepta, iſta Diis Majorum ſuperaddita. Lactantius *l. 1. c. 20.* alterum etiam ſcortum (præter Larentiam) in Deas relatum ait, cui *Faulæ* fuerit nomen: Prout vocatur editione Aldi, Betuleji, Thomaſii. Ubi Voſſ. ſuſpicatur, priſco more *Flauram* ſcripſiſſe, i.e. *Floram*, quod ex altero factum. Jam autem à Sabinis Flora culta fuit, cui proin voto ſe obſtrinxit Tatius Rex, cum Romulo pugnaturus & hinc Romuli jam Numæque temporibus Floræ ſacra ac Flamines legimus fuiſſe. Sed & Anna Perenna inter *Indigetes* ſibi locum poſcit, ſi ea fuerit Didonis ſoror: quam apud Æneam exulâſſe ajunt, ſed, inſidias ſtruente Laviniâ, in Numico ſubmerſam, hinc pro Nympha Numici habitam cultamque & quia amne perennè lateret, vocatam Annam Perennam. Sed ſi jam *Anna* prius dicebatur, non fuerit id nomen ab amne. Nec Anna magis, quàm Dido, videre potuit Æneam, utpote inter quos trecentorum circiter Annorum intervallum eſt, ut Voſſ. oſtendit *Orat. Inſtit. l. 1. c. 6. §. 8.* Quare potiùs fuerit Anna Bovillana, vetula quæ plebem pavit cùm in Aventinum ſeceſſiſſet, uti legimus apud Ovid. *Faſt. l. 3.* Quæ tamen ſeceſſio cùm Senatui vel Sacerdotibus Rom. non ita placeret, ut divinos huic vetulæ honores habitum ire vellent: nec negare interim quicquam tempora finerent; os plebi ſublitum decretumque, quaſi in Annæ honorem, ut Martio menſe, qui veteris Anni erat primus, ſacra cœleſti fierent Numini, quibus rogaretur, ut *annare & perannare*, h. e. Annum illum exigere & alios illi ſuperaddere daretur. Bona inſuper Dea, ἡ Γυναικεία θεά, ut vocant Græci, culta à Rom. Kal. Maji: quæ & ipſa inter Deas *Indigetes* ſit, ſi vel mater fuerit Midæ Regis, ut Phryges volunt: vel Nympha Dryas, Fauni Regis Aboriginum conjux; quorum utrumque apud Plutarch. *in Cæſ.* legimus, vel, quod ex Varrone à Macrob. refertur, Fauni Regis filia. Sed quid de ea ſentiendum, patet ex iis quæ de Fauno ſuprà. Atque hæc de temporibus, quæ Cæſares præceſsêre: è quibus colligitur, ſub Regibus hominem neminem cœleſti donatum honore *Indigetemque* factum, præter unum Imperii conditorem Romulum, atque, ut videtur, longè tamen inferiore gradu, nutricem ejus Accam Larentiam. Poſtea verò, ſi quis hoc honoris adeptus ſit, unicam eſſe Annam Bovillanam; nec tamen è ſententia Senatûs. Quamvis interea Heroës ſuos magnis dignati fuêre honoribus, at non divinis: quæ diſtinxêre etiam Græci, quibus aliud ἐναγίζειν, aliud ἀποθεοῦν. Prius conveniebat Heroibus: alterum notat in Deos referre. Sed apud hos ferè uſu veniebat, ut qui priùs eſſent heroicis affecti honoribus, iiſdem poſtea præſtarentur divini, quod Lampſacæ, inter alia, contigiſſe, Plutarch. habet *in præcl. Mul. factis.* ubi ſacrificium in honoribus divinis fuiſſe, docet. Lapsâ ſequentibus temporibus Rep. & ſtatu rerum mutato, primus Cæſarum inter *Indigetes* relatus conſecratuſque Julius eſt, idque ab Aug. de quo Suet. *Jul. Cæſ. c. 88.* Unde in Juliani Cæſaribus, Aug. Silenus Κοροπλάθην vocat, i.e. *puparum effectorem*; rationem ridiculi hujus nominis reddens, quod, uti nonnulli faciunt pupas, ſic ipſe fecerit Deos quorum unus primuſque eſſet Jul. Cæſ. Poſt eum conſecrati alii: de quibus, & pariter Aug. vide Plin. *Panegyr.* Imò & Auguſtæ, aliique è domo Aug. mares feminæque. Nam Cajus Caligula ſororem ſuam Druſillam, *Veneris Pantheæ* nomine conſecravit: & Getam fratrem Baſſianus Caracalla maluit eſſe *Divum*, quàm *vivum*; & Hadr. Imp. ſordidis & inſipidis delitiis ſuis Antinoo Bathyno, ſubmerſo in Nilo, non dubitavit, velut certiſſimo Numini, cœleſtes, tribuere honores, oraculo etiam conſtituto &c. Sed de his vide ſuprà *paſſim*, inprimis in voce *Anima*, *Conſecrandi ritus* &c.

INDIGETI ſ. INDIGETES, pop. Hiſp, fuêre, templum Veneris incolentes, in conf. Gall. Narbon. ubi nunc tractus *l'Ampourdan*, in Catalonia, in limite Galliæ & Comitatûs Ruſcinonenſis. Plin. *l. 3. c. 3.* & Strabo *l. 3. p. 156.* & 160.

INDIGNATIO, vide *Ira.*

INDIS, fluv. Galliæ non ignobilis, in Brexia, qui Pontem Indis *Pont Dain*, Varambonem, Bellamgardam, Caſiacum *Chaſcy*, Gurdanumque alluit, & è regione Antonis effluit in Rhodanum. Vulgò *Dain.* Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

INDOLES, titulus Principum, adoleſcentium maximè, honorarius. Monachus Sangall. *de Reb. Car. Mag. l. 2. c. 15. Quo etiam tempore epiſtolam ad veſtram* Indolem *direxit* &c. Vide hanc in rem plurima, apud C. du Freſne in *Gloſſ.*

INDORSATÆ Literæ, dicebantur olim *Brevia citationum ſ. ſubmonitionum*, quòd in ejuſmodi brevium, per quæ à Rege actori reum in judicium adducendi facultas dabatur, *dorſo* ſ. tergo citatio & ſubmonitio, ab Apparitore vel *Serviente* reo facta, ut in judicio compareret, adſcriberetur: unde *Indorſatio*, executio citationis vulgò in Foro Anglic. Gall. *Endoſſement.* Vide *Statuta* Davidis II. Regis Scot. *c. 18.* & 41. apud Gul. Thorn. A. C. 1289. C. du Freſne in *Gloſſ.*

INDOSCYTHIA, pars Indiæ cit. circa Indi fluv. ortum. *Steph.* Salmaſ. cis Indum & trans Indum ſimul poſita, & intra ipſius Indi oſtia, ad mare Indicum, multas Indiæ regiones complectebatur, emporiumque habebat nominatiſſimum, dictum *Barbaricum.* Vide eum *ad Solin. p. 1150.* & ſuprà, in voce *Barbaricum.*

INDUCI, proprie calcei dicuntur. Tertullian. *de Pallio, Impuro cruri purum aut mulleolum inducit calceum.* Infrà, *Si quid calceatus inducitur.* Cornific. *de Rhetor. ad Herenn. l. 1. Soleæ ligneæ in pedibus inductæ.* Unde corrigendus Plin. *l. 33. c. 11. Noſtraque ætate Poppæa, conjux Neronis Principis, delicatioribus jumentis ſuis ſoleas & auro quoque induere ſolebat.* Lege, *inducere*: & Appulejus *l. 2. Et cum dicto juvenem quempiam linteis amiculis intectum, pedeſque palmeis baxeis indutum, & aduſque deraſo capite producit in medium.* L. *inductum.* Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio c. 5.*

INDUCIÆ, Lycanoris inventum, juxta Plin. *l. 7. c. 56.* ſunt conventio, per quam bello manente ad tempus bellicis actibus abſtinendum eſt. Virg. *pacem ſequeſtram* dixit, Serv. ad eum, *pacem temporalem*, ut & Thucydidis Scholiaſtes εἰρήνην πρόσκαιρον πόλεμον ὠδίνουσαν, Varro *pacem caſtrorum paucorum dierum* Stat. *Pacis moram*, quod vide &c. Nomen non tam, ab eo, quod A. Gell. vult *l. 19. c. 8. inde uti jam* nec ab *endoitu*, i.e. introgreſſu, ut Opilius voluit; Sed quod *inde* i.e. à certo tempore *otium* ſit, quomodo ἐκεχειρίαν Græci vocant. Sunt enim *Induciæ*, in bello otium, non pax; ideoque accuratè loquuntur Hiſtorici, qui narrant ſæpe, *pacem negatam, inducias datas*, Liv. *l. 10. c. 22.* Plutarch. Juſtin. *l. 3. c. 7.* & 26. Quare nec nova indictione opus eſt: nam, ſublato impedimento temporali, ipſo jure ſe exſerit ſtatus belli, non mortuus, ſed ſopitus, ut dominium & patria poteſtas in eo, qui à furore convaluit. Apud Liv. tamen, ex Fecialium ſententia, finitis *induciis*, bellum indictum legimus: ſed nim. iſtis non neceſſariis cautionibus oſtendere vett. illi Romani voluêre, quantopere pacem amarent, & quàm juſtis de cauſis in arma retraherentur, ut ipſe Liv. innuit *l. 4. Cum Vejentibus nuper acie dimicatum ad Nomentum & Fidenas fuerat, induciæque inde, non pax facta, quarum & dies exierat & ante diem rebellaverant: miſſi tamen feciales, nec eorum, cùm more patrum jurati repeterent res, verba ſunt audita.* Quantum autem per *Inducias* utrinque liceat, vel non liceat, quæque alia huc pertinent, perſequitur accurate H. Grot. *de Jure Belli & Pacis l. 3. c. 21.* Addo hoc unum, in more poſitum olim, ut qui per *Inducias* cæſorum corpora recepiſsent, renuntiare victoriæ viderentur, adeoque ne tropæum quidem erigere ritè poſsent, juxta dictum Diod. Sic *l. 17. c. 68.* αἴτησιν dicentis τῶν νεκρῶν ἀναίρεσιν ἥττης ὁμολόγησιν. Et factum Eumenis, ad cæſos regreſſi, ut victoriam ancipitem hactenus certò ſibi aſsereret, apud eund. *l. 19. c. 31.* qua de re vide Berneggerum *Not. ad Juſtin. l. 6. c. 7.* uti *de Induciarum violatoribus* jam ſuprà aliquid vidinus, in *Brutulus.* De *induciis forenſibus*, vide infrà in voce *Quingenti*: De *Induciis perpetuis* opp. S. Petri inſ. Sarmiæ, veteri privilegio, conceſſis, ubi de hac inſ. vide quoque in voce *Treuga*: ubi de *Treuga Domini* quædam, à feria quarta uſque ad ſecundam primo, dein omnibus diebus Sabbathi uſque ad diem Lunæ, aliis tandem diebus ſolennibus feſtiſque medio ævo, obtinente.

INDUCIOMARUS, de Trevirorum principatu, cum Cingetorige, contendit vide Cæſ. de *Bell. Gall. l. 5. c. 2.*

INDULGENTIARUM origo hæc. Cùm in vet. Eccl. propter nimium rigorem ſatisfactionum Canonicarum, (quarum gradus erant πρόσκλαυσις ſ. Fletus, Ἀκρόασις ſ. Auditio, Ὑπόπτωσις ſ. Proſtratio & Σύστασις ſ. Conſiſtentia) quæque per plures Annos, nonnunquam per totam vitam erant continuandæ, multi ad deſperationem adigerentur, neque pauci relaberentur ad Gentiliſmum, repertum fuit temperamentum *Indulgentiarum*, quas peccatores, vel à ſuis Epiſcopis ultro conſequebantur, vel per Martyrum ad metalla damnatorum interceſſionem obtinebant; quibus, laxatâ priſtinâ ſeveritate, ante tempus Canonibus præſtitutum, in communionem recipiebantur, & pœnarum Canonicarum illis remiſſio ac gratia fiebat. Alia hodie in Eccl. Latina *Indulgentiarum* ratio eſt, quarum in ea uſum recentem, & admodum ſerò repertum, agnoſcit Joh. Fiſcherus Roffenſis Ep. *ad articulum Lutheri* 18. Has dum Leo X. in Germania per Joh. Tezelium, Dominicanum, in Helvetia per Bernardum Sanſonem, Mediol. Franciſcanum, ſub initium Præt. Sec. venales expoſuit, utrobique Reformationi præbita anſa eſt, illic Luthero, hic Zuinglio, rem egregiè gerentibus. De quo negotio ita Thuan. *Hiſt. l. 1. Leo*, inquit, *quum alioqui ad omnem licentiam ſponte ſuâ ferretur, Laurentii Puccii Card. hominis turbidi, cui nimium tribuebat, impulſu, ut pecuniam ad immenſos ſumptus undique corrogaret, miſſis per omnia orbis Chriſtiani regna diplomatis, omnium delictorum expiationem ac vitam æternam pollicitus eſt, conſtituto pretio, quod quiſque pro peccati gravitate dependeret: in eamque rem per provincias quæſtores & æraria ordinavit, quibus additi præcones, qui*

tanti beneficii magnitudinem, apud populum commendarent, & orationibus artificioſè compoſitis, propoſitiſque palam libellis rei efficaciam immoderatè extollerent. Quod licentioſè nimis à Pontificiis miniſtris paſſim, atque in Germania præcipuè fiebat; ubi qui redimendam pecuniam Romæ à Pontifice conduxerant, per luſtra & popinas quotidie ſine pudore, in aleæ luſum uſuſque turpiſſimos poteſtatem extrahendi animas functorum ex igne expiatorio profundebant. Tunc exortus Lutherus, (A. nempe C. 1517. quem Onuphr. in Leone X. notat ob hanc rem, ut Rom. Eccl. graviſſimum ac peſtilentiſſimum) *Auguſtinianus, Wittenbergæ in Saxonia Theologiam profeſſus, qui refutatis primùm, moxque damnatis prætorum concionibus, eò poſtremùm devenit, ut ipſam Pontificis poteſtatem, quam ſibi per illa diplomata arrogabat, in dubium revocaret, ac tandem ad doctrinæ examen, quam ſucceſſu temporis labefactatam dicebat, creſcentibus per contentionem animis deſcenderet*. Hæc ille.

INDUS, dicitur ἐλεφανταγωγὸς, h. e. *rector Elephanti*, undecunque ſit ortus, quia hac arte maximè præſtant, qui in *India* nati ſunt & alios docuêrunt. Polyb. *l.* 1. de Cæcilio, qui Asdrubalem vicit fugavitque, θηρία σὺν αὐτοῖς μὲν Ἰνδοῖς ἔλαβε δέκα, *belluas cum ipſis* Indis *decem cepit*. Et *l.* 3. cùm Hannibalis elephanti Rhodanum trajecêrunt, τοὺς μὲν Ἰνδοὺς ἀπολέσθαι συνέβη πάντας, τοὺς δ᾽ ἐλέφαντας διασωθῆναι, *Cùm Indi omnes periiſſent, elephantos ſervari contigit*. In quibus verbis *Indi* vocantur, qui in India nati non erant, ſed in Africa. Aliter ſe res habuit de Eupatoris elephantis, quorum rectores cum ipſis belluis ex India veniſſe vero conſentaneum eſt, 1. Maccab. *c.* 6. *v.* 37. *ſuper unamquanque milites erant triginta duo pugnantes in eis, & Indus ejus*. Ubi Vulgatus habet, *Indus Magiſter beſtiæ*, &c. Iſtiuſmodi *Indo* harpen tribuit Ælian. *Hiſt. l.* 13. *c.* 1. Πολεμιστὰς μὲν τρεῖς (φέρει) παρ᾽ ἑκάτερα βάλλοντας καὶ τὸν τρίτον κατόπιν, τέταρτον δὲ τὴν ἅρπην κατέχοντα διὰ χειρῶν, καὶ ἐκείνῃ τὴν θῆρα ἰθύνοντα. *Bellatores quidem tres gerit, duos ab utraque parte & tertium retro pugnantem, quartum autem harpen manu tenentem, quâ belluam dirigat*. Sic apud eund. *l.* 13. *c.* 22. elephas officii ſui monetur τῇ ἐκ τῆς ἅρπης κρούσει· niſi quis malit ὅρπην ex Heſychio legere, cui ὅρπη eſt σίδηρος, ᾧ τὸν ἐλέφαντα τύπτουσιν, *ferrum, quo elephantem verberant*: ut in Philoſtrato, καλαῦροψ eſt incurvus baculus, quo puer elephantem regit. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l. II. c.* 27. *p.* 268. & 269.

INDUS, Gallis INDE, Hiſp. & Italis INDO, fluv. Orientis ſecundùm Gangem longè maximus, Indiam ab Occaſu alluens. Hunc in jugo Caucaſi montis, quod vocatur Paropamiſus, adverſus Solis Ort. effuſum ajunt, ac in ſe 19. amnes recipere. Arrian. de *Geſt. Alex. l.* 5. Septem oſtiis in Oceanum erumpit, quem *Sandum* ab incolis vocari ſcribit Plin. *l.* 6. *c.* 17. Baudr. oritur in prov. Caſſimera, ſub M. Mogole, verſùs confinia Tartariæ; dein per Antochitim, Multanum, Bucoriam & Tattam labens, urbibus cognom. tigatis, auctus Hydaſpe ad Nyſam urb. & Hypaſi, olim termino Alex. Mag. qui ipſi Hydaſpi jungitur, aliiſque in Oceanum Ind. ſe exonerat 5. oſtiis prope Tattam, inter regnum Guzaratæ & confinia Perſiæ, juxta ſinum Indic. Olim, ut Becmannus habet, *Sindo* accolis (quo nomine hodie R. Diul. à Perſis & Arabibus appellatur) nunc *Pang-ab* Perſis atque Mogolenſibus, i. e. quintuplex fluv. dicitur, quia totidem alveis, ut dictum, in Mare Indicum evolvitur, nempe *Bagal, Chanab Ravy* ſ. *Ravée, Via* & *Osvid* ſ. *Sind*. Vide eum *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ.* Ovid. *Faſt. l.* 3. *v.* 720.

> *Et domitas gentes* thurifer Inde *tuas*.

Lucan. Civ. Bell. *l.* 3. *v.* 236, & Strabo *l.* 15. *p.* 690. 693. 701. 702. & 724.

INDUSIUM ſ. INTUSIUM. Vox hæc, ut & Subuculæ, in uſu eſſe cœpit, cùm binas tunicas Romani geſtare incepêrunt. Tum ut ab inferiore ſuperior tunica diſtingueretur, ſubucula interior viri tunica, *induſium* interior tunica mulieris: ſuperior verò in viris tunica, in feminis ſtola dicta eſt. Nonius, *Induſium eſt veſtimentum, quod corpori intra plurimas veſtes adhæret, quaſi intuſium*. Fuiſſe autem feminarum interiorem tunicam, ex eo colligit Manutius, quòd Varro cum palla muliebri veſtimento, illud conjungit: vide Octav. Ferrar. *de re veſt. l.* 5. *c.* 1. Promiſcuè verò hodie vox uſurpatur. Ornatum eorum quod attinet, uti hodie extremæ illorum manicæ acceſſionem habent limbi è ſubtiliore tela vel ſimplicis atque expanſi vel in denſas plicas corrugati; ſic tunicas ad manus fimbriatas Vett. geſtâſſe legimus, apud Suet. *Jul. Cæſ. c.* 46. Sed & circâ collum fimbriata *Induſia* quoque Veteribus fuiſſe, diſcimus ex Lycophrone, ubi is in indumento exitum à ſuperiori parte non habente, quo Clytemneſtra in Agamemnone tollendo uſa eſt, κρατῆρας ῥαφὰς cæcis manibus eum quæſiiſſe quâ ſc. caput exereret, canit. Vide Caſaub. *ad l.* & ſuprà in voce *Focale*, nec non ubi de induſiatis *focillatoribus*.

INDUSTRIA, Liguriæ opp. quod & *Bodincomagum*. Plin. *l.* 3. *c.* & 16.

INEBRÆ ſ. INFERÆ, vide *Iræ*.

INEFFABILE, vide *Infandus*.

INEÆ, fullonis inſtrumentum, vide ſuprà *Inæ*.

INENE, i. e. Magnus Angolenſis Regni conditor, vide ſuprà *Angola*.

INERMES, in bello veniam merentur. Et quidem, ut de pueris feminiſque nil dicam, de quibus valet illud Senecæ *de Ira, Puerum ætas excuſet, feminam ſexus*: univerſaliter de maribus, quorum vitæ genus ab armis abhorret, idem ſtatuendum. *Jure belli in armatos repugnanteſque cædes*, Liv. & alibi, *arma habemus* (ait Camillus) *ſed adverſus armatos*: qui proin Vejis expugnatis edixit, *ut ab inermi abſtineretur*, apud eund. Et quidem in hac claſſe primùm ponuntur hi, *qui Sacra curant*. Nam ut hi ab armis abſtinerent, mos ab antiquo omnium fuit gentium, atque ideo viciſſim vi in illos temperabatur. Sic Philiſthæi, hoſtes Judæorum, non nocebant Collegio Prophetarum, quod erat Gabæ, ut videre eſt 1. Sam. *c.* 10. *v.* 5. & 10. Cretenſes, cùm inteſtinis bellis collideretur, omnem noxam abſtinuêre à Sacerdotibus, & iis, quos humandis mortuis præpoſitos Καταχαύτας dixêre, teſte Plutarcho *Quæſt. Græc.* Gothi Sacerdotibus Petri & Pauli extra Romam pepercêrunt, apud Procop. *Gothic. l.* 2. Quo prov. Græcorum pertinet, οὐδὲ πυρφόρος ὑπελείφθη. Certè &, cùm totâ Græciâ olim bello ferveret, Eleos, utpote Jovi ſacros, & eorum hoſpites in alta pace vixiſſe, auctor eſt Strabo *l.* 8. Pari modo, qui ad Olympia, Pythia, Nemea & Iſthmia certatum ibant, habuiſſe belli tempore ἀσφάλειαν καὶ ἄδειαν, *tutelam ac ſecuritatem*, legimus apud Thucyd. *l.* 5. *c.* 8. & Plutarch. *Arato*. Adde his, qui ſtudiis literarum honeſtis & humano generi utilibus operam navant &c. Dein *Agricolæ*, quos, tanquam in commune utiles, intactos in prœliis relinqui, de Indis cum laude refert Diod. Sic. *Bibl. l.* 11. de antiquis Corinthiis & Megarenſibus, Plutarch. de Cyro, Xenoph. *Inſtit. l.* 5. de Beliſario, Suid. Eoſdem & Canones aſcribunt: quibus *Mercatores* addunt, quo nomine continentur ſimul alii Opiſices & Artifices, quorum quæſtus pacem amat, non bellum &c. Vide Hug. Grot. *de Jure Belli & Pacis l.* 3. *c.* 11. §. 10. & *ſeqq.* ubi & de iis, qui, poſtquam arma geſſêrunt, *inermes* ſe hoſti exhibent, dedititiis ſc. captiviſque, accurate diſſerit.

INESSA ſ. UM, poſteà *Æthna*, opp. Siciliæ, nunc Brietio Cœnobium S. Joh. de Arenis, in valle Demonæ, ad rad. Æthnæ in Auſtr. inter Adranum ad Occ. & Cataniam ad Ort.

INEXSPECTATA, à Diis fluere, creditum Gentilibus. Arnob. *adventes Gentes l.* 3. *Atquin ego rebar paulo antè --- ultro à Diis fluere inexſpecta benevolentiæ munera*. Unde quæcunque præter ſpem proſperè cedebant feliciterque appellabant, Græce θεόπεμπτα, Artemid. *l.* 1. *c.* 7. & κατὰ τὸ Θεῖον accidere dicebant. Ariſtoph. *Equitibus*,

> ---- ἀλλ᾽ οὐ σοι προσέχει
> Ὥσπερ κατὰ θεῖον εἰς ἀγοράν.

Κατὰ δαίμονα item, Herod. *l.* 1. i. e. κατὰ τύχην ſ. ἀπὸ τύχης, it. τύχῃ θείᾳ ſ. δαιμονίᾳ, apud eund. alioſque Latini *divinitus*. Suet. *Claud.* &c. Hinc Petron. Arbiter, Edit. Gonſali de Salas p. 9. Edit. Boſch. *c.* 16. *Imò potiùs miratur, quis Deus juvenes tam urbanos in ſuam regionem detulerit*: & Plaut. *Ciſtellariâ*, Act. 4. Sc. 1. *v.* 16. & *ſeqq.*

> ---- *Nam obſecro, unde hæc gentium?*
> *Aut quis Deus objecit hanc ante oſtium noſtrum? quaſi*
> *Deditâ operâ, in tempore ipſe, ſpes mihi Sancta ſubvenit.*

Vide Deſid. Herald. *Animadverſ. ad Arnob. l.*

INFAMIÆ Corona, è lana olim. de qua vide C. Paſchal. *Coron. l.* 5. *c. ult.* ubi de *Infamiæ* pœna, infrà quædam ubi de Vett. *Pœnis*, it. in voce *Recrediti*.

INFANCIONES, Hiſpanis dicti ſunt Nobiles inferioris ordinis, quos ii hodie *Hidalgos*, Galli *Eſcuiers* vocant. Sic verò primitus Nobilium & Militum filii appellati ſunt, qui nondum per ætatem Militari cingulo, nec proinde militari appellatione, erant donati; quod etiam apud Gallos obtinuit. De eorum multiplici ordine, ita Vitalis Ep. Oſcenſ. *Sunt quidam* Infanciones, *quidam homines ſervitii ſive ſigni. Infancionum autem alii Hermunii, alii Franchi de Charta vulgariter appellantur. Hermuniorum autem Infancionum alii Barones vel Rici homines: alii Meſnadarii: alii ſimplices Milites: alii* Infanciones *ſimpliciter nominantur --- Infanciones Hermunii, h. e. immunes ab omni munere ſ. onere --- ſunt tali nomine rediniti, quibus ſunt libertas & conditionis decor, à tempore, quo non extat memoria, acquiſita, imò innata --- Infancio autem de Charta, eſt is cui immunitatem, quam genus vel natura negavit, liberalitas ejus, cujus erat adſtrictus ſervitio, conceſſit cum authentico inſtrumento*. Idem alibi, *In Aragonia omnis homo, deſcendens de genere Militari* (h. e. Militum ſ. Equeſtris Ordinis Virorum, qui non naſcebantur, ſed eligebantur, vulgò *Cavalleros*) *per lineam planam*, eſt Infancio, *ſive ſit legitimus, ſive illegitimus, ſive mas, ſive femina. Tamen, quamvis veniat ex parte Matris ex linea militari, non eſt Infancio, niſi habeat patrem Infancionem --- Et per Foros habetur, quòd quilibet Infancio poteſt eſſe Miles in Aragonia* &c. apud C. du Freſne in *Gloſſ.*

INFANS, à non fando dictus eſt, teſte Nonio: ſicut Græc. νήπιος, à νὴ & ἔπω. Hic ſive die ſive noctu in lucem prodit, natalis dicitur dies, ut ex Varrone fusè explicat A. Gell. *l.* 3. *c.* 2. & quidem veræ nativitatis terminus, nonus eſt menſis, ex ſententia Medicorum: Ovid. *Met. l* 10. *v.* 295.

> ---- ---- ---- *Jamque coactis*
> *Cornibus in plenum novies lunaribus orbem,*
> *Illa Paphon genuit.*

Decimus ab aliis laudatur, qui initium ſumunt decimi: poſt quem *Seminati* vocantur. Nec ſeptimus infrequentior, de quo vide Ovid. *Triſt. l.* 4. *Eleg.* 10. Quocunque tandem menſe, primogenituræ magna ſemper veneratio, à qua Fortuna Natalis Primigenia equæ ſolis femellis nunquam exponuntur primitivæ. Unde de gemellorum primogenitura litigârunt Jurecoſſ. maſculis ferè faventes, ut fortioribus, quod in Hiſpaniam vett. Gothi invexêre primi. Omni autem nato apud Paganos Genius ſociabatur ſtatim, qui & vitæ auctor eſſet & gignendi, quem proin coluêre votis, nummis, ſtatuis & inſcriptionibus. Fortuita puerorum Fortuna Genitalis regebat, ſicut neceſſaria Fatum. Lares quoque inter Natales Deos habiti: Fuêre & Dii Genitales alii majorum gentium ad Nativitatis providentiam electi, diverſi à Genialibus, Γενέθλιοι Græcis, quibus placidis vel iratis, prout quiſque natus, ita felix cenſebatur: Acceſſit quoque Neptunus Genethlius Deus, humore ſuo nativitatem promovens; ut Puerperarum hîc proprios Deos omittam, de quibus *ſuo loco*. Nato *Infante*, nunc ploratus, nunc lætitia apud diverſos: ipſe plorat, antequam rideat, variam ob cauſam.

Utero

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Utero egreſſum ſtatim lavabant, tanquam à matre rubentem: ſolus enim Clodius Albinus, teſte Capitolino, candidiſſimus natus legitur. Lavabantur verò partim ſale, partim aquâ, eaque vel tepidâ, ut in funeribus: vel fervente, vel frigidâ, quâ Germani etiam legitimum fœtum explorârunt. Unde de iis Claud. *l.* 2. in Ruf. *Carm.* 5. *v.* 112.

——— Naſcentes *explorat gurgite Rhenus.*

Pſylli partus ſerpentibus offerebant dijudicandos. **Æthiopes avibus,** ut legitimos diſcernerent, impoſuêrunt. Græci aquâ pariter ad ſordes *Infantium* abluendas uſi; additum ſubinde oleum in χύτλῳ vel toti corpori, vel oculis naribuſve, ad infantis robur & calorem non ſatis firmum augendum, & conſervandum. Lacedæmonii vino lavêrunt, alii Græcorum rore, Cimbri nive. **Lavandi vel in clypeo collocabantur,** antiquo cum funeribus ritu, ut patet ex Euripide *in Troadibus*: vel in mnaſiterna, vel labello, vel alio vaſe. Alvei quoque fit mentio, quod *Scaphiſterium* appellatur: *Crates* Triſmegiſto: Chriſtianis *Baptiſterium*, qui id Romanis debuêrunt. Alvei in familia Cæſaris teſtudinei erant in uſu, docente Capitolino *in Clodio Albino*: quo modo & lavabantur grandiores, quibus impoſitis haſtam addebant, cum hac acclamatione, ἢ τὰν ἢ ἐπὶ τάν, ut de feminis Laconicis ſcribit Thucyd. *l.* 2. Lavabant autem ſuis interdum manibus puerperæ ipſæ robuſtiores, ut plurimum obſtetrices vel ancillæ, quin ſervi & Eunuchi, qui idcirco muneribus donabantur. Aliquando ipſi Patres id muneris obiêre. Lotus *Infans* in terram ſtatutus fuit antiquis temporibus, non ſine pompa: mos è ſacris Hebræorum, qui tamen ante Juſtinianum deſiit. Religioſe conſecrata terra, quam primùm attigiſſent Auguſti: factumque id, ſive ut vocem terræ contactu acciperet, ſive ut auſpicaretur rectus eſſe Diis Conjugalibus, unde ab Obſtetrice erectus in terram erigebatur, ſive ut Opem ſ. Matrem communem ſalutaret, cujus poſthac indigebat ope. Ita in terra conſtitutis Statina Dea, cujus meminit Tertullian. *de Anima*, præfuit, vel, ut aliis viſum, Statanus. Nihil autem horum factum, ſi ante depoſitionem inter vivos eſſe deſiiſſet. Hinc quorum vitalia indicia, tellure ſuſcipiebantur à Parente, vel Procuratore ejus, quò inter legitimos numerarentur hæredes: Ubi differre conſtat, *naſci* & *ſuſcipi*: *educare* & *tollere*. Fiebat ea ſublatio ope Levanæ Deæ, de qua Auguſtin *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 2. ſed à Patris dependebat voluntate, cujus vitæ & mortis poteſtas in eos, quos pro ſuis agnoverat. Cuncta ritu hoc celebrata, ut ex terra ſublatum infantem ſuſciperet per ſervum Parens, vel ejus vice Puerpera, vel ſoror illius, vel familiaris aliqua: Obſtetrices quoque, unde *Terræ matres* dictæ. Partum autem tollere nolebant Patres, ſi ſexus eſſet ſequioris, quippe maſculus boni fuit ominis. Contraria Indis apud Curt. *l.* 9. Lacedæmoniiſque lex, quæ, Patribus arbitrio tollendi detracto, iis reliquit voluntatem ſuſcipiendi, quibus ſpectandi infantes curam demandavit. Omnes Judæi, Crotonenſes nullos tollebant: contra quam libertatem natæ LL. Papiæ & jus tot liberorum, apud varias gentes. Quos ſuſcipere nollet Pater ominis ergò & metus, more à Diis derivato, expoſiti fuêrunt, de quo vide ſuprà ubi de *Expoſitione*: Quem antiquorum barbarum morem non ſtatim ſuſtulêrunt Chriſtiani Impp. ſed progreſſu temporis demum, vt videre eſt in *Cod. Theodoſ. tit. de expoſitis*. Quandoque enecati, cui contrariam legem Romulus expoſuit, apud Dion. Halic. *l.* 2. Involucra porrò *Infantibus* duplicia erant, alia quæ rubenti ſubſternebantur, quale linteamen album, quo, dònec ablutus eſſet, involvebatur puer: hoc ſacrum infantibus ſignum, quia ad Deos ſacerdoteſque linum pertinet. Alia jam lotus & in cunis reponendus habuit: quæ vel faſciæ ſeu panni, modò albi, modò purpurei, pro varia puerorum fortuna, ſæpius lanei, toti corpori circumducti, ut ſalem continerent, & membra in rectum exitura per aliquot annos ſtringerent: vel Incunabula erant, de quibus *ſuprà*. Cunis impoſiti, ab Obſtetricum cura ad Nutrices tranſiêrunt: quarum erat, à quinto nativitatis die, eorum cum Rumina curam gerere, faſciis involvere, cunas movere, nenias lalloſque cantare, cui cantilenæ Lallus Deus præerat, &c. Vide infrà in voce *Nutrix*. Pappabant *Infantes* mammam amplexuri, vel Patrem vocaturi, unde *Papa* pro Patre, apud Græcos Romanoſque, pro *Avo* apud Arabes: *Mamma* pro matre ſ. nutrice, ortum, Lallabant eodem modo, unde *Lalli* & ἄλαλοι nondum loquentes, qui acceptâ voce Deo Fabulino ſacrificabant. Qua de re ſic pulchrè Valerianus Ep. Cemelienſis *Hom. l.* 10. *Ecce infantibus quàm ſunt verborum admiranda principia, ubi primùm informis litera vocabulum Matris operatur, & diſtantis ſyllabæ gemitus Patris nomen orditur. Quis autem ibi lætus non ſit, cum inter illa ſermonum dura rudimenta luctantes labiorum ſonos rudi linguâ decipit, & os trepidum ſtillantia verba deſtituit* &c. Vide Caſp. Barth. *Animadv. ad Stat. l.* 5. *Sylv.* 5. *v.* 68. ut & de *reptationis* exercitio infantili egregia quædam. *Papa* verò cibus eorum quoque ſicut *Bua* potus dictus eſt, docente Nonio *c.* 2. Recens baptizatis Chriſtianorum & *Infantibus* Paganis mel datum, cum lacte, ex vaſculo χυτειδίῳ per ſpongiam: quarto enim die Nutricis lac ſucceſſit, vide infrà *lac*, Mariſcæ & melimela, puls & libum delicatiorum, ſetania plebeiorum ſ. cepæ alliique viliſſimum genus, quibus pro potu acetum. Lacedæmonii citra ſatietatem, ut fami aſſueſcerent: Chriſtianis veteribus reliquiæ Euchariſtiæ præbebantur, Cypriani & Caroli Mag. temporibus. Sed antè, finitâ nempe ablactatione, epulæ inſtructæ, & pro ciborum auſpicio Eduſæ, potionis Potinnæ ſacra fiebant, porcellis lactentibus & pane furfuraceo, ubi ſimul Cubæ initiabantur, ſic ut apud Chriſtianos farre. Exportati denique in agros ad Dianam, tumque nutriri cœpêrunt, quod aliud erat, quam ali. Inter hæc ſacra tertius affulſit dies Romanis, Græcis quintus, quo coronæ natalitiæ foribus ſuſpenſæ Juv. *l.* 3. *Sat.* 9. *v.* 85.

——— *Foribus ſuſpende coronam,*
Jam Pater es,

Oleagina quidem Athenis, maſculis: lanea femellis. Romanis laurus, & hedera apiumque, ut & aliæ herbæ fragrantes, in hos uſus placuêre. Quinto die emergente inſtituta λοετρὰ λεχώϊνα, ſequebantur munera natalitia puero oblata, polypi, ſepiæ, coronæ, gemmæ: Ἀνάθημα donarium vocabatur S. Baptiſmatis: Ὀπτήρια, quæ primò *Infante* viſo exhibebantur. Aliis inſuper puerperæ & puerperii miniſtri eadem luce donabantur. Tota reliqua hebdomade primâ, Junoni propoſita menſa ſ. ara, ſuper quam votivus infans Diis, oblatus eſt & commendatus votis: additus Junoni lectus & in ejuſdem ærarium conjecti nummi. Sequutæ pro natis ſupplicationes, per omnia templa circumductis: Templa erecta & aræ poſitæ, cuſique nummi, Fœcunditati, pro ſingulorum conditione, ſpectacula varia, Circenſe, Atticum, ſtatuæ cum Inſcriptionibus, ſoluto voto, extructæ. Ultimo hebdomadis primæ die, natis infantibus tabellæ Fata inſcripta, vel virgæ natalitiæ compactæ ſunt, quæ cum nato adoleſcerent: aliis quercinæ, aliis populeæ, à quarum felicitate fata puerorum metiebantur, veteres & annoſas reſtituêre ſatagentes. Scritofinni non nomina arboribus, ſed ipſos nuper natos appendêrunt: Alii Veterum luminibus accenſis in puerperio, fortunam natorum futuram explorârunt. Huic ſucceſſit luſtricus dies, quo nomen adepturi, quemadmodum mortui, luſtrabantur; maribus nonus, femellis octavus, ultima hebdomadis aliis, qui etiam intra quintum diem ſubſtitêrunt. Præerat Nundina Dea feſto, quod Suovetaurilibus peractum & circuitione: circumferebantur enim pueri per Obſtetrices vel miniſtros circa focum, unde Ἀμφιδρόμια, nec focus is quidquam erat, quàm aræ Deorum hoſtiis calentes. Expiabantur dein aquæ aſperſione per aniculas luſtrali ex ſputo & pulvere, è balneis plerunque ſumpto. Vide Perſ. *Sat.* 2. *v.* 31.

Ecce Avia, aut metuens divûm Matertera cunis
Exemit puerum:

Hinc eodem die vario ferculorum luxu convivium agitatum. Pro luſtratione circumciſio erat apud Hebræos, ex divino olim inſtituto: quam poſteà ſibi quoque ſumpſêre Samaritani, Æthiopes, Ægyptii, Colchi, Phœnices, Troglodytæ, Macrones, Edomitæ, Ammonitæ, Arabes &c. Nec apud Græcos Romanoſque incognita fuit: Mahometani octavo demum anno, Syri decimo tertio, alii aliis adminiſtrârunt. Sic itaque nomen *Infanti* impoſitum apud omnes gentes, præter Atlantes, apud Hebræos octavo maſculis, feminis initio menſis. Nominalia Romanis maſculis octavo, ut dictum: femellis nono. Græci variabant, ut in luſtratione, aliàs quidem quinto, aliàs verò decimo: ſunt qui & ſeptimi meminêrunt. Chriſtianis nulla nec olim, nec nunc certa nominis dies. Ritus hi fuêre: Convocatis amicis, eligebant qui præeſſet nominis impoſitioni, nomen dabant infanti, crines tondebant, Diis ſacrificabant & agitabant convivium, vide infrà in voce *Nomen*. Profitebantur deinde Patres puerorum nomina publicâ conteſtatione, quam παιδογραφίαν vocat Modeſtinus, ſimulque in ærarium Ilithyiæ nummum inferebant. Mox intra tertium diem, in Actis publicis relati à Præfecto ærarii, non nomina tantùm, ſed etiam cognomina, nec non dies nativitatis & Conſul: quod & Indis olim & Europæis hodie haud infrequens: Vocabantur illa Acta *Faſti*, *Tabularia*, *Chartæ*, & in Saturni templo adſervabantur. Porrò pueris ſive ante luſtrationem ſive pòſt dormientibus, quia Caprimulgum & Lilith, item Sagas ſ. Stryges, inſidiari creditum, faſcina eorum vel allio vel alyſſo vel Priapi icunculâ appenſâ, abigere conabantur. Cui faſcino *Infantili* ſucceſſêre grandioribus bullæ ad invidiam, ditioribus aureæ, aliis coriaceæ, figurâ cordis vel lunæ pectori affixæ. Cùm morbis tentabantur, *Infantum* curam tractavêre Matres præſertim, & Obſtetrices. Aethiopes eorum frontem ipſo natali die, Hetruſci occiput & venas verticis temporumque Libyæ populi urebant: Potiones per clyſteres ori infuſæ. Ad ſanitatem conſervandam exercitia cunis conferebant, adultioribus vehicula & navigia: Nec deerant vota pro ægrotantium ſalute, quæ Junoni Lucinæ, Caſtori & Polluci ſolvebant, ſanitate redditâ. Indignabantur enim animæ tenellæ hinc emigrare: ſed mortuis inferias non libârunt nec eos ante dentes natos uſſêre: quorum ideò nulla buſta, ſed ſuggrundiaria, corporibus eorum in urnulis impoſitis. Chalcidenſes extra urbem in via ad Euripum humabantur. Grandiores natu ſarcophago integris corporibus conditi in loco communi vel ante aras. Lugebantur veſtibus cyaneis, mollitiei ſigno & fuſcis, à tota familia præſertim matribus ac ſororibus: ante Auroram, quaſi à die rapti, facibus funeralibus & ad tibias elati; quia nec lugere trimo minores licuit. Monumenta tamen iis erecta, memoriaque Natalis diei quotannis celebrata feſto Genethliaco ſolenni, quod cùm in vivis ſolùm primitus obtineret; poſteà quoque ad fato functos tranſlatum, conſtitutæque hac fini uſuræ ad ſolvenda convivia ſunt: unde Natales Sanctorum & SERVATORIS noſtri Chriſtiani mutuati ſunt, qua de re vide infrà in voce *Natalis dies*, & plura in hanc materiam, apud Thom. Bartholin. *l. de Puerp. vett.* aliquid etiam infrà in voce *Urna*. Atque hæc quidem de *Infantibus*, quorum noti Parentes: de quibus hoc unum addo, apud vett. Chriſtianos Orientis, ſolitas fuiſſe feminas, quadrageſimo à partu die, *infantem* in templum deferre, ſic velut Eccleſiæ eum initiantes, id quod ἐκκλησιάζειν dixêre, uti docet Meurſ. in *Gloſſ.* &c. At inventitii *infantes*, incertis nempe Parentibus nati, in antra Nympharum deponi ſolebant. Quod eò fortè factum, quia puellæ; quæ parere geſtiebant, à Nymphis prolem votis poſcere, ſc. ei rei conſenſu ſuperſtitioſorum præpoſitis, ſolitæ ſunt. Euripid. *Electrâ v.* 627.

A. Νύμφαις ἔπορσον ἑορτὴν, ὡς ἔδοξέ μοι.
B. Τροφεῖα παίδων, ἢ πρὸ μέλλοντος τόκου;
A. Οὐκ οἶδα, πλὴν ἓν βουσφαγεῖν ὡπλίζετο.

Vide Barth. ubi ſuprà, *Theb. l.* 5. *v.* 519. ut & hic ubi de *Nothis*, ac *Spuriis*: de veſte autem *Infantum*, apud Vett. ſuprà, in *Alicula*; de *filo coccineo* iis appendi ſolito, infrà in voce *Porphyrius*; de eoſdem ægros ad feretra vel tumulos Sanctorum ponderandi, in Eccl. medii ævi, ritu, ſuo loco.

Dii,

Dii, qui naſcentibus infantibus præerant, ex Joh. Roſino.

Anculi & Anculæ, Dii Deaeque erant ancillarum, *Feſt.*

Carnea, vel potiùs *Carna*, vitalibus humanis præeſſe credebatur, ab eaque petebatur, ut jecinora & corda, reliquaque viſcera ſalva conſervaret.

Cunina, cunis preafecta eſt, quas tuebatur & faſcinum ſubmovebat.

Diva Educa, ſ. *Eduſa*, eſcam infantibus praebere credita eſt: ſicut Diva Potina potionem miniſtrabat. Utrique ſacrificabant Nutrices, cùm primo re cibo ac potione *Infantes* initiabant.

Fabulinus Deus dicebatur, quem fari incipientibus pueris invocabant, eique ſacra faciebant.

Janus, primus commemoratus eſt Varroni, enumeranti Deos ab ipſa conceptione hominis & ſeriem eam perducenti, uſque ad decrepiti ſenis mortem.

Juventus ſ. Juventas Dea fuit, quæ poſt prætextam excepit Juvenilis aetatis primordia, Auguſtin, *de Civ. Dei l.* 4. *c.* XI.

Levana de terra levabat *Infantes.*

Lubentia, ſ. *Lubentina*, eadem cum Venere Genirali Dea.

Naſcio, ſive *Natio* Dea, naſcentium fuit Praeſes, teſte Cic. *de Nat. Deor. l.* 3.

Nundina Dea, à nono naſcentium die dicta eſt, quo infantes luſtrabantur, & nomina accipiebant. Is enim maribus erat nonus.

Opis invocabatur, ut opem ferret naſcentibus & eos ſinu terræ exciperet.

Orbona colebatur, ne orbi fierent *Infantes.* Arnob. *l.* 4. ait, in ejus tutela fuiſſe orbatos liberis parentes.

Oſſilago, Dea ſolidatrix oſſium fuit.

Paventiam Deam conſtituêrunt antiqui, ut ab *Infantibus* pavorem averteret. Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 4. *c.* XI.

Rumina, mammam parvulo credebatur immulgere. Idem *l.* 4. *c.* 8.

Statilinus & ſtatana Dea, educationi ab antiquis aſcripti ſunt, eo viz. tempore, cum ſtandi ac conſiſtendi poteſtatem habere incipiebant.

Vaticanus, in vagitu os aperire dictus eſt, vel vagitibus præſidere. Vide A. Gell. *l.* 6. *c.* 17. Unde quidam *Vagitanus* legunt, apud Auguſt. *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 8.

Volupia, à voluptate dicta, ſimiliter inter *Infantium* Præſides cenſita eſt &c. Vide *ſuprà.*

INFANS, nomen quod Regum filiis in Hiſp. tribuitur, uti legimus apud Vitalem Ep. Oſc. quod nomen primitus ajunt filio ſuo primogenito Sancio indidiſſe Ferd. II. Caſtellæ & Legionis Regem illudque ab Anglia hauſiſſe ductâ in uxorem Leonorâ filiâ Regis Angliæ. Sed longè ante iſtud tempus *Infantium* & *Infantiſſarum* obtinuiſſe nomenclationem, docemur ex *Ep.* Pelagii Ep. Ovetenſis, qui vixit A. C. 1100. Is enim *in Veremundo II. Rege Habuit*, inquit, *duas nobiles Uxores: ex una genuit Infantiſſam domnam Geloiram. Ipſe Infans Ordonius Fronildi Pelagii genuit plures filios* &c. Sic in Charta Alphonſi VI. Regis Caſtellæ Aeræ 1118. *ſubſcribit Ramirus* Infans *Garſiae Regis fil.* apud Anton. Yepezium *in Chron. Ord. S. Bened. Tom. III.* Vide Suritæ *Indic. l.* 1. *Aerâ* 1063. & 1064. Mich. *del Molino in Repertor. Foror. Aragon* in voce *Primogenitus* & Sebaſt. Cobarruviam *in Theſ. Ling. Caſtell.* A' voce Cantabrica, *proximum Succeſſorem Regni* ſignificante, nomenclaturae hujus originem arceſſit Georg. Horn. *Orb. Imp. cum Dot. Felleri p.* 278. Sed & alibi *Infantes* & *Pueri* promiſcue dicti occurrunt etiam Magnatum filii, qui nondum ex ætatis defectu feudorum paternorum poſſeſſionem adierant, quæ à *Cuſtodibus* & *Tutoribus* intereà adminiſtrabantur, donec ad legitimam ii ætatem perveniſſent, qua de re dictum ſuprà in voce *Hæres.* Ita Frid. Henr. II. Imp. fil. quem ſpectabat Apuliae ſ. Siciliae Regnum ex parte Matris. *Infans Apuliæ* appellatus eſt, uti teſtatur Auctor *Chronici* Senon. *c.* 19. *Puer Apuliæ*, in *Cron.* Andrenſi *p.* 634. *l'Enfant de Pouïlle*, in *Chron.* Flandr. *c.* 21. Primogenitus Angliæ Regis, *Puer Anglicus* dicitur, Gulielmo Britoni *Philipp. l.* 12. Fil. Comitis Campaniae, *L'Enfant de Champagne*, apud Muskium: Fil. Regis Bohemiae, *Adoleſcens Bohemicus* apud Monach. Pegav. *p.* 6. Fil. Ducis Cliviaci, *l'Enfant de Cleves*, Monſtrelleto, &c. Imò quoque *Infantes* & *Pueros* interdum deprehendimus indigitatos, etſi fortean praediorum paternorum jam adiiſſent poſſeſſionem vel certè eorum poſſeſſores audirent. *Charta* A. C. 1088. apud Beſlium *in Epiſcopis Pictav. Sub regimine Regis Francorum, Aquitaniae Ducatum tenente Gulielmo* infante *Pictavorum Com.* &c. Vide infrà in voce *Puer*, & plura hanc in rem, apud C. du Freſne in *Gloſſ.*

INFANTADGO, nomen illuſtris in Hiſp. Fam. Mendoziæ ſtirpis. Didacus enim Hurtadus de Mendoza, Admiralis Caſtiliae (fil. natu major NN. *de Hita & Butrago*, frater Inici Lopezii, qui primus Com. *del Real de Manzannares* & *March.* de *Santillana*, creatus eſt, A. C. 1445. & ſeptem mares genuit è quibus primus Didacus Hurtadus de Mendoza, novum decus genti intulit, *Ducis del Infantadgo* dignitatem adeptus. Huic, praeter maximum natu, lineae Ducalis continuatorem, de quo mox; filii fuêre Joh. Hurtadus Dominorum *de Belenna* & *Valhermoſo* & Garſias Laſo de Mendoza Dominorum *de Junquera in Guadalaxara*, cum cogn. *de Laſo*, conditores. In ſtipite verò Ducum directo, Didacus Lopezius I. ex Brianda de Luna agnata (filia Joh. Hurtadi de Mendoza) Inicum Lopezium I. genuit Maria de Luna (filia Alviri de Luna Duc. de Truxilio) maritum & ex ea partem Didaci Lopezii II. quo & Mariâ Pimentelliâ, nat. Inicus Lopezius II. Iſabellam Aragoniam ſibi junxit (filiam Henr. Aragoniae inf. Fortunæ, Duc. Segorbiae. Ferd. Aragoniæ Regis qui Obiit A. C. 1416. ex Henr. fil. nepotis) atque ex ea ſuſcepit Didacum Hurtadum II. Com. *de Saldanna*, cui Maria agnata March. *del Cenete* (filia Roderici de Mendoza March. *del Cenete*,) genuit Rodericum Duc. *del Infantadgo*, ex Anna agnata (filia Inici Lopezii de Mendoza Duc. *del Infantadgo*, Didaco Hurtado II. geniti) Luiſæ, Inici Lopezii (Den. ....) Magdalenæ (Den. ...) & Mariae patr. è quibus hæc ultima Garſiæ de Toledo Oſorio Duci de Fernandina nupſit; ptimogenita verò Luiſa, hæres, Ducatûs titulum marito Didaco Gomezio de *Sandoval*, Com. *de Saldanna* (fil. Franciſci *de Sandoval* & *Roxas* Duc. *de Lerma*) attulit; mater ex eo Annæ, Roderici & Catharin *de Mendoza Sandoval Roxas Duc. de Infantadgo* March. *de Santillana*, *Argueſo* & *Campo*, March. de *Cenete* (quæ nupſit Roderico de Silva Mendoza *Duci de Paſtrana & Eſtremera*, Principi de Melito, & Duci de Villafranca in Regno Neapolitano: ex eo mater Roderici de Silva Hurtado de Mendoza Guzman Com. de Saldanna, qui uxorem ſibi junxit N. *de Haro*, filiam Lud. *de Haro* A. C. 1666.) Phil. Jac. Spener. *Theatro Nobil. Eur. Part. II. p.* 106. & *Part. III. p.* 80. & 87. ut & utrobique *in Ind. ubi Familiæ diſpoſitionem exhibet.*

INFANTES Monaſterii, iidem qui vulgò *Oblati*: in *Capitulis* Theodori Cantuar. *c.* 34. *Infantes Monaſterii* 14. *Annis carnem manducant.* Apud Eund. *c.* 115. *Pueri Monaſterii* dicuntur, ubi etiam vetantur *ante* 25. *Annos ordinari.* Eorum modeſtiam in Eccleſ. ſic deſcribit Domnizo de *Vita* Mathildis, *l.* 1. *c.* 15. de Bonifacio Duce,

Scilicet aſſiſtens ad opus divum bonus ipſe
Stabat in excelſo ſolio, non corde ſuperbo:
Aſpicienſque chorum, facies vidit puerorum
In terra pronas, pſallentes dulciter horas,
De quibus admirans, ita cur ſtant, ſeque regirant,
A' Monachis didicit, ſemper quòd ſtant ibi fixi.
Hoc non oblitus jocundus Dux & opimus,
Ire ſub tectum clam Templi cœpit honeſtum
Quendam quippe virum cum nummis, vult quia mirum
Ipſe videre, decem libras vir jactat ab æde,
In medioque Choro ſtrepitus ſonat, & puerorum,
Quorum palpebræ penitùs nec ſic patuêre,
Aſpexit nummum tetigit non ullus & unum:
Inde magis gaudens præclarus Dux ait autem:
In modicis Annis ſunt hi pueri velut alni,

apud C. du Freſne *in Gloſſ.* ubi etiam quaedam de *Infantibus* ſ. pueris ſymphoniacis, quorum mentio in *Ord.* Rom. vulgò Gallis, *Enfans de Chœur.*

INFANTIA inter Numina Gentilium, vide ſuprà *Dii.*

INFANTICIDIUM, ejuſque deguſtatio, inter alia ſcelera, quorum infamiâ Chriſtiani aſpergebantur, ſub Impp. Ethnicis, præcipuè iis exprobrata; quo nomine ad beſtias damnabantur, ex *l. Cornelia de Sicar.* ut *humiliores ſolerent* vel *beſtiis ſubjici, l.* 3. §. 5. *ff. ad leg. Corn. de Sicar.* Cenſebantur autem inter *humiliores* Chriſtiani, adde etiam, *famoſos*, quos ſeveriùs *quàm integrae famae homines, puniverunt*, *leg.* 28. §. 16. *ff. de Poenis*, qua de re vide Sam. Pet. *Comm. in LL. Attic. l.* 2. *tit.* 3. Calumniæ feneſtram aperuiſſe primus videtur Simon Magus, quem poſtmodum ſecuti Menander, Carpocretes, Nicolaitæ, & Gnoſtici, hanc deteſtandam de Chriſtianis opinionem confirmârunt. Peſſimi enim hi mortalium feralia ſua facta, & ſacra omnibus tetriora ſacrilegiis, *Chriſtianae cœnae* & *Synaxeos* nomine ornârunt. Quo factum, ut cœcum ac imperitum vulgus, propter nominis communionem & veros Chriſtianos & ab iſtis flagitiis alieniſſimos, ſine diſcrimine inſimularent, quaſi monſtra colerent, *infantes* vocarent, convivia inceſta percelebrarent. Cataphrygas certè, Pepuzianos & Quintillianos tradunt Origenes, Euſeb. Juſtinus Martyr, Alii, de *infantis* anniculi ſanguine, quem de toto ejus corpore mimos punctionibus extorſerint, Euchariſtiam conficere miſcentes ſanguinem farinæ, panemque indè facientes conſueviſſe: qui ſi mortuus eſſet, pro Martyre, ſin ſupervixiſſet, pro magno Sacerdote habitum. Carpocratianos quoque & Florianos poſt occaſum Solis in Eccl. conveniſſe, inceſta convivia agitantes ex Philaſtrio & Epiphanio notum: quorum hic porrò tradit, Gnoſticos tenellum fœtum in mortario piſtillis contundere ſolitos, eumque admixto melle, & pipere, aliiſque condimentis devorare. Cujuſmodi proin flagitiis hoſtes Chriſtiani nominis aures vulgi adversùs Chriſtianos refellêrunt, ſicque deteſtabiles illos omnibus reddere conati ſunt. Vide Suffr. Petrum, *Comm. ad Athenagoram Apolog. pro Chriſt.* Wowerium *Notis*, Alios. Non deſunt tamen, qui etiam de hæreticis praefatis falſa hæc eſſe, & perverſo nonnullorum Zeloni afficta aſſerant. Num enim ſcelera tanta tacuiſſent *Apologeticorum* Scriptores, qui tamen tantæ immanitatis ne ſuſpicione quidem illas ſectas onerârunt. Sanè de Montaniſtis, idem, quæ de Cataphrygibus aliiſque diximus refert *in Can. XII. Conc.* CP. Zonaras, cùm tamen nemo veterum, qui illorum haereſin refutavit ſimile quid de iis narret. Vide Deſid. Herald. *Not. ad Minuc. Fel.* ubi Coecilius de Chriſtianis: *Infans farre contectus, ut decipiat incautos, apponitur ei, qui ſacris imbuatur, is infans à tirunculo farris ſuperficie, quaſi ad innoxios ictus provocato, caecis occultiſque vulneribus occiditur: hujus, proh nefas! ſitienter ſanguinem lambunt, hujus certatim membra diſpertiunt, hac foederantur hoſtiâ, hac conſcientiâ ſceleris ad ſilentium mutuum pignorantur* &c. Quàm verò in Chriſtianos calumniam intorſerant Gentiles, in hos egregiè retorquet Octavius *in ſeqq.* cùm ait, *Haec utique de Deorum veſtrorum diſciplina deſcendunt. Nam Saturnus filios ſuos voravit. Merito* (proin) *et in nonnullis Africæ partibus à parentibus infantes, immolabantur, blanditiis & oſculo comprimente vagitum, ne flebilis hoſtia immoletur.* Vide quoque ſuprà ubi de *Anthropophagis*, & infrà in voce *Paedothyſia*: de *Infanticidio* autem Pœnorum inprimis Sil. Ital. *Bell. Pun. l.* 4. *v.* 769.

INFECTOR, vide infrà *Tinctor.*

INFELIX Arbor, Catoni quae nullum, Tarquitio apud Macrob. quae nigrum fert fructum. Ita enim hic in *Oſtentario arborario*, *Sat. l.* 3. *c.* 20. *Arbores, quea Inferûm Deorum avertentiumque in tutela ſunt, eas* infelices *nominant. Alternum ſanguinem, filicem, ficum atram, quaeque baccam nigram nigroſque fructus ferunt, itemque acrifolium, pyrum ſylvaticum, ruſcum, rubum ſenteſque quibus portenta prodigiaque mala comburi jubere oportet.* Nempe ſigna haec ad portentorum expiationem adhiberi ſolebant. Lycophr. *Caſſandrâ*, ubi de Locrenſium Virginum calamitate,

Ὅται

O'ταν ἀκάρποις γύα συμφλέξας φιζῆς
Ἥφαιςθ· εἰς θάλασσαν ἐκόξάττη σποδὸν κτλ.
Cùm membra cremis uſtulans infamibus,
Cinerem procellis ventilabit Mulciber &c.

Et Catull. in Ann Voluſ. Carm. 36. *v.* 3. & ſeqq.

Vovit, ſi tibi reſtitutus eſſem,
Deſiſſemque truces vibrare jambos,
Electiſſima peſſimi poëtæ
Scripta tardipedi Deo daturam
Infelicibus *uſtulanda* lignis.

Sed & perduellionis *ad arborem infelicem* ſuſpendi conſueviſſe, docet Romuli lex, *Duumviri perduellionem judicent. Si à duumviris provocárit, provocatione certato. Si vincet, caput obnubito, infelici arbori ſuſpendito.* Vide Joh. Meurſ. *Comm. ad Lycophron.* Cœl. Rhodigin. *l.* 10. *c.* 7. Alios. De hominum Vide *Infelicium* coronis præmiisque C. Paſchal. *Coron. l.* 5. *c.* 6.

INFERI, fabula Plin. *l.* 2. *c.* 63. ubi de avaritia hominum, in ipſa terræ viſcera penetrantium, *Si ulli*, inquit, *eſſent Inferi, jam profectò illos avaritiæ atque luxuriæ cuniculi refodiſſent.* Imò & Juv. *Sat.* 2. *l.* 1. *v.* 149. & ſeqq.

Eſſe aliquos maneis & ſubterranea regna,
Et Contum & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque unà tranſire vadum tot millia cymba.
Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lavantur:

Et Lucret. & omni Epicureorum Scholæ Luciano imprimis. Quibus celeberrimos Philoſophos junge, Senecam earundem partium, vel principem, *Conſol ad Martiam*, c. 19. Cic. *de Nat. Deor. l.* 2. longè fuſius *Tuſc. Quæſt. l.* 1. Alios, qui figmentum utile Reipublicæ ad coërcendos impios, hanc *de Inferis* doctrinam vocavêre. At Sapientiores Gentilium hac de re meliùs, inter quos & Protagoram librum περὶ τῶν ἐν Ἅδε, *De iis, quæ ſunt apud Inferos*, conſcripſiſſe memorat Laërt. *in Eo.* Certè non ſupplicia minùs, ac præmia, poſt impletam mortalitatem ſupereſſe homini, præter Pindar. *Olymp. Ode* 2. *Epod.* 3. alioſque poëtas, Philoſophi ſenſêre, Plat. *de Rep. l.* 3. *princ. de LL. l.* 9. *ſub. fin. l.* 10. *alibique paſſim*, Plotin. *Ennead.* 3. Cato, apud Salluſt. *in Catil.* Plutarch. *de aud. poët.* Stoici, apud Lactant. *l.* 7. *c.* 11. &c. Et quidem *Ignem infernalem* agnoviſſe, inde patet, quòd ποταμῶν φλεγομένων, *fluminum flagrantium igne*, ποταμῶν πυρὸς *fluviorum ignis*, Pyriphlegetontis inprimis, crebra apud illos mentio. Igne tamen ardentibus, ne lucis quidem ſolatium futurum, denſiſſimis Tenebris obruendis, & ipſis non ignotum. Hinc apud Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 265.

--- loca nocte ſilentia latè,

& ſilens nocte perpetuâ domus, apud Senecam *Hippol. Act.* 1. *Sc.* 2. Vide quoque Plutarch. d. l. Porrò, *Abyſſi profunditatem*, ingerit Plato de *LL. l.* 10. & Triſmegiſtus apud Appulejum *in eo*, *Carceris ſqualorem*, Socrat. apud Plat. *in Gorgia* : *Catenas*, Virg. *d. l. v.* 545. & *ſeqq.* & Eris Armenius, apud Plat. *de Rep. l.* 10. *Stridorem dentium ac fletum*, Virg. *ibid.* Plat. ſimiliter & Triſmegiſtus, *Extremitatem pœnarum*, Plat. iterum *in Gorgia* : *Æternitatem*, Ovid. *in Ibin.* &c. Quæ omnia, fabulis quidem variis involuta, veri tamen non parùm continentia, unde illi hauſerint, aperit Juſtin. Martyr, *Moſes*, dicens *antiquior eſt omnibus Græcorum Scriptoribus, & quidquid---de pœnis Inferorum & rebus cœleſtibus, aut id genus aliis vel poëtæ prodidêrunt, à Prophetis occaſionem acceperunt, tam ſentiendi, quàm eloquendi talia. Sic fit, ut his omnibus ineſſe videantur aliqua veritatis ſemina.* Quam in rem Vide præclarè differentem Tob. Pfanner. *Theol. Gentil. pur.* C. I. §. 5. & C. XXI. §. 5. & *ſeqq.* De loco verò *Inferorum* apud Vett. æque ac Recentiores incerta omnia. Spiracula Ditis & aditum eorum in monte Hirpinorum Apuliæ collocabant Romani, ubi proin Amſancti ſacrum Diti perſolvebatur quotannis. Hic enim ſpecus ille peſtifer, adeò apud Vett. celebris, cujus ſpiritus juxtà ſtantes necabat. Plin. *l.* 2. *c.* 93. *Item in Hirpinis Amſancti, ad Mephitis ædem, locum, quem qui intravêre moriuntur.* Ad Sept. loca ponit Stat. *Theb. l.* 2. *v.* 53. ubi & nunc plurimis perſuaſum Oſtia Inferorum eſſe, Vide Olai Mag. ſcripta edita Romæ A. C. 1555. Certè non aliam magis ob cauſam gentibus his olim prælata nox diei & tenebrarum Regina Luna lucis principi Soli, Infernales Æthereis ſanctiùs culti, ut alibi diximus. Alii in aëre caliginoſo, in centro terræ, alibi, *infernum* extruunt. Sobrie magis ea de re Theod. Beza *c. Brentium*, *Sicut cœlum, cujus majeſtas nobis nunc eſt incomprehenſibilis--certum ac definitum locum eſſe, mundo ipſo ſuperiorem, ex Scripturis credimus: ita & Inferos ex iiſdem Scripturis credimus certum ac definitum locum eſſe, quem non fruſtra ſcriptura Abyſſum & Tartarum, Infernum denique vocàrit Eccl. horrendis & æternis Satanæ & impiorum ſuppliciis deſtinatum. Quæ porrò de ejus ſitu & cameris ridiculi nonnulli ſomniatores partim excogitârunt, partim ex profanis Scriptoribus repetivêrunt, ut vanas & aniles nugas, relinquimus.* Cæterum de Diis *Inferorum*, quos iis aſſignavit Gentilitas, Vide ubi de *Dite*, *Furiis*, *Plutone*, *Proſerpina* &c. de Sacris iis fieri ſolitis, Caſp. Barth. *Animad. ad Stat. paſſim*, inprimis *Theb. l.* 4. de iisdem, ut & aliis huc pertinentibus, eundem *Comm. Superſtition.* & hic non uno loco &c. Addam ſaltem, non creditum Vett. multis, *Inferis* recipi animas inſepultorum, aut eorum qui immaturè vel violentâ morte extincti eſſent. Unde non animas ad Inferorum ſedes jam adactas, ſed ſolas ἀώρων & βιοθανάτων, in Necyomantia, evocari, utpote in propinquo degentes, neque ex intimis Orci ſedibus avellendas, unde nullus reditus, erant perſuaſi, qua de re diximus aliquid ſuprà, ubi de *Aboris*. Nec hoc omit-

tendum, Vett. *ad Inferos diſcendiſſe* tralatitiè dictitâſſe eos, qui diutius peregrinabantur, uti diſcimus ex Artemidoro *l.* 2. *c.* 60. Atque ſic omnino intelligendum eſſe Ulyſſis deſcenſum, apud Homer. & Æneæ apud Maron. docet Joſ. Meurſ. *Comm. ad Lycophron. p.* 244.

INFERIÆ, fuêre ſacra mortuorum, quæ Inferis ſolvebantur. Et quidem, antiquitus mos erat, in ſepulchris fortium virorum, captivos necari: quod poſtquam crudele viſum eſt, placuit gladiatores ante ſepulcra dimicare, qui à buſtis *Buſtuarii* dicti ſunt. Cùm nec horum copia eſſet, laniantes genas ſuum effundebant cruorum, ut rogis illa imago reſtitueretur. Vel, quemadmodum Varro loquitur, ut ſanguine oſtenſo Inferis ſatisfierit, quod tamen lege XII. Tabb. interdictum. Mox ubi uſtulatum cadaver erat, rogus buſtum dicebatur, cinereſque & oſſa cado ſive urnâ colligebantur, amicis, cognatis aliiſque circumſtantibus, qui à Sacerdote ter aquâ purâ aſperſi, ita expiabantur ſive luſtrabantur. His Præfica noviſſimum verbum illud altâ pronuntiabat voce, *Ilicet*, i. e. ire licet: quo dicto, qui comitati funus erant, domum abituri, extremum vale clarè ingeminabant, *Vale, vale, vale, nos te ordine, quo Natura permiſerit, ſequemur*, Vide Thom. Dempſter. ad Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 39. Hinc *ſpirantes Inferias* dixit Stat. *Theb. l.* 12. *v.* 68. *Sed quod ſumptuoſum erat & crudele homines vel victimas interficere, ſanguinei coloris cœpta mortuis veſtis injici*, Serv. *in l.* 3. *Æn. v.* 65. ubi pulchrè de antiquiſſimo hoc ritu. Dicit autem *vel victimas*. Namque & *equi* Inferiis Ducum mactati, uti de Achille apud Homer. Patroclo, & Creonte apud Stat. Menœcco parentante legimus. Vide Barthium *Adverſ. l.* 14. *c.* 19. Idem de Luſitanis ſcribit Strab. hiſque *capros* & *captivos* homines junctos memorat, *l.* 3. *aſinos* & *canes* Arnob. *l.* 3. uti *canes* itidem *menſarios*, in duas partes diſſectos, cum equis; rogo Patrocli Achilles modo dictus injicit &c. Erant autem *Inferiæ* hujusmodi vel recentes, vel anniverſariæ: addebaturque non raro funebris laudatio ſeu carmen, quod *Parentalia* dicebant Latini Ἐπιτάφιον λόγον Græci, qua de re Vide Scalig. *Poët. l.* 3. *c.* 12. & plura hic paſſim, inprimus in voce *Buſtuarii* : uti de *Inferilibus parentalium, ubi de Cœna Ferali.*

INFERIUM Vinum, dicebatur vett. Romanis quod in Vinalibus Jovi offerebatur ac libabatur, ut in frumentis *præmeſſa*, laconibus ἀπολογία, ab *inferendo*, uti docet, ridens ſuperſtitionem hanc ſuaviter, Arnob. *adv. Gentes*, *l.* 5. *Operæ pretium eſt etiam verba ipſa depromere, quibus, cùm vinum datur, ubi ac ſupplicari conſuetudo eſt*: Mactus hoc vino inferio eſto. *Inferio inquit Trebatius verbum eâ cauſâ eſt additum--ne vinum omne omnino, quod in cellis atque apothecis eſt conditum, ex quibus illud quod effunditur promptum eſt, eſſe ſacrum incipiat, & ex uſibus eripiatur humanis. Addito ergo hoc verbo, ſolum erit, quod inferetur, ſacrum, nec religione obligatur cæterum.* Mox, *Injuria eſt iſta, non honor. Quid enim, ſi Divus amplius hoc volet, neque erit contentus illato.* & uti verò quæ ſeqq. E quibus patet, quam cautè Vett. quoties aliquid Diis ferrent aut conſecrarent, loqui conſueverint, ne quâ ſe tacitâ religione obligarent: unde & in *Inſcr.* ſæpe leges ac conditiones, additæ circa talia. Cæterum *Calpar* quoque hujusmodi vinum, Vide ſuprà. Athenis ſimile feſtum πίαγια & Vide Scalig. ad *Varronem* & *Feſtem Inferium vinum* ab *inferendo*, ſic *Arſeria aqua*, ab *ad ferendo*, ut vidimus ſuprà.

INFERNATES, & *Supern.* pop. Italiæ, mare Inferum & Superum accolentes.

INFERTORES, vocabantur apud Rom. qui fercula conviviis inferebant: appellati ab opera, quam præſtabant, Juv. *l.* 1. *Sat.* 5. *v.* 80.

Aſpice quàm longo diſtendat pectore lancem,
Quæ fertur domino, ſquilla & quibus undique ſepta
Aſparagis, quâ deſpiciat convivia caudâ,
Cùm venit excelſi manibus ſublata miniſtri.

Ubi habent vett. gloſſæ, *miniſtri*, *infertoris*. Eædem ad illa ejusdem poëtæ *l.* 4. *Sat.* 11. *v.* 142.

Nec fruſtum capreæ ſubducere, nec latus Afræ
Novit avis noſter tirunculus ---

ita explicant, *h. e. quod vult dicere*, Infertor *noſter furtum facere ignorat.* Et hæc quidem vox in Lege Salica extat. Miniſterium tetigit Juv. de quo ſuprà, & ante hunc Horat. Serm. *l.* 2. *Sat.* 8. *v.* 85. & ſeqq.

--- --- --- --- Deinde ſequuti
Mazonomo pueri magno diſcerpta ferentes
Membra gruis, ſparſi ſale multo, non ſine farre,
Pinguibus & ficis paſtum jecur anſeris albi,
Et leporum avulſos, ut multo ſuavius, armos,
Quam ſi cum lumbis quis edat.

Tangit & Zeno Veronenſis, *Serm. ad Neophytos poſt Bapt. Tres pueri unanimes legumina inferunt primi, quibus, ut ſcitus ſit ſapor, ſalem ſapientiæ aſpergunt, oleum Chriſtus infundit.* Halotus autem ille, qui boleto Claudianam apotheoſin procuravit, Prægustator itidem & *Infertor* fuit: quæ miniſterii conjunctio non videtur perpetua fuiſſe. Vini *Infertorem* lepide expreſſit Horat. Serm. *l.* 2. *Sat.* 8. *v.* 13. & ſeqq.

--- --- --- Ut Attica virgo
Cum ſacris Cereris: procedit fuſcus Hydaſpes,
Cæcuba vina ferens: Alcon, Chium; maris expers.

Ex nigra enim Maurorum gente *Infertorem* vini Naſidienus, hoc loco: ſicut panis Trimalcio habuit, apud Petron. Vide L. Pignor. *Comm. de Servis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

INFERUM Mare, idem cum Tyrrheno quod Vide.

INFIBULATIO, olim in Citharœdis uſitata, tum quæſtûs, tum vocis gratiâ: Juv. *l.* 2. *Sat.* 6. *v.* 73.

Solvitur his magno Comœdi fibula, ſunt quæ
Chryſogonum cantare vetent.

Rationem *infibulandi* monſtravit C. Celſ. *l.* 7. *c.* 25. qui *hoc quidem ſæpius inter ſupervacua, quàm inter neceſſaria eſſe*, teſtatus eſt: cujuſmodi erat, quòd inſectatur Plin. *l.* 33. *c.* 12. *adhibitas argenteas fibulas mancipiis ad tranſitum virilitatis.* Pign. tamen non niſi æreas ſe vidiſſe ait, quarum etiam ſpeciem exhibet. Vetus Gloſſ. ad illa Juv. *l.* 2. *Sat.* 6. *v.* 377.

--- --- -- *Nullius* fibula *durat*
Vocem vendentis Prætoribus:

ſcriptum reliquit: *Fibulam dici circellos, quos Tragœdi in pene habent ut coitum non faciant, ne vocem perdant.* Et certè circelli, quos recenſet, aptiores fuêrunt, & quia leves erant, minimeque oneroſi, & quia legimus religioſos neſcio quos Turcarum, quos illi *Calender* vocant, hujuſmodi annulis ferreis ſ. cuprinis, addo etiam argenteis, *infibulare* ſeſe ad aucupandam apud populares ſuos opinionem ſanctitatis. Unde & fibulas, quæ apud Verget. leguntur, *in Veterinaria l.* 2. *c.* 15. *&* 31. circellorum ſpeciem præ ſe tuliſſe multa faciunt, ut credamus. Illæ ſanè, quas Muſicorum vocat præfatus Auctor, thecam adnexam quandoque habuêrunt, quæ nudorum virilia includeret, Mart. *l.* 11. *Epigr.* 76. Cujus epigraphe in Cæliam *v.* 8., cujus vicem ſupplevit aliquando aluta, teſte eodem *l.* 7. *Epigr.* 34. Cujus epigraphe in Matroniam. Hactenus Pign. *Comm. de Servis*, Vide quoque ſuprà in voce *Fibula.*

de INFINITO actu, celebrem Phyſicorum quæſtionem, quo pacto decidere conetur Athan Kircherus, Vide infrà ubi ejus de *Theat. Catoptrico.*

INFIRMARIUS, Officium Monaſticum, *Frater cui cura* infirmorum *commiſſa eſt*, ut habet Lanfrancus in *Statutis* Ordinis S. Benedicti *c.* 9. de quo Vide Haëften. *Diſquiſ. Monaſtic. l.* 11. *tr.* 5. Inde *Infirmaria*, noſocomium, conclave infirmorum, in Monaſteriis præſertim, apud Matth. Pariſ. A. C. 1252. alibique paſſim. Gall. *Infirmerie*, C. du Freſne in *Gloſſ.* Vide infrà *Noſocomium*, it. *Petronas*, ubi de *Infirmorum* exercitiis.

INFLETI, poſt mortem, infelices habiti. Virg. *Æn. l.* 11. *v.* 372.

Nos animæ viles inhumata, infletaque turba.

Vide quæ ſuprà diximus, de Vett. mortuos *Deflendi* religione, Stat. *Theb. l.* 12. *v.* 152. & 454.

INFORMIS, Lapis, pro Numine Arabibus olim fuit, Arnob. *adv. Gentes l.* 6. *Ridetis temporibus priſcis Perſas fluvium coluiſſe--- informem Arabas lapidem* & Cujuſmodi lapides ἀσήμους, vocat Dio Chryſoſtom. *Serm.* 12. Ὥστε πολλοὶ τῶν βαρβάρων πενίᾳ τε καὶ ἀπορίᾳ τέχνης ὄρη θεοὺς ἐπονομάζουσι καὶ δένδρα ἀργὰ καὶ ἀσήμους λίθους. *Unde multi Barbarorum ignorantia & defecti artis, montes Deos vocant & arbores & informes lapides.* Maximus verò Tyrius hoc Arabum numen λίθον τετράγωνον, *lapidem quadratum*, uti Clem. Alex. λίθον, *lapidem* ſimpliciter, appellat. Quo quid illi deſignatum voluerint, Vide infrà in voce *Lapis*, item ubi de *Saracenis*: adde quæ diximus, de *Imaginibus.* Uti autem Arabibus *Informis lapis* in veneratione fuit, ſic *Lignum Cauni pro Diana idolatum coluêre* verbis Arnob. ubi ſuprà. Vide infrà in voce *Lignum.* Sed &, poſtquam διάρθρωσις & ars affabrè cælandi in admiratione eſſe cæpit, rudiora iſtiusmodi & *informia* ſimulacra, ob antiquitatis venerationem, in honore priſtino manebant. Hinc Dei Solis Elagabali, qui erat *lapis maximus, ab uno rotundus & ſenſim faſtigiatus* (ſicut in nummis cernitur) ſimulacrum vehiculo impoſuit Antonius Aug. ejus Sacerdos, apud Herodian. *l.* 5. in nummo Caracallæ cernitur vetuſtiſſimum Paphiæ Veneris ſimulacrum, nulli rei magis aſſimile, quàm albæ pyramidi: & in nummis Apolloniatarum ſtat columna acuminata, intrà ſertum, Apollinis Ἀγυιέως effigies, Eq. Marsham. *Canon. Chron. Sec.* IV. ubi de *Idololatriæ vetuſtate.* Adde jam dicta, ubi de *Bætylis*

INFORTIATUM, pars una Digeſtorum Juris, quod barbari Jure coſſ. in tres partes diviſêrunt, *Digeſtum novum*, Infortiatum & *Vetus*: quæ nomina Bulgari & Azonis ævo tum primùm nata nomenclationis etymo adhuc incerto, C. du Freſne, ex Seldeni Præf. *ad Angliæ Hiſtoricos editos A. C.* 1652. *n.* 8.

per INFORTUNIUM ſuum, jurandi Veterum mos ſolennis, indigitatur Stat. *Theb. l.* 6. *v.* 171. ubi Ino Palæmonis defuncti genitrix,

--- *per ego hæc* (inquit) *primordia belli*
Cui peperi: ſic æqua gemant mihi funera matres
Ogygiæ ---

Ovid. item, *Met. l.* 7. *ubi de Jaſone v.* 94. *& ſeqq.*

--- *per ſacra triformis*
Ille Deæ, lucoque foret quod Numen in illo,
Perque patrem ſoceri, cernentem cuncta, futuri
Eventusque ſuos, & tanta pericula jurat.

Sic jurat apud Euſtath. Iſmen. νὴ τὸ φρικτὸν κλυδώνιον καὶ τὴν πικρὰν δουλείαν, *per tempeſtatem* & mala, ob quæ præcipitata fuerat Sponſa in mare, *perque amaram ſervitutem*, *l.* 11. Imò νὴ τὴν ἐμῶν δυστυχημάτων θάλασσαν, *per meorum* infortuniorum *mare*, *l.* 8. &c. Vide Caſp. Barth. ad Stat. *illud Theb. l.* 6. *v.* 6.

--- --- *per ego hæc primordia belli*,

Apud Aſtrologos *Infortunia* dici duo ſidera, adnotat J. C. Scalig. *poët. l.* 2. *c.* 26. ubi ex Vett. ſententia, *Ab ſe ipſo*, ait, *nequit diſcedere Jupiter --ſed rerum eventa nequaquam ab illo ſolo dependent, ſunt enim ſidera duo, quæ* Infortunia *dicuntur ab Aſtrologis. Horum aſperitate corroboratur Fati vis ad impedimenta virtutum, hujus Fati adminiſtra eſt, quam ſub Junonis nomine Fortunam nuncupamus: Aſtrologi verò partem Fortunæ vocant* &c.

INFULA, ſacrum capitis tegmen. Feſto, *Infulæ* fuêre filamenta lanea, quibus Sacerdotes & hoſtiæ templa velabantur. Unde Scalig. *Infilare*, inquit, *Vett. dicebant, pro amicire vel velare*; ut contrà *exfilare*, i. e. *exuere filum*, פהל *Infula, velamentum capitum Sacerdotum*, Sip. Sunt tamen, qui ab *infra* vocem dictam putent, propter vittas, quæ ex illa inferiùs longa appendice dependebant. Quidam cum Mitra confundunt, imò Hugo Victorin. *de Sacram. l.* 1. *c.* 55. Mitram, Tiaram, *Infulam*, Pileum pro eodem accipit. In rigore tamen aliud Mitra. *Infula* enim erat faſcia lanea alba partem capitis capillo tectam ad bina tempora operiens, utrinque adſtrictâ ac dependente vittâ; ut propterea vittæ & *Infulæ* ſæpe confundantur; in quam rem diſſerit copiosè ac eruditè Bernarr. ad Stat. *l.* 5. . *l.* 4. *Silv.* 5. *v.* 93. *Theb. l.* 7. *v.* 717. & *Achill. l.* 1. *v.* 11. Proin id ipſum erat *Infula* in Pontifice, quod Diadema in Rege, niſi quod Regales faſciæ latæ, Sacerdotales verò tortiles erant, hinc στρόφια Græcis proprie dicta, Latinis vett. *ſtruppi*, Prud. *in Symmach. l.* 2. *de Veſtalibus, v.* 1085.

Interea dum torta vagos ligat infula *crines,*
Fertur per medias, ut publica pompa, plateas.

De albo & cocco plerunque tortiles fuiſſe, diſcas ex Serv & Iſid. *l.* 19. *c.* 30. Sed & frondem oleæ aut lauri iis circumvolutam, docet Stat. *Theb. l.* 2. *v.* 99.

--- *glaucæque innexus olivæ*
Vittarum provenit honos ---

Et Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 80.

Rex Anius, Rex idem hominum Phœbique ſacerdos,
Vittis & ſacra redimitus tempora lauro.

Imò *ramus infulis* fere ſemper jungitur. Unde Varr. *l.* 6. *Etiam hoſtiarum infulis frondes & ramos additos*, ait. Namque & *Infulas diċtas apparet, quòd velamenta è lana, quæ adduntur infulæ, intrà hoſtiarum cornua velamento erant.* Ne viz. hoſtia viſis necis inſtrumentis percelleretur & turbas daret. Uti verò Reges vix unquam diademata ponebant, ita vix unquam Sacerdotes ſuas *infulas*, ut quibus nihil habeant ſanctius. Sen *Ep.* 15. *Hæ literæ infularum loco ſunt.* Hinc & armati ſub caſſide eas gerebant. Idem Stat. *Theb. l.* 7. *v.* 715. & ſeqq.

--- *ſacrumque Lycorea Phœbo,*
Invitus jam fraxineum dimiſerat haſtæ
Robur, & excuſſis apparuit infula *criſtis:*

Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 429.

--- *nec te tua plurima Panthu*
Labentem Pietas, nec Apollinis infula *texit* &c.

Alii. Iisque præſentibus ipſum Numen adeſſe credebatur, Barthius ad Stat. *Theb. l.* 2. *v.* 96. &c. Tranſiit poſtmodum earum uſus ad Summos Magiſtratus, unde *Conſulum Infulæ*, memorantur Jornandi *in l. Succeſſ.* Præfectos item provinciarum. Spartian in *Hadr. Martium Turbonem, poſt Mauritaniæ præfecturam, infulis ornatum Pannoniæ Daciæque præfecit*; hocque modo ſanctiorem & pleniorem illi poteſtatem aſſignavit. Sed de hoc loco infrâ. Imò *infulæ ornamenta honorum & omnium munerum* dici cœpêre, in *MS. Gloſſ.* Fauſti Rom. Poſtremò quoque ævo, ubi omnem eximium ornatum deſignabant, etiam veſtimentorum, uti diſcimus ex Auctore *Vitæ* Ludov. Pii, ubi *Infularum Imperialium, & Sacerdotalium* nomine utriuſque dignitatis ornatum veſtitumque deſignat. Unde Caſaub. data occaſio duplicis generis *Infulas, Sacras*, quæ Στέμματα Hom. & *Magiſtrales*, ſ. Ἀρχοντικὰς ſtatuendi. Vide infrà. Cidarim inprimis Pontificium, triplicem coronam ſuprà ſimplicem Epiſcoporum mitram continentem, *Infulam* ſunt qui appellant: Inventum, ut plerisque viſum Bonifacii VIII. Vide Ant. Mazaron. *l. de* 3. *Pontificis coronis* & C. Paſchal. Coron. *l.* 9. *c.* 14. ac *l.* 4. *c.* 21. Fuiſſe tamen hoc geſtamen antiquius, nec à Bonifacio adinventum, vel, quod alii ſunt arbitrati, à Paulo II. primùm introductum, ſed ab hoc, cùm exoleviſſet, renovatum, contendit Jac. Card. Papienſis *l.* 2. *Comm. de reb. Pauli II.* Alii Anaſtaſii I. Imp. eam donum faciunt, miſſam Chlodovæo I. Francorum Regi, Alarici & Alemannorum victori, quam hic poſteà, Symmacho Papæ tranſmiſerit, in Baſilica Petri reponendam. Vide *Anaſtaſius I.* & plura hanc in rem, apud Anſelm. Soler. *l. de Pileo ſ.* 13. Atque hactenus de *Infula* capite geſtata. Porro manibus quoque geſtabantur, oſtendebantur, proferebantur Infulæ: à ſupplicibus præſertim, tutelæ, miſerationis & venerationis causâ, idque ab antiquiſſimis temporibus. Ita enim Chryſes Sacerdos ſupplicatum veniebat,

Στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος,

apud Hom. *Il.* α. Et apud Spartian. *Julianus Senatum rogavit, ut Virgines Veſtales & cæteri Sacerdotes obviàm Severo prodirent, & prætentis* Infulis *rogarent.* Eodem modo pacem expoſcebant obſeſſi, *velamenta* nempe *& infulas pro muris oſtentantes* apud Tac.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Tac. *Ann.* Sic navem velatam infulis ramiſque oleæ Scipioni occurriſſe, habet Liv. *l.* 2. *c.* 39. Quâ enim religione tuti erant illi, qui vel ipſis hoſtibus protendebant ἱκετηρίαν, eadem protegebat illos, eaque loca, quæ hiſce velamentis erant inſignita &c. Vide plura hanc in rem, apud C. Paſchal. *Coron. l.* 4. *c. ult.* C. Barth. *Animadv. ad Stat. non uno loco*, præcipuè verò *ad Theb. l.* 2. *p.* 319. & *ſeqq.* Salmaſ. *ad Solin. p.* 370. Alios, quibus adde Cæſ. Bulenger. *de Imp. l.* 3. *p.* 297. & C. du Freſne in *Gloſſ.* ubi in Eccl. Rom. caſulam ſ. planetam *Infulæ* nomine venire, inter alia, tradit: nec non quæ dicemus infrà, in voce *Strophium*, item *Struppus*.

INFULÆ Pannoniæ, apud Spartian. *in Hadr.* ubi M. Turbonem. poſt Mauritaniæ præfecturam, *Infulis ornatum Pannoniæ*, ac Daciæ quoquæ pæfectum ab Imp. ſcribit: Caſaub. ſunt inſignia Præſidatûs, ut qui *infulas* hîc interpretatur lorum ac diadema, quali cauſias ſuas ſive pileos priſci Reges cingere conſuevêre, duoque proin *Inſularum* genera ſtatuit, ut vidimus. At Salmaſ. à *faſciis* hujuſmodi dignitatum *inſulas* diſtinguens, ςρόφια vocari docet, ex Artemid. *l.* 1. In *l.* vero *c.* verbis his, *Infulis ornatum Pannoniæ*, non Pannoniæ Præfectum intelligendum eſſe ait, ſed *titulo duntaxat Pannoniacæ præfecturæ ornatum*, tantumque intereſſe inter *Præfectum* & *Præfecturæ infulis ornatum*, quantum inter *Conſulem*, & *Conſularibus inſignibus ornatum*. Vide eum omnino *Notis ad l.* & *de Infulis Majeſtatis*, *Not. ad Treb. Pollion. in Gallienis*.

INGÆ, conditiores Peruviæ regni, in America Mer. quæ fam. Duce Mangocaſtâ, urbem Regiam Cuſcum conſtruxit, circà A. C. 1200. Hujus ſucceſſores longè lateque rerum potiti vaſtiſſimum Imperium conſtituêrunt, ab Hiſpanis tandem everſi. G. Horn. *Orb. Imp. cum Not. Felleri p.* 486. & 487. Vide quoque infrà, in *Peruvia*, it. *Mangocaſta*.

INGÆVON, Tuiſconum Imp publica literarum ſtudia, ad comprimendam hominum audaciam inſtituit. Tac. *de Mor. Germ.*

INGÆVONES, latiſſimi Germ. populi, in Sicambros, Teutonas & Cauchos diviſi, Plin. *l.* 4. *c.* 13. & 14. Tac. *de Morib. Germ. c.* 2. Videntur dicti, quaſi *Innvvohner*, i. e. Indigenæ ſ. αὐτόχθονες: quibus Wandali opponuntur, i. e. advenæ ſ. peregrini, à voce *Wandeln*, peregrinari. Vel dicuntur, quaſi *Inn-vvohner*, i. e. in terris habitantes, ad mare ſc. Vide Plantinum *Helv. Ant.* & *Nov.* Hug. Grot. *Proleg. in Hiſt. Goth.* &c.

INGAUNI, Liguriæ pop. quorum urbs Albingaunum. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

INGELHEMIUM, vulgò *Ingelheim*, opp. Palatinatûs inf. ad Rhenum, inter Moguntiacum ad Ort. Bingium ad Occ. Ibi natus Carolus Mag. Imp. A. C. 742. Denatus Lud. Pius. A. C. 840. Hic porro Taſſilo, Bavariæ Dux A. C. 788. à ſubditis proditionis, in conventu Præſulum, accuſatus, & à Paribus ad mortem condemnatus eſt. Sed Carolus Mag. fil., cum Theudone fil. tonſum, in Monaſterium detruſiſſe ſat habuit, A. C. 826. Lud. Pius Legatum Eugenii II. excepit Conc. dein A. C. 948. habitum, quo de Archiep. Remenſi inter Hugonem Veromanduum & Artoldum certatum, quorum hic victor. Item lis, inter Lud. IV. Ultramarinum, & Hugonem Album compoſita, hoc damnato. Item A. C. 972: diſciplina Eccleſiaſtica ibidem ſtabilara eſt.

INGELRAMUS, Ep. Metenſis, in cujus gratiam Hadr. I. Pontif. Rom. edidit *Collectionem Canonum* aliquot, ex Græcis & Latinis Canonibus & Synodis Romanis atque Decretis Præſulum & Principum Rom. A. C. 785. Indict. 9. 13. Kal. Octobr. Complectitur illa Canones LXXII. ab Iſid. Merc. *Collectioni ſuæ* inſertos. Vide Gerh. von Maſtricht *Hiſt. Juris Eccl. n.* 191. & ſuprà in *Hadr. I.*

INGENA, opp. Abrincatuorum olim in Gallia Lugd. memoratur Ptol. cùm ait: Μέχει τῆς Σηκοάνα ποταμοῦ Ἀβριγκατῖοι, ὧν πόλις Ἴγγενα, ubi Valeſ. legit Σηνοῦνα vel Σηνόνα, non enim ad Sequanam, ſed ad Senunam & Sevam flumina Abrincatuorum ſedes. In Not. Imp. *Abrincatæ* nomine gentis appellatur, *Præfectus militum Dalmatarum Abrincatis*, in tractu Armoricano: In Notitiis pleriſque Provinciarum & civitatum Galliæ, in prov. Lugdunenſi II. tertio loco poſita: *Abrincæ* Orderico *l.* 5. vulgò *Auranches*. Urbis ſitum deſcribit G. Britto *l.* 8. *Philippidos*;

--- --- --- --- *Obſedit* Abrincas,
Colle ſitas inter Sevam Senunamque ſupino,
Piſciferos amnes, multo ſalmone feraces.

Vide ſuprà in voce *Abrincatui*, item in voce *Abrinca*.

INGENICULATIO, ritus in precibus frequens; cujus veſtigia extant 1 Reg. *c.* 8. *v.* 54. Dan. *c.* 6. *v.* 10, & 11. Lucæ *c.* 22. *v.* 36. Actor. *c.* 7. *v.* 60. & *c.* 20. *v.* 36. & *c.* 21. *v.* 5. Sic vett. Chriſtianos *de geniculis adoraſſe*, ſcribit Tertullian. Vide quoque de militibus Chriſtianis, ſub Marco Imp. pluviam rogantibus, Euſeb. *Hiſt. Eccl. l.* 5. *c.* 5. Diebus tamen Dominicis, & à tempore inter Paſcha & Pentecoſten interjecto, poſt tempora Apoſtolorum omitti cœpit hæc cerimonia: quod hodieque Græci ſtrictè obſervant, qui hiſce diebus erecti precantur: Quia *Dominica dies ſit dies reſurrectionis*, & *tempus quinquageſimæ à Paſchate ad Pentecoſten Dominicæ diei ſit, æquale*, ut habet Germanus CP. *in Theoria Eccl. p.* 149. Vide Cl. Suicer *Theſ. Eccl.* in voce Γόνυ, ut plura ſuprà in *Genu*, item infrà *ad Menſam* & in voce *Mettaria*, it. Veſtigium.

INGENICULUS, ſignum cœleſte, quod Græci Ἐγγόνασιν vocant. Vide *Engonaſis*.

INGENITUS, cogn. Burchardi cujuſdam, quod ex utero matris exciſus, & arvinæ porci, ubi incuteſceret, incluſus eſſet, ut habet Caniſ. *Antiqq. Lect. Tom.* Vide apud C. du Freſne in *Gloſſ.*

INGENIUM machina bellica, *ingenio* & arte adinventa apud Tertullian. *de Pallio c.* 1. ubi de ariete. Hinc *Ingenioſi*, iſtiuſmodi machinarum architecti; vel qui ipſis præſunt in bellis, apud Ivo. *l.* 10. *Ep.* 40. & Albertin. Muſſat. *l.* 4. *p.* 41. Gallis *Ingenieurs.* Cæterum de *Ingeniis*, ſ. laudibus quorundam, ab *ingenuis*, Vide Plin. *l.* 7. *c.* 29. ubi Homer. Pindar. Ariſt. Archilochum, & Sophoclem, ab omni ævo, hac parte feliciſſimos deprædicat.

INGENUITATIS Jura, aſſertis in libertatem ac manumiſſis olim non ſtatim conferebantur, ſed alio actu legitimo opus erat, quo jura hæc manumiſſi, conſequerentur & natalibus reſtituerentur, *l. tit. Cod. de jure aur. annul.* & *de natal. reſtit.* Vide infrà ubi de *Libertis.* & *Manumiſſione.* Poſtmodum *Nov.* Juſtiniani 68. omnibus libertinis *ingenuitas* conceſſa, & jus annulorum aureorum & reſtitutio natalium, Caſaub. *ad Suet. Aug. c.* 74. Tac. *Ann. l.* 13. *c.* 62. Hinc medio ævo, *Ingenuitatis Charta*, quâ ſervus in libertatem aſſeritur; *Chartula Libertatis* dicitur, apud Paul. Diacon Emerit. in *Vita* S. Maſonæ Ep. Emerit. *c.* 17. Qui enim ſervo libertatem conferebat, conficiebat chartam, quâ *ingenuum* illum fore in poſterum pronuntiabat, ita ut deinceps, tanquam ſi ex ingenuis parentibus fuiſſet procreatus, vitam duceret ingenuam, nullius ſervitio obnoxius: datâ præterea, ſi ita luberet, ad ingenuitatem ſuam tuendam, defenſionem Eccl. vel cujuſcunque alterius perſonæ eligendi facultate, abſque ullo libertatis præjudicio, *Capitularia* Caroli Mag. *l.* 3. *c.* 28. *Si quis per Chartam Ingenuitatis, à domino ſuo legitimo libertatem eſt conſecutus, liber permaneat*: quæ eadem verbis habentur in *LL.* Henr. I. Regis Angl. *c.* 89. Formulas iſtiuſmodi Chartarum habes, apud Marculf. *l.* 2. *Form.* 32. 33. & 34. apud Bignonium *in Formulis vett. c.* 8. alioſque, laudatos C. du Freſne *in Gloſſ.* ubi ex Tabulario S. Vitoni Virdunenſis hanc ſubjungit: *Qui famulum vel famulam ſuam à jugo ſervitutis abſolvit, procul dubio mercedem recipiet ab eo, qui dixit, Dimittite & dimittetur, date & dabitur vobis. Quapropter ego Hermanteus, pro remedio animæ meæ, in Dei nomine dimitto ingenuam famulam meam, nomine Hildeburgem, ut hinc deinceps ingenua ſit ingenuaque permaneat, tuitionemque Sancti Dei Confeſſoris Vitoni Virdunenſis Eccl. habeat: & annis ſingulis in feſtivitate ejuſdem--ad altare ipſius unam denariatam de cera exolvat, ejuſque mundiburdio defenſata firmiſſimam in omnibus ac ſecuram obtineat libertatem & ingenuitatem, per hanc ingenuitatis chartulam. Si quis verò, quod futurum eſſe non credo, ſi ipſe ego aut unus de hæredibus---contra hanc ingenuitatis chartulam adire, aut eam infringere vel immutare voluerit, cui litem intulerit; cogatur exſolvere auri libram unam, argenti pondera V. multam ſuſtineat; & inſuper, quod repetit, evendicare non valeat. Et ut hæc chartula ingenuitatis firmiorem in omnibus obtineat vigorem, manu propriâ eam ſignavi, & qui ſubſcriberent vel ſignarent, in præſenti rogavi, ſtipulatione ſubnixâ Actum ſub Die Kal. Maji Anno VI regnante Othone Rege Henr. Regis. S. Hermant. &c. Sarovardus indignus Cancell. ſcripſit & ſubſcripſit.*

INGENUUS, qui Pannonias regebat, à Mœliacis legionibus Imp. dictus eſt: neque in quoquam melius conſultum Reip. à militibus videbatur, quàm quòd inſtantibus Sarmatis creatus eſt Imp. qui feſſis rebus mederi ſuâ virtute poſſet. Sed Gallienus (ut erat nequam & perditus, ita etiam, ubi neceſſitas coëgiſſet, velox, fortis, vehemens & crudelis) Ingenuum ad Murſam, Pannoniæ urbem, bello vicit, eoque occiſo in omnes Mœſiacos, tam milites quàm cives, ita ſæviit, ut in pleriſque civitatibus viros è medio tolleret. Fertur Ingenuus expugnatâ à Gallieno civitate, ne in tyranni veniret poteſtatem; domum intrâſſe, in qua ſe pugione transfodit Trebell. Poll. *de* 30. *Tyrannis.* Aur. Victor. *in Ep. Hiſt.* In nummis INGENUS dicitur, Caſaub. *ad Pollion.*

INGENUUS Marſilius, Vide *Marſilius.*

INGERERE, ſolenne vocabulum in Sacris vett. Rom. Vide ſuprà *Dare.*

INGERIS, fluv. Galliæ. Oritur in Bituricenſi prov. ubi Chatream alluit & Caſtrum Rodulphi; indeque Turones ingreſſus, Caſtilionem ad Ingerem & Lochiam ambit, infraque Monbaſonium Ligeri miſcetur, paulò poſt Carum fluv. Vulgò *Indre.*

INGERMENUM, opp. Tauricæ Cherſ. in monte maximo & celſiſſimo. Joh. Matal. Metell. *Merc.*

INGERUS, Ruſſorum Rex, claſſe ſuâ Conſtantinopolim obſidens, à Conſtantino Romani Præfecti, quem Aug. proclamavit, genero, fugatus eſt, A. C. 932.

INGINUM, Vide *Iguvium* & *Eugubium.*

INGOLSTADIUM, vulgò *Ingolſtat*, permunita Bavariæ ſup. urbs, ad Danubium jacens, antiquis dicta *Ingelſtat* ſive *Angeloſtadium*, ab Angelis Suevis, qui civitatem hanc cum aliis cepêrunt. Initio pagus fuit, ſed à Lud. Bavaro Imp. jus civitatis cum ponte ad Danubium obtinuit. Academiam in ea exſtructam omnium artium & ſapientiæ A. C. 1410. multis poſteà privilegiis & opibus ornârunt auxeruntque Lud. Dux Bavariæ, & Pius II. Pontifex. Subeſt Electori Bavariæ: *Ingolſtadienſis* olim lineæ auctor fuit Steph. fil. Steph. nepos Lud. Bav. Imp. frater Frid. qui Landhutenſem, & Joh. qui Monachienſem, hodieque ſuperſtitem, lineas orſi ſunt. Steph. hic *Ingolſtadienſem* ditionem nactus A. C. 1392. pater fuit Iſabellæ, quæ Carolo VI. Galliæ Regi nupta regno tantùm non omnimodum exitium attulit, & Lud. Barbati, qui in Gallia Mortanæ Comitatum tenuit, ſed cùm regni adminiſtrationem ad ſe raperet, pulſus eſt. Idem poſteà cum fil. Lud. Gibboſo bellum habuit; tum quòd non ceſſaret agnatos armis vexare, à Frid. III proſcriptus quadriennio exulâvit. Tandem à fil. captus, Neoburgi in cuſtodia fuit, ab Alberto M. Brandeburgico, poſt filii mortem. Onolsbacum abductus, & demum 32000. florenis agnato Henrico Landshutano, venditus, in cujus carcere A. C. 1447. Burkhuſii Objit. Diſtat urbs, vix 3. leucis infrà Neoburgum in Ort. 7. circ. à Ratisbona in Occ. à Guſtavo Adolpho, Suecorum Rege fruſtrà tentata. Baudr. Mildendorp. *de Acad.* Bertius *l.* 3. *Rer Germ.*

INGONDE, filia Sigeberti I. Regis Metenſis, ex Brunia, nupſit Hermenigildo, Vide ibi. A Socru, quod maritum ad fidem perduxiſſet, indignè habita eſt. Hermenigildo dein capto, à Græcis, quos ille in auxilium vocaverat, abducta, antequam Conſtantinopolin

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

perveniret, in Africa, animi mœrore confecta Obiit, A. C. 585. Greg. Tur. *l. 9. c. 6. & ſeqq.* Iſid. *in Chron. &c.*

INGRATI non puniuntur. Puniendi enim non ſunt actus oppoſiti iis virtutibus; quarum natura coactionem omnem repudiat, in quo genere ſunt miſericordia, liberalitas, gratiæ relatio. Unde Senecæ *de Benefic. l. 3. c. 6. & 7.* tractans quæſtionem, *an ingrati vitium impunitum eſſe debeat*, & cur non debeat, aſſerens multa, hoc præcipuum addit: *Cum res honeſtiſſima ſit referre gratiam, deſinit honeſta eſſe, ſi neceſſaria eſt*, i. e. honeſtatis gradum excellentem amittit, quod ſequentia indicant: *Non enim magis laudabit quisquam gratum hominem, quam eum, qui depoſitum reddidit, aut quod debebat, citra judicium ſolvit* Mox, *Non eſt glorioſa res gratum eſſe, niſi tutum eſt, ingratum fuiſſe.* Et pater Seneca præclare *Controv. l. 5. c. 34. Dicis mihi. Hoc facere non oportet, huic rei æſtimatio immenſa eſt: itaque nulla vindicta eſt.* Vide Hug. Grot. *de Jure Belli & Pacis l. 2. c. 10. §. 29.* Conſtantinus tamen Libertos homines *ingratos* recidere in ſervitutem, quam evaſiſſent, ſancivit, Claudium imitatus, quod & Nerone imperante agitatum eſt. Vide *l. 2. Cod. de libert. & eor. lib.* Suet. *in Tib. Claud. c. 25.* & Tac. *Ann. l. 13.* Idem apud Athenienſes receptum, Val. Max. docet, & videbimus ſuo loco. Eorundem legibus *ingrati* actio dabatur adverſùs liberos qui Parentes ſuos non honorâſſent, ut dicemus infrà in voce *Parentes.* Imò & in patriam *ingrati*, qui olim militiam detrectabant, ad dilectum non reſpondentes, ut proditores libertatis in ſervitutem redigebantur. *l. 4. de re mil.* Et cui ignota *Hoſpitis ingrati* nota Philippi Macedoni inuſta juſſu &c. Vide L. Pign. *de Serv.*

INGREDI Regnum, pro capeſſere, apud Virg. *Æn. l. 8.* ubi Evander Imperium in res Hetruſcas ſibi delatum Æneæ largitur, *v. 511.* & ſeqq.

--- --- Tu, cujus & annis
Et generi fatum indulget, quem Numina poſcunt,
Ingredere, *ô Teucrûm atque Italûm fortiſſime ductor.*

An ab *ingreſſu* in Regni ſedem multis cerimoniis olim hodieque peragi ſolito? Certe Caligula, apud Suet. *in eo c. 13. & 14. quamvis lugentis habitu & funus Tiberii proſequens: tamen inter altaria & victimas ardentesque tædas, denſiſſimo & lætiſſimo obviorum agmine inceſſit ſuper fauſta nomina, ſidus & pullum & puppum & alumnum appellantium.* Ingreſſoque *urbem ſtatim--- jus arbitriumque omnium rerum illi permiſſum eſt.* Qui Sacrorum honos cum primitus Diis exhiberentur, quoties transferrentur imagines, ut Cic. docet *in Verr. l. 4.* inde ad Principes tranſlatus eſt jam ab antiquo, uti de Alex. Mag. in Babylonem ingreſſu legimus apud Curt. *l. 5. c. 1.* Vide quoque Plutarch *in Dion.* & Juſtin. *l. 24. c. 3.* ubi *Arſinoë prægreſſa virum, diem feſtum urbi in adventum ejus indicit, domos templa cæteraque omnia exornari jubet, aras ubique hoſtiasque diſponi* Religioſiùs multò Athenienſes, qui excepturi Attalum, Sacerdotes & victimas præparârunt, Templaque omnia aperuêrunt, ut ipſe Diis, non Athenienſes ipſi ut Deo Sacrificarent, apud Polyb. Idem poſteà Principibus factum, quoties Imperii provincias peragrarent. Sic Veſpaſiano Imp. Ægyptiacos Nomos inviſenti, non ſolùm prodiiſſe obviam omnes cujuscunque ætatis aut conditionis homines, ſed ſacra etiam detuliſſe tædasque prætuliſſe ardentes, quod civilius & uſitatius, Philoſtrat. auctor eſt, *l. 5.* & Suet. *in eo. Sacra, tædas coronasque jungit Plutarch. in Pomp.* addit θυμιαμάτων ἀτμίδας καὶ ἀνθέων βολάς, *ſuffimentorum vapores & conjectus florum*, Herodian. *l. 4.* ubi de Caracalla Alexandriam ingreſſo: *vota fauſta*, de eodem loquens Amm. Marcell. *l. 21. c. x. &c.* De Impp. Chriſtianis quoque, ſive ipſos, ſive eorum laurata, ſive cadavera defunctorum, ſuffitibus excepta, Corippus habet *l. 2.* Porrò procedebant in iſtiusmodi ὑποδοχαῖς Imperatorum Ordines obviam, per campos & ex arboribus ſpectabat populus feminæ ex ædibus & feneſtris proſpiciebant: tabernæ, feneſtræ, fores ornabantur lauro, fronde, floribus, lucernis; ipſe verò Imp. *ingredientis* inceſſus lentus erat & cum pompa &c. Vide Mart. de adventu *Trajani l. 10. Epigr. 6.* plura vero apud Caſaub. *ad Suet. Calig. d. l.* ubi inter alia de Epiſcoporum quoque exceptione, cum thuribulis & cereis, quædam addit, ex veteri more mutuata &c. de quorum *Ingreſſu* porrò videnda, quæ hîc paſſim in vocibus *Enthroniſticum, Inſinuativum.* Vide quoque infrà *Introitus*, it. ubi de *Obviam itionibus.* Apud Athenienſes Quingentos, quoties Senatum *ingrederent* Jovi atque Minervæ ſacra feciſſe, quod τὰ εἰσιτήρια χειροτονῆσαι dictum, videbimus infrà, ubi de illis.

INGRIA, vulgò *Ingermanland*, Gall. *Ingrie*, Ruthenis *Icera* prov. Regni Sueciæ. Livoniæ adjacens, inter hanc ad Occ. Moſcoviam ad Ort. prope Ladogam lac. & Finnicum ſin. Paruit Ruſſis, nunc Suecorum eſt. Opp. præc. Neoburg. in ora lacûs Ladogæ.

INGRIONES, pop. Germ. quorum ſitus eſt *Speshard*, ſylva inter Thuringiam & Voilandiam. *Piramius.*

INGROSSATOR, Juriſconſultis Anglis monopola eſt, qui annoam undique coëmit, ut cariùs vendat, Gall. qui *achepte en gros.* Etiam, qui Inſtrumenta forenſia & contractus in membranis majori charactere exarat, Gall. *Groſſojeur.* Unde ævo Henr. VI. *Ingroſſator magnæ rotulæ* appellatus eſt, qui hodie *Clericus Pipæ*: & *duplex ingroſſator*, qui nunc *Pipæ Contrarotulator* dicitur Cowellus *l. 4. tit. 28. §. ult.* & Henr. Spelmann. apud C. du Freſne in *Gloſſ.*

INGUINI, pop. Umbriæ. Vide Iguvium. Sil. Ital. Pan. Bell. *l. 8. v. 460.*

INGUIOMERUS, Arminii Patruus. Tac. *Ann. l. 1. c. 60.*

INGULFUS Anglus, Abbas, ſcripſit Hiſtoriam Monaſteriorum Angliæ, ab A. C. 664. uſque ad A. C. 1067. ſ. primum regni Gulielmi nothi, cui à ſecretis erat. Petrus Belſenſis, eam continuâſſe videtur. Vixit uſque ad A. C. 1109. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 2. c. 47.* Pitſeus, *Baleus*,

INHAMBANUM Regn. Gall. *royaume d'Inhambane*, in Æthiopia inf. inter regnum Monomatapæ ad Bor. & Cafreriam ad Mer. Primaria ejus urbs *Tonge.*

INHAMIORUM, Gall. *royaume d'Inhamior*, regnum Cafreriæ reg. verſùs Cuamam fluv. & conf. regni Monomatapæ, ſub cujus clientela eſt.

INHIBERE & INHIBITIO, verba nautica ſunt. Cic. *ad Attic. l. 13. Ep. 21. Inhibere illud tuum, quod valde mihi arriſerat, vehementer diſplicet. Eſt enim verbum totum nauticum quanquam id quidem ſciebam: ſed arbitrabar ſuſtineri remos, cùm inhibere eſſent remiges juſſi. Id non iſſe ejusmodi didici heri, cum ad villam noſtram navis appelleretur: non enim ſuſtinent, ſed alio modo remigant id ab* ἐποχῇ *remotiſſimum eſt.* Et mox, *Inhibitio autem remigum motum habet, & vehementiorem quidem, remigationis navem convertentis ad puppim.* Integrum eſt, *Inhibere remis*, Græcè πρύμναν κρούσασθαι, ἀνακρούσασθαι, ἐπὶ πρύμναν κρούσασθαι. Quâ τῇ πρύμνης κρούσει utebantur vel portum ingreſſuri & applicituri ad litus, vel in pugna navali. Plerunque cùm advertuntur litori naves. Virg. *Æn. l. 3. v. 277.*

Anchora de prora jacitur, ſtant litore puppes,

Sic Cumarum oris allapſi Æneæ ſocii. Idem *l. 6. v. 3.* & ſeqq.

Obvertunt pelago proras, tum dente tenaci
Anchora fundabat naves, & litora curva
Prætexunt puppes ---

Quæ ratio eſt, cur apud Homer. Hector, Achivorum claſſem oppugnans, πρύμνης ἁψάμενος, πρυμνῆθεν λαβεῖν dicatur: quâ videlicet telluri naves erant admotæ. Sic ad Laden inſ. claſſem Alex. fuiſſe poſitam, oſtendit Arrian. *l. 1.* & Pænorum Hasdrubaliſque naves, in ſtatione, locatas ad oſtium amnis Iberi, Liv. *l. 22. c. 19.* Nempe ut plurimum ex puppibus oræ tendebantur, ut in egreſſu non eſſet opus convertenda nave, jam quaſi ſtante in procinctu, ferentes ventos morari. Quod ut fieret, neceſſariò vertenda in appulſu navis erat, ſive in ipſo portu, ſi laxitas ejus pateretur, ſive extrà portum. Et quidem, ſi extrà portum, aut remulco navem averſam trahebant, aut, puppe in portum verſâ, verſùs eandem puppim remigabant ſequente prorâ: quod genus remigandi Latini *Inhibere remis* dixêrunt. Vide hanc in rem plura apud Joh. Frid. Gronov. *Obſerv. l. 4. c. 26.* ubi varia vett. Scriptorum loca, ob phraſin hanc non ſatis intellectam, malè à Librariis excepta egregiè emendat illuſtratque.

INHONESTI, actores ludorum, Arnob. *adv. Gentes l. 5. Itane iſtud non eſt Deorum imminuere dignitatem, dicare & conſecrare turpiſſimas res eis, quas cenſor animus reſpuat, & quarum actores infamia judicavit infamia.* Sinhoneſtos *eſſe jus veſtrum & inter capita computari* ... quâ voce quid denotetur, fuſè Tertullian. *de Spectat.* ponit. Similiter Agitatores *inhoneſtæ perſonæ* appellantur, *l. 4. Cod. de Spectac.* qui tamen *ab infamia immunes* dicuntur, *l. 4. ff. de his qui not. inf.* uti eodem in argumento C. Nep. in præf. *Inhoneſtum ab Infami* ſeparat *Quæ omnia partim infamia, partim humilia atque ab honeſtate remota ponuntur*. Vide Herald. *ad Arnob. l.* & ſuprà, in voce *Honeſti.*

INIA ſ. INIAS, Barrio *Carolei*, opp. Brutiorum, in agro Conſentino, 4. mill. paſſ. à Conſentia. Aliis *Ixias.*

INICERUM, oppid. Hungariæ mer. ad amnem cogn. vix 3. leuc. à Savo fluv. in Bor. ſub Turcis, medium inter Poſegam ad Ort. & Gradiſchiam ad Occ. Vulgò *Czernik.*

INJECTIO, apud Julianum Anteceſſorem *Nov. 124. c. 8. in Græco adit.* ἐπιβολὴ impoſitio eſt facta & inventa à Juſtiniano, quam pro iis, qui peſte vel fame tum graſſante perierant, exolvere tenebantur ſuperſtites. Vide Procop. *in Hiſt. Arc.* & qui de origine vocis multa congeſſit Nic. Alemann. *p. 100. 1. edit.* laudatos C. du Freſne, ubi *ſuprà.*

INIMICI, à laudatione defunctorum olim arcebantur, Athenis eaque fuit ſepulchralis Sanctitas, inquit Cic. ut ne peregrinus quidem, ne fortè ſub hoc ſchemate *inimicus* lateret, mortuo parentare potuerit. Vide infrà in voce *Parentalia.* Neque verò ſolùm hoc ab officio *Inimici* prohibiti, ſed & *non agnis, non hædis, ſed inimicorum lachrimis damnationibusque parentibus eſſe parentandum*, voluit Antiquitas, verbis Catonis maj. apud Plutarch. *in eo c. 28.* Sic Juſtin. *l. 4. c. 1. Mutuis fratrum odiis, mox filiis inimicitiis, parentum ſuccedentibus, inexpirabili bello & Reges, & Regnum Syriæ conſumptum eſſe*, aut Apud vett. quoque Germanos *tam* inimicitias *ſ. patris ſ. propinqui quam amicitias ſuſcipere neceſſe fuiſſe*, legas apud Tac. de morib. Germ. *c. 21.* de aliis gentibus, Vide infrà ubi de *ultione.* At quam piè Seneca *de Ira l. 2. c. 34.* , *nihil iniquius, quam aliquem paterni odii hæredem fieri* pronunciat,

INITALIA Ceteris, apud Capitolin. *in Marco, Orientalibus rebus ordinatis, Athenis fuit & Initalia Cereris adiit, ut ſe innocentem probaret & ſacrarium ſolum ingreſſus eſt*: ſunt quæ frequentius & uſitatiùs *Initia* dicuntur, unde *Initalia Cereris adire* idem hîc, quod μυεῖσθαι, *initiari.* Et ſane Marcus initiatus eſt Cereris ſacris, ut innocentem ſe probaret, quod exeſſe ſacris jubebantur, qui ſibi alicujus ſceleris eſſent conſcii, non in Eleuſiniis ſolùm de quibus hîc ſed & in alliis. Gratius,

--- ipſe manu ramum pallente Sacerdos
Termiteum quatiens, procul hinc extorribus ire
Edico, præſente Deo, præſentibus aris,
Queis ſcelus, aut manibus ſumptum, aut in pectore motum eſt,
Inclamat ---

Idem porrò dicebatur *accipere*, *ſuſcipere ſacrum*, Cic. *in Vatin.* Spartian. *in Heliogab.* Tibull., Aliis; *percipere in vet. Inſcr.* παραλαμβάνειν τὰ ἱερὰ, καὶ τὰ μυστικὰ Græcis: ſicut illi, *initiabant*, ut Pontifices, & Sacerdotes, dicebantur, ea *tradere* & *oſtendere*, Gr. δεικνύειν τὰ ἱερά. Qua de re Vide pluribus agentem Salmaſ. ad Capitolin. d. l. & Spartian. in *Hadr.* ut & hic paſſim, inprimis in voce *Myſterium*: de corona verò quam in ipſo Myſteriorum aditu *Initiandi* accipiebant, C. Paſchal. *Coron. l. 4. c. 19.* uti de ſacrificio initiandorum in vocibus veſte eorum it. *Veſtis initiatorum*, ubi de *Tritonis.* Sed & *initiare* dedicare eſt, Vide ſuprà. Alia vocis

vocis *Initiare* notio eſt, in *L.* Baiwar. *tit.* 12. §. 8. ubi *initiare meſſes alterius malis artibus* prohibetur: quod *inchoare* vocant *Capitula ad L. Alemann. c.* 28. *Si quis meſſem alienam inchoat . . . ſol. componat --- de initiata meſſe prɶſerit, 3. ſol. ſolvat*, apud C. du Freſne *in Gloſſ.*

INITIUM Noctis, in *Reg.* S. Columbani, idem cum *Completorio.* Cæterùm in *lecti.* omnium rerum actionumque precari ſolitos Gentiles, dicemus infrà de *Orandi ritu.*

INJURIA, Numen olim, Vide ſuprà *Dii.*

INNECTENDI, ſ. *Nectendi in manibus* ritus, Vide infrà, ubi de ritu *Manus preſtandi.*

INNERNIUM, opp. munitum Moraviæ, in Scotia Bor. cum portu, ad Moraviæ æſtuar. è regione Canontici, verſùs Oceanum Germ. 50. mill. Scot. ad Aberdonia in Occ. Vulgò *Innerneſſe.*

INNITENDI familiaribus mos, Principibus viris feminiſque in uſu, occurrit 2 Reg. *c.* 7. *v.* 17. ubi de Satrapa, cui *innitebatur* ſolens Rex Iſraëlis. Sic Naamano *innitebatur* Rex Syriæ, *ibid. c.* 5. Idem mos Græcis, Romaniſque ut mox videbimus. Idque ad ſplendorem & dignitatis oſtentationem: non ſolùm cùm ſtabant, ſed & cùm incedebant. Juſtin. *l.* 14. *c.* 6. *Olympias, ubi obſtinatos ad ſe venire armatos videt, veſte Regali, duabus ancillis* inixa, *ultro obviàm procedit.* Et Euſt. *Ismenes l.* 14. Ἧκεν ὁ κήρυξ. συνείπετο Σώστρατος, καὶ θυγάτηρ Σωστράτου, τῇ τῆς Ὑσμίνης ἀνεχομένη χειρὶ, *Venit præco, ſequebatur Soſtratus & filia Soſtrati, manu Hyſmenes ſuſtentata.* Ubi manu nitebantur feminæ Principes. Sed humeris plerunque id fiebat. De Ner. Claud. *Suet. c.* 43. *Cùm poſt epulas triclinio digrederetur*, innixus *humeris familiarium.* Plin. *Panegyr.* de Nerva, *Non ſecus ac præſenti tibi* innixus *humeris ſe patriamque ſuſtentans.* Sic innixus *nobiliſsimis juvenibus proceſsit in Forum* Scaurus, apud Aſconium Orat. *pro eo*: & Caracalla, *innitens Papiniano & Chiloni, ad palatium rediit.* Et quidem velut inhærendo & corporis acclinando. Stat. *Theb. l.* 12. *v.* 111. & ſeqq.

Prima per attonitas nigræ Regina catervæ
Triſtibus illabens famulis, iterumque reſurgens
Quærit inops Argia vias -----

Unde Hier. *Ep.* 22. *Vocem ex induſtria; quaſi confectam jejuniis, ne tenues, & deficientis imitata greſſum humeris ne innitaris alterius* &c. Vide de hoc more plura apud Caſp. Barth. *ad Stat. paſsim* inprimis *ad h. l.* & *Theb. l.* 4. *v.* 536. nec non *Adverſ. l.* 154. *c.* 3. At milites, apud Sil. *Ital.* Pun. Bell. *l.* 13. *v.* 308.

Stabant innixi *pilis -----*

attentè ſc. mandata Ducis audituri. Sic apud Claud. *Bell. Gild.* Carm. 15. *v.* 425.

----- ſtat circumfuſa Juventus
Nixa *haſtis, pronaſque ferox accommodat aures* &c.

Vide & infrà, *Niti haſtis.*

INNOCENS Civis, qui ad exitium ab hoſte depoſcitur, deſeri poteſt, ſi appareat civitatem hoſtium viribus multo eſſe imparem: an verò etiam tradi poſſit in hoſtium manus, ut vitetur imminens alioqui civitatis excidium, jam olim diſputatum eſt, ut cùm Demoſthenes nobilem illam de canibus, quos lupi pacis causâ ab ovibus tradi ſibi poſtulabant, fabulam protulit. Sotus teneri talem ſe hoſtibus tradere cenſet, non tam ex jure propiè dicto, quàm ex dilectionis lege, cujus officia non tantùm cum laude præſtentur, ſed etiam omitti ſine culpa nequeant: tale autem omnino eſſe, ut maximæ multitudinis *innocentis* vitam ſuæ unius quis præferat.

Εἴπερ γὰρ ἀριθμὸν οἶδα καὶ τοὐλάσσονος
Τὸ μεῖζον, εἷς μὴ οἶκος ὢ πλέον σθένει
Πταίσας ἁπάσης πόλεως, οὐδ' ἴσον φέρει.
Si namque numeros, quidque ſit plus aut minus,
Percipimus animo, non malo unius domus
Communi vinci, ſed nec æquari poteſt,

verba ſunt Praxitheæ in Eurip. *Erechtheo.* Atque ita Phocion Demoſthenem atque alios hortabatur, ad exemplum Lei filiarum & Hyacinthidum, potiùs mortem ipſi ſubirent, quàm malum irreparabile Patriæ inferri ſinerent, apud Diod. Sic *l.* 14. Vide quoque Cic. *pro P. Sextio, de Finib. l.* 3. & Liv. *l.* 45. *c.* 26. ubi de Moloſſis quibuſdam, *Equidem pro patria qui lethum oppetiſſent, ſæpe fando auditum: qui patriam pro ſe perire æquum cenſerent, hi primi inventi ſunt*, dictum legimus. Imò & cogi poſſe à Superiore, ut id faciat, judicavit Phocion, qui amiciſſimum quendam ſibi, Nicoclem nomine, demonſtrans ajebat, huc malorum ventum, ut ſi Alex. eum depoſceret, ipſe cenſeret dedendum, apud Plutarch. qua de re Vide H. Grot. de *Jure Bell. & Pac. l.* 2. *c.* 25. §. 3. qui etiam, quæſtionem alteram de *Innocentibus extraneis, quouſque illos defendere teneamur*, accuratè perſequitur §. 7. & *ſeqq.*

INNOCENTIA, nomen urſæ; quâ poſtquam diu oblectatus fuerat Valentinianus Imp. *ut bene meritam in ſylvas abire demiſit innoxiam*, apud Amm. Marcell. *l.* 29. *c.* 3. de cujuſmodi animalibus ἀθετοις Vide Caſaub. *ad Suet. in Jul. Caſ. c.* 81. & infrà *Mica, Aurea*, uti de *Innocentiæ* ſcabello, ſuprà *Homicidii cauſa*, & infrà in voce *Reus.*

Pontifices Romani.

INNOCENTIUS I. Albâ oriundus, poſt Anaſtaſium I. Papa, A. C. 402. Perſecutoribus Chryſoſtomi ſe oppoſuit: Joh. Hieroſol. Pelagio contrà hunc faventem per literas increpuit, ab Auguſtino admonitus, pelagium condemnavit; aliis contrarium aſſerentibus. Italiâ & Româ à Barbaris miſerè vexatâ, cùm fidelibus ſot mala imputarentur, imprudens Numina Gentilium placari permiſit. Zoſim. *l.* 5. Obiit A. C. 417. Zoſimus P. ſucceſſit. Vide Auguſtin. *Ep.* 90. 93. & 94. &c. Hier. *Ep.* 8. Gennad. *de Viris Ill.* c. 43. Oroſ. *l.* 7. &c.

INNOCENTIUS II. Rom. ſucceſſit Honorio II. A. C. 1130. cui Anacletus II. oppoſitus, hinc Schiſma horrendum. Ille Romæ, hic ejectus Piſis reſidebat. Illum Conradus Suevus, & Rogerius Sic. Regg. tuebantur: huic Gallus, Anglus, Germanus Rex Lotharius adhærebant. Et hic quidem reducturum ſe eum promiſerat, ſi ipſe ſibi antiquum jus conferendorum Sacerdotiorum, cui nuper Henricus renuntiârat, concederet. Sed monitus à Bernardo, ceſſit, reduxit, ab eo coronatus eſt A, C. 1133. qui in Evergetam ingratus, cum genibus ſuis advolutum in palatio depingi curavit, cum verſibus:

Rex venit ante fores, jurans antè urbis honores,
Pòſt homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam.

Plat. *in vitis Pontif.* Sigon. *l.* 11. *ad An.* 30. 32. & 33. Interim Anacleto Mortuo Victor IV. ſurrogatus eſt, ſed is mox ſponte ceſſit, Conc. dein 2. Lateranenſe habuit, A. C. 1139. quo Abaillardus & Arnoldus Breſſanus damnati. Eodem Anno, à Rogerio, operâ fil. Vilhelmi, captus, cùm eum Regem Siciliæ, Apuliæ & Calabriæ creâſſet, dimiſſus eſt. A Romanis, qui ut Rempub. in antiquum ſtatum reducerent, Arnoldi Clerici authoritate moti, Papæ ſacrorum ſolùm curationem relinquebant, in ordinem redactus, præ mœrore, Obiit A. C. 1143. Suger. *in Vita Ludov. jun.* Otho Friſing. *in Chron.* Bernard. *in Ep.* Ciaccon. *in Innoc. II.* Succeſſit ei Cæleſtinus II.

INNOCENTIUS III. Anagniâ oriundus, Cæleſtinum III. excepit, A. C. 1198. priùs *Lotharius* dictus. Philippo Imp. à ſe excommunicato Othonem Saxoniæ Duc. oppoſuit, jurans, *Aut ego Philippo diadema regium, aut is mihi inſigne Apoſtolicum auferet.* Urſperg. *in Chron.* Unde miſeri in Germ. motus. Albigenſium in Gallia extirpationi intentus, Ordinem Minorum confirmavit. Dominicanorum noluit: qui proin demum ab Honorio ejus ſucceſſore eſt confirmatus. Conc. in Laterano frequentiſſimum, A. C. 1215. recuperandæ Hieroſolymæ gratiâ, celebravit: ubi *Tranſubſtantiatio approbata, Confeſsio auricularis introducta, Laicis calix ademptus, Expeditio in Palæſtinam decreta, Libri Decretalium publicati.* Joh. Angliæ Regem ob creatum ſine ſuo ſcitu Archiep. excommunicatum rapinæ Philippi Galliæ Regi expoſuit, qui hujus metu perculſus regna ſua Papæ ſubjecit, ejus exactionibus adeò preſſa, ut ſubditi exclamarent: *Væ tibi Johannes Regum ultime, Anglorum Principum abominatio, Nobilitatis Anglicanæ confuſio!* Matt. Pariſ. *in Joh.* Polyd. *l.* 15. Blondus *decad.* 2. *l.* 6. Ant. Flor. *par.* 3. *tit.* 19. §. 5. In Or. tum Balduin. Græcam Eccl Romanæ junxit, Principes tamen ſuprà Eccleſiam eſſe, contrà Papam, aſſeruit. Claviſ. *in Chr.* Obiit Peruſiæ A. C. 1216. Scripſit in 7. Pſalmos pœnitentiales, de contemptu Mundi libb. 3. Epiſtolas, &c. Vide porro Sabellicum, Nauclerum, Henr. Gandav. &c. Succeſſit ei Honorius III. Addo, quòd ex ejuſdem Regiſtris *tertiam Collectionem Decretalium* adornavit Bern. Compoſtellanus: quæ quòd uſu Judiciorum minus recepta referret, impetrârunt Rom. ab Innoc. ut Pontificiâ auctoritate aliquâ Collectio ederetur. Itaque Anno ſui Pontificatus 12. C. 1210. Notarium ſuum Petrum Beneventanum Innoc. operi præfecit; quo pacto tum primum auctoritate publicâ facta Collectio juris Pontificii eſt. Quinquennio pòſt, cùm Conc. Lateranenſi IV. capita LXXI. conſtituta hiſque adjectæ aliæ Decretales & Reſcripta fuiſſent, & hæc edita, ſicque *Collectio quarta* ejuſdem Pontificis auctoritate facta eſt: cujus duplex extat editio, una quæ habet tantùm LXXI. *Canones* Conc. præfati; altera, cui alia quoque Reſcripta ſunt addita, quamque exhibet Ant. Auguſtin. *cum ſuis Notis* in *Antiqq. Decretalium Collectionibus*, loco ultimo. Vide Gerh. von Maſtricht *Hiſt. Juris Eccl. n.* 350. & 351.

INNOCENTIUS IV. Genuenſis, prius Sinibaldus dictus, Cæleſtini IV. ſucceſſor, A. C. 1243. *Patris juris*, ob ſummam hujus peritiam, elogium tulit. Frid. II. Imp. *Cardinalis amicus, Pontifex infenſus*, eum Conc. I. Lugduni habito excommunicavit, purpureum galerum Cardinalibus conceſſit, Frid. Mortuo, poſt moram Ann. 6. Lugduno relicto, Peruſium venit. Contrà filium ejus Conradum ampliſſimas indulgentias propoſuit, Richardo Anglo fruſtrà contrà eum concitato, qui *idem eſt*, reſpondit, *ac ſi quis diceret, do tibi lunam, aſcende & apprehende eam.* Matth. Pariſ. *in Henr. III.* Robertum Ep. Lincolnienſem, qui *Romanorum malleus & contemptor* dictus eſt, quòd Antichriſtum eum diceret, acriter eſt perſecutus. Cujus ſpectro voceque, *Veni miſer ad judicium!* territus, poſtquam & à Manfredo, Neapolitanum regnum vindicaturus, eſſet, Obiit A. C. 1254. Opera ejus, cum tit. *Apparatus libb.* 5. *deſtinctus in totidem libros Decretalium*: Venetiis, alibique ſæpius impreſſa. Valentin. Forſterus, *Hiſt. Jur. Civ.* Joh. Fichard. *in vit. Jure Coſſ.* Villanius, Blondus, Fazellus, Sigonius, Sumoneta, Nauclerus, Trithemius, Sixtus Senenſis, & Succeſſit ei Alex. IV.

INNOCENTIUS V. prius Petrus, ex Dominicano, poſt Gregorium X. Papa Rom. A. C. 1276. nullâ re memorabilis, Obiit 5. pòſt menſe. Scripſit in 4. libb. Sententiarum, &c. Thomas Aquinas apologiam pro eo contrà æmulos, plurimos errores illi improperantes, edidit. Onuphr. *in Chron.* Trithemius, Phil. Bergomenſis, Sixtus & Anton. Senenſis, &c. eum excepit Hadr. V.

INNOCENTIUS VI. Lemovicenſis, antea Steph. Albertus, ſucceſſit Clem. VI. A. C. 1352. cùm ſedes Avenione adhuc eſſet, Romam reformatione opus habere agnovit, bello inter Gallum & Anglum ferventi finem imponere anniſus, fruſtra fuit. Joh. de Rupe ſciſſa, Franciſcanum, quòd Apocalypſin contrà Papas exponeret, ac Antichriſtos vocaret, comburi juſſit. Obiit A. C. 1362. Froiſſard. *l.* 1. &c. Succeſſit ei Urbanus V.

INNOCENTIUS VII. antè Coſmus Melioratus, Sulmonenſis, Bonifacii IX. ſucceſſor A. C. 1404. cùm prius jurâſſet, ſe ſchiſma ſublaturum, monitus hinc à Rom. undecim ex illis, nobiliſſimos vi-

ros, capite mulctari & è feneſtris præcipitari juſſit. Hinc Viterbium ſe recipere coactus, A. C. 1406. domum rediit. Ladiſlao, Neap. Rege excommunicato, Obiit paulò pòſt. Platina *in vita ejus.* Joh. Baleus, *in Hiſt.* Secutus eſt Greg. XII.

INNOCENTIUS VIII. Genuenſis, nomine Joh. Baptiſta Cibo, Sixtto V. ſurrogatus A. C. 1484. ob libidines *verè Pater*, filios duos ex puella Neapolitana ſuſceptos, opibus immenſis auxit, alteri, cui Franciſco nomen, Magdalenâ, filiâ Laur. Medicei uxore conciliatâ. Principibus Chriſtianis contrà Turcam concitatis, rem ſuam impensè ampliavit: pecunia contrâ Neapolitanum Regem & ad reficiendum Hadriani Coliſeum uſus. A Carolo VIII. Gall. Rege. Zizimum, fratrem Bajazetis, obtinuit, hac lege, ne Româ egrederetur. Obiit A. C. 1492. Onuphr. Platina, Ciaccon. *in vitis Pontif.* Morer. *in Dict.* Hiſt. Succeſſit ei Alex. VI.

INNOCENTIUS IX. Bononienſis, prius Joh. Antonius Fachinetus; ſucceſſor Greg. XIV. A. C. 1591. oſtenſus tantùm, bimeſtri elapſo, An. Æt. 70. exſpiravit, ſtudiis, verùm in lecto, perpetuò addictus. Tum factio Hiſp. Sanctorium obtruſit, Sfortiâ reclamante, *fore ut vis contrà vim pararetur, & cruor ex conclavi, ad S. Petri uſque Baſilicam per gradus dimanaret.* Thuan. *l.* 103. Scriptus etiam Paſquillus, Vide Cicarell. *in vitis Pontif.* Tandem Clem. VIII. ſurrogatus eſt.

INNOCENTIUS X. Rom. nomine Joh. Baptiſta Pamphilius, ſucceſſit Urbano VIII. A. C. 1644. ſub Greg. XV. Nuntius Neapolim miſſus: ſub Urbano, Card. Franciſci Barberini, in Hiſp. & Galliam Legati Datarius, in Hiſp. cum titulo Patr. Antiocheni & Nuntii Ap. aliquandiu moratus eſt. Dein Card. exin Papa, ob commercium *Olimpiæ*, quæ uxor fratris ejus fuerat, & pontificatum, vivente Innoc. pro nutu adminiſtrabat, etiam apud ſuos, peſſimè audiit. Obiit A. C. 1655. Æt. 81. Succeſſit ei Alex. VII. Vide *Vitam Olimpiæ*, Morer. *in Dict. Hiſt.*

INNOCENTIUS XI. priùs Benedictus Odeſcalci, Comenſis, è ditione Mediolanenſi, purpuram accepit ab Innoc. X. A. C. 1645. in Clem. X. locum electus eſt. A. C. 1676. Cum Galliæ Rege circà quæſtionem Regalium diſſedit. Imp. contrà Turcas pecuniâ largiter ſummiſſâ juvit. Obiit, cum ſanctitatis opinione inter ſuos, nec aliter circà Sacra ſententibus illaudatus, A. C. 1689. Alex. VIII. ſucceſſore.

INNOCENTIUS Cæſarius, Vide ibi.

INNOCENTIUS *Cironius*, Acad. Tholoſanæ Cancellarius, *Collectionem Decretalium quintam*, à Tancredo Bonon. Archid. factam, circa A. C. 1227. poſtquam diu inedita latuiſſet, in Bibliotheca Albienſi repertam, Tholoſæ A. C. 1645. publici juris fecit & *Gloſſas* adjecit doctiſſimas. Vide eund. G. von Maſtricht *Ibid. n.* 352.

INNOVATIO, cruce punita, Vide ſuprà. *Crux.*

INNUS Græcè ἶννος, pullus equi & aſinæ, vide ſuprà *Himnus.* Item παῖς *fil.* Heſych. ἴννυς, παῖδας. Unde *innulus* vel *hinnulus*, παῖς ἐλάφου ἴνα enim Græci loquuntur, πῶλοι, παῖδες ἵππων. Sic Latini *filios* & *liberos*. Iſid. *Innuli filii ſunt cervorum.* Fem. Ἴννη, ἡ κόρη, *filia*, *puella* eſt apud eund. Heſych. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 106.

INO, Cadmi & Harmoniæ filia, Liberi patris nutrix, cum qua Athamas Thebanorum Rex ſecundas contraxit nuptias, poſtquam Nephele (ex qua ille jam Phryxum & Hellen ſuſceperat) Liberi patris furore agitata in ſylvas ſe contulerat. Hæc, ut erat, ita revera ſe novercam geſſit, privignoſque identidem apud patrem accuſans, eò compulit, ut conſcenſo aureo ariete fugam ſibi conſulerent. Quam rem ægrè ferens Juno, Athamanti Furias immiſit, quæ in tantam eum adegêrunt rabiem, ut cùm Ino ad ſe accedentem aſpiceret, hanc quidem leænam, filios ſuos autem catulos ejus eſſe arbitraretur, atque raptum Learchum alterum ex filiis ſaxo illiſerit, idem in uxorem exemplum editurus, niſi illa, arrepto Melicerte filio altero, unà cum illo in mare ſe abjeciſſet, ubi Deorum miſeratione in Deam marinam eſt tranſmutata, quam Græci *Leucothean*, Latini verò *Matutam* vocant. Meliceres autem in Palæmonem, quem nos *Partunum* nominamus. Ovid. *Faſt. l.* 6. *v.* 541. & 547. Horat. *in arte Poet. v.* 123.

> ---- *Flebilis Ino.*

Nic. Lloyd.

INOCULANDI Veſtes artificium, Tertullian. *de Pudic.* ſic deſcribitur. *Sed enim pleroſque interpretes parabolarum idem exitus decipit, quem in veſtibus purpurâ* oculandis *ſæpiſſime evenire eſt. Quum putaveris rectè conciliaviſſe temperamenta colorum & credideris comparationes eorum inter ſe unâſſe, erudito mox utroque corpore & luminibus expreſſis errorem omnem traducta diverſitas evomet.* Et paulò pòſt, *Eadem igitur caligine circà filiorum quoque duorum parabolam, quibusdam ad præſens concolorantibus figuris, à vero lumine exorbitant ejus comparationis, quam parabola materiæ prætexit.* Ars nempe hæc *inoculandi* ſin clavandi veſtes erat, in clavis purpureis veſti. intexendis, ut clavus à clavó non diſſentiret, nec diſparis eſſet luminis, ſed omnes invicem concolores examuſſim ponerentur. Cùm namque plures purpurarum gradus ac ſpecies eſſent; aliæ rubræ, aliæ violaceæ, aliæ ſaturatiores, aliæ dilutiores; quædam excitati, quædam adſtricti coloris: ſummopere id curabant iſtiuſmodi Artifices, ut clavi, qui veſtibus inſuebantur, nullam coloris differentiam præferrent, ſed ut exacte *lumina* (purpurei coloris) inter ſe *conciliarentur.* Quod idem Auctor, *concilium luminis* vocat, *de Pallio c.* 1. Vide Salmaſ. *ad h. l.* ſuprà clavare infrà, in voce *Oculare*, *alibique paſſim.*

INOPUS, Deli inſ. fluv. quem credunt incolæ occulto meatu ex Nilo ad ſe venire. heic Dianam & Apollinem Latona peperit; ideo locus tribus gratus eſt Numinibus. Ejus meminêrunt Plin. *l.* 2. *c.* 103. Strabo *l.* 6. *p.* 271. & *l.* 10. *p.* 485. Pauſ. *in Corinthiacis*, Homerus, Callimachus, Val. Flacc. *Argon. l.* 5. *v.* 104 ΟΙΝΩΠΟΣ legit Lexicon Phavorni. Nic. Lloyd. Cum Nilo certe decreſcere augerique, Plin. tradit *l.* 2. *c.* 103. Sed hodie non amplius comparet, unde vel torrentem ſolum; vel fontem quidem, ut Plin. eum vocat *h. l.* ſed inſ. ruinis abſconditum eſſe obrutumque, cenſet Jac. Spon. *Itin. Part. I. p.* 188.

INQUILINI, Vide infrà *Ligo*, *Metochium*, *Peregrinus.*

INQUISITIONIS origo & progreſſus. Chriſtianam Religionem ſolâ quondam ſimplicitate venerandam, mox aggregati diverſæ Philoſophiæ Profeſſores, ſuæ quiſque doctrinæ placitis, tum Judæi, Græci, alii, patriis cerimoniis inſtruxêre; quò Majeſtatem Sacrorum, haud fruſtrà repertam, in meliores uſus verterent. Sed hæc libera diu & privato ſingulorum, aut Eccleſiarum, arbitrio ſumpta; paulatim aucto uſu, docentium facundiâ, Conciliorum ſuffragiis in legem ac neceſſitatem mutata; ſubnaſcente temporum barbarie, perque cœcas diſputandi ambages facilè defendebantur. Atque interim Epp. Rom. amotis Aſiæ Ægyptique urbibus, & æmulatrice Byzantio regnum quoddam ſacrorum, ſibique ſummam Imperii, Cardinales aſſeſſores, inde longam poteſtatum ſeriem ſtabilivêrunt. Poſtquam ſic divina ſui juris fecêre, nova edere decreta, vetera interpretari, ſacros libros vulgi manibus excutere, perniciosum dictantes, ſi rei maximè judicium indocta curioſitas acciperet. Ita promptum cuncta ſuos ad honores & quæſtum componere; ſacerdotumque licentiâ eò vitiorum deventum eſt, ut remediis opus & ipſi faterentur. Sed ſubitâ literarum luce, quæ novo vulgandi reperto ſeculorum caliginem diſpulerat, exſtitêrunt, qui cœteris cum artibus purgare religionem polliciti, res cunctas ad ſacrarum literarum teſtimonia, vet. Eccl. more, revocarent. Tum Rom. Pontifices, eò egreſſi, ut jus ſolertiâ patrum terrore munirent; quæ Principes in perduellionis reos dura atque acerba conſtituerent, eadem voluêre in eos, qui decretis ſuis obluctarentur, ut Deo rebelles, uſurpari. Nec tantùm Epiſcopis injunctum, ſuam ditionem luſtrare, ſed & mos ipſis; quò viſum inſuper mittere *Quæſitores* ampliſſimâ poteſtate, quæ res initium ante Annos ferme 500. cepit. Hi adſeſſores ſibi pro arbitrio adſciſcere, quoſvis quacunque in poteſtate conſtitutos, ſacramento interrogare. Eâ arte non domuum modò, ſed & animorum arcana penetrantur, cùm ut quiſque perjurii metuens, ita ſe maximè prodat. Quanquam & aliàs latere vix poſſunt, quibus ante divina ſimulacra panemque ſacratum in templo, aut ubi publicè circumfertur, procumbere religio eſt. Suſpicio ad carcerem, indicium leve ad torquendum ſatis. Nec ſaltem teſtes audire reo, aut refellere, conceſſum; quaſi teſtibus ipſis ac veritati inde periculum foret. Judicibus profanis permiſſum, duntaxat ſacerdotali ſententiâ damnatos punire, quorum multi ſuppliciorum ſævitiâ, velut pietate, certabant. Sed omnium acerrimè per Hiſpaniam quæſtiones habitæ, electis ei miniſterio Dominicanis veteri inſtituto adverſùs Hebræos & Mauros, qui, coacti à Regibus Chriſtianos ritus ſubire, ad ejuratos errores furtim relabebantur. Quod primò haud ingratum barbaricarum gentium odio, inde promiſcuè cunctis incubuit, mirâ indagandi ſagacitate: cuſtodiri quippe ſermones, etiam ſilentium; fallaces amicitiæ, & à latere accuſator; ut jam facilè appareret, neminem eſſe tam innocentem, qui illis invitis poſſet ſalutem & dignitatem tueri. Hinc in Hiſpania, & per omnem ferè Italiam, graviſſimi motus, in ipſa quoque Roma, excitati: inprimis ſub mortem Pauli IV. cum novus Inquiſitionis carcer incenſus eſt à furente plebe, parumque abfuit, quo minus Dominicanorum cœnobium eodem impetu raperetur. A. C. 1559. In Germania, ubi Robertus Bulgarus & Conradus de Marpurg *Inquiſitionem* exercebant, A. C. 1230. Orthodoxiâ ſub ferri candentis examen revocatâ, innumeri periêrunt. In Belgica de religione primus omnium Carolus V. edixit, poſtquam auditum Wormatiæ Lutherum damnaverat. À mulctis ad ſanguinem ventum eſt, ob judicum lenitatem repetitæ ſepties & intentæ leges: quo pacto carnificata hominum non minus CM. Philippus patri cœpta inſtantius urſit, aſperatis edictis: Primique ibi Inquiſitores Ruardus Tapertus, & Michaël Drutius erant: quibus ſuccenturiati Petrus Titelmannus, Gul. Lindanus & Sohnius. Quæ hinc ſequuta; ut & plura de *Inquiſitione*, Vide apud Hug. Grot. ex quo pleraque deſumpta, *Ann. l.* 1. Thuan. *Hiſt. l. de Inquiſ. Hiſp.* Cæſarem Carenam, Bernardum Comenſem, Conradum Brunum, Frans. Pegnam, Nic. Eymericum Guid. Fulcodium, Lud. à Paramo, Zanchinum Ugolinum, Joh. à Royas. Jac. Simancam, Anton. de Souſa, & de quibus, ſuis hîc locis. Recentiſſimus eſt Philippus à Limborch *Hiſt. inquiſ. l.* 4. in quorum I. *de Origine & Progreſſu Inquiſitionis* contrà Albigenſes primùm & Valdenſes Tholoſæ exercitæ Sec. XIII. inde per Aragoniam, Galliam, Italiam, Ditionem Venetam, C. Apoſtolicos, Templarios, Beguinos, Matth. Galeacium Vicecom. Mediolan. alioſque per Poloniam porrò, e. Hilitas, per Valentiam, Belgium, Hiſpanam, Siciliam, Sardicam, Germaniam &c. inſtitutæ. II. *De Miniſtris Officii Inquiſ.* III. *De Omnibus ad hoc Tribunal ſpectantibus.* IV. *De modo procedendi coram illo*, prolixè agit: Operique ſubjungit *Libram Sententiam Inquiſitionis Tholoſanæ*, jam primùm à ſe in lucem editam, A. C. 1692. Amſtel. in Fol.

INQUISITOR Gallinarum, in vett. *Inſcr.* memoratur: quo nomine appellati ſunt, qui de tributis ac vectigalibus cognoſcerent. Maxime verò ſic dicti reperiuntur, qui, à Franciæ Regibus in provincias delegati, idem munus obibant, quod olim *Miſſi Dominici*, ſub prima & ſecunda Regum ſtirpe, & *Juſtitiarii itinerantes* in Anglia. Ii è *Magiſtris Parlamenti* delecti, mittebantur in Diœceſes, ut de Ballivorum, Judicum aliorumque miniſtrorum Regiorum exceſſibus inquirerent, & de iis ad Parlamentum referrent, Nangius *in Geſtis S. Ludov. p.* 366. Qui quo pacto inquiſitiones ſuas contrà Officiales Regios peragerent, ex hac *Charta*, è Camera Computorum Pariſ. C. du Freſne deſcripta, videre eſt: *Petrus Dei gratiâ Sylvanectenſis*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

…enſis Electus & Thomas de Marfontaines, Miles Domini noſtri Regis, Inquiſitores unà cum aliis, ac ſuper reformatione patriæ, in Seneſcall. Lugdun & in Ballivia Matiſconenſi, ab eodem Domino Rege deputati, Caſtellano Kariloci, nec non Caſtellano ſancti Symphoriani ſ. eorum loca tenentibus, Salutem. Ad inſtantiam Procuratorum Eccleſiaſticarum perſonarum nobilium & ignobilium Comitatûs Forenſis & terræ Belli joci, auctoritate Regiâ, qua fungimur in hac parte, vobis & veſtrûm cuilibet committimus --- ſub pœna graviſſima ---- mandamus, quatenus per Caſtra, Villas aliaque loca ad hac idonea ſ. conſueta veſtrarum Caſtellaniarum eorumque reſſortus, nec non in Eccleſiis Parochialibus locorum prædictorum, palàm & publicè ex parte Dom. noſtri Regis & noſtra intimetis ſ. intimari faciatis, ac publicè proclamari, ut omnes & ſinguli Seneſcalli, Baillivi, Præpoſiti: Judices, Tabelliones, Decimarum ac Subventionum Regiarum Levatores, Servientes aliique Officiales Regii, cujuſcunque ſtatûs aut conditionis exiſtant ---- coram nobis apud Montem -- Briſonem perſonaliter compareant, coram nobis die Veneris poſt quindenam feſti Pentecoſtes & die Sabbathi immediatè ſequentis, nec non & diebus ſequentibus & continuis ad hoc neceſſariis, querelis, petitionibus & gravaminibus dictarum perſonarum ---- nobiſque ex officio ſufficienter reſponſuri & à nobis juſtitiam accepturi, proceſſuri que & nos viſuri procedere ſuper præmiſſis & aliis commiſſis nobis negotiis juxtà à dicto Domino noſtro Rege traditam nobis formam, voſque ad dictas dies ---- compareatis peremtoriè coram nobis querelantibus de vobis ad juſtitiam reſponſuri: cum intimatione, quòd niſi vos ---comparueritis, nos nihilominus contrà vos --- procedemus, ratione prævia, veſtrâ & eorum abſentiâ ſ. contumaciâ non obſtante. Significantes etiam ac publicantes ---- ut omnes & ſinguli, qui de prædictis Officialibus Regiis - conqueri voluerint ---- compareant coram nobis, qui parati ſumus & erimus eos audire benigniter & eis facere celeris juſtitiæ complementum ---- Et licèt aliàs ſub dictis & gravibus pœnis inhiberi fecerimus, ne quis cum dictis Officialibus Regiis, nec ipſi Officiales cum aliis componere audeant, iidem per vos in locis prædictis palam & publicè præcipimus inhiberi, & ſi quis contrarium fecerit, nobis hoc quantocyus ſub omni pœna & amiſſione bonorum revelare procurent ---- Datum Lugduni, ſub ſigillis noſtris, primâ die menſis Junii A. C. milleſimo trecenteſimo ſextodecimo. Aliam Chartam, de miſſis à Phil. Rege in Arvernos Inquiſitoribus, vernaculo ſermone conſcriptam, Vide apud eund. in Gloſſ. Ut autem faciliùs de Ballivorum & Officialium Regiorum exceſſibus edocerentur Inquiſitores, tenebantur ii exacto officio, quod utplurimùm annuum erat, iiſdem in locis, ubi illud obierant, per 40. dies morari, ut ſi qui in eos expoſtularet, aut crimen intenderet, coram Inquiſitoribus juri ſtarent. Statuit porrò Phil. IV. A. C. 1302. ut Inquiſitores, Officialium delicta examinaturi, Inquiſitiones ſecretas edant, priuſquàm publicas: quibus etiam ut ab officiis abſtineant, imperandi facultatem concedit: neque enim ſupremo, ſi quos reos repeiſſent, damnare judicio illis fas erat, ſed de iis referebant ad ſupremum Senatum, ex Statuto Phil. III. A. C. 1281. Minoris tamen momenti lites diremere poterant, uti patet ex Statuto Lud. IX. A. C. 1258. quæ viz. à Ballivis peragi non poterant, aut ipſoſmet Ballivos ſpectabant. Inquiſitiones enim pro more ad Ballivos à Senatu delegabantur, quæ ad Senatum relatæ dijudicabantur in Camera, quam inde Inqueſtarum etiamnum vocant, ut videre eſt apud C. du Freſne Diſſert. 2. ad Joinvillam. Sed & Inquiſitorum munus erat, de commodo & incommodo inquirere, in rebus quæ Regem ſpectarent: Functiones etiam publicas ac præſtationes in Reipublicæ uſus neceſſarios judicabant ac recipiebant &c. Uti autem deligebantur à Rege; ex Magiſtris Parlamenti, uti dictum (quos hodie Conſiliarios dicunt) & ferè ſemper ex Eccleſiaſtico ordine ac Laïco, ita iiſdem ſumptus ex Fiſco ſubminiſtrabantur, ut idem C. du Freſne docet, apud quem plura hanc in rem erudite congeſta, Præter hos, erant etiam Inquiſitores forefactorum in Bailliviis à D. Rege dati, quibus incumbebat multas à damnatis judicio Ballivorum exigere, & ex iis debita Regum perſolvere; malè verò & injuſtè exactas reſtituere. Item Inquiſitores Foreſtarum, qui extrà ordinem mittebantur in provincias, ad examinanda Foreſtariorum aliorumque in foreſtis publicis delicta, apud eund. De Inquiſitoribus Angliæ Regum, infrà ubi de Juſtitiario Hineris de Corona: de Inquiſitoribus Officii Juſtitiæ Aragonum, qui à Rege delecti in ſummum Juſtitiæ Magiſtratum, quem Juſtitiam vocant, inque illius facta, conſilia, & delicta inquirunt, Vide Blancam Comm. Rer. Aragonic. p. 771. & infià Nuca. De Inquiſitoribus Sinenſium, qui Galliæ Inquiſitoribus, de quibus ſuprà, planè ſuppares, Vide Auctores qui de Sinenſium Imperio ſcripsêrunt: de Inquiſitoribus Tabulæ, infrà in phraſi, Tabulam tenere.

INQUISITOR Generalis. Olim in negotiis difficilioribus ſæpe Inquiſitores coacti ſunt Romam, ad Pontificem conſulendum proficiſci: ne itaque per eorum abſentiam Inquiſitionis officium interrumperetur, Urbanus IV. Inquiſitorum omnium Generalem, & quaſi protectorem creavit Joh. Caëtanum Urſinum Cardd. A. C. 1263. quem per literas adirent Inquiſitiores omnium locorum, ipſe verò graviora cum Papa conſultaret. Hinc in Pontificem electo ſub nomine Nicolai III. ſucceſſit in hoc munere Card. Latinus Rom. ejus ex fratre nepos: quem nullus excepit uſque ad Clem. VI. qui illud munus Gulielmo Tholoſano Card. delegavit: ſucceſſione pòſt hunc denuo interruptâ. Donec Lutheri doctrinâ longè lateque atque ideò in Italiam quoque ſe diffundente, Paulus III. conſilio Joh. Petri Caraffæ & Joh. Alvari Toletani Cardd. deputavit VI. Cardinales Inquiſitores Generales hæreticæ pravitatis in omnibus Reip, Chriſtianæ locis, tam citrà quàm ultrà montes ubilibet exiſtentibus, iiſque auctoritatem & poteſtatem ampliſſimam conceſſit, contrà quoſcunque Hæreticos, de hæreſi ſuſpectos eorumque complices & fautores, cujuſcunque ſtatûs, gradus, conditionis, ordinis & præeminentiæ, abſque Ordinatiis, procedendi &c. Conſtitut. cujus initium, licèt ab initio &c. A. C. 1542. quam poteſtatem poſtmodum auxit Pius IV. Conſtitut. incipiente, Rom. Pontifex, A. C. 1564. ad quem modùm Anno præt. contrà Odettum Card. & ſocios ejus Archiep. Aquenſem, ac IV. alios Epiſcopos Gallos Romæ quæſtionem exercere Cardd. Inquiſitoribus Gener. Imperaverat. Pius V. porrò, Principibus, Judicibus & Juſtitiæ Miniſtris, ut eorundem mandatis parerent obedirentque, præcepit, A. C. 1566. donec Sixtus V. inſtituit XV. Congregationes Cardinalium, ſingulisque certa negotia aſſignavit. Additi exin illis Commiſſarius Gener. S. Officii, qui ſemper eſt ex Ordine Dominicano & Aſſeſſor Generalis. Hi ſupremi Inquiſitores bis in hebdomade congregantur, die Mercurii in Æde S. Mariæ ſuprà Minervam, & die Jovis coram Papa, exceptâ hebdomade ſanctâ: quodque major pars decrevit, ratum habetur. Habent autem Advocatum Fiſcalem, varios Conſultores, Prælatos & Regulares, ſc. Generalem Ordinis Dominicani & Socium Commiſſarii S. Officii, unum etiam Religioſum ex Ordine D. Franciſci, plures it. Theologos Qualificatores: Inquiſitores ubique cum ſimili vel limitata poteſtate conſtituunt, appellationes ab aliis Inquiſitoribus ad ipſos interpoſitas, cognoſcunt &c. ſicque, cùm anteà ipſe Papa Inquiſitores ad Principes mitteret, requireretque ut eos favore ſuo protegerent, nunc Conc. hoc Cardd. Inquiſitores ejuſmodi mandatis inſtructor, non aliter ac in propria dominia dimittit, ſuiſque mandatis contradici non fert, P. Servita Hiſt. Inquiſ. c. 8. plura apud Phil. à Limborch Hiſt. Inquiſ. l. 1. c. 29.

INQUISITOR Generalis Hiſp. Rex Pontifici ſupremum omnium regnorum ſuorum Inquiſitorem proponit, quem Papa in munere ſuo confirmat, illique pleniſſimam poteſtatem tribuit in cauſis hæreſin ſpectantibus. Hic dein particulares nominat Inquiſitores, à Rege approbandos; Viſitatores ad Inquiſitorum provincias mittit; cum pœnitentibus & eorum filiis nonnunquam diſpenſat; in ſuperiore Inquiſitionis Senatu, qui quotidiè cogitur, feſtivis diebus exceptis, præſidet; Inquiſitoribus Provincialibus, qui quotannis ſtatum ſui tribunalis ſupremo Senatui referunt, ac ſingulis menſibus eidem de omnibus pecuniis rationem reddunt, imperat &c. Fuitque primus Inquiſitor Generalis regnorum Hiſp. Frater Thomas) Turrecremata, creatus A. C. 1483. ſicut in Luſitania Didacus de Silva, Septæ Ep. & Joh. III. Regi à Confeſſionibus. Cæterùm ab hoc Tribunali, quod hodie Clericis ſecularibus decretorum ac LL. peritis commiſſum eſt, non niſi ad Regem appellatis datur: qui, antequam Rex ſit, juramento ſpeciali ſe ipſi ſubjicit, cum toto ſuo dominio, uti docet Cæſar Carena. Tract. de Officio S. Inquiſit. Tit. 3. §. 8. & ſeqq. Vide quoque Franciſc. Pegnam In Directorium Inquiſitorum Nic. Eymerici Part. 3. Comm. 32.

INQUISITORES, Vide Quærentes.

INQUISITORES Fidei; in Eccl. Rom. quod munus obeant, diximus ubi de Inquiſitionis origine ac progreſſu. Addam hìc pauca. In Gallia Inquiſitorum hujuſmodi primùm auditum nomen tum, cùm Waldenſes, uti vocantur, magno ſucceſſu varia Eccl. Rom. dogmata impugnare regnumque Pontificium ibi magnopere labefactare inciperent. Tunc enim in Conc. Toloſano, contrà eos coacto A. C. 1229. Legatus Apoſtolicæ ſedis, uti vocant, qui illi præerat, mandavit Inquiſitionem fieri contrà Hæreticos ſuſpectos de hæretica pravitate, ut ait Gul. de Podiolaurentii c. 49. Delecti verò ii potiſſimum ex Fratribus Ordinis Prædicatorum, è quibus Petri Cellani & Gul. Arnaldi idem auctor meminit c. 43. ubi poſtmodum illis ex ordine Fratrum Minorum, qui Prædicatorum rigorem manſuetudine ſuâ temperarent, adjunctos Collegas eſſe, addit. Namque Robertus, cogn. Bulgarus, ob ſævitiam, notus; Falco quoque Fidei Inquiſitor in Occitania. ob cujus nimiùm rigorem Rex Phil. miſit A. C. 1301. qui de ejus exceſſibus inquirerent, ſtatuitque, ut in poſterum de hæreſi ſuſpecti aut accuſati Regiis carceribus recluderentur Toloſæ, neque Regii ſubditi Inquiſitoris decreto poſſent detineri, niſi ſumpto prius Ep. conſilio & Seneſcalli Regii auxilio implorato Præter hos famoſus fuit Gulielmus de Morreriis A. C. 1302. & Joh. Parlier, A. C. 1413. Cùm dein poſt initium Sec. XVI. Rom. Eccl. contradiceretur paſſim iterumque in Gallia ingens hominum turba ſurgenti Evangelio nomen darent, Matthæum Ortyum Doct. Theologum ex eodem Prædicatorum ordine Fidei Inquiſitorem inſtituit Franciſcus I. circà A. C. 1536. idemque Rex Joſepho Corregié, itidem Dominicano, perinde Inquiſitoris in toto Regno munus obeundi facultatem conceſſit, A. C. 1540. Poſt quem Henr. II. eundem Ortyum ampliori poteſtate inſtruxit, A. C. 1550. &c. Hujuſmodi verò miniſtrorum expenſæ & ad victum neceſſaria, ex Regio Fiſco ſubminiſtrabantur, à Ballivis, qui eo ævo Bailliviarum ſuarum percipiebant reditus & de iis in Camera computorum rationes reddebant. In quam rem proſtat Diploma Phil. Pulchri hocce: Seneſc. Toloſæ & Carcaſſ. Sal. Cùm Frater Gulielmus de Morreriis ---- ſit de novo Inquiſitor Toloſæ auctoritate Apoſtolicâ deputatus: mandamus vobis, quatenus carceres noſtros, Muros ad cuſtodiam detentorum --- aliaque --- neceſſaria nec non pecuniam ad ipſius victum & officium exercendum liberari & miniſtrari faciatis, eidem in ſui executione officii auxilium, favorem & conſilium impendentes, prout aliis Inquiſitoribus hactenus fieri conſuevit, & quandiu noſtræ placuerit voluntati. Actum apud Vienn. A. C. 1302. apud C. du Freſne in Gloſſ. Similes his Inquiſitores occurrunt apud Suet. Jul. c. 1. ubi de Cæſare, Multatus, diverſarum partium habebatur, ut etiam --- prope per ſingulas noctes commutare latebras cogeretur ſeque ab Inquiſitoribus pecuniâ redimere: Græci eleganter φυγαδοθήρας vocant, recentior Helleniſmus etiam διωγμίτας, ut videre eſt apud Metaphraſtem in Vita S. Athanaſii. Juſtinianus Quæſtores à ſe inſtitutos ἐρευνητὰς appellat, de quorum officio Vide Nov. 80. & plura hanc in rem, apud Caſaub. ad Suet. d. l.

INSANIA, à Fatidicina Vett. res minimè remota, ut de Sibylla notum ex Virg. Æn. l. 6. v. 47. & ſeqq.

---- non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

----- *non vultus, non color unus,*
Non comptæ manſêre comæ, ſed pectus anhelum.
Et rabie fera corda tument: majorque videri,
Nec mortale ſonans, afflata eſt Numine quando
Jam propiore Dei -----

Unde *ſacram inſaniam*, afflatum Numinis ſui, Tireſias, apud Stat. *Theb. l.* 10. *v.* 798. & *inſanire Apollinem* ipſum, dicit Capaneus, apud eundem. Hincque multos, qui volebant aſpici furere gallantes & vaticinari, quaſi ab alicujus Numinis inſpiratione immiſſo furore (quia id pertinebat ad confirmandas religiones) radicem halicaccabi ſolitos bibere, ut ἔκστασιν inde conciperent, & Numine repleti viderentur, diſcimus ex Plin. *l.* 21. *c.* 31. Vide quoque ſuprà, *Canere*. Quâ ratione in vatibus ſuis utcunque imitari conatus eſt Satanas verorum Prophetarum raptus, miraſque & inſolitas corporis agitationes & membrorum motus; languores inſuper corporiſque feſſi, nec Deùm ampliùs pati valentis, ægritudines, quas iis nonnunquam accidiſſe, diſcimus ex Num. *c.* 24. *v.* 4. 1. Sam. *c.* 9. *v.* 20. & 24. Dan. *c.* 7. *v.* 28. & *c.* 8. *v.* 27. &c. Sed longè quietius, alioque ac ſanctiore longè modo Deus Prophetas ſuos afflavit; quorum ecſtaſes, in iſto mentis receſſu, ſanctoque cum Deo commercio, non autem furores, oſve rabidum & inconditos, nec ipſis, qui eos edebant, intellectos ſonos, legimus, utpote mente interim ſemper ſui compote, nec iſto, quo percuſſa erat, lumine magnopere alienatâ. Vide Franc. Burmann. *Synopſi Relig. Chr. Part. pr. l.* 3. *c.* 5. §. 14. & *ſeqq.* Inprimis verò Arioli & Fanatici (de quorum etymo. Vide infrà aliquid, ubi de *Stipe*) furere crediti; & revera furorem, quantum poterant, ſimulabant. Jul. Firmicus *Mathes. l.* 6. *c.* 31. *Faciet homines templorum obſequiis deputatos; qui latenti divinitatis inſtinctu, mutato mentis ordine & inſtantis religionis poteſtate poſſeſſi, petentibus hominibus futura prædicant, & ſic illis ex iſta converſatione quotidianæ vitæ alimenta quæruntur.* Quare *Inſanos* eoſdem appellat, *l.* 3. *c.* 11. *Facient mendicos.* Inſanos, *nudos aut templorum ſervos.* Appellat *templorum ſervos*, ἱεροδούλους. Ergo θεολήπτους exiſtimabant eos, &, ut loquitur Tertullian. *de Deo patre.* Idcirco & caput rotabant, Vide infrà in hac voce, & capillos, quos intonſos ideo gerebant, diſſipabant, quod τὴν κόμην ἄκρων σείειν vocat in Alexandri plani hiſtoria Lucian. & ſeipſos etiam inſputabant, quod in eodem plano idem obſervat: Περίβλεπτός τε καὶ λαμπρὸς ἦν, μεμηνέναι προσποιούμενος ἐνίοτε καὶ ἀφροῦ ὑποπιμπλάμενος τὸ στόμα κτλ. Atque hinc *Fanaticus error*, pro plus quàm furioſo: & *Fanatici*, arreptitii ac plus quàm furioſi. Vide Deſ. Herald. *Animadverſ. Arnob. l.* 1. Sed & *inſaniam jocularem* ſervis Vett. conciliabant, ſtrychni ope, qua de re dicemus aliquid infrà, in voce *Stychnus*, Vide quoque ubi de *Corybantiaſmo*, & *Imaginum morbo.* Cæterùm *inſania laborantes* olim porcum ſacrificâſſe, dicemus infrà in voce *Sus.*

INSCRIPTI, in illo poëtæ Mart. *l.* 8. *Epigr.* 75. cujus Epigraphe de Gallo lingono *v.* 9.

Quattuor inſcripti *portabant vile cadaver.*

Servi ſunt στιγματίαι, *notis ſ. literis inuſti*, quod è fuga retractis fieri ſolebat, more antiquiſſimo cujus jam Phocylides meminit,

Στίγματα μὴ γράψῃς, ἐπονειδίζων θεράποντα.

Cujuſmodi notis inſignes videntur fuiſſe ſervi Pagaſæi, quos Hermippus apud Athen. recenſuit *Dipnoſoph. l.* 1. Fiebat id autem parte aliquâ corporis conſpicuâ: dextrâ, apud Auſ. *Epigr.* 15.

Aut inſcribe *iſtam, quæ non vult ſcribere, dextram.*

Seu facie, apud Claud. *in Eutrop. l.* 2. Carm. 20. *v.* 344.

Jura regunt; facies quamvis inſcripta *repugnet.*

Fronte potiſſimùm, ut monſtrat Lucian. *Reviviſc.* ubi fugitivos neſcio quos Philoſophos, typo vulpis aut ſimiæ, cenſet in ea faciei parte inuri debere. Et Diphilus, qui quendam comam ſe alere Deo dicentem, ut capillis promiſſis obvelaret frontem inuſtam, inſectatur apud Athen. *Dipnoſoph. l.* 6. *Inſcribebantur* verò vel variarum rerum typi, ut ex Luciano modo viſum, vel literæ, quod frequentius, unde *frons* talis *literata*, ipſique ſic inſcripti *literati* paſſim dicuntur. Literæ porrò, vel ſimplices erant, Græcorum Φ. Latinorum F. φυγῆς ſeu *fugæ* indices, vel in voces compoſitæ. Narrat enim Petron. Eumolpum *Epigr.* integro impleviſſe frontes Encolpii & Gytonis: Et Val. Max. ſervum Reſtionis inexpiabili literarum notâ, per ſummam oris contumeliam, inuſtum memoriæ prodidit *l.* 6. *c.* 8. Imò Theophilum Imp. XI. verſus Theophanis & Theodori fratrum frontibus *inſcripſiſſe*, refert Baron. *Not. ad Martyrolog.* 22. *Dec.* Quo more jam priùs Conſtantini Imp. humanitate abolito, in collaria & æreas lamellas, clavis capitatis ad collaria affixas, hujuſmodi notas ac epigraphes tranſlatas, diximus ſuprà, ubi de *Fugitivis*. Vide quoque infrà, in voce *Literati*, item *Stigmatiæ*. Alia ratio fuit tabellarii ab Hiſtiæo ad Ariſtagoram miſſi, quem in occipitio *inſcripſiſſe* herus legitur, apud Herod. *l.* 2. Militum item apud Rom. quos, priuſquam matriculis eorum nomina inſererentur, ſtigmata in brachio vel manu accepiſſe, diſcimus ex *l.* Arcadii & Honorii, Aëtio item & Vegetio paſſim. Sed quis Xerxis veſaniam ferat, qui & mare *ſtigmate dignum* credidit, eodem teſte *l.* 7. contrà quàm Juv. de illo canit *Sat.* 10. *l.* 4. *v.* 183. Atque hi ignominiæ causâ *inſcripti* ſunt, de quibus Vide quoque infrà, in voce *Stigmatiæ*. Dacorum verò uxores etiam in ornatus loco habuêrunt notis compunctum corpus, ut ex Val. Flacc. Argon. conſtat: quod quidem in Orphei diſcerpti pœnam illis impoſitum, Phanocles contendit, de Thracibus ſic loquens,

Ποινὰς δ᾽ Ὀρφῆϊ κταμένῳ στίζουσι γυναῖκας
Εἴσετι νῦν κείνης εἵνεκεν ἀμπλακίης.

Imò & apud Plin. *l.* 22. *c.* 1. *mareſque etiam apud Dacos & Sarmatas corpora ſua inſcribunt*, Ex quo genere notarum quum aliquis compunctum haberet brachium, eandem notam reddidit ejus nepos apud eund. ubi de Dacis, *quarto partu Dacorum uriginis nota in brachio redditur*, ex atramento ſc. confuſa, συγκεχυμένον μέλαν, ut Ariſt. qui factum hoc tertio gradu memorat. Sed & Britannis, quos Cæſar & Mela guaſto ſeu vitro corpora ſua inficere ſolùm tradunt, per artifices plagarum figuras varias animalium formas incorporari à pueris, ſcribit Solin. *inſcriptiſque viſceribus hominis incremento pigmenti notas creſcere*, addit *c.* 23. Vide quæ de *Agathyrſis*, *Gelonis*, *Pictis*, alibi dicta, & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 38. 39. & 258. uti de *Equis inſcriptis*, in vocibus *Coppatias* & *Samphoras*, de *Floribus* apud C. Paſchal. *Coron. l.* 3. *c.* 12. &c. Addam ſaltem, & Sophiſtas, poſtquam Athenis olim, præviis quibuſdam ritibus pallium Philoſophicum, & cum eo Sophiſtarum dignitatem ac jus publicè docendi conſecuti eſſent, ab eo tempore Ἐγγεγραμμένους, *Inſcriptos*, appellari conſueviſſe, ut infrà videbimus in voce *Sophiſtæ*.

INSCRIPTIO, monumentum eſt breve ac ingenioſum rei alicujus memorabilis. in lapide inprimis vel metallo, poſteritati de rebus prioris ævi inſtruendæ, publicâ auctoritate, ut plurimum exaratum. Et quidem jam antiquiſſimis temporibus, Semiramis columnæ geſta ſua inſcripſit, quam *Inſcriptionem* memorabilem Polyæn. exhibet *l.* 8. Eam imitatus Darius Rex, ad Teiarum amnem Thraciæ, cippum erexiſſe cum inſcriptione geſtorum ſuorum, legitur, apud Herod. Poſtea pilis, in Fano Dianæ Orientalis, quod Artemiſii erat, Græci *inſcripſêre* victoriæ navalis de Xerxe, primâ velitatione, reportatæ, monumentum, uti videre eſt apud Plutarch. *Themiſtocle*. Sic ab Aſſyriis, Perſis, Græcis, ortus mos ad Judæos citerioris ævi tranſiit, apud quos Simon Dux & Pontifex plebiſcito, de rebus ſuis geſtis & honoribus in tabula ænea inciſo, & in celeberrimo Templi loco conſtituto, honoratus eſt, 1. Maccab. *c.* 14. &c. Sic res geſtæ Principum Ducumque *Inſcriptionibus* adnotatæ. Inde traditus poſteris mos eſt, ut Victorum nomina, qui Olympicis Ludis palmam tuliſſent, in Olympico Gymnaſio conſcriberentur, teſte Pauſ. *l.* 2. Sed & Leges ſuas Nomothetæ; & Anathemata Numinum cultores, & Vota Supplices, & Fœdera Gentes, & jus ſuum in domos prædiaque Poſſeſſores, alia alii publicis *Inſcriptionibus* teſtati ſunt. Etiam Templorum fores Divorum ipſorum, quibus illa dicata erant, nominibus *inſcribebantur*, plerunque abſolutè generandi caſu. Sic in inſ. Samo Apollinis templum, cujus foribus inſcriptum erat ΠΥΘΙΟΥ, memorat Jamblichus *de Vita Pythag. l.* 1. *c.* 2. In Ægypto Alexandriæ, templum ΑΦΡΟΔΙΤΗC ΒΕΛΕΣΤΙΚΗC, apud Plutarch. *Erotic.* iterum in Samo, ΚΕΧΗΝΟΤΟΣ ΔΙΟΝΥΣΟΥ, apud Plin. *l.* 8. *c.* 17. ara ΑΔΟΥ ΚΑΙ ΠΕΡΣΕΦΟΝΗC, apud Zoſim. *l.* 2. alia apud alios occurrunt. Quam conſuetudinem Vide uti ſalsè rideat Arnob. *l.* 6. Sed & alia monumenta ſic abſolutè inſcripta habes, ΜΑΡΚΟΥ ΟΘΩΝΟC, apud Plutarch. *Othone*; ΜΑΡΚΕΛΛΟΥ, in *Marcello ejuſdem* &c. unde nata ſyntaxis. *Ad Telluris*, *ad Dianæ*, *Ad Veſtæ*: it. *in Cereris Eleuſinæ*, *in Apollinis Delii &c.* Deſid. Herald. *ad Arnob. locum.* Porrò, Arboribus, Foliis, Parietibus, Oſtiis, *Inſcriptione* factâ, ὁ δεῖνα καλός, amorem ſuum, qui talia ſectabantur, ſolebant indigitare. Nullæ verò frequentiores, quàm *Inſcriptiones Monumentariæ* ſ. *Sepulchrales*, de quibus hîc paſſim, inprimis in vocibus *Elogium*, *Monumentum*, *Stela Titulus*, &c. Neque verò honoris ergò ſolùm, ſed & in pœnam ac ignominiam factæ *Inſcriptiones*. Sic, cùm Alcibiades abſens capitis damnatus ab Athenienſibus, & diris devotus à Sacerdotibus eſſet, teſte C. Nep. in *Vita* ejus *c.* 4. *quò teſtatior eſſet ejus rei memoria, exemplum in pila lapidea inciſum, poſitum in publico eſt*, Epaminondas quoque, legis pœnam ſubiturus Thebis, unum à Judicibus petiſſe dicitur, ut in periculo ſuo conſcriberent: apud eund. in *Vita* ejus *c.* 8. *Epaminondas à Thebanis morte multatus eſt, quòd eos coëgit apud Leuctra ſuperare Lacedæmonios*, & quæ ſequuntur, ut alia omittam. Itaque fuêre ab omni ævo, qui Epigraphes hujuſmodi, hiſtoriæ multum lucis allaturas, undiquaque colligerent; qualis Philochorus quidam Athenienſis, qui *Inſcriptiones Atticas* in unum volumen compegit, Suidæ; Polemo, cogn. Στηλοκόπας, qui, principatu Ptolemæi Epiphanis, *Inſcriptiones Sepulchrales cujuſque Civitatis* item *Anathematum in Acropoli Athenarum dedicatorum*, edidit, Athen. Ariſtodemus, qui idem Thebis præſtitit, Scholiaſtæ Apollonii *Argonautic.* alii aliis memorati. Vide quoque in voce *Euhemerus*, item ſuprà ubi *de Epheſiæ Dianæ Templo*: & inter recentiores, illuſtra Jani Gruteri, Jac. Spon. aliorumque, *Inſcriptionum* opera. De *Inſcriptionibus* verò Librorum, Vide infrà *Lucubratio*: poëmatum, adi Scalig. *Poët. l.* 2. *c.* 126. & 127. Addo hoc unum, de more *inſcribendi* ingenii monumenta aliis, quorum vel æſtimatio, vel amor apud nos eximius, magnæ ſimiliter vetuſtatis eſſe, cùm Platonem fratribus ſuis præclariſſimos commentarios ſuos *inſcribendo*, Glauconi quidem & Adimanto librum de Rep. Antiphonti verò Parmenidem, eos nobiles reddidiſſe, legamus apud Plutarch. *de piet. erga Fratres* &c. Nec omittendæ penitùs *Inſcriptiones falſæ*, *phylacteria aut ligaturæ*, quæ imprudentes pro febribus aut aliis peſtibus adjuvare putantur & vetantur *in Capitul. Caroli Mag. l.* 6. *c.* 72. de quibus Vide Jan. Gruter. *p.* 1047. *c.* 5. & hîc paſſim, inprimis ubi de *Characteribus*, *Magia* &c.

INSECTA, non in cibis ſolùm apud varias gentes, ut *fuci*, *formicæ*,

formicæ, *pediculi*, *vermes*, *limaces* &c. quæ omnia Lex Judæis; ut immunda, prohibuit, niſi quòd mellis & certæ locuſtarum ſpeciei uſum iis conceſſit: Sed & in Deorum numero fuêre, ut de Ægyptiis aliisque viſum, atque ex iis varia ſuperſtitionis occaſio præbita. Ut enim ab occiſis *muribus* colebatur Apollo Σμινθεὺς & Μυοκτόνος, ita Hercules Ἰποκτόνος, dictus ab occiſis *vermibus*, qui vites infeſtabant; & Κορνοπίων à *locuſtis* fugatis, & Ἀπόμυιος quia *muſcas* arcere credebatur &c. Sam. Bochart. *Hieroz. Parte pr. l.* 1. *c.* 6. Eadem omnia ad Adamum primitus creatum, ut ab eo certo ſignarentur nomine, adducta fuiſſe, certum eſt. Quidni enim, utut in illis pleraque vilia admodum, hominis conſideratione digna ſint, quæcunque Deus creare & conſervare non dedignatur? Nec minus eſt, quod in ape aut formica miremur, quàm in ceto aut in elephante; cum hoc ipſum ſit imprimis mirabile, quòd in tantillo corpore tot animi emineant dotes &c. Idem *c.* 9. *Ibid.* Nominis originem pandit Plin. *l.* 11. qui totus de *Inſectis* agit, *c.* 1. *Multa hæc & multigena terreſtrium volucriumque vita. Alia pennata, ut apes: alia utroque modo, ut formicæ aliqua & pennis & pedibus carentia: jure omnia* Inſecta *appellata ab inciſuris, quæ nunc cervicum loco, nunc pectorum atque alvi præcincta ſeparant membra, tenui modò fiſtula cohærentia. Aliquibus verò non totâ inciſurâ eas ambiente rugas, ſed in alvo, aut ſuperne; tantùm imbricatis flexilibus vertebris, nuſquam alibi ſpectatiore naturæ rerum artificio.* Laudes illorum idem magnificè deprædicat *c. ſeq.* quod legiſſe operæ pretium erit. Idem ſcripturus alibi de remediis, quæ à diverſis animalibus ſumuntur, *Neque enim dubitaverim*, inquit, *aliquibus faſtidio futura, quæ dicentur animalia*: Etiam hinc medicinam homini non unam ſpondens. At non Virg. fuit nominare formicas nullâ neceſſitate, ac curculiones; *Georg. l.* 4. *v.* 243.

--- lucifugis congeſta cubilia blattis.

Non Homero, inter prælia Deorum, improbitatem muſcæ deſcribere; non Naturæ gignere iſta, cùm gignat hominem. Proin cauſas & effectus, non res æſtimemus. Homerus autem, mirum eſt, quot inde ſimilitudines hauriat; & quàm elegantes, ab audacia muſcarum, animoſitate ac fortitudine veſparum, prudentia apum, Heroas ſuos exornet. Ut verò in his tam parvis atque tam nullis Conditoris ſapientiam eò exactiùs contemplemur, *ſunt inventi haud pridem non tantùm cryſtallini vitreique orbes, vario artificio & ad marginem & circa centrum extenuati, pro oculorum ætate ac vigore, qui vel longinqua propiùs admoveant, vel propinqua immanè quantum removeant: ſed & ubi longi ac breves adeoque ad pollicem tranſverſum erecti, in quibus incluſi pediculi, pulicis, muſcæ membra diſtinctiſſimè videas & cum ſtupore mireris: illic licebit contemplari teredinem caſuariam, caudam vel vulpinam, vel vervecinam, eamque villoſam, expl[ic]itiſſimè conſiderare, cum eadem proportione* &c. Auctor A*non. Sinæ & Eur. c.* 38. *de Inſectis*. Plura apud magna nomina Aldrovand. Geſner. Voſſ. *de Idol. l.* 4. *c.* 64. & *ſeqq.* Alios.

INSEPULTO hominis cadaveri terram injicere, apud Athenienſes, Lex juſſit, memorata Æliano *Var. l.* 5. *c.* 14. Ὅς ἂν ἀτάφῳ περιτύχῃ σώματι ἀνθρώπου, πάντως ἐπιβάλλειν αὐτῷ γῆν, θάπτειν δὲ πρὸς δυσμὰς βλέποντας, *Inſepulto hominis cadaveri terram injicito, & in ſepulchro Occaſ. verſùs condito.* Ubi additur, tanquam receptæ ſepeliendi conſuetudini contrarium, ut ad Solem occaſum ſpectet, quo à prætereuntibus poſſit cognoſci. Nam vere adnotat Scholiaſtes Thucydidis, morem fuiſſe omnibus Græcis, ἐπ᾽ ἀνατολὰς ποιεῖν ὁρᾶν τοὺς νεκροὺς, *ut verſùs Ort. mortuos conderent*, qua de re aliquid infrà dicemus. Plura verò de *Inſepultis* habes hîc paſſim, inprimis in voce *Cadaver*, & *Gleba Sepulchralis*, it. *Laniatus*. Addo hîc ſolum, apud Græcos αὐτόχειρας, tyrannos, proditores ſepultura caruiſſe & primo Macedones Clytum ab Alex. in convivio occiſum, quò *minus cædis puderet, tanquam jure occiſum*, per ſummam ignominiam, *ſepultura prohibituros fuiſſe ni Rex humari juſiſſet*, Curt. *l.* 8. *c.* 2.

INSERTA, apud Publ. *Syrum*;

Frugalitas inſerta *eſt rumoris boni.*

Joſeph. Scalig. *emblema*, Salmaſ. ἐπίβλημα eſt, *quod verbi*, inquit *ſignificat inſertam purpuram in fine veſtis.* Heſych. ἐπίβλημα, λῶμα, λῶμα autem ut notum, Græcis vocati ſunt panni, qui veſtibus aſſuebantur ex purpura. Nec enim, pergit, veriſimile eſt ſi illo verſu Publii *inſerta* ſignificâſſet emblema, 60. pòſt Annis, cùm in Senatu quæreretur ſub Tiberio, quomodo Latinâ voce dicendum eſſet *emblema*, nemini veniſſe in mentem notiſſimam illam, & omnibus decantatiſſimam ex Mimo ſententiam, vide eum ad *Vopiſ. in Aurel.*, ubi voce *Inſerta*; ſicut *Prætexta*, vult ſubintelligi *purpuram*, & utrumque pro ornamento ſ. inſigni accipit. Idem tamen *ad eund. in Firmo*. tam de veſtis, quàm de vaſis, *inſerta*, Publium intelligi poſſe, & ſcyphis emblemata, parietibus ſpecula *inſeri* conſueviſſe, Græcè ἐμβάλλεσθαι hincque *hæc inſerta* ἐμβλήματα, Græcis eſſe ait.

INSIDIÆ, inter Gentilium idola, vide infrà *Pinus*.

INSIGNARE, quod Galli *Enſigner* dicunt, h. e. *docere* ſ. ἐμφανίζειν, Monachi proprie dicebantur, quod *ſignis* omnia ſignificare ac indicare ſolêrent, C. du Freſne in *Gloſſ.* Salmaſ. verò, ex Latino *Inſinuare*, Gallicum *enſeigner* deducit, *ad Hiſt. Aug.*

INSIGNIA, ſunt in ſpecie *arma gentilitia*, Gallis *Armoiries*, Anglis *Armes*, Germanis *Waapen*: etiam ſimpliciter Latinè *Arma*. Nihil enim hodierna ſunt inſignia, quàm arma à Majoribus, in ſpectatæ virtutis vel egregii facinoris memoriam ſervata atque ad poſteros tranſmiſſa. In genere inventa ſunt, ut inſervirent illa rebus cum ſacris, tum profanis ſignificandis & diſtinguendis: Sic ſceptra & virgæ Diis apud Ethnicos olim tributæ: in ſpecie Jovi aquila & fulmen, quæ ideò divinitatis & apotheoſeos ſymbola paſſim in nummis, Aug. præſertim, apud Goltzium occurrunt Junoni pavo, qui proin feminarum conſecrationem in nummis denotat, additus; Palladi noctua, unde nummus æreus Antonini Pii cum aquila pavone & noctua, in cimeliarchio Feſchiano: Neptuno delphinus & tridens, ut patet ex nummis Agrippæ & Hieronis Siciliæ Regis Veneri Cupidines: Herculi clava & exuviæ Leonis, in nummis inprimis Commodi: Baccho tigris, botrus & thyrſus: Apollini tripus, lyra & corvus, in nummis Neronis. Marti haſta & tropæum: cereri ſpicæ ac tædæ. Æſculapio ſerpens: Leones Cybeli, cum crotalo ſ. tympano: Dianæ canes, cervi ac pharetra: Serapidi caniſtrum: Siſtrum Iſidi, &c. Apud Romanos Ethnicos Sacerdotum inſigne fuit apex vel tutulus: Augurum lituus: Veſtalium vitta: quæ cum infula, fuit quoque commune Sacerdotum, maximè ſacrificantium, inſigne: ut taceam ſimpulum, ſeceſpitam, capedinem, aſpergillum, & pateram, quæ nummi & lapides paſſim exhibent. Apud Chriſtianos veteres, in genere, crucis ſignum in frequenti fuit uſu, quam notam à Gentilibus eos accepiſſe aſſerit Fortunius Licet. *l.* 6. *de Lucer. antiq. c.* 48. cum Laur. Pign. *Symbol. Ep. c.* 24. & Caſalio *de Ritib. Chriſt. c.* 1. cum quibus facit Athanaſ. Kircher *in prodromo Copto c. ult.* qui apud Ægyptios quoque figuram crucis ſ. *Tau* anſati Serapin alioſque eorum Deos manibus plerunque tenuiſſe, refert *in Oedipo Ægypt.* In ſpecie Sanctis corona capiti circumfunditur occaſione fortè ex Ethniciſmo petitâ cùm radiata Imperatorum capita ſæpius in nummis appareant, vide Baron *in Ann. ad* A. C. 44. *circa fin.* Pontificum inſignia ſunt, corona Papalis, quæ quia nunc triplex, *Triregnum* vocatur: item claves, ſtola Papalis, ſandalia cruce figurata, equus albus, triplicis crucis prælatio, & gladius. Scutis verò propriis ac familiaribus demum Pontifices uti cœpêrunt, ſub Bonifacio VIII. Cardinalibus inſignium loco ſunt, pileus & galerus ruber, cruce inſignitus: Patriarchis, Primatibus & Archiepiſcopis pallium, & crux, atque olim lampas: Epiſcopis croceus ſ. pedum & mitra, quæ alba olim & linea, à 600. autem Annis auro gemmiſque ornari conſuevit: Item galerus viridis. Abbatum plurimi ex peculiari privilegio inſignia quoque Epiſcopalia ſ. Pontificalia habent, primuſque Bertholdus Abbas Fuldenſis circa A. C. 1135. mitrâ baculo, annulo, aliiſque Pontificalibus inſtrumentis ab Innoc. II. donatus legitur, &c. In ſecularibus, ſummæ dignitatis, purpura inſigne fuit: unde Romulus, ut naſcentis Imperii initia auguſtiora redderet, tunicum purpuream togamque prætextam ſumpſit. Præter hanc Imperatoribus ignis prælatio, diadema, ſceptrum coronæ aureæ, quarum primus ab Hetruſcis uſus fluxit, ſellæ ſ. ſolia, equus, faſces lauro exornati, enſis, pomum aureum, crux, aliaque ſplendorem circumdedêre. Quæ eadem ferè Regum quoque inſignia ſunt, præſertim à quo clauſam etiam coronam, olim Imperatorum propriam, uſurpare cœpêrunt. Ducum in genere inſigne corona ſ. circulus eſt laminæ aureæ lapillis pretioſis diſtinctæ, ex quo flores & folia undique ſurgunt. In ſpecie Electores dignitatis ſuæ ſignum gerunt pileum coccineum & togam: Archiduces pileo addunt latum ſemicirculum aureum regiæ coronæ gemmis diſtinctum, cum cruce Imperiali: Iiſdem coronis, quas *Ducales* Galli appellant, Landgravii quoque, Marchiones, Comites atque etiam Barones in Germ., nullo ferè diſcrimine exornantur. Sed extra illam Comitum Marchionumque corona circularis eſt lamina, cui tres lapilli hærent: Barones verò non laminam integram latamque ſed tenuiorem ac reſtrictiorem, ac veluti circulum ſive gracile vinculum aureum dignitatis inſigne gerunt, &c. Ut de reliquis dignitatum officiorumque gradibus nil dicam. Sunt & Gentibus integris familiiſque ſua inſignia: quorum doctrina ſub Car. Mag. adumbrata, ſub Henr. Aucupe ejuſque poſteris perpolita, in ludis Equeſtribus invaluiſſe videtur. Plura *de inſignibus* vide apud Limnæum *de Jure Publ.* Joh. Boiſſeau *Prompt. Armorial. part.* 1. *c.* 11. Garſiam *de Magiſtrat. l.* 4. *c.* 5. Paſchal. Chaſſanæum *gl. mundi* Phil. Moreau *en ſon tableau des armoir.* alios, quibus adde inſignem *de Inſignibus diſſertationem* Sebaſtiani Feſchii Baſilienſis J. U. C. excuſam Baſileæ, A. C. 1672. Eorum originem egregie indigitat, Scholiaſt. priſcus Stat. *ad Theb. l.* 1. *v.* 482. & *Seqq.*

Hic primùm luſtrare oculis, cultusque virorum
Telaque magna vacat, tergo videt hujus inanem
Impexis utrinque jubis horrere leonem, &c.

Ubi, *Tum primùm*, ait, *licet Adraſto ſecure intueri Heroum arma & corpora. Omnia autem majora communibus & pro viribus eorum quæ geſtant. Sic neminem ferè non peculiares clypeos, galeas, enſes, habuiſſe legimus, quibus pares non poterant geſtare, qui minores virtute erant.* Porrò capulis avita inſignia inſculpta geſtandi mos, occurrit apud Claud. *in* 1. *Conſ. Stilich. l.* 2. *Carm.* 22. *v.* 218. ubi de *Inſignibus ſtirpis Theodoſianæ*: Ovid. *Met. l.* 7. ubi de Theſeo Stat. *Theb. l.* 5. ubi de Jaſonis *inſignibus*, Alios, vide & ſupra in voce *Capulus* vide ſuprà Curribus item & *Curru* Crateribus quoque apud eund. Stat. *Theb. l.* 1. *v.* 545.

Jaſides pateram famulos ex more popoſcit;
Quâ Danaus libare Diis, ſeniorque Phoroneus
Aſſueti. tenet hæc operum cælata figuras.

Poſtibus etiam *inſignia* illuſtriorum hoſpitum præfigendi veterem ritum, multis docet cum alibi, tum *ad eund. Theb. l.* 4. *v.* 161. Caſp. Barthius. *De Coronar. curru* item, verò *Inſignibus*, adi Car. Paſchal. *Coron. l.* 9. *c.* 10. Plura infrà in voce *Nobiles.*

INSIGNIA Imperialia, vide infrà *Regalia.*

INSIGNIA Magiſtratuum Romanorum. Sic breviter comprehendit Prudent. περὶ στέφ Hym. 14. *v.* 143.

Faſces, ſecures, Sellæ prætextæ, togæ
Lictor, tribunal.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Item Juvencus.

Prætexta, trabeæ, faſces lectica, tribunal.

Ubi Conſulum, Prætorum, Æditüum atque Imperatorum ornamenta habes.

INSIGNIS Corona, apud Liv. *l.* 7. *c.* 13. ubi Sext. Tullius, nomine exercitûs, C. Sulpitium Dictatorem alloquitur, *Te, Imperator, milites tui oramus, ut nobis pugnandi copiem facias, tum vincere cupimus, tum Duce te vincere; tibi* Lauream inſignem *deferre; tecum triumphantes urbem inire* &c. & *l.* 28. ubi Manlius agens de ſuo triumpho, *L. Furius*, ait, *& L. Æmilius currum triumphalem me conſcendere prohibent*; coronam inſignem *capiti detrahunt*: fuit corona aurea triumphalis, in ſpeciem lauri effigiata, quam votam ab Imp: dein decreto Senatus & publico ſumptu Duci donatum, ſervus publicus eodem, quo Triumphator, curru vectus, ſuper caput ejus geſtabat, nonnunquam & *inſignis Corona triumphalis* dicta. Nomen ei ab amplitudine, & materia. Namque & auro gemmiſque fulgebat, & ambitu ac latitudine tanta fuit, ut ſatis appareret, non ulli condecorando mortali capiti inventam, ſed illi uni, qui caput eſſet rerum, ſepoſitam. Hinc non deferebat eam domum ſuam Dux, ſed, peracto prope triumpho, triumphali curru vectus, deferebat ad Capitolinum Jovem, eamque in gremio ipſius deponebat, ibi cum cæteris donis religioſè aſſervandam. Sic apud Sil. Ital. *Pun. Bell. l.* 15. *v.* 118. Virtus ad Scipionem,

Sed dabo, qui veſtrum ſævo nunc Marte fatigat
Imperium, ſuperare manu taurumque ſuperbam,
In gremio Jovis, ereptis deponere Pœnis.

Quemadmodum altera corona vere laurea, quam triumphans capite geſtabat, velut ſplendidiſſimum domeſticæ Virtutis inſigne domi cum cura aſſervabatur, inde ſæpe, ut in ſpectaculis aliiſque feſtivitatibus geſtaretur, depromenda &c. Vide C. Paſchal. ubi ſuprà, *l.* 8. *c.* 1. & 2. ut & infrà, ubi de *Triumphali Corona*.

INSIGNIS Veſtis, vide infrà *Veſtis*.

INSILIENDI in Equos. & deſiliendi ex iis, mos antiquiſſimus de quo vide nonnulla infrà in voco *Stapes*.

INSINUATIVUM, dicitur in Eccl. Rom. donum à Clericis præſtitum Ep. in principio ſui ingreſſûs, ut in ejus gratiam ſe hoc pacto *inſinuarent*, apud Dom. Macr. *in Hierol.* Simile quid erat τὸ Ἐμφανιστικὸν, quod Clerici ſolvebant, cùm in clerum allegerentur, uti docet Cl. Suicer. in *Theſ. Eccl.* in voce Ἐμφανίσιμα, namque & ſic dicebantur hæ præſtationes.

INSITIVÆ Arbores, quando inmundæ in vet. Lege, vide ſuprà *Heterogenea*.

INSITOR, unus ex Ruſticis Rom. Diis, aliter *Sator*, memoratur in carmine Flaminis Dialis, qui Cereri & Telluri ſacrum faciens, Divos agricolas hoc ordine invocabat: *Vervactor, Redarator, Imporcitor*, Inſitor, *Obarator, Occator* &c. eratque, qui ſationi præſidebat, à *ſerendo* vel *inſerendo* nomen nactus: de cujus officio, & Romanorum Græcorumque ſatione, vide multa apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 724. nec non infrà aliquid; ubi de corona è *Pomis & Satione*.

INSOMNES, Monachi quidam apud Græcos, vide ſuprà *Acemeti* uti de Græculorum more *inſomnia* in compotationibus certandi infrà in voce *Victoria*.

INSOMNIA, pro Deorum nuntiis, Gentilibus habita, magna olim in æſtimatione fuêre. Hinc ſcribit Plutarch. Sullam, cùm Commentarios ſuarum rerum geſtarum libros L. Lucullo inſcriberet, monuiſſe amiciſſimum hominum, obſervaret prædictiones nocturnas Deorum, quibus ipſi egregia multa rerum inſtantium momenta indicata fuerint, *in Sulla*. Et Marcus Antoninus Imp. *l.* 1. duobus locis, Cajetæ atque Chreſæ ſibi per inſomnium remedia morborum oblata divinitus, memorat. Cui ſimile, quod de Ptol. Curt. *l.* 9. *c.* 8. de Alex. Cic. *de Div. l.* 3. de Pericle, Plutarch. de aliis alii ſcribunt. Quare ſolicitè *inſomnia* captata, in Templis Deorum, qua de re diximus ſuprà, in voce *Dormio*, Vide etiam in voce *Melota*, Et quidem, ut Hippocrates *de Imſomniis* ait, ſecundis in rebus Jovem cœleſtem, Jovem opulentum, Solem, Minervam, Junonem Mercurium & Apollinem ſupplicationibus, adibant Vett. in adverſis verò, pro malis averruncandis placabantur Tellus & Heroës malorum averrunci, quos noctu multum pollere probat Athen. *l.* 11. Jovem prodigialem, addit ex Plauti. *Amphitruone*: *Actu.* 2. *Sc.* 2. *v.* 107. M. Anton. Delrius *ad Senecam Octav. Actu.* 4. *v.* 757. quem vide, & plura hanc in rem, infrà in voce *Sommia uti de Inſomniorum morbo* ſuprà, *Imaginum morbus*.

INSORDESCENTES in Excommunicatione, dicuntur in Theologia inquiſitorum Eccl. Rom. qui, poſtquam ſunt nominatim excommunicati declàrati, in illa excommunicatione per annum ſteterûnt. Ad quam proin *inſordeſcentiam*, requiritur pertinacia animi, cum contemptu clavium conjuncta; quæ inde colligitur, quando excommunicatus habuit excommunicationis notitiam, & nullam adhibuit diligentiam, ad obtinendam abſolutionem. Et quidem, qui ita *inſorduit*, habetur pro confeſſo & convicto de delicto, pro quo eſt excommunicatus, ita ut ampliùs non ſit audiendus, ni velit innocentiam ſuam novis probationibus demonſtrare. Quòd ſi velit, antequam ſit declaratus hæreticus, admittitur ad judicium: imò & talem audiendum eſſe, ſi compareat, etiam poſtquam hæreticus eſt declaratus & ſtatua ejus combuſta, quidam docent. Quæ alia ſunt circa tales Inquiſitorii Juris, Vide apud Phil. à Limborch *Hiſt. Inquiſ. l.* 3. *c.* 28.

INSPECTOR, Hebr. חזן, à *libro inſpiciendo* dictus eſt, qui curam habebat lectionis Legis, ut illa in Synagogis accuratè perageretur; adeoque adſtabat Lectori, librumque inſpiciendo, ſi fortè malè legiſſet, eum monebat Græcè Ἐπίσκοπον dicas, de qua voce ſuo loco.

INSPECTOR Jecinoris, Hæbr. כבבר רעה quis dicitur in Sacris Vide ſuprà ubi de *Divinatione*, item in voce *Hepar* & *Jecur*.

INSPECTORES, in *tit.* Cod. *Juſtin. l.* 11. *tit.* 58. *de Cenſibus & Cenſitoribus & Peræquatoribus & Inſpectoribus*: iidem cum *Peræquatoribus* C. du Freſne *in Gloſſ.* Ἐπόπτης, in *Gloſſ.* Lat. Gr. &c. Vide infrà *Peræquatores*.

INSPIRATIO, una eſt ex tribus electionum formis, quarum mentio in *Decretalibus* Greg. IX. *l.* 1. *tit.* 6. *c.* 42. quæ *per Inſpirationem* ſive *viam Spiritus S.* dicitur: fieri cùm viz. omnium vota nemine diſſentiente, in unum aliquem conſpirat. *Id.*

INSTEJUS *Capito*, Caſtrorum in Armenia, ſub Corbulone, Præfectus. Tac. *Ann l.* 13. *c.* 39. Vulgò legebatur *Iſtejus*. Sed commodiùs pro eo legi poſſe *Attejus* adnotavit *Mureius*.

INSTITA, matronarum ornamentum. Stolam enim ad talos, ut loquitur V. Flacc. demiſſam, *Inſtita* ad oram ornabat, docente Turnebo, *l.* 29. ubi duo inſignia in cultu Matronarum notat, vittas, queis crines ligabantur & talarem tunicam adſutâ *Inſtita* cultam. Horat. *Serm. l.* 1. *Sat.* 2. *v.* 29.

Quarum ſubſutâ talos tegat Inſtita *veſte.*

Hinc pro veſte Matronali ſimpliciter *Inſtitam* ponit Ovid. *de Arte Am. l.* 2. *v.* 600.

Luditur in noſtris Inſtita *nulla jocis.*

Dicta ab *in* & *ſto*, quia ei veſtis quaſi inſiſtit, dum geſtatur. Gr. ... ἢ ... τὰς ὤας ἐσθῆτος παρυφή. ἡ πέζα ἢ ..., Angl. *A purle, a border gard, Welt or lace about a Womans govvn*, Vide Octav. Ferrar. *de Re Veſt. Part.* 1, *l.* 3. *c.* 17. Scholiaſtæ Stat. *Theb. l.* 7. *v*, 157. *Inſtita faſciola eſt, quæ imam veſtem ſuo pingit ornatu*. Ipſe Poëta Ibid. *v.* 654.

Candida pampineo ſubnectitur Inſtita *pilo.*

Dicuntur etiam *Inſtitæ*, faſciæ quibus lectus tenditur, Petron. Edit. Gonſali de Salas p. 11. & 37. & Edit. Boſlich. *c.* 20, & 57. &c. Plura Vide apud Scholiaſtem Hor. *Serm. l.* 1. *Sat.* 2. Joh. Jac. Chifflet. *de Linteis Sepulchr. c.* 28. & hic paſſim, in vocibus *Orna, Pannus Stola* &c.

INSTITOR, Paulo & Ulpiano, *l.* 18. & 3. *ff. de Inſtitor act.* is eſt, *qui tabernæ, locove ad emendum vendendumve præponitur*. Meminêrunt autem Vett. tabernarum, *caſiariæ, cauponariæ, cretariæ, ſutrinæ, verſoriæ, fullonæ, laniomæ, pelleſuinæ, piſtoriæ, purpurariæ, unguentariæ* &c. uti infrà videbimus, in voce *Taberna*. Atque in his omnibus cuſtodiæ cauſâ canis videtur fuiſſe. Paul. *l.* 2. §. 1. *ff. ſi quadr. Si quis aliquem evitans --- in tabernam proximam ſe immiſiſſet, ibique à cane feroce eſſet læſus, non poſſe agi canis nomine quidam putant, at ſi ſolutus fuiſſet; contrà*. Cæterùm *Inſtitorum* opera ſtataria ac ſedentaria fuit, unde veſtes non ſuccingebant, ſed demiſſas gerebant. Vertumnus apud Propert. *de ſeipſo, l.* 4. *Eleg.* 2. *v.* 38.

------- ------- *& ibo*
Mundus, demiſſis Inſtitor *in tunicis*

Iis Ulpian. jungit *Inſularium*, de quo mox; *Ædificio* vel *frumento emendo* præpóſitum; *Pecuniis fœnerandis, Agris colendis: Mercaturis Redempturiſque faciendis*, alios, de quibus omnibus. Vide L. Pign. *Comm. de Servis*, ut & infrà in voce *Servus*, item *Mercatura*, ubi primos *Inſtitores*, qui nempe à Mercatoribus emunt, ut minutim vendant, Lydos fuiſſe, videbimus; & *Negotiantes*.

INSTITOR Johannes, Vide *Johannes*.

INSTITUTIONES Imperiales, ſunt diverſæ ſanctiones, decreta, præceptiones, diſciplinæ, traditiones & axiomata, publicis inſerta monumentis; Græcis ὑποθῆκαι, προστάγματα, εἰσαγωγαί. quas ad cupidam *LL.* juventutem, velut quoddam *Enchiridion Legale* & *Epitomen* Juſtinianus miſit, & xeniorum vice & ampliſſimi loco muneris, Joh. Calvin. in *Lex. Jur.* Ad harum imitationem, ut omni ex parte Juri Cæſareo Pontificium reſponderet, Paulus Lancelotus, Triboniani alicujus inſtar, Pauli IV. juſſu, ut ipſe in *Præf.* ait, *Inſtitut. Juris Canonici* ſcripſit; edíditque circa A. C. 1563. quæ Corpori Juris Canonici additæ ſunt, ſine ulla tamen Pontificum confirmatione. Vide de hiſce ipſius Lanceloti *Dedication.* ad Pium IV. Pontif. & *Proœmium*, ad Juris Pontificii Candd. cum doctis Jac. Ziegleri *Comm.* Idem inſtitutum, circa idem ferè tempus Marco, Antonio Cuccho fuit, qui ſimiliter *Inſtitution. Jur. Can.* evulgavit A. C. 1564. Qui ambo, ad eandem laudem anhelantes, ſibi invicem obſtitiſſe videntur, quo minùs alterutrius labor publicam auctoritatem impetraret. G. von Maſtricht JC. *Hiſt. Jur. Eccl. n.* 388. & 389.

INSTRUERE, propriè ἐπικτίζειν eſt; unde *inſtructa* apud vett. *Rei Agrimenſor.* Auctores, ἡ ἐπίκτισις, lapidum nempe ſtructura, ad muri vicem, pro termino; quod genus terminus *Epictiticus* & *Epictiticalis*, in illorum ſcriptis, paſſim appellatur: Sic apud Hygin. in figura picta *Epictiticalis* termini murum viſere eſt, ex lapidibus conſtructum triangularem, in triſinio ponendum: ut arcæ erant quadratæ ſtructuræ lapideæ, in quadrifinio, pro terminis collocandæ, quas *inſtructas arcas* vocavit Frontin. in voce *Carſeoleis*. Hinc *inſtruices cæmentitiæ*, apud Solin. *c.* 28. *Salibus domos exſtruunt* (Amantes) *quos in modum cautium è montibus excitatos, ad uſum ædium, cæmentitiis nectunt inſtruicibus*: cæmenta ſunt, quibus inſtruuntur & nectuntur inter ſe lapides, quod verbo hoc propriè indigitatur. Vide ſuprà *Cæmentum*. Iſid. *Inſtructio vocata eo, quod inſtringat & cohærere faciat, ut lapides luto & ligna & lapides invicem ſibi. nam & intinctio ferri in aqua inſtructura eſt* &c. *Ferruminare* id vocat Plin. *l.* 31. *c.* 7. E cujuſmodi ſtructo lapide quoque cryptas fuiſſe Judæorum, diximus ſuprà, vide plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 7. & 378. qui & de more *Inſtrumenta* Artificum ſepulcris inſculpendi, *p.* 1221.

INSUBRES, pop. Galliæ Tranſpadanæ, inter Seſſitem & Adduam flumina contenti, Polyb. Strabo *l.* 9. *p.* 212, 213. & *l.* 7. *p.* 292. Plin. *l.* 3. *c.* 17. Tac. *Ann.* & aliis; *l.* XI. *c.* 23. quorum regio *Ducatus* ſ. *Stato di Milano* ſolet appellari; ſed Ducatus Mediolanenſis magis patet, partem Liguriæ complectens, quæ ab illis Pado ſecernitur: Alexandria enim, Dertona, & Bobium, urbes Liguſticæ in Ducatu prædicto cenſentur. Regio *Inſubria* apud Liv. *l.* 5. *c.* 34. *l.* 21. *c.* 15. & *l.* 31. *c.* 10 & alios appellatur; à Liguria Pado, à Venetia Adduâ à Gallia Subalpina ſ. Pedemontano Principatu Seſſite fluv. diviſa, eſtque Galliæ Ciſalpinæ regio. Populi Polyb. Ἴσουβρες & Ἴσομβροι. Apud Plutarch, *in Marcello* corruptè Ἴβρες, quod genuinum paulò pòſt ſequitur Ἰσόμβρες & Ἰνσόμβρες. Apud Strab. verò ſunt Ἴνσουβροι & Σύμβροι. Latini *Inſubres* vocant. De quibus vide omnino Cluv. *Ital. Antiq. l.* 1. *c.* 23. & ſupra. Eſt etiam *Inſubria* pagus agri Mediolanenſis, ad Oronam fluviolum, *Seprio* vulgò, teſtibus Caſtilionæo & Merulâ, inter Mediolanum 18. & Vareſium 12. mill. paſſ. occurrens.

Urbes Inſubriæ:

Comum, quod & novum Comum, *Como.*
Cremona, in Cenomanis, ſic vulgò, Epiſcopal. ſub Archiep. Mediol.
Laus Pompeja, *Lodi.*
* Mediolanum, *Milano.*
Novaria, *Novara.*
* Papia, quæ & Ticinum vet. *Pavia*, Epiſcopal. & Acad.
Viglebanum, *Vigevano.*

INSUERE, Phrygiorum proprium, vide infrà *Intexere.*

INSUFFLANDI Chriſtianos novitios ritus, vide infrà *Profeßio.*

INSULA, ſive INSULÆ, *l' Iſle* Gallis, *l' Illa* Italis, *Ryſſel* Belgis, urbs Belgii præclara mercimonio, in Flandriæ primis habita, inter Tornacum 5. & Duacum 8. leucis, ab Hypris 6. in Mer. in Arteſiæ & Hannoniæ confiniis, Ferrar. Baudr *Inſ.*, ſ. & meliùs, *Inſulæ*, *Lille* Gallis, urbs eſt ampla & dives, Belgii & Flandriæ Gallicanæ caput, ad amnem *Deule.* A Balduino Com. Flandriæ, muro cincta, arce munita & Collegio Canonicorum ornata, qui quoque in templo S. Petri ibi à ſe quoque extructo, ſepultus eſt A. C. 1067. Fortiter expugnata fuit à Phil. Aug. Gall. Rege poſt triduanam obſidionem, ut & A. C. 1667. in Lud. XIV. Francorum Rege, cui poſteà ceſſit pace ad Aquisgranum confectâ, à quo tempore Gallici Juris effecta eſt cum toto tractu adjacente ſ. Caſtellania ſatis ampla. Arcem iterum habet nuper excitatam. Germanis quoque *Rüſſel* dicitur. Nomen habet à ſitu, quòd inter Letiam *la Lis*, & Deulam, qui in Letiam ad Deulæmundam effluit, & inſ interſecat, poſita eſt. 5. leucis diſtat ab Hypris, & 6. à Duaco, 4. autem ab Arteſiæ limite. Incolæ Lat. *Inſuienſes*, vulgò *l' Iſlois*: ager urbi ſubjectus *Caſtellania Inſulenſis* appellatur, longè latéque patens. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Guicciard. *Deſcr. Belg.*

INSULA, vulgò *Iſola*, urbs parva regni Neapolitani, in Calabria ulteriori, Epiſcopal. ſub Archiep. Siberinenſi, in ora maris Jonii, prope Lacinium prom. 15. milliaribus diſtat à Sanſeverina in Auſtr. Vellejo Paterculo *Æſulum*, aliis *Eſulæ*. Horat. *Carm. l.* 3. Ode 29. *v.* 6.

Ne ſemper udum Tibur & Eſulæ
Declive contempleris arvum,

INSULA, pars Geocoſmi eſt, aquâ circumflua: cui opponitur *Continens.* Harum origo mundo coæva eſt, Vide Gen. *c.* 10. *v.* 5. Sirac. *c.* 43. *v.* 25. Gryphiandrum *de Inſulis c.* 6. Neque probabile eſt, magnas illas Inſulas, Iſlandiam, S. Laurentii à Continenti remotiores. Oceani violentiâ demum emerſiſſe, aut à Continenti abſciſſas fuiſſe, cùm immenſæ in illis rupes, in quas nullæ Oceano vires ſunt. vide Voët. *Tom.* 1. *Diſp. de Creat.* p. 661. De minoribus tamen dubium non eſt, earum quaſdam progreſſu temporis enatas quaſdam iterum evanuiſſe. Vide Plin. *l.* 2. *c.* 87. & 95. & *l.* 4. *c.* 12. Et Præt. Sec. A. C. 1538. juxta Azores Inſulam long. 5. mill. emerſiſſe, narrat Kircherus *M. S. l.* 2. *c.* 12. & 26. Unde quæ Plato olim de Atlantide, quam inter Azores & Canarias extitiſſe quidam volunt, ſcripſit, non adeò à vero remota videri poſſunt. Europæarum Borealiſſima Iſlandia eſt; de qua ut & reliquis, vide Becmann. *Hiſt. Orbis Terr.* Neque fluvii ſuis Inſulis carent, qualis in Danubio Inſ. Scuta *Schutt*, celebri Comaræ fortalitio inſtructa: Inſulas Volgæ Olearius recenſet plurimas, in quarum ea, quæ *Dolgoi* vocatur, Aſtracanum urbs ſita eſt. Similes in Nilo deprehenduntur, aliiſque majoribus fluviis: Item in lacubus, ut in Zembre Africæ lacu, & in America Auſtr. ubi Inſ. Plumbi in lacu ſita, Varen. Earum autem quædam immotæ ſunt, aliæ fluitantes, quæ à ventis hinc inde agitantur. Talem Camden. commemorat in lacu Scotiæ *Loumond*, ſimileſque in Germ., inter Vilſecam & Weidam, à ventis circumagi tradit *Britann.* p. 666. Kircher. in lacu Alberico, haud procul Româ, ſedecim ejuſmodi inſ. fluctuantes, *Barchettas* nomine, conſpici tradit, *Mund. Subt. l.* 5. *ſ.* 4. p. 239. Talis quoque in lacu, juxtà opp. Audomarum, in Gallo-Belgica prov. Sic ad pagum Galliæ *Undres*, quæ prima eorum ſtatio, qui celeribus equis Bajonâ Burdigalam proficiſcuntur, lacus eſt *Ors*, in quo inſ. paſcuis apta, quæ ſæpius ab uno latere in alterum fertur, Furner, *l.* 6, *c.* 38. Inter fictitias, vel mollius, dubias Inſulas, recenſeri ſolent: Inſ. S. Brandani, qui Scotorum Sanctus fuit, aliàs Brondonis, vel Borondonis, Hiſp. *la Incantada* & *la Nonrovada.* Hanc nautæ Luſitani opinantur jacere 100. mill. à Canariis Inſ. verſùs Occid. ad quam fruſtra è Canariis ſæpe navigatio ſuſcepta. Ei ſimilis Ptol. Inſ. ἀπρόσιτος ſ. Inacceſſa, quam hodie Teneriffam eſſe; ſuſpicatur Voſſ. Sic Friſlandia Inſ. ſoli Nicolao Zeno Veneto memorata, qui A. C. 1380. eò naufragus appuliſſe dicitur, nullis navigationibus hactenus inveniri potuit. Ejuſdem notæ ſunt Inſulæ Elyſiæ, ſ. Beatorum, quas vett. Britanniam inter & Orcades poſuère, de quibus vide Camden. *Deſcr. Inſ. Brit.* Cognati *Inſulis* ſunt Pulvini, Hiſp. *Baixos* & *Abrolchos*, i. e. Aperi oculos, Belg. *Droogten* & *Sandbanken*. Sunt illi, in tabb. ſpacia iſta punctata, quæ mari paſſim inſcripta videntur, in ipſo Oceano, arenoſa ſpatia vel extra ſuperficiem eminula, vel in aqua latentia, quæ naves remorantur. Tales Pulvini Braſiliæ, *Abrolchos de Braſilia*, 70. mill, à litore Braſiliæ: Pulvini S. Annæ ad Guineam Africæ ſiti; *Baixos de Judæa*, *Baixos de Patram*, *Baxos S. Miguel*, &c. in Oceano indico. De Iſthmis & Peninſulis infra, in vocibus *Iſthmus* & *Peninſulæ.*

INSULA Aprinas, vulgò adhuc *Iſola*, oppid. Latii, apud Arpinum opp. intrà Fibreni fluv. alveos; cujus meminit Cic. *Ep.* 1. *ad Attic. l.* 12. Ferrar. Baudr. fuit opp. aliàs Volſcorum, nunc caſtrum eſt tenue regn. Neapolitani, *l'Iſola*, in prov. Terræ Laboris, in inſ. parva Liris fluv. vix 3. milliaribus ab Arpino in Occaſ., & totidem à conf. ditionis Pontificiæ, 5. autem à Sora in Auſtr. In hac inſ. celebre fuit aliàs monaſterium S. Dominici: unde locus ſive inſ. nunc vulgò *S. Domenico di Sora* dicitur, ubi Eccl. ſupereſt cum exiguo hoſpitio, teſte *Luca Holſtenio.*

INSULA Atlantis Platoni, quid ſit non certò conſtat. Sed Sanſon pluribus probare nititur eandem eſſe regionem, quæ nunc recèns detecta ab Europæis, ab ipſis vocata fuit America, ſ. aliter Indiæ Occidentales: quod etiam plurimis conjecturis non caret. Regio eſt perampla, & valdè à Sept. in Mer. extenſa ſub duarum ampliſſimarum peninſularum forma. Sed an ſit continens aut inſ. verſùs partem Bor. nondum conſtat. vide *America.*

INSULA Barbara, longa paſſus 1200. lata 300. prope Lugdunum Galliæ, Arare in duos ibi alveos ſe findente, facta: Vulgò *l' Iſle-Barbe.* Ibi vet. Monaſterium ante A. C. 1200. vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

INSULA Bocardi, *l' Iſle Bouchart*, opp. Galliæ, in inſ. Vigennæ fluv. in Turonenſi prov, & in limite Pictavenſi. Septem leucis diſtat à Cæſaroduno Turonum in Circium, Mirabellum verſùs.

INSULA Franciæ, *l' Iſle de France*, prov. Franciæ ſatis ampla, & una ex præcipuis regni Præfecturis, inter Picardiam ad Bor. Campaniam ad Ort. Normanniam ad Occaſ. & Belſiam ad Auſtr. In ea comprehenduntur agri Bellovacenſis, Noviomenſis, Sueſſionenſis, Laudunenſis, Valeſium Vexinus Francicus, Francia propriè dicta, Hurepeſium & Vaſtinienſis tractus, cum minori parte Briæ. Ejus præcipua urbs eſt Lutetia, *Paris*, totius regni caput & ſedes Regia.

INSULA Jordani, *l'Iſle en Jourdain*, urbs parva Galliæ, in Aquitania, ad Savam fluv. in Ariminiaco tractu 5. leucis diſtat à Toloſa in Occaſ. Auſcios verſùs.

INSULA Sacra, Procop. *Meza Paludoſa*, teſte Leandro, in inſ. Latii, quam apud Oſtiam urbem exciſam, inter illam & Portum, Tiberis fluv. diviſus efficit. Inſ. item Tiberina, quæ & Lycaonia, Romæ, vulgò *de S. Bartholomeo*; ſub monte Aventino. Cujus meminit Ovid. *l.* 1. *Faſt. v.* 297.

INSULA S. Columbani, in Scotia Occid. prope Mulam, parva eſt admodum, ſed ſatis culta, *Cholmkill* vocata, in qua caſtrum Sodora dictum, ubi degit Ep. inſularum Occidentalium Scotiæ, ibi etiam Regum tumuli, in quorum primo ſunt corpora Scotiæ Regum 48. in ſecundo Regum Hiberniæ quatuor, & in tertio Regum Daniæ, ubi Reges octo. Inſ. verò, quæ Rona etiam dicitur, ferè adjacet prom. Auſtrali Mulæ inſ. vix ab eo uno milliari Scotico diſtans.

INSULA S. Julii, P. Diac. *Iſola di S. Giulio*, intra lacum Hortanum, ubi Hora opp. Novarienſis Ep. à Novaria 24. mill. paſſ.

Inſularum maris Ægæi ordo, ſitus, diſtantiæ, & magnitudo, uti apud Neotericos.

Cythera, vulgò *Cerigo*, 60. mill. paſſ. circuitu, cum urbe Archiepiſcopal à Malea prom. Peloponneſi 5. mill. paſſ. à Creta 60. Ferr. Baudr. circuitus eſt 50. mill. paſſ. & 18. diſtat à Malea prom. Portum habet capacem Delphinum dictum, ſubeſtque dominio Venetorum.

Creta, vulgò *Candiæ*, longa inter Occaſ. & Ort. 225. mill. à Peloponneſo 65. in Ort. & Eur. recedens, circuitu 600. urbs Archiepiſcopal. Matium, Epiſcòpal. Cydon, Rithymna, Cytæum Milopotamus, Cherſoneſus, Hierapetra & aliæ aliquot apud Græcos. Ferrar. Baudr. dicitur *la Candie* Gallis, *Candia* Italis, totiuſque Ægæi latiſſima eſt, & ab Ortu in Occaſ. extenſa, ſed multò minor à Sept. in Mer. maximè verſùs Sitiam ubi multùm reſtringitur, & vix ad aliquot milliaria dilatatur. Tota montuoſa eſt & valde aſpera. In quatuor partes dividitur; eratque antea ſub dominio Venetorum, nunc autem Turcis paret à paucis Annis, Venetis ægrè Sudam & Spinam longam arces litorales ſervantibus vide *Creta.*

Carpathus, vulgo *Scarpanto*, circuitu 63. mill. paſſ. à Creta 20. recedens. Ibi Ep. Græcus.

Rhodus, vulgo *Rhodi*, à Carpatho in Ort. 70. mill. paſſ. circuitu 100. Urbes duæ, Rhodus & Lindus: Metropolitam habet. A' Caria 20. mill. paſſ. abeſt.

Cos & Coos, vulgo *Lango*, à Rhodo in Bor. 70. mill. paſſ. circuitu 100. In ea Metropolita ritûs Græci, Ferrar. Baudr. nunc caſtrum habet munitum; eratque aliàs ſub dominio Equitum Rhodiorum ſ. S. Joh. Hieroſolymitani. Patria fuit Hippocratis Medici celeberrimi.

Aſtypalæa, vulgo *Stampalia*, à Coo 50. mill. paſſ. circuitu 60. Non Ep. ſed Legatum habet. Circumſtant hæ tres.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Syme, vulgò *Simie*, circuitu 25. mill. paſſ. à Rhodo 20.

Leros, vulgò *Lero*, circuitu 25. mill. paſſ. Cariæ proxima. Urbem habet & duas arces. Tota montuoſa eſt; & ſuberat olim Equitibus Rhodiis.

Niſyros ſ. Nyſiros, vulgò *Niſaro*, circuitu pariter 25. mill. paſſ. proxima Gnido urbi.

Pathmos, vulgò *Palmoſa* circuitu 30. mill. paſſ. ab Aſtypalæa 70. Ibi cœnobium S. Joh. Euangeliſtæ, & ſpecus, ubi is Apocalypſin ſcripſit.

Samos, vulgò *Samo*, circuitu 80. mill. paſſ. à Pathmo 20. proxima Joniæ.

Icaria, vulgo *Nicaria*, circuitu 70. mill. paſſ. à Samo 18. longè aliter diſtans apud veteres. Legatum habet loco Ep. Dicitur etiam *Nicouri* à quibuſdam.

Amorgus, vulgò *Amurgo*, vel *Morgo*, circuitu 36. mill paſſ. ab Icaria 40. Circumſtant inſulæ parvæ, Cruſa, *Cruſia*, & Furni. Præeſt Legatus.

Anaphe, vulgò *Nanfio* & *Napi*, circuitu 25. mill. paſſ. ab Amorgo 30. Ibi Legatus pro Ep. reſidet.

Theraſia, vulgò *Santorini*, circuitu 40. mill. paſſ. ab Anaphe 18. Habet Ep. Latini, & Græci ritûs. Tametſi Theraſia modica inſ. eſt proxima, adhuc nomen retinens. Fortè gemina eſt; magna, quæ *Santorini*, duabus urbibus conſtans, & parva, quæ nomen antiquum retinet. Hæ nuper emerſiſſe feruntur, h. e. una abhinc 100. Annis, altera 50. Ibi mare profundiſſimum, & ingentes ſtrepitus exaudiuntur, Ferrar. Baudr. Inſ. hæc *Santo Erini* dicitur Gallis *Saint Erin*; eſtque parva, ſed probè culta. 18. mill. paſſ. ab Io inſ. diſtat.

Ios, vulgò *Nio*, circuitu 60. mill. paſſ. à Theraſia 18. Ibi Legatus reſidet.

Sicinus, vulgò *Sicino*, circuitu 25. mill. paſſ. ab Io 5. Legatum habet.

Philocandros, vulgò *Policandro*, circuitu 38. mill. paſſ. à Sicino 6. Ibi Legatus moratur.

Melos, vulgò *Milo*, circuitu 60. mill. paſſ. à Phicandro 25. Ibi Archiep. Latinus & Græcus, Ferrar. Baudr. 12. mill. paſſ. diſtat à Philocandro; eique adjacet altera inſ. Antimilus dicta, ad 10. milliaria.

Cimolos, vulgò *Cimolo*, (aliis *Polino)* circuitu 25. mill. paſſ. proxima Melo, vix. 2. mill. paſſ. diſtans.

Siphnos, vulgò *Sifano*, circuitu 40. mill. paſſ. à Cimolo 8. Ibi Ep. Latinus, & Legatus Græcus, Ferrar. Baudr. *Sifane*, 8. mill. paſſ. diſtat à Seripho in Mer. probè culta eſt, cum urbe ſatis ampla in colle.

Seriphus, vulgò *Serfo*, vel *Serphone*, circuitu 30. mill. paſſ. à Siphno 12. Legatum habet, Ferrar. Baudr. *Sirfino* ſ. *Serfente*, inſ. eſt probè culta, 6. mill. paſſ. diſtans à Therannia inſ.

Theramnia, vulgò *Thermnia*, circuitu 60. mill. paſſ. à Seripho 12. Ibi geminus Ep. Latinus, & Græcus, Ferrar. Baudr. *Teramia*, ſ. *Fermenta*, circuitus eſt 25. mill. paſſ.

Hydra, vulgò *Idra*, circuitu 20. mill. paſſ. à Theramnia 30.

Poros, vulgò *Poro*, circuitu 15. mill. paſſ. ab Hydra 40.

Salamis, vulgò *Coluri*, circuitu 18. mill. paſſ. à Poro 15.

Ægina, vulgò *l'Engina*, circuitu 40. mill. paſſ. à Salamine 6. Habet Archiep.

Helena, & Macris, vulgò *Macroniſo*, circuitu 30. mill. paſſ. totidem ab Ægina diſtans in Ort.

Cea & Cia, vulgò *Zea*, circuitu 80. mill. paſſ. ab Helena 25. Ibi geminus Ep. Latinus & Græcus, Ferrar. Baudr. circuitus eſt 35. mill. paſſ. & probè culta, 25. mill. à Tura inſ. diſtans

Eubœa, vulgò *Negroponte*, circuitu 300. mill. paſſ. à Cea 30. Duas urbes Epiſcopales habet, Chalcidem & Caryſtum. Atticæ ponte jungitur; ſub quo mirus eſt maris fluxus & refluxus.

Scyros, vulgò *Sciro*, circuitu 60. mill. paſſ. ab Eubœa in Bor. 40. cujus Ep. Archiep. Athenienſi ſubeſt. Magneſiæ adjacet, Ferrar. Baudr. *Sciro* ſ. *George de Sciro*, circuitus eſt 70. mill. paſſ. & 28. diſtat ab Eubœa inſ.

Scopelos, vulgò *Scopulo*, circuitu 30. mill. paſſ. quot à Scyro diſtat, Ferrar. Baudr. *Scopeli*, 5. mill. diſtat à Sciatho eſtque ſatis culta.

Sciathos, vulgò *Schiato*, circuitu 20. mill. paſſ. Ep. habet, Ferrar. Baudr. *Schiatti* deſerta eſt, & incolis caret.

Lemnus, vulgò *Lemno* & *Stalimene*, circuitu 65. ab inſulis parvis inter ipſam & Sciathon ad 30. mill. paſſ. recedens. Ibi Ep. Græcus, Ferrar. Baudr. *Stalimini*, circuitus eſt, 120. mill. paſſ. 50. diſtat à monte Atho, & urbem habet cognominem in parte Occid. inſ.

Thaſos, vulgò *Taſſo*, circuitu 30. mill. paſſ. totidem diſtans à Lemno in Bor.

Samothrace, vulgò *Samandrachi*, circuitu 30. mill. paſſ. quot abeſt à Thaſo in Ort. ſub Metropolita Imbri.

Imbros, vulgò *l'Embro*, circuitu 60. mill. paſſ. à Samothrace 12. Metrapolitam habet.

Tenedos, vulgò *Tenedo*, circuitu 20. mill. paſſ. ab Imbro 25. in Ort. Ibi Legatus reſidet.

Lesbos, vulgò *Metelin*, circuitu 140. mill. paſſ. à Tenedo 60. in Mer. Ibi duæ urbes cum duobus Epiſcopis & uno Metropolita.

Chios, vulgò *Scio*, circuitu 100. mill. paſſ. à Lesbo 40. in Auſtr. Habet Ep. Latinum & Archiep. Græcum.

Pſyra, vulgò *Pſara*, circuitu 18. mill. paſſ. à Chio 12. in Occaſ. Ferrar. Baudr. Inſulæ *Pſyræ*, duæ ſunt: una major ad Ort. *Piſſera* dicta, circuitus 20. mill. paſſ. cum caſtro munito: alia ad Occaſ. à prima 4. mill. tantùm diſtans in Occaſ. dicitur *Antipiſſera*, & circuitus eſt 10. mill. paſſ.

Andros, vulgò *Andro*, circuitu 100 mill. paſſ. à Pſyra in Occaſ. 80. Duos habet Epiſcopos unum Latinum, alterum Græcum, Ferrar. Baudr. *Andria*, circuitus 40. mill. paſſ. & probè culta 4. mill. paſſ. à Teno in Occaſ.

Tyra, vulgò *Tura*, circuitu 18. mill. paſſ. ab Andro 12. Ibi Ep. Latinus.

Syros, vulgò *Siro*, proxima Tyræ, 6. mill. paſſ. diſtans, cujus pop. & Ep. Latini ritûs eſt.

Tenos, vulgò *Tina*, à Syro 18. mill. paſſ. proxima Andro, circuitu 70. mill. paſſ. ſub Venetis, cum Ep. Latini ritûs, Ferrar. Baudr. Inſ. Tenos, *Teno*, circuitus eſt, 35. mill. cum arce permunita in monte ſub Venetis.

Myconos, vulgò *Micoli*, circuitu 20. mill. paſſ. à Teno 12. in Auſtr. diſtans, ſub Metropolita Naxio. Sub Venetis.

Naxos, vulgò *Naxia* & *Nixia*, vel *Nicſia*, circuitu 100. mill. paſſ. à Mycono 30. Ibi Metropolita Græci ritûs, & Ep. Latinus, Ferrar. Baudr. ampla eſt & perculta, 20. mill. paſſ. ab Amorgo in Bor. habetque urbem primariam ad Occaſ. & Archiep. ritûs Latini.

Paros, vulgò *Pario*, circuitu 40. mill. paſſ. ſub Naxo inde 4. mill. paſſ. diſtans in Auſtr. Non longè (mill. paſſ.) diſtat Antiparos inſ. circuitu 18.

Schenuſa, vulgò *Scinuſa*, & Heraclea, *Racha*, inſ. circuitu 15. mill. paſſ. à Paro ſuprà 21.

Tota itaque harum inſularum præternavigatio 1245. mill. paſſ. continet.

Inſulæ aliquot hiſce ultimis temporibus detectæ:

INSULA Admiralis, *Iſla de Amirante* Luſitanis, *Admiralen Eylandt* Batavis, inſ. parva Africæ, in mari Æthiopico, & verſùs ſin. Melindæ, & ad Bor. Madagaſcariæ, inter Syrtes & Brevia.

INSULA Anniboni, *l'Iſle d'Annibon*, inſ. Africæ, in mari Guineæ & in ſinu S. Thomæ. Diſtat circiter 35. leucis Hiſpanicis ab inſ. S. Thomæ ad Auſtr. fuitque detecta à Luſitanis, quibus etiam ſubeſt. In ea ſunt tantùm aliquot vici cum turri.

INSULA Anticoſta ſ. Aſſumptionis, *Iſle Anticoſti ou l'Aſſomption*, ſita eſt in America Sept. in nova Francia & in ſinu S. Laurentii, inter Terram novam inſ. ad Ort. & Canadam ad Occaſ. Ejus longitudo continet 35. leucas, latitudo verò 7. circiter; ſubeſtque dominio Francorum, qui in ea aliquot habent colonias. Dicitur *Natiſcotec* ab incolis illius tractûs. Detecta fuit primùm à Jacobo Quartier, & 15. leucis diſtat à continenti.

INSULA Arenæ, *Iſle de Sable*, inſulula eſt Americæ Sept. verſùs oram novæ Franciæ, circuitus 15. leuc. & 30. leucis Gallicis diſtans ab inſ. prom. Britonum in Auſtr. Aliàs culta fuit à Francis, ſed poſteà ab ipſis derelicta ob penuriam aquarum.

INSULA Arimoa, *Arimoa Eylandt* Belgis, inſ. eſt parva maris Indici, in terra Auſtrali & in ora Sept. regionis Papuorum ſ. Nigrorum, à qua vix diſtat 6. leucis in Bor. Detecta fuit à Gulielmo Schouteno Batavo A. C. 1616.

INSULA Aſcenſionis, *ilha d'Aſcemçan* Luſitanis, inſ. eſt Americæ Mer. verſùs Braſiliam, à qua centum circiter leucis Hiſpanicis diſtat in Ort. nempe à Præfectura Spiritûs ſancti; totaque montuoſa eſt & inculta, & ei adjacet altera inſ. minor.

INSULA Avium, *Iſla de Aves*, inſ. eſt parva Americæ, in mari Bor. & verſùs oram Venezuelæ regionis, inter inſ. Rupium ad Ort. inſ. Boni aëris ad Occaſ. Ei adjacent ſeptem aliæ inſulæ minutæ admodum.

INSULA Avium, *Ilha de Aves* Luſitanis *l'Iſle des Oyſeaux* Gallis, inſ. eſt parva Anchidolii maris ſ. maris Pacifici, inter inſulas Latronum ad Bor. & novam Guineam ad Auſtr.

INSULA Barnevelti, *Barnevelts Eylandt*, inſ. parva Americæ Mer. à Batavis detecta A. C. 1616. In mari Maggellanico ſita eſt, ad Auſtr. terræ Ignium, & ad Ort. prom. Hornani. Ei adjacet alia inſ. minor: montuoſæ ſunt admodum & deſertæ.

INSULA Batonia, *Baton Iſle*, ſ. & *Buton*, inſ. eſt oblonga Aſiæ, in mari Indico, & ad Ort. Macaſſaris. Extenditur à Bor. in Auſtr. per 20. leuc. *Hiſp.*

INSULA Bona aëris, *Bonaire*, inſ. eſt parva Americæ Mer. inter inſ. Avium ad Ort. & inſ. Curaſaum ad Occaſ. in mari Bor. & verſùs oram Venezuelæ regionis, à qua vix 20. leucis Hiſpanicis diſtat in Sept. ſubeſtque dominio Hiſpanorum. Ejus circuitus eſt 16. leuc.

INSULA Borbonia, *l'Iſle Bourbon*, aliàs Maſcarenhæ, inſ. eſt maris Æthiopici fertilis admodum & abundans, verſùs oram Madagaſcariæ, à Francis inhabitata, & hiſce ultimis temporibus culta. Ibi terra perpetuò ardens. Centum ferè leucis Gallicis diſtat à Madagaſcaria inſ. Ejus circuitus eſt 60. leuc. & in ejus meditullio ineſt lacus ad radices montium, ex quo oriuntur ſeptem fluvii.

INSULA Ciampella, *Pulo Ciampello* Indis, inſ. eſt Indiæ ulterioris, in ora regni Cocinſinæ, cum altera ei adjacente, *Pulo Catam* dicta, ſ. Catana inſ. ſuntque parvi circuitûs, teſte *Brietio*.

INSULA Delphina, *l'Iſle Dauphine*. Vide *Madagaſcaria*.

INSULA Didaci Roizii, *Iſla de Diego Roiz* Luſitanis, *l'Iſle de Digarrois* Francis, inſ. eſt parva Africæ, in mari Æthiopico, inter Syrtes, longè à Mauritia inſ. in Ort. & longiùs à Madagaſcaria. Detecta fuit à Luſitanis.

INSULÆ Divanduræ, *Divandurovv*, inſulæ parvæ Aſiæ, in Archipelago Maldivarum. Subſunt dominio Regis Cananoræ, in Malabaria & diſtat 30. leucis à Malecutia; una ex Maldavis inſulis in Bor. Sunt quinque.

INSULA Ferd. Noronhæ, *Ilha de Fernando de Noronha*, inſ. eſt Americæ Mer. in mari Braſilico, ſatis parva, & vix circitûs 4. leuc. 70. leucis Hiſpanicis diſtat in Ort. à proxima continente Braſiliæ, nempe à præfectura Fluvii magni; eſtque ſatis culta à paucis Annis. Ei adjacet alia inſ. minor, dicta inſ. Ignis.

INSULA Ferd. Pai, *Ilha de Fernando Pao*, inſ. Africæ, in mari Guineæ & in ſinu S. Thomæ, circuitus 26. leucarum circiter, ſub dominio Luſitanorum, cum aliquot pagis & arce, 40. milliaribus diſtat ab ora regni Benini in Auſtr. & paulò minùs ab ora regni Biafræ in Occaſ.

INSULA Fortunæ divinæ, *Iland of Good Fortuyn*, inſ. ampla Americæ Sept. prope fretum Hudſonium in Ort. ab Anglis detecta dum illas partes luſtrarent; eſtque pars terræ Arcticæ.

INSULA Fortunæ divinæ, *De Goede Fortuyns Eyland*, inſ. eſt parva & oblonga Oceani Indici, prope oram Occid. Sumatræ inſ. à qua 30. leucis Germanicis diſtat in Occaſ. uti & 20. à Naſſavia inſ.

INSULA Gulielmi Schouteni, *Willem Schoutens Eyland*, inſ. eſt Oceani indici maximè ad Ort. & Auſtr. prope oram litoralem Terræ Papuorum in nova Guinea, versùs mare Pacificum. Detecta fuit à Batavis A. C. 1616.

INSULA Hornia, *Hoorns Eyland* Batavis, inſ. parva maris Pacifici, ſed fertilis, à Jacobo Maëreo detecta A. C. 1616. Diſtat circiter 1600. leucis Germanicis ab ora Peruvii in Occaſ. Aſiam verſùs.

INSULA Johannis Ferdinandi, *Iſlas de Juan Fernandez*. Hiſpanis, inſulæ duæ ſatis parvæ, ſed fertiles Americæ Mer. in mari Pacifico & verſùs oram regni Chiles: ex quibus Orientalior & minor dicitur *Iſla de Fuera*, major autem, quæ & Orientalior, dicitur *Iſla de Tierra*; ſuntque probè cultæ.

INSULA Johannis Majeni, *Jan. Mayens Eyland*, inſ. Oceani Bor. verſùs Spitzbergam & terras Arcticas, à Batavis detecta A. C. 1616.

INSULÆ Latronum, *Ilhas de los Ladrones* Luſitanis, *l'Iſles des Larrons* Gallis, inſulæ quamplurimæ inter Oceanum Or. & mare Pacificum, quæ aliter dicuntur *Ilhas de las Velas*, ubi Archipelagus S. Lazari; ſuntque viginti majores numero à Sept. in Mer. poſitæ, & dictæ *la Deſerte*, *l'Angloiſe*, *Manao*, *Chemochoa*, *Gregua*, *Pagan*, *Artomagan*, *Guagan*, *Chereguan*, *Natan*, *Sepan*, *Mata*, *Volia*, *Betaba*, *Bacim*, *de Bidima*, *des Matelots*, *des Roches* ſ. *Arrecifes*, & *Pulo Villan*; ſuntque ſui juris, & vix ab Europæis luſtratæ, ac nomine tantùm notæ.

INSULA Madagaſcaria ſ. S. Laurentii, *l'Iſle de Madagaſcar*. Vide *Madagaſcaria*.

INSULA Maonis, *Pulo Maon* Indis, *l'Iſle Maon* Gallis, inſ. eſt parva & oblonga Indiæ, in ſinu Gangetico, inter Syrtes & brevia, & prope inſ. Andemaonis. Diſtat circiter 45. leucis Germanicis ab ora regni Peguviæ in Occaſ.

INSULÆ Martyrum, *Ilhas dos Martyres*, inſulæ tres parvæ Oceani Or. ſ. Archipelagi S. Lazari, prope inſ. Avium, inter inſulas Latronum ad Bor. & novam Guineam ad Auſtr.

INSULA Malicutia, *Malicut*, inſ. parva Aſiæ in mari Indico, & una ex Maldivis inſulis Diſtat 40. leucis ab aliis Maldivis in Bor. & 30. à Divandura in Auſtr. Circuitus eſt 5. leuc. circiter; & ſubeſt dominio Regis Cananoræ, in Malabaria.

INSULA Mauritia, *Mauritz Eyland* Belgis, *l'Isle Maurice* Gallis, inſ. eſt Africæ, in mari Æthiopico, ad Ort. Madagaſcariæ, & inter Borboniam ad Occaſ. & Didaci Roizii inſ. ad Ort. Paucis abhinc Annis à Batavis culta & munita fuit. Centum ferè leucis diſtat à Madagaſcaria in Ort. A Luſitanis *do Cirne* nominatur; & ejus circuitus eſt leuc. ferè quadraginta, teſte Herberto. Fertilis eſt admodum, abundatque omnibus ad vitam neceſſariis, 37. leucis Germanicis diſtans à Borbonia inſ.

INSULA Muſcarum, *l'Isle des Mouches* Gallis, *Der Vlieghen Eyland* Batavis, inſ. parva maris Pacifici, à Jacobo Maëreo detecta A. C. 1616. & ſic dicta à muſcarum copia ibi reperta.

INSULA Naſſavia, *l'iſle de Naſſau* Gallis, inſ. eſt Aſiæ, in mari Indico, verſùs oram Occid. Sumatræ inſ. & ad Auſtr. Inſ. Fortunæ divinæ.

INSULA Nera, *Pulo Nera* incolis, inſ. eſt Aſiæ in mari Indico, & una ex inſulis Bandæ, in Moluccis. Subeſt dominio Hollandorum ab aliquot Annis; eſtque magni proventûs propter aromata.

INSULA, Piſcatorum, *Ilha dos Peſcadores*, inſ. parva Oceani Sinici, versùs oram inſ. Formoſæ, àliàs à Luſitanis detecta & denominata. Nunc autem ſubeſt dominio Hollandorum.

INSULA Principis, *t'Princen Eyland* Batavis, inſ. eſt parva Aſiæ, in Oceano Indico, in ora Occid. Javæ inſ. & ad fretum Sundæ, verſùs Sumatram inſ.

INSULA Principis, *Ilha do Principe*, inſ. Africæ, in mari Guineæ & ſinu S. Thomæ, inter inſ. Ferdinandi Pai ad Bor. & inſ. S. Thomæ ad Auſtr. 35. leucis Hiſpanicis ab ora regni Biafræ in Occaſ. oblonga & ſatis culta. Opp. habet cum aliquot pagis; ſubeſtque dominio Luſitanorum.

INSULA Promontorii Britonis, *l'Iſle du Cap Breton*, inſ. eſt Americæ Sept. in nova Francia, ſatis ampla & culta, ab Ortu in Occaſ. extenſa, inter Terram novam inſ. ad Ort. & Acadiam ad Occaſ. in ſinu S. Laurentii, cum aliquot colonis Francorum. Dicitur etiam à quibuſdam *l'Iſle des Bretons*, inſ. Britonum.

INSULA Rona, *Pulo Ron*, inſ. parva Aſiæ, in Oceano Indico, & una ex inſulis Bandæ, in Moluccis, ſub dominio Anglorum ab aliquot Annis, Fertilis eſt propter aromatum proventum.

INSULA S. Andreæ, *Iſla de S. Andero*, inſ. parva Americæ Sept. in mari Bor. versùs oram Nicaragnæ prov. novæ Hiſpaniæ à qua 25. leucis diſtat in Ort. & 8. leucis Hiſpanicis ab inſ. Sanctæ Catharinæ in Auſtr. Ejus longitudo eſt tantùm 4. leucarum.

INSULA S. Bartholomæi, *l'Isle S. Barthelemy*, inſ. eſt oblonga Americæ Sept. & una ex Antillis inſulis ſub dominio Francorum, inter inſ. S. Martini ad Bor. & S. Chriſtophori ad Auſtr.

INSULA S. Cathatinæ, *l'Isle de Sainte Catherine*, inſ. eſt parva Americæ Sept. in mari Bor. versùs oram novæ Hiſp. & prov. Honduram, à qua diſtat 20. leucis Hiſpanicis in Ort. Portum habet commodum & arcem; ſubeſtque dominio Anglorum à paucis Annis.

INSULA S. Chriſtophori, *l'Isle de S. Chriſtophle*, inſ. eſt Americæ Sept. in mari Bor. & una ex Antillis, aliàs à Caribis habitata, nunc autem ſub dominio Francorum & Anglorum ab A. C. 1628. ubi plurimæ arces cum pagis. Fertilis eſt & abundans; ſed montuoſa nimis; & ejus circuitus eſt 36. leucarum circiter.

INSULA Sanctæ Crucis, *l'Isle de Sainte Croix* Gallis, *Ay Ay* incolis, inſ. eſt Americæ Sept. in mari Bor. & una ex Antillis, inter inſ. S. Chriſtophori ad Ort. & inſ. Portûs Divitis ad Occaſ. ſub dominio Francorum ab aliquot Annis.

INSULA S. Euſtachii, *l'Isle de S. Euſtache*, inſ. eſt parva Americæ Sept. verſùs oram Bor. inſ. S. Chriſtophori, & una ex Antillis, ſub dominio Hollandorum cum aliquot villis. Montuoſa eſt, & vix 9. leucarum circuitûs, in mari Bor.

INSULA Sanctæ Helenæ, *l'Isle Sainte Helene* Gallis, inſ. eſt parvæ Africæ, in mari Æthiopico, à Joh. de Nova Luſitano detecta A. C. 1502. die ſanctæ Helenæ ſacrâ. Circuitus eſt 13. leuc. circiter, longiſſimè à quacunque alia inſ. remota, inter Africæ continentem ad Ort. & Braſiliam ad Occaſ. ſed Africæ vicinior, 500. tantùm leucis diſtans ab ora regni Congi. Tota ferè montuoſa eſt, & portu gaudet commodo; eſtque fertilis & abundans omnibus ad victum neceſſariis; ita ut dicta fuerit Taberna maris, quòd omnes naves illuc ex Indiis redeuntes in ipſa ſe reficerent per aliquot dies. Sed à paucis Annis occupata fuit ab Anglis, qui in ea habent arcem.

INSULA nova Sanctæ Helenæ, *nouvelle l'Isle de Sainte Hélene*, inſ. eſt parva Africæ, inter Æthiopiam inſ. ac regnum Benguelæ ad Ort. & inſ. Sanctæ Helenæ ad Occaſ.

INSULA S. Johannis, *Isla de S. Juan*, inſ. eſt Aſiæ in Oceano Indico, & una ex Philippinis inſulis prope Mindanoam inſ. in Ort. & ab ea tantùm tenui freto ſeparata verſùs Tendajam. Aliàs ſuberat Hiſpanis, nunc ſui juris eſt.

INSULA S. Johannis, *l'Isle de S. Jean*, inſ. Americæ Sept. in nova Francia, in intimo receſſu ſinûs S. Laurentii, verſùs Acadiam. Satis ampla eſt, & à Francis culta à plurimis Annis.

INSULA S. Johannis Portûs Divitis, *Isla de S. Juan Puerto Ricco*, inſ. eſt ampla Americæ Sept. ſub dominio Hiſpanorum à quibus cum Cuba, Hiſpaniola & Jamaica, magnâ crudelitate expugnata fuit, circà A. C. 1518. in mari Bor. & ad Ort. Hiſpaniolæ inſ. Vide *Portus divitis inſ.*

INSULA Sanctæ Luciæ, *Isla de S. Lucia* Hiſpanis, *l'Isle de Sainte Alouzie* Gallis, inſ. eſt Americæ, in mari Bor. & una ex Antillis, inſulis ſub dominio Francorum à paucis Annis. Oblonga eſt, & à Sept. in Mer. extenſa, inter Martinicam inſ. ad Bor. & inſ. S. Vincentii ad Auſtr. à qua vix 10. leucis diſtat; & 14. à Martinica.

INSULA Sanctæ Mariæ; *l'Isle de Sainte Marie* Gallis, *Noſsi Hibrahim* incolis, teſte Flacurtio, inſ. eſt parva Africæ, ſed oblonga, in ora Or. Madagaſcariæ, ubi in Arctos tendit; & ab ea vix 10. mill. diſtat. Extenditur autem ad 60. mill.

INSULA S. Martini, *l'Isle de S. Martin*, inſ. eſt Americæ Sept. in mari Bor. & una ex Antillis inſulis inter Anguis inſ. ad Bor. & S. Bartholomæi inſ. ad Auſtr. ſub dominio Francorum. Novem leucis diſtat ab inſ. S. Chriſtophori in Bor.

INSULA S. Michaëlis, *Isla de S. Miguel*, inſ. parva Aſiæ, in mari Indico & prope oram Bor. inſ. Bornei, verſùs Paragojam inſ. à qua vix 20. leucis Hiſpanicis diſtat..

INSULA S. Thomæ, *Ilha de S. Thomæ* Luſitanis inſ. eſt ſatis ampla Africæ, in mari Guineæ, & circuitus 50. leuc. Gallicarum circirer, ferè rotunda, ſed culta & abundans, ſub dominio Luſitanorum, cum urbe Pavoaſano, inſ. primaria & Epiſcopal. 45. leucis diſtat in Or. à proximiori continente Africæ ac à prom. Lupi Gundiſalvi, & 35. ab inſ. Principis in Auſtr. Detecta fuit à Luſitanis A. C. 1405. die 23. Decembris S. Thomæ ſacrâ, à quo nomen ſortita eſt. Capta fuerat ab Hollandis A. C. 1641. ſed poſteà fortiter recuperata à Luſitanis, ipſis etiam ſubeſt, arcem habens quadrangularem permunitam.

INSULA S. Viencentii, *l'Isle de S. Vincent*, inſ. Americæ, in mari Bor. & una ex Antillis inſulis ſub Caribis populis, inter inſ. ſanctæ Luciæ ad Bor. & Bequiam ad Auſtr.

INSULÆ Septem fratrum, *As ſete Irmanos* Luſitanis, inſulæ Africæ ſeptem numero, parum inter ſe diſtantes, in mari Æthiopico, inter Syrtes & Brevia, longiſſimè à continenti Africæ in Ort. & mediæ ferè inter Madagaſcariæ inſ. & Maldivas inſulas A Luſitanis detectæ fuêrunt, ſed incolis carent.

INSULA Serrana, *Isla Serrana*, inſ. Americæ Sept. in mari Bor. Parva eſt, inter Syrtes, & media ferè jacet inter Jamaicam inſ. ad Bor. & prov. Nicaraguam, in nova Hiſp. ad Auſtr. ſed inculta eſt & naufragiis infamis.

INSULA Statuum, *Der Staaten Eyland* Batavis, *l'Isle ou pays des Eſtats* Gallis, inſ. eſt Americæ Mer. & Terræ Magellanicæ, inter fretum Maëreum ad Occaſ. & fretum Brouverii ad Ort. detecta à Batavis A. C. 1616. & ab Ortu in Occaſ. extenſa; eſtque è regione Mauritii tractûs & regionis Ignium.

INSULA Talaya, *Isle de Talaya*, inſ. parva Aſiæ, in mari Indico,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

dico, & ferè media inter partem Auſtralem Mindanoæ inſ. in Philippini, & partem Bor. Giloli inſ.

INSULA Terræ novæ, *l'Isle de Terre neuve* Gallis, *Isla de Terra nueva* Hiſpanis, inſ. eſt ampliſſima Americæ Sept. in nova Francia, ferè in modum figuræ triangularis, & circuitus 500. leucarum Gallicarum, prope ſinum S. Laurentii. Portubus ampliſſimis abundat; eſtque ſatis culta, quanquam plurimis ſylvis referta. In ea nullæ urbes, ſed tantùm aliquot parvæ coloniæ Francorum, uti Placentia & ſinus Mortuorum; eſtque piſcatione valdè celebris.

INSULA Teſtudinis, *l'Isle de la Tortue*, ſ. *la Tortue* Gallis, *la Tortuga* Hiſpanis, inſ. eſt parva Americæ Sept. in mari Bor. montuoſa; ſed portu gaudet commodo. Vix aliquot milliaribus diſtat ab ora Bor. Hiſpaniolæ inſ. ſ. S. Dominici in Occaſ. & 35. tantùm leucis Hiſpanicis à parte Or. Cubæ inſ. Arcem habet munitam, & ſubeſt dominio Francorum ab aliquot Annis.

INSULA Teſtudinis, *Isla Tortuga* Hiſpanis, inſ. Americæ Mer. in mari Bor. & in ora Venezuelæ regionis, ſub Hiſpanis. Vix 26. leucis Hiſpanicis diſtat ab ora continentis Americæ in Bor. & 14. tantùm à Margarita inſ. in Occaſ.

INSULA Vaja, *Pulo Way*, inſ parva Aſiæ, in Oceano Indico, & una ex inſulis Bandæ, in Moluccis, ſub dominio Hollandorum.

INSULÆ Unionum, *Islas de Perlas*, inſulæ Americæ Mer. in mari Auſtrino & in ſinu Panamæ. Diſtant 12. leucis à Panama urbe in Auſtr. ſuntque duæ majores, dictæ *del Rio* & *Tararequi*, cum circa viginti minoribus, quæ veriùs ſunt ſcopuli.

INSULA Vulcani, *Brandenbeberg* Batavis, *l'Isle de Vulcain* Gallis, inſ. eſt Aſiæ, in mari Indico & prope oram litoralem novæ Guineæ ſic dicta, quia ſæpe ignes evomit. Aliæ inſulæ propriis in locis deſcriptæ ſunt.

INSULÆ, vulgò *Ilheos* Luſitanis, *les Isles* Gallis, urbs parva Americæ Mer. in Braſilia, cum portu in ora litorali. 30. leucis diſtat à ſinu omnium Sanctorum in Auſtr. ſub Luſitanis; & ab ea adjacens prov. dicitur *Capitania dos Ilheos*, Præfectura Inſularum.

INSULÆ, in Podienſi Galliæ urbe, dicuntur ejus regiones vel partes quædam, vulgò *les Isles*: in quas, numero 22. inferiorem Urbis partem diviſam eſſe, tradit Otho Geſleus *Hiſt. Anic. l. 1. c.* 24. apud C. du Freſne in *Gloſſ.*

in INSULAM deportatio, moribus Rom., frequens: quâ fini *aſperrimæ Inſularum* ut Gyarus, aliæque, electæ, uti diſcimus ex Suet. *Tito flav. Domit. c.* 8. ubi vide Marcil. ut & *Not. ad Spectacula Martialis* Non autem poſt damnationem fiebat illa, ſed mora intercedebat aliqua, dum jocarentur exportandi, teſte eodem Suet. *in Veſp. c.* 13. Locatos verò eſſe, docet M. Seneca *Controv. 6. l. 9. Cùm ſciret in exilium deportandos locari ſolere.* Sic locati, quemadmodum ſub voce Præconis ad navim perducerentur, obſervare licet in vet. Scriptore *Vitâ* D. Apollinaris: quomodo portò aveherentur, patet narratione Philonis Herenni de Flacco exſule avecto in Andrum Inſ. Marcil. ubi ſuprà.

INSULANA Caſtellania, *Chaſtellenie de Lille*, ſ. etiam *province de Lille*, tractus eſt Belgii, in Flandria Gallicana dicta. Dividitur in quinque partes; eſtque ſatis extenſus. Tota illa Caſtellania ſubeſt dominio Regis Galliæ ab A. C. 1667. & in ea ſunt urbes, Inſulæ, *Lille*, quæ ejus primaria eſt, Baſſea, *la Baſſée*, Armentariæ, *Armentieres*, uti oppida Lanojum, *Lanoy*, Cominum, *Comines*, Varnetonium, *Varneton*, Viroviacum, *Werwick*, & Seclinum *Seclin*, in regione feraci.

INSULARII, dicebantur apud Rom. ſervi, *Inſularum* cuſtodes Suet. *Jul. Caſ. c.* 41. Vocabant autem *Inſulas* ædes grandiores, quæ non jungebantur communibus parietibus cum domibus vicinis quales Sext. Rufus & P. Victor olim Romæ non paucas recenſuêrunt. De Germanis quoque Tac. *in Germania*, inquit, *ſuam quiſque domum ſpatio circumdat, nullis cohærentibus ædificiis, more Inſularum.* Etiam Vett. domos vel portus, vel *Inſulas* dixiſſe, annotârunt Donatus ac Feſtus. His videtur præfuiſſe nonnunquam Procurator. Petron. Edit. Gons. de Salâs *p.* 37. Edit. Boſch. *c.* 56. *cùm Procurator inſulæ Bargates, à cœna excitatus, a duobus Lecticariis in mediam rixam perfertur.* vide quoque Plin. *Panegyr. Trajani.* Et quia in Horreis ac *Inſ.* pretioſiſſimam plerunque partem fortunarum ſuarum homines opulenti reponebant, ideò ſervi cuſtodes appoſiti ſint, ut præter Paul. JC. *leg. 3. ff.* de *Off. Præf. Vig.* indicavit Juv. *l. 5. Sat.* 14. *v.* 304. & ſeqq.

----- Miſera eſt magni cuſtodia cenſus.
Diſpoſitis prædives hamis vigilare cohortem
Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro
Electro, ſigniſque ſuis, Phrygiaque columna,
Atque ebore & lata teſtudine, dolia nudi.

Ubi antiquus Interpres, *Per translationem*, inquit, *diſciplinæ militaris Sparteolorum Romæ, quorum cohortes in tutelam Urbis cum hamis & cum aqua vigilias curare conſuevêrunt vicinis.* Dabatur autem in vaſtis his ædibus ſignum familiæ ad evigilandum, tintinnabuli ſono, quod ferè à janua dependebat. Erantque ante Neronem plures in urbe domus, quàm *Inſulæ*, poſt Neronem verò contrarium obtinere cœpit, ut ex Tac. notum. Atque inde cœpêrunt, appellatione *Inſulæ*, quævis ædes locatitiæ intelligi, uti per *dominos Inſularum*, quivis locatores, & per *Inſularios* penſionum exactores, Caſaub. *ad Suet. c. 41. Jul. Caſ.* Cæterùm *Inſularios*, urbanorum numero fuiſſe, tradit Pomp. *l. Urbana fam. de verb. ſignif.* Sed & *Inſularii* dicti ſunt viles ſervi ac peſſimi, *qui ſine civitate ſunt in opus publicum perpetuò dati, & in Inſulam deportati*, *l. 17. ff. de pœnis.* Deportationem iſtiuſmodi ſignificat Seneca, *Magis ignoſco ei*, inquit, *qui vulnus inimici, quàm qui Inſulam concupiſcit*, &c. vide L. Pign. *Comm. de Servis* & Titum Popmam *l. de operis ſerv.*

INTAKERI, Angl. *Intakers*, prædonum genus, Ridesdaliam ſ. extremam Angliæ plagam Bor. habitantes; ſic dicti, quòd à ſociis ſuis, quos *Outparters* vocant, prædam, è finitimis Scotiæ deportatam, recipiebant. Illi, quaſi *intrà recipientes*; iſti velut *foris partes ſ. rem agentes*, recentius *Out-putters*, nuncupati: Utrorumque fit mentio in *Statuto* Ann. 9. Henr. V. *c.* 9. apud Henr. Spelmann. *in Gloſſ.*

INTEGER Bos, in holocauſtum offerri jubetur, Lev. *c.* 1. *v.* 3. *ſi holocauſtum erit oblatio ejus è bobus marem integri offerto illum; ad portam tentorii conventùs offerto illam*: &c. vide quoque Lev. *c.* 22. *v.* 23. & Num. *c.* 29. *v.* 8. ubi de ſacrificiorum *integritate* & perfectione accuratè agitur. Cujuſmodi victimas *integras*, puras omnique labe carentes requirebat Deus, cum ad religionis honorem ac decus; tum ad Chriſti perfectionem, innocentiam ac ſanctitatem teſtandam; tum denique, ut eos moneret, pretioſiſſima quæque, quodque in nobis optimum eſt, Deo offerendum, conſecrandumque. Unde queritur Deus *panem pollutum*, & *cæcum ad immolandum offerri ſibi*, apud Malach. *c.* 1. *v.* 7. & 8. Certe & Ægyptios τοὺς καθαροὺς ἄρσενας τῶν βοῶν καὶ τοὺς μόσχους. *boves mundos eoſque mares & vitulos* immolare, & Sacerdotem apud illos ad id conſtitutum ſcrutari conſuêviſſe, ὀρθοῦ ἑστεῶτος τοῦ κτήνεος καὶ ὑπτίου, *pecude tam erectâ & ſtante, quàm reſupinatâ*, legimus apud Herod. *l.* 2. *c.* 41. Quo facto, ſi perfectam & ab omni vitio immunem reperrat, eam notabit byblo cornibus alligato & applicitâ terrâ ſigillari cum annulo ſuo impreſſo. Alioquin enim pecudem ἀσφράγιστον immolare grande nefas credebant, *Ibid.* Sed & Gentilium alii, priuſquam victimam coronarent, explorabant, εἰ ἐντελὲς ſ. παντελὲς εἴη, *an ligitima & perfecta eſſet*, ne quid forte mactarent, quod Numine indignum eſſet, teſte Luciano *de Sacrif.* Imò, Indos hac fini non jugulare, ſed præcluſo ſpiritu necare ſolitos, ἵνα μὴ λελωβημένον, ἀλλ' ὁλόκληρον διδῶται τῷ θεῷ, *ne quid mancum, ſed integrum, offerretur Deo*, tradit Strabo *l.* 15. & Philo περὶ τῶν Καίν. *Integrum* autem exponit Pollux. ἄρτιον, ἄτομον, ὁλόκληρον, ὑγιές, μηδὲ ἠκρωτηριασμένον, ἄπηρον, παμμελὲς μὴ κολοβὸν, μηδὲ ἔμπηρον, μηδὲ διάστροφον, μηδὲ ἀνάπηρον, *l.* 1. *c.* 1. in cujus rei ſignum & ſymbolum coronabantur victimæ; *integritatis* enim & perfectionis ſymbolum corona, ut notum &c. vide Sam. Bochart, *Hieroz. Parte pr. l.* 2. *c.* 33. ſuprà *Hæmus*, & de Regis ſacrorum *integritate* apud Athen. infrà in voce *Rex*: aliquid etiam, ubi de ritu ſuper *Teſtibus jurandi.*

INTEMELIUM, & INTIMELIUM, urbs Liguriæ maritima. vide *Albintemelium.*

INTER Canem & Lupum, apud Marculfum, *infra horam veſpertinarum, inter canem & lupum venêrunt & interfecêrunt dictum Johannem*: modus loquendi, quo crepuſculum indigitatur, ubi luminis defectu *lupum à cane* ægre diſcernas; etiam Gallis in uſu, *entre chien & loup*, vide Dom. Macr. in *Hierol.* Simile quid ἀμφιλύκη νὺξ apud Homer. ad quem Euſtathii vide Παρεκβολάς.

INTERAMNA, vulgò *Terni* & *Terani*, urbs Umbriæ ad Narem fluv. inter Spoletium & Narniam, in via, quâ Romam ducit, occurrens: Columbis celebris. Pop. *Interamnates* Cic. & *Nartes* Plin. *l. 3. c. 5.* 12. & 14. & Strabo *l. 5. p.* 227. & 337. Urbs fuit nobiliſſima & antiquiſſima: Caſtellorum familiâ adhuc inſignis. Tac. *Hiſt. l. 2. c.* 64. & *l. 3. c.* 62. & 63.

INTERAMNA, altera Lat. colonia in conf. Samnii ad Lirim fluv. Liv. *l. 10. c.* 36. *Iſola*, teſte Blondo. Una eſt ex 12. coloniis, quæ Romanis auxilium adverſùs Hannibalem negârunt, Liv. Baudr. opp. fuit Volſcorum, aliquot mill. infrà Inſ. ad Mer. cujus nunc veſtigia prope vicum *Ponté Corvo*, in prov. Terræ Laboris ad Lirim, ex Brietio. Aliis eſt paulò ſuprà, ubi nunc caſtrum *l'Iſoletta*: L. Holſtenio eſt *Torri di termine*, in illo tractu, ubi multa antiquitatis veſtigia.

INTERAMNÆ Urbes ac Regiones, Latinis dictæ ſunt, quæ inter duos amnes ſitæ, Græcis Μεσῆναι, & Μεσῆναι, item μεταξὺ τῶν ποταμῶν. Hinc *Meſopotamiæ* nomen, quod inter Euphratem & Tigrim ſita, & in ipſa illa alia Μεσήνη. quam diviſus alveo Tibris amplectitur, memorata Plin. & Steph. in qua Apamea urbs. Sed & ipſa Apamea hæc, omneſque aliæ hoc nomine *interamnæ* fuêrunt, à voce Hebr. quæ *circumcingere* denotat, nomen nactæ. Alia porro Meſopotamiæ pars, Adjabene viz. itidem Μεσήνη ſ. *Interamnas*, utpote inter duos amnes Diabam & Adiabam intercepta &c. vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 698. & 699.

INTERAMNIA, urbs Præguttiorum in Aprutio, hodie *Teramo*, in Occ. in regno 13. mill. ab Aſculo, 14. ab ora maris Hadriatici Neap. Ejus Ep. Aprutinus dicitur.

INTERAMNIS, locus vet. Monaſterio clarus, in conf. Britanniæ min. & Cenomaniæ, ad Coëtnum fluv. è regione cujus ignobilis amniculus eſt, in eum defluens, à quo ſitu nomen habet. Inter Filicarias & Pontem Urſionis. Vulgo *Entrain.* Item locus in finibus Senonum & diœc. Antiſſiodorenſi; vulgò *Antrain*: unde Gentiles feſta Jovis magnâ frequentiâ ibi celebrantes depulit Peregrinus, Valeriani principatu. Had. Valeſ. *Not. Gall.*

INTERAMNIUM, opp. Hiſp. Tarrac. *Ponferrada* Coquo. Antea Aſturum, nunc Legionis R.

INTERCATIA, Hiſp. urbs, Strabo *l. 3. p.* 160. Polyb. & aliis. Moralis, cui *S. Maria de Rebilla* dicitur, locat eam inter Lenem, Valliſoletum & Aſtorgim civ. hodie ſic nominatas. *Intercatienſes* ſunt Plin. in Hiſpania cit. Ptol. habet duas hujus nominis urbes in Hiſp., unam in Orniacis, alteram in Vaccæis. Ferrar. eſt opp. Hiſp. Tarraconenſis; in finibus Aſturum, & Vaccæorum, exciſum; locus inter Valliſoletum & Aſturicam ad Occ. in medio, ad 10. leuc. diſtans, viſitur. Pop. *Intercatienſes* Plin. *l. 3. c.* 3.

INTERCESSORES, dicti olim Epp. qui ſede vacante Epiſcopatum adminiſtrabant, donec proprius eligeretur; hodie *Adminiſtratores*: fortè, quod vacantem cathedram illiuſque poſſeſſionem adirent *Interceſſores* enim Latini διαδόχους τῆς ἑστίας vocabant, ut eſt in

eſt in vett. *Gloſſis*, in quibus etiam *Interceſſio* redditur προσέλευσις τῆς κληρονομίας, *aditio hæreditatis*. Eosdem *Interventores* appellat Conc. Carthag. V. *can.* 8. *Nulli* Interceſſori *licitum ſit cathedram, cui Interceſſor datus eſt --- retinere, ſed dare operam ut intra annum eisdem (populis) Epiſcopum provideat. Quod ſi neglexerit anno exemplo Interventor alius tribuatur.* Μεσῖται dicuntur in Canon. Eccl. Afric. *can.* 74. in Epigraphe verò *Canonis*. Ἐπίσκοποι ἐπιξενούμενοι &c. Aliter vox ſumitur *l.* 1. *Cod. Theodoſ. de Pignor.* ubi Executores, qui à Rectoribus provinciarum dabantur, præſertim ad exigenda debita fiſcalia & publicas functiones, notat, de quibus vide Jac. Gothofred. *ad l. c.* Sed & *Intercedere*, dicebantur Epiſcopi, cum pro reis, cauſâ cognitâ, veniam à Judicibus poſtularent: qua de re ſonat *Conſtitutio* Honorii & Theodoſii, *in Append. Cod. Theodoſ. Eam quoque Sacerdoti concedimus facultatem, ut carceris ope miſerationis aulas introeat, medicetur ægros, alat pauperes, conſoletur inſontes: & cùm ſingulorum cauſas cognoverit, interventiones ſuas apud Judicem competentem jure ſuo moderetur.* Maxime autem *intercedebant* pro iis, qui ad Ædes ſacras confugiebant, quos *tradi non oportere*, decretum eſt Conc. Aranſic. 1. *can.* 5. Interim, quibus Epiſcoporum vel Eccleſiæ interceſſione culpæ venia à Judicibus, aut ſi ſervi eſſent, à dominis concedebatur, iis Canonica ab Eccleſiis imponebatur pœnitentia, quam illi obituros ſeſe ultro ſpondebant, veniam aliàs neutiquam conſecuturi, ut ex Conc. Remenſi *can.* 7. colligit C. du Freſne, apud quem plura in hanc rem, in *Gloſſ.* Vide quoque Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce Μεσίτης.

INTERCIDONA, una ex ſylveſtribus vett. Deabus, à ſecuris interciſione dicta. Hanc unà cum Pilumno & Deverra mulierem fœtam contra vim Sylvani Dei conſervare credidêrunt, vide Thom. Dempſter. in Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 19.

INTERCISA, urbs Pannoniæ inf. olim Anton. *Rachzkeſli* Simlero. Nunc pagus, in Hungariæ Stiriæque conf. lib. Notitiæ in Valeria Ripenſi, in ipſa Stiria. Eſt & locus Umbriæ, in montis rupe excavatus, *il Furlo* vulgò, ad Candianum fluv.

INTERCISA Dies apud Claud. *Panegyr. Olybrii & Probini Carm.* 1. *v.* 171.

> *Antè Thyeſtæis iterum conterrita menſis*
> Interciſa dies *refugos vertetur in ortus;*

Et Stat. *Theb. l.* 2. *v.* 184.

> *Non fugeret diras* lux interciſa *Mycenas:*

interrupta eſt tenebris, & *abrupto Sole*, ut idem ait *l.* 1. *v.* 325. caligans. Metaphora ab Rom. more, apud quos *Interciſi Dies* in vet. Jure Pontificio Pompiliano, tam hominibus, quàm Diis dati, in quibus & humana negotia & religioſa tractare faseſſet, veluti non integros perhibeas, nec huic, nec illi parti addictos: de quibus, poſt Varronem, Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 16. Item *interciſivi limites*, qui agros integros eſſe non ſinerent, ſed velut interſecarent, apud Frontin. Agrimenſorem, de quibus vide Salmaſ. *ad Solin p.* 678. alibique. Sic opus ſuum *intercidendum*, ne in perennem exiret prolixitatem, dicit Gul. Britto Aremoricus, imitatione Vett. & ſuo ingenio pro tempore quo vixit, admirabilis Scriptor, *l.* 8.

> *Sed ne continui nos frangat cura laboris,*
> Intercidat *opus brevis hæc pauſatio noſtrum* &c.

Vide C. Barthium *ad Stat. d. l.*

INTERCOLUMNIUM, in variis vett. templis januæ loco. Vide ſuprà Fores. *Hippodromus.*

INTERDICTUM, dicitur in Eccl. Rom. generalis excommunicatio, quæ in provinciam, vel villam aut caſtrum; imò in integrum aliquod Regnum, fertur: quo durante denudantur altaria cruces humi proſternuntur, reliquiæ Sanctorum ingloriæ jacent, invertuntur cymbala, neque quicquam fit, *in ſancta Matre Eccl. niſi parvulorum baptiſma & confeſſiones morientium*, uti habet Knyghton A. C. 1208. ubi de toto Angliæ Regno, una cum Joh. Rege *Interdicto ſexennali*, à Pontifice ſubjecto Inſtituit tamen Bonifacius VIII. ut, non obſtante *Interdicto Eccleſiaſtico*, in quatuor Feſtivitatibus divina celebrari poſſent; quibus Feſtum Corporis Chriſti adjecit Urbanus VI. Formulam *interdicti* hujusmodi iſtam ſuppeditat C. du Freſne ex Conc. Lemovicenſi. A. C. 1031. *Seſſ.* 2. *Niſi de pace acquieverint, ligate omnem terram Lemovicenſem publica excommunicatione; eo videlicet modo, ut nemo, niſi Clericus, aut pauper mendicans, aut peregrinus adveniens, aut infans à bimatu & infra, in toto Lemovicino ſepeliatur, nec in alium Epiſcopatum ad ſepeliendum portetur. Divinum officium per omnes Eccleſias latenter agatur, & Baptiſmus petentibus tribuatur. Circa horam tertiam ſigna ſonent in Eccleſiis omnibus & omnes proni in faciem preces pro tribulatione & pace fundant. Pœnitentia & Viaticum in exitu mortis tribuatur. Altaria per omnes Eccleſias, ſicut in Paraſceve, nudentur: & cruces & ornamenta abſcondantur; quia ſignum luctus & triſtitiæ omnibus eſt. Ad Miſſas tantum, quas unusquisque Sacerdotum januis Eccleſiarum obſeratis fecerit, altaria induantur & iterum poſt Miſſas nudentur. Nemo in ipſa Excommunicatione uxorem ducat. Nemo alteri oſculum det, nemo Clericorum aut Laïcorum vel habitantium vel tranſeuntium, in toto Lemovicino, carnem comedat, neque alios cibos, quàm illos, quibus in quadrageſima veſci licitum eſt. Nemo Laicorum aut Clericorum tondeatur, neque radatur, quousque diſtricti Principes, capita populorum, per omnia ſancto obediant Conc.* Aliam vide apud Eund. & plura hanc in rem, apud Ep. Monſpel, *ad Ep.* 72. *Innoc. III. l.* 14. Addo quod *interdictum hujusmodi Eccleſiaſticum*, inter præcipuas Eccl. Cenſuras, quâ ſc. divinis *interdicitur*, verbis hiſce Prælati *Interdico tibi*, vel *Suppono te Eccleſiaſtico interdicto*; quemadmodum enim civile Interdictum corpus, ita Eccleſiaſticum animam afficit. Fertur verò Interdictum interdum *in perſonam*, ut ſi Univerſitas vel Capitulum interdicatur; vel *in locum*, velut ſi civitas vel templum interdicatur, interdictâ *Univerſitate*, Clerici januis apertis & pulſatis campanis, ſed excluſis excommunicatis & interdictis, altâ voce celebrare poſſunt, at interdicto *loco* non poſſunt. Cujusmodi *interdicti* formula extat in *Conſ. Lemovic.* A. C. 1301. *Seſſ.* 2. ubi terra Lemovicenſis Interdicto ſubjecta. Et quidem in Interdictis *denudari altaria, poſterni Cruces ad terram, ut & reliquias SS. Cymbala inverti* &c. diſcimus ex Synodis aliquot Landavenſibus, in *Conciliis Anglicanis poſt LL. Eccl. Alvredi Regis* deſcriptis. Inſtituit autem Bonifacius VIII. ut interdicto hoc non obſtante, in IV. Feſtivitatibus Sacra celebrari poſſint quibus Feſtum Corporis Chriſti adjecit Urbanus VI. ut eſt in *Magno Chronico Belg.* A. C. 1389. Vide Phil. à Limborch *Hiſt. Inquiſ. l.* 3. *c.* 2. uti de *Interdicto Civili*, aliquid ſuprà, ubi de *Banno*.

INTERDUCA, Juno dicta eſt, quòd veteri ritu ſponſas ad ſponſos ducere primâ nocte conſueverat. Dea enim illa nubentibus olim præerat.

INTERIM, nomen formulæ Religionis, Proteſtantibus, poſt Obitum Lutheri, victis, à Carolo V. Germaniæ obtruſæ, cui quoſcunque ſubſcribere volebat, donec Conc. Generali religionis controverſiæ deciderentur A. C. 1548. Hujus ſententiam refutârunt ſcriptis publicis Phil. Melanchthon & Doctores Eccl. Saxoniæ inf., aliique plurimi. Mox bellum Adiaphoriſticum ortum inter Theologos Euangelicos, Matthia Flaccio cum ſociis Melanchthoni aliisque litem movente, qui de adiaphoris ex præſcripto formula Interimiſticæ recipiendis, minus acriter pugnaviſſe illis videbantur; Multi Doctores ſolum vertêrunt, Muſculus, Bernam, Brentius Baſileam, Oſiander in Boruſſiam conceſſit. Tandem Mauritius El. Imp. in anguſtias redacto, Conc. Trident. diſſipavit, pacemque Religionis Paſſavienſem extorſit, captivis Principibus liberatis. A. C. 1552. Vide Sleidan, *l.* 20. Bucholc. *Ind. Chronol.* Georg. Horn. *Hiſt. Eccl. cum Notis & obſervat.* M. Leydeckeri, ſuprà ubi de *Adiaphoriſtis*, hinc enim Schiſma grave inter Euangelicos de Adiaphoris & bellum inde *Adiaphoriſticum* dictum, inter Flaccium Illyricum, qui *Interim* abſolutè rejiciebat, ac inter Melanchthonem, multos ritus, tanquam adiaphoros tolerari poſſe cenſentem, exarſit: & quidem fœtum illum, obſtetricante Granvellano, edidére Julius Pflugius Ep. Naumburg. Michael Sidonius Ep. Martisburg. & Joh. Iſlebius Agricola Antinomus, vocaturque Hiſpanico termino *Interim*, à Sleidano *Decretum*, in Conſtitutionibus Imperialibus *Declaratio Religionis*, à Dreſſero, appoſitiſſimo nomine *Sphinx Auguſtea*. Quem librum multis probantibus, probare tamen nunquam voluit Joh. Frid. Sax. Elector, quamvis captivus, cùm contra ſ. ejus obſcuritate, ſ. periculorum impendentium metu fracti Theologorum nonnulli, haud parum ab Orthodoxia, in articulo cumprimis *de Juſtificatione*, deflexerint; quos inter Pfeffingerus Superintendens Lipſienſis, cui & *Interim Lipſienſe*, quod *novum* quoque vocatur, adſcribi ſolet. Vide Flaccium *Præfat, Lipſico Interim præmiſſâ*, & ejusdem *Scriptum contra Reformationem Pfeffingeri*, Carpzov. *ad Form Concordiæ p.* 1286. Burgoldenſem *Part* 1. *p.* 27. Rittershuſium *in Exegeſi Geneal .p*-9. alios, laudatos L. Joachimo Fellero, *Not. ad Horn. Orb. Imp. p.* 26.

INTERIMERE vide ſuprà *Emere*.

INTERLUCARE, idem cum *conlucare*, quod vide.

INTERMETIUM, in Circo, ſpatium *inter* duas *metas*, Græcè κερκὶς, Latinis *Euripus* quoque ac *Spina Cires*, vide ibi.

INTERMURALE, locus in Templo Hieroſol. de quo vide infrà *Templi monis*.

INTERNUM Mare, idem quod Mediterraneum. Vide ibi.

INTERNUNCII, portio comitatûs feminei, apud Rom. olim, iidem cum *Salutigerulis*, quos vide. Hodie inter Pontificis Miniſtros, qui ad exteros Principes mittuntur, *Internuncii*, Miſſi dicuntur Extraordinarii, à *Legatis*, qui Ambaſciatores ſunt ejus Extraordinarii, & *Nunciis*, qui Ordinarii, diſtincti. Wicquefort *Memoires touchant les Ambaſſadeurs Part.* 1. *p.* 153. Alii olim Perſarum Internuncii de quibus ſuprà aliquid in voce *Chiliarchus*.

INTEROCREA, Sabinorum opp. *Interocreum*, Strabo *l.* 5. *p.* 28. qui κώμην, i. e. *vicum* vocat, hodie *Interdoio* & *Interdoco*.

INTEROCRIUM, Anton. *Interdoco* Pandulfo Collenutio, opp. Sabinorum, in agro Reatino, nunc in Aprutio ab Aquila 15. mill. paſſ. in Occ. quot fermè à Reate. Vide *Interocrea*.

INTERPENDIUM, ſ. *Compendium*, dicitur, cum pondera pariant in libra & invicem ſibi oppoſita æquantur, velut in parallello ſitu Græcè παράλληλον, Latinè interpretium quoque. Ea voce uſus eſt Amm. Marcell. *l.* 18. *c.* 2. ubi Hymettius Africam pro Conſule regens, in magna annonæ caritate, publica horrea aperuit, & frumentum populo Rom. deſtinatum Carthaginenſibus indigentibus divendidit: ex quo certam ſummam confecit. Poſtea viliore annonâ, quum eundem frumenti modum horreis Populi Rom. reſtituere vellet, denorum modiorum, quos venum dederat, pretio, tricenos ipſe modios emit. Sic pretii, quod ex venditione publici frumenti collegerat, duo trientes apud eum remanſêrunt, poſt reſtitutum omne frumentum horreis Pop. Rom. Quod ſuperfuit ex ea ſumma, id totum tranſmiſit ad ærarium Principis. Atque hoc *Interpretium* vocat Amm. Marcell. Ei opponitur *Intertrimentum*, id nempe, quod de pondere detrahitur, unde minus fiat, Græcè ἀπουσία; *Interpendium* enim vel *Compendium* contrà, quod additur ad pondus & ſuppletur, unde fiat *compenſatio* ſ. συσταθμία. Indeque utraque vox pro lucro quoque accipitur. Venit autem *Interpretium*, ab *Interpres*, qui primigeniâ ſignificatione proprie dictus eſt, qui inter venditorem & emptorem pararius ac proxeneta, difficultates inter utrum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

que ob pretium oriri ſolitas, explicabat, efficiebatque, ut res, quam deferebat venditor, exæquaretur pretium, quod offerebat emptor, & ſic juſta permutatio procederet Græcis παραπράτως & παραπώλης: hic quod eo nomine accipiebat ab utroque, *Interpretium* proprie dicebatur. Sed & *propenſum* eidem opponitur, hoc enim eſt, quod, utpote gravius, in lance præponderat, ſicque *propendet* &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1006. & 1007.

INTERPRES, nomen officii in Aulis Principum olim hodieque Vide ſuprà *Dragomannus*. Addo hîc ſaltem, non ſolùm cum iis, quorum linguam ignorarent, ſic Principes loquutos, ſed ut, majori auctoritati conciliandæ, nonnunquam cum ſui ſermonis hominibus. Quod ut feras in Regibus, quorum tamen moderatiores id neutiquam voluiſſe uſurpare, apparet ex eo, quod paſſim tradunt Auctores, eos *magnâ libertatis umbrâ præfuiſſe*, ut Curt. *l.* 4. *c.* 7. ait. At merito Philotæ exprobratum, apud eund. *l.* 6. *c.* 11. quòd *non erubeſceret Macedo natus homines linguæ ſuæ* per Interpretem *audire*. Et Pallanti magis liberto, apud Tac. *Ann. l.* 13. *c.* 23. quòd *nihil unquam ſe domi, niſi nutu aut manu, ſignificâſſe, vel ſi plura demonſtanda eſſent, ſcripto uſum, ne vocem conſociaret*.

INTERPROMIUM, vicus ſ. locus regionis fuit Marrucinorum, ad Aternum fluv. in via Valeria, quæ Corfinio Teate Marrucinum ducebat: Sub oppid. S. Valentini ultra anguſtias Populi opp. Anton. Peuting. *L. Camarra*.

INTERPUNGENDI mos antiquis non fuit: Non enim adhibebant Vett. *Interpunctionum* notas ſive ſigna ad partes ſententiæ diſtinguendas, atque inde difficilis oriebatur lectio, cum niſi exercitatis vix liqueret, ubi aut vox ſuſtineri, aut ſuſpendi aut deponi deberet, quod ex A. Gellii *l.* 13. *c.* 30. luculenter patet. Hinc etiam lectionem primæ eruditionis partem facit Quintil. *l.* 1. *c.* 8. Solebant enim quidem Rom. verba ſingula interpoſito puncto à ſe invicem diſparare, partim ad ornatum, partim ne coaleſcerent. De quibus intelligendus Cic. *pro Muræna*, ubi Juriſperitos vellicat: *Dignitas in tam tenui ſcientia quæ poteſt eſſe? Res enim ſunt parvæ, prope in ſingulis literis atque* Interpunctionibus *verborum occupatæ*. Sed id inprimis in vett. Inſcriptionibus, quæ hodie adhuc ſuperſtites, apparet, cum Græci contrà continuo nexu abſque ulla ſeparationis nota voces ſcripſerint. Unde Sen. *Ep.* 40. ubi de celeritate orationis: *In Græcis*, inquit, *hanc licentiam tuleris: nos etiam cùm ſcribimus*, interpungere *conſuevimus*, ſingula ſc. verba à ſe invicem diſcriminando, ut verborum ille fluxus aliquo modo ſiſtatur. Et has *Librariorum notas* Cic. appellat *de Orat. l.* 3. Poſtea tamen, ſed quo tempore, incertum, etiam notæ inventæ ac appoſitæ ſunt, quibus verborum & ſententiarum partitionem ſ. diviſionem in commata, cola ac periodos notarent, ac haſce partes inter ſe diſtinguerent: quæ *Poſituræ*, atque etiam peculiariter *Diſtinctiones* Latine. Θέσεις ſive Στιγμαὶ Græce appellatæ ſunt Diomedes de *Pronunciat. l.* 2. *Lectioni Poſituras accedere, vel Diſtinctiones oportet, quas Græci* θέσεις (adde & Στιγμὰς *vocant*. Iſid. *l.* 1. *Orig. c.* 19. *Poſitura eſt figura ad diſtinguendos ſenſus per cola, commata & periodos: quæ dum ordine ſuo apponitur ſenſum nobis lectionis oſtendit*. Poſtquam autem viri docti diſtinguere cœpêrunt, ſolis & ſingulis punctis diverſo ſitu locatis, ſingulas partes notabant, Comma videlicet puncto, ad medium literæ, ubi ſermo ſuſtinetur; & hæc *media diſtinctio*: Colon puncto ad medium literæ ubi ſermò ſuſpenditur, & hæc *Subdiſtinctio*: Periodum, puncto ad caput literæ ſive ſuprà verſum, ubi ſermo deponitur; & hæc *plena diſtinctio* vocitata eſt, ut apparet ex Donato clariſſimè. Et hic quidem diſtinguendi modus olim obtinuit: hodie, variâ puncti locatione miſsâ, aliis ſignis, figurâ, non poſitione diſcretis, quæque neminem fugiunt, in *Interpunctionibus* noſtris utimur. Jac. Oiſel. JC. *Notis in A. Gellii loc. retrò citat*. Calcei quoque olim *interpungi* ſoliti, hoc artificio, auratis ac purpureis præponebantur. Epictetus *in Enchirid*. Ἐπὶ τοῦ ὑποδήματος, ἐὰν ὑπὲρ τὸν πόδα ὑπερβῇς, γίνεται κατάχρυσον ὑπόδημα, εἶτα πορφυροῦν, εἶτα κεντητόν, *In calceo, ſi ultra pedem fueris progreſſus, fit auratus calceus, dein purpureus, tandem interpunctus*. Et iſtiuſmodi quidem diſpunctionibus ac inciſuris variè & artificioſè olim Sicyonia inprimis diſtinguebantur: ob quam figurarum varietatem, *multiformen* appellavit *calceum* Tertullian. *l. de vel. Virg. c.* 12. eum qui *interpunctus* erat, ſicque ab uniformi ac plano, quo modeſtiores feminæ utebantur, diſtinxit. Vide B. Balduin. *de Calceo antiquo c.* 19. & infrà *Multiformis calceus*.

INTERRASILE Opus, apud Vilhelm. Brittonem *dicitur interpolatum cælaturâ & planâ. Planum enim inter cælaturas quaſi raſum videtur*: adeoque *raſili* opponitur, ut quod ſubinde *cælaturâ & plano variatur* ac diſtinguitur. Alex.

> *Quod nunc ſculpturis quod nunc planitia variatur,*
> *Hoc & non aliud* opus Interraſile *dicas*.

Sic *lamina aurea interraſilis*, apud Anon. *de Geſtis Conſtannini Mag. Crux anaglypha interraſilis ex argento puriſſimo*, apud Anaſtaſ. Bibl. *in Leone III. Crater argenteus cum imaginibus interraſilis*, in *Ep.* Patriarchæ Hieroſolym. ad Ignatium Patr. CP. & apud Fortunat. *l.* 1. *poem.* 13.

> ---- *Scalptæ cameræ decus* interraſile, &c.

Vide C. du Freſne in *Gloſſ*. Licèt autem radant tam tornatores, quàm cælatores: Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 449.

> ----- *Aut torno* raſile *buxum*.

Græci γλύψαι, ξύσαι. Aliud tamen proprie ξύσαι vel ξέσαι, *radere*, aliud γλύψαι, *cælare*, aliud τορνεῦσαι, *tornare*, & *Raſores* vel *Interraſores* diverſi à Cælatoribus, ac Tornatoribus. Theophraſtus ita hæc diſtinguit. Εὐπελεκητότερα δὲ καὶ εὐτορνότερα καὶ εὐξοώτερα τὰ χλωρὰ, προσκάθηται γὰρ τὸ τορνευτήριον μᾶλλον καὶ οὐκ ἀποπηδᾷ. Ubi τορνευτήριον inſtrumentum eſt ferreum, quo ligna in torno teruntur, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1045. ubi *Raſorum* proprie *terere* eſſe pluribus docet.

INTERREX, qui Regis Demortui loco tantiſper ſummæ rerum præeſt, dum alius creetur: quod ſpatium temporis *Interregnum* dictum. Origo ejus antiquiſſima; Nam Romulo Defuncto, ut tradit Dionyſ. *l.* 2. antequam novus crearetur Rex, integrum Annum *Interregnum* fuit. Ita enim ille: *Sequenti Anno nemo Romæ regnavit, ad novum* Interregum *Magiſtratum delata adminiſtratione Reip. in hunc modum: Ducenti Patres Conſcripti, ex quibus Senatus Rege Romulo conſtitutus erat, diſtributi in Decurias, Decemviris ſorte committebant Urbis imperium. Hi non ſimul, ſed unus poſt alium quinis diebus lictores habebant cæteraque inſignia regia, quæ ſ. per manus tradebantur, à primo deinceps uſque ad ultimum: tum quinquedianus ille Magiſtratus migrabat ad ſequentem Decuriam, & inde rurſum ad aliam* &c. Et hoc ſub Regum imperio obſervatum fuit. Poſteà appellatio etiam ſub Conſulibus manſit: cùm enim ordinarii Magiſtratus abeſſent, & Comitiis intereſſe non poſſent, ſive vitio creati abdicâſſent neque placeret Dictatorem dici, tum res ad *Interregem* veniebat. Atque etiam hi *Interreges* eodem modo quinqueduano fungebantur Magiſtratu, ut ex Cic. *l.* 7. *ad fam. Ep. ad Trebatium* apparet; quo durante omnia obibant ea, quæ vel Regum vel Conſulum fuiſſent, itaque & Senatum convocandi jus habebant & populum ad Comitia Curiata &c. vocandi. Non autem moris erat, ut ab eo, qui primus *Interrex* proditus erat, Comitia haberentur, hinc tale quid nuſquam apud Liv. invenitur: Sed interdum à ſecundo, ut *l.* 10. *c.* 11. *Interreges fuêre App. Claudius, dein P. Sulpitius; is Comitia Conſularia habuit*. Interdum à tertiò, ut *l.* 3. *c.* 8. Interdum à pluribus, ut ad undecimum etiam *Interregem* aliquando perventum ſit, apud eund. *l.* 7. Eligebantur non niſi è Patriciis, vel potiùs *prodebantur* (hoc enim verbum de iis ſolenne) ut ex plurimis Liv. Cic. aliorumque locis cognoſcitur. Sed mutatâ veteri Reip. formâ & ſummâ rerum ad unum delatâ, *Interregum* & functio & nomen abolitum eſt. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 16. & Jac. Oiſel. *Notis in A. Gell. l.* 14. *c.* 7.

INTERREX, vide *Lucius Corn. Scipio*.

INTERROGATIO, apud Rom. dicta eſt accuſatio tota, cùm Judiciorum criminalium pars non minima rei *interrogatio* eſſet. Multum autem intererat in peragendis interrogationibus, quo animo eſſet is, qui interrogabat. Exemplum illuſtre in Aug. apud Suet. *c.* 33. qui *manifeſti parricidii reum, ne culeo inſueretur, quòd non niſi confeſſi afficerentur hac pœnâ, ita fertur interrogâſſe: Certè patrem tuum non occidiſti?* Hac enim ſuâ interrogatione ſalutis viam reo aperuit, ut quæ eandem vim habet, ac ſi ita eſſet concepta: *Nonne verum eſt, te patrem tuum non occidiſſe?* At legitima formula hæc fuiſſet, *Parricidium, quod objicitur tibi, feciſti?* Sic apud Liv. *l.* 8. *c.* 20. cùm de Privernatibus triſtes ſententiæ à Senatoribus pleriſque dicerentur & Legatus eorum ferociter reſponderet, Conſul *benignâ* interrogatione *mitius reſponſum elicere conatus eſt*. & apud Tertullian. *ad Scapulam* Cincius Severus *Thiſtri ipſi dedit remedium, quomodo reſponderent Chriſtiani, ut dimitti poſſent*. Contrà, qui perditum volebant reum, omnibus eum modis in fraudem inducere ſuis *interrogationibus* conabantur. Caſaub. *ad Suet. d. l.* Vide quoque ſuprà *Exegetæ* ubi de more *interrogandi* Athenis recepto: & de *interrogatione teſtium*, infrà in voce *Teſtis*.

INTERSCAPULUM & INTERSCAPLIUM & CONSCAPLIUM, pars illa Latinis dicitur, quæ ſub collo *inter ſcapulas* eſt, Græcis τὸ κάτωμον vel τὰ κάτωμα: unde κατωμαδιασθῆναι, Spartiano *catomidiari*, pœnæ genus, quod *ſcapulas verberare* Seneca & Apulejus dixêrunt: *catomis cædere*, vet. Scholiaſt. Ovid. *Faſt. l.* 2. *v.* 445. ubi de mulieribus, quæ Lupercis per urbem diſcurrentibus, fœcunditatis ergò, ſponte terga ſua cædenda præbebant:

> *Ille caprum mactat, juſſæ ſua terga puellæ*
> *Pellibus exſectis percutienda dabant* &c.

Vide ſuprà in voce *Catomidiare*: uti de Halcyone femina, maritum ætate gravem interſcapilio ſublatum circumferente, ſuprà.

INTERSIGNUM, in *Geſtis* Conſulum Andegav. *c.* 13. *n.* 5. *Exclamavit unuſquiſque* Interſignum *ſuum*, clamor eſt militaris, Gall. *Cry d'armes*: etiam *Enſeigne* Scriptoribus Gallicis. quòd, qui vexilla deferebant in præliis, primi bellicum clamorem cierent, ut pluribus docet C. du Freſne *Diſſert.* 11. *ad Joinvillam*. At *Interſignia*, apud Gul. de Podio Laurentii *c.* 1. arma ſunt, Gall. *Armoiries*. In re verò Veterum Aſtrologica ſic dicebantur, quæ Μεσεμβολήματα Græcis, interſtitia viz. *ſignorum*, in quibus qui horoſcopum haberent undequaque infortunati, cum corporis, tum animi, bonis credebantur. Vide ſuprà in voce *Decanus*.

INTERVALLIUM, oppid. Prov. ad Varum fluv. ad montium radices, in limite dition. Sabaudicæ & Comitatûs Nicæenſis. 1. mill. à ruderibus urbis Glandatenſis. 3. leue. à Boleo in Occaſ. 5. à Vintio in Circ. uti 8. à Nicæa & ab ora maris Mediterr. Vulgò *Entrevaux*.

INTERVENTORES, qui ſede vacante Epiſcopatum adminiſtrabant, Vide ſuprà *Interceſſores*.

INTESTATUS, qui Deceſſerat, habebatur olim pro damnato ac infami. Cùm enim Conciliorum *Canonibus* certam bonorum ſuorum atque adeò *decimam* partem, ut eſt apud Matth. Pariſ. p. 113. diſtribuere in pios uſus quiſque teneretur: qui id non egiſſet, ſalutis ſuæ curam quodammodo videbatur abjeciſſe. Quamobrem non unâ Synodo jubentur ſacrorum Miniſtri moribundos hortari, ut & peccata ſua confiteantur & de rebus ſuis in Eccleſiam vel pauperum favorem, aut in alios pios uſus, ad animæ ſalutem diſponant. Quòd quidem ita invaluit, ut delictorum abſolutio & Viaticum denegaretur iis, qui monita hæc neglexerant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

glexerant; taleſque ſalutis ſuæ curam omnem abjeciſſe crederentur: ſic ut nullum inter ejuſmodi *Inteſtatos* & illos, qui ſibi ipſis intuliſſent mortem, diſcrimen haberetur. Uti proin iſtiuſmodi αὐτοχόνων bona mobilia in Fiſcum redigebantur, ita & *Inteſtatorum* dominis addici debere exſtimavêrunt, maximè ſi per eos licuerat haud *inteſtatos* Decedere, vide C. du Freſne *Not. ad Stabilimenta S. Lud.* Cujus quidem conſuetudinis ea videtur fuiſſe origo, quòd, cùm abſque eleemoſynarum diſtributione prævia Decedere probroſum quodammodo Vett. judicarent, ſæpeque accideret, ut morte impræviſâ, nullâ factâ bonorum in eleemoſynas ordinatione ac diſpoſitione, quis Decederet, ſanxêrunt, ut animæ illius conſulturi Epiſcopi ac Sacerdotes ex Defuncti bonis eleemoſynas diſtribuerent, eoque nomine bona illius mobilia ſequeſtrarent, debita creditoribus perſolverent omniaque exquerentur, *eodem modo, quo tenerentur, ſi Teſtamentum feciſſet, executores*, ut habetur in *Statutis* Vilhelmi Regis Scotiæ *c.* 22. §. 3. Cujuſmodi bona hoc modo in eleemoſynam ſequeſtrata, *Eleemoſynam Rationabilem* appellatam eſſe, docet C. du Freſne in hoc voce. Neque fortè alio jure cognitio de Teſtamentis *ad Curiam Chriſtianitatis*, uti vocant, pertinuit; cùm ut eſt apud Matth. Paris A. C. 1190. *rerum, quæ in Teſtamento relinquebantur, diſtributio auctoritate Eccl. fieret.* Vide quæ de Photio Patr. CP. Occidentis Epiſcoporum hunc morem in Orientem invehere quoque conato refert. Anaſtaſ. Bibl. *Præf. ad VIII. Syn.* Cùm verò Epiſcopos ac Sacerdotes in vaſſallorum ſuorum bona manus injicere ægrè ferrent ſeculares domini Eccleſiaſticorum inprimis avaritiâ ac inquitate irritati: id etiam juris ſibi arrogavêre, vario prætextu; Ac primò quidem id ipſum exequendi, quod Epiſcopi ac Sacerdotes, h. e. eleemoſynas faciendi & debita Defuncti perſolvendi: tum etiam eadem bona mobilia ſibi adſcribendi, quòd *inteſtati* haberentur pro βιοθανάτοις, quorum ex uſu & recepta conſuetudine bona mobilia ad dominos pertinebant. Verùm poſtmodum eo proceſſit dominorum rapacitas, ut vaſſallorum ſuorum, qui ſic Deceſſerant, non modò nullam partem bonorum in pios uſus diſtribuerent, ſed ea promiſcuè invaderent, ipſa quoque eorum debita perſolvere renuentes: unde querela Epiſcoporum Angliæ, in *Provinciali* Eccl. Cantuar. *l.* 3. *tit.* 28. in Conc. Lambethenſi A. C. 1261. & Londinenſi A. C. 1342. Medietatem autem aut tertiam bonorum *Inteſtati* mobilium partem iis caſibus interdum domini arrogavêre, uti ex *Uſaticis* Barcionenſibus *MSS.* oſtendit laudatus C. du Freſne. Imò, quaſi inteſtatorum bona primi occupantis eſſent, in ea denique manum injiciebant hoſpites, ſi in eorum Deceſſiſent hoſpitiis, quod vetitum legimus in *Statutis cit.* Vilhelmi Scot. Regis, *c.* 30. §. 3, 4, 5, & 6. Vide quoque Ughellum *Ital. Sacr. Tom.* 1. *p.* 137. & 144. Quòd porrò ſeculares domini in vaſſallos ſuos inteſtatos, idem ſibi dein aſcripſêre Epiſcopi in Clericos ſuæ Diœceſis, atque adeò ipſi ſummi Pontifices in Epiſcopos. Unde de Joh. Archiep. Cremenſi, qui Avenione inteſtatus Deceſſerat, ſic *Hiſt. Ep. Cremenſ.*

Pontifex hic moritur in Avenione,
Et theſaurus rapitur ſub hac ratione,
Quod ſublatus dicitur in inteſtatione,

Plura hanc in rem vide apud ſæpius laudat. C. du Freſne in *Gloſſ.* & *Notis ad Stabilimenta S. Lud.* ut & infrà aliquid, ubi de *Porticana.*

INTESTINARII Artifices, memorati *in l.* 2. *Cod. Theodoſ. de Excuſ. Artif.* qui *inteſtinum opus*, quod ſc. introrſus & in ipſa domo fit, nempe ſub tecto (vide Vitruv. *l.* 4. *c.* 4. *l.* 5. *c.* 2. & *l.* 6. *c.* 8.) faciebant. Pro *ligneo* uſurpatum Budæus putat, eſſeque, quod *minutariam* ſ. *menuiſerie* Galli vocant; cui conſentiunt Barbarus & Philander, qui ad ligneas feneſtras referunt. Bernard. verò Baldus ad lignea laquearia, quibus ſuggrundia ornatûs gratiâ ſuffiguntur, apud C. du Freſne in *Gloſſ.* Salmaſ. *Inteſtinum opus* propriè dicitur, quod è ligno quidem fit, ſed elegantiore fabricâ, & eâ arte, quam λεπτουργίαν Vett. dixêre, hodie *minutariam* Galli appellant, in hoc Budæo aſſentiens. Fuêre autem plurimi artificii hæc opera, Græci, Campani, Siculi. Plin. *l.* 16. *c.* 42. *Firmiſſima in rectum abies, eadem valvarum repagulis, & ad quæcunque libeat inteſtina opera firmiſſima, ſive Græco, ſive Campano, ſive Siculo, fabricæ artis genere ſpectabilis, ramentorum crinibus pampinato ſemper orbe ſe volvens, ad incitatos runcinarum raptus* &c. Nec aliud quàm mediale ligni, ad ea facienda ſumebatur. In iiſdem alciæ ſolùm, runcinæ & planæ locum habebant, non dolabræ, & in ædium tantùm interiore parte, ſita erant, hincque, ad differentiam τῶν ὑπαιθρίων, nomen ſunt nacta. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1034. ubi de abiete, & *p.* 1040. ubi de nuce: de *Inteſtinis* verò animalium, eorumque multiplici functione ac uſu, Voſſ. *de orig. & Progr. Idol. l.* 3. *c.* 21. & *l.* 4. *c.* 41. uti de *Inteſtino farto*, ſuprà in voce *Ferumen*; & de ratione vett. *in Inteſtini, animalium* ſcribendi infrà in voce, *Membranæ.*

INTEXERE, proprium Babylonicorum ſicut *inſuere* Phrygionum. Tertullian. *de Hab. Mul. Age nunc, ſi ab initio rerum & Mileſii oves tonderent & Seres arbores nerent, & Tyrii tingerent & Phryges inſuerent & Babylonii intexerent.* Ubi Phrygum in pingendis veſtibus artificium, & Babyloniorum in pingendis periſtromatis, ita ſeparat, ut Phrygibus *inſuendi* artem, Babyloniis *intexendi*, tribuat. Et ſane Babylonii ſtragulis veſtibus, quas pingebant, diverſos *intexebant* colores: ſed ars tamen hæc eorum pingendi tota acu peragebatur; quam ob cauſam non minus *inſuere* dici poſſent: quemadmodum è contrario *intexere* non minùs de Phrygibus ſ. Phrygionibus dici queat. Nam & hi veſtibus, quas acu pingebant ac variabant, aurum inſuendo, & diverſicoloria fila intexendo, *Plumariorum* ſibi *textorum* nomen vindicârunt. Sed etſi utrique acu uterentur, diverſum tamen Phrygionum & eorum, qui Babylonica variabant, Plumariorum, fuit artificium; quæ cauſa, quòd Tertullian. *intexendi* Artem Babyloniis tanquam propriam, tribuit. Vide infrà, ubi *de Plumariorum Arte ac generibus.* Noto hîc ſaltem, imaginum apud Chriſtianos invaleſcente uſu, non paucos eorum Chriſtum, Apoſtolos, & illorum miracula veſtibus *intexta* hac arte geſſiſſe; contrà quos vide Aſterium Amaſeæ. Ep. *Homil. de Divite & Lazaro p.* 565. & Chryſoſtomum *in Matth. Homil.* 49. ubi ne nominandam quidem propterea Plumariam artem ſancit.

INTHRONISTICUM, dicebatur olim, quod pro conſecratione Ep. ſolvebatur, quodque poſtea tanquam ſimoniacum vetitum eſt: ab *inthronizo*, qua voce utitur Petr. Damian. *Ep.* 9. *Beatus Valerius Ep. dum ſibi providet ſucceſſorem, magnum Auguſtinum Eccl. Hipponenſi inthronizat*, apud Dom. Macr *in Hierol.* Vide quoque ſuprà in voce *Enthroniſticum*, item ubi de *Literis Inthroniſticis.*

INTIAQUACQUI, h. e. *Sol frater*, nomen unius è tribus Solis ſtatuis, quibus ſacra olim fecêre Peruani feſto die, quo Annum ordiri ſolebant. Joh. Hugo Linſchotanus *Hiſt. Ind. Occid.* ſuprà in *Apointi* & *Churiunti.*

INTINCTA, eſt panis *tinctus* in vino, quem utriuſque ſymboli locum in S. Cœna obtinere poſſe, aliquibus perſuaſum. Et quidem ab ægris primùm hæc conſuetudo orta videtur, qui panem ſiccum deglutire non poſſunt, uti de Serapione ſene legimus, apud Euſeb. *Hiſt. Eccl. l.* 6. *c.* 44. Circa A. C. 900. dein etiam ſanis *Intincta* dari cœpit: ac primum in Monaſteriis, uti docent *Inſtituta* Cluniac, *l.* 2. *c.* 35. poſtmodum etiam in paræcias mos receptus, teſte Ivone Carnot. *de Div. Offic.* quo factum, ut Calix tandem populo planè adimeretur, in Conc. Conſtantienſi &c. Sed *Intinctarum* uſum merito improbavit Joh. Micrologus *c.* 10. & ante eum Julius Papa, cujus ad Ægypti Epiſcopos verba hanc in rem egregia. Vide apud Gratian. *Decr. part.* 3. *de Conſecr. Diſt.* 2. *can. Cùm omne*: plura verò apud Voſſ. *Diſput.* 23. *Theſi* 7. *Alioſque.*

INTONSI Vett. Vide infrà ubi de *Tondendi ritu.*

INTRITUM, in *Gloſſis* ἐμβροχὴ, item ἔμβρεχτον, etiam ἔνθρυπτον Græcis: *Intrita* Celſo, pro *Intritione*, ut *remiſſa* pro *remiſſione*, *Intritus cibus* Phædro dicitur, *l.* 1. *Fab.* 26. *v.* 7.

--- intrito cibo
Plenam lagenam poſuit:

& malè moretum vel alliatum in Lexicis exponitur, propriè enim ἐμβροχὴ eſt, ut viſum. *Intrita* ex vino, ex poſca, ex aqua, apud Celſum, panis eſt intritus, & friatus in aquam aut poſcam aut vinum; ἔνθρυπτος ἄρτος etiam Græcis. Ad quam *intriti* ſignificationem quoque, non autem ad moretum aut alliatum moretarium proverbium illud Comici, *Tute intriviſti* &c. trahit Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aurel.* Galli *farciam* vocant iſtud cibi genus. Inde *Intritia*, mortarium è calce & arena, quo parietes farciuntur, in quod addebantur, & fragmina cæmentorum, ut ex Vitruv. & Plin. idem Salmaſ. docet, *ad Solin. p.* 379. Vide quoque ſuprà ubi de *Arcenato*, item in voce *Cæmentum*, & infrà *Materia*, ac *Mortarium.*

INTRODUCTORES, Græcè Εἰσαγωγεῖς dicebantur olim in Sacris Agonibus, per quos in Stadium Athletæ *introducebantur*; memorati Platoni *de LL. l.* 6. Ἱκανὸς δὲ εἷς ἄρχων αὐτοῖς μὴ ἔλαττον τριάκοντα γεγονὼς ἐτῶν, ἱκανὸς δὲ καὶ περὶ μονῳδίαν εἷς μὴ ἔλαττον ἢ τριάκοντα γεγονὼς ἐτῶν, Εἰσαγωγεύς τε εἶναι, καὶ τοῖς ἁμιλλωμένοις ἱκανῶς ἀποδιδούς. *Unus autem ille Princeps ſatis eſt, qui non minùs, quam quadraginta Annos ſit natus. Unum quoque in Monodia* (de qua ibi ſermo) *ſufficere arbitramur, qui non minùs triginta; qui & perſonas in theatrum opportunè introducat, & de certantium virtute certâ ſententiâ conſtituat.* Introducebant nempe hi eos, quorum jam inter Athletas recepta nomina quorumque ſuper meritis multa jam cognitio fuerat: Qui cùm poſtmodum victores à præconibus renuntiati eſſent, eodem modo è certamine educebantur ab illo, qui Γυμναστὴς vocabatur &c. Quam in rem vide plura apud Paſchal. *Coron. l.* 6. *c.* 11. & 12.

INTROITUS, in urbes inſigniores, virorum Principum illuſtriumque ſolennis olim, nec ſine coronis, peragebatur. Et quidem coronis illis tum inſigniebantur, quas in certaminibus publicis demeruiſſent, uti de Callippo legimus apud Plutarch. *Dione*, quem unà cum hoc Syracuſas ingreſſum ait ἐστεφανωμένον. Hujus loco Demaratum Lacedæmonium à Perſarum Rege, ut Sardeis regiam urbem, tiarâ rectâ, i. e. regiâ inſignis ingredi poſſet, petiiſſe ac obtinuiſſe, narrat Suid. in Τιάρα. Porrò Olympionicæ, in patriam invecti, unde Εἰσελαστικοὶ, non per portam, ſed per murorum partem disjectam *introibant*, uti videbimus infrà, ubi de Agonibus *Iſelaſticis*. De Imperatorum verò ſolenni in Urbes ſuas principes introitu, diximus ſuprà, ubi de *Ingrediendi Regnum* more. At *Introitus*, in Eccl. Rom. Antiphona dicitur, quæ à Choro in cornu altaris ſiniſtro canitur, dum Pontifex procedit ad altare; cujus inſtituti auctorem Cæleſtinum I. Pontif. facit Walafridus Strabo *c.* 22. In ritu Ambroſiano *Ingreſſa* vocatur. Et quidem antiquitus in *Introitu* pſalmus integer cantabatur; Sed poſtea, propter populi tædium, detruncatus eſt, ita ut unius pſalmi verſiculus cùm replicatione antiphonæ cani cœperit. Sunt autem *Introitus* miſſarum alii regulares, qui quotidie ex more cantantur; alii irregulares, qui ſecundùm varietates ſolennitatum inſtituti ſunt, ut *Puer natus eſt nobis* &c. Vide Honorium Auguſtod. *in Gemma Animæ l.* 1. *c.* 87. & Durand. *l.* 4. *c.* 5. laudatos C. du Freſne in *Gloſſ.* quibus adde Macros Fratres *in Hierol.* & quæ infrà dicemus in voce *Tropus*. Sed & ſic dicitur, quod à Clericis dignitates vel functiones Eccleſiaſticas adeuntibus, Patronis Eccleſiarum præſtabatur, quodque prohibitum eſt Conc. Vienn A. C. 892. *can.* 4. &. Rothomagenſi A. C. 1074. *can.* 1. Vide eund. C. du Freſne *ibid.* ubi etiam de mercatorum *introitu* in nundinis &c. Apud Græcos; bis, inter miſſarum ſolênnia, per portam mediam & maximam

main in Sanctuarium, quibus id fas eſt, ingrediuntur; è quibus alia dicitur μικρὰ, alia μεγάλη εἴσοδος, *parvus & magnus Introitus*, uti pluribus videre eſt apud Allatium *de Miſſa præſanctif. n.* 7. de la Cerda *Adverſar. ſacr. c.* 97. *n.* 7. Joh. Meurſ. *in Gloſſ.* Alios nec non ſuprà in voce *Deputati* Sed & incarnationem Chriſti, ac adventum B. Virginis in diebus purgationis ſuæ. Εἴσοδον, *Introitum* Græcis appellari, diſcas ex Cl. Suic. in hac voce. *De Introitu Sacerdotis Summi Vet. Teſt.* in *Sanctum Sanctorum*, vide infrà.

INTROITUS Domini N. in templum, nomen feſti, apud Syros, de quo vide aliquid infrà, ubi de *Luminum feſto*.

INTUERGI, Germ. pop. Ptol. Peucerus in Palatinatu eos conſtituit circa Heidelbergam.

INTUS, apud Patres: h. e. poſt Baptiſma Greg. Naz. *Orat.* 40. *in S. Bapt. ſub fin.* ubi Catechumenum inſtituit. *Habes*, inquit *quæ de myſterio* (Fidei noſtræ) *foras exportare, atque ad vulgi aures efferre licet: Cætera intus Trinitate adjuvante* (ſc. poſt Baptiſma) *addiſces, quæ etiam ipſa apud ſeipſum occulta clauſaque habebis, Baptiſmo obſignata atque retenta.* vide Tob. Pfanner. *Syſtem. Theol. Gentil. pur. c.* 1. §. 9. & *hic paſſim.*

INTUBUM, vide ſuprà, *Ambula* & infrà *Picus*.

INVALIDI, Gall. *Invalides*, nomen Noſocomii Regii, Pariſiis in Suburbio S. Germani, fundati A. C. 1669. & extrui cœpti A. C. 1671. magnificentiâ Lud. XIV. hodie feliciter regnantis, in quo Duces militeſque, vulneribus debilitati, truncatique, magnâ curâ impenſiſque foventur ac curantur: uti pluribus habes apud Richelier. in *Dict. Gall. haud pridem edito.*

INVENIMUS, Gaudemus, Græcè Εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν, ſolennia verba exclamantum olim in Sacris Iſidis, invento ſc. Oſiridis corpore. Scholiaſt. Juv. *ad illa Sat* 8. *l.* 3. *v.* 29.

Exclamare libet, populus quod clamat Oſiri.
Invento ---

Populus, inquit, *Ægypti invento Oſiri, dixit:* Εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν. Ita enim Iſidem, inventis Oſiridis membris, exclamâſſe putabant. Athenagoras *Apolog.* Τὴν μὲν τοῦ σίτου σποράν, Ὄσιριν ὄθεν, φασὶ μυστικῶς ἐπὶ τῇ ἀνευρέσει τῶν μελῶν ἢ τῶν καρπῶν ἐπιλεχθῆναι τῇ Ἴσιδι, εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν, vide ubi de *Iſide* & *Oſiride*. Ad Sanctiorem uſum verba transfert Jul. Firmicus Mat. *de Errore profan. Relig. O miſer homo, inveniſſe te neſcio, quid gaudes, cùm animam tuam ex iſtis ſacris per annos ſingulos perdas. Nihil enim invenis niſi ſimulacrum, quod ipſe poſuiſti, niſi, quod iterum aut quæras aut lugeas. Quære potiùs ſpem ſalutis. Et cùm veram viam inveneris, gaude, & tunc erectâ ſermonis libertate proclama,* εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν, *cùm ab his calamitatibus, poſt pœnitentiam tuam ſummi Dei fueris indulgentiâ liberatus*, Archemedis verò εὕρηκα *Inveni*, nemini non notum.

INVENTARIUM, vide ſuprà *Capibrevium*.

INVENTIO S. Crucis, Feſtum Eccl. Rom. quod ad Nonas. Maji celebrari juſſit Fabianus Papa, *Can. Crucis Dom. de conſecr. diſt.* 3. apud C. Macr. *in Hierol.*

INVERSA Corona, non minùs quàm rupta aut lapſa, inter ſacrificandum, infauſtum olim omen, uti de Caſſio refert. Plutarch. *in Bruto*. In funeribus verò etiam inſignia & arma *invertêrunt* Vett. Stat. *Theb. l.* 6. *v.* 214. ubi de funebribus Ludis Archemoro celebratis,

Tunc ſeptem numero turmas (centenus ubique
Urget eques) verſis ducunt inſignibus ipſi
Grajugenæ Reges

De quo more, hodieque uſitato, vide Juſt. Lipſ. *ad Tac. Ann. l.* 2. & 3. Joh. Meurſ. *Comm. ad Lycophr.* Phil. Jac. Mauſſac. *ad Lexic. Harpocrationis*, Joh. Kirchmann. *de Funeribus l.* 2. *c.* 7. Frid. Lindenbrog. *ad Appendic. Virg.* Dion Gothofred. *Nomencl. Seneciano.* Alios, nec non in voce *Inſignia*. De more verò *invertendi panem* perfidiæ ſuſpectis, in Regia menſa infrà in voce *Menſale*.

INVESTITURA, eſt intromiſſio in feudùm, prædium, munus dignitatem noviter acquiſitam. Eſtque vel *Propria* ſ. vera, cùm res ipſa traditur: ut poſſeſſio terræ ſuper ipſam terram, traditione glebæ ab eadem revulſæ; vel *Impropria*, cùm rei nomine, ſymboli quidpiam (quod in Conſtitut. Frid. Imp. de pace, *donum Inveſtituræ* vocatur) inveſtiendo porrigitur; uti gladius, haſta, vexillum, annulus, ſagitta, calcaria, &c. Hadr. Pp. Anglus inveſtivit Henr. II. de dominio Hiberniæ annulo aureo. A. C. 1160. Eduardus III. fil. ſuum primogenitum, de Principatu Walliæ, per ſertum in capite, annulum in digito aureum ac virgam argenteam. *Inveſtitura per annulum & baculum* ſ. virgam, Gall. *per rain & per baſton*, moris antiqui Francorum fuit, in omnibus feudis conferendis: hodie præſertim in Epiſcopatibus & Honoribus Eccl. retinetur, quòd ſub his ſymbolis Car. Mag. conceſſum eſſet ab Hadr. Pp. inveſtiendi Epiſcopos privilegium, ut quidam ſcribunt. vide infrà. *Annulus*, arrha fidei, *baculus*, ſubſidii, quibus domino ſuo tenetur vaſallus. Car. Mag. de quo modò, collatâ dignitate Patriciatûs, etiam datum per ſingulas provincias Archiepiſcopos Epiſcopos inſtituere, utque Pontificem eligeret, & ſedem Apoſtolicam ordinaret, refert Sigon. *l.* 4. *ad* A. C. 774. Hinc Leo Papa ipſi juramentum ſubjectionis ac fidelitatis dixit, ab ipſo *inveſtitus*. Steph. dein & Paſchalis, abs. Lud. Pii Imp. juſſu electi, apud eum ſe purgârunt, A. C. 817. moniti, *ne in poſterum Majeſtatem læderent*, Platina *in vitis*. Hadr. iterum II. ſine conſenſu Lud. II. electus eſt, ægrè id hujus Legatis ferentibus, A. C. 867. Hadr. dein III. legem tulit, ut Pontifex etiam ſine præſentia Regis vel Legatorum ejus conſecretur, A. C. 184. Sigon. *l.* 5. Sed Leo VIII. Othoni Magno jus eligendi Pontifices ac Inveſtituram Cleri reſtituit, A. C. 963. Idem *l.* 7. Hinc & Henr. III. ſchiſmate trium Pontificum ſublato, electionem Pontificis ſibi reſervavit, circa A. C. 1047. Clem. II. in id faſtigii promoto, Idem *l.* 8. Verùm mortuo Henr. in Mantuano Conc. ſtatutum: Papam à ſolis Cardinalibus eligendum eſſe: A. C. 1066. Alex. quoque, ut Greg. VII. edixit, Ne Laicus cujuſcunque dignitatis eſſet, *Inveſtituram* Eccleſiaſtici muneris conferret. Proin Henr. V. cum Paſchali II. ad ſanguinem uſque ob Inveſtituram litigavit, extorſitque A. C. 1111. P. Æmil. *l.* 5. mox tamen, eo digreſſo, in Conc. ſententiam retractavit Pontifex: & quia ſucceſſores quoque ejus propterea moleſti eſſe pergebant, remiſit *Inveſtituram* omnem Ep. Rom. Imp. A. C. 1122. Vide Sigon. *l.* 10. Poſt eum Lotharius Saxo Innoc. II. reducturum ſecum promiſit, ſi ſibi antiquum jus reſtitueret: verùm monitus à Bernhardo, iniquum eſſe quod peteret, & ipſe ceſſit, A. C. 1133. Ab eo tempore crevit Pontificalis apex: & Hadr. Pont. cum Frid. Barbaroſſa, *ob ſtrepam* quoque, & *nomen ejus* ſuo in literis præpoſitum, litigare cœpit; fortiter tamen Imp. renitente: circa A. C. 1158. Helmoldus, *l.* 1. *c.* 81. Morn. *in Myſt. p.* 689. Sigon. *l.* 12. Regibus Saxonum in Anglia competiiſſe quoque Eccleſiarum *Inveſtituras*, luculenter conſtat ex Auctore coætaneo Ingulfo Saxone, *in Croylandiæ ſuæ Hiſt.* Mordicus igitur jus iſtud tenuêre ſuccedentes Reges, ut in eorum vitis copioſè legere eſt. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.* in voce *Homagium*, de Inveſtituræ formulis, *in Traditio & Feſtuca*. Item, Gul. & Joh. Barclajos *contra Bellarminum de poteſtate Papæ, &c.* Cæterum, Symbola illa, per quæ traditiones ac *Inveſtituræ* fiebant, primò erant ſtata & fixa, i. e. legibus vel conſuetudine apud omnes recepta ac uſu definita: ita ut uno eodemque ferè modo poſſeſſionis tranſlationem factam advertere ſit, vel certè res eaſdem in ea adhibitas, quæ poſſeſſionem in alium tranſductam omnino ſignificarent; adeò ut penè eadem apud omnes gentes forma ac formula fuerit. Ea autem potiſſimum adhibuêre Vett. in hujuſmodi traditionum, ſymbolis, quæ affinitatem aliquam haberent cum re donata ceſſave; vel ſaltem quibus dominium in alium tranſlatum ſignificaretur. Sic agri vel prædii *inveſtituram* factam denotaturi, *ceſpitem*, *glebam* aut *Waſonem*, uti loquebantur Saxones, ex ipſo agro deſumptum, in manus illius, cui donabatur, tradebant, quo ſymbolo fundi proprietas prorſùs in ipſum tranſlata innuebatur. Ne verò ſolum tantùm conceſſum videretur, addebatur & *ramus*, quo comprehenderetur ſoli ſuperficies: (i. e. ſi quid ſatum & ædificatum eſſet, ut ſunt vites, arbores, plantæ, ſegetes) Accedebat *feſtuca*, ſ. *baculus*, *fuſtis*, *virgâ* &c. cujus traditione, dominium rei pariter tranſlatum crederetur. Poſtremò etiam quandoque ſuper addebatur *cultelli* ſ. *gladii* traditio, qui poteſtatis ſignum eſt: vel ut indicaretur, eum, qui rei dominium ſubibat, jus habere evertendi, disjiciendi, ſuccidendi, metendi &c. in eo prædio, quod poſſeſſum veniebat. Atque hæc *Inveſtituræ* ſymbola apud omnes ferè recepta fuêre. Sed & aliæ erant præterea Inveſtiturarum formæ uſu ac moribus definitæ ac receptæ: V. g. per *annulum*, *per gladium*, *per vexillum*, *per cambutam*, *per campanæ funem & ejuſmodi*, quæ certum rerum vel dignitatum genus ſpectabat: Denique, quidquid ad manum fuit, nonnunquam adhibitum eſt. Ingulfus *p.* 901. *Conferebantur etiam primò multa prædia nudo verbo, abſque ſcripto vel charta, tantùm cum domini gladio, vel galea, vel cornu, vel cratera, & plurima tenementa cum calcari, cum ſtrigili, cum arcu & nonnulla cum ſagittis.* Quæ ne perirent, aſſervabantur apud Donatarios, in rei memoriam: interdum donationis, ceſſionis, vel venditionis inſtrumento intexebantur, aſſuebantur vel alligabantur; Aliquando etiam, ne furto ſurriperentur, vel perirent, reddebantur inutilia ac frangebantur &c. uti pluribus docet C. du Freſne in *Gloſſ.* è quo etiam iſta ſubnectere viſum eſt.

Varii Inveſtituræ modi ac Symbola, apud Scriptores occurrentia

per *Amphoram* plenam aquæ maris, in *Charta* Othonis III. *Inveſtitura* facta occurrit, apud Ugellum *Ital. Sacræ Tom. IV. p.* 1160.

per *Andelaginem*, vide ſuprà *Andelangus*.

per *Annulum*, majorum præſertim prædiorum ac dignitatum inveſtituræ paſſim factæ.

per *Baculum*, itidem, in *Ann.* Francorum S. Nazarii A. C. 787. ubi de Deſſilone Ducis Bavar.

per *Baculum*, & *Annulum*, Eccleſiarum Inveſtitura facta, vide Juret. *Not. ad Ivonis Carnotenſ. Ep.* 236.

per *Berillum*. vide ſuprà.

per *Bibliothecam* ſ. *Biblia*, in *Charta* A. C. 843. in Tabular. S. Mauri ad Ligerim.

per *Cambutam* Ep. inveſtitur Abbas, apud Orderic. Vital. *l.* 3.

per *Candelabrum*, in Tabular. S. Nicaſii.

Canum venaticorum apprehenſione in Tabular. Caſaur. A. C. 1140.

per *Capellum* Prioris, in Tabular. Monaſterii Longipontis; diœceſ. Pariſ.

per *Capillos*. vide ſuprà.

per *Ceſpitem*, nudè. In *Charta* A. C. 1208. apud Hemereum in *Aug. Viromand.*

per *Chirothecam*, vide ſuprà.

per *Claves* Eccl., in *Charta* Adæ Abbatis S. Dionyſii A. C. 1114.

per *Colonnam*, in Tabular. Caſaur. A. C. 24. Lud. II. Imp.

per *Communionem*, in *Libro Ord.* S. Victoris Pariſ. *MS. c.* 22.

per *Cornu*, vide ſuprà, ut & ubi de *Tranſcornatis*.

per *Coronam*. in Chron. Moiſſiacenſi A. C. 813.

per *Corrigiam*, in Tabular. Deiparæ Santon.

cum *Crocia* Abbatis, in *Charta* Fulconis Com. Andegavenſis A. C. 1092.

per *Cultrum* vel *Cultellum*, in *Chron.* S. Sophiæ Ben. *p.* 718.

per *Cultellum* plicatum, in Tabular. Vindoc. A. C. 1079.

per *Cupam* auream, apud Bodin. *de Rep. l.* 1. *c.* 9. *p.* 130.

per *Denarios*, in Tabular, Majoris Monaſt.
per *Dextrum pollicem*: in Tabular. Eccl. Gratianopolit, ſub Hugone Ep.
per *Eleemoſynariam*, h. e. marſupium, in *Charta* Simonis de Balgentiaco A. C. 1149.
per *Ferulam paſtoralem*, apud Ughellum *Tom*. V. *p*. 403
per *Feſtucam* nodatam &c. apud *Eund*.
per *Folium* nucis in Tabular. S. Hilarii Pictav.
per *Foſſilem*, chartæ inhærentem, apud *Beſlium*.
per *Funes* ſ. *Chordas* campanarum, Epiſcopi & Abbates dignitatibus ſuis inveſtiti leguntur, apud Hariulfum *l*. 4 *c*. 2. Baldric. *l*. 1. alios.
per *Fuſtem* in vet *Placito*, ſub Ludov. Imp. apud Viennam A. C. 912. & loco Feſtucæ.
per *Gladium*, Regna collata leguntur, apud Othonem Friſing. *de Geſtis Frid*. *l*. 2. *c*. 3. Sic per traditionem *Enſis* evaginati, Comitatûs erectio & inveſtitura facta legitur in *Ch*. A.C. 1161. apud Guichenonum in *Prob*. *Hiſt*. *Breſſenſis*.
per *Guazonem*, *andelaginem & ramos*, *de arboribus* in Tabular. Caſaur. A. C. 24. Lud. II. Imp. Item, per *Waſonem* terræ, & per *Fiſtucum* nodatum ſ. *ramo* arborum atque per *cultellum & guantone*, ſimulque *andelagine*, in *Chartis* variis, apud Franc. Mariam in *Mathilde* &c.
per *Haſpam*, ſ. *Oſtium*, in *Formulis Anon*.
per *Haſpam*, apud Ditmarum *l*. 6.
per *Herbam* & *Terram*, i. e. per ceſpitem, qui conſtat *terrâ* & *herbâ*, in *Formulis* incerti Auctoris *c*. 20.
per *Juncum*, in Tabular. Vindoc A. C. 268.
per *Lapidem*, in Tabular. Brivat. A. C. 1262.
per *Lapillum*, in Tabular. S. Flori in Arvernis A. C. 1276.
cum *Libro Regulæ* & cum Regula, in *Chronico* Beſuenſi *p*. 631.
per *Librum*, apud Orderic. Vital. *l*. 5. &c.
per *Librum* Collectarium, apud Perard. *p*. 139.
per *Librum* Miſſalem, in *Charta* Amedei Ep. Lauſannenſis A. C. 1150.
cum *Ligno*, in *Charta* Girardi Ep. Pergamenſis, in *Hiſtoria Pergam*. *Tom*. 3. *p*. 312.
per *Lignum*, in Tabular. Vindocin. A.C. 1077. cujusmodi conceſſiones prom, per obvium quodcunque fruſtulum ligni factæ, *lignea dona* dicuntur, in vett. *Chartis*.
per *Lini* portiunculam, in *Hiſt*. *Durdanenſi* *p*. 38.
per *Lineum*, in Tabular. S. Maxentii in Picton.
per *Mantum*, vide infrà *Mantualis*.
per *Mappulam*, in *Chron*. Farrenſis Mon. *p*. 661. Gall. *Mouchoir*.
per *Martyrologium*, in *Hiſt*. Monaſterii S. Nicolai Andegav. *p*. 87.
per *Nodum*, in Tabular. S. Severini Burdigal.
per *Notulas*, in *Charta* Phil. Regis Franc. A. C. 1317. apud Argentræum *Hiſt*. *Armoric*. *l*. 5. *c*. 34.
per *Oſtium* domus & per *haſpam* (Angl. *haſpe*) vel *annulum*, apud Bracton. *l*. 2. *c*. 18. § 2. Sic per *Feſtucam* & *Guazonem* & *Andelaginem* & per *Ramos* de arboribus & per *Oſtium* domorum, in Tabular. Caſaur. A. C. 951.
per *Palam* ſ. *Pallam* è ſerico, apud Orderic. Vital. *l*. 3.
per *Pallium* ſ. *Pallam*, in *Vita* S. Virg. Ep. Salzburg. *c*. 16.
per *Panem* & Librum, in *Charta* Henr. Abb. S. Mariæ Srampenſis, ex Tabular. Prioratûs S. Martini de Campis.
per *Pannum* Sericum, unde facta eſt caſula, in *Monaſtico* Anglic. *Tom*. I. *p*. 527.
cum *Panna* & *Calamario*, inveſtiti Tabelliones, in *Conſtit*. Ruperti Imp. A. C. 1401. apud Goldaſt. *Tom*. I. *p*. 382. Vide quoque Rollandin. *in Summa Notariæ c*. 5. *ſub fin*.
per *Pergamenum*, in *Charta* Vilhelmi Ducis Aquitaniæ, ex Tabular. Angeriacenſi: & in Charta Almerici de Ranconia, apud Beſlium, *p*. 492. Vide infrà *pergamenum*.
cum duobus *Phylacteriis*, in Tabular. Monaſterii Longipontis, in Diœc. Pariſ,
per *Pileum*, inveſtivit Henricum Imp. de Regno Angliæ Richardus Rex captivus, quod ſtatim reddit ei Imp. & inveſtivit eum *per duplicem crucem de auro*, apud Roger. Hoveden. *p*. 724. Per *Virgam* & *Pileum* Joh. Lancaſtr. factus eſt Dux Aquitaniæ, apud Th. Walſingham. *p*. 343.
per *Piſces*, in Tabular. Majoris Mon.
per *Pollicem*, in *Charta* A. C. 1097. in *Hiſt*. *Sabaud*. Vide ſuprà *per Dextrum pollicem*.
cum *Ramo* & *guaſone* vel *Waſone*, i. e. ceſpite, apud Malbrancum de *Morin*. *l*. 10. *c*. 12.
per *Ramum* & *Ceſpitem*, paſſim: inſigebantur autem rami ceſpiti ipſi, idque hoc modo. Apud Flandros, cùm fundus donatur vel venditur, prior dominus ceſpitem ex illo fundo fodicat cultro, non quadratum ſed orbiculatum, latum undique digitos ſummum 4. cui, ſi pratum eſt, infigit herbam: ſi ager, ramuſculum 4. circiter digitos altum, eumque tradit in manus domini ſ. Majoris, qui acceptum ceſpitem cum ſua feſtuca tradit emptori vel donatario, non ſine certa verborum utrinque formula. Atque hoc eſt quod Galli vocant, *par Rain & Baſton*.
cum *Regula*, in Tabular. Vindocin &c. Vide quoque ſuprà *cum Libro Regulæ*.
per *Sceptrum*, apud Fauſtum in *V. S.* Mauri Abbatis, ubi de Theodeberto I. Vide quoque Othonem Friſingenſem *l*. 7. *c*. 16.
per *Scyphum*, apud Simonem Dunelm. *de Eccl. Dun*. *l*. 3. *c*. 14.
per *Spathæ* capulum, in Tabular. Vindocin. 277. Sic *per Spatham Regno reveſtire*, occurrit in *Ann*. Bertinianis A. C. 877. Vide ſuprà *per Gladium*.
per herbam & *Terram*, vide ſuprà per *Herbam*.
per *Textum Euangelii*, in vet. Codice, apud Selden. *ad Eadmerum p*. 144. Vide quoque Orderic. Vital. *l*. 5. *Chronicon* Beſuenſe. *p*. 610. & 616. &c.
cum *Veru*, h. e. ſude lignea, ut exponit C. du Freſne, in *Charta* Garneri de Triangulo, in Tabular. Abbatiæ de Longoponte & Majoris Monaſterii.
per *Vexillum*, provincias à Principe tradi vel recipi, ſicut Regna per *Gladium*, refert Otho Friſingenſis, *de Geſtis Frid*. *l*. 2. *c*. 5. Vide quoque Falconem Benev. *p*. 238. ubi de Rogerio Siculo, Viguet. *in Hiſt*. *Alſatenſi* *p*. 143. *Chartam* Phil. II. Reg. Rom. A. C. 1207. Dithmarum *l*. 6. Gul. Tyrium *l*. 12. *c*. 4. Guntherum Ligurin. *l*. 1 & *l*. 5. Alioſque, ut & C. du Freſne *Diſſertat*. 9. *ad Joinvillam*.
per *Virgam* vel *Virgulam*, in *Charta* A. C. 1120. in Tabular. Monaſterii Fontis Ebraldi, apud Acherium *in Not. ad Gibertum* &c. Vide quoque ſuprà, ubi de Inveſtitura *per Baculum*.
per *Virgam & Pileum*, de Ducatu Aquitaniæ inveſtitus legitur Joh. Lancaſtriæ Dux, apud Thom. Walſingham, *p*. 343. Vide quoque ſuprà, *per Ferulam*, *per Feſtucam* &c.
per *Zonam*, in *Charta* Fundationis S. Petri Generenſis: de quibus omnibus plura apud C. du Freſne laudatum.

INUI *Caſtrum*, vide *Caſtrum Inus*.

INVICTUS, Græcè Ἀνίκητος, à Commodo Imp. nominatus eſt menſis October, ut Lamprid. ſcribit, Februarius, uti Dio refert, vide Salmaſ. *ad Lamprid*. Idem ſolenne eſſe Imperatorum elogium, docet ad *Epigr*. 6. *l*. 7. Mart. cujus Epigraphe eſt, de famâ reditûs *Domitiani*, verſus hos;

Rurſus, io magnos clamat tibi Roma triumphos,
Invictuſque *tua, Cæſar, in urbe ſonas*:

Clar. Raderus.

INVIDIA, Dea à priſcis Ethnicis eſt habita: Græci hanc maſculam finxêrunt, quippe quam hominis effige malè habiti, & ex morbo nondum planè convaleſcentis effingunt. Antiqui *Invidiam* anguillâ deſignabant, quando eâ feratur eſſe naturâ anguilla, ut omnibus piſcibus invideat, ut *Contumeliam* perdice, quæ ſit contumelioſa valdè. In fam. Plutonis eſt, teſte Virg. *Eclog*. 7. *v*. 26. Georg. *l*. 3. *v*. 37. Æn. *l*. 2. *v*. 90. *l*. 4. *v*. 350. & *l*. XI. *v*. 337. Ejus inſiguem deſcriptionem exhibet Ovid. *Met*. *l*. 2. Vide & Balduini *Iconol*. ubi ei præter maciem, oculi reconditi, colubri loco crinium, in altera manu tres angues, in altera Hydra ſepticeps tribuitur. Ejus verò ut & Rhamnuſiæ, aſpectus noxius eſſe rebus ultra modum proſperitatis evectis, credebatur. Quare averſabantur eam & amandabant, uti apud Ariſtænetum legimus, [illegible] κτλ. Imò & auditum ejus lenibus verbis placabant, ne noceret ſuam fortunam celebrantibus Auſ. *Idyll*. 8. præcatio *v*. 40. & ſeqq.

Ecce ubi ſe cumulat mea purpura (mitibus audi
Auribus hoc Nemeſis) poſt me dignatur ovari
Auguſtus Conſul ---

Optabantque prom, ne quid nimis placeret. Mart. *l*. 6. *Epigr*. 29: cujus Epigraphe ad Nepotem.

Immodicis brevis eſt ætas, & rara ſenectus,
Quidquid amas, cupias non placuiſſe nimis.

Inſuper præfatione hac excipiebant *Invidiam*, *Fas mihi ſit* &c. qua de re vide Caſp. Barthium *Animadv. ad Stat*. *paſſim*, & hic in vocibus *Fat. ſit Fortuna, gloria, Hortus Læta, Nemeſis Rhamnuſia, Satyrica ſigna*.

INVISERE & *Viſere myſteria*, Latinis Scriptoribus paſſim eſt ſimpliciter μυεῖσθαι, h. e. *initiari* Sacris Eleuſiniis. Non rarò enim ἐποπτεύειν cum μυεῖσθαι confundunt Auctores, inter quos Tertullianus *adv. Valentin*. *Epoptas* vocat, qui *Myſta* tantum erant, & Seneca, cùm ait, *Eleuſina ſervat, quod oſtendat reviſentibus*: *reviſentes* vocat τοὺς δεύτερον ἐποπτεύοντας, quaſi prima & ſecunda ἐποπτεία diceretur. Aliàs ἐποπτεία proprie ſecunda initiatio fuit, quæ [illegible] poſt quinquennium communiter ſecuta eſt. Sicut autem vocabula hæc, ita & utriuſque initiationis tempora, in unum nonnunquam confuſa ſunt. Sic enim Hadrianus Imp. ſemel ſacris illis initiatus, quidquid habuêrunt illa ſecreti arcanique, ſimul percepit, ut & Marcus Antonius, aliique Principes, qui ſibi hunc honorem deferri voluêre, ut non diverſis vicibus initia ſuſciperent & in ſacrarium intimum admitterentur, ſed uno eodemque tempore utriſque participarent, [illegible]. Id quod jam olim Demetrio ab Athenienſibus erat indultum. Vide Salmaſ. *ad Spartian. in Vita Hadr*. & ubi de *Eleuſiniis Sacris*.

INVITATOR & Vocator, apud Rom. Servi erant Tricliniares, appellationem ex munere ſortiti: quorum meminit Athen. *l*. *c*. illius Mart. *l*. 9. *Epigr*. 93. *v*. 2. Cujus Epigraphe adulatur Domitiano & antiqua Rom. Inſcr. *Agathopus Augg. Lib. Invitator*. Plin. *l*. 35. *c*. 10. *Indignantique Ptolomæo & Vocatores ſuos oſtendenti, ut diceret; à quo eorum invitatus eſſet*, Amn. Marcell. *l*. 14. *c*. 26. *Et Nomenclatores aſſueti hæc & talia venditare mercede accepta lucris quoſdam & prandiis inſerunt ſubdititios, ignobiles & obſcuros*. Ubi notandi nomenclatores è campo in triclinium vocati, quos Athen. *l*. 2. Ὀνομακλήτορας & Δειπνοκλήτορας appellat: ac videntur eſſe Δειπνοκλήτορες Artemidoro. *Invitatores* expreſſit Chriſtus Dominus apud Matth. *c*. 22. *v*. 3. & Luc. *c*. 14. *v*. 8. Deſcripſit autem Seneca *Ep*. 47. *Alius cui convivarum cenſura permiſſa eſt, perſtat infelix & expectat, quod adulatio & intemperantia aut gulæ aut linguæ, revocet in craſtinum*. Et ab hac forte opera ſervum *Calatorem*, appellat Plaut. *in Rud*. Act. 2. Sc. 3. *v*. 5. ubi tamen Lambinus à Feſto non diſcedit. Vide L. Pign. *Comm. de Serv*. *p*. 144, 145. & 146. & infrà *vocator*.

INVITATORIANUS, apud Ciſtercienſes Monachos in Eccl. Rom. dicitur, cui intonandi in Choro officium commiſſum eſt: qui ſi forte abſit, ejus vices *Subinvitatorianus* ſupplet, Dom. Macer *in Hierol*. Et *Invitatorium*, dicitur ibid. Antiphona, quæ replicatur ad Pſalmum, *Venite exultemus*, quâ invitatur populus ad Deum adorandum. In Officio Mozarabico, vocatur *Sonus*, in *Regulis* Monaſt. *Verſus aperitionis* ſive *Reſponſorium hortationis*, in nonnullis *Cerimonialibus* pervetuſtis *Antiphona Invitatoria*. Omittitur autem in triduo Hebdomadis majoris, inque Feſto Epiphaniæ, ne ſimul cum Judæis, qui in paſſione illudentes Dominum venerabantur, Chriſtus tum adoretur. *Invitatorium* in Converſione Pauli quod incipit *Laudemus Deum noſtrum in converſione* &c. ab Hermanno Contracto compoſitum eſt. Idem *ibid*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

INULA, vide infrà *Siſer.*

INUNCATIO, vide infrà *Unci.*

INUNCTIO infirmorum memorata Jacobo *c.* 5. *v.* 14. Ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν; προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς Ἐκκλησίας, καὶ προσευξάσθωσαν ἐπ᾽ αὐτὸν, ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου &c. *Infirmatur aliquis inter vos accerſat Presbyteros Eccleſiæ & orent pro eo; ungentes eum, oleo in nomine Domini* &c. ritus fuit in Vet. Eccl. uſitatus, adhibituſque ægrotis morti proximis, de quo vide aliquid infrà ubi de *Moribundis* it. Oleo.

INUNDATIO, Solino *eliquium irrumpentis Oceani*, *c.* 18. Græcè διυλισμὸς, quòd maria ex Oceano arctis faucibus terras intrantia quaſi eliquentur & colentur, aliàs ἀνάχυσις τῆς θαλάττης, propriè enim de mari, inde de grandioribus fluviis: agrorum terminos non rarò confundit. Unde apud Strab. legimus, *l.* 16. *p.* 740. 741. & 742. Ægyptiis *opus fuiſſe exactâ & ſubtili diviſione agrorum, eo quod Nilus per incrementa ſua addens minuens, faciemque ac ſigna immutans, confundat terminos, quibus ſuum atque alienum alibi internoſcitur, ideoque & repeti ſæpe dimenſionem conſueviſſe*: qua de re, vide Hug. Grot. *de Jure Belli & Pacis l.* 2. *c.* 8. §. 8. & *ſeqq.* Ac proin, uti adversùs incendia excubias nocturnas vigiliaſque commentus eſt Aug. Suet. in eo *c.* 30. *ad coërcendas inundationes, alveum Tiberis laxavit. ac repurgavit completum olim ruderibus & ædificiorum prolapſionibus, coarctatum.* In Hollandia & vicinis regionibus ubi ſolum depreſſum, amnes magni, mare vicinum, ab aggeribus immenſi operis *inundationibus* aliquod remedium eſt. Unde, inter alia Amſtelodami viſenda, *cataractas maris fluminumque repagula, & cùm res exigit, emiſſaria, quibus Oceano catenas injiciat & obices ponat vis ſolertiaque mortalium*, memorat C. Barlæus in *Medicea &c.* De occaſione Geometriæ excolendæ, orta ex Nili *inundatione*, vide aliquid infrà *Radius*, it. ubi de *Geometria.*

INVOCATIO Numinis, vide infrà ubi de *Precibus.*

INVOLUCRIS, cogn. Victoriæ, apud Pauſ. *in Attic.* ex verſione Amaſæi, qui Græcam vocem ἄπτερον ſic reddidit; culta eſt Athenis habuitque fanum in Acropoli, prope murum, è quo Ægeus, filium Theſeum mortuum arbitratus, in expeditione contrà Minotaurum, in præceps ſe dedit, ut diximus in eo. Viſitur id hodieque, & Turcis pro receptaculo pyrii pulveris inſervit. Exactam ejus deſcriptionem habes, apud Jac. Spon. *Itin. Part.* 2. *p.* 137.

INUSSUS, urbs Ægypti prope Caſium montem. *Steph.*

INUTRIUM, opp. olim Vindeliciæ, nunc pagus Bavariæ. *Mittenwald* teſte Aventino, Oenipontem versùs.

INVULNERABILES Magicis artibus, vide infrà *Vulnus.*

INVULTATIO, incantationis genus, de quo dicemus infrà in voce *Vultus*,

INUUS, apud Auctorem vet. *de org. Urbis Romæ*, in vetuſtiſſimis libris Livii *Inuus* ἀρχαϊκῶς, Græcis Ἐφιάλτης, idem cum Pane. Artemid. Ἐφιάλτης, ὃς τῷ Πανὶ αὐτὸς δοκεῖ εἶναι, *Ephialtes, qui cum Pane idem videtur eſſe.* Ab *ineundo* paſſim cum omnibus animalibus, Gouldmannus *in Lex.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 415. Auctor præfatus cum Fauno quoque & Sylvano eund. facit, & notus puerperarum ab his metus, de quo infrà. Sed alii hoſce diſtinguunt, ut videbimus ſuo loco. Arnob. ſic de illo *l.* 2. *Armentorum & pecorum gregibus Pales præſunt* Inicuſque *cuſtodes.*

INYCUS, Siciliæ urbs. Pauſ. *Longobardo*, teſte Fazello. De nomine Bochart. Ad Hypſæ oſtium erat *Inycus*, ubi ante Trojana tempora fertur Cocalus Rex Sicanorum regni ſedem habuiſſe, vide Steph. in Κάμικος. A vini præſtantia multum commendatur *Inycum*, vel ut alii, Ἴνυκον. Steph. Ἴνυκον, πόλις Σικελίας, &c. ἀφ᾽ οὗ Ἰνυκῖνος οἶνος. Heſych. Ἰνυκῖνος οἶνος, ἀπὸ Ἰνύκου τῆς Σικελίας, ἔστι δὲ πολίχνιον εὔοινον. Proinde *Inyco* nomen à præſtantia יניקות *jenicoth*, vel quod idem eſt יונקות *jonicoth*, h. e. *propaginum.* Fortè *Inicum*, opp. Siciliæ, ad oſtia Crimiſſi fluv. è regione Selinuntis, 20. circiter mill. à Mazara in Or. *Brietius.*

INYNIA, Heſych. Ἰνύνια, ἑορτὴ ἐν Λήμνῳ.

INZAPATI, à calceamentis apertis, quæ Hiſpanis *Sapados* appellantur, dicti ſunt, qui aliàs *Arnaldiſtæ*, *Paßagieri*, *Patarini*, *Pauperes de Lugduno* &c. C. du Freſne in *Gloſſ.*

JO, filia Inachi fluvii, à Jove adamata, Epaphi ex illo mater, quam ob interventum Junonis, ne agnoſceretur, Jupiter in juvencam transformavit: Juno tamen ſuſpicata id quod res erat, vaccam eam à Jove ſibi dono dari poſtulavit: quam cum accepiſſet, appoſuit ei cuſtodem Argum centoculum, à quo cùm moleſtiſſimâ cuſtodiâ premeretur, agrè id ferens Jupiter, per Mercurium eum interficiendum curavit. Quamobrem indignata Juno, œſtrum pellici immiſit, cujus aculeis exagitata in Ægyptum uſque fugit; ubi implorato Jovis auxilio, priſtinam formam recuperavit, Regique Oſiridi nupſit, Ægyptiiſque omnibus adeò chara fuit, ut poſt mortem pro Dea habita ſit, quam illi *Iſidem* vocârunt. Nomen ſuum in arena pede ſcripſiſſe, ſicque à Patre agnitam referunt, Ovid. *Met. l.* 1. *v.* 584. & 628. Pauſ. *in* Cor. Val. Flacc. *Argon. l.* 7. *v.* 111.

> *Qualis ubi extremas Jo vaga ſentit arenas,*
> *Fertque refertque pedem, tumido quam cogit Erinnys*
> *Ire mari, Phariæque vocant trans æquora matres.*

Dionyſ. ubi de Boſphoro Thracio.

> ----- Ἦν ποτὲ Ἰὼ
> Ἥρης ἐννεσίῃσιν ἐνήξατο πόρτις ἐοῦσα.

Nonnus Dionyſ. *l.* 1.

> Ζεὺς ἀνὰ πόρτις ἐοῦσα κερασφόρος ἠμέρθη Ἰώ.

Idem plenius *l.* 3.

> Ταυροφυὴς ὅτε πόρτις ἀμειβομένοιο προσώπου
> Εἰς ἀγέλην ἄγραυλος ἐλαύνετο [illegible] Ἰώ.
> Καὶ δαμάλης ἄγρυπνον ἐθήμονα [illegible] Ἥρη,
> Ποικίλον ἀπλανέεσσι κεκασμένον Ἄργον ὀπωπαῖς.
> Γυροδόρῳ ἣ μύωπι χαμαιστιβὲς [illegible] Ἰώ,
> Ἰονίης ἁλὸς οἶδμα [illegible]
> Ἤλυθε δ᾽ εἰς Αἴγυπτον, [illegible] μορφὴν
> Δαιμονίης [illegible]
> Ἔσκε Θεὰ φερέκαρπος. -----

Lycophron *in Caſſandra*,

> Οἱ τὴν βοῶπιν ταυροπάρθενον κόρην.

Sophocles *in Electra*,

> Τῆς οἰστροπλῆγος ἄλσος Ἰνάχου κόρης.

Euripid. *in Phœniſſis*,

> ----- Κοινὰ τέκνα τῆς κερασφόρου
> Πέφυκεν Ἰοῦς. -----

Æſchyl. *in Prometheo Vincto*,

> Κλύεις φθέγμα τᾶς βούκερω παρθένου.

Idem eam οἰστροδίνητον κόρην, & alibi δύσπλανον παρθένον, καὶ πολύπλαγκτον Nic. Lloyd. Nempe Inachi filiam fuiſſe, tradit Caſtor, Deiotari Regis nepos, opere illo, quod χρονικὰ ἀγνοήματα, *Errores ex inſcitia temporum ortos*, inſcripſit apud Apollod. Primus autem hic Inachus quædam futuri Argivorum regni fundamenta jecit, mox plenius poteſtatem habuit, ejus ex Meliſſa fil. Phoroneus; unde *primus mortalium regnaſſe* dictus Hygino. *fab.* 143. ubi etiam primum omnium Sacra Junoni feciſſe, tradit. Ei ſucceſſit fil. Apis, (non Ægyptius ille, ſed Argivus, qui ambo malè à plurimis confunduntur) atque hunc Jovem Argivum fuiſſe putat Voſſ. qui cum Niobe, Phoronei filia, rem habuiſſe dicitur, quippe non alienum à moribus Apis fuerit, violare ſororem. Nioben autem iſtam Apis hujus Sicyonii ſ. Argivi fuiſſe, ſatis convenit; non quidem Phrygiam illam, Tantali filiam & Amphionis uxorem, ſed Argivam, Phoroneo ut ex Hygino diſcimus prognatam. Ex hoc concubitu natus Argus I. unde Peloponneſi *Argos*, Apem excepit in regno; maritus Euadnes, & ex eo pater Jaſi, Pranthi, Epidauri & Criaſi: E quibus Jaſus Agenorem genuit, cujus fil. Argus II. Jaſum ſuſcepit, quo *Jo* quibuſdam nata eſt, contrà quam ſenſiſſe Caſtorem vidimus: cujus ſententia ſi obtinet, verum non eſſet, quod Apollod. dixit, primam mortalium quam Jupiter attigerat fuiſſe Nibon; quippe hæc Phoronei filia Inachi neptis fuit: at ſi *Jo* fuerit Inachi filia, dicendum ſit Phoronei ſororem, Nioboes fuiſſe amitam. Quam difficultatem Voſſ. invitus recedens à Caſtore, quo nemo videtur exactiùs tempora diſtinxiſſe, ſic explicat, ut dicat geminam fuiſſe *Jo*, priorem Inachi, alteram Jaſi filiam. Prior illa aliter *Callithoe* vocata prima Junonis Argivæ ſacerdos fuit ut Theo *in Aratum* ſcribit; item Heſych. apud quem Scalig. pro Καλλιθύεσσα legit Καλλιθύη, uti & apud Euſeb. pro *Callirrhoe.* Quod ſi itaque *Jo* non Jaſi ſed Inachi intelligenda, idem credit Voſſ. Jovem qui Nioben, etiam *Jo*, violâſſe, ut qui ſorori primò, dein amitæ, pudicitiæ illuſerit. Eo autem minùs filia Inachi cum filia Jaſi confundenda eſt, quia inter eas ducentorum circiter Annorum eſt intervallum: quippe Niobe fuerit tritavia *Jûs*, Jaſo genitæ. Cæterùm *Jo* hæc primùm poſtulato Junonis; h. e. Reginæ (ſi Inachi iſta filia Apidis uxor fuit) tradita eſt Argo, vigilantiſſimo homini, cuſtodienda: quo interempto à Mercurio h. e. oratore, aut nuntio, aut ſatellite regio, in varias illa terras mari profugit; Navis ταυρόμορφον erat bos, unde ejus in bovem verſæ commentum, quemadmodùm commodè expoſuit Lutatius, Statii Interpres. Tandem in Ægyptum appulſa, Epaphum ibi peperit; qui cùm Memphim duxiſſet, Ægyptii Regis filiam, urbem condidit eamque uxoris nomine inſignivit. Ex Epapho Libya nata eſt, è qua & Neptuno h. e. Principe ſive Regulo Inſulari, cujus verum nomen vetuſtas delevit, nati ſunt Agenor & Belus: quorum ille profectus in terram Canaan, ſedes ibi fixit & ſucceſſorem habuit filium Phœnicem, unde Phœnicia; alterum Camum, in Bœotiam miſit, ubi Thebas condidit: Iſte verò, in Ægypto remanſit, pater Ægei & Danai, quorum hic quinquaginta filiabus, iſte totidem filiis fuit nobilis, &c. Plura de *Jûs* poteſtate, aliiſque huc pertinentibus, vide apud Voſſ. *de Idol. l.* 1. *c.* 14. Adde Marſham. *Canone Chron. Sec. I.* ubi comparatione inſtitutâ, quæ de *Jone* Græci fabulantur, eadem ferè de Iſide ejuſque erroribus Ægyptios, & de Aſtarte Phœnices, fingere, ex Herod. Plutarch. Euſeb. aliiſque docet.

JO Pæan, vetus exclamatio, proſperitatis vel victoriæ indicium; propriè auxilium petentis, urgentiſque: quæ poſtea mutata videtur, in Ἰὲ Παιὰν. Ita enim Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 17. *Hanc vocem, i. e.* Ἰὲ Παιὰν, *confirmaſſe fertur Oraculum Delphicum Athenienſibus petentibus opem Dei adverſus Amazonas, Theſeo regnante. Namque inituros bellum juſſit his ipſis verbis ſemetipſum auxiliatorem invocari hortarique.* Factum autem eſt *Jô*, contractè ex *Jao*: quod, ut & *Jo*, Græci mutuarunt ex Hebræo *Jehova*, quemadmodum & *Pæan*, ex Hebr. פנה *reſpexit*, ortum: unde idem valet Græcis *Jô Pæan*, quod Hebræis *Jehova Penoh*, i. e. *Dominus reſpiciat in nos.* Miro Satanæ æſtu, qui ita Deo honorem raptum ſibi vindicare omni ope eſt anniſus. Reliquiæ hujus exclamationis hodieque ſuperſunt, apud Symerones, Occidentalis Indiæ populos, qui in choreis aliiſque lætitiæ exercitamentis, *Yô Peho* ſubinde exclamant. Vide Franc. Drake, & Franc. Roſſæum *Archæol. Attic.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Attic. l. 2. *c.* 2. Repetebatur autem illud *Jô Pæan millies*, *more priſco*, ut ait Gloſſographus antiquus, In multitudine enim nominum Deorum veneratio & æſtimatio vertebatur: unde πολὺ ὄνομα, *multum nomen*, in Apolline ſuo, inter cætera laudat Callimach. Et apud eund. πολυωνυμίην, quod idem, Diana à Jove petit: Videtur id hodieque in *Hymnis* ſuperſtitibus, præcipue *Indigitamentis Orphei*, quæ Scalig. Latio dedit. At βααλ-ὀνομαζειν Dominus noſter vocat, vide infra in voce *Litania*, Cæterum utitur in lætitiæ triumphalis ſenſu voce Mart. *l.* 7. *Epigr.* 15. ad Domitianum,

Rurſus, Jô, magnos clamat tibi Roma triumphos.

Et Tibull. *l.* 2. *Eleg.* 5. *v.* 122.

Ipſe gerens laurus, lauro devinctus agreſti,
Miles Jô magnâ voce triumphe canam.

Ad alios inde translatâ uſus. Namque & irridentis nonnunquam, & dolentis eſt. Etiam vocantis, & plauſum captantis. Idem Mart. *l.* 5. *Epigr.* 26. cujus epigraphe de Chæreſtrato *v.* 3.

Ecquis, Jô, revocat, diſcedentemque reducit?
Ecquis, Jô, largas pandit amicus opes?

Vide quoque ſupra IE.

JOAB, Zuri & Zarviæ fil. Dux exercituum Davidis, ſtrenuus & felix, Abnero & Amaſâ perfide occiſis, rerum geſtarum gloriam obſcuravit, Salomonis juſſu viciſſim occiſus. 2. Reg. *c.* 2. *v.* 13. Pater Abiſai. 1. Sam. *c.* 26. *v.* 6. Fil. Sarajæ. 1. Par. *c.* 2. *v.* 16. & *c.* 4. *v.* 14. Joſeph *Antiqq. l.* 7. Lat. *paternitas*, vel *habens patrem*, aut *voluntarius*.

JOACHAZ. fil. Jehu, Regis Iſrael, patri ſucceſſit, A. M. 3179. Majorum idololatriam imitatus, Hazaëlem & Benhadabum, Syriæ Reges, infeſtos habuit: à quibus, Dei ope imploratâ, an per Joam fil. an per Jeroboamum nepotem, an per Elizeum Prophetam? liberatus eſt. Obiit A. M. 3195. 2. Reg. *c.* 10. *v.* 35. 2. Par *c.* 21. *v.* 17. Joſeph. *Antiqq. l.* 9. *c.* 9.

JOACHAZ, i. e. *Domini apprehenſio*, ſ. *poſſeſſio*, aut *Dominus videns*, Sallum & Jechonias Jeremiæ, fil. Joſiæ Regis Judæ. Poſt patris mortem, regnum, primogenito Eliakimo debitum, invaſit, ſed à Nechaone Ægypti Rege captus, præ mœrore Obiit. 2. Reg. *c.* 23. *v.* 34. Joſeph. *Antiqq. l.* 28. *c.* 6. Torniel. *Ann.*

JOACHAZ, pater Joha, qui à commentariis erat Joſiæ Regi. Lat. *apprehendens*, *poſſidens*, aut *videns*.

JOACHIM, fil. Joſiæ Regis, prius *Eliakim*, à Nechaone Ægypt. in thronum evectûs, licet plures ſub illo Prophetæ, nihilominus in deteriora nitens, fide Chaldæis fractâ, ab illis inſepultus abjectus eſt. 2. Reg. *c.* 23. *v.* 34. Joſeph. *Antiqq. l.* 10. Comm. *in libb. Regum*. Lat. *Domini reſurrectio*, vel *confirmatio*.

JOACHIM, fil. Eliacim. 2. Reg. *c.* 24. *v.* 7. Lat. *præparatio*, vel *firmitas Domini*. Vide *Jechonias*.

JOACHIM, nomen viri. Nehem. *c.* 12. *v.* 10. Lat. *reſurgens*, *confirmans*, vel *vindicans*: Item pater B. Virginis, Niceph. *Hiſt. l.* 2. *c.* 3. Joh. Damaſcenus, *Epiphan.*

Electores Brandenburgici.

JOACHIMUS I. cogn. *Neſtor*, fil. Joh. Elect. Brandeburgici, Princeps doctus, & lingg. Latinæ inprimis, Hiſtoriæ & Aſtrologiæ peritus, & hinc Franciſci I. Gall. Regis & Leonis X. Pont. amicus, patri ſucceſſit, A. C. 1499. Academiam Francofurtenſem, ex paterno teſtam. unà cum fratre Alberto Archiep. Magdeburgenſi & Moguntino introduxit. A. C. 1506. Marchiam novam hæreditariam obtinuit, A. C. 1517. Rupinenſem Comit. morte Wichmanni ultimi A. C. 1524. crevit: cum Pomeranis ſtabile pactum iniit A. C. 1528. Lutherum à confeſſione, in Comitiis Wormatienſibus, unà cum Archiep. Trevirenſi dimovere tentans, Gamalielis reſponſo dimiſſus, neque parum offenſus eſt. Unde à religione alienior, Obiit A. C. 1535. Ei ſucceſſit.

JOACHIMUS II. fil. ex Eliſabetha Danica, quam, quòd Evangelium agnoviſſet, cuſtodiæ mandaturus erat maritus, ni ad avunculos Saxones confugiſſet. Hic Alberti patrui curâ, in literis à Funccio informatus, contra Turcas A. C. 1532. egregiè rem geſſit, ab Imp. proin equeſtri cingulo donatus. Patris ſucceſſor Evangelio nomen dedit, poſtea A. C. 1542. Imperialis exercitus adverſus Turcas Dux Spiræ declaratus, ditiones Ferdinandi à Turcica impreſſione ſervavit. Bello Smalcaldico A. C. 1546. Cæſaris partes ſecutus, nihilominus reconciliationi Saxonis & Haſſi poſteà ſtuduit: In negotio Interimiſtico obtinuit à Cæſare confirmationem propriæ apud ſuos paulo antè promulgatæ confeſſionis: quæ in Conc. Tridentino acta, vide Thuan, *l.* 7. Ducatum Croſnæ ab Imp. Ferd. pleno jure habendum obtinuit, ut & à Sigiſmundo Aug. Rege Poloniæ A. C. 1569. ſi agnati in Boruſſia extinguerentur, illorum ſucceſſionem. Deceſſit A. C. 1571. accepto à Lippoldo Judæo toxico. Fuit naturâ eloquens, & dicitur multas res, mortes inprimis ſuorum, ſecretâ impulſione prænoviſſe. Vide Thuan. *l.* 50. Ei ſucceſſit fil. Joh. Georgius, (qui ſumpto à Lippoldo venefico ſupplicio, Judæos totâ Marchiâ ejecit, communis pater omnium hodie ex gente Brandeburgica ſuperſtitum.

JOACHIMUS III. Fridericus, patri Joh. Georgio præfato in Elect. ſucceſſit, A. C. 1598. Hic ex utero materno ſemivivus extractus, Archiep. Magdeburgenſis factus eſt, A. C. 1566. ubi templum Cathedrale & Monaſteria reformavit, matrimonio contracto: ob quod cùm Regalia Archiep. Imp. conferre nollet, manſit tamen in poſſeſſione, ab urbe Magdeburgo receptus A. C. 1579. Patris poſtea negotiis in Juliacenſi, Boruſſiaca & Argentinenſi cauſa exercitus, multa itinera obiit. Patris dein ſucceſſor, Carnovium principatum ab agnato Georgio Frid. ſibi donatum occupavit, A. C. 1603. & curatelam Ducis Boruſſiæ mente infirmi, obtinuit à Polonis A. C. 1605. Demum, cùm paulo ante, in templo Cathedrali Coloniæ aliquas cerimonias, concionem habente Pelargo, curâſſet aboleri, Obiit A. C. 1608. Ei in Electoratu ſucceſſit fil. Joh. Sigiſmundus.

Principes alii.

JOACHIMUS, Dux Pomeraniæ, fil. Caſimiri VI. Extinctus A. C. 1451. ſucceſſionem tranſmiſit ad fil. Othonem III. in quo A. C. 1464. Stettinenſi ramo extincto, acre inter Brandeburgicos & agnatos Wolgaſtienſis rami, bellum exarſit.

JOACHIMUS, princeps Anhaltinus, fil. tertius Erneſti, à ſobrino Adolpho Mersburgio optimè educatus, Deſſaviam tenuit, à ſtudio pietatis, prudentiæ, atque beneficentiæ inſigne nomen meritus, Sec. Præt.

JOACHIMUS Erneſtus, fil. Joh. prioris ex fratre nepos, ûnus poſt plura ſecula totius Principatûs fuit poſſeſſor. Olim Philippi II. Hiſp. Regis miles, in prælio ad Quintinifanum fortiter ſe geſſerat, poſtea pacem coluit: & cum amplo ſtipendio oblatum, à Rege Galliæ in bello adverſus Hugonotas gerendo, Ducis munus recuſavit, perſecutionis miniſter fieri nolens. Reformatis acceſſit, Peucero libertatem ab Aug. El. exoravit, opus Concordiæ averſatus eſt prudentiâ, modeſtiâ, clementiâ, juſtitiâ aliiſque virtutibus inclytus. Obiit A. C. 1586. Pater numeroſæ ſobolis, quinque inprimis filiorum, à quibus totidem lineæ ortæ.

JOACHIMUS Fridericus, fil. Georgii Ducis Brigenſis, in Sileſia, Mortui A. C. 1586. Olaviæ, & poſt matrem, Briegæ habitavit, tum Præpoſitus Magdeburgicus, & Sileſiæ Generalis fuit. Lignicium quoque principatum, morte agnati Frid IV. nactus, Obiit A. C. 1602. Pater Georgii Rudolphi & Joh. Chriſtiani, quorum hic Reformatam relig. amplexus, genuit Georgium Ludovicum & Chriſtianum, patrem Georgii Vilhelmi, Piaſteorum ultimi, qui Obiit A. C. 1675.

Viri Celebres.

JOACHIMUS, Calaber, Abbas Florenſis, Ciſtert. Ord. ſcripſit comm. in Eſajam, Jeremiam, & Apocalypſin, in qua Antichriſtum jam natum eſſe Romæ, & in ſede Apoſtolica ſublimandum, oſtendit. Porro concordiam Vet. & Nov. Teſt. ut & vaticinia plurima, de Rom. Pontificibus. Obiit A. C. 1202. Hic, præter Nicolaum Cuſanum Card. Joh. Liechtenbergium, Hildegarden, Brigittam &c. prædixit futuram olim Religionis mutationem. Bucholc. *ad* A. C. 1217. In Conc. Later. A. C. 1215. hæreſeos damnatus, ob libellum de Trinitate, contra Magiſtrum ſententiarum ſcriptum, ab Abbate ſui Ordinis, Georg. Laudo, edito ſcripto, defenſus eſt. Fuit *eruditionis & ſanctitatis nomine comprimis celebris*, Cat. Teſt. Vet. *ut Propheta ſuo tempore habitus*, Trithem. Vide Moret. *Dict. Hiſt.* & Paul. Freherum *Theatro Viror. Erud. Claror.*

JOACHIMUS Bellajus, Poëta Gallus. SanMarth. *Elog. l.* 2. Archidiaconus primò Eccl. B. Virginis Luteriæ, inde Præſulatui Burdigalenſi deſtinatus, Obiit Anno Æt. 37. Margarethæ Reginæ, & Henr. III. gratus, ſcripſit varia, quæ Anton. Teiſſier *in Elogiis* enumerat. Sibi ipſi hoc Epitaphium fecit.

Clara progenie, & domo vetuſtâ
(Quod nomen tibi ſat meum indicârit)
Natus, contegor hac, viator, urnâ.
Sum Bellaius, & Poëta, jam me
Sat nôſti, putà, non bonus Poëta,
Hoc verſus tibi ſat mei indicárint,
Hoc ſolum tibi, ſed queam, viator,
De me dicere, me pium fuiſſe,
Nec læſiſſe pios; pius ſi ipſe es,
Manes lædere tu meos caveto.

JOACHIMUS Camerarius, Germ. patriâ Papebergenſis Francus, loco nobili, ſed in modicis opibus natus, Reip. Noribergenſis Medicus. Ejus extant: *Horæ Subciſivæ*, *Notatio figurarum ſermonis in Nov. Teſt. Hiſtoria Chriſti nati*, *&c.* Obiit A. C. 1574. Æt. 75. *Vir, quem Germania habuit ſine pari*, Lipſ. *Incomparabilis*, Jano Grutero: *Germaniæ ornamentum & Europæ decus*, Turnebo: *Utriusque linguæ Gr. & Lat. Princeps*, Taubmanno: *Excellentiſſimus Græcanicæ linguæ interpres*, Bertramo *in Matth. c.* 19. *v.* 24. Dignus tandem voto Caſauboni, *Ep. Georg. Remo*, orantis, *ut Deus excitet Camerarios in Germania*, *in Gallia Scaligeros*. Pater fuit filii cognominis, Medici eximii. Vide *Camerarius*.

JOACHIMUS Curæus, Medicus, Sec. Pret. Auctor Ann. Sileſiæ.

JOACHIMUS Georgius, vide *Georgius*.

JOACHIMUS Hopperus, Friſius, Snecanus, ex antiqua Hopperorum familia, JC. Equeſtris ordinis Vir, & Philippi II. Hiſp. Regis Conſiliarius. Rem ſui Regis, morte Requeſenii undique in Belgio deſperatam, reſtituit; ſuadens, ut ad Senatum regiarum partium adminiſtratio transferretur, id gratum populis, & ſervandis, quæ tenebantur, pacandis quæ defecerant, aptiſſimum, A. C. 1576. Ei tum in Hiſpania agenti auctoritas, ex quo improbata illi conſilia malè ceſſerant, tantopere increvit, ut *Sapientis* nomen homo Belga ab Hiſpanis adeptus eſſet. Obiit Anno eodem Mantuæ Carpentanorum. Ejus extat, *in Pſalmos Paraphraſis*. Item *de uſu Pſalmorum* liber.

JOACHIMUS Perionius, Turonenſis, Benedict. Ariſtotelem, Patresque aliquot Latinè vertit. P. Jov. Scævola SanMarth. *in Elog.*

JOACHIMUS des Portes, Epitomen vitæ Car. V. edidit.

JOACHIMUS Vadianus, Helvetius, Coſ. Sangallenſis, Medicus, Poëta & Geographus celebris, ſcriptis inclytus. Obiit A. C. 1551. Paul. Jov. *Voſſius.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

JOACHIMUS *VVeſtphalus*, à patria ſic dictus Theologus Hamburg. Contra quem de Sacramentis ſcripſit Calvinus, & poſt illum Beza. Edidit non pauca, quorum ſeriem exhibet in *Elogiis* Ant. Teiſſier *P.* 1. Vide & Quenſtedium *Patr. Vir. illuſtr.* Obiit A. C. 1574.

JOADA, fil. Achaz. 1. Par. *c.* 8. *v.* 36. & *c.* 9. *v.* 42. dicitur Jara Lat. *cœtus*, vel *congregatio*, *tranſitus*, vel *teſtimonium*, *ornatus*, vel *præda Domini*.

JOADAN, mater Amaſiæ Regis Judæ. 2. Reg. *c.* 14. *v.* 2. 2. Par. *c.* 25. *v.* 1. Lat. *voluptas*, aut *tempus Domini*.

JOAH, fil. Gerſon. 1. Par. *c.* 6. *v.* 21. Fil. Jahaddas 1 Par. *c.* 2. *v.* 46. Fil. Zemma. Idem *c.* 6. *v.* 21. 2. Par. *c.* 29. *v.* 12. Item fil. Joachaz. Idem *c.* 34. *v.* 8. Lat. *fraternitas*, vel *habens fratrem*.

JOAHE, fil. Aſaph. 2. Reg. *c.* 18. *v.* 18.

JOAHA 1. Par. *c.* 26. *v.* 4. & 2 Par. *c.* 29. *v.* 12.

JOANNA, vide *Johanna*.

JOANNA, Leuncl. *Janna*, Cedreno *Joannina*, urbs Archiepiſcopal. Epiri prim. Sedes Præfecti Turc. Olim *Caſsiope*, inter Ambraciam ad Occ. & Triccam, urbem Theſſal. ad Ort. à qua 40. mill. paſſ. abeſt.

JOANNES, vide *Johannes*.

JOANNINÆ, Cujacio *in c. ad audient 4. de Sponſ. & Matr.* dicta ſunt Extravagantes, quæ ſub nomine *Joh.* XXII. vulgatæ extant in Corpore Canonico. Vide ſuprà *Extravagantes*.

JOANNIPOLIS, urbs Myſiæ inf. *Jambol*.

JOANVILLA, vulgò *Joinville*, opp. Campaniæ Gall. ad Matronam: cum tit. Princip. Guiſiorum, 8. leuc. à Calvo monte in Bor. 6. à Fano S. Deſiderii in Auſtr.

JOARIM, nomen viri. 1. Macch. *c.* 2. *v.* 1. Lat. *Domini exaltatio*.

JOAS, יואש Pater Gedeonis Jud. *c.* 6. *v.* XI. 2. Reg. *c.* XI. *v.* 2. *c.* 12. *v.* 20. & *c.* 13. *v.* 1. 1. Par. *c.* 3. *v.* XI. Fil. Joachaz filii Iehu Rex-Iſraël. Ter contra Syros victor; Ieroboamum II. in conſortium regni aſcivit. Ab Amazia, Iud. Rege laceſſitus eum vicit, Hieroſolymamque captam, ex parte, muris nudavit. Obiit A. M. 3210. 2. Reg. *c.* 13. *v.* 9. & *c.* 14. *v.* 1. 2. Par. *c.* 25. *v.* 17. Joſeph. *Antiqq. l.* 9. *c.* 10. &c. Pater Ieroboam Regis Iſrael. 2. Reg. *c.* 14. *v.* 17. & 27. Lat. *diſsidens*, vel *deſperans*, aut *ignitus*, vel *urens*.

JOAS, יהואש Rex Judæ fil. Ochoziæ, occiſus in lecto, A. M. 3196. Vide 2. Reg. *c.* 11. *v.* 21. *c.* 12. *v.* 2. 7. & 19. *c.* 13. *v.* 25. & *c.* 14. *v.* 8. 13. & 16. Joſeph. *Antiqq. l.* 9. Torniel. Salian. *in Ann. Vet. Teſt.* Lat. *ignis*, vel *ablatio Domini*.

JOAS, Hebr. עוש fil. Bechor. filii Benjamin. 1. Par. *c.* 7. *v.* 8. & *c.* 27. *v.* 28. Lat. *conſummatus*, vel *perfectus*.

JOATHAM, i. e. *conſummatus*, vel *perfectus*. Fil. Oziæ, ſive Azariæ Regis Judæ ipſe Rex laudatiſſimus, rebuſque geſtis inclytus. Vide 2. Reg. *c.* 15. *v.* 23. 2. Par. *c.* 26. *v.* 1. Joſeph. *Antiqq. l.* 9. *c.* 11. Torniel. *in Ann.* Fil. item Jerobaal, ſive Gedeonis. Iudic. *c.* 9. *v.* 5. Fil. Azariæ. 1. Par. *c.* 3. *v.* 12. Admodum ſanctus fuiſſe traditur (inquit. Sulp. Severus) proſpereque imperium adminiſtravit. Joſeph. ubi de eo: Οὗτος βασιλεὺς οὐδὲ μιᾶς ἀρετῆς ἀπελείπετο, ἀλλ' εὐσεβὴς μὲν τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, δίκαιος δὲ τὰ πρὸς ἀνθρώπους ὑπῆρχεν, ἐπιμελητὴς δὲ τῆς πόλεως τὴν πόλιν.

JOB, nomen viri. Lat. *dolens*, *gemens*, vel *ululans*, aut *exoſus* vel *patiens inimicitiam*. Hiob. *c.* 1. *v.* 1. 1. Par. *c.* 7. *v.* 1. Vide Suid in Ἰώβ Sulpit. Sever. *Hiſt. Sacræ l.* 1. *c.* 23. *Hoc tractu temporum* Job *fuit*, *legem Naturæ*, & *agnitionem Dei*, & *omnem juſtitiam complexus*, *prædives opibus*, *atque eo illuſtrior*, *quòd his neque integris corruptus*, *neque amiſsis depravatus eſt*. *Nam cùm per Diabolum exutus bonis*, *filiis etiam eſſet orbatus*, *ad extremum diris ulceribus affectus non potuit vinci*, *ut præ doloris impatientia aliqua in parte peccaret*. *Mercedem denique divini teſtimonii conſecutus*, *ſanitati redditus eſt*, *ac omnia quæ amiſerat*, *in duplum recepit*. Natus videtur A. M. 2329. in regione Huz, inter Idumæam & Arabiam. An idem cum Jobabo, fil. Zaræ ex Bozra, nepote Rahuelis, filii Eſavi? Gen. *c.* 36. *v.* 33. Iren. Auguſtin. Ambroſius &c. An ex Nachoris familia ut Judæi volunt, eò quòd Nachor, fil. Huz dicitur; Verè enim fuiſſe virum talem, ſolidè probatur, contra eos, qui totam ejus Hiſtoriam in allegoriam vertunt, ex Ezech. *c.* 14. *v.* 14. & Jac. *c.* 5. *v.* 11. Obiit A. M. 2539. vel ſecundùm alios, A. M. 2545. Ӕt. 211. Calamitatem ejus 7. Ann. quidam, alii unicum ſolùm duràſſe volunt: quæ certa de eo habentur, vide in libro divino Hiobi, cujus quidam Moyſen auctorem faciunt. Plura de *Jobo* quære apud Auguſtin. *l. de Civ. Dei l.* 18. *c.* 47. Chryſoſtom. *hom*, 2. *de pat. Jobi*. Athanaſ. *in Synopſi*. Gregor. & Calvinum. *Comm. in Jobum*. &c. Inprimis Caſp. Sanctium *Prolegom in Jobum* & Frid. Spanhem. fil. *in Hiſt. Jobi*, In *Jobum*, vel partes, extant: Ambroſ. Aquinatis *Comm.* Fol. Venetiis, A. C. 1505. Auguſtin. Beda. Bezæ *Comm.* & *Paraphraſis*. Bolducius Borrhai *Comm.* Fol. Baſileæ A. C. 1564. Brentius. Bruno. Bugenhagius. Calvin. Candid. Cavottus. Cocceji *Comm.* Fol. Franek. A. C. 1644. Codurcus. Comitolus. Corderii *Job Elucidatus*. Fol. Antverpiæ, A. C. 1646. Cromnius. Cyprian Druſius. Duporti Θρηνοθρίαμβος. Octav. Cantabr. A. C. 1653. Ferus Fevardentius Gregorii M. *Expoſitio mor* Heſych. Hier. *Comm.* Herwarti *Comm.* Fol. A. C. 1673. Janſonius R. Iſaac Haccohen. Junius Lavateri *Homiliæ* Fol. A. C. 1585. Tiguri. Luizii *Annotationes*, Fol. Baſileæ A. C. 1561. Octav. A. C. 1563. Malvenda. Marloratus. Mellius. Mercerus. Fol. Amſtelod. A. C. 1651. Merlinus. Moſch-alſchich. Odo. Oecolampadius, Gen. A. C. 1578. Fol. Olearii *Conciones* German. Quart. Lipſiæ A. C. 1663. Olympiodor. Origenis *Comm.* & *Homiliæ* Olonus Pampolitanus. Pagninus. Petrus Bles. Philippus Preſb. Pineda Piſcatoris *Comm.* Octav. Rupertus. Sanctius. Schmidii *Comm.* Quart. Schulteri *Analyſis typ.* Fol. Stetini A. C. 1647. Steuchus Sixtus Sen. Soto Major. Strigelius. de Stunica. Velaſquez *Comm.* Fol. &c. Vide Growæi *Elenchum*. Cæterum *Jobi* librum non parabolam, ſed Hiſtoriam continere, contrà quam ſentit Maimonides *More Nevochim Part.* 3. *ſ.* 22. probatur non ſolùm ex allato Ezechielis loco, ubi conjungitur cum Noë & Daniele, ſed & inde, quòd & nomen ejus & patria refertur: ac Jac. *c.* 5. *v.* 7. is commendatur, ut patientiæ exemplum; cujus vis infringitur, ſi fictitium ſit. Quo verò tempore *Job* vixerit, num tempore Patriarcharum, an Moſis, an Davidis, an captivitatis Babylonicæ: quas opiniones quatuor commemorat Maimonides *l. c.* non uſque adeò compertum eſt. Et hæc opinionum diverſitas Maimonidem impulit, ut putaret eum non fuiſſe. Ac fortaſſe etiam hæc in cauſa ſunt, cur non meminerit ejus Flav. Joſeph. in *Antiqq.* libris: ſive crediderit non fuiſſe, ſive neſcierit, ad quæ tempora oportet referri. Sed & præter hæc, alia eſt nata controverſia, de Libri auctore: dum alii exaratum cenſent à Jobo, ut Gregor. Mag. *Præf. in eum*: & Suid. in Ἰώβ: alii verò *Jobi* amicos, aliqui Moſen, nonnulli Salomonem vel Prophetarum quempiam, alii aliquem ex Sapientibus Babyloniis ſcripſiſſe arbitrantur. Ut eos prætercam, qui librum θεόπνευστον i. e. *divinitus inſpiratum*, non cenſent: ut eſt apud Olympiod. *Præf. Cat. aur in Job ex XXIV. Patribus concinnatæ & Latine redditæ à Paulo Comitolo*. Ubi & videas, quod de *Jobi* amicis, Moſe item & Salomone, diximus. Sane Salomoni etiam tribuit Nazianzen. *Orat ad Julian*, *tributorum Exæquatorem*; ut cenſet ejus Interpres Nicetas ac Olympiod. *l. c.* Pro qua ſententia quoque facere videtur quòd ab Hebræis *in Bava bathra Perek primo*, ubi Hagiographa recenſentur, primus quidem locus detur, libro *Ruth*, quia ſub Iudicibus vixerit; alter Pſalmis Davidis, qui ex Ruth natus; tertius *Jobo*, tanquam æquali Reginæ Sabæ: quartus Salomonis Proverbiis, Eccleſiaſticæ, Cantico Canticorum atque ita porrò. Eodemque redit, quòd, ab Athanaſio *in Synopſi*, Cantico Canticorum *Job* ſubjungitur; imò & in Conc. Laodiceno *c. ult.* ac quibusdam Græcis Bibliis vetuſtâ manu exaratis, quæ in Vaticana Romæ adſervantur. In hoc diſſenſu lubentiùs iis accidit Voſſ. qui vel à Moſe ſcriptum cenſeant, vel antea etiam à *Jobo* ipſo. De Moſe placuit etiam R. David Kimchi, ac ex noſtris multo ante Origeni, ut nempe eum ſcripſerit, quò Populus Iſraëliticus longam illam peregrinationem in deſerto facilius ferret. Similiter Iſid. *Offic. l.* 1. Toſtatus *in Hier. Prolog. Gal.* Alii. Et ſanè *Job* vel æqualis Moſſ. vel eo antiquior fuit, unus è Nachoris vel Eſavi poſteris. Prior ſententia placuit Hier. *Tradition. Hebr. in Geneſ.* Nempe ut Nachor, Tharæ fil. Abrahami frater, genuerit Hus; Hus autem *Jobum*. Quæ ſententia utitur partim eo, quòd Gen. *c.* 22. *v.* 21. dicatur Melcha peperiſſe Nachori Hus primogenitum & Buz. fratrem ejus: partim, quod *Job* initio libri habitàſſe traditur, in terra *Hus* ſive *Huz*, ἐν γῇ Ὢς, ut eſt, apud LXX. quæ *Auſitis* Græcis dicitur, quaſi *Uſitis*. Quare colligunt, *Jobum* fuiſſe filium *Us*, nepotem Nachoris Tharæ pronepotem. Venerabilis verò Beda *Comm. in Job.* Hier. perperam tribuens, *Jobum* pronepotem Eſavi eſſe cenſet. Quæ opinio ſuffulta eſt eo, quòd Eſau genuerit Revel ſ. Rabuel ex Baſemath, Iſmaëlis filia, ut eſt ibid. Gen. *c.* 36. *v.* 4. & 10. Rahueli autem fil. fuit Zara, ut eſt ibid. *v.* 13. Hoc verò genitus *Jobab*, *v.* 33. qui *Jobab* Idem cum *Jobo* creditur. Nec obſtat, quòd habitavit *Job* in terra Hus: quia in ea Idumæi ſedes habuêre: ut conſtat ex illo Threnorum *in fin. Exulta filia Edom*, *quæ habitas in terra Hus*. Et ſanè *Jobum*, non à Nachore per Hus; ſed ab Abrahamo & Iſaaco, per Eſavum, deſcendere, etiam Athanaſii ſententia eſt vel alterius *in Synopſi*, item Epiphanii penè *initio Op. Adversùs Hær.* Chryſoſtomi *Homil.* 2. *de Jobi patientia*, Auguſtini *de Civ. Dei*, *l.* 18. *c.* 47. aliorumque magno numero. Etiam multùm eam confirmant LXX. *appendice Jobi*; quæ etſi in Hebræo non eſt, uti nec fuit in tralatione Aquilæ vel Symmachi: à Theodotione tamen eſt retenta, uti & legitur Catenâ aur. in *Job* &c. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Idol. l.* 2. *c.* 3. adde Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in hac voce. Quid verò *Hiobo* cum Hercule Gentilium commune fuerit, dicemus infrà in voce *Keren-happuh*, quâ minima filiarum ejus inſignis fuit, ſicut de Jemima & Kezia reliquis duabus itidem agimus ſuo loco.

JOB, fil. Iſſaſchar. Gen. *c.* 46. *v.* 13.

JOBACCHUS, Bacchi cogn.

JOBAD, fil. Joctan. Gen. *c.* 10. *v.* 29. 1. Par. *c.* 8 *v.* 9. Fil. Zaræ Rex Edom. Gen. *c.* 36. *v.* 33.

JOBAGINES ſ. JOBAGIONES, in *Decretis* Lud. Regis Hung. A. C. 1351. *c.* 5. 6. & 14. Sigismundi Regis A. C. 1435. Alberti Regis &c. Sambuco, Lydio & Alberto Molnario teſtibus, dicuntur coloni, ruricolæ atque adeò ipſa mancipia. Vide Joh. Lucium *de Regno Dalm. p.* 204. *b.* 1. At in *Decreto* Andreæ Regis Hung. A. C. 1222. *c.* 5. & 26. *Barones & Nobiles* dici videntur. *Ibid. c.* 18. *Jobagiones Caſtrorum* memorantur & *c.* 25. præcipui Hungariæ Magiſtratus, Palatinus nempe, Banus & Comes, nec non Curialis Regis, eadem dignitate ac nomine donantur. Vide C. du Freſne in *Gloſſ.* & quem is laudat, Thvvroczium *in Calomano c.* 61.

JOBANIA, fil. Jeroham. 1. Pa. *c.* 9. *v.* 8. Lat. *ædificatio*, *filiatio*, aut *intellectus Domini*.

JOBERTUS Iſaacus, fil. Laurentii, de quo mox, ſcripſit *Apologiam Orthographiæ Gallicæ*, & quædam Patris *Paradoxa* in hanc linguam tranſtulit.

JOBERTUS Laurentius, Valentiâ Delphinas, diſcip. Rondeletii, Medicus celebris, ab Henr. III. in aulam vocatus, ut ſterilitati Reginæ mederetur ſcripſit Lutetiæ *de Erroribus popularibus*, de quo libro diverſa hominum judicia expertus eſt. Reliquorum ejus ſcriptorum ſeriem vide *in Elogiis* Ant. Teiſſier, ex Sammarthan. *Biblioth.* de la Croix du Maine & Obiit A. C. 1582. Ӕt. 50.

JOBLIAS, Græcè Ἰώβλιας, apud Pachymer. in *Dionyſ. Areop. de Hier. Eccl. c.* 7. aliter Ὠβλίας, apud Euſeb. *Hiſt. Eccl. l.* 2. *c.* 23. cogn. Jacobi Apoſt. *Minoris* dicti & primi Hieroſolymis Ep. ex Hebr. עפל & עם i. e. *arx populi*, vel ex עפליה i. e. *munitio Dei ſ. præſidium à Deo*: de quo vide Reineſium *Var. Lect. l.* 3. *c.* 2. Fuller.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

JOCALIA apud Ingulfum *p.* 858. *Reges Merciorum jocalia plurima in auctæ Eccl. ornamentum ---- contulerant*, alioſque medii & recentioris ævi; monilia ſunt, gemmæ, annuli aliaque id genus pretioſa, Anglis *Jewels*, Gallis *Joyaux*. Propriè autem hiſce ſic dicuntur, quæcunque ad mundum muliebrem ſpectant & ejus quodammodo propria ſunt, ut annuli, inaures, armillæ, viriolæ &c. à *jugulo*, de quo pendent, C. Macr. *in Hierol.* Aliis ſimplicius à *joco*, & *joculo*, quæ id omne, ex quo aliquis voluptatem capit, ſonant Græcis παίγνια: apud Plaut. *Aulul.* Act. 3. Sc. 5. v. 51. *Nugæ mulicbres*, Gall. *Jouëts*; his enim pueri & ſequior ſexus maximopere delectatur. Capitolin. *in Albino, cum ei nomina ferent, ſeptem aquilæ parvulæ de nido allatæ ſunt, & quaſi ad jocum circa pueri cunas conſtitutæ.* Atque hinc Gallorum *Joye*, i. e. *gaudium*, omnino ortum videtur. De iſtiuſmodi *Jocalibus*, morâ quondam in Curia Arrag. quæſtione, *An eorum legato intelligerentur etiam teſtatricis veſtes?* Locum tenentem Juſtitiæ, priuſquam ſententiam ferret, matronas quaſdam nobiles conſuluiſſe, & juxta earum reſponſum, judicâſſe, veſtes non contineri, refert Michaël del Molino in *Repert. Foror. Arragon.* ad A. C. 1438. apud C. du Freſne in *Gloſſ.* Vide quoque hîc infrà, nec non ubi de *Mundo*; plura verò hanc in rem, apud præfat. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1123. & 1124. ubi inter alia, & voce *Johar* omnes gemmas Arabibus indigitari, occaſione Latinæ hujus vocis, obſervat.

JOCASTA, Oedipi mater, filia Creontis Thebanorum Regis, uxor Laji, quæ poſt mariti necem Oedipo filio imprudens nupſit, ex quo Eteoclem & Polynicen genuit; qui cùm ſe mutuis vulneribus confeciſſent, ipſa quoque ſibi manus intulit. Vide Stat. *l.* 2. *Theb.* Sen. *in Oedipo*, Act. 1. Apollod. Hygin. Pharmutum, *Diod. Sic.* &c.

JOCCHUS, Rex ſocius Rom. tempore Neronis, Tac. *Ann. l.* 13. *c.* 7. Quanquam Lipſius ibi legat *Antiochus*, intelligatque Antiochum, Regem Comagenes & in parte Ciliciæ.

JOCELINUS Brackelondus, Anglus, Benedictinus, auctor Chronici Monaſterii ſui, vitæ S. Roberti &c. A. C. 1214.

JOCELINUS Furnius, ſ. de *Furnes*, de Epp. Britannis librum edidit. Voſſ. *de Hiſt. Lat.*

JOCHABED, i. e. *glorioſa*, *gravis*, vel *ponderoſa*, filia Levi, uxor Amram. Exod. *c.* 6. *v.* 20.

JOCHABELA, mater Moſis, ut ex Joſepho tradit *B. Hier.*

JOCRITUS, Lycurgi fil.

JOCUNDIACUM, vicus in Turonibus, *Jouay* vulgò, ad Carum, urbi Turonis oppoſitus. Item Palatium, in Lemovicibus, nunc *Joac*: unum fuit è 4. Lud. Aquitaniæ Regis hibernis. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

JOCUS, inter Gentilium Numina, occurrit apud Stat. *l.* 1. *Sylv.* 6. *v.* 5.

Et multo gravidus mero December
Et ridens Jocus, *& Sales protervi*
Adſint -----

Formam ejus repræſentant Laur. Rameſii *Notæ ad Mart.* ut ea ante 200. circiter Annos à Conr. Celte in Germaniæ prov. Moravia reperta eſt. C. Barthius *ad Statii loc.* Cæterùm *Jocum* Latini vett. non in verbis ac dictis facetis tantùm poſuêre, ſed etiam omnem ludum ſic vocârunt. Ovid.

----- *Species ſunt mille* Jocorum.

Hinc *Jocula*, τὰ παίγνια, οἷς παίζετι νήπιοι ὄντες, *quibus puerul jocantur*. Et, quibus maximè delectantur mulieres, hæc eorum ſunt *Jocula* & *Jocalia*, gemmæ nim. ac margaritæ, ut diximus. Vitruv. *l.* 4. *c.* 1. *Virgo civis Corinthia, jam matura nuptiis, implicita morbo deceſſit, poſt ſepulturam ejus, quibus ea viva* Joculis *delectabatur, nutrix collecta & compoſita in calatho pertulit ad monumentum, & in ſummo collocavit.* Eandem proin vocem apud Cic. *in Paradoxo* 5. reſtituit Salmaſ. *Sed obſecro te, ita venuſta habeantur iſta, non ut Jocula virorum ſint, ſed ut oblectamenta puerorum.* Hodieque Galli inde *Jongler*, dicunt. Vide eum *ad Solin. p.* 1113. & 1124. ut & ſuprà: nec non ubi de *Juglatorum Rege*. De *Jocularibus* vero *nominibus* in voce *Supra nomen*.

JOD Cornelius, vide *Cornelius*.

JODELLUS Stephanus, vide *Stephanus*.

JODOCUS, Marchio Moraviæ, Venceſlai Imp. patruus, Rex Rom. electus eſt, A. C. 1410. quinto pòſt menſe ſepultus Brinnæ, cum corona. Ad hunc, ut & alios Proceres miſit Joh. Huſſus libros Viclefi à ſe Bohemicè verſos, quod magni muneris loco ab his acceptum. Lætus *Comp.*

JODOCUS, Ep. Vratiſlavienſis, ſævitiam Ep. Olomucenſis in fideles reprehendit, *rem non confici aſſà carne* dictitans. Camer. *Hiſt. Fratr.*

JODOCUS Badius, Bruxellis natus, Gandavi egit. Scripſit *ſylvam Moralem*, Præt. Sec. Geſner. *Bibl.*

JODOCUS BISSELIUS, Aquenſis, Philoſophus, JC. & Theologus, proſâ verſuque celebris, circa A. C. 1454. Ejus extant *Dialogus de S. Anna*: *Geſta Flandrorum*, &c.

JODOCUS Clichtovæus, ſcripſit *Anti-Lutherum*, tempore Lutheri. Neoportanus, Canonicus Carnutenſis.

JODOCUS Coccins, Canonicus Juliacenſis, ſcripſit contra Hæreticos volumina duo.

JODOCUS Damhouderus, Brugenſis, JC. ſcriptis celebris; inter quæ *Enchiridion*, vel *Practica rerum Criminalium*.

JODOCUS Ravenſtenius, Flander, ſcripſit contra Illyricum, Chemnitium, alios. A. C. 1570. &c.

JOED, nomen viri. Nehem. *c.* 11. *v.* 7. Lat. *teſtificans*, vel *ornans*, ſive *prædans*, vel *tranſiens*.

JOEL. i. e. *volens*, *incipiens*, vel *jurans*, nomen Principis. 1. Par. *c.* 4. *v.* 35. Nomen Prophetæ, fil. Phatuel. Ioel. *c.* 1. *v.* 1. in numero 12. Prophet. minorum ſecundi. Videtur Hoſeæ Proph. contemporaneus. De captivitate Babyl. miſſione Spiritûs S. Actor. *c.* 2. *v.* 16. & Judicio ultimo vaticinatus eſt capitibus 3. In *Prophetiam* ejus extant: Boneri *Paraphraſis*, Quart. Francof. A. C. 1597. Danæus. Draconites. Fabri *Homiliæ*, Octav. Col. A. C. 1589. Geſneri *Comm.* Octav. Witeb. A. C. 1614. Leuſdenii *Explicatio* Octav. A. C. 1657. Ultrajecti. Liveleji *Annot.* Matthias. Mercerus. Oecolampadius. Quadratus. Reuterus. Ruffinus. Simonides. Tarnovius. Tuſcanus. de S. Victore. Urſinus, in Octav. &c. Vide Crowæi *Elenchum*. Porrò pater Sammua. 1. Par. *c.* 5. *v.* 8. Fil. Gerſom, 1. Par. *c.* 15. *v.* 7. & Azariæ, 2. Par. *c.* 29. *v.* XII. Primogenitus Samuelis. 1. Sam. *c.* 8. *v.* 2. Fil. Gad. 1. Par. *c.* 5. *v.* 12.

JOELA, fil. Jerobam. 1. Par. *c.* 12. *v.* 7. Lat. *elevatio*, ſive *proficiens*, aut *auferens maledictionem*.

JOEZER, nomen viri. 1. Par. *c.* 12. *v.* 6. Lat. *adjuvans*.

JOFFREDUS Johannes, vide *Johannes*.

JOGLI, pater Bocci, Principis tribûs Dan. Num. *c.* 34. *v.* 22. Lat. *revelatio*, ſive *tranſmigratio*, aut *revolutio*, vel *exultatio*.

JOHA, fil. Bariæ. 1. Par. *c.* 8. *v.* 16. Lat. *vivificans*. Vir. Thoſaites. 1. Par. *c.* XI. *v.* 45.

JOHANAN, i. e. *Domini gratia*, *donum*, vel *miſericordiæ*, nomen viri. 1. Par. *c.* 26. *v.* 3. 2. Par. *c.* 17. *v.* 15. Eſd. *c.* x. *v.* 28. Nehem. *c.* 6. *v.* 18. & *c.* 12. *v.* 41.

JOHANNA Ben Relà, Judæorum Dux, regn. An. 53. Alius Sacerdos Judæorum, qui fratrem ſuum Jeſum in templo occidit, ob quod facinus Vagoſes Dux Artaxerxis templum violavit, ac Judæos 7. Annis tributa dare coëgit. Joſeph. *Antiqq. l.* 11. *c.* 7.

Reginæ & Feminæ illuſtres.

JOHANNA, filia Lud. XI. Galliæ Regis ex Carlotta Sabaudica, nupſit Lud. XII. à quo poſtea Alex. VI. annuente, repudiata, Bituriges ſe recepit, ibi Annuntiationis Ordine, ut & Collegio in Academia inſtituto. Obiit A. C. 1504. Henr. Sedulius, *in iconibus vitæ ejus*. Hilario Coſtus, *Elog. fem. illuſt.* Morer. in *Dict. Hiſt.*

JOHANNA I. filia Car. qui ante Patrem Obiit, ex Maria Valeſia, Regina Neap. & Comes Provinciæ, ſucceſſit Roberto avo; qui ne regnum ad exteros deveniret, illi maritum dederat Andream, nepotis ſui Car. Hungari filium. Hoc ſtrangulato, Lud. Tarentino, patrui filio, nupſit, à Lud. Hungaro regno pulſa; ſed Pontificis ope, cui Avenionem donavit, vel ut alii, 30000. florenis aureis vendidit, reſtituta eſt. Poſt hujus Obitum, Regis Balearium Jacobi Arragonii; dein, eo repudiato, Othonis Brunſvicenſis uxor, Car. Dyrrachinum, Hungari nepotem, adoptavit: jure hoc mox, ſuaſu Clem. VII. in Lud. Andegav. tranſlato. Hinc bellum, Car. victoria ingens, A. C. 1381. Johannæ captivitas, & mors; ibi enim loci ſuſpenſa eſt, ubi Andreæ quondam gulam fregerat: Alii capite illam plexam dicunt, A. C. 1382. Uxor 4. maritorum, juxta vaticinium Anſelmi Aſtrologi, *Maritabitur cum ALIO.* Ingenio pollens, eruditorum admiratrix, ſed libidinis victima. Collenutius Simonera, Bonfin. *dec.* 2. *l.* 10. Lipſ. *mon. & ex. Polit. &c.*

JOHANNA II. quæ etiam *Joannella*, abneptis prioris, filia Car. Dyrrachini, ſoror Ladiſlai; Hoc Mortuo, vidua Gul. Auſtriaci, A. C. 1414. Ær. 40. regnum occupavit, nupta Jacobo Borbonio Com. Marchiæ, qui moribus uxoris offenſus Veſuntione monachalem veſtem induit. Sine prole cùm eſſet, Alphonſum Arragoniæ Regem adoptavit; preſſa verò à Joh. Caracciolo, Lud. Andegavenſem ei ſubſtituit, qui abſente Alphonſo regno potitus, fratrem Renatum hæredem legit. Eo tempore Catalauni Maſſiliam interceperunt. Obiit A. C. 1435. Ær. 65. Regni 20. Noſtradamus, Buchæus *Hiſt. Prov.* P. Æmyl. *l.* 10. Marian. *de Reb. Hiſp.*

JOHANNA Albretana, filia & hæres Henr. II. Navarr. Regis ex Margaretha ſorore Franciſci I. Purioris religionis notitiâ à Matre imbuta, nupſit Antonino Borbonio, ex illo mater Henr. IV. ſ. Magni, Gall. Regis Literarum Sacrarum inprimis amore, veræ Religionis zelo, animi magnitudine, immortale nomen adepta. In ipſo infauſtarum Filii nuptiarum apparatu, A. C. 1572. chirothetis peſtifero odore tinctis necata, prima Pariſienſis laniena victima fuit: Poſtquam in teſtamento filio imperâſſet, *Pietatem coleret, ſecundam eam, in qua educatus fuit, Fidei Confeſſionem, neque ſe Mundi fumis, voluptatibus, deliciis & aliorum vitiorum irritamentis ab illa avelli pateretur*, Thuan. *Hiſt. l.* 50. *c.* 51. Læt. *Comp. Hiſt. Univ.*

JOHANNA Graja, filia Ducis Suffolciæ, ab Eduardo VI. Angl. Rege hæres regni dicta; Annor. 17. adoleſcentula, Latinis & Græcis literis egregiè exculta: juſſu Mariæ, cujus factio prævaluit, unà cum marito Gilberto Dudleio & patre Londini capite plexa eſt, A. C. 1554.

JOHANNA, infans & Regens Luſitaniæ, filia Alphonſi V. ex Elizabetha Conimbricenſi, ſoror Joh. II. Magni: patre contra Mauros belligerante, magna cum prudentiæ laude regno præfuit; eo reverſo in Monaſterium ſe recepit, nuptias potentiſſimorum Principum aſpernata. Obiit A. C. 1490. Ær. 38.

JOHANNA, filia & hæres Henr. I. Navarr. Regis ex Blanca Arteſia, Obiit A. C. 1304. Fundatrix Collegii Navarreni, Pariſiis. Item filia Othonis IV. Com. Burgundiæ, ex Mathilde Atrebatica, nupſit Phil. Longo. Obiit A. C. 1329. Impudicitiæ, cum ſorore Blanca, uxore Car. Pulchri, accuſata. Item, filia Lud. Com. Ebroicenſis, uxor Car. P. tertia. Obiit A. C. 1370. Item filia Roberti II. Burgundiæ Duc. nupta Phil. VI. Valeſio. Obiit A. C. 1350. Item; filia Gul. Arvernicæ & Bononiæ Com. nupſit ſecundò Joh. Gall. Regi Obiit A. C. 1360. Item; filia Petri I. Burgund. Duc. uxor Car. V. Sapientis. Obiit A. C. 1378. Item, filia Lud. Hutini, ex Phil. Ebroicenſi, mater Car. Mali, Navarr. Regis Obiit A. C. 1349. Item, filia Phil. V. Longi, nupſit A. C. 1318. Eudi IV. Burgund. Duci Item, filia poſthuma Phil.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Phil. VI. Valeſii, nuptura Joh. fil. Petri III. Arrag. Regis Obiit, A.C. 1371. Item, filia Joh. Regis Gall. nupta Car. Malo Navarr. Regi Obiit A. C. 1373. Item, filia Car. VI. uxor Joh. VI. Britanniæ Duc Item, filia Car. VII. Joh. II. Borbon. Duc. uxor. Obiit A. C. 1482.

JOHANNA Auſtriaca, filia Ferd. I. Imp. nupſit Franciſco I. Mag. Florentiæ Ducis Coſmi fil. mater, Mariæ de Medicis, quæ Henr. IV. uxor. Obiit An. Æt. 32. Item, filia Ferd. ex Iſabella Hiſp. Regis nupta Phil. Auſtriæ Arch. Car. V. & Ferd. I. mater. Obiit A. C. 1555. Latinè doctiſſima. Lud. Vives *de Inſt. fem. c.* 3. Item, filia Car. V. Joh. Luſitaniæ Principi nupta. Item, filia Ferd. I. nupta Franciſco. Mag. Florentiæ Duci, cujus intuitu Magni Ducis titulum à Papa collatum Cæſar confirmavit.

JOHANNA, filia Phil. ultimi Hochbergii, Mortui A. C. 1503. ex Maria Sabauda, nupta Lud. Aureliano Duci Longavillano, attulit eî Comitatum Novocaſtrenſem, & prætenſionem in Princip. Arauſionenſem: qui cùm reliquarum quoque ditionum ſucceſſionem, Rötelanum inprimis dominium ſibi vindicaret, jure diſceptatum eſt. Sed penes Badenſes, qui 250000. aureos Lud. numerârunt, manſit poſſeſſio. Longavillani nihilominus titulum Marchionis Rötelani ſervârunt, ad noſtra uſque tempora. Sic dicta quoque mulier, quæ Chriſtum ſequuta eſt, uxor Chuſæ, Luc. *c.* 8. *v.* 3.

JOHANNA, Papiſſa. Vide *Johannes VIII.*

JOHANNA d'Arc, puella ruſtica, è pago *Damremy*, ad Moſam, Lotharingicæ ditionis, oriundæ, *Puellæ Aurelianenſis* nomine clara. Tempore obſidionis Aurelianenſis, A.C. 1429. ac deſperatis rebus omnibus, Anno Æt. 18. vel 20. Car. VII. Regi divinitus ſe in auxilium miſſam prodidit: Regem nunquam prius viſum, in turba latentem, agnovit. Anglos ab obſidione depulit, Talbotum acie vicit. Campaniam recuperavit, Remis Car. coronari curavit, victricibus armis longè lateque circumlatis. Poſteà ab Anglis capta, & publicè in foro Rotomagenſi, tanquam *venefica, ſeductrix, hæretica & infamis*, combuſta eſt, A. C. 1430. Symbolum ejus, *Conſilio firmata Dei*: in nummo ſtatim poſt inaugurationem Regis cuſo. Vide Joh. Iſ. Pontan. *l.* 9. *Rer. Geldr.* Boxhorn. *Hiſt. Un. p.* 945. Serres, *in Car. VII.* Voët. inprimis, qui diſcurſu Theologico. Hiſtorico cuncta ejus diligenter ac judicioſè collegit, *Vol.* 2. *diſp. de Sign.* & *Mir.* Adde Lipſ. *in not. ad Politic. l.* 1. *c.* 3.

JOHANNA Blauchetta, Bononienſis, Latinè, Germanicè & Bohemicè docta. Leand. Alb. *deſcr. Ital.*

JOHANNA de Cambry, Tornacenſis, Obiit A.C. 1639. Inter alia, auctor libri, de ruina amoris proprii, & inſtauratione amoris divini. Lud. Jacob. *Bibl. fem. Ill.*

JOHANNA Flora, eruditione inclyta.

JOHANNA Franc. Fremiota, fundatrix ord. Viſitationis S. Mariæ, A.C. 1610. Obiit A. C. 1641. Morer. *in Dict. Hiſt.*

JOHHNNA Gaillarda, poëtria, Sec. Præt. à Maroto laudata. *Verdier.* &c.

JOHANNAN, Lat. *gratipſus*, ſive *donans*, aut *pius*, vel *meſericors*, fil. Carec. 2. Reg. *c.* 25. *v.* 26. Primogenitus Joſiæ Regis Judæ. 1. Par. *c.* 3. *v.* 15. Fil. Azariæ. 1. Par. *c.* 3. *v.* 24. Idem *c.* 6. *v.* 9. Principis nomen. Idem *c.* 12. *v.* 12. Nehem. *c.* 12. *v.* 23.

Viri θεόπνευστοι.

JOHANNES Baptiſta, Præcurſor Chriſti, fil. Zachariæ ex Elizabetha, jam ſenio confecta. Vox clamantis in deſerto, Elias à Malachia promiſſus, Matth. *c.* 17. *v.* 11. 12. & 13. baptizavit Chriſtum, Joh. *c.* 4. *v.* 1. ab Herode Antipa, in gratiam puellæ, decollatus, Matth. *c.* 14. *v.* 10. Samariæ ſepultus. Vide Iren. *l.* 3. *c.* 18. Orig. *homil.* 7. & 10. *in Luc.* Cyrill. *Cath.* 3. Ambroſ. *l.* 4. *de Fide.* Hier. *dial. c. Lucif. apol. in Rufin.* Niceph. *l.* 1. & 12. *Sigebert. in Chr.* &c.

JOHANNES, Apoſtolus & Euangeliſta, dictus *Theologus* & *Senior*, quia poſt reliquos Apoſtolos omnes Mortuus, fil. Zebedæi, frater Jacobi Majoris. A Chriſto Serv. inſignitur dilectus, utpote qui in ejus ſinu recubuit, & Moriens ei Matrem commendavit. prædicavit euangelium Aſianis, & Parthis. Sub Domitiano, cùm in oleo ignito nihil paſſus eſſet, in inſ. Pathmon religatus eſt, ubi Apocalypſin vidit. Anno 96. Epheſum rediit, Anno 98. Euangelium ſcripſit, contra Ebionem & Cerinthum, Anno 99. cum priore unà lavari noluit. Obiit Anno 100. Epheſi: trium quoque Epp. Canonicarum Auctor. Hier. *deſcr. c.* 9. Euſeb. *l.* 3. *c.* 18. &c. In *euangelium Johannis*, extant: Alcuini, Octav. Argentorati, A. C. 1527. & Aleſii *Comm.* Octav. Baſilieæ. A. C. 1553. Amyraldi *Paraphraſis*, Gall. A. C. 1651, Auguſtini *Tractatus.* Brentii *Comm.* inter opera. Buceri *Explanatio* Fol. Baſileæ, A. C. 1536. Bugenhagii *Annotat.* Cameronis *Conciones in c.* 6. Gall. 24. Chryſoſtomi *Expoſitio.* Chytræi *Comm.* Cocceius *in c.* 1. Quart. Franekeræ. Curionis, *in principium euang. Joh.* Cyrilli *Explanatio.* Dalæus *in c.* 3. de Dieu, Feri. *Comm.* Fol. Compluti A. C. 1579. Fricii *Explicatio c.* 7. Baſileæ A. C. 1559. Fol. Glaſſii *pia Expoſitio*, *c.* 17. Jenæ. A. C. 1620. Gomari *locorum diffic. Explic.* Gualteri *Homiliæ.* Heinſii *Exercitat.* Hemingii *Comm.* Fol. Baſileæ, A. C. 1590. Hildershami *Conciones*, Angl. & Belg. Quart. Hucheſoni *Expoſitio*, Angl. Fol. Londini A. C. 1657. Hunnii *Comm.* Octav. Witebergæ A. C. 1607. Lutheri *Explic. c.* 18. Mentzeri *Meditatio.* Quart: Gieſſæ. A. C. 1626. Muſculus. Mylii *Comm.* Francof. A. C. 1624. Oecolampadii *Annotat.* Origenis *Tractatus.* Oſorii *Orationes* 21. Pagnini *Explicatio c.* 6. Lugd. A. C. 1518. Colon. A. C. 1563. Pelargi *Comm.* Quart. Francofurti, A.C. 1615. Pererii *Diſputationes Selectæ in c.* 9. *pr.* Quart. Lugd. & in 5. ſeqq. 2. vol. Quart. Ibidem A.C. 1610. Pezelii *Enarratio*, *in* 3. *pr. c.* Neoſt. Pal. A. C. 1586. Pricæi *Annotata*, Octav. Pariſiis. A.C 1647. Rolloci *Comm.* 8. Genevæ A. C. 1600. Selmecceri *ſimiliter*, Lipſiæ, A. C. 1580. Schlichtingii Socin. *Comm.* Smalcii Socin. *Homiliæ in c.* 1. Quart. Socini *Explicatio c.* 1. Tarnovii *Comm.* Quart. Roſtochii A. C. 1629. Titelmanni *Elucidatio*, Lugd. A. C. 1518. Toleti *Comm.* Fol. Ibid. A. C. 1615. Toſſani *Notæ.* Trapezuntii *in Job. ultima.* Urſini *Vindicatio c.* 1. inter opera. Wigandi *Explicationes*, Octav. Regiomont. A. C. 1576. Wimpinæ *Expoſitio in initium*, Fol. Col. A. C. 1531. Zepperi *Analyſis Log. cum Scholiis*, Octav. Herbornæ, A. C. 1595. Vide Crowæi *Elenchum Scriptorum.*

In I. ejus *Ep.* prodiêrunt: Althameri *Annotat.* Argentor. A. C. 1521. Auguſtini *Tractatus* 10. Beurlini *Enarratio.* Clem. Alex. *Comm.* Eckhardi *Analyſis Theol.* Octav. Gieſſæ. A. C. 1609. Epiſcopii Socin. *Lectiones.* Folengii *Comm.* Octav. A. C. 1555. Grynæi *Explicatio.* Quart. Baſileæ A. C. 1591. Hunni *Enarratio*, Octav. Francof. A. C. 1596. Meſtrezati *Concion. Gall.* Vol. 2. Naogeorgii *Annotat.* Franc. ad Mœnum, A. C. 1544. Oecolampadii *Conciones.* Schlichtingii Socin. *Comm.* Selnecceri *Homiliæ.* Octav. Lipſ. A. C. 1580. Socini *Comm.* & Theoduli, in Bibl. PP. Zanchius. Vide *ejus opera.*

In 2. *Ep.* extant: Beurlini *Enarratio.* Clem. Alex. *Comm.* Danæi *Comm.* Octav. Genevæ A. C. 1583. Gaultieri *Expoſitio.* Grynæi *Explicatio.* Joneſii *Expoſitio.* Angl. Fol. Lond. A. C. 1612. 1618. & 1635. Lybii *Explicatio.* Octav. Witebergæ, A. C. 1580. Pococki *Notæ.* Quart. Lugd. Bat. A. C. 1630. Schlichtingii Socin. *Comm.* Selnecceri *Homiliæ.* Zanchii *Comm.*

In 3. *Ep.* prodiêre: Beurlini *Enarratio.* Danæi *Comm.* Octav. Genevæ. Gaultieri, & Joneſii *Expoſitio.* Lybii *Expl.* Pococki *Notæ.* Schlichtingii Socin. *Comm.* Selnecceri *Homiliæ.* Zanchii *Comm.* Cæterùm de ſecunda, & tertia ejus Ep. dubitatum fuiſſe olim, habes apud Euſeb. *Hiſt. Eccl. l.* 3. *c.* 24. & Amphiloch. *Ep. de inſtitut. rectè ſtudiis ad Seleuc.* Encratitæ verò etiam πράξεις, *Acta*, ejus jactârunt, teſte Epiphanio *Hær.* 47. &c. Plura de eo, ut & *Joh. Bapt.* Vide apud Cl. Suicer. in *Theſ.* ut & infrà aliquid, in voce *Majus*, it. *Nodſyrs.*

Imperatores Græci.

JOHANNES I. Zimiſcius, Imp. Orientis. Ex Duce Legionum, ductâ Theodorâ, gener Rom. Imp. qui Moriens duos reliquit filios, ſub tutela matris Theophaniæ, Nicephoro Phocæ ad Imperium evecto poſtea nuptæ. Hæc, Baſilium & Conſtantinum filios coronari expetens, cùm probè noſſet, à Nicephoro, fratri Leoni deſtinari imperium, impulit Joh. Zimiſcium, imo eum fune in cubiculum attraxit, ut Nicephorum, in ſuo palatio, occideret. A. C. 969. Ita is huic ſucceſſit, ſanctè pollicitus Patriarchæ Polyeucti, reſignaturum ſe imperium Romani filiis, & quidquid opum privatus poſſidebat, inter egenos diſtributurum. Mox à populo motus, Theophaniam Imp. in exilium pepulit, filiamque Romani cogn. Deiu ad Othonem Magnum miſit, ut Othoni filio ejus nuberet. Saracenos Antiochiâ exegit, Turcas, Ruſſos & Bulgaros vicit, Boriſe Rege horum, cum tota familia, capto. Sic Bulgariæ regno finis impoſitus, & metropolis ejus Paraſthlaba, in Johannopolin mutata eſt. Primus Chriſti imaginem in nummis expreſſit, cum inſcr. *Chriſtus Rex Regum.* Tandem, cùm ingemiſceret, ſpadones amplas poſſeſſiones, non verò milites habere, à ſpadone veneno propinato Damaſci, Obiit Constantinopolim redux, A. C. 975. Imp. 6. Curopalat. & Cedren. *in Ann. Gr.* VViteckindus, *l.* 3. Ricciol. *Chr. Ref. l.* 1. *c.* 13. Succeſſit Baſilius, Rom. fil.

JOHANNES II. Comnenus, dictus vulgò *Calo-Johannes*, ſucceſſit patri Alexio Comneno, A. C. 1118. Vivo adhuc patre. Sozopolim Turcis ademit, Scythas Thraciâ depulit. Nicet. *in Hiſt. Imp.* Mahometem Turcam, per fil. Emanuelem, in Paphlagonia vicit, quem quòd injuſſus pugnâſſet, palam laudibus, clam verberibus affecit. Raimundum principatu Antiocheno deturbare voluit. P. Æmil. *l.* 5. Obiit, in Cilicia, cùm inter venandum, ſagittâ venenatâ manum læſiſſet, A. C. 1143. quam Medico ſalutem hac lege promittente, abſcindi noluit, utrâque manu opus eſſe ad tantum imperium adminiſtrandum, dictitans. Nicetas, Joh. Cinnamus, Otho Friſ. *l.* 1. Gul. Tyr. *l.* 15. &c.

JOHANNES III. Ducas, cogn. Batazes: vel Diplobaſtazes, ab aliis Vaſtaches, maritus Irenes, filiæ Theodori Laſcaris, huic ſucceſſit A. C. 1222. ſedens Niceæ, dum Conſtantinopolim Latini tenebant. Inito cum Græcis Principibus fœdere, Robertum Imp. terrâ ſuperavit, mari aliquoties quoque victor. Scythas, Tartaros, Bulgaroſque pepulit, undique finibus imperii dilataris. Porro cum Turcis amicitiam coluit, ſecundiſque nuptiis Annam, Frid. II. filiam, duxit. Juſtitiæ tenax, ſeverus & parcus. Obiit A. C. 1255. Æt. 62. Imp. 33. Succeſſit Theodorus Jun. fil. ejus. Gregoras *l.* 2. Georg. Logotheta, *in Chron. Conſtant. Pachymerus*, &c.

JOHANNES IV. fil. Theodori Jun. coronatus poſt Obitum patris, A. C. 1258. Æt. 7. Michaëlis Palæologi tutoris juſſu, paulò pòſt, excæcatus eſt. Pachymerus *l.* 3. *Gregoras*, &c.

JOHANNES V. Cantacuzenus, Andronico Palæologo Jun. gratus, ab illo Morituro Joh. & Emanuelis filiorum tutor conſtitutus eſt. Sed ipſe coronari ſe curavit Didymotychæ, Thraciæ urbe, A. C. 1341. eodem tempore, quo Joh. Palæologus, Conſtantinopoli coronam accepit. Firmaturus ſibi Imperium, fœdere cum Turcis inito, Urchani filiam uxorem dedit, Lydiam, Cappadociam aliaſque provincias, & urbes complures occupavit. Majora molitus, Venetorum ope, vincitur à Palæologo, à Genuenſibus adjuto, prælio navali, A. C. 1352. Hinc cùm omnia ejus in pejus ruerent, inſignia Imperii A. C. 1353. vel 57. depoſuit, & Joſephi Chriſtoduli nomine ſumpto, in monte Atho monaſterium ingreſſus eſt, cum fil. Matthæo, Imperii conſorte. Ubi Hiſtoriam libb. 4. de rebus ſub Andronico, & ſe geſtis compoſuit: opus planè egregium, niſi quòd de ſe loquens ſubinde veritatem diſſimulet. Attribuuntur quoque illi commentarii, contrà Mahometanos, & Judæos, paraphraſis in 5. libb. priores Ethicæ Ariſtot. Geſner. Poſſevin. Vixit adhuc A. C. 1374. Vide Villan. *Hiſt. l.* 4. Feliciam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

tam *Hiſt. Gen. l.* 7. Juſtinian. Suritain, Petrach. Blond. Ipſummet *Hiſt. l.* 3. & 4.

JOHANNES VI. Palæologus, dictus *Calo-Johannes*, fil. Andronici Jun. uſurpatore Imperii Johanne V. Vide ſuprà, ope Genuenſium, pulſo, his Lesbum, Duciq́ue eorum Joh. Gateluzio ſororem ſuam conjugem dedit. Bello contra Bulgaros infelix, ab illis captus, & ab Amadeo VI. Sabaud. Duce liberatus eſt. Dein ab Amurathe, initum fœdus negligente, plurimis urbibus exutus; à filio Andronico conſpiratione impetitus, illam disjecit, filio ferventi aceto excæcato. Sed is fugâ ad Turcam elapſus, ejus & Genuenſium ope, Patrem Imperio exuit, & cum filiis in vincula conjecit. Qui inde poſt 4. Annos, magnâ pecuniæ vi Bajazethi datâ liber, pollicitus inſuper contra quoſvis ſocietatem armorum, Imperium recepit. Hinc in Italiam tranſiens, Principum Chriſtianorum opem imploravit, promiſsâ Romæ Græcæ Eccl. ut quidam volunt, cum Latina unione. Obiit, A. C. 1387. Succeſſit fil. Emanuel. Chalcondylas & Leunclav. *Hiſt. Turc.* Blond. Onuphr. Sabellic. Guicheno *Hiſt. Sab.* &c.

JOHANNES VII. Palæologus, patri Emanueli II. ſponte Imperium abdicanti, ſucceſſit, A. C. 1419. maritus Sophiæ, Marchionis Montferratenſis. Patre non felicior. Imprudenter enim Muſtapham juvando, Amurathem adverſus ſe concitavit, Venetis Theſſalonicâ fruſtra conceſsâ, nam & hanc Amurathes expugnavit. Hinc urbi exitium imminere cernens, ut à Latinis auxilia impetrare poſſet, in Italiam cum Joſepho Patr. conceſſit, & Conc. ſub Eugenio IV. Florentiæ habito, Eccl. Græcam Latinæ univit, conſenſu poſtmodum à Græcis reſciſſo. Obiit in Orientem reverſus, A. C. 1448. ſec. Onuphrium A. C. 1445. Georg. Phran. *l.* 2. Naucler. gen. 49. Ducas, *Chalcondylas*, &c.

Galliæ Reges.

JOHANNES, Galliæ Rex ſucceſſit patri Phil. Valeſio, A. C. 1350. Autor, vel Inſtaurator Ordinis Stellæ, Rudolphum ultimum Com. Euſianum, Conneſtabilem, colluſionis cum hoſte convictum, punit, munere hoc in Car. Hiſp. de la Cerda, ſibi gratum, tranſlato: quo in Normannia, à Car. Malo Navarr. Rege genero ſuo, ſublato, A. C. 1354. Angli evocati, ſed tum repulſi, ad monomachiam Eduardo provocato. A. C. 1355. Anno ſeq. Eduardo Walliæ Principe, poſt vaſtatum agrum Cadurcenſem, aliaſq́ue quaſdam provincias, ad pugnam adacto, 7000. cæſis, & flore Nobilitatis ſublato, victus, & poſtquam ſolus cum Phil. fil. hinc dicto *Audaci*, diu fortiſſimè reſtitiſſet, captus eſt Joh. Morebecquio, Atrebate, quem Regno antè pepulerat, ſe dedens. In Angliam abductus, pace Bretiniacenſi, denuo liber, totâ Aquitaniâ Anglis conceſsâ & 3. millionibus aureorum ſolutis, A. C. 1360. Avenione cum Urbano V. collocutus eſt. Mox in Angliam reverſus, an illuſtris cujuſdam feminæ amore, an ut Eduardo teſtaretur, obſidum, inter quos fil. Dux Andegavenſis, fugæ ſe non conſcium fuiſſe, Regemq́ue ad ſocietatem ſacræ expeditionis permoveret? ibi Obiit A. C. 1364. Æt. 52. Regni 14. Strenuus, magnificus, datæ fidei tenax. Ex Bonna Lucemburgica, filia Joh. Bohemiæ Regis Car. V. ſucceſſoris, Lud. unde Duces Andegav. Reges Neap. Phil. Audacis, unde Burgundiæ Duces, &c. Pater. Fr. Petracha, Froiſſardus, Haillan, Dupleix, Mezeraius *Hiſt. Gall.*

JOHANNES, fil. Lud. Hutini, Mortui A. C. 1316. ex Clementia poſthumus, 8. poſt nativitatem die ſepultus, in pompa funebri Rex Franciæ & Navarræ proclamatus eſt. Qui proin quibuſdam Joh. I. dictus eſt. Idem. *Hiſt. Gall.*

Angliæ, Hiſp. aliiq́ue Reges.

JOHANNES, cogn. *ſine Terris*, Angliæ Rex, tertius fil. Henr. II. poſt Richardum I. remoto Arturo, fil. Godofredi fratris, ſecundi fil. Henr. regnum occupavit, circa A. C. 1200. Qui Phil. Aug. Galliæ Regis ope ſubnixus Joh. bellum movit, ſed Mirabelli interceptus, in carcere Obiit. Hinc Lutetiam Joh. citatus, cùm non compareret, tanquam feloniæ & parricidii reus condemnatus eſt, ad ditionum, quas in Gallia poſſidebat, amiſſionem. Subditis exactionibus gravis, cum Innoc. III. ob creatum Archiep. ſine ſuo ſcitu, diſſedit: Eccleſiaſticiſq́ue, per dentes Dei, jurans, extrema minatus eſt, ſi Papa ſe excommunicaret, horum proventibus per 6. An. occupatis. Excommunicatus & rapinæ Galliæ Regis expoſitus, Eccleſiaſticos duriſſimè tractavit, ſed metu Galli perculſus, *coronam ſuam regnis Angliæ Hiberniæq́ue in manus Domini Papæ reſignavit*, hinc ſubditis maximè exoſus. Vide *Innoc. III.* Victus dein prælio Boviniacenſi, Lud. fil. Phil. Aug. contra ſe electum ſuperavit, & Angliâ excluſit, Valliam ſubegit, Obiit A. C. 1216. Pater, ex Iſabella Engoliſmenſi, Henr. III. ſucceſſoris, Richardi Rom. Regis &c. Poſt mortem ejus, Regina vidua Hugoni, Comiti Marchiæ, cui ipſo nuptiarum die à Joh. erepta fuerat, denuo nupſit. Matth. VVeſtmonaſt. Polydorus, *Matth. Pariſ.* &c.

JOHANNES I. Legionis & Caſtellæ Rex patris Henr. II. ſucceſſor, A. C. 1379. Æt. 21. Ex Eleonora Arragonia, pater Henr. III. ſucceſſoris, & Ferd. Arragon. Regis Litem cum Anglis, qui ob Conſtantiam, filiam Petri, Joh. Lancaſtriæ Duci nuptam, jus in regnum ejus, armis, Ferd. Luſitaniæ Regi juncti, perſequebantur, compoſuit. Uxore orbatus, Beatricem Luſitanicam duxit A. C. 1383. eâ lege, ut liberi hinc orti Ferd. ſuccederent. Sed Ferd. Mortuo, frater ejus nothus Joh. à ſubditis ſurrogatus eſt, contra quem Joh. prælio infelix, poſteà equi lapſu, an in decurſione equeſtri? die Dominicâ inſtitutâ, an in venatione? Obiit A. C. 1390. Regni 11. Roderic. Sanctius, *Hiſt. Part.* 4. Mariana, *l.* 18. Garibay *l.* 25.

JOHANNES II. fil. Henr. III. Rex proclamatus, A. C. 1406. Æt. 2. operâ & fide Ferd. patrui, qui poſtmodum Arragoniæ Rex fuit. Pauli Burgenſis, Ep. Carthagenæ, curæ commiſſus, cùm adolevit, à Navarræ & Arragoniæ Regibus bello petitus, illos ad pacem adegit. Granatæ Regem, quem prius reſtituerat, ſibi bellum inferentem, 12000. occiſis, retudit, omnibus Granatâ tenus vaſtatis. A. C. 1431. quam & ipſam cepiſſet, ni Alvares Luna, Conneſtabilis, Regi gratus, à Mauris corruptus reſtitiſſet. Obiit A. C. 1454. Æt. 50. Pater Henr. IV. ſucceſſoris, ex Maria Arragonia. Mariana *l.* 19. 20. 21. & 22. Turquet. *Hiſt. Hiſp.*

JOHANNES I. Arragoniæ Rex ſucceſſit Petro IV. Patri. Ob infirmitatem, ſuis contemptui, ſeditionibus turbiſq́ue agitatus eſt, ſub regni initium. Obiit A. C. 1395. Æt. 44. Regni 9. menſ. 5. Succeſſit frater Martinus, excluſio Matthæo Com. Fuxio, qui Johannam filiam ejus duxerat. Mariano *l.* 19. Surita *Ind. l.* 3.

JOHANNES II. fil. Ferd. Caſtellani, Arrag. Regis, ductâ Blancà, hærede & filia Car. Nobilis, Navarræ Rex I. hujus nominis: A C. 1429. ex illa pater Car. Princ. Vianiæ, Blancæ, quæ Henr. IV. Caſtellæ Regi nupſit improlis, & Eleonoræ. Poſt uxoris Mortem, A. C. 1441. cùm Johannam Henriquez, filiam Conneſtabilis Caſtell. Rex duxiſſet, Car. Princeps, Bellimontiis ſubnixus, coronari ſe curavit, ſed prælio victus eſt à Patre, cui Grandmontii adhæſerant: in duas enim has factiones Regnum tum ſciſſum. Poſtea Patri reconciliatus. Catalauniam accepit. Joh. dein, Alphonſo fratre Mortuo, A. C. 1358. Arragoniæ quoque regnum nactus eſt, ingenti poſtmodum contra Henr. IV. Caſtell. Regem bello implicitus. Interea Car. à noverca malè habitus, denuo in patrem inſurrexit, denuoq́ue victus eſt, & in carcerem conjectus. Qui inde à Catalaunis liberatus, ſed per Medicum à Noverca corruptum, ſuffocatus, Obiit A. C. 1460. Proin Catalauni iterum, à Caſtellæ Rege adjuti, jugum excuſsêrunt, Rex verò, Comit. Ruſcinonenſi & Cerdaniæ Lud. XI. Gall. Regi oppignorato, aliquam pecuniæ vim confecit, quò melius reſiſteret: Eleonorâ quoque Gaſtoni IV. Com. Fuxio elocatâ, Navarræ regnum ſic in hanc familiam devolvit. Obiit Barcinone. A. C. 1479. Æt. 82. ex Johanna pater Ferd.. qui Iſabellam, Legionis & Caſtellæ hæredem, ſibi junxit. Mariana *l.* 23. *c.* 24. Surita *Ind. l.* 20. Texeira, Olhagarius, Perrierus, Chapſus, De Marca, &c. *Hiſt. Benearn. & Navarr.* Turquetus, *Hiſt. Hiſp.*

JOHANNES II. fil. Alani Albretani, ductâ Catharinâ Foxiâ, ſorore Franciſci Phœbi, Navarræ Regis A. C. 1494. Quibus cùm inter ſe non optimè conveniret, factionibus reviviſcentibus, Rex Bellimontiis, Regina Grandmontiis favit. His turbis ægrè compoſitis, Ferd. Hiſp. Rex ambitione ſtimulatus occupat Navarræ regnum, A. C. 1512. Joh. in Benearniam compulſo, dein colorem quærit, quo injuſtitiam utcunque excuſet. Nec alium invenit, quam quem Bulla Julii II. ei ſuggeſſit, qui Navarram primo occupanti prædam expoſuerat, eò quòd Joh. fautor Conc. Piſani, cum Lud. XII. Gall. Rege Papam oppugnâſſet. Sanè & Car. V. Phil. II. fil. ſuaſit, ut Johannam Joh. filiam in uxorem duceret, eâ lege, ut jus ſuum in Navarram marito conferret. Eademq́ue, mollius tamen, repetiit Phil. II. in monitis ad fil. Phil. III. Navarreni regni quæſtionem ſuæ fidei à Patre ſecreto codicillo commendatam teſtatus, ſed variis occupationibus diſtrictum non potuiſſe illam diligenter diſcutere, proin filio mandare, ut momenta cauſæ, à peritis & probis hominibus curet examinanda: velleq́ue ac jubere, ut ſi quid in ea invaſione pater jus & fas factum comperiatur, damnum & jactura poſſeſſoribus antiquis reſarciatur. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 120. Becmann. *Hiſt. Orbis terr. Geogr. & Civ.* &c. Obiit Rex A. C. 1516. ex Catharina parens Henr. Regis laudatiſſimi, qui ex Margaretha, Franciſci I. fil. Johannam matrem Henr. IV. Gall. Regis ſuſcepit. Autores ſupra dicti. Mariana *l.* 30. Mezer. *Hiſt. Gall. in Lud. XII. & Franc. I.*

Luſitaniæ Reges.

JOHANNES I. Luſitaniæ Rex fil. nothus Petri Juſti, ex Thereſia Laurentia, Ferd. fratri A. C. 1383. ſurrogatus eſt, excluſâ hujus filiâ, Joh. I. Caſtell. Regis uxore. Hinc bellum, ſed Caſtellani prælio celebri ad Aliubarotam cæſi, A. C. 1385. Poſtea, bello in Africam tranſlato, Barbaros aliquot urbibus exuit, ductâ Philippâ, filiâ Joh. Gandavenſis Lancaſtriæ Ducis Pater ex ea egregiæ & numeroſæ prolis. Obiit A. C. 1433. Æt. 76 Eduardus fil. ſucceſſit. Ab ejus notho Alphonſo, Duces Bragantiæ orti, qui hodiè regnant. Mariana *l.* 18. *c.* 21. Vaſconcell. *de Reg. Luſ.* Nonius, *Geneal. Reg. Luſit. Turquetus*, &c.

JOHANNES II. cogn. Magnus & Severus, patri Alphonſo V. ſucceſſit, A. C. 1481. Sub initium regni Procerum conjurationem, capite plexo Fernando Bragantiæ Duce disjecit. Coloniis in Indiam & Africam deducendis intentus, varias in Guinea arces extruxit, fidemq́ue Chriſtianam illis tertis intulit. Papæ reliquiſq́ue Principibus contra Car. VIII. Gall. Regem ſe jungere noluit, injuſtitiâ cauſæ perſpectâ. Obiit A. C. 1495. Æt. 41. Ex Eleonora filia Ferd. Conneſtabilis Luſitaniæ, pater Alphonſi, qui equi lapſu interiit, A. C. 1491. Succeſſit Emanuel patruelis. Vaſconcell. *Anaceph. Reg. Luſit. Nonius*, &c.

JOHANNES III. patris Emanuelis ſucceſſor, A. C. 1521; à Davide Æthiop. Rege per Legatos ſalutatus eſt. In India ingentes fecit progreſſus, Arce de Diu, maximi in terra illa momenti, Regi Camboſæ ereptâ. Xaverium alioſq́ue Jeſuitas A. C. 1540. in Indias miſit, Japoniam detexit, fide Chriſtianâ in Aſia & America latè propagatâ. Obiit apoplexiâ ictus, A. C. 1557. Ex Catharina Car. V. ſorore pater 5. filiorum, qui omnes in juventute obiêrunt. Quos inter Joh. Luſitaniæ Princeps, Mortuus A. C. 1554. ex Johanna filia Car. V. Sebaſtianum, Avi ſucceſſorem, reliquit, &c. Damianus Goëzius, *in Comm.* Vaſconcell. *in Anaceph.* Nonius *in Geneal. tom.* 2. &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

JOHANNES IV. fil. Theodoſii II. Bragantiæ Ducis ex Anna filia Joh. Ferd. Velaſci, Conneſtab. Caſtell. proximus regni hæres, A. C. 1640. à Luſitanis, excuſſo Hiſpanorum jugo, Rex proclamatus, titulo Regis Luſitaniæ, Algarbiæ, oræ maritimæ Africæ, Domini Guineæ, navigationis & commercii Æthiopici, Arabici, Perſici, Indici ſumpto: Conjurationem horribilem diſſipavit, capitibus conjurationis morte multatis, felix & prudens. Literarum fautor, Muſicæ peritus, pauci ſomni, veſtitu parum à vulgari diverſo, ſobrius & frugalis. Dicere ſolitus eſt, *Regem affabilem eſſe debere, veſtem omnem tegere, nutrire omnem cibum.* Obiit A. C. 1656. Ex Ludovica filia primogenita Joh. Eman. Perezii Guſmanni Ducis Medinæ Sidoniæ, prudentiſſima heroina & regni reſtauratrice, Theodoſii, qui brevis ævi, Alphonſi Regis & Petri, qui fratre in Terceram Inſ. remoto, hodie Regens eſt, ut & Catharinæ, Car. II. Mag. Britann. Regi nuptæ Parens.

Scotiæ Reges.

JOHANNES I. dictus *Balliolus*, Scotiæ Rex è Normannia oriundus, poſt Alex. III. improlis Mortem, regnum occupavit, hinc diuturno bello cum Roberto Bruſſio colliſus. Qui ambo, per matres, ex Scotorum Regum ſanguine, cùm Eduardum II. tandem arbitrum litis elegiſſent, hic pro Joh. ſententiam tulit: An quia propior, an quia ſe ei vaſallum fore pollicitus eſt? Mox tamen eundem bello aggreſſus, cepit: qui ut liberaretur, ad conditiones Rege indignas cùm deſcendiſſet, à Scotis rejectus, Obiit in Gallia A. C. 1303. Leſlæus & Buchan. *Hiſt. Scot.*

JOHANNES II. fil. Roberti II. nomen mutare coactus, quod à tempore Joh. Ballioli ſummo contemptui erat, Robertus III. dictus eſt. Vide ibi.

Poloniæ & Bohemiæ Reges.

JOHANNES Albertus, Poloniæ Rex ſecundogenitus Caſimiri IV. Ladiſlao fratre Hung. & Boh. Rege annuente, electus eſt, A. C. 1492. Eruditus, Hiſtoriarum peritiſſimus, munificus in milites, ſed bello parum felix. Obiit cælebs A. C. 1501. Michov. *Sarm. l.* 1. *& Hiſt. Pol.* 4. Cromer. *l.* 30. *&c.*

JOHANNES Caſimirus, Vide *Caſimirus V.*

JOHANNES, exercituum ſummus Dux, poſt Michaëlem Regem fato functum, haud pridem ſucceſſit, rebus contra Turcas præclarè geſtis inclytus.

JOHANNES, Bohemiæ Rex fortis & aſtutus, fil. Henr. VII. Imp. ductâ Elizabetâ, filiâ Wenceſlai Regis A. C. 1309. electus contra Henr. Carinthiæ D. Bohemis, ob ſævitiam, intolerabilem, & Pragæ cum uxore coronatus eſt. Dein, patre abſente, Vicarius Imperii, res in Sileſia & Lombardia præclarè, geſſit, A. C. 1330. 31. & 32. poſtquam à M. Duce Crucigerorum Pruſſiæ, in Poloniam vocatus, victis Lithuanis Ethnicis, Poloniæ Regis titulum aſſumpſiſſet. In hac expeditione altero oculo amiſſo, clam Monſpelium venit. ubi Judæi Medici imperitiâ & altero privatus eſt. Nihilo tamen ſecius bella gerere perrexit. Poloniæ Regi ad monomachiam, in cubiculo clauſo, ſe invitanti, reſpondit, pariturum ſe, ſi ille ſimiliter prius ambos oculos eruiſſet, ſic enim arma paria fore. Suppetias veniens in Galliam Phil. Valeſio, periit in prælio Creſſiaceno. Ubi, quò fortius pugnaret, equum ſuum duorum fortiſſimorum militum equis alligari juſſit, à quibus, in confertiſſimos hoſtes abreptus, ibi occiſus eſt. Succeſſit ei fil. Wenceſlaus Car. IV. Rex. Boh. & Imp. qui patris res geſtas memoriæ prodidit. Dubrav. *l.* 20. *& ſeqq.* Trithem. *in Chron.* Villianius, *Cromerus*, &c.

Sueciæ & Daniæ Reges.

JOHANNES I. Sueciæ Rex Suercheri Regis fil. Erico X. ſucceſſit. A. C. 1220. Pius & felix, ſed brevis regni. Obiit A. C. 1223. Martin. Zeillerus, in nova *Deſcr. Sueciæ.*

JOHANNES II. Daniæ Rex Chriſtierni I. fil. etiam in Sueciæ Regem electus eſt, ſed cùm promiſſa non ſervaret, mox pulſus, Obiit A. C. 1513. Joh. Magnus, *Hiſt. Suec. Chytræus*, &c.

JOHANNES III. Finlandiæ Ducis fil. Guſtavi I. ex Catharina Saxonica, à fratre Erico XIV. in vinculis aliquot Annos detentus, inde liber, Suecorumque ope adjutus, Ericum in eundem carcerem compegit, throno conſcenſo, A. C. 1568. Pacificè rexit. Ex Catharina, filia Sigiſmundi Aug. Poloniæ Regis, pater Sigiſmundi, Poloniæ A. C. 1587. dein Sueciæ Regis à Car. patruo pulſi. Obiit A. C. 1592. Car. tutelæ filio, regno & Auguſtanâ Confeſſione commiſsâ. Thuan. *l.* 104. *&* 109.

Rex Hieroſolymæ.

JOHANNES, ex fam. Brienneſi, vel de Brema, fil. Gualteri, Rex Hieroſolymæ, ob uxorem Mariam, filiam Conradi March. Montferratenſis, ex Regina Elizabetha, hærede Almerici Regis Imperium quoque Conſtantinop. adminiſtravit, genero Balduino II. in Gallia abſente. Pater inſuper Iſabellæ, quæ Frid. II. Imp. nupſit. &c. Valſingam. A. C. 1218. Sanut. *l.* 3. *P.* 3. Blond. *Collenutius*, &c.

Principes ex fam. Oldenburgo-Danica.

JOHANNES, Com. Oldenburgicus, Othone, cui à ſpectro mirabile cornu oblatum narrant, genitus: Pater fuit Hunonis glorioſi, quo Goſlariæ ad pugnam cum Leone damnato fil. Frid. pro patre certamen ſubiit victor. Ex ejus ſucceſſoribus *Johannes*, Elimari I. fil. Wildeshuſanam lineam orſus eſt, pater Willebrordi Ep. Paderbornenſis & Ultrajectini, qui Obiit A. C. 1233. Burchardi & Chriſtiani: è quorum ultimo Hatſtedius ramus deſcendit, poſt quem quinque *Johannes* fuêrunt, quorum ultimi filii Bernardus, Chriſtianus, *Johannes* & Burchardus, ſine prole Extincti ſunt, circa A. C. 1360.

JOHANNES, fil. Chriſtiani, frater Othonis III. qui Delmenhorſtum condidit, circa A. C. 1340. ex duobus filiis *Johanne* Oldenburgicæ, & Chriſtiano Delmenhorſtanæ, linearum conditor fuit. Horum ille, initio vitæ licentiâ notatus filium habuit Conradum, doctum ac pium, qui cum fil. Gerhardo A. C. 1368. cæſus eſt à Butjadis; Pater præterea Conradi & Chriſtiani: quorum poſteriore natus Theodoricus Fortunatus, linearum reliquarum bona collegit.

JOHANNES, fil. Chriſtiani I. Daniæ Regis, ex eadem fam. patri in regno ſucceſſit. Vide *Johannes II. Rex Daniæ.*

JOHANNES, fil. Chriſtiani ſ. Chriſtierni II. nepos prioris, quo pater captus eſt tempore, dyſenteriâ Obiit, A. C. 1532. in aula Car. V.

JOHANNES, fil. Frid. Holſatiæ Ducis, nepos ex fratre Joh. II. Regis, regno adverſus Chriſtiernum II. deſtinatus, dein A. C. 1544. in diviſione inter fratres, partem Sleſvicenſis Princip. & Holſatiæ nactus, Haderſlebiæ arcem à ſe *Hansburg* dictam extruxit. Obiit A. C. 1580. ſine prole, Scholarum & Eccleſiarum Nutritius inſignis.

JOHANNES, fil. Frid. II. Dan. Regis frater Chriſtiani IV. deſtinatus Moſci, qui cum magnificè excepit, ex filia Axenia gener, in Moſcovia febri correptus, Obiit, Sec. Præt.

JOHANNES, fil. Adolphi, qui Gottorpino-Holſaticam fam. condidit, frater Frid. maj. natu, primus ex Holſatis paſſus eſt, ſibi perſuaderi, ut apennagio contentus eſſet. Ep. Lubecenſis factus ſingulari prudentiâ Oeconomicâ ingentes opes congeſſit: Pater ex Julia Felicitate Wirtembergica Joh. Aug. Ejus linea *Eutinenſis* dicitur.

JOHANNES, fil. Gerhardi, qui Oldenburgios continuavit, fratribus ingenio & formâ præſtantior, Patre ab Epiſcopis Monaſt. & Brem. pulſo, regimen ſuſcepit. Butjados & Statlandos A. C. 1499. ſub jugum redegit. Pater *Johannis*, qui regimen fratri Antonio conceſſit, A. C. 1520. cujus fil. major natu *Johannes*, Antonium Guntherum genuit, qui ultimus ſuæ gentis nuper vitâ Exceſſit. Vide Phil. Iac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.*

Ex Fam. Palatina.

JOHANNES I. fil. Steph. geniti Frid. Simmerenſem Principatum nacti, à pacis ſtudio commendatur. Eo genitus.

JOHANNES II. Car. V. inprimis charus, Obiit A. C. 1557. Princeps non mediocribus literis tinctus, ac ſummâ juſtitiæ & prudentiæ laude, munere ſuo (erat enim Cameræ Imperialis Iudex) functus. Ejus fil. Georg. Euangelium in ditionem introduxit.

JOHANNES I. ſecundò-genitus fil. Wolfgangi Ducis Bipontini, patri A. C. 1570. ſucceſſit, ſtudiorum, Hiſtoricorum cumprimis & Genealog. cultor egregius. Ad Reformatos accedens, Catechiſmo Heidelbergenſi ſuâ manu præfationem adſcripſit, ad colloquium Neoburgicum, Beutherum & Hexamerum miſit: Obiit A. C. 1604. Ab uxore ejus Magdalena Clivia prætenſio in Duc. Cliviac. & Iuliac.

JOHANNES II. fil. prioris, ſucceſſit patri: Adminiſtrationem dein Electoratûs, ut Frid. V. curator, ſuſcepit; Unioni nomine dato, eandem cum reliquis fortunam expertus eſt. Abbatiam Hornbacenſem A. C. 1628. Trevirenſi Electori reſtituere juſſus Obiit A. C. 1635. Pater Frid. & Frid. Caſimiri, quorum illi A. C. 1661. Mortuo, hic ſucceſſit.

JOHANNES, tertius fil. Steph. fibulati, Bavariæ Ducis obtinuit, in diviſione, tractum Monachenſem: hujus lineæ autor, quæ initio tenuior demum reliquis, Ingolſtadienſi nempe & Landshutanæ, ſucceſſit. Obiit in Hollandia, ſub initium Sec. 15. Pater Erneſti ſucceſſoris & Vilhemi, qui, Baſilienſis Conc. defenſor, improlis Obiit.

Ex Fam. Saxonica.

JOHANNES, fil. Erneſti Electoris, Frid. III. fratri A. C. 1525. Extincto, in El. ſucceſſit, cogn. *Conſtantis*, vel *Boni meritus* Adoleſcens, A. C. 1490. in Hungaria Maximiliano I. militavit, primusque Albæ Græcæ mœnia conſcendit. Fratris dein ſucceſſor, ob religionem Euang. quam amplexus erat, jam A. C. 1520. à Cæſare principatûs inſignia non impetrare potuit. In Comitiis tamen Auguſtanis ei A. C. 1530. ad ſacra eunti gladium prætulit, dein obtulit confeſſionem, ejuſque apologiam adornati curavit, non curans graves minas, inprimis per Ioachimum I. El. Brandeb. denuntiatas. Eodem Anno contra Ferd. electionem ad regnum Rom. proteſtatus: Smalcaldiæ ſuos convocavit, fœduſque ad mutuam defenſionem percuſſit Obiit A. C. 1532. Pater Ioh. Frid. El. & Joh. Erneſti, qui A. C. 1542. partem Franconicam nactus, Coburgi habitavit.

JOHANNES Frid. El. Saxoniæ, poſt Ioh. patrem, electioni Ferd. I. contradixit, A. C. 1531. quæ res compoſita, A. C. 1544. Vilhelmo Landgravio junctus, Henr. Brunſvicenſem cepit, A. C. 1545. Bello Smalcaldico, ad Mulbergam victus, in Cæſaris poteſtatem venit, Septemviratu Mauritio ſobrino cedere coactus, ut & parte ditionum multatus, de religione nullatenus quidquam conceſſit. Dimiſſus A. C. 1552. poſt fœdam Car. V. ad Oenipontem fugam, Gotham muniit. Obiit A. C. 1558. *Vir utique magnus, constantiæ & invicti animi etiam ab ipſis hoſtibus, ad hæc comitatis, prudentiæ, liberalitatis regiæ laudem conſecutus, poſt varias vitæ ærumnas & adverſitates.* Thuan. *l.* 4. *&* 13. Dicitur in naſcentis dorſo crux aurea effulſiſſe. Per filios Joh. Frid. II. & Ioh. Vilhelmum, Gothanæ & Vimarienſis linearum autor fuit.

JOHANNES, Vilhelmus, Saxoniæ Dux, Ioh. Frid. El. fil. Colloquio Theologorum, Aldeburgi habito, A. C. 1568. præſes interfuit. In quo Wittembergenſes conſenſum Lutherum inter & Melan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Melanchthonem, in doctrina vita & morte fuiſſe docuêrunt. Flacciani contrà. *Ubiquitatis* architecti, immane quantum illos inter ſe diſcrepâſſe aſſeruêrunt. Re infectâ diſceſſum, & alternis ſcriptis pugnatum. Secutus Dreſdenſis conventus, cui cùm Jenenſes non ſubſcriberent, Torgæ formulâ Concordiæ à Flaccianis conſcriptâ, Theologi ad eam adacti, quod cùm Wittebergenſes recuſarent, depoſiti, incarcerati, in exilium pulſi ſunt. Læt. *Comp. Hiſt. Univ.*

JOHANNES, fil. minor Joh. Gul. ex eo nepos Joh. Friderici præfati, Vinariam aliaque in diviſione nactus, Obiit A. C. 1605. Pater ex Dorothea Maria Anhaltina 8. Filiorum. Vide in voce *Vimaria*.

JOHANNES, fil. Georgii Saxoniæ Ducis ex familia Albertina, infenſiſſimi Lutheri hoſtis, Obiit ante parrem, Extinctum A. C. 1539.

Ex Fam. Zollerio-Brandeburgica,

JOHANNES, fil. Frid. II. Comitis Zollerani, Burggravii Noriberg. Culmbacum, Blaſſenburgum, alia ab Orlamundanis emit, ac Lud. Imp. in Italiam comitatus eſt. Pater Frid. IV. ex eo avus Frid. ex Burggraviis V. ſed inter Electores I. Hujus fil.

JOHANNES, cogn. *Alchymiſta*, patri contra Chriſtophorum Princ. Vandaliæ, dein Pomeranos feliciter inſerviit: in Electoratu tamen, licèt primogenitus, ejus voluntate præteritus eſt, & in Voitlandia vitam tranquillè exegit.

JOHANNES, cogn. *Magnus*, & *Cicero*, fil. Alberti, prioris ex fratre nepos, patri in Electoratu ſucceſſit. Cum Electore Saxoniæ, tres Reges Poloniæ, Boh. & Hungariæ diſcordes, ad Vratiſlaviam, ſuâ facundiâ compoſuit: bello dein Sileſio involutus, A. C. 1476. quod ſopitum A. C. 1482. Jam Elector, vet. Marchiam, ob cereviſiarium vectigal, tumultuantem coërcuit, Obiit A. C. 1499. nimiâ corporis mole ſibi gravis. Ei ſucceſſit fil. Joachimus I.

JOHANNES, fil. Joachimi I. minor natu, ſtrenuus, ſapiens, prudens, ſeverus, *oculus & conſilium Germaniæ* dictus, Croſnam tenuit, dein Cuſtrinum: Cùm de religione caviſſet Cæſar, à fœdere Smalcaldico receſſit: In formulam Interimiſticam conſentire noluit, in expeditione Metenſi Car. V. adfuit; Obiit A. C. 1571. attentâ familiaris rei curâ fratre Joachimo II. El. ſuperior. Vide Tuan. *l.* 50.

JOHANNES, fil. Frid. Joh. El. præfati ex fratre nepos, gubernator Valentiæ fuit, & Car. V. inprimis charus: unde Hiſp. invidia, & in morte ejus præmatura, A. C. 1525. veneni ſuſpicio. Ejus fratres Caſimirus Culmbacenſem, Georgius Anſpacenſem, & Albertus Boruſſiacam, lineas orſi ſunt.

Ex Fam. Badenſi.

JOHANNES, fil. Jacobi Marchionis Badenſis, ad Archiepiſcopatum Trevirenſem evectus, primorum annorum negligentiam in ſeqq. curâ majori penſavit. Frater Bernardi, qui à Sixto IV. A. C. 1480. canoniſatus eſt, quòd vitam monaſticam amplexus, Magdalenam filiam Car. VII. Francorum Regis ſibi deſponſatam, omiſerit: Georgii Ep. Metenſis, Marci Canonici Argentin. & Car. qui lineam propagavit.

Ex Fam. Haßiaca.

JOHANNES, fil. ſecundo-genitus Henr. Haſſiacæ lineæ conditoris, Mortui A. C. 1308. in diviſione paternæ hæreditatis Caſſellas nactus eſt: mox Mortuus, fratrem majorem natu Othonem hæredem habuit. Item fil. ſecundo-genitus Lud. Principis Darmſtattini, Mortui A. C. 1626. militaris virtutis, & Oeconomicæ prudentiæ laude inclytus, Breubacum incoluit, ſed improlis ex Johanna Sainenſi vitâ exceſſit, A. C. 1651.

Ex Fam. Vandalica.

JOHANNES, Henr. Vandalorum Ducis fil. Pariſiis Theologiæ Doctor creatus, hinc *Theologi* cogn. habuit, & Megapolitanam ditionem nactus eſt. Pater inter alios *Johannis* Hildeshemii Canonici, & alterius *Johannis*, qui ſubmerſus eſt A. C. 1299. Ei Henr. fil. ſucceſſit.

JOHANNES, Dux Megapolitanus, nepos ex fil. Henr. præfati, cum fratre majore Alberto, Imperii Princeps à Car. IV. in Comitiis Pragenſibus, A. C. 1349. creatus eſt. Auctor lineæ Stargardienſis parum diuturnæ: memorantur inter alios in ea *Johannes*, alterius *Johannis* pater.

JOHANNES, fil. Magni, quem Albertus præfatus genuit, cum patrueli Alberto, Academiam Roſtochienſem A. C. 1415. fundavit, evocatis Erfordiâ Profeſſoribus: regno poſteà Sueciæ deſtinatus, A. C. 1423. Obiit: relictis *Johanne*, qui improlis, & Henr. Pingui, ad quem Extinctis agnatis, Vandaliæ Principatus delatus eſt: Pater hic, inter alios, quoque *Johannis* fuit.

JOHANNES, fil. Joh. Alberti Ducis Megapol. cùm parte A. C. 1577. Extincto, ditiones cum patruo Ulrico, communi regimine adminiſtrâſſet, ſubitaneâ morte, in ipſo ætatis flore abreptus, A. C. 1592. filios ex Sophia Holſata reliquit, Adolphum Frid. Suerinenſis, & Joh. Albertum, Guſtrovianæ lineæ auctores.

JOHANNES, fil. Nicoloti Vandaliæ domini. nepos ex fratre Joh. Megapolitani Theologi; Pater fuit Nicoloti, Rugiorum & Brandeburgiorum victoris: ex hoc, Mortuo A. C. 1316. avus *Johannis* ſen. proavus *Johannis* Jun. Pater hic Nicoloti fuit, cujus linea in jus fil. Laurentii filio *Johanne* A. C. 1424. extincta eſt, & Bernardi, cujus fil. *Johannes*, genuit Nicolotum, Chriſtophorum, & Vilhelmum, in quibus A. C. 1430. familia defecit.

Ex Fam. Aſcania.

JOHANNES I. fil. Alberti II. patris in El. Brandeburgico ſucceſſor, A. C. 1221. Francofurtum ad Viadrum ampliavit, multamque è triplici conjugio prolem ſuſcepit.

JOHANNES II. prioris fil. & ſucceſſor, Croſnam oppigneratam ſibi quoque poſſedit, & filios ante ſe Defunctos videns Othonem & Conradum fratres ſucceſſores habuit.

JOHANNES III. priores ex Conrado fratre nepos, parrem A. C. 1304. Defunctum, brevi ſequutus eſt.

JOHANNES IV. prioris ex fratre Henr. nepos, Waldemaro fratri, poſt patruum, in El. dignitate ſucceſſit: paulò pòſt Extinctus, A. C. 1322.

JOHANNES I. fil. ſecundus Alberti I. qui Saxonici in hac familia rami autor fuit, A. C. 1260. Mortui, Alberti II. El. Saxonici frater, Lawenburgicam lineam orſus eſt: quæ Electoralem dignitatem non ſemel adverſus aguatos ſibi vindicâſſe legitur. Eo nati

JOHANNES II. & Ericus I. qui ſtirpem continuavit. Ex hujus poſteris *Johannes* fil. Bernardi, cum Lubecenſibus, ob Melnam contendit: Mortuuſque A. C. 1507. inter alios, *Johannem* reliquit Ep. Hildeshemium & ſucceſſorem Magnum II.

JOHANNES, fil. Alberti Junioris, Principis Anhaltini, frater Rudolphi Ep. Suerinenſis A. C. 1381 Extincti, uxorem habuit Eliſabetham Hennebergicam, quæ malis moribus & Xanthippeis jurgiis maritum tantopere fatigavit, ut patriâ deſertâ ſponte ſibi exilium indixerit: unde de eo nihil amplius compertum. Nati tamen ſunt ex illo conjugio Albertus III. Claudius, & Sigiſmundus, qui pro Marchia Brandeburgica, quam Sigiſmundus Imp. Norimbergenſi Burggravio conceſſerat, 60000. aureos accepêre. Cæterùm ille Cœthenſis, hic Serveſtani rami pater extitit.

Ex Fam. Piaſtea.

JOHANNES, fil. Ziemoviti, qui Mazoviam A. C. 1355. Regi Pol. Caſimiro obnoxiam fecit, Warſovianam ſ. Cirnenſem lineam orſus: è qua Boleſlaus Rex contra Caſimirum electus, poſteà ceſſit. Pater Januſſii, in cujus ex fratre Conrado nepotibus *Johanne* & Staniſlao, A. C. 1526. extincta linea, & ſimul, quidquid in Polonia Piaſtei ſanguinis ſupererat, defecit.

JOHANNES, fil. ſecundo-genitus Frid. Lignitii Principis, Obiit A. C. 1495. Item fil. Boleſlai, principis Monſterbergici, ab Huſſitis, qui Franckenſtenium ipſi exuſſêrunt, ad Vilhelmſdorphium trucidatus A. C. 1429. lineam terminavit, Ducatuſque ad regnum Bohemicum devolutus eſt: donec de eo A. C. 1463. Frid. III. Imp. Georgii Podiebradii Bohem. Regis filios inveſtiret.

JOHANNES, fil. Henr. Principis Glogovienſis, A. C. 1306. à Poſnanienſibus contrà Vladiſlaum Locticum ad regnum vocati, Steinaviam nactus eſt, quo nomine Bohemiæ acceſſit A. C. 1329. inde Primiſlai fratris ſucceſſor, dimidium Glogoviæ Joh. Regi vendidit.

JOHANNES, fil. Henr. Paſſeris, Ducis Sagano-Glogovienſis, Saganum tenuit, ſed cùm tyrannicè imperâſſet, & conjugem Scholaſticam Lawenburgicam crudelius habuiſſet, ejeciſſetque; A. C. 1439. ſucceſſionem tranſmiſit ad filios, è quibus *Johannes*, gentis ultimus, poſt varia tyrannicè acta, à Matthia Corvino Rege principatu ejectus, A. C. 1488. Wolaviæ otium chymiæ ſtudio fefellit, ſuperioris vitæ ſeriâ poenitentiâ tactus. Obiit ſub initium Sec. Præc.

JOHANNES, Dux Teſchinenſis, fil. Caſimiri II. qui ramum hunc orſus eſt, Bohemorum A. C. 1327. ſubiit imperium. Ejus linea Oſvencinam in Polonia tenuit, & in illius abnepote *Johanne* Duce Teſchinenſi, Domino Zatoriæ A. C. 1513. defecit.

JOHANNES, fil. Boleſlai IV. Ducis Oppolienſis, Ep. fuit Caminenſis & Vratiſlavienſis, Sec. 15. Item fil. Boleſlai V. prioris ex fratre nepos, Caſimiro contra Albertum II. adhæſit, ab hoc multatus. Item fil. Nicolai, alterius fil. Boleſlai V. moderati animi princeps A. C. 1532. familiam Oppolienſem, ſucceſſore Ducatus Ferd. I. Imp. clauſit, vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.*

Comites Principeſque ex Fam. Naſſovia.

JOHANNES, fil. Othonis, Haſſiæ Præfecti & Naſſoviæ Comitis, ex Irmintruda, filia Gozelini Arduennæ Ducis, præmaturè majoribus natu fratribus Henr. & Gozelino Extinctis, Patri ſucceſſit, circa A. C. 735. Pater, ex Oda Comitis Hannoniæ filia Georgii, Gertrudis & Agnetis; quorum ille ſine hærede Defunctus, Walravium Lauribergii Toparcham habuit ſucceſſorem: hæ Moniales fuêre.

JOHANNES, fil. Henr. (Diederico Walravii modò dicti filio geniti) ex Irmingarda Com. Sponhemii filia uxorem habuit Sibyllam Com. Luciliburgenſis filiam E' qua ei geniti ſunt, Diedericus, ante virilem Togam ſumptam Defunctus; VVaremundus, morte in Gallia cruentâ abreptus; Henr. equi lapſu Mortuus & VValravius, Patris ſucceſſor: inter cujus filios quoque *Joh.* fuit, Religionis voto obſtrictus; alter fil. patri cognominis ejuſque ſucceſſor, unicum filium ſimiliter *Joh.* genuit, de quo mox.

JOHANNES, VValravi præfati, ex Agnete Tecklenburgica, fil. unicus, Comitatui paſt Patrem 19. Annis præfuit: Pater, ex Magdalena Schwartzenburgica, Henr. Eberhardi, VValravii, qui maturè Seculo renuntiârunt; VVaremundi, Diederici cui Ditburga, Com. Saynii filia, nupta; VValravii, qui fratrem VVaremundum, in provinvica regenda, excepit: quinque filiarum. E' quibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

quibus Walravius, è Frid. fil. *Johannem* nepotem, habuit miniſteriis aulicis & campeſtribus Lud. Imp. immortuum.

JOHANNES, Waremundi (Arnoldo Com. geniti) è Sidonia filia Com. Schwartzenburgici, fil. ductâ uxore Mechtildâ, Werneri Caſtilæ Com. filiâ, liberos ſuſcepit, VVernerum Phil. & Leutburgam, VVolmero, Com. Stolbergenſi nuptam. Item fil. Diederici, Everardo fratri ſucceſſit. Pater, ex Sibylla Lud. Sax. Palatini filia, uxore tertia, Adolphi, Sigiſmundi, Phil. Ulrici, *Joh.* quorum nullus annorum maturitatem adeptus eſt, Rudolphi, Frid. qui Monaſticum vitæ genus amplexi, Georgii, Othonis, qui ambo Comitatui præfuêrunt, & octo filiarum, è quibus Veronica Cunoni Sarwerdenſi, Agnes Phil. Com. Saræ-pontano, & Metta Wolfgango Com. Zollerenſi ac Sueviæ Præfecto, Marchionum Brandeburgicorum & Comitum Hohen-Zollerenſium atavo, nupsêre. Otho verò vulgatæ hodiernorum Naſſoviæ Principum Genealogicæ ſeriei initium dedit, cogn. *Magni* inſignis.

JOHANNES, Comes VVeilburgi & Idſtenii, Adolphi Imp. ex eadem fam. Naſſovia, rami VVeisbadenſis (cui VValravius, Henr. cogn. *Divitis*, fil. ſecundo-genitus originem dedit) nepos, ductâ filiâ unicâ Com. Saræ-pontani, hæreditatem illam crevit: cujus poſteritate Extinctâ in Phil. Joh. Lud. fil., A. C. 1559. ſucceſſit Albertus VVeilburgi Com. Vide infrà, ubi de Comitatu *VVeilburgenſi*.

JOHANNES, I. fil. Henr. III. (cujus avus Henr. I. Henr. Naſſovio, & Adelheidâ Arembergenſi genitus, novæ Beylſteniæ ſtirpi nomen & originem dedit) ex Maria Rauderodia: uxorem primò habuit Agnetem Gemenſem, ſed ſterilem; pater dein ex altera, Comite Iſenburgica, factus Henr. IV. quo & Evâ Com. Senæi filiâ, natus

JOHANNES, II. uxorem duxit, Mariam Solmenſem: è quâ ei, præter Henr. Equitem Hieroſolymitani Ordinis, prælio ad Papiam interemptum, genitus eſt

JOHANNES, III. Com. Naſſoviæ VVeilburgii filiæ maritus. Sed cùm ſine prole Deceſſiſſet, Dillenburgenſes Comites agnatos ſucceſſores habuit. Atque ita ſurculus Beylſtenius exaruiſſe viſus tranſlatione novo ſucco recreatus eſt, & Georg. Com. hæreditati inſitus, eique iterum exemptus, fratribus ejus natu minoribus ceſſit; quorum illud Anno hujus Sec. 7. iſtud 21. factum. Ceſſit autem Gul. Lud. Friſiæ Præfecto, Vilhelmi I. Principis Arauſionenſis ex Joh. Seniore fratre, nepoti.

JOHANNES, fil. ſecundò-genitus Othonis (qui paternam ditionem auxit, Comitatu Viandenſi, Baronatu S. Viti & parte Dominii Crimbergenſis, Extinctus A. C. 1369. cum quo Henr. frater ita hæreditatem partitus eſt, ut hic Beylſtenii dominatum ſortiretur, ipſe, ut Major, Dillenburgum teneret) ex Domina à *Leyden*, de Viana, Henr. fratre natu majore in adoleſcentia Defuncto, Patri ſucceſſit: Pater ex Margaretha, filia Engelberti Com. Marcarum & Cliviæ, Adolphi, *Joh.* Engelberti, & Margarethæ; è quibus hæc Henr. VValdecciæ Com. nupſit: *Joh.* improlis Obiit: Adolphus paternæ & avitæ ditioni Dietzam adjecit: Engelbertus, Baronatum Bredæ, unà cùm Polane ac Lecca, ductâ Johannâ, *Joh.* Leccæ & Bredæ Toparchæ filiâ, accepit. Horum fil. major natu

JOHANNES, Com. Naſſoviæ, Viandæ, Baro Bredæ, Toparcha Leccæ, Præfectus Brabantiæ; Uxorem ſibi junxit Mariam, Joh. Com. Lonæ & Heinsbergæ filiam ſicque matrimonii jure varias ditiones paternæ regioni addidit, atque inter eas tertiam Juliaci agri, ſed non ſine controverſia, partem. De eo in aulæo hæc Inſcr. intexta legitur Dillenburgi: *Johannes Comes de Naſſau, ex Maria uxore Comitis de Loen filia, inter cæteros genitos liberos, Engelbertum hominem animoſum & virtute præditum habuit, cui poſtea uxor Marchioniſſa quædam de Baden. Fuit homo benignus multiſque egregiis in factis viſus, ſepultus in Bredau, apud Majores.* Habuit enim ex præfata uxore, præter Annam, Phil. Com. Cattimelibocenſi primum, dein Othoni Brunſvico Lunæburgenſi Duc. nuptam; & Adrianam, Phil. Hanoviæ Com. uxorem & Ottiliam, primam Monaſterii, à Matre, in agro Bredano extructi, Antiſtitem: filios duos, Engelbertum & *Johannem*, qui paternam hæreditatem ita inter ſe diviſêrunt, ut, cùm dominia patria Rheno dirimerentur, recentiora & in veteri Gallia poſita Engelberti; vetera & in Germania ſita *Johannis* eſſent. Sed Engelberto ſine prole Defuncto A. C. 1504. frater ſuperſtes ditiones denuo uniit: de quo Vide mox hic infrà.

JOHANNES, modò memoratus, Cattimelibocenſi Comitatu & reducto Dietzenſi, Naſſoviæ fines auxit: illo hæreditate matrimoniali, hoc dote nuptiali addito; ductâ uxore Eliſabethâ, Henr. Landgravii Haſſiæ & Annæ Com. Cattimelibocenſis, hæredis, filiâ. Mortuo fratre, ditiones trans-Rhenanas ſuis denuo junxit: Obiit A. C. 1516. Pater Henr. qui poſt Obitum Patris in bona ab Engelberto ſuprà dicto poſſeſſa ſucceſſit: Gul. qui Dilleburgum & cætera in Germania loca paterna nactus eſt; Eliſabethæ, Com. Wiedano & Ronckelano Johanni Frid. nuptæ, & Mariæ, quæ Othonis III. Com. Holſatiæ fil. elocata eſt. E quibus Henr. ex Claudia Auriaca, *Johannis* Cabillonenſis filia, Renatum peperit; qui Defunctus A. C. 1544. Gul. patruelem hæredem ſcripſit, à quo Principes Arauſionenſes hodierni.

JOHANNES, cogn. *Senior.* fil. Gul. præfato *Johanne* geniti ex Juliana, Cothonis Com. Stolbergii filia, Hannoviæ Com. vidua, fratre natu majore Gul. hodiernorum Principum Arauſionenſium, ut dictum, ſatore, Belgicas ditiones nacto, Patri in Germ. ſucceſſit. Fratri plus vice ſimplici copias & commearum ſuppeditavit, ut Albano etiam rei militaris peritiſſimo Duci formidoloſus eſſet: Conſilio Belgarum res juvit: Gelriæ præfectus Trajecti cæteris provinciis jungendi præcipuus autor fuit; Herbornæ Scholam Illuſtrem fundavit, Bibliothecam collegit, Communitatem, ubi Studioſi pauperes alerentur, inſtituit; Religionem nuper repurgatam ad exteros quoque promovit, virorum eo nomine exulantium & pietate ac doctrinâ excellentium, fautor & Euergetes. Idem publicæ tranquillitati, VVetteraviam vicinoſque fœdere jungendo Comites, non parum firmamenti attulit: Germaniam à militari præſidio liberavit, pacis bellique artibus inclytus. Obiit Dilleburgi A. C. 1606. Æt. 71. imp. 47. ex triplici matrimonio numeroſæ prolis parens. Eliſabetha enim Landgravii Leuchtenbergii filia, genuit ei Vilhelmum Lud. Friſiæ, Groningæ, Tencterorum & Tubantum Præfectum: *Johannem*, Georgium; Eliſabetham, Phil. Com. Saræ-pontano primum, dein VVolffgango Erneſto, Iſenburgo Budingenſi, nuptam; Phil. Mariam, Johanni Lud. VVisbadii & Idſtenii Com. elocatam; Annam Sibyllam; Mechtildam, Com. Monsfeldii uxorem, Erneſtum Caſimirum & Lud. Guntherum. Altera ejus conjux, Cunegunda Jacoba Frid. III. Elect. Palatini filia, ex eo mater fuit Amaliæ, Gul. Com. Solmenſi nuptæ & Cunegundæ, quæ in cunis Extincta eſt. Ex tertia, Johanna, Lud. Sayno-VVitgenſtenii Com. filia, ſuſcepit Georg. Lud. intra quatriduum à nativitate Mortuum; Joh. Lud. Johannam Eliſabetham, Conradi Gumberti Com. Benthemii uxorem; Annam, quam Phil. Erneſtus Com. Iſenburgo-Budingenſis ſibi junxit; Magdalenam, Georg. Alberto Com. Erpachio elocatam & Julianam, in infantia Defunctam. Præter quos viginti liberos, filioli quatuor exanimes geniti, & Dillenburgenſi in æde tumulati ſunt. Mortuo eo hæreditas inter filios ſic diviſa eſt, ut Gul. Lud. Dilleburgum, Herbornâ, Dringenſtenio, Ebersbachio & Hegerâ adjectis: *Joh.* Sigena; Georg. VVeſterwaldia; Erneſto Caſimiro Dietza & Naſſovia; ac Joh. Lud. Hadamaria, obvenirent: quo pacto Dilleburgenſis Comitum Naſſoviæ linea in quinque Comitatuum flexus ſecta, quinque diverſas imperantium ſedes, *Principatus* titulo futuras nobiles, extruxit. Vide earum quamvis in hoc Op. *ſuo loco.*

JOHANNES, præfati Joh. Senioris ex Eliſabetha Leuchtenb. prima ejus uxore, fil. rerum geſtarum famâ inclytus. Singularis exercitum ducendi & arma militibus aptandi Artis, à Mauritio Principe Arauſionenſi in Belgio introductæ, præcipuus ſuaſor; peculiare miſſilium globorum genus adinvenit, quorum operâ Grolla, Breforda, cum aliis opp. celerrimè rapta ſunt. Sudermanniæ Bello inter Sigiſmundum Poloniæ Regem & Car. Ducem, à Suecis contra illum, Regem electum; huic ſuppetias profectus, imperium in univerſum exercitum accepit. Quo tempore, primus omnium diſciplinam militarem, aciei concinnum ordinem & exercitia aciei præludentia, in Succiam intulit: Polonos Ronneburgum, quod acri obſidio preſſerant, relinquere coëgit; caſtra eorum cepit ac diripuit, VVendam expugnavit, hoſtilem exercitum Rigam uſque fugavit. Poſteà cùm frigore, fame aliiſque incommodis conflictatus, Exercitum è Livonia reduxiſſet, Electoris Palatini mandato avocatus in Germaniam rediit. Parenti hinc A. C. 1608. Defuncto ſuccedens, belli cogitationes ad pacis ornamenta convertit: arcem Sigenenſem, vetuſtate collapſam, reſtituit; Pædagogeum, Herbornenſis Gymnaſii æmulum, erexit; unà cum Mauritio Haſſiæ Landgr. & Erneſto March. Brandeburgico, litem inter Electorem Brandeburgicum & Principem Palatino-Neoburgicum obortam, Dortmundæ ſuſtulit, A. C. 1609. Eodem muniendo Rheno, Amiſiæ, Lippæ & à fluv. reductis Urbibus, autor fuit. Porro, cum de convencienda arctiore unione inter Reformatæ Religionis Status Naſſovitus haberetur Hallæ Suevorum A. C. 1610. ipſe, omnium Naſſoviæ Comitum nomine, eò miſſus, occaſione hac, in belli tempeſtates denuo abreptus, Imp. copiarum Unionis omnium conſenſu factus, Palatinatum à Leopoldi copiis defendendum ſuſcepit: Pacis inde inter diverſæ Religionis Principes ſanciendæ inſtituto conventui, Monachii interfuit. Poſt quæ cùm ad ſummi Ducis munus iterum vocaretur, à Chriſtiano IV. Daniæ Rege, honorem modeſte recuſavit; ad defenſionem verò dirigendam, munus ſuſcepit, nomine VVetteraviæ Comitum, Dux electus, propulſandi hoſtis operibus, ditione Sigenenſi ductis foſſis, aliiſque propulſandi hoſtis operibus, præmunitâ. Controverſiæ, quæ Brunſvico Urbi cum Ducibus intercesserat, tollendæ autor non poſtremus, armorum & Architectonicæ corporis exercendi Ludum, additis linguæ Gallicæ & Architectonicæ Magiſtris Sigenæ aperuit. Suſcepto inde ad Belgas itinere, pacis, & futuri, ſi ingrueret, belli conſilia, cum Mauritio Belgiique Proceribus, communicavit, In patriam redux Obiit A. C. 1623. Æt. 62. Ei ex priore uxore Magdalena Com. VValdeccia, vidua Phil. Hannoviæ Com. nati ſunt Joh. Erneſtus, qui belli ductu apud Provincias Fœderatas inclaruit; *Johannes*, Eques Ord. Annunciationis; Eliſabetha, Chriſtiano Com. VValdeccio nupta; Adolphus, militiâ itidem Batavorum clarus; Juliana, Mauritio Haſſiæ Landgravio nupta; Anna Maria, Joh. Adolphi Dauniæ Com. elocata; Joh. Albertus, qui brevi Obiit; Gul. pacis & belli artibus inclytus; Anna, Brederodio in Batavis nupta; Frid. Lud. in infantia Extinctus, Magdalena & Joh. Frid. intra pubertatem Defunctus; Latinæ aliarumque linguarum ſciens. Ex altera vero uxore Margaretha, *Joh.* Holſatiæ Ducis filia, ſuſcepit Joh. Mauritium, qui nat. A. C. 1604. Americanâ expeditione, & Marchiæ, ſub moderno Electore Brandeburgico, præfecturâ inclytus fuit: Georg. Frid. (nat. A. C. 1606.) Gul. Othonem (nat. A. C. 1607.) Luiſam Chriſtianam (nat. A. C. 1608) Sophiam Margaretham (nat. A. C. 1610) Henr. (nat. A. C. 1611.) Mariam Julianam (nat. A. C. 1612.) Amaliam (nat. A. C. 1613.) Bernardum (nat. A. C. 1614. Den. A. C. 1617.) Chriſtianum (nat. A. C. 1611.) Catharinam, Eliſabetham, & *Joh.* Erneſtum.

JOHANNES, fil. prioris, bellicâ laude clarus, partes à cognatis diverſas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

diverſas defendendas elegit : ſive quod longo Italorum uſu conſuetudinem prioris vitæ mutâſſet; ſive, quod honores, quos altum & erectum ingenium merebatur, in Batavorum anguſtiis & tempore induciarum quieſcentium, conſequi deſperaverat, ſive quòd diverſa pietatis profeſſio animo allibuerat. Itaque pro Auſtriaco, Belgis, Allobrogibus, Galliæ Rege, expeditionibus variis arma gerens, Equeſtrem Annuntiationis Ordinem & *Marquiſatum* (ita vocant) *de monte Cabal*, meritus eſt : in Aurei inſuper Velleris Ordinem adſcitus. Ex uxore Erneſtina Lini Principe, ſuſcepit Mariam (quæ A. C. 1619. nat. eſt & Den.) Claram Mariam (nat. A. C. 1621. Bruxellis) Erneſtinam (nat. A.C. 1623.) Lambertam Albertam (nat. A. C. 1625.) & Joh. Franc. (nat. A. C. 1627. in Sequanis.) Reliquos ex hac Fam. *Joh.* Georg. *Joh.* Lud. Joh. Maurit. &c. Vide in *Georg. Lud. Maurit.*

Principes alii.

JOHANNES Caſtriotus, vide *Scanderbegus*.

JOHANNES, cogn. *Intrepidus*, Dux Burgundiæ ſucceſſit Phil. Audaci, patri, A. C. 1404. Prius, ſuppetias venit Sigiſmundo Hungariæ Regi copiarum à Car. V. Gall. Rege hoc filio miſſarum Dux, in quibus bis mille nobiles. Qui rebus primò præclarè geſtis, poſtmodum acie ad Nicopolim, A. C. 1396. victi captique ſunt : è quibus 600. in præſentia Ducis unco affixi, ipſe cùm 15. aliis, pro quibus, 200000. aureorum ſpopondit, ſervatus eſt. Patris ſucceſſor, Aurelianenſis Burgundicæque domus diſſidio renovato, Lutetiæ Ducem Aurelian. A. C. 1407. occidi curavit. Hinc bellum inteſtinum, priori atrocius : quo Car. VI. adhuc minori, ipſe regnum adminiſtravit. Occiſus, juſſu Car. Delphini, A. C. 1419. à quo ad colloquium invitatus erat, Monaſterioli Senonum. Ex Margaretha Bavara, pater Phil. Boni. Froiſſardus, Monſtrelet. Serres, J. J. de Urſinus, Chenius & Paradinus, *Hiſt. Burg.*

Armoricæ Duces.

JOHANNES I. Armoricæ Dux cogn. *Rufus*, poſt Patrem Petrum, dictum Mauclerum, A. C. 1250. Proceres rebelles coërcuit, cum Clero aliquid litis habuit, comes Lud. IX. in Africam, inde reverſus Iuſtitiam coluit. Obiit A. C. 1286. Æt. 69. Ex Blanca, filia Theobaldi Navarræ Regis natus ei.

JOHANNES II. qui muri ruinâ oppreſſus eſt, Lugd. A. C. 1305. cùm Clem. V. ibi coronaretur. Ex Beatrice, filia Henr. III. Angl. Regis, pater Arturi II. ſucceſſoris, &c.

JOHANNES III. Bonus, fil. Arturi II. Obiit A. C. 1341. improlis.

JOHANNES IV. Montfortius, fil. Arturi II. ex Iolanta, filia Roberti IV. Com. Druid. Car. Bleſenſem, maritum Johannæ, ex Guidone Com. Pontiniacenſi fratre neptis, ditionibus exuit. Unde bellum inter Montfortiam & Bleſenſem fam. diuturnum. Obiit A. C. 1345. Æt. 52. Ex Iohanna, filia Lud. Flandri, femina magnanima, pater

JOHANNES V. qui Strenuus & Victor dictus, bello contra Bleſenſes ſuperior fuit 7. prœliis feliciter commiſſis, & æmulo Carolo Bleſenſi in pugna ad Auriacum occiſo, poſtquam Principatu jam pulſus & totius Galliæ viribus impetitus fuiſſet, A. C. 1364. Obiit A. C. 1399. Ei natus, ex Iohanna, filia Car. Mali, Neap. Regis.

JOHANNES VI. Bonus, ſ. Sapiens; qui à Cliſſoniis, cum quibus ipſi multum negotii fuit, captus, à 50000. ſubditorum libertati redditus, Obiit A. C. 1442. Ex Iohanna filia Car. VI. Gall. Regis pater Franciſci I. &c. Vignier. *de priſco ſtatu Brit.* Bouchard. Argentræus, & Auguſtin. du Pas, *Hiſt. Brit.*

Comites Dunenſes &c.

JOHANNES, Com. Dunenſis & Longavillanus, Regii thalami Magiſter, cogn. Victor & Triumphator. Nothus Lud. Aurelian. Ducis filii Car. V. priſcum ſplendorem ab Anglis mire obſcuratum, Galliæ reddit. Hoſtis perpetuus Burgundionum, à quibus Pater occiſus erat, Comites Varvicenſem & Suffolcium vicit, Aurelianum animosè defendit, ope Puellæ Aurel. Anglos ab obſidione depulit, longè lateque victor, donec Car. VII. Metropoli denuo potitus eſt. Miſſus à Rege, cum Archiep. Remenſi, ad Conc. Baſil. cum Eugenio IV. reconcilliandum, poſt reditum Cœnomanum Anglis, qui inducias violaverant, eripuit, à Rege legitimatus & honoribus ditionibuſque impensè auctus. Obiit ſub Lud. XI. gloria plenus, A. C. 1470. Æt. 67. Ex Maria Harcurtia, pater Franciſci, à quo Longavillani Duces orti. Alanus & Joh. Charterius *in Chron. Sandionis*, Hiſt. Gall. *in Car. VII.*

JOHANNES, cogn. Triſtanes, fil. Lud. IX. Damiatæ nat. A. C. 1250. Obiit Tuneti, A. C. 1270. Item, Delphinus Car. VI. Obiit A. C. 1417. Item, Dyrrhachii, Duc. Princeps Albaniæ & Moreæ, &c. octavus fil. Car. Claudi, Neap. Regis Obiit A. C. 1335. pater ex Agnete, filia Eliæ Com. Petrocorienſis, Car. Ducis Lud. qui Neapoli veneno ſublatus & Roberti, Moreæ Principis, à quo Lud. Hung. Rex ad duellum provocatus, quique in pugna Pictavienſi Obiit, A. C. 1356. Quibus Anton. Vaſconcelles adjungit Steph. conjugio Luſitanico clarum.

Duces Calabriæ.

JOHANNES I. Andegavenſis, Calabriæ Dux fil. Renati, Neap. Regis pietate & prudentiâ illuſtris. Præfectus Provinciæ, Genuæ, dein Catalauniæ, Obiit A. C. 1470 Ex Maria Borbonia, pater *Joh. II.* Calabriæ & Lotharingiæ Ducis qui in Catalaunia ſimiliter Obiit, Bouch. *Hiſt. Prov. l.* 9.

JOHANNES, Protoſcriba; Caſtino Duce militum ſubnixus, Imperium Occid. ad ſe rapuit, A. C. 423. Anno pòſt victus à copiis Theodoſii, & capite truncatus Aquileiæ.

Hollandiæ Comites.

JOHANNES I. Hollandiæ Com., ſucceſſit patri Florentio V. Friſiâ Occid. maxima ex parte ſubactâ, Obiit improlis, A. C. 1300.

JOHANNES II. Com. Hannoniæ, fil. Adelaidis, quæ ſoror erat Vilhelmi Holl. Com., ei ſucceſſit. Obiit A. C. 1304. Idem nomen pluribus Ducibus Saxoniæ, Brandeburg. Lotharingiæ, Mediolan. &c. commune fuit. De *Joh.* Auſtriaco notho Car. V. Imp. adeò celebri in Hiſt. Belgica. Vide Thuan. *Hiſt.* Grotii *Ann. Belg.* Strad. &c. Addam ſaltem ex Reg. Barbonia fam. *Joh.* Com. Vindocinum, qui Obiit A. C. 1478. Item, fil. tertium Joh. March. Com. *Joh. I.* Sapientem, qui in prælio ad Azincurtium, A. C. 1415. Æt. 30. Occiſus : Pater fuit *Joh. II.* Pulchri : Cujus Hiſtoriam curioſam omnino edidit *Puteanus.*

Pontifices Romani.

JOHANNES I. Tuſcus, poſt Hormiſdam, Papa A. C. 523. à Theodorico, Ital. Rege Ariano, ad Iuſtinum Imp. in Arianos admodum ſeverum, miſſus : redux in carcere, Obiit, Ravennæ, A. C. 526. Marcellin. *in Chron.* Hiſt. Miſc. *l.* 15. Anaſtas. *in Joh. I.* Greg. *Mag. l.* 3. *Dial. c.* 2. Ei ſucceſſit Felix III.

JOHANNES II. cogn. *Mercurius*, fil. Projecti, Rom. ſucceſſit Bonifacio II. A. C. 532. Acœmitas, qui Monachi hæretici erant, damnavit Obiit A. C. 535. Anaſtaſ. *in ejus vita.* Alciat. *Parerg. l.* 4. *c.* 23. Cujac. *l.* 12. *Obſerv. c.* 26. Eum excepit Agapetus.

JOHANNES III. Rom. cogn. Catellinus, fil. Anaſtaſii Succeſſor Pelagii I. A. C. 559. nihil non egit, ut Narſete Romanis conciliato, Longobardos ab Italia averteret : quod cùm fruſtra eſſet, *Epiſcopi Italici vaſa ſacra, ne à Barbaris raperentur, conflata, in uſum pauperum deſtribuere.* Platina *in ejus vita.* Pantal. *in Chronol.* Papyr. Maſſon. & Chenius, *Hiſt. Paparum.* Succeſſit ei Bened I.

JOHANNES IV. Dalmata, fil. Venantii, cogn. Scholaſticus; Severinum excepit, A. C. 639. Theſauris Eccl. in liberationem captivorum impenſis, inclytus : ad Scotiæ Præſules de Paſchatis celebratione ſcripſit. Obiit A. C. 641. Beda *Hiſt. Angl. l.* 2. *c.* 19. Baron. *in Ann.* Succeſſit ei Theodorus.

JOHANNES V. Antiochenus, fil. Cyriaci, Conc. 6. Generali, legatus Agathonis Papæ interfuit; Succeſſor Bened. II. A. C. 685. Obiit Anno pòſt, toto tempore lecto affixus. Anaſtaſ. *in ejus vita.* Eum ſequutus eſt Conon.

JOHANNES VI. Græcus, poſt Sergium I. Papa Rom. A. C. 701. à Tiberio II. Imp. ſub initium turbatus, Obiit A. C. 705. Succeſſit ei Joh. VII.

JOHANNES VII. Græcus, fil. Platonis, prioris Succeſſor, à Juſtiniano Rhinormeto examinare quædam ſcripta juſſus Synodo convocatâ, non ſatis animi habuit, ut quæ ſibi contraria, reſcinderet. Wilfridum Archiep. Eboracenſem à quo plurimi Friſiorum converſi, contra perſecutores tuitus, Obiit A. C. 707. Beda *de geſt. Angl. l.* 5. *c.* 20. &c. Succeſſit ei Siſinnius.

JOHANNES VIII. Sexu femina, mentito habitu, Leoni IV. A. C. 853. Mortuo ſucceſſit, biennio pòſt, in proceſſione ſolenni, prope Amphitheatrum Rom. fœtum furtivum enixa. Succeſſit, virilitate prius cautè exploratâ, Bened. III. Marian. Scotus, Sigebertus aliique ex Pontificiis Autoribus ad ſeptuaginta, ut Morer. *Dict. Hiſt.* Hiſtoriæ hujus veritatem, cum aliis, poſtquam An. 500. extra controverſiam fuiſſet in Comm. Rom. in dubium vocans, fatetur. Fuit quidem, à celebri quodam in Hollandia Hiſtorico, ingenii exercendi gratiâ, ventilata haud pridem hæc quæſtio, & fabuloſis accenſita, ſed Sam. Mareſius, Theologus Groning. ejus refutationem paulo pòſt edidit : Quam, priſcâ veritate ſolidè ſtabilitâ, ex ipſis Chronologiæ principiis confirmationem dedit publico, Pet. Megerlinus, Mathem. Baſil. JC. & Chronologus celeberrimus, jam μακαρίτης, *Diſquiſitione Chronologicâ de Johanna Papiſſa*, in qua, inter alia, Catalogum exhibet aſſertorum Papatûs hujus, ex ipſa Comm. Rom. præter Francos XVII. Italorum XXVII. Hiſpanorum VI. Anglorum V. Scoti I. Belgarum IX. Germanorum XVII. Poloni I. & Hungari I. quos inter Epp. Archiepp. Card. nonnulli etiam Canonizati : inſuper Græcorum II. & Judæorum totidem &c.

JOHANNES IX. Rom. fil. Gundi, ſucceſſit Hadriano II. A. C. 875. Car. Calvum, poſt Lud. II. Mortem, Romæ coronavit *Chriſtianiſſimi* ei elogio tributo. Preſſus à Saracenis, Car. opem imploravit, qui, à Car. Craſſo patruele victus, paulò pòſt in reditu, à Sedechia Iudæo Medico, veneno ſublatus eſt. Quo Mortuo, cùm Ioh. Lud. Balbum ad Imperium vocaret, à Romanis in carcerem conjectus; inde liber, in Galliam profugit, ubi Trecis Synodo habitâ, adverſariis excommunicatis, Formoſum inprimis Ep. Portuenſem, quòd vitia ſua vir inſignis carpſiſſet, Epiſcopatu movit Balbum Imp. creavit : eoque Mortuo, ut Romæ tutus eſſet, Craſſum coronavit : Primus indulgentias adverſus infideles promulgavit. A Saracenis tributum pendere coactus, precibus Baſilii Imp. motus, Photium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

tium Patr. proceſſionem Spiritus S. à Filio negantem, in communionem recepit. Obiit A. C. 872. Succeſſit ei Marinus vel Martinus II.

JOHANNES X. Tibure natus; fil. Rampoaldi, Theodoro II. ſucceſſit, A. C. 901. Sergio Benedicti filio, ad Papatum aſpiranti, reſtitit. Formoſi Papæ acta confirmavit, Steph. VII. actis combuſtis. Lamberti Italiæ Regis ab Italis Arnulpho oppoſiti coronationem approbavit. Obiit A. C. 905. Succeſſit ei Bened. IV.

JOHANNES XI. Landonis Papæ fil. nothus, ope Theodoræ, ſcorti impudentiſſimi, quæ ejus commercio utebatur, Ravennâ Romam tranſlatus, ex Ep. Papa factus eſt. Miles potiùs, quàm Sacrorum miniſter, ope Alberici, fil. Adalberti, March. Tuſciæ, Saracenos vicit, A. C. 915. &c. Platina, *in ejus vita*. Plurium ſcelerum conſcius, peregrinationem Compoſtellanam obiit, Leo Oſtiens, *l.* 56. Captus A. C. 928. à Guidone Tuſciæ Duce fratre Hugonis Italiæ Regis & marito Maroziæ hujuſque inſtigatu ſtrangulatus eſt; ut Joh. ex impuro Sergii III. concubitu ſuſceptum, ſedi intruderet Luitprand. *l.* 2. *c.* 13. 143. *& ſeqq.* Flodoard. *l.* 4. *Hiſt. Remen.* &c. Succeſſit ei Leo VI.

JOHANNES XII. fil. Sergii III. ex ſcorto Marozia, ope Guidonis, Steph. VIII. ſucceſſit, A. C. 931. Epiſcopatus ſub eo pueris collati, & Eriperti filio quinquenni, ad Archiep. Remenſem promoto, ſedes illa vileſcere cœpit. Mortuo Guidone, Hugoni affini Marozia urbem Romam nuptiaſque ſuas obtulit: Quo ſupra modum Albericus fil. offenſus, Maroziâ, cum Papa, incarceratâ, res Eccl. pro arbitrio verſavit: Græcique tum pallia à Pontificibus Rom. redimere deſiêrunt. Obiit in carcere, A. C. 936. Luitpr. *l.* 3. *c.* 12. Platina, *in ejus vita*. Succeſſit ei Leo VII.

JOHANNES XIII. fil. Alberici, patricii Rom. Princeps urbis factus, poſt Patris & Agapeti II. Mortem, A. C. 955. Æt. 18. Sedem Pontif. invaſit, & cùm prius Octavianus vocaretur, in memoriam Joh. XII. Patrui ſui, *Johannes* dici voluit; peſſimè in illum adulatorum globo detorquente verba S. Scripturæ: *Erat autem quidam, miſſus à Deo, Johannes.* In omnem libidinem effuſus, contra Berengarium, filiumque ejus Albertum crudeliſſimè in Italia graſſantes, Othonem I. Imp. evocavit, ei fide ſanctè promiſſâ. Mox religionis oblitus, ad Tyrannorum partes ſe applicuit. Quare reverſus Otho, ut ſtatum Eccl. collapſum inſtauraret, Conventum Epiſcoporum indixit: in quo à Clero accuſatus, *quòd in equorum ſtabulo diaconos ordinâſſet, inceſtu non ſimplici ſe polluiſſet, dæmonum auxilia in ludo, implorâſſet, iisque præbibiſſet*: & depoſitus eſt. A. C. 963. Luitpr. *l.* 3. *c.* 12. & *l.* 6. *c.* 7. Sigon. *l.* 7. *ad* A. C 963. Rediit tamen, Othone profecto, & acta Synodi contra ſe habitæ combuſſit, Joh. Card. caput, Aſoni linguam, nares digitoſque abſcindi juſſit; in meretricio paulò pòſt amplexu, à Dæmonibus ad necem percuſſus, Luitpr. *l.* 6. vel ut alii habent, à marito adulteræ, necatus, A. C. 964. Rhegino, Platina, &c. Succeſſit ei Leo VIII.

JOHANNES XIV. Rom. fil. Joh. ſucceſſit Bened. V. A. C. 965. Othonis Imp. auctoritate, in ſedem evectus. Quod cùm Romani ægrè ferrent; ab illis pulſus ad Pandulphum Capuæ Princ. ſe recepit, mox ab Othone, qui de Magiſtratu Rom. ſupplicium ſumpſit, reſtitutus. Eo tempore, Othonis hujus Magni auſpiciis, Dani, Poloni, Hungari, ad fidem Chriſti perducti ſunt. Papa campanis benedictionem impertitus, Obiit A. C. 972. Sigeb. *in Chron.* Leo Oſtiens *l.* 2. *Chr. Caſ.* *c.* 9. Onuphr. Genebr. *in Chron.* Eum excepit Bened. VI.

JOHANNES XV. prius Petrus dictus, Cancellarius Othonis II. Bened. VII. excepit. A' Bonifacio VII. qui auditâ Bened. & Othonis morte, Conſtantinopoli Romam redierat, in vincula conjectus, carceris pædore & fame enectus, Obiit, A. C. 985. Sedis 1. Succeſſit ei.

JOHANNES XVI. Rom. fil. Leonis, poſt Bonifacii VII. Mortem, à Clero electus, A. C. 985. ſed à Creſcentio pulſus, in Tuſciam ſe recepit, Othonis III. ope imploratâ. Mox revocatus, aliquandiu tranquillitate uſus eſt. Ethelredum Angliæ Regem cum Ricardo Normanniæ Duce reconciliare ſtuduit, turbis in Eccl. Remenſi, ob Arnulphi depoſitionem, pacandis intentus, &c. Poſt quæ, reſumens vires Creſcentius, ab Imp. in mole Hadr. obſeſſus eſt: quo obſidio durante Joh. Obiit A. C. 986. Platina *in ejus vita*, Gul. Malmesbur. *l.* 2. *de geſt. Angl.* &c.

JOHANNES XVII. Rom. fil. Roberti, ſucceſſit ei Ioh. XVI. ut Ciaccon. continuat. Chenius, &c. dicunt, à Baronio, inter Papas, non refertur: Platina aliter de hoc ſcribit. A Creſcentio pulſus, poſt reditum, Obiit A. C. 996. Surrogatus eſt ab Othone Greg. V.

JOHANNES XVIII. Antipapa, priùs Philagathus, Calaber, vel XVII. ex illorum ſententia, qui priorem è numero Paparum demunt. A Creſcentio, pulſo Gregorio, lectus, & Sylveſtro II. oppoſitus, mox rebellionis convictus, effoſſis oculis occiſus, vel ſecundùm alios, exulatum in Germaniam miſſus eſt. Obiit menſe 10. A. C. 1003. Platina, *in vita ejus.* Sigon. *l.* 7. Bonfin. *dec.* 2. *l.* 1. Succeſſit ei Ioh. XIX.

JOHANNES XIX. vel XVIII. ex mente Baronii, à factione Comitum Tuſcanellæ, ſedi intruſus, poſt Sylveſtrum II. A. C. 1003. Feſtum animarum promulgavit, 5. pòſt menſe, Mortuus: Ab illius tempore Pontificis electionem ad Clerum tranſlatam, refert Baron. Succeſſit ei *Joh. XX.*

JOHANNES XX. aliis XIX. Rom. cogn. Faſanus, vel Faſſus, priori ſucceſſit, A. C. 1003. Obiit A. C. 1009. Hunc Petrus Patr. Antiochenus ſe Conſtantinopoli, ubi utriuſque Eccl. unioni intentus erat, vidiſſe ait, in Ep. ad Michaëlem Cerularium. Fulbertus Carnut. Platina *in vitis Pontif.* Succeſſit ei Sergius IV.

JOHANNES XXI. aliis XX. frater Bened. VIII. cui ſucceſſit, A. C. 1024. ope Patris, Com. Tuſcanellæ. Nec bonis nec malis notus, Platina, *in vitis.* Auditâ Bened. VIII. apparitione poſt Mortem, monachus factus, inde Sedi redditus dicitur. Pet. Damianus, *Ep. ad Nic. II.* Coronato Conrado II. Obiit A. C. 1033. Glaber *l.* 4. Leo Oſtiens. *l.* 2. Ciaccon. Onuphr. &c. Succeſſit ei Bened. IX.

JOHANNES XXII. aliis XXI. prius Joh. Petrus, ſucceſſit Hadr. V. A. C. 1276. Oliſipponâ Luſitanus, profeſſione Medicus ſcriptis ea in arte editis clarus Michaelem Palæologum hortatus, ad obſervandum Conc. Lugd. ſub Greg. X. habitum, Obiit ruinâ cubiculi, fruſtra ex Aſtrorum inſpectione longam vitam ſibi pollicitus, Viterbii, A. C. 1277. Martinus Pol. Pap. Maſſonius & Chenius *Hiſt. Pap.* Eum excepit Nicol. III.

JOHANNES XXIII. aliis XXII. poſt Clem. V. biennio Eccl. capite diſtitutâ, throno conſcenſo Lugd. ſeipſum elegit, dicens: *Ego. ſum Papa*, aſſumpto Joh. nomine, cùm prius Jacobus de Oſſa diceretur. A. C. 1316. Cadurcenſis, fil. ſutoris, ſtaturæ exiguæ, ſed ingentia animo verſans: cujus tamen immortalitatem negavit, publicè dogma hoc doceri volens. Quo audito Phil. Valeſius Galliæ Rex ipſi ſcripſit: *Que s' il ne ſe retractoit, il le feroit ardre.* Porrò Joh. hæreticos judicavit eos, qui docebant, *Chriſtum ejusque diſcipulos in hac terra, nil proprii poſſediſſe, clerumque ſimiliter in paupertate vivere debere.* Trinum tintinabuli pulſum inſtituit, Thomam Aquinatem, Thomam Herfordienſem, &c. Sanctis annumeravit, Extravagantes publicavit, Lud. Cæſarem vehementer infeſtavit, Comitiis conquerentibus: *Non licet per hunc Antichriſtum pacem à Deo datam ſervare*; Platina, *in vita ejus.* Aventin. *l.* 7. Crantzius *l.* 9. *c.* 14. & 15. Græcos ad ſubjectionem revocanti, reſponſum: *Potentiam tuam ſummam circa ſubditos tuos credimus; ſuperbiam tuam ſummam tolerare non poſſumus, avaritiam ſatiare non valemus. Diabolus tecum, quia Dominus nobiſcum.* Joh. de Mondevilla, apud Morn. *in Myſt. p.* 1018. Interea à Lud. Imp. Romæ depoſitus eſt, Nicolao V. ſubrogato, qui A. C. 1330. Joh. ceſſit, in carcere aliquot pòſt Annis Mortuus. Obiit Avenione A. C. 1334. Æt. 90. relinquens in theſauris 25. milliones auri. Succeſſit ei Bened. XII. Villan. *l.* 9. *c.* 10. & 11. &c. Addo, quòd *Clementinas*, ab Anteceſſore ſuo Clem. V. compoſitas, vulgavit & miſit ad Univerſitatem Bononienſem, cum *Præf. ſua*, Anno Pontificatûs ſui ſecundo, C. 1317. Eidem *Regulas Cancellariæ* adſcribit, qui illas Commentariis ſuis illuſtravit, Lud. Comes, item *Reſervationes* ac *Taxas beneficiorum* &c. Vide Gerh. von Maſtricht *Hiſt. Juris Eccl. n.* 371. 373. & 374. ut & ſuprà, ubi diximus aliquid de *Clementinis.*

JOHANNES XXIV. aliis XXIII. prius Balthaſarus Coſſa Neapolitanus, Alex. V. ſucceſſor, fraude ſeipſum obtruſit, A. C. 1410. Bellatoris potius quàm Pontificis ingenio. Schiſmatis tollendi gratiâ, Conc. Romæ convocavit, ad quod, poſt Miſſam Spiritus S. dirus ac feralis bubo horrificâ voce, ſuper trabem medii templi conſidens, & obſtrepens advolavit, Nic. Clemangis, apud Morn. *in Myſt. p.* 1129. Hîc nihil actum: aliud Conſtantiæ, operâ Sigiſmundi Imp. qui in Italiam venerat, coactum, A. C. 1415. Ubi in prima Miſſa, poſt hymnum, *Veni S. Spiritus*: Charta in templum projecta, inſcriptum habeat, *aliis rebus occupati, vobis adeſſe non poſſumus.* Secundâ Seſſ. Papa hic coram altari ſanctè promiſit, ſe Papatui renuntiaturum, ſi Bened. & Greg. idem feciſſent. Mox pœnitentiâ ductus, cùm videret de ſua depoſitione agi, Schaphuſiam profugit, inde retractus, condemnatus, depoſitus, ac Lud. Palatino in cuſtodiam traditus, Seſſ. 12. Ex qua captivitate liber, A. C. 1419. an pretio corruptis cuſtodibus, an publicâ auctoritate, Florentiam venit, ubi Martino V. ſe ſubmiſiſſe dicitur. Obiit eodem Anno, curâ Coſmi de Medicis amici ſui magnificè ſepultus. Platina Onuphr. Ciaccon. Pap. Maſſonius, Theodoricus de Niem & Du Puy, *Hiſt. Schiſmatis.* Paul. Simſon *in Hiſt. Eccl. Angl. Cent.* 15. &c. Succeſſit ei Martinus V.

Patriarchæ aliique Præſules.

JOHANNES I. cogn. *Talaida*, Patr. Eccl. Alexandrinæ, ab Orthodoxis ſurrogatus eſt Timotheo Solofaciolo, A. C. 482. Ab Acacio apud Zenonem variorum criminum, præter meritum, accuſatus, pulſus, & Petrus Mongus hæreticus ei ſubſtitutus eſt. Hinc in Italiam veniens, Nolæ Ep. à Felice III. creatus, ibi Obiit. Baron. A. C. 482. *& ſeqq.*

JOHANNES II. cogn. *Mela*, Anaſtaſio hæretico hæreticus ſucceſſit, A. C. 497. Zenonis Henotico ſubſcripſit. Succeſſit alius ſimilis farinæ, A. C. 506.

JOHANNES III. cogn. *Machiota*, priori ſucceſſit. Henotico ſubſcripſit, Conc. Chalcedon. rejecto, ſævus in Orthodoxos. Obiit A. C. 516. Niceph. *in Chron.*

JOHANNES IV. Apollinaris ſucceſſor, A. C. 570. magna cum cura præfuit. Obiit A. C. 581. *Idem.*

JOHANNES V. ob largas eleemoſynas, *Eleemoſynarius* dictus, Amathunte Cyprius, fil. Epiphanii Præfecti, Theodorum excepit, A. C. 610. auctoritate Heraclii Imp. permotus. Hæreſin omnem & Simoniam ſuſtulit, mores Cleri meliores reddidit, Templa, Prochotrophia, &c. fundavit. Moriturus, cùm ſibi nummum reſtare recordaretur, illum Jeſu CHRISTO legavit. Obiit in Cypro, quò ſe furori Barbarorum, Alexandriæ obſidionem minitantium, ſubduxerat. A. C. 620. Leontius, *in vita ejus* Niceph. *in Chron.*

JOHANNES I. Patr. Antiochen. diſcip. Theodori Mopſveſtii, Theodoro

Theodoro ſucceſſit, A. C. 427. In Neſtorianiſmum prolapſus, eodem Theodoretum Cyrum pertraxit, quem Cyrillo oppoſuit. In Neſtorii gratiam, non acceſſit ad Conc. Oecum. Epheſinum, 15. dies expectatus, niſi 5. die poſt illum jam condemnatum: Tum domi ſuæ Conciliabulo 30. Epp. qui omnes aut ob crimina depoſiti, aut ob hæreſin pulſi, habito, Cyrillum & Mnemonem Epheſ. condemnavit, excommunicatis reliquis Epiſcopis Conc. a quo citatus, & cùm non compareret, anathemate ictus eſt. Nec omittendum, in præfato Conciliabulo, Pelagianos Epp. reſtitutos, & concluſum eſſe: Animam Adami non propter offenſam mortuam eſſe, nec originis peccatum à Patre ad filium propagari. Quæ concluſio inter legitima decreta Conc. Epheſ. irrepſit, donec id Greg. Mag. obſervâſſet. Interim Joh. Theodoſio Jun. per literas impoſuit, & lite Cyrillo motâ, diu Eccl. pacem turbavit. Tandem ad frugem rediens, A. C. 432. cum Cyrillo pacem iniit, Neſtorioque condemnato, Conc. ſubſcripſit. Obiit A. C. 440. Succeſſit nepos ejus Domnus. Acta Conc. Eph. Nicephorus, *Theodoretus* &c.

JOHANNES II. A. C. 1090. ſucceſſit, præfuitque, donec urbs à Latinis capta eſt. Genebr. *in Chron.*

JOHANNES I. Patr. Hieroſolymitan. poſt Benjaminum, A. C. 123. quo tempore in Eccl. graviſſima paſſa eſt. Euſeb. *in Chron.*

JOHANNES II. Monachus, & ſectator hæreſeos Macedonianæ, hac ejuratâ, Cyrillo ſucceſſit, A. C. 386. Epiphanio ob levia quædam ſuccenſuit, Hier. quoque huic negotio implicito. Sed verâ cauſa ſuberat, quòd ambo hi Præſules, prior imprimis, Origenianiſmi illum accuſarent. Et omnino docere Ioh. dicebatur, cum Origeniſtis: In Trinitate nec Patrem à Filio, nec Filium à Spiritu S. videri: Animas, jam ante Paradiſum, exitiſſe: in corpore, tanquam in carcere, detineri: Dæmones & damnatos in gratiam receptum iri, &c. Cùm itaque Epiphanio, utpote Ep. non ita facilè nocere poſſet, in Hier. eò acrius deſævit, illo excommunicato, & Pelagio contra illum concitato. In Synodo Dioſpolitana, in Palæſtina celebrata, A. C. 415. Pelagii errores in ſpeciem condemnavit, mox ei contra accuſatores apertè favens. Hinc monitus ab Auguſtino, de fraudibus erroribuſque Pelagii, ſummiſſio ejus *de Natura libro*, & ſuâ reſponſione, miſit ei rogatus acta Synodi præfatæ, quæ cùm Auguſtinus accepiſſet, librum hunc edidit. Obiit A. C. 416. Succeſſit Prailus. Gennad. *Cat.* 30. Petrus Vaſtelius, edidit A. C. 1643. duo volumina, quæ huic Patriarchæ attribuit, vide Morer. *Dict. Hiſt.* Cæterum plura de Joh. Hier. *Ep.* 61. Aug. *Ep.* 252. *de geſtis Pelagii.* Theodoret. *Hiſt. l.* 5. *c.* 35. Idacius, *in Faſt. & Chron.* A. C. 406. &c.

JOHANNES III. contra Eliam Orthodoxum, intruſus eſt, A. C. 513. Eutychis & Severi deliriis mancipatus. Sed Sabas, ipſi tam efficaciter veritatem demonſtravit, ut Neſtorio, Eutychi & Dioſcoro anathema diceret, Obiit A. C. 625.

JOHANNES IV. ſucceſſit Euſtochio, A. C. 561. Obiit A. C. 595. Euagr. *l.* 6. Genebrardus *Johannem* V. ab A. C. 795. uſque ad A. C. 802. præfuiſſe ſcribit.

JOHANNES I. Patr. CP. Vide *Joh. Chryſoſtomus.*

JOHANNES II. Cappadox, A. C. 517. ſub Juſtino Imp. Eutychem, Neſtorium, Severum, alioſque condemnavit, Conc. Chalcedonenſe recepit, Synodo quatriduo pòſt habitâ, Epiſcopos ab Anaſtaſio pulſos reſtituit, pace Eccleſiis Or. redditâ. Obiit A. C. 520.

JOHANNES III. dictus *Scholaſticus*, Apocriſiarius ſ. Nuntius Eccl. Antioch. ad Conſtantinop. erat, ubi cum plurimis hæreticis commercio defunctus, illorum ope; & Juſtiniani Imp. autoritate, Eutychio ſucceſſor datus eſt. A. C. 564. uſque ad A. C. 578. Euſtath. *in vita Eutychii, apud Sur.* Vide *Eutychius.*

JOHANNES IV. Jejunator, Tiberii II. curâ, Eutychio ſubrogatus eſt, A. C. 583. hoc nequicquam, in lecto emortuali, obnitente. Sede potius, Synodo habitâ, titulum Ep. Oecumenici ſumpſit; unde offenſus Pelagius Papa, titulum hunc *nemini neque Rom. Pontifici convenire*, cum monuit. Morn. *in Myſt. iniq.* & poſt eum Greg. Mag. à Mauritio monitus, Joh. ob temperaret, non tantùm titulum *Univerſalis* condemnavit, ſed & qui eum habuerit, *præcurſorem Antichriſti* dixit, ſeque ipſum Servum Servorum appellans, hunc titulum, velut *ſuperbum, novum, profanum, erroneum, venenatum, ſchiſmaticum*, &c. rejecit. Obiit A. C. 596. inſignis abſtinentiæ & charitatis in pauperes. Pelag. Ep. 8. Greg. *l.* 4. *Ep.* 38. & 39. *&c.* Niceph. *l.* 18. *c.* 34.

JOHANNES V. Syncellus, i. e. Vicarius & Coadjutor Patriarchæ ſucceſſit Thomæ II. A. C. 658. Monothelita. Obiit A. C. 664. Niceph. *in Chron.*

JOHANNES VI. Monothelita item, Cyro, à Philippico Bardane pulſo, ſurrogatus eſt, A. C. 712. paulò pòſt deturbatus, ab Anaſtaſ. Imp. ſuaſu Greg. II. Anaſtaſ. *in Greg. II.*

JOHANNES VII. à Phil. promotus, Theophili Imp. præceptor, ſucceſſit Theodoro, A. C. 835. Michaële III. ad Imperium evecto, à matre ejus Theodora pulſus, ſurrogato Methodio, A. C. 842. Quod Imaginum improbaret venerationem, gravia paſſus, A. C. 844.

JOHANNES VIII. Vide *Johannes Xiphilinus.*

JOHANNES IX. cogn. *Camaterus*, Greg. Xiphilino ſucceſſit A. C. 1198. Genebr. *in Chron.*

JOHANNES X. quibuſdam *Beccus*, approbatâ unione Eccl. Gr. cum Latina, factâ à Michaële VIII. in Conc. Lugd. Joſepho contrarium ſentienti, qui in Monaſterium ſe abdiderat, ſucceſſit. Ab Andronico, fil. Michaëlis, comdemnatus, A. C. 1283. Gregoras *l.* 5.

JOHANNES XI. Sozopoli Thrax, excepit Anaſtaſium, A. C. 1294. Obiit A. C. 1301. Gregoras *l.* 7. Onuphr. *in Chron.*

JOHANNES XII. Niphonis ſucceſſor, A. C. 1315. uxoratus: exornandæ linguæ Græcæ omnem abhibuit operam. Obiit A. C. 1320. Gregoras *l.* 7.

JOHANNES XIII. Iſaïæ ſucceſſit, A. C. 1331. Synodi Præſes, A. C. 1341. ubi Barlaamus & Palamas judicati: Depoſitus A. C. 1345. Cantacuz. *l.* 3. *&* 4. Gregoras *l.* 10. Onuphr. *in Chron.*

JOHANNES Michaël, Venetus, Card. Patr. pro Latinis, A. C. 1485.

Series Virorum Celebrium.

JOHANNES, Presbyter, dictus *Ægeates*, Sec. 5. ſub Zenone, ſcripſit Hiſtoriam Eccl. 10. libb. à Theodoſio Jun. & Neſtorio, uſque ad Petrum Fullonem, Ep. Antioch. pulſum. Ubi laudat Dioſcorum, Synodum Lyſtricam divinam appellat, & in Conc. Chalcedonenſe invehitur. Photius *Cod.* 41. & 55.

JOHANNES, Cyprius, cogn. *Marcus*, S. Barnabæ cognatus; in cujus ædibus S. Cœnam à SERVATORE adminiſtratam, Spiritum S. effuſum, & fideles congregatos eſſe, Petro è vinculis liberato, ſunt qui dicant. Fil. Mariæ. Quòd à Barnaba & Paulo deſtituiſſet in Pamphylia, neque cum illis ad opus profectus eſſet, à Paulo rejectus eſt; Hinc inter utrumque Apoſtolum παροξυσμός. Actor. *c.* 15. *v.* 39. Poſtmodum autem fidelis ejus collaborator evaſit, ut liquet ex Coloſſ. *c.* 4. *v.* 10. Baron. A. C. 34. 35. &c.

JOHANNES, Abbas montis Caſſini, Chronici autor. Obiit A. C. 934. Leo Oſtienſ. Item Anachoreta, Propheta, ſub Theodoſio Imp. A.U.C. 1147. Sozom. *l.* 8. *c.* 1. Item, Italus, Monachus, autor vitæ Odilonis, Abbatis Cluniac. Item, autor vitæ Petri Damiani Card. Item, Italus, Chronici autor, Baronio laudati. A. C. 892. & 963. &c. Item Diſcip. Epiphanii, vitam hujus ſcripſit. Edidit Petav. Item Antiochen. Hiſtoricus Græcus. Tzetzes *Chil.* 2. *Hiſt.* 33. Alius Antiquitatum Hiſtoriæ autor. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 23. Item, Preſbyter Nicomediæ, autor vitæ, Baſilii, Ep. Amaſiani. Simon Metaphr. Item, Monachus, ſcripſit vitam Alex. Mag. quæ ſæpe, cum Curtio edita. Alius tempore Juſtiniani, Voſſ. de *Hiſt. Græc. l.* 2. *&* 3. Item, Abbas Raïtenſis, Joh. Climachium, ut ſanctam ſuam ſcalam ſcriberet, impulit, illamque notis illuſtravit. Bibl. PP. Item Archidic. Barenſis, ſcripſit de tranſlatione S. Nicolai. Item, Lector, Hiſtoriam & vitam Conſtantini Mag. Romæ condidit.

R. JOHANNES, præſes Scholæ in terra Iſraëlis, compoſuit *Thalmud. Babylonicum* per 5. claſſes. Socius & adjutor Reſch Le Kiſch, præceptor Raf Ami & Raf Aſi, R. Eliezar, F. Phædat, atque R. Samuel F. Nehumiæ. Floruit ſub fin. Millenarii IV. juxta calculum R. *Ganz.*

R. JOHANNES, compoſuit *Thalmud Hieroſolym.* Obiit A. M. 4039.

JOHANNES Tzechai, caput Scholæ fuit, tempore Gamalielis I. Imp. Veſpaſiano & filio ejus Tito honoratus. R. David *Ganz. Chronol. Rerum & Ducum ſub templo II. ad* Ann. 793. Primum rectorem fuiſſe Scholæ Iaſnenſis & caput exulum quinque Annis præceptorem porrò R. Elieſeris autoris *Pirke*, diſcas ex *Juchaſin p.* 20. Ejuſdem inter Miſnicos Doctores celeberrimum eſſe nomen, atque effata illius fermè pro indubitatis haberi, obſervat Vorſtius *ad R. Ganz. p.* 290.

JOHANNES Abbævillianus, Picardus, Card. A. C. 1220. A Greg. IX. in Hiſpaniam & Luſitaniam miſſus, homines ad Expeditionem ſacram, contra Saracenos, hortatus eſt. Apud Fred. II. Imp. quoque legatione functus. Obiit Romæ A. C. 1237. Autor: Comm. in Cant. Canticorum, Sermon. libb. 4. &c. Alberic. *in Chr.* Trithem. *Cat.* Morer, *in Dict. Hiſt.*

JOHANNES Abgillus, Friſo, autor relationis fabuloſæ, de progreſſibus Car. Mag. in Palæſtina & Indiis. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 32.

JOHANNES Abioſus, Neapol. Medicus & Mathematicus, Dialogos de Aſtrologia Iudiciaria Alphonſo Regi dedicavit, A. C. 1494.

JOHANNES Agricola, Iſlebius, diſcip. Lutheri, unus ex autoribus libri *Interim* dicitur, Obiit Berlini, A. C. 1566. Æt. 74.

JOHANNES Alaſcus ſ. à Lasko. Vide *Alaſcus.*

JOHANNES Aldarus, Anglus, Scotorum & Hibernorum Hiſtoriam ſcripſit. Baleus & Voſſ. *de Hiſt. Lat.*

JOHANNES Alerus Tholoſanus, Gen. Carmelitarum, eruditione clarus A. C. 1342.

JOHANNES Amerbachius, Typographus Baſilienſis celiberrimus, varios edidit Eccl. Patres, jus Canonicum, &c. Bibliothecam Carthuſianorum magno librorum numero auxit: Filios habuit Brunonem, Baſilium, & Bonifacium, viros doctrinâ, linguarumque cognitione & uſu clariſſimos, ab Eraſmo enixè amatos laudatoſque, Sec. Præt. Eum Ioh. Reuchlinus *proœm. l.* 1. *de verb. mirif. fuiſſe*, ait, *ingenio præſtantem & miro characterum artificio nobilem variiſque diſciplinis excultum, ac in hominum clariſſimorum literaria Rep. clariſſimum.* Vide *Amerbachius.*

JOHANNES Amundishamus, Anglus Monachus, ſcripſit A. C. 1450.

JOHANNES Anagnius, Jus Canonicum docuit, Bononiæ, Obiit A. C. 1455. Autor Comm. in Decretales, & voluminis Conſultationum. Valerius Forſter *l.* 3. *Hiſt. Juris.*

JOHANNES Andreæ, Jus Bononiæ docuit, A. C. 1345. Scripſit *in Novellas*, Speculum Juris Gul. Durandi auxit, Gloſſarum in Sextum & Clementinas autor. Obiit peſte, A. C. 1348. *Rabbi Doctorum, Lux, Cenſor, Normaque morum*, &c. Epitaph. Filium generumque ſimiliter inſignes Jure Coſſ. habuit, poſt mortem Filii, Joh. Calderino adoptato.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Viri Clari.

JOHANNES Andreæ Schmidlinus, Theologus Wittenbergenſis, libri Concordiæ autor. Georg. Horn. *Orb. Imp. cum Not. Felicri p.* 102. Vide hujus, *Notas*, ubi *Jacobum* vocat

JOHANNES Anglicus, Franciſcanus, autor *Summæ Joanninae*. Sec. 13. Alius Medicus Anglus, autor *Roſæ Anglicanæ*. Geſner. *in Bibl.* Alius Hiſtoricus. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *p.* 708.

JOHANNES Antiochenus Scholaſticus, Presbyter primo & Apocriſiarius, dein Patr. CP. poſt Eutychium in exilium pulſum, A. C. 564. præfuit uſque ad A. C. 578. quo poſt mortem Iuſtiniani Eutychius revocatus eſt. Ejus inter alia extant, Συναγωγὴ Κανόνων, *Collectio Canonum*, quam Theodoreto Cyri Ep. malè nonnulli attribuunt; *Concordiam Canonum* vocat Nicol. I. Papa *Ep.* ad Photium Patr. & Νομοκάνων, qui Epitome & Collectionis. Primus iis Collectioni ſuæ inſeruit inter Græcos, Canones Apoſtolicos 85. ſemi Sec. circiter ante eum confictos &c. Vide Gerhard. von Maſtricht JC. *Hiſt. Juris Eccl. n.* 161. *& ſeqq.* infrà, in *Scholiaſticus*.

JOHANNES Antonius Delphinus, Caſali oriundus, Franciſcanus celebris. A. C. 1560.

JOHANNES Antonius Maginus, Patavinus, Mathematicus, ſcriptis inclytus. Sec. Præt.

JOHANNES Antonius Panthæus, Veronenſis, ſcripſit de Pliniorum patria, &c.

JOHANNES Antonius Rubeus, JC. Duci Sabaudiæ à conſiliis, docuit Ius Valentiæ, Ticini, Patavii & Taurini: ſcripſit quædam. Forſter. *l.* 3. *Hiſt. Jur.* Geſner. *in Bibl.*

JOHANNES Arboreus Scotus, Theoſophiæ autor, A. C. 1494.

JOHANNES Arculanus, Veronenſis, cum Ioh. Arundineo, Carmelita celebris, A. C. 1494.

JOHANNES Argyropylus, Conſtantinopolitanus, captâ à Turcis urbe, in Italiam tranſiit, à Coſmo Mediceo, benignè exceptus, filiiíque Petri & nepotis Laurentii inſtitutioni adhibitus. In hac aula Ethicam & Phyſ. Ariſtotelis Latinè vertit: *de Regno*, *Conſolationem ad Imp. Conſtantinop. Monodiam*, &c. ſcripſit. Peſte pulſus, Romæ Græcam literaturam docuit. Quidquid autem laboribus his lucratus eſt, gulæ ſacrum fecit, & moriturus amicis pecuniam ſuam, in aliorum marſupiis reconditam, legavit. Obiit ſub fin. Sec. 15. Æt. 70. nimio peponum eſu. Joh. Laſcaris diſcip. ei Epitaphium gratus erexit. Paul. Jov. *Elog. c.* 27. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 4. *c.* 19.

JOHANNES Aſſer, Ep. Anglus, Scriptor Sec. 10. Idem, *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 39.

JOHANNES Aventinus, Abenſpergenſis, urbe quæ Latinis *Aventinum*, vel *Abuſina*, in Bavaria, oriundus. nat. A. C. 1460. condidit Ann. Bojorum, libb. 7. uſque ad A. C. 1533. Nicolaus Ciſnerus edidit, cum additionibus. Obiit An. Æt. 68. Alia quoque ſcripſit, Baronio minus grata, *t.* 9. *Ann.* A. C. 772. Henr. Pantaleon, *de Ill. Germ. Viris*, P. 2. Geſner. *in Bibl.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. &c.*

JOHANNES d' Avila, Hiſp. Presbyter, Aſcetica ſcripſit, Sec. Præt.

JOHANNES d' Auton, vel d' Anton. Hiſtoriographus Lud. XII. ejus vitam ſcripſit, Abbas.

JOHANNES Baconus, vel Barcondorpius, Anglus, Carmelita magni nominis Sec. 14. Scripſit in 4. libb. Sententiarum, *Compendium Legis Chriſti. Quodlibeta: Tractatus de regula Ordinis Carm. Compendium Hiſtoriarum & Jurium, pro defenſione ejuſdem ordinis*, &c. Obiit A. C. 1350. Baleus, Trithemius, Pitſeus, &c. Londini Sepultus. Ex eadem fam., celebris eſt Franc. Baconus, Baro de Verulamio, Philoſophus magni nominis, ſub Jacobo VI.

JOHANNES Ant. Baifius, nobilis Andegavenſis. Vide *Janus Baifius*.

JOHANNES Balde, Genuenſis, eruditione inclytus. Bracellus *de Claris Genu.*

JOHANNES Baleus, ſ. Balæus, Anglus, patriâ Sudovolgienſis, *Covi* pago oriundus, tribus à Sutholdia milliaribus, Ep. Oſſorienſis in Hibernia, inſignis hiſtoricus, plurima ſcripſit: inter quæ *in Num. c.* 30. Item, *de Scriptoribus Anglicanis*.

JOHANNES Bapt. Adrianus, Florentinus, continuator Hiſtoriæ Guicciardini Thuan. *l.* 68.

JOHANNES Bapt. Aſinius, JC. Florentinus, autor *Practicæ civilis*.

JOHANNES Bapt. Caccialupus, & *J. Baptiſta* Cananius, ille Iure-Cos. celebris Bononiæ: Hic Ferrariæ Medicus.

JOHANNES Bapt. Criſpus, varia ſcripſit, Poſſev. *t.* 2. *appar.*

JOHANNES Bapt. Egnatius, vide *Baptiſta*.

JOHANNES Bapt. Fulgoſus, Genuenſis, Hiſtoricus.

JOHANNES Bapt. le Grain, Henr. IV. Hiſtoriam, ut & initium Lud. XIII. per decades, deſcripſit.

JOHANNES Bapt. Imperialis, Vincentius, Medicus inſignis, Orator excellens, *Galenum* erudito *Comm.* illuſtravit, Defunctus A. C. 1623. Æt. 54. Pater Ioh. Philoſophi & Medici, ac *Muſei Hiſtorici* autoris P. Freher. Theatro *Viror. erud. Clar.*

JOHANNES Bapt. Matthæus, fil. Petri Matthæi, Hiſtoriographi Galliæ, continuator ejus, A. C. 1621.

JOHANNES Bapt. Montanus Medicus Patavinus, autor *Conſultationum Medicarum*, aliorumque complurium Scriptorum, quorum indicem exhibet Ant. Teiſſier *Part.* 1. *Elog.* à Car. V. Franc. 1. Gall. Regibus & Mag. Florentiæ Duce Fruſtra expeticus, Obiit in agro Veronenſi, ſolo natali, A. C. 1551. præceptor, Joh. Cratonis Medic. illuſtris, qui poſt Montani mortem reliqua illius, hactenus nondum edita, luci dedit. Ghillin. *Theatr. d' huom. Letter.* Thuan. *Hiſt.* Alii.

JOHANNES Bapt. Pajarinus, Vincentius, Hiſtoriam patriæ libb. 6. condidit, Sec. 15.

JOHANNES Bapt. Porta, Mathematicus Neap. autor *Magiæ Naturalis*, &c. A. C. 1580.

JOHANNES Bapt. Ramuſius, Venetus, ſcripſit *Hiſtoriam Navigationum. It. de Nili incremento*: exorſus quoque Tr. *de Æſtu maris*. Geographus & πολύγλωττος excellens, magniſque rebus ac Legationibus à Senatu adhibitus. Obiit A. C. 1557. Æt. 72. Ant. Teiſſier *Elog. Part.* 1.

JOHANNES Bapt. Romanius, Afer, Theologica quædam ſcripſit, Romæ Miræus *Bibl. Eccl. P.* 2.

JOHANNES Bapt. Villalpandus, Hiſp. Cordubenſis, Ieſuita eruditus. Ejus extant: *in Ezech. à c.* 26. *ubi deſinit Pradus*, *ad fin. Comm. copioſiſs.* 3. *Vol. Fol. cum figuris*, *Romæ*, A. C. 1596. *&c.* Obiit A. C. 1608. *Egregius noſtri ſeculi Theologus, ac Mathematicus*, Seldeno. Univerſam Architecturæ rationem perfectiorem, per Græcos ad Romanos, & demum in Vitruvii libros ab Hebræorum in templi Salomonici, aliiſque ejus ſtructuris, proportionibus omnino manâſſe non dubitat, Idem *de Jure Nat. & Gent.*

JOHANNES Barboſa Hiſp. Autor Hiſtoriæ Indicæ. Thuan. *l.* 64.

JOHANNES Baſilides I. & II. Vide in voce *Baſilides*.

JOHANNES Baſilienſis, ſcripſit in Magiſtrum ſententiarum, A. C. 1350.

JOHANNES Baſilius, JC. & Coſmographus, Patavinus, ſcripſit de ill. Patriæ familiis.

JOHANNES Baſſianus, JC. A. C. 1190.

JOHANNES Baſſolius, Franciſcanus, diſcip. Scoti, *Doctor ordinatiſſimus*. Scripſit *Lecturam in 4. libb. Sententiarum*: *Miſcellanea Philoſophica & Medica*. Circa A. C. 1322.

JOHANNES Batmanſonius, Prior Carthus, Londini, autor Comm. in Canticum Cant. Proverbia, &c. Tempore Henr. VIII.

JOHANNES Bauhinus, Picardus, Medicinam Lugd. fecit, Sec. Præt. celebris edito *Conſenſu & Diſſenſu, circa ſtirpes plantasve*, &c. Vide *Bauhinus*.

JOHANNES Beca, ſcripſit Hiſtoriam Eccl. Ultrajectinæ. Trithem. *Meyer.*

JOHANNES Benedicti, Franciſcanus, Caſuum Conſcientiæ Summam. aliaque edidit. Alius, Mathematicus Venetus, Sec. Præt.

JOHANNES Bertaldus, Ep. Eleemoſynarius Mariæ de Medicis, Poëta inſignis, varia ſcripſit. Obiit A. C. 1611.

JOHANNES Bertrandus, Toloſanus, Archiep. Cœnomanenſis, commendatus Paulo IV. à Duce Guiſio, copiarum Pontifici, contra Phil. II. ab Henr. II. ſubmiſſarum Duce, purpuram accepit, A. C. 1556. Obiit Venetiis A. C. 1560.

JOHANNES Biclarius, vel Gironus, Gothus origine, patriâ Luſitanus, Sec. 6. Græcè Latineque doctiſſimus, à Leuvigildo Rege quòd Arianis acrius ſe opponeret, in exilium miſſus. Continuavit Chronicon Victoris, Monaſterio cogn. in Catalaunia fundato, à 1. An. Iuſtinii II. uſque ad 8. Mauritii, ſ. A. C. 590. Edidit Caniſius, A. C. 1600. Ioſ. Scalig. longè correctiùs, A. C. 1606. Iſidor. *de Vir. Ill. c.* 31. Honor. Auguſtod. *l.* 3. *c.* 37. Trithem. *Cat.* Mariana *Hiſt. Hiſp. l.* 5. *c.* 13. *&* 15. Voſſ. *l.* 2. *de Hiſt. Lat.*

JOHANNES Billius, Carnutenſis, Carthuſ. Prior. Latinè & Gallicè varia ſcripſit, A. C. 1600. Vide Ant. Teiſſier *in Elog. Vol.* 1.

JOHANNES Birellus, Lemovicenſis, Gener. Carthuſianorum purpuram ab Innoc. VI. oblatam recuſavit. Obiit A. C. 1360.

JOHANNES Blenaſcus JC. Burgundus Bononiæ circa A. C. 1250. Jus civile profeſſus eſt, ſcripſitque de *Actionibus* & alia nonnulla. Briſſon. apud Ioh. Calvin. *Lex. Jur.*

JOHANNES Bocoldus, Leidenſis Sartor, Monaſterii in VVeſtphalia Anabaptiſtarum Rex creatus, paulò pòſt expugnata ab Ep. Urbe pœnas dedit, A. C. 1534. Georg. Horn. *Orb. Imp. p.* 95. & *Orb. Pol. p.* 181.

JOHANNES Bocquius, Bruxellenſis, Poëta. Scripſit *Parodiam Davidicam*, &c. Sec. Ult.

JOHANNES Bodinus, JC. Andegav. celebris, Hiſtoricus incomparabilis: cùm Pithœum, Paſchaſium & Briſſonium exæquare non poſſet, relicto foro, Ducem Alenſonium ſecutus eſt: poſt cujus mortem Laudunum conceſſit, Obiit A. C. 1585. verè *Andus ſine bono*. Scripſit de de Rep. libb. 6. Methodum Hiſt. Comm. in Oppiani Cynægetic. &c. Cujac. *Obſerv. l.* 8. *c.* 38. Scævola San-Marth. *Elog. l.* 4. Vide quoque *Elog.* Ant. Teſſier *Vol.* 1.

JOHANNES Bohaim, Wicleſi, ſectator ſecundùm quoſdam. Sec. 15.

JOHANNES Bonfadius. ex agro Brixiano,

--- Romano eloquio, & præceſſit Hetruſco,
Manſuetus, facilis, dulci ſermonque diſertus,

P. Manutio Genuæ Rhetoricam & Politicam docuit, atque Reip. Hiſtoriam compoſuit, ſed ob vitam minùs probatam ibidem capite plexus eſt, Vide Ant. Teiſſier *in Elog.* ubi cæterorum quóque ſcriptorum ejus, ac præcipuè *Deſcriptionis Lacûs Gardenſis, Græcorumque Latinorum, & Italicorum Poëmatum & Orationum ejus* meminit. Floruit Sec. Præt.

JOHANNES Bonus, Patavinus, de III. Familiis patriæ librum edidit.

JOHANNES Boterus, Pedemontanus, Abbas, Relationum Hiſtor, &c. autor.

JOHANNES Bouchetus, verſu proſaque varia ſcripſit, ut Chronicon Clotharii I. Ann. Aquitaniæ, &c.

JOHANNES Brodæus Turonenſis, diſcip. Alciati, Petro Daneſio conjunctiſſimus, Sadoleto, Bembo, Egnatio Romæ gratus, Mathematum, Chaldaicæ & Hebraicæ linguæ apprimè peritus. Varia edidit. Obiit in Turonibus, A. C. 1563. Æt. 63. Cælebs. San-Marth. *Elog. l.* 2.

JOHANNES Bromiardus, Dominicanus, floruit A. C. 1390.

JOHAN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

JOHANNES Bromptonus, Anglus, Abbas Ciſtertienſ. Auctor Chronici.

JOHANNES Brugenſis, Abbas Anglus, conditor Ann. Angl. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 2. c. ult.* Item *Pupilli oculi.*

JOHANNES Brugmannus, Flander, Franciſcanus, auctor S. Liduvinæ. A. C. 1456.

JOHANNES Bugenhagius, Pomeranus, patriâ Julinenſis, fam. Senatoriâ, Theologus & Reformator inſignis. Chriſtianum III. Daniæ Regem coronavit A. C. 1537. Obiit Wittebergæ A. C. 1558. Æt. 73. Ejus extant: *Comm. in Deuter. Annotationes in libb. Samuelis, Jobum, Jeremiam & Threnos, Matthæi capp. 3. pr. Johannem, & in 11. Ep. Pauli: Expoſitiones in Pſalmos, &c.* Thuano, *Moderato ingenio & eruditione rarâ excultus.* Zanchio, *vir piiſſimus & doctiſſimus*: Luthero, *primus in orbe, qui Pſalterii interpres dici mereatur.* Vide quoque in voce *Bugenhagius.*

JOHANNES Butonus, & Bonetonus, Delphinates, ille de Arca Noachi, hic notarum in Guidonem Papam auctor, Sec. Præt.

JOHANNES Buxtorfius, vide *Buxtorfius.*

JOHANNES Cajus, Medicus Anglus, ſcripſit in Galenum, &c. Sec. Præt.

JOHANNES Calderinus, Bononienſis, à Joh. Andreæ, poſt amiſſum fil. Bonicontum, auctorem lib. *de Appellationibus, & Accuſationibus*, adoptatus, ſcripſit *Comm. in Decretales*, &c. A. C. 1360. Forſter. *Hiſt. Jur. l. 3. c. 26.* Vide etiam *Calderinus Johannes.*

JOHANNES Callovetus, Ep. Juriſconſultus famoſus, A. C. 1504.

JOHANNES Calvinus, vide *Calvinus.*

JOHANNES Campegius, Bononienſis, Juriſconſultus excellens, A. C. 1470.

JOHANNES Canonicus, Franciſcanus, diſcip. Scoti, floruit, A. C. 1318.

JOHANNES Cantacuzenus. vide *Johannes V. Imp.*

JOHANNES Cappadox, Juſtiniani Imp. in Codice compilando adminiſter A. C. 529. dein Coſ. & Prætorio præfectus. Vivis coloribus *de B. P. l. 3.* deſcriptus. Affectati Imperii ſuſpectus, ab Imp. in ſuburbium Cyzicenum relegatus, monachi habitum induit. Poſteà tortus, ut Euſebii Ep. percuſſores manifeſtaret, & per totam Ægyptum, vili habitu, oſtentui circumdictus, eleemoſynam petere coactus eſt, ſpe tamen Imperii ſemper animo verſatâ. Obiit poſt triennii captivitatem.

JOHANNES Caracciolus, fil. Joh. Principis Amalphitani, Ep. Trecenſis, puriorem religionem amplexus eſt, A. C. 1565. Sicut ex eadem familia Galeatius Vici Marchio, qui Genevæ Obiit, A. C. 1586.

JOHANNES Cardilliacus, Patr. Alex. variis legationibus defunctus, ſub Clem. VI. Urbano V. & Greg. XI. Varia quoque ſcripſit. Obiit A. C. 1390. Froiſſard. *l* 1. *Chron. c.* 252. Morer. *Dict. Hiſt.*

JOHANNES Carolus, Florentinus, Dominicanus. Scripſit *de Viris Ill. ſui Ord.* &c. Voſſ. *de Hiſt. Lat.*

JOHANNES Caſus, Anglus, Medicus & Philoſophus, commentariis in Ariſtotelem editis inclytus.

JOHANNES Catgravius, Anglus, Comm. in Scripturam S. variaque opera hiſtorica edidit. Sec. 15.

JOHANNES Choletus, Gallus, Card. Legationibus obitis inclytus, Sec. 13.

JOHANNES Chryſoſtomus, vel Chryſorrhemon, Ep. Conſtantinopolitanus, à Theophilo Alexandrino Ep. oppreſſus, Pontum in exilium pergere coactus eſt, ubi Obiit A. C. 403. Hiſtoria paulo prolixius ſic habet: Antiochiâ ad Orontem in Cœleſyria oriundus, patre Secundo, matre Anchuſâ, è nobili familia, Libanii in Rhetoricis & Andragathi in Philoſophia, diſcip. fuit. Dein ad forum ſe applicuit, ſed mutato mox conſilio ad S. Literas animum convertit. A. Meletio Antiocheno Lector conſtitutus, illo à Valente in Armeniam relegato, in montanis Antiochiæ An. 6. delituit. Antiochiam valetudinis causâ reverſus, à Meletio ſimiliter reduce, Diaconus ordinatus eſt, A. C. 380. Ubi, ſicut in ſolitudine *de Sacerdotio*; Homilias *de natura Dei*: *contra Judæos*: aliaque ſcripſit. A Flaviano, Meletii ſucceſſore, Presbyter factus, A. C. 385. Æt. 38. reliqua ſua opera compoſuit. Nectario Præſuli Conſtantinop. ſurrogatus, A. C. 396. initio ſtatim edictum ab Arcadio, contra Eunomianos & Montaniſtas obtinuit, mores Cleri correxit, Prædeceſſorum luxum caſtigavit: Parrheſiâ ſuâ ſanctâ in concionibus, inter alios, Eutropium Imp. gratum offendit: tyrannis in Imperio ſuborientibus, Gainæ inprimis, animosè reſtitit, negato Arianis templo: imò his urbe prorſus pulſis. Poſtea in Origeniſtico negotio ei cum Epiphanio & Theophilo Alex. res fuit, qui pertractâ in ſuas partes Eudoxiâ Imp. & Epiſcopis aliquot, Pſeudoſynodo ad Quercum habitâ, Joh. depoſuit. Hinc ab Imp. urbe exturbatus, ſed mox glorioſiùs reſtitutus eſt. Vix 8. menſes elapſi, cùm hoſtes denuo ſæviunt. Quòd acriter in ſtatuam Imperatrici Dominicâ die dedicatam invectus eſſet, hæc contra illum concitata, illum denuo urbe pepulit, & cùm Cæſaream ſe recepiſſet, inde quoque exagitavit Cucuſam, ubi rebus omnibus deſtitutus, graviſſima paſſus eſt, Epiſcoporum tamen Occidentis & Honorii literis recreatus. Poſt diuturnum exilium, Arabiſſam in Armenia tranſlatus, cùm hinc Pytyum, in mari Nigro deduceretur, à militibus, quibus commiſſus erat, duriſſimè habitus, in itinere Obiit, ut plurimi habent, A. C. 407. Æt. 53. *Auguſtinus Græcorum* dictus, & in Conciliis Oecumenicis ſummis elogiis exornatus. Opera ejus, inter alia, pulcherrimè edidit. Henricus Savilius, in Anglia, tomis 8. Vide Hier. *Catal. c.* 129. Auguſt. *contra Pelagium*, Iſid. Peluſiotam, *l. 1. Ep.* 156. Caſſian. *l. 7. de Incarn.* Iſid. Hiſpal. *c.* 8. Phot. *Cod.* 25. 86. 72. 73. 74. 270. 274. & 277. Sigebert. *c.* 36. Socrat. Sozomen. Theodoret. Evagr. Niceph. Suid. Honoratum Auguſtodun. Trithemium, Sixtum Senenſem, Hiſt. Tripart. *l.* 10. *c.* 18. &c. *Quo nemo*, inquit Boiſius, *ex antiquis aut majore dexteritate ſcripturas tractavit, aut populum docuit ſalubriùs, aut hæreticos oppugnavit acriùs: quo nemo aut ad virtutis ſtudia inflammavit vehementiùs, aut vitia ſui temporis inſectatus eſt liberiùs.* Idem, *Poſt ſacra Biblia & Paulinas inprimis Epiſtolas, nullum novi ſcriptum, in quo, qui concionatores ſunt & Græcè non neſciunt, majore cum fructu verſentur, quàm in B. Chryſoſtomi homiliis, quas ita numeroſas reliquit, ut nemo plures, ita bonas, ut nemo meliores, ita diſertas ac dilucidas, ut nihil excogitari quidem poſſit diſertum aut dilucidum magis.* Montacutius: *Diſertiſſimus Patrum, & in Scripturis enarrandis Græcorum Princeps.* Eraſmus, *l.* 6. *Ep.* 33. *Hos Triumviros Gregorium Nazianzenum, Chryſoſtomum una tulit ætas apud Græcos, pietate pares, nec diſpares eruditione, ſed dictionis charactere diſſimiles: quos ſi cum noſtris conferre velis. Chryſoſtomus non diſſimilis eſt Auguſtino. Gregorius Ambroſio. Quem Baſilio conferam, nondum invento, niſi ſi quis Scripturarum cognitionem quam habuit Hier. cum Lactantii felici facilitate copulet.* Joſ. Scaliger, *l.* 4. *Ep.* 389. *Ego ſtudioſiſſimus iſtius Patris ſum, cum quia nullus melior Novi Teſtamenti Interpres, tum & propter miram dulcedinem & amœnitatem dictionis, quam poſt illum nullus Eccleſiaſticus ſcriptor conſequi potuit.* Euſebii Emiſſeni diſcip. cum facit Crowæus *in Elencho Scriptor.* Vide quoque in voce *Chryſoſtomus.*

JOHANNES Cinnamus, Hiſtor. Græcus. A. C. 1180. qui Grammatici Regii nomine aſſumpto, ſcripſit de rebus ſub Joh. Comneno geſtis, & fil. ejus Emanuele Comneno. Voſſ. *de Hiſt. Græc.*

JOHANNES Clericus, Meldenſis Gallus, mechanicus, Eccl. Metenſis initia ſanguine ſuo jecit: cùm propter deturbata idola, crudeliter excarnificaretur, & inter tormenta ipſi crudelitati inſultans, altiſſimâ voce illud Davidis recitaret: *Idola gentium ſunt aurum & argentum, opus manuum.* Beza *in Iconibus*: Prius jam Meldis exagitatus, quòd Papam Antichriſtum dixiſſet.

JOHANNES Climacius, dictus quoque Scholiaſticus, Abbas montis Sinai. A Ioh. Abbate Raitenſi, *Angelus, Pater Patrum, & Doctor eximius Doctorum*, vocatus, ejus rogatu; *Sanctam Scalam* condidit, 32. gradibus conſtantem, quam Latinè vertit Iſſeltius Flander, & *Ep. ad Paſtorem.* Obiit A. C. 609. Morer. *Dict. Hiſt.*

JOHANNES Clopinellus, priſcus Poëta Gallus: *Roſa*, auctor.

JOHANNES Cochlæus, Norimbergenſis, Canonicus Vratiſlavienſis, ſcripſit plurima, contra Lutherum. Obiit A. C. 1552. Iac. Boiſſardus, *in Iconibus.*

JOHANNES Columbinus, Senenſis, Ordinis Ieſuatorum fundator. Sec. 14.

JOHANNES Columna, Archiep. Meſſanenſis, floruit A. C. 1255. Sub Alex. IV. ampliſſimis muneribus defunctus; ſcripſit *Mare Hiſtoriarum.* Fazell. *Rer. Sicul. dec. poſt. l.* 8. Leander Alberti, *Voſſ.* &c.

IOHANNES Cornarius, Zuiccavienſis, Medicus inſignis, opera Hippocratis, poſt diutinam inquiſitionem, in Flandria, Anglia, Gallia, inſtitutam, Baſileæ tandem reperta, Latinè ſpatio 15. Annorum vertit. Ætium poſteà, Æginetam & magnam partem Scriptorum Galeni ſimiliter Latio donavit. Docuit publicè Marpurgi primùm; inde Ienæ. Obiit. A. C. 1558. Scripſit complura, quorum ſeriem habes *in Elogiis* Ant. Teiſſier *P.* 1.

IOHANNES Cotta, P. Iov. *Elog. c.* 54. laudatus.

IOHANNES Cremonenſis, Italus Presbyter, auctor Chronici. Alius, auctor Hiſtoriæ Scholiaſticæ ſ. Eccl.

IOHANNES Curopalates, propriè *Johannes Schilitze*, vide *Curopalates.*

IOHANNES Damaſcenus, ex Iudæo Chriſtianus, A. C. 461. Alius, in aula Saracenica Damaſci clarus, imaginum acer propugnator, contra Leonem Iſauricum, A. C. 727. & Conſtantinum Copronymum. A. C. 754. Ob id, Conc. Oecumenico 7. Conſtantinop. condemnatus, & cùm Georgio Cyprio, &c. Eccleſia ejectus. Obiit A. C. 760. Opera ejus Billius Latinè vertit. Inter ſuos *Chryſorrhoas* dictus eſt, ob eloquentiam.

IOHANNES Dampetra, IC. & Poëta, laudatus Scævolæ Sanmarth. *Elog. l.* 1.

IOHANNES Davenantius, Londinenſis, natus patre Eſſexienſi, cive divite; apud *Davenands-land* genito, ubi Majores ejus à Ioh. Davenant Equite, qui Henr. III. principatu floruit; ad hæc uſque tempora generis decus tuiti ſunt. S. Theol. D. & D. Marg. Pr. apud Cantabrigienſes, Ep. Saliſburienſis: Theologus inſignis Synodo interfuit Dordracenæ. A. C. 1619. Obiit A. C. 1640. Ejus extant: *In Coloſſenſes Expoſitio; Fol.* Item *plurima alia ſcripta Theologica.*

IOHANNES Demerlerius, Mathematicus, auctor operis, de quo Voſſ. *de Math. l.* 52. §. 22.

IOHANNES Deſpauterius, Flander, Grammaticus admodum celebris.

IOHANNES Diaconus, Anaſtaſio Bibliothecario amicitiâ junctus; Scripſit libb. 5. vitam Greg. M. Sigebert. *in Chron.* A. C. 873. *& in Cat. c.* 106. Voſſ. &c. Alius, Canonicus Veronenſis, auctor Hiſtoriæ à Iul. Cæſare uſque ad Henr. VII. Alius Ianuarii & Ioſiæ martyrium ſcripſit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

IOHANNES de Dieu, Luſitanus, fundator Ordinis Charitatis, A. C. 1520. pauperum curæ inprimis vacantis.

IOHANNES Doratus, Lemovicenſis, Græcè docuit Pariſiis, Poëta clarus. Opera ejus enumerat Verdier. *Bibl. Gall.* laudes enarrat Scævola San Marth. *l.* 3. Vide quoque Antonii Teiſſier *Elogia P.* 1. ubi primum eum *Anagrammatum* in Gallia auctorem, ultra 50. m. verſuum Græcorum ac Latinorum compoſuiſſe, & Obiiſſe A. C. 1588. Æt. 80. addit, ex Papyrio Maſſonio *Elog. Scaligerian.* Aliis.

IOHANNES Divitis, Carthuſianus, Gandavenſ. Auctor 11. tractatuum.

IOHANNES Dominici, Card. Conc. Conſtant. interfuit. Obiit A. C. 1418.

IOHANNES Dorffmannus, Euangelium Curiæ Rhætorum annuntiavit, ſub initia Reformationis, Paſtor ibi ad D. Martini: cui, ut & reliquis ejus ſymmyſtis, in tribus Rhætorum fœderibus, cùm ſe acriter opponeret Decanus Capituli Curienſis, cum reliquo Clero, celebre colloquium inſtitutum eſt Ilantii, in fœdere Griſeo A. C. 1526. d. 7. & 8. Jan. in quo facilè de ignorantia & ſuperſtitione veritas triumphavit. Interfuit ei quoque Sebaſtianus Hofmannus S. T. D. Eccl. Scaphuſianæ Reformator.

IOHANNES de Dormans, Card. Ep. Bellovacenſis, Legationibus clarus, ſub Greg. XI. Fundator Collegii Bellov. Obiit A. C. 1373.

IOHANNES Doviatius, Vir eruditiſſimus, Canonum Interpres Regius, *Collectionem Martini Bracharenſis*, magnâ curâ cum libris MSS. collatam, de novo edidit. Gerh. von Maſtricht, *Hiſt. Jur. Eccl. n.* 178.

IOHANNES Driedus, Brabantus, ſcripſit libb. 4. *de Scripturis Eccl. De libertate Chriſtiana: De Captivitate & Redemptione generis humani: De concordia liberi arbitrii & prædeſt. divina libb.* 2. *de gratia & libero arbitrio, &c.* A. C. 1535.

IOHANNES Druſius, aliàs *van der Drieſche*, Flander, patriâ Aldenardenſis, in ea urbis parte, quæ *Pamele* dicitur, natus: Hebræam linguam in Anglia didicit, ibique docuit Oxonii Annos 4. poſtea Franekeræ Friſiorum ejuſdem linguæ Profeſſor fuit. Obiit A. C. 1616. Æt. 66. Opera ejus in Vet. Teſtamenti libros pleroſque proſtant quamplurima: quæ *in Romano indice prohibita eſſe donec expurgentur*, refert *Sweertius.*

IOHANNES Dryander, Mathematicus Germanus, variis ſcriptis inclytus, A. C. 1530.

IOHANNES Dubravius, Ep. Olomutienſis, auctor Hiſtoriæ Bohemicæ. Obiit A. C. 1553.

IOHANNES Duns-Scotus, Franciſcanus, diſcip. Gulielmi Varronis Angli: *Doctor ſubtilis* dictus: Auctor ſectæ Scotiſtarum, Thomiſtis oppoſitæ. Obiit A. C. 1308. Æt. 33. Opera ejus volum. 12. edita A. C. 1639. cum vita Auctoris, à Vadingo. An præmaturè elatus, in ſepulchro ad ſe rediens, ſibi ipſi manus deroſerit? Vide Morer. *Dict. Hiſt.*

IOHANNES Duſſeldorpius, Carmelita Argentoratenſis, auctor, inter alia, deſcriptionis Terræ S. Obiit A. C. 1494.

IOHANNES Egen, Carthuſianus, Herbipolit. auctor *Divini amoris alphabetarii*, &c. A. C. 1477.

IOHANNES Eligerus, Aſtronomus Germanus, A. C. 1350.

IOHANNES Erfortienſis, Franciſcanus eruditus, Sec. 14.

IOHANNES Erigenus, vide *Johannes Scotus.*

IOHANNES Eſtuvodus, Anglus, Philoſophus, Orator, Poëta & Mathematicus excellens. Sub Eduardo III. A. C. 1347. Scripſit *de Judiciali Aſtronomia, Elucidarium Planetarum, &c.* Trithem. & Joh. Pico Mirandul. laudatus.

IOHANNES Eviratus, vide *Johannes Moſchus.*

IOHANNES Faber, Algoviâ Germanus, Ep. Viennenſis, auctor *Mallei hæreticorum papyracei.* Obiit A. C. 1541. Æt. 63.

IOHANNES Fauſtus, vel *Fuſt*, primariâ Moguntinæ in Germania familiâ natus, aurifabrilem primò, ſecundùm quoſdam, artem exercuit, Typographiæ dein invento circa A. C. 1450. evaſit clariſſimus. Is enim non tantùm typos ſingulares ex ære primus efformavit, ſed etiam princeps omnium typis deſcriptos libros orbi obtulit & communicavit: circa A. C. 1454. Extat in Bibliotheca Academica Baſileæ *Officiale Durandi*, cum hac ſubſcriptione: *Johannes Fuſtius, civis Moguntinus excudit, per Petrum de Gernsheim*, A. C. 1459. Prope cujus ædes cùm habitaret Joh. Gutenbergius, de quo vide *ſuo loco*: hic familiaritate cum Fauſto contractâ, pecuniam ei ad ſumptus obtulit, ſtipulatus, ut quidquid in illud opus impenderetur, communi utriuſque lucro vel damno cederet. Poſteà exortâ inter illos lite, quæ A. C. 1455. Judiciali ſententiâ finita fuit, Gutenbergius Argentinam delatus, ex operis eò aliquot ſecum attraxit: quo tempore alii quoque, qui apud Fauſtum artem didicerant, eum deſeruêrunt, & Francofurtum inque alia loca ſe recepêrunt, cùm præſertim A. C. 1462. Moguntiâ captâ, direptâ ac incenſâ, libertatis priſtinæ jacturam fecit: ſic præclara hæc ars toti mundo innoteſcere cœpit. Uſus eſt inprimis Fauſtus Petro Schäffero, Gernsheimenſi, poſteà genero ſuo: qui rationem invenit, quâ characteres matrici, ut vocant, inciderentur & ex ea funderentur. Iidem attramenti impreſſorii gloria debetur, quam alii ei cum Gutenbergio faciunt communem. Ita Fauſtus, Gutenbergius & Schäfferus inventæ Artis triumviratum conſtituiſſe, dici poſſunt. De hoc Fauſto lepidam narrat hiſtoriam Joh. Walchius: Venit is, inquit, antequam in vulgus artificium emanaret, Pariſios, aliquot exemplaribus Bibliorum à ſe impreſſis inſtructus, quæſtum illic ut faceret. Ac, poſtquam prius Bibliorum unicum exemplar manuſcriptum 400. aut 500. coronatis veniſſet, Fauſtus ſua ſingula 60. coronatis vendidit. Hîc primò non mediocriter mirati ſunt homines, quâ factum, ut ſingula ſibi exemplaria exactè reſponderent, ut neque unicus apex per totum librum variaret; Cunctantibus dein atque emptionem protrahentibus; ſuorum quædam exemplarium Fauſtus 50. coronatis conceſſit, tandem etiam multò minoris permiſit. Quod cùm comperiſſent, qui primò majoris emerant, increbreſcente interim compendii hujus famâ, à Fauſto deceptos ſe clamantes, pecuniæ reſtitutionem urſêrunt, adeò ut illi & Pariſiis & Moguntiæ non parum negotii faceſſerent, *in decad. fabular. Fabulâ* 9. *p.* 181. Habuit is agnatum Iacobum, ſimiliter aurifabrum, qui Conſulem Moguntiæ egit ipſo Anno urbi fatali, de quo ſuprà. Vide Bern. à Mallinkrot *Diſſert. de ortu & progreſſu artis Typogr.* & infrà in voce *Typographia.*

IOHANNES Fernelius, Gallus, Medicus Henr. II. celeberrimus, fœcunditate Catharinæ Mediceæ conciliatâ inclytus: Vivus non niſi libros ſuos in Academiis explicari vidit. Cæterùm Mathematicus, & Latinè doctiſſimus. De cujus morte Eteoſtichon:

Conjuge Fernelius *raptâ perculſus, ut aula,*
Ut lucis ſatur, ut nominis, interiit.

Scævola San Marth. *in Elog. l.* 1. Thuan. *Hiſt. &c.* Obiit autem A. C. 1558. Æt. 52. Scriptâ ejus enarrat Anton. Teiſſier *in Elogiis P.* 1. & 2.

IOHANNES Ferronus, ſcripſit de Conneſtabilibus, Cancellariis, M. Magiſtris, Admiralibus & Mareſcallis Galliæ, de Regibus, de arte Heraldica, &c. Advocatus Pariſienſis.

IOHANNES Ferrantius, IC. Andegav. ſcripſit de Iuribus & privilegiis Galliæ, Sec. Præt.

IOHANNES Ferrarius, IC. Germ. in Inſtitutiones Iuſtin. ubi B. Rutilius deſiit commentatus eſt A. C. 1550.

IOHANNES Ferus, Franciſcanus Moguntinus, commentatus eſt in S. Scripturam. A. C. 1545. Thuan. *l.* 13. Serrar. *l.* 1. *c.* 40. *Mogunt.*

IOHANNES Fichardus, auctor vitæ recentiorum Iurecoſſ. Francofurto oriundus, audivit Huldr. Jaſium Friburgi: Iuſinde docuit Patavii & Bononiæ tandem Patriæ Syndicus per complures Annos, Obiit A. C. 1581. Æt. 70. Reliqua ejus ſcripta habes *in Elogiis Anton. Teiſſier.*

IOHANNES Fiſcherus, Anglus, Ep. Roffenſis, &c. Card. Præceptor Henr. VIII. capite plexus, A. C. 1531. quòd Catharinæ Reginæ repudio aſſentiri nollet. Auctor plurium tractatuum.

IOHANNES Flethus, Benedictinus Weſtmonaſterienſis, in Anglia, Auctor Homiliarum & Chronici Monaſterii ſui.

IOHANNES Forſterus, S. Linguæ Profeſſor, in Acad. Wirtenbergenſi, auctor Dict. Hebraici.

IOHANNES Franciſcus Gondius, primus Archiep. Pariſinus, A. C. 1622.

IOHANNES Fr. Maurocenus, Card. à Sixto V. ad Henr. III. legatus A. C. 1588.

IOHANNES Fr. Picus, Mirandulæ Comes. Vide *Picus.*

IOHANNES Frerius, Franciæ Flandriæque turbas deſcripſit. Ab A. C. 1560. uſque ad A. C. 1577.

IOHANNES Frobenius, Typographus Baſilienſis inſignis. Patrum Eccleſiæ voluminibus inprimendis magnum ſibi nomen toto orbe peperit, tum Eraſmi etiam contubernio & ſcriptis æternitati ſe conſecravit. Habuit Hieronymum filium, ut fortunarum ſic artis hæredem, cui itidem pari celebritate duo filii, Ambroſius & Aurelius ſucceſſêre, omnes multis præclaris operibus & auctoribus emiſſis percelebres. Quemadmodum & Nicolaus Epiſcopius, Ioh. gener: de quibus vide ſuprà in vocibus *Epiſcopius* & *Frobenius.*

IOHANNES Funccius, Werdæ, prope Norimbergam natus, Chronologorum ſui ævi facilè princeps, cum duobus aliis, Alberti Ducis Conſiliariis, ab Ordinibus Boruſſiæ accuſatus, capite luit, Regiomonte, A. C. 1566. Æt. 40. Cauſam mortis indicans his verbis:

Diſce meo exemplo mandato munere fungi,
Et fuge ceu peſtem, τὴν πολυπραγμοσύνην.

IOHANNES Gagnæus, Concionator Franciſci I. ſcriptis clarus.

IOHANNES Galenſis, ob eruditionem *Arbor vitæ* dictus. Franciſcanus, Anglus, Pariſiis docuit, A. C. 1270. Plurima edidit.

IOHANNES Gallenſis, ſ. Vallenſis, vide *Gallenſis.*

IOHANNES Garzonus, auctor vitæ plurimorum Dominicanorum. Præceptor Leandri Alberti, *deſcript. Ital.* Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. p.* 683.

IOHANNES Gaſconius, Anglus, ſcripſit contra Wiclefum & vitam S. Hier. Sec. 15.

IOHANNES Gazulus, Raguſiâ oriundus, Aſtrologus celebris, A. C. 1438.

IOHANNES de S. Gelaſio, Dominus Monlucii, auctor vitæ Lud. XII.

IOHANNES Gener, Aurelian. Mathematicus & Hiſtor. Continuator maris Hiſt.

IOHANNES Gerardus, Saxo, patriâ Quedlinburgenſis, patre Senatorii ordinis, S. Theol. D. & in Academiis Salana & Jenenſi Profeſſor celeberrimus. Obiit A. C. 1637. Æt. 55. Ejus extant: *Harmonia Evangelica* 3. *volum. Fol. Comm. in varios Scripturæ libros: Loci communes, &c.* Helvico, *vir inculpatæ vitæ & immenſi laboris;* Albertino teſte: *Accuratè collegit, quidquid Chemnitius, Hunnius & alii habent.* De eodem Dilherus: *Venerem illam Euangelicam, à magno Chemnitio pingi cœptam, à diſertiſſimo Lyſero continuatam, quis præter* Gerardum *attigit? Hic erat alter ille Apelles, qui abſolveret.*

IOHANNES Gerbrandi, Leidenſis, Carmelita, Auctor Hiſtoriæ Comitum Hollandiæ, libb. 32.

IOHAN.

IOHANNES Germanus, Cluniacenſis, Duci Burgundiæ gratus. Ep. Cabillonenſis Baſilienſi & Florentino Conc. interfuit. Auctor Comm. in Mag. Sentent. *l. de regimine Eccleſiaſticorum,&c.*

IOHANNES Gerſon, alias *Charlierus* dictus, Gallus, Gerſonii, pago agri Remenſis, natus, Petrum de Alliaco Præceptorem habuit, & Cancellarius Pariſienſis factus eſt: Claruit in Conc. Conſtantienſi, ubi quòd emendationem Eccl. Rom. plurimis rationibus ſuaſiſſet, finito Conc. domo, patria, dignitatibus ſpoliatus, & à Pontifice pulſus, Lugduni conſenuit, ibi Mortuus, A. C. 1429. apud Cœleſtinos cum honore ſepultus. Ejus opera extant 3. tom. Fol. Argentorati A. C. 1488. ex recenſione Wimphelingiana. 3. Vol. Fol. Pariſiis A.C. 1521.& 1606. 4. Tom. 2. Vol. ib. A. C. 1616. *Gerſon. cogn. Doctor Chriſtianiſſimus*, Pareo: *Famoſiſſimus, ſuâ ætate Theologus*, Thuano: *Vir in divinis literis eruditiſſimus, dubiorum clariſſimus interpres, vitâ & converſatione inſignis*, *Trithem.*

IOHANNES Goja, aliis Flavius Campanius Amalphitanus, inventor pyxidis nauticæ, A. C. 1302. vel ſaltem conſummator.

IOHANNES Goſſelinus, Bibliothecarius Car. IX. auctor Ephemeridum, A. C. 1571. & Hiſtoriæ imaginum cœleſtium.

IOHANNES Goudanus, Carmelita Batavus, A. C. 1490. celebris.

IOHANNES Grangæus, Lugdunenſis, Ep. Ambianus, illuſtris Sec. 14.

IOHANNES Grajus, Ep. Norvicenſis, Chronici auctor, A. C. 1216.

IOHANNES Graunſonus, Eleëmoſynarius Eduardi III. ſcripſit Sermones, vitam Thomæ Cantuar. & martyrologium. Obiit A. C. 1369. Voſſ. *de Hiſt. Lat.*

IOHANNES Grolajus, Card. Gallus, legationibus ad Alex. VI. & Ferd. V. Hiſp. Regem, inclytus. Scripſit in Mag. Sententiarum, ſermones, &c. Obiit A. C. 1499.

IOHANNES Grolerius, vide *Grolerius Johannes.*

IOHANNES Gropperus, Archidiac. Colonienſis, colloquio Ratisbonenſi, cum Euangelicis inſtituto, interfuit, A.C. 1541. Obiit Romæ.

IOHANNES Gualbertus, Fundator Ordinis Valumbroſæ, A. C. 1070. Obiit A. C. 1073.

IOHANNES Gutenbergius, natione Teutonicus, equeſtris dignitatis vir, an Moguntinus, an Argentinenſis; primus omnium in urbe Moguntia imprimendarum literarum excogitavit artem, primumque ibi eam exercere cœpit, A. C. 1440. vel 1442. Alii hunc Guttenbergium ſaltem ſocium fuiſſe dicunt Joh. Fauſti inventoris. Alii id Joh. Mentelio, ejuſdem urbis civi, adſcriptum eunt. Harlemenſes hujus inventi gloriam ſibi vindicant, per Laur. Janſonium, cui typos à quodam ſurreptos & Moguntiam ſic delatos dicunt. A Sinenſibus quidam ad nos divinam hanc artem perveniſſe ſtatuunt, ſed alia illis imprimendi ratio. Sixtus Reſſius vel Ruſſingerus, Neapolim, &c. Ulricus Haan, ex Guttenbergii famulis paulo pòſt Romam artem, hanc detulêrunt; ubi Auguſt. de Civ. Dei & Lactant. impreſſi. Epitaphium Guttenbergii æri inciſum Heidelbergæ in Collegio Sapientiæ, ita ſonat:

Hans Guttenberg iſt mein nom,
Die erſt Truckrey bracht ich nach Rom,
Bitt vor mein Seel, gibt dir Gott lohn.

Vide Serrar. *Hiſt. Mog. l.* 1. *c.* 37. Jun. *in Batav.* Wimpheling. *in Epit. rer. Germ. c.* 65. Aventin. *Boic. l.* 7. Palmer. *in Chron.* Melchior. Guilandin. *de Papyro membr.* 26. Chaſſan. de G. M. P. 11. *Conſ.* 39. Joh. de Barros, *Aſi. dec.* 1. *l.* 9. *c.* 1. P. Jov. *Hiſt. l.* 19. Oſor. *de Emmanuel. l.* 11. Pancirol. *t.* 12. Salmuth. *notis in Pancirol.* Volaterr. *l.* 33. *antr.* Polyd. Virg. *l.* 2. *c.* 7. *De rer. inv.* ut & infra in voce *Typographia.*

IOHANNES Hagen, ſ. de Indagine, Carthuſianus, Scripſit tractatus 433. inter quos tria Chronica, ſunt. Petrejus *Bibl. Carthuſ.* Obiit A. C. 1475. Trithem. *in Cat.* Voſſ. *de Hiſt. Lat.* Simler. *in Bibl.* Sec. 15. Alius ab auctore Chiromantiæ, Phyſiognomiæ & Aſtrologiæ Judic. A. C. 1522.

IOHANNES Hantwilius, Anglus, ſcripſit *Architrenium*, ſ. de antiq. Angliæ, metro, A. C. 1200. Simler. *in Epit. Pitſæus.*

IOHANNES Hardingus, Anglus, auctor Chronici, &c. A. C. 1460. Baleus, *Cent.* 8. *c.* 30.

IOHANNES Haucuth, Anglus, qui Vicecomitibus Mediol. militaverat, copiis Urbani V. præfectus eſt, ut Eccleſiæ ditionem ab hoſte tueretur. Platina, *Blond.*

IOHANNES Henricus Alſtedius, Encyclopediæ celebris auctor. Sec. ult.

IOHANNES Heſius, Presbyter Ultrajectinus, Itinerarii Orientis, Hieroſolymis in Indias auctor.

IOHANNES Heurnius primus Medicinæ in Acad. Lugduno-Batava Profeſſor, in Hippocratis lectione adeò diligenter verſatus eſt, ut illum totum à capite ad calcem memoriâ teneret. Vide ſuprà *Heurnius Johannes.*

IOHANNES Hexhamus, Benedict. Anglus, varia ſcripſit, Sec. 12. Baleus, Geſnerus, *Voſſ.* &c.

IOHANNES de Hildesheim, Carmelita, ſcripſit Chronicon, de tranſlatione trium Regum, &c.

IOHANNES Hiperus, Abbas S. Bertini, Chronici auctor. Obiit A. C. 1383.

IOHANNES Honſemius, Canonicus Leodienſis, plurimis Legationibus defunctus. Auctor Hiſt. Epiſcoporum Leod. ab A. C. 1247. uſque ad A. C. 1348.

IOHANNES Honterus, Cronſtadius, Rudimenta Coſmographiæ libb. 4. Mappas Geograph. principia Aſtronomiæ & Geographiæ edidit.

JOHANNES Houctonus, Anglus, Carthuſianus, ſub Henr. VIII. cruci affixus, Obiit A. C. 1535. Epiſtolæ ejus editæ.

JOHANNES Hullinus, Auctor libri de Profectu Spirituali.

JOHANNES Huniades, Vaivoda, tutor regni Hungariæ factus, A. C. 1445. Ritius. Vide Huniades.

JOHANNES Huſs, Bohemus, ex libro Joh. Wiclefi Alethia, ab Hier. Pragenſi, ſibi tradito, luce doctrinæ ſalutaris hauſtâ, eam in Bohemiam intulit, & Pragæ docere cœpit, extimulatus ad id impudentiſſimis Indulgentiarum nundinationibus, quæ tum ſub A. C. 1400 propoſitæ. Hinc A. C. 1404. Pragæ diſputatum, contra Tranſubſtantiationem, Confeſſionem auricularem, Ordinationem; à Jacobo & Conrado, Cantabrigienſibus; qui quod paulo antè S. Brigitta, Papam eſſe Antichriſtum aſſerebant. In templo Betleem, recèns à Mulhemio erecto, concionatus eſt, ingenti cum ſucceſſu: Wiclefi libros Bohemicè vertit, illoſque ad Proceres, & Jodocum quoque Moraviæ March. miſit. Concionari prohibitus, in patriam Huſſenec ſecedens ibi docuit. Rediit tamen revocatus; Academiæque Pragenſis Rectoratu functus eſt, A. C. 1409. Nec in Bohemia ſolùm ſalutarem doctrinam propagavit, ſed hinc illa in Sileſiam, Germaniam, Poloniam, Venceſlao Rege connivente, ac dicente, *Anſerem aurea ſibi ova parere*, feliciter ſparſa eſt. M. Cromer. *l.* 15. A. C. 1414. ſub fide publica Conſtantiam, ad Conc. à Sigiſmundo Imp. evocatus, in fœdum carcerem mox abjectus eſt, fruſtra Bohemicâ & Polonicâ nobilitate, Venceſlao inprimis Leſzczinio, violari fidem datam, proteſtante: In vanum quoque à Nobilibus Moravis 54. Epiſtolâ totidem ſigillis obſignatâ defenſus. Camer. *in Hiſt. Fr. Bohem.* Sim. Turnov. *in Spec. Ver.* Paralip. *ad Chron. Urſperg.* Condemnatus enim, velut hæreticus, Caſparo Schlik, Imp. Cancellario, ſolo non aſſentiente, Laſicius *in Hiſt. de geſtis Fr. l.* 1. *è. m. ſ.* mox jure Sacerdotali peculiari ritu ſpoliatus, & combuſtus, 6. Jul. A. C. 1415. adeò generosè tulit mortem, ut non niſi pias preces ac cantus ſanctiſſimos ab eo adſtantes audiverint. Populo Conſtantienſi hinc voce expreſſâ; *Quid iſte homo antea docuerit aut fecerit, ignoramus, certè iſta ſunt maxima veræ pietatis indicia.* Morn. *in Myſt. Doctr. Jeſuit. tom.* 3. Ante mortem, vatidico Spiritu, Reformationem Lutheri prædixit, *Nunc quidem*, inquiens, *torretis anſerem.* (id enim Bohemis vox *Huſs* notat,) *at veniet Cygnus, quem torrere non poteritis. Poſt centum annos Deo & mihi reſpondebitis.* Camer. *in Hiſt. Fr.* Innocentiam Viri miraculo dignatus Deus eſt: Ubi enim loci cum Joh. Huſs, tum Hier. Prag. paulò pòſt, exuſti; uſque ad hæc tempora, circum luxuriante prato, nullum gramen ſuccreſcit, omni artificio & induſtriâ incolarum hactenus incaſſum laborante. De utriuſque ſupplicio, Æn. Sylv. ita ſcribit: *Johannes combuſtus eſt prior: Hieronymus poſtea in vinculis habitus, &c. Pertulêrunt ambo conſtantes animo necem, & quaſi ad epulas invitati, ad incendium properârunt: nullam emittentes vocem, quæ miſeri animi indicium facere poſſet. Ubi ardere cœpêrunt, hymnum cecinêre:* Ave vivens hoſtia, Veritas & Vita, &c. *quem vix flamma & fragor intercipere potuit, &c.*

JOHANNES Hyrcanus, fil. Simonis. Judæorum Dux. Vide Joſeph. *Antiqq. l.* 13. *c.* 8. & in voce *Hyrcanus.*

JOHANNES Jac. Weckerus, celebris Medicus Baſilienſis, auctor *Antidotarii.* Obiit Colmariæ, A. C. 1586.

JOHANNES Imenhuſanus, Germ. eruditione inclytus, A. C. 1360.

JOHANNES d'Imola, Bononienſis, JC. Baldi diſcip. In Decretales & Clementinas comm. &c. ſcripſit. Obiit A.C. 1436. Forſter. & Fichard. *in vitis Juriſcoſſ.* Trithem. *in Cat.* Simler. *in Bibl. Geſner.*

JOHANNES Inſtitor, vel Inſtitutor, Carthuſ. *Scripſit de Objectionibus Bibl.* A. C. 1400. Suevus.

JOHANNES Ioffredus, Card. egregius doctrina & ingenio, interfuit Conc. Florentino. Obiit A. C. 1473.

JOHANNES Iſac. Pontanus, Auctor libri de Originibus Gall. &c.

JOHANNES Iuven. de Urſinis, Archiep. Remenſis, pôtens & populo acceptus. A. C. 1461. coronavit Lud. XI. Obiit A. C. 1473. Auctor Hiſtoriæ Car. VI. ab A. C. 1380. uſque ad A. C. 1422. Sanſovin. *Geneal de la Caſa Urſina.*

JOHANNES de Kikellew, Archidiac. urbis cogn. & magnus Vicarius Epiſcopatus Strigonienſis, vitam Lud. Hung. Regis ſcripſit. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. & 6. Turocius *in Chron. Hung.* illam refert.

JOHANNES Killingwortus, Anglus, Mathematicus celeberrimus, ſcriptis Aſtrologicis, Arithmeticis, &c. inclytus.

JOHANNES Lallamantius, Medicus Auguſtodun. præter plurima alia, *de collatione anni Romani, præcipuarumque Gentium exterarum &c.* ſcripſit.

JOHANNES de Lana, Bononienſis, IC. egregius. Obiit A. C. 1357. Æt. 93.

JOHANNES Langdenus, Anglus, Benedictinus, auctor Chronici, uſque ad A. C. 1420.

JOHANNES Langius, Sileſius, Medicus clariſſimus, Coſmographiam primò Lipſiæ docuit, inde in Italiam profectus, ſub Nic. Leoniceno, Ferrariæ, Medicinæ operam dedit, Reverſus in Germaniam, Heidelbergæ vixit, Frid. II. Othonis Henr. & Frid. III. Medicus Γαλακτοφάγος adeò inſignis, ut *Lac* & *Caſeum* erudito carmine celebraret, neque unquam ſine his delitiis cibum caperet. Vide *Epigrammata* ejus *l.* 2. Obiit A. C. 1565. Æt. 80. Scripta ejus reliqua vide in *Elogiis* A. Teiſſerii, plura de illo apud Melch. Adami *Vit. Medicor.* Nic. Reuſnerum *Præf. Ep. Med. Langii*, Alios.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

JOHANNES Langtonus, Carmelita Anglus, interfuit Conc. Baſil. Auctor Hiſt. Anglicæ.

JOHANNES Langus, vide *Langus*.

JOHANNES Lantzius, Mathematicus. Scripſit plurima.

JOHANNES de Lapide, Carthuſianus, Philoſophica & Theologica varia ſcripſit. A. C. 1494.

JOHANNES Laſcaris, Græcus, ſtirpe Imperatoriâ, poſt urbem captam, in Italiam conceſſit, à Laurentio de Medicis, cujus aula tum eruditorum aſylum, benignè exceptus. Conſtantinopolim binis vicibus, ab eo Bibliothecam inſignem colligente, remiſſus ad Manuſcr. Græca colligenda. Inde redux à Lud. XII. Lutetiam pellectus eſt, ejuſque miſſu Legatus ad Venetos iit. Obiit Romæ, podagrâ, An. Æt. 90. Latinè quoque doctiſſimus & poëta; ſed laboris impatiens, Græca mſcr. tamen plurima correxit. P. Jov. *in Elog. c.* 31.

JOHANNES Laurentius, Mathematicus inſignis, tempore Juſtiniani. Photius *cod.* 180. Voſſ. *de Math. c.* 33. §. 27.

JOHANNES Lavardinus, Vindocinus, Abbas, Sec. Præt. Epiſtolas Hier. &c. Gallicè vertit.

JAHANNES Laziardus, Cœleſtinus, auctor epitomæ Hiſtoriæ Univerſalis, uſque ad An. 5. Franciſci I. continuatæ ab Huberto Vellejo *Voſſ.*

JOHANNES Leidenſis, aliàs Bocoldus, Sartor, junctus Joh. Matthæo piſtori caput Anabaptiſtarum. Hi duo, Monaſterio potiti, A. C. 1534. inauditâ tyrannide diu civibus graves fuêrunt, donec iſto, qui Moyſem ſe jactabat, in tumultu quodam, occiſo, ille in ejus locum evectus eſt, cum tit. Regis Juſtitiæ: ſed & hunc Ep. per hujus ſocium quendam intra urbem receptus, paulo pòſt cum ſequacibus, meritis ſuppliciis affecit. Meſhov. *Hiſt. Anabapt. l.* 5. 6. *&* 7. *Sleidan.* &c.

JOHANNES Leo, Africanus dictus, Granatà oriundus, urbe hac captâ à Ferdinando & Iſabella, in Africam conceſſit. Ubi linguam regionis cùm perdidiciſſet, diu in Europa, Aſia & Africa peregrinatus, Arabicè Africæ deſcriptionem edidit. Dein à piratis captus, Leonique X. donatus, apud eum in pretio fuit: Joh. Leonis nomine in baptiſmate accepto. Italicè dein ſuum opus tranſtulit, quod à Floriano latinâ civitate donatum eſt. Alius, Mutinenſis, cogn. *Poëtinus*. Giraldus, *de Poët.* Prior Obiit A. C. 1526. Libertus Fromondus, *Meteorol. l.* 5. *c.* 3. *art.* 2. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *&c.*

JOHANNES Leſleus, Ep. Scotus, auctor Hiſtoriæ Scoticæ. Sec. Præt. Obiit Bruxellis, A. C. 1596.

JOHANNES Leunclavius, Weſtphalus, auctor Hiſt. Turcicæ Obiit A. C. 1593. Vide etiam infrà.

JOHANNES Lidgatus, Anglus, vixit A. C. 1480. ſcriptis inclytus. Baleus, *Voſſ.* &c.

JOHANNES Lightfuotus, Anglus, patriâ Staffordienſis, Utceſtriæ natus, S. T. P. & Aulæ Catharinæ præfectus, floret in Anglia, Ejus extant: *Harmonia V. T. Anglicè*; *Harmonia* 4. *Evangel. Hora Hebraica in Matth. Marc. Joh. pr. ad Cotinthios*: *Comm. Chronologico-Criticus in Acta, &c.*

JOHANNES Linturius, continuator Chronici Werneri Carthuſ. ab A. C. 1484. uſque ad A. C. 1514.

JOHANNES Lonicerius, ex Com. Manſfeldio, difficili adoleſcentiæ initio uſus, induſtriâ tamen eouſque emerſit, ut Latinè & Græcè doctiſſimus evaderet, à Joacho hinc Camerario & Phil. Melanchthone abſolvendo Dict. Græco-Latino, quod exorſi erant, adhibitus, Inde Linguam S. Friburgi docuit: unde Marpurgum delatus, invitatu Landgravii Haſſiæ, Humaniores illic Literas, cum gloria, profeſſus eſt Obiit A. C. 1569. Æt. 70. ſobrietate inſuper ac probitate, illuſtris. Pater Adami, qui Francofurti ad Mœnum Medicinam feliciter & cum laude exercuit. Scripſit verò pater, vertitque plurima, inter alia, *Confeſſionem Auguſtanam Græcè*, cum *parte Apologia*, & varia *Lutheri Latinè.* Melch. Adami *vit. Philoſ.* Thuan. Teiſſier *in Elogiis Part. I.*

JOHANNES Lopeſius, auctor vitæ S. Vincentii Ferrerii. Alius ſub initium Sec. hujus, ſcripſit Syllogen ex Patribus, in gratiam Prædicatorum.

JOHANNES Lotharingus, Card. fil. Renati II. Ducis, ex Philippa Geldrica, A. C. 1518. Literatorum inſignis fautor, liberalitate inclytus. Obiit A. C. 1550. Erat Archiep. V. hujus nominis: Præceſſerant ipſum *Johannes I.* poſt Hugonem, A. C. 1111. *Johannes II.* Anglus natione, eruditione inſignis. A. C. 1180. Steph. Tornac. *Ep.* 92. Gul. Nebriſſ. *de Reb. Angl. l.* 5. *c.* 3. *&c. Johannes III.* A. C. 1289. *Johannes de Talaris IV.* A. C. 1575. Card. factus à Clem. VII.

JOHANNES Lovæus, Anglus, Henr. VI. gratus, A. C. 1436. Scripſit varia. Baleus. *Voſſ.*

JOHANNES Lovanienſis, Carthuſianus, auctor vitæ Paparum. Boſtius *de ſcr. Carthuſ. c.* 24. Sutor. *l.* 2. *vita Carth. Tr.* 3. *c.* 7. *p.* 571. Voſſ. Sic quoque dictus eſt *Johannes Molerius*, ſeu potiùs *Molanus Lovanienſis*, Inſulis Flandriæ oriundus, quòd Lovanii ſedem fixiſſet, ubi pater illius natus erat. Scripſit hic plurima, Antonio Teiſſier *in Elogiis* enarrata, *P.* 2. Obiit A. C. 1585. Æt. 52. Baronio laudatus, *Martyr. Rom. c.* 9. *præf.* Vide Thuan. Aub. Miræum *Elog.* Val. Andr. *Bibl. Belg.* & ſuprà *Molanus.*

JOHANNES Lucidus, Mathematicus inſignis. Scripſit Sec. Præt. *De emendatione temporum: de vero die paſſionis Chriſti: Epitomen emendationis Calend. Rom. Canones in perpetuam temporum tabulam.*

JOHANNES Lucondus, Veronenſis, Præceptor JC. Scaligeri, ſub Maximiliano I. celebris. Scripſit Comm. in Cæſarem, in Vitruv. &c. Scalig. *Exercit.* 114. §. 23. *&* 226. §. 12. *&* 329. *&c.*

JOHANNES Ludovicus Vives, Valentinus Hiſp. Sollicitatus à Card. Wolſæo, Angliam viſitavit, ibique Oxonii Juris Civ. Doctor creatus eſt: Obiit Brugis in Belgio circa A. C. 1536. *Vir longè eruditiſſimus, ac præclariſſimi ingenii*, Barthio: *Quo decendente doctior nemo in Hiſpania ſuperfuit: doctrinæ columen decuſque vitæ*, D. Jov. *in Elog. doct. Vir.* Extant opera ejus, præter eruditiſſima in Auguſtinum de Civ. Dei Comm. 2. tom. Fol. Baſil. A. C. 1543. & 1555 ſed in Romano indice prohibita ſunt, donec expurgentur, Poſſevin. Vide etiam Boiſſardi Icones.

JOHANNES Mabuſius Hannonius, Pictor egregius. A. C. 1539. Opmer. *in Chron.*

JOHANNES Macocurſius, Tornacenſis Carthuſ. *Brunoniadum & Hugoniadum* auctor. Obiit A. C. 1548.

JOHANNES Magnus cogn. *Cicero Germanicus*, vide inter Principes.

JOHANNES Major, Scotus, auctor Hiſt. M. Britanniæ A. C. 1521. libb. 6. uſque ad Henr. VIII. cum Catharina Arragonia nuptias. Idem ſcripſit *Sophiſticalia Pariſienſia*, *Placita Theologica, &c.* Obiit A. C. 1531. Dempſter. *Hiſt. Eccl. Scot. l.* 12. Budæus, *Cent.* 14. Buchanan. *Hiſt. Scot. l.* 6. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3.

JOHANNES le Maire, ſcripſit illuſtrationes Galliæ, & ſingularitates Trojæ. Item, de Schiſmatibus, de Conciliis, &c. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. Sub Lud. XII.

JOHANNES Maldonatus, Jeſuita Hiſp. ſcripſit Comm. in S. Scripturam. Obiit A. C. 1583. Æt. vix dum 50. *Vir judicii exaſciati, & veritatis Hiſtor. hyperaſpiſtes, ſi quis alius*, Thuan. *Magni nominis interpres*, Schlichtingio: *Alium nobis vitâ & moribus* Maldonatum *depingit, quam ſe nobis ille exhibuit, in Comm. Montacut.* &c.

JOHANNES Malela, vel Meleles, Hiſtoricus Græcus, Voſſ. *l.* 3.

JOHANNES Manardus, Ferrarienſis, Medicus inſignis, in aula Ladiſlai Poloniæ Regis floruit. Auctor Epiſtolarum Medicarum. Obiit A. C. 1510. P. Jov. *in Elog. c.* 81.

JOHANNES Mandevillanus, Eques Anglus, Medicinam docuit, A. C. 1332. Itinerarii Aſiæ & Africæ auctor, quod in varias linguas tranſlatum. Obiit Leodii A. C. 1372. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3.

JOHANNES Marandus, Sebuſianus, celebris Aſtrologus, ſub Car. VII. & Lud. XI. Gratus Amadæo Papæ, prædixit Schiſma, bellum Gallico Flandricum, &c. Matth. *in Lud. XI.* Guicheno *Hiſt. de Breſſe.*

JOHANNES Marbachius, Theologus Argentinenſis, à Zanchio collega ſuo cùm in quibuſdam Religionis articulis diſſentire cœpiſſet, diſſidio hodieque duranti occaſionem præbuit, A. C. 1560. Tùm enim primùm *Calvinianorum* & *Lutheranorum* audita nomina, ac de duobus his præcipuè articulis, *Prædeſtinatione divina* & *Ubiquitate Corporis Chriſti*, inter Euangelicos, diſputatum, G. Horn. *Orb. Imp. cum Notis Felleri p.* 100.

JOHANNES de Marcanova, Patavinus, Philoſophus, Medicus & Poëta. Auctor Antiquitatum. Scardeonius, *Rer. Patav. l.* 2. *c.* 2.

JOHANNES Margarinus, Hiſp. Ep. Hiſt. Patriæ libb. 10. condidit.

JOHANNES Maria Cataneus, Novarienſis, Sec. 15. ſcripſit Comm. in Plin. Jun. Poëma de B. Sacro, aliaque plurima. Laudatus Leandro Alberti. P. Jov. Lil. Giraldo, *Voſſ.* &c.

JOHANNES Maria Politianus, Carmelita, auctor vitæ S. Alberti.

JOHANNES Maria Riminaldi & Verratus, Florentini. Ille JC. A. C. 1496. Iſte Theologus Carmelita, A. C. 1563.

JOHANNES Mariana, Hiſp. auctor Hiſt. Hiſp.

JOHANNES de Matha, primus Patr. Ordinis SS. Trinitatis, & redemptionis captivorum. Provincialis nobilis, A. C. 1198. Ab Innoc. III. in Africam miſſus. Obiit Romæ. A. C. 1213. Sabellic. *Ennead.* 9. Gaguin. *Hiſt. Franc. l.* 6. Morer. *Dict. Hiſt.*

JOHANNES Mauburnus, Bruxellenſis, varia edidit. Voſſ. *de Hiſt. Lat.*

JOHANNES Maxentius, Presbyter Eccl. Antiochenæ. Scriptis contra Neſtorium, alioſque inclytus. Sec. 6. Gennad. *c.* 93. Ado *in Chron.* Alius à Maxentio, Greg. Turon. *Hiſt. l.* 2. *c.* 37. Vide Morer. *Dict. Hiſt.*

JOHANNES de Meda, unus ex fundatoribus Ordinis Humiliatorum. Vide *Humiliati.*

JOHANNES Mehumius, Poëta Gallus, Boëthi conſolationem Philoſophiæ &c. vertit. A. C. 1340. Opmer. *in Chron.*

JOHANNES Mentelius, poſt Gutenbergium, celebrem Argentinæ Typographiam habuit, remque familiarem brevi inſigniter auxit, multa volumina caſtigatè & politè imprimendo. Ei Adolphus Ruſchius ſucceſſit, qui Biblia cum gloſſa ordinaria triplici charactere in publicum dedit, &c. Vide Bern. à Mallinkrot *Diſſert. de ortu & progreſſu artis Typogr.*

JOHANNES Mercerus, Uticenſis, Occitanus in Gallia Narbon. Franciſci Vatabli auditor, Hebraicarum lit. in Acad. Pariſienſi Prof. Regius, Obiit A. C. 1570. *Vir eruditiſſimus, Galliarum lumen, parente ſuo* Ioh. *digniſſimus*, Caſaub. & Montacutio: *Quatuor lingg. peritiſſimus, & qui ad incredibilem diligentiam acerrimum judicium attulit*, Thuano: *Chriſtianorum in Hebraicis longè doctiſſimus*, Mon. Lit. *ex Thuan. ſuperioris ſeculi lumen virum & clarum*, Buxtorf. *in de Abbr. Hebr.* Ejus extant: *Prælectiones in Geneſin, Comm. in Hagiographa.* Item *in Proph. min. &c.* reliqua vide in Elogiis Ant. Teiſſier P. I. in quibus *Comm.* ejus *in Joſuam* præ primis laudat Ioſ. Scalig. *in Job. Eccleſiaſtem, Proverb.* & *Cantic.* P. Simon *Hiſtoir. Critique du V. Teſtam. l.* 2. *c.* 14. atque illum inter omnes Proteſtantes κριτικώτατον Scripturarum interpretem eſſe, judicat. Pater fuit Ioſiæ, Arte ac Marte clariſſimi. Thuan. *Hiſt.*

JO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

JOHANNES Mercius, auctor Hiſt. Regum Merciorum. Anglus.

JOHANNES Mercurius, Ciſtertienſis: errorum de voluntate & volitione Filii Dei, cauſiſque peccati, à Pariſinis Theologis convictus. A.C. 1347.

JOHANNES Michaël, Gen. Carthuſianorum, Gall. Scripſit *l. Exercitiorum Spir. tripilci viâ: Enchiridion Spirit. Exercitiorum: Decachord. Pſalterium*, *&c.* Obiit A.C. 1600.

JOHANNES Michaëlis, ordinem Dominicanorum reformavit. Sub initium hujus Sec.

JOHANNES Miræus, Bruxellenſis, Ep. Antverpianus, ſcriptis celebris. Obiit A. C. 1611.

JOHANNES Mola, M. Magiſter Templariorum, combuſtus. A.C. 1307.

JOHANNES Molinæus, auctor *Speculi Hiſtorialis Carmelitani Ord.* A. C. 1360.

JOHANNES Monachus, Card. Gallus. Auctor Comm. in 6. librum Decretalium. A Bonifacio VIII. in Galliam miſſus, ob litem cum Phil. Pulchro. Collegii cogn. Lutetiæ fundator, Obiit Avenione A. C. 1313. Hiſt. Abbavil. & Pontiniac. Victorel. *in addit. ad Ciaccon. ſub Cœleſtino V. &c.*

JOHANNES de Monte Regio, Aſtronomus inſignis. A.C. 1476.

JOHANNES de Monteniguo, Dominic. celebris. A. C. 1430.

JOHANNES de Monteſono, Dominic. ſcripſit, pro Urbano VI.

JOHANNES Moriſotus, Medicus & Mathematicus, de Arithmetica ſcripſit.

JOHANNES Morlandinus, Lemovicenſis, Gen. Dominicanorum. & Card. Scripſit de Sanguine JESU CHRISTI, contra quoſdam Doctores Barcinonenſes, Sanguinem Chriſti, in cruce fuſum, non eſſe adorandum, aſſerentes. A. C. 1352.

JOHANNES Morvillerius, Bleſenſis, Ep. Aurelianenſis, interfuit Conc. Tridentino. Obiit Turonibus, A.C. 1557. Thuan. & Sam-Marth. laudatus.

JOHANNES Moſchus, dictus Eviratus, Eremita: Auctor *Prati Spiritualis*: quod Ambr. Camaldulus latinè vertit, Sec. 7. 2. Conc. Nic. *act.* 4. Photius, *Cod.* 119. Joh. Diaconus, *in Greg. l.* 1. *c.* 45. Joh. Damaſcen. *l.* 1. Niceph. *l.* 8. *c.* 21. Voſſ. *de Hiſt. Lat.*

JOHANNES Muntzius, Mathematicus, de Prognoſticis ſcripſit, A.C. 1503.

JOHANNES Murmelius, Eraſmi condiſcip. Rector Acad. Monaſterienſis, Seculo barbaro eruditionis face illatâ clarus.

JOHANNES Neperus, Scotus, inventor Logarithmorum in Arithmetica.

JOHANNES Neviſanus, Aſtenſis, JC. floruit A. C. 1540. Scripſit de Jurecoſſ. illuſtribus: quod opus ab aliis continuatum.

JOHANNES Nicolaus Buboicius, Ep. Corſus. Scripſit A.C. 1496. Neapoli, *de Origine & Reb. geſtis Turcarum.*

JOHANNES Nuca, ultimus *Juſtitia* Arragonum, Cæſarauguſtâ expugnatâ & Arragoniis in ſervitutem redactis, à Phil. II. Hiſp. Rege ſecuri percuſſus eſt, ſub fin. Sec. Præt. Vide *Juſtitia.*

JOHANNES Odofredus JC. Azonis & Accurſii præceptor A. C. 1109. in Italia docuit, *Summamque Pandectarum* ſcripſit: memoratus ſæpe Accurſio in *Gloſſ.*

JOHANNES Okfortius, auctor. Hiſt. Anglicæ. Boëthius, *in Præf. Hiſt. Scot.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. 56.

JOHANNES Olaus, vide *Magnus.*

JOHANNES Oldendorpius, JC. Hamburgenſis, Jus ibi docuit, & ſcriptis illuſtravit. A. C. 1550. Melch. Adam. *in vitis Jurecoſſ. Germ.*

JOHANNES Olnejus, Anglus, Carthuſian. Meditationes ſolitarias, &c. ſcripſit A.C. 1350.

JOHANNES Oporinus, poſtquam aliquandiu Linguam ſanctam Baſileæ publicè docuiſſet, Calcographico inſtituto ubi nomen dedit, evaſitque in ea arte clariſſimus. Floruit Sec. Præt. Ei id inprimis laudis tribuitur, quòd nihil unquam excudirit, niſi priùs diligentiſſimè à ſe ipſo correctum reviſumque. Vide Boiſſard. *Icon.* Pantaleonem *de Viris Ill.* Melch. Adami, & infra in voce *Oporinus.*

JOHANNES Palæonidorus, ſ. de Aqua vet. Hollandus: Carmelita Auctor *Faſciculi temporum tripartiti*, *&c.* Obiit A. C. 1507.

JOHANNES Papo, Sec. Præt. edidit Collectionem decretorum Curiæ ſupr. &c.

JOHANNES Pariſienſis, Dominicanus. Scripſit *de Regia poteſtate & Papali.* Obiit ſub Clem. V. Vide Morer. *Dict. Hiſt.* Alius Anglus, auctor Hiſt. Univerſ. Florum Hiſtoricorum, & Memorialis. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat.*

JOHANNES Parmenſis, auctor Euangelii æterni: qui liber juſſu Alex. IV. combuſtus eſt. A.C. 1258. Alius Card. Angelus pacis dictus, ob varias Legationes, eodem Sec.

JOHANNES Paulus Lancelotus, JC. Peruſinus. Scripſit inſtitutiones Juris Canonici.

JOHANNES Paulus Perrinus, Lugd. Auctor Hiſt: Valdenſium & Albigenſium.

JOHANNES Pediaſimus, Secretarius Patr. Conſtantinop. Scripſit 12. labores Herculis, &c. Simler. *in append. Geſner.*

JOHANNES Pena, Provincialis, Mathematicus Regius, Pariſiis. Scriptis celebris. Voſſ. Quenſtedt. &c. laudatus.

JOHANNES Petrus Ferrarius, JC. Ticinenſis: Auctor Practicæ Judicialis.

JOHANNES P. Maffæus. Bergomas, Jeſuita Auctor Hiſt. Indicae, &c.

IOHANNES P. Matthiolus, Senenſis. Inſignis plantarum gnoſtes: Scriptis inclytus.

IOHANNES Phreas, Londinenſis, auctor Coſmographiae. Xenoph. ex parte, & Diod. Sic. tranſtulit. Obiit A.C. 1465.

IOHANNES Picus, Mirandulae Com. & Concordiæ Dominus, à Conſtantino Imp. originem traxiſſe dicitur: Patrem habuit Joh. Franciſcum Picum, matrem ex illuſtri Bojardorum fam. Obiit A. C. 1494. Aet. 33. Florentiæ. *Vir ingenii penè prodigioſi, in omni Artium, Scientiarum & Literarum varietate uſque ad miraculum exculti*, Sixto Sen. *Phœnix ſui ſeculi*, Scalig. *Eo objectante, Scoti acumen & vigilantiam, Franciſci acrimoniam, copiam & multitudinem Aureoli deprehendere potuiſſes, Eo reſpondente, Thomæ fortitudinem & robur, Alberti amplitudinem conſpexiſſes*, Joh. Fr. Picus Nepos, *in vita ejus.* Extant, ejus *Heptaplus de opere 6. dier. aliaque ejus opera, una cum Joh. Fr. Nepotis 2. tom. Fol. Baſil.* A. C. 1573. 1580. & 1601. Vide quoque in voce *Picus.*

IOHANNES Pikus, Anglus. De Regibus in Anglia Saxonicis ſcripſit. A. C. 1120. Gul. Hormannus, poſtea in epitomen redegit.

IOHANNES du Pin, Toloſanus, Ep. Rejenſis, diſcip. Beroaldi, hujus vitam ſcripſit: Item, *de vita aulica*, tractatum edidit, &c. Sadolet. *l.* 4. *Ep.* 18. Eraſmus *in Ciceroniano*, Voſſ. *de Hiſt.*.

IOHANNES Piſcator, Theologus Herbornenſis, celeberrimus: verſione German. Bibliorum, aliiſque ſcriptis egregiis inclytus.

IOHANNES Piſtorius, Theologus literatiſſimus, Nidanus. Obiit A.C. 1583. Aet. 81.

IOHANNES Placentinus, Dominicanus Trajectenſis, Catalogum Epiſcoporum Tungrenſium edidit.

IOHANNES Polemanus, de civili dominio Clericorum, contra Bohemos, peroravit, in Conc. Baſil. A. C. 1433. Archidiaconus Barcinonenſis.

IOHANNES de Prato, Lugd. auctor. Dict. Hebr.

IOHANNES Przibramius, Bohem. contra Taboritas ſcripſit A. C. 1439.

IOHANNES Quinquarboreus, Hebr. doctiſſimus, varia tranſtulit.

IOHANNES de Rada, Ep. Hiſp. Scholaſticus celebris.

IOHANNES de Radice, Ann. Patavinorum conditor.

IOHANNES Raguſinus, Dominic. peroravit, in Conc. Baſil. contra Huſſitas, *de Communione ſub utraque non concedenda Laicis.* Caniſius edidit.

IOHANNES Ravennas, auctor variorum operum Hiſt. A. C. 1420.

IOHANNES Raviſius Textor, Nivernienſis, celebris literator, Sec. Præt.

IOHANNES Raſtalus, Typogr. & Mathem. Londinenſis, gener Thomæ Mori. Editis Canonibus Aſtrologicis, &c. Obiit A. C. 1525.

IOHANNES Reebock, molitor, Pſeudowoldemarus factus eſt. Cum enim Woldemarus II. ultimus Elector Brandeburgicus, è fam. Aſcania, diem Obiiſſet A.C. 1322. vacuamque ſic poſſeſſore Marchiam Lud. Bavarus Imp. Lud. Seniori, filio ſuo, in feudum conceſſiſſet, vicini Principes, maximè qui ex Aſcania ſtirpe ſupererant Sax. Duces ac Principes Anhaltini, ſubornârunt molitorem præfatum, ut Woldemarum, cui habitu corporis ſimillimus erat, ſe fingens, Lud. primò, dein Lud. Rom. multum negotii faceſſiverit, vide apud, Georg. Horn. *Orb. Imp. cum Notis Felleri p.* 118.

IOHANNES de Rely, Atrebas, à Confeſſionibus Car. VIII. Ep. Andegavenſis, varia ſcripſit. Iac. Faber. Stapul *dedic. Comm. in Eth. Ariſtot.*

IOHANNES Reuchlinus, aliàs *Capnio*, Germano-Suevus, opp. Pfortsheimenſis, ſecundùm alios Stutgardiæ in Duc. Wirtembergico natus, LL. Imper. D. & lingg. Hebr, Gr. Lat. interpres, Claruit A.C. 1494. Obiit A.C. 1522. Sturgardiæ ſepultus. Ejus inter alia, extat *Commentariolus in ſeptem Pſalmos Pœnit &c. Vir magnus*, Genebrardo, niſi *Ling. Hebr. myſteria Cabalicis nugamentis maculâſſet.* Meliùs Trithemius, *Nullum nobis non modò Italia, ſed nec ſeculum quidem noſtrum huic tanto viro parem objiceret.* Et Beza, *Ex hujus auditorio, præter innumeros alios, prodiêrunt Oecolampadius, Pellicanus, Munſterus* vide & in voce *Capnio.*

IOHANNES Richetus, auctor Mercurii Gallici. Typographus.

IOHANNES Rodericus, & *de Rojas*, Hiſpani. Ille Medicus, ſcriptis; hic Mathematicus, Aſtrolabii explicatione clarus.

IOHANNES Rœatius, vel Roatius, liberatorem Bohemiæ, ex monte Sionis brevi affuturum, ſuis pollicitus eſt. A.C. 1412. Si fides Sandero, &c. Meliùs *Rohaczius* Baro, captâ arce Sione, cum 60. comitibus ſuis, unove Sacerdote, ſtrangulatus, juſſu Sigiſmundi Imp. qui ſupplicio fatali, cùm laetus intentus eſſet, gangraenam correptus, paulò pòſt Obiit.

IOHANNES Rokyzana, Legatus Bohemorum, ad Conc. Baſil. poſtea Archiep. Pragenſis conſtitutus, vir ingenio acer & facundus, *Papam Antichriſtum* eſſe, aſſerebat. Multandus à Sigiſmundo, latebras quæſivit. Calixtinorum dein caput, Taboritanis excidium molitus eſt. Proin hi Ordinem atque Conſiſtorium Lhotæ (quæ vox liberationem notat) prope Richnoviam erexêre, *Fratrum* nomine ſumpto. A. C. 1457. Primus Unitatis hujus fundator erat Greg. vulgò Rzehorz, ſororis

Rokyzanæ nepos: Quia verò Rokyzana rogatus, præeſſe ſeceſſioni nolebat; ex Martini Lupacii, Rokyzanæ ſuffraganei, conſilio è 60. virorum numero, poſt ardentes preces & jejunia 9. exemêrunt, ac ex iis rurſus per 12. chartulas tres *Seniores* elegêrunt; voce cœlitus auditâ *Beſt ma wule*, eſt mea voluntas. In hos Rokyzana, quaſi ſpretus eſſet, ſæviens, dum adſtitit cruciatibus Greg. illius admiratus conſtantiam, lachrymabundus, *fortunam cruciati ſua velle permutare*, profeſſus eſt. Camerar. *in Hiſt. Fr.* Laſicius, &c. Cùm verò videret, vana ſpe Præſulatus Pragenſis ſe eludi, denuo in Papam detonare, ac ſeceſſionem ab Eccleſia Rom. & unionem cum Græcis, moliri cœpit. Unde nova Taboritis ſpes, *Rokyzanam*, tanquam alterum Huſſum, venerantur. Sed, ſive periculi metus, ſ. ambitio Archiepiſcopalis illum abſterruit, impetravit ſaltem Taboritis liberum in Montanis Sileſiæ vicinis habitandi locum, à Georg. Rom. A. C. 459. quo tamen mox item contra miſeros inflammato, illi in ſpeluncas compulſi ſunt & loca deſerta, ut dicemus in voce *Jamnis*: Moriturus tandem Georg. Podiebradium Regem ſecum ad tribunal Dei citavit, A. C. 1471: altero menſe ſequutum, ut videre eſt apud Cl. Hottingerum *Sec.* XV. Ejus ſepulchrum, poſtquam nuperis turbis Bohemicis fruſtra diu quæſiiſſent hoſtes, tandem A. C. 1630. humaturi Lucam Jeſuitam, in profundiſſimo loco lateritium ſtratum quoddam, & ſub eo carioſa oſſa, cum duobus calicibus, altero æneo, altero cereo incorrupto, particulamque panni Damaſceni, de Sacerdotali caſula invenêrunt. Joh. A. Comen. *in Ann. Fr. m. ſ.*

JOHANNES Roſinus, Thuringus. Scripſit libb. 12. Antiquitatum Rom. A. C. 1580. quas auxit *Thom. Dempſter.*

JOHANNES de Rupe Sciſſa, Franciſcan. quòd Apocalypſin contra Papas exponeret, illoſque Antichriſtos vocaret, juſſu Innoc. VI. combuſtus eſt. Froiſſard *l.* 1. Trithem *deſcr. Eccl.* Spond. Rom. A. C. 1356. Alius Patr. CP. Archiep. Rotomagenſis, & Veſontinus, Card. Ab Eugenio IV. legatus, Bononiæ Obiit, A. C. 1437.

JOHANNES Rupifortius, Anglus Scripſit Epitomen Joſephi & flores Hiſtoriarum, A. C. 1405.

JOHANNES Ruſſus, dictus Keade & *Rowſeus*, Angli, & Hiſtorici ambo. Quorum ille Chronicon Imperatorum, Paparumque: Annales item Angl. condidit; Hic Chronicon compoſuit. Voſſ. *de Hiſt. Lat.*

JOHANNES Saliſburienſis, Anglus, Ep. Carnutenſis, eruditione inter primos ævi ſui. Liberalitate Theobaldi IV. Com. Campaniæ adjutus, Docturam Lutetiæ nactus eſt. Hinc Romam tendit, ut Hadr. IV. popularem ſuum viſeret: Redux præceptor Petri Bleſenſis extitit. In Angliam dein delatus, apud Theobaldum Archiep. Cantuarienſem, & ſucceſſorem ejus Thomam hæſit, hujus uſque ad ſupplicium comes. Poſtmodum favore Lud. Jun. Galliæ Regis Præſul Carnutum factus eſt. Interfuit Conc. Lateranenſi. A. C. 1179. Obiit A. C. 1182. De ejus ſcriptis ſuperſunt: *Vita Thomæ Cantuar Volumen Epiſtolarum*, *Polycraticon, vel de Nugis Curialium & veſtigiis Philoſophorum*, *libb.* 8. Petr. Bleſenſis, *Ep.* 22. Voſſ. *de Hiſt Lat. l.* 2. *c.* 52. Erycius Puteanus, *Cent.* 2. *Ep.* 84. *ad Phaëlem.* Morer. &c. *Dict. Hiſt.*

JOHANNES Salviatus, Florentinus, Card. Ep. Portenſis, eruditione, ſub Car. V. clarus. Ughel. *t.* 2. *Ital. ſacr.*

JOHANNES Sambucus, Medicus & Hiſtoricus Sec. Præt. Thuan. *l.* 77.

JOHANNES Saxo, Franciſcanus, ſcripſit Comm. in S. Scripturam, &c. A. C. 1330.

JOHANNES Schwebelius, Germ. patriâ Pfortsheimenſis, ad Hercyniæ Sylvæ radices: *primus Principis Bipontini Orthodoxus Eccleſiaſtes.* Obiit A. C. 1540. Ӕt. 50. Ejus extant: *Tractatus de præcipuis S. Scripturæ locis*. *Theſaurus*, *&c.* Vide Melch. Adami *in vita ejus.*

JOHANNES Scotus, dictus Erigenus, è Scotia in Franciam delatus, Carolo Calvo gratus fuit. Vir puſillo corpore, ſed ingenio maximus, feſtivus ac facetus, unde & menſæ & cubiculi Imperatorii non rarò particeps. Philoſophus porro eximius, Theologus conſummatus. eodem tempore, A. C. 876. quo Rabanus, Ep. Moguntinus, diligens Auguſtini ſectator, in libb. de inſtitut. Clericorum, *figuratam locutionem*, in verbis S. Cœnæ agnoſcebat, à Bertramo Presbytero, juſſu Caroli defenſus: Edito libro de Euchariſtia, dogma Auguſtini quoque retinuit. Hinc Pariſiis, Papæ inſtigatu, pulſus, cùm in Angliam perveniſſet, à Diſcipulis, inſtinctu Monachorum, graphiis confoſſus eſt. A. C. 884. Opus ejus aliquot in Conciliis damnatum, & Berengarius, qui ex illo ſalutarem doctrinam hauſit, Romæ A. C. 1059. ſub Nicolao II. in ignem conjicere coactus eſt, quaſi igni in veritatem jus eſſet. Hunc Poſſevinus, Wio, &c. diſcipulum Bedæ, commilitonem Alcuini & unum ex primis Academiæ Pariſ. fundatoribus: Gul. Malmesbur. Præceptorem Alfredi Regis, Martyremque faciunt. Scripſit quoque Dialogum de Naturis &c. Adverſarius Paſcaſii Ratberti, Abbatis Corbiac. qui primus doctrinæ de Realitate auctor cenſetur. Dictus eſt *Scotus*, item *Erigenus*, quòd Hibernus eſſet. *Scotorum* enim nomine Hibernos non Hier. ſolùm, ſed & alii Auctores deſignant. *Erigena* verò idem eſt, ac genitus in *Eria* ſive *Eiria*, ſive *Hibernia*: quo modo hodieque *Eir-land.* Belgis dicitur ſive *Ire-land*; voce *Eir*, vel *Jer*, ex *Iber*, per ſyncopen contractâ. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Idol. l.* 3. *c.* 73.

JOHANNES de Segovia, Theologus Rom. Commun. Baſilienſi Conc. interfuit.

JOHANNES Semeca, Teutonicus *Decreti* gloſſator. Vide *Semeca.*

JOHANNES Serapio, Medicus Arabs, Sec. 11. An diverſus ab auctore libri, de ſimplicibus Medicamentis? Conring. *de ſcript. Sec.* 11.

JOHANNES Serlonus, Anglus, Abbas Ciſtertienſ. Grammatici elogium meruit, Sec. 13. Scripſit varia.

JOHANNES de Serres, auctor Inventarii Hiſt. Gall. ſcripſit uſque ad Car. VII. Eum continuavit, uſque ad Henr. IV. Paſtor quidam Montis Adhemarii, in Delphinatu. Opus magni apud eruditos pretii.

JOHANNES Simoneta, Calaber, ſcripſit Hiſt. Franc. Sfortiæ, Ducis Mediol. libb. 31.

JOHANNES Sirmienſis, Abbas, A. C. 1160.

JOHANNES Sleidanus, domeſticus primò Card. Bellaji, dein Euangelii doctrinam amplexus, Argentinam ſe recepit, ubi Opus ſuum inſigne Hiſtoricum elaboravit, quod terminatur, A. C. 1555. Obiit A. C. 1556.

JOHANNES Sotealdus, Germ. Scripſit *Summam Pontificalium & Synodalium, per locos communes, &c.*

JOHANNES Spangenbergius, diſcip. Lutheri, A. C. 1536.

JOHANNES Stadius, Ephemeridum auctor. Vide Quenſtedium *de Patria Viror. Illuſtr.* Valer. Andream *Bibl. Belg.* Joſ. Scalig. *l.* 1. *Ep.* 2. & infrà *Stadius Johannes.*

JOHANNES Stella, Presbyter Venetus, auctor Hiſt. Pontificum Rom. uſque ad Julium II.

JOHANNES Ston & Stoveus, Angli Benedictini, ſcriptis celebres. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3.

JOHANNES Tabienſis, aliàs Cagnatius. Gennenſis, Dominicanus, *Summæ Tabienæ* auctor. Caetani Card. amicus. A. C. 1524. Leander Alb. *deſcr. Italiæ.* Anton. Senenſis, *de Ill. Dominic.*

JOHANNES de Temporibus, Car. Mag. ſtabuli præfectus, Obiit A. C. 1120. Ӕt. 61. Vincentius Bellovacenſis, *Nauclerus*, &c.

JOHANNES Tezelius, Germ. Pirnâ Miſnicus, præco Indulgentiarum, Romanæ ſedi fatalium, à Leone X. in Germaniam miſſus, docebat inter alia: *Se tantam habere poteſtatem, ut etiamſi quis Virginem Matrem polluiſſet, pecuniâ datâ poſſet ſcelus elui.* Joh. Sleidan. *de St. Relig. & Reip. l.* 13. Chemnitius, *in exam. part.* 4. *de Indulg.* Quod cùm audiret, paulò ante Obitum, Joh. Ep. Miſnenſis, vatidico ore exclamavit, *Hunc fore Indulgentiarum Inſtitorem ultimum.* Vide Chytr. *par.* 1. *Sax.* Contra hunc itaque Lutherus, theſibus conſcriptis, publicè diſputavit: mox, cùm Indulgentiarius Nundinator non ſolùm non ceſſaret, ſed & Francofurti pro dogmate Pontificibus adeo lucroſo diſſertationem publicam haberet, plurimoſque Luthero hoſtes excitaret, hic ſcriptis acerrimè reſtitit. Plura apud Surium, Sleidan. &c. Obiit A. C. 1519.

JOHANNES Tilius, vide *Tilius.*

JOHANNES Tilletus, Ep. Meldenſis. Scripſit Epitomen Chronici Regum Galliæ, &c. A. C. 1568. Scævolæ San-Marth. *l.* 2. & Thuano laudatus. Frater alterius Joh. qui varia hiſtorica, Galliæ regnum ſpectantia, compoſuit. Ambo hi eodem anno & menſe Mortui.

JOHANNES Tinmouthus, Anglus, auctor Hiſt. aureæ, libb. 3. Supplementi Hiſtoriæ, &c.

JOHANNES Turocius, Hungarus. Hiſt. Hung. Matthiæ Corvino dedicatâ inclytus.

JOHANNES de Turre Cremata, Hiſp. ab opp. natali *Torquemada*, vulgari idiomate appellato, ſic dictus, Ord. Præd. Ep. Sabinenſis in Italia & Presbyter Card. A. C. 1439. Scripſit 5. Volumina Comm. in Decretum Gratiani: Summam Eccleſiæ libb. 4. Orationem coram Eugenio IV. habitam, &c. Obiit A. C. 1468. Ӕt. 80. Magnifici, Protectoris & defenſoris fidei elogiis, à Pio II. honoratus. Onuphr. *in Chron.* Blondus, Mariana, Ciaccon. *Anton. Senenſis.* &c.

JOHANNES Vaſæus Brugenſis, auctor *Ann. Hiſp.* cum Nic. Clenardo in Luſitaniam profectus, Olyſſipone apud Vice-Reginam Indiarum Iſabellam triennium ſubſtitit, inde Salmantiſæ Rhetoricam docuit, ipſi Covarruviæ & Navarro magni habitus. In Luſitaniam ab Henr. Card. revocatus ibi juventoti erudiendæ vacavit. Sed Salmanticam reverſus, ibi Obiit, A. C. 1550. primus Rerum Hiſp. ſcriptor Latinus; edidit etiam *Rerum & Verborum indicem ex Chiliadibus Eraſmi.* Thuan. Aub. Miræus & A. Teiſſier *Elog.* Val. Andreas *Bibl. Belg.*

JOHANNES Venator, Card. Franciſco I. gratus.

JOHANNES Venetus, & Tudetchinus, ambo Sacellani Godofredi, Tuſcanellæ Ducis A. C. 1065. à Pontif. Alex. II. tanquam hæretici damnati.

JOHANNES Verrazanius, Florentinus, detexit A. C. 1525. novam Franciam, auſpiciis Franc. I.

JOHANNES Villanius, Florentinus, Hiſtoricus, Sec. 14.

IOHANNES Vinetus, Brito, Carmelita, auctor Chronici. A. C. 1348.

IOHANNES Vitalis, Card. ſub Clem. V. Obiit A. C. 1316.

IOHANNES Vitelleſcus, Patr. Romam, omnemque Eccleſiæ terram recepit. A. C. 1434. Vide *Vitelleſcus.*

IOHANNES Wendelſteinius, editor *Codicis Canonum* Romani. Vide infrà *Wendelſteinius.*

IOHANNES Wentius, Abbas Hollandus, A. C. 1404. Abbatiâ relictâ, Abbatum Prædeceſſorum epitaphia collegit.

IOHANNES Wernerus, Geograph. & Aſtronomus, Obiit A. C. 1504.

IOHANNES Whetampſtedius, aliàs Frumentarius, Anglus. A. C. 1440. Interfuit Conc. Ticinenſi & Senenſi, ſub Martino V. Varia ſcripſit.

IOHANNES Wier, vide *Wier Johannes.*

IOHANNES Wigandus, Germ. Mansfeldiæ in radicibus Hercyniæ montis ſitæ natus, Theologus celebris. In patria primò docuit, deinde Magdeburgi, Ienæ, Viſmariæ Superintendens, iterum Ienæ, tandem in Boruſſia Ep. Pomeſanienſis fuit, Regen-

genvolſc. Edidit in pleroſque S. Scripturæ libros, *Exercitationes*, *Comm. Annotat. Explicat. &c.* Obiit A. C. 1587. Æt. 64. *Vir ingenio, doctrinâ, & vitâ præſtans*, Melch. Adami, *Magnæ doctrinæ inter Proteſtantes Theologus, qui Matthiæ Flaccio in concinnandis Eccl. Hiſt. centuriis operam navavit*, Mon. lit. *ex Thuano.* Vide & *Vigandus Johannes.*

IOHANNES Wiltonius, Anglus, magni inter literatos nominis. A.C. 1319.

IOHANNES Wolfius, Tigurinus, fam. Senatoriâ: *audivit viros undiquaque doctiſſimos, Argentorati Germaniæ Tullium Joh. Sturmium: Wittenbergæ politioris literaturæ parentem Melanchthonem: Tubingæ, Philoſophorum ſui ſeculi principem Jac. Schegkium: Biturigibus Gallorum legalis prudentiæ Coryphæos, Cujacium, Roſſardum, Contium, Donellum*, Melch. Adami: *in ejus vita.* Obiit A.C. 1572. Æt. 70. Scriptis in S. Codicem aliiſque notiſſimus. *Eo nec probiorem, neque Græcè eruditiorem ſua ætas tulit*, Scaliger. Vide infrà quoque *Wolfius Johannes.*

IOHANNES Ziſca, Huſſitarum Dux celeberrimus. Vide Æn. Sylv. *Rer. Bohem.* Crom. A. C. 1420. & in voce *Ziſca.*

IOHANNES, Zonaras vide *Zonaras.*

IOHANNINÆ, dictæ Cujacio *Extravagantes*, à Ioh. XXII. concinnatæ. Vide retro *Joannina.*

IOHANNES Petrus, vide *Petrus.*

S. IOHANNIS Dies, vide infrà *Majus.*

S. IOHANNIS Inſ. Vide *Borichena.*

IOIA, vulgò *Gioja*, opp. regni Neap. in agro Bariano, versùs Apenninum, in dit. Ducis Atrini. 16. mill. à Bario in Auſtr. totidem à ſinu Tarent. in Bor.

IOIACUM, vicus Gall. in agro Pariſienſi, in Decanatu Caſtrifortis, in Archidiaconatu *Joſas* dicto: Aliis *Joviacum* à Iovio, vulgò *Joüy en Joſas*, ad Beveram fluv. Hinc pago Ioviacenſi vel Iojacenti nomen. Eſt & *Jojacum*, vicus alter in Francia, vulgò *Jouy.* Plura ejuſdem nominis loca in Gallia, vide apud Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* in voce *Pariſii.*

IOIADA, Lat. *Domini ſcientia*, aut *cognito*: Summum obtinuit apud Iudæos Sacerdotium. Hic Ioam Ochoſiæ Regis Iudæ filium in regnum reſtituit, occiſâ Athaliâ, quæ tyrannide regnum invaſerat: tum pepigit Iojada fœdus cum Ioa, quo fœdere Rex Ioas & ipſe populus polliciti ſunt obedire Deo, & populus etiam Regi: inito hoc fœdere demoliti ſunt aras Baal, idola contrivêrunt, & Mathan, Sacerdotem Baal, occidêrunt etiam coram altari. Vide 2. Reg. *c.* 11. *v.* 15. nihilominus tamen mortuo Iojada, Ioas ipſe ad idololatriam deflexit. Vide 2. Par. *c.* 23. *v.* 14. *c.* 24. *v.* 12. 17. 25. & 29. Ioſeph. *Antiqq. l.* 9. *c.* 7. A. M. 3191. *Æt.* 131. Hujus filium Zachariam, ob parrheſiam ſervo Dei dignam, à Rege occiſus eſt; Matth. *c.* 23. *v.* 35. Ier. *c.* 29. *v.* 26. Item ſummus Sacerdos, ſub regno Perſarum.

IOIARIB, nomen Sacerdotis. 1. Par. *c.* 9. *v.* 10. & *c.* 24. *v.* 7.

IOIGNY, nomen Fam. in Gallia, Comitivæ dignitate illuſtris, quæ ramus eſt Lavalleæ ſtirpis. In hac enim, præter ramum principalem, alii ſurculi juxtà enati ſunt, inter quos Dominorum *Pacy ſur Marne* atque *Loue*: Qui ultimus denuo plures palmites dedit Dominorum *de S. Aubin*, *Boiſdauphin*, (quibus nunc Marchionum dignitas & titulus *de Sablé* acceſſit) *la Faigne*, *Tartigny*, *Brée.* Sed hos omnes primogeniti Dn. *de Loue*, qui etiam *Vicecomites de Broce*, Comites *de Joigny* ac *Maillé* & Marchiones *de Neelle* facti ſunt, dum ſuperfuêre, antecedebant. Extincta namque linea eſt A.C. 1590. in Guidone *de Laval*, cujus progenitores ita habent, Guido *de Laval* Dn. *de Lane*, qui Obiit A. C. 1484. ex Carola *de S. Maure* (filia Ioh. Com. *de Benon* Dn. *de Neelle*) pater fuit Petri, Defuncti A. C. 1528. quo & Philippâ Bellimontiâ (*de Baumont*) natus Ægidius (*Gilles*) Franciſcam *de Maille* hæredem Franciſci Bar. *de Maillé* & *Rochecort*, uxorem habuit; ex ea pater Ægidii Dn. *de Lone* & *Benays*, qui Deceſſit A. C. 1559. relicto ex Luiſa *de S. Maure.* fil. Ioh. March. *de Neelle* Com. *de Joigny.* Extinctus A. C. 1578. Hoc & Renatâ Rohaneâ (filiâ Lud. *de Rohan* Dn. *de Guimene*) geniti ſunt Guido *de Laval* Com. *de Joigny* & *Maille*, qui ductâ uxore Annâ *de Hurault de Chiverny*, improlis Obiit A. C. 1590. Lud. & Carolus, intrà Annos pubertatis Defuncti, *de Laval*, lineæ extremi. Phil. Iac. Spener. *Theatro Nobil. Europ. Part. II. p.* 55. Vide quoque *Indic. ubi Fam. diſpoſitio.*

IOINVILLA, vel IAINVILLA, civ. Campaniæ Gallicanæ, ab hominum patre Iano dicta, evecta eſt in Principatus faſtigium tempore Regis Henr. II. A. C. 1552. In gratiam juniorum Principum, ex Guiſiorum fam. Ab eoque dependent Baronatus vulgò dicti *de Sailly*, aliæque arces, vici pagique. Ioh. Matal. Metell. Hinc Ioh. Ioinvillæ Dom. Lud. IX. gratus, ejus in expeditionibus omnibus comes, vitam deſcripſit. Chenius *de Urb. & Hiſt. Gall.* Vide *Joanvilla.*

IOL, Numidiæ urbs, olim *Meſgana* à conditore: quæ poſtea *Colonia Cæſarea*, teſte Plin. *l.* 5. *c.* 2. Strab. *l.* 17. *p.* 831. dicta eſt: urbs Mauritaniæ Cæſ. metropolis & regia, egregiè munita. Vulgò *Alger*, & incolis *Geizeir*, teſte Lud. Marmolio. Baudr. nunc *Tenez*, urbs regni Algerii, in ora maris Medit. in prov. Tenezæ. Ad rad. montis, cum caſtro munito & portu commodo, ex N. Sanſone 125. mill. ab Algerio in Occ. 9. ferè à Quiza urbe in Ort. Ignobilis fuit, antequam à Iuba conderetur, qui eam poſtmodum pro regia habuit & *Cæſaream* vocavit, teſte P. Melâ *l.* 1. *c.* 6. & Plin. quorum hic, *opp. Jol Jubæ regia*, habet Coloniæ poſtea jure donata eſt à Claud. Cæſ. deductis in eam veteranis. Salmaſ. *ad Solin. p.* 309. ubi Auctorem ſuum Bocchi priùs Regiam hanc urbem fuiſſe ſcribentem, refellit.

IOLAUS, Iphicli fil. qui Herculi Hydram interficienti adfuit, ferroque candenti cruorem cohibuit, ne alia ex eo capita ſuppullularent. Hic cùm ad decrepitam ætatem perveniſſet, Herculis precibus juventuti ab Hebe reſtitutus eſt. Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 499. & 530. Aliter *Jolas*, ex Græco, Ἰόλας, Att. Ἰόλεως, unde *Violeus* Terentiano Mauro.

Et Iolaus *Violeus ſit, crede Marco Tullio:*

addito digamma. Aliàs enim *Jolai* nomen nihil cum viola commune habet, niſi quòd compoſitum eſt ex ἴον, quæ vox *violam* notat, & λαὸς *populus.* Cæterùm is, *Sardiniam ingreſſus, paiantes incolarum animos ad concordiam eblanditus, Olbiam, atque alia Græca oppida exſtruxit. Jolenſes ab eo dicti, ſepulchro ejus Templum addidêrunt*, Solin. *c.* 1. Ubi *Ilienſes* malè irrepſit. Sed & eundem Thebanos veneratos eſſe, Anton. Liberalis *c.* 29. auctor eſt: Feſto illius certamen Ἰολᾶα initium, Pindari Scholiaſtes *Iſthmior. Ode* 4. Eidem Athenis ora fuit, ut Herculis laborum ſocio, Pauſ. teſte *in Attic.* Vide Gerh. Ioh. Voſſ. *de Idol. l.* 1. *c.* 13.

IOLAUS Thebanus, Herculis fratre genitus, ex Athenienſibus & Theſpienſibus coloniam deduxit in Sardiniam, quæ vetuſtiſſima Græcorum fuit Colonia, Pauſ. *l.* 7. Altera fuit, quam Theras deduxit. vide ibi.

IOLCHOS, civ. Theſſaliæ, ubi eam dein Lariſſam vocari ſcribit; & Strabo *l.* 9. *p.* 414. & 436. Iaſônio Patria, ab *Jolcho*, Amyri filio, ſic dicta, ut tradit Steph. de urbibus, Homer. *Jaolchon.* vocat. Aliis *Jolcos*, opp. Theſſaliæ in Magneſia. ad ſinum Pagaſicum, ad radices Pelii montis, in finibus Pelaſgiorarum, proximum Demetriadi urbi, ab ea vix milliari diſtans, à Pagaſis 30. ſtad. ab Ormenio 20. à Phæris 120. *Jaco* hodie. Lucan. *Civ. Bell. l.* 3. *v.* 193.

Theſſalus Æmeniam vomer proſcindit Jolcon.

Horat. *Epod. Ode* 5. *v.* 21.

Herbaſque quas Jolcos *atque Iberia*
Mittit venenorum ferax.

Ejus meminit ut dictum, P. Mela *l.* 2. *c.* 3. *In Theſſaliâ Lariſſa, aliquando Jolcos.* Poſtrema verba eraſit Pintianus, quia nempe Jolcon dicit eſſe ad mare ſitam, hic verò Melam mediterraneas tantùm recenſere civitates. Licèt hoc verum eſſet, non tamen video, cur exiſtimemus Melam errare non potuiſſe. Verùm ipſe errat Pintianus, cùm ex Strab. oſtendere conatur, Jolcon fuiſſe ad mare ſitam. Verba Strab. hæc ſunt, Τῆς δὲ Δημητριάδος ἑπτὰ σαδίυς ὑπέρκειται τῆς θαλάσσης Ἰωλκός. Ipſe interpretatus eſt, *jacet ad mare.* Sed quis neſcit ὑπερκεῖσθαι ſemper accipi de locis remotis à mari? Rectè itaque Euſt. hunc locum ſic interpretatur, τὴν Ἰωλκὸν ὑπερκεῖσθαι φασὶ τῆς κατὰ Δημητριάδα θαλάσσης ἑπτὰ σαδίυς. Vides quantillo ſpatio à mari abfuerit Jolcos, ut non mirum ſit ab aliis inter maritimas urbes recenſeri. Porrò cùm Poëtæ Argonem Jolco ſolviſſe ajunt, id de Aphetis, vel de litore, quod & ipſum Iolcon vocari docet Strabo accipiendum eſt. Sed & cùm Scholiaſtes Apollonii Sepiadem dicit eſſe ἀκρωτήριον ἐν Ἰωλκῷ, manifeſtè Iolcum pro litore accepit. Inde *Jolciacus.* Ovid. *Met. l.* 7. *v.* 158.

Victor Iolciacos *tetigit cum conjuge portus.*

Nic. Lloyd.

IOLE, Euryti Oechaliæ Regis, ex ſecunda uxore, filia, ab Hercule adamata, quam cùm Eurytus jam victus ei tradere recuſâſſet, licèt certaminis lege debitam, irâ accenſus Hercules Eurytum interfecit, urbeque direptâ Iolem abduxit, poſteaque Hyllo filio ſuo uxorem tradidit. Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 494. Vide *Deianira.*

IOLUM, mons Perrhæbiæ, pop. *Joli. Steph.*

IOMÆUS, cogn. Iovis, vide Iupiter.

IOMNIUM, ſ. IOMNIUM *municip.* opp. Africæ, nunc *Temen*, 7. leuc. ab Algerio in Ort. in regno Algerii, teſte *Sanſone.*

Viri Celebres.

ION, Xuthi fil. vel Apollinis & Creuſæ Erechthei filiæ, à quo *Jonia* dicta eſt Attica. Steph. Hùnc bello in Eumolpum Thraciæ Regulum feliciter confecto, tantam conſecutum eſſe gloriam, ut ab eo deinceps non Athenienſes ſolùm, ſed & Athenienſium coloni omnes *Jones* dicti fuêrint, Græci Hiſtorici tradunt. Fortè, quia nullum noverant Ionem antiquiorem, ait Bochart. cùm *Jon* non alius fuerit, quod Iavan, fil. Iapheti: vocalibus enim ademptis Hebræum יון utroque modo poteſt legi; & certè Homeri *Jaon*, *Il.* V. *v.* 685. ad *Javan* proximè accedit. *Jonum* verò nomen nec ſolis Athenienſibus aut eorum colonis competiit, quamvis ita accipiant Herod. Ariſtot. Heraclides, Strab. Plutarch. Alii. Hanc & Achæos, & Bœotos *Jonum* nomine contineri, habetur in Heſychio: & in Homeri *Hymno in Apollin.* Iaones ſunt Delii: Macedoniam quoque huc pertinuiſſe, cum vicinis ad Occ. gentibus, docet, quòd *Jonium* appellatur mare illis obtentum. Unde videtur ad *Jonas* pertinuiſſe olim pleroſque Græcos, ut & docet Ariſtoph. *Acarnanibus.* Vide Bochart. *Geogr. Sacr. l.* 3. *c.* 3. aliquid etiam infrà in voce *Jones.* Ἴωνος ἄφιξιν, *Jonis adventum*, Athenaſi inter memoranda, quæ Acriſio Rege Argivorum contigerint, ponit Tatianus *p.* 172. & Clem. *Strom. p.* 321.

ION, Chius, poëta Tragicus, fabulas docere cœpit. Olymp. 72. alii habent 82. Suidâ teſte. Cum Archelao Phyſico, crebra peregrinatione defunctus eſt, ingenio elegantiſſimo præditus. Ariſto-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Ariſtophanes *in Pace* Ἠῷον, h. e. *Matutinum* vel *Orientalem* vocat. Ἴων ἐν Φοίνικι ἢ Καινεῖ memoratur Athen. *l.* 10. *p.* 436. ubi ait, Batonem Sinopenſem vitam ejus ſcripſiſſe, eumque temulentiæ arguiſſe: φιλοπότην enim καὶ ἐρωτικώτατον eum vocat. Ejus non pauca citant Pauſ. *Eliac.* 1. Et Sextus Empiricus *contra Mathemat. p.* 69. Epigramma ejus de Pherecyde *in Philoſophi hujus vita* citat Laërtius Meminit ejuſdem *Jonis* Strabo *l.* 13. *p.* 645. Jul. Pollux. *l.* 6. *c.* 16. & 29. & alibi paſſim. Nec alium *Jonem* intelligit Voſſ. apud Plin. *l.* 18. *c.* 31. ubi ex eo refert tempus, quo Capella, quo item Hædi oriuntur. *Nic. Lloyd.*

JON, Epheſius, cujus nomine Dialogum ſcripſit Plato, eumque Rhapſodum facit cum Socrate colloquentem. Quid ſi idem ſit cum Jone prædicto, patriâ nempe Epheſius, habitatione Chius? Atqui tempora repugnant, cùm Jon Chius Olymp. 72. jam floruerit, Socrates autem, qui cum coævo Jone Epheſio colloquitur, demum Olymp. 77. natus ſit. Certum quidem eſt, alibi rationem hanc valere, in Platone non item, quippe qui nullo temporis reſpectu habito, perſonas facit colloquentes ἀσυγχρόνους, cujus culpæ dudum eum arguit Athen. *l.* 7. *c.* 13. Malè igitur Jul. Scal. *Poët. l.* 1. *c.* 46. *Multum operæ in hoc genere poëmatis (Dithyrambici) poſuit Jon Chius, cujus nomine ſcripſit Dialogum Plato.* Ob quem facilem lapſum miſerè vapulat à Leone Allatio *l. de patria Homeri p.* 273.

ION, Grammaticus eſſe videtur, quem laudant Schol. *in Ariſtoph. Ran. Act.* 1. *Sc.* 7.

Prophetæ & Viri Illuſtres.

IONA, ſive IONAS, unus ex 12. minoribus Prophetis. Incepit ſub Ioa & Amazia, ſecundùm quoſdam, munere ſuo erga Ninevitas defungi, A. M. 3211. Aliis id in A. C. 3168. rejicientibus. Vide de illo 2. Reg. *c.* 14. *v.* 25. & Prophetiam ejus, 4. capp. conſtantem: ubi illius Vocatio, Tergiverſatio, Caſtigatio, Obſequium, Succeſſus, &c. ſuccinctè enarrantur. Plura apud Ioſeph. *Antiqq. l.* 9. *c.* 1. Ioh. *c.* 1. *v.* 43. & Epiphan. *de vitis Proph.* Hier. Auguſtin. &c. In ejus *Prophetiam* extant: Abbotii *Prælectiones*, Angl. Quart. Oxonii A. C. 1609. Acoſta. Antenoris *Speculum Pœn.* Germ. Octav. Artopæi *Comm.* Octav. Stetini A. C. 1545. Baronis *Prælectiones* Fol. Londini, A. C. 1579. Brentius. Catardus. Crocius, Octav. Druſii *Lectiones*, Quart. Amſtel. A. C. 1627. Ephremus. Ferus. Fevardentius. Galii *Homiliæ*, Octav. Magdeb. A. C. 1616. Gerhardi *Annot.* Quart. Grynæi *Prælectiones*. Hopperus, Angl. Londini A. C. 1550. Kingi *Prælectiones*, Angl. Quart. Lond. A. C. 1000. Krakewitzi *Comm.* Octav. Gieſſæ. Iunius. Leuſden. Livelejus. Mamerolius. Mayr *Exercit. Gramm.* Octav. Lugd. A. C. 1569. Mercerus Fol. Genevæ A. C. 1565. Oecolampadii *Comm.* Fol. Baſileæ. Pfeifferi *Prælectiones*, qu. Schaddæi *Synopſis*, Argentinæ A. C. 1588. Schnepfii *Comm.* Spalchaveri *Conciones*, Germ. Tarnovius. Theophylactus. Treminius. Tuſcanus, Willichii *Comm.* Baſileæ A. C. 1546. &c. Vide Crowæi *Elenchum.* Cæterùm ejus in ventre balænæ detentio, ad Herculem à Græcis tranſlata videtur, ut multa alia è ſacris ſuffurati ſunt Gentilium Vates. Namque, ut in uno Hercule hîc ſiſtam, Ioſuæ geſta Herculi Ægyptio-Cananæo fuiſſe attributa, infrà videbimus: Nec dubium, quin ex Samſone noſtro, qui Thebano illi Herculi par vel ſuppar fuit, occaſionem quoque rapuerint Phœnices, Ægyptii ac Græci, tam multa de ſuo Hercule comminiſcendi; ne heros ſuus ullâ parte illo populi Dei inferior videtur. Ita ergo fabulam de eo, in ceti ventre commorante, fuiſſe confictam ex Prophetica *Jonæ* Hiſtoria, ferè extra controverſiam eſt. Antiquiſſimus, qui hanc fabulam tangit, Lycophron eſt, qui ſic penè initio *Caſſandræ*,

Τριεσπέρου λέοντος, ὅν ποτε γνάθοις
Τρίτωνος ἠμάλαψε κάρχαρος κύων·
Ἔμπνους δὲ δαιτρὸς ἡπάτων. Φλοιδούμενος
Τένθῳ λέοντος ἀφλόγοις ἐπ' ἐσχάραις.
Σμώριγγας ἐστάλαξε κωδείας πέδῳ.
Triveſperi Leonis, quem aliquando maxillis
Tritonis deglutivit asperè dentatis canis:
Vivus autem diſſector inteſtinorum ambuſtus,
Cavo lebetis in foris ignis expertibus
Capillos deſtillavit capitis ſolo.

Quem in locum ſic Iſaacius Tzetzes: Τριέσπερον τὸν Ἡρακλέα λέγω καλεῖν, τὸν Λυκόφρονα, διὰ τὸ ἐν τῷ κήτει τρεῖς ἡμέρας ποιῆσαι, ἃς ἑσπέρας καλεῖ διὰ τὸ ἀφώτιστον καὶ σκοτεινὴν εἶναι τὴν γαστέρα τοῦ θηρίου, *Trinoctium ajo Herculem vocari à Lycophrone, quia in ceto tres tranſegerit dies: quas veſperas ſive noctes appellat, quia lucis expers & tenebricoſus foret ceti venter.* Pleniùs B. Cyrillus *in Jonam c.* 2. Ἡρακλέα φασὶ τὸν Ἀλκμήνης καὶ Διὸς καταποθῆναι ὑπὸ κήτους· ἐκδοθῆναι δὲ πάλιν ἐκ τῆς ἐκφύτου θερμότητος, ἐψιλωμένης αὐτῷ τῆς κεφαλῆς καὶ μόνης τριχὸς πεπονθότι τὴν ἀπόφασιν· μέμνηται δὲ τῆς ἱστορίας Λυκόφρων. *Herculem ajunt Alcmenæ & Jovis filium deglutitum quidem à ceto, redditum tamen, ab inſito ceti calore, capite ſolùm depilato. Meminit verò Hiſtoriæ Lycophron.* Theophylactus quoque in eundem *Jonæ* locum: *Devoratur ergo à ceto* Ionas, *treſque dies ac totidem noctes in eo permanet vates: quæ res omnem excedere fidem audentibus videtur; maximè iis, qui ex Græcorum Scholis ſapienteque doctrina, ad hanc Hiſtoriam, accedunt. Quos equidem non ſatis demirari poſſum, qui fiat, quòd hæc non intelligant, cùm ſuis ipſorum alis capiantur. Apud ipſos enim nonnihil tale de Hercule narratur: nempe quòd & ipſe, à balæna devoratus incolumis remanſerit: niſi quòd tantummodo depilatus redierit; idque ob ingenitum & internum belluæ calorem. Aut igitur noſtra ſuſcipiant, aut ſua rejiciant.* Vide Gerh. Ioh. Voſſ. *de Idolol.* Aliter V. Flacc. *Argon. l.* 2. De *Jonæ jejunio* aliquid infrà, ubi de *Neſtorianis.*

IONA, Pater Ioſeph, patris Iudæ, patris Simeon. Luc. *c.* 3. *v.* 30. Pater item Petri Apoſtoli Ioh. *c.* 21. *v.* 15.

IONA, ſ. IHONA, mel. *Rona*, Inſ. S. Columbani, *Cholmkill*, in Scotia. Vide *Inſ. S. Columbani.*

IONADAB, fil. Sammaa fratris David. 2. Sam. *c.* 13. *v.* 3. Fil. item Rechab, abſtinentiæ leges poſteris præſcripſit, Ier. *c.* 35. *v.* 8. Amicus Iehu. 2. Reg. *c.* 10. *v.* 15 Ioſeph. *Antiqq. l.* 9. *c.* 6.

IONAS, Præſul Aurelian. Sec. 9. ſub Eugen. II. & Greg. III. Lud. Pio & Car. Calvo imperantibus. Scripſit contra Claudium Ep. Taur. pro imaginum cultu. Item, de inſtitutione Lud. Pii filii, Pipini Aquitaniæ Regis Porro Ethicam Chriſtianam, quam Ioſephus Megus edidit. Obiit A. C. 842. Lupus Ferrier. *Ep.* 21. 27. & 28. Hincmarus Rem. *c.* 36. 2. *contra Godeſcalc.* Morer. *Dict. Hiſt.*

IONAS, Abbas Bobienſis, Italus, aliquot SS. vitas ſcripſit. Vixit adhuc ſub Clothario III. A. C. 662. Beda *Hiſt. Angl. l.* 5. *c.* 17. Sigeb. *c.* 61. Trithem. *de Script.* Voſſ. *de Hiſt. Lat.* Item alius, Monachus, S. Wilfrani Archiep. Cœnom. vitam condidit.

IONAS Schlichtingius à Bukoviec, nobilis Polonus, Socinianus, Scripſit *Comm. in Euangelium Ioh. & ad Hebræos: Paraphraſin in initium ejuſdem Euangelii. Comm. in & ad Romanos, in & ad Corinthios.* Item, *Galat. Epheſ. Coloſ. Philipp.* 2. *Theſſ.* 2. *Timoth. Titum, Philemonem,* 2. *S. Petri.* 3. *S. Johannis: Fragmentum in Iudæ, &c.* Quæ omnia ſumul prodiêrunt Tomo primo & ſecundo Bibliothecæ Unitariorum, i. e. inter opera Socini, Crellii, Schlichtingii & Volzogenii, totius Nov. Teſt. explicationem continentia, variis volum. Fol. Obiit A. C. 1661. Æt. 69.

IONATHAN, fil. Gerſon, filii Moſis, Iud. *c.* 18. *v.* 30. Nomen ſcribæ cujuſdam, Ier. 37. *v.* 15. 1. Par. *c.* 10. *v.* 2. Fil. Saulis Regis, amicus Davidis, Heros fortiſſimus, 1. Sam. *c.* 13. *v.* 2. *c.* 14. *v.* 1. & *c.* 21. *v.* 7. Ioſeph. *Antiqq. Jud. l.* 7. A. M. 2960. & 2979. Fil. Abiathar Sacerdotis. 2. Sam. *c.* 15. *v.* 27. & *c.* 17. *v.* 17. Fil. Iada. 1. Reg. *c.* 1. *v.* 42. 1. Par. 2. *v.* 32. Fil. Sage. Idem *c.* 11. *v.* 34. Fil. Aſahel. Nehem. *c.* 12. *v.* 11. Fil. Carec. Ierem. *c.* 40. *v.* 8.

R. IONATHAN & R. Eliezer f. Chaſmæ, eximii Arithmetici & Aſtrologi, quos referunt noviſſe ſupputare, *quod guttæ eſſent in mari.* Vixêrunt tempore R. Akibæ quem vide.

IONATHAN F. Uziel, diſcipulorum Hillelis præſtantiſſimus, Chaldæus Prophetarum paraphraſtes: de cujus ætate atque eruditione prodigioſa referunt Thalmundici μεθοπλάσαι, inter alia & hoc, quòd, ipſo Legem explicante, omnes aves ſuper illum volantes confeſtim mortuæ deciderint. Vide Vorſtium *Obſerv. ad Chronologiam R. Dav. Ganz, p.* 280. & 281. ubi hallucinationes ejus varias Lectori exhibet. Hieronymi eum ætate recentiorem facit Ribera *in Obadiam c.* 1. *ad v.* 20. *n.* 110.

Duces & Pontifices ſummi.

IONATHAS, fratre Iudâ Machabæo interfecto, Dux populi conſtituitur, A. M. 3808. A. N. C. 154. Hic ſtatim Bacchidem, cum quo pugnans occubuerat Iudas, ad Iordanem vicit. Tertio poſthæc Anno, collecto ingenti exercitu, iterum in Iudæam venit Bacchides, Ionatham cum Simone fratre obſedit, ſed tandem commiſſâ pugnâ fuſus eſt Bacchides ipſe: qui rebus occiſis, coactuſque pacem amplecti, juravit ſe nunquam in Ionatham quicquam moliturum. Hinc Epiphanes, Antiochi fil. audiens Ionathæ famam, amicitiæ fœdera cum eo ſancivit. Porrò Demetrii præfectum Apollonium Ionathas bello fundit ac fugat, multaſque urbes capit: octo hoſtium millia occidit: Templum Dagon, quod erat in Azoto, unà cum urbe incendit. Poſthæc adversùs alienigenas, qui Iudæam vaſtabant, movit, atque eos tota Iudæa expulit, & cum Romanis ac Spartiatis amicitiæ fœdera renovavit. Tandem Tryphon ſimulatâ amicitiâ eum circumventum cum ſuis interfecit. Vide *l.* 1. Macch. *c.* 9. 10. 11. & 12. rexit An. 18. Torniel. ab A. M. 3894. uſque ad A. M. 3912. Ioſeph. *Antiqq. l.* 13.

IONATHAS, fil. Iajodæ II. ſub Perſarum regno. Ei Iaddus ſucceſſit, qui Alex. Mag. Hieroſolymam venienti, obviam proceſſit.

IONATHAS, Annæ fil. ſuffectus in locum Caiphæ à Vitellio Imp.

IONDA, opp. Aſiæ, circa Epheſum. Diod. Sic. *l.* 4.

IONE, Autolyci filia, una ex Nereidibus, apud *Apollod.*

IONE, civ. Palæſtinæ, quæ & *Gaza.* Item Antiochia ſic dicta. *Steph.*

IONES, olim plerique, imò omnes Græci. Ariſtophanis *Acarnan.* Scholiaſt. πάντας τοὺς Ἕλληνας Ἰάονας οἱ βάρβαροι ἐκάλουν, *omnes Græcos barbari Ionas appellabant.* Uſus tamen ſic voluit, ut illi potiſſimùm Hebræis dicerentur *Iavan* vel *Iones*, qui è Thracia habitârunt uſque ad Iſthmum: hinc eſt, quòd Alex. Mag. Daniel appellat *c.* 8. *v.* 21. *Regem Iavan.* Idem docet columna à Theſeo olim in ipſo Iſthmo erecta, cum inſcr. quâ Megaram ſpectabat, τὰ δ' οὐχὶ Πελοπόννησος, ἀλλ' Ἰωνία, *Hæc non ſunt Peloponneſus, ſed Ionia:* & quâ parte Peloponneſum, τὰ δ' ἐστὶ Πελοπόννησος, οὐκ Ἰωνία, *Hæc ſunt Peloponneſus, non Ionia,* apud Plutarch. *in Theſ.* & Strabo *l.* 7. *p.* 317. *l.* 8. *p.* 332. quæ cum ſtetiſſet per Annos circiter 150. uſque ad Codrum Regem Peloponneſii, auditâ hujus morte, digredientes finibus Atticis, illam, Megarâ conditâ, abolevêrunt, & incolas Megarenſis agri (cujus occupati occaſione Theſeus ſtelen poſuerat) *ex Ionibus fecêrunt Dorienſes*, Pauſ. *l.* 1. Communiter verò apud Scriptores Græcos ſic dicuntur Athenienſes & Coloni eorum, maximè poſtquam Achivi, ab Heraclidis Argis & Lacedæmone ejecti, ex Ægialio Iones

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

nes, XII. eorum urbibus occupatis, pepulêrunt, qui ab Athenienſibus in domicilii conſortium recepti ſunt: magna pars Jonicæ migrationis poſteà futuri, de qua mox. Nec enim ex ſolis Athenienſibus tam numeroſa colonia duci potuit, quæ XII. urbes in Aſia, atque inter has, urbes maximas, Epheſum, Phocæam, Miletum, conderet; ſed & ex Pyliis & Thebanis, imò undecunque coloniam hanc fuiſſe collectam, ex Herod. diſcimus, qui Aſiaticos Jonas Τέσσαρας γλώσσης χαρακτῆρας, *quatuor linguæ characteres* habuiſſe ſcribit, & Strab. qui Miletum, Colophonem & Prienen à Pyliis aut Thebanis conditam fatetur. Vide Sam. Bochart. *Geogr. Sacr. l.* 3. *c.* 3. qui ſub Pſammeticho Ægypti Rege Kares & *Jones* circiter 30. m. in Ægyptum appuliſſe, hiſque circa Bubaſtin ac Peluſium loca habitanda, & pueros Ægyptios Græcâ linguâ imbuendos à Rege eſſe commiſſos, ex Herod. *Euterpe*, inſuper adnotat, *Ibid. l.* 1. *c.* 15. Vide & *Jon.*

JONIA, Aſiæ min. regio, ſeparatur ab Æolide Hermo fluv. rigaturque fluviis Caiſtro & Mæandro, & per oram litor. extenditur, cum cœli bonitate, tum ſitûs cummoditate nulli regionum poſthabenda. Herod. *l.* 1. *& ſeqq.* Hinc *dives* Ovid. dicitur *Faſt. l.* 6. *v.* 176.

——— *Quam præbet* Ionia *dives.*

Sarchion hodiè, teſte Leunclav. *Quiſcum* vel *Quiſcon* Turcis dicitur. Ejus urbes præc. fuêre Epheſus, urbs olim clariſſima, Miletus, Smyrna, nunc præcipua & ſedes Præfecti, Colophon, Erythræ, Leuca, Lebedus, Clazomene, Hippi & Heraclea. Nunc vulgò *Sarchan* dicitur, ſub Turcis eſt. Baudr. Mart. *l.* 13. in Xenys *Epigr.* 61. cujus Epigraphe Attagenæ

Inter ſapores fertur alitum primus
Ionicarum *guſtus attagenarum.*

Et ante eum Horat. *Epod. Ode.* 2. *v.* 53.

Non Afra avis deſcendat in ventrem meum,
Non attagen Ionicus
Jucundior, quàm &c.

Unde Hier. *ad Salvinam: Procul ſunt à conviviis tuis Phaſidis aves craſſi turtures, attagen* Jonicus. *Jonia* Prop. *l.* 1. *Eleg.* 6. *v.* 31. *mollis* dicitur. Vide Proverbium Γέλως Ἰωνικὸς, & Athen. *l.* 12. Unde Ἰωνικῶς αὐτὶ τοῦ ἁβρῶς, i. e. *molliter.* Plaut. *in Sticho. Act.* 5. *Sc.* 7. *v.* 1.

Qui Ionicus, *aut cinædicus, qui talis facere poſſet?*

Horat. *Carm. l.* 3. *Ode* 6. *v.* 21.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo.

Et Plato *l.* 3. *de Rep. Jonicam harmoniam*, ut nimis mollem, expellit ſuâ civitate. Plin. *l.* 29. *c.* 5. Nic. Lloyd. Cæterùm *Jones* bellis celebres olim erant contra Perſas, alioſque vicinos, & Colonias plurimas deduxêrunt. *Migratio Jonica*, Duce Neleo, Codri ultimi Athenarum Regis fil. cœpta, celebris olim Epocha fuit: cujus mentio in Marmore Arundel. Contigit autem illa 50. Annis poſt *Heraclidarum Reditum*, juxta Eratoſthenem: juxta Marsham. Anno 77. à capta Troja; Anno 57. ab Heraclidarum Reditu. Vide illum *Canone Chron. Sec. XIII.* Quænam verò tum Coloniæ fuerint deductæ, dicemus infrà in voce *Panionium.* Sed & ante adventum *Jonum* à Græcis hominibus urbium Jonicarum nonnullæ habitatæ fuêrunt: *Colophon*, à Cretenſibus, Duce Rhacio, Caribus pulſis occupata primùm eſt; Hujus fil. Mopſus *Caras* totâ regione pepulit; *Teon* coloniam deduxêre Orchomenii Minyæ, Duce Athamante; *Erythræi* origines ſuas quoque è Creta deducebant & à Pamphyliis, qui genere Græci fuêre. Cnopus inſuper Codri fil. Jonas ἐπεισήγαγεν τοῖς Ἐρυθραίοις συνοίκους, *cum Erythræis habitare fecit.* Pauſ. *l.* 7. Ab Javan, Japeti fil. fortè oriundi, cognominatique: Strabo, Plin. Pauſ. Diog. Laërt. Ortel. Leunclav. &c. Vide ſuprà *Jon, Xuthi fil.* Addo ſaltem, quòd *Jonia* una fuit ex regionibus, quæ Aſiam Proconſularem ſub Romanis, & Thracenſium provinciam, ſub Impp. poſterioris ævi conſtituebant, Salmaſ. *ad Solin. p.* 805. habuitque XII. urbes, quæ, de rebus gravioris momenti deliberaturæ, in loco *Panionium* inde dicto, prope Miletum, convenire ſolebant, quibus addita Smyrna. Jac. Spon. *Itin. Part. I. p.* 373.

Urbes Joniæ XII.

Epheſus, nunc *Ajaſalouk.*	Priene, itidem everſa.
Miletus, jam *Palatſcha.*	Phocæa, jam *Palaja Foja.*
Myuns, everſa.	Erythræ, nunc vicus *Geſmé.*
Lebedos, itidem deſtructa.	Clazomine, jam vicus *Vourla* ſ. *Keliſman.*
Teos, hodie *Segeſi.*	
Colophon, deſtructa.	Chios, Samos & Smyrna, hodieque nomina ſua retinentes.

JONICA, regio ſ. tractus magnæ Græciæ in Italia, circa Crotonem urb.

IONICA Migratio, celebris olim Epocha, vide ſuprà.

IONICA Secta, prima ex tribus antiquiſſimis Philoſophorum ſectis, quarum reliquæ erant Italica & Eleatica. Cœpit autem à Thalete Mileſio, cujus patria præcipua *Joniæ* fuit civitas. Voluit autem Thales, originem rerum eſſe aquam, fortaſſe ab Ægyptiis, qui à Judæis, edoctus: ex Moſis verbis, Gen. *c.* 1. *Spiritus ferebatur ſuper aquas.* Item, *producant aquæ reptile.* Succeſſit Thaleti Anaximander Mileſius, qui non unum, ſed infinita aſſerens principia, mundos ſtatuit infinitos: Deos nativos, longoque intervallo orientes ac occidentes. Hunc excepit Anaximenes idem Mileſius, qui teſte Auguſtino, *omnes rerum cauſas infinito aëri dedit, nec Deos negavit aut tacuit; non tamen ab ipſis aërem factum, ſed ipſos ex aëre ortos credidit.* Ei ſurrogatus Anaxagoras Clazomenius, primus ex Aſia ſcholam tranſtulit Athenas, ubi Socratem & Euripidem docuit, uti & Periclem. Illi ſucceſſit Archelaus Athenienſis, qui *etiam ipſe de particulis inter ſe diſſimilibus,* (nam hæc à Præceptore hauſerat) *quibus ſingula quæque fierent, ita omnia conſtare putavit, ut ineſſe etiam mentem dicere, quæ corpora diſſimilia, i. e. illas particulas, conjungendo & diſſipando ageret omnia*, Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 8. *c.* 2. Hunc Socrates audivit, qui morali philoſophiâ introductâ, de cœlo ad terram philoſophiam devocâſſe dicitur. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Philoſ. Sectis c.* 5.

Philoſophi Sectæ Jonicæ.

Thales Mileſius.	
Anaximander Mileſius.	Anaxagoras Clazomenius.
Anaximenes, eadem urbe oriundus.	Archelaus Athenienſis.

Vide quoque Georg. Horn. *Hiſt. Philoſ. l.* 3. *c.* 12. uti de alphabeto *Jonum*, Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 636.

JONICHUS, vel JONITHUS, fil. Noæ, poſt diluvium: Aſtronomiæ inventor, præceptor Nimrodi, à Patre, cum quodam filiorum Japheti, in terram Ethan miſſus, ibi Jonicam condidit. Si vera ſcribunt, ex Methodio Martyre, Comeſtor, *Hiſt. Schol. c.* 37. Abulenſis, *quæſt.* 5. *ſuper* Torniel. A. M. 1756. *n.* 1. & A. M. 1956. *n.* 1. Item, poëta & medicus græcus, Sec. 4. ſecundùm Eunapii ſententiam.

JONIUM Mare dicitur, non quod Joniam alluit, ſed quod inter Siciliam & Græciam interfuſum, Macedoniam, Epirum, Achajam & Peloponneſum ad Occid. attingit: *il mar Gionio* Dionyſ. idem facit cum Hadriatico mari *v.* 92.

Κεῖθεν δ' εὐρυνθεῖσα τιταίνεται Ἀδρίας ἅλμη
Πρὸς Βορέην, αὖθις δὲ πρὸς ἑσπέριον μυχὸν ἕρπει,
Ἥν τε καὶ Ἰονίην περιναιέται ηὐδάξαντο.

Ubi Schol. Ἰστέον δὲ ὅτι οὐ μόνον Ἰόνιος κόλπος καλεῖται, ἀλλὰ καὶ Ἀδρίας ὁ αὐτὸς λέγεται, καὶ Ἀδρίας, καὶ Ἀδριανὴ θάλασσα. Οἱ δὲ ἀκριβέστεροι τὸν Ἰόνιον μέρος τοῦ Ἀδρίου φασί. Apud Thucyd. *l.* 1. legas: Ἐπίδαμνός ἐστι πόλις ἐν δεξιᾷ ἐσπλέοντι τὸν Ἰόνιον κόλπον. (Unde Lucan. *Civ. Bell. l.* 1. *v.* 103. & *l.* 2. *v.* 624.

Illyris Jonias *vergens Epidamnus in undas.*

Idem *l.* 3. *v.* 3. *l.* 5. *v.* 614. *& l.* 6. *v.* 27. *&* 362. Ubi Palmerius, *Hic locus*, inquit, *aliquando me torſit non benè intelligentem differentiam inter* Ἰόνιον πέλαγος & Ἰόνιον κόλπον, *licèt aliquando unum pro altero ponatur.* Intelligit igitur Thucydides per *Jonium ſinum*, id mare, quod aliis *Hadriaticum* dicitur, quod etiam ſæpè *Jonium* appellatur, & eſt pars Jonii magni. Ideò plures Jonium nomen ultra Acroceraunia Dalmatiam verſùs extendunt, licèt alii Acroceraunia fecerint terminum Jonii maris & principium Hadriatici. Sic Theophraſt. Apolloniam vocat τὴν περὶ τὸ Ἰόνιον, *quæ eſt ad Jonium, Hiſt. pl. l.* 8. *c.* 6. quod repetit *l. de Cauſis plant.* 3. *c.* 2. Sic & Conon apud Photium de eadem urbe: Καὶ ποταμὸς Ἄωος διὰ μέσης αὐτῆς ῥέων καὶ οὗτος ἐκβάλλει εἰς τὸ Ἰόνιον πέλαγος. Sic App. Alex. *Bell. Civ. l.* 5. de diviſione imperii inter Octavium & Antonium; Ὅρον μὲν εἶναι σφισὶ Σκόδραν πόλιν τῆς Ἰλλυρίδος ἐν μέσῳ τοῦ Ἰωνίου μυχοῦ μάλιστα δοκοῦσαν εἶναι. Ita Dio *l.* 40. de Octavio, qui bellum in Dalmatia geſſerat (de quo Cæſ. *Civil. Bell. l. tertio*) Ὡς γάρ ποτε τὸν Ἰόνιον προσέπλευσε, καὶ τὸν Ἀντώνιον τὸν Γάϊον συνέλαβεν, ἄλλων μὲν τινῶν χωρίων ἐκράτησε, τὴν δὲ δὴ Σάλωνα οὐχ εἷλε. Ubi Dalmatiam manifeſtè ad Ionium ponit. Ergo ut App. vocavit Hadriaticum mare *Jonium receſſum*, ſic Thucydid. de eodem Hadriatico dixit *Ionium ſinum*: nam κόλπος, *ſinus*, maris propriè eſt pars, quæ inter terras ſe *inſinuat.* At *Ionium magnum* (quod vocat Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 211.) multùm extendebatur Peloponneſum & Italiam, & plures comprehendebat ſinus, ut Corinthiacum, & Hadriaticum. *Ionium* verò anguſtè ſumptum Acrocerauniorum montium promontorio finiebatur. Hæc ille. Quod autem ad nominis rationem attinet, non ſatis convenit inter Scriptores. Didymus enim dictum exiſtimat ab *Ionio* quodam Dyrrhachii fil. quem Hercules, cùm imprudenter occidiſſet, in mare projecit, ut memoriam ejus propagaret. Solin. ab *Iona*, extrema Italiæ regiuncula: Æſchyl. ac Lycophron ab errore *Iûs*, Inachi filiæ: Alii ab *Ionum* naufragio, nonnulli ab *Ione* quodam Hadriæ patre, qui deinde mari Hadriatico nomen fecit. Nic. Lloyd. Plin. *l.* 3. *c.* 8. *& l.* 4. *c.* 11. Strabo *l.* 7. *p.* 316.

IONOPOLIS, ex tabb. rec. *Ginopoli*, urbs Paphlagoniæ medit. Epiſcopal. ſub Archiep. Gangrenſi, inde in Bor. diſtans, apud oram.

IONOSIA, quibuſdam opp. fuit Conteſtanorum in Hiſp. nunc pag *Villa Loyſa*, in ora Auſtr. regni Valentiæ, 4. leuc. ab Alone in Eur. 6. à Gandia in Auſtr.

JONQUILLA, floris ſpecies, *demiſſo capitulo, colore eſt luteo, tenuis ut viola, in ſtellulam radiata uti narciſſus, celſitate tulipam adæquans, odora ut ocellus. Ocellum dico? imò nec ipſa roſa, nec flos alius quivis, odore audeat cum hoc certare floſculo---quem puellæ Principes in delitiis habent, & ipſa Regina in ſinu ferunt* &c. uti de illa. Franc. Pomey *Deſcript div.*

JOPAS, Rex Afrorum, unus ex procis Didûs, ut Punica teſtatur Hiſt. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 744.

——— *Citharâ crinitus* Jopas
Perſonat auratâ ———

Hic Muſicus fuit præſtantiſſimus, qui apud eund. *ibid. v.* 746.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Hic canit errantem Lunam Soliſque labores.

Nic. Lloyd.

JOPE, urbs Phœniciæ prope Jamniam. Steph. Ab *Jope* Æoli filia, uxore Cephei ſic dicta. Vocabatur & *Joppe.* Joſ. *c.* 19. *v.* 46. 2. Par. *c.* 2. *v.* 16. Eſd. *c.* 3. *v.* 7. Jon. *c.* 1. *v.* 3. 1. Mach. *c.* 10. *v.* 2. & *c.* 12. *v.* 57. Actor. *c.* 7. *v.* 38. 42. & 43. Sulp. Sev. Hiſt. ſacr. *l.* 1. *c.* 84. Italis *Jaffo.* A *Iaphet* Noachi filio (conditore) quidam appellatam volunt, vel à יפה *formoſus fuit.* Strabo *l.* 1. *p.* 43. & *l.* 16. *p.* 759. vocat τῶν λῃςῶν λῃςήριον, *latronum receptaculum*, locumque adeò editum tradit, ut inde conſpici poſſet Hieroſolyma Judæorum metropolis, Andromedam hîc balænæ expoſitam fabulantur poëæ. Nunc *Iaffa*, urbs Palæſtinæ, & tribus Dan Septentrionalior, Epiſcopal. ſub Archiep. Cæſarienſi, cum portu in ora maris Mediterran. 35. mill. à Cæſarea in Auſtr. paulo minus ab Hieroſolymis. 6. à Lydda in Occaſ. 47. ab Aſcalone in Bor. In edito ſaxo, & ſub urbe portus, in quem ligna & lapides è Libano mari indeque Hieroſolymam terreſtri itinere deferebantur, ad templi ſtructuram. Plin. *l.* 5. *c.* 9. Baudr. Ejus hodie nil extat, niſi turris & diverſorium, accipiendis peregrinis. Ferr. Una ex antiquiſſimis urbibus totius mundi, jamque ante diluvium quibuſdam condita videtur Joppe. Hîc Jonas divino monito inobſequens navem conſcendit, Thraciam petiturus. Vaſtata aliquoties à Iuda Maccabæo, dein à Tito quoque expugnata eſt. Refecta ab Arabibus, qui inde à Godofredo Bullionæo pulſi: quo tempore Epiſcopal. fuit, ut modò dictum. A Saladino poſtmodum deſtructa, ſed reparata à Richardo Angliæ Rege. Iterum capta eſt à Lud. IX. Gall. Rege Sed recidit in Barbarorum manus, qui eam planè evertêrunt. Vide Joſeph. *de Bello Iud.* Gul. Tyr. Iac. Vitriacenſem, Itinerariorum ſcriptores, &c. Eſt & *Iope* Theſſaliæ. Quærant autem eruditi, quænam ſit *Iope* illa apud Propert. *l.* 2. *Eleg.* 28. *v.* 51.

Vobiſcum eſt Iope, *vobiſcum candida Tyro.*

Nic. Lloyd. Addo de *Ioppe* Phœnicia, Cephei, patris Andromedæ, regnique Phœniciæ ſedem olim fuiſſe, volunt nonnulli. Ibidem Derceto culta. Quam in rem vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 569. 574. & 1227. & ſuprà, in voce *Derceto.*

IOPHON, Sophoclis ex Nicoſtrata fil. qui credebatur Patris tragœdias, tanquam ſuas, populo exhibere. Introduxit Sophocles Iophontem invidentem ſibi & apud fratres accuſantem patrem, tanquam ſenio delirantem: fratres verò illum objurgantes. Vide Scholia *in Ariſtoph. Ranas* Act. 1. Sc. 2. Suid. Item poëta Gnoſſius, qui Oracula Sacerdotum ſuorum heroico carmine expreſſit, Pauſ. *in Attic.*

IOPILIA Villa, Ortel. *Iupile*, pagus agri Leodienſis, ad Moſam fluv. non procul à Leodio Moſâ interfluente. Erat villa olim publica, è regione Hariſtallii. Hîc Pippinus Rex A. C. 714. in morbum incidit, & cùm utcunque convaluiſſet, mox tamen Obiiſſe creditur. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

IOPIS, regio Laconiæ. *Steph.*

JOPPA, caligæ ſpecies, Hungaris olim in uſu, Clericis interdicta, in *Decreto* Calomanni Regis *l.* 1.

JOPPE, vide *Jope.*

IOPSICA, urbs fuit Liburniæ, Ptol. Vide *Lopſica.*

IORA, nomen viri. Eſdr. *c.* 2. *v.* 18. *temporaneus*, aut *oſtendens*, ſive *projiciens*, aut Syriacè *lebes.*

IORAI, itidem nomen viri. 1. Par. *c.* 5. *v.* 13.

Reges Iehudæ & Iſraëlis.

IORAM, Rex Iehudæ, fil. Ioſaphat, patri ſucceſſit, 1. Reg. *c.* 22. *v.* 51. 1. Par. *c.* 3. *v.* 11. Hic omnes fratres ſuos occidit, & quoſdam de primoribus Iuda. Athaliam (Gotholiam vocat Ioſeph.) uxorem duxit filiam Amri, quæ illum ad cultum idolorum abduxit. Suſcitavit ergo Deus Philiſthinos & Arabes, qui terram Iuda vaſtârunt, domum Ioram diripuêrunt, filioſque ejus occidêrunt, præter Ioachazum min. natu. Regnavit Ioram 3. Annos, unà cum patre, & 4. poſt patrem. Succeſſit fil. ejus Ochoſias. Obiit A. M. 3150. Vide 2. Reg. *c.* 1. *v.* 17. *c.* 3. *v.* 1. *c.* 8. *v.* 25. *c.* 9. *v.* 15. & *c.* 12. *v.* 8. Matth. *c.* 1. *v.* 8. 2. Par. *c.* 21. *v.* 4. & *c.* 22. *v.* 1. Ioſeph. *Antiqq. l.* 9. *c.* 2. & 3. Sulp. Sev. *Hiſt. Sacr. l.* 1. *c.* 80. De literis ad ipſum, Eliæ Prophetæ, jam in cœlum rapti A. M. 3139. quibus ſuo tempore monendus erat.

IORAM, frater Ochoſiæ, & fil. Achab. Rex Iſraëlis, ſucceſſit Ochoſiæ fratri ſuo in regno Iſraël, regnavitque in Samaria 12. Annis: cum tota fam. Achabi exciſus. Hujus temporibus Rex Syriæ Ben-Adab obſedit Samariam, ubi fames magna invaluit, adeò ut venundaretur caput aſini octoginta argenteis. Vid. 2. Reg. 8. *v.* 25. Item Joſeph. *Antiqq. l.* 9. *c.* 4. Huic ſucceſſit Iehu Obiit A. M. 3151. Vide eund. *Antiqq. l.* 9. Torniel. & Salian. *Ann. Sacr.*

IORAM, Lat. *excelſus*, vel *projectus.* Fil. Thou Regis. 2. Sam. 8. *v.* 10. Nomen Sacerdotis. 1. Par. *c.* 17. *v.* 7.

Viri Illuſtres.

IORDANES, Coſ. cum Severo, A. U. C. 1223.

IORDANES, apud Conſtantinum *de Thematibus l.* 1. ubi *Inſcriptionem* hanc, ex clupeis anaglyphis, quæ in veſtiario Principis ſervabantur, exhibet, Ἰορδάνε ςρατηλάτε τῆς ἀνατολῆς, καὶ τῶν ἐθνῶν, τῶν ὑπὸ τὴν μικρὰν Ἀσίαν: Magiſter Militum per Orientem fuit tempore Arcadii, de quo vide Salmaſ. *d. l. p.* 804.

IORDANES, Dominus Inſ. in Aquitania, variorum criminum accuſatus, occidit apparitorem, à quo, ut Parlamento ſe ſiſteret, vocatus eſt. Hinc caudæ equi primò alligatus, poſtmodum ſuſpendio ſcelus eluit. A. C. 1223. Gaguin. *l.* 8. Paul. Æmyl. *l.* 8. Belleforeſt. *l.* 4. *c.* 16. Papyr. Maſſonius, de Mezerajus *in Car. Pulchro.*

IORDANES, Saxo. Gen. 2. Dominicanorum, poſt Dominic. A. C. 1221. Scripſit de origine Ordinis ſui: Edidit cum notis Romæ A. C. 1587. Ant. Maffæus Salernitanus. Prope Joppen naufragus, Obiit A. C. 1236. Jac. Bergomenſ. *in Supplem. Chron.* Raph. Volater. *l.* 21. Ferdin. *Hiſt. Ord. Præd. Cent.* 1. Voſſ. *de Hiſt. Lat.* Item, Monachus, eruditione inclytus, Sec. 15. Item, Præſul. Chronici auctor. Voſſ *de Hiſt. Lat.*

IORDANES Nemorarius, Mathematicus celeberrimus, ſcriptis inclytus, Duodec. Sec. Blancanus *in Chron. Mathem.*

IORDANES Raimundus, vide *Raimundus.*

IORDANES, fluv. Judææ, tranſitu Iſraëlitarum famoſus, aquas habens ſuaviſſimas. Plin. *l.* 5. *c.* 14. *Flumen validiſſimum* vocat Sulp. Sev. *Hiſt. Sacr. l.* 1. *c.* 41. Hebræis *Jarden* dicitur. A Jonatha *Jordena*, Græcis Ἰορδάνης, & Ἰόρδανος, Italis *Giordano*, Gallis *le Jourdain*: Oritur ex radicibus montis Libani: aut ut alii volunt, è ſpelunca Phaneas, quod ſcribunt בני ים Fortè autem ſpelunca Phanèas in radicibus erat illius montis, & in tribu Dan, quod nomen habere ſonat *Jordan*, quaſi *deſcendens ex Dan.* Alii dicunt, nomen habere à duobus fontibus *Jor* & *Dan.* Falſam autem eſſe opinionem, quod ab his duobus fontibus fluv. hunc & oriri, & nominari, Hier. & Suid. volunt, multis oſtendi poſſet. Sanè Joſeph. ex uno fonte fluere tradit: Δοκεῖ μὲν Ἰορδάνε πηγὴ τὸ Πάνειον· φέρεται δ' ὑπὸ γῆν εἰς τοῦτο κρυπτὸς αὐτῆς καλουμένης Φιάλης. Vide eund. *l.* 3. Ἁλώσ. *c.* 18. Baudr. 4. mill. paſſ. ſupra Cæſaream Philippi oritur: dein fonte ab Herode Tetracha demum, injectis paleis, reperto: dein in Auſtr. per Samachonitem lacum ſ. aquas Meron fluens, ad Capharnaum, per lacum Geneſaram ſ. mare Galilææ & Tiberiadis labitur; rigatiſque aliquot urbibus, in mare Mort. ſ. Aſphaltitem lac. defluit, Tribus Ruben & Gad, cum dimidia tribu Manaſſe, ab aliis ſeparans. Maximus eſt & penè unicus Terræ S. fluv. fuitque primùm limes Terræ promiſſæ. Univerſa Jordanis longitudo, quæ ab ortu ſuo ſub monte Libano, uſque ad deſertum Pharan ſe extendit; centum circiter miliaria conficit. Ejus autem eſt naturæ hoc flumen, ut ripas alvei meſſis tempore impleat. In eodem fluv. Chriſti præcurſor Joh. Baptiſta, confluentes ad ſe undique Judæos, ſua confitentes peccata, baptiſmo pœnitentiæ baptizavit: inter alios verò & ipſe Ieſus à Ioh. hoc flumine baptizatus eſt. In loco, ubi oritur, Cæſarea Philippi condita eſt, Joſeph. *Antiqq. l.* 18. *c.* 3. Hodie urbem *Belinas* in hoc tractu reperiri, tradit le Blanc. *Itin. p.* 1. *c.* 1. Confer Joh. Lightfoot *Centuriam Animadverſ. in Chorographiam ſacram*, Ejuſdemque *Chorographicam* præfixam *Horis Hebr. in Matthæum.* Nic. Lloyd. Strabo *l.* 16. *p.* 755. Luc. *c.* 3. *v.* 3. Tac. *Hiſt. l.* 5. *c.* 6.

IORNANDES, Hiſtoricus, Getica conſignavit. Fil. erat Alani Wamuthi, Gothus: primò ſecretarius Gothorum, in Italia poſtea Ep. Ravennæ. Circa A. C. 552. Scripſit præterea, *de Regnorum ſucceſſione*, ubi non de Romanis modò, ſed & Aſſyriis, Medis, Perſiſque verba facit. Florum exſcripſiſſe quibuſdam dicitur. Sigebert. *in Catal.* Trithem. *de Script.* Geſner. *in Bibl.* inprimis vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 20.

IORNARIUM, in Eccl. Rom. liber Eccleſiaſticus, *Diurnalis* idem cum *Graduali*, Gall. *Journal.* Cui in Eccl. Gr. reſpondet liber, quem Ὡρολόγιον vocant, vide ſuprà.

IORTANUM, vulgò IORTAN, urbs, cum portu, in Bor. parte Iavæ Inſ. Caput eſt regni cogn. 50. mill. à Laſſarvano in Occ. 70. ferè à freto Balambuani.

IORUM, Moletio Novigrad, opp. Maced. Deboro finitimum, & Aloro, in Pœonia reg. à Caſtoria Urbe 20. mill. paſſ.

IOS, inſ. in mari Myrtoo. Plin. *l.* 4. *c.* 12. una Sporadum, Homeri ſepulcro veneranda, & matris Homeri natalibus, dicta putatur ἀπὸ Ἰώνων οἰκησάντων, ut & à Lydis *Lydia*, & *Phœnice*, à Phœnicibus. Quippe etiam his nominibus inſignitur, apud Steph. At cùm linguæ Græcæ ratio non ferat, ut *Jos* dicatur ab *Jonibus*: *Ion* putat Bochart. Phœnices עין *Iion* expreſſiſſe, cujus nominis urbs fuit Iudæorum in tribu Nephthali, ab agro lapidoſo (ni fallor,) ſic appellata. Hebræis enim עיין *Iin*, eſt *acervus lapidum.* *Ion* igitur inſ. ex ipſo nomine lapidoſam fuiſſe colligimus. Saxoſam ſanè deſcribunt multi eorum, qui Homeri meminêrunt ibi ſepulti. Strabo *l.* 10. *p.* 484. Paulus Silentiarius *Anthol. l.* 3. *c.* 25.

—— Θεῖον Ὅμηρον
Κλεινὸς ἐπ' αἰγιάλῳ τύμβος ἔχει σκοπέλῳ.

—— *Vatis Homeri*
Oſſa ſub æquorea rupe ſepulta jacent.

De eodem Antipater Sidon.

Ἀλλ' ἔλαχεν νασῖτις Ἴε σπιλάς.
Saxo hic condit Io *circumflua.*

Et Alcæus Meſſenius,

Καὶ νέκυν ἀκταίη θῆκαν ὑπὸ σπιλάδι.
Oſſaque litoreâ compoſuêre petrâ.

Homerus nimirum è Samo Athenas profecturus ad hanc inſ. appulit, & in ſaxoſo litore morbo correptus interiit, & ſepultus eſt. In vertice rupis erat opp. è quo καταβαίνοντες αἰεί τινες τῶν ἐκ τῆς πόλιος, ἀπεσχόλαζον παρὰ τῷ Ὁμήρῳ, *oppidanorum aliqui ſubinde deſcendentes ægrotanti Homeri operam dabant.* Herod. in

in vita Homeri. Vulgò *Nido*. Nic. Lloyd. Inter Naxum eſt ad Bor. & Theram ad Auſtr. 50. mill. à Naxo, & 64. circ. ab ora Bor. Cretæ in Sept. Cum opp. cogn. in parte Bor. Baudr. Herod. in vita Homeri. *c*. 34. & 36.

JOSA, nomen principis. 1. Par. *c*. 34. *v*. 34. Lat. *exiſtens* aut *obliviſcens*, vel *debens*.

JOSABA, filia Regis Ioram; ſoror Ochoziæ. 2. Reg. *c*. 11. *v*. 2. uxor Joiadæ Sacerdotis, Ioam, Achaziæ fil. clam educavit, 2. Par. *c*. 22. *v*. 11. Ioſeph. *Antiqq. l*. 9. *c*. 7. Lat. *Domini ſaturitas*, *juramentum*, vel *ſeptenarium*.

IOSABETH, nomen mulieris. 2. Par. *c*. 22. *v*. 11. quæ *Joſaba* dicitur. 2. Reg. *c*. 11. *v*. 2. Idem ſig. quod *Joſaba*.

IOSABHESED, fil. Zorobabel filii Phadaiæ. 2. Sam. *c*. 23. *v*. 8. Lat. *ſedes*, *inſufflatio*, vel *converſio miſericordiæ*.

IOSAPHAT, fil. Aſa, regnare cœpit ſuper Judam Anno 4. Achabi, Regis Iſraël: h. e. A. M. 3120. A. C. N. 931. Annorum erat 30. cùm regnare cœpiſſet, & 25. Annis regnavit: pietatem coluit, patris Aſæ genuinam prolem ſe præſtitit. Claſſem paravit, quæ navigaret in Ophir, ad aurum inde avehendum. Philiſthæi munera ei offerebant & vectigal argenti. Arabes quoque adducebant pecora ampliſſimà: ædificavit in Juda domos ad inſtar turrium, urbeſque muratas. Inſurrexêrunt in eum Ammonitæ & Moabitæ, qui in ſemet ipſos verſi, mutuis occidêre vulneribus: ampla ſpolia legit Joſaphat. Obiit A. M. 3145. Æt. 60. Regni 25. Vide 1. Reg. *c*. 15. *v*. 24. 1. Par. *c*. 3. *v*. 10. Joſeph. *Antiqq. l*. 8. *&* 9. Torniel. Joſeph. *Antiqq. l*. 8. & 9. Οὗτος εἶχεν εὐμενές τε καὶ συνεργὸν τὸ θεῖον, δίκαιος ὢν καὶ εὐσεβής, καί τι καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἡδὺ ποιῆσαι καὶ προσηνὲς τῷ θεῷ ζητῶν. Item Fil. Abilud. 1. Reg. *c*. 8. *v*. 16. Fil. Pharuæ. Idem *c*. 4. *v*. 17. *Vallis Joſaphat* Joel. *c*. 3. *v*. 2. & 12. Item vir Mathanites. 1. Par. *c*. 11. *v*. 43.

IOSEDEC, fil. Azariæ. 1. Par. *c*. 6. *v*. 14. & 15. Pater Jeſu Sacerdotis, Zach. *c*. 1. *v*. 1. Lat. *Dominus juſtus*, vel *Domini juſtitia*.

IOSEDUM, inter Celtas opp. fluv. Sequanæ ripas citeriores attingens, vulgò *Corbeil*. Vide Glarean. *in l*. 7. *Com. Cæſ. c*. 11. Pariſiorum fuit opp. nunc tractûs Hurepeſii, in prov. Inſ. Franciæ, 6. leuc. à Lutetia, Melodunum verſùs, cum ponte lapideo ad Sequanam. Baudr. Vide *Corbolium*.

IOSEPH, fil. Iacob ex Rachele uxore, cujus Hiſtoria jucundiſſima ſimul, & memoratu digniſſima, plena myſteriorum. Obiit A. M. 2400. Æt. 110. Præfecturæ Ægypti, 80. Poſt mortem à ſuperſtitioſis Ægyptiis, ſub nomine Serapidis, cultus. Vide Gen. *c*. 30. *v*. 24. *&* Num. *c*. 13. *v*. 7. 1. Par. *c*. 25. *v*. 2. Pſalm. 81. *v*. 6. Joſeph. *Antiqq. l*. 2. *c*. 1. 2. *& ſeqq*. Torniel. Salian. Spond. *in Ann. ſacris*. Ejus ſymbolum Apim fuiſſe, adeoque ſubſequutis temporibus hoc nomine ab Ægyptiis cultum, Voſſ. pluribus docet. Et facit huc, quòd Deut. *c*. 33. *v*. 17. *Bos* vocetur; ſecundùm codices Hebræos: Vel ſaltem, juxta vulgarem Interpretem, bovi comparetur. Item, quod neque è Rabbinis deſint, qui vitulos in Dan & Bethel ſigna fuiſſe Joſephi credant. Et favet, quòd Jeroboamus, qui eos collocaverat; fuerit è tribu Ephraim, filii *Joſeph*. Cujus conjecturam rei Vett. ex tribus potiſſimùm capere potuêre: ex beneficio nempe *Joſephi* & ſymbolo bovis, ad illud ſignificandum, aptiſſimo; ex promptiſſima Regis & Ægyptiorum voluntate ad *Joſephum* remunerandum; & tandem ex ipſis Apidis Serapidisque vocabulis. Beneficium ejus fuit tripartitum; partim enim enarravit ſomnium Regium; partim conſilium Regi dedit; partim denique prudenti ac fideli procuratione, ex Regis auctoritate, populum juvit. Ad quod triplex beneficium exprimendum, non fuit convenientiùs ſymbolum, quàm bovis, præcipuè apud Ægyptios. Aliter ſi fuiſſet, non Deus ipſe in ſomnio, hoc Regi ſymbolum prætuliſſet, ad fertilitatem & ſterilitatem deſignandam. Hinc & apud Rom. videmus propterea A. U. C. 314. Lucium Minucium, annonæ Præfectum, bove donatum aurato, apud Liv. *l*. 4. *c*. 16. Nempe variat annonæ ratio, pro anni fertilitate ac ſterilitate: hæc verò magnam partem ab agricultura dependet; at certum eſt boves (verba ſunt Diod. Sic *l*. 1.) τοῖς εὑροῦσι τὸν τοῦ σίτου καρπὸν συνεργῆσαι μάλιστα πρός τε τὸν σπόρον καὶ τὰς κοινὰς ἁπάντων ὠφελείας, *Inventoribus frumenti maximè omnium commodâſſe ad ſementem faciendam & utilitates agriculturæ omnibus communes*. Unde *Bos ſocius hominum in ruſtico opere & Cereris miniſter*, Varroni *de Re Ruſt. l*. 2. *c*. 5. &c. Sed nec Regi Ægyptiiſque voluntas defuit, & hoc & alio quovis genere honoris, *Joſephum* proſequendi. De præfectura annonæ ut nil dicam, Rex toti eum præfecit Ægypto, ſit ut ſolo ſolio eſſet ſuperior: totaque eum oſcularetur Ægyptus (non benevolentiæ ſolùm, ſed & ſubjectionis oſculo) annulum etiam dedit, veſteque è byſſo induit; collo injecit torquem aureum & ſtatuit, ut currus ejus eſſet à regio ſecundus: nomine item mutato vocari juſſit *Saphenath Paneah*; ad hæc acclamari per præconem voluit, *Abrech*. Denique & uxorem ei dedit Aſnethen, filiam Principis Viri ſ. Præfecti in *On*, h. e. Heliopoli. E quibus apertum, nullum fuiſſe, honorum genus, quo non Rex *Joſephum* vellet ornatum. At Ægyptiis moris erat, ut bene meritorum memoriam ſacris ad poſteros ſymbolis propagarent. Jam verò, ut dictum, nullum beneficiis *Joſephi* exprimendis ſignum magis idoneum bove erat: unde facilè patet, hunc quoque ei honorem fuiſſe præſtitutum. Et quidem hic honos initio tantùm civilis fuit, ac bos, in memoriam Joſephi, qui famis tempore Ægyptum conſervaverat, à Sacerdotibus aliac Populo etiam, cum grata ejus beneficii commemoratione, monſtrari conſuevit. Nempe ad modum, quo Græcorum multi primò duntaxat honore affecti ſunt heroico, ut ſtatuâ & cippis: qui ſicuti poſtmodum commutatus eſt in divinum, ut adorationem & ſacrificia, ita conſervatori Ægypti, poſt Obitum ejus, idem contigiſſe, hominum ſuperſtitione, tradunt Rufin. & Suid. Namque & Rex ſine dubio, eo Defuncto, modum in honoribus accumulandis illi; cui Ægyptus, ob merita & divinas dotes, nihil habuiſſet par aut ſecundum, exceſſit: Sacerdoteſque ac Populum quod attinet, tam lene atque amabile *Joſephi* fuit imperium, ut eo Extincto luctus fuerit maximus totâ Ægypto, eoque cuncti certatim in eum quoſvis honores congeſſerint. Juverit etiam, quòd uxor illius filia erat Sacerdotis Heliopolitani, cui maxima erat per Ægyptum auctoritas. Ut ſocer fuerit defunctus; vixerint liberi, qui uxorem Ioſephi amitam agnoſcerent: amitini Manaſſis & Ephraimi. Atque eadem locum habent, ſi Aſnethe non Sacerdotis, ſed Principis Heliopolitani filia erat. Potuit Heliopolitanus quoque filiarum unam dediſſe Memphitico alicui: & fortaſſe familia, cui *Joſephus* innexus, ampla admodum fuit, ut magna ejus variis in locis fuerit auctoritas: ut alia, quæ addi poſſent, tranſiliam. Sed ut nihil horum foret, vel ſolâ æmulatione Memphitæ adduci potuêrunt, ad honorem hunc in *Joſephi* memoriam inſtituendum, ne qua ex parte Heliopolitanis inferiores viderentur. Duo igitur exinde boves ſacri, quorum Heliopolitanus dicebatur *Mnevis*, Memphiticus autem *Apis*, uti nominibus eos quoque diſtinguit Strabo *l*. 17. cumque Heliopolitani ſuum dicâſſent Soli; Memphitæ ſuum ſacrârunt Lunæ, quod traditum Ælian. *Var. Hiſt. l*. 11. *c*. 11. Utrumque tamen Oſiridi dicatum, ait Diod. Sic. *l*. 1. Et favet de Apide etiam Plutarch. *de Iſ. & Oſir*. ubi ex Ægyptiis ſe Sacerdotibus ait accepiſſe, Apim eundem eſſe ac Oſirim; ipſeque Apim eſſe Oſiridis animam arbitratur. Quæ facilè ſic concilies: ut Mnevin dicas fuiſſe Oſirim antiquiorem, qui cum Iſide Ægyptios agriculturam docuit, ſive iis *Mitſraim* ſive Menis fuerit: Apim verò Oſirim juniorem, qui proprio nomine *Joſephus*. E quibus honoratior Apis, eo quòd *Joſephi* beneficium recentius & excellentius. Interim vetuſtate priores ferebat Mnevis; unde Heliopolitani, cùm viderent, majorem eſſe gloriam bovis Memphitici, oggerebant Mnevin ſuum Apidis patrem eſſe: putà, quòd ad illius exemplum hic eſſet introductus, vide modò laudatum Auctorem. Nec abludunt Apidis & Serapidis nomina. Cùm enim Ægyptiacam linguam & Hebræam diſcrepâſſe quidem in non paucis; attamen in plurimis etiam conveniſſe, conſtet: veriſimile eſt, *Apis* nomen fuiſſe illud, quo *Joſephus* in ſacris nuncupatur. Nempe ut exprimat Hebræum אב, *Ab*, i. e. *Pater*: unde Syriacum *Abba*; atque ab hujus poſteriore ſyllaba Πατήρ. Jam verò, quæ Ioſepho convenientior appellatio, quàm *Ab* ſive *Patris*: Quippe qui nutricius totius Ægypti fuerit, quales tralatitiè *Patres* dicti. Ipſe etiam *Joſephus* Gen. *c*. 45. *v*. 8. ait fratribus ſuis, ſe conſtitutum eſſe לאב לפרעה *in patrem Pharaonis*: imò fortaſſe eodem pertinet, quòd Pharaonis juſſu ante eum acclamatùm אברך *Abrech*, de qua voce in præcedentibus quædam. Quod ad *Sarapin*, ut Græci; ſ. *Serapin*, ut Latini ſæpiùs dicunt, θεὸν ἑπταγράμματον, *Deum cum nomine ſeptem literarum*, uti eum nuncupatum ex vet. conſtat Epigr. eum fuiſſe itidem *Ioſephum*, colligere etiam ex eo eſt, quòd modius capiti ſuperimponeretur, teſte Rufino *Hiſt. Eccl. l*. 2. *c*. 23. cujus rei cùm variæ afferantur cauſæ, maximè placet, quòd ſubjungit frugum largitatem eo indicari. Suid. ſimiliter, in Σάραπις, μόδιον, ait, ἔχειν ἐν τῇ κεφαλῇ καὶ τὸν πῆχυν, *modium habere in capite & cubitum*: ubi & hoc adjicit, à quibuſdam *Ioſephum* putari. Eamque ſententiam confirmat, quòd idem ſit Serapis ac Apis, quemadmodum ex Ariſtea Argivo, tradit Clem. Alex. 1. *Strom*. ex Terentio item Varrone B. Auguſtin. *de Civ. Dei l*. 18. *c*. 5. De etymologia verò *Serapidis* cùm varia afferantur, non diſplicet ea, cùm eſſe dicitur ex שור, *ſor*, quod *bovem* notat, & *Apis*; ut ſignificet *bovem Patrem*, h. e. patrem Regni Ægyptiaci Ioſephum, ſymbolo bovis ſignatum. Vel cùm deducitur ex *Apis* & שר *ſar*, h. e. *Princeps*: quaſi dicas *Princeps Apis*. Nam שור *ſur*, Hebræis notat *dominari*: unde שר *Sar*. h. e. *Princeps*. Ut *Sar* ſive Princeps pincernarum, Gen. *c*. 42. *v*. 2. & Hoſ. *c*. 3. *v*. 4. &c. Vide Gerh. Ioh. Voſſ. de his prolixè differentem, *l*. 1. *Idol. c*. 29. & infrà *Serapis*. Alii tamen aliter, & quidem Apim jam ſub Cæacho X. Thinitarum Rege Memphi cultum, *Ioſephum* verò demum ſub Aphophe IV. Tanitarum ſ. Paſtorum Rege poteſtatem in Ægypto exercuiſſe docet Ioh. Marsham. *Canone Chron. Sec*. 1. & XIII.

IOSEPH, pater Igal. 1. Par. *c*. 25. *v*. 2. & Num. *c*. 3. *v*. 8.

IOSEPH, primus Dux Judæorum, reg. A. 6.

IOSEPH, junior Arſes, Iudæorum Dux, reg. A. C. 60.

IOSEPH, Hieroſolymorum Ep. A. C. 129.

IOSEPH, Cani fil. ſummus Sacerdos, A. C. 47.

IOSEPH, ab Arimathæa, ἀνὴρ εὐσχήμων, uti vocatur in Euangelio, occultus Jeſu Chriſti diſcip. qui ejuſdem corpus ſummo ſtudio honorificè, ac piè ſepelivit; ac deinde in Angliam Jeſu Chriſti fidem intulit, ibique ſacrum primus diſſeminavit Euangelium. Matth. *c*. 13. *v*. 55. *& c*. 27. *v*. 56. Marc. *c*. 6. *v*. 3. *& c*. 15. *v*. 40. Luc. *c*. 23. *v*. 50. Joh. *c*. 19. *v*. 38. Act. *c*. 4. *v*. 36. Tur. *Hiſt. l*. 1. *c*. 21. Beda *Hiſt. Eccl*. Recentioribus tamen Criticis ſuſpecta hæc Hiſt. Morer. *Dict. Hiſt*.

R. IOSEPH, præfuit Scholæ Soranæ, dictus *Sinai*, quia peritus erat Miſnaot in Sinai traditarum. Sicut Rabba ſocius ejus *Eradicans montes*, ob acumen, vocatus eſt. R. Ganz. *ad* Ann. 4082. Allus; ſcripſit *Sahare tzedek*, Ann. 5269. apud eund.

R. IOSEPH Kalo, auctor *Teſchuvot*, Defunctus Ticini Ann 240. juxta calculum mox indigitandum. Quo ipſo in R. Iakob Lida ſcripſit *Sepher Agar*.

R. IOSEPH Karro, Hiſp. auctor libri *Beit Ioſeph* & *Beit Elohim* docuit Zephetæ, circà Ann. 335. Millenarii VI. juxta ſupputationem R. Dav. Ganz *in Chronologia Rabbinorum*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

R. IOSEPH Magid Levi F. R. Sam. Levi, patris ſui cathedræ inſedit Granatæ in Hiſpania, per 9. Annos. Sed divitiis elatus invidiam Satraparum & Principum Palæſtinorum in ſe concitavit, qui illum, cum univerſo cœtu Granatenſi interemêrunt, Sabbathi die, A. C. 4842. juxta eund.

Pater Chriſti Nutritius.

IOSEPHUS, fil. Jacobi, ſecundùm Matth. *c.* 1. *v.* 16. Heli, ſec. Luc. *c.* 3. *v.* 23. de quorum locorum conciliatione, vide Frid. Spanhem. *Dub. Euangelic. Dub. XIX.* Sponſus B. Virginis, Chriſti Pater nutritius, *Juſti* elogium meruit, Matth. *c. cit. v.* 18. Vide de eo ejuſdem Euang. *c.* 2. *v* 13. Luc. *c.* 2. *v.* 16. *c.* 3. *v.* 23. & 24. Auguſt. *l.* 1. *de conſens. Euang. l.* 2. *quæſt. Ev. q.* 5. & *l.* 2. *Retr. c.* 7. *Ser.* 18. *de tempore.* Hier. *adv. Helvid. & Jovin.* Item *in Matth.* Ambroſ. *l.* 1. *de Inſt. Virg. c.* 7. & *in Luc.* Jul. African. *Ep. ad Ariſt.* Euſeb. *Hiſt. l.* 1. *c.* 7. Gregor. Nazian. *in carm. de Gen. Chriſti, &c.*

Rex Romanorum.

IOSEPHUS, Leopoldi Aug. fil. primogenitus, vix duodecennis, Romanorum Rex electus coronatuſque, incredibili totius Germaniæ lætitia fauſtiſque acclamationibus, Auguſtæ Vindelicorum A. C. 1690. menſe Nov. de quo vide Ampliſſ. Othonis JC. Ulmenſis *Coronam Triumphalem, quam Leopoldus I. Cæſar* XII. (ex Auſtriacis) *Joſepho I. Rom. Regi XIII. divinâ affulgente gratiâ, & unanimi Electorum S. R. Imperii conſenſu impoſuit*, inſertam *Notis* ejus & *ſeqq. ad B. Rhenan. Rer. Germ. l.* 3. *p.* 557. & ſeqq.

Reges alii & Viri Illuſtres.

IOSEPHUS, nomen quatuor Regum Granatenſium.

IOSEPHUS, fil. Zachariæ, Dux militum, apud Judæos. A Macchabæo, poſt Simonem fratrem in Galilæam miſſum, in Gilead contra Ammonitas ituro, Judææ defendendæ relictus, vires ſuas contra urbem Jamniam convertit. Sed à Gorgia, cum 2000. militum, cæſus eſt. 1. Maccab. *c.* 5. *v.* 18. Ioſeph. *Antiqq. l.* 12. *c.* 12.

IOSEPHUS, fil. Antipatri, frater Herodis Mag. Maſſadam arcem contra Antigonum tuitus, poſteà partem copiarum fratris duxit: ab Antigono, prope Jerichuntem fortites pugnans occiſus eſt capiteque truncatus, temeritatis & inobedientiæ ergà Ducem ſuum pœnas dedit: Fratre Pherorâ fruſtra 50. talenta pro integro corpore offerente. Ioſeph. *Antiqq. l.* 14. *c.* 26 & 27.

IOSEPHUS, dictus *Barnabas*, Act. *c.* 4. *v.* 36.

IOSEPHUS, dictus *Berſabas*, cogn. *Juſtus*, unus ex 70. diſcipulis Chriſti, cum Matthia ſorti ab Apoſtolis expoſitus, cùm de Apoſtolo Iudæ ſurrogando ageretur. Idem *c.* 1. *v.* 23.

IOSEPHUS, dictus *Judas*, Idem *c.* 15. *v.* 32.

IOSEPHUS, Tobiæ fil. Oniæ ex ſorore nepos, Iudæos ab ira Ptolemæi liberavit. Ioſeph. *Antiqq. l.* 4. *c.* 4.

IOSEPHUS, qui & Caiphas, Simoni in Pontificatu ſucceſſit. Idem *l.* 18. *c.* 7.

IOSEPHUS, cogn. Flavius, Mattathiæ fil. vir apud Iudæos, nec non & Rom. nobiliſſimus, ac ſacerdos per Patrem, à ſummis Sacerdotibus: per Matrem verò, ab Aſſamonæis ſ. Maccabæis originem traxit. Natus ſub Caligula, adhuc ſub Domitiano vixit. Anno Æt. 16. animo ad ſtudia applicato, cum Bano quodam, ex Eſſenorum ſecta, triennium in ſolitudine commoratus, poſtmodum Phariſæis adhæſit, quos cum Stoicis comparat. An. Æt. 26. in Italiam tranſgreſſus, Poppææ à Comico quodam Judæo commendatus, negotia ſua feliciter expediit. Reverſus in Palæſtinam, Dux Galilæorum eſt factus, donec Jotapatâ captâ, in puteo, ubi cum 40. ſuorum delituit, gravia paſſus eſt. Captivus Veſpaſiani, imperium ei, ſibi libertatem prædixit. Suet. *in Veſp. c.* 5. Ioſeph. *Antiqq. l.* 3. *c.* 14. Liberatus, expugnationis Hieroſolymæ teſtis αὐτόπτης, compoſuit *libb.* 7. à Tito ſummo in pretio habitos. Romæ Principum favore & munificentiâ adjutus, civitate item donatus, *libb.* 20. *Antiqq. Jud.* confecit. Scripſit etiam *libb.* 2. *c.* Appian. Alex. De Imperio Rationis ſ. Martyrio Maccabæorum, ubi omnes facundiæ ſuæ theſauros explicuit, & librum de Vita ſua. Alius eſt Ioſephus Gorionides, Hiſt. Iud. auctor an falſarius? Vide Tertull. *apol. c.* 17. & 21. Iuſtin. *Paran. c.* 17. Porphyr. *l.* 4. *de abſt.* Hier. *c.* 13. *Cat.* Euſ. *in Chron. & Hiſt.* Iſid. Pelus. *l.* 4. *Ep.* 225. Caſſiod. *Div. Inſt. l.* 1. *c.* 17. Phot. *cod.* 47. 76. & 238. Sozomen Euagr. Zonaram, Suid. Voſſ. &c. De Chriſti veritate teſtis digniſſimus; cujus teſtimonium enervare nititur Vir doctiſſimus Tan. Faber *Ep. Crit. p.* 126. Confirmat autem Iſ. Voſſ. quem vide. Vide etiam Suid. in Ἰώσηπος, ac Voſſ. *Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 8.

IOSEPHUS F. Gorionis Sacerdotis, ſcripſit compendium Ioſephi prioris, ſed non pauca ex Thalmudicis rhapſodiis attexuit; verſus atque notis illuſtratus à Seb. Munſtero ac impreſſus Wormatiæ A. C. 1529. Diverſus eſt à *Joſepho F. Gorionis* belli Duce contra Ceſtium, cujus meminit Ioſephus *de Bello Jud. c.* 25. utpote, qui illo multo recentior, circa Car. Mag. tempora vixit. Vorſt. *Obſerv. ad. Chronol. R. Ganz. p.* 282. Vide & *ſuprà.*

Patriarchæ Conſtantinopolitani.

IOSEPHUS I. Patr. CP. ſucceſſit Euthymio, A. C. 1419. Ioh. Palæologi in Italiam comes, Ferrariam cum illo venit, ubi cum Eugenio IV. Conc. ibi celebraturo, de præeminentia ſalutationis ambitiosè litigavit. Conventu dein Florentiam tranſlato, in quædam conſenſum: de Tranſubſtantiatione tamen convenire non poterant. Obiit ibidem, A. C. 1439. Pontifice fruſtra Succeſſorem ipſi ſurrogare anniſo. Acta Syn. Flor. in Bibl. reg. *apud Morn. p.* 1220. Bulling. *l.* 2. *de Conc. c.* 10. Laonicus, *in Hiſt.* Phrantz. *l.* 1. *c.* 36. Æn. Sylv. *Eur. c.* 54. *&c.*

IOSEPHUS II. ſecundùm alios, *Joaſaph I.* A. C. 1460. Quòd Chriſtiano cuidam, in Aula Ottomanica florenti, qui, legitimâ uxore repudiatâ, nuptiis viduæ Principis Athenienſis inhiabat, generosè ſe opponeret, primò barba orbatus, quâ in Oriente non major Præſuli ignominia, dein ſede pulſus eſt; Marco quodam Nylocarabe ſuffecto. Turcogræc. *l.* 1. & 2.

IOSEPHUS III. vel IOASAPH II. poſt Dionyſ. A. C. 1555. à ſuis ob ferociam & Simoniam, depoſitus, A. C. 1565. Metrophanes ſucceſſit. Onuphr. *in Chron. Turcogræc. l.* 2.

Viri alii Clari.

IOSEPHUS, ex Iudæo Chriſtianus, à Conſtantino Imp. ad Comitatûs dignitatem evectus: Præſules ſub Conſtantio exules benignè excepit: Item, auctor libri de *Univerſis ſ. de Univerſi cauſa.* Qui etiam Cajo cuidam tribuitur, Phot. *cod.* 48. Item, Ep. Græcus, qui Conc. Florentino interfuit, & de rebus ibi peractis ſcripſit c. Marcum Epheſ. Item, Oeconomus Eccl. CP. quòd Conſtantino Imp. filio Leonis IV. uxori legitimæ aliam ſuperinducere volenti non refragaretur, in exilium miſſus eſt. Inde redux, cùm pergeret malè agere, denuo eſt pulſus. A. C. 711.

IOSEPHUS, Exceſtrienſis, Græcè Latineque doctiſſimus, Poëta eximius: Præter alia, poëmate de bello Trojano, libb. 6. clarus, quod ſic incipit:

Iliadum lachrymas, conceſſaque Pergama Fatis,
Prælia bina Ducum, bis adactam cladibus urbem
In cineres? querimur, &c.

Floruit ſub Henr. II. Angliæ Rege Voſſ. *de H. & P. L.*

IOSEPHUS Auria, vel Doria Neapolit. Mathematicus inſignis, Sec. Præt. Blancan. *Chron. Mathem. p.* 6.

IOSEPHUS Barbarus, Senator Venetus. Itinerarium Perſiæ ſcripſit. A. C. 1472.

IOSEPHUS Blancanus, Auctor Chronologiæ Mathematicorum.

JOSEPHUS Iſcanus, Poëta Britannus: claruit ſub Joh. Anglorum Rege. circa A. C. 1210. Archiep Burdigalenſis dicitur Joh. Pitſeo *in Illuſtr. Angliæ Scriptoribus, Æt.* 13. Sed nihil tale ex Lelando & Gulielmo Faſtregico, Balæus, *Centur III. Script. Britannicorum.* Etiam in Burdigalenſibus Archiepiſcopis de hoc, apud Joh. Chenu *Chronol. Epp. Gall. Hiſt.* ſilentium eſt; uti & in *Chronico Burdigal.* Gabrielis Lurbæi. Patria fuit, ut Angli conſentiunt, Devonienſis; educatus apud Iſcanos ſive Exonienſes: unde ipſe de ſe,

——— ——— *Sine remigis uſu*
Non noſſet Memphis Romam, non Indus Iberum,
Non Scytha Cecropidem, non noſtra Britannia Gallum.

Scripſit enim *de bello Trojano* poëma, (quod vulgò inſcribitur Cornelio Nepoti) in cujus *ſecundo*, Britannos, quos reducis è Britannia Herculis comites putant, interfuiſſe ait nuptiis Telamonis ac Heſiones. Quod commentum Voſſ. refellit *de Idol. l. c. c.* 36.

JOSEPHUS Langius & Moletius, Mathematici, ille Germanus, iſte Italus.

JOSEPHUS Pamphilus, Veronenſis, Ep. Signiæ, Chronicon Ordinis Auguſtin. condidit.

JOSEPHUS Salahadinus, natione Turca, à Mahumede Nuredino Rege Syriæ in Ægyptum, auxilio Caliphæ ejusgentis, contra Almericum Hieroſolymorum Regem miſſus, occaſione captatâ, obtruncavit Elphaizum, ultimum Ægypti Calipham ſicque totius Ægypti Imperio. potitus; paulò pòſt Nuredino Mortuo, ipſam quoque Syriam nactus, Regnum Hieroſolymitanum funditus evertit, A. C. 1186. neque Chriſtianis, præter Tripolim Tyrum ac Antiochiam, quidquam reliqui fecit, vide in voce *Saladinus.*

JOSEPHUS Zarlinus, ſcripſit Italicè: *Inſtitutiones harmonicas, Demonſtrationes harmonicas, & Supplementa Muſicalia.*

JOSI, fil. Johazer, & *Joſi* fil. Joh. Kabalain accepêrunt ab Antigono, fuêruntque initium bijugum, ſ. duorum ſimul, cujuſmodi combinationum familiæ per 5. ætates uſque ad Hillelem ſeniorem ſubſequutæ ſunt. Floruêrunt autem hi duo ſub Ptol. II. Philadelpho. R. David *Ganz. Chronol. Hiſt. ſub Templo II. ad Ann.* 500.

R. JOSI Tziphoræus, F. Chaliptha, pellio fuit, & obſignavit *Seder Olam Rabba*, *Ann.* 3881. *Rabbi Joſi* abſolutè vocatus. Idem *ibid.*

JOSIA, fil. Elnaem. 1. Par. *c.* 11. *v.* 46.

JOSIAS, fil. Ammon, ſucceſſit patri, regnavitque in Jeruſalem Annos 31. Hic juſtus, pius, Davidis veſtigia ſecutus 12. Anno regni ſui mundavit Judam & Ieruſalem ab excelſis, & lucis, ſimulacriſque, & ſculptilibus. Cæterùm dum pugnat cum Nechaone Rege Ægypti, qui miſſis nuntiis indicârat, ſe non paraſſe bellum in eum, vulneratur ſagittâ, quo ex vulnere Obit, A. M. 3425. Æt. 39. Luxêrunt eum univerſus populus, maximè Jeremias, qui ſuper ejus morte carmen lamentabili modulatione conſcripſit, quæ *Lamentationes* vocitatur. Vide 2. Reg. *c.* 22. *v.* 3. 2. Par. *c.* 34. *v.* 1. & *c.* 35. *v.* 1. & Ioſeph. *Antiqq. l.* 10. *c.* 5. & 6. Torniel. & Salian. *in Ann. V. T.* Cauſa verò belli videtur hæc fuiſſe. A tempore deportati Manaſſes Regis ſub Aſar-haddone, Babylonem, Judæorum Reges ſub Babyloniorum clientela degebant. Itaque Chyniladano jam, Principe ignavo, annum agente

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

gente regni 20. erga eum tamen *Joſias* Rex Dei obſervantiſſimus, fidem ſervandam, tranſitumque hoſti ejus non concedendum cenſuit. Unde pugna, & pientiſſimi Regis mors. Joh. Marsham. *Canone Chron. Sec.* XVIII. ubi *de Necho Rege*, de quo etiam infrà aliquid.

IOSIAS Mercerus, vide ſuprà *Johannes*.

IOSIPPUS, Gorionis fil. Hiſtoricus, de quo vide Voſſ. *Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 8.

IOSPICA, opp. in ora Liburniæ. Plin. *l.* 3. *c.* 21. *Lopſica* Ptol. & ſic quoque ſcribitur in Codicibus Plinii emendatis.

IOSSELINUM, ſ. IOCELINUM, vulgò JOCELIN, opp. Brit. min. ad Ouſtam amnem, in meditullio prov. 16. leuc. à Rhedonibus in Occ. totidemque à Fano S. Brioci in Auſtr.

IOSUA, fil. Nun, Num. *c.* 13. *v.* 16. 1. Par. *c.* 7. *v.* 27. Joſ. *c.* 1. *v.* 1. fuit miniſter & ſucceſſor Moſis, qui populum Iſraël per ſiccatum Jordanis alveum in terram Canaan introduxit. Ὁμώνυμος & typus Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui filios promiſſionis Abrahæ per Jordanem ærumnarum hujus vitæ & mortis in requiem vitæ æternæ introduxit. Obiit A. M. 2600. Æt. 110. Princip. 25. Vide Morer. Hiſtoria ejus è ſacra Scriptura petenda eſt. Joſeph. *Antiqq. l.* 5. *c.* 9. Ἀνὴρ μήτε συνέσεως ὢν ἐνδεὴς, μήτε τοῦ τὰ νοηθέντα πρὸς τοὺς πολλοὺς σαφῶς ἐξενεγκεῖν ἄπειρος, ἀλλ' ἐν ἀμφοτέροις ἄκρος. Πρός τε τὰ ἔργα καὶ τοὺς κινδύνους εὔψυχος καὶ μεγαλότολμος, πρυτανεῦσαί τε τὰ κατὰ τὴν εἰρήνην δεξιώτατος, καὶ πρὸς ἅπαντα καιρὸν τὴν ἀρετὴν ἡρμοσμένης. In *Joſuam* extant: R. Aharon aben Chajim. Antoninus. Auguſtinus. Bedæ *Quæſtiones*. Bonfrerius, Borrhai *Comm.* Fol. Baſileæ A. C. 1565. Brentii *Comm.* Fol. Tubingæ A. C. 1575. Buntingus, Angl. Quart. Londini A. C. 1629. Calovii *Annotat.* Calvini *Comm.* Crommii *Theſes Theolog.* Lovan. A. C. 1631. Chytræi *Enarratio* Fol. A. C. 1590. Druſii *in loca difficil.* Quart. Franekeræ A. C. 1618. Ferus. de Hales. Hanneckinii *Annotat.* Helingii *Periocha* Octav. Norib. A. C. 1593. Iſid. Hiſpal. de Lapide. Lavateri *Homiliæ*. Magaliani *Comm.* tom. 2. Fol. Lugd. A. C. 1612. Malvenda. Maſii *Illuſtrat.* Londini, A. C. 1660. Montani *Comm.* Quart. Antv. A. C. 1583. Naxera. Nezenius. Ienæ A. C. 1611. Origenis *Homiliæ*. Paulutius. Piſcatoris *Comm.* Procop. Serarius Strigelius. Theodoret. Theodor. Toſtatus. de S. Victore Wolfii *Sermones*. Fol. Tiguri. A. C. 1592. &c. Vide Crowæi *Elenchum*. Cæterum hujus viri res geſtas à Phœnicibus Herculi tributas, uti Chamus in Iove Hammone, Moſes in Libero, Ioſephus in Apide &c. culti ſunt, fusè oſtendit Voſſ. Cùm enim tam ſtupenda de hoc Iſraëlitarum Duce variè deſerrentur ad Phœnices Ægyptioſque vicinos, hi autem Herculeâ vi nihil majus noſſent, etiam *Joſuam* Herculem quendam eſſe, ipſis creditum, Paulatim etiam Hercules Phœnicius & Iſraëliticus (ut vicinæ erant gentes) confundi cœpêrunt: quod eò proclivius fuit, quia Iſraëlitæ toties ſub Judicibus deficerent à Deo, connubiis etiam multi cum vicinis jungerentur; quos omnes rediiſſe ad Deum, parùm veriſimile eſt. Hinc miſcellæ in Religione opiniones liberorum, quæ & aliis affricabantur inter Phœnices & alios, ipſis etiam Sacerdotibus gentium hoc agentibus, ut *Joſua* geſta longè adeò lateque didita, quia animis hominum prorſus eximi non poſſent, falſem ſuo Numini tranſcriberentur. Quæ omnia manifeſtiora fient, ſi paucis conferamus ſigillatim, quæ Gentiles de pugna Deorum cum Gigantibus, & Scripturæ, de pugna Iſraëlitarum cum Cananæis, prodidêrunt. Et quidem de iis, qui pugnârunt, differens Apollod. *Bibl. l.* 1. ex parte una fuiſſe Typhœum & Gigantum alios refert, ex parte altera, Iovem cum Diis cæteris, pariterque Herculem: quem Iupiter σύμμαχον δὲ Ἀθηνᾶς ἐπικαλέσατο, *Socium ad ſe conſilio Palladus advocaverat*. Ubi intelligendus Hercules ille Orientis, aliquot ſeculis vetuſtior Thebano: qui, ob eximiam virtutem *Hercules* dictus, vero nomine *Joſua* vocabatur. Huic bellum cum Gigantibus fuit; quales omnino Cananæi. Nec aliud æquè, ac vaſta illa ſtatura, primò perculit Iſraëlitas. Inprimis terra Baſan *Gigantum terra* dicebatur, Deut. *c.* 3. *v.* 13. cui Rex Og præerat, quem Græci *Typhonem* & *Typhoeum* appellârunt. Vide de ejus mole & lecto ferreo Idem ibid. *v.* 11. Quomodo autem à Diis pugnatum ſit, narrantes Poëtæ, multum itidem ex ſacra Hiſtoria hauſêrunt. *Joſuâ* enim ſtrenuè agente, Deus lapidibus pluit, quibus magnam Gigantum partem obtrivit, Ioſ. *c.* 11. *v.* 11. cujus rei Hiſtoria apud Gentiles quoque duravit. Sed cùm de loco fluctuarent incerti, conjectabant, iſthic hoc contigiſſe, ubi conſpiceretur magna vis lapidum, quam humana non videretur induſtria eò deportâſſe: ut in Gallia Narbonenſi, inter Rhodanum & Maſſiliam. Unde P. Mela, *l.* 2. *c.* 5. de hoc campo loquens, *Lapideum*, inquit, *vocant, in quo Herculem contra Albionem & Bergiona, Neptuni liberos, dimicantem, cùm tela defeciſſent, ab invocato Jove adjutum imbre lapidum ferunt: credas pluiſſe, adeò multi paſſim & latè jacent.* Sed & bellè locus convenit, quo *Joſua* Cananæis, Hercules Gigantibus, bellum intulit. Ut enim varias Gentilium Sententias ſicco pede prætereatam, quorum quidam in Campis lapideis, ut dictum; alii in Italia, prope Veſevum montem; nonnulli in Phlegræis campis peninſ. Pallenes; Pauſ. juxta Olympiadem, Arcadiæ fontem, unde alternis temporibus, nunc aquæ, nunc ignes, erumpant, &c. pugnatum tradunt. Apollon. *Argon. l.* 2. *v.* 1217. *& ſeqq.* inclytum Gigantem Typhonem periiſſe refert, ad Nyſſam Arabiæ, uti fatetur Scholiaſtes merſumque ait ſub Serbonidis paludis aquis. Quam paludem prope Peluſium Ægypti ſtatuit, quemadmodum & Plutarch. *in vita M. Antonii*, *Serbonidis*, inquit, *paludes Typhonis exſpirationes vocant Ægyptii.* Ibi ergo ſtatuunt Typhonis exitium, ubi egêre Iſraëlitæ Ægypto egreſſi, qui eum perdidêrunt. Et quis potiùs audiendus Homero, qui ſic *Il.* β. *v.* 781. *& ſeqq.*

> Γαῖα δ' ὑπεστενάχιζε, Διῒ ὣς τερπικεραύνῳ
> Χωομένῳ, ὅτε τ' ἀμφὶ Τυφωέϊ γαῖαν ἱμάσσῃ,
> Εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς.
> *Terra autem reſonabat, Jove velut ſit fulmine gaudenti*
> *Irato, quando circa Typhoëum terram verberat*
> *In Arimis, ubi dicunt Typhoëi eſſe cubilia.*

E quibus colligitur, conflixiſſe in Syria, quæ & *Aramea*, uti Syri, *Terra Aram*, unde Syri Ἄριμοι καὶ Ἀριμαῖοι. Ita enim & Poſidon. eumque ſecutus Strabo *l.* 16. *ſub fin.* τοὺς Ἀρίμους Homeri interpretantur. Sic proin ab Hercule contrà Gigantes & Typhoëa commiſſum eſſe prælium volunt in Arabia ac Syria: quibus locis contra Cananæos ac Ogum Baſanis Regem arma eſſe ſuſcepta, etiam Moſes docet. Nec ætas Herculis ac *Joſua* diſcrepat; modò ne intelligatur Thebanus ille, ſed alter Orientis; quem tum Ægyptium vocare poſſumus; tum Indicum, h. e. Arabicum; eum Tyrium ſive Phœnicium: Namque *Joſua* in Ægypto natus, tantas res in Arabia geſſit, quas ſuo poſtmodum Herculi Phœnices adſcripſêre. Eum Thebano eſſe vetuſtiorem, clarè tradit Lucian. *de Dea Syr.* Τό γε (ἱερὸν) τοῦ Ἡρακλέος τὸ ἐν Τύρῳ, οὐ τούτου τοῦ Ἡρακλέους, τὸν Ἕλληνες ἀείδουσι, ἀλλὰ τὸν ἐγὼ λέγω, πολλὸν ἀρχαιότερος καὶ Τύριος ἥρως ἐστί. *Herculis quidem* (templum) *illud, quod eſt Tyri, non hujus Herculis, quem Græci decantant: ſed quem ego dico, multo vetuſtior eſt & Tyrius heros.* Imò eodem hunc, quo *Joſua*, tempore vixiſſe, Veterum opinio erat, ut oſtendit Euſeb. *in Chronicis.* Nam *n.* 142. legas. *Moſes in Sina monte divino fruitur aſpectu.* At quinquennio antè, nempe *n.* 137. reperias, *Hercules, cognomento Deſanaus in Phœnice clarus habetur. Unde & ad noſtram uſque memoriam à Cappadocibus & Eliſienſibus, Deſanaus adhuc dicitur*, &c. Vide Gerh. Ioh. Voſſ. *de Idol. l.* 1. *c.* 26.

IOSUA, ſ. ISA, cogn. *Zelebis*, i. e. Nobilis, Illuſtris, 6. Turcarum Imp. primogenitus Bajazetis, a Tamerlane capti. Burſâ, ubi ſedem Imperii Majores fixerant, expugnatâ, in Europam tranſiit, omnibus, qui contra ſe inſurrexerant, ſub jugum miſſis. A Muſulmanno fratre acie victus & ſtrangulatus, A. C. 1406. Imp. 4. Leunclav. *in Ann. Turc.* Chalcondyl. *Hiſt. Turc.*

IOSUA, ſ. *Jehoſua* F. Karchæ, celebris Rabbinus, de quo extat ſub fin. Bicurrot, *Omnes Sapientes Iſraëlis, tanquam cortex ſunt, excepto hoc calvo.* Nonnullis fil. dicitur R. A. Kibæ, de quo ſuprà. Alius, auctor *Halichot Olam*, Ann. 5269. juxta R. Ganz. vide & *Jehoſua*.

IOTA, aliàs *Locne*, Levitis data, civ. in tribu Iuda, vide *Jeta*. *Joſ. c.* 15. *v.* 55.

IOTABATA, aliàs *Ionitera*, civ. Decapoleos, omnium Galilææ civitatum munitiſſima, in tribu Zabulon. Etenim paulo minùs tota rupes eſt, ex aliis quidem partibus undique vallibus immenſis præceps, ut, earum altitudinem oculis deprehendere cupientium, aſpectus antè deficiat: Ab una verò tantùm Boreæ parte adiri poteſt, ubi per tranſverſum latus deſinentis montis ædificata eſt.

IOTABIS, inſ. ſinûs Arabici. *Procop*

IOTÆ, Scythiæ intra Imaum pop. *Ptol.*

IOTAPATA, urbs Syriæ, à conditore ſic dicta: Steph. à Ioſeph. defenſa, à Veſp. deſtructa. Joſeph. *Antiqq. l.* 3. *c.* 11. *& ſeqq.*

IOTAPE, Ciliciæ opp. mun. Ptol. *Lombardo* Nigro. Epiſcopal. ſub Archiep. Seleucienſi, Selinunti proxima Orientaliori, *Ferr.*

IOTAPIANUS, vel Papianus, Tyrannus in Syria contra Philippum inſurrexit, à Decio cæſus, capite ejus Romam delato.

IOTRUM, vulgò IOVARE, ſ. *Joüars*, Monaſterium Benedictinorum, in Bria, in diœceſi Galliæ Meldenſi. Ubi Conc. A. C. 1130. contrà Abbatis S. Victoris percuſſorem. Bernard. & Petr. Cluniac. *in Ep.*

IOTRUM Nonnarum, *Joüarre les Nonnains*, Monaſterium, non procul à Matrona fluv. in ſaltu Iotrenſi, ab Adone, Audoëni fratre, conditum. A quo & Firmitas, proximum opp. Matronæ impoſitum, *la Ferté ſous Joüarre* vocatur. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

IOVIACUM, Norici opp. Anton. *Saltzburg* Lazio. Quibuſdam eſt *Aſchaw*, vicus Auſtriæ ſup. juxta Danubium. Aliis *Franchen-marck* aut *Starnberg*, opp. Auſtriæ versùs Bavar. Cluv. eſt Laciacum, *Gmunde*, opp. Auſtriæ ſup. ad lacum cogn.

IOVIALIS Malleus, vide *Malleus*.

Imperatores Romani.

IOVIANUS, ſ. IOVINIANUS, fil. Comitis Varroniani, Singidone urbe Pannoniæ oriundus, poſt Iuliani Apoſt. mortem ab Exercitu Imp. lectus, purpuram accepit, poſtquam milites, ſe Chriſtianos fore, eſſent polliciti. Rebus valde turbatis primò Perſas ſibi conciliavit, dein templa Idololatrica clauſit, ſacrificia ſuſtulit, Præſules revocavit. Suffocatus in lecto, vapore carbonis accenſi, A. C. 364. Æt. 33. Imper. menſe 7. die 22. Hier. *in Chron.* Amm. Marcell. *l.* 25. *c.* 10. Theodoret. *l.* 4. Socr. *l.* 3. Sozom. *Hiſt. l.* 6. Sub Iuliano prætorianæ cohortis Dux cum eſſet, ad Gentiliſmum ſolicitatus generosè reſtitit. Saltem, quòd cum Perſis ignobilem ad 30. An. pacem iniiſſet, reprehenſus, & in reditu à mulierculis irriſus. Oroſ. *l.* 7. *c.* 19. Eutrop. *l.* 10. Suid. *in Joviniano*. ΙΟΒΙΑΝΟϹ dicitur, in *Inſcr.* Græca, quæ in introitu Ædis ſacræ, quæ Palæopoli eſt, in Inſ. Corcyra, hodieque viſitur. Memorat ibi, poſt fana araſque Gentilium, per Græciam deſtructas, hanc ædem DEO. O. M. ſe conſecrâſſe. Verba hæc:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ΠΙCTIN ΕΧΩΝ ΒΑCΙΛΙΑΝ ΕΜΩΝ ΜΕΝΕΩΝ CΥΝΕΡΙ-ΘΟΝ
COI ΜΑΚΑΡ ΥΨΙΜΕΔΟΝ ΤΟΝ Δ ΙΕΡΟΝ ΕΚΤΙCΑ ΝΗΟΝ
ΕΛΛΗΝΩΝ ΤΕΜΕΝΗ ΚΑΙ ΒΩΜΟΥC ΕΞΑΛΑΠΑΞΑC
ΧΕΙΡΟC ΑΠΟΥΤΙΔΑΝΗC ΙΟΒΙΑΝΟC ΕΔΝΟΝ ΑΝΑ-ΚΤΙ.

apud Jac. Spon. *Itin. Græciæ Part.* 3. *p.* 82.

JOVINIACUM, vulgò JOIGNI, à Fl. Jovino, Gallo, viro Conſulari, qui Magiſter Eq. apud Catalaunos VI. Alamannorum millia in acie cecidit, apud Amm. Marcell. nomen habet. Opp. Galliæ in Senonibus, cum tit. Comitatus, nundinis ſuis menſe Januario haberi ſolitis inclytum. Item vicus Campaniæ Remenſis, Frodoardo memoratus, vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

JOVINIANUS, nuptias virginitati præferebat, ſecutus opinionem Stoicorum de virtutum æqualitate. Carnem Chriſti phantaſticam eſſe, baptizatos Diabolicis tentationibus non poſſe corrumpi, B. Virginem, poſt natum SERVATOREM, virginem non manſiſſe, &c. aſſerebat. Refutatus ab Auguſtino *de hær. c.* 82. & Hier. *l.* 1. *&* 2. *c. Jovin.* Condemnatus à Syricio, & Ambroſio, Synodo Mediol. A. C. 390. Ab Imp. Theodoſio in exilium exturbatus, nihilominus in Romæ vicinia hæſit: donec ab Honorio, in Inſ. quandam, relegatus, ibi miſerè periit. Ambroſ. *Ep.* 42. Gennad. *c.* 75.

JOVINIANUS Maximianus Cæſar, ſic voluit vocari, quòd ſe fortiter in Illyrico geſſiſſet. Vide *Jovianus.*

JOVINIANUS Pontanus, Philoſophus & Poëta, multa ſcripſit cum proſâ oratione, tum carmine, quæ extant.

JOVINUS, è nobiliſſima ſtirpe, Gallus, Dux belli egregius, à barbaris quibuſdam Imp. Moguntiæ declaratus, A. C. 412. eo tempore, quo Arelatum à Conſtantino Tyr. obſeſſum, nixus Goaro Alano & Gundicario Burgundo purpuram ſuſcepit, fratre Sebaſtiano in imperii conſortium adſcito. Anno pòſt ab Ataulpho, Dardani artibus, deſertus, & cùm Ravennam ad Honorium deduceretur, in itinere, cum fratre occiſus eſt. Oroſ. *l.* 7. Proſp. Marcell. & Idacius, *in Chr. Olympiodor.* &c.

JOVINUS, Coſ. cum Lupicino A. U. C. 1120.

JOVIS Cœnatio: nomen loci, apud Capitolin. *in Pertin. Supervenêrunt autem Pertinaci, quum ille aulicum famulitium ordinaret, ingreſſique porticus Palatii, uſque ad locum, qui appellatur Sicilia & Jovis cœnatio.* Vide Caſaub. *ibi*, & infrà in voce *Zeta.*

JOVIS Corinthus, vide *Corinthus Jovis.*

JOVIS Dies, ſ. Feria 5. ſeptimanæ, inter Chriſtianos olim celebris, vide Macros Fratres in voce *Jejunium*, ut & ſuprà, in voce *Hebdomas.* Viduarum nuptiis maximè idoneam fuiſſe apud Hebræos habitam, dicemus infrà in voce *Vidua.*

JOVIS Epulum in *Kal. Ruſtico* Rom. incidit in ipſas Idus Novembris uti patet ex *Faſtis Kalendaribus*, qui *Epulum Indictum* vocant. Quid autem fuerit & unde dictum, patebit ex iis, quæ de *Epulonibus* ſuprà. His enim poteſtatem datam epulas indicendi Jovi, ceteriſque Diis, ibi vidimus. Anniverſarium id fuiſſe, docet Arnob. *adv. Gentes l. ult. Jovis epulum cras eſt. Jupiter enim cœnat, magniſque implendus eſt dapibus, jamdudum media geſtiens, & anniverſariâ interjectione jejunus:* ubi Stewech. vide.

JOVIS Fanum, Lydiæ urbs. Ptol. Item; locus Portugall. apud Terranum opp. Eborenſis Diœc.

JOVIS Fons, in Dodone, qui meridie ſemper deficit. Plin. *l.* 2. *c.* 103. Vide *Anapauomenos.*

JOVIS Hammonis fons, in Marmarica, apud Hammonis Orac. idem patiens cum Jovis fonte in Epiro. *Idem ibid.*

JOVIS Indigetis lucus, in Latio inter Ardeam & Antium, Idem *l.* 3. *c.* 5.

JOVIS Mons, mons Hiſp. Tarr. in ora apud Barcinonem urb. ad Occ. ubi Hiſpani haud pridem arcem excitare voluêrunt, Ptol. *Monjui* Varretio. Nunc *Monjuic. Baudr.*

JOVIS Nicephori Fanum, vide infrà *Nicephori Jovis Fanum.* Cæterum *Joupater* primò, dein *Jovis Pater*, tandem *Jupiter*, dictum eſſe, habes apud Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 600. Nempe ex Græco Ζεὺς, Æolicè Ζεῦς, inſerto digamnia Ζεϝὺς, factum eſſe Latinum *Jovis*, atque hinc *Joupater*, pro *Jovis pater*, uti *Jouglans*, pro *Jovis glans*, dictum ait.

JOVIS Prom. in Taprobana inſ. *Ptol.*

JOVIS Pullus, vide *Fabius Ambuſtus.*

JOVIS Satellites, vide *Planeta.*

JOVIS Servatoris portus, ad Argolicum ſinum. *Ptol.*

JOVIS Templum, in Macedonia, ad oſtium Bephyri fluv.

JOVIS Villa, vulgò JOINVILLE, à templo & cultu Jovis olim dicta: locus nunc eſt Galliæ, cum tit. Princip. inter Calvum Montem & opp. S. Deſiderii, pontem habens Matronæ impoſitum. Dominum olim habuit Joh. rebus geſtis ac ſcriptis celebrem: qui Lud. IX. in Orientem comes, librum de ejus vita ſcripſit. Nunc ſub Principe eſt, ex fam. Lotharingica. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

JOVIS Urii Fanum, Arriano ad Boſph. Thracium deſcribitur. Hodiè arx eſt, quam Græci *Hieron.* appellant, teſte *Gyllio.*

JOVIUS Paulus, vide *Paulus.*

JOYESIA Fam. inter Galliæ illuſtres, Gall. *Ioyeuſe* Lotharingicæ ramus eſt ſicut fam. Movia (*de Mony*) Guiſia (*de Guiſe*) Ellebovia (*d'Elbeuf*) Harcurtia (*de Harcourt*) & Capruſſa (*de Cheuvreuſe*) quæ omnes in Gallia ſedem fixêrunt. Et quidem *Ioyeſios* ſ. *Iouſanos* quod attinet. Ioh. *de Ioyeuſe*, Dn. *de S. Sauveur*, ex Franciſca filia Ioh. *de Voiſins* Baron. *d'Arques*, pater fuit Gulielmi Vicecom. *de Ioyeuſe* ſ. Gaudioſæ; qui Obiit A. C. 1592. Eo & Mariâ de *Baſtarnay* (filiâ Franciſci Com. *de Bouchage*) nat. Henr. Dux *de Ioyenſe*, Extinctus eſt A. C. 1608. Pater ex Catharina Nogareta *de la Valette*, Henricæ Catharinæ *Iouſana*, quæ nupta Car. de Lotharingia Duci Guiſæ (filio Henrici, nepoti Franciſci, pronepoti Claudii, Extincto A. C. 1640. (Deceſſit A. C. 1656. ſuſcepto filio Lud. de Lotharingia Princ.) de Ioinvilla, qui Fato Functus eſt A. C. 1654. Pater, ex Franciſca Maria Valeſia Duc. Engoliſmenſi, Ioſephi Lud. Duc. Guiſæ, Gaudioſæ (ſ. *de Ioyeuſe*) *d'Angouleſme*, Princ. Ioinvillæ &c. qui natus A. C. 1650. Obiit A. C. 1670. relicto, ex Iſabella Aurelianenſi, ductâ A. C. 1667. N. N. de Lotharingia, Duce Guiſiæ. Phil. Iac. Spener. *Theatro Nobil. Europ. Part. III. p.* 78. & 88.

IOYESIUS Franciſcus, vide *Franciſcus.*

IOZABAD, nomen ſervi Ioas Regis, à quo occiſus eſt ipſe Ioas. 2. Reg. *c.* 12. *v.* 22. 1. Par. *c.* 26. *v.* 4. 2. Par. *c.* 17. *v.* 18. & *c.* 24. *v.* 26.

IOZABAD, vel IOZABETH, Princeps militiæ. 1. Par. *c.* 12. *v.* 20. Eſdr. *c.* 10. *v.* 22. Nehem. *c.* 8. *v.* 8. *& c.* 11. *v.* 16. 2. Par. *c.* 31. *v.* 13. *& c.* 35. *v.* 9.

IOZACHAR, fil. Semaar. 2. Reg. *c.* 12. *v.* 22. 2. Par. *c.* 24. *v.* 25.

IOZARUS, ſummus Sacerdos, A. C. 11.

IPA, urbs à Roboamo ædificata. Ioſeph. *Antiqq. l.* 8. *c.* 3.

IPANA, urbs circa Carthaginem. *Steph.*

IPASTURGI, opp. Hiſp. Plin. *l.* 3. *c.* 1.

IPHERÆUS, 13. Aſſyriorum Rex poſt Mancelæum, regnavit, ab A. M. 2446. uſque ad A. M. 2465. Auguſt. *de Civ. Dei. l.* 18. *c.* 8. Saphres vocatur, & 14. Rex conſtituitur. Euſeb. *in Chron.* Torniel. *Ann. SS.*

IPHIADAS, in Abydo, alterius ſodalitatis Princeps. Nam cùm ibi ſodalitates eſſent multæ, Oligarchici metu illarum, ne quid adverſus Remp. attentarent, militem conductitium aſcivêre, tandemque ab eo oppreſſi fuêre.

IPHIANASSA, Iphinoe, & Lyſippe, filiæ Proeti Argivorum Regis, quæ cùm ad Iunonis templum veniſſent, Deam contumeliis affecêrunt, patris ſui domum, divitiis templi Iunonis, vel ut alii ferunt, formam ſuam Deæ pulchritudini præferentes, proin à Iunone in furorem verſæ ſunt. Vide *Prœtides.* Item *Iphianaſſa* ponitur pro *Iphigeniâ*; Lucret. *de Rer. Nat. l.* 1. *v.* 84. & ſeqq.

Aulide quo pacto Triviai Virginis arma,
Iphianaſſai *turpârunt ſanguine fœdè,*
Ductores Danaûm delecti, prima virorum.

Nic. Lloyd.

IPHIASTÆ, gens Acamantidis tribûs. *Heſych.*

IPHICLUS, vel IPHICLES, fil. Amphitryonis, ex Alcmena eodem cum Hercule partu editus, quamvis diverſo ex patre. Hic, cùm Iuno novercali odio concitata Herculi angues duos imiſiſſet, tanto perculſus eſt timore, ut de cunis decidens vagitu ſuo parentes excitârit: qui cùm repentè ſurrexiſſent, vidêrunt Herculem duos miræ magnitudinis angues manibus elidentem. Vide Theocr. *in Heracliſco.*

IPHICLUS, Philaci & Clymenes fil. tantæ agilitatis, ut ſuper frugis ariſtas ſine offenſa curreret, Quidam & immunem ſuper maris aquam inceſſiſſe produnt.

IPHICRATES, *C. Nep. in Iphicrate* 11. *c.* 1. *Vir Athenienſis, non tam magnitudine rerum geſtarum, quam diſciplinâ militari nobilitatus.* Bellum Thracibus intulit, Seuthem ſocium Athenienſium reſtituit, Lacedæmonios aggreſſus eſt, ubique prudentiæ fortitudiniſque laudes meritus. Plutarch. *in apophth.* ubi narrat, inter alia, Iphicratem, objicienti ſibi generis vilitatem, reſpondiſſe, *Ego primus ſtirpis meæ, tu tuæ ultimus es.* Iuſtin. *l.* 6. *c.* 5. Xenoph. *Hiſt. Gr. l.* 5. *& ſeqq.* Item ſculptor nobilis apud Athenienſes, Strabo *l.* 8. *p.* 389. Plin. *l.* 34. *c.* 8. *Ejus Leæna laudatur. Scortum hæc lyræ cantu familiare Harmodio & Ariſtogitoni, conſilia eorum, de Tyrannicidio uſque ad mortem excruciata tyrannis non prodidit. Quamobrem Athenienſes & honorem habere ei volentes, nec tamen ſcortum celebrâſſe, animal nominis ejus fecêre: atque ut intelligeretur cauſa honoris, in opere linguam addi ab Artifice vetuêrunt.* De *Iphicrate*, Athenienſium nobiliſſimo Duce, jam diximus. Hinc *Iphicratides*, calceamenti genus: quemadmodum & *Alcibiadæ*, quòd illi iſtiuſmodi calceamentis uterentur, dictæ, B. Balduin. *de Calceo.* Et *Iphicratenſes*, milites à Duce ita appellati; qui non minùs apud Græcos, ac Fabiani apud Rom. ſumma in laude fuêrunt, C. Nep. *d. l.* Vide quoque ad *Stat.* ubi de peltarum uſu ab eodem in Græciam invecto *Part. III.*

IPHICRATES, Curt. *l.* 3. *c.* 13. *Inter Athenienſes genere famoque longè clariſſimus.* à civibus ſuis violatâ ſocietate, quam cum Alex. Mag. fecerant, ad Darium miſſus & proditâ Damaſco à Parmenione captus cum reliquis duobus collegis.

IPHIDAMUS, Antenoris fil. ab Agamemnone in bello Trojano interemptus. Hom. *Il.* 11.

IPHIGENIA, Agamemnonis & Clytæmneſtræ filia, de qua fabulam hujuſmodi, occaſione ex filiæ Jephthæ, in ſacris Hiſtoriâ ſine dubio petitâ, comminiſcuntur Poëtæ. Cùm Agamemnon in Aulide cervum Dianæ imprudens occidiſſet, Dea indignata, contrariis flatibus Græcorum navigationem eſt remorata. Qua de re cùm vates conſulerentur, reſponſum eſt, Agamemnonio ſanguine Deam eſſe placandam; miſſus igitur Ulyſſes, Ovid. Æn. *l.* 12. *v.* 28. Iphiheniam aſtu à matre abduxit, Achilli eam nuptu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

hupturam ſimulans, cumque jam immolanda eſſet, Dea ejus miſerta, cervum pro ea ſuppoſuit, virginem autem in Tauricam regionem tranſtulit, ubi à Thoante Rege ejus Deæ ſacris præfecta eſt, quæ humano ſanguine fieri ſolebant. Quò cum poſtea Oreſtes furiis agitatus veniſſet, jamque eſſet immolandus, à ſorore agnitus & liberatus eſt: cum qua non multo pòſt, occiſo Thoante Rege, aufugit, ablato ſecum Dianæ ſimulacro, in lignorum faſce abſcondito (propter quod illam *Faſcelidem* vocârunt) quod, cùm in Italiam veniſſent, in Aricino nemore collocârunt. Ovid. *Met. l.* 12. *v.* 31.

Flentibus ante aram ſtetit Iphigenia *miniſtris:*

Prop. *l.* 3. *Eleg.* 7. *v.* 23.

Hoc juvene admiſſo claſſem non ſolvit Atrides,
Pro qua mactata eſt Iphigenia *mora.*

Sequitur eorum opinionem, qui mactatam volunt Iphigeniam Ut Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 116.

Sanguine placaſtis ventos & virgine caſâ.

Prop. *l.* 4. *Eleg.* 1. *v.* 111.

Idem Agamemnoniæ ferrum cervice puellæ
Tinxit, & Atrides vela cruenta dedit.

Alii cervam ejus loco mactatam aſſerunt. Ovid. *Met. l.* 12. *v.* 34.

Suppoſitâ fertur mutâſſe Mycenida cervâ.

Idem *Triſt. l.* 4. *Eleg.* 4. *v.* 67.

Hic pro ſuppoſitâ virgo Pelopia cervâ.

Iuv. *Sat.* 12. *l.* 4. *v.* 118. & ſeqq.

——— *Et ſi qua eſt nubilis illi*
Iphigenia *domi, dabit hanc altaribus, etſi*
Non ſperat tragicæ furtiva piacula cervæ.

Mart. *l.* 3. *Epigr.* 89. cujus epigraphe de Miſitio.

Suppoſitam fama eſt quondam pro Virgine cervam.

Nic. Lloyd. vide ſuprà *Jephthe.* Ovid. de Ponto, *l.* 3. *Eleg.* 2. *v.* 52. Inter Timanthi pictoris opera celebris olim fuit. Plin. *l.* 34. *c.* 8. *Iphigenia oratorum laudibus celebrata, quâ ſtante ad aras periturâ, cùm mœſtos pinxiſſet omnes, præcipuè patruum, cùm triſtitiæ omnem imaginem conſumpſiſſet, patris ipſius vultum velavit, quem dignè non poterat oſtendere,* Sed & à Timomacho cum laude pictam, idem habet *c. ſeq.*

IPHIMEDIA, uxor Aloei, quæ compreſſa à Neptuno filios geminos peperit. Vide *Aloidæ.*

IPHINOE, una ex præcipuis mulieribus Lemniis, quæ auctores exſtitêrunt, viros, ab expeditione Thracica reduces, trucidandi. Val. Flacc. *Argon. l.* 2. *v.* 163.

IPHINOE, vide IPHIANASSA.

IPHINOUS, unus ex Centauris. Ovid. *Met. l.* 12. *v.* 210.

IPHIS, in Argivorum regno Alectori patri ſucceſſit: eum excepit Elcortus. Apollod. *Biblioth. l.* 2. Vide ſuprà *Alector.*

IPHIS, Mercurii fil. Argonautarum unus. Is in bello, quod Æëtes contra fratrem geſſit, occubuit. Val. Flacc. *Argon. l.* 1. *v.* 442. & ſeqq.

Sed non, Iphi, *tuis Argo reditura lacertis;*
Heu celerem Scythicâ te mœſta relinquet arenâ,
Ceſſantemque tuo lugebit in ordine remum.

IPHIS, puer formæ venuſtate conſpicuus, qui cùm Anaxareten puellam impotenter adamaret, neque illa ejus amori reſpondiſſet, impatientiâ repulſæ vitam laqueo finivit; cumque jam ad ſepulturam efferretur: Anaxarete è feneſtra proſpiciens, immotiſque oculis funus aſpiciens in ſaxum mutata eſt. Ovid. *Met. l.* 14. *v.* 701. & 709.

IPHIS, puella quædam Cretenſis, ex Phæſto opp. Lygdi & Theletuſæ filia, ipſo nuptiarum die in marem mutata. Nam cùm Lygdus uxorem gravidam eſſe animadverteret; peregrè proficiſcens, in mandatis ei reliquit, ut ſi filiam pareret; exponi eam curaret. Idque cùm ita eveniſſet, anxia Telethuſa, quòd neque naturæ legem, quæ liberis nobis nihil charius eſſe voluit, neque mariti juſſa auderet prævaricari, mediam viam delegit, quâ & pietatis fines non prætergrederetur, & viri indignationem evitaret. Simulat itaque marem ſe peperiſſe, habituque virilem mentitur ſexum, nomenque Iphidis imponit, mari feminæque commune. Verùm cùm jam adoleviſſet, paterque puellam Ianthem ei deſpondiſſet, Telethuſa animadvertens rem diutiùs celari non poſſe, Iſidis opem imploravit, quæ præcibus ejus exauditis, Iphidem in marem commutavit. Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 768. 809. 824. 885. 894. & 897.

IPHISTIADÆ, Athenienſium gens. *Heſych.*

IPHITHEA, mater Orphes, Lycus, & Caryæ, ex Dione, Lycaoniæ Rege, Serv. *ad Ecl.* 8. *Virg.*

IPHITUS, Euryti Oechaliæ Regis fil. quem Hercules, occiſo patre, è turri præcipitavit. Item Vir Trojanus. Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 435.

——— *Divellimur inde*
Iphitus, *& Pelias mecum.*

IPHITUS, Naubuli fil. Hippaſi nepos, Rex Elidis, Argonautarum unus. Val. Flacc. *Argon. l.* 1. *v.* 363. Hic certamen Olympiacum, quod Hercules in honorem atavi materni Pelopis ediderat, inſtauravit, poſt excidium Trojæ A. 480. Quidam Praxonidis vel Hæmonis filium faciunt. Alii Annum celeberrimæ hujus Epochæ, antequam Varro nihil niſi fabulas & caliginem in Hiſtoriis Græcorum deprehendit, ſtatuunt fuiſſe A. M. 3278. Periodi Iuliani 3938. à capta Troja, 409. A. U. C. 22. A. C. N. 776. Quo Æſchylus Archon Athenis erat. vide Scalig. *de Emend. Temp. l.* 1. Petav. *de Doct. Temp. l.* 9. *à c.* 37. *ad* 44. *& in Ration. temp. P.* 2. *l.* 1. *c.* 11. *& l.* 3. *c.* 11. &c. Nic. Lloyd. Ejus ſocios fuiſſe Lycurgum Spartanum & Cleoſthenem Piſæum; qui ἐκεχειρίᾳ, *induciis,* Peloponneſi urbibus indictis, ex Oraculi reſponſo, Ludos Olympios inſtauraverint, docet Phlegon Trallianus *Fragm.* & Pauſ. *Eliacis,* ubi hac de re fusè. Ioh. Marsham. id factum vult Æræ Atticæ 699. Per. Iul. 3830. Anno 108. ante *Olympiadem primam vulgarem,* Corœbi viz. quæ in Chronologorum uſum quare recepta fuerit, *verâ,* h. e. *Iphiteâ,* neglectâ; ſuprà vidimus, *in eo.* Vellejus *eos ludos mercatumque inſtituiſſe Iphitum, ante Annos quàm M. Vinicius Conſulatum iniret* DCCCCIV. tradit *l.* 1. ad quem locum vide præf. Marsham. *Canone Chron. Sec.* XV. ubi *de utraque Olympiadum Epocha. Iphitea* præprimis. Ex Oxyli Regis poſteris hunc Iphitum fuiſſe, dicemus infrà ubi *de Oxylo.*

IPNUS, quam aliqui *Ipneam* vocant, urbs Locrorum Ozolorum. Steph. Item parva regio in Samo, ubi Junonis *Ipnuntidis* templum erat. *Steph.*

IPORCENSE Municip, Morali *Conſtantina,* opp. Hiſp. Bæt, in Vandaliæ & Extremaduræ conf. in Turdulis & Bæturia inter Hiſpalim 14. & Elerenam, opp. Extremad. 5. leuc.

IPORUS, vide HIPPARIS.

IPPA, Mauritaniæ Cæſarienſis opp. *Ptol.*

IPPOLEUM, prom. Scythiæ Eur. inter oſtia Hypanis & Boryſthenis: in quo templum Cereris erat.

IPPYLUS, ſenis Athenienſis nomen, Ariſtoph. *Crabr.*

IPRA, peroptimum caſtellum Flandriæ dicta Sugerio, *in Lud. Craſſo:* ab Ipra fluv. qui *Ipere* vulgò dicitur, & in Oceanum Brit. devolvitur, nomen accepit. Sedes Epiſcopatus facta eſt à Paulo IV. A. C. 1559. De hac Vilhelmus Britto *Philipp. l.* 9.

Ipra *colorandis gens prudentiſſima lanis.*

Vide *Hypra.*

IPSE, Gr. Αὐτὸς, honorifica olim appellatio fuit, non profanis tantum Scriptoribus in uſu, unde notum illud de Pythagora, Αὐτὸς ἔφα, *Ipſe dixit:* verum etiam ſacris; ut adeò non niſi præſtantiſſimis Sapientiæ Præſtitibus tribueretur: ita enim faciliùs doctrinæ ſuæ fidem, ſibi auctoritatem comparabant. Vide Cic. *de Nat. Deor. l.* 1. Quintilian *l.* 11. *c.* 1. Clem. Alex. *l.* 2. *Strom.* Georg. Horn. *Hiſt. Phil. l.* 7. *c.* 12. &c. Imò ipſius Dei hoc nomen eſſe, colligitur ex Hebr. *c.* 1. *v.* 12. Καὶ ὡσεὶ περιβόλαιον ἑλίξεις αὐτοὺς καὶ ἀλλαγήσονται, σὺ δὲ Ὁ ΑΥΤΟΣ εἶ, καὶ τὰ ἔτη σου οὐκ ἐκλείψουσι. *Ipſi* (nempe Cœli) *peribunt,* &c. & paulò pòſt: *Ac velut amictum circumvolves eos & mutabuntur, tu autem* ipſe *es, & anni tui non deficient.* Vide plura de vi ſingulari hujus vocis apud Ioh. Gebhard. *Curarum Juvenil. l.* 1. *c.* 9.

IPSICURI, Liguriæ pop. qui & *Arbazani. Steph.*

IPUSCOA, pars Biſcajæ, antea regni Navarræ. Ibi aliàs erant Varduli & Cariſti pop. Habet ad Bor. Oceanum Cantabr. ad Occ. Biſcajam veram, ad Auſtr. Alavam prov. ad Ort. Navarram, cum modica parte Galliæ; Vulgò *Guipuſcoas* Urbes præc. ſunt Toloſa, Placentia, Fanum S. Sebaſtiani, & Fons rapidus ſ. Fontarabia, vulgò *Fuenteravia.* Dignæ memoratu Biſcaja & Guipuſcoa, ob tenacem veteris Cantabrorum linguæ cuſtodiam. Ad eaſdem Molina pertinet, unde *Dominus Molinæ,* inter titulos Hiſp. Regis.

IRA, nomen Sacerdotis 2. Sam. *c.* 20. *v.* 26. Fil. Acces Thecuites. 1. Par. *c.* 11. *v.* 28.

IRA, inter Gentilium Numina. Stat. *Theb. l.* 2. *v.* 286. & ſeqq.

Non hoc Paſithea, blandarum prima ſororum,
Non Decor. Idaliuſque puer; ſed Luctus & Iræ,
Et Dolor, & totâ preſſit Diſcordia dextrâ.

Ejus barbarus geſtus, indigitatur eidem *l.* 6. *v.* 787.

Dentibus horrendum ſtridens ———

de quo vide Caſp. Barthium, *ad Manlium Claud.* Qualem reddat cultorem ſui. Idem exponit *Theb. l.* 11. *v.* 497.

Tunc verò accenſæ ſtimulis majoribus iræ:
Arma placent ———

Ubi ſtimulos ipſi affingit, ut & Virg. *Æn. l.* 11. *v.* 452.

——— *arrectæ ſtimulis haud mollibus* iræ.

Idem ibid. *v.* 728.

——— *ſtimulis haud mollibus incitat* iras.

Et certè, *vet. eſt apud nos pictura, ait* Barthius *ad h. l. Statii, ubi, repræſentatis Inferis, iracundum hominem quatuor dæmones in pœnam facilè motæ apud Superos iræ diſſimulant,* vide eum *ad eund. Poëtam paſſim,* inter alia *ad l.* 4. *Sylv.* 9. *v.* 53. ubi, *Iraſcor tibi,* ſummæ familiaritatis eſſe allocutionem, namque & Plin. ſic ordiri *Epiſt.* 2. *l.* 2. & Catullum eodem modo alloqui Cornificium *Carm.* 38. *v.* 4. notat. Quòd vero androdamante lapide *Iracundiam* domari, Plin. habet *l.* 37. *c.* 10. Magicum eſt. De more Vett. coronas in *Ira* cum cæteris ornamentis abjiciendi. Vide C. Paſchal. *Coron. l.* 1. *c.* 9. de voce *iratorum,* cùm expu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

expugnari ſe patiuntur, infrà in verbo *Vincere:* adde quæ de *Ira* Voſſ. ſuggerit *de ort. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 36. & 62.

IRAD, fil. Enoch. Gen. *c.* 4. *v.* 18.

IRAI, fil. Bela, filii Benjamin. 1. Par. *c.* 7. *v.* 7.

IRASA, Græcè Ἴρασα nomen loci apud Herod. *l.* 4. *c.* 116. locus Libyæ eſt, in quem Battus I. poſtquam in loco Ἀζίριος dicto (de quo ſuprà) ſex Annis habitâſſet, ſeptimo Anno tranſiit. Erat ibi Fons Apollinis; indigenis Κυρῆ dictus, unde poſtea urbi à Batto conditæ *Cyrenes* nomen. Vide Joh. Marsham. *Canone Chron. Sec. XVII.*

IRATH, Cæſarienſis Mauritaniæ opp. *Ptol.*

IRATUS & PACATUS, in tabb. Feudorum, quæ *Jurabilia* ſ. *Reddibilia* vocant, denotant vaſſallum teneri domino ſuo reddere caſtrum, ſive invicem diſſentiant ac litigent, ſive non. Vide C. du Freſne *Diſſertat.* 30. *ad Joinvillam.*

IRECOS, Hiſp. urbs, Herculi grata. *Vib. Sequ.*

IREDÆ, vicus in tribu Acamantide. *Steph.*

IRENÆUM, monaſter. in ora Bithyniæ. *Acæmetum* Euagrio. Ad fauces eſt maris Euxini, Byzantio & Chalcedoni proximum.

Epiſcopi & Viri Illuſtres.

IRENÆUS, Ep. Lugd. diſcip. Polycarpi, ab ipſo in Galliam miſſus, Potino ſucceſſit: Poſtquam contra Montanum, licitum uſum omnis creaturæ ad cibum idoneæ, aſſeruit: Romæque cum Valentino, diſcipuliſque ejus Florino & Blaſto diſputavit, paulo poſt ſcripto quoque contra illos edito. Præfuit Eccl. ſuæ, ſub Principibus Idololatricis, magno cum zelo, duabus Synodis habitis, priore contra hæreticos, alterâ contra Quatuordecimanos. Hinc ab Aſiæ Præſulibus, & Victore Ep. Rom. excommunicatus: Sub Severo, in fideles Lugdunenſes immaniter ſæviente, martyrio coronatus eſt. A. C. 201. Opera ejus Eraſmus, Franc. Fevardentius, Pariſiis A. C. 1575. & Colon. A. C. 1596. &c. edidêrunt. Tertullian. *c. Valent.* Euſeb. *l.* 5. *Hiſt. & in Chron.* Baſil. *l. de Spir. S. c.* 29. Epiphan. *in Panar. hær.* 31. Theodoret. *dial.* 1. Hier. *in Cat. c.* 35. *Ep.* 29. *ad Theod. in c.* 36. *Ezech. in c.* 64. *Eſaiæ.* Aug. 1. *c. Julian.* Greg. Turon. *l.* 1. *Hiſt. c.* 27. & *l.* 1. *de gl. Mart. c.* 5. Ioh. Damaſ. *in Parall.* Photius *cod.* 120. Sixtus Sen. *Bibl. l.* 4. &c.

IRENÆUS, Comes, tempore Theodoſii Iun. ab hoc ad Conc. Epheſinum miſſus, protector Neſtorii fuit. Dein à Theodoreto Ep. Tyri ordinatus, inde tum, quòd Neſtorianus, tum quòd bigamus, pulſus eſt. Item, Ep. Cæſareæ, A. C. 454. interfuit Synodo à Iuvenali Hieroſolymis celebratæ. Theodoret. *Ep.* 110. *ad Domn. Antioch.* Baron. A. C. 431. 448. & 454.

IRENARCHA, Græce Εἰρηνάρχης, h. e. *Princeps Pacis*, cognomen Domini noſtri convenientiſſimum, apud Mich. Syncellum. Idem nomen fuit Magiſtratui militari, qui ad id conſtituti erant, ut *provincialium tutelâ ſusceptâ, quietis & pacis per ſingula territoria concordiam ſtare facerent*, ut eſt in *l.* 7. *Cod. Theodoſ. de Irenarcha* ad quam vide Iac. Gothofred. abrogati poſtmodum à Theodoſio & Honorio Impp. quòd auctoritate ſuâ robuſti publicam quietem turbarent potiùs, quàm procurarent: ſed reſtituti à Iuſtiniano. Vide Macros Fratres *in Hierol.* & Ioh. Calvin. *Lexic. Jurid.* adde Briſſon. *de verb. ſignif. l.* 9. & Meurſ. *in Gloſſ.*

IRENE, uxor Leonis IV. ex eo Conſtantini VII. Imp. mater, imperavit cum filio Annis 9. A. C. 783. Irene & Conſtantinus Synodum in Nicæa urbe 301. Epiſcoporum celebrârunt, in qua Sanctorum imagines ſunt reſtitutæ. Blond. Conſtantinus jam adultus, matrem haud amplius paſſus, imperio dejecit, in ordinem redegit, & ſolus regnavit Annis 7. Irene autem hanc repulſam ægrè ferens, filium dolo captum, effoſſis oculis conjecit in carcerem, in quo exhalavit animam, A. C. 798. Sole per 17. dies, Conſtantinopoli, Eclipſi obſcurâto, Theophan. *in Ann.* Tum imperavit ſola An. 5. donec A. C. 802. ſub Nicephoro Mitylenem relegata, eo ipſo tempore, quo Car. Mag. vanâ nuptiarum ſpe lactabat, ibi paulò pòſt Obiit. Cedren. *in Compend.* Crantz. *l.* 1. *c.* 15. *Metrop.* Zonaras, *tom.* 3.

IRENE, inſ. vide *Calauria.*

IRENE, Cratini pictoris filia, & ipſa in hac arte celebris evaſit: inter cujus opera *puellam, quæ eſt Eleuſine*, memorat Plin. *l.* 35. *c.* 11. Item virgo captiva, quam cum Muhamedes II. CPoli expugnatâ, deperiret, atque inde malè apud ſuos audire inciperet, à Muſtapha quoque liberiùs increpitus, cultu ſuperbiſſimo adornatam, in concionem produxit, ibique, expoſitâ omnium oculis ejus formâ, ac verbis etiam dilaudatâ, ut ſe virum probaret adverſùs omnes affectus fortem, prehensâ miſellæ comâ, mox caput illi acinace deſecuit. Vide Caſaub. *ad Tib. Claud. Suet. c.* 34. De voce vero Græca Εἰρήνη *Pax*, & hinc ortis, Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* ut & infrà ſuo loco.

IRENOPOLIS, urbs Epiſcopal. probe Babylonem, ſub Patr. Antiocheno. *Ferrar.*

IRENOPOLIS, Ciliciæ urbs Epiſcopal ſub Archiep. olim Seleucienſi, dein Anazarbenſi. Ptol. Poſtea *Neronias*, ad Sarum fluv. ad rad. montis Tauri Cilicii, media inter Tarſum ad Auſtr. & Cocuſum ad Bor. 60. mill. ab Anazarbo in Occ. Item urbs Babyloniæ Epiſcopal. ſub Patr. Antiocheno. Vide ſuprà.

IRESIA & *Agelaſtos*, duæ rupes, prope urbem Eleuſinem. Vide Schol. *in Ariſtoph. Eq.*

IRESIONE, Græcè Εἰρεσιώνη, quid ſit, exponit Scholiaſt. *ad illud Stat. Theb. l.* 12. *v.* 492.

——— *Supplicis arbor oliva.*

Cùm ait, *per quam pax petitur ſupplicando. Et in ſecundo diximus hanc ab Athenienſibus εἰρεσιώνην dici, à Græcis autem reliquis ἱκετηρίαν. Supplici autem oliva, non quòd ipſa ſit ſupplex, ſed quòd omnes qui rogant, hac ſuppliciter utantur.* Uti verba ejus emendavit L. Cœlius Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 12. *c.* 19. ſequutus Joh. Bapt. Pium *Annotat. Poſt. c.* 75. Vide quoque Jac. Nicol. Loënſem *Miſcell. l.* 4. *c.* 10. & ſuprà, in voce *Eireſione*, item infrà in voce *Oſanna*, ut & *Pancarpum*, ac ubi de *Satione*, & *Tabernaculorum feſto.*

IRIA, Lombardiæ Ciſpadanæ opp. præclarum, *Voghera Leandro.*

IRIA, fluv. Liguriæ, ex Apennino monte, apud Antiliam & Dertonam & Caſtrum novum, cujus mœnia disjecit, fluens, ac in Padum, poſt 5. mill. paſſ. labens. Vulgò *la Scrivia*, amnis Neocaſtrenſibus admodum pernicioſus, Ferrar. Jornandes, & *Diacon.*

IRIA Flavia, Hiſp. Tarracon. urbs, Ptol. *El Padron* teſte Mor. Urbs fuit Gallaicorum Lucenſium, ad Ullam amnem. Nunc opp. parv. Gallæciæ, 6. leuc. Hiſp. ab ora Oceani in Ort. 4. à Compoſtella in Auſtr. Baudr. Epiſcopal. eſt ſub Archiep. Bracarenſi. *Iria* etiam Taurinorum urbs Ptol. *Titia* Plin. *l.* 3. *c.* 5. hodiè *Sartyrana.*

IRINEUS, Lugd. Ep. vir doctiſſimus, cujus extant opera, A. C. 179. Euſeb. *l.* 5. *c.* 5. Vide *Irenæus.*

IRINGUS, Avarorum Dux, ab Henr. Forojulianorum Duce ſuperatus & exſpoliatus inæſtimabili prædâ.

IRIS, Soror Harpyarum, Thaumantis filia, ex Electra, quam poëtæ Junonis nunciam faciunt, h. e. aëris. Eſt autem revera arcus cœleſtis, pluviæ plerunque prænuncia. Unde poëtis ὑετόμαντις dicitur, ut ait Olympiod. *Meteor. l.* 3. Plaut. *in Curcul. Act.* 1. *Sc.* 2. *v.* 41.

——— *Ecce autem bibit* arcus, *pluet*
Credo hercle hodiè. ———

Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 380.

——— *Et bibet ingens.*
Arcus. ——— ———

Quod de loco Sen. *Nat. Qu. l.* 1. *c.* 6. Prop. *l.* 3. *Eleg.* 5. *v.* 32.

Purpureus pluvias cur bibit arcus *aquas.*

Tibull. *l.* 1. *Eleg.* 4. *v.* 38.

Venturam admittat imbrifer arcus *aquam.*

Mart. *l.* 12. *Epigr.* 29. *v.* 6. cujus Epigraphe de Hermogene fure.

Caſuras altè ſic rapit Iris *aquas.*

Ac ne poëtis inſiſtam, Vitruv. *l.* 9. *c.* 4. *Per calorem videmus non minus aqua evapores à fontibus ad nubes per* arcus *excitari.* Vide Voſſ. *de Theologia Gent. l.* 3. *c.* 14. Nobis autem Chriſtianis, ut & olim Judæis, aliud Iris ſignificat, de quo Moſes Gen. *c.* 9. *v.* 13. *Arcum meum poſui in nubibus, qui erit in ſignum fœderis*, &c. Quod etiam obſcurè innuit Hom. *Il.* λ.

——— Ἴρισσιν ἐοικότες ἅς τε Κρονίων
Ἐν νέφεϊ στήριξε τέρας μερόπων ἀνθρώπων.

Et *Iliad.* ρ.

Ἠΰτε πορφυρέην Ἶριν θνητοῖσι τανύσσῃ
Ζεὺς ἐξ οὐρανόθεν τέρας ἔμμεναι ἀνθρώποισι.

Eruditè de *Iride* Amm. Marcell. *l.* 20. *c.* 11. *Nic. Lloyd.*

IRIS, fluv. min. Aſiæ. Oritur in Cappadocia, & in conf. Armeniæ min. ſupra Sebaſtiam, dein prope Comanam Ponticam Varum fluv. recipit, uti & Ceraunum. Hinc juxta Amaſiam labitur, & auctus Lyco fluv. aliiſque in Pontum Euxinum ſe exonerat, inter Themiſcyram ad Ort. & Amiſum ad Occ. 25. utrinque mill. Nunc *Caſalmach* incolis. Baudr. Plin. *l.* 6. *c.* 2. Val. Flac. *Argon. l.* 5. *v.* 120.

Tranſit Halys, longiſque fluens anfractibus Iris.

L' Irio Nigro. Cum Thermodonte eum conjungit Strabo, *l.* 12. *p.* 556. In quem locum ſi quis commentarium petat, legat quæ ſcribit doctiſſimus Apollonii Scholiaſt. iſta interpretans *l.* 2.

Λεῖπον Ἅλυν ποταμὸν, λεῖπον δ' ἀγχίρροον Ἶριν.

IRIS, equa jugalis, in Admeti curru, apud Stat. *Theb. l.* 6. *v.* 461.

Nominibuſque ciet Pholoen Admetus & Irin
Funalemque Thoën ———

Ubi unus modo funalis duobus jugalibus ſocitatur, qui eſt σειραῖος ἵππος in triga apud Dionyſ. & Veterum παρήορος. Certè trigarum in curuli certamine mentionem quoque habet vet. *Inſcr.* quâ Dioclis palmæ enumerantur. Vide infrà in voce *Triga.*

IRIS herba odoratiſſima, Plin. *l.* 21. *c.* 7. & 11. ubi de illa pluribus, *Colore janthinus & fuſcus, adeò nitens, politus ac fulgens, ut nihil magis. Sena ejus folia, longitudine haud abſimilia liliaceis, in oblongum rotundantur, versùs apicem, figuramque exhibent planè ſingularem, & ad adſpectum multò præclariſſimam, dum ex iis terna argento illuſa, quâ inhærent caliculo, in medium erecta eminent, junguntque latera, invicem connixa, mutuò ut fulciant; terna alia, ternis illis extantibus interjecta recurvaque deorſum, in hemicyclum inflectuntur, cauli, quem extremis adlambunt labris quaſi datura oſculum, aut purpu-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

purpuram oſtentatura, aureis pictam villis & cincinnis criſpam, argentoque vermiculatam, ab uſque medio ad ungues ſingulorum. Denique ſenis illis, terna breviora alia, at ſpiſſiora, in linguam explicantur & candicant; ſurgentibus è medituilio totidem malleolis albentibus, in lanceæ deſinentibus cuſpidem. Eſt & Iris altera, in flammam rutilans, in calathum diffuſa, rubri ſubnigri notis interpuncta. Eſt & alterius figuræ, ab priore non multum abludens; at foliis anguſtioribus & exquiſitiùs ſinuoſis & implicatis, miſturâ colorum pereleganti, dilutioris cœrulei candidique. Franc. Pomey *Diverſ. Deſcript.* De nomine ſic Autor Anon. *Sinæ & Eur. c.* 33. quod eſt *de Floribus*, *Iris hortenſis tam varia & verſicolor, ut, cæleſtem* Iridem *æmulata, colorum verâ ſpecie, coloratum cœli mendacium ſuperet, idemque ſibi decorum jure nomen adſciſcat.* Vide ibidem plura elegantiſſima hanc in rem, adde Salmaſ. *ad Solin. p.* 468. & 1223. ubi de variis *Iridis* ſpeciebus, *Irino* item *unguento*, quod σούσινον nonnullis, varia: de ſuperſtitione Vett. verò, in effodienda *Iride*, vide Plin. ubi ſuprà, ut & hic ubi de *Gladiolo*.

IRIS, gemmæ nomen, apud Plin. *l.* 37. *c.* 9.

IRISCEPTUM, apud eund. *l.* 24. *c.* 13. ubi de aſpalathi cognominibus, *quem alii* Iriſcepton, *alii diatheon, Syri diaxyron vocant*: eſt ex Græco Ἰρίσκηπτον. Sic autem dicebantur loca & frutices, quibus *Iris* innitibatur atque incumbebat, unde odoratiora illa fieri credebantur. Idem *l.* 12. *c.* 24. *Tradunt, in quocunque frutice curvetur arquus cœleſtis, eandem quæ ſit, aſpalatho ſuavitatem odoris exiſtère, ſed in aſpalatho, inenarrabilem quandam*: Ex Theophraſto, ubi, Καὶ γὰρ, inquit, τὸ περὶ τὴν ἶριν λεγόμενον ὡς ὅπου ἂν κατέχῃ ποιεῖ τὰ δένδρα καὶ τὸν τόπον εὐώδη, τοιοῦτόν ἐστι. Sed & de rore, è quò mella ſtipant apes idem *l.* 11. *c.* 11. *Et melle uno alterove die cellas replente ibid. c.* 12. *Venit hoc aëre & maximè ſiderum exortu præcipueque ipſo ad ſummum Sirio explendeſcente fit nec omnino priùs Vergiliarum exortu. Sublucanis temporibus. Itaque tum primâ aurorâ folia arborum melle roſcida inveniuntur*: Ubi *Iri impendente eſt*, ὅταν κατασκήψῃ ἡ Ἶρις. Salmaſ. *ad Solin. p.* 397. & 1020. De admirabili vero hocce meteoro, plura Voſſ. *de Orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 13. & 14. ubi de cultu ejus apud Peruanos, aliquid infra in voce *Serpens*.

IRITIO, vulgò *Heriſon*, vel *Hierſon*, caſtrum fuit vel municipium, in diœc. Laudunenſi: nuperis, inter Gallos & Hiſpanos, bellis dirutum. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

IRLANDIA, vide *Hibernia*, & *Jerne*.

IRLANDUS, Bonaventura, Gallus, in Pictonico Præſidatu Senator JC. celebris: Scripſit *de Emphaſi & Hypoſtaſi* inſignem tractatum, in quo vitium humanæ mentis pro vera ſcientia mendacis opinionis ſpecioſam occaſionem ſæpe arripientis, quæ judicium dein perturbat, detegit. Rigaltius *notis in Phædri l.* 4. *Fab.* 1. *v.* 5. & ſeqq.

Non ſemper ea ſunt, quæ videntur; decipit
Frons prima multos: rara mens intelligit,
Quod inferiore condidit cura angulo.

IRMIN, Saxonibus dicitur Mercurius, qui Germanis *Voda* ſ. *Gota*: Ejus templum cum columna evertit Car. Mag. *Irmin Saul*, ſtatua *Irminis* appellabatur. Apud Reginonem recentiore nomine *Hermanſaul* dicitur. Unde cognoſcas *Irmin* & *Herman* idem apud illos fuiſſe. Græcum autem id nomen planè eſt Mercurii. In gratiam puto Germanorum paſſim etiam Romani, apud eos agentes, Mercurium colebant. Vet. inſcriptio *in* Gallicana Rheni ripa, apud caſtellum *Waſſelburg*: *Deo Mercurio Attegiam Tegulitiam Compoſitam Severinus C. F. Ex Voto poſuit L. L. M.* Ab *Irmine* denique compoſita nomina illa fluxêre in noſtram gentem *Irmingardis*, Lud. uxor: *Irmingarius*, Com. Emporitanus, *Irminfridus*, Rex Turingorum: *Irmingild*, Gothorum Regis cujuſdam fil. MS. Idoli formam & apparatum prolixè deſcribit Munſterus *Coſmogr. l.* 3. *c.* 433. ubi cùm nihil ad Mercurium ſpectans deprehendatur, Henr. Spelmann. *Erminſul*, de columna Martis potius, quàm Mercurii interpretatur: inprimis cùm refugii illa columna fuèrit. Unde ut *Irmin* è Græco Ἑρμῆς Mercurium ſignificat, ita *Er*, inquit ab Ἄρης Martem: *mun* Saxonibus tutelam, profugium, & *Sul*, columnam denotat. Sic *Ersberg* mons, in quo fanum ſtabat, quaſi *Martis mons*, & Mersburgum ubi præcipua cultûs ſedes, quaſi *Martis urbs*, videtur dictum. Vide eum *in Gloſſ. Arch.* Addo, quòd Crantzius *Saxoniæ l.* 3. *c.* 9. *Irminſul*, interpretatur *ſtatuam publicam*, & putat dictam, quaſi *Idermanſul*, i. e. commune præfugium & aſylum omnium ac Martem communem, qui in prælio diu incertus hæret, utri addicere velit victoriam. *Erat* autem, idem ſubdit, *armata toto corpore effigies, cujus in dextra ſignum militare (noſtri vexillum vocant) præferens roſam, cujus breve momentum & facilis ortus & interitus, ita eventus præliorum. In ſiniſtra libram expendit, dubiam pugnantium ſortem facilè huc aut illuc inclinantem. Pectus inerme urſum præferebat, interritum bellatorum animum repræſentans in clypeo leo, qui beſtiis imperitat, invictum ad fortia facta impetum monſtrat, floribus conſito campo, quòd nihil jucundius videri ſolet fortibus, quàm in acie virtutem oſtendere.* Hactenus Crantzius, ſed Autorem non laudat. Aventin. verò de eodem idolo ita commentatur, *Ann. Bojor. l.* 4. ubi de Car. Mag. *Heroburgium, ait, primo impetu cepit. Erat templum Hermionis Saxonibus vetuſtâ religione auguſtiſſimum, quò frequens populus coibat & vota reddebat: Multa ibi opulenta Regum populorumque viſebantur munera, ingens auri argentique ibi copia oſtendebatur ---- Saxones Hermanni ſalam vocabant, i. e. aulam ſive baſilicam Hermanni Hermioniſve. Is fuit quintus Germaniæ magnæ Imp. pronepos Regis Manni, filii Tuiſconis, parentis, & autoris noſtri* &c. Ad quem *Hermionem* videntur ſpectâſſe *Gloſſæ* Henr. Spelmanno laudatæ, *Hirmenſul, coloſſus, altiſſima Herminii columna.* Ubi tamen ab Aventino diſcrepant & hanc vocem *ſul* de *columna* interpretantur: quam etiam ſententiam firmat poëta Saxo *in Car. Mag.* A. C. 772.

Gens eadem coluit ſimulacrum, quod vocitabant
Irmenſul *cujus factura ſimulque columna*
Non operis parvi fuerat, pariterque decoris &c.

apud C. du Freſne in *Gloſſ.* Vide quoque H. Meibom. *l. de Irminſula Saxonica.* Voſſ. *Irminſul*. Saxonum idolum: dubium, utrum Numinis animalis an naturalis. Quorum *ſi prius* ait, *placeat, fuerit Arminii ſtatua —— Sin poſterius; ſit Mercurii vel Martis, non prout ſtellæ ſunt erraticæ: ſed quatenus Martis vel Mercurii vocibus ab Oriente & barbaris ſignari Sol ſolet.* Vide eum *de or. & progr. Idol. l.* 2. *c.* 22.

IRNERIUS Germ. primus Bononiæ jus docuit post Juſtiniani tempora, Gloſſaſque in illud ſcripſit. Autor Lothario, ut libros Jur. Civ. publicè exponi curaret, quod factum, A. C. 1150. Obiit Bononiæ A. C. 1190. Al. *Wernerus*.

IROCI, pop. Canadæ, fœderibus inter ſe ſociati, hoſtes Hutonum & aliorum Novæ Franciæ incolarum. Leſcarbot. *Hiſt. Amer.*

IROMUS, Rex Tyri. Tertull. *in Apol. Iromus Phœnix Tyri Rex.* In Menandri Epheſii fragmentis à Scalig. editis, ubi de Regibus Tyri, Τελευτήσαντος δὲ Ἀβιβάλου διεδέξατο τὴν βασιλείαν ὁ υἱὸς αὐτοῦ Εἴρωμος.

IRON, Cyzicenorum unus, in conflictu nocturno, Argonautis occurrens, cæſus Val. Flacc. *Argon. l.* 3. *v.* 111.

Incurrit ſtrictus manus enſibus, occubat Iron.

IRPEX, raſtri genus, quo ſtirpes herbarum ſerpentium eruebantur; hinc q. *ſirpex*, Varroni, quòd, quæ in terra *ſerpunt* inutilia, rapiat & verrat, ſicque agrum purget ac mundet. Cui inſtrumento cùm ſimile eſſet, raſtrum illud ſ. crates dentata, quâ occabatur ager ad glebas comminuendas & confringendas, *Hirpex* quoque Ruſticis Romanis dictus eſt; ſed hujus vocis origo propriè ex Græco ἅρπαξ. Salmaſ. *ad Solin. p.* 729. Vide quoque ſuprà.

IRPINI, pop. ad Soractem montem, dicti ab *Irpo*, quo nomine Samnites lupum appellant, ſive quòd lupum Ducem ſequuti, ſedes ſuas ibi delegêrunt, ut Feſt. tradit, ſive quòd modo luporum ex rapto viverent. *Hirpini*, *Serv.*

Urbes Irpinorum in regno Neapolitano.

Abellinum, *Avellino.*	Compſa, *Conza* vel *Conſa.*
Agatha, *S. Agatha di Goti.*	Frequentum, *Fricenti.*
Angelopolis, *Sant Angelo di Lombardia.*	Laquedonia, *Lacedogna*, *Cidogna.*
Arianum, *Ariano.*	Mons Maranus, *Monte Marano.*
Biſacia, ſic vulgò, & *Biſazza*, Epiſcopatus unitus Angelopolitano ſub Archiep. Compſano.	Mons Viridis, *Monte Verde.*
	Nuſcum, *Noſca.*
	Vicus, *Vico della Baronia.*
	Vulturaria, *Vulturara.*

IRRHESIA, Ægæi maris inſ. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

IRUS, mendicus Ithacenſis, aſſecla procorum Penelopes; vero nomine *Arnæus* dictus. Quem Ulyſſes domum revertens, pugno interfecit. Hom. *Odyſſ.* 18. Hujus paupertas abiit in proverbium; ſecundùm illud Ovid. *Triſt. l.* 3. *Eleg.* 7. *v.* 42.

Irus *& eſt ſubitò qui modò Crœſus erat.*

Filiam habuit Chryſippen, quæ ex Phthio Hellenem peperit. Steph. in Ἑλλάς.

IRUS, & IROS, Indiæ mons, verſùs Cedroſiam, circa Indi fluv. oſtium. Ptol. Arrian. Item urbs Theſſaliæ, *Irotes*. *Steph.*

IS, fluv. Suſianæ in Euphratem influens. Eſt & urbis nomen, Steph. Byzant. Herod. *l.* 1. *c.* 179.

IS, ſeſtertii ſæpe in vett. libris nota eſt. Ita enim, cùm in vulgatis Plinii editionibus, ubi de citrea menſa Cic. Aſiniique, hactenus legeretur: *Extat hodie M. Ciceronis, in illa paupertate, & quod magis mirum eſt, illo ævo, empta HS. X. memoratur & Galli Aſinii, HS. XI.* Ex antiquis ejus codicibus, quorum unus optimæ notæ apud Rigaltium, reſtituit Salmaſ. *Extat hodie M. Ciceronis in illa paupertate, & quod magis mirum eſt, illo ævo, empta IↃ. IS. memoratur & Galli Aſini IXI.* h. e. empta quingentis ſeſtertiis, & Galli Aſinii mille. Sic & apud Tertullian. *de Pallio*, antiqua exemplaria habent, *Aſinius Celer mulli unius obſonium ſex IS. emit.* Pro quo, in manu exaratis Plinii libris, *bis* aut *biis* ferè ſemper, velut ſeſtertiorum nota, occurrit. Unde apud eund. ubi de Æſopi patina, legit ex præfato Rigaltii codice idem Salmaſ. *Clodii Æſopi patina C. ſeſtertiis taxata, in qua poſuit aves cantu aliquo aut humano ſermone vocales, IIS VI. ſingulas coëmptas.* Vide Salmaſ. *ad Tertull. de Pallio.* Flavius Soſipater *l.* 1. Seſtertii notam *HS.* facit: *Seſtertius*, dicens, *unde appelletur, ſolet quæri. Quod manifeſtum erit, ſi ſciamus, apud antiquos Denarium decem aſſes habuiſſe. Ideoque in rationibus faciendis denarium decuſſi inducto notamus, ✶: cujus quarta pars dupondius ſemis, Seſtertius dicitur, quòd de tribus aſſibus ſemis deficiat. Denique & nota ejus, HS. nihil aliud quàm dupondium & ſemis oſtendit.* Qua de re vide Joh. Frid. Gronov. *de Pec. Vet. l.* 1. *c.* 3.

Patriarcha.

ISAAC, fil. Abraham ex Sara. Nat. A. M. 2139. ex Sara matre ſterili jam An. 90. & patre Abrahamo centenario. Obiit A. M. 2318.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

1318. Æt. 118. Hiſtoriam vitæ ejus, vide Gen. *c.* 17. *v.* 19. & *c.* 21. *v.* 3. Joſeph. *Antiqq. l.* 1. *c.* 22. Γίνεται δὲ Ἀβραάμῳ μετ᾽ οὐ πολὺ καὶ παῖς ἐκ Σάῤῥας, ὃν Ἴσακον ὀνόμασε, τοῦτο γέλωτα σημαίνει, διὰ μέντοι τὸ τὴν Σάῤῥαν μειδιᾶσαι, τέξεσθαι φήσαντος αὐτὴν τοῦ Θεοῦ, μὴ προσδοκῶσαν ἤδη τοκετοῦ πρεσβυτέραν οὖσαν, τὸν υἱὸν οὕτως ἐκάλεσεν. Jer. *c.* 33. *v.* 26. Amos *c.* 7. *v.* 9. & 16.

Imperatores Græci.

ISAAC I. ex fam. Comnenorum, à Michaële Cerulario Patr. & militibus adjutus, in Michaele VI. Imp. inſurrexit, thronoque occupato coronatus eſt A. C. 1057. Avarus, & in Patriarcham, quem in exilium pepulit, ingratus. Fulminis ictu in venatione perculſus, Imperio ceſſit, ut Conſtantino Ducæ locum faceret, in Studiſtarum monaſterio vitâ functus. Cedren. Curopalates & *Glydas.*

ISAAC II. cogn. Angelus morti adjudicato, A. C. 1185. Andronico Comneno, filiiſque ejus Joh. & Manuele excæcatis, Imp. CP. fuit proclamatus, unctus, & conſecratus: contra Myſos, alioſque Græcorum hoſtes bello parum felix, tyrannos tamen quoſdam in imperio obortos oppreſſit, at deinde ab Alexide fratre ſuo, quem è Turcarum manibus liberaverat, imperio pulſus, occæcatus, A. C. 1195. in carcerem detruſus, dehinc liberatus Obiit A. C. 1233. Nicetas, *Roger.* &c.

Viri Clari.

ISAAC, Rabbinus, Viennâ ortus ſcripſit **Orzeruach**, h. e. Lux ſata eſt, tempore Moſis ex Kotzi, vide *ibi.*

ISAAC F. Haimao, Hiſp. ſcripſit *Hakodat.*

ISAAC, h. e. Ligatio Iſaaci: *Chazot Kaſchot*, h. e. Viſiones graves &c. R. Ganz *Chronol.*

ISAAC Abravanel, vide *Abravanel*, vide & *Iſac.*

ISAACUS, Monachus, prædixit Valentis Imp. interitum. Item accuſator Chryſoſtomi. Item Presbyter Antioch. contra Neſtorianos & Eutychianos Sec. 2. verſu ſcripſit. Gennad. *de Vir. Ill.* Item, Exarchus Ravennæ, templum Lateranum diripuit. Anaſt. *in Theod.*

ISAACUS Porphyrogenneta, ex fam. Comnenorum, ſcripſit oblita Homero. Edidit cum notis Jan. Rutgerſius, *tom.* 5. *var. Lect. c.* 10. & Leo Allatius, in Sylloge Rhetorum & Sophiſt. Gr.

ISAACUS Argurus, Monachus, Mathematicus, ſcriptis variis inclytus. Vide Blancan. *Chron. Math.* Clavium, *in Cal.* Geſner. & Siml. *in Bibl.* Voſſ. *de Stient. Math.* Scal. *de Em. Temp. l.* 4. A. C. 1372.

ISAACUS Chajot, Rabbinus celebris, docuit Pragæ; autor libri *Pachad* Iſ*aac*, & *Schiach* Iſ*aac*, & *Pane* Iſ*aac*; it. ſyntagmatis magni *Kriat arbah* &c. R. David Ganz. *Chronol. Rabbinorum, Millenar. VI. A. M.* 344. qui etiam *R.* Iſ*aaci Meheling*, unius ex præſidibus Scholarum in cœtu Pragenſi meminit, *ad A. M.* 344. aliorumque paſſim.

ISAACUS Haza, Rabbinus, in tabulis Aſtronomicis, quæ *Alphonſina* dictæ, quòd Alphonſi Regis curâ editæ, conficiendis deſudavit. Alios vide apud Genebr. Rabbinos, è quibus unicum ſuperaddam Iſaacum Benimiramum, Medicum Arabem, tempore Averrois, autorem libb. *de Definitionibus & Elementis, de victûs ratione, febribus, urina, diætis*, &c. Salomonis Arabiæ Regis Medicus fuiſſe fertur.

ISAAR, fil. Caath filii Levi. Exod. *c.* 6. *v.* 17. qui Num. *c.* 3. *v.* 19. dicitur *Jeſar.*

ISAARI, nomen Viri. 1. Par. *c.* 6. *v.* 2. & *c.* 23. *v.* 11.

ISABELLA, Henr. Anglorum Regis ſoror, Frid. Imp. nuptui data eſt. Polyd. Virg. *l.* 1. Item Portugalliæ Regis ſoror, Car. Hiſp. Regis uxor, A. C. 1526. Vide *Elizabetha.*

R. ISAAC ſ. ISAAC Afuhaf, compoſuit libr. *Menorat amaor*, it. Expoſitionem ac Comm. Rambani, Mortuus in Portugallia; A. M. 253. Millenarii VI. juxta calculum R. Ganz. præfati. Vide etiam *Juchaſin p.* 234.

R. ISAC, Aſtrologus excellens, ſcripſit *Jeſod Olam*, h. e. fundamentum Sec. *Sabaraſchamaim* & libr. *Melovim*, Toleti A. M. 70. juxta *R. Ganz.*

R. ISAC Thirna auctor *Minhagim*, accepit à R. Abraham Kluvizner: floruit tempore R. Iſraëlis, quem vide. Fuit & Iſ*aac* F. Baruch, Cordubenſis, autor libri *Kuphat Rochelim*, h. e. arca aromatariorum, Obiitque A. M. 4854. Item, R. Iſ*aac* Alphes, autor libr. *Alpheſi*, circa A. M. 4863. Defunctus. Item R. Iſ*aac*, autor *Thoſephot*, A. M. 4935. Item R. Iſ*aac* Korbilenſis, autor libr. *Mitzvot Kathon*, Defunctus A. M. 5000. Porrò R. Iſ*aac* autor *Akedat* Iſ*aac*. R. Iſ*aac* fil. Kabilo, R. Iſ*aac* Karo, autor *Toledot* Iſ*aac*, qui floruêrunt, tempore Abarbinelis, circa A. M. 5269. Sed & diebus R. Samuelis Levi fuêrunt in Hiſpania quinque Rabbini præſtantiſſimi, quorum omnium nomen fuit Iſ*aac*, obſervante eodem R. Ganz. *ad* A. M. 4815.

ISACA, mel. *Iſca*, vulgò *Ex*, fluv. Angl. Oritur in conf. Somerſetenſis Comit. prope Sabrinæ æſtuar. dein per Devoniæ Comit. auctus aliquot min. fluv. ibi Iſcam Damnoniorum, *Exceſter*, prov. primariam Cornubiæ, Epiſcopal. ſub Archiep. Cantuarienſi rigat, & 8. mill. Anglicis infra in mare Brit. cadit juxta caſtrum *Exmouth.* Vide *Exonia* & *Iſca.*

ISACHÆI, vide ASACHÆI.

ISACHAR, nonus Jacob ex Lea fil. ſic progeniem ſuam ampliavit, ut de tribu ejus ad montem Sinai numerati & inventi ſint viri bello apti quinquaginta quatuor millia quadringenti: quibus omnibus in deſerto Mortuis, eorum filii ſexaginta quatuor millia & trecenti, in terra promiſſionis, juxta prophetiam Jacob, citra Jordanem optimam & pulcherrimam poſſedêrunt regionem in inf. Galilæa. Erat hæc Tribus, inter Tribum Zabulon ad Bor. & dimidiam Tr. Manaſſe, ad Auſtr. ubi Carmelus mons, ad Jordanem uſque, ubi lacus Geneſareth. Nat. eſt A. M. 2288. Ejus poſteri agriculturæ dediti, juxta vaticinium Jacobi, Gen. *c.* 30. *v.* 18. Torniel. *in Ann. Vet. Teſt.*

ISACHAR, civ. in tribu cogn. 2. Reg. *c.* 4. *v.* 17.

ISACIUS Angelus, Conſtant. Imp. ex Peloponneſiaco bello vocatus, Andronicum bello vicit, ac interfecit, A. C. 1185.

ISACIUS Comnenus, Græcorum Imp. Hic uſque adeò continens fertur, ut uxorem nunquam inire voluerit, poſt prolem ſemel ex ea ſuſceptam, quamvis ad morbi remedium medici conſulerent, ut frequentiore Venere uteretur. Vide *Iſaac.*

ISACIUS, Patricius Conſtant. Italiæ 8 Exarchus Blond. *l.* 9. *Dec.* 1.

ISACUS, Monachus, Valentem, contra Gothos, moturum, fruſtra dehortatus eſt, A. C. 378. Theodoret. *l.* 4. *c.* 31. *& ſeqq.*

ISACUS, vide ISAAC.

ISADAS, Lacedæmonius, irruentibus in urbem Thebanis, totum ſe nudavit, abjectâ etiam tunicâ interiore, eoque habitu alterâ manu haſtile, alterâ enſem geſtans in confertiſſimos hoſtes irrupit, nuditatem hoſtibus ſummâ temeritate oſtentans; evaſit tamen, eique decreta eſt corona: ſed non ſine mille drachmarum multa: quòd nudus adverſus hoſtes pugnâſſet.

ISADENI, Hunnica natio, *Procop.*

ISÆUS, Aſſyrius Rhetor, adoleſcentiam variis corporis voluptatibus tradidit, deinde vir factus, frugaliſſimus omnium fuit; Eloquentiam ejus innuit Juv. *l.* 1. *Sat* 3. *v.* 73.

Ingenium velox, audacia perdita, ſermo
Promptus, & Iſæo *torrentior.*

Aliis Chalcidenſis, diſcip. Lyſiæ. Cujus 10. Orationes ſuperſunt. Plutarch. *de* 10. *Orat.* Photius *c.* 64. & 263.

ISAFLENTES, pop. Mauritaniæ, Amm. Marcell. *l.* 29. *c.* 5.

ISAGORAS, Poëta Tragicus, Chreſtii diſcip. ſub Antonino Phil. vixit. Item, Athenienſis, cui bellum cum Cliſthene fuit. Herod. *l.* 5. *c.* 66. 70. & 72.

ISAGRUS, Athenienſium Imp. A. U. C. 245.

ISAGURUS, Indiæ intra Gangem opp Ptol. *Ithagurus Interpp.*

ISAI, fil. Obed, pater Davidis, qui & *Jeſſe.* Nat. A. M. 2855. Obiit A. M. 2974. Torniel. Salian. 1. Sam. *c.* 16. *v.* 4. Ruth. *c.* 4. *v.* 17. 1. Par. *c.* 2. *v.* 13.

ISAIAS, it. JESAIAS, ſive ESAIAS, quæ vide, nomen Prophetæ, qui regio genere ortus, nihil ruſticitatis in ſermone habuit, nec tam Propheta, quam Euangeliſta videtur, *Univerſa Chriſti Eccleſiæque myſteria proſequitur, ut non putes eum de futuro vaticinari, ſed de præterito Hiſtoriam texere*, ut loquitur Hier. Tandem ſub Manaſſe Rege ſectus in duas partes, occubuit, uti perhibet Epiphan. A. M. 3338. Iſid. Juſtin. Baſil. Auguſt. *Cyrillus*, &c.

ISAIAS, Patr. CP. Sec. 14. Item, fil. Adami, qui Saporis Stabuli præfectus, ſcripſit Jonæ & Barachiſi, juſſu Regis, *Occiſorum Hiſt.*

ISALA, qui & *Sala*, vulgò *Iſſel*, item *Alt-Iſſel*, fluv. Belgii, ſ. potiùs ramus Rheni, qui, paulo infra Arenacum, in 2. brachia ſe ſcindens, hunc efficit, qui ad Arctos tendens Duisburgum, Zutphaniam Daventriamque urbes rigat, & infra Campenſem Urb. in Sin. Auſtrinum ſe exonerat. Aliis tamen eſt fluv. Germ. qui per Weſtphaliam & Comit. Zutphan. fluens, ad Duisburgum recipit alveum Rheni, per foſſam olim à Druſo deductam ab Arenaco Duisburgum uſque, & cum eo in ſin. Auſtrin. cadit; Hujus ut & Moſæ cataractis perfoſſis immiſſâ aquâ ſalutem Lugduno Bat. attulit Princeps Arauſionenſis A. C. 1574. Thuan. *l.* 59. & 60. Vide & *Sala.*

ISALECUS, Luſitaniæ urbs. *Ptol.*

ISAMNIUM, Hiberniæ prom. Ptol. *S. Johns Foreland* Camd. Gallis *le Cap S. Jean*, Anglis *S. Johns point*, in parte Or. Ultoniæ, in peninſ. *Lecale*, in Comit. Dunenſi, vix 5. mill. paſſ. à Duno, *Baudr.*

ISAMUS, fluv. Indiæ. Strabo *l.* 11. *p.* 516. Collis Aſiæ min. *Cedren.*

ISANA, Palæſtinæ villa, Joſeph. *Antiqq. l.* 8. *c.* 14.

ISANDER, fil. Bellerophontis, in eo bello, quod Lycii Solymis intulêrunt, interfectus. Hom. *Il.* 6.

ISANNAVARIA, opp. Angliæ, inter Lactodurum & Tripontium 12. mill. paſſ. à Londino 73. in Bor. Lindum verſus. *Stonyſtatford* Camd. Olim Regia Merciorum Regis. An *Banavenna*, *Bennavenna* & *Bennaventa Ant.*

ISAPIS, fluv. Italiæ: in Umbria, apud Urbinum in Iſaurum influens, *Albs* vulgò, Luc. *Civ. Bell. l.* 2. *v.* 406.

Cruſtumiumque rapax, & junctus Iſapis *Iſauro.*

Ubi quidam *Sapis:* Leandro *il Savio* dicitur, & circa Ariminum eſt Ortel. Ferr. autem hic fluv. Æmiliæ eſt, in Romandiola, qui ortus ex Apennino monte, ſupra Sarſinam urb. ac juxta Ceſenam urb. delatus, in mare Hadr. apud Cerviam exit.

ISAPOSTOLUS, vide infrà *Par Apoſtolis.*

ISAR, Ptol. vel *Iſara* fluv. Gall. Narbon. Planco *in Ep. ad Cic.* dicitur *flumen in Finibus Allobrogum maximum:* Ubi Allobroges & Arvernos à Q. Fabio Max. ingenti prælio ſuperatos refert, Plin. *l.* 3. *c.* 4. *& l.* 7. *c.* 50. Oritur in Sabaudia, ex monte Iſerano, inter Alpes, Baudr. Valeſ. habet, in Centronicis Alpibus ſ. Darantaſienſibus: dein Monaſterium, Tarantaſiæ caput, rigat. Hinc auctus Arco fluv. juxta Monmelianum labitur; & per Delphinatum fluens, ibi Dracum ad Gratianopolim haurit; dein rigatis Fano S. Marcellini & Romano opp. paulò ſupra Valentiam in Rhodanum influit, Baudr. ſecundùm Valeſ. alluit loca & caſtella aliquot Sabaudiæ, dein Gratianopolim, Fontanetum, Teglinas *Tuilins*, Caſtellum Novum, Ventiam *Vinay*, Solonem *la Sone*

Sone Balmam *la Baume*, Juncariam *la Jonchere*, & Romantium: demum apud Confluentes *Cônfulens*, Rhodano paulò ſupra Valentiam miſcetur, fluvios Arcum *Arch* & Dracum *Drac* præ cæteris deferens. Medium hic fluv. Delphinatum aquis ſuis ſecare dicitur, *Notit Gall.* Lucan. *Civ. Bell. l.* 1. *v.* 399. & *ſeqq.*

Hi vada liquêrunt Iſaræ, *qui gurgite ductus*
Per tam multa ſuo, famæ majoris in amnem
Lapſus, ad æquoreas nomen non pertulit undas.

Hodiè *l'Iſere.* Ptol. *Tiſara.* Polyb. *Scoras.* Vide Plin. *l.* 3. *c.* 4. Papyr. Maſſon. *de flum. Gall* Vib. Seq. *de flum.*

ISAR, vel ISÆUS, Vindeliciæ fluv. Strabo *l.* 4. *p.* 185. Oritur 3. mill. Germ. ab Oeniponte in Occ. in conf. Comit. Tirol. & paulò ſuprà Landshutum Ambram fluv. recipit. Baudr. Vulgò *Iſar.*

ISARA, fluv. Gall. Belgicæ, Gall. *Oiſe.* Oritur in ſylva Carbonaria ſ. in Theoracia, ad diœc. Laudunenſem pertinente, & Guſiam, Faram, Calviacum, Compendium Sueſſionum, ubi Axonâ augetur, Pontem ad S. Maxentiam, Credilium Bellovacorum, Brivam Iſaræ in Veliocaſſibus attingit, atque ad Confluentes in Sequanam influit. Recipit Saram *Sere*, Axonam *Eſne*, Aronam *Aronde*, & Taram *Tern.* Vide quoque *Eſia.*

ISARCHUS, Archon Athenis, ſub quo contigit defectio Sciones. Schol. *in Veſp. Ariſtoph.*

ISARCI, Alpinæ gentes, ab Aug. Imp. devictæ. Plin. *l.* 3. *c.* 20. *Hiſarci* Caſtillion, cui hodie *Iſarſo* municip. aut aliud vicinum *Arciſare.* Schudo *Miſauci*, hodieque *Maſoxerthal.* Janus Pincius in vertice Pyrenæi, Germ. montis locum deſcribens, vulgò *Aiſocho*, ab Iſarco deducit. *Baudr.*

ISARI, Indiæ pop. Plin. *l.* 6. *c.* 17. Item nomen viri. 1. Par. *c.* 25. *v.* 11.

ISARIA, vide ISCIA.

ISATICHÆ, Germaniæ deſertæ gens. *Ptol.*

ISATIS, Græca vox, Latinè *Vitrum*, Gallis *guaſtum* olim, nunc *gueſdum*, Græcis recentioribus πάςιλλον, unde vulgò *paſtel*, quòd contuſa in *paſtillos* digeratur, herba eſt tinctoria, quæ cæruleo colore inficit, ſicut Indicum, de qua ita Salmaſ. inter alia, *ad Solin. p.* 258. *Vitreum propriè viride eſt, non cæruleum, tam ab herba vitro, quam ab illa ſpecie, quâ conſtant vaſa. Sed ſuccus ipſe herba vitri vel* Iſatidis, *quâ veſtes tinguntur, cæruleum efficit colorem---Apud Capitolin. ubi mentio praſini, vitrei & veneti coloris, quaſi diverſorum, vitreus pro viridi debet accipi remiſſiore & clariore, τὸ ἰσατῶδες---at vitro tinctas veſtes vel infecta corpora, de cæruleo obſcuriore par eſt interpretari* &c. Vide hîc paſſim, ubi *de Guaſdo, Indico, Vitro.*

ISAVA Clementia, vide *Clementia.*

ISAURIA, reg. Aſiæ min. ad Taurum mont. Ciliciæ proxima, quam P. Servilius cogn. *Iſauricus*, in ditionem Romanorum redegit. Strabo. *l.* 11. *l.* 13. *p.* 560. & 569. Claud. *l.* 1. *in Eutrop. Carm.* 18. *v.* 217.

Indomitos curru Servilius egit Iſauras.

Ubi *Iſauræ* urbs, vel *Iſaurum*, Epiſcopal. ſub Archiep. Seleucienſi, Plin. *l.* 5. *c.* 27. quæ & Claudiopolis hodie *Saura*, teſte Amm. Marcell. *l.* 14. *c.* 2. Pop. *Iſauri*, Ovid. *Faſt. l.* 1. *v.* 598.

Africa victorem de ſe vocat: alter Iſauras,

Hic Synodus olim populi quietis impatientis. Euagr. Niceph. Cæterùm ſub Pamphylia comprehenſa olim, recentiori ævo ex quinque gentibus fuit una, quæ componebant Ἀνατολικὸν Θέμα, Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 805. & *ſeqq.*

ISAURICUS Servilius, vide *Servilius.*

ISAURUS, fluv. Umbriæ Tranſapenninæ ex Apenn. mont. deſcendens, mari Hadriatico exceptus; hodiè *La Foglia.* Mel. *Piſaurus.* Vide ibi. Alter hujus nominis fluv. Magnæ Græciæ Nicetho vicinus per agrum Crotoniatem in mare delatus, cui *Donato*, teſte Barrio, nomen eſt. Lucan. *Civ. Bell. l.* 2. *v.* 406.

ISBAAB, nomen viri. 1. Par. *c.* 24. *v.* 14.

ISBOSETH, fil. Saulis Regis Iſraël. Occiſus A. M. 2987. Vide 2. Sam. *c.* 2. *v.* 12. Joſeph. *Antiqq. l.* 7. *c.* 1. & 2.

ISBURGIS, Femina pudiciſſima, Phil. Theodati Francorum Regis uxor, à marito repudiata, quòd is eam ſibi ſanguine propinquam exiſtimaret. Hæc poſteà in perpetua continentia vixit. Cujus corpus in Eccl. D. Joh. de Inſ. jacet ſepultum. Epitaphium autem eſt cujuſmodi,

Hic jacet Isburgis *Regum generoſa propago,*
Regia, quòd Regis fuit uxor, ſignat imago.
Floro nitens morum vixit patre Rege Dacorum,
Inclyta Francorum Regis adepta thorum.
Nobilis hujus erat (quod in orbis ſanguine claro
Invenies raro) mens pia, caſta caro.
Annus millenus aderat, deciesque vicenus,
Ter duo, terque decem, cùm ſubit iſta necem.

ISBURUS, Siciliæ fluv. Ptol. *Mayhaſoli* Fazello. Nunc *Calatabellota.* In mare Afr. ſe exonerat, inter Mazaram ad Occ. & Agrigentum ad Ort. 35. ferè mill. utrinque. *Baudr.*

ISBUS, Iſauriæ civ. Gent. *Isbotes. Steph.*

ISCA, Dammoniorum urbs in Anglia Ptol. hodiè *Exceſter.* Nunc Com. Devoniæ caput *Exonia* recent. Epiſcopal. ſub Archiep. Cantuarienſi 8. mill. Angl. ab ora maris Brit. 79. ab Antiveſtæo prom. & à Vintonia, ad Iſcam fluv. Hinc Joſeph. *Iſcanus* nobilis poëta floruit temp. Henr. II. de quo vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 56.

ISCA, Legio 2. quæ & *Iſca Silurum*, urbs fuit Angl. ad Iſcam fluv. nunc opp. Monumethenſis prov. ad Oſcam fluv. vix. 4. mill. Angl. ab æſtuario Sabrinæ, 14. à Monumethia.

ISCARIOT, vicus in tribu Ephraim, in quo natus Judas infelix Chriſti proditor. Math. *c.* 10. *v.* 4

ISCHALIS, opp. Angliæ, in agro Sommerſet. Ptol. hodiè *Ilcheſter*, ad amnem *Il.* in conf. Dorſetiæ Com. 12. mill. Angl. à Wellia in Auſtr. 24. à Bathonia 30. ab Exonia: medium inter mare Brit. & Sabrinæ æſtuarium, 15. mill. Anglicis utrinque.

ISCHERA. Libyæ interioris urbs. *Ptol.*

ISHIA, vulgò ISHIA, inſ. in mari Tyrrheno ſive Infero, in ora regni Neapolitani, *Arime* Hom. *Ænaria* Plin. *l.* 3. *c.* 7. *Inarime* Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 716. licèt à pleriſque notetur *Pythecuſa* Strabo *l.* 1. *p.* 57. & Græcis dicta, à Miſeno prom. terræmotu & ipſa diſcreta, ut *l.* 6. *p.* 258. autor eſt Strabo. Circuitus eſt 20. milliarium. Cujuſvis frugum generis & auri feraciſſima eſt. Hanc Eretrienſes & Chalcidenſes primi incoluêrunt, quos ob feracitatem ſoli fortunatos Timæus vocat, 2. mill. Ital. ab ora Terræ Laboris, uti à prom. Miſeno, 1. à Prochyta Inſ. Opp. parv. ei adjacet ad Ort. *Iſchia* hodie dicitur, Epiſcopal. ſub Archiep. Neapolitano, quod & inſulæ, abolitis vetuſtis appellationibus, nomen dedit. Huc ſe Ferd. à Car. VIII. pulſus recipit. Eſt enim naturâ permunitum; edito ac excelſo in monte ſitum, quod mari olim undique cingebatur, at curſu temporis, vallo, quo ab inſ. diſcrepabat, injectis ſaxorum ruderumque machinis oppleto, inſ. connexum eſt. Joh. Matal. Metell. Baudr. ponte tantùm Inſ. jungi opp. teſtis αὐτόπτης eſt. Inſ. hanc pluribus deſcripſit C. Nep. Gallus, cujus accuratam delineationem habemus in tabulis Joh. Antonii Magini. Vide *Ænaria.*

ISCHOLAUS, Dux Lacedæmoniorum fortis & prudens, terrâ & mari, ut apparet ex Polyæni *l.* 11. nam naves ſuæ ne ad Ænum ab Athenienſibus abſtraherentur; ſolerter effecit & oppugnante Chabriâ Dryn, pari arte urb. Lacedæmoniis conſervavit, cuſtodiit tranſitus regionis Sciritidis: & cùm ſe multitudine hoſtium Arcadum à Thebanis ſtantium ſuperari videret, exemplo Leonidæ pugnans Occubuit. De quo Diod. Sic *l.* XV. *c.* 490.

ISCHOMACHE, uxor Pirithoi, ex Atracia Theſſaliæ reg. quæ & *Hippodamia*, quam cùm Centauri Pirithoo præripere conarentur, ingenti clade ab Hercule & Theſeo profligati ſunt. Vide *Hippodame.* Ovid. *Met. l.* 12. *v.* 210. & 224.

ISCHOMACHUS, Crotoniates nobilis Athleta, qui in ſtadio victor extitit. M. Valerio, & P. Poſthumio Coſſ.

ISCHOPOLIS, Ponti Cappadocici urbs, vulgò *Tripoli.* Ptol. 20. mill. ab Hermonaſſa in Ort. 70. ferè à Trapezunte in Occ. in prov. *Genech*, ſub Turcis. Strabo *l.* 12. *p.* 548.

ISCIA, inſ. è reg. Veliæ, alio nomine *Oenotris* dicta. Plin. *l.* 3. *c.* 7. Vide *Oenotrides.*

ISCIACUM, vel ISSIACUM, vulgò ISSY, vicus Galliæ, in agro Pariſiaco, ad Sequanam: olim villa fiſcalis & Regia: in cujus fundo Childebertus B. Vincentio martyri baſilicam extruxit. *Hadr. Valeſ.*

ISCINA, Africæ propriæ urbs. *Ptol.*

ISDEGERDES I. Perſarum Rex poſt Varanem IV. ob probitatem, ab Arcadio Imp. Theodoſii Jun. fil. tutor conſtitutus, Antiochum miſit, qui Principis curam gereret. Pacem A. C. 100. cum Romanis fecit, Chriſtianorum numerum in regno ſuo indies creſcere æquo animo vidit, à Marutha Ep. Meſopotamiæ ſanatus. Magos complures, ab uno horum illuſus, necavit, poſtea in Chriſtianos ſævus, ob templum, ubi Ignis adoratus, everſum, Obiit A. C. 421. Regni 21. Socr. *l.* 7. Sozom *l.* 8. Niceph. *l.* 14. Procop. *Perſic. l.* 1. Alii. Eum excepit Varanes V.

ISDEGERDUS II. Varanem V. excepit, regnavit Annos 17. Agathias *l.* 4. Succeſſore Perozâ.

ISDEGERDUS III. aliis *Hormiſda II.* à Saracenis regno exutus eſt, A.C. 634. Cedren. Tarich Schickardi *p.* 170. &c. ſucceſſêre Saraceni de quibus infrà. Ab illo æra *Iſdegerdæa* vel *Jezdegerdæa* nomen accepit: à victore Iſdegerdis *Omaro* potiùs appellanda. Vide *Omar.*

ISDICÆA, Thraciæ urbs, *Ptol.*

ISDIGERTES, Perſarum Rex, A. C. 400. Vide *Iſdegerdes* I.

ISELASTICI Ludi, apud Rom. ſ. *Iſelaſtica certamina*, memorantur in amœbeis Epiſtolis Plinii & Trajani, in hæc verba:

C. PLINIUS TRAJANO IMP. S.

Athletæ, Domine, ea quæ pro Iſelaſticis *certaminibus conſtituiſti, deberi ſibi putant ſtatui ex eo die, quo ſunt coronati. Nihil enim referre, quando ſint Patriam invecti, ſed quando certamine vicerint, ex quo invehi poſſint. Ego contrà ſcribo* Iſelaſticorum *nomine. Itaque eorum vehementer addubitem, an ſit potiùs id tempus, quo εἰσήλασαν, intuendum.* Et quæ ſequuntur.

TRAJANUS PLINIO S.

Iſelaſticum *tunc primùm mihi videtur incipere debere, quum quis in civitatem ſuam ipſe εἰσήλασε* &c. Nempe uti apud Athenienſes Hieronicis plurimi honores habebantur præmiaque dabantur, ita iiſdem quoque honorem habuêrunt Impp. Rom. Auguſti veſtigia legentes, præmiaque ſive opſonia, pro *Iſelaſticis* certaminibus conſtituêrunt, ut ex Epiſtolis citatis patet. Ubi Petitus reſcribit: *Ego cùm tranſcribo*, Iſelaſticorum, *nomine itaque eorum vehementer addubitem an ſit potius id tempus, quo εἰσήλασαν, intuendum?* Cùm enim libellum ab *Iſelaſticis* ſibi oblatum, Imp. mittendum, tranſcriberet Plin. ipſo eorum nomine monitus, facilè vidit *Iſelaſticos* dictos fuiſſe, non ex eo tempore, quo ſunt coronati, ſed ex quo εἰσήλασαν, *patriam invecti ſunt.* Atque hæc præmia Hieronicarum ab iis capi poterant, qui pecuniam crediderant Hieronicis, auctore Papiniano *l.* X. *Reſp. Commoda præmiorum,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

rum, quæ propter coronas ſacras præſtantur, condemnato placuit interdici & eam pecuniam jure pignoris in cauſam judicati capi. *L.* 40. *de re Judic.* Quanquam non poterat, qui nondum è ſacro certamine coronam reportaverat, pignori obligare præmia, quæ ſibi penſitanda ſperabat. Pro coronis: *Imp. Alex. A. Septimio. Spem eorum præmiorum, quæ pro coronis Athletis penſitanda ſunt, privatâ pactione pignorari minimè admittendum eſt: & ideo nec ſi generale pactum de omnibus bonis pignori obligandis intervenerit, tenet, PP. Kal. Maji, Maximo II. & Paterno Coſſ. Lege V. Quæ res pignori obligari poſſint?* &c. Vide Sam. Petit. *Comm. in LL. Attic. l.* 1. *tit.* 1. & hic paſſim, inprimis infrà ubi de *Pialibus*.

ISEMBRUNUS, panni ſpecies, cujus uſu interdictum in *l. Ordinis* S. Victoris Par. *c.* 18. Cappæ verò de *Iſembruno* conceduntur Sacerdotibus Clericis, in vett. *Statutis* Domûs Dei Pariſ. *MSS.* apud C. du Freſne in *Gloſſ.* Subtiliorem fuiſſe pannum, ſicut & *galabrunum*, docet Rainardus Abbas Ciſtercienſis in *Inſtit. Capit. Gener. Ciſter. c.* 83. apud *Eund.*

ISENA, vel ISNA, vulgò ISNE ſ. ISNY, opp. Imp. in Rhætia prima vel à ferro, vel ab Iſide Ægyptia, quam Suevi olim coluêrunt, aut potius ab *Iſna* fluv. dicta. Paruit Comitibus Vetingenſibus, qui cœnobium ibi condidêrunt: Horum familiâ extinctâ, in poteſtatem Dapiferorum *de Walburg* pervenit, inter hos tandem ad Othonem, qui Leopoldum Auſtriæ Ducem, in quodam bello adjuturus, pecuniâ à civibus acceptâ, illis libertatem vendidit. Hinc poſtea à Car. IV. Imp. liberis civitatibus adſcripta eſt. Inſignia ejus, aquila aurea, quam illis Maximilianus I. conceſſit, cum ſolea equina: alii inverſam dicunt eſſe navem, quam nomine Iſidis à Romanis cultam, Chriſtiani poſtmodum ſubvertêrunt. Vide Merian. *Topogr. Suevia.* Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 29.

ISENACUM, urbec. culta Thuringiæ, ad Neſſam amnem, qui paulò infra à Verra excipitur, in Haſſiæ conf. cum Acad. ſub Duce Weimariæ; cum tit. item Duc. 7. leuc. ab Erfurto in Occ. 4. à Mülhuſia in Auſtr. *Eyſenach* vulgò. Dicta an ab *Iſide*, an à ferro? poëta German. *Itin. l.* 5.

——— *Poſitam hanc in vallibus urbem*
A ferro dictam vulgo; ſed ab Iſide doctis:
Iſnacum *dicunt, urbs geſtis clara vetuſtis.*

Idem *l.* 7.

Ante oculos montes, Iſenacumque *videmus,*
Quæ fuit Haſſorum regia clara Ducum.

Fuiſſe autem Germanis vett. præter Tuiſtonem & Mannum: indigites Deos, etiam *Iſidem* cultam, Tac. teſtatur *in Germ. c.* 9. *Pars Suevorum & Iſidi ſacrificat.* Voſſ. de Orig. & *progr. Idol. l.* 1. *c.* 32. *Cultu peregrini hujus Numinis fortè à Græcis Iſtri accolis accepto, ad quos ab Ægyptiis pervenit: qui Iſidem inter Deas retulêre, quia cùm triticum & hordeum ſponte antea creſceret inter herbas, nec uſus eorum eſſet cognitus; prima Iſis eum monſtrârit Ægyptiis, ut ex Diod. Sic. accepimus. Unde ipſa, apud Appulejum Met. l.* 11. *Eleuſiniam Cererem & Ægyptiam Iſidem, prædicat eandem.* Iſenacum *autem ab hac Dea nomen nactum eſſe, eo veriſimilius id putant nonnulli, quia Iſis fuerit Oſiridis uxor; Oſiris fuerit Mitſraim; is fil.* Cham *ſive* Ham, *unde itidem vocari autumant Hamburgum ſive Hammeburgum potiùs. Ita enim vocatur Lud. I. Imp. literis Aquiſgrani datis. Tamen alteram urbis hujus etymologiam, quâ a Germ.* voce *Iſer* vel *Iſen*, h. e. *ferrum*, deducitur, veriſimiliorem cenſet, Idem. Eſt ſub proprio Principe ex ſtirpe Saxonica Fam. Vinarienſis. Et quidem, cùm Vilhelmus Defunctus eſſet A. C. 1662. ex filiis ejus, maximus natu Joh. Erneſtus Vinariam obtinuit; alter Adolphus Vilhelmus, Suecorum in Dania miles, *Iſenacum* habitandum accepit: ſed hoc ſine liberis (omnes enim præmortui, & poſthumus Vilhelmus Aug. mox Patris fata ſecutus eſt) Extincto, tertio genitus. Joh. Georg. *Iſenacenſem* ſucceſſionem ſortitus eſt. Militâvit is Electoris Brandeburgici auſpiciis in Boruſſia, multâ fortitudinis laude ſagittâ etiam venenatâ à Tartaris periculosè vulneratus. Poſtea, in Imperii exercitu deſtinatus militari imperio, illud quidem ſuſcipere tenuit; in Cæſaris verò exercitu Locum-Tenentis Campi Mareſcalli dignitate functus eſt. Uxorem duxit A. C. 1661. Johannam Erneſti Com. Saynii & Witgenſtenii filiam, Joh. Landgravii Haſſiæ viduam, Comitatûs Saynii, cum ſorore Manderſchidia, hæredem: quæ adverſùs Patruos Comitatum obtinuêre. Hoc matrimonio geniti ſunt, Eleonora, Erdmuthis Luiſa, A. C. 1662. Frid. Aug. A. C. 1663. Joh. Georg. A. C. 1665. (cum Maximiliano Henr. qui biennis Deceſſit, gemellus) Joh. Vilhelmus A. C. 1666. Luiſa (quæ annicula Obiit) A. C. 1667. Friderica Eliſabetha A. C. 1669. & Erneſtus Guſtavus A. C. 1672. qui tamen ultimus brevis fuit ævi. Vide Phil. Jac. Spener. *Syllog. Geneal.*

ISENBRANDUS, fil. Warini, Alemanniæ Principis vel Altorfii Comitis, Eberhardo Alſatiæ Duce, ſecundùm quoſdam geniti, ex uxore Irmentrude, ſorore Hildegardis Imperatricis, unâ vice duodecim filios ſuſcepiſſe dicitur: qui, cùm pro catulis eos mater ſuæ Famæ timens exponere voluiſſet, à patre, mirâ Dei providentiâ ſervati ſunt. Ex his præcipuus *Welfo* (hinc enim nomen *Welforum* ſ. *Guelforum*, quæ vox catulum denotat) Comes Altorfi & Regensburgi nominatur: Pater Judithæ, uxoris Lud. Pii & Conradi Comitis. Hoc natus eſt Conradus Dux partium Rhæticarum & Jurenſium, Comes Lingonum, Regum Burgundiæ conditor, & ſecundùm alios Ethico vel Henr. à quo propago Comitum Altorfi gens, cui in Welfo Ducatus Bavariæ acceſſit. Defecit familia in Welfo III. cujus ſoror Cunigundis nupta Azoni Ateſtino, in illam gentem nomen & jus Welficum intulit. Vide eund. *Sylloge*, Geneal. & infra in voce *Welfi*.

ISENBURGUM, opp. & Comitatus Germ. ſup. ſub proprio Com. ex ſtirpe illuſtri & perantiqua: cujus originem vulgò arceſſunt, à quodam Heſſone Com. & Dn. *de Iſenburg*, qui Lud. Com. Arnſtenii & Dn. Veſaliæ, Bopardiæ, Goariſani ac Lanſtenii gener, floruerit A. C. 1140. & pater Arnoldi Ultrajectenſis, avus Engelberti ac Brunonis Oſnabrugenſium, atque Dietheri, Monaſterienſis Epiſcoporum, fuerit. Præcipua gentis diviſio cœpit, cùm Henr. Arnoldi Electoris Trevirici frater, Gerlacum & Lud. filios relinqueret. Illi enim *Iſenburgum* inf. obtigit; huic ab Helvige conjuge *Budingenſe* dominium. Gerlaci nepos Salentinus *Grenſaviam* à conjuge Adelheide agnata ex Budingenſibus accepit; unde lineæ novum nomen inditum; quæ demum in Erneſto Com. *de Iſenburg* & *Grenſaw* (filio Salentini Archiep. & Electoris Colonienſis, ex Anna Vilhelma Arenbergia, nato A. C. 1584. & marito Carolinæ, filiæ Car. Principis Arenbergiæ) Defecit A. C. 1664. In Budingenſibus, præter ramum *Grenſavium*, cujus bona ad alterum dein tranſlata (ſucceſſione Erneſti ultimi, inrer varios prætendentes, nec dum ſatis ad liquidum perductâ) duos ramos ex ſe emiſit Lud. Dietheri Electoris Moguntini frater; Nam ex ejus liberis Phil. *Kelterſpa-cenſes* dedit, qui nunc eſſe deſiêre: Joh. *in Birſtein* reliquos. Et quidem hujus nepos Wolffgangus Erneſtus pater communis eſt omnium in illuſtri hac Fam. nunc ſuperſtitum: qui ſunt ex tertio matrimonio, fil. Joh. Erneſtus *in Budingen* & ex primo nepotes in *Offenbach*, de quibus poſterioribus infrà ſuo loco; Budingenſium progenitores ita habent. Joh. Com. *de Iſenburg* & *Budingen*, (Defunctus A. C. 1408.) ex Margaretha filia, Theodorici Com-Catzenelebogæ, fil. habuit Dietherum, maritum Eliſabethæ Solmenſis (Othone Com. genitæ) & ex ea patrem Lud. qui Obiit A. C. 1511. Hoc & Mariâ Naſſoviâ (filiâ Joh. Com.) nat. Joh. Deceſſit A. C. 1533. Pater ex Anna Schwartzenburgica (filia Guntheri Com.) Phil. Extincti A. C. 1596. Huic ex Ebrengardi ſ. Irmgardi Solmenſi (filia Phil. Com. Solmenſis, lineæ Braunfelſiæ) genitus Wolffgangus Erneſtus, Fato functus eſt A. C. 1633. relictis, ex Juliana Wirgenſtenia (filia Lud. Com. Sainæ & Witgenſtenii) Lud. Arnoldo (qui nat. A. C. 1619. Deceſſit A. C. 1662.) & Joh. Erneſto, qui genitus A. C. 1625. Mariam Carolam Erpachiam ſibi junxit, ſororem germanam Georgii Erneſti Com. ex ea numeroſæ prolis parens. Georg. enim Erneſtus (nat. A. C. 1651. Den. A. C. 1652.) Joh. Lud. (nat. A. C. 1652. Den. A. C. 1654.) Anna Amalia (nat. A. C. 1653.) Phil. Erneſtus (nat. A. C. 1655. Den. A. C. 1672.) Eliſabetha Juliana (nat. & Den. A. C. 1656.) Frid. Vilhelmus (nat. A. C. 1657.) Wolffgangus Erneſtus (nat. A. C. 1659.) Joh. Caſimirus (nat. A. C. 1660.) Ferdinandus Maximilianus (nat. A. C. 1661.) Georg. Albertus (nat. A. C. 1664.) Luiſa Albertina (nat. A. C. 1665.) & Car. Aug. (nat. A. C. 1667.) omnes Comites *Iſenburgi in Budingen*, his parentibus ortum debent. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatro Nobil. Europ. Part.* 2. *p.* 12. & *Part.* 3. *p.* 84. Primus autem *Iſenburgi* Comes perhibetur Henr. A. C. 1230. Budingenſis verò Dynaſtiæ Dietherus, qui *Comitis* titulo auctus eſt. Utraque hoc Sec. Wolfgango Henr. Iſenburgi & Budingæ Com. tanquam læſæ Majeſtatis reo, adempta, Georgio Haſſiæ Landgravio (qui conſtanti in Cæſarem Domumque Auſtriacam obſequio affectuque FIDELIS dici meruit) Ferdinandus II. largitus eſt, A. C. 1636. Secuta A. C. 1642. tranſactio inter Haſſos & *Iſenburgios*, quâ, inter alia, certa Comitatuum iſtorum portio, 20000. florenos annuos ferens, ſeptem Feuda, ut appellantur, nobilia & cum titulo, (quo Haſſi etiam ſuperſtitibus Iſenburgiis potirentur) ſucceſſionis jura, ſi quando iſtorum progenies deficeret, Cattis manſêre, reliqua Comitibus reſtitui debebant: Etiam cautum, ne generalis, quæ tum ſperabatur, amneſtiæ beneficio ſe tuerentur Comites; qui tamen aliquot pòſt Annis, cùm de pace Oſnabrugæ ageretur, pacta illa, nimio Domûs ſuæ damno, vi metuque & quidem ab aliis inita, cauſantes, ætatis quoque miſerationem meritæ jura invocando, reſtitui in integrum petivêre. Et indultâ illis dictâ, pactione generalis Ammeſtiæ gratia, ſalvis tamen juribus, quæ Haſſi ſibi competere obtenderent. At præter hos, etiam Saxones, Cattis refragabantur, datam ſibi à Rudolpho II. A. C. 1596. ſuccedendi Comitibus, quocunque modo terræ ipſorum ad Cæſares reverterentur, ſpem, à Matthia, Ferd. II. atque Leopoldo I. Impp. confirmatam, memorantes. Unde eſt, quòd, manente etiamnum hac lite, Saxones Haſſiæ Landgravios, *Iſenburgi atque Budingæ Comitum* nomine, neutiquam ſalutent, Tob. Pfanner. *de præcipuis Germ. Princip. gentibus*, *c.* 8.

ISENDICUM, vulgò ISENDICK opp. permunitum Flandriæ, in ora litor. contrà Birfletum, ſub Batavis, 3. leuc. à Clauſulis in Ort. 3. ab Aggere Gand. in Occ.

ISENGRINI, factioſi quidam, Furnenſis tractûs in Flandria incolæ, qui militari virtute, Phil. Aug. Franciæ Rege, inclaruêrunt; quòd luporum inſtar (qui *Iſengrini*, apud nonnullos recentioris ævi, dicti reperiuntur) caulas ovium devaſtârunt, hoc nomine inſigniti. Vide iis Rigord. Gul. Briton. *l.* 2. 9. & 10. *Philippidos*, Mejerum *Ann. l.* 8. & Buzelinum *Gallo-Fl. l.* 1. *c.* 18. laudatos C. du Freſne *in Gloſſ.*

ISEPUS, gens Scythica. *Steph.*

ISERNIÆ, opp. Italiæ, in Comit. Moliſino, regni Neapol. cum tit. Epiſcopatus. Hoc unà cum Sepiano, Boviano aliiſque oppidis Alzeconi Bulgarorum Duci, novas in Italia ſedes petenti, conceſſit Romoaldus Beneventi Dux, fil. Grimoaldi Regis, illumque mutato dignitatis nomine de Duce *Gaſtaldium* vocitari præcepit, Iſid. *Chron. l.* 5. *c.* 19. Magin. *Deſcr. Ital.* &c.

ISEUM, urbs Ægypti ab *Iſide* dicta, vide Steph. Græcè Ἴσιον *ſimulacrum Iſidis*, ſicut Ἰσεῖον, *Iſidis templum*, notat. *Iſium* vocat Lamprid. *in Alex. Iſium & Serapium decenter ornavit, additis ſignis & deliacis & omnibus myſticis.* Unde *Iſium Metellinum*, apud Treb. Pollion. ubi *de Tetrico Jun. Tetricorum domus hodieque extat, in*

in monte Cælio, inter duos lucos, contra Iſium Metellinum. Quo cognomine hæc ædes diſtinguebatur ab aliis eidem idolo in principe urbe ſacratis. Vide Caſaub. *ad l.* & Salmaſ. *ad Solin. p.* 67. & 576.

ISIA & Serapia, feſta annua in Kal. Rom. Vide infrà *Iſis* & *Serapis.*

ISIACORUM Portus, circa Daciam, in ora litor. Ponti Euxini. Arrian. *in Periplo.*

ISICIUM, vide *Iſitia.*

ISIDORUS, Mercator, ſ. ut in quibuſdam libris legitur, *Peccator*, ementito hoc nomine, in lucem edidit Sec. IX. *Collectionem Decretalium*, totam ſuppoſititiam & meris impoſturis conſtantem: de quo ſic Blondellus *in Pſeudoïſidoro vapul. Erepſit ante Annos* 800. *è ſolo Iberico, lumbricus neſcio quis* Iſidori Hiſpalenſis *larvâ tectus, qui faces viliſſimas, pretioſiſſimis antiquorum Urbis Epiſcoporum titulis appoſitis ſempiternæ gloriæ---commendaret: octo propemodum ſeculorum decurrit ordo, tantiſper dum Latinorum omnium patientiâ abuteretur, excæcatique Orbis oculum ſuis ſublineret offuciis, ingenio hebes, vitâ turpis, exiſtimatione damnatus, impudentiâ atque audaciâ, ſuper quam dici poteſt, fretus, projectæ nequitiæ rabula* &c. qui idem Opus ejus *Mercem mendaciorum* paulò pòſt vocat. Suppoſuit enim Pontificibus Romanis primis, Clem. Aniceto, Euariſto &c. uſque ad Siricium, Epiſtolas Decretales; cùm vel unica compilatio Dionyſii Exigui primi Decretalium ac ſeduli conquiſitoris, ultra Siricii tempora nullas extitiſſe à Rom. Epiſcopis ſcriptas Epiſtolas hujuſmodi, evincat. Vide Gerh. von Maſtricht JC. *Hiſt. Juris Eccl. n.* 220. & *ſeqq.* ac infrà in voce *Mercator*, item *Pſeudoiſidorus.* Addam ſaltem, primum Ricolphum, Ep. Moguntinum, ejus Collectionem in Germaniam pertuliſſe, cùm priùs Hadr. I. Collectione uteretur, ex eodem, *n.* 191.

ISIDAS Lacedæmonius, qui centum æqualibus aſſumptis, oleo inungi & ſertis oleæ redimiri juſſis, gladiis ſub alis abſconditis, Thebanos Gythium præſidio tenentes, de habitu iſto nihil ſecus opinantes oppreſſit, portumque Lacedæmoniis reſtituit. Vide Polyæn. *l.* 2.

ISIDIS Inſ. Sinus Arabici, Æthiopiæ continenti ferè adjuncta, in Sinu Avalite.

ISIDIS Templum. Strabo *l.* 14. *p.* 683. Plin. *l.* 5. *c.* 10. Lucan. *Bell. Civ. l.* 10. *v.* 15. Tac. *Hiſt. l.* 4. *c.* 84. Herod. *l.* 2. *c.* 59. opp. Ægypti, ad Nilum, prope Copton. Vide *Iſis.*

Præſules varii.

ISIDORUS Cordubenſis Ep. ſub Honorio & Theodoſio jun. Scripſit Comm. in libb. Regum, quos Paulo Oroſio, Auguſtini diſcip. dedicavit. A. C. 412. Iſid. Senior priſcis dictus, ad diſcrimen Iſid. Hiſp. Trithem. *de Scr. Eccl.*

ISIDORUS, Damiatenſis, vel Peluſiota, quia in ſolitudinem urbi huic vicinam ſe receperat, dictus; diſcip. Chryſoſtomi. Scripſit Epiſtolar. 3. chiliades Suid. decem habet, Niceph. Calliſt. *Hiſt. l.* 14. *c.* 24. 28. 30. & 53. præter alia opera. Sixtus Sen. addit, in Bibl. S. Marci Venetiis A. C. 1048. Epiſtolas adhuc ineditas aſſervari. Quæ in publicum prodiêrunt, libb. 5. ſuccinctæ ſunt & oppidò elegantes, in quibus plurima S. Scripturæ loca eruditè enodantur. Vixit A. C. 431. tempore Conc. Epheſini. Obiit A. C. 440. Facundus *l.* 2. *defenſ. trium Capit.* Euagr. *Hiſt. l.* 1. *c.* 15. Phot. *Bibl. in Ephr. cod.* 228. *& in Steph. Gobar. cod.* 232. Gul. Tyr. *l.* 19. *c.* 12. *& l.* 20. *c.* 5. &c.

ISIDORUS Hiſpalenſis, Archiep. fil. Severiani, Carthagenæ Præfecti, frater Fulgentii Præſulis Carthagenæ & Leandri Archiep. ſimiliter Hiſpalenſis, cui ſucceſſit A. C. 598. Præcipuum Hiſpaniæ eo tempore ſidus. Obiit A. C. 636. Opera ejus, A. C. 1580. Primùm Pariſiis, dein A. C. 1618. Colon. edita, continent libb. 20. Originum, Chronicon, Comm. in libros Hiſt. Vet. Teſt. &c. Sigebert. *Chron. c.* 55. Mariana *Hiſt. Hiſp. l.* 6. *c.* 5. 6. *&* 7. Trithemius, *Voſſ.* &c.

ISIDORUS, Patr. CP. Joh. pulſo ſucceſſit A. C. 1347. Eruditione inſignis. Joh. Cantacuz. *Hiſt. l.* 4. Alius, Sec. ultimo.

ISIDORUS Theſſalonicenſis, Ep. Ruſſiæ, ab Eugenio IV. purpura donatus, cùm Latinos ritus in Eccl. ſua ſtabilitum iret, à Ruſſis in vincula conjectus eſt. Inde liber, à Nicolao V. CPolim miſſus eſt, quam capi vidit, ſub ſervili veſte elapſus. Obiit Romæ A. C. 1463. Comm. Pii II. ſub nomine *Gobelini*, editi, magnum Chron. Flandriæ, &c. Item Philoſophus, cujus vitam Damaſcius ſcripſit, Phot. *cod.* 181. & 242. Item fil. Baſilidis, errorum paternorum hæres, Sec. 13. Auctor libri infamis, quem Ethicam inſcripſit, ut & alterius, de anima adnata. Clem. 1. & 2. *Strom.* Item, Presbyter Alexandrin. Origenis ſectator, Sec. 5. Item, Ep. Pacenſis, cui Chronicon adſcribitur, Vaſæus *Chron. c.* 4. Voſſ. *de Hiſt. Lat.* Item Diaconus, Chronogr. auctor, Joh. Damaſc. *l.* 3. *de Imag.* Item, Archiep. Theſſalonicenſis Auctor homiliarum in Lucam, Sixtus Sen. *Bibl. S. l.* 4.

Viri Clari.

ISIDORUS, ſub Decio Imp. martyrio apud Alexandriam coronatus eſt, A. C. 251.

ISIDORUS Characenus, *In Deſcript. Parthiæ* citatur ab Athen. *l.* 3. Ejus ſcriptoris Σταθμοὺς Παρθικοὺς primus in lucem protraxit David Hoëſchelius, citatur pluribus in locis à Plin. Malè autem Schottus eum confundit cum C. Cæcilio Claudio Iſidoro, de quo idem Plin. *l.* 33. *c.* 10. Floruit ſub Ptolomæo Lago. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *& l.* 4. *c.* 10. *de Math. c.* 43. §. 1. *& c.* 69. §. 9. Alius quoque *Iſidorus* fuit Phyſiologus, ex quo Germ. Cæſar de corvo quædam refert. Diverſi quoque ab his *Iſidorus* Peluſiota, cujus Epiſtolæ hodie extant; & *Iſidorus* Hiſpalenſis, cujus originum libri manibus omnium teruntur. Vide ſupra.

ISIDORUS Clarius, Brixianus, S. Bibliorum tranſlator, Obiit A. C. 1555. Benedictinus, Ep. Fulignii. Ejus ſcripta enumerat Anton. Teiſſier in *Elogiis Viror. Erud. Clar.* P. 1. & 2. ubi inter alia & *Orationum* ejus *in Conc. Tridentino habitarum* meminit. Vide quoque *Bibliothecam* Sixti Sen. & P. Simonem *Hiſt. Critic.* habitam Vet. *Teſt.* ubi Notas illius in S. Biblia, ex Munſtero exſcriptas, obſervat.

ISIDORUS Iſolani, Dominicanus Mediol. Auctor. ſummæ privilegiorum S. Joſephi, A. C. 1523. à Mercurio (qui primus neri poſſe lanas & in modum teſtis tiliacei, quales priùs fiebant, torqueri oſtendit) edoctam laneæ veſtis texturam primam Ægyptios prodidiſſe, docet Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio.* Ex eo tempore, materia texendis veſtibus prodita, nec lanea tantùm de ovibus: ſed mox etiam de aliis rebus, quæ poſtea exemplo lanæ repertæ ſunt quæque idoneam veſtificinæ materiam, haud ſecus ac lana, præbuêrunt, ut linum, ſericum, bombycinum & alia hujuſmodi generis. Et certè Plin. *l.* 7. *c* 56. textilia Ægyptios inveniſſe ſcribit; textilia de lana intelligens: nam lini inventionem Arachnæ tribuit. Antea verò non textiles, ſed plexiles veſtes fiebant, ex reſtibus, aut vinculis tiliaceis inter ſe nexis & plexis in retis modum. Ex papyro etiam tales & Junco, & ex materia fluminea, quam Græci φλοῦν vocant, plecti moris erat, teſte Meletio *de Nat. Hom.* & Herod. *l.* 3. ubi de Indis. Porrò *Iſidis* nomine Lunam & Tellurem, imò univerſam Naturam ab Ægyptiis cultam; eandemque cum Cerere, Cybele, Venere ac Matre Deûm, Bubaſti imprimis ac Copti in veneratione fuiſſe, dictum alibi. Addam ſaltem, non improbabilem eorum ſententiam eſſe, qui eâ Evam, primam noſtrûm omnium matrem, fuiſſe adumbratam contendunt. Nam ut de Germanica *Iſide* priùs dicam, fieri poteſt, ut apud gentem hanc primævâ de Adamo & Eva, quorum ille Mannus ſit, hæc *Iſis*, remanſerint λείψανα quædam. Quomodo enim *Adam*, quod hominem notat, ac per excellentiam marem, commodiùs reddidiſſent ſuâ linguâ, quam *Mannum.* A *Man* autem mulier dici potuit *Manna*: ſed non fuit hoc in uſu Germanis. Ac fortaſſe ex longa tranſitione retinuêrunt Hebræum *Iſcha*; quod apud Moſen & veteri Latinorum linguâ *Viram* ſonat: unde apud Feſt. *Viræ Querquetulanæ.* Romani autem, cùm audirent, Germanicæ genti cultos *Man* & *Iſcha*, ut ex illo *Mannum*, ita ex hac *Iſidem* fecerint: quia non viderent, quod Numen *Iſcha*, quàm *Iſis* eſſe poſſet. In quo quantopere falſi ſint; ex dictis videre eſt. Niſi & Ægyptiis, ut Oſiris Adamus ſic Eva *Iſis.* Nec enim putandum, primorum Parentum memoriam in Aſia penitùs apud Gentiles intercidiſſe. Namque, ut alia prætercam, Adana, antiqua Ciliciæ urbs, à Syris condita, haud dubiè in memoriam primi hominis appellata eſt. Sed conſtat, Græcos non habere voces in *m.* exeuntes, eoque pro Ἀδαμ dixêre Ἀδαν, & terminatione additâ, Ἄδανος: unde urbs Ἄδανα; qui Ἄδανος, ut ait Steph. Cœli Terræque fil. erat. Quod nulli meliùs convenit, quàm Adamo noſtro. Idem Steph. ait, aliter dictum Saturnum & Rheam: putà quia Saturnus eſt primus homo & Rhea, omnium mater Eva. Imò, nonne Εὐὰν in orgiis Bacchi ululatum ipſum Evæ nomen ingerit? Hi proin, quia una erant caro, ut etiam loquitur S. Scriptura, ideo uno nomine Numineque comprehendebantur à Cilicibus, ſi rectè eorum mentem idem Steph. nobis expoſuit. Quo teſte, idem quoque Ἄνδης, qui fortaſſe Σάνδης, h. e. *Hercules.* Nam hunc Indis *Sandem* vocatum Eruditi docent. Idemque Ἄδης ſive Dis: nempè Adam è terra & in terram rediit; atque inde ei nomen: uti & Ἄδην quoque dixêre Græci & Hebr. אדמה *Adama*, i. e. *Terra*; *m.* itidem in *n.* abeunte. Parque ratio in aliquot aliis Gentium Diis, à Steph. memoratis: cujus cauſa eſt, quòd, ut in naturali Theologia præcipui Deorum ad Solem & Lunam referuntur: ita Dii animales potiſſimi pertineant ad primos noſtros Parentes; vel ſaltem Noachum & conjugem; vel tandem liberos horum, qui Orbem partiti ſunt, &c. Vide Voſſ. de orig. & progr. *Idol. l.* 1. *c.* 38. Joh. Selden. *de Diis Syris*, Pignor. *ad Tabul. Iſiac.* Alios, & ſuprà aliquid, in voce *Iſenacum.* Sed nec omittenda illorum ſententia qui *Iſidem* voluêrunt eſſe Virginem, quæ inter aſtra. Namque & *Iſidi* ſpicæ datæ in ſimulacro. Apulejus *l.* 1. *dextrâ lævaque ſulcis inſurgentium viperarum cohibita, ſpicis etiam deſuper cerealibus porrectis*: è quibus ſiſtrum conflatum, prodidit Leo Antiſtes Alex. Mag. apud Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 8. Et gubernaculum nonnunquam adpingitur, quo modo & Fortunam, quam pro Virgine quoque ſideribus intulêre nonnulli, pingi notum. Sed de hac re plura infrà, ubi de *Virgine. Iſidem Multimammiam*, ſimulacrum hieroglyphicis notis refertum, aſſervari in Muſeo Kircheriano, Georg. refert de Sepib. *in Deſcr. ejus p.* 8. cum hac *Inſcr.* ex Diod. Sic. deſumpta: *Ego ſum Iſis Ægypti Regina, à Mercurio erudita, quæ ſum uxor Oſiridis. Ego ſum mater Hori Regis quæ ego legibus ſtatui, nullus ſolvere poterit. Ego ſum prima frugum inventrix. Ego ſum in aſtro Canis refulgens: Mihi Bubaſtis urbs condita eſt, gaude, gaude Ægypte, quæ me nutriviſti.* Ut & de Sacerdotibus ejus quædam addam: Eos abſinthii marini ramum in ſacris prætuliſſe, habet Plin. *l.* 27. *c.* 7. ab iiſdem aſpidem, cum tumido collo, caput arduum attollentem circumferri conſueviſſe, diximus ſuprà, in voce *Chelidonia.* Canebant autem bis in die Iſidi ſuæ laudes, primâ ſc. horâ, quâ Templum aperiebant (unde ritus *Apertio* dictus) & Deam ſalutabant (quòd *Salutationem* & *Exercitationem* vocavêre.) Pòſt totum diem ſtipem emendicabant; inde ad octavam redibant, idoloque, poſtquam id ſtantes adoràſſent, compoſito templum claudebant. Mart. hinc *l.* 10. *Epigr.* 48: cujus Epigraphe parat convivium initio.

Nuntiat octavam Phariæ ſua turba juvencæ,
Et pilata redit jamque ſubitque cohors.

Et Tibull. *l.* 1. *Eleg.* 3. *v.* 31.

Biſque die reſoluta comas tibi dicere laudes
Inſignis turba debeat in Pharia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Quâ circumcurſatione indagationem filii amiſſi ab *Iſide* factam quotidie repræſentabant. Vide Rader. *ad Mart. d. l.* infrà quoque aliquid in voce *Pauca.* Quia vero tenuioribus papyri membranulis pedes indutos hi exſecti Sacerdotes haberent, ἀνυπόδητοι ſive diſcalceati nudiſque pedibus non malè incedere quibuſdam dicti ſunt, cùm propriè nec calceorum, nec ſolearum úſum membranulæ illæ præberent. Sic intelligi facilè Prudent. poteſt περὶ στέφ. *Hym.* 10. *v.* 154. & ſeqq. qui de ſacris *Iſidis*, quæ aliis *Cybele*, magna Deorum Mater dicitur, loquens, nudis plantis remotiſque calceis Gallos illius ſacerdotes inceſſiſſe teſtatur his verſibus:

Nudare plantas ante carpentum ſcio
Proceres togatos, Matris Idea ſacris.
Lapis nigellus evehendus eſſedo,
Muliebris oris clauſus argento ſedet:
Quem dum ad lavacrum praeundo ducitis,
Pedes remotis atterentes calceis,
Almonis uſque pervenitis rivulum.

De iiſdem memorat Lucian. tintinnabulo in ſacris uti conſueviſſe: Ait enim, *Ante Syria Dea templum phallos duos mira altitudinis fuiſſe ſtatutos: in hos Sacerdotem eâ ſolitum arte conſcendere, quâ Syri palmas altiores, nimirum fune caudici advoluto, ac paulatim ad ſuperiores partes pertracto. Cùm verò ad ſummas phalli partes perveniſſet, orare, ſacra facere ac inclamare conſueviſſe, atque interim tintinnabulo ſonum edere, ut verbis tinnitus ſociaretur.* Æs namque in ſacris non modicam vim habere, credita antiquitas. Sunt etiam qui putent, eoſdem qui ſtipem non modicam corradentes colligebant (quos proin Cic. *de LL. domos exhaurire & urbem ſuperſtitione implere* dicit) tintinnabula uſurpâſſe, viſiturque inter antiquorum ſtatuas Romæ, Sacerdos *Iſiacus* cum pera & tintinnabulo. Quo modo apud Italos *Divi Antonii fratres*, & apud Turcas Religioſi quidam, urſum vel cervum, è quorum collo nola ſonat, manu ducentes per civitates ſtipem corrogant, Hier. Magius *l. de Tintinnabulis.* Nec omittendum, quòd Octavii apud Minuc. querela, *de ſtupris inter aras & delubra* Gentilium *conductis*, in hujus inprimis idoli ſacra quadravit, ut in cujus templo ſcelera hæc præcipuè committi conſueviſſe, ex Ovid. diſcimus *Amor. l.* 2. *Eleg.* 2. *v.* 25. *de Arte Amandi l.* 1. & 3. Juv. *l.* 2. *Sat.* 6. *v.* 487. Aliiſè quibus Juv. *Sat. cit.*

——— *jamque expectatur in hortis*
Aut apud Iſiaca potiùs ſacraria lena.

Ubi idem Schol. *ibid. v.* 528. *Apud templum*, ait, *Iſidis Lena conciliatrices: quia in hortis templorum adulteria committentur.* Imò *in templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipſis plerunque adituorum & ſacerdotum tabernaculis ſolita*, tradit Tertullian. *Apologet.* &c. Siſtri *Iſiaci* iconem exhibet L. Pign. *Comm. de Servis.* Vide quoque infrà in voce, *Siſtrum.* Sed non ſiſtra ſolùm, verùm etiam cymbala & tympana in his ſacris fuiſſe adhibita docet Auſ. *Ep.* 25. *v.* 20. & ſeqq.

Cymbala dant flictu ſonitum, dant pulpita ſaltu
Icta pedum, tentis reboant cava tympana tergis,
Iſiacos *agitant Mareotica ſiſtra tumultus.*

Vide Jac. Ouzel. *Animadverſ. ad Minuc. Fel. p.* 88. De *Iſidis* porrò dubio & utriuſque ſexûs idolo, adi Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. Theb. l.* 5. *v.* 20. ex Appuleii, trifariàm initiari ejus Paſtophori, *Mileſia* 11. cujus veſtigia; per errorem, in quodam lapide, pro S. illius Angeli (qui Greg. Mag. litaniarum auctori, peſtis tempore, gladium in vaginam recondens, viſus dicitur) veſtigiis diu, & quidem uſque ad Alex. VII. tempora adorata fuiſſe Romæ, in templo S. Mariæ Aræ-Cœli, adnotatum legas apud Dom. Macr. in *Hierol.* in hac voce, qui & in voce *Litania*, hanc Deam pedum tutelare Numen habitum fuiſſe, ex votivis tabellis, magno numero ibidem appenſis, cum *Inſcr.* DEÆ ISIDI, docet.

ISIDORUS, nomen Congregationis Hieronymitarum apud Hiſp.

ISIGONUS, Cittienſis memoratur à Cyrillo, adverſus Julianum *l.* 3. *Iſigonus* Nicæenſis à Gellio *l.* 9. *c.* 4. inter ſcriptores veteres reponitur Scripſit de tabulis, miraculis, rebuſque incredibilibus & inauditis. Quædam ex eo refert Plin. *l.* 7. *c.* 2.

ISINISCA, ſ. ISUNISCA, Welſero eſt *Iſen*, caſtr. dit. Friſingenſis, ad amnem *Iſin*, 6. leuc. à Monachio in Ort. Aliis eſt Monachium, quod probabilius. *Baudr.*

ISIS, quibuſdam Jo à Jove rapta, vide Jo; aliis Ceres aut Luna viſa eſt. it. Aſtarte, Dea Syria, Rhea, Deûm Mater, Cecropia Minerva, Paphia Venus, Dictynna Diana, Stygia Proſerpina, Juno, Bellona, Hecate, Rhamnuſia, Cybele &c. Lucian. *de Dea Syr.* Μυριώνυμον enim eam fuiſſe, Plutarch *de Iſide* docet Fuit autem uxor Oſiridis, & pro Dea ab Ægyptiis ſolennibus feſtis ſtatuiſque ſerto ex ariſtis contexto coronatis, culta. Hæc enim Inachi filia cùm eſſet, unde *Inachis* vocata, in Ægyptum venit, primaque triticum & hordeum inveniſſe, legeſque ſtatuiſſe dicitur. Apud Alexandrinos autem in præcipuo honore fuit: Nihilominus à Senatu Rom. recepta, Lucan. *Civ. Bell. l.* 8. *v.* 831.

Nos in templa tuam Romana recepimus Iſin.

Eademque in Italia ei ſacrificia inſtituta ſunt, quæ olim in Ægypto, de quibus fuſiſſimè Apulejus *Mileſiar. l. ult.* Durantibus ſacris, novem noctibus integris ſecubare moris erat, Ovid. *Amor. l.* 1. *Eleg.* 8. *v.* 74. Quia autem ſacra ejus turpiſſima, hinc quidquam evulgare nefas. Imò Piſone & Gabinio Coſſ. Romæ cultus iſte prohibitus eſt, quem Commodus Imp. reſtituit, ipſe raſo capite Anubim geſtans: Nec quandiu Romæ fuit, ulli Deorum majori ſuperſtitione, quàm ei litatum, maximuſque honor ejus ſacerdotibus delatus eſt. Hinc Suet. in F. Flav. Domit. *c.* 1. Iſiaci *habitu celatus, inter ſacrificulos vana ſuperſtitionis ita latuit*, Templum ibi habuit, prope ſepta ſ. ovile, in regione 9. in cujus penetrali habitabant ſacerdotes, à populo velo diſcreti. Suet. *in Tib. Ner. c.* 36. Tac. de Morib. Germ. *c.* 9. Dio. *l.* 40. 42. 47. 53. & 54. Lamprid. *in Commodo.* Tertullian. *in Apol. c.* 6. Quidam duas *Iſides* fuiſſe aſſerunt, Clem. 1. *Strom.* Herod. *l.* 2. *c.* 59. & 156. Euſeb. *Præp. Euang. l.* 1. Lilius Gyrald. de Diis Gentilium *Syntagm.* 12. E veteri orbe in novum tranſiiſſe, unà cum reliqua Ægyptiorum ſuperſtitione, vidit P. de la Valle, *Itin. tom.* 4. Sacerdotes ejus *Iſiaci* dicti, qui veſtibus tantùm lineis, quas illi λινοστολίας appellabant, amiciebantur, ideo forſan, quia *Iſis* lini uſum prima mortales docuiſſet. Hinc etiam illi, qui ad Deam ſupplicaturi accedebant, veſtes è lino induere habebant neceſſe. Sacerdotes hi, ex religionis præſcripto, abſtinebant à ſuillis & ovillis carnibus, ſales carnibus non adhibebant, ne caſtitatem violarent: vinum ipſi benè dilutum non bibebant, radebant caput, calceiſque papyraceis uſi, Iſidis imaginem humeris portabant: quam tamen & aſinus interdum geſtabat. Porro ſiſtrum concutiebant, cujus uſus in bellis quoque fuit. Plura de his vide apud Diod. Sic. *l.* 1. & Plutarch. *pecul. l. de Iſide & Oſiride.* De habitu verò eorum adi Torrent. *ad Domit. Suet. c.* 1. Dempſter. in Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 22. *&c.* Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 787. & ſeqq. totam pompam ita deſcribit:

Inachis ante torum pompâ comitata ſacrorum
Aut ſtetit, aut viſa eſt, inerant lunaria fronti
Cornua cum ſpicis nitido flaventibus auro,
Et regale decus, cum qua latrator Anubis,
Sanctaque Bubaſtis, variiſque coloribus Apis,
Quiſque premit vocem, digitoque ſilentia ſuadet.
Siſtraque erant nunquamque ſatis quaſitus Oſiris,
Plenaque ſomniferis ſerpens peregrina venenis.

De *Iſidis* Sacris Romæ ſublatis, A. C. 120. Vide quoque *Paulina.* Hinc *Iſidis Inſ. Iſidis Portus* Plin. *l.* 6. *c.* 29. *Iſidis Templum* Strabo *l.* 14. *p.* 683. & *l.* 17. *p.* 822. inſ. ſinûs Arabici. Item urbs Ægypti ad Nilum prope Copton urb. Cæterùm, *Iſidem.*

ISITIA, apud Æl. Lamprid. *in Heliogab. Primus fecit de piſcibus Iſitia*: pro *Iſicia*, è Græco ἰσικὰ & ἰσίκια, ſ. potiùs è Latino veteri *inſicare*, pro *inſecare.* Nihil enim aliud *Iſicium* eſt, quàm inſecta minutatim caro: cujuſmodi inſiciis & minutalibus ex carne vulgò farciebantur avium ventriculi; ut anſerum & gallinarum: primus verò Heliogabalus de piſcibus fecit; de oſtreis & leioſtreis & aliis hujuſmodi marinis conchis & locuſtis & cammaris & ſcillis. Unde colligere eſt, quid ſentiendum, de *Rei Culinaria libris* Apitio, uni è tribus ejuſdem nominis gulæ Proceribus, vulgò attributis, in quibus *Iſitiorum* marinorum *de ſcylla ſ. cammaris & amenſtracis: de loligine, de ſepia, de locuſta; de pectine, de oſtrea,* mentio eſt. Porrò ita frequenter de piſcibus *Iſicia* facta, ut inde hariolati ſint nonnulli, & nominis illius etymon: ab *iſoce* nempe originem ejus Iſid. arceſſit *Orig. l.* 20. quem *Iſicii* ipſo nomine donat Beda *l.* 1. *c.* 1. Sed meritò ſententia prior præferenda, Caſaub. & Salmaſ. *ad Lamprid.* Hinc *Iſiciarii*, in teſtamento ridiculo Grunii Corocollæ, Porcelli, apud Hier. *Ep. ad Euſtochium*, *Verboſis linguam, bubulariis inteſtina Iſiciariis femora, mulieribus lumbos* &c. Vide quoque Macrob. *Sat. l.* 5. quo loco de difficili Iſiciorum digeſtione monet, Hier. Merc. *Obſervationib. Medicinal. l.* 1. God. Stewech. *Electis ad Arnob. l. ult.* & ſuprà in *Eſiciata.*

ISIS, & *Serapis*, dicta quoque eſt Urbis Romæ regio III. à Templo Joh. Marsham. *Canone Chron. Sec.* IV. ubi *de Idololatria vetuſtate.*

ISIUM, apud Lamprid. in *Alex. Sev.* Iſium *& Serapium decenter ornavit; adhibitis ſignis & Deliacis & omnibus myſticis*; fanum eſt Iſidis, cujuſmodi cum plura in Urbe fuerint; putat Caſaub. illud hic *Iſium* illudque Serapium intelligi, quæ Caracallus ſtruxerat. Apud Trebell. Pollion. *Iſium Metellinum* occurrit, in *Vita* Tetrici Junioris, ut vidimus ſuprà in voce *Iſeum.*

ISIUM, urbs Ægypti Sup. Steph. *Ant.*

ISLA, fluv. Friſiam perfluens. Vulgò, *Yſel*, ſ. *Yſſel*, *Regin.*

ISLAMI, nomen quo ſeſe invicem Turcæ appellare amant, i. e. *concordes, unanimes, pacifici*, à verbo Arabico סלם *Salam* i. e. *pacificus fuit, ſalvus evaſit, pacem habuit*; unde & *Muſulmannorum* nomenclatio, quâ ſeſe iidem jactant, Chriſtianos contrà *Gauros* & *Giafros*, quaſi *extraneos* & *adulterinos*, vocantes. Joh. Leunclav. *Hiſt. Muſulman. l.* 1. & 16.

ISLANDIA, Germ. *Iſland*, Gall. *Iſlande*, Inſ. maris Sept. ampliſſima, nomen habet à glacie, quæ illi ad Bor. perpetuo adhæret, nam ibi jam incipit mare Congelatum: dicitur etiam *Snelandia*, à nive, & *Gardartsholm*, à Gardarto ejus inventore: quibuſdam videtur eſſe Thule veteribus cognita, ſed his Saxo Grammaticus, Crantzius, Milius Jovius, & Peucerus refragantur. Eſt extenſa ab Ortu in Occ. Patet in longit. 100. mill. Germ. ut vulgus ſcriptorum habet, his addit 44. Angrimus Jonas Iſlandus. Baudr. longam facit 200. leuc. Gall. latam 100. circiter. Sita eſt non ſub Meridiano primo, ut notant aliqui, ſed octavo in de gradu: ſatis culta & fertilis verſûs oram litor. pro majori parte in mediterraneis inculta eſt & montoſa, præſertim verſus plagam Sept. ob auſtera ſpiracula venti Circii, qui nec frutices, ut tradit Olaus, elevari permittit. Huc Norvegii tyrannidem Haraldi fugientes, migra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

migrârunt, Duce Ingulfo. A. C. 860. Subeſt regno Norvegiæ, inter quam & Groenlandiam ſita eſt, ab A. C. 1260. quo primùm huic homagium incolæ præſtitêrunt, quâ ratione Rex Daniæ, (à quorum uno Canuto jam cum Orcadibus ſubacta fuit, A. C. 1062.) qui & Norvegiæ, eò quotannis præfectum mittit, cui nunc obediunt, ut quondam ſuis Epiſcopis: à quibus ad Chriſtianam fidem, ſub Adelberto Ep. Bremenſi, converſi fuêre: Canutus Vandalorum Rex hîc, ut & in Dania, Suecia, Norvegia ac Groenlandia, Epiſcopos inſtituit, A. C. 1133. Quadripartitâ diſtinctione dividitur ſecundùm quatuor mundi plagas, in Occid. quadrantem, ſ. *Veſtlendingafiordung*, incolis: in Orient. quadrantem, *Auſtlendingafiordung*: in Sept *Nordlendingafiordung*, & Mer. *Sudlendingafiordung*. Duos habet Epiſcopatus cathedrales, Holam, & Scalholt, cum ſcholis utrique adjunctis. Moneta carent ſua & urbibus, nam montes habent pro urbibus, & fontes pro deliciis, ita tradente Crantzio, qui ſpecus eos plerunque habitare dicit, ad montium latera excavatis manſiunculis, imprimis tempore brumali, quod Olaus quoque aſſerit. Ex oſſibus piſcium domos conſtruunt, penuriâ lignorum: quibus etiam in farinam ſubactis, panis loco veſcuntur: lingua utuntur Cimbrica, ſive Germanica veteri, quâ ſacra Biblia interpretata typis elegantiſſimis ſunt excuſa A. C. 1584. Præter equos & boves nullum armentum apud hos eſt: præter Betam & Juniperum nullam ferè arborem habent: at graminis adeò fæcundum ſolum, ut niſi pecus à pabulo interdum arceatur, ab aruina ne ſuffocetur, periculum ſit. Boves & vaccæ hîc omnes cornibus carent, ex Orientalis & Borealis inſ. plaga: ibidem ſunt montis ignivomi, quales ſunt Hecla, Crucis, Helga: Ibi inſignes catelli quoque, Militenſium æmuli, falcones, urſi albi. Incolæ robuſti & feroces. Porro Spiritus in hac inſ. ſ. umbræ comperiuntur, ſe exhibentes manifeſtos humanis in miniſteriis, ſ. alio violento caſu enectorum, ut refert idem Olaus: Fons eſt, qui fumigantis aquæ vitio naturalem cujuſlibet rei originem demolitur, & quidquid fumi hujus exhalatione reſpergitur, in lapideæ naturæ duritiem tranſmutatur, forma duntaxat ſuperſtite: Eſt fons peſtilentis undæ, quem qui guſtaverit, perinde ac veneno poſternitur. Sunt latices Cerealis poculi proprietatem imitantes. Sunt & ignes, qui cùm linum conſumere nequeant, aquæ mollitiem depaſcuntur. Sed qui omnia hujus inſ. inſolita naturæ miracula cognoſcere deſiderat, adeat Albert. Crantzium, Saxonem Grammaticum, Joh. & Olaos Magnos Joh. Matal. Metell. Urbes præcipuæ ſunt Hola & Schalorum, & Beſteda arx, ubi Prorex Inſ. commoratur. Baudr. Ortel. Magin. Mercat. Cluv. Strabo *l.* 4. Quibuſd. *Iſlandia* Thule Vett. eſt. Vide *Thule*. Ei communi juriſdictionis vinculo cohærent Inſ. Ferrenſes & Schetlandicæ, avium proventu non ignobiles: Itidem ſub Danorum Rege: ut terra Sancta *T'heylige Land*, haud procul oſtio Albis ſita. Vide quoque Georg. Horn. *Orbe Imp. p.* 357. cum *Notis Joachemi Felleri*.

ISLEBIA, urbs Comit. Mansfeldici, patria Lutheri.

ISLERÆ Caſtellum, vulgò *Illiers*, locus in Carnutibus ad Lidericum fluv. non longè ab Avallòcio, Bona Valle atque Caſtroduno, Fulberto Carnutum Ep. memoratus: Una eſt ex villis majoribus Eccl. Carnutinæ B. Mariæ. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

ISMAEL, fil. Abrahæ ex Agar ancilla, nat. A. M. 2124. Cum Matre, à Sara, pulſus, monitu Angeli, in patris domum rediit. Adultus Ægyptiam uxorem duxit, ex illa 12. filiorum pater, unde Arabes, Agareni, Iſmaëlitæ, Sarraceni, &c. orti. Ex ejus fam. ſe Mahometes in Alcorano oriundum quoque gloriatur. Obiit A. M. 2261. Æt. 137. Gen. *c.* 16. *v.* 11. *& ſeqq.* Joſeph. *Antiqq. l.* 1. *c.* 12. Torniel. & Salian. *Ann.* Fil. item Nethaniæ. 1. Reg. *c.* 23. *v.* 21. ex Regia apud Judæos fam. oriundus, Godoliam Judææ præfectum proditoriè ſuſtulit. Vide Jer. *c.* 40. *v.* 15. Joſeph. *Antiqq. l.* 10. *c.* 11. Torniel. A. M. 3447. *n.* 10. Salian. &c. Fil. Aſel. 1. Paral. *c.* 8. *v.* 38. & *c.* 9. *v.* 44. Ab eo *Imaëlitæ* dicti, de quibus Jud. *c.* 8. *v.* 24. *Inaures autem aureæ erant iis, quia* Iſmaëlitæ *erant*. Ubi Druſius per *Iſmaëlitas* non alios quàm Madianitas intelligit, qui nomine ſtrictiùs accepto ſic vocabantur, cùm aliàs *Iſmaëlitarum* notio latiùs ſeſe extenderet, ad omnes nempe populos illos, quorum autor *Iſmaël* fuerat. Quod egregiè illuſtrat Hiſtoria Joſephi Gen. *c.* 37. *v.* 28. & 29. ubi, qui eum emêrunt à fratribus, modò *Iſmaëlitæ* dicuntur, modò *Madianitarum* nomine indigitantur: *Cui auſcultavêrunt fratres ejus Mercatoribus itaque tranſeuntibus Madianitis quibuſdam extrahentes ſuſtulêrunt Joſephum ex ciſterna, vendidêrunt Joſephum Iſmaëlitis.* Qui Madianitæ ex filiis erant Keturæ, quam eandem eſſe putat R. David cum Hagare, unde Hagareni, qui & *Iſmaëlitæ*, & Arabes. Caſp. Bartholin. *de Inauribus vett.* Salmaſ. *Iſmaëlitæ*, iidem Scenitis Arabibus ſunt, quos intonſum crinem & vittâ caput redimitum habere, tradit Hier. in *Vita* Malchi: *Ecce ſubitò equorum camelorumque ſeſſores* Iſmaëlitæ *irruêrunt crinitis vittatiſque crinibus ac ſeminudo corpore.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 555. Joh. Forbeſ. *Inſtruction. Hiſt. Theolog. l. IV. c.* 14. §. 2. & hîc paſſim, ubi de *Agarenis*, *Arabibus*, *Saracenis*, nec non in voce *Venus*.

ISMAEL, primus Perſarum Sophus, fil. Magnatis cujuſdam, ex Uſuncaſſanis filia; regnum Perſarum inſtituit, A. C. 1499. dum novam Alcorano explicationem affingit, ex Aly, genere Mahometis, ſtirpem mentitus. Diverſis contra hoſtes præliis victor, Obiit A. C. 1522. Prudentiâ clarus, Europæos Principes non ſemel ad ſocianda contra Turcas arma, hortatus eſt. Ejus ſucceſſores *Sophi* dicuntur, quæ vox Perſicè lanam notat, ex qua pileus eorum confici ſolet. Bizard. *H. P. l.* 10. Leunclar. *Ann. Turc. l.* 16. *&* in *Rand.* Paul. Jov. *Elog. l.* 5. Joh. Barrius, *Marc. &c.*

R. ISMAEL, locutus eſt de XIII. regulis interpretandi Legem, initio *Thorat acoharim*; ſocius fuit R. Akibæ, de quo vide ſuprà.

ISMAEL Bullialdus, Laudunenſis, celebris ob Aſtronomiam Philolaicam, à Philolao Pythagorico, motus diurni terræ olim aſſertore, dictam. Voſſ. *de Sc. Mathem. c.* 66. §. 14.

ISMAELA, Arabiæ parva regio Steph. *Iſmaëlitæ.*

ISMARA, Armeniæ maj. urbs juxta Euphratem. *Ptol.*

ISMARUS, mons Thraciæ partim aſper, partim olivetis & vitibus cultus, apud Hebrum fluv. & Maroneam urb. Plin. *l.* 4. *c.* 11. cujus accolæ Cicones Hom. ubi & palus & urbs *Iſmara* ſ. *Iſmarus* quondam fuit: plur. num. *Iſmara.* Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 37.

> ——— *Juvat* Iſmara *Baccho*
> *Conſerere.* ——— ———

Idem *Æn. l.* 10. *v.* 351. Iſmarici vini mentio eſt in Archilocho, cui οἶνος Ἰσμαρικὸς, dicitur & in Hom. *Odyſſ.* 9. ubi poſtquam Ulyſſes commendavit à ſuavitate vinum, quod ſibi Maron dono præbuiſſet, ſubdit de eodem Marone,

> ——— Ὃς Ἴσμαρον ἀμφιβέβηκει.

Prop. *l.* 2. *Eleg.* 33. *v.* 32.

> *Non non* Iſmario, *tu Polypheme, mero.*

Stat. *Theb. l.* 6. *v.* 108. & *l.* 7. *v.* 685. *Nic. Lloyd.*

ISMENE, Oedipi, Cyrrhei cujuſdam juvenis ſponſa, qui ante nuptias à Tydeo occiſus eſt. Stat. *Theb. l.* 7. *v.* 479. 535. & *l.* 8. *v.* 555. Item Bœotiæ vicus. *Steph.*

ISMENIAS, nomen Thebani tibicinis. De quo Plutarch. *in Pericle: Cùm audiſſet Antiſthenes,* Iſmeniam *optimum eſſe tibicinem, reſpondit, malus igitur. Nam ſi probus eſſet, tibicen non eſſet.* Hujus captivi Muſicam, ſe equi ſui hinnitui longè poſthabere, proteſſus eſt Athias, Scytharum Rex Plutarch. *in apophth.* Plin. *l.* 37. *c.* 1.

ISMENUS, fluv. Bœotiæ, etiamnum *Iſmeno*, non procul ab Aulide in Euripum Euboicum influens Plin. *l.* 4. *c.* 7. Ab *Iſmeno*, Pelaſgi fil. Inde *Iſmenius* pro *Thebanus* & Apollo *Iſmenius*. Steph. Nomen habet ab *impinguando* (verbo detur venia) id enim Hebræis eſt השמין *Hiſmin*. Ovid. *Met. l.* 2. *v.* 244.

> *Et celer* Iſmenos *cum Phocaico Erymantho.*

Idem Seneca *l.* 2. *v.* 244. & *l.* 6. *v.* 225.

> *Ubi torva rapidus ducat* Iſmenos *vada.*

Idem *Herc. Fur* Act. 2. *v.* 3. & Act. 5. *v.* 26. *Ædip.* Act. 1. *v.* 42. Strabo *l.* 9. *p.* 408. Callimach.

> ——— Μελαμψηφῖδος ἔχουσαι
> Ἰσμηνοῦ χέρα πατρός. ——— ———

Nic. Lloyd.

ISMIEL, nomen Principis. 1. Par. *c.* 4. *v.* 36.

ISMUC, vulgò ISNE, opp. Africæ, diſtans à Zama 20. mill. paſſ. Hujus ager nil venenati fert. *Vitruv.*

ISNA, urbs Germ. parva, ſed Imper. in Algovia, juxta amnem Argum ſup. 4. leuc. à Campiduno in Occ. & à Lindavia in Ort.

ISOCRATES, nat. A. U. C. 318. ſub Lyſimacho Archonte. Fil. Theodori, diſcip. Prodici, Gorgiæ, &c. Orator Athenienſis, unus è decem, dulcis & numeroſus in dicendo fuit. Vide Plutarch. *l.* 10. *Orat.* Phot. *Cod.* 260. *&c.* Ad Remp. non acceſſit, neque in concionem aſcendit, deficiente pronunciatione: tum etiam ad evitandam invidiam eorum, qui libenter iis, qui eloquentiæ honore præſtant, ſe opponunt. Civitatem tamen juvit. Philippumque in his, quæ ad illum ſcripſit, Athenienſibus conciliavit. Tandem, cùm ab eodem Patriam everti videret, Charondâ Prætore, cibo abſtinuit, Mortuus, A. U. C. 416. Æt. 98. Ejus Orationum paucæ quædam ſuperſunt, vide quoque Cic. *in Bruto*, *de Orat. l.* 13. Item *Iſocrates* prioris auditor, ex Apollonia Ponti, Orator & ipſe nobilis: Scripſit orationes quinque, qui & unà cum claris oratoribus certavit in funere Mauſoli Artemiſiæ martiti Suid. Item *Iſocrates* ac Machaon Præfecti claſſis Corinthiorum in bello Peloponneſiaco contra Athenienſes, à Thucydide commemoratus. *l.* 2. *p.* 156.

ISODOMON, ſtructuræ genus apud Vett. *cum omnia choria æquâ craſſitudine fuerint ſtructa*, Vitruv. *l.* 2. *c.* 8. h. e. cùm lapidum ordines fuerint *æquali* craſſitudine, unde nomen. Plin. *æquato lapide vel ſilice conſtructum* dicit: Ἐγχόρηγον opus Græci, quòd ad inſtar *chori* ordines habeat lapidum compoſitos, nam & chori ſunt ordines lapidum. Iidem σύνομον quoque λίθον appellant, qui æquali in ſtructuris ordine ponitur. At *Pſeudiſodomon* idem Vitruv. fieri ait, *quum inæquales & impares choriorum ordines diriguntur*; Plin. *l.* 36. *c.* 23. *cùm inæquali craſſitudine ſtructa ſunt* &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1232. & 1233. ubi *de tribus vulgatiſſimis ſtructurarum apud Græcos generibus*, nec non infrà, in voce *Structura.*

ISOLANI Iſidorus, vide *Iſidorus.*

ISOLOCHUS, Pater Pythodori Ducis, in Sicula prov. Succeſſit Lacheti. Thuc. *l.* 3. *p.* 232.

ISONÆ, Aſſyriæ opp. *Ptol.*

ISONDÆ, Sarmatiæ Aſiat. gens. *Ptol.*

ISONTIUS, mel. *Sontius*, fluv. Carnorum *Liſonzo*. Oritur in Carniola; auctuſque aliquot amnibus & Natiſone fluv. rigatiſque Goritiâ & Gradiſcâ, in ſin. Tergeſtinum labitur. Apud hunc Odoacer à Theodorico Gothorum Rege victus fugatuſque eſt. Caſſiodor. Vide *Sontius.*

ISORA Nuarola, mulier quædam Veronenſis, quæ per totam vitam Philoſophiam verbo & opère, profeſſa eſt. Scripſit Dialogum, in quo diſputatur, *uter gravius peccaverit, Adam an Eva?* Quibus literarum laudibus adjecit perpetuum virginitatis florem.

ISORIA,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ISORIA, Evoriæ in Epiro pagus. Sozom. *l. 7. c. 25.* *Iſoriæ Dianæ* Fanum in Laconica, circa Pitanen, Polyen. *l. 2. in Ageſilao, comm.* 14.

ISORROPOSTATICA, pars Statices, de qua ſuo loco.

ISOTTA, vel IZOTA *Nogarola*, filia Leonhardi, eruditionis & virtutis prodigium. Sec. 15. Cujus Epiſtolarum 564. in Bibl. Thuani aſſervantur. Declamavit coram Nicolao V. & Pio II. Papam Principeſque ad ſacram expeditionem cohortata. Hujus Beſſarion Card. famâ percitus, Veronam venit. Adamum gravius, quàm Ævam peccaſſe, egregio dialogo probatum ivit: Hermolai Barbari, omniumque literatorum commercio inclyta: Obiit A. C. 1466. Æt. 38. Sororem habuit Genevieſam, quoque inſigniter doctam, &c. Leander Alberti. Morer. *Dict. Hiſt.* Vide & ſupra.

ISPA, Armeniæ min. urbs. *Ptol.*

ISPAHANUM, urbs Parthiæ, Perſiæ Metropolis, ſedes Sophorum, à tempore Xa Abas. Aliis Hiſphahan, ſex. Jexdi, vett. fortè *Hecatompylos*. Olim bis à Tamerlane deſtructa. Opulentiſſima & populoſiſſima. Olearius, & Petrus de la Valle *Itin. tom.* 2. ubi eam exactè ac prolixè deſcribit.

ISPALIS, vide HISPALIS. Plin. *l. 3. c.* 3.

ISPELLUM, vide HISPELLUM.

ISPINUM, Capitanorum in Hiſp. opp. Ptol. nunc *Yepes* quibuſd. vicus Caſtellæ novæ, 6. leuc. Hiſp. à Toleto in Ort. Concam verſus.

ISPOLIS, vicus Syrtis magnæ. *Ilbacha* Moletio. *Naim* aliis. Aliis *Iſporis*, & *Oeſporis*.

ISRAEL, nomen Jacob, inditum ei ab Angelo. Gen. *c. 32. v.* 10. Inde pop. *Iſraëlitæ*. Quod nomen nunc totam Hebræorum gentem, nunc partem tantùm deſignat, totam ante Salomonem, partem poſtea. Poſt Salomonem enim Hebræorum regno, quod & *Iſraël*, vel *Iſraëliticum*, in duas diviſo partes, unà Judæ nomen aſſumpſit, altera nomen *Iſraël* retinuit, quòd in hoc poſterius ex 12. Tribubus Iſraël, decem ſeceſſerint: in priori duæ tantùm remansêrunt, ſub nomine Judæ, propter hanc tribum regiam & omnium nobiliſſimam. Ita ex hac totius regni diviſione, qui primùm Hebræi & *Iſraëlitæ* 2. Sam. *c. 3. v.* 18. in univerſum appellati: illi tandem in Iſraëlitas & Judæos diviſi ſunt. Interim aliquando ſub illis, & illi ſub his comprehenduntur. *Iſraëlitarum* peregrinationis antiquiſſimæ, in deſerto, memoria hodienum conſervatur variis inſcriptionibus, quæ rupibus Deſerti Sin in Arabia Petræa inciſæ leguntur: Has ante aliquot annos collegit Thomas Novarienſis Ord. S. Franc. Kircher. dein publicavit *Oed. Æg. t. 2. l. 2. c. 2. §. 5.*

R. ISRAEL, Germ. confecit librum *Therumat hadeſchen*, & *Quæſtiones atque Reſponſiones*, circa Ann. 220. Millenarii VI. juxta calculum R. Ganz.

R. ISRAEL Baruch, auctor *Teſchuvot*, floruit Ann. 213. ejuſdem Millenarii. Vide *Ibid.* & autorem *Juchaſim*, *p.* 165.

ISREEL, nomen viri. 1. Paral. *c. 25. v.* 14.

ISSA, catella Publii, celebrata Mart. *l. 1. Epigr.* 110. de quo Raderus: *Laudat*, ait, *catellam Publii, tamque arcificiosè depingit Muſæ penicillo; ut hanc catellam vera Publii pictaque veriorem pulchrioremque judicem: & cum Catulli paſſere ac Stellæ columba hoc Epigr. quâ argutiâ, quâ ſuavitate & venuſtate contendi poteſt.*

ISSA, inſ. maris Illyrici Liburniæ adjacens, nunc Dalmatiæ. *Jeſa* Porphyrogenetæ. *Wis* Slavis, Italis *Liſſa* Sophiano, ſub Venetis. Item Inſ. parva Latii apud Marruvium. Dion. Halic. Item urbs in Lesbo. Steph. Eſt & catellæ nomen apud Mart. *l.* 1. Epigr. 110. cujus Epigraphe de Catella Publii, Plin. *l. 3. c.* 21. 22. & 26. Strabo *l. 2. p.* 124. & *l. 7. p.* 315. Civ. *l. 43. c.* 9. P. Mela, *l. 2. c.* 7. Athen. *l. 1. c.* 22. Aliis *Iſſa*, inſ. undique ſtagnis cincta, ab Aboriginibus olim habitata, proximè Marruvio. 40. ſtadiis à Septem àquis. Videndum, an ad Fucinum lacum, in Italia. Dion. Halic. *l. 1. p.* 12.

ISSACHAR, 9. fil. Jacob, 5. ex Lea uxore ſua. Gen. *c. 30. v.* 18. 1. Reg *c. 4. v.* 17. Vide *Iſachar.*

ISSATIS, Parthorum urbs. Plin. *l. 6. c.* 15. & 25.

ISSEDON, ſ. ESSEDON, Steph. urbs gemina, una Scythiæ extra Imaum, quæ *Succuir*, teſte Caſtaldo, nunc appellatur: ubi nunc *Caracoram* urbs, in Siſiana regione Tartariæ magnæ. Baudr. Altera Sericæ, quæ *Cambalis* hodie, magni Chanis (uti vocant) Tartarorum Regis ſedes dicitur. Ubi hodie *Suchur ſ. Synchum*, urbs regni Tanguti, in Tartaria magna. *Baudr.*

ISSENSES, cives opp. Iſſæ in Illyrico, Liv. *l. 45. c.* 25. Idem habet *Iſſæos* pop. alterius loci.

ISSORIUM, ſ. ISSODORUM, vulgò ISSOIRE, urbs Alverniæ, in Gall. ad Elaverem fluv. 5. leuc. à Claromonte in Auſtr. 9. à Fano S. Flori in Bor.

ISSORIUM, mons Laconiæ, unde Diana *Iſſoria Steph.*

ISSUS, urbs inter Syriam, & Ciliciam, ubi Alex. Darium primò vicit; ideoque *Nicopolis* ab eo dicta eſt: Epiſcopal. ſub Archiep. Tarſenſi. Ptol. tamen Nicopolin diverſam facit ab Iſſo, uti revera eſt. Xenoph. *l.* 1. Ἀναβάσ. Diod. Sic. *l.* 17. Et P. Mela *l. 1. c.* 13. Iſſon *ingentem urbem*; Strabo verò *l. 14. p.* 676. πολίχνιον oppid. cum ſtatione vocat. Steph. autem, Ἰσσός, πόλις μεταξὺ Συρίας καὶ Κιλικίας, ἐν ᾗ Ἀλέξανδρος Δαρεῖον ἐνίκησεν. Hic Cic. poſtea, caſtra habuit. teſte, *Ep. ad Attic. l. 5. c.* 20. *Caſtra paucos poſt dies habuimus ea ipſa, quæ contra Darium habuerat apud* Iſſum *Alex.* quem & aras ibidem collocâſſe diſcimus ex eodem Cic. *Ep. Fam.* 15. Nunc *Lajazzo*, urbs Ciliciæ, ad mare Mediterr. & Iſſicum ſin. hinc *Golfo di Lajazzo*, prope montem Amanum. Differt à Nicopoli, à qua 15. mill. in Occ. abeſt, 35. ab oſtio fluv. Pyrami in Ort. 56. à Zeugma in Occaſ. 60. ab Antiochia in Bor. Baudr. Hinc *Iſſicus ſinus*, civis *Iſſæus*. Steph. Plin. *l. 5. c.* 27. & *l. 6. c.* 2. Cæterùm, Sinus is aliàs *Pamphylius* dicitur, cujus ad Occid. terminus Patara prom. Apud Plin. ut ſupra ubi naturam Tauro monti oppoſuiſſe hinc Phœnicium mare, hinc Ponticum, quæ ex adverſo ſunt oppoſita, ait, per *Phœnicium* intelligit *Iſſicum, ſinum qui Cilicium, Pamphylium & Lyciacum comprehendit*, Salmaſ. *ad Solin. p.* 787.

ISTE, vox contemptus & convitii plena. Prop. *l. 1. Eleg. 2. v.* 25.

> *Non ego nunc vereor, ne ſis mihi vilior iſtis,*
> *Una ſi qua placet, culta puella ſat eſt.*

Sic τὸν δὲ de Jaſone ſcommaticῶs loquitur Hercules, ubi Argonautas in Inſ. Lemno deſides excitat, apud Apollon. Rhod. *Argon. l.* 1. Hinc de Diis Rom. Prud. *c. Symmach. l. 1. v.* 354.

> ——— *quid quòd &* iſtos
> *Dant tibi Roma Deos, inferni gurgitis Umbræ?*

H. e. fatuos & nullius æſtimationis, quos velut digito commonſtrat. Sæpiuſque paganos, contra quos acri ſuo ab Africa aceto invehebatur Arnob. inclamans, vocat: *ô Iſti.* i. e. fatui & ſceleſti homines. Vide Caſp. Barth. *Animadv. ad Stat. Theb. l. 4. v.* 430. & *l. 11. v.* 287. necnon infrà, in *ô iſti.*

ISTER, ſive ISTRUS, Hiſtoricus, Callimachi diſcip. ſub Ptolomæo Euergeta, unde *Callimachius* dictus eſt. Varia ſcripſit, quorum meminêrunt Athen. *l. 9. c.* 9. Harpocration. Plutarch. Diog. Laërt. Euſtath. Steph. & alii. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l. 4. c.* 12. Duo autem fuêre *Iſtri*, alter Alexandrinus, ut videre eſt apud Plutarch. *in Qu. Græc.* Alter Calatinus, Steph. *in Calatis.*

ISTER, fluv. Germ. cujus oſtia diſtant 100. mill. ab oſtio Boryſthenis fluv. in Auſtr. 250. à CPoli in Bor. Baudr. Ejus meminit Ovid. *Met. l. 2. v.* 249.

> *Thermodoonque citus, Gangéſque & Phaſis &* Iſter.

Vide *Danubius.* Virg. *Georg. l. 2. v.* 497. & *l. 3. v.* 350. Plin. *l.* 3. *c.* 18. & 24. *l. 4. c.* 11. & 12. Strabo *l. 1. p. 6. l. 2. p.* 128. & *l. 7. p.* 298. Herod. *l. 2. c. 33. l. 4. c.* 47. & 48. Lucan. *Civ. Bell. l. 2. v.* 50. & 418. *l. 3. v.* 202. & *l. 5. v.* 437.

ISTHÆVONES, ſ. ISTÆVONES, Ptol. *Buſacteri min.* Gemmæ Friſio Weſtphali ſunt. Hug. Grot. *Iſtævones*, unum ex quinque Germanorum generibus: à ſitu, quaſi *Weſt-wohner*, i. e. ad Occaſ. ſ. Rhenum propius habitantes: ſicut Ingævones quaſi *Innwohner*, interius habitantes & Hermiones, quaſi *Herom wohner*, *&c.* appellatos vult, *Proleg. in Hiſt. Goth.*

ISTHEMO, civ. in tribu Juda. Joſ. *c. 15. v.* 50.

ISTMIA, inter quatuor ſacra certamina numerantur, quæ quinto quoque Anno in Græcia celebrabantur, in honorem Neptuni, inſtituta à Theſeo (ut Plutarch. videtur) aut Palæmone, ut ex Archiæ Poëtæ Græco epigrammate colligitur, quod etiam hodie extat in Anthologia. Hujus certaminis victores pinu coronabantur. Vide Plutarch. *in Theſeo*. Strab. *l. 8. p.* 378. & 380. Ab *Iſthmo Corinthiaco* nomen illis hæſit, ad Corinthum enim, in luco, è pinu, ubi templum Neptuni, celebrabantur, erantque Ludi ἐντάφιοι, *funebres* nonnullis, utpote in Melicertæ ſ. Palæmonis Defuncti honorem inſtituti: quam ob cauſam *lacrymabilis Iſthmos* Stat. dicitur *l. 1. Sylv. 3. v.* 142. Plutarch. verò ludos, in Melicertæ memoriam inſtitutos, ab *Iſthmiacis ſpectaculis* diſtinguit, atque his Theſeum autorem, Scironis cædem expiatum euntem, tribuit *in Theſeo.* Erat autem illorum celebritas tanta, ut ne Corintho quidem ipsâ excisâ fuerint intermiſſi, unde in ejus excidio Sycioniis mandatum, ut eos faciendos curarent, legimus. Quin & in publicis Actis nominabantur, velut celebres quidam rerum agendarum termini. Sic in pactis & conditionibus pacis, quæ cum Phil. facta, Senatus Rom. decrevit, ut Rex præſidia deduceret ex urbibus, ante Iſthmicam panegyrim. In eadem Titus, ejuſdem Senatûs decreto, Græciam liberam pronuntiare voluit &c. Vide Polyb. *Ecl. Leg.* Præmium pinus erat, ut dictum, an quia idem Neptuni coronamentum; ſed hoc illi cum Libero commune: an alias ob cauſas, quas videre poteris apud Plutarch. *Sympoſ. l. 5. Probl.* 3. ubi tamen apio priùs Iſthmionicas coronatos fuiſſe memorat, qua de re multis agit Paſchal. infrà laudandus. Certamina quod attinet, eadem in hiſce, quæ in Agonibus aliis ſacris, vigebant: Comœdia ſaltem Tragœdiaque exulare jubebantur lege, cui vim Nero feciſſe legitur, apud Lucian. *Neron.* Qui verò pancratii victor eſſet, myrteâ coronâ donatum refert Pindar. *Iſth. Ode* 8. Poſtea pecunia acceſſit, ex Solonis inſtituto, qui Iſthmionicis drachmas centum, ſicut qingentas Olympionicis, conſtituiſſe legitur, apud Plutarch. *in Eo.* Nec omittendum, quòd Athenienſium in his Ludis locum fuiſſe, quantum ſpatii caperet expanſum velum ejus navis, quæ Delphos mittebatur, eumque proin non niſi honoratioribus. Æſchylo inter alios ingentis prærogativæ locò, conceſſum memorat idem *Sympoſ. l. 1. Probl.* 2. Cæterùm *Iſthmici Ludi* non pentaêterici, ſed trieterici, fuêre, contra quàm Solino traditum *c.* 7. Vide Salmaſ. *ad l.* & plura de hiſce Ludis, qui quartum ultimumque inter celebres illos Græciæ Ludos, locum obtinuêre, apud P. Fabrum *Agoniſt.* C. Paſchal. *Coron. l. 6. c.* 21. Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. Theb. l. 6. v.* 14. & è Vett. Pindari inprimis Scholiaſt. *ad ejus Iſthmionica.*

ISTHMIUS, Meſſeniorum Rex à Cteſphonte IV. ſucceſſit Glauco, dum Echeſtratus & Euryphon apud Spartanos, Bucolion verò apud Arcadas regnarent. Eum excepit Dotidas. Pauſ. *Meſſeniacis.*

ISTHMUS, tractus eſt terræ anguſtus, per quem ex lata terræ parte in aliam talem venitur: Hic multiplex. 1. Peloponneſi, qui & *Corinthiacus*, quo Peloponneſus reliquæ Græciæ connectitur, 40. ſtad. inter ſinum Corinth. ad Occaſ. & Saronicum ad Ort. patens, quem Nero perfodere fruſtra tentavit, unde Proverb. *Iſthmum fode-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

fodere. Non primus autem Nero hanc inſaniam inſanivit. Clara res ex Herod. Strab. Philoſtrato, Luciano & Pauſ. cujus vere pia vox de hac re, quam adſcripſiſſe, pretium ſit operæ: Οὕτω Καλεπὸν ἀνθρώπῳ τὰ θεῖα βιάσασθαι. Vide Paul. Æmil. in Car. Mag. *ſub fin. l.* 2. Hujus *Iſthmi* meminit Lucan. *Civ. Bell. l.* 1. *v.* 100. & ſeqq.

——— *Qualiter undas*
Qui ſecat, & geminum gracilis mare ſeparat Iſthmos
Nec patitur conferre fretum: ſi terra recedat,
Jonium Ægæo frangat mare:

Sil. Ital. *Punic. Bell. l.* 14. *v.* 52. *l.* 15. *v.* 154. & ſeqq.

Ut cum ſæva fretis immiſit prælia Corus,
Iſthmon *curvatâ ſublime ſuberigit unda;*
Et ſpumante ruens per ſaxa gementia fluctu
Jonium Ægæo miſcet mare,

Plin. *l.* 4. *c.* 4. Strabo *l.* 1. *p.* 54. & 59. P. Mela *l.* 2. *c.* 2. Herod. *l.* 6. *c.* 36. Vide Fungerum in *Iſthmus.* 2. Cherſoneſi Thraciæ, uterque *Hexamili*, Nigro, & Volat. 3. Ægypti inter mare Mediterr. ubi Peluſium, & ſin. Arabicum, ubi urbs Heroum, *Dorſum Arabiæ* Ptol. dictus. *Sur* vulgò, teſte Gorepio, quo Ægyptus Palæſtinæ & Arabiæ Petrææ jungitur. 4. Tauricæ Cherſoneſi, de quo Xen. & Ptol. *Zucala*, teſte Joſepho Barbaro, quo Taurica Sarmatiæ continenti copulatur. 5. Acanthæus, in Macedonia, cui Athon mont. continenti jungit, à Xerxe, teſte Æliano, perfoſſus. 6. Italiæ, inter ſinum Scylletium, & Hipponiatem. Ferr. In parte Bor. Calabriæ ulter. Magino & aliis, eſt tantùm 20. mill. ab Ortu in Occaſ. prope Squillacium. 7. Aſiæ, inter Tarſum & Amiſum. 8. Græciæ inter ſinus Criſſæum & Oetæum, ubi Thermopylæ. 9. Panamenſis, inter Americam Sept. & Mer. Baudr. eſt tractus Americæ, quo America Sept. jungitur Mer. leuc. Hiſp. 17. à Bor. in Mer. nempe à Portu Belo ad Panamam urb. Totus tractus extenditur etiam ab Ortu in Occ. per 30. leuc. diciturque propriè *Tierra Firma*, eſtque ſub Hiſpan. Cæterùm, Plin. *l.* 4. *c.* 4. de Iſthmo Corinthiaco, *Lechea hinc*, inquit, *Cenchreæ illinc, anguſtiarum termini, longo & ancipiti navium ambitu, quas magnitudo plauſtris tranſvehi prohibet: quam ob cauſam perfodere navigabili alveo anguſtias tentavêre, Demetrius Rex, Dictator Cæſar, C. Princeps, Domitius Nero, infauſto incepto.* Adde Cnidios, alioſque iis antiquiores ex Pauſ. *Corinthiacis*, & Herod. Sed & de Judæis captivis, poſt everſam Hieroſolymam, ad id operis deſtinatis, an à Veſp. an à Tito, aliquid legimus. Movit eos omnes Plin. *ibid. maxima inde utilitas ad commercia maritima, indeque generatim ad omnia perventura*, ſi perfici negotium potuiſſet, Unde hodieque id tentatum à Turcis, ſed non meliore ſucceſſu, monet Autor Anon. *Hiſt. Orb. Terr. c.* 3. ubi *de Hydrographia.* Pergit autem idem ut ſuprà *Medio hoc intervallo, quod* Iſthmon *appellavimus, applicata colli habitatur colonia Corinthus, antea Ephyra dicta, ſexagenis ab utroque litore ſtadiis, è ſumma ſua arce, quæ vocatur Acrocorinthus, in qua fons Pirene, diverſa duo maria proſpectans.* Porrò, ubi maximè anguſtus eſt (4. ſolùm aut 5. mill. cùm propiùs Corinthium 6. impleat, *Examiglia* inde hodie dictus) murum duxêrunt olim Peloponneſii, ad tranſitum hunc faciliùs defendendum. Quem cum tempore collapſum refecêre Veneti, cùm Peloponneſo, potitentur: hodie nil niſi rudera quædam ejus viſere eſt &c. Vide Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 21. *c.* 19. Caſp. Barth. *Animadv. ad Stat. paſſim*, inprimis *ad illud l.* 4. *Sylv.* 3. *v.* 59.

His parvus (Lechia niſi vetarent)
Inous freta miſcuiſſet Iſthmos:

Jac. Spon. *Itin. Part.* 2. *p.* 239. Alios: ut & infrà aliquid in voce *Lechæum.*

ISTIÆA, Jonicè pro *Eſtiæa*, urbs Eubœæ, quæ nunc *Oropus.* Gent. *Eſtiæus*, nam *Iſtiotes* ab opp. Theſſaliæ deſcendit. *Steph.*

ISTIÆOTIS, Græciæ reg. quæ ad Oſſam, & Olympum jacet. Herod. *l.* 1. *c.* 56. Prov. Theſſaliæ, *Eſtiotis* Ptol. *Heſtiæotis* Strab. *Eſtiatis* Suidæ; in mediterraneis, ubi urbes Tricca, Gomphi, Itome & Pheca.

ISTO, mons Corcyræ: cujus incolæ *Iſtones Polyæno.*

ISTOB, nomen viri. 2. Sam. *c.* 10. *v.* 8.

ISTOMACHUS, laudatur Sorano *in Vita Hippocratis*, ubi eum fuiſſe natum primo octageſimæ Olymp. Anno refert.

ISTONE, mons Corcyræ proximus. *Steph.*

ISTONIUM, Celtiberorum in Hiſp. opp.

ISTRIA, incolis *Iſtria*, Gallis *Iſtrie*, Germanis *Hyſterreich*, Italiæ reg. poſt flexum Hadriatici ſinûs Illyrico contermina, quæ in latitudine ſexaginta mill. paſſ. in circuitu centum viginti quinque millia complectitur. Sub Venetis. Terminatur à Sept. Carniolæ Duc. à quo ſeparatur Alpibus *della Vena.* Ad Ort. Sinu Flanatico, ad Occaſ. Tergeſtino. & mari Hadriat. ſ. ſinu Veneto, ut & ad Mer. Extenditur à Circio in Eur. ad 60. mill. ſed non æque lata. In ea Tergeſte, ſ. *Trieſte*, Petena, Piſinum, Coſliacum, aliaque in parte Orient. loca ſubſunt Auſtriacis. Baudr. Plin. *l.* 3. *c.* 5. & 18. Strab. *l.* 1. *p.* 57. & *l.* 5. *p.* 209. & 216. Leand. Alb. *Deſcr. Ital.* Maginus & Cluv. *Geogr.*

Urbes Iſtriæ ex ordine occurrentes.

Tergeſtum, *Trieſte.*
Juſtinopolis, *Cavo d'Iſtria.*
Urbs nova, pro Æmonia, *Citta nova.*
Parentium, *Parenzo.*
Pola, ſic vulgò, Epiſcopal. ſub Patr. Aquilejenſi.
Petena, *Pedena.*

Omnes ſub Venetis, exceptis primâ & poſtremâ, quæ ſubſunt Auſtriacis. Incolæ *Iſtri*, quos fama eſt, originem duxiſſe à Colchis, Medeam & Jaſonem perſequentibus, qui Polæ, quæ Iſtriæ olim caput, conditores feruntur. Item *Iſtria*, opp. ad Danubii ſ. Iſtri oſtia ſitum, ut ex Arrian. docet *Pintian.*

ISTRIÆ Marchio, titulis olim Comitum Ortenburgenſium, de quibus ſuo loco.

ISTRIANA, civ. Arabiæ Fel. ad mare Perſicum. Steph. Arabiæ Fel. urbs. *Ptol.*

ISTRIANI, pop. fuêre Myſiæ inf. in prov. *Scythiæ*, quorum regio nunc Bulgariæ pars eſt ad Ort. & Bor. juxtà oſtia Meridionalia Iſtri. Horum urbs *Iſtropolis.* Ubi & *Iſtrianorum portus.*

ISTRIANUS, Tauricæ Cherſoneſi fluv. Ptol. *Calamita*, Nigro teſte. Nunc *Karaſu*, ſ. *Endel.* Sanſ. In Pontum Eux. prope Theodoſiam, ſe exonerat.

ISTRICI, pop. ad oſtia Axiacis fluv. & pontum Euxinum. Pomp. quorum urbs Oxiace, nunc *Oczacow.*

ISTRINUS, Gentile ex *Iſtria.*

ISTRIUM, Meſopotamiæ urbs. *Nicetas.*

ISTROPOLIS, urbs Thraciæ non procul ab oſtiis Iſtri, Mileſiorum colonia. Plin. *l.* 4. *c.* 11. & 12. à quibus condita eſt Olymp. 31. Joh. Marsham. *Canone Chron. Sec. XVII.* ubi *de Græcorum Coloniis.* Baudr. *Iſtropolis* Plin. *Iſtros* Strab. & Ptol. *Iſtria* Ariano, urbs fuit Myſiæ inf. in tractu *Scythiæ*, ad Peuce ſ. ſacrum oſtium Iſtri, quibuſdam nunc *Proſtaviza*, 60. ſtad. ab ora Ponti Euxini, 200. ferè à Tomis in Bor. Sub Turcis à 200. Annis, cum toto tractu, qui indies ſterilis & incultus efficitur, ob frequentes incurſiones Tartarorum Dobrucenſium.

ISTRUS, urbs Cretæ, quam Artemid. *Iſtronem* vocat. Altera eſt in Ponto. Tertia inſ. cum opp. ejuſdem nominis juxta Triopium Cnidiæ. Quarta urbs Japygiæ.

ISTULA, vide VISTULA.

ISTUS, Inſ. Africæ. Steph. Vide Boch. *Geogr. p.* 824.

ISUELI, Æthiopiæ pop. Plin. *l.* 6. *c.* 30.

ISUHAJA, nomen Principis. 1. Par. *c.* 4. *v.* 36.

ISURA, inſ. ſinûs Arabici, Plin. *l.* 6. *c.* 28.

ISURIUM, Ant. Ptol. opp. Brigantum in Anglia, in Comitatu Eboracenſi, *Aldburg*, Camd. Nunc vicus *Boroughbridge*, ad Urum fluv. 12. mill. ab Eboraco in Cæc. 16. à Caturactonio in Afr.

ISUS, & Antiphus, Priami filii; verùm Antiphus ex Hecuba ſuſceptus eſt, cùm naturalis eſſet Iſus. Hom. *in Il.* Bœotiæ urbs. Strabo *l.* 9. *p.* 405.

ITALIA, apud vetuſtiſſimos Scriptores, Brutiorum propriè regio eſt, quam Phœnices dixêre עיטריא *Itariam*, quaſi *Picealiam*, propter *picis* copiam præſtantiamque, ut Bochart. eruditè demonſtrat. Vide eum *Parte prior. l.* 2. *c.* 26. ut & quæ dicta ſuo loco.

ITALIA, regio Europæ nobiliſſima, terra olim fuit omnium terrarum alumna ſimul & parens: divinâ providentiâ electa, quæ ſparſa congregaret imperia, ritusque molliret; & tot populorum diſcordes feraſque linguas, ſermonis commercio, contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret; breviterque una cunctarum gentium in toto orbe fieret patria. Jam verò locorum ſalubritatem, cœli temperiem, aprica collium, opaca nemorum, tantam frugum & vitium olearumque fertilitatem, tam innoxios ſaltus, tot munifica ſylvarum genera, tot lacus, tot amnium fontiumque ubertatem, colonias tam frequentes, tam aſſiduam novarum urbium gratiam, tam clarum decus veterum oppidorum, virorum denique ingenia, mores ac ritus, linguaque & manu res geſtas qui reputet, nihil toto orbe terrarum commemoret, quòd huic conferri, nedum præferri queat. Phil. Cluv. *Introd. Geogr. l.* 3. *c.* 22. ex Plin. *l.* 3. *c.* 5. & 11. & ſeqq. In formam folii, ſecundùm veteres, querni; ut Plin. qui non γεωμετρικῶς, ſed ἁπλούστερον & magis γεωγραφικῶς ejus figuram expreſſit: de qua Rutil. *Itin. l.* 2.

Italiam rerum dominam qui cingere viſu,
Et totam pariter cernere mente cupit.
Inveniet quernæ ſimilem procedere fronti,
Arctatam laterum conveniente ſinu.

Vel ſecundùm recentiores cruris humani (cujus tibia mari objacet Infero, ſura Supero, pes univerſus Jonio abluitur pelago, calcaneus Epirum ſpectat, vola vel concavitas ſinum facit Tarentinum, carnoſiores partes prom. ſtatuunt Zephyrium, Carcinum & Bruttium; digiti in Siciliam ſunt converſi, genu in prom. eſt Populonio, coxendix & fœmoris ſuperiora latè contingunt Alpes) inter Hadriat. & Tuſcum mare, à jugis Alpium, dorſoque Apennini porrecta, paulatim ſe attollens uſque ad fretum Siculum. Et certè formam ejus τρίγωνον plurimi ajunt. Serv. *Conſtat tria habere latera Italiam, ſuperi maris, inferi, Alpium.* Polyb. quoque *l.* 2. Τὸ σχῆμα τῆς Ἰταλίας, dicens eſſe τριγωνοειδὲς, ejus latera ita prorſus deſcribit, ut Strabo *l.* 5. *p.* 209. Αἶα πολυτελὴς Dion. dicitur, Rubicone fluv. à Gallia ſeparata. Nic. Lloyd. Secundùm Merulam partes ejus ſic diſponi ſolent, ut aliæ ſint Italiæ priſcæ ac propriæ, aliæ Italiæ novæ & acceſſoriæ. Termini inter utramque fluvii Arnus & Rubicon: hic verſùs mare Hadriaticum, ille verſùs Liguſticum. Erat antiquitus ſub variis Regibus, quorum celebriores Saturnus, Janus, Euander, Latinus &c. Poſtea variæ ibi viguêrunt Reſp. donec tota ſub Romanum redacta eſt imperium: quo ad interitum vergente, Gothi, Vandali, Heruli, Hunni, aliæque barbaræ gentes: Poſtea Franci, Normanni, Saraceni, Germani, Hiſpani aliique ibi ſedem fixêre. Imò jam longè antè Gallorum ingens multitudo, trans Alpes profecta eam Italiæ partem obſedit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

quæ inter Alpes & Apenninum ad Æſum uſque flumen, prope Anconam porrecta eſt; *Gallia* hinc Romanis *Italica*: Item *Gallia citerior* & *Ciſalpina*: *Circumpadana* quoque ac *Togata* dicta. Et quamvis Juſtinianus Imp. per Beliſarium ac Narſetem, Duces fortiſſimos, pulſis maxima ex parte Barbaris, Exarcharum Italiæ, cui Ravenna ſedes obtigit, inſtituit, mox tamen Longobardi, à Narſete, ut creditur, accerſiti, Ravennam occupârunt, novumque in Gallia Ciſalpina regnum, cui *Longobardia* hinc nomen; orſi ſunt, quod per Annos 204. florens, non niſi à Car. Mag. demum ſublatum eſt, A. C. 774. Poſſederant autem illi Ciſalpina quidem proxima omnis; Inalpinarum autem terrarum parum, potiore eorum parte jam à Bavaris & Alemannis occupatâ: Transalpinum illis nihil, niſi quòd Foro-Julienſis Ducis in Stiriam & Carinthiam uſque potentiam fuit diffuſa. Longobardiæ nomen poſtea, extinctâ gentis Majeſtate, eaque ad Francos tranſlatâ, ſimul abolitum eſt, *regnumque Italicum* appellari cœpit, non multò pòſt Car. prædicti tempora. Præter quod, exiguum licet, per Italiam manſit reliquum Imperii veteris Romani: idque ex parte ad Francos tranſlatum, poſtquam Cæſtar dictus fuit Car. Mag. Calabriâ, Siciliâ & urbe Venetorum exceptis. Cujus dominium utile, cum aliqua dicundi juris poteſtate, Pipini & Car. dono, ad Papas pervenit, ſummo principatu ſ. vi regendi, cum Cæſareo nomine, ad Francorum Reges delato. Unde Impp. etiam ſequentes autoritatem Cæſaream illuſtribus Romæ exemplis exercuiſſe, docent Hiſtorici. Poſt Lud. verò Lotharii fil. uſque ad Othonem Mag. illa eviluit planè per Italiam; Nihilominus adhuc A. C. 904. quum Lambertus Widonis fil. dignitate iſthac eſſet conſpicuus, in Synodo Rom. curante Joh. IX. Cæſarea quædam jura vetera confirmata ſunt. Vide Baron. *Ann. ad hunc Ann.* Porro iſthac tempeſtate, cùm nemo Cæſareo gaudebat titulo, urbis imperium, penes varios, Tuſciæ potiſſimum Marchiones eorumque clientes fuit; unde Luitpr. *l.* 2. *c.* 13. *Theodora*, inquit, *ſcortum impudens, hujus Alberici, qui nuper hominem exuit, avia (quod dictu nefandiſſimum) Romanæ civitatis non inviriliter Monarchiam obtinebat.* Et paulò pòſt: Filia ejus *Marozia ex Papa Sergio Joh. P. nefario genuit adulterio, ex Alberto autem Marchione Albericum: qui noſtro tempore Romanæ urbis principatum uſurpavit.* Hinc Joh. XII. Urbis Principem egit, tanquam à patre Alberico principatum adeptus. Vide Frodoard. ad A. C. 945. Interim ampliſſima illa bona, quæ Pipini & Car. Mag. dono quondam ad Papas perveniſſe diximus, ſenſim ad alios transferri cœpêrunt, fuitque exigua admodum & miſera Pontificum conditio, quando cum Germania dignitas Cæſarea A. C. 964. (quo & Berengarius cum uxore captus, inque Bavariam miſſus, & Extincto Joh. P. Leo iterum Othonis auctoritate ſedi Rom. reſtitutus eſt, poſtquam ab A. C. 924. jam nomen illud Imperatorium Berengario I. ſublato, in Occidente omni quaſi evanuiſſet.) coaluit: nec Othonis Mag. dono pars illa Italiæ; in qua inter alia Ducatus Spoletanus & Tuſciæ, iis denuo reſtituta eſt: *ſalvâ tamen*, ſic tabulæ habent, *noſtrâ in omnibus dominatione, & illorum ad noſtram partem & filii noſtri ſubjectione.* Proin tum temporis, intra imperii Cæſarei limites omne Paparum patrimonium remanſit: Et hinc Onuphrius, *ſatis conſtat*, inquit, *Joh. XIII. qui Leoni VIII. ſucceſſit, Greg. V. & Sylveſtrum II. Apoſtolicæ ſedi ſolâ Imperatorum auctoritate impoſitos fuiſſe, nullius cleri ſuffragiis expetitos.* Mag. Othonis dein nepos Otho III. Pontificis territorium intra anguſtiores revocavit limites, priſcis illis donationibus, quaſi vitio factæ eſſent, è medio ſublatis; idque ex conſilio Sylveſtri II. Conqueſtus enim, Papas ementito Conſtantini Mag. dono & Car. Calvi de re aliena prodigalitate, maximam partem Imperii Apoſtolatui ſuo junxiſſe, ipſemet S. Petro per Sylveſtrum offert octo Comitatus: *Piſaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Foſſabrum, Callium, Heſium & Auſimum, ad incrementa ut Apoſtolatus, ita & Imperii.* Qui Othoni III. ſucceſſit, Henr. S. alias tabulas A. C. 1014. refert Baron. in quibus reperita Othonis Mag. donatio, niſi quòd additum ſit, *omnem illam terram, quæ inter Narniam, Interamnem vel Spoletanum, ex regni noſtri parte habuimus.* Inter Henr. dein Nigrum & Leonem IX. conventum, A. C. 1053. ut Papa pro Epiſcopatu Bambergenſi, aliiſque Germanicis, Beneventum haberet. Subſequuta eſt Mathildæ Comitiſſæ, cuncti per Tuſciam & Lombardiæ confinia Principatûs, donatio: quod munus hodie κατ' ἐξοχὴν *S. Petri patrimonium* vulgò vocatur. Sed varia hic controverſa: Car. Sigon. *l.* 9. *de Regno Ital.* donatam affirmat ditionem Lombardiæ & Tuſciæ: Leo Oſtienſis *l.* 3. *c.* 48. narrat Liguriam & Tuſciam in dono fuiſſe. Blond. *dec.* 2. *l.* 4. rem iterum aliter narrat. Ipſe confitetur Baron. teſtamentum Mathildis, quod vivo Henr. Cæſ. A. C. 1097. conditum eſt, jam olim periiſſe. Imò ſerò admodum in poſſeſſionem muneris illius Pontifices admiſſi ſunt: proditque Urſpergenſis, Mortuâ Mathilde, *directos ab Italia nuntios, ad Defunctæ terras ampliſſimas hæreditario jure poſſidendas, Cæſarem invitâſſe*: quod etiam ſequenti Anno fecit Henr. V. ſed poſteà Lotharius Cæſar, pro ſeſe & genero ſuo, cum Innoc. II. tranſegit A. C. 1133. Devenit pòſt neſcio quibus legibus ad Guelphum Ducem Henr. Superbi fratrem: Ac Frid. Cæſar nequaquam paſſus eſt, in Pontificum jus opes tantas recidere. Vide Raderic. *l.* 2. *c.* 10. *de Frid.* Gunther. *l.* 9.

Præterea reditus, cunctis de finibus illis,
Quos famoſa prius poſſederat illa Mathildis,
Pluribus invaſos Rex in ſua jura retraxit.
Inde recollectos & tanquam corpus in unum,
Partibus ex multis quadam gravitate reductos,
Conceſſit Catulo, &c.

Et licèt Hadrianus per legatos ſuos ab Imp. has terras repetiit, manſêre tamen illæ, poſt Guelphi Obitum, in ejus poſſeſſione: præſertim accedente Alex. III. in 15. Annos & legitimum cauſæ judicium aſſenſu: quo tempore inter utrumque Venetiis pax coaluit. Fil. quoque & ſucceſſor Frid. Henr. Cæſar, eandem ditionem tenuit, qui Phil. fratrem Tuſciæ & Terræ Mathildis Ducem creavit, Urſperg. & C. Sigon. *l.* 15. Verùm hic fratre Defuncto, in gratiam Papæ, poſſeſſione illâ ceſſit, præter Montem Flaſconis. Nihilominus Otho IV. præter alia à Pontificibus occupatâ, etiam hanc, immiſſis militibus recuperavit. Donec à Frid. II. Mathildica Pontificibus reddita ſunt, quæ tamen non multò pòſt, verſo conſilio, ſibi & imperio iterum vindicavit. Quod urbes Italiæ attinet, illæ primùm Hadriani, inde Alex. Pontif. inſtinctu, factâ conjuratione, in libertatem ſeſe aſſerere ſtuduêrunt, bellis cum Frid. I. acerrimè geſtis; tandem tamen A. C. 1183. pace Conſtantiæ factâ, urbibus ita aliquid indultum eſt, ut auctoritati Regiæ ſimul cautum ſit. Sed infelicior regni illius fortuna fuit, in defendendis finibus Italiæ citerioris. Vexatâ enim Apuliâ Calabriaque à Saracenis pariter & Græcis, cùm hos Normanni retudiſſent, ab ipſo Cæſare datæ illis ſedes ſunt, in regni præſidium. At hi novo numero aucti Roberto Guiſcardo Duce, & hæc Imperii Occid. & alia, quæ hactenus CPlitani juris fuêrunt, excuſſâ omni Cæſarum Pontificumque, quibus jam antè in illas terras aliquid juris datum erat, reverentiâ, in ſuam ditionem redegêre: quibus initiis ortum regnum Neapolitanum. Hac ratione regno Italico, quidquid in Calabriam uſque inf. (inde enim Græcorum ditio incipiebat,) à Campaniæ finibus protenditur, deceſſit: manſêrunt terræ illæ nobiliſſimæ in in Normannorum ditione, perpetuâ tamen imperii contradictione. Sic ab illa uſque Othoniana occupatione, nunquam ferè interruptâ ſerie, (nec enim eſt, quòd Creſcentii, aut ſimilis farinæ hominum irritis & momentaneis conatibus poſſeſſionem fractam arbitreris) ſaltem ad ferale illud & perpetuo Reip. Germanicæ lugendum Frid. II. fatum, vim imperii, per Italiæ regnum & Romanas reliquias, penes Germaniæ Reges fuiſſe, oſtendit Nobiliſſ. Conringius *tr. de finibus imperii, &c.* Vide quoque Joh. Barclajum *in Pietas.* Religionem quod attinet, Latini ritus in Italia hodie ſoli regnant, eſtque Romæ ſedes Regis ſacrorum. Urbes Epiſcopales ſupra 300. numerat Ferrar. Regiones maximè inſignes Italia plures habet; quarum nomina antiqua & recentia ſunt hæc: 1. Liguria, nunc *Riviera di Genua.* 2. Hetruria, nunc *Toſcana.* 3. Umbria, nunc *Ducato di Spoleto.* 4. Latium, nunc *Campagna di Roma.* 5. Campania, nunc *Terra di Lavoro.* 6. Lucania, nunc *Baſilicata.* 7. Bruttia, nunc *Calabria inf.* Magna Græcia, nunc *Calabria ſup.* 8. Salentinorum terra, nunc *terra d'Otranto.* 9. Apulia Peucetia, nunc *Terra di Barri.* 10. Apulia Daunia, nunc *Puglia Piana.* 11. Samnium, nunc *Abruzzo.* 12. Picenum, nunc *Marca Anconitana.* 13. Flaminia, nunc *Romagna.* 14. Æmilia, nunc *Lombardia di qua dal Po.* 15. Gallia Tranſpadana, nunc *Lombardia di la dal Po.* 16. Venetorum terra, nunc *Marca Trevigiana.* 17. Forum Julii, nunc *Friuli.* 18. Hiſtria, nunc *Iſtria.* Umbilicum totius Italiæ in agro Reatino, Velinum lacum conſtituit Plin. ex Varronis ſententia. Urbes hac tempeſtate clariſſimæ ſunt. Roma, Neapolis, Mediolanum, Venetiæ, Genua, Bononia, Florentia, Verona, Brixia & Patavium: Baudr. *Italia*, regio Europæ notiſſima, *Italia* vulgò ab incolis dicta, uti ab Hiſpanis, *Italie* Gallis, *Welſchland* Germanis, *Vloska-zemia* Polonis. Apennino monte in duas veluti partes dividitur. Regio eſt admodum fertilis & culta, & verſùs Sept. & Longobardiam mirè rigua, innumeriſque referta civitatibus. Sed notandum, omnes penè urbes Italiæ ſede Epiſcopali decoratas fuiſſe à Romanis Pontificibus, præſertim in Hetruria & in regno Neapolitano, ubi etiam tam frequentes ſunt, ut plurimæ jaceant in ruderibus, & earum Diœceſes non extendantur ultra ipſas civitates. Quod ſi contigiſſet etiam in Gallia, Germania, & alibi, omnes urbes ſede Epiſcopali donari, in ſolo Belgio eſſent quinquaginta civitates Epiſcopales ad minus; & ſic datâ ratione in cæteris Europæ Occidentalis partibus. Idcirco Italia præſtat tantum aliis regionibus numero civitatum Epiſcopalium, non autem numero urbium. Ejus maxima longitudo ab Auguſta Prætoria ad prom. Herculeum, *Capo di Spartivento*, continet 720. mill. paſſ. latitudo autem maxima à Populonio ad Pontem Fellæ eſt 280. mill. paſſ. Dividi autem poteſt in tres partes, nempe in Italiam Sept. quæ aliàs Gallia Ciſalpina, in Italiam Mer. quæ aliàs propriè Italia, & in inſulas Italiæ. In Sept. parte Italiæ ſunt dominium Reipublicæ Venetæ, *Stato di Venetia*, Pedemontium cum annexis, ſub Duce Sabaudiæ, *il Piemonte*, dominium Reipublicæ Genuenſis ſ. Liguria, *il Genoueſato*, ſ. *Riviera di Genoua*, Ducatus Mediolanenſis, *Stato di Milano*, & ditiones Principum Longobardiæ, nempe Ducatus Mutinenſis, *Stato del Duca di Modena*, Ducatus Parmenſis, *Stato del Duca di Parma*, Ducatus Mantuanus & Montis Ferrati, *Stato del Duca di Mantoua*, cum regiunculis Ducum Mirandulæ & Guaſtallæ, & aliquot aliis minoribus. In parte Mer. Italiæ ſunt ditio Pontificia, ſ. ditio Eccl. *Stato della Chieſa*, regnum Neapolitanum, *Regno di Napoli*, ditio magni Ducis Hetruriæ ſ. Tuſcia, *Stato del gran Duca di Toſcana*, dominium Reipublicæ Lucenſis, *il Lucheſe*, Ducatus Maſſæ, *Ducato di Maſſa*, Principatus Plumbini, *Prencipato di Piombino*, & ditiuncula Reipublicæ S. Marini, *territorio di San Marino.* Inſulæ autem Italiæ ſunt Sicilia, *la Sicilia*, Sardinia, *la Sardegna*, & Corſica, *la Corſica*, cum aliquot aliis minoribus. Dividitur autem Italia à Germania Alpibus ad Bor. uti ad Occaſ. à Gallia; ad Ort. autem habet mare Hadriaticum & mare Jonium, uti ad Mer. mare Siculum, mare Tyrrhenum, & mare Liguſticum. Regionis præſtantiam præter ea, quæ in genere ſupra notata, commendaverit tritici copia, quam priſcus jam Sophocles agnovit: *Rei pecuariæ* bonitatem

ſitatem caſei loquuntur Parmenſes: vallis Oneliæ, ager in Liguria maximo gaudet olei proventu: Ora Neapolitana & mons Veſuvius vini Græci ferax eſt, nec minori ſe jactat laude vinum Falernum, &c. In Calabriæ nonnullis locis etiam manna legitur. Tota ſcatet ignibus ſubterraneis, eſtque inter naturæ miracula, quòd in agro Aquaſpartano commemorant, recentiores phyſici, reperiri in eo mineras xyloticas & lignum quoddam foſſile, nigri coloris, ſtriarum ſed confuſiorum & quaſi confuſarum varietate nucis aut pyri ligno æmulum: quod *lithanthracis* genus Becmanno videtur. Ut de aliis mineris & gemmis in Calabria, Tuſcia, ac Lombardia nil dicam. Tarantula quoque, phalangii genus in Apulia repertum atque à Taranto opp. nomen trahens, non minorem ſui admirationem excitat, quòd venenum ejus nonniſi proportionato Muſicæ ſono expelli poteſt. Interim Leumellina regio erucis infamis eſt, & ora maritima à portu Herculis Terracinam uſque gravi ac inſalubri aëre laborat, unde & loco Archæopolis *Civita Vecchia*, aliam ſtationem claſſi Pontificiæ ſeligendam, jam dudum ſuasêrunt medicinæ periti. Italiam fuſiſſimè deſcripſit Vir doctiſſimus Phil. Cluv. *p.* 27. 29. & 41. *libris quatuor.* De laudibus ejus vide Dion. Halic. *l.* 1. Plin. *l.* 3. *c.* 5. & 8. Solin. *c.* 8. Varron. *l.* 1. *c.* 2. Columell. *l.* 3. *c.* 8. Vitruv. *l.* 1. *c.* 6. Strab. *l.* 5. & 6. Polyb. *l.* 2. Flor. *l.* 2. *c.* 6. Ælian. *Var. Hiſt. l.* 9. *c.* 16. Sidon. *Paneg. Avit.* Prop. *l.* 3. *Eleg.* 22. *v.* 28. Lucan. *Civ. Bell. c.* 2. *v.* 397. 435. 657. & 701. P. Mela *l.* 6. *c.* 4. Gabr. Barrium *in opuſculo integro de laudibus Italiæ*, alioſque autores Morer. *Dict. Hiſt.* & Becmanno *Hiſt. Orbis terr.* laudatos. Optimè autem omnium laudes ejus canit Virg. *Georg. l.* 2. uti videre eſt in his: *v.* 136. & ſeqq.

Sed neque Medorum ſilvæ, ditiſſima terra;
Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus,
Laudibus Italiæ *certent: non Bactra, neque Indi,*
Totaque thuriferis, Panchaïa pinguis arenis.
Hæc loca non tauri, ſpirantes naribus ignem
Invertêre, ſatis immanis dentibus Hydri:
Nec galeis denſiſque virûm ſeges horruit haſtis:
Sed gravidæ fruges, & Bacchi Maſſicus humor
Implevêre: tenent oleæque, armentaque læta.
Hinc bellator equus campo ſeſe arduus infert.
Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima taurus
Victima; ſæpe tuo perfuſi flumine ſacro
Romanos ad Templa Deûm duxêre triumphos.
Hic ver aſſiduum, atque alienis menſibus æſtas:
Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbos.
At rabidæ tigres abſunt, & ſæva leonum
Semina: nec miſeros fallunt aconita legentes.
Nec rapit immenſos orbes per humum; neque tanto
Squameus in ſpiram tractu ſe colligit anguis.
Adde tot egregias urbes, operumque laborem,
Tot congeſta manu præruptis oppida ſaxis;
Fluminaque antiquos ſubter labentia muros.
An mare quod ſupra, memorem, quodque alluit infra?
Anne lacus tantos? te Lari maxime, teque
Fluctibus & fremitu aſſurgens, Benace marino?
An memorem portus, Lucrinoque addita clauſtra?
Atque indignatum magnis ſtridoribus æquor,
Julia quâ ponto longè ſonat unda refuſo,
Tyrrhenuſque fretis immittitur æſtus Avernis?
Hæc eadem argenti rivos, æriſque metalla
Oſtendit venis, atque auro plurima fluxit.
Hæc genus acre virûm, Marſos, pubemque Sabellam,
Aſſuetumque malo Ligurem, Volſcoſque verutos,
Extulit: hæc Decios, Marios, magnoſque Camillos,
Scipiadas duros bello, & te, maxime Cæſar,
Qui nunc extremis Aſiæ jam victor in oris,
Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.
Salve magna parens frugum, Saturnia tellus:
Magna virûm: &c.

Dicta fuit *Italia* primò, quod de regione circa Tiberim propriè intelligendum, *Janicula*, à Jano, ſ. Noë, quem & Oenotrium vocatum aliquos prodidiſſe Cato ſcripſit, ob vini & farris, quorum in ſacrificiis uſus, inventionem: hinc item *Oenotria* nomen ortum. Succeſſit aliud nomen *Cameſena*. Inſequentibus temporibus *Saturnia*, à Saturno Rege *Saleumbrona*, *Apina*, *Taurina* ſ. *Vitulia*, *Heſperia*, vel ab Heſpero, Atlantem fratrem fugiente, vel ab Heſpero ſtella: *Auſonia* vocata eſt, ab Auſone: tandem *Italia* nomen accepit: vel ab *Italo* Rege Siculorum, vel à *bobus*, qui veteri linguâ Græcâ *Itali* dicti fuêre, autoribus Varrone & Columellâ, *præf. l.* 5. *de Re Ruſt.* vide A. Gell. *l.* 11. *c.* 1. Heſych. Ἰταλὸς, Ρωμαῖος, ταῦρος: vel ab *Atte* Lydo, quaſi *Attalia*, ut eſt apud Feſt. ubi conſulendus Scalig. Bocharto verò *Italia* eſt עיטריא *Itaria*, ab עיטר *itar*, quod pro *pice* occurrit in tractatu Talmudico *Gittin*, *p.* 69. quaſi picceariam regionem dixeris, literis D. & R. maximè mutabilibus, ut *Aldeſcus* & *Ardeſcus*, &c. Res aperta fiet, ſi prius conſtet priſcam Italiam nihil fuiſſe, quàm Brutiorum agrum, & partem Lucaniæ, quod ipſum voluit Steph. in quo legendum Ἀντίοχος δὲ τὴν Βρεττίαν φησὶ κληθῆναι Ἰταλίαν. Jam verò Brutiam à pice dictam ſupra probavimus. Pop. *Itali*: ingenioſi, ſed nimium vindictæ cupidi. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 185.

Et ſæpe Heſperiam, ſæpe Itala *regna vocare.*

Idem *l.* 7. *v.* 643. *l.* 8. *v.* 320. 331. 332. *l.* 9. *v.* 698. & *l.* 11. *v.* 420. & 592.

Tros Italuſve *mihi pariter det ſanguine pœnas.*

Horum lingua hodierna Latinæ propago eſt, ſed à Gotthis, Hunnis, Vandalis, Longobardis corrupta. In Tuſcia elegantiſſima cenſetur: notatumque eſt, Florentinos gutture, Venetos palato, Neapolitanos dentibus, Genuenſes verò labiis loqui. Adj. *Italicus*: ut *Italica menſa* Prov. de menſa lauta.

Regiones Italiæ, quæ mare & Alpes attingunt:

Inſubria.	Salentini.
Gallia Subalpina.	Apulia Peucetia.
Liguria.	Apulia Daunia.
Hetruria.	Aprutium.
Latium.	Picenum.
Campania.	Senones.
Picentes.	Æmilia.
Lucania.	Venetia.
Brutii.	Carni.
Magna Græcia.	Hiſtria.

Interiores.

Hirpini.	Sabini.
Samnium.	Umbria.

Italiæ Principes.

Rex Hiſp. ſub quo regnum Neapolitanum, Sicilia, Sardinia, Ducatus Mediolanenſis, Marchionatus Finarii in Liguria, & aliquot arces in ora Thuſciæ.

Pontifex Rom. ſub quo ditio Pontificia, in qua ſunt hæ provinciæ, Campania Romana, Sabina, provincia Patrimonii S. Petri, Umbria, Marchia Anconitana, Ducatus Caſtrenſis, Territoria Orivetanum, Peruſinum, & Civitatis Caſtelli. Ducatus Urbini, Romandiola, Bononienſis ager, & Ducatus Ferrarienſis.

Veneti, ſ. Reſp. Veneta, ſub qua Iſtria, Foro-Julium, Marchia Tarviſina cum annexis, Ducatus Venetus, & territoria Patavinum, Rhodiginum, Vicentinum, Veronenſe, Brixianum, Bergomenſe, & Cremenſe.

Dux Sabaudiæ, ſub quo Principatus Pedemontanus cum annexis, Comitatus Nicææ, Marchionatus Salutiarum, dominium Vercellenſe, Ducatus Auguſtanus, Comitatus Aſtenſis, & minor pars Ducatûs Montis-Ferrati.

Magnus Dux Hetruriæ è gente Medicea, ſub quo major pars Hetruriæ, nempe ditiones Florentina, Piſana, & Senenſis, cum Petiliano & Apua, & aliquâ parte Romandiolæ & Vallis Magræ; atque inſ. Gorgona, Igilium, Gianutum, Mons Chriſti, & aliæ minores in mari Tyrrheno, uti Argous portus in Ilua inſ.

Genuenſes ſ. Reſp. Genuenſis, ſub qua utraque ora Liguſtica, Corſica inſ. & Caprária inſ.

Dux Mantuanus è gente Gonzaga, ſub quo Ducatus Mantuanus & major pars Ducatûs Montis Ferrati.

Dux Mutinenſis è gente Eſtenſi, ſub quo Ducatus Mutinenſis & Rhegienſis, Principatus Cardipenſis & Corregienſis, cum Friniana & majori parte Carferonianæ.

Dux Parmenſis è gente Farneſia, ſub quo Ducatus Parmenſis & Placentinus, ditio Buſſetana, & Principatus Vallis Tari pro majori parte.

Lucenſes ſ. Reſp. Lucenſis, ſub qua dit. Lucenſis in Hetruria.

Dux Maſſæ è gente Cibo, ſub quo Ducatus Maſſæ & Principatus Carrariæ in Hetruria. Sed ejus ditio eſt parvi circuitûs, uti & ſequentes ditiones.

Dux Mirandulanus è gente Picâ, ſub quo Ducatûs Mirandulæ & Comitatus Concordiæ.

Dux Guaſtallæ, è gente Gonzaga, ſub quo Ducatus Guaſtallæ, cum Luzara Suzara.

Dux Sabulonetæ, nunc è gente Guzmana, ſub quo Ducatus Sabulonetæ, ſub clientela Regis Hiſp.

Princeps Caſtilionis è gente Gonzaga, ſub quo Principatus Caſtilionis Stiveriarum.

Princeps Sulphurini è gente Gonzaga, ſub quo Principatus Sulphurini.

Princeps Monœci è gente Grimalda, ſub quo Principatus Monœci in ora Liguriæ, ſub clientela Regis Gall.

Princeps Maſſerani è gente Ferraria Fliſca, ſub quo Principatus Maſſerani & Marchionatus Crepacorii.

Princeps Plumbini è gente Ludoviſia, ſub quo Principatus Plumbini & Ilua inſ. ſub clientela tamen Hiſpanorum.

Comes Novellariæ è gente Gonzaga, ſub quo Comitatus Novellariæ.

Reſp. S. Marini, ſub qua tantùm territorium S. Marini, inter Romandiolam & Ducatum Urbini.

Marchio Foſdinovi è gente Malaſpina, ſub quo Marchionatus Foſdinovi in valle Magræ.

Marchio Montenſis è Montenſium fam. ſub quo Marchionatus Montis Sanctæ Mariæ, inter Ducatum Urbini & ditionem Florentinam inſertus.

Marchio Spigni è gente Carreta, ſub quo Marchionatus Spigni, versùs montem in Ferratum & ad radices Apennini.

Notandum eſt, etiam Imp. poſſidere in Italia Aquileiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

& Comitatum Goritiæ in Forojulienſi provincia, cum Tergeſte, Pedena, & Piſino in Iſtria. Regi Galliæ ſubeſt etiam Pinarolium, urbs permunita Pedemontii, cum territorio adjacente. His adnumerari poteſt Ep. Tridentinus, cui ſubeſt ditio Tridentina ad radices Alpium, quanquam à quibuſdam ponatur in Germania, quòd Imperii Princeps ſit, & ſub clientela Comitum Tirolis. Habent etiam Helvetii in Italia quatuor Præfecturas Italicas dictas, nempe Luganenſem, Locarnenſem, Mendriſianam & Madianam, quæ antea partes erant Ducatûs Mediolanenſis, & ipſis ſubſunt ab A. C. 1512.

Italiæ urbes præcipuæ:

Acheruntia, *Acerenza*, in regno Neapolitano.
Æſis, *Ieſi*, in ditione Pontificia.
Agrigentum, *Gergenti*, in Sicilia.
Ajacium, *Ajazzo*, in Corſica.
Albingaunum, *Albenga*, in ditione Genuenſi.
Aletium, *Lecce*, in regno Neapolitano.
Alexandria, *Aleſſandria*, in Ducatu Mediolanenſi.
Amalphis, *Amalfi*, in regno Neapolitano.
Ancona, *Ancona*, in ditione Pontificia.
Anxanum, *Lanciano*, in regno Neapolitano.
Aquila, *l'Aquila*, ibid.
Aquilea; *Aquileia*, in Foro Julio, ſub Auſtriacis.
Arborea, *Oriſtagni*, in Sardinia.
Argous Portus, *Porto Ferraio*, in Hetruria.
Ariminum, *Rimini*, in ditione Pontificia.
Aſculum Picenum, *Aſcoli*, ibid.
Aſta, *Aſte*, in Pedemontio.
Auximum, *Oſimo*, in ditione Pontificia.
Barium, *Bari*, in regno Neapolitano.
Barulum, *Barleta*, ibid.
Baſtia, *Baſtia*, in Corſica.
Beneventum, *Benevento*, in regno Neapolitano & ſub dominio Rom. Pontificis.
Bergomum, *Bergamo*, in ditione Veneta.
Beſidianum, *Biſignano*, in regno Neapolitano.
Bonifacium, *Bonifacio*, in Corſica,
Bononia, *Bologna*, in ditione Pontificia.
Brixia, *Breſcia*, in ditione Veneta.
Brunduſium, *Brindiſi*, in regno Neapolitano.
Cajeta, *Gaeta*, ibid.
Calaris, *Cagliari*, in Sardinia.
Camerinum, *Camerino*, in ditione Pontificia.
Cantazara, *Cantazaro*, in regno Neapolitano.
Capua, *Capoa*, ibid.
Caſale, *Caſale*, in Ducatu Montis-Ferrati.
Catana, *Catania*, in Sicilia.
Centumcellæ, *Civita Vecchia*, in ditione Pontificia.
Ceſena, *Ceſena*, ibid.
Compſa, *Conza*, in regno Neapolitano.
Comum, *Como*, in Ducatu Mediolanenſi.
Coſentia, *Coſenza*, in regno Neapolitano.
Crema, *Crema*, in ditione Veneta.
Cremona, *Cremona*, in Ducatu Mediolanenſi.
Dertona, *Tortona*, ibid.
Drepanum, *Trapani*, in Sicilia.
Eporedia, *Yvrea*, in Pedemontio.
Eugubium, *Gubio*, in ditione Pontificia.
Fanum, *Fano*, ibid.
Faventia, *Faenza*, ibid.
Ferraria, *Ferrara*, ibid.
Firmum, *Fermo*, ibid.
Florentia, *Fiorenza*, in Hetruria.
Forum Livii, *Forli*, in ditione Pontificia.
Fulginium, *Foligni*, ibid.
Gallipolis, *Gallipoli*, in regno Neapolitano.
Genua, *Genova*, in ditione Genuenſi.
Goritia, *Goritia*, in Foro-Julio, ſub Auſtriacis.
Gravina, *Gravina*, in regno Neapolitano.
Hydruntum, *Otranto*, ibid.
Imola, *Imola*, in ditione Pontificia.
Interamna, *Terni*, ibid.
Juſtinopolis, *Capo d'Iſtria*, in ditione Veneta.
Lauretum, *Loreto*, in ditione Pontificia.
Laus Pompeja, *Lodi*, in Ducatu Mediolanenſi.
Liburnus, *Livorno*, in Hetruria.
Lucca, *Lucca*, ibid. ſed ſui juris.
Macerata, *Macerata*, ditionis Pontificiæ.
Manfredonia, *Manfredonia*, in regno Neapolitano.
Mantua, *Mantoua*, in Ducatu Mantuano.
Mateola, *Matera*, in regno Neapolitano.
Mazara, *Mazara*, in Sicilia.
Mediolanum, *Milano*, in Ducatu Mediolanenſi.
Meſſana, *Meſſina*, in Sicilia.
Mons Regalis, *Monreale*, ibid.
Mons Regalis, *Mondovi*, in Pedemontio.
Mortaria, *Mortara*, in Ducatu Mediolanenſi.
Mutina, *Modena*, in ditione Mutinenſi.
Narnia, *Narni*, in ditione Pontificia.
Neapolis, *Napoli*, in regno Neapolitano.
Nicæa, *Nizza*, in ditione Sabaudica.
Nola, *Nola*, in regno Neapolitano.
Novaria, *Novara*, in Ducatu Mediolanenſi.
Nuceria Paganica, *Nocera*, in regno Neapolitano.
Orivetum, *Orvieto*, in ditione Pontificia.
Padua, *Padoua*, in ditione Veneta.
Palma, *Palma nouva*, ibid.
Panormus, *Palermo*, in Sicilia.
Parma, *Parma*, in ditione Parmenſi.
Peruſia, *Perugia*, in ditione Pontificia.
Petina, *Pedena*, in Iſtria, ſed juris Auſtriaci.
Pinarolium, *Pinerol*, in Pedemontio, ſed juris Gallici.
Pinna, *Civita di Pinna*, in regno Neapolitano.
Piſæ, *Piſa*, in Hetruria.
Piſaurum, *Peſaro*, in ditione Pontificia.
Piſcaria, *Peſchiera*, in ditione Veneta.
Piſtoria, *Piſtoia*, in Hetruria.
Placentia, *Piacenza*, in ditione Parmenſi.
Pola, *Pola*, in ditione Veneta.
Præneſte, *Paleſtrina*, in ditione Pontificia.
Ravenna, *Ravenna*, ibid.
Reate, *Rieti*, ibid.
Regium, *Regio*, in regno Neapolitano.
Rhegium Lepidi, *Reggio*, in ditione Mutinenſi.
Roma, *Roma*, in ditione Pontificia.
Roſſanum, *Roſſano*, in regno Neapolitano.
Salernum, *Salerno*, ibid.
Salutiæ, *Saluzzo*, in ditione Sabaudica.
Sancta Severina, *S. Severina*, in regno Neapolitano.
Saſſaris, *Saſſari*, in Sardinia.
Savona, *Savona*, in ditione Genuenſi.
Senæ, *Siena*, in Hetruria.
Senogallia, *Senigaglia*, in ditione Pontificia.
Serezana, *Sarzana*, in ditione Genuenſi.
Spoletum, *Spoleto*, in ditione Pontificia.
Surrentum, *Sorrento*, in regno Neapolitano.
Syracuſæ, *Saragoſſa*, in Sicilia.
Tarentum, *Taranto*, in regno Neapolitano.
Tarviſium, *Trevigi*, in ditione Veneta.
Taurinum, *Torino*, in Pedemontio.
Tergeſte, *Trieſte*, in Iſtria, ſed juris Auſtriaci.
Terracina, *Terracina*, in ditione Pontificia.
Theate, *Chieti*, in regno Neapolitano.
Ticinum, *Pavia*, in Ducatu Mediolanenſi.
Tifernum Tiberinum, *Citta di Caſtello*, in ditione Pontificia.
Tranum, *Trani*, in regno Neapolitano.
Tridentum, *Trento*, in ditione cogn.
Tropea, *Tropea*, in regno Neapolitano.
Tudertum, *Todi*, in ditione Pontificia.
Tybur, *Tivoli*, ibid.
Vilitræ, *Veletri*, ibid.
Venetiæ, *Venetia*, in ditione Veneta.
Vercellæ, *Vercelli*, in Pedemontio.
Verona, *Verona*, in ditione Veneta.
Vicentia, *Vicenza*, ibid.
Viterbum, *Viterbo*, in ditione Pontificia.
Volaterræ, *Volterra*, in Hetruria.
Urbinum, *Urbino*, in ditione Pontificia.
Utinum, *Udine*, in ditione Veneta.

ITALICA, Plin. Ptol. *Sevila la veja*, teſte Morali, colonia & urbs fuit Hiſpaniæ Bæticæ, apud Bætim fluv. Hiſpali vicina, patria Silii Poëtæ, trium Auguſtorum quoque natale ſolum, Trajani, Hadriani, & Theodoſii ſenioris, à Scipione Africano condita, teſte Joh. Mariana. Aliis eſt *Alcala del Rio*, opp. inter Hiſpalim 4. & Caſtrum Album 3. leuc. olim urbs Epiſcopal. ſub Archiep. Hiſpalenſi. Item urbs Italiæ, quæ & *Corfinium*, Strabo *l. 3. p. 141. l. 4. p. 241. l. 7. p. 317.*

ITALICA Saltatio, vide infrà ubi de *Pantomimis.*

ITALICA Secta, una ex tribus antiquiſſimis Philoſophorum Sectis. Pythagoram conditorem habuit, qui in ea Italiæ parte, quæ *Magna Græcia* vocabatur, ubi Tarentus, Metapontus, Heraclea, Croto & Thurii, docuit, unde Sectæ nomen. Aliquot autem Annis Jonicâ, de qua vide *ſuo loco*, junior fuit. Prodiêre ex hac Pythagoræ ſchola plurimi in Italia Rerumpublicarum Rectores præſtantiſſimi, in quibus Zaleuco inprimis & Charondæ celebre nomen: tantuſque ei à veteribus Romanis honos habitus eſt, ut ei & Alcibiadæ in Urbe ſtatuam poſuerint, teſte Plin. *l. 34. c. 6.* Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Philoſophorum Sectis c. 6.* & Georg. Horn. *Hiſt. Philoſophica l. 3. c. 11. & alibi paſſim.*

Italicæ Sectæ Philoſophi ex Voſſio.

Pythagoras Samius, Sectæ conditor.	Metopus.
Hippodamus Thurius.	Clinias.
Euryphamus.	Clito.
Hipparchus.	Polus.
Archytas.	Lyſides.
Theagis.	Theano uxor Pythagoræ.

De *Italica fabula*, vide Scalig. *poetic. l. 1. c. 7.*

ITALICI, apud Spartian. *in Hadr. Poſt hæc Hiſpanias petit ----.delectumque joculariter, ut verba ipſa ponit Marius Maximus, detrectantibus Italicis, cæteris vehementiſſimè, prudenter & cautè conſuluit:* Itali ſunt aut Italis orti, qui Hiſpanica oppida inhabitabant. Nam etſi ſolum mutârant, tamen & primi, qui eò venerant & nati natorum, de vetere patria *Italici* nominabantur. Ab his diverſi *Italicenſes*, opp. Hiſp. *Italica* dicti, cives, Caſaub. *ad Spartian.* At *Italici Populi*, unum erat ex triplici hominum genere, quibus Imperium Rom. olim conſtabat;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

bat; erant illi, *Cives*; *Italici populi* & *Provinciales*, qui alio atque alio jure utebantur. Unde Suet. poſtquam docuiſſet, quæ circa jura civitatis nova inſtituerat Imp. Aug. ſubjicit de iis, quæ circa Jura Italorum populorum ſanxit idem, *c.* 46. *Ad hunc modum urbe urbaniſque rebus adminiſtratis*, Italiam *duodetriginta coloniarum numero deductarum ab ſe frequentavit: operibuſque ac vectigalibus publicis pluriſariam inſtruxit* &c. qua de re vide plura apud Caſaub. *ad h. l. Italiotæ* verò apud Heſych. βαςὰ, ὑποδήματα, Ἰταλιῶται; non ſunt Latini vel Romani, ut voluêre Eruditi nonnulli; ſed propriè dicti Græci, qui eam partem Italiæ, quæ major Græcia nuncupata eſt, incolebant: multum enim diſtat inter *Italum* Ἰταλὸν & *Italiotam*, Ἰταλιώτην. Horum calceamenta βαςὰ vocat Heſych. quæ vox non Græcobarbara, ſed pura eſt, à βάω, βάζω, βάσκω; pro βαθρὸν: unde Latini quoque *baſtum* ſuum mutuârunt, ſed aliâ notione. Salmaſ. *ad Lamprid. in Heliogab.* Eorundem erant *Italicæ menſæ*, luxu infames, de quibus Plato *Ep.* 7. & ex eo Cic. *Tuſc. l.* 5. *c.* 35. & peculiare genus Philoſophiæ, *Italicum* dictum, de quo paulo antè. Uti autem ab *Italis Italiotas*, ſic à *Siculis Siciliotas*, à *Phthiis Phthiotas* diſcriminamus, Bernegger. *ad* Juſtin. *l.* 20. *c.* 1.

ITALUS, & *Atlas* dictus eſt Rittim, Janigenarum Rex: Hic filiam ſuam Electram Janigenarum Principi Cambobloſconi dedit conjugem, & Romam filiam ſuam Aboriginibus ſacravit. Beroſus. Hæc Romæ fundamenta poſuit, quæ poſtea à Romulo ita ſunt exornata, ut meritò urbs diceretur. Fab. Pictor. Ab hoc Italia dicta. Hinc. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 185.

> *Et ſæpe Heſperiam, ſæpe* Itala *regna vocare.*

Idem *l.* 11. *v.* 592.

> *Tros* Italuſve *mihi pariter det ſanguine pœnas.*

Item Cheruſcorum Rex, A. U. C. 799. Item Telegoni fil. qui Italiam ex ſuo nomine vocavit. Hygin. *Fab.* 127.

ITALUS, cui paternum genus à Flavio, fratre Arminii; Maternum ex Acromero, Cattorum Principe, formâ decorus & armis equiſque in patriam Romanumque morem exercitus, à Cheruſcis Româ Rex petitus. Mox deficientes à ſe Cheruſcos prælio vicit: dehinc ſecundâ fortunâ ad ſuperbiam prolapſus pulſuſque, ac rurſus Longobardorum opibus refectus, per læta per adverſa res Cheruſcas adflictavit. Tac. *Ann. l.* 1. *c.* 16.

ITAMUS, Arabiæ Felicis portus. *Ptol.*

ITANI, Hiſp. Tarracon. pop. Plin. *l.* 3. *c.* 3. Circa Pyrenæi radices.

ITANUS, urbs Cretæ, hodie *Paleocaſtro.* Eſt & prom. Steph. in ora Auſtr. ubi Orientalis incipit, inter Ampelum & Samonium prom.

ITAPHERNES, unus ex ſeptem Perſis, qui cum Dario contra Magum Oropaſten, fil. Cyri Smerdin ſe mentientem, conjuravit.

ITARGIS, Germ. fluv. *Viſurgis.* Ptol. Ovid. *Conſ. ad Liv. v.* 386.

> *Decolor infectâ teſtis* Itargus *aquâ.*

ITE Emergumeni, formula in Eccl. olim uſitata; quâ ante conſecrationem. Energumeni, quibus *pavimenta domorum Dei* ingredi licebat, *can. omni die de conſecrat. diſt.* 5. à Diacono dimittebantur. Vide Dom. Macr. *in Hierol.*

ITE, Miſſa eſt, formula itidem in Eccl olim adhibita, quâ *dimittebatur* populus; *miſſa* enim (quæ vox circa finem tertii Sec. primùm audita eſt) quaſi *miſſio*: uti *remiſſa*, pro *remiſſio*, ſequiori ævo dici cœpit. Erat autem dimiſſio hæc duplex, cum *Catechumenorum*, qui circa ſeptum Templi, quo Fideles ſedes ſuas capiebant, conſiſtere ſolebant, ante Sacramenti communionem: tum *Fidelium* (ita enim eos vocare mos erat, qui recepto Baptiſmo jam Eccl. cives cenſebantur) poſt illam peractam. Alcuinus *de div. Offic. Finitis omnibus adſtanti & obſervanti populi abſolutio datur, inclamante Diacono, Ite; miſſa eſt.* A qua ſolenni voce, cum cultus univerſus, tum præcipuè S. Eucharistia, & preces, ac liturgia ejus, *Miſſæ* nomen accepêrunt, quo quid hodie intelligatur, in Eccl. Rom. notum eſt; ubi quando formula iſta pronuntietur, quando omittatur, vide Dom. Macrum ſuprà laudatum in *Hierol.* Apud eund. *Ite in Pace*, πορεύεσθε ἐν εἰρήνῃ, ſimilis formula, in antiquis *Liturgiis* Græcis occurrens.

ITEA, Danai filia, Antiochum maritum occidit. Hygin. *Fab.* 170.

ITEA, Steph. Suid. *Soguta*, Laonico urbs Phrygiæ, ſ. potius Paphlagoniæ, unde Othomanna fam. originem duxiſſe fertur; ab ora maris Eux. 250. ſtad. in Auſtr. recedens, *Ferrar.*

ITEA, vicus in tribu Acamantide. *Steph.*

ITEM, caput, Latinis *ora*, ut obſervatum Caſaub. *ad Theophraſti Characteres p.* 332. Gallis vulgò *articulus.* Id namque vocabulum datum articulis, quod revera ab hac voce, *item*, initium iis eſſet, quaſi rurſum; denuo. *Gloſſ.* vett. Item, ὁμοίως, πάλιν. Vide Juret. *ad Symmach. l.* 1. *Ep.* 11. laudat. C. du Freſne *in Gloſſ.*

ITEMALES, ſenex, qui Oedipum expoſuerat, ex pedum cicatricibus, & talorum agnovit Laji fil. eſſe. Hygin. *Fab.* 65.

ITER, ſ. ITINERATIO, circuitus Judicum. Car. Calvus, in Capitulis Silvacenſibus, A. C. 853. Galliam in 12. portiones diſtribuit, unicuique viris aliquot cùm in religione, tum in Juriſpr. inſignibus præfectis, qui commiſſos ſibi pagos annuò peragrantes, de injuriis populo à Miniſtris Reip. illatis cognoſcerent, ſcelera vindicarent, juſtitiamque facerent & tuerentur: Rem verò Eccleſ. viduarum & orphanorum inprimis curarent. Cujus exemplo Henr. II. Angliæ Rex A. C. 1176. magnum Nottinghamiæ Conc. adhibens, regnum totum in 6. diviſit partes, ternis Judicibus ſingulis eodem fine conſtitutis. De quibus vide Henr. Spelmann. in *Gloſſ. Arch.*

ITER, in XII. Scriptorum ludo, vide infrà *Scripta XII.*

ITER facientes olim noctu, facibus ardentibus comitati erant. Ovid. *Met. l.* 1. *v.* 493.

> *Ut facibus ſepes ardent, quas fortè* viator
> *Vel nimis admovit, vel jam ſub luce reliquit.*

Ubi quod caſui vel imprudentiæ viatorum tribuit, Varro laſciviæ adſcribit *de Re Ruſt. l.* 1. Νυκτιπορία enim vett. ut plurimum utebantur. Quem in uſum peculiares incidebantur faces è ligno querno, vel iligno, quæ γρᾴδια vocabant. præcipuaque fuit cura, ne facile vento cederent. Quod cum ſæpe nihilominus fieret, namque & Cæſar, apud Suet. *in Eo c.* 31. *quum occultiſſimum iter modico comitatu ingreſſus eſſet, luminibus extinctis deceſſit, viâ diu errabundus*, adhibêre cœpêrunt lychnuchos è pelle, in eum uſum comparatos, ut vim ventorum ferre poſſent & defendere. Poſtmodum, quia fallendi fere hoſtis cauſâ iter nocturnum ab Exercituum Ducibus inſtituebatur, quò tutius id fieret; excogitârunt laternas, ſic compoſitas, ut iis lumen abeundè facerent, quibus præferebantur, aliis negarent, cujuſmodi laternas *ſurdas* hodie Galli vocant, ut infra videbimus, ubi de *Laternis.* Vide plura hanc in rem apud Caſaub. *ad d. l. Suet.* & Barthium *ad Stat. Theb. l.* 12. *v.* 241. *Iter* autem ingreſſuri vota faciebant, & Numini litabant, cujus illuſtre exemplum in Jacobo Patriarcha habemus. Vide quoque ſuprà ubi de *Capillo* it. *Coma.* In reditu bono vovendo, dicebant *bonum iter convertere.* Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 761.

> ——— *tantùm reduces det flectere greſſus*
> *Jupiter!*

ubi *dextros* ſubintelligendum. Scholiaſt. monet Gulielmus Pictavenſis *de Gulielmi Regis & Ducis Geſtis*; *Placet ergo fortunatum iter convertere* &c. Reduces, etiam apud vett. Chriſtianos, adorabantur, quo de more vide Pallad. *in Hiſt. Lauſiaca c.* 52. & Barthium *ubi ſuprà Theb. l.* 10. *v.* 664. Quòd ſi in *Itinere* Mortuus quis eſſet, cadaver aromatibus vel cerâ, ut de Ageſilao legimus, apud C. Nep. conditum domum referebatur; vel, ſi haberi id non poſſet, cenotaphium domi erigebatur; quam vocem vide ſuprà. Itinerum porro menſuram per paſſus colligebant Vett. unde *millia paſſuum*, & *milliarii lapides*, qui ponebantur in ſingula millia; quod apud Græcos Romanoſque in uſu fuit: cùm in Or. σχοῖνοι, *funiculi* & *paraſangæ* adhiberentur metiendæ diſtantiæ. Apud utroſque autem *diurnum iter* 20. mill. paſſ. definiebatur, quibus peractis, in loco huic rei deſtinato, per noctem quieſcebant; quem ςαθμὸν Græci, *manſionem* Latini, dixère, uti pluribus videre eſt, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 495. &c. Vide quoque hîc paſſim; ubi de *Avibus*, item in vocibus *Baculus*, *Hydreum*, *Lacerna*, *Manſio*, *Pera*, *Peregrini*, *Perones*, *alibi.* Sed & *Iter*, libri nomen fuit, à Jul. Cæſ. compoſiti, qui & duos Anticatones in *Itineribus* ſuis ſcripſit: Nec enim vel in *Itinere* ceſſabant à ſtudiis Vett. uti exemplo Plinii Sec. quoque patet, quem vide *in Epiſtolis.*

ITER Extaticum Cœleſte, ſive Mundi opificium, quo cœli ſiderumque tam errantium quàm fixorum natura, vires, proprietates, compoſitio & ſtructura, ſub ficti raptûs integumento, ad veritatem exponitur: nomen Libri; Autore Athan. Kirchero editi A. C. 1656. in Quarto. Qui poſtea à Caſp. Schotto variis Commentationibus illuſtratus; proſtat Norimbergæ. Eodem Autore prodiit Romæ in Quarto A. C. 1654. *Iter Extaticum Terreſtre*, ſive Geocoſmi Opificium, quo Terreſtris Globi ſtructura, arcanarumque in ea partium conſtitutio figmento ad veritatem compoſito; exponitur. *Iter* quoque *Hetruſcum*, quo Hetruriæ cum priſcæ, tum tempore Reipubl. Rom. tum poſteræ, origo, ſitus, natura, politica, cataſtrophæ, monumenta ſacra, profana, nec non Naturæ admiranda, triplici ratiocinio, politico, phyſico, geographico, deſcribuntur & exemplanantur: eodem Autore prelum expectat.

ITERATIO, apud Columell. *de Re Ruſt. l.* 2. *c.* 12. *Id primâ ſarritione feciſſe proderit, ſecundâ oberit, quia, cùm pullulare deſiit frumentum putreſcit ſi adobrutum eſt. Nihil itaque amplius in* Iteratione, *quàm remoliri terra debet æqualiter:* Secunda Sarritio eſt. In *Gloſſis* ſecunda foſſiò: *Iteratum*, παλινσκαφὲν. Aliàs *Iteratio*, ſecunda aratio, & *iterare*, in cultura agrorum, idem quod *redarare*, eſt; Græcè διπολεῖν, unde δίπολος γῆ, *terra bis arata.* Cui muneri præerat Redarator Deus, apud Rom. de quo vide infrà, plura verò hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 424. & *ſeqq.*

ITERIUS Petrus, vide *Petrus.*

ITESUI, Gall. Lugd. pop. Plin. *l.* 4. *c.* 18.

ITHABALUS, Rex Tyri; Vide *Ithobalus.*

ITHACA; vulgò *Val di Compare*, Turc. *Phiachi*, Græc. *Theachi*, inſ. in mari Jonio, ante Epirum, Ulyſſis patria. In ea eſt urbs ejuſdem nominis. Item mons Neritos, à quo tota inſ. interdum *Neritos* dicta eſt. In hac lepores non vivunt. Baudr. Plin. *l.* 8. *c.* 58. eſt inter Cephaleniam ad Occ. & Echinadas ad Ort. Nunc ſub Turcis eſt. Ibi tantùm aliquot vici. 30. circiter mill. ab Araxo prom. in Occ. Phœnicii עיתקא *Ithaca*, *durum* ſonat & *aſperum*, ut & Hebræis עתק *athac* Talem certè veteres Ithacam deſcribunt. Hom. *Od.* 1.

> Ἤτοι μὲν τρηχεῖα, καὶ οὐχ ἱππήλατός ἐστι.

Et Cic. *l.* 1. *De Orat.* Ithacam *ex aſperrimis ſcopulis, tanquam nidum affixam.* Unde Horat. *l.* 1. *Ep.* 7. *v.* 41.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Non eſt aptus equis Ithacæ *locus, ut neque planis*
Porrectus ſpatiis, neque multæ prodigus herbæ:

Quod ſine dubio ex Homero deſumpſit. Sic enim ille *Od. δ.*

Ἐν δ' Ἰθάκῃ ὄτ' ἀρ δρόμοι εὐρέες, ὄτε τι λειμὼν
Αἰγίβοτος, ϗ μᾶλλον ἐπήρατος ἱπποβότοιο,
Οὐ γάρ τις νήσων ἱππήλατος ὄδ' εὐλείμων
Αἵ θ' ἁλὶ κεκλίαται, Ἰθάκη δέ τε ϗ περὶ πασέων.

Vide Dion. Afric. Strab. *l.* 1. *p.* 34. *l.* 8. *p.* 335. & *l.* 10. *p.* 454. & 455. Plin. *l.* 4. *c.* 12. Ptol. Ovid. *de Ponto l.* 2. *Eleg.* 7. *v.* 60. *Met. l.* 3. *v.* 712. & *Athen. l.* 1. *c.* 8. P. Mel. *l.* 2. *c.* 7. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 272. & 613.

ITHACESIÆ, parvæ inſ. tres Brutiorum, contrà Vibonem Calabriæ urbem. Plin. *l.* 3. *c.* 7. *Praces, Praca* & *Turricella.*

ITHAGIUS, Ep. Gall. apud Maximum Tyrannum, excidium Priſcillianiſtarum urſit: unde horum cædes & exilium. Quod cùm vidiſſet Martinus, interceſſerat, ne quid cruentum in illos ſtatueretur. Quia verò ob id factum Martinus, Ambroſius, alii, cum *Ithacinis* communicare noluêrunt; inde ortum ſchiſma Annorum 14. Circà A. C. 385. Vide *Idacius Clarus.*

ITHAS, fil. Rubai, 2. Sam. *c.* 23. *v.* 29. qui & *Ethrai.* 1. Par. *c.* 11. *v.* 31.

ITHAMAR, fil. Aaronis, in cujus fam. ad quintam uſque generationem, manſit Summi Sacerdotii dignitas. Eli unus ex poſteris ejus fuit. Exod. *c.* 6. *v.* 22. 1. Par. *c.* 6. *v.* 3.

ITHATIUS, vide IDACIUS.

ITHOBALUS I. Aſtartes ſacerdos, Occiſo Rege Phelo ſ. Phelete regnum Tyrium occupavit. Vide Joſeph. *l.* 1. *contra Apion.* regnante adhuc in Juda Aſâ. Sub eo ἀβροχία, *defectus pluviarum*, fuit per integrum Annum: cùm verò is ſupplicationes indixiſſet, magna vis tonitruum ſecuta eſt. Cæterum Botryn urbem in Phœnice condidit, & Auza, quæ in Africa, Joſeph. *Antiqq. l.* 8. *c.* 7. Filiam Jezabelem in uxorem dedit Achabo Iſraëlis Regi, qui regnare cœpit Anno Templi 93. Anno regni ſoceri 20. & memoratur ſub Achabo pluviarum defectus inuſitatus 1. Reg. *c,* 17. *v.* 1. Vixit autem *Ithobalus* Annos 68. regnavit Ann. 32. ſucceſſore Badezoro fil. Vide Menandri Epheſ. *Fragmentum* inſigne apud Joſeph. *d. l.*

ITHOBALUS II. Tyri Rex, longò pòſt Pygmalionem, quem vide, intervallo, regnavit tempore Nebucadnezaris, qui cùm obſediſſet urbem vet. Tyrum, in obſidione periiſſe videtur, ex diris Prophetæ Ezech. *c.* 28. *v.* 8, 10, & 19. Expugnatâ verò ſic Palætyro, regnatum eſt porrò in Inſ. (quæ jam prima Regia fuerat Tyri Regum) ab *Ithobalo*, uſque ad Azelmicum Regem ſub quo Tyrus ab Alex. continenti adjecta eſt. Itaque *Ithobalo* poſt regnum Annorum 13. quo tempore in Juda poſtremi Reges præfuêrunt, ſucceſſit Baal, de quo ſuprà. Vide Joſephum *C. Apion. ex Ann. Phœnic.* Dii Hiſtorici, Arian. *l.* 2. & Marsham. *Canone Chron. Sec.* XVIII. ubi *de Excidio Tyri.*

ITHOME, opp. Phthiotidis. Hom. *in Catal.* Item urbs in agro Meſſeniaco, quam Lacedæmonii poſt 10. Annorum obſidionem in deditionem accepêrunt: Anno 1. Olymp. 14. qua de re vide Joh. Marsh. *Canone Chron. Sec.* XVII. ubi *de Bello Meſſeniaco I.* Thuc. *l.* 1. Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 179.

Plantaque Meſſena, montanaque nutrit Ithome.

Plin. *l.* 4. *c.* 5. *Ithomen*, urbis Meſſeniæ arcem vocari ſcribit Strabo *l.* 8. *p.* 358. & 361. *Grebegin*, Nigro dicitur. In monte urbi imminebat, non ſecus ac Acrocorinthus Corintho, Has Demetrius Phalereus Philippo capiendas ſuaſit, ſic bovem, i. e. Peloponneſum utroque cornu teneri. Strabo *l.* 9. *p.* 437. aliam *Ithomen* habet in Eſtiæotide Theſſaliæ regione, cujus vetuſtum nomen *Thome* eſt, detractâ primâ ſyllabâ. *Thumaa* hæc quoque *Steph.*

ITHOMETES, Jupiter ſic dictus, ab Ithome urbe. Huic Ariſtomenes Meſſenius 300. homines ſacrificavit. Vide *Hecatomphonia.*

ITHON, Theſſaliæ urbs. Heſych. Vide Steph. in Ἰτών.

ITHYCLES, Archon Athenis, Olymp. 95. An. 3.

ITHYPALLI, mimorum genus, ſtantes pronuntiabant, ebriorum perſonâ & coronati; hoc enim ebriorum fuiſſe, eſt in *Menæchmis* & *Sympoſio* Platonis, & in *Vita* Xenocratis, de Polemone. Manuum inſuper tegumenta gerebant ex floribus confecta, & tunicas albo ad medium diſtinctas à cinctura, quam cogebat velum Tarentinum, ad talos demiſſas. Hi ſilentio per oſtium ingreſſi; ubi ad Orcheſtræ medium evaſerant, convertebant ſeſe, ad Theatrum & dicebant,

Ἀνάγετε εὐρυχωρίαν ποιεῖτε τῷ Θεῷ, ἐθέλει
Γὰρ ὁ Θεὸς ὀρθὸς ἐσφυρωμένος διὰ μέσου
Βαδίζειν ———

Baccho nempe dicatum poëma ſimul & celebritas: propterea quòd ex opp. Bartiæ, cui nomen erat Ἐλαθῆραι, Pegaſus quidam myſteria detulit Athenas, unà cum Liberi patris ſigno; quod populus cum ſegniùs accepiſſet, ejus contemptionis mox pœnas dedit, pudoris partibus morbo correptis. Cui multis remediis fruſtra adhibitis ex oraculo φαλλὺς, i. e. *perticas*, atque in earum faſtigio coriaceum genitale cùm publice, tum privatis in ædibus erexêrunt. Cui ſimile quid in Palæſtinorum Hiſtoriâ legimus, unde forte turpitudini huicce Græcorum occaſio fuit. Habes cantionem apud Ariſtoph. *Acharnenſ.* Paulo diverſa ab *Ithyphallis*, φαλλοφόροι fuêre; de quibus alibi. Vide Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 10. ut & intrà *Phallus.*

ITHYPHALLUS, Priapus eſt. Colum. *l.* 10.

——— *Sed truncum fortè dolatum*
Arboris antiquæ numen venerare Ithyphalli.

Unde *carmen Ithyphallicum*, cujus exemplum Caſaub. produxit Animadverſ in Athen. *l.* 6. *c.* 15.

ITHYPHANIA, Optices pars, de qua infrà ſuo loco.

ITINERARIA Tabula, in *Ord.* Rom. dicitur altariolum ſ. lapis ſacratus, quo in Eccl. Rom. ubi Altare lapideum deeſt, utuntur: *Viaticum* Bonifacio VIII. *c. ult de privil. Antimenſium* Balſamoni *ad Conc. VI. can.* 1. *ſ.* 31. ex Græco ἀντιμήνσιον, Vide Macros Fratres in voce *Altare.*

ITINERARIUM, mappa Geographica dicitur, in qua deſcribuntur ac depinguntur metationes militares, loca & oppida provinciarum præcipua, cum intervallis ac diſtantiis, quam Duci neceſſariam eſſe, ait. Veget. *l.* 3. *c.* 6. *Primùm Itineraria omnium regionum, in quibus bellum geritur, pleniſſimè debet habere perſcripta: ita ut locorum intervalla, non ſolùm paſſuum numero, ſed etiam viarum qualitates perdiſcat: compendia, diverticula, montes, flumina ad fidem deſcripta conſideret: uſque eò ut ſolertiores Duces itineraria provinciarum, in quibus neceſſitas geritur, non tantùm adnotata, ſed etiam picta habuiſſe firmentur*, &c. Cujuſmodi fuit *Mappa orbis terrarum* ab Agrippa confecta, de qua Plin. *l.* 2. *c.* 3. & 4. &c. Item *Tabula Itineraria*, quam ex Bibliotheca Peutingeriana edidit Marcus Velſerus. *Itinerarium* item, quod falsò *Antonini* nomen præfert, & in mappam relatum ac Anno demum Theodoſii decimo quinto exaratum eſt, uti docet C. du Freſne *in Deſcr. urbis CP* Primum verò iſtiuſmodi Mapparum autorem fuiſſe Anaximandrum, quem ſubſecuti Hecatæus, Democritus, Eudoxus, alii, tradit Euſtathius *Ep. præfixâ notis ad Dionyſium Periegetem.* Neque verò Ducibus ſolùm ſua erant Itineraria, ſed & *Miles, qui ingreditur iter, viandi ordinem non ipſe diſponit ſibi — ſed* Itinerarium *ab Imp. accipit & cuſtodit illud, præſcripto incedit ordine rectaque viâ conficit iter, ut inveniat commeatuum ſibi parata ſubſidia. Si alio ambulaverit itinere, annonam non accipit, manſionem paratam non invenit*, uti habet Ambroſ. *Serm. in Pſ.* 118. de cujuſmodi itinerum & metationum militarium deſignatione, quam *Route* vocant Galli vide Lamprid. *in Alex. Sev.* & aliquid ſuprà in voce *Diſpoſitio.* In *Cerimoniali* Epp. *l.* 1. *c.* 2. *In diſceſſu recitabit — cum Clericis & familiaribus Itinerarium*: vox notat orationes vel preces, quæ ab iis, qui ſe itineri committunt, recitati ſolent & à cantico Zachariæ vulgò incipiunt. Vide Haëften. *Diſquiſit Monaſt. l.* 11. *part.* 4. *diſq.* 4. laudatum C. du Freſne in *Gloſſ.* ſuprà quoque, ubi de *Geographia*; uti de *Itinerationis* præſidibus Diis ſuprà in voce *Dii.*

ITIUS, Portus, vide *Iccius.*

ITOME, civ. Epiri, Italiæ item, & Bœotiæ, & Lydiæ. Item regio ſub Hæmo. *Steph.*

ITONIA, cogn. Minervæ, à loco *Bœotiæ* celebri ejus cultu, quem inter Pheras & Lariſſam locat Pauſ. *Aoniam urbem* à vicinitate appellat Stat, *Theb. l.* 2. *v.* 721.

——— *ſive Aonia divertis* Ithone.

Scholiaſtes Callimachi *Hymno in Cicer.* Theſſaliæ adſcribit. Niſi malis aliam urbem in Bœotia aliam in Theſſalia, utramque ejuſdem nominis eidemque Numini ſacram ſtatuere, quò Strabo nos ducit *l.* 9. Fanum autem id fuit clariſſimum, in quod proinpreſſi malis Bœotii confugêrunt, velut ab adverſa cum Ageſilao pugna. Pauſ. *l.* 3. *Ageſilaus, Thebanis & eorum auxiliis ſuperatis, per Bœotios ſibi viam fecit. Ipſi quidem Bœotii à prælio in Minervæ* Itoniæ *confugêrunt.* Etiam dedicatis ſpoliis, ut à Pyrrho factum memorat Idem *l.* 1. *Pyrrhi victoriam declarant Gallorum ſcuta in* Itoniæ *Palladis fano, cum Epigr.*

Hos tibi Gallorum clypeos Rex donat, Itoni,
Pyrrhus ab audaci rapta tropæa manu.

Ubi *Itonis* Minerva appellatur, imitatione Bacchylidis, Lutatio notati, *ad Stat. l. c.* Sed & Ludi ſ. Certamina ibidem Deæ celebrabantur. Callimach. ubi ſuprà,

Ἤνθον Ἰτωνιάδος μιν Ἀθαναίας ἐπ' ἄεθλα
Ὁρμενίδαι καλέοντες· ἀπ' ὧν ἠρνήσατο μάτηρ &c.

Vide Jan. Parrhaſium *Ep.* 55. Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. l. c.* & ante utrumque Achillem Statium *Comm. in Catulli Epithal. Pelei. & Thetidoſ. Carm.* 64. *v.* 228.

Quod tibi ſi ſancti conceſſerit Incola Itoni.

ITONUS, Theſſaliæ Rex, Deucalionis fil. invenit rationem conflandi æris, argenti & auri, ſignandæque monetæ. Lucan. *Civ. Bell. l.* 6. *v.* 402. *& ſeqq.*

Primus Theſſalicæ rector telluris Itonus
In formam calidæ percuſſit pondera maſſæ;
Fudit & argentum flammis, aurumque monetâ
Fregit, & immenſis coxit fornacibus æra.

ITRIA, vide *Hodegitria.*

de ITRO Jacobus, vide *Jacobus.*

ITRUM, opp. Terræ Laboris, intra montes, medium inter Fundos ad Occ. & Formias ad Ort. aliquot mill. ab ora maris Tyrrh. *Itri* vulgò Quibuſd. eſt *Mamurrha* antiquorum.

ITTA, fluv. Galliæ, vulgò *Epte.* Oritur in Bellovacis, è fonte cogn. & Gornacum, Novum Mercatum, Giſortium, Nelfam, Danguturn, & S. Clari opp. Brajam ac Fabricas attingens, inter Rupem Uvidonis ſ. Guidonis, ac Vernonem in Sequanam labitur. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ITTONA, vulgò ITON, fluv. Galliæ, Britolium, Condatum, Alnetum *Aunay*, Nucetum *la Nouë*, Ebroicas & Blancas præterlabitur, atque in Auturam influit. *Idem.*

ITUCI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ITUCI, colonia & urbs Hiſp. Bæt. quæ & *Virtus Julia*. Plin. *l.* 3. *c.* 1. interiit.

ITUNA, fluv. Angliæ, *Eden*. Oritur in Weſtmaria prov. dein per Cumbriam fluens, ibi Carleolum rigat, & paulò infrà ſe exonerat in mare Hibernicum & Itunææſtuarium, quod nunc *Solwey frith*. i. e. Solveum æſtuarium, inter Angliam & Scotiam.

ITURÆA, quæ & *Trachonitis*, *Bacar*, teſte Gul. Tyrio, reg. Palæſtinæ, Cœleſyriæ finitima, ſ. pars illius. Baudr. Ituræa, quæ & *Peræa*, regio parva eſt, trans Jordanem, inter Samariam & Arabiam: Erantque Ituræi Tribubus Gad & Ruben immixti. Populi *Iturai*, qui arcu potiſſimum in bello utebantur. Tullius *in* 2. *Phil.* *Cur homines omnium gentium maximè barbaros* Ituræos *cum ſagittis ſeducis in forum?* Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 448.

——— Bona bello
Cornus, Ituræos *taxi curvantur in arcus.*

Lucan. *Civ. Bell. l.* 7. *v.* 229.

——— Creta Cydonas.
Miſit: Ituræis *curſus fuit inde ſagittis.*

Idem ibid. *v.* 514. Vopiſc. *in Aur. Sagittarios* Ituraos *trecentos*. Plin. *l.* 5. *c.* 13. Strabo *l.* 16. *p.* 755. *&* 756. Tac. *Ann. l.* 12. *c.* 23.

ITURICENSES, Hiſp. Tarrac. pop. Plin. *l.* 3. *c.* 3.

ITURISSA, Vaſconum urbs in Hiſp. P. Mela *l.* 3. *c.* 1. & Ptol. *Toloſa* quibuſdam, Guipuſcoæ prim. Aliis *Sangueſſa*, in Navarræ regno. Aliis olim *Nomenturiſta*: Eſtque Brietio *Olite*, urbs Navarræ ad amnem *Cicados*, qui paulo infra cadit in Aragonium fluv. 7. leuc. à Calaguri in Ort. 6. à Pompelone in Auſtr.

ITURIUS, vide TITURIUS.

ITURUM, Umbriæ opp. non procul ab Hiſpello. Strabo *l.* 5. *p.* 227.

ITYCA, vide UTICA.

ITYLUS, fil. Zethi ex Aëdone conjuge, quem mater noctu per errorem interfecit, putans eum eſſe Amalea Amphionis fil. cujus fœcunditati invidebat, quod jam ſex filios mares peperiſſet. Quo errore manè cognito, doloris impatientiâ contabuit, & Deorum miſeratione in luſciniam commutata eſt. Catull. *Epigr.* 65. *ad Ortalum*, *v.* 13.

Qualia ſub denſis ramorum concinit umbris
Daulias, abſumpti fata gemens Ityli.

ITYMONEUS, Hyperochi fil. vir ſtrenuus, qui in bello Pyliorum cum Elidenſibus à Neſtore jaculo eſt interfectus.

ITYRÆI pop. Vide *Iturai*. Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 448.

Cornus: Ityræos *taxi curvantur in arcus.*

Sunt tamen qui *Ityraus*, ab Ityra urbe Parthiæ dedicant, ita ut *arcus Ityrai* iidem ſint cum Parthicis. *Ferrar.*

ITYS, Terei Thracum Regis fil. ex Progne Pandionis Athenienſium Regis filia, quem mater interemit, Tereoque viro ſuo, quòd Philomelæ ſorori ſuæ vim intuliſſet, epulandum appoſuit. Quam uxoris impietatem, cùm Tereus, agnito filii capite, deprehendiſſet, ſtrictoque enſe Prognem ac Philomelam inſequeretur, in upupam dicitur eſſe commutatus. Progne verò in hirundinem, Philomela autem in luſciniam, *Itys* denique in Phaſianum Ovid. *Amor. l.* 2. *Eleg.* 6. *v.* 10. ibid. *Eleg.* 14. *v.* 30. & *l.* 3. *Eleg.* 12 *v.* 32. *Ep. Heroid.* 15. Sappho Phaoni. *v.* 156. & 157. *Met. l.* 6. *v.* 621. 637. & 659.

ITYS Cyzicenus, in conflictu nocturno à Caſtore cæſus. V. Flacc. *Argon. l.* 3. *v.* 189.

Frontis apex, tum Caſtor Itym, *quâ carulus ambit*
Balteus, ——— ———

ITYS, fluv. Scotiæ in ora occid. Ptol. inter Tarvedrum & Epidium prom. qui aliis eſt *Heu*, contra Ricinam inſ. in mare exiens, Ferrar. *Aſſin Cumd.*

ITZEHOA, vulgò ITZEHO, urbecula Holſatiæ propriæ, ad Storam amnem, in ipſo limite Stormariæ. Vix 2. mill. Germ. ab Albi fluv. & à Glucſtadio in Eur.

IV. vel IIII. *quatuor*. I. V. *iuſtus vir*. JUC. *judicium*. JURD. *injuridictio* &c. in notis Antiquorum deſignat, *Franc. Gouldm.*

IVANOGRODA, ſ. *Ruſſica Nerva*, vulgò *Ivanogorod*. Vide *Narva*.

Reges Mauritania.

JUBA I. Rex Mauritaniæ & Numidiæ, poſt patrem Hyempſalem, Pompejanarum partium conſtantiſſimus aſſertor, qui Curionem à Cæſare in Africam miſſum cum omnibus copiis delevit. Victo verò Pompejo, cum Scipione copias conjunxit, commiſſoque prælio ſuperatus, cùm nulla jam ſpes reliqua eſſet, magnificè epulatus, cum Petrejo mutuis vulneribus concurrens cecidit, regno in provinciam à Cæſare redacto, cujus Salluſtius primus Præfectus. Plutarch. *in Pomp.* & *Caſ.* Flor. *l.* 4. *c.* 2. Suet. *in Caſ. c.* 35. Dion *l.* 41. *& ſeqq.* Tac. *Ann. l.* 4. *c.* 5. *&* 23 Lucan. *Civ. Bell. l.* 3. *v.* 309. *l.* 9. *v.* 213. 300. 301. 869. *& l.* 10. *v.* 475. P. Mela *l.* 1. *c.* 6. Mauritanis pro Numine fuit. *Ut* enim *unicuique provincia ac civitati ſuus Deus fuit; ut Syria Aſtarte, ut Arabia Diſares, ut Noricis Belenus, ut Africa Cœleſtis, ſic Mauritania Reguli ſui*, Tertull. *Apolog. c.* 24. Præcipuè autem iis *Juba* cultus, Minuc. Felix *in Octav.* *Niſi fortè poſt mortem Deos fingitis, & pejerante Proculo Deus Romulus* & Juba *Mauris volentibus Deus eſt.* Quem locum ſub Arnobii nomine Lilius Giraldus adducit: quia Octavius Minucii inſcribi ſolet *Arnobii Octavus Liber*. Minucio aſſentit & Iſid. *Orig. l.* 8. *c.* 11. Fortaſſè autem ejus, qui primus *Juba* vocatus eſt, id non proprium nomen, ſed cognomen fuit: ut Nimrodi *Bal*, h. e. *Dominus*. Quam ſuſpicionem injicit ſumma cum nomine Dei tetragrammato convenientia. Siquidem aliqui id *Juabo*, *Jabo* vel etiam *Jabe* extulêrunt. Ἰαὼ ſummum Deum vocari, apud Macrob. legimus, *Sat. l.* 1. *c.* 18. Ac agnoſcit id in Dei nominibus Epiphan. *Har.* 40. ubi & Ἰαβὲ dictum ait. Nempe, ut Theodoretus refert, *in Exod. Quaſt.* 15. Καλοῦσι δὲ αὐτὸ Σαμαρεῖται μὲν Ἰαβὲ, Ἰουδαῖοι δὲ Ἰάω, *Vocant autem illud Samaritani quidem Jabé, Judai verò Jao.* Ubi tamen vulgò *Ja* legitur: ſed ſic non fuerit tetragrammaton: quale eſſe id nomen, ibidem ait Theodoretus, &c. Plura in hanc rem vide ſuprà in voce *Jabé* & apud Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. & progr. Idol. l.* 1. *c.* 32. De *Juba* Regis bonis Romæ ſub haſta venditis, habes apud Plin. Tertulliano *de Pall.* citatum: ubi *Venundata*, inquit, *dua* (menſæ) *à Juba Rege vendente, quarum alteri pretium fuit HS. XV. alteri paulo minus.* Scribitur in omnibus libris: *venundata ſunt & dua à Juba Rege pendentes.* Et ſanè non ipſe Rex *Juba* menſas eas venum dedit, ſed cùm, poſt Mortem Regis, ejus bona ſub haſta venderentur, duæ illæ menſæ, cum reliquis bonis, ſub titulo pependêrunt, ut moserat in auctionibus. Tibull. *l.* 2. *Eleg.* 4. *v.* 54.

Ite ſub imperium, ſub titulumque Lares.

Inde duas illas menſas à Juba Rege pendentes dixit. Iureat etiam legere, *à Juba Rege pendente*, ut ipſe ſub titulum pependerit. Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio.*

JUBA II. ſuperioris fil. vir multijugæ eruditionis, paternæ dignitatis plane exſors non remanſit. Nam Aug. ſtudiis, cum jam egregiè excultum, ſuaſque ſecutum partes adverſus Antonium paterno regno, quibuſdam Getuliæ partibus, & Bocchi, ac Bogudis ditionibus donavit, præterea uxorem ei dedit Cleopatram Selenen, juniorem Antonii Triumviri ex Cleopatra filiam, ex qua Ptolomæum genuit, Caligulæ juſſu poſtmodum Occiſum, Plin. *l.* 5. *c.* 1. *l.* 25. *c.* 7. & *l.* 32. *c.* 1. Strabo *l.* 17. *p.* 829. & 831. Suet. *in Calig. c.* 26. Dion. *l.* 51. *&* 53. Athen. *l.* 1. *c.* 12. Edidit inter alia Comm. de Lybia, & alia. Herbam invenit, Euphorbiam, à medico ejus Euphorbio, vocatam. Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 4. Alius eſt *Juba*, ex quo Priſcian. *initio l. de verſibus Comicis*, aliqua refert de Jambicis cacometris. Grammaticus is fuit, ac Latinè ſcripſit.

JUBA, Hebr. רעמה *raama*, Hiobi *c.* 39. *v.* 22. ejuſque denſitas inter equi generoſi notas, vel, ut Varro habet *de Re Ruſt. l.* 2. *c.* 7. *non anguſta, crebra, fuſca, ſubcriſpa, ſubtenuibus ſetis implicata in dexteriorem partem.* Et ex illo Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 86.

Denſa juba *& dextro jactata recumbit in armo.*

Quibus, in equi vitiis, opponit Jul. Pollux χαίτην ψιλὴν, *jubam tenuem & depilem*, *l.* 1. *c.* 11. *ſ.* 5. *&* 6. Itaque ipſos equos ajunt, *juba* denſitate gloriari, idem *ubi ſuprà ſ.* 16. Quin, ſi Æliano credimus, *Var. Hiſt. l.* 2. *c.* 10. Μάλιστα κομῶσα ἵππος ἁβροτάτη τέ ἐστι καὶ θρυπτικωτάτη, *Equa inprimis jubâ inſignis maximè mollis eſt & fracta deliciis.* Atque id unum eſſe ex amoris incentivis, docet Anatol. *Hippiatricorum l.* 1. *c.* 14. ubi quoſdam ut equorum libidinem erga feminas accenderent, eas propriis crinibus atque aliis ornamentis, exornare conſueviſſe, refert. Quocirca nobiles equas ornatu iſto ſpoliatas, mœrore confici, ſcribit Sopholes *in Tyro*, indeque libidinem earum ſedari ac extingui, Plin. *l.* 8. *c.* 42. Ariſt. *Hiſt. l.* 6. *c.* 18. Ælian. *Var. Hiſt. l.* 11. *c.* 18. etiam hoc pacto aſſuefieri, ut aſinis ſe ſubmittant. Quandoquidem enim comantes gloriâ ſuperbiunt, tam humiles maritos dedignatæ: tondentur, ſicque detonſæ deducuntur ad fontes, ut, ibi tanquam in ſpeculo corporis ſui deformitatem intuitæ, fiant tractabiliores, & ignobilis mariti congreſſum patiantur, Xenoph. *in Hippico*, Plutarch. *in Erotico*, Ælian. Quam in rem vide plura apud Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 8. Ab equis in Heroum galeas tranſlatæ ſunt. Unde apud Ovid. *Met. l.* 12. *v.* 89.

Fulva jubis *caſſis* ———

Quem morem antiquiſſimum fuiſſe ex eo datur intelligi, quòd Homerus galeam Paridis equinis ſetis exornat, *Il.* γ. Ἱπποκόμους eaſdem vocat Sophocles *Antig.* Vide C. Paſchal. *Coron. l.* 10. *c.* 19. ut & ſuprà ubi de Numidis *Caſariatis*, apud Tertullian. *de Pallio.* Inde *Juba*, pro *galeis*, apud Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 18.

——— *Rorant clypeique* jubæque.

Sed & leonibus *Juba* eſt, & ſerpentibus, & Sirio aſtro, in vet. pictura apud Cæſarem Germanicum, Dracones infrà & ſuprà os jubas habere, autor eſt Ælian. *Var. Hiſt. l.* 10. *c.* 25. quo ornamento feminas carere, idem ait; *l.* 11. *c.* 26. Certè *anguis jubati* meminit Liv. *l.* 21. *c.* 22. citante Priſciano *l.* 4. Et Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 669.

Vix bene deſierant, cùm criſtis aureus altis
In ſerpente Deus pranuntia ſibila miſit.

Unde Cornificius neſcio quem ardelionem, forum Rom. circumvolitantem, *jubatum Draconem* appellat, *ad Herenniam l.* 4. Stare autem his *jubas*, dum meliore ætate ſunt; ingraveſcente hac flecti pondere, dicunt harum rerum indagatores &c. Vide Gaſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. paſſim*, inprimis *ad Theb. l.* 2. & *l.* 5. *v.* 280. & 572.

JUBAL, Pater canentium citharâ & organo. Torniel. A. M. 133. & 461. fil. Lamech ex Ada uxore. Gen. *c.* 4. *v.* 21. Item

Jubal

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Jubal Celtarum Rex primus, qui eò à Jano, h. e. Noë patre ſuo miſſus eſt. Beroſ. *l.* 3.

JUBALDAL, fil. Heberi, Celtiberorum Rex.

JUBERI, in Aug. tropæo nominati, an *Viberi*, Plin. *l.* 3. *c.* 20. memorati inter Alpinas gentes & Rhodani fontis accolas. Certè Viberorum nomen in tropæo reponit Sigiſm. Gelen. ſed non ita appoſitè, ut oſtendit Simler. *de Vall. l.* 1. Et obſervat Munſter. *l.* 3. montem Furcam, unde Rhodanus oritur, nominatum, Uriellum, Coatium & *Juoerum*: Etiam mons vicinus, unde Elmius fluv. Rhodani ſecundùm quoſdam pater, *Jubet* dicitur, & forſan is eſt, quem Jovius vocat *Jovet*. Cæterùm de *Viberis*, vide ſuo loco.

JUBERTUS Laurentius, vide *Laurentius*.

JUBILÆUS, quibuſdam *Jobilæus*, duplex eſt, Judaicus & Romanus. Illo cum Rege Cerimoniali ſepulto, hunc è cineribus ejus ſuſcitavit Bonifacius VIII. A. C. 1300. in feſto Nat. Dom. non redivivâ, ſed novatâ ſpecie. Nam cùm vetus ille debitorum remiſſionem & à mundana ſervitute immunitatem, quinquageſimo quovis Anno indulgeret: novus iſte peccatorum omnium abſolutionem, & ab infernis vinculis libertatem Chriſtianis ſpiritualem pollicetur, qui Apoſtolorum limina veniſſent ſalutatum. Non tamen Anno quinquageſimo, ſed centeſimo, ut ſic ſecularis factus ludis Ethnicorum ſecularibus opponeretur: quos hi Diti & Proſerpinæ ſacros, poſt centum Annos celebrandos ſtatuerant; quia Seculum ſ. vitæ ſpatium eouſque, non ulterius extendi exiſtimabant: clamante tunc præcone, *Venite ad ludos, quos nemo mortalium vidit, nec viſurus eſt.* Sic vulgò; Sed longè ante ævum Bonifacii, relegati ſunt ludi iſti ſeculares: quin & ab Aug. & Claud. & Domitiano, neglecto jam tunc ordine centenario, celebrati: unde Mart. *l.* 10. *Epigr.* 63. cujus Epigraphe Epitaphium nobilis Matronæ.

Bis mea Romano ſpectata eſt vita Tarento.

Tarentum enim ara fuit, quæ ludis ſolummodò ſecularibus aperiebatur, aggeſtaque deinceps terrâ, uſque in alterum Seculum occultabatur. Sic Stephanio, in utriuſque Aug. & Claud. ludis ſecularibus, togatus dicitur ſaltâſſe. Bullam inſtitutionis primi Jubilæi, habes apud Henr. Spelmann. Aliâ tamen bullâ Pontifex eodem die Annoque datâ, excluſit, qui prohibitam cum Saracenis exercerent mercaturam, nec non Frid. Arragonem, Siculoſque & Columnenſes. Poſt Bonifacium verò Clem. VI. ad veram *Jubilæi* periodum, Annum nempe 50. feſtivitatem hanc deduxit, primumque *Jubilæum* quinquageſimalem A. C. 1350. celebravit. Demum, ut quæque ætas iſtius fieret beneficii particeps, Sixtus IV. ad unumquemque Annum 25. *Jubilæum* contraxit, atque ejuſdem primam egit celebritatem, A. C. 1475. Confluxit autem in his Jubilæis tanta Romam vis hominum, ut ſub Bonifacio VIII. aliquando in dies ſingulos ad 200000. hominum numerarentur, & ſub Nicolao V. A. C. 1450. impedito fortè tranſitu ducentos homines & equos tres obtritos ac ſuffocatos in ponte Hadriani, referat Platina. Ad quam proin frequentiam excipiendam, ſeptem primaria urbis delubra idem Bonifacius conſtituit. Excitatus Bonifacii & Clem. exemplo Eduardus III. & ipſe Annum ſui ipſius genethliacum quinquageſimum Jubilæo dedicavit. Natus quippe in feſto S. Bricii, h. e. Idibus Nov. A. C. 1312. cùm ad idem feſtum A. C. 1362. perveniſſet, gratioſum omnibus ſe & munificum præbere geſtiens, vinctos è carcere liberavit, exules revocavit regioque omnia faſtu & magnificentiâ recolens, ornavit, ditavit & illuſtravit. Tum leges ſalutares multas tulit, multa conceſſit privilegia: rogatus à Communitate, linguâ Normannicâ è judiciis exulare juſsâ, Anglicanam indixit recipiendam. Acta verò in tabulas & membranas publicas Latinè juſſit redigi. Inſuper ad Anni decus, filios ſuos Eduardum Principem Walliæ, in Ducem Aquitaniæ: Lionellum in Ducem Clarentiæ: & Edmundum in Comitem Cantabrigiæ creavit: & ne quid tantæ deeſſet celebritati, Franciæ, Cypri & Scotiæ Reges, cum Regina Scotiæ illuſtri hoſpitio excepit, &c. Unde fortè factum, quòd Annis ſingulis in Cœna Domini, vulgò *Naundy*, i. e. *Thursday* Reges Angli uſque hodie eleemoſynam facientes, tot pauperes veſte & cibi ferculo donant, quot ipſimet tunc ætatis Annos egerint, ſinguloſque totidem inſuper denariis, velut Annorum rationem, dum ad quinquageſimum veniatur, conſervaturi. Annum tamen ipſum quinquageſimum nemo alius, poſt Eduardum, more Jubilæi celebravit. De lavationis cerimonia, quæ antiqua admodum, cùm apud Pontifices Rom. tum apud Impp. Vide in voce *Mandatum*: & de his omnibus Henr. Spelmann. *in Gloſſ. Arch.* Addo, de *Jubilæo Jud.* Fuiſſe hoc ultimum olim Iraëlitarum feſtum divinitùs inſtitutum, hac lege ut quinquageſimo quovis Anno celebraretur. Inſtitutio ejus habetur Levit. *c.* 25. *v.* 8. *Præterea numerabis tibi ſeptem ſeptimanas Annorum, ſeptem Annos ſeptem vicibus, ita ut tempus ſeptem ſeptimanarum Annorum ſint tibi quadraginta novem Anni. v.* 9. *Tunc facies ut ubique perſonet clangor tubæ*, &c. & *v.* 10. *Ut ſanctificetis Annum quinquageſimum & proclametis libertatem in ipſa terra omnibus habitatoribus ejus: Jubilæi* (Annus) *ille eſto vobis.* Uſus ejus erat quintuplex. 1. Proclamata erat libertas omnibus habitatoribus terræ. 2. Quiſque rediit in poſſeſſionem ſuam. 3. Sicque factum eſt, ut exactum ſervaretur, Tribuum diſcrimen. 4. Quemadmodum Græci per Olympiadas, Romani per Luſtra, Chriſtiani per Inductiones, ita Hebræi per *Jubilæos* computandi ratione uſi fuiſſe creduntur. 5. Typus erat SERVATORIS noſtri, cujus ſanguine jus redeundi in regnum cœlorum, quod per peccatum amiſeramus, nobis reſtitutum eſt & ſonus Verbi divini ſe diffudit per univerſim terram: id quod per clangorem tubarum olim erat ſignificatum. Unde ait Zach. *c.* 9. *v.* 14. *Dominus Jehovi buccinâ clanget.* Ubi de Euangelii annuntiatione ſub Nov. Teſt. vaticinatur. Notandum autem, decimo demum die primi menſis, tubarum clangore *Jubilæum* inchoatum, & terræ quietem ſervorumque libertatem proclamatam eſſe, poſtquam 9. prioribus diebus hi, læti agentes & ſertis coronati, appropinquanti libertati prælusiſſent, ex Moſe Ægyptio *in halacha Schemit-Vejobel c.* 10. Origo nominis, ſecundùm Marbachium *in Lev. c.* 25. à *Jubale*, primo Muſicorum inſtrumentorum autore, cujus mentio Gen. *c.* 4. *v.* 21. Secundùm alios potius à voce Hebr. יובל *Jobel*, quæ *arietem*, item *cornu arietinum* denotat ſ. *buccinam arietinam*, cujus clangor in *Jubilæi* auſpiciis perſonuit. Meminit iſtiuſmodi buccinarum Joſ. *c.* 6. *v.* 7. *Et ſeptem Sacerdotes portanto ſeptem buccinas arietinas ante arcam.* Ubi vox illa *Jobelim* extat. Vide Thom. Godwyn. *de Ritib. Hebr. l.* 4. *c.* 10. A quo tamen de his buccinis diſſentientem Bochart. habuimus ſuprà in voce *Buccina*. Cæterùm, in Eccl. Rom. poſt Clem. VI. qui de centeſimo Anno ad quinquageſimum deduxit *Jubilæum*, Urbanus VI. Pontificatûs ſui A. 11. C. 1389. 3. Idus April. inſtituit, ut in poſterum *de triceſimo tertio Anno in triceſimum tertium* celebraretur (uti legitur in Mag. *Chronico* Belg.) *Annuſque N. C.* 1590. *eſſet Jubilæus: quo eum commovit tempus vitæ Domini noſtri Jeſu Chriſti in humanitate* peractum, *Ibid.* Cujus Succeſſor Bonifacius IX. *Jubilæi* gratiam latiùs diffundens: *Regibus & aliis Dominis* ——— *etiam Conventibus per diverſa loca conceſſit, ut in partibus hujuſmodi gratiæ largitatem poſſent conſequi, ita tamen, ut Confeſſor, quem aliquis eorum eligeret, nomine Baſilicarum & Eccleſiarum videlicet Petri & Pauli. Joh. Lateranenſis, & Sanctæ Mariæ Majoris, aliquas Eccleſias in partibus per Confeſſorem electum deputandas certis vicibus tenerentur viſitare.* Vilh. Thorn. A. C. 1390. Unde fluxit, qui hodie obtinet, mos *Jubilæi* indulgentias in Regnis & provinciis indicendi. Denique Sixtus IV. &c. Sed & *Jubilæum Annum S. Thomæ Cantuar Archiep. & Martyr.* Monachos S. Trinitatis ſolenni ritu, Anno quoque 50. celebrâſſe, idem Thorn autor eſt *ad* A. C. 1320. cui feſtivitati indulgentias quoque conceſſêre Pontifices. Obiit autem A. C. 1170. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.* Apud Flodoard. *Jubilæus* eſt cognomen S. Remigii Rem. Archiep. quòd tot Annis vixiſſet, & ad Seculi prope ætatem perveniſſet, *Hiſt. Rem. l.* 1. *c.* 17. apud Dom. Macr. *in Hierol.* Vide & hîc infrà.

JUBILATE, vide infrà in voce *Matutinum*.

JUBILIUS, Hermunduorum Rex, A. U. C. 802. Mureto *Vibellius*, ex vett. libris, contra Vannium Suevorum Regem conſpiravit. Tac. *Ann. l.* 12. *c.* 29.

JUBILUM, & JUBILARE Latinorum, ut & *Jobel* Hebræorum, voces ſunt, ut Maſius aſſerit. à *Jubal* deductæ, primo Muſices inventore, Gen. *c.* 4. *v.* 21. ac voces quaſque *canoras* illas quidem; *ſed ruſticas, duras agreſtes*; & *quaſi ululantes*, ſignificant: quales inchoata illa, & nondum perfecta, primi illius artificis inſtrumenta, edebant. Eo certè ſenſu occurrunt משך היובל Exod. *c.* 19. *v.* 13. & קרן היובל & שופלות היובלים Joſ. *c.* 6. *v.* 8. & 9. *tubæ* vel *cornua ſoni grandis & protracti ruſtico more.* Et Annus *Jobel* eſt Annus, cujus promulgatio fiebat tali cornu vel tubâ. Quò faciunt hæc Varronis *de Ling. Lat. l.* 5. *Ut quiritare urbanorum ſic* jubilare *ruſticorum Itaque hos imitatus Apriſſius ait in Bacche* (vel, ut emendat Scalig. *aptè Attius ait in Bacchis*) *Quis me jubilat?* Et hæc Feſti, *Jubilare eſt ruſticâ voce inclamare.* Sic Sil. Ital. *Pun. Bell. l.* 14. *v.* 476.

Et lætus ſcopulis audivit jubila *Cyclops*;

i. e. cantus paſtoris Daphnidis. Calphurn. *Ecl.* 1.

Nec montana ſacros diſtinguunt jubila *verſus.*

Idem *Ecl.* 7.

Et tum mœrentes expectant jubila *tauri.*

Apud Amm. Marcell. quinetiam *l.* 22. *c.* 4. *Cùm miles cantilenas meditaretur pro* jubilo *molliores: jubilum* eſt militaris vox vel cantus, qui ruſticus eſt & inconditus. Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 43. *ubi de Ovium nominibus.* Sequioris poſtea ætatis Latini Scriptores appellârunt *Jubilum*, quod *Neumam* alii: productionem viz. cantûs in finali literâ antiphonæ ſ. cujuſvis cantûs Eccleſiaſtici. Honorius Auguſtodun. *l.* 1. *c.* 14. *Unde quidam longam neumam cum organis jubilant, quæ* Jubilum *vocatur:* quam neumam, in feſtivis diebus, jubilari ſtatuiſſe Greg. Pont. idem ait *c.* 88. Vide infrà, in voce *Neuma* C. du Freſne *in Gloſſ.* Dom. Macro, *Jubilatio* ſ. *Jubilus*, in Eccl. Rom. appellatur ſequentia, quæ poſt Ep. in aliquibus feſtivitatibus canitur, *in Hierol.*

JUCADAM, civ. in tribu Juda. Joſ. *c.* 15. *v.* 56.

JUCATANIA, Gall. *le Jucatan*, regio Americæ Sept. in modum Peninſ. in mare Bor. excurrens, inter ſinum Honduræ ad Ort. & ſinum Mexicanum ad Occ. Pars Hiſpan. Novæ latè ſumptæ. Habet ad Auſtr. Chiapam & Veram pacem provv. Circuitus 230. leuc. Hiſp. circiter. In ea 4. urbes Emerita, caput regionis, Valliſoletum, Campecia & Salamanca. Sub Hiſpan. Ab Hernande Cordubenſi detecta primum, ſed ab incolis, qui bellicoſiſſimi Americanorum, malè exceptus, in inſ. Cubam retroceſſit. Franciſcus Montegus dein A. C. 1527. illuc veniens, poſt novennale bellum incolis ſubactis, regionem occupavit. Herrera *c.* 10. Linſchot. *Amer. c.* 5. Benzo *nav. l.* 2. *c.* 15. Addo, quòd ejus incolas circumciſione uti conſueviſſe, docet Job. Pfanner. *Syſtem. Theol. Gentil. pur. c.* 14. §. 1. Rationem nominis vide infrà, in voce *Peruvia*.

JUCHAL, fil. Selemiæ. Jer. *c.* 37. *v.* 3. & *c.* 38. *v.* 1.

JUCUNDUS Veronenſis, eruditione inclaruit, Sec. 15. Cæſarem Vitruv.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Vitruv. Frontin. edidit, ut & volumen Inſcriptionum ultra bis mille. *Vir unus titulorum & monumentorum vett. ſupra mortales cæteros non diligentiſſimus ſolùm, ſed etiam ſine controverſia peritiſſimus*, Politian. *Miſcell. c.* 77. Vide quoque Budæum, Voſſium, *Alios*.

JUD, civ. in tribu Dan. Joſ. *c.* 19. *v.* 45.

JUDA, 4. Jacob ex Lea uxore fil. Gen. *c.* 20. *v.* 35. ita ſemen Abrahæ multiplicavit, ut de tribu ejus ad montem Sinai numerati & inventi ſint viri ad pugnam apti ſeptuaginta quatuor millia & ſexcenti, quibus omnibus, excepto Caleb, in deſerto Mortuis, ſeptuaginta ſex millia quingenti, abſque mulieribus & parvulis, valida manu ingreſſi terram promiſſionis, in ſortis diviſione circa Jordanem primam, optimam, atque ampliſſimam hujus terræ ſanctæ obtinuêrunt poſſeſſionem. Nat. eſt A. M. 2286. quo & Dan, ex Bala Rachelis ancilla. A Jacobo patre flore benedictionum mactatus eſt, regiâ ei dignitate & Meſſiæ ex ipſo orituri nativitate promiſſa. Reliquam ejus Hiſt. vide Gen. *c.* 37. *v.* 26. & *c.* 49. *v.* 9. & 10. Item apud Joſeph. Auguſtin. Torniel. *Salian.*

JUDA, una ex XII. Tribubus Iſraël, cæteris longè major, & in qua maxima pars Judææ propriæ. Habet ad Ort. mare Mortuum, ad Bor. Tribum Benjamin, ad Occ. Tribus Dan. & Simeon; ad Auſtr. Idumæam. Extenditurque etiam ad mare Syriacum versùs Satrapias Philiſtæorum. 115. urbes primùm obtinuit, diviſaque fuit in 11. partes.

R. JUDA Princeps, vocatus *Rabbenu à Kodeſch*, & abſolutè dictus *Rabbi*, nat. eſt eo die quo Obii R. Akiba, de quo ajunt: *Sol exortus eſt & Sol occidit.* Congeſſit omnes Patrum traditiones, à Moſe uſque ad ipſum propagatas, A. C. circiter 150. ſub Antonino Imp. Unde ampliſſima litigiorum ſeges pullulavit, per univerſum Thalmudicum diſperſa campum. Quando autem hæ Δευτερώσεις in unum volumen compilatæ atque Synagogis obtruſæ fuerint, non uſquequaque inter Hebræos conſtat. Vide Vorſtium *ad Chronol. R. Ganz.* Alius, autor libri *Thania*, in Italia floruit, A. M. 74. Millen. VI. juxta *eund.*

R. JUDA, princeps Gemaricus, pater Hillelis, qui inſtituit intercalationem. R. Ganz ad A. M. 4060. Alius Pariſienſis, fecit *Tzivaot*, de præceptis A. M. 4977. juxta *eund.*

JUDÆ Leo, vide *Leo.*

JUDÆA, quæ & *Chananæa*, & *Promiſſionis terra*, Syriæ regio notiſſima: de cujus ſitu poſt Sacras literas Joſephus inprimis, poſt quem Strabo, *l.* 16. *p.* 749. & 756. Dion Caſſ. *l.* 36. & Tac. *Hiſt. l.* 5. *c.* 6. ubi de Judæa, cujus hæc ſunt verba: *Terra, fineſque, qua ad Or. vergunt, Arabiâ terminantur, à Mer. Ægyptus objacet: ab Occaſu Phœnices, & mare: Septemtrionem à latere Suriæ longè proſpectant.* Solum, ſi Straboni credimus, infœcundum, præſertim circa Hieroſolyma. Sic enim ille: Ἔςι γὰρ πετρῶδες, αὐτὸ μὲν ἔνυδρον, τὴν δὲ κύκλῳ χώραν ἔχον λυπρὰν καὶ ἄνυδρον, τὴν δ' ἐντὸς ἑξήκοντα ςαδίων, καὶ ὑπόπετρον. E contrà Tac. ubi ſuprà: *Rari imbres, uber ſolum. Exuberant fruges noſtrum ad morem. &c.* Huic ſoli balſamum ferre conceſſum eſt. Plin. *l.* 12. *c.* 5. & *l.* 5. *c.* 14. Baudr. *Judæa* regio eſt Syriæ Mer. parva, ſed nobiliſſima, melle olim & lacte fluens, quæ antiquiſſimis temporibus appellata *Terra Chanaan*, Num. *c.* 13. *v.* 30. & *c.* 34. *v.* 3. Exod. *c.* 23. *v.* 31. poſtea *Terra Promiſſionis*, & *Palæſtina* tempore Romanorum dicta fuit *Judæa*, nunc autem à Chriſtianis dicitur *Terra Sancta*, Germanis *das Gelobte Land*, Gallis *la Terre Sainte*; quanquam Judæa ſtrictiùs ſumpta complectatur tantùm Tribus Judam, & Benjamin: Becmanno Judææ nomine veniunt Tribus Judæ, Benjamin, Dan tota, & Ephraimitidos ac Manaſſitarum Occidentalis portio, vide Joſeph. *de Bello Jud. l.* 3. *c.* 1. Ejus quondam Metropolis Hieroſolyma fuit, non Judææ modò, ſed totius orbis ocellus. Reliquæ urbes, Bethlehema, Jericho, Aſcalon, Bethoron, Azotus, Joppe, &c. Tota autem regio ſubeſt dominio Turcarum; malè admodum culta, cùm incolæ deficiant indies propter frequentes incurſiones Arabum. Aliàs diviſa fuit Judæa in duodecim Tribus, quarum nomina & ſitum videbis in voce *Tribus*, quæ omnes etiam in unicum, tandemque in duo regna deſcriptæ ſunt ſub nominibus *Iſraël* & *Juda*: Judæa autem omnis Chriſti ætate diviſa fuit in partes ſex, in Galilæam, Samariam, & Judæam propriè dictam, quæ cis Jordanem fluv. & ad mare Mediterraneum, & in Trachonitidem, Itureàm ſive Peræam, & Idumæam, quæ trans Jordanem & in mediterranes poſitæ ſunt. Juv. *Sat.* 6. *l.* 2. *v.* 158. 542. & 547. Ejus meminit Lucan. *Civ. Bell. l.* 2. *v.* 593.

Incerti Judæa *Dei, molliſque Sophene.*

Et Juvenc. *l.* 4.

Judæamque *petit, quâ pinguia rura, &c.*

Pop. Judæi qui & *Hebræi*, *Populus Dei* olim, *Juifs* Gallis, *Judeos* Hiſpanis, *Juden* Germanis, gens quæ quondam Palæſtinam habitavit, nunc autem per totum orbem terrarum diſperſa vagatur, nuſquam proprium locum poſſidens, ubique apud omne genus hominum odioſa & tributaria. Multa autem de origine gentis & religione confinxêrunt profani ſcriptores, qui Judæum, & Hieroſolymum fratres, Typhonis filios, fabulati ſunt, inde & nomen genti, & urbi principi manâſſe, de quo Plutarch. *l. de Iſide & Oſiride.* Alii à monte *Idam* nomen deduxêrunt. Quidam volunt Bacchum eos, aut ejus loco vitem auream coluiſſe; nonnulli aſinum, & porcum. Vide Flor. *l.* 3. *c.* 5. Plutarch. *Symp. l.* 4. *c.* 5. Petron. *in Catalectis*, & ibi interpretes, nec non Orig. *l.* 5. *contra Celſ.* Minimè omnium corruptè de religione eorum Strabo, qui & *juſtos, & verè religioſos* appellat. Itemque Dion loco ſuperiùs prolato. Iidem Pagani ſcriptores Judæorum, & Chriſtianorum nomen non raro confundentes, illos pro his poſuêrunt, quod Lipſ. *ad l.* 15. *Ann. Tac.* itemque Pithæus *l.* 2. *Adverſ. c.* 2. & Barthius, *ad Rutil. Numatian. l.* 1. *v.* 159. obſervant. Hiſtoria eorum paucis hæc eſt: A' Jacobo Patriarcha prognati, *Iſraëlitarum* habuêre nomen, quo tamen omnes 12. continebantur Tribus, quæ pro peculiari gente tum demum haberi cœpêrunt, poſtquam in Ægypto prodigioſâ fœcunditate multiplicati eſſent. Hanc cùm fruſtra ſupprimere per 200. An. tentâſſent Ægyptii, à Moyſe tandem divino juſſu, è ſervitute eorum educti, Legem à Deo accepêrunt, in monte Sinai, & poſt quadraginta Annorum in deſerto errores, terram Canaan Joſuæ auſpiciis occupârunt. Poſt cujus Mortem Seniorum imperium venerati, Judices poſtmodum habuêrunt, quorum ultimus Samuel fuit. Hoc adhuc ſpirante, Regem petiêre, qui ipſis irato Deo obtigit, Saul vid. Cui ſucceſſit David, vir ſecundùm voluntatem Dei, quem fil. Salomo excepit, ſapientiâ & divitiis ſupra omnes Reges terræ. Poſt hujus Mortem ob nimium Rehabeami, filij ejus, rigorem, diviſum regnum eſt A. M. 3060. in regnum Iſraëlis, ſub Jeroboamo, cui 10. tribus adhæſêre, & regnum Judæ, ſub Rehabeamo, cui duæ ſolæ ſervârunt fidem: Priùs a 19. Regibus adminiſtratum eſt, per An. 255. uſque ad Hoſeam ultimum, qui Samariæ à Salmanaſſare Aſſyrio obſeſſus, in ejus poteſtatem tandem cum toto regno pervenit A. U. C. 14. regni Ezechiæ Regis Judæ 6. Poſteriùs 20. habuit Reges, à Rehabeamo uſque ad Sedeciam, quo Hieroſolyma capta eſt a Nebucadnezare, templumque deſtructum & Judæi Babylonem abducti, Olymp. 40. An. 1. Nabonaſſaris 140. a fundatione templi 424. A. U. C. 146. A. M. 3446. 608. circiter A. C. N. Duravit captivitas 70. Annos, quibus effluxis, Cyrus Babyloniorum domitor, Judæis in patriam revertendi & templum reparandi veniam dedit, quod factum auſpiciis Ducis Zorobabelis, Eſræ & Nehemiæ; Mortuo Zorobabele a Pontificibus ſummis gubernati, poſteà Aſſamonæis fuêre ſubjecti, per Annos 130. qui regio titulo reſumpto præfuêrunt genti; uſque ad Herodem, quo regnante, JESUS CHRISTUS natus eſt. Hunc cùm impii cruci affixiſſent, ultorem mox ſenſêre Deum: & rebellione iteratâ irritatis Romanis, captis A. C. 70. à Veſpaſiano & Tito Hieroſolymis, poſt horrenda ac inaudita mala, & occiſa eorum 1100000. captaque 97000. libertate penitus excidêrunt, ſignavitque nummum Veſpaſiani mœſta ſub cedro ſedens JUDÆA CAPTA. Neque ulla ab hoc tempore maledictæ genti emergendi copia fuit: namque ſub Trajano primum, dein Hadriano, Duce Barchocheba, poſteà Antonino Pio &c. jugum excutere conati, aliis item temporibus idem molientes fruſtra fuêre, Imò adeò gentem, non modò rebellem, ſed & priſtinum, quaſi, cùm ſui juris eſſent, ſive ipſi ſive Majores ſui gaviſi fuiſſent, ſtatum animoſiùs vindicantem in ordinem redigere ſategit Hadrianus, ut nullam, quâ fieri poſſet, omninò rebellionis futuræ ſuique dein juris illic aviti inſtaurandi anſam aut obtentum relinqueret. Unde, ut *genitalia mutilare* ſ. circumcidere eis interdixit, teſte Spartiano: ita etiam Ordinationem illam, intra terram, judiciariam, è qua poteſtas judicandi illic, i. e. legitima terræ regiminis & imperii ratio ordinaria pependit, ſub pœnis graviſſimis inhiberi voluit, etiam ipſos, qui ordinarent, cum reliquis inde arcendo. Quam in rem Ariſtonis illud facit, quo interdictum fuiſſe ab Hadriano Judæis univerſis ſcribit, ἐξ ἀπόπτου θεωρεῖν τὸ πατρῷον ἔδαφος, *e ſpecula paternum ſolum intueri, introſpicereque*: Sic ut non modò terra ipſa ſancta integra eis, ſed & finitimæ qualeſcunque, unde ſuam intueri quoquo modo poſſent, interdictæ videantur adeoque ipſi longiùs etiam ſummoti: ne videlicet, ſi in agro proximo, aut vicino manſiſſent, inde greſſu celeri clandeſtinoque, pro libitu, in terram inſilientes, ritum illum ſic neceſſariò illic, nec alibi omnino, de facultate judiciaria, legitimum præſtarent illi, quibus inter eos ordinandi facultas. Longiùs enim ſemotis, id fieri haud facilè: cùm longiora itinera illuc ducentia teſtibus ac delatoribus vix aut ne vix quidem caruiſſent, unde res palàm fieret. Poſtmodum autem eſſe porrò deſiit edictum illud Hadriani, *Judæis* Palæſtinâ utraque ac terrâ ſanctâ ita permiſſâ, ut intra eam Synedria ſua qualiacunque, pro arbitrio Cæſarum, haberent, &c. Vide plura hanc in rem, apud Joh. Selden. *de Synedriis L. II. c.* 7. Id unum ab Hadriano ægrè impetrârunt, ut ſemel in Anno adire ſanctæ urbis deformes reliquias, ibique per paucas horas vectigalis libertate inſpectantibus militibus, pretio lacrymas ſuas redimere, ruinam templi & urbis deflere, miſeramque gentis ſuæ ſortem lugere ac deplorare liceret. Nec quicquam juvit Juliani indultus, Deo cœlitus fulminibus & terræ motu opus turbante. Etiam ſub Theodoſio minore, in Creta ad libertatem, à quodam qui Moyſen ſe venditabat, vocati, magno numero merſi ſunt circa A. C. 132. Iterum Rex eorum Julianus, ſub Juſtiniano, victus eſt A. C. 533. Intra domorum clauſtra certis diebus concluſi ſunt, lege Childeberti A. C. 564 & cùm circa A. C. 600. in eodem regno plus libertatis nacti eſſent, adeò ut etiam *Chriſtiana mancipia poſſiderent*, querente Maſſonio *in Hiſt. Gall.* eadem poſtea rurſus privati ſunt. In Hiſpania à Siſibuto, ab Aſtrologis monito, à circumciſa gente metum imminere, ad fidem quidam compulſi, reliqui regno ejecti ſunt, A. C. 614. Iterum circa A. C. 694. Egica Rex eos, quòd inſidias regno ſtruxiſſent, bonis fiſco addictis, in ſervitutem redegit. Sub Leone Iſauro, non pauci, quòd ad Chriſtianiſmum compellerentur, cum totis familiis ſeſe ipſos uſtulârunt, circa A. C. 722. Gallia pulſi ſunt, ſub Ludov. IX. cui Saraceni exprobaverant, *Regi minus eſſe charum Jeſum Chriſtum, qui infenſiſſimos ejus hoſtes in viſceribus regni foveret*, circa A. C. 1260. Ex Anglia eoſdem ejecit Eduardus I. A. C. 1287. ob intoxicatas aquas, Baſileæ aliiſque in locis, uſtulati partim, partim in exilium acti, circa A. C. 1348. & nuper admodum omnibus hereditariis provinciis à Leopoldo I. Imp. cedere juſſi ſunt. Plura qui volet, videat Euſeb. Joſeph. Sever. Gul. Tyr. &c. imprimis, qui de ritibus eorum & conſuetudinibus accuratiſſimè ſcripſit Joh. Buxtorf. Fil. *Synagogâ Patris Judaicâ ingenti acceſſione locupletatâ.* Hinc Judæus. Ovid. *de arte Am. l.* 1. *v.* 76.

Cultaque Judæo *ſeptima ſacra viro.*

Item *Judaicus*, ut *Superſtitio Judaica* Quinctiliano. Juv. *l.* 5. *Sat.* 14. *v.* 101. Marc. *c.* 3. *v.* 7. Pſ. 76. *v.* 2. 1. Reg. *c.* 12. *v.* x. P. Mela *l.* 1. *c.* xi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Judaicum ediſcunt & ſervant, ac metuunt jus.

Marc. *c.* 3. *v.* 7. Pſ. 76. *v.* 2. 1. Reg. *c.* 12. *v.* 10. P. Mela *l.* 1. *c.* 11.

JUDÆI, quæ gens, dictum in voce *Judæa*: ſed & Chriſtiani hoc nomine primis Annis venêrunt. Neque enim eorum quiſquam erat per tempus aliquod, à Domini aſcenſu, qui non aut origine atque undiquaque *Judæus*, ſ. Hebræus ex Hebræis; aut è Gentibus, ut Proſelytus Juſtitiæ, ita adſcitus, ut inde pro Judæo etiam omnino cenſeretur. Neque ob Chriſti diſciplinam acceptam exuebant eorum quiquam Judæorum ſive nomen ſive jus, quod antea poſſidebant. Nec diſciplina illa apud eos alia, quàm *Judaiſmus reformatus*, ſ. cum fide in Meſſiam ſ. Chriſtum ritè conjunctus. Unde *Judæi* in πιϛεύοντας ſ. τῇ πίϛει ὑπακούοντας, *credentes* & μὴ πιϛεύοντας, *non credentes*, tribui ſolebant. E quibus tam credentes, quàm non credentes, *Judæi* tunc ſic meritò dicti, Act. *c.* 15. *v.* 5. *c.* 16. *v.* 1. *c.* 19. *v.* 33. & *c.* 21. *v.* 20. utpote originem, ſtatum ac jus Judaicum, ut antè, retinentes. Hinc myriades complures Ἰουδαίων τῶν πεπιϛευκότων, Judæorum *credentium*, memorantur, Idem *c.* 16. *v.* 20. Galat. *c.* 2. *v.* 15. &c. de quibus item adjicitur, quòd πάντες ζηλωταὶ τοῦ νόμου, *omnes legi addictiſſimi* eſſent, tametſi crederent. Et ſanè addictos adeò Legi, etiam placitis moribusque avitis סיג לתורה *in Legis ſepem*, ut dicere ipſi ſolebant, introductis pariter fuiſſe addictos veriſimile eſt. Quonam autem primùm tempore Euangelium ſ. credentium diſciplina Gentilium alicui necdum in Judaiſmum antè recepto, communicata fuerit (quod nec fieri debuiſſe aliquot per Annos à Judæis vulgò exiſtimatum eſt, vide Act. *c.* 11. *v.* 1.) non unanimes ſtatuunt Scriptores: Alii in Candaces, Æthiopum Reginæ Eunucho, à Phil. baptizato, Idem *c.* 8. *v.* 38. id haberi volunt; aliis Eunuchum illum pro Proſelyto Juſtitiæ adeoque *Judæo* circumciſo, ſumentibus, Lyran. *in l.* Vide quoque Hug. Grot. *ad Act.* *c.* 8. *v.* 27. ac Origenem *c. Celſ. l.* 2. qui proin Centurionem Cornelium cum ſuis à Petro baptizatum, primitias Gentilium citra circumciſionem, in Chriſti diſciplinam receptorum, faciunt. Quorum illius, nempe Eunuchi, baptiſmus, ad biennium aut circiter ab Aſcenſu ſ. A. C. 35. ſpectat: hujus ad ſeptennium inde aut circiter, ſ. A. C. 41. juxtà Baronii Chronologiam, qui biennio poſt aut circiter, ſ. ſub initia Claud. Aug. collocat *Chriſtiani* nominis, inter Diſcipulos, Antiochiæ ortum, in Actis memoratum *c.* 11. *v.* 26. Suidâ eum tribuente illi tempori, quo Euodius Antiochiæ creatus eſt à Petro Ep. i. e. juxta Hier. Anno tertio Claud. Aug. & Æræ Chriſti vulgari 44. aliis aliter de tempore iſto ſentientibus. Certè ut Suid. ita Joh. Antiochenus *in Chronol. ſuis nondum editis*, cum Euodii illic Epiſcopatu *Chriſtiani* nominis Antiochiæ ortum conjungit, quem poſt decennium ab aſcenſu Domini eveniſſe ſcribit ſ. ſub Claud. initia; ipſumque Euodium nomen hoc Diſcipulis primùm impoſuiſſe, ait. Sic, qui antea *Galilæi* & *Nazaræi*, ut & πιϛεύοντες εἰς τὸν Χριϛὸν, *credentes in Chriſtum*, ſive ex Judæis ac Circumciſione eſſent, ſive Incircumciſis, *Chriſtiani* jam nuncupari cœpêre: quod quidem nomen ſic inditum à nonnullis tàm Vett. quàm Recentiorum, ſumitur pro eo, quod eſt *Nomen Novum*, Eſai *c.* 62. *v.* 4. & *c.* 65. *v.* 15. ubi conſule Ignatium *ad Magneſios* & Leon. Caſtri *Comm.* Sed verò, tametſi ita ibi cœptum hoc nomen, uſus nihilominus ejuſdem non ita frequens videtur inter Apoſtolos ipſos aut in eorum lingua per Annos aliquot ſequentes. Nam, præter locum illum, quo memoratur in Actis, *primùm tunc vocatos Antiochiæ Diſcipulos Chriſtianos*, bis tantùm in Nov. Teſt. occurrit, nempe Act. *c.* 26. *v.* 28. & 1. Pet. *c.* 4. *v.* 16. Sed nec ulla Ep. Apoſtolica alia *Chriſtiani* expreſsè nominis memor eſt, nedum eos, ad quos dirigitur, *Chriſtianos* disertè univerſos nuncupat: Verùm aut *Sanctos*, aut *Fideles*, aut *Eccleſias*, adjectis ſive loci ſive Jeſu Chriſti ſive Dei nomine, aut ejuſmodi quid, aut planè *Judæos*, ut Jacobi & Petri, quælibet alloquitur. Per ſeptennium igitur ab aſcenſu Chriſti aut circiter, ut antè, nemo in credentibus, qui poſtea *Chriſtiani* dicti, præter *Judæos* ſive originarios, ſive proſelytiſmi jure integro adſcitos. Neque etiam poſt hæc tempora defuêre quàm plurimi, qui ex Gentilibus Chriſto nomina dantes ſimul Proſelyti eſſe Juſtitiæ voluerint: nondum enim id tum prohibitum, ſed tantùm non habitum neceſſarium Chriſtianis. Etiam *Chriſtianiſmum* ac *Judaiſmum*, velut corporis unius bina membra conjuncta videmus in hæreſibus Corinthianorum, Nazaræorum & Ebionæorum, apud Epiph. *Hær.* 28. 29. & 30. atque, ut in Judaicam diſciplinam veterem, per Baptiſmum, circumciſionem & oblationem cooptabantur Proſelyti Juſtitiæ, ita in Chriſtianiſmum, per Baptiſmum & Euchariſtiam. Ex qua miſtura Judaiſmi ac Chriſtianiſmi tunc non ſolum in Judæis originariis, ſed etiam iis, qui è Gentibus Eccleſiis Chriſtianis accederent, atque ex eo, quòd ipſe Chriſtianiſmus ex Judaica diſciplina ortus erat, eaque omnino fundatus & revera Judaiſmus erat reformatus, in quem per Baptiſmum, qui etiam antè erat ritus Judaicus, reciperentur credentes qualeſcunque, ut Proſelyti; evenit, ut Chriſtiani univerſi tunc temporis etiam nomine *Judæorum* venirent, atque ut Judæorum Secta, non minùs, quàm Phariſæi, Sadducæi, Eſſeni, & ſi qui fuerint ejuſmodi alii, haberentur: tametſi Annis proximè inſecutis ſ. poſt graviores, ex tumultibus ac factionibus Judæorum non credentium impellentibus, Chriſtianorum perſequutiones obortas, velut invicem oppoſita apud Scriptores adhiberentur nomina ſæpius *Judaiſmi* (ut veterem ſc. ſolùm ſignificantis) & *Chriſtianiſmi*, in quo ita Judaiſmus novus ſ. reformatus, vide Ignatium *Ep. ad Magneſios* &c. Templum item Hieroſolymitanum, tam credentibus, quàm non credentibus, commune tunc erat, uti & cultus juriſque Judaici reliqua non pauca, etiam & Synagogæ, Act. *c.* 9. *v.* 20. &c. & Proſeuchæ. Judæis quoque non credentibus aliisque cum ſeculorum Veterum, vide Act. *c.* 24. *v.* 5. tum recentiorum, Chriſtianus quilibet ſive ex Judæis originariis ſive Gentibus adſcitus נוצרי i. e. *Nazaræus* aut *Nazarenus* vocitatus, quemadmodum & Chriſtus ipſe in Euangeliis & Actis ſæpius; ac Chriſtiani primi; quo planè non Judaica ſolum origo, ſed ipſum Judæi nomen diffuſius in denominationem à *Nazareth* urbe Galilææ, in tribu Zabulon, contractum Chriſtianis, ex more illo vetuſto, tribuitur, vide Hier. *in Eſaj. c.* 5. *comm.* 18. Sed & apud Suet. *Judæorum* nomine ita Chriſtianos qualiſcunque generis eſſe comprehenſos, ut non minùs hi, quàm illi, eo nomine tunc innuerentur, hinc patet; quòd, cùm in Actis legatur *c.* 18. *v.* 2. Paulum Corinthi inveniſſe Judæum, nomine Aquilam, qui nuper venerat ab Italia, & Priſcillam uxorem ejus, *eò quòd præcepiſſet Claudius diſcedere omnes Judæos à Româ*: idem edictum Suet. *in Tib. Claud. c.* 25. memoret his verbis, *Judæos impulſore Chriſto* (pro *Chriſto*) *aſſiduè tumultuantes Româ expulit.* Ideo ergo Aquila & Priſcilla Romam reliquêre, quia *Judæos* univerſos Claudius diſcedere juſſerat: pro Chriſtianis autem illi accipiuntur, & inter alios tum credentes, à Paulo, hoc nomine ſalutantur, Ep. ad Rom. *c.* 16. *v.* 3. Nec edictum eos attigerat, niſi etiam *Judæorum* nomine generali, ad ſeculi morem, contenti fuiſſent tunc Chriſtiani, vide quoque Hier. *Hiſt. Eccl. l.* 2. *c.* 17. Unde rectè Mariana *ad illud Suet. Quod tumultus concitarent* (Judæi) *nempe de Chriſto cum Chriſtianis diſputantes, quos Judæorum nomine comprehenſos, una cum illis pulſos, Aquila & Priſcilla monſtrant.* Imò & poſteà aliquandiu Chriſtianas Eccleſias, ob cognatam Judæorum vett. religionem, unde natæ ſunt primò univerſæ, *Judaizaſſe*, i. e. Judaicos ritus ac jura retinuiſſe, eliciendum eſt, cum ex iis, quæ de Paſchatis obſervatione Chriſtiana obvia ſunt; tum ex illo apud Hier. *de Script. in Marco*, de Philone Judæo, qui *videns Alexandriæ primam Eccl. adhuc Judaizantem, quaſi in laudem gentis ſuæ, librum ſuper eorum conſervatione ſcripſit.* Unde & Celſus Epicureus, in *Judæos* ſimul atque Chriſtianos invectivam ſuam etiam ſub Hadriano componens, utroſque ut congeneres conjungit & Chriſtianiſmi βαρβάρων ajebat ἄνωθεν εἶναι τὸ δόγμα δηλονότι τὸν Ἰουδαϊσμὸν, ᾧ Χριϛιανισμὸς ἤρτηται, *Sectam ſ. opinionem barbaram ex origine eſſe, i. e. Judaiſmum quocum Chriſtianiſmus conjunctus eſt.* Eoſdem idem Celſus, ſ. ex eodem ſodalitio utroſque, quaſi de umbra Aſini (ſic inprimis ille apud Orig. *c. Celſ. l.* 3.) circa Meſſiæ ſui adventum tantùm diſcrepantes facit. Accedat etiam hinc uſque in Origenis tempora ſ. A. C. 200. aut circiter, creditum eſſe, Judæos originarios, qui Chriſto nomina dederant, non omnino deſciviſſe à patriis legibus moribusve, ſed eis, ut in Judaiſmo ſimplici adhiberi ſolebant, eſſe ſimul uſos, Vide Origen. *c. Celſ. l.* 2. & 5. Hinc & rationi conſonum, Legem illam Antonini Pii, quâ Judæis permiſſum filios ſuos tantùm circumcidere, tam Chriſtianos (quorum non pauci & tum adhuc circumciſi) quàm Judæos non credentes amplecti, vide Modeſtin. *l.* 11. *circumc. D. tit. ad Leg. Corn. de Sicar.* Paulum *JC. Sent. l.* 5. *tit.* 5. & Orig. *in Celſ. l.* 2. Imò docent Viri doctiſſimi, non ſolùm per Chriſtiani nominis hæc initia, ſed & inſequentibus temporibus diu, ſimplex *Judæorum* nomen pro eo, quod tam Chriſtianos ſ. credentes omnimodos, quàm Judæos non credentes, ut genus ſpecies ſuas continet, ſumi conſueviſſe. Quare nec defuêre Juriſconſulti quidam celebres, qui *Judaicam* apud Ulpian. *l.* 3. §. 3. *D. tit. de Decurion. ſuperſtitionem*, pro Religione Chriſtiana, ut à Judaiſmo tunc diſtincta, ſumerent, vide Alciat. *Diſpunct. l.* 3. *c.* 8. & *ad l. quidam ignav. C. tit. de Decurion.* Ant. Auguſtin. *ad Modeſtin. p.* 336. & Sam. Petit. *Diatr. de Jure, Principum edictu, Eccl. quæſito c.* 6. Certè etiamnum *Mahumedanorum* nomine & *Chriſtianorum* generali venire complures, qui in perſuaſionum inter ſibi cognomines diverſiſſimarum multiplices Sectas diſtrahuntur, nemo non videt, &c. Vide Joh. Selden. *de Synedriis Vett. Hebr. l.* 1. *c.* 9. *pluribus de his differentem.* Cæterùm *Judæorum*, inter Chriſtianos, recentiori ævo, ſtatum quod attinet, de illorum cibo, comedere Chriſtianis non licuiſſe, docet *Pœnitentiale Rom. tit.* 7. *c.* 24. *Si comedisti de cibo Judæorum vel Paganorum, quem ipſi ſibi præparavêrunt, decem dies pœniteas.* Conc. item Agathenſe *c.* 40. & Conc. Veneticum *c.* 12. ubi ſimiliter eſus ciborum Judaicorum Chriſtianis prohibetur. Præterea cum ipſi, tum eorum bona olim Baronum fuêre, in quorum dominiis habitabant, uti patet ex *Statutis* Lud. IX. *l.* 1. *c.* 127. Bractono *l.* 6. *tract.* 4. *c.* 6. §. 6. *Curiâ* Barcinon. A. C. 1283. ſub Petro II. Arragon. Rege &c. Et quidem ſic, ut his inconſultis aliorſum ſe recipere illis neutiquam liceret; quippe in ſervorum numero habitis. Quo proin nomine ab iis graves præſtationes interdum à dominis, imò vario prætextu immenſæ nonnunquam exigebantur pecuniæ ſummæ, ut apud Matth. Pariſ. paſſim videre eſt, ad A. C. inprimis 1244. & 1250. & ſeqq. Sic cùm obnoxiæ conditionis eſſent, in commercio erant, adeò ut transferri ac concedi poſſent. Interim & Regii quodammodo juris erant, *& ſub eorum tutela & defenſione*, ita ut *quilibet eorum alicui diviti ſe non poſſet ſubdere, ſine Regis licentia*, ut eſt in *LL.* Edwardi Confeſſ. *c.* 29. Vide & Petrum de Vineis *c.* 12. & infrà ubi de *Retinendi Judæos jure*: plura verò de *Judæorum* obnoxia hac conditione apud C. du Freſne *Not. ad Statuta S. Lud. p.* 184 & 185. uti de Mercatoribus eorum in Aula Rom. ad Pontificis colloquium & obtutum non admiſſis, infrà in voce *Vetulum.* Gravius id, quòd olim *Judæi* Chriſtianam Fidem amplectentis bona Fiſco adjudicabantur, quod in Francia abolitum *Statuo* Car. VI. & alibi jam antè Conc. Lateran. ſub Innoc. III. Porrò erant *Judæis* Judices peculiares & Curiæ, in quibus eorum lites dirimebantur: & quidem CPoli. Στρατηγὸς τῶν ἐθνῶν illorum Judex erat, donec Manuel Comnenus eos ordinariis ſubjecit. Eorum cœmeteria extra muros civitatum eſſe juſſit Henr. II. Angl. Rex quemadmodum & CPoli. ſepulturas ſuas εἰς τὴν ϛεναίαν habuiſſe, refert Nicetas *Andronico l.* 1. *n.* 6. Ut verò aliquo ſigno à Chriſtianis dignoſcerentur, ſancitum Conc. Later. A. C. 1215. *can.* 68. Hinc in Gallia *notam* in veſtibus ſ. circulum deferre juſſi, eumque crocei coloris, *Edicto* Phil. III. Gall. Regis. In Anglia, pannum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

pannum tabulæ inſtar geſtavêre, *ad palmæ unius longitudinem*, ut ait Matthæus Weſtm. A. C. 1275. In *Decretis* Venetis *p.* 68. *ſignum ic-læ Zallæ, in medio pectoris*: In Syn. Exon. A. C. 1287. *can.* 49. *duas tabulas alterius coloris ad pectus conſutas, quarum latitudo digitorum 2. longitudo 4.* In Conc. Viennenſi Auſtriæ A. C. 1267. *can.* 15. *Pileum cornutum* &c. ut ferant, injungitur. Quam in rem vide plura apud præfatum C. du Freſne in *Gloſſ.* & infra in voce *Rota*: uti de commercio cum iis Chriſtianis prohibito *can.* 11. Conc. Trull. mente iiſdem omnino ſuprà in voce *Ab*: converſione item illorum ante conſummationem Sec. ſolenni, Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in hac voce: ubi & Paulianos, quòd in nomine Trinitatis non baptizarent, Ἰεδαίες δευτέρες, *Judæos ſecundos*, appellatos eſſe olim, ex Auguſtino *Hær.* 44. Voſſio *Diſput.* 20. *de Bapt.* & Juſtello *ad can.* 19. Conc. Nicæni, inter alia complura huc facientia, addit.

JUDAJA, uxor Eſræ, 1. Par. *c.* 4. *v.* 18.

JUDAICUS, cogn. Veſpaſiano, Judaicæ gentis triumphatori (quem triumphum narrat Joſephus *Excidii c.* 16.) ab exercitu oblatum, ſed, ut ignobile & infame, repudiatum ab eo rejectumque, Dio *in Eo.* Odioſiſſimi enim & contempſiſſimi Romanis Judæi fuére, Theod. Marcil. *in Suet. Veſp. c.* 6. & *Tit. c.* 63. Idem Aurelianum feciſſe, cum Carpos deviciſſet, diximus ſuprà, in voce *Carpicus.*

JUDAICUS Fiſcus, apud Suet. *Domit. c.* 12. *Præter cæteros Judaicus fiſcus acerbiſſimè actus eſt*: nomen tributi, à Judæis pendi ſoliti. Quod enim in artibus ſordidis & vetitis factitatum eſt, ut pretio depenſo permitteretur illarum profeſſio: id in religione Judaica quoque jam tum Romæ obtinuit, cujus profeſſionem liberam in urbe redimere tenebantur Judæi. Unde Tertullian. *Apolog. Sacras literas Judæi palàm lectitant, vectigalis libertas vulgo aditur Sabbathis omnibus.* Didrachmum illud fuiſſe, docet *in Veſp.* Xiphilin. ἀπ' ἐκείνε δὲ δίδραχμον ἐτάχθη τοὺς τὰ πάτρια αὐτῶν ἔθη περιστέλλοντας τῷ Καπιτωλίνῳ Διῒ κατ' ἔτος ἀποφέρειν. Neque verò ii ſolùm, qui liberè ſuam Sectam profitebantur, huic penſitationi fuére obnoxii, ſed & in illos ſeverè inquiſitum, qui, gentis cùm eſſent, eam diſſimulaverant. Ita enim Suet. porrò ut ſuprà, *Ad quem* (fiſcum) *deferebantur, qui veluti profeſſi Judaicam intra urbem viverent vitam, vel diſſimulatâ origine impoſita genti tributa non pependiſſent. Interfuiſſe me adoleſcentulum memini, cùm à Procuratore frequentiſſimoque Conc. inſpiceretur nonagenarius ſenex, an circumſectus eſſet* &c. Vide quoque infrà *Veſpus.* Idem poſtea in Chriſtianos ſtatutum & profeſſionem apud Beneficiarios fieri ſolitam, à Tabernariis, Aleonibus & Chriſtianis, docet Tertull. *d. l.* Vide Caſaub. *ad Suet. l. c.* ut & ſuprà.

JUDAICUS Lapis, vide infrà *Tecolithus.*

JUDAICUS Piſcis, Maſſilienſibus Zygæna dicitur, à birreto ſ. quadrato petaſo quo Judæi Avenionenſes olim uſi, vide infrà *Zygæna.*

Viri Celebres.

JUDAS, cogn. *Thaddæus*, frater Jacobi minoris: Euangelium in Meſopotamia, Arabia, Syria, Idumæa, &c. prædicavit, Berythi martyrio coronatus. Autor Ep. Canonicæ, quam videtur, poſt maximæ Apoſtolorum partis Obitum, ſcripſiſſe, fideles adhortatur, ut meminerint eorum, quæ ab illis prius dicta eſſent. Ibidem Enochi nobis prophetiam refert. Regem Abagarum Edeſſæ, ab incurabili morbo, liberaſſe dicitur. Vide Matth. *c.* 10. *v.* 4. Macch. *c.* 2. *v.* 4. Marc. *c.* 3. *v.* 7. Luc. *c.* 6. *v.* 16. Hier. *in Cat.* &c. In Ep. ejus, uno capite conſtantem, prodiêrunt; Ambroſii *Comm.* Bolduci *Expoſitio*, Quart. Pariſ. A. C. 1620. & 1630. Calovius. Cl. Alexandrini *Comm.* Coccejus. Danæi *Comm.* in Octav. Genevæ A. C. 1583. Fevardentii *Comm.* Octav. Col. Agr. A. C. 1615. Gerhardi *Annot.* Quart. A. C. 1660. Junii *Expoſitio*, inter opera ejus. Kirſtenii *Notæ*, Fol. Breslæ. A. C. 1611. Fol. Francof. A. C. 1612. Lutheri *Enarratio*. Paræus. Perkinſii *Comm.* Pococki *Notæ*. Sasbouthi *Explicationes* inter opera, uno Vol. Fol. Col. Agr. A. C. 1568. Scribonii *Conciones*, Octav. Ibid. A. C. 1620. Sibelii *Homil.* Quart. Amſtel. A. C. 1637 & inter opera. ibid. A. C. 1644. Theoduli *Comm.* in Bibl. PP. Edit. Pariſ. A. C. 1610. Volzogenii Sociniani *Scripta* Fol. Irenopoli A. C. 1656. Vide *Elenchum* Crowæi.

JUDAS, ſummus Sacerdos, Jeſum fratrem germanum in templo Hieroſolymitano interfecit.

JUDAS, ultimus ex Hebræis Hieroſolymorum Ep. A. C. 131. Poſt Ephremum. Euſeb. *in Chron.*

JUDAS Galilæus, ſeditionis autor, occaſione cenſûs, ab Aug. inſtituti. Autor Sectæ Phariſæis non abſimilis, neminis niſi Dei imperium agnoſcendum docuit. Vide Joſeph. *Antiqq. l.* 17. *c.* 15. Act. *c.* 5. *v.* 37. Item *Judas* Gaulanites, qui ſeditionem movit contra Romanos. Joſeph. *Antiqq. l.* 12. *c.* 3. & *l.* 18. *c.* 1. & 2. *de Bello Jud. l.* 2. *c.* 2.

JUDAS Iſcariothes, unus ex duodecim Apoſtolis Domini fuit, qui cùm loculos geſtaret, fur & avarus erat: nec æquo potuit animo pati unguenti pretioſi effuſionem in corpus Chriſti. Hic Dominum ſuum ac noſtrum, pretio triginta denariorum prodidit, ſigno oſculi dato Judæis, ut Chriſtum agnoſcerent. Math. *c.* 26. *v.* 20. Tandem pœnituit, & pecuniam retulit, ex qua emptus eſt ager figuli, in ſepulturam peregrinorum; veruntamen amens & exſpes laqueo ſe ſuſpendit, mediusque crepuit, & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus: Porrò quod attinet rationem denariorum, ſinguli valebant tres aſſes, ſive ſolidos, & dimidium. (autore Budæo *in l. de aſſe*) ſiquidem erant denarii Romani ac vulgares. Matth. *c.* 10. *v.* 26. & 27. Joh. *c.* 12. *v.* 3. & 4. &c. Hunc Cerinthiani & Cajani, vel Cainitæ, impensè venerati ſunt, & quidem ultimò nominati Euangelio peculiari, quod proditoris Judæ nomen præ ſe ferebat, religioſè uſi ſunt, Epiph. *hær.* 38. De ejus morte cum variæ ferantur Eruditorum ſententiæ, præcipitio illum è vivis abiiſſe, docet ex Cl. Pricæo Suicer. *Theſ. Eccl.* in verbo Ἀπάγχω.

JUDAS Macchabæus, ex Aſſamonæorum fam. Mathathiæ fil. tertius, rebus & populo præeſt in locum patris ſuffectus, qui juvantibus prono animo quatuor ſuis fratribus, cæterisque piis, qui patri adhæſerant, hoſtes profligat. Apollonium Ducem, alterum à priore, qui primus contra Macchabæum in aciem deſcendit, cum ſuis copiis partim cæſis, partim fugatis, interficit. Seron quoque, Syriæ inferioris Ducem, ſuperat, mirâ celeritate ac victoriâ, poſthæc templum purgat ac inſtaurat, altare Domino dedicat. Antiochus cum eo fœdus init: fidem frangit, templum ſpoliat: à populo ſummus Sacerdos creatur Judas, contra Bacchidem, Alcimum, & Nicanorem præliis victor: poſtquam præfuit An. 12. fœdusque cum Rom. init, Obiit in prælio, A. M. 3894. Vide *l.* 1. & 2. Macch. Joſeph. *Antiqq. l.* 12. Torniel. Salian. Spond. *in Ann. Vet. Teſt.*

JUDAS, ſcriptor quidam Eccleſiaſticus Græcus, qui de ſeptimanis, quæ à Daniele referuntur, diſſeruit, & Antichriſtum jamjam imminere exiſtimans, multorum fidelium animos perturbavit. Idem Chronographiæ autor, uſque ad 10. An. Imperii Severi, ſ. A. N. C. 203. Euſeb. *l.* 6. *c.* 3. & 6. Niceph. *l.* 4. *c.* 34. Hier. *in Cat.*

JUDAS Rabbinus, Sec. 2. Nepos Gamalielis, cogn. Rabben Hakkados, i. e. Magiſter ſanctus. Miſna, partem Talmudi, contraxit. Item, Rabbinus cœcus, Sec. 8. Autor diverſorum operum, quibus Sadducæi contra Cabalam & traditiones Synagogæ concitati ſunt, Genebrard. *in Chron.* Vide & *Chronologiam* R. Ganz, ac ſuprà *Juda.*

JUDENBURGUM, vulgò JUDENBURG, urbs Stiriæ ſup. ad Muram fluv. quibuſdam *Sabatinca* vett. in Norico, 9. mill. Germ. à Græcio in Occ. vix 2. à conf. Carinthiæ. Sub Auſtriacis.

JUDEX, ex moribus apud Noachidas receptis, femina eſſe non poterat, juxta Hebræorum Magiſtros: quibus Juris Cæſarei conditores ſuffragantur, quo & Mulieres & Servi impediuntur, ne *Judices* fiant, *l.* 12. *cum Præt.* §. 2 *D. tit. de Judiciis.* Quod tam in Orientis quàm Occidentis jure Cæſareo; imo & Canonico ſ. Pontificio obtinuiſſe, videmus. Quò faciunt, quæ hac de re occurrunt, cum apud Juris Canonici in Oriente autores, tum in legibus Hiſpanis, aliisque è Cæſareis deſumptis. Imò, ubi leges adeò diſertè ea de re non habentur, mores plerunque, velut ex intervallo hoc vetuſtiſſimo derivati, inolevêre, ut judiciis non præficiantur feminæ. Non tamen eo quòd jus ſive divinum ſive naturale hujuſmodi quid præcipiat, ſ. ob intellectûs defectum, ſed ob earum *honeſtatis privilegium*, cùm indecorum nimis foret eas litibus forenſibus inter viros commiſceri. Sed verò mos hic perquàm variè temperatus eſt, per omnia ſecula, gentes omnes. Etiam Cæſareis Reſcriptis pro re nata aliter atque aliter ſe res habuit: Et *Patrimonii munera* (qualiacunque, inter quæ etiam *Judicandi* haud rarò reperitur) *neceſſe eſt feminis in locis quibus poſſident ſuſtinere*, verba ſunt Phil. Imp. Ac de more adverſo, ſc. de feminis & conſultationibus & *Judiciis* publicis, pariter atque maribus, admiſſis, tam apud vett. Gallos, Græcos, Germanos, Britannos, alios; quàm recentiores, apud quos dignitatibus etiam Regiis aliisque inde effluere ſolitis exornari eas frequentiſſium eſt, conſule Andr. Tiraquell. *ad LL. Connub.* Alphonſum de Azevedo *ad Recopilat.* 3. *tit.* 9. §. 20. Bened. Ægid. *de Jure & Priv. Honeſtatis Art.* 2. alios. Quod verò ad viros, apud Noachidas, adeoque per intervallum illud temporis, quod à Noacho ad Moſem defluxit, *Judices* præficiendos ſpectat, præter inſignes dotes, ad quas Jethro alludit Exodi *c.* 18. *v.* 21. & ordinarium officii titulum דיינים ac שופטים *Dinim* & *Shophtim*, i. e. *Judices*; ſingulari dignitatis titulo fruebantur, qui erat זקן *Zaken*, i. e. *Presbyter* ſ. *Senior*; non quòd ii ſolùm ſic nominati, ſed quòd eorum nullus eſſet, qui aut antè utpote è Presbyterorum cœtu, aut ex ipſa cooptatione ſ. conſtitutione in præfecturam Juridicam, titulo eodem non frueretur. Sic enim & apud exteras gentes, in Præfecturis aliquot, ii qui *Judiciis* præficiuntur, *Doctoris* plerunque *Juris* nomine fruuntur ac gradu, & qui tribunalium ſuperiorum trium apud Anglos Judices fiunt, *Servientis ad Legem* gradu, cum ut prævio, tum ut qui etiam ſemper retinetur gaudent. Unde *Presbyteri Iſraël*, ad præſtantiores & eminentiores innuendos, in Sacris paſſim, uſurpatur. Exodi *c.* 3. *v.* 16. & 18. *Vade & congrega* את זקני *Presbyteros Iſraël & dic ad eos.* Et paulo pòſt, *Moſes & Aaron venêrunt ſimul & congregârunt* את כל זקני *cunctos Presbyteros filiorum Iſraël*, &c. Philo *de Vita Moſ. l.* 1. vocat Δημογέροντας τοῦ ἔθνους, *Presbyteros* ſ. *Seniores gentis*: qui etiam *l.* περὶ τοῦ ἐξένιψε Νῶε, primum Abrahamum hac notione *Presbyterum* fuiſſe appellatum, docet. Cùm enim Abrahamus dicitur Πρεσβύτερος, προβεβηκὼς ἡμερῶν, *Presbyter ætatis provectæ*, Gen. *c.* 14. *v.* 1. & ſtatim ſubjungitur, *& Dominus benedixit Abrahæ* κατὰ πάντα, *in omnibus*: Is ſubjunctum hoc de benedictione, pro ratione capit cur Abraham Presbyter ſit ibi dictus: Ἐπιφερομένῃ γὰρ, inquiens, θεοῦ τὸ λογικὸν τῆς ψυχῆς μέρος ὅταν ἀρετὴν τεθῇ καὶ μὴ καθ' ἓν εἶδος, ἀλλὰ καὶ πάσας τὰς ἐπιβολὰς εὐλογιῶν ἔχῃ, πρεσβυτέρᾳ γνώμῃ χρώμενον, καὶ αὐτὸ δήπου πρεσβύτερόν ἐστι. *Cùm ex benignitate ac prudentia Divina rectè diſponitur pars animæ rationalis, nec unam modò, ſed omnes benedictionis ſpecies accipit, Seniorum moribus & diſciplina utitur, atque ita ipſa fit ſenior.* Et demum, cùm complures ante Abrahamum diutiùs multo vixiſſe ex Scriptura ſit manifeſtum, neminem eorum adverti: Idem dictum fuiſſe זקן ſ. *Presbyterum*, adeoque hunc eo nomine ſignanter vocitatum eſſe contendit, ob cauſam jam dictam. Unde & apud Iſid. Hiſpalenſem *de Offic. Eccl. l.* 2. *c.* 7. legitur, Presbyteros *merito & ſapientiâ dici, non ætate* Græci corpora illa Presbyterorum ſ. Seniorum, quater ante, & multoties poſt legem, Γερουσίαν ſ. *Senatum* reddunt: adeoque tam Presbyterium quàm Geruſia, ut prorſus Synonyma, Helleniſtis in uſu; licèt nullibi habeatur illud apud LXX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

nedum in Paganiſmi ſermone ullibi ſive Græco ſive Latino. Presbyterium item non raro *Senatus* vertitur, cum tamen, ſi ſtrictiùs loquendum, potiùs *Senioratus* reſponderet. Conſeſſus quoque Presbyterorum שיבת & *Συνέδριον* dictus eſt; unde in Fœdere utroque *Synedrii* vocabulum obvium, juxta illud Salomonis, de Muliere forti. Prov. *c.* 31. *v.* 23. *Nobilis in portis eſt vir ejus, quando ſederit in Synedrio cum Presbyteris* &c. Quæ verò non ſic capienda, quaſi nunquam aliqui alii Presbyteri etiam civili hac notione ac ipſius *Γερουσίας* nomine venirent. Fuêre enim interdum, qui ſic dicti etiam ex eo tantùm, quòd negotiis aliquot forenſibus aut quaſi lege ſacrâ præſtitutis, haud impares reperirentur. Sed ut plurimùm ita ſe res habuit, ut *Presbyterorum* nomine ſolenniter creati ac juxta morem conſtituti, ſive in Synedria cooptarentur & *Judices* fierent, ſive *Judiciariæ poteſtatis* capaces tantùm redderentur, ſive Theologiæ aut partis ejuſdem alicujus ſingularis Doctores (hujuſmodi enim diſcrimen erat) ordinarentur, ſoli cenſeri ſolerent. Hinc duravit per Judaiſmum *Seniorum Judæorum*, Cod. *tit.* de *Jud. l.* 15. mentio: uti & *Synearioru m utriusque Palæſtinæ* & *Presbyteriorum*, Cod. Theodoſ. *l.* 16. *tit.* 8. *leg.* 2. 13. 14. & 29. pro Primatibus aliiſque Præfectis, qui utroque in Codice occurrunt &c. Vide de *Judicibus Hebræorum* plura hîc paſſim, inprimis in voce *Judicia*, *Presbyter*, item *Synedrium.* De *Judiciis Athenienſium*, diximus ſuprà, in voce *Dicaſterium*: addam hîc ſaltem coronatos eos fuiſſe, ex Æſchine *in Tim.* ubi *Judicibus* coronas fuiſſe ademptas propter impunitatem Timarcho datam, narrat: & *στεφανῶν* hinc pro *δικάζειν* uſurpat. Niſi cùm de capite cognoſcebant, tum enim Rex cum Areopagitis, de iſtiusmodi cauſis judicaturus, capiti coronam detrahebat. Poll. *l.* 8. De *Judicibus Ludorum* ſ. *Certaminum ſacrorum*, vide ſuprà in voce *Brabeuta.* Apud Rom. *Judices* à Magiſtratu, h.e. primùm à Regibus, inde à Conſulibus, poſtmodum à Prætoribus, ad quos Juriſdictio erat translata, dabantur, è Senatorum ordine. Erant autem *Judicia* alia privata quæ injuriam privato civi illatam: alia publica, quæ Reipublicæ, vindicabant. In illis, ſi de jure actio eſſet, dabantur vel Arbitri, vel Decemviri vel Centumviri: ſi de facto, Recuperatores, qui de rebus reddendis vel recipiendis cognoſcebant. Si de neutro quæſtio erat, Prætoris Edictum interponebatur. Horum, ſc. publicorum, dominus, poſt exactos Reges, Populus Rom. fuit, uſque ad A.U.C. 604. erantque quæſtiones, quibus ad Populum accuſabat reum Magiſtratus, *de Majeſtate, parricidio, peculatu*; de quibus judicio Populi condemnati puniebantur morte, exilio, multâ. Et quidem perduellionis crimen, utpote maximum, Centuriatis Comitiis à Populo judicabatur: cætera Comitiis Tributis peragebantur. Aut cùm uſus poſtularet, Quæſitores ex SC. creabantur, qui de crimine publico quærerent, vel Dictator vel Conſules ambo, vel alter, vel Prætor, qui ita extra ordinem juſſus eſt quærere: uſque ad A.U.C. prædictum, quo pro Quæſitoribus extraordinariis Prætores ordinarii creati cœpti ſunt, qui ſuas quiſque quæſtiones quotannis ſortirentur, *Majeſtatis, peculatûs, ambitûs, repetundarum*; quibus quæſtiones *de falſo, parricidio, ſicariis, injuriis*, Sulla adjecit. Tum Prætor, quæſtionem ſortitus, exercebat eam cum *Judicibus* ſelectis; Quæſitor editicius, cum editiciis Judicibus. Sortiebatur verò Prætor Judices ex decuriis, quas Prætores Urbani quotannis jurati conſcribebant; & quia decuriæ ex ordinibus iis, apud quos Judicia eſſent, deligebantur, *delecti Judices* appellati ſunt, & ipſorum cœtus *Concilium*; at qui primus ex ipſis ſententiam ferebat, is *Judex quæſtionis* aut *Princeps Judicum* vocabatur. Conſiſtebat illud Concilium ex ſolis Senatoribus, uſque ad Caii Gracchi Legem, qui Judicia ad Equites tranſtulit; quo pacto & Decuriæ & Concilium ex Equitum ordine deſumptum, ſicque universâ Reip. ratione perversâ factum eſt, ut Senatus dignitate ſolâ præſtaret, Equæſter ordo potentiâ, opibus, dominatione turpiſſimâ & ſuperbiſſimâ regnaret. Florus *l.* 3. *c.* 13. *Quid ad jus libertatis æquandæ magis efficax, quàm ut Senatu regente provincias ordinis Equeſtris autoritas ſaltem Judiciorum regno niteretur. Sed hæc ipſa in perniciem redibant --- Nam & à Senatu in Equitem translata Judiciorum poteſtas, vectigalia, h.e. Imperii patrimonium ſupprimebat* (quum enim publicani ferè Equites eſſent & ad ipſos Judicia translata, facile erat ſuæ ſocietati favendo, vel ludificare locationem, vel remittere, vel redemptionis parte relevare: atque tali coitione pecuniam publicam depeculari) *& emptio frumenti ipſos Reip. nervos exhauriebat, ærarium.* Vide Stadium *ad l.* & de *Judiciariis Legibus*, *quibus* idem *divulſum à Senatu Equitem regnâſſe*, ait, *c. præc.* plura apud Liv. paſſim, Appian. Alex. *Civ. Bell. l.* 1. Plutarch. *Gracchis*, Aſcon. in *Div. Cic.* Suet. *Cæſ. c.* 41. Alios, è quibus latiùs apparet, quantum è Rep. petitum ſit iſtis legibus, quantumque turbatum ſæpius in Urbe concitaverint. Adde Sigon. *de antiquo Jure Italiæ* &c. Porrò Judicum Decuriæ cùm tres eſſent, quartam Aug. addidit, ex inferiore cenſu, quæ *Ducenariorum* vocaretur, judicaretque de levioribus ſummis, Suet. *in eo c.* 32. poſtmodum plures acceſsêre. Plin. *l.* 33. *c.* 1. *Divo Aug. decurias ordinante, major pars Judicum in ferreo annulo fuit: iique non Equites, ſed Judices vocabantur --- Eorum non niſi quatuor decuriæ fuêre primò: vixque ſingula millia in decuriis inventa ſunt, nondum provinciis ad hoc munus admiſſis: ſervatumque in hodiernum eſt ne quis è novis civibus in iis judicaret.* Ad quem *l.* Vide Dalechamp. ſicut de ætate *Judicum.* Caſaub. *ad Suet.* ubi ſuprà de loco & ſubſelliis, infrà in voce *Subſellium*, de veſtitu C. Paſchal. *Coron. l.* 9. *c.* 25. ubi explicat illud Claud. *l.* 2. in Ruf. *Carm.* 5. *v.* 85.

Mœrent captivæ pellito judice *Leges* &c.

Addam ſaltem *Editicios Judices*, quos non Quæſitor ſortitus eſſet, ſicut *Delectos* ſed accuſator edidiſſet, hinc iis à Cic. oppoſitos, non ex certis decuriis, ſed ex omni populo ſumi conſueviſſe, vide Stadium ubi ſuprà, & alia hanc in rem infrà, ubi de *Judiciis*: ubi de *Judicum* titulis ſuprà itidem *Celsè natis* tabulis tribus, literis A. C. NL. inſignitis, infrà in voce *Tabula*; de Comicorum verò Tragicorumque poëtarum, apud Vett. *Judicibus*, infrà in voce *Tragœdia.*

JUDEX, cogn. Vettii, apud Suet. *Cæſ. c.* 21.

JUDEX, apud mediæ ætatis Scriptores variè ſumitur. Sic enim vocantur Conſules, apud Hier. *in Chron.* Magnates, Comites, Proceres, vel Senatores, apud Jornand. *de Regnor. ſucceſſ.* Iſid. Pacenſ. *in Chron. Æra* 754. Anaſtaſ. *paſſim.* Alios. Legis Doctores, qui Comitibus ſuberant, & aſſidebant in judiciis, in *l.* Baiwar. *t.* 2. *c.* 15. §. 2. Porrò Romæ ſic dicebantur, qui de controverſiis & litibus Pop. Rom. cognoſcebant, quorum primus *Primicerius Judicum* appellatus eſt, teſte Panvinio, & Bennone *Hiſt. Greg. VII.* In Comitatu Provinciæ *Judices majores* nominati Judices Supremi, antequam erectum eſſet Aquenſe Parlamentum, quorum ſeriem ex Schedis Peireſcianis, exhibet in *Gloſſ.* ſuo C. du Freſne. Apud Arragonenſes *Judex medius* dictus eſt, *in quo Regiæ poteſtatis temperatio inerat*, ut ait Hier. Blanca. Ab illo Magiſtratus *Juſtitiæ Arragonum* dimanavit, adeò ut idem ipſe ſit *intermedius Judex* à Suprarbienſibus olim conſtitutus, qui poſtea *Juſtitia major*; quandoque etiam, quòd ab ipſo Rege crearetur, *Juſtitia Domini Regis*; etiam *Juſtitia in Cæſaraugusta* nonnunquam, quòd in ea urbe judicium exerceret; ac *Juſtitia Arragonum* tandem, ipſius regni nomen aſſumens appellatus eſt. Vide infrà in voce *Juſtitia.* Hiſpani, *Judices* nuncupârunt ſupremos ſuos Gubernatores ac Principes, teſte Lucâ Tudenſi Ærâ 961. Præſertim verò ſic dicti leguntur Reguli Sardiniæ, Calaritani ſc. & Arboreenſes Toparchæ, eorumque dominia *Judicatûs*, uti præfatus Autor docet, ex *Chronicis* Piſanis A.C. 1165. & *Ep.* B. Marchioniſſæ Maſſæ & *Judicatiſſæ* Calaritanæ & Arboreenſis, in *Regeſto* Honorii III. *l.* 1. etiam Iſraëlis & Caſtellæ Regna, à *Judicibus* cœpiſſe, ut de prioribus mox videbimus; & Athanaricum, qui Gothis imperavit ſub Valente Imp. *Regis* nomine repudiato, *Judicis* uſurpâſſe, ex Themiſtio addens. Imò *nomine hoc appellatos fuiſſe invenio omnes, qui à fabrilibus vilioris exercitii opificiis temperantes, ſive Magiſtratibus adminiſtrandis, ſive contrahentium adſtipulandis conventionibus, ſive ipſi dicendo interpretandove juri erant dediti*, verba ſunt Fl. Blondi *Dec.* 2. *l.* 1. ubi referentem Bibliothecarium Carolo Romam venienti, à Pontifice, inter alios, obviam miſſa eſſe *Judicum triginta millia*, miratur, apud Macros Fratres *in Hierol.* ubi etiam aliquid de *Judicibus S. Palatii*, ſicut de *variis aliis Judicum generibus* videndus C. du Freſne *ubi ſuprà*: de *Judicum* verò apud Francos ſalario dicemus infrà aliquid in voce *Species.* Hinc *Judiciariæ naves*, de quibus infrà aliquid, ubi de *Luſoriis.*

JUDICES, adde: Non erant hi *Judices* ordinarii, de quibus ſuprà, ſed viri Heroicis inſtructi virtutibus, qui extra ordinem, cùm neceſſitas urgeret, divinitus mox ex hac, mox ex illa tribu, excitabantur, ut Populo Dei ſapientiâ ſuâ & fortitudine prælucerent, illi præeſſent, inprimis verò è manibus hoſtium eum liberarent. Unde Jud. *c.* 2. *v.* 16. legimus: *Poſtea excitabat quidem Jehova vindices, qui ſervabant eos è manu diripentium eos*: Idem *c.* 3. *v.* 15. *Servatori* nomine inſignitus legitur. Joſepho iidem modò *Judices*, modò Monarchæ dicuntur; quod nomen etiam Sullæ, Cinnæ, Mario aliiſque Romanorum Dictatoribus, in Scriptoribus Græcis tribui videmus. In eo enim à Suffetibus Carthaginenſium, & Conſulibus Romanorum erant diverſi, quòd cùm horum munus ambulatorium eſſet & inter plures diviſum, Hebræorum *Judices* perpetuo fruerentur imperio, & collegam non haberent, imò aliquando ad filios dignitatem tranſmitterent, ut de Samuele legimus. Neque verò belli ſolùm tempore, ſed & rebus pacatis, aliquando excitabantur à Deo, ut res graviſſimas prudentiâ ſuâ deciderent, & politiam collapſam reſtaurarent. Sic Debora Idem *c.* 4. *v.* 4. & 5. *ſub palma judicabat Iſraëlem*, taleſque erant, qui Gideonem & Jephtham erant ſequuti, Thola, Ebſan, Elon & Abdon: Eli item, ac Samuel, qui etiam poſtquam Saul in Regem unctus eſſet, 1. Sam. *c.* 7. *v.* 15. *judicavit Iſraëlem in omnibus locis iſtis.* Quò ſenſu idem filios ſuos *Judices* conſtituiſſe dicitur, Idem *c.* 8. *v.* 11. & 12. Sed neque toti Iſraëli ſemper præerant, verùm communiter uni ſolùm alterive Tribui, quam dein ſponte aliæ ſequebantur, prout res poſtulabat. Sic Baracus Zebulonitas & Nephthalitas judicabat, Idem *c.* 4. *v.* 10. Gideon tribubus Manaſſe & Aſer præfectus erat, Idem *c.* 6. *v.* 35. Jephtham Gileaditæ & Manaſſitæ ſequebantur, Idem *c.* 11. *v.* 31. coll. cum *c.* 12. *v.* 1. & 2. Imò nonnunquam duo ſimul diverſis in locis præerant, ut ex ſacra Hiſtoria colligere eſt. Autoritas eorum erat ſumma, & nulli judicio humano obnoxia; unde, licèt à Senioribus ordinario regeretur Populus, illi tamen Dictaturam exercebant perpetuam neque proin ullibi cum Synedrio aut alio Populi Concilio iniviſſe conſilia leguntur: ut qui immediatè à Deo vocari ſolebant, eo tempore inprimis, quo, publicæ diſciplinæ vinculo laxato, Tribus non in commune conſulerent, ſed rerum ſuarum quæque unicè ſatageret. Sic Regiam poteſtatem reipsâ exercebant, Deo ſoli, qui caput tum Populi ſui peculiari ratione erat, cujusque ipſi vices gerebant, obnoxii: unde & *Reges* dicti videntur. Huc enim referunt quidam illud Idem *c.* 17. *v.* 6. *Temporibus illis non erat Rex* (i.e. Judex) *Iſraëli: quiſque quod rectum videbatur in oculis ſuis, faciebant.* Interim à Regibus, quales eorum tempore ſequuti ſunt, in eo erant diverſi, quòd abſque ullo apparatu pompaque regia, civili magis & ad reliquorum vivendi rationem proximè accedente ſtatu victuque uterentur; Leges non conderent, neque tributis populum onerarent: porrò dignitatem non obtinerent hæreditariam, & quidam eorum, ut nonnulli de Gideone ac Jephtah ſentiunt, poſt liberatum præſenti calamitate fortique manu aſſertum Populum, ad vitam privatam redirent. Floruêrunt illi per Annos admodum trecentos: Anni enim 450. quorum mentio fit Actor. *c.* 13. *v.* 20. non de *Judicum* Annis intelligendi ſunt, verùm videntur à nativitate Iſaaci inchoandi (in quo, ut in ſemine Abrahami, *elegerat Deus Patres*) & terminandi in *κληρουχίᾳ* ſ. ſortitione terræ, vide Ibid. *v.* 17. 18. & 19. quo temporis intervallo lapſi ſunt Anni 447. i.e. *quaſi* 450. ut etiam textus ſonat, *ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα.* Tredecim, aliis 15. numero

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

mero fuêre hi *Judices*, quorum nomina, patriam & Præturæ Annos, habebis infrà. In eorum geſtis obſervare licet 1. Res maximas, levibus plerunque minimiſque inſtrumentis eſſe patratas. Ita Ehud Scævus percuſſit Eglonem, Maobitarum Regem: Samgar ſtimulo bovis, pulſavit ſexcentos Philiſthæos. Debora. & Jaël delevêrunt Siſeram, & hæc quidem clavo per tempora adacto Gideon confractis urnis proſtravit exercitum 135000. hominum. Simſon aſini maxillâ neci dedit mille Philiſtæos. 2. Nævos & defectus eorum; & quomodo Deus nihilominus, per ſiniſtrum Ehudem, puſillanimum Baracum, Gideonem ὀλιγόπιστον & in fide infirmum, Spurium Jephtham, uxorium & ſcortatorem Simſonem, Abimelechum Tyrannum, quæ voluit, dederit effecta & ad optatum finem perduxerit. Nec obſervatione indigna eſt eorum ſucceſſio; quando ſtrenuum Ehudem deceſſorem excepit Debora mulier: Gideon largum & munificum, crudelis Abimelech: nobilem Jaïrum, ſpurius Jephtha; grandævum Heli, adoleſcens Samuel. Quibus omnibus, mirâ dexteritate, populum ſuum, nullâ hominum ratione habitâ, ſibi omnia debere & in ſuam voluntatem refundi, docere voluit Deus. Quæ cauſa, quòd Status Reipublicæ, ſub Moſe, Joſua, & *Judicibus*, eruditis *Theocratia* dicatur; donec illa in *Monarchiam* mundanam verſa eſt, ſub Regibus; quorum pauciſſimi Deo placebant: cùm contra *Judicum* pleriquе ei ob fidem ſuam, quæ Hebræorum *c.* 11. ubi duo tantùm eorum patta, per compendium, recenſentur, tantopere prædicatur. Nec omittendum, nobilitata fuiſſe hæc tempora, horribilibus populi peccatis, ſubitis hoſtium invaſionibus & fortiſſimis *Judicum* liberationibus. Et quidem populi ſcelera, agmine quaſi facto, latè exundabant. ſtatim à morte Joſuæ & Seniorum, Jud *c.* 2. *v.* 7. conſiſtebant autem illa maximè in Idololatria, quam exercebant cum Baal & Aſtaroth. *v.* 12. & 13, & in quam prima delapſa narratur tribus Dan. Idem, *c.* 18 *v.* 30. & 31 eamque ob cauſam non abſurde videtur quibuſdam effigiâſſe Antichriſtum ejuſque apoſtaſiam in Eccl. & certè myſticum eſt, quòd ſola inter omnes tribus Iſraëlis, hæc non comparcat. in Apoc. Unde jam Vett. ex ea oriturum Antichriſtum rebantur. Fidei hanc apoſtaſiam in populo Dei conſecuti ſunt, ut fieri amat, mores perditiſſimi & flagitioſiſſima vita, Idem *c.* 9. *v.* 22, 23, 24, & 25. Oppreſſiones hinc ſecutæ ſextuplices, à Syris, Moabitis, Cananitis, Midianitis, Ammonitis & Philiſtæis: quas omnes totidem liberationibus & vindiciis rependit Deus, ut reſipiſceret populus, & ad meliorem rediret mentem. Sed & ſingulariter obſervavit in his *Judicibus* Auguſtin. ut & in ſubſequentibus Regibus, variis modis repræſentatum fuiſſe Chriſti ſtatum & Eccl. ſicut, verbi gratiâ, priores fuêre *Judices*, quos dein Reges excepêrunt; ita primò judicium exequitur Chriſtus, denuo regnum ſuum plantaturus & conſummaturus &c. Vide Franc. Burmann. *Synopſi Theol. Part. I. l.* 4. *c.* 34. §. 5. & *ſeqq.* Cæterùm Autorem hujus libri quod attinet, in incerto is eſt: veriſimile tamen videtur, librum hunc unà cum libris Joſuæ & Ruth, à Samuele Propheta exaratum, & Canoni additum fuiſſe: ut qui poſt Moſen primus Propheta & Scriptor memoratur Actor. *c.* 3. *v.* 24. quique ex publicis privatiſque monumentis, ac ipſorum *Judicum* commentariis, divino inſtinctu, hunc librum Eccl. tradidiſſe creditur Alii tamen Eſræ Sacerdoti id tribuunt: hoc certum eſt, ab ipſiſmet *Judicibus* concinnatum non fuiſſe, ex *c.* 2. *v.* 19. Continet res geſtas 376. Annorum, ſecundùm illos, qui Joſuæ Helique regimen unà comprehenſum volunt: Alii 480. Annos libro tribuunt: Nonnulli, ab Othniele exorſi, & in Simſone finientes, Hiſtoriam Annorum circiter 300. hoc libro contineri volunt, quod pluribus probat præfat. Burmann. *Comm. in Judices*, quem ſi placet vide.

Nomina, Patria, Res geſtæ Judicum, & anni Regiminis.

Othniel, è Juda, liberavit populum è manu Cuſchanis Riſcharajimorum Regis Syriæ, à quo per 8 Annos oppreſſi erant, quibus connumeratis Præturam populi exercuit, Ann. 40. Jud. *c.* 3. *v.* 8. & 11.

Ehud, è Benjamine, è Moabitarum ſervitute Iſraëlitas octodecennali aſſeruit, Eglone Rege eorum interfecto, ſicque quievit terra ad Annum uſque 80. Idem *c.* 3. *v.* 14, 15. & 30.

Samgar, fil. Anathi, Philiſtæos percuſſit ſtimula bovis ſexcentos, & Iſraëlem ſervavit: cujus regiminis tempus ad præfatos Annos 80. pertinet, Ibid. 3. *v.* 31.

Debora, Ephraimitis & Biracus Naphthalites, populum à Cananitis, quibus 20. Annos ſervierat, ſub Rege Jabine, liberârunt; Siſerâ exercitus Duce Jaëlis manu interempto, & præfuêrunt Ann. 40. Idem *c.* 4. *v.* 3. & *c.* 5. *v.* 31.

Gideon, è tribu Manaſse, ſub Midianitarum jugo, integro ſeptennio, gementem populum vindicavit in libertatem: ejus regimini itidem attribuuntur Anni 40 Idem *c.* 6. *v.* 1. & *c.* 8. *v.* 28.

Abimelechus, hujus fil. nothus, Tyrannus potius quàm Judex, in pace & bello præfuit Annos 3. Idem *c.* 9. *v.* 22.

Thola ex Iſaſchare, poſt Abimelechum, conſervavit Iſraëlem, præfuitque Annos 23. Idem *c.* 10. *v.* 1. & 2.

Jaïre Manaſſe, Ann. 22. Idem *c.* 10. *v.* 3.

Jephthah Gileadites, ab Ammonitis Iſraëlem liberavit; cuius Præturæ aſſignantur Anni 18. Idem *c.* 10. *v.* 8. Qui Anni omnes in ſummam collecti, auctique Annis 30. Joſuæ & ultimo anno Moſis, efficiunt 297. ſ. 298. in quibus Hesbon, ſ. Terra Moab poſſeſſa eſt ab Iſraële, uſque ad Jephthæ judicaturam, pro quo numero habes numerum rotundum 300. Idem *c.* 11. *v.* 28. Cum oppreſſione verò hac Ammonitarum videtur incepiſſe oppreſſio Philiſtæorum, in alio Terræ S. tractu, Idem *c.* 10. *v.* 7. & 8. Sic ut ab una parte ſervitus ſub Ammonitis videatur durâſſe Annos 18. Jephtah præfuiſſe Annos 6. Idem *c.* 12. *v.* 7.

Ebzan, è tribu Juda, Ann. 7. Idem *c.* 12. *v.* 9.

Elon Zebulonites, Ann. 10. Idem *c.* 12. *v.* 11.

Abdon Ephraimita, Ann. 8. Idem *c.* 12. *v.* 14. qui Anni ſimul efficiunt Ann. 49. Ab altera parte oppreſſio Philiſtæorum concurriſſe, Idem *c.* 13. *v.* 1. ita ut in Orientali terræ tractu, poſt victos Ammonitas, pacato, in Occiduo adhuc Philiſtæorum tyrannis duraret Reſidui autem novem Anni, qui tempus Præturæ quatuor præfatorum Judicum excedunt, partim in Simſonis, partim in Eli Regimen incurrunt, cum quibus illi ſimul, ſed diverſis in locis, ut præmonitum, populum judicâſſe videntur. Cùm itaque 18. Anni detrahuntur de ſervitute ſub Philiſtæis quadragenaria, qui viz. cum oppreſſione Ammonitica coincidêrunt, remanent Anni 22. qui, unà cum ſervitute, deſinunt in morte Simſonis.

Simſon itaque Danites, Iſraëli præfuit, Ann. 22. Idem *c.* 13. *v.* 1. *c.* 15. *v.* 20 & *c.* 16. *v.* 31. Acceſſêre, Heli Levita, qui unà cum Simſone aliquandiu præfuiſſe videtur Iſraëli, & illo foris rem ſtrenuè gerente. domi politiam ordinâſſe: unde de 40. Annis, qui ei tribuuntur, 1. Sam. *c.* 4. *v.* 18. biennio circiter deciſo, remanebunt ei ſoli, Anni 38. In quorum fine, Philiſtæi armis reſumptis magnâ clade affecêrunt Iſraëlem & Arcam ipſam Fœderis cepêrunt, quæ in hac captivitate manſit menſes 7. Idem *c.* 6. *v.* 1. Sed illâ in terram Iſraëlis reverſâ, poſtquam 20. Annos in urbe Jeharimorum reſediſſet.

Samuel itidem Levita, Propheta poſt Moſem celeberrimus, ad Eben-Hezerum profligavit Philiſtæos: atque poſt Heli Pontificis Obitum ſolus præfuit Annos 20. cum dim. ſ. potiùs connumeratis 7. menſibus præfatis (quibus Arc. inter hoſtes degebat, aut magis illis graviſſimè afflictis, triumphabat, Ann. 21. Qui cùm regiminis onus ex parte in filios devolviſſet, vitiis ſuis hi efficêrunt, ut Iſraëlitæ Theocratici regiminis pertæſi, Regem peterent, qui ipſis datus eſt, Saül Benjaminita, cujus regno tribuendi Anni 19. qui juncti Annis, 21. Samuelis efficiunt 40. illos, quibus præfuiſſe Saul dicitur Actor. *c.* 13. *v.* 21. Vide Franc. Burmann. ſuprà laudat. *Explicat. & Meditat. ad c. Jud.* 21.

JUDEX Matthæus, vide *Matthæus.*

JUDI, fil. Nathaniæ. Jer. *c.* 36. *v.* 14.

JUDIA, vulgò JUDIA, ſ. & ODIAA, regni Siami caput, *Samarade* vett. quibuſdam. Ampla eſt urbs & cultiſſima 30. leuc. circiter ab ora Oceani Indici in Bor. ad amnem Menanum, ferè 130. leuc. Gall. ab urbe Peguvia in Mer. Sedes regia, & emporium celebre, in planitie perampla.

JUDICES, dicti in pop. Iſraëlitico, qui à Joſua, uſque ad Saulem Regem per An. 377. rerum habenas moderabantur Horum præter Joſuam quatuordecim erant. De quibus vide *l. Judicum*, in Canone Vet. Teſt. capitibus 21. conſtantem. In hunc extant: R. Aharon Aben Chajim. Antonin. Auguſtin. Beda. Bonfrerii *Comm.* Fol. Pariſ. A. C. 1631. & Borrhai, Fol. Baſileæ, A. C. 1565. ut & Brentii. Buceri *Comm.* Fol. per Rob. Steph. A. C. 1563. Calovii *Annot.* Crommii *Comm.* Lovanii A. C. 1631. Chytræi *Enarratio* Fol. Druſii *Comm. in loca diffic.* Quart. A. C. 1618. Ferus. Freyre. de Hales. Helingii *Periocha.* Octav. Norimb. A. C. 1593. Iſidav. de Lapide. Lavateri *Homil.* Fol. A C. 1576. Magalianus. Malvenda. Marcellinus. Martyris *Comm.* Fol. Tiguri A. C. 1571. &c. Montanus. Nezenii *Exercitationes*, Quart. Jenæ A. C. 1611. Origenis *Homil.* Paulutius Procop. Gaz. Rabanus Rupertus. Serarii *Comm.* Fol. Pariſiis A. C. 1609. Strigelii *Argumenta & Scholia*, Lipſ. A. C. 1586 Theodoreti *Selectæ Quæſtiones* Theodorus. Toſtatus. Victorini *Annotat.* Wolfii *Comm.* Fol. Tiguri A. C. 1589. &c. Vide Crowæi *Elenchum*: & ſuprà in vocè *Judex.*

JUDICIA, in Rep. Rom. primùm penès Senatum fuêrunt, ex lege Romuli, cujus meminit Dion. Halic. quod etiam longo tempore ſub Conſulibus obſervatum. Donec C. Sempronius Gracchus Tr. Pl. legelatâ, ea ad ſolos Equires tranſtulit, poſtquam paucis antè Annis frater ejus Tiberius idem conatus fuerat, Q. dein Servilius Cæpio A. U. C. 647. *Judicia* ordini Senatorio communicari volunt, quætamen lex non multò pòſt abrogata eſt: fuit autem hac lege impar & minor Senatorum numerus, quàm Equitum. Paucis proin pòſt Annis M. Livius Druſus Trib. Pl. A. U. C. 662. tulit, ut æqua ex parte judicia penes Senatum, & Equeſtrem ordinem eſſent, i. e. trecenti Equites & trecenti Senatores. Verùm nec hæc lex longæva fuit. Nam L. Marſius Phil. Coſ. Druſi inimicus, eodem Anno obtinuit, ut hujus leges tanquam contra auſpicia latæ uno Senatuſconſulto tollerentur. Anno exin elapſo, qui fuit ſecundus belli Italici, cùm Equeſter ordo in *Judiciis* dominaretur, legem tulit M Plautius Silvanus Tr. Pl. ut Tribus ſingulæ ex eo numero quinos denos ſuffragio crearent, qui eo Anno judicarent: quo factum, ut Senatores quoque in eo numero eſſent, & quidem etiam ex ipſa plebe. Unde colligitur, cùm antea Equites ſoli judicarent trecenti. Tribus dediſse *Judices* ſingulas 15. itaque 450. fuiſse, & *Judicia* inter tres ordines, Senatorium, Equeſtrem & Plebejum communicata eſse. L. Corn. Sulla Dictator poſtea, *Judicia* Equeſtri ordini adempta iterum in ſolum ordinem Senatorium tranſtulit, A. U. C. 673. Poſt quem undecim Annis L. Aur. Cotta Prætor illa Equeſtri iterum ordini & Tribunis Ærarii, communicavit. C. verò Julius Cæſar, *Judicia* ad duo genera Judicum redegit, Equeſtris viz. & Senatorii ordinis, Tribunis Ærarii omiſſis: Pompejus A. U. C. 698. ampliſſimo ex cenſu, ex centuriis, aliter quàm antea lectos Judices, ex tribus tamen ordinibus, quibus Aureliâ lege communicata erant, res judicare: item ut 75. Judices cauſas cognoſcerent, ſtatuit. Ultimus M. Antonius Coſ. cum C. Jul. Cæſ. A. U. C. 809. voluit, ut tertia Judicum decuria è Centurionibus, Anteſignanis, Alaudis, Manipularibus fieret. Vide Paulum Manut. *l. de LL.* Franc. Poletum *l* 3. *Hiſt. Fori Rom.* Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 21. & *ſeqq* &c. ut & ſuprà in voce *Judex.* Apud Athenienſes Solon, cum æquam omnibus ſuis civibus libertatem conſtituere in animo haberet, ſuo maximè inſtituto facere obſervavit, ſi à populo *Judicia* redderentur, quo pacto planè in Democratiam recidit. Dedit enim Lege provocationem à Magiſtratibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ad Judices: περὶ ἐκείνων, ὅσα αἱ Ἀρχαὶ κρίνουσι, εἰς τὸ Δικαςήριον ἐφέσιμος εἶναι τοῖς βουλομένοις. Inter Judices autem allegebantur omnes ex æquo cives Athenienſes, ſine ullo cenſûs diſcrimine, ne proletariis quidem, qui Θῆτες illis dicebantur, excluſis: Conditiones tamen hæ exigebantur, ut eſſent Famæ integræ Annos 30. nati, neque inter ærarios relati; nec excludebantur, qui Senatu moti erant: quibus tamen apud Rom. judicare non erat permiſſum, teſte Marcello *l. 3. ff.* Porrò ſorte capiebantur ibi Judices è lege Solonis, qui fecit τὰ Δικαςήρια κληρωτὰ, & Athenienſes in ſua quemque Fora diſtribuit: de quibus vide ſuprà ibid. item in vocibus *Dicaſterium* & *Forum*, inprimis autem apud Sam. Petit. *Comm. in LL. Attic. l. 4. tit. 1.* uti de mercede illorum infrà voce *Obelus*. Apud Hebræos duo legimus fuiſſe *Dicaſteria*, גרולה סנהדרים *Sanhedrim gedola*, i. e. *Synedrium* vel *Senatum magnum*, & סנהדרים קטנה *Sanhedrim Ketanna* h. e. *Synedrium* vel *Senatum parvum*: quorum hoc CHRISTUS Κρίσιν, illud Συνέδριον appellare videtur, ſ. *Conc.* vel *Conſeſſum*, Matth. *c. 5. v. 22.* In priori itaque, quod *Sanhedrim* per excellentiam, aliter בית דין *Beth din*, i. e. *domus Judicis*, dictum fuit, Judices erant ſeptuaginta unus, juxta inſtitutionem divinam, Num. *c. 11. v. 16.* ſic ut ſupernumerarius eſſet *Naſi* i. e. *Princeps* Conc. Horum ſenos è qualibet tribu, exceprâ tribu Levi, quæ quaternos tantùm dederit, ſelectos Eruditi volunt, idque hoc modò, ut ſcribit Salomon Jarchi: Seni ex qualibet Tribu, poſtquam nomen ſuum ſchedulæ peculiari inſcripsêrunt, ſeptuaginta harum inſignitæ erant voce, זקן *Zaken*, i. e. *Senex* vel *Senior*: quæ reliquæ habebant inſcriptum חלק *Chelek*; i. e. *pars.* Quibus in urnam conjectis, illi qui ſchedulam cum nota *Zaken* extrahebant, allegebantur in Judices, reliquis duobus rejectis, vide Num. *c. 11. v. 25.* & 26. Maximus natu horum LXX. אב בית דין *Ab beth din* vocatus eſt, i. e. *Pater Conſeſsûs*, ſedemque habuit prope *Naſir*, ad dextrum ejus latus, qui, in medio ſedens, reliquos circùm ſe in ſemicirculum diſpoſitos habuit. Minus autem *Judicium*, iterum in duo alia ſubdividebatur, quorum *alterum* è 23. Senioribus conſtabat: Erantque talia Conſiſtoria duo in Urbe Hieroſolymis, unum ad portam Curiæ Templi, alterum ad portam Montis, in quo Templum. Imò nulla erat civitas, modò haberet ſexaginta familias, in qua non eſſet erectum iſtiuſmodi Tribunal. *Alterum*, Triumviris ſolùm conſtans, in locis ignobilioribus, cauſas diſceptabat. Præterea, Synedrium magnum ſolùm Hieroſolymis conveniebat, extra Atrium Templi, in domo Hebr. *Liſchath hogazith*, Gr. λιθόςρωτον, dictâ, vide Joh. *c. 19. v. 13.* cùm alterum in omnibus civitatum portis haberetur: quæ cauſa, quòd cùm portæ & robur ſint civitatis & ſedes fuerint Judicii, promittat CHRISTUS, *ne portas quidem Inferni, contra Eccl. ſuam prævalituras eſſe*, Matth. *c. 16. v. 18.* Tandem ab Inferioribus *Judiciis* licebat provocare ad Synedrium magnum, ab hoc verò ulteriùs non licebat. Et quidem Conſeſſus Triumviralis civiles tantùm cauſas dijudicabat: Viginti-Triumviralis capitales quidem, ſed ita limitatè, ut nec in integram aliquam Tribum, nec in Sacerdotem ſummum, nec in falſos Prophetas ullum ipſi jus eſſet, quæ omnia unicè ad Synedrium LXX. Vir. ſpectabant. Unde querela Chriſti Lucæ *c. 13. v. 34.* *Hieruſalem, Hieruſalem, trucidatrix Prophetarum* &c. Obtinuitque autoritatem ſuam majus illud *Judicium* omni tempore, non ſolùm ſub Judicibus & Regibus, ſed & tempore Interregni, uſque ad tempora Herodis, qui tyrannidi ſuæ conſulturus, iſtud penitùs ſuſtulit. Græci fortè aliter vocaverint Βουλὼ κυρίαν, ſ. Σύγκλητον. Conſideranda verò in quolibet Hebræorum *Judicio* veniunt, quinque hominum genera, *Judices*, *Partes litigantes* ſ. *Advocati*, *Notarii*, *Teſtes* & *Apparitores*. In ſuprema Curia ſ. Synedrio magno, *Judices*, ut dictum, caput habebant Hebr. *Naſir*, Græc. Ἄρχοντα i. e. *Principem judicii* dictum. Advocatus dicebatur בעל ריב *Baal rib*: Hic ſtabat ad dextram ejus, qui ad cauſam dicendam vocatus erat, ut pro vel contra eum peroraret. Quò alluditur Pſ. 109. *v. 31.* *Deus aſſiſtet ad dextram egentis*: & Zach. *c. 3. v. 1.* ubi Propheta dicit, ſe vidiſſe *Satanam ſtantem ad dextram* (Joſuæ Sacerdotis:) in quorum priori loco phraſis hæc defenſionem, in poſteriore accuſationem denotat. Eodem reſpicere videtur Joh. *c. 2. v. 1. Ep. 1.* *Si quis peccârit, Advocatum apud Patrem habemus. Jeſum Chriſtum Juſtum* Notarii duo aderant, quorum unus ad dextram conſiſtens, ſolicite adnotabat, quæ defenſionis loco allata erant, ut ſcriberet ſententiam abſolutoriam: alter ad lævam collocatus, condemnatoriam ſententiam literis conſignaturus, quidquid contra reum afferebatur, notabat. Ad quem ritum Druſio CHRISTUS reſpicere videtur, cùm Matthæi *c. 25. v. 33.* ait: *Et ſtatuet oves quidem ad dextram ſuam, hœdos autem ad ſiniſtram.* Teſtes ad minimum requirebantur duo, Deut. *c. 19. v. 17.* & 18. qui ſi falſum dixiſſe teſtimonium deprehenſi eſſent, Talionis pœnam luebant, *v. 19.* Miniſtri tandem ſive Apparitores præſtò erant, cum ſuis virgis ac flagellis, ut ſententiam à Judicibus latam promptè exequerentur. Hebr. dicti שטרים *Schoterim*, Lxx. Interpretibus nonnunquam Γραμματεῖς, Lucæ *c. 12. v. 58.* Πράκτορες i. e. *Exactores.* Ut ad *Judices* redeam, quibus illos requiſitis inſtructos eſſe deceret, patefecit Deus Exodi *c. 18. v. 21.* & Deut. *c. 1. v. 13.* & 17. quibus Judæi varia ſuperaddidêrunt, ut videre eſt apud Moſen Kotſenſem *in Sanhedrin.* Ne autem unquam virorum iſtiuſmodi inſignium copia deeſſet, eodem Autore teſte tria in loco judicii ſcamna diſpoſita erant, in quibus ſedebant *Talmidi Chacamim*; i.e. *Diſcipuli Sapientum*, qui quaſi Judicum ſeminarium erant, & è quorum numero ſemper ad ſupplicii locum duo reum deducebant. Nec niſi ſolenni ritu inaugurati *Judices* ad munus admittebantur, quod fiebat vel impoſitione manuum antiquitus, præſentibus quinque aut ad minimum tribus Judicibus: vel pronuntiatione verborum horum: *Eſto aſſociatus, & habeas poteſtatem judicandi*, Maimon *in Sanhedrin.* Re ultro citroque maturè deliberatâ, quiſque *Judicum* vivâ voce quid ſentiret dicebat: cùm Græci Romanique calculis in urnam conjectis hac fini uterentur, ut adnotavit Ovid. *Met. l. 15. v. 41.*

Mos erat antiquis, niveis atriſque lapillis,
His damnare reos, illis abſolvere culpâ.

Quo alluſum videtur Apoc. *c. 2. v. 17.* Sententia tandem hiſce circiter verbis prolata; *Tu N. juſtus. Tu N. reus*: & hic ad locum ſupplicii pertractus eſt; quò reſpexiſſe videtur David Pſ. 109. *v. 7.* *Quum in jus venerit, abeat damnatus.* Cùm de capite agebatur, hæc præmitti communiter ac obſervari ſolebant: 1. Ut in aliis, ſic in iſtiuſmodi inprimis causâ, magnâ animi contentione, à *Judicibus* deliberatum eſt. 2. Reum collocabatur in loco edito, Hebr. *Set Naboth*, i. e. *in capite populi*, 1. Reg. *c. 21. v. 9.* ut ab univerſo populo conſpici ac audiri poſset. 3. Utrique cum Judices, tum Teſtes, capiti condemnati manus imponentes, dicere ſolebant, *Sanguis tuus ſuper caput ſuum.* Quò alludens populus, Matth. *c. 27. v. 25.* *Sanguis ejus ſuper nos & filios noſtros*, clamavit. 4. Locus ſupplicii erat extra urbem, quò ad mortem damnatus à duobus Juſtitiæ miniſtris, qui Rabbinis חזני הכנסת *Chazani hacceſeth* i. e. *Spectatores congregationis*, Marci *c. 6. v. 27.* Σπεκουλάτορες appellati leguntur, duci ſolebat. 3. Quod dum fiebat, publicâ voce clamabat Præco: *Ad mortem ducitur N. eò quò commiſit hoc vel illud crimen, hoc vel illo loco, hoc vel illo tempore, cujus rei teſtes ſunt N. N. Quòd ſi quis aliquid noverit, miſero profuturum, prodeat & proferat.* Quem in finem, in porta Curiæ ſtabat aliquis cum ſtraphiolo in manu, qui ſi fortè adveniret quidam ad defenſionem ejus, qui damnatus abducebatur, aliquid allaturus, ſigno dato moneret alium in equo procul ad id ipſum conſtitutum, ut reum reduci juberet, &c. 6. Quòd ſi nihil ſupererat, quod ſupplicium moraretur, admonitus reus eſt, ut fateretur delictum, quò partem habere poſſet in Seculo futuro, vide Joſ. *c. 7. v. 19.* & *c. 20. v. 7.* Tempore ſupplicii dabant malefico *Granum thuris in calice vini*, ut mortis acerbitatem minùs ſentiret: Vocat id Marcus ἐσμυρνισμένον οἶνον, *vinum myrrhatum*, & *c. 15. v. 23.* tale enim ex more erat: ſed ſcelerati milites, ejus loco, propinârunt patienti DOMINO *acetum cum felle miſtum*, Matth. *c. 27. v. 34.* ut dolores ejus augerent. Niſi dicas duplicem calicem Chriſto oblatum fuiſse, quorum prioris Marcus, poſterioris Matthæus meminerint. Tandem, poſtquam morti datus eſset reus, inſtrumenta mortis, ſive lapis, ſive gladius, ſive laqueus, cum arbore, de qua fortè ſuſpenſus erat, igni comburebantur, ne ulla hujus rei memoria extaret. Vide Thom. Godwyn *de Ritib. Hebr. l. 5. c. 3. & ſeqq.* E quo adjicere placet diſcrimen phraſium harum: Ἀναςῆναι εἰς κρίσιν, *Surgere ad judicium*, & ἀναςῆναι ἐν κρίσει, *Surgere in judicio.* Quarum prior Judici applicatur, Pſ. 76. *v. 10.* *Surgit ad judicium Deus*, i. e. executioni illud mandat. Poſterior parti à Judice abſolutæ, Matth. *c. 12. v. 41.* *Ninevitæ reſurgent in judicio cum gente iſta*, i. e. abſolventur, juſti pronuntiabuntur, præ generatione iſta. Fuit & tertia phraſis in uſu, ἐξελθεῖν καταδεδικασμένον, *abire damnatum*, quæ ei qui in Judicio causâ ſuâ cadit quadrabat, Vide Pſ. 109. *v. 7.* Similes apud Rom. loquendi modi erant, *Stare in Senatu*, *Causâ cadere* &c.

JUDICIUM, vox Monachorum, de multa, quæ Capituli judicio Monacho delinquenti infligitur, in *Decretis* Lanfranci, pro Ord. Bened. *c. 20.* Aliàs *Diſciplina.* Item depurgatione vulgari, crebrò apud medii ævi Scriptores, ſ. per duellum, ſ. per ferrum candens; aliquando tamen in ſpecie de poſteriori, ſicque duello opponitur, uti ex *Charta* Hugonis Ducis Burg. pro Belnenſi Communia A. C. 1203. apud Perard. in *Tabb. Burgund.* videre eſt. Eadem purgatio unà cum canonica, quæ per Juramentum fiebat, & *Canonibus* Conciliorum admittebatur, *Judicium Dei* appellatur paſſim, quòd exiſtimarent hocce examine rei, de qua quæſtio erat, Deum veritatem probaturum, etiam cum miraculo, Vide Agobard. *de Div. Jud. c. 2.* Greg. Tur. *de Mirac. l. 2. c. 19.* Matth. Paris A. C. 1239. Alios. Verùm rariùs ſacramentum *Judicium Dei* dictum reperies, frequentius purgationem vulgarem: unde *Judicium Dei* à Sacramento diſtinguitur, in Conc. Mogunt. A. C. 888. *can. 23.* Et quidem *Duellum* hoc nomine ferè ſemper indigitatur, ut inter alios apud eund. Agobardum: quemadmodum purgatio per ferrum ignitum, & quam ſ. ferventem ſ. frigidam &c. apud alios. Cujuſmodi purgationibus quòd Spiritum S. præeſſe crederent, *Judicium S. Spiritûs* non ſemel iſtiuſmodi purgatio dicta. *Quaſi putarent*, verba Agobardi, *rerum latentium dubia & occulta poſſe pateſieri & per res contrarias veritati veritatem latentem demonſtrari.* In obeundis vero talibus judiciis, certi ritus obſervati. Ac primò quidem feſtis illa & jejuniorum diebus neutiquam ſuſcepta ſunt. Dein, qui ad *judicia* exiturus erat, triduo antè peccatorum confeſſione, ſtrictiori jejunio ac S. Euchariſtiæ perceptione ſeſe parabat. Ante communionem autem interrogabatur à Sacerdote, cum adjuratione, an innocentem ſe norit: quod ſi aſſeverâſſet, Sacerdos porrigens ipſi ſacra ſymbola, dicebat: *Corpus hoc & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſit tibi ad probationem hodie.* Peragebatur dein purgatio coram Epiſcopis vel Sacerdotibus ab iis delegatis, & coram Judice Seculari, uti diſcimus ex *LL.* Edwardi Confeſſoris *c. 9.* Quam in rem vide plura apud C. du Freſne *in Gloſſ.* ubi & de *Judicio Regali* apud Hungaros, *brevi & formidoloſo*, Zagrabiæ olim habito, in quo haſtam ſubire cogebantur litigantes, *& peroratâ utrinque causâ, in cujus caput haſta demittebatur, is capitis reus habebatur præſentaneoque ſupplicio mulctabatur*, ex Bonfinio: nec non hîc paſſim, ut & in voce *Purgatio.*

JUDICIUM aquæ, Dei, ferri, vide in vocibus *Ordalium*, *Purgatio*, &c.

JUDITH, nomen viduæ cujuſdam nobilis, quæ Holophernem, Ducem exercitûs Regis Aſſyriorum, patriam ſuam obſidentem, dolo peremit. Judith. *c. 8. v. 1.* Sed Hiſtoria hæc fabulam ſapit, neque cum regno Manaſſis, ut quidam volunt, neque cum temporibus Xerxis, ut alii, conciliabilis. Ob quam rationem, pluresque alia liber hic meritò inter Apocryphos latet. Vide Frid. Span-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Spanhem. *de autorit. libb. Apocryphorum.* Ob victoriam *Judithæ* contra Holophernem & Aſſyrios obtentam, feſtum illud celebre Hebræorum, *Encænia* dictum, celebrari; vel ſaltem victoriæ ejuſdem commemorationem in eo contineri, conſueviſſe, obtinuit apud aliquos opinio. Et in calce quidem Hiſt. *Judithæ*, à Græcis Latiniſque receptæ, Latinis codex, verſionis Hieronymianæ ex Chaldæo, aliquid hujuſmodi habet, *c.* 16. *v.* 30. Sed in Codd. Græcis illud minimè comparet: unde & in verſionibus recentioribus è Græco factis, planè deeſt. In Computo quoque Æthiopico apud Joſ. Scalig. *de Emend. Temp. l.* 7. feſti *Jodid* ſ. *Judid* mentio fit, quæ pro *Judith* hac ſumitur, ſ. pro lectione libri Judith, *tâ die*, ut notat Scalig. *quæ eſt quarta Elul. Nicem ſive Dionyſiaci*: Sed ita celebratur ſub æſtatis exitum, non tempore hyemali, ut Encænia ſolebant. Et dein quæ illa *Jodid*, controverſum eſt. Alii proin, ut *Judithæ* heic qualiſcunque victoriam Feſto Encæniorum, ſ. ut partem, ſ. ut cognatam, adeoque commodiùs aptandam eſſe, ſatis aſſerere videantur, *Juditham* finxêrunt aliam à Bethulienſi, quæ Holophernem decollâſſe & filia Merari fuiſſe dicitur; filiam Mattathiæ, adeoque Judæ Maccabæi ſororem, ſ. ut alii, Joh. Haſmonæi filiam, Judæ ſororem, quam Nicanori, ſub Demetrio Rege Imp. adamatam caput ei, ajunt, ſub triennium poſt victoriam illam celebrem Maccabaicam, ab ipſa trucidato, amputâſſe, idque dum Judas Maccabæus illum acriter impugnârit. Unde R. Gedaliah Ben Jechai, de Maccabaicis geſtis verba faciens *Sepher Shalsheleth hacabala p.* 25. 1. *Etiam ſalus tunc parta*, inquit, *hæc habetur in Cabala orali noſtra; occiſum ſcilicet eſſe Nicanorem, interventu Judithæ filiæ Mattathiæ, cùm Nicanor eam deperiret, eaque ad eum accederet, eique daret dapes ex caſeo ſitim contrahentes adeoque inebriaret eum & occideret eum, atque caput ejus abſciſſum afferret ad fratrem ſuum* (Judam Maccabæum) *Et tunc Judæi aggreſſi Græcos, eos interfecêrunt, ut ſuperiùs memoratur, atque è terra Iſraëlis ſancta pepulêrunt: Sed ſcire oportet hoc de femina illa non memorari alibi atque in Midrash, prout ab R. Niſſim in caput tituli Sabbatho ſecundum affertur.* At Rabbi hic ibi prætermiſſo nomine *Judithæ*, de filia non Mattathiæ, verùm Joh. Haſmonæi filii ejus, pro ipſa Juditha fortè ſumpta, loquens, ad Alpheſium *Part. I. tit. de Sabbatho c.* 2. *p.* 106. 1. decreviſſe ait Græcos, *in omnes Virgines, quæ nuptui collocarentur, ut illæ primò à præfecto aliquo* (Caſtrenſi) *vitiarentur: unde per feminam miraculum factum eſſe dicitur in Midrash, filiam nempe Joh. quæ in cibum præbuit hoſtium Imp. caſeum, ut inebriaretur, caputque ejus* (quod de Nicanore intelligendum) *amputavit, unde fugêre univerſi. Atque hanc ob cauſam ſolennior eſt caſei comeſtio in Encæniis.* Hinc R. Gedaliah, *Ut probabile eſt dicendum, poſtquam in deſuetudinem abierat Megillath Thaanith, conſensêrunt Sapientes Seculi illius, ut conjungerentur lætitiæ Encæniorum res à Juditha geſtæ, cum nimirum eſſet Juditha altera* (ab Holophernis decollatrice) *filia Haſmoniaca.* Tantundem R. Azarias in *Meor Enaim part.* 3. *c.* 52. *p.* 162. 3. Atqui commentum perquam videtur interea mirum, Nicanoris cædis ac decollationis feſtum Encæniis Maccabaicis ſic omnino conjungi, eamque in rem *Juditham*, neſcio quam, *Maccabaicam* fingi; cùm certiſſimus ſit feſtus dies alius & in Calendariis Hebræorum obvius ac nomine יום ניקנור *Dies Nicanoris*, ſuorumque tunc cæſorum notiſſimus, qui ex decreto expreſſo, tempore Judæ Maccabæi lato, 1. Maccab. c. 7. v. 45. & 49. quotannis obſervatus eſt, die 13. menſis Adar, qui tantùm non vernus eſt, nec in hyeme, ut Encænia: neque à *Juditha* aliqua, ſed à Juda ipſo copiiſque ejus cæſum decollatumque Nicanorem eſſe, Hiſtoria Maccabæorum planiſſimè docet, *l.* 1. c. 7. v. 47. & *l.* 2. *c.* 15. *v.* 30. Vide Joh. Selden. *de Synedriis Vett. Hebr. l. III. c.* 13. §. 10. & 11.

Principes Feminæ.

JUDITHA, filia Guelphi, Com. Ravensberg. vel Altorphienſis, in Bavaria, uxor ſecunda Lud. I. Imp. ex illo mater Car. Calvi. Juvencula, impudica, ambitioſa, plurimis malis Galliam involvit. Noti ejus & Bernardi Com. Barcinonenſis parum honeſti amores. Obiit Turonibus, A. C. 843. Aimon. *l.* 5. Fauchetus, Mezerajus *Hiſt. Gall. tom.* 1.

JUDITHA, filia Car. Calvi, Etelulpho & Edtelredo, Angliæ Regibus nupſit. Poſt quorum Obitum, in Galliam redux, volens rapta eſt, à Balduino, cogn. Brachiferreo, Saltuum Flandriæ præfecto; conſcio fratre Lud. Balbo: & in aſſenſum poſtmodum Patre, ope Nicol. I. pertracto, A. C. 863. qui Balduinum generum Flandriæ Com. creavit. SanMarth. *Geneal. Gall.* Chenius *Hiſt. Angl.*

JUDOCUS, Juthaëli Britonum ciſmarin. Regis fil. Judacailis Regis frater, qui relicto principatu, cujus hæres fuit, byſſum & purpuram in pannoſas & viles commutavit tunicas. Volat. Hic Pontivum petens, ſub Chlodoveo, in vaſta eremo mari proxima habitavit, Presbyter factus, atque ab Haimone regionis Duce ſ. Præfecto è lapide quadrato templum B. Martino ædificatum accoluit, ibi poſtea ſepultus. Ejus Monaſterium ab autore & ſitu loci Cellam S. Judoci ad mare, *S. Joſſe ſur Mer* poſteri appellavére. Poſitum id eſt contra Stapulas ad oſtium Quantiæ, in mare Brit. effluentis. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

IVELLUS Joh. Ep. Saliſburienſis, in Anglia, pro religione, ſub Maria exul, Obiit A. C. 1605. Æt. 50. Magni nominis Theologus. Draxus *in Tuba extrema.* Juvenis adhuc dum eſſet, in lectione poëtarum, Horatii præſertim, tam aſſiduus fuit, ut, ſicut Eraſmus Terentium, ſic is Horatium totum memoriâ teneret. Cæterùm largitate erga pauperes captivosque inclytus. Scripſit *Explicationem XXVII. Quæſtionum c. Hardingum*, it. *Reſponſionem ad Refutationem Apologiæ Eccl. Anglic.* & librum cui tit. *Judicium turpium multorum errorum*, ab eod. Hardingo editos. Vide Ant. Teiſſier *in Elogiis.*

IVENNA, opp. Carinthiæ inf. verſùs montes, 2. mill. Germ. à Volcmaria in Auſtr. in limite Carniolæ. *Jaunſtain* vulgò.

IVERNIA, vide *Hibernia.*

IVERNIS, Ptol. *Dunkeran* Camd. *Donekyne* incolis, urbs eſt Hiberniæ. Epiſcopal. ſub Archiep. Caſſilienſi, Comit. Deſmoniæ caput, ad æſtuarium Jerni fluv. vulgò *Maire Find.* 25. mill. circiter ab Oceano, uti 45. à Corcagia, 60. à Caſſilia in Circ. 70. à Galliva. Cum portu capaci: Senſim deficit. Ibi olim *Iverni* pop.

JUFICUM, ſ. JUPHICUM Ptol. *Saſſoferrato* quibuſd. opp. Umbriæ præc. inter Fabrianum & Pertiam 7. mill. paſſ. à Foſſato 4.

JUGA, Juno dicta eſt, vel quòd Juges, ut ait Pomp. Sunt enim ejuſdem jugi pares, unde & conjuges: vel, uti ſcribit Serv. propter jugum, quod imponebant matrimonio conjungendis. Ejus ara fuit Romæ in vico, hinc *Jugarius* dicto: Ad eam veteri ritu nubentes vinculis jungi in omen futuræ concordiæ, ſoliti ſunt. Vide Thom. Dempſter. in Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 6.

JUGÆUS, Babylonis Rex IV. ſucceſſit Chinziro & Poro, per Annos 5. Senacheribo Syriam infeſtante. Eum excepit Mardokempadus. Vide *ibi.*

JUGALES Equi, in quadriga, dicuntur qui intra *jugum* juncti, Græcis Ζύγιοι; ὁ μέσος δεξιὸς καὶ ὁ μέσος ἀριστερὸς, *medius dexter & medius ſiniſter*, Schol. Ariſtoph. aliis δεξιόζυγος καὶ ἀριστερόζυγος. Nempe ſic olim equi jungebantur, ut duo *jugales* eſſent inter utrumque funalem, ſic ut omnes quatuor equi æquatâ fronte procederent: cùm hodie in quadriga bini funales conjuncti præcedant, ſubſequentibus binis jugalibus. Vide ſuprà ubi de ratione Vett. equos *ad Currum* jungendi, item ubi de *Funalibus equis.* Erant autem minoris dignationis funalibus, unde in curru Solis mares funarii, feminæ *jugaria* ſunt, apud Hygin. cui *Eos* & *Æthops* illi, *Bronte* & *Sterope* iſtæ dicuntur &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 897. ut & infrà ubi de veterum Heroum *Trigis.* Qui vero è quos ſic jungebant, *Junctores* dicti, de quibus vide L. Pignor. *Comm. de Servis*: uti *de ratione boves aratro jungendi*, quod inventum alii Cereris, alii Buzygis, alii aliorum faciunt; *deque modo vitulos ad jugum ferendum inſtituendi*, aliiſque huc facientibus hîc paſſim, inprimis ubi de *Aratro*, nec non in voce *Vitula.*

JUGANTES, Britanniæ populi, Tac. *Ann. l.* 12. *c.* 32. *Hiſt. l.* 3. *c.* 45. *in vita Agric. c.* 17. apud Cantium. An Brigantes? *Nic. Lloyd.*

JUGARIUS Vicus Romæ, ſub Capitolio, Liv. *l.* 35. *c.* 21. de quo multa. Diſertiſſimus Jac. Gronov. *Ep. ad Adolphum Overhamium.*

JUGATINUS, Deus, qui *jugis* montium præeſſe putabatur. Item, qui conjunges jugabat.

JUGATIUS, vicus Romæ dictus, ubi Junonis Jugæ ara erat, quam putabant matrimona conjungere.

JUGERE, milvorum proprium. Gloſsæ, *jugit*, ἰκτῖν βοᾷ. Inde ad tibias translatum. Apulejus *l.* 5. *Jubet citharam loqui, pſallitur: tibias jugere, ſonatur: choros canere, cantatur.* Non tamen omnes, ſed eas tantùm, quæ in accentus exeunt acutiſſimos, ut acutiſſimus eſt milvi clamor. Et tales *milvinæ* hinc dictæ ſunt, uti ex Solino diſcimus *c.* 5. ad quem vide Salmaſ. *p.* 124.

JUGERUM, dicebatur apud Rom. *quod uno jugo boum in die exarari poſſet. Actus, in quo boves agerentur, cùm aratur, uno impetu juſto. Hic erat CXX. pedum: duplicatusque in longitudinem jugerum faciebat*, Plin. *l.* 18. *c.* 3. Ubi *actus* idem, quod Græcis πλέθρον eſt. Hero, τὸ ἰούγερον ἔχει πλέθρα δύο. Pedes autem intelligit Italicos, quorum 120. faciunt pedes Philetærios centum. Autor Incertus *de Limit. Primum agri modulum fecêrunt quatuor limitibus clauſum figuræ quadratæ, ſimilem plerumque centum pedum in utraque parte, quod Græci plethron appellant.* Sic *Jugerum* ducentos pedes Philetærios in longum habebat, centum in latum. Unde facilè intelligitur, quod de bonaco habet Plin. *reddere fimum interdum trium jugerum longitudine*; & de Indici maris balænis Solin. habere illarum quaſdam *ultra ſpatia quatuor jugerum.* Indidem Plin. balſami hortum majorem in Judæa *viginti jugerum* longitudine fuiſſe ſtatuentem, ex Theophraſto δύο πλέθρα illi ſolùm tribuente, quæ non niſi *decem* efficiunt *jugera*, refellit Salmaſ. Diſcriminabant autem agrum per *Jugera* limites, *actuarii* dicti, qui aliàs *interciſivi* quoque & *lineares*: erantque illorum bina primis temporibus *Populo Rom. ſatis, nullique majorem modum attribuit: quo ſervos paulo antè Neronis, contemptis hujus ſpatii viridariis, piſcinas juvat habere majores: gratumque ſi non aliquem & culinas*, Plin. ubi ſuprà *c.* 2. Hinc eodem priſco ævo, *dona ampliſſima Imperatorum & fortium civium, quantum quis uno die plurimum circumaraviſſet*, Idem *c. ſeq.* &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 583. 678. 839. & 1012. & ſuprà in voce *Ager.*

JUGLANS, quaſi *Diuglans*, Cloatio apud Macrob. ſ. quaſi *Jouglans*, i. e. *Jovis glans* Salmaſ. Græcis Διὸς βάλανος, Theophraſto caſtanea eſt, aliis Græcis nux Pontica ſ. avellana; Latinis verò hoc nomine appellatur id, quod Græci κάρυον abſolutè & μέγα κάρυον nonnunquam, vocant. Phil. Comicus,

Ὁ Πειραιεὺς κάρυον μέγ' ἐστὶ καὶ κενόν.

Sic *majores nuces* eas vocat Apicius, & *nuces* ſine adjectione Latinorum alii. *Juglandis* quippe nucis atque olivæ rotundæ majuſculæ eadem formâ, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1037. Earum in nuptiis olim apud Rom. celebris uſus. Plin. *l.* 15. *c.* 22. *Ipſæ nuptialium Feſcenninorum comites --- Nec non & honor his naturæ peculiaris, gemino protectis operimento, pulvinati primùm calycis, mox lignei putaminis. Quæ cauſa eas nuptiis fecit religioſas, tot modis fœtu munito: quod eſt veriſimilius, quàm quia cadendo tripudium ſonumve faciant.* Sed & cortice earum lanæ tingebantur, & capillus rufabatur primùm prodeuntibus nuculis, *Ibid.* Vide plura infrà in voce *Nux.*

JUGLATORUM Rex, in *Regeſto* Magnorum Dierum Trecenſium A. C. 1296. apud C. du Freſne in *Gloſſ.* factus dicitur à Rege, in

eis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

civ. Trecenſi, Joh. quidam dictus *Charmillons*. Fuêre autem appellati *Juglatores*, Gall. *Jongleurs*, qui aliàs *Joculatores*, Vett. *Hiſtriones*, de quibus ſuprà.

JUGO, oppid. Britanniæ, juxta *Arquenon*, amnem, 7. leuc. à Fano S. Brioci in Ort. Rhedones versùs, 5. ab ora maris Brit. *Jugon* vulgò.

JUGRA, ſ. JUHRA, prov. Sept. Moſcoviæ, prope mare Bor. inter Petzoram prov. & Condoram. Ibi tantùm portus aliquot, vulgò *Juborsky*.

JUGULA, hoc nomine Plaut. dixit ſydus Orionis in Amphitr. *Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 119.

Neque Jugulæ, *neque Veſperugo, neque Vergiliæ occidunt.*

Feſto ab eo videtur dici, quòd ea ſtella amplior cæteris, quaſi nux Juglandis. Sed aliter Varro *l.* 6. *de Ling. Lat.* aliter Iſid. *l.* 3. *Orig.* & eum ſecutus vet. Germ. Cæſaris Scholiaſt. quos vide, & infrà in *Orion*.

JUGULARE, vox in ſacris uſitata. Lev. *c.* 1. *v.* 5. ubi de bove in holocauſtum oblato, *Et* jugulabit *juvencum coram Jehova & offerentes filii Aharonis Sacerdotes ſanguinem illius ſpargent ſanguinem illum circumquaque ſuper illud altare*. Nempe, poſtquam bos ad oſtium Tabernaculi adductus eſt, ab offerente manus capiti illius imponebantur. Dein *jugulabat* illum *jugulans*, quod in loco hoc ſuppleri vult Bochart. i.e. vel is ipſe, qui victimam de ſuo offerebat, vel, ut volunt, Levita aliquis: quod colligi poſſe videtur, ex 2. Par. *c.* 30. *v.* 17. & *c.* 35. *v.* 10. & XI. ubi Levitæ Paſchales agnos *jugulant*, ſed ſanguinem ſpargunt Sacerdotes. Sic apud Rom. Sacerdos victimam non jugulabat, ſed popa, aut victimarius, ad Sacerdotis nutum; alius verò ſanguinem excipiebat vaſe, quod σφάγιον Attici, ἄμνιον Homer. vocat, Latini *pateram* dixêre. Sic apud Homer. Thraſymedes ſecurim in manu habens, bovem cæſurus: Perſeus verò vas, eo ſanguinem excepturus, introducitur *Odyſſ.* γ. Cultris ad id uſi Rom. Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 248.

Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suſcipiunt pateris &c.

Vide infrà in voce *Popa*. item *Victimarius*. Sed & *jugulare*, munera edere eſt, apud Mart. *l.* 3. *Epigr.* 98. cujus Epigraphe ad Cerdonem *v.* 3.

——— *cur ludere nobis*
Non licuit, licuit ſi jugulare *tibi?*

Vide hîc ubi de *Gladiatoribus* & *Munerariis*. A' *jugulo*, quod Græcis λαιμὸς, de quo id ſolùm addo *de eo cultro incidendo*, pacta olim vitæ ſuæ prodigos homines iniiſſe non raró. Certè non defuiſse apud Celtas, qui auro argentoque vel vini aliquot cadis conducti, poſtquam iſta inter familiares ac neceſſarios diſtribuerant, ſupino ſuper ſcutis corpore jacerent, ἕως παραςάς τις ξίφει τὸν λαιμὸν διακόπτῃ, *donec accedens quiſpiam gladio jugulum eis diſſecaret*, Poſſidon. habet *Hiſt. l.* 23. apud Athen. *l.* 4. ubi apud Rom. idem factitatum hic pluribus docet. Quo facit illud Senecæ *Ep.* 87. de homine incerto, *utrum ſe ad gladium locet, an ad cultrum*. Vide Cl. Gataker. *Adverſ. c.* 46. ubi de verbo ἐτυμπανίζω, quod occurrit Hebr. *c.* 11. *v.* 35. A' carnifice verò *cultro jugulum* incidi, reis læſæ Majeſtatis apud Luſitanos, ex nupera Hiſtoria notum &c.

JUGULUM, inter priſca Eccl. ornamenta; Videtur fuiſse jugum minus ex auro factum, & in baſilicis ſuſpenſum, ad memoriam verborum Chriſti, dicentis Matth. *c.* XI. *v.* 30. *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve*. Anaſtaſ. *in Nicolao I. Fecit enim*, inquit, *in Confeſſione ipſius ſacratiſſimæ baſilicæ* (B. Petri) *jugulum ex auro mundiſſimo unum, penſans l.* 2. Vide Henr. Spelmann. *in Gloſſ. Arch.*

JUGUM Ceretanorum, opp. Cataloniæ ad Secorim fluv. intra montes; *Puliacerda* vulgò. Caput Comit. Ceretaniæ. 14. leuc. à Perpiniano in Occ. uti 1. leuc. à Julia Libyca, 6. ab Orgela in Ort. in ipſo Galliæ limite.

JUGUM Equeſtre, vide ſuprà ubi *de Helciariis*.

ſub JUGUM mittendi ritus, in victos olim uſurpatus, memoratur Liv. paſſim, inprimis *l.* 9. *c.* 5. ubi de exercitu Rom. *ſub jugum miſſo* à Samnitibus, & *c.* 15. ubi de eadem ignominia his victis viciſſim à Rom. victore irrogata. *Fiebat* autem *tribus haſtis jugum, humi fixis duabus, ſuperque eas tranſverſâ unâ deligatâ*, Idem *l.* 3. *c.* 29. ubi de Volſcis ſub jugum miſſis. Simile quid in Horatio qui ſororem occiderat, à patre ſtatutum, ut videbimus infrà, ubi de *Sigillo Sororio*. Alia notio *Jugi* infrà in voce *Montes*.

JUGURTHA, fil. Maſtanabalis, fratris Micipſæ, ex pellice, nepos Maſiniſſæ, Regis Numidarum, quem patruus Moriens hæredem regni ſui conſtituit, unà cum 2. filiis ſuis adhuc impuberibus, Adherbale, & Hyemſale: quos ille poſteà beneficiorum immemor, inſidiis adortus interfecit, ut ſolus regnaret. Id ægrè ferentes Rom. bellum adversùs eum movêrunt: quod Ducum inertiâ, perfidiaque, præter omnium expectationem, multos in Annos eſt protractum: quo temporis intervallo, vario ſæpe eventu pugnatum eſt, donec miſſo in Numidiam Mario, Jugurtha, fractis opibus ſuis, ad Bocchum Mauritaniæ Regem, Socerum ſuum, confugit: à quo proditus, Syllæque traditus, ad Marium perductus eſt, & ab eo Romæ triumpho ductus, tandemque in carcerem conjectus animi dolore periit. Salluſt. *de Bello Jugurthino*. Flor. *l.* 3. *c.* 1. Plutarch. *in Mario & Sylla*. Lucan. *Civ. Bell. l.* 2. *v.* 90.

Nuda triumphati jacuit per regna Jugurthæ.

Idem *l.* 9. *v.* 600.

——— *Quam ter Capitolia curru*
Scandere Pompeji, quàm frangere colla Jugurthæ.

Claud. de *Bello Gild. Carm.* X. *v.* 92.

Traximus immanem Marii ſub vincla Jugurtham.

Inde *Jugurthinus*. Unde eſt illud in Salluſtium apud Quint. *l.* 1. *c.* 5.

Et verba antiqui multum furate Catonis.
Criſpe Jugurthinæ conditor Hiſtoriæ.

Nic. Lloyd. P. Mela. *l.* 1. *c.* 5. Cæterùm varia fuêrunt, quibus Vett. olim ſignârunt, ſic inter alia Hiſt. quoque ac fabula nonnunquam annulis inſculpebatur. Sic Darius Perſarum Rex in ſigillo ſuo ſculptum habuit *equum hinnientem*, apud Thucyd. Annulus, quem auſpicanti Neroni obtulit Sporus, ſculpturam habebat, *Proſerpinæ raptum*: Amphitruonis ſphragiſmia, *Sol fuit exoriens quadrigis vectus*: Locrorum *Heſperus*: Perſarum illius Regis, imago *Rhodogynes diſjectis capillis horridæ*: Clearchi, *Caryatides ſaltantes*, apud Suet. *Ner. c.* 46. Plaut. *Amphitr.* Strabo *l.* 9. Polyæn. *l.* 1. *c.* 9. Plutarch. *in Artax.* Sic itaque Plin. *l.* 37. *c.* 1. *Sylla Dictator traditione Jugurthæ ſemper ſignavit*, ut præter hunc memoriæ prodidit. Plutarch. *in Mario p.* 411. Αὐτός τε Σύλλας σφραγῖδα ποιεσάμενος, ἐφόρει γλυφὴν ἔχουσαν ἐγχειριζόμενον ὑπὸ τοῦ Βόκχου τὸν Ἰουγούρθαν ἑαυτῷ. *Atque ipſe Sylla ſigillum habuit, in quo Bocchus erat Jugurtham ei tradens inſculptus, quo ſigillo uſus eſt perpetuo.* Idem tradit Val. Max. *l.* 8. *c.* 14. *L. Sylla Jugurthæ à Boccho Rege ad Marium perducti totam ſibi laudem tam cupidè aſſeruit, ut annulo, quo ſignatorio utebatur, inſculptam traditionem haberet*, &c. Vide Joh. Kirchmann. *de Ann. c.* 13

JUHONES, pop. Germaniæ fuêre, ubi poſteà Bructeri, & nunc pars Weteraviæ ac diœc. Trevirenſis, Tac. *Ann. l.* 12. *c.* 57. *Cluv.*

JUHONUM civ. memorata Tac. Cl. Othoni Colonia ad Moſam fluv. ſita, inter Leodium & Namurcum, vulgo *Hoye* dicitur. Alii ſcribunt *Hujonum*, unde *Hujum* & *Huyum*, Gall. *Huy*, Leodicenſis ditionis, medium inter Leodium ad Ort. & Namurcum ad Occ. ſæpe everſum, cum caſtro in monte, 5. à Leodia leucis, *Notis* ad B. Rhenan. vide *Hojum Hujonum* & *Hujum*.

JUHRA, ſ. *Juharia*, item *Jugra*, vulgò *Juhorski*. prov. Moſcoviæ, ad Oceanum Sept. è qua egreſſos ad Danubii ripas commigrâſſe, occupataque Pannoniâ eam ſuo nomine *Juhariam* primum ſ. *Juſegram*, poſtea literis paulum immutatis *Hungariam* appellâſſe, recepta apud Ruſſos opinio eſt: qui addunt, *Juharos* in hunc uſque diem eadem cum Hungaris uti lingua, ut adnotat ex Bar. Herberſtenio, G. Horn. vide eum *Orb. Imp. cum Animadv.* Joach. Felleri *p.* 131.

IVINIACUM, opp. aliàs Burgundiæ, nunc Campaniæ, in colle, ad Icaunam fluv. cum caſtro Com. & ponte. 6. leuc. ab Antiſſiodoro in Bor. *Joigny* vulgò.

JULA, urbs Arabiæ fel. *Ptol.*

JULIA Gens, dicta eſt ab *Julo* Aſcanio ſive ab *Julo* fil. ejus. Feſtus. Vide Steph. Ἰουλεῖς.

Feminæ Illuſtres.

JULIA, quæ erat Caracallæ noverca, nupta Severo, ejuſdem etiam uxor fuit. Nam cùm eſſet pulcherrima, & quaſi per negligentiam ſe maximâ corporis parte nudaſſet, dixit Caracalla, *Vellem, ſi liceret*: at reſpondit hæc, *ſi libet, licet, an neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere?* Tunc nuptias celebrat, eique copulatur, in cujus gremio ejuſdem fil. Getam nuper confoderat. *Æl. Spartian.*

JULIA, Aug. filia, ex Scribonia, parum ſecundæ famæ, adeò ut ob frequentia adulteria à patre ſit in inſ. Pandatariam, dein Rhegium relegata. Uxor primò Marcello, dein Agrippæ data, ex illo trium filiorum, totidemque filiarum mater: Tertiò Tiberio nupſit, quem cùm velut indignum ſpreviſſet, ab illo poſtmodum Imp. in tantas miſerias redacta eſt, ut infamis & exul fame perierit. Suet. *in Aug. c.* 64. & 69. & *Tib. c.* 1. & XI. Tac. *Ann. l.* 1. *c.* 53.

JULIA, filia Agrippæ ex priore, neptis Aug. iiſdem cum matre moribus. Nupſit Æmilio Lepido, ex illo duorum liberorum mater. Ab Avo in Inſ. Trimetam Apuliæ relegata, ibi per An. 20. vixit, ſuſtentata à Livia Imp. quæ Aug. fam. florentem perſecuta, oppreſſam ſolari ſolita eſt. Tac. *Ann. l.* 4. *c.* 71. Suet. *Aug. c.* 101.

JULIA, neptis Tiberii. Item filia Titi, quam Domitianus marito erepiam gravidam reddidit, dein ut fœtum abigeret, coëgit, unde Mortua eſt.

JULIA, vel JUNIA Fadilla, abneptis Antonini, Maximiniano Jun nupſit.

JULIA Gonzaga, ingenio & formâ inter primas ſui temporis. Qua ut potiretur Solimannus Barbaroſſam cum claſſe miſit, qui urbem quidem, in qua degebat, cepit, ipſa verò elapſa eſt. Thuan. *Hiſt.* Hilario Coſtus, *Elog.*

JULIA, Script. Ger. *Guliers*, regio Germ. inf. Ducatûs titulo inſignis, inter Coloniam Agrippinam & Trajectum ad Moſam, ſub qua Eyſalia regio ad Mer. magna ex parte continetur, ad Bor. Geldriæ contermina. In ea Juliacum urbs primaria. Vide *Juliacum* & *Juliacenſis Ducatus*.

JULIA, quæ Plin. *l.* 3. *c.* 1. & Antonino *Fidentia* ſ. *Fidentiola*, hodie *Bergo di S. Donnino*, urbs Galliæ Togatæ, inter Placentiam 20. & Parmam 15. mill. paſſ. quæ diù ſine ſede Epiſcopali fuit, noſtrà tempeſtate ei reſtituta, ſub Archiep. Bononienſi. Ferr. Baudr. urbs eſt oblonga, ſub dominio Ducis Parmæ, in regiuncula Status Buxeti dicta. 15. milliaribus diſtat à Cremona in Mer. Ibi ſanctus Domninus martyrio Occubuit A. C. 303. teſte *Baronio*.

JULIA, vulgò GIULA, urbs munita Tranſylvaniæ, quæ aliàs Ziridava dicta fuit, ut opinatur Sanſon. Sedet juxta amnem *Feher Keres*, & prope Sarcadium locum, 20. milliaribus à Waradino ad Mer. & totidem à Segedino in Eur. Capta fuit à Turcis A. C. 1566. & ab ipſis oppignerata eſt Principi Tranſylvaniæ.

JULIA,

JULIA, urbs Italiæ, à Dædalo condita, *Steph.*

JULIA, vulgò *Geyl*, teſte Merc fluv. Norici, per agrum Saliſburgenſem decurrens. In Theſ. Ling. Lat. opp. Norici nominatur: cùm apud Plin. *Julia* opp. ſit Galliæ Togatæ.

JULIA Apulum, Ptol. urbs Daciæ, Tranſylvaniæ primaria. Vide *Alba Julia.*

JULIA Cæſarea, Plin. Mel. & al. urbs Mauritaniæ Cæſarienſis primaria, priùs *Jol*, à Juba Rege condita, poſteà in Cæſaris honorem Julia *Cæſarea* dicta. Hic Car. V. Imp. A. C. 1541. urbem expugnaturus, inſignem cladem, maris tempeſtate diurinâ amiſſâ claſſe ingenti, pertulit. Vide *Jol.* Ferr. Baudr. nunc, teſte Sanſ. eſt *Tenez*, urbs regni Algerii, in ora maris Mediterranei & in provincia Teneza dicta. Sedet ad radices montis, & portu gaudet commodo, uti & caſtro 125. milliaribus diſtat ab Algerio in Occaſ. & ferè 90. à Quiza urbe in Ort. Malè autem interpretantur Algerium plurimi recentiores, ut Sanſon. docet pluribus in deſcriptione Africæ.

JULIA Campeſtris, *Beni Teudi*, teſte Marmolio & aliis, *Bamtuede*, urbs Mauritaniæ Tingitanæ mediterranea, à Lixo 40. mil. paſſ. in Ort. diſtans, quæ & Aug. colonia, *Babba* Plin. dicitur. *l.* 5. *c.* 1.

JULIA Charitas, Bæticæ opp in conventu Aſtigitano. Plin. *l.* 4. *c.* 22. *Julia fama*, *Julia vicus*, *Julia contributa*, *Julia reſtituta*, *Julia felicitas* ejuſdem Bæticæ oppida apud Plin. eodem loco. Vide infrà.

JULIA Clauſtra, locus intrà Alpes Julias, quo ex Carnis in Noricum tranſitur, *la Chiuſa* vulgò à Glemona opp. Carnorum 14. in Bor. Villacum verſùs, ab Utino 30.

JULIA Fama, quæ & *Seria* Plin. *l.* 3. *c.* 1. dicitur, opp. Hiſp. Bæticæ, apud Anam fluv. in Luſitaniæ conf. *Seria* adhuc, teſte Floriano, & Tarapha dictum, nunc pagus apud Ayamontem opp.

JULIA Felix. Vide *Berytus.*

JULIA Fidentia, vide ſuprà.

JULIA Lex, varia & multiplex apud Rom. *de ceſſione bonorum*: *de Civitate*; *de dividendo agro Campano & de deducenda colonia*: *de forma judiciorum*: *de maritandis ordinibus*: *de non imponenda vindicta manumiſſis*: *de peculatu*: *de provinciis Prætoriis*: *de repetundis*: *de ambitu*: *de viceſima*: *de agro Stellate plebi dividendo*: *de Tribunis ærariis ex numero equitum tollendis*: *de Majeſtate*: &c. Item *Julia Sumptuaria*, *Julia Miſcella*, *Julia Plautia*, *Julia Titia lex de Tutelis*: de quibus omnibus vide Thom. Dempſter. in Joh. Roſin. *Antiqq. Rom.* aliquid etiam ſupra, ubi de *Adulteris.*

JULIA Liberalitas. Vide *Eboræ.*

JULIA Libyca, teſte Floriano, vel *Linza*, opp. Hiſp. Tarraconenſis, in Arragonia, apud montis Pyrenæi radices, a Cæſarauguſta 30 leuc. in Bor. verſùs Aquitaniam diſtans: quæ *Iuſa* aliis dicitur. *Aικυζα* in Seldeni manuſcripto. Ferrar. Baudr. eſt *Llivia*, opp. Comitatûs Ceretaniæ, in Catalonia, ad Secorim fluv. *Livia* dicta in libro Juliani Toletani de expeditione Vyambæ Regis Gothorum: mœnium Livianorum mentio apud Sidon. qui ſe illic exilium toleráſſe ſcribit. Diſtat 15. leucis in Occaſ. à Perpiniano, & unâ leucâ a Jugo Ceretanorum ſ. *Puigcerda* in Ort. eſtque in ipſo conf. Galliæ.

JULIA Myrtilis, *Mertola*, opp. Hiſp. Luſitanicæ antiquum & præclarum, apud Anam fluv. in regno Portugallico, inter Pacem Juliam & Sylvam urbem 9. leuc. Serpæ & Mauræ finitimum, ad 4. & 5. leucas diſſidens. Ferr. Baudr. oppid. eſt Luſitaniæ trans Anam, verſùs conf. Algarviæ, ſatis munitum, in tractu montuoſo, 25. leucis Luſitanicis diſtat à Pace Auguſta in Auſtr. 9. à Maura, & 4. à Serpa, 3. autem à Sylvi in Ort. ſubeſtque dominio Regis Portugalliæ.

JULIA Nova *Giulianova*, opp. regni Neapolitani, in Aprutio ulteriori & in ora maris Hadriatici. 20. circiter milliaribus diſtat ab Aſculo Piceno in Ort. & 18. à Penna in Bor.

JULIA Pietas, (vide *Pola*) urbs Iſtriæ.

JULIA Reſtituta. Vide *Segeda.*

JULIA Traducta Vide *Tingi.*

JULIA unda, quænam fuerit, vide Lud. de la Cerda *in illud Virg. Georg. l.* 2. *v.* 161. & ſeqq.

An memorem portus, Lucrinoque addita clauſtra,
Atque indignatum magnis ſtridoribus æquor,
Julia *quâ ponto longe ſonat unda refuſo,*
Tyrrhenuſque fretis immittitur æſtus Avernis.

JULIACENSES, quibuſdam iidem ſunt cum vet. Gugernis.

JULIACENSIS Ducatus, *Duché de Juliers*, prov. Germ. inf. inter Rhenum ad Ort. & Moſam ad Occ. Rurâ fluv. in duas partes dividitur; ſubeſtque Duci Neoburgenſi è fam. Bavarica, cùm anteà habuerit Duces proprios & potentiſſimos. Terminatur à Sept. Gueldriâ ſup. ab Ortu Diœceſi Colonienſi, ab Occaſ. Ducatu Limburgenſi, à Mer. Eiffalia & Diœceſi Trevirenſi. Dicitur ab incolis *Hertzogthumb von Gulik.* Ejus primaria eſt Juliacum, *Juliers*, urbs permunita.

JULIACUM, Tac. Amm. Marcell. *Gulik* & *Giulik* incolis, *Juliers* Gallis, urbs munita Germ. inf. Juliæ Duc. caput, inter Coloniam Agrippinam 6. & Trajectum ad Moſam ad Occ. 8. leuc. ab Aquiſgrano in Cæciam 4. Sita eſt ad Ruram fluv. Juliacenſis Ducatûs caput, cum arce fortiſſima. Pluries capta & recepta fuit, & tandem ab Hiſpanis reddita Duci Neoburgenſi, virtute pacis Pyrenæorum A. C. 1660. Fam. *Juliacenſis* origo hinc vulgò arceſſitur. Circà A. C. 700. Theodoricus, ultimus Comes caſtri Clivii & adjacentis regionis, duxit Beatricem, Comitis Teiſterbandæ filiam & hæredem: quæ Defuncto marito junxit ſibi Ælium Gracilem, Car. Martelli fidum ſocium, inque ejus fam. tranſtulit jura & titulos Comitis Cliviæ, ac Teiſterbandæ. Hoc par conjugum ſtirps eſt Ducum Cliviæ, Montium, & Juliaci, Comitum Marcæ. Quorum ultimo Joh. Vilhelmo, Extincto A. C. 1609. Matthias Imp. mandando ut Mulhemium deſtrueretur, litem inter Wolfgangum Neoburgicum & Brandeburgicum Septemvirum accendit, A. C. 1612. qui, bello inde exorto, tandem ditionem diviſêrunt, Saxoniæ Ducibus jus in Principatum ſibi competens hodieque ſibi reſervantibus. Inſtrum. Pacis *Artic.* 4. §. *Cauſa Juliacenſis*: hæc controverſia amicabili tranſactioni, aut judici ordinario relinquitur decidenda. Interim Elector Brandeburgicus & Comes Palatinus Neoburgenſis. Ducatuum poſſeſſores, ante paucos Annos inter ſe tranſêgerunt, ſanctèque invicem promiſêrunt, mutuâ ope, contra quoſcunque jus ſuum ſtrenuè tueri. Vide de tota hac Juliacenſi cauſa Burgoldenſem *part.* 1. *ad Inſtrum. Pac. Diſcurſ.* 32. *in totum*: Item Franciſci Irenici *notas ad Burgold.* Limnæum inſuper *de Jure publico*, &c. Cæterùm Fam. hujus illuſtriſſimæ, quæ potiori jure *Clivia* nuncupanda foret, originem referunt Antiquitatis ſcrutatores, ad fabuloſum quendam Eliam Gralium, qui Cliviam hæredem duxerit. An autem, qui poſt ipſum recenſentur gradus omnes, idoneis argumentis probari poſſint. Auctreos proſpiciant. Tempore Car. Mag. ex poſteris vixiſſe dicitur Balduinus Com. *Cliviæ & Teiſterbandæ*, pater Eberhardi Com. Cliviæ, cujus poſteri *Comites Cliviæ*, demum A. C 1368. defecêre & Roberti. Hic Lud. *Teiſterbantenſium* reliquorum ſatorem, Robertum *Heydanorum* Dynaſtarum, qui per plura Secula ſuperfuêre autorem atque Theodoricum genuit. Quorum hic Com. *ab Altena* dictus eſt, ſed ejus nepos Adolphus *Marca* titulum aſſumpſit: in cujus deſcendentibus diviſio facta eſt, cùm fratres Engelbertus *Bergenſem* vel *Montanum* Comitatum, Eberhardusque *Marcanum* in diviſione A. C. 1147. nanciſcerentur. Prioris poſteritas autem Extincta, & hæreditas ad *Juliacenſes* non multo poſt delata eſt: At Eberhardi trinepotes Adolphus ac Eberhardus, iterum novos ramos cepêre. Et quidem prior, à conjuge Margaretha ſive Maria Clivia jus ſucceſſionis Cliviæ Domui intulit: unde & fil. Comitatum Cliviæ ab Imp. nepos Ducalem titulum, pro eo adſecutus eſt. Acceſſit deinceps alio matrimonio *Juliacenſis* & *Montanus* Principatus. Sed ramus præcipuus & directus defecit, in Joh. Vilhelmo Mortuo A. C. 1609. cujus Progenitores ſic habent Adolphus Dux Cliviæ, qui Obiit A. C. 1443. ex Maria filia Joh. Burgundiæ Ducis, genuit Joh. I Ducem Cliviæ; qui Defunctus A. C. 1481. ex Eliſabetha Com. Nivernenſi, fil. reliquit Joh. II. Duc. Cliviæ, Extinctum A. C. 1521. Hoc & Mechthilde Haſſiacâ (filiâ Henr. Landgr. Haſſiæ) genitus Joh. III. Dux Cliviæ, Deceſſit A. C. 1539. Pater, ex Maria Juliacenſi (filia Gulielmi Duc. Juliaci & Montium ſ. Bergenſis, Defuncti A. C. 1511.) Vilhelmi Duc. Juliaci, Cliviæ & Montium, Mortuus A. C. 1592. Huic ex Maria Auſtriaca (filia Ferdinandi I. Imp.) geniti ſunt Maria Eleonora (quæ nat. A. C.. 1550. uxor fuit Alberti Frid. March. Brandeburgici, Ducis Pruſſiæ, Denat. A. C. 1608.) Anna (nat. A. C. 1552. uxor. Phil. Lud. Com. Palatini Rheni Denat. A. C. 1632) Magdalena (nat. A. C. 1553. uxor Joh. Com. Palatini Rheni Denat. A. C. 1635.) Car. Frid. (nat. A. C. 1555. Denat. A. C. 1575.) Sibylla (nat. A. C. 1557. Car. Auſtriaco March. Burgoviæ nupta) Eliſabetha (nat. A. C. 1556. Denat. A. C. 1563.) & Joh. Vilhelmus, ultimus ſuæ fam. maſculus, qui nat. A. C 1562. è duplici matrimonio, Mariæ Salomes filiæ Philiberti March. Badenſis & Antoniæ filiæ Car. Duc. Lotharingiæ, nullam reliquit prolem, Extinctus A. C. 1609. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Part. II. p.* 82. Ex minoribus autem filiis Adolphi præfati, Eberhardi trinepotis, ortæ ſunt lineæ *Raven-ſtenia* & *Nivernenſis*, ſed utraque jam quoque Extincta. Quæ autem ab Engelberto Marcano, Adolphi fratre, derivatæ ſint lineæ, infrà leges, ubi de *Marcanis.* Quia verò *Juliacenſes* ac Bergenſes (quæ ditio ex Marcanæ alicujus lineæ hæreditate illis obtigerat) Comites communem habuêre patrem Gerhardum II. qui Deceſſit A. C. 1247. Gerardi hujus major natu fil. Vilhelmus I. *Juliacum* retinuerat, frater Adolphus Montanum ſ. Bergenſem Comitatum quorum illius pronepos Vilhelmus IV. Marchionis initio Lud. Bavaro, dein Ducis à Car. IV. Imp. axioma nactus eſt. Ejus filii, Vilhelmus V. & Reinoldus, præter patrium Ducatum, etiam Gelricum obtinuêre, ſucceſſione avunculi; ſed cum prole carerent, hic deinceps delapſus eſt ad Egmondanos, qui non æquè *Juliacenſi* potuêrunt potiri, utpote ad agnatos tranſlato. Nam Adolphus Bergenſis Com. pariter gentem propagaverat: in cujus poſteris Vilhelmus, Ruperti Imp. affinis, Bergenſis Dux creari meruit. Filiorum alter Adolphus Ducatum *Juliacenſem*, poſt Reinoldum Agnatum, nactus eſt filium Rupertum habuit, cui ob Geldriam cum Egmondanis contentio alter Vilhelmus, priùs Ep. Paderbornenſis, ſtemma produxit: ejus neptis Maria fuit, hæres utriuſque Ducatûs, quos marito Joh. Clivio attulit. Ejus progenitores iſti fuêre: Gerhardus (al. Vilhelmus) Com. Bergenſis, Defunctus A C. 1361. ex N. N. filia Gerhardi Com. *Juliacenſis*, reliquit Vilhelmum IV. Ducem Bergenſem primum, uti diximus; quo & Annâ Palatinâ (filiâ Ruperti Electoris Palat.) genitus Vilhelmus V. Dux Juliac. & Bergenſis primus, Ep. Paderbornenſis, ex Anna Tecklenburgica (filia Nicolai Com. pater fuit Gerhardi Ducis Jul. & Berg. qui ex Sophia Saxonica (Bernardo Duce Saxoniâ-Lawenburgico genitâ) ſuſcepit Vilhelmum VI. qui, Extinctus A. C. 1511. ex Sibylla Brandeburgica (filia Alberti Electoris) genuit Mariam præfatam, quæ nata A. C. 1493. Joh. prædicto attulit Ducatus patrios, Obiitque —— ultima ſuæ gentis. Vide eund. Phil. Jac. Spener. *Part. III. p.* 41. *& utrobique in Ind.* nec non Tob. Pfanner. *de præcip. Germ. Princip. Gentib. c.* 2. *p.* 72. & *c.* 4. *p.* 156.

JULIACUS Stephanus, vide *Stephanus.*

JULIANA, mater virginis Demetriadis. Vide *Demetrias.*

JULIANA Morella Dominicana, Barcinone oriunda, An. Æt. 12. defendit publicè Lugduni theſes Philoſophicas, quas Margarethæ Hiſpaniæ Reginæ inſcripſit. A. C. 1607. Philoſophiæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Juriſprudentiæ, Muſicæ, & quatuordecim linguarum peritiſſima. Gretſer. *rer. var. l.* 2. *c.* 4. Hilario Coſtus *Elog. fem. Ill.*

JULIANI, unum ex tribus Lupercorum collegiis, vide ſuprà *Fabiani.*

de S. JULIANO Petrus, vide *Petrus.*

Imp. Rom. & Tyranni.

JULIANUS, Rom. Imp. cogn. Ὁ παραβάτης ſive Apoſtata, quod à Chriſtianiſmo ad Ethniciſmum impiè deſciverat: de cujus ſcriptis vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. p.* 250. Fil. Julii Conſtantii, ex Baſilina, nepos ex fratre Conſtantini Mag. diſcip. Eunuchi Mardonii Gentilis, in Grammaticis; Ecebolii, in Rhetoricis: Nicomediam ab Imp. miſſus, ut ibi ab Euſebio Ep. in pietate erudiretur, à Maximo Philoſopho & Mago planè perverſus eſt. Quod cùm innotuiſſet Conſtantio conſobrino, ejus rigorem is veritus, Monachi veſtem palam induit, Paganiſmo clam intentiſſimus: Poſtquam priùs cum fratre Gallo, quem ex Galla pater ſuſceperat, Lectoris officio functus, partem templi, quod communibus cum illo ſumptibus extructum ibat, abſolvere nullâ ratione potuiſſet. Poſtmodum Cæſar à Conſtantio lectus, ſuaſu Euſebiæ uxoris, Helenam Imp. ſororem ſibi junxit. Gallis dein præpoſitus, in campis Argentoratenſibus cum parva manu infinitas hoſtium copias delevit, ab quod aſſenſu militum concordi, Aug. factus eſt. Hinc, Conſtantio intereà Mortuo, CPolim profectus eſt, jam apertus fidei deſertor, edito contrà Chriſtianos libro, quem argutiſſimè Cyrillus Alexandrinus Ep. confutavit, labore hoc Theodoſio Mag. inſcripto. Mox apertis Deorum templis, ipſe Pontificis S. dignitatem ſibi ſumpſit, victimarum ſanguine Baptiſmi characterem deleturus. Revocatis hæreticis, Donatiſtas Africæ reddidit, tanto in Chriſtianos odio ardens, ut necatis Manuele, Sabele, & Iſmaële, Perſicis legatis, eò quòd Chriſtiani eſſent, gentium jus violare non fuerit veritus. Exin in Perſas bellum geſturus, Chriſtianis Scholas prohibuit, ne doctores artium liberalium eſſent, unde materia deeſſet, & paulatim ingenium fidei defendendæ deficeret. Ornamenta divino cultui dicata, & ſacras Eccl. pecunias abſtulit. Sacerdotes, & Clericos, populumque Chriſtianum crudeliter vexavit, templaque diruit. Interim ſimiam Chriſtianorum acturus, Scholas erexit, in quibus, quæ ad religionem & mores, docerentur: Antiphonas in templa introducere, precum formulas præſcribere, Noſocomia, Orphanotrophia, &c. fundare, monaſteria Virginum extruere, & publicæ pœnitentiæ, quâ ſcandala coërcerentur, quædam ſimulacra inſtituere, ſibi propoſuit; divinitus prohibitus. Prætorianos milites ad Gentiliſmum perducturus fruſtrà fuit, plurimis illorum miſſionem amplexis. À Mari Ep. Chalcedonenſi increpitus, reſpondit, ipſi à ſuo Galilæo viſum tamen reſtitutum non iri: regerente Ep. ſe gratias agere SERVATORI ſuo, quòd ejus intuitu oculos polluere non habeat neceſſe. Specie clementiæ hominibus ſubblandiens, ſævus in Chriſtianos, illos cum in Or. tum in Occ. crudeliſſimè perſecutus eſt, hæreticis contrà illos concitatis, & permiſſo Judæis, ut Hieroſolymâ denuo conditâ CHRISTI vaticinium eluderent, qui conatus tamen miraculosè inhibiti. Fato urgente, cùm expeditionem maturare cogeretur, juravit Chriſtianiſmo πανωλεθρίαν, ſi reverteretur. Sed prælio cum Perſis temerè commiſſo, acceptoque lethali vulnere, & manu cruore repletâ, ut Deum noſtrum blaſphemaret, in aërem ſanguinem projiciens, exclamavit *Viciſti tandem, Galilæe, viciſti.* Sic enim Chriſtum vocare ſolebat, ejuſque cultores Galilæos, Sozom. *l.* 6. 7. & 10. A. C. 363. Æt. 31. Imperii An. 1. menſ. 7. Cæterà eruditus, caſtus, ſobrius, pervigil, laboris amantiſſimus. Vide Gregor. Naz. *Orat. c. Julianum* Chryſoſt. Hier. Optatum, Socrat. Theod. Nicephor. Ruffin, Zoſim. Amm. Marcell. Eutropium, Baron. &c. À morte Juliani ultimi Imperatorum gentilium, A. C. 365. excitæ gentes ſæviſſimæ limites ſibi proprios perſultârunt, vide Amm. Marcell. *l.* 25. *c.* 4. & *l.* 26. *c.* 10. Proin ad hunc infauſti ominis annum reducit primum ruinæ Imperii momentum, de qua Apoc. *c.* 13. *v.* 14. *Joſephus Medus Theologus Anglus.*

JULIANUS poſt Pertinacem Imperium adeptus, ſucceſſorem habuit Severum, vide *Didius Julianus.*

JULIANUS, aliis Julius Sabinus, Tyrannus, propè Veronam, à Corino Occiſus, cùm in Pannoniam properaret, Diocletiarum ex Or. advenientem occupaturus. Item Marcus Aurelius *Julianus*, Tyrannus, ſub Diocletiano, cum Quinquegentianis in Italia, rebellans, tandem ſibi ipſi manum victus attulit. Item, Juliani Ap. avunculus ſævitiæ ejus adminiſter, periit Antiochiæ, cum Felice, redituum præfecto, vaſis ſacris illudente. Item, ſecundogenitus Conſtantini Tyr. creatus Nobiliſſimus, cum patre, juſſu Honorii. Interfectus. Item, Ep. Puteol. à Leone, ad Conc. Epheſinum miſſus, in quo Hæretici ſuperiores erant. Item, Ep. Cous, ab eodem Leone, ad Conc. Chalcedonenſe miſſus. Leo Ep. 70. Item, Rex à Samaritanis, ſub Juſtiniano, creatus. Cum ſubditis, rebellibus, exuſtus. Item, autor Lexici, ex 10. Oratoribus collecti. Phot. Cod. 150.

Viri Illuſtres.

JULIANUS, Coſ. cum Torquato, A. U. C. 900.

JULIANUS, Coſ. cum Piſone A. U. C. 927. Secundò Coſ. cum Criſpino, A. U. C. 976.

JULIANUS, ſub Commodo Imp. in locum Cleandri, cum Regillo, ſurrogatus, poſtmodum pœnis cum eodem affectus eſt, Lamprid. in *Commodo.* Sed Dio *Juliani* Ἐπάρχου quidem poſt cædem Cleandri meminit; Regilli nemo. Caſaub. *ad l.*

JULIANUS, Prætorio Præfectus, ſub Commodo Imp. hujus juſſu *togatus, præſente officio ſuo, in piſcinam detruſus eſt*, apud *Eund.*

JULIANUS, Alexandriæ poſt Agrippam, vel Agrippinum, Ep. A. C. 131. uſque ad A. C. 190. cùm Demetrius ſucceſſit. Euſeb. *l.* 5. *c.* 9.

JULIANUS, 7. Hieroſolymorum ex Gentibus Ep. A. C. 160. Item alius eodem Sec.

JULIANUS, Card. cecidit ad Varnam in bello Hungarorum, A. C. 1445. Vide infrà.

JULIANUS, martyr apud Alexandriam ſub Decio Imp. A. C. 251.

JULIANUS, alio nomine *Claudius*, præfectus claſſis Miſenenſis, dein à Vitellio permulcendis militum animis dilectus, & gladiatoribus præpoſitus, collatis utrinque caſtris, in partes Veſpaſiani tranſiit. Tac. *Hiſt. l.* 3. *c.* 76. & 77. Occiſus à Lucio Vitellio, proditâ Terracinâ.

JULIANUS, Hæreticus Pelagianus, fil. Memorii, Ep. Capuæ, qui Auguſtino amicus. *Ep.* 13. Viſo Auguſtini *l.* 1. de Nuptiis & de Concupiſcentia, quatuor libb. contra edidit: eodem tempore per duas epiſtolas ſectatoribus ſuis Romæ confirmatis, & Ep. Theſſalonicenſi tentato, A. C. 419. His Auguſtin. 4. libb. oppoſuit, cum tit. *contra duas Pelagianorum Epiſtolas*, &c. viſâque refutatione libri ſui de Nuptiis & Concupiſc. vindicias ſcripſit. Julianus minimè ceſſans 8. alios, contra inclyti hujus Præſulis ſex libb. edidit: in quibus refellendis occupatus Auguſtinus, Morte abſumptus eſt, cùm jam ad ſextum uſque provectus eſſet. Horum Cl. Menardus duos priores, Vignierius quatuor reliquos, in Bibliotheca Claravallenſi repertos, publicâ luce donavit. Julianus tandem ſede pulſus, ſæpiuſque anathemate ictus, miſerè tandem periit. Proſper. *in Chron.* Beda, Morer. *Dict. Hiſt.*

JULIANUS magus, apud Arnob. Vide ſuprà *Armenius.*

JULIANUS, vide *Tertius.* Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 79. *l.* 2. *c.* 85. & *l.* 4. *c.* 39. & 40.

JULIANUS Cæſarinus, ex illuſtri fam. Rom. Græcè & Latinè inſigniter doctus: ſub Martino V. Ab hujus ſucceſſore Eugenio IV. in Germaniam Legatus, tuba belli contra Huſſitas fuit. Præſes dein in Conc. Baſilienſi, Pontificem ad pacem Eccl. dandam graviter cohortatus eſt: In Florentino poſtmodum Conc. Latinæ Eccl. prærogativam contra Græcos tuitus. Tandem in Hungariam miſſus, ad violandas inducias, quas Ladiſlaus Hung. Poloniæque Rex & Amurathes Turcarum Imp. ſanctè juraverant, cladis Varnenſis, cujus mala hodieque Chriſtianus orbis ſentit, autor, an in prælio, an in fuga, ab hoſtibus: an à naviculario auri cupido, Interfectus eſt, Greg. Sarmoſâ, ei his verbis inſultante, *I nunc Juliane, & dic Regi tuo apud Inferos, Hæreticis fidem non eſſe ſervandam.* Bodin. *de Rep. l.* 5. *c.* 6. A. C. 1444. Bonfin. *dec.* 3. *l.* 6. Cromerus *l.* 21. Cochlæus *Huſſ. l.* 6. Ciaccon. *in addit. ad Martin. V. &c.* Vide *Amurathes & Ladiſlaus.*

JULIANUS Cerellius *Julianus* Peſcennius, inter Nobiles Rom. ſine cauſæ dictione, à Sev. Imp. Occiſos, memorantur Æl. Spartiano *in Sev.*

JULIANUS Claudius, vide *Claudius.*

JULIANUS Didius, vide *Didius.*

JULIANUS Halicarnaſſæus, Hæreticus, caput Phantaſtarum, ſ. Incorruptibilium: hoſtium Conc. Chalcedonenſis.

JULIANUS Haſartus, Carmelita Hannonius, autor Chronici Hannoniæ, Flandriæ, Zelandiæ, Hollandiæ, Friſiæ, Brabantiæ, Geldriæ, &c. Obiit A. C. 1525.

JULIANUS Lucas, Græcus, Diaconus Eccl. Toletanæ, Sec. 8. autor Hiſt. Hiſpanicæ: Vaſæo non memoratus, *Chron. Hiſp. c.* 4.

JULIANUS Pomerus, Maurus, in Galliam tranſiens ex Africa, ibi Rhetoricam docuit, diu Arelati moratus. auctor libri de Vita contemplativa, ſ. de Virtutibus & Vitiis. A. C. 496. Gennad. *c.* 98. Iſid. *c.* 12. Sirmond. *Tom.* 2. *Conc. Gall.*

S. JULIANUS de Pyro, Ordo Milit. Hiſp. à Pererio inſtitutus. Ferdinandus II. ejus protectorem ſe profeſſus eſt, A. C. 1176. Poſtmodum Alcantarenſi junctus. Mariana *de rebus Hiſp.*

JULIANUS Saba Eremita, cùm aliquantò intentius Deum deprecaretur, eo ipſo die, quo cæſus fuit Julianus Apoſtata, reſcivit id, quamvis pluribus quàm 20. ſtadiis exercitus abeſſet, ab eo loco, in quo precibus vacabat. Vide Theodor. *Hiſt. l.* 3. *c.* 24.

JULIANUS Salvius, vide *ibi.*

JULIANUS Tertius, vide *Tertius.*

JULIANUS Titius, legionis in Mœſia legatus, ab Othone Conſularibus ornamentis donatus. Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 79.

JULIANUS Toletanus, Archiep. floruit Sec. 7. Autor, *Comm. in Nahum, Prognoſticorum ſ. de origine mortis humanæ, de futuro ſeculo & de futuræ vitæ contemplatione libb.* 3. *Chronicorum*, &c. Obiit A. C. 690. Felix Toletanus, *in add. ad l. de Vir. Ill. Sancti Ildeph.*

JULIAS, egregia extrà Jordanem in inf. Gaulonitide civ. eſt, in tribu Manaſſe, quæ Thraconitidem regionem ab Auſtro terminat, ſita ad Jordanem in Or. ripa lacûs Geneſareth, ex adverſo civitatis Bethſaidæ. Fuit quondam civ. hæc ſub ditione opp. Bethſaidæ, vicus duntaxat tranſmarinus.

JULIAS, opp. in in tribu Gad, in Peræa regione, ager ejus habitatur vicis quatuordecim.

JULIENSES, Carnorum pop. Alii in Aſia min. Plin. *l.* 3. *c.* 19. & *l.* 5. *c.* 29.

JULII, Albana gens fuit, atque Romam à Romulo traducta. Igitur majorum gentium Patricia fuit Pontificatu Maximo, Dictaturis quinque, Magiſterio Equitum, Conſulatibus 17. Cenſurâ unâ, Tribunatibus militum conſulari poteſtate 9. Decemviratu legibus ſcribendis, triumphis octo, Cæſare ipſo Dictatore & Aug. Rom. Imp. conditoribus omnium Romanarum clariſſima, quæ *Juli Mentonis, Cæſaris, Strabonis, Burſionis. Aug. Germanici* cognomina variis temporibus uſurpavit, à Julo Aſcanii, vel Æneæ fil. orta. Itaque *Proculum Julium* Romuli tempore *Juli Aſcanii* progeniem vocat Dionyſ.

JULI-

JULINUM, urbs vetuſta & celeberrima, quæ nunc *Veltinum* dicitur, *Wolin*, in qua primam Ep. Pomeraniæ ſedem Principes olim poſuêrunt, emporium quondam in litore Balthico ampliſſimum à multis externis gentibus, & diverſarum nationum, linguarum & religionum populis, Henetis, Dacis, Suecis, Slavis, Judæis & Ethnicis, ſolâ Chriſtianorum fide exceptâ, pagatim, ita ut ſinguli ſuas diſtinctas plateas nominibus gentium inſignitas tenerent, inhabitatum. Fuit Julinum in inſ. Julino, nunc *Wolliniſche Werder*, ſitum ab Ortu: ea ponte longo ſupra *Divenoum*, quem Viadri in mare properantis alveum eſſe apparet, quo ex palude *Groſs Haff* egreditur, continenti Pomeraniæ juncta: ab Occaſ. Sueno vel Suevo, à Mer. lacu recenti admodum piſcoſo: ad Bor. Balthico mari cincta fuit, inde vix 3. mill. diſtans. 7. à Stetino. Urbis ambitum milliare Germanicum exceſſiſſe ex antiquis ruinarum veſtigiis, & montibus ſ. editioribus urbis locis, quibus caſtella impoſita fuêrunt, conſtat.. Sed A. C. 1170. Waldemarus primus Daniæ Rex eam cepit & ſolo æquavit, ut campi jam ſint maxima ex parte, ubi vetus Julinum fuit, exiguo tamen oppidulo *Wollin*, veteris urbis veſtigium retinente, adhuc ſuperſtite, Joh. Matal Metell. Habet hoc arcem munitam ſub Suecis. Pace Monaſter. Baudr. Quibus ab El. Brandeburgico ereptum eſt, A. C. 1675.

JULIOBONA, Galliæ Celticæ urbs. Ptol. *Honfleur* P. Divæo. Opp. Caletum aliàs, nunc urbs Normanniæ. Aliis eſt *Lillebonne*, urbs parva prope Sequanæ æſtuar. 6. leuc. à Portu Gratiæ, in Ort. Rhothomagum versùs, à quo 8. leuc. in Cæc. recedit. Cluv. & Valeſ. Deppa eſt, *Dieppe*, à fluv. ipſam alluente dicta. Ep. *Juliobonenſis* Betto, interfuit Conc. Cabillonenſi, ſub Chlodovæo jun. *Notit. Gall.*

JULIOBONA altera, urbs Pannoniæ ſup. ad Danubium, Auſtriæ, caput, & adversùs Turcas optimè munita, *Vindobona* Anton. *Ala Flaviana* vet. inſcr. vulgò *Vienna*. Hîc Marcus Pauli Ap. comes, dicitur Euangelium prædicâſſe. circa A. C. 70.

JULIOBRICA, Hiſp. Tar. urbs in finibus Cantabrorum Ptol. *Logronno* Cluſio ac Taraphæ: *Oliva* Floriano, Navarræ opp. *Aquilar del campo* H. Coquo. *Fuente d'Juero* Ferrar. vel *d'Ebro* Baudr. vicus ad fontes Iberi fluv. Aliis *Val de Vieſſe*, vicus ad Iberum, 5. leuc. Hiſp. ab ejus fontibus in Ort. & in Caſtella vet. 20. leuc. citer à Logunno in Occaſ. oppid. olim Cantabrorum. Plin. *l.* 3. *c.* 3.

JULIODUNUM, opp. Gall. Celt. haud obſcurum in finibus Pictavorum. *Lodun* Paradino. Baudr. *Loudun* urbs Pictav. prov. in colle, unde *le Loûdunois*, tractus, cujus illa caput eſt. Ballivatus hîc & regium tribunal. Sub Hugone Capeto conceſſus hic tractus eſt Godofredo Griſogonello Com. Andegav. à Gulielmo III. Duce Aquitan. ſed reunitus coronæ à Phil. Aug. iterum datus à Car. V. iterum à Lud. XI. regno unitus eſt. Henr. III. in Duc. hon. illum evexit, ſed titulus Morte feminæ illuſtris è Roania fam. in cujus honorem id factum erat, ſuppreſſus eſt, le Prouſt *Hiſt. de Laudun*, &c. Urbs 6. leuc. à Salmurio abeſt in Auſtr. 10. à Pictavio in Bor. 18. ab Ambacia.

JULIOLA, oppid. Sardiniæ in ora Bor. *Longoſardo* Nigro Baudr. *Caſtro Doria*, in ora Occ. ubi Bor. incipit. 10. mill. à Tibula in Sept. versùs Fretum Taphros. Ex Cluv. *Brietio*.

JULIOMAGUS, quæ *Andes* Cæſ. *Andegavi* de Bell. Gall. *l.* 2. *c.* 8. *l.* 3. *c.* 2. & *l.* 7. *c.* 1. Plin. *l.* 4. *c.* 18. & aliis, urbs Gall. Celt. Epiſcopal. ſub Archiep. Turonenſi, vulgò *Angiers*. Dicta, quaſi *Julii urbs*, nomine Latinogallico, ſive à C. Jul. Cæſ. ſive ab Aug. qui & ipſe Patris ſui adoptivi Julii nomen tulit. Caput Andicavorum, quo nomine in vett. Notitiis non rarò venit: in antiquis etiam Franciæ Regum nummis, monetam ſæpe legimus percuſſam *Andecavis*, i. e. Juliomagi, gentis capite. Recentiores *Andegavum* urbem appellant. Hanc cùm Regino *à Meduana ex parte Britanniæ* allui & Car. Rege Francorum urbem à Normannis occupatam obſidente ac ſede validâ circumdante, Salomonem Ducem Britonum ab eo arceſſitum, ultra Meduanam fluv. cum copiis conſediſſe, refert: ſatis indicat, urbem *Andecavos* tum citra Meduanam vel ad ſiniſtram Meduanæ ripam totam poſitam fuiſſe, quæ poſteà à Comitibus Conſulibusve ſuis, &, uti ajunt, à Joh. Rege Anglorum, circa A. C. 1213. inſigniter aucta eſt, pomœrio trans fluv. præfatum prolata, ita ut, qui olim alluebat amnis, pridem ferè mediam ac geminatam interfluat: qualis à Vilhelmo Brittone Armorico deſcribitur *in Philippidos l.* 10. abhinc Annis 450.

> *Protinus* Andegavim *nullo munimine cinctam*
> *Ingreſſus, lapide incepit murare quadrato.*
> *Quam Liger argento perlucens ambit ab Auſtro;*
> *A Borea rubeus mediam Meduana pererrat:*
> *Qui ſuus inde fluens quaſi per duo millia lapſus*
> *In Ligerim, nomen perdit, mutatque colorem.*

Eandem Theodulphus Aurelianenſis Ep. cum Baſilicis ſuis, ante Vilhelmum modò laudatum Annis quadringentis, ſic deſcripſit:

> *Quam Meduana morans fovet & Liger aureus ornat,*
> *Quam rate cum levi Sarta decora juvat.*
> *Fruge, ope, nundinis, pulchris & rebus abundans,*
> *Obſita ſeu ſanctis eſt bene tota locis.*

Loca autem ſancta ſic enumerat, Baſilicam S. Albini, Baſilicam Joh. Baptiſtæ, Baſilicam B. Martini, Baſilicam S. Saturnini, Cellam S. Petri, Baſilicam Sergii Mart. Baſilicam S. Maurilii vel Maurilionis, Baſilicam B. Anniani, Baſilicam S. Mariæ tranſmeduanenſem vel tranſpontinam, Baſilicam S. Germani Ep. Andicavenſis, Baſilicam S. Michaëlis, & *atria S. Mauricii* Mart. ubi *Pontifici ſua plebs* cum clero *jungitur*, i. e. majorem Urbis Eccl. vide Hadr. Valeſ. *Not. Galliæ*, in voce *Andes*, ut & *ſuprà in eadem*.

JULIOMAGUS altera, urbs Germ. ſ. vicus, in Suevia Ciſdanubiana. *Pfullendorff* Rhenano. Cluv. eſt *Dutlingen*, dit. Wirtemberg. ad Danub. 5. mill. Germ. à Scafuſia in Bor. uti 7. à Conſtantia; 7 à Tubinga in Mer.

JULIOPOLIS, urbs Bithyniæ. Ptol. Strabo *l.* 12. *p.* 574. Epiſcopal. ſub Archiep. Sardiano, quæ etiam *Gordiucome*, nunc *Begaſar* Caſtaldo: inter Dadaſtanum ad Occaſ. 26. & Ancyram Galatiæ in Ort. 65. mill. paſſ. Anton. Plin. *l.* 5. *c.* 32. Strabo *l.* 10. *p.* 486.

JULIS, opp. inſ. Ciæ, vel Co, Simonidis patria, & Bacchylidis, & Eraſiſtrati medici, & Ariſtonis Peripatetici. Apud eos lex erat ſenes majores ſexagenariis occidi, ut victus cæteris ſufficeret. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

JULIUM Carnicum, urbs inter Italiam & Noricum, *Zuglio* hodiè: *Zoiel* incolis, vicus Foro Julii, prope fontes Buti amnis, ad rad. Alpium, 4. mill. à Ponte Fellæ in Occ. Lazio eſt *Ponta fella* opp. medium in Foro-Julio, & medium in Carinthia ſitum; 6. mill. Germ. ab Utino in Bor. 7. à Villaco in Auſtr. ubi tranſitus Alpium. 5. mill. à Juliis clauſtris in Bor.

JULIUM Præſidium, quod & *Scalabis* Plin. *l.* 4. *c.* 22. & *Scalabiſcus* Ptol. Luſitaniæ civitas olim clariſſima, Vulgò *Santaren*. Ad Tagum 13. leuc. ab Ulyſſipone in Ort. Toletum versùs.

Pontifices Romani.

JULIUS I. civis Rom. poſt. Marcum, urbis hujus Ep. A.C. 336 Ab hæræticis accuſatus, illis per 18. menſes fruſtra expectatis, abſolutus eſt Synodo habitâ, quâ Athanaſii negotium ventilatum, & quomodo Arianis in Oriente obviam iri poſſet, quæſitum. Sed hi, ſub Conſtantio, feroces admodum & obſtinati, ne quidem Synodo Sardicenſi, à Conſtante convocatâ, A. C. 347. coërceri potuêrunt. Obiit, A. C. 352. Succeſſit Liberius. De Epiſtolis ejus, vide Athanaſ. *Apol.* 2. & *Ep. ad Solit.* Socr. *l.* 2. Sozom. *l.* 3. Gennad. *de Script. Eccl.* Leontium *de Sect. Act.* 8. Morer. *Dict. Hiſt.*

JULIUS II. priùs Julianus Roverius dictus, Italus, nepos ex fratre Raphaële Sixti IV. eluſo Card. Amboſiano, ſucceſſit Pio II. A. C. 1503. Orbis Phaëthon, ingenio militari, nil niſi turbas & bella meditatus eſt, Julii proin nomine, à Cæſare, mutuato. Barbam promiſit, contra Prædeceſſorum conſuetudinem, quò horribilior videretur. Cùm Gallorum partes, ante Pontificatum ſequeretur, benignè à Lud. XII. exceptus, & contra Alex. VI. inſidias defenſus, jam Papa, alius longè, ſpretus cum ſuis anathematis, apertum bellum Lud. junctus Hiſpanis intulit, *clavibus Petri in Tiberim abjectis, & enſe Pauli nudato.* Quoſcunque ſuis votis adverſantes, inprimis Alphonſum Eſtenſem Ferrar. Duc. excommunicavit, Navarræ regnum Joh. Albrerano, injuſtè ereptum Hiſpaniæ Regi donavit, idem Lud. victori, ad Ravennam, ob concilia Cæſaroduni & Piſæ celebrata facturus, ſubditos ejus juramenti religione ſolvit, minatus inſuper *Chriſtianiſſimi* titulum, in Angliæ Regem devolvere, Piſano Conc. quod ipſum peſſimè habebat, Laterano nequicquam oppoſito. Obiit ex animi mœrore, quòd Venetos in Imperatorias partes pertrahere non poſſet, A. C. 1513. perculſus prius nummo aureo Lud. XII. Neapoli cuſo, cum hoc elogio: *Perdam Babylonis nomen.* Thuan. *Hiſt. l.* 1. Guicciard. *l.* 6. Bemb. *Hiſt. Ven. l.* 12. Pap. Maſſonius, *in Jul. II.* Victorel. *in addit. ad Ciaccon.* Succeſſit ei Leo X.

JULIUS III. dictus Joh. Maria de Monte, Paulum III. excepit, A. C. 1550. curatorem ſimiæ ſuæ purpurâ donavit, & ob id reprehenſus à Cardinalibus, quòd indignum hominem eveheret, *Et vos quid*, inquit, *in me meritorum comperiſtis, quem Chriſtianæ Reip. Principem conſtituiſtis.* Jubilæum celebravit, Conc. Tridenti continuari voluit, arma ſumpſit cum Imp. contra Octavium Farneſium, ab Henr. II. Gall. Rege defenſum. Intemperantiâ magis vitæ, quàm ſenio Extinctus, Obiit A. C. 1555. Thuan. *l.* 6. & 16. *Hiſt.* Spond. & Rainald. *in Ann. Eccl.* Succeſſit ei Marcellus II.

Principes varii.

JULIUS, fil. Henr. Junioris, Ducis Brunſvicenſis, lineæ Guelferbitanæ, patri A. C. 1568. Mortuo ſucceſſit, religioneque Pontificiâ abolitâ, Euangelium in ſuas ditiones, miniſterio Jacobi Andreæ & M. Chemnitii introduxit, quod exemplum Ep. Verdenſis & Abbas Rittershuſius ſecuti ſunt. Hojenſibus Comitibus A. C. 1582. Extinctis, unà cum agnatis Comitatum illum adivit; hinc hæreditatem Erici patruelis crevit A. C. 1584. Demum A. C. 1589. Obiit, Ducatu ampliſſimis vectigalibus aucto, & Helmſtadianâ Academiâ A. C. 1576. ex concilio Chemnitii inſtitutâ, inprimis clarus. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 61. *c.* 80. & 96. Inter liberos, quos ex Hedvige Brandeburgica ſuſtulerat, jus primogenituræ, patris exemplo, reſuſcitavit, ex quibus *Julius* Aug. fuit & Henr. *Julius*, de quo infrà.

Henr. JULIUS, fil. *Julii* natu maximus, poſtquam patri ſucceſſiſſet, Defuncto A. C. 1596. Philippo ſuæ lineæ ultimo, cujus jam aliquot arces occupaverat, ſucceſſionem Grubenhagiam ſibi ſoli aſſeruit, unde cum reliquis agnatis controverſia graviſſima, in qua ſuccubuit. Fruſtra dein Brunſvico urbe tentatâ A.C. 1605. in aula Imperiali tantum egit, ut A. C. 1606. banni adversùs eam denuntiationem impetraret. Obiit A.C. 1613. Ei ſucceſſit fil. Frid. Ulricus.

JULIUS Fridericus, fil. minimus natu Frid. Ducis Wirtembergici, frater Joh. Frid. qui Stutgardianam, & Ludovici Friderici, qui Monpelicardenſem, lineas orſi ſunt: inſigni oris gratiâ Princeps. Ex Melita Inſ. in Aſiam trajecit A. C. 1613. Epheſique expugnationi interfuit: Inde A. C. 1616. ultimo Septentrione luſtrato. Sequente Anno, quædam ad Brentiam, in tractatu cum Fratribus, nactus, poſt Obitum fratris Lud. Friderici, tutelam ne-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

nepotis & adminiſtrationem Ducatûs ſuſcepit: ſed cùm delectus provinciales, A. C. 1633. Vinarienſi & Hornano exercitui junxiſſet, poſt cladem Nordlingenſem, A. C. 1634 provinciâ totâ occupatâ,& Heidenhemium a Bavaro receptum, nec redditum eſt uſque ad pacificationem. Obiit A. C. 1635. autor lineæ, quæ *Apennagiatas. Juliana* vel *Brentiana* dicitur. Ei ex Anna Sabina Holſata nati ſunt Rodericus, Sylvius Nimrodus, in literis egregius, Manfredus, Julius Peregrinatius, & Sueno Martialis Edelnolphus. E quibus Sylvius Nimrodus, ductâ Eliſabethâ Mariâ Monſterbergenſi hærede, ſocero, in Ducatu Oelſenſi in Sileſia, ſucceſſit, Mortuuſque A. C. 1664. reliquit Ferdinandum Carolum, Sylvium Fridericum, Chriſtianum Ulricum, & Julium Sigiſmundum: qui poſt parentis Obitum, in illuſtri Collegio Tubingenſi & aula Altenburgica ad virtutes natalibus dignas educati ſunt. Manfredus verò, Defunctus eſt A. G. 1662. Pater ex Juliana Oldenburgica Friderici Ferdinandi, Auguſti & Manfredi. Vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.*

JULIUS Henricus, fil. Philippi II. Ducis Lawenburgici, numeroſæ familiæ patris, nat. A C. 1586. Latinos ritus amplexus eſt, & Cæſari militavit. Ei multa in Bohemia bona, & ex Eliſabetha Sophia Brandeburgica geniti, Franciſcus Erdmannus, Suecis in Polonia militavit & *Julius* Franciſcus, A. C. 1640. filios habet.

Viri Illuſtres.

JULIUS, 5. Hieroſolymorum Ep. A. C. 151.

JULIUS Africanus, Coſ. cum Trajano Imp. A. U. C. 864.

JULIUS Africanus, Coſ. cum Maximo A. U. C. 988.

JULIUS Africanus, Chriſtianus Chronologus, de quo vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. p.* 236. & 287.

JULIUS Agricola, Præſes Britanniæ, cæsâ fere omni Ordovicum gente rebelli, Monam inſ. deditione accepit, devaſtatis uſque ad Taum nationibus: Caledonios Duce Galgaco, ad montem Grampium vicit, A. C. 79. & 80. Totâ denique Britanniâ domitâ, claſſeque circum eam miſſâ, primus Romanis Inſulam eſſe affirmavit. Hunc, gloriâ ejus offenſus Titus, evocatum, ſub ſpe provinciæ Syriæ, quæ tum Morte Atilii Rufi vacua erat, veneno perdidit, ſucceſſore miſſo Cn. Trebellio, circa A. C. 87. Vide Tac. *in vita Agricolæ.*

JULIUS Agrippa, poſt conjurationem Piſonianam, à Nerone in Inſ. maris Ægæi expulſus. Tac. *Ann. l.* 15. *c.* 71.

JULIUS Alexandrinus de Neuſtain, Poëta & Medicus Tridentinus, varia ſcripſit, Sec. Ult. Joh. Sambucus, *in Icon. Med.* Vide & *Elogia* Antonii Teiſſier *Volum.* 2.

JULIUS Altinus, vide *Altinus.*

JULIUS Antonius, Coſ. cum Fabio Africano, A. U. C. 744.

JULIUS Apulus, vide *Publius.*

JULIUS Aquila, Eques Rom. à Didio, cum paucis cohortibus in Boſphoro relictus, ſub Claudio. Tac. *Ann. l.* 12. *c.* 15.

JULIUS Aterianus, Hiſtoricus Lat. citatus à Trebellio Pollione, *in Victor.*

JULIUS Auſonius, Medicus Valentiniani Sen. pater Poëtæ Præfectus Illyriæ, medicos quoſdam tractatus edidit.

JULIUS Brutus, vide *Cajus.*

JULIUS Cæſar, prænomine *Lucius*, propinquus *Caii Julii Cæſaris* & avunculus M. Antonii Triumviri. Geſſit Romæ conſulatum A. U. C. 690.

JULIUS Cæſar, Rom. Imp. vide *Cæſar.* Ejus res geſtas breviter perſtrinxit Plin. *l.* 7. *c.* 25. *Juliorum* autem nomen ab *Julo* Aſcanio Æneæ fil. tractum putatur. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 271. Hujus honori tributum eſt, ut ſeptimus Anni menſis (eo enim natus eſt) *Julius* fuerit appellatus, cùm anteà Quintilis diceretur, quòd quintus eſſet à Martio, à quo Romani ſuum olim auſpicabantur Annum.

L. JULIUS Cæſar, C. Julii Cæſaris Dictatoris pater, Prætura perfunctus, nullis evidentibus cauſis Obiit Piſis, exanimatus derepentè, dum matutino calceatur. Vide Plin. *l.* 7. *c.* 53. Fuit hic quoque L. Julius Cæſar Coſ. cum Antonio Anno præcedente Conſulatum Ciceronis, qui erat A. M. 3900. A. verò C. N. 62. Præturam geſſit Anno ab hinc quarto Prætorque Iberos, h. e. Hiſpanos, ad Oceanum uſque ſubegit, paulò pòſt Mortuus. App. Alex. *l.* 2. vide & *Lucius*, it. *Sextus.*

JULIUS Capitolin. Fl. Vopiſc. *in Probo* memoratur inter eos Scriptores, qui veriùs, quàm elegantiùs, ſcripsêrunt: Ælio Spartiano & Æl. Lamprid. σύγχρονος, Diocletiano Imp. inſcripſit *Antonium Pium & Verum Impp.* Conſtantino Aug. *Clodium Albinum*: in Opilio *Macrino*, redit ad Diocletianum: deinde iterum ad Conſtantinum, cui inſcribuntur *Maximi duo & Gordiani tres. Marcus Antoninus* & *Pertinax*, itemque *Maximus & Balbinus*, cui ab eo nuncupati fuerint, non conſtat; Caſaub. *ad Spartian. in Hadr.* Vide in voce *Capitolinus.*

JULIUS Celſus, tribunus, ob conjurationem in Cæſarem Tiberium in carcerem conjectus, ibi laxatam catenam & circumdatam in diverſum tendens ſuam ipſe cervicem perfregit. Tac. *Ann. l.* 6. *c.* 14.

JULIUS Celſus. JC. celebris, Sec. 2. Alius, commentariorum in J. Cæſarem autor.

JULIUS Celſus. inter Juriſconſultos, qui in Conſilio fuêre Hadr. Imp. apud Spartian. repone *Juventius Celſus*, Gruter. & Caſaub. *ad Spartian.*

JULIUS Clarus, Alexandrinus, JC. Philippo II. Hiſp. Regi à conſiliis. Ejus opera Francofurti edita, A. C. 1636.

JULIUS Claſſicanus, ſucceſſor Cato Deciano in Britanniæ procuratione miſſus, ſub Ner. & Suet. diſcors. Tac. *Ann. l.* 14. *c.* 38.

JULIUS Claudius, vide *Claudius.*

JULIUS Cordus Hiſtoricus, qui vitas Impp. ſcripſit. Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 76.

JULIUS Decemvir, vide *Cajus.*

JULIUS Firmicus Maternus, autor excellentis libri, de myſteriis & erroribus Gentilium. Edidit Joh. Wowerius cum notis. An idem cum autore libb. 8. de Aſtronomia, operâ Aldi Manutii editorum, A. C. 1501. &c. Floruit ſub liberis Conſtantini.

JULIUS Florus, vide *Florus.* Tac. *Ann. l.* 3. *c.* 40. & 42.

JULIUS Frontinus, Rhetor, inter præceptores Alex. Sev. apud *Lamprid.*

JULIUS Fronto, vide *Fronto.*

JULIUS Græcinus, vide *Græcinus.* Tac. *in vita Agric. c.* 4.

JULIUS Granianus, Rhetor itidem & inter Alex. Imp. præceptores, apud Lamprid. *cujus orationes declamatæ*, h. e. declamationes *ferebantur*, adhuc ævo Scriptoris hujus.

JULIUS Libo, vide *Lucius.*

JULIUS Lupus Conſularis, vitricus Antonini Pii. Imp. cujus meminit Jul. Capitolin. in *Pio.*

JULIUS Marathus, libertus Aug. ſcripſit de hujus rebus geſtis. Suet. *in Aug. c.* 79. & 94.

JULIUS Maximinus Thrax, è militaribus imperavit cum filio ejuſdem nominis, 26. Rom. Imp. coactus à militibus, poſt Aurel. Alex. A. M. 4198. A. C. N. 236. Germanos vicit, Alex. Sev. amicos undique interfecit. Altus fuit pedes octo & digitum, tam validus, ut *Hercules Achilles, Aiax, Milo, Antæus* vocitaretur: Tam ferox, ut *Cyclops, Buſiris, Sciron, Phalaris. Typhon, Gyges* diceretur. Hunc uſque adeò reformidârunt, ut vota in templis publicè fierent, ne unquam urbem ingrederetur. Erat ei perſuaſum niſi crudelitate imperium non teneri, ſimul verebatur, ne propter humilitatem generis ſperneretur (fuerat ſiquidem in prima pueritia paſtor) quare ignobilitatis tegendæ causâ, omnes conſcios generis interemit. Adverſus hunc Senatus Pupienum & Balbum Impp. declaravit, hic verò in Italiam ſtatim cum exercitu deſcendit: Aquileiaque fruſtra obſeſsa à ſuis militibus penuriâ oppreſſis, Aurel. Vict. in Epitome *cum filio diſcerptus eſt, conclamantibus cunctis militari joco, ex peſſimo genere ne catulum quidem habendum.* Horum capita Romam perlata ſunt. Imperavit Annos 3. vixit pater 50. fil. 20. Herodian. *l.* 7. & 8. *Jul. Cap.*

JULIUS Maximus, cum filio Maximino 26. Rom. Imp. Germanos vicit, crudelis in Romanos fuit, Alex. Sev. amicos undique interfecit. Capitolin. Herod, *l.* 7. Vide ſuprà.

JULIUS Mento, vide *Cneus.*

JULIUS Meſſala, Coſ. cum Grato, A. C. 231.

JULIUS Montanus, vide *Montanus*, Tac. *Ann. l.* 13. *c.* 25.

JULIUS Montanus, poëta quidam Elegiographus, cujus meminit *Crinitus.*

JULIUS Obſequens, ante Honorium, ſcripſit de prodigiis: cujus libri partem edidit Aldus Manutius Conr. dein Lycoſthenes ſupplevit. Sebaſtianus Corrad. *in quæſt. p.* 41. Voſſ. *de Hiſt. Lat.*

JULIUS Paris, autor Epitomes *Val. Max.*

JULIUS Paulus, JC. & poëta, Sec. 2. A. Gell. *l.* 1. *c.* 22. An alius à Juriſconſulto? Forſter. *Hiſt. Jur. Civ. l.* 2. *c.* 78. Tac. *Hiſt. l.* 4. *c.* 13. & 32.

JULIUS Paulus, JC. Vir doctiſſimus Alex. Sev. Imp. Rom. à conſiliis. A. U. C. 976.

JULIUS Philippus, vide *Marcus.*

JULIUS Pollux, Commodo Imp. Epithalamium fecit, & Onomaſticon ſuum dedicavit. Ei quoque alia quædam attribuuntur, & inter alia, Oratio *de Arcadicis*, Geſn. *Bibl.* Morer. *Dict. Hiſt.* Alius, autor Chronici uſque ad Valentem. Suid. Voſſ. *de Hiſt. Græc.* Vide *Pollux.*

JULIUS Poſtumus, per adulterium Mutiliæ Priſcæ, inter intimos Liviæ, quem delegerat Sejanus, ad jaciendas contra Agrippinam domumque Germanici criminationes. Fuit Vir Conſularis. Præpoſitus Dalmatiæ; ornamenta meruit triumphalia. Tac. *Ann. l.* 4. *c.* 12.

JULIUS Priſcus, centurio, gratiâ Fabii Valentis à Vitellio ad Præfecturam Prætorii cum P. Sabino provectus; ſed collegæ perpetuò diſcors. Tac. *Hiſt. l.* 2. *c.* 92. Vide & *Priſcus.*

JULIUS Proculus, inter eos, qui Commodi juſſu interempti, memoratur *Lamprid.*

JULIUS Rufus, Coſ. cum Fonteio Capitone A. U. C. 819.

JULIUS Rufus, inter Nobiles Rom. ſine cauſæ dictione, juſſu Sev. interfectos, apud Spartian. Pater videtur fuiſse Rufi, in Pandectarum libris non ſemel nominati ad quem etiam reſcripſiſse dicitur Sev. fil. Antoninus. Caſaub. *Not. ad Spartian.*

JULIUS Ruſticus, Coſ. cum Aquilino A. U. C. 914.

JULIUS Servianus, tertium Coſ. quo collegam habuit Vibium Verum, Anno Hadr. decimo ſeptimo, hujus ſororem Paulinam conjugem habuit, nonaginta Annos natus, ſub ipſo mortis Hadr. tempore, *ne ipſi ſuperviveret, mori coactus eſt.* Spartian. *in Hadr.*

JULIUS Severus, Coſ. cum M. Rufino Sabiniano. A. C. 155.

JULIUS Severus, Britanniæ Præſes primus fuit ex Ducibus, quos Hadrianus miſit, ad debellandos Judæos. Xiphilin. *p.* 263. Καὶ πάσης (ὡς εἰπεῖν) οἰκουμένης τότε δὴ τοὺς κρατίστους τῶν στρατηγῶν ὁ Ἀδριανὸς ἐπ' αὐτοὺς ἔπεμψεν, ὧν πρῶτος Ἰούλιος Σεβῆρος ὑπῆρχεν, ἀπὸ Βρεττανίας, ἧς ἦρχεν, ἐπὶ τοὺς Ἰουδαίους σταλείς, *Et ex univerſo, ut ſic dicam, orbe, tum optimos quoſque Duces Hadrianus contra illos miſit, quorum primus* Julius Severus, *è Britannia, cui præerat, contra Judæos miſſus eſt.* Ultimam verò bello illi manum Martius Turbo impoſuit. Spartian. *in Hadr.*

JULIUS Silvanus, Gallo Cæſare à Conſtantio Occiſo, Imp. in Gallia dictus, 28. Imperii die, à Legionibus, à quibus præſidium ſperaverat, peremptus eſt. Cujus nomine inſignita numiſmata aliquot Burdigalæ effoſsa, Ferronus memorat in *Conſuetud. Burdigal. l.* 2. *p.* 248. *Nuper apud nos -- inventa numiſmata Silvani cum Conſtantis Cæſaris majori imagine: Nam & hunc veriſimile eſt, Aquitaniæ præfuiſſe.* Quibus innuere videtur Ferronus, hujuſmodi nummos fuiſse cuſos, Conſtante ipſo ſuperſtite, in honorem fortè Silvani, qui in Galliis exercitibus præerat, cùm & ipſe Gallus

lus eſſet, quippe Boniti Ducis fil. uti non ſemel ab Impp. factitatum conſtat. Quem verò Goltzius nummum profert, cum hac Inſcript. DN. FL. SILVANUS. P. F. AUG. ſuſpectum habet Triſtanus, ob *Flavii* prænomen, quod, utpote Conſtantinæ familiæ proprium, ipsâ adhuc ſuperſtite, *Julium* hunc ſibi arrogâſſe, vero ſimile non cenſet. Vide C. du Freſne *Diſſert. de inf. ævi Numiſm. n.* 59.

JULIUS Titianus, præceptor Maximini Jun. Deſcriptionem provinciarum compoſuit. Fuit alterius Titiani diſcip. qui patrem quoque Titianum habuit, autorem egregiorum libb. de Provinciis, & *Simiam ſui temporis* dictum. Sidon Apoll. *l.* 1. *Ep.* 1.

JULIUS Titus Calpurnius, Princeps Poëtarum Bucolicorum, Joh. Roſin. *in Antiqq. Rom.*

JULIUS Trypho, Orientalis limitis Dux, ſub Aureliano Imp. apud *Vopiſc.*

JULIUS Tullus, vide *Cajus*, it. *Lucius*, *Marcus*, *Sextus*.

JULIUS Valens Licinianus Aug. poſt Lucium Priſcum Aug. cupientiſſimo vulgò Imperium cepit, memoratus inter XXX. Tyrannos decimus nonus Pollioni. Caſaub. *Not. ad illum.*

JULIUS Vindex, præſes Galliæ cum Sergio Galba Proc. Hiſpaniæ, contra Neronem, arma movêre. A. C. 68. Tac. *Ann. l.* 15. *c.* 74. *Hiſt. l.* 1. *c.* 6. & 51. Suet. *Ner. Claud. c.* 41.

C. JULIUS Æmilianus Aug. à Mœſiacis Legionibus creatus poſt Hoſtilianum Perpennam: Occiſis per ſuos Gallo & Voluſiano, tres menſes Imperio modeſtè uſus eſt, vacuum mox Valeriano locum relinquens, Id.

M. JULIUS Philipp. Aug. poſt Sev. Hoſtilianum, fil. ſuum cognominem in conſortium aſſumpſit, ut ait Aur. Victor; & Zonaras, κοινωνὸν τῆς βασιλείας ἐποίησε. Zoſim. tamen, *Cæſarem* ſolùm factum ſcribit. Egêrunt autem Annos potentiæ quinque, ut habet idem A. Victor. Vide *Philippus.*

M. JULIUS Phil. prioris iiſdem cum patre nominibus, poſtquam illum pater potentiæ ſociavit, dictus eſt; cùm anteà vocaretur CAJUS JULIUS SATURNINUS PHILIPPUS, uti docet A. Victor alter *in Hiſt. Miſc.* In nummo, apud Onuphr. nominatur M. JULIUS. PHILIPPUS. CÆSAR. AUG. F. PRINC. JUVENTUT. Vide Caſaub. *Not. ad Treb. Pollion.*

JULIUS menſis, priùs *Quintilis*, dictus eſt, eò quòd à Martio, quem Romulus Anni fecerat principium, eſſet quintus: poſteà *Julius* à C. Jul. Cæſare dictus eſt, qui eo menſe natus ferebatur, vide Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 12. Dion. *l.* 44. Suet. *Jul. Cæſ. c.* 76. &c. Erat hic menſis in Jovis tutela, fiebantque Kalendis ejus migrationes ex ædibus, 3. Nonas Populifugia, & pridie Nonas Ludi Apollinares celebrabantur. Nonæ ipſæ Caprotinæ dictæ ſunt. Quarto Idus Cæſaris natalis fuit, tertio Ludi Circenſes agebantur, &c. Vide Thom. Dempſter. in Joh. Roſ. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* XI.

JULUS, Æneæ fil. qui & *Aſcanius*. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 271.

At puer Aſcanius, cui nunc cognomen Julo
Additur (Ilus erat, dum res ſtetit Ilia regno.)

JULUS, Græcè Ἴουλος, carminis genus, quo in meſſe olim Cererem & Liberam Græci, illoſque imitati Latini, propitiabant: exemplum habes apud Tibull. De quo ritu extant verba concepta quædam, πλεῖστον οὖλον ἵει, οὖλον ἵει. Spicam enim ſic vocabant, ab aceris tenuitate atque ariſtularum; inde & lanam, ob frequentiam filorum: Quam ob rem lanificarum benè ominantium cantiones eodem vocabulo inſignitæ ſunt. Ἀμάλλας igitur, hordeaceos manipulos divulſos, collectos autem ἰούλους nominabant. Unde Cereris quoque cognomentum fuit, in ſegete viridi Χλοὴ, in matura Ἰουλώ. Vide Joſ. Scalig. *poet. l.* 1. *c.* 4. & 55. At *Julis*, piſcis ſaxatilis, teneræ carnis, facilis concoctu & planè ſalubris, apud Galen. de *Alim. fac. l.* 3. *c.* 28. de quo vide Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 4. *c.* 24.

JULUS Anton. fil. M. Antonii Triumviri & Fulviæ. Dion *l.* 51. Ἴουλῳ δὲ Ἀντωνίου τῷ τε Φουλβίας υἱεῖ, &c. Ubi rectè *Julus*. At eidem malè *Julius* eſt *l.* 54. & 55. ut & Suet. *in Tib. Claud. c.* 2. Coſ. fuit cum Paulo Maximo, A. U. C. 743. Huic Horatii Oda ſecunda libri quarti inſcripta eſt.

JUMALA, & Torus, nomina ſummi Dei, apud Biarmenſes & Lappones, vide Joh. Scheffer. *in Lapponia c.* 7.

JUMENTUM, à *juvando*, ob ſocietatem ruſtici operis, quæ nulla à minori pecore, vel à *jugando* aut *jungendo* dictum, hordeo apud Græc. olim & Roman. paſcebatur, uti avenam hodie pro pabulo habet. Unde Comicus, Aſin. *Act.* 3. *Sc.* 3. *v.* 116. *Demam herculejam hordeo tolutim ni badiſſas*, & Gr. κριθῶντα πῶλον vocant. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 378. Apud Hebræos, ubicunque בהמה *behema*, & חיה *chaja* opponuntur, ut Gen. *c.* 1. *v.* 25. tum prior vox *jumenta* & greges & omne domeſticum pecus, poſterior agreſtes feras ſignificat: quibus aliud nomen זיז Ziz Pſ. 50. *v.* 11. à *motu* factum, ut videtur. Nempe cùm cicuribus & manſuetis animalibus fixæ ſint apud dominos ſuos ſedes, & paſtus domi paratus; feræ contrà quoquo verſum prædabundæ diſcurrunt, eſtque earum ὁ βίος νομαδικὸς Fullerus ex Philoſopho. Unde Goliathum, cùm minatur, ſe carnem Davidis daturum in cibum avibus cœli & ולבהמת השדה & *jumentis agri*, 1. Sam. *c.* 17. *v.* 44. impropriè loqui obſervat Rex Selemo, quoniam *jumenta* non ſunt carnivora. At feras quoque ſub eo nomine non rarò contineri, probat Kimchius, apud Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 1. *c.* 2. Cæterùm quantopere *Jumenta* Deo curæ ſint, docet præceptum Decalogi quartum, quo de quiete Sabbathina illis cautum. Item Leges de *jumento* in ciſternam aut foſſam apertam prolapſo, Exodi *c.* 21. *v.* 33. & 34. Cujus benignitatem imitati Rom. etiam feriarum tempore aſinum in puteum delapſum extrahere permiſêrunt. Sed &, ob multiplicem uſum, quem humano generi præſtant, digna habita ſunt, in quorum gratiam peculiaris excoleretur Ars, *Veterinaria* dicta, quâ nævis illorum occurritur, ut infrà dicemus. At non defuêre, qui iis ad nefanda abuterentur, olim hodieque. Ac Chananæas inprimis gentes his ſceleribus pollutas fuiſſe, adeoque terram ipſam his abominationibus polluiſſe, ut ea, his non ferendo exiſtens, habitatores ſuos quaſi evomuerit, ſcribitur in Levitico. Quare legis fulmine opus fuit, Exod. *c.* 22. *v.* 19. *Quiſquis cubat cum jumento, omnino morte plectitor*, Quam inter legem de Maleficis, & alteram de Idololatris, inſertam eſſe non ſine ratione, obſervat Rivet. & Plerunque enim conjuncta hæc crimina, ex Paulo Rom. *c.* 1. paret, ubi hanc Idololatriæ fuiſſe pœnam, ut corpora ſua Idololatriæ horrendis libidinibus defædarent, pluribus docet; & notum Diaboli cum præſtigiatricibus ſuis ſtrigibuſque commercium, vide quoque ſuprà *Hyemantes* & infrà *Lapis* it. *Pecorantes* &c. Præerat autem apud Rom. jumentis peculiaris ſervus, *Superjumentarii* nomine, cujus mentionem apud Suet. Claud. Cæſ. facit, hujuſmodi ſibi pædagogum obtigiſſe, conqueſtus, *c.* 2. Habebatque is ſub ſe alios vilioris operæ, *Jumentarios* appellatos, quos cum Superjumentariis malè confundere nonnullos, notat Caſaub. *ad l.* Vide quoque Pignor. *de Servis*, uti *de Jumentorum pabulo*, plura ſuprà in voce *Farrago*: de numine eorum apud vett. Prutenos in voce *Prutſia*.

JUNAMENSIS reg. ampla in Sinis, ſupra Tunquinum regnum, maximè ad Occ. extenſa, verſùs Indiam extra Gangem. vulgò *Ivonam*, ſ. *Junnam*. Ejus urbes ſunt Junamum *Iunnam* ſ. *Ivonam*, in mediterr. juxta lacum parvum cogn. Mealcanum *Mealcan*, Linganum *Lingan* & *Tali*.

JUNCALAONUM, urbs Indiæ ulter. cum portu, in ora ſinûs Gang. ſub Siami Rege. 100. mill. à Legoria urbe in Occ. 400. circiter à Judia, in Auſtr. Vulgò *Juncalaon*.

JUNCARIA, oppid. Cataloniæ, in regiuncula *Ampurdan*, ad radices Pyrenæorum, juxta tranſitum *le col de Pertus*. Inter Helenam ad Bor. & Gerundam ad Mer. in conf. Galliæ, & Com. Ruſcionenſis, 3. leuc. ab ora maris Medit. *Junquera* incolis, *Jonquere* Gall.

JUNCARIA, ſ. JUNIARIA, vel JUNICARIA, locus in Diœceſi Monſpelienſi; an eadem cum priore? Hîc Conc. A. C. 894. ſub Arnuſto Archiep. Narbonnenſi habitum.

JUNCARIUM, vicus Italiæ, prope Montem Caſinum, *Bullar.* Caſin. *Tom. II. conſt.* 182. *n.* 2.

JUNCTA, apud Arragonios, idem quod *Hermendadum*, apud Hiſpanos, Navarrenos maximè & *Hueſium*, apud vett. Francos, vide *ſuprà*: cujuſmodi Junctæ in Arragonia quinque ſunt, ſe *Cæſaraugustæ*, *Oſcæ Suprarbii*, *Exeæ* & *Tiraſonæ*. His præſunt totidem *Suprajunctarii*, de quibus ſic Vitalis Ep. Oſcenſis, de *Magiſtratibus ſuæ ætatis in Arragon. Sunt etiam Suprajunctarii ſuper Junctas*, i. e. *populorum turmas, à domino Rege Paciarii conſtituti: quorum eſt ipſas junctas, cùm neceſſe fuerit, evocare, & ſi eas exercitum facere contigerit vel repentinum concurſum, Apellitum vulgariter nuncupatum, ipſas* Junctas, *ſive populum, gubernare. Qui debent fidejuſſores dandos junctis & cautiones recipere pro eiſdem & pignorare eos, qui ad exercitum non vadunt, vel concurſum non exierint ſuæ junctæ.* Ca*veant tamen Junctarius atque Junctæ: quia ſi quis damnum in ſuis poſſeſſionibus vel rebus pecuniariis duxerit infligendum, niſi priùs per juſtitiam alicujus villæ domini Regis, quàm id faciant, ſententialiter fuerit judicatum, totum damnum, quod fecerint, dupli reſtituere compellentur.* Michaël *del Molino* Magiſtratum hunc, in Ripagurcia & Suprarbio primitus dictum fuiſſe *Paciarium Cataloniæ* refert, *in Repertorio* in voce *Suprajunctarii*. Sunt autem hi meri executores, neque ullam habent cauſarum cognitionem. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.* & Autores ei laudotos, Blancam *in Comm. Rer. Arag. p.* 784. & Oyhenartum *Not. Vaſcon. l.* 1. *c.* 6. ubi, vocis originem à Latino verbo *jungere* derivans, *Junctas*, quaſi *Uniones* dictas vult.

JUNCTINUS Franciſcus, vide ſuprà *Junctinus*.

JUNCTIS manibus precandi ritus, indigitatur apud Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 97.

Ingemit & duplices tendens ad ſidera palmas
Talia voce refert ——

Et Homerum ante ipſum, *Il.* η.

Λαοὶ δ' ἠρήσαντο, θεοῖσι δὲ χεῖρας ἀνέσχον.

Tendebant populi geminas *ad Numina* palmas.

Hodieque ut plurimum uſitatus eſt. Eſt autem ritus eorum qui ſeſe humiliant ac demittunt, & quaſi ligatis manibus ſe captivos coram divina Majeſtate ſiſtunt, A. Rivet. *Exercitat. in Exod. c.* 9. *v.* 29. Vide plura infrà, ubi de ritu *Levatis in cœlum manibus precandi*.

JUNCTURA, apud Jul. Capitolin. *in Vero*, ubi de donis, quæ inter convivas Imp. diſtribuit, *Data & vehicula cum mulabus ac mulionibus cum juncturis argenteis, ut ita de convivio redirent*: eſt, quâ *junguntur* mulæ carrucariæ, ut jumenta & boves ad aratrum jugo. Jul. Paulus *Sent. l.* 3. *Carrucâ cum* junctura *legatâ, mulæ quoque legatæ, non mulio videtur, propter quotidianam loquendi conſuetudinem.* Fieri eas ſolitas ex argento & Ulpian. docet, qui *Juncturæ argenteæ* facit mentionem *l.* 19. *ff. de auro, argento, mundo* &c. *Caſaub.*

JUNCTURÆ, Monaſterium Lotharingiæ, ad amnium Robac & Mortæ confluentes, nunc à conditore ſuo S. Deodati dicitur vulgò *S. Diey*, Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Megeni Monaſt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

JUNCUS Virgilianus, Senator, tanquam libidinum Meſſalinæ conſcius, à Claudio Cæſ. pœna affectus. Tac. *Ann. l.* 11. *c.* 35.

JUNCUS, à *jungendo* dictus, quoniam ejus uſus ad juncturas utilis, vel quòd junctis radicibus hæreat, Iſid. Ægyptiis olim, non minùs quàm papyrus, & Hiſpanis ſpartum, ad calceamenta in uſu fuit: cùm junci, quorum feraciſſima eſt Ægyptus, teſte Plin. *l.* 21. *c.* 18. in funes, ſtrata, corbes atque adeò calceos, æquè commodè, ac ſpartum Hiſpanicum, compingi contexique valeant. Unde Moſis ad rubum ardentem accedere prohibiti calceamenta ex junco marino contexta, ſunt qui dicant: voluntque ideò juſſum eſſe divinitus calceos exuere, quod Deus prævidens, Filium ſuum aliquando hominem factum, inter cæteras ſuppliciorum acerbitates, coronâ ex ejuſmodi junco marino compactâ coronandum, indignum judicaverit, ſervum id pedibus calcare, quod ipſius Dominus in capite aliquando geſturus eſſet. Cùm objicitur, tam acutis ſpinis *Juncum* illum, qui Græcis ὀξύσχοιν☉, aliis *rhamnus*, nonnullis *carrectum* appellatur, aſperari, ut vix manibus tractari queat: Reſpondent, potuiſſe juncum illum, compingendis calceis aliisque id genus deſtinatum, tenerum evelli, priuſquam in rhamnum excreſceret, ſpiniſque aſperaretur. Vel etiam, ſi qui fortè aculei in ipſo eminerent, facilè potuiſſe aut manu avelli, aut ferro abradi, aut quovis alio modo atteri, atque contundi. Quemadmodum apud Gallos ſtraminei calcei, (quorum uſus domorum ſeptis non egreditur) è contuſis contextiſque ſegetum culmis fiunt, olimque Hiſpani ſpartum ſuum malleis contudiſſe videntur, quò faciliùs in funes contorqueri, aut in ſtrata contexi, aut in calceos compingi poſſet. Vide B. Balduin. *de Calceo Antiq. c.* 3. & plura ſi voles, de *juncea* CHRISTI *corona*, apud Salmeron. *Tom.* 10. *tract.* 30. Riberam *Comm. in Jonam*, & Oſorium *Conc. de cor. Chriſti.* Ad tegetes porrò texendas, adhibitum *juncum*, habes apud Plin. *l.* 20. *c.* 18. Ibidem de holoſchœno, *junci* ſpecie, (χοῖν☉ enim Græcis hic dicitur) *Utiliſſimus*, ait, *ad vitilia, ad naſſas marinas, vitilium elegantium nexus, lucernarum lumina.* Sed & in coronis uſitatum olim juncum, docet Strabo, quoſdam Hiſpanos capite geſtare *fundas junceas tres*, memorans *l.* 3. quas Philetas vocat κόμμα μελάγχρανον, *junceum ornamentum*, apud C. Paſchal. *Coron. l.* 4. *c.* 1. In annulis quoque, uti ſuprà diximus. Medio ævo alius uſus acceſſit: Per *Juncum* enim inveſtitura, occurrit in *Tabular.* Vindocin. apud C. du Freſne, ubi vet. *Charta* ſic habet: *Tunc inclinavit ſe Comes & accepit viridem ſcripum: etiam domus recenter erat juncata, ſicut ſolemus facere, quando aliquem perſonæ potentis vel dominum ſuſcipimus vel amicum. Tunc* junco *ipſo non tam donum faciens, quàm reſtaurationem, dedit, &c.* Plura hanc in rem vide apud Plin. ubi ſuprà, & Salmaſ. *ad Solin. p.* 262. & *ſeqq.* ubi quid inter *juncum* & *ſpartum* interſit, inter alia accuratè docet: *p.* item 1049. ubi de *Iunco odorato*, quem laudatiſſimum Nabathæam mittere Plin. *d. l.* ait. A' *junco*, Ἰουγκάριον πεδίον, *Iuncarium campum* dictum, in Hiſpania citeriore, uti à ſparto Σπαρτάριον πεδίον, *Spartarium campum*, memorat Strabo *l.* 3. ubi de Emporitanis. Vide quoque in voce *Iuncariæ.* A' *junco* verò *odorato*, *Iuncinum oleum*, de quo Plin. *d. l.*

JUNGANNI, populi Ligures, corruptiſſimè pro *Ingauni.*

JUNGARIA, vel JUNCARIA, vide ibi, Hiſp. Tar. urbs mediter. *Ptol.*

JUNGERMANNUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

JUNIA Familia, ex iis qui cum Ænea coloniam condidêrunt, orta eſt. M. Junius cum filio à L. Tarquinio Sup. ſublati. L. Junius Brutus filiis ſuis Tito ac Tiberio, ob conjurationem de Regib. reducendis, à Patre ſecuri percuſſis, nullam reliquit prolem. Nam cùm Patricius ille fuiſſet, omnes ſequentes *Junii* plebeji fuêrunt, Conſulatumque nemo eorum conſecutus eſt, niſi poſt eum à Patribus Plebi communicatum, atque cùm Patriciis Conſules à Plebe fuêrunt dati; cùm lex vetaret duos ſimul Patricios Conſules eſſe.

JUNIA, nomen viri concaptivi Pauli. Rom. *c.* 16. *v.* 7.

JUNIA Calvina, decora & procax femina, ſoror *L. Silani*, ob liberiora verba fratris, qui eam Junonem nominavit, inceſti fuit ſuſpecta. Reſtituta à Nerone, poſt cædem Matris. Tac. *Ann. l.* 12. *c.* 4.

IUNIA Fadilla, Maximino Iuniori deſponſata, poſtea Toxotio nupſit, ejuſdem fam. Senatori, qui periit poſt præturam. Fuit autem è fam. Antoninorum, quod nomen indicat; in ſtemmate enim Principum horum, Fadillæ ſunt plures, ut videre eſt initio *Vitæ Pii.* Caſaub. *ad Capitolin.*

JUNIA Silana, nobilis femina C. Silii juventutis Romanæ pulcerrimi uxor, ejus matrimonio à Meſſallina exturbata, ut ipſa vacuo adultero potiretur. Tac. *Ann. l.* 11. *c.* 12. & *l.* 13. *c.* 19. in exilium acta *c.* 22.

JUNIA lex, à Junio Bruto, primo ſoloque tum Coſ. A. U. C. 214. lata, ſanxit: *ut imperium Tarquinio abrogaretur, Conſulesque duo regiâ poteſtate quotannis Comitiis centuriatis à populo crearentur*, Dionyſ. *l.* 4. Liv. *l.* 2. *c.* 8. *&c.* Alia à M. *Junio* Penno, A. U. C. 627. lata *peregrinos uſu civitatis prohibuit.* Quam, tanquam inhumanam, reprehendit Cic. *de Offic. l.* 3. Fuit & *Junia Licinia* lex de Trinundino: & *Junia Norbana*, de manumiſſis: & *Junia Petronia* de judiciis, & *Junia Velleja*, de teſtamentis, de quibus vide Thom. Dempſter. in Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 7. *& ſeqq.*

IUNILIUS, Ep. Africæ, Sec. 6. Scripſit dialogos de fide divina, libb. 2. qui Baſilæ impreſſi. Sixtus Sen. *in Bibl. S.* Trithem. *de Scr. Eccl.* Poſſevin. *in Appar. Sacro.*

IUNIORATUS, apud Scriptores Eccl. Rom. Soucheto Eccl. eſt, ſ. Beneficium Eccleſiaſticum, quod *Iunioribus* Clericis (quo nomine videntur appellati quivis Clerici, poſt Subdiaconos, ut ſunt *Lectores, Exorciſtæ, Oſtiarii, Foſſarii &c.*) dabatur; vel reditus, qui, in Eccleſiis, *Iunioribus* Clericis & in minoribus conſtitutis ordinibus, aſſignabatur: Vaſſorio verò, quælibet Eccl. ſ. potius, Eccl. cura, quæ à perſonatu dependet & *Vicarius* vulgò dicitur. Ita enim *Charta* Baldrici Ep. Noviom. A. C. 1103. ab eo allata *p.* 797. *Hæc altaria à perſonatu libera conceſſimus --- tali cum tenore, ut Synodalia jura, ſicut antea, Ep. vel ejus Miniſtris ſolvant, & Presbyteri, qui* Iunioratum *ab Eccl. Abbatiſſa juſceperint, quotiens alter alteri ſucceſſerit, vel aliquo caſu illos mutari oportuerit, ab Ep. ſive Archidiacono curam ſuſcipiant* &c. Vide quoque infrà aliquid in voce *Perſona.* In *Charta* Richerii Archiep. Senon. in Tabular. S. Martini de Campis *Presbyteratus* vocatur, apud C. du Freſne. In *Conſuetudine* Britanniæ, paſſim quoque *Juniorum* mentio eſt, qui *Juveigneurs* dicuntur & feudorum, quæ ab illis poſſeſſa *Juveigneries* vel *juveigneuries*, h. e. *Junioratus* itidem appellantur: quo nomine verò ibi feuda intelliguntur, quæ à *junioribus* fratribus, qui eorum nomine homagium primogenito tenentur præſtare, poſſidentur: de quibus, ut & plura de voce *Juniores*, vide apud modò laudatum Autorem *in Gloſſ.* De *Juniorum Schola* aliquid diximus ſuprà in voce *Candidati*, vide quoque aliquid infrà, in *Milites.* Cæterùm Romanis olim *Juniores*, ex inſtituto Servii, ad Annum 45. ultra, *Seniores*, Dion. Halic. *l.* 4. *c.* 20. & Liv. *l.* 1. *c.* 43. Hinc Trajano Imp. Plin. *in Panegyr.* tribuit juventam, *c.* 8. qui tamen agebat tum ætatis Annum 44. Et *c.* 22. factis tribus ætatis gradibus, *Te*, inquit, *parvuli noſcere, oſtentare Juvenes mirari ſenes.* Idemque *c.* 69. Conſulatûs Candidatos *Juvenes* vocat; at illi utique jam viri: quomodo Suet. *Aug. c.* 34. Germanicus, poſt ſuſceptos jam aliquot liberos, *Juvenis* dicitur. Ita Tibullo *l.* 1. *Eleg.* 4. *v.* 33.

Solis æterna eſt Phœbo, Bacchoque Juventa:

Juvenis eſt femina, quadrageſimum jam annum egreſſa: & adoleſcentiores uxores *Puellæ* dicuntur Horat. Ovid. Senec. Quin & Pythagoras, apud Laërtium, virilis & conſtantis ætatis hominem νεανίαν vocat. Et Herodian. *initio l.* 4. Οἱ τῆς Συγκλήτου ἐπιλεκτοὶ νεανίαι. Vide Bernegger. *ad Juſtin. l.* 41. *c.* 2. ubi hic *Principes Juventutis* Argonautas vocat, aliquid etiam infrà in voce *Juvenes*, alibique paſſim.

JUNIORES, pro judicibus ſubordinatis & poteſtatis miniſtris. In Chartis & LL. antiquis, etiam in Conciliis & Autoribus dicuntur aliàs, ut *Seniores*: non reſpectu ætatis, ſed dignitatis, conditionis & mineſterii. *Juniores* perinde non à juventute, ſed quod eſſent aut ſine præfectura, aut minorem habentes, majori ſubderentur. Bignonius tamen *in Marculfi formulis*, quandoque accipit *Juniores*, pro ipſis ſucceſſoribus & quaſi nepotibus. Heur. Spelmann. pro hæredibus. Capitular. Car. *l.* 1. *c.* 167. pro Vaſallis, ſubditis, famulis. E' Goldaſto Lydius pro liberis dominis *Junckheren.* Gregor. Tur. *Juniorum Eccl.* meminit, *l.* 5. *c.* 26. Notkeri ævo, i. e. Anno regni Lud. Jun. *Juniores* dicit Vadianus, videri fuiſſe delectos ad pauperum & peregrinorum facultatum Laicos, ut eo miniſterio exerciti, aptiores ad reliquam diſciplinam monaſticam fierent. *Juniores* quoad ſervitium denique omnes arbitratus eſt Servius Tullius, ab An. Æt. 17. uſque ad An. 46. & ſupra hunc Annum Majores appellat A. Gell. *l.* 10. *c.* 28. Vide Heur. Spelm. *Gloſſ. Arch.*

è JUNIPERI ligno, Dianæ Templum, in Hiſp. extructum olim, teſte Plin. Vide Macros Fratres *in Hierol.* in voce *Arceuthinus*; ἄρκευθον juniperum autem Græci vocant. Nec enim cariem, nec vetuſtatem, ſentit hæc arbor, ut cedrus, cui etiam adeò ſimilis facie eſt, ut penè internoſci non queant, niſi fructus differentiâ. Plin. *l.* 16. *c.* 39. *Cedri oleo peruncta materies nec tineam nec cariem ſentit. Junipero eadem virtus, quæ cedro. Vaſta hæc in Hiſpania maximaque baccæ ejus, medulla ejus ubicunque etiam ſolidior, quàm cedrus.* Eadem proin & ſubdialibus aptiſſima. Idem *c. ſeq.* ubi trabes templi illius, quod Sagunti erat cuique pepercit religione inductus Hannibal, etiam ſuâ ætate durâſſe adnotat, addens; *In plenum dici poteſt, utique quæ odore præcellant, ea æternitate præſtare.* Nota autem cum ligni, tum baccarum hujus arboris fragantia eſt. De *gummi Juniperi*, quem vernicem hodie appellamus, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1151.

JUNIULADISLAVIA, Germanis INOWLADISLOW, Polonis INOWLOCZ, urbecula Poloniæ maj. Palatinatûs Juniuladiſlavienſis caput, ut Cujavia, ad Noteſium fluv. cum arce aliàs munita, 7. mill. Germ. ab Vladiſlavia in Occ. & vix 2. à *Guplo* lacu in Bor.

JUNIUS, ſextus eſt in ordine menſium à *junioribus* dictus. Ovid. *Faſt. l.* 6. *v.* 61. Alii tamen eum ſic dictum volunt, tanquam *Junonium*, quo nomine apud Aricinos Præneſtinoſque diu venerat: Nonnulli quoque hanc appellationem eum volunt traxiſſe, à Junio Bruto, quòd Kalendis Junii, pulſo Tarquinio, ſacrum Carnæ Deæ in Cœlio monte, voti reus fecerit: Alii aliter. De quo, ut & diebus in hoc menſe, apud Rom. feſtis, vide Thomam Dempſter. in Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 10. Sunt etiam, qui dictum *Junium* velint, quaſi *Unium* ſive *Jungium*, à junctis fœdere Romulo & Tatio, illo Romanorum, hoc Sabinorum Regibus. Unde Ovid. dum alias rationes notationis memorat, etiam hujus non obliviſcitur: Idem ut ſupra *v.* 93. *& ſeqq.*

Hæc ubi narravit, Tatium fortemque Quirinum,
Binaque cum populis regna coiſſe ſuis.
Et Lare communi ſoceros generoſque receptos,
His nomen junctis Junius, *inquit, habet.*

Joh. Goropius Becanus hunc Menſem à favore nominatum vult quòd in eo favorem terræ ſentire incipiamus, fructibus jam ſeſe ad eſum offerentibus: dici autem *Junium*, quaſi *Gunium*, à Germ. voce *Gunnen*, quod Latinis *favere* ſignificat. Sed nemo eſt, qui viro aliàs erudito hîc ſuffragetur. Fuit olim hic menſis in Mercurii tutela, & ex Romuli ac Julii Cæſaris 30. ex Numæ autem Pompilii conſtitutione 29. dies nactus eſt. Thom. Dempſter. ſ. potiùs Joh. Roſin. *Antiqq. Rom.* Ei apud Græcos reſpondit Σκιρρο[illegible]φοριών:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Φορσὶν: apud Hebræos, ex parte menſis Sivan & Thumuz. Vide Franc. Roſſæum *Archæol. Att. l. 2. c.* 10. & Thom. Godwyn. *de Ritib. Hebræor. l. 3. c.* 1.

Dies hoc Menſe apud Rom. olim feſti.

2. die, ſ. 6. Nonas, feriæ erant Martis, Carnæ & Monetæ Junonis, cui templum hoc die dedicatum. Eodem Tempeſtatis quoque delubrum dedicatum eſt.

Prid. Nonas ſacrum fiebat Bellonæ, cui eo die templum conſecratum erat: Eodem Herculi ædes in Circo poſita eſt.

Nonis *Junii* ſacrum fiebat Deo Fidio.

7. Idus Piſcatorii ludi peragebantur.

6. Idus, ſacrum fiebat Menti, in Capitolio.

5. Idus Veſtæ feriæ erant. Eodem Jovi Piſtori ara in Capitolio poſita eſt: Junius quoque Brutus ulteriorem Hiſpaniam & M. Craſſum Parthi devicêrunt.

3. Idus Matralia erant; Item feſtum Fortunæ Sejæ. Eodem Concordia ædes a Livia conſtructa ac dedicata eſt, ac P. Rutilius Coſ. cum L. Jul. Cæſ. A. U. C. 664. bello Marſico ſ. Sociali periit.

Idibus ædes Jovi Invicto conſecrata ac dedicata eſt. Iiſdem erant Minuſculæ Quinquatrus.

17. Kal. Julias, ſ. 15. d. *Junii* ædes Veſtæ purgari ſolebat.

16. Kal. Julias, in Aventino, Palladi ſacrum fiebat, V. Ovid. *Faſt.*

13. Kal. Summano templum fuit poſitum.

9. Kal. dies ater erat, ob Romanos ad lacum Thraſymenum ab Hannibale victos.

8. Kal. Syphax à Maſiniſſa ſuperatus, item Haſdrubal ductu M. Livii Conſulis & operâ Cl. Neronis Coll. cæſus eſt. Eodem die feſtum erat Fortis Fortunæ: Naves item coronatæ per Tiberim convivia agitabant.

5. Kal. templum Laribus dedicatum, Jovi item Statori templum conditum eſt.

4. Kal. templum in colle Quirinali dedicatum eſt.

Prid. Kal. templum Herculi & Muſis eſt conſecratum.

Viri Illuſtres.

JUNIUS Balbus, Vir Conſularis Metiam Fauſtinam filiam Gordani Imp. uxorem habuit, Capitolin *in Gordian.*

JUNIUS Blæſus, Africæ Procſ. Tacfarinam fudit, fugavitque, A. U. C. 774. Tac. *Ann. l. 3. c.* 35. Vide *Blæſus.*

JUNIUS Brocchus, Illyricum tuitus eſt, ſub Claud. II. cujus ad illum Epiſtolas habes, apud Trebell. Pollion. *in Claud.* Vide quoque ſuprà in voce *Brocchus.*

JUNIUS Brutus, vide *Brutus*; it. *Cajus*, & *Decius*, & *Lucius*; it. *Marcus.*

JUNIUS Brutus Scæva, vide *Decius.*

JUNIUS Bubulcus, vide *Decius.*

JUNIUS Calphurnius, memoriæ dictator Caro Imp. memoratur Fl. Vopiſco in hujus *Vita.*

JUNIUS Cordus, cujus mentio apud Jul. Capitolin. *in Gordianis*, & ſuprà *Cordus.*

JUNIUS Donatus, Coſ. collega Corn. Secularis, A. U. C. 1012.

JUNIUS Franciſcus, nobili genere natus, Biturigibus, A. C. 1545. Theologiam docuit Lugduni Bat. ſcripſit plurima, quæ Tomis 2 in Fol. prodiêrunt, Genevæ, A. C. 1607. &c. *Vir divinarum, humanarumque rerum peritiſſimus*, Meurſ. *Leidæ gloria, ipſiſſimum textualis & Scholaſticæ Theologiæ oraculum, linguis dives, diſtinguendo ſubtilis, argumentis invincibilis*, Joſ. Hallo. Obiit peſte A. C. 1602. Æt. 57. Lugduni Bat. Melch. Adami. *Vit. Theol.* ipſi Mag. Britanniæ Regi Jacobo magni habitus. Vide *Acad.* Leidenſem, Joh. Gerh. Voſſ. generum ejus, *Præfat ad Hiſt. Lat.* Ant. Teiſſier *in Elogiis P.* 1. Filium habuit cognominem, qui ſcripſit *de Veterum Pictura*, & *IV. Euangelia Gothicâ linguâ* edidit, ac *Gloſſario* elaboratiſſimo illuſtravit: tam ſedulus ut 13. vel 14. horas quotidie ſtudiis impenderet, Colomeſius *Opuſc. p.* 117.

JUNIUS Gallio, vide *Gallio.* Tac. *Ann. l. 6. c.* 3.

JUNIUS Hadrianus, Hornanus, Medic. lingg. ſeptem & antiquitatis cognitione clarus: Obiit Medioburgi in Mattiacis, A. C. 1575. Anno climacterico mœrore ex jactura Bibliothecæ ſuæ, quam in direptione Harlemi amiſerat, concepto. Joh. Sambucus, gloriâ Viri permotus, cùm in Bataviam veniſſet illum viſurus, percepiſſet autem cum aurigis quibuſdam cum pocula miſcere, indignitate rei motus, illo neglecto, abiiſſe dicitur. Quod cùm innotuiſſet Junio, ſolo deſiderio terminos illorum diſcendi, quò *Nomenclatori* ſuo insereret, id à ſe factum, Sambuco ſeſe excuſavit. Voſs. *Centurias Adagiorum ejus*, quas Eraſmi, (ab hoc ſolo ſecundum Belgii decus) centuriis adjunxerat, magni facit, *de Philol.* ſed *Hollandiæ deſcriptionem* non æquè. Judicem ſcriptorum ejus A. Teiſſier *in Elogiis* exhibet *P.* 2. Pater fuit Petri, Thuan. *Hiſt.*

JUNIUS Lupus, Senator accuſavit Vitellium ætate extremâ majeſtatis & cupidinis imperii. Sed inſtinctu Agrippinæ accuſatori aquâ atque igni interdictum eſt. Tac. *Ann. l. 12. c.* 42.

JUNIUS Magus, nefandorum Sacrorum peritus, à Scribonio Libone Druſio tentatus, ut infernas umbras carminibus eliceret. Tac. *Ann. l. 2. c.* 27.

JUNIUS, vide *Marullus.* Tac. *Ann. l. 14. c.* 48.

JUNIUS Maximus, 2. Coſ. cum Aquilino A. U. C. 1038.

JUNIUS Meſſala, *patrimonium ſuum ſcenicis dedit, hæredibus abnegavit: matris tunicam dedit mimæ, lacernam patris mimo --- inſcriptum eſt adhuc in Chiraulæ pallio Tyrianthino, quo ille, velut ſpolio nobilitatis exultat Meſſalæ, nomen uxoris* &c. Sc. pallium illud Tyrianthinum, quod *Junius* hic choraulæ donavit, uxoris erat & in eo nomen uxoris ejus inſcriptum extabat, Fl. Vopiſc. *in Carino*, infamiam ejus pluribus carpentem.

JUNIUS, Otho, vide *Otho.* Tac. *Ann. l. 3. c.* 66. & *l.* 6. *c.* 47.

JUNIUS Pera, vide *Decius* & *Marcus.*

JUNIUS Pullus, vide *Lucius.*

JUNIUS Pœnus, vide *Marcus.*

JUNIUS Quintus, vide *Arpini.*

JUNIUS Ruſticus, Senator, componendis Patrum actis dilectus, à Tiberio, monere auſus eſt Conſules, ne relationem contra Agrippinam & Neronem inciperent. Tac. *Ann. l. 5. c.* 4. Vide *Ruſticus*

JUNIUS Ruſticus, Philoſophus Stoicus, inter præceptores Pii. *Capitolin.*

D. JUNIUS Silanus, in nepti Aug. *Julia* adulter; ideò cùm amicitiâ Cæſaris prohiberetur, exilium ſibi demonſtrari intellexit: nec niſi Tiberio imperitante deprecari Senatum ac Principem auſus eſt. Rediit poſthac, quia non Senatûs-conſulto non lege pulſus fuit, in urbem, neque honores adeptus eſt. Vide & *Cajus.* Tac. *Ann. l. 3. c.* 24.

JUNIUS Syllanus Coſ. ſuffectus ex Kal. Maji, cum Meſſio Gallicano, Principatu Gordiani, vide Jul. Capitolin. *in Maximinis*: item in vocibus *Cajus*, *Decius*, *Marcus.*

JUNIUS Tiberianus, Coſ. cum Aurel. Probo Imp. A. U. C. 1033. Secundò Coſ. cum Caſſio Dione, A. U. C. 1043.

JUNIUS Titus, vide *Titus.*

JUNIX, vide *Juvenca*, it. *Rufa vacca.*

JUNNA, fluv. Duc. ex Burg. per Senonas in Sequanam fluens; *Yonne.* Ferrar. Valeſ. *la Junne*, Stampas, ubi Loam capit *Loet*, Mauriniacum Monaſterio ſuo illuſtre, Campiniacum, Bonnas, Lardiacum, Ver parvum, & Vicum S. Verani attingit: tum augetur amne ex Marcis & Firmitate Adelhaidis veniente. Inde Villam Regis, Villam Abbatis, ac in duo brachia diviſus, dextro Exonam, lævo vicum S. Juſti alluit; ad Exonam, *Exona* vocari incipit. Demum junctis aquis, Paludellum villam ſuper Exonam *Palveau*, præter cætera loca alluit, atque juxta caſtrum Corboilum Sequanæ miſcetur. Hîc Chlotarius jun. à Theodorico Rege victus eſt, Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

JUNO, an à juvando? Saturni & Opis filia, *Joviſque Et ſoror & conjux*, uti ſeipſam vocat apud Virg. *Æn. l. 1. v.* 19. 46. 283. 447. 450. & 667. Dea regnorum fuit & divitiarum, quæ & nubentibus præeſſe credebatur, unde *Pronuba* vocatur, & parturientibus obſtetricari, unde *Lucina* Ovid. *Amor. l. 2. Eleg. 23. v.* 21. nomen ſumpſit. Munditiei item & ornatûs curam habuit, hinc ſtatuæ ejus crines addebant, curioſâ ſuperſtitione diſpoſitos: & ornatrices ſ. pſecades *ſpeculum Junoni tenere* dicebantur. Porro ut viris ſingulis ſui Genii, vitæ præſides, ita feminis *Junones* ſemper præſtò erant, unde conſuetudo fluxit, ut mulieres *Junonem ſuam* appellarent, Ovid. *Amor. l. 3. Eleg. 13. v.* 3. & 35. Lactant. *de Falſa Relig. l. 1. c.* 17. Singulis Annis in quodam Atticæ fonte lota virginitatem recuperâſſe fingitur. Filiam habuit Heben, quam ex ſylveſtribus lactucis concepiſſe fertur, quas ab Apolline invitata avidiùs comederat. Jovi, à quo ſub cuculi forma compreſſa fingitur, Vulcanum & Martem peperit, quamvis Ovid. Martem ſine viro eam malit concepiſſe, Olenii tantùm floris contactu. Phyſici *Junonem*, *aëra* interpretantur, ideoque *Jovis* & *ſororem*, & *conjugem* dictam volunt, quòd ſumma ſit aëris cum æthere cognatio, & ſimilitudo. Hinc & Iris ei nuntia attributa, hocque nomine ab Aſſyriis & Afris culta eſt, ut Jul. Firmic. docet. Ei agnâ fiebat. Simulacrum ejus tale fuit, teſte Alberico; Erat femina in throno ſedens, quæ ſceptrum Regium geſtans, dextrâ caput diademate cinctum inter nubila condidit. Ad latus Iris, ante pedes pavones fingebantur, aves ſpecialiter ei dicatæ. Olim verò, rudis erat lapis & informis ſtela, unde uti Apollinis Delphici, & Bacchi Thebani, ſic *Junonis Argivæ κίονα*, i. e. *columnam* ex Vett. poëtis, habet Clem. Alexandr. I. *Strom.* de cujuſmodi vetuſtiſſimis Deaſtrorum Gentilium ἀνδριάσι diximus in voce *Bætylus.* Ejus varia apud Rom. pro diverſis ejus officiis & muneribus nomina erant, de quibus pauca hæc ſubjungam. Cæterùm fallax, aſpera & iracunda, quam ob rem malis eam dæmoniis adnumeravit Porphyr. *de Abſtinentia l.* 2. ubi horum ingenium adeò ſcitè repræſentat, ut nec à Clem. aut Arnobio meliora, contrà Gentilium Deos, quàm ab hoc Chriſtiani nominis acerrimo hoſte, proferri potuerint. Eandem in Stat. iis Numinibus, quæ fulminis uſum haberent, accenſet *Theb. l. 10. v.* 69.

Disjice & in Thebas aliud (potes) excute fulmen.

Quod tamen contrà cæteros eſt, non niſi Jovi, Vulcano & Minervæ id adſcribendum eſſe cenſentes, ex libris Hetruſcorum, laudatis Serv. *ad Æn. l. 1. v.* 40. 52. & 285. Agit autem ibi de *Junone Argolica*, quâ non alia majori in veneratione fuit. Certè Argis non aliter quàm *Matronam Tonantis*, ut Ovid. memoratur *Ep. Heroid. 9. v.* 3. & 5. & *Reginam Dearum*, cultam docet Appulejus *Mileſ.* 6. indeoque *Argivam* cùm Maro vocat *Æn. l. 7. v.* 683. *magnam* interpretatur Serv. Nec deſunt Scriptores, qui Numen hoc omnibus aliorum Deorum ſanctius habitum cultumque, cujus adeò fuerint prodigia certiſſima, certiſſimæ etiam ultiones, ſcriptum reliquerint. Unde & alibi hoc nomine dedicata, uti de Jaſone, qui in agro Picentino Oſcorum Templum *Junonis Argivæ* condidit, legimus, apud Solin. *c.* 2. Cumque Templa Cæſari Romæque paſſim conſecrarentur, uti Cæſaris ſimulacrum ad Jovis Olympici inſtar (quem ipſum ſpecie pueri ab ſe amati *Pantarces* Phidiam formâſſe ait Arnob. *l.* 6.) ſic Romæ, ad Junonis Argivæ ſimilitudinem, formari ſolebat. Moris enim fuiſſe, ut qui ſimulacrum Imp. conſecrare vellet, in exemplum ſumeret nobile aliquod Dei alicujus ſignum, ex Joſepho diſcimus, Ἀλώσ. c. 16.

De

De ornatu ejus ſic Tertullian. *de Corona Mil. Junoni vitem Callimachus indixit. Ita & Argis ſignum palmite redimitum, ſubjecto pedibus ejus corio leonino, inſultantem oſtentat novercam de exuviis utriusque privigni*: Bacchi viz. Herculiſque: unde & ſacrificantes ipſi vite, palmite & corymbis cingi ſunt ſoliti. Aliàs *Junoni*, non minùs ac Jovi, coronam radiatam tribuit Antiquitas. Lucian. *de Dea Syr.* Ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἀκτῖνάς τε φορέει καὶ πύργον καὶ κεστόν. Etiam lunatam quidam, h. e. lunam in diademate gerentem, coluêre, Albericus *de Deorum Imagin. in Junon.* quod ornamentum ad falſas quoque Junones tranſtulit Jupiter, Alcumenam, è cujus coronæ lamina ſexies emergebat effigies Lunæ, apud Stat. *Theb. l. 6.* & Inachim, apud Ovid. *Met. l. 9. v. 787.* Nempe ſub *Junonis* nomine Lunam adoratam fuiſſe, Eruditi multis docent. Utraque enim *Urania* dicitur, & Juno velut inter ignes Luna minores Ἀστεράρχα appellatur, vide Herodian. *l. 5.* i. e. *Planetarum Regina*, vel, ut Horat. interpretatur, Carm. *l. 2. Ode 2. v. 33. Siderum Regina.* Ita apud Virg. *Æn. l. 1. v. 50. Juno* inquit: *Divùm incedo Regina*, quam proin ſub nomine *Reginæ cœlorum* ab Idololatris Judæis cultam fuiſſe, Jer. *c. 7. v. 18.* & *c. 44. v. 17.* innui videtur. Et cui potiùs Gentiles Kalendas ſ. primitias omnium menſium conſecraverint, quàm Lunæ, at Junoni conſecrârunt, quæ proin *Kalendaris* dicta eſt. Porrò quemadmodum Jupiter Ammon nil aliud quàm Sol erat, ſub arietis forma coli ſolitus, ita non malè Lunam *Junonem Ammoniam* dixeris, quam ſub ovis ſchemate coluére. Unde idolum Aſtaroth, quod præcipuo honore venerati ſunt Sidonii 1. Reg. *c. 11. v. 4.* & 8. 2. Reg. *c. 23. v. 14.* quoque nomine vel Luna vel Juno culta eſt, ſ. potiùs utraque, ovis imaginem habuiſſe legitur, vide Cœl. Rhodig. *l. 18. c. 38.* Dav. Kimchi *in 1. Sam. c. 31. v. 10.* Thom. Godwyn. *de Ritib. Hebr. l. 4. c. 6.* &c. De *Junone Samia*, in cujus templo pavones alebantur, vide infrà in voce *Pavo*: uti de ſimulacro ejus ex ære, Romæ, in Concordiæ templo, Bedæ opere, Plin. *l. 34. c. 8.* de malo granato Junoni Myc. ſacro, infrà; it. in vocibus *Soſpita* & *Sotira*: de aliis huc pertinentibus, Caſp. Barth. *Animadverſ. Papinianis* paſſim, inprimis verò *Comm. Superſtition.*

Junonis apud Rom. nomina.

Calendaris dicta eſt, à Calendis ei ſacris.
Caprotina.
Cinxia, in nuptiis invocabatur.
Curis ſ. Quiris, ab haſta ei ſacrá. Huic in omnibus Curiis menſæ erant poſitæ.
Domiduca, in nuptiis invocata.
Februata, à Februario, quo ei ſacra fiebant.
Fluonia.
Interdica, in nuptiis.
Juga, ſimiliter.
Julia, cui ædicula erat in reg. 5.
Lucina, cui templum in reg. 5.
Martialis, cui templum in reg. 8.
Moneta, à monendo. In hujus templo libri lintei, Imperii fata continentes, aſſervati.
Novella, vocabatur in menſium Calendis.
Opigena.
Populonia, quam populus ſ. plebs precabatur.
Regina, quæ à Camillo Vejis eſt, tranſvecta, in Aventinum.
Sororia, cui in expiationem ſororis ſuæ aram Horat. conſecravit.
Soſpita, quæ Lanuvii inprimis magno cultu colebatur; poſtea & Romæ in foro Olitorio ædem nacta eſt.
Unxia, in nupt. in vocabatur, &c.

Vide Thom. Dempſter. in Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 2. c. 6.* & paſſim alibi. Ovid. Faſt. *l. 6. v. 183.* Heſiod. *Theog.* Boccat. Natalem Com. Gyrald. Al. Roſſæum *in myſtagogo Poët.* &c. Inde *Junonius*. Hinc *Junonius* Janus: *Junonii* verſus: *Junonia* avis: Ovid. *Amor. l. 2. Eleg. 6. v. 55.* & *de arte Am. l. 1. v. 629.*

Laudatas oſtentat avis Junonia *pennas.*

Pavonem intelligit. Avis enim illa Deæ illi ſacra. Juv. *l. 3. Sat. 7. v. 30. & ſeqq.*

— Didicit jam dives avarus
Tantum admirari, tantum laudare diſertos,
Ut pueri Junonis avem.

JUNO Ægyptia, Rheæ & Cameſenni filia, nata Anno primi regni Semiramidis, cognominata Iſis maxima, frugifera, legifera, ſoror & uxor Oſiridis. *Beroſ. l. 4.*

JUNONIA, major, & minor, inſ. duæ ex Fortunatis. Plin. *l. 4 c. 22.* & *l. 6. c. 32.* Illa *Forteventura*, maximè ad Ort. extenſa. Aliàs Herbania, longa 25. leuc. lata 15. circiter. 12. leuc. ab ora Africæ, 16. à Canaria Inſ. Hæc nunc *Lancerotta*, 6. leuc. à majori. Longa 16. leuc. lata 10. Sub Hiſp. *Sanſon.*

JUNONIS Ara, prom. & locus Gadium inſ. *Trafalgar* Taraphæ. *Junonis fanum* Ptol. dicitur. Melius *Junonis prom.* nunc *Cabo Trafalgar*, in ora Occ. Vandalitiæ, ubi incipit Fretum Herculeum, in parte Auſtraliori Hiſp. 9. leuc. Hiſp. à Gadibus in Mer. 10. à Calpe in Occ. Baudr. Plin. *l. 2. c. 107.*

JUNONIS Laciniæ templum, vide *Lacinium.*

JUNONIS Prom. *Capo Giallo*, teſte Nardo, prom. Peloponneſi in ora ſin. Corinthiaci, contra Sicyonem urb. Plin. *l. 3. c. 1.*

JUNONIS Sacrum, ſ. *templum*, inſ. Melitæ prom. in cujus vertice ſitam eſſe hodie ajunt ædiculam *D. Virginis in Corte* denominatam.

JUNONIUS, cogn. Jani, vide ſuprà.

JUNOPOLIS, urbs Ponti Paphlagonici. Conc. Nic.

JUNTER-BUICH Jacobus, vide *Jacobus.*

JUNUS Latinis dictus eſt Pan, ab eundo paſſim cum omnibus animalibus: Numen Arcadum antiquiſſimum & honoratiſſimum vide Thom. Dempſter. in Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 2. c. 20.*

JVO, Britanniæ Rex, qui primus A. C. ſeptingenteſimo viceſimo, ex ſingulis laribus ſingulos denarios D. Petro quotannis pendendos obtulit. Id tributum ſub Leone Quarto circ. A. C. octingenteſimum quinquageſimum Rex Edel-Wulffus duplicavit, decimaſque etiam omnium fructuum Virgini Mariæ dari juſſit. Porro Joh. Richardi fil. A. C. milleſimo ducenteſimo ſeptimo Angliam Hiberniamque ſingulis Annis Romanæ ſedi ſeptuaginta marcas auri dare præcepit.

JVO, Ep. Carnutenſis, diſciplinæ Eccl. tenaciſſimus, eruditione & pietate clarus: Bellovacenſis, Præceptor Lanfranci, &c. A. C. 1093. Godofredo, ob crimina depoſito, ſucceſſit. In Phil. I. Galliæ Regem, qui Berthâ Hollandicâ repudiatâ, Bertradem Montfortiam Fulconis Com. Andegav. uxorem ſuperinduxit, acer: commune ævi ſui Oraculum. Obiit A. C. 1116. Æt. 80. Beatis annumeratus, ſub Pio V. A. C. 1570. cineribus bello inteſtino Galliæ diſſipatis. Opera ejus edidit Joh. Baptiſta Souchetus, A. C. 1647. duobus volum. quorum prius Decreta, poſterius 287. Epp. 22. homilias, & Chronicon continet. An & *Pannomiæ*, & libri de corpore CHRISTI autor? Nic. Lloyd. Vide Sigebert. *c. 167. de Vir. Ill. & in Chron.* Godofr. Vindocin. *Ep. l. 2.* Suger. *in Lud. Craſſo*, Matthæum Pariſ. *Hiſt. Angl.* Loiſelium, Ruillard, Voſſ. &c. præſertim Gerh. von Maſtricht JC. *Hiſt. Juris Eccl. n. 263. & ſeqq.*

JVODIUM, vide *Epoiſſius.*

JVOLLUM, vulgò VYLACK, oppid. Pannoniæ inf. ad Danubium, inter Teutoburgum ad Bor. & Bononiam ad Auſtr. Quidam ponunt juxtà Dravum. Sub Turcis.

de S. JVONE Rogerius, vide *ibi.*

JUPA, in *Regula* Ordinis Canonicorum S. Marci de Mantua, in *Regeſto* Alex. IV. Pontif. Rom. Anni 7. *Ep. 24.* ex Bibl. Reg. apud C. du Freſne, veſtis talaris ſpecies eſt, Gallis *Jupe*. Hinc *Jupellum*, Picardis *Jupel*, aliis *Jupon*, ſagum militare, apud Eund. *Ep. 172. l. 5.* ubi præfatus Pontifex decernit, ut Fratres Milites Ord. Hoſpital. chlamydes nigras deferant, quo ab aliis Fratribus ejuſdem Ordinis dignoſcantur: *In bellis autem — utantur jupellis & aliis ſuperinſigniis militaribus ---- coloris rubei, in quibus etiam crux albi coloris ſit in eorundem vexilli modum aſſuta* &c.

JUPANUS, titulus honorarius, in Serviæ Regno, ſecundo-genito Regis olim tribui ſolitus. Autor *Vitæ Sabæ Ep. Ut Videre eſt ex literis Steph. ejus filii, Magni* Jupani *Serviæ.* Sic inter Innoc. III. *Epiſtolas*, una eſt *Magno Jupano Serviæ* inſcripta, quæ 167. eſt *l. 2.* Vide infrà *in Zupa* & *Zupanus.*

JUPITER, Opis & Saturni fil. in Creta inſ. eodem cum Junone partu editus, & in Ida monte à Curetibus educatus, idque clam patre, qui ex pactione cum Titano fratre initâ, filios ſuos omnes devorabat. Cum autem in virum adoleviſſet, cognoviſſetque etiam tunc patrem vitæ ſuæ inſidiari, regno eum pepulit, mundique imperium cum fratribus Neptuno & Plutone ſorte diviſit: ac Jovi quidem cœli & terræ, Neptuno maris, Plutoni inferorum imperium obtigit. Eum in Creta natum certum eſt, ideoque Creta dicta ejus inſ. & ipſe *Creticus* Minuc. Felici, *Mars Thracius, vel Jupiter Creticus, vel Juno Argiva, & Cretenſis* Lactant. *l. 1. de Falſa Relig. c. 13.* Sed hanc rem incertam, & planè fabuloſam faciunt alii. Nam Demetrius Scepſius, ut eſt apud Schol. Apollonii *l. 3.* tradit, Phrygas Jovem apud ſe natum & educatum contendere cum Cretenſibus, & Arcadibus, ex qua fabula Delrius *in Troad. Sen.* lucem dat Propert. *l. 3. Eleg. 1. v. 27.*

Idæum Simoënta, Jovis *cunabula parvi?*

Lege Pauſ. *in Arcad. & Meſſen.* apud quem utraque hæc gens ſibi vendicat natales Jovis. Ceterùm de variis (ut ita dicam) *Jovibus*, quidam enim tres, quidam trecentos ſtatuêrunt, vide omnino Clariſſ. Voſs. *de Theolog. Gentil. l. 1. c. 14.* Quorum omnibus geſtis in unum collatis, Gigantum victor, Mercurii, Apollinis, Minervæ, &c. pater, in varias formas ſe transformâſſe dictus eſt, ut libidinibus ſuis perlitaret. De nominis etymo Lactant. ut ſuprà. Ζεὺς vel Ζῆν *appellatus eſt, non à fervore cœleſtis ignis, vel quòd vitæ dator, ſed quòd primus ex liberis Saturni maribus vixerit.* Etymologus autem: Ζεὺς (inquit) ἀπὸ τοῦ ζέειν, θερμὸς γάρ ὁ ἀήρ, quod etiam tantò magis probabile videtur, eò quod & hic Jupiter *Hammon* ſ. *Ammon* vocatur, quæ vox (inquit Bochart.) à vocabulo Ægyptiaco Ἀμοῦν deſcendit, quod ab Hebræo חמם derivatur, i. e. *fervere, incaleſcere.* Idem Lactant. dicto loco, *Jupiter, quaſi juvans pater dicitur.* Sic Agellius *l. 5. c. 12. Jovem Latini vett. à juvando appellavêre, eundemque alio vocabulo juncto, patrem dixêrunt.* Hoc etiam voluêre Cic. & Cato *de Re Ruſt. c. 141.* Alii autem ab Ἰαὼ πατὴρ ſ. Ἰαὼ πατὴρ, i. e. *Jehova pater*, Latini autem vett. *Joupater* dicebant pro *Jovis pater*, ut & *Jouglans*, pro *Jovis glans.* Per hunc, intelligentiam Mundi conditricem Gentiles Theologi intellexiſſe videntur. Hinc Μοιραγέτης dictus. Phyſici Jovem interpretantur eſſe elementum ignis, dictumque cum putant à *juvando*, eo quòd nulla ſit res, quæ ſic omnia foveat, quemadmodum calor. Aliquando pro *aëre* ponitur. Horat. *Carm. l. 1. Ode 1. v. 25.*

— Manet ſub Jove frigido
Venator, teneræ conjugis tunica.

h. e. ſub *Dio*. Aliquando pro *pluvia*. Virg. *Georg. l. 2. v. 419.*

Et jam maturis metuendus Jupiter *uvis.*

Hiſtoria verò hunc Cretæ Regem facit, qui ob juſtitiam inſigniter cultam, Gigantes varios, inprimis Milinum in Creta, Typhonem in Phrygia, ſublatos, aliaque beneficia in ſubditos collata, poſt mortem divinos meruerit honores. Alii aliter. Huic uni, quamvis trecentos *Joves*, ut dictum, à M. Varrone enumeratos Tertullian. teſtetur, omnia tribuuntur, ne multitudo memoriam fallat. Metamorphoſes autem variæ Jovis demonſtrant, Principes, cùm in tyrannos degenerant, & ſceleratos homines, cùm libidini ſe dedunt, in omnes brutorum formas mutari, & ad turpiſſima quæque dilabi. Pingebatur, ut ait Albricus, in throno eburneo ſedens, ſceptrumque regium ſiniſtrâ quidem tenens, alterâ verò fulmi-

fulmina ad inferos mittens, Gigantesque fulminatos, pedibus conculcans; juxtà aquilam, quæ volans inter pedes ejus Ganymedem raptum portabat, habentem in manu craterem, ut Jovi poculum propinaret. Inter aves enim aquilam Jovi poetæ dedêrunt. Horat. Carm. l. 4. Ode 4. Initio

Qualem miniſtrum fulminis alitem,
Cui Rex Deorum regnum in aves vagas
Permiſit, expertus fidelem
Jupiter in Ganymede flavo.

Et proinde *Jovis armigerum* Sil. *Jovis volucrem* vocat Lucan. Hic. Sil. Ital. *Punic. Bell. l.* 10. v. 108. & ſeqq.

Armiger haud aliter magni Jovis, anxia nido
Quem dignos morit geſtanda ad fulmina fœtus,
Obverſam ſpectans ora ad Phaëtontia prolem
Explorat dubios Phœbeâ lampade natos.

Ille Lucan. *Civ. Bell. l.* 9. v. 20. & ſeqq.

Utque Jovis volucer calido cum protulit ovo
Implumes natos, ſolis convertit ad ortus.
Qui potuêre pati radios, & lumine recto
Suſtinuêre diem, cœli, ſervantur in uſus,
Qui Phœbo ceſſêre jacent.

Vide Claud. *præfat de 3 Conſ. Honorii*, v. 14. Tres ſtatutæ ejus Græci oculos indidêrunt, ut oſtenderent, illum ſcire, quæ in Cælo, in Terra, & apud inferos: præſentia, præterita & futura. Epithetorum ejus numerus tantus eſt, ut Arnob. proverbio dicat, *Tot monſtra, quot Jovis nomina.* Heſiod. *Theog.* Homer. Cartar. Boccat. Natalis Com. Lilius Girald. Al. Roſæus, Thom. Dempſt. in Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. c. 25. Nic. Lloyd. Addo, quod hunc Deorum præcipuum habere Oraculo moniti ſunt Athenienſes. Cùm enim de monarchico regimine tollendo conſilia agitarent, reſponſum illis divinitùs eſt, προςάτην Δία Βασιλέα, *Præficerent ſibi Jovem Regem*, Schol. *Ariſtoph. p.* 122. unde poëtæ huic *in Nubibus* Ζεὺς Βασιλεὺς, i. e. *Jupiter Rex*, diſerte appellatur. Idem eum, velut Præſidem Juſtitiæ, Supplicum, Conſilii, Societatis civilis, Hoſpitum &c. venerati ſunt, ut ex epithetis ejus infrà apparet. Vide Fr. Roſſæum *Archæol. Atticæ l.* 2. c. 2. & hic paſſim Coronamen tum *Jovis* quod attinet, *poſt devictos Titanas hoc munere à cæteris honoratum*, ait Tertullian. *de Cor. mil.* Et quidem nexâ è vernis floribus coronâ ſimulacrum ejus redimitum, Pauſ. habet *l.* 5. Oleaginam ei tribuit Phornut. *in Jove.* Querceam, alii &c. Vide C. Paſchal. *Coron. l.* 4. c. 2. & ſuprà ubi de *Junone*. De ſimulacris ejus variis, fictili, vitigineo, eburneo, aliiſque, magnâ olim veneratione cultis: de ſtatuis ejus ex ære, alioque metallo; pictis item effigiebus, optimorum artificum: porrò de more priſco, minio ſimulacrum ejus pingendi, menſam verbenaca verrendi, aliiſque, vide Plin. paſſim. Sed & de ſepulcro illius ut aliquid addam, montem Idam in Creta primò, mox totam Inſ. eo gloriatam, innuit Stat. *Theb. l.* 1. v. 278.

--- placet Ida nocens, mentitaque manes
Creta tuos ---

Et certe res multis Scriptoribus tradita eſt, quos magno numero laudat Barthius *ad l.* Varro ſe vidiſſe ſcripſit, vel ævo ſuo ſanè ſepulcrum id fuiſſe conſpicuum. Solin. c. 17. Varro *in l. quem de Litoralibus fecit, etiam ſuis temporibus affirmat, ſepulcrum Jovis ibi viſitatum.* Hodieque ſupereſſe, refert J. Villamontius *Itin. l.* 2. c. 5. *La grotte de Minos eſt encor en ſon entier, que les Venitiens & Candiots appellent aujourdhuy le ſepulchre de Jupiter.* Titulum habuiſſe hunc.

Ἐνθάδε μέγας κεῖται Ζὰν, ὃν Δία κικλήσκουσι.

addit Salmaſ. *ad Solin. d. l.* Sic Bacchi Sepulcrum Delphis oſtenſum, & templa pleraque ſepulcra fuiſſe, docet Euſeb. *Chron. l.* 2. & Clem. *Protreptico.* Plura de principe hoc Gentilium Idolo, vide præter Autores jam dictos, apud Caſp. Barth. *Animad. ad Stat. paßim*, & *Commentario Superſtitionum*, Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. & Progr. Idol.* Salmaſ. item *ad Solin.* Alios uti de *Jove Mariano* & *Pompejano*, infrà aliquid in voce *Pompejanus* de *Prodigiali* ſ. *Averrunco* ubi de *Prodigiis*: de *Inventore*, in voce *Recaranus*: de *Sponſore* in voce hac; it. *Teutates*; de Jove Papæo apud Scythas, in *Thaminaſades*, de Jove *Tigillo*, in hac voce: de *Deſcenſore*, ſuprà ubi de *Aris, pro terminis*, de Jove *Mithra*, infrà ubi de hoc Perſarum idolo. Neque verò *Jovem* ſolum, imò CCC. *Joves*, ſ. *Jupiteres*, ut ait Varro, ſed & *Genium Jovialem* venerati ſunt Rom. cujus meminit Arnob. *adv. Gentes l.* 3. *Ceſius Fortunam arbitratur & Cererem, Genium Jovialem ac Palem—ne[illegible] quem generis miniſtrum Jovis ac villicum.* Penates ſc. eſſe. Et *ſub fin.* ubi fermè eadem repetit.

Iovis apud Rom. cognomina & templa.

Arbitrator, cujus templum *Pentapylon* dictum fuit in 10. urbis regione.
Averruncus.
Capitolinus, qui & Opt. M. dictus eſt, templum habuit, in monte Capitolino, à Tarquinio Priſco extructum; à Veſpaſiano reparatum. Hic in perjuros biſulcum fulmen vibrabat.
Conſervator & Cuſtos, cui utrinque ædem ſacravit Domitianus.
Creſtius, vide ſuprà.
Deſcenſor.
Dieſpiter, habuit templum in 10 urbis reg.
Elicius, cui aram in Aventino Numa dicavit.
Faguralis, cui ſacellum & lucus in reg. 10.
Feretrius, à Romulo conſecratus,
Hercejus vide ſuprà.
Imperator, cujus ſimulacrum Prænoſte Romam delatum, dedicavit T. Quintus.
Indigens nomine primùm apud Rom. cultus, Æneas fuit.
Inventor, cui ara fuit in Circo maximo.
Lapis.
Latialis, conſecratus à Tarquinio Superbo.
Lucetius, Oſcâ linguâ idem cum Dieſpitre.
Marianus, cui Marius templum condidit.
Papæus.
Piſtor, cujus ara in Capitolio fuit.
Pompejanus, eximiæ magnitudinis coloſſus, à Claudio Cæſ. dedicatus, in Campo Martio.
Prædator, cujus templum, & templi autor ignoratur.
Prodigialis.
Propugnator, cujus ædes in Palatio fuit.
Pugnans, cujus templum à quo extructum, quæritur.
Puer, Vide ſuo loco.
Sponſor, à Tarquinio Sup. conſecratus.
Stator, cui templum à Romulo in Palatino monte: à M. Attilio Regulo in Palatio conditum.
Tigillus.
Tonans, cui Aug. in Capitolio ædem extruxit.
Vejupiter, ædem inter arcem & Capitolium habuit.
Victor, cui ædem vovit L. Papyrius Curſor.
Vimineus, aram in colle Viminali habuit.
Ultor, cui Agrippa ædem, quam Pantheon appellavit, fecit ſacram, &c.

Iovis apud Athenienſes epitheta varia.

Ἀγοραῖος, quaſi *Forenſis*, dictus eſt, quod Fori, rerumque vendendarum ac emendarum crederetur Præſes.
Ἀπόμυιος, vide infrà *Myiodes*.
Βουλαῖος, i. e. *Conſiliarius*, quod is conſiliorum eſſet autor ac moderator.
Ἐλευθέριος, ſ. *Liberator*, appellari cœpit, cum Themiſtoclis ductu Græcos à Perſis liberavit, vide Plutarch. *in Them.* & *Pauſ.*
Ἐξακεστήριος, vide infrà *Iuramentum.*
Ἕρκιος, etiam Latinè *Iupiter Herceus* vel *Hercejus*, à voce ἕρκος, i. e. *vallum, ſeptum*, eo quod domorum ſepta cuſtodiret; Habuit hic in atrio domûs cujuſque ſub dio aram, ἐν ᾗ ἔθυσαν Διὶ ἐφόρῳ τοῦ ἕρκους, *in qua ſacrificabant Iovi ædium cuſtodi.*
Ἱκέσιος, vocitatus eſt, tanquam præſes τῶν ἱκετευόντων ſ. ſupplicum. Vide Ulpian. *in Demoſth.* p. 272.
Καθάρσιος, vide infrà ubi de *Iuramento.*
Καταιβάτης, quaſi *Deſcenſor*, quòd in tonitru, cujus illum faciebant, moderatorem, in hæc inferiora deſcenderet.
Νέμειος, Lat. quoque *Nemius* dictus eſt, Præſes Legum atque Juſtitiæ, Demoſthenes *in Midian* p. 251. Diverſum ab hoc Νέμειον coluére Corinthii.
Ξένιος, i. e. *Hoſpitalis*, ſ. *Hoſpes* Ovid. Met. *l.* x. v. 224.

Ante fores horum ſtabat Iovis Hoſpitis ara,

in præcipuo honore erat, tanquam peregrinorum ac hoſpitum quos Athenienſes inprimis honorificè ac religioſè habuêrunt tutelare Numen. Huic ſacra facientes his verbis uti ſolebant: Ἐς Δία Ξενιον ἁμαρτεῖν, εἰ ἀδικοίην ξένους, *Si hoſpites offendero vel neglexero, ſim reus læſi Iovis Hoſpitalis*, Euſt. *in Iliad.* λ.
Ὁμόγνιος appellatus eſt, tanquam cognationis præſtes.
Ὅρκιος vide infrà.
Πολιοῦχος, i. e. *Urbium Protector* dictus eſt, quòd in ejus tutela urbes ac Reſpublicæ eſſent.
Σωτὴρ vide infrà *Soter*.
Τέλειος, vide infrà *Nuptiæ*.
Ὕπατος, quòd ſupremus eſſet omnium Deorum *Pater hominumque Deumque*.
Φίλιος, quòd τῆς φιλίας i. e. *amicitiæ* eſſet autor ac ſtator.
Φράτριος ab iis cognominatus eſt, quod idem Tribubus ac Societatibus civilibus præeſſe, exiſtimaretur.
Φύξιος vide infrà *Prodigia*.

Apud alias quaſdam gentes.

α. Ammon, apud Ægyptios in veneratione fuit: cum barba pingi ſolitus, πέλειος θεός & κελοκέρως. Cujus ſimulacrum in Muſeo Kircher. conſpici, G. de Sepibus tradit, *in Deſcript. ejus p.* 8. β. Ἀπόμυιος, apud Eleos, vide *Muſcarius.* γ. *Baal* ſ. Belus, Phœnicibus & Chaldæis dictus eſt. Item *Baal ſamen*, h. e. *Dominus, Princeps, Rex cœli*, quibus nominibus Solem indigitatum, docent eruditi. δ. Caſius cultus eſt in monte cognomine, de quo vide ſuprà. ε. Creſcens, in nummo Valentiniani, de quo vide Virum literatiſſimum Iac. Gronov. doctiſſimâ *Ep. ad Ant. Magliabequium. Mediceæ inſtructiſsimæ Bibliothecæ Præfectum* ζ. Dodon. in Epiro. Vide in voce *Dodona.* η. Feretrius, adde opimis indui ſolebat. Iul Firmicus, *Quid ipſe Iupiter veſter modo imberbis ſtatuitur, modo barbatus locatur: & cum Hammon dicitur habet cornua: & cum Capitolinus, tunc gerit Fulmina: & cum Feretrius eſt, opimis induitur.* Nempe alio atque alio habitu Hammon. Capitolin. Latiaris Feretrius erat inſignis. Vide Ioh. Frid. Gronov. *Obſerv. in Eccl. Script. c.* 5. p. 80. & 81. θ. Iomæus, in Arcadia, cui templum ab Auſtæo ſtatutum. Marna, Gazæ in Palæſtina vide infrà *Marna. Moloch*, i. e. Rex, vide ibi. κ. Moloſtus, vide ſuo loco Nicephorius, λ. Nicephorus, vide infrà, item *Victor* μ. *Olympius*, Græcis cultus eſt, de quo multa Barthius *ad* Stat. *Theb. l.* 2. v. 35.

Stat ſublimis apex, ventoſque imbreſque ſeverus,
Deſpicit,

Idem Ibid. *l.* 4. v. 758.

--- Tu nunc ventis pluvioque rogaris
Pro Iove;

ubi *Pluvium* Jovem hoc nomine adoratum fuiſſe, docet. vide quoque ſuprà, ubi de *Junone*. ν. παλλάντιος, Trapezunte, ξ. Piſæus, Piſis cujus ſimulacrum ex ebore fecit Phidias. ο. Triphylius, in Panchaja π. Urius apud Boſphori accolas &c. de quibus omnibus vide Salmaſ.

ad Solin. Barth. *ad Stat.* nec non *magno Comm. Superſtition*, & hîc paſſim.

IUPITER Belus, vide *Belus*.

IOVIS *Civitas*, vide *Dioſpolis*.

IURA, vulgò *Jura*, *Yl*, inſ. Scotiæ, ei ad Occ. adjacens, & Hebridum una, ad Bor. Hylæ Inſ. cum aliquot caſtris, in ora Orientali.

IURA, mons Galliæ Lugd. Sequanas ab Helvetiis diſcludens. Unde Glareanus, de finibus Helvetiæ canens, inquit:

> *Denique ad Occiduas umbras, Zephyrumque tumentem*
> *Burgundos acres habet, & diſcrimen utrinque*
> *Cervices, ó* Iura, *tuas, qui Sequanæ rura*
> *Scindis ab Helvetiis nunquam ſine gramine campis.*

Ejuſdem meminit Sanazar. *l.* 3.

> *Oſtendit ſacrum mons ubi* Jura *nemus.*

Pro ratione locorum & regionum varia ſortitur cognomina. Plin. *l.* 3. *c.* 4. A' Strab. vocatur *Juraſſus* ſed *in extremo l.* 4. *p.* 193. *Jopa*, Gallicè *S. Claude*, ab eo Monaſt. quod à Lupicino & Rom. fratribus conditum primò Condatiſco, dein S. Augendi, tandem S. Claudii vocatum eſt. Item, *le Joux*: quod Abbatiæ quoque ad Urbam, & vico ad Dubim nomen: ab Allobrogibus *Jurten* ab ea parte appellatur, quâ ſilvoſiſſimus. Ab Helvetiis autem recentioribus, ad Mer. *Schaffmatt*, & ab hepatis coćti ſimilitudine: *Leberberg* idem mons vocatur; eò quòd hepatis elixati colorum ſaxa (quorum magna in eo copia eſt) referant. Alii tamen à caſtris derivant, quaſi dicas Caſtrorum mons *Legerberg*, eò quòd veſtigia & inſcriptiones quædam teſtentur, Iulium Cæſarem illic caſtrametatum eſſe. Quod non videtur probandum. Incipit autem intrà Brugas oppid. ad Arolam flum. in Helvetiis, ubi *Botzberg* à pago *Bozzen* dicitur, deinde rećtà ad Occaſ. ſecundùm Arolam ad Solodorum progreditur, ibique hodie *Hovvenſtein* vocatur. Vide infrà. Hinc ad Bipennes opp. ad Neacrim vulgò Novum caſtrum: Deinde inter Occaſ. & Mer. deflećtit Genevam uſque, ac ultra etiam in Sebuſianos hodiè Bellicenſes Cæterum in dićto jam trаćtu pluribus locis tranſitur. MScr. Baudr. à Sept. Rhenum usque porrigitur, & à Mer. Genevam ac Breſſiam attingit. Ejus pars minuta, *la Cerdo*, uſque ad Rhodanum extenditur, 4. leuc. infra Genevam Ioh. Baptiſtæ Plantino, totus ferè longitudinis ſuæ reſpećtu, Helvetiæ eſt hodiè, Porrigitur enim illa ab opp. *Waldshutto*, in Rauracorum finibus, ubi Arola ſe Rheno miſcet, ad Rhodani Cluſam uſque, non procul à Geneva. Alii eum incipere volunt in Pago Tigurino apud opp. *Regensberg* & inde ſub nomine *Lagerberg*, per obliquum traćtum, *Baden* verſùs, *Dägerfelden*, *Klingnavv* & *Waldshut* uſque pertingere. Prope Farnſpurgum, in agro Baſil. dicitur *Schaffmatt*; inter *Olten* & *Homburgenſem* præfećturam *Niderhavvenſtein*: Inter Vallenburgum & Balſtalium *Oberhavvenſtein*, ubi onuſti currus grandibus per declive funibus demittuntur. Occaſ. verſùs procedendo nuncupatur *Waſſerfall.* i. e. aquæ lapſus. Ulterius eundo *Iurtem*, priſco ferè nomine. Brachium ejus, quod ſe Baſileam verſùs extendit, *Blovven* dicitur. Fertilis eſt & in variis vallibus *Fricktal*, *Lauffental S. Immerſtal*, ſub Ep. Baſil. Comitatu Vallangino, ſub quo *Vaux de Ruz*, *le Lode*, *la Sagne*, *les Brenets* & *Chaudefond*: *Vaulx Travers*, ſub Comit. Neocomenſi: *la S. Croix*, *de Ioux*, *es Clées*, & *Vallorbe*, ſub dit. Bernenſi, egregiè habitatur. Quæ familiæ traćtum ejus nobiliſſimæ in agro Raurico incoluerint. Vide apud Urſtiſ. *Epit. Hiſt. Baſil. c. primis.* Præterea in monte hoc Virginis caſtrum, à Cæſare extrućtum, Fons nivis in æſtate, Puteus cryſtallo plenus, abies & betula laudatiſſima, tauxus quoque, unde arcus & arcubaliſtæ, fluv. Orba admirando ex lacu Iurienſi exitu, Petrâ pertusâ, &c. Vide inprimis Plantinum ſupra laudatum *Helv. Nov. Antiqq. c.* 5. A *Iura* dićti *Transjurani*, quos Fredeg. *l.* 5. *c.* 37. Alamannis confines facit, ac Aventicenſes eis tribuit. Horum regio *Burgundia Transjurenſis* quibuſdam dicitur. Rodulphi poſteros *Reges Iurenſes* Frodoard. vocat, quòd circa Iuram regnarent: quos quidam *Reges Burg. Transjurenſis*, alii lato nimis nomine Reges Burgundiæ & Galliæ cis Alpinæ vocant. Territorium *Iurenſe* quoque hinc appellatum. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

JURAMENTUM, in judiciis & ačtionibus, apud omnes ſemper gentes, cum circà litigantes, tum circà teſtes, non exigui usûs fuit: Unde Ariſt. μετὰ θείας προλήψεως φάσις ἀναπόδεικτος, *cum divina ſibi aſſumptione Dićtio non demonſtrabilis*, Rhetoric. *ad Alex. c.* 18. Aliis, veluti proverbio, Μαρτυρία θεοῦ περὶ πράγματος ἀμφισβητουμένου, *Teſtimonium Dei, de re controverſa*; &, Τὸ πίστεως βεβαιότατον σύμβολον, *Fidei firmiſſimum ſigillum*, apud Philonem Jud. *de Allegoria l.* 2. &c. Quemadmodum Autori Epiſtolæ ad Hebræos *c.* 6. *v.* 16. καὶ αὐτοῖς Πάσης ἀντιλογίας πέρας εἰς βεβαίωσιν, *Omnis controverſiæ finis, in confirmationem.* Sed ritus *Iurandi* apud varias Gentes varius fuit. Apud Rom. ſolenne jusjurandum in Capitolio concipiebatur, Plin. *l.* 2. *c.* 7. Idque præſertim, cùm adigendi in ačta Principum cives erant Kalendis Januariis Tac. *Ann. l.* 16. *c.* 35. Jurabant autem ibi per Jovem Capitolinum, quem Plin. *fulminantem* vocat, quòd in perjuros telo triſulco erat armatus. Cùm fœdera ſancirent, tenebant iidem lapidem ſilicem in manu, ſicque per Jovem lapidem in hæc verba jurabant. *Si ſciens fallo, tum me Dieſpiter ſalvâ urbe arceque bonis ejiciat, uti ego hunc lapidem.* Ubi quidam per lapideum Jovis ſimulacrum, alii per vivum lapidem, i. e. qui ſe dæmonis inſtinću movebat, juratum fuiſſe volunt. Eodem modo Judex, in Comitio, ad aram, quæ *Puteal libonis* dicebatur, jurare ſolebat, ſe ex lege judicaturum: Litigator dein uterque jurare juſſus eſt, quod *Calumniæ juramentum* vocabatur. Nam Aćtor quidem juravit, ſe litem ex æquo & bono æſtimaturum: Reus verò, ſe injuriam non feciſſe; quorum illud Athenis προωμοσία, hoc ἀντωμοσία, utrumque διωμοσία dićtum eſt, annotante Sam. Petito *Comm. in LL. Attic. l.* 7. *tit.* 1. Quo ordine quove ritu à militibus juratum fuerit, docet Cæſ. de *Bell. Civ. l.* 3. *c.* 4. *Princeps Labienus procedit; juratque eum ſe non deſerturum, eundemque caſum ſubiturum, quemcunque ei Fortuna tribuiſſet? Hoc idem reliqui jurant Legati, hoc Tribuni militum Centurioneſque ſequuntur atque idem omnis exercitus jurat.* Enſes autem juraturi vibrabant, quò ſignificarent, diſtrićtis gladiis ulciſcendam ſacramenti violati fidem. Unde Amm. Marcell. *l.* 21. *c.* 5. *Juſſique univerſi in ejus nomen jurare ſolenniter, gladiis cervicibus ſuis admotis; ſub exsecrationibus diris, verbis juravêre conceptis* &c. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. cum Paralip.* Thom. Dempſt. paſſim. Addo ſaltem, apud Rom. Conſules ineuntes, in Leges; decedentes *juraviſſe*, *ejurâſſe*. Unde de Trajano Plin. *in Panegyr. Imp. ergo & Cæſar & Aug. & Pontifex Maximus, ſtetit ante gremium Conſulis* (decedentis) *ſeditque Coſ. Principe ante ſe ſtante: & ſedit inturbatus, interritus, & tanquam ita fieri ſoleret. Quinetiam ſedens ſtanti* (Principi) *præivit juramentum: & ille juravit, expreſſit explanavitque verba, quibus caput ſuum domum ſuam, ſi ſcienter fefelliſſet, Deorum iræ conſecraret*, uti locum reſtituit Joh. Frid. Gronov. *Obſerv. l.* 4. *c.* 16. Nempe *juravit*, Trajanus, ut Coſ. aliàs neque Romanos, neque CP. Impp. Senatui jurâſſe aut Populo, quod quidem Livinejus, Meurſius. Alii, voluêre, oſtendit Idem *ibid.* &c. Apud Athenienſes Ὅρκος, (quem Eridis filium finxit Heſiod. cùm ſit omnis contentionis terminus, Heb. *c.* 6. *v.* 16.) ſ. *Jusjurandum*, duplex erat, *magnum & parvum. Magnum*, cùm vel homines per Deos, vel Dii per Stygem jurabant: Heſiod. *in Theog.*

> Αὐτὴν μὲν γὰρ ἔθηκε θεῶν μέγαν ἔμμεναι ὅρκον.

Hujus autorem Jovem ferunt, qui vel à Styge ejusque filiis contra Titanas adjutus, vel ejus hauſtu, in pugnæ calore, levatus, hanc jurandi formulam Deorum turbæ præſcripſerit: per quam ſi quis pejerâſſet, 9000. Annorum in Inferis pœnas dediſſe, refert Serv. Imò ipſe Jupiter, eidem ſe cum reliquis legi ſubjiciens, *deſtinatam ſibi cum ſuis cultoribus pœnam præſcius perhorruit*, ut loquitur Minut. Felix. Et talis propriè dicebatur ὀμνύειν, teſteſque invocabat Deos & vindices, additâ aliquando imprecationis formulâ, ſi ſciens fefelliſſet. Telemach. apud Homer.

> Οὐ μὰ Ζῆν' Ἀγέλαε, καὶ ἄλγεα πατρὸς ἐμοῖο.

ubi *per Iovem, & patris ſui calamitates* jurabant. Mulieres per *Iunonem*, vel *Dominam Dianam* Jurare ſolitæ erant: exemplo Clytemneſtræ apud Eurip. *in Electra*, μὰ τὴν Δέσποιναν Ἄρτεμιν. Viris, veteri Solonis lege, per quos jurare liceret, tres ſanciti ſunt Dii: Τρεῖς θεοὺς ὀμνύναι Ἱκέσιον, Καθάρσιον, Ἐξακεστῆρα, *Per tres Deos juranto, per Supplicem, per procuratorum, per Averruncum*: ſ. potiùs unus Deus Jupiter ὅρκιος, qui tribus his nominibus erat inſignitus, Cuſtos enim Juramentorum princeps hic Deorum habitus eſt, quod non ſolum ex voce ipſa, quæ quaſi *Jovis Jurandum* dicitur, ſed & ex Eurip. *in Medea* patet, *v.* 170.

> --- --- Ζῆνά θ' ὃς ὅρκων
> Θνατοῖς ταμίας νενόμισται.
> --- --- *Iovemque qui* juramentorum
> *Mortalibus cuſtos creditus.*

Interim adeò non contenti ſuo Jove manſêrunt, ut non ſolùm per reliquos quoque Deos jurarent: Ephebi quidem, *per Agraulos, Enyalium, Martem; Jovem, Nutritiam terram, Dianam*; Heliaſtæ *per Jovem, Neptunum, Cererem*; reliqui Judices *per Apollinem Patrium, Cererem, & Jovem Regem* &c. ſed & animas eorum, qui in hoſtico eſſent Mortui, teſtes invocarent: ut Demoſthenem μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι, *per eos, qui in Marathonia obière pugna*, juraviſſe legimus. Quemadmodum & apud Rom. non tantum *per Deum*, ſed etiam *per ſalutem ſuam*, item *per caput ſuorum*, aut *filiorum ſuorum*: inprimis *per ſalutem* aut *genium Principis* juratum eſt. Quod poſtremum etiam in Chriſtianis fačtitatum eſſe, docet Tertullian. *Apologet. c.* 32. ſed hoc diſcrimine, ut per ſalutem Cæſaris Deum, qui Cæſaris ſalus eſt & per quem valet, intelligerent. Aliquando Athenienſes, fiduciam cauſæ ſuæ oſtentaturi, patri adverſæ optionem dabant nominandi ſibi Deum, per quem jurari vellet, hoc modo: Ὄμνυμι μὲν τινὰ τῶν θεῶν, ut videre eſt apud Platon. *in Phædro* & Ariſtænet. *l.* 2. *Ep.* 2. *Euxithei ad Pythiam.* Nonnunquam per plures ſimul, ut viſum ſuprà: quandoque per omnes ſuos XII. Deos, μὰ τοὺς Δώδεκα, quod in vulgari uſitatum erat colloquio jurabant, Ariſtoph. *Equit.* quemadmodum Lacones per τὼ Σιώ, binos ſuos Deos, Caſtorem Pollucem. Cùm expediendarum litium causâ publicè jurandum eſſet, Dii quidem manus in altum tollebant, unde Apollo apud poëtam Lacheſin rogat χεῖρας ἀντεῖναι; imò ipſe DEUS in Scripturis iſtiusmodi verbis uti ſolet. Homines verò, manu altari impoſitâ, ſi publicum eſſet jusjurandum, jurabant: ſin privatum manum ejus, cui jurabant, tangere erant ſoliti, more quoque Romanis uſitato. Sic Menelaus apud Euripid. juramentum ab Helena, expoſcens, ait *v.* 834.

> Ἐπὶ τοῖς δὲ τοῖς νῦν δεξιᾶς ἐμῆς θίγε.

Dein *Juramento ſolenni* defungentes, caprum Diis, per quos jurabatur, vel arietem vel capram ſacrificabant, vel etiam ex triplici hoc animalium genere ſimul vićtimas offerebant, ſ. ſingulas ſ. ternas: Quemadmodum Romanis porca inprimis in hunc uſum placuit, &c. *Parvum*, Gr. Μικρὸς ὅρκος vocabatur, cùm per creaturas jurabant: Viz. *per Cramben, per Anſerem* vel *Canem*, quod Socrati uſitatum: *per ſolum*, cui inſiſtebant: unde Hippolitus apud Eurip.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Eurip. καὶ πέδον χθονὸς ὄμνυμι: *per retia aliaque inſtrumenta*: inprimis *per caput*: ut apud Virg. *Æn. l. 6. v. 459. l. 7. v. 334. & l. 9. v. 300.* legimus,

Per caput hoc juro (per quod Pater antè ſolebat.)

Utrobique ſolebant jurantes, vel per ignem manum traducere, vel ferrum candens Gr. μύδρον manu tenere, perſuaſi bonâ fide jurantibus neutrum nociturum, ſ. ut Schol. Eurip. *in Hel.* ait, τοὺς μὴ ἐνόχους τῷ ἀδικήματι ἐν τοῖς μὴ ἀδικεῖν: quem ritum etiam veteres Saxones laudâſſe notum. Aliquando ferrum in mare projiciebant, ſignificantes tam diu ſe juramenti fidem ſervaturos, quamdiu ferrum eſſet in mari manſurum. Callimach.

--- μέχρις τὲ μένη μέγας ἐν ἁλὶ μύδρος.

Nonnunquam etiam juramento chartæ inſcripto, hacque in aquam projectâ, de jurantis ſinceritate edoceri volebant: ſi enim ſcheda ſupernataret, credebant ſanctè juratum: perjurii verò ſignum habebant, ſi illa mergeretur. Quò facit, quod Poëta de Athenienſibus memorat, illos tripodi juramento inſcripto, illum Delphos miſiſſe,

Μνημεῖα δ' ὅρκων, μαρτυρήματ' Ἑλλάδι,
Monumenta jurisjurandi, & teſtimonia Græciæ, &c.

Vide Franc. Roſſæum *Arch. Att. l. 6. c. 4. & ſeqq.* Circa *Juramentum* verò religioſi admodum fuêre utrique qui proin, ne vel tantillâ ſe aberratione pollucrent, quum jusjurandum concipiebant, conſiderabant attentè & perpendebant verba ſua, ac ne quâ tamen calumniâ aliter explicari poſſent, mente ſe potiùs, quàm linguâ, jurare affirmabant, in ea, quæ ſentirent tantùm, jusjurandum concipere ſe, non item ſtrictè verba accipienda eſſe. Erat idcirco formula uſitata, *Si ſciens fallo*. Sic enim in omni juramento mentem propriè præſtabant, nec obligabant verba niſi conſpirantia cum ipſa mente. Unde *qui ſciens fallere non videtur, pejerare non videtur*, *l. 6. D. de Jurejur.* quam in rem vide Cujac. *in Obſerv.* Hinc Pind. *Olymp.*

Αὐδάσομαι ἐνόρκιον λόγον ἀλαθεῖ νόῳ
τεκεῖν μή τιν' ἑκατόν γε ἐτέων πόλιν
φίλοις μᾶλλον εὐεργέταν πραπίδεσσιν.

Et quia τὸ δυνατὸν ſolùm præſtatur, idcirco & hujus conditionis mentionem quandoque faciebant. Præterea, ne poſt Mortem etiam eorum manes tacitâ vi obligari viderentur, *mortem* quoque excipiebant. Hinc **Achilles**, apud Homer. jurat,

Οὔτις ἐμεῦ ζῶντος κλ.

Vide quoque Eurip. *l. 1.* ubi totam Vett. Jusjurandi religionem clariſſimè explicatam habes, indeque inter alia diſcas, præiviſſe quandoque jusjurandum, qui illud deferebant, & Deos etiam ipſos, per quos jurari volebant ſibi, nonnunquam nominâſſe. Ibi ergo Medea τὰ ἀδύνατα excipit mortemque verbis [illegible] Deſid. Herald. *ad Arnob. l. 5.* Apud Hebræos, aliquando elatâ manu *jurabant*, ut de Abrahamo legimus Gen. *c. 14. v. 22.* & Deo ipſo, Pſ. 106. *v. 26.* Nonnunquam, qui alteri jurabat, manum ſub femore illius poſuit, uti Eliezerus ſervus Abrahami, Gen. *c. 24. v. 5.* & Joſephus Jacobo patri juraturus, *c. 47. v. 31.* ut de Athenienſibus ſuprà & alibi de Pœnis Romanisque ab Eruditis annotatum eſt. Jurabant autem per ſolum Deum, ut apparet ex Eſa. *c. 45. v. 23.* & Rom. *c. 14. v. 11.* unde priſca formula: *tribue gloriam Jehovæ*, Joſ. *c. 7. v. 19.* & Joh. *c. 9. v. 24.* gloriam nempe omnipræſentiæ, veracitatis juſtitiæ ac omnipotentiæ ejus: Quæ cauſa, quod nemini temerè juramentum deferebatur, neque niſi extremâ neceſſitate urgente. Sequioribus poſteà temporibus, cùm mores populi in pejus irent, gloria hæc ſoli **DEO** debita ad alia quoque transferri cœpit. Unde *per creaturas varias*, *Hieroſolymam* inprimis, *Templum*, *aurum Templi*, *Altare*, & *donum in Altari*, quod *Corban* dictum, circa tempora **SERVATORIS** noſtri Judæi jurare ſoliti ſunt. E quibus ultimum inprimis jurandi genus à Scribis & Phariſæis magni eſt habitum, ut apparet ex Matth. *c. 23. v. 18.* & Joſepho *c. Appionem l. 2.* Imò quamvis honor parentum divinâ Lege injunctus liberis eſſet, tamen ſi quis horum ad contrarium ſe obſtrinxiſſet jurejurando *Corban*, à lege immunis habebatur. Hinc Jurejurando hoc ſe non rarò obſtrinxiſſe, huic vel illi homini nihil commodi ſe præſtituros, legimus apud Philon Judæum *de ſpecialibus LL. p. 595.* Porrò uſitatum fuit diras aliquas vel execrationem conditionatam juramento annectere, ut Saul fecit 1 Sam. *c. 14. v. 45.* *Ita faciat mihi Deus & ita pergat.* Aliquando tamen ſubintelligenda relinquebatur, ut Gen. *c 14. v. 12. & 23.* *Juravi*, dira mihi imprecans, *ſi vel filum vel corrigiam calceamenti accepero*: quo pacto prior Juramenti pars negativa redditur, *Non recipiam filum vel corrigiam.* Sic Pſ. 95. *v. 11.* *Juravi in ira mea, ſi intraverint* in requiem meam, i. e. *non intrabunt in requiem meam*, Vide Hebr. *c. 3. v. 18.* Ita explicari commode poteſt difficilis ille locus Matth. *c. 15. v. 5.* Δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, *Per Corban, ſi quidquam tibi prodero.* Ubi Eruditi interpretantur ὃ ἐὰν *Si quicquam*: quemadmodum ὃς ἐὰν, *Si quisquam*, Matth. *c. 10. v. 14.* & *c. 23. v. 18.* Ut execratione ſubauditâ ſenſus emergat, *Per Corban nihil tibi prodero.* Nec obſtat, quod in textu Originali, ſit Κορβᾶν, non ἐν Κορβᾶν vel *per Corban*: iſtiusmodi enim ellipſes in jurandi formulis non eſſe inuſitatas, notum eſt, vide Druſ. *de tribus Sectis l. 2. c. 17.* Thom. Godwyn. *de Ritib. Hebr. l. 6. c. 6.* &c. In Chriſtianiſmo veteri, diſciplina Juramentorum maximè fundata erat verbis Chriſti, quibus Legem Judæorum vett. de perjurio, commentis non paucis à Magiſtris inquinatam, ex Judaiſmo genuino ac verò explicuit, Matth. *c. 5. v. 33.* quod totidem ferè verbis repetit Jac. *c. 5. v. 12* ubi monet, πρὸ πάντων, *ante omnia*, juramentis abſtinere; prohibetque per cœlum ac terram Jurari, *aliudque omnino juramentum vetat.* Unde, ut & ex verbis Chriſti, Judæos *per cœlum*, *terram*, *caput*, in more habuiſſe jurare colligimus. Sed quisnam eorum integer ſenſus, controverſum. Si enim, de non omnino jurando, ſimpliciter capiatur, undenam aliquoties teſtem Deum ejusque præſentiam invocat Paulus, Rom. *c. 1 v. 9.* 2. Cor. *c. 11. v. 30.* Gal. *c. 1. v. 20.* Atque autor ad Hebræos *l. c.* de *Juramento* diſertè loquitur, ut cujus in controverſiis omnibus decidendis uſus ſit maximus atque omnino legitimus. Ita etiam Chriſtiani primitivi, qui *per Genium* aut *Fortunam* Cæſaris, quoniam pro Dæmonibus ſumebantur voces illæ, jurare renuerent, *per Salutem* ejus libenter jurabant: & perinſigne eſt exemplum poſtea Athanaſii, de Deo palàm ab eo jurato, ubi ad Conſtantium Cæſarem, Μάρτυρα τὸν Θεὸν ἐπικαλοῦμαι ἐπὶ τὴν ἐμαυτοῦ ψυχὴν &c. *Deum teſtem invoco in animam meam* &c. *nunquam in te me malum feciſſe, apud Conſtantem, fratrem tuum* &c. Addens aliquoties, Μάρτυς ὁ Κύριος καὶ μάρτυς ὁ Χριστὸς αὐτοῦ, *eſt teſtis Dominus, & teſtis Chriſtus ejus*, ad formulam illam Samuelis, 1. Sam. *c. 12. v. 3.* Etiam Chriſtianum morem receptum indicans, [illegible] ὡς Θεοῦ παρόντος λαλοῦμεν, τοῦτον ὅρκον ἔχομεν ἡμεῖς Χριστιανοί *In iis quæ, ut Deo præſente, loquimur, eodem juramento utimur nos Chriſtiani.* Et Synesius Ptolemaidis circa A. C. 400. Ep. ſæpius νὴ τὴν ἱερὰν σου κεφαλὴν, *per Sacrum tuum caput* aliterque *in Ep. 49. 95. & 103.* &c. jurat. Accedunt quam plurima, tam apud Patres Orientis, Occidentisque, atque in Conciliis integris, quàm in Chriſtianorum Principum Conſtitutionibus ac adhibito paſſim cum in Foro, tum in Fœderibus, uſu apertiſſimè oſtendunt, illud *ne Jurate omnino*, non aliter acceptum eſſe, quàm ut id, quo Jurationis genera omnimoda neutiquam interdicerentur. In Oriente quoque Veterum Canones ὅρκους quidem Ἑλληνικούς, *per Gentium Numina juramenta*, vetabant, alia interim ultro admittentes, tam per res alias (modò non per Dæmonas aut res pro Dæmonibus habitas) quam per Deum O. M. *ut per caput, per vitam.* Sed in Occidente, circa Annos abhinc 850. non ſemel vetitum eſt, *per vitam Regis & filiorum ejus*, jurare, &c. Confule in verba Chriſti allata, præ aliis, Hugon. Grot. Poſtquam autem Chriſto nomen dederant Cæſares, *Juramentum* inſtituêrunt militare *per Deum & Chriſtum & Spiritum Sanctum, & per Majeſtatem Imperatoriam* (loco antiqq. formularum, *per genium*, *per fortunam*, *per ſalutem* &c. Ita apud Veget. *de Re Mil. l. 2. c. 5.* Mittimus hîc, Principibus Chriſtianis uſitata, ſolennia ac peculiaria juramenta, ut *per vultum S. Lucæ*, *per pedem Chriſti*, *per Sanctum* hunc vel illum aliaque nimis crebra. Inolevit verò tandem, ut, quemadmodum Pagani ſacris ac myſteriis aliquot ſuis aut tactis aut præſentibus jurare ſolebant, ita ſolenniora Chriſtianorum juramenta fierent, aut tactis ſacroſanctis Euangeliis, aut inſpectis, aut in eorum præſentia, manu ad pectus admotâ, ſublatâ vel protensâ. Atque id *corporaliter ſ. perſonaliter juramentum præſtare* dictum eſt, ut à juramentis per Ep. aut in ſcriptis ſolummodò, præſtitis diſtingueretur. Juriſconſulti Græci dixêre, σωματικῶς, καὶ τῇ ἀληθείᾳ ὀμνύειν. *l. 10. tit. Baſil. 25. §. 3.* ita diſcriminantes ab eo, quod erat, ubi ἐγγράφως [illegible] μόνον ὁ ὅρκος. Ex Jure Cæſareo vetere, ut hodieque frequentius, jurabant in Foro alibique, ubi ſolennior juramenti uſus, ἐφαπτόμενοι τῶν ἁγίων Εὐαγγελίων, *tangentes ſacra Euangelia*, Juſtin. *Novell. 124. c. 1.* &c. Acceſſit dein clauſula illa, *Ita me Deus adjuvet & hæc ſancta Euangelia*, aut, *& ea quæ codice in hoc continentur*, &, pro perſuaſionis diſcrimine, *& omnes Sancti*, In primis obſervandum ſolenne illud Procerum in Hiſpaniis de ſocietate ac συμμαχίᾳ ineunda juramentum, in quo præibat Pater patratus & deinde --- *Si prior defecero, certo conſilio illo die vos Superi corpus in hoc ſeculo, in futuro animam diris cruciatibus mactate; vires verbaque deficiant, facite; in pugna equus arma, calcaria, ſubditi, cùm opus eſſet maximè*; apud Joh. Marian. *de Reb. Hiſp. l. 15. c. 18.* Quo dicto, ſocietatem ſic ineuntes, dicebant *Amen. Nonnunquam etiam divinam hoſtiam in duas partes diviſam, uterque ſociorum libabat.* Alii per res ſanctas, ut *Sanctum aliquem*, *Reliquias*, *Crucem*, *Altare*, *Hoſtiam*, jurandum ſolum volunt; alii etiam per res creatas alias, nec juramentum ſic conceptum non obligare; alii nec per creaturas jurandum, *Cauſ. 22. q. 1. c. 9. & 10.* In jurando verò, manus extenſionis, quæ ſæpius cum pectori adhiberi, tum in aëre libero fieri ſolet, exemplum videtur vetuſtum in Apologia Athanaſii, *Tom. I. p. 674.* Καὶ τὴν χεῖρα ἐκτείνας, ὃ [illegible] τοῦ Ἀποστόλου, μάρτυρα τὸν Θεὸν ἐπικαλοῦμαι &c. *Et manum extendens, quod didici ab Apoſtolo, Deum teſtem invoco* &c. quamvis Apoſtolicum illud non tam ad juramentum, quàm ad apologiam ipſam ſpectat. Neque verò ſolum per ſe ipſos, ſed etiam per alios, homines nonnunquam jurant. Interdum enim id per Procuratores fieri ſolet, *in aut per animam Domini*, Speculat. *l. 2. Partic. 2. tit. de Juram Cal. §. 4.* Ita cùm Iſabella Henr. III. Angl. Regis Soror Frid. II. Cæſ. deſponſanda erat, Legati, eam heic circa rem, Cæſarei, Weſtmonaſterii *confirmârunt matrimonium, in Animam Imp. interpoſito Juramento. offerentes ei ex parte ipſius Imp. annulum ſponſalem. Quem cùm in ejus digito poſuiſſent, pronuntiavêrunt eam Imperatricem* &c. apud. Matth: Pariſ. A. C. 1235. Cujusmodi & alia occurrunt exempla. Æquiparari etiam ſolet, interpoſitio fidei, *per honorem, fidem*, Juramento ſolenniori &c. Alienæ autem perſuaſionis homines per id, quod venerantur illi, adjurari conſuevêre: cujus rei prodigioſum eſt exemplum in Jure Græco-Rom. *Tom. I. p. 119.* ubi Judæorum quilibet in forenſi negotio adjurandus, rubo cingendus fuit & καὶ ἀποπτύειν [illegible] εἰς τὴν θάλασσαν καὶ πτύειν τὴν περιτομὴν αὐτοῦ [illegible], Culeo ſ. utri inſidere & mare ingredi debuit, ac Circumciſionem ſuam ter conſpuere, ac jurare, *per Baraſe*, *Baraa*, *Adonai*, *Eloi*; *qui traduxit ſiccis pedibus Iſraëlem per mare rubrum* &c. *Per eam legem, quam Moſi dedit*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

& actum conſpuendi circumciſionem corporis mei : & rubum, quo cinguntur lumbi mei : Non falſò aut mentiendo juro Nomen Domini Sabaoth. Sed ſi falsò juro, execrandi ſint poſteri mei ventris ; more cæci parietem palpando quæram & inſtar ejus, qui oculos non habet, cadam. Cum hiſce omnibus tellus aperiat os ſuum, meque obſorbeat ut Dathan & Abiran. Aliudque ibidem ſequitur, ex libro Eparchico ſ. Præfectorio conſimile, ſed brevius. Rubo autem ibi etiam Judæus jurans cingitur, & jurat κρατήσας ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ τὸ μεγαλεῖον, *tenens in manibus ſuis Rem Magnam*, auguſtam, i. e. Legis Codicem. Et hæc quidem ad tempora pertinent Baſilii Junioris & Conſtantini Porphyrogennetæ Impp. ſ. A. C. 980. Apud Chriſtianos verò poſteros obtinuit, ut abſque ritibus illis rubi, culei, maris, adjurarentur Judæi, in Foro Chriſtiano, *Secundùm Legem, ſuam, ſuper decem præceptis Moſis*, vel ſic *Juras tu per Deum Patrem omnipotentem Sabaoth?* vel, *per Deum, qui apparuit Moſi in rubo?* vel *per verum Adonai patrem?* vel, *per Deum Elohim* &c. quibus reſpondendum à Judeo, *Juro*, vel ſic, *Si culpabilis es & perjurus, ſis diſperſus inter Gentes, & moriaris in terra inimicorum tuorum & ſic te terra abſorbeat, ſicut Dathan & Abiran.* Cui reſpondendum, *Amen.* Vel ſic, *Te lepra* apprehendat, ſicut Naaman *Syrum*; vel *Habitatio tua & fiat deſerta*; vel, *Veniant ſuper caput tuum omnia peccata tua & parentum tuorum, & omnes maledictiones, quæ in Lege Moſis & Prophetarum ſcriptæ ſunt, & ſemper tecum maneant*: reſpondente Judæo, *Amen.* Vide Durand. *Specul. l. 2. tit. de Jur. Cat. §. 3. n.* 17. Bartolum *ad L. jurari D. tit. de Jure.* & Marquard. de Suſanes *de Iudeis Part.* 2. *c.* 5. §. 10. Mauris verò ſ. Mahumedanis deferri olim ſolebat in Hiſpania, à Chriſtianis, juramentum in hunc ferè modum, ut in Alphonſinis legitur *Partit.* 3. *tit.* 11. *l.* 21. Tam is, qui deferret, quàm Maurus adjurandus ſiſtebant ſe coram Meſquita Mahumedana, ſi loci opportunitas ferret, aliove in loco à Iudice præſtituto, ubi Maurus, in Mer. verſus, manu ſublatâ, ac etiam per Deum ſuum & ſacra adjurabatur, *Iuras me tu Fulan Moro, por aquel Dios* &c. quibus is reſpondebat, *Aſsi lo juro*, ipſique juramento primâ perſonâ à ſe repetito, ſubjiciebat, *Amen.* At non omni tempore jurabatur olim : inoleverat enim apud Chriſtianos mira diſciplina, de temporibus amplioribus, quibus in litibus jurare non erat permiſſum. Unde legitur in Conc. apud S. Medard. habito, de quo vide Burchard. *Decret. l.* 12. *c.* 20. *Decrevit S. Synodus, ut à Septuageſima uſque in octavam Paſchæ, & ab Adventu Domini uſque poſt conſecratos dies; nec non & in Iejuniis Quatuor temporum & in Letania majori & in diebus Rogationum, & in diebus Dominicis, in fide, concordia & pacificatione, nullus ſuper ſacra jurare præſumat.* Quod item tranſcripſit Gratianus, *Cauſ.* 22. *Quæſt.* 5. *can.* 17. niſi quod habet, *ab Adventu Domini, uſque in Octavam Epiphaniæ & nullus ſuper ſacra Euangelia juret*, &c. Sc. *Placita ſecularia & poteſtas Iudicaria*, per tempora iſta, quieſcebant. Eratque non diſſimilis apud veteres Rom. de Feriis ſolennibus, diſciplina, ut videre eſt, apud Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 16. Ac de Sabbathis diebuſque pridianis atque aliis feſtis circa hanc rem apud priſcos Iudæos, ſimiliter res certa eſt. Unde in Chriſtianiſmo olim obtinuit Honorii & Theodoſii Min. A. A. ſancitum A. C. 409. quo, *die Sabbathi ac reliquis ſuo tempore, quo Iudæi cultus ſui reverentiam ſervant, neminem aut facere aliquid aut ulla ex parte convenire debere præcipitur*, *L.* 3. *C. Theodoſ. l.* 2. *tit.* 8. & *C.* 8. *tit.* 8. Sub vicennium quoque ante, ſ. A. C. 389. *Reſcripto* Valentiniani, Theodoſii & Arcadii AAA. vacationis intervalla aliquot eis, quæ in Canonibus jam memoratis occurrunt, ſatis ſimilia, præter *dies Dominicos* (quibus item lites prohibentur à Conſtantino) *& Principum natales ac Imperii ortus*, habentur, *l.* 7. *C. Iuſtin. tit. de Feriis, l.* 2. *C. Theodoſ.* & *tit.* 8. &c. Quòd ad Mahumedanos, juxta diſciplinam illorum ipſiuſque Mahumedis exemplum, cum per Deum, tum per creaturas; varie juratur. Lex habetur in Alcorano, *Azoar.* 34. *Lat.* 24. *Arab.* de Iuramento Forenſi, in cauſa adulterii: mariti accuſantis, qui teſtibus careret, teſtimonio, quater invocando ac jurando, *per Deum ſe verum dicere*; quinquies adjectâ imprecatione, *ut maledicat ei, Deus, ſi mentiretur.* Uxoris accuſatæ; quater ſimiliter Deum teſtando, maritum ſuum falsò juraſſe, quinquies itidem imprecando, *ut iraſcatur ei Deus, ſi is fuerit veridicus*; quo præſtito illa abſolvenda. Jurat autem Mahumedes ipſe, *per Angelorum ordines, per Alcoranum, per ventos, per nubes, per æquoris naves, per cœlum, per ſtellas*; paſſim *l. c.* item *per montem* (Sinai, ut Interpretes volunt) *librumque lineariter in chartis ſubtiliſsimis ſcriptum* (Paraphraſtes exponit, per Legem & Alcoranum) *per domum ſupernè ædificatam* (quam Paraphraſten collocatam eſſe ait in cœlo ſive tertio ſive ſexto ſive ſeptimo, locumque eſſe, ubi Angeli ſeptuagies mille, per vices, Mecæ felicitatem quotidie procurant) *& tectum excelſum* (Cœlum ipſum) *& mare repletum.* Porrò, *per ſtellam Veſpertinam, per occaſum ſtellarum* (ubi adjicitur, magnum hoc eſſe ſacramentum) *per calamum, per diem Reſurrectionis & per animam Ream: per Auroram, per noctem decimam* (forte decimam decem dierum peregrinationis ſolennis ad Mecam) *per par. & impar & noctis tranſitum* &c. per quæ & qualia nunc ſe, nunc Deum O. M. impiè inducit quaſi jurantem, ut item & *per Mecham, per Solem, Lunam, Ignem, Cœlum, Terram, Noctem, Animæ creationem, per Perſica poma & olivas.* Sed de juramentis his Alcoranicis, plura apud Guadagnolum. Adeò ut *per Deum*, ita per res alias, ex diſciplina hac ſemper licuerit jurare. Inde ad Jacobum Conſiliarium, cùm ſe occidiſſe Ulvæum affirmaret, Mahumed, Almanadi Chalifa, qui id juſſerat, *Iura, inquit, per vitam meam*, Elmac. *in Saracen. Hiſt. l.* 2. *c.* 4. Sic Abugiafar Haran Raſiiol Giafarem de ſtatu Jahiæ cuſtodiæ traditi reſpondentem, adjurat, *an per Vitam meam? Ibid. c.* 6. Et Avicenna, *Iuro per vitam meam, quòd ſi Deus mitteret Prophetam* &c. Sic Achemetes Turc. Imp. fœdus, inter ſe & Henr. IV. Gall. Regem initum, firmat juramento, *per Deum omnipotentem, creatorem cœli & terræ, per animas Avorum noſtrorum Proavorumque* &c. De aliis gentibus, quædam dicemus infrà. Adjicio hic ſaltem, miſeros Gentiles Deorum ſuorum myſteriis ſub *Juramento* olim ſe addicere conſueviſſe. Sic enim *juratum* eſſe in fœdis illis Bacchanalibus Romæ, à Coſ. Poſthumio interfectis, legitur apud Liv. *l.* 39. *c.* 6. 9. & 15. ubi inter alia ſacramentum ſolenne dictum, & à Principibus Sacerdotum prælectum fuiſſe, *Carminis ſacri* nomine, innuitur? *Qui tantum initiati erant, & ex carmine ſacro, præeunte verba Sacerdote, precationes fecêrunt* (h. e. myſteriis ſe & ſceleribus addixerant) *in quibus conjuratio nefanda in omne facinus --- continebatur; nec earum rerum ullam rem in quas jurejurando obligati erant, in ſe aut alios admiſerant, eos in vinculis relinquebant.* Qua de re vide plura apud C. Barth. *ad* Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 397.

--- Et urges! alium tibi Bacche furorem.
Juravi.

Et ut de *Perjurio* hîc nil dicam, ut de quo ſuo loco: verbo ſaltem moneo, cùm *temerè blaſphemeque jurandi* licentia ſequiori ævo inter Chriſtianos ipſos increbuiſſet, capitis ſupplicio eam fuiſſe coërcitam *Novellis* Juſtiniani, uti docet ex iis Julianus Patricius *Conſtitut* 71. Sic Phil. Aug. Gall. Regem profanas aleatorum & Curialium blaſphemias ſic abhorruiſſe, ut etiam *Milites*, i. e. Equites, ſe præſente tale quid committere auſos, continuò in profluentem projici juſſerit, ſcribit Rigordus. Jamque ante ipſum, in eadem Gallia blaſphemos homines pro infamibus habitos, diſcimus ex *Capitulis* Car. Calvi. De iiſdem Wiſigothorum *LL.* ſic ſonant *l.* 12. *tit.* 3. *c.* 2. *Quicunque quocunque modo blaſphemiam dixerit, eum centenis decalvatum flagellis ſubjiciant, & ardua in vinculis conſtitutùm perpetui exilii conterant* (Judices) *ærumnâ, rebus & poſſeſsionibus Regio fiſco mancipatis*, vide eund. Barth. *ad* Stat. *Theb. l.* 5. *v.* 329. & de Anglis infrà aliquid, ubi de *Linacro Thoma.*

--- Et multum cineres jurare ſepultos.

Medio ævo *Juramentum* non raro, venit nomine *Purgationis Canonicæ*, ſicque *Purgationi Vulgari*, cujuſmodi ſunt, *Duellum, ferrum candens* aliaque id genus, opponitur, *Sacramentum* item ſæpe & *Sacramentum purgationis* appellatur apud recentioris ævi Scriptores. Et quidem, ſi majoris momenti res eſſet, non ſolus, ſ. ut vulgò dicitur *ſolâ manu ſuâ* jurabat reus: ſed alii quoque deligebantur, qui idipſum, quod ille, perinde jurarent; vel ſaltem ſacramento affirmarent, quæ ille juraverat, vera eſſe ſe credere, *Sacramentales, Sacramentarii, Juratores* &c. dicti. Cujuſmodi teſtes, priuſquam ad Sacramentum admitterentur, examinari conſueviſſe à Judicibus, diſcimus ex *Notitia* A. C. 818. apud Perard. *p.* 36. Dicebantur autem hi porrò, ſi à reis eligerentur, *Advocati*, ſi ab accuſatore, *Nominati* vel *Denominati*: augebaturque numerus eorum, pro rei, vel cauſæ, de qua agebatur, momento, unde *ſuâ manu, unicâ manu, tertiâ manu*, uſque *ad trecenteſimam*, juraſſe reperiuntur, apud C. du Freſne laudatum, varii, pro cauſæ ratione. Quo verò pacto rituve id factum, docet *L.* Alemannica *tit.* 6. §. 7. *Illi Conjuratores manus ſuas ſuper capſam ponant & ille ſolus, cujus cauſâ requiritur, verba tantùm dicat, & ſuper omnium manus ſuam manum ponat, ut ſic illi Deus adjuvet vel illæ reliquiæ, ad illas manus quas comprehenſas habet, ut de illa cauſa quâ interpellatus eſt, culpabilis non ſit.* Jurabant autem jejuni, & diſcutiebantur à Judice, ut eſt in *Capitular.* Aquiſgran. A. C. 787. *c.* 26. &c. idque in Ædibus ſacris, variis cerimoniis adhibitis, ut videbimus. Horumque quædam dicebantur *Juramenta corporalia*, σωματικοὶ ὅρκοι Balſamoni, quod tactis, ſ. inſpectis SS. Euangeliis, Cruce vel SS. reliquiis admotis, ſublatâ aut protenſâ manu, præſtarentur; atque ita diſtinguebantur à *Juramentis*, *quæ inſtrumento* fiebant: item à *Juramentis Sacerdotum*, qui in Conc. Meldenſi, *ſuper Sacra ſ. corporaliter* jurare vetantur: quemadmodum apud Rom. olim Flamines Diales jurare non cogebantur, ſed eorum verbis non ſtare religio erat, A. Gell. *l.* 10. *c.* 15. quod & de Pontificibus Hebræorum infrà oſtendemus, ubi de *Pontificali dignitate.* Quamvis juraſſe interdum Epiſcopos ad S. Euangelia, conſtet ex *Actis*, Alex. III. apud Baron. A. C. 1177. &c. Vide quoque ſuprà *Judicium Dei*: Plura verò hanc in rem infrà, in voce *Sacramentum*; uti de *Juramento Fidelitatis*, in voce *Homagium.*

Varii jurandi modi ritusque variarum Gentium, vetiti omnes, pauciſsimis exceptis, apud Autores paſsim obvii.

A. Per *Aglauron*, juravêre Attici, Heſych. vide ſuprà. Per *Allium* Ægyptii. Ad *Altare* & ſuper *Altari*, juratum paganis Chriſtianiſque; de paganis vide infrà in voce *Ara.* Chriſtianorum ritus hîc non unus ſemper idemque. Namque, ad *Altare* capite ſuo inclinato jurandi modus, occurrit in *Judiciis* Withredi Regis Cantuar. *c.* 21. ad *Altare* unâ manu, alterâ ad jurandum paratâ, *Ibid. c.* 19. & 20. Super *Altare* conſecratum, in *Uſaticis* Barcinonenſibus *MSS. c.* 43. Super *Altare* manibus poſitis apud Bignon. *Formul.* 3. 33. & 41. Sic Vett. cùm jurabant, tetigiſſe aras, docet Virg. *Æn. l.* 12. *v.* 197. Alii. Coram *Altari*, apud Vilh. Malmeſb. *l.* 2. *c.* 6. In *Altari*, in *L.* Alemann. *tit.* 7. §. 2. Super plura *Altaria*, apud Greg. Turon. *l.* 5. *c.* 49. ubi in tribus altaribus: in *LL.* Hoëli Boni Regis Walliæ *c.* 26. ubi in ſeptem: in Flera *l.* 2. *c.* 63. ubi ſuper novem: apud Radulfum de Diceto A. C. 1040. ubi in quindecim *altaribus*, juratum legimus. Pluries verò jurare compellebantur, qui Sacramentales habere non poterant, qui pro eis jurarent. Ita porrò jurabant ſuper *Altaria*, ut iis ſuperpoſita eſſent ſancta Euangelia, quæ manu contingebantur: quod omnino improbat Chryſoſtomus *Homil. de Iuram?* Interim apud recentioris ævi Chriſtianos maxima hujus juramenti religio erat. Formulam *Ep.* Arſenii Ep. Hortenſis, de Ingeltrude Boſonis uxore, hanc exhibet: *Juro ego Engeltruda---D. meo Nicolao ſummo Pontifici & Univerſali Papæ, per Patrem, & Filium & Spiritum S. & hæc ſancta quatuor Chriſti Dei Euangelia, quæ ore oſculor & manibus propriis tango, quia amodo* &c.

&c. Aliam Sexta Syn. *Act.* 13. de Georgio Diac. & Chartophylace, qui his verbis uſi, Μὰ τὰς ἁγίας γραφὰς ὅσας ἐκ τοῦ πνεύματος λαλήσαντα δι' αὐτῶν. At *Act.* 14. pro Μὰ τὰς ἁγίας γραφὰς, jurat Georg. Μὰ τὰς ἁγίας δυνάμεις ἄνω &c. Per *Amici* caput, vide infrà. Per *Amorem* Dei, in *Viſionibus* Flotildis. Per *Angelos* Dei, Robertus Dux Normanniæ juraſſe legitur apud Gul. Gemericenſem *Hiſt. Norm. l.* 8. *c.* 2. & in *Ital. Aulæ ejus Regni* (in quo ſcripto non pauca ſunt exempla, Politicis notanda, *juramentis* aut extortis, aut perſuaſis ingentia partibus damna dare) In *Animam* alterius juratum ſæpius. Et quidem de Regibus Francorum obſervat Tillius, ſemel per ſeipſos jurare, quando ſc. inaugurantur & coronantur: in cæteris verò occaſionibus, in quibus ſolenniter quidpiam ſubditis pollicentur, id *verbo Regio* firmare. Sed & fœdera olim ipſa, quo cum Regibus aliis ſanciebant; non ab ipſiſmet, ſed iis præſentibus, à quopiam ex aulæ Proceribus ad id delecto, *in eorum animam* jurata, addit, Vide eum *l.* 1. Quòd apud alios quoque Principes invaluiſſe, patet ex *Actis* Alex. III. apud Baron. A. C. 1177. ubi de Imp. ex Falcando, *de Sicil. calamit.* ubi de Siciliæ Rege: ex *Charta* vet. ubi de Jacobo Rege Majoric. A. C. 1284. &c. Imò nec Regum duntaxat propria hæc forma fuit, ſed & aliorum: In *Actis* enim Innoc. III. nobilis quidam *in animam* Marcualdi Seneſcalli imperii jurat *p.* 3. Jurabatur quinetiam *in Animam Univerſitatis*, apud Gul. de Podio Laur. *c.* 40. &c. Per *Animam* Patris ſui, jurant Hugo Mag. apud Witikind. *l.* 3. Otho Imp. apud Alb. Stadenſem A. C. 944. & Conſtantia Regina Roberti Regis Franc. uxor, apud Helgaldum Flor de juramento Pauli Apoſtoli, *ſuper animam ſuam*, vide B. Auguſtin. *Serm.* 28 *c.* 5. Per *Aquam* Stygis, juravêre Arcades: nec aliud Gentilium Diis Sanctius juramentum. Per *Aras* juratum Gentilibus, Horat. Super *Arma* jurandi ritus, omnibus fermè (præſertim Septentrionalibus) populis receptus legitur: quamvis pro ratione eorum varians ſubindè. Vide de Alamannis, *LL.* Alaman. *tit.* 98. de Baiwariis, *LL.* eorum *tit.* 16. §. 6. de Benecharnenſibus, Marcam *Hiſt. Benecharn. l.* 6. *c.* 26. *n.* 6. de Bulgaris, Nicolaum I. *Reſp. ad conſulta illor. c.* 67. de Danis, Eginhardum A. C. 811. & Adamum Brem. *c.* 30. *de Danor. Regio.* de Francis, Fortunat. *l.* 6. *poëm.* 7. de Longobardis, *Edictum* Rotharis Regis *tit.* 109. §. 2. de Saxonibus, Fredegarium *c.* 74. Aimon. *l.* 4. *c.* 26. Alios: de Scotis, *LL. Foreſtarum* Scotic. *c.* 10. §. 1. de Suecis Loccen. *in Hiſt. Suec. p.* 363. &c. Super *Armilla*, apud Ethelwerdum *l.* 4. *c.* 3. de Danorum Rege ubi *Armilla* C. du Freſne idem vult eſſe, quod *arma*: Sed nil impedire, quo minus in proprio ſenſu vox ſumatur, diſcimus ex Barthelino *de Vett. Armillis.* Vide quoque *ſuprà* B. Super *Baculos* Epiſcoporum. Hibernis & Scotis familiare fuiſſe jurare, docet Silv. Girald. *Topograph. Hib. l.* 3. *c.* 33. Per *Barbam* Othonis, ſ. *Barbam ſuam*, jurare ſolitus eſt Otho I. Imp. Vide Gobelinum Perſonam *Coſmodrom*, *p.* 202. Sed & Romanis *Barbam juratam*, docet nos Stat. *Epicedio Glauci c. l.* 2. *Sylv.* 1. *v.* 53. Per *Braſſicam*, Teleclidem juràſſe, diximus, in voce *Cepe.* C. Per *Capillum* Dei, in *Nov.* Juſtiniani. Per *Cappar*, Zeno Stoicus juravit, vide ſuprà *Cepe.* Ad *Caput* pecudis, in *Conc.* Aurelian. 4. *Can.* 16. Per *Caput* alterius. Byzantinos Græcos jurare ſemper paratos fuiſſe, refert Luitprand. in *Legat.* Idem in uſu habuêre etiam Græci vetuſtiores, à quo dominari incepêrunt. Non vero Heroës antiquiſſimi. Unde Juv. *l.* 2. *Sat.* 6. *v.* 16. de felici ætate loquens, ait:

---- ---- *Nondum Græcis jurare paratis*
Per caput alterius. - --- ----

Sed & *per caput Aſcanii* jurat Æneas, Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 258. & 300. Idem Hebræis in uſu fuiſſe, diſcimus ex Matth. *c.* 5. nec Chriſtianos vett. *per Amici caput* jurare recusâſſe legimus, apud Syneſ. *Ep.* 79. *Per liberorum & proprium*, juramentum, habes apud Balſamon. *Comm. in Can.* 95. *Syn. VI. Trull.* &c. Per *caput Imp.* occurrit apud Luithprand. *Legat.* Apud Ægyptios verò *per Caput Regis* jurare, fuiſſe capitale, Abenezra tradit, vide & Georg. Elmacin. *Hiſt. Saracen.* Imo, quod horrendum, *per Caput Dei*, juràſſe legitur Henr. III. Angl. Rex apud Matth. Paris. Vide quoque *Nov.* Iuſtiniani *cit.* Poſitâ manu ſuper *Caput* ejus, cum quo lis eſt, in *LL.* Hoëli Boni Regis Walliæ *c.* 25. Poſitâ manu ſuper *Caput* Imp. apud Theophan. *in Niceph. Chron. Ann.* 8. Per *Cepe* juratum Ægyptiis, vide ſuprà, in ea voce. Per *Chriſti* ſepulcrum, jurat Amalricus Rex Hieroſolymorum, apud Nicetam *Emanuele l.* 5. *n.* 5. Per *Cibos fœtidos*, quaſdam gentes jurare non puduiſſe, notat Plin. *l.* 2. *c.* 7. Per *Cineres* parentum aliorumque ſibi charorum, jurandi modus indigitatur Stat. *Theb. l.* 5. *v.* 329.

----- *& multum cineres jurare ſepultos.*

Per *Coronam* ſuam, jurat Adalbero Archiep. Trevir, apud Balduin. in *Geſtis* ejus. Per *Coronam*, impoſitâ manu capiti, Frid. II. Imp. apud Sanut. *l.* 3. *part.* 11. *c.* 11. Per *Creaturas*, in Egberti *Pœnitent.* *c.* 12. Poſitâ ſuper caput *Cruce* Presbyteri, Diaconi, Monachi. Super *Crucem*, apud Domnizon. de *Vita* Mathildis *l.* 2. *c.* 2. Super librum Miſſalem & *Crucem*, in *Conſuetud.* Solenſi *tit.* 4. *art.* 1. Super Te igitur & S. *Crucem*, i. e. ſuper Canonem Eccl. in *Foro* Beneharn. Rubr. *de Notar.* D. Per *Dentem* Dei, Rex Angl. in *Monaſtico* Angl. Per *Dentes* Dei, Ioh. Rex Angl. in *Chron.* Flandr. Per *Deos*, vide Macrum in *Hierol.* Cum *Dextra* armata, in *L.* Ripuar. *tit.* 33. §. 1. in manu Comitis *Dextra* datâ, in *L.* Longobard. *l.* 2. *tit.* 52. §. 15. Per *Dianam*, maxime ſolenne fuit, vide ſuprà *Diana.* Super *Diſceſſorem* Eccl. in *Canonibus* Hibernicis *l.* 41. *c.* 30. Per *Diſcipulorum* ſuorum *gloriam*, juravit Paulus Apoſt. de quo vide Auguſtin. *Serm.* 28. *c.* 5. Per *Domum* ſidem Robertus Franciæ Rex apud Helgald. *p.* 64. 65. & 66. Per *Duodecim Deos*, vide ſuprà *Duodecim.* E. Super textum *Euangelii*, in vet. *Charta* Goffridi Com. Andegav. apud C. du Freſne in *Gloſſ.* De quo more, etiam Græcis frequentato, qui manus abluebant juraturi, vide & Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce Εὐαγγέλιον. Sub ſtola tactis ſanctis *Euangeliis*, Sacerdotum fuit, in *Charta* Frid. II. Imp. apud Baron A. C. 1166. *Euangelio* ſuper caput poſito, apud Marcellin. Com. *in Chron.* de Pelagio Pontif. Sic *per Euangelia* juramenti, & quidem fallacis, late deſcriptum exemplum eſt, in *Legationibus* Menandri. F. Sub *Femore* manu poſitâ. Vide ſuprà. Super *Forte* juramentum, extat in *Charta* Eduardi Angl. Regis apud C. du Freſne in *Gloſſ.* Per *Fortunam* ſuam & gloriam, jurare ſolitos Parthorum Reges, habes apud Ioſeph. Ἀρχαιολ. *l.* 20. *c.* 3. More *Friſionum*, in *jure Friſico art.* 81. tollebant autem ſiniſtrâ manu ſiniſtros capitis capillos & imponentes eis dextræ manus digitos duos, jurabant, vide Sibrand. à Sicama *ad LL. Friſ. tit.* 12. G. Per *Guttur* Dei, jurat Henr. III. Angl. Rex apud Matth. Paris *p.* 662. H. Per *Haſtam*, vide infrà *Sceptrum.* Per *Hephæſtionem*, vide Freinshemium *ad Curt. l.* 10. *c.* 4. Pro ratione *Hidarum*, vel per certum numerum Hidarum, apud Lambard. *ad LL. Angl.* Per *Hoc & per Hoc*, jurabat Gulielmus Rufus Rex Angl. Vide Eadmer. *Hiſt. Nov. l.* 2. Per *Homouſion Trinitatem*, vide ſuprà, *Homouſion.* I. Per *Infortunium* ſuum, vide ſuprà, in hac voce. Per *Jovem & Jo* jurari, primum finxiſſe Heſiodum, tradit Heſych. in Ἀφροδίσιος ὅρκος. L. Per *Lanceam* S. Iacobi, jurare ſolitus eſt Phil. I. Rex Franc. in *Chron.* Flandrenſi *c.* 8. & 16. Per *Lapidem* ſilicem, vide infrà *Sceptrum.* Super *Lapidem* falſum, vide C. Macrum in *Hierol.* Per *Librum* & Stolam, in verbo Domini, jurare Canonicis Senenſibus præcepit Octavianus Card. in *Charta* exarata Ann. 3. Alex. III. Super *Librum* Miſſalem & Crucem, Vide ſuprà. Per *Linguam* Dei, Monaſtic. Angl. *Tom. III.* Per *Lumina* ſua jurandi formulam, ſuo ævo uſitatam, tradit B. Auguſtin. *Exeg. in Joh.* M. *Manu* poſitâ ſuper caput ſub femore, &c. Vide ſuprà. *Manu* poſitâ ſuper pectus, infra. *Manuum* contactu, apud Andr. Suenonis Archiep. Lundenſem *l.* 7. *c.* 7. Per *Membra* charorum, frequens jurandi mos Veterum, vide C. Barth. *ad Stat. Theb. l.* 12. *v.* 103.

----- *per ſuperos magnumque Menœcea* juro.

More *Minorum*, apud Rollandin. *in Summa Not. c.* 7. *rubr.* 3. Iurabant autem illi, qui minores erant Ann. 25. ſed majores An. 14. *corporaliter ad ſancta Dei Euangelia*. ut idem habet *c.* 1. *Rubr. de venditione a minori facta.* Super *Mortuorum* tumulos jurare, in judiciis publicis, ſolenne fuit apud Londonienſes: cum nempe aliquis è teſtibus nominatis deceſſerat, antequam teſtimonium ſuum juràſſet; tum enim jurabatur à reo, ipſum, ſi in vivis ſupereſſet, fuiſſe id ipſum teſtaturum. Selden. *ad Marm. Arondell.* Per *Myſteria*, ſ. Sacramenta, Chriſtianis olim jurare, inuſitatum non fuiſſe, præter alia, docet Baptiſmatis atteſtatio, cujus exempla ſunt cum alibi, tum in *Chron.* Alex. *p.* 711. N. Per *Nomen* Imp, ab Aug. temporibus, jurari cœpiſſe, notat Caſaub. *ad Tib. Claud. Suet. c.* 10. Per *Nomen* ſuum, jurat Coſmas Patr. CP. apud Annam Comnen. *Alexiad. l.* 3. Per *Oceanum*, velut patrem Deorum hominumque, jurandi mos, Homero memoratur, aliiſque. Per *Oculos* charorum, paſſim. Per *Omnes* gentes Amalricus Com. Montisfortis, apud Orderic. Vital. *l.* 12. *p.* 880. Per *Oſſa* ſuorum, vide ſupra, per *Cineres.* Per *Othonis* barbam, vide ſuprà. P. Ad *Pectus* ſuum manu appoſitâ jurare, Sacerdotum eſt, Gall. *la main miſe ſur le pis*, ut eſt in vet. Formula. Vide *Bullam* Auream Car. IV. *c.* 2. Per *Pectus* ſuum, jurabant mulieres apud Alamannos, in *LL.* Alaman. *tit.* 56. §. 2. an manu pectori adpoſitâ? quemadmodum modò de Sacerdotibus dictum. Sic *tunſo digitis Pectore*, juràſſe dicitur Nicephorus Imp. apud Luithprand. *in Legat.* In *Pecunia* vel Veſtimento, jurare Friſones ſolebant, in re levioris momenti, in *L.* Friſonum *tit.* 3. §. 4. Per *Pedes* Abbatis. Monachi jurare jubentur, in *Ch.* S. Ramiri, Arragoniæ Regis apud Martinezium *Hiſt. Pinnat. l.* 3. *c.* 17. Per *Pedes* Dei, frequenter dejeraviſſe olim Ioh. cogn. *Sine Terra* Angl. Rex legitur, apud Matth. Weſtmonaſterienſ. Super *Plagis*, Iudæi juràrunt, in *Libertatibus* conceſſis urbi Barcinon. à Petro Rege A. C. 1283. Per eos, qui *Platæenſi* pugnæ interfuerant, juràſſe Athenienſes, diſcimus ex Athen. *l.* 9. pugna autem illa eſt Olymp. 72. Anno 2. Per *Populeam* coronam Hercules, vide infrà *Populus.* Per *Porrum* juravêre olim Ægyptii. Vide ſuprà *Cepe.* In *Poſſe* Regis, in *LL.* Arragon. apud Blancam *p.* 771. Per ſalutem *Principum*, apud Eadmer. in *Vita* S. Wilfrid. *c.* 41. & 59. Per *Priſcillianum*, autorem diliſii ſui, juravêre ſectatores ejus, teſte Sulpitio Sev. *l.* 3. R. Per *Regem* cœlorum, Car. Mag. apud Monach. Sang. *l.* 1. *c.* 3. Per *Reges* & filios eorum, juramenta olim frequentia ſuſtulit idem Imp. in *LL.* Longobard. *l.* 3. *tit.* 24. Per *Regna*, Oedipus, apud Sen. in *eo v.* 400. Ad *Reliquias* & tumulos Sanctorum, Vide infrà. Per *Reſurrectionem Dei & Splendorem ejus*, juravit apud Continuatorem vet. Bedæ *l.* 3. *c.* 26. Angliæ quidam Rex, vide infrà, per *Splendorem.* S. Per *Sacerdotium* ſuum Epiſcopi &c. jurant, in *Charta* Anni 865. apud Ughellum *in Epiſcopis Veron.* idque manu ad pectus appoſitâ. Unde Matthæus Paris A. C. 1252. Henr. III. Angl. Regem peregrinationem Hieroſolymit. initurum ſe pollicitum, cum Sacramento *more Sacerdotum* exhibito, ſcribens, *Et jurans*, ait. *hoc appoſuit manum ſuam dexteram ad pectus ſuum, more Sacerdotis & poſtea, ſuper Euangelia appoſita & oſculatus eſt ea more Laici.* Cùm enim corporaliter *Sacerdotes* jurare vetentur, in *Conc. Meldenſi*, jurare ſaltem conſuevêrunt, *per Sacerdotium*, vel *in ore Sacerdotis*, vel *in verbo veritatis ſ. Sacerdotis* &c. ipſa verò Sacra ſ. Euangelia non tangunt. Vide ſuprà. Ad *Sacra* jurare, item ſuper *Sacra*, & ſuper *Sacroſancta*, idem quod jurare in *Sanctis*, Vide hic *infra*: quomodo jurare prohiberi Epiſcopos, modò dictum. Per *Sacramenta* vide

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſuprà *Myſteria*. Super *Sacramenta*, apud Suenon. *de LL. Caſtrenſibus c.* 8. *Sacramento* Catholicæ fidei jurare, h. e. quomodo Catholici ſolent, apud Dudon. *de Morib. Normann. l.* 2. idem eſt, quod *Corporaliter jurare*. In *Sacramento* Corporis Chriſti, Carmelita quidam jurat, apud Thom. VValſingham. *p.* 309. Super *Sacroſancta* jurare, in *Chartis* Anni 1223. in *Hiſt. Vergiacenſi & Betunea*. Inſpectis *Sacroſanctis*, h. e. non tactis, ſed coram ipſis, jurare ſolebant Epiſcopi & Sacerdotes; *εἰς τὰ προκείμενα Εὐαγγέλια*, apud Annam Comnenam *Alexiad l.* 13. Per *Sacrum* incelebratum, in *LL.* Hoëli *c.* 7. Per *Salem*, ſive *Sales*, non raró juravêre priſci, utpote *unicum ac neceſſarium vitæ condimentum*, ut ait Plin. *l.* 31. *c.* 9. Vide Cariſium & Libanium. Per *Salutem* conjugis, jurare Chriſtianis in uſu fuiſſe, agnoſcit Hier. *c Jovin. l.* 1. *c.* 18. Per *Salutem* Principum, in *Geſtis* Regum Francorum, *c.* 13. Per *Salutem* ſuam, apud Greg. Turon. *l.* 3. *c.* 15. Ad *Sanctorum* reliquias, vide ſuo loco Per *Sanctos* Franciæ, juramentum proprium Phil. Aug. memoratur Matthæo Paris. Super *Sanctos*, *ἐν τοῖς ἁγίοις*, apud Cantacuz. *l.* 1. *c.* 2. *Jurer ſur Saincts*, Gallis: item *ſuper Sancto* in *Ann*. Francor. Bert. A. C. 854. *in Sanctis* quoque, idem eſt quod *ſuper Sacroſancta*, nempe tactis Sanctis Euangeliis, vel reliquiis jurare, in *Capitul*. Car. Mag. *l.* 1. *c.* 63. in *Capitul*. A. C. 813. *c.* 9. in *LL.* Ethelredi Regis ad Venetingum editis A. C. 854. &c. In loco, qui dicitur *Sanctum*, in *Capitul*. 3. A. C. 813. *c.* 10. Per *Sanctum* de Bethleem, Lud. VII. Rex Franc. Per *Sanctum* Steph. in *Capitul*. eod. A. C. 789. *c.* 10. Vide quoque *infrà*. Per *Sceptrum*, vide infrà in hac voce. Super *Sepulchrum* debitoris, in *LL*. Hoëli Boni Regis Walliæ *c.* 27. Per *Servatoris* menſam, *κατὰ τῆς τοῦ Σωτῆρος τραπέζης*, vide infrà *Menſa ſacra*. Supra corpus S. *Severini*, juratum olim in partibus Vaſconiæ, *in murtris & maleficiis*, quam conſuetudinem abrogatam eſſe, à Phil, Francorum Rege *ſuprà* diximus. Per *Zion* & *Sinai* montem, in *Formula* 14. ex Baluzianis. *Spatâ* tractâ jurare, in *Capitulis* ad *L*. Alamann. *c.* 22. *edit. Balusianæ*. Vide *ſuprà*. Per *Spatam* ſuam jurat & Capitulum firmat Car. Calvus, apud Hincmarum Rem. in *extemporali Admonit* apud Cellotium *p.* 439. Per *Splendorem* Dei, jurat Gul. Nothus. apud Orderic. Vital. *p.* 536. Per *S. Stephanum* & per Reges vel eorum filios, conjurationes vetantur, in *Capitul*. Car. Mag. *de diverſis rebus* A. G. 789. *c.* 10. Per *ſanctum Stephanum*, vide ſuprà *Sanctum*. Sub *Stola* tactis ſanctis Euangeliis, jurant Archiepp. atque Electi, in *Charta* Frid. II. Imp. apud Baron. A. C. 1166. Per librum & *Stolam* in verbo Domini, jurant Canonici Senenſes, apud Ughellum *Ital. Sacr. Tom. III. p.* 563. Per *Tenebras*, vide infrà *Tenebræ*. Per *Terram*, in hac voce. T. Super *Teſtibus* aprinis Herculi juratum & fœdus factum fuiſſe cum Nelei liberis, legimus apud Panſ. *l.* 4. Cujus juramenti ſolennis poſtmodum omnibus Athletis, eorum parentibus, fratribus, Gymnaſiarchis, ad Olympiacos ludos ritè faciendos, meminit idem *l.* 5. Per *Tetrada*, vide infrà *Tetrachordum*. Super *Textum* Euangelii, in *Charta* Goffridi Com. Andegev. pro Abbatia Vindocin. in *Regeſto* Phil. Aug. Herouvalliano, apud C. du Freſne. Per *Timorem* patris ſui, vide infrà *Timor*. Super *Triginta* denariis, in *LL*. Henr. I. *c.* 65. *Trinicum* Juramentum, occurrit apud Gueſnajum *in Ann. Maſsil. p.* 356. *Vide* Per *Venerationem* Principis, vide infrà ubi de *Perjurio*. Per *Ventos*, vide in voce *Ventus*. In *Verbo* Domini, vide ſuprà *per librum & Stolam*. In *Verbo* Sacerdotis ſ. *Veritatis*, vide *ſuprà* ubi de *Sacerdotum juramento*. In *Veſtimento*, jurabant Friſiones, ſi res eſſet parvi momenti, in *L*. Friſion. *tit.* 3. §. 4. Ubi Sibrandus à Sicama exiſtimat, jurantem oram veſtis ejus, cui ſe purgabat, vel alterius veſtis vel ſui ipſius apprehendentem; ſolenni juramento ſe vel ſervum ſuum purgâſſe. Quemadmodum, cùm iidem *in Pecuniam*, ſimilibus in caſibus, jurarent, putat, talem prolato nummo, ſolido vel denario, in quo vultus Regis vel crux effigiata, ei manum impoſuiſſe, atque ita, quaſi teſte Rege vel cruce, jurâſſe. Eodem videtur ſpectare, quod eadem lex habet, *c.* 14. §. 4. *Et juret. Ille homo homicidii, de quo interpellatus ſum, reus eſt, tenens eum per oram ſagi ſui*. Galli dicerent, *le tenant par le pan de ſa robe*. Per *Viros* optimos, Naſamones olim juravêre. Per *Vitam* Regis & Filiorum, jurare vetant *Lex* Longobard. *l.* 3. *tit.* 24. & *Capitul*. Car. Mag. *l.* 3. §. 43. Per *Vitam* ſuam, Arabum juravêre Reges, teſte Georg. Elmadeno *Hiſt. Saracen*. Per *Vultum* de Luca, picturam nimt. B. Euangeliſtæ affictam, jurare conſuevit, apud Gul. Malmesbur. *l.* 4. *c.* 1. Gul. II. Angl. Rex &c. Plura Vide apud Fileſacum, Thom. Dempſter. *Paralip. ad Ioh. Roſin. Antiqq*. C. Barth. *Animadverſ. Stat.* & *Comm. Superſtitionum*, Alios: nec non hic paſſim.

JURATA, apud Anglos, eſt numerus XII. Legalium hominum juratorum, per quos omnis ferè facti probatio fit, & ex quorum *veredicto* Judex ſententiam ſuam conficit & profert. Et quidem, ſicut per *Aſsiſam* lites dirimuntur, quæ inſtrumentis aut chartarum probationibus innituntur, vel cùm partes de facto conſentiunt, aut de aſſiſa: ita per *juratam*, quæ incertæ ſunt, & de quibus non conſtat, deciduntur; ita ut vel *per inquiſitionem* vel *per Iuratorum* ac *Sacramentalium* depoſitiones, quas *veredicta* vocant, rerum veritas à Iudicibus veniat indaganda. Quæ poſterior Iudiciorum forma, ab Henr. II. Angl. Rege manâſſe dicitur, quò Duellum ab ordinariis judiciis amoveret. Vide pluribus de ea diſſerentem C. du Freſne *in Gloſſ*. In Campania Galliæ, *Iurata*, Gall. *Iurée*, tributum eſt, quod *Iuratis* burgenſibus imponitur & Domino Feudali præſtatur quotannis, viz. ſex denarii de *librata* bonorum mobilium & 2. den. de *librata* immobilium: ut eſt in *Charta* Libertatum Trecenſium Theobaldi Campaniæ Com. quam refert Pithœus *ad Conſuetud. art.* 2. apud Eund. Vide quoque ſuprà in voce *Commune*.

JURATI, h. e. Sacramento adſtricti alicui domino: quales Soldurii apud vett. Gallos. *Charta de Chablejis* in Tabul. Campaniæ *Thuani p.* 189. *Omnes homines, quotquot ſunt apud Chablejas, ſive Milites, ſive filii Militum, qui habent ætatem, cujuſcumque conditionis, debent eſſe jurati Comiti ſuo ſub hac forma: Ego juro, quod ego ero fidelis Comiti de cætero & quod ego ſervabo membra ejus & honorem ejus pro poſſe meo, ſic me Deus adjuvet & hæc ſancta*. Sic apud Stat. *Theb. l.* 2. *v.* 490.

----- ----- ----- Exit in unum
Plebs ferro jurata *caput*.

Apud Gul. Briton. *Philipp. l.* 2.

In Comitis partes juratus, *milia multa*
Mittit ei juvenes clarâ virtute coruſcos &c.

In *Addit*. ad Matth. Paris. *p.* 109. *Jurati ad arma* occurrunt, quorum erat, quoties contigerit *huteſium levari* ſuper perturbatores pacis vel malefactores, aut latrones, eos inſequi de villa in villam, donec capiantur, vide ſuprà in *Hueſium*, *Juncta* &c. ut & in voce *Commune*, item *Fratres conjurati*. Sic & Claud. *de Bello Gildon. Carm.* x. *v.* 332.

----- Iterum poſt me conjurat in arma
Progenies veſana Jubæ, bellumque reſumit.

Apud Gul. Briton. *l.* 4.

Cujus ego miles, cui ſum juratus *ad arma* &c.

C. du Freſne in *Gloſſ*.

JURATOR, apud Plaut. *Pœnuli Prol. v.* 56 & 58.

----- ----- argumentum hoc hic cenſebitur
Vos juratores *eſtis, quæſo operam date:*

Nomen eorum, qui Cenſori cenſum agenti aderant, aliàs *Adjuratores* appellati. Suet. *Aug. c.* 39. *Impetratiſque à Senatu decem adjutoribus, unumque equitum rationem vitæ reddere coegit*. Ubi legit Vir ſummus. At omnes vett. ibi *Adjutores* habere monet Caſaub. *ad l.* Meminit eorum idem Comicus *Trinummo. Act.* 4. *Sc.* 2. *v.* 30.

Cenſus cum Juratori *ſi rectè rationem dedi*,

Ad quos proin alludit *l. c.* Medio ævo ſic appellari cœpêrunt, qui in re majoris momenti, reo juranti aderant, ſimulque cum eo jurabant; vel ſaltem ſacramento affirmabant, quæ ille juraverat, vera eſſe ſe credere, more hodieque in Polonia uſitato. Vide de illis ſuprà, ubi de *Jurandi Ritibus*.

JURATUS Senatus, occurrit apud Liv. *l.* 26. *c.* 33. & 34. *Plebes ſic juſsit, Quod ſenatus juratus maxima pars cenſeat, qui aſsidetis, id volumus jubemuſque*. Ex hoc Plebiſcito &c. Nempe gravioribus in rebus Senatus *juratus* decernebat; quo nomine non intelligendos eſſe omnes & ſingulos ſed majorem Senatorum partem, patet ex addito, *maxima pars*. Quia verò fieri poterat, ut in longum res per infrequentiam produceretur, neque per incidentia alia publicæ cunctationis negotia, huic rei Senatûs pars maxima vacare poſſet; hinc certi nec nimis magno numero hanc procurationem ſubituri ex ampliſſimo ordine deligebantur, à quibus quod conſtitutum eſſet, habituram ſe pro eo, quod à Senatu, i. e. maxima parte Senatorum eſſet decretum, plebs adjungit verbis, *qui aſsidetis*. Vide de *Senatu jurato*, eund. *l.* 30. *c.* 40. & *l.* 42. *c.* 21. de maxima Senatorum parte, *l.* 9. *c.* 46. & *l.* 40. de certo numero, *l.* 38. *c.* 39. plura verò hanc in rem, apud Joh. Frid. Gronov. *Notis ad Liv. l. c.*

JURE vocatæ, dicebantur Romæ, in Comitiis Centuriatis, illæ Centuriæ, quæ rogabantur poſt *prærogativas* (quo nomine veniebant, quæ primæ citabantur & ſuffragium rogabantur) quòd in his ſequente populo prærogativarum voluntatem *jure* omnia complerentur, ut vult Aſcon. Pedian. *in Divinat*, vel quòd illæ jam *jure*, h. e. legitimo ordine, non claſſium modò, ſed ipſarum etiam centuriarum, quo in cenſorum quive cenſum egerant tabulis deſcriptæ eſſent, non ſorte prælatæ poſtpoſitæve, ad ſuffragium ferendum citarentur. Sic Comitiis Curiatis Curiæ, Tributis Tribus, aliæ *prærogativæ*, aliæ *Jurè vocatæ*, ex inſtituto fiebant, &c. Vide Joh. Frid. Gronov. *Obſerv. l.* 4. *c.* 1.

JURENTIUS Celſus, vide *Iulius Celſus*.

JURGIA, in Feriis prohibita, vide ſuprà *Feriæ*, & infrà *Lites*,

JURIDICI, à *dicendo Iure*, Præfecti Italiæ, à Marco Antonino Philoſ. inſtituti, in locum Conſularium, memorantur Jul. Capitolino *in Marco*, *Datis Juridicis Italiæ conſuluit, ad id exemplum, quo Hadr. Conſulares viros reddere jura præceperat*. Nempe, cùm adminiſtrationem Italiæ & provinciarum mutâſſet Hadr. *Quatuor Conſulares per omnem Italiam Iudices conſtituit*, apud Æl. Spartian. In horum poſt locum, *Iuridicos* ſurrogavit Marcus, fuitque Italia ab illis adminiſtrata, uſque ad Macrini imperium: ſub quo eos deſiiſſe è Dionis *Fragmentis* cognoſcimus. In antiqq. Inſcr. *Conſularium Campaniæ* &c. Item *Iuridicorum per Picenum & Apuliam*, mentio eſt. Caſaub. *ad Spartian. l. c.* De *Iuridico Alexandriæ*, vide Tac. *Ann l.* 12. &c. Vide quoque infrà *Minervæ arca*.

JURIENSIS Lacus, vulgò *lac de Ioux*, ab antiqua olim ibi Abbatia, in monte Jura, optimis piſcibus abundat. Ex eo per ſubterraneos meatus effluit amnis Urba. Joh. Baptiſta Plantin. *Helv. Nov. Antiq.*

JURISCONSULTI, in numero Principis Amicorum & Comitum, quos adhibebat, cùm de negotiis ac jure tractaret, vel Romæ & in provinciis cauſas audiret. Lamprid. *in Alex. Negotia & cauſas prius à ſcriniorum Principibus & doctiſsimis Iuriſconſultis & ſibi fidelibus, quorum primus tum Ulpianus erat, tractari ordinavitque* ...

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

atque ita referri ad ſe præcepit. Jamque de Hadriano Spartian. eum cùm judicaret, præter amicos & comites, *Iuriſconſultos* etiam in conſilio habuiſſe, memorat. Hinc in *Reſcripto* Divorum Fratrum *de jure Patron. Voluſianus Macianus amicus noſter* &c. Vide Salmaſ. *ad Spartian. & Treb. Poll.* Poſteriori quoque ævo, qui olim *Doctores Legis*, item *Iuriſconſulti*, in Judiciis, *Iudicum* nomine Comitibus aſſidebant. Burchardus Notar. *de Excidio Mediolan*, & ex eo Godefridus Monachus S. Pantaleonis A. C. 1237. *Iuſſit igitur Imp. omnes Conſules & Exconſulares, Majores & Milites, Legiſtas & Iudices in obſidatu teneri.* Petr. de Vineis *l.* 3. *Ep.* 11. *Mittimus Magiſtrum R. de Varano Iudicem & Magiſtrum B. de Hibernia, Fideles noſtros, civilis ſcientiæ Profeſſores* &c. Vide C. du Freſne in voce *Iudex*: uti de Jurecoſſ. vett. ſcribendi ratione infrà, in voce *Sigla.* de *Iuris* vero *Collegiis* in Anglia, ſuprà *Hoſpitia*, it. infrà *Servientes ad Legem.*

JURISDICTIONUM Decem Fœdus, *Zehen Gerichten Bundt* Germ. tertium Rhætorum fœdus eſt. Hæ primò inter ſe in unum fœdus coïêre A. C. 1438. dein duobus reliquis, Cano & Cathedrali, perpetuo fœdere ſe junxêrunt, Anno ſequenti: Helvetiorum tamen fœdere non continentur, ſicut duo priora, interim eorum amicitiam & ſocietatem cum ſuis Fœderatis magnâ fide ac conſtantiâ colunt. Mittunt ad Conventus publicos Rhætorum legatos 14. ſicut Superius fœdus 28. & Cathedrale 23. Locus habendi Senatûs in Fœdere hoc Davoſium eſt. Ex his 8. priores Auſtriac. Imperium agnoſcunt. Primùm enim ſub Vatienſibus Dominis fuêre: quibus Extinctis ſucceſsêre Toggenburgii Comites, hiſque Amatienſes: Quorum ultimus Gaudentius, Moriens A. C. 1489. has Archiduci Auſtriæ reliquit, qui illis præfectum imponit, à Rhætis ſelectum, qui in Rhæticæ vallis caſtello habitat, Duciſque jura adminiſtrat: Verùm non idem ei & par in ſingulas juriſdictiones jus eſt, ſed quævis ſua privilegia & peculiares habet conſuetudines, quorum omnium tabulæ in Davoſiano Archivo conſervantur. Ipſum Davoſium, cum Prælongana juriſdictione præ aliis, plurimis immunitatibus fruitur. Vide in voce *Maja villa.* Duas ultimas verò reliquæ, unà cum 2 fœderibus, emêrunt.

Juriſdictionum X. ſeries.

Davoſiana.	Coriovallenſis *Churwalden.*
Cœnobienſis in valle Rhætica, *Zum Kloſterlin im Prættigow.*	Samperriana *Sant Peter in Schanſil.*
Caſtellana vel Jenatienſis in eadem valle.	Prælogenſis vel Prælongana *Langwiſſ.*
Accerienſis *Schiers.*	Malantienſis à vico Malantio *Malans.*
Belfortienſis vel Alvanovienſis *Alvanuw.*	Majævillana *Meyenfeld.*

JUS Canonicum, vide ſuprà.

JUS Car. ſ. *Lex Car.* in *VVichbild* Magdeburg. *art.* 1. §. 3. memoratur. *Ibidem art.* 43. *Poſtquam Magdeburgenſis civitas jure municipali fundata fuit de voluntateque Uttonis Ruffi, cum conſenſu etiam & conſilio Seniorum provinciæ illius, ſecundùm jus Car. Imp. & juxtà eorum arbitrium ac voluntatem locata, conſiliati exinde ſunt, quomodo Scabinos & Conſules eligere debeant, pro civitatis commodo*, apud C. du Freſne in *Gloſſ.*

JUS Civile, dividitur in IV. Libros principales, ſc. *Digeſtum*, *Codicem*, *Inſtitutiones* & *Authenticas*: quibus addit *Collatio decima* ſ. *Liber Feudorum.* Ex his *Digeſtum*, continet *LL.* & *Statuta* Romanorum, & diſpeſcitur in *Digeſtum vetus*, quod habet libros 24. *Infortiatum*, quod 14, & *Novum*, quod 12. Ita ut in univerſum Digeſtorum ſ. Pandectarum ſint libri 50. *Codex*, continet *Statuta*, *Sanctiones & Præcepta* Imp. Fuêrunt autem tempore Juſtiniani tres Codices, *Gregorianus*, *Hermogenianus* & *Theodoſianus*, ex quibus unum is fecit: qui in 12. libros dividitur. *Authenticorum* liber dividitur in 9. Collationes, quarum quælibet in titulos ſubdividitur, tituli in paragraphos: differtque *Authenticum* ab *Authentica*, quòd illud volumen eſt per ſe; hæc lex una vel paragraphus, libro Codicis incorporatus & antiquo Juri ſuperadditus ſicque citatur, C. *de Epiſcop. & Cler. Authent. generaliter. C. de ſacros. Eccl. Authentic. multo magis* &c. Sed in *Authentico* ſimpliciter laudatur titulus & §. ut *in Auth.* Ut *jud. ſine quoquo ſuffr.* §. *tali vel tali & ſufficit.* Decima item Collatio inſcribitur *Liber, Feudorum*, & habet duos libros partiales, quorum uterque in titulos & iſti in capitula ac paragraphos ſubdividuntur. *Inſtitutiones* tandem, quatuor libris abſolvuntur: quod Opus introductorium eſt ad *Jus Civile*, maximè quoad declarationem terminorum, in utroque Jure uſitatorum, Idem Calvin. *ubi ſuprà.* Et hoc propriè eſt *Jus Civile*, quod *Juſtinianæum* vocant: de *Jure Civili Flaviano*, item *Papyriano*, vide eund. *ibid.* ut & de hoc poſteriori infrà.

JUS Scriptum, in Gallia, vocatur *Jus*, de quo modò, *Civile*, quo provinciæ aliquot in Gallia reguntur; cui opponitur *Jus Commune* ſ. *Conſuetudinarium* & *Municipale*, quo quæque ferè civitas vel regio gaudet: vetanturque Advocati, *Jus Scriptum* allegare, ubi Conſuetudines municipales locum habent, in vet. *Regeſto* Parlam. ſub A. C. 1277. Vide præclarum hanc in rem *Diploma* Phil. Pulchri Regis Francor. A. C. 1312. pro Studio Aurelian. allatum C. du Freſne *in Gloſſ.* & ſupra ubi de *Codice Lud.* Sicut de Arragonum *Jure* aliquid in voce *Forum.* Quis uſus *Juris Scripti* ſ. *Civilis* in Anglia ſit, pluribus exponit eruditus Selden. *Diſſertat. ad Fletam.*

JUSTA, apud Gul. Malmesburienſ. *Hiſt. Novell. l.* 2. *p.* 187. *Tentavêre primò Regii proludium pugnæ facere, quod* Juſtam *vocant, quia tali arte erant periti*: monomachia ludicra eſt, Gall. *Ieuſte.* An ex Lat. *juxtà*, i. e. propè; quòd cominus lanceis aut enſibus res gereretur. Differebat à Torneamento, quòd non omnis univerſim ludicra decurſio; ſed pugna ſolùm, in Torneamento fieri ſolita, ſic diceretur. Adde, quòd Torneamentum plurimum & turmatim congredientium, *Iuſta* ſingulare eſſet certamen. Unde Nicephor. Greg. bene *l.* 10. τζέστραν, quâ voce Græcobarbarâ *Iuſtam* appellat, μονομαχίας ἔνδειξιν ἔχειν. Confectâ namque primâ decurſione militari & finito omnium, qui aderant, ex utraque parte, prælio; ad ſingulare certamen, ſ. ad *Iuſtam*, tandem progrediebantur. Sic tradit Joh. Monachus Majoris Monaſt. *Hiſt. Gaufridi Ducis l.* 1. Normannos, cùm à Britonibus quodam in torneamento victi eſſent, *confuſione inopinatâ dejectos, ſingulare certamen Britonibus propoſuiſſe.* Non ſemper tamen in ſolis torneamentis Juſtæ fiebant; quandoque etiam abſque iis indicebantur, vocabanturque tum *Iuſtæ univerſales, magnæ & pleniariæ*, Gall. *Iouſtes à tous venans, grandes & plenieres*, ut eas appellat Autor. *Hiſt. Burcicaldi.* At qui in iis primâ vice decertabant, Fæcialibus vel Heraldis, aliiſque armorum, ut vocant, *Officialibus*, ſuum *elmum* ſ. caſſidem, donativi loco, offerre tenebantur, niſi priùs in torneamentis id ipſum feciſſent. Inde natum illud ſolenne, *Enſem lanceam, non verò Lanceam enſem, immunem reddere.* Miles enim, ſi in *Iuſta* caſſidem Fæciali contulerat, non propterea ab eadem in Torneamento denuo exhibenda erat immunis, uti docet ex *Tractatu MS. de Torneam.* C. du Freſne *in Gloſſ.* ubi in Torneamentis dimicare, longè fuiſſe honorabilius, quàm in *Iuſtis*; præterea lanceam eorum propriè fuiſſe, qui in ſingularibus certaminibus dimicabant, gladium verò eorum, qui in Torneamentis, addit. At *Iuſta*, apud Lanfranc. *in Decretis pro Ord. S. Bened. c.* 8. *Ad Cellarii miniſterium pertinent omnia vaſa cellarii & coquinæ & ſcyphi &* Juſtæ *& cætera vaſa refectorii*: menſuræ liquidorum ſpecies eſt, quaſi *juſta menſura*, quantum cuique ſufficit potus, ſubminiſtrans, C. du Freſne in *Gloſſ.* Vide quoque infrà *Iuſtitia.*

JUSTA Funerea, apud Plin. *l.* 10. *c.* 2. ubi de phœnice ave; *Primus ---- de eo prodidit Manilius ---- ſacrum in Arabia Soli eſſe, vivere Annis DCLX. ſeneſcentem caſiâ turiſque ſurculis conſtruere nidum, replere odoribus, & ſuperemori. Ex oſſibus deinde & medullis ejus naſci primo ſ. vermiculum: inde fieri pullum: principioque* juſta *funera priori reddere & totum deferre nidum prope Panchajam, in Solis urbem & in ara ibi deponere*: ſunt parentalia ſ. exequiæ, quibus id nomen à Latinis datum, quia ſunt officia ſancta *jureque* debita. Quemadmodum Græci ſimiliter κηδείαν, i. e. *funerationem* ſ. *parentationem*, vocant ὁσίαν, quaſi *juſtum ſanctumque officium*: ac parentare dicunt, τὰ νομιζόμενα, vel τὰ συνήθη ποιεῖν, item ἐναγίσματα, Voſſ. Barth. tamen *Iuſta* ab *Exequiis* diſtinguit; *ad Stat. Theb. l.* 9. *v.* 903.

Huic dabis exſequias: atque inter juſta *memento,*
Ne quis inexpertis &c.

Ubi ait, *Exequias bono ordine ſequuntur Iuſta.* Vocat autem ibid. vet. Scholiaſt. *Iuſta, omnem pompam, quâ manes decorantur, & eorum memoriæ ſatis fit.* Uti *ad l.* 9. *v.* 397. *Solennia funerum.*

Ad cineres ſaltem ſupremaque juſta *tuorum.*

Et *ad l.* 6. *v.* 169.

---- quid dona Duces? quid inania fertis
Juſta *Rogis.* ----- -----

Omnia, quæ ad ritus corporis pertinent Defuncti. Ibid. Barthius, *quidquid ordinario modo ſepulturæ impenditur.* Vide hic paſſim ubi de *Cadaverum Cura, Exequiis, Funere, Parentalibus* &c.

JUSTA Veſtis, Gr. Δικαία ἐσθὴς, dicta eſt, quæ ſic ad corpus eſt apta, ut nec fluat, nec ſtranguletur. Unde eleganter *juſtæ* tunicæ menſuram, quæ nec longior æquo, nec juſto brevior eſſet, *Iuſtitiam quadratam* dixit Tertullian. *de Pallio* Ubi *Iuſtitiam* vocat τὴν συμμετρίαν veſtis, *menſuræ temperamentum*, ſ. *moderationem*, ut Idem alibi. Sic *Iuſta toga*, apud veterem Perſii Scholiaſten, *Iuſtæ Togæ menſura, ſex ulnæ.* Apud Suet. *Ner. Claud. c.* 51. & *Serv. Sulp. Galb. c.* 21, *Iuſta ſtatura*: apud Lamprid. *Iuſta forma*: apud Ovid. *juſtus orbis* annuli: *Amor. l.* 2. *Eleg.* 15. *v.* 5.

Tam bene convenias, quàm mecum convenit illi,
Et digitum juſto *commodus* orbe *tenas.*

In quibus omnibus, quod Latini *juſtum*, Græci σύμμετρον vocant: imo & δίκαιον, ut vidimus. Item cùm δικαίαν ῥῖνα, *naſum juſtum* dicunt, qui tam æquali temperamento faciem dividit, ut nec ſuſpenſus ſit, nec propenſus. Pollux *l.* 4. Ἐπὶ τῶ ἐλευθέρου, δικαία ῥὶς, ἐξ ἴσου τὸ πρόσωπον διαιροῦσα. Plutarch. *de Iſide & Oſiride* *Iuſtam* Nili aſcenſionem vocat, quæ media eſt inter maximam & minimam, &c. Vide Salmaſ. *ad Tertullian. l. c.*

Viri Celebres.

JUSTELLUS Chriſtophorus, Gallus, in Scriptoribus Juris Canon. veteris colligendis tanta induſtria & ſucceſſu uſus eſt, ut quaſi Stator ac Reſtaurator antiqui & purioris Juris Canonici meritò haberi poſſit. Quòd oſtendunt affatim editi ab eo *Codices Eccl. Univerſæ & Eccl. Africanæ, cum Notis doctiſſimis.* Item *Iuris Canonici Vett. Collectores Græci, & Photii Nomocanon, cum Scholis Balſamonis*, ab A. C. 1610. uſque ad A. C. 1615. aliaque multa; quæ ille Morte præventus cùm edere non potuiſſet, perfecit tandem Fil.

JUSTELLUS Henricus, qui cum Gul. Voëllo Theologo & Socio Sorbonico, à Patre magnam partem collectam *Iuris Canonici Vet. Bibliothecam*, Græcorum Latinorumque digeſtiones continentem, multorum expetitam votis, duobus voluminibus Luteriæ edidit, A. C. 1661. Cujus Operis ſeriem, ſummamque, cùm omnium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

minum manibus non verſetur, qui noſſe cupit, adeat Gerh. von Maſtricht JC. *in Hiſt. Iur. Eccl. n.* 416.

JUSTI, item *Fideles*, dicti olim in Eccl. qui, fidem profeſſi, integrum Baptiſmum accepêrunt, h. e. manuum impoſitione ultimâ ſunt perfecti; ſicut, qui ad Fidem accedentes, manuum impoſitione primâ, in Catechumenorum numerum, recepti ſunt, *Chriſtianorum* nomenclationem accepêrunt: Vide Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce Χριστιανός.

JUSTI Dies, in re militari, erant dies non præliares, continui nempe triginta, quibus, exercitu imperato, vexillum ruſi coloris in arce poni ſolebat. His res repetere hoſtemque laceſſere fas non erat. Feſtus, *Præliares dies appellantur, quibus fas eſt bello hoſtem laceſſere, erant enim quædam feriæ publicæ, quibus nefas fuit id facere.* Ubi per *ferias publicas* intelligit *Juſtos dies*. Sed & præliares dies, quibus in arce vexillum proponebatur, ad imperandum exercitum, *Iuſtos* appellatos ſcribit Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 16. *Præliares dies ab* Juſtis *non ſegregaverim. Siquidem* Juſti *ſunt continui triginta dies, quibus exercitu imperato vexillum ruſi coloris in arce poſitum eſt.* Ubi rectè ex ſententia Salmaſii *in de M. U.* Macrob. dies præliares ab *Iuſtis* non ſegregandos putat, quia quacunque de cauſa jura Romæ ceſſarent, illi dies *Iuſti* appellati, quòd in illis jus ſtaret, ceſſaretque. Unde LL. XII. Tabb. illis, qui debitum vel confeſſi erant, vel etiam jure condemnati, triginta dies *Iuſti* ad conficiendam pecuniam dari leguntur, ante quos effluxos in jus vocari non poterant, ſed jura pro illis ſtabant ac ſilebant, apud A. Gell. *l.* 15. *c.* 13. Quod factum videtur ad exemplum eorum, qui publice *Iuſti* dicebantur, quando ſc. in tota urbe juris erant feriæ. Hinc *Iuſtidium*, ſic enim vetuſtiſſimus liber apud A. Gell. ſcribit, quod vulgò *Iuſtitium*, tempus vel ſpatium *Iuſtorum* dierum, vel unus etiam *Iuſtus* dies, quo jure agi non licebat. Jac. Oiſel. JC. *notis in A. Gell. loco præſ.*

JUSTI Iacobus, vide *Iacobus*.

S. JUSTI, cœnobium, in finibus Caſtellæ, in quo Car. V. biennium privatus exegit, ibidem Mortuus. A. C. 1551. Vide Thuan. *l.* 14.

JUSTIFICATOR, *Charta* Rogerii Siciliæ Regis A. C. 1144. ubi ſubſcripſit *Rogerius fil. Boni, Iuſtificator Curialis*, apud Ughellum *Tom. VI. p.* 143. idem quod *Iudex* eſt, de qua voce vide *ſupra*.

JUSTINA, primò uxor Magnentii Tyr. dein Valentiniani ſenioris, ex hoc mater Valentiniani Jun. Gallæ, Gratæ & Juſtæ: quarum prima Theodoſio nupſit. Ab Arianis ſeducta, ſæva in Orthodoxos Præſuleſque inprimis, Ambroſium, quòd templum Arianis negâſſet Mediolani, omni ratione, ſed fruſtrà, perditum ivit. Poſteà illius, in placando Maximo tyranno, miniſterio uſa, Theſſalonicam cum filio ſe recepit, ibique Obiit A. C. 388. Ambroſ. *Ep. ad Marcellinam.* Zoſim. *l.* 4. Sozom. *l.* 7. Ruffin. *Socrates*, &c.

S. JUSTINA, congregatio religioſa, aliàs Montis Caſſini dicta, Patavii inſtituta, à Lud. Barbo, Senatore Veneto, A. C. 1408. Sub Greg. XII. Cavaccius *l.* 4. & 5. *Hiſt. Cœnob. S. Juſt.*

JUSTINA, hodie forſan *Mont-Jutin* aut *Mont-Juſtin*, caſtrum liberæ Burgundiæ, Lantanam inter & Lunionem fluv. Ann. Bertiniani *Luſtenam* habent, quæ vox ad Liptinas *Leſtines* videtur accedere. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

JUSTINIANA Prima, quæ & *Archridus*, Lychnidus Ptol. urbs Macedoniæ, Archiepiſcopal. *Priſrien* Iacobo Luccaro Epidaurio: ad Lychnidum lacum, 70. mill. paſſ. à Dyrrachio in Ort. Theſſalonicam verſùs Nunc *Locrida*, urbs ampla in excelſo colle, ad lacum, in Macedonia, ubi aliàs Daſſaretæ, in Pelaſgonia tractu. Sub Turcis. Patria Iuſtiniani Imp.

JUSTINIANA Secunda, *Ulpianum* Ptol. urbs Myſiæ ſup. *Villa Procopiana* Lazio. Epiſcopal. ſub. Archiep. Acridenſi, in conf. inf. 50. mill. à Scupi in Bor. 60. à Sophia, nunc *Vulpia*. Sub Turcis. 40. mill. à Danubio.

JUSTINIANA Tertia, urbs Bithyniæ Archiepiſcopal. in ora contrà Byzantium, teſte Curopalate, quæ & *Chalcedon* dicta eſt.

Imperatores Rom.

JUSTINIANUS I. Rom. Imp. ex ſorore nepos Iuſtini Sen. à quo Nobiliſſimus primò, dein Cæſar & Aug. pronuntiatus, A. C. 527. paulò pòſt, ei ſucceſſit. Leges hic ſtatim in hæreticos ſeveras promulgavit, templa deſtructa reparavit, Eccl. Protectorem ſe fore profeſſus, dignum ſe Imperio oſtendit. Hinc per Beliſarium contrà Perſas Vandaloſque, capto Gilimero, victor, Africam recuperavit, Gothos In Italia ſubegit, Vitige Rege in poteſtatem redacto, Mauros ſuperavit, Samaritaniſque ſubjugatis, priſtinum Rom. Imperio ſplendorem reddidit: poſtquam Hypatium, Pompejum & Probum, Anaſtaſii Imp. nepotes, ingenti ſeditione à Viridi Venetaque Circi factione excitatâ, rebellantes, ab Imperatrice corroboratus, & à Beliſario Mundoque fortiter defenſus oppreſſiſſet. Sic quiete Imperio partâ Ius civile in cum ordinem redigendum curavit, quo nunc utimur, electis ad id negotii decem Viris præſtantiſſimis, qui Codices Gregorianum, Theodoſianum & Hermogeneum in unum contraherent, legeſque per 2000. libb. diſperſas in quinquaginta ſaltem compingerent, unde Codex Digeſtorum vel Pandectarum ortus. Porro 4. libb. Inſtitutionum, qui textum omnium legum ſuccinctè continerent, & Cod. Novellarum, quibus novas à ſe latas complexus erat, compoſuit. Conc. 5. Oecum. Cpoli habito, priorum Conc. fidem confirmavit, errores damnavit, tria capitula rejecit: A. C. 548. dum Theodora Eutychianorum commoda omnibus modis curaret, quæ Epiphanio Ep. urbis Mortuo Anthemium Eutych. promovit, donec re à marito cognitâ, huic Menna Orthodoxus ſubſtitutus eſt. Felix, ni paulò ante Mortem in Severitarum hæreſin prolapſus eſſet, qui negârunt Chriſti corpus corruptibile fuiſſe. Obiit A. C. 565. Æt. 83. Imp. 39. Abolito Conſulatu, ſubſtructis plurimis templis, Sophiæ inprimis, quod inter Architecturæ miracula, præter dicta, memorabilis. Procop. de bello Perſ. Vand. Goth. Euagr. *l.* 4. Agathias, Nicephor. Paul. Diacon. &c. Suid. literarum rudem fuiſſe ſcribit. Zonaras *t.* 3. ait, tam immodico ædificandi ſtudio flagrâſſe, ut & ſtipendia artium liberalium magiſtris jam olim conſtituta ſuſtulerit, quo haberet ſumptus, quos in ædificationes profunderet.

JUSTINIANUS II. cogn. Rhinotmetus, Rom. Imp. Conſtantino Barbato patri ſucceſſit, A. C. 685. Is primò operâ Leontii, Iberos, Armenios, Albanos, Medoſque Saracenis eripuit, & rurſus Mardaitas præſidium utile è Libano, factâ pace cum Abdmelecho, qui & Africam reddidit, & tributum grande pollicitus eſt, deduxit. Dein temerè violatâ pace, quam ejus pater cum Saracenis fecerat, & Bulgaris, ſcriptas conditiones pacis haſtæ alligantibus, ac in aëre inſtar vexilli elevantibus, Deo in perjurii ultionem implorato, eò demum redactus eſt, ut pacem ab utriſque cogeretur ipſe petere. Tandem ob crudelitatem ejectus, & præciſis naribus relegatus, Leontium reliquit ſucceſſorem. Vide Diac. *l.* 19. Quem cùm poſt aliquot Annos Tiberius Abſimarus pepuliſſet, throno potitus, per An. 7. tandem Iuſtinianus ope Trebellii Bulgarorum Regis, qui per aquæ ductum quendam copiis intromiſſis Cpolim ceperat, reſtitutus eſt. Tum Leontio & Abſimaro capite plexis, quoties ſtilla de truncis naribus cadebat, toties Senatorum Procerumque aliquem vindictæ ſuæ ſacrificavit, Patr. etiam Callinico excæcato; Ingratus poſtmodum in Bulgaros illis bellum intulit, ſed tantâ affectus clade, ut vix fugâ evaſerit. In Cherſoneſi incolas, quòd ſibi exuli inſidias ſtruxiſſent, Principibus aſſatis, & 73000. puerorum infantiumque ſubmerſis, ſævus, ab illis, claſſe amiſsâ victus, & Philippicus Bardanes Imp. proclamatus eſt. Hic Iuſtinian. A. C. 692. Synodo Cpoli celebratâ, *ne quis Presbyteros ab uxoribus abſtinere cogeret*, decreverat: quod cùm Sergius Papa approbare nollet, periclitatus eſt, & Iuſtinianus ab Eccl. Rom. paulò averſior factus, redux nihilominus ex exilio, A. C. 703. ad evocati ad ſe Conſtantini Papæ pedes, Nicomediæ coronatus procubuit, eique oſculum tulit. Iam tum enim maximâ flagitiâ, Papam honorando, quod hic: vel templis excitandis, quod Alpaida cæſo Lamberto, vel donatione, quod Aripertus, Cottias Alpes Pontifici reſignando, fecit, elui creditum. Occiſus, cum fil. Tiberio, à Bardane ſucceſſore, A. C. 711. Imp. ante exilium 10. poſt illud 6. Paul. Diac. *l.* 6. Theoph. *Cedren.*

IUSTINIANUS, nepos Iuſtini Iun. cujus uxor Sophia, cùm Tiberio nuptiarum ejus ſpe evecto ab hoc rejecta eſſet, Iuſtinianum contrà illum excitavit. Sed Tiberius huic victo ignovit, illo contrà Perſas poſtmodum uſus. Item Ep. Valentiæ, in Hiſp. Scriptor Eccl. 6. Sec. frater Iuſti, Ep. Urgel. Nebridis & Elpidii Præſulum.

IUSTINIANUS Laurentius, vide *Laurentius*.

IUSTINIANUS Leonardus, Vide *Leonardus*.

IUSTINIANUS Petrus, vide *Petrus*.

IUSTINOPOLIS, vel IUSTINIANÆA, urbs Bulgariæ, patria Iuſtiniani Sen. Prius Bederina, Agathiæ: Taurezia, Procopio: & Acrida poſtmodum dicta. Metropolis ab Imp. facta eſt Daciæ utriuſque, Triballiæ, Dardaniæ, Mœſiæ ſup. & pannoniæ. Secunda, in Mœſia ſup. Tertia, Chalcedon. fuit.

IUSTINOPOLIS, urbs Iſtriæ primaria, à Iuſtino Cæſare condita, ſ. potius inſtaurata. Vide Volater. Nunc *Capo d'Iſtria*, 24. mill. à Parentio in Bor. 10. à Tergeſte in Auſtr. Sub Venetis. Epiſcopal. eſt ſub Patriarcha Aquilejenſi. *Leand. Alb.*

Imperatores Rom.

IUSTINUS I. Imp. Rom. Anaſtaſio ſucceſſit, obſcuro genere natus, & è ſubulco factus miles, uti ſcribitur. A. C. 518. à militibus ingratis electus, Amantium Eunuchum, Anaſtaſii gratiâ abuſum contra fideles, puniit. Nomen Lupicinæ uxoris in Euphemiam mutavit; Epiſcopos, hæreticis pulſis, revocavit, Conc. Chalcedonenſi autoritate redditâ. Poſteà ſeveriſſimis in Arianos edictis publicatis, hi Theodorici Gothorum Regis opem implorârunt, qui miſſo Ioh. II. Papâ, illis aliquid relaxationis impetravit. Periit Antiocheno terræ motu, purpuram & diadema aliquandiu depoſuit. Obiit A. C. 527. Imp. 8. Succeſſit Iuſtinian, ex ſorore nepos. Marcellin. Comes, Zonaras, Euagr. *l.* 4.

IUSTINUS II. Imp. Rom. Iuſtinian. Primi ex Vigilantia filia nepos, fil. Dulciſſimi, Avo ſucceſſit A. C. 566. Initium Imperii ſatis felix, poſtea abrogatâ Iuſtiniani lege, contra conjugia illicita, in deterius paulò mutatum eſt. Cognatum Iuſtinum, ad Iſtrum excubantem, ut erat meticuloſus & æmuli impatiens, Cpolim evocatum, Alexandriam miſit ibique ſtrangulari curavit: Duobus etiam Senatoribus, Etherio & Addæo Occiſis. Ab oppreſſis compellatus, ut Procerum injuſtitiæ obviam iret, Prætorem creavit, qui reos uſque ad Imp. menſam, inde abſtrahendos, perſequeretur. Paulò pòſt, audito, Avares, Longobardos, Perſaſque undique irrumpere, inſaniâ correptus eſt, quæ per intervalla recurrit. Quare Sophia uxor, pacem à Perſis petiit, Tiberio Cæſare interea onus Imperii ſuſtinente. Obiit A. C. 578. Zonar. *in Ann.* Euagr. *Hiſt. l.* 5. Paulus Diac. &c. De utriuſque *Iuſtini* nummis, Vide C. du Freſne *Diſſert. de Inf. ævi Numiſm. n.* 71.

Viri Illuſtres.

IUSTINUS, Hiſtoricus, Trogi Epitomator, probæ Latinitatis autor, Antonini Imp. ætate vixit, ſi Voſſ. credimus, quem vide *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 32.

IUSTINUS, natione Samaritanus, Philoſophus, Apologeticum pro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

pro Chriſti fide conſcripſit, & Antonino Pio Rom. Imp. tradidit, tandem martyrio coronatus. A.C. 163. Opera ejus ſæpius impreſſa Frid. Sylburgius, Joach. Perion. & Iac. Billius notis illuſtrârunt: Comm. c. hæreſes amiſſum eſſe, teſtantur Phot. *Bibl. cod.* 23. & 25. qui etiam tr. contrà Marcionem & Ariſtotelem, item Pſalmiſtæ ejus meminit, & Hier. *Cat. c.* 23. Adde Euſeb. *l.* 38. & Morer. *in Dict. Hiſt.*

JUSTITIA, idem cum Æquitate Numen, apud Gentiles. Stat. *Theb. l.* 2. *v.* 422.

---- ---- medii reverentior æqui.

Ubi Schol. *In neutram partem declinantis, neutri parti plus æquo faventis juſtitiæ.* Quemadmodum & Hebraiſmus *Juſtitias & Æquitates* jungit, Eſaj. *c.* 33. *v.* 15. Perpetuò Jovi adſidet, ex nobili figmento Orphei, quod tradit Demoſthenes *c. Ariſtogit.* imò ejus *ſceptrum* poëtis dicitur, vide Barthium, *ad Theb. l.* 3. *v.* 234.

----- tibi fas ipſos incendere bello.

Quemadmodum Pſalmographus Pſ. 45. *v.* 7. *Solium tuum, ô Deus, in ſeculum & ſempiternum, ſceptrum rectum eſt ſceptrum Regni tui.* Repræſentârunt eam cum libra & cornucopiæ, uti in annulo apud Gorlæum alibíque paſſim videre eſt: & ſic pleríque pro Virgine aſtrica habuêrunt, uti docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 1216. Aliam ejus picturam, Chryſippi ſuiſque verbis, proponit ſpectabilem A. Gellius *l.* 14. *c.* 4. Vide & iconem ejus à Polynice, in clypeo, circumlatam, apud Æſchyl. *in Septem Theb.* ubi Scholiaſtes varia lectu non injucunda &c. Item ſuprà, in voce *Aſtræa.*

JUSTITIA, al. JUSTITIARIUS; Judex ſ. adminiſtrator juſtitiæ, ſed in foro plerunque ſeculari. Delata ſunt ad Anglos vocabula, ſub Eduardo Confeſſore, vel potius Gul. I. Normannis tum irruentibus. Ad Italos pariter ulteriores, Normannis ſub Tancredi filiis, circà A. C. 1040. illic novas ditiones auſpicantibus: unde factum, ut inter Neapolitanas Siculaſque conſtitutiones multæ habeantur priſcis Anglorum ſimillimæ, ut & ritus, officia, magiſtratus, vocabula. Prior vox in Anglia duravit uſque ad Henr. III. quo tempore alterâ ſe efferente, ſenſim diſparuit: *Juſtitiariorum* ibi origo ab Alfredo Rege licèt nomen, ut dictum, longè recentius ſit: Hi aliàs *Aldermanni, Vice-Comites, Grevii,* &c. quorum curâ & induſtriâ, tanta pax brevi per totam terram effloruit, ut ſi viator quantamcunque ſummam pecuniæ in campis & publicis compitis reliquiſſet, manè vel poſt menſem rediens integram & intactam inveniret, teſte Ingulpho Saxone. Horum præcipuus erat, qui *Juſtitia totius Angliæ*, aliàs *Capitalis Angliæ Juſtitia*, ſ. *Juſtitiarius* dictus eſt, qui dignitate omnes regni Proceres, poteſtate omnes Maſtratus ſuperabat, ſolus tum quatuor ſummorum Judicum hodiernorum munere functus: ſc. Capitalis Juſtitiarii Banci Regii, i. e. placitorum Coronæ ſ. criminalium: Capitalis Juſtitiarii Banci communis, i. e. placitorum civilium: Capitalis Baronis Scaccarii; i. e. curiæ ad ſacrum patrimonium & fiſcum pertinentis: & Magiſtri plerunque VVardorum, i.e. pupillorum. Licèt enim ampliſſimus hic Magiſtratus ſæpius in bellis verſaretur, ſemper in arduis Regni negotiis, foro tamen & rebus judicandis non eximebatur, peregrinantem ubicunque curiam Regis ſequutus. Sub Henr. III. vel potius Joh. Rege poſtea placita communia Capitali Juſtitiario adimi cœpêre: ſic non ingentem ſolùm nobilemque, ſed & valde quæſtuoſam officii ſui partem amiſit. Sub Eduardo II. iterum ei aliquid detractum, donec immenſa ejus poteſtas, ipſis Regibus gravis, in quatuor illa ſuprà memorata munera diſſiliit: Nomine tamen adhuc, cum quibuſdam priſcæ juriſdictionis reliquiis, retento Henr. Spelmanno videtur hic Magiſtratus oriundus è Majoris domûs apud Gallos exequiis, ſed ad declinandam nominis invidiam, aliis eum *Comitem, Rectorem & Principem* Palatii: aliis *Summum ſ. Capitalem Juſtitiarium*: aliis *Seneſcallum*, inprimis qualis Normanniæ erat, & *Dapiferum*, non obſervatis exactè differentiis: Imò, & in Regis abſentia, *Vicarium Regis, Regis Locum tenentem, Pro Regem, Cuſtodem regni,* & *Regni Gardianum*, dictum eſſe. Unde illis Seculis, qui à latere Regis ad remotam provinciam mitteretur, non tam Præſes & Prorex, quàm Juſtitiarius illius provinciæ nuncupatus eſt. Sic 8. provincias in regno Neapolitano, *a Iuſtitiariis* ſingulis ſingulas gubernatas, numerat Scipio Ammiratus: Idemque mos in Hibernia ab antiquo viget. Eligebantur autem *Iuſtitiarii* olim è Clero plerunque, apud Gallos, Normannos, Anglos, aliaſque gentes: laicis tum adhuc militiam magis, quàm literas admirantibus. Sed Huberto VValtero Archiep. Cantuarienſi, ad id muneris evecto à Richardo I. Innoc. P. graviter ſuccenſuit, Regique ſub interdictionis periculo impoſuit, ut eum ab officio Juſtitiarii removeret: *cum non liceat Epiſcopis negotiis ſecularibus ſe implicare.* Plura de ampliſſimo hoc munere aliiſque *Iuſtitiariorum* ſpeciebus, cum Catalogo omnium *Angliæ Iuſtitiariorum*, vide apud Henr. Spelmann. *in Gloſſ. Arch.* Hîc ſaltem Capitalium ſeriem exhibebo.

Capitales Angliæ Juſtitiarii.
Sub Anglo-Saxonibus.

Alfricus Comes, ſub Alfredo Rege.
Æthelſtanus Dux Eſt-Angliæ, dictus *Halp-Keneg*, i. e. *Semi Rex*, circà A. C. 930.
Æthelwolphus, fil. prioris.
Ailwinus, fil. quartus ejuſdem: Sub Edgaro Rege.
Stir, ſub Hardicnuto Rege circà A. C. 1040.
Heraldus, fil. Godwini, qui, ſolium invadens, à Gul. I. victus pulſuſque eſt. Florentio Vigorn. *Subregulus* vocatus, quòd ſub Rege omnia moderaretur. Ingulpho *Major domûs.*

Sub Anglo-Normannis.

Gul. fil. Osberni, qui prælio Haſtingenſi funeſto tertiam aciem victricem duxit, Huic Collega dein datus.
Odo Ep. Bajocenſis, frater Gul. Conqueſtoris, in quem cùm varia machinaretur, à fratre in vincula conjectus eſt, circà A.C. 1079. Gul. 12. ſ. 13. Huic.
Richardus de Benefactis ſucceſſit, ſub eodem Rege.
Odo Bajocenſis, iterum ſub Gul. II. à quo, illò rurſus, bellum moliente.
Ranulphus Flambardus Ep. Dunelmenſis, totius regni Procurator effectus eſt.
Gul. de S. Carilefo Ep. Dunelmenſis, ſub eodem Rege. Hujus ſucceſſor fuit.
Radulphus Baſſet, ſub eod.
Hugo de Bocland, ſub Henr. I.
Rogerius Ep. Sarisburienſis, ſub eod. Unus ex iis Epp. quos Steph. Rex captivos detinuit. Obiit A. C. 1139.
Albericus de Ver. ſub Henr. I. Londini Occiſus A. C. 1140.
Henr. Dux Norm. ſub Steph. Rege à quo adoptatus eſt.
Henr. primogenitus Henr. II. nedum ſeptennis, cum Theobaldo Archiep. Cantuarienſi, an poſt eum?
Robertus de Bello Monte, Comes Leiceſtriæ, ſub Henr. II.
Richardus de Lucie, priorem prælio vicit, An. 19. regni Henr. II. Obiit A. C. 1179.
Ranulphus de Glanvilla, ſub eodem. Exutus eſt officio An. 1. Richardi I.
Hugo de Puſaz, Steph. Regis ex ſorore nepos, Ep. Dunelmenſis & Comes Northumbriæ, priori ſucceſſit, mox, imminutâ poteſtate, Borealis tantùm Angliæ Juſtitiarius conſtitutus: Auſtralis verò Gul. Ep. Elienſis, cui à Baronibus, abſente Rege depoſito, ſucceſſit.
N. N. Archiep. Rothomagenſis, A.C. 1191.
Hubertus VValter, Archiep. Cantuar. quo, juſſu Innoc. III. amoto, eò quòd Ep. non liceat negotiis ſecularibus ſe immiſcere: ſuffectus à Richardo I. Rege.
Gaufridus fil. Petri, cui dein additus eſt Petrus de Rupibus, Eques auratus, VVintonienſis Ep. cujus nimiâ potentiâ irritati Proceres effecêre, ut à Rege Henr. III. licèt invito, pelleretur.
Hubertus de Burgo, ſimul Juſtitiarius. Angliæ & Viceccomes Norfolciæ ac Suffolciæ, ſub Henr. III.
Simon de Pateshulle, ſub eod.
Gul. Comes Penbrochiæ ſub eod. Ejus Epitaph. apud Paris. *Sum quem Saturnum ſibi ſenſit Hibernia, Solem Anglia, Mercurium Normannia, Gallia Martem.* Obiit A. C. 1219.
Hubertus de Burgo iterum: maritus Margarethæ Scotiæ. Strenuè multa egit, ſed tandem gravius delinquens, omnibus fortunis excuſſus eſt ab Henr. III. & ſuffectus.
Stephanus de Segrave Miles; ſed & hic, ob rem malè geſtam, officio pulſus eſt. Ei
Hugo de Pateshulle Clericus, ſucceſſit: electus Ceſtriæ Ep. A.C. 1239.
Phil. Lovet, ſub eod. judicio Baronum ex officio ejectus A. C. 1258.
Joh. Manſel Clericus, ſub eodem Henr. III. exutus tandem officio à Baronibus, Obiit A.C. 1265. Surrogatus eſt ei
Hugo Bigod, frater Rogerii Comitis Norfolciæ & Mareſcalli Angliæ, A. C. 42. Henr. III. hoc diſcedente in Galliam, Regni habenas, cum tribus aliis moderatus eſt, A. C. 1260. Sed eodem Anno ceſſit officio & Succeſſor à Parlamento deſignatus eſt.
Hugo Diſpenſerius, A. C. 1261. in Annum ſequentem: annua enim jam eſſe voluêrunt Barones ſuprema Regni officia. Hoc exuto, à Rege Henr. III. conſtitutus eſt.
Phil. Baſſet, A. C. 1262. cum Rege in Lewenſi prælio captus. A Baronibus autem nec hic receptus eſt pro *Juſtitiarò* Angliæ nec à Rege poſteà Diſpenſator; titulo tamen uſus eſt uterque. Interim fractâ re Baronum dignitatem citrà controverſiam Baſſetus reportavit Defunctus A. C. 1271. i. e. penultimo Henr. III. à quo tempore *Supremi* in Anglia *Juſtitiarii* dignitas ceſſavit. Sequentes enim ab antiquæ functionis amplitudine ſemoti, & ad Regii tribunalis juriſdictionem contracti ſunt: *Capitales Juſtitiarii Banci Regii & Capitales Juſtitiarii ad placita coram Rege tenenda*, etiam appellati.

JUSTITIA Arragonum, nomen ſummi in illo Regno Magiſtratûs, idem cum illo, quem Suprarbienſes *Judicem medium* ſ. *intermedium* vocitârunt: aliter *Iuſtitia major*, nonnunquam, quòd à Rege crearetur, *Iuſtitia Domini Regis*, aliquando *Iuſtitia in Cæſar-Auguſta* dictus eſt; donec tandem, ipſius Regni nomen aſſumens, *Iuſtitia Arragonum* eſt appellatus. Hic Judex *erat inter Regem & ſubditos, ſuper omnibus iis, quæ Rex faceret vel peteret contrà eos vel è contrà* &c. Molinus *in Repertor.* Quamvis enim Petrus impetrato ab Ordinibus, ut Regnum, quod priùs electivum erat, hæreditarium fieret, caput, quod inter Leges Arragonum agebat de electione Regis; ſtricto acinace diſcidit, inde cogn. *Ab Acinace* nactus: nihilominus libertati ſuæ variè cavêrunt Arragonii. Præter legem ſc. titulo *Unionis* conditam, de qua infrà, magiſtratum habuêre, cujus judicio ipſe Rex ſubjaceret, *Iuſtitia Arragonum* dictum: coram quo Reges in genua procumbere & nudo capite jurare tenebantur, ſe omnia privilegia & leges Arragonum ſanctè obſervaturos; à quolibet item ſubditorum accuſari poterat; ut penès quem ſolum abſoluta erat poteſtas explicandi Leges, cui explicationi, ſine ulteriore provocatione, erat ſtandum. Idem ſolus judicabat, an parendum eſſet Regiis mandatis, nec ne; Rexque ipſe, quoties hærebat, juſtumne eſſet aliquid ac legitimum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

an ſecus, cogebatur ſententiam *Iuſtitiæ* exquirere &c. Quæ ejus autoritas quo pacto debilitata primùm, tandem ſublata ſit, dicemus infrà, in voce *Nuca*. Plura verò de hocce magiſtratu ejuſque autoritate ac juriſdictione congeſſit, Michaël Molinus præfatus *in Repertorio* & Hier. Blanca *in Comm. Rer. Arrag.* p. 716. 747. & 787. ubi ſeriem quoque eorum, qui ad ſuam uſque ætatem dignitate hac inſignes fuêre, exhibet, Vide etiam in voce *Arragonia*, item *Alcaydus*.

JUSTITIARII, Forbeſio dicuntur Hæretici, quorum error eſt *arrogans profeſſio perfectæ juſtitiæ, cum ſuperbo aliorum faſtidio.* Quales fuêrunt, Phariſæos anteambulones (de quibus in Euangelica Hiſt.) ſequuti Novatiani, & Donatiſtæ, omneſque illi, qui *Perfectos* ſeſe dixêre: de quibus vide ſuis locis, & plura hanc in rem apud Joh. Forbeſ. *Inſtruct. Hiſt. Theolog.* l. 1. c. 37. *l. XII. c.* 9. & *l. XIV. c.* 5.

JUSTITIARIUS Capitalis Angliæ, magiſtratus olim ampliſſimus fuit, qui, in Regis palatio ſemper ferè verſatus, id officii in eo, quod olim Comites Palatii in Francia; obivit, ac proin majoris momenti negotia, &, quæ inter Barones Regni controverſæ erant, lites, ſupremo diremit Iudicio. Placita quinetiam Civilia, quæ *communia* vocant, ſub illis Seculis unà agebantur in Palatio, coram ipſo Rege, ſ. *Capitali ejus Juſtitiario*, cum Placitis Coronæ: nec diſcretos habuêrunt Judices, ante Annum 9. Henr. III. vel potius 17. Ioh. Regis, quo utroque Anno conceſſit Rex, ad inſtantiam Procerum, *ut communia Placita non ſequerentur Curiam* (Regis) *ſed in loco certo tenerentur.* Sic fixo Iudiciorum loco & *Banco Communi* exorto, Fiſcalium tamen & Criminalium Iudex *Iuſtitiarius Capitalis* perſtitit, eoque nomine *Scaccario* præſedit & Regio theſauro, de quo, uti libitum erat, ad Regis Regnique negotia ſtatuebat: cumque univerſis Regni Iudicibus præeſſet, curaretque ex munere ſibi injuncto, ut Regis ſubditis ubique juſtitia adminiſtraretur, non modò *Iuſtitiarios itinerantes* in Comitatus delegabat, ſed ipſe interdum id officii obibat, ut eo rám inſpiceret popularium querelas & in Iudicum animadverteret delicta. Sed nimiam hanc & Regibus ipſis gravem poteſtatem, primus imminuit Richardus I. qui illius munus in duos magiſtratus, juriſdictionibus ſuis diſtinctos, *Borealem* viz. & *Auſtralem*, diviſit: qui mox iterum cùm coaluiſſent, fluctuante inter varias vices, uſque ad Henr. III. exceſſum, eorum poteſtate, ab Eduardo I. in claſſem inferiorem ſunt redacti. Namque hic &, prætermiſſis Regni Proceribus, *Juſtitiarios* hujuſmodi è minori Nobilitate delegit, morum probitate conſpicuos, legumque notitiâ inſtructos (unde hodieque fervens in Anglia Legum Juriſque inter Nobiles ſtudium) & ſemotos jam à rerum faſtigio & priſcæ amplitudinis functionibus, forenſi ſolummodo negotio, & Judiciis exercendis addixit. Quo modo, abrogatâ omni ferè, quâ præcinctus erat, autoritate ac dignitate, deſiit magiſtratus iſte, etiam olim ſupremus, *Capitalis Angliæ* Juſtititiarius appellari. Unde, Jacobo regnante, ægrè latum eſt, quòd Eduardus Cokus, in Relationum ſuarum frontiſpicio, hoc ſe titulo inſigniret, etſi vulgarem ſequeretur morem & rationis quidem haud expertem. Angliam enim totam, quoad pacem regiam & Coronæ dignitatem, nonnullaque alia promovenda, adhuc in juriſdictione retinet *Capitalis* ille *Juſtitiarius*, emittens etiam uſque ad Regni terminos mandata ſua, titulumque ANGLIA in margine præfigens, juriſdictionis indicium &c. Vide C. du Freſne in *Gloſſ.* & plura hanc in rem, in voce *Iuſtitia*.

JUSTITIARIUS Itineris de Corona, in *Chronico* Nic. Trivetti A. C. 1272. in eodem Regno, nomen eſt magiſtratus inf. inſtituti ab Henr. II. Rege. Scribit enim Rogerus Hovedenus A. C. 1176. Regem hunc diviſiſſe regnum ſuum in VI. partes & per earum ſingulas *tres Iuſtitiarios itinerantes* conſtituiſſe, qui *Barones errantes*, item *Inquiſitores*, vocantur Gervaſio Dorobern. A. C. 1170. Quorum officium quodnam fuerit, indigitat Matth. Weſtmonaſterienſis A. C. 1249. *Rex partes adiit Wintonienſes, latronum ---- repletione non mediocriter infames, ubi paulò antè* Juſtitiari *exierant* itinerantes, *qui mutâſſe debuerant illas partes à peſte prænotata.* Vide Bracton. *de Actionibus l.* 3. *c.* 11. §. 2. 3. & *ſeqq.* ubi de eorum Juramentis & Officio, & *de Corona l.* 3. *c.* 1. ubi agit, qualiter procedere debeant in itinere, quove ordine. Bis in Anno itinera ſua peragere & in quolibet Vicecomitatu ſuæ juriſdictionis Curias tenere jubentur, in *Statutis* Roberti Regis Scot. *c.* 30. & 33. Sed poſtmodum exolevit ea appellatio, & *Iuſtitiarii Aſſiſarum* dici cœpêrunt. Hodie vero Magnates aut Comites primarii, qui Foreſtarum Regiarum habent curam præfecturamque, *Iuſtitiarii Itinerantes* nuncupantur, Angl. *Iuſtices in Eyre*; C. du Freſne in *Gloſſ.* ubi ad hujus magiſtratûs Officium illuſtrandum & *Legem* hanc laudat, *Cod. Theod. de Officio Rectoris Prov. Provinciis præſidentes per omnium villas ſenſim atque uſitatim, vicoſque cunctos diſcurrant & ultrò rimentur à ſingulis, quid unuſquiſque Compulſor inſolenter egiſſet aut cupidè* &c.

JUSTITIARIUS Magiſter, potius *Magiſter Iuſtitiarius*, item *Magiſter Magnæ Curiæ Juſtitiarius*, nomen magiſtratûs in Regno Neapolitano, de cujus officio ac juriſdictione; ſic Frid. II. Imp. in *Conſtit. Sic. l.* 1. *tit.* 37. *Saturninus, ut magnæ Curiæ noſter Magiſter Iuſtitiarius, nobiſcum in Curia commoretur, cui* 4. *Judices volumus aſſidere, & ut Magiſter Juſtitiarius Curiæ noſtræ ſupradictus, de crimine læſæ majeſtatis noſtræ & de feudis quaternis & de quarta parte ipſorum feudorum & de appellationibus ordinariorum ſ. delegatorum noſtrorum ad Curiam noſtram interjectis & de quaſtionibus noſtrorum Curialium, qui immediatè nobis aſſiſtunt, de ſpeciali in Curia noſtra commorantium, qui de Curia noſtra, ſine ſpeciali mandato noſtro, non poſſunt recedere: nec non & miſerabilium perſonarum, quarum eſt privilegium Forum eligere ---- cauſas audiat* &c. Vide Scipionem Ammiratum *de Fam. Neapol. Tom. I. p.* 41. laudatum C. du Freſne *in Gloſſ.*

JUSTITIUM, Vide ſuprà *Funus publicum*.

JUSTUS, cogn. Ariſtidis, maximè regium & divinum C. Nepos *in eo c.* 1. *Adeò excellebat Ariſtides abſtinentia, ut unus poſt hominum memoriam ---- cognomine* Iuſtus *ſit appellatus*. Vide quoque Diod. Sic. *l.* 11. Herod. *l.* 8. *c.* 79. Cic. *pro Sextio* & T... ſ. Æſchinem κατὰ Κτησιφῶντος & περὶ παραπρεσβείας. Plutarch. *in eo*, ubi multa juſtitiæ ejus exempla adfert. Val. Max. *l.* 5. *c.* 3. Alios. Unde tota ſcena in Ariſtidem intenta dein, cùm Athenis in theatro ... Æſchyli verſus recitarentur,

> Οὐ γὰρ δοκεῖν δίκαιος, ἀλλ' εἶναι θέλει,
> Βαθεῖαν ἄυλακα διὰ φρενὸς καρπούμενος,
> Ἀφ' ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.

Quod tamen totum cùm ſimulatum & ad tyrannidem comparandam callidè effictum, in vulgus Themiſtocles ſpargeret, Ariſtidem teſtulâ collabefecit, quâ in decennale exilium ejectus eſt. Quod æmuli, factum licèt minimè probandum, in eo tamen imprudenter egit Ariſtides, cùm *tam cupidè elaboravit, ut præter cæteros* Iuſtus *diceretur*. Nepos paulò pòſt. Quod innuiſſe videtur, quicunque cudi fecit nummum, in cujus uno latere caput Ariſtidis, cum Inſcr. ΑΡΙΣΤΙΔΗΣ Ο ΔΙΚΑΙΟΣ in altero, mulier ſedens, dextraque baculum tenens: infrà, ΒΟΥΛΗΣ ΓΝΩΜΗ. circùm, ΟΥ ΔΟΚΕΙΝ ΑΛΛ ΕΙΝΑΙ, apud Cl. Keuchen. Vide & Alex. ab Alex. *alioſque*.

Viri Illuſtres.

JUSTUS, Coſ. cum Ianuario. A.U.C. 1080.

JUSTUS, Hieroſolymorum Ep. Simeoni cruci affixo ſucceſſit, A. C. 113. Alius Hieroſolymorum Ep. poſt Senecam, A. C. 118. Euſeb. Alius Alexandriæ Ep. A. C. 122. poſt Primum præfuit, An. 11.

JUSTUS, Ep. Urgellenſis, in Catalaunia, frater Iuſtiniani, Ep. Valent. magni ſuo tempore nominis, & velut Oraculum Chriſtiani orbis. Scripſit Exhortationem myſticam Cantici Cantic. editam à Menrado Molhero, Hagenoæ A. C. 1529. & Baſileæ, A. C. 1551. Obiit A. C. 540. Iſidor. *c.* 20. & 21. *de ſcript. Eccl.*

JUSTUS, Ep. Uratiſlavenſis, in Bohemos fideles ſævus A. C. 1418. Lætus *Comp. Hiſt. Univ.*

JUSTUS, Hiſtoriographus quidam Tiberienſis; qui de rebus Iudaicis Hiſtoriam ſcripſit. *Volaterr.*

D. JUSTUS, vir ſanctiſſimus, ob Chriſtianæ fidei confeſſionem, in exilio martyrium conſtantiſſimè paſſus eſt. Ado Archiep. Vienn.

JUSTUS Catonius, in Pannonicis legionibus primi ordinis centurio, ſub Tiberii Principatus initiis. Poſteà Prætorio præfectus, Claudio, & fraude Meſſalinæ Interfectus, Dion. *l.* 60. *c.* 5.

JUSTUS de Tiberiade, ſcripſit Hiſtoriam Iudæorum, Joſephi συγχρονος. Sublestæ fidei à Ioſepho accuſatus, *in vita*. Continebat liber geſta Iudæorum, à Moſe ad Agrippam uſque. Photius cod. 33. Euſeb. *Hiſt l.* 3. *c.* 9. Hier. *in Cat.* *Suid.* &c.

JUSTUS Lipſius, Brabantus, Oraculum ſui temporis, variis in Academiis docuit, Lugduni inprimis Batavorum, & Lovanii. Opera egregia, in volumina aliquot congeſta, eruditionem ejus, in omni literarum genere, abundè loquuuntur. Obiit A. C. 1606. ex Anna Caliſtria uxore, nullâ prole ſuſceptâ. Tacitum integrum à capite ad calcem memoriâ tenuiſſe traditur. Sed plagiarium eum inſignem fuiſſe, & Muretum, P. Fabrum, Onuphr. Panvinium, Fabricium, exſcripſiſſe, non deſunt qui ſcribant. Quòd verò à Muſica tantopore abhorreret, ut, quæ omnes alios exhilarare ſolet, eum in ſummam conjiceret triſtitiam, planè ſingulare eſt. Vide *Elogia*. Ant. Teiſſier *Parte* 2. ex Thuano, Nic. Erythræo, Aub. Miræo, Balzaco, Grotio, Baudio, Scaligero, Galæo, Salmaſio, *Aliis*.

IUSTUS Minucius, vide *Minucius*.

IUTÆ, al. *Iuti*, *Guti*, & *Iutones*, Bedæ *Vitæ*, quaſi *Witæ*, *Guti* Romani *Getæ*, quandoque iidem ſunt, qui *Gothi*, *Gotti*, & *Goti*: Unus à priſco vocabulo Gothico *Iæd*, quod gigantem donorat. erant è tribus populis illis protogonis, qui, relictis in Germania ſedibus, Angliam olim applicuêre: ubi in tractu Cantio & Vecta inſ. quæ ab advenis nomen videtur ſortita, ſedes cepêrunt. Quum enim priſco Saxonum idiomate *Wide* & *Wideland* appellata ſit, produnt hæ voces exordium à *Gutis*: dictamque velut *Gutiam*. *Gutlandiam* & *Gutorum inſ.* in memoriam tranſmarinæ eorundem patriæ. Quemadmodum quoque Saxones & Angli, ſuas apud Anglos ſedes, à tranſmarinis illis Angliam & Saxoniam nuncupârunt. Tota etiam pars Daniæ Occ. *Iutia* olim dicebatur, vulgò *Iutland*, & pars Or. Sueciæ adjacens, *Gotia*, al. *Gotland* & *Gutland*, variatâ parumper dialecto: fuitque regio antiqua latiſſimis porrecta limitibus, & Germaniæ partem non exiguam obtinuit. Hodie verò *Iuti* in meditullio Daniæ degunt: Sub Canuto circà A. C. 1139. cùm in Dania duo Reges, modò nominatus, & Sueno, cui Selandi ac Scani parebant, regnarent: priore ab hoc intercmpto, ipſe à Waldemaro, per Iutos cæſus eſt. A. C. 1161. Sax Gramm. *l.* 14. Vide *Guti* & *Iutia*.

JUTHUNGI, apud Amm. Marcell. *l.* 17. *c.* 6. in vett. *tab.* Itiner. *Iutugi*, Sidon. Apollinari *Vithungi*, Treb. Pollioni in D. Claudio, *Virtingui*, pars Germanorum ſunt Amm. Dexippus Ἰουθούγγους qui in Σκύθας appellat, Pollio inter Scytharum itidem populos, qui in Romanum ſolum irruptionem fecêre, principatu Claudii II. memorat, Vide Salmaſ. *ad Trebell. Pollion.* & *Vopiſc. in Probo Imp.* ubi populum hunc à nonnullis malè cum *Gruthungis* confundi, oſtendit. Vide *ſuprà*.

JUTIA, vulgò *Iutland*, aliàs *Cimbrica Cherſoneſus*, quia à Cimbris primùm habitata, quibus poſtea Iuti ſuccesſêre, regio ampla Daniæ regni, & in modum peninſ. extenſa à Mer. in Sept. & tan-

& tantùm continenti juncta versùs Auſtr. ubi terminatur à Germania. Ab Occ. habet mare Germanicum, & ad Bor. ac Ortum ſinum Codanum ſ. mare Balthicum. Dividitur in Sept. & Mer. Septentrionalis Jutia, vulgò *Nort-Jutland* dicta, dividitur in quatuor partes ſ. Diœceſes, nempe in Ripenſem, Arhuſienſem, Alburgenſem, & Viburgenſem, ubi ſunt urbes cognomines. Jutia Meridionalis *Sud-Jutland*, quæ aliter dicitur Ducatus Sleſwicenſis, dividitur in ſeptem partes. Sed pars ejus Mer. ſubeſt dominio Ducum Sleſwicenſium è fam. Regum Daniæ. Ibi urbes præcipuæ Sleſvicum, Flensburgum, Haderſlebia, & Apenroa. Pop. *Juti*, ſub Chriſtierno II. cùm ad Comitia Arhuſiæ inſtituta vocarentur, conſternati Suecicâ lanienâ, ſimilemque veriti, Viburgi congregatione factâ, per Magnum Munckium literas Regi renuntiationis miſêrunt, Sec. Præt. Qui in Seelandia rebus ſuis firmatis, cùm patruum electum audiret, cum gazâ, chartis literiſque in Belgium ſe recepit. Phil. Jac. Spener. *Syll. Chronol Hiſt.* Vide Golnizium *Deſcr. Jutiæ*, ut & in voce *Jutæ*.

Jutiæ urbes.

Alburgum, *Alborch.*	Huſumum, *Huſum.*
Appenroa, *Appenrade.*	Ripa, *Ripen.*
Arhuſia, *Arhuſen.*	Sleſvicum, *Sleſwick.*
Coldia, *Koldingen.*	Tondera, *Tonderen.*
Flensburgum, *Flensborg.*	Toninga, *Tonning.*
Fridericopolis, *Friderikſtadt.*	Viburgum, *Wiborch.*
Haderſlebia, *Haderſleben.*	

JUTURNA, Dauni filia, Turni Rutulorum Regis ſoror, quam Jupiter, pro erepta virginitate, immortalitate donavit, Numicique fluv. nympham fecit. Hæc in bello fratrem adverſùs Æneam multum juvit, ſed videns fratri necem inſtare, in Numicum fluv. ſe occultavit. Virg. *Æn. l.* 12. Alii dicunt, eam rem habuiſſe cum Latino Rege, eoque palam facto, ſuâ ſponte ſe in Numicum præcipitâſſe. Ei ædes Romæ fuit in Campo Martio. Revera autem *Juturna* fons eſt ſaluberrimus, in agro Latino, in Numicum amnem influens, quæ res poëtis occaſionem fabulandi dedit. Nunc *Treglio*. Inde Romam ad omnia ſacrificia aqua afferri conſueverat.

JUTURNA, Val. Max. *l.* 1. *c.* 8. fons & lacus parvus Latii, apud Numicium fluv. teſte Servio, *Treglio* nunc, teſte Giraldo, ſic à nympha. Virg. *Æn. l.* 12. *v.* 813.

> Juturnam *miſero (fateor) ſuccurrere fratri*
> *Suaſi.* ----- -----

Idem Ibid. *v.* 844.

> Juturnamque *parat fratris dimittere ab Armis.*

Eſt & *Juturna* fons Romæ in Velabro, P. Vict. ubi nunc ſacra ædes S. Mariæ liberatricis, Ferrar. Baudr. *Juturnam* lacus arte complures Annos aquâ per ſubterraneum meatum deductâ exſiccatus eſt à Card. Serra, qui villam eò loci habebat; & ſalubritatem aëris exſiccato lacu locis vicinis reddidit: quod etiam Inſcriptiones Urbani VIII. Pontificis Rom. ad Caſtrum Gandulphi poſitæ teſtantur.

JUVANTIUS, fluv. nunc *Trontino*. Labitur juxtà Interamnam, ſ. Teramum in Aprutio ult. & in ſinum Venetum ſe exonerat.

JUVAVIA, Bavariæ urbs, Archiepiſcopal. ampla, hodie *Saltzburg*, ad fluv. cogn. Ptol. *Pœdicum*, 12. mill. Germ. à Lintio in Circ. 12. à Paſſavia in Mer, Cum tractu ſat amplo, *Ertzbiſchthum Saltzburg*: qui ſub Archiep. proprio, inter Bavariam ad Occ. & Auſtriam ad Ort. duas urbes & plura oppida continet.

JUVAVIUS, fluv. Saltzburgum, cui nomen dat, præterfluens, hodie *Saltz* Aventino. Ex Tauro monte, in conf. Carinthiæ ortus, influit in Oenum, inter Oetingam & Braunodunum, Bavariæ urbes.

JUVENACIUM, urbs Apuliæ Peuc. maritima, Epiſcopal. ſub Archiep. Barenſi inde 12. mill. paſſ. in Occ. Baralum verſùs 18. Melficto proxima. *Giovenazzo* vulgò.

JUVENALES ludi, à Nerone primùm, cùm barbam deponeret, inſtituti ſunt. Agebantur per domos & hortos, legiturque Ælia Catula nobiliſſima atque ditiſſima, An. Æt. 80. in iis ſaltâſſe, apud Xiphilin. ex *Dione.*

JUVENALIS, Decius Junius, poëta Satyricus ex Aquino oriundus; Is ferè ad mediam ætatem declamavit, poſtea vitiis offenſus Satyras ſcripſit, ſed cùm ſchemate notâſſet Paridem Pantomimum, jam octogenarius, ſpecie honoris, præfectus eſt cohorti in extima Ægypto, inde *Irati Hiſtrionis exul* vocatur à Sid. Apollinari. Creditur vixiſſe, uſque ad Annum 12. Hadriani. Lipſ. *Ep. quæſt. l.* 4. *c.* 20. Scalig. *poët. l.* 6. *c.* 6. Lilius Girald. *in Dial. poët.* Voſſ. *de P. L.* Verùm de eo nos alibi. *Nic. Lloyd.*

JUVENATIUM, pag. agri Bergomenſis; Zanchio *Adbaſta.*

JUVENCA, nitore placet & pinguedine. Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 219.

> *Paſcitur in magnis ſylvis* formoſa juvenca.

Ideò de juvenca dictum, quacum confertur Ephraim, Hoſ. *c.* 10. *v.* 11. *quamvis ego tranſivi illum per præſtantiam colli ejus.* Cujuſmodi *Juvenca* rufa, immaculata, injugis, in Vet. Teſt. extra caſtra immolabatur, ibique tota cum ligno cedrino, hyſſopo & cocco bis tincto comburebatur à Sacerdote, ut ejus cineribus aquæ ſeparationis immiſtis aſperſi mundarentur, qui propter cadaveris contactum, aut alia de cauſa polluti erant, Num. *c.* 19. *v.* 2. Sed & *Juvencâ* pariter à jugo immuni, in vallam aſperam deductâ & decollatâ, cædem, cujus autor eſſet ignotus, Deus expiari voluit, Deut. *c.* 21. *v.* 1. & 3. nec non infrà voce *Vitula.* Sic Homerus βῶν ἀδμήτην, *vaccam anniculam indomitam*, *Il.* κ. & Odyſſ. γ. Virg. ubi de Ariſtæi ſacrificio *Georg. l.* 4. *v.* 540.

> ----- *Et intactâ totidem cervice* juvencas.

Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 333.

> *Ante coronârunt puppem: ſine labe* juvencam
> *Mactârunt operum conjugiique* rudem.

Horat. ubi de ſacrificio, ab Aug. poſt Actiacam victoriam, offerendo, *intactos boves*, *Epod.* 9. *v.* 22. &c. oblatas memorant. Uti verò *Juvencæ*, ſic & *Juvenci*, in ſacris placuêre. Hinc Pſ. 69. *v.* 32. ſperat Propheta, laudem, quâ Dei nomen celebraturus eſt, illi placituram *præ bove juvenco*, *cornibus atque ungulis jam inſigni.* Qualem etiam Aſcanius Iovi promittit Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 627. *& ſeqq.*

> ----- ----- *auratâ fronte* juvencum
> *Candentem pariterque caput cum matre ferentem,*
> *Jam cornu petat & pedibus qui ſpargat arenam.*

Seu ut ait Juv. *l.* 4. *Sat.* 12. De *Juvenco*, *v.* 8.

> ----- ----- *quem jam pudet ubera matris*
> *Ducere, qui vexat* naſcenti *robora cornu.*

in Feſto Propitiationis, olim pro ſe ac domo ſua, à Pontifice oblato, Vide Lev. *c.* 16. *v.* 3. De 7. item *Iuvencis*, poſt cultum divinum reſtitutum, ab Ezechia Rege ſacrificatis, aliiſque hanc in rem, Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 33. ubi *de Boum in Sacris uſu.* Sed & *juvenca* Lyricorum olim præmium fuit, uti diximus ſuprà ubi de *Epico poëmate*, Vide quoque infrà *Lyra.* Nomen quod attinet, *Iuvencum* dictum autumat Varro, quòd jam agriculturæ *juvandæ* ſit, *de Ling. Lat. l.* 4. Iſid. *quia apud Gentiles ſemper ubique Iovi juvencus immolabatur, nunquam taurus*, *Origin l.* 12. *c.* 1. Vide Caſp. Barth. *Animaverſ. ad Stat. Theb. l.* 6. *v.* 186.

> *Non ſecus ac primo fraudatum lacte* juvencum.

De Hebræis verò Græciſque ejus nominibus, eund. Bochart. ubi ſuprà. *c.* 27.

JUVENCUS, Presbyter Hiſp. Euangelia heroicis verſibus explicuit, A. C. 332. Etiam alia quædam attribuuntur illi: Hinc Hier. *in Matth.* citat ex illo ſeqq.

> *Aurum, Thus, Myrrham, Regique, Hominique, Deoque*
> *Dona ferunt.*

A quibuſdam G. Aquilinus Vectius Juveneus dicitur. Vide Hier. *in Chron.* Olymp. 277. A. C. 329. *Ep. ad Magn. & in Comm. in Matth.* Honor. Auguſtodun. *l.* 1. *c.* 85.

JUVENES, quorum mentio in vett. Inſcriptionibus & apud Calliſtrat. *l.* 6. *de Cognitionibus*, apud Jurecoſſ. *l.* 28. §. 3. *ff. de Pœnis*, *Solent quidam, qui vulgò ſe* Iuvenes *appellant, in quibuſdam civitatibus turbulentiſsimis ſe acclamationibus popularium accommodare*: Ad ludos & hiſtrioniam pertinere, evincunt ſequentia paulò pòſt verba: Nam *ſpectaculis eis interdicitur*, ſi turbas in theatro fecerint. Ita ergo dicti creduntur Atellanarum actores, cùm inter liberos homines, & famæ integros ſed tenuiores cenſiti fuerint: (quod liquet ex eo, quòd ſi quid peccati feciſſent, *fuſtibus cæſi dimitterentur.*) Ideo autem appellati ſic videntur, ut vel ſaltem nomine referrent eos; qui primi Atellanarum, quibus conſerta erant Exodia, ludos tenuerant, *Iuventutem* nempe Romanam. Ita enim de his ludis Liv. *l.* 7. *c.* 2. *Poſtquam lege hac fabularum ab riſu & ſoluto joco res avocabatur, & ludus in artem paulatim verterat*; Iuventus *hiſtrionibus fabellarum actu relicto ipſa inter ſe more antiquo ridicula intexta verſibus jactitare cœpit: quæ inde Exodia poſtea appellata, conſertaque fabulis potiſsimum Atellanis ſunt.* Calliſtrati autem verba de *Iuvenibus* ad Scenicos tantum ludos refert Petitus. Cùm enim Hiſtriones invicem certantes victoriam non virtute ſemper, ſed etiam favore pararent, itaque favitores delegabant, qui in ſubſelliis & cuneis Theatri ſedentes applaudebant & extorquebant plauſum ſpectatorum, quos *Popularium* nomine indigitat. Plauſus autem iſte comites ſæpe habebat rixas atque verbera: Quare providendum erat, ne quis hiſtrioni in ſcena agenti operam ſuam navaret, in edendo plauſu, eliciendoque illo popularium clamore. At, ut liquet è Calliſtrato, *Iuvenes* id præſtabant hiſtrionibus, & Theatrum ſuo plauſu commovebant, ut ſpectatores ſuum darent ei hiſtrioni, cui *Iuvenes* applaudebant & factum vellent. Quia autem hi non agebant Atellanas, niſi in fine ludorum, poterant illi inter ſpectatores ſedere, ut eſſent ſigniferi motuum & clamorum Theatralium, in gratiam illius hiſtrionis, aut poëtæ, cui ſtudebant, & poſt cujus commiſſam fabulam illi Atellanam edebant, Vide Sam Petit. *Comm. in LL. Attic. l.* 1. *tit.* 1. *p.* 77. & 78. Apud Juvenc. *l.* 4. cùm ait:

> *Talia dum loquitur, ſciſſos lacerata capillos,*
> *Pro fratris morbo juſtis ſoror anxia curis,*
> *Hortatur* Iuvenem *rapido percurrere greſſu,*
> *Caſibus ut tantis Chriſtus ſervaret amicum.*

Juvenis famulus eſt. Quemadmodum & apud Ovid. *de Arte Am. l.* 3. *v.* 466.

> *Pignora nec* Iuveni *credite veſtra novo.*

Vide L. Pignor. *Comm. de Servis*; uti de *Iuvenibus*, Senatorum apud Rom. ordine, *Iuvenibus* item *ſecundi generis*, aliquid infrà, ubi de *Lato clavo* adde quæ diximus in voce *Iuniores.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

JUVENTAS, Dea fuit apud Rom. poſt prætextam excipiens juvenilis ætatis exordia. Hanc Romani à Serv. Tullio in Capitolio uſque coluêrunt: Quare Tarquinio Priſco, ut templum Iovi Capitolino exſtrueret, reliquorum Deorum templa exauguranti, Terminus & *Iuventas* cedere noluêre. Aliam dein ei ædem vovit M. Liv. Coſ. quo die Haſdrubalem vicit: quam idem Cenſor faciendam locavit, C. Licinius Lucullus Duumvir dedicavit, 16. poſt Annos, Liv. *l.* 36. *c.* 36. ubi addit, ludos etiam hujus ædis dedicandæ causâ factos, & quidem majori religione, quòd novum cum Antiocho tum bellum inſtaret. Vide *Hebe*.

JUVENTIUS, inter veteres olim Comicos clarus, memoratur A. Gell. *l.* 18. *c.* 12. cùm ait: *Iuventius in Comœdia*,

Pallium, inquit, *face ut ſplendeat.*

Ita enim optimè Comici hujus nomen repoſuit J. Rutgerſius *Var. Lect. l.* 4. *c.* 19. & poſt eum C. Barthius *Adverſ. l.* 21. *c.* 5. cùm vulgò legeretur, *Terentius in Comœdia*. Meminit ejuſdem Varro *de Ling. Lat. l.* 5. *ubi hoſce ejus verſus citat*,

----- ----- ----- ----- ----- *Gaudia*
Sua ſi omnes homines conferant unum in locum,
Tamen mea exſuperet lætitia.

Uti & *l.* 6. *Scrupedam Aurelius ſcribit, quaſi Scauripedam. Iuventius Comicus dicebat, à vermiculo piloſo, qui ſolet eſſe in fronde cum multis pedibus*. Ex eodem Chariſ. *l.* 2. hæc verba adfert:

---- ---- ---- *Caput ei teſtatim defregero.*

Vide Iac. Oiſelium JC. *Notis in A. Gell. l. c.*

JUVENTIUS Celſus, Coſ. cum Neratio Marcello, A. C. 881. Autor 39. libb. Digeſt. 20. Inſtit. &c. Fil. patris cogn. qui Hadriano à conſiliis & apud Trajanum in pretio fuit. Item alius JC. Coſ. cum Criſpino, A. C. 865.

JUVENTIUS Helva, vide *Marcus*.

JUVENTIUS, vel IUVENCUS Martialis, laudatus Sid. Apollin. *l.* 9. *Ep.* 14. *ad Burgundionem*. Autor vitæ Iul. Cæſaris. Sed Gargilium Martialem fortè Sidon. dicere voluit, de quo Vopiſ. *in Probo*. Lamprid. *in Alex.* &c.

JUVENTUS, inter Gentilium πεδάρματα, vide ſuprà *Dii*.

JUVENUTIS Princeps, vide infrà *Princeps*.

JUVERNA, vulgò *Ireland*, vide *Hibernia*. Iuv. *l.* 1. *Sat.* 2. *v.* 159. & ſeqq.

----- *Arma quidèm ultra*
Litora Iuvernæ *promovimus, & modò captas*
Orchadas, & minimâ contentos nocte Britannos.

IUVINIACUM, vel IOVINIACUM, vulgò *Joyne*, à Iovino quodam cognominatum, inter villas eſt ad Remenſe Monaſterium S. Remigii pertinentes. Item *Iuviniacum*, vulgò *Iuvignien*, ad Monaſterium Lugdunenſe apud Inſ. Barbaram, Greg. Tur. memoratam, ſpectans. De utraque vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

IUVAN ſ. IUVANUS; non ſemel apud Galbertum in *Vita* Car. Com. Flandriæ, pro *Johannes*: quâ notione etiam vocem hanc uſurpant paſſim Dalmatæ, Hungari & Moſci. Sic Ἰβάνης, apud Cantacuzen. *l.* 1. *c.* 36. & 57. Ἰβάγκος, apud Nicetam Choniatem. Vide *Hiſt.* Auſtralem A. C. 1289. & 1296. laudatam C. du Freſne *in Gloſſ.*

IXALUS, Græca vox, Lat. *Ibex*. Vide *ſuprà*.

IXARIUM, vulgò *Ixar*, opp. Arragoniæ, ad Martinum fluv. cum tit. Duc. 6. leucis à Cæſar-auguſta in Auſtr. Dertuſam verſùs.

IXEUTICE, Græcè Ἰξευτικὴ ſpecies venationis, quæ *viſcatis Virgis* aves retinet, *Aucupium* ſuprà & infrà *Venatio*, it. *Viſcum*.

IXIÆ, regiuncula Rhodi, ab *Ixio*, portu, hinc Apollo *Ixius*. *Steph.*

IXIAS, urbs Oenotrorum mediteranea. Barrio *Carolei* opp. agri Coſentini prope Meneſinam opp. Vide *Inia*.

IXIBATÆ, pop. intrà Pontum prope Sindicam, Steph. *Ixomatæ* Polyæn. *l.* 8.

IXION, Corinthiorum Rex ſecundus, ex Heraclidis patri Aleti ſ. Alethi ſucceſſit, regnavit Ann. 38. ſucceſſore fil. Agelao I. Diod. Sic. apud Syncellum *p.* 179. Vide etiam Pauſ. Euſeb. Ioh. Marsham. ubi *de Corinthi Regibus*.

IXION, Phlegyæ, ſive ut Hygin. mavult, Leontei fil. qui ſocerum ſuum Deioneum, vel Erioneum fraude peremit. A' qua cæde cùm neque homines, neque Dii eum luſtrare vellent, diuque incertus vagaretur, Iupiter illius miſertus in cœlum aſſumptum expiavit. Cumque jam purgatus apud ſuperos degeret, Iunonem amare cœpit, eamque de ſtupro appellavit, quod cùm Iupiter intellexiſſet, nubem illi ſub Iunonis effigie oppoſuit, ex qua ille Centauros genuit. Dejectus deinde in terram, cùm paſſim gloriaretur, cum Deorum Regina ſe rem habuiſſe, Iupiter indignatus, fulmine ad inferos eum detruſit, curavitque, ut ibi rotæ illigatus perpetuò circumageretur. Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 484.

Atque Ixionei *vento rota conſtitit orbis.*

Ovid. *Met. l.* 4. *v.* 461.

Volvitur Ixion, *& ſe refugitque fugitque.*

Idem Ibid. *l.* 8. *v.* 405. & *l.* 10. *v.* 42.

----- *Stupuitque* Ixionis *orbis.*

Tibull. *l.* 3. *Eleg.* 3. *v.* 73.

Illic Iunonem tentare Ixionis *auſi*
Verſantur celeri noxia membra rotâ.

Claud. *l.* 2. *De Raptu Proſ. Carm.* 35. *v.* 335.

Non rota ſuſpenſum præceps Ixiona *torquet.*

Idem, Ibid. *v.* 537. *Nic. Lloyd.*

IXION, Grammaticus eſſe videtur, quem laudant Scholia in Arioſtoph. *Ranas, Act.* 1. *Sc.* 6. *ſub fin.* Eum quoque citat in expoſitione Atticarum dictionem *in Aves p.* 614. *A.* 2.

IXIONIDES, Pirithous, Ixionis fil. Prop. *l.* 2. *Eleg.* 1. *v.* 37.

Theſeus infernis, ſuperis teſtatur Achilles,
Hic Ixioniden, *ille Menœtiaden.*

Ovid. *Met. l.* 8. *v.* 569.

IXIONII Amici, nomen quo Paraſitos ſuos inſignire ſolebat Heliogabalus, de quo ſic Æl. Lamprid. *Paraſitos*, inquit, *ad rotam aquariam ligabat & cum vertigine ſub aquas mittebat, rurſuſque in ſummum revolvebat, eoſque* Ixionios amicos *vocavit*: alludens ad Ixionis, apud poëtas, ſupplicium, de quo dictum eſt ſuo loco. Cæterùm de *Ixione* Lariſſæ in Theſſalia Rege Ægæi Athen. συγχρόνῳ, qui ex equis pugnare gentem docuerit ſuam, vide Voſſ. *de orig. & pror. Idol. l.* 1. *c.* 14.

IXIUS Portus, vide *Ixiæ*.

IYNX, in Vett. philtris magni uſûs. Theocrit. *in Pharmaceutria*,

Ἶυγξ ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.
O Iynx, *tu nunc virum in ædes attrahe noſtras.*

Idcirco Veneri ſacra avis: quia collum torqueat, *torquillâ* novâ Th. Gazæ dicta. Modum, quo eâ amoribus conciliandis utebantur, Suid. attingit, in hac voce, ac pluribus exponit Scholiaſtes Pindari *in Pyth.* Ode 4. Vide & Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 96.

IZACHI, Maurit. Cæſarienſ. opp. *Ptol.*

IZALA, mons circà Perſidem. *Amm. Marcell.*

IZANE, apud Interpretem Pollucis *l.* 4. *c.* 18. ubi *de Hiſtrionum apparatu*. Ἡ δὲ Σατυρικὴ ἐσθὴς, νεβρὶς, ἢ αἰγῆ, ἣν καὶ ἰζαννὴν ἐκάλουν, καὶ τραγῆν: *Satyrica autem veſtis, hinnulea aut caprina pellis, quam etiam* Izanem *& hircinam vocabant*: propriè caprina pellis eſt, ex Syr. ez, vel Chald. *izza*, quod capram notat, uti docet Sam. Bochart. *Hieroz, Parte pr. l.* 11. *c.* 51. Unde patet, nec aſpirandam vocem, nec originem ejus è Græco arceſſendam, quod Scalig. facit *poët. l.* 1. *c.* 17. ubi ſic dictam contendit: *quòd ſine rugis tota adſidebat corpori, atque adhæreſcebat*, quaſi ab ἰζάνειν. Cæterùm amictus hic vetuſtiſſimus, & primis mortalibus in multo uſu fuit: ut viz, caprinas pelles ſ. *Izanas* ad lumbos utrinque cingerent, ab humeris corio crurum anteriorum nodatas: unde φαυνομορφίδες dictæ. Quales etiamnum ſpectamus in picturis Nympharum, quibus brachia detecta, femora quoque apparent, Idem ubi *de Bucolico Carm.*

IZATES, Adiabenorum Rex cum Helena ſorore & uxore Judaiſmum amplexus, fame ſæviente, in Judæos munificus extitit. Fil. Monobazi, cogn. Bazæi. Joſeph. *Antiqq. l.* 20. *c.* 2. Oroſ. Izatem cum conjuge Chriſtianos facit. A. C. 45.

IZATHA, opp. Mauritaniæ Cæſ. *Ptol.*

IZELUS, caſtellum Siciliæ. *Steph.*

IZGLI, Indiæ populi. Plin. *l.* 6. *c.* 17.

IZIZUM, Ægypti urbs. *Ant.*

IZRAHIA, fil. Ozi, filii Thola, filii Iſſachar. 1. Par. *c.* 7. *v.* 3.

IZRALLA, Thraciæ opp. *Ant.*

K.

K Litera Græcorum, Κάππα illis dicta: Latinis, quorum primus illam adhibuit Salluſt. Ludimagiſter quidam, in nullo uſu, niſi olim in vocibus *Kalendæ*, *Kabala*, &c. ubi poſtmodum C. adhibitum. Priſcian. Hinc cum *Kappa* Romanum, in Senatorum calceis apponi ſolere, ſcribit Suid. planè Lunulam intelligit, cujus figura C. eſt. Anglis, Hibernis, Scotis, Danis, &c. in propriis nominibus utcunque inſervit, reliquis gentibus rariùs uſurpatur. Calumniatoribus olim *K.* ignito ferro in fronte inuſtum, Lipſ. refert. Vide Voſſ. *Ariſtarch. l.* 1. *c.* 17. qui præter alia, antiquos in tribus vocibus litera hac uſos eſſe docet, ex Terentiano Mauro,

K. *ſimiliter otioſa eſt cæteris ſermonibus,*
Tumque in uſu eſt, cùm Kalendas *annotamus, aut* Kaput,
Sæpe Kæſones *notabant hac vetuſti literâ.*

Intellige, cùm legis, non cùm hominis caput ſignarent. Præterea in notis antiquis, *cardo*, vel *caſtra*, vel *cariſſimus*, vel *Calus*: in *Miſopogone* Juliani *Conſtantinus*, vide infrà *Monogramma*. KAR. *Carthago*: K. AUG. *Calendas Auguſti*: K. DD. *caſtra dedicavit*, vel *dedicamus*, vel *dedicavêrunt*: K. FEB. *Calendis Februarii*: KL. *Kalendæ* vel *Calendis*: KAL. SEP. *Kalendis Septembribus*: KM. *chariſſimus*: K. MR. *cara memoria*: KO. *Carolo* K. P. *Carolo poſitum*: K. Q. *Calendæ Quintileis*: KRM. *Carmen*: KR. AM. N. *carus amicus noſter*: K. S. *Calendæ ſextileis*: K. R. N. *carus Rex noſter* &c. denotat. Fr. Gouldman. Inter Galliæ Regum nummos, occurrunt ſub Car. VIII. *Albi cum K. coronato*, Gall. *Blans au K. couronné*, qui poſteà *Karolus* dicti ſunt pretii 10. den. Turon. in eorum una facie crux viſitur, in 4. coronulas deſinens, & *Inſc.* SIT NOMEN DOMINI BENEDICTUM; in altera, *K. coronatum*, inter bina lilia & *Inſcr.* KAROLUS FRANCOR. REX. uti videre eſt apud C. du Freſne ubi *de Monetis argenteis Franciæ Regum.*

KABBALA,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

KABBALA, Hebræis dicta eſt lex non ſcripta, ſed per traditionem πατροπαράδοτον ad poſteros propagata; à voce קבל *Kibbel*, i. e. accipere. Sentiunt enim, Verbum Dei ſ. Legem, jam ab ipſis Moſis temporibus duplicem eſſe, unam ſcripto traditam, quam vocant תורה שבכתב *Thora Schebictab*, i. e. *Legem ſcriptam*: alteram per traditionem propagatam, תורה בעל פה *Thora Begnalpe*, quam *Kabbalam* quoque appellârunt. Utramque dicunt Moſi datam à Deo eſſe; in monte Sinai; Sed poſteriorem à Moſe commiſſam eſſe Ioſuæ, à Ioſua Senioribus, à Senioribus Prophetis, à Prophetis Synedrio magno, & ſic ſucceſſivè ad poſteriora Secula perveniſſe, donec in unum digeſta fuerit volumen, continens præcipua præcepta & regulas, in uſum Iſraëlitarum, qui terram ſanctam inhabitarent. Compoſitum id autem A. C. 230. & appellatum eſt *Talmud Hieroſolymitanum*: ſed cùm paucas admodum conſtitutiones contineat, exigui uſûs eſt. Circa A. dein C. 500. plenius exactiuſque Volumen conſarcinatum in uſum Judæorum Babylone aliiſque in locis peregrinis degentium, *Talmud Babylonicum* dictum eſt, quod quia totum Judaici Juris, quâ civilis, quâ canonici, corpus complectitur, priori longè celebrius evaſit. Utrumque Verbo Dei ſcripto æquiparare auſi, autoritatem ei divinam attribuunt Hebræi. Cùm autem *Kabbaliſtæ* Talmudiſtis contradiſtinguuntur, ſumitur vocabulum *Kabbala* in ſtrictiore ſenſu, & ſignificat occultiſſimam ſcientiam, conſiſtentem in variis ſubtilitatibus ac myſteriis, quæ ex diverſimoda literarum in Scripturis orthographia; earundem variâ tranſpoſitione & myſticâ quadam Arithmeticæ ſpecie magnâ animi contentione elicere ſolent. Sic Gen. *c.* 23. *v.* 2. *Abraham ingreſſus* dicitur לבכתה *ad lugendum, propter Saram*, quod illi, cùm litera *Caph* minor ſit reliquis reddunt: *Abraham parumper lugebat propter Saram*, ob ætatem ejus jam decrepitam. Iterum quia primo verſu Geneſeos litera *Aleph* ſexies extat, hinc conjecit R. Elias, Mundum duraturum eſſe ſex mille Annos: eo quòd in ratione numerandi Hebræis uſitata *Aleph*, nota ſit millenarii. Quoad tranſpoſitionem literarum, ſic e. gr. procedebant חרם *Cherem*, inquiebant, ſignificat *anathema ſ. excommunicationem*; èx quo per μετάθεσιν רחם *Rachem*, i. e. *miſericordia*: item רמח *Ramach*, ſecundum Hebræorum computationem facit 248. qui numerus ſecundùm illos eactè refert membra humani corporis. Unde collegêre, hominem excommunicatum ſeriâ pœnitentiâ id efficere, ut *Cherem* in *Rachem*, & maledictio in benedictionem vertatur: quòd ſi pertinaciter impœnitens maneat, *Cherem* redire in *Ramach*, & maledictionem ſe inſinuare in omnia hominis illius membra ſicque illum funditus perire ac deſtrui. Rurſus cùm איש *Iſch* ſignificet virum, אשה *Eſcha* verò feminam: notant in voce virum denotante reperiri literam *Jod*, quam non habet feminæ nomen; contra in vocabulo feminam ſignificante deprehendi literam *He*, qua viri caret nomen, quæ duæ literæ junctæ efficiunt unum ex Dei nominibus *Jah*, יה, quibus demptis אש *Eſch* reſiduum *ignem* notat: Hinc ajunt, quam diu viro cum uxore bene convenit, *Jah* i. e. Deum eſſe cum ipſis: cùm verò animorum diſſidiis colliduntur, *ignem* inter eos flagrare &c. Ut plura de illorum deliriis non addam. Vide Thom. Godwyn. *de Ritib. Hebr. l.* 4. *c.* 8. De *Kabbala*, ex Pico Mirandulano, prædictis conſonam ſcribit Fungerus: A' Chaldaica enim voce קבל, quæ *accepit*, vel *ſuſcepit* ſignificat, ut ſit *receptio*, deducit; docetque eam doctrinam eſſe, quæ ſolo auditu percipiatur; qualia & Ariſtotelis erant ἀκροαματικά: idque ab iis ſolùm, qui Annum Æt. 40. exceſſiſſent, vide Eſdr. *c.* 4. *v.* 15. Idem addit nemini licuiſſe de *Kabbala* quidquam mandare literis &c. Vide eandem vocem ſuprà in litera C.

KABEL, vel KEBUL, apud Avicennam ubi de caſſia fiſtula, quam *Kebuliam* inde vocat, urbs Indiæ eſt; memorata Geographo Arabi *Climatis ſecundi Parte* 8. ubi & *Albrengi Kebuli*, quod ſeminis Indici genus eſt, & *myrobalanorum Kebulenſium*, qui in montibus huic urbi vicinis plurimi naſcuntur, meminit. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1309. & 1324. nec non in voce *Cabulum*.

KÆSO, ſic potiùs per *K.* antiqui ſcribebant Cæſonem ſignificando, & à Cajo, quod C. litera notatur, diſtinguendo. Cæſonem autem conſtat eum primò dictum eſſe, qui ex utero mortuæ matris exſectus eſſet, Plin. *l.* 7. *c.* 9.

KADILERI, Judices Turcarum, Georg. Horn. *Orbe Polit.*

KAERLIONUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

R. KAJIRA, prænom. Simeon, unus ex Geonim, congeſſit *Hilchot gedolot*, A. M. 4500. juxtà R. *Ganz*.

KAILLA, Pannoniæ Regina, quæ moritum ſuum Vazulem excæcavit. *Volat.*

KAIMACHAN, in Turcico Imp. nomen dignitatis eſt, quâ inſignis ſupremi Vezirii vices agit, ubi opus eſt. Vide infrà *Vezirius*.

KAIMÆCHITÆ, vulgò *Kaimachites*, pop. Tartariæ magnæ, longè lateque diffuſi, juxtà magnum fluv. Ghammam, & inter regionem Mongal ad Bor. & regna Thibeti & Tanguti ad Mer. Hinc mare ad Ort. adjacens dicitur mare Kaimachitarum, teſte *Sanſ.*

KAIRDANIEL, vel KAERDANIEL, nomen Fam. in Gallia illuſtris, quæ ramus eſt ſtirpis *le Jay*, Joſephus enim Mœam. Dn. *du Peronou*, ex Hamona, filia Hamonis *de Kaerres*, Dn. *de Kaerreal*, genuit Joh. Mœam Dn. *du Perenou de Kaerreal*: cui ex Johanna *le Baud* genita Maria Mœam Dn. *de Kaerreal*: nupſit Petro *Laiſnè* Dn. *Kaerrodi*, *Kaerdaniel* &c. quo matrimonio nata, Suſanna *Laiſné de Kaerrodierne* D. *de Kaërreal*, marito Claudio *du Pré* (fil. Oudarti *le Jay* Dn. *de Boutebac*) peperit Joh. *du Pré* Dn. *de Kaerreal*, Kaerdaniel, *Kaermerieu*: qui ex Eliſabetha Ferræa *de la Garraye*, pater fuit Gedeonis *du Pré le Jay* Dn. *de Kaerdaniel* Vicecom. *de la Belliere en Loudeac*: cui ex Sara *Barbier* geniti ſunt, Petrus Gedeon. Dn. *de Fioigny*, Joh. Phil. Dn. *de Brinnouets*, Gedeon Dn. *de Botpierre*, Eſther Olympia (*Mademoiſelle de Kaerdaniel* Carola (*Madem. de la Belliere*) & Juditha Eliſabetha (*Madem. du Pré.*) Phil. Jac. Spen. *Theatr. Nobil. Europ. Part. III. p.* 66.

KALECUTUM, inter Malabariæ Regna præcipuum Poſtquam enim ultimus Malabariæ Regum Sarama Perymal, à Mahumedanis, ſeductus, abdicato Regno, Meccam peregrinatum conceſſit, Regnum ſuum fidiſſimis Miniſtrorum, cùm ipſe liberis careret, diſtribuit & quidem uni ex intimis eorum titulum *Zamori* ſ. *Imp.* dedit, conſtituitque ut reliqui ei, tanquam ſupremo Domino, ſubjacerent. Is extruxit urbem *Kalecutum* A. C. 907. atque Imperii ibi ſedem fixit, quam hodieque poſteri illius, quanquam autoritate multùm imminutâ, retinent. Nomina Imperatorum propria ignorantur, nec niſi *Zamorinorum* communi nomine memoria eorum extat. Unus tamen, *Ganſer* nomine memoratur Aloiſio Cadamuſto, qui eum regnâſſe tradit A. C. 1498. Decrevit eorum potentia, circa A. C. 1500. à Luſitanis potiſſimùm infracta, qui ſedem mercaturæ Kalecuto Cochinum, urbem vicinam tranſtulérunt: quo pacto Regnum hoc è. maximo minimum factum eſt; retinent nihilominus priſtinum titulum Reges & Imperatorii nominis ſipario infirmitatem ſuam involvunt. Georg. Horn. *Orb. Imp. p.* 436. & 473. Vide quoque in voce *Calecut*.

KALENDÆ, primus cujuſque menſis dies; Singulos enim menſes Romani ex Romuli inſtituto diſtribuérunt in partes tres, *Kalendas*, Nonas & Idus: è quibus *Kalendæ* à Gr. verbo καλῶ, i. e. *voco*, dictæ ſunt, hanc ob cauſam. Priſcis temporibus, antequam Faſti à Cn. Flavio Scriba invitis Patribus in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hæc provincia delegabatur, ut novæ Lunæ primum obſervaret aſpectum, viſamque Regi ſacrificulo nuntiaret, ſicque tum ſacrificio à Rege & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex *Kalatâ*, i. e. vocatâ in Capitolium plebe, juxta Curiam Calabram, quæ caſæ Romuli proxima erat, quot numero dies à Kalendis ad Nonas ſupereſſent, pronuntiabat: & quintanas quidem, quinquies dicto verbo καλῶ, ſeptimanas repetito ſepties prædicebat. Hunc autem diem, qui ex his diebus Kalatis primus eſſet, placuit *Kalendas* vocari. Ideo autem minor Pontifex numerum dierum, qui ad Nonas ſupereſſet Kalando prodebat, quòd poſt novam Lunam oportebat Nonarum die populares: qui in agris eſſent, confluere in urbem, accepturos cauſas feriarum à Rege ſacrorum ſciturosque quid eſſet eo menſe faciendum, Macrob. Ter. Varro *de Ling. Lat. l.* 5. his diebus Nonas hoc modo à Pontificibus Kalatas eſſe memorat: *Dies te quinque Kalo Juno Novella, Septem dies te Kalo Iuno Novella*, vel ut Joſ. Scalig. legit, *Iana Covella*, i. e. *Luna cœleſtis*. Quamvis Juno non rarò Lunam denotet, quod vel ex hoc ipſo patet, quòd Iunoni omnes *Kalendæ*, veluti menſis primitiæ, ſacræ erant: Sicut enim Annum Iovis, ita Menſes Iunonis eſſe exiſtimârunt Vett. Unde Ovid. *Faſt. l.* 1. *v.* 55.

Vindicat Auſonias Iunonis cura Kalendas.

Unde & ipſa *Kalendaris* appellata eſt. Vide Ioh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 4. & 5. ut & infrà: de ſingulorum Menſium apud Rom. *Kalendis*. Apud Athenienſes quoque *Kalendæ* ſacratiſſimæ erant teſte Plutarch. *l. de vitando ære alieno*. Neque tamen inter feſta cenſebantur; quanquam non tam Apollini ſacræ erant, quam omnibus Diis, ut Docet Schol. Homeri *ad Od. v.* & Plutarch. *in quæſt. R.* quorum hic ait: Ἕλληνες ἐν τῇ Νουμηνίᾳ τοὺς θεοὺς σεβόμενοι, τὴν δευτέραν Ἥρωσι καὶ Δαίμοσιν ἀποδεδώκασι, *Græci Kalendis Deos venerati, ſequentem diem Heroibus ac Dæmonibus conſecrarunt.* Itaque Kalendis ſacra Diis faciebant, ex Lege: Ταῖς Νουμηνίαις θύειν, *Menſium Kalendis ſacra facito*, cujus meminit Libanuis *Declam* 8. In arcem tunc aſcendebant, & vota faciebant, ut Urbi publicè & ſibi privatim fauſta omnia evenirent: quæ ſacra Ἐπιμήνια dicta ſunt; eratque tunc Agon, præbebaturque Pavonum ſpectaculum, quod circà Antiphontis ætatem inſtitutum eſt. Vide Sam. Petit. *Comm. in LL. Attic. l.* 1. *tit. p.* 85. & infrà *Neomenia*. Imitatione Gentilium feſtum, quod *Kalendarum Feſtum*, ut *Kalendæ*, apud Scriptores, paſſim dicitur. Chriſtiani quoque olim celebravêre *Kalendis Januarii*, quibus Annus aperitur. Qui eas, Ethnicorum more, chorçis indecoris & mulierum ferarumque aſſumptis veſtibus formiſque mirè fœdabant, tantâ pertinaciâ, ut, licet in has *Kalendarum* ſpurcitias graviter ingentique cum zelo ſancti Patres paſſim inveherentur, neque ſemel Conciliorum autoritas in iis eradicandis omnes vires adhibuerit, indictis ad hanc diem jejuniis ac litaniis, quò, ludicræ & impiæ feſtivitatis loco, vera ac ſolida exercitatio, ſuccederet: nihilominus ita evelli non potuerint, quin extremis etiam temporibus plus ſolito acceperint vires, & non à ſecularibus duntaxat, ſed & ab ipſis Epiſcopis ac Sacerdotibus, legantur uſurpatæ. Unde ejuſmodi feſtivitati *Feſti Hypodiaconorum* nomen datum, non quod Subdiaconi ſolùm choreas has ſceleſtas ducerent, ſed quòd hac joculari appellatione indicare voluerint Galli, feſtivitatem hanc fuiſſe ebriorum Clericorum, ſ. Diaconorum: id enim evincit vox *Soudiacres*, i. e. *Saturi Diaconi*, quaſi *Diacres ſaouls*. De ea autem ſic Beletus *Div. Offic. c.* 72. *Feſtum Hypodiaconorum, quod vocamus Stultorum, à quibuſdam perficitur in Circumciſione, à quibuſdam vero in Epiphania, vel in ejus octavis. Fiunt autem quatuor tripudia poſt Nativitatem Domini in Eccl. Levitarum ſc. Sacerdotum, Puerorum i. e. minorum ætate & ordine, & Hypodiaconorum, qui ordo incertus eſt. Unde fit, ut ille quandoque annumeretur inter ſacros Ordines quandoque non* &c. Quæ Epiſcoporum Clericorumque laſcivia à Græcis originem videtur cepiſſe; cùm in octava Synodò *can.* 16. ex verſione Anaſtaſii, legamus *fuiſſe* tum *quoſdam Laicos qui ſecundùm diverſam Imperatoriam dignitatem videbantur capillorum comam circumplexam involvere atque reponere* (ita namque à cervice uſque ad capita contorquebantur clericali more in orbem tonſi viderentur)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

& gradum quaſi Sacerdotalem, per quædam induſia & veſtimenta ſacerdotalia, ſumere, &, ut putabatur, Epiſcopos conſtituere, ſuperhumeralibus i. e. palliis circumamictos & omnem aliam Pontificalem indutos ſtolam, qui etiam proprium Patriarcham adſcribentes, eum, qui in adinventionibus riſum moventibus Prælatus & Princeps erat, & inſultabant & illudebant, quibuſque divinis, modò *quidem electiones, promotiones & conſecrationes modò autem acutè calumnias & depoſitiones Epiſcoporum quaſi ab invicem & per invicem miſerabiliter & prævaricatoriè agentes & patientes*, &c. Quod igitur ſub exitum menſis Decembris initium id ludi ſumeret, *Libertas Decembrica* appellata eſt, teſte eodem Beleto, *c.* 120. ubi in nonnullis Eccleſiis, Remenſi imprimis, Epiſcopos & Archiepiſcopos cum ſubditis ſuis ludere & ad luſum uſque pilæ ſeſe demittere conſuevisſe, atque hoc pacto Saturnalia Romanorum, quibus ſervi cum heris æquali conditione agebant, imitatos fuiſſe, addit; Vivebat autem is circà A. C. 1182. Deſiiſſe videtur in Gallia fœda hæc Gentilium cacozelia, ex quo feriò manum admovit Facultas Theologiæ Priſienſis A. C. 1444. miſsâ ad id Epiſtolâ Encyclicâ ad Galliæ Præſules, damnatoque pleno in Theologorum conſeſſu, hocce Feſto, in quo Sacerdotes ipſi ac Clerici Archiep. aut Ep. aut *Papam* creabant, *Fatuorum* eum appellantes: *Divini ipſius Officii tempore larvati, monſtruoſi vultibus aut in veſtibus mulierum aut lenonum vel hiſtrionum, choreas ducebant, in Choro cantilenas inhoneſtas cantabant, offas pingues ſuprà cornu Altaris juxta celebrantem Miſſam comedebant, ludum taxillorum ibidem exercebant, thurificabant de fumo fœdito ex corio veterum ſotularium & per totam Eccl. currebant, ſaltabant* &c. quæ verba ſunt citatæ Epiſtolæ quam Savaro in lucem edidit. In Anglia verò luculenta ejus veſtigia adhuc XVI. Sec. ſuperfuiſſe, colligitur ex *Inventario* Ornamentorum Eccl. Eboracenſis A. C. 1530. in *Monaſtico* Angl. *Tom. III. p.* 169. ubi iſta leguntur, *Item una mitra parva cum petris, pro Epiſcopo puerorum.* Infrà, *Item unus annulus pro Epiſcopo puerorum & duo archys, unus in medio ad modum Crucis cum lapidibus in circumferentiis* &c. C. du Freſne *in Gloſſ.* ubi etiam de Clericorum conventibus ac collationibus, ſingulis *Kalendis* fieri ſolitis, *ut de ſuo miniſterio & religioſa converſatione atque de his, quæ in eorum parochiis accidunt, ſermonem haberent* &c. ut ait Riculphus, varia congeſſit. De *Kalendis* Martiis, Anni apud vett. Francos principibus vide ſuprà, in voce *Annus*, ut & in *Calendæ*.

Kalendæ totius Anni apud Rom. ſacris aliiſque rebus inſignes.

KALENDÆ Januarii, propter Anni initium reliquis omnibus celebriores erant. His enim omne genus operis in ſua quiſque arte inchoabant inſtaurabantque: Deſignati Conſules Conſulatum inibant, ab A. U. C. 601. Amici lætis præcationibus fauſtum ſibi invicem ominabantur, muneraque mittebant. uti infrà videbimus in voce *Strena*. Eodem die feſtum erat Jani, & feſtum dedicationis duorum templorum Æſculapii & Jovis in Inſ. Tiberina, apud vett. Rom. Recentiori ævo Impp. convivium exhibebant Magiſtratibus & Proceribus, ut infrà videbimus in verbo *Paſcere*.

KALENDIS Februarii, quæ *Intercalares* quoque dictæ, Feſtum erat dedicationis templi Junonis Soſpitæ, item feſtum luci Aſyli: Eodem die rem divinam faciebant in æde Veſtæ, & æde Jovis Tonantis, atque in Capitolio Jovi mactabant bidentem.

KALENDÆ Martiæ, aliàs *Femineæ* quoque quòd is menſis olim Anni primus eſſet, celebres admodum fuêre. His ignem novum Veſtæ aris accendebant; in regia curiſque atque in Flaminum domibus, laureas veteres novis mutabant: Iiſdem Matronalia erant, Saliorumque feſtum incipiebat, & ancilia circumferebantur ac Mamurius canebatur.

KALENDIS Aprilis, Veneri ſacrum fiebat, & mulieres myrto coronatæ lavabant. Sacrificium item thure fiebat Fortunæ virili à Virginibus, & Venus Verticordia placabatur.

KALENDIS Maji, Laribus Præſtitibus ara à Curibus Sabinis conſecrata, & Bonæ Deæ ſacra facta ſunt.

KALENDÆ Junii, dies erant nefaſtus: hic enim nullius diei feſti ſacri peracti meminêrunt Autores.

KALENDIS Julii, ſimiliter nullum feſtum in Kalendario notatum eſt: Celebres tamen erant, quòd hoc die migrationes ex ædibus apud Vett. fieri conſueverint.

KALENDIS Aug. equeſtria certamina fuêre exhibita, quod eo die Martis ædes conſecrata eſſet: teſte Dione *l.* 60.

KALENDÆ Septembris, Octobris & Novembris nullâ pepeculiari notâ inſignes erant: commune id habebant cum reliquis quòd in Junonis eſſent tutela.

KALENDIS Decembris, quæ Græcis ποσειδῶνος ἡμέρα. Vide infrà *Poſideon* peractum fuit primum ſacrum Fortunæ muliebris, quod tamen inde tranſlatum eſt, in 2. Nonas Quintiles. Unde Dion. Halic. *l.* 8. *p.* 525. *His à ſenatu decretis prima creata eſt Sacerdos valeria, quæ mulieribus legationis autor fuerat, & Marcii. matri perſuaſerat, ut ei profectioni vellet intereſſe. Quâ præeunte, primum ſacrificium mulieres pro populo peregerunt, ſuper ara in foro facta, priuſquam ædes & Deæ ſtatua erigeretur, Anni ſequentis menſe* Decembri *tempore novilunii, quod Græci νουμηνίαν Romani calendas vocant. Nam eâ die bellum depoſitum fuit; Anno deinde poſt primum ſacrificium altero, ædes quæ publicis impenſis locata fuerat abſoluta & dedicata eſt, Menſis Quintilis ea die, quæ ſecundum lunæ curſum, eſt circiter ſeptima (nam Romanis hæc dies eſt Pridie Nonas Quintiles) dedicante Proculo Virginio, altero Conſulum.* Hactenus ille. Hæc de *Kalendis* proximè ſequebantur, ut & qui erant poſtride Nonas & Idus atri habebantur, quod obſervatum eſſet, nunquam iis diebus à Pop. Rom. rem bello feliciter eſſe geſtam.

KALENDARIUM, quod vulgò *Almanacum*, vide ſuprà *Almanach*, Gr. Μηνιαῖα ἀπογραφὴ, ſingulos menſes eorumque dies annotatos habet. Apud JC. accipitur etiam pro negotiatione nominum faciendorum: *Kalendis* enim pecunias fœnori collocabant, & uſuras exigebant, qua *triſtes* proin & *celeres* appellatæ Martiali. Unde peculiariter *Kalendarium* librum fœnebrem, codicem occupatarum, h. e. fœnuri collocatarum pecuniarum denotat, Angl. *A debt book*. Quo ſenſu ſumitur vox in illo vulgato, *Nemo beneficia in Kalendario ſcribit.* Apud Tertullian. *de Habitu mul.* cum ait, *Graciles aurium cutes* Kalendarium *expendunt*: *Kalendarium* explicat Franc. Junius per domûs univerſæ cenſum, qui perſcribi in eo ſolebat. Ferebantur enim matronæ univerſæ domûs cenſum auribus geſtare, cùm nimiâ luxuriâ modum excederent. Unde apud Sen. *de Benef. l.* 7. *c. integra patrimonia auribus propènſa* dicuntur. Vide Caſp. Bartholin. *de Inaurib. vett.* Cæterum de *Kalendario* Rom. conſule Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 4. *& ſeqq.* de Attico, Sam. Petit. *Comm. in LL. Attic. l.* 3. *tit.* 1. *p.* 197. *& ſeqq* At *Kalendarium*, in *Ep.* Pacomii ad Corn. Archimandritam, apud Gennadium, *Ne obliviſcaris Kalendarium*, cujuslibet menſis Sanctorum nota eſt, inquit Dom. Macer, qui aliter *Catalogum Sacrum* & *Martyrologium*, in Eccl. Rom. dici addit, *in Hierol.* Vide infrà in *Martyrologium*: ſuprà quoque à *Calendario*.

KALENDARUM Fratres, dicuntur in eadem, qui aliàs *Confratres*, fortè quòd ſingulorum menſium *Kalendis* convenirent. Mentio eorum fit in *l.* 1. *Decret S. Ladislai Regis Hung. c.* 14. & *in Capitulis* Laurentii Archiep. Strigonienſis, *c.* 46. ubi *Kalendæ*, ſunt ſodalitates ad pias cauſas, C. du Freſne *in Gloſſ.*

KALENUS, vide *Fuſius*.

KALI, herba Arabibus dicitur, quæ ad vitra conflanda exuri conſuevit, in Ægypto & Syria frequens. Ex ejus certè cineribus cum quodam ſilicum genere mixtis pretioſiſſima ac nitidiſſima cryſtallina Veneti conficiunt. Provenit etiam in prov. Narbonenſi, ubi *Vitraria* dicitur, uti cineres ejus in lapidem ferruminati *Solda*, quaſi *Solida*, à ſolidando. Latinis *Salſola*, Græcis ἅλιμον eſt, unde & *Chali* ſ. *Kali* ortum, quòd ſalſo ſapore hic frutex eſt, quem, ſiccis & arenoſis locis gaudentem, in juſtam arborem apud Armenios aſſurgere ajunt. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1096. & *ſeqq.* Vide quoque hîc paſſim. Bochart. hoc, de una aliqua ſpecie hujus herbæ concedens, in genere *Kali* ciceris ſpeciem Arabibus, Hebræis proprè *toſtum* aut *frictum* denotare, adeoque 2 Reg. *c.* 6. *v.* 25. ubi in fame Samarica *columbini ſtercoris cabi quartam patrem veniſſe quinque argenteis* dicitur, frictum cicer, quod bis *Kali*, 2 Sam. *c.* 17. *v.* 18. alias *ſtercus paſſerum ſ. columbarum* dicitur, intelligi poſſe docet, *Hieroz. Parte poſt. l. I. c.* 9. Vide quoque infrà paſſim.

de KALKAR Henricus, vide *Henricus*.

KALNE, urbs terræ Sinaar, quæ & *Chalne*, & *Chalane*.

KALTEISEN Henricus, vide *Henricus*.

de KALWEN Henricus, vide *Henricus*.

KANA, nomen torrentis, Joſ. *c.* 16. *v.* 8. & *c.* 17. *v.* 9. prope Jordanem, ad ortum Samariæ, in cujus *arundinibus* (id enim vox notat) latens Elias à corvis, per miraculum, paſtus eſt, inde *Cerith*, à verbo כרת i. e. *paſci* aut *veſci*, poſteà appellari. Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poſt. l. II. c.* 13.

KANE, Dux Hunnorum, ſub quo Hunni Pannoniam ingreſſi ad Tulmam Auſtriæ locum, contra Romanos victores fuêre. Occubuit Dux, cui ſucceſſit Attila. *Volat.*

KANIOVIA, vulgò *Kaniovv*, opp. munitum Poloniæ, ad dextram Boryſthenis fluv. ripam, ſupra introitum Roſſii flum. quâ in Boryſthenem cadit, in Ucrania & in Palatinatu Kiovienſi, ſub Coſaccis, Diſtat 7. milliaribus Germanicis à Czircaſſia in Bor. Kyoviam verſùs, & vix tribus infrà Trethymiroviam.

KAR, in nummo Juſtiniani, *Karthagine* eſt C. du Freſne *de Numiſm, inf. ævi.*

KARAKIONLI, factio Turcarum, ſ. potius Turcomannorum. Cùm enim Obiiſſet Tamerlanes & filii ejus diſcordiâ ac ſegnitie decreſcerent, circa A. C. 1406. Turcomanni, paſtoritius Armeniæ populus, caput extollere ſummamque rerum in Perſia ad ſe transferre, cœpêrunt. Erant autem eorum factiones duæ, *Karakionli*, h. e. Nigrorum Arietum, & *Akionli*, i. e. Arietum alborum. Ex illis primus Rex Perſiæ fuit *Kara-Iſſuph* ſ. *Niger Joſephus*, qui Tamerlanis Succeſſorem evertit. Sed poſt 50. circiter Annos, familiâ eorum throno deturbatâ, iſti Perſia ſunt potiti, primuſque ex Akionlis, circa A. C. 1648. regnare cœpit *Ozun-Azenbec*, Europæis *Uzum Caſſanus*, Græcis *Cazanes longus*, cum quo Reſpublica Veneta ſolenne contra Turcas fœdus pepigit. Ejus poſteri circà A. C. 1500. viciſſim ejecti ſunt; à Sophianis, quæ familia hodieque Perſiæ clavum tenet. Vide Georg. Horn. *Orb. Imp. cum Notis Joachimi Felleri*, *p.* 421. ut & infrà, ubi de *Sophianis*.

KARAVANNA, vide ſuprà *Caravanna*.

KARDO, vide ſuprà *Cardines* & infrà ubi de *Metatoribus caſtrorum*.

KAROLINGI, vide ſuprà *Carolingi*.

KARRAITÆ, Hebr. קראים *Karaim*, quaſi *Textuales ſ. Scripturarii*, dicti ſunt apud Judæos, qui prius *Tſadikim* appellabantur. Hi ante captivitatem Babylonicam iidem erant cum Aſſidæis, Hebr. חסדים *Chaſidim*, poſtmodum, cùm priores unicè Scripturæ lectioni vacarent, poſteriores verò traditiones ſectarentur, diſtingui cœpêre Inprimis cùm opera ſupererogatoria, tanquam neceſſaria, Aſſidæi urgentes, Phariſæarum atque Eſſenorum Sectas protruſiſſent: Tum enim, quoniam utrique Traditiones Verbo Dei ſcripto anteponebant, *Iſadikim* æſtu diſputationis provecti, non Traditiones ſolùm omnes ſed & reliquos Scripturæ libros, Pentateucho excepto, rejecêrunt, proin *Karaim* appellati. Alii tamen, totam Vet. Teſt. ſcripturam illos amplexos, ſolas traditionês repudiâſſe volunt: quæ ſi ſententiâ obtinet, hactenus innoxii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

innoxii fuére. Verum proceſſu temporis, cùm à Sadoco ac Baitho ſeducti, virtutum præmia, ſcelerumque pœnas in futuro Seculo nullas expectandas eſſe aſſererent, reſurrectionem etiam inficiarentur, in Sadducæiſmum ii prolapſi ſunt, hæreſin exitialem, de qua *ſuo loco*. Thom. Godwyn. *de Ritib. Hebr. l.* 1. *c.* 9. &c. Vide quoque infrà ubi de *Sadducæis*.

KARRO Joſeph, vide *Joſeph Karro.*

KART in nummo Juſtiniani, vide paulò *ſuprà.*

KATAPAPA, in *Chron.* Caſinenſi *l.* 3. *c.* 70. cognominatus Guilbertus Antipapa, qui *Clem.* nomen aſſumpſit: quaſi *contrà* ſ. *adverſus Papam.* Vide Macros Fratres *in Hierol.*

KATAR, vide ſuprà *Bakavcia.*

KATHERANI, in *Statutis* Roberti II. Regis Scotiæ *c.* 12. *Qui tranſierint ut* Katherani, *comedendo patriam & conſumendo bona Comitatuum & capiendo per vim & violentiam bona & victualia* &c. Skeneo ſunt Hiberni montani, qui, in inferiores partes Regni Scotiæ deſcendere ſoliti, prædas agebant, & incolis, eorumque bonis vim inferebant. Hodie *Sorners*, & *Sojornes* vulgò, C. du Freſne in *Gloſſ.*

KATIPANUS, vide ſuprà *Catipanus.*

KAUBURA, vulgò *Kaufbeurn*, urbs Germaniæ, in Suevia prov. & in Algea tractu, Latinè dicta emptus pagus. Parva eſt admodum ſed Imperialis jam à tempore Conradi ſecundi, ad amnem Wertacum, quinque milliaribus Germanicis à Memminga in Ort. diſtans. Vide infrà.

KAUFBAIRA, quaſi *Emptus pagus*, opp. Imp. in Algoja: in libertatem ſe vindicavit, ſolutis L. M. aureorum, Conrado II. imperante: cùm prius per An. 200. ſubeſſet Baronibus *vom Hof*, qui è Gallia progreſſi huc, auſpiciis Lotharii Imp. municipium ibi condidêrunt; A. C. 1340. Reſtitutum eſt A. C. 1629. quoad Relig. Euangel. in ſtatum A. C. 1624. Limnæus Enucl. *l.* 4. *c.* 30.

KA, in nummo Conſtantini Jun. *Karthagine*, notat C. du Freſne *d. l.*

KE, in nummo Conſtantii, *Karthagine* notat, vide ſuprà.

KEADE, vide *Johannes Ruſſus.*

KEBELIUS Jacobus, vide *Jacobus.*

KECIUM, ſ. TANQUINUM, KECIO, quæ & *Tunkin*, urbs ampla Indiæ alterioris, & regni Tunquini caput, ad fluv. cognominem. Vix 40. milliaribus diſtat ab ora litorali & à ſinu Cocinſinæ in Circium, & 150. à conf. Imperii Sinarum in Mer.

KECKERMANNUS Bartholomæus, vide *Bartholomæus.*

KEISERBERG, quaſi *Cæſaris mons*, civ. Alſatiæ, à Wulffelino Frid. II. Imp. Vicario, ex pago urbs effecta. Generoſiſſimum hîc vinum Alſaticum creſcit. Una ex 10. eſt Alſatiæ urbibus, quarum caput Hagenoa.

KELCHYN, nomen unius è triplici multa quæ apud Scotos homicidæ imponi ſolet, reliquæ duæ ſunt *le Cro* & *le Galnes*, de quibus C. du Freſne *in Gloſſ.* Eſt autem *Kelchyn unius Comitis, ſexaginta ſex & duæ partes unius vaccæ --- Filii Comitis aut Thani.* 44. *vaccæ &* 21. *denarii, &* 2. *partes unius oboli---filii Thani---*30. *vaccæ &* 11. *denarii & tertia pars oboli. Ruſticus nihil habet de Kelchyn. Item ſi uxor liberi hominis ſit Occiſa, vir ſuus habebit de Kelchyn & parentes ejus habeant le Cro & le Galnes. Item ſi uxor ruſtici ſit Occiſa, dominus ipſius terræ, in qua manet, habebit le Kelchyn & parentes ejus le Cro & le Galnes*, vide Regiam Maj. *l.* 4. *c.* 38. Vocis etymon quod attinet, hæret ipſe Skenæus, qui etiam, quid fuerit *le Galnes*, ignorare ſe fatetur. Id conſtat ſaltem; *Kelchyn* longè minorem eſſe mulctam, quàm *le Cro*, ex *c.* 36. nam *le Cro Comitis eſt* 140. *vaccæ, tres oræ pro vacca.* Item, *le Cro filii unius Comitis vel Thani, eſt centum vaccæ*; & ſic de cæteris. *Kelchyn* vero hic minor eſt multa domino interdum, interdum parentibus, pendi ſolita. C. du Freſne *in Gloſſ.*

KEMI, vulgò, *Kemois*, pop. ſunt regni Concinſinæ, ad Occaſ. extenſi, inter montes & deſerta.

à KEMPIS Thomas, vide *Thomas.*

KEMPI, Cornelius, vide *Cornelius.*

KENREDUS, fil. Wiſ-neri, Merciorum Regis, juvenis admodum patrem amiſit. Hinc Ethelredo regale culmen delatum. Poſtmodum regno potitus, paulò pòſt illo relicto, Romam, ſub Conſtantino P. venit, ibi Monachi habitu ſumpto. Chenius *Hiſt. Angl.*

KEPLERUS Joh. Mathematicus Rudolphi, Matthiæ & Ferdinandi II. Impp. Inter præcipua ſeculi ſui decora, admirationem doctorum meruérunt ejus, inter alia, liber *De Motibus Stellæ Maris*: *Tabulæ Rudolphinæ*: *Optica Aſtrologica*: de Cometis, Ephemerides, Epitome Aſtronomiæ Copernicanæ: de vero Anno nativitatis JESU CHRISTI, &c.

KEPLERUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

KERAS, turris nomen præcelſæ, Salamine non procul, in qua confidens Xerxes I. Perſarum Rex exercitum ſuum contemplatus eſt, & ſecum perpenſo, ex tanta multitudine poſt Seculum ſuperfuturum neminem, flevit tenerrimè. Hodie *Kira*, & quoniam velut in geminum verticem aſſurgit, *megalo Kira* & *micro-Kira*: uti docet Jac. Spon. *Itin. parte* 2. *p.* 261. qui & turris deſtructæ, Græcis hodiernis itidem *Keratopyrgo* dictæ, à monte *Kerata*, in itinere, quod Eleuſine Megaram ducit, facit mentionem, *ibid. p.* 285. Eſt à. Κέρας Græcis *cornu*, ut notum, vide ibi.

KEREN-HAPPUCH, Hebr. קרן הפוך Lat. *Cornu ſtibii.* Chaldæo *multi ſplendoris inſtar ſmaragdi.* Rabbi Abraham *cornu converſionis*, τοῖς LXX. κέρας Ἀμαλθείας, qui, ad recentiorem Græcorumque vocem, ſed ſenſum attendêrunt τοῦ *Keren-happuch*, inde forſan natam hanc Græcis fabulam (ut pleræque ex Sacris Hiſtoriis antiquioribus originem duxêre) rati: minima natu filia fuit Hiobi quam in felicem reſtitutus ſtatum ſuſcepit, Hiobi *c.* 42. *v.* 14. Hæc cum ob eximiam formam, tum ob parentis felicitatem ac opulentiam, tum ob diffuſam ad vicinas gentes famam, tum ob nomen quo inſignita, facile iſtiusmodi fabulæ occaſionem præbuerit. Namque & Bacchus bicornis ex Moſis radiis, & Legiſlatores cornuti; ut Charondas aliique in nummis antiquis, ad iſtiusmodi imitationem effecti ſunt. Sic quia Deo & Meſſiæ paſſim in Scriptura Cornu adſcriptum, hinc Gentilium quoque Diis Jovi Hammoni, Pani, Junoni &c. Item Heroibus, Herculi, Alexandro Mag. &c. cornua attributa ſunt. Imò ut hæc de cornu virginis fabula implicita eſt cum fabulis de Hercule, ita certum, eſſe ſingularia quædam in Hiobi Hiſtoria, quæ Mythologi fabuloſo Herculi adſcripſere. Ut enim taceam labores exantlatos Hiobo, quid convenientius, quàm quod Scriptura de Hiobo, & fabula de Herculana ſcabie, cui nullâ hominum ope ſuccurri poterat, narrat? Plura vide apud Frid. Spanhem. Jun. *in Hiſt. Hiobi c.* 12. *p.* 202. & *ſeqq.*

KERRIENSIS Comitatus, *Kerry-Countie*, quibuſd. Kilkovia, Comit. Hiberniæ, in Momonia reg. cujus caput Ardartum. Habet ad Arctos Connaciam, & ad Auſtr. Deſmoniæ Comit. eſtque juxtà Ocean. Occ.

KERSBELIUS Philippus, vide *Philippus.*

KESITA, Hebr. קשיטה, Gen. *c.* 33. *v.* 19. ubi Jacob emiſſe dicitur à filiis Hemor portionem agri *centum Keſitis*; item Hiob. *c.* 42. *v.* 11. ubi ab amicorum ſingulis Hiob accepit *Keſitam unam*, non eſt agnus ſ. ovis, uti Græci, Onkelos, Syrus, Arabs, Vulgatus, reddunt, ſed nummi genus, ſ. *moneta proba* ac ἀκίβδηλος, quod propriè vox notat. Sicut generale probæ monetæ attributum ad certam ſpeciem hîc videatur tranſlatum, dictam ſic, quòd maxime eſſet ſincera & ex auro vel argento puriſſimo conflata; vel quòd in ea pondus rigide & exactè obſervaretur. Itaque centum illæ *Keſitæ*, quibus τὸ μνῆμα præfatum uti Steph. vocat in Actis, emptum fuit à Jacobo, non fuêre centum agnæ, niſi aureas & argenteas Mandrabuli agnas intelligas, aut oves, *quas in crumena ſe condidiſſe*, dicit Strabax in Plauti *Trucul.* i. e. ovium, à patre venditarum, pretium 20. minas. Niſi *agnorum* nomine cæperint forte Interpp. nummos, agnorum imagine ſignatos: quomodo apud Plin. *l.* 18. *c.* 3. *Servius Rom. Rex boum oviumque imaginibus primus æs ſignâſſe legitur.* Quodnam autem propriè nummi genus ſit, definiri non poteſt: nam quòd Hebræi ſummó conſenſu vocem hanc מעה i. e. *obolum*, explicant, ridiculum omnino videtur. Ex hac enim ſententia Jacobus agrum ſuum centuſſe circiter emerit: & amici Hiobi minutam illam ſtipem contulerint, ſinguli nempe unum aſſem, quod fuerit contumeliæ genus. An, cùm קשוט *Kiſſut*, quandoque in Paraphraſtis pro *ornatu* ſumatur, ſenſus verborum eſſe poſſit, à Jacobo empti agri pretium fuiſſe *centum margaritas*, aut verò *centum gemmas*, ut quæ inter ornamenta primas tenent, quod Jonatham placuit & Hieroſolymitano Interpreti. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l. II. c.* 43. *ubi de Ovium nominibus.*

KETTLERUS Gottardus, ex generoſa inter VVeſtphaliæ Equites Fam. oriundus, Magiſter Ordinis Livonici ultimus, Euangelii doctrinam amplexus, & à Sigiſmundo Aug. Poloniæ Rege Dux Curlandiæ ac Semigalliæ creatus, novæ ſtirpis autor fuit, Præt. Sec. vide ſuprà, in voce *Curlandia*, item ubi de *Livonia* &c.

KEVENHULLERUS Car. Comes, ex illuſtri Germaniæ Fam. in qua legitur Sigiſmundus *Kevenhuller ab Aichelberg*, qui Seculi decimi quarti principio floruit. Inprimis verò eam virtus Auguſtini, qui Maximiliani. I. Imp. Conſiliarius, novis luminibus illuſtravit. Is communis pater duarum inprimis linearum factus eſt ex filiis Chriſtophoro atque Sigiſmundo: quæ ambæ aliquoties iterum in diverſum abiêrunt. Car. præfati progenitores ſic habent: Joh. *Kevenhuller ab Aichelberg*, qui Obiit A. C. 1416. ex Chriſtina filia Vilhelmi *de Zillenhart* genuit Auguſtinum memoratum qui Extinctus A. C. 1519. ex Siguna *de Weiſpriach*, fil. reliquit Chriſtophorum Capitaneum Carinthiæ Defunctum A. C. 1557. Cui Eliſabetha *de Mansdorff* genuit Bartholomæum *Kevenhuller* Com. *de Franckenberg*, qui Deceſſit A. C. 1612. pater ex Blanca Ludimilla Turriana (filia Franciſci Com. de Turre & Valſaſſina) Franciſci Chriſtophori Com. *Kevenhuller* cujus fil. ex Barbara *Teuffelin* (filia Car. *Teuffel* Baronis) bis jam dictus Car. uxorem ſibi junxit --- ſororem habet Mariam Barbaram, Alberto Du. *de Zinzendorf*, nuptam, Phil. Jac. Spener *Theatr. Parte II. p.* 6.

KEXHOLMIA, vulgò *Kexholm*, prov. Sueciæ, in Finnia regione, aliàs ſub domino Moſcorum, nunc paret Suecis ab A. C. 1617 Ejus caput eſt Kexholmia caſtrum, *Kexholm*, in ora lacûs Ladogæ, in oſtio fluv. *Voxen*, quod à Ruthenis *Carelogorod* dicitur, cique adjacet opp. quod ſimul cum arce permunita pridie Nonas Novembris A. C. 1580. occupavit Pontius *de la Gardie*, Heros fortiſſimus, qui maxima & penè incredibilia facinora edidit, & invictas Moſcorum arces Ivanogorod, Jamagorod, Cuporiam, & Livoniæ urbem Narvam, cum pluribus aliis A. C. 1581. Succorum jugo ſubjecit. ac tandem fluvii Narvæ undis ſubmerſus eſt.

KEZIAH, Hebr. קציעה indubiè ab aromate ejus nominis, quod Arabibus ſimiliter eſt קציעה, hinc Græcis κασία vel κασσία Latinis *Caſia* vel *Caſſia* aromatica, vocata eſt ſecundogenita filia Hiobi, de qua Hiobi *c.* 42. *v.* 14. tanquam pretioſa & fragrans inſtar caſſiæ, cum ratione formæ, tum ratione paterni amoris ac deſiderii. Jam enim olim familiare Arabibus fuit, à floribus aromatis, plantiſque odoratis, ſervis, clientibus, liberis, & quotquot apud eos in gratia ac favore, nomina indere. Ab hac nomen videtur impoſitum monti Caſio vel Caſſio, in Orientali Geographia celebratiſſimo, quemadmodum major natu ſoror ejus Jemima regionem Arabiæ *Jemamam* denominavit: cùm ut regionibus urbibuſque, ſic quoque montibus, à viris feminiſque inclytis nomina ſæpius hæſiſſe notiſſimum ſit. Et *Caſiam* hanc fuiſſe in feminis illuſtrem, ejus natales, nomen,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

men, forma, hæreditas loquuntur. Ex eadem fortè natam dicemus Κασσιόπην vel Κασσιόπειαν *Caſiopen* in fabulis Græcorum, remoti ſcilicet in Æthiopia (quidni Arabiâ) Regis filiam, ſuprà mulieres omnes ætatis ſuæ formæ gloriâ ſuperbientem, de forma cum Nereidibus certantem, & quæ alia non aliena ſunt ab hac *Caſia*, à formà inprimis cum ſororibus ſuis commendatiſſima. Vide Frid. Spamhem. ubi ſuprà *p.* 101. & 202.

KIBURGIUM, vulgò *Kiburg*, opp. Helvetiorum, in pago Tigurino, unde aliàs Comites alicujus nominis. Sedet ad amnem *Toſs*, duabus leucis à Tigura in Ort. Conſtantiam versùs. Horum Comitum, ut & Thurgovienſium, VVinterthuriorum & VVendelburgiorum, conditorem quidam faciunt Ruthardum, fil. Eberhardi Alſatiæ Ducis, fundatoris Murbacenſis Monaſterii A. C. 724. cujus Pater Adelbertus ſimiliter Alſatiæ Dux fratrem habuit Ethonem ſ. Hettonem Auſtriacæ gentis autorem, vide Phil. Jac. Spener, *Sylloge Gen. Hiſt. in Fam. Auſtr.* Primus ex hac gente, cujus aliqua memoria extat, Adelbertus eſt cogn. *Senior*, qui Arnulphi Principatu circà A. C. 888. Comes *Kyburgius* & Landgravius Turgeæ fuit. Hupaldo I. dein Comiti *Kyburgio*, Dillingenſi ac Witiſlingenſi, quæ ditiones in Suevia, prope Auguſtam Vindelicorum ſitæ, filiam ſuam nuptum dediſſe legitur, circà A. C. 890. Burchardus Sueviæ ac Alemanniæ Dux: è quo matrimonio, præter S. Ulricum Ep. Auguſtanum factum A. C. 925. natus eſt Diepoldus Comes, qui circà A. C. 942. præfuit, & Mangoldus, cujus ramus in fil. Hupaldo II. Extinctus eſt. Ex prioris ſucceſſoribus cùm VVernerus Comes circà A. C. 1028. Conrado Imp. acriter obniteretur arx ab hoc obſeſſa & expugnata, ipſe autem paulò pòſt ab Imp. militibus Occiſus eſt. Sub Hartmanno poſtea Comite ditiſſimo, circà A. C. 1079. ab Imp. Henr. IV. arx iterum obſeſſa, expugnata ac funditus deleta eſt: quam tamen è cineribus rurſus idem Comes paulò pòſt excitavit. Sequentibus temporibus, imperante Frid. II. cùm VVernerus Comes Annam duxiſſet, Berchtoldi V. ultimi Zeringiæ Ducis ſororem, Mortuo ſine filiis ſocero, VVernero Friburgum in Uchtlandia, Burgdorfium, Thuna aliaque obtigêre; à quo tempore, præter priſtinum Comitis titulum, Landgravii *in Burgenden* nomen aſſumpſit, & ad poſteros propagavit: quorum ultimi fuêre Hartmannus cogn. *Senior*, & hujus ex fratre nepos, Hartmannus *Junior* dictus. E quibus ille, cùm maſcula prole ſe deſtitutum videret, conſcio nepote, ditiones ſuas A. C. 1244. Epiſcopatui Argentinenſi donavit, rurſuſque feudi nomine ab Ep. Berchtoldo accepit, & poſtquam nepote abſque hæredibus præmortuo A. C. 1263. ejus quoque bona adiiſſet, ipſemet fato functus eſt, Anno ſequenti. Cujus uxor, ex Sabaudiæ Comitum familia, cum, ex teſtamento mariti, Comitatum Badenſem aliaque, dum viveret, poſſidenda accepiſſet, Rudolphus Com. Habſpurgius cogn. *Taciturnus*, fil. minor Rudolphi, Hartmanni ex ſorore nepos, pulsâ viduâ; avunculi ditiones occupavit, & fruſtra ſatagente Sabaudo obtinuit: ultimorum Comitum Habſpurgiorum, Lauffenburgiorum & *Kyburgiorum* conditor; quorum duæ lineæ, poſtquam ipſi pleraque vendidiſſent, aut aliis amiſiſſent modis, Sec. decimo quinto defecêre. Ita ergo ad Habſpurgios, inde ad Auſtriacos, Comitatus hic pervenit; qui eum tenuêrunt uſque ad A. C. 1384. quo Leopoldus Archidux Donato & Diethelmo Comitibus Toggiis eum oppignoravit: à quibus eodem titulo ad Comites Brigantinos delatus eſt, quibus dum ſubeſſet, opp. à Suitenſibus, in gratiam Abbatiſcellanorum, captum, moxque iterum deſertum eſt, A. C. 1408. Poſt quæ Vilhelmus Comes Brigantinus *Kyburgii* habitans captis aliquot Tigurinæ urbis civibus, viciſſim à Tigurinis captus, ut libertatem recuperaret, captivos dimittere coactus eſt, circà A. C. 1412. Tandem, proſcripto Archid. Frid. tempore Conc. Conſtantienſis, cùm ditiones ejus cuique occupanti cederent, Sigiſmundus Imp. *Kyburgium* Comit. Imperio vindicatum, Tigurinis pignori oppoſuit: circà A. C. 1424. quibus ſimul Cunigundis Montfortia, è Toggiis Comitibus oriunda, quidquid in eundem juris habebat, vendidit. Opp. exin A. C. 1440. ab Helvetiis occupato, arx tamen expugnari non potuit quam Tigurini unà cum opp. ac tota ditione A. C. 1442. Frid. III. Imp. reſtituêrunt; donec illa iiſdem denuo oppignoraretur à Sigiſmundo Archiduce, circà A. C. 1452. à quo tempore illis poſſeſſio inviolata manſit: Adminiſtrant autem Com. *Kyburgium*, qui ampliſſimus eſt, & Præfecturarum majorum Reip. Tigurinæ princeps, per Præfectum è civium flore. Vide Stumpſium *Helvet. l.* 5. *c.* 30. Joh. Henr. Hottinger. *Speculo Reip. Tigurinæ* &c. infrà etiam *Kyburgium*.

KICHTAN, ſ. KINCHTANES, ſupremum Novæ Angliæ incollarum Numen, à quo totum Orbem, & quæ eo continentur, condita eſſe, credere incolas, refert Richardus VVaitbornius *Deſcript. Nov. Angl. Part.* 1. *c.* 4. Idem *ibid.* addit, eos perſuaſum ſibi habere, poſt obitam mortem, ut pios à *Kincthane* cœleſti regno receptum iri; ita improbos, fores iſtius palatii pulſantes, hac increpatione à Deo iſto laturos repulſam, *Ruechet*, h. e. *Abſcedite hinc, nec enim vobis ſimilibuſque hic locus datur*: atque inde miſeros hoc perpetuo ex ilio multatos, æternis cum miſeriis conflictaturos eſſe &c. Vide Tob. Pfanner. *Syſtem. Theol. Gentil. pur, c.* 7. §. 2. & *c.* 21. §. 2.

de KIKELLEW Johannes, vide *Johannes*.

KIKI, ſive Ricinus, officinis *Palma Chriſti*, frutex eſt æſtivus, frigoris impatiens, ſuccreſcit quotannis ex grano cinereo ruſeſcente, quod caninum inſectum rotunditate & craſſitie refert, etiam colore, menſe Aprili. Hinc germinant bina rotundæ formæ coloris ruſi foliola; in medio conſurgit caulis albus & fragilis, cujus folia ſuperiùs adverſo reliquorum fruticum uſu, maxima ſunt & latiſſima, inſtar pedis anſerini, ſeptenis plerunque, etiam novenis partibus, quas folia diceres, niſi cohærerent, ex uno pediculo propendentibus, adeò ut exterior una ſit maxima, proximiores verò minores, & quæ caulem ſpectant, minimæ. Eriguntur ea ſponte ad excipiendam pluviam, vel ſolem imitantia, omnia ſerrata dentibus. Caulis albicat & fuſcatur, non rarò duodenûm & quindenûm pedum: emittit alios caules, qui in cacumen ſterile deſinunt, dum flos & luteus & ruber ex gemma prodit, cauli affixa; quorum ille decidit, iſte generat grana aculeata triangularia, quæ ubi maturuêre, diſſilit folliculus & illa decidunt; caulis verò quantuſcunque diſperit cum univerſa ſubſtantia. Ex hiſce granis Sacerdotes Ægyptii oleum quondam exprimebant, cùm alio uti ipſis nefas eſſet: Inde noſtris hortis frutex illatus eſt. Autor Anon. *Sinæ & Europæ c.* 32. An idem cum Kikajon Jonæ? Ita certe Eruditis videtur, & apprimè quadrat fruticis deſcriptio. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poſt. l. IV. c.* 27. ut & infrà in voce *Ricinus*.

KILA, ſ. KOILA, KILE, prov. Scotiæ. Vide *Covalia*.

KILCHENNIA, vulgò *Kilkenny*, quaſi Fanum S. Canici, urbs Hiberniæ Epiſcopal. ſub Archiep. Dublinenſi, in Laginia, à Dublino ad 35. mill. in Afric. diſtans, Oſſeriæ & Leiglino propinqua: Academiam habet, Ferrar. Baudr. urbs eſt Lageniæ, Comitatûs Kilkennienſis caput, ad Nuram fluv. 50. mill. diſtat à Dublino, 20. à Caſſilia in Ort. & 28. à VVaterfordia in Bor. eſtque ampla & munita.

KILDARIA, vulgò *Kildare*, urbs Hiberniæ, in Laginia regione, Epiſcopal. ſub Archiep. Dublinenſi, inter Dublinum, ad Bor. 20. & VVaterfordiam ad Auſtr. 40. mill. diſſita. Ferrar. Baudr. Comitatûs cognominis caput eſt, in Lagenia, 25. milliaribus diſtat à Dublino in Occaſ. & 50. à VVaterfordia in Bor.

KILDARIENSIS Comitatus, *Kildare Countie*, Comitatus Hiberniæ, in Lagenia prov. inter Comitatum Dublinenſem & Comitatum Regis. Ibi urbs præcipua Kildaria.

KILIANUS, Euangelii præco, Franciam peragravit, à Geila cum ſociis Occiſus, A. C. 686. Sigeb. *in Chron.*

KILITSCH, vide ſuprà *Gladius*.

KILKENNIENSIS Comitatus, *Kilkenny Countie*, Comitatus Hiberniæ, in Lagenia prov. Habet ad Occaſ. Momoniam & ad Ort. Comitatum Caterloghenſem.

KILLINGVVORTUS Johannes, vide *Johannes*.

KILMALOCUM, vulgò *Kilmalock*, urbs Hiberniæ, in Momonia prov. & in Comitatu Limericenſi, Epiſcopal. ſub Archiep. Caſſilienſi. 18. milliaribus diſtat à Limerico in Auſtr. & 28. à Corcagia in Bor.

KILMORIA, vulgò *Kilmore*, urbs eſt Scotiæ, in Knapdalia prov. ad lacum ſ. æſtuarium *Fynn*; eſtque Epiſcopal. ſub Archiep. Glaſcovienſi. 15. milliaribus Scoticis diſtat à Stephanodmo in Auſtr. & 32. à Dumbritonio in Occaſ.

KIMARUS, Rex Britonum, in Anglia, poſt Siſyllum patrem. In venatione, à quodam ſuorum, ob ſcelera, Occiſus. *Script. Scot.*

KIMCHI David, vide *David*.

KIMCHI Moſes, vide *Kimchi*.

KINNATELUS, Scotiæ Rex poſt fratrem Congalum. Juſtitiæ ſeverus cultor; Aldamo legitimo hæredi, regnum reſtituit Anno poſt illud ſuſceptum.

KINSALIA, vulgò *Kinſale*, urbs Hiberniæ, & Momoniæ prov. in Comitatu Corcagienſi. Gaudet portu capaci, eſtque Epiſcopal. ſub Archiep. Caſſilienſi. 15. milliaribus diſtat à Corcagia in Mer.

KINSU, nomen herbæ in Sinis, ad urbem *Kingyang*, naſcentis, in prov. Xenſia, quæ flavi capillitii inſtar habet, unde & *aurea byſſus*, ſ. *bombycum aurea fila*, dicta. Cæterum amara guſtu, quamvis frigida potius, quàm calidâ, qualitate ac vi pollens, omnem à corpore longè pellit ſcabiem.

KIOVIA, vulgò *Kiovv*, urbs Samariæ, in Lithuania, ad Boryſthenem fluv. olim Archiepiſcopal. & Metropolis maxima, nunc exciſa, à Circaſſis urbe 25. leucis in Bor. Smolenſcum verſus ſuper 80. Ferrar. Baudr. *Kiovia Kiovv* Polonis, *Kioff* Germanis, urbs eſt ampla Poloniæ, in Volhinia inf. cum arce munita. 40. leucis Polonicis diſtat à conf. Moſcoviæ in Occaſ. Varias experta eſt vices à viginti Annis. Sed hiſce ultimis temporibus data fuit Moſcis per Coſaccos. Magnificam olim & amplam urbem fuiſſe teſtantur murorum ruinæ, ferè Octo milliarium circuitu eam ambientes, ut & templum in ea ſplendidum. Ipſa civitas versùs Sept. ædibus repleta eſt, ac caſtro & militaribus ſtructuris munita. Reliquam partem versùs Occaſ. & Mer. ligneum ſeptum ambit. Condita fuit Kiovia, à Kio Principe quodam Ruſſico A. C. 861. & ab eo tempore ſedes fuerat Imperii Ruſſici; poſteaque habuit Principes proprios. A. C. 1615. capta fuit & vaſtata à Tartaris, à quo tempore nunquam compos fieri potuit antiquæ magnificentiæ.

KIRBURGUM, locus Germ. ſub proprio Comite, ex Fam. Rhingravia. Cùm enim florentiſſimam hanc in tractu Rhenano ſtirpem Adelhelmus circà A. C. 670. ex ſe dediſſet, acceſſit deinceps Comitum Sylveſtrium, *Wildgraven*, ſucceſſio ac titulus; ramique in filiis Joh. Johannæ Sarvverdenſis mariti, qui exeunte Sec. XV. vivis exceſſit, diverſi cœpêre. Et quidem Joh. Merchingenſem ſ. *Kirburgum* procreavit, qui nunc in Joh. (ad quem Merchinga ſpectat) atque Georg. Frid. qui *Kirnæ* ſ. *Kirburgi* habitat (nat, A C. 1611. maritus Annæ Eliſabethæ Com. Stolbergiæ) ſubſiſtit. Utriuſque Progenitores apud Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Parte I. p.* 86. Ex his a. Georg. Frid. natæ ſunt. Anna Dorothea (nat. & Denat. A. C. 1638.) Maria Agatha (nat. A. C. 1641.) Anna Eliſabetha (nat. A. C. 1642. uxor Erneſti Lud. Com. Criechingenſis) & Friderica Juliana (nat. A. C. 1650) ſorores germanæ, *Com. Sylvarum & Rheni. Wild- & Rhingravii* &c. *in Kirburg*. Vide eund. *Parte ead. p.* 145. & *in Ind.* ubi de *Rhingravius*. *Kirchberga*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

KIRCHBERGA, caſtrum Germ. ſup. unde illuſtri Fam. id nomen impoſitum, quam nonnemo ex Naſſoviis derivat. Burggraviorum *Kirchberga*, Dominorum *in Farnroda*. Hæc ſatis antiqua, & jam Sec. XII. memoria illius inter affinitates Honſtenias reperitur. Albertus, qui vixit A. C. 1423. duos per filios, Theodorum & Hermannum, duos ſevit ramos, ab illo enim *Kranichfeldii*, qui in Hartmanno Abbate Fuldenſi Extincti ſunt, A. C. 1538. deſcendêrunt, ab iſto, *Farnrodienſes* propagati ſunt, inter quos Georg. (qui Obiit A. C. 1641.) ex Dorothea Magdalena Ruthena (filia Henr. Jun. Rutheni Dn. *de Plauen*) Georg. Lud. genuit, maritum Annæ Magdalenæ Hohenloicæ (filiæ Phil. Erneſti. *Com. de Hohenloe in Langenburg*) & patrem ex ea, Annæ Dorotheæ. (nat. ac Den. A. C. 1650.) Sibyllæ Magdalenæ (nat. ac Denat. A. C. 1651.) Georg. Phil. (nat. A. C. 1652. Denat. A. C. 1653.) Eliſabethæ Magdalenæ (nat. A. C. 1654.) Dorotheæ Ludovicæ (nat. A. C. 1655.) Lud. Cratonis (nat. A. C. 1656.) & Georgii Wolffgangi (nat. A. C. 1660.) *Burgraviorum de Kirchberg* &c. Idem *Parte II. p.* 2. Sed & Fuggeriæ fam. ramus quidam hoc nomine inſignis eſt. Joh. enim Jacobi, qui ex mercatore factus Conſiliarius Maximiliani I. Imp. illuſtris hujus fam. fundamenta jecit, filii Ulricus atque Georg. ab Imp. Barones & Domini *in Kirchberg* & *Weiſſenhorn* dicti ſunt: qua de re vide *ſupra*.

KIRCHEMIUM, olim Dagoberti Francorum Regis palatium, non procul Mollishemio, ab Alemannis ſic appellatum, cum antea *Triboni* diceretur. Autor *Vitæ* Florentii Schoti, qui VII. Argentoratenſium Ep. fuit, *Eo quoque tempore Rex Dagobertus apud municipium Trojum, quaſi Trojam novam, nunc* Kircheim *dictum, ſibi domicilium fixerat.* Ubi *Trojum* B. Rhenanus, *Tribonos* intepretatur, quem vide *Rer. Germ. l.* 3. cum *Notis* Cl. Othonis, *p.* 603. &c.

KIRCHOLMIA, opp. Livoniæ, ubi Car. Succiæ Rex magnâ clade affectus eſt, A. C. 1605. à Car. Chotkeviczio, Uladiſlai Poloniæ Regis Duce. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 133.

KIREI, nomen. Fam. inter Tartaros celebris, quæ Crimenſe ſ. Precopenſe hujus gentis Imperium condidit. Ex illa enim oriundus Azi-Kirai, filium Tick-Tamiſci Schicachmeth-Zarem Tauricâ ſ. Crimeâ expulit, ſeque contrà eum Regem Tartarorum appellavit: à quo tempore Crimenſes excurſionibus Lithuaniam, Poloniam, Ruſſiamque infeſtârunt. Vide Georg. Horn. *Orb. Imp. cum Not. Felleri p.* 435.

KIRIATHSEPHER, Palæſtinæ urbs, olim *Debir*, *Joſ. c.* 15. *v.* 60. Lat. *civitas literarum*.

KIRTELLUM, veſtimenti ſpecies adhibitia in inauguratione Equitum Balnei, C. du Freſne in *Gloſſ.*

KISULBASSÆ, quaſi *Rubricipes*, Perſæ dicuntur, ab Iſmaële Sophi, Sectæ Sophianæ an autore, an amplificatore; qui A. C. 1507. Regno potitus eſt. Hic enim velut teſſerâ quadam ſuos à Turcis Oſmaneis diſcreturus, per univerſum Regnum ſubditis ſuis edixit, ut omnes in poſterum tegmina capitum rubro tincta colore geſtarent, inde hoc nomine illis indito. Præterea in precibus, jejuniis & catalogo ſucceſſorum Mahummedis, varia immutavit &c. Vide Joh. Leunclav. *Hiſt. Muſulmann. l.* 16. & infrà, ubi de *Sophiana Secta*, nec non ubi de *Perſis*.

KITTIM, regnavit apud Janigenas, relicto in Celtiberis Rege filio Sicoro, quem *Kittim* Janigenæ ſuâ linguâ ob mentis excellentiam vocavêrunt *Italum Atlanta*. Hic filiam ſuam Electram Camboblaſconi, Janigenarum Principi dedit conjugem, & Romam filiam ſuam primò ſubreginam Aboriginibus ſacravit. *Beroſus*.

KLEM, vox Germanica, *rigidum parcumque* denotans, cogn. fuit Ruperti ex Fam. Palatina Imp. cui vulgò per errorem cogn. *Parvi* tribuunt, quaſi *Klein* fuiſſet vocatus. Georg. Horn. *Orb. Imp. p.* 88.

de KLINGENBERG Henricus, vide *Henricus*.

KMETHONES, ſervilis conditionis homines, apud Polonos, in *LL.* Polon. Chopini *de Domanio libb.* ſubnexis.

KNAPDALIA, vulgò *Knapdailt*, prov. Scotiæ verſus Occaſ. & inter provincias Lornam ad Bor. Cantieram ad Auſtr. Ejus præcipua urbs eſt Kilmoria.

KNAVE, in *Charta* Anni 22. Henr. VII. Regis Angl. apud Henr. Spelmann. *Joh. fil. Vilhelmi Couper de Denby* Knave, *ad ſatisfaciendum Regi* &c. forte Armiger eſt. ſ. ſcuti famulus; *famulum* enim vox Saxonibus ſonat. Vide Jan. Dolmer. *ad Jus Aul. antiquum Norvagic.*

KNEZ vel KNEG, vide ſuprà in voce *Caganus*, item *Canis*, infrà *Semicus*.

KNIGHTORIUS Henricus, vide *Henricus*.

KNIPHUSIA, nomen Dominii, olim ſub Comitibus Oldenburgicis, hodie ſub Antonio, ab ultimo ſtirpis ejuſdem nominis, ex Ungnadia ſuſcepto, Comiti Altenburgio; cujus familiam ſi deficere contingat, hæres Dynaſtiæ hujus Joh. erit Serveſtanæ fam. Princeps, qui Jeveram etiam, matris Magdalenæ Oldenburgicæ jure, nactus eſt. Vide Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Hiſt. in Fam. Oldenburgo Danica ſub fin.* & Tob. Pfanner. *de præcipuis Germ. Principum gentib. c.* 10.

KNOXUS Joh. Scotus, ob religionem pulſus Genevam ſeceſſit, ibique Calvino innotuit. In Patriam inde reverſus, rebus jam pacatis, magnis muneribus defunctus eſt. Vide Buchan. *Rer. Scot. l.* 16. Vide *Cnoxus*

KNUZENIUS Matthias, Holſatus, moribus iniquis, ingenio turbidus, cum Regiomonte in Boruſſia, alibique pravitatis, ſuæ indicia jam ſatis dediſſet, levibus de cauſis in pejora provolutus, eò tandem inſaniæ pervenit, ut *Deum eſſe* apertis verbis negaret & publicis ſcriptis, ſuſceptiſque itineribus prolatandæ impietati improbum laborem impenderet, in clariſſimis univerſæ Europæ Urbibus jam aſſeclas ſe habere gloriatus; quibus tamen meliora omnes ſperant. Scripſit contra hoc hominis monſtrum Joh. Muſæus libellum peculiarem vernaculo ſermone, cui tit. *Ableinung und Bericht von der vermenter Gevviſſener Sect.* Tob. Pfanner. *Theol. Gent. pur. c.* 2. §. 2 *de DEO.*

KNUPHIS, vide *Cneph.*

KOGKENHUSIUM, vulgò *Kockenhauſ*, opp. eſt Livoniæ, in Litlandia prov. ad Dunam fluv. aliâs juris Polonici, nunc Suecici. 70. milliaribus diſtat à Riga in Ort.

KOLA, vulgò *Kola* opp. Lapponiæ Moſcoviticæ, cum portu ad oſtia fluv. cognominis in ora Oceani Glacialis. Valdè frequentatur à Batavis. In viciniis eſt etiam lacus *Kola* dictus.

KOLLINUS Conradus, vide *Conradus*.

KONIG Emanuel, Medicus Baſil. nat. A. C. 1659. *Diſſertationibus* 2. *de Regno Vegetabili & Animali* editis, famam meruit. Hinc in Societatem Leopold. Naturæ Curioſorum receptus, *Avicennæ* nomen accepit. A' quo, varia porrò ingenii ſui monumenta, *Regnum Minerale*, *Scholia in Obſervationes Chirurgicas*, it. *Augmentum Hippocratis Helvetici* Joh. Muralti Tigurini; *Theſaurum Remediorum e triplici Regno*, *Obſervationes Miſcellaneas*, *Medicas*, *Phyſicas*, *Chymicas*, in lucem emiſit; aliaque meditatur, nomine ſuo digna.

KONIGSBERGA, vulgò *Konigsberg*, Pruſſiæ Ducalis urbs primaria, Hanſeatica, ampla, emporiumque Poloniæ celebre, cum arce & portu, prope oſtia Pregelæ fluv. in Habum ſinum, ſub dominio Electoris Brandeb. Dicitur *Mons Regius* Lat. *Kroleffsky* Polonis. Eſtque triplex, nempe Vetus, ubi arx Ducalis, à Georg. Frid. Marchione Brandeb. excitata: Altera pars *Kniphoff* dicitur, ubi templum ineſt Cathedrale Ep. Sambienſis & Academia, ab Alberto Pruſſiæ Duce inſtituta A. C. 1544. Tertia urbis pars *Lebenicht* dicitur. A voce *Rex*, Germ. *Konig* nomen habet. Quemadmodum *Regis mons*, vulgò Konigsberg Latio, opp. cum monte, qui *Vogel* dicitur, in Japidia regione, in Carmolæ conf., ac in Comitatu Celejenſi, apud Collem opp. *Rain* vulgò, à Pætovione 8. leuc. in Auſtr. à Celeja urbe 4. in Eur. Sic in Tuſcia fuit *Regis villa*, in ora, inter Graviſcas & Coſam urbem exciſam. *Regium* flumen, in Meſopotamia, inter Euphratem & Tigrim fluens: *Baſilius*. Porro *Regium Gallicum*, vulgò *Riez*, vide *Reji Apollinaris*. Etiam *Regium Germanicum*, vulgò *Roking*, opp. olim Vindeliciæ, nunc vicus in Bavaria, inter Abudiacum & Aciliam, à Ratiſpona 2. leuc. in Auſtr, *Regium Julium*, vide *Rhegium*: & *Regium Lepidi*, vulgò *Reggio*, urbs Galliæ Togatæ, in via Æmilia, Epiſcopal. ſub Archiep. Ravennate prius, nunc ſub Bononienſi, inter Parmam & Mutinam ad Ort. 15. mill. paſſ. priùs Colonia Tuſcorum, dein Lepidi, ſub Principibus Ateſtinis. Condita autem fuit *Konigsberga* ab Equitibus Teutonicis A. C. 1260.

KONIGSECCIUM, Germ. *Konigſeck*, caſtrum Germ. ſup. ſub proprio Dynaſta: in cujus Fam. enumeratione variant Progonologi, ubi de Majoribus Marquardo Bar. *à Konigſeck* aſſignandis agitur, cùm quidem in Joh. ac Ulrico patre & avo conſentiant, ſed matrem & avias alii alias adducant. Præcipua nunc diviſio eſt, quòd in duobus fratribus, Hugone *in Irmenſtatt* & Joh. Georg. Præfecto Provinciali *in Weingarten*, novæ lineæ incipiunt. E' quibus ille, ex Maria Renata Zollerana, Leopoldum Vilhelmum genuit (Mariæ Polyxenæ *ac Scherfenberg* maritum) ac ſecundis tertiiſque nuptiis Carolam Luiſam Sulzenſem & Annam Amaliam Com. Sylvar. ac Rheni duxit: ipſe nat. A. C. 1595. Iſte, ex uxore Leonora *de Hohenemps* ſ. Altempſia Fam. quoque propagare cœpit. Utriuſque pregenitores habes, apud Phil Jac. Spener. *Theatr. Parte II. p.* 42. Liberi Joh. Georgii præfati, ſunt Maria Eliſabetha (uxor Joh. Lud. Com. Sultzenſis) Franciſcus Euſebius, Antonius Euſebius, Monica (uxor Joh. Erneſti Truchſeſſii Com. *de Trauchburg*) & Johanna Claudia (uxor Joh. Franc. Deſiderati Princ. Naſſovii) vide Eund. *Parte III. p.* 35.

KONIGSTENIUM, Germ. *Königſtein*, caſtrum itidem Germ. ſub proprio Domino olim, donec Lucardim, filiam Phil. Junioris Dn. *de Falckenſtein* & *Muntzenberg*, hæredem *Königsſteinæ* Gothofredus duxit Com. Eppſtenius, qui Deceſſit A. C. 1412. filioſque ex ea reliquit Godofredum atque Eberhardum; quorum is, ab uxore Juta Naſſovia titulum Comit. Diezii fam. intulit hic *Königſteinam* tenuit ac conſenſu fratris, A. C. 1420. feudum Imperii fecit primuſque Comitis titulum obtinuit, proavus Eberhardi, Georgii Phil. Can. Moguntini, qui lineam clauſêre, Extincti A. C. 1509. 5127. 1535. & Annæ hæredis, quæ nupta Botoni Com. Stolbergæ, Deceſſit A. C. 1538. marito A. C. 1537. præmortuo. Idem *Parte III. p.* 13.

KONOB in nummo Conſtantini Mag. *CPoli obſignata*: KONSA. in Conſtantii, *CPoli*, ubi *A.* nota Monetarii eſt: KONSAV, in Conſtantii & Juliani, itidem *CPOLI* denotat, C. du Freſne *Diſſert. de inf. ævi Numiſmatibus.*

KORSUMA, vulgò *Korſum*, opp. Poloniæ, in Ucrania S. Volhinia inf. ad Roſſi fluv. ripam, à Rege Steph. conditum A. C. 1581. Ibi Poloni memorabili clade affecti fuêre à Coſaccis A. C. 1648. Diſtat novem leucis Polonicis à Czircaſſia in Occaſ.

KRODO, Idolum olim Saxonum, quod Saturnum illos arbitratos fuiſſe, ait Crantzius *in Metropol. l.* 1. *c.* 3. apud C. du Freſne *in Gloſſ.* Vide ſuprà *Crodus*.

KRTC. in nummo Mauritii Imp. ubi. C. pro *S. Karthagine ſignata eſt.* K. R. T. S. in Conſtantini Pogonati, idem denotat. C. du Freſne. *d. l.*

KRUGERUS Johannes, autor *Catalogi mille Viror. Illuſtr.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

KUDACUM, vulgò *Kudack*, ſ. *Kudak* oppid. Poloniæ in Ucrania & in Palatinatu Kiovienſi, in dextra Boryſthenis ora, infrà Samaræ fluv. confluentes, munitum à Polonis A. C. 1637. ad coërcendos Coſaccos; ne in mare Euxinum irrumperent. Nunc ab his occupatum ab A. C. 1648.

KUNIGUNDA, Henr. Imp. uxor, virginitatem perpetuam obſervâſſe fertur cum marito, & poſt mortem miraculis claruiſſe. Munſterus *l.* 3. *Coſmograph.* de illa ſcribit: *Quamquam continentiſſimè cum ea vixerit Imp. ſeminator tamen zizaniæ injecit illi ſcrupulum Zelotypiæ, cùm ei ſuggereretur, quòd ipſa militem quendam amicius eſſet intuita, quam par eſſet. Quod ubi illa reſcivit, juſſit ſecreto ſex igniti vomeres, eoſque in Imp. aliud agentis, afferri conſpectum. Miratus ille quid ageretur, vidit inde cariſſimam conjugem nudis pedibus conſcendere ferrum ignitum intrepidam. Vides, inquit illa, ô Imp. illæſam à ferro, illæſam ab omni immunditia. Ille autem in ſe converſus cœpit cogitare, quid eſſet ſuſpicatus, qui mox procidens ad uxoris genua provolvitur. Illa procumbentem amiciſſimè levat, & ex illa die omnis ſiniſtra ceſſavit ſuſpicio. Cohabitantes itaque in pudicitia virginiali ad finem vitæ uſque perſeverârunt; una ſepulti in Cathedrali, quam conſtruxerant, Eccl.* apud *Nic. Lloyd.*

KUNKAN, totus ille tractus, qui Imperium Mag. Mogolis & Regna Malabarum ſitus eſt, uno nomine dicitur, in VI. Regna hodie diviſus: Viz. *Regnum Decan*, *Amdenager*, *Braganaftar*, *quartum* (ſine nomine, cujus primus Rex, nomine *Verido*, natione Hungarus; Obiit A. C. 1510.) *Regnum* porro *Vizapor* & *Goa*; inter quæ præcipuum hodie eſt *Dekan*. Georg. Horn. *Orb. Imp.* p. 445.

KYBURGUM, al KIBURGIUM, quod vide. Ejus Comites jam tempore Car. Craſſi & Arnulphi Impp floruêre. Hartmanno Sen. poſtremo vitâ Defuncto A. C. 1264. Sororis Hedvigis ex Alberto Habspurgio, fil. Rudolphus hæreditatem eam ſibi vindicavit. E cujus poſteris Leopoldus D. A. C. 1384. & 86. Comitatum hunc Comitibus Toggenburgiis, hi Bregantinis, pignori dedêre. Inde tempore Conc. Conſtantienſis Sigiſmundus Imp. jure in terram hanc Frid. Auſtrio adempto Tigurinis oppignoravit, quibus ſuum quoque Toggenburgici Comites vendidêre. Reddiderunt quidem Comitatum illi Frid. III. Imp. A. C. 1442. at. recepêrunt à Sigiſmundo Auſtrio, multo ære alieno Reip. obſtricto. Cruſius *Parte Ann. Suevic.* 1. *l.* 3. *c.* 5. Stumpfius *Chron. l.* 5. *c.* 30. G. de Rov. *l.* 1. Vide & Tobiam Pfanner. *de præcipuis German. Principum Gentibus*, *c.* 1. ubi *de Gentis Auſtriacæ titulis*, nec non *in Continuatione*, in voce *Kiburgium.*

KYBURGIUM, vide *Kiburgum.*

KYRGESSI, Tartariæ gens, quibus Tellus pro numine erat; cujus venerationis ſymbolum fuit terræ cultus, cum lacte, ſanguine & fimo, admixtis. Qua de re ſic Alex. Gaguinus *in Sarm. Europ.* eâ parte, ubi Tartariam deſcribit: *Kygreſſi Tartari catervatim in campis degunt, habentque ritum gentilem hujuſmodi Sacrificus ipſorum, quo tempore rem divinam peragit, tunc ſanguinem, lac & fimum jumentorum, terramque ſumit, commixtioneque inſimul factâ in vas quodammodo infundit & unà cum hoc arborem aſcendit, ad populumque circumſtantem concionatur: Concioneque peractâ, in ſtultam plebeculam, prædictam commixtionem ſpargit: populus verò in terram pronus provolvitur, adſperſiunculamque hanc pro* DEO *colit, firmeque credit, nihil eſſe perinde ſalutare humano generi ac terram, pecus armentaque.* E quibus poſtremis verbis liquet, hoc, quod ſic venerarentur, partem magnam ſymbolicum fuiſſe. Videlicet, quod terræ erat admixtum, id fuit ſignum totius Elementi: at lac, ſanguis, fimus, pecoris & armentorum erant figura. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. & progr. Idol. l.* 2. *c.* 62.

KYRIELES, apud Autorem *Miraculorum* S. Berlendis Virg. *c.* 2. *n.* 11. *Omnibus Clericis Hymnum concinentibus---Laicis vero* Kyrieles *celebrantibus*: nomen eſt in Eccl. Rom. litaniarum publicarum, in quibus Κύριε ἐλέησον decantatur; quod cum per Orientem atque Italiam frequenter in Eccl. caneretur; placuit Conc. Vaſatenſi A. C. 529. *can.* 3. ſtatuere, ut in Gallicanis quoque Eccleſiis *ad Matutinum*, *ad Miſſas* & *ad Veſperam*, ſimiliter id fieret, C. du Freſne *in Gloſſ.* In Eccl. Latinam introductum eſſe hunc ritum à S. Silveſtro; renovatum poſteà à Greg. Mag. ait Dom. Macer *in Hierol.* qui in Anglicana Eccl. circà A. C. 1000. eundem incepiſſe, Dunſtano Ep. Dorobernenſi ſ. Cantuar. addit *Ibid.* Et quidem Romæ in proceſſionibus, centies *Kyrie eleiſon*, centies *Chriſte eleiſon* & iterum centies *Kyrie eleiſon*, cani conſueviſſe, docent Autores laudati Floravant. Martinello *in Roma Sacr. p.* 157. In eadem Eccl. in Sabbatho Sancto & Sabbatho Pentecoſtes, ab his verbis Miſſam incipere, temporeque Paſchali, loco verborum, *Deus in adjutorium*, dici *Kyrieleiſon*; porrò ad *Kyrieleiſon* neuma cani, aliaque huc pertinentia, legas apud eoſdem Macros Fratres ſed & Melitenſes, à Saracenorum jugo, per Rogerium Normannum liberatos, cùm Soeri ſuo obviam procederent, gratulabundos *Kyrie eleiſon* inclamâſſe, tradit Goffredus Malaterra *l.* 4. *c.* 7. Imò, uti Gentiles olim, cùm infundendo in dolia vinum numerarent menſuras, in principio numeri non dicebant *unum*, ſed *multa*, ominis causâ, vide Varron. *de Ling. Lat. l.* 4. fortaſſe multa Fortunæ bona implorantes, utque hodie Chriſtianorum multi, numerando ad triceſimum numerum pervenientes, ſolent pronuntiare verba hæc, *In nomine Domini*, ſ. *in Bonum*, idque in deteſtationem 30. denariorum Judæ proditoris, ut retur Menodicus: Sic olim Chriſtiani, ut Gentilium ritibus contrà irent, in principio numerandi, *Kyrie eleiſon* adhibuiſſe leguntur, apud Balſamonem *can.* 62. *Synod. VI. Trull.* ubi inter alia ait: *Et quod Agreſtes frequentiùs dicant in unaquaque fere menſura* Kyrie eleiſon &c. Vide quoque infrà *Synapta.* Ritûs veſtigia apud Gentiles quoque reperias. Si enim non antè,

ſaltem Juliani Cæſaris temporibus, qui à N. C. 120. Annis claruit, ſimiliter Deo ſupplicabant Gentilium ſapientiores: quem ritum tangit nobilis ejus temporis Scriptor Arrian. *Diſſertat. Epicteti l.* 2. *c.* 7. Τὸν θεὸν ἐπικαλεσάμενοι δεόμεθα αὐτοῦ, Κύριε ἐλέησον, *Deum invocantes, precamur eum, Domine miſerere noſtri.* Nempe; quemadmodum non veretur Apoſtolus Paulus dicere, Athenienſes, licèt ignorantes, coluiſſe illud Numen, quod ipſe annuntiaret: ſic veriſimile eſt, poſtquam Chriſtiana doctrina Gentilibus innotuit, etiam qui nec dum reciperent Chriſtum, majori tamen curâ aciem animi in naturam Dei intendiſſe, ac quadam confusâ notitiâ invocâſſe, tam rerum Naturam, quàm Naturæ Opificem ac Rectorem Deum, Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. & progr. Idol. l.* 1. *c.* 2.

KYRION-MEGAN, Bœotiæ & Thebarum Principem, qui olim in Palatio Imp. CPolitani *Magni Primicerii* nomen ac dignitatem obtinebat, appellatum poſteà eſſe, docet Nicephor. Gregor. *Hiſt. l.* 7. apud Macr. in voce *Dapifer.* Vide eund. in voce *Domnus*, ubi apud Græcos ſimiliter Κυρὸς, Κυρὰ vel Κυρὴ, demptoque de utriuſque ſexûs Magnatibus, prout *Domnus* vel *Domna* dicebant Latini, vocem integram *Dominus* Soli CHRISTO attribuentes, dici conſueviſſe, obſervat.

KYZ in nummis Conſtantii Chlori, Mauritii, Phocæ, it. Juſtini KYZB, quoque in Phocæ, *Cyzici* nota eſt, ubi moneta percuſſa. C. du Freſne ubi *ſuprà.*

L.

L. Latinorum conſonans liquida & immutabilis, cui λάμβδα Græcorum reſpondet; mutam, cui in eadem ſyllaba jungitur, ancipitem reddit. Sic enim *t.* in *Atlas*, Mart. *l.* 6. *Epigr.* 77. cujus Epigraphe in Afrum. *v.* 7. corripitur, producitur autem apud Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 140.

> *Ad Majam maximus* Atlas.

Idem Ibid. *v.* 236. & 141. In hanc ſæpe *R.* mutatur, unde ex *Frater Fratellus*: & Ovid. *Faſt.* inquit: *l.* 5. *v.* 480.

> Aſpera *mutata eſt in lenem tempore longo*
> *Littera.*

Laudis index *L.* Scalig. eſt. Vide Robert. Titum *l.* 10. *c.* 14. Voſſ. *in Ariſtarcho.* In notis antiqq. ſignificat, *Lucius*, *Lælius*, *libertus*, *locus*, *lex*, *lector*, *quinquaginta* &c. L. A. *lex alia.* L. AN. *quinquaginta annis.* LD. *laudandum.* L. DD. D. *locum Diis dicavit.* L. DIV. *locus divinus.* L. M. D. C. Q. *libens meritò dicat conſecratque* &c. Fr. Gouldmann. in monetis Gallicis *L. Coronatum* Conſpicitur, ſub Lud. XII. Cudit enim is *Denarios cum L. coronato*, Gall. *Deniers à l'L. couronné* dictos, pretii 10. den. Turon. cum cruce anchorata, & *Inſcr.* in averſa parte, quorum typum habes apud C. du Freſne ubi *de Monetis Galliæ Regum.* Idem *Groſſos denarios* fieri curavit, Gall. *gros Deniers*, pretii 2. ſol. 6. den. cum cruce liliata, binis coronulis & binis *L.* inter crucis brachia, additâ. *Inſcr.* SIT NOMEN DOMINI BENEDICTUM. In averſa parte, cum ſcuto 3. liliorum coronato, & binis *L.* ad latera, ac *Inſcr.* LUDOVICUS FRANCORUM REX, apud eund. *Ibid.* De litera *L.* quæ in nummis antiquis nonnunquam conſpicitur, quamque pro Græco Λ poſitam, & Λυκάβαντα, i. e. *annum*, denotare, nonnulli volunt, vide Caſaub. *ad Suet. Aug. c.* 87. Nec omittendum, quòd in clypeis Laconum eandem literam inſculptam, apud Vett. legimus. Quid in Agrimenſoria ea notet dicemus infrà lemmate in *Rectum.*

LA, urbs Laconica, quam Hom. *Laan* vocat, ſic dicta quòd in excelſo ſita ſit. Quam poſtquam Dioſcuri oppugnâſſent, *Laperſas* nominârunt. Steph. Liv. *Las* vicus eſt. *l.* 38. *c.* 31. *Valbi* hodiè Nigro. Vide Meurſ. *in Miſcell. Lacon* p. 269.

LAABIM, fil. Meſraim, Gen. *c.* 10. *v.* 13. Ab hoc Libya, quæ prius (ut Hier. refert *in Quæſt. Heb.*) Phutenſis regio appellata eſt, nomen habet.

LAAD, fil. Jahæ, filii Subal, filii Judæ. 1. Par. *c.* 4. *v.* 2.

LAADA, fil. Selæ, filii Judæ, Idem *c.* 4. *v.* 21.

LAADAN, fil. Thaan, filii Thale. Idem *c.* 7. *v.* 26.

LAANDER, adoleſcens frater Nicocratis, Cyrenenſium tyranni, quem immiſſâ pulcherrimâ filiâ, ad cædem fratris, ſtimulavit Aretaphyla. Polyæn. *l.* 8.

LAARCHUS, tutor Batti Cyrenæi conſtitutus, invaſit tyrannidem multaque crudelitate in populares graſſatus eſt, tandem ab Eryxo matre pueri Batti, cujus nuptiis inhiabat, noctu ad colloquium inſidioſè evocatus, à fratre ejus majore Polyarcho, obtruncatus eſt, reſtituto regno Batto. Plutarch. & Polyæn. *l.* 8. Ubi tamen interpres legit *Nearchus* admodum vitioſè.

LAATTHA, Arabiæ Fel. urbs *Ptol.*

LABA, Arabiæ Fel. opp. verſùs Elaniticum ſinum. *Idem.*

LABACA, Indiæ intrà Gangem civ. *idem.*

LABACUM, incolis *Laubach*, Ital. *Lubiana*, inſcitis eſt *Emona* vett. & 9. leuc. diſtat à Tergeſte in Bor. urbs Norici Epiſcopal. facta à Paulo II. A. C. 1468. ſub Archiep. Salisburgenſi, inde 36. leuc. Carniolæ regionis caput: 2. leuc. ſuprà in Mer. *Labacum parv.* ad amnem cogn. olim *Nauportus* dictum, ſitum eſt.

LABÆ, urbs Chatteniæ regionis Gerrhæorum. *Steph.*

LABAN, frater Rebeccæ fil. Bethuelis filii Nachor ex Melcha: cujus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

jus Hiſtoriam vide Gen. *c.* 24. *v.* 29. *& ſeqq.* Apud Joſeph. *Antiqq. l.* 1. Torniel. Salian. &c. Eſt & locus in deſerto, ubi Moſes Deuteronomium prælegit filiis Iſraël. Deut. *c.* 1. *v.* 1.

LABANA, civ. Sacerdotum in tribu Juda Joſ. *c.* 15. *v.* 42. quæ & *Lebna* Joſ. *c.* 10. *v.* 29.

LABANATH, civ. quæ tribûs Aſer terminus fuit. Joſ. *c.* 19. *v.* 26.

LABANDAGO, apud Luciferum Caralitan., *L. moriendum eſſe pro Filio Dei*, *p.* 337. *Nihil refert, --an ſecuri caput auferas, an ad palum me, an ad crucem alliges, igne torreas, an vivum humo condas, ſaxo præcipites, an in maria mergas*, labandagine *magnis viribus conatus uno vaſtiſſimo ictu longe à me meum caput excutias* &c. Dom. Macro videtur fuiſſe genus baliſtæ, quam adhuc Hiſpani *Bandoge* ſ. *Bandeque* appellant: Tillio Meld. Ep. *ad l. c.* forma inſtrumenti, quod vi ducebatur &c. At C. du Freſne exiſtimat, legendum fortè, *an à pendigine*, i. e. à reliquo corpore, *pendigo* enim, idem quod πῆγμα, *compago* eſt: quod vocabulum bifariàm hîc ſumi poſſet, vel pro machina lignea ſ. tabulato, πῆγμα etiam Græcis dicto, à quo caput longiùs excutiatur; vel pro ipſa reliqui corporis compactione, trunco viz. à quo caput avellatur. Quâ poſtremâ notione *pendiginem* interpretatur Salmaſ. apud Arnob. *l.* 6. *ô utinam liceret in ſimulacri alicujus medias penetrare pendigines* &c. Sed aliâ notione vocem uſurpâſſe videtur Veget. *Artis Veterin. l.* 2. *c.* 44. *Quòd ſi jumento ſcapulæ fuerint diſſolutæ, diligenter inſpicias, ne quam inter nervos & commiſſuras pendiginem faciat.* Vide omnino præfatum C. du Freſne *in Gloſſ.* ut & Macros Fratres *in Hierol.*

LABANIS, inſ. in ſinu Arabico. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

LABARA, urbs Catiæ *Steph.*

de LABARRE Renatus Laur. vide *ibi*.

LABARSADACH, 22. Babyloniorum Rex.

LABARUM vel LABORUM, vexillum militare, à temporibus Conſtantini Mag. qui contrà Maxentium pugnaturus, ſigno in aëre viſo, cum verbis: Ἐν τούτῳ νίκα, *In hoc vince*, confirmatus, paulò poſt felici eventu conflixit. Erat autem haſta longa, cum ligno in apice tranſverſo, ſupra quod corona, cum literis initialibus nominis Græci JESU CHRISTI: ab hoc pendebat pretioſus pannus, cum Conſtantini & filiorum iconibus. In nummis quibuſdam Principis hujus paulò alia labaro forma eſt, cum verbis: *Gloria exercitus*, *Virtus copiarum*, *Unio militum*. Hinc *Præpoſiti Laborum*, in Cod. Theodoſ. & Juſtinianæo. Sigum hoc removit Julianus Apoſt. Nomen ejus hinc arceſſit, Greg. Naz. quòd *Labores finiret*. Huic in Gallia olim ſimile quid dicunt Auriflammam fuiſſe & Cucullam S. Martini, quibus olim in bellis non ſine ſucceſſu uſos Gallorum Reges ſunt qui tradant. Vide Euſeb. *in vita Conſt.* Sozom. *l.* 1. Turneb. *Adverſ. l.* 15. *c.* 16. Suet. *Aug. c.* x. Cujac. *de Præp. Lab.* De illo ſic porrò Prudent. *l.* 1. *c. Symmmach. v.* 488.

Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro,
Signabat Labarum.

Nic. Lloyd. Et hoc quidem vexillum, in quo Conſtantinus, Chriſtianus factus, Chriſti monogramma deſcribi curavit, de quo vide infrà; τῶν ἄλλων τιμιώτερον, *ceteris pretioſius & ſanctius* haberi, Imp. ſemper præcedere, à militibus adorari & in præliis à fortiſſimis militibus ambiri & ſtipari præcepit, ut habent Autor *Vitæ* Conſtantini *l.* 2. *c.* 8. & Sozomen. *l.* 1. *c.* 4. quos quidem, Milites eos eſſe plerique autumant, quos *Præpoſitos Laborum* vocat Codex Theodoſ. Interim, non nuperum id & Conſtantini duntaxat ævo cognitum, ſed jam olim ſignum militare fuit Romanorum penſile, ex panno aut ſerico confectum, fimbriis ac aliis ornamentis inſtructum & tranſverſario antennæ ſpecie ligno affixum, à ſuprema conti parte pendens funiculis: quamvis nomenclatura non niſi apud Scriptores, qui aut Conſtantini ætate, aut poſtea floruêrunt; occurrat; unde in dubio eſt, an Romanorum id vexillum proprium fuerit, an verò illud ii à nationibus barbaris acceperint, quod poſtremum exiſtimare prorſus licet. Nam quòd aliquando in priorum Impp. nummis effictum occurrat, non proptereà Romanorum illud neceſſariò fuit: ſed ita in iis exhibetur, ut, quibus id vexilli proprium fuit, gentes domitas ferè ſemper denotet. Proſtant divi Aug. numiſmata, in quibus figura nuda galeata dextrâ *Labarum* ſ. contum, cum quadrato ſiparo fimbriato, tenet, cum hocce lemmate, VOT SUSC PRO SAL ET RED I.O.M. SACR. i. e. *Vota ſuſcepta pro ſalute & reditu Jovi optimo maximo ſacrum.* Cuſi nempe ii, dum Aug. bella cum Germanis gereret; de quibus actum ab eo triumphum vel certè partam victoriam, indicat tertius ejuſdem nummus, in quo ſcuta Germanica bina decuſſatim cum ſpiculis poſita, medio inter utrumque ſtante *Labaro*. Cui ſimilis penè proſtat alter Domitiani, cum *Inſcr.* DE GERM. Neque aliâ exprimitur figurâ in arcu triumphali Marii Avenionenſi, in quo ſpolia de Cimbris effinguntur, cum eorundum vexillis ſcutiſque. Sed & Pannonibus, in Hadriani nummo, & Armenis, ejuſmodi vexillum in binis aliis Antonini nummis, tribuitur: Sarmatis præterea, in nummo ejuſdem Antonini, cui ſubjecta Inſcr. DE SARMATIS. Denique in nummo altero Vitellii, Gradivus exprimitur, dextrâ haſtam, ſiniſtrâ *Labarum*, tenens, cum verbis, CONSENSUS EXERCITUUM, qui cuſus videtur, propter partas de Germanis victorias, de quibus etiam erecta, in alio ejuſdem Imp. tropæa cernuntur, cum lemmate, GERM. CAPT. E quibus conficit C. du Freſne, *Labarum* non Romanorum proprium fuiſſe ab initio vexillum; ſed à gentibus domitis, Germanis, Dacis, Sarmatis, Pannonibus, Armenis, acceptum, in victoriarum de illis obtentarum memoriam, eos vexillis ſuis illud adſcripſiſſe; cùm ex nummorum inſpectione, devictas provincias, armis maximè, quorum apud illas uſus erat, denotari palàm ſit. Adeoque, cùm barbaricum hoc vexillum fuerit, fruſtrà de nomenclatura ejus Viri eruditi hariolari videntur, ut videre eſt paſſim. Poſtquam autem id, uti dictum, à Conſtantino cæteris ſignis prælatum eſt, in ſequioris ætatis Impp. nummis Chriſti monogrammate, frequentiſſimè conſpicitur: ſed & in ipſius Conſtantini numiſmate, in cujus averſa parte effingitur, cum literis initialibus nominis ΧΡΙΣΤΟΥ, ſupra ſiparium, in quo quidem tres globuli deſcribuntur: *Labari* verò haſtile draconem premit, cum Inſcr. SPES PUBLICA; infrà, CONS. At, quod Vett. è Latinis perindè, ac Byzantinis Scriptoribus *Labarum* vocabant, poſteriores Νάρθηκα ſ. *ferulam* dixere; quamvis poſtmodum non eadem omnino utrique fuit forma. *Labarum* quippe quadratum erat, ex panno aut ſerico confectum, monogrammate Chriſti inſigne: Narthex verò ferulæ ſolidæ ſpeciem prætulit, quæ paulò longior, quàm latior, fuit: uti apparet ex Bulla plumbea Balduini II. Imp. CPol. Vide infrà in voce *Narthex* & plura hanc in rem apud C. du Freſne *Diſſert. de numiſmatibus Inf. ævi n.* 20. Cæterùm *Labarum* eſſe quod in aureis numiſmatis, Luſitanis & Gallicis: it. in argenteis nummis uncialibus Onolebaciis Ducum Brandeburgicorum, adhuc videtur, aut certè aliquam ejus refert ſimilitudinem. Tale itidem, quod in ſemunciali argenteo Frid. III. Saxon. Elect, cùm poſt Maxmiliani Regis Mortem vicem Imperii teneret, aſſerit Georg. Fabricius *Comm. in Poetas Chriſt.* Sed & *Labarum* pro haſta uſurpavit Anſelmus *in Actis S. Guyneri & Soc. n.* 4. & vexillis Rom. Eccl. in quorum proceſſionibus uſus eſt, *Labari* nomen, quòd fortè Labari Romani figuram repræſentarent, tribuit Ekkehardus Jun. *de Caſibus Galli c.* 3. Meminit quoque *Labari* veteris Althelmus *de laude Virg. c.* 4. ubi ab hoſtibus devictis ea accepta innuit, apud eund. C. du Freſne *in Gloſſ.*

Denique cùm voti compos remeâſſet ad Urbem,
Compta triumphorum ſortitus labbarâ *Princeps,*
Inclita Romanis revehens ex hoſte tropæa.

Idem, quomodo geſtari conſueverit hoc vexillum, indigitat *c.* 10.

Cuſpide vexilli ſcrobem ſulcare memento,
Labbara *ſic equitans per terram tendito dextrâ.*

Plura vide apud Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in hac voce, ubi ejus originem ex Græco λάφυρον, inter alia, deducit, varioſque Autores citat de *Labaro* pluribus agentes. *Præpoſiti* nomen habuiſſe, qui vexillo huic præeſſet infrà dicemus.

LABARUS, fluv. Inſubrum. *Lambrus* Plin. *l.* 3. *c.* 16. & 19.

LABASÆ, Indiæ extrà Gangem pop. *Ptol.*

LABATUM, Iſtriæ opp.

LABATUS, viri proprium, cujus crebra mentio fit apud *Plutarch.*

LABBEA Ludovica, vide *Ludovica.*

LABDA, Amphionis cujuſdam ex Bacchidarum genere filia fuit, quæ quòd clauda eſſet, & ob id à cæteris ſperneretur Ætioni fil. Echecratis nupſit, eique puerum peperit, quem ab eventu Cypſelum appellavit. Nam cùm duo Corinthis reddita eſſent oracula, ut Labdæ fil. Corinthi aliquando tyrannidem invaderet, miſſi ſunt publico decreto decem viri, qui puerum interficerent. Verùm cùm fortè puer ei, qui primus eum à matre acceperat, arriſiſſet, ille miſericordiâ motus adduci non potuit ut eum Occideret: quapropter illum alteri tradidit, & ille rurſus alii, atque ita infans per manus traditus, à decimo matri redditus eſt, nemine eum Interficere volente. Poſt hæc illi egreſſi & pro foribus ſtantes ſeſe mutuò, præcipuè verò qui primus puerum acceperat; increpabant, quòd eum ex convento non Occidiſſet. Quod cùm audiſſet Labda, quæ intus ad fores ſtabat, puerum in menſura frumentaria, quam *Cypſelum* vocant Græci, occultavit. Vide latiùs hanc Hiſtoriam apud Herod. *l.* 5. *c.* 92. Ob Servatum verò parentem, *Cypſeli* poſteri arcam ſ. menſuram hanc in Olympia dedicârunt affabrè celatam, & Ἐπιγραφαῖς inſcriptam, quam graphicè deſcripſit Pauſ. Duravit autem τῶν Κυψελιδῶν tyrannis Annos 73. Ipſe enim Cypſelus eam tenuit Annos 30. Periander fil. ejus 40. & Pſammetichus fil. Gordiæ 3. Ariſtoteles *Politic. l.* 5. *c. ult.* Vide hic paſſim.

LABDACUS, Phœnicis fil. qui ætate jam in ſenium vergente; Thebas evocatus, aliquandiu ibi regnavit, filiumque habuit Lajum, Oedipi patrem, qui illi in regno ſucceſſit, unde & *Labdacides* dictus eſt. Stat. *l.* 6. Etiam *Labdacidæ* Thebani dicuntur à *Labdaco.*

LABDALON, prom. Epipoleorum prope Syracuſanos. Thucydid. Diod. Sic. *l.* 14. Steph. *Hexapylon* Liv. *l.* 25. *c.* 24. & *Plutarch.*

LABDAS, Hieroſolymorum Ep. 33. A. C. 297.

LABEATIS, lacus Dalmatiæ apud Scodram urb. quam Liv. *l.* 44. *c.* 31. deſcribit. *Lago di Scutari* hodie dicitur. ſ. *Lac de Penta*, Baudr. lacus Albaniæ in mediterr. Circuitus 60. mill. paſſ. circiter Pop. *Labeatæ* Plin. *l.* 3. *c.* 22. & Liv. *l.* 42. *c.* 19. quorum urbs Scodra.

LABECIA, Arabiæ opp. ab Ælio Gallo dirutum, Plin. *l.* 6. *c.* 28.

LABELLUM, ſ. LAVELLUM vulgò *Lavello*, urbec. Baſilicatæ, Epiſcopal. ſub Archiep. Barenſi, 3. mill. ab Aufido fluv. inter Melphim ad Occ. & Minervinum ad Ort. 12. mill. à Canuſio in limite Capitanatæ. Varia hîc reperiuntur antiquitatis veſtigia.

LABELLUS, apud Helgald. *in Roberto Rege. Qui non oblivioſus factus, ornamentum, quod erat in ſex unciis auri, dependens à genibus, & quod nos linguâ ruſtica* Lablellos (mel Labellos) *vocamus, ipſo conſpiciente, cultello arripuit, quantocius diſceſſurus*: vox eſt, quâ lacinias Galli, à ſago militari pendentes, vulgò *lambeaux*, & *labeaux*, Monacho Sangall. *de Car. Mag. c.* 36. *Pittaciola*, quòd *pittaciorum* formam referrent, dictas, denotabant. An à *limbis*, quos ſagis militaribus adſcribit Sidon. *l.* 4. *Ep.* 20. *Viridantia ſaga lim-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

bus marginata puniceis. Vide Forteſcutum *de Laudibus LL.* Angliæ, ubi de habitu *Servientium ad Legem* & *Doctorum LL. in quibuſdam Univerſitatibus*, nec non C. du Freſne *in Gloſſ.* & *Diſſertat.* 1. *ad Joinvill. p.* 139.

LABEO, Labeonis Antiſtii Pater, vir præclarus & prudens, qui bello Philippenſi pro libertate fortiter Occubuit: Appian. Alex. *l.* 4. *Civil. Bell. p.* 669. *nam fideliſſimum ſervorum dextrâ apprehensâ cumque circumactum more Romano libertate donavit, hocque ritu peracto gladium ad ſe occidendum tradidit.*

LABEO Antiſtius, Juriſconſultus, in 12. tabb. commentatus, de quo A. Gell. *l.* 1. *c.* 12. *l.* 13. *c.* 10. & 12. Horat. *Serm. l.* 1. *Sat.* 3. *v.* 82.

--- Labeone *inſanior, inter*
Sanos dicatur. ---

Ubi Labeonem Antiſtium carpens, Auguſto aſſentatur. Nam hic Labeo uſque adeò fuit liber, & contumax, ut etiam Auguſto ſæpe reſtiterit. Nic. Lloyd. Scripſit quoque *Comm. Juris Pontificii*, quæ Feſtus quoque Pomp. citat, fuitque veterum Jureconſultorum facilè Princeps, ut apparet ex Pomp. *in l.* 2. *ff. de orig. Juris.* Petron. *Edit Gonſali. de Salas. p.* 83. *Edit Boſch. c.* 97.

Atque eſto quidquid Servius & Labeo.

Sicut autem pater ejus bello Philippenſi pro libertate fortiter Occubuit, ita ipſe nimiâ libertate inviſus Auguſto fuit, ut teſtatur Suet. *in Aug. c.* 45. & Tac. *Ann. l.* 2. *c.* 85. Prætoriâ ideo quidem dignitate, nunquam verò Conſulari functus. Suffectum Conſulatum, ab Aug. oblatum, repudiâſſe Pomp. teſtatur, quod apud alios Autores non invenias. Proconſulem fuiſſe Narbonenſis provinciæ, Plin. docet *l.* 35. *c.* 4. & nuper Extinctum in longa ſenectute ſuo tempore affirmat. Complures ejus in Jure Civ. libri citantur, libri nimirum Πειθανῶν *Poſteriorum*, qui poſt mortem *Labeonis* editi, teſte A. Gellio. *Ad Edictum, libri Epiſtolarum*, ac *Reſponſorum.* Proculus quoque & Ariſto notas ad Labeonem edidêrunt. Edidit quoque *libr. Juris Pontif. & Augurii*, Auguſtin. *de Civ. Dei. l.* 4. & 8. *l. de Diis animalibus*, Serv. *in Æn. l.* 15. *de diſciplinis Hetruſcis*, laudat Fulgentius, Libr. *de Diis Penatibus*, *de Oraculo Apollinis Clarii*, *Faſtorum* l. Macrob. *Sat. l.* 1. Vide Labitti *Judicem antiquorum in Jure interpp.* uti etiam Antonii Auguſtini. De eo ſic A. Gell. *l.* 13. *c.* 10. *Labeo Antiſtius juris quidem civilis diſciplinam principali ſtudio exercuit, & conſulentibus de jure publico reſponſitavit; cæterarum quoque bonarum artium non expers fuit: & in Grammaticam ſeſe atque Dialecticam literaſque antiquiores altioreſque penetraverat, Latinarumque vocum origines rationeſque percalluerat: eaque præcipuè ſcientia ad enodandos pleroſque juris laqueos utebatur.* Dicti autem ſunt, *Labeones & Labieni* apud Rom. à *labris & labiis*, quemadmodum Chilones, apud Græcos nomen accepêrunt ἀπὸ τῶν χειλέων Perſ. *Sat.* 1. *v.* 4. ut Feſtus Chariſ. & Velius Longus docent. Lucret. *Labeones* nominat *labioſos*, Jac. Oiſel. JC. *Notis in A. Gell. l.* 1. *c.* 3.

LABEO, alio nomine Claudius, præfectus alæ Batavorum, oppidano certamine æmulus Civili; ne interfectus invidiam apud populares; vel ſi retineretur, ſemina diſcordiæ præberet, in Friſios avehitur. Tac. *Hiſt. l.* 4. *c.* 18. Vide & *Claudius.*

LABEO Pomponius, vide *Pomponius.*

LABERIUS Jul. Decimus, poëta, mimographus, eques Rom. A. Gell. *l.* 3. *c.* 18. & *l.* 13. *c.* 7. & 14. Sen. 7. *Declam.* Laberium mimum Divus Jul. ludis ſuis produxit, deinde Equeſtri ordini reddidit: quem cùm juſſiſſet ire ſeſſum, omnes equites ita ſe coarctavêrunt, ut venientem non reciperent. Horat. *Serm. l.* 1. *Sat.* x. *v.* 5.

--- *Nam ſic*
Et Laberi *mimos, ut pulchra poëmata, mirer.*

Obiit Puteolis, Olymp. 184. Nic. Lloyd. Potiùs *Decius.* Admodum fuit dicax, ita ut nemini, ne quidem ipſi Cæſari in Mimis ſuis pepercerit; in quem ut & in Ciceronem ſcommata, extant apud Macrob. *Sat. l.* 2. *c.* 3. & 6. Hinc eſt, quòd Cic. *in Ep. ad Trebatium*, quæ habetur *l.* 7. *Ep. Fam.* ait, Si non augeat rem ſuam apud Cæſarem, ſatius eſſe, ut Romam revertatur, ne vacuus rediens rideatur à *Laberio* ac Valerio. Nihilominus illum tantopere amavit Cæſar, ut eum in ſuorum ludorum fine annulo aureo & quingentis ſeſtertiis donaverit, atque è veſtigio è ſcena per orcheſtram in quartumdecimum ordinem ad ſpectandum tranſmiſerit, ut referunt Suet. & Macrob. *in Sat. l.* 2. *c.* 7. *Ipſe, ut erat aſperæ libertatis Eques, ſe in ſcenam à Cæſare, ut ipſe Mimos ageret, quos ſcriptitabat, produci his verbis queſtus eſt:*

Ergo bis tricenis annis actis ſine nota.
Eques Romanus lare egreſſus meo,
Domum revertar mimus. nimirum hoc die
Uno plus vixi, mihi quàm vivendum fuit.

Scilicet, ait Prætor, *qui in ſcenam prodierit, infamis eſt.* In Mimis tandem victus eſt à P. Syro omnes provocante ac ſuperante: Utriuſque verſus hac de re habentur apud Macrob. præfat. ut ſuprà, & quidem *Laberii* ita ſonant:

Non poſſunt primi eſſe omnes omni in tempore.
Summum ad gradum cùm claritatis veneris;
Conſiſtes ægrè & quàm deſcendas, decides.
Cecidi ego, cadet qui ſequitur. laus eſt publica.

Obiit decimo menſe poſt C. Julii Cæſ. interitum, Anno 2. Olymp. 184. Hier. *in Chron.*

LABERIUS Durus, prænomine *Quintus*, tribunus militum in exercitu Julii Cæſ. ab eſſedariis in Britannia Interfectus. Cæſ. de *Bell. Gall. l.* 5. *c.* 5. *Labienus* eſt apud Oroſium & *in* 5. *Cod.* quàm recte, non pronuciare audet *Ciaccon.*

LABERIUS Maximus, notus ſub Hadr. Imp. inter Rom. Proceres, *ſuſpectus Imperio, in inſ. exulabat*, Spart. *in Hadr.* Vide quoque Plin. *l.* 10. *Ep.* 16.

LABERRIS, Aſturiæ in Hiſp. urbs. Ptol. *Pennaflor*, inter Legionem & Ovetum 11. leucis.

LABERUS, opp. Hiberniæ. Ptol. *Kil-lair* Camd. *Caſſil* Nigro. *Limerick* Ferrar. Opp. fuit Eblanorum Baudr. in Hibern. Nunc quid ſit, haud conſtat. Aliis enim eſt *Kildaer*, aliis *Killair* ſ. *Kellean*, in Media prov. ad amnem Bovindam.

LABICUM, Italiæ opp. cujus nomen quod attinet, cùm Græcorum β utramque Latinorum literam *b* & *v* valeat, promiſcuè per has ſcriptum id reperias apud diverſos, vel interdum etiam in iiſdem autoribus. Singul. num. juxtà cum Strab. habet Sil. Ital. *Pun. Bell. l.* 12. *v.* 534.

--- *Campos ingreſſus & arva* Labici.

Idem *l.* 5. *v.* 566.

--- *Veterem bellare* Labicum.

Sic vocat, quòd hoc temporis everſum minimeque ut Olim florens. Strabo *l.* 5. Τῷ παλαιῷ Λαβικῷ, κτίσματι κειμένῳ κατεσπασμένῳ. At eidem Silio, & reliquis Latinis autoribus pl. num. appellatur. *Habiles ad aratra Labici.* Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 796.

Et Sacranæ acies, & picti ſcuta Labici.

Oppidani *Labicani.* Mart. *l.* 1, *Epigr.* 89. cujus Epigraphe ad Alcimum, *v.* 2.

Labicana *levi ceſpite velat humus.*

Leander *Valmontonem* appellat, Cluv. verò *Zagarolhon* opp. magis ad Bor. Baudr. Hinc via *Lavicana*, quæ Româ Lavicum vulgò ducebat, nunc *Strada di Valmontone.* In Campania Rom. Lucæ tamen Holſten. Lavicum fuit, ubi nunc *la Colonna*, caſtrum Campaniæ in illo tractu, ſub Tuſculo.

LABIENI Caſtra, quæ Cæſ. de *Bell. Gall. l.* 5. *c.* 13. deſcribit, ubi nunc *Lobienſe monaſterium*, teſte Leodio, pagus Belgii in Hannonia: Nunc *Lobe*, ad Sabim fluv, prope opp. *Thuin*, vix mill. paſſ. & in conf. dit. Leodienſis. Ejus Abbas etiam Ep. olim fuit.

LABIENUS, Legatus Cæſaris, cujus ſtrenua ac fideli operâ toto bello Gallico uſus erat. Poſtea tamen initio belli civilis, à Cæſare deſcivit, ſeque Pompejo adjunxit. Diſceſſionis cauſam refert Dion *l.* 41. à quo tamen tempore nunquam felici fortuna uſus eſt. Periit in acie Mundenſi. Vide Cæſ. de *Bell. Gall. l.* 6. *c.* 3. *l.* 7. *c.* 6. & XI. Hirt. Lucan. *Civ. Bell. l.* 5. *v.* 346.

--- *Dux fortis in armis*
Cæſareis Labienus *erat, nunc transfuga vilis.*

Item alius, qui Brutum Caſſiumque ſectatus, auxilio ab Orode impetrato, Parthorum adverſùs Romanos Dux fuit, cum quibus urbes haud paucas occupavit; à Ventilio victus, à Demetrio Cæſaris liberto, quem Anton. Cypro præfecerat, captus Strabo *l.* 12. *p.* 574. & *l.* 14. *p.* 660. Dion *l.* 48. De omnibus vide Voſſ. de *Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 23.

T. LABIENUS, Hiſtoricus ac declamator, Aug. temporibus floruit. Suet. *in Calig. c.* 16. legi permiſſus, cùm anteà inter prohibitos eſſet: à *rabie Rabienus*, teſte Senecâ *l.* 5. *Contr.* appellatus.

LABINÆ, à labendo, Germ. *Lauvinen*, Gall. *Levantze*, vel *Valantze*, à valle dicuntur nivium immenſæ moles, à ſummis Alpium jugis decidentes. Cùm enim in his nives liqueſcunt, levi de cauſa conglomeratæ ex alto decidunt, quæ ubi propter volvi magnitudinem ſimul ſubſiſtere nequeunt, hinc inde diffunduntur, ita, ut quidquid fuerit obvium, ſecum abripiant & ad imos montium pedes deferant, villas vicoſque aliquando opprimentes, unico in hunc hoſtem remedio, ut muris ædes molibuſque muniantur. Dan. Eremita *in Deſcr. Alpium*, Stumpf. *l.* 9. Simler. *Comm. de Alp.* Guleeus *de Rhæt.* Sprecherus *Pall. Rhæt.* Hottingerus *Meth. leg. Hiſt. Helv. p.* 236. &c.

LABINETUS, Rex Aſſyriorum, cùm Babylon à Cyro caperetur. in acie cæſum: Hunc quidam putant Darium Medum veterum eſſe, alii illum à Cyro conſervatum, & Caramaniæ præpoſitum dicunt. Nic. Lloyd. Fil. fuit Nitocridis Reginæ (nuptæ priùs Nabuchodonoſoro II.) ex ſecundo marito Labyneto Babylonio, qui cum Syenneſi Cilice pacem conciliaverat inter Cyaxarem I. Medorum & Alyattem Lydorum Reges Occiſo Laboroſoardacho Rege throno potitus, Anno Regni 17. illo exutus, ac Carmaniæ præpoſitus, Babyloniorum Regum Dynaſtiæ fine impoſito Perſicæ locum fecit. Vide infrà *Nabannedus*: & Herod. præf. *l.* 1. *c.* 74. 77. & 181.

LABINIUS, Gall. Tog. fluv. inter Bononiam & Mutinam occurrens, à Bononia vix 8. mill. paſſ. apud quem Triumviratus inter Octavianum M. Antonium, & Lepidum firmatus eſt: circà prædia Servorum fratrum Bononiæ. Hodie *Lavino.*

LABISCO, Gall. Narb. urbs. *Ant.*

LABITH Horchia à Tyrrhenis & Scythis Veſta dicta eſt.

LABIUM, vide *Labra.*

LABLATUM, vide *Sciſſia.*

LABOCLA, Indiæ intrà Gangem urbs. *Ptol.*

LABOR, & exercitium, torpentem in nobis excitat calorem, eoque & ſpiritus reddit vegetos & alacres: atque, ut ventilatio paleas è tritico & ſpicas inanes flatu diſpellit. ita exercitatio quoque fugat noxios è corpore humores. Quâ ſimilitudine hoc ipſum illuſtrat Lucian. *de Gymnaſtica.* Atque idem Galen. indicat *l.* 1. Περὶ ὑγιεινῶν· Γυμνάσια δύναται τὰ περιττώματα λύειν καὶ διὰ τῶν πόρων ἐκκενοῦν, *Exercitationes poſſunt ſuperflua diſcutere & per meatus evacuare.* Imò Veget. autore *l.* 2. *c.* 3. *Rei militaris periti plus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

plus quotidiana armorum exercitia ad ſanitatem militum putârunt prodeſſe, quàm Medicos. Propterea & Socrates ſæpius, apud Diog. Laërt. ſaltitabat; gnarus, uti aquæ deſides putreſcunt, ita & corpora noſtra corrumpi otio atque ignaviâ. Quod egregiè Ovid. expreſſit, *de Ponto l.* 1. *Eleg.* 6. *v.* 5.

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus;
Ut capiant vitium, ni moveantur, aquæ?

Imò de ingenio ſic Idem, *Triſt. l.* 5. *Eleg.* 12. *v.* 21.

Adde quòd ingenium longâ rubigine læſum,
Torpet, & eſt multò, quàm fuit antè, minus.

Tantùm attendatur, quando quis exerceat, & quantopere, & ut poſt ſe componere debeat. Quorum primum ab Hippocrate didiſcimus *Epid. l.* 6. *ſ.* 4. *aph. ult.* Πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν, *Labores antecedant cibos.* De altero cavendum illud, ne immoderata ſint exercitia, quæ humidum radicale exſiccant, & ut Seneca ſcribit *de Ira l.* 3. *c.* 9. *conſumunt, quidquid in nobis mite placidumque eſt ac acria concitant.* Tertium quod ſpectat, exercitio laſſis videndum, ne aquis natent gelidis, uti Alex. Mag. apud Curt. *l.* 3. vel frigidam avidius hauriant, ut Pompeji exercitus, ad Cambyſem amnem, apud Dion. *l.* 37. Cùm autem plurima ſint bona moderati *Laboris*, nullum tamen in Diis apud Gentiles meruit locum, ne ille quidem palæſtricus. Sed palæſtritæ coluêre Mercurium, Herculem & Caſtorem, teſte Tertulliano *de Spectac. c.* 9. Hinc Ἑρμῆς Ἐναγώνιος Pindaro, *Pyth. Ode* 2. & Ἀγώνιος: *Iſthm. Ode* 1. *antiſtr.* 4. Imò Mercurio & Herculi, commune in ſtadio templum poſuêre Arcades, teſte Pauſ. *Arcad.* &c. Sed ut *Labor* ille non eſſet in Diis, quo fit, ut morbum effugiamus, aut robuſtiſimus, atque agiles; quos Gymnaſticæ fines facit Ariſt. *Polit. l.* 8. & Galen. *Hygiein. l.* 3. is tamen *Labor*, qui ſuſcipitur ad fugiendam famem egeſtatemque, relatus in Deos fuit; ſed à poëtis, nec niſi inter Numina infera: unde Maro collocat, ante Orci veſtibulum; ubi & Famem & Egeſtatem, & ferreos Eumenidum ſive Furiarum thalamos conſtituit. Contentionis fil. Noctis nepos dicitur Heſiodo, *Theogon. v.* 226.

Αὐτὰρ Ἔρις στυγερὴ τέκε μὲν Πόνον ἀλγινόεντα,
Sed peperit durum Contentio dira Laborem.

Ubi, cujuſmodi *Labor* intelligatur, indicat; quòd ei fratres tribuat Prælia, Cædes, Mendacium, Legum contemptum, Perjurium: ad cujuſmodi ſæpe adigi homines videas egeſtate & ærumnabilis laboris fugâ. At, quod meritò mireris, cùm, ut dictum, *Laboris* tam exigua haberetur cûra, Quies pro Dea habita eſt, ab ipſis Rom. cujus Fanum fuiſſe, in via Labicana, teſte Liv. *l.* 4. *c.* 41. diſcimus: *Cùm hæc agerentur, jam Conſul viâ Lavicanâ ad Fanum Quietis erat.* Quæ via à porta Eſquilina ſtadiis 120. h. e. 15. milliaribus ducebat Labicum, vet. opp. ſed jam Strabonis ætate dirutum: ut legere eſt apud eum *l.* 5. *p.* 238. Sanctus tamen Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 16. ait, Quietem Fanum habuiſſe, extrà portam Collinam. Atqui inter portam Exquilinam, quæ nunc vocatur *Divi Laurentii*, & Collinam, quæ dicitur *Salaria*, interjecta erat porta Viminalis, quæ nunc B. Agnetæ. Sed de his vide *ſuo loco* & plura hanc in rem, apud Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. & progr. Idol. l.* 1. *c.* 19. Sed & *Labor*, vexillum Eruditis quibuſdam eſt, memoratum Greg. Naz. *Orat. in Julian.* quod vim haberet ſolvendorum *laborum*, ſic appellatum. Et extat in *Codice* Theodoſ. *tit. de Præpoſitis laborum*, uti in omnibus *Codd. MSS.* legi, Viri docti obſervant, cùm alii reponant *Labarorum*, eoque verſus hoc Tertulliani *Carm. de Jona* referant,

Palpitat antenna ſtridens, Labor *horret ab alto*
Ipſa etiam infringi dubitans inflectitur arbor.

Certè, quod *Labarum* Ambroſ. *l.* 6. *Ep.* 29. Prud. *c. Symmach. l.* 1. *v.* 489. Alii, id *Laborum* vocant, Sozomen. *l.* 1. *c.* 4. Vett. *Gloſſæ*, apud Turneb. *Adverſ. l.* 15. *c.* 16. *Acta II.* Synodi Nicenæ, Aldhelmus *de Virginitate*, Alii. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.* in vocibus *Labarum* & *Labor*. Speciatim *Labor*, cælatura Artificum in argento. Juv. *l.* 3. *Sat.* 8. *v.* 103.

----- ----- ----- *nec non Polycleti*
Multus ubique labor, *raræ ſine Mentore menſæ.*

Mart. *l.* 4. *Epigr.* 39. *v.* 4. cujus Epigraphe ad Charinum.

Solus Phidiaci toreuma cœli,
Solus Mentoreos habes labores.

Idem, *l.* 8. *Epigr.* 51. initio cujus Epigraphe de Phiala Rufi.

Quis labor *in phiala? docti Myos, anne Myronis?*

Idem *Apoph. l.* 14. *Epigr.* 95. cujus Epigraphe phiala aurea cælata.

Quamvis Callaïco rubeam generoſa metallo,
Glorior arte magis: nam meus iſte labor.

Ubi *Labor* & manus & opus idem. Hinc *argentum in opere*, apud Trebellium, de argento facto: & *Argentarii*, qui argenti vaſa cælabant vel alio opere fabricabant, propriè *Laborioſi* vocati. Vet. Interpres Juv. *ad illud, l.* 3. *Sat.* 9. *v.* 145.

Sit mihi præterea curvus cælator *& alter,*
Qui multas facies pingit citò -----

i. e. *opifices*, inquit, *ſervi argentarii, laborioſi, anaglyfarii* &c. Salmaſ. *ad Lamprid. in Alex. Sev.*

LABORANTES, apud Ignatium *Ep.* 112. *ad Antioch. Saluto hypodiaconos, lectores, janitores,* laborantes, *exorciſtas*: iidem ſunt cum *Copiatis* & *Foſſariis*, de quibus dictum retro.

LABOREMUS, ſignum militare, quod Tribuno juſſit dari Sev. Imp. morti proximus, utpote vir vehemens, rebus agendis intentus & ſemper ſerius: cùm Pertinax, in Imperium adſcitus, dederit, *Militemus*, Vide Spartian. Paulò aliter Dion, Τὸ σύμπαν δ' ὡς ἐνεργὸς ἐγένετο, ὥστε καὶ ἀποψύχων ἀποφθέγξασθαι, ΑΓΕΤΕ, ΔΟΤΕ ΕΙ ΤΙ ΠΡΗΞΑΙ ΕΧΟΜΕΝ, *Cæterùm tam laborioſus erat, ut & animam jamjam exhalaturus dixerit,* AGITE DATE ALIQUID AGENDUM, Caſaub. *ad l.*

LABORIÆ, campi fertiliſſimi circà Capuam, Cales, Calenum, & Sinueſſam. Vide Plin. *l.* 17. *c.* 4. Vulgò *Terra di Lavoro*, quod nomen poſteà toti Campaniæ tributum eſt. Nunc *territorio di Gaudo Sanfelicio.*

LABORIS Terra, in Italia, dicta eſt Campania Felix, quòd agriculturæ ſ. *labori* peridonea ſit: quam appellationem haud adeò recentem arguit S. Martinus Pontif. Rom. *Ep. de exilio ſuo: Et pervenimus Kl. Junii Meſſanam, in qua erat navis, i. e. carcer; non autem Meſſanæ tantùm, ſed in* Terra Laboris: *& non tantùm in Terra Laboris quæ ſubdita eſt magnæ Urbi Romanorum, ſed & in plurimis Inſularum, in quibus ne nos tranſiſſemus, peccata impediêrunt, nullam compaſſionem adeptus ſum*, apud C. du Freſne in voce *Labor*. Vide quoque *Terra Laboris.*

LABORUM, Vide ſuprà *Labarum*, item *Labor.*

LABOSSARDACHUS, Babylonis Rex adhuc infans coronatus, cùm futuræ pravitatis indicia ederet, conſenſu Procerum Occiſus eſt, ſurrogato Evilmerodacho. Quidam illum, utpote brevis imperii, ſilentio prætereunt. Alii cum Balthaſare confundunt. Beroſ. apud Joſeph. *l.* 1. *c. App.* Torniel. A. M. 3498. &c. Beroſo Λαβοροσοάρχοδος, apud Joſeph. *c. Apion. l.* 1. Megaſtheni Λαβασσοάρασκος, apud *Euſeb. Præp. Evang. l.* 9. *c.* 41. fil. fuit Neriglisſaris ſ. Nericaſſolaſſari Regis de quo infrà, ac patri ſucceſſit, ſed per 9. tantùm menſes, qui proin quòd Annum integrum non compleverit, locum in *Canone Regum Babyl.* non invenit. Hic initâ conjuratione ab Amicis Regiis ſive Optimatibus Babyloniis ἀπετυμπανίσθη, ut ait Beroſus, h. e. ἀπηρέθη βιαίῳ μόρῳ, ut ait Megaſthenes, *morte violenta ſublatus*, Regnumque delatum eſt Nabannedo Babylonio, qui unus ex conjuratis fuit, nullo ſanguinis jure cum Laboroſoarchado conjunctus, utpote Babylonius, non Medus. Joh. Marsham. *Canone Chron. Sec. XVIII.* ubi de ſucceſſoribus *Nabuchodonoſoris II.* Vide & *Nabannedus.*

LABOTAS, fluv. circà Antiochiam Syriæ. Strabo *l.* 16. *p.* 751.

LABOTES, 4. Lacedæmoniorum Rex. Vide *Laobotas.*

LABOTH, in tribu Juda. *Hier. in loc. Hebr.*

LABRA, à quibus Plin. *l.* 11. *c.* 37. *Brocci, Labeones* (adde & *Chilones*) *dicti, & os probum duriuſve, animal generantibus: pro iis cornea & acuta volucribus roſtra*, Horum exporrectio cogitabundis vel admirabundis geſtus peculiaris eſt. Unde Satyricus de Mathematicis, Pers. *Sat.* 3. *v.* 82.

Atque exporrecto trutinantur verba labello.

Iiſdem digito impreſſo ſimulacrum erat fermè in omnibus Ægyptiorum templis, ubi colebantur Iſis & Serapis, quod Varro *Harpocratem* vocat *de Ling. Lat. l.* 3. ut hoc hieroglyphico homines moniti ſilentium tenerent, neque Iſidem Serapidemque homines fuiſſe, voce proderent, ut eidem viſum: hoc enim ſub capitis pœna vetitum erat. At *labia ſua aperiri*, Deum ſuum laudaturus, paſſim in Pſalmis ſuis, petit Regius Propheta. Inter inſtrumenta enim ſermonis *Labia* quoque, ut quæ vocem ultimò formant. Quòd enim de Petro quodam Brabanto narrat Turneb, eum, quoties volebat, toties ex ima corporis parte, *labiis immotis*, loquutum eſſe, ſ. arti exercitationique, ſ. Dæmonis impoſturæ, meritò tribuit Vierus *de Præſtigiis Dæmon. l.* 2. *c.* 12. Imò facundiæ hæc ſedes. Unde de Sponſo legimus Pſ. 45. *v.* 2. *infuſa eſt gratia labiis tuis.* Et de Sponſa Cantic. *c.* 4. *v.* 11. *Favum ſtillant labia tua ô ſponſa; mel & lac ſubſunt linguæ tuæ* Eſajas verò & *Labia* ſua attingi petit prunâ ab Altari ſumptâ, ab uno ex Seraphim, ut mandata Dei ad populum dignè eloqui poſſet, *c.* 6. *v.* 5. & *ſeqq.* Nec gratior Deo victima *juvencis labiorum*, Hoſ. *c.* 14. *v.* 2. &c. Quare & hæc tam nobilis oris pars, pro genio nationum, ornatu ſuo non caruit. Et quidem in *labro* inferiori, ab adoleſcentia perforato, grandes annulos gemmis fulgentes, viros Braſilienſes appendere, diſcimus ex Joh. de Läat. *Nov. Orb. Deſcr. l.* 12. *c.* 16. Viditque Petrus Martyr Regi Nagoaræ, aliiſque Principibus ſuſpenſam naſo lamellam auream, quæ ad ornatum *labia* tegebat. Etiam Aloyſ. Cadamuſtus *Tom. I.* in Prom. Zagro narium interfinium utrique ſexui annulo aureo trajectum, qui cibum ſumpturis demebatur. Cui affinis eſt circulus æneus, quem in *labio* habuiſſe Æthiopum quorundam mulieres, refert Strabo *l.* 15. *p.* 716. & *l.* 17. Vide quoque ſuprà *Fibula.* &c. Sed & in pœnam ignominiamque haud vulgàrem præciſa non ratò, uti hic paſſim videre eſt. In luctu verò & confuſione ea obvelarunt olim Hebræi Micæ *c.* 3. *v.* 7. *Ita erubeſcent iſti videntes & pudore ſuffundentur iſti divinatores: obvelabuntque myſtacem ſuum quotquot erunt: quia nulla erit exauditio Dei.* Quod extremitatem veſtis in caput attrahendo, facere illos conſueviſſe, docent D. Kimchi & Aben-eſra, Vide quoque Pitagium *ad Lev. c.* 14. *v.* 45. & Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior.* ubi de *labro ſuperiore* idem notat, ex Ezech. *c.* 24. *v.* 7. uti de *labiis ductandi*, h. e. irridendi, Vett. more, quod ἐπὶ τοῖς χείλεσι διασύρειν Græcis, A. Gell. *l.* 18. *c.* 4. ibique Oiſel. *Not.* & Salmaſ. *ad Trebell.* in *Gallienis*, nec non infrà *Mimoſa actio*; it. *Sanna*, de *labiorum motu* ſervis prohibito; de conſuetudine vett. Ægyptiorum & hodiernorum Turcarum *digitis labia compeſcendi*; Anglorum, *primoribus labris* oſculandi &c. *alibi.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LABRA, apud Epiphan. c. *Ariomanitas*, laudatum Dom. Macro, *Quæcunque Eccleſiæ Alexandrinæ ad Eccl. Catholicam pertinent, uni ſubſunt Archiep. ſpeciatim verò Presbyteri, ſive Seniores illis præfecti ſunt, propter neceſſitates Eccleſiaſticas habitantium ſuam Eccl. ac colentium regionumque circumſtantium vel paraciarum, quæ voce patriâ dicuntur* Labræ *ab iis, qui Alexandriam colunt*, idem cum *Laura* eſt, de qua voce Vide *infra*.

LABRADEUS, ſic Jupiter dictus eſt, qui in Caria colebatur. Vide Plin. *l.* 32. *c.* 2. & Cœl. Rhodig. *Antiq. Lect. l.* 6. *c.* 11.

LABRANDUS, vicus Cariæ. Steph. *Labrada Plin.*

LABRATUM, Vide infrà *Lauratum*.

LABRATUM Oſculum, dicebatur propriè, quo Impp. ſalutabantur, i. e. adorabantur, in *Gloſſ.* φίλημα βασιλικὸν, ἀσπασικὸν βασιλέως: à *labris*, quibus imprimebantur, ut loquitur Minuc. Felix *in Octav. Cæcilius ſimulacro Serapidis denotato, ut vulgus ſuperſtitioſus ſolet, manum ori admovens, oſculum labris impreſſit.* Nam is apud Vett. adorationis ritus erat. Plin. *in adorando dextram ad oſculum referimus.* Appulejus *in Apolog. Nulli Deo ad hoc ævi ſupplicavit: nullum templum frequentavit: ſi fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratiâ manum labris admovere* &c. Hinc itaque *Labratum oſculum* ejus, qui in adorando manum labris admovebat & oſculabatur. Sic Numina ſua olim, ſic Impp. ſuos, adorabant & Impp. imagines, haud minùs quàm Deorum ſimulacra. Sic, quibus ſacræ purpuræ adorandæ copia dabatur, manu ad os relatâ, ſolebant ſacram Principis purpuram contingere, capite demiſſo, quod moris erat in adorationibus. Hier. ad Ruffin. *Qui adorant, ſolent deoſculari manum, & capita ſummittere*: qua de re plura Lipſ. *in Electis*; ubi tamen in eo hallucinatur, quòd adorantes manum priùs porrigere, dein ſtatim ad os referre ſolitos, ſcribit. Contrà enim illi faciebant: Manum enim oſculari, deindè eam verſùs illum, quem adorabant, protendere conſuevêrunt, & hoc erat, quod dicebant, *Jacere Oſcula & baſia jactare*, Vide *ſuprà*. Quia igitur Imperatorum quoque imagines & ſacri vultus, qui populis inhiantibus inferebantur, ut Lex mox adducenda loquitur, ab omnibus adorabantur & hujuſcemodi *labratis oſculis* excipiebantur, *labrata* ipſamet ut dicerentur, invaluit. Hinc paſſim Græci Λάβρατα vocârunt Imagines Regias: uti Cod. *de publ. læt. nunt. l. un. Quid noſtrorum nuntiari cœperit proſperorum, ut bella ſi deſinunt, ſi oriuntur victoriæ, faſtis ſi honor datus fuerit regalium trabearum, compoſitæve pacis erit offerenda tranquillitas, ſi ſacros vultus inhiantibus fortè populis inferimus, hæc ſine immodico pretio nuntiari excipique ſancitum*; ubi *ſacros vultus*, i. e. ſacras imagines Impp. Græci Λάβρατα vertêrunt, Vide *Synopſin. Baſil. l.* 56. *ſub fin.* Ita Greg. Dial. *Ep.* 1. ad Leon. Iſaur. Διὰ τοῦτο καὶ τὰ λάβρατά σου καλεσδέξαντο καθὼς πρέπει βασιλεύοντι βασιλέας ἡμῶν. Et paulò pòſt, Τότε ῥίψαντες τὰ λάβρατά σου καταπάτησαν καὶ ἀνασκαφὴν τοῦ προσώπου σου ἐποίησαντο. Chronicon. Alex. Τούτῳ τῷ ἔτει ἐβασίλευσεν Ἀνθέμιος καὶ ἀπῆλθεν εἰς Ῥώμην, καὶ εἰσῆλθεν τὰ λάβρατα αὐτοῦ ἐν Κωνσταντινουπόλει διὰ Φερεντίου ἐπάρχου πόλεως &c. Undè poſteà factum, ut iidem Græci ad alia quoque ſimulacra & effigies vocem extenderent: Hermulaſque etiam, qui pro terminis erant, finiendis agris, Λάβρατα vocarent &c. Vidè Salmaſ. *ad Vopiſc. in Probo*; & infra *Lauratum*.

LABRIS, Arabiæ Fel. opp. *Ptol.*

LABRO, *nis*, portus Hetruriæ, aliis *Liburnus*: hodie *Livorno*. Plin. *l.* 3. *c.* 5. & 13.

LABRUM Æneum, poſt Altare æneum, in Atrio, Tabernaculum verſùs, divino juſſu, exſtructum, occurrit Exod. *c.* 30. *v.* 18. & *ſeqq.* ex quo aqua è duodecim ſiphonibus ſ. mammis promanabat, ut totidem Sacerdotes, ad ingreſſum Tabernaculi, unâ vice ex eo lavare poſſent. Quo exprimebatur animarum noſtrarum ablutio per Chriſtum, cujus ſanguis *nos ab omni peccato purificat*, 1. Joh. *c.* 1. *v.* 7. coll. cum Epheſ. *c.* 5 *v.* 26. Sed & Sacerdotibus ſacra non eſſe illotis manibus tractanda innuebat. Vide Andr. Rivet. *Exercit. in Exod. l. c.* Ejus loco poſtmodum Mare æneum, quod duodecim boves ex ære ſuſtinebant, in Templo, Salomon ſtruxit, cui & alia minora lavacra, victimarum abluendis carnibus, appoſita erant, 1. Reg. *c.* 7. *v.* 23. Vide infrà ubi de *Mari Æneo*: uti de *Labro è mulierum ſpeculis conflato*, infrà aliquid in voce *Zelotypa*.

LABRUM Titi, ſup. Sec. in Thermis ejus refoſſum, Vide infrà in voce *Miſchium*.

LABYRINTHUS, locus multis viarum ambagibus inflexus. Quatuor autem præcipuos fuiſſe Labyrinthos docet Plin. *l.* 5. *c.* 9. & *l.* 36 *c.* 13. Creticum à Dædalo factum Ægyptium Pſammetichi opus Lemnium columnarum nitore inſignem, ac Italicum à Porſena Hetruſcorum Rege, ſepulcri causâ extructum. Ægyptium Labyrinthum ſic P. Mela deſcribit. *l.* 1. *c.* 9. *Pſammetichi opus Labyrinthus, domos ter mille, & regias duodecim perpetuo parietis ambitu amplexus, marmore extructus, ac tectus, unum in ſe deſcenſum habet, intus penè innumerabiles vias, multis ambagibus, huc & illuc remeantibus, ſed continuo anfractu, & ſæpe revocatis porticibus ancipites. Quibus ſubinde alium ſuper alios orbem agentibus, & ſubinde tantum redeunte flexu, quantum proceſſerat, magno & inexplicabili errore perplexus eſt.* Multi quidem de hoc Ægyptio Labyrintho agunt, nemo tamen diligentiùs Plinio, qui illum *portentiſſimum humani impendii opus* appellat. Vide Voſſ. *ad P. Melam p.* 56. *Labyrinthum Creticum* ſic exprimit Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 588.

> *Ut quondam Creta fertur* Labyrinthus *in alta,*
> *Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque*
> *Mille viis habuiſſe dolum, quò ſigna ſequendi*
> *Falleret indeprenſus, & irremeabilis error.*

Ubi Serv. *Labyrinthus locus apud Cretam factus à Dædalo, perplexus parietibus, ubi Minotaurus incluſus eſt, ex Paſiphae, & tauro genitus.* Euſtath. Λαβύρινθος, σπήλαιον Κρητικὸν ὑπόγειόν τε καὶ πολυέλικτον. Suid. & Heſych. Κοχλιοειδὴς τόπος dicitur. Apud Suid. adagii ſpecie dicitur *Labyrinthus*, de re difficili & inextricabili. Hinc *Labyrintheus*. Catull. *Carm.* 64. *v.* 114.

> *Nec* Labyrintheis *è flexibus egredientem*
> *Tecti fruſtraretur & inobſervabilis error.*

Nic. Lloyd. Strabo *l.* 10. *p.* 477. Ad ejus imitationem, Theſeum, devicto Minotauro, ſaltationem inſtituiſſe, legimus, de qua ſic Scalig. *poët. l.* 1. *c.* 18. *Eam Theſeus, cum ſociis redux, in patria luſit, circùm aram Deliam. Plures erant ſimul, verùm certis ordinibus: utrinque à capitibus lecti Duces verſus certos inter ſe ſibimet implicabant. Qualem ludum Trojam divinus deſcripſit poëta: non ſine ſumma eruditione appoſitâ Labyrinthi comparatione. Alluſit enim ad hanc Theſei ſaltationem, fatali illo pudore, ſine fuco atque oſtentatione ---- Eam Theſeus* γέρανον *vocavit, cum ob aciem, tum propter commutationem, certis legibus ſervatam* &c.

LABYZOS, gummi eſt & aroma, ipſâ myrrhâ odoratius, & pretioſius, è quo, ut & è myrrha, confectum unguentum faſciæ ſuæ regali ſ. diademati addidiſſe Perſarum olim Reges, diſerte ex Athen. *l.* 12. Vide Cœl. Rhodig. *Antiq. Lect. l.* 18. C. Paſchal. *Coron. l.* 9. *c.* 4. & ſuprà ubi de *Diademate*.

LAC Caprinum, non magni ſolum in Medicina uſûs, Vide inter alia infrà *Præſides*; ſed & apud quoſdam populos in quotidianis cibis eſt. Hinc Salomon Proverb. *c.* 27. *v.* 27. *Et ſufficiet lac caprarum ad cibum tuum & in cibis domûs tuæ & in victum ancillarum tuarum.* Et Hier. *in Jovinian. l.* 2. *c.* 4. *Eſto bos ad arandum, ad ſedendum equus, canis ad ſervandum; capræ ad lac, oves ad lanitia condita ſint.* Sic Galen. περὶ Εὐχυμ. Αἰγείῳ μὲν ἐν γάλακτι πλείστῳ χρῶνται παρ' ἡμῖν, ὥσπερ ἐν ἄλλοις ἔθνεσι βοείῳ. *Caprino lacte apud nos* (in victu quotidiano) *multùm utuntur, ut bubulo apud alios populos.* Et Varro *de Re Ruſt. l.* 2. *c.* 11. *Eſt omnium rerum, quas cibi causâ capimus, liquentium* (lac) *maximè alibile & id ovillum, inde caprinum.* Ubi in alimentis, quæ ex rebus liquidis conſtant, primas ovillo dat lacti, caprino ſolùm ſecundas: ſed præter Medicorum mentem, Vide Dioſcorid. *l.* 2. Galen. *l. c.* Paul. Æginet. qui muliebri lacti primas, caprino ſecundas, aſinino ovilloque tertias, ultimas tandem vaccino, tribuit; Ætium *in Tetrabiblo* 1. *Serm.* 2. *c.* 87. Alios. Quam ob cauſam ſummus Deorum, Jupiter, aut Cretæ Regulus verius, circà Abrahami tempora, *capræ lacte* nutritus fertur; quam capram in cœlum Aſtronomi tranſtulêrunt, *Amalthæam* vocitantes, quod ex Phœnicio *amantha*, & Hebræo אמנת, i. e. *nutrix*, Ruth. *c.* 4. *v.* 6. deflexum. Sed addit Galen. ubi ſuprà, *non tutò lac caprarum abſque melle offerri*; quod nec vetuſtiſſimos illos mortalium latuit, qui Jovi proin duas nutrices, & præter Amalthæam, quæ lac caprinum; Meliſſam quoque, quæ mel illi ſubminiſtraret, aſſignârunt, Lactant. *de Falſa Relig. l.* 1. *c.* 22. Unde Callimach. *Hymno in Jovem*,

> ---- σὺ δ' ἐθήσαο πίονα μαζὸν
> Αἰγὸς Ἀμαλθείης, ἐπὶ δὲ γλυκὺ κηρίον ἔβρως.
> ---- *Tu autem ſuxiſti pingue uber*
> *Capræ Amalthææ, & inſuper dulcem favum comediſti.*

Nec deſunt è Vett. qui quoſlibet infantes primo melle, dein lacte, nutritos fuiſſe, teſtentur, Vide *Ep.* Barnabæ *cum Notis* Voſſ. Paulum περὶ ἀποδόσεως. Alios. Itaque in χυτριδίῳ ſ. ollula, ſpongia melle plena infanti ſugenda offerebatur. Quò pertinent hæc Ariſtoph. *in Acharn. Act.* 2. *Sc.* 4. *v.* 62.

> Δός μοι χυτρίδιον σφογγίῳ βεβυσμένον
> *Unam offertam ſpongiolam mellis ollulam.*

Ad quæ verba Scholiaſtes Ὅτι χύτραν φέρουσιν, ἐν ᾗ σπόγγος πεπληρωμένος μέλιτος καὶ τιθέασιν ἐν τῷ στόματι τῶν παιδίων. *Ollulam ferunt, in qua ſpongia melle plena, quam infantum* oſculo *admovent.* Itaque etiam Eſaj. *c.* 7. *v.* 15. *mel* infanti *præſcribitur cum lacte.* Et in Baptiſmo Veterum, ſcribit Hier. *adv. Luciferianos c.* 4. è Lavacro egreſſos, *lactis & mellis prægustare concordiam, ad infantiæ ſignificationem*: Quomodo Tertullian. *De Cor. Mil. c.* 3. *Dehinc ter mergitamur ---- Inde ſuſcepti lactis & mellis concordiam prægustamus*, Vide Bochart. *Hieroz. Parte prior. L. II. c.* 51. &, ſi placet, *c.* 45. ubi, butyrum etiam exprimi ex ovillo & caprino lacte, ignorâſſe Galen. oſtendit. *Lactis* autem *coagula* primum Ariſtæum tradidiſſe mortalibus, habes apud Juſtin. *l.* 13. *c.* 7. Ut & alia quædam addam, Inferiis additum olim *Lac* & vinum, ſ. πηγὰς γάλακτος, ut ait Sophocles, legimus apud Sil. Ital. *Punic. Bell. l.* 16. *v.* 308.

> *Ipſe tenens nunc* lacte *ſacro, nunc plena Lyæo*
> *Pocula, odoriferis aſpergit floribus aras.*

Unde & in eliciendis Manibus eodem, inter alia, utebantur. Serv. ad *Æn. l.* 3. illud, *v.* 66. & *ſeqq.*

> *Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte,*
> *Sanguinis & ſacri pateras, animamque ſepulcro*
> *Condimus.* ----

Ideo, inquit, *lactis & ſanguinis mentio facta eſt, quia affirmantur animæ ſanguine & lacte delectari ---- Bene animam Lacte & Sanguine ad tumulum dicit elicitam. Lacte namque corpus nutritur poſt animæ conjunctionem. Et anima ſine ſanguine nunquam eſt.* Et quidem, *Lac novum.* Idem iterum ibid. *l.* 5 *v.* 77.

Hic

Hic duo ritè mero libans carcheſia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo ſanguine ſacro.

Sed & terra, fimus, ſanguis. *lac* mixta à Kyrkeſſorum Sacerdotibus, quoties ſacris operarentur in voce *Kyrkeſſi*. De hædos in *lacte* matris coquendi ratione, hujuſque uſu idololatrico magicoque, ad frugum ubertatem procurandam, vide ſuprà in voce *Hædi*. Nec prætereundum, quod in ſacris Bonæ Deæ *Lactis* nomine vinum, quod in vaſe *Mellaria* dicto inferebatur, ſolitum fuerit appellari ut infrà videbimus, ubi de hoc vaſe, item in voce *Vinum*. Aliàs in communi uſu, ſiti levandæ, uti loquitur. Stat *Theb. l.* 2. *v.* 84.

---- lacte novo domuiſſe cruorem,

Memorantur Scythæ, Maſſagetæ, Sarmatæ, Concani, alii immanes populi. Vide Barth. *ad l. c.* De *Lactis Aſinini*, ſanitate uſu, vide Virum Cl. *ad Juſtinum l.* 13. *c.* 5. ad luxuriam, uſu, ſic Plin. *l.* 11. *c.* 42. *Conferre aliquid & candori in mulierum cute exiſtimatur. Poppæa certè Domitii Neronis conjux, quingentas ſecum per omnia trahens fœtas, balnearum etiam ſolio totum corpus illo lacte macerabat, extendi quoque cutem credens* &c. Apud eund. habes plura ibid. ut & *c.* 39. & 40. ubi *ac animalium mammis* varia. Vide quoque ubi de Galactite lap. *Galactophagis*, *Galatia*, & infrà, in voce *Lactarii*. Addam ſaltem, *lac auferendi animantibus lactiferis* nequitiam inter veneficii ſpecies, occurrere, cujus mentio inter alia fit *in Additam* 2. *Lud. Imp. c.* 48.

LACANITIS, regio Ciliciæ. *Ptol.*

LACCA, Rabbi Jonæ exponitur vox Hebr. ארגמן *argaman*, *color*, eſt inquit *qui lacca dicitur*. Ubi *laccam Arabum* intelligi veriſimile eſt, de qua Serapion, *Lacca eſt gummi arboris, quæ naſcitur in Arabia, ſimilis myrrhæ, habens odorem bonum, & adminiſtratur in ſuffimigiis, & tinguntur ex ea panni rubei coloris* &c. Nam aliud eſt *Lacca Talmudicorum*, in *Cholin. p.* 28. autem res factitia ex ſanguine, furfure &c. qua coria rubefaciunt alutarii. Aliud item recentis Græciæ λάκχα, quæ vett. fuit *anchuſa*, cujuſque radicem adhibebant mulieres, ad genas purpuriſſandas, ſeplaſtarii ad unguenta coloranda, infectores ad lanam præparandam, ut purpuram facilius admitteret & ſervaret tenacius: anchuſa enim purpuræ concolor eſt, hic ...... dicta, item Ἀλκιβιάδιον, in *Auctario* Dioſcoridis: eò quòd in Alcibiade accuſabant θηλύτητας ἐσθήτων ἁλουργῶν, *muliebrem purpurearum veſtium mollitiem*, ut in Plutarcho habetur. Sed & in Dioſcoride, nonnulli λάκχα vocant, quam vocem inter cætera τὴν θαλασσίαν πορφύραν, *marinam purpuram*, ſignificare, Heſych. autor eſt. Quod ipſum ſonat *anchuſæ* nomen: quæ ἄγχουσα, quaſi ἄνθουσα (ſicut ὄρνιχες pro ὄρνιθες) dicta eſt, à purpuræ lumine & *flore*, qui Græci ἄνθος vocatur. Aliud denique eſt *Lacca* Luſitanorum rubra tranſlucida, ad lanarum infectuтas potiſſimum expetita, quàm alatæ formicæ in India, in vaſtæ arboris ramis, eo ferè modo conficiunt, quo apes ceram & mel. Quibus tamen omnibus *laccæ* ſpeciebus id commune eſt, quòd rubræ ſunt vel purpureæ & vel in fucis, vel in corii vel in veſtium tincturis, adhibitæ. Sam Bochart. *Hieroz. Parte poſt. l.* 5. *c.* 14. *ubi de marinæ purpuræ duobus generibus.* Vide quoque Salmaſ. *ad Solin. fusè de Lacca agentem. p.* 1149. & *ſeqq.* qui idem ex λάκη vel λάκκη, vocem Lat. *Lacernam* ortam eſſe, docet *ad Lamprid. in Antonino Heliogabalo*; quo de veſtis genere pluribus agit paſſim *Not. ad Hiſt. Aug. illos Scriptores.* Vide hic infrà. De *Laccæ* verò ultimò memorato genere, quam *gomme Laque* Galli vocant, ut aliquid adjiciam, maxima ejus copia è Peruvia venit, & Maſulipatani diſtrahitur. Venit illius aliquid è Bengalæ quoque ultra Gangem Regno, ſed hæc domi carior eſt, utpote quam incolæ, ad pingendas tingendaſque telas ſuas omnes pretioſa illa purpura, adhibent. Hollandi nihilominus inde in Perſiam afferunt, eundem in uſum. Quod illius, poſt colorem ex illa expreſſum, reſtat, exornandis toreumatis eorum, quibus maximopere delectantur, & ceræ ſignatoriæ faciendæ inſervit, admixto alio, quem libuerit, colore. Vilioris pretii eſt, quæ è Peguano Regno advehitur, eo quòd formicis, gummi hoc in terra acervatim ibi congerentibus, ad dolii nonnunquam magnitudinem, non parum arenæ ſordiumque illi adhæreſcat: cùm contrà in Bengala myricarum ramos eo circumdent, undè purius illud longe limpidiuſque eſt. Quam in rem Vide plura apud Joh. Bapt. Tavernier *tract. Gall. cui tit. Obſervations ſur le Commerce des Indes Orientales.* In epulò magnifico, quo Mariam Mediceam Galliæ Reginam hoc Sec. Amſtelodami excepit Societas Indiæ Or. inter alia viſûs oblectamenta, etiam *gummi-laccam & apum laborem ceram*, memorat Caſp. Barlæus *in ſua Medicea.*

LACCI, Marmaricæ palus. *Ptol.*

LACCINI, Octavæ regionis in Italia pop. *Plin. l.* 3. *c.* 21.

LACCOBARDI, Germaniæ pop. *Ptol.*

LACCOBRICA, Hiſp. urbs. Ptol. *Lagos* Vaſæo. Eſt autem in Luſitania, quæ & *Lacobriga*, verſùs mer. in Algarbia, ſatis munita, cum arce & portu, verſùs Sinum Gaditanum. 5. leuc. Hiſp. à Sacro prom in Ort. totidem à Sylvenſi urbe in Circ. 10. à Pharo in Occ. Dicta à Lacu & Briga, i. e. urbe. *Feſt.*

LACCOPLUTI, cognominati ſunt poſteri Calliæ Athenienſis, qui *Laccoplutus* dictus fuit, quòd is repentè ditatus eſſet theſauro in campis Marathoniis ſubter terram invento. Λάκκους enim Græci *loca ſubterranea* vocant. Vide *Suid.*

LACEDÆMON, Semeles an Taijgetæ ex Jove fil. ductâ Sparte, Eurotæ filiâ Lelegis pronepte, Spartam Moyſis tempore ſ. Lacedæmoniorum civitatem condidit. Comeſtor *in c.* 10. *Exod.* Ejus fil. Amyclas fuit, filia, Acriſii Argivorum Regis uxor Eurydice, Vide ſuprà *Amyclas.*

LACEDÆMON, hodiè *Miſitra*, clariſſima olim Peloponneſi totius urbs, primò *Lelegia*, à Lelege primo Rege, qui Cecropis & Erichthonii tempore vixit: dein ab hujus Succeſſore Lacedæmon, tandem à Regina Sparta, hujus ex Europa filia vel à Spartò, fil. Phoronei, Argivi Regis primo fundatore, *Sparta* dicta, Lycurgi olim legibus optimè inſtituta. Vide Nic. Crag. *de Rep. Lacedæmoniorum.* Sine mœnibus primitus per aliquot 100. An. Poſteà Epiſcopal. ſub Archiep Corinthio: Dein ipſa Metropolis: Nunc parva; ſub Turcis. 120. mill. ab Athenis in Auſtr. 30. à Megalopoli in Ort. Populi *Lacedæmonii*, apud quos furtum non modò permiſſum, ſed & commendatum ſcribit A. Gell. *l.* 1. *c.* 21. Notandum hoc loco, quòd pleræque gentes furtum probàrunt, & gloriæ loco duxérunt, quod alioquin ignominiæ eſt. Plutarch. *in Mario*, de Hiſpanis ait, fuiſſe apud illos Ἀπὸ δόξαν κάλλιστον. Idem in vita Pompeji de ipſis Romanis, qui χρήμασι δυνατοὶ, καὶ γένεσι λαμπροὶ, ſeſe piratis adjunxiſſe, Ὡς καὶ δόξαν ἔχοντα καὶ φιλοτιμίαν τὸ ἔργον φέροντος. Herod. de Scythis *l.* 4 *c.* 146. Ζῶσι δ' ἀπὸ λῃστείας τε καὶ πολέμου. Ubi ſicut bellum glorioſum, ita & raptus. Ovid. *de Getis, Triſt. l.* 5. *Eleg.* x. *v.* 16.

Qui niſi de rapto vivere turpe putant.

Thucyd. *l.* 1. *p.* 7. de In continente degentibus, marique vicinis; nec non Inſularibus, Προσπίπτοντες πόλεσιν ἀτειχίστοις, καὶ κατὰ κώμας οἰκουμέναις ἥρπαζον (Scholiaſtes ἐλῄστευον) οὐκ ἔχοντές πω αἰσχύνην τούτου τοῦ ἔργου, φέροντος δέ τι καὶ δόξης μᾶλλον. Nic. Llovd. Hodieque Græcè loquuntur, licèt haud juxtà Grammaticos Canones, *Zaconum* i. e. Laconum nomine noti. Vide in voce *Græci*. Dicuntur etiam *Lacedæmones*, qui juventutem laboribus ac duritiâ optimè erudiebant. Horat. *Carm. l.* 1. *Ode* 7. *v.* x.

Me nec tam patiens Lacedæmon.

Inde *Severa Lacedæmon*, Cic. 2. *de LL.* vide Lambin. *ad Horat. loc. præd.* Item *Lacedæmon*, Cypri urbs mediterranea. Steph. Strab. *l.* 8. *p.* 367.

LACEDÆMONIUM Regnum, incepit ſub Lelege A. M. 2570. cum Sthenelus Argis imperaret. De quo, ejuſque ſucceſſoribus, uſque ad Tiſamenem, fil. Oreſtis, 13. & ultimum Regem ab Heraclidis pulſum, A. M. 2951. loquitur Pauſ. *in Lacon.* Hinc Heraclidarum, qui & Euryſthenidæ & Agidæ dicti, ſecunda Dynaſtia initium ſumpſit, gemellis fratribus Procle & Euryſthene, filiis Ariſtodemi ex Argia, poſt Tiſamenem & Penthilum fil. Oreſtis exturbatos, regno potitis. Hi capita geminæ familiæ Regiæ: quarum una *Euryſthenidarum ſ. Agidarum*, celebrior, 31. Reges ad Ageſipolim III. numeravit: altera *Proclidarum* vel *Eurypontidarum*, 24. tantùm Reges habuit. Joh. Marſham. epocham Lacedæmoniorum ponit Anno Attico 67. ex Marmore Arundell. ubi *regnante Athenis Amphictyone in Laconica regnari* cœpiſſe dicitur, quod de Eurota, atque genero ejus Lacedæmone intelligendum judicat. Vide eum *Can. Chron. Sec. IX.* Ante Lycurgi tempora, Lacedæmonii barbari, ignoti, obſcurique degebant: Primus ab illo ſplendor affulſit, qui tutor nepotis, ex fratre Polydecte, Charilli, regnum ei, donec adoleſceret, conſervavit: potentiâ tamen Regum non parum imminutâ frænoque plebi impoſito, Senatum inſtituit, ex 32. viris, inter quos & Reges, quorum æqualis potentiâ, conſtantem. His proponere, quidquid crederent bono publico inſerviturum: Cœtus quoque diſſolvere, interim nihil, abſque populi conſenſu, concludere licebat. Theopompus Rex *Ephoros* creavit, qui quaſi Tribuni Pl. apud Rom. Regum Senatuſque æquilibrium tuerentur, ruinâ Meſſeniorum & Argivorum, ubi Reges nimium pollebant, monitus. Virgines in hac Repub. iiſdem cum Juvenibus exercitiis applicitæ, ſtatis temporibus, in panegyri totius gentis, nudæ cum his ſaltabant, cantantes odas, quibus vel vituperati, qui malè egiſſent, vel encomiis ornari, qui virtutibus illa meruiſſent. Uxores ducturi, obſcuram jubebantur ingredi domum, ubi quiſque primam ex puellis ibi aſſervatis, quæ contigiſſet, pro uxore porro habere cogebatur, unde Lyſander notam meruit, quòd deformem nactus illam dimiſerit, pulchriore ductâ. Juventus ſolicitè educabatur, ſervis inebriatis, quò illorum ineptiis viſis ab omni intemperantia liberi abſtinerent. Magiſtratus, Seneſque honorare, luctæ equiſque regendis vacare, ſolicitè juſſi: Sales argutos, & breviloquium didicêrunt: libertatis & dominandi adeò cupidi, ut incredibiles propterea labores ex facili tolerarent, belloque cuicunque glorioſum finem imponerent. Raptis quibuſdam Spartianis virginibus, & occiſo illas repetente Telecle Rege cum Meſſeniis per Annos 20. bellum geſſerunt, à capta Amphia, uſque ad Itones ruinam, An. 1. Olymp. 14. Quo Euphaëo, Meſſeniorum Rege occiſo, Ariſtodemus ejus ſucceſſor, Lacedæmonios tantâ ſtrage affecit, ut filias uxoreſque cuivis obvio proſtituere coacti fuerint. Unde *Parthenii* prodiêrunt, qui trigeſimo pòſt Anno, Phalanto Duce, Tarentum in Italia occupârunt. Bello reſtaurato, Tyrtæi poetæ ductu, ſuperiores, 14. pòſt Annis, arce hoſtium in monte Ira captâ, illos in fugam conjecêrunt: Reliquas eorum res geſtas, apud Thermopylas, contra Perſas, bello item Peloponneſiacò, quod An. 27. integros duravit, donec Athenæ à Lyſandro, A. 350. U. C. captæ, Hiſtorici ſummis laudibus evehunt. A Thebanis, ad Leuctra, victi Cleombrotum Regem amiſerunt, ſua defendere ſatis in poſterum habentes. A. 383. U. C. Nihilominus triennio pòſt 10000. Arcadum, ne uno quidem amiſſo, ſtravêrunt. Aliis dein bellis impliciti, ſub Dario Cretam occupârunt, ab Alex. Mag. Ducibus victi, reſtitêrunt tamen, donec Nabis tyrannus ſuperfuit. Philopœmenes tandem Sparta potitus, muros diruit legeſque Lycurgi abolevit: Hinc Romanorum poteſtati ſubjecti, poſt varias viciſſitudines, nunc Turcici jugi aſperitatem experiuntur. Strabo

l. 8.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

l. 8. *p.* 367. Thucyd. Xenoph. Diod. Sic. Juſtin. Athen. Plutarch. &c. Vide *Lacedæmon* & *Sparta*. P. *Mela l.* 2. *c.* 3.

LACEDÆMONIUS, Cimonis ex Clitoria fil. geminus, ita à Patre amore Lacedæmoniorum vocatus.

LACER, dicitur Aſconio *Verr.* 2. *amputatus à corpore ſenſuum membris, h. e. auribus oculiſve.* Et quidem quos è medio ſuſtuliſſent olim, eos hoc modo *lacerare*, Græcè ἀκρωτηριάζειν, ne à manibus illorum infeſtarentur, ſolebant. Harpocration, Οἱ λυμαινόμενοί τινας εἰώθασι περικόπτειν αὐτῶν τὰ ἄκρα. Quem truncandi morem pleniſſimè exponit Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 494. & *ſeqq.*

Atque hic Priamidem, laniatum *crudeliter ora:*
Ora, manuſque ambas, populataque tempora raptis
Auribus & truncas inhoneſto vulnere nares.

Nec Romanis inuſitatum, docet Quintilian. *Declam.* 12. *Laceros video manes & truncas partibus ſuis umbras.* Vide Joh. Meurſ. *Comm. in illud Lycophronis*,

Λωβᾶσιν αἰκισθέντας ----

& ſuprà, ubi de *Cædem luſtrandi ritu.* Sed nec occiſis ſolùm id faciebant, verùm &, quod atrox omnino, vivos nonnunquam, quos inuſitato ſupplicii genere volebant affectos, *lacerare* ſolebant. Juſtin. *l.* 11. *Inter hæc DCCC. admodum Græci occurrunt Alexandro, qui pœnam captivitatis truncatâ corporum parte tulerant.* Crudelius illud, quod Beſſum, reclinatis duabus arboribus Alex. juſſu alligatum, ut ad naturalem ſtatum valido cum impetu redeunte utraque, ille in diverſa diſcerperetur, tradit Plutarch. *in Alex. c.* 48. Quo mortis genere noxios afficiebant Derbices, Metium Suffetium Tullus Romanorum Rex militem adulterum Aurelianus Imp. niſi quòd Suffetius non *arboribus*, ſed *quadrigis* illigatus eſt; quemadmodum *equis* apud Gallos hodie ſolent læſæ Majeſtatis rei, & *triremibus*, qui ſimile quid commiſêrunt, apud Tunquinenſes, alioſque Orientis populos. Idem porrò ſupplicii genus in ſanctos Chriſti martyres, in Thebaide Ægypti reg. exercitum, habes apud Euſeb. *Hiſt. Eccl. l.* 7. *c.* 8. Græcis id *Diſphendonem* (meliùs) *Diaſphendonem*, unde διασφενδονώμενοι apud Plutarch. *in Alex.*) vocari *à duplici fundæ excuſſione*, notat Sabellicus *Exempl.* 8. 4. Neque verò ad ſupplicium ſolùm, ſed & ad quæſtionem *Laceratio* adhibita. Arnob. *adv. Gentes l.* 1. *Vos ipſi ---- exuitis nos bonis ---- irrogatis ſupplicia capitalia, torquetis, dilaceratis* &c. nempe flagellis & ungulis. Item ἑλκοθμοῖς τῶν θηρίων. Quandoque enim Sanctos Chriſti teſtes tyranni beſtiis admovendos, *lacerandos* ac diſtrahendos dabant, ut vel hac ratione terrorem iis incuterent; & ad Dominum ſuum fidemque negandam adigerent, uti docet Deſid. Herald. *Animadverſ. Arnob. l.* 1. Plura hanc in rem Vide apud Popmam, Raderum & Freinsbemium *Not. in Curt. l.* 7. *c.* 5. *n.* 40. C. Barthium *ad Stat. Tom. III. p.* 277. nec non hic ubi de *Diſſipandi, Mutilandi, Truncandique reos ratione*, item in voce *Sectio*, & *Ungula*, quod poſtremum ſupplicii genus Seneca ſimpliciter *lacerare* vocat, *lacerationem l.* 4. *Cod. Theodoſ. de numer.* &c.

LACERANDI Veſtes, in luctu ritus, apud omnes ferè gentes, Hebræos inprimis, in uſu fuit: undè Sacerdos Maximus cui neminem lugere permiſſum erat, prohibetur *caput ſuum retegere & veſtimenta ſua diſcindere*, Lev. *c.* 21. *v.* 10. quaſi duobus his ritibus tota lugendi cerimonia abſolveretur. Cur Legi Cajaphas non paruit, qui, innocentiſſimi Agni confeſſione auditâ, διέῤῥηξε τὰ ἱμάτια, *veſtes diſcidit.* Matth. *c.* 26. *v.* 65. Talmudici tamen Doctores non omni *laceratione veſtium* Pontificibus Vet. Teſt. interdictum contendunt, ſed ea tantùm, quæ populo in uſu erat: quem à ſuperiori parte deorſum illas ſcindere ſolitum ajunt; cùm Pontificibus interiorem ſaltem illorum partem, fimbriam viz. peniculamentaque adſuta, lacerare licitum fuiſſe velint, uti adnotat Cunæus *de Rep. Hebr. l.* 2. *c.* 3. Hebræos ſequutæ aliæ gentes in omni graviore incommodo, idem faciebant, ut paſſim legimus. At Aug. Dictaturam ſibi à populo oblatam, non *laceratâ* quidem; ſed planè *dejectâ ab humeris togâ, nudo pectore deprecatus eſt*, apud Suet. in eo *c.* 52. &c. Vide quoque ſuprà *Corona*, infrà in voce *Lacertus*, item ubi de *Lugendi Ritibus*, nec non in voce *Luctus*. Sed & mulieri ſuſpectæ apud Hebræos, *laceratæ* in Judicio veſtes Vide infrà *Zelotypia*: etiam initiati in Eleuſiniis ſacris, veſtem, poſtquam uſu detrita eſſet, Cereri & Proſerpinæ ex lege conſecratum, priuſquam ſuſpenderent, *lacerabant* eas ſcindebantque, ne quis in ſuum uſum illas poſſet convertere ut videbimus, infrà in voce *Veſtis*. De militibus, qui cùm defectionem molirentur, ab Impp. ſuis, *lacerabant* vexilla, Vide ubi de Vett. *Vexillis*.

LACERIA, urbs Magneſiæ & Italiæ. Steph. Vide *Luceria*.

LACERNA, cujus ſerus admodum, nec niſi extremis Reip. temporibus, proin ignotus ac probroſus etiam ætate Cic. apud Romanos, uſus, paulatim dein bella Triumvirorum civilia, quum toga deponi cœpiſſet, in ejus locum ſucceſſit: Prius autem veſtimentum militare tantùm fuit, quod chlamys dicebatur, Græcis Μανδύας, Χλαμὺς & Ἐφεστρίς. Fuit amiculum virile ſive pallium laneum, apertum, quod ipſi quandoque togæ, & hac depoſitâ, fermè loco ipſius togæ injiciebatur tunicæ, nectebaturque fibulâ vel in humero, vel ad pectus, nativo ipſius lanæ colore, cùm togæ injiciebatur, aut variâ infecturâ. Et quemadmodum Græcanico pallio brevior atque anguſtior fuit, ita poſtquam à militia in urbanum habitum conceſſit, laxior ipsâ chlamyde longiorque confici cœpta eſt. Sumebatur autem arcendi frigoris, imo & pluviæ, cùm nondum pænulæ in urbem receptæ eſſent, causâ, conficiebatque leviter ex craſſiori lana, colore nullo apud pauperes vel rufo &c. Ulterius fuêre Lacernæ gauſapinæ fermè, i. e. ex una tantùm parte villoſæ, quarum meminit Mart. *l.* 6. *Epigr.* 59. cujus Epigraphe in Baccaram.

Et dolet, & queritur ſibi non contingere frigus,
Propter ſexcentas Baccara gauſapinas.
Optat & obſcuras luces, ventoſque, niveſque,
Odit & hibernos, ſi tepuêre, dies.
Quid fecêre mali noſtræ tibi, ſæva, lacernæ,
Tollere de ſcapulis quas levis aura poteſt.
Quantò ſimplicius, quantò eſt humanius iſtud,
Menſe vel Auguſto ſumere gauſapinas?

E quibus colligitur, præter id lacernarum genus, de quo retro, fuiſſe quoque leviores alias, ac tenuiores, æſtate geſtatas, ſuperbi ac improbi coloris. Unde in Criſpinum vernam Ægyptium *Juv. Sat.* 1. *l.* 1. *v.* 27. & 62. *Sat.* 4. *l.* 1. *v.* 24. qui Tyrias i. e. dibaphas geſtavit, eaſque pluries in die mutavit. Porro cucullus ſimul cum lacerna ſumebatur, unde lacerna pro cucullo & capitis tegumento uſurpatur apud Horat.

Turpis adoratum caput obſcurante lacernâ, *&c.*

Plura de hoc veſtis genere, vide apud Octav. Ferrar. *de Re veſtiaria, l.* 2. *parte* 2. Etymon vocis, ex Salmaſ. vidimus ſuprà in voce *Lacca*. Ex fruſtis milioribus malarum *lacernarum* viliſſima pilea Romanos confeciſſe, docet Stat. *l.* 4. *Sylv.* 9. *v.* 24. & *ſeqq.*

----- *Uſque adeò ne defuêrunt*
Cæſis pilea ſuta de lacernis?
Vel mantilia &c.

Et Mart. *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 132. cujus Epigraphe Pileus.

Si poſſem, totas cuperem miſiſſe lacernas:
Nunc tantùm capiti munera mitto tuo.

Quorum uterque de muneribus agit, quæ Saturnalium tempore amicis ſolebant mitti. Vide Joh. Brodæum *Miſcell. l.* 10. *c.* 36. Incendebant autem *Lacernarum* pretia Inſtitores Rom. cùm nubilus eſſet Virgiliarum occaſus, quod pluvioſam inde hyemem augurarentur uti infrà dicemus, ubi de ſidere hoc: ſin is ſerenus, æſtimatio reliquarum veſtium, utpote aſperiore hyeme futurâ, recreſcebat &c. Hinc *Lacerati*, qui hoc veſtis genere uſi: quales recentiori ævo non militantes ſolùm, ſed Senatores quoque & Equites paſſim fuêre, quorum omnium commune tum veſtimentum *lacerna* vel *chlamys*. Gratianus, Valentinianus & Theodoſius AAA. primi Senatores intra urbem chlamydi uti vetuêrunt, I. Codicis Theodoſ. de habitu, quo uti oportet infrà urbem &c. Vide iterum Salmaſ. *Not. ad Alex. Lamprid.*

LACERTA, an à *lacerando*, an quòd pedes habet *lacertis* humani brachii ſimiles, Græcè σαῦρα, notum reptile eſt, hominis amicitiâ, & antipathiâ ſerpentis, unde & ὀφιομάχος accepit nomen. Sed & *lacertæ inimiciſſimum genus cochleis*, ut ait Plin. *l.* 8. *c.* 39. Ubi eas *ſemeſtrem vitam* negat *excedere*, & *in Arabia cubitales, in Indiæ verò Nyſa monte* XXIV. *in longitudine pedum, colore fulvas, aut puniceas, aut cœruleas*, reperiri addit. Lingua illis bifida & piloſa, apud eund. *l.* 10. *c.* 36. memoria nulla, ut idem alibi refert, qui & de uſu earum Medico, Magicove varia. *Sauræ* certè in *Erotopægnio* Lælii apud Apulejum *Apolog.* inter alia philtra memorantur, & multum eorum in hiſce veneficiis fuiſſe olim uſum, oſtendit Φαρμακεύτρια Theocriti, unde tritas in potu dari ſolitas patet.

Σαύραν τοι τρίψασα κακὸν ποτὸν αὔριον οἰσῶ.

Vide infrà in voce *Saura*: ubi de *Saurite* gemma, *quam in ventre viridis lacerti harundine diſſecti tradunt inveniri*, Plin. *l.* 37. *c.* 10. & de *lacerta* ſuccino incluſa, infrà in voce *Succinum*. Sed & piſcis viliſſimi genus hoc nomine occurrit apud Mart. *l.* 7. *Epigr.* 77. cujus Epigraphe in Papilum.

Cùm Saxetani ponatur cauda lacerti,
Et bene ſi cœnas, conchis inuncta tibi eſt.

Idem *l.* x. *Epigr.* 48. *v.* 11. ubi ipſe poëta convivium parat,

Secta coronabunt rutatos *ova* lacertos &c.

ad quæ loca Vide Schrevel. qui Belg. *een Hagediſſe* hunc piſcem appellari addit.

LACERTUS, inferior brachii pars nervoſa, & muſculoſa, ἀγκὼν propriè, ut os inter humerum & lacertum, *brachium*, à *lacere* dictus, quòd ad lacerandum habilis ſit. Unde hos vel præcipuè, in luctu, palmis pugniſque verberavêre olim Vett. uti obſervat Caſp. Barth. *ad Claud. de Raptu Proſerp. l.* 2. *Carm.* 35. *v.* 248.

----- *planctuque* Lacertos
Verberat & queſtus ad nubila rumpit inanes.

Imo & *laceravêre*. Stat. *l.* 2. *Sylv.* 6. *v.* 83.

----- *Non ſæpius atros*
Nigrâſſet planctu genitrix tibi ſæva lacertos.

Quem morem in Judaicis quoque mulieribus notat B. Hier. in Jerem. *l.* 3. *c.* 16. *Mos hic fuit apud Vett. & uſque hodiè in quibuſdam permanet Judæorum, ut in luctibus incidant* lacertos

lacertos *& calvitium ſaciant, quod etiam Hiob feciſſe legimus.* Vide quoque infrà, ubi de Vett. *Planctu.* Alia fuit ratio eos cruentandi in ſacris Baaliticis, quorum in Hiſtoria Regum mentio; item in Phrygiis ſacris, qui in honorem Cybeles ſiebant, de qua vide hîc paſſim, ubi de *Cybele, Gallis Sacerdotibus, Sanguinis die* &c. Quia verò, *Lacerti* nodoſi robuſtique ad virile robur adeo neceſſarii, vide Franc. Jun. *Comm. de Pictura Vett. l.* 3. ut ſolo hoc nomine vires non rarò intelligantur, nervis omnibus contentis, validæ; quemadmodum *Hercules* hinc *lacertoſus*, in *Priapeis Carm.* 36. & de Æſchine Quintilian. *l.* 10. *c.* 1. *Carnis plus habet* (Demoſthenes) *lacertorum minus:* Eam ob cauſam iis ſertâ quoque circumdediſſe Vett. notat Farnab. *ad Thyeſtem Senecæ Act.* 5. *v.* 945.

> *Quis me prohibet flore recenti*
> *Vincire comam?*

Imò gemmas margaritaſque in *lacertis* Indorum Reges olim habuiſſe, legimus apud Curt. *l.* 9. *v.* 1. ſicut alii in eadem gente nobiliores opulentioreſque aurum, *l.* 8. *c.* 9. Apud Horat. verò *Carm. l.* 1. *Ode* 9. *v.* 23. Idem.

> *Pignuſque direptum lacertis,*

Bartholino eſt armilla ſponſalitia pignoris loco à proco circumdota, quali Juniam Fadillam ſibi deſponſavit Maximinus junior, apud Jul. Capitolin. Vide eum *l. de Vett. Armillis*, & ſuprà in voce *Brachium.*

LACETANI, pop. Hiſp. verſùs Secorim fluv. à Pyrenæis montibus, ad Rubricatum & Ebrum uſque protenſi, inter Ilergetes ad Occ. & Ceretanos atque Auſetanos ad Ort. ubi nunc pars Ep. Ilerdenſis, & pars Cataloniæ novæ. Sanſon. *Briet.* Plin. *l.* 3. *c.* 3.

LACHARES, in XII. Africani Dynaſtia Dioſpolitanorum Regum, ex Manethone, Seſoſtris ſucceſſor, *Labyrinthum ſibi ſepulcrum paravit*, teſte Syncello: *in Nomo Arſinoite*, poſtea dicto. *Quod portentoſiſſimum ingenii humani opus durat etiam nunc*, ait Plin. *in Ægypto* —— *quod factum eſt ante Annos* (*ut tradunt* 3600. *à Peteſuco ſive Tithoë. Quanquam Herod. totum opus Regum* ** *eſſe dicit, noviſſimaque Pſammetichi. Cauſam faciendi variè interpretantur. Demoteles, regiam Motherudis fuiſſe; Lyſias, ſepulcrum Mœſidis; plures Soli ſacrum id exſtructum; quod maximè creditur.* Sequitur ibidem ædificii mirandi deſcriptio, *l.* 36. *c.* 13. Ob quam verò ſententiarum diſcrepantiam, de conditore non liquet: & Rham ſ. Seſoſtri ſucceſſiſſe, dicemus infrà: opus tamen florentiſſimis hiſce Ægyptiorum temporibus optimè convenit. Joh. Marſham. *Canone Chron. Sec.* XV. Cæterùm Lachares Africani, Euſebio *Labaris*, Diod. Sic *Mendes* ſ. *Marrus* dicitur. Idem *ibid.*

LACHARES, Athenienſium Dominatum occupavit, cùm civili diſcordia Remp. conflictari perſpexiſſet. Vide Polyæn. *l.* 4. *in Demetrio, com.* 5. Item *l.* 6. *in Apollodoro, com.* 2.

LACHARES, Athenienſis, ter ab hoſtibus interceptus, Athenis, Thebis & denique Seſti: iter aſtutè illuſis hoſtibus evaſit. Vide Polyæn. *l.* 3.

LACHARES, Mithridatis fil. Boſpori Rex, à Lucullo in amicitiam receptus, A. U. C. 685.

LACHARES, Sophiſta Athenienſis. diſcip. Heracleonis, fil. patris cogn. Floruit ſub Martiano & Leone Impp. Autor *Hiſt. ſecundùm Cornutum. Suid.*

LACHES, Athenienſium Dux, à civibus ſuis miſſus, ad impediendos Thebanorum conatus. Diod. Sic. *l.* 15.

LACHES, cum navibus miſſus Dux, ab Athenienſibus, ut Leontinis, quos Siculi opprimebant, auxilium ferret. Fuit verò hic *Laches* fil. Melanopi. Vide Ariſtoph. Schol. *in Veſp.* 446. *A.* 1. & Thucyd. *l.* 3. *p.* 232.

LACHESIS, una Parcarum, colum vitæ tenens, nente Clotho. *Sors* Latinis, ἀπὸ τοῦ λαγχάνειν. Lil Girald. Heſiod. *in Theog.* Juv. *l.* 1. *Sat.* 3. *v.* 27.

> *Dum ſupereſt* Lacheſi *quod torqueat.*

LACHIS, civ. in tertia parte tribûs Judæ. Joſ. *c.* 10. *v.* 3. & *c.* 15. *v.* 39. 1. Reg. *c.* 18. *v.* 14. 2. Par. *c.* 11. *v.* 9. *Bellena* Brochardo, inter Jechtel & Baſcath, ubi exercitus Sennacheribi, ab Angelo, cæſus eſt.

LACHRYMÆ, quantopere morientibus olim exoptatæ fuerint, diximus ſuprà, ubi de Mortuos *Deflendi ritu*, item in voce *Inflere.* Teſtatur idem Mart. ſub perſona Urbici pueri, *l.* 7. *Epigr.* 96.

> *Quid ſpecies, quid lingua mihi, quid profuit ætas?*
> *Da* lacrymas *tumulo, qui legis iſta, meo.*

Hinc illæ tam ubertim fuſæ, ut *fontem* vocet ſ. πίδακα poëta Calaber,

> —— τῆς δ' ἀθρόα δάκρυ' ἀπ' ὄσσων
> Πίδακος ὣς ἐχέοντο.

Et Corippus *l.* 3.

> *Funduntur* lacrymæ *ritu nivis, imbre madebant*
> *Cunctorum veſtes, proprioque in fonte natabant*
> *Manantes oculi, veſteſque ſinuſque rigabant.*

Nec propinquorum ſufficiebant, ſed Præficæ conſtitutæ, quæ ſubſidiariam præſtarent operam, ut infrà dicemus in hac voce. Imò nec fundi in præſens ſatis erat, ſed excipiebantur vaſis huic rei deſtinatis, quæ unà cum defuncto in tumulo condebantur, *Lacrymatoria* inde dicta. Cujuſmodi è ſepulcris eruta conſpiciuntur paſſim, & haud pridem Româ variis eorum illatis celebre ſuum Muſeum locupletavit Juriſconſultus & Antiquarius inſignis noſtras Seb. Feſchius. Reperiuntur autem in eodem tumulo *lacrymatoria* varia, nec capacitatis unius, unde quod magnitudine cætera præſtat, principis Præficæ, quam ἔξαρχον γόοιο poëta vocat fuiſſe veriſimile eſt, vide Herald. *Adverſ. l.* 1. *c.* 9. & infrà voce *Præfica.* &c. Simile quid de ſe Regius Propheta, ſed aliorſum planè ſpectans, Pſ. 56. *v.* 9. *Tu* (Deus) *vagationes meas in numerato habes: pone quamque* lacrymam *meam in utre tuo; an non eſſent in numerato tibi?* Ubi de lacrymis loquitur, *quas præcurſores emendatioris vitæ & præteritorum malorum dolorem*, Chriſtiano ſanè Scholio vocat vet. interpres Stat. *ad Theb. l.* 11. *v.* 108.

> —— *cætu fertur jam ſolus ab omni*
> Flere *ſibi.*

ubi vide quoque *Animadverſ.* Caſp. Barthii. Porrò *lacrymas aris* invergere, quoties in calamitatibus verſarentur, conſuevêre Gentiles. Hinc Stat. modò laudatus *l.* 5. *Sylv.* 1. *v.* 162.

> —— *nunc auxius omnibus aris*
> Illacrymat ——

Propert. *l.* 1. *Eleg.* 4. *v.* 23.

> *Nullas illa ſuis contemnit* fletibus *aras,*

Idem *l.* 4. *Eleg.* 4. *v.* 46.

> —— Lacrymis *ſpargitur ara meis* &c.

Nempe nil Numini gratius *ſpiritu fracto, animo fracto & contrito*, quæ verba ſunt Pſ. 51. auditione aliquâ etiam Gentiles accepiſſe alicundè videntur &c. Cæterùm *de Lacrymis idolorum* apud Gentiles, ſolenni prodigio vide Polyb. & Gruter. *ad Thyeſtem Senecæ Act.* 4. *v.* 702.

> —— Flevit *in templis Ebur*

de *Lacrymis* vero in genere ſic Plin. *l.* 11. *c.* 39. *Profecto in oculis animus inhabitat* ---- *Hinc illa miſericordiæ lacrymæ* —— *Hinc fletus & rigantes ora rivi. Quis ille humor eſt, in dolore tam fæcundus & paratus.* & quæ *ſeqq.*

LACIA, vel LACIADÆ, vicus in Oeneide tribu. Steph. Pop. *Laciades.* Hi abundabant raphanis, quibus utebantur in deprehenſos in adulterio, ludibrii causâ. Suid. & Eraſm. *in Chil.*

LACIACUM, opp. Norici, Ant. Cluv. *Gmund.* opp. Auſtriæ ſup. ad lacum cogn. ſ. *Traunzee* dictum, in conf. Bavariæ, 5. mill. Germ. à Lintio in Auſtr. uti 8. à Paſſavia.

LACIBAS, Hiſp. Bæticæ opp. *Ptol.*

LACIBURGIUM, opp. Germ. in Pomerania apud oſtium Oderæ fluv. *Lazenitz* Wiſlichio: A Stettino, urbe prim. 3. leuc. in Bor.

LACIDAS, Philoſophus, fil. Alex. Cyrenæus: Autor, poſt Arceſilaum prædeceſſorem, novæ Acad. Maturè ſtudiis applicitus, licèt non magnæ rei, gratiâ tamen pollebat, & comiter cum hominibus converſatus eſt. In horto, ab Attalo donato, qui Lacidianus dictus, docuit, Obiit An. 4. Olymp. 34. poſtquam docuiſſet An. 26. Telecles & Euander ei ſucceſſêrunt. Diog. Laërt. *in vitis l.* 4.

LACINA Suevorum aut Sueonum Rex, in *Hiſt.* Francorum *Tom.* 3. *l.* 345.

LACINA Via, qui titulus eſt 34. *Pacti L. Salicæ*; obſtaculum eſt via ſ. itineris; unde *lacinam viam facere*, in antiqq. *LL.* Longobard. i. e. impedire viam & eunti moram facere, Græcè ὁδοστατεῖν. Eſt autem *lacina*, idem quod *lacinia*, Gr. κράσπεδον, ex Græco prototypo λακῶ, quod eſt *in pannulos & fruſta diſcindo.* Cujuſmodi togæ partem capiti injiciendo vett. Rom. ſeſe tegebant, pilei, nondum apud illos uſus. Iidem *laciniam* motitando, favoris olim ſignum in Circenſibus dedêrunt; vide ſuprà *Favere.* Sed & *laciniam* veſtis leniter tangebant olim, qui aliquem honoratum compellare volebant, reſpectum ejus hoc modo ſolicitantes. *Summos amictus laceſſere* vocat Stat. *l.* 2. *Sylv.* 1. *v.* 196.

> —— *timidè primùm veſtigia jungit*
> *Acceſſu tacito, ſummoſque laceſſit amictus.*

Ἕλκειν χιτῶνα, Muſæus ubi de Leandro. Vide Caſp. Barth. *ad Claud. in Ruſin. l.* 2. *Carm.* 5. *v.* 381.

> —— *graviterque apprensâ veſte morantem*
> *Increpat Auguſtum.*

& *Adverſar. l.* 36. *c.* 9. Apud Vett. porrò aratrum qui tenebat, cum novum condendum eſſet opp. *laciniam* togæ rejiciebat in humerum dextrum ſeſeque ungebat, more ſacris operantium, uti infrà dicemus, in voce *Opp.* Hodie apud Moſcos, ſponſus veſtimenta ſui laxioris *laciniam*, in ſponſam ad pedes ſuos proſtratam conjicit, ut protegendi ſuſtinendique uxorem officium ſibi curæ fore hoc ſymbolo indigitet, ut infrà videbimus ubi de *Nuptialibus moribus.* At Hebræi in Luctu lacerabant, ut ſuprà vidimus: Etiam apud Rom. toga abſciſcis *laciniis* deformis inter militares fuit pœnas, vide infrà in voce *Togati.* Hinc *Lacinioſa veſtis*, ὀδοστατοῦσα & *lacinioſa ſarcina* Valerio, non expeditæ, non ſuccinctæ. Et quia Peloponneſus *laciniatim* finibus adluitur quamplurimis, qui multis eam locis incurrunt & laciniant ſcinduntque: hæc ratio fecit, ut *Sinus Craſpedites* vocaretur, de quo Plin. & Græci. Sic *in laciniis aſſignari*, dicuntur agri, apud Autorem *de Coloniis*, qui non per univerſitatem, ſed viritim per portiunculas, aſſignantur, &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 141.

LACINIENSES, Liburnorum pop. Plin. *l.* 3. *c.* 21. Athen. *l.* 10. *p.* 438.

LACINIUM Prom. Magnæ Græciæ. Crotoni urbi fini-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

timum, à *Lacinio* latrone, quem Hercules interfecit. Brutiorum erat, ubi nunc pars Bor. Calabriæ ulter. 6. mill. à Crotone in Mer. vix 80. à. Japygio prom. in Auſtr. 56. à Cocyntho prom. in Bor. 125. ab ora Corcyræ in Occ. 600. ferè à Mari Tyrrh. in Ort. *Capo delle Colonne* Leandro, ab extantibus columnis templi Junonis. Nam ibi templum erat Laciniæ Junoniæ ſuperbiſſimum, ipsâ urbe Crotone nobilius, Liv. *l.* 27. *c.* 27. Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 701.

> *Italiam tenuit: præterque* Lacinia *templa*
> *Nobilitata Dea.* ———

Dionyſ. *de ſitu Orbis v.* 371.

> Ἔνθα κεν αὐτὸν ἴδοιο Λακινιάδος δόμον Ἥρης.

Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 551.

> *Hinc ſinus Herculei, ſi vera eſt fama, Tarenti*
> *Cernitur, attollit ſe diva* Lacinia *contrà.*

Strabo *l.* 6. *p.* 261. & 281. Λακινίου Ἥρας ἱερὸν πλούσιόν ποτε ὑπάρξαν, καὶ πολλῶν ἀναθημάτων μεστόν. Liv. *l.* 23. *c.* 33. *Nobile templum* Lacinium *Junonis, ſanctum omnibus circa populis.* Nic. Lloyd. Plin. *l.* 3. *c.* 5. & 10. P. Mela *l.* 2. *c.* 4.

LACIPEA, urbs Hiſp. 20. mill. paſſ. ab Emerita versùs Cæſar-Auguſtam. *Anton.*

LACIPO, Hiſp. Bæticæ civ. Ptol. Vide *Obulco*. Plin. *l.* 3. *c.* 1. P. Mela *l.* 2. *c.* 5.

LACISTHENES, Lacedæmonius, Phocenſium Dux, conflixit cum Bœotis non procul Auſcâ, urbe Locridis, infauſto prælio. Diod. Sic. *l.* 14.

LACIUS, & Antiphemus fratres. Steph. in Γέλα, quorum is Phaſelidem in Pamphylia, hic Gelam in Sicilia, condidit, Anno 4. Olymp. 25. ex Euſebio, *n.* 1340. Joh. Marsham. *Canone Chron. Sec.* XVII. ubi *de Græcorum Coloniis* agens, Lacium hunc *Lindium* agnominat.

LACMON, prom. Pindi montis, ex quo Inachus fluv. manat. Steph. Æam quoque inde oriri Strabo refert. Herod. *l.* 9. *c.* 92.

LACO, altero nomine *Cornelius*, ignaviſſimus, teſte Tac. mortalium, ſub Galba Prætoriarum cohortium Præfectus. Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 6. 13. 26. & 33. Cæſis Galbâ ac Piſone, tanquam in inſ. ſeponeretur, ab Evocato, quem ad cædem ejus Otho præmiſerat, confoſſus. *Ibid. c.* 46.

LACOBRIGA, urbs Luſitaniæ, versùs Mer. in Algarbia, ſatis munita, cum arce & portu verſùs ſinum Gaditanum, 5. leuc. Hiſp. à Sacro prom. in Ort. totidem à Sylvenſi urbe in Circium, 10. à Pharo in Occ. 32. ab Ulyſſipone in Mer. Nomen habet à *Lacu* & *Brigo*, i. e. urbe, teſte Feſto. Vulgò *Lagos*. Pop. *Langobritæ*. Plutarch. vide *Laccobrica*. Plin. *l.* 3. *c.* 3. P. Mela *l.* 3. *c.* 1,

LACOBRIGI, pop. Germ. ſupra Rauracos, Helvetiis ad Sept. vicini, *das Clackgow*. Vide *Latobrigi*.

LACONICA, mel. *Laconia*, quæ & *Lacedæmon*, règ. Peloponneſi in ora Auſtrali. Strabo *l.* 8. *p.* 335. & 366. Plin. *l.* 9. *c.* 37. Olim *Oebalia*, *Lelegia*, &c. Ibi Sparta, Leuctrum, Epidaurum, Tænarum, &c. Urbes. Cingitur à Mer. Laconico ſinu, *Golfo di Caſtel Rampani*, & partim Meſſeniaco; ab Ortu Argolico ſinu, à Sept. Argiâ, ab Occ. Arcadiâ & Meſſeniâ. Nunc ſimul cum Arcadia uno nomine dicitur *Tzaconia*, ſub Turcis, à 2. Seculis. Pop. *Lacones*, qui claves inveniſſe dicuntur. Et quia in rebus agendis Lunam obſervabant, non enim niſi in plenilunio pugnabant, ex Lycurgi inſtituto, hinc *Luna Laconica* prov. in promiſſa fruſtrantes. *Laconicus tithymallus*, in lippientes. Item, *Laconica cœna*, apud Athen. *l.* 2. *Poculum Laconicum*, apud Critiam, in frugales. Apud eos marmor viride ac pretioſum, apud Tænarum. Hinc *Lacænus* Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 487.

> ——— *Virginibus bacchata* Lacænis,
> *Taygeta.* ———

Et Λάκαινα κόρη apud Theogn. Nic. Lloyd. Hinc quoque *Laconicus ſinus*, *Golfo di Colochina* Caſtaldo, *di Caſtal Rampani* Baudr. in ora Laconiæ. P. Mela *l.* 2. *c.* 3.

LACONICÆ Claves, cum tribus erant dentibus, cùm communes, i. e. βαλανάγραι, unico tantùm præditæ eſſent, qui in βάλανον infigebatur, ad eam extrahendam; adeoque fraudibus minus erant obnoxiæ: unde quiritantur mulieres apud Ariſtoph. Θεσμοφοριαζ. uſum *Laconicarum* clavium, quas viri tum geſtarent, multum ſibi & furtis ſuis incommodare,

> ——— οἱ γὰρ ἄνδρες ἤδη κλειδία
> Φοροῦσι κρυπτὰ καὶ κακοηθέστατα
> Λακωνίκ' ἄττα τρεῖς ἔχοντα γομφίους.

Dentibus his ſimilem eſſe ſtellarum diſpoſitionem, in Aſteriſmo Caſſiopeæ, Aratus habet, quem ſic vertit Germanicus:

> *Qualis ſerratos obicit clavicula dentes,*
> *Succutit & foribus praducti vincula clauſtri.*
> *Talis diſpoſita eſt ſtellis, ipſa horrida vultu.*

Avien. verò.

> *Lux hebes eſt matri; Sic qualem Caria quondam*
> *Noverat intrantem per clauſtra tenacia clavem,*
> *Formatur ſtellis diſtantibus.*

Ubi eandem clavem *Caricam* vocat, quòd Laconicis clavibus etiam Cares uterentur. Uti autem communis clavis unâ tantùm virgâ ferreâ conſtabat, quæ in balanum injecta eam è clauſtro ſurſum trahebat; ita in *Laconica* quibuſdam velut duæ claves erant ſeſe invicem decuſſantes, in formam crucis, unde & διακλὶς hæc clavis dicta &c. Porro antiquæ claves breviſſimæ erant, nihilque præter annulum, quo tenebantur, habebant & dentes, qui inibant clauſtrum; *Laconicæ* inprimis, quæ, quòd totæ intra clauſtrum immerſæ laterent, κρυπταὶ propterea, i. e. *occultæ*, quoque dictæ ſunt: ſimiles quodammodo illis, quibus hodie Carthuſianorum familiæ in ſuis Monaſterii conclavibus utuntur, quas & *Carthuſianas* proin quidam appellant. Nempe ſcapum Salmaſ. videntur habuiſſe rectum & supernè tranſverſariam virgulam, in tres dentes diviſam, cujuſmodi claves, inſertæ clauſtro & ſurſum cum impetu levatæ, ſuccutiebant repagula ac dejiciebant, quod ἀνακρούειν & ἀνασπάσειν Græci dicunt; non verò circumagebantur intrà repagula. Cum verò claves communes, quibus portæ urbium claudebantur, ut ex Æneæ *Tacticis* conſtat, & *Januæ*, h. e. primores & in publicum exeuntes ædium fores, βάλανον è ſera lignea trahebant: *Laconicæ* artificii ſolertioris, quibus conclavia & thalami œcique ac cætera interiorum ædium membra occludebantur, repagula ferrea ac brevia, μοχλία σιδηρᾶ Græcis & ὀχῆας, removebant; à quibus poſtmodum reliqua omnia clavium genera & artes formæque diverſæ ſunt productæ &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 928. & *ſeqq.* At cùm multum difficile non eſſet, etiam ſine clavi reſerare eas fores, quæ clavibus talibus ἀνακρουστικαῖς aperiebantur; facto enim digitulo ferreo triobolari poterant ſubaperiri fores, ut apud eund. Comic. mulieres addunt, longè ſubtilioris ac magis artificis ſolertiæ claves poſtmodum iidem Lacones invenêre, Euripide autore, qui σφραγίδια θριπήδεστα, *ſignacula ligni corroſi figurâ impreſſâ*, foribus docuit appendere uti in *verſibus ſeqq.* apud eund. poëtam habes &c. *Ibid.* Vide & hîc paſſim.

LACONICUM, veſtimenti genus, memoratum Plaut. *Epid. Act.* 2. *Sc.* 2. *v.* 50. ubi muliebris luxûs cenſuram ſenex agit.

> *Cani quoque etiam ademptum eſt nomen.* EP. *Qui? P. vocant* Laconicum.

Nam cum aliqui canes *Lacones* & *Laconici* dicerentur, ea vox ad veſtes tranſiit, quæ *Laconicæ* dictæ, Octav. Ferrar. *de Re Veſt. Part.* 1. *l.* 3. *c.* 20. Item ſub. hypocauſtum, Gr. Λακωνικὸν, Columellæ dictum, quòd eo Lacones præcipuè uterentur. Prima balneatorum cella, in qua ſicco calore ſudorem provocabant: quam *ſudationem aſſam* vocat Celſus. Anglicè *A ſtovv, hot-houſe or dry-bain.* Vide quoque ſuprà *Calidarium*. Ex orbiculari feneſtra iſtiuſmodi fornicis *Laconici*, catenæ appenſus erat clypeus æreus, per cujus deductionem ac reductionem, nunc augebatur, nunc minuebatur, calor, uti docet Vitruv. *In Laconico* tamen Piſano, quod integrum adhuc è maximis thermis ad portam, quâ Lucam itur, ſpectatur & de quo Robortellus libellum edidit, non, ut in cæteris, orbicularis feneſtra, in fornicis medio ſpectatur, ſed multilatera & aliæ multæ circum quadrilateræ alterâ parte longiores, quas pendente è media clypeo ſpeculari lapide aut velo, aliave materiâ, quæ lucem tranſmittit, claudi conſueviſſe, ne vapor ſtatim efflueret, credit Magius *l. de Tintinnab. c.* 3. ubi refutat eos, qui illud Mart. *Apoph. l.* 14. *Epigr.* 163. cujus epigraphe Tintinnabulum.

> *Redde pilam; ſonat æs thermarum: ludere pergis?*
> *Virgine vis ſolâ lotus abire domum:*

de hoc clypeo explicant: contenditque intelligi hîc tintinnabulum thermarum, quod procul etiam audiri & percipi poterat, ut non ſolùm, qui pila exercerentur & in thermas conveniſſent, ſed & qui à thermis longè abeſſent, convocarentur lavatum: Ex Cic. teſtimonio, qui *in Tuſcul. ſimulatque increpuiſſet*, inquit, *Romanos relictis Philoſophis & Præceptoribus unctum* (nam qui laviſſent, ungebantur) *ire ſolitos.* De *Laconico poëmate*, quale illud circumfertur.

> Ἄγετ' ὦ Σπάρτας ἔνοπλοι κοῦροι.

Vide Scalig. *poët. l.* 2. *c.* 36. *De Laconica purpura nobiliſſima Europæ*, Plin. *l.* 9. *c.* 36. & Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. Theb. l.* 9. *v.* 690. &c.

> *Ipſe bis Oebalio ſaturatam murice pallam,*
> *Lucenteſque auro tunicas.*

LACONIMURGI, Plin. *l.* 3. *c.* 1. *Laconimurgum* Ptol. Vettonum oppid. in Luſitania. *Lamego* Moletio. Baudr. ubi nunc fortè *Colmenar*, caſtr. Extremaduræ Caſtellanæ, verſùs Carpetanos montes.

LACRATES, à Thebanis, mille armatis Artaxerxi Ocho contra Ægyptios auxilio miſſis, Dux datus. Diod. Sic. *l.* 16.

LACRATIDES, antiquus Archon Athenis, qui imperavit temporibus Darii, quibus & maximæ extitêrunt nives ac ſæviſſima hyems, omniaque frigore coagulata fuêrunt, ut nemo prodire potuerit, quare omnia frigida *Lacratida* vocârunt. Vide Scholia in Ariſtoph. *Acharn. p.* 382.

LACRIASSUS, Armen. min. urbs. *Ptol.*

LACRINES, vir Lacedæmonius miſſus ad Cyprum. Herod. *l.* 1. *c.* 152.

LACRINGES, pop. memorati Jul. Capitolino *in Marco Anton. Philoſ. Gentes omnes ab Illyrici limite uſque Galliam conſpiravêrunt, ut Marcomanni, Nariſci, Hermunduri & Quadi, Suevi, Sarmatæ, La*crin-

cringes *&* *Buri.* Dioni ſunt Λάκριγγοι. Vide Caſaub. Gruter. & Salmaſ. *Not. ad Capitolin.*

LACTANTIUS Firmianus L. Cœlius, Afer quibuſd. aliis Firmii natus, diſcip. Arnobii in Rhetoricis, poſteà ipſe Nicomediæ docuit: Hinc Criſpo Cæſari à Patre Conſtantino Mag. admotus. Extremè inops, interim maximi ab omnibus æſtimatus, *Ciceronis Chriſtiani* elogio inſignis. Contrà duos Philoſophos, libb. Inſtitutionum ſcripſit, ubi quædam, à Gelaſio Ep. Rom. damnata. Alia quoque proſâ verſuque condidit. Carmen de Phœnice ejus non eſt, aut ſaltem ab eo nondum Chriſtiano compoſitum. Hier. *in Chron* A. C. 317. *ad Paulin. in Cat. c.* 80. *&c.* Honor. Auguſtodun. *de lum. Eccl. Trithem.* &c.

LACTARII, apud Æl. Lamprid. *in Heliogab. Dulciarios & Lactarios tales habuit, ut quæcunque coqui de diverſis edulibus exhibuiſſent, vel ſtructores vel pomarii, illi modò de dulciis, modò de lactariis exhiberent*: Sunt qui *Lactaria* faciunt; unde & *lactarium opus.* Apud eund. infrà, *alia de pomis, alia de dulciis, alia de opere lactario.* C. Celſus, *lac, mel. ideoque lactaria, atque omne piſtorium opus.* Idem, *mel crudum, lac, lactaria omnia* &c. Infimæ ætatis Scriptores *lacticinia* dixêrunt, Salmaſ. *Not. ad Lamprid.* à quibus in jejuniis quoque abſtinere nonnullos dicimus paſſim.

LACTARIUS, mons alias Campaniæ, nunc Principatus citer. vulgò *Monte di Lettere*, ab urbe cogn. *Lycterenſi*, quaſi *Lactarenſi.* Cui inſidet, inter Surrentum ad Auſtr. & Veſuvium ad Bor. trans Sarnum fluv. Lucæ tamen Holſtenio *Monte Lattario* dicitur, æqualiter à Stabiis & Literis diſtans.

LACTER, prom. Coæ inſ. verſùs Mer. Strabo. *l.* 14. *p.* 657. *Iſaceterem* in Co inſ. habet Plutarch. *in Qu. Græcis.*

LACTIPHAGI, Scythiæ pop. qui & Γαλακτοφάγοι.

LACTISMA, Græcè Λάκτισμα, ſpecies ſaltationis Gaditanæ, cui à *calcitratione* nomen id datum. Quemadmodum & Ἐκλάκτισμα, in qua oportebat calce humeros ſuperare; muliebris olim ſaltandi modus; & Βίβασις apud Laconas dicta, in qua præmio pueris virginibuſque propoſito, ſaltu opus erat, ſed eo ut attingerent calce nates, ſaltuumque numerus recenſebatur. Quare inſcriptum in quadam ſaltatione legitur: Χίλια πόκα βιβάντες. uti habet. *Jul. Caſ.* Scalig. *poët. l.* 1. *c.* 19. *Imitantur eos hodiè Hiſpani, qui calce quoque occiput aliaſque in ſaltando partes contingunt, veſtigio terram feriunt, manus complodunt, earumque alterutra vel utraque in ſoni numerum pectus, femora, frontem, calcem, os, terram pulſant* &c. Vide quoque ſuprà in voce *Calx.*

LACTODURUM, Angliæ opp. *Bedford* nonnullis, aliis *Stonie-Stratford.*

LACTORACIUM, ſ. LACTORA, urbs Aquitaniæ, Epiſcopal. ſub Archiep. Auſcenſi, *Lectour*, Scalig. Anton. *Lactura.* Nunc in Armeniaco Comit. in colle, juxtà Ægircium fluv. qui apud Aginnum in Garumnam influit. Baudr. Leomaniæ caput eſt, à qua Vicecomitis Leomaniæ *Lactorenſes* etiam in vett. tabb. dici Oihenartus eſt autor. Vulgò incolis *Lectoure* ſ. *Leytoure.* Bellaforeſtio *Leſtore*, qui addit, urbem eſſe in rupe poſitam undique, niſi ex parte Toloſæ, inacceſſâ, triplici muro cinctam, & arce munitam inexpugnabuli, totius demum Novempopulanæ, ſ. Vaſtoniæ validiſſimam naturâ loci & arte, tutiſſimamque ac fertiliſſimo agro gaudentem. Epiſcopatus ejus in Not. Epiſcopatuum Galliæ tertium locum obtinet, & ſub Auſcis Vaſconiæ metropoli, poſt Aquenſem collocatur, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Diſtat urbs 4. leuc. ab Aginno in Mer. 6. ab Auſciis in Bor. 10. à Toloſa in Cæc. Vide quoque *Lectora.* Cæterùm Taurobotii à Populo *Lactoratenſi*, pro ſalute M. Aurelii Imp. olim accepti, mentio extat in *vet. Inſcr.* apud Gruter. *Imp. Caſ. Divi. Antonini. Divi. VDII. Parth. Maximi. Fratri. M. Aurel. Antonino. Aug. Germanic. Sarmat. P. M. T. P. XXX. Imp. VIII. COS. III. PP. Lactorat.*

S. M. D.

Junia. Domitia. Tauropol. accepit. hoſtiis. ſuis. ſacerdote. Trajano. Nondinio. D. N. Gordiano. II. & Pompejano. Coſ. VI. ID. DEC. &c. ubi videmus Populum *Lactoratenſem*, atque ejus vice Juniam Domitiam, ſub adminiſtratione Sacerdotis Trajani Nondinii, id ſacerrimum ſacrum, pro Imp. ſalute, more tum Gentilibus ſolenni, ſuſcepiſſe. In alia *Inſcr. Pro. ſalute. Imp. Antonini. Gordiani* &c. *proque. Statu. Civit. Lactor. Tauropolium. fecit. Ordo. Lact. D. N. Gordiano II. &. Pompejano. Coſ. VI. ID. DEC. Curantibus. M. Erotio. &. Feſto. Caninio. Sacerd.* Vide Ant. van Dalen *de Orac. Ethnic. Diſſertat. I. p.* 166. & *ſeqq.* nec non in voce *Taurobolium.*

LACTOS, inter Sarmatarum olim Deos, vide infrà *Sarmatia.*

LACTUCA, olim in maximo contemptu erat propter frigidam facultatem, quâ viros evirare credebatur: undè νεκύων βρῶμα, *mortuorum cibus*, Eubulo in Ἀςύτοις. Nec alia cauſa eſt, cur Adonidem, in *lactuca* latentem aut etiam ibi Mortuum, finxerint poëtæ, vide Athen. *l.* 2. Interim jam ante Aug. quoque, in cibis fuit Romanis. Mart. *l.* 13. in Xeniis *Epigr.* 13. cujus Epigraphe *Lactuca.*

Claudere quæ cœnas lactuca *ſolebat avorum,*
Dic mihi cur noſtras inchoat illa dapes?

E quo conſtat, *lactucas* in Romanis menſis ſitum mutâſſe, & à fine convivii in principium fuiſſe traductas, ut oſtrea, echinos, & cruda omnia olera, de quibus vide Plutarch. *Sympoſ. l.* 8. *Quæſt.* 9. & ſuprà ubi de *Frigidis.* Videtur autem facta hæc mutatio Plin. *l.* 19. *c.* 8. Aug. ævo, qui *lactucæ* ope ex ancipiti morbo convaluit; teſte Plin. A quo tempore tanta earum commendatio eſſe cœpit, ut repertum tum ſit, eas oxymeli condire ac recondere in alienos menſes, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1272. Vide quoque Bochart. *Hieroz. Parte prior l.* 2. *c.* 50. & infrà in voce *Picris.* A *lactucis* porrò, non *Lactucini* ſolum in Valeriâ fam. appellati ſunt, ut à cæpis *Cæpiones*; à fabis, piſis, lentibus, ciceribus, *Fabios, Piſones, Lentulos, Cicerones*, nomen accepiſſe legimus: ſed & *Cæciliana* lactucarum ſpecies, à Cæcilio Metello dicta eſt; quod docent hæc Columellæ *in Horto*, ubi varia deſcribit lactucarum genera.

Altera crebra viret, fuſco nitet altera crine,
Utraque Cæcilii *de nomine dicta* Metelli:

qui primo Bello Punico Romæ Coſ. creatus A. U. C. 503. Annis circiter 120. antequam imperaret Aug. Imò quadringentis ferè ante eund. Imp. Annis, Anno viz. U. C. 298. Romanis Coſ. fuit cum Sp. Virginio Tricoſto Μάρκος Οὐαλέριος Λακτοῦκας, *Marcus Valerius Lactuca*, &c. Vide eund. Bochart. *ubi ſuprà*, & plura hanc in rem apud Plin. *l. c.*

LACTUCINA, Dea, quam colebant vett. quæ lacteſcentibus frumentis ac ſegetibus præeſſet. Sunt qui *Lacturnum*, apud Auguſtin. legunt. Serv. *l.* 1. *Georg. v.* 315. *Lactentem Deum* ex Varrone commemorat.

LACTUCINII, cognomina Rom. procerum à *lactucis* deducta. Plin. *l.* 19. *c.* 4.

LACURIS, Oretanorum in Hiſp. opp. Ptol. *Loquera*, inter Caravacam & Ventam Moralem 4. leuc.

LACUATA Veſtis, uti Salmaſ. legit apud Iſid. pro *Laculata*, eſt quæ *lacus quadratos quoſdam cum pictura habet intextos, aut additos acu*, Græcè ταοῖς πλινθίοις διειλημμένη. Sic *Lacuata tecta* Cic. *in Tuſculan.* uti legit Serv. pro *laqueatis*, à genere cælaturæ dicta, quòd *lacus* quadratos haberent: indè *lacunar* & *laquear.* *Lacus* autem in veſte figura etiam quadrata, & idem quod πλινθίον; quâ voce ῥαβδοειδεῖς figuras in veſtibus Gallorum Diod. Sic. indigitavit, uti Scalig. *ad Varron*, animadverſum, qui ſcribit Gallos geſtare σάγους ῥαβδωτοὺς, πλινθίοις πολυανθέσι καὶ πυκνοῖς διειλημμένους. Sic *virgatæ veſtes* & *rhombis diſtinctæ*, & *laterculis diviſæ* & ſcutulatæ, & *lacuatæ*, eædem omnino, Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino*, Vide etiam hîc paſſim, inprimis infrà in voce *Quadra.*

LACUNAR, vide infrà *Laquear*, it. *Plinthion.*

LACUS, apud Columellam *l.* 1. *c.* 6. ſpatia ſunt quædam quadrata, quibus diſtinguuntur granaria, ubi ſeparatim quæque legumina ſeponuntur: hinc ad veſtes tranſlata vox, vide *ſuprà.* Apud Mart. *l.* 14. *Apoph. Epigr.* 1.

Nec timet ædilem moto ſpectare fritillo,
Cùm videat gelidos tam prope verna lacus:

per *gelidos lacus* intelligit cloacas Joh. Frid. Gronov. in quas ſervi deprehenſi ab Ædile aliàs demergi ſolebant; à quo metu Saturnalibus erant liberi. Eodem alludi vult Idem *l.* 5. *Epigr.* 85. cujus Epigraphe ad Gallam.

Arcana modò raptus è popina
Ædilem rogat udus aleator.

Ubi *udum* exponit non vino madentem, ſed aquâ, in qua pœnæ causâ tenebatur, & rogabat, utceleriùs inde mitteretur, unâ merſione Defunctus. Vide eum *Not. ad Mart.* qui etiam *Lacuum*, quibus vina prelo expreſſa excipiuntur, meminit Idem *l.* 4. *Epigr.* 44. cujus Epigraphe de veſuvio monte.

Preſſerat hîc madidos nobilis uva lacus.

A quibus *torcularia*, quibus uvæ preſſæ nectar fundunt, diſtinguit Scholiaſtes. Vide infrà, in voce *Prelum*, item *Torcular*: uti de *Lacubus floridis* Sinenſium ſuprà.

LACUS Felix, incolis *Ober-Walſee*, vicus Auſtriæ ſup. ad Danubium 5. mill. infrà Lintium in Ort. Viennam verſùs.

LACUS Peruſinus, quem omnes antiqui *Thraſimenum* dixêrunt, in territorio Peruſino ſitus, complectitur in ſuo ambitu circiter 30. mill. paſſ. Lucidus eſt ac perſpicuus, nec recipit alienas aquas, nec refundit ſuas: Inſignis eſt hujus aquæ ſuavitas, adeò ut vivo manare fonte videatur. Tribus inſulis adornatur, quarum duæ ferè contiguæ ad Sept. vergentes, una *Major*, altera *Minor* vocatur: hæc inculta & deſerta tantùm templum fert in acumine, illa, quæ Crotonenſem ſpectat agrum, ducentis prope familiis habitatur: tertia, quæ verſùs Mer. conſtitit, & major cæteris, frequenſque hominibus eſt.

Lacus Europæ extantiores.

Brigantinus ſ. Acronius, in Helvetia.
Fucinus, in Veſtinis.
Jemptius, in Sueciæ parte Or. trans ſinum Botnicum.
Ladoga, poſt ſinum Finnicum.
Larius, in Italia.
Lemanus ſ. Genevenſis, in Helvetia.
Lugæus, in Carniola, per æſtatem pratum inſigniter luxurians.
Onega, in Ruſſia.
Pilati, in Helvetia.
Regillus, in Latio.
Tigurinus, in Helvetia.
Traſymenus, in Hetruria, hodie *Lago di Perugia.*
Venerus, in Sueciæ parte Auſtr.
Verbanus, in Italia.
Volga, in Ruſſia.

Aſiæ.

Aſphaltites, aliàs Mare mortuum, in quo gravia ſupernatant;

natant : Jordanem excipit.
Caſpium mare.
Chiamaus trans Gangem.
Genneſareth, ſ. lacus aut mare Tiberiadis, in Palæſtina.
Kithauskus, è quo Obius naſcitur.
Sanchonitis, in Palæſtina.

Africæ.

Aquilunda.
Bed.
Sachaf.
Zaflan.
Zairus, in cujus medio inſ. ampliſſima.

Americæ.

Parima ſ. Titicacea, 300. mill. longus 100. latus: cujus hæc natura, ut fluvios nec admittat, nec emittat ullos. Situs eſt, ſub Æquatore. Vide quemque ſuo loco.

LACUS Regius, Numidiæ locus apud *Ant.*

LACUS Veneti inſ. i.e. Brigantini inſ. *Major Augia* Chronographis Monachis vocatur; vulgò *Rickow* vel *Reichenaw.* Vide *Augia Major*, ſ. vernaculo ſermone *Dives.* Aliis verò eſt *Mechtzraw*, vicus juxta Lacum Conſtant. prope Brigantium in Com. cognomine, 6. leucis Conſtantiâ in Ort. Meminit hujus Inſ. Strabo *l.* 7. ubi illâ Tiberium ad invadendos Vindelicos commodiſſimè in navalibus pugnis uſum docet. Vide B. Rhenan. *Rer. Germ. l.* 3. & ad eum *Notas* Cl. Othonis JC.

LACYDES, philoſophus, Arceſilæ auditor. Hujus meminit Cic. *l.* 4. *Acad. Qu.* ut & *Suid.*

LACYDUS, Rex Argivorum, molli inceſſu, comâque perpetuo unguentis delibutâ. Plutarch. *in opuſculo eo, quo docet : Quo pacto utilitatem ex inimicis capere poſſimus?*

LADA; in *LL.* Ethelredi, apud Venetyngum editis §. 17. ut & in *Capitulis* ejuſdem §. 1. purgatio eſt, quâ quis per Legem (quæ vox pro ipſa purgatione canonica & vulgari crebro uſurpatur) ſe purgat à crimine impacto; eaque vel *ſimplex* vel *triplex.* *Simplex* adhibebatur in levioribus criminibus vel exigebatur à viris; nullo priùs crimine infamatis; ita ut, qui Sacramenti ſ. Juramenti Judicium ſubibat, in tribus hundredis ſive locis juridicis, ſolus juraret, uti habetur in *LL.* Henr. I. *c.* 64. *Triplex* verò *Lada*, quæ etiam *Accuſatio triplex* dicta, ſ. *triplex Ordalium*; ſi reus antea jam de aliquo crimine fuiſſet incuſatus, aut ſi gravioris delicti inſimularetur; tum enim talis, cum certo Conſacramentalium numero jurare tenebatur, *Ibid.* ſi purgatio fieret per juramentum; ſin per ferrum ignitum, ferri augebatur pondus, in *LL. iiſdem c.* 67. ſi denique per aquam fervidam, lapis fune ſuſpenſus in cacabum & aquam ferventem illius immittebatur, inde à reo extrahendus. Vide Lindenbrog. hac de materia, ubi *formulam* iſtiuſmodi ferri aut aquæ in utraque *Lada* adjurationis exhibet. Crimina autem leviora dicta eſſe, quæ compoſitione ſimplici 20. viz. ſolid. eluerentur, graviora, pro quibus multa triplex, 60. Sc. ſolidorum, irrogaretur à Judice, diſcimus ex *eod. c.* 67. *LL.* Henr. præfati. Vide omnino C. du Freſne *in Gloſſ.* & *hic paſſim.*

LADAS, Alex. Mag. curſor, tantâ pedum velocitate, ut veſtigia ejus in arena non apparerent. Quo nomine ſtatuam meruit apud Argos in templo Veneris, quam νικηφόρον cognominabant.

LADE, inſ. maris Ægæi, ante Miletum. Steph. Hanc in duas parvulas inſulas ſcindi ſcribit Pauſ. & earum alteram Aſterii inſ. dici. Pauſ. *in Atticis*: Ἐστι δὲ Μιλησίοις πρὸ τῆς πόλεως Λάδη νῆσος. Strabo *l.* 14. *p.* 635. Πρόκειται δὲ ἡ Λάδη νῆσος πλησίον. *Jada*, ex tabb. rec. Plin. *l.* 5. *c.* 31. Herod. *l.* 6. *c.* 7. Thucyd. *l.* 8. *p.* 561.

LADENBURGUM, vulgò LADENBURG, opp. Palatinatûs Rheni, ad Necarum fluv. vix 2. leuc. infra Heidelbergam, in Occ. Manheimum verſùs, antea ferè dirutum, nunc utcunque reparatum.

LADENI, pop. Scotiæ fuêre juxta Olladinos & Selgovas. Ubi nunc *Lauden*, *Merck*, & *Teyſidale*, prov. Scotiæ Merid. *Camdenus.*

LADEPSI, pop. Bithynorum. *Steph.*

LADESTA, vel LADESTUM, una Liburnidum inſularum. Steph. *Ladeſtris* tabb. Peuting. *Laſtobon*, Porphyrog. *Landeſtina* Dandulo. Italis *Langeſta*, Slavis *Laſtove.*

LADI, pop. pro *Lazi*, Græcè Λαζοὶ, ζ. mutato in δ. vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1185.

LADICUS, mons Hiſp. Tarr. in territorio Legionenſi, Pyrenæi mont. ramentum. in via Legione Compoſtellam ducente: in ejus jugo inſcriptio hæc : *Jovi Ladico. Los colos de Ladoco* hodie.

LADII, pop. apud Capitolin. *in Ant. Pio. Lazi* putat legendum *Egnat.*

LADISACITES, ſinus in Perſico mari. *Steph.*

Reges Hungariæ.

LADISLAUS I. Hungarorum Rex fil. Belæ I. ſucceſſit fratri Geizæ II. A. C. 1078. Hic vir ſanctus, ſummè modeſtus ad ſuſcipiendum regnum à proceribus coactus eſt. Per mortem Zeloveri Regis, cui nupta Ladiſlai ſoror Selomira erat, Dalmatiam, Croatiamque Pannoniæ finibus adjecit, additâ Hungariæ Ruſſiæque parte, Hunnos prælio ſuperavit; Ruthenos, qui olim Roxolani, in proprios fines (Hungariam enim invaſerant) compulit: Polonos coërcuit, Cracoviâ captâ. Obiit A. C. 1095. *Bonfin.*

LADISLAUS II. fil. Emerici, regnavit menſ. 6. A. C. 1207. Succeſſit ei Andreas II. Quidam ante hunc Ladiſlaum II. alium memorant, fil. Belæ II. qui nepoti Stephano regnum debitum occupavit menſ. 6. Sed hic uſurpator erat non legitimus Rex.

LADISLAUS III. cogn. Cunnus, Stephano V. patri ſucceſſit. Uxorem repudiavit, Ethnicas pellices ex Tartaris Crimæis fovit, in Clerum ſævus, populo exoſus. Imp. arma, Papæ fulmina ſprevit; occiſus in tentorio à Tartaris, A. C. 1290. Succeſſit ei ejus ex ſorore Maria nepos Car. Marcellus, fil. Car. II. Siciliæ Regis Thuros. *Chron. Hung. P.* 2. Bonfin. 2. *dec.*

LADISLAUS IV. ſ. VLADISLAUS, M. D. Lithuaniæ, Poloniæ Rex ab Hungaris ad regnum vocatus, Mortuo Alberto Auſtriaco, Elizabethæ Hungaricæ marito, quæ Ladiſlaum V. poſthumum enixa eſt, menſe 4. Æt. coronatum, dum Ladiſlaus IV. regnum occupavit. Per Joh. Huniadem, contra Amurathem, bello felix, hunc in Aſiam avocatum ad pacem adegit, juramento utrinque firmatam. Quam cùm, ſuaſu Juliani Card. à Pontific. ad id miſſi, rupiſſet, ſecuta eſt A. C. 1444. clades Varnenſis, Chriſtianis luctuoſiſſima in qua, præter ingentem Chriſtianorum ſtragem, perfidiæque autorem Julianum cæſum, Ladiſlaus ipſe, dum fortiter pugnat, equo dejectus & obtruncatus eſt, capite per Græciam, Aſiamque circumlato. Thuroſ. Dubrav. Æn. Sylv. *in Eur. c.* 5. *in Ep.* 52. 81. & 87. *Bonfin.* &c.

LADISLAUS V. fil. Alberti Auſtriaci, priori ſucceſſit An. Æt. 5. ſub tutela Frid. Imp. Joh. Hunniadi adminiſtratione regni relictâ. An 13. à tutore liber, Viennæ ſummo cum plauſu exceptus, Joh. Huniadi Hungariam gubernandam tradidit, Georgio Podiebracio Bohemiam, Ulrico Com. Cilio Auſtriam. Sylv. *Eur. c.* 22. Permiſit cuilibet, ut pro arbitrio, vel ſub una, vel ſub utraque ſpecie communicaret, ipſe tamen Huſſitarum templa non ingreſſus eſt. A. C. 1448. per Joh. Hunniadem à Turcis victus, illos viciſſim, A. C. 1456. ad Belgradum cæcidit: Dum ſponſam expectat Car. VII. Franc. Regis filiam, in ipſo nuptiarum apparatu, Pragæ, veneno, ut creditur, peremptus, A. C. 1457. Æt. 18. Æn. Sylv. *Bonfin.* &c.

LADISLAUS, vel VLADISLAUS VI. fil. Caſimiri Poloniæ Regis, Bohemiæ primò. dein Matthiâ Corvino Mortuo, quoque Hungariæ Rex, favente ipſi Beatrice Matthiæ viduâ, quæ nuptiis ejus inhiabat. Joh. hujus fil. nothum, Maximilianum Auſtr. fratremque Albertum, Patris favore nixum, regni æmulos feliciter eluſit: Nihilominus perpetuo contrà vicinos Turcaſque bello, & inteſtinis turbis implicitus. Pater Annæ & Lud. qui An. Æt. 2. coronatus, brevis ævi fuit. Obiit A. C. 1516. Dubrav. *Rer. Hung. l.* 32.

Poloniæ Reges, &c.

LADISLAUS I. Poloniæ Rex poſt fratrem Boleſlaum Audacem, fil. Caſimiri. *Principis*, & *hæredis Poloniæ* titulo contentus, prudentiæ, abſtinentiæque laudem meruit, pacis cultor: Sub eo Ruſſi jugum excuſſêrunt. Maritus Judithæ, fil. Vratiſlavii Bohem. Princ. & Sophiæ, quæ ſoror Henr. IV. Imp. prius Salomoni Hungariæ Regi nupſerat. Obiit A. C. 1102. Regni 20. Cromer. *Hiſt. Pol.*

LADISLAUS II. ſucceſſit patri Boleſlao III. fratribus, ſuaſu uxoris, bello illato minus felix, ad Conradum III. Imp. fugere coactus eſt, ſurrogato Boleſlao IV. fratre, A. C. 1146. à quo, interceſſione Frid. I. Imp. Sileſiâ poſtmodum impetratâ, ibi Obiit. *Idem.*

LADISLAUS III. dictus *Locticus*, i. e. *Cubitus*, ob puſillam ſtaturam frater Leſei Nigri, Primiſlao ſucceſſit, A. C. 1295. Miles ſtrenuus & prudens: poſtquam ab initio regni nimiâ militibus permiſſâ licentiâ, ſubditis inviſus & à Wenceſlao Bohem. Rege pulſus eſſet, A. C. 1300. Hoc igitur Mortuo, cùm in regnum rediiſſet, prudens, felix, & formidabilis hoſtibus, Obiit A. C. 1333. Sapientiſſimus ſui Seculi æſtimatus. Michov. *Hiſt. Pol. l.* 4. Crom. *l.* 11.

LADISLAUS IV. dictus prius Jagello, M. D. Lithuaniæ, per Hedvigen, filiam Lud. Hungar. Regis & electam Poloniæ Reginam, Rex, in Baptiſmo *Ladiſlai* nomen ſumpſit. Lithuaniam Poloniæ univit, Diſputationi Huſſiticæ, A. C. 1431. Cracoviæ à ſe inſtitutæ, interfuit cum Senatoribus regni, quâ tantopere motus eſt, ut in veritatem attentius inquiſiverit. Hinc animo ad Euangelium applicito, miniſtrum Euangelicum è Bohemia evocatum, ſæpius in occluſo conclavi audivit, maximè propinquam mortem ſentiens, opera ipſius, ſub prætextu Aſtronomicarum quarundam prædictionum, ad pacandam conſcientiam, uſus. Hedvige Reginâ Biblia S. quæ Polonicè verti curaverat, ſedulò legente, ut & poſt hujus Obitum alterâ ejus uxore Sophiâ. Ita Eccleſiaſtæ è Bohemia evocati, Sclavonicâ linguâ diu ſacra adminiſtrârunt, in templo S. Crucis Cracoviæ, Regiſque zelum Proceres plurimi ſecuti ſunt. Laſicius *Hiſt. Fr.* Obiit. Princeps inclytus A. C. 1434. Æt. 80. Regni 48. Vide *Jagielo.*

LADISLAUS V. Polon. & Hungariæ Rex. Vide *Ladiſlaus IV.* ſupra.

LADISLAUS VI. fil. Sigiſmundi, Sueciæ & Polon. Regis, ex Anna Auſtriaca, filia Car. Archid. ſucceſſit Patri A. C. 1632. poſtquam Oſmanne, Turcarum Sultano, ingenti prælio, victo, magnam ſibi gloriam peperiſſet. Virtutis amans, variarum linguarum peritus, fortis & juſtus. Ex Cæcilia Renata, fil. Ferdinandi II. pater Sigiſmundi Ladiſlai, A. C. 1640. qui Obiit, A. C. 1647. Secundis nuptiis duxit Ludovicam Mariam Gonzagam, A. C. 1645. Obiit A. C. 1648. Æt. 53. Moſcis devictis, Smolenko, Severiâ, Czernichoviâ vindicatis, Aſin Baſſâ repulſo, Kozakis domitis, pace Suecis conceſſâ, Pruſſiâ vectigalium officina recuperatâ, Caſimiro fratre, quem Galliæ Rex ſub ſpecie, quòd Luſitaniæ Prorex deſtinatus eſſet, captivum detinuerat, liberato, inclytus.

LADISLAUS, vel *Lancelotus*, Neap. Rex, cum titulo quoque Hungariæ Regis Comitiſque Provinciæ, ſucceſſit patri *Car.* Dyrrhachino, A. C. 1386. Contra Lud. II. à Neapolitanis contrà

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

contrà ſe vocatum bello felix. Hungariæ regnum ſibi oblatum diu non tenuit. Schiſmate durante Romam occupavit, Molem Hadriani obſedit, pulſus à Paulo Urſino rediit, victiſque Pontificiis copiis, urbem Molemque expugnavit, cui Lud. Andegav. ab Alex. V. fruſtrà oppoſitus. Obiit veneno ſublatus, A. C. 1414. Johanna ſ. Johannella II. ſoror ei ſucceſſit. Collenut. *Hiſt. Neap. l.* 5. Monſtrelet. *l.* 1. Peucer. *l.* 5. *Chron.* Platina *in vitis*, &c. Cæterùm ſuſpicax, ſævus, libidinibus infamis: ex tribus uxoribus, nullâ prole ſuſceptâ.

LADISLAUS, vide VLADISLAUS.

LADOCEA, vicus Arcadiæ. *Pauſ.*

LADOGA, Moſcis *Ladesko Ozero*, lacus totius Europæ ampliſſimus, maj. ex parte in Suecia, in Keckholmia prov. partim etiam in Moſcovia, & prov. Novogardiæ maj. In Finnicum ſinum ſe exonerat, mediante Nieva fluv. & ovi fere ſpecie in 36. mill. Germ. longitudinem, & 20. latitudinem dilatat; ejuſque Ruſſi vix quintam partem poſſident. Piſcium incredibili copiâ refertus, urbem Keckholmiam ſalmonum piſcatu ditat. A piſce *Lagdog*, halecem magnitudine excedente, nec uſquam in Ruſſia, quàm ibi reperto, fortè dictus.

LADON, fluv. Arcadiæ in Alpheum fluens: juxtà quem poëtæ fabulantur, Syringa nympham in arundinem fuiſſe commutatam. Hujus meminit Dionyſ. *v.* 417.

> Ἧχι καὶ ὠγύγιος μηκύνεται ὕδασι Λάδων.

Callimach. *magnitudinem* huic fluv. tribuit, uti *longitudinem* Dionyſ. Sic enim ille *Hymn.* 1.

> Λάδων ἀλλ᾽ οὔπω μέγας ἔῤῥεεν.

Vide Strab. *l.* 1. *p.* 60. & *l.* 8. *p.* 389. Hujus *pulchritudinem* commendat Pauſ. *in Arcadicis. Rapacitatem* Ovid. *Faſt. l.* 2. *v.* 274.

> *Quique citis* Ladon *in mare currit aquis.*

Idem ibid. *l.* 5. *v.* 89.

> *Arcades hunc* Ladonque *rapax* ———

Vide Palæphatum in *Ladone.* Item vicus cogn. *Ladocea* Pauſ. dictus. Nic. Lloyd. Plin. *l.* 4. *c.* 6. P. Mela, *l.* 2. *c.* 3.

LADONA, opp. munitum Duc. Burgundiæ ad Ararim fruſtra obſeſſum ab Auſtriacis, A. C. 1636. Dicitur *Fanum S. Johannis Ladonenſis*, vulgò *S. Jean de Laune.* Vide ibi.

LAEL, fil. Elizaph Principis. Num. *c.* 3. *v.* 24.

LAERTE, opp. Pamphyliæ, *Ptol.*

LAERTES, Arceſii fil. pater Ulyſſis, qui ab eo *Laërtiades* dicitur. Hinc *Laërtius.* Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 272.

> *Effugimus ſcopulos Ithacæ*, Laertia regna.

LAERTES, parva regio Ciliciæ. *Steph.*

LAERTIUS Diogenes, Hiſtoricus, qui de Philoſophorum vitâ ſcripſit. Vide *Diogenes.*

LASPODIAS, traducitur ob putre crus, quod inferiore parte erat obvolutum faſciis. Ejus meminit Eupolis ἐν δήμοις; quem & prætorem extitiſſe Thucyd. *l.* 7. ſcribit. Eundem, tanquam litigioſum, Philyrius ἐν ταῖς πλυντηρίαις traducit. Phrynichus verò ἐν Κωμασταῖς tanquam bellicoſum. De quo vide pluribus Scholia *in Aves Ariſtoph.*

LASTRYGONES, pop. immaniſſimi, Formias Campaniæ urbem incolentes, quos Plin. *l.* 3. *c.* 5. tradit humanâ carne victitaſſe. Tibullus ad Meſſalam de Ulyſſe, *l.* 4. *Eleg.* 1. *v.* 59.

> *Incultos adiit* Læſtrygonas. ———

Hom. *Odyſſ.* κ.

> Ἴφθιμοι Λαιστρυγόνες. Mox:
> Οὐκ ἄνδρεσσιν ἐοικότες ἀλλὰ γίγασι.

A. Gell. *l.* 15. *c.* 21. *Ferociſſimos & immanes Neptuni filios ajunt, ut Læſtrygonas & Cyclopas.* Inde apud Horat. *Carm. l.* 3. *Ode* 16. *v.* 34. Thucyd. *l.* 6. *p.* 410. Lucan. *Civ. Bell. l.* 7. *v.* 276. 410. & *l.* 8. *v.* 530. *Læſtrygonia amphora*, pro Formiana. Item pop. Siciliæ, iidem cum Leontinis. *Iſac.*

LÆA, quæ & *Aphrodites*, inſ. maris Africi Marmaricæ oræ adjacens, Ptol. verò Cyrenaicæ adjacet. *Iſola del Patriarcha*, Bordonio. Eſt & Aphrodites Ptol. inſ. Ægypti, ad ſinum Arab. inſ. Agathonis finitima.

LÆAMA, urbs Arab. Petrææ ad fin. Arabicum. Vide *Elana.* Scribitur & *Lana.*

LÆDENATA, Mœſiæ primæ urbs. Lib. *Not.*

LÆDUS, fluv. Galliæ, *le Loire.* Oritur in Pertico tractu, in vico *de Corves.* Hinc defluit in tractum Carnutenſem, ubi Illierias alluit & Caſtrodunum, dein Vindocinum, uti & caſtrum Lædi in Cœnomanis; poſtea tranſiens in Andegavos, Ludium alluit, Flexiam & Duretallium: tandem in Sartam amnem ſe exonerat, paulò ſuprà Andegavum.

LÆENI, Arabiæ Fel. gens. *Ptol.*

LÆIA, urbs Cariæ. *Steph.*

LÆLAPS, nomen canis Actæonis, Ovid. *Met. l.* 3. *v.* 211.

> *Nebrophonoſque valens, & trux cum* Lælape *Theron.*

LÆLIA, Virgo Veſtalis Defuncta P. Mario, L. Aſinio Coſſ. in cujus locum Cornelia ex fam. Coſſorum capta eſt. Tac. *Ann. l.* 15. *c.* 22.

LÆLIA, Turditanorum in Bætica opp. *Ptol.*

LÆLIA Caſtra, in ſinu Carthaginienſi.

C. LÆLIUS, Scipionis Africani ſummus amicus, Coſ. & Orator inſignis, *Sapientis* elogium meruit. In prælio Scipionis contra Aſdrubalem & Syphacem, fugientes perſequens cum Maſiniſſa, Syphacem Regem cepit, ſede ejus regiâ occupatâ. Miſſus dein Romam illuc captivum ſuum deduxit. Plura de hoc Cic. *de illuſtr. Orat.* Liv. *l.* 30. *c.* 15. Plutarch. Quintil. qui filiæ ejus admodum eruditæ meminit. Horat. *Serm. l.* 2. *Sat.* 1. *v.* 72.

> ——— *Mitis ſapientia* Læli.

Vide & *Cajus.*

LÆLIUS Africanus, vide *Cajus.*

LÆLIUS Archelaus, inter Grammaticos illuſtres, memoratur Suet. *l. de Ill. Gramm.*

LÆLIUS Balbus, truci eloquentiâ & promptus adverſùs inſontes, Acutiæ everſor, juſſu Senatûs, amiſit ordinem, Cn. Acerronio & C. Pontio Coſſ. Tac. *Ann. l.* 6. *c.* 47. & 48. Vide & *Decius.*

LÆLIUS Zecchius, Brixienſis. Theologiæ & Juris Canonici peritiâ, inter ſuos, ſub fin. Sec. Præt. inclytus.

LÆMOCOPIA, opp. Cherroneſi Thraciæ apud Seſtum. *Bogazaſar* Leunclavio. Aliis *Bogazaſar* Seſtus ipſa eſt.

LÆNA, vel LEÆNA, meretrix, amica Harmodii, & Ariſtogitonis, qui Hipparchum tyrannum interfecerant, cùm tormentis cogeretur, ut ſocios proderet, linguam ſuam mordicus amputavit.

LÆNA, indumentum fuit apertum, denſum ac villoſum, quod tunicæ aut etiam togæ ſuperinduebatur, olimque peculiari ritu à Flaminibus in ſacrificiis adhibebatur: Poſtea promiſcuo uſu, & cum toga & ſine toga geſtata eſt. Græcam vocem eſſe, & à *Chlenâ* Græcorum dictam Plutarch. *in Numa* innuit. Præcipuus ejus uſus in conviviis fuit, quòd ſcilicet à balneis redeuntes lænam geſtarent, atque ideo eadem ferme veſte diſcumberent; hyemali nempe tempore. Nam æſtate lacerna veſtis balnearis fuit, ficut ſyntheſes, quæ ex lino ac leviore materia erant, eodem tempore, in conviviis ſumebantur. Veſtimenti hanc antiquiſſimi genus & Heroicum fuiſſe, ex Homero patet, qui cum duplicium διπλῶν ſ. villoſarum, tum ſimplicium ἁπλοΐδων καὶ μονομίτων lænarum meminit. Il. ω. Nec modò induendi, atque amiciendi, ſed & inſternendi ac incubandi cauſâ, à Græcis ſumptas, idem ibid. docet: quemadmodum Romæ cubicularia gauſapina in eundem uſum fuêre. A *læna*, *lænula* dim. Gr. χλαῖνις & χλανίδιον, veſtimentum læna mollius & amictui ſolùm uſurpatum. Vide Octav. Ferrar. *de Re veſt. Part.* 2. *l.* 1. *c.* 10. Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 262.

LÆNEUS, fluv. Cretæ, Gortynam præterfluens, ad quem Europam à Jove raptam ferunt. *Strabo.*

LÆPA Magna, Hiſp. Bæticæ in Turdetanis opp. Ptol. *Lepia Latinorum* Plin. *l.* 3. *c.* 1. *Lepe* adhuc, apud oſtia Duæ fluv. in Vandalitia, ab Ayamonte opp. 5. in Ort. leuc. Ferr. P. Mela *l.* 3. *c.* 1.

LÆTA, filia Albini, Pontificis Ethnici, nupta Toxatio, filio S. Paulæ, ejus converſatione converſa & baptizata eſt. Mater Paulæ, cujus ſolicitam educationem ei Hier. *in Ep.* magnopere commendat.

LÆTA, rerum triſtiſſimarum mentione, ſibi temperandi, mos Veterum occurrit paſſim. Hoc enim pacto, ut Nemeſis (quam Deam velut perpetuam rerum lætarum καὶ ὑπερόγκων comitem formidabant) tela effugerent. ipſi ſibi propriæ felicitatis cumulum diruebant, qua de re multis philoſophatur Plutarch. *in Camillo, Æmilio Paulo, Apophthegm. alibi.* De Polycrate res notiſſima Apud Rom. eo fine triumphantibus à tergo adſtabat ſervus publicus, qui coronam triumphalem ſuſtinens, ſimul attendere triumphantem, ad tintinnabulum & flagellum, ultimi ſupplicii inſtrumenta, currui appenſa, jubebat: occaſione moris ab Horatio, Curiatiorum victore, ut videtur, deſumptâ. Apud eoſdem Aug. ſomnio monitus, *ſtipem quotannis die certo emendicabat à populo cavam manum aſſes porrigentibus præbens*, apud Suet. *in eo c.* 91. Ut viz. hoc modo Θεῶν νέμεσιν, &, ut loquuntur Vett. Deorum invidiam, evitaret exoraretque. Quam in rem vide plura, apud Caſaub. *ad loc.* ut & hic paſſim, ubi de *Fortuna*, *Invidia*, *Nemeſi* &c. De more verò eorum, in *Lætitia publica*, capita coronis è lauro in primis ac myrthæa cingendi, apud C. Paſchal. *Coron. l.* 2. *c.* 11. ut & ſuprà, ubi de *Conjectu florum Coronarumque*; comam tondendi, ubi de *Capillis*; poſtes frondibuſque inumbrandi in voce *Poſtis*: Lucernas accendendi ubi de *Luminibus* & *Luminum feſto*; ludos & convivia celebrandi, in voce *ludo.* Quo pacto autem *lætæ res* ſolitæ ſint nuntiari, vide infrà *Laureatæ tabellæ.* Adde, quæ dicemus in voce *Natalis Panis*, ubi nuntio rei lætiſſimæ ὁρμαθὸν κριβανιτῶν, *faſcem panum in clibano coctorum*, præmium fuiſſe, ex Ariſtoph. videbimus; *Tubarum feſtum*, *Velum*: de voce verò ejuſque à gaudio diſcrimine, diximus in voce *Gaudium.*

LÆTI, gens Gallica, in qua ſedem cepiſſe Magnentium, memorat Zoſim. *l.* 2. Et Eumenius *in Paneg.* inquit, *Lætum* in agrum Nervicum, juſſu Maximiani Aug. poſtliminiò eſſe reſtitutum. Hos cùm alibi, tum maximè in terris Læticis, ad fluv. Lætiam ſedes habuiſſe, Regionemque eorum, inter Flandriam & Atrebates ſitam, vulgò *la Loëuve*, ſed olim per Hannoniam Flandriamque latius multò, quàm nunc patuiſſe, ac à fluv. Lætia vel Letia, vulgò Legia, Gall. *le Lis*, nomen accepiſſe, ſtatuit Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* P. Mela *l.* 3. *c.* 1.

LÆTIA, opp. Nerviorum, ſ. Hannoniorum, in diœc. Cameracenſi, *Lieſſy* vulgò, Benedictinorum Monaſterio illuſtre, à Lætis, de quibus ſuprà, quique cùm alibi, tum apud Nervios, pars præſidiarii, pars cultores erant, haud dubiè nomen accepit. Situm eſt Monaſterium hoc ad fluv. Helpram, ſecundo lapide ab A-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

veſnis Hannoniæ opp. conditum à Wiberto Com. A.C. 790. & à Theodorico de Aveſnis reſtitutum. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

LÆTIA, fluv. Belgii, vulgò *Leſch* vel *Leſche*. Oritur in ſilva Arduenna, & Hammum *Han ſur Leſch* colluit, ac in dextram Moſæ ripam effunditur, paulò ſuprà Deonantum. Hinc 1. leucâ diſtant Cellæ *Celle*, vicus Monaſterio B. Hadelini inſignis. *Idem.*

LÆTITIA Nuptialis, Hebr. שמחה הבטואין, epulum erat apud Hebræos, à Sponſo ſive cœlibe antè, ſive viduo, ſive uxori etiamnum ſuperſtiti conjuncto, latè lauteque celebrandum, per dies à deductione minimum ſeptem, ubi virgo erat Sponſa (exemplo vetuſtiſſimo ſumpto, cum ex Jacobi & Rachelis nuptiis, tum ex Samſonis, ut videre eſt apud Joh. Selden. *de Jure Nat. & Gent. l. 5. c. 5.*) per triduum minimùm, ubi vidua ſ. vitiata ducebatur. Qui mos adeò ſeverè exigebatur, ut, cui plures Sponſæ eſſent ſimul deducendæ, is ſingulis uxoribus ſingulas epulas per totidem dies celebraret, idque *lætiſſimè*, perquàm pollucibiliter, & cùm ab omni labore vacans, tum ab omnimodo ſolennis lætitiæ genere alio, quod fortè genio tunc placere poſſet. Rationem adjiciunt, *Quoniam non commiſcenda eſt lætitia* (ejuſmodi ſolennis & epularis) *cum lætitia*; alia ſc. cum alia non commiſcenda, nec binæ confundendæ. Et quidem epularis hujus *lætitiæ* manifeſta ſunt in Euangelio veſtigia, ubi & Architriclini, qui epulis præerat, mentio, Joh. *c. 2. v. 9.* Etiam Gaudentius Ep. Brixianus, *Tract. 9. Nuptiæ*, inquit, *apud Judæos cùm fierent, unus (quantum ex traditione comperimus) dabatur de Sacerdotali ordine, qui morem diſciplinæ legitimæ gubernaret, curamque pudoris ageret conjugalis, ſimul & conviviorum apparatum, miniſtros atque ordinem, diſpenſaret; & hoc pro officio Architriclinus, h.e. triclinii Præpoſitus diceretur.* Undè verò is didicerit, Architriclinum neceſſariò fuiſſe ex ordine Sacerdotali, compertum non eſt. Floruit autem Gaudentius is, ſub A. C. 400. Cùm Itaque *Lætitia* hæc inter ritus adeò neceſſarios eſſet, hinc neque Virgo neque Vidua, neque Vitiata ritè deduci poterat pridiè Sabbathi aut poſtridiè, nedum ipſo Sabbatho aut die alio feſto: quin nec intermediis ſive Paſchatis ſive Scenopegiæ diebus, quos *profanam partem Feſti* nuncupant. Et quidem illud de Sabbatho, monuêre Majores, ob reverentiam ejus, ne ex apparatu epulari, qui deductionem ex more præcederet, ſive initio Sabbathi, ſive fini proximante, fortè violaretur feſtum. Intermediis verò quinque Paſchatis, & ſex Scenopegiæ diebus, tametſi velut profeſti haberentur, nihilominus deductio eandem ob cauſam ritè non fiebat, quam de alia cum alia *Lætitia* ſolenni non commiſcenda afferri monuimus. Miſna *tit. Mœd. Katon c. 1. Deducendæ non ſunt uxores in diebus illis intermediis, nec Virgines, nec Viduæ, nec Fratriæ, eo quòd lætitia ſolennis etiam ab initio illius feſti uſque ad finem celebratur.* Atque de hac ſolenni *Lætitia*, quâ per regulam jam dictam excludi volunt aliam lætitiam ſolennem, intelligunt Magiſtri verba Legis, Deut. *c. 16. v. 13. 14. & 15.* Vide Selden. *Uxor. Hebr. l. 2. c. 11.*

LÆTITIÆ Legis feſtum, apud Hebræos, vide infrà ubi de *Tabernaculorum feſto.*

LÆTIUS, Præfectus Prætorio ſub Commodo, prænom. *Ælius* vel potiùs *Æmilius*, conjurationem contra Commodum iniit, cum Martia hujus concubina, eumque veneno fruſtra tentatum, per athletam, cum quo exerceri ſolebat, ſtrangulari curavit, apud Æl. Lamprid. *in Commodo*, ubi *Quintus Ælius Lætius* dicitur. Idem qui erga Pertinacem ſe geſſerit, vide in voce *Lætus.* Tandem, poſtquam inter ſuaſores Getæ mortis primus fuiſſet, ab hujus fratre Antonino Caracalla primus quoque interemptus, miſſoque veneno ad mortem adactus eſt. Æl. Spartian. *in Caracalla.*

LÆTORIA Lex, furioſis & prodigis, curatores deſtinavit, ſanxitque, ut qui eos circumſcripſiſſent, publico judicio tenerentur, Cic. *de Offic. l. 3.* Capitolin. *in M. Antonino Phil.* &c.

LÆTRINA, urbs Elidis, ubi Pelopis oſſa jacebant. Iſacius in *Lycophr.*

LÆTUS, Dux Prætorianæ cohortis, ſub Commodo Imp. hunc Romam in cineres redacturum impediit. Dein comperto inſidias ſibi aliiſque ab illo ſtrui, venenum ipſi propinavit, Pertinace ad Imp. evecto, quem diſciplinæ milit. rigidum reſtauratorem ipſe luxu perditus, tertio pòſt menſe, iterum ſuſtulit. Lamprid. *in Comm.* Dio *in Pertin.*

LÆTUS, libro de rebus Phœniciis citatur, à Clem. Alex. *l. 1. Strom.* ubi ex eo quædam refert de Menelai in Phœnicen adventu.

LÆTUS Joh. Paſtor Groninganus, ſcripſit *Compend. Hiſt. Univ. Civil. & Eccl. ad.* A. C. *uſque* 1640. ſelectiſſimis rebus refertum. Ejus avus maternus fuit Georg. Vetterus vulgò Streycius, Bohemus, Theologus doctiſſimus; de quo vide hunc ipſum Læt. *p.* 434.

LÆTUS Pomponius, vide *Julius.*

LÆTUS Color, Gallis *gay*, idem cum *hilari*, *vegeto*, *florido*, *acuto*, *claro*, *excitato*. Græc. ὀξὺ, εὐανθὲς, λαμπρὸν: cum ſc. color lumine intenſiore & clariore excitatur. Sic *ſegetes latè virentes*, Plin. quæ multo lumine radiantes oculos exhilarant & tamen ſimul pungunt ac exſtimulant. Huic opponitur *auſterus*, triſtior & obtuſior, colore magis, quàm lumine, ſatiatus ac preſſus. Uti enim excitatur in coloribus & acuitur, quod lumine intenſiore ac vegetiore accenditur: ita contrà adſtringitur & premitur color, qui nimis onerat ac ſaturatur. Quamvis interdum, quia pleniori ac ſaturatiori colori etiam accedit lumen intenſius ac vegetius, iſta diſcrimina confundantur. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 200. & 345.

LÆVA, apud Vett. plerunque infauſta habita. Unde *lævâ manu* Inferis litatum. Stat. *Theb. l. 4. v.* 501.

> *Teſtor, ait, Divæ, quibus hunc ſaturavimus ignem,*
> *Lævaque convulſa dedimus carcheſia terra.*

Ad quæ verba pulchrè Scholiaſt. *Quæ ſiniſtrâ manu*, inquit, *funduntur. Lævâ manu infunderat. Inferis ſiniſtrâ manu immolamus pocula.* Et Seren.

> *Inferis manu ſiniſtrâ immolamus pocula,*
> Læva, *quæ vides Laverna, Palladi ſunt dextera.*

Et *lævus pes*, ſi manè præ dextero induerêtur, dirum omen viſum, ut de Aug. habes, apud Suet. *in eo c.* 92. Quo conſiderato ad rem pertinere, ait Seneca *de Benef. l. 2. c. 12.* quòd ſiniſtrum præ dextero pedem oſculandum dedit Caligula. Imò hinc miſeros dexterum pedem *lævo* ſemper, poſt ſtationem quidem aliquam, præponere conſueviſſe, colligimus ex hiſce Juv. *l. 4. Sat. 10. v. 5.*

> ——— *quid tam dextro pede concipis, ut te*
> *Conatus non pœniteat, votique peracti?*

Vide Barth. *ad Petron.* At *lævum latus*, in auſpiciis felicitatem portendebat. Virg *Æn. l. 2. v.* 692.

> *Vix ea fatus erat ſenior, ſubitoque fragore*
> *Intonuit* lævùm ———

Qua de re alibi. Idem apud Perſas olim, hodieque Turcas, honoratius eſt, an ob cordis vitaliumque ibi ſedem? Quam ob cauſam & in duellis hoc præcipuè latus peti ſolitum, adnotat Scholiaſt. Æſchyli *ad Septem---Theb.* Unde *pes lævus* ſ. poples in monomachiis perpetuò protenſus. Idem. *Æn. l. 10. v.* 587.

> ——— *projecto dum pede* lævo
> *Aptat ſe pugnæ, ſubit oras haſta per imas* &c.

Vide plura hîc, in vocibus *Dexter*, *Ocrea*, *Siniſter*, alibique paſſim, inprimis ubi de *Manu læva* uti de formula priſca, *Dii lævi*, *Deæ lævæ*, parùm abludente ab illa *ſi Deus, ſi Dea*, Arnob. *l. 4.* & ad eum G. Stewechii, *Electa*, nec non H. Junium. *Adverſ. l. 3. c. 3.*

LÆVI, Liguriæ pop. *Levi* Plin. *l. 3. c. 17.* cum Maricis Ticinum condidêrunt. Eorum locus hodieque *li Lobi*, in agro Alexandrino apud Maricos, inde ad 2. mill. paſſ. diſtans, nominatur: ab Alexandria 4. *Ferrar.*

LÆVIGANDO corpori, quæ à Vett. adhibita. vide hic paſſim ubi de *Alipilis*, *Dropace*, verbo *Oblinere*, *Pſilothris*, *Pumice*, *Uſtriculis.*

LÆVINUS Torrentius, Gandavenſis, 3. Ep. Antverpianus, dein 4. Archiep. Mechlinienſis, Obiit A. C. 1595. Comm. in Suet. & Horat. clarus; Libro Carminum Pio V. inſcripto *Princeps Poëtarum Lyricorum*, poſt Horat. dictus. Sand. *l. 2. de Gandav. Erud. Claris.* Val. Andr. *in Bibl. Belg.* Poſſivinus *in appar. S.* J. Lipſ. Havenſius, *de erect. Novor. in Belgio Epp.*

LÆVIUS, vel LÆLIUS, poëta, *Erotopægnia* ſcripſit. Alius, poëmatis de Centauris conditor. Lil. Girald. *dial. 4.* Voſſ. *de P. L.*

LAGA, vox Saxon. in LL. Henr. I. *c.* 2. & 54. *alibique*, idem cum *Lada*, vide *ſuprà.*

LAGANUM, ſ. LAGAN, vox barbara, nec niſi poſterioribus Seculis cognita, jus illud denotat, quod Dominis Feudalibus competebat in rebus, maris æſtu in litus ejectis: ratione cujus, quicquid naufraga navis contineret, eorum erat: Fortè à *Laga*, i.e. *Lex*; quæ quidem vox etiam cum *maris* adjuncto interdum ponitur, adeò ut, quæ *Laga maris* primitus, poſtmodum nudè *Laga* dicta videatur. Sic in *Charta* Phil. Aug. Regis Francor. *Quitamus & remittimus in perpetuum le Lagan maris.* Quamvis enim mos iſte, non res duntaxat naufragio deperditas, ſed & quæ naves naufragium paſſæ continerent, vindicandi, omni humanitati repugnaret; eouſque tamen jam veteri ævo, apud omnes ferè nationes, invaluit, ut pro *Lege* in mari recepta haberetur. Quomodo intelligendam quidam putant celeberrimam Legem 9. *D. ad Leg. Rhod.* ex Voluſio Mæciano, ubi porrectis Antonino Aug. libellis ſupplicibus à quibuſdam, qui in Ægeo mari naufragium erant paſſi, & à Cycladum Publicanis expilati, Imp. hæc verba ſubintulit; *Ego quidem Dominus, Lex autem maris*; ſubdens, velle ſe, ut controverſia Lege Rhodiâ dirimeretur, ubi Imperii Legibus contraria non eſſet. In quo quidem Antonini reſponſo per ſe obſcuro celeberrimi Juriſconſulti Scriptoreſque alii inſudârunt, è quibus C. du Freſne potiorem eorum ſententiam eſſe ait, qui volunt Imp. dixiſſe, *Licèt Mundi Dominus ſit, hanc tamen obtinere Legem maris*: quâ litem hanc diremtam velit &c. Henr. Spelmannus verò vocis etymon arceſſit, à Saxonico *lagan*, i.e. *jacere*; cui proin *Lagan* idem valet, quod *ejectus*. Vide C. du Freſne. *in Gloſſ.* & de hac conſuetudine infrà plura, in voce, *Navis, fracta. Rhodia lex* &c. item in *Wreccum*. Addam ſaltem, morem hunc diu licèt inolitum, quo & homines naufragi, & res naufragio ad litus ejectæ, repetitæ licèt eorum erant, qui litorum domini eſſent, à Principibus Chriſtianis procedente tempore in terris ſuis paſſim abrogatum: tamen & poſtea *Lagani* adhuc vocem occurrere, in Computis domaniorum Comitatuum Pontivi & Bononiæ A.C. 1369. 1405. 1465. & 1474. ubi fit recepta *des lagans*; quâ tamen voce nihil aliud indigitari ibi, quàm *ejectus maris*, eaque res ad litus à mari remiſſas, quæ nullius domini ſunt & à nemine repetuntur, ex ipſo contextu patet: At poſterioribus Seculis id nominis tributum potiſſimùm rebus in mari deperditis, vel ejectis, adhuc fluctuantibus, necdum ad litus appulſis, quæ inventoris ſunt, docet Bracton. *tract. de Corona l. 3. c. 2. §. 5.* apud eund. C. du Freſne. Apud Vett. verò *Laganum*, genus placentæ ex ſimila & oleo, Græcè λάγανον, occurrit apud Heſych.

LAGARIA, urbs Siciliæ prope *Thurios.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LAGARIA, urbs Lucaniæ in monte exciſa, nunc *Lagara:* ad Cyliſtarnum fluv. hodie *Carniſlaſo*. Inde *vinum Lagarianum* Plin. commendatum. Strabo *l. 6. p.* 263.

LAGECIUM, Angliæ opp. Ant. *Caſtleford*, Camd. Inter Eboracum & Danum in Mer. Londinum verſus 16. mill. paſſ.

LAGENA, ex Græco ἡ λάγηνος vel λάγυνος, vaſis vinarii genus eſt, κασιγνήτη βακχείας κύλικος, *ſoror Bacchici calicis* hinc dicta, *in Epigr.* apud Heſych. colli anguſti, unde, quia non liberè liquor effluit, ſolet edi ſonitus, à quo Franc. Rableſius occaſionem arripuit τοῦ ὀνοματοποιῆσαι lagenam, Gall. *baccbuch*, alludens ſimul ad Dionyſii cognomen Βακχέβακχος, in ſacrificiis uſurpari ſolitum; vel potiùs ad Hebr. *baſbuc*, i. e. vas anguſti oris, à *concavitate* nomen nactum. Sed & Græca βῖκος, βικίδιον & βικίον Hier. *lagenam* & *laguncularn* vertit, Italique etiamnum *Bocal* appellant. Conficitur autem è varia materia & à viatoribus ferè circumgeſtatur. Apud Rom. olim ſigillo annuli quoque, ut & reliqua, quæ bene clauſa volebant, obſignatas diſcimus ex Cic. *ad Tiron. Ep.* 26. ubi matrem ſuam *lagenas etiam inanes obſignâſſe*, ſcribit. Et Mart. *l. 9. Epigr.* 89. cujus epigraphe ad Lupercùm.

Nunc ſignat meus annulus lagenam.

Id quod fiebat duabus de cauſis, ne aut vinum ebiberetur, aut veneno inficeretur à ſervis: à qua ſolicitudine liberum ſe eſſe ait Perſ. *Sat. 6. v.* 15.

——— *uſque recuſem*
Et ſignum in vapida naſo tetigiſſe lagena.

Porrò è cupa vinum in *lagenas* defundi, ſicque in menſam apportari ſolitum, colligere eſt ex illis, quæ ſuprà diximus in voce *Defundere:* uti ex Mart. eodem, ubi *lagenas vino refertas pilis in tabernis affixas catenis* memorat, *l. 7. Epigr. 6. v.* 5. cujus Epigraphe ad Cæſ. Domitianum.

Nulla catenatis pila eſt præcincta lagenis.

Ubi dicere vult, nullum cauponem vendere vinum ad pilas tabernarias lagenis hoc modo affixis refertas. Vide quoque Juv. *l. 1. Sat. 3. v.* 304.

Fixa catenatæ ſiluit conpago tabernæ.

& plura hanc in rem apud Chabot. *ad illud Horatii l. 2. Ep. 2. v.* 133.

——— *poſſet qui ignoſcere ſervis*
Et ſigno læſo non inſanire lagenæ.

Addam ſaltem, & menſuram, 4. ſextariis continentem, voce hac nonnunquam denotari. Hinc *laguncula*, apud Plin. *Ep.* 6. *Quum venabere, licebit me autore, ut panarium & lagunculam, ſic etiam pugillares ferat* &c. de *Conſulente lagenam*, vide ſuprà *Divinatio:* uti de *Lagena Hoſpitali*, apud Athenienſes infrà, *Peregrinus:* de *Laguncularum ſtratoribus*, in voce *Strator*.

LAGENIA, pars Hiberniæ, verſùs Or. & Angliam magis porrecta; *Leinſter* Gallis, *Leigningh*, Hibernis, ſub qua IX. Comitatus; Caterloghenſis nempe, Dublinenſis, Kildarienſis, Kilkennienſis, Mediæ Occ. & Or. Comitatus Reginæ, Regis & Vexfordienſis, & 15. urbes mercimoniis florentes. Terminatur ab Ortu mari Hibern. ab Occ. Connaciâ, à Sept. Ultonia, à Mer. Momoniâ. Ejus urbs prim. eſt Dublinum. Hîc olim Brigantes, Coriondi, Menapii, Cauci & Plani. Ptol. Vide Camd. *Deſcr. Brit.*

Lageniæ urbes præcipuæ.

Arcloa *Arcklo.*	Laghlinia *Laghlyn.*
Caterloghum, *Caterlagh.*	Molingaria *Molinghar.*
Dublinium, *Dublin.*	Roſſia *Roſſe.*
Kildaria, *Kildare.*	Vexfordia *Vexford.*

Vide Camd. *Deſcr. Britann.*

LAGHIUM, quæ forſan *Laaſa*, urbs Arabiæ fel. in ora Oceani Arab. 9. circiter mill. ab Adeno in Eur. 25. à prom. Aromatum in Bor. Sanſ. Vulgò *Laghi*, ſub proprio Principe.

LAGHLINIA, vulgò LAGHLYN, opp. munitum Lageniæ, vulgò *Leightin*, in Comit. Caterloghenſi. ad fluv. Brigum, *Barow*. 6. mill. Angl. à Caterlogha in Auſtr. 8. à Kilkennio in Ort. Olim Epiſcopal.

LAGIA, unum ex nominibus Deli inſ. Plin. *l. 4. c.* 12:

LAGINIA, opp. Cariæ, inter Phryſcum ac Epheſum, & Bithyniæ urbs. Steph. *Lagina* Strabo *l. 14. p.* 663.

LAGNUS, ſinus maris Balthici, *Beltz* vulgò: Hinc *Langland* inſ.

LAGNUTUM, opp. Maurit. Cæſarienſis. Ptol. *Tenes* Caſtaldo. Baudr. *Moſtagan*, inter Quizam ad Occ. & Juliam Cæſaream, nunc *Teneza*, ad Ort.

LAGO, puer ſubdolæ & fucatæ vernilitatis, Lyciſci ex ære opus memoratur Plin. *l. 34. c.* 8.

LAGOUS, fluv. Aſiat. Sarmatiæ. Plin. *l. 5. c.* 32. ex Catheis montibus.

LAGUS, pater Ptolemæi ſucceſſoris Alex. cui Philadelphus ſucceſſit in regno. Hinc *Lageus* Sil. Ital. *Punic. Bell. l. 1. v.* 196.

Terminus huic roſeos amnis Lageus *ad ortus.*

I. e. Nilus. Lucan. *Civ. Bell. l. 1. v.* 684.

Quâ mare Lagæi *mutatur gurgite Nili.*

Athen. *l. 13. p.* 576. Juſtin. *l. 13. c.* 4. Virg. *Æn. l. 10. v.* 381.

LAGUSA, inſ. maris Pamphylii. Item circà Cretam. Steph. *Chriſtiana* Nigro. Strab. *l. 10. p.* 484. Plin. *l. 5. c.* 31. Athen. *l. 1. p.* 30.

LAGUSSÆ, inſ. parvæ maris Ægæi, ante Troadem, Myſiæ urb. *Idem ibid.*

LAGYRA, urbs Tauricæ Cherſoneſi. Ptol. *Soldaia* Nigro. Quid nunc ſit, non conſtat. *Baudr.*

R. LAHINLAN, Euangelizavit de adventu Meſſiæ A. M. 260. Millenarii VI. juxta Calculum R. Gantz, *deſtruxitque ac demolitus eſt furnum deſtinatum tortulis, confidens ſequente Anno in Terra S. ſe cocturum tortas.* Sed & ſuis irriſui fuit.

LAHOLMIA, vulgò LAHOLM, incolis *Laa Holm*, opp. Hallandiæ, prope oram ſinûs Codani; aliàs munitum. In ipſo limite Scaniæ cum caſtro & portu. 7. mill. ab Helmoſtadio in Auſtr. 6. mill. Germ. ab Helſingoburgo in Eur.

LAHORIA, vulgò LAHOR, quæ & *Pengab*, urbs ampla Indiæ, caput regionis cogn. ad fluv. *Ravée*, ſub Mag. Mogole; & quandoque ſedes ejus; 180. mill. à Multano in Ort. totidem ab Attochio in Afr. 360. ab Agra in Bor. Splendida, cum palatio ſuperbiſſimo. Creſcit indies.

LAHRA, opp. Germ. cum tractu adjacente ſub Baronibus olim Geroldecciis fuit: Quorum proſapiâ in Jacobo non ita dudum Extinctâ, Frid. March. Badâ-Durlacenſis, nomine conjugis Annæ Mariæ, Baronis ultimi filiæ, ſibi vindicavit; poſteà quoque ex Geroldeccia hæreditate, cum Cronbergiis Comitibus adhuc controverſâ, Ceſaris ſententiâ adjudicatâ. Quanquam jam Sup. Sec. in Badenſium patrimonio eam fuiſſe, obſervare liceat: vide Munſter. *c.* 274. *ſub fin.* laudat. Tob. Pfannero *de præcip. Germ. Principp. gentib. c.* 9. Haud pridem, irruptione Gallorum, gravia damna ſenſit.

LAIAS, Arcadum Rex ſucceſſit Cypſelo, Ægypto apud Meſſenios regnante. Illum excepit Bucolion, quod vide.

LAICI, vide ſuprà, in voce *Clerici*, Item infrà, *Narthex; Navis.* Sed & *Laici*, in Monaſteriis dicuntur, qui vulgò *Converſi*, *Oblati*, *Donati*; de quibus vide Haëften. *Diſquiſition. Monaſticar. l. 3. tract. 1. diſquiſ.* 8. & Menard. *ad Concordiam Regular. p.* 1028. laudatos C. du Freſne *in Gloſſ.* ut & ſuprà *Fraternitas. Fratres conſcripticii* ac infrà *Redditi:* ubi tamen hoſce Converſis inferiores, videbimus ex eod. Cæterùm *Laicis*, de Fide Catholica verba facere privatim vel publicè, interdixiſſe Alex. IV. Pontif. *c. 2. de Hær. in* 6. Spiegelius refert, apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* plura vide apud Cl. Suicer. in voce Λαϊκός. Ut de *Laicorum libris*, h. e. imaginibus ſacris, uti hodieque a nonnullis hæ vocantur, aliquid adſpergam: inter alias ſimulacrorum excuſationes etiam hæc olim à Gentilium ſapientioribus adhibebatur, ſcire ſe quidem, nullam eſſe in ſimulacris divinitatem, ſed ea inventa, ut eorum contemplatione & adſpectu imperitum vulgus in Officio contineretur, quaſi Diis præſentibus. Sic Cic. *de LL. l. 2. c.* 11. *Meliùs Græci atque noſtri; qui ut augerent pietatem in Deos, eaſdem illos quas nos urbes, incolere voluerunt. Affert enim hæc opinio religionem utilem civitatibus, ſiquidem & illud benè dictum eſt à Pythagora----tum maximè & pietatem & religionem verſari in animis cùm rebus divinis operam daremus. Et quod Thales qui Sapientiſſimus in ſeptem fuit homines exiſtimare oportere, omnia, quæ cernerentur Deorum eſſe plena; fore enim omnes caſtiores, veluti qui in fanis eſſent, maximè religioſis. Eſt enim quædam opinione ſpecies Deorum in oculis non ſolùm in mentibus.* Et Porphyrius hinc disertè τὰ ἀγάλματα plebeculæ vocat βίβλους, *libros*, apud Euſeb. de *Præpar. Euang. l.* 3. Σοφίας θεολόγου νοήματα δεικνὺς, οἷς καὶ τὸν θεὸν, καὶ τοῦ θεοῦ τὰς δυνάμεις διὰ εἰκόνων συμφύλων αἰσθήσει ἐμήνυσαν ἄνδρες, τὰ ἀφανῆ φανεροῖς ἀποτυπώσαντες πλάσμασι τοῖς καθάπερ ἐκ βίβλων τῶν ἀγαλμάτων ἀναλέγειν τὰ περὶ θεῶν μεμαθηκόσι γράμματα. Θαυμαστὸν δὲ οὐδὲν, ξύλα καὶ λίθους ἡγεῖσθαι τὰ ξόανα τοὺς ἀμαθεστάτους κατὰ δὴ καὶ τῶν γραμμάτων οἱ ἀνόητοι λίθους μὲν ὁρῶσι τὰς στήλας, ξύλα δὲ τὰς δέλτους, ἐξυφασμένην δὲ πάπυρον τὰς βίβλους. Vide Herald. *de Arnobii iſta l.* 6. *Sed propter indomitum atque imperitum vulgus.*

LAINI, pop. Pæoniæ. Steph. ex *Thucydide*.

LAINUM; Lucaniæ opp. cum ſuburbiis, inter quæ Sapris fluv.

LAIS, meretrix nobiliſſima, quæ quæſtûs gratiâ ex Sicilia, ubi nata fuit, Corinthum ſeſe contulit. Ad hanc propter inſignem pulchritudinem potentiſſimi quicunque ex omni Græcia conveniebant, nec quiſpiam admittebatur, niſi qui dabat quod popoſcerat. Unde Proverbium, Horat. *l. 1. Ep. 17. v.* 36.

Non cuivis homini contingit adire Corinthum.

Strabo *l. 12. p.* 559. Mart. *l. 3.* Epigr. 11. cujus Epigraphe ad Quinctum. Tam carè enim Lais ſuas locabat noctes, ut vel potentiſſimi pretii magnitudine deterrerentur. Inter quos etiam Demoſthenes fuiſſe fertur, qui cùm ſcorti tam nobilis famâ accenſus, aliquando Corinthum navigâſſet, illaque noctis unius operam decem millibus drachmarum indicâſſet, expavefactus pretii immenſitate, Græcè reſpondit:

Οὐκ ὠνοῦμαι μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν.
Non emam decem millibus drachmarum pœnitentiam.

Prop. *l. 2. Eleg.* 6. initio.

Non ita complebant Ephyreæ Laidos *ædes,*
Ad cujus jacuit Græcia tota fores.

Ovid. *Amor. l. 1. Eleg. 5. v.* 13.

Dicitur & multis Lais *amata procis.*

Hæc aliquando in Theſſaliam profecta, cùm ab adoleſcentibus Theſſa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Theſſalis ſic adamaretur, ut ejus veſtibulum etiam vino aſpergerent; Theſſalæ mulieres invidiâ motæ, eam in Veneris templo, dum ſacra fierent, quæ viris nequaquam adire fas erat, confodêrunt, propter quod facinus Theſſaliam peſtis invaſit, nec priùs ceſſavit, quam Veneris ἀνοσίας templum condidiſſent. Pauſ. *in Corinthiac.* Ἔςι δὲ ϗ ἄλλο, ἐν Θεσσαλίᾳ Λαΐδος φάμενον μνῆμα, παρεγένετο γὰρ εἰς Θεσσαλίαν ἐρασθεῖσα Ἱπποστράτου. Ubi Palmerius: Videtur, inquit, Pauſ. duas ignorâſſe Laidas, matrem & filiam ſive naturalem, ſive adoptivam, ob pulchritudinem & meretricias artes celebratas. Nihil tamen eſt certius. Prima Lais e Sicilia advecta eſt ſeptennis à Polichnio quodam militante ſub Nicia, Chabria Archonte, teſte Ariſtophanis Scholiaſte *ad Plut.* ac cuidam Corinthio vendita, qui eam Corinthum Uxori donum miſit. Alii à Dionyſio Tyranno, Philoxeno Poëtæ Dithyrambico, datam, cum eo Corinthum perveniſſe aſſerunt. Hoc fuit Anno ſecundo Olympiadis 91. Anno igitur 4. Olympiadis 98. Dexitheo Archonte, quo Anno natus eſt Demoſthenes, nata erat illa Lais Annos 37. At A. Gell. *l.* 1. *c.* 8. ex Sotione Peripatetico narrat, Demoſthenem adiiſſe clam Laidem, & ab ea noctem popoſciſſe; quæ cùm illum drachmas decem mille poſtulâſſet, eum deterritum magnitudine ſummæ abiiſſe ac dixiſſe: Non emo drachmis decem mille pœnitentiam: Unde colligitur, Demoſthenem à ſecunda Laide noctem popoſciſſe; nam prima illa Lais ſexagenaria erat eo tempore, quæ ætas non ampliùs eſt apta meretriciis artibus; & pretium tam immenſum innuit Laidem illam fuiſſe in flore juventæ. Id etiam firmatur ex loco Pauſ. prædicto, ubi duo ſepulcra Laidis duas fuiſſe arguit. Sed apertiùs ex Athen. *l.* 13. *p.* 570. & 587. ubi ait, amicam Alcibiadis Damaſandram, quam Plutarchus Timandram, Scholiaſtes Ariſtophanis Epimandram vocat, quæ Hyccarenſis erat mulier, fuiſſe matrem junioris Laidis: Δαμασάνδραν τῆς Λαΐδος τῆς νεωτέρας μητέρα, quæ verba ſupponunt alteram Laidem antiquiorem. *Nic. Lloyd.*

LAISA, civ. quæ & Dan. Iſai. *c.* 10. *v.* 30. Athen. *l.* 4. *p.* 13.

LAISH, regionis quidem Aſer tribûs, poſſeſſione autem Dan. Jud. *c.* 18. *v.* 27. Pater Phaltiel. mariti Michol filiæ Regis Saul. 2. Sam. *c.* 3. *v.* 15.

LAIUS, fil. Labdaci Regis Thebarum, pater Oedipi, qui Jocaſtam Creontis Thebani filiam uxorem duxit: quam cùm concepiſſe audiſſet, de futura prole oraculum conſuluit, cui reſponſum eſt, eum naſcituri manu periturum. Quo reſponſo perterritus, puerum recèns natum uni ex ſatellitibus necandum tradidit, qui cùm neque herilis impietatis ſe miniſtrum præbere vellet, neque rurſus domini mandata auderet negligerè, viam mediam delegit, trajectiſque vimine pueri pedibus ex arbore eum ſuſpendit, futurum ratus ut inediâ moreretur. Verùm cùm Phorbas, Polybi Corinthiorum Regis paſtor, illac iter faceret, audito vagitu, eò accurrit, puerumque ſervavit, quem & Reginæ, quæ liberis carebat, magni muneris loco obtulit: à qua veluti puer cœlitus miſſus, filii loco educatus, & à *pedibus* ex vulnere *tumentibus* Οἰδίπους dictus eſt. Vide *Oedipus.*

LAJUS, Philoſophus & τελεςής, Antiochenſes à peſte liberavit, erectâ Charontis ſtatuâ τετελεσμένῃ. Tzetzes.

Λοιμοῦ τὴν Ἀντιόχειαν μεγάλου καταχόντος
Ξέσας ἐν πέτρᾳ πρόσωπον Χάρωνος, θεὶς τε πόλει,
Τὴν νόσον ἐξωστράκισε μακρὰν Ἀντιοχέων.
Peſte Antiochiam immani vaſtante,
Sculpſit in petra faciem Charontis, & erexit in Urbe,
Sicque morbum in exilium pepulit longè ab Antiochenis;

apud Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aurel.* de cujuſmodi ſtatuis conſecratis diximus *ſuprà.*

LAJUS, apud Cæſarium *in Regula ad Monachos c.* 26. *Veſtimenta alio colore non inducatis, niſi laja, lactinâ & nigrâ naturâ.* in *Regula* S. Cæſariæ Virg. alibique, Dom. Macro, eſt color naturalis pili caprini; ex Græco λαῖς, i. e. *caper*, *è cujus*, inquit, *candido pilo Monialium veſtes texebantur*, *in Hierol.* Vide infrà *Nativa.*

LALA, Pictrix nobilis, de qua ſic Plin. *l.* 35. *c.* 11. *Lala Cyzicena, perpetua virgo, Marci Varronis juventa Romæ & penicillo pinxit, & ceſtro in ebore, imagines mulierum maximè, & Neapolitanum in grandi tabula: ſuam quoque imaginem ad ſpeculum. Nec ullius velocior in pictura manus fuit: artis verò tantum, ut multum manipretio antecederet celeberrimos--- pictores Sopylon & Dionyſium, quorum tabulæ pinacothecas implent.*

LALA, Armeniæ majoris urbs. *Ptol.*

LALACAUM, regio Aſiæ min. Cedreno, Curopal. *Zonar.*

LALÆTANIA, vide LALETANI.

LALAGE, nomen puellæ. Horat. *Carm. l.* 1. *Ode* 22. *v.* 10. & 23.

Dulce ridentem Lalagen *amabo,*
——— *Dulce loquentem.*

Idem *l.* 2. *Ode* 5. *v.* 16. Prop. *l.* 4. *Eleg.* 7. *v.* 45.

Cæditur & Lalage *tortis ſuſpenſa capillis.*

LALANDIA, vulgò LALAND, Daniæ Inſ. in mari Balthico, prope Falſtriam, ad Mer. Selandiæ. Ibi urbs Naſcovia, probè munita, cum aliquot opp. Vix 2. leuc. à Langelandia Inſ. in Ort. Tenui freto, à Falſtria ſeparatur.

LALASSIS, Iſauriæ fluv. Plin. *l.* 5. *c.* 27. *Calendo Nigro.*

LALENESIS, Armeniæ min opp. Ptol. In Melitena reg.

LALETINI, Hiſp. pop. *Leatani* Ptol, *Letani* Strab. Ili poſteà *Gotholani* dicti fuêre, nunc corruptè *Catalauni*, Tarapha teſte. Baudr. *Laletani*, pop. fuêre Hiſp. Tarr. inter Indigetes ad Ort. & Coſetanos ad Occ. ubi nunc magna pars Cataloniæ, inter Gerundam & Tarraconem verſùs oram maris Medit. Horum reg. *Laletania*, Mart. *l.* 1. *Epigr.* 50. *v.* 22. inde *Laletanum vinum* à Plin. *l.* 14. *c.* 6. magis copiâ, quàm bonitate commendatur. Mart. *l.* 7. *Epigr.* 52. *v.* 6. cujus Epigraphe in Umbrum.

Et Laletanæ *nigra lagena* ſapæ.

Idem *l.* 1. *Epigr.* 27. *v.* 9. cujus Epigraphe ad Potatorem.

A Caupone tibi fax Laletana *petatur.*

LALISANDA, vel DALISANDA, urbs Iſaurica. *Steph.*

LALISIO, pullus onagri, vide *Onager.*

LALLA, nenia Nutricum, vide *Mamma* & *Nutrix.*

LALLAMANTIUS Johannes, vide *Johannes.*

LALLUS, Deus fuiſſe videtur, qui præeſſet neniis illis balbis, quas nutrices pueris occinunt, & pueros reddere cogunt. Nulla enim litera eſt, quam faciliùs ſonant pueri, quàm *Lambda:* Quin etiam ejus frequentiâ ſomnum inducebant. Auſ. de filio Probi *Ep.* 16. *v.* 90.

Nutricis inter lemmata,
Lallique *ſomniferos modos.*

Turneb. *Adverſ. l.* 18. *c.* 34.

LAMA, Luſitaniæ urbs, in Vettonibus. Ptol. Epiſcopal. ſub Archiep. Bracarenſi; Nunc *Lamegal*, caſtrum Portugalliæ, ad amnem cogn. vix 6. leuc. à conf. Regni Legionis in Occ. totidem à Guarda urbe in Arctos, 5. à Durio fluv. 10. à Lameca urbe, Ort. verſùs.

LAMACHA, urbs circa Armeniam. *Laonic.*

LAMACHUS, fil. Xenophanis, homo turbulentus, belliqué ſtudioſus, cum Alcibiade ac Nicia, ab Athenienſibus in Siciliam miſſus. Vide Thucyd. *l.* 4. *p.* 303. *l.* 6. *p.* 415. 443. & 481. Plutarch. *Alcib. & Niciâ* Juſtin. *l.* 4. *c.* 4. *l.* 16. *c.* 3.

LAMÆ, apud Gervaſ. Tilleber. *MS. de Otiis Imp. l.* 3. *c.* 87. *mulieres* ſunt (h. e. Dæmones muliebri ſpecie) *quæ noctu domos momentaneo diſcurſu penetrant, dolia relent* (fortè *relinunt*) *coſinos, catinos & ollas perſcrutantur, & infantes à cunis extrahunt, luminaria accendunt, & nonnunquam dormientes affligunt:* à quibus *Lamias* diſtinguit; *c. ſeq.* Vide C. du Freſne in *Gloſſ.*

LAMANTEA, urbs Italiæ Epiſcopal. in Calabria cit. Leander *Deſcr. Ital.*

LAMASBA, Numidiæ civ. Epiſcopal. Ant. Ejus meminit Conc. Carthaginenſe.

LAMBALIUM, vulgò LAMBATE, opp. Britanniæ min. 5. leuc. à Fano S. Brioci in Ort. Rhedones verſùs, 4. tantùm à mari Britannico in Auſtr. Baudr. Ubi vett. Ambiliatæ, de quibus Cæſ. quos tamen Sanſon in Abrincenſi diœc. locat, & Ambibatios vocat. Pertinebat olim ad Cliſſonios, armentis abundans: Hic & chartas pergamenæ magno numero conſiunt. *Joh. Matal. Metell.*

LAMBANA, Meſopotamiæ urbs. *Ptol.*

LAMBATHUM, opp. Angliæ, ubi Conc. à Joh. Pecchamo Archiep. Cantuar. habitum, A. C. 1280. Item A. C. 1406. à Thoma Burchetio Archiep. & Card. contrà Rainaldum Peacodium Ep. Ceſtrienſem, qui errorum accuſatus & in Monaſterium libris ejus combuſtis, detrûſus eſt, vide Spond. A. C. 1486. *n.* 5.

LAMBE, inſ. ſinûs Arabici. Plin. *l.* 6. *c.* 29. circà Mioſormum.

Reges & Principes.

LAMBERTUS, Italiæ Rex, fil. Guidonis Spoletani Duc. à Formoſo coronatus A. C. 893. Cujus æmulus Berengarius, Foro-julii Dux, excæcato Lud. fil. Boſonis, à Joh. X. coronationem viciſſim extorſit. Occiſus A. C. 910. in venatione ab Hugone, Com. Mediolanenſi. Luitpr. *Hiſt. l.* 1. Flodoard. *Hiſt. Rom. l.* 4. *c.* 2. Avus ejus cogn. cum Alberto Tuſciæ Marchione, qui ambo Carolomanni partes tuebantur, Joh. IX. in carcerem detruſit, A. C. 878. Luitpr. *Aimon.*

LAMBERTUS I. cogn. *Barbatus*, fil. Ragineri III. Com. Hannoniæ minor, Lovanienſem Comitatum, ex hæreditate ſobrini Ansfridi, qui dein Ep. Ultrajectinus, obtinuit; prælio ad Florinas adverſùs Godofredum Gibboſum commiſſo cæſus A. C. 1015. Ei ex Gerberga, filia Car. Lotharingiæ Duc. è ſtirpe Car. Mag. nati Henr. qui pro Ducatu Lotharingiæ bellum geſſit, &c.

LAMBERTUS II. quem Henr. III. Imp. ſtantem ex partibus Balduini Flandri, Tornaci obſeſſum, cepit & Occidit, A. C. 1054. Pater is fuit, ex Oda Lotharingica, Henr. II. qui Balduini Haunonii, adverſùs Rob. Friſium ſocius fuit: Ejus ex Adela Thuringica, filii, Henr. ſe primus *Brachbantiæ patriæ Com.* dixit, & Godofredus cogn. *Senior* vel *Barbatus*, Ducatum Lotharingiæ inf. iterum in familiam reduxit: quin & A. C. 1137. Marchionatum Antverpiæ, quo A. C. 1126. à Waleramo Duce Limburgi fuerat ſpoliatus. Huic fil. fuit Godofr. II. pater Godofr. III. *in cunis* dicti: quo natus Henr. I. cogn. *Probus*, genuit Henr. II. cogn. *Magnanimum*, qui ab Innoc. IV. contrà Frid. II. ad regnum Rom. vocatus, per fil. Henr. III. cogn. *Manſuetum*, Duces Brabantinos: & alterum Henr. cogn. *Puerum*, Landgravios Haſſiæ ſevit, vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.*

Viri Clari.

LAMBERTUS, ſec. Voſſ. & Serrarium Aſchaffenburgenſis, ſecundùm alios Schawenburgenſis, Benedictinus, A. C. 1058. Hieroſolymâ redux Hiſtoriam compoſuit à M. C. uſque ad A. C. 1077. magni

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

magni æſtimatam: quam, licèt non tanta cum laude, alius quidam Monachus continuavit, uſque ad A. C. 1472. Trithem. *de Vir. Ill. & in Chron.* Lipſ. *in not. ad Polit. l. 1. c. 9.* Barthius, *Adverſ. l. 49. c. 4.* Scalig. *de Emend. Temp.*

LAMBERTUS Leodienſis, Monachus Cluniac ſcripſit vitam Heriberti, Archiep. Col. Epigrammata, &c. Voſſ. Alius, cogn. parvus, Benedictinus, vitas Epp. Leodienſium condidit, ab A. C. 988. uſque ad A. C. 1194. Alios, libb. 2. de vita & miraculis S. Matthæi verſibus edidit, &c. A. C. 1080. Trithem. *in Cat.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 2.*

LAMBERTUS Beghius, autor Beguinarum. Petrus Coëns, *in diſc. Hiſt. de Beguin. edit.* A. C. 1629.

LAMBERTUS Guinenſis, Ep. Atrebatenſis, à Paſchalii II. miſſus, Phil. I. Gall. Regem ob illegitimas cum Bertrada nuptias abſolvit. Obiit A. C. 1115.

LAMBERTUS Hortenſius Montfortius, à Conſulibus Delphenſibus honorificè compellatus; ut Academiæ Recturam ſuſciperet, reſpondit: *Angelum quæritis, Homo ſum, Valete.* Vir eruditus, Sec. Præt.

LAMBERTUS Lombardus, Leodienſis, pictor excellens & celebris Architectus.

LAMBERTUS de Serico, autor ſupplementi vitarum Virorum Ill. quas Petrarcha orſus eſt.

LAMBERTUS Waterloſius, Canonicus Cameracenſis, Epp. urbis hujus vitas deſcripſit. Ab Odone, qui Manaſſi II. ſucceſſit, A. C. 1105. uſque ad A. C. 1160. quo floruit, &c.

LAMBESCA, vulgò LAMBESC, opp. lepidum Prov. prope Duranium fluv. 4. leuc. ab Aquis Sextiis in Ort. Ammianum verſùs. 3. à Salone in Eur.

LAMBESE, Africæ urbs mediter. hodie *Lambeſca*, in regno Conſtantin. quod Tunetano ſubeſt, Olim Epiſcopal. Hîc Conc. A. C. 240. contrà Privatum Ep. hæreſeos criminumque atrocium accuſatum. Qui poſteà, in Synodo quadam Afric. ſe defenſurus, cùm rejectus eſſet, Carthagine Fortunatum, contra Cyprian. Ep. creavit. Cyprian. *Ep. 30. 54. 55. &c. edit. Rigalt.*

LAMBRANI, pop. Inſubriæ circà Lambrum fluv. Nic. Lloyd. Locus eſt, Suet. *Jul. Caſ. c. 9.* ubi citerioris Hiſpaniæ barbarum aliquem populum intelligi, cujus opibus abuteretur Piſo, cui provincia illa obtigerat, ſuſpicatur Caſaubonus, qui in Viterbienſi, *Ambianos*, in aliis quibuſdam Codd. *Lubranos*, ſcriptum adeoque locum corruptum eſſe, obſervat *ad l.*

LAMBRIACA, opp. Hiſp. in ora Gallæciæ Occid. *Flavia Lambris Ptol.*

LAMBINUS, Dionyſius, vide *Dionyſius.*

LAMBRUS, fluv. Gall. Ciſalp. maximè perſpicuus, quem Padus defert in mare Hadriaticum, Plin. *l. 3. c. 16.* & *19.* hodiè *Lambro.* Oritur ex monte apud lacum Larium & Comum, perque Eupilim lacum tranſiens Modoëllam & Marinianum interluit, Padoque inter Ticinum & Placentiam excipitur.

LAMECA, Portugalliæ urbs Epiſcopal. ad Durium fluv. hodie *Lamego* dicta. Epiſcopal. ſub Archiep. Bracarenſi, 3. mill. à Durio fluv. Media inter Bracaram ad Cæc. & Guardam in Afric. 12. leuc. à Portu Cale. *Lama* Ptol. Ejus mentionem facit 3. Conc. Carth.

LAMECH, Methuſaëlis fil. natus A. M. 875. pater Noachi: ex Sethi fam. Gen. *c. 4. v.* 18. Joſeph. *Antiqq. l. 1.* Item abnepos Caini, qui Adâ & Sellâ ductis, bigamiam primus introduxit, & ſic adulterium contra legem naturæ, ac Dei decretum commiſit. Fuit autem vir ſagittarius, qui diu vivendo oculorum caliginem contraxit, & habens adoleſcentem, dum exercet venationem, ob uſum tantùm pellium (quia non erat uſus carnium ante diluvium) dirigente juvene ſagittam, caſu inter fruteta interemit Cain. Gen. *c. 5. v. 25.* Luc. *c. 3. v. 36.* Rivet. *in Gen.* Comeſtor *in c. 4. Gen.*

LAMELLUM, quæ & *Mellaria*, inſ. parva; vel potius ſcopulus exiguus, maris Turrheni, ante Liburnum portum, inde 5. mill. paſſ. vulgò *Malora.* Hic Piſani claſſe à Genuenſibus victi, & hunc portum & Sardiniam amiſêrunt, ſub Greg. IX.

LAMENTATIONIS Dies, dicitur in Eccl. Rom. triduum majoris Hebdomadis, quo Judæis in publicum prodire interdictum, *c. 15. l. 5. Decretal tit. 6.* apud Dom. Macrum *in Hierol.* In *Hiſt.* Offæ I. Regis Merciorum *MS.* mentio fit *Lamentationis menſurnæ*, his verbis: *Offanus autem* (ſ. Offa II. prioris fil.) *oculos patris ſui piè claudens, lamentationes menſurnas cum magnis ejulatibus, lacrymis & ſpecialibus planctibus, prout moris tunc erat Principibus magnificis, lugubriter* ——— *continuavit* &c. apud Henr. Spelmann. *in Gloſſ.* voce *Month-day.*

LAMENTATRICES, vide ſuprà *Cantatrices*, item in vocibus *Næniæ* & *Præfica.*

LAMETIA, opp. Brutiorum, *S. Eufemia*, teſte Barrio: patria Steph. Geogr. pop. *Lametini.* Steph. A fluv. Lameto, qui ex Apennino ortus, hac in ſinum *Lameticum*, vulgò *Golfo di S. Eufemia*, abit.

LAMESTIUS, Sycophanta Syracuſis, Timoleonti vadimonium imponere meditatus. *Laphyſtius Plutarcho.*

LAMFOCTENSE, opp. in Mauritania. *Amm. Marcell.*

LAMFRIDUS, Benedictinus Anglus, ſub Ethelredo Rege Sec. 10. Hiſtorica quædam edidit, inprimis vitam Suithini Ep. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 2. c. 41.*

LAMIA, Prætor, in rogum, pro mortuo conjectus. Plin. *l. 7. c. 52.* Horat. Æl. *Lamia* dedicavit *Od. 17. Carm. l. 3.*

LAMIA, dicta quaſi Λαίμια ἀπὸ τῦ ἔχειν μέγαν λαιμὸν, quod habeat magnum guttur. Duris *Hiſtor. l. 2. rer. Libyc.* tradit, Lamiam formoſam quandam feminam exſtitiſſe, quæ cùm concubuiſſet cum Jove, ex Junonis æmulatione eidem liberos Exſtinctos. Quare ex mœrore deformem factam & aliorum prolem rapere ac perimere. Vide Scholia Græca *in Ariſt. Crabron. 505. A.*

LAMIA, meretrix quædam inſignis fuit, Demetrii Regis amica, cui blandientes Thebani *Veneris Lamiæ* delubrum conſecrârunt.

LAMIA ſ. LAMNA, vide ſupra *Canis Carcharias.*

LAMIA, urbs Theſſaliæ mediterranea, Epiſcopal. ſub Archiep. Lariſſæo *Demochi*: Hinc ſinus *Lamiacus*, qui & *Oetegus.* Eſt & alia Siciliæ. Item Arcadiæ mons. Steph. Plin. *l. 4. c. 7.*

LAMIA, ſ. LIMA, Hiſp. in Callaicis Bracariis, fluv. nunc Portugalliæ. Vianam opp. rigat, & paulò infrà in Oceanum Occ. ſe exonerat, 13. mill. ab oſtio Minii fluv. in Auſtr. *Limius* aliis.

LAMIA Syllanus, gener per majorem filiam Antonini Pii Imp. apud *Jul. Capitolin.*

LAMIÆ, inſulæ parvæ, ſ. veriùs ſcopuli maris Ægæi ante Troadem. Plin. *l. 5. c. 31.*

LAMIÆ, vett. quoque *Lemures*, *Larræ* & *Empuſæ* dictæ, ab antiquis mulieres eſſe putabantur, ſive verius, dæmonum quædam phantaſmata, quæ formoſarum mulierum ſpecie aſſumptâ, pueros, præſertim juvenes, blanditiis allectos devorabant. Hæ cùm foris eſſent egregiè oculatæ, domi prorſus cæcutiebant. De nomine Bochart. Ut *Lamus* Rex ἀνθρωποφάγος, ita *Lamia* fingitur eſſe monſtrum libidinis ac humanæ carnis avidum. Sic affirmat Apollon. apud Philoſtrat. *l. 4.* Lamias σαρκῶν, καὶ μάλιστα ἀνθρωπείων ἐρᾷν. Hinc Horat. *in Arte* poët *v.* 340.

Neu pranſæ Lamiæ *vivum puerum extrahat alvo.*

Itaque *Lamus* & *Lamia* ſunt voces ejuſdem originis. *Lamia* porrò nomen eſſe Punicum ſuadet, quòd Libyca eſt tota fabula. *Lamia* enim mulier Africana fuiſſe fertur (Ita tradunt Heſych. & Doris vel Duris potius apud Suid.) Βήλυ καὶ Λιβύης θυγάτηρ, ut legere eſt in Schol. Ariſtoph. *in Pace.* Sed & his longè antiquior Euripid. de *Lamia* ſic habet,

Τίς τοὔνομα τὸ ἐπονείδιστον βροτοῖς
Οὐκ οἶδε Λαμίας τῆς Λιβυστικῆς γένος.
Quis Africanæ neſciat Lamiæ genus,
Infame nomen & tetrum mortalibus?

Et Diod. Sic. *l.* 20. Ophellas Rex Cyrenarum ad Agathoclem ſe conferens, qui Carthaginenſibus bellum in Africa moverat, reperiſſe legitur circa Automalas in profunda valle, ἄντρον εὐμέγεθες, κιττῷ καὶ σμίλακι συνηρεφὲς, ἐν ᾧ μυθεύουσι γεγονέναι βασίλισσαν Λαμίαν, *vaſtum antrum hederâ, & taxo conſitum, in quo reginam Lamiam natam eſſe fabulantur.* Unde colligas etiam barbaris, in infima Africa, Lamiæ nomen non fuiſſe ignotum: Factum id, ut videtur, à Punico verbo להם *Laham*, vel *Lahama*, quod *vorare* ſignificat, hodieque in uſu eſt apud Arabas. Vide Cœl. Rhod. *Lect. Antiq. l. 29. c. 3. & l. 45. c. 5.* Plin. *l. 9. c. 24.* *Nic. Lloyd.*

LAMIÆ, al. *Maleficæ*, in Italia communiter *Strigiæ*, ad ſimilitudinem *ſtrigis* nocturnæ & importunæ, quia noctu præcipuè dicuntur in maleficiis verſari; nonnullis, *Magæ*, *Incantatrices*, aliiſque nominibus ab alijs inſignitæ: Secta mulierum præcipuè (ſed & viri nonnunquam miſcentur) quæ circà A. C. 1400. in Italia orta eſſe dicitur. De qua ſcripsêre multi multa Jac. Sprengerus, Sylveſter de Prierio, Barthol. Spinæus aliique qui omnes acriter contendunt, illas ad nocturnos ludos ſ. choreas corporaliter deferri. Unus inter Pontificios prioribus Seculis fuit Franc. Ponzinitius, qui communem opinionem impugnavit, ipſaſque non verè deferri, ſed ſomniis ac phantaſmatibus deludi aſſeruit, quæ hodie plerorumque Sententia eſt. Hæ quibus ſignis dignoſcantur, juxtà doctrinam Inquiſitorum Eccl. Rom. & quo modo contrà illas in hoc Tribunali procedatur, pluribus exponit, Phil. à Limborch *Hiſt. Inquiſit. l. 3. c. 21.* ubi & exempla injuſtè damnatarum habes. Vide quoque Sim. Epiſcopium *Inſtitut. Theol. l. 3. c. 3. ſ. 1.* Pegnam *ad l. de Strigibus Bern. Comenſis*, Aliqs Ceterùm, à *Lamiis* læſos infantes quomodo ſanare conentur hodierni Græci, vide infrà, ubi de *Ungendi ritu.*

LAMIARUM, nobilis Romæ fam. fuit à *Lamo* fil. Neptuni, Rege Læſtrygonum, Formiarum conditore, orta, Antiphatis patre. Juv. *Sat. 4. l. 1. v.* 154.

——— *Hoc nocuit* Lamiarum *cæde madenti.*

i. e. *nobilium ſanguine.* Vide *Lamus.* Idem *l. 2. Sat. 6. v.* 384.

LAMIDA, Mauritan. Cæſarienſ. urbs. *Ptol.*

LAMINA, fruſtum metalli cujuſque, in longitudinem magis, quàm latitudinem, ductum, bracteâ craſſius; ex Græco ἠλαμένη, verbi ἐλαύνω, nomen accepit. Cujuſmodi *lamellam* auream, naſo ſuſpenſam, quæ ad ornatum labia tegebat, in Rege Nagoaræ aliiſque Principibus, obſervavit Petr. Martyr, apud Rhodium *Diſſertat. de Acia.* De *lamina* in fronte Pontificis ſummi Hebræorum, ex auro puro, verba hæc SANCTITAS JEHOVÆ inſcripta habente; ut & de *lamina*, quam hodieque Judæi geſtant; dictis aliquot S. Scripturæ refertam, vide ſuprà, in voce *Frontale.* Ut de *pretioſa lamna* Horatii *Carm. l. 2. Ode 1. v. 2.* quo nomine pecuniam is deſignat, nihil dicam. Alium *laminarum* uſum Arnob. indigitat *l. 2. Adverſùs ictus noxios & venenatos colubrorum morſus*— *protegimus nos laminis, Pſyllis Marſiſque vendentibus.* Ubi inter periapra illas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

recenſet, quemadmodum & Alex. Trallianus inter magica, vel, ut ipſe vocat, φυσικὰ remedia, πετάλων ſive *laminarum* iſtiuſmodi ſæpe meminit. Eodem fini acus, annuli, icunculæ, adhibebantur aliaque circumferri facilia: quæ omnia præſtigiatores & plani hominibus vendere, aliquando & donare, ſolebant, ut videre eſt apud Suet. *in Claud. Ner. c.* 56. Solitos autem faſcinatores attendere, ut metallo cuique (juxtà opinionem Vett. de ſeptuplicis metalli præfectura VII. planetis attributâ) proprium inſcriberent characterem: uti &, cui corporis parti applicarent *laminam* ſic ſcriptam, docet Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 2. *c.* 34. Sed & *Lamina* ardens inter acerbioris ſupplicii genera, recenſetur A. Gellio *l.* 10. *c.* 3. *Quid quum ignes*, ardenteſque laminæ *cæterique admovebantur?* Imò jam Plauto memoratur *Aſin. Act.* 3. *Sc.* 2. *v.* 4.

Stimulos, Laminas, *cruceſque.*

Et Horat. *l.* 1. *Ep.* 15. *v.* 35. *ad C. Numonium Valam,*

Scilicet ut ventres lamnâ candente nepotum
Diceret urendos correctus.

Frequens fuit in martyrum ſuppliciis, meminitque ejus ſæpiſſimè Euſeb. inprimis *Hiſt. l.* 5. *c.* 1. & 3. & *l.* 8. *c.* 3. Porrò aduſtiones laterum, inter publicas pœnas numerantur *l.* 1. *C. de emend. ſerv.* Nempe igne candefactum iſtiuſmodi metalli fruſtum nudis ſanctorum martyrum vel noxiorum hominum carnibus admovebatur, ibique defigebatur tamdiu, donec eos immiſericorditer combuſſiſſet. Icon earum exhibet, ex Gallonio *de Mart. Cruc.* Gothofred. Jungermann. *Notis in Hier. Magii l. de Equuleo.* Malè à nonnullis cum Equuleo confunditur, non enim ſemper in Equuleo miſeri *laminis* iſtiuſmodi torquebantur, ſed eum demum, cùm rei conſtantia Judicis ſpem fefelliſſet; tum enim igneas *laminas*, lampades aut tædas ardentes, vel etiam ungulas, uncos & conſimilia afferri jubebat, ut his vel horum ſaltem altero, ejus latera cæteræque corporis partes urerentur atque excruciarentur, quò ſic novi doloris acerbitas veritatem extorqueret. Iconem Martyris ab Equuleo pendentis, & funalium flammâ laminiſque ignitis uſtulati, idem exhibet *p.* 136. Aliquando palo alligatis *Lamina* ardens picem in membra ſtillavit, vide Juv. *l.* 1. *Sat.* 1. *v.* 156. apud Jac. Oiſel. JC. *Notis in A. Gellii loc. ſuprà laudat.* Mitiorem uſum habuêre æreæ olim *lamellæ* ſ. collaria apud Rom. quibus inſcriptio fugitivorum inciſa eſt. Cùm enim Conſtantinus Aug. vetuiſſet in facie noxiorum ſcribi, non defuêrunt lenes domini, qui obſequerentur & frontis contumeliam in ea, quæ diximus, transferrent. Collaria enim fuiſſe apta fugitivis, teſtatur & Lucilius,

Cum Manicis, Catulo, Collarique *ut fugitivum*
Deportem.

Quale Romæ Lælius P. ſchalinus ſervavit, cum hac inſcriptione: *Tene me, quia fugi, & revoca me domino meo Bonifatio Linario A.* ☧ Ω. X. Extat apud eund. ærea *lamella* utrinque inſcripta, quam exhibet Laur. Pignor. *Comm. de Servis p.* 32. Et ex hoc demum capite famoſa erat olim collaris ferrei geſtatio, ut notat metaphraſtes *in actu SS. Mart. Carpi, Papyli Agathodori & Agathonicæ*, ut quæ liberos homines dedeceret. Vidit & Benedictus Ægius Romæ olim apud Maffæjos *laminam* æneam, in qua legebatur: *Tene me quia fugi & revoca me in Baſilica Paulli ad Leonem.* Et hæ *lamellæ* clavis capitatis ad collaria affigebantur, ut indicio ſuo proderent, fugitivos, quemadmodùm conjicit præfatus Pignor. Vide quoque infrà in voce, *Stigmatia.* Nec omittendæ *Lamina*, vel *Lamna*, quæ viliori ligno è pretioſiore ſuperinducebantur. Plin. *l.* 16. *c.* 43. *Hæc prima origo luxuriæ, arborem aliâ integi & viliores ligno, pretioſiores cortice fieri, ut una arbor ſæpius veniret. Excogitatæ ſunt & ligni bracteæ; nec ſatis cœpêre integi animalium cornua, dentes ſecari; lignumque ebore diſtingui, mox operiri. Placuit deinde materiam & in mari quæri. Teſtudo in hoc ſecta------Sic lectis pretia quæruntur, ſic terebinthum vinci jubent, ſic citrum pretioſius fieri, ſic acer decipi.* Nempe hæc tria lignorum genera, *terebinthus, citrum* & *acer*, in laminas præcipuè ſecabantur, ut eſſent operimenta lectorum; hæc enim maximè in pretio: unde & teſtudinem ſectam ad eoſdem uſus, horum trium lignorum coloribus potiſſimùm pingere conſuevêre, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 416. & 417. qui etiam de *Laminis vitreis*, gypſo olim, hodie plumbo, committi ſolitis *p.* 1093. De *Lamina aurea margaritis gemmiſque exornata*, ſ. Diademate Impp. CPolitanor. quod σέμμα, i. e. βλατίον μετὰ λίθων καὶ μαργάρων, vocat Curopalates *de Offic.* quodque ponè frontem colligari ſolebat, hoc uno è veteri vocis notione retento: de *Lamina* item in aliorum Impp. quam Græci πέταλον quoque vocant, ut è Philone & Clem. Alex. patet, prolixè agit Car. Paſchal. *Coron. l.* 9. *c.* 7. & *ſeqq.* Vide quoque aliquid ſuprà, ubi *de Diademate*; ut & hìc aliquid in vocibus *Bractea, Petaliſmus, Plata*: de *Laminis* verò *aureis argenteiſque*, quibus mitræ Epiſcoporum ab Abbatum mitris diſcriminantur ſuprà *Abbates mitrati*, uti de Nerone, qui *Laminâ pectori impoſitâ ſub ea cantica exclamans, alendis vocibus, demonſtravit rationem* Plin. *l.* 34. *c.* 18. de more *commercia levioribus metalli laminis peragendi*, infrà aliquid in voce *Medallia*, plura verò apud Joh. Bapt. Tavernier *Itin. Perſic.* ubi hujuſmodi *laminarum* iconas exhibet.

LAMINIUM, opp. Hiſp. Tarrac. olim Epiſcopal. ſub Archiep. Toletano, ad fontes Anæ fluv. hodiè *Alambra* Pineto. Baudr. *Villa nueva de los Infantes*, ſ. *Montiel*, locus in viciniis, 2. hinc leucis & 30. à Toleto in Afric. Hinc ager Laminitanus, vulgò *Campo de Montiel*; qui eſt inter montes Marianos ad Mer. & fontes Anæ fluv. in Bor. frumentis maximè fertilis, & aquæ penuriâ plerunque laborans, propter fontium raritatem. Pop. *Laminitani*, in Carpetanis. Plin. *l.* 3. *c.* 1.

LAMIRUS, Herculis fil. ex Jole Euryti Regis filia.

LAMISCUS, Samius, Hiſtoriarum ſcriptor, conjungitur cum Meliſſo à Palæphato, initio eorum quæ de incredibilibus prodidit.

LAMISSUS, ſecundus Longobardorum Rex, A. U. C. 1177.

LAMIUS, mons Joniæ Endymione celebris, qui hinc *Lamius* dictus eſt. Ovid. *de Arte Am. l.* 3. *v.* 83.

Lamius *Endymion, non eſt tibi Luna rubori.*

Vide *Latmius.*

LAMMA Magnus, i. e. Magnus Sacerdos, vocatur in regno Tartarico, (quod *Barantolam* & *Laſſam* vocant) regno Tanguthi vicino, is, qui præter eum, qui regni negotiis incumbit, ſummæ in eo autoritatis eſt. Hunc in ſecreto ſui palatii deſidentem, velut Numen, omnes non indigenæ ſolùm, ſed & reliqui Tartariæ Reges, adorant, neque ullus horum prius inauguratur, quàm miſſis cum muneribus Legatis ab illo benedictionem impetraverit. Vide Athan. Kircher. *Chin. l.* 2. *c.* 4.

LAMOTIS, Ciliciæ regio. *Ptol.*

LAMPACA, Inſ. Chinenſibus habitata, de quibus memoratu hoc dignum refert Ferd. Pinto *Reiſſbeſchr. p.* 283. Compererant ii, vicinas regiones *Cuy* & *Sanſy*, terræ motibus & prorumpentibus indè undis prolapſas abſorptaſque periiſſe. Hinc paria ſe meruiſſe conſciis, ſimilis calamitatis timor: & coactâ ad id concione moniti, *Audirent ipſi, homines miſerrimi, ſupremum rerum Arbitrum continuis injuriis laceſſentes, quantis is calamitatum fluctibus indignationem, diuturnis ipſorum flagitiis cumulatum, effuderit:* vera ſibi exprobrari fatentes & in terram proſtrati, *Deum in cunctis operibus ſuis undequaque juſtum deprehendi*, humillimâ confeſſione exclamavêre. Indè poſt primos dies, quibus domibus clauſi publico abſtinuêre, coacto rurſum cœtu, per vicos urbis incedentes, primò Sacerdotibus, *O mirande & miſericors Deus*, precatis, *ne peccata noſtra reſpicias; his enim ſi animum adverteris, obmuteſcere nos coram Te neceſſum erit:* Populus hiſce acclamavit, *Domine confitemur coram te crimina noſtra.* Quibus ſupplicationibus decem & quatuor dies impendentes, neque tamen id ſufficere rati, plurimis in egenos, captivos alioſque beneficiis, ſuam pietatem, animumque præteritorum pœnitentem teſtatum fecêre, apud Tob. Pfanner. *Syſtem. Theol. Gentil. pur. c.* 13. §. *ult.*

LAMPADARII, officiis ac miniſtris illuſtrium dignitatum vulgò accenſentur, maximè verò Præfectis Prætorio & Magiſtris Officiorum adſcribuntur, apud Julianum Anteceſſorem *Conſtitut.* 37. & *in Notit. Imp.* ac deindè inferioribus etiam magiſtratibus, ex Impp. indultu, ut Quæſtoribus & Præfectis Inſularum, apud eund. Julian. *l. c.* aliiſque, *in Conſtitut.* Leonis Mag. & Zenonis *Cod. de div. Offic.* Etiam Pontici tractûs Vicario, *ut & Præcone & Lampadibus quatuor uti poſſet*, conceſſum Juſtiniani Edicto 8. §. 4. Undè patet, plures fuiſſe *Lampadarios* majoribus magiſtratibus, quorum princeps *Primicerius Lampadariorum* dicitur, in *Nov.* Valentiniani 34. ex Theodoſianis, quas edidit Pithœus Opilioni Magiſtro Officiorum inſcripta. Cùm igitur Lampades 4. concedantur Pontici tractûs Vicario, ſatis apparet, *Lampadarios* non fuiſſe, qui lampadum Palatii curam haberent, ut quidam voluêre. Sed nec plures quatuor lampades habuiſſe magiſtratus, indè colligitur, quòd inter inſignia Præfectorum Prætorio *in Not. Imp.* non plures depingantur: Sunt autem lampades ibi non Lucernæ oleariæ, ſed candelabra cereis ſuis inſtructa. Ad eſt præterea inter ea inſignia Imp. imago, quæ magiſtratui præferebatur, ut obſervare eſt ex Senatore *l.* 6. *in Formula Conſ.* 20. adeò ut lampadas iis conceſſas par ſit credere, ob ejuſmodi imagines, cùm deferri μετὰ κηρῶν καὶ μετὰ κηραψίας, *accenſis cereis*, ſolerent, ut docent *Acta* Synodi VII. *act.* 1. & Autor Chron. Alex. in Phoca. Neque id ſummis magiſtratibus proprium fuit, cùm & Imperatoribus præferrentur, uti docent; Herodian. *in Commodo* & *in Antonino*, Tertullian. *in Apologetico c.* 34. Alii. Indè verò fluxiſſe, ut *cum faculis & acclamationibus* in urbium ingreſſu, Impp. Occidentis exciperentur, quod tradit Lambertus Schaffnaburgenſis A. C. 1077. non liquet. Verùm utut ſe res habeat, hinc ritus videtur apud Orientales Auguſtos ortus, ut *Lampadariis* in ſacris liturgiis eos præcederent, μετὰ διβάμπελης τῆς λαμπάδος, ut autor eſt Codin. *de Offic. c.* 6. *n.* 4. 31. 41. & *c.* 7. *n.* 24. Quòd autem *Menſoribus* adjungantur *Lampadarii*, in *Not. Imp.* & *in d. l. ult. Cod. de Div. offic.* ideò fortè factum, quia ex Menſorum ordine erant, vel quia, uti illi, Imp. & magiſtratus anteirent. Ab Impp. tranſiit mos ad Patriarchas Eccl. Græcanicæ, quibus itidem in Liturgiis lampades ac foces præferri conſueviſſe, legitur apud eund. Codin. *de Offic.* Quo etiam jure Metropolitani gaudebant αὐτοκέφαλοι, uti diſcimus ex Balſamone *de Privilegiis Patriarch.* quales Archiepp. Cypri, Bulgariæ &c. Hinc meminit λαμπαδαρίς τοῦ Βασιλικοῦ Κλήρου, *Lampadarii Imperatorii Cleri* Pachymeres *l.* 4. *c.* 16. qui ſc. in Palatinis Eccleſiis lampadem Imp. fortè, aut ipſi Patriarchæ, vel alii Metropolitæ, in iis ſacra facienti, præferebat: docetque idem *l.* 2. *c.* 15. βακτηρίαν καὶ τὸ λαμπαδοῦχον, symbola fuiſſe dignitatis Patriarchalis, quæ ab Arſenio Patr. repetiit Mich. Palæologus, cùm eum abdicâſſet. Διβάμπυλον dicitur eidem Autori *l.* 7. *c.* 28. quòd *duplici lampade* conſtaret, uti docet C. du Freſne, è quo hæc deprompta, ex Meurſio & Gretzero *ad Codin.* Macri Fratres unam lampadem Patriarchæ, duas verò Imp. in ſacris, præferri conſueviſſe; præterea hodie

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

hodie quoſvis Græciæ Epiſcopos idem ſibi, quod olim ſolis Patriarchis aut Metropolitis conceſſum diximus, vindicare, adnotant *in Hierol.* in voce *Candela*. De *Lampadophoris* verò Veterum, qui, Græcè Πυρφόροι dicti, ſublatâ in altum face prælii ſignum dabant, ſicut Tubicines poſtea ad id muneris adhibiti fecêrunt hodieque facere ſolent, ſuprà ubi de Vett. *Belli indicendi ratione*, de aliis vide hîc infrà.

LAMPADION, Græcè Λαμπάδιον, genus capillamenti, apud Dicæarchum in *Vita* Græc. Τὸ δὲ τρίχωμα ξανθὸν ἀναδεδεμένον μέχρι τῆς κορυφῆς, ὃ δὴ καλεῖται ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων λαμπάδιον, *Capillamentum flavum implexum uſque ad verticem, quod ab incolis dicitur lampadion*. A *flamma*, ut videtur, ſimilitudine, quæ uti ſenſim acuminantur, ita iſtiuſmodi capillorum ſtructura in verticem πυργηδὸν, *turris* inſtar, concumulabatur: cujuſmodi turritum galeatumque verticem ſic Prudent. deſcribit *Pſychom.* ubi de Superbia loquitur, *v.* 183. *& ſeqq.*

Turritum tortis caput accumulârat in altum
Crinibus, extructos augeret ut addita cirros
Congeries, celſumque apicem frons ardua ferret.

In eundem graviter invehitur Tertullian. *de Vel. Virg.* & Hier. *l.* 2. *Ep.* 18. Vide plura apud C. Paſchal. *Coron. l.* 1. *c.* 5. & hîc paſſim, ubi de *Capillatura*, *Capillis*, *Corona* &c.

LAMPADIUS, Coſ. cum Oreſte, A.U.C. 1283. Præfectus Urbis, ſub Valentiniano & Valente, largus in pauperes. Ammian. Marcell. *l.* 27. *c.* 3. Alius, Conſularis, ſub Honorio, A. C. 408. Stilichoni, qui libertate ſuffragiorum oppreſſâ, Senatui ſuaſit, ut 4000. libris auri pacem ab Alarico redimeret, generosè reſtitit. Præfectus poſtmodum Prætorio ab Attalo creatus. Oroſ. *l.* 7. Zoſim. *l.* 6.

LAMPADIUS Victorinus, vide *Victorinus*.

LAMPAGÆ, Indiæ intrà Gangem pop. *Ptol.*

LAMPARES, vigeſimus quartus Aſſyriorum Rex. Aliis 22. Succeſſit Soſari, A. M. 2728. uſque ad A. M. 2757. Euſeb. *in Chr.*

LAMPAS, à Gr. λάμπω, *luceo*, cum face, funali, lucerna, tæda, de quibus vide *ſuo loco*, nonnunquam confunditur; aliquando pro certa facis ſpecie accipitur. Sic *lampades* ardentes, quibus in Equuleo Martyres cruciatos legimus, fiebant hoc modo: Deſumebantur primùm vaſa quædam lata unius palmi longitudinis, vel aliquanto majoris, quæ deindè à ſummo ad arctiorem formam paululum, præpoſteræ perverſæque pyramidis inſtar, contrahebantur, atque adſtringebantur. Erant autem vaſa vel terrea, vel ferrea, ſicut indicant ea, quæ ex ruderibus urbis Romæ ſubindè eruuntur, & Columella innuit *l.* 12. *c.* 18. Poſteà verò vaſa hæc haſtulis quibuſdam quadratis & ſimul colligatis ſepta, quæ ad vaſorum ſimilitudinem & ipſæ à ſummo paulatim aſtringebantur, igne flammam emittente repleri ſolebant. Porrò iſtiuſmodi haſtulas, ſi ad ea, ad quæ *Lampades* uſui erant, animum referamus, intelligemus quinque aut ſex palmis plus minuſve fuiſſe oblongas. His itaque, quemadmodum de laminis ardentibus ſuprà dictum, patientium conſtantiam expugnare & latera cæteraſque miſerorum partes adurendo, vel veritatem extorquere, ſi revera rei eſſent: vel ad idololatriam pertrahere Martyres conabantur, Gallonius *de Mart. Cruc.* Figuram iſtiuſmodi *Lampadum ardentium*, exhibet Godofr. Jungermann. *Notis ad libellum Hier. Magii de Equuleo*: Martyris ab Equuleo pendentis, & laminis lampadibuſque uſtulati, Idem *ibid.* Gratiores erant, quæ nubentibus præferebantur olim: ut Ovid. docet *Ep.* 14. *Hypermneſtra Lynceo v.* 23. *& ſeqq.*

Ducimur Inachides ſub magni tecta Pelaſgi:
Et ſocer armatas accipit ipſe nurus.
Undique collucent præcincta Lampades *auro:*
Dantur in invitos impia thura focos.

Quæ item Imperatoribus, aut in nocturnis lucebant conviviis: Quæque in ſacris Cereris aliiſque feſtivo certamine deferebantur. Nec funera ſuis *Lampadibus* caruêre, de quibus omnibus vide Thom. Dempſter. ad *Joh. Roſini Antiqq. Rom. paſſim.* Appendebantur autem non rarò, feſtivitate ac pompâ ſic poſcente, funibus, ordine rato. Claud. *de Nupt. Honorii*, & Mariæ. *Carm.* 10. *v.* 206.

——— *aliis funalibus ordine ductis*
Plurima ventura ſuſpendite lumina nocti.

Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 730.

——— *dependent* lychni *laquearibus aureis*
Incenſi ———

Quem morem pulchrè deſcribit Prudent. *Cathemerin, Hym.* 5. paſſim, vide quoque Paulin. *Natali Felicis.* Sed & nocturnum iter obeuntibus, quod frequens priſcis, uſum præbuêre, ut vidimus ſuprà. Iidem *lampadibus accenſis* res geſtas nuntiabant, mirabili planè induſtriâ, quod artificium cum cura nobis Polyb. aperuit. Horis quoque indicandis adhibitas, docet *Lampas Herodictica* ſ. *Horometra*, in Muſeo Kircheriano, de qua vide Georg. de Sepibus *Deſcriptione Collegii Rom. Soc. J. Muſei p.* 55. uti de oleo *Lampadum* ante Divos accenſarum, ad ſanandos infantes à Lamiis læſos, apud Græcos citeriores, adhiberi ſolito, infrà ubi de *Ungendi ritu.* &c. Vide quoque ſuprà, ubi de *Facibus* & *Funalibus*, & plura hanc in rem, apud Dan. Heinſ. *ad Sil. Ital.* & Caſp. Barth. *ad Claud. de Raptu* Proſerp. *Carm.* 33. *v.* 26. ſicut de *Lampadibus Furiis attributis*, apud eund. *ibid.* ut & *ad Stat. l.* 11. *v.* 142. Hinc *Lampadophori*, qui præcincti lumbos & lychnos ferentes, dominum olim præſtolabantur, à cœna revertentem, vel etiam comitabantur. Unde *ordo comitum longiſſimus*, *multum* item *flammarum* & *ahenea lampas*, memorantur hoc in negotio Juv. *l.* 1. *Sat.* 3. *v.* 284.

——— *& comitum longiſſimus ordo*
Multum præterea flammarum, & Aenea Lampas.

Eodem nomine veniebant, qui in ſacris Cereris *Lampada*, ab ara accenſam, manu comprehendentes, ad certum in templo locum currebant, alterique ſucceſſuro curſuroque inextinctam tradebant, cum verbis, *Tibi trado.* Quod idem Athenis in aliis tribus feſtis, Panathenæis nempe, Vulcanalibus & Prometheis factum eſſe, more à Perſis orto, alibi diximus. Græcis Δᾳδοῦχοι, quam vocem vide. Meminit Stat. *l.* 4. *Sylv.* 8. *v.* 50.

Tuque Actæa Ceres, curſu cui ſemper anhelo
Votivam taciti quaſſamus lampada *myſtæ.*

Vide quoque Polluc. ubi de Agonibus τοῖς ἐπὶ λαμπάδι, *l.* 3. *c.* 30. Farnabium *ad Agam. Sen. Actu* 2. ubi de λαμπάδων ἡμέρα, quæ S. Eleuſiniorum fuit, & ſuprà in voce *Lampadarii.*

LAMPE, quæ *Argyrippa* poſteà dicta, Dauniæ ſive Apuliæ civ. Alia eſt *Lampe*, vel *Lappe* Cretæ urbs, ab Agamemnone condita, à *Lampo* Tarrhæo dicta. Alia eſt Acarnaniæ, alia Argolidis. *Steph.*

LAMPEDO, mulier Lacedæmoniæ raræ felicitatis, ut quæ & Regis filia erat, & Regis uxor, & Regis mater. Plin. *l.* 7. *c.* 41. Simile quid de Agrippina Claudii Imp. uxore & Neronis matre Tac. *Ann. l.* 12. *c.* 22. & 37. *quam Imperatore genitam, ſororem ejus qui rerum potitus ſit, & conjugem, & matrem fuiſſe, unicum ad hunc diem exemplum eſt*, *c.* 42.

LAMPEDOSA, Ptol. *l.* 4. Lipaduſa, Inſ. maris Mediterr. ſub Melitenſibus. Nautis *La Caſa d'Orlando*, an à prælio ibi inter Agramantem, Gradaſſum Sobrinumque cum Rolando, Oliviero & Bradimaro commiſſo? Sanut. *l.* 5. *Geogr.* Arioſtus *Orlando fur. cant.* 4.

LAMPESA, Africæ propriæ urbs, Ptol. ubi Legio 3. Auguſta. Vide *Lambeſe.*

LAMPETIA, filia Solis ex Neæra, ſoror Phaethuſæ, quas pater gregibus ſuis in Sicilia paſcendis præfecit. Ad has cùm Ulyſſes veniſſet, tempeſtate in Siciliam ejectus, ſocii, qui ſummâ cibi penuriâ premebantur, ipſo dormiente, boves aliquot mactârunt. Quam rem cùm ex Lampetia filia ſua Apollo didiciſſet, querelam ad Jovem detulit, qui nati precibus obſequens, Ulyſſis ſocios ad unum omnes fulmine, & tempeſtatibus perdidit. Hom. *Odyſſ.* μ. Alii Apollinis ex Clymene filiam faciunt, ob Phaëtontis fratris Obitum, in populum arborem commutatam. Ovid. *Met. l.* 2. *v.* 342. 346. 349.

LAMPETIÆ, opp. Brutiorum marit. in ora Calabriæ citer. *Lo Cetraro* Gabr. Barrio, *Clampetia* vel *Dampetia* Plin. *l.* 3. *c.* 5. Hic *Lampetes* Steph. prom. unde ſinus Terinæus incipit, à Lampetia ſuprà 40. mill. paſſ. Vide omnino Voſſ. *ad P. Mel. p.* 168. Idem *l.* 2. *c.* 4.

LAMPETIANI, Hæretici quidam Sec. 7. qui dogmata nonnulla Arrianorum ſequebantur, Joh. Damaſcenus eorum meminit.

LAMPETIUM, ſepulcrum in Lesbo à *Lampeto* Iri fil. *Steph.*

LAMPETO, Amazonum Regina, Jornandes. Epheſo, multiſque urbibus conditis in Aſia, domum cum parte exercitus remittitur, ut tueatur patriam.

LAMPETUS, ſoror Phaëthontis in arborem mutata. *Serv.*

LAMPEUS, mons Arcadiæ. Plin. *l.* 4. *c.* 6. *Lampia* Strabo *l.* 8. *p.* 341. & Pauſ. item Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 290.

——— *Candenſque jugis* Lampia *niveſis.*

Vulgò *Elanda.* Item *Lampia* fluv. ex eo monte naſcens, & opp. Arcadiæ. Plin. *l.* 4. *c.* 6.

LAMPIS, urbs circa Mæandrum fluv. *Nicetas.*

LAMPON, Vates, cogn. ἐξηγητὴς h. e. *Interpres religionum*, inter decemviros coloniæ Thurios deducendæ. De quo vide Scholia *in Ariſtoph. Aves.*

LAMPON, Victimarius & vates Athenis, nec non ſortilegus, qui vitam tolerabat quæſtu avium, quas canere erudiebat. Vide Scholia in eundem Ibid.

LAMPON, miræ velocitatis equus, de quo Sil. Ital. *Punc. Bell. l.* 16. *v.* 333. *& ſeqq.*

Evolat ante omnes, rapidoque per aëra curſu
Callaicus Lampon *fugit, atque ingentia tranat,*
Exultans ſpatia, & ventos poſt terga reliquit.

Fuit & *Lampon* ſacrificus vates, per anſerem, velut avem auguralem, jurare ſolitus. Eraſm. *in Proverb.*

LAMPONEA, Troadis urbs, *Lamponium* Herod. *l.* 5. *c.* 26. Eſt etiam Thraciæ inſ. circa Cherſoneſum. Strabo *l.* 13. *p.* 610. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

LAMPRÆ, duo ſunt municipia Erectheidis tribûs. *Suid.* Hodieque vicus, vix leucâ Athenis diſtans, verſùs Mer. montis Hymetri conſpicitur, *Lambrica* nomine, unde montis illud latus *Lamprovouni*, ſicut ejus reliquum *Telovouni*, in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

colæ appellant. Habitatur autem ab Albanenſibus Chriſtianis. Vide Jac. Spon. *Itin. Parte* 2. *p.* 227.

LAMPRECHTUS Matthias, vide *Matthias.*

LAMPRIDIA, mater ex Annio Fuſco Peſcennii Nigri Imp. apud Spart. in *Vita* hujus.

Reges & Viri Clari.

LAMPRIDIUS, 20. Rex Aſſyriorum, Belleparis ſucceſſor, ab A. M. 2676. uſque ad A. M. 2707. ei Soſaras ſucceſſit. Euſeb. *in Chron.*

LAMPRIDIUS Ælius, Hiſtoricus Lat. ſub Conſtantino Mag. Commodi Antonini Diadumeni, Antonini Heliogabali, & Alex. Sev. Impp. vitas deſcripſit. Prima Lampridii editio, Mediolani facta, ei Severi hujus vitam attribuit, ſed Mſcr. Palatinum & Roberti Portæ Bononienſis, illam Spartiano vindicat. Sunt tamen quidam, qui utrumque eundem eſſe cenſeant, nixi illo Auſ. Grypho. *Edyll.* 11. *v.* 80.

——— *Tria nomina Nobiliorum.*

Lamprid. Vopiſc. ſe imitatum ſcribit, *in Probo*, Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2.

LAMPRIDIUS, Cremonenſis, poëta, clarus Sec. Præt. Joh. Laſcarim Romam ſecutus, ibi Græcè Latineque docuit. Poſt Leonis X. Obitum, Patavium ſe recepit, ubi Juventuti erudiendæ vacavit, plus quæſtui, quàm gloriæ intentus. A Frid. dein Gonzaga Mantuam vocatus, filii ejus ſtudiis admotus eſt. Autor Odarum, quæ in pretio ſunt: cæterùm ita timidus, ut nullâ ratione ab amicis perduci potuerit, in publico diceret. Paul. Jov. *Elog. c.* 99.

LAMPROCLES, Midonis fil. Athenienſis, Muſicus eâ tempeſtate inſignis. Quidam non fil. ſed diſcip. Midonis fuiſſe addunt.

LAMPROPHORI, Græci Λαμπροφόροι, dicti olim in Eccl. qui Baptiſmo initiati, per integrum ſeptiduum *candidati* incedebant, quo de ritu hic non uno loco. Sed & Græcis Λαμπροφόρος ἡμέρα dies Reſurrectionis Chriſti, quæ & nonnunquam Λαμπρὰ ſimpliciter, non ſolùm, quòd mentes hominum illuſtraret, & de *ſplendida* vitæ æternitate commonefaceret: ſed etiam, quòd luminibus omnia cereiſque accenſis tum *illuminarentur*, uti diſcimus ex Greg. Naz. *Orat.* 2. *in Paſcha*, qui alibi morem hunc tanquam à Gentilibus mutuatum, reprehendit, *Orat. in Julian.* 2. Vide Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in vocibus, Λαμπρὸς, Λαμπροφορεῖν, Λαμπροφόρος, Λευχειμονέω &c.

LAMPSACES, filia Mandronis, quæ inſidias Bebrycum detexit Phocæenſibus, ob idque urbi (quam Φωκαίων κτίσμα Steph. vocat) nomen dedit Polyæn. *l.* 8. Vide hic infrà.

LAMPSACUS, item *Lampſacum* Cic. Sic enim ille *Act.* 3. *in Ver.* Opp. inquit, *in Helleſponto eſt Lampſacum imprimis, Aſiæ provinciæ clarum, & nobile: homines autem & ipſi Lampſaceni, cum ſummè in omnes cives Romanos officioſi, tum præterea maximè ſedati, & quieti, prope præter cæteros, ad ſummum Græcorum otium portus, quam ad ullam vim aut tumultum accommodati. Lampſicho* Sophiano & *Lepſeck* Turcis, teſte Leunclavio, olim Pityuſa, teſte Plin. *l.* 4. *c.* 11. & *l.* 5. *c.* 32. & Strab. ac Archiepiſcopal. Baudr. in Myſia min. ad Helleſpontum eſt, ubi è Propontide exit. Hodieque ſatis culta vix 6. mill. ab oſtiis Proſacti fluv. in Occ. 8. mill. à Callipoli in Ort. 21. à Pario in Occ. Hic Priapus colebatur. Ovid. *Triſt. l.* 1. *Eleg.* 9. *v.* 770.

Et te ruricolâ, Lampſace, *tuta Deo.*

Dicta eſt à *Lampſace* quadam ejus loci puella. A Phocenſibus condita, ut quidam volunt, vel, ut alii, à Priapo; mel. à Mileſiis, Olymp. 31. ex altera parte Cyzico quoque conditâ ab iiſdem. Strabo *l.* 13. *p.* 589. urbem clariſſimam nobili portu eſſe ait & templo matris Deûm inſignem. Generoſo vino abundavit, quo nomine Themiſtocli à Perſarum Rege per benevolentiam donata eſt. Hic A. C. 364. ſub Valentiniano & Valente, pſeudo-Synodo à Semi-Arianis celebratâ, formulæ fidei Arimini & Cpoli prius publicatæ, condemnatæ ſunt, hæreſiſque Macedonianorum vires ſumpſit, Arianorum primipili Eudoxius & Acacius denuo depoſiti, Euſtathia Sebaſtes Ep. creato, Baſil. *Ep.* 72. 79. & 82. Socr. *l.* 4. *c.* 4. Sozom. *l.* 6. *c.* 7. Item, contra Eudoxium, Arianum, A. C. 368. Vide 2. *tom. Conc.* Pariſ. edit. *p.* 829. & 887. Herod. *l.* 5. *c.* 117. P. Mela *l.* 1. *c.* 19. Athen. *l.* 1. *p.* 30. Plin. *l.* 4. *c.* 11. & *l.* 5. *c.* 32. Liv. *l.* 32. *c.* 14. Hinc *Lampſacius.* Mart. *l.* 11. *Epigr.* 17. cujus Epigraphe ad Lectores.

Nam mea Lampſacio *laſcivit pagina verſu.*

Idem *Ibid. Epigr.* 52. cujus Epigraphe de Titio.

Quantam Lampſaciæ *colunt* puellæ.

Nic. Lloyd.

LAMPSEMANDUS, Inſ. Cariæ, in ſinu Ceramico. Plin. *l.* 5. *c.* 31. *Lepſemandus. Steph.*

LAMPSONIUS Dominicus, Brugis oriundus, Pictor & Poëta eximius, in ædibus Reginaldi Poli aliquandiu in Anglia verſatus, inde in Belgium rediit: ubi grati animi teſtandi ergò *Lamberti Lombardi* Pictoris clariſſimi, magiſtri ſui, *Vitam* ſcripſit: hinc tribus Epiſcopis Leodienſibus à ſecretis, Obiit Leodii, A. C. 1598. ſenex. Scripſit porrò *Elogia Pictorum Germ. inf. carmine*, & *Pſalmos VII. pœnitentiales* Lyricis verſibus, reddidit. Val. Andreæ *Bibl. Belg.* Lipſ. *Ep. ad Belg. Cent.* 2. *Ep.* 4. A. Teiſſier in *Elogiis* &c.

LAMPSUS, pars reg. Clazomeniorum. *Steph.*

LAMPYRENSES, Atticæ regionis curia. Strabo *l.* 2. *p.* 398.

LAMUEL, nomen Salomonis. Prov. *c.* 31. *v.* 1.

LAMUM, Gall. *Royaume de Lamo*, regnum parvum Zanguebariæ, verſùs fluv. Chimanchum, & regnum Melindæ, à quo terminatur ad Bor. uti ab Ortu regno Pateo. Cum urbe prim. cogn. Ejus Rex ab Hiſp. A. C. 1589. Occiſus fuit.

LAMUM, Latii opp. Fabricio in ſuis itinerariis, quod *Marino* appellârunt: in via Appia, medium inter Romam & Velitras 10. mill. paſſ. Aliis *Marino, Villa Marii* dicitur.

LAMUS, Læſtrygonum Rex, à quo nobilis Lamiarum familia nomen accepit apud Rom. Horat. *Carm. l.* 3. *Ode* 17. *Ad Ælium Lamiam:*

Æli vetuſto nobilis ab Lamo, &c.
Autore ab illo ducis originem,
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Litoribus tenuiſſe Lirin
Latè tyrannus.

Etiam Hom. *Odyſſ.* 10. videtur Lamum Formiarum, quam Λαιστρυγονίην vocat conditorem fuiſſe ſignificare in his:

Ἑβδομάτῃ δ᾽ ἱκόμεσθα Λάμου αἰπὺ πτολίεθρον
Τηλέπυλον Λαιστρυγονίην. ———

Fuit autem hic *Lamus* Neptuni fil. quemadmodùm ad eum locum notat Euſtath. *Nic. Lloyd.*

LAMUS, fil. Herculis ex Omphale Regina. Ovid. *in Ep. Heroid.*

LAMUS, Spartiata, Peloponneſiorum mercede Nectanebo Ægypti Regi militantium Dux. Diod. Sic *l.* 16.

LAMUS, urbs fuit Læſtrygonum, prope Formias & Cajetam, vel ipſa Cajeta, aut ipſæ Formiæ. Item urbs Ciliciæ mediterr. Epiſcopal. ſub Archiep. Seleucienſi, inter Flaviopolim ad Occ. & Juſtinopolim ad Ort. proxima Tarſo. Vulgò *Lamo.* Sil. Ital. *Punc. Bell. l.* 8. *v.* 530.

LAMUS, equus generoſus apud Sil. Ital. *Punic. Bell. l.* 16. *v.* 475.

Tum Lamus *& Sicoris proles bellacis Ilerdæ.*

LAMUS, fluv. Ciliciæ, & regio circumjacens *Lamuſia. Steph.*

LAMYRA, urbs Lyciæ, ubi Cajus Cæſar, Aug. nepos, morbo Obiiſſe Vellejo putatur, & fluv. *Steph.*

LANA, ex Gr. λῆνος poſt pelles, in veſtium uſum ceſſit: Hinc togæ, tunicæ, lacernæ, & reliqua Quiritium veſtimenta non niſi à pretio *lanæ* aut à colore Scriptoribus commendata legimus. Plin. *l.* 8. *c.* 47. *Magna*, inquit, *& pecori gratia vel in placamentis Deorum, vel in uſu vellerum. Ut boves victum hominibus excolunt, ita corporum tutela pecori debetur.* Deindè *lanarum* genera exequitur, omnemque Romanorum cultum inde confectum oſtendit. Addit ex Varrone, *lanam* cum colo & fuſo Tanaquilis in templo Sangi durâſſe, factamque ab ea togam Regiam undulatam, qua Tullius Rex uſus fuerit. Atque indè factum, ut nubentes Virgines comitaretur colus compta & fuſus cum ſtamine & Sponſa mariti fores lanâ coronaret: cùm priùs nova Nupta in pelle *lanata* conſideret, quem Romanorum morem ex Feſto obſervat Joh. Meurſ. *Comm. ad Lycophron.* Vide quoque de cingulo earum ex *lana* facto, infrà ubi de *Nuptiis.* Nempe hanc vivæ pecudes homini veſtiendo commodant. Unde Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 117. *& ſeqq.* ſic de pecore:

——— *Inque tuendos*
Natum homines, pleno quæ fertis in æquore nectar.
Mollia quæ nobis veſtras velamina lanas
Præbetis, vitaque magis, quàm morte juvatis.

Et quidem hæ *Lanæ*, antequam tonderentur, velli ſolebant; Romæ ſc. & vicinis in locis (in Græcia enim & Judæa etiam antiquitus tondebantur) unde *velleri* nomen, ut eſt apud Varron. *de Ling. Lat. l.* 4. & *de Re Ruſt. l.* 2. Plinii quoque eſt *l.* 8. *c.* 48. *Oves non ubique tondentur: durat quibuſdam in locis vellendi mos.* Sed tondendi conſuetudo Hebræis inprimis vetus fuit: qui & ob ſummos lanæ uſus, tonſuræ tempore, convivium celebrabant, ut Abſolomum 2. Sam. *c.* 14. *v.* 26. & Nabalem, 1. Sam. *c.* 25. *v.* 7. feciſſe legimus. Hodie præcipua bonitas eſt *Lanæ Anglicanæ:* cujus qui rationem arceſſunt à pabulis minùs lætis, tueri ſe poſſunt Marone, qui læta Opiliones pabula fugere jubet *Georg. l.* 3. *v.* 386. Sanè à ſolo parum fertili lanam reddi ſubtiliorem, Cardani etiam judicium eſt *Subtilit. l.* 10. Addunt de Anglicana alteram item rationem, quòd eâ regione oves vix bibant; ſed, ad ſitim exſtinguendam, cœleſti ferè rore ſint contentæ. Verùm lanæ hujus bonitas ignota vett. Romanis fuit, à quibus prædicari quidem in Aſia videas vellera Mileſia, Laodicena, & quædam alia: de quibus Plin. *l. & c. cit.* In Græcia autem extolli à Vett. Attica ſolet: undè apud Athen. *l.* 5. *p.* 218. & *l.* 6. *p.* 284. quæſtio illa, Εἰ τῶν Ἀττικῶν ἐρίων ἐστὶ μαλακώτερα, *Sintne lanæ aliquæ Atticâ molliores?* Laudat & Plutarch. *l.* περὶ τοῦ ἀκούειν; & Laberius *Paupertate*, apud Nonium *in Lanitia.* Commendabatur itidem vicina Megarenſis. In Italia autem, præcipuè in pretio erat illa è Magna Græcia, uti Apula, maximeque Tarentina: proxima cum Parmenſis, tum Altinas; illa ex Galliæ Ciſpadanæ colonia, hæc ex Altino, Venetæ regionis municipio. Jungit eas Mart. *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 155. cujus Epigraphe Lanæ albæ.

Velle.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Velleribus primis Apulia, Parma ſecundis
Nobilis: Altinum tertia laudat ovis.

Columella *l. 7. c. 2. Generis eximii Calabras, Apulaſque, noſtri exiſtimabant; earumque optimas Tarentinas. Nunc Gallicæ pretioſiores habentur, earumque præcipuè Altinates. Item quæ circa Parmam & Mutinam, macris ſtabulantes campis.* E quibus locis lucem capit Varro *de Re Ruſt. l. 2. c. 2. Pleraque ſimiliter faciendum in ovibus pellitis; quæ propter lanæ bonitatem (ut ſunt Tarentinæ & Atticæ) pellibus integuntur, ne lana inquinetur; quò minus vel infici rectè poſſit, vel lavari ac parari.* Ubi pro *Atticæ* (ut P. Victor. legit) in prioribus editionibus cunctis erat *Altinates*. Quamvis veriſimile ſit, non Tarentinas modò oves; ſed Atticas item velleribus integi conſueviſſe. Nam de Megarenſibus Atticæ tam vicinis diſertè id nos docet Laërtius *in Diog.* qui ἐν Μεγαρεῦσιν προβάτων τοῖς δέρμασιν ἐσκεπασμένων, meminit. Horat. *Carm. l. 2. Ode. 6. v. 10.* cas *pellitas* dicit:

Dulce pellitis ovibus *Galeſi*
Flumen.

Galeſus autem, ut eum ad locum annotat vet. Interpres, *fluv. eſt juxtà Tarentum; ubi, præ paſturæ copia, vel dulcedine, molliores ovibus lanæ ſunt.* De tectis igitur Tarentinorum ovibus ſermo eſt, quod non animadvertit Vir eruditus; qui miratur, *pellitarum* epitheton, quia oves omnes, imo & animantium aliæ, ſint pellitæ. Hujuſmodi verò pecori opponitur *colonicum*; proximæ tamen poſt tectum dignitatis; quia non gramine, ſed rubis, paſcitur, Plin. *l. 8. c. 47.* Vilius montanum pecus: de quo ſic Lucilius, apud Feſtum *in Solox*;

Paſcali pecore ac montano, hirto atque ſoloce.

Ubi *ſolox* pecus vocatur, quomodo & *lanam ſolocem* pro hirta duraque Titinius in *Barathro*, apud eund. dixit. Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. & progr. de Idolol. l. 3. c. 70.* Præter enumerata *Lanarum* genera, Selgicarum quoque meminit Tertullianus *de Pall.* quas quia nuſquam alibi, niſi heic, memoratas reperêrunt nonnulli, ideo amovêrunt & *Gallicas* repoſuêrunt. Sed ex Strab. non difficulter colligitur, nomen aliquod pretiumque tunc Selgicarum fuiſſe lanarum, quarum magnus proventus ex Selgico territorio erat, vide eum *l. 12. p. 571.* & infrà in voce *Selgæ*, &c. Tranſeo ad colores. Et quidem *nativa* vocabant vellera, quæ naturâ colorante tincta eſſent. Mart. *l. 1. Epigr. 97.* cujus Epigraphe ad Scazontem.

Nativa laudat, habeat, & licèt ſemper
Fuſcos, colores, Galbanos habet mores.

Hinc *nativus color*, pro fuſco vel nigro. Nonius, *Pullus color eſt, quem nunc Spanum vel nativum dicimus.* Spanus, à lanis Hiſpanis, quæ nigræ erant; præter nigrum tamen, multi alii colores nativi. Nam & leucophæus & fulvus & rutilus, inter nativos colores numerantur, & horum omnium colorum lanæ ſunt, non ab arte ſed à natura ſic coloratæ. Inter hyacinthorum ſpecies, unus quoque, qui *nativus* dicebatur, erat: hic dilutior & minùs roſeus, quàm rhodinus, quem vulgò *rubinum* vocant Galli. Vide Epiphan. de variis hyacinthorum coloribus. Bæticæ autem rutili coloris erant lanæ. Tarentinæ *pulliginis ſuæ*, ut loquitur Plin. Sic *coloris ſui* dictæ, quæ ſuum & naturalem colorem retinebant, nec alienum imbiberant: Nam lanarum nigræ ſui coloris retinentiſſimæ ſunt, nec ullum alium bibunt, ἰδιόχρωμα Græcis. Tales Hiſpanæ lanæ: unde *Spanum* colorem & *nativum* de nigro dixêre. Κοραξὰ Strab. hæc vellera, quæ Romam ex Hiſpania afferebantur, *l. 3.* quod perperam de Coraxis Scythiæ populis accipiunt. Unde enim in media Hiſpania Coraxi? Potius itaque de lanis loquitur coloris coracici ſive corvini, quæ indè in Italiam importarentur, cum priùs veſtes importari ſolitæ eſſent. Ἔρια τῶν Κοραξῶν, ſunt lanæ coracinæ: tales enim Hiſpanæ, Plin. *l. 8. c. 48. Hiſpania nigri velleris præcipuas habet.* Κοραξὸς autem Græcis *niger* eſt, à corvi colore. Vide eund. Strab. *l. 12.* ubi pro κορακὴν χρόα, lege κοραξὴν χρόαν: Plutarch. *de Flum. ubi de Inacho & Strymone*: Heſych. in voce κοράττειν, & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Pall. Tertull.* Totus Plinii locus ſic ſonat: *Hiſpania nigri velleris præcipuas habet: Pollentia juxta Alpes cani: Aſia rutili, quas Erythræas vocant: Canuſiam fulvi: Tarentum & ſuæ pulliginis.* Notat prætereà, *Iſtria Liburniaque* lanam *pilo propiorem, quàm lanæ, pexis veſtibus alienam, & quam ſola ars ſcutulata textu commendat in Luſitania.* Erant autem pexæ veſtes, in quibus, ob villorum denſitatem, nec ſtamen nec trama appareret ut infrà videbimus. Fiebant verò ex *lana* cum textilia, tum coactilia, quæ & Cæſari *ſubcoacta* vocata. Belgæ *vilten* vulgò dicunt; imò & jam compluribus Seculis appellata *feltra* vel *filtra*; quo modo nominant Helmoldus Presbyter, Hinningus Lector, Herthonus Armenius, pluresque alii, ut cùm Meurſio oſtenſum, in *Gloſſ. Græcobarb.* tum Henr. Spelmanno *Archæol.* in voce *Feltrum*. Eſt verò ſatis veriſimile, *vilten* & *filtra*, eſſe ex Græco πιλητὰ vel πιλωτὰ: quo modo dicuntur τὰ ἐκ τριχῶν συντιθέμενα, *è pilis compoſita.* Itaque quod Græcis συμπιλεῖν, id Latinis *conciliare*, à *ciliis*, i. e. pilis, Varro *de Ling. Lat. l. 5.* Magnus verò coactilium uſus: nam & pilei inde, & veſtimenta alia, pluviæ arcendæ, conſiunt. In bello etiam juvare, indicat illud Cæſaris *Bell. Gall. l. 3. Omnes ferè milites aut ex ſubcoactis, aut ex centonibus, aut ex coriis tunicas, aut tegmenta fecerant, quibus tela vitarent.* Quod pleniùs explicat Plin. *l. c. Lana & per ſe coacta veſtem faciunt; & ſi addatur acetum, etiam ferro reſiſtunt; imò verò etiam ignibus.* Ac ſubdit indè, ut inſerviant quoque tomentis, Gallicano, ut videtur, invento, Voſſ. ubi *ſuprà*. Undè autem *Lana* veſtibus texendis materia primùm eſſe cœperit, quo modo & à quo inventa ſit? non adeò liquidum eſt, Tertullian. *de Pallio*, *Cedo*, inquit, *jam de veſtro, quod Ægyptii narrant & Alexander digerit, & Afer legit, eâ tempeſtate Oſiridis, quâ ad illum ex Libya Ammon vaſit ovium dives: denique cum ipſis Mercurium autumant fortè palpati arietus mollitis delectatum, deglubâſſe oviculam: dumque pertentat, quod facilitas materiæ ſuadebat, tractu proſequente filum eliquâſſe, & in veſtis priſtinæ modum, quam philyra tenui vinxerat, texuiſſe. Sed vos omnem lanitii diſpenſationem ſtructuramque telarum Minervæ maluiſtis, cùm penes Arachnen diligentior officina.* Secundùm illum ergo ex facto Mercurii, dum vellus arietis pertentat, mollitie ejus delectatus, & dum floccum lanæ fortè avulſum longiùs trahit, & filatim ducit, neri poſſe lanas & in modum reſtis tiliacei, quales priùs fiebant, poſſe torqueri, oſtenſum eſt: atque ex eo Iſis docta *lanæ veſtis* texturam prima apud Ægyptios prodidit. *Exinde materia*, pergit Tertullian. i. e. ex eo tempore, materia texendis veſtibus prodita, nec lanea tantùm & de ovibus: ſed mox etiam de aliis rebus, quæ poſtmodum ad exemplum lanæ repertæ ſunt, quæque idoneam veſtificinæ materiam, haud ſecus ac lana, præbuêrunt; ut linum, ſericum, bombycinum & alia id genus. Plin. quoque *l. 7. c. 56.* textilia Ægyptios inveniſſe ſcribens, textilia de lana intelligit: nam lini inventionem tribuit Arachnæ. Anteà non textiles, ſed plexiles veſtes fiebant, ex reſtibus aut vinculis tiliaceis inter ſe nexis & plexis, in retis modum: ex papyro etiam tales & junco. & ex materia fluminea, quam Græci φλοῦν vocant, plecti moris erat, vide Meletium *de Nat. Hom.* cujuſmodi fuit Indorum veſtis, apud Herod. quam φλοΐνην vocat, *l. 3.* Vide iterum Salmaſ. *l. c.* Porrò in uſum tomenti *lana* venit, cùm antea torus ſtramentitius, qualis adhuc in caſtris ætate Plinii retinebatur, adhiberetur. Id idem inventum Gallicum exiſtimat, ut dictum. Ex eadem pilei confecti, jam veteribus Ægypti Regibus, quorum judicio *lanea* veſtes profanæ, linteæ ſacræ erant: hodieque inprimis Perſarum Reges, ut ab Homaritis ſ. Turcis diſtinguantur, lineo albo turbante illis relicto, alio utuntur, è cujus medio pileolus acuminatus è *lana* conſtipata coloris rubri confectus, ſenis utrinque gradibus aſſurgit. Quare à *lana* ſunt qui velint illos Reges per excellentiam dictos *Sofi*, quod nomen Arabicè *lanam* ſonat. Imò & udones, ſoccorum genus, non ſolùm ex lino, piliſque hircinis capriniſque ſed etiam ex *lana* confectos, indigitat Mart. *l. 14. Apoph. Epigr. 140.* cujus Epigraphe Udones Cilicii.

Non hos lana *dedit, ſed olentis barba mariti,*
Cinyphio poterit planta latere ſinu &c.

Nec à ſacris *lana* exulavit; Quamvis enim Ægyptii inprimis, non niſi lineis veſtibus in Deorum cultu uterentur, unde *linigeri* Iſidis Sacerdotes Scriptoribus appellati: *lanea* tamen vitta & *laneus* orbis indumentum familiare Diis Laribus erant, eo quòd *lana* notiſſimum & familiare maximè veſtimentum ſubminiſtraret, docente Plin. *l. 21. c. 3.* Meminit ejus Propert. *l. 4. Eleg. 6. v. 5.*

Coſtum molle date, & blandi mihi thuris honores,
Terque focum circa laneus *orbis eat:*

è cujus *l. 3. Eleg. 5.* coronam hanc in expiatoriis & magicis ſacris receptiſſimam fuiſſe colligitur. Unde & apud Virg. *in Pharmaceutria, Ecl. 8. v. 64.*

Effer aquam & molli cingè hæc altaria vittâ.

Filum *lanæ* etiam Flaminum velamen erat, quo in apice ſemper tectos eſſe oportebat. Liv. *l. 1. Legatus, ubi ad fines eorum venit, unde res repetuntur, capite velato (filum* lanæ *velamen erat) Audite Jupiter, inquit,* &c. & Serv. *in Æn. l. 8. Flamines in capite pileum habebant, in quo erat brevis virga deſuper habens* lanæ *aliquid.* Unde ſunt qui ab hoc filo, illos quaſi *Filamines* appellatos velint &c. Sed de Coronis è *lana* plura infrà, ubi & de *Lana*, in puerperiis, ſupplicationibus, funeribus uſu. Etiam verò *lanis* involvebant Vett. affectam partem Suet. *Domit. c. 17. Siniſteriore brachio, velut ægro,* lanis *faſciiſque obvoluto.* Atque hæ ſunt *lanæ*, quarum meminit Ulpian. §. *ne ea quidem, l. ſi cui lana. D. de leg. 3.* & Mart. *l. 12. Epigr. 91.* cujus Epigraphe ad Charinum.

Quòd lanâ caput alligas, Charine,

Unde ſæpius apud Hippocratem, alioſque Medicos legas, ἔρια ἐπικαταδεῖν aut περιελίσσειν προσηνείης ἕνεκα, i. e. *ut pars affecta commodius ſeſe habeat.* Vide quoque Ariſtidem, Leont. *Ep. ad Lamiam*, Artemid. *l. 1.* & ſuprà in voce *Focale* item *Galbea*, *Hapſus* &c. Ut de uſu *Lanæ* ſacro aliquid addam, ejus primitias ſolvi Deo ſolitas, diſcimus ex Deut. *c. 15. v. 19. Neque tondete primogenitum gregis tui.* Idem *c. 18. v. 4. Primitias velleris ovium tuarum ei* (Sacerdoti) *dato.* quam legem multis explicat Maimonides *in Biccurim c. 10.* Eodem referri poteſt, quod propter Deum pauperi dabant. Hiobi *c. 31. v. 19.* & *20. Si quem perire vidi veſtis inopiâ, & pauperem abſque operimento, ſi non mihi benedixêrunt lumbi ejus, ac non incaluit agnorum meorum vellere.* Sed & ad ſacra pertinet aſpergillum ex hyſſopo & *lana coccinea*, de quo Lev. *c. 14. v. 49.* & Hebr. *c. 9. v. 19.* Imò præter aurum argentum, æs, ſerici ac *lanarum* fila, hyacinthina & purpurâ ac cocco tincta linum xyli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

num, caprarumque pilos, arietum quoque ac melium vellera, ad Tabernaculi conſtructionem adhibita legas Exodi *c.* 35. *v.* 5. & 9. De aliis gentibus aliquid infrà dicemus, ubi de *Laneis Coronis.* At Ægyptii omnem in ſacris lanæ uſum damnârunt, qua de re Plutarch. multa philoſophatur *l. de Iſide*, cui adde Apulejum *Apolog.* ubi inter alia, *Quippe lana*, ait, *ſegniſſimi corporis excrementum, pecori detracta jam inde Orphei & Pythagoræ ſcitis, profanus veſtitus eſt* &c. Cæterùm *lanæ* cum lino mixtionem prohibuit Iſraëlitis Deus Lev. *c.* 19. *v.* 19. *Non induetis lanam & linum ſimul.* Quod Joſephus ad ſolum populum reſtringit, Sacerdotibus id permiſſum eſſe, aſſerens. At non ſolùm nulla pars veſtitûs Sacerdotalis ex tali miſtura conſtitit, ſed & certi miniſterii tempore *lanearum veſtium* uſu ipſis prorſus fuit interdictum Ezech. *c.* 44. *v.* 17. *Cùm ingredientur portas interiores*, veſtes lineas *induent*, *nec aſcendat ſuper eos lana.* Potiùs igitur plebi hîc nihil peculiare mandare, ſed omnes Iſraëlitas hoc ritu ad morum ſimplicitatem revocare voluiſſe Deum, dicemus cum Theodoreto *in Levitic. Quæſt.* 27. & Cyrillo *de adorat. l.* 7. Plura de *Lana*, vide apud Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 45. ubi, inter alia, *de Lana tributo*, à Regibus Moab Iſraëlis Regibus pendi olim ſolito; *de Lana Damaſcena*, in S. Scriptura, celebri, cujus famam ſericum & goſſypium, quorum hodie Damaſci maximus proventus eſt, obſcuravêrunt; de *plaga* item *lepræ, in veſte lanea, aut linea*, Lev. *c.* 13. cujus apud exoticos Scriptores nulla mentio: nec non hîc infrà. A *Lana* nomen eſſe Sophianæ fam. in Perſia hodieque regnatrici, dicemus infrà in voce *Sophi.* De *Lana* verò *arborum.* Vide infrà in voce *Lanugo*, uti de *Lana conchæ margaritiferæ*, in voce *Pannicum.*

LANA Ludovicus, vide *Ludovicus.*

de LANA Johannes, vide *Johannes.*

LANAM in picto ſcipione geſtandi mos, circulatoribus olim & præſtigiatoribus in uſu, qui ſuis fallaciis imponebant pueris & fatuis memoratur Prudent. περὶ στεφ. Hym. 14. *v.* 3001.

Ignoſco fatuis hæc tamen vulgaribus
Quos lana terret diſcolor in ſtipite.

LANARIUM, fluv. Siciliæ, *Ant.*

LANARIUS, generali voce quemcunque *lanarum* Artificem aut negotiatorem ſignificat: ſpeciatim *Lanarius pectinarius* dicitur, qui lanas pectit. Vet. *Inſcr.* LANARII. PECTINARII. SODALES. Græci Κτενιστὰς ſimpliciter eos vocant Galli *Cardatores*, à *carduo pectinali*, ſ. *fullonio*, ut iidem vocant cujus capitulà echinata carminandis lanis & rudibus pannis lævigandis eundem uſum præſtant jam, quem hippophæſti olim capitula. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 396. Dicitur & *Lanarius Coactilarius*, qui coactilia operatur aut vendit & *Coactilarius* etiam per ſe vocatur, vide *ſuprà.* Cæterùm *Lanificii*, cujus primum uſum Minervam monſtrâſſe, telamque orſam eſſe & *lanam* colorâſſe, ſcribit Iſid. opus olim in matronis laudatiſſimum, quod vel ex eo patet, quod de *lana* fuſo ac colo Tanaquilis ſuprà dictum. Sed & Virgines in Sacerdotii munera caſtitate mirâ educatæ *lanificio* erudiebantur, Feſtus *l.* 16. Nec Aug. apud Suet. *in eo c.* 73. *temerè alia quam domeſtica veſte uſus eſt, ab uxore, & ſorore, & filia neptibuſque confecta.* Cui ſimile quid de Alex. Mag. apud Curt. legimus. Indè gloria nobilibus matronis olim, veſtes filiis, maritis amiciſque diſcedentibus manibus propriis elaboratas dediſſe. Sil. Ital. *Punic. Bell. l.* 7. *v.* 81.

Quod noſtræ nevêre manus, venerabile donum.

Et extat veteris marmoris fragmentum tale:

Hoſpes quod deico, paulum eſt, aſta ac pellege,
Hic eſt ſepulcrum haud pulchrum pulchraï feminæ;
Nomen, Parentes nominârunt Claudiam,
Suom maritom corde dilexit ſouo,
Gnatos duos creavit, horum alterum
In terra liquit, alium ſub terra locat.
Sermone lepido, tum autem inceſſu commodo:
Domum ſervavit, lanam fecit, *dixit*, *abei.*

Quod inſtitutum manſiſſe uſque ad Chryſoſtomi tempora, videtur, uti infrà dicemus in voce *Veſtis.* Apud Barbaros verò, Perſas, alioſque ignominiæ loco id habebatur. Sed & apud Rom. quando ea munera ſordere dominabus viſa ſunt, penſa patiebantur inter ancillas *Lanificas*, aliæ *Lanipendiæ* dictæ. Priùs enim diurna penſa matronæ ipſæ ſervabus præſcripſêrunt, ut legere eſt apud Xenoph. *l.* 3. *Memorabil.* Poſtea verò vel Eunuchi, vel ancillæ modò memoratæ id fecêrunt. Habebant autem ancillæ lanificæ aliquam ſibi præpoſitam, ut ex Claud. diſcimus *in Eutrop. l.* 1. *Carm.* 18. *v.* 273. *& ſeqq.*

Tu potes alterius ſtudiis hærere Minervæ,
Tu telas, non tela, pati, tu ſtamina noſſe,
Tu ſegnis operum ſollers urgere puellas.

His victum diurnum pro operis ratione, diſtributum fuiſſe, docet Claud. *de Bell. Gild. Carm.* 15. *v.* 71.

——— ——— ——— *Gaudetque diurnos*
Ut famulæ præbere cibos.

Cantio earum ἴουλος dicta eſt, vide ſuprà *Julus.* Locus Gynæcium erat, conclave viz. in penitiori ædium parte: θάλαμος ἱστῶν, ταλασιουργὸς οἶκος, *Thalamus telarum domus operoſi lanificii*, Jul. Polluci *l.* 1. *c.* 8. Proin de Lucretia Ovid. *l.* 2. *Faſt. v.* 741.

Inde cito paſſis petitur Lucretia; cujus
Ante torum calathi lanaque *mollis erat.*

Et de eadem Serv. *ad Æn. l.* 8. *v.* 646. *invenêrunt eam lanificio operam dantem.* A feminis id operæ ad mares tranſiiſſe ſequiori ævo, quæritur ſuprà laudatus Chryſoſtom. *Hom.* 34. *in* 1. *ad Cor.* &c. Vide plura apud Pignor. *de Servis* & Thom. Dempſter. Paralip. ad *Joh. Roſini Antiqq. l.* 1. *c.* 13.

LANARIUS, accipitris ſpecies, vide ſuprà *Haliæetus.*

LANATUS, vide infrà *Lanea* it. Sorteæ *lanatæ.*

LANCASTRIA, vulgò LANCASHIRE, prov. regni Angliæ, juxtà oram maris Hibernici, inter Ceſtriæ Comitatum ad Mer. Weſtmariam ad Bor. & Eboracenſem prov. ad Ort. Hinc orti Lancaſtriæ Duces, in Hiſtoria Anglica celebres. Vide infrà. In ea ſunt Lancaſtria, *Lancaſtre*, urbs prov. caput, & oppida Mancunium, *Mancheſter*, & Preſtonium, *Preſton*, de quibus ſuo loco. Ab hac prov. nomen habet *Lancaſtrenſis* fam. quæ in Anglia cum Eboracenſi, ſub rubræ albæque Roſæ nomine, de regno diu & cruentè contendit: quæ lis tandem, poſt triginta prælia commiſſa, trium Regum plurimorumque Principum cædes, ſopita eſt ab Henr. VII. tunc temporis Comite Richmondiæ, qui victo & interfecto Richardo III. Elizabetham ſuperſtitem ex Eboracenſi fam. virginem, uxorem duxit; Fratre ejus Eduardo Plantagenatâ, ultimo Eboracenſium, in carcere detento. Hinc lemma Jacobi VI. Scotiæ ſ. I. M. Britanniæ Regis: *Henricus roſas, regna Jacobus.* Vide *Lancaſtria.*

LANCASTRIA, vulgò LANCASTRE, urbs eſt parva Angliæ, ad fluv. Lunæ oſtia, in prov. & in ora maris Hibernici, media inter Carleolum ad Bor. & Ceſtriam ad Auſtr.

LANCEA, an quod æquâ, *lance*, i. e. æquali amento, ponderata vibretur, an ex Græco λογγη? Ætoli, Marte geniti, inventum dicitur Plin. *l.* 7. *c.* 56. *Sagittas Perſen Perſei fil. inveniſſe dicunt*: lanceas *Ætolos jaculum cum amento, Ætolum, Martis fil. haſtas velitares Tyrrhenum pilumque*; ad quem locum vide Dalechampii *Notas.* Varro verò Hiſpanicam vocem eſſe tradit, apud A. Gell. *l.* 15. *c.* 30. Sed & ipſum teli genus Hiſpanicum fuiſſe, & ex Hiſpania in Italiam cum nomine delatum, extra dubium ponit Oiſel. *ad l.* Imò non Hiſpanis ſolùm, ſed omnibus pariter Celtis & rem & nomen quondam fuiſſe communia, exindè deducit, quod Siſenna apud Nonium, id teli genus Suevis, Germanicæ genti, tribuit, *Gallia materibus, Suevi* lanceis *configunt.* Et Diod. Sic *l.* 5. Germanis ſimulac Gallis, παραβάλλονται δὲ λόγχας ἃς ἐκεῖνοι λογκίας καλοῦσι, *Haſtas jaciunt, quas ipſi* lanceas *appellant.* Hodieque adhuc *lanceæ* id teli genus, undè *Landſknecht*, quaſi *lancearii milites*, dici addens. Fuit autem *Lancea* Car. Mag. inprimis magni apud Francos olim habita, de qua ſic; ex Ingulfo, Vilhelmus Malmesbur. *de Geſtis Angl. l.* 2. *c.* 6. ubi de Cimeliis, quæ ab Hugone Rege Franc. ad Adelſtanum Regem Anglorum miſſa ſunt, inter quæ pars dominicæ crucis, enſis Conſtantini Mag. vexillum S. Mauricii & *lancea Car. Mag.* non exigui apud Francos pretii, *quam Imp. invictiſſimus, contrà Saracenos exercitum ducens, ſi quando in hoſtem vibraverat, nunquam niſi victor abibat: ferebaturque eadem eſſe, quæ, Dominico lateri Centurionis manu impactâ, pretioſi vulneris hiatu paradiſum miſeris mortalibus aperuit.* Sic inter Cimelia & ſymbola Imperatoria vulgò recenſetur, *Lancea Conſtantini Mag.* quam nactus à Sanſone quodam Com. Rudolphus Burgundionum Rex dicitur miſiſſe ad Henr. I. Imp. poſteà Otho I. in prælio contra Lotharingos & Hungaros, Henr. IV. A. C. 1089. Ep. Lauſannæ eam deferente, extuliſſe, apud Conr. Urſperg. & Albertum Stadenſem A. C. 922. à quo tempore inter Imperii Cimelia præcipua eſt habita. Conſtantinum certè Mag. μετὰ λόγχης, *cum lancea*, quam alii σκῆπτρον vocant, ſtetiſſe ſuper columnam porphyreticam CPoli docet C. du Freſne *ad Alexiad p.* 82. Ademarus verò Cabanenſis, non *Conſtantini*, ſed *S. Mauricii lanceam* hanc vocat, ubi de electione Conradi Imp. quam à Rudolpho, unà cum Burgundiæ regno, cujus fuerit inſigne, Conrado præfato traditam fuiſſe, ſcribit Hugo Flaviniac. *in Chron.* Apud Danos non minus celebris fuit *Lancea S. Olai*, quam in præliis contra Ethnicos deferri ſolitum, refert Janus Dolmerus *ad Jus aulic. vet. Norvagic. p.* 413. Nec defuit Bohemis ſua *Lancea Regalis*, de qua ſic Albertus Stadenſis, ex Monacho Pegav. A. C. 1079. *Bellum fuit inter Henr. VI. & Rudolphum, in loco, qui dicitur Fladecheim ubi in primo congreſſu Saxones terga vertêrunt. Ibi Vratiſlaus Dux & Rex Bohemiæ, regalem lanceam adeptus eſt quæ exindè, permiſſione Imp. ſemper quemvis illius gentis ducatu inſignem in omni feſtiva Proceſſione præcedit.* Vide C. du Freſne in *Gloſſ.* ubi *lancearum* uſum ſervis prohibitum, ex *l.* 6. *Capitul. c.* 271. ſolumque eorum olim fuiſſe, qui *Militum* dignitate ac nomine gaudebant, ex Gobelino Perſona, in *Coſmodromio Æt.* 6. *c.* 77. addit. Idem *lanceis* olim prævaluiſſe Francos: docet *Not. ad Alexiad.* Vide quoque ſuprà, in voce *Juſta.* Addo ſolùm, cultrum, quo in Eccl. Græci uti, quoque Diaconus σταυροειδῶς, *in crucis formam*, diſſecare ſolitus ſacra dona, λόγχην quoque, i. e. *lanceam* dictam, in memoriam *lanceæ*, quæ Chriſti pupugit latus, uti docet Cl. Suicer. in *Theſ. Eccl.* in voce λόγχη. Vide quoque ſuprà *Crux*, infrà *Saccuta*, it. *Siromaſtes*: uti de *Lancearum abſque ferro* uſu, in voce *Torneamenta.*

LANCELINUS, vel *Kancelinus*, vel *Cuonzelinus*, aliis quoque *Bezzo* vel *Landolus* dictus fil. Guntrami cogn. *Divitis*, Hungaros ad Seckingam vicit, A. C. 937. & cum fratribus Sulzbergenſes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

genſe fundavit monaſterium. Pater Landoli, qui etiam *Bezelinus* & *Lancelinus* dictus eſt, è quo Duces Zeringiæ, Tecciorum Ducum ac March. Badenſium progenitores orti & majoris natu Rapatonis ſ. Ratbodi, qui Habspurgios, quorum autor Guntramus præfatus fuerat, continuavit. Inter ejus poſteros Rudolphus I. Imp. fuit Auſtriacæ fam. ſator. Vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.*

LANCELOTUS Carlius, Burdigalenſis, Ep. Rejenſis, A. C. 1550. poſtquam ab Henr. II. Romam A. C. 1547. miſſus, admirationem ſui excitâſſet. Hoſpitalio Gall. Cancellario, Ronſardo, & Joach. Bellajo familiaris. Scripſit Gallicè paraphraſin Eccleſiaſtis, Cantica Bibliorum, Ep. ad Car. IX. &c. Thuan. *Hiſt. l.* 3. Lurbæus, *de illuſtr. Aquit.* Michael Hoſpit. *in Ep.* Ronſard. *l.* 1. *Hymn.* 7. &c.

LAUCELOTUS Conradus, Baſilicatâ Neapolitanus, *Templum omnium Judicum* edidit.

LANCELOTUS Decius, Mediolanenſis, JC. nobilis. Obiit A. C. 1495.

LANCELOTUS du Voiſin, ſcripſit Hiſtoriam Gall. regna Henr. II. & filiorum ejus continentem, Tres mundos, &c.

LANCELOTUS Johannes Paulus, vide *ibi.*

LANCES, apud Propert. *l.* 2. *Eleg.* 13. *v.* 23.

Deſit odoriferis ordo mihi lancibus, *adſint*
Plebeji parvæ funeris exequiæ.

Fercula ſunt funerum, de quibus ſuprà diximus, & quæ memorantur Statio *Theb. l.* 6. *v.* 126.

Portant inferias, arſuraque fercula primi
Grajorum, tituliſque pios teſtantur honores
Gentis quiſque ſuæ ———

Aliàs *Lances*, diſci latiores ſ. vaſa eſcaria. Tertullian. *de Pallio, c.* 5. *Adigo cauterem ambitioni* —— *quâ lances centenarii ponderis Sulla molitur.* Cujuſmodi lances in promulſidario ſolebant reponi, habebantque inſcripta dominorum nomina & metalli pondus. Petron. Arbiter *Edit. Gonſ. de Salas. p.* 17. *Edit. Boſch. c.* 31. *Ceterùm in promulſidari aſellus erat Corinthius cum biſaccio poſitus, qui habebat olivas* —— *tegebant aſellum duæ* lances, *in quarum marginibus nomen Trimalchionis inſriptum erat & argenti pondus.* Vide Salmaſ. *ad l. Tertullian. c.* & ſuprà in voce *Ferculum.* Propriè verò *lances* ſcutellæ ſunt duæ, de libra pendentes, unde & pro libra nonnunquam vox occurrit. Vide quoque infrà in voce *Lanx.*

LANCETI ſ. Æ, quorum mentio in Monaſtico Angl. colonorum ſpecies eſt apud Anglos: de quorum præſtationibus & operis ita *Cuſtumarium* Prioris Lewenſis in Anglia, apud Henr. Spelmann. *In Soka de Hecham ſunt* 24 *Lancetæ. Conſuetudo eorum eſt, ut unuſquiſque eorum debet operari à S. Michaële uſque ad Autumnum unaquaque hebdomadâ per unam diem, ſive cum furca, ſive cum beſca, vel flagello ad libitum domini cum corredio ad Nonam & uno pane ad Veſperam* &c. A Germanico *Land-leet*, i. e. indigena, inquilenus, *in terra reſidens*, vide omnino Henr. Spelmann. in *Gloſſ.* His oppoſiti videntur *Landegandmanni*, itidem genus Cuſtumariorum ſ. inferiorum Tenentium manerii, qui in eodem *Cuſtumario* occurrunt. Significat enim *Gaend-mann*, teſte Kiliano, *viatorem* ſ. *tranſeuntem*, & *Lanceto*, h. e. *permanenti* contrà diſtinguitur. C. du Freſne in voce *Lande gandman.*

LANCIA, Ptol. Flor. *l.* 4. *c.* 12. *Lance* Antonino, poſteà in Conciliis Viſeum, *Viſeo*, teſte Jacobo Vaſconcello, urbs Luſitaniæ Epiſcopal. ſub Archiep. Bracarenſi, media ferè inter Guardenſem urbem & Portum, ad 14. leucas diſſita. Hic Viriatus Romanos vicit, & Roderici poſtremi Gothorum Regis ſepulcrum viſitur, teſte Marianâ, qui Lanciam Ovetum interpretatur, ignorans geminam illam eſſe, unam in Luſitania, alteram in Aſturibus. *Lancia* item & Albianus inſulæ ſunt Callaicorum, vulgò *Iſole di Baiona*, teſte Marianâ, Ferrar. Baudr. *Lancia*, duplex eſt; una dicta *Lancia oppidana* Vettonum, quæ creditur fuiſſe ubi nunc caſtrum *Penna di Francia*, ſ. Rupes Franciæ, locus celebris, propter devotionem erga B. Virginem, in regno Legionenſi, intra montes. *Lancia* altera, quæ & *Tranſcudana*, in Luſitania creditur fuiſſe, ubi nunc urbs Guarda, in Portugallia, quæ crevit ex Igæditæ ruinis, & ideo quibuſdam *Igædita nova* dicitur. Viſeum autem urbs eſt, ubi aliàs Verruvium opp. teſtibus Sanſ. & *Brietio.*

LANCIANUM, vulgò LANCIANO, urbs regni Neapolitani. Vide *Anxanum.*

LANCIATI, Aſturiæ in Hiſp. urbs. *Ptol.*

LANCICIA, vulgò LANSCHET Polonis, *Lencici* Germanis, urbs Poloniæ inf. in colle, Palatinatûs cognominis caput, cum undique paludibus munita, in ſcopulo. Vix 10. milliaribus à Warta fluv. diſſat, & 10. leucis Polonicis à Gueſna in Ort. ad amnem Bſuram. Incenſa fuit A. C. 1656.

LANCINUS Curtius, Mediolanenſis, Merulæ diſcip. Græcè & Latinè doctiſſimus poëmata edidit ſatis negligenter ſcripta, ſolum natale nunquam reliquit, cælebs Mortuus. Paul. Jov. *in Elog. doct. c.* 60. Epitaphio honoratus à Steph. Dulcino Cremonenſi.

LANCOBARDI, Ptol. *Lombardi*, pop. Germaniæ, qui circa Suevum fluv. in Ducatu Mechelburgenſi incolentes, egreſſi è finibus illis, in Italiam profecti ſunt, ibique victis Gothis, uſque ad Car. Mag. tempora imperârunt; à quibus adhuc Gallia Ciſalpina maxima ex parte *Lombardia*, quaſi Lancobardia, nominatur. *Longobardi* Aimoino & Paulo Diacono dicti, Ferr. Baudr. *Lancobardi*, ſ. & mel. *Langobardi*, pop. fuêre Germaniæ, circà Albim fluv. in Vandaliis, ſic dicti à voce Germanica *lang*, quod longum, & *bardt*, quod barbam notat, teſte Paulo Diacono, qui eos ex Scandinavia in Germaniam commigrâſſe ſcribit. Vide infrà in vocibus, *Langobardi* & *Longobardi.*

LANCOBRICA, ſ. LANCOBRIGA, Ant. *Langroiva*, opp. olim, nunc pagus Luſitaniæ, in regno Portugallico, inter Talabricam, & Calem ſ. Portum Calenſem, teſte Jacobo Delgado; inde 18. hinc 13. mill. paſſ. ex Itinerario Antonini. Sed Vaſconcello *Afeira*; aliis *Lago*, Talabricæ finitimus. Ferr. Baudr. *Lancobriga* aliis eſt *à Feyra*, pagus Luſitaniæ, versùs oram litoralem, in prov. Portugallias dicta, inter Durium & Tagum fluvios, prope oſtia Durii, & 13. mill. paſſ. à Portu Cale in Mer.

LANDAVA, vulgò LANDAFF, urbs Walliæ Auſtralis, in Anglia, in Comitatu Glamorganenſi. Epiſcopal. eſt ſub Archiep. Cantuarienſi; ad amnem Tavum, uno milliari Anglico tantùm ſuprà Cardiffam. Caſtrum habet, ſed deficit indies, & paucis tantùm incolis conſtat. De Conciliis hic celebratis vide Morer. *Dict. Hiſt.*

LANDAVIA, vulgò LANDAW, urbs Germaniæ Imperialis, in regione *Vaſgow*, in Alſatia inf. ſub dominio Regis Franciæ, pace Monaſterienſi, juxta amnem *Queich*, in conf. Palatinatûs Rheni, 4. leucis diſtat à Spira in Occaſ. & 4. à Rheno fluv.

LANDENBERGIUS Peregrinus, Underwaldiis ab Alberto Auſtriaco præfectus, quemadmodum ab eodem Griſlerus Suitiis & Uriis præpoſitus eſt: Obtinuit arces duas, Sarnam infrà ſylvam, & Rotzbergium, ſuprà ſylvam, quæ mediam Underwaldiorum regionem dividit, contrà morem, cùm prius tres pagi unum præfectum habuiſſent, qui plerunque etiam Tigurinis aliiſque urbibus præfuerat, neque in pagis habitabat, ſed quotannis ſemel atque iterum juris dicundi cauſâ evocatus veniebat. Hic clemens primò in omnes, mox cùm blanditiis ſe populi non paterentur eò adduci, ut immemores priſtinarum immunitatum, cœcum Auſtriacis addicerent obſequium, acer: nullis aut levibus de cauſis in carceres pro lubitu abripere, jumenta innocentibus abducere, in corpora etiam ſævire, exoculato Henr. Melchtalio, viro ſene & opulento, matronis tandem vim parare cœpit. Quo exaſperatâ pagorum patientiâ eò tandem erupit, ut is in balneo, ad cujus conſortium Conradi à Bomgarten ruſtici uxorem pulcram non magis, quàm pudicam, pro imperio venire juſſerat, occideretur. Stumpf. Etterlinerus, &c. Quod alii tamen Wolffenſchieſſio, miniſtro Auſtriaco, Rotzbergæ habitanti accidiſſe ferunt. Eadem tyrannide cùm & Griſlerus in reliquis pagis uteretur, Henr. prædicti fil. Arnoldus cum Furſtio & Stouffachero prima Helvetici fœderis fundamenta jecit, A. C. 1307.

Vincula dum immeritis, lethum, graviuſque minaris
Letho aliquid, cunctis Helveta liber adeſt.

Vide & *Peregrinus.*

LANDGRAVIUS, vox Germ. denotat Præfectum provinciæ, regionis Comitem ſ. Judicem, quemadmodum *Marcgravius*, Comes limitaneus, *Burgravius* Caſtrenſis eſt: qui omnes ſic dicti, à loco muneris extrà palatium Imp. adminiſtrandi: Nam qui intrà ſuum exequitur, *Pfaltzgravius*, i. e. Comes Palatinus dictus eſt: A priſcis dicitur Præſes Provinciæ, cujus erat judicia Principis in Provincia exercere. Hodie in Imperio quatuor potiſſimum numerantur, Landgravius Thuringiæ, (qui titulus hodie Saxonicæ eſt fam.) Haſſiæ, Alſatiæ, (quo titulo non tantùm Archiduces Auſtriæ, ſed & Epp. Argentin. utuntur,) & Leuchtenbergenſis. Quibus quidam addunt Landgravios Suſenbergiæ, qui nunc Marchiones Badenſes, & Landgravium Nellenburgenſem. Hi Principes, ſunt & alii quoque, ſed minorum gentium: de quibus vide Limnæum Enucl. *l.* 2. *c.* 15. De Haſſiæ Landgraviis ſic Munſt. Geogr. *l.* 3. *c.* 419. *Fuit olim Haſſia tantùm Comitatus ſubjectus domino Thuringiæ, ſed Lud. Comes factus Landgravius eſt, aſcenditque filia ſuprà matrem.* Et paulò pòſt: *Lud. Barbatus*, ævo Conradi II. *gennit Lud. ſaltatorem, cujus filio Lud. Cæſar filiam uxorem dedit, creavitque eum Comitem Provincialem Thuringiæ. Longè pòſt ſuccrevit Landgravius Haſſiæ ex priore.* Vide Henr. Spelman. *Gloſſ. Arch.*

LANDI Germ. pop. à Cæſare devicti. Strabo. *l.* 7. *p.* 292.

LANDIA, Aben-eſræ *in Exodum* regio eſt, *cujus viri habitati Orbis occupant plus quàm dimidiam partem, omnes è Chami filiis, & hodieque non ſolùm à carne ſed & à ſanguine & lacte & piſcibus & ovis, denique ab iis omnibus abſtinent, quæ ab animalibus prodiêrunt, & iis veſcentes abominantur, & nefas eſſe putant gregibus paſcendis incumbere.* Fortè *Indiam* intelligit, cujus incolæ, ſi Cteſiæ credimus, πλείους σχεδὸν συμπάντων ἀνθρώπων, *plures fuêrunt reliquis hominibus ferè quotquot ſunt*: in quibus Gymnoſophiſtæ miram abſtinentiam profitebantur. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poſt. l.* 4. *c.* 17. & de hodiernorum Indorum, quotquot inter eos Ethniciſmo hodieque adhærent, ſtatu, P. de la Valle *Itin. Parte* 4.

LANDO, è Sabinis, poſt Anaſtaſium III. Papa, A. C. 912. à Theodora perſauſus, Joh. Ep. Bonon. ejus amicum, filium ſuum nothum, Archiep. Ravennatem creavit, qui poſtmodum Landoni ſucceſſit. Luitpr. *l.* 2. *c.* 13. Leo Oſtiens. *l.* 1. *Chron. Caſſin.* &c.

LANDO Hier. Venetus, Archiep. Cretenſis, Patr. CPolitanus à Sixto creatus, A. C. 474. Onuphr. *in Chron.* Item Conr. *Lando*, Germanus, unus ex Ducibus prædonum, qui Italiam longè lateque vaſtârunt, A. C. 1353. donec à Florentinis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

tinis, ductu Malateſtæ, in Lombardiam rejecti ſunt; A. M. 1358. Villan. & Aretin. *l* 8. Item, *Lando*, vel *Landinus* Chriſtoph. Florentinus, Italicè Plinii Hiſt. nat. vertit, commentariis Horat. Dantem, &c. illuſtravit.

LANDOLUS, vide LANCELLINUS.

LANDOSIA, Galatiæ opp. *Ptol.*

LANDRECIUM, vulgò LANDRECY, urbs permunita Belgii, in Hannonia prov. obſidionibus ſuis celebris, ad fontes Sabis fluv. A Landerico Majore domûs Chlotarii junioris, Francorum Regis videtur nomen accepiſſe. Subeſt dominio Francorum pace ad Pyrenæos ſancitâ. 6. leucis diſtat à Valencianis in Afric. & 7. à Cameraco in Ort. 2. autem à limite Picardiæ prov.

LANDRICUS, Magiſter Equitum, Fredegundis Reginæ Galliarum adulter, cùm per Reginam marito amores ejus furtivi innotuiſſent, non exſpectans ſupplicium. Hilpericum prior confodi juſſit. Chlotario II. minorenni, hoſtibus ejus fortiter reſtitit. Gaguin. *Hiſt. Gall.* Aimon. *l.* 3. &c.

LANDSHUTUM, vulgò LANDSHUT, urbs Germaniæ, in Bavaria inf. ad Iſarum fluv. 20. milliaribus diſtat à Friſinga in Ort. & 30. à Ratisbona in Mer. eſtque munita. Condita A. C. 1208. à Lud. Bavariæ Duce. *Merc.*

LANDSPERGA, vulgò LANDSPERG, urbs Germaniæ, in nova Marchiâ Brandeburgica, ad Wartam fluv. 18. milliaribus à Cuſtrino in Ort. & in conf. Poloniæ. Pluries capta fuit à Suecis nuperis motibus Germaniæ.

LANDSPERGA, vulgò LANDSPERG, urbs Germaniæ, in Bavariæ Ducatu, in colle, ad Lichum fluv. & in conf. Sueviæ. 20. milliaribus diſtat ab Auguſta in Mer.

LANDSPERGA, Germ. LANDSBERG, caſtrum nobile Germ. ſup. in Palatinatu ſub proprio olim Principe. ex Fam. Palatina, qui poſtmodum Duci Bipontino agnato ſucceſſit. Autor lineæ *Landſpergenſis* Frid. Caſimirus fuit ſecundus fil. Joh. I. Duc. Bipontini, nat. A. C. 1585. ex Magdalena Juliacenſi (filia Vilhelmi Ducis Juliac. Cliv. & Mont.) qui aliquandiu in Burgundia habitavit; ab uxore Amalia Naſſovia Arauſionenſi, ductâ A. C. 1616. in ea Montfortiam ditionem aſſecutus, Deceſſit autem A. C. 1645. Pater Frid. (nat. & Denat. A.C. 1617.) Frid. Lud. (nat. A. C. 1619.) & Car. Henr. (nat. A. C. 1622. Denat. A.C. 1623.) *Comitum Palatin. Rheni &c. in Landſperg.* E quibus medius, Electore ad Comitia electiva profecto, A. C. 1658. Heidelbergæ vicariatum geſſit. Bipontino dein patrueli Frid. ſucceſſit, A. C. 1661. ubi circà debita difficultas orta, cùm à Joh. II. patruo contracta ſuſcipere nollet. Cæterùm vendidit Neoburgico agnato prætenſionem ſuam Juliacenſem, atque conjugem duxit Julianam Magdalenam patruelem, A. C. 1645. è qua præter Carolam Amaliam A.C. 1653. Ludovicam Magdalenam A.C. 1654. Mariam Sophiam A. C. 1655. natas, filioſque aliquos immaturâ ætate Extinctos; inprimis ſuſcepit Car. nat. A. C. 1659. Mortuum A. C. 1673. & Vilhelmum Lud. nat. A. C. 1648. & ſucceſſioni paternæ deſtinatum. Sed turbato mortalitatis ordine, & hunc fil. A. C. 1675. & ex eo & Carola Friderica agnata nepotem Car. Lud. atque ita totam ſpem ſucceſſionis extingui vidit & luxit: ipſe poſt conjugis mortem, aliâ ignobili ductâ, aliquot quidem filiorum pater, ſed quibus ſucceſſio negata. Sed & Bipontum à Gallis occupari, aliaque belli mala in ditione expertus eſt. Progenitores ejus quod attinet, hi fuêre: Lud. Com. Palatinus Rheni *in Zweibrucken*, Defunctus A. C. 1489. ex Johanna (filia Antonii Croji Com. Porceani) reliquit fil. Alex. *Com. Pal. Rh. in Zweibr.* qui Obiit A. C. 1514. Pater ex Margaretha Hohenloica (filia Cratonis) Lud. *Pal. Rh. in Zweibruk* Extincti A. C. 1532. Huic ex Eliſabetha Haſſiaca (filia Com. Vilhelmi Landgr. Haſſiæ) genitus Wolphgangus *Com. Pal. Rh.* Deceſſit A. C. 1569. inter alios, ex Anna Haſſiaca (filia Phil. Landgravii) relicto Joh. I. *Com. Pal. Rh. in Bipont.* cui Defuncto A. C. 1604. ex Magdalena Juliac. ut dictum, fil. fuit Frid. Caſimirus, pater Frid. Lud. lineæ ſuæ extremi. Vide Phil. Jac. Spener. *Syllog. Geneal. Hiſt. in Fam. Palat.* & *Theatr. Parte* 1. *p.* 124.

LANDULFUS de Columna. Canonicus Carnut. autor Hiſtoriæ Paparum, Sec. 14. Alius, cogn. Sagax, autor ſupplementi Hiſtoriæ miſcellaneæ Pauli Diaconi. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 30. 40. & 64.

LANDULFUS Maramaurus, Card. Barenſis, ab Alex. V. in Germaniam miſſus, ob Conc. Piſan. A. C. 1409. Vide quoque *Ludolphus.*

LANDUS Baſſianus, Placentinus, Medicus celebris, Patavii docuit. Autor *Comm. in Icones Vett.* aliorumque ſcriptorum, de quibus vide *Elogia* Ant. Teiſſier P. 1. à ſicario occiſus, A. C. 1562. vide etiam Hier. Ghillonium *Theatr. d'huom. Letter. Parte* 2. Zuingerum *Theatro Vitæ Hum.* Quenſtedium *de patria Illuſtr. Vir.*

LANEA Corona antiquiſſima, Iſid. *l.* 19. *c.* 30. *Hujus* (coronæ) *principium à Libero quodam Gentiles exiſtimant, quòd is in potando mota vino capita vincire faſciolis inſtituerit. Idcirco olim linei ac lanei generis coronas fuiſſe. Sic enim erat in Sacerdotibus Gentilium.* Ubi quod de *Sacerdotibus* ait, illuſtravit hunc eorum ornatum *Comm. ad Claud. de Raptu l.* 2. Janus Parrhaſius non inſcitè, ex Verrio Flacco, vide quoque Caſp. Barth. *Animadv. ad Stat. Theb. l.* 4. *v.* 492. Nempe, ut olea, ſic & *lana*, argumentum pacis, habita, ac utraque, velut gemellæ, unà emerſêrunt. Juſtin. *l.* 2. *c.* 6. *Primi Athenienſes Lanificii & olei & vini uſum docuêre, quibus ſcilicet omnibus homines fruuntur in pace.* Quam ob cauſam Virg. oleæ ramo, quem Pallanti prætendit Æneas, addit vittas i. e. *lanam*, apud Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 128.

Et vittâ comptos voluit prætendere ramos.

Ubi Serv. *Vittas autem habet ramus olivæ ideo, ut inertiam & imbecillitatem offerentis oſtendat. Scimus enim oves, unde* lana *egêre alieno ſemper auxilio.* Huc accedit, quòd *lanâ* nihil tenerius molliuſque. Ideo *cingulo nova nupta præcingebatur*, inquit Feſtus; *quod vir in lecto ſolvebat factum ex lana ovis; ut ſicut illa in glomos ſublata conjuncta inter ſe ſit, ſic vir ſuus ſecum cinctus, vinctuſque eſſet.* Qua ipſa de cauſa forſan nova Nupta viri januam lanâ coronabat. Quem ritum tangit Plin. *l.* 29. *c.* 2. *Lanis autoritatem veteres Romani etiam religioſum habuêre poſtea à nubentibus attingi jubentes.* Ubi quod de religione Romanorum habet, confirmatur ex Pauſ. qui ab Antiocho Rege in Olympii Jovis Templo *laneum velum*, cùm textili Aſſyriorum opere, tum Phœnicum purpurâ luculentum, dedicatum fuiſſe *l.* 5. & Polluce, qui pileo laneo purpureo Deorum ſedes illuſtrari, memorat *l.* 7. *c.* 13. Sed & Deos precantes *baculum & lanam* tenere conſueviſſe, Plutarch. docet *de Fortun.* & Jovis Cteſii aures alba lanâ coronatæ: & crateres ovis juvenculæ novâ lanâ cincti, occurrunt apud Athen. *l.* 15. & Sophoclem *Oedipo.* In Jovis Cretenſis quoque Sacris *Lana* uſus. Undè de Pythagora ἀρνειῶ μέλανος μαλλοῖς ἐστεφανωμένον, *nigri agni vellere coronatum*, à Morgi in Creta Sacerdotibus, luſtratum eſſe, & in Idæum antrum deſcendiſſe, ἔρια ἔχοντα μέλανα, *nigrâ lanâ amictum*, ex initiamentis Pythagoræ, in *Vita* illius docet *Porphyr.* Inprimis verò celebris fuit, à *lana*, quâ coronabatur, nomen adepta εἰρεσιώνη, de qua vide ſuprà in voce *Eireſione*: quo ramo Apollini Athenienſes eo die; quo Theſeus unà cum ſociis periculo exemptus credebatur, ſupplicare quotannis ſolebant &c. Poſtquam dein alia coronamenta ſucceſſêre, in mediocribus *lana* haberi cœpêrunt. Unde cùm mas natus eſſet, ante fores oleæ ramum; ſi femina, *coronam laneam*, διὰ τὴν ταλασίαν, Athenis poni in more fuiſſe, legitur apud Heſych. στεφάν. ἐκφέρ. Imò & adulterum deprehenſum Gortynæ, quæ urbs Cretæ eſt, *lanâ* coronari conſueviſſe, velut mollis & effœminati animi ſigno, tradit Ælian. *Var. Hiſt. l.* 12. *c.* 12. Sed & Homerum, è Rep. ſua eliminandum, eadem corona inſignit Plato *de Rep. l.* 3. Qua de re vide plura apud C. Paſchal. *Coron. l.* 5. *c.* 15. Non omittendum tamen, *cùm ad ſepulcrum ferrent flores atque frondes* (priſci) poſtmodum *lanam quoque addidiſſe*, uti Varro ait *de Ling. Lat. l.* 6. quo de more Joh. Meurſ. *Comm. in Lycophron.*

LANEI Pentadactyli, apud Lutatium, chirothecæ ſunt quinque digitos integros tegentes & partem brachii. Ita autem is *ad Stat. Theb. l.* 6. *v.* 783.

——— verùm ut feſſam ſuper ora reduxit
Fortè manum, & ſummo maculas in vellere vidit:

Quia laneos, inquit, *habebant pentadactylos ſub caſtibus, qui eminebant ſupra brachia.* Vide quoque Caſp. Barth. *ad l.* At *Laneus* lupus qui apud Mart. *l.* 13. in Xeniis *Epigr.* 89. cujus Epigraphe *Lanatus* Plin. *l.* 9. *c.* 17. lupi piſcis genus eſt, de quo infrà.

LANFRANCUS, Italus, patriâ Ticinenſis, è nobili Beccariorum fam. Benedictinus: ex Priore Beccenſi, ac deinde Abbate S. Stephani Cadomenſis, Archiep. Cantuarienſis & Angliæ Primas A. C. 1070. *Omnium ſui temporis in omni literarum genere doctiſſimus*, Sixto Senenſi. Diſputavit, contra Berengarium, in Conc. Romæ habito, ſub Nicolao II. A. C. 1059. de corporali, ut ajunt, præſentia Corporis & Sanguinis CHRISTI, in S. Cœna: Quam & poſtmodum edito libro propugnatum ivit. Scripſit præterea, Comm. in Ep. Pauli, notas in Caſſian. Epiſtolas, &c. Quæ omnia A. C. 1647. operâ Lucæ Acherii, impreſſa. Obiit A. C. 1089. Sigeb. *c.* 155 *de Vir. Ill.* Morer. *Dict. Hiſt.* Autor habetur Philoſophiæ Scholaſticæ.

LANGARUS, Agrianorum Rex opem ſuam Alex. Mag. contra Antariatas obtulit, hinc muneribus & ſpe nuptiarum Cynæ ſororis ejus, quæ Amyntæ, nupſerat, erectus. Obiit paulò pòſt. Freinshem. *ſuppl. in Curt. l.* 1. *c.* 12.

LANGARUS, vulgò LANQUART, fluv. Rhætiæ, in fœdere 10. Juriſdict. inter quem & Rhæticonem montem ad Auſtr. jacet Malantium *Malans*, juriſdictio nona; prope quòd haud procul Rucantiis ad dextrum in Rhenum evolvitur. Vide Stumpf. *de Rhætis, &c.*

LANGDENUS Johannes, vide *Johannès.*

LANGELANDIA, vulgò LANGELAND, inſ. Daniæ, in mari Balthico, inter Fioniam, Selandiam, & Lalandiam inſulas; ubi opp. Rudcopia. A Sept. in Mer. extenditur per 7. ferè milliaria Germanica. Sed ejus latitudo eſt tantùm duorum milliarium. Pagos habet ſexdecim, & arcem munitam *Trancke* dictam.

LANGENBURGUM Germ. *Langenburg*, caſtrum Germ. in Franconia, ſub proprio Com. ex Fam. Hohenloica. Cùm enim illuſtris hæc fam. varias ſubiiſſet diviſiones, uti ſuprà viſum, præcipua hodie eſt, in *Langenburgicum* & Waldenburgicum ramum: quorum illius Lud. Caſimirus, hujus Eberhardus, uterque Georgii Extincti A. C. 1551. filii, caput conſtituunt. Et quidem in illo, Wolphgangus Lud. Caſimiri fil. tres filios ſucceſſores habuit; Georg. Frid. in *Weickersheim*, Cratonem in *Neuenſtein* & Phil. Erneſtum *in Langenburg*, qui Extinctus A. C. 1628. ex Anna Maria Solmenſi (filia Othonis Com. Solmenſis *in Sonnenwald*) genuit Wolphgangum Othonem (nat. A. C. 1611. Denat. A. C. 1632.) Phil. Erneſtum (nat. A. C. 1612. Denat. ...) Lud. Cratonem (nat. A.C. 1613. Denat. A. C. 1632.) Phil. Mauritium (nat. A. C. 1614. Denat. A. C. 1632.) Georg. Frid. (nat. A. C. 1615.

C. 1615. Den.......) Annam Magdalenam (nat. A. C. 1617. nuptam Georgio Lud. Burggravio Kirchbergæ) Dorotheam Sophiam (nat. A. C. 1618. Den.....) Joh. Albertum (nat. A. C. 1619.) Evam Chriſtinam (nat. A. C. 1621. uxorem Wolphgangi Frid. agnati) Mariam Julianam (nat. A. C. 1623. uxorem primò Joh. Vilhelmi, ſecundò Franciſci Dn. & Princ. *de Limpurg.*) & Henr. Fridericum (nat. A. C. 1625.) qui ductâ agnatâ Eleonorâ Magdalenâ (filiâ Georgii Frid. præfati Com. de *Hohenloë, in Weickersheim*) ex ea ſuſcepit Sophiam Mariam, (nat. A. C. 1653. Den. *eod.*) Phil. Albertum Frid. (nat. & Den. A. C. 1654.) Mariam Magdalenam, (nat. & Den. A. C. 1655.) ac Erneſtum Eberhardum Frid. (nat. A. C. 1656.) omnes *Com. de Hohenloë* &c. *linea Langenburgica.* Defunctâ verò A. C. 1657. uxore Julianam Dorotheam Caſtellanam ſecundis nuptiis ſibi junxit Phil. Jac. Spener. *Theatr. Parte I. p.* 34. & 136. E quo matrimonio ei nati ſunt Albertus Wolphgangus, & fratres, Idem *Parte* 3. *p.* 89. Plura ſuprà, in voce *Hohenloë.*

LANGEOLUM, in *Monaſtico* Angl. *Tom. I. p.* 419. veſtis eſt interior lanea Monachorum, ad genua uſque pertingens, ſic dicta quòd *lanea* ſit; undè laneos panniculos, quibus infantes circumvolvuntur, Galli etiamnum *Langes* appellant, C. du Freſne in *Gloſſ.*

LANGFORDUS Thomas, vide *Thomas.*

LANGHAMUS Renaldus, vide *Renaldus.*

LANGI, apud Aldhelmum.

Loth quoque, qui langos *ſceleratos vixerat inter,*
Hoſpes hoſpitibus præbens umbracula tecti:

homines ſunt *malæ vitæ* & profuſæ libidinis; quos paulò pòſt eadem de re agens, *ſcortatores* nominat & *cinados:*

Cùm ſcortatores & molles fortè cinados,
Qui Sodomæ facinus patrabant more nefando,
Cœrula fulmineis torrerent fulmina flammis.

Iidem nempe cum iis, quos *tricones* vocat Jul. Capitolin. *in Vero Imp.* Græci ἀχρεῖους, *nulli rei bonæ homines.* Gloſſæ, *trico*, ἀχρεῖος, ἄκλυτος, λαγγών. Eædem *Ceſſator.* λαγγών. Itaque, qui nihil habent quod agant, homines deſides & male feriati, iſthoc nomine nuncupantur & *Langones* ac *Langi* dicebantur. Salmaſ. *Not. ad Capitolin.*

LANGIA, fluv. Peloponneſi ex Nemæa ſylva in ſinum Corinthiacum fluens. Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 717.

Hac quoque ſecreta nutrit Langia *ſub umbra.*

LANGIENSES, pop. Liguriæ, in Genuenſium finibus, quorum vicus *Langaſcho* ſupereſt, ad Apennini radices, à Genua 10. mill. paſſ. apud Pontem decimum diſtans, Baudr. Plin. *l.* 3. *c.* 3. & *l.* 4. *c.* 22.

LANGIUS Joſephus, vide *Joſephus.* It. *Carolus* & *Johannes.*

LANGIUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

LANGIUS Paulus, vide *Paulus*, It. *Rudolphus.*

LANGLERIUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

LANGO, Eleorum urbs in Peloponneſo. Plutarch. *in Cleomene.*

LANGOBARDI, dicti fuêre varii Germaniæ populi, ita enim Germanos ad Viadrum ſitos Tac. *Ann. l.* 2. *c.* 45. & *l.* 11. *c.* 17. *de morib. Germ. c.* 40. cis Albim Strabo *l.* 7. *p.* 290. & Ptol. vocant. Nec mirum, nomen hoc, quod *promiſſæ barbæ hominem* deſignat, nunc his, nunc illis hominibus, ab iis, ad quos accedunt, dari ſolere. Peculiariter autem dicti *Langobardi*, quorum ingens cum alibi, tum poſtremò in Italia potentatus fuit, iidem cum Winulis, *à Germanorum populis originem ducentes, ab inſ. quæ Scandinavia dicitur, adventârunt*, Paul. Warnefridus: E Gepidis autem orti ſunt, qui ex Gothorum proſapia ipſi originem duxêre, & Burgundionum victores, venêre ad utramque Danubii ripam, multas per incurſiones Romanis infeſti. Eorum primus meminit Proſper Aquitanus, Theodoſii temporibus, cùm Regem ſibi fecêre Agilmundum, circà A. C. 392. ſedemque iis cum gentilibus Gepidis cis Danubium fuiſſe docet Procop. quam Pannoniam diſertè nominat Paulus. Horum vi oppreſſi Gepidæ, Anno 6. Juſtini II. Imp. finem imperandi fecêre; victus prælio ab iiſdem gener Juſtini & Dux Bandarius: Mox à Narſete, quem Auguſta ignominioſo dicto offenderat, evocati, Alboino tum apud eos regnante; fœdus cum eo fecêre: & cùm Tiberius Juſtino ſucceſſiſſet, venêre in Italiam, atque ibi poſtquam aliquandiu, poſt mortem Clephonis Alboini filii, 30. Ducibus ſubfuiſſent, Regem ſibi fecêre Autarichum, qui Autharius aliis dicitur: Hîc magnis progreſſibus Tiberio Mauritioque imperantibus uſi, tenuêre Italiam fermè omnem, exceptâ Româ, quam fruſtra obſedêrunt circà A. C. 577. ut & 593. 740. ac 753. ac Ravennâ, Exarchi ſede. Duravit regnum hoc per 200. in Italia Annos, multæque illuſtres per Italiam familiæ à Ducibus Langobardicis originem trahunt. Poſt Autharium Agilulfus illis præfuit, cujus conjux Theudelinda Chriſtiana maritum convertit, reliquoſque manſuetiores reddidit. Agilulfo fil. Adoloaldus ſucceſſit, circà A. C. 616. cui ob tyrannidem in 12. primores deturbato, Ariovaldus Arianus, cui uxor erat Agilulfi filia, ſuffectus eſt, circà A. C. 624. Eo Decedente Gundeberga ux. Rotharim, Arianæ hæreſi pertinaciter itidem deditum, legit, qui Iſacio victo, cæſiſque Romanis, duas provincias Imp. eripuit, legeſque Longobardorum tabulis mandavit, circa A. C. 645. Rotharim excepit fil. Rodoaldus,

qui regni Anno quarto, ob adulterium, à ſuis trucidatus, ſucceſſorem habuit Aripertum I. A. C. 654. quo Mortuo A. C. 659. Grimoaldus Dux Beneventanus, Bertaridum & Godebertum filios ejus, de regno diſſidentes, excuſſit; ei tamen A. C. 673. Mortuo ſucceſſit Bertaridus exul, quem fil. Cunibertus ſecutus eſt, A. C. 689. cui ſucceſſit fil. Luitpertus, ſub tutela Aſprandi, A. C. 701. Sed Regnibertus Taurinatium Dux ei regnum eripuit, ac ad Aripertum II. fil. tranſmiſit A. C. 702. Hic, Aſprando victo, Luitpertum necavit, Pontificique Alpes Cottias dedit dono. A. C. 704. Verùm & ipſe ab Ariſprando, Bavaricis adjuto copiis cæſus eſt A. C. 712. cui brevi pòſt Mortuo fil. Luitprand. ſucceſſit Anno eodem. Hic Paulo Exarcho Ravennam extorſit, brevi iterum amiſſam; Romam dein obſedit, regionibus Pontificiis vaſtatis, quòd Papa Traſamundum Spolet. Duc. rebellem tradere nollet, à Car. Martello, ut obſidionem ſolveret, permotus: Obiit A. C. 744. Ratchilo ſucceſſore: quo in cœnobium ſe condente, frater Aſtulphus regnum ſuſcepit, A. C. 752. qui Ravennâ captâ & Exarcho pulſo, Exarchatui finem impoſuit. Ei ab apro inter venandum occiſo, Comes ſtabuli ejus ſubſtitutus eſt Deſiderius, quem exactis 18. Annis, cùm Papæ admodum infeſtus eſſet, Car. Mag. debellavit, ipſoque ſecum cum conjuge abducto, ipſi regno Longobardico finem impoſuit A. C. 774. manſit tamen regioni nomen, quæ hodieque *Lombardia* vocatur. *Solebant Longobardi cervicem ad occipitium uſque radentes nudare, capillos verò à facie uſque ad os dimiſſos, in utramque partem, in frontis diſcrimine dividebant. Veſtimenta eis erant laxa, & maximè linea, ornata inſtitis latioribus, vario colore contextis. Calceis utebantur ad ſummum pollicem penè apertis, & alternatim laqueis corrigiarum retentis. Poſteà verò cœpêrunt hoſis uti, ſuper quas equitantes tubrugos, birreos mittebant: ſed hoc de Rom. conſuetudine traxêrunt*, Paul. Warnefrid. *de geſtis Longob. l.* 4. *c.* 23. Hinc *Longobardicus*: Unde *leges Longobardicæ*, de quibus ſic Henr. Spelman. *Longobardi Saxonum erant colonia, quos Pannoniam occupantes in Italiam vocat Narſes, circà A. C.* 550. *eorumque auxilio fretus Gothos in Italia delevit. Conſidunt deinde Langobardi in Italia, auctioreſque facti quotidie, Regnum ſibi atque jura inſtituunt. Hinc Anglo-Saxonum cum illorum legibus, ritibus, vocabulis analogia. Primò autem leges has ſolâ memoriâ & uſu, ex more Lacedæmoniorum & Gentium vett. Borealium retinuêrunt, donec Rotharis Rex illas in codicem redegit, eumque* Edictum *appellari voluit* 70. *Anno poſt adventum gentis in Italiam: Quem Hermannus Contractus ad A. C.* 627. *rejicit. Harum legum aliis abrogatis, aliis emendatis; plurimas addidêrunt Principes ſubſequentes, Grimoaldus, Luitprandus Rachis & Aiſtulphus: Car. Mag. dein & Lud. Impp. etiam Lotharius Pipinus & juniores, in ſingulis legum apicibus annotari*, Vide eum in *Gloſſ. Arch.* Et plura de *Langobardis*, apud B. Rhenan. *Rer. Germ. l.* 1. ubi de eorum *in Pannoniam dein in Italiam* migratione *l.* 2. ubi de *Francorum adverſùs eos victoria*, & de *Lingua eorum quæ Germanica*, pluribus agit ibidemque Othonem JC. Hug. Grot. *Hiſt. Suec. Gotth. & Wandalorum*; ut & in vocibus *Longobardi* & *Longobardia*: de regno autem *Longobardorum*, in voce *Italia.*

LANGTONUS Johannes, vide *Johannes.*

LANGTONUS Simon, vide *Simon.*

LANGUEDOCIA, vide *Occitania.*

LANGUETUS Hubertus, Burgundus, intimus Camerarii amicus, primarius, Aug. El. Saxoniæ Conſiliarius primùm, inde, quòd haberetur Gaſp. Peucero publicandæ Expoſitionis de S. Cœna, juxta tenorem Confeſſionis Helvet. particeps, ad Princ. Auriacum delatus, maximiſque rebus adhibitus, Obiit Antverpiæ, A. C. 1581. Æt. 63. à Beza epitaphio honoratus. Autor quibuſdam habetur *Vindiciarum c. Tyrannos.* Scripſit *Epiſtolas ad Joach. Camerarium* utrumque patrem & filium. Mornæus *Præf. de Ver. Rel. Chriſt.* Thuan. *Vita ſua l.* 2. Colomeſius *Opuſc.* Ant. Teiſſier *Elogiis* &c.

LANGUS Joh. Freiſtadio Sileſius, ſtipem emendicare in juventute coactus, ingenio ac induſtriâ eouſque imerſit, ut à Ferdinando I. conſiliis & Legationibus variis adhibitus ſit, quibus cum gloria defunctus eſt. Scripſit proſâ verſuque eruditè, ac Græcè tam doctus fuit, ut hac linguâ velut vernacula facilè uteretur. *Nicephori Hiſtoriam Eccl.* cujus unicum in Europa tum exemplar fuit, ejuſdem Imp. juſſu Latio donavit, ac *Notis* illuſtravit. Vertit itidem *Sententias Nazianzeni* ad *Juſtin Mart.* ac *Notas* addidit. Edidit quoque *l. c. Staphylum, Carmina Lyrica, Elegias, Poëmata Chriſtiana* &c. Obiit Suinitii A. C. 1567. Æt. 64. Melch. Adami *Vit. Juriſc. vide* & *Elogia* Ant. Teiſſier. *Parte I.*

LANIATUS aut avium aut canum, Parthorum ſepultura, apud Juſtin. *l.* 41. *c.* 3. Qui inhumanus humandi mos, ut multa alia, ad eos à Perſis defluxit. Ita enim de his Herod. οὐ πρότερον θάπτεται ἀνδρὸς Πέρσεω ὁ νέκυς, πρὶν ἂν ὑπ᾽ ὄρνιθος ἢ κυνὸς ἑλκυσθῇ. Et quidem de avibus conſtat, claravitque hic mos ad extrema uſque tempora; uti patet ex Procopio *Perſ. l.* 1. Agathia *l.* 2. Aliis. Vide quoque Joh. Kirchmann. *Append. ad l. de funeribus Rom. c.* 2. C. Barthium *Adverſar. l.* 49. *c.* 10. & quæ dicta retro, in voce *Abori.* De canibus, an verum ſit, non adeò liquet. Hyrcanorum proprium fuiſſe hunc morem, ex Vett. ſcriptis notum. Voſſ. *ad Juſtin. d. l.*

LANICOLA, urbs & Academia Haſſiæ, aliter *Martisburgum.* A *Lano* fluv. ſic dicta.

LANIGARA, Maurit. Cæſarienſ. opp. *Guagida* Marmolio, ad Sigam fluv. Quizæ urbi finitimum.

LANIO, vide infrà *Lanius.*

LANIPENDIUM, in *Regula* Cæſarii *ad Virgines c.* 28. *Ad*

cellarium & ad poſtitium vel lanipendium, *tales à Seniore eligantur* &c. locus eſt in Monaſteriis feminarum, ubi reponuntur *lanæ*, ad earum lanificia vel etiam ad veſtes laneas. Hujus quæ curam gerit, *Lanipendia* dicitur *ibid. c.* 25. *Omnis lanificii cura, undè veſtimenta ſanctis ſororibus miniſtrentur ad ſolicitudinem Præpoſitæ vel* Lanipendiæ *pertinebit.* Ad cujus officium illuſtrandum faciunt illa Juv. *Sat.* 6. *l.* 2. *v.* 496.

Eſt in conſilio materna, admotaque lanis
Emerita quæ ceſſat acu, &c.

Vide C. du Freſne in *Gloſſ.* & Dom. Macr. *in Hierol.* de *Lanificio* verò Vett. ſuprà.

LANISE, Ægei maris Inſ. Plin. *l* 4. *c.* 12.

LANISTA, Iſid. eſt præfectus Gladiatorum, qui eos ad mutuam lanienam inſtituebat. Vox Thuſca, ab hiſce enim Gladiatores, Nic. Damaſc. Conducebantur *Laniſtæ* ingenti pretio: qui, cùm opus eſſet, propoſita paria indicabant, quanti? jugulatorum pretia non accipiebant: Feſſis atque victis alia ſubſtituebant, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 24. Dicti iiſdem ſunt *Patresfamilias*, namque & grex tyronum, quibus præerant, *familia* dicebatur. Suet. *Calig. c.* 26. *Viliſſimos ſenio confectos, gladiatores quoque pegmates* Patresfamiliarum *notos, ſed inſignes aliquâ debilitate corporis, rabidis feris ſubjiciebat.* Idem *Domit. c.* 10. pro *Laniſta*, uſurpavit *Patremfamilias. Accendones* item, quod vide, uti & phraſin *Dictata dare.* Vet. Gloſſ. Philoxeni Græco Lat. Ἐπιςάτας μονομάχων, i. e. *Doctores pugnantium:* Idem Λυδοτρόφυς & Μονομαχοτρόφυς, *qui alerent Gladiatores, qui ludo arenæque illos præpararent*, vocat. Meminit eorum Mart. *l.* 11. *Epigr.* 67. cujus Epigraphe in Vacerram.

Et fallator es & Laniſta, *miror*
Quare non habeas Vacerra nummos?

Et veteris marmoris fragmentum: *P. Pœtellius. P. L. Syrus. Laniſta. ad. ar. Forin. ar. Rom. ad. vixit. Ann.* 48. *H. S. F.* Hi ſervos emebant è cataſta, eoſque omni crudelitatis genere exercebant inſtituebantque domi, ut iis, qui munera Gladiatoria edituri eſſent, artem edoctos elocarent. In qua licitatione ſummam curam adhibuêre, ne manca aut mutila corpora haberent adoleſcentes, quos in ludo ſuo edocturi erant, ideoque & Medicum in emptione conſuluêre, qui vitium, ſi quod lateret, detegeret, quod in omnibus mancipiis etiam obſervatum, diſcimus ex Seneca *Ep.* 80. *in fine.* Tangit ritum Pſeudocornutus *in Sat.* 6. *Perſii v.* 77. *Apud antiquos venales gladiatores in cataſta ponebantur, ut in eis poſſent omnia membra conſpici.* Sic emptus Tironum ille grex à *Laniſtis*, in ſcenicas voluptates, *familia*, ut dictum vocatus eſt: è qua quoties aliqui in arenam producebantur, inſigni aliquâ notâ quiſque conſpicuus erat. Unde Scholiaſt. Juv. *ad Sat.* 3. *l.* 1. *v.* 158. *Pinnis pavonum ornari ſolent gladiatores, ſi quando ad pompam deſcendunt:* Pinnirapes *autem dicit Laniſtas, ex habitu Gladiatorum, quia poſt mortem Retiarii Mirmillo pinnam, i. e. manicam rapit, ut oſtendat populo ſe viciſſe, aut ideo, quia pinnas in galeis habebant.* Ita autem habent verba Poëtæ:

Hic plaudit nitidi præconis filius, inter
Pinnirapi *cultos juvenes juveneſque* Laniſtæ:

De pinnis verò ſic Lucilius *l.* 3.

Cum ſeptem incolumis pinnis redit, ac recipit ſe, &c.

Vide Thom. Dempſter. *Paralip. in loc. Joh. Roſini præfat.* & plura de Gladiatoribus *ſuprà.* Fuêre & *Laniſtæ avium* Athenis, ſic Columellæ vocati, qui gallos gallinaceos, qui uno quotannis die publice in Theatro committi ſolebant, condocefaciebant ad pugnam. Habebant hi *Laniſtæ* ludos ſuos in Sciro; nam fuiſſe ἐν τῷ κυβείῳ teſtis eſt Æſchines ἐν τῷ κατὰ Τιμάρχυ: at verò τὸ κυβεῖον erat in Sciro. Unde ἐν τῷ Σκίρῳ διατριβὴν ἔχυσι οἱ κυβεύοντες. Vide Sam. Petit. *Comm. in LL. Attic. l.* 1. *tit.* 1. *p.* 48. & ſuprà in voce *Gallus.*

LANIVIUM, vide LANUVIUM.

LANIUS, vide ſuprà *Carnifex*, ac infrà ubi de *Macellaria Arte.* Addo ſaltem hîc *Lanii* fil. ad Conſulatum evectum Romæ, apud Liv. *l.* 22. *c.* 25. ubi de C. Ter. Varrone. Sed & *Lanius*, idem cum *Lanario*, accipitrum ſpecie vide ſuprà.

LANOS, fluv. & prom. apud Seras. Plin. *l.* 6. *c.* 17.

LANOVIUS Franciſcus, *Bras de Fer*, Eques Gallus nobiliſſimus, à pietate, fortitudine, prudentia ac peritia bellandi audaciſſimus, Henr. IV. Gall. Regi à conſiliis, Obiit A. C. 1591. in Armorica, ad opp. Lavallium ſclopeti globulo ictus. Vide Moſen Amyrald. *in vita ejus, Gall. ſcripta.*

LANSIUS Thomas, Bergæ in Auſtria natus, à Doct. Joh. Harprechto Tubingæ Juris U. D. renuntiatus eſt, A. C. 1604. A Frid. Wirtembergico Duce in Conſiliariorum numerum allectus & Profeſſor Juris ordinarius in Collegio Ducali conſtitutus, biennio poſt. Obiit A. C. 1657. Æt. 81. à teneris annis frugalitate laudabili uſus, & aquæ potu plerunque ſitim reſtinguere ſolitus. Edidit *Orationes*, ſ. *Conſultationem de principatu inter provincias Europæ*, nec non *Commentationem de Academiis.* Part. Freherus *Theatr. Viror. Erud. Clar.*

LANSPERGIUS Joh. cogn. Juſtus, Bavarus, Prior Carthus. prope Juliacum. Scripſit *paraphraſes* & *Sermones in Epp.* & *Euangelia: Colloquium* JESU CHRISTI *cum anima fideli: Canones vitæ ſpiritualis.* &c. Obiit A. C. 1539. Petrejus, *Biblioth. Carthus.* Dorland. *in Chronic.* Poſſevin. *Sutor*, &c.

LANTANA, vulgò LANTAINE, fluv. Burgundiæ Comitatenſis, qui in Ararim effunditur, inter loca Falconiacum *Falcougney* & Confluentes *Conflans*: Ad illum Luxovium ſitum eſt, caſtrum olim in ſaltu Voſago, nunc opp. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* in voce *Luxovium.*

LANTILDA, filia Childerici I. ſoror Clodovæi I. ex Ethnica, Ariana, & poſtmodum fratre baptizato, Orthodoxa. Greg. Tur. *l.* 2.

LANUGO, per blanditias, à grandibus natu tractata. Suet. *Claud. Ner. c.* 34. *Quam*, (matris ſuæ amitam) *cùm* —— *viſitaret: & illa tractans lanuginem ejus, ut aſſolet jam grandis natu* (ubi etiam legi poteſt, *jam grandibus natu*) *per blanditias fortè dixiſſet, Simul hanc excepero, mori volo* &c. Idem in M. Salv. *Oth. c.* 12. Namque &, velut ſacrum aliquid, *Lanugo*, ſ. primitiæ barbæ, olim Apollini ſacrabantur. Fingebatur enim Apollo formâ juvenili, quippe ἀεὶ καλὸς καὶ ἀεὶ νέος, *ſemper pulcher, ſemper juvenis*, ut de eo canit Callimach. *Hymn. in Apoll.* quæ fabula ex eo, quia Sol nullo vel tempore vel labore ſeneſcit. Idem χρυσοκόμης *auricomus* vocatus eſt ob radios aureos quemadmodum & ob aureum Solis colorem, arcus, pharetra, cæteraque ei aurea tribuuntur. Ἀκερσεκόμης quoque Homero, ſicut *Intonſus* Horat. *Carm. l.* 1. *Ode* 21. *v.* 2.

Intonſum *pueri dicite Cynthium.*

& *Comàtus*, Scriptori Ithyphallico. Qui omnes eo ſpectârunt, quòd Solis radii ſint pro comis, ſemperque iis cingatur, haud aliter, ac capillis ephebi, qui cirrati & intonſi. His itaque, ſimulac genas ac mentum *lanugo* veſtire cœpiſſet, moris erat reſecare capillos. Phœboque eos offerre. Quod Athenis obſervatum, ut conſtat ex Plutarch. *Theſeo.* Idemque Romæ ac in Italia obtinuit: Unde Varro *Cat.* ſive *de liberis educ. Itaque Ambraciæ primum capillum puerilem demptum, item cirros, ad Apollinem ponere ſolent*, apud Nonium in *Cirri.* Meminerêque ejus ritûs etiam Stat. *l.* 3. *Sylv.* 4. *v.* 6.

Accipe Laudatos juvenis Phœbeie crines
Quos tibi Cæſareus donat puer, accipe latus
Intonſoque *oſtende patri.*

Mart. *l.* 1. *Epigr.* 32. cujus Epigraphe de Encolpo *v.* 5.

Grata Pudens meriti tulerit cum præmia pili
Quam primum longas Phœbe recide comas
Dum nulla teneri ſordent lanugine *vultus*
Dumque decent fuſæ lactea colla jubæ.

Alii. Eo verò reſectos Apollini κυροτρόφῳ dicabant, quòd ſimiles huic Numini eſſe deſiiſſent: uti nubentes zonam ſacrabant Dianæ, quia deſinerent eſſe ſimiles Dianæ ſemper virginis vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. & progr. Idol. l.* 2. *c.* 12. & hîc in vocibus *Capillus, Coma* &c. uti de Chriſtianorum medii ævi circa hæc ritu ſuprà in voce *Barbatoria.* Ad arborum *lanuginem* tranſeo, de qua Tertullian. *de Pall.* cum ait, *Sed quoniam & arbuſta veſtiunt*, &c. Hæc enim verba de arboribus accipiunt Eruditi, quæ *lanam* ferunt, nec Salmaſio diſplicet, de his accipi interim etiam *arbuſta* heic intelligit, arbores illas, ex quibus ſericum Seres colligunt, materiam veſtium longè omnium nobiliſſimam. Sic idem *de Hab. Mul. arbores à Seribus neri dicit: Age nunc ſi ab initio rerum & Mileſii oves tonderent, & Seres arbores nerent, Tyrii tingerent, & Phryges inſuerent & Babylonii intexerent.* Hinc Amm. Marcell. ſericum vocat *arborum fœtum*, *l.* 23. *c.* 6. ubi *lanuginem* illam, quæ apud Seras ex arboribus depectitur, non tantùm in arbore, ſed etiam ex ipſa arbore naturâ ac ſponte provenire, nullis vermibus eam texentibus, videtur exiſtimâſſe; qua in ſententia fuêre Vett. quàm plurimi. Plin. *l.* 12. *c.* 10. de arboribus laniferis Perſicæ Inſ. *Ejuſdem Inſ. excelſiore ſuggeſtu laniferæ arbores, alio modo, quam Serum.* Arbores nempe, è quibus goſſypium naſcitur, in cucurbitis mali cottonei amplitudine, quæ *maturitate ruptæ*, verba ſunt Plin. *oſtendunt lanuginis pilas:* at laniferæ Serum arbores, è quibus ſericum vellus depectebatur, folia *lanugine* operta habebant; quam lanuginem ſive lanam, ex propria vi ac natura arboris naſci in foliis, omnino credidit Plin. cùm multi tradant, vermium bombycibus ſimilium opus illud eſſe. Plin. *l.* 16. *c.* 24. de foliis arborum: *Superior pars omnium lanuginem quantulamcunque habet, quæ in aliis gentium lana eſt.* Quod ſanè verùm, omnium foliorum ſuperiorem partem *lanuginoſam* aliquatenus exiſtere: apud Seres *lanugo* illa, lana eſt, quæ depectitur & netur, ex qua ſericum; Hæc Plin. mens eſt. Utrumque genus laniferarum arborum, quæ in foliis lanam habent, & quæ in pomo, junctim etiam Virg. recenſuit, *Georg. l.* 2. *v.* 120.

Quid nemora Æthiopum molli canentia lana
Velleraque ut foliis depectunt tenuia Seres?

Et de utriſque haud dubiè intelligendus Tertullianus quum *arbuſta veſtire*, dixit: quod habuit è Plin. *l.* 12. *c.* 11. & *l.* 13. *c.* 14. & *l.* 16. *c.* 24. *Arabiæ autem arbores, ex quibus veſtes fiunt, cynas vocari, folio palmæ ſimili. Sic Indos ſuæ arbores veſtiunt.* Idem cum pergit, *Nec fuit ſatis tunicam pangere & ſerere, ni etiam veſtitum piſcari contigiſſet: nam & de mari vellera, quâ muſcoſæ lanoſitatis lautiores conchæ comant:* aliud *lanuginis* genus ſuggerit; nam & *marinum vellus* dicebatur hujuſmodi lanugo, quâ pinnæ comant. Græci πίννινον ἔριον & πιννικόν. Gloſſæ, πίννινον, *marinum:* ubi ut in Græco ſubaudiendum, ἔριον, ſic in Lat. *vellus.* Unde πιννινότριχα πρόβατα apud Conſtan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſtantin. *de Themat:* oves, quæ marino velleri ſimilem lanam habent: ubi χρυσίζοντα vocat. Nam hujus pinnici velleris color aureus; undè & puellæ crinibus ſuis illud immiſcebant, ut magis flavi parerent. Nebatur autem ut lana, & ex ea veſtes conficiebantur. Arrian. *in Periplo maris Erythr.* ubi πιννικῦ κολύμβησιν ſæpius memorat, Ἐν ἑνὶ inquit, τρόπῳ ἐριονεῖται παρ᾽ ἀκτὴν τῆς Ἠπιοδώρε συλλεγόμενον πίννικον φέρονται τὸ ἐξ αὐτῆς ἐσθῆτες σινδόνες ἀσθεργιρείτιδες λεγόμεναι: qui locus corruptiſſimus legitur apud Arrian. Salmaſ. aliquando περονεῖται emendabat, ut de margaritis perforandis acciperetur, nam pinna etiam margaritifera eſt. Poſtmodum verò de pannico vellere accepit, quòd ille ſemper πιννικὸν vocat. Ἐριονεῖσθαι autem ſic dicitur, ut κροκονεῖσθαι, unde κροκονητικὴ, & στημονεῖσθαι, undè στημονητική. Quare ἐριονεῖσθαι hic eſt, *in lanæ modum neri*, ut κροκονεῖν, *ſubtemen nere*, στημονεῖν *ſtamen nere* Etiam Procopius veſtes ex pinnæ pilis confieri ſolitas, teſtatur *de ædif. Juſtin.* ubi Interpres: *Chlamys ex lanis confecta, non quales ab ovibus proveniunt, ſed quæ ex mari colliguntur. Pinnas animalia vocant, in quibus hæ lanæ*, &c Ubi ἔρια ἐκ θαλάσσης συνειλεγμένα, ut Arriano τὸ συλλεγόμενον πιννικὸν. Hoc muſco ſum lanoſumque pinnæ capillitium, quod Græci ἔριον, Latini *vellus* & *lanam* appellant, doctiſſimis hominibus *byſſum* placuit appellari, atque *byſſum marinum* vocare non deſinunt. Sed rationem quis videt? Nam verba Ariſtot. de pinnaeò non ducunt: Αἱ δὲ πίνναι φύονται ἐκ τῦ βυσσῦ ἐν τοῖς ἀμμώδεσι καὶ βορβορώδεσι; Nam βυσσὸς hìc eſt βυθὸς, atque ita poſuit Athen. ἐκ τῦ βυθῦ, ut jam docti animadvertêrunt. Non ſolùm igitur impropriè, ſed ineptè etiam *byſſus* vocatur, quod lana eſt, atqui byſſus linum; imò ne linum quidem, ſed certa lini ſolum ſpecies hoc nomine cenſebatur. Exponitur etiam à quibuſdam byſſus de colore purpureo. Heſych. βύσσινον, πορφυρῦν, à flore byſſi vel lini, qui purpurei coloris eſt: ſed lanam nemo unquam byſſum appellavit. Magiſter, qui ad locum cit. ſcripſit, ait communiter byſſi nomine venire etiam bombycinum & ſericum, Pollucemque nominat autorem: verùm hujus ipſius teſtimonio refellitur ac revincitur. Uno eodemque capite tractat Pollux de byſſo, de erioxylo & de bombyce, cui capiti malè titulus eſt factus ab imperitis, περὶ βυσσίνων, quaſi ſc. & bombycina byſſinorum nomine cenſeantur, aut goſſypina, quod abſurdiſſimum eſt. Pollucis hac verba ſunt: Καὶ μὴν καὶ τὰ βύσσινα, καὶ ἡ βύσσος λίνε τὶ εἶδος παρ᾽ Ἰνδοῖς: nuſquam verò apud eum reperies, byſſum *laneam* appellari, aut *lanæ* nomine byſſum dici. Sequitur ſtatim apud eund. Ἤδη δὲ καὶ παρ᾽ Αἰγυπτίοις ἀπὸ ξύλυ τὶ ἔριον γίγνεται, ἐξ ὗ τὴν ἐσθῆτα λίνῳ ἄν τις μᾶλλον φαίη προσεοικέναι πλὴν τῦ πάχυς; ubi apertè lanam à byſſo diſtinguit. Capillitium igitur ſive *lanugo* pinnæ lana eſt, non linum, &c. Vide Salmaſ. *Notis in Tertullian. de Pallio*, ut & infrà, ubi de *Pinnico*.

LANUVINA Villa, apud Julian. Capitolin. *in Antonino Pio, Ipſe --- natus eſt --- in villa Lanuvina; educatus Lauri in Apulia, ubi poſtea Palatium extruxit:* ſic dicta videtur Salmaſ. quòd *Lanuvio* municipio vicina eſſet; è quo municipio originem duxiſſe Antoninum Pium, ſcribit Aurel. Victor. Marcus quinetiam Antoninus Pium valde in veſtitu civilem & communem fuiſſe, ut oſtendat, ſcribit eum ſæpius *Lanuvii* viſum fuiſſe tunicatum: Οὐ φιλοικοδόμος, ὐ περὶ τὰς ἐδωδὰς ἐπινοητὴς ὐ περὶ ἐσθήτων ὑφὰς καὶ χρόας· ὐ περὶ σωμάτων ὥρας, ἡ ἐπιχώριος στολὴ ἀνάγυσα ἀπὸ τ̃ κάτω ἐπαύλεως· χιτὼν ἐν Λανυβίῳ τὰ πολλά· τῷ φελόνῃ ἐν Τύσκλοις παρῃτημένως ἐχρήσατο· καὶ πᾶς ὁ τοιῦτος τρόπος. Tunicatos enim in municipiis ferè omnes, non togatos, fuiſſe, ex Juv. diſcimus, *l.* 1. *Sat.* 3. *v.* 172.

> —— *tunicæ ſummis ædilibus altæ*
> *Nemo togam ſumit, niſi Mortuus* ——

Vide Caſaub. & Salmaſ. *Not. ad Capitolin.*

LANUVIUM, urbs olim, nunc pagus Latii, *Indovina*, in via Appia ab urbe Roma 16. mill. paſſ. diſtans, in agro Laurente. Hinc *Lanuvinus*. Horat. *Carm. l.* 3. *Ode* 27. *v.* 2.

> —— —— *Ab agro*
> *Rava decurrens lupa* Lanuvino.

Ovid. *Faſt. l.* 6. *v.* 60.

> *Et populus Laurens* Lanuviumque *meum*.

Vide Propertii Commentatores *in illud l.* 4. *Eleg.* 8. *v.* 3.

> Lanuvium *annoſi vetus eſt tutela Draconis.*

Idem Ibid. *Eleg.* 9. *v.* 22.

> Lanuvii *ad portas hei mihi ſolus eram.*

De *Lanuvii* & *Lavinii* differentia, vide Sigon. *in Livii l.* 8.

LANTZIUS Johannes, vide *Johannes*.

LANX, an à λαγχάνω, *fortior, partem capio*, κληρῶ, varia ſignificat, uti vidimus ſuprà, in voce *Lances*. Sed & vas ſacrificale denotare, habes apud Martin. *Lexic. Philol.* quem vide, ut & infrà, in voce *Satura*. Addam hìc ſaltem aliquid, *de Furto per lancem & licium concepto*, apud vett. Rom. de quo ſic A. Gell. *l.* 11. *c.* 18. *Ea quoque furta, quæ per lancem liciumque concepta eſſent, perindè ac ſi manifeſta forent, vindicavêrunt.* Quæ verba quid ſibi velint, habes apud Feſt. *Lance & licio dicebatur apud antiquos; quia qui furtum ibat quærere in domo aliena, licio cinctus intrabat*, lancemque *ante oculos tenebat, propter matrum familiæ aut virginum præſentiam.* Hunc autem morem Rom. ab Athenienſibus accepêre: apud quos, qui res quærebant furtivas, nudi cincticulo amicti ædes ſuſpectas intrabant, cum priùs Deos eſſent conteſtati, ſe inveniendi ſpe quærere, uti pluribus exponit Scholiaſtes Ariſtoph. *in Nub.* & Plato *de LL, l.* 12. ubi ἀζώστυς ἢ χιτωνίσκον ἔχοντας alterius ædes debuiſſe intrare tales, ait: χιτωνίσκον autem vett. Rom. *licium* vocârunt. Nempe nudi cætera eſſe debebant, ne quid fortè veſtibus conditum inferrent, dominoque falſum crimen objectare poſſent. *Lance* vero ante oculos utebantur, quia non licebat viro externo intrare γυναικωνίτιδα. *Concepti* autem, ut Paulus teſtatur 2. *Sent.* 31. *is tenetur, apud quem furtum quæſitum & inventum eſt* &c. Vide Thyſ. & Oiſel. *Not. ad A. Gell. l. c.* ut & ſuprà, ubi de *Furto*, infrà quoque in *Libra*.

LAOBOTAS, ſ. LABOTAS, Rex Lacedæmoniorum, ab Euryſthene, IV. patri Echeſtrato ſucceſſit; Prytani, Eunomo, Polydecti, ex altera ſtirpe regnantibus, & Lycurgo Legiſlatori contemporaneus, ut qui *Labotâ* adhuc vivente, in Cretam navigaret, ut Minois ibi Leges diſceret, atque inde in ſuas, quæ convenientia eſſent transferret. Sub Rege hoc & Prytane, primùm Argivis bellum indixêre Lacones, ob Cynurenſem agrum; ſed nihil memorabile geſtum. Eodem cum Eunomo regnante, pax fuit. Sub finem illius, Lycurgus ſucceſſit primò Polydectæ fratri, dein nato huic fil. poſthumo, ejus tutelam geſſit. Regnavit antem Annos 37. habuitque ſucceſſorem Doryſſum fil. Pauſ. *Laconicis*.

LAOCOON, fil. Priami ex Hecuba, Apollinis Thymbræi ſacerdos, qui primus omnium equum ligneum, quo Troja prodita eſt, intra urbem recipiendum diſſuaſit, haſtamque in eum tanto impetu contorſit, ut ſonantia intus arma audirentur. Quo facto deorum indignationem in ſe creditur concitâſſe, tanquam doni Minervæ violator. Protinus enim è mari duo immenſæ magnitudinis ſerpentes emerſêrunt, qui primùm duos ejus filios, deinde & ipſum auxilio accurrentem occidêrunt. Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 41. & 201. Nic. Lloyd. Plin. *l.* 36. *c.* 5. Quod *opus omnibus & picturæ & ſtatuariæ artis præferendum, in Titi Imp. domo? ex uno lapideum, & liberos draconumque mirabiles nexus, de conſilii ſententia fecêre ſummi artifices Ageſander & Polydorus & Athenodorus Rhodii*; fuiſſe, memorat. Prope Thermas verò Titi, quas hodie in Hortis D. Petri in Vinculis Romæ locant, repertum A. C. 1506. adnotat C. Patin. *Notis ad Suet. Tit. c.* 8.

LAODAMANTIA, Libyæ inſ. *Steph.*

LAODAMAS, Alcinoi fil. *Hom.*

LAODAMIA, Bellerophontis ex Achemænia, filia, cujus amore correptus Jupiter cum ea concubuit, ſuſcepitque Sarpedonem Lyciæ Regem. Huic Diana infenſa ſuis eam telis confixit. Hom. *6. Il.* Item *Laodamia* Acaſti ex Laodothea, filia, Proteſilai uxor, quæ virum ſuum tanto amore adamavit, ut cùm ab Hectore occiſum cognoviſſet, ſuperſtes ei eſſe noluerit. Priuſquam tamen interiret, in ſolatium mœroris optavit, ut mortui umbram videre poſſet: quâ viſâ in illius amplexibus expiravit. Ovid. *Heroid. Ep.* 13. Laodemia Protiſilao *Triſt. l.* 1. *Eleg.* 6. *v.* 20. Idem *l.* 5. *Eleg.* 5. ſub calcem idem de Ponto *l.* 3. *Eleg.* 1. *v.* 110. Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 447. Ejus picturâ Cteſidemum inclaruiſſe, tradit Plin. *l.* 35. *c.* 11.

LAODICÆUS Georgius, vide *Georgius*.

LAODICE, Priami & Hecubæ filia, Helicaoni Antenoris Thraciæ Regis filio nupſit. Item Agamemnonis filia, quam pater Achilli obtulit, ut ei uxor eſſet. Item *Laodice*, fuit uxor Antiochi II. Thei. Vide ibi.

LAODICE, vide ſuprà *Hyperocha*.

LAODICEA, urbs Cœleſyriæ, Epiſcopal. olim ſub Archiep. Damaſceno, Dionyſ. *v.* 915.

> Λαοδίκην θ᾽ ἣ κεῖται ἐπ᾽ ἠϊόνεσσι θαλάσσης.

Baudr. Laodicea *Cabioſa* cogn. nunc *Laudicha*; etiamnum urbs ampla, ad Orontem fluv. 18. mill. ab Emiſſa in Mer. ferè 100. à Damaſco in Eur. ſub Turcis: A Laodice Antiochi uxore, matreque Seleuci. Alia eſt Lydiæ, Archiepiſcopal. ſub qua 16. urbes Epiſcopales: inter Tralles ad Occ. & Apamiam ad Eur. 50. utrinque mill. 170. à Magneſia in Ort. ab Antiocho Stratonices fil. condita, cujus uxoris nomen erat Laodice: Nunc adhuc *Laudichia*, & Turcis *Nove Leſche* Leunclav. Vide *Steph.*

LAODICEA, Mediæ urbs cujus Paulus ad Coloſſ. *c.* 4. *v.* 15. & 16. meminit. Ejus Ep. increpat fil. Dei, Apoc. *c.* 2. *v.* 18. Terræ motu, ſub Nerone, deſtructa, opibus incolarum poſtmodum iterum reparata eſt. Tertull. *c. Marc.* Epiphan. *hær.* 42. Hier. *de Script. Eccl. in Paulo.* Philaſtrius, *de hær. c.* 90. Sixtus Sen. *l.* 1. *Bibl S.* Euſeb. *in Chron.* Plin. *l.* 5. *c.* 20. 23. & 29. *l.* 6. *c.* 26. Strabo, *l.* 11. *p.* 524. & *l.* 12. *p.* 576. & 578. Ptol. Niger, Olivarius, *Ortel.* &c.

LAODICEA, Urbs Phrygiæ, ad fluv. Lycum, in Phrygia Pacatiana. Quibuſdam *nove Leſke*. Hìc Conc. A. C. 352. cujus Canones habentur cum traductione Gentiani Herveti, interpretatione Dionyſii parvi, & collect. Iſid. Mercatoris. Synodus ibid. A. C. 476. ob Steph. II. Ep: Antioch. ab Eutychianis, prope altare, occiſum. Morer. *Dict. Hiſt.* Hodie *Eskibiſſar* Turcis, h. e. *vet. caſtrum*, planè in ruinis jacet, nec præter molendinum, & quatuor ex marmore theatra, in quorum uno *Inſcr.* Græca honori Veſpaſiani facta, reſiduum quidquam eſt, uti refert Jac. Spon. *Itin. Parte* 1. *p.* 346. qui etiam duorum nummorum Marci Aurelii, in cujus altera parte, ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΠΕΡΓΑΜΗ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ΝΩΝ ΟΜΟΝΙΟΑ: Alterius Otaciliæ Severæ, in cujus poſtico latere ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, ſcriptum, meminit, *Parte* 3. *p.* 179. & 180. Cæterùm numerus Canonum eſt LIX. qui etiam leguntur in *Codice Canon. Eccl. univ.* Habitum verò hoc Conc. fuiſſe A. C. 364. contendit Joh. Dalæus *in Pſeudep. Apoſtol. p.* 517. & 675. Vide quoque Gerh. von Maſtricht *Hiſt. Jur. Eccl. n.* 24.

LAODICEA, urbs quoque Syriæ, Tac. *Ann. l.* 2. *c.* 79. & *l.* 14. *c.* 27. in ora maris Phœnicii, inter Heracleam ad Bor. & Gabalam ad Mer. ad rad. Caſſii montis, olim Archiepiſcopal. 30. mill. ab Antiochia in Occ. 35. ab Apamea in Cæc. Parva eſt, ſenſimque deficit. A Seleuco unà cum Antiochia & Apamea, quæ *tres ſorores* dictæ condita. Strabo *l.* 11. *p.* 524. *l.* 12. *p.* 576. 578. *l.* 14. *p.* 663. & *l.* 16. *p.* 749. 750. 751. 752. & 755. *Illadchies* ſ. *Liche* nunc. De ea Dionyſius Afer *l. de ſitu orbis*:

> Laodicen *pariter poſitam prope litus amœnum.*

LAODOCHUS, Antenoris Trojani fil. juvenis inprimis ſtrenuus, cujus formam aſſumpſit Pallas, cùm ſe in acies Trojanorum ferret, Pandaro ſuaſura, ut ſagittâ in Menelaum emiſſâ fœdus violaret. Hom. *Il.* ϑ.

LAOMEDON, Ili fil. quintus Trojanorum Rex, A. M. 2794. qui cùm de ædificandis Trojæ mœnibus cogitaret, Apollini & Neptuno id negotii dedit, pactus mercedem, quam mox exſtructis mœnibus ſe illis ſoluturum juravit. Verùm cùm poſteà juramenti immemor, mercede eos fraudaret, illi indignati novam urbem duplici affecêrunt calamitate, Neptuno inundationem, Apolline verò peſtem ei immittente. Qua de re cùm Laomedon oraculum conſuleret, reſponſum eſt, aliâ ratione Deos placari non poſſe, quam ſi quotannis virgo Trojana, quam ſors declarâſſet, ceto dilaceranda exponeretur. Verùm cùm ſors poſt aliquot Annos Heſionem ejus filiam prodidiſſet, & jam ſcopulo alligata, monſtrum expectaret, Hercules illâc fortè iter faciens, liberandam Heſionem eâ conditione recepit, ſi equos divino ſemine procreatos, quos habere eum conſtabat, in præmium ſibi traderet. Hunc igitur in modum pactione factâ, Hercules interfectâ belluâ, virginem liberavit. Sed cùm Laomedon promiſſis non ſtaret, indignatus Hercules, collecto undiquaque exercitu, Ilium expugnavit, Laomedontem occidit, Heſionem Telamoni uxorem dedit, quòd primus murum conſcendiſſet. Priamum quoque ejus fil. captivum abduxit, qui poſteà auro à vicinis redemptus fuit, ideoque ἀπὸ τοῦ πρίασθαι, h. e. à *redimendo* nomen obtinuit. Fabula inde orta, quòd ex theſauris, Apollini & Neptuno dicatis, urbem condidit. Regnavit Annos 36. Euſeb. *in Chron.* Ovid. *Faſt. l.* 6. *v.* 279. & 430. *Met. l.* 11. *v.* 201. & 758. Horat. *Carm. l.* 3. *Ode.* 3. *v.* 21.

> ——— *Ex quo deſtituit Deos*
> *Mercede pactâ* Laomedon. ———

Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 502.

> Laomedonteæ *luimus perjuria* Trojæ.

Idem *Æn. l.* 4. *v.* 542.

LAOMEDON, Meſſenius, turbulentus Demagogus, qui cives ſuos, conjunctis cum Græcis Siciliæ urbibus viribus, Dionyſium adoriri agitantes, in contrarium concione ſuâ permovit, ut cauſam ſuam à cæteris ſepararent, utpote nullâ à Dionyſio injuriâ laceſſiti. Exinde dicto citius omnes Meſſeniorum copiæ dilapſæ ſunt. Contigit verò hoc Olymp. 95. Anno ſecundo.

LAOMEDON, Satrapa Syriæ & Phœniciæ, poſt Alex. Mag. Curt. *l.* 10. *c.* 10.

LAOMEDONTIA, urbs quæ *Lampſacus* poſteà dicta. *Steph.*

LAOMIM, fil. Dadan filii Jecſan. Gen. *c.* 25. *v.* 3.

LAONOME, Galliarum ex Odoedoco fil. peperit, qui Locrorum urbi nomen dedit. *Steph.*

LAONOME, Herculis ſoror, Polyphemi, unius ex Argonautis, uxor.

LAORIPA, vicus in Libyæ nomo. *Ptol.*

LAOS, Italiæ opp. Herod. *l.* 6. *c.* 21.

LAOSTHENES, 33. ſecundùm alios 31. Aſſyriorum Rex A. M. 3029. Regn. An. 45. Piriciades ſucceſſit. Euſeb *in Chron.*

LAOSYNACTES, Græcè Λαοσυνάκτης, inter officia & dignitates fuit magnæ Eccl. CP. Solebant illi Diaconos congregare & intonare, ne quis ex ipſis abeſſet: Principes item & populum Eccl. convocare. Aliter Πρωτοψάλτης, vide infrà, in voce *Pſaltes.*

LAPATHUS, caſtellum erat ad Aſcuridem paludem in conf. Epiri & Theſſaliæ, quâ ad tempe Theſſalica aditus erat. Liv. *l.* 42. *c.* 2. Item urbs olim Epiſcopal. nunc vilis pagus, in parte Sept. Cretæ. *Lapethos* Plin. *l.* 5. *c.* 31. Strabo *l.* 14. *p.* 682.

LAPATIA Cori, Hiſp. Tarr. prom. Ptol. quod & *Trileucum* idem vocat, in ora Gallæciæ Bor.

LAPERSA, mons Laconiæ *Steph.*

LAPETHUS, urbs Cypri. *Idem.*

LAPHYRA Minerva dicta, quaſi *Laphyria*, quòd victores ex bello ferant λάφυρα, i. e. *exuvias.*

LAPHYSTIUM, mons Bœotiæ. Pauſ. inde Jupiter *Laphyſtius*, & Bacchæ *Laphyſtia.*

LAPIDATIO, pœnæ genus, cum ſtatuis Numinum ab iratis Gentilibus; tum hominibus ſcelere devinctis, à Judice juſto, irrogari ſolitum: de quorum illo vide infrà, ubi de *Statuis*; de iſto, in voce *Lapis.*

à LAPIDE Cornelius, Eburo, patriâ Bucoldianus, inſtituto Jeſuita: Scripſit *Comm. in S. Scriptur.* quæ variis locis & vicibus ſunt impreſſa. Operâ ejus 11. Volumina in Fol. implent. Obiit A. C. 1637. *Puſillus quidem corpore, at ingenio magnus fuit*, Valer. *in Biblioth. Belgica.*

de LAPIDE empti, vide infrà *Pœna*, it. *Tarpeia rupes.*

de LAPIDE Johannes, vide *Johannes.*

LAPIDES Atri, locus Hiſp. Tarrac. inter Menteſam & Iliturgim. *Pennas negras* Morer. *in Dict. Hiſt.*

LAPIDES Vivi, apud *Æl.* Lamprid. *in Antonino Heliogabalo, Lapides, qui* Vivi *dicuntur, ex proprio templo Dianæ Laodiceæ, ex adyto ſuo, in quo id Oreſtes poſuerat, auferre voluit*; ubi *divi* alii legunt, intelligentes hoc nomine famoſiſſimum illud ſimulacrum, ab Oreſte & Iphigenia è Taurica ablatum, quod apud ſe conditum eſſe, tot civitates Aſiæ Europæque olim contendebant. Salmaſ. ſunt, quos ἐμψύχους λίθους vett. Scriptores Græci, item Βαιτύλους, vocabant, de quibus multa mira fabuloſaque Græci narrant, ut vidimus ſuprà in hac voce, & mox, *Lapis Jupiter.*

LAPIDICINA, vide infrà *Latomia.*

LAPIDOTH, maritus Deboræ prophetidis. Jud. *c.* 4. *v.* 4. Eum Hebræi putant eſſe Barak, in quo ſignificatio fulgiris. Nec alienum ab eo vox לפיד, quæ ſæpe de fulgure uſurpatur. Sed obſtat huic opinioni, quòd Barac aliunde advocavit, nam ſi maritus ejus fuiſſet, ſimul habitâſſent; ideo in Midrash exponitur *mulier lychnaria*, quòd lychnos, i. e. לפידים conficeret ad uſum ſanctuarii.

LAPILLI Candefacti, multiplici apud Arabas in uſu. Jis enim lac coquere, carnes ad eſum aſſare, ſtigmata etiam & cauteria vivæ carni imprimere ac inurere conſuevêre; cujuſmodi lapidem illi *ridpha* dicunt, voce parum abludente ab Hebr. רצפת *riſpa* ſ. *ritſpha*, quod occurrit 1. Reg. *c.* 19. *v.* 6. ubi de ſubcinericio pane, Eliæ in deſerto oblato, & Eſaj. *c.* 6. *v.* 6. ubi de Seraphinorum uno, in manu רצפת habente, quo forcipe ex Altari ſumpto & ad labia Prophetæ applicito, ea purificavit. In quo utroque loco cùm vocem Hebræam Seniores ἄνθρακας, Latini *carbones* ſ. *prunas* magno conſenſu interpretentur; Bochart. *calculum* ſ. *lapillum ignitum*, vel *candefactum* exponit, exiſtimans in Altari hujuſmodi fuiſſe lapides, quorum contactu caro victimarum, quæ Deo offerebantur, vel coqueretur, vel abſumeretur citius; adeoque horum uno per viſionem ablato Seraphinum Prophetæ labia tetigiſſe ac mundaviſſe. Vide eum *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 34. ut & Herpenium *in Adagiis, poſt Locmanni Fabulas, editis*, nec non ſuprà in voce *Calculi*. Addam ſaltem, facere huc apprimè, quod de calculis ex ara ſumi ſolitis, ab Areopagitis Athenienſibus, in *Homicidii cauſa*, diximus ſuprà. At *Lapilli*, apud Stat. *l.* 4. *Sylv.* 6. *v.* 18.

> *Nox & Erythræis Tethidis ſignanda* lapillis
> *Et memoranda diu* ———

Sunt omne gemmarum genus, & margaritæ, C. Barthio. Vide quoque *Comm.* Theodori Marcilii *ad Perſ. p.* 45. Et de gemmis quidem, res dubio caret, quamvis Jurecoſſ. *lapillos* à *gemmis* diſtinguant, poſteriori hoc vocabulo indigitantes ſolum *lapillos* διαφανεῖς ſ. *pellucidos*, qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, inprimis *p.* 91. Margaritas, quamvis ab iiſdem lapidum cenſu eximantur, Hebræi, Arabes & Græci pro *lapillis* habent. Nec diſſentiunt Romani Poëtæ, Hiſtorici, Philoſophi. Græci quoque recentiores margaritam compoſitâ hinc voce λιθομάργαρον vocant. Quam in rem vide Autores citatos Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poſt. l.* 5. *c.* 8. & infrà in voce *Perla* dicenda. Sufficiat in præſens, quòd Horat. *niveos virideſque lapillos* appellat uniones & ſmaragdos, *Serm. l.* 1. *Sat.* 2. *v.* 80.

> *Nec magis hinc inter niveos virideſque Lapillos*

elenchum *lapidem* Mart. *l.* 11. *Epigr.* 50. cujus Epigraphe in Phyllida.

> *Nunc plorat ſpeculo fallax ancilla relicto:*
> *Gemma vel à digito, vel cadit aure* lapis.

Dii πηγομαντείας ſpecie, quâ tres *lapillos* in fontes projicientes obſervabant, quos gyros deſcendendo facerent vide ſuprà *Fons.* de inveſtitura *per lapillum*; ubi de *Inveſtitura* de denuntiatione novi operis, *per jactum lapilli*, infrà, in voce *Nuntiatio.*

LAPIS, Jupiter dictus eſt, ſecundùm Feſtum, à lapide ſilice, quem in ſanciendis fœderibus tenentes, ſic jurabant: *Si ſciens fallam, ita me Dieſpiter, ſalvâ urbe arceque bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem.* Vel à lapide; qui Saturno ab Ope, pro Jove, oblatus & ab eo devoratus fingitur. Thom. Dempſter. ad Joh. Roſin. *Antiqq. Rom.* Putat nonnemo, Vett. Jovem *Lapidem* appellâſſe, quòd olim fuerit ejus lapideum ſimulacrum, atque ita Jovem, veluti teſtem juramenti ſui, manu ſuâ, veneratos eſſe. Lamprid. certè *in Heliogab. lapides* quoque *divos* dixit: ubi tamen Salmaſ. *vivos lapides*, ſcribi poſſe contendit, quos Græci ἐμψύχους λίθους appellârunt. Βαιτύλια λίθοι ἔμψυχοι Græcis, qui ſe movebant Dæmonis inſtinctu, ut vidimus. Iſtiuſmodi *lapides* Saturno, Jovi, Soli, aliis Diis, ſacros fuiſſe, refert Photius *in Bibliotheca*: & Rheam Saturno lapidem, pro Jove devorandum, objeciſſe, quem Βαιτύλον appellabant, fingunt Mythologi. Peregrino vocabulo Latini *Abadir* dixêre, quo & Deum, & nominatum jam *lapidem* indigitârunt. Fuêre & Athenienſes ſoliti ad *lapidem* vel ſaxum jurare, unde Λιθώμοται Heſych. ἐπὶ τῷ λίθῳ ὀμνύντες, dicti: Hodieque apud Indos plurima Numina ſub *lapidis* formâ adorari, adnotavit diligenter Petrus de la Valle *Itin. tomo* 4. Vide quoque ſuprà *Elagabalus, Fœdus*, infrà ubi de *Saxo adorationis*, in voce *Umbilicus*, alibi. Neque tantùm *lapidem*, ſed etiam *lapidum congeriem*, divino cultu

cultu proſequutos eſſe Vett. docet Theophraſt. περὶ δεισιδαιμονίας, cùm ait: Καὶ τῶν λιπαρῶν ἐν ταῖς τριόδοις, παριὼν ἐκ τῆς ληκύθου ἔλαιον καταχεῖν, καὶ γόνατα πεσὼν καὶ προσκυνήσας ἀπαλλάττεσθαι; Unde & apparet oleo illos delibutos fuiſſe. Vocabantur illis Græcis Ἑρμαῖοι λόφοι, quòd ſtatuas Mercurii, quæ biviis triviiſque colebantur, jactu lapidum prætereuntes augerent. Orientalibus quoque populis familiaris hæc ſuperſtitio: Arabes certè λίθον τετράγωνον, *Lapidem quadrangularem* coluiſſe, memoriæ reliquit Maximus Tyr. *Serm.* 38. de quo & Clem. *in Protreptico.* Cui Veneris caput fuiſſe inſculptum, affirmat Euthymius Zygabenus *in Panoplia* & Catecheſis Saracenorum. Hodie quoque ſaxum adhuc nigrum in templo Mecchano venerantur Mahumedani. Vide Proverb. *c.* 20. Item Selden. *de Diis Syris*, & ſuprà in voce *Batylus* item *Dii*, Porrò *Lapidum* uſus fuit, in Legibus inſcribendis, vide infrà in voce *Lithoſtrotus*, in agrorum diſtinctionibus, qui proin *Terminales* dicti & corollis ornari, ungi ac coli ſoliti ſunt, in honorem Dei Termini, docente Turnebo; In milliaribus ſignandis, quod nunc quoque quibuſdam in locis, quemadmodum & prius communiter, obtinet. Hinc *Lapis* pro milliari: Mart. *l.* 1. *Epigr.* 13. cujus Epigraphe de Regulo.

Itur ad Herculei gelidas quâ Tiburis arces,
Canaque ſulfureis Albula fumat aquis.
Rura, nemuſque ſacrum, dilectaque jugera Muſis,
Signat vicina quartus *ab urbe* Lapis &c.

Gr. Σημεῖον. *Lapis* item Romæ locus erat, ubi res venales promulgabantur. Athenis duo *Lapides* erant argentei in Areopago, quibus Rei atque Accuſatores inſiſtebant: horum unum *Contumeliæ*, alterum *Impudentiæ* appellabant, Fr. Gouldmann. *Dict. Lat. Angl.* Petitus poſteriorem, cui nempe Reus inſidebat, *Innocentiæ* vocat. Sed & auribus *lapis* crebrò geſtatus. Mart. *l.* 11. *Epigr.* 50. cujus Epigraphe in Phyllida *v.* 4.

Gemma vel è digitis, vel cadit aure lapis.

Nec aliter Manl. *l.* 5. *de Caſſiope*,

Perque caput ducti lapides, *per colla, manuſque.*

Sed hoc nomine baccas Margaritarum, quæ aures occupabant, intelligi quis eſt qui neſciat? Primus autem *lapides* perforaſſe dicitur Callimachus, ſculptor priſci Seculi eximius, teſte Pauſ. *in Attic.* Quando pingi cœperint, exponit Plin. *l.* 35. *c.* 1. *Non placet jam abaci, nec ſpatia montis in cubiculis delitentia: cœpimus & lapidem pingere. Hoc Claudii principatu inventum: Neronis verò, maculas, quæ non eſſent, in cruſtis inſerendo unitatem variare, ut ovatus eſſet.* Sed & herbis tingebantur. Idem *l.* 22. *c.* 2. *Nec committemus, ut, ſubjiciendo ſubtiliora, luxuriam utilitate circumſcribamus, dicturi & aliàs herbis tingi* lapides, *parieteſque pingi.* Quin & coronatum lapidem, in quo Demonax ſedere eſſet ſolitus, accepimus &c. Sed & in pœnam adhibiti lapides. Namque Gentiles, ſi quos ex caris amiſerant, aut ſi quid ſecus contigerat, non onerare ſolùm querelis & maledictis inceſſere Deos ſuos auſi ſunt, ſed & eorum aras ac templa nonnunquam *lapidabant*, ſtatuas dejiciebant & quid non? At gravium ſcelerum reos homines ipſe Deus *lapidari* præcepit. Et quidem, quatuor cum eſſent apud Hebræos ſuppliciorum genera, primum eorum *Lapidatio* fuit, alterum Combuſtio, reliqua Decollatio ac Suffocatio. Cùm *lapidandus* erat reus, deducebatur manibus vinctis in locum duos cubitos altum, è quo ab uno teſtium ictu in lumbos directo præceps dabatur. Qui ſi adhuc viveret, in altum levabant teſtes lapidem, duorum virorum onus, quem in miſerum magnâ vi impellebant: quòd ſi ne ſic quidem planè necatus eſſet, totus Iſraël ſaxeum in eum imbrem jaculari ſolitus eſt, vide Deut. *c.* 17. *v.* 7. Quæ cauſa, quòd R. Akiba apud P. Fagium *in hunc locum*, putat, Idololatras inprimis, huic ſupplicio deſtinatos, reſervatos fuiſſe, in aliquod ex tribus ſolennibus Iſraëlitarum feſtis, quibus totus populus Hieroſolymam convenire in more habebat. Nec hîc finis, ſed poſt mortem *lapidatus* majoris ignominiæ ergò, de infelici arbore ſuſpendebatur, ad veſperam uſque, quâ refixus, unà cum arbore, flammis datus eſt. Moſes Kotſenſis *p.* 188. *col.* 4. & ex eo Thom. Godwyn. *de Ritib. Hebr. l.* 5. *c.* 7. Etiam apud Gentiles, jam ab antiquo ſupplicii genus uſitatiſſimum, lapidibus ſontes obruere, cujus veſtigium apud Parthen. Ἐρωτικ. 21. de Piſidice. Hinc apud Sophoclem *Antigone*, Creon minatur,

Φόνον προκεῖσθαι δημόλευστον ἐν πόλει,

ſi quis Polynicis cadaver ſepeliviſſet. Apud Pauſ. in *Arcadic.* pueri aliquot, qui Dianæ ſignum contumelioſè habuerant, *lapidibus* obruti ſunt. Et cui ignotus λάϊνος χιτὼν Homeri? Sic Simonem Magum populus lapidare voluit, apud Abdiam Babylon. *Hiſtor. Apoſt. l.* 1. Peſcennius Niger, referente Æl. Spartiano, *Tribunos quos conſtitit ſtellaturas accepiſſe*, lapidibus *obrui ab auxiliaribus juſſit.* Et jam diu antè de Antonio Appian. Alex. *Bell. Civ. l.* 5. *Cùm nihil moveretur, tum eum ſaxis appetebant.* Apulejus quoque *Mileſ.* 1. de Meroe, *Publicitus indignatio percrebuit, ſtatutumque eſt, ut in eam die alterâ ſeveriſſimè ſaxorum jaculatione vindicaretur.* Apud Vinc. item Bellovacenſem *in Speculo Hiſt. Romæ, gladiatorio ludo celebrato, Telemachus Monachus increpitans populum ab eo lapidatur.* Adulterorum præcipuè, ad imitationem Iſraëlitarum, pœna; ut patet ex Jure Canon. *C. hinc apparet* 23. *q.* 5. *c. hæc imago* 33. *q.* 5. &c. Vide Thom. Dempſter. *Paralip. ad* Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 24. & plura apud Joh. Meurſ. *Comm. ad illum Lycophron.*

—— Δολόγκων δημόλευστον ὠλένῃ,

infrà quoque ubi de *Saxis obruendi patrio Macedonum more.* Imò nihil hoc armorum genere in populari ſeditione frequentius. Notum illud Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 152. *& ſeqq.*

Ac veluti magno in populo cùm ſæpe coorta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus,
Jamque faces & ſaxa *volant, furor arma miniſtrat.*

Itaque in pugna inter Ombitas & Tentyritas, poëtæ Satyrico deſcripta, cùm initio teli vice ſæviſſent nudæ manus; mox

—— *acrior impetus, & jam*
Saxa *inclinatis per humum quæſita lacertis*
Incipiunt torquere, domeſtica ſeditione
Tela ——

Quo metu petit Moſes à Pharaone, ut Iſraëlitis Deo ſacra facturis ex Ægypto longiùs recedere liceat, *Sacrificia*, dicens, *noſtra Ægyptiis eſſent abominanda, qui proindè nos lapidarent*, Exodic. 8. *v.* 26. Hodieque in populoſioribus quibuſdam civitatibus, Miniſtros Juſtitiæ, ſi fortè minus dextrè officio ſuo fungantur, *lapidum* cumulo à furente plebe obrui ſepelirique non rarò, conſtat &c. Nec ad mortem ſolùm inferendam, adhibiti lapides: ſed & *Lapides catenatos* ferre, pœnæ recentiori ævo ſpecies, feminis potiſſimùm inflictæ. In *Charta MS.* Henr. Ducis Brabantiæ & Henr. primo geniti A. C. 1229. pro Communia Bruxell. *Si mulier virum percuſſerit, ſolvet* 20. *ſol. ſi convicta fuerit, vel portabit* lapides catenatos, *a ſua parochia ad aliam* &c. apud C. du Freſne in *Gloſſ.* Plura *de Lapidibus*, apud Plin. paſſim, inprimis *l.* 36. *c.* 1. ut & infrà in voce *Saxa*: vide quoque ſuprà *Funda*, ubi de variis Vett. exercitationibus, quibus *lapides* cum manibus, tum fundis emittendo, inter ſe certabant; nec non ubi de *Halteriſtis*: item in voce *Inveſtitura*: Liv. *l.* 26. *c.* 17. *ad Lapides vero atros*, Caſtra habebat in *Auſetanis*, *inter oppida Iliturgim & Mentiſſam*, uti *de monumento lapideo omnium famigeratiſſimo*, ſuprà *Chorea gigantum.*

Crimina, quæ lapidis pœnam merebantur, apud Hebræos.

Inceſtus commiſſus cum propria Matre,	Si quis Spiritum, ut loquuntur, familiarem haberet.
cum Noverca,	Hariolandi ſcientia.
cum Nuru,	Inſtigatio ad Idololatriam privata.
cum Virgine deſponſata;	Seductio ad eam publica.
Concubitus cum Maſculo,	Veneficium: Profanatio Sabbathi: Diræ Parentibus dictæ, & inobedientia ergà Parentes.
cum bruto.	
Blaſphemia.	
Idololatria.	
Oblatio filiorum Molocho facta	

LAPIS, Cretenſium Rex.

LAPIS, piſcis nomen, in Imperio Sinenſi, ad civ. *Pingyang* prov. Xenſiæ, qui exſiccatus ac in pulverem redactus ſericiſque pannis aſperſus, eos à tineis omnino intactos incolumeſque ſervat Autor Anon. *Sina & Europa c.* 42.

LAPIS, convitii genus, apud Vett. frequens, Latinos Græcoſque Plaut. *Mil. Gl. Act.* 2. *Sc.* 2. *v.* 80.

Herus meus elephanti corio circumtentus eſt, non ſuo:
Neque habet plus ſapientiæ, quàm Lapis.

Ariſtoph. *Nubibus*, λίθοι, ἀριθμοὶ πρόβατα. Feriebant eo ſtupidos & obtuſi ingenii homines: quos & *ligna ſaxaque* vocabant. Arnob. *adv. Gentes l.* 2. *Ligno, ſaxo obtuſior* &c. ubi Deſ. Herald. vide.

LAPIS Adjutorii, per anticipationem, 1. Reg. *c.* 4. *v.* 5. ita dictus, pòſt enim à Samuele id loco nomen inditum eſt: locus in agro Bethcar, ut tribu Dan.

LAPIS Bezoar, ut Officinæ vocant, Arabibus *hager bezahar*, mel. *belzoar*, aut potiùs *belpazar*. ex *bel*, quod dominum notat, & *pazar*, ut Arabes, ac Perſæ vocant hirci genus, undè is educitur: Veteribus Græcis Latiniſque ignotus, Serapioni, Rhazi, Avenzoari & Arabum aliis tantâ vi adversùs venena præditus dicitur, ut radicem ipſam veneni, & omnem ejus quantitatem exſuperare, ac extinguere prorſus potis ſit; in febres peſtilentes porro, ſyncopen, epilepſiam vertiginem, lumbricos, calculum & affectus melancholicos, efficax. Qua in parte corporis creſcat, parum convenit: cum quidam è ventriculo peti, nonnulli è renibus, alii è fellis veſica, alii item ex inteſtinis, vel alia etiam corporis parte, contendant. Vide Nic. Manardem Hiſpal. *l. de Lap. Bezoar, & herba Scorzonera*, ſed inprimis Caſp. Bauhin. Baſil. quem *accuratè admodum fuſeque egiſſe de lapidis hujus origine, naturæ atque uſu*, ait Voſſ. *de Orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 68. Joh. Bapt. Tavernier, itinere in Orientem ſexies ſuſcepto celebris, in tr. Gall. cui tit. *Obſervations ſur le Commerce des Indes Orientales*; ſic de illo: *Lapidem*, inquit, *hunc in facibus inteſtinorum gerunt capræ hujuſmodi, quæ depaſcuntur certum quoddam arbuſculæ genus, folia & grana emittens: circà quæ* Bezoar *in ventre earum formatur, ac eam ſumit figuram, quam grana frondeſque depaſta permittunt. Numerum lapidum norunt exactè incolæ, animalis ventre ab utroque latere fortiter concuſſo; ac pro ejus ratione pretium capræ ſtatuunt. Caterùm quò major lapis, eò pretioſior, quamvis exilioribus*

non minor ſit virtus. Augent itaque impoſtores magnitudinem ejus gummi quodam & materia colore Bezoar referente: etiam tot involucris eum circumdant, quot habere ſolet lapis nativus. Sed fraus duobus modis deprehenditur: in aquam enim tepidam merſus, ſi nec de pondere quidquam amittat, nec colorem mutet, genuinus eſt, ſecus, ſi alterutrum fiat. Dein, ſi ferrea cuſpis candefacta lapidem teret, illumque ad ruborem uſque torreat, certa adulterii ea nota eſt &c. De ſimili lapide Sinenſium vide infrà *Vacca natans.*

LAPIS, dicitur Ezel, à viatoribus ſ. deambulatione, diſtat à Jeruſalem 150. ſtadiis, & ab Jordane ſtadiis 60. ut Joſeph. autor eſt *l.* 5. *Antiqq. c.* 4. Eſt in tribu Benjamin.

LAPIS Manalis, nomen petræ extrà portam Capenam Romæ, juxtà ædem Martis, quam cùm propter nimiam ſiccitatem in urbem protraxiſſent, inſequuta ſtatim pluvia fuit aquæque manârunt. De eodem Varro: *Manalis*, inquit, *lapis appellatur in Pontificalibus ſacris, qui tunc movetur, cùm pluvia exoptantur*, vide Joſ. Scalig. *Caſtigat. in Pomp. Feſt.*

LAPIS Niger, vide infrà *Tumulus.*

LAPIS Pacis, in *Statutis* Ordinis de Sempringham: *Ipſa quoque Sacriſta vel alia matura recipiat ad feneſtram aquam benedictam &* Lapidem pacis, *quem circumferat Monialibus ſororibus, incipiens ſemper pacem dare, in dextro choro* &c. lapis eſt, qui in Eccl. Rom. inter Miſſæ ſolennia, poſt conſecrationem, ut vocant, oſculandus fidelibus defertur; quo tum tempore olim mutuis ſeſe oſculis quæ *Pacis* appellabant, proſequebantur, C. du Freſne. Vide quoque infrà *Marmor*, it. *Oſculatorium.*

LAPITHÆ, populi Theſſaliæ, Pindum & Othryn montes incolentes, Pirithoi olim imperio parentes, arrogantes, unde in Prov. Hi primi omnium frænos, & ſtrata equorum creduntur inveniſſe. Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 457. & *l.* 3. *v.* 115.

> *Fræna Pelethronii* Lapithæ, *gyroſque dedêre*
> *Impoſiti dorſo.* —— ——

Idem *Æn. l.* 6. *v.* 601. & *l.* 7. *v.* 305. & 307. A Lapitha Apollinis & Stilbes nymphæ filio ſic dicti. *Sylveſtres* Ovid. *l.* 2. *Amor. Eleg.* 12. *v.* 19. Hinc adjectiv. *Lapithonius*: Stat. *Theb. l.* 7. *v.* 297.

> *Confudere modos: puerum* Lapithonia *Nympha.*

Nic. Lloyd. Plin. *l.* 4. *c.* 8. Strabo *l.* 9. *p.* 439. & 440.

LAPITHÆUM, in Taygeto monte urbs. *Pauſ.*

LAPITHE, urbs Theſſaliæ. Steph. Item Λαπίθαι, mons Laconiæ. *Idem.*

LAPITHUS, urbs olim Epiſcopal. in Cypro inſ. Steph. Λάπηθος. Nunc pag. inter Cyreneam & Paphum, ritûs Græci.

LAPIUS Maurus, vide *Maurus.*

LAPPA, Cretæ mediterr. urbs Ptol. Olim Epiſcopal. Gortynæ proxima, nunc vicus, nominis antiqui retinens, *Ferr.*

LAPPIA, regio Scandinaviæ, quæ & Lapponia, *la Lapponie*, ſ. *les Lappons* Gallis, Germanis *Lappen*, Moſcis *Loppi*, maximè verſùs Sept. excurrens. Dividitur præcipuè in tres partes, nempe in Suecicam, Norwegicam, & Moſcoviticam.

LAPPIA Moſcovitica, porrigitur in Arctos & Ort. inter lacum *Enarak* ad Occaſ. & mare Album; ſubeſtque dominio magni Ducis Moſcoviæ. Dividitur in tres partes, quæ ſic appellantur, Maritima Leporia, *Mourmanskoy Leporie*, quæ in Sept. vergit, & illic *Kola*, portus Batavis notus; Terſa Leporia, *Terskoy Leporie*, quæ ſupra Granduicum ſinum extenditur; Granduicenſis Leporia, *Bellamoreskoy Leporie*, quæ infrà ſinum Granduicum ſ. mare Album. Dicuntur hi Lappi *Dickiloppi*, i. e. Lappi crudeles & barbari, quibus vitiis præ aliis gentibus ſunt infames.

LAPPIA Norwegica dicitur aliter *le Gouvernement de Wardhus*, Præfectura Wardhuſia; extenditurque verſùs mare Septentrione & Rubeam prom. ab Or. in Occid. nempe à lacu *Enarak* dicto & fluv. *Pacs* in Ort. uſque ad limites Præfecturæ Nidroſiæ. In ea regione eſt Finmarchia tractus, incolis *Finmark* dictus. Et tota hæc regio ſubeſt Regi Daniæ, uti Regi Norwegiæ. Ibi Vardhuſium caſtrum præcipuum.

LAPPIA Suecica, *la Lapponie Suedoiſe*, Botniam Occidentalem totam occupat, à mari Balthico ad montes uſque, qui Sueciam à Norwegia ſeparant. Dividitur in Marchias quinque, *Vmalapmark*, *Pithalapmark*, *Lulalapmark*, *Tornelapmark*, *Kimilapmark*: quæ ſingulæ ab *Vma*, *Pitha*, *Lula*, *Torne*, & *Kimi* fluviis, quibus irrigantur, ſic denominatæ, ad ſingulorum fluviorum oſtia ſuum habent opp. ſub Rege Sueciæ. Vide Cluv. *Geogr. l.* 3. Damianum à Goëz *de Lapp.* Magin. & Ortel. *in Geogr.*

LAPPONES, pop. Lapponiæ, de qua ſuprà. Horum, in & Finnorum, cum quibus Lappones linguam quoque communem habent, quaſi peculiaris eſt *Rangifer*, animal Sept. proprium, quodque locis delectatur perpetuâ nive & glacie horridis, ac peculiari muſci in petris naſcentis gaudet alimento. Ad figuram cervi quamproximè accedit, ſed tenerius aliquantum eſt & membris gracilioribus, pilis curtis, colore griſeo, duobus præditum cornibus. Horum numeroſa armenta hi pop. poſſident, quorum ope intra 12. horas ultrà 100000. paſſuum conficiunt, illis etiam in eſcam utentes. Veteres Gothos ex animali hoc rhenones ſuos, qui veſtium genus erant, confeciſſe probat Loccen. *c.* 20. iiſque Sidonii locum *l.* 4. *Ep.* 20. prolixè demonſtrat. Addo, ut Magiæ admodum hi pop. dediti, rangiferum non ſemper eos regere, ſed, ut viſum eſt iis in aliquem locum animal excurrere, illi in aurem inſuſurrare mandatum, cui hoc obſequens deſtinatâ pergat viâ, expeditoque negotio revertatur. Dignum curioſitate Lud. XI. Gall. Regis qui vicinæ mortis ſuſpicionem ut omnibus demeret, miſſis in remotiſſimas terras miniſtris, rariora animalia ſibi conquiri, & inter hæc Rangiferos quoque adduci juſſit. Cæterum pretioſæ pelles Lapponum veſtis, Olaus Mag. *Hiſt. l.* 4. *c.* 4.

LAPPUS, Abbas Florentinus, juris Canonici peritiſſimus. Sec. 15. Item, alius dictus *Caſtiglioni* ſ. Biragus, Autor tractatûs alicujus juridici. Vitas quaſdam Plutarch. & Dion. Halic. Latinè vertit. A. C. 1440. Forſter *l.* 3. *Jur. c.* 26. Voſſ. *de Hiſt. Lat.* Geſnerus, Poſſevin. Philippus Bergom. Albertinus *de laud. Florentin.* Hugol. Verrin. *l.* 2. *Flor. Ill.*

LAPSA Corona, infauſtum olim omen habitum. Uti enim corona, præcipue in ſacrificantibus, fuit omnis fauſtitatis index, ita quoque, ſi cui ſacrificanti ea decideret, mali ominis certum exiſtimabatur argumentum. Id quod in Galba obſervatum, Suet. tradit in *eo c.* 18. & in Sulpitio Val. Max. *l.* 1. *c.* 1. quorum huic apex in ſacrificando prolapſus Sacerdotium abſtulit. Neque verò in ſacrificando ſolùm, ſed & in quavis publica & ſolenni adminiſtratione, *lapſa corona* infelix credebatur. Sil. Ital. *Punic. Bell. l.* 16. *v.* 434. & *ſeqq.*

> *Tum verò infelix, veluti delapſa corona*
> *Victoris capiti foret, in ſe verſus ab ira*
> *Auratam medio diſcindit pectore veſtem.*

Vide C. Paſchal. *Coron. l.* 4. *c.* 14. & de vario verbi *labi* ſignificatu, apud poëtas inprimis, Caſp. Barth. *Animadverſ.* ad Statium paſſim; necnon ſuprà in voce *Cadere.*

LAPSANA, Plin. *l.* 20. *c.* 9. olus ſylveſtre; unde fortè *Lapſanium*, herba ſale condita, quâ Ægyptii Monachi veſcebantur, uti Caſſian. autor eſt *de Monachis l.* 4. *c.* 11. & 22.

LAPSI, item *Negatores*, dicebantur olim, ii maximè, qui tormentorum metu aut dolore adacti aut quocunque modo ſeducti, fidem Chriſto datam exuêrunt, poſteà pœnitentiâ ſubeunte acceptis Communicatoriis literis, de quibus ſuprà ad Eccl. reverſi, vide Conc. Agathenſe *can.* 60. Aurelianenſe IV. *c.* 8. Epaonenſe *can.* 29. Toletanum XVII. *can.* 13. Jac. Gothofred. *ad l.* 5. *Cod. Theodoſ. de Apoſtat.* &c. Adde Pacianum Barcinonenſe in *Ep.* 3. Quos quòd nonnulli unâ ſeveritatis regulâ metirentur, Cyprian. horum rigorem perſtringens, *Alia eſt*, inquit, *Philoſophorum & Stoicorum ratio, qui dicunt omnia peccata paria eſſe, inter Chriſtianos autem & Philoſophos plurimum diſtat*, *Ep.* 9. *ad Antonian.* apud Tob. Pfanner. *Syſtem. Theolog. Gentilis pur. c.* 9. §. 13. Vide eund. *Lib. de Ritibus vet. Eccl.* Joh. Forbeſ. *Inſtruction. Hiſt. Theolog. l. XII. c.* 3. Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce *Μετάνοια*, ubi multa in hanc rem, inter alia, de *Montaniſtis*, *Meletianis*, *Novatianis* & *Apoſtolicis*, pacem *Lapſis* omnibus; Luciferianis item, eam ſaltem Epiſcopis & Clericis negantibus, & hîc, ubi *de Cenſura Eccl. Implacatione*, *Pœnitentia*, *Privato Har.* &c.

LAPSIAS, Bithyniæ fluv. Plin. *l.* 5. *c.* 32.

LAPURDUM, urbs Novempopulanæ reg. in Gall. Aquitan. ubi cohors Novempopulana, cui Tribunus præerat, olim in præſidio fuit, Not. Imp. In pactione Guntchramni & Childeberti Regum Francorum, inter Regni Pariſiaci urbes, quæ Chariberti fuerant, numeratur: *Lorda* Scalig. *in lection. Auſ.* Baudr. vulgò *Lourde*, opp. Bigerrenſis Comit. in Aquitania, in colle prope Gabarum Palenſem fluv. in conf. Benearniæ, 7. leuc. ab Elorone in Ort. Turbam verſùs. Valeſ. in Tarbellis eſt & nomen hoc Vaſconicum vel Viſcajanum olim accepit, propter incolarum latrocinia & incurſiones piraticas. Poſteà dici cœpit & *civ. Boatium*, ſexto inter prov. Novempopulanæ civitates, ſemel ſeptimo loco, poſita in vett. Not. *Boates* autem illi fortè Sediboniates Plinii ſunt, Aquitanis ſive Aquenſibus confines, & bene ſiti, commercioque exterorum proin celebres. Demum ab hinc Annos circiter 500. Lapurdum vel civ. Boatium, nuncupari cœpta eſt *Bajona*, caput Baſcloniæ i. e. Viſcajæ dicta Giraldo Cambrenſi, qui inde Hibernos proveniſſe, docet *Topogr. Hib. part.* 3. *c.* 9. Nomen hoc ab indigenis inditum, fortè quaſi *Baja-ona*, i. e. bonus portus, non ſine cauſa. Eſt enim poſita ad confluentes Nivi *la Nive*, & Aturi, ac 3. mill. paſſ. tantùm ab Oceano abeſt: mariſque exæſtuantis quotidianis acceſſibus adjutæ quantælibet magnitudinis naves mercatorum ex Anglia, Gallia, Hiſpania, totaque demum ex Europa Bajonam facilè impelluntur. Vulgò *Bayonne*, balænarum venationibus, pernis ſuis ſale duratis, & Aturrico piſce, quem *Lapurdenſes locuſtas* Sidonius *Ep.* 12. *l.* 8. memorat, Græci Carabum, Lampurdenſes *Langoſta* vocant, nobilis. Bajonenſes Epp. in antiq. tabb. *Lapurdenſes* ſæpe dicuntur, & etiamnum ager Bajonenſis, linguâ patriâ, dicitur *Lapord*, aut *le païs de Lapourd*, aliàs *Labord*: eſtque pars tertia regionis Vaſcorum ſ. Baſconiæ, *le païs de Baſques* vulgò dictæ, quæ longa 50000. paſſ. lata 24. tripartitò dividitur, in pagum Lapurdenſem, inf. Navarram & Subolam vallem. Ager *Lapurdenſis* vel Bajonenſis vicos 28. habet, in his maximum & opulentiſſimum Luiſium, quem incolæ *Loizune*, i. e. locum cænoſum vocant, Gall. *S. Jean de Luz.* In inf. Navarra, quæ & citerior dicitur, eſt opp. S. Joh. Imopyrenæi, *S. Jean Pié de port*: opp. quoque S. Pelagii *S. Palais*, Garrucium, & Baſtita Clarentia. Lud. Hutini opus. *Subola*, nunc *Sola* nuncupata, Malleonem opp. vel potiùs caſtrum oſtentat. Ex quibus pagus *Lapurdenſis* Ep. Bajonenſi paret; Navarræ inf. citeriorisve pars eidem, pars Aquenſi Antiſtiti; Subola Elloronenſi. Maximam partem Varduliæ vel Ipuſcoæ, inter fluvios Urolam & Magradam ſ. Vidaſſonem jacentem, ubi Mons S. Hadr. Bajonenſi Ep. ademiſſe dicitur

citur Phil. ejus nominis ſecundus Hiſpaniarum Rex, A. C. 1565 & Pompelonenſi Antiſtiti attribuendam curaviſſe. *Lapurdenſis* Seneſcalcia duas Diœceſes continet, Lapurdenſem ſ. Bajonenſem, & Aquenſem ſive Aquarum Tarbellicarum. *Notit. Gall.* Lapurdenſium locuſtarum meminit Sidon. *l.* 8. *ad Tigretium. Nic. Lloyd.*

LAPYGES, pop. Sarmatiæ.

LAQUEAR ſ. LACUNAR, propriè tectum, *lacubus* quadratis diſtinctum. Plana enim tecta *laqueabantur* tabulis in varias figuras cælatis, ut in mæandros & lacus & πλινθία & orbes vel triangulos, & alia: cùm, quæ cælata non erant, φατνώματα Græcis dicerentur. Adeoque *Laquear* à camera diverſum: nam cameræ, curva tecta ſunt, trulliſſari & tectorio induci ſolitæ, de quarum diſpoſitionibus videndus Vitruv. *l.* 7. *c.* 3. *laquearia* autem vel *laqueata tecta* erant, quæ nunc *lambriſſata* Gallis; fiebantque ex tabulis ligneis variè, ut dictum, cælatis, quæ ut plurimùm verſatiles erant, ita ut flores & unguenta deſuper ſpargerent. Suet. *in Ner. Claud. c.* 31. *Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis verſatilibus, ut flores: fiſtulatis, ut unguenta deſuper ſpargerentur.* Et quidem camerarum uſum Vett. ignorantes, uti teſtatur alicubi Serv. *Laquearium* tantùm notant; eaque ratione vela ſubtendebant iis, ad excipiendum pulverem, qui per rimas tabularum multus conſueverat manare: quibus non opus erat in cameris, ut quæ pulverem nec admittebant, nec tranſmittebant, tectorio quippe opere inductæ. At poſterius ævum cameras etiam novit *laqueatas* & tabulis ſubrectas: cameras enim ex contignationibus quidem fecêrunt, uti Vett. ſed pro ſignino opere & albario tabulis eas ſubtexêrunt. Iſid. *Laquearia ſunt, quæ cameram ſubtegunt & ornant, quæ & lacunaria dicuntur, quòd lacus quoſdam quadratos vel rotundos ex ligno vel gypſo vel coloribus habeant pictos* Ubi planè confundit cameras Veterum cum cameris Recentiorum & *laquearia* à cameris non diſcernit. Nam in veris *Laquearibus*, nullum gypſum: in cameris verò Vett. quæ albario opere poliebantur, coronæ ex gypſo fiebant ad ornamentum, quas hîc Iſid. temere confundit cum lacubus ligneis laquearium. At in cameris, quæ tabulis erant *laqueata*, *Lacunar* & *Camera* pro eodem uſurpantur. Paulin. *Natali IX. de Baſilica.*

> —— *Inſculptum camerâ criſpante lacunar*
> *In ligno mentitur ebur.*

Atque ſic fiebant Baſilicarum & templorum tecta: quemadmodum ex Paulo quoque Silentiario diſcimus, qui deſcriptâ conchâ (quâ voce indigitatur camera ſphæræ quadrifariam diviſæ quartam partem aſſimulans) reliquum ejus tectum, quâ formâ fuerit, ita narrare incipit;

> Τὴν δὲ μετ' ἐκδέχεται κρατεροῖς ἀραρυῖα θεμέθλοις
> Ἐς βάσιν εὐθύγραμμος. ὕπερθε δὲ κύκλιος ἄντυξ
> Σχήμασιν οὐ σφαίρης ἐναλίγκιος, ἀλλὰ κυλίνδρου
> Ἄνδιχα τεμνομένοιο &c.

Vide Salmaſ. *Not. ad Vopiſc. in Aurel. ad Solin. p.* 1215. nec non infrà aliquid in voce *Xylochartia*. Primus verò *Lacunaria* pinxit Pauſias Sicyonius. Plin. *l.* 35. *c.* 11. *Pinxit penicillo parietes Theſpiis* —— *Idem &* lacunaria *primus pingere inſtituit, nec cameras ante eum taliter adornari mos erat.* Idem *l.* 33. *c.* 3. At *Laquearia, quæ nunc & in privatis domibus auro teguntur, poſt Carthaginem everſam primò inaurata ſunt in Capitolio, Cenſurâ L. Mummii. Inde tranſiêre in cameras: in parietes quoque* &c.

LAQUEARII, Gladiatorum ſpecies. Vide ſuprà in voce *Gladiatorii Ludi.*

LAQUEATÆ Veſtes, apud Brompton. A. C. 1188. *Ibi ſtatutum fuit in Anglorum gente, ne quis eſcarleto, ſabelino, vario vel griſeo aut veſtimentis* laqueatis —— *uteretur*; & in *Regula* Fratrum Hoſpitalis S. Juliani in Anglia. *Habeant tunicam -- de ruſſeto; cum capucio de eodem ſecta, ita quòd manubria tunicæ ſint clauſa uſque ad manum, non nodulis vel filo ad modum laqueata:* laqueis ſunt ſ. lorulis exornatæ vel adſtrictæ, de cujuſmodi *laqueis*, ſic *Regula* Templariorum *c.* 29. *De roſtris & laqueis manifeſtum eſt eſſe gentile: & cùm abominabile hoc agnoſcatur, prohibemus... ut aliquis ea non habeat:* Galli *Las* & *Laſſets* vocant, C. du Freſne *in Gloſſ.* Vide quoque infrà in voce *Nodus.*

LAQUEDONIA, urbs aliàs Apuliæ Dauniæ, Epiſcopal. ſub Archiep. Compſano, nunc Principatûs ulter. ad radices Apennini, verſùs Aufidum fluv. limiteſque Capitanatæ prope Biſaccium, 12. mill à Melphia in Cæc. In planitie. In parte diruta eſt, pauciſque conſtat incolis. Vulgò *Cedogna.*

LAQUEUS, ex Gr. λύγος, *vitex, ſalix*, quòd iſta primitus *laquei* fuerint vice. In Græcorum aucupio notiſſimus fuit, è quibus Archia poëta δειραχθὲς εὔβροχον ἅμμα πετεινῶν, *collo oneroſum multis laqueis avium rete* dixit: & Antipater Sidon. πετεινῶν ἄρρηκτον δειραωπέδην, *infractum volucrium colli laqueum*; κλαγερῶν λαιμοπέδαν γεράνων, *clangentium gruum gulæ laqueum.* Proin Hom. *Il.* χ. procorum pellices, quorum

> Δειρῇσιν βρόχοι ἦσαν ὅπως οἴκτιστα θάνοιεν,
> *Collis* laquei *erant* .. *ut miſerrimè morerentur*;

cum turdis & palumbis confert, qui *laqueo* implicati ſunt, collo nim. adſtricti. Nempe etiam ad homines furto aliiſque criminibus infames, id genus ſupplicii tranſiit, ut alibi dicemus. Sed venatio iſta minùs probata viris fortibus, vide infrà: quibus tamen etiam *laqueos* inſerviiſſe, diſcimus ex Liv. ubi in oppugnationibus urbium *laqueis arietum ictus excipi* ſolitos, docet *l.* 36. *c.* 23. &c. plura de aucupio præfato diximus ſuprà, ubi *de Avibus.* Neque verò has ſolùm, ſed & cervos it. capi conſueviſſe, ſignificat Trogus Pompejus, quum ſic cervorum comitem Habidem captum commemorat, *l.* 44. *interque cervorum greges diu montes ſaltuſque peragravit: ad poſtremum* laqueo *captus, Regi dono datus eſt* Hinc Seneca *Octavia Act.* 2. *v.* 34. *& ſeqq.*

> —— *Fluctibus tectos graves*
> *Extrahere piſces rete; vel calamo levi*
> *Decipere volucres; premere ſubjectos jugo*
> *Tauros feroces.* ——

Docetque Gruterus, *laqueis* Erymanthiam cervam captam; imò & apros ſimiliter aliaque ferociora animalia illaqueari. Quo illud Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 139.

> *Tum* laqueis *captare feras.* ——

Vide Joh. Frid. Gronov. *ad Senec. d. l.* De morte infami eorum, qui ſibi ipſis, *laqueo* gulam fregiſſent, pœnaque illis inflicta, diximus aliquid ſuprà in voce *Autochiros.*

LAR familiaris, ab antiquis in canis figura efformabatur, Plaut. *Merc. Act.* 5. *Sc.* 1. *v.* 5. Ei *familiæ Pater* dictus. Vide infrà in voce *Lara.*

LAR, vel LARS, vide *Tolumnius.*

LAR, ſ. LARA, regnum Perſiæ, cum urbe cogn. ad fluv. Tiſindon. verſùs Caramaniam. Olim ſub proprio Principe, nunc Sopho ſubeſt. Vide P. de la Valle *Itin. tom.* 2. *&* 3. & infrà *Lara.*

LAR, caſtellum Mauritan. Cæſ. Ant. Item Arabiæ Fel. fluv. in ſinum Arabicum erumpens. *Om* eum vocant recentiores tabulæ.

LARA, ſive LARANDA, una Najadum, Almonis fluv. filia, ex qua Mercurius Lares dicitur genuiſſe; Ferunt enim Jovem, cùm Juturnam Turni ſororem adamaret, neque illa potiri poſſet, quòd protinus illa in fluv. inſiliens ſui copiam illi eriperet; Latii totius nymphas convocâſſe, & ab iis petiiſſe, ut Juturnæ ad Tiberis ripam obſtarent, ne eo in fluv. ſeſe poſſet occultare. Qua in re cùm ceteræ nymphæ Jovi operam ſuam eſſent pollicitæ, Lara illius conſilium primum Juturnæ, deinde & Junoni enunciavit. Quam rem tam ægrè tulit Jupiter, ut uſu linguæ eam privârit, Mercurioque ſtatim tradiderit, ad inferos ducendam. Verùm Mercurius cùm juſſa patris exequitur, Laræ formâ captus in itinere eam compreſſit, gemelloſque legitimo tempore ex ea ſuſcepit, quos ex nomine matris *Lares*, ſacrificiis feſtiſque à Gentilibus cultos, appellavit. Juv. *Sat.* 6. *l.* 1. *v.* 3. *Sat.* 8. *l.* 3. *v.* 14. Ovid. *Faſt. l.* 2. *v.* 597. & 615.

> *Fitque gravis, geminoſque parit qui compita ſervant,*
> *Et vigilant noſtra ſemper in æde* Lares.

Alii autem *Lares* Privati, alii Publici erant, qui & *Compitales* Plin. *l.* 36. *c.* 27. & *Viales* appellati, quòd compitis, viiſque publicis, quas Græci λαύρας vocant, præeſſent: Juv. *l.* 4. *Sat.* 12. *v.* 89. *Perſ. Sat.* 4. *v.* 28. Plaut. *Merc. Act.* 5. *Sc.* 2. *v.* 24. Item *Urbani*, quòd urbem cuſtodirent & *Hoſtilii*, quòd hoſtem arcerent. *Privati*, qui ſuum cujuſque focum ac domum ſervare credebantur. *Præſtites* iidem appellati ſunt, Ut Ovid. autor eſt, quem vide *Faſt. l.* 5. *v.* 129. & 734. &c.

> *Quòd* præſtant *oculis omnia tuta ſuis.*

Cur canis illis additus, ibidem etiam habes. Lares nonnullos malos, nocenteſque Genios dixiſſe Plutarch. autor eſt *Qu. Rom.* His porci in ſacrificiis immolabantur. Horat. *Carm. l.* 3. *Ode* 23. *v.* 3.

> *Si thure placaris & hornâ*
> *Fruge* Lares, *avidaque porcâ.*

Idem *Serm. l.* 2. *Sat.* 3. *v.* 164.

> —— *Immolet æquis*
> *Hic porcum* Laribus. ——

Tibull. *l.* 1. *Eleg.* 11. *v.* 15. 25. & 26.

> *Hoſtiaque è plena ruſtica* porcus *hara.*

Prop. *l.* 4. *Eleg.* 1. *v.* 23.

> *Parva ſaginati luſtrabant compita* porci.

Et *in Menæchmis Act.* 2. *Sc.* 2. *v.* 16. Plauti, porci Lares piare dicuntur inſanos. Coronari porro ſolebant Lares, habebantque Romæ templum, ſacellum & delubrum, in 8. urbis reg. Item lucum & ſacellum in Velia reg. 10 Primus autem iis ædem vovit & extruxit T. Tatius Sabinorum Rex ſicut *Laribus Permarinis* in Campo Martio ædem vovit, bello contrà Antiochum, Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 7. & 10. Lucan. *Civ. Bell. l.* 1. *v.* 506. L. Æmilius Regillus: & *Laribus Præſtitibus* aram Curius dicavit. Ovid. *Faſt. l.* 5. Sed & Ægpptios habuiſſe ſuos Lares, docet Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 19. Principium cultûs illorum inde profluxit, quòd Demortui olim domi ſepelirentur, unde credula plebs animas Defunctorum cultu quodam domeſtico primùm, ac dein publico, tanquam auxiliaturos Deos, venerari cœpit, Tertull. *de Reſurr. carnis.* Antiqui marmoris fragmentum,

> *Perpetuas ſine fine domos mors incolit atra,*
> *Æternoſque levis poſſidet umbra* Lares.

Vide N. Com. *l.* 4. *Myth. c.* 4. *de Laribus.* Nic. Lloyd. Adde dicenda in *Lares.*

LARA, vulgò LAR, urbs Perſiæ propr. ad amnem Tiſindon. in limite Caramaniæ; ampla & elegans, 170. mill. ab Armuzia in Bor. Vide *Lar.*

LARA, vulgò LARA, opp. Caſtellæ vet. ad Arlanzam amnem, ad montium radices. Hinc *Lara* familia celebris in Hiſtoriis Caſtellæ vet. 11. leuc. Hiſp. ab Auca in Ort. verſùs Rivogiam prov.

LARAN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LARANDA, civ. Lycaoniæ. Ptol. *l. 5. c. 6.* Olim Epiſcopal. ſub Archiep. Iconienſi. 50. mill. ab Iconio, 18. ab Anazarbo in Occ. uti 100. à Comanis, juxtà fontes Cydni fluv. hodieque priſci nominis tenax. *Laranda* autem, quæ & *Leandis*, urbs fuit Armeniæ min. 18. mill. à Cocuſo in Auſtr. 55. à Comana in Afric. paulò ampliùs ab Anazarbo.

LARARIA, feſtum Laribus ſacrum, quod Decembri peragebatur, 6. Kalendas Januarii. Vide Macrob. *Sat. l. 1. c. 10.*

LARARIUM, ſacrarium domeſticum, in quo Lares & Dii peculiares adorabantur. Scribit Lamprid. Alex. Severum in Larario rem divinam matutinis horis factitâſſe ad effigies Deorum, in quibus habebat Apollonium, Orpheum, Abrahamum & Chriſtum: in ſecundo Larario ſimulacrum habuit Virg & Cic. Vide & *Lares.* It. *Orarium.* Prudent *l. 1. c. Symmach. v. 209.*

LARASSA, Mediæ urbs, *Ptol.*

LARDARIUM, apud Gaufredum Voſienſem *parte 2. c. 12.* dies eſt Martis Carnisprivii, quem hoc nomine olim appellabant, Gall. *Mardy gras.* Vide C. du Freſne in *Gloſſ.* A voce *lardum* ſ. *laridum.* quaſi *largè aridum*, undè *ſicci terga ſuis* interpretatur Juv. Hujus uſu, Judæis olim interdictum, lege de immundis animalibus; quæ cùm cerimonialis eſſet, in Nov. Teſt. ſublata eſt, Judæis tamen hodieque ſuperſtitiosè & *lardo* & ſuillâ carne abſtinentibus. At apud Gentiles *lardo* etiam Diis litatum. Hinc Bartholin. ubi de Puerperarum Diis: *Nox genitalis Dea*, inquit, *juvat liberorum ſtudium. Formula invocationis ter magnâ voce fuit repetita, & extenſis brachiis. Huic aliàs in ara ſacrificatum pulte fabaciâ &* larido, *nec non gemellis agnis altrinſecus religatis* &c. Eodem inuncta cadaverum crematorum oſſa, diximus ſuprà *de Cremandi ritu.* Vide eum *de Puerp. Vett. p. 30.* & infrà, in voce *Laridum.*

LARENTINALIA, vide infrà *Laurentalia.*

LARENDANI, Arabiæ Fel. gens *Plin. l. 6. c. 28.*

LARENTIA, nobiliſſima meretrix. Vide *Acca.*

LARES, eodem cum Genio inter Natales quoque Deos habiti olim ſunt numero, ut docet Ovid. *Faſt. l. 2. v. 616.* & iis commendatam proin pueritiam eſſe, innuit Claud. *de Sexto Conſ. Honor. Carm. 28. v. 582.*

Infantem genitor moriens commiſit alendum.

Idem Tibull. clariſſimè innuit, *l. 1. Eleg. 11. v. 15.*

Sed patrii ſervate Lares aluiſtis & iidem,
Curſarem veſtros cùm tener ante pedes.

Quocirca tot reperiuntur Inſcriptiones paſſim *Laribus*, pro domus ſalute & incolumitate dicatæ, vide Thom. Bartholin. *de Puerp. Vett. p. 47.* Arnob. *Lares* Genii focorum fuêre unde Prud. *nigri* dicti περὶ στεφ. Hym. *c. 14. v. 261.* & *l. 1. c. Symmach. v. 204.* & in veteri denario gentis Cæſiæ, iis Vulcanus ſuperpoſitus cernitur. Serv. autem Tullius, *Laris* familiaris fil. creditus eſt, quòd ejus mater conceperit in foco: in cujus rei memoriam Compitalia *Laribus* & ludos inſtituit. His venerationis gratiâ conſueverat ignis accendi, qui in atrio, non procul ab janua luce re ſolitus, à Janitore, ſervabatur catenato: Undè Horat. *Serm. l. 1. Sat. 5. v. 65. & ſeqq.*

Multa Cicerrhus ad hæc: donâſſet jamne catenam
Ex voto Laribus, *quærebat. Scriba quòd eſſet,*
Deterius nihilo dominæ jus eſſe:

Confirmat Petron. qui *Lares* argenteos apud Trimalcionem, Edit Gonſali de Salas *p. 16.* Edit. Boſch. *c. 29.* in ædicula inter januam & atrium videtur locare, in armario viz. ut Plin. explicat. Habebat porrò & cubiculum ſuos *Lares* Suet. *Domit. c. 17. Puer, qui, cura Larium cubiculi ex conſuetudine aſſiſtens, interfuit cædi* &c. Nec enim hæc de *Laribus* communibus accipi vult Pignor. ſed *Larario*, ut vocat Lamprid. *in Alex. Sev.* Proin idem, quod apud Suet. de *Aug. c. 7.* legimus: *Thurinum cognominatum, ſatis certâ probatione tradiderim, nactus puerilem ejus imagunculam æream veterem, ferreis ac penè jam exoleſcentibus literis, hoc nomine inſcriptam; quæ dono à me Principi data inter cubiculares colitur:* ad cubicularios illos Lares refert. Nec alibi, quàm in hoc ſecreto Lararió L. Vitellius Auli Imp. pater, imagines videtur coluiſſe aureas Narciſſi & Pallantis libertorum, apud Suet. in eo *c. 2.* Vide in voce *Lararium*, & plura hanc in rem apud Caſaub. *ad Suet. Aug. c. 2.* ubi Penatum *Lariumque* (qui Græcis ἑστιοῦχοι δαίμονες. Item Θεοὶ οἰκίδιοι) ſedem in privatis ædibus non unam, & cultos maximè in foco; item in cubiculo; ſæpe in aliqua parte atrii, putà in compluvio, vel in porticu ei adnexa, docet. Coronamenta eorum quod attinet, colebantur plerunque oblatione τῶν προφορημάτων, *primitiarum*, uti docet Horat. *Serm. l. 2. Sat. 5. v. 12. & ſeqq.*

——— ——— *dulcia poma*
Et quoſcunque feret cultus tibi fundus honores
Ante Larem *guſtet venerabilior Lare dives.*

Atque hinc Tibull. illos coronat ſpicis & uvâ, *l. 2. Eleg. 1. v. 14.* Sed & floribus cingebantur, quod propriè *Lares ornare* dicebatur. Undè de Aug. legimus, *Compitales Lares ornare bis anno inſtituit, vernis floribus & æſtivis*, apud Suet. *in eo c. 31.* Violis præſertim, *Juv. Sat. 12. l. 4. c. 90.* Inſuper redimebantur myrto & rore marino, apud Horat. *Carm. l. 3. Ode 23. v. 4.* & 15. Poſtremò farre, ac tenui ſerto, ſive corollâ, Juv. *Sat. 9. l. 3. v. 137.* nempe à pauperibus: Alioqui enim amplitudine coronarum colebantur, ut ex Feſto diſcimus. Quæ coronæ Laribus impoſitæ dicebantur imponi focis, quòd ſedes Larium ibi. Tibull. *l. 1. Eleg. 5. v. 40.*

Num feror inceſtus ſedes adiiſſe Deorum?
Sertaque de ſanctis diripuiſſe focis?

Vide ſuprà in voce *Focus.* Præter coronas, (quas Kalendis, Idibus & Nonis, ſi feſtus dies fuerit, renovari jubet Cato *de Re Ruſt.* perque eoſdem dies lari familiari ſupplicari) unguento quoque honorabantur. Prudent. *c. Symmach. l. 1. v. 201.*

——— *ſaxa illita ceris*
Viderat: unguentoque Lares *humeſcere* nigros.

Nigros, an quia fumoſi, an quia atroces & vindices. Certè ἐριννυώδεις καὶ ποινίμους δαίμονας, illos facit Plutarch. κεφ. καταγρ. ῥωμ. i. e. *furialia & pœnalia Numina*, ἐπισκόπους βίων καὶ οἴκων, rigidos *vitarum & domorum inſpectores* &c. Sed & Lucernas *Laribus* multas olim ſacras fuiſſe, docent Gruterianæ *Inſcriptiones p.* inprimis 77. & exhibet earum unam Fortunius Licet. cum *Inſcr. Laribus ſacrum P. F. Roman.* quam explicat, *Laribus ſacrum poſuit Fulvius Romanus*, vultque additam vocem *Romanus*, quia illam ſacraverit procul à patria, vide eum *de recond. Antiqq. Lucernis l. 6.* & plura de *Laribus*, in vocibus *Lar*, & *Lara*, item ubi de *Icidiis Diis*: de *Laribus* vide *Permarinis*, & eorum æde, Liv. *l. 40. c. 52.* Addam ſaltem, cùm Compitalium facta fuerit ſuprà mentio, in quovis compito vel *Lararió*, fuiſſe duo ſemper Deorum ſigna, ex Ovid. *Faſt. l. 5. v. 34.* &c.

LARES, Africæ propr. urbs. Ptol. *Migana* Marmolio. Inter Carthaginem & Cirtham. Olim clara & Epiſcopal. ſub Archiep. Carthaginenſi. Hic maximè efferbuit in orthodoxos perſecutio, ſub Hunerico & Geinſerico Regg. *Laris* in ſing. num. habet Salluſt. *de bello Jugurth.*

LARGA Platea, vide infrà *Pileus.*

LARGITIO, plus quàm *donatio*; vel enim ſic dicitur intempeſtiva donatio, aut flagitioſa, apud Tac. *Ann. l. 1. c. 36.* vel profuſio: Apud Claud. *de 4. Conſ. Honor. Carm. 8. v. 117.*

——— Largitor *opum*, largitor *honorum*
Pronus & in melius gaudens convertere fata.

Cujuſmodi *Largitio*, Romæ publicè quando facta primùm fuerit docet Plin. *l. 33. c. 10. Populus Romanus ſtipem ſpargere cœpit, Sp. Poſthumio, Q. Marcio Coſſ. tanta abundantia pecuniæ erat, ut eam conferret L. Scipioni ex qua is ludos fecit. Nam quòd Agrippæ Menenio ſextantes æris in funus contulit, honoris id neceſſitatiſque propter paupertatem Agrippæ, non* largitionis *eſſe dixerim.* Poſtmodum illæ multum crevêre. Et quidem *Donativum* Militi, *Congiarium* Populo, *Frumentum Panemque* omnibus, ſæpe erogata in Hiſtoriis legimus, de quibus omnibus, vide ſuo loco. Inprimis verò *Largitiones* Conſulum Prætorumque, cùm Ludos ederent, ingentes olim, ſub Valeriano præſertim & ſequentibus Impp. quibus longè magis inſaniebant ſumptibus & profuſionibus utrique, cum Magiſtratum inibant. Hinc illæ Autorum *Hiſt. Aug.* de ſuis temporibus querelæ, *Conſulatum jam non eſſe hominum, ſed divitiarum.* Tota enim patrimonia in Ludos exhauriebantur, immaniſſimis *largitioribus* & inſaniſſimis voluptatibus, ut videre eſt apud Vopiſc. *in Aurel.* & *in Carino ſub fin.* Sic Symmachum quis non miretur, cùm de mediocribus eſſet, in Prætura filii 20. auri centenaria prodegiſſe, h. e. centum ſexaginta quatuor millia aureorum, qui tunc Romanis erant in uſu. Imò fuêrunt, qui illâ ætate alterum tantum impenderent, ut de Maximo narrat Olympiodorus, apud Photium. Undè moris tum fuit, ut tenuioris cenſûs hominibus, vel quibus aliàs cuperent Impp. ſimul cum honoribus ſumptus quoque decernerent, cujus rei exempla paſſim obvia. *Largitionum* poſteà hujuſmodi & erogationum itaque modum lege definiit Conſtantinus Imp. ut videre eſt *leg. 5.* & 25. *Cod. Theod. De Prætorib. & Quæſtor.* eaſque ad magnam parcitatem redegit. Nam primæ Præturæ Flaviali viginti quinque millia follium & quinquaginta librarum argenti erogationem & ſumptum præſcripſerat, h. e. centum argenti libras: 25000. enim follium non plus 50. libras argenti reddebant; ſicque tantum in ære, quantum in argento, erogari voluit. Atque ita ſemper obſervatum, ut in auro & argento & ære largitiones illæ celebrarentur. At Conſtantinus *h. l.* argenti & æris meminit tantùm non etiam auri; quod fortè idem factum, ut, cùm admodum arctè hanc licentiam circumſcripſiſſet, in plures largitio ſpargi poſſet, ſi in æreis tantùm & argenteis nummis ea perageretur: quum tantula ſumma, per paucos aureos nummos eroganda, non niſi ad paucos poſſet pervenire. Eodem pertinet *lex prima Cod. Theodoſ. de Ludor. expenſis*, quâ conſtituêrunt Impp. ibi nominati, *ut nulli prorſus alteri, exceptis Conſulibus ordinariis, auri ſportulam aut dyptica ex ebore dandi facultas eſſet*, ac ne argenteum quidem nummum fas eſſet expendere majorem, quàm qui formari ſolebat, cùm argenti libro una in argenteos 60. divideretur. Juſtinianus etiam *Nov. 105.* ne Conſules aurum ſpargerent, prohibuit &c. Vide Salmaſ. *ad Spartian. in Hadr.* & *Lamprid. in Heliogab.* nec non hîc paſſim, inprimis ubi de *Auguſteone*, in phraſi *Conſulatum edere*, de *Gradibus*, *Herbaticis animalibus* &c.

LARGITIONES, poſteriorum Impp. ævo dictum *Ærarium*; nam pro Ærario ſacro *Largitiones ſacras* dixêrunt, & Præfectum Ærarii ſacri, *Comitem ſacrarum Largitionum*: magnifico planè vocabulo, quaſi ad nullam aliam rem ærarium Princeps haberet, quàm ad *largiendum.* Sic res etiam privatæ Principis, *Largitiones* dicebantur: quæ non tantùm in auro argentoque, gemmis & veſtibus ac reliquis mobilibus conſiſtebant, ſed etiam in domibus palatiiſque, prædiis ac poſſeſſionibus rebuſque ſoli erant poſitæ. Utrarumque *Largitionum*, *ſacrarum* & *privatarum*, mentio eſt *leg. 48. Cod. Theod.* de *curſu publ.* & *l. 1. de Quæſtor. Magiſtr. Offic.*

Sic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Sic *l.* 2. *cod. tit.* Comitiva utriuſque ærarii appellatur ſacri & privati ærarii Præfectura. Claud. *de Conſ. Mall. & Theod. Carm.* 17. *v.* 38.

Hinc ſacræ mandantur opes, orbiſque tributa,
Poſſeſſi quidquid fluviis evolvitur auri &c.

Hinc *ſacris Largitionibus inferre*, pro ærario inferre; & *Largitionales tituli*, in *Cod. Theodoſ.* ſpecies omnes publicæ, quæ ærario, i. e. ut tunc vocabant, *Largitionibus* inferebantur. Sub ejus diſpoſitione itaque veſtium omne genus Textores, Murileguli, Tinctores, Præfecti baphiorum, Magiſtri lineæ veſtis, Magiſtri privatæ, Gynæciarii, Alii. Sic *leg.* 14. *Cod. de Murileg. & Gynæciariis*, baphiorum & textrinorum Procuratores, rem ſacri ærarii procurare dicuntur; ubi ſacrum ærarium *ſacras Largitiones* vocat, quæ *Erogationes* quoque dictæ, *Cod. Theod. tit. eod. l.* 6. &c. Vide Salmaſ. *ad Flav. Vopiſc. in Aurel.* & *ſuprà* in voce *Comes*.

LARGIUS, Romæ primus Dictator creatus. Vide & *Titus*.

LARGIUS Eurippianus, Vide Conſularis, juſſu Commodi Occiſus, apud Æl. Lamprid. *in Commodo*: ubi alii *Lartius*, nonnulli *Larcius* legunt. Fil. an nepos illius, de quo Scævola *in L.* 21. *ff. De Annuis Legatis* &c. Caſaub. *ad Lamprid.*

LARGIUS Rufus, vide *Spurius*.

LARGUS, Coſ. cum Meſſalino A. U. C. 899.

LARGUS, Poëta Lat. de quo Ovid. *de Ponto l.* 4. *Eleg.* 16. *v.* 17. Antenoris Patavinum adventum cecinit. Petr. apud *Lil. Girald.*

LARGUS, cogn. Othonis Duc. Brunſvic. qui maximus filiorum Alberti *Pinguis* ſ. *Magni*, Brunſvicenſis lineæ conditoris ab uxore priore Agnete filia Conradi ſ. Hermanni Elect. Brandeb. veterem Marchiam obtinuit, ſed vi ereptam iterum amiſit, Mortuus A. C. 1374. relictâ filiâ Agnete, quæ Barnimo III. Pomer. Duci nupſit. Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Hiſt.* in *Fam. Guelfica*. Cæterùm nec Gentilibus fuiſſe ignotum, *largum* datorem Deo placere, vidimus ſuprà in voce *Cumulus*.

LARIAGARA, Indiæ extrà Gangem urbs. Ptol. *Carcacaran Merc.*

LARICES, Indiæ intra Gangem pop. Ptol. Norici urbs apud Ant. Melius *Larix*, opp. fuit, inter Alpes, in ipſo limite Carnorum, quod aliis eſt *Reca*, caſtrum ad amnem Idriam, in Carniola ſup. in limite Comit. Goritienſis.

LARIDUM, inter annonarias ſpecies militibus erogandas. Capitolin. *in Gord. Jun. Cujus viri tanta in Rep. diſpoſitio fuit, ut nulla eſſet unquam civitas limitanea potior, quæ non poſſet exercitum Rom. ac Principem ferre, quæ totius anni in aceto, frumento, &* larido *atque bordeo & paleis condita non haberet.* Vide ſuprà in voce *Condita*, item in *Horreum*. Intelligit autem *Laridi* nomine Salmaſ. carnem porcinam, & quidem ſalitem, recenti & nondum ſalitæ oppoſitam, ex *l.* 2. *tit. de erogat. mil. in Cod. Theod.* Vide eum *Not. ad Vopiſc. in Probo*, & ſuprà, ubi de *Conditis Militaribus*. Olim verò *Lardum* porcinum ſiccum & fumo induratum, tanquam delicatius quiddam, in dies tantùm feſtos aut natales ſervatum, docet Juv. *l.* 4. *Sat.* XI. ubi vett. Rom. frugalitatem cum recentiorum luxurie confert, *v.* 82. & ſeqq.

Sicci terga ſuis, rarâ pendentia crate
Moris erat quondam feſtis ſervare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente novâ, ſi quam dabat hoſtia, carne.

Vide & in voce *Lardum*.

LARIGNUM, opp. Vitruv. *l.* 2. *c.* 9.

LARINA, virgo quædam Italica, una ex Camillæ comitatu, quæ Turno adversùs Æneam ſuppetias tulit, Virg. *Æn. l.* XI. *v.* 655.

——— *Comites* Larinaque *virgo*
Tullaque, &c.

LARINA, fons Atticæ reg. Plin. *l.* 4. *c.* 7.

LARINUM, urbs Frentanorum, Epiſcopal. ſub Archiep. Beneventano, ad Tifernum fluv. in Aprutio apud Apuliæ fines. Nunc Comit. Moliſini, in conf. Capitanatæ, prope Frentonem amnem, *Larina*; Parva, 40. mill. à Benevento in Bor. Pop. *Larinates*. Plin. *l.* 3. *c.* 11. Sil. Ital. *Punic. Bell. l.* 15. *v.* 565.

Quaque jacet ſuperi Larinas *accola ponti.*

P. Mela *l.* 2. *c.* 4.

LARISE, urbs Æoliæ. Herod. *in vita Hom. c.* XI.

LARISSA, nomen multarum civitatum. Steph. duas Cretæ *Lariſſas* facere videtur, item duas Theſſaliæ, unam quæ *Lariſſa Penſilis* dicta eſt in Phthiotide, Item *Cremaſte*: prope Maliacum ſinum, in colle, 18. mill. à Thebis Phthiotidis in Mer. 32. à Demetriade in Circ. uti & à Pagaſis. *Larizo* Sophiano. Alteram ad Peneum in Maced. confin. quæ Archiepiſcopal. & Patria Achillis. Virg. *Æn. l.* XI *v.* 404. Lucan. *Civ. Bell. l.* 6. *v.* 355. Nunc *Larizza*, in Pelaſgiotide regiuncula. 28. mill. à Sinu Thermaico in Occ. 15. à Pharſalo in Bor. Etiamnum ampla eſt ſub Turcis: quorum Imp. ibi per aliquot menſes commoratus eſt, dum à ſuis Candia obſideretur. Alia eſt, cujus Hom. meminit, quam Λαρίσσαν ἐριβώλακα vocat. Sed quædam ſit Homerica illa Lariſſa, ambigitur, teſte Geographo *l.* 8. Qui verò de Theſſaliæ Lariſſa accipiunt, Horatii locum inferius producendum, eo refelli videntur, quòd ſuperiùs dixerit *Theſſala Tempe*. Alia Æolidis juxta Cumam, alia Syriæ, Epiſcopal. ſub Archiep. Apameenſi, *Laris* Itin. Antonini, alia Lidiæ. Item fluv. in Peloponneſo. Eſt & parva reg. in Oſſa. Strabo vicum Epheſi eſſe ſcribit, ubi Apollo *Lariſſenus* colebatur. Alioqui à *Lariſſa* ſit *Lariſſæus*. Ut *Lariſſæus Ulyſſes* apud Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 197. & *l.* XI. *v.* 404. Horat. *Carm. l.* 1. *Ode* 7. *v.* 10.

Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Lariſſæ *percuſſit campus opimæ.*

P. Mela *l.* 2. *c.* 33. *Lariſſa potens* Lucano ut ſuprà. Apud eund. *l.* 7. Pompejo omne auxilium profugo offert, *v.* 712. *Mœnia Lariſſæa* Catullo *Carm.* 64. *v.* 36. & Plin. *l.* 4. *c.* 8. *l.* 5. *c.* 30. & *l.* 6. *c.* 28. *Nic. Lloyd.*

LARISSA, nomen arcis ſ. ἀκροπόλεως Argivorum, Steph à Danao condita. Sicut enim Cecrops Cecropiam, Cadmus Cadmejam, *ita Danaus Argivorum* Ἀκρόπολιν *condidiſſe perhibetur*, Strabo *l.* 9. *p.* 430. & *l.* 13. *p.* 604. Ex hac, cùm Lynceus è Lyrcea opp. (quò cædem generorum Danai evadens ſe receperat) face ſignum dediſſet uxori Hypermneſtræ, illa viciſſim facem extulit. Unde *Facularum feſtum* Argivis poſtea ſolenne, Pauſ. *l.* 2. Vide Joh. Marsham. *Canone Chron. Sec.* XV. ubi *de Danao*

LARISSUS, fluv. Peloponneſi, agrum Elæum à Dymæo ſecernens, Liv. *l.* 27. *c.* 33. Pauſ. ſcribit, illum Achæos ab Elæis ſeparare. Plin. *l.* 3. *c.* 19.

LARIUS Lacus totius Italiæ ampliſſimus, quem à Como vicino opp. nonnulli appellant *Comenſem*. Sic dictus à fulicarum multitudine, quos Græci λάρους vocant. Hodie *Lago di Como* Italis, *Lac de Come* Gallis, Germ. *Cumer See*. Quem elegantiſſimè deſcripſit integro libello P. Jov. Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 159.

Anne lacus tantos: te Lari *maxime.*

Lege Plin. *l.* 2. *c.* 103. *l.* 9. *c.* 18. & *l.* 10. *c.* 29. qui etiam *l.* 3. *c.* 19. *inclytum* vocat. Hujus lacûs effuſæ laudes *in Ep.* alterius Plin. *l.* 2. Baudr. longus eſt tantùm ad 30. mill. nempe à Como, ad Summolacum, & 28. à Summolaco ad Adduæ flum. egreſſum, ac à Lecco opp. Comum uſque in adverſa ripa ſunt 35. mill. Hinc ejus ambitus per varios fluxus vix eſt 100. mill. Lacus eſt Duc. Mediol. versùs Bor. & Rhætos. Vocem Hetruſcâ linguâ *Principem* ſonare, inque hujus faucibus Volturenam eximiam civ. extructam fuiſſe, à Tyrrhenis Hetruriæ pop. Sprecher. *Pall. Rhæt. l.* 10 aliique referunt.

LARIX, arbor eſt, *cujus folium, cortex, reſina, ſpongia, oleum & aqua, Medicis feliciter famulantur, inprimis pilulæ ex agarico & agaricus trochiſcatus (ſpongia iſta ipſa) in diſſolvendo & evacuando. Formicæ congerunt lachrymulas & radicum & arboris in ſuas caveas, undè ſuffumigia fiunt laudatiſſima, vel ipſo thure gratiora. Sic & nobis Libanus fuerit thurifera & cedrus*, Autor Anon. *Sinæ & Eur. c.* 35. Cæterùm Plin. *l.* 6. *c.* 10. *nec ardet, nec carbonem facit, nec alio modo ignis vi conſumitur ---- picea magis alta, craſſiore læviorequc cortice, folio villoſior, pinguior & denſior, molliorque flexu*, cui inter arbores quoque, quæ cariem vetuſtatemque non ſentiunt, recenſetur, *c.* 40. ut & inter eas, quæ pondus validè ſuſtinent, *c.* 42. Altitudinem ejus quod attinet, idem alibi *ſub Tiberii principatu viſam Romæ laricis trabem, longam pedes viginti ſupra centum, bipedali craſſitie æquali*, refert. Vide plura de hac arbore, apud eund. *l.* 14. *c.* 16. *l.* 16. *c.* 18. 25. & 39. &c.

LARNOS, Inſ. parva, & deſerta maris Ægæi, circa Thraciæ Cherſoneſum. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

LARNUM, fluv. Hiſp. Tarr. ex Pyrenæis fluens. Plin. *l.* 3. *c.* 3. *Larno*. Hujus accolæ *Larnenſes*.

LARO, Tuſciæ amnis, *Laro*, ſ. *Laurus* aliis, *Larono* Leandro. Nunc *Arone*, in mare Tyrrh. ſe exonerat, inter Alſium & Fregenas, vix 15. mill. Româ, versùs Occ.

LARS Tolumnius, Rex Vejentum, Fidenates in partes ſuas, contra Rom. pertraxit, prælio à Mamerto Æmilio Dictatore, A. 327. U. C. victus, & à C. Coſſo Occiſus. Liv. *l.* 4. *c.* 17. & 19.

LARTA, urbs Epiri, olim *Ambracia*.

LARTHENIANUM, Hetruriæ opp. Vejis urb. exciſæ propinquum. Nunc *Martignano*, caſtrum Hetruriæ, aliàs Sabatiæ reg. In prov. Patrimonii, 16. mill. à Roma in Occ. 2. à Lacu Sabatino in Ort. inter duos lacus parvos, *Lago di Martignano & di Stracciacappe. Baudr.*

LARTIUS, cogn. *Flavus*, ſecundùm Coſ. cum Clœlio, ſeditionem ab egenis Romæ excitatam, A. 256. U. C. ſedavit: Primus Dictator à collega creatus, Magiſtrum Equitum ſibi aſcivit, Spurium Caſſium, qui juſſa ſtrenuè expediret. Liv. *l.* 2. *c.* 18.

LARTIUS, prænomine *Spurius*, Coſ. cum T. Herminio, A. U. C. 248. tertio poſt exactos Reges. Ejus cogn. *Flavus*, frater T. Lartii primi Dictatoris. Vide ſuprà.

LARTIUS, vide & *Largius*.

LARTOLÆTANI, Hiſp. Tarrac. pop. Strabo *l.* 3. *p.* 159.

LARVATI, & *Cerriti*, junguntur apud Aldhelmum *de Laud. Virg. c. ult.* ubi *de Anatolia*, *Exorata enim fil. Conſ. energumenum, rigidis caternarum nexibus adſtrictum, expulſo habitatore, dicto citiùs curavit, quo rumore clareſcente &* larvatos *& comitiales & cerritos valetudinis priſtinæ ſanitati reſtituit.* Sic Plaut. *in Menæchm. Act.* 5. *Sc.* 4. Initio.

Quid eſſe illi morbi dixeras? narra ſenex,
Num larvatus *aut* cerritus?

Vide Joh. Frid. Gronov. *Obſerv. in Eccleſ. Script. c.* 8. & de voce *Larva*, ubi de *Laribus*; it. infrà *Maſquæ, Mimus; Perſona; Vultus.*

LARVATUM Funus, dicebatur apud Antiquos, cùm cadavera ipſa ruinâ ædium detrita, vel alio caſu mutilata, propter deformitatem publicè oculis expoſita efferri ad funus non potuêrunt: ſed loco eorum vel *larvæ* quædam, quæ eorum faciem repræſentarent vel planè involuta & veſtibus tecta, vide Camerarium *Horis Subciſ. l.* 2. *c.* 96. Ita Plin. ſcribit, Scipionem Æmilianum obvoluto capite

elatum, ne livor vel tumor in ore appareret. Et Neronem, cùm videret Britannici fratris corpus, propter venenum, quo eum peremerat, livore decoloratum, curaviſſe ut gypſo oblineretur, & poſtero die raptim *larvato funere* efferretur: gypſum verò ingruente pluviâ defluxiſſe, ut ita nefarium ſcelus omnium oculis exponeretur, tradit *in Nerone* Dion. Aliàs cadavera honeſtiſſimis in veſtibus ſepeliri ſolita notum, & diximus ſuo loco.

LARUNDA, pro *Laranda*, vide *Lara*.

LARUNESIÆ, maris Africi inſ. Ptol. *Mollicolno* Fazello, contrà Rhuſpinam urb. maritimam Africæ, haud multùm à prom. Mercurii in Ort. diſtantes.

LARUS, an ex λαρὸς, ob ſuavitatem guſtûs, quaſi λίαν ἀρεςὸς τῇ ψυχῇ; an à λάλος, ob garrulitatem, *clamoſus* enim eſt; an quaſi λακερὸς, à *vocandi* impetu? Hebr. שחף *ſachaph* dicitur, à *tabe*. Nulla enim *eſt avis molis ratione tam levis. Cum enim ſit gallina craſſior, non habet tantum carnis, quantum coturnix*, Bellon. *l.* 3. *c.* 13. Quòd in ceppho maximè deprehenditur, *lari* ſpecie leviſſimâ quæque plumæ plurimum, ſed carnis minimum habet. Ariſtoph. Schol. *in Pace, Edit. in Fol. p.* 703. Εὐήθες ζῶον ὁ κέπφος — ἐκ τῆς θαλάττης ζῆν αὐτὸν λέγουσιν, ἐσθίοντα τὸν ἀφρὸν· εἶναι δὲ αὐτὸν πολὺ μὲν ἐν τοῖς πτεροῖς, ὀλίγον δὲ ἐν τοῖς κρέασι, *Cepphus eſt animal ſtolidum — Eum autem ajunt ex mari vivere, ſpumam edentem, & plumarum quidem multum habere, ſed parùm carnium.* Hinc incautus juvenis, adulteram dicitur ſequi κεπφωθεὶς, *cepphi inſtar*; qui non tantùm ad omnem ventum leviter circumagitur, ſed & facilè decipitur ac ineſcatur. Eum enim fluctibus ſupernatantem, ſpumâ oblatâ, nullo negotio ad ſe allicere atque injectâ manu capere, piſcatorum filios, tradit Scholiaſtes præfatus *in Pluto*. Vide quoque Philoſophum *Hiſt. Anim. l.* 9. *c.* 35. Nicandrum *Alexipharm. v.* 165. Heſych. Suid. Etymologum, alios. Undè κέπφος adjectivè, apud Ariſtophanem priori loco,

> Καὶ κέπφοι τρήρωνες ——
> *Et cepphi turtures.* ——

i. e. ſtulti ac ſimplices. Et poſter. Ὦ κέπφε, *ô fatue!* Cæterùm inter immundas aves, etiam hæc recenſetur, Lev. *c.* 11. *v.* 16. ubi *aſalonem* habet Junius, ſed *larum*, vel ſaltem lari ſpeciem *cepphum*, ibi intelligendam, docet Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poſt. l. II. c.* 8.

LARUS, mons & fluv. Italiæ. *Phavorin.*

LARYMNA, opp. Bœotiæ ad Cephiſum fluv. Plin. *l.* 4. *c.* 7. & *l.* 5. *c.* 28. Strabo *l.* 9. *p.* 405. & 406. P. Mela *l.* 1. *c.* 16. Achajæ, è regione Eubœæ, Pomp. Locridis etiam, quam ſuperiorem dicit; in ora Locrorum Epicnemidiorum, Theſſaliæ, Iſacius *in Lycophr.*

LARYSIUS, Laconiæ mons. *Pauſ.*

LAS, Laconum urbs. Lycophron *in Caſſandra*: Καὶ Λᾶν περήσας, ubi Schol. Λᾶν, πόλιν Λακεδαίμονος, ἣν Ὅμηρος Λάαν φησί. Pauſ. inter Eleutherolaconum urbes ponit, poſteaque 10. ſtad. abfuiſſe à mari dicit. *Laſa* vulgò. Vide *La.*

LASA, civ. quæ Hier. *in Hebr. Qu. Callirhöe* dicitur, à plurimis fontibus, calidis & frigidis, qui dulces & amari, præter vim medicam, & potu ſunt jucundi. In tribu Ruben. Gen. *c.* 10. *v.* 19.

LASÆA, urbis nomen. Act. *c.* 27. *v.* 8. an inſ. in Creta? Plin. *l.* 4. *c.* 12. & *l.* 5. *c.* 31.

LASANUM, vide *Trulla.*

LASCARIS, vir Græcus, apprimè doctus, curâ Franciſci I. Francorum Regis literas Græcas attulit Pariſios. Vide & *Jacobus*: it. *Johannes.* Theodorus *Laſcaris*, Imp. Græcus. Vide *Theodorus*: Item regio, in conf. Galliæ & Italiæ, prope Nicæam.

LASCARIUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

LASCIVIA, ludentium eſt, Philoxen. *in Gloſſ. Laſcivi*, ἀτελεῖς. *Laſcivia, ludentium.* Sic *laſciviterque ludunt*, dixit Lævius *Erotopægnion* VI. citante Cariſio, l. 2. Et *laſcivum voluptuoſum & deſidioſum*, interpretatur Serv. *ad Eclog.* 2. Diſſoluta ſc. illa animi διάθεσις, quâ animi gratiâ, nullo certo ſcopo propoſito, ſed planè μάτην aliquid agitur, ſæpiuſque in rebus malis luditur. Tac. *Hiſt. l.* 3. *c.* 33. ubi miſeram Cremonenſium deſcribit ſortem, *Faces in manibus: quas, ubi prædam egeſſerant, vacuas domos & inania templa, per* laſciviam *jaculabantur.* Talis eſt *laſcivia* petulantium juvenum, noctu vagantium bacchantiumque: apud vett. Hiſtoricos, Neronis, Veri, Commodi, aliorum, noctu vagari & cum triconibus rixas commiſcere ſolitorum; Amaſis item Ægyptii, quam, primis diei horis, rebus ſeriis vacâſſe, poſtea genio indulſiſſe & cavillis ac Laſciviâ oblectâſſe ait Herod. *l.* 2. *c.* 172. 173. & 174. quam quidem proterviam qui excuſare volunt, *Ludum* appellant, Græci παιδίαν, quod in *Alcibiade* obſervat Plutarch. ait, qui rem dicunt, ἀσέλγειαν. Vide Deſid. Herald. *ad Arnob. l.* 5. Propriè verò puerorum. Scholiaſtes Statii *Theb. l.* 5. *v.* 612. ad illud,

> ----- *modò quem digreſſa reliqui*
> Laſcivum, *& prono vexantem gramina curſu?*

Lacivientem, inquit, *& ludentem puerili more*: Originem ſimul vocis aperiens; quemadmodum & in optimo libro hoc loco *Lacivum* ſcriptum eſſe, Barthius notat. Horat. *Serm. l.* 1. *Sat.* 3. *v.* 133.

> Laſcivi pueri *vellunt tibi barbam.*

Ubi Epicureos intelligi, per contemptum extremum ſic à Stoicis vocatos, obſervat vetus Commentator &c. Inde vox latiùs extenſa, ad amores inprimis, & mele ſ. odas, quibus amatorias curas captare Vett. conſuevêre. Cujuſmodi μέτρον ἀκόλαστον, *metrum laſcivum*, primum ajunt excogitâſſe Alcmana; alii Ametorem Eleutherneum, cujus propterea poſteri *Ametores* itidem dicti. Certè in hoc genere plurima fuit Sappho, Anacreon, alii. Jul. Cæſ. Scalig. *poet. l.* 1. *c.* 44. &c. Inter Numina Gentilium *Laſciviam* habes, apud Gregor. Naz. *Orat.* 2. *de Theol.*

LASCORIA, Galatiæ urbs. Ptol. *Elice* apud Anton. uti credit *Ger. Merc.*

LASCURA, urbs eſt Beneatniæ, Epiſcopal. ſub Archiep. Auſcenſi ad Gabarum fluv. 1. leuc. infra Palum, 8. à Tarba in Occ. ferè 5. ab Elorone in Eur. 17. à Bajona in Ort. Vulgò *Leſcar.* Vett. *Beanerſium civ.* Itin. Ant. *Beneharnum.* In not. Imp. Honorii *Benarnenſium urbs*, Greg. Tur. *Bernanus.* Sed hoc nomen propriè urbis priſcæ, à Normannis deſtructæ, A. C. 845. & reparatæ à Ducibus Aquitaniæ, A. C. 980. in colle irriguo. Bellis civilibus multa paſſa. Oihenart. *in not. utr. Vaſconiæ*, Marca *Hiſt. Bearn.* &c.

LASENA Petrus, vide *Petrus.*

LASER, in condimentis Vett. multi uſûs. Apicii *Excerpta*, *In brevi pigmentorum, quæ in domo eſſe debent, ut condimentis nihil deſit*, recenſentur *crocum, piper, zingiber*, laſar, *folium, bacca murtæ, coſtum, caryophyllum.* Et paulo infra, *de ſiccis hoc laſaris radices menta, nepeta, ſalvia.* Et apud Eund. *porcellus laſeratus*, h. e. laſere conditus & *hædus laſeratus.* Græci σιλφιωτὰ dicunt. Diog. Laërt. *in Vita Polemonis*, ἦν ὧν ἀστεῖός τις καὶ γενναῖος, παρῃτημένος, ἅ φησιν Ἀρίστων, τὰ Εὐριπίδου, ὀξωτὰ καὶ σιλφιωτὰ, h. e. *orationem fucatam & jucundo ſapore conditam*, metaph. à ciborum condimentis deſumptâ &c. Inter varia autem *Laſeris*, vel *Laſerpicii* genera, Cyrenaicum, quod ſuaviſſimi odoris erat, præſtantiſſimum fuit: undè eſt, quòd *Laſerpicii* caulem in nummis ſuis incudendum ab antiquo curaverint Cyrenenſes. Namque &, quamdiu nomen Battiadarum Cyrenis regnavit, nummos eâ formâ percuſſos habuiſſe videntur, qui ab uno latere Batti imaginem, ab altero Cyrenas regnum & *Silphium* (cujus lac ac ſuccus laſerpicium eſt) Batto offerentes præferebant; unde Prov. τὸ Βάττου σίλφιον: & poſt extinctam Battiadarum familiam, in ſuis nummis caulem ſilphii deinceps & Hammonis effigiem inſculpsêrunt; cujuſmodi nummum argenteum exhibet Salmaſ. infra laudandus. Et quia impenſo pretio apud illos vænire ſolebat, ut in alias regiones inde efferretur, memorat Arrian. Cyrenenſes quàm longiſſimè à laſerpicifera regione, quæ 30. mill. paſs. lata & 250. longa erat, pecus abigere conſueviſſe, quoſdam etiam circumſepiiſſe locum, ne pecus (hujus plantæ valdè appetens) intrare poſſet. At jam tempore Plin. nullum amplius Cyrenaicum *laſer* inveniebatur, qui unum ſolùm memoriâ ſuâ caulem repertum, Neroni Principi miſſum eſſe, addit. Nempe Publicani, qui paſcua conducebant, pecus inigebant in σιλφιοφόρον totamque eam vaſtabant pabulo pecorum, quoniam majus lucrum percipiebant ex pecoribus *laſerpicio* ſaginandis, quàm ſi id colligendum ad uſum menſarum &c. medelarum conduxiſſent. Aliam cauſam hujus rei Strabo adducit, qui à Nomadibus vaſtitatem his agris, ab Heſperidibus oppido, quod in extimo cornu Syrtis ſitum erat, circa Syrtim omnem ſeſe extendentibus, illatam refert *l.* 17. Ὁμορεῖ δὲ τῇ Κυρηναίᾳ ἡ τὸ σίλφιον φέρουσα, καὶ τὸν ὀπὸν τὸν Κυρηναϊκόν, ὃν ἐκφέρει τὸ σίλφιον ὀπισθέν· ἐγγὺς δὲ ἦλθε τοῦ ἐκλιπεῖν ἐπελθόντων τῶν βαρβάρων κατ' ἔχθραν τινὰ καὶ φθειράντων τὰς ῥίζας τοῦ φυτοῦ· εἰσὶ δὲ Νομάδες. A quo tempore, extincto Cyrenaico, ex Perſide, Media & Armenia, *Laſer* advehi cœpit &c. Quam in rem plura ſi placet, vide apud Salmaſ. *ad Solin. paſſim, imprimis p.* 352. *& ſeqq.*

LASIA, vide *Lesbos.*

LASICE, urbs Africæ propr. Ptol. an *Elice*, *Ant.*

LASIO, Peloponneſi urbs, de qua contentio inter Arcades & Eleos. Triphyliæ regionis eſt, Diod. Sic. *l.* 5. ſed geminato S.

LASOS, Cretæ mediterranea urbs. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

LASSA, vulgò LASA, vel LAAS, regnum Tartariæ, ſub regno Tenduci; *Barantola* Tart. *Kirch.*

LASSATINI, aliàs *Aſſaſini*, *Arſacides*, *Chaſii*, *Cultelliferi*, execranda apud Turcas Secta, carnificio Principum & virorum illuſtrium deſtinata. Inſtitutos ferunt ante An. 600. ab Alaodim quodam, & in provinciis Tyri ac Phœniciæ, (ubi olim Epiſcopatus Antaradenſis) montes habitare: numero (ætate Henr. III. Angl. Regis) 40000. vel amplius, decemque munita & ſplendida caſtella cum ſuburbanis poſſidere. Sectæ Principem *Senem*, vel *Veterem de Monte* vocant, quem, ut Patrem, Prophetam & Mahumetis Vicarium colunt, ſibique præficiunt, meritorum præſtantiâ cooptatum. Sedes ejus Muletæ, qui locus proin omnino ſacer: multos ſub ſe Rectores habet, ſ. Tribunos, per caſtella cætera miniſtrantes. Sceleratæ hujus Sectæ, inter alia, hæc ſunt inſtituta: Legem Mahumeticam enixiſſimè colunt; Eo ſubjectionis & obedientiæ ſe adſtringunt vinculo, ut nihil tam arduum horrendumque ſit, quod juſſi à Magiſtro non alacres aggrediantur: ſic ut ex nutu ejus de rupibus etiam ſe præcipites dent, in enſes ruant, ignem perferant. Principes, quos odioſos habent, aut genti ſuæ ſuſpectos, datâ uni de his ſicâ vel pluribus; nullâ habitâ aut exitûs, aut ſupplicii ratione, anxiè circumeunt, donec imperatum ſibi homicidium peregerint. Sic Conradus Imp. ſic Reimundus Comes Tripolitanus bellicoſiſſimus, ſic Eduardus fil. Angliæ Regis A. C. 1271. & plurimi alii ſummi viri ſublati ſunt. Qui Principem talem occiderit, ſecundum à Mahumete locum in Paradiſo obtinere credunt. Fortiter occumbentes, Paradiſum ajunt protinus involare: deſides & domi morientes illuc demum, ſed multis tritos ſuppliciis pervenire. Vide Matth. Pariſ. *ad A. C.* 1150. Nicet. Choniat. *l.* 2. *initio*, Gul. Tyrium *de Bello Sacro, l.* 10. *c.* 31. Alios. Refert quidem Matthæus Pariſienſis, ſub fin. A. C. 1257. perditiſſimum hoc hominum genus, à Tartaris fuiſſe deletum; ſed poſthumum reperitur apud ſequentes Hiſtoricos, ut vel ex Eduardi exemplo retro memorato, è Walſinghamio *in Hypodigm. Neuſtriæ*, patet. Hujuſmodi autem homicidium *Aſſaſinium* dicitur, hincque in genere *Aſſaſini* hodie vocantur, qui Principes viroſque illuſtres mercede jugulant. Henr. Spelmann. *in Gloſſ. Arch.*

LASSI, apud Saxones olim ſervi dicti: horum enim gentem in tres ordines, *Edelingos*, i. e. Nobiles; Frilingos i. e. Ingenuos & *Laſſos* i. e. Servos, diviſam fuiſſe, Nithard. refert *l.* 4. At apud Stat. *Theb. l.* 1. *v.* 331.

> ----- *quà molle ſedens in plana Cithæron*
> *Porrigitur*, Laſſumque *inclinat ad æthera montem*:

mons eleganter *laſſus* dicitur *qui in aliquam partem devexus amiſit in excelſa vires creſcendi*, ut habet Lutatius *ad l.* Quo pacto verò itinerantium *laſſitudinem* ſublevare ſoliti ſint Vett. dicemus alibi. Vide aliquid in vocibus *Hydreuma*, *Manſio*, *Raſta*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LASSIA, inſ. in mari Ægæo. Plin. *l.* 5. *c.* 12. & 31. aliter *Andros*, Vide *ibi*.

LASSIO, Cretæ mons, ubi Hiobi ſepulcrum. *Epiph.*

LASSIPPA, Indiæ ult. urbs, Ptol. *Laſippa. Interp.*

LASSIRA, opp. alias Edetanorum, nunc *Sarione*, vicus Arragoniæ, 5. leuc. à Terulo Segobrigam verſus, à qua pari ſpatio diſtat, prope Turulim fluv.

LASSUS Orlandus, vide *Orlandus*.

LASTHENES & EUTHYCRATES, Olynthi præfecti, ab Phil. Macedone pecuniâ corrupti urbem Regi prodidêrunt, quam diu nequicquam obſederat at oppugnârat, Olympiad. 108. An. 1.

LASTHENIA, mulieris nomen, quam Platone præceptore uſam teſtatur Plutarch. ornatuque virili auditorium ingreſſam ſcribit Diog. Laërt. *l.* 3. *in Plat.* & 4. *in Speuſippo*.

LASTHENIS, nomen viri. 1. Macch. *c.* 11. *v.* 32.

LASTIGI, Hiſp. Bæticæ opp. Plin. *l.* 3. *c.* 1.

LASTUM, vox Saxonica itidem, Angl. *à Lathe*, portionem Comitatûs majorem, tres vel plures hundredos continentem, denotans. Autor Elfredus Rex, quem *Hundred & Leſtes* conſtituiſſe, refert Vilh. Thorn apud C. du Freſne *in Gloſſ.*

LASUS, Poëta celebris Græcus, Hermioneus Muſicus inſignis & Simonidi ἀυλητεχνος, Charbini fil. ex urbe Achaja, temporibus Hipparchi Piſiſtratidæ ſecundùm Olympiada 58. cùm Darius regnaret, Hyſtaſpi fil. Primus hic fertur Cyclicos inſtituiſſe choros & rythmis in Dithyrambicum morem inflexis Muſicam reddidiſſe auctiorem, teſte Plutarcho de Muſica. In Avium fabula dicitur ab Ariſtophane κυκλιοδιδάσκαλος. Vir fuit acris & alti ingenii. Fuit aleæ deditus. Narrat enim Plutarch. in libro περὶ δυσωπίας, invitatum à Laſo Hermioneo Xenophanem, ut aleâ ſecum luderet, & quòd recusâſſet, timiditatis dicterio correptum. At Xenophanes meticuloſum omninò & timidum faſſus eſt ſe eſſe in rebus indecoris atque inhoneſtis. Vide Scholia *in Ariſtoph. Crabron.* 531. & 532. *in Aves.* Cæterùm tanti æſtimatus, ut loco Periandri, inter 7. Sapientes reponeretur. Theon Smyrn. *l.* 2. *Matt. c.* 12. Diog. Laërt. *l.* 1. Athen. *l.* 8. *p.* 338. Herod. *l.* 7. *c.* 6. Voſſ. *de Poët. Gr. c.* 4. *de Scient. Mathem. c.* 20. §. 6. & *c.* 59. §. 1. Item Magneſius, ibidem poëta Græcus.

LATAGUS, unus ex Ponticis Regibus, qui Æetæ Colchorum Regi contrà Perſen auxilio venêrunt. V. Flacc. *Argon. l.* 5. *v.* 584. Occiſus à Darape in prælio *l.* 6. *v.* 577.

LATAMEDA, fluv. Indiæ extra Gangem. *Ptol.*

LATANIA, Bithyniæ opp. *Ptol.*

LATARA, caſtellum in Gall. Narbon. in agro Nemauſenſi. *Lates* teſte Joh. Poldo. Inter Ledum fluv. ac Meſuam ponit Mela: poſtea truncato nomine *Latæ* dictum. Hoc Maria filia Gulielmi Domini Montiſpeſſulani, Petro Arragon. Regi & Barcinonenſium Comiti inter alia, in dotem attulit, A. C. 1204. Rogerius Hovedenius portum Montiſpeſſulani eſſe ait. Baudr. *Latte*, vicus Occitaniæ, juxtà ſtagnum Magalonenſe, hinc *l'Eſtang de Latte*. Vix mill. paſs. à Monteſpeſsulano in Auſtr. 4. ab ora ſinus Leonici. Valeſ. nunc caſtelli ruinæ cernuntur ad Ledum fluv. prope Montiſpeſſulanum: vulgò *le Chaſteau de Lates*, aut *la tour de Late*: Hodieque Montiſpeſſulanus portam habet Latarenſem *la porte des Lates*. Alio nomine *caſtrum Paludis* quoque à ſitu dictum eſt. Ledus enim *le Lez*, poſtquam Lataram alluit, in ſtagnum effluit maritimum, maximum latiſſimumque, quod *ſtagnum Laternam* Plin. *Tauram paludem* Avien. Gall. *l'eſtang du Tau*, aliàs à vico Perotio proximo *l'eſtang du Perez* vocant. In hoc cum homine delphinos ſocietate mugiles piſcari, Plin. *l.* 9. *c.* 9. autor eſt: & certè ſtagnum hodieque mugiles fert plurimos optimosque, piſcium laudatiſſimis annumerandos. In illud effluit præter Ledum amniculus Nemauſenſis *le Viſtre*, item Vitturlus *la Bidourle*, & Barangius fluviolus *Berange*, partimque Nemauſenſi agro, partim Magalonenſi attribuitur. *Latara* verò Magalonenſis diœceſeos eſt, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* P. Mela *l.* 2. *c.* 5.

LATEA ſ. LATTHA, Arab. Fel. opp.

LATERANENSIS Obeliſcus, à proxima *Lateranenſi* Baſilica Romæ, nomen accepit. Autor ejus fuit Rameſſes, Sothis fil. Rex Ægypti, qui, poſtquam complures magnificentiâ ſummâ extrui curâſſet, neque tamen ullus genio ejus reſpondiſſet; hunc demum & mole & myſteriis reliquis omnibus auguſtiorem erigi fecit, in cujus fabrica 20. hominum millia deſudâſſe, Plin. ſcribit. Quoniam verò periculi plena res erat, eum in ſublime erigere, ſummo in apice proprium fil. alligari juſſit, ut vel ſic conſervandi pueri Regii causâ attentiores redderet Architectos. Erectus autem fuit Thebis, in Templo Solis, cui conſecratus perſtitit, uſque ad A. C. 334. quo Conſtantius Imp. fil. Conſtantini Mag. ne quid CPoli. ſ. Novæ Romæ majeſtatis deeſſet, in tota Ægypto obeliſcos diligenter conquiri juſſit. Tum enim repertus Thebis Obeliſcus hic, quem ſolum Cambyſis ira, cùm impunè cæteros per urbem abſumerent incendia, quaſi molis hujus reverentiâ attoniti, indemnem voluit. Hunc itaque loco ſuo motum devehi Alexandriam juſſit Imp. ubi cùm aliquandiu ingloriùs jacuiſſe, Defuncto interea Conſtantio: poſtea hujus fil. cognominis indè Romam deferri & in circo Maximo ſtatui curavit. In quo loco manſit inconcuſsus, donec, graſſante Romæ maximè furore Gothico, collapſus eſt: ubi jacuit uſque ad Sixti V. Pontif. tempora, qui acceptis indiciis funditùs ſubrutum reperit, repertumque extrahi & in campo Lateranenſi, ubi hodie viſitur, erigi juſſit, vide Georg. de Sepib. *in Collegii Rom. S. J. Muſeo p.* 11. & 12.

LATERANENSIS Palatii Comites, vide infrà *Palatii Comites*.

LATERANUM, Baſilica prim. Romæ. Nuper reſtaurata ab Innoc. X. Palatium ei Lateranum adjacet, de novo extructum à Sixto V. Eſt in monte Cœlio, juxta portam Cœlimontanam. Ibi 5. Concilia A. C. 1123. 1139. 1179. 1215. & 1513. uſque ad A. C. 1517. *S. Jean de Latran*, Gall. Hiſtoria Conciliorum Lateranenſium breviter hæc eſt. *Primum*, ſub Calixto II. habitum eſt, A. C. 1123. Ubi actum de Inveſtitura beneficiorum, contra Henr. IV. Imp. De bello, contrà Saracenos, poſt victum Balduin. II. Hieroſol. Regem. De cælibatu Clericis obtrudendo, &c. Aderant 300. Epp. V. T. X. *Conc.* &c. *Secundum* ab Innoc. II. contrà Anacletum II. Antipapam, Arnoldum Brixienſem, diſcip. Abaillardi, & corruptiſſimos Cleri mores. *Tertium*, ab Alex. III. contra Frid. I. qui Victorem IV. Paſchalem III. & Calixtum III. Antipapas creaverat & Albigenſes, quos rapinis & laniенæ expoſuit, A. C. 1179. *Quartum*, ab Innoc. III. A. C. 1215. ob ingentem numerum *Magnum* dictum contrà Albigenſes iterum, Almericum, Theologum Galliæ inſignem, & Joachimum Abbatem, qui in Apocalypſis expoſitione, Antichriſtum jam natum eſſe Romæ, & in ſede Apoſtolica ſublimandum aſſeruerat: celebratum eſt. Hîc Transſubſtantiatio, Inquiſitio, &c. ſtabilita. *Quintum* A. C. 1512. ſub Leone X. cui Religio Chriſtiana fabula erat, Conc. Piſano oppoſitum fuit Præter, hæc quædam alia minoris momenti, diverſis temporibus ibidem habita ſunt, de quibus omnibus vide Morer. *in Dict. Hiſt.*

LATERANUS, Deus focorum creditus, & Genius, adauctus hoc nomine, ut prodit Arnob. quòd ex laterculis crudis antiquiſs. aut ex quacunque materia focos fabricarent.

LATERANUS, patricius Rom. qui latere frequens in otio ſolebat. Hic Coſ. deſignatus, juſſu Neronis Interfectus eſt. Ædes ejus ampliſſimæ datæ fuêrunt à Conſtantino Imp. Pontifici Rom. Hodie *Lateranum*, templum in urbe Roma cum ædibus Pontificis in Cœlio monte ad portam Latinam. Ferrar. Baudr. ejus Ep. ſe inſcribit Pontifex. Magnificentiſſimè reparatum eſt ab Innoc. X. Prope eſt palatium *Lateranum*, de quo vide ſuprà in voce *Lateranum*. Prudent. *Symmach. l.* 1. *v.* 585. & 587.

Cœtibus aut magnis Lateranas *currit ad* ædes.

LATERCULUM, codex eſt in quo civilium & militarium dignitatum adminiſtrationumque ratio; Item mandatorum Principalium & promotionum & conſuetudinum notitia perſcripta eſt: ſic dictum, quòd in eo *laterent* arcana, ut volunt quidam. Undè etiam Græci *ad l.* 5. *C. qui mil. poſſ. l. ult. Cod. de off. Mag. offic.* ὀικειακὸν videntur interpretari. Alii tamen dictum volunt, quaſi πλινθίον, i. e. *quadrum*, quòd ſacri *Laterculi* fuerint ſcrinia quatuor, ut conſtat ex *Nov.* 8. Duplex autem memoratur *Laterculum*: *Majus*, quòd penès Principem erat, ſub cura Primicerii Notariorum, *l.* 1. *Cod. de Offic. Præf. Præt. Afr.* & *Minus*, quod ſub cura & ſolicitudine Quæſtoris erat, *lege* 1. & 2. *Cod. de offic. Quæſtor.* Memoratur *Laterculi ſcrinium ſacrum*, in *l. ult. Cod. de Offic. Magiſtr. Offic.* Et hoc ſenſu Tertullian. *adv. Valent. Ex eorum laterculo*, inquit, *i. e. ex eorum albo, & in Reges & in Sacerdotes allegare conſuevêrunt.* Teſtatur etiam Cujacius, habere ſe librum Victoris de ratione Paſchali, in cujus extremo per Indicem Conſulum dies Paſchalis ſubnotetur, isque Index *Laterculus Paſchalis* inſcribatur, quem Sigebertus Theophilo Alexandrino tribuit. Vide Joh. Calvin. *Lexic. Jur.* ubi quoque *Laterculi* nomine, cameram venire deſtinatam theſauro Principis accipiendo, adnotat, ex *gl. in l.* 1. *C. de Offic. Quæſt.* In Eccl. Rom. *Laterculus* vocatur tabella, in qua feſta mobilia adnotantur, ut illa ſunt in *Breviario* appoſita, Conc. Aurel. IV. *can.* 1. *Ut ſanctum Paſcha, ſecundum* laterculum *Victoris ab omnibus Sacerdotibus uno tempore celebretur*, apud Dom. Macr. *in Hierol.*

LATERE volentes, vide infrà *Palliolum*.

A LATERE Legati, ſ. *Apoſtolici*, dicuntur in Communione Rom. delegati à Pontifice in provincias cum ampliſſima autoritate, quæ tanta eſt, ut toto legationis tempore ii non ſecus, ac ipſe Pontifex, honorentur & ſupremâ in rebus Eccleſiaſticis poteſtate gaudeant, atque ad Pontificiam ſedem factas appellationes ipſi judicent, ut eſt in *c.* 1. *extr. de offic. Legati.* Vide Petr. Morin. *Exercit. l.* 1. *c.* 20. Sic dicti, quod *lateri* Pontificis hæreant, & ex ejus ſint fam. Quo ſenſu Monachus Sangall. *l.* 2. *c.* 9. *Tunc*, inquit, *ex latere Cæſaris directi ſunt, qui eos honorificè introducerent.* Vide Juret. *ad Ep. Ivonis* 36. Idem verò *Legati Apoſtolici à latere* munus, Regibus etiam indultum eſſe à Pontificibus Rom. Rogerus Hovedenus docet A. C. 1164. ubi Henr. II. Regi Pontificem conceſſiſſe, *ut Legatus eſſet totius Angliæ*, hunc verò id tenuiſse, narrat. Vide C. du Freſne in voce *Legatus* & infrà in voce *Miſſus*: uti *de Comite à Latere*, ſuprà; de *Monitore à Latere* infrà, in voce *Monitor*: ut & de phraſi *Hærere lateri*, ſuo loco.

LATERES Crudi, quibus ædificia vulgò ſtruebantur, tam apud Græcos, quàm Rom. foci item: Vide ſuprà: at ex cocto *latere* ſtructi Babylonis muri. Quod *laterum* diſcrimen etiam Græci norunt, inter ὠμὴν πλίνθον & ὀπτὴν diſtinguentes; ſed & abſolutè πλίνθον quum nominant, de *latere crudo* intelligunt. Coquebantur nempe igne, qui hinc *cocti*; reliqui verò ſiccabantur ſolum ad Solem, hinc *ſiccati*, apud Plin. *l.* 35. *c.* 14. communiter *crudi*, appellati. Ut minimùm autem toto biennio expoſitos Soli eos habere ſolebant, ut ſicceſcerent, nec recentiùs ductos probabant. Uticenſes verò eo tantùm *latere*, qui ante quinquennium ductus eſset, in ſtructuris utebantur. Porrò tria erant apud Græcos vulgatiſſima ſtructurarum genera, *Latericia* ἡ ἀπὸ βησάλου; *Ordinaria*, ſimilis latericiæ, ſed ex lapide duro vel ſilice, quam ἐγχώρηγον vocat Conſtantinus, quòd in ordinem compoſita eſset ſtructura, ἐν χώρᾳ ſc. ſitis omnibus lateribus ſ. lapidibus; & *Tertia*, ex ſaxo quadrato, quam τετραπέδικον λίθον idem appellat. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1230. & *ſeqq.* ut & ſuprà in *Beſſale*, & *Ceramica porta*; ac infrà in voce *Pelargi*, ubi de *Laterariarum domuum* primis inventoribus. De *Laterum* verò *impoſitione*, ſervili apud Vett. pœnæ genere, infrà ibid. in voce *Servi* uti de *Laterum mille ex ſolido auro fuſorum dono*, à Cræſo olim, Delphico templo, facto, unde ara tota aurea, ὁλόχρυσος, facta, apud Herod. *l.* 1.

LATERIUM, Q. Cic. villa, in ipſius patria Arpino. Cic. Attico *l.* 4. & 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LATERNA, jam Veteribus multo in uſu fuit. Cùm enim *νυκτοπορίᾳ* plurimum illi uterentur, uti de Alex. Mag. Julio Cæſare, Aug. aliis, legimus, ad iter nocturnum faces primum adhibuêrunt lychnuchos è pelle, quæ vim ventorum facilè ferre poſſent ac defendere. Quoniam autem fallendi ferè hoſtis causâ iter nocturnum à Ducibus exercituum inſtituebatur, quo id fieret tutius, componere ſic cœpêrunt laternas, ut iis lumen abundè facerent, quibus præferebantur; aliis negarent, qui vel adverſi incederent vel ad latera ipſis ſtarent ſive ambularent, cujuſmodi *Laternarum* (Galli *ſurdas* hodiè vocant) fabricam ex Julii Africani *l. de Bellico appar.* MS. hanc exhibet Caſaub. *Eſto* Laterna *quadrilatera, pellibus ab omni parte oppanſis munita. Laterum trium pelles ſunto nigræ; unius alba, per quam ponè ſequentibus lucerna lucebit.* Apud Plutarch. formam aliam *laternarum*, quas *λαμπτῆρας* Græcè vocat, invenias, quæ, ſi eſſet à ventis quies, aperto geſtabantur ore; ſi flarent venti, impoſito operculo claudebantur: quo modo confectam laternam Auguri auſpicatum eunti præferre nefas erat, *Κεφαλ. Ῥωμ. quæſt.* 72. E cornu *laternæ* meminit Olympiod. *in* 4. *Meteorol.* *πράξει* 49. Sic *Laterna* Cornea, apud Mart. *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 61.

> *Dux* laterna *viæ clauſis feror aurea flammis,*
> *Et tuta eſt gremio parva lucerna meo:*

qui etiam *Laternæ ex veſica* meminit Idem ibid. *Epigr.* 62.

> *Cornea ſi non ſum numquid ſum fuſcior? aut me,*
> Veſicam *contrà qui venit eſſe putat?*

Et quidem prior jam apud Plaut. *Amphytr. Prolog. v.* 149. occurrit, ut mirum videatur, cur ab Ælfredo Anglo-Saxonum Rege inventam dicat Aſſerus *de Reb. illius geſtis.* At *militarium Laternarum*, quarum in conducendis penoctem exercitibus medio ævo uſus fuit, inventionem Manueli Comneno Imp. CPolit. tribuit Cinnamus, qui eas deſcribit *l.* 5. *n.* 2. Græcienſium verò vett. laternarum formam ex illis Hippocratis diſcet Lector, cùm ait, *ἡ γαστὴρ οἰδίνδρος, καὶ μέγαλη, ὥσπερ λαμπτὴρ*, ubi *ventricoſas* illas fuiſſe innuit &c. Vide Jul. African. *de App. bell. c.* 70. apud Caſaub. *ad Suet. in Jul. Cæſ. c.* 31. & C. du Freſne *in Gloſſ.* apud quem Laternam *Vitream* his verſibus deſcribit Aldhelmus *de Laude Virginum n.* 1.

> *Nec* Laterna *tibi vileſcat vitrea Virgo,*
> *Tergore vel craſſo, & lignis compacta ſalignis,*
> *Seu membranarum tenui velamine facta,*
> *Quamlibet ærata præcellat fortè lucerna.*

Nec omittendum L*aternam prægrandem ferendi morem*, inter pœnas Monachicas, occurrere, in *Vitis Abbatum S. Albani.* De Laterna *Demoſthenis* diximus ſuprà, in hac voce, vide quoque *Abſconſa*, *Lucerna Pharus*: it. in voce *Urus*, ubi urorum cornua in Laminas Secta translucere, atque etiam lumen incluſum latiùs fundere, ex Plin. dicemus. *l.* 8. *c.* 15.

LATHYRUS, vide *Ptolemæus.*

LATIALIS Jupiter, à Latio dictus eſt, quòd eum Latini pop. communiter cum Romanis colerent, conſecratus à Tarquinio Sup. in monte celſo Albanis imminente. Ubi quotannis feriæ erant & ſacra à Romanis, Latinis, Hernicis ac Volſcis communi operâ peragebantur. Vide Thom. Dempſter. ad Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 5.

LATIALITER, apud Martian. Capellam *initio l.* 5. *Subarmalis autem illi veſtis peplo quodam circa humeros involuto* Latialiter *tegebatur*: eſt laciniis ſub armo ſ. brachio circà humerum convolutâ & ſubductâ veſte, *antiquo Latino ritu*, qualem & Gabinum, vel certè non diſſimilem, ſuprà deſcripſimus. Vide Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. Theb. l.* 4. *v.* 19. & in voce *Toga.*

LATIAR Confectum, apud Cic. *l.* 2. *ad Q. fratrem Ep.* 4. *De Tullia noſtra, tui me hercule amantiſſima, ſpero cum Craſſipede nos confeciſſe. Dies erant duo, qui poſt* Latinas *habentur religioſi: Cæterùm qui confectum erat* Latiar, *erat exiturus*: eſt *Latinarum* ſolenne vel ſacrificium in Albano monte Jovi Latiari fieri ſolitum; quibus feriis cùm unum diem dicaviſſet Tarquinius, exactis Regibus addidêrunt alterum primi Coſſ. indè fœdere cum Latinis populis icto, poſt ſeceſſionem in montem Sacrum, acceſſit tertius: denique poſt atrox de Conſulatu cum plebe communicando certamen reductâ concordiâ quartus adjectus, teſtibus Dion. Halic. *l.* 6. Plutarcho *in Camillo* & Liv. *l.* 6. *c.* 42. Significat itaque Cic. ſcripſiſſe hanc epiſtolam ſeſe prope occaſum Solem illo die, vel exeunte & decedente illo die, quo Latinæ feriæ erant confectæ. Vide Joh. Frid. Gronov. *Obſerv. l.* 4. *c.* 25. Uti autem *Latiar confectum* Cic. verbò proprio & ſignato, ſic *confectæ Latinæ* Lucan. *Civ. Bell. l.* 1. *v.* 198.

> *Et reſidens celſa* Latialis *Juppiter Alba,*

Idem *l.* 5. *v.* 400. *& ſeqq.* ita de iis,

> *Nec non Iliacæ numen quod præſidet Albæ,*
> *Haud meritum Latio ſolennia ſacra ſubacto,*
> *Vidit flammiferâ* confectas *nocte* Latinas, &c.

Vide infrà in *Latinæ.*

LATIARIS, cogn. Jovis, apud Cic. *pro Milone*, Liv. *l.* 21. *c.* 63. Lucan. *l.* 1. *v.* 198. Plin. *l.* 34. *c.* 7. Feſtum verbo *Oſcillum*, Dion. Halic. *l.* 4. *p.* 250. Alios. Placabatur ſanguine humano. Lactantius *l.* 1. *c.* 21. *Latialis Jupiter etiam nunc ſanguine colitur humano*: Et Athanaſ. *c. Gentes*, *Καὶ οἱ πάλαι δὲ Ῥωμαῖοι τὸν καλούμενον Λατιάριον Δία ἀνθρωποθυσίαις ἐθρήσκευον.* Unde Octavius apud Minuc. Fel. *Cùm Latiaris cruore perfunditur*, Prudent. quoque *c. Symmach. l.* 1. *v.* 196.

> *Incaſſum arguere jam Taurica ſacra ſolemus:*
> *Funditur humanus* Latiari *in munere ſanguis.*

Vide quoque *Latialis.*

LATIARIS Collis, unus fuit ex tribus collibus ſ. partibus collis Quirinalis, unius ex ſeptem urbis Romæ montibus, teſte Varrone: cùm reliqui duo vocarentur Salutaris ac Mutialis. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 6.

LATICENSIS Pagus, vulgò *Lacois* vel *Lecois*, regio eſt Galliæ, in Lingonibus, undè Archidiaconus *Laticenſis*, unus ex Eccl. Lingonicæ Archidiaconis, nomen habet: Sunt autem in hoc Archidiaconatu Caſtellio ad Sequanam & Demnapatra *Dampierre.* Erat hic pagus urbi Lingonum Andomatuno propinquus, ac veluti ſuburbanus, undè B. Valentinus *in Laticenſi, ſuburbio Lingonenſium oriundus* fuiſſe dicitur. Hodiè ab urbe Lingonis iter unius diei abeſt & vicum Pultarias *Poutieres*, ac quidquid inter Caſtellionem & Barrum Sequanum uls & cis flumen jacet, continere dicitur. Certè Gerardus Comes, qui Monaſterium Pultarienſe & Viceliacenſe conſtruxit, in literis ſuis ea de re, *villam Pultarias ſuper Sequanam, in pago* Laticenſi *in Regno Burgundiæ* nuncupat. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* in voce Lingones.

LATICLAVII, dicti erant apud Rom. quibus *lati clavi* jus erat, ut Senatores, eorum filii, & quibus id ab Aug. permiſſum Equitumque inſigniores, qui *Illuſtres* dicti horumque filii. Fuêre autem *clavi*, purpuræ ſegmenta, inſtar capitum clavorum rotunda, quæ in pectore tunicæ inſuebantur, ſic ut etiam detrahi & reſui poſſent, Quintil. *l.* 8. *c.* 5. Dicebatur etiam *latus clavus* ipſa tunica laticlavia; quæ cingi non ſolebat, proin clavi purpurei in pectus cadebant, Horat. *Serm. l.* 1. *Sat.* 6. *v.* 27.

> *Nam ut quiſque inſanus nigris medium impediit crus*
> *Pellibus, &* latum *demiſit pectore* clavum:

Hinc Acron: *purpuram dicit, quæ in pectore extenditur Senatorum.* Secus in Equitibus, qui cùm tunicam cingerent, anguſti-clavi non deſcendebant in pectus, ſed in ſinu, quem zona ſuccincta efficiebat, ſuprà ipſam zonam conſpiciebantur: donec in Senatum allecti, ſolvebant tunicas & latiores clavos demittebant, atque in pectus fluere ſinebant. *Hinc latum clavum tribuere & adimere*, pro Senatorem facere & Senatu movere, ſcriptores uſurpant: Et filii Senatorum Illuſtriumque, qui latum clavum cum virili ſumebant toga, ubi ad ætatem Senatoriam pervenêre, ſi nolebant, aut non poterant in ampliſſimum ordinem adſcribi, anguſtum clavum reſumebant, Ovid. *Triſt. l.* 4. *Eleg.* x. *v.* 35.

> *Curia reſtabat*, clavi *menſura coacta eſt,*
> *Majus erat noſtris viribus illud onus.*

Græcis tunica laticlavia *πλατύσημος ἐσθής*, hinc quæ clavis carebat, *ἄσημος* *Aſema* appellata eſt. Origo autem τῆς *πλατυσήμου* à Balearibus, Strabo *l.* 2. Depoſuêre latos clavos Senatores in luctu, Sed in equeſtri eo tempore ſolùm i. e. anguſto clavo apparentes. nec veſtibus modò clavi purpurei latiores inditi, verùm & ſupellectili lectorum ac menſarum, ut ad Lamprid. notavit Caſaub. Hinc *laticlavia mappa* Petron. *Edit. Gonſ. de Salas. p.* 17. *Edit. Boſch. c.* 32. Mart. *l.* 4. *Epigr.* 46. *v.* 17. cujus Epigraphe de Sabello:

> Et lato *variata Mappa clavo.*

Pura & clavata lintea Lamprid. *lintea* item *toralia duos clavos latiſſimos habentia* Amm. Marcell. Vide Octav. Ferrar. *de Re Veſt. l.* 3. *c.* 12. 13. 14. & 15. it. infrà *Latus-clavus.*

LATINA Lingua, quadruplex Eruditis, *Priſca*, qua vetuſtiſſimi Italiæ populi, ſub Jano & Saturno ſunt uſi, incondita, ut ſe habent carmina Saliorum; *Latina*, quam ſub Latino & Regibus Tuſciæ cæteri in Latio locuti ſunt, ex qua XII. Tabb. *Romana*, quæ poſt Reges exactos in Orbe Rom. viguit, quam Nævius, Plautus, Ennius, Virg. poëtæ; ex Oratoribus Gracchus, Cic. cæterique effudêrunt, & *Mixta*, quæ poſt Imperium latiùs promotum ſimul cum moribus & hominibus in Romanam civitatem irrepſit, integritate ſtyli per ſolœciſmos & barbariſmos variè corrupta; cui quarto & jam ſeneſcentis Linguæ tempori adſcribi ſolent, A. Gell. Macrob. Lamprid. Spartian. Trebell. Pollio, uterque Victor. Juriſcoſſ. centones in *Pandectis* in unum quaſi corpus conflati, Tac. alii, qui ad ætatem Gordiani Imp. pervenêre. Ab eo quippe tempore penitus extinctæ ſunt Latinæ puritatis reliquiæ & barbaries undequaque, non modò Italiam, ſed & Romam ipſam, invaſit, atque cæteras exindè Imperii provincias, in quibus utcunque Linguæ puritas hactenus fuerat ſervata, florente adhuc Rep. Imperioque. Maximè autem *Latinis* barbaræ voces permiſceri cœpêrunt, cùm ab aliis, quàm ipſis Romanis, conſcripti libri in provinciis, ubi ſermo Latinus utcunque obtinebat, in lucem prodiêre; qui ab eo ſcriptionis genere & charactere longè diſtarent, quem caſtior puriorque Latinitas agnoſcit, receptamque apud ſuos loquendi rationem redderent, inſperſis ubique ferè indigenis vel proprio arbitratù confictis vocabulis, adeò ut ex iis ſi non à Latino ſermone alius, diverſus certè omnino ſcribendi ſtylus deprehendatur: cujuſmodi fortè Gallicus fuit, quem *ſquamam Latini ſermonis* appellabat Sidon. & is, quo Scriptores Afros uſos palàm eſt: Sed id potiſſimùm accidit, cùm victores populi arma in provincias exteras intulêrunt, iiſque debellatis non linguam modò ſuam ipſi ſervârunt, verùm etiam, ut ab iis, quos ſubegerant, uſurparetur, ſummam curam adhibuêrunt. Ita enim Gallos vett. expugnatis Græciæ Urbibus provinciiſque, nomen ſuum indidiſſe, ac propriam retinuiſſe linguam, eandemque penè, qua utebantur ſuâ ætate Treviri, ſcribit Hier. *Proœm. ad l.* 2. *in ad Galat.* Ita & Romanos conſtat omnem dediſſe operam, ut victæ gentes eodem ſecum ſermone uterentur, eouſque ut translatâ quoque ab urbe Roma Byzantium, ab Italia in Thraciam, & è Latio in Græciam Imperii ſede, *Latinam* tamen in ea linguam ſervari voluerit Conſtantinus Mag. Interim non adeò ſtabilita unquam in ſubjugatis provinciis Latina lingua fuit, ut non indigenæ locutionis aliquot ei adſpergerentur *ἰδιώματα* formulæque illi immiſcerentur provinciis nativæ: quod in plebe maximè obtinuit, quæ literarum expers nitidæ elocutionis diſciplinam non tam facilè amplectitur. Undè ſenſim invaluit vulgaris illa *Romana* lingua, quæ etſi aliquantiſper Latinum redoleret, barbara tamen vocabula quamplurima adhibere aliiſque Grammaticæ legibus regi aſſuevit: atque hinc non *Latina* ampliùs, ſed *Romana* dicta eſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

eſt, quòd Romani, qui in Galliis & Hiſpaniis, poſt Septentrionalium nationum irruptiones, remanſerant, ea uterentur. Quo modo *Romanam linguam* vocant Nithardus *l.* 3. *Capitularia* Car. Calv. *tit.* 26. Alii: quam *Ruſticam Romanam* vocat Conc. Turon. II. A. C 813. *can.* 17. *Ruſticam* nude, Anon. in *Hiſt. Tranſlat. S. Germani Pariſienſis c.* 12. Sic itaque, cum Franci atque gentes Imperium Romanum inundantes, pleraſque ejus provincias occupâſsent, nativo ſuo idiomate ſuperatis gentibus inducto, longè magis adhuc Latinitatem, ſi quæ aliqua ſupererat, depravârunt, ut proceſſu temporis aliâ rerum facie illatâ ex ipſo Latio exulare Latium cogeretur. Uſus nihilominus Linguæ penitùs ita deleri non potuit, ut non à vulgo adhuc utcunque intelligeretur: quod arguunt tot Latino idiomate conſcriptæ & ad populum habitæ in ædibus ſacris Homiliæ, à Præſulibus Africanis, Gallis, Hiſpanis, aliis, quas quidem ſine dubio non recitâſſent publicè, niſi intelligentibus ſe loqui fuiſſent perſuaſi. Quanquam fatendum, ante Car. Mag. ita evanuiſse ſtudia ac linguæ præſertim Latinæ, ut ſtante Regum Francorum primo ſtemmate, vix ſeſe tantillum extulerit, ut de Chilperici Regis ſcriptis agens, teſtatur Greg. Turon. Idem de Hiſpania, poſt Gothorum irruptionem, refert Alvarus *in Indiculo lumin* ubi neglectis, & poſthabitis Scripturis ſanctis, earumque Interpretibus, quotquot ſupererant Chriſtiani, Arabum Chaldæorumque libris evolvendis incumbebant. Neque ea in re felicior Britannia fuit, poſt Saxonum maxime & Danorum irruptiones, ut ex Ælfrico, docemur *Præf. ad Gramm. Sax.* donec Alfredus Rex literas in Anglia, Scholis publicis Oxonii inſtitutis, primus iterum excitavit: quod idem in Francia Car. Mag. feciſſe, prædicat Alcuin. *Ep. ad eum* 10. & ad ejus imitationem Car. Calvum, Henr. Mon. *Ep. illi inſcriptâ ad Vitam S. Germani Autiſiod.* Quibus Principibus ſua debent initia Scholæ publicæ & Monaſtica, omniumque adeo diſciplinarum in Francia inſtauratio; dum interim duplex apud Vulgus idioma vigeret, *Francicum* ſc. & *Romanum.* Et quidem Francici uſûs erat, in Regum Merovingorum Palatiis, etiam ſub Car. Mag. adhuc & Lud. Pio, cùm ii linguâ ſuâ Sicambricâ loquerentur; reliquo vulgò, & quod à Romanis ortum trahebat, linguam Romanam ſ. Ruſticam ac ſemibarbaram retinente: quæ *Limoſinæ* appellationem obtinuit, apud Italos & Hiſpanos, cùm *Romana* Gallis diceretur. At qui in literis utcunque verſati vel ſacris initiati, ut rerum Eccleſiaſticarum ſtudio neceſſariam puriorem linguam excoluêre. Quin etiam ſervata ab ipſis (quod mirari licet) barbaris, Romanorum provincias poſſidentibus: cùm hac, tùm in *LL.* ſuis publiciſque *Decretis*, tum in *Actis* quoque quâ publicis, quâ privatis, tanquam quæ ab omnibus intelligeretur, uſos paſſim legamus; quia fortè linguam ſuam nativam, ut barbaram inſulſamque pronuntiatu, aures mollioribus aſſueta, naturaliter refugere perſuaſum haberent; vel quia Romanis ſubjugatis ſcribebantur, qui longè potiori majorique numero erant, quàm Barbari ipſi, quibus parebant. Neque id parùm *Latinam* linguam commendabat, quòd inter tot vices ſeſe utcunque incolumen ſervârit, ita ut illam Romana Eccl. propriam ſibi efficeret, & cæteræ nationes longinquæ maximè ac Romanis prorſus intectæ, non in Scholis modò publicis, verum etiam in *Actis* omnibus, illa uterentur. Quo factum dein, ut Eccl. Rom. *Latinæ Linguæ* nomenclaturâ intelligatur, in quodam Steph. IX. Pontif. Diplomate, in *Bullario Cluniac. p.* 15. atque id quidem in Gallia ſic obtinuit, ut & Acta publica & privata pleraque, ac ſuprema Curiarum judicia, Latino ferè idiomate ſemper deſcriberentur, quod ſerò deſitum, Franciſco I. regnante. Accidit poſtea, ut gnavi homines & induſtrii, tanquam frugi Patres-familias, *quæ in ſua cujuſque ætate fuerant vocabula, tanquam variorum cujuſdam longi anni temporum baccas & fruges & vindemiam, in Libros, quaſi in quaſdam cellas & horrea & ſpecus condiderint*, uti loquitur Thom. Smithus *de pronunt. Ling. Gall. l.* 1. *p.* 9. Undè *Gloſſaria* prodiêre aliaque Eruditorum quovis Seculo monumenta, quibus pura à ſordibus ſecreta. Idque tandem effectum, ut Linguæ priſtinus ſplendor, ſi non in vernaculo ullius gentis ſermone, ſaltem in Scriptis & ore Literatorum, redderetur: Horum Catalogum texit, qui in hanc rem plurima inſigni labore congeſſit, *Præfat. ad Gloſſ. ſuum*, C. du Freſne, quem videre opere erit pretium.

LATINÆ Fabulæ, à veſte *Togatæ* dictæ ſunt, ſicut Græcæ, *Palliatæ.* Sunt autem *Latinarum* ſpecies hæ: *Nobiliores, quæ à perſonis primariis Prætextatæ appellabantur; erat enim prætexta Magiſtratuum toga, cui purpura prætexebatur* —— C. *Meliſſus* —— *edidit novum genus Togatarum, quas Trabeatas appellavit.* —— *Minùs nobiles, in quibus Senatores privati cum togis introducebantur. Ultimum genus capiebat humilem fortunam popularium negotiorum, cum tunicis tantùm: quæ tamen haud quanquam Tunicatæ eadem ratione, ſed ab habitaculis nomen adeptæ ſunt. Igitur Tabernariæ, quòd cum Tabernis ſcenæ diſponebantur. Fuit autem ab his diverſum genus Atellanæ* &c. Jul. Cæſ. Scalig. *poët. l.* 1. *c.* 7. De quibus omnibus vide quoque hîc paſſim.

LATINÆ Feriæ, autore Varrone *de Ling. Lat. l.* 5. erant dies conceptivus, à *Latinis* pop. dictus, quibus ex Albano monte ex ſacris carnem petere fuit jus cum Romanis. Earum origo hæc: Cùm, devictis Hetruſcis, fœdus inter Latinos populos autore Tarquinio Superbo Rege ictum eſſet, ut ſempiternum illud maneret, Tarquinius propoſuit deſignare commune Fanum Romanorum, Latinorum, Hernicorum. Volſcorum, duntaxat in ſocietatem receptorum, quò ad mercatum convenientes quotannis unà epularentur fruerenturque ſacris communibus. Quod cùm gratum eſset omnibus, mons altus Albanis imminens, velut in meditullio harum Gentium, conſtitutus eſt, ubi ſingulis Annis feriæ celebrarentur, & eo temporis ſpatio, propter loci religionem, ab omni vi temperarent omnes, ſacraque communiter Jovi Latiali facerent, & vacarent epulis, conſtituto priùs, quantum quiſque populus in ea ſacra præbere, quantamve portionem recipere deberet. Sic in participium Feriarum harum atque ſacrificii venêre tribus minùs 50. populi, quorum quidam agnos, nonnulli caſeos, alii lactis certum modum, item liba lactaria conferebant. Victima taurus erat unus communis omnium, de cujus viſceribus cuique populo certa portio tribuebatur: Sacrificabatur enim pro omnibus, Romani verò ſacrificio præfuêrunt, vide Dion. Halic. *l.* 4. Has antequam indixiſsent, atque iis in monte Albano, cum Latinarum civitatum magiſtratibus, operam dediſſent Conſules, non poterant paludati in provincias exire, ut Liv. & Dion. *l.* 46. teſtantur. Quod ſi in eo ſacro non omnes Latini carnem cepiſsent, ſed aliquid dilatum prætetitumque fuiſſet, aut neglectæ cerimoniæ, intermiſſumve ſolenne eſset, denuo inſtaurari *Latinas* oportebat. Porrò indicto *Latiari*, ſ. ſolenni *Latinarum* die, nefas erat prælium ſumere, Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 16. Cùm autem Conſules Rom. huic ſacro vacarent, moris erat, ut interim alius aliquis ex Patriciorum numero urbi præficeretur, qui *Præfectus Urbis Latinarum causâ* dicebatur, de quo A. Gell. *l.* 15. *c.* 8. Et quidem hiſce feriis unum diem dicavit Tarquinius: exactis autem Regibus alter additus eſt; poſt fœdus cùm Latinis à SP. Caſſio Conſule ictum, tertius. A. demum U. C. 396. compoſitâ de plebejo Conſulatu ſeditione, quartus: ut diſcimus ex Dion. Halic. ſuprà laudato. *l.* 6. *extremo.* Alex. ab Alex. *Genial. dier. l.* 4. *c.* 7. addit, Feriis hiſce ſolenne ludicrum in Capitolio celebratum fuiſse, quadrigaſque concito curſu decertâſse, & victorem certaminis in palmam victoriæ abſynthium bibere fuiſse ſolitum. Quorum certaminum curam à Senatu commiſsam fuiſse Ædilibus, ornatis priùs prætextâ & ſellâ eburneâ, regiis inſignibus, docet Plutarch. *in Camillo.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4 *c.* 17. *de diebus Feſtis, non ſtato tempore celebrâtis*, ut & infrà *Oſcilla.* Verùm, quod olim amicitiæ confirmandæ inſerviebat ſacrum, tandem in contrarium verſum eſt: Primum enim belli, quo totum *Latium atque Picenum, Hetruria omnis, atque Campania, poſtremò Italia contra matrem ac parentem ſuam urbem conſurrexit, in Albano monte conſilium captum eſt, ut feſto die Latinarum Julius Cæſar & Martius Philippus Coſſ. inter ſacra & aras immolarentur: quod nefas cùm proditione diſcuſſum eſſet*, ſcelus in nervum erupit, & atrociſſimo bello Romani petiti, donec poſt varias clades *Strabo Pompejus, Aſculi, undè furor eruperat, in ipſa ludorum frequentia trucidatis Legatis, everſione, Manibus tot exercituum Conſularium direptarumque Urbium Diis litavit*, Flor. *l.* 3. *c.* 18. Vide quoque infrà, in voce *Latium* & ſuprà in *Latiar.*

LATINATOR, cogn. Petri Monachi, apud Gul. Tyrium *l.* 13. *c.* 27. an, quia *Latinam* probè linguam callebat, an quia Interpretis munere fungebatur? C. du Freſne ubi ſuprà.

LATINI alapis dignus, apud Mart. *l.* 5. *Epigr.* 62. *v.* 11. cujus Epigraphe in Marianum *v.* XI.

> *O quàm dignus eras alapis, Mariane*, Latini:
> *Te ſucceſſurum credo ego Panniculo:*

convitium eſt in eum, qui, de uxore parum ſolicitus, ad mœchorum injurias connivet. Tales enim in ſpectaculis Theatralibus Mimiſque alapis ac ſalapittis objurgari excipique ſolebant. Arnob. *adv. Gentes l.* 7. *Mimis nimirum Dii gaudent* -- *Delectantur ſtupidorum capitibus raſis, ſalapittarum ſonitu, atque plauſu, factis & dictis turpibus* &c. Ubi, *ſalapitta*, in Gloſſis ῥαπίσμα exponitur. De eodem more Tertullian. *de Spectac. c.* 23. *Placebit & ille, qui vultus ſuos novaculâ mutat, infidelis ergà faciem ſuam quam non contentus Saturno & Iſidi, & Libero proximam facere, inſuper contumeliis alaparum ſic objicit quaſi de præcepto Domini ludat.* Vide Herald. *ad Arnob.* & infrà in voce *Stupidi.* Fuit autem *Latinus* ille mimus Martialis ævo celebris, quem *deriſorem* vocat *l.* 1. *Epigr.* 5. *v.* 5. cujus Epigraphe ad Cæſ. cuique Panniculus miniſter erat, qui ab hero alapis percuti, riſui conciliando, ſolebat, Idem *l.* 2. *Epigr.* 72. cujus Epigraphe in Poſtumum *v.* 3. Epitaphium ejus habes Idem *l.* 9. *Epigr.* 29. cujus Epigraphe Epitaphium Latini initio. Vide quoque ſuprà in voce *Curruca*, & ubi de *Ancillariolis.*

LATINI, pop. Italiæ, vide *Latium.*

LATINI, in *Speculo* Sax. *l.* 1. *artic.* 6. §. 3. pro veteribus incolis, regionum, à barbaris gentibus devictarum; qui aliàs *Romani.* Vide in voce *Vallenſis* ut & infrà *Romani.*

LATINI Juniani, vide infrà *Manumiſſi.*

LATINIACUM, vulgò LAGNY, opp. Briæ, ad Matronam, ubi pontem habet, 6. leucis ſuprà Lutetiam in Ort. 4. à Meldis in Occaſ. Vaſtatum à Ligiſtis, Sec. Præt. Olim ſub Comitibus Campaniæ. Vide Morer. *Dict. Hiſt.* Hîc monaſt. celebre eſt, ante An. 1000. à Furſeo Scoto Hibernienſi conditum, regnante Chlodoveo jun. Dagoberti fil. cui cœnobio ſuus Abbas Comes eſt. Eſt & *Latiniacum*, in pago Meldico, cogn. Siccum, *Lagny le Sec*, quòd aquis careat, ita appellatum. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall. in voce Pariſii.*

LATINIUS Latiaris, præcipuus circumveniendi Titii Sabini, amici Germanici; poſtea à Cæſare Sextio Paconiano accuſatus & punitus. Tac. *Ann. l.* 4. *c.* 68. & *l.* 6. *c.* 4.

LATINIUS Latinus, Viterbienſis, Lipſio *probiſſimus ſenex & omni literarum genere inſtructiſſimus*, variis Cardinalibus à Secretis, emendationi Decreti Gratiani, cum Hug. Boncompagno, (qui *Greg.* nomine poſt Papatum obtentum ſumpto inclaruit) Card. Montalto (poſtmodum *Sixto* V.) Cardd. Sirlecto, Baronio, aliis, adhibitus; edidit *Epiſtolas, Conjecturas, Obſervationes ſacrâ & profanâ eruditione ornatas, Lucubrationes*, alia: de Tertulliano præcipuè benè meritus. Obiit Romæ, A. C. 1593. Æt. 80. Vide Lipſ. *Ep.* 38. *Cent. II. Miſcell.* Domin. Magrium *Vitâ ejus*, Buron. Ant. Teiſſier *in Elogiis Parte* 2.

Reges Latini.

LATINUS I. Laurentum Rex, A. M. 2838. ante adventum Æneæ, 35. Fauni & Maricæ nymphæ, aut, ut Heſiodo placet, Ulyſſis, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Circes fil. qui ex Amata, Dauni Rutulorum Regis ſorore, Laviniam ſuſcepit; quam cùm externo genero tradere oraculo juberetur, Æneæ poſt excidium Trojæ in Latium delato eam deſpondit. Quâ re intellectâ, Turnus, qui illam impotentiſſimè adamavit, tam ægrè tulit advenam ſibi præferri, ut ea de cauſa bellum adverſùs Æneam ſuſceperit: cujus is fuit exitus, ut ſingulari certamine victus Turnus, vitaque exutus, victoriam cum ſponſa rivali reliquerit. Virg. *Æn. l. 12. v. 192.* Dion. Halic. *Antiqq. Rom. l. 1. p.* 35, 44. & 49. Liv. *l. 1. c. 1.* Aurel. Victor *de orig. gentis Rom. Georg. Syncell.* &c.

LATINUS II. Sylvius, quintus, ſecundùm alios 6. Latinorum Rex, reg. An. 50. Ejus tempore Præneſte, Tibur, Gabii, Tuſculi, Pometia, &c. & quidquid urbium prope Albam Longam, Coloniæ Rom. eſſe cœpêrunt. Tiberius Sylvius ſucceſſit. Dion. Halic. *Antiqq. Rom. l. 1. p. 57.* Aurel. Vict. *de Orig. gent. Rom.*

LATINUS Latinius, vide ſuprà *Latinius.*

LATINUS Frangipanius, Rom. Dominicanus, Card. Sec. 13.

LATINUS Pacatus, Drepano oriundus, Orator, Panegyricum Trajano Imp. cùm Maximum tyrannum deviciſſet, ſacravit, A. C. 389.

LATINUS Urſinus, Mathematicus, autor libri, cui titulus, *Radius Aſtronomicus.*

LATIONICUM, opp. Lucaniæ.

LATIUM, Strabo *l. 5. p. 229.* propriè eſt ea Italiæ pars, teſte Plinio *l. 3. c. 5.* & 12. quæ inter oſtia Tiberis, & Circejos interjacet, mill. paſſ. quinquaginta in longitudinem non excedens, quod poſtea prolatis imperii terminis, *Antiquum Latium* eſt appellatum. *Novi* verò *Latii* tractui, Herniſcis, Æquis, Volſcis, Auſonibuſque comprehenſus, ad Vulturnum uſque amnem extenditur, dividiturque in Latium citerius & ulterius. Prius à Tiberis ripa Fundos uſque protenditur. Poſterius à Fundis uſque ad Vulturnum. Ferrar. vet. non ultra Terracinam extenditur. Plin. *l. 4. c. 22.* Novum uſque ad Minturnas, ac Liris oſtia. Nunc ad regnum Neap. ſpectat, quidquid inter Terracinam & Lirim jacet. Sic dictum putatur, quòd illic latuerit Saturnus, cùm Jovem fugeret. Virg. *Æn. l. 8. v. 319. & ſeqq.*

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens, & regnis exul ademptis.
Is genus indocile, & diſperſum montibus altis
Compoſuit, legeſque dedit, Latiumque *vocari*
Maluit, his quoniam latuiſſet tutus in oris.

Minut. Felix, *Itaque latebram ſuam, quòd tutò latuiſſet, vocari maluit* Latium. Cyprian. *de idololatrarum vanitate: Latium de latebra ejus nomen accepit.* Varro autem ſentit dici Latium, quòd Italia lateat inter præcipitia Alpium & Apennini. Sic vet. de Latii nomine. Quantò melius autem his Bochart. qui de nominis hujus notatione ſic diſſerit: Circen, inquit, fuiſſe veneficam, adeoque vicinas terras, Latium putà, & Tyrrheniam ſcatere herbis veneficis vett. conſtanter docent. Æſchyl. *in Elegiis,*

Τυῤῥηνὸν γενεὰν φαρμακοποιὸν ἔθνος

Theoph. *Hiſt. Plant. l. 9. c. 15.* Φαρμακώδεις ἢ δοκοῦσιν εἶναι τόποι μάλιστα μὲν ἔξω τῆς Ἑλλάδος οἱ περὶ Τυῤῥηνίαν, καὶ τὴν Λατίνην. Ariſtot. *in Mirabil.* Λέγεται ἢ περὶ τὴν Ἰταλίαν ἐν τῷ Κιρκαίῳ ὄρει φάρμακόν τι φύεσθαι θανάσιμον. Itaque tam Circes fabula, quæ ſuis incantamentis fertur immutâſſe rerum ſpecies, quàm quod φαρμακῶδες voluit fuiſſe Latinum ſolum, confictum videtur à Phœnicibus, qui *Latium* & *Latinos* dici putaverint, ἀπὸ τῶν φαρμάκων, *ab incantationibus*, quia Phœnicio ſermone לט *Loat*, cujus plurale לטים *Latim*, vel *Latin*, eſt *incantatia*. Nic. Lloyd. Hodie *Campagna di Roma*. Erant autem pop. Latini, Rutuli, Volci, Aurunci, Hernici & Æqui, Brietio. De *Latinis*, ut iſta addam, erant illi qui fœdere Romanis juncti, de quo vide ſuprà in voce *Latinæ feriæ*, poſtquam diu amicitiam coluiſſent, à L. Druſo Trib. Pl. cupidine dominationis ad ſpem civitatis erecti, cujus imperium armis tuebantur; per omnes Annos atque omnia bella duplici numero ſe militum equitumque fungi querentes bellum excitârunt, Floro *Sociale*, Vellejo Pat. *Italicum* appellatum L. Cæſare P. Rutilio Coſſ. A. U. C. 663. quod ampliùs 300. mill. juventutis Italicæ abſtulit. Ejus tam varia atque atrox Fortuna fuit, ut per biennium continuum duo Romani Conſules, Rutilius atque deinde Cato Porcius ab hoſtibus Occiderentur, exercitus R. P. multis in locis funderentur, utque ad ſaga iretur diuque in eo habitu maneretur. Caput Imperii ſui Corfinium legerant, quod appellarent *Italicum*: Donec paulatim recipiendo in civitatem, qui arma aut non ceperant, aut depoſuerant maturius, vires refectæ ſunt: Pompejo Sullaque & Mario fluentem procumbentemque Remp. reſtituentibus, Vellejus Paterc. *l. 2. Hiſt. Rom. c. 17.* Reliquias belli poſtea reſurgentis Duce Teleſino, qui dictitans *adeſſe Romanis ultimum diem, vociferabatur eruendam delendamque urbem; nunquam defuturos raptores Italicæ libertatis lupos, niſi ſylva, in quam refugere ſolerent, eſſet excisa.* ægrè abolevit Sulla, Carbone ac Mario Coſſ. A. U. C. 671. *dieique felicitatem perpetuâ ludorum Circenſium honoravit memoriâ*, Idem *l. eod. c. 27.* Eorùm lingua *Latina* appellata, hodieque celebris eſt. Ut enim uſum ejus, in Valachiæ Tranſſylvaniæque addo etiam Poloniæ aliquot locis etiamnum vernaculum, prætercam, tres propagines ſ. Dialectos habet, Italicam, Gallicam & Hiſpanicam, à Francis, Longobardis, Gothis aliiſque populis in eam varietatem diffuſas atque iterum Subdialectis ſuis variantes: Sic puriores Itali dicunt *Padre noſtro*, Forojulienſes *Pari noſtri*, Rhæti *Bab nos*. Gallica habet VValoniſmum, Pictoniſmum, &c. In Hiſpanica differunt Caſtellana, Andaluſica, Portugallica & Granatenſis: è quibus omnium puriſſimam, atque matrici ſuæ maximè vicinam Caſtellanam eſſe dicunt; producitque Merula literas Caſtellanâ linguâ ſcriptas, è quibus idem clariſſimè patet. Earum pars hæc eſt: *Scribo & ſupplico rogando te Francia, des & reſpondeas tales probationes tractando de tua eloquentia, loquela & excellentia, quales ſcribo de Hiſpania, comparando gentes, nationes & provincias, quales manifeſte dictando Epiſtolas puras Latinas & Hiſpanicas. Hiſpania, antiquiſſima corona perſevero (ceſſante memoriâ de contrario) duro & regno provincia Chriſtiana: Tu Francia principias à Meroveo & regnas continuando, quaſi mille Annos Chriſtiana, prædicante Sancto Remigio & regnante Clodovæo. Reſponde Francia & da & propone contra nos tam grandes nationes, tam fertiles, tam fructuoſas provincias; Tales gentes, tam ingenioſas, tam ſcientificas, tam virtuoſas, prudentes, juſtas, modeſtas, liberales, gratioſas: Non monſtras tu Francia tam grandes reſiſtentias & tantas victorias contra Romanos &c. Præſenta te Francia & da tales campos, montes, valles: tales beſtias feras & domeſticas: tantos & tam excellentes cavallos, tales vaccas, aves, carnes ſuaviſſimas, lanas precioſas &c. Non cognoſces tu Francia plantas, arbores, beſtias & perfectiones, quales de Hiſpania majores Nos demonſtramus. Et cognoſco de Hiſpania infinitas, quales tu Francia non cognoſces. Si extas & celebras Principes & Imperatores Romanos, demanda & inquire de Bruto, de Fabio, de Hadriano, de Honorio, de Theodoſio, de Trajano inclito & glorioſo Hiſpano.* Vide Merulam *Coſmogr. Parte. 2. l. 2. c. 8.* ut & Autor. Anon. *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c. 9. ſ. 3. de Linguis*; plura verò hanc in rem ſuprà, ubi de *Latina Lingua* ex profeſſo egimus. Eſt & *Latium Priſcum*, quo ejus origo, ſitus, natura, urbes, montes, lacus, monumenta Veterum curioſè deſcribuntur, editum ab Athan. Kirchero, Amſtel. Fol. A. C. 1671.

Latiæ urbes præcipuæ:

Alatrium, *Alatri.*	Roma, *Roma.*
Anagnia, *Anagni.*	Setia, *Sezze.*
Aquinum, *Aquino.*	Signia, *Segni.*
Cajeta, *Gaeta.*	Sora, *Sora.*
Ferentinum, *Ferentino.*	Terracina, *Terracina.*
Fundi, *Fondi.*	Tibur, *Tivoli.*
Præneſte, *Paleſtrina.*	Tuſculum, *Fraſcati.*
Privernum, *Piperno.*	Velitræ, *Velletri.*
Verula, *Veruli.*	

Hinc *Latius*, & *Latialis*, ſ. *Latiaris*, *Latinus*, & *Latienſis.*

LATIUS, cogn. Jovis apud Rom. celebre. Stat. *l. 5. Sylv. 3. v. 292.*

Scipio ſic plenos Latio Jove *ducere ſomnos*
Creditur Auſoniis ——

de quo vide Joh. Paſſerat. *ad Propert. l. 3. Eleg. 4. v. 6.* ut & in voce *Jupiter.*

LATMICUS Sinus, pars maris Ægæi, in ora Cariæ, à Latmò monte dictus, prope Miletum.

LATMUS, mons Cariæ, non procul à Mileto, vide *Endymion.* Item nomen inſ. apud Thucyd. *l. 3. p. 192.* ſed legendum Πατμὸς, ibi monet Palmer. Plin. *l. 5. c. 29.* & *l. 8. c. 59.*

LATOMIA, ex Græco Λατομία, i. e. *Lapicidina*, *Cadmi inventum.* Plin. *l. 7. c. 56.* *Lapicidinas Cadmus Thebis (aut, ut Theophraſtus) in Phœnice invenit.* Eò ſontes ſæpe detruſi, ubi vincti perpetuò opus facerent, vide ſuprà in voce *Foſſor.* An potiùs *Lautumia*? Certè Clodius Victor, cùm rogaretur, ut in *Latomias* transferretur: *Non,* inquit, *quenquam nomen* Lautumiæ *decipiat: illa enim animo meo lauta eſt, vocabulo carceris ad genus pulpamenti tranſlato. Jocabatur in miſeriis. in quibus jocari debuiſſe, quis neſcit: potuiſſe quis credit.* Seneca *Declam.* Vide quoque Liv. *l. 37. c. 3.* & Gronov. *ad eum.* Atque hi *Lautumarii* ſ. *Lautumiarii* dicti ſunt. Cic. *in Piſon.* Idem verò & proprium nomen fuit carcerum aliquot, ut ſuo loco vidimus. Plura vide ſuprà in voce *Lapis.*

LATOBRIGI, pop. Gall. Belg. inter Allobroges & Helvetios, quibus hi ut & Rauracis, & Tulingis finitimis ſuis perſuaſêre, ut oppidis ſuis viciſque exuſtis; unà cum ipſis proficiſcerentur, Cæſ. *de Bell. Gall. l. 1. c. 2.* & 7. Exiêrunt ergò *Latobrigorum* 14000. Quorum regio *Lauſanne* hodie Marliano, *Cleckgow* verò Scudo. Baudr. pop. fuêre Germ. trans Rhenum, ex Sanſ. ubi nunc Briſigavia prov. inter Rhenum, ad Occ. & Sylvam nigram ad Ort. prope Clecgoviam. Quanquam Brietius eos in Valeſiis ponat, ad fontes Rhodani. Certè apud Valleſianos inf. vicus adhuc celeberrimus *Briga* eſt, ad Rhodani & Saltinæ confluentes, vulgò *Brige*, aliis *Brig dans le Vallais.* Sed hunc non ad Latobrigos ullos, verùm ad Sedunos pertinere, docet Valeſ. Joh. Baptiſtæ Plantino videntur fuiſſe lacus Brigantini, prope Rheni ingreſſum & vicinorum locorum accolæ, unde nominis aliquid manſerit in antiquo Brigantio. Sed ipſe infirmam, quæ à nominum ſimilitudine petitur, conjecturam agnoſcit. Inprimis cùm *Latobrigi* Cæſ. Oroſio *l. 6. Latobrigii*, aliis *Latobrii* dicantur.

LATOIS Poëtis Diana Latonæ filia. Item villa quædam montana apud Epheſum, ubi Pramnium vinum naſcitur, nunc *Latoria.* Athen. *l. 1. c. 24.*

LATOMAGUM, Gall. Lugd. opp. *Ant.*

LATOMIÆ, locus Siciliæ, apud Syracuſas, lapidicinæ, & carcer, in quem Verres multos cives Rom. conjecerat. *Le Tagliate*, teſte Aretio. Item locus Latii, in agro Gabiorum, inter Romam & Præneſte. Item locus Romæ in carcere prope Tullianum Liv. *l. 26. c. 27.* Et ſex inſulæ ejuſdem nominis in ſinu Arabico.

LATOMUS Jacobus, vide *Jacobus.*

LATONA, filia Coei Titanis, ex Phœbe ſorore, quæ à Jove compreſſa, geminam ex eo prolem concepit. Quam rem tam ægrè tulit Juno, ut immiſſo adverſùs illam Pythone ſerpente, per totum terrarum orbem pellicem perſecuta ſit, & ne partui quidem vicinæ quietem, locumve pariendi conceſſerit, donec tandem illa poſt longos errores ad Aſteriem ſororem pervenit, in Ortygiam inſ. jam permutatam, à qua ſuſcepta, primò Dianam peperit, quæ è veſtigio obſtetricis officium matri præſtitit, Apollinemque naſcentem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſcentem ſuſcepit: qui poſteà adultus, maternæ injuriæ memor, Pythonem ſagittis interfecit. Ovid. *Met. l.* 6. *v.* 160. 162. 171. 186. & 207. Juv. *l.* 4. *Sat.* x. *v.* 292.

Pulchrâ gaudet Latona *Dianâ.*

Ei gallus gallinaceus ſacer erat. Hinc Apollo *Latonius*, & Diana *Latonia.* Item *Latonia Delos* apud Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 6. *Æn. l.* 9. *v.* 405. *l.* xi. *v.* 571. & 592. Quid autem Latonæ figmento vett. intellexerint, explicat Nat. Com. *l.* 9. *c.* 6. Nic. Lloyd. Addo, quod ejus ſimulacrum, ex marmore inter Cephiſſodori opera, memoratur Plin. *l.* 36. *c.* 5. ubi in Palatii delubro Romæ aſſervatum, addit: Aliud in Octaviæ porticu, inter Pollionis Aſinii monumenta eidem recenſetur, *eod. c.* Sed & *Latonæ puerperæ* ſtatuam ex ære, in æde Concordiæ ejuſdem urbis, ab Euphranore ſic factam, ut Apollinem & Dianam infantes ſuſtineret, habes apud eund. *l.* 34. *c.* 8.

LATONA, in finibus Lingonum, olim fano cultuque Latonæ, nunc Eccl. S. Joh. ac cogn. illuſtris eſt, ad Oſcaræ & Araris confluentem, vulgò *S. Jean de Laône.* Hîc Dagobertus per aliquot dies jus reddidit A. C. 629. ac Brunulfum vel Produlfum, Chariberti fratris ſui avunculum interfici juſſit: A. C. 642. Flaochatus Major domûs Deceſſit. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LATONE, urbs Ægypti, pars Memphidis, ubi *Pyramides*, quæ & *Latopolis* dicta: *Derote* Zeiglero, ad Nilum, nunc ſine muris. Alii *Latopolin* faciunt *Latonæ* proximam.

LATOPOLIS, Ægypti urbs; de qua vide aliquid in voce *Latone.* Hujus civibus *latum*, piſcis in Nilo genus, cultum fuiſſe, Strabo docet *l.* 10. ubi de Zoolatria Ægyptiorum.

LATORIA, lex erat apud Rom. quà cavebatur in eos, qui pupillorum bona deriperent, aut malis artibus alienarent.

LATORUM, urbs Ægypti. *Ptol.*

LATOVICI, Pannoniæ gens. Plin. *l.* 3. *c.* 25. & Ptol. Vide *Prætorium Latovicorum. Ant.*

LATOUS, cogn. Apollinis, à matre, de qua modo; fanum habuit octogonum, 4. aut 5. mill. paſſ. ab Iſthmo Corinthiaco, memoratum Pauſ. *in Achaic.* Ejus rudera hodieque viſuntur. Jac. Spon. *Itin. Part. II. p.* 293.

LATRATUS, canum vox, undè *latrator Anubis*, de quo ſuo loco. Incantationes ſolvere & monſtroſas viſiones olim credita: Quam ob cauſam Hecatæ Deæ canes immolati. M. Anton. Delrius *ad Senec. Oedipo Actu* 3. *v.* 569. Eam in Polonia imitari coguntur delatores, calumniæ convicti. Hinc in Gneuoſſium, Subcamerarium Cracovienſem, quòd inter Vladiſlaum Jagellonem Regem & Hedvigem uxorem ejus litem & ſimultates calumniis variis excitâſſet, judicium de infamia, Viſſiciæ in Conventu Procerum, hoc modo inſtitutum legitur: *Ibi accuſatus damnatuſque, cùm non probâſſet, quæ dixerat nec dixiſſe ſe negare poſſet: ex decreto judicii mentitum ſe eſſe clarâ voce & latratu ſubter ſcamnum edito profeſſus eſt. Eſt autem ea graviſſima apud Polonos & infamiæ plena mendacii retrectatio, quæ fit publicè latratu canino adjuncto*, apud Cromerum *l.* 15. A' canibus vox aliorſum tranſlata, ad varia, etiam curas humani pectoris exprimendas. Claud. *l.* 2. *in Eutrop. Carm.* 20. *v.* 486.

—— *Septi* latrantibus *undique bellis.*

Mart. *l.* 4. *Epigr.* 53. cujus Epigraphe ad Coſmum *v.* 6.

Cuique datis latrat *obvia turba cibis.*

Ennius apud Varron.

—— *animus cum pectore* latrat &c.

Quam in rem vide plura apud Caſp. Barth. *ad Stat. Theb. l.* 1. *v.* 551. *l.* 2. *v.* 338. & *Achill. l.* 1. *v.* 451.

LATREUS, unus ex Centauris.

LATRINARUM Antiſtes, memoratur Tertulliano *de Pall. Aſpice lupas, popularium libidinum nundinas: ipſas quoque frictrices (& ſi præſtat oculos abducere ab ejuſmodi propudiis occiſæ in publico caſtitatis) aſpice tamen vel ſublimis, jam matronas videbis, & cùm* latrinarum *Antiſtes ſericum ventilat & immundiorem loco cervicem monilibus conſolatur & armillas, quas ex virorum fortium donis, ipſæ quoque matronæ temerè uſurpâſſent, omnium pudendorum conſcias manus inſerit, impuro cruri purum aut mulleolum inducit calceum.* Ubi Lenonem nonnulli intelligi volunt; quibus ideo *Leno latrinarum Antiſtes*, quòd in domo lenonia multis lavationibus opus eſſet, ad tergendas, lavandas & poliendas meretriculas: undè & quæ ſequuntur, de Lenone etiam capiunt, ſuas puellas veſtiente, ornante & calceante. Sic Leno Antiſtes, ornator, fictor, & omnia fuerit: ſed hæc ejus officia fuiſſe olim, alibi non legitur. Meretrices ſanè illæ Plautinæ in *Pœnulo*, non Lenonis officium, in ſemetipſis ornandis, fingendis pingendiſque deſiderant; ſed per ſe hoc faciunt: etſi verum ſit, in domibus lenoniis aquariolos etiam præſtò impuro huic mulierum generi fuiſſe, aquæ gerundæ deſtinatos, non tamen, ut etiam eas veſtirent, ornarent & componerent; quod munus potiùs fuit Ἐμπλεκτριῶν & Κομμωτριῶν. *Latrinas* autem pro lavatrinis aut lavationibus hîc poni, vix quiſquam perſuaſerit; quamvis certum ſit hanc hujus vocis antiquitus fuiſſe & originem & ſignificationem. De Muliere potiùs hæc accipi debere videntur: Nimiùm enim multa ſunt, quæ id ſuadeant, atque etiam evincant: ſericum, monilia in collo, armillæ in manibus, purus aut mulleolus calceus & multa alia. Hæc igitur *Latrinarum antiſtes* mulier erit, non vir, & omninò Cloacinæ Veneris Antiſtitem mulierem intellexit autor, quam contemptim *Latrinarum* appellavit *ſacerdotem.* Nam Latrinarum etiam præſes Cloacina & in ejus feſto *Latrinæ* coronabantur, ut ex eodem Tertulliano conſtat *l. de Coron Mil.* Antiſtitem autem in ſexu ſequiori uſurpavit, ut & in libr. *de Pudicit. Ejus templi æditua & Antiſtes eſt pudicitia, quæ nihil immundum & profanum inferri ſinat.* Non nimiùm caſtas & bonæ Famæ fuiſſe Venerias illas Antiſtitas pluſquam veriſimile eſt: caſtiores quippe non oportebat eas eſſe, quàm Deam ipſam, cui miniſtrabant. De iſtiuſmodi itaque femina ait Afer, *Sericum ventilat*: i. e. laxâ fluxâque ſericâ veſte ventum concipit atque undante ſerico incedit. Sed &, qui motu ſericæ veſtis ventulum ſibi faciunt, *ventilare ſericum* etiam dici queant. Idem Tertullian. *Ibid.* de Alex. *Serico ventilante pectus anhelum extinxit.* qui ſericum utique ventilabat. Juv. *de annulis*: *l.* 1. *Sat.* 1. *v.* 28.

Ventilet æſtivum digitis ſudantibus aurum,

Ovid. *de Arte Am. l.* 3. *v.* 281.

—— *Tuniciſque fluentibus auras*
Excipit.

Pergit: *Immundiorem loco cervicem monilibus conſolatur*, h. e. immundiorem latrinis, *locum* pro *latrinis* abſolutè ſumens, quo etiam modo non pauci hodie loquuntur: Græci quoque τόποι dicunt, quod ex Athen. notavit Salmaſ. *Conſolari* autem *cervicem monilibus* ideo dixit, quòd in ejuſmodi ornamentis ac nugis maximum ſolatium ſibi conſtituant φιλόκοσμοι mulieres: *collum demulcere*, eodem ſenſu apud Eund. legis. Vide quoque eum *l. de cultu Femin.* & Salmaſ. *Notis in l. de Pallio*: nec non ſupra, ubi de Vett. *Cloacis*, à quibus ſic differunt *Latrinæ*, quòd hæ privatæ, illæ publicæ ſunt: ac infrà *Neceſſitas*, it. *Soteria.*

LATRINGES, memorati Capitolino, inter gentes, quæ ab Illyrici limite Galliam uſque conſpiraverant, in *Vita* Marci Imp. Caſaub. videntur, qui Tac. dicuntur *Marſigni*, *Germ. c.* 43. ſermone cultuque Suevos referentes. Salmaſ. mel. *Lacringes* dicuntur, *Not. ad l.* Vide *ibi.*

LATRIS cum Otace, Dux Iberorum, in auxiliis Perſæ, contra Æeten. Val. Flacc. *Argon. l.* 6. *v.* 121.

LATRIS, inſ. Germ. ante oſtia Viſtulæ, & Dantiſcum urb. Plin. *l.* 4. *c.* 13. *Friſch Narung* Ortel. Cluv. eſt Oſilia *Oeſel*, inſ. maris Balth. versùs Livoniam & ſinum Rigenſem, nunc ſub Suecis pace ad Bronsbroam, A. C. 1645. Item famulæ nomen. Propert. *l.* 4. *Eleg.* 7. *v.* 75.

Deliciæque meæ Latris, *cui nomen ab uſu eſt.*

LATRO M. Porcius, vide *ibi.*

LATRONES, apud Jul. Capitolin. *in Marco*, *Latrones etiam Dalmatiæ atque Dardaniæ, milites fecit*: in univerſum dicuntur omnes Dalmatæ Dardanique, quòd gentes eſſent *latrociniis* deditæ & ut plurimùm rapto viventes. Caſaub. *ad l.* Quod olim apud varias gentes etiam in laude fuiſſe poſitum, dicemus infrà, ubi *de Piratica*, it. *Rapina.* Apud Vett. ævi Scriptores nomen maximè malefici latronis *Sinis* fuit, de quo vide Ovid. *Ep.* 2. Phyllis Demophoonti. *v.* 70. *Met. l.* 7. *v.* 439. in Ibin. *v.* 408. paſſim, Autorem *Ciris*, Propert. Plutarch. *Theſeo*, Hygin. *Fab.* 38. Apollod. *fine l.* 3. Strab. *initio l.* 9. Pauſ. *Corinthiac.* Suid. qui λῃστὴν βλαπτικὸν appellat, Diod. Sic. *l.* 4. ubi totam ejus Hiſtoriam perſequitur, Alios. Adde Andr. Schottum *Obſervat. l.* 2. *c.* 29. & Caſp. Barthium *Animadverſ. ad Stat. Theb. l.* 12. *v.* 576. Eleganti tranſlatione lupos *latrones* vocat vet. Scholiaſtes ejuſdem poëtæ ad *Theb. l.* 5. *v.* 167. utpote rapto viventes & prædæ aſſuetos. Hinc de lupo Phædr. *in Fabulis, l.* 1. *Fab.* 16. *v.* 5.

Rapere, atque abire ſemper adſuevit lupus.

Qui proin diſertè eum *latronem* vocat *l.* 1. *Fab.* 1. ſicut *prædonem* Mart. *l.* 2. *Epigr.* 75. cujus Epigraphe Leo. *raptorem* Virg. *Æn. l.* 2. *v* 355. &c. At in primævo ſignificatu *latro*, miles vel ſatelles conductus eſt, quaſi *latero*, Varr. Græce σωματοφύλαξ, cujuſmodi miniſtros recentiùs ævum *Scurras* dixit, ut infrà videbimus. Hi, quòd circùm *latera* eſſent Regibus, atque ad *latera* haberent ferrum, hinc nomen accepêrunt: quod tamen nonnulli ἀπὸ τοῦ λάτρου, i. e. *ſtipe*, unde & *Stipatores* Latinis, vel ἀπὸ τῆς λατρείας, *à miniſterio*, malunt deductum. Inde *latrocinari*, pro militare. Plaut. Mil. *Act.* 2. *Sc.* 8. *v.* 19. Trinumm. *Act.* 2. *Sc.* 4. *v.* 198. Poen *Act.* 3. *Sc.* 3. *v.* 90. Corniculariâ, *Latorcinatus annos decem.* Suet. *in Tib. Ner. c.* 37. *Qui apud Regem in latrocinio fuiſti, ſtipendium acceptaſti* &c. Poſtea *voces hæc ad truculenta & ſcelerata homicidia ſunt tranſlata*, Nonius *c.* 2. Vide hîc paſſim, ubi de *Piratis*, *Prædonibus*, alibi. Addam ſaltem, *de fide etiam latroni ſervanda*, illuſtrem locum Hug. Grot. *de Jure Belli ac Pacis l.* 3. §. 2. *Belli piratici magnam partem Cn. Pompejus pactionibus confecit, vitam illis pollicitus & ſedes, in quibus ſine rapto viverent ---- Cæſar Belli civ. l.* 3. *c.* 4. *à Romanis Ducibus, cum prædonibus & fugitivis, qui in Pireneis erant montibus, actum de compoſitione ſcribit, qui dixerit, ſi quid conveniſſet, nullam inde exituram fuiſſe obligationem? Non habent quidem iſta ſpecialem iſtam communionem, quam inter hoſtes in bello ſolenni & pleno introduxit jus gentium: at, quia homines ſunt, communionem habent juris naturalis ---- ex quo naſcitur, ut pacta ſervanda ſint. Sic Diod. fugitivorum Duci Apollonio à Lucullo fidem ſervatam memorat. Et Dion ſcribit, ab Aug. Crocotæ* latroni *perſolutum pretium, capiti ejus impoſitum, cùm ſe ipſe ſiſteret, ne fides violaretur.*

LATRONIANUS, Hiſp. poëta celebris, Sec 4. cùm Maximus contra Gratianum inſurgeret, antiquis, Hier. *de Script. Eccl.* judicio conferendus. Sed in Priſcilliani errores prolapſus, Conc. Burdigal. condemnatus, & Treviros, ubi Maximus, ad quem Priſcillianus appellaverat, degit, deductus, atque cum ſociis ibi Occiſus eſt. A. C. 385. Sulpic. Sev. *l.* 2. *c.* 65.

LATRONUM Inſ. *Ilhas de los Ladrones* Luſitanis, *iſles des Larrons* Gallis, plurimæ in Oceano Eoo, à Sept. in Mer. extenſæ, inter Mare Pacificum ad Ort. & Oceanum Sinicum ad Occaſ. Aliter *Ilhas de las Velas.* Earum præcipuæ Anglica, Artomagana, Bidinia ſ. *de Saavedra*, Botaba, Chemochoa, Chereguana, Deſerta, Gregua, Guagana, Mana, Nautarum, Pagana, Rupium ſ. *des Arecifes*, Sepania, Vilania, *Vilan*, ſ. *Pulo. Vilan*, & Volia. Vide *Inſulæ Latronum.*

LA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LATRONUM Luſus, idem cum *Ludo Latrunculorum* i.e. *Calculorum*, quem Græci recentiores Ζατρίκιον, indeque Mauritani *Alzatrec* & Hiſpani *Axedres* vocant. Ovid. *de Arte Am. l.* 2. *v.* 207.

> *Sive* latrocinii *ſub imagine calculus ibit* &c.

Scachios hodie appellant Itali & Galli, voce à *calculis* detortâ. Inventus à Græcis, ab iis ad Perſas tranſiit, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1130. magnæ & vetuſtatis & nobilitatis, exerceturque in tabula luſoria ſexaginta quatuor areolis diſtincta, novem lineis ex unaquaque parte ſe mutuò interſecantibus, in quibus duo ſcrupi nomen *Regum* præferunt, duo alii *Reginarum*, quatuor *Equitum*, totidem *Satellitum*, quatuor itidem *Centurionum* ſ. *Elephantorum Turrigerorum*, ſexdecim denique minores *Peditum*, ut ex elegantiſſimo carmine Hier. Vidæ *de Scacchiæ Ludo* liquet, de *Alphino* ſuprà. Et quidem Rex ex hiſce non niſi maximâ urgente neceſſitate movetur, uti pluribus videre eſt, apud Achmetem *de Zatricio*. Fl. Vopiſc. *Imp.* in hoc ludi genere appellationem uſurpat, *in Proculo*, *Nam cùm in quodam convivio ad latrunculos luderetur, atque ipſe decies Imp. extitiſſet, quidam non ignobilis ſcurra, ave, inquit, Auguſte, allataque lenâ purpureâ humeros ejus vinxit.* Inter alia enim Principatûs ornamenta & inaugurationis ſymbola, purpureâ quoque chlamyde Imperatorum olim humeros veſtiebant. Reliqui calculi *latrones* modò, ut dictum, modò *milites*, appellitantur. Mart. *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 20. cujus Epigraphe Calculi.

> Inſidioſorum *ſi ludis bella* latronum,
> *Gemmeus iſte tibi* miles *& hoſtis erit.*

Unde Senec. *Ep.* 117. *in fin. tabulæ latrunculorum* meminit, & Plin. *l.* 9. *c.* 54. *à Mutiano, etiam latrunculis luſiſſe cerâ fictis ſimios, proditum eſſe* ſcribit. At Autor *Panegyrici ad Piſonem*,

> *Interea ſectis quamvis acerrima ſurgant*
> *Prælia militibus, plenâ tamen ipſe phalange,*
> *Aut etiam pauco ſpoliatus milite vincis.*

Omnia namque in hoc ludo ad bellum compoſita, undè *militum*, *aciei*, *phalangis*, *prælii*, *hoſtium*, *captivorum*, *tropæorum*, paſſim mentio apud Vett. dum illum deſcribunt. Hi itaque turmis utrinque inſtructi, hoſtili quadam imagine procedunt; ſimulataque acie congrediuntur, & ſtatione unicuique calculo præſcriptâ, hoſtem Reges impetunt, ſibi quantum licet, caventes. Tunc verò victi cenſentur, cùm omnes ex adverſo ludentes milites capiuntur Regique nullus patet effugii locus: unde & nonnullis ludo *Scacchiæ* nomen ab Hebr. *Schach*, i.e. vallavit, & vox *mat*, vel *mot*, quæ uſurpari ſolita de Rege ad incitas redacto, in eadem lingua *Mortuus eſt* denotat, vide & infrà *Mattus*. Regem enim ipſum, i.e. principem calculum, capere licet nunquam. Neque verò *capi* ſolùm, ſed & *ligari* calculos, mos. Autor Panegyrici *ibid.*

> *Ut niveus nigros, nunc & niger alliget albos.*

Idem paulò pòſt,

> *Ancipites ſubit ille moras, ſimiliſque ligato*
> *Obligat ille duos* ——

Sed aliter ligantur, aliter capiuntur &c. Porro tabula in qua *latronibus* luditur, tota lineis ut dictum diſtincta eſt & unicuique calculo ſuus locus ac ſua ſedes attributa; quas ſedes Gr. olim πόλεις, poſtea χώρας, item γραμμάς, & γραμμικὰς χώρας, quòd lineis invicem diſcluſæ eſſent & interſeptæ, vocârunt; undè & πόλις quoque Vett. hoc ludi dictum. Latini *mandras*, *ſepta*, *vallos*, *capſos* & *carceres*, appellant Mart. *l.* 7. *Epigr.* 71. cujus Epigraphe ad Paulum.

> *Mandris*, *& vitreo* latrone *clauſos.*

Græci recentiores ζατρίκιον & ζάτριον vel ζατρεῖον, quo nomine indigitabatur propriè *piſtrinum* vel *carcer*, in quem ſervi nequam conjiciebantur, undè poſteà toti ludo nomen ut vidimus. Qui victor erat in ludo hoc, *Imperatorem* fuiſſe appellatum, ex *Proculo* Vopiſci vidimus, *ad quem* de hoc Ludo plura congerit Salmaſ. Cæterùm Ludi inventorem in ſpecie Donatus *in Ter. Eunuch. Act.* 4. *Sc.* 7. ad illud, *v.* 13.

> *Idem hoc jam Pyrrhus factitavit*,

Pyrrhum Epirotam fecit, quem *ſtratagematum peritiſſimum primum*, *quo pacto ea diſciplina traderetur per calculos, in tabula oſtendiſſe*, ſcribit. Belli namque ſimulacrum, ut diximus ac imago ludus hic eſt. Vidas *in Scacchiæ ludo, ab initio*:

> *Ludimus effigiem belli, ſimulataque veris*
> *Prælia, buxo acies victas & ludrica regna.*
> *Ut gemini inter ſe Reges albuſque nigerque*
> *Pro laude oppoſiti certent bicoloribus armis.*

Claud. *in Honorii* 6. *Coſ. Carm.* 28. *v.* 621.

> *Hic & belligeros exercuit area luſus*,
> *Armatos hic ſæpe choros.*

Undè ludi hujus beneficio in arte militari nobiles ſuos exercuiſſe Mauritius Naſſavius, Dux belli celebratiſſimus, legitur apud Dan. Heinſ. *Orat. Funebri Principis hujus*: alioſque ſcientiam hinc militarem apprimè didiciſſe novimus. Seneca *l.* 2. *de Ira c.* 14. inventi hujus gloriam Chiloni ſapienti: Joh. Saresberienſis *Policratici l.* 1. *c.* 5. Attalo Aſiatico tribuit. Communior conſenſus exercitationis tam ingenioſæ autorem Palamedem facit, Nauphi filium, qui in obſidione Trojana, ut milites in officio contineret, illud ludicræ dimimationis genus excogitâſſe ſcribitur. Vide Pauſ. *in Corinth. & Phocic.* Philaſtratum Lemnium *in Heroic.* Greg Nazianz. *Invectivâ* 1. Suid. in voce Τάβαλα &c. Quare Aur. Caſſiod. *Palamediacos calculos* jure indigitat, *l.* 8. *Ep.* 31. atque hanc quidem Palamedis tabulam, donarii loco, Deorum fanis dedicatam, ſummâ apud poſteros dignatione fuiſſe, tradit Serv. *l.* 2. *Æn. ad illud*, *v.* 82.

> *Belidæ nomen Palamedis.*

Sic Sidon. Apollin. de eo diſertè, *Carm.* 23.

> *Tanquam Naupliades repertor artis*,
> *Gaudebas hilarem ciere rixam*, &c.

Sed de *Palamedis* luſu infrà videbimus. Calculi, ut & hoc addam, nonnunquam è cera, ut ex Plin. ſuprà vidimus: aliquando è vitro fuêre. Ovid. *l.* 2. *de Arte Am. v.* 207.

> *Sive* latrocinii *ſub imagine calculus ibit*,
> *Fac pereat vitreo miles ab hoſte tuus.*

Idem *l.* 3. *v.* 337.

> *Cautaque non ſtulte* latronum *prælia ludat.*

È gemmis ſuggerit Mart. *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 20. cujus Epigraphe Calculi.

> *Inſidioſorum ſi ludis bella* latronum,
> *Gemmeus iſte tibi miles & hoſtis erit.*

Ex ebore, Juv. *l.* 4. *Sat.* XI. *v.* 132. Plerunque è buxo, unde *buxo acies victas* canentem Vidam retro audivimus. Fuit hic ludus frequentiſſimus apud priſcos. Seneca ſæpe meminit, *Ep. ſuperius laudatâ, Nemo qui ad incendium domûs ſuæ currit, tabulam latruncularium perſpicit, ut ſciat quomodo alligatus exeat calculus.* Ubi egregiè, *alligatus*: Erat enim quiddam inſtar dimicationis & alterius coloris calculi alteros ad ultimam ſ. extimam tabulæ lineam agebant; deinde victoriæ in eo erat ſumma poſita, ſi implexum obſeſſumque calculum luſor eduxiſſet. Idem *de Brevitate vitæ c.* 13. *Perſequi ſingulos longum eſt, quorum aut latrunculi, aut pila, aut excoquendi in Sole corporis curâ conſumpſêre vitam*: Ubi pro otioſo exercitamento luſum hunc poſuit. Nihilominus glorioſum Viris etiam in Rep. eminentibus fuit, ſuperiores in eo extitiſſe: probroſum & ignominiæ proximum, ſuperari ac ad incitas redigi. Proin pergit Seneca *de Tranq. animi c.* 14. *Veriſimile non eſt*, inquiens, *quæ vir ille dixerit, quæ fecerit, quàm in tranquillo fuerit, ludebat* latrunculis, *cùm Centurio agmen periturorum trahens, & illum citari jubet, vocatus numeravit calculos, & ſodali ſuo, vide, inquit, ne poſt mortem meam mentiaris te viciſſe. Tum annuens Centurioni, teſtis, inquit, eris, uno me antecedere.* Cui planè ſimile quid narratur de Joh. Frid. Sax. El. in caſtris Car. V. Imp. ante Wittebergam captivo. At non eadem mens Jacabo Magnæ Britanniæ Regi, qui in *Regio munere*, libro ad Filium, hujus generis ludum Principibus, utpote qui non animum feriis fatigatum curis levaret, ſed potiùs operoſiùs intentum occuparet, fugiendum ſuadet, quem ſi placet, vide: & plura hac de re apud Thom. Dempſter. in *Paralip. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 1. alioſque, Sereniſs. in primis Guſtavum Selenium *l. peculiari.* De eo incertus Autor, *poëmate ad Piſon. jam ſuprà cit.*

> *Te ſi fortè juvat ſtudiorum pondere feſſum*
> *Non languêre tamen, luſuſque movêre per artem,*
> *Callidiore modo tabulâ variatur apertâ*
> *Calculus, & vitreo peraguntur milite bella,*
> *Ut niveus nigros, ſic & niger alliget albos.*
> *Sed tibi quis non terga dedit? Quis te Duce ceſſit*
> *Calculus, aut quis non periturus perdidit hoſtem?*
> *Mille modis acies tua dimicat, ille petentem*
> *Dum fugit, ipſe rapit, longò venit ille receſſu,*
> *Qui ſtetit in ſpeculis, hic ſe committere rixæ*
> *Audet, & in prædam venientem decipit hoſtem.*
> *Ancipites ſubit ille moras, ſimiliſque ligato*
> *Obligat ipſe duos, hic ad majora movetur,*
> *Ut citus, & fractâ prorumpat in agmina mandrâ,*
> *Clauſaque dejecto populentur mœnia vallo.*
> *Interea ſectis quamvis acerrima ſurgant*
> *Prælia militibus, plenâ tamen ipſe phalange,*
> *Aut etiam pauco ſpoliatâ milite vincis,*
> *Et tibi captivâ reſonat manus undique turmâ.*

Aliud à *latrunculis* ludi genus indigitat Petron. Arbiter Edit. Gonſali de Salas. *p.* 18. Edit. Boſch. *c.* 33. quum ait: *Sequebatur puer cum tabula terebintina & criſtallinis teſſeris: notavitque rem omnium delicatiſſimam. Pro calculis enim albis aut nigris aureos argenteoſque denarios habebat. Interim dum ille omnium teſſerarum agmen inter luſum conſumit, guſtantibus adhuc nobis &c.* Quòd enim hîc Gonſalius *latrunculorum* intelligit luſum, inſigniter peccat, duodecim ludum ſcriptorum cum *latrunclis* confundendo: ut *Auguſtam Hiſtoriam* Salmaſ. verba hæc Petronii adhibens, præclarè oſtendit. Ludus ſignificatur, in quo & teſſeris & calculis pugna fit, qui *latrunculorum* eſſe non poteſt, ubi

> *Unus cùm gemino calculus hoſte perit.*

Nam in hoc nihil fortunæ committitur. Intelligit ergò ludum duodecim ſcriptorum (non *ſcruporum*, ut ex Opicis libris retinet Gonſalius) admodum ſimilem illis, qui hodie *Trictrac*, aut *Verkeeren*, aut *Lurtſchen*, aut ſimplicius genus *aus und ein*, Gallis & Germanis utriſque appellantur: verba ſunt Joh. Friderici Gronov.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

novii de Pec. Vet. l. 3. c. 15. p. 514. & 115. Vide quoque hîc paſſim.

LATURÆ, ſinus Libyci maris. P. Mela l. 1. c. 6. Golfo di Zereni quibuſd. di Eſtoro, Marmolio. Vide Numidicus.

LATUS Ferreum, cogn. Biorni, apud Suenonem Hiſt. Dan. l. 7. Vide ſuprà Ferrebrachia.

LATUS Nili, incola piſcis, de quo vide infrà in voce Silurus.

LATUS tegere, apud Horat. Sermi. l. 2. Sat. 5. v. 18.

Ut ne tegam ſpurco Damæ latus? —

Aliàs latus claudere, eſt inferiorem incedere, ut ex præcedd. liquet: Idem ibid. v. 15. & ſeqq.

Qui quamvis perjurus erit, ſine gente, cruentus
Sanguine fraterno, fugitivus: ne tamen illi
Tu comes exterior, ſi poſtulet ire, recuſes.

Ubi Ulyſſes jubetur hominem impuræ & ſervilis conditionis, ſed divitem, honorificè domum vel deducere, vel quocunque ire velit, diligenter ſequi. Tegere ſimpliciter vocat Stat. Theb. l. 2. v. 219.

Hunc tegit Jaſiusque. ————

i. e. à latere ſequitur, ut ſcriptus Explanator interpretatur. Vide Caſp. Barth. ad l. ubi Scalig. latus tegere, δορυφορεῖν exponentem, Comm. ad Catalecta Virg. refellit, ut & hic in voce Dexter, Lævus, Siniſter. De Laterum verò aduſtioribus inter publicas pœnas memoratis, l. 1. Cod. de emend. Serv. Vide ſuprà aliquid in voce Lamina. Adde quæ infrà dicemus in voce Tæda, ubi & de ſævitia Tyrannorum, qui ferreis quoque pectinibus Martyrum latera ſcindere non horruêrunt.

LATUSATES, Galliæ Aquitanicæ pop. Plin. l. 4. c. 19.

LATUS-CLAVUS, apud Horat. Serm. l. 1. Sat. 6. v. 28.

— latum *demiſit pectore* clavum:

laticlavia tunica eſt, Senatorium apud Rom. inſigne. Iſid. l. 9. Quamvis Senatoriâ quis origine eſſet, uſque ad legitimos Annos eques Romanus erat: deinde accipiebat honorem Senatoriæ dignitatis. Nempe Senatorum filii veteri jure Equites tantùm erant, uſque ad Annum Æt. 25. (quam Senatoriam ætatem fuiſſe, ex Dione diſcimus) tum lati-clavi demum jus habebant. Primus Cæſar, cùm de Octavio nepote ſuo maximam ſpem concepiſſet, brevique eum ad rerum adminiſtrationem admoveri cuperet, tempus anticipavit eique jus tunicæ Senatoriæ conceſſit, ante tempus legibus hactenus definitum. Ipſe poſtea Octavius Aug. Suet. in eo c. 38. & 94. Liberis Senatorum, quò celeriùs Reip. aſſueſcerent, protinus virilem togam, latum clavum induere & Curiæ intereſſe permiſit: circa tertium vel quartùm Annum, poſt reditum ſuum à victo Antonio. Non verò ita fuit hoc jus promiſcuum, ut ſine cognitione Principis uſurpari poſſet: quin patres id ab eo liberis ſuis, quos Reipubl. deſtinabant, petere tenebantur: undè munus id vocat Stat. qui jus hoc præclarè expreſſit Sylv. l. 4. Carm. ad Jul. Menecratem. Quin ſæpe evenit, ut fratrum alter beneficio Principis uteretur, abſtineret alter, pro patris voluntate, vel ingenii diverſitate, uti diſcimus ex Veſpaſiano Suet. c. 2. & 4. Imò quos vota parentum Curiæ deſtinâſſent, eos non raro vel fortuna adverſa cogebat, vel propria voluntas impellebat, retrocedere & inferiore gradu ſubſidere: atque his ponendus latus clavus erat, elapsâ Senatoriâ ætate. Unde Ovid. de ſe ipſo, Triſt. l. 4. v. 35.

Curia reſtabat: clavi *menſura coacta eſt.*

Tandem eò ventum, ut etiam eorum, qui Equites tantùm erant, quidam hunc clavum retinerent & veſte Senatoriâ decorarentur. A quo more manavit illa Senatorum diſtinctio; in Juvenes & Honoribus defunctos, indigitata Tac. Ann. l. 6. & l. 13. dictique ſunt illi Juvenes ſecundi ordinis, primo gradu iis conceſſo, qui domum Auguſtam, neceſſitudine aliquâ vel affinitate contingerent. Vide Stat. præf. l. 4. Sylv. & plura hanc in rem, apud Caſaub. ad Suet. Aug. l. c. nec non in vocibus, Laticlavii &c. Addam ſaltem, lato clavo ad manus fimbriato uſum legi Cæſarem, apud eund. Suet. in eo c. 45. & 80. quid verò fimbriæ ſint, retro diximus.

LATUSHIM, fil. Dedan filii Jecſan. Gen. c. 25. v. 3.

LATYMNUM, mons Crotonis, vel ut alii, Laconiæ. Schol. Theocriti. Vulgò Monte di Crotone.

LAVABO, in Eccl. Rom. charta, ad dextrum Altaris latus poni ſolita, cui inſcriptum Lavabo manus. Richelietus in Dict. Gall.

LAVALLÆA, Gall. LAVAL, illuſtris in Gallia Fam. cujus hæreditas per Emmam Guidonis VI. vel VIII. filiam, & Matthæo II. Domino Montmorencio nuptam, huic familiæ illata eſt. Fil. Matthæi Guido, nomen de Laval aſſumpſit, undè ab eo deſcendêrunt Domini, qui deinceps Comites de Laval & omnibus commune Guidonis nomen fuit. Verùm illa linea terminata eſt in Anna Guidonis XII. filia, quæ Joh. Montfortio nupſit: hic verò nomen Guidonis XIII. aſſumpſit, ac ad poſteros hæreditatem uxoris tranſmiſit, qui ſic habent. Rudolphus VI. Dn. de Montfort & Caël, ex Alienora d'Ancenis, genuit Rudolphum VII. Dn. de Montfort: cui Iſabella Dn. de Loheac & Rochebernard genuit Rudolphum VIII. Dn. de Montfort, Loheac & Rochebernard: quo & Johannâ de Kergolay (filiâ Joh. Extincti A. C. 1364.) natus Joh. de Montfort, inde Guido XIII. Bar. de Laval (ut diximus) Ductâ Annâ Dn. de Laval & Vitré (filiâ Guidonis XII. Dn. de Laval & Vitré, Vicecom. de Rennes, Defuncti A. C. 1412. & Johannæ de Laval) Obiit A. C. 1415. relicto fil. Guidone XIV. Com. de Laval & Montfort, Vicecom. de Rennes, qui Defunctus A. C. 1486. ſucceſſorem habuit, fil. ex Iſabella Britannica (filia Joh. VI. Duc. Britanniæ) Guidonem XV. Com. Laval. & Montfort, qui Obiit improlis A. C. 1500. Reliqui Guidonis XIV. liberi erant, Joh. Dn. de Rupe Bernhardi ſ. Rochebernard (qui Defunctus A. C. 1476. pater fuit Guidonis XVI. Com. Lavall. avus ultimorum hujus familiæ) Petr. Archiep. Rhemenſis (Den. A. C. 1493.) Jolanda (ux. Alani de Rohan Vicecom. de Leon, & poſtea Guilelmi de Harcourt. Com. de Tancarville) Franciſca, Johanna (ux. Renati Regis Hieroſolymæ & Siciliæ Duc. Andegavenſis, Den. A. C. 1498.) Anna, Artuſa, Helena (ux. Joh. de Malo Stricto) Maleſtroit (Dn. de Derval) & Luiſa, ux. Joh. de Britannia Com. de Penthieure. Vide Phil. Jac. Spener. Theatr. Nobil. Europ. Parte II. p. 66. Sed & præter hunc ramum principalem, alii ſurculi juxtà enati ſunt Dominorum de Atticby, Chalouyau, Raiz, la Suſe, Pacy ſur Marne atque Loue: qui ultimus denuo plurimos palmites dedit, Dominorum de S. Aubin, Boisdaulphin, quibus nunc Marchionum dignitas & titulus de Sablé acceſſit) la Faigne, Tartigny, Brée. At hos omnes primogeniti Dn. de Loue, qui etiam Vicecomites de Broce, Comites de Joigny ac Meille & March. de Neele facti ſunt, dum ſuperfuêre, antecedebant: Diximus de iis ſuprà in voce Joigny.

LAVALLIUM, vulgò LAVAL, urbs prov. Cenomanenſis, ad Meduanam fluv. in dit. Tremolliæ Ducis, 15. leuc. ab Andegavo in Bor. totidem à Cenomano in Occ. Aliàs Vallis Guidonis: pannificio & Conc. A. C. 1242. nobilis.

LAVANDI Ritus, Gentibus frequens, in utroque ſexu & ætate quacunque. Frigidâ Heroes delectati, undè Herculea lavatio in Prov. ubiit, & in thermas graviter invehitur Athen. Vide Euſt. in Hom. Il. χ & Odyſſ. δ. Placuêre tamen & hæ fortibus Romanis, de quibus hîc paulo fuſiùs. Habuêre illi balneas cum publicas, easque vel æſtivales vel hyemales, tum etiam privatas. Quaſdam enim publicis impenſis populo univerſo extructas, diſcimus ex Theod. & Valent. Augg. leg. 5. C. de Aquæductu: idque pro ratione caloris frigoriſque, uti innuit Sidon. Apollin. Carm. 22. v. 179.

Porticus ad gelidos patet hinc æſtiva Triones,
Hinc calor innocuus thermis hyemalibus exit,
Atque locum tempus mollit.

De privatis vide Scholiaſtem Juv. l. 3. Sat. 7. v. 3. & Plin. l. 2. Ep. 17. qui illas meritorias vocat. Sed de voce Balnea, vide ſuprà: ut & infrà in voce Thermæ. Principium ritûs ab exercitiis ortus, quòd ſudorem aquâ abluere ſalubre judicaretur, ideo milites, qui in campo decurrebant exercebanturque, in Tiberi vicino natabant, cives verò delicatiores calidâ aquâ in balneis ſe abluebant. Sed priuſquam abluerentur, quod communiter fiebat ante cœnam, ſudorem pilâ ludendo excitabant: undè in conf. balnei ſphæriſterium fuiſſe, docet Plin. præfat. l. 5. Ep. 6. Poſt cœnam autem non niſi nepotes lavabant. Plaut. Rud. Act. 1. Sc. 2. v. 62.

Propter viam illi ſunt vocati ad prandium,
DA. qui? SC. quia poſt cœnam, credo, lavêrunt heri,

Similiter antequam ad Tonſorem irent, in Thermas priùs ſe conferebant. Idem Aſin. Act. 2. Sc. 2. v. 90. ubi Servus in tonſtrina reſidens,

Ille in balineas iturus eſt, indè huc veniet poſtea.

Lavandi tempus à meridiano ad veſperum conſtituit Vitruv. Architect. l. 5. c. 10. Tertullian. l. adv. Pſychicos horam nonam definit: quod præter leges cenſorias, quibus octava thermis dedicata eſt. Hinc Mart. l. 10. Epigr. 48. cujus Epigraphe. Parat convivium.

Nuntiat octavam Phariæ ſua turba juvencæ,
Et pilata redit jamque ſubitque cohors.
Temperat hic thermas, nimios prior hora vapores
Halat, & immodico ſexta Nerone calet.

Plin. l. 3. Ep. 1. hyeme nonam, æſtate octavam lavandi horam, fuiſſe indicat: quo ſenſu capi poteſt illud Mart. l. 4. Epigr. 8. cujus Epigraphe ad Euphemum v. 5.

Sufficit in nonam nitidis octava palæſtris:

ut ab hora octava hyeme pilâ luſerint, deinde balnea acceſſerint unguendi fricandique. Cùm itaque tempus adeſſet, tinnitu æris Thermarum vel tintinnabuli majoris, cujus ſonus longè lateque exaudiebatur, non ſolùm qui pilâ exercebantur prope Thermas, ſed & longius diſſiti, convocabantur lavatum. Mart. l. 14. Apoph. Epigr. 163. cujus Epigraphe Tintinnabulum.

Redde pilam; ſonat æs thermarum; ludere pergis?

Hinc & Cic. in Tuſcul. Simulatque increpuiſſet, (i. e. Thermarum tintinnabulum auditum eſſet) Romanos, relictis Philoſophis & Præceptoribus unctum (nam, qui laviſſent, ungebantur, vide infrà) ire ſolitos ait. Lavabantur auem viri omnes quadrante, quam ob cauſam rem quadrantariam Seneca balneum appellat, feminas autem gratis laviſſe, Juv. docet: quod & impuberibus præſtabatur; undè idem: Sat. 2. l. 1. v. 152.

Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lævantur.

Ungebantur dein veſtibus depoſitis loti. Petron. Satyr. Edit. Gonſali de Salas p. 15. & Edit. Boſch. c. 28. Jam Trimalcio unguento perfuſus tergebatur, non linteis, ſed palliis ex molliſſima lana factis. Plaut. in Pſeud. Act. 4. S. 7. v. 93.

Uncti hi ſunt ſenes, fricari ſeſe ex antiquo volunt.

in loco, qui proin *unctuarium* vocabatur, Plin. *l.* 2. *Ep.* 17. & *unguentaria cella* Sidon. Apoll. *l.* 2. *Ep.* 2. inde ad cœnam ibatur: quæ omnia conjungens jam ſæpius laudatus Plin. Jun. *l.* 3. *Ep.* 1. *Ubi hora balnei nuntiata eſt*, inquit, *in Sole, ſi caret vento, ambulat nudus; deinde movetur pila vehementer & diu, nam hoc quoque exercitationis genere pugnat cum ſenectute, lotus accubat & pauliſper cibum differt.* Mulieres ſeorſim *lavabantur*, quamvis diſplicuerit D. Hier. *adultas Virgines lavacra adire*, *l.* 2. *Ep.* 15. *ad Lætam*: autore Hadriano, apud Spartian. Sed & invaleſcente luxuriâ promiſcuum *lavandi* morem ſuſtulit Antoninus Philoſophus, docente Julio Capitolino; quod & Græcis conſuetum. Utrique in balneis carmina recitabant, & ea quæ inaudierant referebant, quare garrulitatis nomine notati balneatores. Qui dominum *lavantem* ungebant, *Aliptæ* i. e. *Unctores* dicebantur, quorum inſtrumenta erant ſtrigilis, lintea, guttus; Hos egregiè ridentem vide ſis Epictetum apud Arrian. *l.* 3. *c.* 26. Imò qui unguenta promeret & aſſervaret, peculiaris miniſter fuit, *Unguentarius* dictus: quod docet Serv. *ad Æn. illud l.* 1. *v.* 697.

——— Ubi mollis Amaracus illum
Floribus & dulci aſpirans complectitur umbrâ.

Docet enim, Amaracum puerum regium Unguentarium fuiſſe, qui caſu lapſus, dum ferret unguenta, majorem ex confuſione odorem creaverit. Horat. hujuſmodi puerum alloquitur *Carm. l.* 3. *Ode* 14. cùm ait: *v.* 17.

I, pete unguentum puer, & coronas,
Et cadum Marſi memorem duelli.

Quòd autem axillas olim vellerent, & lævigarent cum toto corpore, id verò mollitiei adſcribendum eſt. Imò poſt pumices, reſinam & volſellas eo ventum eſt, ut pſilothro & dropace adhibitis, pilos arcerent, vide Plin. Valerian. *l.* 3. *c.* 54. Mart. *l.* 3. *Epigr.* 74. cujus Epigraphe in Gargilianum.

Pſilothro faciemque lavas, & dropace calvam:
Nunquid Tonſorem Gargiliane times?

Veſtimenta *lavantium* ſervabant Capſarii, & peculiares aliquando è familia homines. Matronas quod attinet, ancillarum opera olim uti conſuevêre: non enim univerſæ cum tunica pudorem poſuerant, ut illa Juv. *l.* 2. *Sat.* 6. decantata. *v.* 445. Poſtea *lavanti* dominæ Eunuchi adfuêre. Claud. *in Eutrop. l.* 1. *Carm.* 18. *v.* 105. *& ſeqq.*

——— Eous Rector Conſulque futurus
Pectebat Dominæ crines, & ſæpe lavanti
Nudus in argento lympham geſtabat alumnæ:
Et cùm ſe rapido feſſam projecerat æſtu,
Patricius roſeis pavonum ventilat alis.

Hinc magno in pretio, non tantum apud Barbaros, ſed & apud Rom. in hujus interioris tutelæ gratiam *Cuſtodes* dicti. Afferebant hi aquam in conchis, quibus etiam unguentum aſſervari ſolebat. At in balneis ea ſubminiſtrabatur vaſis argenteis, quæ *lavationem* JC. appellant: quo nomine aliquando labrum ipſum ſ. lebetes quidam intelligi volunt, quos conſtat argenteos fuiſſe, ex Statio *l.* 1. *Sylv.* 5. *v.* 48. Laurentius tamen JC. *Notis in Phæd. fab.* 5. *l.* 4. *v.* 22. innui contendit omnem ſupellectilem balnearem, quam *Argentum balneare* vocat *l.* 32. §. 7. *ff. de aur. & arg. leg.* cujus generis: Strigiles, gutti, urceoli, ſpeculum, matula, ampulla olearia &c. Eadem in Baſilicis, ὁ τῶ λουτρῶν ἄργυρος, aliàs uno nomine *Balnearia* appellabantur, quæ peregrinaturi ſecum, velut viaticum neceſſarium, convehebant: ut ex Plauto apertum *in Merc. Act.* 5. *Sc.* 2. *v.* 86.

——— Tollo ampullam atque hinc eo.

Lavantibus qui aliquid ſurripiebat, Tertulliano *Apologet. c.* 44. *Lavantium prædo*: JCtis *Fur Balnearis* dicitur. His dupli pœnâ Romæ ſtatuta fuit, Athenis mors, ex Solonis lege, cujus rationes: Quia primò facillimum eſt in balineis, aliiſque locis publicis furari, & à furibus ne tum quidem rectè caveri poterat, cùm maximè cavebatur, tam multi erant, tam improbi Præterea, non licebat quenquam à balineis, gymnaſtis & locis publicis arcere. Denique non tam in privatos, quàm in ipſam Remp. fures hi committunt, Vide Sam. Petit. *Comm. in LL. Attic. l.* 7. *tit.* 5. *p.* 530. & *ſeqq.* & plura de *Lavandi ritu* apud Laur. Pignor. *Comm. de Servis* & Th. Dempſter. *Paralip. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 14. Addit Bartholinus de Puerperis, quinto die emergente inſtitui ſolita fuiſſe olim λοετρὰ λεχώϊα, *lavacra puerperalia*, ad manus earum abluendas, quæ obſtetricatæ fuerant, aut aliquid attigiſſent ex puerperio, ipſiusque puerperæ, ob curarum ſolutionem & laſſitudinem. Unde Parrhaſius *Quæſit. per Ep* prolixè diſputat, *An ſolitæ ſint puerperæ à partu ſtatim lavare?* Locum enim Terentii *Andria Act.* 3. *Sc.* 2. *v.* 3.

Nunc primùm fac, iſta ut lavet,

de ipſa explicat puerpera. Quemadmodum Apollon. Rhod. *Argon. l.* 2.

——— Ἠ δὲ λοετρὰ λεχώϊα τοῖσι πένονται.

Atque balneas *puerperio condecentes illis parant.*

Quo more poſteà ſolennibus natalitiis ſervato, *lavabant* manus, quum epulas inſtruerent, idque in pollubro & gutto. Ipſi infantes, quamprimum utero egreſſi, ſtatim *lavabantur*, teſte Hier. *l.* 4. *ad Ezechiel.* undè Bromia ancilla apud Plut. Amphitr. *Act.* 5. *Sc.* 1. *v.* 50.

Poſtquam peperit pueros, lavare juſſit nos.

Idque partim ſale, moleſto ſatis, partim aquâ, eaque vel tepidâ, ut in funeribus, vel fervente, vel frigidâ, quâ Germani etiam legitimum fœtum exploravêre olim, docente Hadr. Turneb. *Adverſ. l.* 21. *c.* 15. Quò alludit Claud. *l.* 2. in Rufin. *Carm.* 5. *v.* 112.

Et quos naſcentes *explorat gurgite Rhenus.*

Idem Græcis in uſu fuit, qui addidêrunt ſubindè oleum, in χύτλοις ſ. vaſe oleario, vel toti corpori vel oculis naribusve, ad infantis robur & calorem augendum conſervandumque. Lacedæmonii vino lavêrunt, ut morboſum corpus explorarent: Alii Græcorum rore, Cimbri nive. Collocabantur autem *lavandi*, antiquo cum funeribus ritu, plerunque in Clypeo: Undè apud Nonium *in Andromeda* citatur hic verſus:

Nam ubi introducta eſt, puerumque ut lavarent, collocant in clypeo.

Fuiſſe verò hunc antiquum cum funeribus ritum, patet ex Euripid. in *Troadib.* ubi cadaver Aſtyanactis pueri lotum defertur in clypeo. Vide Thom. Bartholin. *de Puerp. Vett.* & ſuprà in voce *Infans*: De ritu *lavandi* cadaveris, apud varias Gentes uſitato, Romanos inprimis, Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 39. Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 218. Græcos, vide Franc. Roſſæum *Archæol. Attic. l.* 5. *c.* 21. Hebræos, vide Thom. Godwyn. *de Ritib. Hebræor. l.* 6. *c.* 5. qui de ſuperſtitioſis Phariſæorum lotionibus aliisque huc pertinentibus accuratè quoque agit, *ejuſdem Operis l.* 1. *c.* 10. *&c.* Vide quoque ſuprà in voce *Aquarii*, it. *Cadaver*, *Capitilavium* & alibi paſſim, inprimis infrà in voce *Lotio*, it. *Pecten*,

LAVANIA, opp. Liguriæ, in ora Or. ad mare Mediterr. unde Comites è fam. Fliſca, ex qua aliquot Pontifices. Aliis *Lebonia*, vulgò *Lavagnia*, vide ibi.

LAVANMUNDA, ſ. LAVANTIOSTIUM, vulgò LAVAMUND, urbs Carinthiæ inf. ad Lavantum fluv. ubi in Dravum ſe exonerat. Vix 2. mill. Germ. ab opp. S. Andreæ in Auſtr *Lavantum* quibuſdam. Epiſcopal. ſub Archiep. Salisburgenſi.

LAVANT, nomen Comitatûs, de quo infrà aliquid in voce *Ortenburgum.*

LAVANTUM, vulgò *S. Andres*, urbs Epiſcopal. Norici ad fluv. cogn. Vide *Solva.*

LAVARDINUS Johannes, vide *Johannes.*

LAVARE, Luſitaniæ amplum opp. Ptol. *Aveiro*, teſte Flor. verſùs oſtia Vagi fluv. prope ſinum parvum. 1. tantùm leuc. ab ora Oceani Occ. 2. à Talabrica in Occ. cum tit. Duc.

LAVARZINUM, nunc LAVARDINUM, Gall. LAVARDIN, caſtrum Galliæ Vindocino proximum, ad ripam Liderici, Monti aureo adverſum. Unde dominis *Lavardenſibus* nomen. *Hadr. Valeſ.*

LAVATERUS Lud. Tigurinus, gener Henrici Bullingeri, cujus & *Vitam* vernaculo ſermone ſcripſit, Eccl. patriæ Antiſtes, multis ſcriptis in lucem editis inclaruit. Inter quæ *Homiliæ in Joſuam, Judices, Ruth, Ezram, Nehemiam, Eſteram, Jobum, Jeremiam & Ezechielem: Comm. in Paralip. Proverbia, &c.* Excellunt, *Hiſt.* ejus *Sacramentaria*, & *Tract. de Spectris*, Germanicè, Belgicè, Italicè & Gallicè verſus. Reliquos vide *in Elogiis* Ant. Teiſſier *P.* 2. Obiit, ſecundùm Helvicum, A. C. 1585. Ivellus in libr. ejus in Prov. multiplicem & variam lectionem, ac reconditam doctrinam agnovit: ita ut nihil in eo genere extare putaverit cum eo conferendum, ingenuè confeſſus, ſe multa illius Sapientiſſimi Regis Proverbia tum demum intellexiſſe, quæ antea ignorabat, citante Eduardo Leigh. *in Arm. de Religione, Anglicè.* Ex eadem fam. præter inſignes Viros, alios, floruit ibid. Joh. *Lavaterus*, Lud. pronepos, nat. A. C. 1624. Philoſophiæ in collegio Carolino Profeſſor. Cujus extant, *Præparatio ad S. Cœnam.* Diſſertatio Phyſ. *de origine fontium, de atomis*: Ethica *de amicitia*: Exoterica *de loquela, auditu, cognitione & inſtitutione mutorum ac ſurdorum, &c.* Item *Ontoſophicæ varia* Hodieque, nepotes Medicinæ præcipuè gloriâ inclyti.

LAVATIO, vide infrà *Muliebris mundus.*

LAVATIO Matris Deûm, nomen feſti, memorati Arnob. *adv. Gentes l.* 7. *Lavatio Deûm Matris eſt hodie* Incidebat in 4. Kal. April. Vibius Seq. *de Flum. Almon Romæ, ubi mater Deûm IV. Kal. April. lavatur.* Val. Flacc. *Argon. l.* 8. *v.* 239. *& ſeqq.*

Sic ubi Mygdonios planctus ſacer abluit Almo,
Lætaque jam Cybele, feſtæque per oppida tædæ?
Quis modò jam ſævos adytis fluxiſſe cruores
Cogitet? aut ipſi qui jam meminêre miniſtri.

Vide quoque infrà *Pecten*, it. *Plynteria.*

LAVATORIUM, in Monaſteriis, locus eſt, ubi manus *lavant* Monachi, priuſquam in Refectorium ſe conferant. Liber Ordinis S. Victoris Pariſ. *c.* 35. *de Refectorio, Quando percutitur cymbalum, ſi Fratres in Eccl. fuerint, exeant cum Proceſſione ad Lavatorium,* apud C. du Freſne *in Gloſſ.*

LAVATRIS, Angliæ urbs. Ant. Camd. eſt *Bowes* viculus ad initium *Stanemore*, regimontan. agri Eboracenſis.

LAUBACUM, Germ. LAUBACH, caſtrum Germ. ſub proprio Comite, ex fam. Comitum Solmenſium. Cùm, enim qui nunc ſuperſunt, omnes communem patrem habeant Othonem, qui Deceſſit A.C. 1409. à majori hujus fil. Bernardo Brauntelſina linea deſcendit: quæ iterum in tres ramos diviſa eſt, *Braunfelſinum, Hungenſem & Greiffenſtenium.* Alter ejus fil. Joh. *Lichenſis & Laubachiæ* lineæ ſator fuit: quarum illa denuo in *Lichenſem & Hohenſolmenſem* diſtinguitur; hæc in *Laubacenſem, Sonnewaldiam & Rœdelheimenſem.* E quibus *Laubacenſes* quod attinet, Phil. Com. Solmenſis *in Licha & Laubach*, qui Obiit A. C. 1544. ex Hadriana (filia Phil. Com. Hanoviæ *in Muntzenberg*) fil. reliquit, Othonem Com. Sol-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Solmenſem, Defunctum A. C. 1522.) Huic Anna Mecklenburgica (filia Magni II. Ducis Megapolitani) genuit Frid. Mag. Com. Solmenſem, qui Deceſſit A. C. 1561. Pater ex Agnete Wiedenſi (filia Joh. Com. *Wedæ*) Joh. Georgii Com. Solmenſis cui annus ſecularis emortualis fuit. Hoc & Margarethâ Schenburga (filiâ Georgii Dn. de Schonburg) natus Albertus Otho, Com. Solmenſis in *Laubach*, Fato functus eſt A. C. 1610. ſucceſſore, ex Anna Haſſiaca (filia Georgii Landgr. Haſſiæ *in Darmſtatt*) filio, Alberto Othone II. Com. Solmenſi *in Laubach*: cujus Denati A. C. 1656. ex Catharina Juliana Hanovica (filia Phil. Lud. Com. Hanoviæ *in Muntzenberg*) fil. ſuperſtes eſt Car. Otho, frater Eliſabethæ, Albertinæ, & pater ex Amœna Eliſabetha Com. Benthemia (ſorore Phil. Conradi Com. Benthemii & Steinfordii) ... *Com. Solmenſis in Laubach*. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Parte I. p.* 62. & *Parte III. p.* 88

LAUBACUS, mel. LAVICA, amnis parvus Friſiæ Occ. eam à dominio Groningenſi ſeparans, & paulò pòſt in Oceanum ſe exonerans, è regione Monicogæ Inſ. *Lauvers Verrutio.*

De L'AUBESPINE Magdalena, vide *Magdalena.*

LAUBIUM, cœnob. olim ſ. Abbatia celebris Benedictinorum ad Sabim fluv. in conf. Hannoniæ, & dit. Leodienſi, cujus Abbates, Epp. In ſilva Carbonaria, vulgò *Lob.* A Landelino circa A. C. 640. conditum, nomen à *Laubaco* rivulo in Sabim Sambramve ibidem effluente videtur accepiſse. Aliis dictum videtur Germ. *Lobach*, i. e. umbraculi rivus: quod Francorum Reges, in Liptinenſi ſaltu proximo venari aſsueti, ibi ad temperandum Solis æſtum, umbraculum vulgò *Lobiam* dictum, ex arboribus ſibi faciendum curarint. Eſt in diœc. Camaracenſi, ſed ſub dit. Ep. Leodicenſis, à Melbodio 12. mill. à Binchio & Tudinio caſtro parum diſtans, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

LAUCHONIA ſilva, hodie *la foreſt de Livry*, vel *la foreſt de Bondis*, Calæ villæ olim Regiæ proxima. Hic Childericus cum Bilihilde Regina prægnante, Bodilone Occiſus eſt. *Idem.*

LAUD, Maurit. Tingitanæ fluv. Plin. *l.* 5. *c.* 2.

LAUDA, ſ. LAUDUM, vett. *Laus Pompeja*, civ. Inſubrium in Abduæ flum. ripa. Huic *Pompejæ* nomen à Strab. *l.* 5. *p.* 213. Pompeji Mag. patre ortum, qui vel colonos huc deduxerit, vel urbem refecerit.

LAUDA, vulgò LAUDEN, urbec. Franconiæ, ad Tubarum fluv. 5. leuc. à Miltenberga in Auſtr. in dit. Ep. Herbipolitani.

LAUDABILITAS, titulus honoris, Præſidibus, Conſularibus, aliis, tribui olim ſolitus: de quo vide Briſſon. *in Formulis p.* 355.

LAUDANÆ, erant dona honoraria, ex auro vel argento, virgarum inſtar fabrefacta, & in templis, ante altaria vel ſuper rugas presbyterii ad Martyrum laudem & honorem ſuſpenſa, & perinde à *laudando* dicta. Anaſtaſ. Biblioth. *in S. Hadr. Fecit*, inquit, *Laudanas duas de argento, penſantes libras octonas, quas poſuit ſuper rugas de presbyterio, ubi arcus de argento exiſtit.* Vide & *Laudinæ.*

LAUDES, in Eccl. Rom. ultima pars Officii nocturnalis, ſ. Pſalmi tres ultimi, qui poſt Matutinos & Benedictiones cantantur, ut habet *Regula* S. Benedicti *c.* 12. & quos olim etiam cantatos fuiſse, ab Ægyptiis Monachis, tradit Caſſian. *de Nocturnis orat. l.* 3. *c.* 10. Sic autem dicuntur, quia unicè Dei laudes ſonant hi Pſalmi: quam partem Officii cùm quidam à Matutino diſtinguant, alii cum eo conjungunt, vide hac de re Dom. Macr. *in Hierol.* & ſuprà *Alleluja*, infrà item *Magnificat.* Cui ſimile quid in Bacchicis olim Sacris obſervatum, dicemus infrà in voce *Myſterium.* Sed & ſic dictæ ſunt acclamationes publicæ, quæ fiebant olim Principibus, cùm inaugurabantur, vel in Theatris aut in Eccl. atque adeò in celebrioribus cerimoniis: Græcis Byzantinis, Εὐφημίαι; Ἔπαινοι, Eunapio *in Ædeſio.* Continebantur iis, victoriæ vel vitæ diuturnæ adprecationes, quas πολυχρονίου voce indigitant Scriptores Græci, & ſequiore inprimis ævo, in ipſis Eccleſiis inter ſacra liturgiæ ſolennia acclamabantur, Pſaltis ſ. Cantoribus plerunque, interdum Canonarchâ, incipientibus, uti Codin. habet *de Officiis c.* 6. alibique non ſemel. A' Græcis tranſiit mos ad Latinos, ut in ipſis litaniis, ut vocant, Principibus *Laudes* dicerentur iisque acclamaretur, quod etiamnum in Dalmaticis Eccleſiis obtinere, obſervat Joh. Lucius *de Regno Dalmat. l.* 2. *c.* 6. Cujuſmodi litaniarum cum acclamationibus formulæ, extant apud Caniſ. *Antiqq. Lection. Tom. V. p.* 735. & 736. & Goldaſtum *Rer. Alamannic. Tom. II. p.* 175. ex quo concini ſolitas, ad Miſsæ Liturgiam, poſt Hymnum Angelicum, quo finito ter dixerit Miniſter *Chriſtus vincit*, ut & Clerus; Tum *pro Pontif. Nicolao, Lud. Rege, Hemma Regina, prole Regia, Judicibus* ſ. Comitibus, *& exercitu Francorum & Alamannorum* &c. Sancti & Sanctæ invocatæ ſint, colligit C. du Freſne, qui antiquiſſimam aliam, ex Codice MS. Eccl. Arelatenſis, argenteis & eburneis laminis tecto, exhibet in *Gloſſ.* quod vide: Plura verò hanc in rem, retro diximus, in *Acclamandi Ritu.* Corippus *l.* 6. ubi de Juſtini Jun. inauguratione,

> Laudibus innumeris *Regnantum nomina tollunt,*
> *Juſtino vitam tercentum vocibus optant,*
> *Auguſtæ totidem Sophiæ plebs tota reclamat,*
> *Mille canunt* laudes, *vocum diſcrimina mille.*

Et *l.* 4.

> *Tunc oratorum geminæ facundia linguæ*
> *Egregias cicinit ſolemni munere* laudes &c.

Vide quoque infrà, in voce *Polychronium.* De *laudationibus* verò *modulatis* vectorum nautarumque Claſſis Alexandrinæ, quibus Aug. excepêre, dicentes, apud Suet. *in Eo, c.* 98. *Per illum ſe vivere, per illum navigare, libertate atque fortunis per illum frui*, item, quibus Neronem, apud eund. aliisque huc pertinentibus, Vide Caſaub. *ad Suet.* ut & infrà ubi de *Plauſuum Arte*: uti de feſto Copticarum, quod Lat. *Laudatio* dicitur, hîc paſſim, inprimis in voce *Oſanna*: aliquid eiam ubi de *Pane Euchariſtico.*

LAUDIA, Maurit. Cæſarienſis opp. *Ptol.*

LAUDIACUM, opp. Turon. Quid nunc ſit, non conſtat. *Baudr.*

LAUDIACUM, vulgò MONT-LOUYS, vicus Greg. Tur. *Hiſt. Franc. l.* 2. *c.* 1. memoratus, ad Ligerim. Hìc Baſilicam S. Laurentii Perpetuus, ſextus Ep. Turonicus conſtruxit. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

LAUDICENI, Græcè Σοφοκλεῖς, quinam olim ambiguâ voce conſueverint appellari, vide infrà in voce *Sophos.*

LAUDICIA ad Lycum, omnium Cibyratici Conventûs urbium celeberrima. Plin. *l.* 5. *c.* 28. de Laodicea urbe ad Lycum, *Ab ea Doris incipit. Sed priùs terga & mediterraneas juriſdictiones indicâſſe conveniat. Una appellatur Cibyratica, ipſum opp. Phrygiæ eſt, conveniunt eò* XXV. *civitates*, Idem *c.* 29. *celeberrima urbe* Laudiciâ. *Impoſita eſt Lyco flumini, latera alluentibus Aſopo & Capro.* Vide *Laodicea ad Lycum* & de hac Urbe plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 828.

LAUDONIA, quæ & LOTHIANA, vulgò LOTHIANE, etiam LAUDEN quibuſdam, prov. Scotiæ Mer. cujus caput Edimburgum urbs regia, juxtà Bodetriam ſ. Forthæ æſtuarium ad Bor. Habet ad Ort. mare Germ. ad Occ. Sterlingenſem ad Com. Mer. Tuvediam, Teviotiam & Marchiam. Ab Ortu in Occ. extenditur, ad 34. mill. Scotica. Reliquæ urbes, Litha, Dunbarum & Dalkera. Vide *Lothiana.*

LAUDUM, vide *Lauda & Laus Pompeja, vett.*

LAUDUM, apud recentioris ævi Scriptores, ſententia arbitri eſt, ex communi partium conſenſu electi. Aliter *Homologium* in voce Græca, vide Dom. Macr. *in Hierol.*

LAUDUNÆ, Bulengero & Dom. Macro, fuêre ornamenta aurea vel argentea, quaſi virgæ, ſuſpendi ante altaria aut rugis imponi ſolitæ; à *laudando*, quòd *ad laudem* & honorem Martyrum ponerentur: Vide Dom. Macr. *in Hierol.* Papiæ, *vaſa Eccleſiaſtica*, apud C. du Freſne, ex Anaſtaſio *in Hadr. p.* 110. *Fecit in Baſilica B. Hadr. ceroſtata argentea penſ. l.* 12. *ſimulque &* laudanas *duas, ex argento penſ. l.* 8. *quas poſuit ſuper rugas de Presbyterio, ubi arcus de argento exiſtit.*

LAUDUNENSIS Martinus, vide *Martinus.*

LAUDUNUM, vulgò LAON, quæ & *Lugdunum Clavatum* quibuſdam, urbs ampla & munita Inſ. Franciæ in colle, in conf. Picardiæ. Caput agri Laudunenſis, *le Laonois*, 7. leuc. à Sueſſione in Eur. 9. à Vervino opp. in Circ. uti à Guiſia in Auſtr. Ejus Ep. Dux eſt & unus ex XII. Paribus. Hîc ab Hugone Capeto Car. fil. Lotharii victus eſt. A Matrobio Prætore condita, Maſſonio. Olim caſtrum ſolùm erat in monte ſitum, poſtmodum à Clodoveo Mag. urbs facta, & à S. Remigio Remenſi Ep. dignitate ornata eſt, Genebaldo primo Præſule præpoſito. Hincmar. *Ep.* 6. c. 18. Flodoard. *l.* 1. *c.* 14. *Hiſt. Rem.* Matth. Par. *in Hiſt. Angl.* Hugo Capetus, ob traditum ſibi Car. Lothar. Duc. ultimum ex Carolovingis Principem, Adalberonem dictum Ancelinum, Ep. Laudun. Ducem Paremque Galliæ creavit. Guibert. *l.* 3. Miræus, *Chron. Ord. Præm.* &c. Hîc Conc. A. C. 948. contra Theobaldum Comit. Bleſenſem, & Hugonem Mag. qui ambo urbi huic regnoque & hic inprimis Lud. IV. Regi non parum moleſtiæ faceſſivit. Flodoard. *in Chron. & Hiſt. Rem.* Item A. C. 1232. Synodus A. C. 1492.

LAVELLUM, urbec. Epiſcopal. Baſilicatæ, *Laviello*, vulgò *Labellum* quibuſdam prope Aufidum, 6. mill. à Venuſia in Bor. in conf. Capitanatæ.

LAUENBURGUM, vide *Lauenburgum.*

LAVERNIA, Dea, quam Romani coluêre, à qua *Laverniones* dicti ſunt fures, quòd ſub tutela hujus Deæ eſſent. Horat. *l.* 1. *Ep.* 16. *v.* 60. *& ſeqq.*

> —— *Pulchra* Laverna
> *Da mihi fallere, da juſtum, ſanctumque videri,*
> *Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.*

Erat caput ſine corpore, habuit lucum Romæ: Hinc *Lavernalis* ibi porta. Ædes ejus *Lavernium* dicta, ut & *Dianium*, & *Minervium.* De ſacro ejus, ita Seren.

> *Inferis manu ſiniſtra immolamus pocula,*
> *Læva quæ vides*, Lavernæ; *Palladi ſunt dextera;*

apud Statii interpretem Lutat. *Theb. l.* 4. *v.* 502.

> Lævaque *convulſæ dedimus carcheſia terræ.*

Ubi is *Lavernam* pro Proſerpina poſuit, à ratione ſilentii. Sacra enim & preces Lavernæ confieri ſilentio conſueviſſe, adnotat Scholiaſt. Horat. *l.* 1. *Ep.* 16. *v.* 60. Silentes autem Inferos perhiberi, notum. Nomen quod attinet, à *lavando* quidam id deducunt: *Lavatores* enim fures quoque dicti, quòd *lavent*, i. e. purgent ea loca, quæ non debent. A' *levando* alii; namque *levatores* eoſdem Petron, Edit. Gonſali de Salas. *p.* 87. Edit. Boſch. *c.* 100. vocat. Quidam à Gr. λαβεῖν vel λάφυρα. Vide Voſs. *in Gloſſ.* & Martin. *Lexico Philolog.*

LAVERNA, loci nomen Plutarch. in *Sylla.*

LAUFFENA, vulgò LAUFFEN, opp. Duc. Wirtembergici. *Joh. Matal. Metell.*

LAUFFENBURGUM, vulgò LAUFFENBURG, unum ex IV. Silvæ nigræ dictis opp. ad Rhenum, in colle, ſatis munitum ſub Auſtr. medium ferè inter Scaphuſiam ad Ort. & Baſileam ad Occaſ. 5. mill. utrinque Germ. Nomen idem, quod Cataractæ, ſive caſtrum ſ. montem denotat. Rhenus enim eo loci inter ſaxa concluſus, multisque ſcopulis impeditus, ingenti murmure de rupe cadens, mirè tumultuatur, adeò ut naves ſuperiore loco exoneratas, funibus demittere neceſſe ſit. Paruit ab antiquo Habſpurgiis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

quorum ſtirpe, A.C. 1200. diductâ, dominiorum diviſione; quidam Lauffenbergenſes dici cœpêrunt: quorum poſtremus Joh. Comitis Rudolphi fil. A. C. 1383. inter vivos egit. Pluries captum, ſed pace Monaſter. redditum eſt.

LAUGASA, Armeniæ min. opp. Ptol. in Laviniacenſi Præfectura.

LAVIACUM, Auſtriæ urbs, hodiè *Lauffen* Lazio. opp. Norici, in dit. Salisburg. 3. leuc. Brannodunum versùs; ſ. *Kogel*, arx proxima. *Ferr.*

LAVICI, vide *Labici*.

LAVINALIS Flamen, in epigrammatibus quibuſdam apud Onuphr. Panvin. memoratur.

LAVINGA, opp. Sueviæ, ſub Duce Neoburg. vix 1. leuc. Germ. ſuprà Dilingam in Occ. medium ferè inter Ulmam ad Occ. & Vertam ſ. Donavertam ad Ort. 5. leuc. *Laugingen* ſ. *Lawingen* vulgò.

LAVINIA, Latini Regis & Amatæ filia, primùm Turno deſponſata; Verùm cùm Latinus poſteà Fauni patris oraculis externo eam genero locare juberetur, denuò eam Æneæ deſpondit. Vide *Latinus*. Mortuo verò Æneâ, Lavinia, quæ prægnans relicta erat, privigni inſolentiam timens, in ſilvas profugit, & apud Tyrrheum paſtorem divertit, ibique peperit filium, quem Julum Sylvium Poſthumum appellavit: eò quòd poſt patris funus in ſilvis natus eſſet. Dion. Halic. *l.* 1. *p.* 34. Virg. *Æn. l.* 11. *v.* 477. *& ſeqq.*

Nec non ad templum ſummaſque ad Palladis arces
Subvehitur, magnâ matrum Regina catervâ
Dona ferens: juxtaque comes Lavinia virgo,
Cauſa mali tanti, atque oculos dejecta decoros.

Idem, *Æn. l.* 12. *v.* 17. 64. 80. 194. & 605.

Ubi poſtrema verba ex magno Virginitatis decoro dicuntur. Apud Val. Flacc. *Argon. l.* 7. Medea adhuc virgo attollit vix tandem lumina. Idem habitus datur Charicleæ ab Heliodoro, κάτω νεύουσα. De Aſpaſia Ælian. *Var. Hiſt. l.* 2. *c.* 1. ἑώρα κάτω. De Hypſipyle *Apoll. l.* 1.

——— Ἐγκλιδὸν ὄσσε βαλοῦσα.

Adraſti filias virgines ita deſcribit Stat. *Theb. l.* 2. *v.* 230. *& ſeqq.*

Ibant inſignes, vultuque habituque verendo,
Candida purpureum fuſæ ſuper ora ruborem
Dejectaque genas. ———

Curt. *l.* 6. *Formam pudor honeſtabat, dejectis in terram oculis* Ælian. *Var. Hiſt. l.* 13. *c.* 1. Τί ἢ ὅτως ὡραῖον γυναικὸς ἄνθος, ὥσπερ ὂν καλὸν, ἢ τὸ πρόσωπον αἰδοῖ πεπαιδευμένης παρθένου. Nic. Lloyd. Lucan. *Civ. Bell. l.* 9. *v.* 991.

LAVINIANISENE, præfectura Armeniæ min. ad Euphratem, Salmaſ. *ad Solin. p.* 629.

LAVINIUM, ſ. LAVINUM, urbs Latii ab Ænea condita, & nomine Laviniæ uxoris ita appellata. Hodie *Citta Lavinia*, urbecula Campaniæ Rom. 5. mill. à Velitris, Oſtiam versùs, 9. circiter ab ora maris Tyrrh. uti & 18. à Roma in Occaſ. Differt à Laurentio, & hodiè eſt ſub dominio utili Ducis Cæſarini: ſed paucis inhabitatur. Aliis Lavinium fuit, ubi nunc *Patrica*, caſtrum versùs oram & Lanuvium, ubi nunc *Citta Lavinia*. L. Holſtenio Lavinium fuit in colle, qui nunc *Monte di Levano*, 1500. paſſ. ſuprà Patricam, ubi S. Petronillæ fanum, quod haud dubiè Annæ Perennæ templum fuit. Hinc *Lavinus*. Virg, *Æn. l.* 1. *v.* 2.

Italiam fato profugus, Lavinaque *venit*
Litora.

Inde Propert. *l.* 2. *Eleg.* 34. *v.* 64.

Jactaque Lavinis *mœnia litoribus.*

Idem *Nic. Lloyd.*

LAUMELLUM, urbs Inſubriæ, Anton. in agro Papienſi, à Papia 30. mill. paſſ. Caſale versùs. *Lumello* Leandro. Meminit ejus quoque Amm. Marcell. Hodie pagum eſſe ſatis contractum ſcribit Merula. Hinc *Laumellina* regio.

LAVOINUM, opp. Lucaniæ.

LAURA, vel LAURETA, puella Provincialis, A. C. 1341. ingenio & amoribus Petrarchæ nobilis: Una ex præcipuis ſui ſexus, quæ conventus, *Curia Amoris* dictos, conſtituerant, in quibus quæſtiones curioſæ & elegantes ingenioſè decidebantur. Hanc quidam Avenione, quidam loco, prope Avenionem, haud procul à Petrarchæ Eremo, oriundam fuiſſe dicunt. Sepulta apud Franciſcanos, Avenione, carminibus Petrarchæ & Epitaphio Franciſci I. Gall. Regis celebratiſſima eſt, Petr. *Vita & Poëmata, Epiſtola ad Poſteritatem.* Noſtrad. *Hiſt. Prov. & c.* 65. *de Poët. Prov.* Morer. *in Dict. Hiſt.*

LAURA, Siciliæ civ. Iſac. *in Lycophr.* Item Alexandriæ Ægypti vicus Athen. *l.* 12. *c.* x. *p.* 540.

LAURA, apud Anaſtaſ. *in Hiſt. Eccl.* alioſque medii ævi Scriptores, λαῦρα Græcis, apud Syncellum *p.* 107. Photium, Joh. Moſchum &c. Conventus, ſ. Monaſterium eſt, in quo Monachorum numerus millenarium excedit, uti vult Franc. Quareſimus *Tom. II. l.* 6. *Peregrin. l.* 3. *c.* 9. Sed Lauram S. Euthymii, non niſi quinquaginta; Lauram S. Gervaſii, quæ juxtà Jordanis flumen erat, non niſi 70. nec plures initio Lauram Sabæ, licèt poſteà ad mille excreverint, Monachos continuiſſe, docent Surius 20. *Jan.* Sophron. *Prat. Spir.* & Cyrillus *in Vita S. Sabæ.* E quo poſtremo Scriptore diſcimus, in eo potiùs *Lauram* à Monaſterio differre, quòd in Cœnobiis illi viverent, qui vitam communem agebant in Lauris verò, qui ſegregem & quietam. In *Lauro* nempe vivebant Anachoretæ, ſuis quique diſtincti cellis, ſub uno Abbate; adeoque è Cœnobiis in Lauras promovebantur, qui ad majorem perfectionis modum pervenerant, Monachi nempe provectioris ætatis, uti hodie *Incluſi* ſolent. Ea autem illorum fuit vivendi ratio: totâ hebdomade manebant in ſuis cellis ſeparati, neque aliud quàm panem, aquam & dactylos guſtabant: exceptis Sabbatho & Dominicâ, quibus conveniebant in Choro & Refectorio, ut habet Dom. Macer, percipientes Euchariſtiam, & cocto paucoque cibo in Cœnobio utentes, Cyrill. *in Vita S. Euthymii n.* 42. 45. 48. 89. & 90. Euagrius tamen, Eudociam Imperatr. *Lauras* in Palæſtinia erexiſſe, in quibus degentes omnia communia habuerint, exceptis aliquibus voluntariam pœnitentiam facientibus, de qua infrà in voce *Ypertheſmus*, ſcribit *l.* 1. *c.* 21. Vocis etymon quod attinet, λαῦρα Græcis ῥύμη eſt propriè, h. e. *via publica* ſ. *angiportus* in urbibus, ad quorum ſimilitudinem hæ Monachorum cellæ exſtructæ & ab invicem ſejunctæ nomen id ſuum feciſſe videntur, Fullero *Miſcell. Sacr. l.* 2. *c.* 1. apud C. du Freſne *in Gloſſ.* Vide Macros Fratres *in Hierol.*

LAURACIUS Ager, *Lauraguez*, regiunc. Languedociæ in Gallia; ubi ingens glaſti copia. Morer. *in Dict. Hiſt.*

LAURATUM, apud Optatum Milevit. *Lauratis & iconibus, quæ mittuntur ad civitates, vel regiones, obvii adeunt populi cum cereis & incenſo, non cerâ perfuſam tabulam, ſed Imp. venerantes*: imago eſt Principis, quod caput laureâ cingeretur, nonnullis ſic dicta, Dom. Macer *in Hierol.* Sed in ipſo Optato locus non occurrit, verùm in Notis Balduini, ex verſione Græci autoris, quam *in Ann. ſuis* produxit Baron. Is *lauratis* poſuit, quòd in Græco eſſet λαυράτοις: ſed λαυράτον cùm ſcribitur apud Græcos. Vera itaque hujus vocabuli ſcriptura λαβράτον eſt, Latinè *Labratum*, Salmaſ. *ad Vopiſc. in Probo*, vide ſuprà in voce *Labratum*. Fuit iſtiuſmodi ſtatuarum multiplex olim uſus, in Impp. inaugurationibus præſertim; qui quamprimum huic rerum apici eſſent admoti, mittebantur in provincias eorum *Labrata* ſ. *Sacri vultus*, uti appellantur *l. un. Cod. de publ. læt. nunt.* in impetratæ dignitatis ſignum, & magnâ ſubmiſſione à populis ubique excipiebantur: cum cereis & incenſo iis obviam venientibus, ut diximus ex Optato. Chryſoſtomus addit, præceſſiſſe tubicines cum militum globo, geruloſque imaginum iſtiuſmodi mundè veſtitos auroque ornatos fuiſſe, *in Paul. Apoſt. Serm.* 60. Idem imagines ita fuiſſe effictas, ut in ſummitate haſtæ efferrentur & infrà victoriæ, triumphi, reſque bello præclarè geſtæ, deſcriberentur, *alibi* tradit. Vide quoque infrà ubi de *Xiphiana venatione*. Greg. Mag. *l.* 10. *Epiſtolarum*, *Venit autem icona ſupraſcriptorum Phocæ & Leontiæ Auguſtorum Romam VII. Kal. Maji, & acclamatum eſt ei in Lateranis, in Baſilica Julii, ab omni Clero vel Senatu: Exaudi Chriſte: Phocæ Auguſto & Leontiæ Auguſtæ vita. Tunc juſſit ipſam* — *Papa reponi in Oratorio S. Cæſarii Martyris, intrà palatium*, &c. Alius earum uſus fuit, in Amphitheatris, dum Circenſes peragerentur: inferebantur autem in Circum, cum cereis & funalibus, à Viris candidâ veſte indutis, ut de eodem Phoca memorat Autor *Chron. Alex.* Sic celebratis Domentiæ Aug. filiæ, cum Priſco Patricio, nuptiis actiſque Equeſtribus Ludis, à principibus factionum in Circo locatas Criſpi & Domentiæ εἰκόνας, unà cum Imperatoriis imaginibus, refert Niceph. CP. λαυρᾶτα habet Theophanes, *Anno* 5. *Phocæ*. Sed & iconum harum uſus fuit, inter præcipua illuſtrium dignitatum inſignia, ſ. Magiſtratuum, quibus præferebantur, in autoritatis & poteſtatis à Principe collatæ ſymbolum, vide Senatorem *de Formula Conſularitatis l.* 6. *Var.* 20. Atque eæ ſunt Imperatorum imagines, quæ inter inſignia Præfecti Prætorio, cum binis cereis, deſcribuntur, ac effinguntur, in *Notit. Imp.* vide ſuprà, ubi de *Lampadariis*, & plura hanc in rem apud Cujac. *Obſerv. l.* XI. *c.* 27. alioſque, præter eos qui ſuprà memorati, laudatos C. du Freſne *in Gloſſ.*

LAUREA, vide infrà *Laurus*.

LAUREA Tullius, Ciceronis libertus, de quo Plin. *l.* 31. *c.* 2.

LAUREATÆ Tabellæ, apud Lamprid. *in Alex. Sev. Actæ ſunt res feliciter & in Mauritania* —— *& in Illirico* ---- *& in Armenia* ---- *atque ex omnibus locis tabellæ laureatæ delatæ ſunt; quibus in Senatu & apud Populum, lectis, omnibus nominibus eſt adornatus*: ſunt literæ victoriæ ac rerum lætarum nuntiæ. *Laurum* vocat Stat. *Sylv.* 1. *l.* 5. ubi de iſtiuſmodi tabellis Domitiano undique allatis, *v.* 88. *& ſeqq.*

— *quæ* laurus *ab Arcto,*
Quid vagus Euphrates, quæ ripa binominis Iſtri,
Quid Rheni vexilla ferant, quantum ultimus orbis
Ceſſerit & reſluo circumſona gurgite Thule &c.

Has qui ferebant, ſumma itidem pila *laureis* ornata habuêre: Vide infrà *Laurus*. Cùm è contrario, qui res turbidas & improſperas, aut novos motus in provinciis excitatos, aut bellum nuntiabant, rei triſtis indicium pinnis in ſummo haſtarum lancearumque fixis præferebant, πτεροφόροι hinc dicti. Vide infrà, ubi de *Pinnis & Pinnatis literis*.

LAURENTALIA, ita enim Plutarch. ſcribit, & Ovid. *Faſt. l.* 3. *v.* 75.

Veſter honos veniet, cùm Laurentalia *dicam.*
Acceptus Geniis illa December habet.

Feſto *Larentalia* dicuntur, *conjugis Fauſti nutricis Romuli & Remi Larentiæ, feſta*. Aliis *Larentinalia*: item *Laurentiæ* feriæ, incidebant in 10. Kal. Jan. & celebrabantur in honorem Accæ Laurentiæ, quam *Larentiam* Macrob. vocavit, *Sat. l.* 1. *c.* x. ut & Feſtus modo laudatus, nutricis Romuli, cui Sacerdotes publicè illo die parentabant. Fiebat autem id ſacrificium in Velabro, quâ in novam viam exibatur ad ſepulcrum Accæ &c. Hanc cum altera Acca ſive Caja Tarratia vel Tarrutia, quam ſub nomine *Floræ*, menſe Aprili, colere Rom. ſolebant, multi perperam confundunt, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 16. Jac. contrà Oiſel. JC. *Notis in A. Gell. l.* 6. *c.* 7. ſimiliter duplicem faciens Laurentiam, ei quæ Romuli fuit nutrix, ſacra fieri per Flaminem Martialem menſe Aprili ſolita, atque hinc feſtum *Laurentalia* dici contendit: Alteram fuiſſe

Alteram fuiſſe ait Tarrutio nuptam, quæ plerisque Populo Rom. bonis legatis, denique ex hominum conſpectu ablata fuerit, eo ipſo in loco, ubi prior fuerit humata: huicque vult menſe Decembri ſacra fuiſſe facta. Vide quoque *Laurentiæ Feriæ*. Cafaub. Compitalia *Larentinalia* quoque dicta, cumque olim non niſi una eſſent, ab Aug. poſtmodum duplicata eſſe, notat, ad illud Suet. *in Aug.* c. 31. *Compitales Lares ornare bis anno inſtituit.* Vide ubi de *Compitalibus*.

LAURENBERGIUS Jac. Sebaſtianus, Hamburgenſis, fil. Petri, Medici & Poëtæ eximii, atque in Acad. Roſtochienſi Poëſeos Prof. nepos Gulielmi Medici & Mathematum ibid. Profeſſoris, Hiſt. Prof. in ead. Acad. conſtitutus, eam Profeſſionem auſpicatus eſt A. C. 1650. exin Prof. Pandectarum & Conſiſtorii Ducalis aſſeſſor, A. C. 1659. Obiit decennio pòſt, An. Æt. 49. Ejus ſcripta, *Orbis bacchans*, *Themis temerata*, *Diſſertatio de arduo regnandi munere*, *Panegyricus in funere Adolphi Frid. Duc. Mecklenburgici.* P. Freherus *Theatro Viror. erud. clar.*

LAURENTES, pop. vide *Laurentum*.

LAURENTES Agri, memorati Tibullo, *l.* 2. *Eleg.* 5. *v.* 39. *& ſeqq.*

Impiger Ænea, volitantis frater Amoris,
Troïca qui profugis ſacra vehis ratibus.
Jam tibi Laurentes *aſſignat Jupiter agros,*
Jam vocat errantes hoſpita terra Lares.

à *Laurento* opp. nomen habuêre. Sil. Ital. *Punic. Bell. l.* 1. *v.* 110. Aurel. Victor de Orig. gentis Rom. *Indè ad Italiæ oram, quæ ab arbuſto ejuſdem generis* Laurens *appellata eſt, Latino regnante pervectus Æneas.* Vide Cluv. *Ital. antiq. l.* 3. *p.* 883. *& ſeqq.* ut & in voce *Laurentes* pop.

LAURENTIA, vide *Acca Laurentia*.

LAURENTIA Strozza, Dominicana Florentina, filia Zachariæ, præter alias linguas, Latinè inprimis & Græcè docta: Muſicæ non parum perita, & Philoſophiæ: Scripſit *librum Hymnorum & Odarum Latinarum, in omnia Feſta*, magni apud eruditos nominis: quas Jac. Mauduitus, Pariſinus, Gallicè vertit & harmonicis notis inſtruxit. Obiit A. C. 1591. Æt. 77. Neptis ex ſorore fuerat Quirici Strozzi, qui Græcam ling. cum Philoſophia Florentiæ, Bononiæ & Piſis, tanto cum applauſu docuit. Thuan. *Hiſt. l.* 100. Mich. Poccianrius, *Florent. illuſtr.* Lud. Jacob, *Bibl. femin.* A Sebaſt. Hormoltio, Conſiliario Wirtemberg. Epitaphio acroſticho, honorata, Morer. *in Dict. Hiſt.* Vide & *Pinacothecam* Nic. Erythræi.

LAURENTIÆ Feriæ, is dies apud Rom. olim, quo Accæ Laurentiæ à Sacerdotibus publicè parentari ſolenne fuit, in Velabro, 10. Kal. Jan. Sic *Laurentialis* Flamen, Sacerdos ei inſtituitus, Thom. Dempſter. in Joh. Roſin *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 17. *&c.*

LAURENTIACUM, opp. agri Tarviſini.

LAURENTIANUS Laurentius, vide *Laurentius*.

LAURENTII Inſ. à Luſitanis ſic dicta, quod ejus opera primùm ſit ab ipſis detecta, antea vocabatur Madagaſcar, eamque M. P. Venetus inter ditiſſimas totius orbis inſ. refert. Tantæ eſt magnitudinis, ut mille in longitudine milliaria contineat, & ambitus ſit quatuor millium milliar. Eſt omnium rerum ad vitam humanam neceſſariarum abundans, & melioribus incolis digna, ob ſitûs opportunitatem, portuumque ac fluminum commoditatem. Ibi oves egregiæ ſunt, magnasque habent caudas, quarum plerunque 12. libras ponderat, excoriatæ pollices 12. duas ulnas longæ ſunt admodumque pingues. Incolæ commerciorum cum exteris uſum ignorant, inter ſe tantùm ſcaphis è trunco excavatis negociantur circà oram, advenisque omnibus commerciorum cauſa acceſſum denegant. Populus eſt niger, robuſtus & optimè diſpoſitus: nudus incedit, exceptis pudendis, quæ velo goſſipino tegunt. Mulieres velum paulò altius ligant, adeo ut ubera parum cooperta ſint. In tuguriis habitant miſerè, arma ipſorum ſunt jacula, Joh. Matal. Metell. Item, fluv. & ſinus Canadæ.

LAURENTIUM, villa Plinii Sec. apud Laurentum, 17. mill. paſs. Roma. *Plin. Jun.*

Viri Illuſtres.

LAURENTIUS, Antipapa, Symmacho, poſt Anaſtaſium ſecundum electo, oppoſitus, à Feſto & Probino, Senatoribus admodum potentibus, poſtquam Feſto, in gratiam Anaſtaſii Imp. id urgenti, pollicitus eſſet, ſe Formulæ fidei, à Zenone, in favorem Eutychianorum, publicatæ, ſubſcripturum. Schiſma ſublatum à Theodorico Gothorum Rege qui, quamvis Arianus, re ſuo arbitrio commiſsâ, pro Symmacho ſententiam tulit; Laurentio primò quidem ſubſcribente, mox cùm de novo turbaret, in exilium pulſo. A. C. 502. Paul. Diacon. Anaſtaſ. *in vit. Pontif. Nicephor.* &c.

LAURENTIUS, natione Hiſpanus, Diaconus & Quæſtor Eccl. Rom. de quo B. Ambroſ. *l.* 1. *de Offic. c.* 41. ſcribit. Quum videret Sixtum Ep. ſuum ad martyrium duci, his verbis eum compellavit: *Quò progrederis ſine filio pater? &c.* Cùm autem Sixtus juberet Laurentium diligenter theſauros Eccl. adſervare, ſtatim juſſu Imp. Laurentius quoque comprehenſus eſt. Cumque ab eo peterent ſatellites, ut theſauros Imp. traderet, petiit ſpatium tridui ad colligendos eos ſibi concedi Interea convocavit omnes mendicos, pauperes, ægrotos. Hos conſtitutâ horâ poſt triduum oſtendit ſatellitibus, addens, hos Eccl. theſauros eſſe, quibus ſi quid detur, non perire, ſed cum ampliſſimo fœnore in cœlo reddi. Hâc oratione corvi hiantes deluſi, & exacerbati tradidêrunt Laurentium carnificibus, qui eum craticulæ, cui prunæ ſubſtratæ erant, impoſuêrunt. Jacens autem in craticula ſumma cum alacritate animi gloriatus ſe non torreri, ſed ſuaviter refrigerari. Præfecto aſtanti dixit, Unum latus jàm ſatis aſſatum eſt, appone igitur & comede, & aſſaturam verte. Tandem commendans animam ſuam filio Dei Obiit, A. C. 254. &c. Hiſtoria tota prolixè & ſplendidè recitatur à Prudentio. Hymno 3. magis verò conſentaneum eſt, quod Eutrop. ac Euſeb. ſcribunt, Laurentium Fabiani Ep. Diaconum fuiſſe, qui ſub Decio martyrii coronam accepit.

LAURENTIUS Ananienſis, autor Coſmographiæ Italicæ.

LAURENTIUS Andreas, vide *Andreas*.

LAURENTIUS Beyerlink, Canonicus Antverpianus, continuavit Chronicon Petri Opmeri. Ab A. C. 1572. uſque ad A.C. 1611.

LAURENTIUS Bochellus, vide *Bochellus*.

LAURENTIUS Bonus, ſcripſit in librum Sententiarum, A. C. 1390.

LAURENTIUS Bureau, Divionenſis, Ep. Ciſteronenſis, Car. VIII. & Lud. XII. à confeſſionibus. Ab hoc & Alex. VI. miſſus, ut in Valdenſes inquireret, A. C. 1501. Proſâ verſuque varia ſcripſit, Eliadem inprimis, & de Vir. Ill. Ord. Carmel. Obiit Bleſis, A. C. 1504. Symphorianus Champier. *de Vir. Ill. Galliæ.* Voſs. *de Hiſt. Lat.* Columbius, *de Ep. Siſtr.* Morer. *in Dict. Hiſt.*

LAURENTIUS Calcaneus, JC. Brixianus: Volumen Conſultationum edidit. A. C. 1470.

LAURENTIUS Campegius, vide *Campegius*.

LAURENTIUS Codomannus, Voigtlandia Saxo, Chronologiæ autor, Sec. Præt.

LAURENTIUS Corvinus, Geographiam mundi habitabilis compoſuit, Cracoviæ, A. C. 1495.

LAURENTIUS Cremenſis, inter primos *Decreti* Gloſſatores Gerh. van Maſtricht *Hiſt. Eccl. jur. n.* 334.

LAURENTIUS Durhanius, Dunelmenſis, proſâ verſuque varia condidit, Voſs. *de Hiſt. Lat.* Poſſevin. *in App. S.*

LAURENTIUS Eichſtadius, Stetino Pomeranus, Medicus & Mathematicus. Scripſit Ephemerides, Pædiam Aſtrologicam, &c.

LAURENTIUS Gambara, Brixianus, Poëta, carmina ſua minus caſta combuſſit, A. C. 1575. aliâque condidit melioris notæ, inprimis *de novi Orbis inventione, &c.* Vide Ant. Teiſſier *in Elogiis P.* 2.

LAURENTIUS Jacobus, vide *Jacobus*.

LAURENTIUS Johannes, vide *Johannes*.

LAURENTIUS Jubertus, vel *Jobertus*, Valentiâ Delphinas, Medicus, diſcip. Rondeletii, cui in dignitate Cancellar. in Acad. Monſpelienſi ſucceſſit. Scripſit contrà errores populares, &c. Obiit A. C. 1582. S. Marth. *Elog.* 1. Chorier *Hiſt. Delph.*

LAURENTIUS Juſtinianus, Venetus, fil. Bernardi ex Quirina, primus Venetorum Patriarcha. A. C. 1451. Scripſit *Lignum vitæ: de Diſciplina & ſpirituali perfectione: De caſto connubio: Faſciculum Amoris: De triumphali agone Chriſti, &c.* Quæ edita Lugduni, A. C. 1568. Obiit A. C. 1455. Æt. 74. A Clem. VII. canonizatus, A. C. 1524. Morer. *in Dict. Hiſt.* Alius Carthuſ. *Hortum delitiarum* edidit, A. C. 1515.

LAURENTIUS Laurentianus, Italus, Philoſophiam & Medicinam Florentiæ Piſisque docuit. Hippocratem Latinè vertit, notis Galenum illuſtravit, cæterum nigrâ bile multum infeſtatus: Cùm aliquando pecunia egeret, amicorum liberalitati diffiſus, ſe in puteum præcipitavit. Paul. Jov. *Elog. doct.*

LAURENTIUS Leodienſis, Hiſtorica quædam ſcripſit, Sec. 14.

LAURENTIUS *de Medicis*, cogn. Magnus & Literarum Pater, caput Reipub. Florentiæ. Fil. Petri I. frater Juliani, à Pactis Occiſi: non Florentinis ſolùm gratus, ſed ab omnibus Europæ Principibus, qui lites ſuas ejus arbitrio ſubmittere amabant, maximi habitus. Hinc ipſe Turcarum Imp. Bajazethes, unum ex Fratris percuſſoribus CPli. captum tranſmiſit, virtutum ejus famâ motus. Eruditus, & eruditorum Mecænas, Græcis exulibus aſylum: Chriſtoph. Landinum, Marſilium Ficinum, Chalcondylam, Ang. Politian. Joh. Picum, &c. in aula ſua magnificè fovit. Laſcari in Græciam miſſo, plurimis manuſcriptis Bibliothecam ſuam locupletavit. Obiit A. C. 1492. Æt. 44. Pater Petri ſucceſſoris & Leonis X. patruus Clem. VII. Ejus Medicum Petrum Leonium, quòd Laurentium negligentius curâſſet, Florentini in puteum præcipitârunt. Angl. Politian. *l.* 4. *Ep.* 2. Franc. Guicc. *Hiſt. l.* 1. Macchiavel. *Hiſt. Flor.* P. Jov. *in Elog. &c.*

LAURENTIUS *de Medicis*, frater Coſmi Mag. cogn. Senior, Dux Florentinorum, in occupatione Serezanæ & Petræ Sanctæ. Pater Joh. & *Laurentii*, qui tyrannidi inhiantem Petrum agnatum, urbe pepulêrunt. Huic natus *Laurentius*, dictus Jun. Rempublicam adminiſtravit, tempore patrui Leonis X. à quo Duc. Urbinatum nactus eſt. Pater filii nothi Alex. qui Florentinorum primus Dux, ex Magdalena Solonia, Catharinam Mediceam, Galliæ Reginam ſuſcepit.

LAURENTIUS Mellifluus, Autor operis, cujus prior pars ab Adamo uſque ad Chriſtum, poſterior ad ejus uſque tempus pertingit.

LAURENTIUS Novarienſis, Ep. homiliarum autor.

LAURENTIUS Surius, Lubecenſis, Carthuſianus. Opera Tauleri traduxit, variorum Doctorum homilias in unum collegit; Compegit in 4. volum. Concilia; vitas SS. tomis 6. perſequutus eſt; Scripſit inſuper Hiſtoriam ſui temporis. Obiit Coloniæ, A. C. 1578. Æt. 56. Dorland. *Chron. Cart.* Petrejus *Bibl. Carthuſ. &c.*

LAURENTIUS Valla, Patricius Rom. Canonicus Lateranenſis, Alphonſi Regis & Poggii Florentini Antagoniſta, Pontificis Rom. Secretarius. Claruit in Conc. Conſtantienſi A. C. 1420. Trithem. Scripſit libros ſex de Elegantiis Latini ſermonis: tres de falſo & vero: unum de fictitia Conſtantini donatione: tres de regno Ferdinandi Arragonii: Porro vertit Herod. Thucydid. &c. Latinè. Barbarie, quæ à Gothis incubuerat, triumphatâ ſuperbus. Ejus quoque in Nov. Teſt. Annotat. extant, Octav. Pariſiis A.C. 1505. Fol. Baſileæ A. C. 1540. & 1545. quam editionem prohibitam eſſe refert Jameſ. Româ excedere compulſus, quòd liberius in Curiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Rom. inveheretur, Neapolim ſe recepit. Ibi Inquiſitioni ſubjectus, ignis ſupplicium ægrè, Alphonſi Regis Neap. favore, effugit: flagris tamen cæſus: quæ omnia à Poggio ipſi objiciuntur. Reverſus Romam, Obiit A. C. 1465. Mater Cathatina hoc ei epitaphium erexit:

Laurens Valla *jacet, Romanæ gloria linguæ,*
Primus enim docuit, quâ decet arte, loqui.

P. Jov. *Elog.* Eraſm. *in Cic.* Pogg. *in Invect.* Voſſ. *de Hiſt. Lat.* Opmer. *in Chron.*

LAURENTIUS Videlius, Medicus Gallus, primus contrà Noſtradamum ſcripſit.

LAURENTUM, civ. Latii, Pici Regis opus, non procul à Lavinio, ita dicta à ſylva *Laurea* eo in loco cùm conderetur, inventa. Baudr. urbec. fuit Latii, verſùs oram maris Tyrrh. cujus vix apparent veſtigia. Creduntur tamen fuiſse, ubi nunc locus *S. Lorenzo*, medio itinere inter Oſtiam & Antrum, cùm 6. mill. paſs. exactè abeſt à Lavinio; & via Laurentina huc defert, ac in maritimam ſ. litoralem illam incidit. L. Holſten. Populi *Laurentes*. Apris hic tractus præcipuè abundavit. Virg. *Æn. l.* 10. *v.* 635. 707. *& ſeqq.*

Ac velut ille canum morſu de montibus altis
Actus aper (multos Veſulus quem pinifer annos
Defendit, multoſque palus Laurentia, *) ſilva*
Paſtus arundineâ.

Stat. *l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 63. *Sylv.* & *l.* 4. *Silv.* 2. *v.* 2. Horat. *Serm. l.* 2. *Sat.* 4. *v.* 42.

Nam Laurens *malus eſt, ulvis & arundine pinguis.*

Mart. *l.* 9. *Epigr.* 49. *v.* 5. cujus Epigraphe in Gallicum.

Inter quæ rari Laurentem *ponderis aprum*
Miſimus, Ætolâ de Calydone putes.

Qui poëta etiam ranas in iiſdem paludibus notavit *l.* 10. *Epigr.* 37. *v.* 5. cujus Epigraphe ad Maternum Juriſperitum.

An Laurentino *turpes in litore ranas.*

LAUREOLUM, vulgò LAURIOL, vel potius L'AURIOL, aut L'ORIOL, opp. Galliæ ad Drunam fluv. Prioratus S. Joh. de O*reolis* in Polyptychis mentio fit, *Hadr. Valeſ. notit. Gall.*

LAUREOLUS, latro ſceleſtiſſimus, eoque nomine in crucem actus, & à feris devoratus. Quæ fabula aliquoties Romæ in ſpectaculis repræſentata eſt, idque à Domitiano. Mart. *in Amphith. Epigr.* 7. cujus Epigraphe Poena Laureoli.

Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus,
Aſſiduam nimio pectore pavit avem.
Nuda Caledonio ſic pectora præbuit urſo,
Non falsâ pendens in cruce Laureolus.

LAURETUM, vulgò LORETO, urbs Piceni recens Epiſcopal. inter Recinetum & oram maris ad 3. mill. paſſ. ab Ancona, 15. in Mer. Famoſa ſacris Latinorum peregrinationibus. Et quidem Blondum & Baptiſtam Mantuanum primos cubiculi B. Virginis, in quo Chriſtus conceptus ſit. Nazaretho in Dalmatiam primùm, inde in agrum Lauretanum Picenæ prov. per Angelos tranſlati, meminiſſe, ait Caſaub. *c. Baron. Exerc.* 7. *n.* 1. ubi ſuprà in rem.

LAUREUM, reg. Atticæ, in qua argentifodinæ erant Athenienſium, apud Suid. Thucydid. *l.* 2. & 6. Pauſ. *in Attic.* Strabo *l.* 3. & 9. Vitruv. *l.* 7. Aliòs. Quò reſpiciens C. Nep. *Themiſtocle c.* 3. *Nam* ait, *quum pecunia publica, quæ ex metallis redibat, Largitione Magiſtratuum quotannis interiret* &c. Vide de hoc Athenienſium *Laureotico proventu*, plura apud Polyæn. *l.* 1. *in Themiſtocle, comm.* 5. & Joh. Meurſ. *Fortunâ Attic. c.* 7. Ibid. privatim aliquas argentifodinas Cattias habuiſſe videtur, Λακκόπλουτος hinc dictus, quam *magnas pecunias ex metallis feciſſe* Nep. ait in *Cimone c.* 1. niſi πρόσοδυ hujus redemptor fuerit. Sed & Niciæ ibi fodinas fuiſſe Plutarch. *in eo* demonſtrat &c.

LAURI, in tab. Theodoſiana, hodie *Leerda*; opp. Belgii: à Lauris ibi naſcentibus fortè dictum, *Cluv.*

LAURIACENSIS Pagus, à Lauriaco dictus, in quo præterea S. Papuli opp. Epiſcopale ac Caſtellum Novum Arrii, caput Lauracenſium, ponit Maſſon. Hodie *Lauraguez*. Aliis *Auriacenſis*, ab opp. Auriaco, & vulgò *Auraguez* vocatur. Eſt & *Lauriacum* in Archidiaconatu Pitiverenſi, & diœc. Aurelianenſi, vulgò *Lorri*. Item villa olim publica, in Andibus, hodie *Loire*. Item caſtellum prope Carcaſsonem, *Leirac*, Petro & Gulielmo *in rebus Albigenſium* memoratum, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

LAURIACUM, Auſtriæ ſup. opp. Ant. *Lorch* Simlero. Nunc vicus ad Danubium, è regione opp. *Mathauſen*, 3. mill. Germ. infrà Lentiam, 1. ab Aniſo 22. autem ſuprà Viennam, in Occ. Paſſavium verſùs 10.

LAURINUS Brugenſis, vide *Marcus*.

LAURION, locus Atticæ, inter Piræum port. & Sinum prom. ubi argentum fodiebatur, Thucydid. *l.* 2. *p.* 35. & *l.* 6. *p.* 474. & *Plutarch.*

LAURIOS, Atticæ regiuncula, aureis venis ſcatens. Hinc *Noctuæ Lauriotica* prov. apud Ariſtoph. Noctuis enim numiſmata ſignabant.

LAURIUM & LORIUM, villa Antonini Pii, ubi & educatus & Mortuus eſt, ab urbe ad 12. lap. Vide infrà *Lorium*.

LAUROLAVINIUM, & LAURUM LAVINIUM, idem cum *Lauro* ſ. *Laurio*, de quo modò, apud Serv. Vide Caſaub. *ad Capitolin. in Ant. Pio.*

LAURON, Hiſp. Tarrac. urbs. Plutarch. *in Sertorio*; hodie *Laurigi* pag. in regno Valentiæ. Hìc Sex. Pompejus à Cæſarianis victus eſt & cæſus.

LAURUS, ſcientiæ ſymbolum, ob non unam rationem; Unde quibuſdam arbor ea credita, in qua primi noſtri Progenitores peccârunt, vide Fortun. Licet. *l. de Gemmis Annularibus c.* 25. *p.* 62. Proin & vaticinii typus habita, quam ob cauſam vaticinantes *Lauro* coronari ſolitos, ait Interpres Ariſtoph. & qui bella ſequebantur vates, in ſumma galea *lauri* conum geſtabant, Pierius *Hieroglyph. l.* 50. Etiam fortè propterea in ſummitate Delphici templi, undè vaticinia exibant, arbor hæc in latus propendebat. Eidem Valeriano, vim poëticam indicat, proptereaque Oraculo Delphico congruit, cum quòd Apollo poëtarum atque Muſarum Pater atque Deus colebatur antiquitus: tum quòd Oraculorum reſponſa verſibus dabantur ferè omnia. Unde & antiquiſſimum illud templum ex *lauro* fuiſſe conditum, tradit Pauſ. *in Phocaicis.* Et ipſe Apollo *lauri ramum* manu tulit, ex lauro Tempica decerptum, ſicque Delphos, poſtquam à cæde Pythonis ſerpentis purgatus eſſet, venit, & Oraculum occupavit. A' quo tempore Pythionicis ex eadem lauro ſerta fuiſse impoſita, cùm antea ex eſculo darentur, tradit Ælian. *Var. Hiſt. l.* 3. Sed & eidem Apollini Delphos propterea lauri dona miſsa, jam à Regibus Rom. Plin. *l.* 15. *c.* 30. ſcribit. Ipſi etiam tripodes ex *lauro* erant, inſuperque δάφνῃ ἐστεμμένοι, *lauro coronati*, quas coronas Pythia, quoties vaticinatura erat, ſuper tripode diductis cruribus ſedens, capiti imponebat &c. Porrò fulmen non expaveſcere credita, quapropter ex ea ſertum Tiberio talium metuenti: cuſtodiæque ac incolumitatis indè ſymbolum, autore Proclo, habita eſt, qui ſcribit, antiquos *laurum* Tutelæ conſecrâſse, eamque & in ſacrificiis, & in focis, ubicunque vel ſata, vel affixa fuerit, incolumitatem afferre. Ovid. *Met. l.* 1. *v.* 562.

Poſtibus Auguſtis eadem fidiſſima cuſtos
Ante fores ſtabis, mediamque tuebere quercum.

Inſuper caſtitatis index: undè *frondem pudicam* agnoſcit Claud. *de Raptu Proſerp. l.* 3. *Carm.* 36. *v.* 74. *& ſeqq.*

——— *luco dilectior omni*
Laurus, *virgineos olim quæ fronde pudicâ*
Umbrabat thalamos ——

ubi de Cerere, cui laurum quoque ſacram hinc diſcimus. Et proin purgationibus apta, utpote ipſamet pura & puriſſimo ideo Numini (Apollini) conſecrata, ut Phornut. *in Apoll. & Diana* ait. Diuturnitatis quoque credita eſt ſignificatrix, quòd ſemper viret: unde *frondem perennem* illam Lucret. *l.* 1. & *frondem æternam* Caſſius Parm. *in Orpheo ſuo*, vocant, ut alios mittam; Fauſtitatis item & Felicitatis: undè non Principum tantùm, ſed & privatorum januas *laureis coronari*, more priſco, conſueviſse, legimus apud Tertullian. *Apolog.* Eandem ob cauſam familiares primorum, ineunte Anno, laureati in publicum prodibant: quod etiam, in matronis notat Tertullian. *ad uxor. l.* 2. Ut omittam ramos lauri, qui cuique pro foribus ponebantur, quoſque ἀντλίας Græci dixêre, teſte *Etymologici* Autore. Ipſa merces bono lauri omine non caruêre, utque emptori novum mercimonium ſicut novo domino, feliciter eveniret, udâ lauro aſpergebatur, quem morem Ovid deſcribit *Met. l.* 5. In lætitia verò Nuptiali tota quoque domus plerunque laureis corollis ornabatur. Apulejus *Met. l.* 4. *Domus tota lauris obſita, tædis lucida conſtrepebat hymenæum* &c. Inprimis Victoriæ ac Triumphi inſigne ac ornamentum fuit. Undè literæ victoriam nuntiantes ab Imperatoribus ad Senatum miſsæ, *lauris* obvolvebantur. Plin. *l.* 15. *c. ult. Laurus Romanis præcipue Lætitiæ victoriarumque nuntia additur Literis & militum lanceis pileiſque.* Quæ proin *Laureatæ* dictæ, Jul. Capitolin. *in Maxim.* & Plin. *l.* 35. *c.* 18. Etiam lictores *laureati* & Imperatorii faſces *lauri* inſignia, prætulêre: ſtatuæ quoque victoribus decreræ eadem cingi conſuevêre. Adde & *navis laureatæ* mentionem fieri à Plutarcho *in Lucullo*: & militum lanceis piliſque additam *laurum* fuiſse, ex ſæpe memorato Plin. Mart. hinc *l.* 7. *Epigr.* 5. cujus Epigraphe de Fama reditûs Domitiani. *v.* 9.

Sed jam lætitiæ quò ſit fiducia major,
Sarmaticæ laurûs *nuntius ipſe veni.*

Stat. *l.* 5. *Sylv.* 1. *v.* 92.

Omnia jam lætas pila attollentia frondes.

Senec. *Agamemn. Act.* 2. *v.* 390. Quemadmodum contrà pennis Epiſtolæ lanceiſque additis adverſa ſignificabantur. Poſtquam Imp. triumphus decretus erat, is *lauream* triumphalem ad Jovem Capitolin. delatam, in ejus gremio relinquebat: Hinc *laureata* Imperatorum *capita* in nummis paſſim conſpiciuntur, & nota de *Laureto*, unde triumphaturi hæc honoris inſignia decerpere ſueti erant, Hiſtoria. Liviæ quippe olim, poſt Aug. ſtatim nuptias Vejentanum ſuum cùm reviſeret, tum gallinam albam, quæ ramulum *lauri* roſtro tenebat, à prætervolante aquila in gremium demiſsam: quumque nutriri alitem, pangique ramulum placuiſset, tantam pullorum ſobolem proveniſse ajunt; ut Tranquillus ad ſua uſque tempora villam eam *ad Gallinas* vocitatam teſtetur; & ex hoc *Laureto*, triumphaturi poſtea Cæſares boni ominis gratiâ laureas decerpſiſse dicuntur. *Adeò verò laurus*, verba ſunt Valeriani *in Hieroglyph. l.* 50. *triumphantium propria fuiſſe videtur, ut obſervatum ſit, in hujuſmodi* laureto *ſub cujuſque Obitum, arborem ab ipſo inſtitutam elanguiſſe. Et quo etiam prodigii cauſam intelligas, quod Julii Cæſaris cædem præmonſtravit, quum pridie Idus Martias avis Regaliolus cum* laureæ *ramulo Pompejanæ Curiæ ſeſe inferens, à varii generis volucribus è proximo nemore perſequentibus ibidem diſcerpta eſt. Noviſſimo verò Neronis Anno, in quo Cæſarum progenies defecit, ſylva illa Vejentana radicitus exaruit, & quidquid ibi gallinarum erat, interiit. Tali portento fuit Alexandro Severo* laurus *alta ingens ac antiqua, quæ in palatio cujuſdam civitatis, à qua proficiſcebatur ad*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ad bellum, quod contrà Germanos paraverat, ſubitò collapſa, mortis itidem ejus indicium habita. Contrà non temerè boni ominis Lauri *folia, quæ circà Pompeii faſces illigata fuerant, quum longo itinere per arida & multa loca jam exaruiſſent, eo tempore, quo in vico quodam Galatiæ cum Lucullo in colloquium deſcendit, detracta & à Lucullianis lictoribus recentia & viridia, quæ penès eos plurima fuerant, liberaliter ſuffecta: quod ſummam gloriæ rerum à Lucullo geſtarum ad Pompejum tranſituram interpretatum eſt*, &c. Erat autem *Laurea Triumphalis*, ut paulò diſtinctiùs de illa agam duûm generum, una verè *laurea*, h. e. contexta ſ. plexa ex duobus ramulis lauri, quæ caput triumphantis evinciebat, altera ex auro, ſed in ſpeciem lauri effigiato, quam ſervus publicus eodem, quo triumphator, curru vectus, ſuper caput ejus geſtabat, in gremio Jovis Capitolini poſtea deponendam, uti ſuprà diximus Sil. Ital. *Punic. Bell. l.* 15. *v.* 119. ubi de *Inſigni Corona*. Cùm quæ verè laurea erat, veluti ſplendidiſſimum domeſticæ virtutis inſigne, ſummâ curâ domi aſſervaretur, indè non depromenda, niſi inſignis alicujus diei ſtatis temporibus, cùm vel ſpectacula, vel res alia magna publicè perageretur. Tunc enim vir triumphalis in publicum egrediebatur, laureâ ſuâ non tantùm conſpicuus, ſed & venerabilis. Hoc itaque fine laureæ triumphales domi tam ſanctè cuſtoditæ, utque non evaneſcerent, renovatæ atque viridibus permutatæ ſunt, ne unquam deeſſet inſigne hoc in publicum prodeuntibus. Sub Principibus verò etiam peculiaribus quibuſdam epithetis donatæ ſunt, à victoriis ſc. gentibuſque victis ac triumphatis. Hinc *Lybica laurus* memoratur Sil. Ital. *Rhætica*, *Sarmatica*, *Syriaca* Mamertino *in Panegyr.* Neque vivi ſolùm, ſed & mortui victores hac fronde ornati ſunt. Undè de Menœceo Stat. *Theb. l.* 12. *v.* 61. & *ſeqq.*

> ——— *nec robora vilem*
> *Struxêrunt de more rogum: ſed bellicus agger*
> *Curribus & clypeis. Grajarumque omnibus armis*
> *Sternitur, hoſtiles ſuper ipſe ut victor acervos*
> Paciferâ lauro *crinem, vittiſque decorus*
> *Accubat:* ———

Ad quem locum vet. Schol. *Lauro*, inquit; *coronatur etiam mortuus. & jam concremandus, quia pro victore Argivorum ab omnibus habebatur.* Quo exemplo Hannibalem Marcelli corpus *laureâ* coronatum cremaviſſe, notavit Car. Paſchal. &c. Quia autem laurus victoriam atque triumphum ſignavit, hinc & qui Herculi, monſtrorum domitori, ſacrificabant, eadem coronâ redimiti erant. Seneca *Herc. Fur. Act.* 3. *v.* 828.

> ——— *denſa ſed læto venit*
> *Clamore turba, frontibus* laurum *gerens.*
> *Magnique meritas Herculis laudes canit.*

Libero quoque, *utpote Deo triumphorum*, laurea tributa. Tertullian. *de Cor. milit.* Ut & Latonæ, tanquam Apollinis, quem idem *Deum telorum* vocat, genitrici. Sed & Junonis, veluti Reginæ Dearum, miniſtris laureæ coronæ conceſſæ ſunt, apud Athen. *l.* 15. *p.* 674. Quanto magis Jovis Flamines iis cincti: Undè Kal. Martiis, non tantùm in Regia Curiiſque, & faſcibus Conſularibus, ſed & in Flaminum domibus, *laureas* vett. novis mutatas eſſe docet Ovid. *Faſt. l.* 3. *v.* 137.

> Laurea *Flaminibus, quæ toto perſtitit anno,*
> *Tollitur: & frondes ſunt in honore novæ.*

Quod poſtea in Januarias Kal. translatum: quibus ipſius quoque Jani ſtatuæ nova laurea quotannis eſt impoſita. Unde *in Cæſaribus* Auſ. Tempus imperii. XII. Cæſ. *v.* XI.

> *Ter dominante Tito cingit nova* laurea *Janum.*

Et quia plurimorum remediorum hæc arbor promacunda eſt habita, hinc *laureâ* & Æſculapium legimus inſignitum. Imò & ad alia Numina, pro ſuperſtitione hominum, è *lauris* corona delata; ab iis, qui è negotio feliciter geſto in Urbem coronati rediiſſent, vel ab aliis, in horum gratiam: uti diſcimus ex Ovid. *de Ponto l.* 2. *ad Germanic. Eleg.* 1. *v.* 67.

> *Quòd ſi me ſalvo dabitur* tua laurea *templis*
> *Omnia bis dices vera fuiſſe mea.*

h. e. ſi populus coronatus lauro, laurumque manu ferens gratias Diis aget, apud omnia pulvinaria, ob res abs te geſtas. Soli, Veneri Bacchoque, inimica, undè apud Lucian. laurus Veneris transfuga eſt, *Amor.* neque conviviis, ulliſque compotationibus in coronas adhibita: hinc *bonæ valetudinis comes*, & φυτὸν ἀγαθοῦ δαίμονος, *planta boni ſpiritûs*, dicta. Qua de rè Kal. Januarii populum eam Romæ, ut etiam ficùs aridas, obtuliſſe, tradit Conſtantinus Cæſ. *l.* 11. *c.* 4. &c. Ob quas *Lauri* dotes & prærogativas; *in profanis* uſibus *pollui laurum* --- *fas non erat, ut ne propitiandis quidem Numinibus accendi ex his altaria aræve deberent*, Plin. *l. c.* ubi plura *de Lauro*; cui adde ex recentioribus, Car. inprimis Paſchal. *Coron. l.* 8. *c.* 7. & *ſeqq. uſque ad fin. libri*: nec non Voſſ. *de orig. & progr. Idol. c.* 12. ubi fulmini obnoxiam hanc arborem, contra Vett. probat, & de eorundem opinione, quòd comeſta vel capiti ſuppoſita vera producat inſomnia, pluribus diſſerit. A *Lauris* vel *Laurea*, dicuntur *Laureati* poëtæ, qui ab Imp. ob eruditionem, *laureâ* ornantur: more à Romanis orto. In Capitolinis enim agonibus, quos Domitianus Imp. inſtituit & ad tempora ſua obtinuiſſe, ſcribit Cenſorin. poëtas, Rhetores aliarumque profeſſionum viros egregios, coronari ab ipſo Imp. fuiſſe ſolitos, notum eſt. Et quidem, qui primas obtinuerant, coronâ & ramo lemniſcatis, aut torque involutis donabantur: Qui verò ſecundi erant, palmas quidem ſed ſine lemniſcis accipiebant. Undè antiquitus ipſi Cæſares Germani poëtis eximiis ex *Lauro* ſertum impoſuiſſe leguntur, ad Romanorum imitationem, quorum etiam in Imperium ſucceſſêre. Poſteà per aliorum manus collatus honor, quem, quòd in indignos ſubindè ſpargeretur, ſenſim eviluiſſe, diſcimus ex illis Lipſii verbis: *Multi lauriferi, pauci Phœbi.* Vide præter Autores præfatos Thom. Dempſter. in Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 18. Fortun. Licet. *in Opere ſuprà laudato* &c.

LAURUS Joh. Vincentius, Calaber, egregiè doctus, à Guiſiis Antonio Navarræ Regi additus, ut eum à proteſtantium partibus abſtraheret, aliquandiu ejus Medicum egit. Poſt illius Obitum Romam reverſus purpuram obtinuit & maximis negotiis ac legationibus adhibitus, ſæpiuſque Pontificatui deſtinatus, Obiit A. C. 1592. Æt. 70. Nic. Toppius *Biblioth. Neap.* Latinè illum & Græcè doctum, præterea Poëtam, Oratorem, Philoſophum & Theologum eximium fuiſſe refert: ſed nimis laxæ conſcientiæ arguit Mezeræus *Hiſt. Franc. Tom. II.* Vide Thuan. *Hiſt. l.* 28. & 39. ac ex illo *Elog.* Ant. Teiſſier *P.* 2.

LAUS, urbs Lucaniæ Plin. *l.* 3. *c.* 5. Steph. Item opp. & fluv. Brutiorum in Lucaniæ conf. *Laino* dictus: in Calabria citer. in ora maris Tyrrh. prope Scaleam opp. quod etiam *Laus*, 18. ferè mill. à Policaſtro in Auſtr. Strabo. *l.* 6. *p.* 234. & 253. *Baudr.* Vide Cluv. Ital. *Antiqq. p.* 1262.

LAUS, an à Græco λαὸς, *populus*, quòd *Laus ſit vox populi laudantis*; an à vet. voce Æolica λαύω, *fruor*, quòd nullus major fructus ex virtute, aut actione illius, quam *laus*, percipiatur: Græcè ἔπαινος, Item ἐγκώμιον dicitur: quæ tamen duo ſic diſtinguit Scalig. *Cùm*, inquiens, *de re quapiam* αἶνος *eſſet propoſitus* (i. e. ſermo) *auditorum conſenſus expreſſus oratione,* ἔπαινος *appellabatur, quaſi prioris narrationis additamentum. Nullum enim pulchrius auctarium orationis, quàm comprobatio dictorum. Indè tractum eſt, ut hoc teſtimonium, vel bonæ rei vel bene cujuſdam facti dictive* ἔπαινος *vocaretur. Satis itaque erat & brevitas, orationis & paucitas comprobantium --- Hoc à Latinis* Laus *dicta* -- *At* ἐγκώμιον, *puſilla quaſi panegyris eſt. Quippe* ἐν ταῖς κώμαις, *tribulibus audientibus, cùm laudes alicujus ita recenſebantur, ut longiuſculè procederet oratio,* ἐγκώμιον *appellârunt, quæ neque brevis, neque ſimplex eſſet: ſed figuris ac numeris ornata, certis diviſa partibus, locis digeſta ſuis* --- *Latine* Laudatio *dicatur*, vide eum *poët. l.* 3. *c.* 110. Panegyricus verò, eidem eſt oratio *laudatoria*, quæ dici conſuevit, apud multitudinem congregatam. Vett. enim Græcos conſuetudo tenuit, certis ut celebritatibus unum in locum univerſi coirent, ut eorum animi vel præceptionibus Sapientum, vel Fortium æmulatione, componerentur atque colerentur: vel ludorum feſtivitatibus laxarentur. Namque tum poëtæ, tum Oratores, tum Aretalogi, tum Hiſtorici ſuas recitabant lucubrationes, inter quas præcipuæ erant, quæ *Laudes* fortiter pro patria Defunctorum prædicabant, alioſque exemplis eorum ad paria præſtanda ſuccendebant &c. Vide illum *c. præc.* Quod παιᾶνα τοῦ θανόντος, *pæanem Defuncti*, appellat Æſchylus Χοηφ. Vide quoque hîc paſſim, inprimis ubi de *Parentandi ritu.* Ariſtot. paulò aliter, ut qui ἔπαινον virtutum eſſe dicat, ἐγκώμιον factorum, μακαρισμὸν hominum beatorum, i. e. divitum, εὐφημισμὸν Deorum: Quam in rem plura vide apud Scalig. ubi ſuprà, cui adde Car. Paſchal. *Coron. l.* 5. *c.* 7.

LAUS Perennis, vide ſuprà *Acœmeti.*

LAUS Pompeja, urbs Epiſcopal. Inſubriæ. *Lodi* hodie, ad Adduam fluv. media inter Mediolanum ad Occaſ. & Placentiam in Eur. 20. mill. paſſ. quot à Ticino, Brixiam verſus 40. cujus ager fertiliſſimus, caſeo, butyro & carnibus abundans. A Bojis Gallis, Plin. *l.* 17. *c.* 13. teſte, condita, & *Pompeja*, colonia eò à Pompejo deducta, cognominata: Vetus tamen *Laus* jacet, à Mediolanenſibus everſa, à nova 5. mill. paſſ. diſtans, *Lodi vecchio* dicta, Ticinum verſus, vicuſque eſt hodie frequens, & plurimis antiquitatis veſtigiis viſendus. Ejus Ep. Archiep. Mediolanenſi ſuffragatur.

LAUS tibi Chriſte, verba ſunt, quibus in fine Euangelii, in Communione Rom. reſpondetur, autore, ut videtur, Burchardo, cùm priùs variè reſponderetur, ſc. *Amen, Deo gratias, Benedictus, qui venit in nomine Domini* &c. Durand. *l.* 4. *c.* 24. In feria 6. Paraſceves autem non dicitur, ob memoriam improperiorum Domini. At *Laus Tibi Domine*, in eadem Eccl. in principio horarum dicitur, loco *Alleluja*, à Dominica Septuageſimæ, uſque ad Paſcha ex decreto Alex. II. Pontificis Rom. Vide Dom. Macr. *in Hierol.*

LAUSANNA, al. LAUSONA, & LAUSONIUM, Gall. LAUSANNE, urbs eſt inſignis Helvetiæ, regionis Vaudi caput, ad lacum Lemannum, qui *Lauſannenſis* hinc quoque dicitur, ſemihorâ inde diſtans. Nomen habet, Stumpfio teſte, à duobus rivulis *Loſa* & *Anna*, illam perluentibus. Sed hanc originem ineptam eſſe docet Joh. Bapt. Plantin. *Helvet. Antiq. & Nov.* olimque lacui propior fuiſſe videtur, ex multis murorum ruderibus, lapidibus ſepulcralibus, & urnis in agro Vidiano repertis, nec non variis vett. Impp. numiſmatibus, aliiſque monumentis, inter quæ memoratu digniſſima eſt parva bovis cum Sacerdote effigies, haud pridem ibi reperta, quam inſigni commentario illuſtravit Depetra Paſtor Lauſannenſis, apud modò dictum Plantin. Fundatam illam ab Arpentino, Herculis centurione, ſub Arpentinæ nomine, A. M. 2790. quod immutatum dein, urbe ſuper montem translatâ, circa A. C. 593. ex vett. Chronicis refert Merc. Ex Arpentinæ ruina Lauſannam ædificâſſe Valer. Aurelian. habent Vaudi Chronica, de quo vide autorem retro laudatum. Guillimannus ex 12. oppidis Cæſaris tempore incenſis fuiſſe, idemque eſſe, quod apud Ptol. *Diaſanium* pro Lauſanium corruptè legitur, cenſet. Ponitur in Æthici Itin. inter Coloniam Equeſtrem & Urbam, quo tempore vicus fortè aut arx celebris fuit ipſaque plateam ſ. *vicum Equeſtrem* habet, privilegiis ornatum, in quo Romanorum Reges certis cerimoniis excipere, priſcus mos fuit. Sedes urbs olim Epiſcopatûs, ei fortè incrementa debuit. Primus Lauſannæ Ep. Marius fuiſſe legitur, quem regnante apud Auſtraſios Childeberto, Aventico huc tranſtuliſſe ſedem, refert Hadr. Valeſ. quàm

benè,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

benè, vide Stumpf. *l.* 8. *c.* 23. *de regione Vaudi.* Ex ejus ſucceſſoribus Arricus interfuit. Conc. Cabillonenſi juſſu Chlodovei jun. habito, A. C. 650. Burchardus, novum opp. Aventicum, condidit, A. C. 1076. Amedeus urbem ab Amedeo Com. Genevenſi obſeſſam, fortiter defendit, circà A. C. 1141. &c. Primas tenuit, poſt Metropolim Veſontionem primò, mox Baſilea Lauſannæ prælata eſt, Belicâ tertiâ remanente. Advocatos ab Imp. Epiſcopatûs Zeringios Duces, Kyburgios Com. & Sabaudos Principes, diverſis temporibus accepit, congreſſu Greg. X. & Rudolphi I. Imp. A. C. 1273. clara. Bello Burgundico, cùm Sabaudiæ Princeps Car. Duci adhæreret, Helvetii irruptione in reg. Vaudi ſ. Valdenſem, factâ, Lauſannam occupârunt, mox tamen ab hoſtibus receptam. Iterum A. C. 1476. poſt prælium Moratenſe ab Helvetiis capta & direpta eſt: à quo tempore licèt cum tota regione pace initâ reddita eſſet A. C. 1477. Domino priori, nihilominus cives amicitiam cum Bernatibus imprimis coluêre: donec A. C. 1536. in illorum poteſtatem, cum tota ditione urbs pervenit. Mittunt hi eò Præfectum, qui eadem jura, quæ Ep. olim, exercet, ſalvis urbi privilegiis ſuis & immunitatibus; Iidem inſignem hîc Academiam inſtituêrunt, doctiſſimorum Virorum genitricem: Epiſcopali ſede, poſtquam & huic urbi Euangelium affulſit, Friburgum à Latinis translatâ. Inſignia hîc templa, Cathedrale inprimis, &c. Vide Autores retro memoratos, & infrà in voce *Lauſonium.*

LAUSANNENSIS Lacus, vide *Lemanus lacus.*

LAUSDUNUM, vulgò LOUDUN, opp. Galliæ, à monte ſuo vel duno ſic dictum: In Andicavorum, Turonum Pictonumque conf. quibus ultimis attribuitur. Patria Macrini & Scævolæ S. Marthani. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

LAUSIACA, Græcè Λαυσιακὰ, nomen operis, à Palladio conſcripti, quod Patrum geſta continet, à *Lauſo* Præpoſito literis priùs conſignata, quodque ſtatis temporibus legi conſueviſſe Idem, ex *Triodio* docet.

LAUSONIUM, ſ. LAUSANNA, vide ibi, urbs Gall. Lugd. ad Lemanum lacum. Ant. in Helvetiis, *Lauſanne* vulgò dicta. 11. leuc. à Friburgo in Mer. uti 8. ab Ebroduno, 10. à Geneva in Ort. Sub. Bernenſi pago, cum Acad. Guilleman. *l.* 1. *Helv.* Stumpf. *Munſter.* &c.

LAUSUS, fil. Numitoris, frater Iliæ Sylviæ, quem Amulius patruus fugato patre Occidit. Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 54. & 55.

Enſe cadit patruo Lauſus. ——

Item fil. Mezentii Dion. Halic. *l.* 1. *p.* 52. de Orig. Gent. Rom. *p.* 775. & 776. quem Æneas interfecit, cùm parentem vulneratum defendit. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 649. & 651.

Lauſus *equûm domitor, debellatorque ferarum.*

Idem *l.* x. ſub fin. *Nic. Lloyd.*

LAUTÆ Carinæ, pars urbis Romæ, in qua natus Aug. apud Serv. *ad Æn. l.* 8. *v.* 361. At Suet. eum natum ait, *regione Palatii, ad Capita bubula*, ubi ſacrarium poſteà conſtitutum, *in Aug. c.* 5.

Romanoque foro, & lautis *mugire* Carinis.

LAUTERBACHIUS Joh. Luſatus, poëta & JC. excellens, Obiit A. C. 1593. Scripſit *Citharam Chriſtianam*, h.e. *Pſalmodiarum ſacrarum l.* 7. *Pſalm.* xv. *Graduum cum Hymnis, Elegias, Epigrammata, Heroica* &c. It. *Tractatum de Armis & Literis, Principem Chriſtianum, de Origine & progr. Juris, Civ. proceſſus, Theatrum Sapientiæ natural. Enchiridion, Vet. & Nov. Teſt. cum figuris & tetraſtichus Germ.* &c. P. Freherus *Theatro Viror. Erud. Claror.*

LAUTERBACHIUS Wolffg. Adamus, JC. celeberrimus floruit Tubingæ circà A. C. 1630.

LAUTERNA, fluv. Galliæ, vulgò *Lezert.* Oritur in Rutenis, & alluit Salvam Terram Rutenorum *Salve terre*, Villam longam & Caſtellum Marinum *Caſtel-Marin*: demum Viaurum *Biaur* auget, qui accipitur Avarione *Avairou*, à Tarne in Garumnam deferendo. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LAUTIA, præbebantur olim Legatis; quaſi *Dautia*, Feſt. ex Græco Δώτια; ſic autem dicebatur, quidquid ad epulas pertinebat, Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 873. & infrà, ubi de *Legatis*, it. in voce *Saturnus.*

LAUTIUM, metropolis Latinorum, Dion. Halic. *l.* 5. *Hiſt. Rom.*

LAUTIUS Ludovicus vide *Ludovicus.*

LAUTRECUM, locus inf. Palatinatûs, cum tit. Princip. Cluv. *deſcr. Germ.* Meliùs, à Principatu Veldentiæ dependet; unde *Veldentia* potiùs, quàm *Lautereccana* hæc Principum Palatinæ ſtirpis linea, dicenda, vide infrà in voce *Leopoldus Ludovicus*, item *Veldentia.* Phil. Jac. Spener. tamen modò *Lautereccanam*, modò *Lucelſteniam*, modò *Veldentiam* appellat, eamque delineat hoc modo. Lud. Com. Palatinus Rheni Bipont. qui Obiit A. C. 1489. ex Johanna (filia Antonii Croji Com. Porceani) Alex. ſuſcepit Com. Pal. Rh. Bipont. qui Defunctus A. C. 1514. ex Margaretha Hohenloica (filia Cratonis Com.) fil. reliquit Rupertum Com. Palatinum Rheni *in* Lauterek, Denatum A. C. 1544. Hoc & Urſulâ Rhingraviâ (filiâ Joh. Com. Sylvarum & Rheni) nat. Georg Joh. Com. Pal. Rheni Deceſſit A. C. 1592. Pater ex Anna Maria Suecica (filia Guſtavi Regis Demortui A. C. 1560. Georg. Guſtavi Com. Pal. Rheni *in* Lauterek, qui Obiit 1634. Huic Maria Eliſabetha Palatina (filia Joh. Com. Pal. Rh. in Bipont.) Leopoldum Lud. genuit Com. Pal. Rheni, patrem numeroſæ prolis, ex Agatha Chriſtina Hanovica filia Phil. Wolffgangi Com. Hanoviæ *in Liechtenberg.*) Vide ut dictum, *infrà*, & plura apud Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nob. Parte II. p.* 1. Germ. Lauterk.

LAUTULÆ, locus Romæ, non procul à Jano gemino, à *lavando* dictus, quòd aquas calidas haberet. Varro *de Ling. Lat. l.* 4.

LAUTUNII, Africæ pop. ad montem Atlantem, creato Rege, circà A. C. 1052. Zenetorum Imperio finem impoſuêrunt, ac in Africa & Hiſpania, ſucceſſu temporis, omnium latiſſimè imperare cœpêrunt. Primus Regum fuit Abul-Texifus, qui ſedem Regni poſuit in urbe *Achmed.* Ejus ſucceſſor Joſephus, univerſæ Africæ, uſque ad Ægyptum & Nigritarum regionem, dominus, trajecto in Hiſpaniam exercitu, penè univerſam occupavit, de quo vide Roderic. Toletan. *in Hiſt. Hiſp. & Saracen.* Idem urbem Maroccum condidit, quæ Regni ſedes, desertâ Fezzâ, impoſterum eſſe cœpit. Sed Abdalla Elmohadi Ludimagiſter, cùm, ſpecie Religionis reformandæ, ingentes copias comparaviſſet, ultimum *Lautuniorum* horum Almoravidarum Regem Abrahamum prælio victum fugatumque in præcipitium egit, ſicque Africa potitus, ab Almoravidis ad Almohadas Imperium tranſtulit. Georg. Horn. *Orb. Imp. p.* 470.

LAWENBURGUM, vulgò LAWENBURG, opp. Saxoniæ inf. ad Albim, ſub proprio Duce, ex fam. Sax. cujus autor Joh. fuit, Alberti I. qui Saxonicum, ſicut hujus frater Henr. Anhaltinum ramum, orſus eſt. Frater Joh. fuit Albertus II. Elect. Saxoniæ, Mortuus A. C. 1297. Ex Joh. poſteris Ericus V. fil. Erici IV. alterâ agnatorum lineâ Electorali Extinctâ, ſibi conferri dignitatem petiit, ſed uti anteà A. C. 1414. Sigiſmundus Imp. ei tantùm Ducatûs *Lauvenburgici* feudum contulerat, ita poſteà in collatione hujus axiomatis non eum ſolùm, ſed & agnatos Anhaltinos omnes præterivit, titulo Electorali in Miſnicam familiam translato. Erico huic, abſque prole A. C. 1435. Extincto, ſucceſſit frater Bernhardus, pater Joh. cui fil. Magnus I. ſucceſſit. Hic primus titulo Electoris, quem Majores à tempore tranſlati Electoratûs retinebant, abſtinuiſſe dicitur: pater Franciſci I. qui in Monaſterienſibus Anabaptiſtis compeſcendis olim nomen adeptus, demum A. C. 1578. ob ſenium Franciſco II. fil. regimen tradidit. Hic in Belgio A. C. 1579. operam militarem Alex. Farneſio addixit, Defunctus A. C. 1619. Ex ejus filiis Franciſcus Albertus, Guſtavo Adolpho Sueciæ Regi in prælio Lutzenſi præſto fuit, Julius verò Henr. Religionem Pontificiam amplexus eſt, ex Eliſabetha Sophia Brandeburgica Franciſci Erdmanni & Julii Franciſci pater. Vide Phil. Jac. Spener. *Syllog. Geneal. Hiſt. in fam. Aſcania.* Diſtat urbs 7. leucis ab Hamburgo in Ort. cum caſtro munito, in conf. Duc. Luneburgenſis.

LAWENBURGUM, vulgò LOWENBORCH, opp. Pomeraniæ, ad amnem *Lobo*, ſub Elect. Brandeb. antea ſub clientela Regis Poloniæ. 8. leuc. à Gedano in Occaſ. 2. à limite Pruſſiæ, 3. ab ora maris Balth. in Auſtr. Inter titulos eſt Seren. Elect. Brandeb. ut & Butovia; quas dynaſtias, ad Caſſubiam alioquin ſpectantes, contrà Equites Cruciferos, Wartislaus X. & Ericus II. Sec. XV. Pomeraniæ Duces, armis aſſeruêre: poſſeſſionem poſtea Georg. Dux, Luthero coævus, icto cum Polonis fœdere & favore præſertim Soceri Sigismundi Poloniæ Regis, ſtabilem reddidit; quæ fortè cauſa, quâ nominatim eæ titulo adnectuntur, cæteroqui jam Caſſubiæ appellatione comprehenſæ, vide Cluv. *Geograph.* Phil. Jac. Spener. *Syllog. Geneal. Hiſt.* Chytræum *l.* 11. *ſub fin.* & qui hos laudat, Tob. Pfanner. *de præcipuis Germ. Princip. Gentib. c.* 4.

LAUZADUS, urbs Ciliciæ. *Porphyrog.*

LAXTA, Celtiberorum in Hiſp. urbs, Ptol. *Hita* Moletio. Aliis eſt vicus Caſtellæ novæ, *Tragazette*, in conf. Arragoniæ, ad fontes Sucronis fluv. 6. leuc. à Loboto in Occ.

LAZACH, regnum Arabiæ felicis, cum urbe cognomine. Sub Turcis.

LAZARELLUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

LAZARI, in *Statutis* Hoſp. S. Jul. in Anglia, *Lazaros congregavit, ad eorumque ſuſtentationem, alibique paſſim*, apud recentioris ævi Scriptores; dicti ſunt Leproſi, Gall. *Ladres*, quòd eorum domus ſ. ædes ſacra, extra muros Hieroſolymitanæ urbis, *ſancto Lazaro* dicata eſſet. Horum olim ſolicitam geſſiſſe curam Epiſcopos, arguunt Concilia varia, Aurelianenſe vide *can.* 21. & Lugdunenſe III. *can.* 6. inprimis. Extatque Ildefonſi Toletani, quem ſui pro Sancto habent Carmen, in Xenodochium, à parentibus ejus conditum, ita ſonans:

Livua cum Stephano genitrix: ſed avunculus illum
Compulit Eugenius Præſul ad hoſpitium.
Lazarus *hoc mendicus habet, ſub mœnibus Urbis,*
Qua via Complutum curſibus apta patet.

apud C. du Freſne. Vide infrà, ubi de *Leproſis.*

LAZARITÆ, ſ. S. LAZARI milites, quorum ordo Hieroſolymis inſtitutus eſt, A. C. 1119. Hujus perpauca Monaſteria ſunt, unde Felix Schmid *in Itiner. Hieroſ.* teſtatur, ſe in itinere illo longiſſimo unicum tantùm hujus ordinis inveniſſe. Stumpf. obſervat, inſigne Ordinis crucem eſſe viridem in atro pallio, cum cucullione, ſ. velo capitis. Vide Hottinger. *Spec. Tigur. p.* 352. & infrà in voce *S. Lazarus.*

LAZARUS, nomen viri pauperrimi. Luc. *c.* 16. *v.* 20. Vide Auguſtin. Tertullian. *de reſurr. Carnis. c.* 17. Euthymium, *in* 16. *c. Lucæ*, &c. qui Hiſtoriam hîc à Chriſto referri, non nudam parabolam proponi volunt. Item alterius ex Bethania, amici Chriſti, fratris Mariæ & Marthæ, quem Chriſtus ſuſcitavit à mortuis. Joh. *c.* 11. *v.* 1. Hunc quidam, poſt mortem CHRISTI cum quibuſdam aliis, lacerâ nave mari expoſitum, & Maſſiliam delatum, ibi primum Præſulem evaſiſſe ajunt, Sigeb. & Alberic. *in Chron.* Vincent Bellovac. *Speculi Hiſt. l.* 10. *c.* 101.

LAZARUS, Monachus, cum imaginibus pingendis incumberet, digitos ei aduſſit Theophilus Imp. *ne opera ejus digitorum, ſtulti colerent mortales*: A. C. 830. Sigon. *l.* 4.

LAZARUS Baiſius, nobilis Andegavenſis, Arte & Marto inclytus, à Franciſco I. ad exteros Principes aliquoties miſſus. Gallicè. Vertit Electram Sophoclis, & quaſdam vitas Plutarch. Autor prætereà admirandi operis, *De re Veſtiaria navalique Comm.* Obiit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Obiit juvenis, relicto fil. Jano, ſimiliter erudito. S. Marth. *Elog. l.* 1. P. Jov. *Elog. doct. c. ult. &c.*

S. LAZARUS, Ordo Militaris, à Chriſtianis Occid. inſtitutus, cùm Terram Sanctam poſſiderent. Hi peregrinos hoſpitio excipiebant, per vias deducebant, tuebantur contrà Mahometanos. Pulſi Palæſtinâ, à Lud. VII. Jun. terram Boigniacam, prope Aurelianum, in Gallia, dono accepêrunt, ubi dein illorum ſedes. Suppreſſus Ordo, aut Melitenſi potiùs unitus eſt, ſub Innoc. VIII. Equitibus Gallis reclamantibus: quare, decreto Parlamenti, ſeparatus eſſe juſſus eſt. Tandem Greg. XIII. A. C. 1572. Duci Sabaudiæ Emanueli Philiberto, ejuſque Succeſſoribus ordini S. Mauritii jungendum detulit: quantum videlicet tranſalpinas regiones ſpectat, in Gallia enim ſub Henr. IV. reſtauratus, A. C. 1608. Uxorati eſſe poſſunt, &c. Mennenius, *Deliciæ Equeſtr.* Albert. Miræus, *orig. Ordin. milit.* Favinus, *Hiſt. Ord. Mil.* Bellœus, *Orig. & Inſtit. diverſ. Ord. Eq.* Thuan. *l.* 38.

LAZI, pop. Scythiæ, Plin. *l.* 6. *c.* 4. Steph. Themiſcyræ reg. eſse dicit ad Pont. Eux. Agathias autem Colchos olim eos vocari ſcribit, vide Stuckium *ad Arriani Peripl. p.* 103. Corrigendus Capitol. de Antonino Pio, *Pacorum Regem Lazis dedit*, non *Ladis*. Ad fidem converſi ſunt, A. C. 522. Zatus eorum Rex à Juſtino Imp. Patre ſuo luſtrico cum ſponſa coronam & regiam veſtem accepit. Autor *Hiſt. miſc.* Zonaras *Ann. p.* 3. Cedren. *in Compend.*

LAZIARDUS Johannes, vide *Johannes*.

LAZIUS, cogn. Juſtiniani Imp. in *Novell. Conſtit.* 43. Vide *Lazi*.

LAZIUS Wolfgangus, fil. Simonis Medici, Humaniores Literas primùm, dein Medicinam Viennæ docuit. Medicus inde Ferdinandi I. ab ipſo in Conſiliariorum numerum receptus ac Equeſtri dignitate donatus eſt. Cæterum eruditione vaſtâ & induſtriâ admirandâ, non æquè verò judicio pollens, ſcripſit complura, inter quæ eminet Tractatus *de Migrationibus gentium*, cui tamen hîc ibi fabulas miſcuit, ſi fides Rein. Reineccio habenda. Etiam magni habentur ejus *Comm. Rer. Græc.* reliqua ejus ſcripta enarrat *in Elog.* Ant. Teiſſier *P.* 1. Sibi cùm deſponsaſſet virginem, ab illa poſtmodum rejectus, ruſticam ſibi puellam junxit, illamque bonorum ſuorum hæredem reliquit, Defunctus A. C. 1565. Æt. 50. Vide *Scalig.* Melch. Adami *Vit. Medicor.* Voſs. *de Mathem. c.* 44. § 23. *Bibliogr. Curioſam* &c. adde Paul. Freherum *Theatro Viror. Erudit. Claror.*

LAZZI, infimus apud antiquos Saxones hominum ordo: Dividebantur enim in Edhilingos ſ. Nobiles, Frilingos ſ. Ingenuos, & Lazzos ſ. Servos: quam diſtinctionem cùm Angli diu retinuiſſent, ſub Richardo II. pars ſervorum maxima in libertatem ſe vindicavit. Reſtat nihilominus antiquæ appellationis memoria, cùm ignavos hodie *Lazie* vocant Vide Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.*

LEG. E. D. *lege ejus damnatus*. LEG. *legio*: L. G. F. S. *legem fecit ſuam* &c. in notis antiqq. denotat. *Franc. Gouldmann.*

LEA, matrona Romana, diſcipula Hier. laudata ab hoc *Ep.* 24. *ad Marcellam*, in qua Leæ mortem cum Ethnici Conſulis deſignati Obitu infelici comparat.

LEA, vide *Leæna*.

LEA, Æthiopiæ ſub Ægypto opp. Plin. *l.* 4. *c.* 12 & *l.* 6. *c.* 29. Et Inſ. circa Ægæum mare.

LEÆ, urbs Africæ propriæ. *Ptol.*

LEÆI, Pæonica gens, circà Macedoniam. Thucyd. *l.* 2.

LEÆNA, nomen Athenienſis ſcorti. Hæc linguam morſu abſcidit, ne complices conjurationis Harmodii & Ariſtogitonis contrà Piſiſtratum ederet: ſtatuâ Leænæ elinguis ab Athenienſibus honoratâ. Plin. *l.* 34. *c.* 8.

LEÆNA, Ambraciotis olim pro Numine fuit: quos eam velut libertatis ſuæ vindicem honorâſſe, teſtatur Ælian. idque hac occaſione, quòd, qui tyrannidem apud illos invaſerat, *leænæ* catulis ſuis cinctæ obviam factus, ab ea eſſet diſcerptus. Quò reſpexit Ovid. *in Ibin*: *v.* 501.

Fœta tibi occurrat patrio popularis in arvo,
Sitque Paphageæ cauſa leæna necis.

Ubi Tyranno nomen facit *Paphages*: niſi is Phacyllus; eoque *Phacyllus* reſcribendum: quod Janus Parrhaſius cenſet *Ep.* 8. Et Ælian. quidem, de Ambraciotis dicere contentus eſt, *τιμῶσι*, *honorant*: Gillius verò reddidit, *ſummâ religione colunt*. Cui favet Clem. Alexandrin. qui *in Protrept.* tradit, oves pro Numine habitas à Samiis, item muſtelas à Thebanis. Ubi de Ambraciotis quidem nihil: ſed cùm Ælian. *l. c* Ambraciotas jungat & Samios; idem honoris utrobique intelligendum videtur. Ac fortè Sapientes ovem, lupum, *Leænam*, ut anathema, honorârunt: vulgus inſipiens coluit, ut Numina. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 75. Plura verò de hoc animalium, poſt marem ſuum, quem tamen robore ac feritate æquare, imò & ſuperare, dicitur, nobiliſſimo, invenies apud Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 1. *& ſeqq.* E quo unum hoc adjicio: Naturam providiſſe, ne in generis humani perniciem hæc fera nimium ſoboleſceret, atque indè eſſe, quòd *leæna* in tota vita ſemel pariat, nec niſi unicum catulum, tradunt Herod. *l.* 3. *c.* 108. Antigon. *Hiſt.* 25. Horus *Hieroglyph. l.* 2. *c.* 78. qui *leænæ* hieroglyphico mulierem uniparam ab Ægyptiis denotari addit; à Patribus, Baſil. *in Hexaëm.* & Epiphan. qui S. Virginem *Θεοτόκον* Mariam hac in parte cum *leæna* confert. Etiam cauſa adjicitur, nempe quòd hæc fera pariens Ælian. *Var. Hiſt. l.* 10. *c.* 3. uterum *catuli unguibus laceratum, unà cum fœtu emittat.* Sed hoc ut fabuloſum rejiciunt magni Autores, Ariſtot. *Hiſt. Anim. l.* 6. *c.* 31. Plin. *l.* 8. *c.* 16. Philoſtrat. *in Apollonio l.* 1. *c.* 16. Alii: multique plures uno illam parere docent. Oppian. Cyneget. *l.* 3.

Βάξις ἄρ᾽ ἀτρεκέως ἀνεμώλιος, ὡς ἕνα τίκτει,
Fama eſt omnino inanis quòd unum pariat.

Quod ipſum commentum A. Gell. *l.* 13. *c.* 7. *ex Homero refellit, qui* Iliad. ρ. *& σ. leones aut plures gignere atque educare catulos.* Vide his longè potiores teſtes Ezech. *c.* 19. *v.* 2. & Nahum *c.* 2. *v.* 12. Interim non conſtat ſatis, quoties *leæna* parere aut quot catulos edere ſoleat in uno partu. Plurimi tradunt, eam quinquies ferre uterum, & quinque vel ſex catulis primo partu editis, ad unius partum per gradus venire, Ariſtot. *de Gener. Anim. l.* 3. *c.* 1. *&* 10. Solin. Ælian. *Var. Hiſt. l.* 4. *c.* 34. Oppian. *Venat. l.* 3. Alii. Hinc. Phile *c.* 32.

Λέαινα δ᾽, κράτιστε, πεντάκις κύει,
Καὶ πέντε μὲν τὸ πρῶτον, εἶτα δὶς δύο,
Καὶ τρεῖς ἐφεξῆς, τῷ τετάρτῳ αὖ δύο.
Καὶ σκύμνον ἁπλοῦς εἰς τὸ πέμπτον ἐξάγει.
Εἶτα λύεται κλεὶς τῆς γονῆς ταῖς ἐξόδοις κλ.

Leæna *autem, ô optimè, quinquies parit,*
Et quinos quidem primùm, dein bis binos,
Poſtea ternos, quarto autem partu binos,
At catulum ſimplicem quinto producit.
Sic ponitur clavis generationis egreſſibus &c.

Quam tamen rem tanto conſenſu à Vett. traditam, recentiorum nemo confirmat: & cùm ſciret Philoſophus, in patriæ ſuæ leonibus nihil tale obſervari, id Syris ſolùm tribuit, *Hiſt. l.* 6. *c.* 31. Potius fortè id, quod idem Bochart. ex vet. Autore laudat, Τίκτει ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ δύο, τὰ μέντοι πλεῖστα ἕξ, τίκτει ἐνίοτε καὶ ἕν. *Geminos parit ut plurimum & ad ſummum ſex, nonnunquam etiam unum.* Apud Philoſtrat. tamen ingens *leæna*, circà Cteſiphontem, σκύμνους ἀνατμηθεῖσα ὀκτὼ εἶχεν, *Caſo ventre octo catulos habere reperta eſt* &c. Hoc certum, ſummum ejus ergà ſcymnos ſuos amorem eſſe. Stat. *Theb. l.* 10. *v.* 408. *& ſeqq.*

Ut Lea, *quam ſævo fœtam preſſêre cubili*
Venantes Numidæ, natos erecta ſuperſtat
Mente ſub incerta, torvùm ac miſerabile frendens:
Illa quidem turbare globos & frangere morſu
Tela queat, ſed prolis amor crudelia vincit
Pectora, & à media catulos circumſpicit ira.

Ad quem l Vide *Animadverſ.* Caſp. Barth. ubi plura hanc in rem.

LEÆNÆ, Montes, vide Le*onum montes*.

Viri Illuſtres.

LEANDER, Ep. Hiſpalenſis, fil. Severiani, præfecti Carthagenæ, frater Fulgentii & Iſidori ſucceſſoris, doctrinâ & pietate inter primos. Ab Hermenigildo CPolim miſſus, ibi innotuit Greg. Mag. Reverſus, in exilium à Leovigildo Rege Ariano miſsus eſt; paulò tamen pòſt revocatus, Gothorum converſioni feliciter incubuit. Obiit A. C. 603. *de Vir. Ill.* Mariana, Wio, Iſid. *c.* 28. *de Vir Ill.* Trithem. &c.

LEANDER, vel LEANDRIUS, patriâ Mileſius, de Mileto, & Mileſiis comm. reliquit, teſtibus Clem. 1. *Strom.* Euſ. *de P. E. l.* 2. Theodor. *ſerm.* 1. & 8. Arnob. *l.* 6. Diog. Laërtio *in Thalete.* Alius eſt Λέανδρος ὁ Νικάνωρ, qui μεθονομασίας conſignavit, ac patriâ Cyrenæus fuit, de quo Suid. Steph. Byz. Voſs. de *Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 12.

LEANDER, juvenis illuſtris ex Abydo Aſiæ opp. vide *Hero*, Inde *Leandrius Helleſpontus*. Sil. Ital. *Punic. Bell. l.* 8. *v.* 621. Hujus Hiſtoriam bellè attigit Lucan. *Civ. Bell. l.* 9. *v.* 954.

——— *Amore notatum* ———
Æquor, & heroas *lacrymoſo litore turres.*

Manil. *l.* 4.

Hic pontus, juveniſque *fretum, merſaque puellæ.*

Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 258. *& ſeqq.*

Quid juvenis, magnum cui verſat in oſſibus ignem
Durus amor? nempe abruptis turbata procellis
Nocte natat cæcâ ſerus freta; quem ſuper ingens
Porta tonat cæli, & ſcopulis illiſa reclamant
Æquora: nec miſeri poſſunt revocare parentes,
Nec moritura ſuper crudeli funere Virgo.

Nic. Lloyd Ovid. *Ep.* Heroid. 17. Leander. Heroni. *l.* 17. *Triſt. l.* 3. *Eleg.* x. *v.* 41. *de arte Am. l.* 2. *v.* 249.

LEANDER Alberti, Bononienſis, Dominicanus. Scripſit 6. libb. vitas Illuſtr. Virorum ſui Ordinis, & Deſcriptionem Italiæ, quam Henr. II. Gall. Regi dedicavit, A. C. 1550. ubi ſibi ab Anna Viterbienſi alicubi impoſitum, queſtus eſt. Vixit adhuc A. C. 1552. Geſner. *Bibl.* Voſs. *de Hiſt. Lat.* Poſsevin. *in App. Sacro.*

LEANDIS, Armeniæ min. urbs, in Cataonia reg. *Ptol.*

LEANDRIAS, Lacedæmonius ad Thebanos profugus, qui in concione detexit, editam eſse olim oraculo ſortem, Lacedæmonios imperium Græciæ amiſsuros, quando à Thebanis ad Leuctra victi forent. Diod. Sic. *l.* 15.

LEANTIÆ, Arabiæ Fel. gens. Ptol. Inde L*eanites ſinus* apud eund. Sed hic in Perſico ſinu eſt. Ibique L*eanitæ*, in ora, quorum regio *Elçatif* hodie, *Caſtald.*

LEAOTUMUM, prov. regni Sin. in parte Bor. verſùs Tartariam & regnum Coreæ, prope intimum receſsum Sinûs Nanchinenſis. Hanc prov. primò occupârunt Tartari, quibus ſubeſt ab A. C. 1630. circiter, unà cum toto regno. Vulgò L*eaotum*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LEARCHUS, Athamantis & Inûs fil. quem pater furore correptus Occidit, leænæ catulum ſibi viſus interimere. Quod cùm vidiſſet Ino arrepto Melicertâ altero fil. in mare ſe præcipitavit; atque illa quidem in deam maris mutata eſt, quam Græci Leucotheam, Latini Matutam vocant: Melicertes autem in deum marinum, quem Græci Palæmona, Latini Portunum dicunt. Ovid. *Met. l.* 4. *v.* 516. & *Faſt. l.* 6. *v.* 490.

Hinc igitur furiis Athamas ſub imagine falſa,
Tuque cadis patriâ parve Learche *manu.*

Val. Flacc. *Argon. l.* 6. *v.*

—— *Inoo linquens Athamanta* Learcho,

Inde *Learchæus*. Ovid. ubi ſuprà, *v.* 491.

Mœſta Learchæas *mater tumulaverat umbras.*
Nic. Lloyd.

LEBADEA, urbs Bœotiæ apud Cephiſum fluv. in cujus agro talpæ nullæ, Plin. *Badia* nunc Zardo. Stat. *Theb. l.* 7. *v.* 345.

Et valles Lebadea *tuas, & Hyampolin acri*
Subnixam ſcopulo. ——

Plin. *l.* 4. *c.* 7. Græcè *Λεβαδία, ubi Jovis Trophonii Oraculum fuiſſe* notat Strabo *l.* 9. *p.* 413. & 414. cujus res, ut ipſemet vidiſſe & coram audiſſe ſe teſtatur, eleganter ac copioſè diſcribit Pauſ. *l.* 9. Hodiè *Livadia* dicitur, & Turcas partim, partim Græcos, incolas habet, lanæ, frumenti & oryzæ, & quam toti Græciæ largè ſuppeditat, commercio celebris. Indè haud procul Copaidis lacus, qui *λίμνη τῆς Λεβαδίας* hodiernis Græcis dicitur. Vide deſcriptionem Urbis, qualis nunc eſt, apud Jac. Spon. *Itin. Parte* 2. *p.* 82. & *ſeqq.* ubi inter alia variarum vett. *Inſcriptionum* meminit, quarum una in atrio Meſquitæ Omeri (*quæ ædes olim erat S. Georgio ſacra*) honori Junonis & Urbis hujus conſecrata; aliæ tres inferiore Urbis loco, cum nomine ΠΟΛΙϹ ΛΕΒΑΔΕΩΝ & ΛΕΒΑΔΕΙΕΣΙΝ: una Megaræ extat, facta in memoriam Trophoniorum Ludorum, *Lebadiæ* celebratorum: quorum inter Vett. unus mentionem facit Jul. Pollux, loco tamen, ubi agerentur, non expreſſo &c.

LEBANA, nomen viri. Eſdr *c.* 2. *v.* 45.

LEBAOTH, civ. ſortis Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 32.

LEBECII, pop. agri Novarienſis: quorum opp. Forum Lebicorum, *Borgo Lavezzaro*, 5. mill. paſſ. à Novaria, Mortariam verſùs. Vide *Lebui.*

LEBEDUS, Joniæ civ. à Colophone 120. ſtad. diſtans. *Lebeditzi-Chiſar*, Leuncl. in ora Sinûs Jonici, 25. mill. à Teo in Ort. 15. à Smyrna in Mer. 25. à Colophone in Bor. Baudr. Epiſcopal. ſub Archiep. Epheſino. Ibi ludi in honorem Bacchi quotannis olim celebrati ſunt, Ferr. Hîc quoque ſcenicorum hiſtrionum collegium fuit, qui in honorem Liberi patris ludicra certamina quotannis edebant,

An Lebedum *laudas odio maris, atque viarum?*
Scis Lebedus *quam ſit Gabiis deſertior, atque*
Fidenis vicus. ——

Plin. *l.* 5. *c.* 29. Nic. Lloyd. Memoriam ejus ſervat nummus Caracallæ Imp. in cujus altera parte Pallas armata cum lemmate, ΛΕΒΕΔΙΩΝ, apud Jac. Spon ubi ſuprà *Parte* 3. *p.* 193. & 195.

LEBENA, vulgò LEBINA, opp. olim, nunc pagus Cretæ, in ora Auſtr. inter Leonem prom. & oſtium Catarracti fluv. Ibi templum Æſculapio ſacrum, circà Phæſtum, quò ex Africa & Aſia confluebant. *Philoſtr.*

LEBHEM, villa in tribu Simeonis.

LEBES & LEBETA, ex Græco *λέβης, ὅτι λείβεται ὕδωρ εἰς αὐτὸν*, quòd aqua ei infundatur nomen accepit. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 466.

—— *Dodonæosque* lebetas.

Ubi *ollas æreas* interpretatur Serv. Propriè vas quodcunque, in quod aqua defunditur. Gloſſ. *λέβης, cacabus, pollubrium, Curvos* vocat Ovid. *Met. l.* 12. *cavos* Mantuan. Cujuſmodi lebetes tres vacuos Dionyſio in Elide, in ædificio 8. ſtadiis ab urbe diſtante, collocatos, eo obſignato; poſt moram verò aliquam, ſigno iterum avulſo, ab ingreſſis vino plenos repertos, refert Ariſtot. *de Mirac. Aud.* Vide infrà *Thya.* Sed & cineres excipiebant, in Tabernaculo Moſaico, & juxtà crateres, forcipes, fuſcinulas, palas, alia. Altari æneo inſerviebant. Exodi *c.* 27. *v.* 3. *Facies etiam lebetes ejus, ad excipiendos cineres ejus*: ad quem vide Comm. A. Riveti. Alium, in ſacris Scytharum, lebetum uſum commemorat Herod quos carnes victimarum in *lebetes*, vel ſi hi deſint, in ipſas earum alvos, conjectas cumque aqua commixtas, oſſibus earundem (ob ligni defectum) ſuppoſitis ſuccenſiſque, coquere ſolitos, prodit *Muſá* 4. Vide quoque 1. Sam. *c.* 2. *v.* 14. Sed & in ludis quibuſdam minùs illuſtribus Græciæ (qui à *donis*, quæ dabantur victoribus, *Δωρῖται* dicti ſunt) *lebetes* præmia fuiſſe, docet Jul. Cæſ. Scalig. *poet. l.* 1. *c.* 27. Non adeò contemnenda, ſi fuêre, quales Homer. memorat, *λέβητας ἀργυρέους*, *in Odyſſ. lebetes argenteos*, & qualibus Rom. luxuria, recentiori ævo, abuſa eſt, vide Plin. *l.* 33. *c.* 11. Indè ſecundùm nonnullos, quod *lebetis* formam referret, *Lebeta*, aliter *Lebiton*, *Lebitonarium*, & *Leviton*, *Levitonarium*, Græcè *λεβητών*, & *λεβητωνάριον*, apud Iſid. *Orig. l.* 9. *c.* 22. & Suid. colobium eſt, ſ. tunica ſine manicis villoſa, quali Monachi Ægyptii uti ſoliti. Hier. de Tabennenſibus Monachis, *Præf. ad Regulam Pachomii*, *Nihil habent in cellis, præter pſiathium*, inquit, *& duo lebitonaria, quod Ægyptiis Monachis genus veſtimenti eſt, ſine manicis.* Ex lino fuiſſe Dionyſ. Exiguus ait, *in Vitis Patrum*, *Induuntur autem noctibus levitonis lineis præcincti lumbos* &c. Vide Macros Fratres *in Hierol.* & C. du Freſne *in Gloſſ.* in voce *Levitonarium* ubi *Lebetas* & *Lebetes* occurrere apud Ruffin. obſervat. *de Vitis Patrum l.* 2. *c.* 7. & 9. Sed à *Levitis* potiùs vocem deducendam, docet Chr. Beckmann. *Orig. Ling. Lat.*

LEBINTHOS, Strab. *l.* 10. *p.* 487. Plin. *l.* 14. *c.* 12. P. Melæ *l.* 1. *c.* 17. Inſ. maris Ægæi, Pathmo vicina & Lero; *Levita* vulgò. Ejus meminit Ovid. *de Art. Am. l.* 2. *v.* 83 Vide *Lebynthus.*

LEBNA, locus in deſerto, ubi 17. Iſraëlitarum manſio fuit. Num. *c.* 33. *v.* 20. Eſt & civ. Sacerdotum in tribu Juda, Joſ. *c.* 10. *v.* 29. quæ & *Lebana*, Idem *c.* 15. *v.* 42.

LEBONA, nomen opp. Jud. *c.* 21. *v.* 19. in tribu Ephraim. 4. leuc. à Sichem.

LEBONIA, opp. cum fluv. cogn. oræ Liguſticæ, *Entella*, Ptol. inter Clavarum ad Occaſ. & Segeſtum ad Ort. 4. mill. paſſ. *Lavagna* vulgò.

LEBORIÆ, ſive LEBORIUS CAMPUS, Italiæ locus. Plin. *l.* 18. *c.* 11.

LEBRETUM, quibuſd. *Albretum*, vulgò *Albret*, oppid. Vaſconiæ, in medio nemoris cogn cum tit. Duc. ab Henr. II. Hinc fam. *Lebretenſis*, ex qua Navarræ Reges. 10. leuc. à Burdigala in Auſtr. 8. à Vaſate in Occ.

LEBRIEMELUS, fons Liguriæ circà Genuam.

LEBUI, pop. Italiæ, quos Liv. in Cenomanis inter Brixiam & Veronam deſcribit, ex quo error G. Merulæ patet eos eoſdem cum Lebeciis Polybii facientis.

LEBUNI, Hiſpan citer. pop. Plin. *l.* 3. *c.* 4.

LEBUSSA, vulgò LEBUS, urbs Marchiæ Brandeb. à Francofurto ad Oderam 2. leuc. in Bor. Epiſcopal. ſub Archiep. Gneſnenſi.

LEBYNTHUS, vel LEBINTHUS, inſ. maris Ægæi, una Cycladum. Ovid. *Met. l.* 8. *v.* 222.

Dextra Lebynthus *erat, fœcundaque melle Calymna.*

P. Mela *l.* 2. *c.* 7. in cenſu Sporadum. *Niſyros, Lebinthos, Calydna.* Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Coraſiæ Lebinthus, Leros.* Strabo *l.* 10. *p.* 487. Ἔστι δὲ καὶ Ἀμοργὸς τῶν Σποράδων, Λέβινθος καὶ Λερία. Nomen eſt à lateribus. Later enim Hebraice לבנה *lebena* dicitur, Chaldaicè, & Syriacè לבינתא *lebentna*, vel *lebentho*. *Nic. Lloyd.*

LECANIUS, percuſſor Galbæ, ſecundùm quoſdam. Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 41. A Plutarch. *in Galba*. nominatur Arcadius. Sed à Græcis non eſt in Latinis nominibus fides nimiùm requirenda.

LECANIUS Baſſus, prænom. *Cajus*, Coſ. cum Craſſo Frugi, A. U. C. 816. ſub Nerone. Vide & *Quintus.* Tac. *Ann. l.* 15. *c.* 33.

LECCA, ſ. US, vulgò Le LEK, fluv. Hollandiæ, ſ. potiùs ramus Rheni, à quo ſeparatur prope Durcſtatum, in dit. Trajectenſi, dein ad Occ. tendens in parte Mer. Hollandiæ, paulò infrà Roterodamum Moſæ miſcetur. Vide Guic. *Deſcr. Belg* Item fluv. Germaniæ.

LECCENA ſylva, in prov. Aquitanica prima, Biturigibus atque Arvernis confinis; in qua Aimoini ætate, *lapidea domus Brunichildis Reginæ* oſtendebatur, amœniſſimo loco extructa. Quærenda eſt hodie in pago Burbonenſi. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LECHA, nomen loci. 1. Par. *c.* 4. *v.* 21.

LECHÆUM, portus Corinthi ad ſinum Criſſeum ſ. Corinthiacum. Vix 46. ſtad. à Cenchreis in Occ. *Leſteiocori* Moletio. Stat. *Theb. l.* 2. *v.* 381.

Curva Palæmonio ſecluditur unda Lechæo.

Idem ibid. *l.* 7. *v.* 97. Idem alibi.

—— *Ab Inoo fert ſemita recta* Lechæo.

Prop. *l.* 3. *Eleg.* 20. *v.* 19.

Deinde per Jonium vectus cùm feſſa Lechæo.
Sedârit placidâ vela phaſelus aquâ.

Nic. Lloyd. *Lechiæ* Stat. *l.* 4. *Sylv.* 3. *v.* 59.

Hic parvus niſi Lechiæ *vetarent,*
Inous freta miſcuiſſet Iſthmos.

Nempè ſaxoſam hanc partem nemo eorum, qui Iſthmum perfodere tentabant, aggredi auſus eſt; ab altera tantùm parte opus moliti ſunt, ſed morte omnes præventi, divino id nutu vetante, ut auctor eſt Herod. Undè poëtis occaſio præbita dicendi, *Deos & Lechæum* prohibuiſſe, quo minus id negotii ſuccederet. Vocat autem Iſthmon *Inoum* Stat. ſicut idem alibi Lechæum *Palæmonium*, quia ex hoc prom. Ino cum filio Melicerta ſ. Palæmon in mare ſe præcipitavit. Nomen à *Leche*, uti habet Pauſ. *in Corinth.* Vide quoque ſuprà, in voce *Iſthmus.*

LECHI, locus, cui Sampſon à maxilla nomen dedit.

Reges Poloniæ.

LECHUS I. ex Boſphoro Cimmerio veniens, Polonia potitus eſt, A. C. 550. ejus Dux primus. Slavorum enim gens Scythica, cùm Iſtriâ ſub Juſtino occupatâ, ſub Juſtiniano dein Imp. totam Græciam devaſtâſſet, duos fratres emiſit Lechum & Czechum, quorum hic Moraviam & Bohemiam, ille Quadorum terram, quæ hodie Sileſia & maj. Pol. occupavit. Succeſſores hujus, A. C. 150. Poloniam adminiſtrârunt, quos, Lechi ſtirpe extinctâ, 12. Vaivodæ ſ. Palatini excepêre, uſque ad Cracum, Cracov. Acad. fundatorem, Ducem declaratum. Cui fil.

LECHUS II. ſucceſſit, qui Occiſo inter venandùm fratre Craco, A. C. 750. improlis Obiit. Sanſovin. *l.* 2. *Chron.* Andr. Cellarius, *nuova Deſcrit. Polon.* Cromerus, &c.

LE

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LECTICA, ex *lectus*, quòd in eo pulvinar & lectulus ſtratus erat: Gr. φορεῖον, κλίνη, in vario antiquis uſu fuit: Bithynorum inventum, ut ex Cic. *l.* 5. *in Verrem* colligitur, *Nam, ut mos fuit Bithyniæ Regibus*, Lectica *octophoro ferebatur.* Adhibita voluptatis causâ, Senec. *Ep.* 8. *Idem de iſtis licet omnibus dicas, quos ſupra capita hominum, ſupraque turbam delicatos* Lectica *ſuſpendit.* Etiam morbi levandi, quem in uſum parabantur loca peculiaria, quæ *Geſtationes* appellabant, de quibus ſuprà. Hinc de prægnantibus: *Lecticis ſubindè vehuntur & equabus gravibus inequitant*, inquit Thom. Bartholin. *de Puerp. vett.* Inprimis *Lecticâ* ferri, mos affectis Ducibus, uti habet de Hannib. C. Nep. *c.* 4. de Scipione, Liv. *l.* 24. *c.* 42. de Lutatio Coſ. Val. Maximus *l.* 2. *c.* 8. & 10. & *l.* 4. *c.* 1. de Eumene, Polyænus & Plutarch. de Alex. Curt. *l.* 7. de Numeriano, Vopiſc. de Mermece, Agathias *l.* 2. quod inter laudes humanitatis ac beneficentiæ Tiberianæ commemorat Vell. Patercul. *l.* 2. Imò & mortui illâ, ut & *lectis* elati. Qui mos antiquus Romanis, & jam indè à Regibus in uſu. Lucretiæ enim cadaver ἐπὶ κλίνης μέλασιν ἀμφίοις ἐςρωμένης elatum, memorat Dionyſ. Halic. *l.* 4. Manſitque quandiu res Romana. Corn. Nep. *in vita Attic. Atticus elatus eſt in lecticula.* Ser. Sulpit. *l.* 4. *Fam.* 12. *Coactus ſum in eadem illa lectica, qua ipſe delatus eram, meisque Lecticariis, in urbem eum* (Marcellum à Magio necatum) *referre.* Vide & Mart. in monumento M. Antonii Antii Lupi, quod extat etiamnum viâ Hoſtienſi, ſculpta *Lectica* cum pulvino & corona cernitur; funebre ſc. ſignum Lipſ. Si viz. ex eminentioribus fuiſſent civibus, Juv. *Sat.* x. *l.* 4. *v.* 35. populus enim in ſandapila, quam quatuor portabant ſervi, efferebatur: Unde Suet. *in Domit. c.* 17. *Domitiani cadaver populari ſandapila per veſpillones exportatum*, refert. Plura apud Joh. Kirchmann. *de Funerib. Rom. l.* 1. *c.* 4. & *l.* 2. *c.* 9. Ferebantur autem Lecticâ Viri, Feminæ, ſed Jul. Cæſ. Anno proximo poſt devictam Ægyptum lecticis margaritisque uti prohibuit, quæ nec viros, nec liberos haberent, & minores eſſent Annis quinquaginta quinque, uti refert Euſeb. *in Chron.* Vide quoque Suet. *in eo c.* 43. At ſub Tiberio ſic vehi vulgata res fuit, & uſurpata promiſcuè: ſic tamen, ut in aditu Curiæ id non liceret, niſi cauſa urgeret ſontica, quemadmodum de Libone Druſo *Ann. l.* 2. *c.* 28. legimus apud Tac. Poſtmodum & *probroſis feminis* uſu earum interdicit Domitian. teſte Suet. *in eo c.* 8. & Juv. *Sat.* 1. *l.* 1. *v.* 32. & 60. Porrò vehebantur *Lecticâ*, Servi, Liberi: Et quidem ſervi à duobus ferebantur; Hinc Petron. Edit. Gonſali de Salas *p.* 37. Edit. Boſch. *c.* 56. Bargaten *à duobus Lecticariis in mediam rixam perlatum fuiſſe*, ſcribit, ſervo nimirùm dignitatem hac etiam in re dominicam adimens & ſecernens à liberis. Modeſti & frugi homines quatuor adhibebant, & Marcian. Capella *l.* 2. Philologiæ in cœlum eunti non plures adſcripſit, *Laborem, Amorem, Epimeliam* & *Agrypniam*: nec aliter Virginem decebat, ſtudioſam videlicet minimeque delicatam. Hexaphoros delicatioribus in uſu fuit, cui nomen à numero, à ſex enim ſervis ferebatur. Matt. *l.* 6. *Epigr.* 77. cujus Epigraphe ad Aulum de Luſco:

> *Invidioſa tibi quàm ſit* Lectica, *requiris,*
> *Non debes ferri mortuus hexaphoro.*

Et Juv.

> ——— *Cùm jam ſextâ cervice feratur.*

Atque hoc *Lecticæ* genus viris feminisque commune erat: Beatiores octo ſibi parabant homines rectos, ut inquit Catullus *Epigr.* 10. At feminis octophoros, ita enim vocabatur, magis atque ægrotis in uſu fuit. Suet. *Calig. c.* 43. *Iter confecit modo feſtinanter & rapidè: interdum adeò ſegniter & delicatè, ut octophoro veheretur.* Matt. *l.* 6. *Epigr.* 84. cujus Epigraphe de Phil.

> Octophoro *ſanus portatur, Avite, Philippus:*
> *Hunc tu ſi ſanum credis, Avite, furis.*

Idem *l.* 9. *Epigr.* 3. cujus Epigraphe in Lupum *v.* xi.

> *Octo Syris ſuffulta datur* lectica *puellæ.*

Laxa autem *Lectica* potentiorum fuit; minuta & arcta tenujorum &c. habebantque illæ feneſtras duplici munimento inſtructas, nempè cum velis ſ. plagulis, ad radii Solaris excluſionem: tum ſpecularibus, quæ vento opponebantur, quæque tam pellucida penè erant quàm aër ipſe, ſive ut loquitur Baſilius, μικρȣ̃ τῷ ἀέρι τὴν διαύγειαν ἔοικεν, *in Hexaem. Homil.* 3. Meminit plagularum *in Tito Veſp.* Suet. *c.* 8. *Dimotis plagulis* &c. Specularium Juv. *Sat.* 4. *l.* 1. *v.* 21.

> *Quæ vehitur clauſo* latis ſpecularibus *antro.*

Qui itaque cælum ſuſpicere volebant, dimotis plagulis per ſpecularia illud intuebantur: At ſomnum captantes, ad lucem excludendam, ſpecularibus introrſum vela ſ. plagulas obducebant, ſicque lecticæ feneſtram claudebant. Juv. *Sat.* 3. *l.* 1. *v.* 242.

> *Namque facit ſomnum clusâ* lectica *feneſtrâ.*

Aderat vehentibus comitum turba, τῷ φορείῳ παρεπομένων, ut loquitur Lucian. neque Principibus ſolum, ſed aliis quoque &c. Apud Fortunatum in *Vita* S. Medardi *c.* 17. Hariulf. *l.* 4. *c.* 32. Alios, feretrum eſt, quo Defuncti cadaver efferri conſuevit, uti dicemus infrà. Inprimis verò illa ſic dicebantur; quibus Sancti reconditi, quæque in Ædibus ſacris colenda exponebantur, C. du Freſne in *Gloſſ.* Indè *Lecticarius*, iiſdem Scriptoribus idem cum Foſſario, de quo vide ſuprà, & Macros fratres *in Hierol.* Quemadmodum Romanis *Lecticarii* appellati, qui *Lecticas* illius ævi ferebant, quod nomen etiam iis, qui *Lecticas* faciebant impoſitum legimus: *Ad Lecticas homines* vocat Catull. *Epigr.* 10. Hi ut ſplendidè eſſent amicti & formoſi, delicatioribus curæ erat. Undè *Lectica formoſis impoſita calonibus*, apud Senec. *Ep.* 110. quia veſtiti plerunque ut calones, & militariter pænulati erant. Fuit autem pænula pallium cum fimbriis longis, demiſſum & adſtrictum admodum. Undè Cic. *pænula irretitum Milonem*: Quintilian. *adſtrictos & incluſos pænulâ cauſarum Patronos*, ſcripsêrunt. Canuſinatos *Lecticarios* inceſſiſſe, innuit Mart. *l.* 9. *Epigr.* 23. *v.* 9. cujus Epigraphe ad Paſtorem.

> *Ut canuſinatus noſtro Syrus aſſere ſudet*, &c.

Cæterùm Cæſareanorum *Lecticariorum* adeò grande agmen fuit, ut nominibus & præpoſitis diſtinguerentur: Indicat in vet. Epigr. *Tib. Claudius*, neſcio quis *Aug. L. Quadratus. Dec. Lecticariorum. Britannici.* Eorum verò, qui mercede conducti operas locabant, non minor numerus fuit: Siquidem apud Victorem Romæ, regione XIV. trans Tiberim legimus fuiſſe caſtra *Lecticariorum.* Vide Laur. Pignor. *Comm. de Serv. p.* 136. Tit. Popmam *de Operis ſervor.* &c. it. infrà in verbo *Vehi.*

LECTICULA Lucubratoria, apud Suet. *Aug. c.* 78. *A cœna lucubratoriam ſe in* Lecticulam *recipiebat. Ibi donec reſidua diurni actûs* —— *conficeret, ad multam noctem permanebat. In lectum inde tranſgreſſus* &c. κλινίδιον Themiſtio *Orat.* 1. eadem eſt cum *lectulo*, cujus meminit Cic. *de Orat. l.* 3. Ovid. *Triſt. l.* 1. *Eleg.* 12. *v.* 38. & *Ep. Heroid.* x. *Ariadne Theſeo v.* 58. Alii: ſ. *lecto*, de quo Perſ. *Sat.* 1. *v.* 52.

> —— *non quidquid denique* lectis
> *Scribitur in* citreis.

Nempe Antiqui, mediationi aut ſcriptioni operam daturi, in *lectulis* ſuis ſe componebant, cui rei parata erat *lecticula* hæc *lucubratoria.* Plin. *Ep. l.* 5. *Ep.* 5. *Fannius --- viſus eſt ſibi --- jacere in lectulo ſuo, compoſitus in habitum ſtudentis, habere ante ſe ſcrinium.* Seneca *Ep.* 72. *Quædam ſunt, quæ poſſis & in ciſio ſcribere, quædam lectum & otium & ſecretum deſiderant* &c. Neque id Romanis ſolùm, ſed & Græcis in more fuit. Undè Ariſtoph. *Veſpis, Edit. in Fol p.* 504. de Formulariis & Cauſidicis ait,

> Καθεκλινόμεθά τ' ἐπὶ ταῖς κοίταις, ἐπὶ τοῖσιν ἀπράγμοσιν ὑμῶν,
> Ἀντωμοσίας καὶ προσκλήσεις καὶ μαρτυρίας συνεκόλλων.

Et paulo pòſt, Bdelycleon Magiſtrum fungens, jubet Philocleonem κατακλινέντα προσμανθάνειν, *in lectulo recumbantem diſcere*: alludens ad morem ſervari ſolitum in Scholis quorundam Philoſophorum, qui diſcipulos ſuos ſtudentes continebant in hujuſmodi lectulis, qui ipſis inſtar ſcamnorum erant. Id quod etiam apud Judæos legimus factitatum, apud quos cùm duo genera Diſcipulorum eſſent, qui adhuc minores erant, humi ſedebant ad pedes Magiſtrorum; provectiores jacebant reclinati in lectulis, undè vox Hebr. מושב illis tributa; Rabbini verò ſ. Doctores ſedebant, *Pirke Aboth c.* 4. Cauſam, cur Vett. ſcriptioni operam daturi in hujuſmodi lecticulas ſe reciperent, aperit Galen. *de uſu Part. l.* 3. non uno loco, ſignificans ſcriptitâſſe illos non ſuper menſis vel pluteis, ut nos hodie: ſed ſuper femore collocatâ chartâ atque, ut ille ait, ἐκτείναντας καὶ τῷ μηρῷ τὸ βιβλίον. Neque verò ſolùm ſcripturi ad lecticulas ſeſe recipiebant, ſed etiam audituri docentem Magiſtrum. Itaque in *Protagora* Platonis pars illius conſeſſus ἀντιλαμβάνει τῶν βάθρων, pars τῶν κλινῶν &c. Vide Caſaub *ad Suet. d. l.* & ſuprà in voce *Accubare.* Uti de lucubrationibus Vett. Chriſtianorum aliquid infrà in voce *Lectus*, it. *Lucubratio.* At *Lecticulæ*, in Eccl. Rom. à quibuſdam dictæ ſunt diurnæ *lectiones*, in Officiis Eccl. quòd breves ſint: aliis *Capitula*, quòd ut plurimùm de capitibus Epiſtolarum illorum dierum, quibus dicuntur, ſumi ſoleant, Durand. *Ration. l.* 5. *c.* 2. *n.* 50. Dicuntur nempè poſt Pſalmos & Antiphonas, in ſingulis Horis, prout ſtatutum eſt Synodo Agathenſi, C. du Freſne in *Gloſſ.* Vide & hìc infrà.

LECTIO, in Poëſi, diverſa olim, ab ſolutæ orationis numeris. Plin. Cæcilius *l.* 5. *Ep.* 19. de Zoſimo liberto ſuo, *Idem tam commodè Orationes, & Hiſtorias & Carmina legit, ut hoc ſolùm didiciſſe videatur.* Ubi videmus, & Hiſtorias & Orationes itidem alio tono alioque ingenio lectas. Et videtur *lectio* hæc præcepta ſua peculiaria habuiſſe, cujus totius rei una nobis ſupereſt ignorantia. Ita peritiam ejus talem in Proculo laudat idem Plin. ut per eam ſuſpicetur, Operi ipſi pretium additum, velut fucatum *l.* 3. *Ep.* 15. *ſi modò mihi non impoſuit recitatio tua. Legis enim ſuaviſſimè & peritiſſimè.* Diſtinctè *de Poëmatum lectione* idem *l.* 9. *Ep.* 34. Ubi & *Lectorem novum* velut faſtidit, ut exercitio fuerit etiam opus, ad aliquid recti præſtandum. Et habebant ei rei proprios *Lectores*, in quo officio delicias & ſeria ſua Encolpium habebat idem Autor, *l.* 8. *Ep.* 1. ubi & *maximam ſuorum ſtudiorum partem* in eo homine ſteriſſe, memorat. Inducebantur hi Magnatum doctorum conviviis, non aliter ac Lyriſtæ & Comœdi, qui pronuntiatione Operum delectarent diſcumbentes, uti apud eund. legas *l.* 9. *Ep.* 17. Jungebantur Notariis, ut, quod iſti concepiſſent, hi legerent & pronuntiarent ad aures Autoris, *Ibid. Ep.* 20. &c. Vide Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. l.* 2. *Sylv.* 1. & ſuprà, ubi *de Interpungendi more.* Antiquis ignorato: uti de *Lectionis clarâ voce* in Medicina uſu, infrà aliquid, ubi de Veterum *Phonaſcia.* De *Lectione Sacra*, in Eccl. Vet. Teſt. uſitata, dicemus infra in voce *Prælectio.* Prælibabo hic ſaltem poſt feſtum Tabernaculorum, quod octiduum integrum celebrari apud Judæos ſolebat, addidiſſe illos feſtivitati huic nonum diem, quo feſtum *Lætitiæ Legis* agebant, quòd eo die *Lectionem Legis* abſolverent rurſusque inchoarent. Dicuntur autem; qui publicis lectionibus in Synagogis eorum hodiè præſunt, *Nov.* 146. Juſtiniani voce ſemi-Hebræa, Ἀρχιφερεκίται, quia in *perakim*, i.e. *capitula* diſtin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſtinguunt, quæ legenda ſunt, uti monet Bochart. *Hieroz. Parte poſt. l. 4. c. ult.* Apud vett. Chriſtianos ſingulis olim hebdomadis bis vel ter populum conveniſſe, *ad audiendam Scripturæ lectionem*, docet Chryſoſtom. *Homil. 8. in Ep. ad Hebræos.* Quo fine in ſingulis Eccleſiis Scripturarum volumen aſſervabatur, teſte Euſebio *de Vita Conſtantini l. 4. c. 36.* Nihil autem, præter libros Canonicos publicè legendum eſſe, ſancitum *can. 24. Cod.* Can. Eccl. Africanæ. Quis verò *legerit*, quove ſitu *Lectio* excepta, paulò pòſt dicemus: quo ordine Græci per Annum utantur, vide in *Typico* Sabæ *c. 2.* &c. Sed & *privata* olim Codicis ſacri lectio frequens, in qua certos gradus fuiſſe obſervatos, cum apud Iſraëlitas, tum apud Chriſtianos, diſcimus ex Greg. Naz. *Or. 26.* & Philoſtorgio *Hiſt. Eccl. l. III. tom. XV. p.* 50 ubi hic, Aëtium primò Euangeliſtas legiſſe, apud Athanaſ. Anazarbi Ep. deindè ab Antonio Tarſenſi Presbyt. Apoſtolicas doctum eſſe Epiſtolas; tandem Leontium Presbyt. Antioch. Prophetas, ac potiſſimùm Ezechielem, illi expoſuiſſe refert. Sic à lectione Cantici junioribus fuiſſe abſtinendum, legimus apud Theodoret. *Præfat. in illud.* & apud Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in vocibus Γραφὴ, it. Εὐαγγέλιον. Vide quoque ſuprà, *Collatio.* In Eccl. Rom. *Lectionis* nomine denotantur excerpta è Patribus, quæ tam in Miſſa, quàm in officio divino, tam nocturnis, quàm diurnis, horis dicuntur; à *legendo*, quia non cantantur, ut Pſalmus vel Hymnus, ſed leguntur tantùm, Durand. *Ration. l. 5. c. 2. n. 43.* De earum autore Sigebertus A. C. 807. *Car. Imp.* ait, *per manum Pauli Diaconi ſui decerpens, optima quæque de ſcriptis Catholicorum Patrum*, Lectiones *unicuique feſtivitati convenientes, per circulum Anni in Eccl. legendas, compilari fecit*, apud C. du Freſne *in Gloſſ.* Dom. Macer, *Lectiones* Breviarii collectas contendit à D. Hier. cui *Lectionarium*, inquit, *ſive Comes S. Hier. dictus, tribuitur*, Vide ſuprà in voce *Comes*: *Legendas* verò ſ. Vitas Sanctorum, quæ recitantur in ſecundo Nocturno, cum Sigeberto, Car. Mag. juſſu compoſitas ait; ſed quæ hodiè habentur, juſſu Clem. VIII. à Baronio & Bellarmino, eſſe correctas, &c. Vide & infrà aliquid in voce *Poſtilla*: it. *Prælectio.* Uti autem olim, antequam legi incepiſſet, Diaconus ſilentium imperabat: *Facto ſilentio, Scripturarum ſunt lecta divina ſolennia*, Auguſtin. *de Civ. Dei l. 22. c. 8.* ubi ſimul, quid in Eccleſiis olim legi conſueverit, pulchre docet; Idemque in Græca Eccl. hodieque obtinet, in qua Diaconus, ante Lectionem, clarâ voce exclamat, πρόσχωμεν, *attendamus*: Sic in ritu Ambroſiano præmittitur, *Silentium jubete, habete ſilentium.* Porrò Lectio ſedendo audiebatur, in Eccl. Latina Amalar. *de Eccl. Offic l. 3. c. 10.* Græci tamen ſtant, dum lectiones Nov. Teſt. recitantur, at ſedent in Vet. Teſt. lectionibus. In Capella Papali, XII. lectiones Sabbathi Sancti in Miſſa Papali leguntur Græcè & Latinè; ſicut in eadem ſemper Epiſtola & Euangelium in utraque lingua recitantur: quod ipſum Patriarcham CPolitanum feciſſe, ex *Ep.* paret Nicolai Papæ, ad Michaëlem Imp. &c. Plura hanc in rem, inprimis de ritu benedicendi gladio pileoque, in Matutino Nativitatis Domini, quo Pontifex defungi ſolet, qui magni muneris loco poſteà iſtiuſmodi enſem & pileum Principibus mittit, deque modo, quo tum Princeps vel Imp. ſi fortè adſit, *Lectionem*, quintam ipſe canere ſoleat, aliaque huc ſpectantia, vide apud Macros Fratres in *Hierol.* de *Lectione* verò in vett. Chriſtianorum Eccl. apud Cl. Suicer. etiam in vocibus Ἀνάγνωσις & Ἀνάγνωσμα, ubi, inter alia, iis *contextum* denotari, qui in Eccl. ex S. Scriptura legebatur, & περικοπὴν uſitatiſſimè Græcis, Latinis quoque *Lectionem* dici, atque hujuſmodi ἀναγνώσματα, jam ante Hier. tempora in uſu fuiſſe, contra Pamelium: Græcis porrò iiſdem vocibus indigitati librum Eccleſiaſticum, de quo videndus Leo Allatius *de libris Eccl. Græcæ Diſſert. 1.* docet. Vide quoque eum in voce Οἶκος, namque & ſic dictam *lectionem in Eccl. uſitatam*, ex Gennadio oſtendit. Nec omittendum, quòd *Lectiones* medio ævo, hodieque receptâ notione, dici cœperint, quas Vett. Latini *acroaſes*, è Græcia mutuatâ voce; item *auditiones*, verbum è verbo exprimentes, dixêre, ut videre eſt apud Vitruv. *l. 10. c. 22.* & A. Gell. *l. 17. c. 2.* Profeſſorum viz. in Academiis alloquia & ſermones, quibus Auditores ſuos publice erudiunt. Sic B. Auguſtin. *lectionem exponere*, de ſe Rhetore docente, ait *in Confeſſionibus.* Quas dictari ſolitas, dicemus infrà in voce *Sigla* &c.

LECTIO Brevis, vide ſuprà *Abſolutio.*

In LECTIS honeſtiores olim Romæ efferebantur. Propert. *l. 4. Eleg. 7. v. 30.*

> *Juſſiſſes* lectum *lentiùs ire* tuum.

Torum vocat Mart. *l. 8. Epigr. 44. v. 14.* cujus Epigraphe ad Titullum, qui farciebatur papyro, ſcirpo & aliâ omni materiâ combuſtibili, multiſque etiam odoribus differtus, pyræ inferebatur, ibique ſimul cum corpore cremabatur. At tenuiores & plebeji, ad rogum ferebantur, in arca lignea vel ligneo ſarcophago, ex paucis tabulis compacto, unaque cum cadavere eadem uſtrinâ comburendo. De cujuſmodi arca lignea accipiendi, Horat. cùm ait, *Serm. l. 1. Sat. 8. v. 11.*

> *Huc priùs anguſtis ejecta cadavera cellis,*
> *Conſervus* vili *portanda locabat in* arca.

Et Lucan. ubi inquit *Civ. Bell. l. 8. v. 736.*

> *Da* vilem, *Magno plebeji funeris* arcam:

qui *plebejas* & *viles* vocant, quia cadavera plebeja in illis efferebantur. *Sandapilas* Latini propriè vocârunt, ex Græco σανιδοπύελος; item *capulos*, ex Gr. κάπηλος, *præſepe*, &c. Sic itaque poſtquam ad rogum in *lectis arciſque* utriuſque generis homines fuêre delati combuſtique, reliquiæ ac cineres collecti in urnam aut ollam mittebantur, & terrâ obruebantur atque humabantur, aut intra arcam vel monumentum reponebantur, ſi qui gentilia haberent monumenta: quo ſenſu *arca* monumentum eſt, ex lapide, in modum arcæ ſtructum. Cùm verò deſitum eſſet, corpora comburi in orbe Rom. condendis cadaveribus ubique parabantur hujuſmodi lapideæ vel marmoreæ arcæ ſive ſarcophagi, ex uno lapide exſculpti: qui ad menſuram ac modulum unius corporis facti, plura corpora non recipiebant, eratque *Sepulcrum* unum ſ. *Monumentum*, plurium arcarum capax. In his ſepulcris ſ. hypogæis omnes mortui unius familiæ, in ſuis quique *Lectulis*, jacebant: ita enim & tales arcæ vocatæ, quòd in iis cubarent mortui, & pro lectulis eas haberent. Philodemus μονόκλινα πελλίδια vocat, in *Epigr. MS.* apud Salmaſ.

> Οὐκ ἀΐεις ὤνθρωπε Τόκκιε γλύκιε, ἐν μονοκλίνῳ
> Δεῖ σ' αἰῶνα μένειν σύμμορφε πελλιδίῳ.
>
> *Nonne audis, ô Tocullio, in* lectulo
> *Oportet te* ſaxeo *cubare æternum.*

Lucill.

> — *in* capulo *hunc non eſſe, aliumque cubare.*

Hinc λιθώδη χαμεύνην, ſepulcrum Domini noſtri appellat Nonnus, dum ad has arcas, vel lapideos lectulos reſpicit,

> Καὶ νέκυν ὃ μίμνοντα λιθώδεϊ θῆκε χαμεύνῃ, &c.

Vide hanc in rem plura, apud Salmaſ. laudat. *Exercit. ad Solin. p. 1205. & ſeqq.* Addo ſaltem, hujuſmodi *Lectos* ſuos gradus habuiſſe, uti obſervat Barthius ex Stat. *Theb. l. 6. v. 56. & ſeqq.* ubi de Palæmone elato loquens poëta, imo loco ſtramenta; altero gradu contexta gramina & flores in aggerem aggeſtos; tertium ordinem conſtructum pretioſis odoribus aliiſque rebus majoris ſumptûs fuiſſe, ait:

> — *ima virent agreſti ſtramina cultu,*
> *Proxima gramineis operoſior area ſertis,*
> *Et* picturatus *morituris floribus* agger.
> *Tertius aſſurgens Arabum ſtrue tollitur ordo,*
> *Eoas complexus opes* ——

Et ſummo rogo imponi conſueviſſe; uti de Patroclo Hom. ait *Il.* ψ.

> Ἐν δὲ πυρῇ ὑπάτῃ νέκρον θέσαν ἀχνύμενοι κῆρ.

Quam rem elegante picturâ ſpectandam dedit Juſt. Lipſ. libris de *Gladiatoribus* adjectâ &c. Vide quoque hîc paſſim.

LECTISTERNIUM, vocabatur à Romanis epulum ſacrum ac publicum, quod Jovi aut aliis Diis apparabatur: Moris enim apud illos erat, ut nonnunquam placandæ alicujus Dei iræ causâ, convivium in templo illius exhiberetur, Diiſque tanquam epulaturis aut cubituris *lecti*, *ſternerentur*: Meminit Epuli Jovis Val. Max. *l. 2. c. 1. Nam Jovis epulo ipſe in lectulum, Juno & Minerva in ſellas ad cœnam invitantur.* Huic verò Epulo indicendo Triumviri vel Septemviri Epulonum præerant, quod Sext. Pompejus teſtatur, cùm ait: *Epulonos dicebant antiqui, quos nunc Epulones dicimus. Datum eſt his nomen, quòd Epulas indicandi Jovi cæteriſque Diis poteſtatem haberent.* Vide quoque Cic. *in Orat. de Haruſp. reſponſ.* Epuli Jovis mentionem faciunt plurimis in locis Liv. Æl. Lamprid. Alii. Originem inprimis *Lectiſterniorum* ſuggerit Liv. *l. 5. c. 13.* Iis durantibus idem, quod feſtorum tempore, fieri ſolebat, ut viz. abſtineretur à ſuppliciis, & vincti quoque ſolverentur. Hinc in deſcriptione *Lectiſternii*, quod primum factum eſt in Urbe, A. 355. U. C. idem Autor, *Et cum inimicis quoque*, inquit, *benignè ac comiter ſermones habiti, jurgiis ac litibus temperatum, vinctis quoque dempta in eos dies vincula* &c. Nec apud Rom. ſolùm *Lectiſternia* viguêre, ſed & Græcos idem factitâſſe, obſervavit primus Caſaub. ex Scholiaſte Pind. *Olymp. Ode 1.* ubi Ajaci κλίνην, i. e. *pulvinar*, C. Nep. in *Timotheo c. 2.* ubi Paci Deæ Pauſ. *Arcadic.* ubi Minervæ; & *Phocicis*, ubi Æſculapio; Val. Max. *l. 2. c. 10. Ext. 1.* ubi Hormodii & Ariſtogitonis imaginibus, itidem pulvinaria ſ. κλίνας, inſtitutas ſcribunt. Hinc *pulvinar* quoque inter divinitatis notas. Suet. *in Cæſ. c. 78. Sed & ampliora humano faſtigio decerni ſibi paſſus eſt — templa, aras, ſimulacra juxta Deos, pulvinar, flaminem, Lupercos* &c. Ad quem locum vide Caſaub. adde Jac. Spon. *Itin. Parte 2. p. 218.* ubi *de Lectiſternio Iſidis & Serapidis* agens hodieque Athenis lectum è marmore, 2. pedes longum, unum altum, in quo Serapis modium capite ſuſtinens, cum cornu copiæ, & fructibus ante ſe, infrà Iſis aſſidens, circum verò adſtantes 4. aut 5. homines ſculpti, conſpici, ſimileque quid in eadem urbe paſſim, Salaminæ inprimis, videri, refert. Vide & aliquid in hanc rem infrà, in voce *Pulvinar.*

LECTOR, tertius eſt è 7. ordinibus Eccl. Primus enim in Clericis, teſte Hier. *tomo 4.* Foſſariorum ordo eſt: Secundus Oſtiariorum: Tertius *Lectorum.* Quartus Subdiaconorum: Quintus Levitarum ſ. Diaconorum: Sextus Sacerdotum: Septimus Epiſcoporum. Hinc *Lectorum* pluteus ſ. locus ſublimior in Eccl. unde legi ſolebat: & *Lectionarius* liber, in quo Hier. lectiones per totum Anni curriculum collegit, al. *Comes S. Hieronymi* dictus. Cæterùm ejus munus erat, *Lectiones pronuntiare, & ea quæ Prophetæ vaticinârunt, populis prædicare*, Iſid. Jun. *Ep. ad Luitfredum*; præterea, *Lectiones* deſumptas ex Euangeliis & Epiſtolis S. Pauli, ut ex Greg. Turon. de *Mirac. l. 2. c. 16.* aliiſque Scriptoribus colligit C. du Freſne. Eidem incubuit ſervandorum ſacrorum Codicum cura, Auguſtin. Balſamoni dicitur λιτὸς παππᾶς, ſimplex Presbyter; & in Africana Eccl. ex ambone Euangelium legebat, Cyprian. *Ep. 33.* ubi de Aurelio Lectore, & 34. ubi de Celerino. Ordinabantur autem *Lectores* ab Ep. per S. Codicis traditionem, adhibitis precibus, quas habet Clem. *Conſtitut. l. 8. c. 28.* Neque aliis

aliis olim & Cypriani ævo, quàm provectæ ætatis hominibus, meritiſque & doctrinâ inſignibus, id muneris demandabatur: at poſtmodum, omnibus in pejus ſenſim labentibus, ad illud impuberes quoque admiſſi, & infantuli, ut diſcimus ex Sidon. *l.* 4 *Ep.* 25. Ennodio in *Vita* Epiphanii Ep. Ticin. aliis &c. Hinc *Schola Lectorum*, apud Ledradum. Archiep. Lugd. *Ep. ad Car. Mag.* cui qui præerat, *Primicerius Scholæ clariſſimæ militiæque Lectorum*, dicitur in *Ep. S.* Remigii Ep. Rem. *ad Falcon.* Vide Codin. *de Offic. c.* 1. Item *Lectoratus*, Lectoris dignitas ſ. officium, apud Martin. Bracar. *c.* 43. & *Lectorium* ſ. *Lectricium*, analogium, pulpitum, ambo, vide ſuprà in voce *Analogium;* & plura hac de materia apud C. du Freſne in *Gloſſ.* & Macros Fratres *in Hierol.* Aliud eſt, *Lector ad Menſam*, in Monaſteriis; quo nomine dictum eſſe, ait Vadianus *de Collegiis Germ. l.* 1. *qui fratribus vel diſcumbentibus quædam ex ſacris prælegebat*: etiam *Eccleſiaſticos Lectores, qui officio ſuo non niſi in ſacris peragendis veteri more fungebantur*, *extitiſſe* addens. De quo *legendi* ad menſam religioſo more, vide Nic. Serrarium *ad Vitam S. Romarici c.* 4. eidem C. du Freſne laudatum, qui etiam meminit *Lectoris*, in Eccleſiis Cathedralibus, ex *Hiſt. Epiſcoporum Autiſiodor. c.* 59. ubi munus ejus *Lectoria* dicitur. Apud Capucinos, alioſque nonnullos Eccl. Rom. Ordines, *Lectores* dici, qui Philoſophiam, vel Theologiam doceant, Gall. *Lecteurs*, refert Richelietus *Dict. Gall.* Vide quoque ſuprà, in voce *Lectio*: de *Lectoribus* vero ſ. Anagnoſtis Vett. *ibid.* nec non, in voce *Anagnoſtes.* Addam ſaltem de *Lectoribus* Eccl. Græcæ, numerum illorum olim magnum fuiſſe, ſed reſtrinxiſſe Juſtinianum, & vetuiſſe, ne in magna Eccl. eſſent ſuprà CX. ex *Nov.* III. Sub Heraclio tamen iterum aſcendiſſe ad CLX. ex *Nov.* ejus, cùm in Blachernis tantùm XX. fuerint, ex eadem, apud Cl. Suicer. in voce Ἀναγνώστης, ubi plura egregia hanc in rem ac inter alia Orarii uſum illis vetitum, nuptias verò permiſſas fuiſſe, & ſucceſſu temporis rarò *legiſſe*, ut plurimùm verò *cecuiſſe*; hodie tamen officium ſuum obſervare, ex *Confeſſione* Critopuli, addit.

LECTORA, al. LECTORIUM, LACTORA, & CIVITAS LAICTORATIUM, Gall. LEICTOURE, urbs vetuſta Gall. tractûs Armaniaci ſecunda, ad fluv. *Gers*, in regiunc. Lomania, Epiſcopal. ſub Archiep. Auſcitano. Hîc *Tauropolium* Matri Deorum factum, *pro ſalute Mag. Antonii Gordiani Pii Felicis Aug. & Sabinæ Tranquillinæ Aug. totiuſque domus divinæ proque ſtatu Civitatis Lactorat.* ut habet vet. hîc inſcriptio. Hodie triplici muro cincta, inacceſſum ferè montem occupat: Comitatûs olim caput. Baſilica ejus dedicata eſt Gervâſio & Protaſio. Eutherius vetuſtiſſimus Præſulum ejus. Oihenart. *in Notit. Vaſconiæ*, de Marca *Hiſt. de Bearn.* Duchen. *Antiqq. des Villes.* Sammartan. *Gall. Chriſt.* Vide quoque in voce *Lactoracium.*

LECTORIA Lex, apud Capitolin. *in Pio*, *De Curatoribus verò quum antè non niſi ex lege* Lectoria *vel propter laſciviam; vel propter dementiam, darentur, ita ſtatuit* &c. lege *Latoriâ.* Vide Salmaſ. *ad l.*

LECTUALIS Morbus, apud Spartian. *in Hadr. Peragratis ſanè omnibus partibus capite nudo & in ſummis plerumque imbribus atque frigoribus, in morbum incidit lectualem*: longus eſt diuturnus & difficilis, quòd diu in *lecto* detineret ægrotantem, dictus. Hinc & ipſi, qui longis lentiſque languoribus laborabant, *Lectuales* appellati, Græcis Κλινικοὶ, Lat. quoque *Clinici.* In ſpecie apud Script. Eccl. ſic vocati occurrunt, qui *in lecto*, ob morbum, ne ſine Baptiſmo morerentur, aquâ affundebantur vel aſpergebantur, ut videre eſt apud Cyprian. *l.* 4. *Ep.* 7. ubi de eorum Baptiſmo multa. Erant eorum duo genera; Unum cum Catechumenorum, tum Gentilium ſeſe convertentium, qui in extremis conſtituti καὶ ἐν τῇ κλίνῃ, *in lecto decumbentes*, baptizabantur. Alterum illorum, qui Chriſtiani quidem erant profeſſione, ſed ſtudio Baptiſmum differebant, ſimul & baptizari & mori volentes, ne poſt acceptum Baptiſmum rurſus peccarent, decepti malè intellecto loco Hebr. *c.* 6. *v.* 4. Prioris generis, inter alios, Atintæus Prætor fuit, qui uxoris ope converſus, in fine vitæ baptizatus eſt, Baſil. *Ep.* 386. Poſterioris, Conſtantius Mag. fil. ejus Conſtantius, & Theodoſius Mag. qui in extremum uſque vitæ Baptiſmum diſtuliſſe leguntur apud Euſeb. Athanaſ. Socrat. alios. Quem Clinicorum morem acriter reprehendêrunt Orthodoxi Patres, Greg. Naz. *Orat.* 40. Chryſoſtom. in *Acta Homil.* 1. Greg. Nyſſen. *Orat. pecul.* &c. Quam in rem vide plura, apud Juſtellum *Notis ad can.* 12. *Conc. Neo-Cæſar.* Voſſ. *Diſput. de Baptiſmo* 12. *theſ.* 5. Cl. Suicer. *Obſerv. c.* 3. & *Theſ. Eccl.* in voce Κλινικὸς ut & ſuprà in voce *Clinicus.*

LECTULUS, apud Ovid. *Triſt. l.* 1. *Eleg.* x. *v.* 37.

Non hæc in noſtris, ut quondam, ſcribimus hortis,
Nec conſuete meum, lectule *corpus habes.*

Et Cic. *de Orat, l.* 3. *Cùm debitâ operâ quieſcentibus aliis in eam exhedram veniſſet, in qua Craſſus* lectulo *poſito recubuiſſet: cumque eum in cogitatione defixum eſſe ſenſiſſet, ſtatim receſſiſſe.* Idem cum *Lecticula lucubratoria* Suet. eſt, *in Aug. c.* 78. & *in Tib. Ner. c.* 73. de qua vide ſuprà.

LECTUM, Troadis prom. Ptol. in quod Ida mons deſinit. *Scorpiata.* Sophian. Plin. *l.* 5. *c.* 30, 32. *l.* 9. *c.* 17. & 33.

LECTUS, an quòd *legebant*, unde eum facerent, ſtramenta & herbas Vett. in quod fatigatos *alliciat* ad ſe; an à Gr. λέκτρον, quod ipſum ex verbo λέγω? vox paſtorum non contemptâ Latinis uſurpatione, qui torum *lectum* dicebant, cùm tamen herbarum propriè ſit, in voce poſtmodum latius extenſa. Vide Scalig. *in Theophr.* Fuit autem Lectus, aliis *Diſcubitorius* ſ. *Tricliniaris*, alius *Cubicularis*, aliùs *Lucubratorius*, alius tandem *Emortualis* ſ. *Funebris.* Vett. enim, qui jacendo cœnabant, tres menſas convivio adhibebant totidemque *lectos*, quos inter ſe contiguos ſolebant ſternere, Joh. Coras. *Miſcell. l.* 6. *c.* 10. *n.* 4. & 5. *Diſcubitorios* viz. qui à numero in iis accubantium etiam *Tricliniares*, Κλίνη enim *lectum* Græcis denotat, appellati ſunt. Præter hos aliis *lectis* utebantur, quos *Cubicularios* vocabant, in quibus dormiebant ac cubabant. De utroque genere ita Lamprid. *Hic ſolido argento habuit lectos & Tricliniares & Cubicularios.* In ſingulis porrò *lectis diſcubitoriis* terni videntur accubuiſſe, quod planum facit Salluſtius, cùm ait: in Hiſt. Fragm. *l.* 3. ſub calcem. *Igitur diſcubuêre, Sertorius inferior, in medio, ſuper eum L. Fabius Hiſpanienſis Senator, ex proſcriptis, in ſummo Antonius, & infrà ſcriba Sertorii Verſius: & alter ſcriba Mæcenas, in imo; medius inter Tarquitium, & Dominum Perpernam.* Ubi hæ voces *Summus* vel *ſuper* & *infrà*, includunt medium: ut & in Naſidreni cœna, quam Horat. deſcribit. *Serm. l.* 2. *Sat.* 8. *v.* 20. *& ſeqq.*

Summus ego, & prope me Viſcus Turinus, & infrà,
(Si memini,) Varius, cum Servilio Balatrone
Vibidius: quos Mæcenas adduxerat umbras.
Nomentanus erat ſuper ipſum, Porcius infrà.

Ubi itidem novem convivæ memorantur. Hinc M. Varro *in Sat. Menippæa*, de apto convivarum numero diſſerens, dicit convivarum numerum incipere oportere à Gratiarum numero & progredi ad Muſarum, i. e. proficiſci, à tribus & conſiſtere in novem. Hos qui ſternebant *lectos*, dicti ſunt *Lectiſterniatores*, quos proin de Triclinio Miniſtris accenſet Laur. Pignor. *Comm. de Servis.* Meminit eorum Plaut. *Pſeud. Act.* 1. *Sc.* 2. *v.* 29.

Tibi hoc præcipio, ut niteant ædes. Habes quod facies: propera, abi intro:
Tu eſto Lectiſterniator. —

Fuêre autem hi *lecti*, ut & lecticæ ac menſæ, ex ulvis paluſtribus. Plin. *l.* 18. *c.* 3. *Quies ſomnuſque in ſtramentis erat.* Poſtea ex acere conficiebantur, Idem. *l.* 16. *c.* 15. lapſis deindè moribus & in valeſcente luxuriâ primum æratis, dein argenteis, mox aureis laminis obduci cœpêrunt, poſtquam nempe victâ à Cn. Maulio Aſiâ in urbem commigravit. Plin. *l.* 33. *c* xi. *Lectos verò mulierum,* inquit, *jam pridem totos operiri argento & triclinia quædam, quibus argentum addidiſſe primus traditur Carvilius Pollio Eques Rom. non ut operiret, aut Deliacâ ſpecie faceret, ſed Punicâ. Idem & laureos fecit.* De Jul. Cæſ. narrat Suet. in eo *c.* 49. & 89. eum *in aureo lecto veſte purpurea decubuiſſe.* E ſolido etiam argento tandem factos, conſtat ex Lamprid *in Heliogab. Solido argento factos habuit lectos & tricliniares & cubiculares.* Vide quoque Freinshem. *ad illa* Curtii *l.* 8. *c.* 8. *Totum exercitum aſpicite --- nunc argenteis cubat lectis.* Imò auro, de cujuſmodi lectis Alex. vide eund. *l.* 9. *c.* 7. *Centum aurei lecti modicis intervallis poſiti erant ſertis circumdederat aulæa purpura auroque fulgentia*; Porrò idem modò memoratus Carvilius *teſtudinum quoque putamina ſecare in laminas, lectoſque & repoſitoria his veſtire inſtituit.* Unde Philo Judæus citante Lipſio, Τρίκλινα, inquit, καὶ πολύκλινα χελώνης ἢ ἐλέφαντος κατεσκευασμένα καὶ τιμαλφεστέρας ὕλης, ὧν τὰ πλεῖστα λιθοκόλλητα, *Tricliniares lecti & ſtibadia teſtudine aut ebore adornata & meliori etiam materiâ, atque ea pleraque gemmata.* Purò autem ligno inſerebatur, teſtudo, ut ex utroque velut unum corpus affabre fieret. Meminit iſtiuſmodi *lecti* quoque Apulejus, *l.* 10. *Lectus Indicâ teſtudine pellucidus, plumeâ congerie tumidus, veſte ſericâ floridus* &c. E ſuccino fulcra Lectorum antiquitus fuiſſe, notavit Euſtathius *in* Hom. *Odyſſ.* δ. &c. Sed de *Tricliniaribus lectis*, plura hîc paſſim, ubi de *Accubitis*, *Accumbendi ritu*, item in vocibus, *Sigma*, *Stibadium*, *Triclinium.* Ut de *Cubicularibus* quædam addam: Non claudebantur illi olim oppanſis pannis, ut hodiè ſolent; ideo moris fuit ditioribus, ut, quando meridianum maximè ſomnum captarent, adſtans aliquis ventulum faceret, ſimul refrigerandi causâ, & muſcarum ac culicum abigendorum: id quod flabello fiebat, quam vocem ſuprà vide. Inſternebantur autem primò pellibus, Cic. *Orat. pro L. Muræna.* Juv. *Sat.* 6. *l.* 2. *v.* 5. *& ſeqq.*

Sylveſtrem montana torum cùm ſterneret uxor
Frondibus & culmis, vicinarumque ferarum
Pellibus.

Apud Rom. *in lecto olim togas quoque habebant*; antè enim commune *fuit veſtimentum, & diurnum & nocturnum & muliebre & virile*, Varro apud Nonium *de vita Pop. Rom.* qui in nuptiis eum morem indè perſeverâſſe addit, ut lectus togâ ſterneretur. Quod indicat Arnob. *l.* 2. *Cùm in matrimonia convenitis, togâ ſternitis lectulos, & maritorum Genios advocatis.* Sed de *Lecto Nuptiali*, mox plura. Apud Græcos antiquos, chlænas non modò induendi atque amiciendi, ſed & inſternendi atque incubandi causâ, ſumptas fuiſſe, apparet ex Hom. *Il. ult.* ubi Achilles jubet Priamo lectum ſterni, ſtragulaque purpureâ injici:

Χλαίνας τ' ἐνθέμεναι οὔλας καθύπερθεν ἕσασθαι.

Theocritus etiam Chlænæ, quæ lecto inſternebatur, meminit *Idyllio* 18.

Ζάνος τοι θυγάτηρ ὑπὸ τὰν μίαν ἵξετ' ἐς χλαῖναν,
Nam filia Jovis tecum unum ſubiit ſtragulum.

Intelliguntur autem hiſce locis chlænæ duplices, i. e. villoſæ, & ad arcendum frigus aliaſque aëris injurias aptæ. Quemadmodùm Romæ recentioribus temporibus cubicularia gauſapina in eundem uſum fuêre. Mart. *l.* 14. *Apoph. Epigr.* 146. cujus Epigraphe Cubicularia Gauſapina.

Stragula purpureis lucent villoſa tapetis
Quid prodeſt ſi te congelat uxor anus?

Poſtmodum luxu creſcente, in *lectis* tori (quâ voce propriè ἡ στρωμνὴ indigitatur) ſtruebantur alte ſuffulti ac ſublimes, uti etiamnum in quibuſdam locis fieri videmus, ubi culcitæ plumeæ tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

tum paleæ ſupponitur, ut in ſatis magnam altitudinem aſſurgat torus. Hinc Vett. lecti alii occurrunt *non alti*, in quos ſcanſione ſimplici & ſcamno aſcendebant: alii *altiores*, in quos ſubſelliis conſcendere oportebat; imò nonnulli tales erant, ut non niſi duplicatâ ſcanſione gradibuſque in eos veniretur. Cujuſmodi lectos Aug. improbavit, humilibus delectatus, apud Suet. in eo *c.* 37. indigitat verò Mart. *l.* 2. *Epigr.* 16. cujus Epigraphe in Zoilum. *v.* 3.

Quid torus à Nilo? quid Sindone tinctus olenti?

Ubi Scholiaſtes, *Torus*, inquit, *è lino Ægyptiaco & Alexandrina pluma factus --- circumdatus erat torali ex ſindone Tyria. Id verò ſummarum delitiarum, ut Lampridii Gabalus primus omnium privatorum toros aureis toralibus texit* &c. *At vulgò lintea toralia ad cuſtodiam veſtis ſtragulæ purpureæ, quâ torus inſtratus. Ægyptii autem ſ. Niliaci tori tunc in pretio, uti lectuli Mileſii & Siculi*, Vide infrà *Toralis* item *Torus*. Aliàs in genere *Lectos Cubatorios*. *Tricliniaribus* fuiſſe altiores, liquet ex Varrone *de Ling. Lat. l.* 7. & Lucan. *Civ. Bell. l.* 2. *v.* 356. ubi de Lecto Geniali.

—— *gradibuſque acclivis eburnis*
Stat torus: & picto veſtes diſcriminat auro:

Ut de ornatu hoc unum addam, *Sacras coronas in cubili circum lectos poſuiſſe* Nero Claud. Imp. legitur, apud Suet. *in eo c.* 25. At in itinere faciendo, cùm *lecti* eſſent circumferendi, beatioribus geſtabantur culcitæ, vel pro culcitis tapetes, Syneſius *Ep.* 61. pauperioribus ſegeſtria horum loco erant, quæ propterea Lucilius inter viæ inſtrumenta refert. Quomodo porrò in iis ſeſe compoſuerint, quoque ordine Vett. ut & alia huc pertinentia, vide hîc paſſim, inprimis in vocibus *Anacliterium*, *Cubiculum*, *Pulvilli*, *Somnia*, ubi lectorum fulcris Hermas ſ. icones Mercarium referentes affigere Gentiles ſolitos fuiſſe, videbimus in *Somnus*, *Sponda*, ubi inter alia de modo *Lectos* in cubiculo collocandi &c. Addam verbum *de Lecti ignominia*, Dacis circà Iſtrum ad Sept. Pontum incolentibus, irrogata, quos quum adversùs Baſternas ſemel malè dimicâſſent, Orodis Regis juſſu coactos eſſe, tam diu uxoribus miniſtrare & ſomnum capturos obverſis in imas *lecti* partes capitibus cubare, quoad bellicâ virtute eam ignominiam deleviſsent, refert ex Juſtini *l.* 32. *c.* 3. Sabellicus *l.* 8. *Enn.* 5. Alius *Lectorum* uſus, indigitatur Suet. *Calig. c.* 51. *Ad majora* (tonitrua) *proripere ſe è ſtrato, ſub lectumque condere ſolebat.* Dignus ſanè locus, qui hominem adeò furioſè inſolentem reciperet: nam, quod hodiè fieri videmus, ut ſub lectis vetera calciamenta condantur, idem quoque olim factitatum eſſe, Lucian. docet *De mercede conduct.* Ideo avaros Eucliones ſuas auro refertas ollas in eum locum abdidiſſe, diſcimus ex Baſilii *Homilia* Lazicis habita. Sed & alios, quum latere vellent, eò confugiſſe, habes apud Plaut. in *Caſina*, & vett. Hiſtoricos paſſim. Sic & Zacharias Protoſpatharius à Juſtiniano Rhinotmeto, miſſus, ut Sergium coërceret, reſiſtente Cleró & Pop. Rom. *ſub lectum Pontificis ſe abſcondit*, ut ait Anaſtaſ. Nec omittendum, quòd vett. Chriſtianos, Euangelium *de lecto* ſuſpenſum, & prope κιβώτιον, *arculam*, pro pauperibus habuiſſe legimus, apud Chryſoſtomum *in* 1. *ad Corinthios Homil.* 43. uti capſulam cum ſtrue Flaminem Dialem, de cujus *lecto* peculiaria quædam vide ſuprà &c. De *Lecto Nuptiali* in ſpecie, dicemus aliquid infrà, Cic. Orat. *pro Cluent. c.* 5. de *Lectis penſilibus* vett. Romanorum, vide infrà *Scimpodium*; Americanorum, res nota &c. Supereſt tertia ſpecies *Lectorum*, qui lucubrationibus Vett. inſerviebant, ſed de his jam retro diximus, in voce *Lecticula Lucubratoria*: Quarta item, eorum in quibus cadavera lautiorum, poſtquam abluta & coronis ornata eſſent, reponebantur ad rogum efferenda, cujuſmodi *lectorum* ſex millia in funere ſuo habuiſſe L. Corn. Sulla traditur, de quibus itidem ſuprà, ubi de ritu *In Lectis* efferendi mortuos. Hinc verò *Clinici*, quos non malè *Lectularios* interpretabimur, veſpillones ſunt dicti, ut qui elatorum lectos tractarent. Mart. *l.* 1. *Epigr.* 30. cujus Epigraphe de Diaulo Medico.

Chirurgus fuerat, nunc eſt veſpillo Diaulus,
Cœpit quod poterat Clinicus eſſe modo.

Vide ſuprà, in vocibus *Cadaver*, *Funus* &c. item ubi de *Lectuali morbo*, namque & alia vocis Græcæ notio eſt: plura verò *de Vett. Lectis*, apud Thom. Dempſter. *Paralip. ad Joh. Roſin. Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 37. Laur. Pignor. *de Servis*, *Alios.*

LECTUS Igneus, tormenti genus, à Decio excogitatum: in quo dentes ſ. aculei ſerrati, & ſal ſubſtratus fuit, deſuper arvina fluxit. Vide Prud. περὶ Στεφ. *Hymno IV. v.* 98. & vide ac ſuprà ubi de *Grabato.*

LECTUS Nuptialis, Græcè Γαμήλιος, aliter *Genialis*, à generandis liberis appellatus eſt, annotante Serv. *ad Æn. l.* 6. *v.* 603.

—— *lucent* genialibus altis
Aurea fulcra toris. ——

quem togâ in honorem Genii accuratiſſimè ſterni fuiſſe ſolitum, & Genios maritorum advocari, jam diximus. In hoc novam nuptam pronubæ collocabunt, quæ erant ſpectatæ pudicitiæ mulieres & quæ uni tantùm viro nupſiſſent, boni ominis ergò. Genios autem maritorum advocabant, quia contrahitur matrimonium ἐπ' ἀρότρῳ παίδων. Cùm itaque Genius hominum Generationi præeſſe crederetur, & icirco à *genendo* dictus eſſet, advocabatur novæ Nuptæ ut adeſſe vellet & prolem fœcundare, vide Cenſorin. *de Die Natali* Certè & Γενέται Θεοὶ dicti Græcis, quibus in puerorum natalibus faciebant ſacra. Eurip. *Ione*,

Θύσας δὲ Γενέται Θεοῖσιν, ἐν μακρῷ χρόνῳ
Μενῶ, παροῦσι δαῖτα θήσω σαν φίλοις.

Deſid. Herald. *ad Arnob. l.* 2. plura apud Lipſ. *in Electis*, *l.* 1. *c.* 17. Eundem pro puerperis poſtea quoque ſtratum: ſuadet Prud. *l.* 1. *c. Symmach.* de ſimulacro Liviæ ux. Aug. *v.* 224. & *ſeqq.*

Nondum maternam partu vacuaverat alvum,
Conceptamque viri ſubolem paritura gerebat,
Pronuba; jam gravidæ fulcrum & geniale *paratur.*

Sternebatur autem vel palàm in hortis, ut ille apud Juv. *Sat.* 10. *l.* 4. *v.* 334. in hortis Lucullianis:

—— *Tyriuſque palàm* genialis *in hortis*
Sternitur ——

Vel etiam in atrio domûs, ante ipſam januam, undè *adverſ.* quoque dictus eſt. Catull.

Si tamen adverſum mutavit janua lectum,
Sederit aut noſtro cauta noverca toro.

De quo Joſ. Scalig. *ad Feſtum* docet, Matronas Romanas, ſimul ac in mariti manum convenerant, lectum ante januam ſibi in atrio ſtraviſse. Et Thom. Bartholin. *de Puerp. Vett.* *Hic lectus*, inquit, *idem qui Nuptialis, feminis familiaris, in Atrio, ſ. Aula, ſ. Horto; dum in terram natus deponitur, ſternitur exemptilis* (*nonnullis Pilumno & Picumno*, infantium Diis, ut Varro apud Serv. habet) *clauſis januis, obductoque thalamo. Staturam Herculis expreſſit, incertum futuræ magnitudinis omen, vel ut faciliùs puerperam cum infante caperet. Ditioribus auratus & argenteus, ſimplici pauperioribus ornatu, vel ex ebore vel teſtudine compactus. Accedunt lecto flores veſteſque ſ. purpureæ ſ. auratæ, cui, loco puerperæ, inſident Tibareni & Cantabri, ut uxorum vice ægrotent* &c. Nec omittendum, quòd *Lectum genialem* roſis quâ ſolutis, quâ conſertis, conſperſum legimus apud Fulgent. *Mytholog. l.* 2. *in Venere*, Croco item apud Martian. Capell. *l.* 9.

Conſcia jam Veneris nova ſerta parate Napea.
Crocumque lecto *ſpargite* &c.

Vide hîc paſſim, inprimis ubi *Nuptialia* tractamus: uti de *Lecto Ferreo*, inter Martyrum ſupplicia Vett. memorato, ſuprà in voce *Grabatus.*

LECUM, civ. tribûs Nephthali terminus. Joſ. *c.* 19. *v.* 33.

LECYTHUS, Chalcidenſium Eubœæ urbs. Thucyd. *l.* 4. *p.* 526.

LEDA, Theſtii filia, Tyndari Laconiæ Regis ux. quam cùm Jupiter adamaret, transformatus in cygnum cum ea concubuit, cùm jam anteà ex Tyndaro gravida eſset, Marcus Manil. *rer. Aſtronomicar. l.* 1.

Proxima ſors Cygni, quem cœlo Jupiter ipſe
Impoſuit formæ pretium, quo cepit amantem,
Cùm Deus in niveum deſcendit verſus olorem.

Expletis itaque legitimis menſibus Leda duo peperit ova, ex quorum altero nati ſunt Pollux & Helena, ex altero Caſtor & Clytemneſtra. Ovid. *Herod. Ep.* 8. *Hermione Oreſti v.* 80. Idem *Ep.* 16. *Helena Paridi. v.* 57. *Amor. l.* 2. *Eleg.* 4. ſub fin.

Leda *fuit nigrâ conſpicienda comâ.*

Idem *Met. l.* 6. *v.* 109.

Fecit olorinis Ledam *recubare ſub alis.*

Nic. Lloyd.

LEDAN, ſive LEEDAN, vir de cognatione Gerſon filii Levi. 1. Par. *c.* 23. *v.* 7. & *c.* 26. *v.* 21.

LEDGRAVIUS, vel LEIDGRAVIUS, ſ. LEIDGREVIUS, in *LL.* Henr. I. Angl. Regis *c.* 8. dictus eſt Comes, *Ledæ*, h. e. tertiæ parti Comitatûs, aliter *Trithingæ* dictæ, præpoſitus. Continebat autum hujuſmodi *Leda*, Angl. *Leth*, tres vel quatuor hundredos ſ. centurias. Vide C. du Freſne in *Gloſſ.*

LEDI, locus Brabantiæ. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

LEDIA, ſilva dominica Galliæ, vulgò *Laye*, in qua Monaſterium S. Germani Robertus Rex condidit, unde nomen loco, qui hodieque vicus S. Germani in Laja *S. Germain de Laye* dicitur: ab hoc vico agri Pariſiaci, ad Pinciacum opp. Carnutum pertinet. In ea ſunt vici præ cæteris Granarium S. Lud. *la Grange de S. Louys*, Logiæ *les Loges*, Valles *Vaux*, Manſionile *le Meſnil*; Muta *la Muëte*, Pinciacum quoque, & vicus S. Germani, villa regia priùs memorata, quam Car. V. à fundamentis refeciſse, atque auxiſse legitur. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

LEDO, Angl. THE NEIPE TYDE, æſtus maris languidior, qui per 4. penè dies tam ante, quàm poſt ſecúndum atque ultimum Lunæ quadrantem, menſe unoquoque accidit, *Malinæ* Angl. *the ſpring tyde*, contrarius: quæ voces Bedæ ævo, quàm hodie, notiores. Vide Bedam *de Nat. rer. l.* 1. *c.* 29. & *l.* 3. *c.* 28.

LEDRENSIS urbs Archiepiſcopal. quæ & *Leucotheon*, & Leucoſia Gr. *Nicoſia* Sophiano, Cypri Metropolis, in ora Bor. *Ptol.*

LEDUM, Gali. Narbon. fluv. P. Mela. *l.* 2. *c.* 5. Vulgò Le Lez. Amnis Occitaniæ; oritur 3. leuc. ſupra Montem-Peſſulanum; In Cebennis, ſi Sirmundo creditur. Alluit caſtrum Montferrandum, Prata *Prades*, caſtrum Montemferrarium *Montferrier*, Caſtrum novum Pontis Juvenalis *Caſtelnau de Pont Juvenai*, dein ipſam urbem Montem-Peſſulanum rigans, paulò infrà ad Lataram Caſtrum, quod diviſus amplectitur, iterumque coit, in ſtagnum Volcarum ſ. Magalonæ, & per hoc in mare ſe exonerat. *Baudr.*

LEEMAS, civ. tribûs Judæ, Joſ. *c.* 15. *v.* 40. 1. Par. *c.* 20. *v.* 5.

LEERA, opp. Friſiæ Or.

LEGATI à Latere, quinam dicantur, vide ſuprà in *à Latere* & infrà, in voce *Legatus Apoſtolicus*, addam ſaltem, Dom. Macro, iſtiuſmodi Legatum, qui ſemper Prælatus, & ut plurimum Cardinalis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

dinalis eſſe ſolet, ſic dici, quod *à latere* Pontificis, ſub ejus baldachino, ſtandi poteſtatem habeat. Idem, hos Græcis *Legatos a facie* dici, & ſolemnibus cerimoniis creari, non niſi publici alicujus totius Chriſtianitatis negotio, ad exteros Principes, mittendos, addit in *Hierol.* Alii ſunt *Legati nati*, Metropolitæ viz. qui jure Legatorum Apoſtolicæ, ut vocant Sedis, in ſuis diœceſibus ac provinciis gaudent; quales in Anglia olim Eboracenſis ſ. Cantuarienſis; in Gallia, Remenſis; in Italia Ravennenſis & Piſanus, &c. Archiepp. quorum tamen *privilegia non niſi ad facultatem ordinariam Archiepiſcopi ſ. Primatis extenduntur, nam nequeunt ferre crucem extra provinciæ limites. can. antiq. de privil. & exceſſ. l. 5. Decretal. Nec poſſunt percuſſores Clericorum abſolvere, c. 9. de Offic. Legati, l. 1. Decretal. tit.* 30. Idem *in Hierol.* Ob hoc verò *Legati* privilegium, à poteſtate & ditione *Legatorum à Latere*, in civitatibus, diœceſibus ac provinciis immunes ſunt, quod apud C. du Freſne docet Gervaſius Dorobern, *in Actis* Pontificum Cantuar. *in Vilheimo p.* 1663. Vide quoque infrà, in voce *Nuntius.*

LEGATIO, apud Jul. Capitolin. *in Pertinace, Præfectus cohortis in Syria .-- pedibus ab Antiochia, ad* legationem *ſuam, iter facere coactus eſt*; Cauſaub. pro *legione* eſt. Salmaſ. cohortium & legionum præfecturæ hoc nomine indigitantur, qui *Legatos* etiam eos dictos obſervat, qui cohortibus aut legionibus præerant. Hinc *Legationes militares* infrà; *Vacationes & legationes militares dicitur vendidiſſe.* Et certè, *Legatus legionis*, frequenter in Vett. Inſcr. & Autoribus occurrit: *Legatus Vexillariorum*, apud Hygin. *in Gromatico*, & *Legati exercitûs Britannici*, in *Commodo.* Vide eum *ad l.*

LEGATORIA Prov. apud Spartian. *in Alex.* à Proconſulari diſtinguitur. Cùm enim provincias Aug. partitus eſſet, ex iis, quæ populo aſſignatæ ſunt, duæ *Proconſulares.* Africa nempè & Aſia decem *Prætoriæ* dicebantur, enumeratæ Strab. *l.* 17. reliquas omnes ſibi Cæſar retinuit ac regendas ſuſcepit; & in eas quidem modò *Conſulares* viros mittebat, qui *Legati Conſulares* & interdum *Conſulares* nudè; modò Prætorios, qui *Legati pro Prætore*, vocati ſunt: modo Equites, qui *Præſidum* atque *Procuratorum* nomine, minutis provinciis præerant: cùm Conſulares, qui populi provincias regebant, *Proconſules* dicerentur. Sed pro arbitrio ſuo Impp. provinciarum jura ad adminiſtrationes ſæpe mutabant, & quæ Populi erant, ſuas eſſe volebant, ſuas autem Populo tranſcribebant; ſicque de Conſularibus Proconſulares & contrà: de Præſidalibus Prætorias & de Prætoriis Præſidales faciebant. Quod & in Italiæ adminiſtratione Hadrianum Imp. feciſſe, qui, novâ adminiſtrationis formâ inſtitutâ, *Conſulares* (ſub. Legatos) *quatuor per omnem Italiam Judices conſtituit*, docet Spartian. Hi Legati, ad arbitrium Cæſaris in Cæſarianas provincias ibant & ad ejuſdem arbitrium revocabantur: at Impp. ævo, qui Proconſules erant, ſortiebantur provincias more modoque antiquitus Romanis cognito & poſt peractum tempus Magiſtratûs provinciâ decedebant. Sed & Cæſar in provinciis ſuis Prætorios plerunque jure Conſulari eſſe jubebat; quo pacto *Conſulares* dicebantur, qui Conſules nunquam fuiſſent: uti Plinius Cæcinus. *Legatus Aug. pro Prætore in prov. Ponti Conſulari poteſtate*, dicitur in vet. *Inſcr.* Atque id ſub poſterioribus Impp. paſſim obtinuit. Idem & in Populi provinciis fiebat, nam Prætorii plerunque jure Conſulari in Prætorias provincias mittebantur à Senatu, qui & *Proconſules* dicebantur. Unde Suet. *in Aug. l.* 36, 37. & 52. cùm inter Populi provincias etiam Prætoriæ eſſent, *Proconſulares* tamen omnes vocat: & apud *Hiſt. Aug.* Scriptores aliquot locis, *Proconſulares*; *Legatoriæ* & *Præſidales* tantum memorantur: Proconſularium nomine, quæ Populi eſſent, intelligentes; *Legatoriarum* verò, quæ Cæſaris, tam ſc. Conſulares, quàm Prætorias &c. Vide Salmaſ. *ad Spartian.* Idem *ad Trebell. Pollion. in Cenſorino.* Prætorium alicujus provinciæ Cæſarianæ ſemper *Legatum Prætorium*, aut *Legatum pro Prætore*, aut etiam *Proprætorem*, Legatum verò Conſularem, *Conſularem* ſimpliciter illius provinciæ appellari conſueviſſe: poſt Conſtantium autem nullos ampliùs *Prætorios Legatos Aug.* ſed omnes *Conſulares*, dictos eſſe addit, vide quoque infrà.

LEGATUS, apud priſcos Rom. is fuit, qui Ammiani Marcellini temporibus *Comes* dicebatur, & noſtra ætate *Locum tenens.* Gall. *Lieutenant*, penès quem abſente Imp. vel Duce, ſumma poteſtas erat. Hi inter Comites Proconſulum & Proprætorum primum obtinuêre locum, dati ipſis vel à Senatu, vel hujus permiſſu ab ipſis Præſidibus adſcripti, vel lege aliquâ extra ordinem allecti. Numerus ad mimimum trium fuit, obſervatumque eſt, ut *Legatos* libenter ſibi quiſque legaret, qui rei militaris periti eſſent, quique ipſi provinciis aliàs cum imperio præfuiſſent. Itaque Conſulares Conſulibus, Prætorii Prætoribus *Legatos* ſe poſcentibus adjunxêrunt, & fratrem frater, filius patrem ſibi legavit. Munus quod attinet, erant Vicarii Proconſulum, ad molem rerum provincialium ſuſtinendam, undè & ipſi lictoribus ac faſcibus uſi: Interim privatarum tantùm cauſarum cognitionem habebant, ſi verò quid occurriſſet majoris momenti, ad Proconſulem id remittebant. Publicarum autem quæſtionum cognitio iis ne mandari quidem à Procoſſ. poterat, niſi in lege iſtius quæſtionis nominatim ſcriptum eſſet. Jus nullum habebant animadvertendi, in caput cujuſquam, nec atrociter verberandi: Si tamen contigiſſet Proconſulem abeſſe ab provincia, tum iis committebantur, quæ animadverſionem poſtulabant. Etiam cùm Proconſules aut Proprætores ante ſucceſſoris adventum de provincia decederent, *Legatos* vel Quæſtores interim provinciis præfecêre, qui & ipſi tum Proconſules aut Proprætores appellabantur, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 44. De *Legatis* decem, quorum conſilio & ope Duces Exercituum utebantur, in provinciis conſtituendis, Idem *alibi.* Dicti etiam Legati ſunt, Varr. *l.* 4. *de Ling.* Lat. *lecti publicè, quorum opera conſilioque uteretur peregrè Magiſtratus, quive nuntii Senatûs aut populi eſſent.* Hos ſanctos atque inviolabiles apud omnes Gentes eſſe notum: undè, ob violatos illos ab Illyriis, regnante Teutanâ, *ſtrictæ in Principum colla ſecures*, Flor. *l.* 2. *c.* 5. ob contumeliosè habitos à Tarentinis *Id. l.* 1. *c.* 18. *uno bello intrà quadriennium, maximam partem Italiæ fortiſſimas gentes, opulentiſſimas urbes, uberrimaſque regiones in ditionem redigiſſe.* Exterarum nationum *Legatis*, quas in urbem admittere nolebant, Senatum dedère Rom. in uno ex tribus Senaculis, intrà ædem Bellonæ Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 14. idque menſe Febr. quem totum exterarum Gentium *Legatis* attributum fuiſſe, ex Cic. *Epp. ad Lentulum, ad Q. Fratrem, aliiſque locis multis* conſtat. Apud eoſdem *Legatis ſociarum gentium*, locus in Theatro inter Senatores datus eſt, lege Othonis Trib. Pl. quo more Germanorum Legati cùm arceſſiti non eſſent, ultrò ſeſe ad Senatorias ſedes contulêre atque recepti conſedère. Nempe, *Barbari fuit, non arceſſere: Germanum, uti etiam inferiorum gentium prærogativâ; Romanum, agnoſcere, quod & ſuum eſſet, & aliorum quoque eſſe vellent*, Jul. Cæſ. Scalig. *poët. l.* 1. *c.* 21. Vide quoque infrà aliquid in voce *Saturnus.* Exceptio autem, deductio, & hoſpitii aſignatio Quæſtoribus incumbebat, Plutarch. *Quæſt. Rom.* 43. Liv. Val. Max. loco non uno &c. Sub Cæſaribus, & quidem anterioribus cui id demandatum vellet Princeps. Sic Trog. patrem. legimus apud. Juſtin. *l.* 43. *c.* 5. *Sub Cajo Cæſ. militâſſe, epiſtolarumque &* Legationum; *ſimul & annuli curam habuiſſe*, Sub citerioribus, Legationes ſuſcipere & ad Principem admittere, fuiſſe munus Magiſtri officiorum, interdum Magiſtri Epiſtolarum, obſervavit Autor *Notitiæ utriuſque Imperii.* Quemadmodum apud Perſas Chiliarchi id fuit, ſ. Tribuni militum C. *Nep. Conone c.* 3. & Ælian. *Var. Hiſt. l.* 1. *c.* 21. *qui ſecundum Imperii gradum tenebat.* In Ægypto, Nicanorem excipiendis Legatis à Ptolemæo præpoſitum, ſcribit Joſeph. *Antiqq. Jud. l.* 12. *c.* 2. Nec minus honorificè *Legatos* Athenienſes excepêre, quos non niſi in loco ſacro, Templo viz. aliquo, itidem audiebant, è publico victum iis, dum in Urbe agerent, in Prytaneo, ſuppeditantes Demoſth. π. παραπρεσβείας: Cùm ipſi *Legatos* aliò mitterent, *κηρύκειον* ſ. *caducius* illorum inſigne, & duæ drachmæ in quemvis diem eorum πορεῖον erat, Etymol. De Legatis autem, ſive alio mittendis, ſive aliundè Athenas advenientibus, referebatur ad populum, tertiâ cujuſque πρυτανείας concione: Proin Demoſthenem Æſchines reprehendit, quòd is quartâ, in qua περὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων agi ſolebat, de *Legatis* ad Phil. mittendis referri voluerit. Vide Sam. Petit. *Comm. in* LL. *Attic. l.* 3. *tit.* 1. *p.* 203. & Fr. Roſſæum *Archæol. Attic. l.* 6. *c.* 4. Apud Rom. verò, Plin. *l.* 22. *c.* 2. *Sagmina in remediis publicis fuère & in ſacris Legationibus verbenæ*, nempè cum ad hoſtes ibant. Aliàs, ramus olivæ apud utroſque, cùm pacis ergo mitterentur. Virg. de *Legatis Latinis*, occiſos ad ſepulturam petentibus. *Æn. l.* 11. *v.* 100.

> *Jamque* oratores *aderant ex urbe* Latina
> *Velati ramis oleæ* ———

Vide quæ de corona Legatorum, ex verbena & olea, habet C. Paſchal. *in Legato ſuo.* Præmia *Legatis* dari ſolita, *Lautia* olim dicta eſſe, vidimus ſuprà: Hodieque is mos viget, ut Legatis domum redeuntibus à Principibus, ad quos miſſi fuerant, propemptica dentur, quod tamen ob graves cauſas Fœderati Belgii Proceres ſuis prohibuêre. Quæ verò à *Legatis* offeri Principibus mos *Novena* dici, habet Joh. Barbarus *Itin. ad Tenaim.* Vide infrà *Novena.* Numerus olim hodieque varius: in Romanam verò aulam tanta *provincialium & municipalium Legatorum* copia veniebat, ut Veſpaſianus edicto *præceperit omnibus civitatibus, ne plures quàm ternos legatos mitterent*, Martian. *l.* 4. §. *ult. Eodem* &c. Plura *de Legatis*, vide apud C. Paſchal. ubi ſupra, Gentilem *de* LL. *c.* 19. ubi de variis Gentium morib. in *admittendis audiendiſque* Legatis, Hug. Grot. *de Jure Belli & Pacis* paſſim, inprimis *l.* 2. *c.* 18. ubi *de Legationum Jure*, Alios; nec non ſuprà aliquid in voce *Ambaſciator*, item *Ferreus annulus*; ac infrà *Virga Moyſis*, ubi de moris *Legatorum* virgas albas ſ. baculos gerendi, cùm munus ſuum obirent, olim multò in uſu, vera origine.

LEGATUS Sedis Apoſtolicæ, nomen dignitatis in Communione Rom. olim de aliis quoque Sedibus dicebatur. Unde initio Actorum Conc. Niceni II. celebrati aliquot poſt Epheſinum Seculis, recenſentur Legati *Sedium Patriarchalium* & primo loco nominantur, Οἱ ἐπέχοντες τόπον τῆς Ἀποστολικῆς καθέδρας, *Tenentes locum Apoſtolicæ ſedis Hadriani Archiep. Romæ.* Deindè ſequuntur Joh. & Thomas, Presbyteri & Monachi, Τοποτηρηταὶ τῶν Ἀποστολικῶν θρόνων τῆς Ἀνατολικῆς Διοικήσεως, Locum tenentes (Legati) *Apoſtolicarum Sedium ejus, quæ eſt in Oriente, diœceſeos*: atque ita ſæpe in *Actis* illis. Vide Caſaub. *Exercit.* 5. *ad Ann. Eccl. Bar. n.* 21. & ſuprà *à Latere*: uti de *Legatis Judæorum*, in voce *Apoſtoli.*

LEGENDA, liber eſt, in quo ſcribuntur lectiones, in officiis matutinis legendæ, in Eccl. Latina, *Legenda SS.* liber eſt Sanctorum vitas tractans, aliàs *Hiſt. Lombardica* nuncupatus, Henr. Spelmann. *in Gloſſ. Arch.* Item *Aurea Legenda*, cujus autor Jacobus de Voragine, qui floruit circa A. C. 1280. Hanc *ſcriptam ab homine ferrei oris & plumbei cordis*, dicere ſolebat Cl. Eſpenſæus Theologus Sorbonenſis, ex Lud. Vive. Compoſita etiam eſt *Legenda*, in honorem Clem. ſicarii Henr. III. Gall. Regis cum tit. *Vita S. Clem.* hunc enim in Sanctorum numerum evexerat Sixtus V. Vide Lætt. *Comp. Hiſt. Univ.* Græcis συναξάρια, quòd hæc acta Sanctorum per Anni totius circulum digeſta, certis diebus legenda in Eccl. & in ſacris *ſynaxibus*, deſignabantur à moderatore Chori. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.* & ſuprà in voce *Lectio.*

LEGENTES, & Retinentes apud ſe libros prohibitos propter hæreſin, in Foro Inquiſitorum Eccl. Rom. Suſpectis annumerantur, contrà quos proin ſevera extant edicta, Pontificum, Pii IV.

Cùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Cùm pro numero, A. C. 1564. & Pii V. Bullâ, *in Coena Domini.* Ut autem quis dicatur, *legere* talem librum, ſatis eſt ſi illum oculis percurrat, cum advertentia ad ea, quæ in illo ſcripta ſunt, quamvis ore nihil exprimat. Retinentes quoque non excuſantur, etiamſi libros in arca occluſos & clavibus obſignatos occultè habeant, neque ab ullo legi aut videri permittant: idque ſive in propia, ſive in aliena domo, ſive libros intelligant ſive non, ſive totum retineant ſive partem (dummodo folium unum tantùm non ſit, ſive etiam retineant ſolùm causâ curioſitatis, ornatûs vel permutandi eos cum aliis libris, ſ. ut ea, quæ vendunt, librorum foliis obvolvant. Similiter qui librum imprimi faciunt, defendunt, laudant vel ajunt non eſſe combuſtione aut prohibitione dignum; aut faciunt, ne ad manus Inquiſitoris deveniant. Hi omnes de fide ſuſpecti cenſentur, & ut ſuſpecti, ab Inquiſitoribus puniri poſſunt, Ant. de Souſa *Aphoriſm. Inquiſit. l.* 1. *c.* 21. §. 8. &c. Pœnæ ſunt, *excommunicatio*, *confiſcatio*, ſique viles perſonæ ſunt, *verbera*; ſin honeſtiores, *exilium*, pro Inquiſitorum arbitrio & qualitate ac circumſtantiis delicti: è quibus ſi oriatur vehemens præſumptio hæreſis, *tortura* accedit, ad veritatem eruendam. Neque à pœna immunem eum, qui hæreticorum libros confutandi animo legit, pronuntiat Carena Tract. *de Officio S. Inquiſitionis n.* 28. & 29. Eſtque hoc *libros prohibitos legendi* interdictum adeò univerſale, ut & ipſos Clericos imò, uti plures contendunt, etiam Epiſcopos, quin & ipſos Cardinales, comprehendat, qui viz. abſque Pontificis venia dictos libros legunt. De Inquiſitoribus ſunt qui dubitent: at verò eos ſimiliter Bullâ comprehenſos eſſe, alii contendunt, niſi particularem habeant facultatem ab ipſo Pontifice, vel à Congregatione Cardd. S. Officii, penès quos ſolos facultas eſt, & quidem non niſi in plena Congregatione, vel ſaltem majori Cardinalium parte præſente, licentiam hanc conferendi. imò nec hoc quidem Sede vacante. Quæ verò conceſſa eſt Cardinalibus Gener. Inquiſitoribus, limitata eſt expreſsâ exceptione Car. *Molinæi*, quorum lectionem ſolus Papa concedere poteſt, juxtà Conſtitutionem Clem. VIII. cujus initium, *Apoſtolicæ Sedis autoritati*, editam A. C. 1602. &c. Vide præfatos Autor. *dd. ll.* adde Campegium *in Zanch. c.* 34.

LEGERE, nauticum vocabulum Serv. *ad illud Virg. Georg. l.* 3. *v.* 44.

—— *primi* lege *litoris oram.*

Pro præterire: *quod nautæ funem legendo*, i. e. *colligendo aſpera loca prætereant:* Idem *ad illud Æn. l.* 3. *v.* 127.

—— *crebris* legimus *freta concita telis.*

Hinc ad lectionem translatum de qua ſuprà. Vide Jac. Ouzel. *Animadverſ. ad Min. Fel. p.* 19.

LEGERUS Joh. autor *Hiſt. Valdenſium*, in Fol. quæ prodiit Lugd. Bat. A. C. 1669.

LEGES, Aſiæ pop. qui unà cum Gelis habitant ad Hyrcanum mare. Plutarch. *in Pompejo.*

LEGES, à Capitulis diverſæ. Theganus de Conventu Aquiſgran. A. C. 819. *Interea Capitula quædam* Legibus *ſuperaddidit:* Nempè *Leges* ſolius populi conſenſu olim edebantur: *Capitula* verò & *Capitularia*, à Regibus & Principibus, ſed Populi item conſenſu Poſtmodùm verò Capitula ipſa in Legem abiêrunt. *Capitul.* Lud. Pii, *omnes admonemus, ut Capitula, quæ præterito Anno Legi Salicæ cum omni conſenſu addenda eſſe cenſuimus, jam non ulterius Capitula, ſed tantùm* Leges, *dicantur, imò pro Legibus Salicis teneantur.* Poſt Burgundionum enim, Francorum & Gothorum in Galliam atque adeò in Italiam & Hiſpaniam irruptionem, excuſſo Romanorum jugo, cœpêre hæ provinciæ à diverſarum nationum populis incoli, quibus, *Legibus* ſuis antiquis regi & vivere, conceſſum eſt à victoribus Principibus. *Capitulare* Pipini Ital. Regis *c.* 37. *Quia omnino voluntas domni Regis eſt, ut unuſquiſque homo ſuam legem pleniter habeat conſervatam.* Ita autem *ſuâ quiſque* Lege *vivebat*, ut ſecundùm eam avitas & paternas ſucceſſiones adiret, conficeret chartas, ſacramenta ederet & ſe ſtatu ingenuitatis ſic defenderet, juxtà Legem tamen illius, cui injuria facta erat, componeret: *de cæteris verò cauſis communi lege viveret, quam Princeps per Capitula ſua ediderat*, L. Longobard. *l.* 2. *tit.* 56. Hinc formula, *In ſua Lege conſcriptus*; ſc. qui *legem quâ vivere ſtatuit* profeſſus eſt, in *Charta* vet. Hugonis Ep. Tholoſani; apud Sammarthanos. Liberum autem erat cuique, quâ Lege vivere vellet, ſive avitâ, unde ei prima natalium origo; ſ. illâ, quæ in ea, in qua degebat provincia obtinebat: quod quidem coram teſtibus & publicè & in ipſis tabulis, cogebatur profiteri. Ut plurimum tamen liberi patrum Legem ſequebantur; ex L. Longobard. *l.* 2. *tit.* 5. & 17. At feminæ Lege conjugum vivebant, ex eadem L. *l.* 2. *tit.* 7. quibus Defunctis, ab illa abſolvebantur; ſic tamen, ut liberum iis eſſet lege viri Extincti vivere, quod eo caſu cogebantur profiteri. &c. Cùm igitur variæ ſic eſſent *Leges*, quibus populi paſſim regebantur; Namque & poſterioribus Sec. mos iſte obtinuit; etiam expugnatâ à Chriſtianis urbe Hieroſolymâ atque Syriâ, cùm à variis illa habitaretur nationibus, ſuas quiſque Leges ſervavêre: Franci quoque in Siculo Regno ſub Andegavenſibus Regibus *Legem Francorum* obſervabant, & apud Byzantinos ipſos Veneti, Piſani & Genuenſes, qui hac in urbe commercii ſui ſedem fixerant, ſuas quique habebant Leges) unuſquiſque originis ſuæ appellationem ſervabat, ita ut, ſi lege Romanorum, *Romanus*; ſi Salicâ, *Salicus*; ſi Gundobadâ, *Burgundus*; ſi Wiſigothorum, *Gothus* &c. vocaretur; quæ ratio, quod Conrado Imp. *Salici* cogn. datum, vide Sammarthanos *Gall. Chron. Tom. III.* *p.* 649. aliaque, quæ hanc in rem eruditè congeſſit C. du Freſne, in voce Lex.

LEGIA, Flandris LEYE, fluv. oritur in Arteſia juxtà caſtr. *Lisbourg*, dein Tervanam rigat, atque Ariam & Fanum S. Venantii, in Arteſia; Hinc per Flandriam fluens, Minariacum, Armentariam, Meninum, Cortacum urb. alluit, & leuc. aliquot poſteà, juxtà Gandavum, in Scaldim ſe exonerat.

LEGIFERA, epitheton Iſidis, Gr. Θεσμοφόρος, quod prima fuerit legum inventrix. Ita enim de illa Diod. Sic. *l.* 1. ubi eam filiam Saturni ex Rhea, Oſiridis ſororem atque uxorem, & eandem cum Cerere eſſe ſcribit: *Prima invenit triticum & hordeum, hominibus priùs incognita. Leges quoque ſtatuit, quibus juſtitia æque omnibus ſervaretur, vi atque injuriâ timore pœnæ ſublatis: qua de cauſa à Priſcis* Legifera *dicta eſt.* Idem paulò pòſt ſcribit, *Eam à nonnullis Iſidem, ab aliis Cererem, Theſmophoram, Junonem, ab aliis alio nomine appellari.* Subjicit etiam inſcriptionem columnæ ejus, quæ talis eſt: *Ego Iſis ſum Ægypti Regina, à Mercurio erudita. Quæ ego legibus ſtatui, nullus ſolvet* &c. Et quia Iſis cum Cerere idem Numen, hinc Plutarch. *l. adversùs Colotem*, Δήμητρα θεσμοφόρον, *Cererem legiferam appellat.* Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 58.

Legiferæ Cereri *Phœboque, patrique* Lyaeo.

Callimach. *in Hymno ejus*,

—— Ὡς πολίεσσιν ἑαδότα θέσμια δῶκε,
—— *Ut urbibus* placitas leges *daret.*

Hinc *Theſmophoria*, feſtum ejus. Serv. *ad Æn. l.* 4. *v.* 58. *Leges Ceres dicitur adinveniſſe: Nam & ſacra ipſius Theſmophoria, i. e. Legum latio, vocantur. Sed hoc ideo fingitur, quia ante inventum frumentum à Cerere homines paſſim ſine lege vagabantur: jam verò feritas interrupta eſt, poſtquam ex agrorum diſcretione nata ſunt jura. Theſmophoria autem vocantur legum latio, an quia in æde Cereris inciſæ fuerint leges* &c. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 22. *cum Paralip.* Thom. Dempſteri *ad l.* 2. *c.* 11. &c.

LEGIFERI Provinciarum, non ſemel occurrunt, apud Ericum Upſal, *in Hiſt. Suecor. l.* 3. Ubi diſtrictum eorum *Legiferatum* vocat, & patriæ conſuetudine privilegiiſque regionis, *ne Rex ſine comitiva antiquitus deſignata, Legiferatum aliquem Regni intrare præſumeret* --- ſed *unuſquiſque diſtrictus Regem per ſuos limites propriis viris & armis ſalvum perducat & juxtà poſitis deducendum aſſignet*, cautum eſſe, addit, apud C. du Freſne ubi ſuprà.

LEGIO, D. Hier. opp. erat Palæſtinæ, inter Samariam & Ptolemaidem, à Bethacad vico Samariæ 15. ab Arbelis 9. à Nazaret 15. mill. paſſ. in Occaſ.

LEGIO, à DELIGENDO dicta, vox apud Rom. militaris uſitatiſſima. Univerſus enim Exercitus Rom. cùm eſſet diviſus in duas partes, altera & major, *Legionum:* altera *Auxiliorum* nomine venit, *Auxilia* dicebantur illi milites, qui à ſociis vel fœderatis gentibus mittebantur, de quibus vide Polyb. *l.* 6. In *Legionibus* verò nemo militabat; niſi civis Rom. ingenuus & qui in quinque claſſibus cenſûs atque ludicræ artis expers eſſet. His ſolis patebat aditus ad munera militaria, eis patebat cohors Prætoria, dabatur ſtipendium, concedebatur præda & addebantur dona Imperatoria. Numerus autem militum in *Legionibus* non idem ſemper fuit. Prima *Legio* ſub Romulo 3000. peditum & 300. equitum fuit, ſingulis tribubus mille pedites, & centum equites ſubminiſtrantibus. Idem poſteà Sabinis victis ac in urbem receptis, *Legionem* ad 4000. auxit, undè & *Quadrata* dicta eſt. Sex millitum & ducentorum hominum primus C. Marius conſcripſit *Legionem*, quod tamen *non Senatûs decreto, ſed Imp. conſilio* factum fuiſse oſtendit Salluſt. Quemadmodum & id extraordinarium fuit, quod ſcribit Liv. in Hiſtoria belli Perſici, legionem in Macedoniam ſcribi à Senatu juſſam 6000. peditum & 300. equitum. Hinc autem *Legio* 6000. fuiſse à multis traditur, quòd hic maximus ejus numerus ſtante Rep. eſſet. Veget. verò autor eſt, ſuo tempore *Legionem* habuiſſe peditum 6000. equites 732. & addit, majorem etiam interdum eſſe conſueviſſe. Nec idem quoque ſemper *Legionum* fuit numerus. Primùm quidem, quotannis quatuor ſcribebantur, quæ Conſulibus ad bella propè quotidiana proficiſcentibus traderentur; ſingulis binæ. Urgente dein neceſſitate numerus crevit ita, ut apud Liv. legamus, nonnunquam 10. 16. 18. & plures etiam *Legiones* Rom. habuiſſe. Poſtea verò quàm Aug. bellis civilibus confectis, rerum potitus eſt, militum *Legiones* multas legit, eaſque certis autoramentis habuit mercenarias, quæ Romanum à Barbaris tuerentur Imperium: harum 25. numerat Dio *l.* 55. è quibus ſolas 19. ſuo tempore ſuperfuiſse ait. Poſt Aug. Nero *Legionem* primam Italicamque nuncupavit, in inf. Myſia hyemantem: Galba primam Auxiliariam, in inf. Pannonia: quartam in Syria Flaviam Domitianus primam Minerviam in Germ. inf. Trajanus ſecundam Ægyptiam, trigeſimam Germanicam Marcus Antoninus: item ſecundam in Norico: tertiam in Rhætia, quæ etiam *Italicæ* vocantur. Severus Parthicas primam & tertiam in Meſopotamia, ſecundamque mediam in Italia. Idem *ibid.* Porrò *Legioni* ſua cuique erat aquila, & quidem in prima cohorte, cujus cuſtodia erat penès Primipilum, ſive primum Triariorum Centurionem: quem ad honorem fere è primo Principe, uti ad primum Principum centurionem, à primo Haſtato, pertingebant. Aquilæ hujus ſeſe expandentis effigies, haſtæ præpilatæ ſuffixa, geſtabatur in acie, cujus rei Marius autor, qui ſepties Conſul rejectis ſignorum aliis, in quibus & lupus & equus & aper, & ſus, & Minotaurus, aquilam *Legionibus* dicavit; Plin. teſte *l.* 10. *c.* 4. Quot igitur aquilæ, tot *Legiones*. Undè incautè Lucan. *Civ. Bell. l.* 1. *v.* 244.

—— *fulsêre* aquilæ *Romanaque ſigna.*

Cùm

Cùm enim Cæſar Ariminum caperet, una ſolum ei Legio aderat. Niſi poëtam per tralationem numeri malis excuſare. In nummo vet. videas aquilam bicipitem, argumentum Legionum duarum in unam coalitarum &c. Vide Gerh. Joh Voſs. *de orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 76. Earum verò non nomina ſolùm, ab Aug. ad Severum Imp. per Annorum ſpatium ampliùs ducentorum, durâſſe: ſed etiam eaſdem *Legiones* in iiſdem ſemper præſidiis hæſiſſe, opinatur Baron. hincque quia Dion. *l.* 55. commemorans, quot olim ætate Aug. quot jam ſuâ *Legiones* à Romanis Impp. alerentur, & ubi tum caſtra haberent ſingulæ, cùm ipſe illa ſcribebat: *Legionem Σιδηρῦν, à ferro* cognominatam, ſuâ ætate (vixit is Severi principatu) in Judæa collocat; eandem, i. e. ejuſdem nominis temporibus Domini noſtri ibidem, atque centurionem illum, cujus fides à Domino prædicatur, Matth. *c.* 8. *v.* 10. legionis Ferratæ ſ. Ferreæ centurionem fuiſſe, contendit. Sed neque hoc dicitur à Dione: neque ſtabilitas iſta *Legionum* earundem in iiſdem præſidiis firmo argumento nititur. Namque legionem quintam, ſuâ ætate ſtativa habuiſſe in Dacia; Decimam quintam in Cappadocia, autor eſt præfatus Dion. At Neronis & Veſpaſiani temporibus, quintam in Myſia, decimam quintam in Pannonia fuiſſe collocatas, extrà omnem dubitationis aleam eſt. Scribit enim Joſeph. ad bellum Judaicum ex illis locis eas fuiſſe accitas & bello confecto eodem remiſſos, Ἁλώς, *l.* 7. *c.* 15. *de Tito. Venit Alexandriam, & navigaturus in Italiam, cùm duæ ipſum Legiones ſequerentur, utramque eò, undè venerat, remiſit. In Myſiam quidem quintam, decimamquintam verò in Pannoniam,* E quibus patet, legionum ſtationes, pro temporibus mutari ſolitas, ex arbitrio Imperatorum & Ducum ſummorum. Hinc quoque narrat Joſeph. *l. eod. c.* 4. decimam legionem, quum ante bellum Judaicum in Euphratis ripa tenderet, poſtea cuſtodiæ Hieroſolymorum à Tito fuiſſe deſtinatam: duodecimam verò, quæ prius in opp. Syriæ Raphanæis caſtra metabatur; poſteà ignominiæ cauſâ, quod hoſti aliquando ceſſiſſet, procul indè ſubmotam, & in Melitinen, ad fines Armeniæ fuiſſe amandatam. At Dionis Seculo, decimæ quidem in Pannonia ſup. Duodecimæ verò in Cappadocia ſtatio fuit. Iſaac. Caſaub. *Exercitat. ad Ann. Eccl. Baronis Exerc.* 15. *n.* 16.

Nomina Legionum in fragmento vet. columnæ Romæ.

II. AUGUSTA.	XI. CLAUDIA.
VIII. AUGUSTA.	XV. APOLLINEA.
XXX. ULPIA.	IIII. SCYTHICA.
XIIII. GEMINA.	X. FRETENSIS.
IIII. FLAVIA.	II. TRAIANA.
V. MACEDONICA.	III. PARTHICA.
XII. FULMINATRIX.	XX. VICTRIX.
II. PARTHICA.	I. MINERVIA.
XI. FERRATENSIS.	X GEMINA.
XII. GEMINA,	II. ADJUTRIX.
II. ITALICA.	I. ITALICA.
VI. VICTRIX.	XIII. GEMINA.
XXII. PRIMIGENIA.	VII. GALLICANA.
I. ADIUTRIX.	XVI. FLAVIA
I. PARTHICA.	III. CYRENENSIS.
VII. CLAUDIA.	III. AUGUSTA.

Plures recenſet Hub. Goltzius *in Theſ. Antiq. c.* 7. Sumebant autem nomina *Legiones* ab ordine, quo unaquæque earum in aliquo loco primùm fuerat conſtituta, ut prima ſecunda, tertia, decima & viceſima appellaretur. Et quoniam uſu veniebat, ut duæ vel tres in variis locis collocatæ, omnes primæ vel ſecundæ vel tertiæ vocarentur: hinc cognominibus inter ſe diſtingui cœpêrunt, ut una quidem eſset *prima Adjutrix*, Tac. *Hiſt. l.* 2. *c.* 43. & 44. altera *prima Minervia*, alia verò *prima Parthica* &c. quæ cognomina ab Imperatorum arbitrio ipſis dabantur: vel ab eorundem, qui inſtituêre nominibus, ut *Auguſta*, *Claudiana*, Idem ibid. c. 85. *Flavia*, *Ulpia*, &c. vel à provinciis devictis, ut *Parthica*, *Scythica Gallica* &c. vel, à locis, in quibus primò collocatæ, ut *Italica*, Idem *Hiſt. l.* 1. *c.* 59, 64. & 74. *Forenſis Cyrenaica*: aut à nominibus Deorum, ut *Minervia. Apollinaris*, aut poſtremò ab aliis eventibus, ut *Gemina*, *Adjutrix*, *Martia*, *Victrix*, *Ferrata*, *Fulminatrix*, *Alauda*, *Rapax*. Idem *Hiſt. l.* 2. *c.* 43, 100, & *l.* 3. *c.* 14. & 18. *Primigenia* &c. Partes *Legionis*, vide *infrà*. Milites hinc *Legionarii* dicti, ab initio ſtipendium non meruêrunt, ſed de ſuo quiſque eo munere functus eſt. A. demum U. C. 347. Anxure Volſcorum opp. capto ac direpto, pedites primùm ſtipendium accepêre, & triennio pòſt bello Vejenti etiam equites, teſte Liv. illi quidem in diem obolos duos, hi verò drachmam, quæ eadem ferè eſt apud Græcos, ac denarius apud Rom. Donec Cajus Sempronius Gracchus Tr. Pl. lege cavit, ut veſtis è publico militi daretur: frumentum quoque poſteà ipſis datum eſſe exiſtimat Juſt. Lipſ. Jul. Cæſ. *Legionibus* ſtipendium perpetuum duplicavit: Cujus ſucceſſor Aug. in diem denos aſſes, in menſem aureum unum conſtituit: Cæſar Caligula vel Claudius, ſecundùm Lipſ. alterum addidit: tertium fortè per bella civilia Vitellius an Otho: quartum Domitianus: Sed de his vide infrà, in voce *Stipendium*. Ut verò veteris recentioriſque militiæ Rom. diſcrimen unum quaſi ſub aſpectum detur, tabulam ſequentem, à Salmaſ. *l. de re Mil. Rom.* excerptam ſubjungere placuit,

Veteris recentioriſque militiæ Romanæ diſcrimen.

Legio Romanorum antiqua, tempore Polybii, erat peditum 4200. ut plurimùm. Dividebatur, α ab armis, in *Haſtatos* & *Pilanos*. β. ab ætate, in *Haſtatos juniores*, *Principes robuſtiores*, *Triarios veteranos*. Tota porrò *Legio* in 10. manipulos: quorum ſinguli habebant Haſtatos 120. Principes 120. Triarios 60. Quibus addebantur, 1200. Velites, æquali portione per manipulos diſperſis undè numerus 4200 militum. Diſponebatur verò per manipulos ex 120. peditibus per intervalla diſpoſitis, nempe Haſtatorum, Principum & Triariorum. *Legio* Recentior, ſub Cæſaribus, erat peditum 5000. vet. etiam 6000. Dividebatur in 10 cohortes: Cohortes autem ſingulæ in ternos manipulos: Manipuli in binas centurias. Ita hæc *Legio* ſenum millium fuit, habuitque cohortes denas; manipulos tricenos; centurias ſexagenas; Diſponebatur autem per cohortes, ex 600. peditibus invicem junctas ſive conſertas. Quorum omnium explicationem atque diductionem latius videre poteris apud ipſum Salmaſ. *l. præf. c.* 2. & 3. Addam ex A. Gell. *l.* 16. *c.* 4. circum *Legiones*, dextrâ ſiniſtraque, tanquam alas in avium corporibus locatas, equitum ordines fuiſſe, qui proin *Alæ exercitûs* olim, hodieque *der rechte und lincke flügel*, quamvis immutatâ non parùm exercitus acie dicti.

LEGIO Athenienſis, Dion. *Thienen*, opp. Belgii, in Brabantia, quod & *Tilemont*, medium inter Leodiam & Machliniam 7. leucis, à Lovanio 3. in Ort. quot à Trudonio in Bor. Ferrar. Baudr. *Legionem Athenienſem* primam in Germania inf. inſtituiſſe Domitianum Imp. ſcribit Dionyſ. Dubitat. Ortel. an hæc opp. *Ath* dicto in Hannonia nomen dederit, an potiùs *Thienen* opp. Brabantiæ, quod aliter Thiena ſ. Tilemontium dicitur, inter Trudonium ad Ort. & Lovanium ad Occaſ. & 25. tantùm mill. paſſ. à Leodio in Occaſ.

LEGIO Auxiliatrix, Ant. *Scambri*, opp. olim Pannoniæ inf. ad Danubium, quod & Sicambria, nunc pagus apud Budam veterem, teſte *Ant. Bonfinio*.

LEGIO Germanica, Ptol. quæ & ſeptima cognominata, *Leon*, urbs Hiſpaniæ Tarrac. in finibus Aſturum, media ferè inter Valliſoletum & Ovetum, 22. leucis diſtans, à Burgis 33. in Occaſ. à Pelagio I. Rege poſt captam Hiſpaniam à Mauris A. C. 722. recuperata, & A. C. 918. regia & caput regni Legionenſis effecta; quod regno Caſtellæ A. C. 1230. ſub Ferdinando Rege copulatum eſt. Hæc ſub Nerva Imp. condita traditur, quo tempore Aſturica inſtaurata, Ferrar. Baudr. Italis *Leone di Spagna*, urbs eſt Epiſcopal. ſub Archiep. Compoſtellano, cujus templum Cathedrale totius Hiſpaniæ magnificentiſſimum habitum ad radices montium juxtà fontes fluv. Eſtolæ in colle ſatis ampla & probè culta. Vix una aut altera leuca diſtat à limite Aſturiæ, 12. ab Oceano in Auſtr. 15. ab Oveto, 7. ab Aſturica in Eur. & 24. ab Auca ſ. Burgis in Occaſ.

LEGIO NICARAGÆ, vulgò LEON DE NICARAGUA, urbs Americæ Sept. in nova Hiſpania & regione Nicaragua, juxtà lacum Nicaraguæ, recens ab Hiſpanis extructa, vix centum milliaribus ab ora maris Pacifici diſtans.

LEGIO 1. Adjutrix Ant. Vide *Crumerum Aſaum*.

LEGIO 1. Jovia. Ant. Lib. Not. Vide *Troſmis*, ſ. *Triſmis* & *Novidunum*.

LEGIO 1. Italica. Ant Ptol. vide *Novæ & Duroſtolon*.

LEGIO 1. Macedonica, Ant. Vide *Oeſcus*.

LEGIO altera Aug. Ptol. *Leskard*, apud Iſcam urbem Albionis. Vide *Sebaſta*, & *Iſca Silurum*.

LEGIO 2. Plin. Vide *Cartennæ*.

LEGIO 2. Aug. Plin. urbs Mauritaniæ Cæſarienſis maritima.

LEGIO 2. Herculia. Lib. Not. Vide *Triſmis*, & *Novidunum*.

LEGIO 3. Diocletiana. Lib. Not. Vide *Thebæ*.

LEGIO 3. Sebaſta. Ptol. Vide *Lambeſe*.

LEGIO 4. Italica. Vet. inſ. Vide *Antium*.

LEGIO 5. Ant. Vide *Buruncum*.

LEGIO 6. Ant. Vide *Burginacium*, & *Samoſata*.

LEGIO 7. Claudiana. Vet. Inſ. Vide *Vienna*.

LEGIO 7. Germanica. Ptol. Vide *Legio Germanica*.

LEGIO 8. Ant. Vide *Auſana*.

LEGIO 9. Tac. Vide *Gelduba*, & *Calonis*. *Hiſt. l.* 4. *c.* 26, 32. & 58.

LEGIO 10. Germanica, Ant. Ptol. in Pannonia ſup. apud *Tortam*, teſte *Bonfinio*.

LEGIO 10. Ant. Vide *Tolpia*, ſ. *Tolbiacum*.

LEGIO 12. Ant. Vide *Egorigium*.

LEGIO 14. Ptol. Germanica, *S. Andrea*, in Pannonia, apud Budam, inde 3. leucis in Occaſ. teſte *Bonfinio*.

LEGIO 14. Ant. Vide *Tinurtium*, & *Caballinum*; utrobique enim fuit.

LEGIO 15. Lib. Not. Vide *Satala*.

LEGIO 16. Ant. Vide *Aballo*.

LEGIO 18. Ant. Vide *Sidoleucum*, *Durocottorum*, & *Noviomagnum*, inter Ambianos & Sueſſiones, nam in tribus his locis fuit.

LEGIO 19. Ant. Vide *Agrippina*.

LEGIO 20. Ant. Vide *Orolaunum*.

LEGIO 20. Ant. Victrix ſ. Nicephoria. Vide *Devana*.

LEGIO 21. Ant. Vide *Duroſtolon*, *Vetera* & *Troja*.

LEGIO 22. Vide *Antiſſiodorum*, *Auguſtodunum*, *Trecaſſes*, *Durocatalaunum*.

LEGIO 23. Ant. Vide *Ambiani*, & *Deva*.

LEGIO 24. Ant. Vide *Pontes in Belgio*.

LEGIO 25. Ant. Vide *Tucci*, *Aqua Sextiæ*.

LEGIO 26. Ant. Vide *Geſſoriacum*.

LEGIO 28. Ant. Vide *Marcomagum*. De his omnibus in ſuis locis vide Ortelii. *Theſ. Geographic.*

LEGIO Trajana. Vide *Trajana*.

LEGIO Victrix, Vet. Inſcr. *Vitry*, opp. Campaniæ, in Gallia Belgica, inter Aſprenciacum opp. ad Occaſ. 12. leuc. & Barrum Ducis in Ort. Nunc *Victriacum*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LEGIODUNUM, Vet. Trad. LEGION, pagus Inſubriæ, apud oram lacûs Verbani & Beſutium, inter Angleriam & Locarnum, ab Angleria 8. mill, pall. à Vareſio 12. à Mediolano 42. ſic à Legionibus dictus; olim opp. amplum & antiquum, ut antiquæ inſcriptiones (quarum una Jovi Maximo, altera Dianæ in marmore conſpicitur) & rudera latè ſparſa teſtantur. Ibi corpora ſanctorum Primi & Feliciani, eò Româ, Sergio Pontifice, (ex Breviario Mediolanenſi) translata, in ſacra æde ſibi dicata ſervantur.

LEGIONENSE Regnum, LEON Gallis, REYNO DE LEON Hiſpanis, pars Hiſp. ſatis ampla ad Bor. inter Caſtellam ad Ort. & Gallæciam cum Portugallia ad Occaſ. Ad Sept. terminatur Aſturiis, & à Mer. Extremadurâ provinciâ, quæ etiam regno Legionenſi annexa eſt; quanquam malè in quibuſdam tabulis Geographicis ſub Caſtella veteri comprehendatur. Eidem etiam annexa fuit Aſturia utraque, uti aliquendo Gallæcia. Legionenſe autem regnum proprium in duas quaſi partes ſcinditur Durio fluv. ſubeſtque Regi Hiſpaniæ cum annexis. Celebre admodum mediis Seculis hoc regnum eſt, quia ſolum fragmenta disjectæ à Mauris Gothorum in Hiſpania potentiæ, in Pelagio Rege ſuo ſervavit. Poſtquam enim circa A. C. 720. Saraceni cum Mauris tota ferè Hiſpania potiti eſſent, Pelagius, ex Regio Gothorum ſanguine ortus, ob illatam filiæ ſuæ vim à Præfecto Saraceno, ad Aſturiorum montes profugiens, ad libertatem reſiduos Gothos excitavit, hoſtiumque 20000. proſtratis, novum in Aſturiis regnum condidit, Legionemque iis eripuit A. C. 722. Ei poſt 15. Annos Mortuo, ſucceſſit fil. Favila, cui poſt biennium Adelphonſus, gener Pelagii, qui Saracenorum vires A. C 738. attrivit, & Chriſtianiſimo reducto, *Catholici* titulum meruit. Ejus ſucceſſor Froiola fil. Joſephi Saraceni victor, à fratre Aurelio vita & regno ſpoliatus eſt, circa A. C. 700. Ex poſteris hujus Ordonnus II. ſedem ex Aſturiis *Legionem* tranſtulit, titulumque Regis Legionenſis primùs aſſumpſit, cùm Anteceſſores ejus, Reges Oveti vel Aſturiæ dicerentur, Obiit A. C. 923. Poſtmodum civili diſſenſione laborante Hiſpaniâ, regnum Legionenſe à Saracenis ferè totum occupatum eſt, ductu Almanſoris, qui Aſturam obſedit, Barcinonem & *Legionem* expugnavit, A. C. 985. Sed poſt victoris Obitum iiſdem diſſenſionum malis impliciti Saraceni, victi iterum ceſsêrunt; primuſque Ferdinandus I. *Legionenſi* regno Caſtellam adjunxit, hocque poſteriore nomine utrumque regnum porrò dici voluit, circa A. C. 1030. Eo Mortuo fil. Sanctius Caſtellæ, Alphonſus *Legionis*, Garſias Gallæciæ Reges facti ſunt, A. C. 1065. è quibus Sanctius, fratrum regnis occupatis, Arragoniam quoque nactus eſt: ſed eo interfecto, Alphonſus recepto regno, Toletum Saracenis eripuit, aulâ eò tranſlatâ, A. C. 1080. Ejus poſteà filia Urraca nupſit Alphonſo Arragonio, qui *Legionis* & Vaſconum regnum conjunxit, A. C. 1109. ultimumque Maurorum Regem Occidit. A. C. 1110. Obiit A. C. 1134. ſucceſſore fil. Raimiro, qui laborum pertæſus, tradito regno cum filia, Raimundo Comiti Barcinonenſi, in Cœnobium conceſſit, A. C. 1138. Ex horum poſteris Alphonſus Mauros devicit, A. C. 1212. cui Mortuo ſucceſſit Ferdinandus II. qui denuo *Legionenſe* regnum Caſtellano in perpetuum junxit, A. C. 1217. unoque nomine Caſtiliam vel Caſtellam appellavit, cui poſteà, victis pulſiſque Mauris acceſsêre Gallæcia, Andaluſia, Granata, Murcia ac Navarra: quam Henr. IV. Caſtellæ Rex ſuo Imperio adjecit. Matrimonio tandem Ferd. Arragonii & Iſabellæ Caſtellanæ, A. C. 1474. reliqua quoque cum his in unum coiêre Hiſpaniæ regna, Luſitaniâ exceptâ ſed quæ ſub Phil. II. quoque cumulo acceſſit. Cæterùm *Legionenſe* regnum montibus abundat: Ejus primaria urbs eſt Legio, aliàs ſedes regia poſt Ovetum. Vide Vaſæum *in Chron.* Marianam, Turquet. *Rebus Hiſp.*

Legionenſis Regni urbes præcipuæ:

Abula, *Avila.*
Aſturica, *Aſtorga.*
Civitas Roderici, *Ciudad Rodrigo.*
Legio, *Leon.*
Methymna Campeſtris, *Medina del Campo.*
Palentia, *Palencia.*
Salmantica, *Salamanca.*
Sentica, *Zamora.*
Septimancæ, *Simancas.*
Taurum, *Toro.*

LEGIONENSIS Petrus, vide *Petrus.*

LEGIONUM urbs gemina Angliæ, una Silurum, in Cumbria ſ. Wallia, dicta *Legio ſecunda Aug.* ſ. *Iſca Silurum,* nunc *Caerleon,* in Monumethenſi Comitatu, ad Uſam fluv. de qua vide *Iſca Silurum.* Alia, dicta *Legio vigeſima Victrix,* eſt Deva, urbs Cornaviorum in Anglia, ad Devam fluv. nunc *Cheſter,* Comitatûs cogn. caput, extra Walliam, ſed in ipſius conf. A Ptol. Devana dicitur, & à Saxodibus *Legeaceſter:* urbs eſt ampla, & emporium celebre, cum portu capaci, & ad æſtuarium Devæ. Vide *Ceſtria.*

LEGISLATORES, primitus ipſi Reges erant: qui ſi mali, libidinem ſuam pro lege ſubditis obtrudebant, Juſtin. *l.* 1. *c.* 1. & *l.* 2. *c.* 7. *Nulli civitati leges tunc erant, quia libido Regum pro legibus habebatur.* Sin boni, leges ferebant, iis ſemetipſos obſtringentes, quo autem iis majorem conciliarent autoritatem, divinitus ſe leges, quas populo tradituri erant, edoctos eſſe fingebant, tùm quò ſuam fidem liberarent tum quò majus pondus præſcripta ſua haberent altiuſque in animos hominum illaberentur. Quo factum, ut non ſolum Numa Pompilius cum Egeria Nympha, Minos cum Jove congreſſus familiares jactaret; Sertorius à cerva Dianæ, Lycurgus à Pythia, Scipio Africanus à neſcio quo Numine in ſomnis, ſe moneri fingerent: ſed etiam ipſos Deos Legum ſuarum facerent autores. Hinc Ceres Iſiſque legifera dicta, Saturnus Italos legibus formâſſe, Bacchus Indorum *Legislator* fuiſſe creditus eſt: Adeò omnes hi ſciverant, Religionis magnum eſſe in hominum animos imperium. Quod & impoſtor ille famoſus Muhammedes in magnæ generis humani partis exitium non niſi nimis nôverat, dum Alcoranum ſuum ex ore Angeli Gabrielis ſe recepiſſe, ejuſque monitu omnia ſe gerere mentitus eſt. Alia longè ratio Prophetæ Moſis fuit; is enim ab ipſomet Deo leges tabulis inſcriptas, populoque Judaico tradendas in monte Sinai accepit: ad cujus fortè imitationem *Legislatores* Gentilium, divinam ſimiliter originem legibus ſuis adſtruere voluêre. Itaque non niſi primariâ autoritate viri aut Principes ipſi leges præſcribebant, Symmach. *l.* 10. *Ep.* 33. *Imp. parens eſt legum.* Receptumque omnium penè gentium temporumque memoriâ eſt, ut ad legum latorum obſervantiam invitarentur inferioris ſortis homines, exemplo potentum, qui primi eas cuſtodire tenebantur, aut ipſi tulerant. Vide Liv. *Dec.* 3. *l.* 8. Val. Max. *l.* 8. *c.* 6. *Ext.* 3. Edictum inprimis Theodoſii & Valentis Impp. *l.* 4. *Cod. de legibus & conſtitutionibus Princ.* &c. Hinc in Rep. Rom. Reges primum mox Conſules deindè Tribuni, poſt hos Decemviri eoſque alii magiſtratus inſequuti, pro temporum ratione negotiorumque mole, varias tulére *Leges:* Aliæ Reip. Philoſophos *Legislatores* habuêrunt, ut infrà videbitur. Plura hanc in rem vide apud Joh. Roſini *Antiqq. Rom. l.* 8. *cum Paralip. ad illum* Thom. Dempſteri.

Nomina præcipuorum aliquot Legislatorum.

Ægyptii *Legislatorem* habuêre Mercurium Triſmegiſtum, Cic. *de Nat. Deor. l.* 3. Lactant. *l.* 1. *c.* 6. &c. vel Boccorum, ſive Bocorum aut Bocchoridem, Euſeb. Cæſar. *in Chr.* & Ariſt. *Polit. l.* 7. *c.* 10.
Ænotrii Italum, Idem *ibid.*
Athenienſes primò Theſeum, Plutarch. *in Theſeo:* dein Draconem, cujus leges θεσμοὶ vocatæ ſunt: poſtea Solonem, cujus leges *Axones* dictas, notat Suid. Etiam Cæadem, vel ut alii, Caladem iis jura conſtituiſſe, docet Pauſ. *in Attic.*
Bactriani Zoroaſtrem, Plin. *l.* 7. *c.* 16.
Cappadoces Charondam, cujus inſtitutis illos uſos fuiſſe, docet Er. Patric. *præf. ad l.* 1. *de Rep.*
Carthaginenſes eundem, ſecundùm Alex. ab Alex. *Genial. dier. l.* 6. *c.* 10. vel Phaleam, juxtà Patric. *loco præd.*
Chalcidenſes Androdamantem, Ariſt. *l.* 2. *Polit. c.* 10.
Cnidii Eudoxium:
Corinthii Phidonem, Ariſt. *Polit. l.* 2. *c.* 4.
Cretenſes Ephorum, Patric. *loc. præſ.* item Minoën, Diod. Sic. *l.* 6. *c.* 15.
Crotoniatæ Pythagoram, ut & omnes ferè Italiæ pop.
Elea, Lucaniæ urbs, Parmenidem ac Zenonem, *Patric.*
Epirotæ Arrybam, Juſtin. *l.* 17. *c.* 3. vel Tharcitam, Plutarch. *in vita Pyrrhi.*
Getæ Zamolxim Thracem, quem ob tam inſigne beneficium in Deorum numerum retulêre, Volaterr. *Comm. l.* 8.
Græci Phoroneum.
Indi Bacchum, à quo ſubacti & manſuetiori legum cultu imbuti ſunt, Arrian. *de geſtis Alex. l.* 8. Diod. Sic. *l.* 3. *c.* 10. &c.
Itali Saturnum, Virg. *Æn. l.* 8. Item Pythagoram, Patric. *l. ſupra c.*
Lesbii Macarium, Diod. Sic. *l.* 6. *c.* 16.
Locri, Zaleucum, Patric. Strabo *l.* 6. Cic. *de LL. l.* 2. &c.
Mantinenſes Nicodorum pugilem, ut narrat Ælian. *Hiſt. Var. l.* 2. *c.* 23.
Mileſii Hippodamum, qui de optimo quoque Reipublicæ ſtatu ſcripſit. Quemadmodum, & Æſchines Mileſios, vide Patric. *loc jam ſæpius adducto.*
Rhegini Charondam, Heraclides *l. de Politiis.*
Romani, ex legibus Solonis multa hausêrunt. Vide ſuprà in voce *Decemviri.*
Spartani Lycurgo *Legislatore* inclaruêrunt, cujus leges *Rhetia* fuiſſe vocitatas, innuit Amm. Marcell. *l.* 16.
Tarentini Archytam habuêre: iidem Pythagoræ quoque præcepta tenuêrunt. Patric. *ubi ſuprà.*
Thebani Philolaum, Ariſt. *Polit. l.* 2. *c.* 10.
Thurii, aut, ut nonnulli legunt, Tyrii, etiam Charondam, Val. Max. *l.* 6. *c.* 5. *Ext. ult.* Diod. Sic. *l.* 12. &c. Certè eum cum Zaleuco conjunxit Cic. *de LL. l.* 2. & Diog. Laërt. *l.* 8. *in Pythagora* &c

Quo modo autem quave ratione Leges olim latæ, ac promulgatæ fuerint, in Rom. inprimis ac Athenienſi Rebuſpublicis, de Hebræa enim ſatis ſuperque ex Sacris conſtat, videlis infrà in voce Lex.

LEGITIMATIO per ſubſequens matrimonium, introducta primùm ex L. Conſtantini Mag. à Zenone poſteà reſtituta eſt, *l. Divi Cod. de Nat. l.* ac Juſtiniano *Nov.* 12. receptaque in jure pontificio, ex reſcripto Alex. III. *in Append. ad Conc, Lateran.* A. C. 1181. *parte* 33. *c.* 1. & *c.* 6. *extr. Qui filii ſint legit.* Ab Anglis tamen non admiſſa, niſi quantum ad gradus Eccleſiaſticos: quo ad ſucceſſionem verò in bona paterna, prorſus repudiata, *Statuto* præſertim Mertonenſi A. C. 1235. *c.* 9. & 20. Vide Joh. Selden. *Diſſert. ad Fletam c.* 9. alioſque laudatos C. du Freſne *in Gloſſ.* In Eccl. Rom. *Legitimum,* Optato idem eſt, qui *Canon Miſſæ* communiter. Vide ſuprà.

LEGNA, Galatiæ urbs, *Ant.*

LEGUM, Siciliæ urbs circa Lilybæum prom. teſte *Ptol.*

LEGUM Comes vide ſuprà.

LEGUMEN, à LEGENDO, quod non ſecantur, ſed vellendo leguntur, nomen habet. Plin. *l.* 18. *c.* 12. *Rapienda autem, cùm maturescere cœperint, quoniam citò exiliunt, latentque cùm decidêre.* Tenuiorum cibus. Unde χύτρας olim ſ. *ollas* Vett. more ſolenni à mulieribus circumferendas, in quibus πανσπερμία, ſ. Leguminum omni-

omnigenorum mixtio, offerebant in libationem euchariſticam & propitiatoriam ἀφιδρυμένοις, *dedicatis Diis*, quibus victimæ ſumptuoſiores non erant: nempe χαριστήρια ſic ἀπονέμοντες τῆς πρώτης διαίτης, *Euchariſtica dantes primi victûs nomine*, qui ſimpliciſſimus te nuiſſimusque erat, ut ait Scholiaſtes Ariſtoph. *Plut.* Quod idem in feſto Chytrorum, die 13. Antheſterionis menſis quotannis celebrari Athenis ſolito, docet Philochor. *in Feſtis*, Harpocrationi laudatus, in Χύτροι. Vide infrà in voce *Olla*. Sed & *Legumina*, plurimùm olim adhibebantur, πρὸς ἐν περιδείπνια, καὶ ἐν προκλήσεις τῶν νεκρῶν, in feralibus cœnis & ad mortuorum evocationes, Plutarch. *in Rom. Quæſt. c.* 95. quod tamen ad fabam maximè aut lentem pertinet. De faba enim Feſtus, *Fabam nec tangere, nec nominare Diali Flamini licet, quòd ea putatur ad mortuos pertinere. Nam & Lemuralibus jacitur larvis & parentalibus adhibetur ſacrificiis & in flore ejus luctus literæ apparere videntur.* De lente Plutarch. *in Craſſo* & Appian. Alex. *in Parthicis*, eam inter ἐναγίσματα, *lugubria & mortui apponi ſolita*, referunt. A' qua ſuperſtitione non fuiſſe prorſus immunes Judæos, teſtantur hæc Hier. *ad Paulam*, de Blæſillæ Obitu, *Flentesque hodie Judæi & nudatis pedibus in pulvere volutati, ſacco incubant: ac — ex ritu vaniſſimo Phariſæorum, primum cibum lentis accipiunt, videlicet oſtendentes, quali edulio primogenita perdiderint.* Poſſet addi cicer, de quo ſuo loco. Quæ omnia, ut ad ferales adhiberentur epulas, hinc factum, quia lugubre tempus decere videbantur tenues ac frugales cibi, ut ſunt *Legumina*, quæ corpus quidem implent, ſed parum alunt. Quam ob cauſam, princeps Eunuchorum Nabuchonodozoris timuit, ne ſi Daniel & ſocii leguminibus veſcerentur, vultus eorum triſtiores viderentur & macilentiores, quàm reliquorum adoleſcentum, quos habebat Rex in comitatu ſuo, Dan. *c.* 1. *v.* 8. &c. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poſt. L. I. c.* 9. & de *Leguminibus* plura apud Plin. paſſim, inprimis *l.* 18. *c.* 12. ubi *fabæ* principatum in iis tribuit, nec non hîc, ubi de unoquoque eorum in ſpecie.

LEHALIUM, vulgò LEHAL, opp. Succiæ, in Livonia, & in tractu *Vikkeslandia* dicto, verſùs oram maris Balthici, à quo vix 6. milliaribus diſtat, & 12. milliaribus Germanicis in Occaſ. à Revalia urbe; gaudetque caſtro ſatis munito.

LEHEMAN, civ. in tribu Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 40.

LEHUNUM, vulgò *Lihons en Santers*, Monſtreleto *Lihons en Santois*, locus eſt Galliæ cum Monaſterio, in Ambianis, in agro Santerienſi, Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* in voce *Santerienſis pagus*.

LEICESTRIENSIS Robertus, vide *Robertus*. It. infrà *Lanceſtria*.

LEIDENSIS Johannes, vide *Johannes*.

LEIDENSIS Philippus, vide *Philippus*.

LEIDRADUS, Norimbergenſis, Archiep. Lugdunenſis. Bibliothecarius Car. Mag. ab hoc cum Theodulpho, Ep. Aurelian. Galliæ Narbonenſi præpoſitus, ut juſtitiam in illa exercerent, qui magiſtratus *Miſſi Dominici* dicti. Sponte Archiepiſcopatu ſe abdicavit, A. C. 813. & in Monaſterio S. Medardi, in Sueſſionibus, Obiit. Vide Adon. *in Chron.* Alcuin. *l.* 1. *adv. Elipant & Ep.* 69. Eginhart. *in vita Car. Mag.* Paradin. *Hiſt. Lugd.* Severt. *Hiſt. Epp. Lugd.* &c.

LEILUS, fil. Bruti II. cui ſucceſſit, veterum Britonum Rex, in limite Albaniæ urbis Carlili conditor. Chen. *Hiſt. Angl.* San ſovin. *l.* 2. *Chron.*

LEININGENSIS Comit. Germ. LEININGEN, Gall. De LINAGE, regio eſt Germ. ſup. in Palatinatu, ſub propriis Comitibus. Duæ autem familiæ diſtinctæ hoc titulo gaudent. Originariæ nomen *Dagsburgicæ* ſuperadditur: quæ antiquiſſima, & ſi tamen Torneamentorum Scriptoris aliqua autoritas eſt, Wilpertus A. C. 938. Magdeburgi ludis Equeſtribus interfuit. Plures ex illa Epiſcopi prodiêre. Porrò, ſi tabulis fides eſt, in Frid. circa principium Sec. XIV. filiis, Frid. & Joffrido, lineæ Leiningenſis & Dagsburgica, in diverſum ire cœpêre. In quarum priore, ultimi maſculi fuêrunt Heſſo Landgravius *Leiningenſis*, & frater Frid. Poſterior, agnatorum jus ſibi vendicans, adhuc durat; & quidem, qui nunc vivunt, communem omnes agnoſcunt patrem, Emiconem, Catharinæ Naſſoviæ (à qua Sarwerdenſis prætenſio illis obtigit) maritum, Mortuum A. C. 1541. Ab ejus enim majori fil. Joh. Phil. *Hartenburgica* linea oritur: à minori Emicone, *Dagsburgio-Falckenburgius* ramus ortus eſt: cujus ſurculi ſunt *Heideshemius* & *Falckenburgius* ſ. *Dagsburgius*. Altera verò fam. quæ *Leiningenſi* nomine utitur, *Weſterburgiæ* eſt, propriis etiam meritis, antiquitate & affinitatum ſplendore inclyta. Ei *Leiningenſem* titulum attulit Margaretha, Landgravii Leiningenſis filia, Reinhardo Weſterburgico nupta. Horum enim filii Reinhardus & Cuno, à Palatino Comite, ob matrem inveſtiti dicuntur, nec dum lite inter utramque domum terminatâ. Hæc in duos ramos nunc diſpeſcitur, *Weſterburgium* & *Leiningenſem*; quorum hic cùm iterum diviſus eſſet, in *Oberbrunnenſem*, & *Grunſtadenſem*, illo Extincto hic manet ſuperſtes. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Parte I. in Ind.* & quamque harum, linearum ramorum ſurculorumque *ſuo loco*.

LEINUM, Ptol. urbs Sarmatiæ Europææ, quam Niger *Lutzko*, urbem Epiſcopalem Volhiniæ interpretatur. Vide *Luceoria*.

LEIOSTREA apud Lamprid. *in Heliogab. Primus fecit de piſcibus iſitia, primus de oſtreis & leioſtreis & aliis hujuſmodi marinis conchis* &c. pro *Lithoſtreis*, quæ vera lectio eſt Salmaſ. Sic autem propriè appellantur, quæ apud Græcos ὀστρακοδέρμων nomine veniunt; quæ ſi quis λιθόδερμα diceret, haud inelegantem eorum appellationem induceret: nam & λιθόρρινα eadem vocabat Empedocles, item λιθορρίνους κήρυκας, apud Plutarch. Auſ.

Quæ teſtis concreta ſuis ceu ſaxa cohærent.

Item,

Aſpera quæ teſtis & dulcia ſarris opimi.

Vide Salmaſ. *ad Lamprid.*

LEIRUS, Rex Britonum patri Bladulo ſucceſſit, nepos Laili. An urbis Carleïri, quæ Liceſtria creditur, conditor? Trium filiarum pater, priores duas inſigni dote inſtruxit, Cordeillâ tertiâ, quam non amabat, planè neglectâ. Sed hæc ob formam nupta Aganipo Gallorum Regi patrem à duobus, generis pulſum, per maritum reſtituit, hæres poſteà ab ipſo regni dicta. Dolion. *in Amphit. Europ.* Morer. *Dict. Hiſt.*

LEITÆPONS, Script. Germ. *Pruk an der Leyte*, urbs Auſtriæ, ad Leitam fluv. in Pannonia ſup. inter Viennam & Altemburgum, inde 4. hinc 6. leucis. Vide *Lutipons in Lutis* (nam & ſic ſcribitur.) De ea *l.* 5. *Itin.* ſic:

Trans Leitam *vehimur, mox grata Neapolis olim*
Conſpicitur proavo, Maximiliane, tuo.

LEITUS, unus ex 5. Bœotorum Ducibus, qui ad Trojam profecti ſunt. Hom. *Il.* ρ.

LELEGES, Aſiæ pop. origine Græci, ita dicti quaſi λελεγμένοι, eò quòd diverſis è locis collecti eſſent, quod Euſtathius indicat, & Strabo *l.* 7. *p.* 321. *l.* 9. *p.* 401. *l.* 10. *p.* 572. & *l.* 14. *p.* 662. Vide quoque Plin. *l.* 4. *c.* 7. Hi primum inſulas tenuêrunt; indeque in continentem tranſgreſſi, partim in Myſia ad Adramyttenum ſinum conſedêrunt, partim in eo Joniæ tractu, qui Cariæ eſt proximus. Unde etiam Plin. tradit, Miletum Joniæ totius caput, *Lelegeida* olim fuiſſe appellatam. Horum originem nonnulli ad Theſſalos referunt, è quibus eſt Serv. explicans illud Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 725.

Hic Lelegas *Carasque ſagittiferosque Gelonos.*

Lucan. *Civ. Bell. l.* 6. *v.* 383.

Mox Lelegum *dextra preſſum deſcendit aratrum.*

Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 644. & 651.

Armiferi Legeles, & *nymphæ* Lelegeides,

ibidem fuêre & in Achaja, apud Locros Epicnemidios. *Lelegia* verò Lacedæmon Euſeb. *in Chron.* à Lelege, primo Spartanæ gentis autore memorato Pauſ. *initio l.* 3. de quo mox.

LELEX, indigena, à quo olim Lacedæmonii *Leleges* dicti. Euſeb. *in Chron.* Autor fuit nobiliſſimæ gentis. Ejus enim filii duo, minor quidem *Polycaon*, Meſſenes Argivæ, Phorbantis fil. maritus, Andaniæ regnavit: major verò *Myles* genuit *Eurotam* (unde fluv. nomen) quo nato *Spartæ* Lacedæmoni, Jovis ex Teygeta (à qua monti nomen) filio nupſit, qui Spartam condidit. Vide Joh. Marsham. *Canone Chron. Sec. IX.* ubi Spartanæ gentis origines ex Marmore Arundell. eruit: nec non ſuprà in voce *Lacedæmon*.

LELGOVIA, Scotiæ regio, vulgò *Lenox*: ubi *Elgovæ* pop. Vide *ibi*.

LELUS & Poletus, inter Sarmatarum olim Europ. Numina, hodieque in Polonorum ſympoſiis inclamari ſolent. Vide infrà *Sarmatia*.

LEMANE, olim pars planæ Arverniæ vocata eſt, quæ nunc *Limania*, vulgò *la Limagne* dicitur. Vide *Arvernia*.

LEMANNUS, ſ. LEMANNIS, opp. olim, nunc vicus cum templo Albionis in ora Angliæ Auſtrali. *Limpne* Talboto. Vel ubi Novus portus. Ptol. teſte Camd. in Cantio, vulgò *Lime*, qui & *Limenus* Latinè dicitur. Baudr. vicus eſt *Lymne*, juxtà fretum Gall. 14. mill. Angl. à Cantuaria in Auſtr. Item lacus Allobrogum, ad cujus egreſſum Geneva ſita eſt: Per hunc Rhodanus ex Sedunis fluit. Extenditur ab Ortu in Occ. per 18. leuc. habetque à Sept. Helvetios, à Mer. Sabaudiam. Alluit oppida Thononium, & Aquianum, in Foſiniaco tractu Sabaudiæ, uti & Lauſonium, Nevidunum, Viviſcum, & Verſojum in Helvetiis, eratque inter Galliam Lugd. & Viennenſem, Baudr. Vide infrà *Lemanus*. Lucan. *Civ. Bell. l.* 1. *v.* 396.

Deſeruêre cavo *tentoria fixa* Lemano.

Adde Plin. *l.* 2. *c.* 102. & *l.* 3. *c.* 4. *Itiner.* Ant. Cluv. inprimis Cæſ. *de Bell. Gall. l.* 1. *c.* 1. & 2. Auſ. Sanſon. *Ar.* 105.

LEMANUS, Celtarum Rex. *Manetho.*

LEMANUS, & LEMANNUS, quod maximè Poëtis in uſu, Ptol. λιμένη Strab. *l.* 4. *p.* 204. & 208. λεμάνη, Dioni ἡ λέμβανος λίμνη, à Lauſanna ſibi adjacente in parte Orientaliori, inprimis lacûs Lauſannenſis, *le lac de Loſanne*, pleriſque in parte præcipuè Occid. lacûs Genevenſis, Germ. *der Genfferſee*, ab urbe nobiliore Geneva, celebris eſt Helvetiæ lacus, omnium Europæ navigationis patentiſſimus & maximus: unde accolis mare audit, & in Annal. Bertinianis *Mare Rhodani* dicitur, quòd hic ſe per medium lacum agens, quantus venit, egrediatur. Imo & ſæpe maris inſtar ſævit, & æſtu ſervente, non minus ac mare, intumeſcit, cùm alii lacus eo tempore decreſcant. Hunc Vaudi Chronica à Lemano Paradis fil. alii meliùs à Græco λίμνη dictum volunt. A' Sabaudia Helvetiam dirimit, habetque ambo latera elegantibus oppidis veſtita, quorum tamen nobiliora ſunt, quæ ad Sept. ripam ſedent, primas inter ea ſibi vindicante Lauſannâ: Longitudo ejus littoralis, quà Helvetios reſpicit, ſedecim eſt horarum, maxima verò latitudo trium, vel etiam quatuor leucarum, ſ. ut ait Coignetus in *Ep. Ortel.* longitudo 8. mill. Germ. latitudo 3. ferè implet: Sæpe cùm in ſuperficie aura ſilet, interno vento, in imo fundo latente & accolis *la Vaudaiſe aut Vaudaire* nominato, turbatur, non ſine navigantium periculo. Habet varia prom. & diverſos portus. Lucano *cavus* vocatur. *Civ. Bell. l.* 1. *v.* 396.

Deſeruêre cavo *tentoria fixa* Lemanno.

Vel ob ripas, utrinque eminentiores: vel ob diverſos gurgites imperſcrutabilis profunditatis. Mantuano *gelidus*:

Huc veniunt gelidi *quos nominat unda* Lemanni.

Quod mirum, cùm nunquam congeletur, ſed potius, quò magis frigeſcit, eo fumoſiores vapores exhalet. Bartholino *Oſtrifer* vel *Oeſtrifer*:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Oſtrifero *madidum caput occultare* Lemanno.

Namque & oſtrea fert & œſtros i. e. tabanos, circmagentibus æſtivo tempore mirè infeſtos habet. Freyus c. 9. *adm. Gall.* quatuor miranda de hoc lacu refert: *quòd maximus, quòd ventis ex ipſo fundo aſſurgentibus attollatur, ſereno aliàs & quieto cœlo: quòd, ut Gregorii verba ſunt, piſces truttas centum librarum ferat: & quòd Germanis, quos jam Alemanos vocamus, nomen dederit, ut multis viſum.* Vide Joh. Bapt. Plantin. *Helv. Ant. Nov.* ut & ſuprà in voce *Lemannus.* P. Mela *l. 2. c. 5.*

LEMBA, Syriæ opp. Joſeph. *Antiqq. l. 13. c. 23.*

LEMBARII Milites, apud Vopiſc. *in Aurel. Hi compreſſi ſunt, ſeptem millibus* Lembariorum, *Ripavienſium & Caſtrianorum &c.* Claſſici milites ſunt Salmaſ. Claſſium enim duo erant genera, unum maris, alterum fluminum; in mari liburnis, in fluminibus *lembis* vel luſoriis utebantur. Nam in fluminibus limitaneis habebant Romani luſorias vel *lembos*, & in his milites claſſicos, ad tuendum limitem, quos Vopiſc. *Lembarios* vocat. Hi juſtorum militum operam munuſque præbuêrunt & in caſtris & in campo, apud Vett. autore Nerone, qui primus claſſiarios ex remigibus juſtos milites fecit. Salmaſ. *Not. ad Vopiſc.* Cyrenenſium verò inventum id navigii genus Plin. facit *l. 7. c. 56.* Vide quoque infra in voce *Luſoriæ*, it. autem *Naves*; & de claſſibus Romanis maritimis præſertim IV. duabus majoribus ſ. prætoriis, Miſennenſi & Ravennate, duabus item minoribus, unâ Galliæ, in Foro Julio, alterâ Ponti, Theodorum Marcilium *ad Suet. Veſpaſ.* ut & aliquid ſuprà, ubi de *Claſſicis Militibus.*

LEMBURGUM, nunc LIMBORG Gall. LIMBURG Germ. opp. Belgii, haud procul à Leodico, caput Ducatûs cogn. unius ex 17. Belgii provinciis, hactenus ſub Hiſpanis: quibus A. C. 1675. è Lud. XIV. Gall. Rege ereptum eſt. Origo Ducatûs eſt ab Henr. *Lemburgenſi*, qui A. C. 1101. Dux Lotharingiæ ab Imp. Henr. III. factus, unus è Ducibus exercitûs ejus fuit, *Comes Arduennenſis* quoque Miræo dictus, cujus ope Imp. Imperio cedere à filio coactus, illud recuperare eſt conatus. Sororem Ducis *Lemburgenſis*, Godefrido Lotharingiæ Duci nupſiſſe, A. C. 1160. memorat Balduinus de Aveſnis. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* & infra. in voce, *Limburgenſis Ducatus.*

LEMBUS Heraclides, conditor antiquitatum Romanarum; Feſto & Solino laudatus.

LEMGOVIA, vulgò LEMGOW, urbec. Hanzeatica Weſtphaliæ, ſub proprio Com. cum dit. adjacente. Media inter Mindam ad Bor. & Paderbornam ad Mer. 5. utrinque leuc.

LEMIGIUS, Thrax. Exarchus Italiæ 6. A. C. 610.

LEMMA, apud Mart. titulus ſ. inſcriptio eſt, *l. 14. Apoph. Epigr. 2.*

Lemmata *ſi quæris cur ſint adſcripta, docebo:*
Ut, ſi malueris, lemmata *ſola legas.*

Ex Græco λῆμμα, quòd ſit argumentum ſ. titulus rei, quæ *ſumitur* tractanda. Idem cum κεφάλαιον, aliter θέσις & θέμα, uti pluribus docet Salmaſ. *Prolegom. in Solin.* ubi inter alia, ne ipſis quidem Epigrammatis perpetuò adſcribi ſolita lemmata ex loco citato, obſervat.

LEMNIA Terra, *lutum divinum* dicitur Cremonenſi *Can. l. 2. c. 411.* eo quòd *à divina muliere primùm eſſet accepta*; triplici in differentia eſt, teſte Galeno, qui, poſtquam de Dianæ ſigillo ſacro ei imprimendo (in cujus vicem poſtmodum alia ſigilla ſucceſſêre) locutus eſt, μία μὲν, ait, ἡ προειρημένη τῆς ἱερᾶς γῆς, ἧς οὐδεὶς ἅπτεται, πλὴν τῆς ἱερείας, *Una antedicta illa Terræ ſacræ, quam nemo alius præter Sacerdotem fœminam tangebat*, i. e. Dianæ Sacerdotem. *Sacram* autem Galeno dictam volunt aliqui, quoniam etiam εἰς τελετὰς, *in ſacrorum incitiamentis*, adhiberetur; Dioſcorid. *l. 5. c. 887.* Certè ob Divæ ſigillum (quod capram fuiſſe idem ait) Sacerdotiſque ejus tam ſingularem prærogativam, *Sacræ* nomen ſortita eſſe videtur; quam acceptam ab illa afferri conſueviſſe in urbium tunc Lemni binarum nobiliorem, Hephæſtiada, Avicenna refert. Seculis verò Galeno vetuſtioribus τοὺς ἐκεῖ ἀνθρώπους ἀναπλάσσοντας, *viros illic illud formantes*, ſigillum impreſſiſſe, iterum Dioſcorid. præfatus ait, *l. c.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 1156.* & Joh. Selden. *de Synedriis Vett. Hebr. l. 3. c. 11.*

LEMNIÆ Mulieres, viros omnes præter Thoantem Regem (à quo Hypſipyle filia manus abſtinuerat) internecione ſuſtulêrunt, eò quòd illi uxores averſati, quo ab eis diſcederent, bellum Thracibus intulêrunt, ut qui peſſimum earum odorem à Venere immiſſum ferre non poſſent. Myrtilus tamen *ſecundo Lesbiacorum* aliter. Scribit enim Medeam, cùm juxtà Lemnon Argonautæ à Colchide redeuntes navigarent, præ zelotypia venenum in Lemnon jeciſſe, quo Lemniis feminis graviſſimus atque intolerandus eſt injectus fœtor. Argonautæ igitur ad inſ. appulſi paſſim cum feminis coiêrunt, benignè ab illis accepti. Æſchylus tamen *in Hypſipyle* eas in armis egreſſas Argonautas acceſſu prohibuiſſe ſcribit, quoad illi jurejurando fidem fecêrunt, ſe cum iis coïturos. Sophocles etiam in Lemniis prælium grave inter utroſque commiſſum ſcribit: quos ſecutus videtur Stat. *in Theb.* Ibi cùm Argonautæ deliciis & voluptati vacantes, moræ aliquantum traxiſſent, ab Hercule increpiti ad Samothraciam navigârunt, ubi Cabiris ſunt initiati.

LEMNISCI, faſciolæ erant coloriſæ (Scalig. legit, *Coloriæ*) dependentes ex coronis, quod antiquiſſimùm fuit genus coronarum lanearum, Feſtus: Turnebus ait, *Lemniſcum*, Syracuſarum verbum eſſe & ſignificare, *tæniam anguſtam*: an à *lamna*, quòd indè coronæ efficiantur, an à λῆνος *lana*? Hinc palma *lemniſcata*, i. e. tæniis laneis obvincta, quâ Gladiatores, hoſte ſtrato, donatos olim refert Franc. Sylv. *Orat. pro Sexto Roſcio*: quaque Domitianus poëtas, Rhetores, aliarumque Profeſſionum viros inſignes, qui in agonibus Capitolinis ab ipſo inſtitutis victoriam reportâſſent, ornari voluit. Qui enim hîc vicerant, coronâ & ramo *lemniſcatis*, aut torque involutis donabantur; Qui autem ſecundi erant, coronas quidem ac palmas impetrabant, ſed ſine *lemniſcis*. Auſon. *Ep. 20. v. 5.*

Et quæ jam dudum tibi palma poëtica pollet,
Lemniſco *ornata eſt, quo mea palma caret.*

Meliùs Sidon. quanquam non de Capitolino agone loquitur:

Hic mox præcipit æquus Imperator
Palmis ſerica, torquibus coronas
Conjungi, & meritum remunerari.

Nam coronis torques & palmis ſerica, h. e. ſericatos *lemniſcos* conjungi vides: undè præmia pro ratione meritorum aucta fuiſſe patet. Vide Scalig. *Auſon. Lect. l. 1. c. 10.* Poſteà nempè & ex ſerico, aliaque prætioſiore materia *lemniſci*; imò & aurei ſtatim unà cum coronis facti ſunt. Plin. *l. 21. c. 3. Acceſſêruntque &* lemniſci, *quos adjici, ipſarum coronarum honos erat, propter Hetruſcas, quibus jungi niſi aurei non debebant.* Hinc Jul. Capitolin. *in Vero Imp. Coronas quinetiam datas*, lemniſcis *aureis interpoſitis, & alieni temporis floribus.* Fiebant nempè coronæ ex foliis, quibus interponebantur aurei lemniſci: quo modo lauream triumphi concinnari ſolitam, autor eſt Tertullian. *de Coron. mil. Triumphi laurea foliis ſtruitur, hinc aureis,* lemniſcis *inornatur, ac muſtis unguentis detribuitur, an lacrymis conjugum & matrum? fortaſſe quorundam & Chriſtianorum?* Vide Salmaſ. *ad Capitolin.* Nec aureos tantum ſed & cælatos fuiſſe, tradit Plin. ubi ſuprà, *Puri diu fuère hi. Cælare eos primus inſtituit P. Claudius Pulcher.* Uſus eorum hic. Ut philyra omnis coronaria materia nectebatur; ita ſæpe *lemniſcis* involvebatur, quò ſc. & corona firmior ac tota res aſpectu gratior eſſet. Solidabantur autem ſic flores, non abſcondebantur: cui decori augendo reliquæ partes faſciolæ utrinque relinquebantur pendulæ uſque ad humeros, & hi propriè *lemniſci* dicti ſunt. Vide C. Paſchal. *Coron. l. 2. c. 13.* Apud Suet. Neroni, cùm è Græcia in Urbem rediiſſet, habitu Olympionicæ, *c. 25. Incedenti paſſim victimæ cæſæ, ſparſo per vias identidem croco, ingeſtæ aves ac* lemniſci *& bellaria* memorantur, more vetuſtiſſimo victores in Ludis harum ſimiliumque rerum injectione honorandi. Sic apud Pauſ. *in Meſſeniacis* Ariſtomeni à prælio reduci mulieres ταινίας καὶ ὡραῖα ἐπιβάλλουσι, & apud Liv. *l. 32. coronas lemniſcoſque* in Flaminium, Græciam liberantem, tanta copiâ congeſtos legimus, ut haud procul periculo fuerit. Vide infrà, ubi de *Victoribus Ludorum Sacrorum*, atque hìc paſſim alibi. Sed &, uti lana ſupplicum, ſic tæniæ & *lemniſci* exulum, inſigne fuêre, Feſtus X. Varro *de Ling. Lat. l. 6. &c.* At Veget. *Lemniſcos & pannos* indifferenter uſurpat *l. 3. c. 18.* & *lemniſcum coronæ regiæ* vocat ipſum diadema Regium, quod *pannum* dicit Val. Max. *l. 7.* Idem *ad Vopiſc. in Aurel.* De *Lemniſco nodato*, qui Militi, poſt balneorum cerimoniam, ad ſiniſtrum humerum, medio ævo, alligabatur, Vide infrà in voce *Stigmatia.*

LEMNOS, inſ. maris Ægæi, ſatis fertilis & plana, cum portubus aliquot: ubi Muctedar, Saracenorum Dux, claſſem amiſit, A. C. 916. Zonar. *in Hiſt.* Calviſ. *Chronol. &c.* Thraciam à Sept. ab Occaſu Athon montem habens, fabuloſo Vulcani caſu nobilis eſt, quem à matre Junone ſimul atque natus fuit, ob deformitatem præcipitatum in hanc inſ. decidiſſe, ac propterea *Lemnium* appellatum fuiſſe, volunt. Eadem & *Hypſipylæa* dicitur à filia Thoantis ejuſdem nominis, quæ in hac inſ. regnavit. Hodie *Statimene* Turcis & Italis vocatur. *Malum Lemnium*, de maximo & miſerando malo, & *Lemnia manus* pro impia, & nefaria manu, vel à Lemniis mulieribus, de quibus ſuprà, vel quia Atticæ mulieres à Pelaſgis huc adductæ, & compreſſæ, filios genuêrunt, qui, cùm in Pelaſgos inſurgerent, ab illis ad unum cæſi, indeque graviſſima mala ſecuta ſunt. Pelaſgi enim cùm in Attica prius habitarent, ab Athenienſibus pulſi Lemnum incoluêre, raptaſque Athenienſium mulieres, cùm extra urbem Minervæ facerent, Lemnum, deduxêrunt, atque ex illis, velut concubinis, liberos ſuſtulêrunt, qui cùm à matribus Attico more educati, aliis Pelaſgorum liberis commiſceri nollent, ſicque ab aliquo pulſari contigiſſet, injuriam junctis viribus propulſarent, Pelaſgi id videntes, illos unà cum matribus ex improviſo omnes Occidêrunt. Undè ſterilitas, orbitas, peſtilentia, aliæque clades, quibus afflicti Delphicum Oraculum conſuluêrunt, quonam modo à tantis malis liberarentur, quibus reſponſum fuit, ut Athenienſibus ſatisfacerent: Cumque Athenienſes tum demum ſibi ſatisfactum iri dicerent, ſi illi relinquerent Lemnum, reſpondêrunt Pelaſgi, tum ſe Lemno deceſſuros, cùm eò uno die vento Boreali adnavigâſſent. Quod cùm nullâ ratione fieri poſſe crederent, Miltiades Athenienſium Dux, coloniâ in Cherſonneſum deductâ, inde, tanquam domo ſuâ, uno die flante Boreâ Lemnum pervenit, C. Nep. *Milt. c. 1.* ſic Pelaſgi ceſsêre. Vide Plin. *l. 4. c. 12.* Strabo *l. 1. p. 45. l. 2. p. 124.* & *l. 7. p. 330.* Ptol. Herod. *l. 6. c. 140.* Eurip. *in Hecubâ.* Eraſm. *in adag.* Ovid. *in Ep. 6. v. 117. Hypſipyle. Jaſoni.*

Dos tibi Lemnos *erit, terra in genioſa colenti.*

Idem ibid. *v. 50.* Idem *Met. l. 13. v. 46.* & 313. Trojani belli tempore Philoctetes ab hydro, vel cherſydro morſus, aut, ut Sophocles, à vipera, in hac inſ. relictus eſt, ut poëtæ paſſim teſtantur, quia Vulcani Sacerdotes Lemnii ἐθεράπευον τοὺς ὀφιοδήκτους. Ita habet Euſt. *in Hom. l. 2. Il.* Lemnum ſc. nobilitat imprimis terra Lemnia, cujus aſtrictoriâ vi labra vulnerum coaleſcunt, & obducuntur maximè in venenoſo morſu. Galen. cùm in Lemnum ideò navigâſſet, ut hujus terræ vires penitiùs cognoſceret, quendam re-

refert ſe conveniſſe, qui ἐπὶ τραυμάτων, ἐπί τε παλαιῶν, καὶ δυσεπουλώτων, ἐχιοδήκτων τε καὶ ὅλως θηριοδήκτων, ἐπί τε τῶν θανατίμων φαρμάκων, οὐ προδιδοὺς μόνον, ἀλλά τε καὶ ἐπιδιδοὺς ἐχρῆτο τῇ σφραγῖδι, *ad vulnera cùm vetera, tùm cicatrici obducendæ contumacia, & ad morſus viperæ, adeoque omnes venenoſos morſus, & lethalia venena, non ſolùm pro antidoto, ſed & poſt venenum ſumptum ſigillo utebatur*, i. e. *terrâ ſigillata*, ſ. *Lemnia*. Inde pharmaco nomen, adeoque toti inſ. uti putat Bochart. Nam Arabicè לאם *lamu*, cùm de vulnere agitur, eſt *conſolidare*, *obſtringere*, *agglutinare*. Videant igitur peritiores an fiat Lemnos vel ex ſimplici לאם *lama*, vel ex compoſito לאם נחש *lam-nahs*, q. d. συγκολλητικὸν φάρμακον τῆς δήξεως, i. e. *pharmacum vulneris ex morſu obducendi vim habens*. Arabicè enim נחש *nahs* eſt *morſus*. Ideo autem Vulcanus fingitur in Lemnum è cœlo delapſus, ὅτι πῦρ ἐκεῖ γῆθεν ἀνεδίδοτο ποτὲ αὐτόματον, *quia olim ibi è terra erumpebat ſpontaneus ignis*, ut ſcribit Euſt. *in Homer. l. 1. Il.* Itaque etiam Αἰθάλειαν vett. vocârunt, teſte Polyb. apud Steph. ἀπὸ τοῦ αἴθειν *ab ardendo*. Lycophron. *in Alexandra*,

> Τεφρώσας γυῖα Λημναίῳ πυρί.
> *Adurens igne membra* Lemnio.

Sen. *in Herc. Oetæo*, *Act. 4. v. 1360.*

> *Quæ tanta nubes flamma Sicanias vomit?*
> *Quæ* Lemnos *ardens?* ———

Vide Suid. in Λήμνιον πῦρ. Nic. Lloyd. Loci præc. hujus Inſ. Mandra, in ora Or. Cochinum, olim Hephæſtias, & Caſtrum vet. ſ. *Paleo Caſtro*. Suberat antè Venetis, nunc Turcis, à Mahumetis II. temporibus. Sacra eorum quod attinet, *avem* divino honore ab Lemniis cultam, quæ noxia frugibus animalia in nidis ipſorum infeſtaret & ova eorum extingueret, tradit Plutarch. *de Iſ. & Oſir.* Idem *Comm. de Fortiter factis à Mulier.* Lemni vett. incolas ſimulacrum Dianæ maximo cultu veneratos fuiſſe, & in conflictus hoſticos ſecum tuliſſe, ſcribit. Sed & *Venerem Lemniam*, inter pulcherrima cultam diſcimus ex Luciani *Imaginibus*, & *Lemniam Minervam*, omnium Phidiæ operum elaboratiſſimum, memorat Pauſ. *Attic.* Vide hanc in rem plura apud C.Barth. *Animadverſ. ad Stat. Theb. l. 9. v. 328.*

LEMONIA, Tribus Romæ, à vico *Lemonio* appellata; qui fuit à porta Capena, viâ Latinâ, Feſt. Cic. ejus meminit *Philipp. 9.* vide Joh. Roſ. *Antiqq. Rom. l. 6. c. 15.*

De LEMOS, nomen illuſtris in Hiſp. Fam: quæ Portugallicæ ſtirpis ramus eſt. Cùm enim Regnum hoc fundâſſet ex Burgundiæ Ducùm, atque ita etiam Regum Galliæ Capetinorum, fam. Alphonſus A. C. 1139. in ejus maſcula progenie idem duravit, uſque ad Ferdinandum, qui Obiit A. C. 1383. Hujus gener Joh. Rex Caſtellæ cùm coronam, poſt Socerum, ſibi vendicaret, A. C. 1385. electus eſt adverſùs ipſum ab indigenis Joh. Ferdinandi nothus frater, in cujus poſteris ſceptrum continuatum eſt, uſque ad Sebaſtianum, Defunctum A. C. 1578. Poſt cujus Obitum, cùm maſculus legitimus nullus ſupereſſet; inter plures diadematis procos prævaluit Rex Hiſpaniæ, Phil. II. ſed ſub nepote ejus Phil. IV. Luſitani Caſtellanorum imperium pertæſi, ex Bragantinis (è Joh. Regis fil. notho oriundis) Joh. Regem eſſe juſſérunt. Cæterum hujus patruus Eduardus, ex Beatrice *de Toledo-Oropeſa* hærede fil. ſuſcepit Ferdinandum, hoc titulo inſignem. Sed & aliæ è Bragantinis lineæ ortæ, inter quas domus de Caſtro Com. *de Lemos*, à Dionyſio Jacobi Ducis Bragantini fratre originem habet. Ferdinando nempe II. Duce Bragantiæ, Defuncto A. C. 1483. cùm ambo geniti eſſent, minor natu Dionyſius *de Portugal* Com. *de Caſtro* titulum nactus eſt; cui ex Beatrice de Caſtro (filia Roderici de Caſtro Oſorio Com. *de Lemos*) genitus Ferdinandus *Ruiz* de Caſtro Com. *de Lemos*, ex Tereſia *de Andrada* Com. de Villalva, ſuſcepit Petrum Fernandinum *de Caſtro Andrada* Com. *de Lemos*: cui juncta Leonora *de Cueva* (filia Beltrami ſ. Bertrami *de la Cueva* Ducis *de Albuquerque*) peperit Fernandum Rodericum ſ. *Ruiz de Caſtro* Com. *de Lemos*, qui Obiit ſub initium hujus Sec. A. C. 1601. Pater ex Catharina *de Sandoval* (filia Franciſci *de Sandoval* & *Roxas* March. Deniæ) Petri Fernandi Com. *de Lemos* March. *de Sarria* (ux. Catharina *de Sandaval & Roxas*) Franciſci Ducis *de Taurifano* (qui Ductâ Lucretiâ Gatinarâ Legnanâ, Deceſſit A. C. 1637.) & Ferdinandi Com. *de Gelves*, cui nupſit Leonora de Portugallia *de Gelves*. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Parte I. p. 6. & in Ind. ubi Fam. Hiſtoria.*

LEMOSIUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

LEMOVICES, qui LIMOVICI, Plin. *l. 4. c. 19.* P. Mela *l. 2. c. 7.* Ptol. Gall. Aquit. pop. Pictonibus vicini, hodiè *Lemoſins*. Hos Vercingetorix, cùm à Romanis defeciſſet, celeriter ſibi unà cum Senonibus, Pariſiis, Pictonibus, Cadurcis, Turonis, Aulercis, Andis adjunxit. Præterea *Lemovicibus* ad Aleſiam liberandam imperata eſſe 10000. armatorum tradit Cæſ. *l. 7. de Bello Gall. c. 14.* & *l. 9. c. 4.* quot Bellovacis, Belgarum potentiſſimis, Strabo *l. 4. p. 190.* Gentibus, habitantibus inter Garumnam & Ligerim, Julianæ Aquitaniæ conterminis, eique ab Aug. contributis, *Lemovices* annumerat: Plin. inter Bituriges Cubos & Arvernos in Aquitania: Claud. Ptol. in mediterraneo Aquitaniæ, ſub Pictonibus collocat. Caput pop. olim Rhatiaſtum fuit, quod poſteà, depoſito veteri nomine, *Lemovicæ* vel *um*, dici cœpit. Vide *Lemovicum*.

LEMOVICES Armorici, quorum Cæſ. meminit *l. 7. de Bello Gall. c. 14.* ubi ait, univerſis civitatibus, quæ Oceanum attingunt, imperata eſſe ſena millia: pop. Galliæ fuit Celticæ ſ. Lugdun. prioris paulò obſcurior, nec temerè cum illo confundendus. Hodie *Leonenſes* videntur eſſe, Hadr. Valeſ. pars Oſiſmiorum: quorum Leonenſium opp. vulgò *Leon*, vel *S. Paul de Leon* Britanni appellant, à Paulo Ep. in Monaſt. cogn. ibi ſepulto, cui *Childebertus primus Agnenſem Leonenſemque pagos tradidit, & Indualis cogn. Candidus Domnonenſis patriæ Dux, territorium, quod modò dicitur ex nomine Pauli, donavit*, Autor *vitæ S. Pauli Leon*, apud Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LEMOVICINA Lingua, vide *Limoſina*.

LEMOVICUM, Ptol. *Rhatiaſtum* olim, Gall. *Limoges*, urbs ampla Gall. Epiſcopal. ſub Archiep. Bituricenſi, ad Vigennam fluv. mercatu opulenta & celebris, intrà colles, in vett. Not. inter prov. Aquitanicæ primæ civitates octo ſextum locum obtinet, Rutenis, Albienſibus Cadurciſque poſtpoſita, quibus Lemovices olim multò validiores fuêre: In recent. quintum, Albienſibus in ſeptimum rejectis. Habuit olim Amphitheatrum ſuum extrà muros, unde Eccl. *S. Mariæ de Arenis* nomen habet, hodieque inter 7. portas, quârum duæ obſtructæ ſunt, una Lemovicis eſt *porta Arenarum* dicta, quòd per eam ad Amphitheatrum cives egrederentur: Ibidem & Cœmeterium Arenarum eſt *le Cimetiere des Arenes*, locus Lemovicinorum ambulationibus celebratus. In eadem urbe, ſub Merovingis, monetam percuti ſolitam eſſe, aurumque fiſcale purgari fornace conſueviſſe, docet Audoënus *l. 1. de vita S. Eligii*. Ex ejus Epiſcopis Ruricius Conc. Aurelianenſi 4. interfuit. Diſtat 20. leuc. ab Engoliſma in Ort. 25. à Pictavio, verſùs Auſtr. Caput prov. Lemovicenſis, *le Limoſin*, ſub qua etiam ſæpè Marchia Lemov. *la Marche* comprehenditur. Terminatur ab Ortu Alverniâ, ab Occ. Petrocorienſi prov. & Pictavenſi, à Mer. Cadurcenſi, à Sept. Bituricenſi. Cùm ſtrictè ſumitur, Marchiam ad Bor. habet. Baudr. Secundùm Hadr. Valeſ. dividitur hæc prov. in Inf. *le bas Limoſin*, & Sup. *le haut Limoſin*: parſque ejus eſt Marchia Lemovicum *la Marche de Limoſin* ſimili modo diviſa: in qua opp. vel caſtella ſunt, Subterranea *Souterraine*, Duratium *le Dorat*, Varactum *Gueret*, Vartimpo fluv. cognominis *Vartempe*. Hujus regionis incolas quidam indigenas eſſe volunt & Aborigenes, eorumque conditorem faciunt Lemovicem, ab Gomeritis oriundum. Subjugârunt eos aliquando Gothi cum tota Aquitania: ſcribuntur inde Franci, Gothis exturbatis, Lemovicibus dediſſe gubernatores: leguntur & conſtituti ipſis Comites & Duces: hi quidem gerendo bello, illi verò juſtitiæ adminiſtrandæ, *Merula*.

Oppida & Caſtella prov. Lemovicenſis.

Albucio *Aubuçon*, ad Croſam.	Lemovicæ caput Gentis.
Briva Curretia *Brive la Gaillarde*, ſ. *Courreze*.	Rupes Cavardi *Rochechoüard*.
Caslucium *Chalus*.	Solemniacum *Solonniac*.
Confluentes *Conſolan*, ad Vigennam.	Torinna *Turenne*.
Curretia *Courreze*.	Tutella *Tulles*, nunc ſedes Ep.
Inſ. Jordanis *l'Isle Jourdain*.	Ventadurum *Vantadour*.
	Uſercha *Uſerche*, ad Viſeram fluv. *la Vezere*.

Hîc Synodo habitâ A. C. 1029. diſceptatum acriter, an D. Martialis, inter Apoſtolos vel Confeſſores referendus ſit; armis dein omnibus interdictum, & jejunium in pane & aqua feriâ ſextâ, inſtitutum eſt. Vide Baron. *in Ann. ad* A. C. 1038.

LEMOVII, Germaniæ pop. Tac. *de morib. Germ. c. 43.* *Mecklenburger*, Ortelio; *Liffländer* Curæo. Cluv. poſtea *Heruli*; ubi nunc Pomerania Occidentalior, ad mare Balth. inter Oderam ad Occ. & Pruſſiam ad Ort. A *Lemen* Germ. Limus. Sed annon *Linones* Helmoldi? vel potius *Luinones*?

LEMPTA, vulgò quoque LEMPTA, deſertum amplum Africæ, in Zaara regione, cum urbe cogn. verſùs Biledulgeridiam, inter deſertum Berdoæ ad Ort. & deſ. Targæ ad Occ. Joh. Leo & Marmol. *Deſcr. Aſiæ*.

LEMURES, larvæ nocturnæ, & terriculamenta. Horat. *l. 2. Ep. 2.* ſub calcem.

> *Nocturnos* Lemures *portentaque Theſſala ridet.*

Perſ. *Sat. 5. v. 185.*

> *Tunc nigri* Lemures, *ovoque pericula rupto.*

Ovid. *Faſt. l. 5. v. 482.*

> *Mox etiam* Lemures *animas dixêre ſilentum.*

Sic dictos volunt, quaſi *Remures* à *Remo* ſcil. cujus occiſi animâ Romulus exagitabatur. Hinc *Lemuria*, feſta Lemuribus ſacra, quæ cùm celebrabantur, (id autem erat menſe Majo) templa omnia claudebantur, nuptiæ omnes infauſtæ putabantur, quæ res locum fecit Prov. *Malum menſe Majo nubere*. Ovid. *Faſt. l. 5. v. 420.* & 489.

> *Ritus erat veteris* nocturna Lemuria *ſacri:*
> *Inferias tacitis Manibus illa dabant.*

Nic. Lloyd.

LEMURIS, fluv. Liguriæ ex Apennino, juxtà Octavium & Gavium opp. in urbem fluv. agri Alexandrini influens; Vulgò L*im* vel *Lemo*: Tab. antiq.

LENÆ, Sacerdotes Bacchi, Joh. Parrhaſius *ad illud Claud. l. 2. de Raptu Proſerp. Carm. 35. v. 67.*

> *Aut quales referunt Baccho ſolemnia Nymphæ.*

LENÆ, Tertulliano *de Pallio* dictæ *Fictrices*: cùm ait, *Aſpice lupas, popularium libidinum nundinas &c.* Ubi quidam *Frictrices* legunt, ſed *Fictrices* habet planè vet. liber & editiones antiquæ, *Fictrices* quoque alibi nominavit Autor idem, quas etiam ibid. *Frictrices* refinxêrunt Critici: *De Reſurr. Carn. Et tamen calicem non dico venenarium, in quem mors aliqua ructârit, ſed* Fictricis *vel Archigalli vel Gladiatoris aut Carnificis ſpiritu infectum, quæro an minùs damnes, quàm oſcula ipſorum.* Ita eo loci omnes libri ſcriptum exhibent, non *Frictricis*. Sunt autem *Fictrices* ſagæ, à ſimula-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

cris cereis, quæ fingebant & aliis magicarum artium figmentis ſic nuncupatæ. Ovid. de Saga: *Ep. Heroid. 6. Hypſipyle Jaſoni v. 92.*

——— *Simulacraque cerea fingit,*

Eadem *Simulatrices* dicebantur, ab eadem ratione. Feſtus, *Piatrix dicebatur Sacerdos, quæ expiare erat ſolita, quam quidam Simulatricem, alii Sagam, alii Expiatricem vocant.* Val.

——— *Et Ææo* ſimulatrix *litore Circe.*

Per *Fictrices* itaque *Lenas* intelligit Tertullian. unde eum Meretricibus illas hìc conjungit. Nam apud Vett. omnes *Lenæ*, Sagæ etiam cenſebantur & vocabantur. Apud Propert. *l. 4. Eleg 5. v. 73.* & Tibull. *l. 1. Eleg. 6. v. 12. l. 2 Eleg. 7. v. 26. 27.* & 35. & Ovid. *Lenæ* Sagæ ſunt *Amor. l. 1. Eleg. 15. v. 17.* & *l. 3. Eleg. 1. v. 44.* & φαρμακίδες. *Saga* proin pro *Lena* apud Antiquos. Lucil. apud Nonium.

Ætatem & faciem, ut Saga *& bona conciliatrix.*

Nonius ipſe: *Sagæ mulieres dicuntur feminæ ad lubidinem virorum indagatrices; unde & ſagaces dicuntur ferarum vel animalium quæſitores.* Gloſſæ: *Saga*, φοιβὰς, φαρμακὶς, *Saga* igitur & *Lena* & *Fictrix* ſive *Simulatrix* res eadem. Undè non mirum, ſi calicem Lenæ & Sagæ ſpiritu infectum vitabant. Gallorum verò, & Archigallorum tam calices, quàm oſcula, damnabantur, propter oris impuritatem, cujus rei infamiâ flagrabant, non propter oris cruentationem, ut perperam docti quidam volunt. Vide Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio*, & infrà in voce *Leno.*

LENÆUS, Bacchi cognomen ἀπὸ τῆ ληνῆ, h. e. *à torculari.* Virg. *Georg. l. 2. v. 2. & 7.*

Huc pater ô Lenæe *veni: nudataque muſto*
Tinge novo mecum direptis crura cothurnis.

Tibull. *l. 3. Eleg. 7. v. 6.*

Odit Lenæus *triſtia verba pater.*

Nic. Lloyd. Fanum habebat, in Attica, in loco, ubi certamina ante Theatrum extructum celebrabantur, *Λιώαιον* dicto, cujus meminit Heſych. Ibid. ὁ ἐπὶ Ληναίῳ ἀγὼν, ſ. τὰ Λήναια, quo nomine veniebant Dionyſia τὰ κατ᾽ ἀγρὲς, menſe Poſideone agebantur, qui indè etiam Ληναιὼν dictus eſt. Celebrabantur illa, uti τὰ κατ᾽ ἄςυ, commiſſione Comœdiarum, ac utriſque Rex præerat. Neque importabant tunc temporis tributa Athenas Socii, & ſoli ſuum feſtum agitabant Athenienſes. Ariſtoph. *Acharn.*

Αὐτοὶ γδ᾽ ἐσμὲν᾽ ἐπὶ Ληναίῳ τ᾽ ἀγών.
Κὔπω ξένοι πάρεισιν ὔτε γδ᾽ φόροι
Ἥκυσιν, ὔτ᾽ ἐκ τῆ πόλεων οἱ ξύμμαχοι.

Quam in rem vide plura, apud Sam. Petit. *Comm. in LL. Attic. l. 1. tit. 1.* ubi & *Lenæorum*, Elidis populi, Athenienſium tributarii, è Phlegonte, Steph. laudato, meminit. Adde, quæ diximus ſuprà, ubi de *Bacchi Theatro.*

LENÆUS Pompejus, vide *Pompejus.*

LENAS, vide *Vipſanius.*

LENDESIUS, ſ. LEUDESIUS, fil. Erchenbaldi ſ. Erchinoaldi, Palatii Mag ſ. Major Domûs in Gallia, cæſus ab Ebroïno A. C. 680. ex Regia Sigiſmundi Burgundi ſtirpe uxorem habuit: Inter Auſtriacorum Principum progenitores.

LENICUM, opp. agri Vincentini.

LENO, Iſid. conciliator ſtupri eſt, eo quòd mentes miſerorum *deliniendo* ſeducat; Feſto, quòd adoleſcentulos *alliciat*, dictus; Græcè Μαςρωπὸς, Πορνοβόσκος, Προαγωγὸς. De quo hominum genere, ſic Scalig. *poët. l. 1. c. 13.* ubi de *Comicis Perſonis*: *Differentiam faciunt inter* μαςρωπὲς *καὶ* πορνοβόσκες, *illo nomine deſignari ſcortorum matres:* πορνοβόσκες *eſſe conciliatores.* Ego Lenones *ac poſteriore voce dictos ſcio: quid enim aliud eſt ſcortum alere? Feminas ornant vittâ purpureâ circùm caput:* Lenonibus *Græcis verſiculor —tunica & amiculum pictum deſuper, non ſine baculo, quem* ἄρεσκον *vocàrunt* &c. Sed & alios *Lenones*, alios Προαγωγὲς, ſ. *Productores*, eſſe, docet Pedian. cum ait, *Lenones ſcortorum dici: Productores vero etiam invitarum perſonarum, & in quibus ſtupra exercita legibus vindicantur.* In *Verrinis* certè ab Cic. diſparantur verba hæc, uti docet Cœl. Rhodig. *Antiq. Lect. l. 14. c. 8.* Cæterùm ſordidiſſimi hi alieni pudoris inſtitores, uſque adeò radices egêre olim, ut non ſolùm Cinnarus quidam, hac arte infamis, ſummas ad opes pervenerit, quas, Veneri promiſſas, moriens populo diripiendas expoſuit, ut in prov. *rapina rerum Cinnari* abierit: Sed & apud varias gentes, Cyprios, Armenios, Lydos, Augilas, Sicas, Locrenſes, inter liberales, imò & ſacras, ea habita, ipſique Impp. Tiberius, Caligula, Nero, eam exercere, lupanari in Palatio conſtituto, non dubitaverint, teſtibus Suet. Zonarâ, Xiphilino. At ſanctior his Q. Metellus Prætor, Vectilium lenonem, in cauſa Teſtamentaria, à ſubſellio prohibuit, ut qui pro libero haberi nequiret, apud Val. Max. *l. 7. c. 7.* Sed & *lenas*, ſubmerſit Cleomenes Methymnæorum tyrannus, in ſaccis ligatas, apud Athen. *l. 10.* Vide & ſuprà in voce *Accabuſſare.* Joh. quoque Arragonum Rex omnes *lenocinium facientes*, amiſſis bonis, infames eſſe juſſit, & tanquam latrones ac nefarios homicidas, exterminavit, uti docet Marinæus *Rer. Hiſp. l. 12.* Plura hanc in rem, apud Zuinger. *Theatro Hum. Vitæ p. 2285. & ſeqq.* Aliquando tamen honeſta vocis notio eſt; pro Legato enim eam occurrere apud Juſtin. *l. 1.* notat Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino.* Vide quoque ſuprà in voce *Conciliator.* it. infrà *Producere.*

LENONCURTIUS Philippus, vide *Philippus.*

LENS, Græcè φακῆ, tenuiorum & Philoſophorum cibus, Cynicorum præſertim, olim fuit, cujus encomium vide apud Athen. *l. 4. c. 18.* Sed & edulio ejus tantopere in ſacris Eſavus legitur gaviſus, ut jure primogenituræ illud redimere profanus homo non dubitaverit. Ita enim is Gen. *c. 25. v. 30.* *ſine me haurire quæſo de iſto edulio admodum rufo*: lenticulam indigitans, quæ naturâ rufa præterea condimentis rufis, ut croco, ſimilibusque miſceri ſolebat. E qua re factum, ut cùm Eſau naturâ eſſet rufus, & jam tantopere cibum rufum appeteret, vocatus propterea fuerit *Edom* & *rufi* nomine inter domeſticos primò, poſtmodum & inter alios, inſignitus. Reliquam Hiſtoriam vide *in ſeqq.* quam *Exercitat. 116. in Gen.* illuſtrat egregiè Andr. Rivet. Sed apud Rom. quoque ab hoc leguminis genere appellati occurrunt, *Lentuli*, de quibus ſuo loco. Circa Peluſium opp. Ægyptii, quæ vulgò *Damiata*, aliis *Roſeto*, optimam *lentem* naſci, indigitat Virg. *Georg. l. 1. v. 228.*

Nec Peluſiacæ *curam aſpernabere* lentis.

Et Mart. *l. 13.* in Xeniis *Epigr. 9.* cujus Epigraphe lens.

Accipe Niliacam, Peluſia munera, lentem:
Vilior eſt alica, carior illa faba,

Vide plura de hoc leguminis genere, apud Plin. *l. 18. c. 10.* ubi de *ejus pinſendæ ratione*; *c. 12.* ubi de *pluribus ejus generibus*; *l. 22. c. 25.* ubi *de natura illius & uſu medico* &c. Nomen quod attinet, quibuſdam quòd humida & *lenta* ſit, vel quòd *lentos faciat* homines; aliis quòd *lenes*, ita dicta eſt. Certè *eâ veſcentes æquanimes fieri*, habet idem Autor *l. 18. c. 12.* Vide quoque ſuprà *Ceraunia*, & infrà, ubi de Vett. *Ponderibus.*

De LENS Arnoldus, ſ. Arlenius, Brabantus, domeſticus Didaci Hurtadi de Mendoza, Venetiis tum Legati, editionem Joſephi Græcam, juxtà exemplar Mendozæ, procuravit, libris c. Appionem ei additis. Inde Baſileam, celebre illud Literatorum aſylum, ſe contulit, ibique per aliquot Annos ingenium exercuit Henr. Stephani familiaritate uſus, non minori Græcis Scriptoribus emendandis curâ, quàm Faërnus Latinis, intentus. Vertit *Dionem, Olympiodorum*, varia *Plutarchi* & *Chryſoſtomi, Theodoreti, aliorumque Patrum*; *Lycophronis* it. *Alexandram & Iſ. Tzetzis in eam Commentaria edidit ac recognovit.* Porrò *Epigrammata* ejus *Græca & Latina* proſtant, Lil. Girald. *de Poëtis ſu iis temp. l. 2.* Alius, ci cognominis, Mathematicus, & Medicus Moſcorum Mag. Ducis, Athâ Hannoniæ oriundus, Moſcuæ Obiit: Autor *Iſagoges in Geometrica Euclidis Elementa*, Voſſ. de *Mathem.* 33. 6. Vide & Ant. Teiſſier *in Elog.* ac aliquid ſuprà, *Arnulphus de Lens.*

LENTARE, apud Stat. *Theb. l. 3. v. 587.* de arcubus,

——— *alii Gortynia* lentant
Cornua. ———

vet. Scholiaſti eſt, *paulatim & ſine vi flectere.* Hinc *lentandus*, vox nautica apud Virg. *Æn. l. 3. v. 384.*

——— *Trinacria* lentandus *remus in unda.*

i. e. *lentè* hinc inde flectendus, quod ex vetuſtiſſimis *Annalibus* ſumptum docet Serv. *ad h. l. Aut lentè*, inquiens, *tibi navigandum, nam totam Siciliam circumiit, aut lentandus tibi remus eſt, h. e. flectendus; unde lentum vimen — Et quidem lentandus novè verbum dictum putat, ſed in Annalibus legitur, confricati oleo lentati, paratique ad arma, à verbo lentor.* Aliud *Lentere*, i. e. lenteſcere, apud Diomedem *l. 1.* Undè *Lentiones*, in *Gloſſis*, οἱ ἐν τοῖς πένθεσιν ὀρχύμενοι, *in funeribus ſaltantes*; quos Σάτυρισὰς vocat Dionyſ. Quòd ſaltatores *lentis* lateribus eſſent, & totum corpus nimium quantum ad omnes motus, haberent flexibile. Vet. Epigr. de Pantomimo, apud Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino*,

Maſcula femineo derivans corpora flexu,
Atque aptans lentum *ſexum ad utrumque latus:*
Ingreſſus ſcenam populum ſaltator adorat,
Solerti ſpondens prodere verba manu.

Vide quoque ſuprà, ubi de *Bathyllo* & infrà ubi de *Ludionibus, Pantomimis, Saltatoribus.*

LENTEBURGUM, vulgò LENTZBURG, opp. Helvetiæ, cum arce, in Argovia, intrà Hallvillam, prope Arolam, 1. mill. ab Arovio, & 1. à Brugis Helvet. caput Comit. cognominis. Olim enim Comites habuit illuſtris & perantiquæ ſtirpis, qui ex Lentienſibus *Lintzgöwer*, Sueviæ Algoviæque incolis orti, Valentiniani Martianique Imperio, Alemannorum in Helvetiam irruptione factâ, hîc ſedes ſumpsêre. Poſteà, per conjugia, ad Habſpurgios pervenit, & aliquandiu Auſtriacorum Principum imperium agnovit. Sed proſcripto Frid. Auſtrio A. C. 1415. opp. cum arce, juſſu Sigiſmundi Imp. à Bernatibus occupatum, hiſque poſteà ab Imperio pignori datum, iis etiamnum ſubeſt; ſedes præfecti arx eſt: interim peculiarem opp. Senatum, ſub capite Sculteto habet. Vide Stumpf. *l. 7. de Argovia.*

LENTIA, urbec. culta Auſtriæ ſup. cum ponte ad Danubium, & caſtro ſplendido, ubi peramœnus ſeceſſus Imp. 6. leuc. à Paſſavia in Ort. *Lintz* vulgò.

LENTICULA, vide *Alipta.*

LENTIENSES, Vindeliciæ populi. Amm. Marcell. *l. 31. c. 12.* *Lintzgower Tſchudo.*

LENTINI, ſive LENTULI, Romani quidam cognominati ſunt à *lente*, ut *Cicerones à cicere*, & *Fabii à faba.* Inde *Lentulitas.* Cic. 3. *ad Ap. Ullam Appietatem, aut Lentulitatem valere apud me, plus quàm ornamenta virtutis exiſtimas?*

LENTINUS, vide *Terentius.*

LENTISCUS, arboris nomen, cujus reſina maſtiche, Plin. *l. 14. c. 20.* ad quem locum vide *Notas* Dalechampii; à *lentore* nomen habe:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

bet, quòd cuſpis ejus *lenta* ſit ac mollis: hinc dentiſcalpiis aptiſſima. Mart. *l.* 3. *Epigr.* 80. cujus Epigraphe in Zoilum *v.* 8.

Stat exoletus, ſuggeritque ructanti
Pinnas rubentes, cuſpideſque lentiſci.

Idem *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 22. cui tit. *Dentiſcalpium*,

Lentiſcum *melius; ſed ſi tibi frondea cuſpis*
Defuerit, dentes penna levare poteſt.

Quo ſine *tonſum* vocat idem *l.* 6. *Epigr.* 74. cujus Epigraphe ad Eſculanum.

Foditque tonſis ora laxa lentiſcis.

Indè eſt, quòd Car. IX. Gallorum Rex unius Franciſci Caſtilionei Admiralli Franciæ *lentiſcum* (ſolebat enim poſt cibum cogitabundus dentes bacillo purgare) præ mille Hugonotarum equitum lanceis ſeſe pertimeſcere, falſus legitur apud Theod. Zuinger. *Theatr. Hum. Vit.* p. 990. *b.* Sed & in virginum coronamentis *lentiſci* uſus. Callimach. ubi de ſacro Dictynnæ, *Hymno in Dian.* 21.

— Τὸ δὲ στέφος ἤματι κείνῳ.
Ἢ πίτυς, ἢ σχῖνος —

Sertum verò feſti diei illius,
Pinus aut lentiſcus —

Circa ipſam arborem domicilia ſuſpenſa, occurrunt apud Herodot. *l.* 4. ubi Afrorum paſtoralium domicilia virgultis compacta, ſuſpenſa circà lentiſcos & quoquoverſùs verſatilia, deſcribit &c.

LENTITUDINIS Lex, vide infrà *Opifices*, *Otia*.

LENTIUM, opp. Arteſiæ. Captum à Gallis, A. C. 1557. Direptum à Cameracenſibus, A. C. 1582. Receptum paulò poſt, nunc ſub Gallis, aliàs munitum. Alluitur amne *Souchets*; 3. leuc. ab Atrebato in Bor. 4. à Duaco in Occ. Hìc Hiſp. grandi clade affecti, à Gallis, A. C. 1648. Duce Condæo; *Lens* vulgò.

LENTUDUM, Pannoniæ ſup. urbs. Prol. *Lutenberg*, teſte Lazio, in conf. Stiriæ & Hungariæ, ad Muram fluv. inter Bolentium ad Occ. & Caniſiam ad Ort. 3. leuc. ac inter Pœrovionem ad Mer. ac Olimacum ad Bor. 3.

LENTULÆ, opp. Pannoniæ ſup. inter Joviam ad Occ. & Serotam in Ort. 32. mill. paſſ. ab Aquaviva, 52. *Ant.*

Viri Illuſtres.

LENTULUS, nomen fam. Romanæ, priſcæ & illuſtris. An à lente, quâ primus hujus nominis in facie inſignis fuit? L. Corn. *Lentulus*, Coſ. cum Q. Publio Philone, A. U. C. 427. Alii A. C. 517. 555. 557. *Lentulus* & Domitius, A. U. C. 592. Scipioni Naſicæ & Martio Figulo ſurrogati. L. Corn. *Lentulus* Lupus, Tac. *Ann.* *l.* 3. *c.* 43. cum eodem Figulo A. U. C. 598. Alius A. U. C. 608. App. Claudius *Lentulus*, cum Perpenna, A. U. C. 624. Cn. Corn. *Lentulus*, & Licinius Craſſus, A. U. C. 657. Alius A. U. C. 683. P. Cornelius *Lentulus* Spinter, A. U. C. 697. & Cn. Corn. *Lentulus* Marcellinus, A. U. C. 698. Alius A. U. C. 705. 736. 751. 753. qui Annus natalis JESU CHRISTI. Coſſus, *Lentulus* Iſauricus, Coſ. A. C. 25. Cn. Corn. *Lentulus*, vide infrà, & Faſtos Conſulares; Proſper. *Caſſiod.* &c.

LENTULUS, Præſul veteris Eccl. cui Epiſtola quædam tribuitur.

LENTULUS, comes Druſo Tiberii F. ad ſeditioſas Pannonicas legiones, juſſu patris profecto, additus, quòd ante alios ætate & gloriâ belli firmare Druſium credebatur & illa militiæ flagitia primus aſpernari, inviſus militibus; nec multò pòſt digrediens cum Cæſare ac proviſu periculi hiberna caſtra repetens, lapide ictus & exitii certus adcurſu multitudinis, quæ cum Druſo advenerat, protectus eſt. Tac. *Ann. l.* 1. *c.* 27. Super conſulatum & triumphalia de Getulis adeptus eſt, unde *Getulicus* dictus. Primùm benè toleravit paupertatem, dein magnas opes innocenter acquiſivit & modeſtè habuit, Idem *l.* 4. *c.* 44. Mortuus eſt Cornelio Coſſo, Aſinio Agrippâ Coſſ. Fil. ejus cognominis cum C. Calviſio Coſ. cujus Hiſtoriæ & poëmata laudantur à priſcis.

LENTULUS Augur. prænom. Cajus, divitiarum maximum exemplum, antequam illum libertini facerent pauperem, quater mille H-S. ſuum vidit: ingenii tam ſterilis, quàm animi. Cùm enim eſſet & avariſſimus, nummos citiùs emittebat, quàm verba; tanta erat illi inopia ſermonis. Fuit verò angore & metu, ad faſtidium vitæ à Tiberio actus; ut ne quo niſi ipſo hærede moreretur. Vide & *Cneus*.

LENTULUS Cethegus, vide *Cornelius*.

LENTULUS Cruſcellus, vide *Lucius*.

LENTULUS Getulicus Cnejus, ſub Tiberio, Germ. ſup. legiones curabat, mirumque amorem aſſecutus erat effuſæ clementiæ, proximo quoque exercitui, per L. Apronium ſocerum, non ingratus. Unus omnium Sejani affinium incolumis, multaque gratiâ manſit. Ejus accuſator Abudius Ruſo exilio punitus, Tac. *Ann.* *l.* 6. *c.* 30. Coſ. cum C. Calviſio Sabino. Fil. erat Cn. *Lentuli* Coſſi Getulici, qui cum C. Calpurnio Piſone Coſ. fuit. Vide ſuprà. Occiſus tandem, juſſu Caligulæ, quod militibus gratior eſſet. Suet. *in Calig.* c. 8. illum Hiſtoriæ Autorem, Mart. *in præfat. l.* 1. Poëtam facit. Laudatur Probo Gramm. *in Virg. Georg. l.* 1. Vide inſuper Tac. *Ann. l.* 4. *c.* 46. Dion. Caſſ. *l.* 49. & 59. ac Suet. *in Tib. Ner. c.* 49. *Galb. c.* 4. Sidon. Apollin. *l.* 2. *Ep.* 10. ejus & Ceſenniæ meminit, ut & *Car.* 5. Adde his Geſner. *Biblioth.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 25. &c. Vide & *Cneus*.

LENTULUS Marcellinus à partibus Cæſaris, fil. Cn. Lentuli Marcellini Coſ. A. C. 697. fuit Cæſaris Quæſtor: à Marcellis omninò adoptatus videtur, cùm eſſet Corneliâ fam. oriundus. Vide & *Cneus*.

LENTULUS Spinther, prænomine *Publius*, Hiſpaniæ Prætor, Augur & Coſ. in partibus Pompejanis, à Cæſare Corfinii interceptus. In argenteis denariis à ſe in Hiſpania cuſis expreſſit cum Pontificatûs inſignia, tum Quæſturam Hiſpanienſem cum notis: P. LENT. P. F. L. N. Q. S. C. nam hunc denarium cudit, ut ex ejus forma apparet, Quæſtor cùm eſſet in Hiſpania.

LENUS, regio Pitarum. *Steph.*

Imperatores Orientis.

LEO I. Imp. Orientis, cogn. Macelles, Senior & Magnus, natione Thrax, Martiano, operâ Aſparis Patricii, ſucceſſit, A. C. 457. Edicto publico Conc. Chalcedonenſis autoritatem tuitus; Occidenti Majoranum, Anthemium, Olybrium, Julium Nepotem ſucceſſivè præpoſuit. Contra Vandalos bellum geſturus, Baſiliſco, Verinæ uxoris fratri, claſſem mille navium tradidit, quâ ille, à Genſerico argento corruptus, proditâ, nihilominus, veniam impetravit. Aſparem tamen & Ardaburium fil. ejus, unde hæc mala orta, à ſe removit, hujus uxore Ariadne, filiâ ſuâ, Zenoni Iſauro tradita. Obiit CPoli, A. C. 474. Imp. 18. Princeps Orthodoxus, clemens & in literatos beneficus, ſed indulgentior in hæreticos, & Zenone genero lecto imprudens. Varias condidit leges, quæ in Codice Juſtiniani habentur, &c. Niceph. *l.* 15. Euagr. *l.* 2. Procop. *de B. Vandal. l.* 1. Cedren. *in Compend.* Marcellin. & Caſſiod. *in Chron.*

LEO II. Junior, fil. Ariadnes ex Zenone Iſauro, in cunis, Avi juſſu, Aug. pronuntiatus, decimo pòſt menſe A. Æt. 3. an veneno à patre propinato? Obiit. Candidus Iſaurus, *l.* 1. *Hiſt. Byz.* Marcellin. & Caſſiod. *in Chron.* Nicephor. *Suid.* &c.

LEO III. Iſaurus, 71. Rom. Imp. A. C. 717. Claſſem Solimanni, urbem gravi obſidione prementem, incendit ac diſſipavit: Omari verò ſucceſſoris, fame ad reditum compulit. Anaſtaſium II. ope Bulgarorum, Imperium repetentem, ſummovit: Conſtantino fil. coronato, A. C. 720. Statuas ex templis congeſtas in medio urbis concremavit, in contradicentes ſævus. Apud Pontificem Greg. II. pluribus egit, imagines ut aboleret. Cui Papa reſtitit, perque univerſum orbem ſcripſit, ne Imp. juſſionibus obedirent, & in apertam rebellionem plurimos abduxit. Blond. *l.* 10. A Greg. III. quoque excommunicatus, in ſolutos ab obedientia ſua per Pontificem Italos claſſem miſit, quæ in mari Hadriatico tempeſtatibus disjecta eſt: ipſe morbo inteſtinorum confectus Obiit A. C. 741. Imp. 24 Beda *de 6. æt.* P. Diacon. *l.* 6. *c.* 47. & *ſeqq.* Hiſtoria Miſcell. *Cedren.* &c.

LEO IV. Rom. Imp. 74. cogn. Chazarus, A. C. 775. poſt patrem, Conſtantinum Copronymum, venerationem imaginum myſticam idololatriam ratus, eam in aulicis conjugeque Irene damnavit. Conſtantium fil. Imp. creavit, Nicephorum fratrem, cum ſociis rebellem, oppreſſit, Telerichum, Bulgarorum Regem pulſum in fidei communionem ac affinitatem recepit, Saracenorum in Syria Amiras quinque, & 6000. Arabum Occidit. Febri correptus Deceſſit, A. C. 780. Cedren. *in Comp.* Theoph. *l.* 23. *Blond.*

LEO V. Imp. CPolitanus A. C. 813. cogn. Armenius, fil Bardæ, Michaëli Rangabo ſucceſſit, à Nicephoro Patr. coronatus. Is Chrumnum Bulgarorum Regem ex parta victoria elatum, qui CPolim exercitum duxerat, eruptione factâ, interfecit, Bulgaroſque repulit. Honoris divini contra imagines, hominum opus, aſſertor, Patr. Nicephorum, harum defenſorem, pepulit, Theodoſio ſurrogato; Hinc à Paſchali I. excommunicatus. Occiſus eſt à Michaële Balbo domeſticorum comite, tum captivo, qui per arma ad imperium ſublatus eſt, A. C. 821. Zonar. *tom.* 3. Cedren. *in Hiſt.* Blond. *l.* 2. *dec.* 2.

LEO VI. Baſilii Imp. fil. CPolitanorum Imp. II. cogn. Sapiens, ſ. Philoſophus, ſucceſſit Baſilio Macedoniano patri, A. C. 886. poſtquam à Theodoro Santabareno Monacho, apud Patrem, inſidiarum in ipſum ſtructarum, falſò delatus, & propterea in carcerem ſeptennalem conjectus, hinc tandem interceſſione Magnatum & Pſittaci voce crebrò ingeminantis, *Heu Domine Leo!* innocentiâ in apricum productâ, liberatus eſſet. Jam Imp. Photium Patr. pepulit, impoſturam Santabareni ultus eſt. A' Simeone Bulgaro victus, rurſum eum per Ungaros evocatos magnâ clade ſuperavit. Primus cum Turcis fœdus pepigit; ſub Nicetæ ductu emiſsâ claſſe, cum Saracenis Siciliam Lemnumque vaſtantibus victor conflixit. A' Marco Monacho fuſte vix non trucidatus; Beneventanum Ducatum occupavit. Urbem ipſe noctu vigil obiit, cuſtodes, à quibus pulſatus eſt, remuneratus, reliquis amotis. Obiit A. C. 911. Imp. 25. Ex Zoë, quartâ uxore, pater Conſtantini Porphyrogenetæ. Scripſit varia, Epiſtolam inprimis circularem, quâ omnes fideles ad ſanctè vivendum hortatus eſt: aliamque de veritate Relig. Chriſt. ad Saracenorum Regem ſcriptam: quarum illa à Frid. Metio, hæc à Seb. Champiero verſa, prodiit. Gretſerus 9. ejus Orationes publici juris fecit, A. C. 1600. Combefixus 10. alias addidit, A. C. 1648. Prodierunt quoque ejus *Tactica, Opus Baſilicanum, Novellæ Conſtitutiones*, &c. Scylitzes, Zonaras, Glycas, Manaſſes, *Cedren.* &c.

Armeniæ Reges.

LEO I. ex ſtirpe Luſignana, Armeniæ Regis fil. Livonis III. Obiit improlis; ſucceſſit ei patruus.

LEO II. qui ex Irene Tarentina, prioris vidua, ſuſcepit *Leonem III.*

LEO III. regno, uxore liberiſque exutus à Turcis, omnes Europæ aulas, auxilium emendicaturus adiit. Pariſiis Obiit A. C. 1393. Sanut. Juven. de Urſinis, *in Car.* VI.

Pontifices, Patriarchæ, &c.

LEO I. Magnus, Tuſcus, primatûs Papæ propugnator, quem tamen & Ravennæ Ep. ſibi arrogabat, quòd laneo pallio, quo ſoli Impp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Impp. utebantur, à Valentiniano donatus eſſet. Succeſſit Sixto III. A. C. 461. poſtquam in Gallia Aëtii & Albini Ducum reconciliationi incubuiſſet. Neſtorianis in Oriente, Vandalis in Africa, Manichæis in Occidente obnixus, Pelagianos Italiâ penitus pellere inſtituit, Proſperi Aquitani ad id miniſterio uſus. Controverſiam inter Viennenſem & Arelat. Eccl. exortam decidit, Eutychianis, qui Lyſtricâ Synodo hæreſin ſuam ſtabiliverant, ſe oppoſuit. Ad Conc. 4. Oecum. Chalcedone à Marciano Imp. celebratum, legatos miſit: A. C. 451. Canoni, quo Sedi CPolitanæ, ſecundæ à Roma tributæ, reſtitit, unde infelix *de Titulo Univerſalis* certamen ortum. Attilam, poſt cladem in Galliâ acceptam, Romam properantem, facundiâ ſuâ avertit. Eutychianiſmi ab æmulis accuſatus, literis ad Marcianum, Eudoxiam & Pulcheriam ſe purgavit. A' Genſerico, qui Romam captam 15. dierum rapinæ expoſuit, impetravit, ne urbi ignis immitteretur. Obiit A.C. 461. Opera ejus, Sermones & Epiſtolas Decretales continentia ſæpius impreſſa. Gennad. *c.* 70. Honorat. Auguſtodun. *l.* 2. *c.*69. Phot. *cod.* 52. &c. Ei Hilarius ſucceſſit.

LEO II. Sic. Agathoni ſucceſſit, A. C. 683. Eruditus & Muſicæ apprimè peritus. Ejus quinque habentur Epiſtolæ, quas Baron. quòd in iis Honorius P. damnetur, pro ſuppoſitiis rejicit. Obiit A. C. 684. Anaſtaſ. *in vitis Pontif.* Ado Viennenſis, *in Chron.* Eum excepit Benedictus II.

LEO III. Rom. Hadr. I. ſucceſſor, A. C. 795. fil. Aſuppi, Car. Mag. juramentum ſubjectionis ac fidelitatis dixit, ad quem ſe receperat, à Romanis orto tumultu vix non interfectus: Hanc injuriam vindicavit Cæſar, Romamque perveniens, à Leone coronatus eſt Occidentis Imp. Quo Mortuo, Leo ab æmulis impetitus, quoſdam neci dedit, miſſis legatis ad Lud. Pium, cui hæc minimè placebant, factum excuſare conatus, qui Bernardo Italiæ Regi in mandatis dedit, ut quid factum eſſet cognoſceret, ſeditioſosque puniret. Obiit A. C. 816. Anaſtaſ. *in vitis Pontif.* Eginh. *in vita Car. Mag.* Adhemar. *in Lud. Pio.* Platina, *in Leone III.* &c. Ei Succeſſit Steph. V.

LEO IV. Rom. Sergium II. excepit, A. C. 847. Urbem Romam reparavit, *Leoninæ* nomine ei indito Saracenos vicit A. C. 848. Leopolim condidit, pedes deoſculandos populo præbuit, Baſiliſcum halitu infeſtum Româ expulit. Obiit A. C. 853. Succeſſit Ei Joh. VIII. ſexu femina. Platina *in Leone IV.* Sigon. *l.* 4. *ad* A.C. 847. Onuphr. *in Chron.* Baron. *in Ann.*

LEO V. poſt Bened. IV. Papa, A. C. 906. quadrageſimo pòſt die, à Chriſtophoro, qui ſe vi intruſit, in carcerem conjectus eſt. Genebr. *in Chron.* Succeſſit Ei Chriſtoph.

LEO VI. Rom. Joh. XI. à Marozia incarcerato, ſucceſſit. A. C. 929. ſimiliter in vincula conjectus, ſub initium A. C. 928. Flodoard. *in Chr. Rem.* Luitpr. *l.* 3. *c.*12. Eum ſequutus eſt Steph. VIII.

LEO VII. Rom. Joh. XII. excepit, A. C. 936. Obiit A. C. 939. Ei ſucceſſit Steph. IX.

LEO VIII. Joh. XIII. ab Othone Imp. depoſito ſucceſſit, A. C. 963. Jus eligendi Pontifices ac inveſtituram Cleri Cæſari reſtituit. Epiſcopos in Bavaria diſſidentes, ad pacem hortatus eſt, inter alia docens: *Satius eſſe caſto connubio frui, quam multarum amore deperire.* vide Aventin. *l.* 4. *Ann. Boj.* A' Joh. pulſus, Româ poſt graviſſimam obſidionem famemque ingentem captâ, ab Othone, reſtitutus eſt, Bened. V. Antipapâ Hamburgum abducto. Obiit A. C. 965. Leo Oſtienſ. Platina, &c. Ei Succeſſit Joh. XIV.

LEO IX. prius *Bruno* dictus, ab Henr. III. Imp. Papa creatus eſt A. C. 1049. poſt Clem. II. Moguntiæ cum Ep. ſub tempus Miſſæ litigavit. Romæ, Remis, Moguntiæ Synodos celebravit, contrà Clericorum Simoniam, Conjugia & Concubinatus Godofredum Lothar. Duc. cum Imp. reconciliavit. A. C. 1050. conc. Romæ contrà Berengarium celebravit. In Galliam ſecundò profectus, inde copias quaſdam ſecum deduxit, quas Normannis, qui Apuliam occupaverant, opponeret. Errores Græcorum condemnavit, A. C. 1053. legatis CPolim miſſis. Ex Germania, ubi Imp. Wormatiæ convenerat, redux, cùm Normannis obviam iret, captus, & Beneventum abductus, Obiit A.C. 1054. Succeſſit Ei Victor II. Scripſit Homilias & Epiſtolas Decretales. Sigebert. *de Vir. Ill.* A.C. 152. Morer. *Dict. Hiſt.*

LEO X. fil. Laurentii de Medicis, ex Claricia Urſina; Diſcip. Angeli Politiani, Demetrii Chalcondylæ, & Urbani Bolzani, amicus Pici Mirandul. Marſilii Ficini, Joh. Laſcaris, Chriſt. Landini, &c. Legatus Julii II. in prælio ad Ravennam, captus A. C. 1512. huic ſucceſſit, A. C. 1513. Eruditus, ſed minus religioſus, utpote cui *Religio de Chriſto fabula* fuit: tanto faſtu coronatus eſt, ut unâ die decies centena aureorum millia expenderentur: ad quam lacunam reſarciendam, ſororique, ut quidam volunt, Magdalenæ gratificandum, Indulgentias liberales, ſed Eccl. Rom. lethales conceſſit, vide ſuprà in voce *Indulgentiæ.* Lud. XII. & Franciſci I. amicitiam coluit, Pragmaticæ ſanctionis abrogatione ab hoc ex parte obtentâ, Conc. dein Lateranenſi, decretâ expeditio ſacra contrà Selimum Imp. &c. Interea Euangelii lux in Germania oriri cœpit, A. C. 1517. Martino Luthero in Tecelium, Indulgentiarum præconem, acriter invecto. Imo paulò antè & Joh. Miſiniæ Ep. venias venales è ſua diœceſi ejecit, populi ſtultitiam reprehendens, Chytr. *par.* 1. *Sax.* Hiſce obviam iturus Leo, Luthero excommunicato, A. C. 1520. qui à Papa ad Conc. provocavit: Henr. VIII. quòd contrà eum ſcripſiſſet, Protectoris fidei elogio ornavit. Conjurationem contrà ſe initam diſſipavit, Alphonſo Petruccio Card. Senenſi necato, complicibusque variè punitis. Fœdus A. C. 1521. cum Car. V. ad ditiones ſuas defendendas, & Franciſcum Sfortiam reſtituendum iniit: cujus felici contrà Gallos ſucceſſu in gaudium ſibi lethale datus: Aliis occultius quid ſubfuiſſe ratis, Obiit A.C. 1521. P. Jov. *in ejus vita.* Guicciard. *l.* 12. *v.* 13. Onuphr. & Victorel. *in Leone X.* Succeſſit Ei Hadr. VI.

LEO XI. Florentinus, ex Mediceorum fam. ſucceſſit Clem. VIII. Prius Alex. dictus: A. C. 1605. Æt. 70. Obiit eodem menſe. In ejus coronatione, arcui triumphali inſcriptum fuiſſe, *Dignus eſt Leo in virtute Agni accipere librum & ſolvere 7. ſignacula ejus:* meritò indignatur Jac. Revius. Succeſſit Ei Paulus V.

Præſules varii, & Viri Clari.

LEO, dictus Stypiota, Patr. CPolitanus, Obiit A.C. 1143. Arſenius ſucceſſit, vel Mich. Oxytes, ſecundùm Nicetam. Vide Theodor. Balſamonem, *in Ep. Baſilii ad Amphiloch. & Canon.* 83. Ut & Codicem Juris Orient. ubi decretum hujus Patriarchæ de duorum fratrum nuptiis, &c.

LEO, Archiep. Achridenſis, quæ urbs a Juſtiniano *Juſtinianaa*, hodiè Turcis *Giunſtandil*, aliis *Ochrida.* Hic Metropolit. Bulgariæ, junctus A. C. 1052. Michaëli Cerulario Patr. CPol. contrà Pontifices Rom. ſcripſit; à Leone IX. Papa excommunicatus A.C. 1055.

LEO, Alabandenſis orator, præter artem de Statibus, compoſuit Caricorum libros 4. totidemque Lyciacorum, teſte Suidâ, qui & ſcripſiſſe ait ſacrum bellum Phocenſium, & Bœotorum. Equidem id negare non auſim, ſed tamen fieri poſſet, ut eos ſecutus ſit Suid. qui confudêrunt Leonem Alabandenſem, cum Leone Byzantio, quem de bello ſacro ſcripſiſſe paulò antè ipſe dixerat Suid. Alteruter etiam res Ægyptiacas, literis mandavit, teſte Hygino, ubi de Ariete. Fuit & Leo Pellæus, qui Deorum naturam, & geſta videtur expoſuiſſe, vide Arnob. 4. *l. contra Gentes.* Voſſ. *de Hiſt. Gr. p.* 500.

LEO, θηρῶν βασιλεὺς, *Rex ferarum*, uti ob inſignes eum dotes vocat Phile *c.* 31. & Phædr. *l.* 1. *Fab.* 5. & XI. *fera* κατ' ἐξοχὴν hinc Arabibus, uti θὴρ Græcis, & *Africana*, aut *Libyca*, ſub. *fera*, Latinis: Hebr. modò ארי *Ari*, dicitur, à *videndo*, uti Græcis λέων, à λεύσσω vel λάω; eſt enim θηρίον ὀξυδερκέστατον, *animal viſûs acerrimi*, oculosque habet tam lucidos, ut aliorum animalium viſum fulgore ſuo perſtringat. Oppian. de illo *Venat. l.* 3.

> Καὶ πυρὸς ἀστράπτουσιν ἀπ' ὀφθαλμῶν ἀμαρυγαί.
> *Et ſcintillæ ignis ab oculis fulgurant.*

Unde Plin. leonem capi ſcribit, ſago contra ingruentis impetum objecto, quòd ejus vis omnis in oculis, *l.* 8. *c.* 16. Vide quoque ſuprà in voce *Ariol.* Modò שחל, *Sachal*, i. e. niger. Leonum enim color plerunque fulvus eſt, unde *fulvos* poëtæ Galli, Græci αἴθωνας, δαφοινοὺς, πυῤῥοὺς, & ξανθοκόμας, paſſim vocant; Philoſophusque id perpetuum eſſe credidit, *de Gener. Anim. l.* 5. *c.* 6. Tamen quoſdam nigros eſſe, ex Oppiano conſtat, ubi de Libyco, & Æthiopico leone, *Cyneget. l.* 3. undè idem, de leonum in Æthiopia venatore, *l.* 4. Ὀρνύει, inquit, θῆρα κελαινὸν, *Excitat feram nigram.* In *Ep.* quoque Hebr. Regis Abyſſinorum, quam Munſterus edidit, quatuor Leonum in Abyſſinis colores memorantur, aureus, fulvus, albus & niger. Sed & Indiam nigros habere, Ælian. autor eſt *l.* 17. *c.* 26. & Syriam, Plin. *l.* 8. *c.* 17. Modò לביא, *Labi*, quo nomine leæna propriè, quæ leonem æquat, aut etiam ſuperat, robore & feritate, intelligitur. Modò ליש *Lais*, i. e. robore maximè valens, ut archoleon vel acroleon, quam vocem vide ſuprà: in quo genere juba maximè notabilis, quia promiſſior longoque & ſimplici villo; unde & *jubati* nonnullis per excellentiam, cùm aliis omnes leones mares jubam habeant &c. Animal in Judæa, Syria, & Arabia valdè frequens. Unde toties per *Leones* judicia Dei exercita in Sacris occurrunt: Etiam in Phœnice, proxima inter Berytum & Sidonem, Λεόντων πόλις, *Leonum urbs*, ad fluv. cognominem, memorata Strab. *l.* 16. *p.* 756. & Plin. *l.* 5. *c.* x. Inſuper Ægypto, ejusque regione Thebaide inprimis, Æthiopia ſub Ægypto, Cyrenaica, Marmarica & Libyæ parte Alexandriæ vicina. In qua ultima, leonem, immanem belluam, quæ diu Libyam univerſam ita vaſtaverat, ut ejus magna pars eſſet deſerta, inter venandum proſtravit Hadr. Imp. teſte Athen. *l.* 15. Diximus, *Regem ferarum* Leonem dici paſſim, quod elogium fortitudine ſuâ inprimis meruit. *Quid enim acrius leone?* Jud. *c.* 14. *v.* 19. Quare beneficio Junonis inter Aſtra eum collocatum eſſe, quòd virtute cæteras feras præcelleret, ait Germanicus *ad Aratum.* Indicium fortitudinis, quòd nihil timet, nec ſuſpicax eſt, aut limis intuetur; quòd ad dormiendum non ſecedit in loca remota & abdita, ſed ſomnos capit ubivis; quod nullius metu retrogreditur, & cùm venatorum canumque numero tandem cedere cogitur, non fugit tamen, ſed ſubindè reſtitat & convertitur: qua de re paſſim multa apud Scriptores. Scriptura ſacra quinque hæc potiſſimùm in leone notat terribilia, *faciem*, *inceſſum*, *rugitum*, *os ſ. dentes* & *manum* vel ungues aduncos. Et quidem I. *Faciem* quod attinet terribilem eam Eſdras apertè inſinuat, cùm fortiſſimos illos Gaditarum Duces undecim, qui ſtabant à Davidis partibus, refert habuiſſe *leonum facies*, 2. Par. *c.* 12. *v.* 8. Sic Ovid. de Hippomene & Atalanta jam leonibus, *Met. l.* 10. *v.* 541, 551. & 702.

> *Iram vultus habet* ———

Et Oppian. *de Venat. l.* 3. *v.* 8.

> Σμερδαλέος δ' ἐς πρόσωπα καὶ αὐχένα —

Apud Stat. proin leonem præ ſenio jam viribus effœtum, commendat tamen faciei majeſtas, *Theb. l.* 11. *v.* 741. & *ſeqq.*

> ——— *qualis* leo *rupe ſub alta,*
> *Quem viridem quondam ſylvæ montesque tremebant,*
> *Jam piger & longo jacet exarmatus ab ævo:*
> *Magna tamen facies & non adeunda ſenectus.*

Quam magnam faciem graphicè deſcribit Philoſophus *in Phyſiognom. c.* 5. Vide quoque ſuprà aliquid, in voce *Epiſcynion*; cum nihil

nihil in irritati leonis facie terribilius ſit epiſcynii demiſſione, quod dum facit fere eſt *abbas* vel *abus*, i. e. tetricus & auſterus, uti eum in hoc ſtatu Arabes vocant. II. *Inceßus* illius prædicatur. Prov. *c.* 30. *v.* 29. ubi *tria iſta benè procedunt*, *Leo* primo ſtatim loco recenſetur. Sic enim tanquam animal Βαδίζον βραδέως ϗ μεγάλα διαβαῖνον, ϗ διασαλεῦον ἐν τοῖς ὤμοις ὅταν πορεύηται, *tardè incedens & magnis paſſibus & humeros quatiens, cùm ambulat*, deſcribit Philoſophus ubi ſuprà quod magnanimitatis eſſe ſignum notat. Idem κτ̄ σκέλος βαδίζειν, *pedatim* eum *incedere* ait, ſic nempe ut pes dexter ſiniſtrum non tranſgrediatur, ſed ſubſequatur, *Hiſt. l.* 2. *c.* 1. Quare licèt Græcis & Romanis propriæ voces nullæ ſint, quæ leonis inceſſum peculiariter deſignent, multas tamen Arabes (quibus tanto in honore fera hæc, ut ultra quingenta nomina diſtincta ei tribuere non dubitârint) etiam hic habent, quas Bochart. exhibet ſuo loco laudandus. III. *Rugitus* terribilis & ſonorus eſt. Amos *c.* 3. *v.* 8. *Leone rugiente, quis non timeat?* Et Eſai. *c.* 12. *v.* 6. de eo, qui in excubiis eſt, *Claram ede vocem.* Inſuper dirum aliquid habet & ominoſum, quodque ad terrorem incutiendum omnino comparatum videtur. Unde apud Plutarch. *in Craſſo*, Parthi, ad prælium ſe accingentes, ut hoſtes metu percellerent, partim æreis quibuſdam crepitaculis, partim militari ululatu, βύθιόν τι ϗ δεινὸν ὠρυγῇ θηριώδει ϗ τραχύτητι βροντῆς μεμιγμένον *profundum quiddam & dirum rugitu ferino* (i. e. leonino) *& tonitrus aſperitate miſtum*, exprimebant non ſine ſucceſſu, ut ſequentia docent. Id verò in rugitu leonis maximè terribile, quod hac quaſi clarigatione aut ſi mavis, claſſico, bellum indicit; & poſt rugitum ſtatim ſequitur ſtrages & dilaceratio. Neque enim acri illo & contento fragore intonat, niſi cùm videt prædam in quam protinus irruat, Amos. *c.* 3. *v.* 4. Eſai. *c.* 5. *v.* 29. alibique paſſim. Unde Veterum nonnulli leonis rugitui vim tribuunt, propè dixerim magicam, quâ animalia ſic detineat, ut eo ſemel audito obtorpeſcant, & fugere haudquaquam poſſint, vide *Gloſſam* vet. *in Amoſum d. l.* Baſil. *in Hexaëm. Homil.* 9. Ambroſ. *Hexaëm. l.* 6. *c.* 3. Alios. IV. *Os* non minus terribile. Pſ. 22. *v.* 22. *ſerva me ab ore leonis.* Utpote vaſtum ac immane, quo facilè totum abſorbeat hinnulum, ut ait Phile *c.* 31.

Ῥοφεῖ δὲ νεβρὸν εὐχερῶς βρύχων,

dentibuſque καρχαρόδοντα, ut eadem loquitur, qui, medullam nullam aut ferè nullam habentes, tam duri firmique ſunt, ut ex iis colliſis ignis non minus, quàm ex ſilice, eliciatur, Philoſophus iterum *de Partib. l.* 2. *c.* 6. & 9. Vide ſuprà, ubi de *Dentibus.* Vide *Manus* tandem, inter ejus terribilia, recenſetur, in Edicto Darii Dan. *c.* 6. *v.* 27. *Liberavit* (Danielem) *à manu leonum*: quo nomine intelliguntur pedes leonis anteriores, quibuſdam potiſſimum diſcerpit, dum poſterioribus nititur, Græcis ſimiliter Χεῖρες dictæ. In illa digiti imprimis, i. e. ungues, formidabiles ſunt, quos quinos habet in prioribus pedibus, in poſterioribus ſaltem quaternos. Et quidem inter leonum imperii notas, quas in *Jambis* Phile colligit, eſt quoque ποδῶν μέγας ὄνυξ, *pedum magnus unguis.* Maximi ſc. ſunt illi inter omnes feras, ut & acutiſſimi, Herod. *l.* 3. *c.* 108. quos proin, quaſi ſcirent, quantum unguibus valerent, ſummâ curâ cuſtodiunt, & *gradientes mucrones unguium vaginis corporum claudunt, ne acumina attritu retundantur*, ut ex Plin. refert Solin. Vide de leonum dente & ungue multa apud Oppian. *Cyneget. l.* 4. ubi propterea in leonum venatione Æthiopes habere dicit clypeos è bubulis pellibus, hiſque fretos eos impunè laceſſere addit. Indidem *exarmare leonem*, illi dentes ac ungues evellere, apud Lamprid. *Heliogab.* &c. Neque vero robore ſolum & terrore pollet *Leo*, ſed & ex inſidiis erumpens, in prædam oblatam plerumque inſilit. Unde Deut. *c.* 33. *v.* 22. *Dan ut catulus leonis ſit qui eſilit ex Baſchane.* Et quidem ad ſaltum ſ. inſultum primo membra contrahit. Theocrit. *in Herc.* λεοντοφόνῳ,

--- *ἐπ' ἐμοὶ λὶς αἰνὸς ὀπίσσωθεν ἀθρόος ἆλτο,*
--- *ſic in me* leo ſævus *collectus ſ. contractus proſiliit.*

Deinde eadem extendit: unde Arabibus *aſibatro*, leo eſt, qui ad inſiliendum ſeſe extendit. Porrò in prædam cùm inſiliit, ſtatim fit horrenda ſtrages, cùm immanis monſtri dentes & ungues, quotquot habet, in unius homuncionis aut pecudis necem conſpirent. Dentibus *frangit* oſſa, quod ſingulari ratione leoni tribuitur. Unde *confractor* iterum Arabibus dicitur, & notum illud ξυνέαξε, *confregit*, Homeri *Il.* λ. Carnem verò & membra unguibus diſcerpit ac dilacerat; ubi itidem peculiare id habet, quòd cor potiſſimum impetit, qua de re vide Scalig. *c. Cardan.* ex Hiſtoria Navigationis cujuſdam Troglodytæ, & Franc. Alvarum *Navig. Æthiop. c.* 23. E quibus facilè patet, nil mirum eſſe, ſi integras regiones ab hoc animali, Deo ita permittente, vaſtatas & deſolatas eſſe legamus: quod de quadam Africæ regione inprimis ſcribunt Agatharchides *l.* 5. *c.* 28. Diod. Sic. *l.* 3. Ælian. Var. Hiſt. *l.* 17. *c.* 41. Alii. At Leo etiam tantus, qualem hactenus deſcripſimus ab hominibus Marte ſ. apertâ vi & Arte, i. e. venatorum technis & dolis, uti reliqua animalia, ſubjicitur non raro. Prioris exemplo ſint, quod in S. Scriptura memorantur viri tres, Samſon, David & Benaja, qui congreſſi cum leonibus, illuſtres de iis victorias reportârunt. In profanis Hiſtoriis habemus, Herculem, Alexandrum, Lyſimachum, Hadrianum Imp. Pipinum Gall. Regem Alios. Etiam à femina in Amphitheatro leonem confectum Roma vidit, ſub Domitiano, quam proin Mart. laudat, Herculique ipſi anteponit, *de Spectaculis Epigr.* 6. ubi blanditur Cæſari. *v.* 5.

Priſca fides taceat: nam poſt tua numera Cæſar,
Hæc jam Femineâ vidimus acta manu

Ad venatorum artes pertinet inſignis locus Ezech. *c.* 19. *v.* 2. 3. & 4. ubi Joſiæ filios Propheta eleganti allegoriâ confert cum leunculis, qui eum prædari & rapto vivere jam inciperent, in Venatorum foveas & caſſes incidêrunt. Foveis itaque ſ. foſſis illos capi mos erat, qua de re vide ſuprà in hac voce. Sed & retibus, ad id expanſis, id fieri, in quæ clypeorum colliſione & accenſis facibus territi ſe conjiciant, idque potiſſimum, παρ' ὄχθαις Εὐφρήταο, *ad ripas Euphratis*, docet pluribus Oppian. *Cynegetic. l.* 4. cujus venationis ſolus Prophetarum idem Ezech. qui ad Euphratem ſcripſit, meminit *c.* 32. *v.* 5. ἄρκυας retia hæc dici vult Suid. Sic verò captus uncis in caveam attrahit, & oſtentui circumferri, non raro ſolet leo, cujus moris veſtigia apud eund. Prophetam extant *c.* 19. *v.* 4. etiam pugnæ in Spectaculis depugnandæ. Sic Plin. *l.* 8. *c.* 16. *Leonum ſimul plurium pugnam, Romæ Princeps dedit Q. Scævola P. fil. in curuli Ædilitate. Centum autem jubatorum primus omnium L. Sulla---in Pretura. Poſt eum Pompejus Magnus in Circo DC. ac in iis jubatorum* CCCXV. *Cæſar Dictator* CCCC. Imò & cicurari poteſt, quod ab Hannone primum factum legas *ibid. Primus autem hominum* leonem *manu tractare auſus & oſtendere manſuefactum Hanno è clariſſimis Pœnorum traditur: damnatuſque illo argumento, quoniam nihil non perſuaſurus vir tam artificis ingenii videbatur, & malè credi libertas ei, cui in tantum ceſſiſſet etiam feritas.* Quod plus eſt, *jugo ſubdidit eos; primuſque Romæ ad currum junxit Marcus Antonius, & quidem civili bello, cùm dimicatum eſſet in Pharſalicis campis, non ſine quodam oſtento temporum, generoſos ſpiritus jugum ſubire illo prodigio ſignificante: nam quòd ita victus eſt cum mima Cytheride, ſupra monſtra etiam illarum calamitatum fuit.* Undè *frænatos leones* memorat Manil. *l.* 5.

Ille manu vaſtos poterit frænare leones.

Sed & alias feras, capreas, cervos, apros, tauros & onagros venando aſſuefieri, Indicos inprimis leones, autor eſt Ælian. Var. Hiſt. *l.* 12. *c.* 39. & *l.* 17. *c.* 26. Quid quòd de leone Berenices Reginæ *nihil ab Ornatricibus ejus ancillis* habuiſſe diverſi, refert prædictus Plin. &c. Vide infrà ubi de *Manſuetariis.* Ut & hæc addam, exuvias ejus vett. Heroum geſtamen fuiſſe, & in hac pelle nobiliores hoſpites excipi conſueveviſſe dicimus alibi. Eundem galeæ ſuperaddidit antiquitas, προτομὴν ſc. τ̃ θηρίȣ, i. e. *anteriorem partem ferini capitis*, titi de Tydæo, in *Parœmiis*, & de Ægyptiis Regibus apud Diod. Sic. *l.* 2. legimus. Etiam *Leonem* μαχαιροφόρον in gemma habebat Pompejus Mag. eoque literas ſignabat, Plutarch. *in eo*: in ſcuto item, vide infrà *Pompejus* hodieque Familiarum illuſtrium in inſignibus viſitur, qua de re verò Phil. Jac. Spener. *Arte Herald.* nummiſque Principum: ut infrà obiter videbimus. Nec omittendum, quòd figuram leonis Templum Salomonicum habuiſſe, anteriore parte latius, poſteriore anguſtius, adeoque *Arietis* nomine notanter illud in Sacris venire, obſervant Eruditi &c. Plura de Principe hac fera, vide apud Plin. ubi ſuprà alioſque qui *de Animalibus* ſcripſêrunt, inprimis apud Salmaſ. *ad Solin.* & Bochart. *Hieroz. Parte prior. l. III. c.* 8. *prioribus*, ut & ſuprà in voce *Leæna.* Adde mox dicenda.

LEO, inter XII. ſigna Zodiaci, Junonis commendatione, collocatus dicitur Germanico *ad Aratum*, quem Nemeæum, ab Hercule ſuperatum, poëtæ ajunt, atque è Luna priùs, quòd vulgarem modum excederet, decidiſſe fabulantur. Ælian. Var. Hiſt. *l.* 4. *c.* 5. Nota ejus, cauda leonis eſt, ἀλκαία Græcis dicta, quæ ſic vulgò pingitur Ω at in vett. Græcorum libri aliter paulo, & modò erecta, modò inflexa, repreſentatur. Illa enim animum ſuum oſtendit, & quidem prorſus immota placidum leniter & blandè mota blandientem, at vehementiùs agitata irritatum. Plin. *l.* 8. *c.* 16. *Leonum animi index cauda---immota ergo placidus clemens blandientique ſimilis quod rarum eſt: crebrior enim iracundia ejus. In principio terra verberatur: incremento terga, ſ. quodam incitamento, flagellantur.* Apud Ægyptios Anni hoc initium, qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 435. ubi & hieroglyphicis literis magnopere celebratum hoc animal docet: vide quæ de fontibus λεοντομόρφοις apud eoſdem & Græcos ſuprà diximus: ut & infrà ubi de *Leone picto.* Ut aliquid de ſacro uſu ejuſdem adjciam, Cybeles currui jungebantur leones. Lucret. *de Rer. Nat. l.* 2. *v.* 600.

Hanc veteres Grajûm docti cecinêre Poëtæ
Sublimem in curru bijugos *agitare* leones,

Rationem Macrob. reddit, *Sat. l.* 1. *c.* 21. *Hæc Dea leonibus vehitur, validis impetu ac fervore animalibus: quæ natura cœli eſt, cujus ambitu aër continetur, qui vehit terram.* In ejuſdem Deæ ſacris *leonis* ſimulacrum ſpectabatur, quòd Galli tympanis aliquando feram hanc adeò reddidiſſent manſuetam, ut manibus etiam tractari ſe pateretur, quemadmodum habet Varro. Porrò Vulcano ſacer fuit, apud Ægyptios, ob igneam naturam & acutam oculorum aciem, uti ait Alex. Aphrodiſæus *Problem. l.* 1. *ſ.* 68. Imò à Leopolitanis pro Numine cultus eſt, quòd inter rationis expertia maximè excellat. Unde & Perſæ Deum ſuùm Mithram, ſive Solem, leoninâ effinxiſſe facie leguntur. Quò facit, quòd apud Plutarch. *Sympoſ. quæſt. l.* 4. *Quæſt.* 5. reperias, leonem Soli ſacratum, quòd leæna ſola ex quadrupedibus curvi ungulis fœtum pariat videntem: ad hæc, quòd leo breviſſimo contentus ſit ſomno, & dormientis oculi præfulgeant, quodque proin omnem Serapidis atque Iſidis venerationem Soli inpenſam fuiſſe, *vel dum calathum capiti ejus infigunt Ægyptii, vel dum ſimulacro ſignum tricipitis animantis adjungunt; quod exprimit medio eodemque maximo capite* leonis *effigiem* habet Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 20. quod item Leontini, Sole Leonem permeante, reperiant fontes & lacunas ſuas novâ repletas aquâ. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 52. & *ſeqq.* ubi plurima egregia de hoc animali affert, Autoribus ſuprà laudatis magno ſuo merito jungendus. Sed & alii Deorum *Leonum vultu dedicati*, Minuc. Fel.

Octavio; Unde Arnob. *Inter Deos videmus veſtros, leones torviſſimâ facie.* Tertullian. *Apolog. c.* 16. *Illi debebant adorare ſtatum biforme Numen, quia & canino & leonino capite commiſtos--- Deos recepêrunt.* Vide quoque Porphyrium περὶ ἀποχῆς ἐμψύχ. *l.* 4. ut & aliquid ſuprà in voce *Faſtigium.* In Sacra Scriptura *Leoni* conferuntur I. In bonam partem, α. Deus O. M. cùm vel ſeveriùs caſtigat ſuos, vel in impios atrocius animadvertit, Hiobi *c.* 10. *v.* 6. ubi Olympiodorum vide *in Catena* & Polychron. Thren. *c.* 3. *v.* 10. Jer. *c.* 23. *v.* 37, & 38. Hoſ. *c.* 5. *v.* 14. ubi Theodoret. & Greg. Nazianzen. *Jambico carm.* 21. β. Chriſtus, Apoc. *c.* 5. *v.* 5. ad quem *l.* Chryſoſtomum conſule *Tom. V. Hom.* 97. Cyrillum item Hieroſ. *Catecheſ. Illum. X.* & Iſid. Peluſiotam *l.* 2. *Ep.* 175. γ. Angeli, Ezech. *c.* 1. & 10. nec non Apoc. *c.* 4. *v.* 7. ubi Bochart. per IV. Animalia, Angelos denotari ait; *Hieroz. Parte pr. l.* 3. *c.* 6. δ. Fideles tandem in genere, Prov. *c.* 28. *v.* 1. ubi iterum Iſid. vide præfat. *d. l.* 2. In malam partem, α. Diabolus, 1. Petri *c.* 5. *v.* 8. ad quem loc. vide Chryſoſtom. ubi ſuprà. β. Et Homines impii Dei ac fidelium hoſtes, Eſai. *c.* 35. *v.* 9. ubi Theodoret. vide, & plura hanc in rem apud Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce Λέων. Adde, quæ infrà dicemus, in voce *Leones.* De *Leone* ſaltationis, apud priſcos, genere, *aſpectu & impetu fero* id nomen merito, vide Scalig. *poet. l.* 1. *c.* 18. de *Leonibus marinis*, aſtacorum genere, eund. Voſſ. de *Orig. & Progr. idol. l.* 4. *c.* 33.

LEO, vel *opp. S. Pauli*, vel *Leunum*, vulgò *Leon*, vel. *S. Paul de Leon*, opp. eſt Galliæ, Epiſcopali ſede inſigne, in Brit. min. Ejus meminit Aimoin. *Miracul. S. Bened. l.* 2. *c.* 11. *Oſa Oceani maris eſt inſ. quæ à continenti Armoricanæ regionis terra, quam cornu Galliæ vocant, pelago 16. paſſuum in tranſverſum porrecto ſejungitur. In ea B. Paulum cogn. Aurelianum, eremiticam duxiſſe vitam, ex libro Vitæ ejus didicimus. Hic denique S. Paulus in loco Brittanniæ, qui* Opp. *dicitur* (namque & ſic ſimpliciter *Leo* vocatur) *Ep. factus, ibidem meruit ſepulturam.* Eſt in Lemovicibus Armoricis. Oſiſmiorum parte, qui ab hoc opp. *Leonenſes* nunc vocantur: quemadmodum ager paguſque circumjacens *Leonenſis*, Gall. *le Leonnois* nuncupatur. Olim ſub Comitibus fuit, unde Herveum, *Comitem Leoniæ* i. e. Leonnenſem, A. C. 1163. dolo captum conjectumque in carcerem apud caſtellum Nini, & ab Haimone Ep. *Leonnenſi* ac Conano Cogn. *Parvo*, Britanniæ Duce, caſtro per vim expugnato, liberatum fuiſſe, ſcribit Gul. Armoricus, *in Geſtis Phil. Aug.* Gervaſius Tiſleberienſis & duæ Not. Epiſcopatuum Galliæ, inter Epiſcopatus Turonenſi Metropoli ſubjectos, poſt Redonenſem, Nannetenſem, Coriſopitenſem, Venetenſem, Maclovienſem, Briocenſem & Tregorenſem, numerant *Leonenſem*, Dolenſique provinciæ ultimo præponunt. Vide Hadr. Valeſ. in voce *Lemovices Armorici*, item in voce *Oſiſmii.*

LEO Allatius, Chius, Jeſuita: plurimis ſcriptis, inprimis *de natura, temporum Diatribâ de Pſellis, de Georg. &c.* nomen adeptus. Romæ floruit.

LEO Aſianus, an idem cum Leone Alabandenſi? An idem cum Leone Grammatico, qui Theophanis Hiſtoriæ ſeptem Imperatorum vitas adjecit? Voſſ. *de Hiſt. Lat.* Labbæus, *in app. ad Byz. Hiſt. p.* 45.

LEO Babt. Alberti, Architectus celebris, Archimedes & Vitruv. Seculi noſtri dictus.

LEO, Byzantius, auditor Platonis, ſophiſta nobilis, Phil. contra Byzantium venienti occurrens, *Dic age*, (inquit) *Philippe, quæ te cauſa trahit oppugnatum noſtra mœnia?* At ille, *Amor*, inquit, *tuæ patriæ, qua, ut potiar, veni.* Leo excipiens reſpondit: *Atqui inſtrumento Muſico, non bellico, amantibus opus eſt.* Philoſtrat. Suid. ait, Phil. quum Leonem in expugnatione Byzantii, præter cæteros adverſantem haberet, epiſtolas ad Byſantios ſcripſiſſe calumniæ plenas: ſi voluiſſet dare tantum pecuniæ Leoni, quantum petebat, jamdudum urbe fuiſſe potitum. Cives hoc accepto, domum ejus circumſtetêre; ille ſibi metuens laqueo vitam finivit, parum Philoſophicè. Hic Leo Byzantius olim venit Athenas, populo inter ſe diſſidenti de concordia ſuaſurus: qui ibi viſus puſillus, deriſui habitus eſt: *Quid*, inquit, *viri Athenienſes, ſi uxorem meam videritis, quæ tantilla eſt, ut vix me genu tenus pertingat?* Major hinc ſublatus eſt riſus. *Atqui*, inquit, *nos tantopere puſillos & breves, ſi inter nos diſsidium eſſet, vix opp. Byzantium capere poſſet.* Plutarch. A gibboſo irriſus, quòd luſcus eſſet, illum in tergo reſponſum portare, regeſſit. Scripſit varia hiſtorica aliaque priſcis laudata. Philoſtr. *l.* 1. *de vita Sophiſt.* Athen. Suid. Voſſ. *de Hiſt. Græc.*

LEO Caſtro, Hiſpan. in Eſajam commentatus eſt.

LEO Johannes, vide *Johannes.*

LEO Judæ, Alſata, Eccl. Tigurinæ Paſtor. Hujus operâ Bibl. Tigurinorum bona pars ex Hebraico in Latinum ſermonem tranſlata eſt. Scripſit præterea *Annotationes in Geneſin*, ex ore Zuinglii exceptas, quæ Tiguri prodiêrunt, A. C. 1527. *In Exodum* itidem. Obiit A. C. 1542. Æt. 60. quo ipſo Anno Petrus Cholinus, in Eccl. Tigurina Prof. Apocryphis Latinè tranſlatis, & quinque linguarum notitiâ celebris, Obiit, Bucholcerus *in Ind. Chron.*

LEO Marquardus, vide *Marquardus.*

LEO Marſicanus, vel Oſtienſis, Marſico, Italiæ urbe oriundus, Oſtiæ Ep. ſub Paſchali II. Scripſit Chronicon Montis Caſſini libb. 3. quibus quartum Petr. Diaconus adjecit. Porro, Sermones, vitas SS. Mennati & Januarii, &c. Sec. 12. Alius fuit *Leo Oſtienſis* Card. Urbano II. à ſecretis Morer. *in Dict. Hiſt.*

LEOBATES, Lacedæmonius, Heraclides; fil. Echeſtrati pater Dorvagi. Herod. *l.* 7. *c.* 65.

LEOBURGUM, vide *Lavvenburgum.*

LEOCATA, opp. Occitaniæ, *Leucate* vulgò, inter ſtagnum cogn. ad Occ. & oram maris Mediterr. ad Ort. in conf. Comit. Ruſcinonenſis. Arx ejus antè permunita, haud pridem diruta eſt. Ibi Hiſp. grandi clade à Gallis affecti A. C. 1637.

LEOCHARES, ſculptor eximius, unus eorum qui cælavêre Mauſoleum, Plin. *l.* 34. *c.* 8.

LEOCORION, monumentum ab Athenienſibus, in medio Ceramico erectum: nam cùm Attica univerſa maximâ fame laboraret, unumque hoc ab oraculis oſtenderetur remedium, ſi quis ſuos liberos immolaret, inventus eſt Leo quidam, Orphei fil. qui 3. filias ſuas virgines, Paſitheam, Theopen, & Eubulen tradidit immolandas. Cujus beneficii memores Athenienſes monumentum ei erexêrunt, & *Leocorion* appellârunt. Thucyd. *l.* 1. *p.* 14. & *l.* 6. *p.* 449.

LEOCRATES XVIII. Athenienſium Princeps, à Medonte numerando, τῶν Δεκαετῶν ſ. *Decennalium* V. reg. An. 10. A. U. C. 42. Vicit Corinthios & Epidamnios, oraque Peloponneſi vaſtatâ, prope prom. Cecryphalum bis victor fuit. Diod. Sic. *Bibl. Hiſt.* Ei ſucceſſit Apſandrus quem vide.

LEOCRINES, Hiſtor. quidam, de quo vide Etymologum in Κρῖνα.

LEOCROCOTTA, perniciſſima fera, *reliquas omnes velocitate præcedens*, Solin. qui eam *Leucrocotam* vocat, Plin. imitatus *l.* 8. *c.* 21. ex *Lea* & *Crocotta*, unde etiam nomen, ortum habet, & in Æthiopia reperitur. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1008. ubi cum *Crocotta*; de qua dictum eandem facit.

LEODIA, vel LEODIGA ſylva Galliæ olim publica i. e. Regalis ſive Fiſcalis fuit, quæ hodie ab urbe vicina Aurelianenſis *la foreſt d'Orleans*, dicitur, in qua adhuc locus eſt *Bois commun* dictus. In ea venandi jus Eccl. S. Crucis, ſ. Epiſcopis Aurelian. conceſſit Hugo Rex, quod confirmatur à Theoberto ejus fil. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

Loca in ſylva Leodiga ſ. Aurelianenſi.

Artenajum *Artenay.*	Marogilum *Marolle*, vel *Mareau des Bois.*
Bordæ *les Bordes.*	Suriacum in Boſco *Sury au bois.*
Boſcus commun. *Bois commun.*	Vitriacum *Vitry*, ubi monaſt. S. Medardi.
Bullum *Bois.*	Vitriacum ad Logias *Vitry aux Loges.*
Gargogilum *Gergeau.*	
Ingrana *Ingrande.*	
Maceriæ *Mezieres.*	

LEODIENSIS Lambertus, vide *Lambertus.*

LEODIENSIS Laurentius, vide *Laurentius.*

LEODIENSIS Stephanus, vide *Stephanus.*

LEODIUM, mel. Judice Lipſ. *Leodicum*, olim vicus, in valle poſitus, inter nemora & montes, fontibus & amniculis per prona decurrentibus amœniſſimus, in quem Landebertus Tungrorum Ep. crebrò ſecedere conſueverat, ubi quoque à Dodone domeſtico Pippini Regis interfectus ac ſepultus eſt: poſtea urbs Belgii ad Moſam fluv. Hadr. Valeſ. habet, ad Urtæ & Moſæ confluentes, in finibus Eburonum, ampla, copioſa & Epiſcopatus, ſub Archiep. Colonienſi, ſedes, poſthabitis Tungris ac Trajecto evaſit, ſub S. Hucberto Landeberti ſucceſſore. Nomen à *Leudibus*; vel *Leudis Leodiſve*, veteri appellatione Germ. quæ homines ſignificat, accepit. *Luttich* Germanis. Vulgò *Liege*, ab amniculo fortè Legia *Legie*, ibi in Moſam effluente. Ad tertium à Tungris miliare, quâ Mer. ſpectat, tanto murorum cingitur ambitu, ut altiſſimos complexetur montes vitibus conſitos. Deinde in planitiem excurrit, adeò glebâ fertili, ad hæc pomis, & nucibus omnis generis abundans, ut de præſtantia cum Sicilia certare poſſit. Caput eſt *Leodienſis* Epiſcopatus *le pays de Liege* Gall. *Stift von Luick* Germ. qui tractus eſt Germ. in Belgio inſertus, verſus Moſam, ſub Ep. proprio; pars Circuli Weſtphaliæ. Terminatur ab Or. Ducatibus Limburgico & Luxemburgico; ab Occ. Brabantiâ & Comit. Namurcenſi, à Sept. Geldria ſup. Partes quoque aliquæ Luxenburg. Namurcenſis & Hannonii tractuum huc pertinent. Fuit hæc ditio aliàs ampla, nunc Trajectum ad Moſam, Carlomontium, aliaque quædam opp. aliis ſubſunt. Populos ſub ſe complectitur Cæſari veteribuſque notos ac celebratos, Eburones, quorum veſtigium retinet Ebura oppid. milliario uno à Leodio diſſitum: Tungros, qui Germanos ſe primi dixêre: horum opp. nunc *Tongren*: Centrones quoque eo loco habitâſſe contendunt multi, ubi hodie nonnihil mutatâ voce *Sainct Truden*, i. e. *ſancta Gertrudis*, vel potius *S. Trudonis*, Abbatia videtur, à Leodio ſex, à Tungris tribus diſtans milliaribus. Porrò hîc ſunt oppida Huum, Dinantium, Vallocuriæ, Bullionium, aliaque. Hîc utpote in villa publica ſ. fiſcali, Car. Mag. Natalem Domini celebravit, A. C. 769. Henr. IV. Imp. mœrore animi Extinctus eſt, A. C. 1107. quinque Annis ſepulturâ à Papa prohibitus. Henr. VI. Imp. Ep. rebellem coërcuit, A. C. 1191. Reſpublica per totos 40. Annos, horrendo illo ſchiſmate, cùm Paparum [illegible] nus Romæ, alter Avenione ſederet, neutrum agnovit, [illegible] Sec. 14. Regio 52. Baronias, Abbatias plurimas, 24. urbes muris cinctas, & ultrà vicos 400. continet. Urbe ab Ambiorige, cujus Cæſar meminit, de Bell. Gall. *l.* 5. *c.* 8. quibuſdam videtur condita, multa paſſa ſub Normannis, capta à Brabantiæ Duce, & integro ſextiduo direpta, A. C. 1212. Iterum diſſenſionibus ob Electionem Ep. obortis graviter afflicta, Sec. 15 à Burgundiæ Duce Car. poſt varia prælia, horribiliter vaſtata, A. C. 1468. hoc quoque Sec. ab Epiſcopis malè habita; & præſentis belli mala ſentit, captâ per proditionem à Gallis arce, A. C. 1675. quæ deſtructa, A. C. 1676. Vide Joh. Chapeauville *in Tom. Script. Pont. Tongr. & Leod.* Mor. in Dict. Hiſt. nuperrimè quoque ignes Gallicos, & jam iterum minas atroces vacante ſede, perpeſſa &c.

LEODO Salinarius, municipiolum eſt vel caſtellum in Sequanis, proximum Arlato *Arley*, amœnitate ſitûs & ſalis fontibus celebre, vulgò *Lion le Saulnier*; ad amniculum, qui infrà Tinurtium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

tium in Ararim defertur. Hic moneta olim, à loco *Leodonenſis* dicta, percutiebatur, teſte Chifletio *in Veſontione*: ubi addit, Ledore apud Franciſcanos ſigna marmorea præclara atque adeo mirabilia conſpici. Caldariarum ſive ahenorum, in quibus aqua hoc in loco ſalſa decoquitur & in ſalem coaleſcit, mentio fit, in teſtam. Bernonis Abbatis Gigniacenſis, ante Annos 760. apud Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LEODOCUS, Argivus, unus ex Argonautis Val. Flacc. *Argon. l.* 1. *v.* 359.

Nititur hinc Talaus Fratriſque Leodocus *urget.*

LEODORICUM, oppid. Locrenſium, Pindo adhærens Laonicus.

LEODRISIUS Cribellius, proſâ verſuque clarus, ſub Pio II. Hiſtoriam Franciſci Sfortiæ, & patris ejus elaboravit, &c. Pius II. *c. ult. Europæ.* P. Jov. *in Elog. Franc. Sfort.* Voſſ. *de Hiſt. Lat.*

LEOGORAS, luxurioſus quidam Athenis, qui phaſianos alebat delicatioraque fercula in cœna apponebat. Eum tanquam γαστρίμαργον inſectatur Plato Comicus in Περιαλγεῖ: qui perhibetur, amore in Myrrhinam meretricem omnes ſuas facultates effudiſſe. Fuit verò pater Andocidæ Rhetoris magiſtratumque geſſit. Vide Ariſtophanis *Nubes*, *Crabron*, & *Scholia ibid.* Thucyd. *l.* 4. *p.* 35

LEON, fil. Eurycratidæ, pater Anaxandridæ, Rex Lacedæmoniorum, ab Euryſthene XIV. Herod. *l.* 7. *c.* 204.

LEON, nomen Fam. Principalis in Gallia, ex ſtirpe Rohanæa. Alano enim VII. genitus Joh. II. gener Phil. Eburovicenſis, Regis Navarreni, Extinctus A. C. 1395. duarum linearum Pater fuit. Nam ex Alano VIII. primogenito, reliqui Vicecomites *de Rohan* Com. *de Porhœt* & Principes *de Leon* deſcendêrunt: donec Sec. Præt. deficerent. Ex Car. vero minori, omnes reliqui deſcendunt, ita quidem, ut obſervetur, Lud. Car. fil. genuiſſe Lud. cogn. *Magnum* (à quo Domini, vel, uti nunc vocant, Principes *de Guimené*. Duces *de Montbazon* & Comites Rupifortii (*de Rochefort*) qui nunc quoque florent, derivantur) & Petrum Dn. *de Gie*, Mareſcallum Franciæ, Patrem Car. Dn. *de Gié & du Verger*, cujus poſteritas in neptibus defecit, ac Petri Dn. *de Frontenay*, mariti Annæ, quæ hæres primarii rami Rohanæi fuerat: Undè in hujus poſteris iterum Vicecomitum *de Rohan*, Princ. *de Leon* & Dn. *de Soubize*, titulus continuatus eſt, ac demum Ducalis corona acceſſit. Ultimus maſculus ex ea vitam clauſit Henr. Dux A. C. 1638. ſucceſſione, filiæ ejus Margarethæ nuptiis, in fam. Chabotiam tranſlatâ. Vide *ſuprà*. Progenitores verò Henr. Duc. *de Rohan* Princ. *de Leon* præfati, ſic habent. Car. *de Rohan* Dn. *de Guimené*, Extintus A. C. 1435. Pater fuit, ex Catharina (filia Bertrandi *du Guesclin* Dn. *de Touff*,) Lud. I. *de Rohan* Dn. *de Guimené & Gié*, qui Obiit, A. C. 1462. Hoc & Mariâ Montalbanenſi (filiâ Joh. Dn. *de Montaulban* Mareſc. Britanniæ Duc.) genitus Petrus *de Rohan*, Dux *de Nem.* Dn. *de Gié* Mareſc. Franciæ, Franciſcam ſibi junxit *de Penhovet*, (filiam Gulielmi Dn. *de Penhovet*, Vicecom, *de Fronſac*) atque ex ea genuit Petrum *de Rohan* Dn. *de Frontenay*, cui Anna hæres Vicecom. *de Rohan*, (filia Joh. III. ex Maria Britannica, neptis Alani X. ex Maria Lotharingica, Proneptis Alani IX. ex Margaretha, an Maria Joh. Ducis Britanniæ filia) genuit Renatum I. Vicecom. *de Rohan*; qui Defunctus A. C. 1552. ex Iſabella Albretana (filia Joh. Albretani Navarræ Regis & Catharinæ Foxiæ Navarræ Reginæ) reliquit Henr. Vicecom. *de Rohan* (cui Franciſca *de Tournemine* nupta) Renatum II. Vicecom. *de Rohan* (maritum Catharinæ filiæ Joh. *de Parthenay*, Dn. *de Soubyze* patrem Henr. prædicti, Morutum A. C. 1586.) Joh. Dn. *de Frontenay*, (cui uxor obtigit Diana *de Barban'on*) & Franciſcam (deſponſatam Jacobo de Sabaudia Duci Nemoroſio.) Phil. Jac. Spener. *Theatr. Parte I. p.* 82. Vide quoque infrà ubi de Fam. *Rohanæa.*

LEON, Eubœæ inſ. prom. Ptol. *Cabo Mantello* Sophiano. Item aliud Cretæ in ora Auſtrali, *Capo Leon.* Eſt & Phœniciæ fluv. *Damor*: Item Siciliæ, haud procul à Syracuſis, locus, ſive vicus fuit. Thucyd. *l.* 8. *p.* 587. Λέων. Liv. *l.* 24. *c.* 29. & 39. *Leontia* ubi tamen *Leontem* legit *Cluv.*

LEONA, urbs Gall. Celt. in ora Britanniæ min. Bor. *S. Paul de Leon*, & *Leondoul* incolis, 10. leuc. à Trecorio, 11. à Breſto in Eur. 33. à Rhedonibus in Occ. ſatis munita, cum portu & arce; ſedes aliquando Ducum.

Viri Clari.

LEONARDUS Chius Archiep. Mitylenæus, ſcripſit ad Nic. V. de capta CPoli.

LEONARDUS Digſius, Mathematicus Anglus, ſcripſit *Prognoſticum Generale*, *Tectonicum*, &c. A. C. 1550.

LEONARDUS, Fortius Rom. Mathematicus, de arte Mil. tractatum edidit, Venetiis, A. C. 1531.

LEONARDUS Fuchſius, celebris Medicus Tubingenſis, ſcriptis inclytus. *Medicus illuminatus* dictus. Obiit A. C. 1566. Æt. 65. Bert. *l.* 3. *Germ. Ill.* plura apud Ant. Teiſſier *in Elog.* ubi & catalogus ſcriptorum ejus, quæ magno nu mero prodiére.

LEONARDUS Hubertus, vide *Hubertus.*

LEONARDUS Juſtinianus, fil. Bernhardi, frater Laurentii, primi Patr. Veneti Senator, A. C. 1430. Nepos alterius *Leonardi.* Scripſit quædam. Philelphus, *in Conviv. l.* Volaterr. *l.* 21. Voſſ. de *Hiſt. Lat.* &c.

LEONARDUS Leſſius, Brabantus, Jeſuita ſcriptis celebris. Obiit A. C. 1623.

LEONARDUS Thurneyſerus, Aſtrologus & Alchymiſta Baſilienſis, magni nominis: Obiit Coloniæ A. C. 1596.

LEONARDUS de Utino, Dominicanus, autor variorum Aſceticorum. A. C. 1445.

LEONATA, Pannoniæ Saviæ urbs. Ant.

LEONATUS, Onaſi fil. Antei aliis, vir nobilis fuit ex Macedoniæ Ducibus, Phil. ex materno genere conſanguineus, unà cum Alex. educatus. Suid. Periit, auxilio veniens Antipatro, Olymp. 114. Anno 2. Diod. Sic. *l.* 17.

LEONE picto, Nili ἀνάβασιν repræſentabant Ægyptii, ut ſcribit Orus, Ἐπειδὴ ὁ ἥλιος ἐν λέοντι γενόμενος πλείονα τὴν ἀνάβασιν τοῦ Νείλου ποιεῖται, ὥστε ἐπιμένοντος τοῦ ἡλίου τῷ ζωδίῳ τούτῳ τὸ διμοιρον τοῦ νέου ὕδατος πλημμυρεῖν πολλάκις, *Quoniam Sol in leone exiſtens altius aſcendere Nilum facit, adeò ut, in hoc ſigno Sole morante, nonnunquam alterum tantum aqua increſcat.* Hinc Aſtrologi augurabantur, quanta eſſet, futura ἀνάβασις, ex ortu caniculæ, quæ in principio leonis exoritur. Indidem & canales ſalienteſque ſacrorum fontium λεοντομόρφους, *Leonis formam habentes*, iidem fabricabant. Idem Orus, ὅθεν καὶ τοὺς χολέδρας καὶ τὰς εἰσαγωγὰς τῶν ἱερῶν κρηνῶν λεοντομόρφους κατεσκεύασαν οἱ τῶν ἱερατικῶν ἔργων προεστῶτες &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 451.

LEONES, myſtæ dicti Mithriacorum ſacrorum. Tertullian. *Sicut aridæ & ardentis naturæ ſacramenta* Leones *Mithra philoſophantur.* Porphyr. Ὡς τοὺς μετέχοντας τῶν αὐτῶν ὀργίων μύστας λέοντας καλεῖν, τὰς δὲ γυναῖκας ὑαίνας, *Sic ut participes eorundem ſacrorum myſtas Leones vocent, feminas hyænas.* Hinc *Leontica ſacra*, quæ eadem cum Mithriacis. Nempe Sol, quem *Mithræ* nomine Perſiæ celebrant, quemque Stat. deſcribit. *Theb. l.* 1. *v.* 719.

-- ſeu Perſei ſub rupibus antri
Indignata ſequi torquentem cornua Mitram.

vultu *leonino* cum tiara fingebatur pingebaturque, utraque manu reluctantis tauri cornua comprimens, uti autor eſt Lutat. *ad Stat.* vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aurel.* ſuprà *frugifer*, & infrà *Mithra.*

LEONES, opp. Normanniæ, in fundo undique ſylvis cincto, ad amnem *d'Orleau.* 4. leuc. à Rothomago in Ort. Bellovacum verſùs 10. & 4. à Novo Mercatu & Gorneo. Vulgò *Lyons en Foreſt.* Nomen enim à ſylva Leonum, in finibus Veliocaſſium ſita, accepit. Baudr. & Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LEONES, nummi aurei Francici, Gall. *Deniers d'or fin au Lion*, in quibus Rex ſedet in cathedra, cum *leone* proſtrato ſub pedibus, pond. 3. den. 20. gr. pretii 25. Turon. circa A. C. 1338. Idem nomen fuit nummis aureis Comitum Flandriæ ac Ducum Burgundiæ quod in iis eſſet *Leo* effictus quorum typum exhibet Hautin. *de Monetis Franc. l. p.* 95. apud C. du Freſne *in Gloſſ.* quem vide, in vocibus *Leones*, & *Moneta.*

LEONESSA, opp. Aprutii ulter. in limite dit. Pontif. ad radices Apennini, inter civitatem Regiam ad Ort. & Caſciam ad Occ. 10. mill. à Reate in Eur. Vulgò quoque *Leoneſſa.*

LEONIA & UM, urbs magnæ Græciæ, exciſa, inter Siberenam & Crotonem, I. Conc. *S. Leone.*

LEONICA, opp. Edetanorum fuit; quibuſd. *Oliete* hodie, aliis *Alcaniz*, vicus ad amnem *Guadalope*, in Arragonia ambo, & conf. regni Valentini.

LEONICA, pars urbis Romæ ultra Tiberim, ſic dicta à Leone IV. Pontifice, qui eam muris cinxit, *Leonina* Ferr. *Borgo* hodiè.

LEONICENSES, Hiſp. cit. pop. Plin. *l.* 3. *c.* 3.

LEONICEUS Nicolaus, vide *ibi.*

LEONIDAS, fil. Cleonymi, Rex Spartanorum ex Agidarum ſ. Euryſthenidarum fam. nepos Acrotati, Areo II. ſucceſſit. Sed à Cleombroto genero pulſus, aliquandiu in exilio egit, donec ab Ephoris illo depoſito in regnum revocatus eſt; Seleuco Callinico in Syria, & Ptolemæo Euergete I. in Ægypto regnantibus. Ei ſucceſſit Cleomenes III. fil. Euriſthenidarum ultimus, quem vide.

LEONIDAS Cleomenis Spartanorum Regis frater, Lacedæmoniorum Dux, qui adverſùs Xerxem penè incredibilia egit. Hic commilitonibus dicebat, *pergite animo forti, hodie apud inferos fortè cœnabimus.* Cecidit ad Thermopylas, cùm illas anguſtias cuſtodiret quadringentis ſolùm militibus, cujus cor excidens Xerxes piloſum invenit. Vide C. Nep. in Themiſt. *c.* 3. Plutarch. Herod. *l.* 7. *c.* 120. & 224. Juſtin. *l.* 2. *c.* x. & xi. Val. Max. de prodigiis. *l.* 1. *c.* 6. Ext. 1. & *l.* 3. de Fortibus *c.* 2. Ext. 3. Diod. Sic. Pater fuit Pliſtarchi Regis quem vide Cæterùm ei Templum dicâſſe Spartanos, tradit Strabo *l.* 8. quemadmodum iidem coluêre Hyacinthum, teſte Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 18. Agamemnonem, apud Clem. *Admonit. ad Gent.* Menelaum, apud Pauſ. *Lacon.* Paridem ac Deiphobum, apud Æn. Gazæum: Helenam, apud Iſocr. *Helen. Encom.* Lycurgum, apud Plutarch. *in eo*: & Braſidam, apud Thucyd *l.* 5. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. & progr. Idol. l.* 1. *c.* 13.

LEONIDAS, intimus Parmenionis, quem Alex. Mag. Ducem dedit iis, qui mortem Parmenionis conqueſti, in unam cohortem ſecreti erant, Curt. *l.* 7. *c.* 2. Forſan is quoque eſt, quem nominat Polyæn. *l.* 4. *in Antig.*

LEONIDAS, à fil. Origene, miſſâ epiſtolâ, *Cave tibi, ne propter nos aliud quid cogites*, ad martyrium roboratus eſt, circà A. C. 204. Euſeb. *l.* 6. *c.* 1. & 2. Sulp. Sev. *Hiſt. Sacr. l.* 2. *c.* 46.

LEONIDES, inter Duces, qui à diſciplina Probi prodiêrunt, memoratur Vopiſco *in Probo.*

LEONIDES, Alex. pædagogus parum pudicus, Quintilian. Curt. Suppl. *l.* 2. *c.* 7.

LEONIFERI, inter vexillarios Eccl. Rom. apud Petr. Diacon. *l.* 4. *c.* 37.

LEONINA, vulgò *Borgo di S. Pietro*, pars urbis Romæ, trans Tiberim, in qua Vaticanus mons & palatium Pontificum, apud Baſilicam S. Petri, Nomen accepit à Leone IV. qui muris eam contra incurſiones Barbarorum cinxit. Ferr. Nunc vulgò *il Borgo* dicitur, *Baudr.*

LEONINI verſus, qui alias *Rythmici* & ὁμοιοτέλευτοι à *Leone* quodam poëta dicti vendentur, qui floruiſſe legitur, circà tempora Lud. VII. vel Phil. Aug. Franciæ Regg. memoratus Ægidio Pariſienſi *in Karolino l.* 5.

Nec minùs in ſacris melico ſermone Leonem
Ludentem Hiſtoriis, & quem intepuiſſe dolemus.

Vide Steph. Paſchaſium *Diſquiſition. Francic. l.* 7. *c.* 2. Chronicon Aug. & Fauchetum *de poëtis francicis l.* 1. *c.* 6. laudatos C. du Freſne *in Gloſſ.* quibus adde Dom. Macr. *in Hierol.* in voce *Verſus*, & *Præfat.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ad Schol. Salern. edit. ult. De illis ita Scalig. *poët. l. 2. c. 29. Similis his æquè vitioſus* Leoninus. *Nominis cauſam ignoro, nam tametſi leoni cauda eſt, tamen ea ventri non eſt vel par, vel ſimilis id quod talibus evenit verſibus, nam quemadmodum in Echicis cauda caudæ reſpondet, ita in* Leoninis *cauda ventri. Quamobrem æquivocos quidam appellavêre---Semipriſcis adeò probati, ut ſine illis, quidquid ſcriberent, ineptum putaretur* &c.

LEONINUS Sinus, pars maris Medit. in modum ſinûs extenſa, inter Provinciam & Cataloniam, verſûs oram litor. Galliæ & Occitaniæ, nautis formidabilis; *Golfo di Lione* Italis.

LEONISTÆ, in *Conſtituit.* Frid. *c. Hæretic.* nomen, quo in Germ. potiſſimum aſpergebantur, à Civ. Galliæ Lugdunenſi *Lyon* Gallis dicta, qui aliàs *Valdenſes* cluent, vide *Lugdunenſes.*

LEONIUS Petrus, vide *Petrus.*

LEONOGILDUS, Gotthorum Rex, Suevorum reliquias ex Hiſpania ejecit, A. U. C. 1326.

LEONSTENIUS Comit. olim ſub propriis Comitibus fuit, à quorum ultimo Lud. Frid. I. El. Palat. 14000. aureis Rhenanis illum ſibi comparavit, A. C. 1441. Hic, cùm æquales nuptias contrahere, ob conventionem, cum nepote Phil. non poſſet, ex Clara à Tettingen legitimè ſibi juncta, A. C. 1462 Suſcepit Frid. Mortuum A. C. 1474. & Lud. cui cùm varias Pater conceſſiſſet dynaſtias, Cæſarque Maximilianus I. Comitis eum dignitate ornâſſet: poſteà Phil. El. omnes dynaſtias, Scharffeneciâ exceptâ, ad ſe recepit, & permutationis nomine Comit. *Lövvenſtein* ſubſtituit. Hoc Lud. bello Bavarico, ſecutus partes Ruperti agnati, ab Ulrico Wirtembergico exutus, illum vix poſt bellum, bonaque parte mutilatum, recepit: delectus à VII. virali Collegio, qui Car. V. Legatis Moguntiæ electionem nuntiaret, Obiit A. C. 1524. Pater Lud. & Frid. quorum hic ex Helena Königſeckia, numeroſam ſuſcepit prolem, Defunctus A. C. 1541. Eo inter alios geniti, Wolfgangus Leonſtenium, & Lud. Werthemium ramos orſi ſunt. Quorum prioris poſteritas Extincta eſt in Georg. Lud. qui Obiit A. C. 1633. pater Marcæ Chriſtianæ, Gabrieli Oxenſtiernæ Regis Suec. Mareſcallo nuptæ. Poſterior, plurimas Imperii & Impp. nomine legationes obivit: ſemel à Lud. Duce Wirtembergico, Comitatu exutus. À conjuge Anna filia Lud. Com. Stolberg & Walpurgis Comitiſſæ Wiedanæ, accepit Comitatus Wertheimenſem, Rupifortenſem, Montacutenſem, dynaſtias Breu-Bergenſem, Herbimontanam & Chaſpirenſem: Cum Julio Ep. Herbipolitano ob Comit. Werthemium bellum geſſit, de quo vide Thuan. *l.* 138. *p.* 1251. Obiit A. C. 1611. Ejus nomen inter eos, qui form. Concordiæ ſubſcripſêrunt, apparet. Pater inter alios fuit, Chriſtophori Lud. Virnenburgicæ lineæ autoris, & Joh. Theodorici, qui Rupifortiam eſt orſus. Horum ille, ex Eliſabetha filia Joachimi Com. Manderſcheidii, & Virnenburgii, pater fuit Frid. Lud. ſucceſſoris, cui plures filii ſuperant. Iſte, bello inclytus, Obiit A. C. 1644. ſucceſſore filio Ferdinando Car. Latinos amplexo ritus, inter cujus filios Phil. A. C. 1663. Canonicus Argentinenſis factus eſt. Vide Phil. P. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.* eidem prior, quæ titulum hunc geſſit fam. cum Wirtenbergica gente eadem fuiſſe creditur; quæ verò nunc eo fruitur, ex filio Frid. cogn. *Victorioſi* Elect. Com. Palatini Rheni & Claræ *de Tettingen*, ut dictum, deſcendit, Lud. in cujus nepotibus Wolfgango & Lud. diverſæ lineæ cœpêrunt, *Lövvenſtenia*, in Georgio Lud. terminata A. C. 1633. & à novo Comitatu acquiſito dicta *Werthemia*, Lud. fil. maximus natu Chriſtophorus Lud. Frid. Lud. procreavit, cujus progenitores & progenies ſic habet. Frid. Victorioſus, qui Obiit A. C. 1470. ex Clara *à Tettingen* genuit Lud. Com. de *Lövvenſtein.* Extinctum A. C. 1524. cui Eliſabetha Montfortia (filia Hugonis Com.) Frid. peperit, qui Deceſſit A. C. 1541. Pater ex Helena Baron *de Königſek*, Lud. Com. *de Lövvenſtein & Wertheim*, Defuncti A. C. 1611. Hoc & Annâ Stolbergiâ (filiâ Lud. Com.) genitus Chriſtophorus Lud. Obiit A. C. 1618. relicto, ex Eliſabetha Manderſcheidia (filia Joachimi Comitis) Frid. Lud. cui juncta Anna Hedvigis Stolbergia (filia Lud. Georg. Com.) patrem eum fecit Lud. Erneſti (qui nat. A. C. 1627. Catharinam Eliſabetham Saynenſem ſibi ſociavit) Frid. Eberhardi (nat. A. C. 1629.) & Guſtavi Axelii (nat. A. C. 1632. mariti Agathæ filiæ Lud. Eberhardi Com. Oëtingenſis, quam duxit A. C. 1657.) qui omnes, *Comites de Lövvenſtein & Wertheim &c. lineæ Virnenburgicæ*: ita enim diſtinctionis causâ hæc linea nonnullis appellatur. È quibus Lud. Erneſto ex uxore præfata geniti ſunt, Chriſtiana Eliſabetha Agatha (A. C. 1662. Den. A. C. 1665.) Sophia Erneſtina (nat. A. C. 1663.) Catharina Carola (nat. A. C. 1664.) Maria Dorothea (A. C. 1665.) Joachimus Frid. (nat. A. C. 1667.) Eucharius Caſimirus (nat. A. C. 1668.) Henr. Mauritius (nat. & Den. A. C. 1669.) Amalia (nat. A. C. 1670.) & Eberhardus Lud. (nat. A. C. 1671. & Den. A. C. 1672.) Minimus vero Lud. præfati fil. Joh. Theodoricus Ferdinandum Car. genuit, alterius fam. Principem, quam *Rupifortiam* (Gall. *Rochefort*) quibuſdam appellare placet: in qua Ferdinandi Car. (nat. A. C. 1616.) ex Anna Maria Furſtenberg. liberi ſunt, Maria Anna (nat. A. C. 1652. uxor Vilhelmi Landgr. Haſſiæ) Eleonora (nat. A. C. 1653. ux. Erici Adolph Com. Salm. Reifferſcheidii) Erneſtina Barbara Dorothea (nat. A. C. 1654.) Maximilianus Car. (nat A. C. 1656. Phil. Eberhardus Joſephus (nat. A. C. 1657. Canon. Argentinenſis) Amalia (nat. A. C. 1659.) & Franciſcus Leopoldus (nat. A. C. 1661.) Vide Phil. Jac Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Parte I. p.* 35. *Parte II. p.* 59. & *Parte III. p.* 84. & 85. Sed & ipſe *Lövvenſtenius* ramus, prout ille Werthemiis contradiſtinctus erat, probationem habet iſtam, Lud. Com. *de Lövvenſtein* ex Eliſabetha Montfortia, Frid. genuit, Helenæ Königſecciæ maritum & patrem Wolgangi I. Defuncti A. C. 1571 Hoc & Roſiliâ *Hohenhoven* (filiâ Georg. Arbog. Baronis) genitus Wolfgangus II. Deceſſit A. C. 1596. Pater, ex Anaſtaſia Catharina Waldeccia (filia Volrathi Com.) Georg. Lud. Com. *de Lövvenſtein*; cujus ex Eliſabetha Juliana Erpachia (filia Georg. Comitis) filia unica Marca Chriſtiana, ux. fuit Gabrielis Oxenſtiernæ Regis Suec. Mareſc. ipſe autem Pater Obiit A. C. 1663. Idem *Parte II. p.* 113. Vide quoque eum *Arte Herald. Tom. II.*

LEONTHARNA, fons & civ. ſ. vicus Bœotiæ. Lycophron. ad Heliconem montem.

LEONTICA Sacra, quæ aliâs *Mithriaca*, vide *Leones.*

LEONTIDAS, ſ. LEONTIADAS, potentiam paucorum Thebis ſpirans, perſuaſit Phœbidæ, occupare Cadmiam.

LEONTINI, Siciliæ urbs quondam celeberrima, antiqua Læſtrygonum ſedes: Epiſcopal. quondam ſub Archiep. Syracuſano, ſub Græcis Impp. hodiè *Lentini* dicitur, Græcis omnibus Λεοντῖνοι, uno excepto Ptol. apud quem Λεόντιον. Derivatum eſſe nomen ἀπὸ τοῦ λέοντος, i. e. à *Leone*, omnes nummi hujus urbis antiqui teſtantur, in quibus ejus animalis imago expreſſa eſt. Ejus meminit Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 465.

> *Jamque* Leontinos *Amſenaque flumina curſu*
> *Præterit:* --- ---

Oppidani eodem nomine gaudebant. Sil. Stal. *Punic. Bell. l.* 14. *v.* 126.

> *Prima* Leontinos *vaſtârunt prælia campos,*

Bellicoſi olim fuêre, ſed à Phalaride victi, armiſque exuti, potationibus operam dare cœpêre; unde Prov. *Leontini ſemper juxta pocula*, apud Diogenianum, in voluptuoſos. Plura de hac urbe vide apud Cluv. *Sic. Antiq. l. 1. c.* 10. Plin. *l.* 3. *c.* 8. Herod. *l.* 7. *c.* 154. P. Mela. *l.* 2. *c.* 7.

LEONTINUS, citatur Schol. *in Aves Ariſtoph.*

LEONTIS, nomen Tribûs Atticæ, à Leonte Heroe indigena ſic dictæ: Gr. Λεοντίς. De qua vide Franc. Roſſæum *Archæol. Attic. l.* 1. *c.* 5. & ſuprà, ubi de Athen. *Demis.*

Δῆμοι ſ. Populi Tribûs Leontidos.

Alimus.	Hyba Hybadæ.
Aphidna.	Leuconium.
Æthalia.	Marathon.
Æthalidæ.	Occum.
Ceramicum.	Pæonidæ.
Cetri.	Pelaces.
Cropia.	Phreatti.
Dirades.	Potamus.
Eupyridæ.	Scambonidæ.
Hecale.	Sunium.

LEONTIUM, Meretricula contrà Theophraſtum ſcribere auſa, ſcito quidem illa ſermone atque Attico. Cic. *l.* 1. *de Nat. Deor.*

LEONTISCUS, Mamertinus quidam pyctes fuit, ex argumento *Acrocherſites* dictus, tanto corporis robore, ut ſummis adverſarium manibus correptum non prius deſereret, quàm deficientem ſentiret. *Suid.*

Impp. Orientis.

LEONTIUS, ex Patricio, Rom. Imp. A. U. C. 1448. Juſtiniano Rhinotmeto; ſub quo contrà Barbaros fortiſſimè pugnavit, in vinculis detento, ab A. C. 692. uſque ad A. C. 695. thronum poſſedit. A. C. 698. ab Abſimaro naribus auribuſque truncatus, atque in Monaſterium detruſus: Reſtituto verò Juſtiniano Imp. capite plexus, A. C. 705. Theophan. & Cedren. *in Gr. Ann.* Item Coſ. cùm Salluſtio, A. 1096. U. C.

LEONTIUS, Patricus Orientis, Regem ſe fecit, contra Zenonem Imp. A. C. 482. nixus Verinæ, quæ ux. Leonis ſen. favore: paulò pòſt cum illo ſeditionis complice, capite multatus A. C. 488. Nicephor. *l.* 16. Euagr. *l.* 3. *Jornandes*, &c.

Viri Illuſtres.

LEONTIUS, Antiochenæ Eccl. Præſul, ut perſecutionem vitaret, idolis fecit. Cùm Presbyter eſſet, dignitate privatus eſt, quia cum muliere Euſtolia nomine degens, & turpem ſuſpicionem celare volens, genitalia ſibimet noſcitur abſcidiſſe, ac deinceps quidem fiducialiter cum ea muliere vivebat. Poſteà verò Imp. Conſtantii ſtudio, in Antiochena Eccl. depoſito Steph. A. C. 347. ordinatus eſt Ep. Qui cùm eſſet Arrianus occultus, videns diviſos ſacerdotes, & populum, ac alios dicentes, *Gloria Patri & Filio*, &c. & alios *Gloria patri per filium*, &c. ipſe ſub ſilentio dicebat orationem, & nihil aliud audiebant adſtantes, niſi cum diceret *In ſecula ſeculorum.* Sed quia etiam contra milites veritatis acuebatur, non niſi hæreticos provehebat, celabatque peſtem, modò timore populi, modò formidine Imp. qui Filium Dei diſſimilem patri dici prohibuerat. Obiit A. C. 356. Athanaſ. *Apol. de fuga*, Socr. *l.* 2. Niceph. *l.* 8. Theod. *l.* 2. & 5.

LEONTIUS I. Ep. Burdigalenſis, floruit A. C. 480. Sidon. Apollin. & Fortunat. *l.* 4. *c.* 9.

LEONTIUS II. maritus Placidinæ, ex Imperatorum ſanguine, illâ dimiſſâ, Ep. Evaſit. Emeritum, qui favore Clotarii I. Ep. Santonum factus erat, Synodo celebratâ, depoſuit: Chereberto fil. Clotarii ſuccenſente. Obiit ſub fin. Sec. 6. Gregor. Tur. *Hiſt. l. 4. c.* 26. & *de glor. mart. c.* 65. Fortun. *l.* 4. *c.* 9. Chriſtoph. Browerius, *in notis ad Fortun.* Elias Vinet. *in Antiq. Burdig.*

LEON

LEONTIUS, Ep. Forojulienſis. Accepti ſucceſſor, an Quiliani? Huic Caſſianus opus ſuum dedicavit. Martyr habetur, fortè ſub Vandalis paſſus, A. C. 445. Morer. *Dict. Hiſt.* Item, Ep. Arelatenſis, ſub fin. Sec. 5. Item, CPolitanus Continuator Theophanis. Scripſit vitas Leonis Armenii, Michaëlis Balbi, Theophili Michaëlis filii & Leonis Sapientis. Item Ep. Arabiſſenus, in Armenia, Autor duarum Orationum, de Creatione, & Lazaro reſuſcitato. Phot. *Cod.* 272.

LEONTIUS, Tripolis Lydiæ Ep. ex Mœſia ortus, de quo vide *Suid.*

LEONTIUS, Scholaſticus, i. e. Advocatus, vel, Presbyter CP. Scripſit de Sectis Hæreticorum, deque Conc. Chalcedonenſi; *c.* 10. quæ *Actiones* vocat. Sub fin. Sec. 6. Tribuuntur ei quoque libri tres, contra Eutychianos & Neſtorianos, duo contra Apollinariſtas, &c. Quæ omnia à Turriano latinè reddita ſunt. Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 4. *c.* 28. &c. Non confundendus, cum Leontio, de quo Baſil. *in vita Sabæ*, *c.* 95. *& Quiriaci.* Hic enim Origeniſta, & ſectator Theodori Mopſveſteni fuit. Nec cum Ep. Cypri, qui vixit A. C. 620. Autor porro fuit libri, *de duplici Natura, in Chriſto, c. hæreſin Monophyſitarum*: & Diſput. contra Philoſophum Arianum. In Biblioth. Imp. Viennæ. Vide Morer. *Dict. Hiſt.*

LEONTIUS, nobilis ſtatuarius, qui Olimpiæ fecit ſtadiedromum aſtylon, aliaque opera, quæ commemorantur à Plin. *l.* 34. *c.* 8.

LEONTOCEPHALE, Phrygiæ caſtellum munitiſſimum. Appian. Alex. Plutarch. *in Themiſt.* In litore maris Ægæi.

LEONTOMENES, Coquus iſte nefarius, qui Callimelem adoleſcentem, ab Apollodoro, Caſiandreenſium tyranno, mactatum coxit, ejuſque viſcera conjuratis epulanda propoſuit. Vide Polyæn. *l.* 6.

LEONTON, Plin. *l.* 5. *c.* x. *Leontopolis* Strab. *l.* 6. *p.* 272. *Damor*: opp. Phœnices, in ora, ad oſtium fluv. cogn. inter Berytum ad Bor. & Sidonem ad Auſtr.

LEONTOPOLIS, Phœniciæ urbs, Strab. Ægypti opp. Prol. intra Deltam, Buſiridi proximum: Eſt & Iſauriæ & Helleſponti urbs, & Bithyniæ, Epiſcopal. ſub Archiep. Helenopolitano. Curt Suppl. *l.* 1. *c.* 1.

LEONTYCHIDES, Spartæ Rex, à Cleomene Agida, Demarato Proclidæ pulſo, ex eadem Fam. ſuffectus, fil. Menaris, Argis nepos; Perſas eodem die, quo ad Platæas Mardonius ſuperatus eſt, ad Mycalen quadraginta millibus cæſis, devicit. In expeditione Theſſalica Dux cum libera poteſtate, magnam pecuniæ vim corruptus accepit, & in caſtris deprehenſus eſt, cùm utraque manu pecuniam retineret. Itaque delatus Spartam, damnatuſque Tegeam in exilium, ibi Mortuus eſt, cùm regnâſſet Annos 22. Diod. Sic. *l.* 21. Vide & *Leotychides*.

LEONUM Mons, Luſit. *Sierra Lıona*, incolis *Boulombel*, mons excelſus Africæ, in ora litor. Guineæ, inter ipſam & Nigritiam, in Oceanum excurrens, juxta prom. *Ledo*, & ſinum Francicum. Sed per terras longè lateque extenditur, inter regnum *Boubom* ad Bor. & regn. *Bourc*, ad Auſtr. Ei adjacet fluv. cogn. ubi colonia Anglorum.

LEOPARDI vox, Conſtantini demum ævo uſurpari cœpit. Quum enim totis tribus Sec. poſt C. N. in Scriptoribus Rom. nuſpiam reperiatur, quarto & exindè paſſim occurrit, apud Spartian. *in Anton. Geta*, Lamprid. *in Heliogab.* Capitolin. *in Gord.* III. Fl. Vopiſc. *in Probo*, Symmach. *l.* 4. *Ep.* 12. & *l.* 7. *Ep.* 59. Ambroſ. *in Hexäem. l.* 6. *c.* 4. Pauſin. *in Vita Ambroſii*, Alios. Unde obiter notat Bochart. Ignatii ad Rom. Epiſtolam, quam circumferunt, in qua λεοπάρδων mentio, eo demum Sec. ſcriptam eſſe. Neque fortè apud Græcum Scriptorem uſquam alibi vocabulum id extat: vox namque eſt mere Latina, pro qua Græcè dicatur Λεοντοπάνθηρ vel λεοντοπάρδαλις, h. e. animal ex *leæna* & *pardo* natum. Pro *pardo* tamen jam olim nomen hoc ſumptum per catachreſin, ut in his Fl. Vopiſci; *Editi deinde centum* Leopardi *Libyci, centum deinde Syriaci.* Nam in Syria Leopardi ex mixto ſemine nulli ſunt, ſed in Africa ſolum; imò nec in hac tam numeroſi, ut Romæ edi per centurias potuerint, &c. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 9. & infrà *Libicæ feræ*.

LEOPARDUS Paulus, Flander, Caſaub. *Ep.* 39. *in Append.* Petro Nannio, Joſ. Scalig. eximiè laudatus, in gratiam uxoris, quam *malum ſibi neceſſarium* appellare ſolitus eſt, Regiam Lutetiæ Profeſſionem recuſavit. Edidit *Miſcellaneorum & emendationum libb.* 20. *Vitas & Chreias Ariſtippi, Diogenis, Demonactis, Demoſthenis & Aſpaſiæ, in Latinam Ling. converſas.* Flandriæ ſuæ decus. Obiit A. C. 1567. Æt. 57. Val. Andr. *Biblioth. Belg.* & Ant. Teiſſier *Elog. P. I.*

LEOPHORA Viia, quæ *Memnonia* etiam dicebatur, à *Memnone* nempe, qui eam ſtravit, circà Suſam Perſidis urb. Diod. Sic. *l.* 2.

Imp. Rom.

LEOPOLDUS, Imp. Rom. ſucceſſit Ferd. III. patri, ex Maria, ſorore Phil. IV. Hiſp. Regis nat. A. C. 1640. Deſignatus Bohemiæ Rex A. C. 1654. & Hungariæ A. C. 1655. Imp. electus & coronatus A. C. 1658. Duxit A. C. 1663. Margaretham Mariam Tereſiam, filiam Phil. IV. Quâ mortuâ, matrimonio ſibi junxit, Claudiam ex Archiducum Ocnipont, fam. poſt cujus Obitum, qui contigit A. C. 1676. duxit Magdalenam Eleonoram Thereſiam, filiam Principis Neoburgici, An. ſeq. Turcico bello, ante aliquot Annos defunctus, inde Belgis ſe contrà Galliæ Regem junxit, Philippoburgo ad deditionem adacto felix. Pace inſequutâ Neomagenſi A. C. 1679. Turcarum, ante induciarum terminum impletum novâ ſubitâque in Hungariam irruptione infeſtatus, ipſam ab illis acerrimè oppugnari vidit, ſed Joh. Poloniæ Regi Bavaroque & Saxoni Electoribus, junctus, animo & ſucceſſu ſtupendo, Vezirium Mag. qui obſidioni præerat, aggreſſus fudit, & ab Urbe immanè quantum rejecit, A. C. 1683. Turciſque aliquot præliis ſequenti tempore per Ducem Lotharingium profligatis, Budam expugnavit, A. C. 1687. aliaque plurima occupavit Hungariæ munimenta. Nec bello galliæ Regis, qui exercitu cum ingenti fines Imperii ingreſſus Philippoburgum circumſedit, occupavit, ac penitiùs in Germaniam penetrare cœpit, A. C. 1688. territus à Turcis ſe totum avertit, verùm &, velut utrique hoſti non impar, Turcas denuo ingenti pugnâ per Lud. Badenſem Marsh. Heroem fortiſſimum *ad Salankemen* fudit, caſtris exuit ac profligavit; hodieque in Germania Gallo, in Hungaria Ottomannno fortiſſimè obnititur: terrenæ felicitatis ſummam, Joſepho promogenito ad Regnum Romanorum erecto coronatoque; A. C. 1690. adeptus, vide *Leopoldi I. Magni Elogium Triumphale*, concinnatum ab Ampliſſ. Jac. Othone JC. & *Notis ad B. Rhenan.* inſertum.

Principes & Archiduces Auſtriæ.

LEOPOLDUS I. cogn. *Glorioſus*, vel *Equitum gloria*, fil. Alberti I. Imp. Sueviam tenuit & Alſatiam: fratri Frid. contrà æmulum Lud. Bavarum, aſtitit, eumque è vinculis liberavit. A' Suitiis, Uriis & Underwaldiis duplici clade affectus eſt, A. C. 1315. Ejus dein gener Enguertandus Cuſſinus, Anglicis auxiilis Bernates adortus A. C. 1373. ad Frauenbronnam eſt profligatus.

LEOPOLDUS II. cog. *Probus*, prioris ex fratre Alberto Sapiente, nepos, Tirolenſis fam. autor extitit, ſicut frater ejus Albertus III. Viennenſem orſus eſt. Præter anteriores provincias, etiam Stiriam, Carinthiam & Tarviſinas ditiones fratri extortas tenuit. Joh. Richardi Angl. Regis fratrem Viennæ cepit, bello Veneto victor, ad Sempacum A. C. 1386. ab Helvetiis cum 676. nobilibus cecidit. Sanctis annumeratus ab Innoc. VIII. Surius. Pater, præter Frid. Tyrolenſis, & Erneſtum Styriæ linearum autores, Vilhelmi & *Leopoldi III.* cogn. *Craſſi* vel *Superbi*, qui paternæ ultioni intentus, cum Helvetiis bellum geſſit, ab his ad Glaronam victus: Polyd. *l.* 14. *Stumpfius.* &c.

LEOPOLDUS IV. fil. Car. Styriæ ſ. Græcienſis lineæ conditoris, Ænipontanam lineam orſus eſt, ſicut frater ejus major Ferdinandus Viennenſem. Eccleſiaſtico initiò ordini adſcriptus Argentinenſem Epiſcopat. & Paſſavienſem obtinuit, A. C. 1609. Miſſus dein ab Imp. ut Juliacum ſequeſter teneret, impedire non potuit, quo minus urbs à Gallis & Mauritio Naſſovio caperetur. Poſt varia dein Viennæ A. C. 1619. in tractu Rhenano A. C. 1622. cum Rhætis A. C. 1621. geſta, ejuratâ infulâ Claudiam Mediceam duxit. Pater Ferdinandi Car. & Sigiſmundi Franciſci, qui ambo abſque maſculo hærede Obiêrunt, lineâ ſic Extinctâ.

LEOPOLDUS V. Vide *Leopoldus*, Imp.

LEOPOLDUS Vilhelmus, fil. Ferd. II. Imp. frater Ferd. III. Archiep. Magdeburgenſis, Ep. Argentinenſis, Paſſavienſis, Halberſtadienſis, Vratiſlavienſis, Olomucenſis, Abbas Hirſchfeldenſis & Murbacenſis, Magiſter Ord. Teutonici, à fratre A. C. 1639. exercitui præfectus eſt. A' Torſtenſohnio A. C. 1642. cum Piccolomineo ad Lipſiam victus, omnia impedimenta amiſit. Ex hoc ab A. C. 1647. Belgium gubernavit, inde Viennam revocatus, nepotis ex fratre Mortuo tutor fuit. Geſta ejus Luc. Lancelotus centone Virgiliano proſecutus eſt.

LEOPOLDUS, fil. nothus Alberti III. Archiducis Auſtr. Matheſin Viennæ docuit. Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.*

LEOPOLDUS Lud. Com. Pal. Rheni, fil. minimus natu Georg. Guſtavi, Veldentiæ Principis, ex Maria Eliſabetha Bipontina, nat. A. C. 1625. literis à juventute egregiam navavit operam. Nunc Pater, ex Agatha Chriſtina Hanovica (filia Phil. Wolffgangi Com. *in Liechtenberg*, Extincti A. C. 1641.) Annæ Sophiæ, (nat. A. C. 1650.) Guſtavi Phil. (nat. A. C. 1651. qui poſt peragratas Galliam, Daniam, Sueciam, Germaniam, militarem operam Lotharingiæ Duci addixit, & alibi atque in Sinshemio prælio adverſus Gallos fortiter pugnavit) Chriſtiani Lud. (qui nat. A. C. 1656. Obiit biennio pòſt) Eliſabethæ Johannæ (nat. A. C. 1653. Joh. Rhingravio nuptæ, A. C. 1669.) Chriſtinæ (nat. A. C. 1654. Den. A. C. 1655.) Chriſtinæ Luiſæ (nat. A. C. 1655. Den. A. C. 1656.) Dorotheæ (nat. A. C. 1658.) Leop. Lud. (nat. A. C. 1659. Den. A. C. 1660.) Car. Georg. (nat. A. C. 1660.) Agathæ Leonoræ (nat. A. C. 1662.) & Aug. Leopoldi (nat. A. C. 1663.) Pace Monaſterienſi, in Comitatum *Veldentz*, cujus caſtrum priùs A. C. 1646. ab Hiſpanis; reditus verò jam anteà redditi erant, reſtitutus, proximis Annis certa de quibuſdam juribus in illo pacta cum Electore Trevirenſi inivit. Idem Patruo Georg. Joh. cogn. *Juniori* (qui, poſt fratrem Joh. Aug. Lutzelſtenium obtinuerat, Extinctus, filio præmortuo, A. C. 1654.) in Lutzelſteinenſi appennagio ſucceſſit. Vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.* & *Theatr. Nobil. Parte* 2. *p.* 1. nec non *in Arte Heraldicâ Tom.* 2.

LEOPOLIS, ſ. *Fanum S. Leonis*, urbec. Epiſcopal. Duc. Urbini, prope Ariminum fluv. in limite Romandiolæ, 20. mill. paſſ. ab Urbino in Cæc. 15. ab Arimino in Circ. Vulgò *S. Leo.*

LEOPOLIS, Germ. *Ruſſe Lemburg*, urbs Ruſſiæ nigræ, ſ. parvæ, intra colles, ad amnem *Peltew*; 15. leuc. Pol. à Premiſlia in Ort. paulò minus à monte Carpatho in Bor. à Leone, Duce Ruſſorum condita, qui floruit A. C. 1280. Archiepiſcopal. & Ruſſiæ Metropolis facta ab Urbano V. A. C. 1361. ſatis munita, cum duplici arce, una intra, altera extra mœnia, in monte edito, probè culta, ampla. A. C. 1648. obſeſſa fuit à Chmieilnecio Coſaccorum Duce, A. C. 1672. à Turcis capta. Gall. *Leopole.* conditam à Leone Imp. habet *Ferrar.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LEOS, Orphei fil. Vide *Leocorion.*

LEOSTHENES, Athenienſium Dux, poſt mortem Alex. Mag. militibus ad jugum excutiendum concitatis, Antipatrum victum, in Lamiam, Theſſaliæ urbem, compulit. Quam dum obſidione acriùs urget, lapidis ictu interiit, Sponſus. Publicè laudatus Athenis, ab Hyperide, dum Demoſthenes, ob acceptam ab Harpalo pecuniam, in exilio fuit. Diod. Sic. *l.* 18. Juſtin. *l.* 3. *c.* 5. & *l.* 22. *c.* 2. Strabo *l.* 9. *p.* 433. Plutarch. *Suid.*

LEOSTHENES, Athenienſis, Peparethiis à civibus ſuis auxilio miſſus, qui cùm negligenter videretur res gerere; à Populo, tanquam proditor, capitis damnatus eſt, publicatis bonis, Olympiadis centeſimæ quartæ Anno quarto. Diod. Sic. *l.* 15

LEOSTHENIUM, Boſpori Thracii ſinus. Steph. *Sthenion* Gyllio. Ab aliis *Laoſthenes ſinus* dicitur, & portus *Senum*; eſtque in ora litor. Thraciæ, è regione Bithyniæ, medius inter CPolim ad Auſtr. & Pontum Euxinum ad Bor. hodie *Soſthenius ſinus*, Gyllio. *Baudr.*

LEOSTRATIDES, vel LEOCRATIDES, an *Callicratides*, vel *Callicrates*, inter nobiles Τοξότας, apud Athen. *l.* 6. *p.* 251. & Plin. de quo Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1047.

LEOSTRATUS, Athenienſium Imp. A. U. C. 86.

LEOTERICUS, Vide *Leutericus.*

LEOTROPHIDES, Dithyrambopœus, adeò tenuis & gracilis, ut in proverbium abierit, *Leotrophide macilentior.* Suid. Eraſmus. E tribu Cecropide. Vide Ariſtoph. *Aves.*

LEOTUNIA, prov. ampla Sin. maximè in Bor. extenſa, verſùs Tartariam, inter regnum Niuche, ad Stept. & Gangem ſin. ad Mer. ut inter regnum Coream ad Ort. & Pechinam prov. ad Occ. Prima vaſtata eſt occupata à Tartaris *Leaotung* ſ. *Liautun*, vulgò. In ea multæ arces munitæ urbeſque plurimæ. Sed præcipuæ ſunt, *Leoanum* ſ. *Leyaoang*, Quincheum *Kincheu*, & Ningiva *Nyngiven*, verſùs montes.

LEOTYCHIDES, Rex Lacedæmoniorum, Græcorum cum Xantippo Dux prope Mycalen Perſas navali prælio ſuperavit: Obiit An. Regni 22. Succeſſit Archelaus ſ. Archidamus III. ejus ex filio Zeuxidamo nepos. Pauſ. *in Laconicis*, Diod. Sic. Olymp. 76. A. 278. U. C. Vide *Leontychides*, it. *Leutychides.*

LEOTYCHIDES, fil. Agidis. quem tamen vivens pro filio agnoſcere nolebat, quòd adulterio Alcibiadis cum Timæa uxore procreatum ſuſpicabatur. Cùm autem ſe ad pedes Patris ægrotantis abjeciſſet, & multas lacrymas profudiſſet, perſuaſit ei, ut ſe multis præſentibus filium pronunciaret. *Plutarch.*

LEOVARDIA, vulgò *Lewarden*, urbs Belgii uniti, ampla, munita, elegans, caput Friſiæ Occ. 2. ingentibus mill. Germ. à Dotecomio in Circ. vix uno cum dimid. ab ora Oceani Germ. 7. leuc. à Groninga.

LEOVIGILDUS, vel LEUVIGILDUS, Gothorum Rex in Hiſp. XVIII. poſt fratrem Liubam, A. C. 568. fil. Athanagildi. Corduba aliiſque urbibus potitus, A. C. 572. Bigamus, ex altera uxore, parens Hermenigildi & Recaredi, quos in regni conſortium aſcivit. Quorum ille ab Ingonde, filia Sigeberti Franciæ Regis uxore, ab Arianiſmo, ad fidem converſus, à Patre verò Occiſus eſt. Obiit A. C. 586. Joh. Biclarius & Iſid. *in Chron.* Greg. Tur. *Hiſt. Fr. l.* 5. Item, Presbyter Cordubenſis, ſcripſit *de habitu Clericorum*, A. C. 716.

LEOVITIUS Cyprianus, Bohemus, Mathematicus Othonis Henr. El. Palat. ſcripſit. *Ephemerides ab* A. C. 1556. *ad* A. C. 1606. aliaque de quibus Vide *Eloz.* Ant. Teiſſier. Obiit A. C. 1574. ſenex Lavingæ, Voſſ. *de Mathem.*

LEPADUSA, inſ. Siciliæ, à patellis oſtreorum genere dicta, quaſi Patellaria.

LEPANTHUM, Vide *Naupactus.*

LEPAS, vertex rupis cujuſdam aſperæ in agro Syracuſano. *Crimiti* Fazello & *Aretio.*

LEPETHYMUS, mons in Lesbo inſ. Plin. *l.* 5. *c.* 21. juxtà Methymnam urbem.

LEPIDA, cui ſuper Æmiliorum decus L. Sulla ac Cn. Pompejus proavi erant, à Tiberio, in gratiam Quirinii conſularis prædivitis & orbi, qui dimiſſam eam è matrimonio, poſt viceſimum Annum, veneni olim in ſe comparati arguebat, condemnata. Vide Tac. *Ann. l.* 3. *c.* 22. & 23.

LEPIDA C. Caſſii uxor, Silani amita. contrà quam Nero vocabulo indicum induxit, qui inceſtum cum fratris fil. & diros ſacrorum ritus confingerent. Idem. *Ann. l.* 16. *c.* 8.

LEPIDÆ binæ, apud Suet. occurrunt, Germanici ſoror, patris Agrippinæ, nata ex Druſo & Antonia juniore: altera ex Cn. Domitio Neronis avo & Antonia majore genita, ſororque Domitii Neronis patris & Agrippinæ mariti, quam inceſtâſſe eundem Domitium tradit idem Suet. *in Ner. Claud. c.* 5. 6. & 7. De hac verba facere Tac. *Ann. l.* 12. *c.* 64. & 65. apparet. Siquidem hæc Domitia dicta; uti ex gente Domitia orta, non illa ex Druſo ortum ducens: tum hanc mariti Agrippinæ ſororem & Neronis amitam vocat Idem. *Ann. l.* 13. *c.* 19. Hanc *Lepidam* perditam ab Agrippina, ſcribit Tac. adhuc vivente Claudio Tib Imp. eandem verò ſcribit Suet. *c.* 26. & *in Galb. c.* 6. interemptam poſt Agrippinæ matris necem, juſſu Neronis, Medicis, ut largius eam purgarent, adactis. Verum nomen *Domitia Lepida*, una ex amitis Neronis & apud quem ille educatus, matre in exilium pulsâ.

LEPIDI pons, unus ex Romæ pontibus, qui & *Sublicius* & *Æmylius*, *P. Victori.*

LEPIDOTUM, Ægypti urbs. *Ptol.*

LEPIDOTUS, piſcis, Ægytiis olim cultus, Strabo *l.* 17. *p.* 823. idem cum *carpa* Caſſiodori, *cyprino* aliorum. *Squamatum* vertit apud Herod. Valla; parùm commodè, quando iſtic non generalis eſt appellatio, ſed nomen particulatim impoſitum, Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 4. *c.* 10. & 51.

LEPIDUS, cogn. apud Rom. quo quatuor imprimis nobiles fuére, de quibus Rutilius Numatianus in Itin. cujus verſus illuſtrat, declaratque Lipſ. *ad l.* 14. *Ann. Tac. p.* 369. Lucan. *Civ. Bell. l.* 7. *v.* 583.

LEPIDUS M. Æmylius, Dux Romanorum, ex fam. nobiliſſima. Summus Pontifex, ter Coſ. & cum Aug. atque Antonio, Triumvir. Tac. *Ann. l.* 1. *c.* 1. 2. 9. & 10. Sævus & ſordidè avarus, proprium fratrem proſcribi paſſus: Victo Pompeij fil. Siciliam occupaturus, Meſſana potitus, paulò pòſt hac Victori deditâ, in obſcurum quoddam Italiæ opp. relegatus eſt, A. 718. U. C. 185. Olymp. 36. Ante N. C. Plutarch. *in Aug. & Ant.* Flor. *l.* 4. *c.* 6. & 7. Dion. Juſt. *Appian. Alex.* &c.

LEPIDUS, Cùm Ptolomæus Rex tutorem populum Rom. reliquiſſet, Senatus M. Æmylium Lepidum Pontificem Maximum bis Conſulem, ad pueri tutelam gerendam, Alexandream miſit. Juſtin. *l.* 30. *c.* 3. Tac. *Ann. l.* 2. *c.* 67.

LEPIDUS, autor Epitomes Hiſtoricæ, Steph. in Τεγέα.

LEPIDUS, natus ex Æmilio Paulo & Júlia, nepte Aug. Hunc Cajus ſucceſſorem imperii deſtinavit & quinquennio maturius, quàm per leges, magiſtratum capere voluit; ut tradit Dion. *l.* 59. Nam erat ſanguinis gentiſque Aug. pari cum Caligula gradu. Cum eodem Agrippina, Germanici filia, puellaribus annis, ſpe dominationis, ſtuprum admiſit.

LEPIDUS, prænomine *Marcus*, temporibus Tiberii, gravis & ſapiens vir; qui pleraque ab ſævis adulationibus aliorum in melius deflexit; neque tamen temperamenti egebat, cùm æquabili autoritate & gratiâ apud Tiberium viguerit. Tac. *Ann. l.* 4. *c.* 20. Obiit Serv. Galbâ, L. Sullâ Coſſ.

LEPIDUS, Orator. Cic. *in Orat.*

P. Æmilius LEPIDUS, Cenſor cum Planco. A. 732. U. C. Poſt quos Cenſuram Impp. ſibi reſervârunt.

LEPIDUS, Autor Græc. ſcripſit Epitomen Hiſt. Vide Steph. Byzant. & in voce *Quintus.*

LEPINUS, mons Italiæ, *Monte Segni*, in quo Signia urbs, vino celebris: Jugum eſt montium Latii valde extenſum, inter Latinam & Appiam viam, quod vulgò *le montagne di Segni* dicitur, & ubi altius conſurgit, *la montagna di Carpineto.* Campaniam verò Rom. in duas prov. *la Campagna* & *la Marina*, diſtinguit. Baudr. Columella *l.* 10.

Quæ Marrucini, quæ Signia *monte* Lepino.

LEPONTIÆ Alpes, Summis proximæ, ad Ort. Rheni; ubi *Lepontii* pop. *Monte di S. Bernardino.*

LEPONTII, pop. Alpini circà Rheni Ort. inter Inſubres, & Helvetios, *Rhinwalder* Scudo. Ubi pag. *Lepontz.* Ita dicti creduntur, quaſi Λεπόντιοι, i. e. relicti, quòd ab Hercule cum exercitu Alpes tranſcendente, eo loci relicti fuerint, Simler. de *Alpibus p.* 202. Sprecherus *Pall. Rhæt. l.* 1. &c. Habent Plantino à Sept. Helvetios, & ab Occ. Valeſianos finitimos, *in Helvet. Antiq. & Nova.* In his quatuor ſunt Helvetiorum Præfecturæ Italicæ, Simler. *de Rep. Helv.* Vide omnino Stumpfium *l.* 9. & Cluv. *Germ. Antiq. l.* 1. *c.* 14. Plin. *l.* 3. *c.* 20. Strabo *l.* 4. *p.* 204. & 206.

LEPONTII, pop. fuêre Gall. Tranſpad. inter Alpes ad Occ. & Verbanum lacum ad Ort. quorum nunc tractus ad Mer. ex parte Ducatus eſt Mediol. Sed pro majori parte, nempe ad Bor. ſub Helvetiis. Vide ſuprà.

LEPORETUM, vicus Galliæ, in arenis Burdigalenſibus vel Vaſatenſibus, caput pagi nunc in Duc. faſtigium evecti, *l'Albret*: Unde Albretanæ fam. nomen. Dictus eſt à leporibus, quibus hic tractus abundat, indigenis *Bret* dictis. In Duc. hoc cum Leporeto, ſunt Tarteſſium urbs ad Midorium fluv. *Midou*, Caſtellum Zelotypum, Neracum, Caſtella *Caſtels*, Gerunda *Gironde*, Podium Normannotum *Puy-Normand*, aliaque multa oppida, caſtella & vici. Joſ. Scalig. è mutilatione Seneſcalciarum Aginnenſis & Armaniacenſis eum conflatum eſſe ſtatuit. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

LEPORIUS, Presbyter, Neſtorianiſmum in Galla docuit, B. Virginem nil niſi hominem peperiſſe aſſerens, qui dein Filio Dei uniri meruerit. Galliâ pulſus, in Africam ſe contulit, ubi ab Auguſtino meliora edoctus, Orthodoxiam amplexus eſt. Caſſian. *l.* 1. & 7. *de Incarn. Chr.* Gennad. *de Viris Ill. c.* 59. Baron. A. C. 420.

LEPRA, ex Græco λεπὶς, *ſquama*, morbi genus notum, imò præcipua morborum impuritas in ea, quaſi in ſummam, ſubducitur: Illa namque ſcabiei omne genus, aliaſque lues comprehendit; Lev. *c.* 13. atque ea vel *homines*, vel *veſtes*, vel *domos* denique inficiebat, de quibus duobus poſtremis generibus altum eſt apud Scriptores profanos ſilentium, quæ proin propter peccatum ſpecialius Hebræis divinitus immiſſa videntur Eruditis. Judicium *lepræ* autem ſoli competebat Sacerdoti, ita ut ne peritiſſimo quidem Medico id eſſet conceſſum, Lev. *c.* 13. *v.* 2. coll. Matth. *c.* 8. *v.* 3. Atque ita *leproſus* à Sacerdote in publicum prodibat certis notis deſtinctus & inſignis, 1. *laceratis veſtibus*, 2. *capite retecto.* 3. *ore obvoluto*, Lev. *eod. c. v.* 44 & 45. clamabat inſuper, *immundus, immundus.* Quæ tamen ſigna non ponebantur, niſi in leproſo per judicium illud Sacerdotis jam conclamato & inſanabili, gravi argumento, ubi tales Chriſto occurrebant, eos ab ipſo ſola vi divinâ ſanatos eſſe. Atque hac leprâ, imago naturalis noſtræ corruptionis; figurâ Servatoris in ſimilitudine iſtiuſmodi ſtatis compariturì, Eſaj. *c.* 53. *v.* 3. effigies peccati, quod, ubi intus latet, & externâ ſpecie ſanitatem mentitur, periculoſius multò eſt, magiſque formidabile, quàm ubi prorumpit, & foris conſpicitur &c. repræſentabatur. Purificatio vero *Leproſi*, fiebat adhibitis duabus *avibus mundis, cedro, hyſſopo, lanâ coccinâ, aliiſque in Lege expreſſis cerimoniis*, Lev. *c.* 14. *v.* 2. & *ſeqq.* Quibus peractis, ſeptimo die is radendus & corpus ejus lavandum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

vandum erat. Idem ibid. v. 8. & 9. indè ſeptimo die iterum radi & lavari, octavo denique die ſacrificia offerre, ſanguine aſpergi & oleo inungi debeat, v. 10. &c. Simili ferè modo domus etiam expurgabantur, v. 49. &c. In quibus *aſperſio Sanguinis* denotabat imputationem meriti Chriſti; *hyſſopus* deſignabat Chriſtum, ut fructum terræ; *cedrus*, Spiritum in ipſo habitantem; *ſitum coccinum*; imputationem peccati, quæ inſtar coccini rubere dicuntur Eſaj. c. 1. v. 18. & ſanguinolentam paſſionem ejus Idem c. 63. v. 2. *avicula mactanda*, Chriſti mortem, conjunctam cum obedientia fervente, inſtar aquæ vivæ illi affuſæ; altera *avicula viva dimittenda*, ipſum ex mortuis vivum, quærentemq́ue domicilium, h. e. Eccleſiam, in qua per totum mundum habitet: *Lotio* purificandi & *detonſio crinium*, renovationem & ſanctificationem perpetuam *oleum* Spiritum S. &c. Vide Franc. Burmann. *Synopſ. Theol. Chriſt. Parte pr. l.* 4. c. 22. §. 6. 7. & 15. & *Comm. ad Levit. d. l.* nec non infrà, ubi de *Vitiligine*. Apud Chriſtianos *leproſi* μεθ' ἡμῶν καὶ ἐκκλησιάζουσι καὶ συνάγονται, *nobiſcum* (in Oriente) *& Eccleſiam adeunt, & precantur*, ait Balſamon *in Ep. Athanaſ. ad Ammun p.* 920.. At Ancyrani ad hyemantes, i. e. extrà omnem Eccl. ambitum, εἰς ὑπαίθριον καὶ ἔξω τοῦ ναοῦ προαύλια, illos ſubmovêrunt, *can.* 17. Ancyr. ut ibi pœnitentiam *can. præc.* injunctam peragerent, neque alios interea inficerent corporis ſui contagio. Qui mos, non religionis, ſed ſanitatis causâ, hodieq́ue in Europa viget &c. Vide Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce Λεπρός; ut & ſuprà aliquid in voce *Lazari*, ac infrà *Maledrini*, it. *Miſelli*:

LEPRI, ſ. λέπροι, locus Athenis, extrà tamen Aſtu, ſ. urbem, ubi Coriariorum officinæ erant. Ariſtoph. Schol. *in Acharn.*

LEPRIA, Inſ. maris Ægæi, circà Joniam, Plin. *l.* 5. *c.* 31.

LEPRIUM, opp. Peloponneſi in Elide reg. ſ. potius, teſte Cic. & Plin. *l.* 4. *c.* 5. in Arcadia, *Chiappa* Nigro. Baudr. opp. maritimum eſt Elidis, in ora litor. prope Ichtum prom. in conf. Meſſeniæ. 30. mill. à Piſis in Auſtr. & amplius ab Elide, nunc parvi momenti. Pop. *Leprini* Cic. Polyb. vero *Lepreatæ*. Vide Ariſtoph. Schol. *in Aves*.

LEPROSIUM, vulgò *Levroux*, urbec. prov. Bituricenſis, 2. diſtat leuc. à Bituricis in Occaſ. S. Silvanum Confeſſorem patronum habet. Eſt & *Leproſus* vicus Turonum, vulgò *le Loroux*, proximus Montalomago & Dolis, ad Scandonem *Eſchandon*, qui in Angerem effluit. Utrique loco à multitudine leproſorum nomen. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Sulp. Sev. de vita B. Martini *c.* 12.

LEPSEMANDUS, opp. Cariæ. *Steph.*

LEPTEACRA, prom. Indiæ, quod alii *Drepanum* vocant, Solin. Item Ægypti prom. ad ſinum Arab. Ptol. & Plin. *l.* 3. *c.* 8. & *l.* 6. *c.* 29.

LEPTINES, unus ex Ducibus Demetrii, Cn. Octavium, Romanorum Leg. necari juſſit.

LEPTINES, Hermocratis Syracuſani fil. Dionyſii ſup. frater, cujus opera arduis in negotiis plurimùm fuerat Tyrannus uſus. Sed cùm miſſus auxilio Lucanis, adverſùs Rheginos, adnantes claſſi ſuæ Græcos humaniter excepiſſet Lucaniſq́ue autor extitiſſet, minâ ûnumquodlibet caput liberum remittendi; deq́ue ſolvendo redemptionis precio fidem ſuam interpoſuiſſet: præterea inter Græcos ac Lucanos bellum compoſuiſſet; ſuſpectus fratri evaſit, cui hic ab adminiſtranda claſſe remoto *Theariden* ſubrogavit. Diod. Sic. *l.* 14. *p.* 445. Occiſus eſt in prælio, cum Carthaginenſibus, ad Cronion, Olymp. 99. Anno ſecundo.

LEPTINES, Orator nobilis Athenienſis, qui cùm liturgiarum onus ad paucos, eoſq́ue tenuioris fortunæ rediiſſe videret, potentioribus ferè omnibus immunitate donatis, tulit legem, ut ſublato jure immunitatis, liturgiarum ſumptus ex æquo à ditioribus ſuppeditarentur. Quam legem oppugnat Demoſthenes eâ ratione, quam adverſus Leptinem inſcripſit.

LEPTIS, Africæ min. (quæ *Zeugitana provincia* dicitur) duarum urbium nomen eſt. Prima Minor, quæ *Sarrana* cognominatur, à Sarranis Phœniciæ: P. Mela *l.* 1. *c.* 7. Nunc *Lempta* Arab. Nubienſi, & *Monaſtero* Europæis, opp. regni Tunetani, in ora litor. inter Suſam & Adrumetum. Sil. Ital. *Punic. Bell. l.* 3. *v.* 256.

Tabraca tum Tyrium vulgus, Sarranaq́ue Leptis.

Altera trans Syrtin min. ſita, juxtà Ocam opp. Magnæ cognomen habet. Plin. *l.* 5. *c.* 4. Illam Neapolin dici exiſtimat Vadianus Melæ ennarrator. In Tripolitano regno, & ora maris Mediterr. nunc *Lebeda*; cum portu commodo & arce munita. Inter Syrtim maj. & min. 100. mill. à Tripoli in Ort. *Lepeda* quibuſdam. Cæterum de 2. hiſce urbibus vide Bochart. *Geogr. p.* 526. & 527. *Leptis* nomem Punicum eſſe ait, לבת *labt*, quod *ſtationem* ſignificat. Plin. *l.* 30. *c.* 25. Lucan. *Civ. Bell. l.* 9. *v.* 524. & 948.

Proxima Leptis *erat, cujus ſtatione quietâ*
Exegêre hyemem. ------

Nic. Lloyd.

LEPTON, Græcè λεπτὸν, minutioris monetæ genus. Ita enim Heſych. in λεπτὰ, νούμμους, κοδράντας, ἀσσάρια dividit ὁλόκληρον, i. e. *ſolidum*. Et quidem λεπτὸν, apud Lucam, ὀβολὸν interpretatur Chryſoſtomus *c.* 22. Heſych. idem eſſe quod κοδράντης, ὅ ἐστι τέταρτον τοῦ φόλλεως, *quadrans ſ. quarta pars follis*, ait: alibi tamen κοδράντην eſſe ſcribit λεπτὰ δύο. τὰ δὲ δύο λεπτὰ κοδράντης εἰς ἔχων νουμμία τρία. Undè conficit Scalig. ſolidum dividi in quadrantes 6000. *lepta* 12000. nummos 18000. Et ſanè τὰ λεπτὰ per νουμμία numerari conſueviſſe, docet *Rationale* Peræquatorum, in quo χαλκῶν νουμμίων crebra mentio; ſtatuitq́ue Alexius Imp. per æreos nummulos exigi τὰ λεπτὰ ψηφία, *minutos calculos*, qui in tributis penduntur, *ibid.* Ita νουμμίον minutiſſima fuit moneta ærea &c. Ab hoc minutæ monetæ genere, Zonaras Nummularios ſ. Collybiſtas vocat τοὺς τὰ λεπτὰ νομίσματα πωλοῦντας, qui ſc. ſolidos aureos minutulis monetis permutabant, de quibus agit Codex Theodoſ. *l. un. ſi quis circul. l.* 1. & 2. *Si quis pecun. confiav.* & *l.* 1. *de Ponderat.* Vide C. du Freſne *Diſſert. de inf. ævi numiſm. n.* 92. & infrà in voce *Minuti*.

LEPTURGIA, Græcè λεπτουργία, ars, quam *Minutiariam* nunc Galli appellant; cujus opus *inteſtinum* Latinis. Dicta autem ſunt *Inteſtina opera*, quòd intra domum tantùm locum habeant & in ædium interiore parte ſint ſita, ad differentiam τῶν ὑπαιθρίων. Sumebatur ad illa mediale tantùm ligni, circuloq́ue corticeo vel ligni alburno, quod ambit medullam, ejecto, ex ſola medulla abietis fabricabantur: inſtrumenta erant aſciæ, runcinæ & planæ, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1034. Vide quoque infrà, in voce *Minutiaria*, & ſuprà ubi de *Inteſtinis operibus*.

LEPUS, quaſi *levipes*, à celeritate pedum; Varroni *de Re Ruſt. l.* 3. *c.* 4. Caninio eſt Græco Λαγώς, aliis ex Æol. λεποgις, nonnullis ἀπὸ τοῦ λάειν, i. e. *aſpicere*: animal enim eſt vigilantiſſimum, quod clauſis palpebris vigilare, adapertis dormire, ſcribit Xenoph. inter animalia immunda recenſetur Lev. *c.* 11. *v.* 16. ubi voce Hebr. ארנבת *arnebeth*, hoc animal intelligi; multis docet Bochart. quamvis enim ruminet, diviſam tamen ungulam non habet, h. e. bifidam aut biſulcam, πολυσχιδὴς namque eſt. Inſuper carne ejus craſſum ſanguinem & melancholicum gigni, tradunt Medicorum Principes. Unde Zacharias Papa *ad Bonifacium Ep.* 12. Chriſtianos admonet, ut ab ejus eſu ſibi caveant. Sed & in libidinem valde proclivis, ſexûſque adeò ambigui eſt, ut non pauci crediderint, vel nullum in hoc genere marem reperiri, quod perabſurdum; vel marem in feminam & viciſſim tranſmutari, quod indè ortum, quia ſexûs differentias in lepore ſecernere difficillimum eſt; undè cùm genericum aliàs animalium nomen apud Hebræos maſculinè ſoleat efferri, ut mas feminam includat; hîc contrà vox *arnebeth* femininam terminationem habet, ut femina includat marem. Eſt autem *arnebeth*, compoſitum ex ארה & ניב *carpere terræ proventum*, cui quantum hæc animalia noceant, docet *ab iis vaſtata*, inſ. Leros apud Hygin. *Aſtronom. l.* 2. *c. lepus*: Aſtypalæa, apud Athen. *l.* 9. *c.* 14. Carpathus, apud Polluc. *l.* 5. *c.* 12. *ſ.* 1. &c. Sunt & qui timiditatis nomine *leporem* reum peragentes, propterea prohibitum in ſacris volunt. Vide infrà in voce *Porca*. Et certè ſi à velocitate curſûs ea arceſſenda, Οὐδὲν τῶν ὄντων ἰσομέγεθες τούτῳ ὅμοιόν ἐστι πρὸς δρόμον, ut ait Xen. *Cyneget. Nullum eſt animal par magnitudine lepori, quod eum æquet curſu.* Ad quem prompta universa ejus membra, caput, collum, ſcapulas, crura, pectus, latera, ilia, coxas, femora, pedes, affabrè conformavit Natura: Et quamvis caudam habeat ad curſum minùs idoneam, quippe quæ ad corpus dirigendum propter brevitatem apta non eſt, auribus ſe ad curſum incitat eumq́ue moderatur, quo fine longæ illi obtigêre divinitus, quam in rem Vide Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 63. Interim Romanis in epularum delitiis *lepores* fuêre. Et quidem, ut in avibus turdo, in quadrupedibus majoribus apro, ſic in minoribus *lepori* primas tribuit Mart. *l.* 13. *in* Xeniis *Epigr.* 91. cujus Epigraphe Lepus.

Inter aves turdus, ſi quis me judice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Eſt autem mattea ſ. mattya, Gr. ματτύα, Ariſtoph. Athen. Aliis, *epularum lautitiæ*. Et Juv. *Sat.* 11. *l.* 4. *v.* 138.

Sumine cum magno lepus, *atque aper, & pygargus.*

Neque verò ubique talis, ſed in leporibus maxime ſapere exiſtimabantur, cum anteriori parte armi, tum poſterori coxæ. Mart. iterum *l.* 7. *Epigr.* 19. *v.* 4. cujus Epigraphe in Sanctram.

Ter poſcit apri glandulas, quater lumbum
Et utramq́ue coxam leporis, *& duos armos*:

Nec ſemper; ſed ſapidiores ac delicatiores multò; carnes habitæ leporum, qui bimeſtres ſolum forent aut trimeſtres vel ſummum octimeſtres; præcipuè ſi in montanis eſſent locis ſerpyllo ac pulegio paſti. Quo fine & saginabantur in caveis locoq́ue clauſo, quod Varronis ætate primùm apud Rom. cœpiſſe, docet ex eo Macrob. *Sat. l.* 2. *c.* 9. Quòd verò pulchritudinem quoque homini conciliare leporinam carnem creditum olim, ut eſt apud Plin. *l.* 28. *c.* 19. Mart. *l.* 5. *Epigr.* 5. cujus Epigraphe ad Sextum, & Lamprid. *in Alex. Sev.* qui leporina quotidie veſcebatur, non aliundè ortum judicat Bochart. quàm quia ad *leporis* nomen alludit *lepos, lepóris*, à quorum iſto aliquem *lepidum* vocamus. Quaſi, uti lepidus eſt, cui multus ineſt lepos: ita & cui lepus comeſtus, eò amoribus ſuis lepidior formoſiorq́ue videretur. *Nec enim dictorum omnium cauſæ à virorum gravium judicio peti debent: ſed ſubinde eas ab amantium amentiumque nugis arceſſere, ratio jubet*, Voſſ. *l. cit. c.* 66. At, quibus *leporina* veſci nefas erat, ad voluptatem ſaltem *lepores* alebant Britanni, uti diſcimus ex Sabellico *l.* 6. *Enn.* 6. Alterutri ut inſervirent fini, capiendi erant; cui capturæ, uti & aucupio, Pana præfecêrunt ſ. Faunum Vett. uti videre eſt apud Prop. *l.* 3. *Eleg.* 13. *v.* 43. & *ſeqq.*

Et leporem, *quicunq́ue venis, venaberis hoſpes*
Et ſi fortè meo tramite quæris avem.
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato;
Sive petas calamo præmia ſive cane.

Ut de pelle piliſq́ue aliquid addam: *Veſtes lepotino pilo facere, tentatum eſt*, inquit Plin. *l.* 8. *c.* 55. *tactu non perindè molli, ut in cute.* Boleſlaus verò III. Polon. Rex Palatino cuidam, quod bello contra Ruſſos fugiſſet, *leporis pelle*, unâ cum colo & fuſo, tranſmiſſo, impatien-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

impatientia ignominiæ eum ad ſuſpendium adegit, apud Cromer. l. 6. &c. Hinc *Leporaria*, i.e. vivaria ferarum muris undique ſepta, à Fulvio Hirpino primùm condita, teſte Plin. ita enim vocata olim ex Varrone videmus *de Re Ruſt. l.* 3. *Villaticæ paſtionis tria ſunt genera*, *Ornithones*, Leporaria, *Piſcinæ*. Indidem uni ex Ptolemæis *Lagi*; ſ. *Leporis* nomen, ad poſteros quoque tranſmiſſum, qui hinc *Lagidæ* appellati &c. Vide plura de hoc animali, apud Plin. ubi ſuprà, Salmaſ. *ad Solin.* Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 54. & *ſeqq.* Alios: nec non ſuprà, in verbo *Excitare*, *Hiems*, ac infrà *Muſcus*.

LEPUS, inter ſidera relatus, Græcis Aſtronomis δασύπους dicitur, de quo Germanicus in *Arateis*, ad tit. *Daſypus*,

Tu parvum leporem *perpende ſub Orione.*

Item, *Lepus*, *ſub pedibus Anti-canis & Orionis conſtitutus eſt. Hinc dicitur Orionis canem fugere venantis. Nam ut venatorem eum finxêrunt - ita leporem ei ad pedes fugientem finxêrunt*. Et paulò pòſt, *Nonnulli à Mercurio inter aſtra collocatum dicunt, propter nimiam velocitatem: ſive quòd inter quadrupedes plus pariat, & quoſdam fœtus pariat, quoſdam vero in ventre habeat; ſicut Ariſtot. Philoſophus ait, qui de animalium ratione diſſeruit*. Vide Bochart. *d. l.* ubi inter alia Plin. *leporem à daſypode*, diſtinguentem, pluribus refellit: de *Lepore* verò *marino*, cujus eſu Titus Imp. periit, Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 4. *c.* 50.

LEPYDNUS, viri nomen, cuius ux. fuit Methymna, Macarei filia. Steph. in Μήθυμνα.

LERBEKE Hermannus, vide *ibi*.

LERIA, inſ. maris Ægæi; cujus incolæ *Lerii*, improbi & mali, unde Prov. *Lerii mali*, Strabo *l.* 10. *p.* 487. & 488. ſicut *Chius malus*. Vide *Leros*. Item opp. Hiſp. Tarrac. quod & *Edeta*, in regno Valentiæ, olim Hedetanorum caput, teſte Beuthero, vulgò *Liria*, ut ex Cluſio, & Morali refert Ortel. Ante Herculis Lybici in Hiſpaniam adventum condita fertur. Ad Turiam fluv. 4. leuc. à Sagunto in Occaſ. 5. ab ora maris Medit. & ſinûs Sucronenſis. Paucis conſtat incolis.

LERIA, vulgò *Laire*, Bojorum in Gallia fluv. in Oceanum effluit, & *Sigmas* Ptol. dicitur, à figura literæ C. quam ſuo curſu lunato refert. Vaſconibus *Leyra* vocatur, Hadr. Valeſ. in voce *Meduli*.

LERINA, aliàs *Planaſia*, Tac. *Ann. l.* 1. *c.* 3. 5: & *l.* 2. *c.* 39. inſ. parva maris Gallici, in ora Gall. Narbon. inter Antipolim 2. leuc. in Auſtr. & Forum Julii 5. ad Ort. ubi Lerinenſe Cœnobium præclariſſimum, à S. Honorato fundatum, A. C. 375. Cujus Monachos Semipelagianiſmus invaſit, Sec. 6. Vaſtatum ab Hiſpanis, A.C. 1635. iterum pulſis, A.C. 1637. *S. Honorato* Maſſonio, dicitur & *Lerinum* & *Lerinus*. Ipſa & *Lero*, vulgò *les Isles de S. Honorat*, & *de Lerins*, ſed Lero major eſt Borealis. Vide Morer. *Dict. Hiſt.* & in voce *Lerinus* infrà. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

LERINUS, eadem quæ *Lerina*, Vide ſuprà Strab. *l.* 2. *p.* 123. *l.* 4. *p.* 185. *Planaſia*, quòd nulli ibi montes exſurgant: Apollinari Sidonio *Inſ. Plana*, ab æqua camporum planitie, dicta eſt. Ab hac non longè abeſt Planaria inſ. à Corſica 60. mill. paſſ. ab Ilva Inſ. ſtadiis 90. quam Solinus ac Æthicus *Planaſiam* rectiùs appellant. Itali *Pianoſa*. Cui cogn. apud Strab. quoque Inſ. eſt, contra Dianium opp. Hiſp. Tarrac. Cum Lerone, impropriè nomine Stœchadum, à P. Mela hæc Inſ. comprehenditur, eò quòd ſint citrà oſtium Vari, ſ. citrà oram Ligurum Italiæ attributorum: cui Lerinus propior Lerone eſt. Cùm inculta prius ob nimium ſqualorem & vim animalium venenatorum eſſet, Honoratus nobiliſſimum hîc Monaſterium condidit, cui ut & Inſ. nomen ſuum impertitus eſt, ex Abbate Lerinenſi Arelatenſis Ep. Unde Inſ. Gallis rarò *Lerin*, ſæpius *S. Honoré de Lerin*, vel *l'Isle de S. Honorat* dicitur. Circuitu patet 2. mill. paſſ. puteum vel fontem aquæ dulcis habet, plana eſt & oblonga, miti & ſalubri gaudens cœlo, frumenti, vini, cuniculorum, pinuum, palmarum, olearum, lauri, cupreſſorum, myrtorum, lentiſcorum & geniſtarum, florum ac herbarum fragantium ferax, piſce marino & fluviatili abundans. Rudera ibi antiqui opp. Vergoani, cujus Plin. meminit. *l.* 3. *c.* 6. Hodie in medio inſ. Baſilica S. Mariæ & templum majus S. Honorati: in latere inſ. ad Mer. ſcabris rupibus turris impoſita eſt, quâ velut arce Monaſterium clauditur. Ab hac Lero 600. paſſ. circiter freto Foro-Julienſe dicto, dividitur, ac Lerino duplo major eſt. Antipoli adverſa, de qua vide in voce *Lero*. Ad *Lerinenſe* monaſter. in ſinu maris inter caput Rubeum *Cap Rous*, & Caput Galupe *Cap. Garoppe*, pertinent maritima caſtella, Neapolis *la Napole*, prius Avenionetum dicta: & interfluente Cyano *Siagne*, amne torrente ac piſcoſo, Canoa *Canes*, olim caſtellum Marcellinum, pòſt circà A. C. 1132. Caſtrum Francum nuncupata: in vertice collis Villa vet. nunc Muginum *Mogins*, & Vallis aurea proxima Antipole *Valaurie*.

LERMA, vulgò quoque *Lerma*, opp. Hiſpaniæ in Caſtella vet. cum tit. Duc. ad Arlanzam amnem, 8. leuc. ab Auca in Auſtr. & 12. à Pincia in Ort. *Baudr.* Sunt autem Duces hi ex Fam. *de Sandoval*; quæ cùm duas præcipuas ſtirpes complectatur, à duobus fratribus, Gutierio Diazio *de Sandoval*, & Alphonſo Roderico (ſ. *Ruizo*) *de la Vega* prior *Lermenſem* ramum propagavit. In eo verò inprimis inclaruit Didacus Gomezius *de Sandoval*, Fernandi Gutierezii & Agnetis *de Roxas* (undè nomen adſumptum) fil. A. C. 1426. primus Com. *de Caſtrogeriz* titulo à Rege Joh. II. mactatus, ob varia munia geſta & & egregia obſequia præſtita. Ex filii ejus, minore Petro Domini *di Bababon* deſcendunt; major Fernandus in Comitatu Patri ſucceſſit: Pater Didaci Comeſii, qui *Marchio de Denia* creatus eſt, A. C. 1484. uti hujus fil. Bernhardus Com. *de Lerma*. Iſto genitus eſt Lud. hoc Franciſcus quo genitus Franciſcus Gomeſius *Ducis Lermæ* axioma domui intulit, A. C. 1599. Sed neque hic ſtetit regia clementia; nam nam pro filiorum altero etiam *Ducis Uzeda*; altero *March. de Belmonte*; pro nepote autem *Ducis de Cea* tituli acceſsêre. Fuit is Franciſcus *de Sandoval & Roxas* Dux *de Cea*, qui uxorem habuit Feliciam Henriciam (genitam Ludovico *Henriquez de Cabrera*, Admirallo Caſtellæ, Duc. *de Medina de Rio ſecco*) atque ex ea ſuſcepit, Chriſtophorum *de Sandoval & Roxas* (nat. A.C. 1615.) ac Marianam *de Sandoval & Roxas*, *Duces de Lerma*, *Uzeda & Cea* Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Parte II. p.* 8. Hiſtoria Franciſci Gomezi Lermæ Ducis, ſub Phil. III. Hiſp. Rege ſummum in aula dignitatis culmen adepti, ſed tandem, cum Roderici Calderonis ſupplicio, quid capiti ſuo impenderet, edoctus, Romam ſeceſſiſſet, in Cardinalium numerum allecti, nota eſt; attigit illam quoque Barclajus *Argen.* ſub nomine *Procerum in aula Hippophili primi*. Addam ſaltem pauca hæc, ex autore Anon. *Hiſt. Orbis Terr. Parte* 2. *c.* 1. *Sub Phil. III. ſummam rerum tenuit Don Franciſcus Sandoval March. de Denia ac pòſt Dux & Card. de Lerma; ſed à Phil. IV. A. C.* 1621. *loco motus, unà cum filiis, Duce Uſſedano, qui Secretarius Regius fuerat & Com. de Saldanna, officio ſupremi in Regia Hipparchi functo: Quam fortunam etiam unà cum ſupplicio capitis antè* A. C. 1619. *expertus fuerat, proximus à Lermio Comes de Olinda & Septem Eccleſiarum Marchio Rodericus Calderon, qui ex humillima conditione ad ſummos honores Lermiæ auſpiciis emerſerat: quo de videnda Hiſtoire des Favoris p.* 261. *& Brachel l.* 1. *p.* 54. Lermæo in Regis gratia ſucceſſit Caſparus Guzmannus Com. *de Olivarez*, cujus fortunam utramque enarrat Ferr. Pallavicinus Opp. *ſel.*

LERNA, lacus in agro Argivo, Herculis labore notiſſimus, qui in eo Hydram Lernæam dicitur interemiſſe; vicinæ omni reg. adeò infeſtam, ut locum fecerit Proverbio Λέρνη κακῶν, de malis multis in unum congeſtis. Locus fabulæ factus eſt, quod Hercules paludem hanc, accolis noxiam, exſiccavit. Hinc *Lernæus*. Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 300.

Lernæus *turbâ capitum circumſtetit anguis.*

Λέρνης βαθὺν λειμῶνα, dixit Æſchyl. unde Pind. Schol. Ἡ γὰρ Λέρνα κατὰ μὲν τινας κρήνη, κατὰ δέ τινας λοχμῶδες χωρίον. Eſt & fluv. ejuſdem nominis, opp. item Laconicæ mediterr. *Phonea* Sophiano. Nigro autem *Petrina* dicitur. Aliis eſt opp. Argiæ, ad quod palus & fluv. imò & fons Amymonius, Hydræ fabulis inclytus, in intimo receſſu ſinûs Argolici. Nic. Lloyd. Plin. *l.* 4. *c.* 5. P. Mela *l.* 2. *c.* 3.

LERO, Inſ. parva Gall. in ora Prov. Lerinæ ferè adjacens, ab ea tenui freto, *le Frioul*, ſeparato; Strab. teſte, *l.* 4. *p.* 185. à Lerone Heroe dicta eſt, cui ibi ſacellum olim: Hadr. Valeſ. unà cum Lerino inſ. à Gr. λῆρος, quod rem futilem denotat, nulliuſque momenti. Monaſterium olim habuit Margarithæ Virg. & Martyris tit. illuſtre, à quo nunc Inſ. S. Margarithæ *l'Isle de S. Marguerite* dicitur. Eam Monachorum Lerinenſium eremum ac ſecretum extitiſſe ajunt, ibique Impp. Rom. validas extruxiſſe munitiones, quarum veſtigia ſuperſint: quæ Maſſonus horrea fuiſſe ad condendum ſalem, & abeſſe à continente 2. mill. ait. Quâ ad Sept. vergit, terramque proſpectat, portum habet tutum, hincque non longè fonticulum aquæ dulcis: oblonga eſt & frumenti cuniculorumque fertilis, in litore parumper attollitur, circuituque 4. mill. colligit. Inter oram Prov. ad Bor. & Lerinam ad Auſtr. Præter duas Inſ. in Sinu illo maris inter caput Rubeum & Galupe, ſunt duæ aliæ Inſ. parvulæ ac ſaxoſæ Translero, fortè *la Formigue* vulgò, & Inſ. S. Ferreoli, quibus adde Graniliam *la Grenille* Antipoli adverſam, ex tabb. Chorogr. Prov. quæ omnes, ut Antipoli & Nicææ Maſſilienſium oppidis proximæ erant. Maſſilienſibus olim paruêre: nunc ad Graſſenſem diœc. pertinent, & à maj. inſ. Lerone, Inſulæ S. Margarithæ appellantur in his veterrima Monaſteria, ab Honorato, Minervio, Caſtore & Joviano, qui floruêre ſub Honorio Aug. condita eſſe, refert Proſper. *in Chron.* Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* Plin. *l.* 3. *c.* 5. *l.* 4. *c.* 12. & *l.* 5. *c.* 31.

LEROS, quæ & *Leria*, inſ. in Icario mari, cum urbe cogn. Epiſcopal. ſub Archiep. Rhodienſi; aloe, quæ ibi naſcitur, clara. Strabo *l.* 10. *p.* 488. & 489. *l.* 14. *p.* 635. à Delo 65. mill. paſſ. in Ort. Circuitus 20. *Lero*. Pop. *Lerii*, qui olim corruptiſſimis moribus fuiſſe perhibentur. Hinc illud Phocylidis Λέριοι κακοί, οὐχ ὁ μὲν ὃς δ᾽ οὔ, πάντες δὲ πλὴν Πατροκλέης. *Leri mali, non quidem unus, alter verò minimè, ſed univerſi, excepto Patrocle.* Vide Maginum *Geogr.* Nic. Lloyd. Herod. *l.* 5. *c.* 124.

LERTIUS, vulgò *le Lers*, fluv. Galliæ Narb. in Occitania, Mirapincum rigat, dein in Alburacim ſe exonerat, & cum ipſo in Garumnam fluv. Lertius autem minor, paulò infrà Toloſam in Garumnam cadit. Arejâ vel Aregiâ amne in Garumnam deferri ſcribit Hadr. Valeſ. *Not. Galliæ*, in voce *Apamiæ*.

LERTOSA, Hiſp. urbs, Δέρτωσα. Ptol. & Strab. hodie *Tortoſa* dicitur.

LESA, Sardiniæ urbs.

LESBOS, inſ. maris Ægæi, ante Aſſum prom. Troadis *Lesbia* Plauto *in Merc. Act* 3. *Sc.* 4. *v.* 62. *Metelin* hodie. Olim univerſa Troadis imperium obtinuit. Ambitus ejus ſtadiorum 100. ſuprà 1000. à Borea in Auſtr. protenſa, quingenta ſexaginta ſtadia longitudinis habens; feraci agro, & multâ materiâ ad claſſes conficiendas idoneâ. Baudr. verſùs oram Troadis eſt & Myſiæ maj. 12. mill. ab Aſſo prom. in Auſtr. *Metellino* Italis, ab urbe ejus prim. Mitylene aliàs dicta, in parte Or. Circuitus eſt 130. mill. circiter, ex Thoma Porcaccio, 50. mill. à Chio in Sept. 10. à Lemno in Auſtr. 150. circiter à Delo in Bor. Portus habet duos capaciſſimos *Geremia & Caloni*. Venetis erepta eſt à Mahum. II. Huic inſ. ortum ſuum debent Pittacus, unus ex ſeptem Græciæ ſapientibus; Alcæus poëta & Antimenides ejus frater, vir ad arma tractanda natus: Hîc quoque nati ſunt Theophraſtus & Fania, Philo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

philoſophi peripatetici, amici intimi Ariſtotelis: Muſicus quoque Arion & Terpander cum Sappho femina. Joh. Matal. Metell. Huc relegata à Nicephoro Patritio Irene eſt, A. C. 801. ubi mœrore contabuit. Sic dicta à primaria urbe Archiepiſcopal. quæ & in ea potentiſſima fuit, ſive à *Lesbo* Japeti fil. qui in eam inſ. navigavit. Ut autem eruatur Lesbi etymon, ſciendum eſt, veteres meminiſſe ſeptem majorum inſularum in mari mediterraneo. In quarum dimenſione, quamvis parum ſibi conſtent, tamen in eo conveniunt, quòd Lesbon ſemper cenſent ſeptimo loco, Scylax ſcilicet, Alexius Comicus apud Euſtathium, Autor. *l. de Mundo c.* 3. ubi de majoribus inſulis, Apulejus, Timæus *apud Strab. l.* 14. Diod. Sic. *l.* 5. Inde ſuſpicatur Bochart. Lesbum inſ. *Esbuith* & contractè *Esbu*; i. e. *ſeptima*, dictam eſſe à Phœnicibus, voce deflexâ ex Hebræa השביעית *haſſebuth*. Ex quo factum, ut præfixo Lamed להשבוע *Lesbus* diceretur urbs inſ. metropolis, i. e. *ad ſeptimam*, ſupple *inſulam*. Qua nominum forma nihil frequentius apud Pœnos, ſic *Ad ſeptem aras*, *Ad ſeptem fratres*, &c.

Λέσβος ἀζυγόροιο. -----

Dionyſ. *v.* 537. Hinc *Lesbius*, ut *Lesbia vina*, Strabo *l.* 13. *p.* 57. Horat. *Epod.* Ode 9. *v.* 34. Item *Lesbous*, ut *Lesboum barbiton*, apud eund. *Carm. l.* 1. *Ode* 1. *v.* 34. A Lesbiis ortum eſt adagium apud Ariſt. *l.* 5. *Moral.* quod eſt *Lesbia regula*, cùm ratio ad factum, non factum ad rationem, vel lex ad mores, non mores ad legem accommodantur. Lesbii inter alias turpitudinis notas, hanc contraxêrunt, quòd fallationis, & irrumationis primi autores feruntur; unde Græcè λεσβιάζειν apud Ariſtoph. pro *polluere*. Divinandi tamen arte pollebant: quapropter apud Plutarch. hoc adagium legitur *Lesbius Prylis*, nam Prylis Mercurii fil. fuiſſe traditur divinandi peritiſſimus. Lesbii etiam cantores celebres fuiſſe dicuntur, qui accerſiti Lacedæmonem, cives tumultuantes ſuavitate cantûs ad concordiam revocabant: Unde ortum proverbium apud Suid. & Zenod. *Poſt Lesbium cantorem*, cùm aliquem non primas, ſed ſecundas tenere debere ſignificamus. Soli fertilitate, & vini generoſitate inter alia præſtans inſ. nec non puellarum formoſitate. Plin. *l.* 5. *c.* 31. Tac. *Ann. l.* 2. *c.* 34. & *l.* 6. *c.* 3. P. Mela. *l.* 2. *c.* 7. Strabo *l.* 2. *p.* 124. *l.* 13. *p.* 581. Herod. *l.* 1. *c.* 160. Luc. *Civ. Bell. l.* 5. *v.* 725. 744. *l.* 8. *v.* 40 108. 123. 131. 135. 139. 144. 204 587. 640. Ovid. *Amor. l.* 2. *Eleg.* 28. *v.* 26. Idem *Heroid. Ep.* 15. *Sappho Phaoni v.* 52. Idem *Met. l.* 2. *v.* 592.

LESCAR, opp. Bearniæ, ſedes Principum.

LESCHÆ, Gr. λέσχαι, dicebantur Athenis conventicula & collocutiones frivolæ, ad quas antiquitùs Græci otioſi convenire ſolebant, ut & ipſa loca, in quibus conveniebant. Erant autem ea plerunque tonſtrinæ, undè Κουρικὴ λαλιὰ prov. & inprimis fabrorum ferrariorum officinæ. Ut indigitat Heſiod. *in Erg.*

Πὰρ δ' ἴθι χάλκειον θῶκον, καὶ ἐπ' ἀλέα λέσχην,
Præteri autem æneam ſedem, & calidam tabernam.

Ubi *per* χάλκειον θῶκον *intelligit*, verba ſunt Lamb. Barlæi, *officinas ferrarias, in quas antiquitus in Græcia pauperiores ac otioſi ſolebant convenire, ad collocutiones frivolas, ſicut apud Rom. in tonſtrinis.* Nec obſtat Euſtathius. Od. σ cum λέσχην definit δημόσιον ἀθύρωτον οἴκημα, *publicam januis carentem domum*: Τὸ παλαιὸν γὰρ τὰ χαλκεῖα καὶ πάντα τὰ ἐργαστήρια τὰ πῦρ ἔχοντα ἄθυρα ἦν. ἃ καὶ λέσχας ἐκάλουν. *Olim enim officinæ fabrorum cæteræque circa ignem occupatæ foribus carebant, quas etiam* leſchas *vocavêre*, Schol. Heſiodi. Canterus *l.* 5. *c* 23. apud præfatum Barlæum, dicit *Leſchas* primitus fuiſſe conventicula Philoſophorum: dein quia inter ipſos plerunque de rebus leviſſimis agitabatur, factum eſſe, ut mendicorum conventus etiam hoc nomine vocarentur: atque indè etiam ipſæ nugæ λέσχαι dictæ ſint. Quorum id, quod de mendicis ait, confirmatur proverbio gr. οἱ ἐν τῷ χαλκείῳ καὶ τῇ λέσχῃ. Erant hæc loca conſecrata Apollini, qui proin λεσχηνόριος Suid. vel potiùs λεσχηνόριος Meurſ. appellatus eſt: fortè ideo, quia confabulationes hæ de die, & aliquando in Sole fiebant. Earum meminit quoque Hom. *Odyſſ. loc. cit.*

Οὐδ' ἐθέλεις εὕδειν χαλκήϊον εἰς δόμον ἐλθών,
Ἠέ που εἰς λέσχην.

Franc. Roſſæus *Archæol. Att. l.* 6. *c.* 1. Vide quoque Bon. Vulcan. *ad Callimach.* Joh. Meurſ. *Comm. ad Lycophron.* ubi λέσχας duplices, pauperum, in fabrorum officinis, & divitum, in partibus ædium ſecretioribus; propriè verè ſic dicta, loca aprica, in quæ commentandi causâ convenerint philoſophi, eaque Apollini conſecrata fuiſſe. docet &c. adde quæ infrà in voce *Libertas*. it ubi *de Tabernis*.

LESCHASSERIUS Jacobus, Autor *conſultationis, de controverſia inter Paulum V. & Remp. Venetam*, modum reſtituendi canonum codicem antiquum, Chalcedonenſis Conc. beneficio, excogitatus eſt. Gerh. von Maſtricht *Hiſt. Juris Eccl. n.* 42.

LESCHENORIUS, cogn. Apollinis. Hic enim uti *Pythius*, reſpectu eorum, qui diſcere incipiebant; *Delius & Phanæus*, reſpectu eorum, quibus allucescebat veritatis aliquid; *Iſmenius*, porrò ſcientium jam reſpectu. ſic *Leſchenorius* dictus eſt, eorum ratione, qui jam utebantur ſcientia ac inter ſe diſputabant & philoſophabantur, Plutarch. *l. de Ei.* Vide ſuprà ubi de Vett. *Leſchis*.

LESCHES, Lesbius, poëta græcus, Olymp. 30. Autor. parvæ Iliadis, cujus verſus aliquot citant interpretes græci, dicentes, & Pindarum illo non rarò uſum eſſe. Euſeb. *in Chron.* Voſſ. *de poëtis gr. c.* 3.

LESCOTUS Petrus Clanius, Pariſienſis, Mathematicis artibus totum ſe dedit, ſub P. Poſtello ac pingendi artem excoluit, ſed architecturæ inprimis gloriâ inclytus, varia ſtupenda ædificia, Luparam præcipuè magnificentiſſimum Regum Palatium, exſtruxit. Obiit A. C. 1578. Æt. ſuæ climacterico. Thuan. *Hiſt.*

Duces ac Reges Poloniæ.

LESCUS I. poſt Vendæ Mortem, ac conſtitutum duodecim Palatinorum regimen quartæ Poloniæ Ducum, quæ *Leſcidarum* dicta eſt, Dynaſtiæ autor: Etiam *Primiſlaus* dictus eſt, & ob inſigne, quo Hungaros ac Moravos in inſidias præcipitavit, ſtratagema inclaruit. Vide Reuſner. *Genealogic.* Alex. Gaguin. Helvicum *in Chronol.* Cromerum *Hiſt. Pol. l.* 2. &c. Floruit A. C. 760. Ei ſucceſſit.

LESCUS II. qui fraudem Leſci, *ſtratis in ſabulo ferreis ſtylis*, Principarum in certamine iniquè ad ſe pertrahere conati, deprehendit. Hunc excepit.

LESCUS III. qui variis in locis rem egregiè geſſit. Pater præter Popielum ſucceſſorem legitimè natum, 20. filiorum ex concubinis, inter quos provincias intra Poloniam, Bohemiam, Albim, Balticum mare ac Viſtulam ſitas diſtribuit. Floruit ſub finem Sec. 8. Poſt Obitum filii ejus Popieli II. à muribus corroſi, quinta Dynaſtia Poloniæ Ducum, *Piaſtea* incepit, autore Piaſto, qui rerum potitus eſt A. C. 842. Vide Cromer. *l. præf.* Lætum *Comp. Hiſt. Univ* &c.

LESCUS IV. fil. Ziemoviti, quietis & otii, quàm belli, amantior, Patri ſucceſſit A. C. 892. Bellum Heneticum, Pomeranicum, Caſſubium aliaque à patre inchoata deſeruit. Alii puerum à patre relictum memorant, unde paterna cœpta proſequendi occaſio perierit. Nonnulli ab Henr. Aucupe victum, & adversùs ipſum Marchias Miſnenſem ac Brandeburgenſem conſtitutas, memorant. Obiit A. C. 913. Succeſſit Ziemomiſius fil. Vide præter Cromer. ſuprà laudat. Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Hiſt. in Fam. Piaſtea.*

LESCUS V. cogn. *Albus*, fil. Caſimiri, ex Helena Belzenſi, poſt patrem A. C. 1194. Extinctum, principatum geſſit ſub tutela matris, & Fulconis Ep. Cracovienſis cura: quos Miciſlaus patruus ſæpe promiſſis decepit, ut aliquoties ſummam rerum ad ſe pertraheret, ſed victus ad Mozgaviam. filio amiſſo; ſaucius ægre fugâ ſibi conſuluit, A. C. 1199. Inde Vladiſlaus cogn *Laſconogus*, alter Miciſlai fil. poſt patris fata, aliquandiu regimen invaſit: Henr. quoque cogn. *Barbatus*, vel *Sapiens*, adversùs Leſcum A. C. 1225. vocatus, ab eo patris loco cultus eſt, Tandem *Leſcus* in balneo à Suantopulco Duce Pomerelliæ oppreſſus, A. C. 1227. cumque fugeret, capite ab eo truncatus, fil. reliquit Boleſlaum, cogn. *pudicum*. Vide Helvic. *Chron.* Cromer. *l.* 7. &c. Inſignis ejus de Ruſſis & Romano Vlodomirienſi Duce victoria fuit, A. C. 1205.

LESCUS VI. cogn. *Niger*, priùs Dux Siradienſis fil. Caſimiri Lenciciæ & Cujaviæ Ducis, ex Boleſlai cogn. *pudici*, de quo ſuprà adoptione Poloniæ Princeps, Leonem Ducem Ruſſorum, qui Leopolim condidit, ob incurſiones in Poloniam factas, duplici clade affecit, A. C. 1280. Lithuanos prædâ onuſtos confirmatus, ut ajunt, viſione Michaëlis Archangeli vicit, ſpolia ademit, & Lublini ex iis templum S. Michaëli erexit, A. C. 1282. Jazyges excidit, in Polonia Henr. Vratiſlavienſem, & Conradum Mazovium patruelem, à rebellibus ſubditis Ducem electum, adjutus à Lud. Hungariæ Rege ad Rabam fluv. ſuperavit, A. C. 1285. Cracoviæ regimen Teutonibus ob fidem ſervatam contulit: à Tartaris vehementer infeſtatus, qui inter alia A. C. 1288. unum & 20. mill. innuptarum puellarum abduxêre, & alio contra æmulos prælio inferior, mœrore animi Extinctus eſt A. C. 1289. Poſt cujus Obitum Gryphina Ruſſica, vidua ejus, Wenceſlao Bohemo Cracoviam tradidit. Sequutum eſt interregnum 6. Annorum, donec Primiſlaus Poznanienſis eligeretur, A. C. 1295. qui nomen Regium à majoribus per 215. Annos intermiſſum, reſumpſit. Vide Mart. Cromer. *Hiſt. l.* 10. & 11. Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Hiſt. in Fam. Piaſtea* &c.

LESEM, urbs in tribu Aſer, in poſſeſſione verò Dan. Exod. *c.* 28. *v.* 19. Joſ. *c.* 19. *v.* 47. quæ & *Lais* & *Dan.* dicitur. Hæc ea putatur à pleriſque, quæ tandem à Phil. Tetrarcho ſenioris Herodis filio in honorem Tiberii Cæſaris *Phil.* appellata, *Bellina* vulgò.

LESERA, mons Occitaniæ, Cemeni pars, inter Gabalos & Arecomicos. *Mont de Loſere* vulgò, 6. leuc circiter ab Anderito in Afr. 8. ab Uceria in Cæc. Vide *Leſura*.

LESINA, urbec. Capitanatæ, Epiſcopal. ſub Archiep. Benevent. juxta lacum cogn. vix 3. mill. ab ora Sinûs Veneti. 22. mill. paſſ. à Manfredonia in Cæc. vulgò quoque *Leſina*.

LESLEUS Johannes, vide *Johannes*.

de LESNO Andreas, Palatinides Breſtenſis Cujavienſis, vixit in Acad. Baſilienſi, A. C. 1601. ubi oratione inſigni, *de Cauſis Remp. conſervantibus* facundiam & eruditionem ſuam omnibus probavit.

de LESNO Raphael, prætor Radzzeiovienſis, qui Andream Praſmovium Seniorem VII. Miniſtrorum, ſecundum Tigurinorum morem docentem tuebatur, gravi oratione ad Regem in Comitiis habitâ, A. C. 1552. liberrimè in mores Præſulum invectus eſt.

de LESNO Raphael, Palatinus Belzenſis. non tantùm ditiones ſuas, ſed portas, atria, templa, animumque fratribus è Bohemia pulſis, circa A. C. 1628. aperuit: Leſnâ atque Vlodaviâ refugii loco illis deſignatis. Obiit A. C. 1636. Æt. 59. ipſo Rege funeri ejus illacrymante, & dicente, *gemmam Senatûs noſtri amiſimus*.

de LESNO Venceſlaus, Polonus, intrepidus veritatis promotor, interceſſit apud Sigiſmumdum Imp. pro Hùſſo in carcerem Conſtantiæ detruſo, A. C. 1414.

LESNOVIA, vulgò *Leſnow*, opp. Volhiniæ ſup. Aliquot mill. paſſ. à Bereſtecia in Ort. 15. à Luceoria in Mer. versùs Ruſſiam nigram. Ibi A. C. 1651. menſe Junio Caſimirus Rex Coſaccos & Tartaros maximâ clade affecit, 30000. eorum cæſis.

LESSA, vicus Argiæ *Pauſ.*

LESSINA, urbec. Hannoniæ, ad Teneram fluv. in conf. Flandriæ, inter Athum ad Auſtr. & Gerardimontium ad Bor. 5. leuc. à Bruxellis in Occ. in ipſo limite dit. Francicæ, *Leſsines* vulgò.

LESSIUS Leonardus, Vide *Leonardus.*

LESTORUM Regio, *Ληςῶν χῶρα*, i. e. *piratarum regio.* Ptol regio Indiæ extra Gangem, cujus incolæ ſylveſtres eſſe dicuntur, & in ſpecubus habitare. Ferunt in ea corvos eſſe albos, & pſittacos, hodie regnum *Pegu* dicitur.

LESTRYGONES, Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 69. *de Ponto l.* 2. *Eleg.* 9. *v.* 41. *l.* 4. *Eleg.* 10. *v.* 21. Idem in Ibin. *v.* 388. Horat. *Carm. l.* 3. *Ode* 16. *v.* 35. Vide *Læſtrygones.*

LESUA, vulgò *Lewes*, oppid. Suſſexiæ. Vix. 4. mill. Angl. ab ora maris Brit. celebre ex prælio.

LESURA; altiſſimus Galliæ mons eſt, vulgò *Loſere*: Sidon. *Leſora*, portio Gebennarum, in Gabalis, fluvii Tarnis fonte nobilis.

Hinc te Leſora *Caucaſum Scytharum*
Vincens accipiat, cituſque Tarnis.

Vide quoque ſepra in voce *Leſera.*

LESURA, amnis dit. Trevirenſis, *die Leſer* vulgò: Manderſchedium & Witlicum opp. rigat, & paulò infrà in Moſellam lævum, ad vicum Leſuram *Leſer*, cadit, 4. mill. Germ. infrà Treviros. Auſon. *Moſella. Edyll.* 10. *v.* 365.

Prætereo exilem Leſuram *tenuemque Drahonum.*

LESYRUS, fluv. Iberiæ. Steph. in Ὑόψ.

LETA, fluv. Piceni, ex Apennino, per agrum Firmanum in mare Hadr. fluit; *Leto morto.*

LETA, Juriſconſultis Anglis juriſdictio eſt, quam Vicecomes Regius de certis minoribus criminibus & aliis cauſis intra Comitatum, ut Regius Officialis exercet, vulgò *à leete* vel *à courtleete.* Tenebatur in ſingulis villis ſemel quotannis ſub feſtum S. Michaëlis, ſolebantque hìc conſcribi liberiores villæ ſ. deſignatæ ſtationis homines, pacis Regiæ fidejuſſores, undè *Viſum franci plegii* Anglo-Normannis dictum eſſe, ſcribit Henr. Spelman. Quando autem & quo autore facta ſit hæc *Letarum* diſtributio, incertum; niſi referatur ad Alfredum, qui *Friborgas*, i. e. *francos plegios*, de quibus hæc curia cognoſcit, inſtituiſſe legitur &c. C. *du Freſne. in Gloſſ.*

LETANDROS, Ægæi maris inſ. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

LETANUM, urbs Propontidis, ab Athenienſibus condita. *Diod. Sic.*

LETAVIA, vulgò *Lhydaw*, tractus Armoricæ.

LETE, urbe Macedoniæ, à Latonæ templo in vicinia: *Letta*, & *Lita* vulgò. Epiſcopal. ſub Archiep. Theſſalon. hinc 20. mill. paſſ.

LETHÆUS, fluv. geminus: unus Lydiæ, Magneſiam urb. alluens, & Pactyâ monte erumpens, inque Mæandrum per agrum Magneſianum deſcendens. Strab. *l.* 10. *p.* 478. *l.* 12. *p.* 554. *l.* 14. *p.* 647. *Fiume de Mangreſia* vulgò; alter in Macedonia, Triccam urb. attingens, apud quem Æſculapium natum ferunt. Eſt & *Lethæus* apud Solinum fluv. Cretæ Gortynam urb. præterfluens, *Letor* hodie: Vulgò *Anapodari*, ſ. *Naporal*, *Brietio.*

LETHE, fluv. inferorum apud poëtas, cujus aquam, ſi quis guſtâſſet, omnium ſtatim præteritorum oblivíſci eum voluêrunt, ἀπὸ τῆς λήθης, h. e. ab *oblivione* ſic dictus. Conſtat autem revera, *Lethen* ſ. *Lethonem* in Africa amnem eſſe, circa extremum Syrtium cornu, Berenicen urb. alluentem, verùm quoniam terræ hiatu abſorptus, & occulto meatu per aliquot lapſus millia, circa Berenicen magnâ aquarum copiâ erumpit, perſuaſum fuit accolis, ab inferis eum emergere. Lucan. *Civ. Bell. l.* 9. *v.* 355.

Quam juxta Lethes *tacitus prælabitur amnis,*
Infernis, ut fama, trahens oblivia venis.

Ubi *Lethon* legendum ex optimo ſuo codice monet Voſſ. *ad P. Mel. l.* 1. *c.* 8. *Nic. Lloyd.*

LETHE, unus ex fontibus in Boeotia ſacris, è quibus bibere tenebantur, qui Trophorcii oraculum veniebant conſultum, apud Pauſ. *Boeotic.* Vide infrà *Mnemoſyne.* Item nomen in Perſia carceris, memorati Joh. Eleemoſynario *c.* 25. *Et deſcendens retruſus eſt in carcerem, qui appellatur* Lethe, *i. e. oblivio*, apud Dom. Macr. in *Hierol.*

LETHERNACHUM, vulgò *Lierny*, locus Belgii, in Tungris, memoratur in *Literis* Sigeberti Jun. Auſtraſiorum Regis *Verſûs curtet noſtras, i. e. Amblavam*, Lethernacho, *Alſena*, *Glane*, *Albafontana*, *Amblava.* Vide Hadr. Valeſ. *Not. Galliæ* in voce *Amblava.*

LETHES, fluv. Hiſp. geminus; unus Hiſp. Tarrac. Strab. *l.* 3. *p.* 153. per fines Bracarum fluens, qui & *Limæa* & *Limius*, vulgò *Lima*: Nunc Portugalliæ eſt. Forum Limicorum, ſ. pontem Limæ rigat, dein opp. *Viana de Foz de Lima*, & paulò infrà in Oceanum Atl. ſe exonerat, 5. leuc. à Bracara in Occ. Alter Hiſp. Bætic. per Vandalitiam fluens, ac in mare apud portum Mneſthei exiens, vulgò *Guadelete.* De priore Sil. Ital. *Punic. Bell. l.* 1. *v.* 235. *l.* 13. *v.* 555.

Quique ſuper Gravios, lucentes volvit arenas.
Infernæ populis referens oblivia Lethes.

Ubi alii *Grovios.* Super hoc nomine reconditè ſcripſit Iſ. Caſaub. Strab. Commentator *in l.* 3. Liv. *Epit. l.* 55. *Cùm fluvium Oblivionem tranſire nollent. Nic. Lloyd.*

LETHON, Africæ fluv. in Cyrenaica reg. Plin. *l.* 5. *c.* 5. *Milel Marmolio*, Berenicen alluit & inter ipſam & Apolloniam, in mare illabitur.

LETI, Gallica gens, apud quos Magnentium Imp. vixiſſe *ſcribit Zoſim.*

LETIA, fluv. Belgii, per ſylvam Arduennam, in Moſam influit; *Leſche* vulgò, aliter *Leti*, unde *Leticæ terræ in l.* 9. *Cod. Theodoſ. de Cenſitor.* quarum ratione *Læti* erant obnoxii ſervitio militari; unde feudorum apud Francos originem fluxiſſe, opinantur quidam: Fuêre autem *Leti*, populi Septentrionales, qui cum Francis aliiſque nationibus barbaris in Gallias & Germaniam irrumpentes, ibi tandem Impp. conceſſu ſedes fixêre, acceptis ad excolendum agris, ita ut delectibus & ſervitio militari obnoxii eſſent. Ex Eumenio quippe & *Panegyrico*, dicto Conſtantio Cæſari, conſtat, *arva jacentia* & prædia in Gallia, *Francis Letis* populiſque aliis barbaris, excolenda data, unde eruebantur poſtmodum militum cohortes, quæ ab locorum, in quibus domicilium fixerant, denominatione appellationem ſortiebantur, adjecto *Letorum* velut prænomine. *Sic in Not. Imp.* paſſim occurrunt, *Leti Batavi*, *Nemetacenſes*, *Teutoniciani* &c. Quod verò maximè in Galliis habitarent, ἔθνος Γαλατικόν, *Gens Gallica* dicuntur Zozimo. Sed & inde Armoricam prov. *Letaviam* dictam eſſe autor eſt Camden. quòd in ea potiſſimùm conſederint. Vide plura de iis apud C. du Freſne *in Gloſſ.* & quos ille laudat, Hadr. Valeſ. *ad Amm. Marcell. l.* 16. *c.* 20. ac Jacobum Gothofredum *ad l.* 12. *Cod. Theodoſ. de Veteranis*, ut & in voce *Læti.*

LETINI, pop. Siciliæ. Cic. *in Verrem. Jetini Ferrar.*

LETOA, Libyci maris inſ. prope Cretam. Ptol. Baudr. Inſ. parva Cretæ, in ora Auſtr. Quibuſdam eſt *Gaiduroguiſa*, è regione Hierapytnæ. Aliis *Chriſtiana*, quæ & *Cufogniſſa*, Inſ. cum 3. minor. adjacentibus, vix 5. mill. ab ora Mer. verſùs prom. *Xacro.*

LETOEUS, Alexandriæ vicus. *Steph.*

LETOIA, Vide LOTOA.

LETRINI, Elidis opp. *Pauſ.*

LETRUMUM, vulgò *Letrum*, oppid. Connaciæ. ad Sineum fluv. ubi lacum *Alyne* efficit, in limite Roſſiæ. 2. mill. paſſ. à Roſcomia in Occ. Caput Com. cogn. *Letrum Countie*, qui prope Ultoniam, à qua fluv. Aquanigrâ ſeparatur. In Hibernia.

LETTERANUM ſ. LETTERUM, vulgò *Lettere*, urbec. Principatûs citer. in colle, inter Noceram ad Ort. & Stabias ad Occ. Vix 3. à litore mill. uri & à conf. Terræ Laboris Epiſcopal. ſub Archiep. Amalphitano.

LETTIA, Livoniæ pars: ubi Riga Kokenhuſen, Wenden Wolmar & tota diœc. Rigenſis. Joh. Matal. Metell. Vide *Litlandia.*

LETUS, Liguriæ mons. Liv. *l.* 41. *c.* 18. & Val. Max. de *Ominibus*, *c.* 5. arduus & valdè difficilis. *Alpi del Pelegrino*, ſ. *monte S. Pelegrino*, Leandro. In dit. Lucenſi, in Carferoniana 25. mill. paſſ. à Luca in Bor. 35. à Mutina in Auſtr. ut & à Rhegio Lepidi.

LETUSPOLIS, Ægypti urbs & Nomus, Ptol. *Steph.*

LEVA ſ. LEIVA, nomen Fam. in Hiſp. illuſtris: in qua Joh. Martinus *de Leiva*, muneribus ſub Aphonſo ultimo Rege geſtis inclytus floruit circa A. C. 1330. pater Sancii Martini *Dn. de Leiva*, & *Valdeiſcar*, cogn. *Brachii Ferrei*, celebris belli Ducis & officiis bellicis Eduardi III. Angliæ Regis filiam uxorem promeriti. Iſto genitus eſt Joh. Martinus I. *Martinez*, pater Latronis, avus Joh. in cujus filiis arbor in ramos abiit. Primogenitus enim Sancius *Martinez* caput domûs remanſit, pater alterius Sancii Proregis Navarræ, qui tres inprimis filios genuit, Alphonſum, Petrum & Sancium, quorum quivis liberos ſuſtulit; in prioris verò liberis continuato Familiæ principatu. Alter Joh. fil. Antonius, celeberrimus belli Dux & Hiſpaniæ Fabius Maximus, ab Imp. Car. V. de quo optimè meritus erat, principatum *de Aſculi* & March. *de Atela* A. C. 1530. obtinuit, cui ſucceſſit fil. Lud. Pater Antonii, Franciſci & Joh. à quorum illo Principes propagati ſunt: ab his alii, gentile ferè nomine contenti. Priori verò in linea, cujus caput Sancius fuit *Martinez* præfatus, Sancius Martinus III. uxorem ſibi junxit Leonoram *de Mendoza* (filiam Garſiæ Hurtadi de *Mendoza* Dn. *de la Corzana*) atque ex ea ſuſcepit Alphonſum de Leiva, Dn. *de Leiva*; patrem ex Mariana *de la Cerda* (filia Laurentii Suarezii *de Mendoza* Com. *de Corunna*, Defuncti A. C. 1583. ac Catharinæ *de la Cerda*) Sancii de *Leiva* Com. *de Bannos* (cui nupſit Maria *de Mendoza*, filia Moſcen. Rubini *de Bracamonte*) Domini domûs *de Leyva* ſ. *Leva.* Phil. Jac. Spener. *Theatr. Parte* 2. *p.* 58.

de LEVA Antonius Vide *Antonius.*

LEVACI, pop. Belgii, Nerviorum clientes, quorum opp. *Leew*, quaſi Levacum, in Brabantia, à Lovanio 4. leuc. in Ort. Licèt Marlianus ipſos Lovanienſes interpretetur. Baudr. Atrebatum pars Bor. ubi nunc pars Arteſiæ, verſùs Bethuniam, Baſſeam, Fanum S. Venantii & Armentarram. Ex *Sanſ.*

LEVANA, Dea, quæ pueris præerat de terra levandis, S. Auguſtinus. Nati enim infantes humi abjiciebantur, Plin. *præf. ad l.* 7. Suet. *Aug. c.* 5. &c. Erat autem hoc munus obſtetricum, nudos in terra pueros locare: quos dein patres humo levâbant. Imo non legitimus habebatur infans, niſi pater præſens, vel eo abſente, procurator pro eo, infantem terrâ levâſſet ſinuique impoſuiſſet. Unde *tollere infantem*, eſt ſuum agnoſcere. *Levanæ* addit Varro Pilumnum quoque & Picumnum, conjugales Deos. Vide Thom. Dempſter. Paralip. in Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 19.

LEVANTES & CUBANTES, in *Statuto de Decima Saladin.* apud Rigordum A. C. 1188. Gallis *Levians & couchans?* dicuntur, qui alias *Manſionarii* ſ. *Manentes*, in dominorum prædiis ſedem fixêre, iis obnoxii oppoſiti *Albanis*, de quibus *ſuprà.* At *Levari ſuprà Chorum*, dicitur in Eccl. Rom. Canonicus, qui ad altiora Chori ſubſellia, quæ *formas* vocant, admittitur. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.* Eccl. Lugd. *Statuta c.* 16. laudantem. De ritu verò *Levandi in altum manus*, ut quædam addam, fuit is habitus ſ. geſtus orantium & ſupplicantium, ut docet Pollux *l.* 1. jam antiquiſſimis temporibus undè Moſes. *Exod. c.* 9. *v.* 29. *Egreſſus hac civitate expandero manus meas ad Jehovam:* i. e.

i. e. precabor. Exod. *c.* 9. *v.* 29. denique, *quum attollebat Manum ſuam ut prævalerent Iſraelitæ c.* 17. *v.* 11. Similiter Camillus, *dicitur manus ad cœlum tollens ita precatus eſſe*, Liv. *l.* 5. *c.* 21. Et pater Anchiſes, apud Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 263.

> ----- paſſis de *litore* palmis
> *Numina magna vocat* -----

Græci quoque apud Hom. *Il.* γ.

> ----- ἠρήσαντο, θεοῖσι δὲ χεῖρας ἀνέσχον.

A' quo ritu non abludit alius, nunc ut plurimum uſitatus, cùm precamur junctis manibus. Uti enim in priore, auxilium cœlitus exſpectandum eſſe innuimus, ſic in poſteriore nos demittimus ac humiliamus, quaſi ligatis manibus ſiſtimuſque nos captivos coram Majeſtate divina. Utrique manus prius adluebant, velut illas puras extenſuri, juxtà præceptum Apoſtoli 1. Tim. *c.* 2. *v.* 8. &c. quam in rem Vide plura apud Ritterſhuſium *Not. ad Salvian. l.* 1. & *Lect. Sacr. l.* 5. *c.* 10. Joh. Pricæum *in* 1. *Tim. l. c.* A. Rivet. *Exercit. ad Exod. c.* 9. *v.* 29. Alios. ut & infrà, ubi de *Manus ad cœlos tollendi* ritu. At ſingulariter *manum levare ad Deum*, jurantis eſt geſtus, Gen. *c.* 14. *v.* 22. & Apoc. *c.* 10. *v*, 6. Vide A. Rivet. *ibid.*

LEUCA, Salentinorum urbs, Epiſcopal. ſub Archiep. Hydruntino, apud Japygium prom. 19. mill. paſſ. ab Hydrunto. Lucan. *Civ. Bell. l.* 5. *v.* 376.

> *Antiquuſque Taras ſecretaque litora* Leucæ.

Item opp. Joniæ, medium inter Cumas & Clazomenas, apud Hermium fluv. Strab. P. Mela. Item urbs Cypri Epiſcopal. Lib. Conc. Inſ. item Cretica contrà Cydoniam. Plin. *l.* 5. *c.* 32. Inſ. Indiæ intrà Gangem. Ptol. Et Argivorum opp. Polybio. Strab. *l.* 6. *p.* 281. *l.* 14. *p.* 646. Liv. *l.* 26. *c.* 6. *l.* 33. *c.* 35.

LEUCA, viæ ſpatium apud Gallos, Hier. & Frodoardo: *Leuga* Amm. Marcell. & Jornandi: *Leuva* Nithardo: & *Lega* Lelando: ſecundùm Thierrium à Gr. λευκὴ, i. e. candida, quòd locorum intervalla candidis quondam lapidibus deſignarentur. Et Galli quidem Romano more, lapidibus hinc inde poſitis diſtinxêre itinera. candidos autem illos neceſſariò fuiſſe non legitur: unde à Britannis, quorum lingua cum vet. Gallica multum habebat commercii, *Leach*, i. e. lapis, poteſt vox originem eſſe ſortita. Conſtitit olim ex 1500. paſſibus, teſte Amm. Marcell. *l.* 16. *c.* 9. ubi *de Juliano Cæſ. in Galliis militante* loquitur, & Jornande *c.* 16. *de reb. Goth.* Ex 2000. dein, apud Ingolphum, Lyran. *in Daniel. &c.* quæ vulgaris atque hodierna apud Gallos æſtimatio eſt. Pro mille paſſibus, ſub Normannorum ingreſſu, in Anglia vox ſumpta eſt, cujus incolæ per leucas quoque ſpatia numerabant. Pro 3000. apud nautas hujus regni, marina ſic itinera metientes. Hiſpanicam *leucam* 34. ſtadiis i. e. mill. Germanico 4000. paſſuum quidam metiuntur. Sed Hunterus *Coſmogr. l.* 1. ſic habet:

> *Quatuor ex granis digitus formabitur unus,*
> *Eſt quater in palmo digitus, quater in pede palmus:*
> *Quinque pedes paſſum faciunt, paſſus quoque centum*
> *Quinque & vicem ſtadium dant, ſeu miliare*
> *Octo dabant ſtadia, & duplatum dat tibi* leucam.

Pro ſitu Monaſterii, cum ſpatio in circuitu, purà plus minus unius leucæ vel mill. paſſ. inſigniori juriſdictione privilegiiſque donato, nonnunquam quoque vox ſumitur, Gall. *Banlique.* Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LEUCA-ORE, Ptol. i. e. *Albi montes*, in Creta ſunt, teſte Plin. *Madara*, & *Spachia* Bellonio. *Monti di Sfachia*, Baudr. ab opp. cogn. In parte Occ. Inſ.

LEUCARUM, Camd. *Loghor*, opp. Albionis in Walliæ ora Mer. Ant. Silurum alias. In Comitat. Glamorganenſi, ad amnem *Loghor*. 4. mill Angl. ab ejus oſtiis in Ort. 10. ab oſtio Tobii in Ort. 8. à Nido in Occ. 30. ab Iſca Silurum etiam in Occ.

LEUCAS, & LEUCADIA Plin. & P. Melæ *l.* 2. *c.* 3. *Leucate* Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 274. & *l.* 8. *v.* 677. *Leucates* Strab. *l.* 10. *p.* 452. & 456. *Neritis* etiam Plin. *l.* 4. *c.* 1. inſ. maris Jonii, oræ Epiri occiduæ adeò vicina, ut continenti juncta videatur, (cum urbe cogn. Epiſcopal. ſub Archiep. Naupactenſi, quæ *Neritos* Strab. *Neritum* Plin.) media inter Acroceraunia, & Peloponneſum 87. mill. paſſ. ab Actio 30. in Mer. cujus urbs caput Acarnaniæ, teſte Liv. *l.* 33. *c.* 1. Baudr. Acarnaniæ ferè adjacet, ei ponte juncta. Urbem habet cogn. & permunitam, verſùs Ort. Inſ. Veneris à Mahumete II. erepta eſt. *S. Maura* hodie incolis, *Sainte Maure* Gallis dicitur, ſedes præfecti Turcarum, mons verò & prom. *Leucata*, & *Leucates*. Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 289.

> Leucada *continuam veteres habuêre coloni,*
> *Nunc freta circumeunt.* -----

Lucan. *Civ. Beli. l.* 1. *v.* 43. & *l.* 5. *c.* 478.

> *Ductor erat cunctis audax Antonius armis,*
> *Jam tum civili meditatus* Leucada *bello.*

Idem *l.* 7. *v.* 872. *l.* 8. *v.* 38. & *l.* 10. *v.* 66. Juv. *Sat.* 8. *l.* 3. *v.* 241.

> ----- *Quantum non* Leucade, *quantum*
> *Theſſaliæ campis Octavius abſtulit udo.*

Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 805. & *ſeqq.*

> ----- *Sic Ambracii per litora ponti,*
> *Nauticus in remis juvenum monſtrante magiſtro*
> *Fit ſonus, inque vicem contrà percuſſa reclamat*
> *Terra, ſalutatus cùm* Leucada *pandit Apollo.*

Item *Leucas* civ. Phœniciæ. Steph. Nic. Lloyd. Cott. Suppl. *l.* 1. *c.* 7. & 14. Herod. *in vita Hom. c.* 6. Ovid. *Heroid. Ep.* 15. *v.* 84. & 191. Salmaſ *Leucas* fuit opp. Plin. *l.* 4. *c.* 1. *Leucadia* inſ. idem *l.* 30. *c.* 8. *Leucates* mons ſ. prom. idem ad quod opp. poſitum. Fuit autem *Leucas* priùs *Nericon* dicta, quæ cùm à mari longiùs eſſet remota, poſteà tranſlata eſt, ad illud fretum manufactum & *Leucas* appellata, ut habet Strabo *l.* 2. *p.* 105. & *l.* 7. *p.* 322 Scylax vero Ἐπιλευκαδίους priùs appellatam, & mare ad eam, perfoſſo Iſthmo, in quo erat ſita, undè & portus Urbs ipſa facta ductum, refert. Sic, quæ priùs peninſ. erat, Inſ. evaſit uſque ad utriuſque hujus ætatem. poſtea congeriem arenarum ventis accumulantibus, reddita eſt continenti, cui abſciſſa fuerat & iterum peninſ. facta &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 715. Hodieque *Leucada* Græcis, arcem verò, *S. Maura* dici, ubi Monaſterium cognomine olim, cùm ſub Venetis inſ. adhuc eſſet, adnotat Jac. Spon. *Itin. Parte* 1. *p.* 134.

LEUCASIA, inſ. Tyrrheni maris. Vide *Leucoſia.*

LEUCASIUS, vicus eſt in Arcadia. *Pauſ.*

LEUCASPIS, unus ex comitibus Æneæ, natione Lycius, unà cum Oronte in Tyrrheno mari ſubmerſus. Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 334. Item Libyæ Nomi portus. *Ptol.*

LEUCATA, prope ſtagnum cogn. & Salſulas arcem. Urbs munita Occitaniæ, haud procul à Comit. Ruſcinonenſi: à Serbellone Duce Hiſp. fruſtra obſeſſa, A. C. 1637. victis hiſce eodem Anno Arx nunc deſtructa. Hadr. Valeſ. caſtrum eſt naturâ & arte munitum, Gall. *Leucate*, Hiſp. *la Leocata*: & prom. ad mare figurâ peninſ. referens. Quippe ab Ortu & Mer. mari cingitur, ab Occ. ſtagno, quod incolæ *ſtagnum Leucatæ*, Hiſpani *ſtagnum Salſularum* vocant, quia inter utrumque caſtellum jacet. prom. hujus caput Sept. quâ Franciam ſpectat, in fronte habet 1500. paſſ. difficiliſque ob rupem eſt aditu. In Monte arx & vicus cogn. eſt, in quo fons, templum & molæ. Arcis præſidio ciſterna, propter rupis ariditatem, fontis inſtar eſt. Nomen fortè à Maſſilienſibus loco datum eſt: Nam eſt in Caria litus *Leuca*, & in Acarnania *Leucadium* litus ac prom. *Leucates*, vide infrà, dein ſinus, ac *Leucadia* peninſ. eſt. Plin. & Mela Ex ſaxorum candore nominis origo, teſte Servio. Vide *Leocata.*

LEUCATES, prom. Acarnaniæ: *Capo di Santa Maura.* Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 274.

> *Mox &* Leucatæ *nimboſa cacumina montis,*
> *Et formidatus nautis aperitur Apollo.*

Idem *Æn. l.* 8. *v.* 677.

> ----- *Totumque inſtructo Marte videres*
> *Fervere* Leucaten. -----

Item Bithyniæ, quo includitur Sinus Aſtacenus. Plin. *l.* 4. *c.* 1.

LEUCE, inſ. Ponti exigua, Boryſthenis oſtio objecta, Vide *Achillea.* Baudr. Inſ. parva Cretæ, in ora Por. nunc *S. Teodoro*, cum arce in monte ſatis munita cogn. quæ prima expugnata fuit à Turcis, A. C. 1645. 8. mill. à Cydone in Occ. vix 1. aut altero mill. ab ora Cretæ. Plin. *l.* 4. *c.* 12. & 13. Strab. *l.* 2. *p.* 125.

LEUCHTENBERGA, Germ. *Leuchtenberg*, caſtrum eſt Germ. cum territorio ſatis amplo, in aditu Sylvæ Bohemicæ, haud procul Nabiirgo, ſub proprio olim Principe, qui unus ex quatuor præcipuis Imperii Landgraviis ſ. Comitibus limitaneis, arcem quoque & opp. *Pfreimbt* tenebat, feudi jure, à Bavariæ Duce; Wernbergum item caſtrum ac regiunculam Franconiæ, ab Ep. Herbipolitano. Iidem diu Comites *In Hals* dicebantur, qui Comitatus Bavariæ ad illos delatus eſt, A. C. 1375. Extincto Comite ultimo. ſed eum Aichbergenſibus vendidêrunt, A. C. 1485. Cur verò *Comitum de Rus* titulum illidem ſibi vindicarint, in incerto eſt. Gentem autem *Leuchtenbergicam*, ab Ulrico, qui Obiit A. C. 1334. juſtâ ſerie deducunt; ſed antiquior hinc indè ejus reperitur memoria. In præfati Ulrici liberis duo rami orti: quorum alter *Comitum in Hals* in tertia generatione defecit. Primaria ſtirps ad noſtram uſque memoriam viruit, quâ Maximilianus Adamus ultimus è vivis Diſceſſit, A. C. 1646. ſucceſſione ad Bavariæ Duces devolutâ. Albertus enim; fil. minor natu Vilhelmi, à quo lineæ *Vilhelminæ* nomen frater Maximiliani Electoris, per uxorem Mechuldem, filiam Georg. Lud. Landgravii *Leuchtenbergici* ductam A. C. 1612. eam poſteà ſucceſſionem nactus eſt, ſed cum fratre Electore, acceptâ compenſatione, permutavit. Nunc Landgraviatum hunc poſſidet Maximilianus Phil. Hier. frater Ferd. Mariæ Electoris, qui nat. A. C. 1638. Ludovicam Turriam Frid. Mauritii Ducis Bullionæi filiam, in Caſtello Theodorici ſibi junxit A. C. 1668. Seriem Landgraviorum exhibet Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Parte* 1. *p.* 122. Extrema gentis ſpes, Chriſtophorus fuit Franc. præfati Maximiliani Adami fil (nat. ac Den. A. C. 1627.) Idem *Parte* 2. *p.* 121. Vide quoque Limnæum Enucl. *l.* 3. *c.* 16. & Tob. Pfanner. *de præcip. Germ. Princip. gentibus c.* 3.

LEUCI, Gall. Belg. pop. Treviris & Mediomatricibus finitimi; ſuprà hos Strab. Horum primus meminit Cæſ. *de Bello Gall. l.* 1. *c.* 9. ut populi Rom. ſociorum ac amicorum: quum ait, ſibi ad Arioviſtum contendenti, frumentum Sequanos, *Leucos*, Lingonas ſubminiſtrâſſe. Lucan. ipſos unà cum Remis optimos funditores facit, & lapidum certis ictibus conjiciendorum periſſimos, *Civ. Bell. l.* 2. *v.* 424.

> *Optimus excuſſo* Leucus *Rhemuſque lacerto.*

Eis Treviris, Verunis, alliiſque Belgicæ, Celticæ & Aquitanicæ populis, non plena quidem aut juſta cum agris aut legibus ſuis, ſed aliqua tamen ex parte à Romanis victoribus conceſſa libertas eſt: unde Plin. *Leucos liberos* vocat *l.* 4. *c.* 17. Civitas *Leucorum* apud Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 64. totum eorum agrum denotat, fuitque è maximis totius Franciæ diœceſibus, non Tullum modò, pagumque Tullenſem, ſed etiam Lotharingiam, pagumque Moſellanum & Barrenſem complexa: ita ut diœceſis Pariſiaca & Verodunenſis parœcia, vix ad ſextam *Leucorum* agri partem accedant. Cl. Ptol. *leuci* λεῦκοι dicuntur, qui urbes illorum recenſet Tullum, hodie Epiſcopal. Archiep. ſub Remenſi, vide ibi, & Naſium, hodiè Nanſiacum majus, *Grand Nanci*, in Duc. Barrenſi, non longè ab Orna fluv. Item *Leuci*, Peloponneſi pop. Liv. Item montes Cydoniæ, in Creta: *Monti di Sfachia* vulgò: quorum incolæ *Sfachiotes* dicti, ſatis celebres ab aliquot Annis effecti ſunt. Vide *Leuca Ore*. Strabo *l.* 4. *p.* 193.

LEUCIANA, Hiſp. urbs, inter Emeritam, & Toletum. *Ant.*

LEUCIMNA, Corcyræ inſ. prom. inter urb. Corcyram & Phalacrum prom. *Capo Bianco*. Soph. Strabo *l.* 7. *p.* 324.

LEUCIPPIDES, filiæ Leucippi à Caſtore & Polluce raptæ, Phœbe, & Elaira, ex Aphidnis civitate Laconica.

LEUCIPPUS, Eleates quibuſd. Philoſophus, qui omnia pleno & inani conſtare dixit. Cic. *Tuſc. Qu. l.* 4. Dogma hoc plenius explicat Diog. Laërt. *l.* 9. & qui eum exſcripſit Heſych. Illuſtris. Præterea res infinitas eſſe docuit, atque in ſe invicem permutari; Mundos tum fieri, cùm corpora inane ſubeuntia alia aliis miſcentur: Naturas Aſtrorum motu formari, Solem circà Lunam, Terram in centro circumgyrari, tympani figurâ. Atomos primus ſtatuit omnium rerum principia, &c. De eo ſic Galen. ſive Ætius, Περὶ φιλοσόφου ἱστορίας. Τούτου δὲ Λεύκιππος Ἀβδηρίτης ἀκούσας, τὴν τῶν ἀτόμων εὕρεσιν ἐπινενόηκε πρῶτος. Clem. Alexandrino *in Propemptico*, dicitur *Mileſius*, ac poſuiſſe ἀρχὰς, τὸ πλῆρες, καὶ τὸ κενόν. De eodem ita Epiphan. Λεύκιππος ὁ Μιλήσιος, κατὰ δέ τινας Ἐλεάτης καὶ οὗτος ἱστορικὸς ἐν ἀπείροις. Lactant. *l.* 3. *Inſtit. Ubi ſunt, aut unde iſta corpuſcula? cur illa nemo, præter unum Leucippum, ſomniavit? à quo Democritus eruditus hæreditatem ſtultitiæ reliquit Epicuro.* Epiphan. Strabo *l.* 6. *p.* 265. Vide Voſſ. *de Phil. ſ. c.* 7. §. 6. Nic. Lloyd. Item octavus Sicyoniorum Rex, regn. An. 53. Ovid. *Met. l.* 8. *v.* 305.

LEUCIUS, Manichæus, acta Apoſtolorum ſub nomine S. Matthæi, vel S. Jacobi minoris, S. Petri item & S. Joh. evulgare auſus. *Ep.* 13. Innoc. III. ad Exuperum. Idem libri de B. Virgine, qui Hier. vulgò tributus eſt, autor quibuſdam creditur. Baron. A. C. 44.

LEUCO, Platæenſibus cultus, Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 1. *c.* 13.

LEUCO, Boſphori Rex, A. U. C. 360. Vide infrà *Leucon*. Strabo *l.* 7. *p.* 301.

LEUCOBIBIA, & Lat. recent. *Loquabria*, regio Scotiæ occidua contrà Ebudas inſulas. Malè verò Ortel. citat Ptol. ille enim *Levopibiam* habet. Baudr. meliùs *Leucopibia*, urbs Novantum in Scotia Mer. nunc *Withern*, ſ. Candida caſa. In Gallovidia & ora maris Hib. cum portu capaci, longè à Loquabria in Auſtr. Vide *Lucopibia*, & *Candida caſa*.

LEUCOGÆUS Collis, & *Leucogæi Fontes*, locus Campaniæ inter Neapolim & Puteolos *la Lumera*, teſte Sanfelicio. Hìc alica plurima & ſulphur. Plin. *l.* 18. *c.* 11. & *l.* 35. *c.* 15. Fontes prædicti firmitatem dentibus, oculis claritatem, & vulneribus ſanitatem afferunt, teſte eodem Plin. *l.* 31. *c.* 2. *Leucogæus* quoque, *Leuce acte* Ptol. locus Marmaricæ in ora litorali inter Paraætoniam, & Alexandriam. *Riva bianca Moletio*.

LEUCOLA, portus Cypri apud Strab. *l.* 14. *p.* 682. ubi Gagates lapis, teſte Plin. *l.* 5. *c.* 31. reperitur.

LEUCOLITHI, pop. Lycaoniæ, Plin. *l.* 5. *c.* 27.

LEUCOLLA, prom. Pamphyliæ cum inſ. & opp. cognomine, inter Pergen, & Eurymedontis fluv. oſtia, ultrà Chelidonias.

LEUCON, fil. Satyri, nepos Spartaci, patre Olympiadis 96. Anno quarto Defuncto, Boſphori regnum ſuſcepit & Annos quadraginta tenuit. Diod. Sic. *l.* 14. *p.* 445. Obiit Olympiadis centeſimæ ſextæ Anno tertio, *l.* 16.

LEUCON, Rex Ponti, à fratre Oxylocho necatus, quòd cum ejus uxore adulterii & inceſtûs conſuetudinem habuit. Ovid. *in Ibin*, *v.* 309.

> *Aut pia, te caſo dicatur adultera, ſicut,*
> *Quâ cecidit* Leucon *vindice, dicta pia eſt.*

LEUCON, Africæ urbs circa Cyrenen. Herod. *l.* 4. *c.* 160. Strab. *l.* 7. *p.* 301. Forſan *Leucoa*, *Ptol.*

LEUCONAUS, locus Galliæ, ad oſtium Sumnæ, ſ. portus olim maritimus, Monaſterio S. Walarici, à Walarico Arverno, tempore Chlotarii, extructo, inſignis: vulgò *S. Valeri*, Picardis *S. Vaüary*, Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LEUCONICUM, apud Mart. *l.* 11. *Epigr.* 22, *v.* 8. cujus Epigraphe in Lydiam.

> *Culcita* Leuconico *quàm viduata ſuo.*

lanæ genus eſt, quo culcitæ farciebantur. Idem eod. *l. Epigr.* 57. *v.* 9. cujus Epigraphe in Cheræmonem.

> Lingonicis *agedum tumeat, tibi culcita* lanis,

Unde *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 159. cujus Epigraphe *Tomentum Lingonicum* quod ſic habet,

> *Opreſſæ nimiùm vicina eſt faſcia plumæ:*
> *Vellera* Lingonicis *accipe raſa ſagis.*

A' candoris præſtantia, ex Græco λευκὸν. Alii legunt *Lingonicum* & *Lingonicis*, Lingones enim Romam miſiſſe cadurca bardocucullos & ſaga craſſæ & pinguis lanæ, ex eodem *l.* 1. *Epigr.* 54. cujus Epigraphe ad Tridentinum *v.* 5. diſcimus. Sed libri Mart. omnibus locis *Leuconicis* habent: an *Leucones* pro *Lingonibus* dixit? Salmaſ. *ad l.*

LEUCONIS, lacus Bœotiæ, qui aliàs *Copais*.

LEUCONIUS, fons in Arcadia. *Pauſ.*

LEUCONON, Pannoniæ urbs. *Ant.*

LEUCOPETRA, prom. Brutiorum ultrà Rhegium: In Mer. parte Calabriæ ult. Nunc *Capo dell' Armi*, juxtà fretum Siculum, 12. mill. à Rhegio in Auſtr. Brietio tamen eſt *Punta della Saetta*, prom. 8. inde mill. in Ort. diſtans, in quo deſinit alterum Apennini cornu, & *Capo dell' Armi* eſt Rhegium prom. Item mons Aſiæ Polybio, qui Parthiam diſtinguit ab Hyrcania. Locus item circa Arabiam. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Strabo *l.* 6. *p.* 259.

LEUCOPHÆUS, Vide infrà *Pſeudolactinus*.

LEUCOPHRUS, Dianæ fanum & ſtagnum inter Tralles, & Mæandrum fluv. in Lydia. Xenoph. Plin. *l.* 5. *c.* 31.

LEUCOPHRYNE, cogn. Dianæ, apud Magnetes cultæ. Cauſa cognominis ad feminam aliquam, quæ ibi condita, referri ex Arnob. *l.* 6. poteſt. Vel ad Tenedon inſ. quæ olim appellata *Leucophryn*, ubi Dianæ ſanctiſſimum templum, ejuſque exemplo & cognomine fortaſſe ædificatum in Magnetibus iſtud. Appian. Alex. *Civil. Bell. l.* 5. etiam alterum ejus Deæ fanum locat Mileti cognomento pari. Et Pauſ. aram Athenis, cui à Themiſtoclis filiis dicata ſtatua. Strabo *l.* 14. *p.* 647.

LEUCOPHYRA, Antiochidis tribûs gens. *Heſych.*

LEUCOPOLICHNA, urbs Sarmatiæ Archiepiſcopal. Rutheniæ, ſive Ruſſiæ metropolis. *Lemburg*, quæ & *Leopolis*.

LEUCOPOLIS, urbs Cariæ maritima, ad ſinum Doridis reg. Plin. *l.* 5. *c.* 29. *Æſchecher* Leuncl. Ei inſidias fecit Memnon. Polyæn. *l.* 5. & 6.

LEUCORÆA, quibuſdam eſt Witemberga, caput Saxoniæ; ubi eſt Academia clariſſima: media fere inter Miſnam ad Auſtr. & Magdeburgum ad Bor. 11. leuc. utrinque. 9. à Lipſia in Sept. De ea *l.* 4. *Itin.*

> ----- ----- *Ubi ſurgunt mœnia ad Albim*
> Leucoreæ, *Muſis quæ ſacra.* -----

Vide *Witemberga*, & *Vitarum mons*.

LEUCOS, fluv. Macedoniæ, juxtà Pydnam. Plutarch. *Fiume di Chitri*.

LEUCOSIA, inſ.. parva Tyrrheni maris: contra ſinum Pæſtanum: Ferrar. habet, in ſinu Pæſtano, contra Poſidonitate prom. vulgò *la Licoſa*, & *Leucoſa*: ſic dicta ab Æneæ conſobrina ibi ſepulta, in ora Lucaniæ, teſte Feſto; ſ. ut Plin. vult, ab una Sirenum ibi ſubmerſa, & ſepulta. Vide & Strab. *l.* 2. *p.* 123. & *l.* 6. *p.* 252. & 258. De illa ſic Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 708.

> Leucoſiamque *petit, tepidique roſaria Pæſti.*

Erat olim Sirenum prom. juncta, teſte Plin, *l.* 2. *c.* 88, ibique multa in mari rudera, quaſi urbis ſubverſæ, cernuntur. Idem urbs totius Cypri primaria, Archiepiſcopal. Latinis, Epiſcopal. Græcis, & quæ *Nicoſia*. Quin & Samothracia *Leucoſia* priùs eſt appellata. Ariſtot. *de Repub. Nic. Lloyd.*

LEUCOSYRIA, Cappadociæ pars circa oſtia Thermodontis fluv. *Leucoſyrorum cubitus*, Cappadociæ locus. Ptol. hodie *Lyrus*. Pop. *Leucoſyri*, Plin. *l.* 6. *c.* 3. qui & *Aſſyrii* Orpheo, quorum urbs Themiſcyra.

LEUCOSYRUS, Ciliciæ fluv. *Pyramus* poſteà dictus. *Steph.*

LEUCOTHEA, ux. Athamantis, Vide *Ino*, & *Athamas*. Prop. *l.* 2. *Eleg.* 38. *v.* 19.

> *Ino etiam primâ terris ætate vagata eſt,*
> *Hanc miſer implorat navita* Leucothoen:

Idem *l.* 2. *Eleg.* 26. *v.* x. Ovid. *Met. l.* 4. *v.* 542.

> Leucotheaque *Deum cum matre Palæmona dixit.*

Idem *Faſt. l.* 6. *v.* 545.

> Leucothöe *Grajis, Matuta vocabere noſtris.*

Cic. 1. *Tuſc. Qu. Quid? Ino Cadmi filia, nomine Leucothea nominata eſt à Græcis, Matuta habetur à noſtris.* Vet. Gloſſ. *Albunea*, Λευκοθέα. Fabula eſt apud Apollod. *l.* 3. Hom. *Il.* ε. Pauſ. *Atticis*, *Corinthiacis & Meſſeniacis*. Nic. Lloyd. Strabo *l.* 12. *p.* 544. 554. & *l.* 16. *p.* 737.

LEUCOTHEA, Orchami Babyloniorum Regis filia, cujus amore captus Apollo, in Eurynomes (ea Leucothoes mater erat) figuram ſe transformavit, & tanquam ſecretò aliquid cum filia colloqui vellet, famulas, quibus comitata erat, ſecedere juſſit. Deinde priſtinæ formæ reſtitutus, profeſſus quis eſſet, poſt multas blanditias, non admodum invitæ vim intulit. Quod cùm reſciviſſet Clytie, quæ mutuo Apollinis amore tenebatur, zelotypiæ ſtimulis exagitata, Orchamo Regi filiæ amores enunciavit, qui ut naturâ crudelis erat, filiam vivam defodit. Cujus mortem ægerrimè ferens Apollo, cùm vitæ eam reſtituere non potuiſſet, in virgam thuream eam commutavit. Ovid. *Met. l.* 4. *v.* 196. & 220. Arbor autem thurifera eadem ratione fingitur amata ab Apolline, ſ. Sole, quâ Daphne, ſ. laurus, viz. quod gaudeat locis maximè apricis, & ferat fructus ad ſalutaria remedia utiles.

LEUCOTHEA, inſ. maris Tyrrheni, apud Capreas, & prom. Minervæ, teſte Plin. *l.* 3. *c.* 6. Item fons Sami inſ. Idem. Et Arabiæ, & Ægypti urbs. Idem. P. Mela *l.* 2. *c.* 7.

LEUCTEMBERGA, caſtr. Bavariæ, Landgraviatus cogn. caput. Antea Principes habuit proprios; nunc illorum ſtirpe Extinctâ El. Bavariæ ſubeſt. Vulgò *Leuchtemberg*. Vide *Leuchtenberga*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LEUCTRA, pl. num. vicus Bœotiæ juxtà Theſpias; Ferrar. inter Plateas & Theſpias, in conf. Megaridis: circa quem ingens planities eſt, ubi Epaminondas Thebanus Lacedæmonios longè majoribus copiis inſtructos, Cleombroto illorum Rege, cui Ageſipolis dein ſucceſſit, Occiſo, vicit, adeoque attrivit, ut poſteà imperium recuperare nequiverint. C. Nep. *in Epam. c.* 6. 8. 9. & 10. Pœna fuit ea pugna libidinum, quòd in eo ipſo loco duo adoleſcentes nobiles Spartani Scedaſi filias (earum autem nomina fuêrunt Hippo & Miletia, vel, ut alii volunt, Theano & Euexippe) vi ſtupraviſſent, diſſectaſque in fruſta in puteum abjeciſſent. Quanquam ſecundùm alios, ipſæ vim paſſæ doloris impatientiâ ſibi necem conſcivêrunt, eoque in campo ſepultæ ſunt, ubi poſteà iſta pugna commiſſa. Facta eſt autem An. 2. Olimp. 102. Sc. A. M. 3585. Xenoph. *l.* 6. Diod. Sic. *l.* 15. Polyb. *l.* 2. Plin. *l.* 4. *c.* 5.

LEUCTRUM, ſ. Æ, Laconicæ urbs in Peloponneſo ad ſinum Meſſeniacum. Strabo *l.* 8. *p.* 361. Ptol. *Maina* Nigro. *Iſleſia* Moletio. Plutarch. *in Peplonda* ad mare fuiſſe docet, Καὶ τῆς Λακωνικῆς πολίχνιον περὶ τῇ θαλάττῃ Λεῦκτρον ὀνομάζεται. Baudr quoque nunc *Maina*: ſedet ad radices Taygeti montis, inter Abæam ad Bor. 15. mill. paſſ. & Tænarium prom. ad Auſtr. 35. Sub Turcis; aliqua tamen cum libertate. Hinc tractus *Braccio di Maina*. Incolæ *les Mainots*, Baudr. Inter Eleutherolaconum urbes memorantur à Pauſ. Nomen illi à *Leuctris* Bœotiæ datum, quorum & colonia erat. Pelopem eam condidiſſe refert Strabo *l.* 8. *p.* 361. Solinus ubi de Laconum urbibus agit, *c.* 13. *Præterea aliquot urbes, inter quas Leuctra, non obſcura jam pridem Lacedæmoniorum fœdo exitu.* Ubi vehementer errat, quòd celeberrimam pugnam Leuctricam, quæ pugnata ad Bœotiæ Leuctra fuit, Laconiæ Leuctris tribuit. Item *Leuctrum* Arcadiæ urbs, Pauſ. & Achajæ, *p.* 9. *Strabo*

LEUCUM, vulgò *Lecco*, opp. Inſubriæ cum arce, apud Larium lacum, ubi Adduam emittit, à Como 14. mill. paſſ. in Ort. Bergomum verſus, à Mediolano 30. in Bor.

LEUCUS, in quatuor Hiſtoriarum, citatur à Malcho ſive Porphyrio *l. de vita Pythag.*

LEUCYANIAS, Peloppomeſi fluv. in Alpheum erumpens. Pauſ. *in Eliacis.*

LEUDESIUS, Magiſter Palatii in Gallia, fil. Erchinoaldi, qui eandem dignitatem poſſederat. Ab Ebroino occiſus, qui Theodoricum poſtea Regem in poteſtate, hoc ſublato, habuit, omnia pro lubitu moderatus, A. C. 681. Addit. Greg. Tur. *c.* 96.

LEUDI, apud Fredegarium Nibelungi A. C. 768. *Rex Pepinus Comites ſuos ſcaritos & leudos ſuos ad perquirendum Waifarium tranſmiſit*, alioſque medii ævi Scriptores, *Leudes*, in *L.* Wiſigoth. *l.* 4. *tit.* 5. §. 5. & *alibi paßim*, vaſſalli ſunt ſ. ſubditi; maximè nobiliores, cujuſmodi ſunt Barones. L. Longobard. *De omnibus debitis ſolvendis---per* 12 *denarios ſolidi ſolvantur, per totum Legem Salicam: excepto, ſi* Leudes, *i. e. ſi Saxo aut Friſo Salicum occiderit, per* 60. *denarios ſolidus ſolvetur.* Aliter *Leodes* &c. Vide C. du Freſne in *Gloſſ.*

LEUENHAUPT, ſ. LOEVVENHAUPT, ſ. LEYONHOFVVUD, Fam. Suecica illuſtris, quæ deduci ſolet à quodam Brodero de *Keir*, qui inter Hallandiæ Proceres Sec. XIV. eminuit. Ejus poſteri non uno titulo uſi ſunt, *de Loholm* ſ. *Elleholm*, *de Brunsberg* & *Eckeberg*. Splendorem auxit Margaretha *Levvenhauptia*, à Guſtavo Rege in torum adſcita cujus frater Steno poſt mortem, quam Ericus Rex jam ſolio deturbandus ei procuraverat, in liberorum ſolatium, à Joh. Rege Comes *de Raſborg*, & *Graffsnaeß*, creatus eſt. Fil. dein Falckenſteniam conjugem nactus, novis titulis & bonis gentem auxit, prole ex ea ſuſceptâ, cujus geneſis iſta: Chriſtiernus Greg. *de Loholm* Fam. *Lewenhaupt*, ex Martha (filia Petri Erici *de Grafrie*, Caſtell. Watub. genuit Abrahamum *ab Eckeberg*, Senatorem Regni; cui juncta Brigitta Sturia (filia Magni Benedicti *Sture de Gockſholm* Eq. Aur.) peperit Ericum *Levvenhaupt de Loholm*, Senatorem Regni Sueciæ, Defunctum A. C. 1520. Hujus ex Ebba *de Waſa* (filia Erici *de Waſa* Dn. *de Norby* Sen. Regni Suec.) fil. Steno *Levvenhaupt* Com. *de Rasborg*, ex Ebba Lilienhœkia (filia Magni *de Oplo Lilienhœck* Sen. Regni) genuit Axelium *Levvenhaupt* Com. *de Raſburg*, maritum Sidoniæ Falkenſteniæ (Joh. Com. ex Urſulâ Rhingravia; quæ Obiit A. C. 1601. filiæ) & Patrem ex ea Joh. Caſimiri ac Stenonis *de Lævvenhaupt*, Com. *de Rasborg*. Phil. Jac. Spener. *Theatr. Parte* 3. *p.* 37.

LEVETANUM, vicus Batavorum, ad Vahalim fluv. infra Neomagum; *Leuven* vulgò, in Geldria inf. Cluv. Meliùs *Levefanum*, memoratum in *Tab.* Theodoſiana, vel magis *Levæfanum*, tanquam à *Læva* Dea, quæcunque tandem ea fuerit, dictum. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* in voce *Lauri.*

LEUGA, Aſiicæ provincia. *Æthicus.*

LEUGÆSA, Armeniæ min. urbs *Ptol.*

LEVI, pop. Liguriæ. Lege *Laevi*. Plin. *l.* 3. *c.* 17.

LEVI, tertius fil. Patriarchæ Jacob, ex Lea uxore ejus A. M. 2285. Gen. *c.* 39. *v.* 34. genus ſuum ita propagavit, ut quum inter cæteras tribus Iſraël progenies ipſius à Moſe & Aarone apud montem Sinai recenſeretur, ſoli mares illi duntaxat quotquot unum menſem nati erant, ac majores, fuerint viginti duo millia. Obiit A. M. 2422. Hi ſacro cultui deſtinati, ob zelum in adoratores vituli aurei exercitum; & à Davide in certas claſſes diſtincti leguntur: Regiæ fam. affinitate jungi poterant. Gen. *c.* 29. *v.* 24. *& ſeqq.* Math. *c.* 4. *v.* 9. Luc. *c.* 5. *v.* 27. Joſeph. *Antiqq. l.* 2. *c.* 3. & 4. Epiph. *de vit. Proph.* Sic quoque vocabatur Matthæus Apoſtolus. Item pater Matthat. Luc. *c.* 3. *v.* 24. Vide quoque *Levitæ.*

LEVI, Ep. Hieroſ. Sec. 2. quo tempore Judæi in Eccl. ſæviebant. Juſto ſucceſſit, Ephremi prædeceſſor. Euſeb. *in Chron.* Item *Levi* Ben-Altuban, & Ben-Gerſon. Rabbini celebres, Sec. 12. & 14. Genebr. *in Chron.* Porrò *Levi* aben Chabib. vir Hieroſolymitanus, autor *Theſcuvot* Ann. 298. Milenarii VI. juxtà calculum *R. Ganz.*

LEVIATHAN, magnus piſcis marinus Hiob. *c.* 40. *v.* 20. Leviathanam verò non ſignificare *Balænam*, ut vulgò putatur, ſed *crocodilum* fuſè probat Bochart. ὁ μέγας *Hieroz. parte* 2. *l.* 5. *c.* 16.

LEVINIA, prov. Scotiæ, Brietio aliiſque *Lenox*, in ora Occ. verſus intimum receſſum Glotæ æſtuarii, inter Argatheliam ad Occ. Taighianique ſ. Menthitiam ad Ort. A fluv. Levino *Levin*, qui ortus in ipſo limite Albaniæ, eam bifariàm ſecat, & per Lominium lacum lapſus, in Mer. hinc rigato Dumbritonio, in Cludam ſe exonerat, dicta. Cum tit. Duc. Ejus caput eſt Dumbritonium, dicitur etiam *Lenoxia* quibuſd.

LEVINUS Valerius, vide *Valerius.*

LEVIR, quaſi *lævus Vir*, vel *levir*, ex Gr. Δαὴρ, mariti frater. Huic apud Iſraëlitas, imperatum conjugium, ob prolem priſtino marito ſuſcitandam; viſitur in Lege ſacra, Deut. *c.* 25. *v.* 5. *Si habitantibus fratribus pariter moriatur & primus ex eis, cui filius non ſit ne nubito uxor mortui foris viro extraneo:* levir *congreditur cum ea, & ducens eam, ſibi in uxorem* leviri *officium præſtato ei v.* 6. *Eritque ut primogenitus quem parriet, ſuccedat in nomen mortui fratris ilius: ut non deleatur nomen ejus ex Iſraële.* quâ temperatur interdictum, de Fratria ducenda, quod habetur inter Leges de Inceſtu, Lev. *c.* 18. *v.* 16. Intelligunt autem hæc de fratre, qui ſuperſtitum eſt primogenitus, Magiſtri; idque de germano, non uterino: quam Talmudicorum ſententiam receptiſſimam planiſſimè adverſari iis, qui, in D. N. Jeſu Chriſti genealogia, Jacob & Heli uterinos fuiſſe fratres aſſerentes, alterum alterius ſine liberis Demortui uxorem ex hac lege ſumpſiſſe, contendunt, clarum eſt. Id quod etiam Jul. Africanus, apud Euſeb. *Hiſt. Eccl. l.* 1. *c.* 7. affirmat, ſe à Deſpoſynis ſ. ipſis, qui juxtà carnem Chriſto cognati fuêrunt, didiciſſe. Neque vero ex Lege ipſa idem ajunt fuiſſe, ut *Levir* cum Fratria more aliquo ſolenni iniret matrimonium, quoniam, niſi renuntiatio interveniret, pro Leviri uxore habebatur, velut ex ipſius Numinis autoritate & præſcripto, idque tam ubi Sponſa eſſet Demortui, quàm juſta Uxor. Attamen ex receptis moribus matrimonium cum Fratria *Levir* regulariter contrahebat, coram duobus minimum teſtibus, idque dato nummulo: quem contractum vocabulo ſolenni מאמר ſ. *Collocutionem* vocabant. Quin & acceſſit ſacra Nuptiarum benedictio & inſtrumentum dotale, ut infrà videbimus. Quòd ſi verò his ſolennibus prætermiſſis, *Levir* cum ea rem habuiſſet, non exigebatur quidem, ut contractus tunc adhiberetur aliqua formula; at ob contumaciam in inſtituta Majorum, verberibus plexus cogebatur ei dotem conſtituere. Integrum autem erat *Leviro* ſive Fratriam ducere, ſive ei renuntiare, ex verbis ſacris ſeqq. Deut. *c.* 25 *v.* 7. *Quod ſi non placuerit viro illi ducere glorem ſuam: tum aſcendens glos ejus in portam ad ſeniores dicet renuit* levir meus *excitare fratri ſuo nomen in Iſraële, noluit leviri officium præſtare mihi v.* 8. *Quamque accerſentes eum ſeniores civitatis ejus id eloquuti fuerint ei: ſi perſiſtens dixerit, non placet mihi ducere eam v.* 9. *Accedet glos ejus ad eum ante oculos ſeniorum, exuenſque calceum ejus è pede ejus ſpuet ante faciem ejus: & proteſtans dicet ſic fieri debet viro illi qui non velit exſtruere domum fratris ſui v.* 10. *Et vocabitur nomen familiæ ejus in Iſraële, familia exuti calcei.* Atque ita regulariter ſe res habuit; exceptiones verò erant non paucæ: Si enim, ut quaſdam earum tangam, prior maritus prolem reliquerat, tametſi manzerem aut apoſtatam, lege non tenebatur vidua fraterve; at tenebantur, ſi fil. ei fuiſſet ex ancilla aut Ethnica ſuſceptus. Si Fratria gravida relicta abortum fecerat, tenebatur; ſed partus in hac ſpecie vivus liberabat matrem, ita támen, ut certò conſtaret, tempus eum novimeſtre in utero perfeciſſe; Qua de re ſi non conſtaret, a ſpatio vitæ res dijudicabatur: Superſtes partus ejusmodi triginta diebus liberabat matrem; at Mortuus ſive in utero ſive intra illud tempus, pro abortu dubio proleque dubia habebatur: quo caſu proin renuntiandum voluêre à *Leviro* neque eam in uxorem capiendam. Si ante partum gravidæ fuiſſet renuntiatum, iteranda erat renunciatio poſt partum; quare, ut ſatis conſtaret, utrum gravida relicta eſſet, ex more uſque ad diem 90. ſ. tempus trimeſtre completum, expectandum erat. Interea prioris mariti bonis, ſed ita ut accederet etiam opificii ſui, ſi quod erat, pretium, alenda fuit, neque renuntiatio, neque nuptiæ ex hac lege interim admittebantur. Proſelytorum fratres filiive ita hac Lege tenebantur, ſi *in ſanctitate* parentum tam concepti, quam nati, eſſent: aliter enim fratres invicem in jure Hebraico non habebantur. Viduarum porrò ejuſdem mariti plurium, ſi una à ſuperſtite fratre ſive caperetur in uxorem, ſive renunciaretur, cæteræ liberæ erant. Qua in ſpecie tamen obtinuit, ut, ubi inter eas aliæ eſſent Sacerdotalibus nuptiis idoneæ, aliæ minimè, veluti proſelytæ, profanæ, libertinæ, his tantum renuntiare liceret (ſi nollet cunctis renuntiare) atque illas ſibi capere: ne ſc. illarum, ex renuntiatione, dum alias ſibi accipiebat, conditionem ſic vitiaret ut Sacerdotali generi ritè conjugi nequirent. Pluribus verò fratribus Demortuis, ſine prole, relictis uxoribus ſingulis, Frater ſuperſtes arbitrio ſuo aut omnes ſibi capiebat, aut renuntiabat omnibus; aut unâ alterave pro lubitu ſibi captis, reliquis renuntiabat. Defuncti Fratris bona alienare Leviro vetitum: quòd ſi ante renuntiationem alius quis Fratriam duxiſſet, verberibus uterque plectebatur. Si ducere Fratriam *Levir*, primogenitus nollet, antequam fiebat ſolennis renuntiatio, cæteri fratres ordine ſuo cuncti rogabantur, qui ſi itidem renuerent, ad primogenitum revertebatur, quæſtio, cui dictum: *Ad te attinet præceptum; Aut igitur renuntia more ſolneni, aut ut Affinis heic cape eam tibi in Uxorem.* Sic quamvis non cogebatur Fratriam ducere, cogebatur ſaltem renuntiare. Si verò primogenitus ſe Fratriæ profeſſus eſſet, nec ducturum ſe eam, nec renuntiaturum, & ad fratrem ſecundum eam relegâſſet, integrum erat ei ſive quartum, ſive ſecundum pro arbitrio, eligere: neque, niſi omnes reſpueret, priſtinarum nuptiarum dote multabatur; quæ ſc. pœna Fratriæ erat, contrà Legem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

hanc reſpuentis. Quòd ſi primogenitus, qui eam duxerat, prole ex ea non ſuſceptâ, moreretur; ſuperſtitum primogenitus atque ita cæteri ex hac lege ei aut mariti fiebant aut renuntiabant, Marci c. 12. v. 19. *Moſes ſcripſit nobis, ut ſi cujus frater mortuus ſit, ac reliquerit uxorem, & filios non reliquerit, accipiat ipſius frater uxorem ejus, & excitet ſemen fratri ſuo.* Cæterum frater alius ad has nuptias admittendus non erat, præter eum, qui tempore ſaltem fratris Demortui obitus jam natus eſſet: *Si habitaverint fratres ſimul* &c. atque adeò poſt Fratris demum fata natus, ſub pœna exciſionis & nomine inceſtûs arcebatur à fratriæ nuptiis, non aliter ac ſi liberos reliquiſſet Demortuus &c. Hac lege autem, ob dignitatem Regiam, ſive Reges eorum ſive Viduæ Regum; uti & Pontifices, erant ſoluti; ut alia omittam. Pergo ad Renuntiationis ſolennia: Peragenda illa erat, coram Triumviris minimùm ut Judicibus, iiſque optimo jure Iſraëlitis, ſ. natalibus puriſſimis, i. e. ex Iſraëlitico genere tam paterno quàm materno natis. Aderant item neceſſario bini minimum alii ut teſtes; ſicque comparebant cum *levir*, tum fratria, ſed jejuna. Illla rem integram aperiebat: Tum quæſtione factâ, an trimeſtre effluxiſſet tempus à morte mariti prioris, atque an *levir* germanus eſſet, monebant Judices de lege ipſa aliiſque aliquot ſuperiùs dictis; item, ut ſerio utrinque de ætate, ſi ita ſe res haberet, diſpari reliquisque, ſi quæ intervenirent manifeſta, incommodis conſiderationem inirent. Et demùm expreſsè rogabatur *Levir*, utrum fratriam vellet ducere & ſemen Defuncto fratri exitare. Eo renuente, fratri ſacra in Deut. verba, *Recuſat levir meus &c.* legebat; dein calceum pedis ejus dextri ſolvens exuebat, atque ita in terram, adversâ in eum facie expuebat, ut ſputum à Triumviris faciliùs poſſet conſpici. Legens etiam dein ſtatim ſubjiciebat, *Sic fiat Viro* &c. Eam voce excipiebat & Triumvirorum & coronæ circumſtantis acclamatio trina, *Calceus exutus eſt, Calceus exutus eſt, Calceus exutus eſt.* Unde & domus ejus nuncupabatur בית חלוץ הנעל *Domus ejus, cui calceus exutus eſt.* Ea de re libellus forenſis, quem שטר חליצה ſ. גט i. e. *Inſtrumentum ſ. Libellum calcei exuendi*, appellitabant, à Triumviris fratriæ conſcribi ſolebat, ut indè conſtaret, eam cuilibet alteri idoneam jam uxorem eſſe poſſe. Habuit autem is ad hunc modum: *Die N. menſis N. Anno N. à creatione Mundi, juxtà conſuetum nobis calculum in loco N. Nos Judices ex hac parte, ut conceſſus fieret Triumviralis, præfecti in forma Judicii conſedimus. Venit coram nobis N. filia N. vidua N. & coram nobis adduxit quendam Virum, dictum N. filium N. & ad hunc modum nobis effata eſt illa, filia N. Ille N. filius N. frater germanus & mariti mei, dum ego ejus uxor fui. Maritus autem meus dormit & vitam reliquit Rabbinis noſtris & toti Iſraëli. At filium filiamve ſibi hæredem, aut qui nomen ejus propagaret ſuſcitaretve in Iſraële, non reliquit. Ex lege verò attinet ad N. fratrem ejus jure leviratûs me ducere in uxorem. Dicant igitur ei Rabbini noſtri, ſi me velit ducere, ducat; ſin verò, ut diſcalceetur mihi pes ejus dexter, ſolvam calceamentum ejus & exſpuam in conſpectu ejus. Et manifeſtum ſatis eſt N. hunc fratrem eſſe germanum N. qui Demortuus eſt. Et diximus ei, ſi vis jure affinitatis ducere eam, ducas; ſin vero, diſcalceet illa pedem tuum dextrum coram nobis, & ſolvat calceum à pede tuo & in conſpectu tuo expuat. Ille vero reſpondens dixit, Nolo ego jure leviratûs eam ducere. Et ſtatim legit nobis illa N. renuit levir meus ſuſcitare fratri ſuo, nomen in Iſraël, nec vult me ut levir habere. Ille etiam nobis legit, non placet mihi eam accipere. Et diſcalceavit illa pedem ejus dextrum, ſoluto ejuſdem calceo & exſpuit versùs faciem ejus ſputum (quod à nobis cernebatur) ex ore ſuo in terram. Et rurſus legebat bonis illa N. ſic fiat Viro, qui non ædificet domum fratris ſui & vocabitur nomen ejus in Iſraël, domus diſcalceati. Et nos Judices, & cæteri univerſi, qui coram nobis jam conſtituti reſponderunt, poſt eam, Exutus eſt calceus, exutus eſt calceus, exutus eſt calceus: tribus ſcilicet vicibus. Atque hòc ad hunc modum peracto, integra datur ei poteſtas nubendi, ubicunque voluerit, nec quiſquam ei vir interdictus eſt* (hoc nomine) *ab hoc tempore in perpetuum. Rogavit autem illa N. à nobis libellum hunc Renuntiationis ſ. Calcei exuti, quem ſcripſimus, obſignavimus eique dedimus, ut eo fruatur juxtà inſtitutum Moſis & Iſraël.* Nomina dein ſua teſtes ſubſcribebant, qui hîc etiam feminæ, ſervi, minores (modò per ætatem ſciens teſtaretur) eſſe poterant, quod ràrò aliis in rebus permiſſum. Titulus formulæ hujus, apud Maimonidem eſt, uti diximus. Moſes autem Corzenſis hanc fuiſſe formulam expreſsè ait, qua uſi ſint vett. Vocatur verò & שטר חליצה *Sheta Chalitza*, i. e. *Contractus ſcriptus de Calceo exuto*: è qua voce *Shetar* Judæi Anglienſes *ſtarrum* fecêre, undè ſexcenties in tabulis Henr. III. ac Eduardi I. publicis, *N. Judæus per Starrum ſuum recognovit* &c. Interim vetuſtior & brevior formula, in Gemara Hieroſolymitana *ad tit. Sanhedrin c. 1. p. 19. col. 1.* habetur hæc: *In Conſeſſu N. & N. &c. exuit calceum illa N. illi N. filio N. coram nobis; ſcilicet coram nobis adduxit illa illum & ſolvit calceum pedis ejus dextri & expuit coram nobis ſputum, quod à nobis cernebatur, in terram & dixit, ſic fiat Viro, qui non ædificet domum fratris ſui.* De Calceo verò ipſo hoc in ritu adhibito, diſtinctiones habent Magiſtri ſubtiles, ut vidimus ſuprà in voce *Impilia.* At cùm *Levir* fratriam ducebat, formulâ hujuſmodi eam dotabat; ſed regulariter ex fratribus Demortui bonis ſ. dote ipſa, quâ maritus priſtinus eam dotarat, adjecto etiam pro *Leviri* lubitu incremento: *Die N. menſis N. &c. N. Filius N. venit coràm nobis, & ad hunc modùm locutus eſt nobis. Frater meus germanus dormivit, & vitam Rabbinis noſtris & toti Iſraëli reliquit, at filium aut filiam, quæ ei hæres eſſet & ſuſcitaret nomen in Iſraël, minimè reliquit. Sed reliquit uxorem hanc, cui nomen eſt N. filia N. Et ad me ex lege attinet, ut ad* levirum, *eam ducere, ſecundùm illud quod ſcriptum eſt in libro legis Moſis,* Levir ejus ingrediatur ad eam *& aſſenſum præbuit illa, ut jure leviratûs jungeretur N. filio N. leviro ſuo, ad ſuſcitandum nomen in Iſraël, juxtà id, quod ſcriptum eſt,* Et erit primogenitus, quem pepererit, ſurget nomine fratris ſui Defuncti &c. *Et adſcribit dictus N. Levir dictæ N. Fratriæ ſuæ, argentum Zuzorum ducentorum, qui competunt ei, utpote qui adſcripti ſunt ei in dotali inſtrumento à marito ſuo priori; & adjecit inſuper ex ſuo uſque ad ... rem N. Et bona, quæ ſecum attulit ipſa Sponſa* &c. Quæ verò ſequuntur, in formula Virginali, de qua nos alibi, etiam heic adhibebantur. Singulare autem jus fratriæ hujuſmodi fuiſſe neceſſe erat. Nam cum dos priſtina ei, ita jam viduæ, denuo à *leviro* eſſet conſtituenda fieri nequibat, quin, ſi priori marito virgo jungeretur, adeoque dotem acciperet virginalem, eam itidem ſibi inſtauratam à leviro tametſi vidua haberet. Quod ſi ita eveniret, ut dotem haberet à marito priſtino conſtitutam nullam, tunc à leviro eadem ipſa ſumma erat, quâ alia quæcunque vidua, dotanda, &c. Hæc ex Hebræorum ſcriptis, ut & plura alia. Joh. Selden. *Uxor Hebraic. l. 1. c. 12. 13. 14. 15. & l. 2. c. 10.* Vide quoque infrà in voce *Vidua.*

LEVIS, nomen illuſtris in Gallia Fam. plures lineas complexæ: è quibus duæ præcipuæ. Prior Ducum *de Ventadour*, qui prius Domini & Comites *de la Voute* dicti erant, atque Villarium Comitatum prætendebant, quem Phil. II. Vicecomes *de Lautrec*, ob matrem Eleonoram *de Villars*, à Duce Sabaudiæ, obtinuerat, ſed ejus nepos Joh. vendidit. Altera linea eſt Dominorum *de Mirepoix*, qui ab expeditionibus in Albigenſes titulum *Mareſcallorum fidei* aſſumpsêrunt; ut juxtà enatos ramos prætercam. Priorum ſeries hæc eſt: Lud. *de Levis*; Com. *de Villars*, ex Blanca (filia Lud. Com. *de Ventadour*,) genuit Gilbertum I. *de Levis* Com. *de Ventadour*: quo, & Jacobâ *du Mas* (filiâ Jac. *du Mas* Dn. *de l'Iſle*) genitus Gilbertus II. uxorem habuit Suſannam *de Leyre* (filiam Jac. *de Leyre* Dn. *de Cormillon*) ex ea pater Gilberti III. *de Levis* & primi Ducis *de Ventadour.* Huic Catharina Montmorencia, (filia Annæ Ducis Montmorencii Conneſtabilis Galliæ Defuncti A. C. 1567) Annam *de Levis* fil. peperit, Duc *de Ventadour*: qui, junctâ ſibi Margarethâ Montmorenciâ, (filiâ Henr. I. Ducis Montmorencii, Conneſtabilis itidem) cognatâ, genuit Henr. Ducem *de Ventadour* (cui ux. obtigit Latina *de Lucenburg de Piney*) Car. Mag. *de Annonay*, Franciſcum Com. *de Vauvert* (nat. & Den. A. C. 1622.) Franciſcum Chriſtophorum Com. *de Brion*, Annam Abbatem, Lud. Herculem, Catharinam (ux. Juſti Henr. Dn. *de Tournon*, Com. *de Rouſſillon*) & Mariam Abbatiſſam, Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Parte 2. p. 108.*

de LEVIS Philippus, vide *Philippus.*

LEVITA, pro Diacono, i. e. quinto gradu Eccl. juxtà D. Hier. *Tom. 4. l. 7. de Ordin. Eccl.* Hinc *Archilevita*, pro Archidiacono, reperitur in priſca Eccl. cujus munus ſic deſcribit Judic. c. 17. v. 9. Prud περὶ στεφ. *Hymn. 3. v. 37. & ſeqq.*

Hic primus è ſeptem viris,
Qui ſtant ad aram proximi,
Levita *ſublimis gradu*
Et cæteris præſtantior:
Clauſtris ſacrorum præerat,
Cœleſtis arcanum domus
Fidus gubernans clavibus,
Votaſque diſpenſans opes.

Vide Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.* & ſuprà in voce *Lector.*

LEVITA Benedictus, vide *Benedictus.*

LEVITA Elias, vide *Elias.*

LEVITÆ, in genere dicebantur poſteri Patriarchæ Levi, in ſpecie Miniſtri ſacrorum Sacerdotibus ex eadem fam. ſed per Aaronem, oriundis ſuccenturiari, quorum officium Moſis tempore cùm in Diſerto Iſraëlitæ errarent, erat Tabernaculo inſervire, hoc modo. Cùm tres fuiſſent filii Levi, Gerſchon, Kehath & Merari: Gerſchonitarum erat, Num. c. 3. v. 25. *Cuſtodia verò filiorum Gerſchonis in tentorio conventûs eſt tabernaculi & ipſius tentorii operimenti ejus cum tegmento portæ tentorii conventûs.* v. 26. *Et tapetum ocellatorum atrii cum tegmento portæ iſtius atrii, qui ſunt ante ipſum tabernaculum & ante altare circumquaque & funium illius pro toto miniſterio ejus.* Ibid. v. 8. *Et cuſtodiant omnia inſtrumenta tentorii conventûs nempe, cuſtodiam filorum Iſraëlis; exercendo miniſterium tabernaculi.* Meravitæ tandem deſtinati erant ad portandos aſſeres. Ibid. v. 31. *Cuſtodia vero horum eſt arcæ, menſæ & lychnuchi, & altarium inſtrumentorumque ſanctuarii, quibus miniſtrant ipſum tegumentum, totumque miniſterii ejus.* Poſtquam verò tempore Davidis Iſraëlitæ promiſſam terram quiete poſſiderent, & Tabernaculum fixam haberet ſedem, Rex *Levitarum* quibuſdam *theſauros domus Dei cuſtodiendos* dedit, 1. Par. c. 26. v. 20. *Hi quoque Levitæ Achija preærat theſauris Domûs Dei theſauris inquam rerum ſacrarum.* Alios, *moderatores ac Judices* nonnullos *Janitores*, quoſdam *laudantes Jehovam inſtrumentis* conſtituit, Idem c. 3. v. 3. & 4. E quibus poſtremi, *Muſici* alibi dicti, *byſſo induti* leguntur, 2 Par. c. 5. v. 12. diviſi in 24. ordines, ut videre eſt, ex 1 Par. c. 25. v. 3. 6. & 7. quemadmodum & Janitores ſacri, Idem c. 26. v. 1. qui omes ſorte lecti munus obibant. Iidem Davidis tempore ab Anno vigeſimo ætatis ſacris initiabantur, Idem c. 23. v. 26. cùm Moſis ævo Annus vigeſimus quintus expectandus eſſet. Quæ, ut exactiùs noſcantur, varii circà illos gradus ac periodi obſervandæ veniunt. Omnes *Levitæ, à nato uno menſe*, offerebantur Domino, Num. c. 3. v. 15. Poſteà *à nato viginti quinque Annos*, per impoſitionem manuum, conſecrabantur & admittebantur *ad militandum militiam in miniſterio tentorii conventûs*, Idem c. 8. v. 24. Imponebant autem iis manus *filii Iſraëlis* v. 10. i. e. ut Ghazkuni interpretatur, *Primogeniti Iſraëlis*, qui erant quaſi Eccl. repræſentativa, quò alludens Apoſt. Eccl. Chriſti vocat *Eccleſiam Primogenitorum*, Hebr. c. 12. v. 23. Et eodem tempore, *ſeparabis levitas ipſos è medio filiorum Iſraëlis, ut ſint mei Levitæ*, Num. c. 8. v. 14. qua voce

voce uſus eſt Spiritus S. Actor. *c.* 13. *v.* 2. de Barnaba & Paulo. Ita ergo conſecrati & ad miniſterium ſacrum admiſſi, quinque Annis, uſque ad Annum Æt. 30. in rebus ad miniſterium pertinentibus exactè erudiebantur: à trigeſimo dein uſque ad quinquageſimum functionem ſuam obeuntes, Num. *c.* 4. *v.* 3. *ad opus faciendum in tentorio conventus*, Poſteà laborioſo quidem Tabernaculum portandi officio ſoluti, nihilominus otioſi non agebant: Circa Tabernaculum enim caſtra metabantur, cantorum officio defungebantur, & juniores Levitas, velut Epp. ac Inſpectores eorum, in ſacris inſtruebant. Ad quos gradus reſpicere videtur Apoſt. cùm ait 1. Tim. *c.* 3. *v.* 13. *Nam qui bene miniſtraverint, gradum ſibi bonum acquirunt, & multam loquendi libertatem per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Simile quid in Veſtalibus Romanis obſervavit Dion. Halic. *l.* 1. *p.* 62. & *l.* 2. *p.* 125. quæ in officio ſuo 30. Annos perdurantes, 10. primis Annis diſcebant, 10. ſequentibus miniſtrabant, & decem poſtremis juniores erudiebant: ita nihil tam ſacri, quod ſimia DEI non imitari conaretur. Vide Thom. Godwyn. *de Ritib. Hebr. l.* 1. *c.* 5. Apud Anaſtaſ. Biblioth. *Levita Sedis Apoſtolicæ*, conſecratus Valentinianus II. Pontif. Rom. antequam Papatum nactus eſſet, memoratur in *Vita* ejus. Vide Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in hac voce, ubi Diaconis in Eccl. Chriſt. id nominis datum paſſim notat. Hinc *Levitonarium*, Vide ſuprà *Lebeta*.

LEVITANIA, Vicecomitatus eſt Galliæ, in agro Bigerrico, ad radices Pyrenæi: vulgò *Lavedan*. Equis ea generoſis olim nomen dedit, qui etiam inter currendum in gyrum verti aſſolent; Levitani *Lavedans* dicti. Vide Hadr. Valeſ. in voce *Bigerrones*.

LEVITICI, Hæretici, ex Gnoſticis & Nicolaitis oriundi. Epiphan. *hær.* 25. Auguſtin. *de hær. c.* 5.

LEVITICUS, liber Canonicus S. Scripturæ Pentateuchi tertius, à tribu Sacerdotali Levi nomen accepit. Hebr. *Vaicra*, i. e. Vocavit; Capp. 27. tractat de Sacrificiis, Cerimoniis variis, gradibus conſanguinitatis, Feſtis, Votis, Decimis, Pœna blaſphemi, Jubileo, &c. Torniel. A. M. 2544. n. 11. & 12. *T.* 1. *p.* 518. 519. *edit. Plant.* In illum extant: Ambroſ. Auguſtin. Frentii Comm. Brocardi *Explicatio myſtica & Proph.* Octav. Lugd. A. C. 1580. Canutus, Fol. Marpurgi A. C. 1536. Ferus. Heſych. Fol. Baſil. A. C. 1527. Junii [illegible] *Analyt.* Lorini *Comm.* Lugd. A. C. 1619. Fol. Origenis *Homiliæ*. Pelagii Comm. Phrygionis itidem Octav. Baſileæ A. C. 1596. Fermarii *Quæſt.* [illegible] *& Reſp.* Radulphi *in Lev. l.* 20. Fol. Coloniæ A. C. 1536. Roverii *Harmonia cum Comm.* Ruſbrochius. Siphra Hebr: Serrani, Fol. Antverpiæ A. C. 1572. Toras Cohanim. Willeti *in Lev.* Fol. A. C. 1631. Wolfii *Sermones*, Tiguri. Vide Crowæi *Elenchum*.

LEUNCLAVIUS Joh. Amelburno Weſtphalus, genere & ingenio illuſtris, JC. excellens, ipſíque Cujacio anteferendus, judice Scalig. Legatione & itinere CPolitano linguam & arcana Turcica edoctus, ſcripſit *Hiſt. Turcarum libb.* 18. *Pandectas Hiſt. Turcicæ*, *Supplementum Ann. Turcic. de Moſcorum bellis*, aliáque inſuper plurimos Autores vet. ac recentioris Græciæ Latinè vertit, uti videre eſt in *Elogiis* Ant. Teiſſier *Parte* 2. Etiam luci dedit LX. *libb.* Βασιλικῶν, *Eclogam* it. & *Novellas cum Notis*: emendavit porrò *Hiſt. Procopii Cæſar. Agathiæ*, *Jornandis* & *Leonis Armeni*. Obiit A. C. 1593. Æt. 60. Viennæ Auſtriæ. Vide Gerh. von Maſtricht *Hiſt. Juris Eccl. n.* 408.

LEUNI, pop. Vindeliciæ, *Genauni* Horat. *Naunes*, ut videtur, Plin. *l.* 4. *c.* 20. quorum tractus *Glon*, ſ. *Glonek*, teſte Aventino (cum fluv. cogn.) in Bavaria nominatur. Licèt Avent. *in Gelonos* ab Horat. dictos referat. *Carm. l.* 2. *Ode* 9. *v.* 23.

LEVOMNE, mons Macedoniæ, circa Pallenen peninſ. Plin. *l.* 4. *c.* 10.

LEVONÆ, pop. Scandinaviæ, quorum regio *Bothnia* videtur, ultra Suediam in Arctos. Aliis eſt *Livonia* reg. Sarmatiæ in ora ſinûs ſ. maris Venedici.

LEUPAS, portus Arabiæ Fel. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

LEUPHANA, Saxoniæ urbs. Ptol. *Hanofer* Irenico, urbs Ducat. Brunſvic. Ducum ſedes, ad Leinam fluv. media inter Hamburgum ad Sept. & Caſſelam ad Mer. ferè 3. mill. Germ. ab Hildeſio in Bor. uti ab Eymbeca. Munita & clara. Vide *Hanovera*.

LEUPHITORGA, Æthiopiæ ſub Ægypto urbs. Ptol. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

LEUSANA, Pannoniæ urbs. *Ant.*

LEUSINIUM, Dalmatiæ urbs. Idem.

LEUTARDUS, ruſticus Gallus, crucis ſimulacra & imagines confregit, Sec. 10. dicimas non ſolvendas eſſe concionatus eſt, prophetas non ſemper bona dixiſſe aſſeruit: ſi vera Baron. refert A. C. 1000.

LEUTARNIA, opp. Leucan. in M. Græciæ conf. Barrius in Calabria poſuit, cui hodie *Levidonia*. Baudr. aliàs in limite Brutiorum, nunc in Calabria cit. 7. mill. ab Amygdalaria, & in ſinu Tarentino in Occ.

LEUTERICUS, vel Leothoricus, Senonum Archiep. poſt Sevinum, A. C. 1000. diſcip. Gilberti, à Frotmondo Comite, & & Rayuardo II. fil. gravia paſſus, liberatus eſt, à Roberto Rege qui Senonibus captis, Comitatum Raynardo ademit. Pluribus Conciliis interfuit, veræ ſententiæ de præſentia Corporis CHRISTI in S. Cœna, quam eodem Sec. Berengarius docuit, aſſertor. Obiit A. C. 1032. Continuat. Aimon. *l.* 5. *c.* 46. Hulgaud. Floriac. *in vit. Robert.* Fulb. Carnut. *Ep.* 31.

LEUTEVA, olim *Forum Neronis*, Romanis dicta, Plin. *l.* 3. *c.* 4. vulgò *Lodeve*, urbs Gall. in Not. vett. inter prov. Narbonenſis primæ civitates quinto loco numeratur, in aliis aliter. Poſita eſt ad fluv. Largam *Lergue*, qui in Araurim effluit: Ep. ſedes jam ſub Honorio: inter Narbonenſi Vaſconiæ Archiep. ſuffragantes modò quarto, modò quinto loco poſita. Ex ejus Epiſcopis Maternus Conc. Agathenſi, Agrippinus Narbonenſi, Leontianus Edicto Flavii Gundemari Regis, Anatolius Conc. Tolerano 4. & 6. Giſibertus Diacon. ab Auſemundo miſſus Synodo Tolet. 13. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

Diœceſi Leutevanâ continentur:

Cannetum.	Monſpetroſus, *Montpeyroux*.
Cellæ, *Celles*.	Olivetum.
Clarus mons *Clermont de Lodeve*.	Podium, *Lou-Puech d'Aubaigne*.
Garrica, *la Garrigue*.	Ripæ, *les Ribes*.
S. Martini de Caſtris.	Salvus mons. *Saumont*.
S. Martini in Convallibus locus *St. Martin des Combes*.	Vaccaria, *la Vaccaire*.

LEUTKIRCA, vulgò *Leutkirch*, urbs Imperial. Sueviæ, in Algoa, ad *Eſchach* amnem, qui paulò infrà in Ilarum cadit. 3. mill. Germ. à Memminga in Auſtr. 6. à Lindavia in Bor. ſatis parva. Nomen à templo S. Martini, quod ante urbem conditam, à circumjacentibus vicinis frequentabatur, quaſi *aller Leuthe Kirche*. mixtæ religionis eſt, at prævalent confeſſioni Aug. addicti, Vide Limn. Enucl. *l.* 4. *c.* 35.

LEUTYCHIDES, vir Lacedæmonius, inimicus Demarati, poſt cujus fugam conſtitutus fuit Spartanorum Rex. Herod. *l.* 6. *c.* 65. & *l.* 8. *c.* 131. Eum excepit ex Zeuxidamo fil. nepos Archidamus III. Diod. Sic. *Archelaus*, quod idem: Λαὸς enim Doricè Δᾶμος eſt, plura Vide ſuprà in voce *Leontychides*, it. *Leutychides*.

Wiſigothorum Reges.

LEUVA, vel *Liuba I.* Wiſigothorum Rex in Hiſp. poſt Athanagildum, A. C. 568. Anno poſt Hiſpaniam fratri Leovigildo ceſſit, inf. Occitania contentus. Gregor. Tur. Obiit A. C. 573. Mariana *Hiſp.* Joh. Abbas Biclarius.

LEUVA II. patri Recaredo ſucceſſit A. C. 601. biennio pòſt, à Viterico, regni uſurpatore, Occiſus Iſid. *in Chron.*

LEUVECUM, Cambodiæ caput, & ſedes Regia Juxtà fluv. Cambodiam, 80. leuc. ſupra ejus oſtia in mare Indicum. Vulgò *Lewek*.

LEUUENBURGUM, ſ. LAWENBURGUM, urbs Pomeraniæ, cum tractu adjacente, El. Brandeburgico à Pol. Rege conceſſa. Item urbs Poloniæ Archiepiſcopal. facta ab Urbano, A. C. 1361. Ruſſiæ nigræ caput, Lat. *Leopolis*, vide ibi & ſuprà quoque in voce *Lawenburgum*.

LEUVINUS, fluv. Scotiæ Mer. Oritur in Menthitia prov. dein per Fiſam labens, ibi lacum Leuvinum efficit, & tandem in Forthea æſtuar. cadit, ad Leuvinum, opp. Fiſæ prov. Vulgò *Leuvin*.

LEUVISSA, una Hebridum, oblonga, & Septentrionalior cæteris Æbudis, verſùs oram Occ. Scotiæ, à qua 60. mill. diſtat. in Occaſ. Longa eſt à Sept. in Mer. 55. mill. circiter. Vulgò *Leuvis*.

LEX, Ariſtoteli *Ratio eſt, à prudentia & mente profecta*. Aliis *Præceptum animum ſuperioris, ſubditum ad agendum vel non agendum obligans*. His uti nulla Reſpublica carere poteſt, ita præclariſſimis inprimis inſtructi erant Iſraëlitæ, de quibus vide in Pentateucho: Athenienſes, de quibus accuratè ſcripſit Sam. Petit. *Comm. in Leges Attic.* Rom. de quibus Vide Thom. Dempſter. paralip. in Joh. Roſin. *Antiqq. Rom.* &c. Fuit autem *Leges* ferendi priſcus mos hic Apud Rom. Magiſtratus *Legem* laturus, ſcribebat eam domi & cum peritis conſultabat, ne quid contra populi rem aut voluntatem ſanciret: ne fortè pugnantia capita ſimul ferret, neve quid, quod vetus aliena Lex, ſi ferretur, inane infirmumque juberet eſſe (etſi, quæ poſtea ferretur, ſuperiores omnes, præter ſacratas, abrogabat) ne curationem, poteſtatem, commodumve aliquod ipſe ſibi ſuâ *Lege*, aut collegiis, cognatis, affinibus mandaret: etiam illud cavebat, ne pluribus de rebus, quæ non ejuſdem generis viderentur, unâ cogatione ferretur: addebatur & illa exceptio, ut ſi quid jus non eſſet rogari: ne eſſet rogatum: Item, ſi quid contra alias *Leges* ejus *Legis* ergò latum eſſet, ut ei, qui eam *Legem* rogâſſet, impune eſſet. Scriptâ ſic *lege*, Legiſlator bene de Rep. ſentiens, antequam eam promulgaret, referebat ad Senatum, ut hic de ea ſententiam ferret: popularis vero ac ſeditioſus magiſtratus ſæpe, prætermiſsâ aut ſpretâ ejus autoritate, *Legem* rogabat. Promulgabatur dein Lex, i. e. in publico ponebatur, ut, inſpicere qui vellet, inſpectam conſideraret; non ſolùm, ut intercedi poſſet, antequam ferretur, verùm etiam, ut aliquanto antè ſtatuere cuivis liceret, utrum, cùm ferretur, antiquanda an accipienda eſſet. Spatium promulgationis trinundinum erat, i. e. per tres nundinas, ut etiam à ruſtica plebe ter legi cognoſcique *Leges* poſſent. Poſt tertias itaque nundinas, magiſtratus in eum locum, ubi *leges* laturus erat, ſive in Forum, ſive in Campum Martium, populum convocabat; ubi cum *legem* Præco, ſubjiciente Scribâ, recitâſſet, tum primùm quidem is, qui *legem* promulgârat, populo ſuadebat, ut rogationem acciperet, ſed poſt eum alii, non privati modò, quibus ab aliquo magiſtratu concio daretur, verùm etiam quandoque magiſtratus ipſi, pro ſuo quiſque ſenſu, vel ſuadebant, vel diſſuadebant: tum præſentibus Sacerdotibus & divina exponentibus, ſitella deferebatur, in quam ſive Tribuum, ſi Tributis Comitiis Lex ferretur; ſive Centuriarum, ſi Centuriatis, nomina conjiciebantur: deinde ſortibus æquatis, ſortitio fiebat; quæque prima vel Tribus vel Centuria, quæ ſecunda, quæ tertia, de ſitella exiſſet, eundem, quem ſors dederat, in ferendo ſuffragio locum tenebat: hæc dum ageremur; ſi quis Tribunus Pl. *Legi* vellet intercedere, locus erat. Poſteà, cùm nihil ſupereſſet, quam ut populus ſententiam ferret, dicebat is, qui *legem* ferebat: *Si vo-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

bis videtur, *diſcedite Quirites*, nempe in ſuam quiſque tribum, in qua erat ſuffragium laturus. Cùm ſuffragia lata eſſent, etiam privati homines, qui de *lege* laborabant, ne quid fallaciæ committeretur, ipſi aut tabellâ dinumerabant, aut dinumerantibus aliis præerant, quod *diribere* vocabatur: Ciſtis autem ſuffragiorum cuſtodiendis *Nongenti* præerant. Sic ſuffragiis in utramque ſententiam dinumeratis & diribitis, numeroque eorum punctis notato, ejus Tribûs aut Centuriæ voluntas cognoſcebatur eaque à præcone renuntiabatur, & eadem in reliquis ratione ſervatâ ex majore earum numero vel antiquabatur vel ſciſcebatur *Lex*: ſcita & accepta, omnium civium jurejurando confirmabatur, ac tandem in æs incidebatur. Hactenus ſtante Rep. quæ poſtquam unius imperio parere cœpit, *Quod Principi placuit*, *Legis habuit vigorem*, *l.* 1. *D. de Conſtitut. Principum*. In promulganda tamen *lege* laudatiſſimi Principes Theodoſius & Valentinianus, certam voluêrunt obſervari formam, quam vide *l.* 8. *Cod. de Legibus & Conſtitut. Principum*. De ſolvendo verò *Legibus* agi olim conſueviſſe Comitiis Tributis, dicemus infrà in voce *Plebiſcitum* &c. Apud Athenienſes, quotannis primo primæ Prytaneias conventu, die 11. Hecatombæonis ferebantur *leges*: Primùm περὶ τῶν Βουλευτικῶν, de Senatu Quingentorum. Deindè, de ipſa Republica: Poſtremò de magiſtratibus. Idque hoc ordine: Primum rogabatur populus, an ſatis eſſet *Legum* de Senatu, atque an eæ placerent: poſtea περὶ κοινῶν ſ. *de Rep.* demum περὶ τῶν πολιτονόμων, i. e. *de magiſtratibus*. Quod ſi *Legum* ſatis non eſſet, novæ ferebantur, ſi, quæ jam ante latæ erant, non placerent improbarenturque, has antiquabant vett. & abrogabant, novaſque in veterum locum ſufficiebant. Eligebantur autem decem numero, è ſingulis Tribubus unus, qui *Leges* ſcriberent, & Scriba, qui Senatu proque concione recitaret. Hi Nomothetæ, in Senatu cauſam dicebant, deque ea primùm diſceptabant, apud *Quingentos*, ut illam iis approbarent, neque enim ſine hoc ſenatûs probuleumate rogari potuiſſet, è Solonis lege, populus. Approbatis ſenatui *legibus*, Prytanes primam concionem habebant 11. die Hecatombæonis ut populus ſecundùm probuleuma ſenatûs ſciſceret, utrum novas ferri leges vellent, necne. Si decreviſſet novas eſſe ferendas, illæ pro concione legebantur à Scriba: proponebantur dein publicè, ad Archontum Eponymorum ſtatuas, quæ in urbano erant Ceramico, prope Quingentorum Curiam, idque quotidie, uſque ad tertiam primæ Prytanejæ concionem. Si qua abroganda erat Lex, ei quinque ex univerſis Athenienſibus eligebantur Patroni jam tum ab ipſa prima concione. Demum Prytanes tertiam indicebant concionem & Proëdri ad populum referebant ea de re, atque à Scriba pro concione legebantur *leges*, ut cuique liberum eſſet contradicere. Tum igitur, quiſquis volebat, *Leges* ſuadebat & diſſuadebat, & ſi quâ vetus abroganda erat, nominatim quinque illi, de quibus modò pro lege antiquanda decertabant: Tandem expenſis utrinque rationibus, Populus, quas *Leges* vel antiquari, vel ferri è re ſua fore credebat, tradendas ſciſcebat Nomothetis, ut Nomothetæ ἐκύρουν, ſi quidem illis placerent, vel contrà antiquarent, ſi non probarentur. Quare tertiâ primæ Prytanejæ concione oportebat Proëdros referre de ſortitò deligendis Nomothetis, qui jurati leges à prioribus 10. Nomothetis vel potiùs *Theſmothetis*, ut illos Græcus interpres Ariſtoph. vocat, ſcriptas & publicè propoſitas, ſuo calculo vel probarent, vel antiquarent: Eligebantur autem mille & unus, ac de publico pecuniam accipiebant, qui uti *Leges* probâſſent improbâſſentve: ita illæ ratæ erant vel antiquabantur. Quæ dein placuiſſent, in Porticu Regia ſcriptæ publicè extabant, ut cuilibet eas inſpiciendi copia eſſet: ac in eas Novemviri jurabant, ut infrà videbimus, ubi de iis. Priùs autem, cùm mortales neſcirent literas, *Leges* cantâſſe, ne obliviſcerentur, conſtat, quod etiam ſuâ ætate apud Agathyrſos moribus obſervatum fuiſſe, teſtis eſt Ariſtot. *Probl. tmem.* 19. *Probl.* 28. Solonis *Leges* quod attinet, autographa earum in Acropoli aſſervabantur, antigrapha verò & exemplaria earum in Curia ac in Foro erant repoſita. Scribebantur autem illæ Βουστροφηδὸν, ſic ut primus verſus ſcriberetur à ſiniſtra ad dextram, ſecundus à dextra ad ſiniſtram Hebræorum more, & ita deinceps alternis, quomodo boves actus ſuos in arando peragunt: unde facilè intelligitur, quinam οἱ κάτω ſive κάτωθεν νόμοι fuerint dicti, vide ſuprà in voce *Axones*. Nec omittendum periculoſæ plenum opus aleæ fuiſſe, Athenis *Legem* rogare; ſi enim ea damnoſa judicaretur, qui rogabat multabatur, ſi ante exactum à *lege* lata Annum fuiſſet accuſatus: eo autem elapſo accuſari quidem poterat, ſed manebat indemnis, accuſator verò *legi* intercedens causâ cadebat, mille drachmas ſolvere tenebatur &c. Vide Sam. Petit. *Comm. in LL. Attic. l.* 2. *tit.* 1. Franc. Roſſæum *Archæol. Att. l.* 3. *c.* 1. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. paſſim* &c. nec non infrà, ubi de compoſitis ex Gr. Νόμος, it. in voce *Pactum*, & *Plebiſcitum*. *Legum* in maxima Europæ parte hodie uſitatarum, origo hæc: Cùm victricia per Europam ſigna extulêre Gothi, Saxones, Longobardi, Dani, Normanni aliique maris Baltici & Germaniæ Borealis accolæ, morum & linguæ ſimilitudine gaudentes: *Leges* paſſim triumphatis populis intulerant, patriarum ſuarum ritus & vocabula plurima retinentes. Hinc apud Germanos, Gallos, Italos, Hiſpanos, Siculos, cum in legum antiquarum canone, tum in Magiſtratuum, Officialium & Miniſtrorum appellationibus, ingens ſæpe convenientia deprehenditur. Et quidem

LEX. Alemannorum, è patriis conſuetudinibus primùm redacta eſt in ſcriptis à Theodorico Rege Francorum, qui floruit A. C. 512. Poſteà emendatior conſtituta eſt à Chlotario II. & Principibus ejus, vid. 33. Epiſcopis, 34. Ducibus, 72. Comitibus, cæteroque populo.

LEX Angliorum & Werinorum, i. e. Thuringorum, qua olim Angli vett. in Germania uſi ſunt, demum à Car. Mag. confirmata, ad poſteros pervenit, ſicut infrà *in* L. *Saxonum* perhibetur. Tac. hos *Anglos* & Varinos nominat. *de morib. Germ. c.* 40.

LEX Anglorum in Britannia, è Germanorum moribus orta, triplex fuit, Lex Occiduorum Saxonum, Lex Merciorum, & Lex Danorum: quibus

----- Facies non omnibus una,
Nec diverſa tamen, qualem decet eſſe ſororum.

Omnium primus leges in ſcriptis edidit Ethelbertus, Cantii Rex Sec. 6. ſed breves illas & ſatis rudes. Huic proximus Inas Occid. Saxonum Rex Sec. 8. Poſt hunc Offa Rex Merciorum legiſlator: exin Alfredus, trium priorum recognitis legibus, quidquid in iis dignum, in ſuas tranſcripſit, & Anglis, quo jam tum nomine continebantur Saxones & Juti, omnibus impoſuit obſervandas. Poſt eum Eduard. ſen. Ædelſtans, Edmundus, Edgarus, Edelredus Saxones, & Canutus Danus ſuas deprompſêre leges, generales plerunque ſingulas, quoad prohibitionis canonem, ſed in irrogandis mulctis, Danos reſpicientes juxta conſuetudinem Danicam, Anglos juxta Anglicam, & Mercios juxta Mercianam. Verùm ſuſtulit diſcrimen hoc Eduardus Confeſſor, & ſuam dedit parem omnibus & communem, quæ Lex *Communis*, ſ. *S Eduardi* dicta eſt. Gul. dein Conqueſtor, leges Danorum & Norvegenſium iterum ſuſcitaturus, precibus ſuorum deſtitit.

LEX Apparens, al. *Aperta*, quandoque *Paribilis*, à ſævis ſub Urſa populis profecta eſt. Gothi quippe, & gentes Boreales, Martem belli Deum apud ſe natum & enutritum ferunt; Vnde Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 35.

Gradivumque patrem, Geticis *qui præſidet* arvis.

Hi proin à Marte omnia auſpicantes, ex duello lites judicabant: *Lege* ſc. quæ Anglis & Normannis poſtea *Simplex* dicta eſt & *Apparens*. Hanc apud Gallos Phil. apud Anglos Henr. II. utcunque ſuſtulêre.

LEX Bajuvariorum, al. Bojorum, à Theodorico I. fil. Chlodovei Mag. lata Catalaunis, emendata à Childeberto II. perfecta à Chlotario II. in melius tranſlata à Dagoberto Mag. aucta eſt à Taſſilone Duce, A. C. 770.

LEX Burgundionum, à Rege Gundebaldo, quem ſub tributum redegit A. C. 501. Chlodoveus Rex lata eſt, Lugd. poſt occiſum Godigeſilum fratrem. Cum hac planiſſimè convenire Papiniani librum Reſponſorum, ex jure Rom. ut veriſimile eſt, hujus quoque Gundebaldi mandato, collectum, notat *Lindenbrog*.

LEX Car. cujus meminit Joh. Hocſemius *in Adolpho à Marca Ep. Leod. c.* 5. Vide ſuprà *Jus Car*.

LEX Caſtrenſis ſive *Militaris*, vel *Curiæ*, dicta eſt Lex, quam Daniæ Reges, præter *Legem Danicam* dictam, in Dania, propriam habuêre, pro Aulæ ſuæ Miniſtris, acceptam à Kanuto Magno Rege, Suenonis fil. Dan. Norveg. & Angliæ Rege quam ille peculiari libello deſcripſit, editam à Steph. Stephanio; quamque ſub nomine *Juris aulici Norvagici*, vernaculè & Latinè edidit Petrus Delmerus. *Witherlogh* eam apellant Dani, quaſi *Witarum* ſ. *Jutharum Legem*. Vide C. du Freſne in voce *Biterlogh*, item Lex *Danica*.

LEX Danorum ſ. *Norvegienſium*, à Guthurno Rege qui converſus ad fidem Chriſti Eaſtanglorum & Northumbrorum provincias, ſub fidelitatis profeſſione, à victore Alfredo impetravit, lata eſt. Huic deinceps paruêre Cathenenſes, Mannenſes, cæterique Inſularum Britanniæ Bor. incolæ. Imo Canuti legibus tota Anglia. Lex enim Anglorum, ab Edgaro Rege uſque ad Confeſſ. Danis interea rerum potitis, obmutuit.

LEX Francorum, vide in voce *Franci*.

LEX Friſonum, ab Heraldo Danorum Rege, lata eſt, ut refert Albertus, Abbas Stadenſis, A. C. 984. *Certiſſimum*, inquit, *eſt eum tam noſtro populo, quam Tranſalbianis & Friſonum genti leges & jura conſtituiſſe, quæ adhuc pro tanti autoritate viri ſervare contendunt*. Lindebrogius verò notat, Heraldi leges iis recentiores eſſe, quas in ſuo codice legum antiquarum, inter alias Friſonum edidit: membranaſque & manûs vetuſtatem, Car. Mag. ætatem videri antecedere, Henr. Spelmann. *Gloſſ. Archæol.* Occaſione legis hujus, de *Friſonibus* ſ. *Friſus* quædam hîc, ut & de regione eorum adjicere viſum eſt: cùm ſupra de iis parciores fuerimus. Erant *Friſones* pop. Germ. inf. quibuſdam è Phrygibus orti, aliàs *Friſii* & *Friſiones*, Germ. *Frieſlinder*. Jam Plinii ætate, ſub Veſpaſiano, in Inſulis Rheni, qui terminus Galliæ eſt, ſedes habuêre, *l.* 4. *c.* 15. Olim ſub propriis Regibus, dein à Francorum Rege Chlodovæo II. per Dagobertum fil. cæſo Beroaldo Rege A. C. 626. ſubacti, uſque ad tempora filiorum Chlodovei Jun. tum jugo excuſſo, proximus Francicæ ditioni pagis manus adjecêre, flumenque Rhenum tranſgreſſi, in parte Inſ. Batavorum conſedêre, ac ibi præter cætera loca Doreſtate ac Trajectum Batavorum ad Rhenum obtinuêre: quæ regio à gente *Friſia*, à ſitu Citerior vel Occidentalis dicta eſt. Pipinus dein Dux Francorum, Radbodo Rege illorum fuſo, gentem, miſſo Willibrordo, ad Chriſtianiſmum perduxit, circa A. C. 690. qui Trajectum inf. pro Epiſcopatûs ſede habuit: poſtquam paulò antè Vigbertus Anglus à Radbodo, eò quòd Jovis & Foſtæ ſtatuam evertiſſet, fuiſſet interfectus. Gotricus poſtea, Daniæ Rex Friſiam claſſe 200. navium ingreſſus, incolas omnibus fortunis exuit, aurique & argenti uſu adempto, ad vimineos torques lege latâ redegit, A. C. 809. Haralduſque, ab æmulo Regnero, Daniâ pulſus ſedem hîc fixit, A. C. 826. quo tempore Arii dogmate infectam gentem ſanavit Fril. Ultrajectin. Ep. Poſt hæc Car. Craſſus Imp. Godefrido Normannorum Duci Friſiam conceſſit, A. C. 881. Victus poſmodum à Friſiis A. C. 993. Arnulphus eſt, Hollandiæ Comes, ut & Theodoricus Com. circa A. C. 1018. ſed A. C. 1134. à Theodorico Friſia vaſtata, ac fratri in feudum relicta eſt. Ob eam dein Florentius Hollandiæ Comes cum Ep. Trajectenſi bellum geſſit, dum nimium prædæ inhiat, à Friſiis illa exutus, circa A. C. 1168. cujus fil. Theodoricus fratrem Vilhelmum victum Or. Friſiâ contentum eſſe coëgit A. C. 1195. Vilhelmus Imp. in expeditione contra Friſios labente equo glacie fractâ, ab ab hoſtibus cæſus eſt A. C. 1256. cujus oſſa Florentius fil. ægrè poſt varias belli vices obtinuit, A. C. 1277. Hujus fil. Joh.

Joh. Ep. Trajectenſi nequicquam eum excommunicante, Friſones ſuperavit, A. C. 1297. ſed infelicior Vilhelmus Margarethæ Imperatricis frater, aquis ab iis immiſſis, periit A. C. 1324. quos tamen iterum ſubegit Albertus Comes circa A. C. 1392. Ab eo tempore eadem gentis, quod reliquorum Belgarum, fatum fuit, ut in Auſtriac. familiam tranſirent, donec Præt. Sec. etiam hiſce libertas obtigit, quam reliquis Fœderati Belgii populis juncti graviter tuentur. Vide Matthæum Voſſ. *Ann. Holl.* Ubbon. Emmium, Suffridum Petri, Cornel. Kempium, Bernard. Furner. *Hiſt. Friſ.* Regio horum *Friſia* eſt, regio Germaniæ, ita dicta, à gelu extremo, quo diu riget: Pecoroſa admodum, ſed frumenti ligniq́ue, ob humile nimis & paluſtre ſolum, inops, Inundationi Oceani obnoxia, quem ſæpius infeſtum ſenſit: A. C. 1176. inprimis & A. C. 1220. quo 100000. hominum merſa. Hodie dividitur in *Oriental.* & *Occidental.* ab Amiſia fluv. *Orientalis* vulgò appellatur, Comitatus Embdanus, in Weſtphalia, quem olim non Friſii, ſed Chauci tenuêre, ſed factum eſt, ut ille *Friſia* diceretur, non aliam ob cauſam, quàm quòd Friſiis conterminus ſit. Hos autem Chaucos Plin. & Ptol. duplices commemorant: *Majores* & *Minores*. *Majores* ſunt, qui Bremenſem Epiſcopatum incolunt. *Minores* ſunt Embdani & Oldenburgenſes: ſiquidem inter Amiſiam & Viſurgim etiam Ptol. ſedes illis conſtituit. Hæc regio quondam in multas Satrapias fuit diviſa, quæ ſingulæ à ſingulis Principibus adminiſtrabantur, ad Frid. III Imp. tempora uſque, qui quendam nomine Ulricum toti huic regioni præfecit, eumq́ue Comitis titulo inſignivit, A. C. nempe C. 1465. Inde ad noſtrum uſque ævum continuò Comites ſuos habuit. Sunt in hac Orientali Friſia Comitatus alii duo, alter *Eſens*, alter *Jeveren*, quorum hic ſub proprio Domino, à primariis eorum oppidis ſic vocati. Duas tantùm urbes muro cinctas habet, quæ ſunt Embdena & Auricheum. *Friſia Occidentalis*, & propria, à Tac. duplex ſtatuitur, *major* & *minor*. *Majores* Tac. *Ann.* l. 1. c. 60. ſunt *Oeſtfriſii* propriè dicti, non quidem ii qui hodie illud ſibi nomen uſurpant Emdani, hi enim ſunt Chauci minores, ſed ii in quibus memorantur Stauria, Sneca, Franicum, Harlinga, Levardia & Doccomium oppida. Similiter *Weſtfriſii*, qui in extrema Hollandiæ ora, Noorthollandi appellantur, ſuntq́ue continui Canninefatibus ex deſcript. Plin. *l.* 4. *c.* 15. Hæ namq́ue duæ Friſiorum nationes uſque ad Oceanum Rheno prætexuntur: Friſia igitur Occid. ut hodie accipitur à poſitu orbis reſpectu Or. ſic nuncupata, *Friſiæ* nomen quaſi proprium ſibi antiquiſſimo jure vendicat, ſemperq́ue præſtantior fuit habita: Habet à plaga mundi Occidua, mare Germ. à Sept. mari Auſtrino ab Hollandia ſeparatur: à Mer. ei adjacet regiunc. Drentia Tranſiſalanæ prov. pars: ab Ortu Solis habet dominium Groningenſe, quod eam à Buſacteris Weſtphaliſq́ue diſcriminat. Eſtq́ue hac tempeſtate Friſia Occid. regio longè maximâ parte paluſtris, ſolo depreſſiore ac demerſo pleriſq́ue locis, non in novum modo, ſed in adultum quoque ver, atque ob hanc aquarum multitudinem, ut dictum, frumenti parum ferax. Hæc eadem olim regio diademate claruit ad Car. Mag. uſque tempora, à cujus Obitu variis agitata fuit moleſtiis, tametſi & ante quoque ejuſdem tempora duriſſimum Danorum & Norvegianorum ſenſerit imperium: tandem verò ſub Car. V. Cæſare halcyonios dies eſt adepta. Merc. Nunc Fœderati Belgii prov. primaria urbs Levardia. Perſæpe Hollandia Septentr. dicitur à Batavis etiam *Friſia Occ.* ut dictum, ubi urbes Hornia regionis caput, Alcmaria, Edamum, Enchuſa, Monachodamum & Purmerenda. Eſtq́ue inter Oceanum Germ. ad Occ. & mare Auſtr. ad Or. Baudr. Annales Bertiniani circa A. C. 837. Walachriam quoque inſ. Friſiæ citer. attribuunt: ut appareat partem hujus à recentioribus Zelandiam nuncupatam eſſe, Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* & ſuprà in *Friſia*.

LEX Gothica, vide in voce *Gothi*.

LEX Gundebaldi, vide ſuprà in *Lex Burgundionum*.

LEX Longobardorum, vide in voce *Longobardi*.

LEX Martiana, cujus mentio apud Galfridum Monumeth. *de Orig. Britannorum* l. 1. c. 20. à Gunrelini Regis uxore *Martia* condita, ab Alfredo inter cæteras Merciorum leges relata eſt. In *LL.* vernaculis Gul. Nothi c. 1. *alibiq́ue Lex Mercia* dicitur. à *Marcia* enim præfata, provinciam *Merciorum* hincq́ue *Legem Merciam*, dictam eſſe, docet Joh. Bromptonus, apud eund. Vide ubi de *Merciis*.

LEX Merciorum, vide *Mercii*.

LEX Molmutina, vide infra in voce *Molmutius*.

LEX Oleronenſis ſ. *Lex maris*, Seldeno Richardum I. Angl. Regem autorem habuit, quem is *Leges Oleronianas* condidiſſe, aſſerit *Diſſertatione ad Fletam deque maris dominio l.* 2. c. 24. Secundùm alios, Eleonora Aquitaniæ Dux poſt reditum è Syria, illas inſtituit iiſq́ue *Rotuli Oleronis* appellationem indidit; ſed genitus eâ Richardus modò dictus, acceſſione aliquâ locupletavit. Edidit eas Rothomagi primùm, dein Burdigalæ, A. C. 1647 Cleyracus: in Anglicum ſermonem jam pridem verſæ ſunt; Gallicas MSS. ſe habere, teſtatur C. du Freſne *in Gloſſ.* Vide in voce *Olero*.

LEX Ripuariorum, qui pop. erant inf. Germ. Rheni, Moſæ & Moſellæ fluviorum ripis circumcluſi, lata eſt à Theodorico Francorum Rege vide ſupra in Lex *Bajuvariorum*. Hanc adeò approbavit Henr. I. Anglorum Rex ut multa inde in ſuas, totidem interdum verbis, tranſcripſerit Habuit cum *Lege Salica*, de qua vide in *Salica Lex*, multa communia

LEX Romana, vide infrà: ut & de *Lege Salica*.

LEX Saxonum, Scotorum, Siculorum, Viſigothorum, vide *in nominibus horum populorum*: & de his omnibus Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.*

LEXANOR, è Ducibus auxiliaribus Perſæ, ſagittandi peritus. Val. Flacc. *Argon. l.* 6. *v.* 688.

LEXIANÆ, Arab. Fel. pop. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

LEXIARCHI, Græcè Ληξίαρχοι, dicti Athenis, qui cum alios, tum eos, qui jam ſuæ tutelæ facti erant & jam poterant ἄρχειν τῶν λήξεων, i. e. *hæreditatis paternæ*, ſicq́ue αὐτεξούσιοι ac ſui juris erant & de facultatibus ſuis ipſi ſtatuere poterant, in album civitatis, ληξιαρχικὸν hinc dictum, inſcribebant, Pollellus *de Magiſtr. Athenienſ.* c. 11. & 18. Nempe *Lexiarchicum*, ſubint. *album*, Gr. ληξιαρχικὸν λεύκωμα, dicebatur Athenis album civitatis, cui, poſt tertiam profeſſionem Anno Æt. 20. factam, Juvenes inſcribi ſolebant, & ab hinc ſui erant juris, mittiq́ue ad negotia poterant. Prima autem profeſſio liberorum ſ. relatio εἰς τοὺς φράτορας, fiebat intra ſeptimum Annum: Secunda, cùm ſcribebantur in Epheborum album, Anno 18. Qui *Lexiarchico* inſcribebantur, dicebantur Græcis ἐγγραφέντες εἰς ἄνδρας, i. e. *tranſcribi in viros*. Iidem vocabantur δοκιμασθέντες, quia prius nullius nomen huic albo inſerebatur, quàm illum conſtaret natum eſſe parentibus civibus Atticis, aut ſecundùm leges adoptatos: itaque populares jurati inſcribendum judicabant. Fiebat inſcriptio à Demarcho, apud quem liber hic aſſervabatur: idq́ue ante Panathenæa, primis ineuntis Anni diebus. Accipiebant verò, qui inſcribebantur, tabellam buxeam, in qua nomen uniuſcujuſque & paterni quoque populi, ad quem ille pertineret, erat inſcriptum. Sequebatur jusjurandum Epheborum, in æde Agrauli, de quo vide ſuprà in voce *Ephebi*, & plura hanc in rem, apud Sam. Petit. *Comm. in LL. Attic. l.* 2. *tit.* 4. Origo nominis ἀπὸ τοῦ ἄρχειν τῶν λήξεων, qui enim ſui juris facti erant, poterant hæreditatis paternæ ſ. τῶν λήξεων, ita enim *facultates* vocatæ, ut apud Suid. videre eſt, ἄρχειν, vide Franc. Roſſæum *Archæol. Attic. l.* 5. *c.* 13. & Fr Gouldmann. *Dict. Lat. Angl.* ubi quoque Ληξιάρχων meminit, quos dicit fuiſſe magiſtratum Athenis, qui cum illos, qui ætatem ad magiſtratus gerendos aptam habebant; tum eos qui jam ſuæ tutelæ facti, in album civitatis inſcripſerint. Vide quoque ſuprà, ubi de *Comitiis* Habebat autem quiſque Demus ſuum *Lexiarchicum* &c.

LEXOBII, Cæſ. *de Bell. Gall. l.* 3 c. 2. & 4. ubi illis & Bellocaſſis, & Aulercis Eburovicibus, ad Aleſiam obſidione liberandam, à Galliæ Principibus, 3000 hominum imperata eſſe ſcribit. *Lexovii* Plin. *l.* 4. *c.* 18. *Lexubii* Ptol. pop. Gall. Celt. in Normannia, cum Unellis, Aulercis Eburovicibus & Veliocaſſibus ſ. Bellocaſſis, Anno tertio belli Gallici, à Q. Titurio Sabino Legato Cæſaris, magno ſuorum numero amiſſo, ſuperati & in deditionem accepti. Horum opp. Noviomagum olim, dein *Lexovium* dictum eſt, vulgò *Liſieux*, quod ad Tuccam fluv. 5. leuc. diſtat ab ora maris Brit. in Auſtr. urbs Epiſcopal. ſatis ampla, culta & in regione perferaci, quæ inter prov. Lugdunenſis ſecundæ civitates penultimo loco in vett. Notit. poſita reperitur. De hac Gul. Britto ſic canit:

------ Lexovia *fontis egena*,
Quæ pro fonte maras gaudet potare lutoſas.

Morer. tamen, egregiis fontibus irriguam urbem memorat, in *Dict. Hiſt.* additq́ue, Cathedrale ejus templum S. Petro dicatum, urbem autem ſedem Ep. eſſe ſub Archiep. Rothomagenſi. Veterrimus Epiſcoporum ejus, Hiſtoricis memoratur Theobaldus, circa A. C. 538. quo Conc. 3. Aurelianenſi interfuit, vide Strab. *l.* 4. *p.* 189. Cæſ. *de Bell. Gall. l.* 3. *c.* 2. & 4. Plin. *l.* 4. *c.* 18. Ptol. *l.* 2. *c.* 8. Aimoin. *l.* 13. *c.* 53. Rob. Cenalem *l. de re Gall. Perioche* 4. Duchen. *Antiq. des villes*. Sammarthan *Gall. Chriſt. Tom.* 2. *p.* 646. & de Conciliis A. C. 1106. præſente Henr. Angliæ Rege & A. C. 1321. ibi habitis Orderic. Vitalem *l.* 11. Hinc *le Lieuvin* tractus. Baudr. Cormelias, Terberti villam *Tiberville*, & quoſdam alios majores vicos ſ. Burgos continens. Herberti civitatis hujus doctiſſ. Præſulis, mem. Monachus Fontanellenſis *in mir. Vulframni*. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LEZKA, i. e. Sclavonicâ linguâ *mendaciolus*, quidam fuit ſubornatus, tempore Georgii Podiebradii Bohemiæ Regis in Taboritas ſ. Jamnicos (quas voces vide) irritati ſævientiſq́ue qui ex arcanis eorum *jamnis* ſ. latibulis ſe venire dictitans, antiqua Ethinicorum opprobria de iis repetebat. Ludibrio hinc circumductus ejurans & mentiens, *Picardos caverent*, omnium improbiſſimos hominum quaſi concionabundus admonuit, non deficientibus, qui verba ejus ſcripto conſignata, quaſi re verâ res ſic acta eſſet, populo prælegeret. Sed mox detecta fraus, & impoſtor *Lezkim*, h. e. mendacem ſe eſſe, faſſus neque in poſterum in gratiam monachorum talia conficturum pollicitus eſt. Imò magis, occaſione hujus fabulæ, multi *Jamnicis* ſe junxêrunt, Hottingerus *Hiſt. Eccl. Sec. XV.*

LHOEGRIA, olim dicta eſt ea pars Albionis Auſtr. quæ nunc Anglia.

LHOTA, opp. Bohemiæ, ubi piæ reliquiæ Huſſi, ordine atque Conſiſtorio erecto, congregationi *Fratrum* nomen impoſuêre, A. C. 1457. Eſt prope Richnoviam, & ſignificat liberationem è ſervitute. Læt. *Comp. Hiſt. Univ.*

LIA, Hebr. *Lea*, major filia Laban. Gen. *c.* 29. *v.* 17. & ux. Jacobi Patriarchæ, fraude ſoceri, loco Rachelis, ipſi ſociata, mater filiorum 6. qui Ruben, Simeon, Levi, Judas, Iſſaſchar, Zabulon, & filiæ, quæ Dina appellata eſt. Ephron cum viro ſepulta, Joſeph. *Antiqq. l.* 1. *c.* 18.

LIB, in notis antiquis, *libertas*, *libertus* vel *liberti*, &c. L. I. D. A. G. *lex Julia de adulteriis coercendis*. LITR. *Literæ*. L. M. D. *Locus mortuis dedicatus*, vel *locus manibus dicatus*. L. M. E. *lex mecum eſt*, &c. *Fr. Gouldmann.*

LIACULUM, apud Vitruv. *l.* 7. *c.* 3. *Sed & baculorum ſubactionibus fundatæ ſoliditates, marmoriſque candore firmo levigatæ, coloribus cum politionibus inductis nitidos expriment ſplendores*: politio eſt, ſ. tectorium, cui inducebantur colores. In *Gloſſis* verò, inſtrumentum eſt, quo Vett. ſubigebant & fricabant tectorium opus, inductum calci & arenæ, quibus parietes linebant: Græcè λειαντὴρ, à verbo λειοῦν, unde *liare* fecêrunt Latini, quod eſt tectoria inducere & polire. Tertullian. *liare ciſternas*, &c. Nempe linebant primò calce & arenâ parietes, deindè inductum tectorium fricabant ac ſubigebant *liaculis*, ſ. inſtrumentis levigando tectorio excogitatis. Vide Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, inprimis *p.* 1229.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LIANUM Sarmatiæ Eur. urbs. *Salinea Merc.*

LIARDUS, apud Nic. Uptonum *de Militari Offic. l. 5. p.* 131.

> *En Saſſadinus vidit quando Saladinus,*
> *Ictu Richardi petiit poſtrema* liardi:

equum notat, coloris griſei, Gall. *gris pommelé*. Ital. *learde*. Jul. Scalig. *Exercit.* 325. *n.* 15. de colore cinericio: *Griſum vulgus vocat, Itali bretinum voce Gothicâ, noſtri Germani Grau, Collumella in aſino murinum, in equis glaucum Virg. Georg. l. 3. v.* 267. *leardum vulgus* Vide *Italiæ*. C. du Freſne *in Gloſſ.* ubi eundem colorem in ſex alios dividi addit, ex Claudio *Corte* Italo *del Cavallerizzo l.* 1. *c.* 13. Idem monetæ Gallicæ minutioris nomen. Et quidem *Parvi Liardi Delphinatûs*, Gall. *Petits Liards du Dauphiné*, Denarii albi dicti *Liards*, pretii 3. den. Turon. cum cruce inter bina lilia & binas coronulas, ac *Inſcr.* SIT NOMEN DOMINI BENEDICTUM; in averſa parte, cum Delphino, & *Inſcr.* LUDOVICUS FRANCOR. REX: cuſi ſunt ſub Lud. XI. ut & *Parvi Liardi Franciæ*, Gall. *Petits Liards de France*, in quibus loco Delphini parvulus Rex pallio involutus enſemque manu tenens, cum eadem *Inſcr.* conſpicitur. Origo nominis quibuſdam arceſſitur à Miliareſiis Græcanicis, aliis à Richardo I. Angl. Rege quem ob animi generoſitatem *Audacem* cognominabant, ſ. Gallicè, ut tum efferebant, *li hardy*. Vide eund. in voce *Miliarenſis*, item *Moneta*, ut & Hauten. *de Monetis Francicis paſſim.*

LIBA, Carmanæ inſ. Ptol. *Areſtinga* Caſtaldo. Alia in mari Indico. Idem Meſopotamiæ item opp. *Polyb.*

LIBA, opp. Curlandiæ, cum portu, in ora lit. maris Balt. in conf. Samogitiæ, pluries à Suecis haud pridem captum. 10. mill. Germ. à Memelio in Bor. 25. à Mitavia in Occ. Pace Olivenſi Curlandiæ Duci redditum. Vulgò *Libaw*.

LIBA Nuptialia, Vide ſuprà *Confarreatio*, Addo ſaltem, *Libum ferreum* præferendi novis Nuptis morem, Plin. *l.* 18. *c.* 3. indigitatum, hodieque apud ruſticos lugdunenſes vigere, & ante prodeuntes Sponſas *libum* hujuſmodi geſtam, Vide Freinshemium *ad Curtium l.* 8. *c.* 4.

LIBAMEN, inter tria Sacrificiorum genera memoratur Exodi *c.* 29. *v.* 40. & Num. *c.* 15. *v.* 3 4. & 5. Nempè vel pecudes, vel fruges, vel olei ac vini liquores Deo offerebantur: quorum illæ ad aram mactabantur, iſtæ ſacro ritu templo inferebantur, parſque earum adolebatur, hi autem ſacrificiis affundebantur, ac in altari Deo libabantur. Et ſacrificia quidem ex frugibus conſtabant ex ſimila, cui affundebatur oleum, thuriſque odores addebantur. At *libamen* ex vino affundebatur holocauſtis & ſacrificio votivo & ſpontaneæ oblationis & infeſtis; quibus etiam munus dapale adjungebatur. In ſacrificio autem pauperum pro reatu, decima ſimilæ, ſine olei ac thuris libamine, offerebatur, Lev. *c.* 5. *v.* 11. & 12. Quibus omnibus quid ſignificatum fuerit, vide apud Commentatores ſacros. Apud Gentiles, *Libatio*, dicebatur olim in ſacrificiis, cùm poſt immolationem, i.e. molæ in caput victimæ collocationem, Sacerdos vinum aſperſurus, priuſquam id affunderet, ſimpulo vel ſimpuvio ligneo aut fictili admodum parvo & ipſe leviter *delibabat*, & adſtantibus guſtandum deferebat, ut pariter libarent. Quo facto reliquum vini thure permixti, in caput victimæ, inter cornua, effundebatur. Unde Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 61.

> ---- ---- ---- *Media inter cornua fudit*;

exclamante aliquo voce clarâ: *Macta eſt hoſtia*, i.e. *magis aucta* magis accepta Diis; à qua voce *mactatio* fortè nomen accepit. Statim enim poſt audita hæc verba, mactabatur hoſtia, hoc modo: Setas inter cornua victimæ manu evulſas, tanquam *prima libamina* projiciebat in ignem Sacerdos, converſuſque ad Ort. obliquum cultrum à fronte victimæ ad caudam ducebat, tandem eam Diis exhibitam ac dedicatam jubebat jugulare miniſtros, &c. Vide Lipſ. *Poliorc. l.* 5. *c.* 10. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 39. Thom. Godwyn. *Anthclog. Rom. l.* 2. *c.* 19. *ſ.* 2. &c. in ſpecie, de *Libationibus ad Menſam* infrà. Propriè autem *libare*, ſignificat *fundere in ſacrificiis*; indè pro *ſacrificare* per Synecd. ſumitur. Iſid. à *Libero* patre, cui vinum libabant, quia vitem reperiſſet: Aliis quaſi *labiare*, i.e. primis labris guſtare, dictum videtur. Franc. Gouldmann. *Dict. Lat. Anglico.* Agit de hoc ritu Arnob. *adv. Gentes l.* 7. *Nos monſtrum -- judicamus -- Deum fumo, aut ex roribus exiguis vini, auguſtiorem fieri, ipſumque ſibi ab hominibus ducere ſatis ſanctè atque honorificè ſupplicatum* Ubi propriè ſic loqui Arnob. animadvertit Herald. Sil. Ital. *iſtis* rem illuſtrans, *Punic. Bell. l.* 11. *v.* 30. & *ſeqq.*

> ----- *Ante omnes ductor honori*
> *Nominis auguſto* libat *carcheſia ritu*:
> *Cætera quem ſequitur, Bacchique ex more liquorem*
> *Irrorat menſis turba, ardeſcitque Lyæo.*

LIBANA, Celtiberorum in Hiſp. opp. prope Valeriam. *Ptol.*

LIBANÆ, urbs Syriæ. *Steph.*

LIBANIUS, Sophiſta Antiochenus, Ethnicus, floruit Juliani Imp. temporibus uſque ad Theodoſium ſeniorem. Hic Athenis audivit Diophantum philoſophum, deinde in declamationibus ſe exercuit. CPolim profectus ibidem ludum aperuit, unde propter laſcivum in pueros amorem pulſus Nicomediam venit, indeque eandem ob cauſam rejectus, in patriam reverſus eſt; ſcripſit Declamationes, Progymnaſmata, Orationes, quæ ſubobſcuræ, & Epiſtolas, quæ laudatiſſimæ, item opus de modis dictandi Epiſtolas. Hic etiam argumenta in omnes Orationes Demoſthenis edidit. Quæ omnia diligentiæ Frid. Morelli, Leonis Allatii, Valeſii, &c. debentur. Præceptor fuit Baſilii, ab hoc impensè laudatus, *in Ep.* & Chryſoſtomi, oblatam à Juliano Præfecturam Prætorii titulo Sophiſtæ poſthabuit: culpatus contrà ab Eunapio *in Juliano*. Judicium de ejus ſcriptis, vide apud Phot. *Cod.* 90. Suid. *Volaterr.* &c.

LIBANIUS, apud Olympiod. ἄκρος τελεστικὸς, ut eum hîc autor vocat, cùm, pollicitus abſque armis aut militibus κατὰ βαρβάρων ἐνεργεῖν, *contra Barbaros agere*, artis ſpecimen ex voto edidiſſet & promiſſa implevisſet, facti hujus famâ longè diditâ, Placidiæ juſſu eſt Occiſus. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aurel.* Vide ſuprà ubi *de Conſecratione.*

LIBANOTUS, ventus flans inter Africum, & Notum. Plin. *l.* 2. *c.* 47.

LIBANUS, Hebr. *Lebanon*, Gallis *le mont Liban*, mons Syriæ maximus & notiſſimus, ab agro Damaſceno in Arabiæ conf. Tripolim uſque Phœnicis urbem productus, vallem longam cum Antilibano monte efficiens, cujus longitudo 187. mill. paſſ. continet. Baudr. ab ora maris Phœnicii verſùs Arabiam, ſicque ab Ortu ad Occ. extenſus, 125. mill. circiter longus eſt: qui radices longè lateque diffundens, Tribuum Aſer & Nephthalim, Deut. *c.* 1. *v.* 1. Jud. *c.* 3. *v.* 3. Iſa *c.* 2. *v.* 13. Joſ. *c.* 13. *v.* 5. 1 Reg. *c.* 5. *v.* 6. ipſamque Terram S. à Sept. claudit. Altiſſimus eſt, & nihilominus fertilis & amœnus, in valles & campos hinc inde diffuſus. Hîc Jordanis fontes, Poſt diluvium à Thami nepotibus habitatus, hodieque variis caſtris & oppidis Epiſcopatu Canobino inprimis, ubi ſedes Patriarchæ Maronitarum, inſignis eſt. In eo & cedrus arbor, quæ incorruptibilis, in altum aſſurgit, & in celſiſſimo monte locata, folia fructuſque in cœlum converſa tenet, proin Juſto homini in Scripturis comparata, ingenti copiâ naſcitur. Tac. *Hiſt. l.* 5. *c.* 6. *Præcipuum montium Libanum erigit, mirum dictu tantos inter ardores opacum fidumque nivibus*: Plin. *l.* 5. *c.* 20. & *l.* 6. *c.* 28. Strabo *l.* 6. *p.* 742. & 754. Ptol. *l.* 5. *P. de la Valle.*

LIBARE Oſcula, apud Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 258. & 260.

> *Olli ſubridens hominum ſator atque Deorum*
> Oſcula libavit *natæ*:

quid ſit, pulchrè Serv. exponit *ad h. l. Sanè multi nolunt ita intelligi, ut ſummum oſculum filiæ dederit, i. e. non preſſim, ſed ſummâ labellâ contingens: ſed ita ajunt, tum hilarus Jupiter vultus natæ libavit, i. e. contigit, ſcilicet ut nos ſolemus cum blandimentis quibuſdam ſiniſtram maxillam contingere liberorum ac deinde ad os noſtrum dextram referre. Ergo libavit meritò, quia partem vultus non totos contigerat: ut oſcula dixerit, quaſi minora ex teneriora filiæ ora, ut ora diminutivè oſcula.* Nempe non eſt, *oſcula ſummatim & leviter dare*, ſed *ora leviter & ſummatim tangere.* Quo ſenſu, *oſculum pueri à Jove delibatum*, Suet. dixit, *in Aug. c.* 94. Idem *in Galba, c.* 22. hoc blandimenti genus attingens, *conſtat*, inquit, *Auguſtum puero adhuc ſalutanti ſe inter æquales apprensâ bucculâ dixiſſe*, καὶ σὺ τέκνον τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ. Hic enim, *bucculam apprehendere*, idem cum, *oſculum libare*, vel *delibare*. Aliud verò erat, *Jacere ſ. Jactare oſcula*, ut vidimus. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Probo*, ubi *oſculum*, pro *parvo ore*, nonnunquam occurrere docet, ex Mart. *l.* 11. *Epigr.* 92. cujus Epigraphe Epitaphium Canaces.

> *Ipſaque crudeles edêrunt oſcula morbi.*

Et Ovid. *Met. l.* 1. *v.* 499.

> ----- ----- *videt oſcula, quæ non*
> *Eſt vidiſſe ſatis.* ----- -----

Quid verò *Libatio* in ſacris Romanorum Vide ſuprà *Hoſtia*, item *Libamen.*

LIBARNA, vel LIBARNUM, Liguriæ opp. Vide Cluv. *Ital. Antiq. p.* 81. Opp. fuit Veliatum, in Liguria montana, Cujus rudera prope *Arqua*, oppid. agri Dertonenſis, ad Scriviam amnem, in Duc. Mediol. & conf. dit. Genuens, Brietio. Aliis eſt *Villa Barna*, caſtrum agri Dertonenſis. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

LIBELLA, in re nummaria, olim decima fuit pars denarii: Ita enim Varro *l.* 4. *de Ling. Lat. Nummi denarii decuma* Libella, *quòd ſit libram pondo as valeat, & erat ex argento parva. Sembella, quòd ſit* Libellæ *dimidium, quòd ſemis aſſis. Teruncius in à tribus unciis, ſembellæ quod valet dimidium, & eſt quarta pars, ſicut quadrans, aſſis.* Undè videntur fuiſſe primò nummuli argentei: poſtea cùm frangi argentum in exiguitatem tantam diſplicuiſſet, vocabula ſunt retenta in rationibus argenteæ pecuniæ ne quid ibi ſcilicet nominaretur, præter argentum, etſi res ex ære; ut hodieque paſſim nummos imaginarios in ore habemus, quos fuiſſe olim credibile eſt, nunc cùm formentur nunquam, ad ſummulas, quas valent, in ea, qua utimur, pecunia compendio velut enuntiandas, revocantur & retinentur. Ita ergo ſummarum autoribus Romæ æs excurrens ultra denarium, victoriatum, ſeſtertium, *Libella*, *ſembella* vel *ſingula teruncius* dicebatur, pro aſſe *Libellam*, pro ſemiſſe ſembellam, pro quadrante teruncium ponendo, quamdiu denarius decem, victoriatus quinque, ſeſtertius duobus & dimidio aſſibus æſtimatus eſt. Poſtquam verò denarius ſedecim, victoriatus octo, ſeſtertius quatuor aſſium facti & ad æs excurrens denarii denotandum tranſtulêrunt vocabula & notas ærariæ rationis, hæſêrunt in rationibus ad ſeſtertium *Libellæ*, ſembellæ, teruncii. Quæ enim pro decima, viceſima, quadrageſima denarii parte in æreis nummis fuerant, eaſdem partes ſeſtertii in ære ſuſtinere jam jubentur Voluſius, *Libella dicta creditur, quaſi puſilla libra. Nam quum olim aſſes libriles eſſent, & denarius decem aſſes valeret, & decima pars denarii libram ſingula ſelibram, teruncius quadrantem haberet. ſive denariaria ſive ſeſtertiaria ratio conficeretur, iiſdem notis, i. e. libellarum & ſingularum & terunciorum, præpoſitâ notâ denarii vel ſeſtertii, ut erat ratio, æra exprimebantur. Poſteaquam in ſedecim aſſes denarius diſtributus eſt, denariaria ratio expeditius confici cœpit, ut ſuprà dictum eſt: ſeſtertiaria manſit ſub iiſdem notis, auctâ tamen computatione. Hæc quoque* Libella *in duos velut ſemiſſes, quæ ſingulæ vocantur & quatuor velut quadrantes, qui teruncii, dividitur.* Vide Joh. Frid. Gronov. *de Pec. vet. l.* 2. *c.* 1. & *l.* 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

l. 3. *c.* 12. &c. De *libella* verò fabrorum, à Theod. Samio inventa, Plin. *l.* 7. *c.* 56.

LIBELLATICI, ſic in primitiva Eccl. ex Chriſtianis dicebantur, qui perſecutionis metu, à magiſtratibus ethnicis, apud quos clam ſe fidei renuntiâſſe profitebantur, literas impetrabant, quæ teſtabantur, illos edictis Imp. obtemperantes, Idolis fecíſſe: ſicque pecuniâ vel gratiâ, à generali lege publicæ abnegationis ſe liberabant. Hinc ab Eccleſiis Africanis, antequam ad communionem admitterentur, duris Pœnitentiæ legibus ſubjecti, ad confeſſores martyreſque ſe conferre ſoliti, pacem petebant, i. e. relaxationem à pœnis Eccleſiaſticis, quæ alioqui illis ſuſtinendæ erant. Unde tempore Cypriani, Navati pertinaciâ ſchiſma in Eccl. Carthaginenſi. Vide Cyprian. *Ep.* 31. & 52. & 68. *l. de lapſis*, &c. Baron. A. C. 252. Canon. 11. *Conc. Nic.* & ſuprà in voce *Feliciſſimus*. His pejores *Sacrificati*, qui itidem thus adolebant; ut & *Mittentes*, qui incenſum in ignem mittebant. Vide Dom. Macr. *in Hierol.* Nihilominus in eos graviter Cyprian. invehitur, ut qui, *etſi nefandis ſacrificiis manus non contaminaverant, libellis tamen conſcientiam polluerent* &c. Duo eorum genera diſtincta facit Cl. Suicer. I. eorum, qui Chriſtum negarent, ac *libello* dato, ſe non eſſe Chriſtianos affirmarent, ut hac ratione ſupplicia effugerent, atque horum meminit Cyprian. *de Lapſis p.* 244. & *Ep.* 31. *p.* 57. II. eorum, qui Chriſtum faterentur, pecuniâ vero redimerent, ne cogerentur Diis ſacrificare; quales, *libello* à Præſidibus accepto, periculum effugiebant. Et de his idem agit *Ep.* 52. Vide quoque Albaſpinæum *l.* 1. *Obſerv.* 21. & De la Cerda *Adverſ. Sacr. c.* 139. *n.* 2. nec non infrà aliquid in voce *Negatores*.

LIBELLI, apud Suet. *Ner. Claud. c.* 52. *Venêre in manus meas pugillares* libellique *cum quibuſdam notiſſimis verſibus ipſius chirographo ſcriptis*: chartæ, ſunt viliores, quibus olim eruditi utebantur quando primum aliquid componebant, ut opus emendatum in chartam mundiorem referrent. Epiphan σχεδάρια vocat, at quæ opus correctum excipiebant, τετράδας, *in fine Operis*. Apud Stat. verò *in præf. Sylv. l.* 1. præmiſſa, *libellus* vocatur opuſculum unius paginæ, *non aliunde*, ut ait Barthius, *quàm quod Romana ſcribendi ratione pauci verſus magnam membranam implerent*. Sic Auſon. quartum hodiè ſuum Edyllion pariter vocat &c. Apud Jurecoſſ. variè vox ſumitur, inprimis de iis, quibus Principi aut Magiſtratui ſupplicatur. Hinc *Libellenſes*, qui libellis aut ſuſcipiendis aut recitandis præerant, *leg.* 32. *C. de appel.* *Noſtri verò* Libellenſes, *quæ apud arbitros geſta ſunt, ſuſcipiant, cognitiones inducant & ea quæ geruntur, excipiant, ſcribant ſcriptaque litigatoribus edant: qui etiam apud arbitros (licèt illuſtres ſint) ex delegatione noſtra cognoſcentes excipiunt, ſi in ſacratiſſimo noſtri Numinis comitatu cauſæ dicantur.* Iidem *Libellenſes ſacri ſcrinii* appellantur, *l. fin. Cod. ubi Senat.* apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Apud Siculos nomen hoc magiſtratûs eſt, qui, aliis *Magiſter libellorum*, ſupplices *libellos* ſubditorum excipiebat, examinabat & de iis ad Principem referebat, C. du Freſne *ex Conſtitut. Siculis l.* 1. Apud Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 22. *c.* 8. & Euodium *de Mirac. S. Steph. l.* 2. *c.* 1. *libellos dandi Epiſcopis*, quibus continerentur miracula, quæ Deus in uno alterove patraverit, *eoſque publicè prælegendi*, ritus memoratur: cujuſmodi *libellorum* exempla idem Auguſtin. profert *Serm.* 31. & 39. *de Diverſis*. Vide C. du Freſne in *Gloſſ.*

LIBENTINA Dea, Venus, ſ. Proſerpina. Auguſt. *de Civ. Dei l.* 4. cui puellæ nubiles, pupas dicabant, *Perſius*.

LIBER, Deus vini, qui & *Bacchus*, & *Dionyſius* dicitur. Multos autem fuiſſe Liberos oſtendit Diod. Sic. quorum longè celeberrimus eſt, qui Semele & Jove genitus fertur, quem tertium fuiſſe autumant, & Thebis Bœotiis natum, qui *Liber* appellatus eſt à *liberando*, nam libertatis Deus eſt, ſive quòd Bœotiæ urbes liberas fecerit (ipſe enim, ut inquit Plutarch. pro Bœotiæ libertate pugnavit) vel quia vinum curas ſolvat, & mentem ab illis liberet, ſ. quòd vino uſi homines liberè loquantur. Solem quoque poëtæ Liberum vocant, quia liberè per aërem vagatur. Liber Pater emere & vendere inſtituit ac diadema Regum inſigne ac triumphum invenit. Plin. *l.* 7. *c.* 56. Feſta ejus *Liberalia* dicebantur. Idem *l.* 2. *c.* 103. & *l.* 6. *c.* 16. Curt. *l.* 8. *c.* 2. 5. *l.* 9. *c.* 2. & 4.

LIBER, propriè interior tunica corticis, quæ ligno arboris cohæret, in qua Vett. poſtquam foliis uti deſiêre, ſcriptitârunt. Plin. *l.* 13. *c.* 11. *In palmarum foliis primùm ſcriptitatum, deindè quarundam arborum libris*: Arbores iſtæ inprimis tilia, ſ. philyra, & papyrus. Suid. *Tilia eſt arboris genus, quod librum habet ſimilem papyro*: & certè hujus tunica interior, βίβλος Græcis dicta, eidem fini olim inſerviebat, Papyrus enim, frutex in paluſtribus Nili ripis proveniens, ſcapus ſive caulis erat, è cujus βίβλῳ ſ. *libro* charta fiebat, cui demum id nominis datum eſt, poſtquam ad Epiſtolas ſalutatrices adhiberi cœpit: à Gr. χαίρειν, quod primus in Epiſtolis Cleon uſurpâſſe dicitur. *Libris* arborum ſucceſsêre tabellæ ligneæ, quæ ſchedæ erant i. e. tabellæ nudæ vel tabellæ ceratæ. Priores, ſi ſimplices, craſſiores erant, ut è quibus pueri diſcerent. Plaut. *Bacch. Act.* 3. *Sc.* 3. *v.* 37.

Exemplo puer pædagogo tabulâ *dirumpit caput.*

Sin plures jungi opus foret, ſecabantur in tenues laminas. Mart. *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 4. cujus Epigraphe *pugillares Citrei*.

Secta niſi in tenues eſſemus ligna tabellas.

Præterea dolabantur, ut in iis commodius ſcribi poſſet, Iſid. *l.* 6. *c.* 8. dicebanturque *codices*, & diminuendi formâ *codicilli*, quia ex arborum caudicibus conficiebantur. Sic Danos, quòd res geſtas in fagis conſignarent, *libros* appellare *boger*, notat Olaus Wormius *in Faſtis Dan.* Ceratæ tabellæ vocabantur, quia eſſent cruſtâ ceræ illitæ, in quibus ſtylo ſcribebant: undè notæ loquendi formæ, *in ſumma*, vel *ima cera*. Poſtea ad membranaceos *libros* ventum eſt: membranæ autem ex animantium membris detractæ. Sanè Pergamenæ erant ovillæ pelles: Undè Mart. Capella *l.* 2. cum dixiſſet, *librorum* alios eſſe ex papyro, alios ex carbaſo, addit, ex *ovibus multi quoque tergoribus*. Quia autem pelles illæ pilos priùs habuêre, eo Perſ. ait: *Sat.* 3. *v.* 10.

Jam liber *& poſitis bicolor membrana capillis.*

Nec tamen ſolùm uſi pellibus, quas membris detraxiſſent, verum & inteſtinis; ut omentis elephantorum, de quibus Iſid. *l.* 6. *c.* 11. Item inteſtino draconis, quale illud, cui Zonaras *Ann. l.* 3. inſcriptam fuiſſe ait univerſam Iliadem ac Odyſſeam. Antiquiſſimum autem membranarum uſum, indicat Prov. ἀρχαιότερος διφθέρας. Dein lintei *libri* in uſu eſſe cœpere, docente Plin. *l.* 13. *c.* 11. *mox & privata monumenta linteis confici cœpta, aut ceris.* Hinc Mart. Capella *l.* 2. *Alii*, inquit, *carbaſinis voluminibus complicati libri.* Sic ſcripta fuêre oracula Sibyllina, Symmach. *l.* 4. *Ep.* 34. Unde Claud. *de Bello Get. Carm.* 26. *v.* 231.

----- ----- ----- *Quid carmine poſcat*
Fatidico cuſtos Romani carbaſus ævi.

Sic fœdera publica, ſic leges, imò & privatæ Principum epiſtolæ exaratæ leguntur. Etiam in ebore ſcriptum. Mart. *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 4. cui Epigraphe *Pugillares Cerei*:

Secta niſi in tenues eſſemus ligna tabellas,
Eſſemus Libyci nobile dentis opus.

Quod fieri poſſe negat quidem Scalig. *diatriba adverſùs Guilandin.* ſed refellit eum poëta modò laudatus, *eod. l. Epigr.* 5. cujus Epigraphe *Pugillares Eburnei*.

Languida ne triſtes obſcurent lumina ceræ,
Nigra tibi niveum litera pingat ebur.

Nimirum ex atramento vulgari Scalig. judicium de illo fecit, quo in ebore Vett. uſi ſunt. Hodiè *Libri*, nam in volumina antiquitus ex *libro*, poſteà ex alia materia, concinnata, tranſiit appellatio, ex charta ſiunt, quæ eſt ex linteis concerptis ac contuſis, qui mos jam ab aliquot Seculis viguit. Sanè ille, ex papyro chartam faciendi, jam Euſtathii deſierat ætate, ut ipſe ſcribit *Odyſſ.* Φ. ubi ξυλοχάρτιον appellat chartas Vett. nempe ad earum, quibus vulgò utimur, diſcrimen, uti monitum Cl. Salmaſ. *Notis ad Vopiſc.* ubi poſt Guilandinum, & Dalechamp. *in Plin.* pulchrè indictaque aliis, de hoc diſſerit argumento: cui adde Gerh. Joh. Voſſ. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 36. 37. & 38. Symmach. *loco præf.* &c. Cùm verò apud vett. Græcos ignominioſum eſſet *libros* ſcribere, primus à ſe ſcriptum in lucem edere auſus eſt Anaximander Mileſius, teſte Themiſtio *Orat.* XX. ſcripſitque *de Natura, de Terræ ambitu, de Stellis fixis & aliis.* Suid. Cæterum dividebantur *Libri* jam antiquitus vel ab ipſis Autoribus, vel ab aliis, in Κεφάλαια ſ. Τμήματα, item Λόγους ſive partes majores, & Περικοπὰς, *Sectiones*, ſ. *Titulos*, partes ſc. minores, quæ iterum in partes, κεφάλαια quoque nonnunquam ſ. ſententias, ſubdividebantur. Sic Ariſtot. liber *de Interpretatione* diviſus eſt in quinque Τμήματα ſ. Λόγους, quæ Κεφάλαια Ammon. ſemper *in Comm.* vocat. Et apud Suid. Matthæus habet τίτλους ξή, *Titulos LXVIII.* κεφάλαια τνέ, *Capita verò CCCLV.* Vide quoque infià *Sura.* &c. Ipſæ tandem ſententiæ in verſus, quam vocem vide, iterum diſtinguebantur. Porrò deſcribebant *Sectiones*, *quæſtiones* & *Capitula* librorum, in tabella, quam modò πίνακα, modò ἔλεγχον, modò ἀναγραφὴν, modò σύλλαβον, modò σημείωσιν, modò ἔκθεσιν Græci dixêre, *Indicem* Latini, ut ſic uno quaſi obtutu, quidquid in toto opere contineretur, conſpici poſſet. Ita ἀναγραφὰς τῶν δραμάτων, *Indices Comœdiarum*, Chœroboſcus; Πίνακας τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων, καὶ ὧν συνέγραψαν. *Indices eorum, qui in omni diſciplinarum genere clari fuêre, & librorum, quos ediderunt*, Callimach. πίνακας librorum Originis, Euſeb. &c. ſcripſêre. Quam in rem Vide plura apud Cl. Crojum *Annot in Nov. Teſt.* & hîc paſſim: uti de notis ad *librorum* oram appingi ſolitis, ad indicandum quid probum quid ſecùs, infrà in voce *Nota*. Ornamenta *librorum* quod attinet, recenſet ea Stat. ubi de ſuo libro, ad Plotium *l.* 4 *Sylv.* 9. *v.* 7.

Noſter purpureus, novuſque chartâ,
Et binis decoratus umbilicis:

ſc. *purpuram*, in indumento, ſplendidam *chartam* & *umbilicos*. Cujuſmodi libros ſuprà 360. Amicum quendam ſuum poſſediſſe, ſcribit Franc. Marius Grapaldus *de Partibus Ædium l.* 2. *c.* 8. quod *Bibliotheca* inſcribitur. Sed & pumice poliebantur, Mart. *l.* 1. *Epigr.* 67. cujus Epigraphe ad furem de libro ſuo *v.* 1.

Sed pumicatâ fronte ſi quis eſt nondum,
Nec umbilicis cultuſque atque membranâ.

Titulique minio ſcribebantur. Ovid. *Triſt. l.* 1. *Eleg.* 1. *v.* 7.

Nec titulus minio, nec cedro charta *notetur.*

Quam in rem Vide plura, apud Caſp. Barth. *ad Optatiani Porphyrii Dædalum Panegyr.* & *Adverſ. l.* 22. *c.* 18. adde Cœl. Rhodigin. *Antiq. Lect.* Thom. Dempſter. in Joh. Roſ. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 5. Theod. Marcil. *ad Perſ. p.* 68. & 69. Alios. De *inſcriptionibus* verò *librorum*, apud Græcos, Rom. Vide Salmaſ. *Prolegom. in Solin.* & ſuprà aliquid in voce *Inſcriptio*. Apud Rom. inprimis celebres erant *Libri Sibyllini* quos conſuli moris erat, quoties publica aliqua immineret calamitas, nec aliter frequentiùs prodigia, quàm inſpectis his Oraculis expiabantur. Liv. *l.* 5. *c.* 13. & 14. *Eorum prodigiorum causâ libros Sibyllinos ex SC. cùm Decemviri* (his enim id muneris commiſſum erat) *adiiſſent, renuntiârunt, jejunium inſtituendum Cereri eſſe*: & *l.* 10. *Decrevêrunt Patres ut Conſules, quibus vellent Diis, hoſtiis majoribus ſacrificarent, & Decemviri* libros *adirent: Eorum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

decreto ſupplicatio circa omnia pulvinaria Romæ in unum diem indicta. Erant autem iſti lintei: *l.* 10. *c.* 38. Symmach. *loco ſuprà memorato, Itane de me ludos facis, ut quæ apud te incurioſius loquor, in ſtylicaudicem, aut tiliæ pugillares cenſeas transferenda, ne facilis ſenectus papyri ſcripta corrumpat. Et Mercatorum quidem Vatum divinatio caducis corticibus inculcata eſt, monitus Cumanos lintea texta ſumpſêrunt, tu etiam ſericis voluminibus, Achæmenio more, infundi literas meas præcipis.* Habebanturque ſcrinia in autoritate, tanquam fatalia Imperii pignora, donec Annis 400. plus minùs poſt Aug. & Tib. Ner. *c.* 18. à quo nova illis dignatio acceſſit Suet. *c.* 30. imperante Theodoſio Sen. converſus maxima ex parte ad fidem Senatus iſtos contemnere cœpit, quos demum ſub Honorio Principe Stilicho combuſſit, Thom. Dempſter. *Paralip. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 24. Vide quoque infrà ubi de *Sibyllis*. In Bibliotheca Trajani, quæ à gentili Principis nomine *Ulpia* dicta eſt, *Elephantinorum librorum* meminit Vopiſc. ubi Taciti Imp. deſcribit vitam; quos ex ebore ſectili fuiſſe quidam volunt, & Turneb. *eburneos* interpretatur: Scalig. tamen & Gerh. Joh. Voſſ. ex omentis Elephantorum compoſitos fuiſſe contendunt, Jac. Oiſel. JC. *Notis in A. Gell. l.* 11. *c.* 17. &c. vide quoque infrà *Librarii*, *Libri*, *Scriptio* &c. uti de *Librorum capſis*, quæ pueros diſcentes ſequebantur in Scholam ſuprà in voce *Capſa*: de *forulis* in voce hac ſuprà itidem, nec non infrà in *Nidus*; de inveſtitura. Vide *cum libro ſ. per librum*, ſuprà itidem, ubi de variis Inveſtituræ nodis.

LIBER, in *LL.* Kanuti Regis, *c.* 32. apud Brompton. Saxonicè *Land-boc*, vel *Boc-land*, quaſi *terra ex ſcripto ſ. terra libraria* aut *teſtamentalis* dicta eſt. Fundum enim, inquit Lambardus, Vett. aut ex ſcripto, qui *Boc-land*, aut ſine ſcripto, qui *Pocland* dicebatur, poſſidebant. Quæ fuit ex ſcripto poſſeſſio commodiori erat conditione, hæreditaria libera atque immunis: fundus ſine ſcripto, cenſum penſitabat annuum atque officiorum ſervitute erat obſtrictus: unde priorem Viri plerunque nobiles atque ingenui, poſteriorem ruſtici ferè & pagani poſſidebant, vide C. du Freſne in *Gloſſ.*

LIBER Beneficiorum, pars fuit Rationarii Imperii, ab Aug ſapientiſſimo & maximo Principum inſtituti: in quo deſcriptum erat accuratiſſimè, qui agri quibus colonis eſſent diviſi & quæ ſubſeciva agrorum ſupereſſent, quæ dividi aliis poſſent. Hygen. *de limitibus conſtituendis, Libros æris & typum totius perticæ linteis deſcriptum, ſecundùm ſuas terminationes adſcriptis affinibus, tabulario Cæſaris inferemus: & ſi qua beneficio conceſſa aut aſſignata coloniæ fuerint, ſive in proximo, ſive inter alias civitates, in* LIBRO BENEFICIORUM *adſcribemus.* Ubi de agris ſolùm Hygen. loquitur. Alex. Imp. non hos tantum, verùm & alia, quæ largiri Principes ſolent, habuit deſcripta, apud Æl. Lamprid. in *Vita* ejus. Alius fuit Reip. temporibus, *Liber beneficiorum*, in quem Rectores provinciarum, ſimulac Romam redierant, Tribunos militum, Centuriones Contubernalesque ſuos, & quoſcunque in provinciis promoviſſent, deferebant; quod dici ſolitum, *ad Ærarium in beneficiis deferre*, ut videre eſt apud Tullium *paſſim*. Caſaub. *ad Lamprid.* Vide quoque ſuprà *Beneficiorum liber.*

LIBER Canonum, *Decretorum* &c. Vide *ſuprà.*

LIBER Pacis, qui & *Pax* nonnunquam, in Communione Rom. dicitur, qui oſculandus Sacerdoti à Diacono vel Subdiacono offertur. In *Charta* A. C. 1247. i. e. *Hiſtoria* Monaſt. S. Mariæ Sueſſion. apud C. du Freſne. *Relictoque thuribulo in Choro, Diaconus offeret librum pacis & horâ conſuetâ Subdiaconus portabit librum pacis ad Abbatiſſam & Prioriſſam & ad tenentes Chorum & ad alias dominas & exibit cum thuribulo & libro pacis, alia, quæ, ad celebrationem Miſſæ pertinent officiabitur faciendo* &c.

LIBERA, Jovis & Cereris filia, quæ & *Proſerpina* dicitur. Cic. *l.* 1. *de Nat. Deor.* Sed Ovid. de Ariadne loquitur, *Faſt. l.* 3. *v.* 507. & *ſeqq.* ut videre in his.

> *--- Audierat jam verba querentis*
> *Liber, ut à tergo fortè ſecutus erat;*
> *Occupat amplexu, lachrymaſque per oſcula ſiccat,*
> *Et pariter cœli ſumma petamus, ait.*
> *Tu mihi juncta toro, mihi juncta vocabula ſumes,*
> *Nam tibi mutatæ* Libera *nomen erit.*

Mulierem quoque ſemen emittere, tradit Hippocrates *in l. de genitura.* Nemeſius *l.* 1. *de Nat. hom. c.* 25. Inde etiam gentiles olim feminæ *Liberam* coluêrunt, ut B. Auguſtin. docet *l.* 6. *de Civ. Dei c.* 9. *Liberum*, inquit, *à liberamento appellari volunt, quòd mares in coëundo per ejus beneficium emiſſis ſeminibus liberentur. Hoc idem dicunt in feminis agere Liberam, quam etiam Venerem putant, quòd & ipſas perhibeant ſemina emittere, & ab hoc Libero eandem virilem corporis partem in templo poni, femineam Liberæ.*

LIBERA, ſ. LIBERATRIX, nomen ut videtur Cl. Patino legionis à Clodio Macro contractæ, in nummo rariſſimo, ad imitationem legionum, Antonio IIIViro parentium, cuſo. Fuit autem hic Clodius Macer Africæ Præſes, qui auditâ Neronis cæde, regionem totam turbavit, cohorteſque delegit, quarum ope ſe Imperio potiturum ſperabat, Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 37. *l.* 2. *c.* 97. Legionem etiam contraxit hac inſcr. inſignem, LEG*ionis Primæ* MACRIANÆ LIB*eræ ſ.* LIB*eratricis*, fortè quòd jugum Neronis excuſſerit, uti quidem viſum eſt præfato Viro Cl. Faciunt ad illuſtrandum hunc nummum ſuperſtites Occonis Aug. ad Amerbachium Baſilienſem *Epiſtolæ*, hujuſque *Reſponſio* erudita in Muſeo Feſchiano Baſileæ. Typum exhibet Patinus *ad Suet. in Galba n.* 11.

LIBERA Toga, vide infrà *Pura Toga.*

LIBERÆ Provinciæ, *die Freyen ampten im VVagenthal*, dicuntur caſtella & vici in Helvetia, ad ſiniſtram Ruſæ ripam, ſuprà & infrà Bremogartum: inde fortè nomine mutuato, quod 3. vici, quorum ſinguli ſuam juriſdictionem habuêre, nempe Mevenbergum, Richenſea & villa Verbigena quaſi provinciolæ quædam peculiares, in unam provinciam conjuncti ſunt. Dicta olim hæc regio fuit Comitatus Rore, ſub Comitibus cogn. quorum ſedes, arx Rore, Arovii fuit. Proſcripto dein Frid. Auſtriaco, tempore Conc. Conſtantienſis, Lucernates, ut reliqua ad Ruſam loca, ita hunc Com. quoque in poteſtatem redegêrunt, quem cùm ſibi ſoli aſſerere vellent, oppuſuêre ſe illis Tigurini, Suitii, Underwaldii, Tugini & Glaronenſes, reque ad Bernates delatâ, hi pro pagis ſententiam tulêre. Decennio pòſt Urii quoque in Præfecturæ ſocietatem admiſſi ſunt: itaque ab illo tempore VII. pagis ſubeſt, à quibus præfectum regio accipit, quæ cùm anguſta admodum ſit, præfectus ibi non habitat, ſed aliquoties ſingulis Annis eò excurrit, ut jus dicat, atque tum in cœnobio Benedictini Ord. Muri amplo & opulento hoſpitatur, Simler. *de Rep. Helv.*

LIBERALIA, Liberi feſta, apud Rom. Græcis Διονύσια. A Pontificibus quoque *Agonia* dicta ſunt. Celebrabantur die 17. Martii, ſedebantque per totum opp. eo die Sacerdotes Liberi, hederâ coronatæ anus, cum libris & foculo pro emptore ſacrificantes. Eodem toga dabatur juvenibus. Vide Thom. Dempſter. in Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 7. Rituum, qui *Liberalibus* obſervabantur, cauſas diligenter explicat Ovid. plurimis verſibus, è quibus iſtos ſubjungo; *Faſt. l.* 3. *v.* 725. & *ſeqq.*

> *Carminis hujus opus cauſas exponere, quare*
> *Vilis anus populos ad ſua liba vocet.*
> *Ante tuos ortus aræ ſine honore fuêrunt,*
> Liber, *& in gelidis herba reperta focis.*
> *Te memorant Gange, totoque Oriente ſubacto,*
> *Primitias magno ſepoſuiſſe Jovi.*
> *Cinnama tu primus, captivaque thura dediſti,*
> *Deque triumphato viſcera toſta bove.*
> *Nomine ab autoris ducunt libamina nomen,*
> *Libaque quòd ſanctis pars datur indè focis.*
> *Liba Deo fiunt, ſuccus quia dulcibus idem*
> *Gaudet: & à Baccho mella reperta ferunt.*

Et paulò pòſt: Idem Ibid. *v.* 761. & *ſeqq.*

> *Melle Pater fruitur: liboque infuſa calenti*
> *Jure repertori ſplendida mella damus.*
> *Femina cur præſit non eſt rationis apertæ,*
> *Femineos thyrſos concitat ille choros.*
> *Cur anus hæc faciat, quæris? Vinoſior ætas*
> *Hæc erat. & gravidæ munera vitis amat.*
> *Cur hederâ cincta eſt? hedera eſt gratiſſima Baccho,*
> *Hoc quoque cur ita ſit, dicere nulla mora eſt.*
> *Nyſiadas Nymphas, puerum quærente novercâ:*
> *Hanc frondem cunis oppoſuiſſe ferunt* &c.

Hoc etiam die, ut & præcedenti, ibatur ad Argeos, qui loca erant in urbe, ubi ſacra fiebant, à Numa inſtituta, de quibus Liv. *l.* 1. *c.* 18. Illorum fuiſſe 27. per partes urbis diſperſa, nomenque nacta ab illuſtribus quibuſdam Argivis ibi ſepultis, diſcimus ex Varrone *l.* 4. *de Ling. Lat.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom.* Apud Athenienſes trina fuêre *Liberalia*, ſ. Dionyſia, nempe τὰ κατ' ἀγροὺς, aliter *Lenæa* dicta, quæ in Lenæo menſe Poſideone: τὰ Ἀνθεστήρια, quæ antiquiſſima, in Limnis, Antheſterione, & τὰ ἐν ἄστει ἢ κατ' ἄστυ quæ Elaphebolione menſe celebrabantur. Quòd enim Heſych. tantum *Liberalium* Lenæorum ſive κατ' ἀγροὺς, & τῶν κατ' ἄστυ meminit, factum ideo, quia eâ tempeſtate, quâ fabulam *Acharnenſes* Ariſtoph. in cujus verba ibi commentatur, docebat, nondum Dionyſiis Antheſteriis ſive Chytris committebantur & producebantur in ſcenam Comicorum dramata, quod primùm inſtitutum eſt, Calliâ pòſt Antigenem Prætore, Anno 3. Olymp. 93. quo Anno commiſit Comicus drama, qui titulum fecit *Ranis*. Ut autem hæc ſacra ritè fierent, & celebrantibus bene eſſet, quâ potuêrunt ratione, cavêrunt ſuis legibus. Meminit Demoſt. *in Mediana* unius, quæ Lat. ſic ſonat: *Cùm pompa libero ducitur in Piræeo agunt Comœdi & Tragœdi, item* Linæa *pompa & agentibus Comœdis atque Tragœdis: Aſtycorum quoque* Liberalium *pompâ, ſaltante puerorum choro, dum fit Comus, aguntque Comœdi & Tragœdi: Thargeliorum item pompâ & certamine, neque pignus, neque quidquam alterius capito, neve pœnam pro mora exigito ab eo, qui judicatum non ſolverit: Qui ſecus faxit, accuſator à læſo, & probolæ adverſùs eum dantor apud populum pro concione in Bacchi, ſirempſe lege, quæ adverſùs alios, qui feſti religionem temerarint.* Peractis *liberalium* ludis, concio cogebatur ad Bacchi ædem, referebaturque de Prætoris circa hoc feſtum cura, injuriiſque feſti tempore factis, de quibus inter partes non erat tranſactum. Fiebat id poſtridie Pandiorum, quæ erant Jovis, ſive potius Lunæ feſtum, pòſt *liberalia* agitatum: tum enim conveniebat populus in Theatro ad Bacchi Fanum. Ulpian. ἐν Διονύσου μὲν ἐν τῷ θεάτρῳ συνῄει τὸ ἐν τῷ θεάτρῳ τὸ τέμενος. Lex eſt eidem Demoſtheni *l. c.* laudata: *Prytaneis concionem in Bacchi cogunto, Pandris, poſtridie Dionyſiorum & de ſacris primùm referunto, probolæ deindè dantor de injuriis illatis pompæ vel ludorum Dionyſiacorum cauſâ, de quibus tranſactum non fuerit.* Non licebat quoque feſtis *Liberalium* diebus cuiquam manum injicere, ex hac lege: Μηδενὸς τοῖς Διονυσίοις ἐπιλαμβάνεσθαι: *Nemini diebus Liberalium feſtis manum injicito, in eadem Orat.* Demoſthenis, &c. Utriſque cum Lenæis, tum Antheſteriis, Rex præerat &c. Vide Sam. Petit. *Comm. in LL. Attic. l.* 1. *tit.* 1. & in voce *Dyonyſia* nec non infrà, ubi de *Trietericis Sacris*. Alia erant *Liberalia* de quibus ſuprà in *Libera cæna*. Cum iis Plutarch. conferre Judæorum feſtum Tabernaculorum dicemus infrà.

LIBERALES Artes, vide hîc paſſim, *Encyclia*, *Magiſtrationes publicæ*, *pergula*, *Profeſſores*, *Technici.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LIBERALIS Antoninus; innotuit metamorphoſeon collectaneis. Sed narrationes iſtæ, ut philologo utiles, ita hiſtoricum nihil juvant, niſi quatenus hiſtoria ſubeſt; ut ferè in fabulis ſolet. Putabat vir magnus, *Notis ad Suet. de claris Rhetoribus*, hunc eſſe illum Liberalem, de quo Suet. *l. de claris Rhetoribus* ſuo calcem egiſſe, ex indice reſiduo liquet: item de quo Hier. *in Chron. Euſeb. ad* A. C. 2064. ait: *Marcus Antonius Liberalis, Latinus rhetor, graviſſimas inimicitias cum Palæmone exercet.* Hoc ſi eſt, Claudii Imp. ac fortean etiam Neronis temporibus vixerit. Sed malo credere Scalig. qui ad eum Hier. locum monet, eſſe alterius Liberalis τὰς μεταμορφώσεις iſtas. Movet me, quod hic *Antoninus*, ille *Antonius* dictus: hic Græcè ſcripſerit, neque niſi Græcos citet ſcriptores; ille Latinus fuiſſe Rhetor diſertim ab Hier. & Suet. dicitur.

LIBERALITAS Julia, vide *Julia*.

LIBERATÆ Vicus, *S. Livrade*, vicus eſt Gall. non longè ab Aquino.

LIBERATI, è magnis calamitatibus, coronabantur antiquitùs. Pindarus *Iſthm. Ode* 8.

> ἐκ μεγάλων
> δὲ πενθέων λυθέντες
> μήτ' ἐν ὀρφανίᾳ πέσωμεν
> στεφάνων -----
> e magnis
> *autem luctibus liberati*
> *neque in orbitatem cadamus*
> *coronarum* -----

Hinc qui è navigatione domum redituri erant, poſt depoſitas coronas canebant ἀποστολικὸν ἐν ᾠδῆς παιᾶνι, & coronas reſumebant, ut videre eſt apud *Etymologici* Autorem in voce Ἀποστολικόν. Atque hæc propriè *corona ſalutis* dicebatur, C. Paſcal. *Coron. l.* 2. *c.* 9. Vide etiam aliquid infrà, ubi de *Naufragis*.

LIBERATIO, apud recentioris ævi Scriptores, dicitur, quidquid in pecunia vel cibo & potu vel veſtimentis à domino ſuis domeſticis aut Officialibus quotannis, vel certis ac difinitis anni tempeſtatibus *liberatur*, i. e. præbetur. Maximè verò ſic appellabant Galli veſtes, quæ certis anni tempeſtatibus ac feſtis, cum à Regibus, tum à Proceribus, *liberis*, domeſticis ac officialibus quotannis præbebatur, id quod *livree* vocabant. Quo nomine hodie veniunt tæniolæ ac lemniſci, quos pileis addunt adoleſcentes, aut quibus ſe mulierculæ adornant. Eodem referunt Rigaltius & Meurſ. quod *in Tacticis* Conſtantinus Porphyrogenitus habet, ubi præcipit, ut milites caſſides habeant pulchrè ſamiatas, in earumque cono τεφία μικρά, ἤγουν λιβέρία, *faſcias exiles ſ. liberatas*. Præbebantur verò hæ *liberatæ ſ. robæ*, in Feſto Chriſti Natalitio & in Aſſumptione Deiparæ, quas *Livrées du Noël & de la Myaouſt*, iidem vocitabant: vide hac de voce plura apud C. du Freſne *in Gloſſ.* & Autores ei laudatos: item infrà paſſim in vocibus *Pallium*, *Pannus*, *Roba*, ut & *in Livrea*.

LIBERATUS, Diaconus Eccl. Carthaginenſis, Sec. 6. Miſſus Romam, cum 2. Epp. à Conc. Carthag. A. C. 535. magnis rebus adhibitus eſt. Scripſit *Breviarium de cauſa Neſtorii & Eutychetis*, *capp.* 24. quod cautè legendum monet Baron. Vide Voſſ. *l.* 2. *de Hiſt. Lat. c.* 20.

LIBERI, apud Græcos 4. erant generum, teſte Euſt. *in Hom.* Γνήσιοι, Νόθοι, Σκότιοι & Παρθενίας Γνήσιος, aliter Ἰθαγενὴς dicebatur, qui è matre cive natus eſſet, Lat. *Legitimus*. Non enim omnes ſine ullo diſcrimine *Liberi*, quos patres tollebant in civibus ſunt cenſiti, ſed ii tantùm, qui utroque parente cive nati erant: ex Lege, Μόνους Ἀθηναίους εἶναι τοὺς ἐκ δυοῖν Ἀθηναίοιν γεγονότας, *Utroque parente cive Athenienſi ſoli cives ſunto*. Quam Pericli adſcribit Plutarch. ſed jam ante eum idem cautum eſſe, demonſtrat Solonis lex de nothis: verum tacito illiteratoque conſenſu antiquata lex fuerat, ante Periclis tempora, quemadmodum & inſequutis temporibus obſolevit, peſſimo Periclis ipſius exemplo, eratque ſatis alterutrum parentem civem eſſe. Itaque ut jus iſtud antiquum inſtauraretur, cavit lege ſuâ Ariſtophon Rhetor, quam exactis urbe 30. Tyrannis, Euclide Archonte; tulit: Νόθον εἶναι τὸν μὴ ἐξ ἀστῆς γεγονότα, *Qui matre cive natus non erit, nothus eſto.* Itaque Νόθος, quem Latinè reddi poſſe negat Quintilian. *l.* 3. *c.* 6. fil. erat, ex alia quàm cive, item ex concubina genitus. Cum talibus ne ipſa quidem cognationis ſive adgnationis jura intercedebant, ne in iis quidem ipſis, quæ ſive ſacra, ſive publica ſpectabant, ex Lege memorata Iſæo ἐν τῷ περὶ τοῦ Φιλοκτήμονος κλήρου & Demoſtheni ἐν τῷ πρὸς Μακάρτατον. Unde Ariſtoph. *Avibus*, p. 616.

> Ἐρῶ δὲ δὴ καὶ τὸν Σόλωνός σοι νόμον.
> Νόθῳ δὲ μὴ εἶναι ἀγχι-
> στείαν.
> *Dico autem jam & Solonis tibi legem,*
> *Spurio autem non eſſe affi-*
> *Nitatem.*

Habebant interim ſua ſacra, & faciebant Cynoſargis: at adoptione illis ſubveniente, pro legitimis cenſebantur, ſi nempè priùs civitate donati fuiſſent. Quo beneficio ſi carerent, ex hæreditate paterna nihil auferebant, præter τὰ νοθεῖα, mille viz. drachmas, quas Scholiaſtes *in l. Ariſtoph. modò laud.* quinque minas fuiſſe ait: quemadmodum & de Abrahamo legimus, Gen. *c.* 25. *v.* 6. *illum dediſſe dona* מתנת *Filiis verò concubinarum uxorum quas habuit, ac dimiſit eos à Iitzchako. filio ſuo dum adhuc viveret.* At eorum, qui Principibus geniti, alia erat conditio; *Conſuetudinis enim Regiæ fuit, ut legitimam uxorem non habentes aliquam licèt captivam pro legitima haberent, ut liberi ex ipſa nati ſuccederent*, Serv. Σκότιος appellabatur, vulgò quæſitus, Lat. *Spurius ſ. Favonius*; an quòd terrâ ortus inſtar venti, an quòd, ex vento, abſque patris ope, conceptus videretur, quemadmodum ova quædam ὑπηνέμια quaſi *Subventanea* nuncupamus? Quò alludens Lucian. Vulcanum, utpote ex Junone, ſine mariti congreſſu ut finxêre natum, ὑπηνέμιον παῖδα vocat. Ὁ παρθενίας tandem dictus eſt, quem uxor, pro virgine à marito ducta ex alio jam gravida peperit. Quibus adde ſi placet, τὸν Εἰσποιητὸν ſ. Θετὸν, i. e. *adoptivum*: τὸν Ἐλευθερον, ſ. *filium liberti* & Ἐξελεύθερον i. e. *Ingenuum*, filium liberi hominis. Vide Franc. Roſſæum *Arch. Attic. l.* 5. *c.* 9. Redeo ad τοὺς Γνησίους. Quemadmodum *liberos* tollere, in patris erat poſitum poteſtate, ita etiam necare & exponere, idque non tam moribus, quàm lege erat receptum Athenis: de quo vide ſuprà in voce *Exponendi ritus*. Idem *liberis* ſuis nomen, quod vellet imponere, aut etiam alio mutare poterat: quanquam ſolenne illud erat, majori è *Liberis* avi paterni nomen imponere, de quo ritu vide infrà in voce *Nominalia*. Porrò *Liberos*, ſive legitimis è nuptiis ſuſceptos, ſive ſecundùm leges adoptatos, patres lege jubebantur referre in Φράτορας, jurati profitenteſque apud φρατόρων acta, eos eſſe à ſe legitimis è nuptiis ſuſceptos, aut ſecundum Athenienſium jura adoptatos: ſic τῷ φρατόρων albo, quod Iſæus vocat κοινὸν γραμματεῖον, inſcribebantur paterno nomine, hoc modo, ὁ δεῖνα &c. Fiebat id ſtatis Anni diebus, & quidem adoptivi Thargeliorum feſto, legitimi verò tertio feſti Apaturiorum die, qui Κουρεῶτις dicebatur, inſcribi ſolebant: victimis, quarum pondus lege erat definitum, oblatis; quas οἱ Φράτορες per ludum jocumque, cùm exhiberentur, infra juſtum pondus eſſe dicebant, acclamantes, ἱστάναι δεῖ, μεῖον γάρ ἐστι, Pollux *l.* 3. Quo ætatis Anno autem id factum, non conſentiunt Autores: nam anniculos relatos in Φράτορας ſcribit Autor Etymologici in Ἀπατούρια. Tertium aut quartum Annum definit Proclus *in Timæum Platonis*: ut plurimum tamen intra Annum ſeptimum id factum eſſe certum eſt. Quod enim de Virginibus inquit Vir magnus fieri ſolitum, cùm eas elocaturi patres eſſent, videtur confundere relationem *Liberorum* εἰς τοὺς φράτορας, cum inſcriptione eorundem in Epheborum album, de quo ſuprà in voce *Ephebi*. Educatio *Liberorum*, cùm inter præcipuas Solonis curas eſſet, legem tulit: Τοὺς παῖδας διδάσκεσθαι πρῶτον νεῖν τε καὶ γράμματα· καὶ τοὺς μὲν ὑποδεεστέρους τὸν βίον ἔχοντας, ἐπὶ τὰς γεωργίας, καὶ τὰς ἐμπορίας καὶ τὴν τέχνην. τοὺς βίον ἱκανὸν κεκτημένους περί τε μουσικὴν, καὶ ἱππικὴν, καὶ τὰ γυμνάσια, καὶ τὰ κυνηγέσια καὶ τὴν φιλοσοφίαν διατρίβειν, *Pueri natare & literas primum docentor. Tenuiores deindè ruri operas facere, aut peregrè ad mercatum ire, aut artem exercere: Honeſtiores verò in Muſicis, in re equeſtri, in Gymnicis, ad venandum, in Philoſophia, inſtituuntor.* De quibus honeſtiorum juvenum ſtudiis Terentianus Simo *in Andria*, *Act*, 1. *Sc.* 1. *v.* 28. & *ſeqq.*

> *Quod plerique omnes faciunt adoleſcentuli,*
> *Ut animum ad aliquod ſtudium adjungant, aut equos*
> *Alere, aut canes ad venandum, aut ad Philoſophos:*
> *Horum ille nihil egregiè præter cætera*
> *Studebat, & tamen omnia hæc mediocriter.*

Rurſum idem *Eunucho*: *Act.* 3. *Sc.* 2. *v.* 23. & *ſeqq.*

> ----- ----- ----- *Fac periculum in literis,*
> *Fac in palæſtra, in muſicis: quæ liberum*
> *Scire æquum eſt adoleſcentem, ſolertem dabo:*

Idque tanta cum cura obſervatum eſt, ut, licèt magnâ pietate *liberi* parentes colere, honorare, & alere, ſi indigerent, legibus Solonis tenerentur, fil. tamen, quem pater artem non docuiſſet, ad eum exhibendùm non cogeretur, Τὸν μὴ διδάξαντα τὸν πατέρα μὴ διδαξάμενον τέχνην ἐπάναγκες μὴ εἶναι, cujus legis meminit Plutarch. *in Solone*. Vide Sam. Petit. *Comm. in LL. Attic. l.* 2. *tit.* 4. Cæterùm, ubi Lex civilis non impedit, poteſt pater fil. oppignorare, &, ſi neceſſe ſit, etiam vendere, ubi alia ratio eum alendi non ſuppetit: quod ex vet. Thebanorum lege, (quam *l.* 2. recitat Ælian.) in populos alios videtur fluxiſſe; ipſa autem lex Thebana à Phœnicibus, ac porro ab Hebræis veniſſe: quam ipſam obtinuiſſe & apud Phrygas, docet Apollon. *Ep. ad Domit.* Cenſetur quippe ipſa Natura jus dare ad id omne, ſine quo obtineri non poteſt, quod ipſa imperat, H. Grot. *de Jure Belli ac Pacis l.* 2. *c.* 5. §. 5. Quòd verò & vitæ neciſque jus parentibus in *liberos* conceſſit olim Rom. rigor, plane abnorme eſt, & ipſorummet ſucceſſu temporis in melius mutatorum ſententia ſublatum. At crudelitas ſumma, ex quo prodiêrunt, in quem ſublati ſunt, in quo educati ſunt, eo in gremio materno nim. *liberos* Occidi. Id quod ab Ariſtotimo tyranno, apud Juſtin. *l.* 26. *c.* 1. à Ptol. Ceranno, *l.* 24. ab Olympiade; *l.* 9. à Baſſiano, apud Spartian. *in Sev.* à Caſſandro, apud Plutarch. *fine Demoſth.* & *in Phocione* à Munatio Flacco, apud Val. Max. *l.* 9. *c.* 2. legimus factum. Eadem deteſtatio in conſpectu patrum cæſis liberis. Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 538. Priamo mox interimendo loquente,

> ----- *qui nati coram me cernere lethum*
> *Feciſti & patrios maculâſti ſanguine vultus.*

Vide quoque Herod. *l.* 3. *c.* xi. ubi de Phanis prole hoc modo ab Ægyptiis interempta, Plutarch. *fine Agidis & Cleomenis*, de uxore Panthei, Claud. *in Rufin. l.* 2. *Carm.* 5. *v.* 418. &c. Non enim tantùm hoc infortunii genus cætera omnia ſuperare meritò ajunt, quam in rem vide locum inſignem Q. Smyrnæi *l.* 2. de Neſtore vidente cædem Antilochi: Sed & mortem ac mortualia *liberorum*, turbato nim. ordine mortalitatis, nefas habitum à parentibus videri, uti pluribus docet C. Barth. *Animadverſ. ad Stat. Theb. l.* 5. *v.* 126. & *l.* 6. *v.* 205. Vide quoque hîc paſſim, in vocibus *Ephebi*, *Filia*, *Filius*, *Infans*, *Mater*, *Occutia*, *Parentes*, *Puerpera* &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LIBERIA, feſtus apud Rom. dies, quo liberam togam ingenui adoleſcentes, depoſito puerilis ætatis geſtamine, ſumebant. Incidit in 16. Kal. Aprilis: Vide Thom. Demp. Aer. *Paralip.* in Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 5. c.* 32.

LIBERIUS, triceſimus quartus Rom. Ep. A. C. 352. poſt Julium I. Athanaſium ab Arianis variorum criminum accuſatum, Romam ad dicendam cauſam, vocavit, non parenti excommunicationem minatus eſt. Legatos Arelatum ad Conſtantium miſit, è quibus Vincentius Ep. Capuanus Athanaſii condemnationi ſubſcripſit. Iuſſu Imp. cui acriter reſtitit, unà cum Hilario Ep. Pictavienſi, in exilium miſſus Berthœam, poſt biennium adverſariis manus dedit, & condemnationi Athanaſii Fideique confeſſioni ab Arianis compoſitæ ſubſcripſit, literis quaquaverſum datis, ut præcipuorum Arianæ Sectæ, qui apud Conſtantium plurimum valebant, gratiam ſibi conciliaret: Hinc ab Hilario Pictav. diris devotus. Sed redditus, retractâſſe, quæ malè admiſerat, & condemnatâ Fidei confeſſione Ariminenſi, Athanaſii amicitiam per literas quæſiiſſe dicitur. Obiit A. C. 366. Hier. & Marcellin. *in Chron.* Vide Athanaſ. *&c. ad Solit. apol.* 1. *&c.* Hilarium *in fragm.* Epiph. *hær.* 57. *c.* 2. Baſil. *Ep.* 74. Throdoret. *l.* 2. Socrat. *l.* 2. Sozom. *l.* 4. *&c.*

LIBERIUS Maximus, Judææ procurator, A. C. 75.

LIBERO, ſ. LUBRONIUM, opp. Delphinatûs, ad Dromam amnem, vix 1. leuc. à Rhodano, vulgò *Livrou.* Ei adjacet Oriolum, oppid. ex adverſo Dromæ, 3. leuc. à Valentia in Auſtr. 2. à Criſta in Occ.

LIBERTAS, Dea, cujus templum in Aventino conditum fuit, cum æreis columnis & ſtatuis pulcherrimis à patre Tiberii Gracchi, ex multatitia pecunia. Eidem atrium ibidem fuit: quod ab Ælio Pæto & Corn. Cethego Cenſoribus, inſtauratum & auctum: demum & à Pollione reſtitutum, ſcribit Suet. Cic. poſtmodum in exilium profecto, domum ejus P. Clodius Tr. Pl. *Libertati* conſecravit, & in Cæſaris gratiam eidem pop. Rom. ædem extruxit. Græci etiam *Libertatem* & *Libertatis Deos* coluêre, *ἐλευθερίαν* & *θεοὺς ἐλευθερίους.* Libertatis indicium, pileum fuiſſe legimus: unde & qui ſervi libertate donabantur, pileum geſtabant, capite raſo: hinc legimus, Brutos monetam cudiſſe cum pileo duobus pugionibus impoſito. Data ei porrò veſtis candida, & ſceptrum, feliſque adjuncta. In nummis antiquis clavum alterâ manu, alterâ pileum geſtat, cum lemmate: *Libertas Auguſti* ex S. C. In nummo Antonini Heliogabali, jugum fractum, cum Sole, cujus hic Sacerdos, additum videtur. Cic *Orat. pro Domo ſua.* Balduin. *Iconol.* Angelon. *Hiſt. Aug. p.* 268. Thom. Dempſter. in Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. &c.* Culta ſic nempe, velut alter ortus. Stat. *l.* 5. *Sylv.* 5. *v.* 73. *Epicedio Filii,*

> *Quin alios ortus* libertatemque *ſub ipſis*
> *Uberibus tibi parve, dedi* -----

Cum in uno homine, tum in tota gente. Unde Ariſtoph. oleagineâ coronâ, quæ auream dignitate æquabat olim, quòd auſus eſſet firmare, *Remp. Athenienſem nullius eſſe in dominio, ſed per omnia ſui juris,* coronatus eſt, uti diſcimus ex *Vita* ejus. Eodem fine & myrtus adhibita, velùt index pulcherrimæ omnium victoriæ, per quam itur ad libertatem. Hinc, propter Hipparchum tyrannum è medio ſublatum, Harmodius & Ariſtogiton gladios *ἐν μύρτῳ κλαδὶ, myrto redimitos;* geſtâſſe, & memoria eorum per univerſam Græciam in conviviis carmine, ac publicè ſtatuis celebrata legitur. Vide infrà ubi de *Scoliis,* & plura hanc in rem apud C. Paſchal. *Coron. l.* 7. *c.* 20. nec non *l.* 5. *c.* 10. ubi de ſimili corona Adimanto donata: uti de ſigno *liberæ civitatis* apud Rom. olim, ſtatuâ Naſyæ, infrà ubi de *Marſya.* Difficilis igitur conſultatio inter Galliæ civitates olim agitata, *Libertas an pax placeret,* apud Tac. Qua de re H. Grot. præſupponens de pace agi, quâ redimatur bellum internecinum i. e. ut Cic. alibi Græcis verbis explicat, *ἐὰν μέλλῃ διὰ τὸ περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύειν, l.* 9. *Ep. ad Attic. Ep.* 112. ubi viz. recta æſtimatio futuri nihil fermè aliud, quàm totius populi exitium videtur portendere: *Hîc Cato,* inquit, *quid dicturus ſit, qui mori, quàm uni parere maluit, nemo neſcit ----- At aliud dictat recta ratio: Vitam ſc quæ fundamentum eſt omnium bonorum temporalium, & æternorum occaſio, pluris eſſe quàm libertatem; ſive utrumque ſumas in uno homine, ſive in univerſo populo. Itaque Deus ipſe* (2. Par. *c.* 12. *v.* 78) *pro beneficio imputat, quòd non perdat homines, ſed in ſervitutem tradat. Et alibi* Jer. *c.* 27. *v.* 13. *ſuadet per Prophetam Hebræis, ut ſeſe Babyloniis in ſervitutem dedant, ne fame ac peſte moriantur. Quare illud, quanquam laudatum antiquis,*

> *Obſeſſum Pœno geßit quod Marte Saguntum:*

laudandum non eſt, nec quæ eò ducunt. Internecio enim populi in hoc rerum genere prö maximo malo haberi debet &c. H. Grot. *de Jure Belli & Pacis l.* 2. *c.* 24. §. 6. De *Libertate* tria verba dicendi, ſupplicio afficiendis, Athenis olim conceſſa, Vide infrà, lemmate *Murratum vinum:* uti de *παῤῥησίᾳ* quorumcunque proximorum morti, apud Rom. in voce *Teſtamentum:* de *Libertate* porrò *Vindemiali* in voce *Vindemia.* Quod verò *Libertatis Atrium* Spectat, Suet. memoratum in *Aug. c.* 30. eò docti, tanquam ad *λέσχην,* conveniebant. Ovid. *Triſt. l.* 3. *Eleg.* 1. *v.* 71.

> *Nec me quæ doctis patuêrunt prima libellis*
> *Atria,* Libertas *tangere paſſa ſua eſt.*

Ibidem fuit Tabularium, in quo ſervata Acta publica, uti docet Caſaub. ex Liv. *l.* 43. Vide apud eum plura hanc in rem *ad l. cit.* De *Libertate* verò *ſingulorum,* ejuſque gradibus, medio præſertim ævo, accurate & prolixè agit C. du Freſne in *Gloſſ.* uti de *Libertate univerſi populi,* H. Grot. ubi ſuprà. Addo hîc ſaltem, uti in Feroniæ templo ſervos olim manumiſſos, ſic poſteà ex *Conſtitut.* Conſtantini, in Eccl. cum *libertate* civitatem Rom. conſecutos eſſe, de cujusmodi manumiſſionibus Vide Juſtell. *ad Can.* 64. *Cod Eccl. Afric.* uti de voce medii ævi *Libertates,* ſuprà *in Commune.*

LIBERTAS Decembria, Vide ſuprà *Kalendæ* & infrà *Saturnalia.*

LIBERTATIS Vindex, Vide infrà *Uncii.*

LIBERTI, quaſi *liberati,* dicti ſunt, qui ex juſta ſervitute ſunt manumiſſi. Hi apud Rom. primis temporibus ita diſtincti ſunt ab Ingenuis & *Libertinis,* ut Ingenuus diceretur is, qui ex duobus Ingenuis vel *Libertinis* natus eſſet: *Libertinus,* qui ex duobus *Libertis: Libertus,* qui aliquando ſervitutem ſerviiſſet & ex illa eſſet manumiſſus. Aliquantò autem, poſt Appii Cæci Cenſuram, *Liberti* & *Libertini* pro iiſdem accepti fuêrunt: & tum Ingenui appellati, qui ex *Libertis* vel *Libertinis,* i. e. iis, qui cùm aliquando ſerviiſſent, poſtmodum manumiſſi erant, fuêre nati: ubi tamen hoc diſcrimen obſervatum, ut *Liberti* dicerentur, reſpectu patronorum, *Libertini* verò reſpectu Ingenuorum ſicque ille reſpectus privatus, hic publicus eſſet, Vide Laur. Vallam *Eleg. l.* 4. *c.* 1. In triplici eos fuiſſe ordine, *Cives Rom. Junianos* & *Dedititios* notat Ulpian. JC. *in fragm. tit.* 1. ubi ſingulorum definitiones exequitur. Pſeudocornutus *in v.* 106. *Sat.* 3. *Perſy.*

> *Heſterni capite induto ſubiêre Quirites.*

A Defuncto pridie manumiſſi, i. e. Liberti, *& cives Rom. facti.* Atque hos diſpari fuiſſe dignitate diſcimus ex Hadr. Turnebo *l.* 11. *c.* 9. ut *quidam primi* Liberti, *quidam ſecundi, quidam denique tertii forent.* Quod vel de tempore, quo quiſque manumiſſus, vel de officio, quo quilibet functus erat, nam & inter Servos gradus fuêre, intelligendum. Quamvis autem *Liberti* cives eſſent, publico tamen nullo, niſi Apparitoris aut Coactoris, munere defungi poterant. Erant verò Apparitores Scribæ, Præcones, Interpretes, Accenſi, Lictores, Viatores, Stratores. *Hæc* enim Vett. *munera,* ut Cic. *Ep. ad Q. Fratrem* declarat, *Libertis deferebant, excepto tamen ſcriptu.* Poſteà verò Scribæ quoque facti ſunt, trileruntque hi ſuffragium in quatuor urbanis Tribubus, quas ruſticis ignobiſiores fuiſſe notum eſt. Eodem jure *Libertini,* ſ. *Libertorum* filii erant. Neutris autem jus Tribuum fuiſſe, oſtendit Læl. Taurellus JC. nec Ingenui *Libertinis* pupillis tutores dari poterant, ut ex Marci oratione apud Modeſtin. *l. de Excuſat* patet. Nec in Senatum admittebantur: quò poſtquam irrepſiſſent aliquandiu, *Piſonis Conſulatu, ſub progreſſum bellorum civilium, omnes ejecti ſunt,* teſte Dione *l.* 40. Militiæ quoque non adhibebantur, niſi ingens urgeret neceſſitas apud Suet. *in Aug. c.* 25. *Unde Aug Princeps* Libertino *milite præterquam Romæ, incendiorum causâ, & ſi tumultus in graviore annona metueretur, bis uſus eſt, ſemel ad præſidium coloniarum Illyricum contingentium iterum ad tutelam Rheni fluminis: eoſque ſervos adhuc viris feminiſque pecunioſioribus indictos ac ſine mora manumiſſos ſub proprio vexillo habuerit, neque aut commiſtos cum ingenuis, aut eodem modo armatos.* Quare tanquam novum inſolenſque notat App. Alex. *de Bellis Civil. l.* 1. quòd *tum primùm* Liberti, *ob virorum inopiam, manumiſſi* ſint: Et Hirtius *de Bello Afr. c.* 2. *poſteà,* inquit *ex Hybridis Libertinis ſerviſque conſcripſerat, armaverat, equoque frænato uti condocuerat.* Veſtitu porrò à Patriciis ac Ingenuis diſtinguebantur: Cùm enim pueri Patricii, quorum patres curulem geſſerant magiſtratum, bulla aurea cum toga, cui purpura prætexebatur; cæteri prætextis tantùm uterentur: *conceſſum,* inquit Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 6. ut Libertinorum *quoque filii, qui ex juſta matreſamilias nati fuiſſent, togam prætextam & lorum in collo, pro decore bullæ, geſtarent.* Nec id ſine nota corpori impreſſa, *pertuſas* enim ſ. *perfoſſas Libertinis aures* fuiſſe, docet vet. Scholiaſtes Juv. *ad Sat,* 1. *l.* 1. *v.* 104.

> ------ ----- ------ *quamvis*
> *Natus ad Euphratem, molles quod in aure feneſtr. &c.*

Vide quoque ſuprà, ubi de ritu *Aurem Perforandi,* item in voce *Feneſtra,* ut & infrà, *Opera.* Interim eorum arbitrio, ſub malis Principibus, omnia permiſſa legimus: de quo non ſine indignatione conqueritur Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 31. Nota ſub Claudio Licinii & Pallantis: ſub Nerone Cari & Maſſæ: ſub Vitellio Aſiatici ſub Domitiano Parthenii &c. potentia ac opes, ad quas libidini dominorum obſequendo & flagitioſa quælibet perpetrando pervenêre. Quemadmodum *Libertinæ* vulgato corpore male ſæpè audiebant, quam ob cauſam in *Libertina* peccati impunitatem videtur promittere Horat. *Serm. l.* 1. *Sat.* 2. *v.* 48.

> Libertinarum *dico, Salluſtius in quas*
> *Non minus inſanit, quàm qui moechatur. &c.* -----

Hactenus de *Libertis* & *Libertinis.* Ingenuus autem, *Libertini* fil. *Liberti* nepos, jam jure meliore fuit. Ferebat namque ſuffragium in Tribu ruſtica, magiſtratus tamen non capiebat, neque Senatorii vel equeſtris, ſed tertii erat ordinis, i. e. de plebe. Ingenui verò fil. Eques Rom. eſſe poterat, ſed aditum ad Curiam non habebat, qui demum conceſſus eſt *Libertorum* abnepotibus &c. De Manumiſſionis ritu, Vide infrà *ſuo loco.* Addam hoc unum prædictis, non habuiſſe olim *Libertinum* veniam Ingenuam ducendi uxorem, donec id Lex Papia Poppæa conceſſit, quam luculentiſſimè explicat Barn. Briſſon. *l. de Jure Connub.* Nec ſcribendi teſtamenta ipſos jus habuiſſe, hæreditates tamen potuiſſe adire, ut ex Symmacho docemur *l.* 10. *Ep.* 54. *Capiunt legata Liberti &c.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 20. *cum Paralip.* Thom. Dempſter. Apud Cæſares *Libertos,* dictos *à Studiis* in pretio fuiſſe, Suet. *in Tib. Claud. c.* 28. teſtis eſt: *Ac ſuper hos Polybium à ſtudiis, qui ſæpe inter duos Conſules ambulabat.* Quo munere apud eund. Imp. Lemnus quoque functus eſt, de quo vet. Inſcr apud Laur. Pignor. *Comm. de Servis* 115.

TI. CLAUDIUS.
LEMNUS.
DIVI. CLAUDII.
AUGUSTI. LIB.
A' STUDIIS.

In Rep. Athenienſi, manumiſſi ſervile ſuum nomen aliquando mutabant, aliquando ſyllabis augebant, ut Stephanus ille, qui *Phi-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Philoſtephanus poſtea appellari voluit, *Anthologiæ l.* 2. Alio quoque tonſuræ genere utebantur: & quia cum Μετοίκοις eodem jure *Liberti* cenſebantur, quotannis τὸ μετοίκιον i. e. duodecim drachmas ærario pendebant, & præterea trioboum ſive Scribæ ſive Publicano, Harpocrat. Pollux *l.* 3. *c.* 4. Heſych. Cætera omnia, publica, privata, adminiſtrabant per Patronum, non quem elegiſſent ipſi, quemadmodum οἱ Μέτοικοι ſ. Inquilini, ſed qui libertate donâſſet dominus, quem colere tenebantur hâc lege: Τὰς ἀπελευθερωθέντας μὴ ἀφίστασθαί τι ἀπὸ τῶν ἀπελευθερωσάντων, μήτε ἕτερον ἐπιγράφεσθαι προστάτην, καὶ ἃ κελεύουσιν οἱ νόμοι ποιεῖν, *Liberti eos, à quibus manumiſſi ſunt, colunto: eaque quæ Legibus imperantur, iis præſtanto.* Publicè tamen, voce Præconis, adoptabant Ἐπίτροπον, inter quem & Patronum ſ. Ἐπιστάτην id diſcriminis erat, ut hic *Libertum* tutaretur ſuâ autoritate & omnia ejus adminiſtraret: ille verò adversùs Patronum ipſum, ſi opus foret, *Libertum* tueretur. Quemadmodum & apud Rom. *Liberti*, quanquam in Patroni, qui manumiſerat, eſſent clientela, habebant tamen & alium, ex amicis fortè Patroni, cujus ſe eſſe clientes dicerent, qui apud Patronum iraſcentem, & in jus rapientem, ſi res ita ferret, deprecaretur & tueretur clientem hunc ſuum. Ita Tullius *Ep.* 12. *l.* 1. *ad Attic. Libertum ego habeo, ſanè nequam hominem, Hilarum dico, ratiocinatorem & clientem tuum.* Proin in hanc Legem ſi commiſiſſent *liberti*, iis Ἀποστασίου dica ſcribebatur, quod fiebat apud Polemarch. & à contribulibus Patroni ſive domini judicabatur: quâ actione ſi vincerentur *Liberti*, in ſervitutem retrahebantur, aut vendebantur; ſi viciſſent, perfecta libertate ac perpetua fruebantur. Ubi tamen notandum, ſervos ab Athenienſibus non civitate ſimul cum *Libertate* donatos fuiſſe, ſicut apud Rom. juſta illa libertas vindictâ datâ ſeſe habebat. Rom. cum ingratis *Libertis*, paulò aliter agebant. Primò enim Patronis conceſſum fuit, *libertum* ultra viceſimum lapidem relegare, quod ab Aug. inſtitutum ſuſpicatur Lipſ. ex Dione *l.* 55. Poſtea Tib. Claud. *Ingratos & de quibus Patroni quererentur, revocavit in ſervitutem*, teſte Suet. in eo *c.* 25. Si nempe Patronis delatores ſummiſerant, qui ei de ſtatu controverſiam facerent, *l.* 5. *D. de Jure Patronatûs.* Commodus dein Imp. conſtituit, ut *Liberti*, qui Patronos violaverant contumeliis, aut illatâ manu pulſaverant, aut non exhibuerant ad paupertatem redactos, cogerentur ad obſequia, *miniſterium* appellat Imp. Patronis præſtanda: Quòd ſi nihil proficeretur, in ſervitutem alteri à Præſide vendebantur, pretio Patronis addito. Exin jus iterum mutavit, & *Liberti* ingrati *caſtigati*, i. e. *fuſtibus* cæſi ſunt, ut patet ex Ulpiano *l.* 9. *de off. Proconſulis*, ſi fuiſſent inofficioſi: *Si verò contumeliam feciſſent, aut convitium dominis dixiſſent, etiam in exilium temporale dabantur. Quòd ſi manus intuliſſent, in metallum dandi erant*, &c. *Ib.* Subſequutis temporibus, ex Conſtitut. Diocletiani & Maximiani A. A. ad Veneriam liberti, qui ingrati probabantur, ad ſerviendi neceſſitatem redigi poterant, *l.* 12. *Cod de operis Libertorum*: quod etiam obſervari voluit Conſtantin. *l.* 2. C. *de Libertis & eorum Liberis* &c. Vide Sam. Petit. *Comm. in LL. Att. l.* 2. *tit. ult.* adde quæ *de Collibertis* dicta. Alia vocis notio infrà, ubi de *Paraſitis*.

LIBERTINI, fanatici quidam; autoribus Quintino ſartore Picardo & Copino. in Hollandia & Brabantia, orti A. C. 1525. Omnia in nobis à Spiritu S. fieri, peccatum meram opinionem eſſe, pænitentiam in ſola negatione peccati conſiſtere, CHRISTUM ex Spiritu Dei & opinione conflatum, aſſerentes, Scripturam S. rejecêrunt: inter Orthodoxos Orthodoxi, inter Pontificos Pontificii. &c. videri volentes. *Libertinorum Synagoga*, quæ Hieroſolymis erat. una ex peregrinorum Synagogis, mentio cum fit Actor. *c.* 6. *v.* 9. intelligunt quidam *Libertinos* Rom. ex Libertis genitos; vel etiam manumiſſos, de quibus ſuprà actum: Horum enim plurimos Proſelytos factos eſſe, & Synagogas ſuas habuiſſe, docet Philo *Legat. ad Cajum*: Alii eos ſic dictos volunt, ab Hebr. voce *Lubar*, locum excelſum deſignante. Namque ſicuti Templum, ita etiam Synagogæ ac Scholæ Hebræorum in locis editis erant extructæ, ex occaſione loci Proverb. *c.* 1. *v.* 21. *Sapientia in ſummo turbarum proclamat.* Vide Thom. Godwyn. *in tract. Angl. de Ritib. Hebr. Civilib. & Eccleſ. l.* 2. *c.* 2. Tremellium *Notis in loc. Actor. præf.* &c. plura verò de *Libertinis*, apud Joh. Forbeſ. *Inſtruction. Hiſt. Theolog. l.* 1. *c.* 34. §. 16. *c.* 37. §. 11. *l.* 12. *c.* 9. §. 6. ut & hìc paſſim, ubi de *Florinianis* aliiſque Hæreticis hujus farinæ.

LIBETHRA, Magneſiæ fons, Muſis ſacer. Plin. *l.* 4. *c.* 9. Placet quibuſdam, fuiſſe urbem in Olympo monte, torrente funditus everſam, quum jam olim oraculo prædictum eſſet, fore ut Libethtii ὑπὸ συὸς omnes interirent, quum Orphei oſſa Sol inſpexiſſet. Erant autem Orphei reliquiæ, in columna quadam conditæ, quæ viæ imminebat à Dio in Olympum ducenti. Quem in locum cùm ingens hominum vis conveniſſet, ut paſtorem ſuaviter canentem audirent, evenit, ut columnâ everſâ, Orphei oſſa nudarentur: eodemque die torrens, nomine *Sys*, ſupra modum auctus. Libethrios cum urbe ſubmerſerit. Cæl. Rhodig. *Lect. Antiq. l.* 18. *c.* 22. *Libethriis inelegantior*, Prov. à Muſica enim alieni, cùm Orpheum Occidiſſe dicantur.

LIBETHRIDES, dictæ ſunt Muſæ à *Libethra* Magneſiæ fonte, Muſis ſacro, & poëtarum carminibus celebrato. P. Mela, *l.* 2. *c.* 3. Strabo. *l.* 9. *p.* 410. & *l.* 10. *p.* 471. Tamen autor eſt, Muſas appellatas eſſe *Libethrides*, à *Libethro* Thraciæ monte, quem poſtea Macedones tenuêrunt, ſub quo & antrum fuiſſe ait, Muſis Libethridibus à Thracibus conſecratum. Virg. *Eclog.* 7. *v.* 21.

> *Nymphæ, noſter amor,* Libethrides.

LIBIAS, Judææ urbs. Ptol. Joſeph. *Antiqq. l.* 14. *c.* 4. Palæſtinæ item urbs ab Herode conſtructa. Euſeb *in Chron.* aliàs *Julia* appellatur, & Livia.

LIBICI, ſ. LEBECII vel LIBUI, pop. Galliæ in Italiam transgreſſi, memorantur Liv. *l.* 5. *c.* 35. *Alia ſubindè manus Cenomanorum, Elitovio Duce, veſtigia priorum ſequuta, eodem ſaltu, favente Belloveſo, quum tranſcendiſſet Alpes, ubi nunc Verona ac Brixia urbes ſunt, (locos tenuêre. Libui) conſidunt, & poſt hos Salaſſi præter antiquam gentem Lævos Ligures incolentes citra Ticinum amnem, Pennino deinde Boii Lingoneſque tranſgreſſi* &c. Nempe, Lævi Ligures, antiqua in illo tractu gens, tenuêrunt locum ſuum priſtinum, & ad horum latus, versùs Ticinum amnem, demiſêrunt ſe ab Alpibus *Libici*, pertinentes uſque ad Ticinum, quum alteram ejus ripam poſſiderent Inſubres, ut ſic citra id flumen manſerint. Super utroſque Salaſſi conſedêrunt, versùs montana Alpium, ut idem docet *l.* 21. *c.* 38. Vide de his Liguribus *Lebuis*; aliquam multa, apud Jac. Gronov. Virum Celeberrimum tam latinis quam græcis literis Conſummatiſſimum *Diſſert. Ep. ad Doctiſſimum* Laur. *Gronov. patruum.*

LIBIDO, plerarumque hæreſium eſca, ut videre eſt hîc paſſim, inprimis ubi *de Fem. Comm.* Idem apud Idololatras omnis ævi obtinuit, quorum nonnullis etiam inter ſacros ſuæ impietatis ritus meretricatus & ſcortatio fuit, uti paſſim itidem diximus. Et quid fuit ſacrum illud Opertum in Eleuſiniorum Feſto, ad cujus ἐποπτείαν per tot προπαρασκευὰς & ſuſpiria egregii illi myſtæ anhelabant? Quid alia? Nempe à Deo, cujus oculi tam puri ſunt, ut ne videre quidem malem queat, non aliâ ratione faciliùs miſerorum mortalium animos avertere ſe poſſe novit ſpiritus impuritatis, quàm occultando ſub religionis velo eſcam hanc, ad quam ſuâ ſponte nimiùm propensà carnis infirmitas eſt, facile manum datura talibus ſacris, per quæ ſibi, velut & Numine jubente, licet agere, quod libitum eſt quam maximè &c. Vocem quod attinet, eâ Latini ſæpe indigitant id, quod νόσον Græci vocant, naturalem vide & cœcum impetum, quo ſine ratione ad aliquid ferimur. Arnob. *adv. Gentes l.* 3. *Non indocti apud vos viri neque quod induxerit* libido *garrientes*. i. e. non temerè, nec linguæ intemperantiâ ac morbo quodam fabulas & nugas blaterantes. Quam naturalem ac temerariam ad rem quamlibet propenſionem νόσον, ut dictum, appellant Græci, & eam exprimunt per verbum φιλεῖν. Unde φιλόμυθος, φιλοψευδὴς, φιλόνεικος &c. in quibus verbum φιλεῖν non ſimpliciter intelligendum eſt. Epicharmus χαίρειν pro eo dixit, apud Plutarch. Οὐ φιλάνθρωπος σύγ' ἐσσὶ, ἔχεις νόσον, χαίρεις διδούς. quo pacto optimè exprimit ἦθος hominis facultates non judicio, nec certo benefaciendi ſtudio, ſed cæcâ largiendi libidine profundentis. Qualem deſcribit Senec. *de Benef. l.* 1. *Nunquid enim me dignum judicavit? morbo ſuo morem geſſit.* Vide Deſid. Herald. *ad Arnob. d. l.*

LIBISOSA, ſ. LIBISOCA, Ptol. oppid. Hiſp. Tarrac. in Caſtella nova, *Libiſoſona* Plin. *l.* 3. *c.* 3. ſ. *Libiſoſſona. Lebazuſa* Mora. li. Baudr. opp. Carpetanorum, nunc vicus Caſtellæ novæ, *Lezuza*; 4. leuc. ab Alcaratio in Bor. Concham versùs, 6. à fontibus Anæ in Ort.

LIBISSONIS Turris, Plin. *l.* 3. *c.* 7. *Biſſonis turris* Ptol. Sardiniæ opp. olim Archiepiſcopal. nunc exciſum, in ora Occ. maritimum, cui Saſſaris intus ſucceſſit ad 12. mill. paſſ. nunc locus *Proto di torre* Leandro, ubi ædes D. Cabino ſacra.

LIBISTUS, Thraciæ urbs circa Mœſiam inf. Plin. *l.* 4. *c.* 11.

LIBITINA, Dea apud Rom. in cujus templo locabantur, & vendebantur ea, quæ ad ſepulturam pertinebant, ita dicta à *libitu*, vel *libidine*. Plutarch. Venerem fuiſſe putat, redditque rationem *in Problematibus*, quare Romam. ea, quæ ad pompam funebrem ſpectarent, in Veneris templo voluerint aſſervari, ut ſc. eo ipſo humanæ fragilitatis admoneremur, certò ſcientes exitum ab ortu non procul abeſſe, cùm eadem Dea, & morientibus præſit, & vitam ingredientibus. Alii malunt Proſerpinam eſſe Plutonis uxorem, quam quòd inferorum crederetur Regina, mortuis præeſſe putabant. Hinc aliquando ponitur pro ipſa morte, ſ. pro feretro, quo mortui efferuntur. Horat. *Carm. l.* 3. *Ode* 30. *v.* 6.

> *Non omnis moriar, multaque pars mei*
> *Vitabit* in Libitinam. ------ -----

Hinc *Libitinarii*, qui funeribus neceſſaria venditant. Nic. Lloyd. Similiter Delphis Epitymbiæ Veneris exigua ſtatua poſita erat, ad quam manes, in parentationibus & libationibus, elicere atque evocare conſueverant, ut annotavit Cœl. Rhodig. Lect. Antiq. ut ſuprà, *l.* 39. *c.* 18. Hinc eleganter apud Horat. *Libitinam* vitare dicuntur ut ſuprà qui ſe immortalitati vindicant. Imaginem *Libitinenſis* Sacerdotis, pro Defuncto ſacrificantis, ad idolum Herculis, pateram lactis: illudque ſupra caput idoli effundentis, exhibet Fortun. Licet. *l.* 6. *c.* 4. *de Lucernis antiq. ubi Lucernam Galvianam, mortuales ritus antiquorum mirificè repræſentantem, explicat.* Inde *Libitina ratio*, apud Suet. *Ner. Claud. c.* 39. liber acceptarum pecuniarum, quem conficiebant, qui Veneris Libitinæ theſauro præficiebantur. Nempe mos vetuſtiſſimus fuit apud Rom. à Servio Tullo Rege jam inſtitutus, ut certum quid penderetur εἰς τὸν θησαυρὸν τῆς Ἀφροδίτης ἐν ἄλσει καθιδρυμένης, ἣν προσαγορεύουσι Λιβιτίνην, ὑπὲρ τῶν ἀπογινομένων, ut inquit Dion. Halic. *l.* 3. *p.* 220. i. e. *Theſauro Veneris in luco dedicatæ, quam* Libitinam *cognominant pro mortuis.* Mortui igitur uniuſcujuſque nomen deferebatur ad eos, qui hoc nomine pecuniam exigebant, & ab illis *Libitinæ rationi* inſcribebatur: quâ ratione exactè ſciri poterat, quot hominum ſtragem quolibet anno mors feciſſet. Sic *peſtilentiâ unius autumni triginta funerum millia in* Libitinæ *rationem veniſſe*, eſt in Suet. *d. l.* ad quem vide Caſaub. *Animadverſ.*

LIBITINENSIS Porta, per quam cadavera efferebantur, Romæ. *Lamprid.*

LIBNIUS ſ. LIFNIUS, fluv. Lageniæ, nunc *Lesfer*, prope & infra Dublinium in mare Verginium ſe exonerat. *Camden.*

LIBO, civis Rom. qui Romæ in Comitio puteal primus extruxit, quod ideo Libonis puteal dicitur. Horat. *l.* 1. *Ep.* 19. *v.* 8.

> ----- *Forum putealque* Libonis
> *Mandabo ſiccis.* ------ ------

Item alius Coſ. cum Fabio Chilone, A. U. C. 956.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LIBO, legatus Marci Imp. in Syriam, de quo ſic Capitolin. *in Vero, Hæc vitæ diverſitas, atque alia multa, inter Marcum & Verum ſimultates fuiſſe indicabat. Verum illud præcipuum, quod cùm* Libonem *quendam patruelem ſuum Marcus legatum in Syriam miſiſſet, atque ille ſe inſolentiùs, quàm verecundus Senator, efferret dicens ad fratrem ſe ſcripturum eſſe, ſi quid fortè dubitaret, nec Verus præſens pati poſſet, ſubitoque morbo interiſſet---viſum eſt nonnullis, non tamen Marco, quòd ejus fraude putaretur Occiſus.* Vide Caſaub. & Salmaſ. *Not. ad loc.*

LIBO, vide *Scribonius.*

LIBOEUS, Hiberniæ fluv. Ptol. *The bay of Slego*, teſte Camd. per Connaciam, juxta Slegum opp. fluens.

LIBONA, Arabiæ urbs. *Lib. Notit.*

LIBONOTRIA, eadem Miſniæ. Vide ibi. Pop. *Libonotri*, Tac. *de morib. Germ. c.* 40. *Eudoſes.*

LIBOPHOENICES, qui Byzacium incolunt, Plin. *l.* 5. *c.* 4. Infra Carthaginem illos locat Ptol. Strabo *l.* 17. *p.* 835. *Imminet autem oræ à Carthagine uſque Cephalas & Maſſæſylios* Libophœnicum *terra, uſque ad Getuliæ montana, quæ jam Africa eſt.* Scylax ξανθὸς Λίβυας vocat *in Periplo* &c. Jac. Gronov. *Ep.* ad Vilh. Goëſium.

LIBORA, olim *Elbora*, Ptol. Hiſp. urbs in Carpetanis. *Talavera* Marianæ. Baudr. *Talavera la Reyna*, urbs Caſtellæ novæ. inter Toletum ad Ort. & Talabricam veterem, ſ. *Talavera la Vieja* ad Occ. paulò infrà confluentes fluv. *Alberche* in Tagum.

LIBRA, ſignum Zodiaci, quod æquinoctium facit autumnale. Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 208.

> Libra *die ſomnique pares ubi fecerit horas,*
> *Et medium luci, atque umbræ jam dividit orbem.*

Nic. Lloyd. Eam Græci pariter & Latini ſic imaginantur ♎ quod librile eſſe cum trutina, placet Scalig. Sed ab antiquo deflexit hæc figura, quæ, in vetuſtis libris integrior apparens, duas lances inverſas, librili jacente, exprimit. Nec enim recta fingitur in aſtris, qualis eſt, quum à libripende tenetur, ſed conſidens & abjecta, Manil. *Aſtronomic. l.* 2.

> *Taurus depoſitis collo ſopitus aratris:*
> Libra *ſub emerito conſidens orbe laborum.*

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1236. Ut & infrà in voce *Statera.* uti de *Libræ* in contractibus, apud Rom. decemvirali Seculo, ac poſtea, dominio, infrà *Nexi*; de Statices parte, à *Libra* nomen adepta in voce *Zygoſtatica.* Porrò de *Librile*, ex quo lances dependent, imitante Capite Zygænæ, piſcis cetacei, quæ proin *Libella* vertitur Gazæ, dicemus aliquid in *Zygæna.*

LIBRA Nummaria, nomen à *pondo* cepit, quòd libram, quam vocant Trojanam, i. e. uncias 12. olim pendebat. Inde Saxonibus *punde*, Anglis *pound.* Æſtimabatur autem aliàs ſolidis, aliàs denariis, aliàs oris i. e. unciis. Primò in uſum venit *Libram* numerare. dein cùm denarii ſæpe vel adulterini vel nimium detonſi in publicum proreperent, ad pondus trutinari cœpit. Creſcente nequitiâ, ad examen ignis proceſſum eſt, ut decocto adulterino ſimplex redderetur metallum: quem morem non inſtituit quidem, reſtituit tamen in Anglia Rogerius Ep. Saliſburienſis, ſub Henr. I. Unde *Arſionis* & *Libræ arſæ* crebra mentio, de qua, ut & *Libra* Anglo-Saxonica, Anglo. Normannica, Denariorum, Sterlingorum, Numerata, Penſa, &c. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.* Λίτρα. Siculis pondus & nummus, genuit *Libram*, quæ pro pondere placuit Romanis pro pecunia, eodemque quod *As* eſt, non ultra quàm As libram pondo fuit; inde pro tantundem in commercio valente ære aſſem retinuêre, qui tandem quarta & viceſima, imò & quadrigeſima octava, pars *Libræ* factus eſt. Duodecima τῆς λίτρας ὀγκία, i. e. *uncia*, ex qua multiplicata conſtantes τῆς λίτρας i. e. *Libræ* partes, πεντώγκιον, ἑξᾶντον, ἡμίλιτρον, apud Epicharmum & Pollucem reperiuntur, Hinc *uncia* Rom Medias quoque inter ſummam *Libram* aſſemve & imam, ejus duodecimam, unciam, partes ad ſimilitudinem quidem Sicularum fabricavêrunt Rom. ſed in officina ſua &c. Joh. Frid. Gronov. *de Pec. vet. l.* 4. *c.* 17. De *Libra* verò *Farris*, indies debitoribus addictis data, apud Rom. ſuprà vide in voce *Debitum: Panis & Vini*, in *Regula* Benedictinorum, præſcripta in refectionibus: ut & in *Regul. Canonicorum in Syn. Aquiſgran. c.* 122. & in *Regula* Sanctimonialium *ib. c.* 13. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.* Sed & *Libra* certus agri modus. Hygin. *In Narbonenſi quoque prov. varia ſunt vocabula: alii appellant* Libram, *alii parallelon, in Hiſp. centurias, ita ſicut in conſuetudine regionis alicujus inveniemus, ita renuntiandum: jugera tot, verſus tot, ſive* libræ *tot, ſive quodcunque aliud vocabulum.* Pro eodem, *Librata terræ*, in vett. *Chartis.* quâ utraque voce quid propriè indigitetur, non uſque adeò liquet. Henr. Spelmann. ait, vetus quoddam computationis genus, memoriæ ergo, ab Agrimenſoribus excogitatum eſſe, adeoque illos, acram terræ marcæ argenti aſſimilantes, totidem in hac denarios numerare, quot in illa perticas, in utraque ſc. 160. dividenteſque perticas, in dimidia & quarterios; his obolos & quadrantes argenteos opponere conſueviſſe; ſic ut acra contineret 160. denarios, 320. obolos, & 640. quadrantes. Cui aſſentitur Sirmondus, qui *Libratam terræ jugerum terræ integrum* aut *arapennem* eſſe contendit, *Not. ad Gaufrid. Vindoc.* Alii modum agri aut prædii eſſe volunt, ad valorem annuum pecuniarii reditûs & ad certum librarum monetæ currentis exactum & æſtimatum: ſic ut, qui certum numerum *librarum terræ* alteri daret ad hoc teneretur arbitrio & judicio boni viri, certam dare agrorum menſuram, quæ in reditu tot nummorum libras valeret; cùm, ut eſt *in Conſuetud.* Turonenſi *art.* 353. apud C. du Freſne *in Gloſſ.* in dominicis & prædiis nulla fixa ſit æſtimatro, quia pluris aut minoris æſtimantur, pro varietate ipſorum prædiorum. Unde eſt quod voci *librata terræ* ſepe adjungitur vox *reditûs*, ut appareat, non certum ac definitum agri modum hac voce denotari. Vide eum *in Gloſſ.* ubi *Libræ terræ* olim æſtimatam ſortem principalem viceſimo denario, addit ex *Charta* Rob. Archiep Lugdun A. C. 1233. ut & Salmaſ. *ad Solin. p.* 292. & 683. Uti autem *librata*, ſic & *denariata terræ*, & *obolata*, &c. paſſim occurrit.

Variæ Libræ ſpecies, ex eodem Autore

Æris, olim decima pars denarii, nempe aſſis, fuit Hinc denarius nummus, dum librales fuêrunt aſſes, decem valuit aſſes, quemadmodum dena pondo Gronov. *de pec. vet. l.* 2. *c.* 1.

Anglica, ſive Sterlingica, triens eſt *libræ* Rom. atque 133. ſeſtertiis reſpondet, Idem *l.* 3. *c.* 8.

Argenti, apud Rom. centum denariorum ſive drachmarum fuit, adeoque 400. ſeſtertiis æſtimata eſt. Undè duæ *Libræ* & ſelibra mille nummûm ſeſtertiûm valuêrunt Idem *l.* 1. *c.* 4. & *l.* 2. *c.* 7. Earum ſexaginta conſtituebant talentum Atticum, Idem *l.* 3. *c.* 3. Apud Francos quantum valuerit, vide *infra.*

Attica, pars fuit Romanæ, unde talentum Atticum, quod 6000. drachmarum vel 60. minis conſtabat, Priſciano interprete, valuit libras ſexaginta, Idem *l.* 3. *c.* 3.

Auri, valebat decem pondo argenti: Eamque Rom. æſtimabant, 4000. ſeſtertiûm, ſ. mille denariis, *Ib.* Sed ſub Imperio CPolitano quatuordecim amplius libris argenti æſtimata eſt, Idem *l.* 3. *c.* 8.

Denariorum, eadem eſt cum *Libra* Sterlingorum; ut patet, ex Not. Angliæ, apud Selden. *Mari clauſo.* Idem Gronov. *in Addendis.*

Flandrica, 93. ſeſtertiis trienti reſpondet. Idem *l.* 3. *c.* 8.

Francica, fuit viginti ſolidorum. Ad ſimilitudinem enim ſolidi aurei, qui ſub Conſtantini Mag. ſucceſſoribus fuit & 12. milliarenſibus vertebatur, percuſſêrunt Franci argenteum, quem duodecim æſtimabant denariis Francicis ſ. Sterlingis, faciebantque 20. ſolidi *Libram* argenti, ut Rom. 60. milliarenſes Idem *l.* 3. *c.* 6. Hinc origo Gallicæ & Anglicæ pecuniæ hodiernæ: Proin hodieque Galli *Libram* vocant 20. ſolidos, licèt tanto minores & ſolidum in 12. denariolos dividunt: Sicut Britanni 20. ſolidos ſive ſchellingos, tertiâ parte, quàm fuerant reciſiores *Libram Eſterlingorum* vel *Sterlingorum* appellant, & ſchellingum pariter in 12. penningos pro denariolis partiuntur, Idem *Ib.*

Hollandica, ſeſtertii tredecim & triens: ſicut Gallica paulò plus 11. Idem *l.* 3. *c.* 8.

Medica 96. denarios continebat, cum Græca, tum Romana: Ejus enim unciæ drachma vel denarius erat octava pars, Idem *l.* 2. *c.* 6.

Nummaria, conſtabat apud Rom. 100. denariis ſive drachmis, *Ib.*

Occidua, *in actis* Marcellini Papæ, videtur dici ſimpliciter Romana ſive Italica auri, ex ordinatione Conſtantini in 72. ſolidos diviſa; Cùm occiduarum partium prima ſemper Italia fuerit, Idem *l.* 4. *c.* 13.

Ponderalis communis, 84. denarios capiebat ſ. drachmas: quippe cujus unciæ pars ſeptima eſſet drachma vel denarius, teſtibus Celſo & Scribonio, quibus Plin. accedit *l.* 12. *c.* 14.

Romana Atticæ par fuit, 100. nempè denariorum ſive drachmarum. Vide ſuprà in voce *Argenti* libra. item in *Nummaria.*

Septiciana, memorata Mart. *l.* 8: *Epigr.* 71. cujus Epigraphe in Poſtumianum Initio *v.* 6. & 12. à loco & agro Septiciano in Hiſp. Concordiæ Auguſtæ Coloniæ unde, eruebatur nomen videtur accepiſſe. Proin *Septicianum argentum*, illud ipſum argentum eſſe videtur, quod Hiſpanum idem poëta *l.* 4. *Epigr.* 89. cujus Epigraphe in diſſimulatorem *v.* 3. vocat, Gronov. *l.* 4. *c.* 13.

Sterlingorum vel Eſterlingorum, triens eſt *Libræ* Romanæ, Marcæ ſemis, 4. argenti uncias complexa, ſeſtertiis reſpondet 333. aſſit trienti. Idem *l.* 3. *c.* 6. &c. Vide quoque C. du Freſne *in Gloſſ.* &c.

LIBRA inter decora Fori Amſtelodamenſis, in quo inprimis ſe ſpectanda offerunt Curia, ſ. Domus Senatoria & *Libra.* Eſt hoc ædificium opere elaboratum, formâ quadratâ, periſtyliis loricisque ad ambulacri uſum altiùs circumductis. Fores habet quadrifariam patentes, quæ quatuor Mundi plagis reſpondent. In ſingulis, magnis miriſque lancibus ponderantur merces. quibus circumfuſa quotidie vix officio ſuo par eſt: unde maxima ex ea vectigalia ærario Urbis provinciæque accedunt, *ut vix illâ quæſtu annuo locupletiorem domum totâ Europâ conſpici ſe credere*, ſcribat C. Barlæus *in Medicea.* Cæterum de *Libra* quâ pondera expenduntur, vide hic aliquid, ubi de *Lancibus*, & *Ponderibus*: de *Libra* vel *nummaria* hoc unum addo, in Francia, rationibus ad *Libram* ſublatis, introductam eſſe rationem numerandi *ad Scuta*, ſub Car. IX. A. C. 1577. uti adnotat C. du Freſne in voce *Moneta.*

LIBRARIUS, apud Mart. *l.* 4. *Epigr.* 91. cujus Epagraphe ad Librum. *v.* 8.

> *Jam* Librarius *hoc & ipſe dicit!*
> *Ohe jam ſatis eſt, ohe libelle:*

eſt qui libros tranſcribit, quod miniſterium, ante Typographiam repertam, frequens ac nobile fuit. Nominis etymon habes apud Hier. *l.* 1. *Ep.* 1. quæ eſt ad Nitiam: *Ante chartæ aut membranarum uſum, aut in dedolatis è ligno codicillis, aut in corticibus arborum mutuò epiſtolarum alloquia miſſitabant, undè & portitores earum tabellarios, & ſcriptores ab libris horum* Librarios *vocavêre.* Mentionem eorum ſervat antiquus titulus, in Muſeo Carpenſi Romæ.

JU-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

JUCUNDUS
DOMITIÆ
BIBULI LIBRAR.
AD. MANUM.

Munus aliquod Cic. indicat *ad Attic. l.* 12. *Et erit gratius, ſi non modò libris tuis, ſed etiam in aliorum per* Librarios *tuos Ariſtophanem repoſueris pro Eupoli.* Et Cic. fil. *ad Tiron. Peto à te, ut quàm celerrimè mihi* Librarius *mittatur, maximè quidem Græcus multum enim eripitur mihi opera in exſcribendis hypomnematis. Antiquarios* hinc alii. Sidon. Apollin. *Scribas* & *Bibliopolas* vocat. Sed & *Librarias* in miniſterio fuiſſe, diſcimus ex antiquo Lapide:

SEXTIA. XANTA.
SCR. LIBRARIA.
EM. OL. II.

Juv. *Sat.* 6. *l.* 2. *v.* 475.

—— *periit* Libraria, *ponunt*
Coſmetæ tunicas ——

Scribit quoque Euſeb. Origeni ad manum fuiſſe *Librarios*, unà cum puellis, quæ ſcitè & concinne ſcriberent, *Hiſt. Eccl. l.* 6. *c.* 17. &c. Quam in rem plura apud Salmaſ. *ad Solin.* & Popmam *de Op. Serv.* ut & infra, ubi de *Librariorum Notis*, uti de *Librariis officicinis* aliquid in voce *Stationarii.* Apud Veget. *l.* 2. *c.* 7. occurrunt *Librarii*, inter caſtrenſia officia, quo nomine ii veniunt, qui *rationes ad milites pertinentes in libros referebant.* Vide quoque Paternum *l. ult. ff. de jure immun.* Etiam ſic nominatos legas, qui cujuſque poſſeſſionem in tabulas publicas regerebant, apud Cic. 2. *in Rullum* ubi de XV. Viris, quos ille agris dividendis inſtituere conabatur Sermonem habet. In *Charta* Henr. III. A. C. 1056. *Videlicet ut electionem Primicerii faciant, ſive Decani Cantoris.* Librarii *atque Cuſtodis Eccl. S. Steph. Librarius*, dignitas Eccleſiaſtica eſt, in Eccleſiis Cathedralibus Communionis Rom. eadem fortè C. du Freſne, quæ *Cantoris*, qui & *Armarius* dicitur. Vide eum *in Gloſſ.* In *Codice* Theodoſ. *Librarii* dicuntur: qui deſcribendis actis judicialibus dabant operam, *l.* 1. *de lucr. offic. leg.* 1. *de Decur. Urb. Romæ*, apud JC. Symmachum &c. *Librarius Coſ. Librarius Quæſtorius trium decuriar. Librarius Tribunicius*, in vett. *Inſcr.* paſſim.

LIBRI Chartacei, non minùs ac chartæ, in ſcapum convolvi atque complicari apud Vett. conſuevêre: Unde & *tomus* & *volumen, de Libro.* h. e. de charta ſcripta, non minùs dicebatur, quàm de charta nondum ſcripta; ſed *ſcapus* propriè magis de charta, *tomus* verò & *volumen* de libro, vide quoque infrà *Ferula.* Si qua verò fuit inter *chartæ ſcapum* & *Libri volumen* differentia, hæc fortè fuit, quòd ſcapus chartas inter ſe junctas & compactas certo numero haberet, vicenas puta vel denas: Libri verò, prout breviores aut majores erant, ita pauciores aut plures ſchedas continebant. Dicebantur autem propriè *Schedæ*, ſingulares plagulæ, ex ſcapo chartarum revulſæ, quibus committebant, quidquid ſubitâ & tumultuariâ ſcriptione eſſent commentati, quod emendatum poſteà in mundiorem chartam regerebatur; atque hæ in averſa quoque parte, h. e. in tergo ſcribi & exarari ſolebant, undè *Opiſtographorum* nomen. At *Libri* emendati & mundè ſcripti in tergo ſcribi non conſuevêre, niſi qui nimium longi eſſent & extrà modum traherentur ac menſuram juſtam. Arator,

Si tibi, Magne, velim faſces numerare Parentum,
Vix daret in tergo pagina lecta locum.

Mart. *l.* 8. *Epigr.* 61. cujus Epigraphe de Picente.

Scribit in averſa Picens epigrammata charta,
Et dolet, averſo quòd facit illa Deo, &c.

Nempe *Libri chartacei*, de quibus hactenus, qui in volumina conrotulabantur & paginis ad paginas adglutinatis ad longam ſæpè paginarum ſeriem extendebantur. Aliter *in Libris ex membrana*: Hi enim ex multiplicibus tabellis & foliis conſtruebantur & compingebantur, haud ſecus ac noſtri libri ſolent, qui ex multis conſtant foliis, aliis ſuper alia ſtructis & inter ſe compactis. Mart. *l.* 14. Apoph *Epigr.* 184. cujus Epigraphe *Homerus in membranis.*

Ilias & Priami regnis inimicus Ulyſſes
Multiplici pariter condita pelle latent.

Apud eund. *Ibid. Epigr.* 185. cujus Epigraphe. *Virgilius in membrana*,

Quàm brevis immenſum cepit membrana Maronem,
Ipſius vultus prima tabella gerit.

Ubi *prima tabella*, eſt τὸ πρῶτον πτυχίον, *primum folium.* Quomodo & pugillares componi ſolebant, ex pluribus tabellis, quæ πτυχία Gr. undè δίπτυχα, Lat. *Duplices* &c. Integrum verò corpus membranaceum, multiplici ſic tabellâ ſtructum, *maſſam* vocat idem Mart. Ibid. *Epigr.* 192. cujus Epigraphe Ovidii Metamorphoſis in membranis σωμάτιον, Græci. Atque libri hi, omnia folia ſive tabellas membranaceas, ex utraque parte ſcriptas habebant, & prope ſuccinctéque compacti in non adeò magnam molem aſſurgebant. Compingebantur autem per quaterniones, quos τετράδας Græci & τετράδια vocabant, h. e. *per quaterna folia ſimul juncta.* Epiphan. Ὑπάτιος ὁ τὴν μεταγραφὴν ἀπὸ τῶν χεδαρίων ἐν τετράσι ποιησάμενος, apud Salmaſ. *Not. ad Vopiſc. in Firmo*, ubi plura hanc in rem. Vide quoque *hic* paſſim. *Libripens*, vide *Nexi*, it. *Zygoſtates.*

LIBRORUM Prohibitio, ſacrorum viz. primùm ab Antiocho Epiphane facta legitur, 1. Maccab. *c.* 1. *v.* 59. & 60. Poſt eum à Diocletiano Imp. de quo Euſeb. *l.* 8. *c.* 2. edicto juſſiſſe ait, *ſacros codices flammis abſumi.* Imò *eod. c.* ait, *Sacros divinarum Scripturarum libros in medio foro concremari oculis noſtris vidimus.* Quin & Præſides provinciarum ubique invigilabant, ut a Chriſtianis libri ſacri *traderentur*, eoſque hoc non tantùm urgebant, ſed & tormentis crudeliter cogebant. Unde *Traditores* dicti, quotquot territi atrocitate pœnarum, quos apud ſe habebant, codices traderent. Hunc in libros Hæreticorum, perinde ut in perſonas, ſæviendi morem, ab Ethnicis hauſtum, in Eccleſiam traduxêrunt Chriſtiani Impp. Conſtantinus Mag. Arii *libros* igni tradi juſſit, apud Socratem *Hiſt. Ecl. l.* 1. *c.* 6. idem de Neſtorii libris decrevêrunt Theodoſius & Valentinianus Impp. *L. Damnato.* C. de Hæret. de Eutychis, Valentinianus & Martianus *l. Quicunq.* §. *Nulli* & §. *Omnes* C. de Hæret. Juſtinianus autem in deſcriptores librorum Anthimi, V. Synodo damnati, pœnam amputationis manûs conſtituit. Et id quidem pro legiſlatoria ſua in Imperio poteſtate, in verè Hæreticos. Verùm poſt A. C. 800. Pontifices Rom. uti Imperatorum alia, ſic etiam omne de *libris* judicium, ac eos prohibendi poteſtatem ſibi vindicârunt, unde Indices Expurgatorii enati, de quibus ſuprà dictum. Ab his, in Hiſpania præſertim, Inquiſitoribus in prohibendis libris ingens poteſtas delata, quæ quouſque ſe extendat, optimè diſcimus ex Franc. Pegna *Comm. XXV. in Part.* 2. *Directorii Inquiſitor. Eymerici.* At Senatus Venetus, ſicut in aliis, ita & hoc maximi momenti negotium illorum poteſtati minimè voluit permiſſum, teſte P. Servita *de Inquiſit. Veneta c.* 29. idque, lite propterea Pontificem inter & Senatum obortâ, pacto obtinuit, A. C. 1595. Sed & Phil. II. Hiſp. Rex ipſe, illuſtre vindicatæ Regiæ Maj. documentum exhibuit, Baron. Ann. Eccl. Volum. XI. omnibus ſuis Regnis prohibito: quod repetitum à Phil. III. A. C. 1610. quia id multa contineret contra famam quorundam Arragoniæ Regum, & nominatim contrà Ferdinandum, alioſque majores Regis Siciliæ (qui eſt Rex Hiſpaniæ) tunc Regnum obtinentis. Eouſque enim extenſam hanc poteſtatem voluêrunt Pontifices, ut non tantùm libros de Religione, ſed de quavis alia materia tractantes, prohibere poſſint, Principibuſque poteſtatem contrà adimant, in ſuo territorio nullum librum ab ipſis approbatum, qualiſcunque tandem ſit, prohibendi, uti pluribus docet, præter Pegnam præf. Phil. à Limburch. *Hiſt. Inquiſ. l.* 2. *c.* 16. Quid verò iis, qui in eadem Communione libros prohibitos legunt retinentque fiat, diximus retro, ubi de *Legentibus Libros* hujuſmodi. Vide *&* *infrà.*

LIBROS improbatæ lectionis comburendi mos vetus, indigitatur Lucillio apud Nonium, *Exultare, Quin totum purges* (an *impugnes?*) *debelles me atque deuras.* Nempè qui morem rituſque Majorum evertere videbantur. Quo nomine Protagoræ ſcripta ab Athenienſibus publicâ animadverſione combuſta, Diog. Laërtius aliique tradunt, è quibus Theophraſtus *ad Autol. l.* 3. verba Protagoræ & animadverſionis cauſam notat. Et Antiochum Epiph. libros Judæorum combuſſiſſe, in Hiſtoria Maccabæorum legimus. Apud Rom. quoque cura Magiſtratûs conquirere libros fatidicos & igne comburere: quo modo & libri Magorum ignè aboliti ſunt, *Act. c.* 19. Numæ Commentarii, quòd ſacra recepta convellerent, SC. à Prætore concremati ſunt, apud Plutarch. *Numâ*, Liv. *l.* 13. Suet. *Aug. c.* 31. Alios. Chriſtianorum ſcripta flammis Diocletiani juſſu extincta, apud Arnob. *l.* 4. ab ipſis Chriſtianis Hæreticorum monumenta *ignibus* data, *l.* 6. *&* 8. *de Hæret. l.* 3. *C. de ſum. trin.* &c. quo ipſo ſupplicii genere non paucos Ciceronis libros quoſdam dignos cenſuiſſe, *quòd vetuſtatis ſc. autoritas iis opprimeretur*, idem Arnob. habet *l.* 3. Aut qui alicui infamiam irrogarent: ut apud Scriptores paſſim videre eſt. Quo prætextu Scauri orationes, & Labieni libros incenſos, Seneca refert *Controv. l.* 10. Cremutii Cordi Annales, Tac. *Ann. l.* 4. *c.* 34. Aruleni item Ruſtici & Herennii Senecionis libros; quòd nimiæ libertatis tenaces, & viros ob virtutes dominantibus exoſos, Brutum, Caſſium, Thraſeam, Priſcum Helvidium iis laudâſſent. *Tac. Ann. l.* 12. *c.* 29. Aut qui optimis moribus nocerent; qua de cauſa Archilochi poëtæ libros Lacedæmonii damnârunt, quòd *eorum parùm verecundam ac pudicam lectionem arbitrarentur*, ut loquitur Val. Max. *l.* 6. *c.* 4. &c. Imò *uſitatum in omni Rep. bene conſtituta monumenta improbatæ lectionis comburere*, habes apud Ulpianum *l.* 4. §. 1. *D. fam. herciſc.* Hæc publicè & privatim & *quæ non ſatis lepida* videbantur, *igne dempta*, legas apud Apulejum *Apol.* Vide Joh. à Wower *ad M. Minucii Fel. Octav. Notis v.* 9. & Geverh. Elmenhorſt. *Comm. ad eund. p.* 17. *Obſervationibus* it. *Arnobianis ad l.* 3. *p.* 69. ubi de libris inprimis, qui religionibus derogabant.

LIBS, ventus ab Occaſu brumali flans, adverſùs Vulturnum, ita dictus, quòd à Libya ſpiret, quâ ratione & *Africus* Latinis dicitur. A. Gell. *l.* 2. *c.* 22. Plin. *l.* 2. *c.* 47. vulgò *le Beix.*

LIBUM, opp. Bithyniæ, medium inter Nicomediam & Nicæam, 20. mill. paſſ. *Ant.*

LIBUNCA, H. Coquo *Llanes*, opp. Hiſp. Tarr. ad Narii fluv. oſtium. Aliis Callaicorum Lucenſium opp. nunc *Rivadeo*, urbs Gallæciæ, in limite Aſturiæ, ad oſtia fluv. Navii, juxtà Oceanum Cantabr. 13. leuc. Hiſp. ab Oveto in Occ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LIBURIA, apud Erempertum *Epitom. Guido* —— *in Gariliano caſtra metatur* —— *Is autem approprians ad pontem, qui Theudemundi vocatur, caſtrametatus reſedit aliquandiu, & ablato ex Liburia frumento aliiſque victualibus delatis ad Capuanos* &c. prov. eſt Regni Neapolitani, quæ aliàs *Terra Laboris*, vide *ibi.* & ſuprà in voce *Labor.*

LIBURNA, urbs circà Dalmatiam, Strabo *l.* 7. *p.* 315.

LIBURNÆ Naves, undè dictæ ſunt, vide in voce *Liburnia.* Has *Liburni*, ut ſuprà, qui nauticâ & piraticâ inclaruêrunt, foris ſuebant, Salmaſ. *ad Solin. p.* 264. Illis Romani in mari utebantur, ſicut *luſoriis* in fluminibus: duo enim apud eos fuiſſe genera claſſium, retro diximus. In antiquis ſaxis, quæ *Liburnas* ſculptas exhibent, & ſuprà roſtra tridentia viſuntur, quæ fluctus ſcindunt in infima proræ parte. Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 143.

Convulſum remis, roſtriſque tridentibus æquor.

Suprà illa caput tauri aut porci aut arietis, aut alius cujuſlibet animalis prominens habetur. Pollux. *l.* 1. *c.* 9. ὑπὲρ δὲ τὸ ἔμβολον δελφὶς ἵσταται, ὅταν ἡ ναῦς δελφινοφόρος ᾖ: ubi δελφινοφόρον vocat navem, quæ effigiem *Delphini*, in ea parte ſtantem, pro inſigni habebat; quemadmodum ταυροφόροι & κριοφόροι dicebantur, quæ effigiem *tauri* aut *arietis* habebant. Sic *Pegaſus*, paraſemon Liburnæ fuit, cujus meminit Scholiaſtes Juv. ubi de Trierarcho. Vide iterum Salmaſ. *ad Solin. p.* 570. ut & infrà, in vocibus *Paraſemon* & *Tutela.*

LIBURNIA, Illyridis regio ſuprà intimum Hadriatici ſinûs receſſum ſita, inter Iſtriam & Dalmatiam, à *Liburno* quodam Attico ſic dicta. Steph. Hodiè *Croatia*, Italis *Croacia*, Germ. *Krabaten* & *Krayn*, in ditione Ducum Auſtriæ. Baudr. olim in Illyrica incluſa non fuit, uſque ad tempora Rom. qui eam cum Iſtria, Japidibus & Carnis Illyridi attribuêrunt. Et tunc ſumebatur, vel latè, inter Iſtriam & flum. Titium, nunc *Kerka*; ita ut Japidiam ſecundam, cum Inalpinæ parte, comprehendat: vel *Strictè*, intrà fluv. Titium & Tedanium, nunc *Zermagna*, excluſis Japidibus, ex J. Lucio. Ibi nunc pars maritima Croatiæ, cum parte Dalmatiæ Occ. Urbes claræ olim Jadera & Sidrona. Incolæ *Liburni.* Liv. *l.* 10. *c.* 2. Plin. *l.* 3. *c.* 5. *p.* 269. & 13. Strabo *l.* 6. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 248.

Regna Liburnorum, *& fontem ſuperare Timavi.*

Item *Liburni* viatores dicti ſunt, qui ex agris juſſu magiſtratuum ſæpe vocabant cives, ſic dicti quòd ex Liburnia ferè orti eſſent. Juv. *Sat.* 4. *l.* 1. *v.* 75. *& ſeqq.*

—— *Primus clamante* Liburno,
Currite, jam ſedit, rapta properabat abolla
Pegaſus, attonitæ poſitus modò villicus urbi.

Lucan. *Civ. Bell. l.* 3. *v.* 534. & *l.* 4. *v.* 530. *l.* 8. *v.* 38. Item *Liburna*, ſive *Liburnica*, genus navigii leviſſimi, velociſſimique à *Liburnis* populis ita dicti, Flor. *l.* 2. *c.* 5. qui olim celeribus navibus uſi. Jonium mare, inſulaſque prædabantur. Suet. *Aug. c.* 17. *Calig. c.* 37. Flor. *l.* 3. *c.* 9. Horat. *Carm. l.* 1. *Ode* 37. *ſub calcem & Epod. Ode* 1. *initio.*

Ibis Liburnis *inter alta navium*
Amice propugnacula.

LIBURNIA, urbec. agri Burdegalenſis, ad Duranium, ubi recipit Illam, ex adverſo Franciaci. 5. leuc. à Burdegala in Ort. Petrocorium verſùs. Vulgò *Libourne.* Plin. *l.* 3. *c.* 5. 22. & 26. Strabo *l.* 7. *p.* 315. & 317.

LIBURNICUM Mare, aliter *Dalmaticum*, vulgò *Mare di Dalmatia*, pars eſt maris Hadr. inter Dalmatiam propriam & Iſtriam, ubi plurimæ Inſ. ſub Venetis.

LIBURNICUS ſinus, aliter *Illyricus.* Vide ibi.

LIBURNIDES Inſulæ, ſ. inſulæ oræ Liburniæ adjacentes, in mari Liburnico ſ. Hadriatico, Strab. *l.* 5. *p.* 224. ſunt 60. circiter, ſed aliis omnibus vix ſunt 25. cùm Pharia, Liſſa, & Tragurium, quas quidam inter illas recenſent, ſint in Dalmatia. Liburnides inſulæ præcipuæ ſunt Abſorus, *Oſero*, Curicta, *Vegia*, Arba, *Arbe*, Giſſa, *Pago*, Scardona, *Iſola longa* quibuſdam. Sunt etiam plurimæ aliæ minores, quarum nomina antiqua ignorantur, nempe Michaëlia, *ſaint Michele*, Paſma, *Paſma*, Provexia, *Provexi*, quæ etiam *Incoronata* dicta, Eſoa, *Eſo*, Aſuria, *Aſuri*, Mortara, *Mortero*, Melata, *Melada*, Puntadura, *Puntadura*, S. Baſilii, *de San Baſilio*, Scarda, *Scarda*, Promula, *Promula*, Sylva, *Selva*, & Sanſego, *Sanſego*, cum aliquot aliis minoribus; ſuntque omnes ſub dominio Venetorum.

LIBURNUM, Gall. *Ligourne*, vel *Livourne*, Ital. *Livorno*, urbs recens Tuſciæ, cum portu; egregiè condita & ædium picturis undique exornata, cùm priùs eſſet pagus ignobilis, & paludibus inſalubris. Diu Piſanis ſubjecta, dein Florentinis obnoxia fuit: donec illam Coſmus Mediceus Principatui ſuo junxit in perpetuum. Muris à Franciſco & Ferdinando, Magnis Ducibus, triplicique propugnaculo cincta & munita eſt: Portus ei duplex major apprimè commodus: & minor, dictus *Darſe*, minoribus ſaltem navigiis aptus eſt. Statua ibi ex ære admirabilis Ferdinandi modò memorati, qui quatuor mancipia catenata pedibus premit. Palatium quoque Magni Ducis ſpectatu digniſſimum, ubi exterorum Principum legatos mox excipi: ſedes præfecti ordinaria. Armamemtariis tandem, & commerciorum frequentiâ, inter mundi clariſſimas eſt. Du Val, *voyage d'Ital.* Sanſon. *Geogr.*

LIBURNUM, vehiculi, ſive lecticæ genus fuit, ad Liburnicæ navis ſimilitudinem factum, quo principes Rom. vehi ſolebant adeò molliter, ut interim vel dormire intus poſſent, vel legere, vel ſcribere, aut aliud quidvis commodè agere. Juv. *Sat* 3. *l.* 1. *v.* 239.

—— *Turbâ cedente vehetur*
Dives, & ingenti curret ſuper ora Liburno.

LIBURNUM Mare, idem quod Tyrrhenum & inferum, apud *Cic.*

LIBURNUS, inter Gentium idola, memoratur Arnob. *adv. Gentes l.* 4. *Quis Libentinam, quis* Liburnum, *libidinum ſupereſſe tutelis* (credat) *quas jubet ſapientia fugere* &c. ubi *Liburnam* alii, Deamque faciunt.

LIBURNUS, Campaniæ mons. Polyb. Item portus Tuſcorum. Ptol. 13. mill. paſſ. à Piſis, cum opp. *Livorno.* Vide *Ligurnus.*

LIBYA, filia Epaphi ex Caſſiopea, à qua Libya tertia pars orbis nomen accepit, quam nos Africam dicimus. Ab Aſia, Nilo flum. ab Europa, mari mediterraneo dirempta. Cùm propriè ſumitur, Africæ partem ſignificat, dividiturque in Exteriorem, quæ ſupra Ægyptum, Auſtrum verſùs, juxta ſiniſtram Nili ripam, uſque ad Æthiopiam ſe extendit, ubi hodie deſertum *Elſocat* & *Gaoga*: ſ. ut alii, inter Ægyptum & Marmaricam, juxtà oram maris Mediter. & Interiorem, quæ ab Attabe monte uſque ad Nigrum fluv. pertingit, ubi horribile deſertum Zaara: & propriè dicta Libya eſt. Marmolius *Beled Geneva* vocat. Aliàs etiam dividitur Libya, in Libyam ſtrictè dictam, Marmaricam & Cyrenaicam, regnum & deſertum Barcanum. Adi Strab. *l.* 17. *p.* 824. Plin. *l.* 5. *c.* 6. Ptol. Marmol. Joh. Leon. Joh. Barrium, Cluv. Munſter. &c. Herod. *l.* 4. *c.* 41. 45. & *l.* 70. *c.* 80. Saluſt. *Bell. Jugurth. c.* 18. Vide quoque *Africa*, & *Zaara.* Doctiſſimus Bochart. deducit ab Arabico *lub*, quod eſt *ſitis.* Eſt enim Libya ſitis regio, teſtante Dionyſio *v.* 182.

Ἡ γὰρ διψηρά τε καὶ αὐχμήεσσα τέτυκται.

Quin & Oppian. Κυν. δ. διψάδα γαῖαν vocat, & alibi ἀνυδρότατον χῶρον, & rurſus πολυδίψιον αἶαν. Inde Lucan. *Civ. Bell. l.* 1. *v.* 206. & 255. alibi

—— *Per calidas* Libyæ *ſitientis arenas.*

Idem *l.* 2. *v.* 164. 417. & *l.* 3. *v.* 70. 294. *l.* 4. *v.* 582. 611. 613. *l.* 6. *v.* 788. 817. *l.* 7. *v.* 223. 711. *l.* 9. *v.* 44. 119. 386. 410. 411. 415. 420. 450. 547. 666. 690. 753. 943. *l.* 10. *v.* 38. 79. Et Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 339. *Æn. l.* 1. *v.* 381. 388. 560. & *l.* 4. *v.* 42.

Hinc deſerta ſiti regio. ——

Inde *Libys* homo, & *Libyſſa* mulier, & *Libyſis.* Unde Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 37. & *l.* 8. *v.* 36.

—— *Et pelle* Libyſtidis *urſæ.*

Inde *Libycus*, ut *mare Libycum.* Inde etiam *Libyſticus*, *Libyſtinus*, & *Libyſtæus.* Steph. Nic. Lloyd. Curt. *l.* 4. *c.* 7. Tac. *Ann. l.* 2. *c.* 60. *Hiſt. l.* 5. *c.* 2. Horat. *Carm. l.* 2. *Ode* 2. *v.* 10. Athen. *l.* 15. *p.* 677.

LIBYA, paulò ſtrictiùs ſumpta erat pars Africæ intra Æthiopiam ad Ort. & mare Atlant. ad Occ. fuitque tum *Citerior ſ. Exterior*, magis ad Bor. ubi nunc Bilegulderid, regna Fezzæ & Marocci, Barbaria latè ſumpta, cum Ægypto; tum *Ulterior ſ. Interior*, in Mer. versùs Nigrum fluv. ubi nunc deſertum, regio Nigritarum & Guineæ, inter Nubiam reg. ad Ort. & Oceanum Atlant. ad Occ.

LIBYA Deſerta, nunc *Zaara* ſ. deſertum, pars Libyæ ulter. Ab Ortu in Occ. extenditur, in 7. partes ſ. deſerta, diviſa: Nempe Zanhaga, Zuenziga, & Targa ad Occ. Lempta, Berdoa, Garga, & Bornum, ad Ort. Hîc vix aliquot urbes, ob aquæ inopiam: Athanaſius tertium exilium ibidem pertulit. Circà A. C. 350. *Libyca fera*, in hominem verſipellem: apud Diog. *Avis*, in prægrandem, Suid. ſed timidiorem, Ariſtoph. qualis Cameloſtruthio, Libyca avis. Lucan. *Civ. Bell. l.* 4. *v.* 809.

LIBYA propria, regio Africæ Bor. inter Ægyptum ad Ort. mare Med. ad Bor. Syrtim maj. & Tripolitanam regionem ad Occ. & Æthiopiam atque Garamantes ad Mer. Ejus partes fuêre tres, nempe Libya ſtrictè ſumpta, Marmarica & Cyrenaica, ubi nunc regnum Barcæ ad Bor. deſertum Barcæ ſ. Libyæ ad Auſtr. Sub Turcis pro parte. Plin. *l.* 5. *c.* 8. P. Mela *l.* 1. *c.* 4.

LIBYCA, dicuntur duo modica oſtia Rhodani, in Gall. Narbon. Ex his alterum Hiſpanienſe, alterum Metapinum, tertium autem idemque ampliſſimum Maſſalioticum dicitur, Plin. *l.* 3. *c.* 4.

LIBYCA Julia, vide *Julia.*

LIBYCA Fera, apud Flav. Vopiſc. *in Aurel. Præceſſêrunt elephanti viginti, feræ manſuetæ Libycæ*, Lucan. *Civ. Bell. l.* 6. *v.* 207. *Palæſtinæ diverſæ ducentæ* &c. leones ſunt manſueti & leopardi; hi enim *Libycarum ferarum* nomine fere apud Vett. cenſebantur. Imo ſoli leopardi interdum illo nomine veniebant; quos *Africanas* ſimpliciter vocat Plin. *l.* 8. *c.* 17. *de Pantheris.* Sic apud Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 37.

—— *in pelle* Libyſtidis *urſæ*:

Ubi Serv. *aut revera urſa*, inquit, *aut fera Africana*; pardum aut pantheram intelligens, non *leonem*, ut putabat. Inde *Libycæ pelles* pretioſæ, pantherarum nempe aut pardorum, quas ſola macularum varietas commendabat. Heſych. Λιβυκὸν δέρμα, ὡς κάλλιστον, *Libyca pellis, ut pulcherrima.* Idem Λιβυκὸν θηρίον exponit ποικιλόμορφον, h. e. *maculis varium*, quod ſolis pardis pantheriſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

theriſque competit &c. Salmaſ. *ad l. c.* At *Libycum* Lignum ſ. Θύον, idem cum citro, vide *eund. ad Solin. p.* 953. & ſuprà, ubi de *Citro*. Apud Plin. *Libys puer tenens tabellam, & mala ferens nudus* ex ære, inter Leontii opera, quæ Olympiæ olim viſa, memoratur *l.* 34. *c.* 8. *Libyſſa* verò *Sibylla*, an Debora fuerit? vide Tob. Pfanner. *Syſtem Theologiæ Gent. c.* 1. §. 4.

LIBYCI, pop. Italiæ Tranſpad. quorum urbs Vercellæ, ad Seſſiten fluv. Plin. Vide ibi. *l.* 3. *c.* 16. & 17.

LIBYCUM Mare, quod Cyrenaicam alluit. Ptol. *Mare di Barcha.* Plin. præf. *l.* 5. Strabo *l.* 2. *p.* 122. 123. & *l.* 10. *p.* 475. P. Mela *l.* 1. *c.* 4.

LIBYPHOENICES Liv. *l.* 31. *c* 21. ubi nunc regnum Tunetanum. Vide Salluſt. *de Bello Jugurthino.* Vide & *Libophœnices.* Plin. *l.* 5. *c.* 4.

LIBYSSA, Bithyniæ fluv. Appian. Alex. Item urbs ejuſdem, Ptol. Hannibalis interitu & ſepulcro nota, inter Nicomediam & Chalcedonem, inde 25. hinc 36. mill. paſſ. Vulgò *Polmen.* Aliis *Gebiſe*, vel *Lebiſe.* Steph. eſt caſtellum Bithyniæ maritimum. Plin. *l.* 5. *c.* 32.

LIBYSSUS, locus urb. Romæ, qui deinde Argæus, poſteà vicus Tuſcus dictus fuit. *Fab. Pictor.*

LIBYSTINI, pop. Colchis vicini. Steph. *Libyſtinus* autem dictus eſt Apollo ab his, qui Pachynum Siciliæ prom. incolebant, eò quòd immiſſâ Libycis, h. e. hoſtibus Carthaginenſibus peſte, penè cuncti ſubitâ morte perierint.

LICATII, Vindeliciæ pop. Ptol. Strab. *l.* 4. *p.* 206. Plin. *l.* 3. *c.* 20. *Licates. Lechrainer* hodiè Schudo & Aventino, quos petulantiſſimos Vindelicorum vocant.

LICENTIA, terminus Academicus: à quo *Licentiati* dicuntur vulgò, qui Annis 4. in LL. ſtudio conſumptis, ab illa præſcripta & definitâ Studiorum Lege, quam Juſtinianus ſtatuit, abſolvuntur: quaſi qui *licentiam* ac miſſionem à magiſtrorum caſtris impetrârunt. Vide infrà, in voce *Prolyta*, & plura hanc in rem apud Hottomann. JC. clariſſimum. Eodem modo vocatui facultas data Doctoribus ſ. Profeſſoribus profitendi publicè, apud Marſil. Patavin. *in Defenſore Pacis Parte* 2. *c.* 11. Sed & in Sorbona Pariſienſi ſic appellatur biennium illud, quo Theologiæ Baccalaurei, poſt rigidum examen, admiſſi, ſpecimina eruditionis ſuæ edunt, antequam Doctoratûs axioma conſequantur, P. Richelietus *Dict. Gall.* At apud Longobardos, *Mala licentia* olim dicta eſt, facultas peccandi uxori à marito indulta. *LL.* Luithprandi Regis *tit.* 101. *De mala licentia mulieri data.* Mox, *Si quis conjugi ſuæ* malam licentiam *dando dicat. Quia vade & concumbe cum tali homine* &c. Adde L. Longobardorum *l.* 1. *tit.* 26. §. 6. Nam cùm adulterio uxoris matrimonium ſolveretur, interdum qui uxores dimittendi quærebant occaſionem, eas adulterium perpetrandum impellebant: quo ſtatim probato, ab iis divellebantur. Sed prohibitum id *Capitular.* Ann. 757. *c.* 1. & *l.* 5. *Capitul. c.* 21. ubi illi, cujus uxor adulterio ſe polluit, aliam uxorem ducendi facultas conceditur hac conditione in *Cod.* Thuanæo addita, apud C. du Freſne in *Gloſſ. Si abſque ejus conſcientia factum fuerit illud adulterium, & ſi ab ea abſtinuit, poſtquam reſcivit, nam cum illa reconciliari* (non) *poteſt.* De duplici modo faciendi aliquid *licentiam* in Monaſteriis, ab Abbate, petendi, *verbo* vel *ſigno*, vide eund. *ibid.*

LICENTIUS, Hipponenſis Poëta, tempore Auguſtini. Scripſit Hymnos, de Pyramo & Thisbe, &c. Auguſt. *in quæſt. Acad.* Poſſidon. *in vita Auguſtini*, *Paulin.* &c.

LICERIUM, vulgò *S. Licer*, urbs Aquitaniæ, in Conſeranls, aliter *Fanum S. Licerii*, Epiſcopal. ſub Archiep. Auxitano, Caput Conſeranorum, ad amnem Salatum. 5. leuc. à Lugduno Convenarum in Ort. 7. ab Apamæa in Occ.

LICESTRIA, quæ & *Legeceſtria*, & *Leogora*, quibuſdam urbs Angliæ, ad Sturam amnem, vulgò *Leiceſter*, 13. mill. Angl. à Nottinghamia in Auſtr. 13. à Conventria in Eur. Caput Comit. cogn. *Leiceſtershire*, ubi Coritani olim ex parte fuêre. Habet ille à Sept. Nottinghamiæ Com. ab Ortu Lincolniam, ab Occ. Staffordiam, à Mer. Northantoniam.

LICETUS Petrus, vide *Petrus.*

LICHA, locus Germ. ſup. in Com. Solmenſi, ſub proprio Comite ex hac Fam. Cùm enim Otho, comunis Pater omnium hodiernorum Comitum, in illuſtri hac fam. Deceſſiſſet, A. C. 1409. major ejus fil. Bernardus, Braunfelſinam lineam ex ſe dedit, quæ iterum in tres ramos ſubdiviſa: ab altero Joh. *Lichenſis* & Laubachia linea deſcendunt; quarum illa iterum in *Lichenſem* & *Hohenſolmenſem* ſubdiſtincta. Vide Phil. Jac. Spener. ubi ſuprà *Parte* 2. *p.* 28. & *Parte* 3. *p.* 34.

LICHA, civ. videtur circà Lyciam. Thucyd. *l.* 8. *p.* 576.

LICHADES, vide LICHAS. Strabo *l.* 1. *p.* 60.

LICHÆ, aræ & columnæ in Æthiopia ſub Ægypto.

LICHAS, puer Herculis, per quem Dejanira viro ſuo in Oeta monte ſacrificaturo, veſtem miſit ſanguine Neſſi Centauri infectam; quam cùm ille induiſſet, ſerpente jam per corpus veneno, doloris magnitudine in furorem verſûs, Lichan pernicioſi muneris latorem capillis arripuit, & in ſubjectum mare præcipitavit, quem poëtæ fabulantur in ſaxum ſui nominis fuiſſe mutatum, quod à nautis in mare Euboico oſtenditur. Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 214. & 227. *& ſeqq.*

> *Nunc quoque in Euboico ſcopulus brevis eminet altè*
> *Gurgite, & humana ſervat veſtigia formæ:*
> *Quem, quaſi ſenſurum, nautæ calcare verentur,*
> *Appellantque* Lychan. ————

Inde *Lichades* 3. inſ. in mari Euboico. Strabo *l.* 9. *p.* 426. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

LICHENI, Arab. Fel. Pop. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

LICHETUS Franciſcus, vide *Franciſcus.*

LICHFELDIA, urbs Staffordiæ, Epiſcopal. ſub Archiep. Cantuarienſi. 24. mill. Angl. à Liceſtria, in Occ. 10. à Staffordia in Afric. 25. à Vigornia in Bor. deficit indies; *Lisfelde*, vulgò Camd. *Deſcr. Britan.*

LICHI, nomen ſuaviſſimi apud Sinenſes fructûs, qui in variis ejus Imperii provinciis, magnâ copiâ creſcens, circa *Hinghoa* cenſetur optimus, & per diſpoſitos hoc fine curſores in Regiam mittitur adhuc recens. Naſcitur in magnis proceriſque arboribus, quarum folia lauri imitantur, è ramorum ſummitatib. racemi prodeunt, in quibus ut in uvis fructus eſt ſed rarior ac longioribus pedunculis dependent: fructûs figura omnino corculum refert, magnitudine nucem æquat juglandem, parvum ſtrobulum ſ. nucem pineam repræſentans, ſquamoſo ſed non adeò craſſo cortice; quippe qui ad membranæ tantum craſſitiem accedens, vel ſolâ manu facile detrahitur. Intus ſucculentus eſt nucleus, albi coloris, ſaporis ac odoris roſacei ſuaviſſimi. Cùm maturuit fructus, purpurei eſt coloris, videnturque ipſæ arbores purpureis circumquaque quaſi cordibus ornatæ, amœniſſimo aſpectu aſtantium oculis arridere. Os ſ. calculum caro intus ambit ac circumdat, qui, quò mole minor eſt, eò cenſetur fructus mollior ac præſtantior. *Regem fructuum* meritò dixeris, qui, quaſi eſui & ſpectantium voluptati natus tantum eſſet, ita delectat, ut nunquam ſatiet: Nucleo, ad inſtar tragematis cujuſdam roſacei congelati, ut vulgò vocant, liqueſcente in ore. Autor. Anon. *Sina & Eur. c.* 36.

LICHINDUS, urbs Siciliæ. *Steph.*

LICHOS, Phœniciæ fluv.

LICIÆ, apud Godefrid. Mon. S. Pantaleonis A. C. 1219. Jac. de Vitriaco *in Hiſt. Orient. Ann. eod.* Vincentium Bellovac. *l.* 32. *c.* 99. Matth. Pariſ. *p.* 211. & 213. Alios recentioris ævi Scriptores; Λίσσαι, apud Scylitzam *p.* 381. *Lices*, Gallis: caſtrorum ſunt urbiumque repagula; à *liciis* ſ. ſtaminibus vel funiculis dicta, quòd ea ex funibus primùm conficerentur, vel quòd ſtaminum inſtar junctim erigantur. C. du Freſne *in Gloſſ.*

LICINIUS Imbrex, vet. Comœdiarum ſcriptor, citatur A. Gell. *l.* 13. *c.* 22. ubi ex fabula ejus *Neæra* hos verſûs adducit:

> *Nolo ego Nearam te vocent, ſed Nerienem,*
> *Quum quidem Marti es in connubium data.*

Et Feſtus quidem, *Imbrex*, inquit, *nomen eſt cujuſdam Comici*, atque in voce *Obſtipum*, hujus verſus ex illo meminit,

> *Reſupina obſtito capitulo ſibi ventum facere tuniculâ.*

Voſſ. *de Poët. Lat.* dubitat, nùm hic idem ſit cum *Licinio* Tegula, qui floruit A. U. C. 554. quo carmen ſcripſit à ter novenis Virginibus decantandum, ut teſtatur Liv. *l.* 21. *c.* 18. cùm Imbrex ſit incurvum genus tegulæ. Undè Plaut. *Mil. Glor. Act* 2. *Sc.* 6. *v.* 24.

> *Quòd meas confregiſti* imbrices *& tegulas:*

Vide Cic. *de Fin. l.* 1. & *l. de Divin.* ut & in voce *Licinius Tegula.*

LICINIA Lex, apud Rom. multiplex fuit: *de agris poſſidendis: de ſeptem jugeris viritim dividendis: de fœnore: de ſodalitiis: de Tribunorum comitiis: de triginta aſſibus, edendi cauſâ, conſumendis, in dies ſingulos Cal. Nonis & Nundinis Romanis.* Sic *Licinia* Æbuſia lex, *de legum latoribus. Licinia* Caſſia, *de creatione Tribunorum mil. Licinia* Mucia lex, *de peregrinis*, ſonuit. Vide Thom. Dempſter. ad Joh. Roſin *Antiqq. Rom. paſſim.* Liv. *l.* 36. *c.* 4. *l.* 7. *c.* 21. 22. 25. *l.* 8. *c.* 16. & *l.* 10. *c.* 7.

LICINIACUM caſtrum Galliæ, in Pictavenſi agro, vulgò *Lezignen*, vel *Luſignan*: Unde nobili fam. quæ olim in Cypro regnavit, nomen. Item vicus in pago Brigenſi, non procul à Braja Comitis Roberti, in diœc. Pariſiaca; vulgò *Leſigny en Brie.* Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LICINIANA, opp. Portugalliæ, in conf. Extremaduræ; Norbæ Cæſareæ finitimum. Ptol. *Luzen* vulgò.

LICINIANUS, Poëta Martiali æqualis, & vicinus. Bilbili ſimiliter oriundus: vide hunc *l.* 1. *Epigr.* 50. cujus Epigraphe ad Licianum de Hiſp. locis *v.* 3

> *Videbis altam* Liciane *Bilbilim.*
> *Equis & armis nobilem.*

Imperatores Rom.

LICINIUS Cajus Valerius Licinianus, ex ruſtico Daco genitus, bello fortis & felix, per omnes militiæ gradus ad culmen pervenit, Cæſar proclamatus à Galerio Maximino, A. C. 307. & in Pannonia Anno pòſt ab Exercitu Imp. dictus. Diſciplinæ rigidus vindex, ſed avaritiâ & luxu infamis. Literarum acer hoſtis, Philoſophorum non paucos neci dedit. Conſtantini Imp. cujus ſororem Conſtantiam duxerat, iram veritus, edictis in Eccl. favorem promulgatis ſubſcripſit, at paulò pòſt utrique bellum indixit, pulſis è fam. ſua, & occiſis plurimis Chriſtianis. Epiſcoporum commercium cum Gentilibus, catecheſin feminarum cœtus ſacros prohibuit, acerrimè in fideles deſæviens. Quâ perſecutione motus Conſtantinus, bis prælio victum Licinium, in Hungaria & Thracia, hac cum Oriente Ægyptoque contentum eſſe juſſit: Iterum arma capientem terraque marique denuo ſuperavit, illius claſſe tempeſtate merſâ. Obſeſſus poſt novam cladem, Nicomediæ, uxoris interceſſione pacem impetravit, ſed eâ lege, ut Imperio cederet: tandem, cùm novos motus machinare-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

naretur; ſtrangulatus eſt, A.C. 325. Æt. 60. Imp. 14. Socr. l. 1. Eutrop. l. 10. Euſ. *in Chr. Hiſt. & vita Conſtant.* Zoſim. l. 2. Cedren. *in Ann.* Cod. Theod. *de infirm. his, quæ ſub tyranno geſta ſunt.*

LICINIUS Flavius Valerius Licinianus, Junior, fil. prioris Cæſar à Patre factus, A. C. 317. An. pòſt Obiit Æt. 14. An quòd ſeceſſionem moliretur, an Fauſtæ artibus, quæ unà Criſpum ſuſtulit. Idacius, *in Faſt. Chron. Alexandr.* &c.

LICINIUS, vel LICINIANUS Cajus Julius Valens, Imp. tempore Decii proclamatus, ſed brevis imperii. Victor *in Decio.*

Viri Illuſtres.

LICINIUS, Procurator Galliæ, qui, referente Dione *l.* 54. eo malitiæ pervenerat, ut quoniam ſingulis menſibus tributum erat Gallis pendendum, quatuordecim definiret Anni menſes.

LICINIUS, vide LICINUS.

LICINIUS Cæcina, Marcelli Eprii laceſſitor, ut novus adhuc & in Senatum nuper adſcitus magnis inimicitiis inclareſceret. Tac. *Hiſt. l.* 2. *c.* 53.

C. LICINIUS Calvus, Orator celebris, tempore Cic. fil. *Licinii* Macri. Vide infrà. Quem perorantem interrumpens Vatinius, *rogo vos, Judices,* inquit, *num ſi iſte diſertus eſt, ideo me damnari oportet?* Vide & Catull. *Carm.* 14. Obiit juvenis admodum: Autor Epigrammatis contra Pompejum:

Magnus, quem metuunt omnes, digito caput uno
Scalpit. Quid credas hunc ſibi velle Virum?

An. & Ann. autor; Dion. Halic. *l.* 2. 4. 5 *&c.* A. Gell. *l.* 19. *c.* 9. Liv. *l.* 5. *c.* 12. *l.* 7. *c.* 37. Cic. Fabius, Horat. Voſſ. *de Rhet. nat. c.* 14. *Inſt. Or. l.* 4. *de poët. Lat. c.* 1. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 10. Vide & *Calvus.* Item Coſ. A. U. C. 390. cum C. Sulpitio Pætico. Nic. Lloyd. Vide & *Publius* Plin. *l.* 7. *c.* 49. Liv. *l.* 7. *c.* 9.

LICINIUS Craſſus, vide *Cajus*, it. *Lucius*, & *Publius* Plin. *l.* 13. *c.* 4. *l.* 14. *c.* 15.

P. LICINIUS Craſſus, Pontifex, A. U. C. 554. Item alius Coſ. cum L. Æmilio Paulo A. U. C. 586. Plin. *l.* 7. *c.* 4. Suet. *Ner. Claud. c.* 2.

M. LICINIUS Craſſus Coſ. A. U. C. 684. & 699. cum Pompejo. Vide & *Marcus.*

M. LICINIUS Craſſus Mutianus, ter Coſ. ſub Nerone, Galba & Veſpaſiano: Autor Hiſtoriæ alicujus. Tac. *Ann. l.* 15. *c.* 33. Suet. *Flav. Veſp c.* 6. & 13. Plin. Xiphilin. Zonar. &c. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat l.* 27.

LICINIUS Damaſippus, vide *Damaſippus.*

LICINIUS Gabolus, prætura functus, ab Agrippina everſus; poſt cædem verò ejus ordini redditus. Tac. *Ann. l.* 14. *c.* 12.

L. LICINIUS Geta, Coſ. cum Q. Fabio Max. Serviliano, A. U. C. 638.

LICINIUS Geta, vide *Cajus.*

L. LICINIUS Lucullus, Coſ. cum M. Aur. Cotta. A. U. C. 680. Vide & *Lucius*, it. *Marcus.*

LICINIUS Macer, egregius ſui Sec. poëta, pater C. Lic. Calvi, de quo ſuprà.

LICINIUS Macer, linteorum librorum inventor. Liv. *l.* 4. *c.* 7. 20. & *l.* 7. *c.* 9. 23.

LICINIUS Menenius, Trib. Mil. A. U. C. 307. Idem *l.* 6. *c.* 27.

LICINIUS Mucianus, ter Coſ. à Claudio Lyciæ præpoſitus, cùm opes attriviſſet: à Nerone Syriam cum quatuor legionibus obtinuit, A. C. 66. Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 10. & *l.* 2. *c.* 5. luxuriâ, induſtriâ, comitate, arrogantiâ molis boniſque artibus mixtus.

L. LICINIUS Muræna, Coſ. cum D. Junio Silano, A. U. C. 692.

L. Portius LICINIUS, Coſ. cum P. Claudio Pulchro A. U. C. 570. Vide & *Porcius.*

LICINIUS Proculus, ex intimis familiaribus Othonis, poſt cædem Galbæ à militibus alter Prætorii præfectus conſtitutus. Tac. *Hiſt. l.* 4. *c.* 6. Poſt cladem ad Bedriacum à Vitellio in gratiam receptus. Idem *Ibid. l.* 2. *c.* 60.

LICINIUS Stolo, Trib. Plebis cum L. Sextio, primus è plebe factus, poſtquam ſolitudo magiſtratuum tenuit civitatem quinquennio, legem tulit, ne quis plus quàm quinquaginta agri jugera poſſideret, quâ lege ipſe damnatus eſt. Liv. *l.* 6. *c.* 34. 35. 39. 42. & *l.* 7. *c.* 2. & 16.

LICINIUS Stolo Calvinus, vide *Cajus.*

LICINIUS Sura 2. Coſ. cum Soſſio Senecione A. U. C. 854. bonitate Trajani victus.

P. LICINIUS Tegula, Comicus Lat. floruit A. U. C. 554. circa tempus, quo contra Phil. Macedonem bellum Romani parabant. Hunc odam tribus Conſtantem ſtrophis compoſuiſſe, quæ à novem puellis per urbem cantata, refert Liv. Glandorpio idem eſt cum *Licinio Imbrice*, cujus A. Gell. meminit: Et Plauto. *Mil. Glor. Act.* 2. *Sc.* 6. *v.* 24. *Moſtell. Act.* 1. *Sc.* 2. *v.* 28. certè; *quòd meas confregiſti imbrices & tegulas* dicens, duas hac voces pro ſynonymis habet. Sed parum firma hæc conjectura, cùm prior Publii, poſterior Caii prænomen habuerit. Quidquid horum ſit, Volcatius Sedigitius, Gellio laudatus; *Licinio* Imbrici, quartum inter poëtas Comicos locum aſſignat: A. Gell. *l.* 15. *c.* 24.

Si erit, quod quarto detur, dabitur Licinio.

Liv. *l.* 31. *c.* 12. Lil. Girald. *dial.* 8. *poët.* Glandorp. *in Onomaſt.* &c. *Nic. Lloyd.*

C. LICINIUS Varus, Coſ. cum P. Corn. Lentulo, A.U. C. 518. Vide & *Cajus.*

LICINUS, ſ. LICINIUS inter divitum exempla Juv. *Sat.* 1. *l.* 1. *v.* 109.

——— *ego poſſideo plus*
Pallante & Licinis ———

ex Germ. puer captus, tantæ induſtriæ fuit, ut reliquias ciborum inter conſervos fœneraret & cui quid crediſſet, quaſi poterat, chirographo pugillaribus ſubnotaret: quos cùm in expeditione quadam tranſiturus flumen in veſtimentis recondidiſſet, C. Julio Cæſari quondam deneganti, ei pugillaribus quicquam annotatum, barbarus lugens eos obtulit. Statim ad diſpenſationem admiſſus, non multò pòſt manumiſſus eſt, dein curationi Galliarum ab Auguſto præpoſitus eas ſpoliavit: & cum flagraret invidiâ, baſilicam ſub nomine C. Julii Cæſaris dedicavit. Deceſſit ſub Tiberio, proinde divos, quod Caſſii opes etiam exhauſiſſet; & dictus eſt habuiſſe nummos, quantum milvi volant. Unde Perſius *Sat.* 2. *v.* 37.

——— *Spem macram ſupplice voto.*
Nunc Licini *in campos, nunc Craſſi mittit in ædes.*

Vet. Schol *ad Juv.* Sed præter hunc Cæſaris libertum ac tonſorem, & Licinium Stolonem Craſſum, & P. Licinium cogn. *Divitem*, opibus affluxiſſe, adnotat *Cl. Grav.*

LICITATIONE factâ exhilarandi convivas mos, occurrit apud Suet. *Aug. c.* 75. *Solebat & inæqualiſſimarum rerum ſortes & adverſas tabularum picturas in convivio venditare: incertoque caſu ſpem mercantium vel fruſtari vel explere: ita ut per ſingulos lectos licitatio fieret & ſ. jactura ſ. lucrum communicaretur.* Ubi *ſortes* nonnulli malè confundunt cùm apophoretis, quæ gratis dabantur, non venditabantur, uti hæ ab Aug. Magis affines ſunt illæ ſortes convivales, de quibus ſcribit Lamprid. *Heliogab.* Rei obſcurum veſtigium in Comm. Græcorum. Athen. *l.* 13. *c.* 9. *p.* 607. Εἶθ' ὕστερον πωλουμένης τῆς αὐλητρίδος (καθάπερ ἔθος ἐστὶν ἐν τοῖς πότοις γίνεσθαι,) ἐν τῷ ἀγοράζειν πάνυ (νεανικὸς) ἦν, καὶ τῷ πωλοῦντι ἄλλῳ τινὶ θᾶττον (πραθέντος) ἠμφισβήτει καὶ οὐκ ἔφη αὐτὸν πεπρακέναι, καὶ τέλος εἰς πυγμὰς ἦλθεν ὁ σκληρὸς ἐκεῖνος φιλόσοφος. Vide Caſaub. *ad Suet. d. l.* ut & infrà voce *Multa*, ſicut de more elato digito *licendi* in voce *Sector.*

LICIUM, civ. & prov. Italiæ in Regno Neapolit. quæ vulgò *Lecce* dicitur. Anon. Mon. Caſin. *in Chron.* A. C. 1190. *Tancredus Comes* Licii, *qui apud Trojam cum quibuſdam aliis juraverat fidelitatem Conſtantiæ uxori Henr. Regis Teutonicorum*, apud Dom. Macrum *in Hierol.* Vide in voce *Aletium.*

LICIUM, ſubtemen, tela, ſtamen quomodo diſtinguantur, docet locus Hier. *l.* 1. *Ep.* 15. *Itaque ſubtemen & ſtamina,* liciaque *& telas, quæ mihi ad veſtram tunicam paraveram, vobis inconfectas tranſmiſi; ut, quidquid mihi deeſt, veſtro texatur eloquio.* Nempe *Licia* propiè ſunt *ligamenta ſtamini continendo*, ut inquit Iſid. *Orig. l.* 19. *c.* 29. ſ. quibus ſtamina ligantur. Hinc apud Petron. Arb. *in Satyr. Edit. Gonſali. l.* 1. *de Salas p.* 75. *Edit. Boſch. c.* 91. *Illa de ſinu* licium *protulit varii coloris filis intortum, cervicemque vinxit meam.* Paſchal. *licium* interpretatur, non quidem filum làneum, ſed ſtamen filis intertextum, obligando aptum. Namque ſic alibi idem: *Simulque pannum de carnario detulit furcâ, in quo faba erat ad uſum repoſita ——— ut ſolvit ergo* licio *pannum, partem leguminis ſuper menſam effudit.* Ubi *licio* eſt, quâ parte erat licium ſ. funiculus, quo pannus vinciebatur. Non tamen à *ligando* dicitur, cùm primam habeat productam. Virg. *Ecl.* 8. *v.* 73.

Terna tibi hæc primùm triplici diverſa colore
Licia *circundo* ———

Idem *Æn. l.* 12. *v.* 375.

——— *rumpitque infixa bilicem*
Loricam, & ſummum deguſtat vulnere corpus.

At *lino* mavult Martinius deducere, ut *licium* ſit quaſi *linium.* Indè latiùs extenſa vox ad filum quodcunque denotandum: ut ex priore Virg. loco liquet. Sic Stat. *Theb. l.* 8. *v.* 382.

——— *Furia rapuêrunt* licia *Parcis.*

Græcè μίτος, undè opus πολύμιτον, de quo vide infrà, ubi de opere *Plumario*, ut & in voce *Polymitum.* Sicut *de Furto per lancem & licium concepto* ſuprà deque habentibus caput licio laneo cinctum, quam in Sacris Romanorum infrà in voce *Velata.* Hinc *Licia*, vocem paulò antè vidimus.

LICORNUS, mons Arcadiæ, apud Lutatium *ad Stat. Theb. l.* 1. *v.* 356. quem etiam agnoſcit *Licornis*, nomine Boccatius. *Lyceum* verò appellat Plin. *l.* 4. *c.* 6. de quo vide Barth. *Animadv. ad Stat. loc. cit.*

LICNENI, Corſicæ inſ. pop. Ptol. Horum tractus *Val di Nicolo, Leandro.*

LICOSTOMA, vicus Bavariæ, vulgò *Lekhuſe*, in ipſo limite Sueviæ, 1. leuc. infrà Verdam in Occ. 6. infra Auguſtam in Bor. Aliàs munitum.

LICTOR, dictus à *ligando*, juxtà illud, *Lictor colligat manus:* vel à *ligandis faſcibus*, ut vult Feſtus; vel à *limo* ſ. *licio*, licio enim tranſverſo, quod *limum* appellabatur, qui magiſtratib. præminiſtrabant, cincti erant. Sed primum placet A. Gellio quem Nonius ſequitur, oſtendit morem antiquum ligandorum, qui caſtigandi eſſent, ex Marco Tullio, cùm ait: *Lictoris proprietatem à ligando dictam vetuſtas putat. Iſti enim antiquitus carnificis officio fungebantur:* nempè antequam carnifices Romæ eſſent. Valgius apud A. Gellium *l.* 12. *c.* 3. *quod quum Magiſtratus P. R. virgis quempiam verberari juſſiſſent, crura ejus & manus ligari vincirique à viatore ſolita ſunt; iſque qui ex collegio viatorum officium ligandi haberet,* Lictor *ſit appellatus.* Gr. Ῥαβδοῦχος, à *virgis*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

virgis quas gerebant. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 7. c. 3. Hi præter celeres, de quibus ſuprà, ſuccinctis veſtibus & expeditis ad plectendos facinoroſos, Regibus primùm inſerviebant, ipſiſque curuli ſella vectis præferebant faſciculos virgarum, intra quas obligata ſecuris erat, ſic ut ferrum in ſummo faſce extaret. Duodecim erant numero, quem Romulus ſumpſit vel e numero avium, quæ augurio ipſi regnum portenderant, vel ex Hetruſcis finitimis, quod ii ex 12. populis communiter creato Regi ſinguli* Lictores *dederint.* Poſteà iidem uſi ſunt Conſules, Prætores, Interreges, Dictatores, & ſi qui alii magiſtratus non poteſtatem ſolum habuêrunt, ſed etiam imperium: quemadmodum viatoribus leguntur uſi, quorum poteſtas potius quam imperium extitit. Eorum munus erat, populum ſummovere, vide infrà *Summoto incedere*; fores percutere, quà intraturus erat Coſ. ſontes virgis cædere & ſecuribus ferire, ut ex Liv. patet, qui eos etiam alicubi *aditûs ſummotores* vocat. Hos in plebe Rom. fuiſſe idem oſtendit, apud quem aliquis ex plebe queritur, 24. *Lictores* apparere Conſulibus & eos ipſos plebis homines. Punico autem bello confecto, qui Magiſtratibus in prov. apparerent, eos ferè Bruttios fuiſſe, unde *Bruttianos* dictos, tradit A. Gell. vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 7. c.* 48. *Porrò* Lictores *ſingulos Curiatis Comitiis, ſingulis Curiis oſticii cauſâ, non autem ut ſuffragia ferrent, adfuiſſe.* Idem docet *l.* 6. *c.* 4. *Iidem laureati triumphalem currum antecedebant*, teſte Plin. *l.* 35. *c.* 18. & Cic. *Philipp.* 1. *Vehebatur in eſſedo Tribunus Pl.* Lictores *laureati antecedebant.* Nec omittendum, Sacerdotibus quoque *Lictorem* & Apparitorem ex lege antiquitus datum fuiſſe: Unde Seneca Pater, *Non ſine cauſa*, inquit, *Sacerdoti Lictor apparet.* His tamen publici tantum Sacerdotes utebantur, cum Veſtalibus, ut Pontifices, Augures, Quindecimviri, Flamines. Quare Liviæ, quum Aug. Sacerdos Senatûſconſulto conſtituta eſt, decretum, ut *Lictore* in ſacrificio uti poſſet, nihil ad veterum ſacrorum rationem facit, quæ ut cætera adulatione depravata fuit. *Lictor* Pontificum in antiquis Inſcr. eſt apparitor. Fragmentum marmoris in via Appia: *Apparitori. Pontificum Parmulario.* Iidem Pontificum *Calatores* dicti. Gloſſ. vett. ἐκδιδακτοὶ ἱερέων, & Comitia calabant, & à Pontificibus ſacra facturis præmittebantur, ut ſic ubi viderent artifices adſidentes, opus eorum prohiberent, ne Deorum attaminarent cerimonias, Gutherius *de vet. Jure Pontiſ. urbis Romæ l.* 20. *c.* 13. Lucernam ſepulcralem, continentem in area ſua Aram, inter duos erectos faſces *Lictoreos*, exhibet Fortunius Licetus *de reconditis Antiq. Lucernis l.* 6. *c.* 103. De diſcrimine *Lictorum* & ſervorum publicorum, vide Tit. Popmam *l. de Operis Servor.* & plura hanc in rem apud Laur. Pignor. *de Servis*, & Salmaſ. *ad Lamprid. in Alex. Sev.* ubi *de Lictorum Proximo*, h. e. primo & principe lictorum, quem Græci Ἀρχιραβδοῦχον vocant: nec non infra *Maſtigophori, Peuſinu, Planetæ, Rhabduchi*; in voce *Suedia*, ubi de *lictoris* filia, uxore Erici II. *Viator.* Apud Papiam, *Lictores* ſunt *Eccl. aſſertores: qui Laici ſunt, & in choro inter Clericos in Miſſa Apoſtolum legunt: vel quod Subdiacones faciunt, & hi faciunt.* Hos Africam vel reliquas regiones habere addit. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.* ubi *de Lictoribus* eum omnino agere ait: De *Lictoria* vero, Decuria Conſulari, in *l.* 1. *Cod. Theod. de Lucr. off. J. Gothofredum.*

LICUS, Fortun. *Lycias* Ptol. *Lech* vulgò, fluv. Vindeliciæ, inter Sueviam ad Occ. & Bavariam ad Ort. per Auguſtam in Danubium fluens, infrà Verdam.

LICYMNIUS, Incendiarius quidam Athenis. Vide Schol. *in Ariſtoph. Aves.*

LIDA, vulgò LIDA, opp. Palatin. Trocenſis, in Lithuania. Ubi arx munita, ad amnem Detam, 10. leuc. Pol. à Wilna in Auſtr. 7. Novogroda in Bor. Cum arce in ſcopulo. Malè habita à Moſchis A. C. 1655.

LIDDA, Gallis *S. George de Lydde*, vide *Lydda.*

LIDDESDALIA, vulgò LIDDISDALE, prov. exigua Scotiæ mer. in ipſo limite Angliæ à Liddalo fluv. dicta, ubi Eremus, caſtrum munitum. Terminatur à Sept. Teviotiâ, ab Occ. Eskiâ, à Mer. & Or. Angliâ.

LIDE, Cariæ mons. Herod. *l.* 1. *c.* 175.

LIDERICUS, creditus quibuſdam primus Flandriæ ſaltuum præfectus, maritus Rotildæ, filiæ Dagoberti I. unde Flandriæ Comites orti. Sed fabulam hanc refellit Miræus *de Com. Flandr.* Vide & S. Marth. *Hiſt. Geneal. Franc.*

LIDERICUS, Galliæ fluv. vulgò *le Loir.* Oritur è ſtagnis Monaſterii Lidi *l'Abbaye du Loir*, in Pertico, & Illeras, Alogiam, Bonamvallem, caſtellum Dunum, Fractamvallem *Freteval*, Vindocinum, Lavarzinum, Montem Aureum, Vallem Liderici; caſtrum Liderici, Luſdum in Andibus, Fliſchiam, Durſtallum præterfluens, in Sartam influit: Sartam autem accipit Meduana ac in Ligerim defert. *Lidericum* augent Tiro *Tiron*, Edera *Yerre*, Braium *Bray* aliique amnes. Alius ab hoc *Ledus* Sidonii, amnis prov. Septimaniæ, Lataram præterlabens: Item Letia *la Lis.* Multi *Lidum* illum appellare malunt. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LIDGATUS Johannes, vide *Johannes.*

LIDKIOPIA, urbec. Weſtrogothiæ, in ora lacûs Weneri, ad fluv. Lidam. 30. mill. paſſ. à Mariæſtadio in Occ. totidem à Falkopia in Bor. uti & 12. à Scara, 45. à Daleburgo in Ort. *Lidkioping* vulgò.

LIEBENAU, nomen fam. olim illuſtris, de qua vide aliquid infrà in voce *Ortenburgum.*

LIEBRIS, urbs Phœnicum. *Steph.*

de LIECHTENAU Conradus, vide *Conradus.*

LIECHTENBERGA, Germ. LIECHTENBERG, caſtrum Germ. ſup. munitum, cum regione adjacente, ſub proprio Comite, ex Fam. Hanoviæ Comitum illuſtri, A. C. 1678. à Gallis captum. Accepit autem *Liechtenbergium* dominium Joh. Erneſtus, ſ. potiùs Phil. Hanoviæ Comes, fil. minor natu Reinhardi, qui Obiit A. C. 1451. frater Reinhardi, qui Hanovicum ramum propagavit; donec extremos ejus palmites, *Hanovicum* Phil. Lud. A. C. 1641. & *Schwartzenfelſicum* Joh. Erneſtus A. C. 1642. terminarent. Phil. hic itaque novæ lineæ ſic autor extitit: cui ex Bipontina tam. Bitichenſis & Ochſenſteinia (non ſine controverſia tamen cum Leiningentibus Weſterburgiis) hæreditas acceſſit, atque demum ipſa agnatorum ſucceſſio. Series eorum ita habet: Phil. Com. Hanoviæ *in Liechtenberg*, Mortuus A. C. 1538. ex Sibylla Badenſi (filia Chriſtophori Marchionis) pater fuit Phil. cogn. *Senioris*, qui Obiit A. C. 1590. relicto ex Eleonora Furſtenbergia (filia Frid. Comitis) fil. Phil. cogn. *Juniore*, Extincto A. C. 1599. Hoc & Margarethâ Bipontinâ (filiâ Jacobi ultimi Com. *in Zweibrucken* & *Bitſch*) genitus Joh. Reinhardus I. qui Deceſſit A. C. 1627. Pater fuit ex Maria Eliſabetha Hohenloica (filia Wolffgangi Com. *de Hohenloë in Langenburg*) Phil. Wolfigangi, Defuncti A. C. 1641. Hic, ex Maria Oetingenſi, (filia Lud. Eberhardi Comitis) ſuſcepit Joh. Reinhardum, fratreſque ejus, Frid. Caſimirum & Joh. Phil. cum Agatha Chriſtina Com. Palatina Rheni: è quibus Joh. Reinhardus ſolus liberos ſuſcepit, Jahannam Magdalenam (nat. A. C. 1660.) Franciſcam Albertinam (nat. A. C. 1663.) Phil. Reinhardum (nat. A. C. 1664.) & Joh. Reinhardum (nat. A. C. 1665.) *Comites Hanoviæ* &c. lineæ *Liechtenbergicæ, in Biſchofsheim*, gentis totius unicam ſpem. Vide ſæpius laudatum Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Parte I. p.* 156. & *in Ind.*

LIECHTENECCIA, Germ. LIECHTENEK, caſtrum Germ. in agro Wirtenbergenſi, ſub proprio olim Comite, ex Fam. vett. Tubingæ Comitum, in qua circa A. C. 1000. memoria Adelberti Com. Palatini Tubingæ celebris fuit. Lineæ fuêre plures, ſed non diuturnæ. Poſtquam verò Gothfridus & Vilhelmus fratres Tubingam vendidêre Wirtenbergicis Comitibus A. C. 1342. rebus accitis ſplendori familiæ non parum deceſſit, quem in dynaſtia *Liechtenek* utcunque tuebantur, donec ultimus marium Conradus Vilhelmus lineam clauſit, A. C. 1630. unicâ filiâ relictâ, Eliſabethâ Bernhardinâ, quæ nata A. C. 1614. nupſit Car. Com. Solmenſi & Neoburg. ad Ænum. Vide iterum Phil. Jac. Spener. *Parte I. p.* 88.

LIECHTENSTENIUM, nomen Principatûs in Germ. ſub proprio Principe: quam Fam. ab Azone, Actiorum gente edito, derivare amant. In Annalibus non infrequens ejus occurrit memoria, inprimis affinitates, ex nobilioribus Auſtriæ Domibus quæſitas, obſervare licet. Progenitores hodierni Principis hi ſunt: Georg. Dn. *Liechtenſtein*, ex Hedvige filia Hartneidi Dn. *de Pottendorf.* Georg. genuit, maritum Agnetis *de Eckards-Aw* & patrem Hartmanni: quo & Johannâ *de Mayenburg* genitus Georg-Hartmannus, ſuſcepit ex Suſanna agnata (filia Georgii Liechtenſtenii & Magdalenæ Polhemiæ) Hartmannum, Defunctum A. C. 1585. Hujus, ex Anna Maria Ortenburgica (filia Car. Com.) fil. Gundaccarus I. principale axioma primùs fam. intulit, & ex Agnete Friſia (filia Ennonis Com. Friſiæ Orientalis) Defuncta A. C. 1616. genuit Hartmannum Principem *de Liechtenſtein*, patrem Gundaccari II. qui ex Eliſabetha Lucretia Duce Teſchinenſi, genuit Ferdinandum Joh. & Mariam *Principes Liechtenſtenii & Duces Troppavienſes.* Idem *Parte I. p.* 51. & *Parte* 3. *p.* 86.

LIECHTSTALLUM, vulgò LIECHSTALL, Germ. quaſi *Lucis vallis*, opp. ſatis elegans agri Baſilienſis, ſupra veterem Rauricam inter Mer. & Occ. uno ferè mill. opportunò loco ſitum, univerſis iſtac per Helvetiam, vel ad Inſubres, vel Allobroges proficiſcentibus obvium: ad Ærgitiam amnem, cujus tractum Arragoviam, ante 7. Secula nuncupatum ſunt qui ſcribant ex Stumpfio. Paruit olim Homburgiis Comitib. a quibus, eadem prorſus ratione, quâ cætera, per Epiſcopos, ad Senatum P. Q. Baſilienſem pervenit. Is è civium hujus opp. numero quotannis Prætorem conſtituit, qui, cum aſſeſſoribus duodecim, rebus adminiſtrandis jurique dicendo præeſt. Vide Chriſtian. Urſtiſium *Epit. Hiſt. Baſil. c.* 3.

LIEN, an à *ligando*? Plaut. *Curcul. Act.* 3. *Sc.* 1. *v.* 5.

Nam quaſi liene *zonâ cinctus ambulò.*

An à λύω, *ſolvo*, quod curis nos liberet, ob rationem mox dicendam; an à λεῖος, *levis, mollis*? Plin. *l.* 11. *c.* 37. *Adnectitur* (ventriculo) *in ſiniſtro hypochondrio adverſus jecori, cum quo locum aliquando mutat, ſed prodigiosè* —— *Peculiare curſûs impedimentum aliquando in eo* ---- *quamobrem inuritur curſorum laborantibus. Et per vulnus etiam exempto vivere animalia tradunt. Sunt qui putent adimi ſimul riſum homini: intemperantiamque ejus conſtare lienis magnitudine* &c. Ubi quod *de impedimento Curſorum* habet, confirmatur ex Plauto qui præter dicta, *in Merc. Act.* 1. *Sc.* 2. *v.* 14. introducit Acanthium curſorem ſic loquentem,

Perii, ſeditionem facit lien: *occupat præcordia:*
Perii: animam nequeo vertere &c.

Quod de riſu, pluribus explanat Cœl. Rhodigin. *Antiq. Lect. l.* 4. *c.* 18. Græcè σπλὴν. Vide infrà *Splen*, uti *de Fiſco lieni comparato* ſuprà.

LIEN, flos Sinicus, crocei coloris, in Hoquaniæ, ad *Tau* civitatem, lacu; alibi aliis coloribus fulgens. Et quidem in prov. Kiangſia maximè abundat, per aquas ſtagnantes, quarum ſedimentum limum efficit; creſcit ad duos treſve cubitos, aquæ ſuperficiem eminens, duris fortioribuſque ſtolonibus adnexus: pluresque flores ſæpe una radix fert, qui varii coloris, purpurei, albi, mixti rubri & ejuſmodi inveniuntur. Lilia noſtra magnitudine ſuperant, ac longè magis pulchritudine. cedunt tamen illis odoris, quo carent, fragrantiâ tulipam maximam diceres, figurâ non admodum diſcrepante. Folia ſtirpis maxima ſunt & plerunque figuræ rotundioris, aquæ ſuperficiei incubantia ad ſupernatantia, quæ ubi exſiccata fuerint, olitoribus, ſcrutariis, aliiſque minutiorum mercium propolis, loco papy-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

papyracei involucri aut cuculli ſunt, quibus merces divenditas infarciunt. Cujuſmodi integros ſæpe videre lacus floridos, res amœniſſima eſt, vide ſuprà in voce *Floridi lacus.* Radix floris ipſa quoque præclara eſt ſuumque habet uſum; quippe ad brachii humani craſſitiem ſæpe excreſcit, duoſque aut tres cubitos intra limen ſubtiliſſimum deliteſcit, tota geniculis atque internodiis diſtincta. Cùm autem exterior ejus cortex planè integer ſit, medulla ipſa ſ. caro, magnis quaſi canalibus intus perforata eſt, colore maximè albo, carduumque noſtratem, licèt paulò inſipidior ſit, refert, atque æſtivo tempore, quòd frigidiuſcula ſit, in delitiis ac pretio eſt. Fructus tandem, qui figurâ planè conicâ eſt, & magnitudine palmam manûs excedit, craſſitie pugnum, armatur cortice viridi, molliori tamen, habetque intus nucleum album optimi ſaporis, quem utpote magnarum ad alimentum virium, debilioribus poſt ægritudinem convaleſcentibus, Sinici Medici maximoperè commendant. Autor Anon. *Sinæ & Eur. c.* 31. & 32.

LIENTE, vicus Picardiæ, non procul à Lauduno Clavato, ante Annos 260. hominum concurſu ad B. Mariæ fanum & votis celeberrimus. Vulgo *Liece.* Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LIGA, inſ. maris Britannici *Ligon Camd.*

LIGA, apud Alb. Argentinenſem *in Chr.* A. C. 1337. *Marchio cum Maſtino Veronenſi* ligam *contraxit* &c. confœderatio, fœdus eſt, quo quis cum alio *ligatur*, vinciturque: *Ligue* Gallis; apud quos *Liga Sacra* famoſum Præt. Sec. exeunte, nomen fuit. Cùm enim lanienâ Pariſienſi ad deſperationem adacti Hugonotæ, ut vocant, ab eo tempore ferro & flammâ ita devaſtarent Galliam, ut plures arcium, templorum, monaſteriorumque ruinæ extiterint, quàm in immani illa laniena homines interfecti ac planè ultio tanto ſcelere digna ſumpta eſſet; Omnes iterum contrà inſurrexêrunt Hiſpani Guiſianique, ac icto inter ſe fœdere novo, quod *Ligam Sacram* dixêrunt, inſtaurare antiqua bella ac pertinacibus armis exſcindere Hugonotas, quorum Dux Henr. erat Rex Navarræ, ſecum conſtituêrunt. Imò ulterius progreſſi, quoniam Valeſia Fam. in Henr. III. ad ultimam orbitatem redacta erat, Guiſiani, velut ex Carolingis oriundi, nihil diſſimulato ambitu, Regnum ipſum affectârunt: ipſo Henr. ſocordiâ aliiſque vitiis in tantum delapſo vilipendium, ut merum eſſet Guiſianorum ludibrium. Cujus opprobrio ut animum explerent, in omnibus ad Ligerim oppidis ſpargi curârunt, leproſum eſſe Regem, ac, ut illâ peſte liberaretur, conquiſitis undique formoſis pueris, in eorum ſanguine abluendum, jamque miſſos undique conquiſitores, qui per univerſum illum tractum pueros raperent. Sed hic tum demum, velut ex alto furore excitatus, ſtatuit dignas de ſceleratiſſimis hiſce pœnas ſumere. Convocata itaque Bleſis Comitia A. C. 1588. in quibus, cùm Ducem Guiſium ipſiuſque fratrem Lud. Card. vultu alacri ac ſuperbo comparentes vidit; ingredientem conclave ſuum priorem per ſatellites pugionibus confodi, poſtridieque fratrem ejus ſtrangulari juſſit: Utriuſque cadaver igne crematum cineresque in Ligerim diſperſi ſunt. Hinc acriter detonare Pontifex, excommunicare Regem, pleraque Gallia ad *Ligiſtas* deficere: Quare Henr. ſalutem ſuam totiuſque Regni, in Hugonotarum fide ac virtute unicè ſitam eſſe cernens, cum Henr. Navarræ Rege pace factâ, eum utpote agnatione proximum ac indubium Succeſſorem, licèt à Pontifice excommunicatum, *Hæredem* declaravit, ipſiuſque exercitu auctus, Ligiſtarum metropolim Lutetiam obſidere cœpit, jamque obſeſſi laborare fame, cùm Jac. Clemens Monachus è Prædicatorum ordine, in Regium cubiculum, ſub prætextu literarum arcanarum, admiſſus eum confodit cultro, d. 1. Aug. A. C. 1589. quo ipſo tranſlatum à Valeſiis ad Borbonios regnum eſt, quorum caput Henr. Navarrenus, poſtquam aliquandiu cum *Ligæ* reliquiis colluctatus eſſet, illâ tandem confectâ penitùs, regnum pacavit, & ad poſteros tranſmiſit. Georg. Horn. *Orb. Imp. cum Notis L. Joachimi Felleri, p.* 258. & *ſeqq.* Vide eund. *in Orb. Pol. cum Animadv. Othonis Menkenii p.* 71. ubi fœdus hoc Papam Rom. inter Regem Hiſp. ac Ducem Guiſiæ initum, ſub prætextu hæreſeos extirpandæ: occultam verò veramque cauſam, tranſlationem regni Galliæ à fam. Valeſia & Borbonia ad Regem Hiſp. vel fam. Lotharingicam fuiſſe addit. Sed & in Germ. idem nomen inditum eſt fœderi, à Principibus Rom. communionis inito A. C. 1609. Duce *Ligæ* conſtituto Maximiliano Bavariæ Duce poſtmodum Electore: cui *Unionis* nomine fœdus aliud oppoſuêre Principes Proteſtantes, auſpiciis Frid. IV. Electoris Palat. quo pacto ſemina & fundamenta turbarum jacta ſunt, quæ tandem in atrox bellum erumpentes tricennio integro Germ. graviſſimè afflixêrunt, Phil. Jac. Spener. *in Fam. Palat. Bav.* Simile omnino fœdus illud, quod *Sanctum* appellatum, Heldi Cæſarei Legati miniſterio, Norimbergæ percuſſum fuerat A. C. 1538. cujus primarii Duces, ex eadem Bavariæ Ducum fam. Vilhelmus Alberti V. Pater, & Lud. frater illius, fuêre, tuendæ Religioni Pontificiæ, contrà Proteſtantes, Smalcaldico mox bello involutos &c. apud Eund.

LIGANA, ſylva in Cenomanis, apud lacum Benacum, ubi Claudius Imp. Alamannos vicit. *P. Diacon.*

LIGANDI & Solvendi arcanum ſ. myſterium fundamentale, Theologiæ & Juriſprudentiæ apud Hebræos velut Encyclopædia fuit. Cùm enim varii eſſent inter illos Presbyteri, quidam Judiciariæ facultatis omnimodæ, quæ juriſdictionis contentioſæ eſſet, ſive criminalis, ſive civilis, capaces erant, dicebanturque *Presbyteri univerſales*, & munere tam docendi in Jure Hebraico ac publicè reſpondendi, quàm judicandi univerſim, quoties ſcilicet ſufficiendi eſſent Judices ejuſmodi donabantur. Præter hos, qui creati & ordinati erant ordinatione ſummâ, fuêre alii etiam cum creati tum non creati, qui Presbyterorum nomine quoque ac dignitate vulgari qualicunque fruebantur; interim & dignitate & nomine, ut & facultate, & Univerſalibus illis & inter ſe, variè impares. Et creatorum hujuſmodi, quos *Particulares* vocare liceat, quidam judiciariâ quidem facultate, ſed quæ tantùm circa cauſas civiles ſ. pecuniarias verſaretur, in ipſa creationis formula donabantur; adeòque Synedriis fuêre Triumviralibus ſolummodò inde idonei. Alii nulla omnino facultate judiciaria ſ. id genus Magiſterio donabantur, ſed illo tantùm, quod in docendi & explicandi Juris Hebraici nodos ac dubia per Reſponſa quoties conſulerentur, ſ. caſus conſcientiæ extricandi munere publico conſiſtebat; quod itidem interdùm erat generale, ad caſus ejuſmodi omnigenos attinens, interdum etiam adeò particulare, ut ad hæc vel illa ejuſmodi Caſuum ſingularia genera, pro Ordinantium arbitrio reſtringeretur. Atque hoc idem erat, quod *Poteſtas ſ. facultas decernendi circa Ligatum & Solutum*, ut vocant, ſ. Vetitum & Licitum, i. e. *facultas Ligandi & Solvendi.* Quæ tamen poteſtas interdum negata, in ipſa Ordinatione, ei etiam qui alias in plenariam facultatem Judiciariam, quæ Forenſis erat ordinaretur; quinetiam tempore ſubindè ordinario circumſcribebatur. Sed nemo hujuſmodi ordinationis particularis capax erat, qui non etiam generali ſatis videretur idoneus, uti quidem Maimonides contendit, ex Gemara utraque *Ad Miſn. c.* 1. *tit. San.* cùm ait: *In more poſitum erat, ordinare quemcunque vellent, ad res particulares, modò interim ipſe rebus omnimodis eſſet idoneus. Sapientem præcellentem, qui idoneus ad decernendum circa Legem univerſam, fas erat Synedrio ordinare, & dare ei facultatem Judiciariam* (forenſem omnigenam) *ita tamen ut neutiquam* Ligandi & Solvendi *ſ. publicè in caſibus conſcientiæ reſpondendi, facultati ſeſe immiſceret; aut dare ei facultatem ejuſmodi* Ligandi & Solvendi, *ſed minimè judicandi nequidem judicia civilia ſ. pecuniaria; aut daret facultatem illam utramque, minimè tamen Judicia criminalia judicandi; aut criminalia judicandi; neque tamen ſolvendi ſ. reſponſa publicè dandi, de Primogenitorum maculis ſ. vitiis; aut dare ei facultatem ſolvendi vota tantummodò, aut intuendi, & ſic* ſolvendo aut ligando *decernendi, de maculis aliiſque quibuſcunque ſimilibus. Atque ita fas erat* Ordinantibus, *dare facultatem tempore præfinitam & dicere Ordinato, ſit tibi facultas Judiciaria ſ. decretoria illa* (circà ſolvenda & liganda) *uſque dum huc venerit Princeps* &c. Atque illud de איסור והתר *Ligato & Soluto* hoc in ſenſu, millies apud Talmudicos occurrit. Magiſter autem aut Schola altera אוסר *Ligat*, i. e. illicitum pronuntiat; alia מותר *Solvit*, ſ. pronuntiat licitum hoc vel illud, circa ſanguinem, adipem, fructus, alia eſculenta, corporis vitia, id genus innumera, in ſacra Lege, occurrentia. Undè etiam libri quamplurimi eodem titulo fruuntur, qui planè caſuum conſcientiæ volumina Judæis ſunt. Indè habentur איסור והתר *Solutum & Ligatum* Rabbi Jonæ, Rabbi Nathan, R. Iſaac Durenſis & permultæ ejuſmodi alii. Titulus quoque integer in Talmude utroque ſ. Miſna habetur הוריות *Horaijoth* ſ. *Decreta* aut *Canones* dictus, qui fuſiorem diſciplinam, circa illuſtriora Synedriorum maximè decreta, de caſibus conſcientiæ, adeoque de peccati ex errore & ſcientia diſcrimine indè pendente continet. Dicitur verò ſcientia illa ſ. facultas *Ligandi* & Solvendi à Magiſtris aliquot, *Myſterium fundamentale Ligati & Soluti.* Unde R. Joſeph Hyſſopæus, *in Paropſide argent.* ad Fil. *Verſare,* inquit, *interdum in Grammatica aut in contextu Biblico. Sed magnam partem occupationis tuæ pone in Gemara, ut ſcias Arcanum Fundamenti, Vetitum ac Licitum, & diſtinctionem inter vitiatum & rectum.* Ita vertit Joh. Mercerus, quod planè innuit, ac verti poteſt, *Arcanum*, ſ. *Myſterium fundamentale Ligandi & Solvendi* &c. Joh. Selden. *de Synedr. Parte* 2. *c.* 7. §. 2. Vide quoque infrà, in voce *Lytæ*; & *de ligandi ſolvendique* in Eccl. *poteſtate* Apoſtolis conceſſa, à Servatore noſtro, Matth. *c.* 16. *v.* 19. & *c.* 18. *v.* 18. Commentatores ſacros. Addam hoc ſaltem, latere in verbis hiſce elegantem metaph. ab antiquiſſimo ritu *nodis* (clavium adhuc uſu ignorato) claudendi, quæ clauſa vellent, eorumque ſolutione aperiendi rurſus: *ligare* enim hîc idem, quod *claudere*, & *ſolvere*, quod *aperire*, uti ex locis hiſce liquet. Vide infrà in voce *Lignum*, item *Nodus*. Alia notio vocis eſt, cùm oves apud Hebræos *ligatæ*, & agni *ligati* dicuntur: intelliguntur enim obeſiſſimi & pinguiſſimi, quòd animalia ſaginanda *ligari* ſolerent, uti pluribus docet Sam. Bochart. *ad l.* Gen. *c.* 31. *v.* 41. & 42. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 46. & infrà dicemus in voce *Pecus de ligatione reorum*, vide aliquid ſuprà *Lictor*. At *Ligaturæ* apud citerioris ævi Scriptores, dicuntur amuleta quædam ad arcendos & depellendos morbos, aut de collo ſuſpendi, aut circà alias corporis partes *alligari* ſolita; qualium magnâ mole ſcripta ſua referſiſſe Xenocratem Aphrodiſienſem & Pamphilum quendam refert Galen. *Simplic. pharmac. l.* 6. Vide hic paſſim, inprimis ubi de *Magica Medicina*, & verbo *obligare*. De *Ligulæ ligatura*, dicemus *infrà*.

LIGANIRA, Indiæ intrà Gangem urbs. *Ptol.*

LIGARIUS, nobilis Rom. quem defendit Cic. oratione eâ, quæ *pro Qu. Ligario* inſcribitur.

LIGAUNIA, Gall. Narbon. pop. Plin. *l.* 3. *c.* 4.

LIGDAMIS, vide LYGDAMIS.

LIGEA, Λιγεῖα Gr. nympha, Nerei & Doridis filia, à cantûs ſuavitate dicta. Virg. *Georg. l.* 4. Et quidem una ex tribus Sirenibus, quæ poſtquam in mare ſe præcipitavêre, earum Defunctarum corpora variis litoribus ac locis illata ſunt; & Parthenopes quidem corpus in ea loca ejectum eſt, ubi poſteà Neapolis condita: Leucoſiæ, ad eam Inſ. quæ indè nomen accepit: *Ligea* ad Terinam urbem, ubi & ſepulta eſt Lycophr.

Λίγεια δ' εἰς Τέριναν ἐκναυσθλώσεται
Κλύδωνα χελλύσσουσα, τὴν δὲ ναυβάται
Κρόκαισι ταρχύσουσιν ἐν παρακτίαις,
Ὠκινάρου δίναισι ἀγχιτέρμονα.

Quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Quam Italiæ urbem, inſ. eſſe ſcribit Steph. non minori errore, quàm Solin. *Ligeam* inſ. appellatam, abjecto ibi corpore Sirenis, refert. Non enim hoc Inſ. ullius, ſed Sirenis nomen fuit. Salmaſ. *ad eum p.* 62.

LIGER, Rutuli cujuſdam nomen, fratris Lucani, quem Æneas Turni auſpicia ſequentem interfecit. Virg. *Æn. l.* 10. *v.* 576. & 580.

LIGER, ſive LIGERIS, nobilis Celtarum fluv. imò verè fluviorum Galliæ Rex, quod de Pado falsè dixit Virg. in Arvernorum finibus oriens, Heduoſque à Biturigibus dividens, non procul à Pictonibus in Oceanum Britannicum influit. Vulgò *Loire*. Nomen habet à prato, quod ſtatim à fonte perlabitur, in S. Eulaliæ parœcia, in prov. Vivarienſi, & in conf. Velauniorum, ad Gerbarii jugi rad. prope Clergeacum montem, inter Cemenos, ſ. montem Cebennam, quâ Vellavos ad Helviis diſcludit 18. ſupra Anicium. Caput ejus proximum eſt capiti Elaveris. Hinc per Velaunos non procul à Podio capite decurrens, multa Gentis ignobilia loca, inprimis Volutam *la Volte* & Caput *le Chapp* præterlabitur: inde per Forenſem pagum defluens, alluit caſtr. S. Ragneberti *S. Rambert*; Montemrotundum *Montrond*, aliàs *Mouron*; Forum Seguſianorum *Feur*, Rodumnam Seguſianorum *Roüanne*, tum primùm navigabilis: dein Burbonenſem agrum à Cadrellenſi dividit; attingitque Marciniacum *Marcigni*, Denegontium *Digoins*, ubi Arotium accipit *Arou*; caſtrum nobile Burbonem Anſelli, *Bourbon l'Anſy*, atque Dececiam *Deſize*, ubi Arone augetur, Niveraumque ſ. Noviodunum Æduorum, ad Ligeris & Niveris confluentes poſitum. Intrà Nivernum Elaver (*Alier*) Ligeri recipitur: quem locum os vel roſtrum Elaveris vocant, *le bec d'Alier*. Sequuntur ad Ligerim Albiniacum, Germaniacum, Caritas, *la Charité*, veteri Monaſterio nobilis: *Maſſava* locus tabulæ Peutingerianæ notus, *Maſva vicus in pago Autiſſioderenſi* dictus in Appendice Fredegarii, *Maſſua* in Geſtis Ep. Autiſſiod. *Meſve*: Paulliacum *Poüilly*. Sacrum Cæſaris, vel Sincerrium in Biturigib. ad quos Bor. verſus tendit. à ſiniſtra ripa Ligeris non procul abeſt. Jam dextræ ripæ fluminis adſident loca Autiſſiodorenſis Diœceſeos, Senonibus olim attributa, Condate *Coſne*, Cella *la Celle*, Novus vicus *Neuvy*, Brivodurum, aliàs Briocerus *Briare*; & Giemus vel Giemacum *Gien*: ad ſiniſtram ripam ſunt Bellus locus, & Caſtellio ad Ligerim cognominatus. His ſuccedunt in Carnutibus Solliacum *Sully*, Caſtellum novum, Floriacum *Fleury*, Monaſterio & nomine S. Benedicti inſigne, Gargogilum *Gergeau* vel *Jargeau*, Genabum Carnutum ſive Aureliani, *Orleans*, ſupra Ligeritti (*Loiret*) & Ligeris confluentes; Clariacum *Clery*, Magdunum *Menu*, Balgentiacum *Baugenci*, Sodobrium *Suevre*, & quondam caſtrum, nunc opp. Bleſenſe, *Blois*, atque Calvus mons *Chaumont*. Turonum ſunt ad utramque Ligeris ripam Ambacia, olim vicus, nunc opp. *Amboiſe*, Laudiacum *Mont loys*, Rupes Corbonis *Roche-Corbon*, Caſarodunum Turonum, Malliacum *Maillé*, Alingavia *Langey*, Condate *Cande*, vicus morte Martini Turonici Ep. nobilitatus. In finibus Turonum Ligerim augent navigabiles fluvii, Caris *le Cher*, Carus ſæpius nuncupatus, *Anger* vel Andria *Indre*, & Vingenna *la Vienne*. Liger tot oppida emenſus ac tot ſpatia terrarum, Andium fines & oppida alluit. Montemſorelli *Montſoreau*, Salmurum *Saumur* non longè à Toëdi confluente (*le Toüé*) receptoque Meduanâ in loco quem os vel buccam Meduanæ vocitant, *Bouche Maine*, attingit Saponarias *Savonieres*, Rupem fortem *Rochefort*, Calonnam *Chalonne*; Montem Joh. *Mont-Jean*, opp. S. Florentii, Caſtrum Celſum *Chantoceaux*; Andeneſium *Ancenis* in Nannetibus; Portum Nannetum *Nantes*, ubi hinc Ardra, inde Separis Nanneticus cognominatus, *la Sevre Nantoiſe* in Ligerim cadunt. Tot & tantis auctus incrementis Liger per vicum S. Nazarii, & Cruciacum *le Croiſic* in Oceanum Occiduum devolvitur. Curſus eſt 200. circiter leuc. per 166. navigabilis, Baudr. ſ. ut Hadr. Valeſ. placet, 160. vel 480. mill. paſſ. à Rodumna Seguſianorum, ubi primùm navigabilis eſt, uſque ad Oceanum, ac regnum Francorum duas in partes ferè æquales dividit. Majo menſe campos inundare conſuevit, quare infra Aurelianos coërcetur molibus manufactis, quas vulgò *les Turcies de la Loire* vocant. Idem A. C. 1159. in finibus Andium facere aggreſſus erat Henr. II. Angl. Rex, Dux Normannorum & Aquitanorum, Comes Andicavorum, Turonum & Cenomanorum, ut teſtatur Trivetus. Flumina recipit 112. quorum præc. ſunt Arotius *l'Aroux*, Elaver *l'Allier*, magnitudine ipſi non cedens, magiſque piſcoſus, Carus *le Cher*, Ingeris *l'Indre*, Vigenna *la Vienne*, & ex altera ripa Meduana *le Mayne*. Vide Baudr. & Hadr. Valeſ. Tibull. *l.* 1. *Eleg.* 8. *v.* 11.

Teſtis Arar, Rhodanuſque celer, magnuſque Garumna,
Carnuti & fluvii cærula lympha Liger.

Plin. *l.* 4. *c.* 18. Strabo *l.* 4. *p.* 189. & 190.

LIGERICINUS, quaſi parvus Ligeris, vulgò *Loiret* vel *Leret*, amniculus Galliæ, alluit vicos præ cæteris Olivetum & Mitiacum, vulgò *S. Meſmin*: ubi in Ligerim defluit, aliquantò infrà Aurelianos ſpatio. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

LIGERULA, vide ſuprà. fluv. ex fonte apud Aurelianos, tam copioſè effluens, ut ſtatim fiat navigabilis, in Ligerim delabitur.

LIGHTFOOTUS Johannes, vide *Johannes*.

LIGII, populi Germ. quorum regio hodie Sileſia, inter Luſatiam ad Occid. & Poloniam ad Ort. Igitur horum poſteritas civ. *Lignicenſis*. Strabo ait, λοῦγοι μέγα ἔθνος, ubi Caſaub. λυγίοι. Apud Ptol. excuduntur λοῦτοι, qui fortè Dithmaro aliiſque *Lutzici*: nonnullis & *Luitici*; ab his *Luitmeritz* & *Luitzelburg* dicta patet.

LIGINUM, opp. Campaniæ Gall. vetuſtum, ad Paltum fluv. *Merula*.

LIGIR, fluv. Bœotiæ juxtà Plateas urbem fluens. Steph. *Bechir Nigro*.

LIGIUS Dominus, Princeps eſt, & *Ligius* populus ſubditi, arctiori vinculo protectionis juſtiq; regiminis & tributorum debitæque ſubjectionis inter ſe connexi. Propriè *Ligii* dicti ſunt, qui propriis dominis tenentur à partibus eorum ſtare, contra omnes mortales, ne Rege quidem vel antiquiore domino excepto. Unde illud Feud. *l.* 4. *Tit.* 93. *nullo antepoſito, fidelitatem fecit.* Hic vetus mos: ſed Frid. Barbaroſſa A. C. 1152. Roncaliis cavit, Imp. in omni fidelitatis ſacramento excipiendum. Quod & deinceps alii fecêre Principes: adjunxitque Jus feudale, antiquiores dominos etiam eximendos. Hinc in ſacramento illo vulgata clauſula: *Salvâ fide domino noſtro Regi, & aliis dominis meis.* Factum proin, ut *Ligii* hodie tantum appellantur Principum ſupremo gaudentium dominio ſubditi, &c. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.* Vocis originem C. du Freſne arceſſit, à *Litis*, de quibus *infrà*. A *ligare*, effictam volunt alii, quòd *hominio ac profeſſione fidei* ſtrictius domini ſervitio *alligetur* vaſſallus. Quò videtur reſpicere Gul. Apulus *de Geſtis Normann. c.* 3.

Solus noluerat vires promittere Regi,
Nec ſe cum reliquis jurando jure ligare;
Quippe juratus erat per ligamenta Johanni.

Aliter ab eadem origine vocem deducit Jovian. Pontan. *de Geſtis Ferd. l.* 2. ubi, *Dicti*, inquit, *ligii, quòd ligatis Reges potioribus, illos fidei imperiiſque ſuis ſic vinciant atque obnoxios ſtatuant.* Undè vox *colligare*, hac in materia, apud Dudonem *de Moribus & Act. Normann.* & in *Synodo* Tull. apud Saponarias *can.* 5. Nec omittenda ſententia Jac. Cujacii *ad Feudor. l.* 1. & Bignonii *ad Formulas Marculfi, l.* 1. *c. ult.* qui vocem *Lige* ejuſdem eſſe originis volunt, cum voce *Leudis* & *Leodis* i. e. *Fidelis*: quemadmodum *Leodium*, celebrem Eburonum urbem Galli *Liege* vocant. Vide ſuprà in voce *Leudi*, & plura hanc in rem, apud præfatum *Gloſſ. Autor*.

LIGNANUS Hieronymus, vide *Hieronymus*.

LIGNARIA Negotiatio, cujus meminit Capitolin. *in Pertin. Imp. Ei pater Helvius Succeſſus fuit, qui filio nomen ex continuatione* Lignariæ negotiationis, *quòd pertinaciter eam rem gereret, impoſuiſſe fertur*; infrà *Coctilicia* dicitur, *Pater ejus tabernam coctiliciam in Liguria exercuerat*: quæ viz. non circà quævis ligna, ſed circà coctilia, quæ Græcis ἄκαπνα, verſabatur. Vide Caſaub. & Salmaſ. *ad l.* necnon ſuprà, ubi de Lignis *Acapnis*, & *Coctilibus*.

LIGNESIA, Fam. in Belgio jam olim illuſtris, inprimis crevit Joh. Dn. *de Barbanſon* meritis ac matrimonio, cum Margaretha Marcana; ita enim Comitatus Arembergius, fam. illatus eſt. Ex ejus filiis Car. Princeps, Comes Arembergæ, ab uxore Anna Croviaca; Ducatum Arſchotanum, Principatum Cimacenſem ac Porceanum nactus eſt; denuò duorum, Phil. Ducis Arſchotani & Alex. Principis Cimacenſis Pater: alter Robertus Barbanſonios propagavit: univerſis verò Ducatus Arembergici axioma ab Imp. collatum eſt. Et quidem Principum Cimacenſium, ab aliquot Seculis, hæc ſeries eſt. Vilhelmus *de Lignes* Dn. *de Barbanſon*, ex Hadriana (filia Jodoci *de Halwyn*, Dn. *de Pienn*) genuit Lud. maritum Mariæ *de Bergen* (filiæ Cornelii *de Bergen* Dn. *de Grevenbræck*) & ex illa patrem Joh. qui Extinctus A. C. 1568. ex Margaretha Mariana Arembergica (filia Roberti Marcani Dn. Arembergæ & Franciſcæ ſ. Walpurgis Egmondanæ) ſuperſtitem reliquit fil. Car. qui Principale axioma fam. primus intulit, Defunctus A. C. 1616. Huic ex Anna *de Crouy* (quæ marito ſupervixit, uſque ad A. C. 1635. filia Phil. Croviaci Ducis Arſchottani) genitus Alex. Princeps Arembergæ & Cimaci ſ. *de Chimay*, Obiit A. C. 1629. Pater, ex Magdalena Egmondana (filia Car. Principis Gaveræ) Alberti Ducis Arembergæ, Principis Cimaci, Extincti A. C. 1648. Quo & Clarâ Eugeniâ Arembergicâ (filiâ Phil. Principis Arembergæ Duc. *de Arſchott* & *Crouy*) patruele genitus eſt Erneſtus Dux Arembergæ, Princ. Cimaci, A. C. 1643. nomine *de Lignes*. Phil. Jac. Spener. *Theatr. Parte II. p.* 78. Eodem Phil. modò dicto, & conjuge tertiâ Maria Cleophe Hohenzolleranâ (filia Car. Comitis) nati ſunt, Car. Eugenius Dux Arembergæ (A. C. 1633. cui ux. obtigit Maria *de Cuſance-Vergy* Com. *de Champlite*) & Maria Thereſa (A. C. 1639. nupta poſtea Franciſco Chriſtophoro Com. Helffenſtenio) *Duces Arembergæ*. Vide eund. Phil. Jac. Spener. *Parte III. p.* 39.

LIGNICIA, vulgò LIGNITZ, urbs Sileſiæ, ad *Deiſcham* amnem, cum caſtro ſplendido. Vix 2. leuc. à Jauria in Bor. 5. à Glogavia in Auſtr. 7. ab Uratiſlavia in Occ. Sub Ducibus olim, è Piaſtea fam. *Lignicenſis* lineæ autor fuit Boleſlaus Calvus, vel Sævus, fil. Henr. Pii, Sileſiæ ſup. Ducis, qui A. C. 1241. celebri illo prælio prope Lignitium à Tartaris cæſus eſt, corpore ex 6. in ſiniſtro digito pedis demum agnito. Boleſlaus hic parum laudatus, pater fuit Boleſlai, qui Suidnicenſem, & Henr. Craſſi majoris natu, qui *Ligniciam* lineam denuo orſus eſt: hunc Conradus Glogovienſis, patruus, in balneo per proditionem captum, duriſſimè habuit, nec niſi damnoſis conditionibus tandem dimiſit, Mortuum A. C. 1295. Hujus fil. Boleſlaus Lignicium tenuit principatum: pater Lud. qui Lignicii aurifodinam ditiſſimam reperit. Sequentibus temporibus Frid. II. A. C. 1523. Euangelium in utrumque Principatum Lignicenſem & Brigenſem introduxit, Ligniciumque ædificiis non parum excoluit. Fil. ejus minor Georg. Brigenſem, Frid. III. verò major Lignicenſem princip. nactus eſt: pater Henr. qui in funeralibus Car. V. cerimoniis Pontificiis participare juſſus, generoſo reſponſo ſe excuſavit. Huic frater Frid. IV. Clemens ſucceſſit, in

quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

quo Mortuo A. C. 1596. Lignicia linea defecit: rediitque hîc principatus ad agnatum Joach. Frid. Brigenſem, qui cum per capitaneum Wenceſlaum Zedlicium adminiſtravit, utroque ducatu A. C. 1602. morte ſuâ ad filios Georg. Rudolphum & Joh. Chriſtianum, tranſmiſſo: quorum illo ſine hæredibus Mortuo, hic Reformatis addictus, Obiit A. C. 1639. pater, inter alios, Lud. qui Lignicium ſortitus, defecit A. C. 1663. principatu ad fratrem Chriſtianum devoluto: cujus fil. è Piaſtea fam. ultimus, Obiit A. C. 1675. nomine, Georg. Vilhelmus, vide in vocibus, *Piaſtus* & *Vilhelmus.* Eodem tamen Patre Joh. Chriſtiano & alterâ conjuge, Hedvige Sitſchiâ, nati poſt alios ſunt Aug. & Sigiſmundus; quorum hic Baronis *Lignicii* titulum gerens, A. C. 1663. fatis conceſſit: ille dignitatem Comitis *Lignicii* nactus, & ſub fratre Chriſtiano Briegenſis Ducatûs Capitaneus, cum liberis ſupereſt, dignus Piaſteâ origine, interim Principatuum ſucceſſione, poſt Defunctum Georg. Vilhelmum, excluſus non aliam ob rationem, quàm quòd Pater, tum numeroſâ prole è priore conjuge Dorothea Sibylla Brandeburgica ſubnexus, filiorum ex poſteriori conjugio ſuſceptorum, in Feudorum petitione, rationem haberi non curâſſet. Enixè tamen à nepote morituro Imp. per literas commendatus dicitur, vide Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal Hiſt. auctiore ac emendatiore*, A. C. 1677.

LIGNO, fluv. Galliæ, vulgò *Loignon.* Oritur apud Caſtellum Lamberti *Chaſteau Lambert*, alluit Novamvillam *Neufville*, Gonantium *Gonans*, Bellamvallem *Bellevaux*, Olantium *Olans*, Rupem *Roche*, Marniacum, Balantionem, Montem Ramberti *Montrember*, Montiniacum *Matigney* alioſque vicos atque apud Pontem Arlejum *Pont Arly* in Ararim influit, Hîc Drogo Car. Mag. fil. Metrenſis Ep. & Abbas Luxovienſis, utpote in fluv. Luxovio urbi vicino, dum piſcem immanem ſequitur, ſuffocatus eſt. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LIGNUM, pro Numine: Et quidem rude primò, in Caryaridis Dianæ, in Laconia, templo Arnob. *l.* 6. *Ridetis temporibus priſcis Perſas fluv. coluiſſe, Memoralia ut indicant ſcripta: Informem Arabas lapidem: Acinacem Scythicas nationes: Ramum pro Cinxia Theſpios*, Lignum *Caryos pro Diana indolatum; Peſſinuntios ſilicem pro Deûm matre.* Cujuſmodi lignum ἐκ εἰργασμένον Clem. dicitur, ubi notat Heraldus *ad loc.* Vide quoque infrà ubi de *termino.* Inde formatum. Undè Prudent. περὶ στεφ. *Hymno* 14. *v.* 381.

Deaſciato ſupplicare ſtipiti?

Apulejus *Floridorum l.* 1. *truncus dolamine effigiatus.* Vide ſuprà ubi de *Idololatria incunabulis.* Pertinet huc, quòd apud Hoſeam conqueritur Deus, populum ſuum *Lignum interrogaviſſe & virgam*: ubi tamen genus divinationis, Ῥαβδομαντεία Græcis vocatum, indigitari ait Hier. *ad Hoſ. c.* 4. cujus & apud Chriſtianos ſuperfuiſſe veſtigia diſcimus ex *can.* 4. Conc. Antiſſiodor. *Non licet —— ad Sortes, quas Sanctorum vocant, vel quas* de Ligno *aut de pane faciunt, adſpicere.* Cujuſmodi ſortes an ex prætenſo crucis ligno, an ex alio pro Sacrato ac ſancto vulgò habito fuerint fabricatæ: non liquet. Interim videntur factæ ad imitationem Prænestinarum olim atque Antiatium ſortium, de quibus ſuo loco. Vide Ant. van Dalen *de Orac. Diſſertat. II.* ut & infrà in voce *Rhabdomantia.* Cæterùm ejus multiplex in vita humana uſus. Ut alia omittam, *lignis* à vermibus exeſis Lacones olim ſignabant. Namque Trojanis temporibus annuli uſus apud Græcos ignoratus adhuc: proin non annuli notâ, ſed nodo; conditæ arcis veſtes ac vaſa aurea argenteaque obſignata ſunt, apud Hom. *Odyſſ.* θ. Lacones verò lignis quoque iſtiuſmodi res quaſvis ſignâſſe leguntur. Heſych. *Οἱ Λάκωνες σφραγῖσιν ἐχρῶντο ξύλοις ὑπὸ θριπῶν βεβρωμένοις κατασημαινόμενοι ὁπότε βούλοιντο, Lacones, ſigillorum loco, lignis uſi ſunt à tineis corroſis, ſicque quæ libuerat, ſignabant.* Ubi ex Philoſtephano addit, Herculis id fuiſſe inventum. Hinc ſignacula illa θριπήδεστα & θριπόβρωτα nuncupata. Etymologici autor, Θριπήδεστα τὰ ὑπὸ τῶν θριπῶν διαβεβρωμένα ξύλα οἷς ἀντὶ σφραγίδων ἔχρωντο, *Vox* τριπήδεστα *deſignat ligna a vermibus exeſa, quibus ſignaculorum loco utebantur.* Euſtathius *Odyſſ.* α. Θριπήδεστα, ξυλήφια τὰ ὑπὸ θριπῶν βεβρομένα, οἷς ἐχρῶντο οἱ σφόδρα οἰκονομικοὶ ἀντὶ γλυπτῶν σφραγίδων, *Sunt autem* θριπήδεστα *parva quadam ligna, à vermibus eroſa, quibus diligentiores Patresfamilias utebantur loco ſculptorum ſignaculorum.* Atque hujus conſuetudinis mentio fit, apud Lycophron. *Caſſandrâ* & Ariſtoph. θεσμοφοριαζούσαις, ut præter Caſaub. notavit Joh. Meurſ. *ad Lycophr.* Vide quoque ſuprà in voce *Clavis.* Sed & in calceatum Indis placuit, quos Philoſtrat. *ex arborum corticibus* ſibi calceos conficere ſolitos fuiſſe, docet *l.* 2. *c.* 9. A quibus iſtiuſmodi calceorum uſus ad alios tranſiit: ita ut alii rudioribus & omnino *ligneis* uſi ſint, quemadmodum Germani vett. referente Cluv. *Germ. Antiq. l.* 1. & agreſtes Polonietiamnum, quorum ſoleas ex arboris *ligno* fabrefactas funiculus in planta pedis adſtringit; Alii paulò eruditioribus, quorum nempè ſoleæ tantùm ex ligno, cætera è corio vel è quavis alia molliore erant materia. Qualia erant Tibicinum crupezia, apud Jul. Polluc. πεποιημένα εἰς ἐνδόσιμον χοροῦ, *facta ad auſpicationem chori:* undè Bæotos *Crupezíphoros* dictos eſſe, refert Tiraquellus *l.* 5. *c.* 18. Meminit quoque *ſolearum lignearum* Autor ab Herennium, cùm ait: *Si quis parentes occiderit, vel verberaverit, ei damnato obvolvatur os folliculo lupino, ſoleæ ligneæ pedibus inducantur,* E quibus verbis patet, antiquitus damnatorum pedibus è *ligno* ſoleas fuiſſe inductas. In Gallia hodieque ruſtici tenuioris fortunæ homines, calceamentis ejuſmodi, vernaculo ſermone *Sabots* appellatis, paſſim utuntur, B. Balduin. *de Calceo Antiquo*, *c.* 5. Græci hodierni etiam tintinnabula ex *ligno* habere leguntur: Quia enim campanarum illis uſu interdictum, duo genera tintinnabulorum adhibent, Symandrum & Hagioſiderum. Quorum illud, è *ligno* præduro, & quantum hujus natura patitur, ſonoro, tabula eſt lata digitos plus minus quinque, ſeſquidigitum craſſa, longa ferè pedes quatuordecim, cujus capita foramina habent nonnulla, pennæ anſerinæ calamove ſcriptorio pervia: in medio autem tenuem funiculum continet, quo mordicus ab eo, qui inſtrumenti hujus ſonitu populum ad templum convocaturus eſt, apprehenſo, malleis duobus ligneis pulſatur. Vide infrà in voce *Symandrum* uti de *ligni* in Vett. re igniaria uſu, ſuprà: in inveſtitura, itidem. &c. Porrò *Ligno* ſontes verberati olim. Interpres antiquus Ariſtoph. in *Plut.* explicat *Tympanum*, quod cùm idem eſſe ſupplicii genus cum Equùleo exiſtimet, refutat Interpretem Hier. Magius *l. de Equuleo c.* 8. *Quid enim*, inquit, *ligno aut fuſti cum equo parvo & verſatili tympano?* Verùm quia Tympanum aliud quid ab Equuleo eſſe certum eſt, fruſtra hîc eſt Magius. Tympanum enim, ἀπὸ τοῦ τύπτειν, à *feriendo*, quaſi τύπανον dictum, rotundus fuit fuſtis, vel bacillus, quo nocentes feriebantur ac necabantur: undè ἀποτυμπανίζειν, quæ vox Hebræor. *c.* 11. *v.* 35. reperitur, propriè videtur eſſe *fuſtibus necare.* Heſych. certè, τυμπανίζεται, πλήσσεται, ἐκδέρεται, ἰσχυρῶς τύπτεται, i. e. τυμπανίζεται ſignificat idem quod *feritur, excoriatur, fortiter verberatur.* Et alibi, τύμπανον, inquit ξύλον ἐν ᾧ τυμπανίζουσι, i. e. *τύμπανον eſt lignum, quo verberant.* Vide Gothofredum Jungermann. *Notis ad Magii loc. præf.* & ſuprà, ubi de *Fuſtibus*, infrà item, in voce *Tympanum.* ubi & hoſtes primitus *ligno* dein demum ferro occiſos dicemus, qua de re infrà quoque aliquid, ubi de *Ligno igni durato.* Etiam vide *lignum*, cippus dictus, quo reorum colla & pedes conſtringebantur. Paulus de *Vita* S. Martini *l.* 5.

Aſt alii ſurſum porrecti robora ligni
Triſte miniſterium furioſo corde parabant,
Ut caro diſtentis properè malè pendula membris
Tortori laceros crucianda exponeret artus.

Hinc *in ligno ſuſpendi, in ligno extendi, in ligno detineri ac conſtringi*, phraſes ſæpius occurrentes apud Autores, qui de Martyrum paſſionibus commentati ſunt: ἐν τῷ ξύλῳ δεδέσθαι dixit Lyſias Orat. 1. *c. Theomneſt.* & Joh. Diacon. *in Vita S. Joſephi Hymnographi* 22. Vide Heſych. in Ἐγκαλοσκελεῖς, C. du Freſne *Diſſert.* 19. *ad Joinv.* ut & hîc paſſim, inprimis in voce *Cippus*, item *Nervus.* Ulterius è *Ligno* Veterum ſapientioribus tropæa placuiſſe, ut, his brevi tempore conſumptis, confeſtim auferrentur è medio diſcordiæ argumenta, dicemus infrà in voce *Tropæum* Medio ævo, *Lignum* cadaveri ſuperponendi ritus, occurrit, in *L. Baiwat. tit.* 18. *c.* 6. §. 2. *Quia aliquoties conſpicimus, cùm cadaver humo immiſſum fuerit, & lignum ſuperpoſitum cunctis adſtantibus, ut requiratur dominus cadaveris & primus terram ſuperjiciat.* E quibus verbis eruit C. du Freſne, non in locellis, ſed nuda aut linteis involuta humo condidiſſe, ac poſteà *lignum*, i. e. *aſſeres* ſuperpoſuiſſe Bajoarios, antequam terra ſuperjiceretur, *in Gloſſ.* Literarum typos è *ligno*, habes infrà, ubi de *Typographia.* Eo terram proſcindere Samogitas, in voce *Vomer.* De *ligni* ad luxum uſu: ſic Plin. *l.* 16. *c.* 43. *Quæ in laminas ſecantur, quorumque operimento veſtiatur alia materies, præcipua ſunt citrum terebinthus, aceris genera buxum, palma, aquifolium, ilex, ſambuci radix, populus —— Hæc prima origo luxuriæ, arborem aliâ integi, & viliores ligno pretioſiores cortice fieri, ut una arbor ſæpius veniret. Excogitatæ ſunt & ligni bractea, nec ſatis: cœpêre tingi animalium cornua, dentes ſecari: lignumque ebore diſtingui, mox operiri,* & *ſeqq.* Nec omittendum *Lignum impetritum*, quod 140. perticis ſub montium tegmine, repertum, in Muſeo ſervari Kircheriano Romæ, narrat *in Deſcr.* ejus Georg. de Sepib. *p.* 42. De *Lignis acapnis*, dictum ſuprà; de *Ligno odorifero*, ad capſulas, menſas, ſedes, ſimiliaque conficienda aptiſſimo, quoque vix aliud præſtantius in Sinis vide infrà *Roſacetum.* De more verò Vett. in *ligno* ſcribendi, hîc paſſim; *lignum ligno* ſuper inducendi ſuprà plura in voce *Lamina* &c.

LIGNUM Dulce, vide infrà *Sciſmas.*

LIGNUM Ferreum, vide ſuprà *Ferreum.*

LIGNUM Igni duratum, teli genus frequens apud gentes, quibus ferri uſus incognitus, vel rarior copia. Curt. *l.* 3. *c.* 2. *Pluribus* (Derbicum) *hærebant ferro præfixa haſta; quidam lignum igni duraverant.* Sic Germania *apud Tac. Ann. l.* 2. *c.* 14. *prima utcunque acies haſtata Cæteris preuſta aut brevia tela*, Ideo autem obdurebant ſudes, quòd ea res, extracto humore, reſtinguit lignum & indurat. Unde non minima vis ſudibus præuſtis, quorum proin in obſidiis præſertim urbium frequens uſus ſemper propugnantibus fuit, Freinshem. *ad Curt. d. l.*

LIGO, Græcè Σκαπάνη, inſtrumentum ruſticum, quod in pompa Panathænaica, peplum, præter Athenienſes omnis ordinis, omnis ætatis, proſequuti inquilini, ferre ſolebant, ſicut filiæ eorum hydrias & umbellas, ex L. Τοὺς μετοίκους ἐν ταῖς πομπαῖς, αὐτοὺς μὲν σκάφας φέρειν κτλ. ſcriptâ circà belli Peloponneſii tempora, ubi Athenienſes ſucceſſu rerum inſoleſcere cœpêre, Ælian. *Var. Hiſt. l.* 6. *c.* 1. Vide Sam. Petit. Comm. in *LL. Attic. l.* 1. *tit.* 1. Priſci verò Rom. apud quos ipſi Impp. ſuis manibus terram ſubagitabant; ab opere redeuntes in ſcapulis *ligonem* in ſublime erectum geſtare etiam laudi duxêrunt. Juv. *Sat.* 11. *l.* 4. *v.* 86. *& ſeqq.*

Cognatorum aliquis titulo ter Conſulis, atque
Caſtrorum imperiis, & Dictatoris honore
Functus, ad has epulas ſolito maturiùs ibat.
Erectum domino referens à monte ligonem.

LIGORIA, vulgò LIGOR, urbs Indiæ ulter, cum portu in ora Or. Cherſoneſi aureæ, ſub Rege Siami, juxta ſinum Siami.

Media

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Media ferè inter Indiam ad Bor. & Malaccam ad Auſtr. 380. utrinque mill.

LIGUIDONIS Portus, ſ. *Liguidonenſium portus*, in Sardinia, nunc *Lago Liaſto*, Briet. 45. mill. à Calari in Bor.

LIGULA, vel LINGULA, an à *ligando*, an à *lingua*? definit Mart. *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 120. cujus Epigraphe, *Ligula argentea.*

Quamvis me ligulam *dicant Equiteſque Patreſque:*
Dicor ab indoctis lingula *Grammaticis.*

ubi gladiolum in ſpeciem *linguæ*, ſ. ſpathulam, vox notat. Menſuræ genus eſt, apud eund. *l.* 8. *Epigr.* 33. cujus Epigraphe ad Paulum de Phiala.

Quid tibi cùm phiala, ligulam *cùm mittere poſſis?*
Mittere cùm poſſis vel cochleare mihi?

Undè & cochlearis loco Vett. nonnunquam fuiſſe diſcas, vide quoque eund. *l.* 8. *Epigr.* 59. cujus Epigraphe in luſcum furem *v.* 7. Quartam partem cyathi continuiſſe, indigitat idem *l. eod. Epigr.* 71. cujus Epigraphe in Poſtumianum *v.* 9. drachmas tres ſcrupulum unum habet Georg. de Sepib. *Deſcr. Muſei Kirch. p.* 42. In ſtrigili Aliptarum, Appulejus *Floridis*, *ligulam* appellat partem ejus incurvam ſuperiorem, per cujus tubulationem ſudor dilabebatur; quòd, ligulæ non abſimilis, oblonga, fornicata & contracta eſſet, ut videre eſt è typo ſtrigilis argenteæ, quem Laur. Pignor. *Comm. de Servis* exhibet. *p.* 46. Aliàs fibulam ſ. vinculum notat, quo veſtes connexæ tenentur. De calceis idem *l.* 2. *Epigr.* 29. cujus Epigraphe in Rufum *v.* 7.

Non extrema ſedet lunatâ lingula *planta*:

ubi vinculum ſ. fibula eſt argentea ſ. aurea, in calceis à nobilioribus geſtari ſolita, Schrevelio *ad l.* Vide ſuprà *Corrigia.* De braccis, nota vulgò *Ligula Ligatura*, Gall. *noüer l'esguillette*, quo modo dicitur Salmaſ. *Nodus Veneris*, ſ. *defixio*, & *κατάδεσμος.* Quicunque enim in aliqua actu, quocunque genere artis magicæ, prohibetur facere aliquid, aut à naturali functione impeditur, *defixus* & *ligatus* dicebatur, quamvis id fieret ſimplicium herbarum aut verborum poteſtate, etiam nullo adhibito nodo aut ligaturâ. Quod proin verbum in hac ipſa re uſurpavit Apulejus ψευδώνυμος in *Herbario ſuo*, ubi de herba Leontopodio: *Si quis devotus defixuſque fuerit in ſuis nuptiis, ſic eum reſolves.* Tibull. *Nodum Magicum* vocat. *l.* 1. *Eleg.* 9. *v.* 5.

Ipſa Venus magico religatum brachia nodo
Perdocuit multis non ſine verberibus.

Tertullian *devinctiones Magicas*, in *l. de Spect. Vis homicidium ferro, veneno devinctionibus magicis fieri*: quæ eadem ſunt. Sed & *Devotos* dixêre, qui in nuptiis ſuis prohibentur virile officium facere Idem *l.* 1. *Eleg.* 6. *v.* 4.

——— *Admonuit Domina, deſeruitque Venus.*
Tunc me diſcedens devotum femina dixit.

Idem Ibid. *Eleg.* 9. *v.* 17.

Num te carminibus, nùm te pollentibus herbis
Devovit *tacito tempore noctis anus.*

Ubi *devovere*, eſt *defigere* ac *ligare*; cui contrarium, *ſolvere.* Idem Ibid. *Eleg.* 2. *v.* 59.

—— *Nempe hac eadem ſe dixit amores*
Cantibus aut herbis ſolvere poſſe meos.

Cantus enim & herbas præcipuè nominant poëtæ, hac in re &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1088. & 1089. uti de veſtibus in ligulas inciſis ſuprà *Culeilata.*

LIGURES Apuani, pop. Liguriæ extremi, circà Macram, in Hetruriæ conf. quorum opp. Apua, vulgò *Pontremoli.* Sub Mag. Hetruriæ Duce.

LIGURES Galli, dicti Romanis Scriptoribus *Ligures Tranſalpini*, memorantur Plin. *l.* 3. *c.* 5. cùm ait: *Ligurum celeberrimi ultra Alpes Salyi, Deceates, Oxubii.* Strabo *l.* 4. *p.* 185. A Q. Opimio Coſ. cùm Maſſilienſium fœderatorum oppida vaſtarent, victi, Flor. *l.* 2. *c.* 3. *Epitom. Liv. l.* 47. à Fulvio Flacco priùs ſuperati, Idem *l.* 60. quorum prius de Oxubiis & Deceatibus: poſterius de Salyis intelligit Hadr. Valeſ. Illi Antipolim & Nicæam circumcolebant, hi Arelatum ac Taraſconem ad Rhodanum, Aquaſque tenebant Sextias. His adjunge Segorejos, vel Rejos Apollinares, Suelteros, Neruſos, ſ. Vintienſes, Veſdiantios, vel Vendiatios, i. e. Cemenelenſes & Sanitienſes, alioſque Ligures Capillatos vel Montanos, in Alpibus Maritimis, qui *Ligures Galli*, à Varo fluv. ad Rhodanum flumen pertinebant, Græcis λίγυες ac Κελτολίγυες dicti: quorum regio *Liguſtina* vel *Liguſtica* appellata eſt, de cujus finibus vide Hadr. Valeſ. in voce *Antipolis.* A *Liguribus* his, ut & Italis, de quibus in voce *Liguria*, Alpes maritimæ, quæ inter utroſque eminent, Liguſtini montes, Liv. *l.* 34. *c.* 8. dicuntur.

LIGURIA, Italiæ regio gemina: Una litorea, quæ vulgò *La Riviera di Genova* nominatur, inter oſtia vari ad Occid. & Macræ ad Ort. inter Gall. Narbonenſem & Hetruriam ſupra 200. mill. paſſ. extenſa, cujus caput eſt Genua, inter mont. Apenninum & mare Liguſticum perſtricta: Plin. *l.* 2. *c.* 47. *l.* 3. *c.* 5. & 20. Strabo *l.* 2. *p.* 106. & 122. Altera verò Mediterranea, Galliæ Ciſalpinæ non modica portio, inter Apenninum mont. ad Mer. & Ort. Alpes maritimas & Cottias ad Occaſ. Padumque fluv. ad Bor. & Ort. comprehenſa, in qua mons Ferratûs ducatûs, magna pars principatûs Pedemontani, parſque ducatûs Mediolanenſ. continetur. Sub Liguria etiam Inſubriam complectuntur ſcriptores, uti Antonin. Aug. *in Itin.* Paul. Diacon. *in l. de geſtis Longobardor.* & alii. Unde Mediolanum, quod eſt caput Inſubrum, ab eis in Liguria collocatur. Apud Liv. *l.* 39. *c.* 32. & *l.* 40. *c.* 41. quoque Trog. Sempron. alios, poſt Macram, Arnum uſque fluv. Liguria extendebatur.

Urbes Liguriæ hujus temporis:

Alba Pompeja, *Alba*, in Monte Ferrato.
Albingaunum, *Albenga*, in ditione Genuenſi.
Alexandria Statiellorum, *Aleſſandria della paglia*, in Ducatu Mediolanenſi.
Albintemelium. Vide *Vintimilium.*
Aquæ Statiellæ, *Acqui*, in Monte Ferrato.
Aſta, *Aſti*, in Pedemontio.
Bobium, *Bobio*, in Ducatu Mediolanenſi.
Caſale, olim Sedula, *Caſal di S. Vaſo*, in Monte Ferrato.
Dertona, *Tortona*, in Ducatu Mediolanenſi.
Foſſanum, *Faſſano*, in Pedemontio.
Genua, *Genova*, in ditione Genuenſi.
Mons Vici, & Mons Regalis, *Mondovi*, in Pedemontio.
Naulum, *Noli*, in ditione Genuenſi.
Prunatum, *Brugneto*, in ditione Genuenſi.
Savona, *Savona*, in ditione Genuenſi.
Vintimilium, olim Albintimilium, vel Albintemelium, *Vintimiglia*, in ditione Genuenſi.

Pop. *Ligures*, Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 168.

Aſſuetumque malo Ligurem, *Volſcoſque verutos.*

I. e. εἰθισμένον τῇ κακοπαθείᾳ, aut εἰθισμένον κακοπαθεῖν, vel κακοπαθῶς ζῆν, ita explicat H. Steph. *Schediaſm. l.* 1 *c.* 6. Nam hæc gens laboribus bellorum aſſueta. Niſi quis ſententiam torqueat, ut volunt aliqui, ad Gentis hujus κακίαν, & malos ac vitioſos mores. Credibile enim hoc ex odio, quod vel vitio gentis, vel privatâ aliquâ offensâ in Ligures habuit Virg. ut apparet ex illo *Æn. l.* 11. *v.* 701. & 715.

Vane Ligus, *fruſtraque animis elate ſuperbis,*
Nequicquam patrias tentaſti lubricus artes.

Sed rectè monet Germanus, hunc cavillum non ſatis aptum laudibus Italiæ. A Ligone, uno è Ducibus Japeti, qui huc venerit; vel à Ligure, Phaëthontis Ægyptii fil. qui in has partes unà cum patre habitatum conceſſerit, multis ante Græcos tam Atticos, quàm Oenotrium Arcadem ætatibus. Romanis cum gente hac ſæpe bellum fuit. Strabo Plin. *l.* 2. *p.* 128. *l.* 4. *p.* 184. 20). *l.* 5. *p.* 216. & 218. Diod. Sic. *l.* 6. Flor. *l.* 2. *c.* 3. Leand. Alberti *deſcr. Ital.* Hinc *Liguſticus*, ut *mare Liguſticum.* Liv. *l.* 5. *c.* 35. Et Juv. *Sat.* 3. *l.* 1. *v.* 257.

Nam ſi procubuit qui ſaxa Liguſtica *portat.*

Eſt & *Liguria*, campus locuſque amœniſſimus, Narboni proximus & majore parte pratenſis, vulgò *Liviere.* Gregor. Tur. *de gl. Martyr. c.* 92. *Nic. Lloyd.*

LIGURINÆ Alpes à Liguribus Gallis Gratio vocantur: Stœchades quoque Maſſiliæ adverſæ, *Liguſtides* propterea nuncupantur Steph. His poſteà ſuperatis Maſſilienſes, quos hi *Gallo Ligures* ſummopere diu infeſtaverant, condidêrunt Nicæam, victoriæ monumentum; Antipolim item, in agro Deceatium, armis occupavêre. Plura apud modò laudatum Hadr. Valeſ. *ſuprà dicto loco.*

LIGURINUS, Poëta: de quo Mart. *l.* 3. *Epigr.* 44. cujus Epigraphe in Ligurinum.

Occurrit tibi nemo quòd libenter,
Quòd quacunque venis, fuga eſt, & ingens
Circa te, Ligurine, *ſolitudo;*
Quid ſit, ſcire cupis? nimis poëta es.

Ligurinus, etiam Gunterus ille, qui poëma 10. libb. de Frid. Barbaroſſa condidit, appellatur. Vide *Gunterus.*

LIGURIUM, in Capitulis Car. Calvi numeratur inter ſylvas Regias: cujus nunc ſitus & nomen ignoratur.

LIGURNUS Portus, Ital. *Livorno*, Gall. *Ligourne*, urbs nova culta & probè munita, agri Piſani, cum arce firmiſſima. Emporium illius tractus celeberrimum, cum triplici arce. Creſcit indies. In planitie, intrà paludes, prope Montem Nigrum. 65. mill. à Florentia in Occ. Sub Mag. Duce.

LIGURUM Montes, Liv. *Monti della Lunigiana Leandro.*

LIGUS femina, in maritimis Alpibus, quæ fil. abdito, cùm ſimul pecuniam occultari milites Othoniani crediſſent, eamque per cruciatus interrogarent, ubi filium occuleret, uterum oſtendens, hic latere reſpondit. Nec ullis dein tortoribus aut morte conſtantiam egregiæ vocis mutavit. Tac. *Hiſt. l.* 2. *c.* 13

LIGUSTICÆ Alpes, Liv. *Montagna di Tendà*, eædem maritimis, Ptol. inter Nicæam & Taurinos.

LIGUSTICUM Mare, inter Gallicum ad Occ. & Tyrrh. ad Ort. Liguriam alluens. *Mar di Genova* Italis, *Mer de Genes* Gallis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LIGUSTRUM, arbor eadem cum cypro in Oriente, Plin. *l.* 12. *c.* 24. florem gignit mirè candidum, cujus frequens olim in coronis uſus. Mart. *l.* 1. *Epigr.* 116. cujus Epigraphe in Procillum *v.* 2.

Toto candidior puella cygno,
Argento, nive, lilio, liguſtro.

Virg. *Ecl.* 2. *v.* 18.

Alba liguſtra *cadunt* &c.

Baccæ eidem tribuuntur, apud Drepan.

Laurus Apollinea marceſcat denique ſylva,
Cumque ſuis baccis alba liguſtra *cadant.*

A *ligando* dicta videtur, quòd vimina ejus ligaminibus apta ſint: an à *legendo*, quaſi *leguſtrum?* Uſus illius medicos Plin. exequitur *l.* 24. *c.* 10. plura vide apud Dioſcorid. ejuſque commentatorem Matthiolum. Addam hoc unum, quòd utiliſſimam teſſeris hanc arborem facit idem *l.* 16. *c.* 18. ubi teſſeras luſorias intelligit Alex. ab Alex. *Genial. dier. l.* 3. *c.* 21. aut Dalechampius lignea ſigna, vinum frumentum, oleum, aut aliud quidpiam ejuſmodi ſignificantia & promittentia, quibus in congiariis & publicis largitionibus Impp. olim utebantur, vide infrà ubi de *Teſſeris.*

LIGYES, Aſiæ pop. qui cum Xerxe contra Græcos militârunt. Herod. *l.* 7. urbs eorum *Ligyſtina.* Steph. Thucyd. *l.* 6. *p.* 410.

LIGYRGUM, Arcadiæ mons. *Polyb.*

LIGYSTIDES, inſ. quæ & *Stoechades.*

LIGYSTUS, Phaëthontis fil. à quo *Liguria* dicta. *Fab. Pictor.*

LILÆA, urbs Phocis. Steph. Ferrar. *Lellen* ex tab. recent. opp. Achaiæ in Doride reg. apud fontes Cephiſi fluv. Stat. *Theb. l.* 7. *v.* 348.

Coryciumque nemus propellenteſque Lilæam
Cephiſi glaciale caput. ———

Plin. *l.* 4. *c.* 3. & 7. Strabo *l.* 1. *p.* 16.

LILERIUM, opp. munitum Arteſiæ, ſub Francis, pace ad Pyenæos; *Lilers* vulgò. Ad amnem *Navez*, 1. leuc. cum dim. ab Aria, Betuniam verſùs, à qua 2. leuc. diſtat, 7. ab Atrebato in Bor. non longè ab Hamenſi Abbatia.

LILÆUS, fluv. Bithyniæ interioris Plin. Λίλλιον Arriano. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 880.

LILITH, Eſaj. *c.* 34. *v.* 14. *Ibi reſidet* Liliths. *Strix & invenietque ſibi quietis locum.* Aben-Ezræ, *nocturna avis*; Aquinati *animal eſt, noctu clamans.* Sed Spectri genus eſſe, Vett. ſummo conſenſu docent, etſi de ſpecie non conſtet: multa de eo miraque fabulantibus Judæis, E quibus Elias *in Thisbi*, unam eſſe ait, ex 4. matribus Dæmonum, quam, ut ſpectrum muliebre noctu apparens, pueriſque maximè infeſtum, deſcribit. Itaque, ne quid attentet in infantes nuper editos, in puerperæ cubiculo, hodieque carmen ſcribunt ἀποτρόπαιον Judæi, quale habetur in Feſto. Apud Rom. allium, alyſſum & res turpis in collo infantum ex annulo appenſa, ad inſidias hujuſmodi abigendas, Thom. Bartholin. *de Puerp. Vett.* ubi Βερσελίαν, i. e. *matrem puerorum*, Coptis dici ait, & de infantibus hoc modo vexatis memorabile exemplum refert, *Hiſt.* 9. *Cent.* 1. Simile quiddam apud Ovid. legimus, de Strigibus, *Faſt. l.* 6. *v.* 143. *& ſeqq.*

In thalamos venêre Proca, Proca, notus in illis
Præda recens avium quinque diebus erat:
Pectoraque exſorbent avidis infantia linguis:
Ac puer infelix vagit opemque petit &c.

Vide quoque infrà, ubi de *Strige*, ut & in voce *Infans:* namque & Striges poëtis ſunt, alatæ mulieres aut nocturnæ aves. Nomen certè à ליל, i. e. *nocte* deductum, quâ potiſſimùm talibus Spectris locus eſt; adeoque ſpecies omnino muliebris ſpectri voce hac denotari videtur. Sed & *Lilith*, larvis potuit Furiiſque accenſeri, in impiæ cujuſdam *Lilith* odium, Reginæ זמרגד *Zmargad*, loci in Sabæis ita dicti, ut videtur, à ſmaragdorum copia, quam cum valido exercitu in Hiobi greges & ſervos irruiſſe, tradit Chaldæus Interpres, Hiob. *c.* 1. *v.* 16. Quo modo Gorgonas & Proſerpinam, de ſolio deturbatas, ad Inferos detruſêre Poëtæ, Bochart. *Hieroz. Parte poſt p.* 831. Vide quoque Bellon. *Obſerv. l.* 1. *c.* 10. & ſuprà ubi *de Caprimulgo.*

LILIUM, roſæ nobilitati proximum, Plin. *l.* 21. *c.* 15. De quo ſic Franc. Pomey, *Effundit primùm ad ſummam humum bulboſa lilii radix longiorum vim foliorum, refuſaque per ambitum, alia ſuper aliis, videntur huic excitare, quaſi ſolium, florum Regi. E medio foliorum globo, rectus erumpit caulis politus ac lævis, & æqualiter teres, perpetuâ circùm obſitus luxurie foliorum ſenſim decreſcentium, accreſcente & ſurgente ſcapo. Is, ubi ad binos, ternoſve extulit ſe ab humo cubitos, apicem coronat viridanti paniculâ oblongorum calycum viriditate, ut augeſcunt, in candorem ſenſim abeunte; donec juſtam adepti magnitudinem ſic albeſcunt, ut nihil ſplendidius, ſpecioſius nihil ſub aſpectum cadere poſſit. Tum verò ſinguli dehiſcere pedetentim, folia disjungere, evolvere, in latitudinem laxare, reſupinare molliter & in orbem diffundere, campanulæ in modum, aut effigie calathi. Denique languidum acclinare collum, quò ſpectentur ipſa floris intima, quò tota foliorum foris ſtriatorum pateat majeſtas, & amœniùs rutilent ſtantes in medio croci; quorum ſplendore aureo mirè excitatur argenti nitor circùm radiantis, niveique candor ſinûs, à quo prodière & in quo ſuaviter micant. De ſtamine illo viridi ſ. malleato apice, mediis in crocis extante, quod dicam, nil habeo: niſi quòd ſi* lilium *argentea campanula eſt* ——— *clava campanulæ ſtamen hoc erit malleatum, & odor, eſſet, ipſe quem edit, odor ſuaviſſimus, ſi audiri ſonus & olfieri odor poſſet. Utut eſt, nemo diffiteatur niſi malignè invidus & Liliorum inimicus, deberi huic uni flori principatum; dignum eſſe, qui in cæteros omnes dominationem exerceat.* Hinc Junoni olim in delitiis, è cujus lacte ortum fingitur. Sed & in nummis Vett. conſpicitur Dea, dextrâ lilium prætendens, cum *Inſcr.* SPES. PUBLICI. SPES. AUGUSTA. SPES. P. R. Imò in pallio quoque aureo Jovis, cum diverſa animalia, tum ex omnibus florum generibus, *lilia* inprimis cælata fuiſſe, apud Pauſ. legas Hodiè Galliæ Regum inſignia *tria Lilia* ſunt, de quibus aliquid paulò infrà: an imitatione priſcorum Perſiæ Regum, quos eodem florè in imperii inſignibus fuiſſe uſos, nonnulli indè colligunt, quòd Regia eorum eſſet Suſa, cui non à fluv. Suſo, ſed à voce Hebr. ſive Chaldæa *ſuſan* inditum nomen videtur, Autor Anon. *Sina & Eur. c.* 33. Certè *Etymologici* Autor, Σοῦσα, inquit, ἡ πόλις, ἀπὸ τῶν περιφυκότων κρίνων, καὶ σοῦσον τὸ κρίνον ὑπὸ Φρυγῶν λέγεται, Ut & de uſu floris aliquid paucis addam, in coronis olim frequens *lilium* fuit, cum album tum purpureum. Tertullian. *de Cor. Mil. Et utriſque liliis & omnibus violis coroneris.* Et quidem purpureum quo pacto fiat, docet Conſtantin Cæſ. *l.* 11. *c.* 21. Jungebatur autem roſis, *quod eboris oſtrique commercium* vocat Hier. *ad Salis de ſer. vid.* & in Sapientiæ ſceptro Prud. prædicat *Pſychom. v.* 882. roſis & apio, ut videre eſt apud Horat. *Carm. l.* 1. *Ode* 36. *v.* 15. roſis & violis, apud Tertullian. ubi ſuprà & Petron. Arbitr. *Edit. Gonſali de Salas p.* 72. & *Edit. Boſch. c.* 87. papaveribus quoque, apud Propert. *l.* 1. *Eleg.* 20. *v.* 37. &c. Eodem flore amicas ſuas donabant amantes, uti de Polyphemo legas, apud Theocrit. *Eidyll.* 11. Sed & ſepulcra, uti hyacinthis, apud Propert. *l.* 4. *Eleg.* 7. *v.* 31. 32. & 33. ſic *liliis* conſperguntur, apud Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 883. ubi de ſepulcro Marcelli &c. Plura hanc in rem, vide apud Plin. *l.* 21. *c.* 5. alibique paſſim, & præter herbariæ rei ſcriptores, apud C. inprimis Paſchal. *Coron. l.* 3. *c.* 8. Quod de Galliæ Regibus diximus, *Lilium*, in eorum nummis frequens. Et quidem ſub Phil. IV. floreni magni & parvi, *Florins d'or grands & petits*, cuſi ſunt A. C. 1302. & 1303. in quorum una parte, S. JOHANNES B. in altera *Lilium* Florentinum expreſſum eſt, cum Inſcr. P. DI. GRA. FRA. Biennio pòſt, *Regales parvi*, Gall. *Petits Royaux d'or fin*, ſub eodem Rege, cuſi ſunt, ponderis 3. den. & 15. gran. in quorum antica Rex ſedet in ſella, leoninis capitibus exornata, inter bina *Lilia*, cum Inſcr. PHILIPPUS D. G. REX FRANCORUM: in poſtica, crux effICTA, inter 4. *Lilia*, cum verbis. XRC. VINCIT. XRC. REGNAT. XRC. IMPERAT. Sub Phil. VI. varii itidem nummi aurei cuſi ſunt, in quibus Rex modò in cathedra ſedet, ſiniſtrâ ſcutum *liliatum*, enſem dextrâ tenens modò ſedet, ſub tentorio *liliato*: modò in campo *liliato* coronâ efficta conſpicitur &c. inprimis denarii auri puri cum Angelo, *Deniers d'or fin à l'Ange*, in quibus effictus Angelus togatus & coronatus, draconem pedibus premens, dextrâ crucem florigeram & lævâ ſcutum tenens, in quo *tria Lilia* expreſſa, pond. 5. den. 16. gr. Item alii: in quorum parte altera eques galeatus conſpicitur, haſtam in ſerpentem equi pedibus ſubſtratum intorquens, in area *liliata*, cum Inſcr. PHILIPPUS DEI GRA. FRANCORUM REX; in altera, crux in quadricircino, in cujus angulis exurgunt totidem ſcutula cum *tribus liliis* & inſcr. ſolitâ, XRC. &c. Sub Joh. Rege cujus Principatu aurum argento miſcebatur, Iterum 4. *Lilia* occurrunt, in Denariis auri puri cum Agno, *Deniers à l'Agnel d'or fin:* Sed ternarius numerus repetitus, ſub Car. VI. in denariis auri puri, *Eſcus à la Couronne* dictis, aliiſque; qui, licèt ſub eodem Rege, aliiſque aliquod inſequentibus, ſubindè variaverit, tandem tamen obtinuit, hodieque conſtanter ſervatur. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.* in voce *Moneta*, *ubi de Gallia Regum nummis accuratè*; & Phi. Jac. Spener. *de Arte Herald. Parte* 2. ubi *de Regum horum Inſignibus* pluribus agit: etiam aliquid ſuprà in voce *Floreni* & *Gigliati.* Hoc unum addo, quod monet Autor Anon. *Sina & Eur.* Matronis Regii ſanguinis licere veſtem *liliis* ſpargere, cæteris omnibus id prohibitum, *c.* 33. quod eſt, de *Floribus.* At *Lilium*, in Re Architect. Græcè, ut apud Anon. in *Deſcr.* S. Sophiæ quoque Κρίνον, ornamentum epiſtyliorum & aliorum operum eſt, formam *lilii* referens. Unde *opus lilii* 1. Reg. *c.* 7. *v.* 19. *ita ut corona quæ erant ſuper capitulum columnarum, quaſi* opere liliaceo *collocandarum in porticu*, uti Vulgatus habet. Vide Leon. Oſtienſ. *l.* 3. *c.* 28. Gregor. Mag. *l.* 1. *Ep.* 66. Alios, inprimis C. du Freſne *Deſcr. Ædis Sophianæ*, *n.* 59. ut & ſuprà, in voce *Crinonia.*

LILIUM, Ordo militaris Navarræ, à Garcia IV. inſtitutus. A. C. 1048. Conſtabat ex Equitibus 38. ſub Rege, Mag. Magiſtro, horum officium, contrà Mauros, regni hoſtes, fortiter ſe gerere. Favin. *Hiſt. Navarr. & theatr. hon. & Eq.*

LILIUM, machina militaris, de qua vide infrà, ubi de *Oppugnatione urbium.*

LILIUS Gregorius Giraldus Ferrarienſis, memoriâ invictâ, ingenio excellenti, eruditione in omni literarum genere eximiâ inclytus, *Varro ſui temporis* dici meruit. Opera ejus volum. 2. Baſileæ impreſſa: inter quæ Hiſtoria Deorum Gentil. *l.* 17. de poëtis græcis & latinis, *l.* 10. de poëtis ſui temporis. *l.* 2. eminent. Obiit podagræ doloribus attritus, A. C. 1552. Leand. Alb. *Deſcr. It.* Quenſtedt. *de patr. ill. Vir.* Ricciolus *in Chron. &c.* Vide *Georgius.*

LILLIUM, Λίλλιον Arriano. Emporium Bithyniæ circa Pontum.

LILLOA, vulgo *Lillo*, arx probe munita Brabantiæ, ad Scaldim, 2. leuc. infrà Antverpiam, quò naves tendentes ſiſtere coguntur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

1. leuc. à Sanflito in Auſtr. uti 4. à Bergis ad Zomam. Sub Hollandis.

LILYBÆUM, & Λιλύβη Dionyſ. prom. Siciliæ, cum urbe ejuſdem nominis, olim Epiſcopal. è cujus à Romanis exciſæ ruderibus *Marſala* condita eſt, Libyam ſpectans. Hic ab Attilio Regulo Pœni mari victi. Nunc *Capo Coco*, in Occ. maximè extenditur, reſpectu Pachyni & Pelori prom. Urbs verò, quæ nunc *Marſala* dicitur, eſt in Valle Mazaræ, in ora. 60. miil. paſſ. à Panormo. 12. à Drepano in Auſtr. 18. à Mazara in Cæc. Baudr. Punicè ללוב *Lelub*, h. e. *ad Libyam*, vel ללובאי *Lelubae*, *ad Libes*, quia ad Libyam, & Libes erat obverſum. Bochart. Hinc *Lilybaius*, Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 706.

Et vada dura lego ſaxis Lilybæïa *cæcis.*

Lege *Lilybeia.* Nic. Lloyd. P. Mela *l.* 2. *c.* 7. Plin. *l.* 3. *c.* 8. Strabo *l.* 6. *p.* 265. 271. & 277.

LIMA, ſ. *Civ. Regum*, urbs Archiepiſcopal. Americæ Merid. pulcherrima, emporiumque celebre. Condita A. C. 1535. à Fr. Pizarro Hiſp. in Valle Lima, antea *Rimao.* Sedes eſt Proregis, creſcitque indies, licèt tota ſit lignea, & ſine muris, in planitie, ad amnem cogn. 1. leuc. à mari pacifico; 2. ab ejus portu, vulgò *Callao di Lima*, uti 120. à Cuſco, aliàs Peruviæ primaria in Occ. Joh. Laët. Sub Hiſp. cum toto regno vicino. Hic 3. Concilia habita: quorum 3. A. C. 1583. Profeſſor quidam Theologiæ condemnatus eſt, qui ſibi Angelum familiarem eſſe, à quo omnia edoceretur, ſæpe cum Deo ſe colloqui, Papam forè & in Peruvia ſedem habiturum, &c. à femina quadam ſeductus deliravit. Linſchot. *Deſcr. Amer. c.* 20. Herrera *in Amer. c.* 19. *&* 20. Acoſta *l.* 2. *de noviſſ. c.* 20.

LIMA, vide infrà *Scabrities*, it. *Squartia:* uti de *Auri elimandi arte*, ſuprà. Sed & *Lima* Dea, *Limique* Dii, apud Arnob. *adv. Gentes l.* 4. *Quis Limentinum, quis* Limam *cuſtodiam liminum gerere & janitorum officia ſuſtinere* —— *Quis curatores obliquitatum Limos* (credat.) Ubi tamen pro *Limam* reponit *Janum* Herald. ex Tertull. qui *Limentino Janum* ſimiliter jungit de *Idol. c.* 16.

LIMACES, ſive cochleæ nudæ, Afris hodiè in cibo, teſte Braſavolo, à Ferrarienſibus ſuis ita edocto, qui cum Imp. Car. V. Tunetum ſunt profecti A. C. 1535. Vide Gerb. Joh. Voſſ. *de Orig. & progr. Idol. l.* 4. *c.* 78. Sed & jam olim palato Romanorum ſapuêre; apud quos earum vivaria inſtituit Fulvius Hirpinus, diſtinctis earum generibus, ſeparatim ut eſſent Albulæ & Illyricæ & Africanæ & Solitanæ. Quin & ſaginam *limacum* cochlearumque idem commentus eſt ſapa & farre, aliiſque generibus, ut cochleæ altiles ganeam implerent. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 1. *c.* 5. Cæterùm *Limacologiam* accuratam brevi expecta à J. J. Hardero Baſil. Collegii Leopoldini *Paone*, de quo ſuprà.

LIMÆA, Luſitaniæ fluv. Strab. *l.* 3. *p.* 153. Plin. *l.* 4. *c.* 22. quem *Lethen* vocat, per fines Bracarum & Limicos pop. inter Durium & Minium, in Ocean. ad Vianam influens. Sil. Ital. *Punic. Bell. l.* 1. *v.* 236. *l.* 1. *v. l.* 55. fluv. *fluv. oblivionis* dicitur.

LIMAGUS, Helvetiæ fluv. apud Glaronenſes oritur, ac in media ipſorum regione Serniphium, alterum ex altera valle delapſum amnem accipit. Deinde infra *Urnas* (duorum vicorum nomen eſt) ſuprà Lateritium (ita vocant) ex lacu Veſenio acceptâ aquâ Marcham (qui fuit olim Helvetiorum in Rhætos finis) ac caſtra Rhætorum (& huic loco etiamnum manet nomen *Gaſtra*) diſterminat. Hinc lacum Tigurinum ingreſſus, ad oſtia ejus Tigurum, ampliſſimam urbem dividit; mox Aquas delabitur, dein haud ita longè *Urſæ* ac *Arolæ* miſcetur. Hujus in undis haud pridem periit J. Henr. Hottingerus, Philologus & Theologus celeberrimus, Tigurinus: de quo funeſto caſu verè cecinit Amicus:

Tum totum Limagus *ſorbuit Oceanum.*

Germ. *Limmath*, *Limet* vel *Limat:* de quo ſic Glarean.

Deinde paludoſus ſplendenti Limagus *unda,*
Hoſpes Adulæ Claronaque incola terra,
Auctus abit, ſemperque cavis aptiſſimus alnis,
Volvitur in gyros & lenta volumina torquet.

LIMANIA, ſ. ALIMANIA, regiunc. Alverniæ inf. admodum rigua & mirè præ reliquis Gall. fertilis, in planitie; juxtà Elaverem fluv. ad 12. leuc. circiter à Mer. in Bor. extenſa, prope & intra Claromontem. Vulgò *Limagne.*

LIMBO circumflua chlamys, apud Stat. *Theb. l.* 6. *v.* 540.

At tibi Mæonio fertur circumflua limbo,
Pro meritis Admete chlamys, repetitaque multo
Murice.

veſtis erat *limbo* inſignis, cujus περιῤῥοὴν his verbis eleganter deſcribit; quemadmodum *circùm veſtem purpuram currere*, non minùs eleganter Virg. dixit. *Æn. l.* 5. *v.* 250.

—— *quam plurima circum*
Purpura mæandro duplici Melibœa cucurrit.

Nempe ſubſuebantur veſtibus panni vel inſtitæ ex purpura, quæ extremam earum oram ambiebant & ornabant: Græcis πέζαι dictæ & περιπέζια, Latinè *Limbi, panni, inſtitæ.* Sed & *Limbus* Græcis κύκλος, unde κυκλὰς, tunica limbum habens; quæ etiam ἔγκυκλος χιτὼν, item περίνησον, inſigni metaph. quòd eam, velut *Inſulam*, circumfluat *Limbus*, qui περίκλυσις inſuper eodem ſenſu dictus eſt. Matronæ autem Regiæ cycladas gerebant, non purpurâ ſed auro, circumtextas, cujuſmodi *limbos* auro intextos *paragaudias* vocârunt, de qua voce dicemus *infrà.* Vide & ſuprà *Acanthus*, item *Agnina.* Addam hic ſaltem, non unum tantùm aut alterum *limbum* de diverſis coloribus textum veſtibus adſui, ſed pluribus etiam interdum inſtitis, ad pedes uſque & talos deſcendentibus, imò per circuitum prætexi conſueviſſe, undè non *monolores* ſolùm, & *dilores*, ſed & *trilores* & *pentelores* veſtes paragaudæ, militibus à D. Aureliano donatæ, leguntur, apud Vopiſc. *in Aurel.* Sed & de baltheo vox, apud eund. Stat. occurrit *Theb. l.* 6. *v.* 367.

Subligat & picto diſcingit pectora Limbo.

ubi *pictum limbum circa pectora* Apollini tribuit. Etiam de faſcia frontem puellarum vinciente, Idem *Achill. l.* 2. *v.* 176.

—— *gemmatis aut nectunt tempora* limbis &c.

ad quæ loca vide Caſp. Barth. & plura hanc in rem apud A. Tiraquellum *LL. Connub.* ubi indicem nectit muliebrium ornamentorum, nec non infrà in vocibus *Lorum & Pannus.* in Eccl. Rom. *Limbus* dicitur fruſtillum ſerici panni; quod in parte anteriore & poſteriore Albæ, ut & in manicis ejus, adſui conſuevit, ut videre eſt apud Dom. Macr. *in Hierol.* de *Limbo Patrum* ac *Infantum*, vide Jac. Uſſerium Archiep. Armach. *Diſp. pecul.* &c. Hinc *Limbolarii*, ſive, ut Nonius, *Limborarii*, memorati Plauto, ubi feminei luxûs inſaniam traduxit, *Aulul. Act.* 3. *Sc.* 5. cùm inter alia ait, *v.* 45.

Textores, Limbolarii, *Arcularii dicuntur: datur*
Æs:

dicti fuêre, qui *limbos* & inſtitas conficerent, ſive *limbo* veſtes ipſas prætexerent ac pingerent. Octav. Ferrar. *de Re Veſt. Parte* 1. *l.* 3. *p.* 21. Vide quoque infrà *Liſta*, *Lorata veſtis*, *Mæandri*, *Margella*, *Panni*, *Periclyſis.*

à LIMBORCH Phil. Belga, Theologiæ inter Remonſtrantes Profeſſor, ſcripſit *Hiſt. Inquiſitionis l.* 4. cui ſubjunxit Librum *Sententiarum Inquiſitionis Tholoſanæ, ab* A. C. 1307. *uſque ad* A. C. 1323. jam primùm ab eo in lucem prolatam. Quæ ambo Amſtelodami typis expreſſa, A. C. 1692. apud Henr. Wetſtenium proſtant.

LIMBURGENSIS Duc. *le Duché de Limbourch*, Belgii prov. ſatis parva, cæterùm fertilis, mineralibus, herbis medicinalibus, aquiſque Spadanis inclyta, inter Duc. Juliac. ad Ort. & Bor. ac ditionem Leodienſem, ad Occ. & Mer. Ejus caput eſt *Limburgum*, urbec. in rupe, cum arce, ad amnem *Weſer*, in conf. dit. Leod. Capta ab Hollandis, A. C. 1632. ſed ab Hiſp. recepta, quibus à Gallis erepta eſt, A. C. 1675. 5. leuc. à Leodio in Ort. uti & 7. à Trajecto ad Moſam, 4. ab Aquiſgrano in Auſtr. Reliqua opp. ſunt Rhodia Ducis, ſub Hiſp. Dalemum autem & Falcomontium ſub Hollandis.

LIMEN, ab antiqua voce *limo*, quæ tranſverſum ſignificat; tranſverſim enim *limina* ponuntur; aliàs *limes:* hæc enim licet exitu & flexionis modo differant, origine tamen & primitivâ notione idem ſunt. Iſid. *l.* 15. *c.* 14. *Limites appellati antiquo verbo tranſverſi, nam tranſverſa omnia antiqui lima dicebant, à quo &* limina *oſtiorum, per quæ foris & intus itur; & limites, quòd per eos foràs in agros eatur.* Non unum olim erat, uti diſcimus ex Stat. *Theb. l.* 3. *v.* 579.

—— *& primo plorantes* limine *natos.*

Ubi *primum limen* exterius eſt, ex vett. ædificiorum ratione, quæ veſtibulis magnis ædes antecapiebat. Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 469.

Veſtibulum ante ipſum, primoque in limine *Pyrrhus*
Exſultat, telis & luce coruſcus ahenâ.

Cujuſmodi domus, ad Romanam conſuetudinem exædificatas, in Germaniæ Coloniæ inprimis Agrippinæ frequenter conſpici, notat *at Stat. l. c.* Barth. Utrique *Limentinus* Deus præerat, apud Rom. ſicut cardinibus Dea Cardea, & foribus Deus Forculus, quos proin falsè ridet Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 8. Apud eoſdem Sponſa, in mariti ædes intratura, *limen* non tangebat, quemadmodum hodieque in aliquot Italiæ locis fieri ſolet, ut egrediens paternâ domo nupta pedem tollat, neque limen attingat. Cui rei cùm alii alias cauſas aſſignent, Scalig. illa propior videtur, ne magicis pharmacis lædi poſſet, quæ *ſub limine*, ad deſtruendam conjugum vel concordiam vel vim genitalem, defodi ſolent à veneficis. Certè & Juno, in *limine* Alcumenæ ſedens, manibus pectinatim junctis genu utrumque amplexa, aliquandiu parturientem Alcumenam morata legitur. Alia ratio fuit Sacerdotum Idoli Aſdoditatum Dagonis, quibus limen calcare ædis ei ſacræ fuit nefas, ob cauſam memoratam Jud. *c.* 5. *v.* 2. & *ſeqq.* Ad quem ritum reſpici volunt nonnulli Zeph. *c.* 1. *v.* 9. *Et animadvertam in omnem, qui inſilit limen;* quaſi ac periphraſi Idololatriæ, Sacerdotum illorum imitatores, denotentur &c. Quâ occaſione, ut *de liminibus Fanorum* paulò plura dicam, in ipſis illis ſuperſtitio nationum religionem inveniebat, adeò ut exoſcularentur ea. Ovid. *Met. l.* 1. *v.* 375.

Ut templi tetigêre gradus, procumbit uterque
Pronus humi, gelidoque pavens dedit oſcula ſaxo.

Et Juv. *Sat.* 6. *l.* 2. *v.* 47.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

—— *Tarpejum* limen *adora*
Pronus, & auratam Junoni cæde juvencam,
Si tibi contigerit capitis matrona pudici.

In magna præſertim calamitate. Arnob. *adv. Gentes l.* 1. *Quot milia vultus à nobis debilium vobis oſtendi* —— *nullam omnino retuliſſe medicinam cùm per omnia ſupplices irent templa, cùm Deorum ante ora proſtrati,* Limina, *ipſa converrerent oſculis* &c. Nempe in ejuſmodi περιςάσεσι ſtatim quum templa ingrederentur, conſpectis Deorum ſimulacris, in ipſo *limine* ad terram ſeſe profundebant & ſic ipſi quandoque limini oſculum dabant. Quem morem Chriſtianos quoque imitatos, legimus non paucis apud Chryſoſtomum *Homil.* 30. *in* 2. *ad Cor.* Hinc Prud. περὶ ςεφ. *Hym.* 3. *v.* 518.

Quondam Luperci & Flamines.
Apoſtolorum ac Martyrum
Exoſculantur limina.

vide quoque Arnob. *l.* 1. Eadem pectore quoque terſêrunt. Stat. *l.* 5. *Sylv.* 1. *v.* 162.

—— *nunc anxius omnibus aris*
Illacrymat, ſignatque fores, & pectore terget
Limina ——

de quo ritu vide Caſp. Barthium *ad Claud. de Laudib. Serenæ Reg. Carm.* 29. *v.* 38. 97. 131. & 215. & *Adverſ. l.* 43. Comis item. Lucan. *Civ. Bell. l.* 2. *v.* 28. *& ſeqq.*

—— *Cultus matrona priores*
Depoſuit: mœſtaque tenent delubra catervæ.
Hæ lacrymis ſparſêre Deos: hæ pectora duro,
Afflixêre ſolo; laceraſque in limine ſacro
Attonitæ fudêre comas ——

Quod σαρῶν τὰ πρὸ τῶν νεῶν Artemidorus vocat *l.* 2. *c.* 33. ἐκμάσσειν δὲ θεῶν ἀγάλματα, ἢ καθαίρειν, ἢ ἀλείφειν ἢ σαρῶν τὰ πρὸς τὸν θεὸν κλ. Vide plura hîc paſſim. Adde B. Briſſon. *de Form. l.* 2. Dan. Heinſ. *ad Sil. Ital. Pun. Bell. l.* 8. Deſid. Herald. *ad Arnob. l.* 1. *p.* 69. J. Lipſ. *ad Tac. Ann. l.* 15. & *Elector. l.* 2. *c.* 6. Th. Dempſter. *ad Corippum p.* 166. Martinum Roam, *Singularum l.* 4. *c.* 2. Alios. Cæterùm *liminibus* Marmor Numidicum ſequiori ævo adhibitum eſſe, apud Rom. dicemus infrà in voce *Marmor.* &c. Apud medii ævi Scriptores, *Limen*, pro Eccl. ſ. Æde ſacra, in vet. *Inſcr.* allata à Catello *in Hiſt. Occitan. p.* 738. †DO. Eᴛ. Xᴘᴏ. MISERANTE. LIM. HOC. C. L. K. T. E. (*conlocatum eſt*) Aɴɴᴏ IIII. CS. VALENTINIANO. AUG. IIIKL. D. XVIIII. ANNO. EPUS. RUSTI ... Unde *Limina Apoſtolorum*, & *Limina Sanctorum viſitare*, dicuntur in Eccl. Rom. qui ad Sanctorum monumenta peregrinationes inſtituunt, de qua formula vide quæ dicit C. du Freſne *Deſcr. Ædis S. Sophiæ*, ubi de *Solea*; ut & Savaro *ad Sidon. l.* 1. *Ep.* 5. aliique ei in *Gloſſ.* laudati. Sed & *Limina*, pro templis paganos jam olim uſurpâſſe, patet ex Stat. Mart. Aliis. Vide quoque in *Porta.*

LIMEN Confeſſionis, Græcis σολέα, ad quod ii, qui Sanctorum ſepulcra veniebant viſitatum, ſolebant conſiſtere, pluribus deſcribitur C. du Freſne *in Deſcript. c.* 1. *Ædis S. Sophiæ.* Vide quoque infrà aliquid in voce *Solium.*

LIMENARCHUS Cypri, in vet. *Inſcr.* 427. 9. Gr. λιμενάρχης, i. e. *portûs Præfectus.* Horum meminit Paulus *in l. Limenarchæ, ff. de ſerv. fugitiv. Limenarchæ & ſtationarii fugitivos deprehenſos rectè in cuſtodia retineat.* Ariſtot. λιμενοφύλακας eos vocat *Polit. l.* 6. *circà fin.* Vide Macros Fratres *in Hierol.* Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* & ſuprà ubi *de Litorum Comite*, & infrà in voce *Portulanus*, it. *Portus.* Idem inter Priapi cognomina, vide ubi de eo.

LIMENIA, Venus ſic dicta, cui apud Hermionios virgines ante nuptias, & ſiqua vidua ad maritum rurſus accederet, ſacra faciebant.

LIMENIA, Cypri civ. Strabo *l.* 14. *p.* 683. nunc pagus, *Limnat*, in medit.

LIMENIUS Coſ. cum Catulino Philonio A. U. C. 1102.

LIMENOTIS, Cherſoneſus Celtica. *Steph.*

LIMENTINUS, putabatur Deus, qui *liminibus* præerat, ſicut foribus Forculus, cardini Cardea vel Carna.

LIMERICUM, Gall. *Lymerik*, Hibernis *Loumeath*, urbs munita Momoniæ, in limite Connaciæ, ad Sineum fluv. pontibus interſciſſa. Nota fuit ultimis tempp. 45. mill. paſſ. à Kilkennia in Occ. 35. à Galiva in Auſtr. Gulielmo III. hodierno Mag. Britanniæ Regi haud pridem, poſtquam acriter obluctata eſſet, ſe dedere coacta ſicque tota Hibernia in poteſtatem ejus redacta eſt, d. 13. menſis Octobri A. C. 1691. Hinc *Com. Limericenſis*, vulgò *Lymerik Countye*, regiunc. Hiberniæ, à Connacia fluv. Sineo in Bor. diviſa.

LIMES, omnis publico itineri ſerviebat, adeoque quot *limites*, per quos iter populo præbebatur, tot publicæ viæ fuêre. Sed nec unum genus earum, nec una fuit latitudo: aliæ pedes 60. aliæ 40. aliæ 30. aliæ 20. aliæ 12. aliæ 8. latitudinis habuêre; quæ ultima legitima & minima viæ latitudo erat. Diſtabant autem *limites* à terminis, quippe qui terminis diſtinguebantur & agrorum ſulcis agebantur, *foſſæ* hinc & *ſulci* ſæpe vocati: propriè enim *Limes* via cava, hinc inde extantibus marginibus, vide de his agrorum *Limitibus*, Salmaſ. *ad Solin. p.* 678. *& ſeqq.* In Circo *Limitem* Tertullian. *l. de Spectac.* propriè vocavit loca illa, quibus populus ſedebat ſpectabatque, ut *cardines* erant in Theatro: recti viz: ac perpetui ſedilium ordines, qui per longitudinem porticus; quàm longa fuit, diſpoſiti fuêre, ſ. viæ inter illos ſedilium ordines, inſtar *limitum*, perpetuo rigore incedentium, tres enim porticus triſtegæ Circumcingebant in ſpeciem amphitheatri: Solum latus, ubi carceres erant, abſque ædificiis & porticu fuit, & ſub divo expoſitum; In inferiore porticûs parte ſedilia fuêre lapidea, in ſuperioribus lignea. Ut minùs ſpatii perderetur, perpetuâ recturâ videntur diſpoſita, nullis interciſa viis tranſverſariis, ut in theatro. Quam ob cauſam ordines longos illos ſubſelliorum in Circo, *limites* Tertullian. *lineas* Ovid. vocavit, ubi de Circenſibus: *Amor. l.* 3. *Eleg.* 2. *v.* 19.

Quid fruſtra refugis? Cogit nos linea jungi:
Hac ex lege loci commoda Circus habet.

Vide infrà *Linea*, it. *Prariperee limitem.* In Thearro longè ſecus: ubi *Cardines* & *Cunei* dicebantur, quia per cuneos diviſa erant &c. Plura de *limitibus* cum agrorum, tum Circi, vide apud præfat. Salmaſ. *ad Solin. paſſim p. inprimis* 918. & *ſeqq.* Ut de Imperii *limitibus* aliquid addam, fuêre illi duûm generum: Alibi enim limitibus à natura poſitis claudebatur, *mari* ſc. h. e. Oceano (nam Mediterraneum, paucis exceptis, circà Pontum & Mæotin, Orbis Rom. totum capiebat) *fluminibus* magnis, ut Danubio & Euphrate, vel aliquando Rheno & Tigri: Item *montibus*, ut in Aſia Tauro quibuſdam locis, alibi aliis; quibus Herodian. addit terras *deſertas* & ſolas quæ locis aliquot Imperium terminarent, *l.* 2. Alibi terminabatur *Foſſis*, *Caſtris*, *Arcibus*, *Concadibus*, *Stipitibus*, *Muris*: quæ ultima ſpecialiter *Limites* appellat Spartian. *in Hadr. Caſ.* Et quidem *Foſſarum*, idem Herodian. meminit *l. c.* ut & *Arcium* ac *Caſtrorum*; quorum inſuper meminêre, Tac. Aur. Victor de Trajano, Amm. Marcell. *l.* 28. *c.* 5. & 6. 7. Cujuſmodi arces & limitaneas urbes, non primus inſtituit Diocletian. quod Zoſimus vult; ſed neglectu priorum Principum collapſas, in integrum ſaltem reſtituit. *Concadium* mentio, apud Tac. *Ann. l.* 1. *Muris* Barbaros ſubmovere, primus inſtituit Hadr. qui murum in Britannia duxit, de quo *ſuo loco*: de *Stipitibus*, quod munimen non multùm ab eo diverſum erat, quod concædibus fiebat, Spartianus agit *in eod. Hadr.* ad quem vide Caſaub. Hos verò *Limites* qui tuebantur milites, *Limitanei* dicti ſunt vel *Ripenſes*, quibus *Numeri*, h. e. *Legionarii* milites, opponuntur paſſim, apud *Hiſt. Aug.* Scriptores; *Comitatenſes*, item in *Cod. Theod.* quo modo tum dicebantur, qui priùs *Legionarii*, vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Probo*: ut & ſuprà in voce *Arciſinius*, *Condita*, item infrà in *Terminus.*

LIMI, inter Deaſtros Rom. memorantur Arnob. *adv. Gentes l.* 4. *Quis curatores obliquitatum* Limos? *Quis Saturnum præſidem ſationis? Quis* —— *ad extremum Deam Pecuniam eſſe credat?*

LIMICA, quibuſd. *Forum Limicorum*, opp. Hiſp. Tarr. in Callaicis Bracariis. Nunc *Puente de Lima*, opp. Portugalliæ ad Limium fluv. 4. leuc. à Bracara in Bor. 5. à Tuede in Auſtr.

LIMIA, fluv. Hiſp. vide *Limæa.*

LIMICI, Hiſp. Tarr. pop. *Ptol.*

LIMINIUM, opp. inter Emeritam, & Cæſarauguſtam. *Ant.*

LIMIOSALEUM, urbs Germ. nunc in regno Polonico, Archiepiſcopal. & Metropolis, Ptol. vulgò *Gneſna*: inter Poſnaniam ad Occ. 7. & Toruniam ad Ort. 12. leuc. in Polonia maj.

LIMITUM Comes, vide *Comes.*

LIMNÆ, locus in arce Athenarum, templum habens Dionyſio ſacrum, à Theſeo Rege extructum: quo in loco vetuſtiora Bacchanalia peragebantur die 12. menſis Antheſterionis, qui noſtro ferè Novembri reſpondet. Ariſtoph. *in Ranis*, & Thucyd. *l.* 2. *p.* 34. Item Thraciæ Cherſoneſi urbs, Strabo *l.* 8. *p.* 361. juxtà *Sextum.*

LIMNÆUM, templum fuit Dianæ in Limnis, de quo Strabo *l.* 8. *p.* 361. & 364.

LIMNATIS, Diana dicitur Pauſ. *in Meſſeniacis*, *Achaicis*, & *Arcadicis* paſſim, à *Limnis* opp. in conf. Lacedæmoniorum, & Meſſeniorum, in Laconicis ejuſdem τῆς Λιμνάδος malè pro Λιμνάτιδος. Idem *in Corinthiacis* Ἀρτέμιδος Λιμναίας meminit. Certè apud Lacedæmonios cultam fuiſſe *Limnatim* Dianam ex Tac. diſcimus *Ann. l.* 4. *c.* 43. ubi perperam etiam *Limeneditis Diana*, pro *Limnetidis*, vel *Limnatidis*, dicitur. Λιμνάτιν etiam Dianam à piſcatoribus cultam, ut à venatoribus Ἀγροτέραν, teſtis eſt Artemidor. qui illam à ſtagno λιμνῆτιν dictam memorat *l.* 2. Vide Meurſ. *in Miſcell. Laconic. l.* 1. *c.* 2. *Nic. Lloyd.*

LIMNIADES, ſtagnorum nymphæ apud Ethnicos. Λίμνη enim *ſtagnum* ſignificat. Vide Nat. Com. *l.* 5. *c.* 12.

LIMNIOTA, cogn. Georg. Monachi, qui quòd pro Imaginum cultu mortem obierit, apud ſuos pro Sancto habitus eſt, in *Martyrolog.* Rom. 24. Aug. & *Menolog.* Græc. memoratus: ex Græco λιμνιώτης, i. e. *ſtagni habitator.*

LIMNOTHALASSA, inſ. Hiſp. adjacens, inter Carthaginem & Sucronem, non procul à Diano. Strabo *l.* 4.

LIMNUS, inſ. maris Britannici, inter Cambriam & Hiberniam, Ptol. hodie *Ramſey* Anglicè Camd. Britannicè *Lymen.*

LIMNUTHUM, Britanniæ Inſ. urbs, ubi Jacobus Scot. Rex, in æde ſacra à quodam divinitus miſſo fruſtrà monitus: poſteà ab Henr. VIII. Angliæ Rege ad Fluidonem ingenti clade affectus eſt, cæſis cum ipſo Rege XV. M. A. C. 1513. Buchanan. *Hiſt. Scot. l.* 13. & 14.

LIMOGIA ſ. *Opus de Limogia*, in *Charta* A. C. 1197. apud Ughellum *Ital. Sacr. Tom. VII. Duas tabulas æneas ſuperauratas de labore Limogiæ*, & apud alios recentioris ævi Scriptores quaſi *opus Lemovicinum* dicitur, quod *Encauſticen* Vett. Galli *Email* vocant; ab urbe *Limogia* ſ. *Lemovicibus*, quæ gens arte hac multis aliis præcellit, vide C. du Freſne in *Smaltum alibique*, & ſuprà in voce *Eucauſtice.*

LIMON,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LIMON, locus Campaniæ inter Neapolin & Puteolos. Stat. *l.* 3. *Sylv.* 1. *v.* 149.

Et placidus Limon, *numenque Euplœa carinis.*

LIMONE, urbs Perrhæbica, Steph. in Ἡλώνη.

LIMONIA, vide *Scolymus.*

LIMONIADES, Nymphæ florum, & pratorum, quas ali- aliquando mori, ac deficere dixit Ariſtot. ſicut Panes ac Fauni.

LIMONIUS Mons, mons Walliæ, *Plimlimon* Camd. ſ. *Plymlimon Hill.* Anglis, *Mont Plymlimon*, Gallis. Partim eſt, in Cardigania in Occ. partim in Mongomerienſi tractu ad Ort. ubi Sabrina & Vaga fluv. ex eo ſcaturiunt. J. Speedus, Sanſon, *alii.*

LIMONUM, urbs Pictonum, Ptol. quid hodie ſit, ignoratur. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* in voce *Pictones.*

LIMONUM, Pictonum opp. in Gallia, Ptol. vulgò *Limon.* Nunc *Poictiers*, Pictonum caput, Epiſcopal. ſub Archiep. Burdegalenſi, per ampla, ad Clanim fluv. Cluv. Briet. Sanſoni. Vide *Pictavium.*

LIMOSINA, dicta eſt non modò Italis ſed & Hiſpanis præſertim. Lingua illa, quam *Romanam* Galli vocârunt, Ruſtica viz. & Semibarbara, de qua retrò vide, in voce *Latina*, & infrà *ſuo loco.* Ex quo enim exacti ab Hiſp. Mauri, redactum eſt potiſſimùm vulgare idioma ad tres linguas, *Vaſconicam* ſ. *Biſcainam*, quæ in Biſcaia Navarra, Guipuſcoa & Alva obtinuit: *Caſtellanam* alteram (quæ rarioris fuit uſûs, utpote barbaris aſperſa vocabulis, à quibus tum demum purgata eſt, cùm ad unicum Principem tota Hiſpanorum poteſtas rediit) uſitatam apud Caſtellanos, Toletanos, Aſturienſes, Extremadurenſes & Granatenſes; Item in Gallæcia, Andaluſia, Luſitania ac Arragonia, exteris ſubindè vocabulis, Arabicis, Francicis aliiſque intermixtam: ac tertiam, *Limoſinam*, cujus uſus fuit in Catalaunia, in Comitatibus Ruſcinonenſi & Ceritanenſi, in Aquitania, Occitania, atque adeo, ut Scriptores Hiſpani volunt, in ipſa Galliæ Regum aula; à Catalaunia, in Valentiæ, Majoricæ & Minoricæ poſtea Regna tranſiit, quòd ea ad Barcinonenſes Principes perindè ſpectarent. Hanc à Lemovicum Urbe Galliæ notiſſima denominatam, indeque in Catalauniam tranſiiſſe, cùm Francorum exercitus Pyrenæos montes transgreſſi has inſidere provincias cœpiſſent, ex variis tum gentibus conflati, maximè ex ea Occitaniæ parte, in qua Urbs *Catalens* ſita, tradunt Calça *in Catalania c.* 16. Eſcolan. *Hiſt. Valentia Tem.* 1. *c.* 14. & Andr. Boſchus *de titul. Honor. Catalan. l.* 1. *c.* 2. §. 4. 5. & *l.* 2. *c.* 17. Utut ſit, conſtat idem eſſe ferè Catalaunorum idioma, quod Galliæ Provincialium, quodque in Catalauniam introductum fuiſſe à Comitibus Barcinonenſibus, vero proximum eſt, ex quo Provinciæ Comitatum ſuis adjunxêre dominiis. Ea quippe lingua nitida adeò, florida, culta, ac polita eſt habita, ut nulla ferè extiterit regio, in quam non recepta fuerit, cùm maximè in Principum aulis ingenti in pretio haberentur poëtæ Provinciales, eorumque poëmata, ut genio quaſi dotata ſingulari, ubique fermè legerentur. Ipſum Petrarcham idiomatis hujus vocabulis carmina ſua crebrò aſperſiſſe, iidem Autores obſervant. Cæterùm Raimundus Montanerius, qui vixit circà A. C. 1300. *Hiſtoriam* ſuam eadem linguâ exaravit & Carnobellus *in Chronico*, ejuſdem idiomatis tabulas variaque acta deſcripſit &c. Vide plura hanc in rem, apud C. du Freſne in *Gloſſ. Præf.* ubi *Chartam*, in Ruthenenſi Comitatu. ubi Lingua Lemovicina perindè uſurpata, circà A. C. 1100. exaratam, & veteris Latii non parum retinentem, curioſo Lectori exhibet.

LIMOSIUM, urbs Occitaniæ, in agro Redenſi, belli Albigenſis ſcriptoribus notiſſima, ad Aracem fluv. 1. leuc. infrà Aletam in Bor. 3. à Carcaſſone in Auſtr. 6. à Mirapinco in Ort. Parva, ſed culta, intra montes, in Diœceſi Aletenſi; *Limoux* vulgò.

LIMOVICI, vide LEMOVICES.

LIMPIDARE Lapides, qui polſuntur, ſequior Latinitas dixit. Sed & ex libris Dolabellæ, *in Fragmentis* Agrimenſorum, ita ſcribitur: *Omnis terminus ab oriente* limpidum *latus habet: ab occid. ruſpidum latus habet*; ubi *limpidum* pro polito & lævigato ponitur. Græcum eſt λάμπος, *lucidus*, undè *limpus* & *limpidus.* Poliebantur autem & in nitorem dabantur gemmæ attritu limæ vel arenæ vel rotæ vel alterius lapidis ſcobe. quod facientes, *Tritores Lapidum* Latinis, Græcis σμῆκται λίθων & σιλῶται dicti ſunt. Epiphan. πιναροποιοὺς vocat in voce ex palæſtra deſumpta, quâ nitidi & politi εὐπινεῖς & πιναροὶ dicebantur ab oleo, quo perfuſi niteſcebant. Undè εὐπίνεια χαλκῶ, pro *nitore* ac *lævore* per tralationem &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1105.

LIMPURGUM, vulgò LIMPURG, caſtrum Germ. undè illuſtri Fam. nomen, cujus Domini pincernæ S. R. Imp. hæreditarii ſunt & ab antiquo tempore, inter Comites Franconiæ (à cujus Ducibus vel & Limburgiis derivari amant) floruêre. Sunt verò duæ lineæ capitales. *Gaildorfia* (quo etiam *Schmidelfeld* refertur) & *Speckfeldia* vel *Sonthemia*: quarum illa à Conrado, hæc à Frid. utroque Frid. A. C. 1414. Mortui filiis, deſcendit. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Parte I.* & quamque earum *ſuo loco.*

LIMUS, teſte Serv. ad illud Virg. *Æn. l.* 12. *v.* 119.

——— *Alii fontemque ignemque ferebant,*
Velati limo:

veſtis erat, quâ uſque ad pedes tegebantur Poparum (ſ. Victimariorum in ſacrificiis) *pudenda.* Hanc veſtem *cinctum* appellatam volunt quidam, unde Hygen. *de limit. agror.* ait, *Limum cinctum ideo vocatum, quòd purpuram tranſverſam habeat; habebat enim in extremo purpuream limam.* Inde ſuccincti Popæ. Suet. *Calig. c.* 32. *Succinctus poparum habitus.* Et iſtiuſmodi veſte Cethegos, qui proin *Cinctuti* dicti, indutos fuiſſe, ſunt qui dicant, Vide Octav. Ferrar. *de Re Veſt. Parte I. l.* 1. *c.* 9. Eadem lictores quoque uſos fuiſſe, indicat Tiro libertus Cic. apud A. Gell. *l.* 12. *c.* 3. ubi *Lictorem vel à limo vel à licio dictum: Licio enim tranſverſo, quod* limum *appellatur, qui magiſtratibus præminiſtrabant, cinctos fuiſſe* ſcribit. Cui ſuffragatur Iſid. *l.* 15. *Orig. c.* 14. dicens. *Hinc &* limus *vocabulum accepit, cingulum, quo ſervi publici cingebantur obliquâ purpurâ*: & *l.* 19. *c.* 33. Limus *eſt cinctus, quem publici habent ſervi; & dictus* Limus, *quia tranſverſas habet purpuras, i. e. limas.* Hinc *Limocincti* voce compoſitâ tales dicti ſunt, ut legitur in antiqua ærea tabula, apud Cæſarem Nicheſolam Patricium & Canonicum Veronenſem: *Honori. M. Grazi. M. F. Pob. Squitiiani. Eq. pub. IIII. vir. I. O. IIII. vir. Ap. ut. Curatori. Vicentinor. Apparitores. & Limocincti. tribunalis. ejus.* Vide Laur. Pignor. *Comm. de Servis*, & infrà in voce *Publici.*

LIMUSA, Pannoniæ inf. urbs, Ant. *Munsberg* Lazio. Baudr. aliàs opp. Pannoniæ, nunc vicus Hung. *Wiſelburg*, primo lapide Altenburgo in Auſtr. prope ramum dextrum Danubii, Arrabonem verſus.

LIMYRA, urbs Lyciæ, à *Limyro* fluv. (qui per urbem hanc fluens, in mare Lycium, inter Andriacam & Aperras urbes exit: *Lorymus* Strab. *l.* 14. *p.* 666.) Steph. Epiſcopal. ſub Archiep. Myrenſi, inde non longè diſtans, 20. ſtadiis ab ora litorali: Hodieque *Limyra.* Vide *Lymira.*

LIMYRICA, regio Indiæ intrà Gangem; Ptol. Plin. *l.* 31. *c.* 2. Hanc Mercatores petebant, quos navigationem ſuam ante exortum Canis, aut protinus ab ortu, circà d. 19. Julii incepiſſe; reverti autem conſueviſſe medio Decembri tradit Autor *Peripli.*

LINACER Thomas, Anglus. Medicus celebris, floruit Sec. XVI. Is ſtudiis morbiſque tractus, & jam morti vicinus, cùm Nov. Teſt. tùm primùm (Sacerdos quamvis) in manus cepiſſet, & Matth. *c.* 5. (ubi inprimis de juramentis) & 6. ac 7. percurriſſet, *abjecto iterum* (ſic Joh. Chekus *Litt.* ad Steph. Ep. Vintonienſem) *quantum potuit totis viribus libro, juravit, aut hoc non fuiſſe Euangelium, aut nos non eſſe Chriſtianos.* Quod hinc proculdubio factum, quia uſus frequentiſſimus temerè adverſùm ipſa verba Chriſti jurandi, apud Chriſtianos jam illius temporis, admodum graſſatus eſt. Joh. Selden. *de Syned. vett. Hebraor. l.* 2. *c.* 11. *n.* 6. Vide & *Thomas.*

LINCASII, Gall. Narbon. gens circà Æduos, Strabo *l.* 4. *p.* 186.

LINCKIA, Belgis *Linken*, Gall. *Fort de Link*, arx munita Flandriæ, in diſtrictu Burburgenſi, ad Colmam fluv. 1. leuc. à Burburgo in Eur. 2. ab Audomaropoli in Bor.

LINCOLNIA, vulgò LINCOLNE-SHIRE, Comit. Angliæ, ubi aliàs Coritani. Terminatur ab Ortu Oceano Germ. à Sept. prov. Eboracenſi, ab Occ. Nottinghamiæ Comit. à Mer. Northantoniæ & Cantabrigiæ Comit. Ejus caput eſt *Lincolnia*, ſ. *Lindum*, juxtà Withamam amnem, 7. mill. à Trenta fluv. In collis dorſo. Satis ampla & culta, 22. mill. Angl. à Nottingamia in Eur. 20. ab ora Oceani Germ. in Occ. Vide quoque *Lindum.*

LINCOPIA, metropolis Oſtrogothiæ, Epiſcopal. ſub Archiep. Upſal.

LINDA, oppid. Petrocorii, ad fluv. Dordonam, *Joh. Matal. Metell.*

LINDANUS Gulielmus, Damaſi fil. Batavus, patriâ Dordracenus, ex illuſtri *Lindanorum* ſ. *van der Linden* fam. ortus, Ep. primò Ruræmondenſis, dein Gandavenſis, floruit Sec. Præt. Scripſit in aureum illum *Pſ.* 118. vel ſecundum alios 119. qui cœleſtis omnis Philoſophiæ veriſſimum eſt Gymnaſium, & ſaluberrimum animarum noſtrarum narthecium, ideoque à S. Patribus *Spiritus S. Apotheca* meritò dicitur: Item in Pſalmos, *Argumenta & Scholia*: In 30. priores Pſalmos, *Paraphraſes*: in Pſalmos Pœnit. *Faſciculum Pœnit. In Canticum Cant. In Epiſtolas Domini noſtri ad Epiſcopos in Apocal.* &c. Obiit Gandavi A. C. 1588. De eo Swertii diſtichon hoc eſt:

Præſulis hujus erat, quod habent hæc tempora rarò,
Mens ſincera, manus larga, pudica caro.

Vide & *Gulielmus.*

LINDAVIUM, ſ. LINDOIA, vulgò LINDAW, urbs libera Imp. & pulchra Sueviæ ad lacum Brigantinum, Inſ. lacûs Conſtantienſis, ponte 290. paſſ. lapid. unita continenti, ſatis munita, & fruſtrà à Suecis tentata; 5. mill. Germ. à Fano S. Galli in Ort. uti 8. à Conſtantia, 9. à Memminga in Auſtr. In limite Helvetiorum. A tiliis, quæ olim circum monaſterium plantatæ, nomen nacta, etiam in inſignibus viridem tiliam in clypeo gerit. Hîc primò cœnobium circà A. C. 810. ab Adelberto Rorbacio, Car. Mag. cognato divæ Virgini ſacratum: ad quod cùm multi confluerent, vicus extructus: ex vico identidem ampliato & aucto opp. factum eſt, in loco amœno, commodo & fœcundo ſitum. Hoc primùm Abbatiſſæ, dein Sueviæ Ducibus ſubfuit: alii tamen *Lindaviam* non ad Monaſterium, ſed ad Comitem Lindavienſem ſive Brigantinum pertinuiſſe, & ab hoc libertate 24. marcis auri argentique emptâ, Imperio ſe addixiſſe docent. Privilegia à Rodolpho I. Frid. III. Sigiſmundo Impp. accepit ampliſſima. Monaſterium verò, ſive Abbatia Lindavienſis, in quatuor pagis *zu Reitnau*, *Schönau*, *Æſchach*, & *Rinckenbach*, hobas colonarias,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſive curtes ſ. manſos poſſidet, quæ ibi loci *Keelenhöff*, ſ. *Mayerhöff*, vocari amant. Horum Advocatia, A. C. 1334. à Lud. Imp. ut à parte Monaſterii, prætenſa, Comiti Hugoni Brigantino, pro 200. marcis argenti; poſteà A. C. 1364. à Car. IV. Comitibus Helvenſteniis, unà cum aliis juribus oppignorata, ab his ad civitatem Ulmenſem, A. C. 1382. devenit, quæ eaſdem Wenceſlao Imp. ceſſit, à quo poſteà A. C. 1394. Schellenbergio pignori data, tandem A. C. 1430. ad ipſam civitatem rediit. Ferd. tandem II. Hugoni Montfortio, A. C. 1628. Advocatiam iſtam conceſſit, qui ex ſoluto Urbi oppignorationes pretio, non Advocatiam ſolùm, ſed etiam pagos, loco hobarum ibi ſitarum, occupavit: unde controverſia diuturna primò cum Comite, dein cum Auſtriaca domo, ut & ſeparatim cum Abbatiſſa orta, quæ tandem Pace Monaſter. decisâ, & Urbs in quietam poſſeſſionem priſtini juris, reddita tamen ſorte, immiſſa eſt. Incendium urbs paſſa eſt ingens, A. C. 1273. Vide Limnæum Enuc. *l.* 4. *c.* 33 & *Munſter.*

LINDEMAGUS, vide LIMAGUS.

LINDISFARNA, inſ. parva Albionis, oræ Northumbriæ ad oſtia Tuedæ fluv. adjacens, cùm urbe cogn. olim Epiſcopal. ſub Archiep. Eboracenſi, cujus ſedes Dunelmium tranſlata eſt, olim *Halig Eiland*, nunc *Holy Iſland* dicitur, 1. mill. ab ora Northumbriæ, accedente æſtu maris eique contigua illo recedente. A Lindo fluv. cui objecta, 4. mill. à *Farne* Inſ. in Bor. Circuitus eſt 6. mill. Anglic. cum unico oppid. caſtro & portu.

LINDONIUM, urbs Britanniæ in Anglia, Steph. Vide *Londinum.*

LINDUM, urbs Angliæ Epiſcopal. ſub Archiep. Cantuarienſi, *Lincoln* vulgo, Latinis *Lindocolnia*; & poſtea per ſyncopen *Lincolnia*, urbs olim Coritanorum. Vide *Lincolnia.*

LINDUM, opp Damniorum, in Scotia, nunc *Linlithquo* doctioribus, vulgò *Lithquo*, cum palatio nobili, in Landonia prov. 11. mill. Scot. ab Edimburgo in Ort. 3. à Forthea æſtuario.

LINDUS, Rhodi inſ. opp. Ptol. *Lind.* Sophiano. Plin. *l.* 5. *c.* 31.

LINDUS, hodieque *Lindo*, fluv. Aſiæ minor. Cariam terminat, & Lyciam. Q. Calaber, *Calbis* fortè *Ptol.*

LINDWOUDUS Gulielmus, vide *Gulielmus.*

LINEA, in Circo, apud Ovid. idem, quod apud Tertullian. *Limes* eſt, vide *ſuprà.* Nempè olim in Circo ſpectabant in tabulatis ſtantes, quæ furcis ſuſtinebantur, Dion. Halic. *l.* 3. Primus Tarquinius καθέδρας ὑποςέγυς in circuitu Circi ponendas curavit, è quibus populus ſpectaret: quod opus *contectorum ſubſelliorum* cùm imperfectum reliquiſſet Priſcus, Superbus abſolvit poſteà; qui etiam foros in Circo faciendos curavit publicâ impensâ publicos & manſuros, cùm prioris Imperio ſibi quiſque ſpectacula per ludos faceret fortuito opere ſtructa, Equites Patreſque. Manſêre hi Fori ſpectaculorum, quæ & *Spectacula* dicta, Græcè θεωρεῖα, in Circo uſque ad extrema Reip. tempora. Cæſar deindè, per ambitum Circi, porticus ædificavit, à quo proin Circum Maximum extructum fuiſſe teſtatur Plin. in his longo ac perpetuo ordine diſpoſita ſedilia fuêre, quæ *limites Circi* Tertullian. *lineas* Ovid. appellârunt &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 917. & *ſeqq.* ubi etiam pluſcula habet *de alba Linea* Caſſiod. At in Olympiacis Circenſibus, βαλβὶς ſ. ὕσπληγξ *linea* erat in longum cavata, cui curſores inſiſtebant, ut ex æquo limite progrederentur: ultra quam ſi qui vellent evagari & limitem præcipere, voce hac præconis revocari ſolebant Βαλβίδα ἀπόδος, θὲς πόδα παρὰ, *lineam redde, ad lineam pedem pone.* Undè illæ apud Tertullian. loquutiones, *Lineæ inſiſtere, ad lineam dimicare, intra lineas gradum colligere*, & ſimiles. Quò etiam referendum, quod Latini Autores aliquando dicunt, *propioribus aut longinquis lineis aliquid factum*; ut apud Val. *propioribus lineis, ut ita dicam, ſomnium certo eventu admotum eſt.* Quæ tamen metaph. non à lineis Circi, ſed à ſtadio ducta eſt, in quo *prima* & *propiores lineæ*, unde initium curſûs ſumebatur, *longinqua* & *ultima* dicebantur, quæ curſum finiebant. Sic in *prima linea* eſt, qui aliquid incipit & longè ab ultima; quia initium cujuſlibet rei ſemper in parato & propinquo eſt, finis autem ſæpe longinquus: *longis* verò & *longinquis lineis fieri* dicebant, quæ trahebantur & moram habebant, &c. Vide hanc in rem pluribus præfat. Salmaſ. *ad Solin. p.* 922. *l. c.* & ſuprà Extrema: uti de *Linea divite*, Mart. memoratâ, *l.* 8. *Epigr.* 78. *v.* 7. cujus Epigraphe de Ludis Stellæ ut & infrà. In libris *Linea* verſus dicitur Senec. *de Benef. l.* 6. *c.* 6. *Quomodo ſi quis ſcriptis noſtris alios, ſupernè imprimat verſus, priores literas non tollit, ſed abſcondit.* Vide quoque Quintilian. *l.* 10. *c.* 2. ductus verò linearum, quæ calamo formantur, *ſulcus*, Auſ. *Ep.* 7. *v.* 49.

> *Nec jam fiſſipedes per calami vias*
> *Graſſetur Gnidiæ* ſulcus *arundinis.*

Non tamen idem ubique verſus, Gr. ςίχος, quòd *linea.* Undè Autores, qui de numero *verſuum* cujuſque libri loquuntur, cumque ad initium vel finem Codicum olim aſcripſêrunt, non de *lineis*, ſed de periodis vel earum colis ac commatis, intelligendos eſſe, docet pluribus Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce Στίχος, ubi inter alia, *Si in ςιχομετρίᾳ*, inquit, *verſus lineam ſignificaret, Autorum & Librariorum requireremus prudentiam ac judicium: cùm enim ad id inventa atque uſurpata fuerit, ut libri puri atque integri ad hominum manus pervenirent, neve liceret aliquid addere aut demere; cumque varia fuerint olim, ut & hodiè, chartarum genera, variaque —— literarum forma, qui fieri potuit, ut ςιχομετρία huic uſui inſerviret. Ad unius tantùm codicis uſum una ςιχομετρία fuiſſet adhibenda; ad alterius verò varietatem altera fuiſſet recenſenda, & pro modo charta ac characteris mutanda* &c. Plura de *Stichometria hac Vett.* Vide apud Salmaſ. *Proleg. ad Solin.* nec non infrà aliquid in voce *Pagina*, it. *Puncta* & *Verſus*: De *Linea* verò *Venatoria*, in vocibus, *Formido*, item *Verſicolor linea.*

LINEA, veſtis ſacra in Eccl. Rom. de qua vide infrà, in voce *Rochetum.* Aliàs in genere, veſtis ex *lino*, in ſacris Vett. multum uſitata, & poſt laneas tandem communiter in vulgarem veſtiendi uſum recepta: id quod ſerò apud Rom. factum. Undè Plin. cùm veſtium mentionem facit, eas, ubi de lanis agit, exequitur corporumque tutelam pecori adſcribit, & cùm de lino agit, nullum *lineæ veſtis* uſum agnoviſſe videtur, præcipuè in viris: Namque ex Varrone ſcribit, in Serranorum fam. gentilitium fuiſſe feminas *linea veſte* non uti. Plaut. *Manechm. Act.* 4. *Sc.* 5. 96. etiam, licèt non ſemel iſtiuſmodi veſtimenta mulieribus adſcribit, viris tamen nunquam tribuit. Mart. quinetiam, qui omne veſtimentorum genus tetigit, nihil de *lineis* ſ. *linteis.* Horat. ſubuculam *l.* 1. *Ep.* 1. *v.* 95. tritam tunicæ pexæ opponit, quod in linea veſte eſſe non poteſt, quare etiam tunicæ interiores ex lino olim non fuêre. Ovid. de veſtis muliebris coloribus, *de Arte Am. l.* 3. *v.* 185. *& ſeqq.* lanæ ſolùm meminit:

> *Quot nova terra parit, flores cùm vere tepente*
> *Vitis agit gemmas pigraque fugit hyems.*
> *Lana tot aut plures ſuccos bibit, elige certos,*
> *Nam non conveniens omnibus unus erit.*

Non igitur niſi ſero lini uſus in tunica interiore, quo tempore *lineæ* tunicæ promiſcuè uſurpatæ, nec minima pars luxûs, additâ iis purpura atque. Lamprid. *in Alex. Boni linteaminis appetitor fuit & quidem puri* (i. e. ſine auro & purpura) Loris item. Et quidem *Lineæ loratæ*, ſub Aurel. Imp. nondum in uſu, ſed tunicæ tantùm. Flav. Vopiſc. in *Vita* ejus, *Paragaudes veſtes ipſe primus militibus dedit —— & quidem aliis monolores, aliis dilores, trilores aliis, & uſque ad pentelores, quales hodiè lineæ ſunt.* Poſtea verò *lineas* & interulas etiam multis loris variegârunt, & frequentiùs quidem quàm tunicas, ita ut & quinquelores fierent: tales enim ſuo tempore *lineas* fuiſſe, ſcribit hîc Vopiſc. Hinc idem in *Bonoſo*, in brevi munerum, quæ Hunilæ Bonoſi novæ nuptæ dantur, *dilorium interularum* meminit, non item tunicarum &c. Longè autem ante Aurel. tempora auro & purpurâ *lineas* intexi conſueviſſe, diſcimus ex Spartiano, apud quem queritur: Alex. Sev. quod aurum & purpura in lineas mitteretur. *Si lineæ idcirco ſunt, ut nihil aſperum habeant, quid opus eſt purpura. In* lineas *autem aurum mitti etiam dementiam judicabat: quum ad aſperitatem adderetur rigor.* Undè illa diſtinctio, ut *lineæ puræ* dicerentur, quibus nihil auri vel purpuræ eſſet intertextum, uti vidimus. Idem Vopiſc. *in Aurel.* infrà, *& lineas Afras & Ægyptias puras* &c. Vide Salmaſ. *ad l. c.* miniſtri autem inprimis conviviorum, in tunica, & fermè *linea*, miniſtrare ſoliti ſunt. At multùm abeſt, ut cum quibuſdam, Cynicis, mollitiem etiam in veſtitu omnem aſpernantibus, interulam ſive ſubuculam lineam, quæ Græcis ὀθόνη, & *ſidon* aliter, dicitur, attribuamus. Has enim & veſtes tenues, & mulierum proprias, fuiſſe, non Homerus ſolùm teſtatur, ſed & vett. docent Grammatici. Hinc & apud Hebræos nullus aut rarus *linearum* uſus, præcipuè in Chriſto Domino & Apoſtolis fuit, qui nullam hujuſmodi in cultu mollitiem agnovêrunt: niſi quòd Sacerdotes, in Sacris, lineis veſtibus uſi ſunt, ut infrà dicemus, ubi de *Veſtibus Sacris.* Quorum imitatione, earundem uſus, in ſacris Ægyptiis, frequens fuit: undè *Liniger grex*, & *Linigera turba*, apud poëtas, & *lineus amictus Iſiacorum*, apud Suet. quia omnem veſtitum à mortuis animalibus deſumptum pro impuro habuêre &c. Vide & ſuprà in voce *Byſſus.* Sed & capita *linteolis* poſterioribus temporibus texiſſe Rom. deprehendimus, quod tanquam mollitiem ſapiens, ſugillatur ab Hier. *ad Pammach. Caput opertum lintea galeam recuſat.* Idem *ad Marcellam*, comatos linteatoſque juvenes improbat, qui viz. ementientes ſequiorem ſexum iſtiuſmodi tegmina aſſumebat. Imò & *lineis* calceis ad munditiem iidem aliique uſi, quos ſoccos udoneſque dixeris. Undè udones *linteos calceos* Apulejus appellavit. Athenienſium inprimis Sacerdotes & Alexandrinorum eos adhibuêrunt, Phœnices quoque, ut Appian. Alex. docet *l.* 5. *bell. civ. paulò poſt principium*, & Herodian. ubi, inſanum Antonini luxum deſcribens, interprete Politiano, ait: *Præfecti exercitibus inducti tunicas talares*, linteis *calceamentis utebantur, quemadmodum Vates in iis regionibus conſuevêrunt*, vide Balduin. *de Calceo antiq. c.* 14. ut & ſuprà *Impilia*, ac infrà in voce *Phacaſia.* Addam ex eod. *c.* 27. Pontificum quoque Rom. primorum calceamenta ex lino fuiſſe, *ut ſcilicet, quod Gentilium Sacerdotes in profanis ſuis ſacris uſurpare ſolebant: quippe apud quos,*

> Scortea non ulli eſſet fas inferre ſacello,

id tanquam ab injuſtis poſſeſſoribus vindicarent. Nec defuit ratio: lineus enim ille candor in pedibus maximè decere credebatur ſacrorum Antiſtitem. Quod in *lino* etiam ſcriptum olim, dicemus infrà in voce *Lintei libri*: plura vide infrà, in voce *Linum.* At *Linea dives*, apud Mart. *l.* 8. *Epigr.* 78. cujus Epigraphe *de Ludis Stellæ*, *v.* 7.

> *Omnis habet ſua dona dies, nec* linea dives
> *Ceſſat, & in populum multa rapina cadit:*

margaritarum linea eſt, cujus mentio frequens apud Juriſconſultos. *Filum margaritarum* alii dixêre, alii *linum*; undè *monolinum, dilinum, trilinum*, i. e. linea margaritarum ſimplex, duplex, triplex ſ. triplici lineâ margaritæ inſertæ, Salmaſ. *ad l.* vide plura infrà, in voce *Peninim*, it. *Perforaculum.*

LIN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LINEA Valli, tractus in Britannia, ad vallum à Severo aliiſque extructum.

LINENDI faciem mos, vide ſuprà ubi de *Aſinino lacte*, & infrà in voce *Oblinere*.

LINGA, vulgò LINGEN, opp. munitum Weſtphaliæ, prope Amaſium fluv. 45. mill. paſſ. à Monaſterio in Bor. Embdam verſùs, à qua 55. diſtat in Mer. uti 30. ab Oſnabruco. Caput Comitatûs cogn.

LINGERE pulverem, ſupplicum ritus. Hæc enim ſumma & extrema abjectio & habit. seorum, qui ſe victos fatebantur, & à ſe verbera, plagas, aut gravem aliquam ignominiam ſupplices deprecabantur, aut humilimum aliis & abjectiſſimum deferebant ac profitebantur obſequium: ut abjicerent ſe quam maximè poſſent, ſicque humi ſtrati terram toto corpore contingerent. Sic legimus de Meſſiæ hoſtibus, Jeſajæ *c.* 49. *v.* 23. *Vultu in terram demiſſo incurvabunt ſe habentes honorem tibi pulveremque pedum tuorum lingent.* Et aliâ occaſione Jerem. *Thren. c.* 3. *v.* 29. *Ponent*, ait, *in pulvere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes.* Unde prov. *Lingunt pulverem ſicut ſerpentes*, cujus meminit Mich. *c.* 7. *v.* 17. ad hanc enim pœnam ſerpentem damnatum eſſe divinitus, ſcimus ex Lapsûs Hiſtoria. Eodem humilitatis indicio ſaccum ex panno purpureo confectum ad inſtar codicis, *pulvere* factum, Sceptri loco, ferebat olim Imp. CP. quoties ſolenniter & Imperialiter indutus in publicum prodiret, uti ſuprà vidimus, in voce *Acaſia*. Sed & apud Naſamones, in amicitiæ & ſocietatis fidem, de manu alterius uterque ſumpto invicem poculo bibere, quòd ſi nihil humoris in promptu eſſet, ſumptum è terra cinerem *lingere* conſueviſſe refert Herod. *l.* 4. &c.

LINGO, vel LINGON, hodie *Ingo*, vulgò *Ingon*, amniculus Galliæ, Nigellam caſtrum alluit, inde in Suminam defluens. Vide Hadr. Valeſ. in voce *Nigella*.

LINGONÆ, olim *Andematunum Lingonum*, item *Lingones*, Gallis *Langres*, urbs antiquiſſima & clariſſima Galliæ, Epiſcopal. ſub Archiep. Lugd. Condita à Longho, ſexto Gallorum Rege, ſi fidem meretur Joh. le Maire: cujus incolas ſub Segoveſo & Belloveſo, in Italia res egregias geſſiſſe referunt Hiſtorici. Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 53. & *l.* 4. *c.* 54. ab Othone Imp. jus civ. Rom. impetráſſe narrat. Vaſtata urbs à Saracenis eſt Sec. 5. Deſiderio Ep. Occiſo. Poſteà reparata, à Petro Venerabili nomen accepit *Nobilis, Magna* & *Famoſa*. Præſulum antiquiſſimus S. Senator fuit, cui Juſtus, Deſiderius, &c. ſucceſſêre. Eſt autem Ep. ejus dominus, in civilibus æque ac Eccleſiaſticis ab eo tempore, quo Hugo Burgundiæ Dux Gualtero patruo ſuo, Lingonenſi Ep. ſucceſſoribuſque ipſius Com. Lingonenſem, quem à Guidone de Saus per commutationem acceperat, & Henr. Comiti Barri in beneficium contulerat, A. C. 1179. *Eleëmoſynæ loco* dediſſe legitur. Alii tamen Geilonem jam Ep. Comitatum urbis à Car. Craſſo A. C. 887. obtinuiſſe volunt: ſed fieri poteſt, ut ejus Succeſſores poſteà illo exciderint. Interim Ep. licèt Duci & Pari præferri ſolet Bellovacorum Ep. licèt Comes & Par, de quo vide Hadr. Valeſ. *in Not. Gall.* Concilia hîc habita A. C. 859. 1077. & 1116. &c. de quibus vide Morer. *Dict. Hiſt.* & plura de hac urbe, apud Plin. *l.* 4. *c.* 17. Ptol. *l.* 2. *c.* 9. Cæſ. *de Bell. Gallic. l.* 1. *c.* 5. & *l.* 4. *c.* 2. Eutrop. *l.* 9. Frontin. *Stratag. l.* 4. *c.* 3. Liv. *l.* 5. *c.* 35. Polyb. *l.* 2. Ant. *Itin.* Aimoin. *l.* 5. *c.* 5. Ripamont. *l.* 6. *Hiſt. Mediol.* Per Venerabilem *l.* 4. *Ep.* 36. S. Bern. *Ep.* 59. *&c.* Claud. *in* 2. *Conſ. Stilich. Carm.* 24. *v.* 93.

> *Aut quibus exemplis fœcunda Tybris ab Arcto,*
> *Vexit* Longonico *ſudatas vomere meſſes.*

Vide quoque infrà in voce *Lingones*. Strabo *l.* 4. *p.* 193. & 208.

LINGONENSIS Hugo, vide *Hugo*.

LINGONES, pop. Gall. Belg. ad Ort. Matronæ fluv. Æduis, Sequanis, & Leucis vicini, qui etiam hodie *Langrois* vocantur. Hos Cæſar monuit, ne Helvetios fugientes frumento, aliave ullâ re juvarent, ad bellum verò Arioviſto inferendum frumentum ſibi ſubminiſtrarent, monuit. Nimirum frumenti admodum feraces illorum agri erant. Unde Claud. *in* 2. *Conſ. Stilich. Carm.* 24. *v.* 94.

> ——— Lingonico *ſudatas vomere meſſes.*

In eorundem finibus Moſam, è monte Vogeſo profluere idem Cæſ. *de Bell. Gall. l.* 4. ait: quod fit in Baſſiniaco, parte regionis hujus, ibi enim initium Vogeſi eſt, qui Lotharienſes à Sequanis & Aleſatis diſcludit. Liv. illos, cum Cenomanis & Bojis Alpes tranſgreſſos in parte Italiæ conſediſſe ſcribit, *l.* 5. *c.* 35. Picta iis arma tribuit, Lucan. *Civ. Bell. l.* 1. *v.* 397.

> *Caſtraque quæ Vogeſi curvam ſuper ardua rupem*
> *Pugnaces pictis cohibebant* Lingonas *armis.*

Fuêre, ita ut Ædui, quos ambos à Sequanis Araris dividit, fœdere devincti Romanis: huic *Lingones fœderati* Plin. *l.* 4. *c.* 17. Civ. eorum opulentiſſima Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 53. & Julio Frontino *Stratag. l.* 3. dicitur: ubi prior infeſtum Galbam ſenſiſſe Lingones, quòd cum Treviris pertinaci fide Neroni adhæſiſſent, docet: poſterior illos 70000. armatorum Domitiano tradidiſſe refert. Poſt principatum Honorii Celticæ ſ. Galliæ Lugd. aſcribi cœpêre, in cujus ut & Belgicæ conf. poſiti ſunt. Hinc *Lingonicus*, ut ager *Lingonicus*, quem Plutarch. *in Jul. Cæſ.* [illegible] nuncupat, quædam literæ vett. *Longoinne*, vel *Langone*, unde & libræ Lingonicæ *Langones* olim dictæ: *Bardocucullus Lingonicus* apud Mart. *l.* 1. *Epigr.* 54. cujus Epigraphe ad Fidentinum *v.* 5.

> *Urbica* Lingonicus *Tyrianthina* bardocucullus:

pro veſtimenti viliſſimi genere, quod Lingonibus præcipuè erat in uſu: *Tomentum Lingonicum*, apud eund. Item *Lingonenſis*, hinc in Not. Imp. *Præfectus Letorum Lingonenſium per diverſa Belgicæ primæ diſperſorum.* Epp. *Lingonum* magni olim erant & potentes: Ab iis enim Odo Comes Nivernenſis & Ternodorenſis Comitatum Ternodorenſem tenuit; & poſt eum Margaretha Siciliæ Regis Car. uxor: Eorundem beneficio Hugo Dux Burgundiæ poſſedit partem Caſtellionis ad Sequanam, ac Montisbani, Griſolias & cuſtodiam Pulteriarum Monaſterii: Reges Navarræ, Comites Campaniæ Barrum utrumque, Firmitatem ad Albam, Calvum Montem, Novigentum & Montiniacum in Baſſineio & cuſtodiam Moliſini: ita ut Reges Duceſque homines ligii eſſent domini Lingonenſis Epp. Comes hic fuit olim, in id dignitatis evectus à Car. Calvo, à quo & jus feriundæ monetæ accepit, dein Dux & Par Franciæ factus eſt, à tempore Gulielmi, quem primum ſe Ep. ac Ducem Lingonum appelláſſe, circa A. C. 1358. titulumque hunc ſucceſſores ejus avidè arripuiſſe, notat Jac. Vigenerius *in Chron. Lingon.* In Eccl. *Lingonica*, quæ B. Mammetis *Mammes* tit. cenſetur, multi olim Archidiaconatus, nimirùm Archidiac. Magnus, ſ. Lingonenſis, Divionenſis, Ternodorenſis, Barrenſis, Laticenſis, *le Lacois*, (à pago cogn. qui iſer unius dici ab urbe Lingonis diſſitus, vicum Pultarias *Poutieres*, Monaſterio inſignem, quidquid inter Caſtellionem & Barrum Sequanam, ultrà & cis jacet, comprehendit, dictus) & Archidiaconatus Baſſinei. In eadem Decani ſunt Ternodorenſis, Reomenſis, S. Vinimeris, Moliſmenſis Barro Sequanenſis, Caſtellionenſis, Barralbenſis & Calvomontenſis. Vide Hadr. Val. *Not. Gall.*

Pagi Lingonibus attributi:

Attuariorum.
Barrenſis uterque.
Baſſiniacum, *le Baſſigny.*
Divionenſis, *Dionois.*
Duſmenſis, *le Dueſmois.*
Laticenſis, *Lacois.*
Mygnimontenſis, *Maimont.*
Oſcarenſis.
Portuenſis, vel Portenſis, nunc obſcurus.
Ternodorenſis, *le Tonnerois.*

Oppida, Caſtella & Monaſteria Lingonum:

Alba ripa, *Auberive.*
Andelaum, *Andelot.*
Arbotum.
Arcus ſuper Tiliam, *Arc ſur Til.*
Auxona ad Ararim.
Barrum ad Albam.
Barrum ſub Reamo, *Bar ſous Reome*
Barrum ad Sequanam.
Belli montis, *Bemont.* Monaſter. Virginum.
Bellus mons ad Vingennam.
Borbonia, nunc villa, aquis ſuis clara.
Calvus M. *Chaumont en Baſſigny.*
Caſtellio ad Ararim.
Caſtellio ad Sequanam.
Caſtrum Caſeolum, *Choiſeul.*
Caſtrum Fons Vennæ, *Fonvenz.*
Caſtrum Grancejum, *Grancey.*
Caſtrum Villanum cum tit. Com.
Catennaculum, *Chatenay.*
Caturicæ opp. *Chaource.*
Clara vallis Abbat. Ciſterc.
Clarus mons, *Clermont.*
Confinium. *Cunfins.*
Criſta, *la Creſte*, Abb.
Divio, *Dijon.*
Firmitas ab Albam.
Firmitas ſuper Armantiam, *Armance.*
Firmitas ad Graonam fluv, *la Ferté ſur Grone*, Abb.
Fons Beſuæ, *Beſé*, ubi Cœnob. vet.
Fontanetum, Abbat.
Jonvilla ad Sauconam.
Juliacum, *Jully.*
Lingones, *Langres.*
Melunda, *Moleſme en Tonnerrois*, Monaſter.
Mirabellum, *Mirebel.*
Moliſmus, *Moleſme*, Cœnob.
Monaſter. S. Sequani.
Morimundum ad Albam, Abb.
Mormentum.
Monsbarri, *Montbar.*
Mons Salionis Caſtellum, *Mont Salion.*
Montiniacum.
Muxejum villa & caſtrum, *Muſſi l'Eveſque.*
Novigentum.
Nulleium, *en Langone.*
Pontiniacum, *Pontigi*, Monaſter.
Prati Longi, *Pralon*, Mon.
Pulteriæ, *Poutieres.*
Reonaus Monaſt.
Rubeus Mons.
Sylva rubra, *Sivarolle*, Cella.
Ternodorum, *Tonnere.*
Tilicaſtrum, *Tille Chaſteau.*
Vangionis rivus, *Vignorri.*
Vendopera, *Vendeure.*
Ventoſum, *Ventoux.*

LINGONES, vulgò LANGRES, urbs antiquiſſima, munita & ampla Campaniæ, ad fontes Matronæ, in colle, cujus Ep. eſt Dux & Par Franciæ, tertia ponitur in vett. Notit. inter prov. Lugd. primæ civitates A Vandalis expugnata, refecta eſt à Geilone Antiſtite, circa A. C. 887. ob perſecutionem Normannorum: qui primus quoque initia magnitudinis Epiſcoporum Lingonenſium poſuit, apud Car. Calvum gratiâ valens. Apud Gruter. legitur inſcriptio *D. M. Moderato Liberto coloniæ Lingonum*, quæ ſi vera eſt, deducta fuit hæc colonia demum poſt M. Antonini Principatum. Cl. enim Ptol. ejus non meminit. Diſtat 6. leuc. à conf. Com. Burgundiæ, uti & Ducatus, 22. à Trecis in Ort. 17. à Divione in Bor. 20. à Veſontione in Cæc. Propriè tamen *Lingones* pop. urbs *Andemantunum* olim dicta, 40. ferè mill. à Vogeſo monte in Occ. Hîc Alamanni bis victi, à Conſtantino Aug. cæſique ad 60000. Vide quoque *Lingonæ*.

LINGONICUM Tomentum, Galliarum inventum eſt, teſte Plin. *l.* 8. *c.* 48. Lana viz. brevis forcipibus deſecta aut in poliendo à fullone de pannis rudibus aut interpolatis detracta, quâ infarciebantur culcitæ, ſ. fartum ex lana cæſa, raſa, *tonſa*, undè nomen, factum. Ejus meminit Maſt. *l.* 11. *Epigr.* 57. cujus Epigraphe in Cheræmonem *v.* 9.

Lingo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Lingonicis *agedum tumeat tibi culcita lanis,*
Conſtringatque tuos purpura pexa toros:

Circenſe verò tomentum, fuit conciſa palus ſ. arundines &c. Vide Joh. Frid. Gronov. *Obſerv. l.* 4. *c.* 21. Salmaſ. fartum illud purgamento lanarum è *Lingonicis* ſagis deraſarum pectine fullonis, *Lingonicum* quidem *tomentum* dictum, non propterea tamen Gallicum inventum eſt, cùm Græcis etiam antiquiſſimis in uſu fuiſſe ex voce γνάφαλον conſtet. Idem non *tonderi* eminentem lanuginem pannorum, ſed pectine tantùm *deradi*, hunc in uſum, conſueviſſe, tradit, ex eod. poëta, *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 159. cujus Epigraphe Tomentum Lingonicum.

Oppreſſæ nimium vicina eſt faſcia plumæ
Vellera Lingonicis *accipe raſa* ſagis.

ubi *radere* autem Græcis κνάπτειν eſt. Vide eum *ad Solin. p.* 398. & infrà, ubi de *Tomento.*

LINGUA, à λείχω, ſ. *lingo*, non omnibus animalibus uniformis. Plin. *l.* 11. *c.* 37. *Tenuiſſima ſerpentibus & triſulca, vibrans, —— prælonga: lacertis biſida & piloſa: vitulis quoque marinis duplex: ſed ſupradictis capillamenti tenuitate: cæteris ad circumlambenda ora. Piſcibus paulò minùs, quàm tota, adhærens, crocodilis tota. Sed in guſtatu linguæ vice carnoſum aquatilibus palatum. Leonibus ac pardis, omnibuſque generis ejus, etiam felibus, imbricata aſperitatis, ac limæ ſimilis* &c. ubi de humana hæc adjicit: *Reliquis in ſuo genere ſemper abſoluta: homini tantùm ita ſæpe conſtricta venit, ut intercidi eas neceſſe ſit:* & quæ ſequuntur. Et quidem hæc, tanquam facundiæ inſtrumentum, apud Gentiles, Mercurio ſacra fuit, Athen. *Dipnoſoph. l.* 2. at ſanctiori epitheto *gloriam ſuam* eam appellat in Pſalmis paſſim Regius Propheta, quòd nata hæc *gloriæ* Dei unicè deprædicandæ. Hinc pro ſermone, per Meton. Efficientis frequentiſſimè ſumitur; quâ notione cum una olim eſſet, poſt confuſionem Babylonicam, in plurima abiit diſcrimina. Qui ſeptuagenarium definiunt numerum, qui ſagacioribus ingeniis ſatisfaciant ſit, non video. Septuaginta enim illi homines, quorum genealogia circa Hiſtoriam confuſionis memoratæ texitur, capita, non familias, nedum gentes, denotant, potueruntque plures illorum unicâ fam. comprehendi, qui eadem *lingua* ſine dubio uſi ſunt: quod in Cananæis, Canaanis in textu ſacro recenſiti, filiis liquidò claret, Rivet. *in Geneſ. Exercit.* 68. Nec credibile, homines eo ipſo novis linguis imbutos fuiſſe, quo Hebraicâ excidêrunt. Sed in eo potiùs pœna conſtitit, quòd prioris *Linguæ* generalis oblivione inductâ, novæ ſenſim, prout neceſſitas in diſperſis hominibus flagitabat, ſucceſſêrunt. Quot earum, quæ uſitatiores in mundo, infrà habebis: ubi & ſingularia quarundam *Linguarum* nonnulla: ex acervo enim immenſo pauca ſolùm grana ſelegimus, cùm adhuc omnia nequidem nota ſint. Hinc Verulamius, inter *Deſiderata* in Philologicis ponit, ut de variis *Linguarum* proprietatibus tractaretur, oſtendereturque, quibus unaquæque excelleret aut deficeret. *Ita enim*, inquit, *& Linguæ mutuo commercio locupletari poſſent, & fiet ex illis, quæ in ſingulis pulchra ſunt, tanquam Venus Apellis, orationis ipſius formoſiſſima quadam imago & exemplar quoddam inſigne ad ſenſus animi ritè exprimendos. Atque unà etiam hoc pactò capientur ſigna haud levia, de Ingeniis & moribus populorum & nationum, ex Linguis ipſorum. Equidem libenter audio Ciceronem notantem, quòd apud Græcos deſit verbum quod Latinum illud* (Ineptum) *reddat*: Propterea, *ait*, quod Græcis hoc vitium tam familiare fuit, ut illud in ſe agnoſcerent quidem. *Digna certè gravitate Romanâ cenſura. Quid illud, quòd Græci in compoſitionibus verborum tanta licentia uſi ſunt, Romani contrà magnam hac in re ſeveritatem adhibuêrunt? Planè colligat quis, Græcos fuiſſe Artibus, Romanos rebus gerendis magis idoneos. Quin Hebræi tantùm compoſitiones illas refugiunt, ut malint metaphoris uti, quàm compoſitionem introducere: Imò verbis tam paucis & minimè commixtis utuntur, ut planè ex lingua ipſa quis perſpiciat, gentem eam fuiſſe Nazaræam & à reliquis gentibus ſeparatam. Sic & illud obſervatione dignum, antiquas linguas plenas declinationum, caſuum, conjugationum, temporum & ſimilium fuiſſe; Modernas his ferè deſtitutas plurima per præpoſitiones & verba auxiliaria ſegniter expedire. Sanè facilè quis conjiciat, utcunque nobis ipſi placeamus, ingenia priorum ſeculorum noſtris fuiſſe multò acutiora atque ſolidiora.* Hactenus ille *de Augmentis Scientiarum l.* 6. *c.* 1. Vide Autorem Anon. *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. ac Civ. c.* 6. §. 3. *de linguis*, & paulò infrà. Ut aliquid de proprio vocis ſignificatu ſuperaddam, ut Mercurio ſacravit hoc nobile organum gentilitas, ita *linguæ* victimarum eidem oblatæ ſunt, teſte Calliſtrato, cùm ait,

—— γλώσσας δ' ἐν πυρὶ βάλλον,
linguas in ignem jecêre:

quod fieri ſolitum, ſub finem ſacrificiorum, ritus primis autoribus Megarenſibus, uti docet Natal. Com. *Mythologiæ l.* 5. *c.* 5. Porrò ea ſanguine illita, fœdus inire Indorum quædam gentes conſuevêre. Sic cum Calamaro R. Calemandi Inſ. Hiſpani, cùm ductu Ferd. Magellani per fretum Antarcticum ad Moluccas penetrâſſent, more gentis; ſanguinem de brachio ſiniſtro mittentes eoque os & linguam illinentes, ſocietatem cum eo pacti ſunt, Petrus Cieza *Hiſt. Peruv. Tom. II. c.* 94. apud Suet. *Calig. c.* 20. *At qui in Græcæ Latinæque facundiæ certamine, Lugduni in Galliis inſtituto, diſplicuiſſent, ſcripta ſua* ſpongiâ linguave *delere coëgit*, Artaxerxes verò tribus acubus *linguam* mendaci trajecit, apud Plutarch. Planè abſcidêrunt ſecreta revelantibus Ægyptii, uti diſcimus ex Diod. Sic *l.* 1. *c.* 6. teſtibus perjuris Romani, vide infrà ubi de *Perjurio.* Quod hodieque blaſphemis contingit non uno in loco: Catalaunos, verò *ferream virgam per medium linguæ portare* illos voluiſſe dicemus infrà in voce *Virga* &c. quam in rem conſule *Theatr. Hum. Vitæ* Theod. Zuingeri *paſſim* uti *de Lingua* in irriſu *exertanda* Vett. more, Liv. *l.* 7. *c.* 10. Ad luxum verò abuſus eſt Heliogabalus, cui *linguæ pavonum* & *luſciniarum* in delitiis fuêre. Æl. Lamprid. in *Vitâ* ejus, *Comedit ſæpius, ad imitationem Apicii, calcanea camelorum & criſtas vivis gallinaceis demptas,* linguas *pavonum* & *luſciniarum: quòd, qui ederet ab epilepſia tutus diceretur* &c. Nec omittendum, quòd *Lingua*, apud citimi ævi Scriptores paſſim, pro natione occurrit, vide ubi de Ordine *Melitenſis*, item in voce *Alberga.* Apud Scriptores Eccl. Latinæ, ſic dicitur pars veſtis Clericalis, quæ plicis ſuis tot *linguas* efficit. Honorius Auguſtod. *l.* 1. *c.* 332. de veſte Cleric. *Eſt talaris*, lingua *hujus veſtis eſt lingua Clericalis, quæ debet Dominum laudare* &c. Vide quoque infrà, ubi de *Lingua Coccinea.*

Linguæ in Mundo extantiores.

In Europa.

Cambrica, ſ. vet. Britannica, una ex 10. Matricibus minoribus in Europa, ſec. Scalig. *Linguis*, in Cambria, parte Occ. Angliæ & Britannia Gall. in uſu eſt.

Cantabrica, juxtà montes Pyrenæos, hodie à Cantabris & Vaſconibus, à quibus *Vaſquenze* vulgò dicitur, adhibetur.

Chauchica vet. in Friſia Or. inter incolas, cùm ſecum invicem agunt, frequens eſt: Ergà peregrinos enim Germanicam adhibent.

Epirotica, in montibus Epiri, viget.

Finnica, in Finnia & Lapponia.

Gallica, Latinæ propago eſt, & Pictoniſmum, Walloniſmum, aliaſque ſubdialectos habet.

Græca, una ex 4. Matricibus majoribus, Auſtrales Europæ partes occupans olim longe lateque patuit. Hodiè degeneri propagini, linguæ Græco Barbaræ, locum ceſſit; quæ ipſa abiit in varios ramos. nempè: Athenienſium dialectum, quæ hodiè omnium maximè eſt barbara: Peloponneſiorum, quam puriſſimam judicant & *Tzopeliſmum:* Vulgarem It. Græcam, τὴν κοινὴν dictam &c. de quibus omnibus vide Cruſium *Turcogræc.*

Hibernica, quam in Hibernia & parte Scotiæ loquuntur.

Hiſpanica, una eſt ex tribus Latinæ propaginibus, & in ſubdialectos Caſtellanam, quæ puriſſima, Andaluſicam, Portugallicam & Granatenſem abiit.

Hungarica, ab Hunnis & Avaribus in Europam tranſlata eſt.

Jazygica, ad Bor. partem Hungariæ, inter Danubium & Tibiſcum floret, ab Hungarica prorſùs diverſa.

Illyrica vet. in inſ. Veggia, ad Orientale latus Iſtriæ, etiamnum in uſu eſt.

Italica, Latinæ propago.

Latina una ex 4. Matricibus majoribus, Occidentales Europæ partes illuſtrans, poſtquam pura eſſe deſiit, irruptione in Latium & Imperio Rom. ſubjectas provincias, Francorum, Longobardorum, Gothorum, tres ex ſe peperit dialectos, Italicam, Gallicam & Hiſpanicam.

Slavonica, una itidem 4. Matricum majorum in Europa, Orientales ejus partes perambulat.

Tartarica, Coſaccorum & Tartarorum Precopenſium eſt, inter Tanaim ac Boryſthenem.

Teutonica, una ex 4. Matricibus majoribus, propagines ſ. idiomata præcipua habet, Saxonicam linguam, Francicam & Danicam: quæ iterum in varias ſubdialectos diviſæ. Eſt & linguæ Arabicæ aliquis uſus, in aſperis Granatæ montibus, quos *Alpuxarras* dicunt, ac multis inſuper Andaluziæ, Valentiæ Arragoniæque locis, *Araviga* incolis, ab Arabibus dicta. Eſt præterea *Lingua*, quam Hiſpani *Jerigone*, Galli *Jargon*, Germani *Rottwelſch*, à voce *Rott*, i. e. *Turma*, & *Welſch*, quomodo vulgus pleraſque exoticas linguas vocat, quòd Erronum vagabundorum ſit: Hujus Dictionarium quoddam exhibent Geſnerus *fin. Mithridatis ſui*, & ex eo Alſtedius *Encyclop. tom.* 1. *l.* 10. nec non Philander von *Sittwald* Satyrici ſui *l.* 7.

In Aſia.

Antiochena ſ. Syriaca in ſpecie ſic dicta, quam Chriſtiani per Orientem ſibi propriam fecêre olim, & in qua V. T. verſiones habuêrunt, ac ſacra ſua celebrârunt, Syriacæ veteris linguæ erat ſubdialectus.

Arabica, una ex ampliſſimis totius Orbis, in Aſia, à Cilicia uſque per totam Syriam, Meſopotamiam, Palæſtinam, Arabiam, & in Africa ad litora maris Rubri pariter per Ægyptum totumque litus Maris Mediterranei, uſque ad fretum *Gibraltar*, vernacula eſt, licèt Dialectis variata. In Europa quoque vigere alicubi ſuprà viſum.

Armenica, regionis ſuæ finibus comprehenſa eſt.

Babylonica, una ex Syriacæ linguæ ſubdialectis, omnium puriſſima fuit: In ea capitula quædam Danielis & Eſræ, Thalmud Babylonicum aliaque exarata.

Chaldaica, una ex tribus dialectis *Linguæ* Hebraicæ, à qua Syriaca non multum abludit.

Chinenſis, cui addenda Corcenſis & Japanica, in ampliſſimo Sinarum imperio & inſ. Japaniæ viget.

Hebraica, omnium antiquiſſima ac prima, Babylonem binâ vice fatalem experta eſt; poſteriore enim Judæi in captivitate Linguam ex Hebraica, Chaldaica & Syriaca mixtam aſſumpſêrunt. Ejus Dialecti, Samaritana, Chaldaica, Syriaca, unà cùm matre vulgò adhiberi deſiêrunt.

Hieroſolymitana, ſcripta Talmud & Targum Hieroſolymitanum, aliaque complectitur: Syriacæ vet. ſubdialectus.

Malaica, puriſſima omnium in Indiæ Or. regionibus, quamque communiter mercatores iſtorum locorum callent; exhibetur Dict. Malaico-Latino Davidis Haex. Romæ edito A. C. 1631. &c.

Perſica.

Perſica, multa vocabula Germanica continet, qualia *Father*, *Mother*, *Brother* & inter compluraalia, ipſum Perſæ nomen, à *Peros*, vel *Pert*, quod Germ. *Equum* denotat, ſumptum.

Samaritana, Hebraicæ *Linguæ* Dialectus fuit.

Syriaca, à Chaldaica haud multùm diverſa, SERVATORIS noſtri ac Diſcipulorum ejus vernacula fuit: ſubdiviſa in Babylonicam, Hieroſolymitanam, Antiochenam ſ. Syriacam in ſpecie dictam & Armenicam.

Turcica, Perſicæ & Tartaricæ affinis, cum Arabica nihil commune niſi literaturam habet.

In Africa.

Æthiopica, Abyſſinis uſitata, duplex eſt, una vulgaris: altera Chaldaicæ affinis, qua in ſacris & Hiſtoriis utuntur. Cujus varia ſpecimina à Scalig. Ludolpho, Petræo, Niſſelio &c. edita proſtant.

Coptica, ex antiqua Ægyptiaca & Græca conflata, à Copto Thebaidos olim Metropoli nomen habet, de qua vide Kircheri *Prodrom. Ling. Coptica* &c.

Songaicæ mentionem faciunt Itineraria, eáque uti dicunt incolas regionum Sconbaya, Muſmundæ, Zenetæ, Gumeæ, Guzulæ, Heæ & *Sus*. Ad litora maris Rubri & Mediterr. *Linguam* Arabicam hodieque vigere ſuperiùs jam dictum eſt.

In America.

Caribanam, peculiari Dictionario illuſtravit, Autor Hiſtoriæ Antillarum A.C. 1658. Roterod. editæ.

Mexicana, tota ferè impulſu linguæ ad dentes & extremùm palatum nititur, undè literæ *T. L.* & ſeorſim & conjunctim creberrimè in ea occurrunt &c. Reliquarum Ameriæ *Linguarum* non adeò exactam hactenus rationem habuêre Eruditi.

Singularia quædam nonnullarum Linguarum.

Cambrica, aſpirationum pleniſſima eſt, & ſæpe ſine ulla vocali vocabula admittit, voce tunc ex imo guttere trahendâ. Sic in Orat. Dominica, pro *Libera nos a malo*, dicunt: *Eithr gwaret, ni rhag drvvg.*

Chinenſis, literâ *R.* caret, nec alias voces, quàm monoſyllabas, agnoſcit, licèt diphthongis & triphthongis quam maximè variatas.

Gallica, inſignem habet gratiam, unde *cum mulieribus loquendum eſſe Gallicè*, in illo tralatitio dicitur.

Germanica, viriliter facunda eſt: Undè nationis æmuli, *cum hoſtibus Germanicè* volunt *loquendum eſſe*, ob terrorem.

A Gothis quæ fluxêre linguæ, aſpiratis gaudere, annotavit Verulamius *de Augm. Scientiar. l 6. c.* 1.

Græca, diphthongis & compoſitionibus ſcatet.

Hebræa, à ſimplicitate & perfectione commendatur: compoſita enim adeò reformidat, ut malit tropis ac periphraſibus uti.

Hiſpanica, literas tenues odit eaſque ſtatim convertit in medias: cæterùm ob majeſtatem ſuis adeò placens, ut dicant, *cum Deo loquendum eſſe Hiſpanicè.*

Japanica, virilis admodum eſt.

Italica gravis eſt, adeoque *Principibus*, ut habet Proverb. *digna.*

Mexicana literis T. L. ut dictum, creberrimè utitur, ut *Yecotl*, *Mecaxuchitl*, *Tlilxochitl* &c.

Slavonicis linguis maximus dentalium uſus, *S. R. Sch.* Z. undè non exigua earum aſperitas &c.

LINGUA Coccinea, h. e. panni fruſtum, in *linguæ* formam cocco tinctum, quam ponderis duorum ſiclorum in capite hirci emiſſarii ligaverit Sacerdos, & cum direxerit verſùs locum, in quem dimittendus erat, memoratur Maimonidi, apud Bochart. Olim verò hanc *linguam* alligabant ad oſtium porticûs exterioris aut etiam interioris: quæ cùm exalbeſcebat, quod paſſim contigiſſe referunt, id habebatur pro fauſto omine: inde ſc. conjectabant remiſſa ſibi eſſe peccata, juxta illud Eſajæ *c.* 1. *v.* 18. *Si rubra fuerint velut coccineum ſimilia lanæ erunt.* Unde Gemara *in Joma c.* 6. *Tradunt magiſtri, linguam, coccineam olim alligatam fuiſſe, ad oſtium porticûs exterioris: tum verò, ſi exalbeſcebat, lætabantur, ſin minùs, dolebant* —— *Statuêrunt etiam, ut ligaretur ad oſtium porticûs interioris & tum quoque introſpiciebant & videbant eâ exalbeſcente, læti erant; non exalbeſcente, mæſti.* Sed obſervari deſiiſſe hoc gratiæ iræque divinæ ſignum, Annis 40. ante templi Hieroſolymitani excidium ipſi iiſdem Talmudici ſcribunt ubi ſuprà *c.* 4. *p.* 39. *b. Magiſtri docuêrunt, quadraginta Annis ante templi deſolationem non aſcendiſſe ampliùs ſortem in manum dexteram, neque* linguam *coccineam ampliùs exalbuiſſe, neque lucernam veſpertinam ampliùs arſiſſe, & templi fores per ſe patuiſſe.* Nempe Annis totidem, ante templi excidium, Chriſtus paſſus eſt: cujus morte Legalibus ſacrificiis omnis virtus adempta, lumen cognitionis in ea gente extinctum, nec templum ſolùm, ſed & cælum hactenus clauſum, gentibus tum demum patere cœpit. Vide præf. Virum Clariſſimum *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 54. ut & ſuprà in voce *Azazel.*

LINGUADOCIA, prov. Galliæ, de qua vide infrà *Occitania.*

LINGULA, vide ſuprà *Ligula.*

LINGUS, caſtellum Caſſandreorum, *Steph.*

LINHA, Luſitanorum linguâ, quaſi *filum*, ex Lat. *linea*, dicitur licium ex tribus filis conſertum, quod velut inſigne & nota nobilitatis Brachmanum eſt, in India. Hoc collo à ſiniſtro humero annexum indè tranſiens ad dextrum brachium ſub eo colligatur, pectuſque hoc modo, balthei inſtar, incingit. Æſtimatur illud maximi, nec aliis facilè, quàm qui, Brachmanicæ gentis ſunt, & quidem non ſine ingenti cerimoniarum apparatu, conferri ſolet. Quod an ab Indis hoc inſigne nobilitatis adeptis, cùm ad Chriſtianam fidem convertuntur, ulterius geſtari poſſit, acriter diſceptatum inter Jeſuitas, alioſque Eccl. Rom. ordines, qui ibi locorum ſedem fixêre, qua de contentione vide pluribus agentem Petr. de la Valle *Itin. Tom.* 4.

LINI, ſive LINONES, pop. Germ. ex Slavis, vel legendum ad priſcam Germanorum ſcripturam *Luini.* Dithmar. *l.* 6. *in civitate Bernhardi Luinberg.* Satin' manifeſtum, dictam ab iſtis populis illuſtriſſimam domum Luneburgenſem. Annales Fuldenſes: *Carolus cum exercitu Saxoniam ingenti populatione vaſtando pervenit, uſque ad locum, quem vocant Luini.* Et fortaſſe ipſum *Luineburgum* innuitur. *Linonum* porrò, ſive *Linoviorum* Latina æquè ac Germanica denominatio eſt, & ſignificat illos populos præter cæteros fuiſſe lini culturæ deditos. Leguntur inter gentium iſtarum Sclavicarum multas, frequenter *certa lini pondera*, ut apud Helmold. & cæteros. Quod factum ob lini mercimonia & proventum uberiorem in iſtis regionibus.

LINI, quinam propriè dicti, vide *Cutis*, it. *Oblinere*, *os.*

LINIACUM, opp. agri Veronenſis, ad Atheſim fluv. 27. mill. infrà Veronam, Ferrariam verſùs. Vulgò *Legnago.*

LINIENNUS, vulgò *Rother* fluv. parvus Albionis, in Cantio, juxta *Rhie* opp. ad Mer. in Oceanum Britann. exiens.

LINITIMA, Æthiopiæ ſub Ægypto opp. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

LINKIO, fructûs Sinici nomen, qui in Pekingia prov. frequens. Tribuli ferè habet figuram, ad inſtar triangularis pyramidis, undiquaque prominens, cortice viridi craſſiorique, ad apices rubeſcente: dum ſiccatur, nigreſcit; interior ſubſtantia albiſſima eſt, ſapore caſtaneæ nucis, ſed magnitudine tres quatuorque earum æquans. Seritur in ſtagnantibus aquis per totam Sinam: planta foliis eſt exilibus, longiſſimo tractu per aquæ ſummam ſuperficiem proſerpentibus, fructus multiplices ſub aquis latitant. Autor. Anon. *Sinæ & Eur. c.* 36.

LINON, parva reg. Helleſpontiæ, incolæ *Linuſii*, Steph. ex Strab. *l.* 13. *p.* 588.

LINOSTIMA Palla, quam Sylveſter Ep. Rom. Diaconis conceſſiſſe memoratur, Gavanto manipulus eſt, Dom. Macr. ſtola, quam *Orarium* Græci dixêre quamque ſuper ſiniſtrum humerum deferentes, ejus anteriorem partem ad brachium revolvunt, poſteriorem pendulam relinquentes: quòd idem Carthuſiani obſervant, niſi quòd hi, Latino ritu eam ad dextrum latus ligantes, longiorem partem in brachio ad inſtar manipuli ſtringunt. Ex Græco λινόςημον, quòd è *lineo ſtamine* eſſet, vide etiam Car. Macr. *in Hierol.* Refert autem de Sylveſtro, quod diximus, Anaſtaſi in *Vita* ejus: *Conſtituit, ut Diaconi Dalmatica uterentur in Eccl. & pallio linoſtimo læva eorum tegeretur.* Quod confirmatum à Zozimo Papa, ex eod. Anaſtaſio Idem Macer. obſervat.

à LINSCHOTEN Joh. Hugo, Harlemenſis, Hiſtoricus, Vir magni laboris, magnæque induſtriæ, perluſtratâ Indiâ Orientali, ejus Hiſtoriam ſcripſit. Miſſus dein Ordd. Belgii Fœd. Freti Arctici anguſtias primus detexit & *Freti Naſſovici* nomine inſignivit A. C. 1594. Obiit Enckhuſæ A. C. 1611. Edidit quoque *Icones & habitus Indorum ac Luſitanorum per Indiam viventium.* P. Freher. *Theatro Viror. Erudit. Claror.*

LINTEA, quaſi *linea*, ex *lino*, Gr. ὀθόναι, in omni vita uſui ſunt multiplici. Et quidem infanti adhuc à matre rubenti ſubſterni *linteamen* album conſueviſſe, quo, donec ablutus ſit, involvatur. Jul. Capitolin. *in Albino. Filius mihi natus eſt.. ita candidus, ut linteamen, quo exceptus eſt, vinceret.* Sacrum id infantibus ſignum quia ad Deos, Sacerdoteſque linum pertinet. Placuit idem commoditatis causâ, ſicut *lintei thoraces* Græcis, vel ut tenerrima corpora lini virtute ſolidentur. Et in candido nonnunquam purpureum apponebatur, nonnunquam pro dignitate pueritiæ ſubſternebatur: qua de re vide Thom. Bartholin. *de Puerp. Vett.* ſuprà ubi de *Incunabulis* & voce *Infans.* In reliqua ætate, veſtitui inſervit, ut ex parte diximus ſuprà, ubi de *Lineis veſtibus*, & dicemus infrà, ubi de *Linteis libris.* Namque & ad ſcriptionem *lintea* placuêre priſcis. In balneis gymnaſiiſque, ad ſudorem tergendum, ea adhibita memorat Mart. *l.* 12. *Epigr.* 84. cujus Epigraphe de Menogene.

Lintea ſi ſumas, nive candidiora loquetur,

de quibus vide Caſaub. *ad Suet. Aug. c.* 73. & *in Vitell. c.* 8. Laur. Pignor. de *Serv.* Etiam in bellis eorum uſus; Illyricos enim *linteo protento* prælii ſignum dare ſolitos olim, docet Alex. ab Alex. *Genial. Dier. l.* 4. *c.* 2. Porrò in coronis adhibita ſunt. Iſid. *l.* 19. *c.* 30. *Hujus* (coronæ convivialis) *principium à Libero quodam Gentiles exiſtimant, quòd is in potando mota vino capita vincire faſciolis inſtituerit. Idcirco olim linei ac lanei generis coronas fuiſſe.* Neque antiquitus ſolùm, ſed & recentiori ævo. Qvid enim diadema priſcorum Regum, quàm materia erat *linea*, & levis, quæ non ſolùm plicari & à vento auferri, ut de diademate Alex. refert Appian. Alex. ſed & lacerari facilè poterat, quemadmodum Seleucus Callinicus, amiſſo exercitu, fugæ ſeſe mandaviſſe περισπάσας τὸ διάδημα, *lacerato diademate*, legitur apud Plutarch. περὶ ἀδολεσχ. Unde diadema Regium deridens Dio Chryſ. *Orat.* 66. *de glor. Si quis alius*, inquit, *caput illæſum faſciis obligaret, omnibus eſſet ludificatui. Regibus tamen id honeſtum putant. Et multa hominum millia pro eo* linteolo *mortem oppetiêrunt.* Sed & inveſtituris *lintea* adhibita, & in funeribus utilia eſſe non ceſſant: de illis enim, quorum cadavera humo mandabantur, res notiſſima; quæ cremabantur, *linteis asbeſtinis* ſ. incombuſtibilibus, ſolebant involvi, ne cineres eorum cum rogo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

miſcerentur, ſed diſtincti ſervarentur, uti videre eſt hic paſſim, ubi de *Cadaverum Cura*, & rebus Funeralibus. De Sacris ut aliquid adjiciam, non lineæ ſolùm veſtes Sacerdotum, Ægyptiorum præſertim, coronæque fuêre: ſed & ſacra ipſa non aliis velaminibus operiri conſuevêre. Sic opertos Deos Penates Trojâ extulit Æneas, apud Lycophron. ſic ſtatuæ Deorum frequenter ornabantur velabanturque; Sen. *in Mor.* Sic ad aram *linteis* circumdatam juráſſe Samnites, qui hinc *linteati* dicti, diſcimus ex Liv. *l.* 10. *c.* 38. Lanea namque, utpote impuriora & profana, hinc procul habita. Apulejus *Apolog. Etiamne cuiquam mirum videri poteſt---- hominem ———— quædam ſacrorum crepundia domi aſſervare? atque ea* lineo *texto involvere, quod puriſſimum eſt rebus divinis velamentum? Quippe lana ——— jam indè Orphei & Pythagoræ ſcitis profanus veſtitus eſt* &c. Vide Joh. Meurſ. *ad Lycophron.* Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce Ὀθόνη, ubi inter alia *de ὀθόνῃ Diaconorum in Eccl. Chriſt.* & alia huc pertinentia hìc infrà: uti de morothide gemma *Linteis dealbandis* olim adhibita, ſuo loco.

LINTEI Libri, quòd è *lino*, ſic dicti, poſt membranaceos, in uſu eſſe cœpêre, teſte Plin. *l.* 13. *c.* 11. undè Mart. Capella *l.* 2. *Alii*, inquit, *carbaſinis voluminibus complicati libri.* Sic ſcripta fuêre oracula Sibyllina, uti docet Symmach. *l.* 4. *Ep.* 34. *Monitus Cumanos* Lintea *texta ſumpſêrunt.* Et Claud. *de Bello Get. Carm.* 26. *v.* 231.

> ——— ——— *Quid carmine poſcat*
> *Fatidico cuſtos Romani carbaſus ævi.*

Fœdera etiam publica ſic exarata eſſe, innuit Liv. *c.* 4. *c.* 7. *Prætermiſſa nomina Conſulum horum, Licinius Macer autor eſt, & in fœdere Ardeatino & in* linteis *libris ad Monetæ inventa.* Quandoque & leges ſic ſcripsêre, *leg.* 1. *de alim. quæ inopes par. è publ. petere debent, in Cod. Theodoſ.* Imò & privatæ Principum epiſtolæ ſimili ſcriptæ ſunt modo, Fl. Vopiſc. *in Aurel.* Sed & Perſas in ſerico ſcripſiſſe (qui hodieque Sinenſium mos) indicat Symmach. *l. loc. præfat.* Indos quoque in ſindone ſcripſiſſe docet Philoſtrat. *in vita Apollonii.* Imò & charta, qua vulgò utimur, ex *linteis* eſt concerptis atque contuſis, qui mos jam ab aliquot viguit Seculis. Vide Salmaſ. *Notis ad Vopiſc.* Scalig. *Diatribâ adverſùs Guilandinum*, Gerh. Joh. Voſſ. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 38. Thom. Dempſter. *Paralip. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 24. &c. De *linteis* veſtibus, vide ſuprà aliquid ubi de *Lineis veſtibus*, cui addam hìc non nihil de Græcis. Apud Græcos non minùs, rarus admodùm lineæ veſtis uſus, in ſexu inprimis nobiliore, antiquitus fuit. Nam quòd apud Homer. ejus mentio fit, de cubiculari, dormientibus ſubſterni ſolitâ, intelligendum. Undè Phæaces Ulyſſi dormituro in navi ſtraviſſe ait *Odyſſ.* ν.

> —— Ῥῆγός τε λίνον τε-ἵνα νήγρετον εὕδοι.

Quòd verò Thucydid. *initio operis ſui.* Athenienſes veteres, χιτῶνας λινοῦς, *lineas tunicas*, geſtâſſe narrat, de loricis ſ. thoracibus lineis intelligendum eſt, quibus pro armatura in bello utebantur. Athenienſes enim, ut cæteri Græci, militari cultu perpetuò incedebant, nec multò ante Thucydidis tempora ad pacis habitum tranſiêrunt, cum reliqua armatura lineas quoque tunicas deponentes. Meminit autem jam *thoracum lineorum* Homer. de Ajace: Cui adde Pauſ. *in Attic.* Nep. *in Iphicrate*, *c.* 1. Suet. *in Galba c.* 19. &c. Conſtabant hi ex torulis ſ. funiculis trilicibus, quadrilicibus aut bilicibus: qui inter ſe conſerti filis firmiſſimum opus præſtabant. Hinc de filio Amaſis Ægypti Regis legimus, habuiſſe eum loricam filis contextam, quorum ſingula 365. filis conſtarent: & de Frid. III. Dan. Rege in Hafniæ obſidione, uſum eſſe lorica ſerica. Vide Scalig. de loricis lineis prolixè agentem, apud Octav. Ferrar. *de Re Veſt. Parte* 2. *l.* 4. *c.* 11. ut & infrà aliquid in voce *Lorica*. Tandem, quòd de Apollonio Thyanæo legimus, illum Pythagoræ more *linea* tunica uſum fuiſſe, ei planè peculiare fuit, vide Philoſtrat. *l.* 2. *c.* 9. qui & *l.* 3. narrat, quaſdam Indiæ gentes lineis veſtibus uti, nobiliores verò byſſo, quæ lini ſpecies: adjicitque inde in Ægyptum deferri, quòd illam in pleriſque ſacris utantur Ægyptii; ab Ægyptiis dein Romam *linteas* veſtes perveniſſe, docet Cic. *pro Rabirio.* Non tota tamen Ægyptiorum veſtimenta *lintea* fuêrunt, ſed tunicæ tantùm (nam pallia ex lana:) Interim lanea veſtimenta neque in templa inferre, neque unà cum mortuis ſepelire licebat: qui mos in ſacris Orphicis quoque ac Bacchicis ſervatus eſt, teſte Herod. *l.* 2. *c.* 81. Vide eund. Ferrar. *c.* 12. *l. præf.* & ſuprà quoque in voce *Lintea*. Hinc *Lintearii*, *à Linteonibus*, quorum meminit Lamprid. *in Alex. Sev. Braccariorum*, Linteonum, *Vitriariorum* &c. *vectigal pulcherrimum inſtituit*: ſic diſtincti, ut *Linteones* ſint, οἱ λινυφοὶ, *linteæ veſtis artifices*, Vopiſco *Linyphiones*, in *Saturnino*; *Linyphi*, *lege* 8. *Cod. Theod. de Murilegul. & Gynæciar. Linyphiarii*, *leg.* 16. *eod. Cod. & tit.* At *Lintearii*, veſtis linteæ negotiatores, vide *legem* 7. *Cod. de excuſ. mun.* & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Vopiſc.* & Tit. Popmam *de Operis Serv.*

LINTERNA palus, Silio Ital. *Punic. Bell. l.* 7. *v.* 278. in Campania eſt, apud Linternum urbem exciſam: Vulgò *Lago di Patria*, Mazzellæ. Ejus memini Stat. *l.* 4. *Sylv.* 3. *v.* 66.

> *Et* Linterna palus, *pigerque Savo.*

LINTERNUM, urbs olim Epiſcopal. Campaniæ, nunc vicus tenuis, inter Vulturnum ad Bor. & Cumas ad Mer. ubi Scipio Africanus invidiæ cedens Obiit & ſepultus eſt. Plin. & Liv. *l.* 34. *c.* 45. *Liternum*, & ſic rectè ſcribi monet Cluv. Quamvis plerique Latini autores inſerto *N. Linternum* habent, quaſi à *Lintribus* deductum. Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 713.

> *Hinc calidi fontes lentiſciferumque tenetur*
> Linternum. ——— ———

Sil. Ital. *Punic. Bell. l.* 6. *v.* 655. & *l.* 8. *v.* 531.

> ——— *Stagniſque paluſtre*
> Linternum. ——— ———

Λείτερνον Ptol. Λίτερνον Strab. & Appiano Alex. Baudr vicus hic eſt in prov. Terræ Laboris, *Torre di Patria* dictus, in ora maris Tyrrh. prope fluv. Linternum. Strabo *l.* 5. *p.* 242. & 243.

LINTEUM Infame, Hiſpanis *Sambenito* quoque dictum, licèt veſtis non ſit, Eccleſiarum parietibus affigi, in Eccl. Rom. ſolet, in parœciis, in quibus rei in cauſa fidei vixêrunt. Inſcribitur id nomine, agnomine & officio rei: additur patria, ſæpe etiam illi, quorum condemnati parentes & avi erant. Nonnunquam parentes, uxores, mariti, quoque adjiciuntur. Denique juxta criminis qualitatem pœnitentiæ cauſa declaratur, nempe quòd hæreſiarcha fuit dogmatiſtes, hæreticus declaratus, apoſtata, pœnitens ſimulatus, quòd negativus & pertinax, quòd hæreticus impœnitens & relapſus &c. etiamſi è vita ante condemnationem exceſſêrunt. Præter inſcriptionem depingitur etiam notâ quæ vivis pœnitentibus imponi ſolet. In quibuſdam ſine ulla nota ſaltem legitur *combuſtus* vel *reconciliatus*. Plura vide apud Lud. à Paramo *de Orig. & Progr. Inquiſit. l.* 1. *tit.* 2. *c.* 5.

LINTHUS, nomen Limagi fluv. apud Glaronenſes, ubi oritur: in quem poſtquam Magus, è lacu Rivario, effunditur, demum Limagus dicitur. Vide *Limagus*.

LINTURIUS Johannes, vide *Johannes*.

LINUM, prom. Brutiorum in Calabria citer. teſte Barrio, *di Venno* hodie.

LINUM, ex Græco λίνον eſt, Arachnes inventum, Plin. *l.* 7. *c.* 56. Idem *Prooem. l.* 19. *Seritur, ac dici neque inter fruges neque inter hortenſia poteſt linum. Sed in qua non occurret vitæ parte, quodve miraculum majus, herbam eſſe, quæ admoveat Ægyptum Italiæ---- quæ Gadais ad Herculis columnas ſeptimo die Oſtiam afferat, & citeriorem Hiſpaniam quarto, prov. Narbonenſem tertio, Africam altero: audax vita: --aliquid ſeri, ut ventos procellaſque recipiat: & parùm eſſe, fluctibus ſolis vehi ——— denique tam parvo ſemine naſci, quod orbem terrarum ultro citroque portet, tam gracili avenâ, tam non altè à terra tolli: neque id viribus ſuis necti, ſed paſſum, tuſumque & in mollitiem lanæ coactum, injuriâ naturæ ——— Ecce ſeritur hominis manu ——— quod ventos in mari optet. Præterea ut ſciamus faviſſe pœnas, nihil gignitur facilius: ut ſentiamus, nolente id fieri naturâ; urit agrum, deterioremque etiam terram facit.* Ubi vela navium indigitat, è *lino* fieri ſolita, quem in uſum etiam, idem *l. eod. c.* 1. *tentatum eſſe illud tingi & veſtium inſaniam accipere in Alex. Mag. primùm claſſibus, Indo amne navigantis.* Sed de his, ut & velis Theatralibus, aliiſque infrà. Ad piſcium alituumque capturam item apprimè idoneum, eadem & plagis materia. *Ib. Neque enim minores cunctis animalibus inſidias, quàm nobiſmet ipſis, lino tendimus*, Alios uſus ſuprà vidimus. Porro obſignationibus literarum tabularumque tria adhibebantur: *Linum*, Cera vel Creta, & Signum, apud Vett. Erat autem *Linum*, vinculum illud, quo conſtringebatur obligabaturve id, quod erat obſignandum: ei imponebantur cera vel creta, in quam ſigillum imprimebant, ſed, quod hodieque vulgò fieri ſolet, priùs ſalivâ madefactum, ne cera illi adhæreret. Facit mentionem ceræ ac lini Plaut. *Bacchid. Act.* 4. *Sc.* 4. *v.* 64. & 96.

> *Cedò tu ceram ac* linum: *actutum age obliga, obſigna citò.*

Et *in Pſeud. Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 39. *& ſeqq.*

> *Phœnicium Calidoro amatori ſuo*
> *Per ceram &* linum, *literaſque interpretes*
> *Salutem mittit.*

Sic *Inſtitut. l.* 2. *Tit. de pupill. ſubſtitut. Separatim in inferioribus partibus ſcribere, eamque partem proprio lino propriaque cretâ conſignare*, &c. In tabulis tamen, quæ publici & privati contractûs ſcripturam continebant, peculiaris modus obſervabatur, quem Paul. *l.* 5. *Sent. Tit.* 25. deſcribit his verbis: *Ampliſſimus Ordo decrevit eas tabulas, quæ publici & privati contractûs ſcripturam continent, adhibitis teſtibus ita ſignari, ut in ſumma marginis ad mediam partem perforati triplici lino conſtringantur, atque impoſitum ſupra linum ceræ ſigna imprimantur, ut interiores ſcripturæ fidem interioris ſervent. Aliter tabulæ prolatæ nihil momenti habent.* Cujus formæ autor Senatus fuit Neronianis temporibus, ut Suet. oſtendit *Ner. Claud. c.* 17. *Adverſùs falſarios tunc primùm repertum, ne tabulæ niſi pertuſæ ac ter lino per foramina trajecto obſignarentur.* Non poterant autem epiſtolæ vel tabulæ aperiri, niſi lino ſoluto. Lucian. *in Timone*, Ἐπειδὰν τὸ σημεῖον ἀφαιρεθῇ καὶ τὸ λίνον ἐντμηθῇ καὶ ἡ δέλτος ἀνοιχθῇ καὶ ἀνακηρυχθῇ μου ὁ καινὸς δεσπότης, *Poſteaquam autem ſignum ablatum fuerit & linum inciſum & tabulæ apertæ & declaratus meus novus dominus.* Undè apud Curt. *l.* 7. *c.* 2. *Parmenion vinculum epiſtolæ ſolvens, quidnam Rex ageret, requirebat.* Et apud Cic. 3. *Catil. Incidere linum*: & alibi, *ſolvere Epiſtolam.* Sed antequam *linum* ſolveretur aut incideretur, quia tum ſignum plerunque cum eo frangebatur, ſigna jubebant cognoſci, fidei causâ. Cic. *l. c. Tabellas proferri juſſimus, quæ à quoque dicebantur datæ. Primùm oſtendimus Cethego: ſignum cognovit: nos linum incidimus, legimus.* Et Quintilian. *l.* 12. *c.* 8. *Denique linum ruptum aut turbata cera aut ſine agnitione ſigna frequenter invenies.* Ideo autem literarum ſigna recognoſcebantur, quia inde, ut è ſcribentis manu, Autor illarum poteſt cognoſci: quemadmodum de L. Junio Bruto primo Romanorum Conſule legimus, filiorum conjuratorum literas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

literas, primùm *ex utriuſque ſigillo*, ταῖς σφραγῖσιν ἑκατέρων κὴ μετὰ τὸ λῦσαι τὰ σημεῖα τοῖς αὐτογράφοις, *& poſt avulſa ſignacula etiam è manu*, cognoviſſe legitur, apud Dion. Halic. *l.* 5. At literas principales, eas præſertim, quæ pragmaticas ſanctiones ad totum Imperium vel poſteritatem pertinentes continerent, quod ſpectat, non *lino* & cerâ, uti de privatorum tabulis epiſtoliſque diximus, obligabantur obſignabanturque, ſed erant, ut hodie loqui amamus, *patentes*: in quarum tamen ima parte, fidei causâ, ſigillum apponebatur, ut legimus in Pragmatico Childeberti Regis apud Aimon. *de Geſtis Franc. l.* 2. *c.* 20. Vide Joh. Kirchmann. *de Ann. c.* 8. De *Lini* uſu in lucernis antiquorum, quas *Incombuſtibiles* vocare ſolent, ut aliquid addam: Cùm duæ cauſæ ſint, cur ad multas Annorum centurias ardere poſſint, ſine novi fomitis adjectione, lucernæ iſtiuſmodi; una petita à natura liquoris, qui talis eſſe debet, ut non conſumatur; altera à qualitate ellychnii, quod pertinaciter flammæ reſiſtat, *lini* quoddam genus huic rei aptiſſimum inventum eſt. Hoc quibuſdam ſimpliciter *Linum*, Pauſ. *Linum Caryſtium*, Plin. *Linum vivum*, nonnullis *Linum aſbeſtinum*, Zoroaſtri *Boſtrychites*, aliis *Corſoides*, quibuſdam *Polia*, nonnemini *Spartopolia*, Quadrigario *Alumen*, quod ſciſſo alumini ſimile ſit, aliis aliter appellatur: teſte Plin. *l.* 19. *c.* 1. *Inventum jam eſt etiam, quod ignibus non abſumeretur vivum id vocant, ardenteſque ex eo fiunt mappæ, quæ ſordibus exuſtis ſplendeſcant igni magis, quàm poſſent aquis.* Idem addit, *Regum indè funebres tunicæ corporis favillam ab reliquo ſeparare cinere: Naſcitur autem in deſertis aduſtiſque Sole Indiæ locis, rarum inventu, difficile textu propter brevitatem: rufus de cætero colos ſplendeſcet igni. Cum inventum eſt, æquat pretia excellentium margaritarum*: Neronem ex eo *lino* mantile habuiſſe ferunt, hodiè autem non inveniri ampliùs, docet Guido Pancirol. *Memorab. rer. deperd. l.* Pauſ. *in Attic.* & Plutarch. *de def. Orac.* tradunt, in Caryſtia rupe, *Linum* id gigni, molli & lapideo filo, ex quo mantilia, retia & reticula, capitis tegmina, conficerentur. Solin. *c.* 16. in Creta carbaſa eſſe aſſerit, quæ inter ignes valeant. Dionyſ. Afer *de Situ Orbis*, *Arcadiam deſcribens*, ait:

> *Hic naſci* Linum, *qui tacto accenſus ab igni*
> *Extingui nequitur, quem Graji nomine vero*
> Ἄσβεστον *memorant; ferri nitet ille colore.*

Camillus Leonard. *de Lapid. l.* 2. Aſbeſtum lapidem lanuginoſæ naturæ hoc *linum* præbere aſſerit, & ex hoc Gentiles in candelabris templorum ellychnia poſuiſſe docet. Et Dalechamp. *ad loc. Plin. cit.* in aurea lucerna, quam Callimach. Athenis fecit, iſtiuſmodi ellychnium fuiſſe memorat. Ex Cyprio lapide, quem *Amiantum* alii nominant, telas & vela ſpectaculi gratiâ Majores texuiſſe, quæ ignibus injecta arderent quidem, ſed ſine noxa, autor eſt Dioſcorid. *l.* 5. *c.* 113. Strabo quoque *l.* 10. *p.* 488. Creticum *Linum* tradit petram eſſe, eamque attritam capillamentis tantùm remanentibus, excuſsâ terreâ materiâ, pectinibus aptari, contextamque telam inde optimè confici. Sic Damaſus *in Sylveſtro Papa*, inquit, *ex amianto linum confectum inconſumptibile, ut perpetuò lampadibus arderet in Baptiſterio ſuo Romæ Conſtantinus Imp. ſtatuerat.* Et Lud. Vives *in Auguſtin. de Civ. Dei l.* 21. *c.* 6. permulta ellychnia ſe vidiſſe Pariſiis, quæ lucernis ſemper ardentibus nunquam abſumerentur; mantile quoque Lovanii medio convivio igni datum, redditumque Domino mundius, ſplendidiuſque, quàm poſſet aquis & ſmegmatis quibuſlibet, teſtatur. Joh. Paulus Pernumia *in Philoſ. nat.* ejus naturam ſic deſcribit: *Solet à natura fieri in figura capillari, colore quandoque albo, quandoque cinereo, quandoque rufo, aliàs ferreo: ſiccum ſolet eſſe extrinſecus, humiditatem tamen habet intrinſecam, ſicut metalla habent, quæ ab igne expugnari non poteſt: Lavatur lapis iſte, nectitur, netur, texitur* &c. Sed non ſolùm *petra Caryſtia vena iſtiuſmodi glomos lapideos molles, è quibus fila nebantur, ferre deſiit*, jam tempore Plutarch. *de Orat. Def.* verùm etiam, ſi lapis ad manus ſit, ars ejus lanuginem texendi, *linumque* illud adeò celebre indè conficiendi, ut ex Pancirolo ſuprà diximus, planè periit. Adhuc enim quin variis in locis iſtiuſmodi lapis reperiatur, dubium non eſt: & teſtatur Fortun. Licetus, è quo hæc prompta, *l. de reconditis Antiqq. lucernis*, fruſtulum ſe Amianti poſſidere, magnitudine nucis, extrinſecus ferro colore, ſive cinereo ſaturo, intrinſecus cinereo dilutiore, bracteolis conſitis conſtans, tantùm non lanuginoſis, quæ ſevo illita flammam concipiant abſque ſui detrimento, & beneficio lanuginis pecti texique poſſint. Simile quiddam in Cypro, apud amicum, ſe vidiſſe refert Petrus de la Valle *Itin. tom.* 4. Plura vide apud modò memoratum Fortun. Licet. *loc. præf.* item *l.* 1. *c.* 4. 14. & 33. ut & *l.* 2. *c.* 14. nec non plura de *Lino*, omnis generis, *Aſbeſto* modò dicto; *Carpaſio*, *Hiſpanico* tenuiſſimo & candidiſſimo; velis carbaſiſque impenſo; *Indico*, è quo texta ignibus item reſiſtebant &c. denique *Lini ſecandi, macerandi & candidandi modo* Vett. uſitato, præter Plin. *l. c.* apud Salmaſ. inprimis *ad Solin. paſſim.* At de *lino margaritarum*, quod idem ac filum ſ. linea, cui intricatæ ſunt ac Inſertæ margaritæ, vide ſuprà; Sicut *de lana linique mixtura*, vititâ lege, memoratâ Lev. *c.* 19. *v.* 19. & Deut. *c.* 22. *v.* 11. Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior l.* 2. *c.* 45. nec non ſuprà aliquid, in voce *Lana*, uti *de Lini hodierno tractandi more*, ſuprà in voce *Cruda* & de inveſtitura *per lini portiunculam*, ſuo loco.

LINUM Regis, opp. Norfolciæ, in Anglia, prope oſtia Uſæ fluv. in ora Oceani German. 18. mill. ab Elia in Bor. *Lymne*, ſ. *Kinges Lynne* vulgò.

LINUS, auditor & comes Pauli Apoſtoli, 2. Tim. *c.* 4. *v.* 21. Primus poſt Petrum Eccl. Romanæ Ep. fuiſſe dicitur, A. C. 70. Euſeb. *l.* 5. *c.* 6. Irenæus *l.* 3. *c.* 3. Sub hujus nomine duo circumferuntur libri ad Eccleſias orientales, qui acta continent paſſionis Petri & Pauli, ſed libri illi commentitii ſunt, & plurimos continent errores. Vide Bellarm. *de Script. Eccl. & l.* 1. *de Rom. Pontif. c.* 9. Baron. *ad* A. C. 69. Poſſevin. *in appar. ſacro*, in voce *Linus*. Morer. *Dict. Hiſt.*

LINUS, Apollinis fil. ex Pſamathe Crotopi Argivorum Regis filia; Cùm enim Apollo, Occiſo Pythone ſerpente, ad Crotopum veniſſet, ab eo hoſpitio ſuſceptus, clam cum Pſamathe ejus filiâ concubuit, quæ ex eo compreſſu gravida effecta, expletis legitimis menſibus, puerum peperit, quem *Linum* appellant. Hunc, cùm patris indignationem metuens inter virgulta occultâſſet, canes inde extractum dilacerârunt.

LINUS, Thebanus, Apollinis, & Terpſichores fil. Muſicæ peritiſſimus, primus Græcas literas è Phœnicia attuliſſe dicitur. Thamyræ, Herculis & Orphei præceptor. Virg. *Eccl.* 4. *v.* 55. *& ſeqq.*

> *Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,*
> *Nec* Linus, *huic mater quamvis, atque huic pater adſit,*
> *Orphei Calliopea*, Lino *formoſus Apollo.*

Hunc ab Hercule Occiſum ferunt, impactâ in caput citharâ, quòd ipſum ruſticius canentem irrideret. Pauſ. *l.* 9. Mart. *l.* 9. *Epigr.* 88. cujus Epigraphe de filio Silii.

> *Ipſe meum flevi, dixit Apollo*, Linon

Aliis Mercurio ex Urania natus fingitur, quia poëta & Orator erat, ac de origine mundi, curſu Solis ac Lunæ, animalium item plantarumque ortu ſcripſit. In momento omnia creata dixit, quod & Anaxagoras poſt eum ſenſit. Stob. *l. de Prud. & Spe.* Plutarch. Suid. Diog. *in Præf.* Geſner. *in Bibl. &c.* Fuiſſe Πρῶτον εὑρετὴν ῥυθμῶν κὴ μέλος, *primum inventorem rhythmorum & melodiæ*, Diod. Sic habet *l.* 3. uti eum ἐπὶ ποιητικῇ κὴ μελῳδίᾳ θαυμασθέντα, *poëſi & melodiâ admirationem excellentem*, fuiſſe addit. *Lini* Thebani jun. meminit Suid. & *Lini* Hiſtorici *Steph.*

LINUS, Oechalienſis citatur *Steph.* in Οἰχαλίᾳ.

LINUS, fons Arcadiæ, feminis bibentibus ex eo abortum prohibens, *Plin. l.* 31. *c.* 2.

LINX, fluv. & urbs Mauritaniæ, vide *Lixus*.

LINYPTIARII, vide LINTEARII.

LIONIUM, opp. Picardiæ, in tractu Sanguiterſio, 7. leuc. ab Ambiano in Ort. 7. à Novioduno in Bor. 5. ab Hamo in Occ. Vulgò *Lions* cogn. *en Santerre*.

LIONIUM, vulgò LIONS cogn. *en Foreſt*, opp. Normanniæ juxta Sylvam *de Bray*, in Vexino Normannico, 6. leuc. à Rothomago in Ort. Dicitur meliùs *Leones*, quod vide.

LIPARA, inſ. præcipua ex Æoliis, quæ *Liparea*, quia prima earum *Lipara*, & Vulcaniæ & Hephæſtiades, ita dicta à *Liparo* Rege, Auſonis filio, cui ſucceſſit Æolus, cùm antea *Meligunis* vocaretur, Plin. *l.* 3. *c.* 9. A Sicilia pendet, cum cæteris Liparæis, ſ. Æoliis: In mari Tyrrheno. Urbeculam parvam habet Epiſcopal. ſub Archiep. Meſſanenſi, conditam Anno quo Dyrrachium urbs Macedoniæ extructa eſt, cum aliquot villis, 30. mill. paſſ. ab ora Siciliæ in Bor. 60. ab ora proxima Calabriæ ulter. in Occ. Ejus arx permunita eſt, *la Pignatara*. Tota ſatis culta, & fere ſola, inter Liparæas, quæ ſubſunt Hiſp. Aliqui ſic dictam volunt, quaſi *pinguem*, ita enim λιπαρὴ ſonat. Atqui hæc inſ. ſolum habet ſterile, & infœcundum. Hinc Cic. *Verrinâ* 3. *Emit agri Liparenſis miſeri, atque jejuni decimas.* Et paulò pòſt de civitate Liparenſi, *Hæc tam parva civitas, &c. in inſ. inculta, tenuique poſita.* Aliud comminiſcitur Callimachi Schol. quod haud facile capias: Λέγεται δ' ὅτι σίδηρα διάφορα θέντες ἐν αὐτῇ ναῦται, ἕωθεν εὑρήκασιν αὐτὰ ἐκ τῆς ἀναδόσεως τῦ πυρὸς πεπανθέντα· κὴ διὰ τῦτο ἐκλήθη ἡ νῆσος Λιπάρα, διὰ τὸ αὐτὰ διάφορα ὄντα ἓν γενέσθαι, h. e. *Ajunt cùm ferreas maſſas plurimas in ea nautæ poſuiſſent, illas mane repeririſſe excoctas ex ignis eruptione. Quocirca inſ. Lipara dicta eſt, quia hæ maſſæ, cùm diverſæ eſſent, in unam coaluêrunt* Hæc ille in Dianæ hymnum, quibus nihil abſurdius fingi potuit, cùm Græcè λιπαρὰ nihil minus ſonet, quàm quod è diverſis in unum coaluit. Aſſerit itaque Bochart. nomen eſſe deflexum ex Phœnicio *Nibaras* vel *Nibras*, quod Arabicè eſt *lampas*, ſ. *lucerna*, *tæda*, *fax*; Inde *Lipara*, vel *Liparis* nomen Punicum, quia facis inſtar noctu lucebat, Ariſtot. *in Mirand.* Καὶ τὸ ἐν τῇ Λιπάρᾳ δὲ πῦρ φανερὸν κὴ φλογῶδες, ὐ μὲν ἡμέρας, ἀλλὰ νυκτὸς μόνον καίεσθαι. Theocr. Edyll. 2.

> ——— Ἔρως δ' ἄρα κὴ λιπαραῖς
> Πολλάκις Ἁφαίστοιο σέλας φλογερώτερον αἴθει.

Sil. Ital. *Punic. Bell. l.* 14. *v.* 57.

> *Nam* Lipare *vaſtis ſubtus depaſta caminis,*
> *Sulfureum vomet exeſo de vertice fumum.*

P. Mela *l.* 2. *c.* 7. Ex *Nibras* autem vel *Nibaras* Græci fecêre *Liparas*, ut mollirent vocem barbaram & ad ſuæ linguæ typum effingerent. Baudr. ignes non emittit, uti Vulcania vicina. Item *Lipara* Cappadociæ pars, *Licandus* Curopalati. Nic. Lloyd. Strabo *l.* 6. *p.* 275. & 277.

LIPARIS, Ciliciæ fluv. ἀπὸ τῦ λιπαρῦ, quoniam teſte Vitruv. *l.* 8. *c.* 3. narantes in hoc fluv. aut ſe lavantes, non aliter unguntur ab ipſa aqua, quàm ſi oleò, aut adipe lavarentur. Plin. *l.* 5. *c.* 27.

LIPAXUS, urbs Thraciæ, *Steph.*

LIPHLUM, Æquorum opp. in Italia, à Rom. captum, L. Valerio & Manlio Coſſ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LIPHOECUA, à Rom. capta, L. Lucretio, C. Æmilio, C. Rufo & Ver. Sulpitio, tribunis conſularibus, urbs Æquorum. Diod. Sic l. 14.

LIPODORUS, inter Græcos, ab Alex. Mag. in Aſia collocatos, & poſt Obitum ejus deficientes, à Pithone corruptus, ut in ipſo pugnæ diſcrimine, cum tribus millibus, ad Macedonas transfugerit.

R. LIPMANN autor *Nitzaihon*, circa Ann. 219. juxta *Chronologiam* R. Gantz, verſus eſt & refutatus à Conſtantino *l'Empereur*.

LIPOMANUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

LIPPA, vulgò LIPPA, urbs Tranſylvaniæ, in colle, ſub Turcis, prope Mariſcum fluv. in conf. Hungar. 5. leuc. à Temeſia in Circ. 10. à Julia ſ. Ziridava in Auſtr.

LIPPIA, Comitatus & fluv. Weſtphaliæ, German. *Lipſtadt*. Ubi Synodo à Car. Mag. habitâ, A. C. 780. dati Saxonibus ſubjugatis Præſules. Sub Elect. Brandeburgico. Floruit *Lippienſium* Comitum, in Weſtphalia, Fam. pluribus a Seculis, idque jam in bello Henr. Aucupis adverſus Hungaros, circa A. C. 933. Eberhardum aliquem gentis hujus (quam aliqui Urſinis vindicare malunt) ſatorem dicunt. Qui nunc ſuperſunt, omnes originem trahunt à Simone Mortuo A. C. 1614. Ab ejus enim filiis, Simone, linea *Detmoldia*, de qua ſuprà dictum eſt; Othone *Brakenſis* & Phil. *Buckenburgia*, de quibus hic, deſcendunt. Et quidem Brakenſes quod attinet, iſti ſic habent. Simon Com. *Lippiæ*, qui Obiit A. C. 1432. ex Eva (filia Erici Duc. Brunſvicenſis *in Grubenhagen*) ſuſcepit Bernhardum cogn. *Bellicoſum*, Defunctum A. C. 1511. Hoc & Annâ Schawenburgicâ (filiâ Othonis Com. Schawenburgici, Holſat. & Sternb.) genitus Simon, Deceſſit A. C. 1537. Pater, ex Magdalena Mansfeldica (filia Gebhardi Comitis *in Seeb.*) Bernhardi, qui Defunctus A. C. 1563. ex Catharina Waldeccia (filia Phil. III. Com.) fil. reliquit Simonem Com. *Lippiæ* præfatum, Extinctum A. C. 1614. Hujus, ex Eliſabetha Schawenburgica (filia Othonis Com. Schawenburgi) fil. medius Otho, Margaretham Naſſoviam ſibi junxit, atque ex ea ſuſcepit Caſimirum, Vilhelmum, Mauritium, Fridericum, Georgium, Auguſtum, Amaliam, Dorotheam, Sabinam & Ottiliam, omnes *Comites Lippiæ &c. in Brake*, Defunctus A. C... Buckenburgios verò quod concernit, Phil. minimus natu Simonis, ſæpius memorati, ex Eliſabetha Schawenburgica, Sophiam Haſſiacam (filiam Mauritii Haſſiæ Landgr.) uxorem duxit, ex ea Pater Eleonoræ Sophiæ (quæ nata eſt A. C. 1647.) Johannæ Dorotheæ (nat. A. C. 1648.) Luiſæ (nat. A. C. 1650.) Philippinæ, Carolæ Beatæ & Frid. Chriſtiani (nat. A. C. 1655.) qui *Comites Lippici* &c. omnes, *in Buckenburg*. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Parte I. p. 25.* & 64. E Brakenſibus, Caſimirus & Vilhelmus, lineam propagare cœpêrunt: Ille quidem ex Anna Amalia Sayno Witgenſtenia, filii: hic verò, ex ſorore Joh. Adolphi, ex Benthemiis Com. Tecklenburgici, itidem filii, Pater. Sed & Detmoldii rami ſurculus eſt *Biſterfeldius*. Ex Simone enim, Detmoldiæ lineæ autore, & Maria Magdelena Waldeccia (filia Chriſtiani Com. Defuncti A. C. 1638.) geniti Jodocus Hermannus (cui nupſit Eliſabetha Juliana Sayno Witgenſtenia) & Sophia Eleonora (ux. Georgii Vilhelmi Com. Leiningenſis *in Weſterburg*) *Comites Lippiæ* &c. *lineæ Detmoldiæ in Biſterfeld* appellantur, Idem *Parte 3. p. 31.* & 84. Vide quoque eum *Arte Herald. Tom. II.*

LIPPOMANNUS, vide *Radzivilius*, it. *Ludovicus*.

LIPS, Græcè Λὶψ, in octogona turre Andronici Cyrrheſtis, quæ hodieque Athenis viſitur, idem cum Africo, ventus eſt, hodie *Sudoueſt*. *Garbin* & *Labetche*, Belgis Galliſque dictus, vide ſuprà ubi de *Africa*, alibique paſſim. P. Mela *Libs*, à *Libya*, undè flare dicitur &c.

LIPSANA, de Sanctorum reliquiis, apud Paul. Diacon. *l.* 16. alioſque, Græcè Λείψανα, vide infrà *Reliquiæ*.

LIPSIA, vulgò LEIPSIK, civ. prim. Miſniæ, ad Pleiſſenam *Pleiſſ* amnem ſita: Emporium celebre. Non eſt admodum ampla, ſed tamen talis, quæ ſuâ anguſtiâ etiam amplas Germaniæ, maximè Principum, exuperat civitates Abundant ibi mercatores, qui varia & continua exercent commercia, idque ter per Annum in ipſa civ. ſicut quidam de nundinis ejus loci hunc in modum ſcripſit:

> *Mercibus augetur ter* Lipſia magna *quotannis*.

Paſſum eſt hoc opp. A. C. 1547. gravem jacturam, quando ſextâ die Jan. cœptum fuit oppugnari per Joh. Ducem Saxoniæ, Principem Electorem: tunc enim exuſta fuêrunt ſuburbia, bombardarum ictibus dejecta mœnia, turres concuſſæ, domorum tecta diſſoluta, caſtrum civitatis multum deformatum: obſidio in magno frigore continuata ad 20. dies, ſed hoſtis re infectâ coactus fuit diſcedere, Joh. Matal. Metell. Quantum porro nupero bello Germanico paſſa ſit, de eo paucis inferius vide: Abeſt 12. mill. Germ. à Dreſda in Occ. 16. à Magdeburgo in Auſtr. Sub Electore Saxoniæ, Baudr. Nundinæ hic 3. vicibus in Anno ut dictum, celeberrimæ. Prope urbem cruentiſſimo prælio, Ferd. II. Imp. à Guſtavo Adolpho Sueciæ Rege A. C. 1630. dein Ferd. III. A. C. 1642. à Torſtenſohnio Suecico Duce, poſt captam Glogoviam, Olomucium, aliaque loca, victus eſt, Archiduce Leopoldo & Piccolomineo in turpem fugam conjectis: Lipſiæ dein deditio ſecuta. Vide Cluv. *Deſcript. Germ.* Bert. *l.* 3. *Rer. Germ. c.* 11, *&c.* Inſignis hic Academia, à Frid. Bellicoſo, A. C. 1408. erecta eſt, poſtquam odio Joh. Huſſi, è natione Germ. ad IV. M. Studioſorum ex Academia Pragenſi, Lipſiam conceſſiſſent. In hac, coram Georgio Duce, Lutherus cum Eccio de primatu Papæ, diſputavit, A. C. 1520. eo ſucceſſu, ut Princeps exclamârit, *ſive ſit jure humano, ſive divino Papa, ipſe eſt Papa*. Paulò tamen pòſt Euangelii doctrinâ urbs illuſtrata eſt. Mortuo deín Melanchthone, Ubiquitatis dogma, quod Brentius, Andreæ, Flaccius excudêre, ab Academia non Wittembergenſi ſolùm, ſed & *Lipſienſi* rejectum eſt, unde lites ortæ, & coram Aug. Elect. delationes. Convocatum proin Aldeburgi Colloquium, A. C. 1568. Dein Dreſdenſis conſenſus initus, tandem formulâ Concordiæ conſcriptâ, omnes, qui ei ſubſcribere recuſabant, exilio pulſi ſunt, fruſtra monente Auguſtum Maximiliano Imp. *Noſtrum non eſt imperare conſcientiis, aut ad fidem quenquam vi cogere*. Lætus *Comp. Hiſt. Univ.* Jul. Cæſar Scalig. de urbe hac ita canit:

> Lipſia *ſe oſtentans ſublimibus aurea tectis,*
> *Lumina dum ſaturat, mens perit icta fame:*
> *Vecta quibus rutilus longinqua marmora terra,*
> *Unde frequens fluxit pura nitela Tagi?*
> *Huc Cyprum, huc Temeſum, huc Arabas, huc Serica, dices*
> *Sedibus evulſa huc Indica regna ſuis.*
> *Cum gemmâ bibitur, vincuntur nectare gemma,*
> *Sed lingua varius vincit utrumque nitor.*
> *Nec Germana tamen vitiatur* Lipſia *luxu,*
> *Aſt hunc Germanum* Lipſia *magna facit.*

LIPSIUS Juſtus, vide *Juſtus*.

LIPSIUS Martinus, vide *Martinus*.

LIPSYDRIUM, locus ſupra Parnethen, de quo Suid. in dictione, ἐπὶ λειψυδρίῳ. In Spartæ confiniis eſſe docet H. Jun. *l.* 3. *Animadv. c.* 7. Supra Pœoniam eſt, apud Herod. *l.* 5. *c.* 62. & 123.

LIPTINÆ, palatium olim fuêre, aut villa Regia, in pago Camaracenſi, vulgò *Leſtines*, unde Synodus Leptinenſis, habita ſub Carolomanno Majore Domûs, A. C. 743. Nunc rudera ſuperſunt, non procul à Binchio Hannoniæ opp. Eſt & vicus *Liiptain*, Landinum vel Landas inter & Geldoniam poſitus. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LIQUAMEN, apud Iſid. *l.* 20. *c.* 3. liquor eſt quem Græci γάρον vocant, ex porcino adipe, hoc modo fieri ſolitus: Adeps minutatim conciditur & in vaſa ad ignem lentum ſ. carbones ignitos ſine fumo liqueſcit, adjecto ſalis modico, ſ. etiam nullo: deinde liquefactum, antequam refrixit, in ollam liquefactoriam colatur, & ad uſum reponitur; uſui autem eſt toto ferè Anno, Gabr. Humelbergius, apud C. du Freſne in *Gloſſ.* Vide quoque Jac. Cujacium *Obſerv. l.* 9. *c.* 9. & ſuprà, in *Garum*, item *Elæogarum*: uti *de liquandi auri artificio*, in voce *Auro*.

LIQUENTIA, vulgò LIVENZA, fluv. Gall. Ciſalpinæ, ſ. Venetiæ poſt Tarviſinum agrum. Oritur in Opiterginis, & in mare Hadriaticum cadit. Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 679.

> *Quales aëriæ* Liquentia flumina *circum*.

Ubi participium videtur, non loci nomen. Vide *Erythræum*.

LIRA, caſtellum Galliæ, ad Riſelam fluv. in finibus Aulercorum Eburovicum, vet. Monaſter. Benedictinorum illuſtre, vulgò *Lire*. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* Item opp. Brabantiæ, Monaſter. Canonicorum à Guntmaro extructo; unde *villa S. Guntmari* quoque dicitur, nobile. Vulgò *Lier*; ad fluv. Netam, quo à Taxandria & pago Rhenenſi Brabantiæ *het Land van Rijen* dividitur. Vide eund. in voce *Ledi*.

LIRA, vide *Porca*.

LIRCÆUS, apud Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 711.

> *Aret Lerna nocens, aret* Lircæus, *& ingens*
> *Inachus* ————

Mel. *Lyrcius*, fons eſt prope Nemeam: de quo vide in hac voce, & Priſcian. *l.* 2. laudatum Barthio *ad Stat. loc. cit.*

LIRIA, fluv. Gall. Narbonenſ. apud montem Peſſulanum decurrens, ſeque in ſtagna Volcarum exonerans, teſte Dalechampio. Vulgò *le Lez*. Plin. *l.* 3. *c.* 4.

LIMIRIS, opp. Saxoniæ Hamburgo proximum. *Mulheym* Villanovano. Aliis *Segenberg*, opp. munitum Holſatiæ, 7. leuc. ab Hamburgo in Bor. 5. à Lubeca in Occ. *Baudr.*

LIRINATES, qui & *Larinates*. Vide *Larinum*. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

LIRINENSE COENOB. vide LERINA.

LIRINENSIS Vincentius, vide *Vincentius*.

LIRIOPE, nympha marina, Oceani & Tethyos filia, ex qua Cephiſus amnis Narciſſum puerum formoſiſſimum ſuſcepit. Ovid. *Met. l.* 3. *v.* 341. *& ſeqq.*

> *Prima fide vociſque rata tentamina ſumpſit*
> *Cærula* Liriope; *quam quondam flumine curvo*
> *Implicuit, clauſaque ſuis Cephiſus in undis*
> *Vim tulit, enixa eſt utero pulcherrima pleno*
> *Infantem, Nymphis jam tunc qui poſſet amari,*
> *Narciſſumque vocat.* ————

Item fons Bœotiæ in finibus Theſpienſium, ad vicum Hedonacum, in Cephiſum influens: In quo Narciſſus ſubmerſus fingitur. Pauſ. *Nic. Loydius*.

LIRIS, fluv. Campaniæ, Minturnas præterfluens. Vulgò *Gariliano* vel *Gariglia*. Horat. *Carm. l.* 3. *Ode* 17. *v.* 7.

> ———— *Innantem Maricæ*
> *Litoribus tenuiſſe* Lirim.

Lucan. *Civ. Bell. l.* 2. *v.* 424.

> *Sarnus, & umbroſa* Liris *per regna Maricæ.*

Mart. *l.* 13. in Xenys *Epigr.* 82. cujus Epigraphe Scyllæ *Caru-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Cæruleus nos Liris *amat; quem ſylva Marica, &c.*

Carmi curſu labi hoc flumen teſtantur Horat. & Silius. Hic Silent. *l.* 1. *Ode* 31. *v.* 7.

Non rura quæ Liris *quieta*
Mordet aqua, taciturnus amnis.

Ille *Punic. Bell. l.* 8. *v.* 400.

——— ——— Lirim
Sulfureum, tacitiſque vadis ad litora lapſum.

Nic. Lloyd. Plin. *l.* 2. *c.* 103. & *l.* 3. *c.* 5. & Strabo *l.* 5. *p.* 237. Liv. *l.* 10. *c.* 21. *l.* 26. *c.* 9. & 34.

LIRNYTIA, urbs Pamphyliæ, Steph. ex Hecatæo.

LISBONA, florentiſſimum Portugalliæ emporium, & regni caput. Vide *Oliſſippo.*

LISBOUM, locus Germ. in Franconia, ad Mœnum fluv. qui *Erlenbrunnen B. Rhenano.*

LISCUS, *Æduus*, ſummo magiſtratu, in ſua civitate, defunctus. P. Mela *l.* 2. *c.* 4. Cæſ. *de Bell. Gall. l.* 1. *c.* 16.

LISERPALUS, opp. Lancaſtriæ, ad Auſtr. cum portu capaciſſimo, ad oſtia Merſeii fluv. in conf. Com. Ceſtriæ; *Leerpole* vulgò, 14. mill. Angl. à Ceſtria in Bor. 2. à mari Hibern. 30. à Lancaſtria in Mer.

LISGA, ſylva olim Galliæ dominica, quas tum Germanico vocabulo *Foreſtas Regias* appellabant. In hac locus Rotundæ ad Axonam, à civ. Sueſſionis 144. ſtadia diſtans & Monaſt. cujus Drauſius ibi autor. Vulgò *la Foreſt de Leſgue.* Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LISIARDUS Creſpiacenſis, Ep. Sueſſionum, Autor vitæ S. Arnulphi. Obiit A. C. 1127. Alberic. *in Chron.* Ivo Carnut. *Ep.* 203. 229. 246. 279. & 280. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 46. Mejer. *Ann. Flandr.*

LISIDIAS, Megapolitanorum Dux, A. U. C. 517.

LISINAS, opp. Theſſaliæ, Liv. *l.* 32. *c.* 14.

LISKATH-HAGAZITH, vide *Lithoſtrotus.*

LISMORA, vulgò LISMORE, urbs Epiſcopal. Hiberniæ, ſub Archiep. Caſſilienſi, inter Waterfordiam ad Ort. & Corcagium ad Occid. Baudr. eſt Urbs Comit. Waterfordienſis, in Momonia, juxta fluv. *More*, 22. mill. paſſ. à Caſſilia in Mer. 15. ab Oceano in Bor. uti ab Jogallia. Deficit indies. Item urbs Epiſcopal. Scotiæ, ſub Archiep. Glaſguenſi, in Argadia regione Occidua, Camd. meliùs *Kilmoria.* Vide ibi.

LISSA, Inſ. contra Jader, in Illyrico mari, vulgò quoque *Liſſa*, Item *Iſola di Fara*, Plin. *l.* 3. *c.* 26. Item Accetanorum in Hiſp. urbs. *Ptol.*

LISSA, cogn. *Polonica*, populoſum opp. Poloniæ majoris in Palatin. Caſilienſi, in Sileſia Polonica, 1. & dimid. mill. à finibus Sileſiacis, atque uno ab oppid. *Storchneſt*, & *Schweskau* remotum, in diſtrictu Frauenſtadienſi, olim pagus. *Leſſno* Polon. *Liſſe* Germ. A. C. 1656. d. 28. April. maj. ex parte conflagravit.

LISSIA, inſ. maris Britannici, Angliæ adjacens, Ant. *Lethowſow*, & *the Gulfe* Camdeno. In ora Occ. Cornubiæ.

LISSON, Siciliæ fluv. Leontium præterfluens, Polyb. *Fiume de Lentini* vulgò. Liv. *l.* 43. *c.* 30.

LISSUS, urbs Macedon. in Illyrici conf. ad oſtia Drilonis, media inter Epidaurum urb. Dalmatiæ. & Aulonam urb. Macedon. Epiſcopal. ſub Archiep. Dyrrachino. Baudr. *Aleſſio.* In Albania reg. in ora maris Hadriat. & intimo receſſu Sinûs Illyrici, qui à Drilone fluv. ibi ſe exonerante, dicitur *Golffo dello Drino.* Erat aliàs in Prævalitana prov. nunc Turcis ſubeſt. In colle arduo, 25. mill. à Croja in Bor. Lucan. *Civ. Bell. l.* 5. *v.* 719.

Prætereunt, fruſtra tentati litora Liſſi,
Nymphæumque tenent. ———

Item opp. Cretæ in ora Auſtrali apud Criumetopon prom. & Tarbam opp. *Fioniſſi* Nigro. Eſt & fluv. Thraciæ in mare Ægæum inter Thaſon & Samothracen inſ. exiens, unus ex illis, quos Xerxis exercitus exſiccavit, teſte Herod. *l.* 7. *c.* 108. Liv. *l.* 44. *c.* 30. Strabo *l.* 7. *p.* 316.

LISTA, opp. fuit Sabinorum, Reatinæ urbi proximum, ad 3. mill. paſſ. Populi *Liſtini Dion. Halic.*

LISTA, apud Villaneum & Petrarcham, ora, limbus; in *Gloſſis* Lat. Gr. ἡ ἐπὶ τοῖς ἀριθμοῖς χειρωτή: Undè hodieque Galli ſic vocant, non modò laciniam, vel tæniam aut vittam, ſed etiam catalogum aut elenchum, quòd ejuſmodi indices, in pergameni aut chartæ laciniis longioribus, perſcribi ſoleant. *Limbolarios Textores*, hujuſmodi *Liſtrarum* confectores Plaut. vocat. *in Aulul. Act.* 3. *Sc.* 5. *v.* 45.

Textores Limbolarii, *arcularii dicuntur.*

Vide C. du Freſne *in Gloſſ.*

LITABRUM, opp. fuit Hiſp. Tarrac. Liv. *l.* 35. *c.* 22. prope Segobiam locus oſtenditur.

LITÆÆ, Laconicæ urbs, *Steph.*

LITANA, ſylva in Gall. Togata prope Bojos, vulgò *Selva di Lugo.* Cujus arboribus viæ finitimis cæſis, ac ſubito impulſu ruentibus, L. Poſthumii Coſ. Rom. exercitus tam fœda ſtrage eſt obrutus, ut ex 25. millibus vix decem homines ſuperfuerint, *Liv.*

LITANIA, rogatio, ſupplicatio: Sed præterea publicæ ſupplicationis genus eſt, quâ Dei miſericordia ex ſolenni more ardentiùs imploratur. Indicebantur olim gravi quovis imminente diſcrimine, quandoque ad impetrandam camporum benedictionem, ne tactis frugibus ſequeretur fames. Sic Gregor. Mag. Epiſcopis Siciliæ, hoſtium invaſionem metuentibus, *l.* 9. *Ep.* 45. Sic Liberius P. *Alii*, *Litanias* indixêre. Earum cùm multæ ſint ſpecies, duæ tamen inprimis inſignes: *Minor*, & *Major.* Illa antiquior, hæc inſignior: Illa vulgò *Rogationes* appellatur, & *Proceſſiones*, necnon *Litania Triduana*, quòd tribus diebus ante Aſcenſionem Domini, per omnes Galliæ, Germaniæ & Britanniæ Eccleſias celebrata eſt. Inſtituta fertur apud Gallos Chlodovei I. ævo, à Mamerto Ep. Urbis Viennenſis, quæ crebris tum prodigiis & diuturno terræ motu concuſſa, per integrum Annum deſerta jacuit, Greg. Turon. *Hiſt. l.* 1. *c.* 34. Hodieque ſub his diebus, vicatim camporum termini, in Anglia, luſtrantur, Deique munificentia agnoſcitur & miſericordia imploratur. Sed Hiſpani, juxta illud, *Non poſſunt filii ſponſi lugere, quàmdiu cum illis ſponſus eſt*, infrà quinquageſimam Paſchæ, i. e. dum in terris ageret Dominus noſter, jejunare recuſant: ſuas referentes *Litanias* ad feriam 4. 6 & 7. in Pentecoſtes hebdomade, &c. Hæc, *Major* nempe, ab autore *Gregoriana:* à loco *Romana*: ab ordine *Septiformis*: ab habitu *Cruces Nigræ*, & præterea *Majores ſupplicationes*, & *Proceſſio major*, appellatur. Inſtituta eſt à Greg. Mag. cùm per urbem, & Italiam totam lues inguinaria, circa A. C. 594. multas mortalium myriadas, atque unà ipſum Papam Pelagium II. in proceſſione, corripuiſſet; quæ peſtis ex putredine, quam ingens Tibridis exundatio reliquerat, orta eſt. Tum enim Greg. populum urbis, ad *Litanias* conſcriptum, per cohortes, in 7. ord. ſic diſpoſuit: ut in primo eſſet Clerus omnis, in ſecundo Abbates cum ſuis monachis, in tertio omnes Abbatiſſæ cum ſuis congregationibus, in quarto omnes Infantes: in quinto omnes Laici, in ſexto viduæ omnes: in ſeptimo denique mulieres omnes conjugatæ: qui effuſo inter ardentes orationes imbre lacrymarum, Dei reportârunt miſericordiam. Hinc conſuetudo annuæ apud Rom. celebritatis, cui ſtatuitur dies 7. Kal. Maji, i. e. in feſto S. Marci, vel quia eo tempore contra hoſtes, in bellum, proceditur, vel quia tum floreſcentibus campis Dei benedictio expetitur. Quo faſtu prodeat hæc *Litania*, putà crucibus, vexillis bellicis, reliquiarum capſulis, & hujuſmodi, apud Durandum & Scriptores Offic. Eccl. P. Diacon. *Hiſt. Longob. l.* 3. *c.* 23. Amularium, &c. quære. Hæc autem omnia, etiam altaria ſupplices induebantur veſtitu nigro, in luctus mœroriſque deſignationem, unde *Crucis nigræ* appellatio. In Eccleſiis verò, ubi claſſium aut perſonarum numerus non adhibetur, ſepties *Litania* iteratur, priuſquam deponantur inſignia. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.* Erant & Gentilibus hæ *Litaniæ* olim ac ſupplicia, circa ſtatuas & aras Deorum, quibus uti moris erat in fortuna adverſa: Romanis præſertim, ut ſæpe narrant Liv. & Dion. Halic. *l.* 4. *p.* 263. qui dicere hoc ſolet, Λιτανείας ποιεῖσθαι πρὸς ἕδεσι θεῶν ϗ βωμοῖς. Polyb. verò, bonus cum primis autor, eleganter vocat, μαγγανεύειν πρὸς τοὺς θεοὺς, *lenocinium & blanditias indecores adhibere, ut Deum flectas*, *l.* 15. Cui non diſſimile apud alios Scriptores καταδυσωπεῖν τοὺς θεοὺς: quo elegantiſſimo verbo id planè ſignificant profani Autores, quod Dominus noſter in Euangelio de Gentibus dicit, ipſas τῇ πολυλογίᾳ δοκεῖν εἰσακουσθῆναι, *credere multiloquio ſe exaudiri*, &, ut loquitur Tertullian. *ſe copiâ verborum, quaſi agmine facto, quod petunt à Diis, impetraturos.* Multiloquium autem Ethnicis in precibus ſuis placuiſſe, cuivis obvium eſt. Hinc preces ſ. ſupplicatio Thebanarum muliercularum, quas in urbis periculo concipiunt, apud Æſchyl. in Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, verſiculis ampliùs centum ægrè abſolvitur: ubi & πολυλογίας Paganorum hujuſmodi cauſa exprimitur, quam alicubi Auguſtinus verè notat. Nam in ſumma rerum divinarum ignorantia, quem potiſſimùm Deorum aut Dearum orarent, quoniam neſciebant; omnes precabantur, vel certè plurimos, quod hoc loco mulierculæ ſtudioſiſſimè faciunt. Hinc Serv. *ad Georg. l.* 1. *Poſt ſpecialem*, inquit, *invocationem, tranſit ad generalitatem, ne quod Numen prætereat: more Pontificum, per quos ritu veteri in omnibus ſacris poſt ſpeciales Deos, quos ad ipſum ſacrum, quod fiebat, neceſſe erat invocari, generaliter omnia Numina invocabantur.* Adde, quòd Pagani credidêrunt, ſuos Deos coacervatis elogiis & congeſtis capi titulis. Quam ob cauſam poëta Callimach. inducit Dianam petentem à patre Jove, cum dono virginitatis, nominum ac titulorum multitudinem:

Δός μοι παρθενίην αἰώνιον ἄππα φυλάσσειν,
Κὠ πολυωνυμίην.
Da mihi Virginitatem perpetuam pater ut cuſtodiam,
Et titulorum pompam.

Refer huc quoque inſigne multilogii talis exemplum, quod in Ariſtoph. *Theſmophoriazuſis* exhibetur: ubi mulieres, in ludicro licèt argumento, publicos mores ſacrorum exprimentes, iſtiuſmodi Battologia utuntur. Sed in illis apud Æſchyl. precibus, adhuc inſignior πολυλογία eſt: ubi ſæpiſſimè verbis diverſis ſententiæ eædem, ab illis mulierculis, de circumſtante periculo & magnitudine metus, repetuntur &c. Vide Iſ. Caſaub. *Exercit.* 14. *ad Ann. Baronii n.* 14. *p.* 289. nec non *Animadverſ. ad Aug. Suet. c.* 100. ubi nudipedes hujuſmodi ſupplicationibus defunctos, more à Moſe accepto, ex *Apologia* 2. Juſtini, etiamque vett. Chriſtianos in clamanda *Litania*, idem aliquando facticâſſe, ex Hiſt. Eccl. addit. De acclamationibus vero feſtis, in ipſis *Litaniis*, in Principum nonnunquam factis honorem, diximus aliquid ſuprà in voce *Laudes.* Vide quoque infrà *Proceſſio*, it. *Rogus Dei Supplicatio.*

LITANOBRIGA, Æthico *in Itin.* memorata, inter Cæſaromagum Bellovacorum *Beauvais* & Auguſtomagum *Senlis*, Cluv. videtur eſſe Vernoilum ad Iſaram *Verneüil.* Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LITARBIS, regiuncula Syriæ, in agro Antioch. ab Antiochia 306. ſtad. Euagr. *Calliſtus*, &c.

LITARE, eſt *ſacrificio facto placâſſe Numen*, ut autor eſt ex aliis Macrob. *Sat. l.* 3. *c.* 5. Hinc ad verba illa Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 5.

Tu modò poſce Deos veniam, ſacriſque litatis,
Indulge hoſpitio ———

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Serv. notat, Deos propriè *litari* dici, non hoſtias, quod abuſive dictum: *Diis litatu debuit dicere. Non enim ſacra, ſed Deos ſacris litamus*, i. e. placamus. Itaque nove hoc dixit Virg. quemadmodum eum ſequutus Stat. *Theb. l.* 10. *v.* 332.

——— (*Tibi enim hæc ego ſacra* litavi) *&c.*

Et quidem hoc ordine iſta vett. Sacrorum exponit. Lutatius *ad eund. Theb. l.* 4. *Primum eſt ſanguinem libare, deindè immolare, tertiò reddere, quartò litare.* Idem *ad illud l.* 10. *v.* 604.

Audite ô ſontes extrema litamina *divûm*
Labdacidæ ——— ———

litamina, inquit, *ſunt ſacrificiorum ſigna, poſt quæ ſacrificare iterùm non licet.* Et, *Sacrificare eſt hoſtias immolare. Litare verò per immolationem hoſtiarum impetrare quod poſtules.* Cùm litatum non eſſet, & publicè & privatim iterabantur hoſtiæ Liv. *l.* 41. *c.* 14. *Tribus bubus perlitâſſe negavit. Senatus, majoribus hoſtiis, uſque ad litationem ſacrificari juſſit:* Flor. *l.* 4. *c.* 2. *Nec perlitare centum victimis poterant.* Et alludens Plaut. *in Pſeud. Act.* 1. *Sc.* 3. *v.* 99.

Eâdem duo greges virgarum inde ulmearum adegero.
Ut hodie ad litationem *huic ſuppetat ſatias Jovi.*

Et quidem cùm per marem litari non poterat, femina ſuccidanea dabatur, non viciſſim; ut qui ſexus, in omnibus ſacris, apud Romanos ſaltem potior habebatur, ut infrà videbimus in voce *Victima.* Donec ſigna Lutatio indigitata apparuiſſent: quæ qualia fuerint apud Gentiles, videre eſt hîc paſſim, ubi de *Aruſpicina, Extiſpicinaque,* & variis *Divinationis* apud illos generibus. Longè certius id, quod in Vet. Teſt. de Igne cœleſti ſacrificia conſumente, legimus Gen. *c.* 4. *v.* 4. ubi de Abele Idem *c.* 8 *v.* 20. ubi de Noacho; *c.* 15. *v.* 17. ubi de Abrahamo, Jud. *c.* 6. *v.* 20. & 21. ubi de Gideone; *c.* 13. *v.* 16. 19. & 20. ubi de Manna; 1. Par. *c.* 21. *v.* 26. ubi de Daniele & 1. Reg *c.* 18. *v.* 32. & *ſeqq.* ubi de Elia: quorum omnium ſacrificia, velut accepta Deo, eo modo ſtemmata conſtat. Unde votum illud Pſaltis Pſ. 20. *v.* 4. *Odoretur omnia munera tua, & holocauſtum tuum in cinerem redigat, ut quum maximè.* &c. Vide de hac voce plura, apud Caſp. Barthium *Animadv. ad Stat. Theb. l.* 1. *v.* 506. & Joh. Frid. Gronov. *ad Agamemnonem Senecæ Actu* 3. *v* 577.

Poſtquam litatum *eſt Ilio, Phœbus redit,*

Tac. *de morib. Germ. c.* 9.

LITAVI, qui & *Lithuani*, vide *Alani.*

LITAVICUS Æduus, ampliſſimâ fam. natus, præfectus 10000. militum, quæ Cæſari ad bellum ab Æduis ſunt miſſa. Cæſar *de Bell. Gall. l.* 7. *c.* 37. Germ. *Luitwich. Litavicus* idem eſt, qui in Ann. *Leudevicus* aut *Leodevicus*, quaſi dicas refugium & aſylum populi.

LITE, urbs Macedoniæ, *Suid.*

LITERA Gothica, quæ & *Toletana*, Roderico Toletano *Hiſt. Hiſp. l.* 6. *c.* 25. & 30. dicitur, quam Gulfilas Gothorum Ep. adinvenit, teſte Jornande *de Reb. Getic.* Eâ Hiſp. uſi ſunt, donec abrogata eſt, à Bernardo Toletano Primate, in Conc. Toletano Æræ 1117. in quo ſtatutum, ut *literis Gallicis* uterentur. Cum Runica eandem eſſe, pluribus contendit Olaus Wormius *de Literatura Runica l.* 1. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.* ubi quoque *Litera Piſana*, h. e. veteris characteris, quo ſcripti ſunt Pandectarum libri (Amalphi à Lothario Imp. captâ, inventi & Piſanis dono miſſi, hodieque in Bibliotheca. Magni Hetruriæ Ducis Florentiæ aſſervati) meminit. Vide in voce *Piſa*, ut & hîc infrà.

LITERA Piſana, dicitur character vet. quo ſcriptæ ſunt Pandectæ, apud Piſanos aliquando conſervatæ. Has cùm Amalfium cœpiſſet Lotharius Imp. à Wernero inventas, honorario muneri Piſanis dedit: ſed Florentiam poſtea delatæ, in palatio Mag. Ducis cuſtodiuntur, & niſi accenſo cereo aliiſque cerimoniis in conſpectum publicum non proveniunt. Cujates propriè ſint iſtæ literæ, & an Gothicæ, (quod non reor) dicant, quibus vidiſſe contigit. Gothicas adinvenit Ep. illorum Gulfilas Ærâ 415. ut habet Chronicon Iſid. quod redintegrans Vulcanius; ad Annum rejicit Valentis 13. Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.*

LITERÆ, quem primum habeant Autorem, inter Gentiles admodum fuit controverſum, teſte Plin. *l.* 7. *c.* 56. ubi ait: Literas *ſemper arbitror Aſſyrias fuiſſe: ſed alii apud Ægyptios à Mercurio, ut A. Gellius: alii apud Syros repertas volunt. Anticlides in Ægypto inveniſſe quendam, nomine Menona tradit* XV. *Annis ante Phoroneum, antiquiſſimum Græciæ Regem, idque monumentis approbare conatur. E diverſo Epigenes apud Babylonios* DCCC. XX. *Annorum obſervationes ſiderum coctilibus laterculis inſcripta docet. Qui minimum Beroſus & Critodemus* CCCC. LXXX. *Annorum. Ex quo apparet æternus* Literarum *uſus.* Quod de Mercurio ait, aſſentiuntur Jul. Hygin. *Fab.* 277. Diod. Sic. *Biblioth. c.* 2. & Plutarch. *Sympoſ. l.* 9. *quæſt* 3. Eum Ægyptium fuiſſe, ac quintum ejus nominis, Autores ſunt, Cic. *de Nat. Deor. l.* 3. atque ex eo Arnob. *l.* 4. & Lactant. *l.* 1. *c.* 6. Quam rem quoque Plato confirmat, docens in *Phædro*, Deum quendam coli apud Ægyptios, nomine *Theuth*, qui cùm alias artes, tum *Literas* invenerit, Ægyptioſque docuerit, &c. Sed non idcirco laus hæc Ægyptiis debetur, quæ omnino Aſſyriorum eſt, quando multò ante hæc regio culta fuit. Ex Aſſyria autem ſecum vexêre Chananæi; quorum idem ac Aſſyriorum ſermo permanſit, uſque dum hi, ob crebra variis cum gentibus commercia bellaque cum vicinis ac longinquis geſta, ſermonem eum mutârunt, Chananæis interim, quibus non itidem nationes aliæ miſcebantur, veterem retinentibus. Utrique autem ab Hebræis accepêrunt, qui à Patriarchis, quorum omnium primo, totius humani generis Autori protoplaſto, inventi gloria meritò defertur. Ab eo enim Sethum cum *Literarum* uſum, tum Aſtrologiæ aliarumque artium notitiam hauſiſſe, credibile eſt. Ac de *Literis* quidem ita Auguſtin. *Quæſt.* 69. *Exodi, Nonnullis*, inquit, *videtur, à primis hominibus literas cœpiſſe, & perductas eſſe ad Noë & indè ad populum Iſraël.* Similiter Suid. cùm alibi Abraham, item Seth, *Literarum* dicat autorem, idem tamen in Ἀδὰμ inquit, Τούτου τέχναι καὶ γράμματα, *Hujus ſunt artes & literæ.* Hinc non adeò malè, cum Phœnices ſint Chananæi, *literas eorum* antiquiſſimas eſſe contendunt, Curt. *l.* 4. *c.* 4. *Si famæ libet credere; hæc* (Tyriorum) *gens* Literas *prima aut docuit aut didicit.* Plin. *l.* 5. *c.* 12. *Ipſa gens Phœnicum in gloria magna literarum inventionis & ſiderum, navaliumque ac bellicarum artium:* Lucan. item *Civ. Bell. l.* 3. *v.* 220.

Phœnices primi, famæ ſi creditur, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

A Cadmo Phœniæ Græci ſuas accepêrunt, teſte eodem Plin. *l.* 7. *c.* 56. *Utique* (volunt) *in Græciam intuliſſe è Phœnice Cadmum ſedecim numero: quibus Trojano bello Palamedem adjeciſſe quatuor hâc figurâ*, Θ, Ξ, Φ, Χ. *Totidem poſt eum Simonidem Melicum*, Ζ, Η, Ψ, Ω, Hanc Timo apud Sextum Philos, illas vocat,

——— Φοινικικὰ σήματα Κάδμου.
——— *Cadmi Phœnicia ſigna.*

Et Herod. apud Thebas Bœotias, in Iſmenii Apollinis templo, *literas* Cadmeas, in tripodibus quibuſdam inciſas, magna ex parte ſimiles Jonicis, ſe vidiſſe, narrat *in Terpſichore.* Fuêre autem illæ inſcriptiones, quibus Græcia nihil habuit antiquius: Prima Amphitryonis, circa ætatem Laji Cadmi pronepotis: Altera Hippocoontis, ſub Oedipode, Laji fil. Tertia Laodamantis, Eteoclis filii. Veriſimile tamen, non fuiſſe omnino Cadmeas veteres, ſed tempore paulum immutatas, undè ad Jonicas illas accedere autor ait. Nec dubitandum, quin Cadmeæ vel penè Cadmeæ *Literæ* intelligi debeant, apud Dion. Halic. *l.* 1. cùm agit de tripode Dodonæo, γράμμασιν ἀρχαίοις ἐγκεχαραγμένῳ, *antiquis literis inſculpto*, cujus & inſcriptionem ponit. Item cum de columna, cui Serv. Tullius leges fœderis inter Romanos Latinoſque inſcripſerat, ait, *permanſiſſe illam uſque ad ſuam ætatem in Dianæ fano, characteres Græcarum literarum habentem, quarum olim in Græcia uſus.* Quòd verò Græci aliàs pòſt *literarum* figuras uſurpârunt id ab iis non conſilio, ſed aſſiduâ tractatione temporiſque longinquitate factum: Nec tamen tantopere aut vulgares Græcorum à veteribus Jonicis, aut hæ à Phœniciis, diſceſſêrunt, ut origo earum diſſimulari poſſit. Vide Scalig. *Animadverſ. Euſeb. in digreſſione de literis Jonicis, ad n. Euſeb.* 1617. ipſumque Euſeb. *de Præp. Euang. l.* 10. *c.* 11. Latinorum *literas* Tac. *Ann. l.* 11. *c.* 13. & 14. ab Arcadibus Regeque eorum Euandro, alii à Pelaſgis, qui ante Arcades 60. Annis in Italia fuêre; arceſſunt; utrique in eo conſentiunt, quòd à Græcis profectæ & eædem fuerint cum veterum Græcorum literis. Unde Tac. *Et forma*, inquit, *literis Latinis, quæ veterrimis Græcorum.* Plin. quoque *l.* 7. *c.* 58. *Veteres Græcas fuiſſe eaſdem penè, quæ nunc ſunt Latinæ, indicio erit Delphica, tabula antiqui æris, quæ eſt hodiè in Palatio, dono Principum Minervæ dicata, in Bibliotheca, cum inſcriptione tali*, Ναυσικράτης Τισαμένου Ἀθηναῖος. Sic ergo Latini Græcis literas ſuas debent: Græci verò eas à Phœnicibus accepêre, Phœnices autem ab Hebræis. Ad alias gentes ſerò admodum *Literarum* uſus pervenit: proin Ælian. *Var. Hiſt. l.* 8. *c.* 6. *Neminem antiquorum Thracum*, ait, *literas noviſſe. Imò, turpiſſimum putârunt & ſumnum dedecus literis uti.* Sic Venedi, ſ. Slavi, demum temporibus Lud. Imp. qui Lothario ſucceſſit, literas accepêre, à Methodio Philoſopho, ut eſt apud Aventin. *Ann. l.* 4. Apud Germ. Tac. ætate, *Literarum ſecreta viri pariter ac feminæ ignorârunt*, uti is loquitur *de Morib. Germ. c.* 19. Imò raræ ac vix unquam literæ Germanicæ elegantiores inveniuntur, ante tempora Rudolphi I. Imp. eæque majori parte Latinis literis ſcriptæ, donec is, querelis Germanorum permotus, Comitiis Norimbergæ habitis A. C. 1272. conſenſu unanimi omnium Imperii Ordinum, ſtatuit, ut deinceps in Cancellariis & contractibus Germanicum idioma reciperetur. Antiquos Francos, qui ſub Marcomiro ac Pharamundo Gallias ſubegêre, literas habuiſſe. Græcis non planè diſſimiles (fortè ex Græcis Maſſilienſium corruptas, quibus etiam Helvetios uſos fuiſſe ex Cæſ. patet) atque iis Waſtaldum Hiſtoriam patrio ſermone conſignâſſe: Alteras ab illis Waſtaldi multùm diſtitiſſe, repertas à quodam Doraco: Tertias inventas eſſe ab Hicho Franco, qui è Scythia veniens cum Marcomiro ad oſtia Rheni conſederit, refert Corn. Agrippa *de Van. Sc. l.* 1. *c.* 2. Quæ apud vetuſtiores non legas: Meminit ſaltem Aimoin. *de geſtis Franc. l.* 3. *c.* 40. Childericum Regem mandâſſe Gallis, ut quatuor Græcorum literis uterentur: Θ, Φ, Χ, Ω. Gothis, circa A. C. 370. temporibus Valentiniani & Valentis Impp. Ep. eorum Gulphilas, dediſſe literas traditur, teſte Socrate *Hiſt. Eccl. l.* 4. *c.* 27. cui aſſentitur Jorn. *in Geticis*, Ricobaldus Ferrarienſis *in Chron.* &c. Scalig. *in Ep.* quintuplices in Europa hodierna *Literas* ſ. ductus ſcriptionis ac characteres agnoſcit, *Latinas, Græcas, Hieronymianas, Rutenicas* ac *Gothicas.* Americæ incolæ, per Hiſpanos ſubacti, incognito ſibi antea *Literarum* uſu, divinitatis certiſſimum argumentum rati ſunt, chartæ ſcriptæ vocem occultam ineſſe. Vide Sam. Petit. *Obſerv. l.* 2. *c.* 1. *p.* 137. & *ſeqq.* *ſeqq.* Gerhardum Joh. Voſſ. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 9. & *ſeqq.* Matth. Bernegger. *in Germaniam Tac. Quæſt.* 99. & hîc *infrà: de*

ſalta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſaltationis verò priſcæ genere, quæ omnium *Literarum* facies repræſentabat, in voce *Morphaſmus*; de luxu eorum apud Rom. qui tot in menſa faciebant ſtationes quot eſſent *Literæ* alphabeti in voce *Tetrapharmacum*; uti de *Literarum* apud varias gentes in numerando uſu ubi de *Numeris*.

Literarum apud varias Gentes origo.

Ægyptii, ſecundùm quoſdam *Literarum* inventarum gloriam ſibi vindicant, ſed ipſi ab Aſſyriis eas accepêrunt, Chananæis ex hac regione illas eò invehentibus.

Americani, ante Hiſpanorum adventum, *Literarum* penitùs ignari, à victoribus eas accepêre.

Chaldæi, ab Abrahamo, literas ſuas habuêre ſecundùm Iſid. *Orig. l.* 1. *c.* 3. Sed Chaldæos multò ante Abrahamum *literis* uſos eſſe, diſcimus ex Simplicio *Comm.* 46. *in Ariſtot. l.* 2. *de Cœlo*, ubi ſcribit, Calliſthenem, Ariſtotelis rogatu, miſiſſe in Græciam obſervationes Chaldæorum, ab annis 1903. ante tempora Alex. quod fuerit Annis circiter 200. ante natum Abrahamum.

Franci vett. literas Græcis non diſſimiles habuêre, ut dictum, quas fortè à Maſſilienſibus accepêre. Recentiorum *literas* à Doraco, & Hicho inventas, Agrippa ait. Vide ſuprà.

Germani, Latinis literis uſi ſunt, ante Rudolphi I. Imp. tempora, ut ex Berneggero ſuprà dictum. Wolfgangus tamen Lazius *l.* 8. *de Suevis*, ait: *Non audiendi ſunt, qui ante Annos* 506. *primùm omnium linguam noſtram ſcribi ſolitam exiſtimant* &c. Et *l.* 9. *de Marcom. In antiquiſſimis*, inquit, *Annalibus Francorum, Hiſtoriam, & genealogiam Car. Mag. continentibus, membrana longè omnium antiquiſſima ſcriptis, hæc nominatim verba excerpſimus: Literas quippe, quibus ſunt uſi Marcomanni, quos nos Normannos vocamus, infra ſcriptas addidi, à quibus originem, qui Theodiſcam linguam loquuntur, trahunt, cum quibus carmina ſua incantationeſque ac divinationes ſignificare procurant, qui adhuc pagano ritu involvuntur:* (& depingens literas poſtea ſubdit) *cæteræ literæ in eodem antiquo codice deſiderantur, & ob nimiam vetuſtatem legi non poſſunt.* De quo loco Lazii Olaus Wormius *l. de literis Runicis c.* 6. ait, *Literas has maxima ex parte, cum quoad figuras, tum quoad nomina, cum noſtratibus convenire* &c.

Gothi, literas ab Ulphila Ep. ut eum P. Diaconus vocat, vel Guilphila, ut Jornandes, communiter creduntur accepiſſe. Gordanum Ep. earum inventorem vocat Corn. Agrippa: niſi Ulphilas fuerit binominis, aut Agrippa corrupto codice ſit uſus. Sed Joh. & Olaus Archiepp. Scandinaviæ incolas habuiſſe ſuas literas, ante Latinas repertas, h. e. annis ante C. N. propè 1200. tradunt: & Wormius *lit. Runic. c.* 4. Ulphilam eas non inveniſſe, ſed ad exteros tantùm protuliſſe, fusè demonſtrat. Has cum antiquiſſimis Germanorum Celtarumque literis eaſdem faciunt Heraldus Huitfeldius *Hiſt. tomo* 1. Bon. Vulcanius *Comm. de literis & lingua Gothor.* Petrus Lindenbergius *Comm. rer. memorab.* Arogrimus Jonas Iſlandus *de primordiis ſuæ gentis c.* 3. Septentrionalium populorum *Literæ*, antiquæ Celticæ vel Gothicæ fuêre, de quibus vide ſuprà &c.

Wolph. Lazius *de Marcomannis l.* 9. &c. apud Georg. Schottelium *Elogio* 4. *Ling. Germ.*

Græci ſuas à Cadmo accepêre: qui, tempore Joſuæ, unà cum fratre Phœnice, Thebis Ægyptiorum in Syriam profectus eſt, & tempore Othonielis in Græciam venit ibique Thebas Bœotias condidit. Alii tamen Cecropi Ægyptio, primo Athenienſium Regi, qui circa Moſis apud Jethronem in terra *Madian* ſervientis tempora, floruit, eam gloriam adſcribunt: intervallo non adeo magno, ut Voſſ. judicat *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 10. *ſub fin.* Herod. *l.* 5. *c.* 57.

Hebræorum literas, quibus hodiè vulgò Sacra Biblia Hebraica deſcripta & impreſſa videmus, eaſdem eſſe, quas Moſes in tabulis à Deo accepit, & inde ab eo tempore inter Judæos extitiſſe: neque figuram earum ab Eſra demum, poſt captivitatem Babylonicam, vel ab Aſſyriis mutuatam vel de novo confictam atque inventam eſſe, pluribus docet Joh. Buxtorffius fil. *Diſſert.* 4. *de Hebraicar. genuina antiquitate.*

Helvetii, Græcis characterib. uſi leguntur, apud Cæſ. *l.* 1. ubi in caſtris illorum tabulas literis Græcis confectas fuiſſe repertas ſcribitur. Vide Joh. Baptiſtam. Plantin. *Helv. Nov. Antiq. c.* 18.

Jonicæ literæ è Phœniciis ortæ, ut dictum, non tamen eaſdem planè cum his formas habuêre. Jones enim, cùm Phœnicum accepiſſent literas, Herod. *l.* 5. *c.* 58. *progreſſu temporis unà cum ſono mutavêre & modulum priſtinum*, ut ait: quæ tamen immutatio non admodum magna fuit.

Latini, ſuas accepêre ab Euandro Arcade, ut vult Tac. *Ann. l.* 11. *c.* 14. Marius Victorin. *l.* 1. Iſid. hanc laudem magis Nicoſtratæ, matri ejus, quæ aliàs *Carmenta*, attribuit. Saturno alii inventum id adſcribunt, ſed notum, communia multa cum Saturno Euandrum habuiſſe. Alii ad Pelaſgos id referunt: quorum quidquid ſit, manet Latinos *literas* à Græcis accepiſſe.

Peruviani ac Mexicani, Americæ gentes, ut & Sinenſes, loco *Literarum*, notis quibuſdam utuntur, quod etiam antiquiſſimi homines ante *Literarum* uſum fecêre.

Phœnices, Chananeæ populi, *literas* habuêrunt antiquiſſimas, quas ab Hebræis, quibus ut Artium, ita Linguarum ac *Literarum* inventarum gloria debetur, accepêre. Ab illis & Græci & Pœni, aliique ſuas nacti ſunt.

Samaritani, ab Hebræis accepêre characterem communem, in vulgaribus libris & communi uſu vigentem: vide Buxtorffium *loc. præf. ubi de duplici Hebræorum charactere pluribus diſſerit.* Vocatur autem illa Scriptura, in Talmud & aliis Judæorum ſcriptis, modò *Transfluvialis*, vel *Transfluvialium*, vel *Hebræa*: modò *Libonæa*, vel *Libonica*.

LITERÆ Clauſæ Imperatoriæ, *Inthroniſticæ*, *Pacificæ*, *Pinnatæ*, vide ubi de *Diplomatis*, item in voce *Cathedra*, *Inthroniſticon*, *Pacificæ*, & *Pinna*, *Sigilium*, addam hic ſaltem, quod *de Literarum ſubſcriptione* ſuggerit Caſaub. *ad illud Suet. in Tib. Ner. c.* 32. *Rhodiorum Magiſtratus, quòd Literas publicas ſine ſubſcriptione ad ſe dederant* —— *remiſit*: Literis ad Principem addi conſueviſſe clauſulam, quâ felicitas ei optaretur, ut ex Dione patet; fortè fuit, εὐτύχει διὰ παντὸς, ut in extrema *Relat.* Demetrii Phalerei ad Ptolemæum Philadelphum. Quemadmodum privatarum literarum ſubſcriptio apud Græcos ἔῤῥωσο, apud Latinos, *Vale.* Mittebantur autem illa ad Principes non abſentes ſolùm, ſed & præſentes ſcripto adire vetus mos fuit indigitatus C. Nep. *in Conone c.* 3. cui Thitrauſtes, *delibera*, inquit, *utrum colloqui malis, an per literas agere, quæ cogitas*, atque à Perſis ad alios deinceps Reges, aut regiâ poteſtate præditos, delatus. Ita enim de Tib. Tac. *Ann. l.* 4. *Moris quippe tum erat, quanquam præſentem, ſcripto adire.* Cauſæ ejus, ut mediatè non plus minuſque loquantur, ut rem magis animo & memoriæ Principi commendent: ne coràm alloquuti Principem occupatum longo teneant ſermone; ut tempus ad integram conſultationem ſervetur; ut repulſæ pudori occurratur &c. Vide Juſt. Lipſ. *Comm.* & Chriſt. Forſtnerum *Not. Polit. ad d. l.* nec non Loccen. alioſque *ad C. Nep.* Apud Plaut. *Mil. Gl. Act.* 4. *Sc.* 6. *v.* 10. *per epiſtolam aut per nuntium.* Vide infrà *Suus* & plura hac de vocis notione, ſuprà, ubi de Vett. *Epiſtolographia.* Superaddo, *Literas* ſecretò mittendi varios modos memorare Scriptores inter quos Suid. Primi & Cerealis meminit, qui *literas* & nuntios miſêrunt, epiſtolas mortuorum, qui efferebantur, arcis inferendo aut cum fiſcinis fructuum miſſitando, aut inter calamos aucupatorios occultando &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1205. ut & infrà, in voce *Scytale*: it. ubi de *Tithymalli lacte*; inprimis verò Jul. African. *c.* 56. περὶ κρυφίας ἐπιστολῶν εἰσπεμπτῆς, Æneam *Poliorcet. c.* 31. Bernegger. *ad Juſtin. l.* 2. *c.* 10. & *l.* 21. *c.* 6. de *literarum verè ſupponendarum aſtu*, vide Liv. *l.* 24. *c.* 31. alibique.

LITERARII Philoſophi, Senec. *Ep.* 72. qui in apicibus *literarum* aucupandis operam inſumebant, dicti ſunt. Vide ubi de *Criticis*.

LITERARUM primus Informator, memoratur Tertulliano *de Pallio*, *Viderit nunc Philoſophia quid proſit: nec enim ſola mecum eſt, habeo & alias artes in publico utiles: de meo veſtiuntur & primus* literarum Informator *& primus Edomator vocis & primus numerorum Harenarius, & Grammaticus* &c. Quibus intelligit eum, qui primis literis pueros imbuebat, Latinis aliàs *Literator*, Græcis Γραμματιστὴς dictus. Appulejus *in Florid. Verum enim verò Muſarum craterra, quanto crebior, quantoque meracior, tanto propior ad animi ſanitatem. Prima craterra literatoris ruditatem eximit: Secunda Grammatici, doctrinâ inſtruit: Tertia Rhetoris, eloquentiâ armat.* Nempe *Literator* is erat, qui συλλαβίζειν, ut loquitur Lucian. pueris monſtrabat, tantumque eſt inter Grammaticum & Literatorem diſcrimen, quantum apud Græcos inter Γραμματικὸν & Γραμματιστὴν: & quem Græci Γραμματικὸν Latini vett. *Literatum* vocabant. Pueri itaque ſeptennes olim, ad ruditatem deponendam, Grammatiſtæ dabantur: cùm verò duodecimum attigerant, ad Grammaticos mittebantur, ut doctrinâ inſtruerentur, Paul. Ægineta περὶ διαίτης νηπίων. Vide & Quintilian. *l.* 1. *c.* 2. Aëtius *l.* 4. Ἀπὸ δὲ τῶν ἑπτὰ ἐτῶν ἐπὶ γράμματα φέρειν, ubi γράμματα vocat *literas* illas primas, quas Literator, h. e. *primus Informator literarum* docet. Undè vox illa Neronis, quum damnationem rei neſcio cujus ſubſignare cogeretur, *Quàm vellem neſcire literas?* Tota verò hæc ſcientia conſiſtebat, in ſcribendo tantùm, h. e. pingendo & legendo. Sequitur apud eund. Aëtium: Ἀπὸ δὲ τῶν ιδʹ μέχρι τῶν κάʹ ἁρμόττει Μαθημάτων ἄσκησις καὶ Φιλοσόφων λόγων; unde videmus, ab duodecimo uſque ad quatuordecimum Grammaticis inſtrui conſueviſſe: poſtea uſque ad vigeſimum primum Rhetoricæ, & Philoſophiæ operam dediſſe. Ita Galenus *Protrept. ad Artes*, in prima nobiliorum & liberalium artium claſſe Grammaticam collocat, in ſecunda verò Grammatiſticam; adeoque Grammaticos cum Philoſophis, Geometris, Arithmeticis, Medicis & Aſtronomis deputat: Grammatiſtas verò in ſecundo poſt illos ordine, inter pictores, fictores, ſculptores ac architectos recenſet. *Edomatorem* autem *vocis*, apud Tertullian. *l. c.* pro phonaſco nonnulli accipiunt. Sed pueros, inter prima illa *literarum* rudimenta, phonaſco olim operam dediſſe, veriſimile non eſt, niſi ſi qui cantores tragici eſſe vellent aut comœdi. Soli enim cantores, & ſi fortè etiam oratores, phonaſco vocem ſuam & formandam & exercendam dabant. Mavult proin Salmaſ. legere, *primus Enodator vocis*: eumque intelligit, qui pueris legendi & rectè pronuntiandi artem tradebant. Nam hic, quo modo ſingula verba, quâ voce, quo motu oris eſſent pronuntianda, præcipiebat. Et certè, qui articulatè ac expreſſè ſingulas voces pronuntiare docet, is nodos vocis ſolvere rectè dicatur, præſertim in pueris id ætatis, adhuc balbutientibus & infractâ voce dimidiata verba vix exprimentibus. Quintilian. *l.* 1. *c.* 2. *Non alienum fuerit exigere ab iis ætatibus, quò ſit abſolutius os & expreſſior ſermo, ut nomina quædam verſuſque affectatæ difficultatis ex pluribus aſperrimè coëuntibus inter ſe ſyllabis catenatos & velut confragoſos quàm citatiſſimè volvant.* Martianus Capella de Gramm. *Demonſtrabat*, inquit, *etiam quendam gratiſſimum guſtum vetere mulſo olivoque elaboratum, quo depulſa vocis inſuaviſſima diritate canoros etiam fieri poſſe memorabat*, &c. Tertullian. igitur tres primos præceptores & ludimagiſtros *l. c.* nominavit, qui rudes pueri Annos primis & elementariis literis erudiendos ſuſcipiebant, quoſque à Grammatico, ſolidiore doctrinâ eum imbuente, diſtinxit:

Primum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Primum literarum Informatorem, qui literarum formas & poteſtatem cognoſcere ac ſcribendo exprimere: *Primum vocis Enodatorem*, qui rectè pronuntiare: & *Primum numerorum Arenarium*, qui calculare monſtrabat. Atque hæc tria munera unius ejuſdemque magiſtri fermè fuêrunt, quem Γραμματιςὴν Græce appellatum diximus: unde iidem Græci etiam *Calculonem* eum vocitavêre. Suid. in voce Κοππατίας: Παρὰ τοῖς Γραμματισαῖς ὅτω εἰδίσκεται καὶ καλεῖται κόππα ἐννενήκοντα, *Apud Grammatiſtas ſic docetur, & vocatur κόππα nonaginta.* Ubi Grammatiſtæ ſunt Calculones: eò quòd unâ eademque operâ & ſub eodem magiſtro pueri utrumque diſcebant, literas & calculum: undè & *Calculo* pro ludimagiſtro. Jul. Capitolin. *in Pertin. Puer literis elementariis & calculo imbutus.* A diverſis tamen præceptoribus aliquando hæc fuiſſe tradita, Tertullian. *loc. cit.* teſtari poſſit: cujus tamen verba etiam ita accipi poſſunt, ut primus Informator literarum idem ſit quoque & primus Enodator vocis & primus numerorum Arenarius ſicque unius ejuſdemque hominis officium in hæc tria videatur deduxiſſe. Addam hoc unum, ſicut *Literatorem* ſ. Grammatiſtam, à *Literato* ſ. Grammatico diverſum fuiſſe, videmus: ſic primus numerorum Arenarius ab Arithmetico fuit diſtinctus. Nam Calculo ſive primus ille numerorum Arenarius nihil aliud docebat, quàm æra ſive calculos in tabula ducere & reducere, ad ſummam aliquam computandam & rationem purgandam. Digitorum etiam computum idem docebat, qui Veteribus in uſu fuit &c. Salmaſ. *Notis ad Tertullian. de Pallio*. Vide & hic *Literati*.

LITERATI & LITERATORES, dicti ſunt Meſſalæ Corvino, apud Suet. *de Illuſtr. Gramm. p.* 821. quos *Grammaticos* aliàs vocavêre, ſervitii honeſtioris apud vett. Rom. genus. Quò C. Nep. reſpexiſſe videtur, cùm *in Vita Pomp. Attici* ſcribit, *c.* 13. in ejuſdem fam. fuiſſe *pueros literatiſſimos.* Hujuſmodi fuit Mæcenati C. Meliſſus, apud Suet. *l. cit.* Daphnis *ibid.* ut & apud Plin. *l.* 7. *c.* 39. Poſtea verò hæ voces diſtingui cœpêrunt, ac *Grammatiſtæ* ſ. *Literatores* dicti ſunt, qui mediocriter eſſent eruditi, neque primas ſolùm literas docerent, ſed variarum inſuper artium elementa traderent, atque pueris Autores in ludis enarrarent: quos *Literiones* contemptim appellat B. Auguſtin. *l. c. adverſ. Legis. Grammatici* verò ſ. *Literati*, qui eſſent abſolutè docti, ac inprimis literarum Profeſſores, Gerh. Job. Voſſ. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 1. *ſub fin.* Idem, *ad iſta C. Nep.* apud Suet. *d. l. Literatos quidem vulgò appellari ait eos, qui aliquid diligenter & acutè ſcienterque poſſint aut dicere aut ſcribere: caterùm propriè ſic appellandos poëtarum interpretes, qui à Gracis Grammatici nominentur:* Γράμματα, inquit *& Litera, nunc prima notant elementa* —— *nunc verò ſumuntur pro literarum ſtudiis; ut in vet. ſenario,*

> Δυπλοῦ ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα.

--- *Ita &* Γραμματικὴ --- *nunc legendi ſcribendique vel bene loquendi artem deſignat; nunc verò præter eam, hiſtoriarum ac fabularum notitiam comprehendit: quandoque etiam plurium artium & multarum rerum ſcientiam & effloreſcentem indè facultatem enarrandi ſcriptores, & judicandi de eorum ſcriptis lociſque corruptis. Atque hoc pacto* —— *Grammaticè adeò latè extenditur, ut non una ſit ſcientia, & ſcientiarum cinnus. Quod ſine dubio argumentum fuit Telephi Grammatici libro eo, quo oſtendit,* πόσα χρὴ εἰδέναι γραμματικὸν, *teſte Suidâ. A varia qui ſcientia commendarentur, appellabantur* Πολυίςορες -- *quoque* Φιλολόγοι -- *etiam* πολυμαθεῖς *Studiumque ipſum nominabatur* πολυμάθεια, vide infrà: ut & paulò ſuperiùs. Aliter vox *Literati* ſumitur, apud Plaut. *in Caſina. Act.* 2. *Sc.* 6. *v.* 49.

> *Si hic* literatus *me ſinat*,

& in Prov. *Samiis neminem eſſe literatiorem.* Ibi enim, pro Stigmaticis, accipiuntur, & qui literarum notis inuſti, frequenter *Inſcripti* appellantur. Vett. enim ſervorum ſuorum frontes, ſi quid gravius deliquiſſent, pœnæ loco, aut literis, aut aliis quibuſdam notis per ignominiam ardenti ferro inurebant: poſt inuſtionem, quò magis eminerent literæ & lectui ſe offerrent, atramento infuſo, ut ex Zonara & Petron. conſtat. Undè apud modò memoratum Plaut. *in Rud. Act.* 2. *Sc.* 5. Sceparnio ait, *v.* 19. *& ſeqq.*

> *Nempe optimo me jure in vinclis enicet*
> *Magiſtratus, ſi quis me hanc habere viderit.*
> *Nam hac* Literata *eſt, ab ſe cantat, cuja ſit.*

Et Val. Max. *l.* 6. *c.* 8. *Servus ab eo vinculorum pœnâ coërcitus, inexpiabilique literarum notâ per ſummam oris contumeliam inuſtus.* Tales *Stigmatias* Lucianus, *notis compunctos* Pollux: *inſcriptos vultus* Plin. appellat. Fugitivi autem inprimis ſic notati, & *Litera* videntur quibuſdam fuiſſe, Φ. & F. Sed cum Petron. narret, Eumolpum impleviſſe frontes Encolpii & Gytonis ingentibus literis, quas appellat *notum fugitivorum Epigramma*: & apud Mart. *l.* 2. *Epigr.* 29. Rufus quidam ſpleniis numeroſis literas inſcriptas contegere ſolitus legatur, exiſtimat L. Pignor. *p.* 15. 16. 17. 18. & 19. non ſolam literam F. vel Φ. repetitam frontem horum impleviſſe, ſed inſcriptionem fugitivorum fuiſſe conceptam illis verbis, quæ in eorundem collaria & æreas lamellas inciſa viſuntur. Vide ſuprà in voce *Lamina.* Quod enim verba in fronte commodè inprimi potuerint, oſtendit Theophili Imp. ſolertia, qui 11. verſus integros Theophanis & Theodori fratrum frontibus inſcripſiſſe legitur, apud Baron. *Notis ad Martyrolog. d.* 22. *Dec.* Vide L. Pignor. *Comm. de Serv.* & infrà in voce *Stigmatia*, ut & ſuprà ubi de *Fugitivis*, ac *Inſcriptis.*

LITERATI, Loitiæ & Mandarini, Secta Philoſophorum Sinenſium, qui ſub Rege abſolutè imperant. Vide *Confutius.*

LITERNUM, vide LINTERNUM. Liv. *l.* 34. *c.* 44. P. Mela *l.* 2. *c.* 4.

LITES minuere, inter Principum partes, quod proin in Veſpaſ. laudat Suet. *in eo c.* 10. *Sorte elegit, per quos rapta bello reſtituerentur: quique judicia Centumviralia, quibus peragendis vix ſuffectura litigatorum atas videbatur, extra ordinem dijudicarent, redigerentque ad breviſſimum numerum.* Idem de Theodoſio legimus *Nov. Ne Duciani vel limit. mil.* Juſtiniano *l.* 13. *de Judic.* & §. 1. *Inſtitut. De pœna tem. litig.* Phil. *l.* 90. *de Tranſact.* &c. Utpote res Numini gratiſſima. Unde *lites taceant*, rituale verbum apud Rom. fuit, quo, Rebus divinis, ut faverent linguis, imperabatur, uſque *litibus* & jurgiis abſtinerent, Cic. *Div. l.* 1. Quò reſpiciens Mart. *l.* 10. *Epigr.* 87. cujus Epigraphe *de Natali Reſtituti*,

> *Linguis omnibus & favete votis,*
> *Natalem colimus, taceto* Lites.

Vide etiam ſuprà, in voce *Ceſſatio.* Protrahunt autem lites Cauſidici, quæſtui ſuo intenti, quos *mercatores*, item *mercatores litium*, Cic. vocat *Div. in Verr.* alii *Cociones* & *Cocionatores*, à *cunctando*; Ulpian. *leg.* 9. §. 11. *de Offic. Procos. Si quos cauſarum cocionatores vel redemptores deprehendit* &c. quòd viz. moras nectant in judicio, ut cocionatores in auctione, quæ propria hujus vocis notio eſt. Fabius *Declam.* 12. *Vendidit, quantum voluit, quanti voluit, & ut hoc ad noſtras accederet moras, fortaſſe diu cocionatus eſt.* At Commodi libertos etiam vendidiſſe *litium eventus*, habes apud Lamprid. *in eo* &c. Vide Theod. Marcil. *ad Veſpaſ.* & *Tit. Suet.* In cujuſmodi homines proin animadverſum voluêre boni Principes, ut vidimus. De *modo Litem gladio dirimendi*, aliiſque medio ævo uſitatis, vide hîc paſſim, in vocibus *Campio*, *Duellum*, *Forum Judicium*, *Ordalium* &c. uti de Legibus *ad Lites finiendas* inprimis compendioſis, infrà in voce *Mannia.*

LITHA, vulgò LYTH, ſ. LEITH, oppid. Laudoniæ, in Scotia, cum portu, vix 1. mill. Scot. ab Edimburgo in Bor. ad Forteam æſtuar. aliàs munitum.

LITHARGYRUS, vide *Mercurius Philoſophorum.*

LITHANTHRAX, carbo foſſilis, in Leodienſi territorio frequens, ligni incolis uſum præbet, de quo vide Georg. de Sepib. *Deſcr. Muſei Kircher. p.* 42. ut & ſuprà, in voce *Carbo.*

LITHESIUS, Apollo in Melea, quòd ibi in lapide collocatus ſit, à λίθος Steph. *Suid.*

LITHOBOLIA, apud Troezenos feſta, à *lapidum jactu* ſic vocata, quòd in ſeditione nonnulli duas Cretenſium puellas, Limiam, & Auxeſiam, lapidibus nequiter obruerant, ac trucidaverant, unde ut earum manes placarentur, feſtum quotannis ſolenniter celebrandum ſtatuêrunt, *Plutarch.*

LITHOPHAUM, vicus Gall. Lugd. Quibuſdam fuit, ubi nunc *Moret*, opp. Vaſtinii tractûs, in Inſ. Franciæ, ad Lupiam fluv. qui paulò infrà in Sequanam ſe exonerat, 5. leuc. à Meloduno in Auſtr. 2. à Monte Regio ſ. Monaſterio in Occ.

LITHOPROSOPUS, Cedreno mons Phœnicis, apud Botryn urbem, Ptol. *Theuproſopon* prom. dicitur inter Tripolim & Botryn. Hodie *Pragoca.*

LITHOSTREA, vide LEIOSTREA.

LITHOSTROTOS, nomen loci, in quo ſedit Pilatus, Chriſtum Dominum noſtrum morti adjudicaturus, qui locus ſic dictus, quòd ſtratus fuerat lapidibus. Ejus mentio Joh. *c.* 19. *v.* 13. *Pilatus cum audiſſet hunc ſermonem eduxit foràs Jeſum conſedit in tribunali; in loco qui dicitur* Lithoſtrotos. Erant autem *Lithoſtrota* pavimenta ſaxis diſcoloribus artificioſè ſtrata, ut hodieque paſſim, ita apud Vett. ut legimus Plin. *l.* 36. *c.* 25. Rectè vertitur à Syro *pavimentum ſaxorum*; quod & *lapidipavium* Caſtalio vocavit. Quin & ipſum רצפה *pavimentum*, ſine ſaxorum adjectione, Hier. in ſacris literis Λιθόςρωτον denotat, *de Mom. Hebr. ad l.* 2. *Reg.* & *in Ezech. c.* 42. *v.* 3. uti & Helleniſtis, 2. Par. *c.* 7. *v.* 3. Undè pro *Lectuli quoque aurei & argentei erant*, Eſther. *c.* 1. *v.* 7. Græci illi, ἐπὶ λιθοςρώτου σμαραγδίτου λίθου καὶ πινίνου καὶ παρίνου λίθου. *Super* Lithoſtrotum, ſ. *pavimentum ſaxeum Smaragdini lapidis & Pinini & Parii lapidis.* Et tralatitium eſt, conclavia tam publica & forenſia, quàm privata, à coloribus, à columnis, à ſigno aliquo laquearibus affixo, idque genus cæteris, denominari. Fuiſſe autem *Lithoſtrotum* hunc locum Joh. ipſum *Liskath hagazith*, Synedrii Magni locum ſ. conclave, à pavimento ſic nuncupatum, variæ rationes ſuadent. Imò ipſi Hebræi in cauſa D. N. Jeſu Chriſti, Synedros, quoniam alibi ab ipſis capitalem ſententiam ritè ferri noluêre ipſi, in conclave *Liskath hagazith* rediiſſe, diſertè ſcribunt, *Thoſiphta* Gem. Babylon. *Sanhedrin c.* 4. *p.* 37. 6. Atque *in Lithoſtroto* latam eſſe ſententiam, ex Euangelio palàm docemur. Quò referas Græca illa de Pilato. Ἐκάθισεν ἐπὶ τοῦ βήματος εἰς τόπον λεγόμενον λιθόςρωτον, *Sedit ſuper tribunali, in loco Lithoſtroto dicto*, perindè ac ſi notiſſimum fuiſſet eo in loco tribunal ſ. ſedes forenſis, ut in ipſo *Liskath hagazith.* Ut itaque hæc accuratius ſciamus, paulò altius de loco Synedrii rem arceſſemus. Locus Synedrii Magni, ab origine ejus ad Reip. Hebraicæ exitum, varius fuit. Nam à Moſis tempore, quo *ante Oſtium Tabernaculi* ſedes habuit, Num. *c.* 11. *v.* 24. uſque ad templum extructum, pro ratione migrantis tabernaculi, variavit. Sub templo primo, ſedes ejus templo itidem conjunctas fuiſſe, non dubitant magiſtri, qui toties *à loco illo quem elegerit Jehova* Deut. *c.* 17. *v.* 10. ipſum templum ſimul & conjunctas Synedrii ſedes innuentes, loquuntur. Certè & conclave לשכת הגזית *Liskath hagazith*, i. e. *Conclave cæſi lapidis*, ſub primo templo

templo Synedrii hujus locum fuiſſe, nonnulli contendunt: & forſan ſic cognominatus eſt tam ſub primo, quàm ſecundo templo, Synedrii locus. Cùm autem nemini, præter Reges familiæ Davidicæ, in atrio ſedere licuiſſe ajant, conclave hoc ſic conſtructum fuiſſe ſcribunt, ut pars tantùm altera Atrium, altera verò profanam ſ. non ſacratam aream occuparet, in qua Synedrium, ſedibus in hemicyclum diſpoſitis, conſidebat. Imò & bina oſtia conclavi huic fuiſſe tradunt, quorum per alterum in profanam, per alterum in ſacram partem introibatur. Quin verò in templi ſecundi ævo in Talmude collocatur Synedrii Magni propria ſedes, in conclavi illo *ſaxeo*, eoque ad plagam templi Auſtralem ſito, in ea areæ parte, quæ, juxta primam, territoriorum aſſignationem, ad tribum Judæ attinebat &c. Vide inprimis Conſtantin. l'Empereur, *ad Tit. Talmud. Middoth. c.* 5. *ſ.* 3. qui *Liskath hagazith*, inter alia interpretatur, *conclave ſaxis quadratarii opere poſitis*, ſ. *dolatis inſignes*; undè etiam אבני גזית *lapides caſi* 1. Reg. *c.* 5. *v.* 17. & בתי גזית *domus lapide caſio conſtructæ*, Amos *c.* 5. *v.* 11. & מגרת גזית pro *menſuris in dolandis ſaxis adhibitis*, 1. Reg. *c.* 7. *v.* 11. Raymundus Raymundi *Pug. Fid. Parte* 2. *c.* 14. §. 3. &c. atque ejuſdem compilator Galatin. *de Arcanis l.* 4. *c.* 6. vertit *Camera polita* & interdum *Conſiſtorium Gazith*: atque hinc Synedrium ipſum non ſemel apud Hier. *de S. Fide*, nuncupatur *Conſiſtorium Gazith.* Paulo Riccio *in Ep. Doct. Talmud. c.* 10. vocatur, *Atrii penetrale quadratis ſtructum lapidibus.* Nempe nomen hoc deductum ab apparatus artiſque in ejus ſtructura præ cæteris ſingulari uſu, ſive tam in pavimento, quàm in eo toto, quod indè exſurgebat ſupereminebatque, ſive in pavimento tantùm. Nam *pavimenta lapidibus ſtrata*, non ſemel memorantur de Templo, apud Ezech. *c.* 40. & 42. *in vulg.* & in templo Herodiano ſingularis pavimenti, λίθοις παντοδαποῖς *lapidibus omnigenis* ſtrati, mentio apud Joſeph. eſt *Halos l.* 6. *c.* 14. velut rei, cujus ſplendoris ratio apud Hebræos eximia habita. Quòd verò idem locus Hebraice (quod pro more ævi Syriacè notat) *Gabbatha* nominatus, in Euangelio dicitur, ſententiæ prædictæ adeò non contrariatur, ut eam potiùs non parùm firmet. Syriacè namque *Gabbatha* eſt *locus editior, lapidibus ſtratus*: quo pacto *Lithoſtrotos* & *Gabbatha* non ſolùm locum eundem, ſed eâdem nominis etiam ratione idem indicant. Neque obſtat, quòd dicitur Pilatus *eduxiſſe Jeſum foras & ſediſſe in* Lithoſtroto, *pro tribunali*: quod interpretantur aliqui, perindè ac ſi ſub dio neceſſariò fuiſſet. Eduxit enim eum è Prætorio quidem ſuo (quod in ædibus ipſius fuiſſe, extra dubium eſt) ſed in Conſiſtorium hoc introiit ac ibi ſedit, ubi ſimul haberet Seniores & Pontifices Synedros, quibus, ut liquet ex Hiſt. Euang. non ſemel rem illam totam permittere volebat. Proin hîc ſedens Pilatus tradidit *Pontificibus illum, ut crucifigeretur*, qui *ſuſcepêrunt Jeſum & ἀπήγαγον* ſ. *eduxêrunt*, Joh. *c.* 19. *v.* 16. quod locum non habuiſſet, ſi ſub dio Pilatus conſidiſſet, &c. Porro conclave hoc, *ædificium ejuſmodi fuiſſe, ut in terrarum orbe ſimile non haberetur*, dicitur Salomoni Ben Wirga *Shebet Jehuda p.* 43. 2. ubi etiam cauſam adjicit, cur ibi collocatum illud fuerit, quoad ſacra: *Quoniam ibi judicium de Sacerdotibus erat ferendum. Ajunt enim, ſi quis Sacerdos* (i. e. ex genere Sacerdotali (*inidoneus* (ad Sacra peragenda) *ex judicio Synedrii deprehenderetur, nigris veſtibus indutum è Sacerdotum ſodalitio eum ejiciebant. Adeoque ad domum ſuam ibat & lugebat. Ubi verò inidoneus neutiquam reperiretur, feſtâ cœnâ excipiebat amicos, dicens, Benedictus ſit, qui elegerit ex ſemine Aharon, qui ſacra facerent in Sancto Sanctorum.* Quòd omnino attinet ad illud, de Sacerdotum corporum vitiis, juxta Legem ſacram diſcernendis dijudicandiſque, qua de re prolixè Selden. *de Succeſſ. in Pontificat. l.* 2. *c.* 10. Habebatur autem Conclave hoc ſaxeum adeò, ex ipſa Synedrii origine, ei proprium, ut Judicia capitalia extra illud ritè exercere, ſ. de re capitali Synedris ſententiam ferre, non licuiſſe ſtatuant paſſim Talmudici; imò neque ſic ſolùm, verùm etiam nec poſtquam deſierat, à Synedris minoribus potuiſſe judicia capitalia exerceri. Hinc à quo è *Liſkath hagazith* ſ. loco conſueto atque antiquitus conſtituto Synedrium migravit in *Hanoth* ſ. *Chanoth*, i. e. *Tabernas*, in monte templi poſitas, multum autoritas ejus imminuta eſt. Factum id ſecundùm magiſtros ſub Annum ante excidium templi ſecundi quadrageſimum, qui Chriſti trigeſimus eſt: idque ob ſummam temporis, maximè in homicidiis, iniquitatem. Quamvis enim, ſub Rom. permiſſum eſſet Judæis Hieroſolymis Synedrium Magnum eique ibi licuerit in loco conſueto judicia etiam capitalia exercere, ſub Annum tamen prælatum, ob ſicariorum frequentiam, qui ſæpius, Præſidis aliove favore tuti, etiam Synedrii judicio ſubindè eripiebantur, adeò ut nec homicidia compeſcere illud poſſet, nec cædis diutiùs reos morte plectere, quod quidem ex jure avito atque hactenus ſibi relicto (utcunque ſic violato) in ejuſce munere & officio erat, cum Synedriis cæteris ferè communi, viſum eſt, è loco Judiciis hujuſmodi adeò proprio, ut alibi ritè ab iis exerceri nequirent, migrare in locum alium ibique ſedes ponere, ubi ex ipſa ſeſſione manifeſtum redderetur, tum homicidas ſe in ejus vocare nolle, quia planè fruſtra fieret, cum pudere ſe, in loco judiciis capitalibus ita proprio ſedes habere, cùm tot homines rei capitalis damnandi ultimoque ſupplicio afficiendi poteſtatem ſuam ac ſententiam quotidie eluderent. Eò nihilominus, biennio pòſt, rediêrunt, ut Dominum noſtrum judicarent, uti viſum eſt: verùm hoc ultimo juriſdictionis actu defuncti inde in *Chanoth* reverſi, exin in alias urbis ædes, prout Principi Synedrii placuit aut commodius eſt viſum: donec, templo exciſo & Hieroſolymis dirutis, in urbes alias, Principem ſuum ſecuti, migrârunt, uti dicemus infrà, ubi de *Synedriis.* Ut verò Synedrio Judæorum Magno, in templi Hieroſolymitani Conclavi illo ſaxeo ſ. Λιθοστρώτῳ, locus erat maximè proprius, ita Samaritis, Judæorum æmulis, locus aliquis ſimilis fuiſſe videtur, ad templum ſuum Sicimis ſ. in monte *Garizim*, à Sanballate & Manaſſe, genero ejus, Alex. Mag. tempore ac permiſſu, conditum. Etenim dicitur illud, Joſepho *Orig. l.* 11. *c.* 8. Ναὸς ὅμοιος τῷ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, *Templum ſimile illi Hieroſolymis*, uti & *l.* 13. *c.* 17. ὁ εἰκασθεὶς τῷ ἐν Ἱεροσολύμοις ἱερῷ ναὸς, *templum ad ſimilitudinem ejus, quod Hieroſolymis erat factum*, quod ab Joh. Hyrcano, poſtquam per 200. ſteterat Annos, exciſum eſt. Quamvis autem traditiones non ſcriptas ſ. legem oralem reſpuerent illic incolæ, utpote quaſi Sadducæi, à defectione prima, nihilominus, cùm Synedrii Magni ſ. Septuaginta uniusviralis inſtitutio verbis haberetur expreſſis in Pentateucho, tantum inter ſcripturas ſacras eis ſatis admiſſo; probabile videtur, illud etiam apud ſe, ritu ſuo ſeorſim, ut templum, habuiſſe. Accedit, quòd, cum locus Synedrii illius intelligatur per locum, *quem elegerit Dominus Deus tuus*, Deut. *c.* 17. *v.* 8. & 10. adeoque Judæis, locus ille ad templum ſuum Hieroſolymitanum, habeaturque mentio ſacra, Idem *c.* 11. *v.* 29. & *c.* 27. *v.* 4. &c. montium *Garizim*, (in quo benedictiones poſitæ) & Hebal (in quo maledictiones) & Lapidum, in quibus Lex inſcripta, in monte Hebalis ponendorum, eorumque etiam & Altaris poſituræ, Joſ. *c.* 8. Samaritæ, velut præceptum undecimum, ſibi inde, ad templi ſui Garizimitani dignitatem evehendam tuendamque ita ſinxêrunt, ut Pentateucho ſuo, proximè poſt Decalogi finem, & in Exod. *c.* 20. poſt *v.* 17. nec non in Deut. *c.* 5. poſt *v.* 21. inſeruerint, velut ſermonis ſacri partem (ſed è jam memoratis conſtructam) auctarium hoc: *Cùm autem introduxerit te Dominus Deus tuus in terram Cananæorum, ad quam vadis, poſſidendam, eriges tibi lapides magnos, & oblines eos calce ſcribeſque ſuper lapides iſtos omnia verba legis hujus. Poſtquam etiam tranſieris Jordanem; ſtatues lapides iſtos, quos ego præcipio vobis hodiè, in monte Garizim & ædificabis ibi Altare Domino Deo tuo, altare lapidum. Non elevabis ſuper eos ferrum. Ex lapidibus informibus ædificabis altare iſtud Domino Deo tuo & offeres ſuper illud holocauſta Domino Deo tuo & ſacrificabis pacifica & comedes ibi & lætaberis coram Domino Deo tuo, in monte iſto, ultra Jordanem, poſt viam occaſûs Solis in terra Cananæi habitantis, in planitie è regione Gilgal, juxtà quercum Mora, versùs Sichem.* Ita hæc occupant, ut præceptum adjectitium, Decalogi calcem apud Samaritanos: adeoque ſi, ut Moſaicorum aliorum, ita Synedrii Magni inſtituti, ut veriſimile eſt, ſequaces fuerint, æquum ſatis eſt exiſtimare, etiam ad templum ſuum & montem Garizim & Sicimas Synedrium attinere eos voluiſſe ſuum, ut voluêre Judæi ſuum, ad templum Hieroſolymitanum &c. Vide hanc in rem plura, apud memoratum ſuprà Joh. Selden. *de Synedriis Vett. Hebræor. l.* 2. *c.* 15. §. 4. 5. 6. 7. 8. & 10. Propriè autem Λιθόστρωτον ἔδαφος, *Lithoſtrotum* Plin. ſectis parvulis marmorum cruſtis ſtratum erat, ex diverſi generis & coloris marmoribus non tinctis, & *ſectile* quoque hinc dicebatur, Secabantur autem hæ cruſtæ lapidum, in varias figuras, ſcutulas ſ. rhombos, trigona, quadrata & favos, i. e. hexagona. Cujuſmodi etiam è ligno hodiè ſectilia pavimenta fieri notum: nec non ex latere coctili. Undè facilè liquet, non eadem pavimenta *lithoſtrota* cum *teſſelatis* fuiſſe, ut quæ ea parvis teſſellis, i. e. calculis quadratis, in varios colores tinctis, fiebant, exprimentia imaginem aliquam, aut avis, aut piſcis, aut hominis, &c. Unde illis in pavimento ac ſolo manentibus, iſta poſtmodum ad cameras tranſlata, & *muſivi operis* nomine appellata ſunt. Plin. ubi ſuprà, *Lithoſtrota occæptavêre jam ſub Sulla parvulis certè cruſtis* —— *Pulſa deindè ex humo pavimenta in cameras tranſiêre*: quem locum egregiâ exercitatione illuſtrat Salmaſ. *ad Solin. p.* 1214. Vide quoque hic paſſim, ubi de *Muſivo opere* in voce *Pavimentum*, nec non ubi de Opere *Sectili* & *Teſſellato.*

LITHRUS, Armeniæ min. urbs, Strabo *l.* 12. *p.* 556.

LITHUANIA, Regni Poloniæ pars, & magnus Ducatus, paluſtris regio, plurimumque nemoroſa: Ab Or. Boryſthene clauditur, Ruſſiam & Moldaviam ad Mer. reſpicit; Poloniam versùs Occaſ. Livoniam ad Sept. conterminas habet. Rara hujus regionis oppida. Metropolis autem Vilna eſt, Epiſcopal. civ, Cromer. Munſter. Ager hujus prov. fertiliſſimus eſt, quare vili ære frumentum venditur, & in multas Europæ provincias magnis onerariis navibus tranſvehitur: lepores in hac regione æſtate ſunt cinericei, hyeme verò albiſſimi: ſunt & alii qui ſemper cinericei, nec pilum mutant. A Germanis mercatoribus *Bleiblandt*, i. e. *Terra manſionis*, non ineptè vocatur, quia ejus fertilitate Germani ad perpetuam invitantur habitationem. Cacomagis & maleficis ſcatet, qui (ut in tormentis ſæpius faſſi ſunt) ſe in lupos transformare poſſunt, & tunc vagantes lædere, ac damno afficere quæcunque occurrunt Joh. Matal. Metell. Baudr. *Lithuania*, Gallis *la Lituanie*, Polonis *Lituna*, Germ. *Littaw*, regio Sarmatiæ Europææ aliàs, nunc Poloniæ, titulo magni Ducatûs nobilis. Chriſtianam fidem ſuſcepit A. C. 1386. Duce Jagellone, Jagellonicæ fam. quæ A. C. 1573. in Sigiſmundo Aug. defecit, autore, in Poloniæ Regem adſumpto, ac baptizato. A. C. autem 1569. in unum Reipublicæ corpus cum Polonia coaluit. Becmannus verò id jam factum docet, ab ipſo Jagellone, & extat hujus unionis diploma in Herbuti *Stat. Polon. p.* 524. *& ſeqq.* quod in fronte Jagellonis Vladiſlai Reg. & Alex. Mag. Ducis Lithuaniæ nomina præ ſe fert: Actum in opp. Hrodlo, circa flumen *Bug*, A. C. 1413. Quod idem peculiari diplomate Lithuaniæ Proceres perſcripſêrunt, A. C. 1401. denuoque confirmârunt, tempore Joh. Alberti, A. C. 1499. Vide eund. Herbutum *p.* 552. Terminatur ab Or. Moſcovia, à Sept. Moſcoviâ etiam ex parte, Livoniâ & Samogitiâ, ab Occ. Poloniâ propriâ, & à Mer. Volhiniâ provinciâ, quæ ipſi etiam annexa eſt, cum Samogitia, Poleſia, & Podolia. Ipſa autem *Lithuania propria* dividitur in novem partes ſ. Palatinatus, & totius regionis caput eſt Vilna. Tota hæc regio

fœdè vaſtata fuit à Moſcis & Tartaris hiſce ultimis temporibus, & ejus pars versùs Ort. occupata fuit à Moſcis. Cæterùm Sigiſmundi Aug. Regis & ſororum, qui ultimi fuêrunt ex poſteritate Vladiſlai Regis (ante Baptiſmum dicti *Jagellonis*, & priùs *Lithuaniæ* Mag. Ducis, ſed poſt mortem Lud. Hungariæ & Poloniæ Regis ad ſceptrum Poloniæ & nuptias filiæ ejus Hedvigis accerſiti, cujus poſteri per duo ferè ſecula Poloniam gubernârunt) Progenitores ſic habe: Gediminus Mag. Dux *Lithuaniæ*, Defunctus A. C. 1324. ſ. 1325. ex .... Vitenis Mag. Ducis filia, Olgardum ſuſcepit, in Magno Ducatu ſucceſſorem. Qui Defunctus A. C. 1381. Pater fuit, ex Maria Duc. Twerenſi, Vladiſlai Regis Poloniæ, antea *Jagellonis*, Mag. Ducis *Lithuaniæ*. Hic, junctâ ſibi Sconzâ S. Sophiâ Ruſſicâ (filiâ Andreæ Ducis Kiovienſis & Mariæ *Lithuanæ*) ex ea genuit Caſimirum Pol. Reg. Extinctus A. C. 1434. Caſimirus, qui Deceſſit A. C. 1492. ex Eliſabetha Auſtria (filia Alberti II. Imp.) fil. habuit Sigiſmundum Reg. Pol. Demortuum A. C. 1548. Huic Bonna Sfortia Mediolanenſis (filia Joh. Galeacii Sfortiæ Ducis Mediolanenſis) complures peperit liberos: qui fuêre, Sigiſmundus Aug. Rex Pol. (nat. A. C. 1520. Den. A. C. 1572. ux. Eliſabetha primò filia Ferd. I. Imp. dein Barbara Radzivilia, tandem Catharina Eliſabethæ ſoror) Iſabella ſ. Eliſabetha (ux. Joh. Zapolienſis Reg. Hung. Princ. Tranſylvaniæ, Den. A. C. 1560.) Sophia (ux. Henr. Ducis Brunſvicenſis & Luneburgenſis, Extincta A.C. 1575.) Catharina (Johanni Succiæ Regi nupta) Defuncta A. C. 1592. & Anna (quam Steph. Bathorius Princeps Tranſylvaniæ, Rex Pol. ſibi junxit) Fam. Regiæ Poloniæ ex *Lithuanis* ultimi. Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Parte* 3. *p.* 21. Vide quoque infrà *Mendogus*.

Lithuaniæ partes ſ. Palatinatus:

Braſlavienſis, *de Braſlow.*	Poloczenſis, *de Poloczk.*
Minſcenſis, *de Minſco.*	Trocenſis, *de Troki.*
Mſciſlavienſis, *de Mſcizlaw.*	Wilnenſis, *de Wilne.*
Novogrodenſis, *de Novogrodek.*	Witebſcienſis. *de Witebsk.*

Sunt etiam partes Lithuaniæ Ducatus Smolencenſis, Novogrodenſis, & Czernihovienſis, cum territoriis Rohaczovienſi & Rzeczycenſi.

Lithuaniæ urbes præcipuæ:

Braſlavia, *Braſlaw.*	Orſſa, *Orſſa.*
Couna, *Kowno.*	Poloczka, *Poloczk.*
Czernihovia, *Czernihow.*	Rohaczovia, *Rohaczow.*
Grodna, *Grodno.*	Rzeczyca, *Rzeczick.*
Minſcum, *Minſko.*	Sluca, *Sluckz.*
Mohilovia, *Mohilow.*	Smolenſcum, *Smolensko.*
Mſciſlavia, *Mſciſlaw.*	Troca, *Troki.*
Novogroda, *Novogrodek.*	Vilkomiria, *Vilkomirz.*
Novogroda Severia, *Novogrodek Seviersky.*	Wilna, *Wilne.*
	Witebſcia, *Witebsk.*

Pop. *Lithuani*, Germ. *Littauuer*, apud quos, ut & reliquos pop. Sept. mos olim *pro reverentia Numinum ac Principum bibere & quaſi in agone per ſudorem contendere*, Corn. Graphæus *l.* 13. *c.* 4. Hinc de iis Michovius *de Sarm. Eur. l.* 2. *c.* 3. *Medone & ſpiſſo & tenui, & vario modo coſto abundant, & illo inebriantur.* Et paulò pòſt: *Sedent à meridie in medium noctis, continuo cibo & potu ſeſe opplendo, & à menſa quoties natura propellit, aſſurgendo & egerendo iterum, atque iterum vorant uſque ad vomitum, &c.* Quas ſordes à ſequioribus Rom. fluxiſſe docet Thom. Dempſter. *paralip.* ad Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 30. Cæterum *Lithuanos* Leſcus Niger, Poloniæ Rex confirmatus ad prælium viſione Angeli, 14. mill. cæſis vicit, A. C. 1282. Cum eorum dein Duce Gedimino fœdere inito A. C. 1325. Vladiſlaus Locticus Pol. Rex Crucigeros ingenti clade affecit, circa A. C. 1331. Poloniæ acceſſêrunt, ſub Jagellone Rege ejuſque operâ fidem ſuſcepêrunt, ut dictum, circa A. C. 1387. Nic. poſtea Radzivilius Palatinus Vilnenſis Sec. 16. Reformationem inter hos populos ſtrenuè promovit, Bibliorum in Sarmaticum idioma verſione accuratâ: quam ſecutus eſt Eccleſiarum Poloniæ maj. & Lithuaniæ conſenſus initus, Synodo Petricovienſi, A. C. 1578. Etiam hoc Sec. indicto Orlii primùm, poſtea Vlodaviæ conventu, de ritibus diſcrepantibus in Lithuania & Polonia conventum eſt, *ut nempe unum concionale, quod hymnos, & Pſalmos variæ verſionis complecteretur: item unam formam abſolvendi ſacra haberent*, Læt. *Comp. Hiſt. Univ.* Ruſtici ferme omnes mancipia Nobilium ſunt. Vide Cromer. & Michov. *Hiſt. Pol.* Cluv. Ort. & Brier. *in Geogr. &c.*

LITICEN, vide infrà *Lituus*.

LITI, in *L.* Longobard. *l.* 3. *tit.* 20. & *alibi paſſim*, adſcriptitii ſunt, ſ. ſervi glebæ: *ſervis* tamen potiores. Unde in *L.* Friſon. *tit.* 15. *Compoſitio hominis nobilis libræ* 11. *liberi, libræ* 5. *& dim. liti, libræ* 2. *& unciæ* 9. *ex qua duæ partes ad Dominum pertinent, tertia ad propinquos ejus. Compoſitio ſervi l.* 1. *& unciæ* 4. *& dimidia.* Vide Autores magno numero laudatos C. du Freſne *in Gloſſ.* Aliter *Ledi, Lidi, Litiones* &c.

LITLANDIA, vulgò LETTEN ſ. LEITLAND, pars Livoniæ, ad Auſtr. cujus pars Occ. ſubeſt Suecis, pars ad Ort. Poloniæ. Ibi Riga, caput. Urbes reliquæ, Duneburgum, Kockenhuſia, Volmaria, & Segevoldia. Separatur ad Auſtr. à Semigallia Dumâ fluv. ad Ort. habet ditiones Moſcoviæ Mag. Duc. ad Occ. ſinum Rigenſem ad Bor. Eſthoniam.

LITOMERIUM, ſ. LITOMIERSCA, urbs Bohemiæ, ad Albim: cum tit. Ep. fundati ab Alex. VII. 8. mill. Germ. à Praga in Bor. 10. ſuprà Dreſdam in Auſtr. Vulgò *Leutmeritz*.

LITORIUS, Galliæ Præſes, haruſpicum reſponſis, & dæmonum oraculis addictus, à Gothis, ſub Theodotico, victus ac Occiſus eſt, A. U. C. 1191. Diacon. Caſſion. *Jornand.*

LITO, in *Charta* Rudeſindi Ep. Dumienſis Æræ 930. apud Anton. Yepezium *Chron. Ord. S. Bened. Tom. V. p.* 424. valis ſpecies eſt, cujus in ſacris uſus. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.*

LITTAMUM, Norici urbs, Ant. Lazio *Lutach.* Nunc pag. ad Aicham fluv. in conf. Carinthiæ & Comit. Tirolenſis.

LITRÆ, Gall LISTRES vel LITRES, lituræ ſunt nigræ quæ illinuntur parietibus Ædium ſacrarum, in tæniæ, aut limbi (hac enim notione vox uſurpatur, apud Monachum Sangall. *l.* 2. *c.* 27. ubi *Litra*, & in *Hiſt. Ep. Autiſſiod. c.* 20. ubi *Liſtra* occurrit) ſpeciem intus & extra, cùm domini feudales, qui jure Caſtellaniæ aut patronatûs gaudent, decedunt: tunc enim illinuntur parietes ſacri nigro colore & lituris apponuntur depicta per certa intervalla arma eorum ac inſignia. Vide Altaſerram *de Ducibus & Comit. Prov. l.* 3. *c.* 3. & C. du Freſne *in Gloſſ.*

LITTERÆ Elementariæ, vide ſuprà *in Literarum primus Informator; Laureatæ & Pinnatæ*, vide *ſuis locis.*

LITTUS, ſ. LITUS, an quòd *liget* terram, an ab *alliden do*, an ex Gr. λιτὸς, quòd terra ſit tenuis & inculta, an à *litando?* quòd nautæ, à marinis periculis liberati, in *litore* ſoleant Diis Marinis *litare*. Propriè enim de mari *litus*, ſicut *ripa* de fluviis. Stat. tamen etiam majoribus fluminibus litus attribuit, inter alia *Theb. l.* 4. *v.* 117. & *ſeqq.* ubi de Lyrcio & Inacho,

Qui ripas Lyrcie tuas, tua litora *multo*
Vomere ſuſpendunt, fluviorum ductor Achivûm
Inache ——————

Neque verò marinis ſolùm Diis litârunt, qui è tanto periculo incolumes evaſêrunt in litus: ſed & *Litrales Deos* venerati ſunt, aliquo cultu. Certè apud eund. poëtam mentio eſt *Litoreæ Palladis, Achill. l.* 1. *v.* 285. cui, quòd in litore Tritonis flum. primùm viſa ſit, indè utique & tali loco illi ſacra ſunt facta, teſte Feſto. Præter eam vero & alii Dii Litorales, ut obſervavit *ad Herculem Surrentinum* Stat. *l.* 3. *Sylv.* 2. Gevart. Quibus addi poſſet Venus, adeò litoribus olim culta, ut etiam lupanaria ibidem collocata fuerint: de quibus egregiè *ad l.* 9. *Sidon. ſui* Savaro. Vide & Caſp. Barth. *ad Stat. Achill.* & Sam. Petit. *Comm. ad LL. Attic. l.* 6. *tit.* 5. Quorum verò ſit *Litus*, eaque quæ in illud electa ſunt, accuratè exponit Hugo Grot. *de Jure Belli & Pac. l.* 2. *c.* 3. §. 5. & *l.* 2. *c.* 7. Vide quoque hîc paſſim, inprimis in voce *Laganum*, item ubi de *Naufragis*: uti *de Comite littoris Saxonici* ſuprà. Hinc *littoriſare*, verbum Comicum, ut Gr. ἀκτάζειν, de quo vide aliquid infrà in voce *Piſces*, it. *Piſcis*.

LITUBIUM, Liguriæ opp. Liv. *l.* 32. *c.* 29. *Ritorbio*, teſte Bernardino Sacco. Pag. nunc in dit. Ticinenſi, 7. mill. paſſ. à Dertona, 3. à vico Iriæ, ubi thermæ ſalutares.

LITURGIA, Gr. λειτουργία, vox apud patres in Eccl. frequens, non uno ſemper eodemque modo accipitur. Λειτουργεῖν primâ notione, eſt opus facere publicum, vel publicè, quæ ſignificatio poſtea ſeſe laxius explicuit. Apud Græcos Scriptores Platonem, Ariſtot. alios, ſignificat λειτουργεῖν, publicò præſtare vel operam vel pecuniam, in Ægypto inprimis, undè λειτουργία ejuſmodi præſtatio. Sic περὶ τὰς ἀρχὰς λειτουργεῖν & λειτουργεῖν τὴν περὶ τὰς ἀρχὰς λειτουργίαν, apud Ariſtot. *Polit. l.* 4. dicuntur magiſtratus, qui Remp. curabant. Ibidem divites pecunioſi, qui tenebantur, privato ſumptu, functiones publicas obire, dicuntur λειτουργεῖν ταῖς οὐσίαις, *opibus ſuis Reip. inſervire.* Cujuſmodi in Rep. Athenienſi complures erant; ſed omnium nobiliſſima & graviſſima fuit Τριηραρχία ſ. *Præfectura triremis*, quam ſuâ pecuniâ aliquis inſtruxiſſet, de quo munere tam multa Demoſthenes & alii Oratores. Et ἀτέλεια τῶν λειτουργιῶν inter bene meritorum præmia, ut infrà dicemus, ubi de *Præmiis*. Etiam λειτουργεῖν dicebatur, qui artem aliquam, aut negotium, publicò profuturum, exerceret. Sic τεκνογονία, liberorum procreatio & educatio, Ariſtot. *Polit. l.* 7. eſt genus Λειτουργίας. Quo ſenſu, Greg. Nazianzen. *in Epitaph. Gorgoniæ*, ait, ipſam aliquandiu operam quærendis liberis dediſſe; deindè totam ſe Deo conſecrâſſe, λειτουργήσασαν κόσμῳ καὶ φύσει ὅσον ὁ τῆς σαρκὸς ἐβούλετο νόμος, *poſtquam debitam operam præſtitiſſet mundo & naturæ ac carnis legi ſatisfeciſſet.* Vide quoque Clem. Alex. 3. *Strom.* Interdum quævis ἐργασία & operæ præſtatio, etiam minùs honeſtæ, Λειτουργία dicta. Nam *in Novell.* Juſtin. 14. Meretrices dicuntur τὴν ἀνοσίαν λειτουργίαν πληροῦν. Quin etiam res ipſas λειτουργεῖν nonnunquam dici invenias, quibus eſt aliqua penſitatio impoſita. *Novella* 44. συγχωρείτω τὰ ἐργαστήρια λειτουργεῖν τὰ συνήθη καὶ νενομισμένα, ubi loquitur de officinis mille & centum novæ Romæ, quæ tenebantur ſumptus ad funera præſtare; de quibus & Leo loquens *Nov.* 12. ait, ea eſſe ἀποτεταγμένα εἰς ταύτην λειτουργίαν. Sic & de rebus divinis cùm vox uſurpatur, modò latiorem, modò anguſtiorem habet ſignificationem. In 7. *Politic.* αἱ πρὸς τοὺς Θεοὺς λειτουργίαι, dicuntur omnia erga Deos officia, ad quæ opus pecunia. Atque hinc Juſtin. *initio l. de Monarch.* originem Idolatriæ arceſſit, quòd primis temporibus, viris potentioribus inferiores inſtituerint τελετὰς καὶ λειτουργίας τελεῖν, i. e. *cultus quoſdam exhibere, Deo potiùs, quàm hominibus debitos.* Septuaginta Seniores vocem עבד, quæ Dei cultum & latriam ſignificat, paſſim vertêrunt Λειτουργίαν. Ezech. *c.* 29. *v.* 19. pro פעלתו *operam illius vel mercedem*, dixêrunt, ἀντὶ τῆς λειτουργίας αὐτοῦ, ſenſu feliciter expreſſo. At 1. Par. *c.* 28. *v.* 9. minùs propriè vox מלאכה, quæ *artificii opus* ſignificat, λειτουργία vertitur. Num. *c.* 8. *v.* 24. λειτουργεῖν λειτουργίαν poſuêrunt pro eo, quod venuſtiſſimâ translatione

tione dicitur in Hebræo, *militiam militare*, i. e. obire miniſterium & in eo ſe exercere. Paulus ad Rom. ſcribens *c.* 16. *v.* 27. λειτουργεῖν ἐν τοῖς σαρκικοῖς, *miniſtrare alicui in rebus carnalibus*, id ipſum intelligit, quod ex Ariſtot. afferebamus, λειτουργεῖν ταῖς οὐσίαις, *inſervire præbendâ pecuniâ.* Neque multò aliter, in ea ad Philippenſes, λειτουργὸς & λειτουργεῖν uſurpantur, de officiis privatim Apoſtolo exhibitis. Alibi & apud Patres Λειτουργὸς dicitur, qui operam Deo, aut officium pietatis vel miniſterii, qualecunque id ſit, præbet. Undè de Angelis uſurpatur, Hebr. *c.* 1. *v.* 14. de ipſo CHRISTO, *c.* 8. *v.* 2. de magiſtratibus, Rom. *c.* 13. *v.* 6. de quovis fideli, vitam piè inſtituente: ut cum B. Chryſoſtom. *Serm.* 3. *in Annam* patres monet, dent operam, ut filii ſui fiant cives civitatis cœleſtis, quò τὴν ἐκεῖ λειτουργίαν ἀξιωθῶσιν ἐπιτελεῖν, *digni reperiantur, qui functiones obeant illius civitatis.* Et poſtea ſæpiſſimè reperit eos, qui vitam piè agunt, τὴν λειτουργίαν ταύτην τελεῖν, *hoc fungi officio pietatis.* Unde videmus, λειτουργίαν eſſe quodcunque pietatis officium, etiamſi à privato præſtetur. Veruntamen uſus Eccl. vocem communem peculiariter aptavit miniſterio & cultuì, qui publicè Deo exhibetur & ejus cultus miniſtris. Sed & hic non ſimplex diverſitatis: Apud Dionyſ. quem *Areopagitam* vocant, vetuſtiſſimum ſanè ſcriptorem, in Eccleſiaſtica Hierarchia, Λειτουργοὶ ſunt Diaconi. Ille enim Autor, ſuo quodam inſtituto ac conſilio, voces in Eccl. uſitatas perpetuò refugit, & alias earum loco uſurpat, ſibi proprias. Igitur illi Λειτουργοὶ ſunt Diaconi; Ἱερεῖς Sacerdotes; Ἱεράρχαι, *Epiſcopi*: quos alii Autores voce originis quidem ejuſdem, ſed diverſæ formæ, Ἀρχιερεῖς ſolent appellare. Baſilio, Greg. utrique, Chryſoſtomo, cæteriſque patribus, miniſtri Eccl. omnes, præſertim verò presbyteri & epiſcopi, vocantur Λειτουργοὶ τοῦ Θεοῦ, vel τοῦ θυσιαστηρίου vel τῆς καινῆς διαθήκης & οἱ τὴν λειτουργίαν τοῦ θυσιαστηρίου πεπιστευμένοι. Baſilius *l. de Sp. S.* meminit cujuſdam, μακρὸν ἐν τῇ λειτουργίᾳ τοῦ Θεοῦ διαζήσαντος χρόνον, *qui longum tempus vixerit in Dei miniſterio*: quam Epiſcopi περίφρασιν eſſe, declarant ſequentia. Nam ait ab eo fuiſſe ad miniſterium Eccl. ordinatum. Proin Λειτουργὸς eſt omnis miniſter Eccl. propriè tamen illi, qui ad ſacram menſam miniſtrant: & ſæpe λειτουργεῖν, non eſt quodvis circa res ſacras miniſterium obire, ſed ea per quæ Chriſtus à ſuis colitur; putà orare, ſcripturas recitare, aut interpretari, concionari, ſacramenta adminiſtrare. Balſamon *ad Conc. Sardicenſe*, exponit ἱερουργεῖν: quo modo dixit Paulus ἱερουργεῖν τὸ Εὐαγγέλιον, Rom. *c.* 15. *v.* 16. pro, *fungi ſacro miniſterio prædicationis Euangelii* &c. Ab hac itaque ratione dictæ ſunt Λειτουργίαι, *Liturgiæ*, deſcriptiones quædam ordinis ſervandi, in ſacris celebrandis. Cujuſmodi ſunt, quæ hodie circumferuntur ſub titulis partim veris, partim falſis, Petri, Jacobi, Andreæ, Baſilii, Chryſoſtomi & ſimiles. Latini vocant *Ordinem agendi*, vel *Officium*: Græci aliquando Ἀκολουθίαν & Balſamon non ſemel. In ritualibus Hebræorum partim ejuſdem, partim affinis ſignificationis ſunt, תכונה quaſi dicas, *forma agendi*; סדר *Ordo*; item מחזור, ut ſi dicas, *Circulum in ſe redeuntem.* Quemadmodum autem res divina dividitur, vetuſtiſſimo Chriſtianorum inſtituto, in cultum matutinum & veſpertinum, ita in Patrum libris utriuſque *Liturgiæ* mentio fit. In Actis Conc. Epheſ. *p.* 295. ἐπιτελέσαι μὴ συγχωρήσαντες τὰς ἑσπερινὰς ἢ τὰς ἑωτινὰς λειτουργίας, *perficere* ſ. *obire veſpertinas & matutinas Liturgias.* Et notat Balſamon, Λειτουργίαν aliquando conſtare ſolâ oratione, ſine ulla Sacramentorum adminiſtratione. Obtinuit tamen, ut peculiariter *Liturgia* dicatur, quæ celebrationem corporis Chriſti continet. Itaque Juſtin. *Novell.* 7. ἱερὰν λειτουργίαν deſcribens, duas illius partes commemorat, *lectionem S. Scripturæ* & *adminiſtrationem Dominicæ cœnæ*: Ἐν οἷς, inquiens, ἱερὰ γέγονε λειτουργία τῶν τε θείων ἀναγινωσκομένων γραφῶν, τῆς τε ἱερᾶς καὶ ἀῤῥήτου μεταδιδομένης κοινωνίας Vide Iſac Caſaub. *Exercit.* 16. *ad Ann. Eccl. Baronis n.* 41.

LITUS Altum, ſ. *Ripa alta*, opp. Albionis in ora Scotiæ orientali. *Tarbarth* Camd. aliis *Roxburgh*, Baudr. opp. fuit Cantarum, in Scotia Bor. nunc *Tarbath*, opp. juxta prom. cogn. prope Vararis æſtuarium, in parte Or. Roſſiæ, in ora maris Germ.

LITUS Cæſiæ, oppid. Corſicæ fuit in ora Occidua, *Calui* Moletio, Pineto Baudr. fuit inter Atrium prom. ad Occ. & Tilocium in Eur. forſan ubi nunc portus *Marſalco*, 25. mill. à Calvio in Sept.

LITUUS, incurvus erat baculus, quo Romanorum Augures cœli ſpatia, quia manu non licebat, deſignare ſoliti ſunt. Tali cùm Romulus, augurii peritus, uſus eſſet non raro, ut Plutarch. *in eo* docet, hinc *Quirinalem lituum* dixit Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 187.

Ipſe Quirinali lituo, *parvaque ſedebat*
Succinctus trabeâ: lævaque ancile gerebat.

Quamvis & Martis baculum, qui ante Romulum *Quirinus* appellatus eſt, intelligere hîc quis poſſit vel Regium baculum quemcunque ſ. ſceptrum. De *Lituo*, A. Gell. *l.* 5. *c.* 8. *Lituus*, inquit, *virga brevis eſt, in parte, quâ eſt robuſtior, incurva: qua Augures utuntur.* Origo nominis à tubæ genere, cui *Litui* nomen, quod pari formâ pariterque incurvatum eſt. Cic. *de Div. l.* 1. *Romuli* Lituus, *i. e. incurvum & leviter à ſummo inflexum bacillum, quod ab ejus litui, quo canitur, ſimilitudine nomen invenit.* Huic autem nomen à Gr. voce λιτὸς, quòd tenuis & acuti ſoni ſit. Undè Ennius alicubi.

Inde loci lituus *ſonitus eff[…]dit acutos.*

Cùm enim incurvus eſſet, ideo ſonum ſtreperum acutumque edebat. Unde ſtrepentem Seneca vocat *Thyeſte Act.* 3. *v.* 57.

Jam tacet ſtridor Litui *ſtrepentis*:

Imitatus Horat. qui *Carm. l.* 1. *Ode* 1. *v.* 23. & *l.* 2. ait: *Ode* 1. *v.* 17.

Jam nunc minari murmure cornuum
Perſtringis aures, jam litui *ſtrepunt* &c.

Qui illo uſi, *Liticines* dicti ſunt: ejus verò à cornu tubaque differentiam, vide apud Juſt. Lipſ. *l. de Mil. Rom.* Addam id ſaltem, ut *tubas*, ad incitandos milites, ſic *lituos* ad revocandos, adhibitos eſſe, diſcere nos ex Gul. Brittone *l.* 6. *v.* 446.

Omnia perverſo contingunt more Joanni,
Non tuba congreſſum cecinit, lituuſque *regreſſus.*

Et Baldrico Dolenſi *de Bellis Palaſtinis l.* 4. *c.* 9. *Audito retrahendi* lituo *Chriſtiani ab illo impetu deſtitêrunt.* Scriptores enim hos duos, non ſinè alluſione veteris lectionis, diſtinctionem hanc inducere retur Caſp. Barthius *Animadv. ad Stat. Theb. l.* 8. *v.* 154. Vide quoque ſuprà, ubi de *Claſſico.*

LITYERSA, nothus erat Midæ Regis. Hic cùm ageret in Celænis, exceptos eos, qui adveniſſent, compellebat, ut ſecum meterent, deinde præſectis capitibus reliquum corpus manipulis involvebat. Idem inſtituit, ut in honorem Midæ æſtivus ſive meſſorius hymnus caneretur, unde proverbium, ut qui coacti canerent, hi Lityerſæ cantionem canere dicerentur. Vide Eraſm. *in Chiliad.*

Reges Hiſpaniæ.

LIUBA I. ſ. LIWA Viſigothorum in Hiſp. Rex XVI. Atanagildo ſucceſſit A. C. 567. Extinctus A. C. 572. Regni 5. Eum excepit frater Leovigildus Iſid. Hiſpal. *Chron.* V. & Grot. *Præf. ad Hiſt. Vandalo-Gothicam.*

LIUBA II. Rex XII. Recaredo I. ſucceſſit A. C. 601. magnam de ſe ſpem dedit, ſed brevi Extinctus, A. C. 603. ſucceſſorem habuit Vitericum, à quo Occiſus eſt, Iidem *ibid.*

LIVIA Druſilla, uxor fuit Aug. quam matrimonio Tiberii Neronis, Imp. Tiberii patris, & quidem prægnantem abduxit, dilexitque, ac probavit unicè ac perſeveranter. Superba, ac virum docta tractare. Ex hac nullos ſuccepit liberos, cùm maximè cuperet: infans (is eſt Druſus Tiberii Imp. frater, ac Claudii Cæſaris, qui Tiberio ſucceſſit, pater) qui conceptus erat, immaturus eſt editus. In oſculis Liviæ, & in hac voce defecit Aug. *Livia noſtri conjugii memor vive, ac vale:* vide Suet. *in Aug. c.* 29. 62. & 63. Obiit A. C. 29. Rubellio & Fuſio Gemino Coſſ. A nepote Caligula publicè laudata, Tac. *Ann. l.* 1. *c.* 3. 5. 8. 10. 14. & 33. Dio *Hiſt.* Prima omnium mulierum, à Romanis, conſecrata eſt, & in Divas relata: Flamenque & Sodales, qui ab ea nomen acciperent, ex S. C. additi, templumque, quo hymni, in honorem ejus compoſiti, canerentur, extructum eſt. Vide Thom. Dempſter. ad Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 18. Plin. *l.* 7. *c.* 13. Obtinuit autem honores hos divinos, quos fil. ei Tiberius decernere noluerat, à Claud. Tib. in cujus *vita* ſic Suet. *c.* 11. *Aviæ Liviæ divinos honores & Circenſi pompâ currum elephantorum Auguſtino ſimilem decernendum curavit.* Pleniuſque de eo Dio *l.* 60. qui Claudium ait effigiem ejus intuliſſe templo D. Aug. ac cum ſacra ei fieri juſſiſſe per Veſtales, tum ut mulieres per ejus nomen jurarent. Hinc in nummo veteri, uno quidem latere, DIVUS AUGUSTUS PATER, cum capite radiato, & ante pedes ara: averſâ autem parte, S. P. Q. R. DIVÆ JULIÆ AUGUSTI FIL. & carpentum cum duobus mulis. Conſecrata autem habitu eſt Junonis; ut in ea Juno coleretur. Unde Prud. *l.* 1. *c. Symmach.* ita de ea: *de Simulacro Liviæ ux. Aug. v.* 251.

Adjecêre ſacrum, fieret quo Livia *Juno*,

Sive aliis libris, *Julia*; quia adoptione mariti in eam tranſiiſſet familiam. Nam conjux C. Jul. Cæſar Octavianus adoptatam filiæ habuit loco: undè in Claudii nummo præfato *Aug. filia* vocatur. Ad exemplum poſtea conſecratæ *Liviæ.* Fauſtinam Antonini Philoſophi uxorem; Druſillam, Caji Caligulæ ſororem; Mæſam quoque, quæ ſoror fuit Juliæ II. Severo Cæſari nuptæ, avia autem duorum Impp. Varii Heliogabali & Sev. Alex. idem honoris obtinuiſſe, legimus apud Capitolin. Dionem *l.* 59. & Herodian. *l.* 6. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 1. *c.* 12.

LIVIA, filia Druſi, ex illo prioris Liviæ neptis. Nupſit Druſo, fil. Tiberii, ex eo duorum filiorum, quorum unus juvenis Obiit, alter à Caligula ſublatus eſt, & filiæ quæ primò Neroni, dein Rubellio Blando nupſit, mater. Tac. *Ann. l.* 4. *c.* 39. Suet. *Claud. c.* 1. *Tib.* 44.

LIVIA Horeſtilla C. Piſoni cùm nuberet, juſſa eſt ad C. Cæſarem Caligulam deduci, quam Caligula intra paucos dies repudiavit, ac biennio pòſt relegavit, quòd repetiiſſe uſum prioris mariti tempore medio videbatur. Suet. *in Calig. c.* 25.

LIVIA Lex, apud Rom. varia fuit: *de æquo parte judiciorum, penes Senatum & Equites: de ære miſcendo argento: de agris dividendis in Africa: de coloniis deducendis: de menſtruo frumento: de Sociis &c.* Vide Thuan. Thom. Dempſter. ad Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. paſſim.*

LIVIACUM, vulgò LEGNANO, regiunc. ditionis Venetæ, in agro Veronenſi. Leander Alb. *Deſcr. Italiæ.*

LIVIAS, Plin. *Libias*, Joſ. opp. Palæſtinæ, trans Aſphaltidem lacum, ſic à Livia dictum.

LIVII, Gall. Narbon. pop. *Plin.*

LIVINEJUS Joh. Gandavenſis, an Teneramundâ oriundus. Gandavi ab avunculo Levino Torrentio educatus, edidit cum Gul. Cantero Biblia Græca Plantini; Romæ dein

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Cardd. Sirleto & Caratæ ab iiſdem fuit occupationibus. Patres Græcos haud paucos Latinè vertit, in edendo verò Gregorio Nazianzeno occupatus, diem Obiit Antverpiæ A. C. 1599. Æt. 50. ibi Canonicus & præceptor, ſub Ep. urbis avunculo præfato vide ſcripta ejus *in Elogiis* Ant. Teiſſier, ex Aub. Miræo, Thuan. Barthio *Adverſ. l.* 32. *c.* 2.

LIVINEJUS Regulus, motus Senatu, gladiatorium ſpectaculum Pompejis edidit, ubi levi contentione atrox cædes orta, colonos Nucerinos inter Pomjanoſque. Nam oppidanâ laſciviâ invicem inceſſentes probra, dein ſaxa, poſtremò ferrum ſumpſêre, validiore Pompejanorum plebe. Quâ re ad Patres delatâ, prohibiti publicè in decem Annos ejuſmodi cœtu Pompejani, & *Livinejus* exilio multatus eſt. Tac. *Ann. l.* 3. *c.* 11. & *l.* 14. *c.* 17.

LIVIOPOLIS, Cappadociæ opp. Plin. *l.* 6. *c.* 4. circa Pontum Eux.

LIVIUS Fidenas, Tuſciæ Rex, Regn. An. 48.

T. LIVIUS, Hiſtoricus Patavinus, res Romanas miro artificio luculentoque ſermone perſcripſit. Hier. *ad Paulinum, Ad Titum Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem, ab ultimis Hiſpaniæ Galliarumque finibus quoſdam veniſſe nobiles legimus. Et quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit.* Hunc Cajus Princeps, tanquam verboſum inſectabatur; Pollio verò tanquam Patavinitatem redolentem. Quintiliano magnopere laudatur, qui eum Herodoto comparat, in concionibus præſertim, ſuadetque pueris ediſcendum, ut Ciceronis imitatorem. Tac. *Ann. l.* 4. *c.* 34. *in agric. c.* 10. Liv. *præf. l.* 1. & *l.* 4. *c.* 20. Opus ejus integrum in Bibliotheca Turcarum Imp. aſſervari creditum eſt, ſed neminem ejus inſpiciendi avidum, licèt magnâ argenti vi oblatâ, voti fuiſſe mactatum hactenus, refert Jac. Spon. *Itin. Parte* 1. *p.* 253.

LIVIUS Andronicus, Livii Salinatoris libertus, cujus filios erudiit, ab eo ob ingenium libertate donatus. Primus hic Romæ fabulam dedit, C. Claudio Cæci filio, & M. Tuditano Coſſ. An. ante nativitatem Ennii, Diomedes A. Gell. *l.* 3. *c.* 16. & *l.* 17. *c.* 21. A. U. C. 160. poſt mortem Sophoclis & Euripidis, 12. poſt Menandrum, A. U. C. 514. Quidam ei 18. libb. Hiſtoriæ Rom. attribuunt. Cic. *de Cl. Orat. & de Sen.* Cœl. Rhodig. *Antiq. lect. l.* 7. *c.* 4. Siml. in Bibl. *p.* 546. Glandorp. *in Onomaſt.* Voſſ. *de Hiſt. & Poët. Lat.*

LIVIUS, prænomine *Cajus*, accuſator Libonis, apud Tac. *Ann. l.* 2. *c.* 30. Cum tamen deinceps non recurrat Livius iſte & recenſeat Tac. inter Piſonis iſtius accuſatores C. Vibium Serenum *Ann. l.* 4. *c.* 29. ſuſpicatur Janus Gruterus, ſcribendum *Vibius*, nimirum quòd degenerarit nomen ignotum in multò notius.

LIVIUS Dexter, vide *Marcus.*

LIVIUS Druſus, vide *Cajus*, it. *Marcus.*

LIVIUS Salinator, vide *Cajus*, it. *Marcus.*

LIVONES, vulgò LIFFLANDER, pop. Sarmatiæ Europææ ad ſinum Venedicum, quorum regio Livonia, inter Pruſſiam ad Mer. & Ruſſiam albam ad Bor. Samogitiâ comprehenſâ, cujus urbes Riga, Curovia, Venda, Oſelia, Revalia, & Torpatum, Ferr. Vide in voce *Livonia:* & de Pruſſiorum, Pomeranorum ac *Livoniorum*, in loca Burgundiorum, Toringorum, Miſnorum & Heſſorum, migratione, B. Rhenan. *Rer. Germ. l.* 1. cum *Notis* Cl. Othonis JC.

LIVONIA, vulgò *la* LIVONIE Gallis, LIFFLANDT Germanis. Aliàs ſuberat Regi Poloniæ, nunc autem poſt plurimos motus Regi Sueciæ pro majori parte ſubeſt. Terminatur à Sept. ſinu Finnico, ab Occ. Rigenſi ſ. mari Baltico, à Mer. Semigalliâ & Lithuaniâ, & ab Ortu Ingriâ ac Pleſcoviâ provinciis Moſcoviæ. Dividitur in duas partes, nempe in Eſthoniam, *Eſten*, quæ in Bor. tendit, & in Litlandiam, *Letten*, quæ ad Auſtr. Eſthonia autem dividitur etiam in plures tractus, nempe in Alentakiam, Eſthoniam propriam, Hariam, Jerviam, Oldenpoam, Viriam, & Vicheſlandiam. Partes etiam ſunt Livoniæ inſulæ Oſilia, *Oeſel*, & Daghoa, *Dagho*, in mari Baltico & in ſinu Regenſi quæ antea Regi Daniæ ſuberant, nunc autem Suecici juris ſunt ab A. C. 1645. Erant etiam in Livonia Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ; ſed nunc ab ab ea revulſi, ſubſunt proprio Duci è gente Ketlera, ſub clientela tamen Regis Poloniæ. Cæterùm regio eſt ſiliginis & frumenti perdives, quod deinde fluviis Duinâ & Nervâ ad portus maris, indeque ad exteras regiones emittit. In ſylvis apros habet, urſos, alces, vulpes, lynces, caſtores omniſque generis animalia, quæ è Moſcovia veniunt, à qua Nervâ tantùm fluvio ſeparatur. Ad fidem *Livones*, aliàs naturâ feroces, converſi ſunt primùm per mercatores Bremenſes, qui primi illis in locis Chriſtianiſmi ſemina ſparſêrunt, circa A. C. 1161. Meinradus dein Ep. ſuper hoc fundamento ædificavit; circa A. C. 1190. ſedemque Epiſcopalem Rigæ erexit: cujus ſucceſſor Bertholdus, cùm vi potius atque armis, quàm verbo uteretur, ab iis trucidatus eſt. Hunc Albertus excepit, qui fratres ſ. equites ordinis Enſiferorum, qui poſtea junctus Teutonico, ad propagationem fideique defenſionem adſcivit, ſub finem Sec. 12. qui à Waldemaro Daniæ Rege adjuti rem egregiè geſſêrunt, A. C. 1223. aliiſque temporibus. Poſtea Albertus Brandeburgicus, magnus ejus Magiſter, cum Euangelium eſſet amplexus, Gualterus Ordinem Livonicum à Pruſſico iterum ſeparavit: cujus ſucceſſor Gulielmus fuit Furſtenbergius, A. C. 1535. quià Moſcis, Livoniam raptantibus, captivus abductus eſt. Ultimus erat Gothardus Kettlerus, quem Sigiſmundus Aug. (Poloniæ Rex patris exemplum, qui Teutonico ordine abolito Pruſſiam Polonici juris fecerat, ſecutus,) Curlandiæ & Semigalliæ Ducem creavit, ordineque extincto Livoniam regno adjunxit. In hac regione, ſicut & in Lithuania, aliiſque in locis, ruſtici plerunque Nobilium mancipia ſunt. Vide Ortel. *Geogr.* Chythræum *Hiſt. Sax.* Neugebaur. *Hiſt. Pol.* Chr. Becmannum *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ. &c.*

Livoniæ urbes præcipuæ.

Dunenburgum, *Dunenbourg.*	Pirnavia, *Pernaw.*
Felinum, *Felin.*	Revalia, *Revel.*
Hapſelia, *Hapſel.*	Riga, *Riga* ſ. *Riig.*
Kockenhuſia, *Kockenhauff.*	Segevoldia, *Segevold* & *Sevold.*
Lehalium, *Lehal.*	Torpatum, *Derpt.*
Narva, *Narva.*	Volmaria, *Wolmer.*

Omnes ſubſunt Suecis; ſed Dunenburgum nunc ſubeſt Polonis, pace ad Olivam ſancitâ.

LIVREA Italis, LIVREE Gallis, LIBEREY Germanis, ſyntheſis eſt colorum, quâ nobilium familiarum ſervitia excoluntur, ipſæque familiæ à ſe invicem diſcernuntur: quem morem à Circi olim factionibus & coloribus profluxiſſe credunt eruditi. Ejus Seneca meminit *Ep.* 95. *Agmina exoletorum per colores nationeſque diſtincta*, & Petron. apud quem, in Trimalcionis familia Edit. Genſali de Salas *p.* 15. Edit. Boſch. *c.* 28. *in aditu ipſo ſtabat oſtiarius praſinatus ceraſino ſuccinctus cingulo, atque in lance argentea piſum purgabat:* qui color apud Trimalcionem in pretio fuit. Nam paulò antè inducitur *pilâ praſinâ* ludens. Vide Octav. Ferrar. *de re Veſt. paſſim, parte inprimis* 2. *l.* 1. *c.* 11. ubi Rutgerſium per *Trechedipna*, quorum Juv. *l.* 1. *Sat.* 3. *v.* 67. meminit, veſtes has peculiaribus familiarum coloribus diſtinctas, intelligentem, reprehendit.

LIWA, vide LIUBA.

R. LIWA, Rabbinus celebris, autor libri *Gur-ariah*, elucidationis ſuper Raſi, libri *Giburat aſem* & *Derech Chajim* in Pirke Avoth &c. Fuit præſes Scholæ & pater domûs Judicii ſuper totam Moraviam ferme Annis 20. inde Pragam venit, Scholamque celebrem *Klauſe* dictam excitavit ac ibi docuit 15. Ann. tandem Poſnam delatus, ibi præſes Scholæ & pater domûs Judicii ſecundò per totam Maj. Poloniam factus eſt R. David Ganz. *Chronol. Rabbinorum ad Ann.* 352. *Millenarii VI.* Rudolpho II. Imp. gratus, *Ibid.*

LIXA, urbs Libyæ à *Lixo* fluv. Steph. Metropolis Antæi ficta, ubi Heſperidum horti, *Larache* Europæis; urbs regni Fezzæ, in prov. Aſgara, ad oſtia Lixi fluv. 65. mill. paſſ. à Freto Herculeo in Auſtr. Sub Luſitanis ab A. C. 1610.

LIXÆ, inter militum olim miniſtros, exercitum ſequebantur quæſtûs gratiâ dicti, quòd extra ordinem ſint militiæ, eiſque *liceat*, quod libuerit. Nonius Marcellus: *Lixarum proprietas hæc eſt, quòd officium ſuſtineant militibus aquæ vehendæ.* Lixam *namque veteres aquam vocavêrunt.* Quemadmodum *Calones* dicebantur, qui ligna, Græcè Κᾶλα, militibus ſubminiſtrabant: Sed *hos* malè Acron *ſervos militum* appellat, verba ſunt Laur. Pignorii *Comm. de Servis*, cùm certum ſit, liberos homines fuiſſe. Undè Val. Max. *l.* 2. *c.* 7. *Protinus namque* Lixas è *caſtris ſummovit* (Metellus) *cibumque coctum venalem proponi vetuit: In agmine neminem militum miniſterio ſervorum jumentorumque, ut arma ſua & alimenta ipſi ferrent; uti paſſus eſt:* & Feſtus, *Calones liberi homines*, Lixæ *verò ſervi*, &c. A *Lixa* verò aquam denotante, venit verbum *elixare*, quod vide.

LIXUS, it. LIX, Ptol. *Luſſo* hodie Caſtaldo, fluv. Maurit. Tingitanæ ad Lixam urb. in Oceanum Atlanticum labens. Item colonia, & urbs Maurit. Tingit. in ora maris Atlantici, olim Antæi regia. Sil. Ital. *Punic. Bell. l.* 3. *v.* 258.

Et Tingin rapido mittebat ab æquore Lixus.

Vide Dauſqueium *ad locum* & ſuprà. Strabo *l.* 2. *p.* 99. & *l.* 17. *p.* 829. P. Mela *l.* 3. *c.* 10. Plin. *l.* 5. *c.* 1. & *l.* 32. *c.* 2.

LIZISIS, opp. Daciæ in Tranſylvania, ad Cuſum fluv. exciſum: *Laorzalos Lazio.*

LONG. P. VII. L. P. III. in notis antiquorum, *longum pedes ſeptem, latum pedes tres.* LT. PR. *Latini Patres:* L. R. I. *Lex Regis juſta:* L. S. *Laribus ſacrum*, vel *locus ſacer:* L. SC. ſimiliter, *Locus ſacer*, L. P. *locus propitius*, vel *proprius:* vel *lege punitus*, vel *Latini priſci*, vel *locus publicus*, ſ. *privatus* &c. denotat, *Fr. Gouldm.*

LOAISA Garcias, Hiſpanus, eruditione & morum probitate inclytus, *Deliciæ generis humani* cum Tito appellari meruit; unde ad Præſulatum Toletanum à Phil. II. evectus, & Phil. fil. educationi adhibitus eſt. Poſt Obitum verò Regis haud pro meritis habitus, tantum inde mœroris concepit, ut illi impar fatum Obierit, A. C. 1599. Æt. 65. Edidit *Concilia Hiſpaniæ, & in his Toletana XVII. in unum collecta & Notis eruditis illuſtrata.* Thuan. *Hiſt. Bibliothec. Hiſpan.* Ant. Teiſſier *Elog. P.* 2.

LOANDA, Inſ. parva Africæ, in ora regni Congi, ubi Urbs *S. Pauli*, vulgò *S. Paolo de Loanda*, cum portu capaci & munito, ſub Luſitanis. 180. mill. paſſ. ab oſtio fluv. *Zaire* in Auſtr. Capta fuerat à Batavis, ſed recepta.

LOANGUM, vulgò LOANGO, regnum parv. Æthiopiæ inf. ad Occ. inter regnum Congi ad Auſtr. & regnum Biafaræ ad Bor. Hujus incolæ Solem & Lunam adorant. Joh. Matal. Metell. Item *Loanghi*, ſ. Bramæ, pop. Congi.

LOBAVIA, Marmol. *Deſcr. Aſia* oppid. Pruſſiæ reg. cum arce, ubi Ep. Culmenſis ſæpe moratur. In ipſo limite Pruſſiæ reg. 13. mill. Germ. à Culmia in Ort. *Lobaco* vulgò.

LOBARDUS Sirichius, vel *Lombardus de Siricho*, Patavin. diſcip. Petrarchæ. Hic cùm ſuaſu Franciſci Principis Cararii, de Vir. Illuſtr. opus exorſus eſſet, Sirichius illud conſummavit: Separatim editum Baſileæ, A. C. 1562. Scardeon. *l.* 2. *Rer. Patavin.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 3. Siml. *in Epit. Bibl. Geſner.*

LOBELIUS Matthias, vide *ibi.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LOBENSTENIUM, Germ. *Lobenſtein*, caſtrum Germ. ſub proprio domino, ex illuſtri Fam. Ruthenorum, quibus à Sigiſmundo Imp. A. C. 1421. *Burggraviorum Miſniæ* titulus, cum Principali axiomate collatus, & quamvis hodiernæ lineæ uſu illius abſtinuerint, ex eo ad hunc uſque diem ſingulorum Cæſarum inveſtiturâ confirmatus eſt. Ex his itaque, qui hodie ſuperſunt, in duas lineas, *Seniorem* & *Juniorem*, diſpeſcuntur, ad quarum iſtam decem filii Henr. & Magdalenæ Schwartzenburgicæ ſpectant, quibus *in Gera*, *Salburg*, *Schlez* & *Lobenſtein* ſedes obtigêre. Et quidem minimus illorum natu, Henr. X. A. C. 1621. genitus *Lobenſtenii* dominium nactus eſt. Pater ex Maria Sibylla Ruthena (filia Henr. IV. Senioris Rutheni Dn. *de Plauen* Extincti A. C. 1629. & Juliæ Eliſabethæ Rhingraviæ, quæ Obiit A. C. 1653.) Henr. III. (nat. A. C. 1648.) Henr. V. (nat. A. C. 1650.) Henr. VI. (nat. & Den A. C. 1651.) Henr. VII. (nat. A. C. 1652.) Magdalenæ Dorotheæ (nat. A. C. 1653.) Henricæ Julianæ (nat. A. C. 1654.) Erneſtinæ Sophiæ (nat. & Den A. C. 1656.) Amaliæ (nat. A. C. 1658. Den A. C. 1659.) Henr. VIII. (nat. A. C. 1659. Den A. C. 1660.) Eleonoræ & Fridericæ Sibyllæ (nat. A. C. 1661.) Henr. IX. (nat. A. C. 1662.) & Henr. X. (nat.) *Ruthenorum omnium* ſ. *Reuſſen, Dn. de Plauen, Lin. Junioris in Lobenſtein.* Ipſe autem lineæ hujus autor, Obiit haud pridem. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Parte I. p. 15.* & *Parte 2. p. 42.* ut & ſupra in voce *Henricus*, ac infrà in *Rutheni*: de caſtro verò præfato, aliiſque huc pertinentibus, plura apud eund. Autorem *Arte Heraldicâ Tom. 2.*

LOBERA Ludovicus, vide *Ludovicus.*

LOBETUM, urbs Hiſp. Tarrac. in Celtiberis & Arragonio regno, in Caſtellæ novæ conf. in monte Turia. *Albaracin* hodie. Ab Hercule Libyco condita, cum Auſa Anno poſt diluvium 625. Epiſcopal. ſub Archiep. *Cæſarauguſtano.* Pop. *Lobetani* Plin. *l.* 3. *c.* 3.

LOBKOVICIUS Bogiſlaus, Baro Bohemus, confeſſionem Fratrum, A. C. 1575. conſcriptam, Wittembergenſi Academiæ obtulit, quâ approbatâ, Maximiliano dein II. Imp. oblatâ, & confirmatâ, pax Eccl. data eſt. Ex eadem fam. Wenceſlaus, Principibus Imperii à Ferd. II. annumeratus, A. C. 1641. duxit A. C. 1653. Auguſtam Sophiam, filiam Aug. Comitis Palatini Sulzbacenſis: apud Leopold. Imp. diu gratiâ florens, quâ A. C. 1675. excidens, privatus in ditionibus, quas in regno Bohemiæ ampliſſimas habet, ab eo tempore degit. Vide Limnæum Enucl. *l.* 3. *c.* 17.

LOBNA, civ. Sacerdotum in tribu Judæ, quæ & *Lebna.* 2. Reg. *c.* 8. *v.* 22. & *c.* 23. *v.* 31. 1 Par. *c.* 6. *v.* 57. Joſ. *c.* 21. *v.* 3.

LOBNI, fil. Gerſon filii Levi. Exod. *c.* 6. Num. *c.* 26. *v.* 58. 1 Par. *c.* 6. *v.* 17. 20. & 29.

LOBON Argivus, librum de poëtis ſcripſit, ut ait Diog. Laërtius *in Epimenide*, qui & ejus meminit *in Thalete.*

LOBRINI, montes in Phrygia, unde *Rhea Lobrina.* Schol. *Nicandri.*

LOBWASSER Ambroſius JC. Duci Boruſſiæ à conſiliis, Odis Pſalmodicis vernaculis, quibus plurimis in locis Eccl. utitur, inclaruit. Obiit Regiomonte. A. C. 1585. Æt. 71. Vide Paul. Freherum *Theatr. Viror. Erudit. Claror.*

LOCA, longâ moleſtiâ demptâ, videre, gratum. Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 27. ſolutâ obſidione Trojanâ,

> ——— *juvat ire & Dorica caſtra*
> *Deſertoſque videre* locos, *lituſque relictum.*

Quod grandiore gaudio expreſſit Petron. Arbiter, Edit. Gonſali. de Salas. *p.* 30. Edit. Boſch. *c.* 49.

> *Jam turba portis libera ac bello carens*
> *In vota properant: fletibus madent genæ,*
> *Mentiſque pavidæ gaudium lachrymas habet.*

Contrà, ubi ſcelus commiſſum, velut id muta quamvis exprobrarent, ſeque polluta clamitarent, grave, uti de Nerone, poſt matrem Agrippinam letho datam, legere eſt apud Tac. Et ſolatio injuriam paſſis proin datum, ut *eodem loco* ultro ſumeretur, ubi crimen commiſſum. Sic Beſſi ſupplicium diſtulit Alex. ut eo loco, in quo Darium ipſe Occiderat, necaretur. Curt. *l.* 7. *c.* 6. Idem de Galba legas, apud Suet. *c.* 20. Et *famoſos latrones in hic locis, ubi graſſati ſunt, furcâ figendos, compluribus placuit: ut & conſpectu deterreantur alii ab iiſdem facinoribus, & ſolatio ſit cognatis & affinibus interemptorum eodem loco pœna reddita, in quo latrones homicidia feciſſent, l.* 28. §. *pen de Pœnis.* Idem etiam divinam juſtitiam aliquoties obſervâſſe legimus uti inter aliâ de Nabotho videre eſt. 1 Reg. *c.* 21. *v.* 19. & *c.* 22. *v.* 38. notatque Joſeph. ſanguinem Ariſtobuli effuſum fuiſſe in loco, qui fraterno cruore rubebat. Quò reſpicit Sophocles *ſub fin. Electra*, ubi introducit Ægiſthum atque Oreſtem ita verbigerantes:

> Æg. *Quid attinet in domum me duci? nam ſi honeſtum eſt,*
> *Quod agitis, cur tenebris opus eſt? Quin ſtatim interficis?*
> Or. *Ne impera, ſed vade ad eum locum, ubi interfeciſti*
> *Patrem meum, ut ibidem & tu cadas* &c.

Vide Gruterum *ad Suet.* & Frenshem. *ad Curt. d. l.* Porrò, quæ fulmine icta, ſtatim religioſa habebantur Gentilibus, quòd ea Deorum aliquis viz. ſibi dedicâſſet, ut Feſtus ait: in quibus proin deinceps nemini ampliùs verſari licebat, imò nec ea intueri. Amm. Marcell. *l.* 23. *c.* 5. *Hoc modo* (fulmine) *contacta loca nec intueri, nec calcari debere Fulgurales ponuntiant libri.* Undè *illicitam lampadem* fulmen dixit Stat. *Theb. l.* 10. *v.* 464.

> *Qui tremor illicitâ cœli de lampade tactos.*

Quòd *illicita loca* faceret. Sed hac de re diximus plura ſuprà, ubi de locis *Fulguritis.* At in alia *loca ſacra*, divertere peregrinantibus, & apud Ethnicos, mos fuit: quem indigitat Stat. *l.* 3. *Sylv.* 1. *v.* 106. de Junone,

> *Da templum, dignaſque tuis conatibus aras,*
> *Quas puppes velis nolint tranſire ſecundis.*

Pleniùs exponit *in Floridis* Apulejus, *Religioſis viantium moris eſt — cùm* aliquis *lucus aut aliquis locus ſanctus in via oblatus eſt, votum poſtulare, donum apponere, pauliſper aſſidere.* Imò & *ſacrificare*, quo ſine & ipſi ſe, & ipſum locum lauru inumbrabant, uti docet Achilles Tatius *l.* 7. quemadmodum & alias *loca*, ubicunque feliciter quippiam eveniſſet, coronari fuiſſe ſolita, additâ arâ & re divinâ, floribus etiam & unguentis, ex eodem habemus, ubi de *loco*, in quo theſaurus inventus & Dione, ubi de loco, in quo Domitianus Paridem hiſtrionem interfecit. Imitatione aliquâ Sanctorum Vet. Teſt. Ita enim de Jacobo legimus Gen. *c.* 28. *v.* 16. & *ſeqq: Quum itaque evigilaret Jacob à ſomno ſuo, dixit, certè eſt Jehova in hoc loco--Poſtea ductus reverentiâ dixit, quàm reverendus eſt hic locus! nihil eſt hic locus, niſi domus Dei--- Et manè ſurgens---accepit illos lapides, quos diſpoſuerat pro cervicali ſibi & diſpoſuit eos in ſtatuam & effudit oleum in ſummitatem ejus* &c. De *locis* in Theatris Ludiſque Vett. diximus alibi, addam verbum de peculiari vocis notione: apud Suet. *Aug. c.* 54. *In Senatu verba facienti dictum eſt. - Contradicerem tibi* ſi locum *haberem.* Ubi acumen dicti nemini hactenus obſervatum notans Caſaub. objici his verbis Aug. ait, occupatam Remp. ſive, quod idem eſt, *omnia in Rep. loca*: ſicque *loci* nomen apud Scriptores Rom. paſſim accipi, ut quoque Gr. Χώρας, ex Liv. Dione, Lampridio, aliis, docet. Vide etiam infrà.

LOCABELLA Ludovicus, vide *Ludovicus.*

LOCANUS, Magnæ Græciæ fluv. Ptol. in Calabria ult. in mare Auſonium, ex Apennino, inter Locros & Scyllavium fluens. *Proteriato* Barrio, *Samiano Leandro.*

LOCAR, Latinis dictum eſt, quòd Θεωρικὸν Græcis, merces ſc. pro *loco* in Spectaculis; corruptè *Lucar.* Undè *Locarii*, qui in Theatris ſedes *locabant*, aliter *Deſignatores* quoque. Mart. *l.* 5. *Epigr.* 25. cujus Epigraphe de Hermete. *v.* 9.

> *Hermes divitiæ* Locariorum.

Varro *Locarium* dici notat, quod datur in ſtabulo & taberna; *Locar*, quod in Theatro. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 234. & infrà, in *Theorica Pecunia.* Neque verò ſedes ſolùm in Theatro, ſed & ſellæ Judicum & tribunalia, ut quæ firma non erant, verùm ad tempus extruebantur *locari* ſolebant, uti pluribus docet Caſaub. *ad Suet. in Ner. c.* 19. Item in triumpho traducenda, Liv. *l.* 45. *c.* 39. Porrò in inſulas deportandi, ut ſuo loco diximus, aliaque, de quibus hîc paſſim, infrà inprimis in voce *Provincia* &c. uti de ratione duplici fundos locandi Vett. uſitata, infrà *Nummo locare*, it. in voce *Partes.* Apud Athenienſes inter cæteras tutoris curas non minima fuit *locatio ædium* ex lege, Τὸν Ἐπίτροπον τὸν οἶκον μισθοῦν, ut infrà videbimus in voce *tutela.* Fiebat autem id novo ineunte anno, menſe Hecatambæone, hunc enim migrabant ex ædibus in alias Athenienſes, *Ibid.* ſicut Kalendis Julii Rom. ut ſuprà dictum, ubi de totius Anni *Kalendis.* De *Locatione vectigalium*, apud utroſque vide infrà in voce *Vectigal*: de *Locatione arvipendiorum*, quæ Diis ſuis conſecravit Vett. ſuperſtitio ut ex reditibus illorum impenſæ fierent in ſacrificia, itidem infrà in voce *Victima.*

LOCARICUM, Siciliæ opp. *Antonin. Aug.*

LOCARIE, equarum Solis una. Hygin. *Fab.* 183.

LOCARIUM, Siciliæ opp. *Ant.*

LOCARNENSIS Præfectura, *Baillage de Locarno*, una ex IV. Præf. Italicis, ſub Helvetiis, ab A. C. 1512. Habet ad Ort. Lacum Verbanum, & Luganenſem Præf. ad Occ. Ducatum Mediol. Opp. ejus præc. *Locarnum*, ad Verbanum lac. 30. mill. paſſ. à Como in Cæc. 40. à Novaria, 5. à conf. Duc. Mediol. *Luggaris* Germ. Vide *Locarnum.*

LOCARNUM, Ital. *Locarno*, an quaſi *locus carnium*, Germ. *Luggaris.* Opp. eſt amœnum & elegans Inſubriæ, in plano ſitum, inter radices montis altiſſimi, & Verbani lacûs ripam: amplum ſatis, utpote in quo fam. 500. numerantur, inter quas plurimæ nobiles. Habuit olim arcem munitiſſimam, cui ſecundæ in Inſubribus à Mediolanenſi tributæ: fuitque ſedes quondam Ruſcarum Comitum præcipua. Tenuêrunt arcem Galli, ab A. C. 1499. uſque ad A. C. 1513. pulſis Comitibus, in qua palatium, adhuc intactum, domus nunc Præfecti Helvetici. Portus intra arcis muros egregius eſt, in quo naves olim armatæ ſervabantur: anguli ejus quatuor tot turribus muniti erant: ſed diruta poſtea tota arx, præter palatium, ut dictum ab Helvetiis, A. C. 1531. Vide Franc. Guicciardin. *Hiſt. l.* 5. *l.* 11. & *l.* 12. Ditio circumjacens, Ducum Mediolanenſium tempore, unus erat Comitatus, præter Locarnenſem Præfecturam, qualis hodie eſt, Briſagum opp. illudque, cui Madianus præfectus præeſt, comprehendens: ſub Comitibus, ut ſupra, Ruſcæ; quos nobiles Comenſes erant, magnæ olim autoritatis. Hi urbe etiam Como potiti quondam, illam poſteà Duci Mediolanenſi reſtituêrunt, A. C. 1416. Sequentibus tempp. Comitatus diviſus, & Madia vallis à Locarnenſi ditione ſejuncta eſt. Parochias præfectura continet plures viginti. Ager vini generoſi ferax eſt, de cujus colendi ratione vide Simler. *de Rep. Helv.* Frugum inſuper fœcundus, vicecuplum non raro reddit. Bis in Anno meſſis, in montibus vallibuſque carnes optimæ, larices & abietes laudatiſſimæ, caſtanearum uber proventus, ficus nobiles, piſcium, truttarum inprimis, inſignis captura. Mercatus Locarni altero quoque Jovis die frequen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

tiſſimus & celeberrimus eſt. Univerſus pop. in tres claſſes diviſus eſt, Nobiles, Cives antiquos, quos *Burgenſes* nuncupant, & recentiores. Nobilium familiæ quatuor, Aureliana, Mutalta, Magoriana & Dunorum, cæteris antiquior, &c. Pervenit Locarnum, cum tribus reliquis Præfecturis Italicis ad Helvetios, ex dono Maximiliani Sfortiæ Ducis Mediol. A. C. 1512. qui proin omnes, exceptis Abbatiſcellanis, huc, altero quoque Anno finito, perfectos mittunt: qui *Commiſſarii* vocantur. Hic magiſtratus merum imperium habet, ſummamque poteſtatem in ſontes animadvertendi; ad jus autem dicendum non admittitur, niſi priùs ſolenni juramento populi leges & inſtituta, quæ *Statuta* vocant, ſe ſervaturum promiſerit, Idem. Ex opp. hoc etiam oriundi ſunt exules *Locarnenſes*, qui, ob religionem Euangelicam, quæ ab A. C. 1542. uſque ad A. C. 1554. in magna civium parte, qui illam ex libris hauſerant, vigebat, circa A. C. 1550. in exilium miſſi, Tiguri inprimis ſedem fixêrunt: de quibus vide eund. Simler. *de Rep. Helv.* & ſuprà in *Locarnenſis Præf.* Ad *Locarnenſem* præfecturam, pertinent etiam Briſagum opp. ut dictum, ad Verbani lacûs ripam in finibus totius Helvetici dominii, 4. mill. paſſ. à Locarno: Item vallis Verzaſcha ad Ort. ut & Gambaronium, ad Verbani litus Mer. Sed habent loca hæc ſuos Subpræfectos, quos Poteſtates vocant, qui cauſas civiles dejudicant: & hos quidem ſibi è ſuis, pro arbitrio, vallis Verzaſcha & Gambaronium præponunt: ſed Briſagi pop. præfectum è nobili fam. Aureliana, quæ Locarni eſt, altero quoque Anno ſibi eligere neceſſe habent, *Iidem.*

LOCASTRA, Mediæ urbs. Ptol. *Choaſtra* in codd. Lat.

LOCEUS, conſpirationis contra Alex. Mag. particeps Dymno, Curt. *l. 6. c. 7.*

LOCHA, Africæ urbs magna, à Scipionis militibus, eo invito, expugnata & direpta. *Appian. Alex.*

LOCHARNA, Peloponneſi opp. *Ptol.*

LOCHEMUM, opp. munitum Com. Zutphanienſis, ad Borchelam amnem, in conf. Tranſiſalaniæ & Weſtphaliæ. 2. leuc. à Zutphania in Ort. *Lochem* vulgò.

LOCHIA, urbs Turonenſis prov. *Lochos* vulgò, ad Ingerem fluv. cum arce munita. 7. leuc. ab Ambacia in Auſtr. 9. à Cæſaroduno Turonum, 22. à Biturico in Occ. In crypta ſubterranea arcis illi adjunctæ repertum fuit corpus viri, ſtaturæ raræ, omnium hujus ſeculi magnitudinem ſuperans, nam ex proportione oſſium, octo magnos pedes altus erat, grandique lapidi inſidebat, capite in ambas manus inclinato, Merula. Pertinebat ad primos Comites Andegav. Sedes dein recreationi deſtinata Car. VII. & Lud. XI. ubi Card. Balveus ſub hoc, & Lud. Sfortia, ſub Lud. XII. captivi detenti. Hîc idem Sfortia ſepultus, ut & Agnes Sorella, Car. VII. chara. Duchen. *Antiq. urb. Gall.* Hîc quoque poſt bellum iterum à Guiſiis contra proteſtantes excitatum, cum horum ad XXXM. jam Ducibus Condæo, Alençonio & Navarro confluxiſſent, conventu habito, religionis proteſtantium, per univerſum regnum; exercitium ab Henr. III. conceſſum eſt, A. C. 1576. ſed vix Anno elapſo Bleſis pro una Catholica Rel. edictum extortum, novo bello anſam præbuit. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 58. 59. & 61.

LOCHIAS, prom. & arx Ægypti, non procul ab Alexandria & Pharo. Strabo *l.* 17. *p.* 791. cui etiam *Acrolochias* dicitur. *Caſtelleto, Ortel.*

LOCHIS, Sarmatiæ Aſiaticæ urbs. *Ptol.*

LOCI, Aggeno *ad Frontinum*, ſunt aut monumenta ipſa, aut ſpatia monumentis deputata; quo modo accipienda vox *Locus*, in *Edicto* Prætoris & apud JC. Sed & interdum *Locum* pro *Loculo* ipſo ſ. ſarcophago ſumpsêre, in quo effertur cadaver; Latini *feretrum* dicunt, ut Græci νεκροφορεῖον. Erat autem *Loci* aut ſepulcri ſpatium apud Vett. legitimum, quinque aut 6. pedes, & plerunque muro claudebatur, ut in monumento Regillæ:

Τὴν ὅσην περὶ τεῖχος εὔτροχον ἐςεφάνωται.

Quod vocabatur *munimentum ſepulcri*, ut in *l.* 38. *D. de Religioſ. & ſumptib. fun.* Nonnunquam ſolâ inſcriptione ſepulcri, de modo agri, qui ad monumentum pertinebat, cavebatur. *Tot pedes in fronte, tot pedes in agro.* Quò pertinent Notæ illæ, apud Valerium Probum. IN FR. P. VI. LAT. VII. *in fronte pedes ſex, Latum ſeptem.* Item IN. FR. P. XX. *in fronte pedes viginti.* IN. AGR. P. XX. *in agro pedes viginti.* Et ſæpenumero, qui fundum vendebat *Locum* excipiebat, quo ipſe poſterique ſui inferri poſſent: uti fecerat Cælius quidam Mantuanus, qui conſumptis opibus ac prædiis venditis, ſolum ſepulturæ locum excepit, tribus ulnis h. e. duodecim pedibus latum. In quem proin luſit Virg. eo ænigmate, quo crucem Grammaticis ſe fixiſſe ipſe profeſſus eſt: *Eclog.* 3. *v.* 4.

Dic quibus in terris & eris mihi magnus Apollo
Treis pateat cæli ſpatium non amplius ulnas,

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1222.

LOCISERVATOR, in *L.* Longobard. *l.* 1. *tit.* 25. §. 78. *Si quis furem vel latronem ad præſentiam Judicis aut Comitis, qui in loco præeſt, vel* Lociſervatoris, *qui miſſus eſt Comitis, adduxerit*: Vicarius eſt, Græcè Τοποτηρητὴς. Inprimis verò ſic dicebantur Pontificum Rom. in Conciliis Legati. Anaſtaſius *Præfat. ad Conc. VIII. Oecum. Lociſervantes Præſules; Lociſervatores Apoſtolicæ Sedis. Locum obtinentes Papæ Leonis*; qui mox *Legati Sedis Apoſtolicæ.* Vide *Gloſſ.* Fabroti *ad Cedren.* & C. du Freſne *Not. ad Alexiad. p.* 273. Eadem notio eſt vocis *Locum tenens*, Gallis *Lieutenant*, apud quos Ballivorum ſ. Judicum Vicarii ſic propriè dicebantur. Apud eoſdem, *Locumtenentes Generales* appellantur provinciarum Præfecti, non omnium, ſed earum præſertim, quæ in *provinciæ* formam à Regibus ſunt redactæ, in quarum certum numerum, quibus cæteræ minores ſubſunt, univerſum Franciæ regnum diſtributum eſt. Hinc *Edicto* Franciſci I. A. C. 1545. Gubernatores omnes vetantur, *Locumtenentium Generalium* titulum ſibi uſurpare, exceptis *Gubernatoribus Normanniæ, Aquitaniæ, Occitaniæ, Provinciæ, Delphinatûs, Breſſiæ, Sabaudiæ, Pedemontii. Burgundiæ, Campaniæ & Briæ, Burgundiæ, Picardiæ & Inſ. Franciæ*, ſalvo tamen cætorum Gubernatorum jure, quibus magiſtratibus ſuis fruendi, ſecundùm Deceſſorum morem, facultas conceditur. Poſtmodum Henr. II. Joh. de Albone S. Andreæ domino. Lugdunenſis, Bellijocenſis ac Dombenſis provinciarum & tractuum, cum eodem titulo, adminiſtrationem indulſit, A. C. 1547. &c. C. du Freſne in *Gloſſ.*

LOCOBORMANNUM, vicus erat Liguriæ, inter Alpes & Albingaunum Urb. à qua 15. mill. paſſ. Albintemelium verius diſtabat. *Anton.*

LOCORITUM, urbs Germ. libera in Franconia, *Forcheim*, teſte P. Appiano. Inter Norimbergam ad Mer. 5. & Bambergam ad Bor. 4. leuc. *Trutavia* etiam Lat.

LOCOZUS, urbs Phrygiæ. *Steph.*

LOCRA, Corſicæ fluv. in ora occidua. Ptol. nunc *Capitello*, in Sin. Adiacii ſe exonerat.

LOCRI, regio Phocidi proxima. Pop. *Locri* Parnaſſum mont. utrinque accolentes; quorum qui Occiduam incolunt plagam, ad Criſſeum uſque ſinum pertingentes, medii inter Ætolos, & Phocenſes, à gravitate odoris *Ozolæ*, & à ſitu *Heſperi* cognominantur. Qui verò Pernaſſum ad Ort. accolunt, ad mare uſque Euboicum extenſi, in duplici ſunt differentia: Nam hi quidem à Cnemide monte, *Epicnemidii*, illi verò ab Opunte urbe, *Opuntii* cognominantur. Strabo *l.* 9. *p.* 416. 417. 425. & 427. *Locrenſes* cùm bovem, quem Diis facerent, non haberent, compoſito ex lignis minutis bovis ſimulacro, illo rem ſacram fecêrunt. Unde adagium de re vili & munere ſordido natum eſt, *Locrenſis bos.* Iidem, cùm fœdus, quod cum Peloponneſiis inierant, violâſſent, ad Heraclidarum partes tranſeuntes, adagio cauſam dedêrunt huic, apud Zenod. & Euſt. *Locrenſe pactum*, in fœdifragos. Idèm narratur, quòd Siculos eluſiſſent, Ferr. P. Mela *l.* 2. *c.* 3.

LOCRI, in extrema Italiæ ora, quam *Magnam Græciam* antiqui appellârunt opp. incolentes ejuſdem nominis, ab iis Locris, qui Ajacem Oileum ad Trojam ſecuti ſunt, conditum. Vide Serv. in illud Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 399.

Hîc & Naritii poſuêrunt mœnia Locri.

Ubi is, *Narix*, inquit, *priùs*, *Opuns poſtea dicta.* Hi igitur *Locrorum* Opuntiorum ſ. Epicnemidiorum coloni; juxta Plin. *l.* 4. *c.* 37. diſcriminis gratiâ *Epizephyrii* dicebantur, quòd ſupra Zephyrium prom. ſati ſunt. Urbs eorum erat ampla Brutiorum, an ab Ajace, ut dictum, an à Locrenſibus Ozolis, Duce Euanthe, ut Strabo vult *l.* 6. condita, antea prope Zephyrium prom. poſteà ad montem Eſopum tranſlata, Idem *l.* 10. *p.* 460. *l.* 13. *p.* 582. 3. mill. ab ora maris Jonii. Ex ejus ruinis Hieracium, vulgò *Gieraci*, urbs Calabriæ ult. crevit, vix mill. paſſ. ab ea diſtans, inter Zephyrium prom. ad Auſtr. & Cocytum ad Bor. 18. mill. paſſ. utrinque. 40. à Scyllacio in Auſtr. in colle, Baudr. Epiſcopal. ſub Archiep. P. Mela *l.* 2. *c.* 4. Rhegino Ferrar. Locus Strabonis eſt: *l.* 6. *p.* 259. *Locri Epizephyrii ſunt hi Locri colonia eorum Locrorum qui in ſinu, Criſæo habitant ab Evanthe deducta; non multò poſt Crotonem & Syracuſas conditas. Cum tres quatuorve Annos in Zephyrio habitâſſent, tranſtulêrunt inde urbem quod Eſopin. appellârunt.* Apud hos Locros inclaruit Zaleucus Legiſlator, Ælian. *Var. Hiſt. l.* 13. *c.* 24. etiam Eutymius *pycta, ſemper Olympiæ victor* (Sc. Olymp. 74. 75. & 76.) *qui vivus* ſentienſque *conſecratus eſt oraculi juſſu; cui & vivo ſacrificatum eſt & Mortuo*, Plin. *l.* 7. *c.* 47. Unde in nummis eorum occurrit modò ΛΟΚΡΩΝ, modò ΖΕΦΥΡΙΕΩΝ, modò (in nummis ſic poſterioris ævi & cælaturæ rudioris) ΕΝΤΥΜΙΥΣ, qua de re vide Joh. Marsham. *Canone Chron. Sec.* XVII. ubi urbis hujus conditum ad Annum 2. Olymp. 24. ab Euſeb. referri, memorat, & ſub Romanis liberam fuiſſe addit. De *Eythymio* verò plura, hîc & in *Continuatione*, ſuo loco.

LOCRINUS, 2. Rex Britanniæ, fil. Bruti, frater Cambri & Albanacris. Quo poſtremo ab Hunnorum Rege Humbero Occiſo, priores necem ejus egregiè ulti ſunt, victis his & feminis eorum, in captivitatem redactis: è quibus cùm una Locrino placuiſſet, repudiatâ Gundolenâ, Corinæi, Cornubiæ Duc. filiâ, eam ſibi junxit, à Cornubiis proin Occiſus, cum captiva, Duchen. *Hiſt. Angl.*

LOCTA, urbs Bohemiæ, probè munita, cum arce in colle, ad Egram amnem, in conf. Miſniæ. 4. mill. Germ. ab Egra in Ort. 18. à Praga in Occ. uti & à Dreſda, verſùs Auſtr. *Loket*, Boh. *Ellebogen* Germ.

LOCULI, arcæ concinnè opponuntur, apud Juv. *Sat.* 1. *l.* 1. *v.* 89.

——— Neque enim Loculis *comitantibus itur*
Ad caſum tabulæ, poſitâ ſed luditur arcâ.

Arca enim ſtataria fuit, *Loculi* mobiles & geſtatorii, quos videtur apud Rom. tractaviſſe quiſpiam è grege miniſtrorum. Paterfamilias apud Scævolam *leg.* 23. *de pecul. Leg. teſtamento codicilliſve ſervos manumiſit, & peculia legavit: & de Sticho ita cavit, Stichum ſervum meum liberùm eſſe volo eique volo dari decem aureos, & quidquid ex ratione* Loculorum *meorum habet*: Ad quem morem collineavit Interpres Joh. Euangeliſtæ *c.* 12. *v.* 6. *Dixit autem hoc* (Judas) *non quod pauperum ipſi cura eſſet, ſed quia fur erat, & Marſupium habebat & ea, quæ immitte-*

mittebantur, portabat. Et appoſitè ad Juv. ſcribit Aſcon. *in* 2. *Verr. Unde quia major ſumma eſt pecuniæ publicæ, quàm privatæ, ut pro cenſu P. R. ærarium dicitur, pro* Loculis *&* *Arca theſauri* &c. Par miniſterium illius fuit, qui crumenam, & ejus qui marſupium geſtabat, ad nutum domini, vide A. Gell. *l.* 20. *c.* 1. & Plaut. *Menæchmus Act.* 2. *Sc.* 1. *v.* 40. ubi Soſicles ad Meſſenionem ſervum:

Ego iſthuc cavebo: cedò dum mihi huc marſupium,

Obfirmabantur autem hi *Loculi* clavibus, teſte Ulpiano *l.* 52. *ff. de legat.* 3. quandoque tamen nil niſi claves ſervabant. Plin. *l.* 14. *c.* 13. *Fabius Pictor in Annalibus ſuis ſcripſit: matronam, quòd* Loculos, *in quibus erant claves vinariæ cellæ, reſignaviſſet, à ſuis inediâ mori coactam.* Vide Laur. Pignor. *Comm. de Serv.* materiam quod attinet, eboreorum ligneorumque meminit Mart. *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 12. & quidem de illis ſic ait, cujus Epigraphe Loculi Eburnei.

Hos niſi de flava loculos *implere moneta*
Non decet, argentum vilia ligna ferant.

De iſtis, Idem ibid. *Epigr.* 13. in Xeniis cujus Epigraphe Loculi lignei.

Si quid adhuc ſupereſt in noſtri face locelli,
Munus erit: nihil eſt, ipſe locellus *erit.*

Cujuſmodi ſcriniola ex ebore, teſtudine, auro, argento &c. ad pecuniam & κειμήλια cuſtodienda, hodieque fieri conſuevêre. Sed & frequenter de mortuorum corporibus *Loculi* uſurpântur, qui à Sepulcris & Urnis ſic diſtinguuntur, ut ſepulcra fuerint olim arcuatæ quædam concamerationes, in quibus plurimi *Loculi*, quorum quilibet aliquot urnas utplurimùm continebat. Quam in rem vide Georg. Fabric. *Româ c.* 2. Ubi inter alia, *Teſtatur,* ait, *Cyriacus Anconitanus, ſe Patris in Achaja, in æde S. Andreæ, antrum ſubterraneum ex integro ſolidoque lapide, vidiſſe, miro artificio fabricatum, in quod per gradus* 16. *deſcenſus fuerit, quodque ſub una teſtudine ad tetragonos parietes habuerit* Loculos 14. *in quibus ſingulis binæ aut ternæ urnæ funerales fuerint locatæ: ex quibus teſtimoniis non multò diverſam Græcorum & Romanorum, ut diximus, urnas componendi rationem fuiſſe eſt perſpicuum.* Et certè apud Græcos, oſſa crematorum, poſtquam aquâ in χύτραις allatâ, à feminis, quæ Ἐγχυτρίστριαι dictæ, abluta & inuncta unguentis atque adipe porcæ fuiſſent, puro involuta linteo, repoſita ſunt in *Loculo*, quem illi modò θήκην, modò πυελὸν, modò σορὸν dixêre. *Il.* ψ.

Ὡς δὲ καὶ ὄστεα νῶιν ὁμὴ σορὸς ἀμφικαλύπτοι.

Urna, quâ in *Loculis* condebantur, Lycophroni κρωσσὸς, quaſi *crater*, Moſcho κρωσσὸς χρύσειος, Plutarch. λίθινος σορὸς, utpote *ex auro* vel *lapide*, plerunque tamen ex ligno, & quidem cedro inprimis fuit. Unde *cedrus* pro tumulo, Eurip. *Alceſt. v.* 365. Athenienſes autem plerunque in *Loculis* ſingulis ſingulas urnas vel potius in ſingulis urnis ſingulorum hominum oſſa poſuêrunt, cùm Megarenſes plerunque quaternorum, ut ait Pauſ. reconderent. Vide Franc. Roſſæum *Arch. Attic. l.* 5. *c.* 29. Nec multùm alia *loculorum* apud Hebræos ratio. Vide Thom. Godwyn. *de Ritib. Hebr. l.* 6. *c.* 5. & hîc paſſim, inprimis ubi de *Sepulcris*, item *Tumulis*. Sed & *Loculus*, pro feretro, ſ. ſacrophago nonnunquam. Vide has voces: de *Loculis* verò *librorum* in Bibliothecis, infrà in voce *Nidus*.

LOCUMTENENS, vide ſuprà *Lociſervator*.

LOCUS, undè dictus ſit, exponit hiſce Jul. Cæſ. Scalig. *poët. l.* 3. *c.* 89. *Locum* παρὰ τὸν λόγον *dicimus: quia proportio eſt inter locum & locatum.* Λόγος *inſidiæ dicuntur, quia veteres Græci locum priſcâ & abolitâ voce ſic appellabant*: etiam inter Numina Gentilium, vide ſuprà *Dii*. In menſa quis olim honoratior fuerit, non conſentiunt eruditi. Salmaſ. apud Vett. qui tribus lectis ſtratis ac diſtinctis accumbebant ad menſam, imus lectus domini proprius, & in eo primus ſive ſummus locus fuit: ibidem infra dominum plerunque accumbebat uxor & liberi; aut ſi uxor unà non cœnaret, umbræ & viliores perſonæ. Juv. *l.* 1. *Sat.* 5. *v.* 17.

Tertia ne vacuo ceſſaret culcita lecto,
Unà ſimus ait,

Et quidem, quem maximè amabant, eum infrà ſe collocabant, i. e. in ſinu ipſo: ſicut dominus teneret ſummum imi lecti locum, medium is, qui ei gratiſſimus erat, ultimum vilior aliquis. Quem proin locum Dominus noſter in Euangelio diſcipulo dedit, quem maximè diligebat. Græci hinc ἐπιστήθιον pro amico intimo, & qui quaſi in ſinu recumbit, dixêre. Sic, exceptò *Conſulari* loco, qui infimus ultimusque fuit medii lecti, ſummus locus in unoquoque lecto ſimiliter ſemper honoratiſſimus habitus eſt Romanis Cur autem honos & dignitas præcipua data ſit Conſulari illi loco, qui nec medius erat nec ſummus, varias rationes affert Plutarch. *in Quæſt. Conviv.* hæc optima fortè, quòd Hoſpitis loco is proximus eſſet. Alia ratio accumbendi fuit in Stibadiis, ubi quum unâ ſerie continenter diſcumberent, is primum locum tenere cenſebatur, qui omnium ſummus erat, & qui ſupra omnes accumbebat, ut contra ultimus, qui infra cæteros. Hic in dextro ſtibadii cornu locum habebat, qui locus reſpondebat ultimo loco tertii lecti. At convivarum digniſſimus in ſiniſtro diſcumbebat & ſupra omnes erat. Quem ordinem accumbendi in cœnis aditialibus tenebant Sacerdotes, ſive in lectis diſcumberent diviſis, ſive in ſtibadio ſ. ſigmate. Feſtus, *Itaque in conviviis ſolus Rex ſuprà omnes accubat: ſed Dialis ſupra Martialem & Quirinalem: Martialis ſupra proximum, omnes deinde ſupra Pontificem.* Quòd verò apud Sidon. *Ep.* 11. *l.* 1. Imp. in dextro cornu locatur, facit id tanquam dominus convivii: cùm privatorum morem & in hoc tum Principes ſervarent, unà cum pluribus cænarent invitatis: Domini autem locum in ultimo ſ. imo lecto fuiſſe, vidimus. Quam in rem plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1254. & 1255. In Theatro, Otho Tribunus Pl. pro cenſu *loca* civibus deſignavit: certa quoque loca attribuit Tribunitiis Viatoribus; certa iis, qui non ſuâ culpâ decoxiſſent: quoſdam toto Theatro arcuit. Idque ut ſervaretur, per cuneos diſpoſuit, quos *Præfectos ordinum* appellabat. *Locus* inter Senatores ſociarum gentium legatis datus, &c. In quâ lege quid mutaverit Aug. ut & plura hanc in rem vide apud Jul. Cæſ. Scalig. *poëtic. l.* 1. *c.* 21. & de aliis vocis *Loci* ſignificationibus, ut & *de Locis & Lautiis* olim Legatis datis Salmaſ. *ad Solin. paſſim*: nec non paulò ſuprà.

LOCUS Felix, Auſtriæ opp. Anton. *Wels* Lazio: ad Duriam fluv. inter Lentiam 4. & Salisburgum 11. leuc. Ovilabi proximum.

LOCUSTA, venefica Neroni grata, ex Galliis evocata: cujus operâ Agrippina Claudium, & Nero Britannicum de medio ſuſtulêrunt. Tac. *Ann. l.* 12. *c.* 66. & *l.* 15. *c.* 5. Juv. *Sat.* 1. *l.* 1. *v.* 71.

——— *Inſtituitque rudes melior* Locuſta *propinquas.*

Suet. *in Ner. Claud. c.* 33.

LOCUSTÆ, Hebr. חגבים *chagabim* dictæ; quia, cùm turmatim volant, Solis lumini velum videntur obtendere, ab Arab. *chagaba*, quod *velare* eſt. Imò non Solem tantùm multitudine ſuâ obumbrant, ſed & Lunam, cum noctu volant, mortalium viſui ſubducunt, Joël. *c.* 2. *v.* 10. Tam longâ enim quandoque ſerie feruntur, ut in Europa non rarò tria, in Africa duodecim interdum miliaria pateant, Cadamuſtus *Navigation. c.* 13. Quarum proin ſonitus, curruum inſtar, ad ſextum milliare auditur, Remigius Altiſſiodor. *in Joël.* Hinc meritò formidabiles, imò penitùs inexpugnabiles, quâ incubuerint. Theodoret. *ad Joëlis loc.* Οὐκ ἀπόχρη, inquit, τῶν περιβόλων τὸ ὕψος ἐμποδὼν τῇ τούτων εἰσόδῳ γενέσθαι. Ἀλλὰ ῥαδίως μὲν ὑπερβήσονται τὰ τείχη· κλέπταις δὲ παραπλησίως διὰ θυρίδων εἰς τὰς οἰκίας εἰσελεύσονται. Καὶ τοῦτο δὲ οὐ μόνον ὑπὸ πολεμίων, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ ἀκρίδων γεγενημένον πολλάκις ἐθεασάμεθα· οὐ πετόμεναι γὰρ μόνον, ἀλλὰ καὶ κατὰ τῶν τειχῶν ἀνέρπουσαι, διὰ τῶν φωταγωγῶν εἰς τοὺς οἴκους εἰσίασι, *Non ſufficit murorum altitudo, ad illorum* (hoſtium) *ingreſſum prohibendum. Muros enim facilè tranſcendent: & furum inſtar, per feneſtras in domos ingredientur. Quod non ſolùm ab hoſtibus, ſed etiam à* locuſtis *ſæpe factum vidimus. Non enim ſolùm volando, ſed & ad muros irrependo, per feneſtras in domos penetrant.* Unde magna ab illis ſæpe agris hominibuſque damna, ut quæ non morſu ſolo nocent, ſed & contactu adurunt. Imò mortuæ non rarò vivis nocentiores, cùm tetro & viroſo aërem odore inficientes graviſſimam multoties excitant luem, adeoque hominum myriades plures paucis diebus, quàm diuturna aliquando bella, interimunt. Quo motus Scriptor Arabs Damir, *Nullum eſſe animal perniencioſius*, pronuntiat &c. Interim & his ſuus quoque uſus eſt, quem cum alii multis explicent, ſufficiat pauca de eſu earum adjungere, qui non paucis gentibus olim hodieque familiaris eſt. De Johanne Baptiſta res notiſſima, ex Marc. *c.* 3. *v.* 4. quem locum alii fruſtra aliò detorquent. Certum enim, *Locuſtarum* eſum in iis, quæ vel ad Ort. vel ad Auſtr. ſunt, regionibus fuiſſe receptiſſimum, quæ Hier. *in Jovin.* verba ſunt, *l.* 2. *c.* 6. Sic, ab Alex. ævo, inter Æthiopum populos, Græcia deſcripſit Acridophagos, à *Locuſtarum* eſu ſic dictos, de quibus vide Agatharchid. *l.* 5. *c* 27. Diod. Sic *l.* 3. & Artemidor. apud Strab. *l.* 17. *p.* 830. De Mauritaniæ accolis, idem habet Solin. de Parthis, Plin. *l.* 11. *c.* 29. de Naſamonibus; Euſtrath. *in Dion.* de Libybus, Dioſcorides & Porphyrius, quorum hic *de abſtin. à carne l.* 1. exercitui, in Libya inediâ laboranti, *Locuſtarum* nubes ſe oſtendiſſe tradit. Sed & in ipſa Græcia, eund. cibum in uſu fuiſſe, diſcimus ex Ariſtoph. *Acharnenſibus Act.* 4. *Sc.* 1. *v.* 12. ubi Bœotius ruſticus, inter venales cibos, quos fert Athenas in forum, aliquid habere ſe dicit,

Τῶν ὀρταλίχων, ἢ τῶν τετραπτερυλλίδων,
Aliquid Gallinarum aut cicadarum.

quas τετραπτερυλλίδας, *à quatuor aliis*, quibus inſtructæ ſunt, vocat. Vide eund. *ibid. Sc.* 7. Theophylactum *in Epp.* ubi de ruſtico, qui, lautè ſe exceptum fuiſſe jactitans, ἰσχάδας καὶ ἀκρίδας, *caricas & locuſtas*, pro obſonio ſe habuiſſe refert, Alios. Quatuor autem *Locuſtarum* ſpecies edules eſſe voluit Lex, Lev. *c.* 11. *v.* 21. & 22. *arbe ſolam, chargol* & *chagab*, de quibus aliiſque huc ſpectantibus vide Bochart. *Hieroz. Parte poſt. l.* 4. *c.* 1. & *ſeqq.* adde Aldrovand. Geſner. Voſſ. *de Idol. l.* 4. *c.* 65. & *ſeqq.* uti de *Locuſta* piſce *c.* 10. & 17. 19. & 33. &c. A *locuſtis* fugatis Κορνοπίωνα cognominatum Herculem diximus in voce *Inſecta*. vide quoque infrà aliquid in *Septentrionalis*.

LOCUTIUS, inter Deos Gentilium, Arnob. *l.* 1. Vide *Ajus*.

LOCUTORIUM, Gallicè *Parloir*, dicitur in monaſteriis locus, in quibus monachis vel monialibus colloqui licitum, de quo varia adfert, ex *Libro Ordinis* S. Victoris Paris. MS. C. du Freſne *in Gloſſ.* ubi etiam *Locutorii forinſeci* meminit, in quo monachis monialibuſque licebat cum ſecularibus, uti vocant, loqui, ex Thoma Walſinghamo *p.* 257. & *Locutorii Pariſienſis*, vulgò *le Parloir aux Bourgeois*, in quo examinabantur & diſcutiebantur articuli *uſaticorum* & conſuetudinis ejus civitatis, coram Præpoſito mercatorum & Scabinis, ex vet. *Charta*. Vide quoque infrà *Parlatorium*.

LOD, civ. quam ædificavit Samad fil. Elphaad. 1. *Par. c.* 8. *v.* 12. Lat. *nativitas*, vel *generatio*.

LODA.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LODABAR, Hier. videtur diſtinguere inter *Lodabar* & *Ladabar*. Hinc enim fuiſſe oriundum Machir, ibi educatum Miphiboſeth, cujus dominus Davidis exercitui cibos & neceſlaria donavit. Eſt in tribu Gad. 2. Sam. 9. *v.* 4. Hier. *in loc. Hebr.*

LODADID, ſ. LOTHADID, civ. tribus Benjamin. Eſr. *c.* 2. *v.* 33. Nehem. *c.* 7. *v.* 37.

LODIX, lecti operimentum. Mart. *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 148. cujus Epigraphe *Lodices*:

Nudo ſtragula ne toro paterent;
Junctæ nos tibi venimus ſorores.

Lodices enim geminæ & coëuntes adhibebantur, ad operiendum lectum cum ſtragulis. Sed & quoties in campo vel gymnaſio ſeſe exercebant Vett. cætera nudi, pudorem campeſtri velabant: aut ſi corpore infirmiori erant, gauſapam, vel pallam, vel *lodiculam*, vel ſabana ſumebant, uti de Aug. legimus apud Suetinco *c.* 83. *Nihil aliud quàm vectabatur & deambulabat: ita ut in extremis ſpatiis ſubſultim decurreret, ſegeſtri vel* lodiculâ *involutus.* Ubi *Lodix* & *ſegeſtre* junguntur, quia ambo ad lectorum ſupellectilem pertinent. Vide Caſaub. *ad loc.* De *Lodicibus*, loco valli, per ludibrium obtentis, ab Helvetiis, cùm Novariæ in Italia à Gallis obſeſſi, muros tormentorum vi jam disjectos vidiſſent, Paul. vide Jov. *Hiſt.* &c. Nomen an à lavando, quod ſæpè *lota*; an à ludis, quaſi *ludices* quòd qui de ludi i. e. theatri proſtibulo egrediebantur juvenes, harum velamento caput & faciem tegerent, ne lupanar ingreſſos palàm fieret? vide Chr. Becmann. *de Orig. Ling. Lat.*

LODUNUM, ſ. LOSDUNUM, urbs Pictavii, in colle, *Loudun*. Hinc ager *Laudunenſis*, vulgò *Loudunois*; Item edictum *Lodunenſe*, in gratiam Reformatorum conditum, quod in multis capitibus, incolumitatem Eccleſiarum concernentibus, jam infringi cœpit, A. C. 1615. Calviſius *in Chron.* Vide *Juliodunum*.

LOEMIUS, Apollinis cogn. quod ei Lydii impoſuêrunt ob malorum expulſionem, finitâ peſtilentiâ. Sol enim aëra rarefacit, & expurgat. Hinc Seneca *in Oedip. Act.* 1. *v.* 108.

——— *Una jam ſupereſt ſalus.*
Si quam ſalutis Phœbus *oſtendit viam.*

LOENUS Henricus, vide *Henricus*.

LOEWENSTENIUM, vide ſuprà *Leonſtenium*.

LOGARIASTES, Græcè Λογαριαςὴς, nomen officii, in aula CPolitana cujus erat numerare milites illiſque ſtipendia perſolvere, apud Dom. Macr. *in Hierol.* vide infrà *Longaritis*.

LOGI, pop. Albionis in Scotia. Ptol. quorum regio *Strathnarven H. Boëthio*.

LOGIA, fluv. Hiberniæ. Ptol. per oram Orientalem ex lacu Shaterwico fluens, ac in mare ad Strangfordiam opp. exiens. Camd. *Lough Der* vel *Lough Foyle* in ora Bor. apud urb. *Derry*. *Lough Coyn* vero eſt, qui apud Strangfordiam exit, in ora Or. in Ultonia.

LOGICI, ſ. Rationales, medicorum genus, de quibus infrà in voce *Medici*.

LOGISTÆ, apud Athenienſes, magiſtratus erant, fortè capti, decem numero, apud quos rationes geſti ſui magiſtratûs referebant cum οἱ ἐν ἀρχῇ, intra 30. ab abdicato magiſtratu dies. Hos eoſdem cum τοῖς Εὐθύνοις, fuiſſe, putat Autor Etymologici, diverſos ab iis ſtatuit Ariſtot. *Polit. l.* 7. *c. ult.* cui tutiùs creditur. Non multùm tamen diverſum utrorumque munus fuiſſe, videtur. Utrique decem numero erant, ſed, ut colligitur ex Polluce *l.* 8. *c.* 9. *Logiſtæ* ſorte, Euthyni judicio, legebantur. Illi, velut novem Archontes erant: iſti tanquam Archontum Paredri aſſidebant *Logiſtis*, itaque ubi judicatum fuit, magiſtratus poteſtate decedentes aliquid publico debere Euthyni id ab iis exigebant: Εἰςπράττουσι καὶ τοὺς ἔχοντας, i. e. τοὺς ὀφείλοντας τῇ πόλει, Poll. Quare mirum non eſt, ſi utriſque εὐθύνας adſcribunt. Referebant porrò ſuas ὑπεύθυνοι magiſtratûs rationes apud *Logiſtas*, hi cum Euthynis judicabant: aliquando ad populum de iis referebant. Sed ab iis dabatur provocatio ad Judices: Eſt quoque, cùm Judicibus traderent judicandum, ſi nempe περὶ ἀδικημάτων, i. e. de injuriis moveretur controverſia: nam ſi tantùm περὶ χρημάτων, h. e. de pecuniis agebatur, apud *Logiſtas* diſceptatum eſt. Accuſabat autem & nomina apud eos deferebat τῶν ὑπευθύνων, cui lubebat: Undè ſolennis illa præconii formula, quando magiſtratus ὑπεύθυνοι ſuas referebant rationes: τίς βούλεται κατηγορεῖν; *cui accuſare lubet?* apud Æſchin. *c. Cteſiph.* Oportebatque per dies 30. magiſtratus munere ſuo decedentes ſiſtere ſe certis menſis diebus in deſignatis locis, ubi præſtò eſſent ad refutandas controverſias, quæ illis ab accuſatoribus apud *Logiſtas* movebantur, Ulpian. *ad Midianam.* Quòd ſi quis ſe non ſtitiſſet, cùm accuſatorem haberet, ab Apparitore in jus vocabatur ad Senatum Quingentorum, à quibus, ſi vadimonium deſereret, capite minutus notabatur infamiâ, teſte Demoſthene *in Mid.* Quomodo verò referendæ eſſent rationes, præſcripſit Lex: Ἐγγράφειν, ὅτι ἔλαβον τοῦτο τῆς πόλεως, τοῦτο ἀνήλωσα. καὶ ὅτι ἔλαβον οὐδὲν τῆς πόλεως, οὔτ' ἀνήλωσα, *Rationes ita referunto: Hoc de publico accepi: hoc expendi: vel nihil de publico accepi, nihil expendi.* Si quis autem nollet ſuas referre rationes, impingebatur illi ἀλογίου dica: Quique rationes ſuas nondum retuliſſet magiſtratus, ſuorum nihil bonorum in ſua poteſtate habebat; hinc nec Diis conſecrare quidquam aut appendere, nec teſtamento dare legare; nec in aliam adoptione familiam tranſire poterat. Idem nec peregre proficiſcendi, nec alium gerendi magiſtratum poteſtatem habebat: Sed nec licebat talem coronâ donare. Undè lex, Ἀρχὴν ὑπεύθυνον μὴ στεφανοῦν, *magiſtratus, priuſquam rationes retulerit, coronâ ne donator.* Vide Sam. Petit. *Comm. in LL. Attic. l.* 3. *tit. de magiſtratibus*: & ſuprà *Forum*, ubi alia voce, notio. In vet. *Inſcr.* *Logiſta civitatis ſplendidiſſimæ Nicomediens.* Curator eſt & Pater Reip. de qua dignitate vide Jac. Cujac. *ad tit. de Excuſat l.* 15. *ad l.* 30. *de Decur.* & *ad l.* 4. *C. de Tabular. l.* 10.

LOGIUM ſ. LOGEUM, uti Vitruv. dicitur *l.* 5. *c.* 8. Græcè Λόγιον, ſ. Λογεῖον, pulpitum fuit editius, in quo recitabantur Comœdiæ, non minùs pedes 10. nec plus 12. altum. Undè mutuati vocem Galli, *Logis* appellârunt primitus ſuperiorem domûs contignationem, dein toti eam attribuêrunt ædificio, aut certè ſuperioribus vel quibusvis partibus ſive andronibus, quibus ædificia invicem junguntur ac connectuntur: quemadmodum andronem xyſtum ſ. porticum *Loggia* quoque Itali vocant. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.* De *Logio* theatri ſic Scalig. *poëtic. l.* 1. *c.* 21. *Orcheſtræ partes erant tres: planities, in qua Chorus caneret & ſaltaret: pulpitum in quo nihil aliud quam canebant, aut pronuntiabant---quod appellabant* λογεῖον, *propterea quòd in eo* ῥήματα *& alia actuum intervalla recitabantur. Eum locum ab Odeo diſtinguit Vitruv. ut ſit pulpiti pars, in qua canerent,* ᾠδεῖον: *altera autem, in qua aut riſum, moverent, aut cenſuram exercerent, aut vitæ noſtræ putarent rationes.* Apud Eccl. Rom. Scriptores, *Logium*, idem quod *Manuale*, ac *Rationale* eſt, quas voces vide.

LOGOGRAPHI, iidem cum Notariis, Tabulariis, Librariis, ex Græco Λογογράφοι, de quibus vide Jac. Cujac. *ad l.* 1. *Cod. Theodoſ. Ne conlatio*, ut & hîc paſſim. Eadem voce olim dicti Oratores ac Sophiſtæ, quòd aliis *orationes ſcriptitarent*, uti morem in Græcia increbuiſſe ex C. Nep. diſcimus in *Lyſandro c.* 3. qui *orationem, quâ Lyſander perſuaſurus erat Lacedæmoniis, ut regiâ poteſtate diſſolutâ, ex omnibus Dux deligeretur ad bellum gerendum hanc ei ſumpſiſſe* dicitur *Cleon Halicarnaſſeus* quod & Plutarch. *in eodem* confirmat. Poſtmodum cum re in contemptum deducta, vide Creſoll. *Theatro Rhetor. l.* 3. *c.* 2.

LOGOTHETA, Græcè Λογοθέτης, in *Gloſſ.* Gr. Lat. *Ratiocinator, diſcuſſor, diſputator*, qui rationes accepti & depenſi expendit ac diſcutit; dictus eſt apud Procop. *de Bello Goth. l.* 3. *c.* 1. & 21. magiſtratus Aulæ CPolitanæ non unius generis. Duplices enim erant *Logothetæ*, in Imperio, *Eccleſiaſtici*, quorum munus deſcribit Codin. *de Offic.* ὁ Λογοθέτης εἰς τὸ λογογραφεῖν καὶ εἰς τὰς δημοσιακὰς καὶ ἀρχοντικὰς ὑποθέσεις λογογραφεῖν: & *Politici*, qui expendebant rationes curſûs publici, Ærarii generalis, Ærarii privati, Ærarii militaris, gregum ſ. armentorum Imperialium, adeoque in multiplici iterum differentia erant, de quibus videſis Meurſ. in Γενικὸν, Κουράτωρ, Λογοθέτης; item accuratè & cautè Leonem Allatium *Diatriba de Scriptis Simeonum p.* 28. & *ſeqq.* & cujus ille fortè ſcrinia compilavit, Jul. Cæſ. Bulenger. *de Imp. Rom.* & quidem *l.* 3. *c.* 22. de *Logiſtis & Logothetis in gen. l.* 8. *c.* 11. *de Logotheta Magno*; *l.* 8. *c.* 91. *de Logotheta Genico ſ. Generali*; *c.* 29. *de Logotheta Curſûs*; *c.* 30. *de Logotheta Secretorum*; *c.* 39. *de Logotheta gregis*; *c.* 51. *de Logotheta* τῶν οἰκειακῶν *ſ. privatorum*; *c.* 57. *de Logotheta militaris ærarii.* E quibus is, quem Λογοθέτην τοῦ δρόμου, ſ. *curſûs* appellabant, licèt primò officium circa *curſum publicum* verſatum fuerit, idque muneris geſſerit, quod *Præfectum Poſtarum* hodiè vocant; alia tamen, procedente tempore, ejus fuit functio: ut qui Edicta & aureas Imperatorum Bullas ſubſcriptione ſuâ firmaret, idque munus obiret, quod hodiè in Principum Aulis *Cancellarius* obiit: hinc inter μεγίστας ἀρχὰς *maxima imperia* Cedreno. A Græcis, mutuati poſteà id nomen Latini Principes ſunt, uti diſcimus ex *Chronico* Caſinenſi *l.* 4. *c.* 68. 117. & 126. ubi Petrus Diacon. Caſinenſis, à Lothario Imp. conſtitutus fuiſſe dicitur *Logotheta Italicus, Exceptor, Cartularius & Capellanus Imp. Rom.* h. e. *Logotheta & Protonotarius*, quomodo appellabantur apud Normannos in Sicilia Reges, ut paſſim videre eſt in *Tabb.* Siculis: ubi tamen alia, imò diverſa prorſus, à Magni Cancellarii dignitate, ejus dignitas fuit. *Logotheta* enim, *Primi à Secretis* ſ. *Protoſecretarii* ibi munus gerebat, & gradu Magno Cancellario major erat, quamvis alter alteri non ſubeſſet, uti docet Ammiratus *Stemm. Neapolit. Tom. I. p.* 48. Vide ſuprà de à *Secretis*. Formulam, quâ *Logothetæ* hi ſiculi, in ſubſcriptionibus Regiorum diplomitatum, utebantur, C. du Freſne *in Gloſſ.* hanc exhibet, ex Waddingo A. C. 1347. *n.* 8. *Data Neapoli per--- Logothetam & Protonotarium Regni Siciliæ Anno* &c. Vide plura hanc in rem, apud Gerh. von Maſtricht JC. *Hiſt. Juris Eccl. n.* 290. & *ſeqq.* ubi de Simeone magiſtro & Logotheta, Gretzerum & Goarum *ad Codin.* nec non infrà, in voce *Rationalis*.

LOGOTHETA Georgius, vide *Georgius*.

LOGIUM ſilva, vulgò *la Foreſt aux Loges*, priſcis Galliæ ſcriptoribus memorata, proxima fuit Monaſterio S. Benedicti ſ. Floriaco ad Ligerim. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LOGUS Georgius, vide *Georgius*.

LOGUS, fluv. Walliæ merid. parvus, unà cum Vaga, in Sabrinæ oſtia, ad ſtriguliam opp. influens, *Lug*, & *Lhygwy*. Baudr. Oritur in Com. Radnoriæ; dein per Com. Herefordienſem in Angliam fluens, paulò infra Herefordiam in Vagam labitur.

LOJOVOGRODUM; opp. Volhiniæ inf. in Palatinatu Kiovienſi, ad dextram Boriſthenis ripam, ubi fluv. *Soſſ.* recipit. Nobile victoriâ inſigni Pr. Januſii Radzivilii, contra Coſaccos, d. 31. Jun. A. C. 1649. Vulgò *Loiowogrod*.

LOIS, avia Timothei. 2. Tim. *c.* 1. *v.* 5.

LOJUS, Polyb. Vide *Lous*.

LOLHARDUS Walterus, Miſſam, extremam unctionem, Satisfactiones proprias pro peccatis, Papæ auctoritatem improbavit, A. C. 1315. in Germania concionatus. An & execranda illa, Angelos bonos potiùs inferni pœnas, quàm Luciferum, mereri, Deum peccata non punire, Baptiſmum nullius efficaciæ, pœnitentiam non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

non neceſsariam, magiſtratui non parendum eſſe, &c. quod quidam tradunt, aſſeruerit, fides penès illos eſto. Vivus exuſtus eſt Coloniæ A. C. 1322. Vide Morer. *Dict. Hiſt.* In Anglia *Lolhardorum* nomen exortum eſſe ſub exceſſu Eduardi III. atque his impoſitum, qui Wicleſiana dogmata ſunt amplexi, refert Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.* Sic autem illos dictos opinatur Commonachus S. Auguſtini Cantuar. *in l. MS.* A. C. 1406. à lolio: quòd, ſicut lolium, inquit, ſegetes Domini inficerent. In ejus ſententiam abiit Lindewodus, ſed perperam uterque; Trithemius enim *in Chron.* oſtendit, à præfato *Lolhardo* originem duxiſſe. Contra illos autem plurima ſtatuit Thomas Arundelius Archiep. Cant. in Conc. Oxonienſi. Noſtro ævo accipiunt alii *Lollardos*, pro inſtitutæ religioni adverſantibus, eoque vetus ſacramentum Vicecomitum, ad proſequendos *Lollardos* juratorum, hodie trahunt, Idem Henr. *Spelm. in Gloſſ. Arch.*

LOLIGO, piſcis genus; à *volando* nomen accepit, quaſi *voligo*, ut viſum Varroni *de Ling. Lat. l.* 4. At non tam volat, quàm exilire extra aquas eſt contenta, qui & delphinis mos, Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 4. *c.* 19. Quinûm nonnunquam cubitorum magnitudine inveniri, ex Trebio Nigro docet Plin. *l.* 9. *c.* 29. Narant autem magno numero ſeſe complexæ, ac ſimiliter multæ nexæ extra aquas volitant, undè periculum ab iis, ne mergant navigia, Cæterum Athenis uſque adeò viles erant, ut τευθίδος δέεσθαι, *loliginis parvæ indigere*, eum dicerent, quem pauperrimum ſignificare volebant, ut videre eſt apud Ariſtoph. *Acharn.* Nam τευθίδες, *minutæ loligines* ſunt, τευθοὶ autem majores vocantur, Ariſtot. *Hiſt. Anim. l.* 4. *c.* 1. Hodiè verò divitibus ſunt in delitiis, modumque eas cum atramento ſuo coquendi, Rondelet. docet *de Piſcat. Mar. l.* 17. *c.* 5. Ita nempè vocatur niger ſuccus, quem in metu de ſe diffundunt, quique olim atramenti uſum præſtitit. Unde *nigræ ſuccus loliginis*, apud Horat. *Serm. l.* 1. *Sat.* 4. *v.* 100 hodieque Germanis *d'intenfiſch*, h. e. *atramenti piſcis*, appellantur. Quod & ſepiam facere idem Plin. teſtis eſt *l.* 9. *c.* 29. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 39. & plura de piſce hoc, apud eund. *de Orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 15. & *l.* 4. *c.* 33.

LOLLIA Paullina, M. Lollii Conſularis filia, à Calliſto liberto Claudii ad nuptiarum Imp. ſpem accenſa. Tac. *Ann. l.* 12. *c.* 1. ab Agrippina everſa & immiſſo tribuno ad mortem adacta. Ibid. *c.* 22. & *l.* 14. *c* 12.

LOLLIANUS, Coſ. cum Arbitrione, A. C. 80. Suet. *Tib. Ner. c.* 13. *Calig. c.* 25. *Tib. Claud. c.* 26.

LOLLIANUS Avitus, Coſ. cum Gavio Maximo, A. U. C. 896. Alter Coſ. cum Pompejano. A. U. C. 962.

LOLLIANUS Avitus, Vir Conſularis, memoratur Jul Capitolin. *in Pertin. Sed quum in ea* (Grammatica) *minùs quæſtus proficeret, per* Lollianum Avitum *Conſularem virum, patris patronum, ducendi ordinis dignitatem petiit.* Idem Coſ. fuit ſub Pio; de quo vide quoque Appulejum *in Apolog.* & Ulpian. *leg.* 3. *ff. de Decurion.*

LOLLIANUS Gentianus, in ead. *Vita*, Vir itidem Conſularis occurrit apud præf. Capitolin. qui ultimo Severi Anno Coſ. fuit cum Baſſo; à quo alius eſt *Lollianus Gentianus*, cujus meminit Victor Junior *in Pertinace.* Sic enim is per errorem nominat, quem Capitolin. Lollianum Avitum, de quo modò dictum. Caſaub. *ad l.*

LOLLIANUS, Sophiſta Epheſius, diſcip. Iſaiæ Aſſyrii, ſub Hadriano, varia ſcripſit. Suid. Simler. *in Ep. Bibl. Geſn.* Item unus ex tyrannis, tempore Galieni, exortis: Poſthumo, in Gallia, victo & cæſo, imperium invaſit, paulò pòſt à militibus Interfectus. Trebellius *in trig. Tyrannis.*

M. LOLLIUS, Cajo Cæſari Tiberii privigno, Orienti tunc præpoſito, comes & rector datus, qui Cajum & Tiberium Rhodi agentem clandeſtinis criminationibus commiſit. Vide Tac. *Ann. l.* 3. *c.* 48 Suet. *Tib. Ner. c.* 13. it. in voce *Marcus.*

LOLLIUS Profeſſus, & *Lollius Urbicus*, apud *Hiſtoriæ Aug.* Scriptores, vide de hoc eund. Capitolin. *in Clodio Albini.*

LOLLIUS Urbicus, Hiſtoricus Latinus, Hiſtoriam ſui temporis condidit. Lamprid. *in Diadumeno.* Jul. Capitolin. *in Antonino Pio.*

LOMANDUS ſ. LOMUNDUS, lacus amplus Leviniæ, in Scotia mer. haud procul à monte Grampio: A quo non procul Caledonii pop. quorum urbs Epiſcopal. Dunkeldinum, Ferr. Baudr. inter Menthitiam ad Ort. & Argadiam ad Occ. A Sept. extenditur in mer. per 20. mill. paſſ. Ubi latiſſimus eſt, 20. mill. paſſ. ab Ortu in Occ. eſt, in aliis locis vix 3. mill. paſſ. à Dumbritonio in Bor. 4. uti paulò amplius à Glottæ æſtuario. *Loch Lomond* Scot. In hoc Inſ. fluctuans & piſces ſine ſpinis. Camd. Duchen. *Buchan.*

LOMBARDI, vide *Longobardi* item, in voce *Caorcini.*

LOMBARIUM, mel. *a*, urbs Epiſcopal. Aquitaniæ, in Com. Convenarum, ad amnem Savam, 4. leuc. à Garumna, 8. à Toloſa in Occ. 5. ab Auſciis in Auſtr. Satis ampla, ſed malè culta; *Lombez* vulgò. *Caſtrum nobiliſſimum*, vocatur Petro *Hiſt. Albig. c.* 22. poſitumque eſt ad flumen Pavam; quo Garumna augetur, ut & Inſ. Jordanis ſ. caſtellum Ictium, & attribuitur Sammathani Caſtellaniæ, jampridem Convenico Comitatui adnexæ. Hîc vet. Cœnobium monachorum Auguſtini regulam ſequentium Joh. XXIII. Pont. Rom. A. C. 1317. in Epiſcopale faſtigium evexit, eſtque hodiè ultima ſedium Toloſæ attributarum, Sincerum & incorruptum loci nomen Hadr. Valeſ. vult eſſe, *Lumbarium* vel *Lumberium*, undè Gallicè *Lombers*, non *Lombés* dicendum contendit. Eſt & in Navarra opp. ejuſdem nominis, *Lumbier* vulgò dictum, Vaſconicè *Irumberri*, Latinè olim *Ilumberi*: cujus incolas *Ilumberitanos* appellat Plin. *l.* 3. *c.* 3. Vide Hadr. Valeſ. in voce *Apamiæ.*

LOMBARDUS Lambertus, vide *Lambertus.*

LOMBARDUS Petrus, vide *Petrus.*

LOMENSIS Pagus, in diviſione Regni Lotharii A. C. 870. memoratus, al. *Laumenſis*, item *Loſſenſis*, Flandrenſibus *Loon* vel *Loen*, incolis *Lon*, Gallis *Los*, in ditione eſt Ep. Leodicenſis. Caput ejus eſt Los ſ. Loſſenſe *Borchloon* vulgò dictum, inter Tungros & monaſterium S. Trudonis: Comitum de Los ſæpe olim mentio. In pago hoc Cubinium à Car. Calvo Sancti Germanenſibus legatum, Foſſæ opp. diœceſeos Leodicenſis & monaſterium, Calvimontis villa, Bronium quoque villa Caſtro Namurcenſi propinqua monaſterioque illuſtris, vulgò *Brugne*, memorantur. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LOMENTUM, Epigraphe Mart. *l.* 14. Apoh. *Epigr.* 60.

> *Gratum munus erit, ſciſſo nec inutile ventri,*
> *Si clarâ Stephani balnea luce petes:*

κυάμινον ἄλευρον eſt Græcis, i. e. *fabacea farina*, uti docet Plin. *l.* 18. *c.* 12. ubi vide *Notas* Dalechampii. Ejus illitu rugas ventris jam provectiores feminæ abſcondere tentabant, balnea petentes, ut idem poëta quoque docet *l.* 3. *Epigr.* 42. cujus Epigraphe illud. Pollæ diſſuadens, hoc tetraſticho,

> Lomento *rugas uteri quòd condere tentas,*
> *Polla, tibi ventrem, non mihi labra linis.*
> *Simpliciter pateat vitium fortaſſe puſillum,*
> *Quod tegitur, majus creditur eſſe malum.*

A' *lotu*, i. e. lavando, hinc dictum, σμῆγμα. Vide quoque infrà *Nitrum*, item phraſi *Oblinere os.* Sed & coloris genus, Plin. *l.* 33. *c.* 13: *quod ex cœruleo fit, perficiturque lavando terendove, & eſt cœruleo candidius --- Ratio in pictura ad inciſuras, h. e. umbras dividendas ab lumine*, ubi varias ejus ſpecies recenſet.

LOMENTUS, Λωμεντός Steph. urbs Italiæ.

LOMMINI, tergemini fratres Geryonis filii, ædificavêrunt à ſuo nomine urb. magnam *Lomminianam. Beroſus.*

LOMNIUM, vide *Jomnium.*

LOMUNDUS, vide *Lomandus.*

LONCIUM, Norici opp. Ant. In Carinthia *Lienez* Simlero: inter Julium Carnicum & Aguntum 16. mill. paſſ.

LONDINUM, urbs Angliæ ad Tameſin, antiquiſſima. Tac. *Ann. l.* 14. *c.* 33. Ptol. & Ant. *Londinium* & *Longidinium* dicitur. Amm. Marcell. *l.* 27. *c.* 8. *Lundinum* & *Auguſta*, Steph. Λινδόνιον. Emporium celeberrimum. Quis primus fuerit conditor, obduxit vetuſtas, & perpaucæ ſanè ſunt urbes, quæ ſuos autores norunt, cùm è parvo ſenſim excreverint. Verùm, uti aliæ, ita hæc fabulosâ origine Trojanis ſe imputavit, Brutum illum Æneæ magni adnepotem conditorem credens, Quicunque autem condiderit, vitali genio conſtructam fuiſſe ipſius fortuna docuit, & antiquitate ſuſpiciendam eſſe, innuit Amm. Marcell. qui ſuo tempore, ante Annos nimirum mille & ducentos *vetuſtum oppidum* appellavit. Quin & Corn. Tac. Neronis tempore *copiâ negotiatorum, & commeatu maximè celebre* fuiſſe prodidit. Vulgò *London*, Anglis, *Lundain* & *Caerlud* Britannis, *Londen* Germanis, *Londra* Italis, Gallicè *Londres.* Vide Camden. *in Trinobantibus*, & omnino virum doctiſſimum Gul. Burtonum *Comm. in Antonin. p.* 154. &c. Oblonga, per ſe maxima, & ſuburbia habet ampliſſima, nec non & arcem, Turrim appellant, pulcherrimè extructam, & validiſſimè munitam, à qua non longè lapideum pontem obtinet, longâ & mirandâ operis arcuati ſerie conſtructum, ſuper cujus dorſo domicilia utrinque eâ diſpoſitione ac ſtructurâ cernuntur, ut perpetui penè vici ſpeciem, non pontis exhibeant. Regia eſt civitas, ac regni caput; Epiſcopal. ſub Archiep. Cantuarienſi. In ea Reges diademate inſigniuntur, regnoque inaugurantur, Conc. ſ. Parliamentum ibi etiam celebratur. Mœnibus cincta eſt à Conſtantino Mag. A. C. 1666. fœdo deflagravit incendio, ſed reparata, pulchrior evaſit, & quæ antè tota erat lignea, lapidea nunc eſt, majori ex parte. Regium habet palatium, *Whitehall* i. e. Aula Alba, & in ejus ſuburbiis meſt, ut ita dicam, opp. Weſtmonaſterium, ad Thameſin 1. mill. ſupra Londinum in Occ. cum templo, ubi Reges inaugurantur, & ſepulturâ inſigni. Baudr. ex Cam. Speedo &c. Adminiſtratur autem antiquo Britannorum Regum privilegio à 24. civibus, quos Angli *Aldermannos*, quaſi Seniores vocant, de quorum officio, & dignitate vide Henr. Spelmann. Ex horum numero Prætorem Urbanum, vulgò *The Lord Mayor*, & Tribunos duos, vulgò *The Sherifes* vocant, ipſimet annuâ commutatione eligunt. A Cæſare, ut quidem exiſtimant, *Auguſta Trinobantum*, vocatur, *Cautiorum civitatem* facit Ptol. forſan quia tunc temporis ſub eorum ditione fuit. Hîc Conc. habito, A. C. 712. ab Ina, leges de matrimoniis Britonum, Scotorum, Saxonumque latæ ſunt, Beda *l.* 5. *c.* 22. imagineſque improbatæ: plurima alia ibidem diverſis temporibus celebrata, vide apud Harpſteldt. *l.* 5. *c.* 14. *Hiſt. Eccl. Angl. c.* 10. Morer. *Dict. Hiſt.* A. C. 1603. Jacobus Rex primo in Angliam ingreſſu, decreto facto, de Eccleſiaſticis Rom. Eccl. totâ Angliâ pellendis, prius cum Regina Londinum venire voluit, quàm executioni id eſſet mandatum: Quo facto Synodo hâc habitâ Nationali, receptam fidem confirmavit. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 131. Idem poſtea, cùm, ut Palatinum El. generum ſuum, à Bohemis Regem creatum, victumque à Ferdinando II. reſtitueret, ſacra Latino more ibidem peragi pateretur, A. C. 1625. die 25. Octobr. hujuſque rei initium fieret, in monaſt. *Blackfreir*, domus ruinam traxit, 100. hominibus, inter quos duo monachi, miſerè contuſis. Pater Druerius è ſuggeſtu prolapſus collum fregit &c. Quo audito Rex Jeſuitas alioſque Eccleſiaſticos omnes denuo toto regno excedere, intra 40. dies juſſit. Vide Matth. Merian. *Theatr. Eur.* Jac. Rev. *in Urbano VIII.* Chr. Becmann. *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & civ.* Addo ſaltem, quod horribilis in hac urbe peſtis, ſex menſium ſpatio, 97000. hominum abſumpſit A. C. 1665. Sequente dein Anno, à 2. ad 6. diem Sept. graviſſimum incendium (jam ſuprà indigitatum) graſſatum eſt, quo 13200. domus abſumptæ, de cujus autoribus vide ſuſpiciones quorundam, apud Autorem Anon. *Hiſt. Orb. Terr. Geogr. & Civ. c.* 4. ubi de Regno *Angliæ*, *c.* 13. Cæterum, in celeberrima hac urbe plures maſculos, quàm feminas, contrario in agro obtinente, naſci: plures autem mori, quàm naſci, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

iterum ruri non fiat: interim populoſam perpetuò manere, eò quòd quotannis in urbem ad 6000. hominum ex agro habitatum veniant. Porrò funerum ibi ſingulis Annis 15000. eorum, qui Baptiſmi aquis tinguntur, 12000. incolarum 384000. familiarum 48000. numerari, adnotavit Joh. Graunt *l. cui titulus*: *Natural and Political obſervations made upon the bills of Mortality.*

LONDINUM Novum, NIEW LONDON, urbs novæ Angliæ, in ora maris Bor. cum portu capaci, versùs novum Belgium, recens ab Anglis excitata. Aliter *Boſton*. Creſcit indies.

LONDOBRIS, inſ. parva juxtà Luſitaniam. Ptol. *Barlingues*, teſte Reſendio. *Barlenga* Baudr. in Oceano Atl. vix 5. mill. paſſ. ab ora litor. cum caſtro, 40. mill. paſſ. ab Ulyſſipone in Bor. Ei adjacet alia Inſ. minor, *Barlengota*. cum turri.

LONGA Alba, vide *Alba*.

LONGA Villa, locus Galliæ, ad fluv. Sedam *la Sie*, in Caletis & diœc. Rotomagenſi, ab urbe Rotomago 7. leuc. vetere Eccl. S. Fidis, quæ Prioratus eſt Benedictinorum, ac tit. Ducatûs illuſtris, vulgò *Longueville*. Item in Campania Remenſi, ac pago Porcenſi, quæ inter villas ad Remenſe Monaſterium S. Remigii pertinentes numeratur. Item in ſaltu Briegio, inter Pruvinum & Brajum, Sequanæ adpoſitum. Item in pago Tardanenſi. *Longevilla*. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* De prima: Lineæ hujus Ducalis autor Joh. fuit Aurelianenſis C. Dunenſis, Lud. Ducis Aurelianenſis fil. naturalis, ſub Car. VII. Galliæ Rege rebus contrà Anglos geſtis clariſſimus. Ex hujus poſteris Franciſcus Aurelianenſis C. *de Dunois* & *Longueville*, Defunctus A. C. 1491. ex Agnete (filia Lud. Ducis Sabaudiæ) genuit Lud. Aurelianenſem Ducem Longæ Villæ; cui nupta Johanna Rœtelana (filia Phil. March. Hochbergio-Badenſis Com. Rœtelani C. *de Neuſchaſtel*, & Mariæ Sabaudæ filiæ Amadei Ducis) attulit comitatum Novocaſtrenſem ſ. *de Neuſchaſtel*, in Helvetia, Germ. *Welſch-Neuenburg*, tum dominium S. Georgii in Burgundia & prætenſionem in Princip. Arauſionenſem. Idem verò cùm ex pactis dotalibus, A. C. 1476. initis per Rudolphum VIII. Phil. Patrem, & A. C. 1486. à Phil. ipſo juramento confirmatis, Mariæ Sabaudæ ejuſque liberis maribus aut femellis, donationis titulo propter nuptias, debitam ſucceſſionem ditionum reliquarum, inprimis Rœtelanum dominium, Suſenbergam & Badæ-villam ſibi vindicaret, in Camera Spirenſi jure diſceptatum, ſed penès Badenſes, qui 250000. ſecundùm alios, 225000. aureos Lud. ut omni jure pretenſo cederet, numerârunt A. C. 581. manſit poſſeſſio: Longavilleis tamen titulum *Marchionis Rœtelani* ad hunc uſque diem ſervantibus. Obiit autem Lud. præfatus, A. C. 1516. Pater ex Johanna (quæ Deceſſit A. C. 1543.) Franciſci Aureliani March. Rœtelani: qui Defunctus A. C. 1548. ex Jacoba Rohanæa (filia Car. *de Rohan* Dn. *de Gié*) reliquit fil. Leonorum Aurelianenſem Duc. *Longævillanum*: quo (Obiit is A. C. 1573.) & Mariâ Borboniâ (filiâ Franciſci Borbonii Com. *de S. Paul*, Franciſco Borbonio Com. Vindocinenſi geniti) natus Henr. I. d'*Orleans* Dux *de Longueville*, Fato functus eſt A. C. 1595. ſuperſtite, ex Catharina Gonzagea (filia Lud. Ducis Nivernii) filio Henr. II. *d'Orleans* Duce *de Longueville*, qui Regis ad Pacificationem Monaſterio-Oſnabrugenſem Legatus, Obiit A. C. 1663. Pater, ex Maria Anna Genoveva Borbonia (filia Henr. Principis Condei) Joh. Lud. Ducis *de Longueville* (nat. A. C. 1646.) Carolæ Luiſæ (nat. A. C. 1647.) & Car. Paris Com. *de S. Paul*, qui nat. A. C. 1649. in obſidione arcis Schenckianæ periit, A. C. 1672. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Parte I. p.* 153.

LONGÆ Coronæ, memoratæ Ariſtidi *Orat.* 1. Ἱερ. Ἐδόκουν τέφανον πέμπειν τῷ Θεῷ μακρῶν, οἵ εἰσιν ὡς ἰδίᾳ τῷ Ἀσκληπιῷ κομίζουσι, *Videbar coronam mittere Deo ex iis, quæ ſunt aut dicuntur* longæ, *quas peculiariter Æſculapio offerunt*: ſunt ex convivialibus Vett. coronis illæ, quæ à collo, cui appendebantur ad pectus propendentes, indè ad manus quoque ſeſe extendebant, *Hypothymides* proprio nomine dictæ. Has Diis quoque, Æſculapio potiſſimùm, appendebant, ut eum ſc. propitiarent, ſi quid ex intemperantia conviviali morbi accideret. Vide ſuprà in voce *Hypothymides*. At de *Longis Navibus*, Jaſonis invento, Salmaſ. *ad Jus Attic. & Rom. p.* 657. & *ſeqq.*

LONGANICUM, ſ. LONGATICUM, opp. olim, nunc pagus Norici inter Aquilejam & Æmoniam. Ant. *Logitſch*, Lazio. Ab Aquileja 45. mill. paſſ. à Frigido 22. Cubianæ finitimus, ad 14. ſ. 30.

LONGANUS, Siciliæ fluv. circa Mylas urbem. Ptol. Nunc *Fiume di Caſtro Reale*, in ora Bor. 5. mill. à Myle in Auſtr. In mare Tyrrh. ſe exonerat. *Baudr.*

LONGARISTIS Ploas, apud Luitphrand. *l. 6. c.* 5. ubi leg. *Logariaſtes ploas*, Græcè λογαριαστὴς τῶ πλόας, officium fuit Aulæ CPolitanæ qui claſſis rationes expendebat, C. du Freſne in *Gloſſ.* Vide ſuprà *Logariaſtes*.

LONGATIS, Bœotiæ regio. *Lycophr.*

LONGI, fratres quatuor, ſumma cum laude Monaſteriis Ægypti præfuêrunt; pulſi Alexandriâ, A. C. 403. ab Epiphanio, cujus ſimplicitate Theophi. abuſus fuerat: qui id ipſum apud Eudoxiam impetrare neutiquam poterat. Socr. *l. 6. c.* 9. 10. & 11. Soz. *l. 8. c. 14. &c.* nomine eorum Dioſcorus, Ammonius, Euthymius & Euſeb. apud Georg. Ep. Alex. in *Vita* Chryſoſtomi, & Phot. *in Biblioth.* Vide Dom. Macrum *in Hierol.*

LONGIDIDUNI, Germ. pop. *Ptol.*

LONGILEDIUM, vulgò LONLAY, Abbatia Gall. in Cenomanorum, finibus, non procul à caſtro Damnifrontenſi in Paſsejo. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LONGIMANUS, Artaxerxes, Rex Perſarum, ſic dictus quòd manum alteram haberet longiorem. Vide *Artaxerxes*.

LONGINUS, Coſ. cum Decio, A. U. C. 1239.

LONGINUS, Patricius Rom. primus Exarchus Ravennenſis, à Juſtino Jun. miſſus, in Italiam, loco Narſetis, A. C. 567. Longobardis, tum ſedes in regione hac quærentibus, ſe oppoſuit, ab Imp. poſteà revocatus. Roſimundæ, quæ Occiſo Alboino, cum adultero Helmigo Ravennam ſe contulerat, fidem conjugii dedit, ſi hunc è medio tolleret; quod cùm tentaret, ab ipſo venenum haurire coacta periit. Præfuit 16. An. Paul. Diac. *l.* 1. & 2. *de geſt. Longob.* Blond. *Hiſt. l.* 8.

LONGINUS, frater Zenonis Imp. ob rapinas & luxum exoſus omnibus: à Patritio Pelagio, ne Cæſar fieret, prohibitus. Occiſus, juſſu Anaſtaſii A. C. 498. Marcellin. *in Chron.*

LONGINUS, an Centurionis nomen, cui ſepulcrum CHRISTI commiſſum, dein converſi & martyris? ut vult Baron. A. C. 94. An idem cum illo, qui prius CRUCIFIXI latus lanceâ hauſerat? Et Baron. quidem, qui in Hiſtoria mortis Chriſti & ejus Centurionis, qui dicitur Chriſtum glorificâſſe, Lucæ, *c.* 24. *v.* 47. duos *Longinos* commemorat, quorum uterque Centurio ille Romanus fuiſſe dicitur, cujus in Euangeliis fit mentio: alterum eorum rejicit, tanquam ex Apocryphis productum. Sed nec de altero *Longino* apud tot vett. Euangeliorum Interpretes verbum ullum: uti & apud alios Scriptores altum de eo ſilentium. In Tragœdia *Chriſtus Patiens*, converſi Centurionis fit expreſſa mentio: ſed nullus ibi *Longinus* memoratur, ἀπὸ τῆς λόγχης, i. e. *à lancea*, ita dictus. Extat quidem nomen in *Martyrologiis* Græcis ac Romanis, ſed nec hæc, teſtimonia ſatis congruunt. Nam Græca in die 16. Octobris nomen hoc referunt, Romana 15. Martii, & cui notum, quando primùm illo nomine facta ſint Martyrologia auctiora? Fieri poteſt, cùm Eccleſiaſtica Hiſtoria non unius faciat *Longini* mentionem, qui martyrium pro Chriſto ſubierit, inprimis ejus, qui Diocletiani Principatu miles fuit & martyr: ut vel hic vel alius quis ſacro Catalogo fuerit adſcriptus; qui poſteà in commentitium iſtum *Longinum* abierit. Non ignorant Eruditi, *in Manuali*, quod extat inter Auguſtini opera, *Longinum* iſtum Centurionem nominari; verum jam olim rectè monuit Eraſmus, eum librum Auguſtini non eſſe. Metaphraſtæ, qui vitam & res geſtas *Longini* ejus ſcripſit, iidem tantum tribuunt, quantum ei debetur, qui diligentiâ quidem ſummâ ſed judicio nullo in ea collectione ſit verſatus; neque aliter Baron. variis in locis judicat. Namque ut alia ejus loca non proferantur, in quibus Metaphraſten, ut anilium fabulatum hamaxarium, ſeverè caſtigat; hac ipſa in Hiſtoria ſibi ipſe non fidit: ac licèt hîc & *n.* 191. ut autorem locupletem rerum *Longini* illum laudet, in Anno tamen 38. quaſi ductus pœnitentiâ ſic de illo ſcribit: *Si fidem adhibendam putamus Actis Longini Centurionis à Metaphraſte recitatis*. Undè apparet, ipſum, cùm illa ſcribebat, iis Actis parum omnino fidei tribuiſſe, & meritò. Nam undè illa prodiêrunt, niſi è libris Apocryphis? atque alterum Longinum reſpuit Baron. eam ob cauſam. Et, ut falſitatis apertæ non arguatur Metaphraſtes, ſaltem apud Antiquitatis intelligentes in ſuſpicionem aliquam fidem ejus vocant non pauca, è quibus unum hoc inſtituto ſufficiat, quòd in his Actis legimus, Centurionem, hunc, *cum veſte & cingulo dignitatis, ipſam quoque exuiſſe militiam*. At, ætate Aug. inſigne militiæ, aut Centurionatûs fuiſſe aliquam veſtem nullibi legimus: niſi fortaſſe de ſago intelligat. Cingulum quoque notum commune omnium fuiſſe, qui caſtra ſequebantur: ſed cingulum dignitatis, in Scriptoribus Sec. Auguſtæi non invenitur; neque inſigne Centurionatûs illorum temporum aliud occurri, præter vitem &c. Quare commentum id Gelaſii Papæ temporibus recentiùs judicat Caſaub. utpote in cujus decreto nulla horum Actorum mentio. Haud multò aliter de Metaphraſte pronunciat Card. Bellarminus *l. de Scriptor. Eccl.* Vide præfat. Caſaub. *Exercit. ad Ann. Eccl. Baron.* XVI. *n.* 131. & 191. ipſumque Card. Baron. *paſſim*.

LONGINUS Caſſius, Philoſophus, Porphyrii præceptor, vir multæ eruditionis & Criticus; floruit ſub Aureliano Cæſ. cujus juſſu Occiſus eſt, quòd Zenobiæ, cujus Præceptor quoque habitus eſt, epiſtolam admodum acrem dictâſſet. Scripſit, *de Oratione contrà Philoſophos, Quædiam, dubitationes Homericas, Utrum fuerit Philoſophus Homerus? &c. nam contra Hiſtoricam fidem tanquam Hiſtorica enarrent Philoſophi*. Suid. Vopiſc. *in Aurel.* Porphyr. *in vita Plotini*, Simler. *in Epit. Bibl. Geſn.* Idem cum Dion. Longino. Libellum ejus περὶ ὕψους, ſive *di ſublimi dicendi genere*, hodie habemus. Nic. Lloyd. Vide & *Dionyſius*.

LONGINUS Pompejus, vide *Pompejus*.

LONGOBARDI, pop. Germ. quos quidam à *longis barbis*, alii à telo, quod *Alabardam* vocant, dictos ferunt, & ab Oceano, Germaniæque ultimis oris: Becmann. habet, Rugilandiâ ad mare veniſſe, novas ſedes quærentes. Hi patentes primùm ad Danubium campos, ad ulteriorem ejus ripam multis Annis incoluêre. Deinde Cunimundo Gepidarum Rege, qui Dalmatiam & Sirmium tenebat, victo; cùm Hunni denuo graves eſſent, relictâ ipſis Pannoniâ à Narſete, quem Sophia Aug. muliebribus probris irritaverat, evocati Italiam, Oſtrogothis deletis, vacuam occupârunt, ejuſque partem Ciſalpinam Galliam *Longobardiam* vocârunt, quod nomen hodieque retinet. Poſt Duces ſuos, primum Regem ſibi legere Agelmundum, circa A. C. 389. fil. Ducis Aonis; huic poſt Annos 34. ex concubina fil. Lamiſco ſucceſſit. Hunc excepêre Hildehocus, Gudehocus, Ciatto, Tato, Walthan. ſub quo iis civitatem Noricorum aliaque in Pannonia loca conceſſit Juſtinianus Imp. illorum opera contra Totilam feliciter uſus. Succeſsêre, Wacho, Audoinus, Alboinus; qui à Narſete evocatus in Italiam Ticinum poſt triennale obſidium expugnavit, & Rex Italiæ proclamatus eſt A. C. 571. Hunc Clepho ſequutus eſt; ultimus Deſiderius fuit, à Car. Mag. regno exutus A. C. 774. An. 206. poſt Narſetis cum Alboino fœdus. Poſt quem cum Rogaldus Forojulii Dux, regnum invadere niteretur fruſtra, fuit cum copiis ſuis cæſus. Vide Aimoin. *de geſtis Franc.* P. Diac. *de reb. Longob.* Proſp. & Marcell. *in Chron.* Sigonium *de regno Ital.* Volat. *l.* 7. *Geo.* Lazium *Migr. Sept. l.* 12. Leandr. Albert. *Deſcr. Italiæ*, Cluv. Merul. Strab. *l.* 7. *p.* 290. &c. Item ſuprà in vocibus *Lancobard.* & *Longobardi*, ac infrà in *Longobardia*. De his Nic. Lloyd. ut, inquit,

Cel-

Celtiberi ex Celtis & Iberis fuit una natio; ita Lingones populi Germ. & Bardi Gall. pop. factâ unione, gentem unam, & unum nomen admiſcuêrunt: Ideoque quidam *Lingobardos* vocant.

LONGOBARDI ſ. LOMBARDI, etiam dicti ſunt potiſſimùm in Francia mercatores Itali, qui magno numero eo commercii causâ confluebant, compluribus ſubindè privilegiis à Regibus uſque adeò donati, ut etiam civitatem ſibi diligendi, in qua negotia ſua ac mercimonia agerent merceſque diſtraherent, haberent facultatem: Sic exhibet C. du Freſne *Chartam* A. C. 1278. continentem pactum, cum Rege Franciæ initum, *à Fulcone Cacio cive Placentino, Capitaneo univerſitatis Lombardorum & Tuſcanorum, habente etiam poteſtatem & ſpeciale mandatum a Conſulibus mercatorum Romanorum Januæ, Venetiarum, Placentiæ, Lucæ, Bononiæ, Piſtorii, Aſtenſium, Albæ, Florentiæ, Senarum, & Mediolanenſium, tractandi cum domino Rege Franciæ, ſuper tranſlatione facienda ad civitatem Nemauſenſem* &c. Cùm priùs in Monpeſſulana civ. commercium exercuiſſent, à qua exceſsêre A. C. 1268. At, quòd ii, non limitibus ſuis contenti uſuras quoque illicitas exercere inciperent, factum eſt, ut eorum nomen poſtea in malam partem tranſiret, univerſimque *Longobardorum*, ſ. potiùs *Lombardorum*, appellatione publici Fœneratores ac Uſurarii venirent, in quos non ſemel animadverſum à Regibus, ut idem docet C. du Freſne *in Gloſſ.* Vide quoque ſuprà *Caorcini.*

LONGOBARDIA, vulgò LOMBARDIA, pars Italiæ, Gallis *Lombardie*, continet majorem partem Galliæ Ciſalpinæ; dividiturque in ſup. & inf. In Longobardia ſup. ſunt Pedemontium & Ducatus Mediolanenſis ac Montis Ferrati. In Longobardia inf. ſunt Ducatus Mantuanus, Mutinenſis, & Parmenſis, cum parte Occid. ditionis Venetæ, ubi territoria Cremenſe, Bergomenſe, Brixianum, Veronenſe, Vicentinum, & Paduanum, de quibus fuſiùs in ſuis locis) ut & Ducatus Ferrarienſis, atque territorium Bononienſe, ſub dominio Summi Pontificis. Ex his conſtabat alias *regnum Longobardorum* à Car. Mag. everſum, poſt captum ad Ticinum Deſiderium eorum Regem ultimum. Dividitur etiam Longobardia in Ciſpadanam, *Lombardia di qua dal Po*, ubi ditiones Mutinenſis, Parmenſis, Monsferratus, pars minor Ducatûs Mediolanenſis, pars Borealior ditionis Pontificiæ, & pars Pedemontii: & in Tranſpadanam, *Lombardia di la dal Po*, ubi pars Pedemontii, major pars Ducatûs Mediolanenſis, ditio Veneta, Longobardica, & Ducatus Mantuanus: Eſtque hæc Italiæ pars ſuprà reliquas amœna & fertilis. Contra Frid. II. urbes Lombardicas excitavit Innoc. III. In Longobardia poſtmodum, circa A. C. 1260. ingens Valdenſium, ut tum vocabantur, numerus floruit, ubi per ignominiam *Credentes* dicti ſunt, Mornæus *in Myſter.* Vide ſuprà in vocibus *Langobardi & Longobardi.*

LONGOFORDIUM, vulgò LONGFORD, urbs Hiberniæ, in Connacia, Comitatûs cogn. caput, ad amnem Longium, ubi in lacum *Eske* ſe exonerat. Vix 5. mill. diſtat ab Ardraco in Bor. 10. à conf. Laginiæ, media inter Cavonium in Sept. & Atlonam ad Mer. 20. mill. paſſ. utrinque diſtans.

LONGOLIUS Chriſtophorus, vide *Chriſtophorus.*

LONGONE, urbs Siciliæ, *Steph.*

LONGOMONTANUS Chriſtophorus, vide *Chriſtophorus.*

LONGORETUM, vulgò LONREY, ubi Sigirannus Monaſterium extruxit, *S. Siran en Brenne*, in Briona eſt, pago Galliæ in conf. Turonum & Biturigum Cuborum. Ad fluv. Claſiam *Claiſe*, qui alluit Vandoperam, Barram, Macerias in Briona, *Longoretum*, S. Michaëlem in Brionis ſaltu, Blironem, Boſciacum, Prulliacum, ac demum in Croſam decurrit. Eſt & *Longum Rete*, vel *Longoretum*, locus in diœc. Antiſſiodorenſi, non procul à Ligeri, nomen à ſitu nactus; inſignis vet. Monaſterio Longoretenſi, quod nunc collegium Canonicorum Secularium eſt. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LONGOVICUM, vulgò LONGWY, opp munitum Lotharingiæ, in conf. Luxemburgenſis Ducatûs. 5. leuc. diſtat à Monmedio in Ort. 4. ab Orolaunio in Auſtr. & 5. à Theodonis villa in Occaſ. eſtque pars Barenſis Ducatûs.

LONGOVICUM, Lib. Not. *Lancheſter*, teſte Camd. vicus Albionis, in Northumbria, in territorio Dunelmenſi.

LONGULA, opp. fuit Latii, in finibus Volſcorum, Poluſcæ & Tarracinæ finitimum. Populi *Longulani* Plin *l.* 3. *c.* 5. *Longula* altera ex vet. inſcriptione, unum ex 4. oppidis & pagis Hetruriæ, ex quibus Viterbium urbs conflata eſt. Liv. *l.* 2. *c.* 33.

LONGULARUM, villa olim Regia in ſilva Arduenna, ubi Pippinus bis hiemavit. Nunc *Galre*, vicus eſt diœc. Leodicenſis, non procul à Monaſt. S. Huberti, Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LONGUM, prom. Siciliæ. Ptol. *Lognina* Fazello: in ora ad Ort. inter Syracuſas & oſtia Orini fluv.

LONGUNTICA, Hiſp. Tarracon. urbs maritima. Liv. *l.* 22. *c.* 20. *Guardamar*, teſte Beuthero: Aliis *Oliva*, vicus regni Valentini, 2. leuc. à Dianio in Bor. ad oſtia fluv. *Molinar*, in ora Sin. *Sucron.*

LONGURUS, Siciliæ palus vel lacus. Phavorinus ex Tzetze *in Lycophronem.*

LONGUS, Coſ. cum Tib. Claudio Cæſ. A. U. C. 794. Vide & *Lucilius.*

LONGUS, Sophiſta, ſcripſit Paſtoralium de Daphnide & Chloë, libros quatuor. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 4. Simler. *in Bibl. Geſn.* Gothfredus Jungermannus recenſuit, in Latinum ſermonem vertit & notas addidit, Hanoviæ A. C. 1605. Poſteà verò Petrus Moll. Snecanus recenſuit in latinum ſermonem convertit, notis & animadverſionibus illuſtravit. Franekeræ A. C. 1660.

LONGUS, cogn. Lud. X. Gall. Regis ob ſtaturam ejus proceram; aliquando & *Magnus*, *Id.* vide infrà *Magnus.*

LONGUS Oliverius, vide *Olivier.*

LONGUS vicus, vulgò LONG-WI, abeſt à Satanaco caſtello circiter 24000. paſſ. propinquus Orolauno & Luciliburgo. Hujus incolæ cum Satanacenſibus & cum tota Verodunenſi diœceſi 4. Non. Septemb. celebrant diem feſtum B. Dagoberti, ejuſque loci Eccl. Dagoberti nomine reliquiiſque cenſetur. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LONGUS, fluv. Albionis in ora Scotiæ Or. Ptol. hodie *Lough.* Camd. magis ad Bor. fluit, apud Roiſiam Com. Ferrar. eſt in Occaſ. ora contrà Maleam Inſ. in mare exiens apud Epidium prom.

LONICERIUS Johannes, vide *Johannes.*

LOPADIUM, Nicet. urbs Bithyniæ Epiſcopal. ſub Archiep. Sardiniano, ad Rhyndacum fluv. olim Apollonia, apud Olympiam. *Lupadi & Ulubat*, Turc. Leunclavius. Sponio ad lacum Aſcanium, 3. mill. indè diſtans, à monte Olympo diei itinere abeſt, hodieque vix mille incolas habet partim Græcos partim Turcas. Jac. Spon. *Itin. Parte I. p.* 284.

LOPADUSA, inſ. parva Africæ, & *Lampedoſa*, Mert. In regno Tunetano, 70. mill. ab ora Africæ; in mari Mediterr. 100. circiter à Melita in Occ. verſùs Adrumetum. Inſ. non habitata: Interim naufragio claſſis Car. V. A. C. 1551. & nautarum erga B. Virginem cultu venerabilis. Plin. *l.* 3. *c.* 8. Strabo *l.* 17. *p.* 834.

LOPEZIUS Johannes, vide *Johannes.*

LOPEZIUS de Vega, Poëta Caſtellanus, Ep. Avilæ, Com. Lemoſio, & Duci Albano à ſecretis. Scriptis ingenioſis inclytus. Obiit A. C. 1635. Laur. Craſſus, *Elog. hom. literat. tom.* 2.

LOPHIS, Bœotiæ fluv. *Pauſ.*

LOPOSAGIUM, Æthic. eſt SOYE, vicus Burgundiæ Com. ad Dubim fluv. inter Veſontionem & Epomanduodurum: qui nunc vicus eſt ad ripam ejuſdem fluv. non procul à caſtro Piligarda, vulgò *Mandeurre* dictus. Hadr. *Valeſ. Not.* Gall. *in voce Cambete.*

LOPSI, Liburniæ pop. Plin. *l.* 3. *c.* 21.

LOPSICA, opp. Liburniæ marit. Ptol. *Seliſſa* Moletio. Inter Seniam ad Occ. & Vegium ad Ort. Pop. *Lopſi*, Plin. ut ſuprà.

LOPTUS, Bœotiæ fluv. Haliartidem præterfluens. *Pauſ.*

LOPUM, ſtupendum in Bactriana reg. deſertum, in quo exploratum habetur, malignos quoſdam ſpiritus, ſ. dæmones degere, qui peregrinis hac iter facientibus multas & varias præſtigias immittere ſolent, quibus ipſi perſtricti miſerrimè pereunt: quòd ſi quis paululum de via deflexerit, cujuſdam rei neceſſariæ gratiâ, quod ſæpè in itinere conficiundo contingere ſolet, protinus ſe nomine proprio audit appellari: qua re fretus, eam proſequitur vocem, ac ita à recto calle procul aberrat, ac reverti non eſt potis. *M. Paulus Venetus.*

LOQUABRIA, vulgò LOCHQUABER, prov. Scotiæ, in parte Occid. verſùs Æbudas. *Abria* quibuſdam. Terminatur à Sept. Roſſiâ. & Oceano; ab Or. Moraviâ & Atholiâ; à Mer. Lorniâ, ab Occaſ. tenui freto ſeparatur à Mula Inſ. Ibi Epidii ex parte fuêre. Eſt in parte Tranſtaana Scotiæ ſ. Bor. cum aliquot opp. & caſtris.

LOQUELA, pro Numine vide ſuprà *Dii.*

LOQUI inter Sacra, vetitum olim: Itaque Plin. *l.* 28. *c.* 2. *ne quid verborum prætereatur, aut præpoſterum dicatur, de ſcripto præire aliquem, rurſuſque alium cuſtodem dari, qui attendat, alium verò præponi, qui favere linguis jubeat: tibicinem canere, ne quid aliud audiatur*: ubi plura de ſuperſtitione Vett. circà hæc. Lavernæ inprimis Sacra & preces ſilentio fieri conſueviſſe vidimus ſuprà, ubi de ea. Sed nec dum agerentur ſolennia Ludorum Sacrorum, temerè quidquam *loqui* licuiſſe docet C. Paſchal. *Coron. l.* 6. *c.* 9. Vide hîc paſſim, inprimis ubi de Formula vet. *Favere linguis*, ut & de *Silentio ſacro.* Cæterum *Loquela*, rationis flumen Democrito & Epicuro; ut enim à fonte flumen, ſic à rationis conceptu oratio, ratione quaſi ſtillante in linguam, ut ea plectri inſtar, aëra percutiens, voces efformet conceptuum, qui à ratione ſunt, ſignificativas. Unde merito Sexti Empirici canes, gallinas & ſimiles animantes *loqui* aſſerentis opinio exſibilatur nobile Medico Patav. de Aquapendente. Sed nec ipſis pſittacis, picis, corvis, humanum imitantibus ſermonem, ſermo tribuendus. Nec aſina Bileami Num. *c.* 22. *v.* 21, 27, 28, 29, 30, & 33. propriè *locuta* eſt. ſed Angelus in ejus ore vocem formavit: quod etiam de ſerpente, qui parentes primos decepit, dici poteſt, per quem Satanas loquebatur; uti & canis boviſque *loquentium* prodigio, apud Plin. *l.* 8. *c.* 41. & 45. Quòd vero cani Simonis Magi, tauro Rhodio Jovi ſacrato, pico Martieno, columbis Dodonæis, equo Xantho, Argo navi, ulmo Gymnoſophiſtarum, Cauſo flumini, ſermonem humanum itidem tribuêre Gentiles cæteris ipſorum commentis accedit. Joh. Voſſ. *de Idol. l.* 3. *c.* 44. Fit autem *loquela* hunc in modum: *Aër e pulmonibus ſurſum expreſſus, & per* λάρυγγα *ſive aſperam arteriam ad palatum delatus, linguâ, dentibus & labiis ſic flectitur, & concinnatur, ut moderatione eâ fiat vox articulata, quam* loquelam *dicimus.* ubi plura hanc in rem, inprimis de diviſione literarum apud Hebræos, ratione quintuplicis hujus inſtrumenti, in *gutturales, palati, linguæ, dentium & labiorum.* Vide quoque Lactant. *de Ira Dei c.* 10. & hîc paſſim.

LORA, vide infrà *Lorca.*

LORARII, & VIRGATORES, coërcendis ſervis, apud Comicos: horum enim caſtigatio flagellis, virgis, & *loris* peragebatur; cùm liberi ſed tenuiores homines, fuſtibus cæderentur. Vide Salmaſ. *ad Lamprid. in Alex. Sev.* & infrà *Lorum.* Scalig. *Sparacis* nomen Lorario tribuit, *poet. l.* 1. *c.* 13. ubi de *Comicis perſonis.*

LORATA Veſtis, Græcis recentioribus λωρωτὴ, eadem cum veſte paragauda: *Lorum* enim inſtita vel faſcia dicta eſt, quibus veſtes prætexebantur, unde *monolores, dilores, uſque ad pentelores, tunicæ*, militibus donatæ leguntur, apud Flav. Vopiſ. *in Aurel.* Nempè *lora*, in hoc tunicarum genere, non fila ſunt intexta, ut nonnulli interpretantur, ſed ſegmenta aurea veſtibus adtexi ſolita, ea maximè, quibus ſumma ora veſtis prætexebatur. Et quidem muliebribus priùs

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

tunicis tantùm adſuebantur, poſteà luxu creſcente virilibus quoque veſtimentis adtexi cœpêre; cùm anteà purpurâ tantùm prætexerentur viriles tunicæ, ut erant prætextæ magiſtratuum & nobilium puerorum. Poſt Gallieni inprimis tempora paſſim paragaudæ viriles & muliebres in uſu fuêre, ita ut & milites ſub Aureliano paragaudas acciperent: quas tamen utraſque Valentinianus & Valens Impp. lege prohibuêre, & privatis ademptas ſuis gynæceis tantùm fieri voluêre. Juſtinianus autem earum uſum reſtituit mulieribus, non item viris &c. Græci *lora* hujuſmodi ῥάβδους, i. e. *virgas*, dixêre, vide infrà in voce *Pannus* & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Vopiſc.* A' multitudine igitur pannorum vel faſciarum, h. e. *lororum*, quæ vulgò *bandas* Galli vocant, veſtes *dilores*, *trilores* & *pentelores* dictæ. De *diloribus*, intelligendus Virg. apud quem præmium victori chlamys datur, *Æn. l. 5. v. 250.*

> Victori *chlamydem auratam quàm plurima circum*
> *Purpura mæandro duplici Melibœa cucurrit:*

Cujuſmodi *loris* cùm primitus tunicæ tantùm ornarentur, poſteà & *lineæ loratæ* factæ ſunt: unde apud eund. Vopiſc. in brevi munerum, quæ Hunilæ Bonoſi novæ nuptæ dantur, *dilorium interularum* mentio eſt, non item tunicarum. Poſt Aurelianum verò ex cujus præcepto data ſunt hæc munera, uſque ad *pentelores*, jam Vopiſci ævo, proceſſum eſt. Hodiè, mulierum veſtes, inquit idem Salmaſ. non pentelores tantùm, ſed uſque ad cingulum *loratæ* & zonis ſericis, h. e. paragaudis, diſtinctæ geſtantur. Λωρωτοὺς χιτῶνας hujuſmodi veſtes vocat Achmes, *in Oneirocriticis c. 120.* Idem λωρωτοῦ ἀληθινοῦ meminit; h. e. *purpureæ veſtis loratæ*; ſed & τοῦ ἀπὸ μετάξης λωρωτῶν; nam & ſubſericæ veſtes paragaudæ erant, ut notum ex *Claud.* Trebellii & paragaudæ ipſæ vel lora ex ſerico auro intexto fiebant. Vide eum *toto illo c.* Imò nec *multilores* ſolùm veſtes, ſed vela quoque *loris* ornabantur ac diſtinguebantur. Anaſtaſ. *in Greg. IV. Ibi ipſe fecit & alia duo modica vela fundata, quæ pendent in circuitu altaris, habentque lora viginti quinque: Ibid.*

LORCA, urbec. Murciæ, vide *Ilorca*.

LORDI, pop. Illyrici. Strab. *l. 7. p. 323.* corruptè pro Ἐόρδοι.

LOREA, aliis LAUREA, Varroni LORA, muliebris apud Rom. fuit potus. Cùm enim ex Romuli lege mulieres Romæ atque in Latio ætatem abſtemiæ agere; h. e. vino ſemper, quod *Temetum* priſci dixêre, non minùs ac à *probro & adulterio*, abſtinere tenerentur: bibere ſolitæ fuêrunt A Gell. *l. 10. c. 23.* *Loream, paſſam, murinam, & quæ id genus ſapiant potu dulcia*, eò quòd hæc non tam facile inebrient, De *Lorea* autem ita Varro *de Re Ruſt. l. 1. c. 54.* *Quæ calcatæ uvæ erant, earum ſcapi cum folliculis ſubjiciendi ſub prelum, ut, ſi quid reliqui habeant muſti, exprimatur in eundem locum. Cùm deſiit ſub prelo fluere, quidam circumcidunt extrema, & rurſus premunt, & rurſus eum expreſſum, circumſititium appellant, ac ſeorſum quod expreſſum eſt, ſervant, quod reſipit ferrum. Expreſſi acinorum folliculi in dolia conjiciuntur, eoque aqua additur. Ea vocatur* Lora, *quòd lota acina ac pro vino operariis datur hyeme.* Vide & Columellam *l. 12. c. 40.* & Plin. *l. 14. c. 10.* nec non infrà in voce *Temetum.*

LORENI, Lydiæ pop. Plin. *l. 5. c. 29.*

LORETANUS, portus Tuſciæ, qui & *Trajanus*. Vide *ibi.*

LORETUM, vulgò LOREDO, opp. dit. Venetæ, ad Atheſim, intra ſtagna & paludes, vix 5. mill. ab ora litorali maris Hadriat. ſ. ſinûs Veneti, in regiunc. *Il. Ducato Veneto* dicta.

LORGERIL, nomen illuſtris in Gallia Fam. cujus ſucceſſio domui Rohanenſi, matrimonii jure, illata eſt. Oliverius enim Dn. de *Lorgeril* & *Bodou*, ex Margaretha Bodina, fam. *Mottay*, Gulielmum genuit, Annæ Eſpinææ maritum & patrem Simonis: qui junctâ ſibi Gillertâ Lanvallæâ (*de Lanvallay* filiâ Car. *de Lanvallay* Dn. *de Treſſainct*) ſuſcepit Joh. *de Lorgeril* Dn. *de Repentigné*; quo & Mariâ *Madeuc* Dn. *de la Tourniole* genitus Joh. Dn. *de Lorgeril* Obiit A. C. 1483. Pater ex Johanna Paſtenæa, (filia Joh. Dn. *de Paſtenay*, *Partigne* & Petrinæ *Boutellier*. Dn. *de la Cheſnaye*) Guyonnæ *de Lorgeril*, filiæ unicæ ac hæredis, quæ nupta Joh. *de Rohan* Dn. *de Landal* & *Coatron*, ei ſucceſſionem avitam attulit, Defuncta, A. C. 1502. Phil. Jac. Spener. *Theatr. Parte 2. p. 40.*

LORGITÆ, Hiſp. pop. Polyb. *Ilergetes* nonnullis.

LORIA, ſ. LORII VILLA, locus Tuſciæ, in via Aurelia 12. mill. paſs. Româ. *Ant.*

LORICA, inventum Midiæ Meſſenii, Plin. *l. 7. c. 56.* Tib. Donato deſcribitur his verbis, *ad Virg. Æn. l. 11. v. 770.*

> —— *Quem pellis ahenis*
> *In plumam ſquamis, auro conſerta tegebat.*

Et tetigit, inquit, *ſpeciem, & quomodo facta eſſet lorica, oſtendit. Pelle fuerat tectus ornata ahenis ſquamis & auro fulgentibus. Squama eſt propriè ſerpentis & piſcis —— & ordinibus digeſta eſt & viarum plurimarum impreſſione diſtincta. Quidquid igitur in hanc ſimilitudinem ſubtilitatis artificium fingit, ſquama dicitur. Hæc fit ex minutis laminis invicem ſe retinentibus, quæ ſpeciem faciant ſquamæ & ſint tali digeſtione compoſitæ, ut eſt in avibus pluma, ubi cùm una alteram premit, naſcitur in aſpectu gratia & animum compoſitio ipſa delectat & paſcit.* Ad eundem locum Serv. *loricas* fuiſse indicat, *operimenta, quæ linteo ferreis laminis, in modum plumæ, adnexuerant.* Additque, *pluma eſt in armatura, ubi lamina in laminam ſe indit. Nunc autem pro linteo pellem poſuit, & æneas ſquamas, æneas laminas intelligimus.* Vide quoqu ad *Statii Theb. l. 11. v. 543.*

> *Quâ malè tam plumis imus tegit inguina thorax.*

Hadr. Turnebum *Adverſ. l. 11. c. 25.* Lipſ. *de Mil. Rom. l. 3. c. 6.* &c. Idem Stat. alibi *ſubtegmen durum*, vocat corium, quod *loricæ* ſuberat & corpus tegebat intra illam: illud nim. corium crudum, quod *pectorale* Veteribus fuiſſe, dicit Varro, & nos ſuprà ubi de *Corio crudo*. Qui vero hoc operimento tectus erat, ſive homo, ſive equus, *cataphractum* vocat Serv. ubi ſuprà. Vide quoque in hac voce, ut & ubi de *Clibanariis*, item *Halebergiis*. Atque hactenus *Loricæ ferreæ*: quales in ſacris Timomachi, apud Lacones, præmia fuiſse, diximus ſuprà in voce *Hyacinthus*: uti infrà de ſubulis, quibus defectus earum tentabantur, dicemus aliquid in *Subula*: & de theca ex corio bubulo, quâ tegebantur in voce *Zaba*. Plerique verò militum non habebant *Loricas* hamatas, ſed partem æris, aut ferri procuſam, quæ ſummum pectus tegeret, ima ventris ſatis ſcuto muniente, uti docet Lipſ. de *Mil. Rom.* Sed & *Linteæ* erant. Suet. Galba, c. 19. Loricam *tamen induit* linteam, *quanquam haud diſſimulans, parùm adversùs tot mucrones profuturam.* Cujuſmodi loricis pro thoracibus Vett. uſos eſſe, jam ſuprà diximus, ubi de *Linteis libris*. Fiebant autem operâ atque artificio Coactiliorum & Πιλοποιῶν, qui linum aceto vel auſtero vino, cui ſal adjectum, probe macerabant; deindè ita cogebant, ut ſoliditatem ac craſſitiem lintei octies decies aut ſæpius in ſe complicati haberet. Sic Conradum Imp. ſine ſcuto dimicantem, pro lorica textum quoddam è lino factum adeò firmum adversùs ictus habuiſſe, ut penetrari à nullo telo poſſet, refert Nicetas Acominatus *Rer. Iſaaci Angeli l. 1.* &c. Vide Lazium *de Rep. Rom. l. 8. c. 16.* Torrentium *ad Galbam Suet. c. 19.* Lipſ. *d. l.* Dauſqueum *ad Sil. Ital. Pun. Bell. l. 3. v. 270.* Villiomanum *adv. Titium l. 2. c. 19.* Ferrar. *de Re Veſt.* Caſaub. *ad hæc C. Nep. in Iphicrate c. 1. Idem & pro ferreis atque æneis* loricis *linteas dedit*, & ſuprà *Lintei*: adde eund. Caſaub. *ad Suet. d. l.* & plura de *Loricis ferreis* Vett. apud præfat. Barthium *Animadverſ. ad Stat. Theb. l. 12. v. 774.*

> —— *tunc quà ſubtemine duro*
> *Multiplicem tenues iterant thoraca catenæ,*
> *Incidit.* ——

aliquid etiam infrà in voce *Trilix*. Hinc *Loricatus*, cogn. Dominici, inter ſuos pro Sancto habiti, à *lorica* ferrea, quam per Annos 15. ad carnem detuliſſe dicitur, ut videre eſt apud Petr. Damian. in *Vita* illius & in *Epiſtolis* non ſemel. Sed & in genere *Loricati* dicuntur in Communione Rom. Monachi ſeverioris vitæ, qui pro *mortificatione*, ut ajunt *loricam* ferream, ſuper cute nuda, jugiter induere conſuevêre, de quibus vide Autores laudatos C. du Freſne *in Gloſſ.* uti de alio *Loricæ* genere, in oppugnandis urbibus adhibito, infrà in voce *Oppugnatio* Rationem nominis infrà itidem habes, in voce *Pellis*, it. *Thorax*. Non à *loris*, è quibus primitus fiebant, *Varr.*

LORIUM, locus Tuſciæ, in quo Antoninus Pius educatus, poſtea palatium ibi extruxit. *Lorios* vocat Aurelius Victor: *Igitur Aurelius ſocero apud* Lorios *Anno vitæ poſt quintum & ſeptuageſimum Mortuo confeſtim Lucium Verum in ſocietatem potentiæ accepit.* In Itin. *Loria* dicitur *Via Aurelia à Roma per Tuſciam & Alpes maritimas Arelatum uſque ſic: Loria M. P. XII. Ad Turres M. P. X.* Sed ibi *Lorio* ſcribi jubet Salmaſ. ex vetuſta Peutingerorum tabula. Ab hoc vero *Lorio* longè diverſum *Laurentium* eſt, quò Commodus peſtis tempore ſeceſſit; & in via Hoſtenſi, non longè à Lanuvio. Vet. Tabula, *Hoſtis XVI. Laurento VI. Lavinio XVII.* Unde nulla ratio eſt, cur quidam cum *Lorio* illud *Laurentium* confundere cogitent. Vide Caſaub. & Salmaſ. *ad Capitolin in Pio.*

LORMA, opp. Niverniæ in Gall.

LORNIA, prov. Scotiæ, verſùs Occ. & Æbudas, ubi Stephanodinum opp. præc. Terminatur à Mer. Knapdaliâ, ab Ortu Argateliâ; à Sept. Loquabriâ, ad Occaſ. Oceano Occ. Ibi Epidii olim ex parte. Camd. Vulgò *Lorne*.

de LORRIS Gulielmus, vide *Gulielmus*.

LORUM, Græcè λῶρον, Balſamoni vinculum capitis eſt vel diadema ſ. faſcia Imperatoria: quod *Phrygium* alii dixêre, ut Autor *Donationis Conſtantinianæ*. Utrumque nempè ſumitur pro vitta capitis vel mitra & tiara Imperiali. Phrygium enim adjectivum eſt abſolutè poſitum, ut in re Veſtiaria fieri amat; ſubintelligitur autem Phrygium *pileum*, aut phrygium *lorum*, aut tale aliquid. Similia ſunt *vitta* & *faſcia*; quæ & de vinculo capitis & de veſtium ornatura, de qua retro diximus in *Lorata*, uſurpata occurrunt. Quemadmodum & *Lorum* utrumque ſignificat & veſtis prætextam & diadema; & πεζίδιον, quod propriè oram veſtis, vel quod oræ adſutum eſt denotat, ad caput translatum eſt & pro diademate regio uſurpatum, Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aurel.* In ſpecie *Lorum* appellavit poſterior ætas faſciam illam Conſularem, quam prior *clavum* vel *ſubarmalem* vocavit; quod *Lori* ſ. cinguli formam referret. Leo Gramm. *in Baſilio*, Ἐνθρονίζεται καὶ ἐγκαινίζεται ἡ ἐκκλησία, ἣν πάλιν ἔκτισεν ὁ βασιλεὺς καὶ ἐκαλλώπισε κόσμῳ πολλῷ, παρὰ Φωτίου πατριάρχου, τοῦ βασιλέως ἐν τῷ αὐτῆς καινισμῷ λῶρον φορέσαντος καὶ χρήματα πολλὰ δόντος, *Dedicatur Eccl. quam excitavit Imp. ornatuque plurimo decoravit, à Photio Patriarcha Imp. in ejus dedicatione lorum ferente, & multas pecunias erogante.* Ubi *Lorum* idem quod poſtea *Pallium* dictum eſt, quodque Conſulum & Imperatorum geſtamen ac habitus primùm fuit, C. du Freſne: Græci ὠμοφόριον appellavêre, Latini quoque *Superhumerale*, quia ad humeros circumvolverentur, collumque ambiret. Ideo autem id nominis Conſularibus ac Pontificiis iſtis ornamentis inditum idem ait, quòd ea ætas veſtium ſegmenta *Lora* appellaret, uti diximus, vide omnino eum *Diſſert. de Numiſm. inf. ævi, n. 6. & 7.* ubi pallium Pontificium, quod Silveſtro inter alia conceſſum ajunt à Conſtantino

Mag.

Mag. ſimile Conſulari loro fuiſſe, pluribus contendit. Sed nec Conſules ſolùm, verùm & *Conſulares feminæ*, uti Ulpiano vocantur Conſulum uxores, eodem ac ſimili penè perinde habitu ſunt uſæ, quo conjuges; uti colligere eſt ex iconiſmo qui in vetuſtiſſimo Dioſcoridis codice ſcripto habentur, in Bibliotheca Cæſarea: ubi Μεγαλοψυχία, *Magnanimitas* & Φρόνησις, *Prudentia*, habitu muliebri illuſtriſſimæ Julianæ aſſident; ipsâ vero faſciâ illâ ampliore, collum & humeros amplectente & pectus attingente, exornata conſpicitur. Eidem muliebri *Loro* propemodum illud ſimile videtur, quo uſi ſunt Impp. Occidentales. Extat ſiquidem in Codice Auguſtano Libri Frid. II. Imp. *de Arte Ven.* icon ejuſdem Imp. ſedentis cum paludamento togæ ſuperinjecto, dextraque ſceptrum liliatum tenentis: ſuprà togam verò pendet à collo faſcia latior, gemmis & lapillis diſtincta, ad pedes, quæ baltheo quodam ejuſdem ferme latitudinis circà pectus conſtringitur, quem *Faſciam pectoralem* ſ. στηθόδεσμον poſſumus appellare, ut eſt in vett. *Gloſſis*. Idem ornamentum, in Petro IV. Arragoniæ Rege deſcribit Editor. Uti autem progreſſu temporis Pontificium pallium, apud Latinos præſertim, non faſcia fuit libera ac ſponte defluens, collumque circundans, ſed ad majorem commoditatem ita aptata, connexa ac conſuta, ut formam ſuam antiquam ſervaret, tribus acubus vel aciculis, quas & *ſpinas* aut *ſpinulas* vocabant, caſulæ defixa, in anteriori & poſteriori parte, ut & ad humerum ſiniſtrum; in dextra enim acus non figitur: ita à Græcis Auguſtis *Lorum*, quod primitus liberum fuit, ſimplexque faſcia collo & corpori circumfuſa, poſtmodum ad majorem itidem commoditatem, ſuperiori veſti, quam μανδύαν ſ. ῥοῦχον nuncupabant, aſſutum eſt; ita tamen, ut lori veteris formam quadantenus ſervaret. Id quod omnino deprehendere eſt, in Michaëlis & Manuelis Pælæologi Impp. figuris, apud C. du Freſne delineatis: in quibus non modò neſcio quis ornatus collum ambiens deſcribitur, ex quo ſtolæ ſ. largioris faſciæ ſpecies antè defluit; umbilicum verò circumagit faſcia alia latior, margaritis & lapillis adornata, cum limbo ex opere Phrygio, unionibus perinde ac lapillis pretioſis diſtincto, ubique faſciam ambiente, cujus pars extrema ſiniſtro Imp. brachio ſuſtentatur, ab eo, ut *Conſulare Lorum*, pendula. Quod genus ornamenti Imperatorii Διάδημα vocavit poſterior ætas uti tradit Codin. ut quod veſtes cæteras conſtringat, &c. vide plura hanc in rem apud præf. C. du Freſne *d. Diſſertat. n.* 8. & 9. adde *n.* 10. ubi Stolas Sacerdotales in Eccl. Pontificia ex eadem origine arceſſit ut & in *Gloſſ.* ubi Patriarchas CP. aliosque & Archiepiſcopos, maximè Græcos, ſimile quid, ὠμοφόριον pictum, ab Impp. Græcis, accepiſſe, docet, ac ſuprà, ubi de *Conſulari habitu*, alibique paſſim. Ut & hoc addam, alicubi Seneca *Lora patritia* vocat Patritiorum corrigias, quibus illi calceos ſuos adſtringebant. Cùm enim calcei plebeii unicam tantùm ligulam ſ. corrigiam haberent, quâ religabantur. Patritii ac Conſulares calcei, utpote plebejis altiores, & ad medium uſque crus pertingentes, quatuor corrigiarum erant, Iſid. teſte, quæ inter ſe implexæ uſque ad ſuras aſcendebant. Ita Zonaras *Ann. l.* 2. Patritiorum calceos inſignes fuiſſe ait, τῆτε ἐπαλλαγῇ τῶν ἱμάντων καὶ τῷ τύπῳ τοῦ γράμματος. Has in calceis Patritiis ac Senatoriis ex nigra fuiſſe aluta, innuit Horat.

> *Nam ut quiſque inſanus nigris medium impediit crus*
> *Pellibus.*

Et Juv. *Sat.* 7. *l.* 3. *v.* 292.

> *Adpoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ:*

cùm ipſi calcei vel albi eſſent, vel coccinei, vel aurati, vel etiam κεντητοὶ ſ. ingenioſè interpuncti, donec ſub Imperatoribus poſterioris ævi eorum loco caligas ſumerent Senatores ſ. campagos &c. Vide Alb. Ruben. *de Re Veſt. l.* 2. *c.* 1. *ubi de calceo Senatorio.* A' loris dicti ſunt apud Rom. *Lorarii*, ſervi qui apud Plaut. *Merc. Act.* 5. *Sc* 4 *v.* 43. catenas, & vincula injiciebant conſervis vinciendis: *Lora* enim interpretatur Scholiaſtes antiquus, quæ Juv. *Baltea* vocat *Sat.* 9. *l.* 3. *v.* 111. Conſervos autem eam operam navâſſe, ex Appulejo quoque probatur, apud quem *Met. l.* 9. conſervi Myrmecen vinciunt, & Solicitudo Triſtitieſque, Veneris ancillæ, Pſychen miſellam flagellis affligunt, cæteriſque tormentis excruciant, *l.* 6. Vide Laur. Pignor. *Comm. de Serv.* Fuêre hæc *Lora* coriacea, unde falluntur illi, qui *lora* virgulta eſſe putant, & quidem ex lauro, ut Donatus exiſtimat: Veteribus enim *lorum* corium fuit, undè & *lura* utrem denotat coriaceum. Ita ergo *Loris* coriaceis ſervos domini per conſervos, quemadmodum virgis nocentes magiſtratus cæcidit. Unde apud A. Gell. *l.* 1. *c.* 26. *Plutarchus ſervo ſuo, nequam homini & contumaci, ſed libris diſputationibuſque Philoſophiæ aures imbutas habenti, tunicam ob neſcio quod delictum detrahi cædique eum loro juſſit*, vide Jac. Oiſel. JC. *Notis in loc.* uti de *loris*, à Caſilinis comeſtis, Liv. *l.* 23. *c.* 19. de ratione *loris* naves ſuendi, ſuprà in voce *Liburnæ*.

LORYMA, Doridis urbs. *Larumna* oppid. & *Loryma* locum Pomp. vocat, & Plin. *l.* 5. *c.* 28. *Larymna*. *Doryma* vocat Diod. Sic. *l.* 14. corruptè. Hanc ſcribit Porphyrogenneta 20. paulò amplius millia Rhodo abeſſe: Ex adverſo ipſi urbi, ut tradit Liv. *l.* 37 *c.* 17. & *l.* 45. *c.* 10. *Maxi* Nigro, urbs Cariæ marit. in ora contra Rhodum, Epiſcopal. ſub Archiep. Stauropolitano. *Ferrar.* Strabo *l.* 14. *p.* 652. & 655.

LOS, inſ. circa Theſſaliam. Inſularis *Lous. Steph.*

LOSA, Elizabetha, vide *ibi*.

LOSA, Gall. Aquitan. urbs. *Ant.*

LOSINGA, cogn. Herberti cujuſdam, quem *Epiſcopatum de Tetfordia emiſſe à Rege*, tradit Joh. Brompton. *p.* 991. h. e. adulator, ex Gall. *Loſenge*, i. e. adulatio ſ. falſa laus: unde Italorum *Luſinga* C. du Freſne *in Gloſſ.*

LOSSIUS Lucas, vide *Lucas*.

LOT, fil. Haran. Gen. *c.* 11. *v.* 27. & *c.* 14. *v.* 12. & 16. quem δίκαιον vocat D. Petrus 2. *Ep. c.* 2. *v.* 7. Vide Joſeph. *Antiqq. l.* 1. Ejus ux. cùm intueretur ulterius poſt eum, ſtatua ſalis effecta eſt. Gen. *c.* 19. *v.* 1, 5, 6, 9, 10, 12, 14, 15, 23, 24, 28, 29, & 36. Græcè eſt στήλη ἁλός. Hebraicè à נציב, unde *Niſibis*, quæ eſt *Neſebis*, & *Naſebis*. Sic interpretatur hoc nomen Philo Byblius, apud Steph. *de urbibus*. Statuam autem alii *cumulum*, alii *columnam* vocant. *Diſtat à mari Sodomeo duabus leucis: conſtatque adhuc cumulus ille*, ait Benjamin *in Itiner. qui à gregibus aliquando lambendo imminutus, denuò ad priſtinam creſcit molem.* Thargum Hieroſolymitanum: *Quia ux. Lot erat ex filiabus Sodomæ, reſpexit poſt ſe, ut videret quid tandem eventurum eſſet domui patris ſui: & ecce ipſa ſtetit* (i. e. manſit) *columna ſalis, duratura uſque ad tempus illud quo reviviſcent Mortui.* Hanc ſuo etiam tempore ſuperfuiſſe teſtantur Joſeph. & Clem. *Ep. ad Romanos*, vide Burchard. & alios qui ibi fuêre. Sulp. Severus: *Sacr. Hiſt. l.* 1. *c.* x. *Sed mulier parum dicto audiens (humano malo, quo ægrius vetitis abſtinetur) reflexit oculos, ſtatimque in molem converſa traditur.* Cyprian.

> ——— *Et ſimul illic*
> *In* fragilem *mutata* ſalem *ſtetit ipſa ſepulcrum.*

Tertullian. *carmine de Sodoma.*

> ——— *Ipſa ſibi formam ſine corpore ſervans*
> *Durat adhuc, nunquam pluviis nec diruta ventis.*
> *Quin etiam ſi quis mutilaverit advena formam,*
> *Protinus ex ſeſe ſuggeſtu vulnera complet.*

Cæterùm ux. Lotd in ſalem converſa, magno admonuit Sacramento, neminem in via liberationis ſuæ præterita deſiderare debere, uti notat Auguſtinus. Unde Prud. Hamartigenia *v.* 735, 740, 760, & 768.

> *Nemo memor Sodomæ, quæ mundi forma cremanda eſt,*
> *Ut ſemel è muris greſſum promoverit, ore*
> *Poſt tergum verſo reſpectet funera rerum.*

Inceſtum hic Lothus cum filiabus ſuis inſcius commiſit. Ratio autem, quæ filias ejus ad hoc facinus commovit, hæc à Joſepho refertur: Αἱ δὲ παρθένοι πᾶν ἡφανίσθαι τὸ ἀνθρώπινον ὑπολαβοῦσαι γένος, πατρὶ πλησιάζουσι ἐπινοήσασαι λαθεῖν, ἐποίουν δὲ τοῦτο ὑπὲρ τοῦ μὴ γένος ἐκλιπεῖν. Sulp. Sev. *Sacr. Hiſt. l.* 1. *c.* x. *Lothi autem filiæ exiſtimantes humanum genus interiiſſe, concubitum inebriati patris appetivêrunt* Licitum ſiquidem arbitratæ ſunt, quod ab Arabibus vicinis quotidie fieri intelligebant, ut Strabo docet. Sed fœdum hoc facinus haudquaquam, quos Chryſoſtom. facit, excuſandum eſt. Nic. Lloyd. D. Hier. *Tom.* 1. *Ep.* 22. *p.* 63.

LOTHAN, fil. Seir Horræi. Gen. *c.* 36. *v.* 20.

LOTHARII Regnum, poſteà LOTHARINGIA, nomen accepit non à Lothario Lud. Pii Imp. maximo natu fil. cui in diviſione paternæ hæreditatis A. C. 843. facta, obrigit, præter alia quidquid hinc Rheno & Alpibus, inde Carbonariis, aut Scaldis, Moſâ, Arari Rhodanoque, uſque ad mare Gallicum continetur, unà cum Comitatibus & villis publicis, utrique eorum fluminum ripæ adjacentibus: quibus terminis Auſtraſia, & pars major Burgundiæ ac Provincia includitur: Sed à Lotharii Aug. fil. Lothario, fratre Lud. natu maximi, quem pater conſortem Imp. fecerat, & Car. cui Provincia cum Ducatu Lugdunenſi contigit. Hoc regnum tenuit Lotharius Rex per Annos 14. uti poſtea Zuentibaldus, Arnulphi è concubina fil. per ſexennium, qui A. C. 900. à ſuis in prælio interfectus eſt. Continebat Regnum Lotharii civitates claras, Trajectum inf. vel Batavorum, Coloniam Agrippinam, & Tungros, ſ. provinciam Germaniam ſecundam; Treviros, Mediomatricos, uti anteà Regum Auſtriæ ſedem, ſic tum Regni Lotharii caput, Tullum, Verodunum, i. e. provinciam Belgicam primam; Camaracum urbem Belgicæ ſecundæ; Argentoratum ſ. Stratæburgum in Germania prima; Veſontionem, Baſiliam, Lauſanam, Belicam, h. e. provinciam Maximam Sequanorum, Darantaſiam ac Sedunos, ſive provinciam Alpium Grajarum & Penninarum; & Genevam in provincia Viennenſi: ex quibus poſtea Genevam, Lauſanam & Sedunos Imp. Lud. majori fratri ſuo; Car. minori fratri Provinciæ Regi Darantaſiam & Belicam ſive Biliſium Lotharius Rex dedit, ut Ann. Bartiniani docent. Ab Oceano igitur Britannico ſive ab oſtiis Rheni uſque ad Alpes Grajas atque Penninas *Regnum Lotharii* longè lateque pertinebat: ibique erant præ cæteris Comitatus Teſtrebantum; Batua vel Comitatus Batavorum, Hattuariæ, Moſanus pagus, ſup. & inf. Maſau vulgò tum dictus, Ripariæ corrupto nomine Ribuariæ nuncupatæ, Varaſci, Eliſatia, Friſiæ, Comitatus Moſellenſis, Comitatus Arduennenſium Comitatus Condruſtus, Comitatus Toxandrus, Bracbantum 4. Comitatus complectens, Hainoum vel Hainaum, pagus Lomenſis, pagus Hasbanius, quatuor Comitatus continens, Vaurenſis duos, atque Caſtritium, ſicut docet toties ſupra laudata Diviſio Regni Lotharii: ex quibus, antèquàm ibi Regnum fieret, quatuor Ducatus fuerant, nimirum *Ducatus Moſellicorum, Ripariorum, Eliſatiæ, Friſiæ*: quemadmodum Ann. Bertiniani in rebus Anni 839. teſtantur. Ex quo patet, Lotharii Regnum non Auſtriam modò, quæ Rheno ac Scaldi Moſaque fluminibus claudebatur, ſed etiam partem non modicam veteris Regni Burgundiæ, videlicet provinciam Maximam Sequanorum & Helvetiorum, apud quos pagus Tigurinus Auſtriæ olim adſcribebatur, Aleſatiam, Auſtriæ quondam per Annos ferè centum portionem, jam inde ab A. C. 609. Burgundiæ attributam, provinciam Alpium Grajarum & Penninarum, & Genevam pagumque Genevenſem complexum eſſe. Et Sequani quidem ac Helvetii A. C. 888. Regno Lotharii detracti, ac Burgundiæ ſuæ ſunt redditi, & his in partibus circa Ju-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ram atque Alpes Penninas novum Burgundiæ Regnum priore multò anguſtius eſt conditum: quæ Sequanorum urbes Lauſanna & Belica cum Geneva provinciæ Viennenſis urbe, nec non Alpium Grajarum metropolis Darantaſia, & civitas Sedunum donatione Regis ipſius Lotharii, à Lotharingia ſeparatæ, & Burgundiæ reſtitutæ fuêrunt. Sigebert. *in Chron. ab* A. C. 850. *ad* A. C. 1112. *in Regno Lotharii*, quod modò *Regnum Lotharingiæ*, modò idque ſæpius *Lotharingiam* appellat, ponit *Comitatum Montenſem*, aliàs *Comitatum Haginoenſium* & *Hagionenſium* eidem dictum; *Ducatum Moſellanorum*; *Comitatum* Lovanienſem, *Comitatum Trevirorum*, *Comitatum Namurcenſem*, *Comitatum Lemburgenſem*, & quem nomine totiùs Regni *Ducatum Lotharingiæ* appellat. In A. C. 941. Lotharingiæ *Alſatiam* adſcribit; in A. C. 1007. *Walachras*. Quibus poſteà Comitatus Hollandiæ & Zelandiæ, Ducatus Clivenſis, Gelrenſis, ac Juliacenſis ex Comitatibus facti, Ducatus Brabantiæ, Ducatus etiam Luciliburgenſis accrevêrunt, aliaque complura. Autor Ann. Mettenſium in A. C. 865. & 866. Regnum Lotharii, cujus ſedem Aquiſgranum fuiſſe docent Ann. Mettenſes in A. C. 869. modò *Galliam*, modò *Franciam* improprio & nimis latæ ſignificationis nomine appellat; Pars *Orientalis Franciæ* aliis dicta eſt. Otho Friſingenſis Ep. *in l.* 6. *Chronicorum c.* 18. *Belgicam Galliam*, & abſolutè *Belgicam* nuncupat Regnum Lotharii, propterea quòd Belgica prima tota, Camaracum Belgicæ ſecundæ civitas, Germania ſecunda integra, & pars Germaniæ primæ, ac Maxima Sequanorum, i. e. de quinque Belgarum provinciis tres totæ, duæ ex parte eo Regno continebantur. Apud Conrad. Abbatem Urſpergenſem *Giſilbertus Dux Belgarum* vocatur: qui Giſelbertus Dux Lotharienſium erat, & *Belgica* Regnum Lotharii ſ. Lotharingia. Lotharingiam latè ſumptam pro Regno Lotharii, *Regnum Germaniæ* impropriè vocat cæteris Gaufridus Monachus Claravallenſis *in l.* 4. *de Vita S. Bernardi*, *c.* 3. 5. & 6. ſ. partem & appendicem Regni Germaniæ, quippe *Bobardum*, *civitatem Baſileam*, *Treveros*, *Confluentiam*, *Coloniam*, Leodium, & *Cameracum*; *Moguntiam* quoque, & *Spirenſium civitatem*. ſ. Nemetas in *Regno Germaniæ* ponit: quas Lotharingiæ urbes à prima Regni origine extitiſſe excepto Moguntiaco & opp. Nemetum conſtat. Sed poſtquam Regnum Lotharii & Regnum Germaniæ unius eſſe Principis cœpêre, Car. Craſſi & Arnulphi Principatu, Moguntiacum, licèt Franciæ Orientali vel Teutonicæ cum Nemetis & Vangionis jam inde ab A. C. 843. attribueretur; cum ambabus his urbibus adſcriptum eſt Lotharingiæ, cujus finibus includebatur. Primus omnium, aut unus è primis Luitprand. ante Annos ſeptingentos *Lotharingiæ* & *Lotharingorum* nomina uſurpavit, cùm tamen *Regnum Lotharii* etiam vocet. Galli *Lorenne* & *Lorraine* dixêre: Germani *Lotringen*, aliàs *Lotharing* appellavêre, nomine ex *Lotharingia* deducto. Poſt mortem Lud. Regis Germaniæ, qui Zuentibaldo fratri in Regnum Lotharii ſucceſſerat, ſ. poſt A. C. 912. Lotharingiæ, nondum in duos Ducatus diviſæ, Duces præfuêre, Giſilbertus, vel Giſlebertus, pòſt Henr. Othonis Regis frater, tum Otho, dein Conradus gener Regis Othonis: ac poſt Conradum propter defectionem deſtitutum, Bruno Regis Othonis frater, Colonienſis Archiep. Ducatum Lotharienſium adeptus eſt, & ſecundas partes in Regno fratris ſui potenter ac induſtriè adminiſtravit, *Archidux Lotharingiæ* ob id à Sigeberto dictus. In Regno *Lotharii* vel *Lotharingia* duo præ cæteris Ducatus maximi & nobiliſſimi fuêre, nomine totius regni & ipſi *Lotharingia* appellati, atque à ſitu & fluminibus cognominati. Alterum Ducatum *Lotharingiam ſup.* nec non *Lotharingiam Moſellanam*; alterum *Lotharingiam inf.* atque etiam *Lotharingiam Moſanam* nuncupavêre. Prior *Ducatus Moſellanorum* ſemper vocatur à Sigeberto, à Wippone *Ducatus Lotharingorum*; poſterior à Wippone *Ducatus Ribuariorum*, i. e. Ripariorum, à Sigeberto ſemper *Ducatus Lotharingiæ* appellatur. Ex quo judicari poteſt, ambos iſtos Ducatus in Regno Lotharii, poſt domeſticorum Regum Obitum Lotharii ac Zuentibaldi, non tam primùm conſtitutos quàm reſtitutos fuiſſe, ac veluti revixiſſe. Quippe *Ducatus Moſellicorum*, & *Ducatus Ribuariorum* in Ann. Bertinianis A. C. 839. fit mentio: quo tempore Lud. Pius Aug. Imp. Lotharii pater, Regis Lotharii avus apud Francos regnabat. Ducatum Lotharingiæ ſup. Wippo *de Vita Chunradi Salici*, *Lotharingorum Ducatum* ſ. proprio nomine nuncupat, ut ſuprà diximus; Sigebertus à flumine, cui eſt appoſitus, *Ducatum Moſellanorum* appellare conſuevit. Qui Sigeberti Chronicon attentè perlegerit, hoc ſtatim agnoſcet. Certè Wippo non aliter, quàm *Lotharingorum Ducem Fridericum*, non aliter quàm *Ribuariorum Ducem Gozelonem* nominat: ex quibus Fridericum Ducatui Lotharingiæ ſup. Gozelonem Ducatui Lotharingiæ inf. ac poſteà ſimul ſup. præfuiſſe conſtat. Sigebertus Frid. hunc *Moſellanorum Ducem*; Gozelonem vel *Gothelonem Ducem Lotharingiæ* ubique vocat: quem *Frid. Mortuo*, *ab Imp. Conrado etiam Moſellanorum Ducatum* A. C. 1034. *impetraviſſe* ſcribit: minùs ut mirum ſit, Gothelonem, qui ambos Lotharingiæ Ducatus obtinuit, alterum Annis 26. alterum 10. ab Wippone nunc *Ribuariorum Ducem* nomine prioris Ducatus ſui, nunc *Ducem Lotharingorum* nomine ejus quem poſteriorem obtinuit, nuncupari. Frid. à Brunone Lotharingiæ Archiduce primum Moſellanorum Ducem A. C. 959. factum eſſe prodit Miræus, ejuſque rei autorem Frodoardum laudat: apud quem tantùm dicitur Bruno A. C. 959. *Frid.* fratrem Adalberonis Metenſis Ep. Hugonis Principis generum, ex Comite *Lotharienſibus vice ſuâ præfeciſſe*: quem & *Fred.* *Lotharienſium Ducem* in A. C. 960. appellat; *Frid. Galliæ Medianæ Ducem* Vita Adalberonis junioris, ejus filii, Metenſium Ep. ita ut totam Lotharingiam, an partem ejus ſub Brunone rexerit, incertum ſit. Ducatum Moſellanorum A. C. 1048. ab Imp. Henr. obtinuit *Gerardus de Alſatia*, ut Sigebertus tradit, à quo Lotharingiæ Duces genus deducunt. Sedes Ducum Moſellanorum ante Annos minimùm 360. Nanceium fuit: unde etiam pro *Ducatu Moſellanorum* vel *Ducatu Lotharingiæ Ducatus Nanceji* vocitabatur. Lotharingiam Moſellanam in Septentrionalem & Meridianam, ſive in ſup. & inf. quædam dividunt tabulæ. Ducatus Lotharingiæ inf. multò minùs Ducatu ſup. nunc notus eſt: quem quidam recentiſſimi ſcriptores à ſitu *Ducatum Moſanorum* vocitant, ut alterum *Ducatum Moſcellanorum* vett. dixêre. Hunc Sigebertus non aliter quàm *Ducatum Lotharingiæ* velut proprio nomine ſolet appellare: Wippo *in Vita Chunradi Salici*, *Ribuariorum Ducatum* vocare maluit, *Lotharingorum Ducem Frid. Ribuariorum Ducem Gozelonem* nominans, qui tum ſolius Moſanæ vel inf. Lotharingiæ Dux erat, at poſteà Moſellanos etiam Mortuo Frid. obtinuit. Idem Wippo ſcribit, *ex parte Germaniæ Saxones cum Sclavis*, *Francos Orientales*, *Noricos*, *Alamannos* ad eligendum Imp. *conveniſſe*; *de Gallia verò Francos*, *qui ſupra Rhenum habitant*, *Ribuarios*, *Lotharingos coadunatos eſſe*. *Ribuarii* heic ſunt Lotharingi inferiores, qui inter Rhenum, Ruram & Moſam habitabant, circà Noveſium, Coloniam Agrippinam, Bonnam, Tolbiacum, Marcodurum, Juliacum & Antonnacum: quæ vett. Ripariorum ſedes erant, quos *Ripuarios* & *Ribuarios* recentiores dixêre. Hæc igitur loca Ducatûs Lotharingiæ inf. fuêrunt: ad quem opp. S. Trudonis cum Advocatia Monaſterii ejus, opp. Aquiſgrani, ubi Ducum ſedes judiciaria exſtitit, caſtellum Rode, Gemelacum vel Gemblacum veteri Monaſterio clarum, Bruxellam, Andoverpum, Noviomagum Batavorum ad Vahalim, aliaque oppida pertinuiſſe, variis ex Chronicis diſcimus. Primum Lotharingiæ inf. ſ. Moſanæ Ducem præfuiſſe Car. Lud. Tranſmarini Regis Francorum fil. Lotharii fratrem, docent hæcce verba Sigeberti. A. C. 977. *Ducatus Lotharingiæ datur Karolo*, *fratri Lotharii Regis Francorum*, *multis inſuper conducto beneficiis*, *ut & ipſe ab inſolentiis deſiſtat*, *& fratris ſui Lotharii motibus obſiſtat*. Car. ab Imp. Othone ejus nominis ſecundo Ducem factum, Bruxellæ ſedem ſtatuiſſe recentes Autores aſſerunt, ubi in inſ. fluminis Sennæ Palatium exſtruxerit non longè à Baſilica S. Gaugerici. Alii *Eihamum* vel Einhamum *caſtrum munitiſſimum*, ſedem præcipuam fuiſſe Ducatûs Lotharici, ab eoque Godefridum, qui Othoni Car. fil. A. C. 1005. in Ducatum Lotharingiæ ſubſtitutus eſt, *Eihamenſem* cognominatum eſſe tradunt: quæ verba in Lipſiano codice Chronici Sigeberti reperiri ait Miræus. Sed tamen Lotharingiæ inf. Duces circa A. C. 1055. Andoverpum pro ſede habuiſſe, indicat ipſe Sigebertus: qua in urbe & Godefridus Gibboſus, Dux Lotharingiæ ejuſdem, A. C. 1076. à ſicario interemptus eſt. Godefridus, Idæ Godefridi Gibboſi ſororis fil. patre natus Euſtathio Bononiæ Comite, quem ob id *Godefridum de Bolonia* quam *Godefridum de Bulonio* appellari malim, A. C. 1089. avunculo in Ducatum inf. Lotharingiæ ſucceſſit, & A. C. 1099. Rex Hieroſolymitanorum eſt ſalutatus. Ex quo apparet, Duces Lotharingiæ Moſeltanæ vel ſup. nihil ad Godefridum hunc Regem, nihil ad Hieroſolyma, nihil ad Judææ Palæſtinæque ac Phœnices Regnum pertinere. A. C. 1106. Henr. Lemburgenſi, qui per ſexennium Dux Lotharienſium inf. fuerat, propter crimen læſæ Majeſtatis Ducatus Lotharingiæ ablatus eſt, & Godefrido Comiti Lovanienſi datus: quem Godefridum nunc *Ducem Lovanienſem*, nunc & impropriè *Lovanienſem Comitem* Anſelmus Abbas Gemelacenſis vel Gemblacenſis vocat; Appendix Gemelacenſis modò *Godefridum Lovanienſem*, *Ducem Lotharienſium*, modò *Ducem Lovanienſem*. Ejus fil. *Godefridum juniorem*. 2. *Ducem Lotharingiæ* A. C. 1142. *Ducatûs ſui quarto*, *immaturâ morte præreptum*, *& Lovanii in templo tumulatum* eſſe, in eadem Appendice reperio. Mortuis ambobus Godefridis avo ac patre, Ducatum Lotharingiæ inf. tenuit Godefridus infans, primum ætatis Annum agens, & in ſequenti A. qui erat C. 1143. paternum beneficium ac honorem de manu Conradi Regis accepit: quem *Godefridum juniorem*, *Ducem Lotharingiæ*, nec non *Ducem Lovanii Godefridum juniorem*. Monachus Affligemenſis nuncupat; *Godefridum Ducem Lovanienſem* Monachus Aquicinctenſis. Lovanium ſub Godefridis ſedes Ducum Lotharingiæ inf. eſſe occœpit. Lovanienſes iſti, depoſitâ Comitum Lovanii appellatione primùm *Lotharingiæ* ſolius, deinde *Lotharingiæ* ſimul *& Brabantiæ Duces* dicti; nonnunquam ſed minus propriè) à ſede ſua *Lovanienſes Duces*. Unde Reges Hiſpaniæ de domo Auſtriaca, qui Ducibus Burgundiæ in eos Ducatus ſucceſsêrunt, *Duces Lotharingiæ & Brabantiæ* hodieque dicuntur, *Ducs de Lothier & de Brabant*; aliàs *Dues de Lotrich & de Brabant*. Quidam titulum Brabantiæ titulo Lotharingiæ, tribus ferè Seculis altero vetuſtiori, malè præponunt. Lotharingiam inf. Galli *Lothier* dixêre à Chlotario vel Lothario, quem nunc *Lothaire* nuncupant, olim *Loher* & *Lothier* vocitabant, Germani *Luther* nominant: qui & Lotharingiam inf. demptâ literâ *n* *Lotrich* appellavêre, quaſi *Lotringen*, vel certè ea provincia *Lotrich*, Germanicâ linguâ, quaſi *Lotreich* ait (ut Scalig. ſcribit) *Lotar-riick* vocata eſt, i. e. *Lotharii Regnum*. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LOTHARINGIA, quaſi LOTHAR-RIICK, reg. & ducatus Gall. Belg. à *Lothario* Rege Gall. ſic dicta, olim *Auſtraſia*; quæ tamen magis patebat, inter Moſam, Rhenum, & Scaldim fluv. extenſa. Dividitur in Sup. quæ & Tullingia & Moſellanica dicta fuit, nunc *la Loraine*, & Inf. Brabantiam, ac adjacentes Belgii regiones complectentem. Baudr. eſt inter Campaniam ad Occ. & Alſatiam ad Ort. inter Luxemburgum ad Sept. & Com. Burgundiæ ad Mer. Dividitur in Lotharingiam propr. quæ ad Ort. tendit, & in Duc. Barrenſem ad Occ. Sed urbes Virdunum, Divodurum & Tullum, cum territ. ſuis non ſunt in Lotharingia, licèt intra ejus fines. Regio eſt altiſſimis quidem montibus, ſylviſque denſiſſimis referta, non tamen opis alienæ indiga, per ſe vini frumentique & ſalis ac metallorum ferax. Mediomatrices & Leuci pop. hîc olim. Caput Nancejum eſt. Obtigit hæc regio tertio fil. Lotharii Imp. Lothario, cum omni eo, quidquid paternæ hæreditatis trans Alpes reliquum fuit. Hoc Mortuo, illam omnem occupare quidem niſus eſt Car. Calvus Imp. ſed à fratre Lud. Germanico

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

manico repulſus eſt. Itaque A. C. 870. inter duos fratres illos duas in partes regnum Lotharingiæ divitum eſt. Car. dein Calvo & fil. ejus Lud. Balbo Defunctis, cùm in Gallia rerum potirentur duo filii nothi illius Balbi, & legitime natus Car. Simplex infans eſſet: omnem Lotharingiam Germanico ſuo regno adjecit A. C. 880. Lud. Ludovici Germ. fil. & Pii Cæſaris nepos, ac Hugonem Lotharii Regis ex pellice Waldrada fil. feliciter compeſcuit. Dein ſine prole Lud. Defuncto, Zuentiboldo Arnolphi fil notho cum regio tit. in publicis regni Comitiis Wormatiæ habitis, ceſſit. A. C. 896. Verùm paulò poſt in corpus Germanici Imperii rediit. Sic manſit ſine controverſia regnum hoc (ſi excipias defectum inde A. C. 888. Burgundiæ Juranæ regnum) in ditione Germanicorum Regum uſque ad A. C. 912. quo Car. Simplex, fractis per Hungaros & civiles diſſenſiones regni Germ. viribus *Lotharingiam* pene omnem recepit: quam tamen Germanorum Regi, Henr. Aucupi reddidit. A. C. 922. aliis *Lotharienſe* Regnum huic ſe ſubdidiſſe, A. C. 925. referentibus. Sed Lud. Transſmarinus, Simplicis fil. Lotharienſes iterum Regi ſuo Othoni I. qui ſe *Regem Lotharienſium & Francigenum* vocabat, ſubtraxit, A. C. 936 donec hi Giſelberto factionis capite Rheno merſo ad obſequium rediêrunt, pace conſtitutâ A. C. 942. Verùm Lotharius Tranſmarini fil. bis Lotharingiam infeſto exercitu rurſus invaſit, nempe A. C. 977. ab Othone II. Imp. Luteriam uſque pulſus, & A. C. 984. ut illam Othoni III. Imp. adhuc puero, conſobrino ac ſororio ſuo contra Henr. Bavari conatus conſervaret. Ita Conring, *tr. de finib. Imp.* Ex aliis, Lud. Tranſmarino fil. Lotharius in regno Galliæ, in Lotharingia vero fil. Car. ſed ſub fide Imperii ſucceſſit: quem cùm frater regno excutere vellet, ab Othone II. repreſſus eſt, circà A. C. 978. Car. dein, contra Hugonem Capetum, regnum Galliæ ſibi aſſerens, victus captusque eſt A. C. 987. Ei nihilominus in Lotharingia fil. Otho ſucceſſit. Poſteà regionem hanc Godofredo Gibboſo donavit Henr. II. Imp. circa A. C. 1015. eamque raptantem Balduinum Flandrum ad pacem adegit. Ad Theodoricum dein Strenuum, A. C. 1080. pervenit, à quo hodierni Lotharingiæ Principes orti: Cujus fam. autor Gerhardus fertur Dux Lotharingiæ ſup. fil Hugonis Comitis, (qui communis trium familiarum ex Alſatica procedentium, Lotharingicæ, Dagsburgicæ & Habſpurgicæ pater eſt) nepos per hunc Eberhardi Jun. qui vivere deſiit A. C. 900. Vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Gen. Hiſt. in fam. Auſtriaca.* Qui priorum quoque Lotharingiæ Ducum familiam à Raginero, Hasbaniæ & Hainaci Duce patre Giſilberti præfati, celebris Lotharingiæ Ducis arceſſit, *in fam. Haſſiaca.* Epiſcopatus Metenſis, Virdun. & Tullenſis, ab Henr. II. Gall. Rege ſub poteſtatem redacti, cum aliis quibuſdam locis, hodieque ſub Gallis ſunt; Duce Car. haud pridem denuo toto Principatu pulſo, cujus Mortui A. C. 1674. nepos ex fratre Car. hæres, exercitûs Imperialis hoc tempore contrà Galliæ Regem Dux, jus ſuum ſtrenuè perſequitur. Conſuli poſſunt præter jam memoratos Autores, Limnæus *de Jure Publ.* Merula, Ortel. Cluv. *Geograph.* Godofred. S. Matth. Vignier. *Orig. fam. Lotharing.* Champier. *Chron. Auſtraſ. & Geneal. Duc.* Edmondus du Boullay, *Geneal. Princip. Lotharing.* Rich. Waſſeburg, *Antiq. Gall. Belg.* Franciſcus de Roſieres, *Stemm. Lothar. Duc.* Vide & ſupra in *Lotharii regnum.* Cæterùm de Ducalis hujus Fam. quæ inter Europæ antiquiſſimas, origine ab Alſatis ducenda, atque ita cum pluribus Erchinoaldinæ gentis ſuperſtitibus ſtirpibus agnatione, nunc quam olim Genealogorum ſtudio clariùs conſtat. Fuit autem ille Erchenbaldus vel Erchinoaldus, fil Gerbertæ, Richomere Patricio & Gertrude Hainaticenſi genitæ, ex Ega Majore Domûs; ipſe Dagoberti Regi Franciæ conſanguineus, de genitrice ejus ac Clotharii II. Palatii Magiſter. Alii patrem ei dant Guntramum Alemanniæ Ducem, matrem Gutham Clodovæi Regis ſororem: Nonnulli Pipinum de Landis Duc. Brabantiæ & Tungrorum Dominum, ex Itha ſ. Hitta, Aquitaniæ Com. filia: Vitam edidit Hier. Gebwilerus A. C. 1521 ſed multis fabulis refertam. Hujus itaque, Defuncti A. C. 661. fil. fuit Lendiſius ſ. Leudeſius, itidem Major Domûs, pater Ethiconis ſ. Athici cogn. *Adelrici*, qui, Alſatiæ Ducatum à Theodorico nactus, Ehenhemii habitavit. Inter hujus filios, maximus natu Adelbertus Dux Alſatiæ fuit, è cujus poſteris Kyburgenſes, Thurgovienſes, Winterthurios, Wendelburgios, Helfenſtenios Comites; primos inſuper Guelphos; nec non Burgundiæ & Capetinos Galliæ Reges derivant: Secundo-genitus Etho ſ. Hetto, Alberiam genuit, patrem Eberhardi Sen. quo genitus Eberhardus Junior, fil. habuit Hugonem Comitem qui communis trium familiarum ex Alſatica hac prodeuntium, *Lotharingicæ*, Dagsburgicæ & Habſpurgicæ C. Parens eſt, ut videre eſt apud Joh. Jac. Chiffletium *Comm. pecul. hac de re edito.* Quamvis enim priores filios Gerhardum & Hugonem alii ſine liberis Deceſſiſſe, & hæredem Guntramum habuiſſe aſſerant: rectiùs tamen Vignierius, quique hunc ſequuntur, illum Metenſium Comitem faciunt, cujus poſteri alii quidem Metenſem Comitatum retinuêrunt; Albertus autem & Gerhardus fratres, Duces *Lotharingiæ ſup.* facti, & ex his Gerhardus, ampliſſimæ ſtirpis autor, Duces *Lotharingiæ*; qui nunc quoque ſuperſunt, & plures ramos in Gallia produxêre, tum aliquos Flandriæ Comites & Egeshemios quoque Comites proſevit, Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Hiſt. in Fam. Auſtr.* Cùm verò Fam. *Lotharingicæ* complures eſſent rami, omnium, qui nunc ſuperſunt, communis pater eſt Renatus Dux Lotharingiæ, Extinctus A. C. 1508. Ab ejus enim fil. minori Claudio, Guiſiæ Duce, *Lotharingicæ* lineæ, quæ in Gallia ſedem fixêre, & à diverſis Principatibus Guiſiæ *(de Guiſe)* Gaudioſæ (*de Joyeuſe*) Meduaniæ (*de Mayenne*) Aumaliæ (*d'Aumale*) Ellebovii (*d'Elbeuf*) Harecurtis (*de Harcourt*) cognominantur, deſcendunt. A majori verò fil. Antonio, (præter collateralem ſurculum Mercurii, *de Mercœur*, Ducum) deſcendunt ipſi Lotharingiæ Duces, quorum Progenitores ſic habent: Renatus prædictus, ex Philippa, filia Adolphi Egmondani Ducis Geldriæ, pater fuit Antonii Ducis Lothar. qui, Defunctus A. C. 1544. ex Renata Borbonia (filia Gilberti Borbonii Com Montſpenterii) reliquit fil. ac ſucceſſorem Franciſcum Extinctum A. C. 1545. Hoc & Chriſtinâ Danicâ (filiâ Chriſtierni Regis Daniæ & Norvegiæ) genitus Car. Dux Lothar. Deceſſit A. C. 1608 Pater ex Claudia Francica (filia Henr. II. Regis Franciæ) Henr. Ducis Lotharingiæ & Franciſci Ducis Lothar. Com. *de Vaudemont*: quorum ille, Defunctus A. C. 1624. ex Margaretha Gonzagea (filia Vincentii Mantuæ Ducis) duas habuit filias, Nicolaam (nat. A. C. 1608. uxorem Car. Duc. patruelis, Den. A. C. 1657) & Claudiam (itidem Franciſci Nicolai Ducis Lothar. patruelis conjugem Den...) Iſte ex Chriſtina Salmenſi (filia Pauli Comitis) Car. ſuſcepit Ducem Lothar. Nicolaæ præfatæ maritum, & haud pridem Mortuum, ac Nicolaum Franciſcum Lotharingum, pridem Card. ſed poſtea Claudiâ agnatà ductâ, genitorem Ferdinandi, (qui nat. A. C. 1639. Obiit A. C. 1659.) & Car. VII. qui nat. A. C. 1643. patruo in Ducatu ſucceſſit, & Exercitûs Imperialis ſupremus Dux, uxorem ſibi junxit Eleonoram Mariam Auſtriacam (filiam Ferdinandi III. Imp. & Eleonoræ Gonzageæ, ac Michaëlis Thomæ Korybuthi Poloniæ Regis viduam.) ex ea egregiæ prolis parens Extinctus ſubitâ morte, in itinere ad Imp. A. C. 1690. poſt plurima, in Hungaria contra Turcas, & Germ. ſup. contra Gallos fortiſſimè ac feliſſimè geſta. Vide Autorem *Vitæ* ejus Gall. ſcriptam: Eum excepit fil. Leopoldus. Cæterùm genealogiam præf. exhibet. Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Parte I. p.* 85. & 103. nec non *Arte Heraldica Tom.* 2.

LOTHARINGUS Johannes, vide *ibi.*

LOTHARINGUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

LOTHARINGUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

Imperatores Romani variique Reges.

LOTHARIUS I. Lud. Pii Rom. Imp. ex Ermengarde fil. & ipſe Imp. ab A. C. 817. regnavit. Filii Lud. propter regni diviſionem vehementiſſimis poſtmodum inter ſe odiis cum exarſiſſent, arreptis armis in Altiſſiodorenſibus apud Fontanicum campis, coactis copiis, prælium commisêrunt graviſſimum: in quo ſtrages Francorum, quanta nunquam alia, facta eſt. Superatus Lotharius fugâ ſalutem quæſivit Blond. *l.* 1. Lud. fil. conſortem Imperii ſumpſit, A. C. 850. Imperio ſe abdicavit, & monaſticum induit habitum: in quo & animum Deo reddidit in monaſterio, quod Prumia dicitur, A. C. 855. diviſo inter filios ex Ermengarde, fil. Hugonis Ignavi, Lud. Lotharium & Car. regno: Lud. enim Imperium & Italiam, Lothario Lotharingiam, Car. Provinciæ regnum tradidit. Æmil. *l.* 3. A. C. 856. Aimon. *de geſtis Francorum.* Flodoard. *in Chron. & Hiſt.* Ado & Rheginio, *in Chron.* Ejus, ut & Lud. Pii patris, ac Car. Mag. avi, Leges Eccl. ſ. *Capitula* collegit Auſegiſus, Abbas Laubienſis vel Lobienſis, poſtea Archiep. Senonenſis, de quo vide ſuprà. Pithœus verò, nihil inter ea proprium *Lotharii* eſſe cenſens, *ejus nomine tantùm extare quædam ex his ipſis decerpta Capitula ad Italiæ Regnum, quæ jam olim L. L. Longobardicarum libris inſerta & Car. cujuſdam Cotti Siculi Comm. ante Annos 308. expoſita leguntur*, addit. Vide Gerh. von Maſtricht JC. *Hiſt. Juris Eccl. n.* 193. & 197.

LOTHARIUS II. Imp. Occidentis, Dux Saxoniæ, fil Gebhardi, Comitis Arnsbergenſis, ex Hedvige Burggravia Norimb. Henr. V. ſucceſſit A. C. 1125. Renaldum Burgundiæ Comitem, juſſa ſua, tanquam Burgundiæ quoque Regis, ulterius non agnoſcentem, exuere cupiens & Bertholdo Duci Zeringiæ conceſſurus ditionem, bello occaſionem dedit, quod inter utramque fam. duravit, uſque ad Frid. I. qui Beatricem, Renaldi filiam, matrimonio ſibi junxit. Innoc II. contrà Anacletum aſtitit, coronam ab eo accepit. Sed en gratiam. In Palatio depingi advolutum genibus ſuis curavit Imperatorem Pontifex, cum verſibus:

Rex venit ante fores, jurans antè urbis honores,
Poſt homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam.

Rogerii Regis Neap. & Siciliæ faſtum depreſſit. Ex Italia reverſus Obiit Tridentini, A. C. 1137. Otho Friſing. *l.* 4. Petr. *in Chron. Caſſ. l.* 4. Platina, Sigon. *l.* 11.

LOTHARIUS, Rex Lotharingiæ, fil. Lotharii I. Imp. frater Lud. II. Imp. & Car. Provinciæ Regis Thietbergâ filiâ Huberti Ducis repudiatâ, Valdradam duxit; a Nicolao I. priorem recipere coactus, illam paulò poſt, velut adulteram punire decrevit: Hinc bellum ingens. Interim Italiâ à Saracenis vexatâ, Lotharius illuc ſe contulit, ut Imp. præſto eſſet, & Had. II. gratiam ſibi conciliaret. Obiit paulo poſt Lucæ, A C. 869. febre correptus. Aimon. *Con inuat* Reginio & Ado, *in Chron.* &c.

LOTHARIUS, fil. Hugonis, Comitis Provinciæ, à Patre Italiæ Rex factus, A C. 932. cum ipſo uſque ad A. C. 945. regnavit. Berengarius & reliqui æmuli nomen Regis ipſi reliquêrunt, uſque ad A. C. 950. quo Mortuus eſt. Maritus fuit Adelaidis, filiæ Rudolphi Burgundiæ Regis quæ poſt mortem ejus in Apuliæ arcem quandam ſe recepit, ubi Othoni Germaniæ Regi liberatori ſuo nupſit. Leo Oſtienſ. *l.* 1. *Chron. Caſſ.* Luitpr. *l.* 5. *c.* 12. *Hiſt. Flodoard.* &c.

LOTHARIUS, Francorum Rex, Lud. IV. Regis fil. ex Gerberga Imp. ſorore A. C. 954. Lotharingiam occupavit, Aquiſgranum uſque delatus, agros populatus eſt. In quem Otho Imp. ex Bavaria exercitum cùm duxiſſet, Lotharingiam recepit. Lotharius vero Pariſios eſt reverſus. At Imp. eum inſequens, in Franciam ingreſſus, Laudunenſium, Sueſſionumque agris vaſtatis, Pariſiorum ſuburbia incendit, A. C. 979. Obiit Remis A. C. 986. Æt. 45. Regni 31. Pater ex Emma, filia Lotharii Italiæ Regis Lud. V.

ſuc-

ſucceſſoris. Flodoard. *Hiſt. Rem.* Aimon. *in continuat.* Sylveſt. II. *in Ep. Serres*, &c.

LOTHIANA, ſ. LAUDONIA, vulgò LOTHIANE, prov. Scotiæ merid. Terminatur à Sept. Bodotriâ æſtuario, ab Ort. mari Germ. ab Occ. Sterlinenſi territ. & Cludesdaliâ prov. à Mer. Tuedaliâ & Marchiâ prov. Caput Edimburgum eſt, ſedes Regia.

LOTI & Uncti, dicebantur olim Chriſtiani per contumeliam, propter Baptiſmum & Catechumenos, qui oleo tingebantur. Unde vox uſitata, Juliani Imp. orta temporibus & in templis per præconem pronunciari ſolita, *Lotus procul abſit & unctus*: cujus ratio, quòd Chriſtiano præſente litare in ſacrificiis Ethnici non poſſent, Lactant. *de V. S. l. 4. c. 27.* Græcis conſimilia, Ἐκὰς ὅςις ἀλιτρός. It. Ἐκὰς ἐςὲ βέβηλοι.

LOTICHIUS Joh. Petrus, *Secundus* à ſeipſo dictus, ut à patruo cogn. Abbate Monaſterii Solitar. viro profundæ eruditionis, ſe diſtingueret, Solitariâ Hanovicus, Francofurti Jac Macylli auditor, inde Marpurgum ac Wittembergam delatus, Melanchthoni ac Camerario innotuit. Fervénte poſtea bello in Germania, miles aliquandiu, inter ipſá arma poëſin, cui deditiſſimus erat, exercuit, ut ipſe teſtatur hoc tetraſticho ad Muſas:

Vos quoque ſum lituos inter veneratus & enſes,
Quodque fui vacuum tempus ab hoſte dedi,
De meſſe & tota quoque nunc hæc pauca ſuperſunt
Carmina, militiæ tempore facta meæ.

Illo finito, Ephorus quorundam ex primaria nobilitate Monſpelii aliquandiu degit. Exin in Italiam tranſiit, ibique medica in arte Doctor renuntiatus, poſt reditum in Germaniam, Heidelbergæ medicinam publicè docuit. Obiit A. C. 1560. Æt. vix 32. ſanitate ejus, quæ aliàs integra fuerat, Bononiæ philtro vitiatâ: poëta poſt Eobanum Heſſum per Germaniam clariſſimus, Thuano. Ejus poëmata triennio poſt Autoris mortem, edidit Joach. Camerarius, de quibus vide *in Elogiis* Ant. Teiſſier *P. 1.* Idem *Bibliothecam poëticam* edidit, notante P. Frehero *Theatro Viror. Erudit. Claror.*

LOTIO, inter Sacrorum ritus frequens, apud Gentiles, Judæos Chriſtianos. Nam & Gentiles *Lotiones* in Sacris olim habuêre cum in peccatorum labe expianda; quæ flumineâ aquâ tolli, ſtultè & non ſine poëtarum irriſu, credebant: tum in initiatione & celebrioribus myſteriis peragendis. In non paucis enim Sacris, aquam abhiberi conſueviſſe, in ſimilitudinem baptiſmi, diſcimus ex Auguſtino *de Baptiſmo c. Donat. l. 6. c. 25.* *In multis idolorum ſacrilegis ſacris, baptizati homines perhibentur.* Sic cædem quamprimum corpore abluto expiare quærebant. Virg. *Æn. l. 9. v. 818.*

Et lætum ſociis abluta cæde remiſit:

Turnum nim. Tiberis. Ante quam ablutionem ſacrum quid attrectare nefas fuit. Idem *Æn. l. 2. v. 717. & ſeqq.*

Tu genitor cape Sacra manu, patriosque Penates,
Me bello è tanto digreſſum, & cæde recenti
Attrectare nefas ———

Sed & ante ſacra adeunda lavabantur. Homer.

——— Τηλέμαχος δὲ
Χεῖρας νιψάμενος πολιῆς ἁλὸς, εὔχετ' Ἀθήνῃ.

——— *Telemachusque*
Lotis in ponto manibus *ſic Pallada adorat,*

Et Penelope apud eundem ante preces aquâ ſe abluit. Iidem non niſi *loti* res fructuoſas curabant, ut de cura apum loquens firmat Columella *l. 9. c. 14.* etiam ἐπὶ κοίτῃ ritu iſto defungebantur &c. Hodieque apud eoſdem, ut & Mahometanos, *lotione* nihil frequentius. Verùm hæ aquæ cùm divinâ autoritate ac promiſſis carerent, atque extra Dei uſurparentur fœdus, inutiles ac viduæ erant; ut non ineleganter Tertullian. ait *l. de Bapt.* *Sed & de viduis aquis ſibi mentiuntur*: Non enim maritæ, vel ullâ ſpiritûs potentiâ fœcundæ erant, nec omnino unda iſta fuit genitalis. Judæorum *Lotio* ſ. Baptiſmus duplex erat; Alter pollutorum, טבילת נדה, qui antequam ſacrorum participes redderentur, lotionibus quibuſdam ac piamentis uti debebant. Et certè communis purificationum ratio & quaſi caput conſiſtebat in balneis, Lev. *c. 15. v. 16.* in quibus aquâ vivâ totum corpus abluebatur: affinisque erat huic Baptiſmo manuum lotio, quam anxiè & ſuperſtitioſè jam indè ab antiquis temporibus obſervabant, vide de Phariſæis Marci *c. 7. v. 2.* Alter proſelytorum, טבילת גורת, per quem alienigenæ in Judæorum Remp. ac Religionem initiabantur: Hi enim, præter circumciſionem & Sacrificium, *Lotione* præterea ſ. Baptiſmo, in Judæorum ſacra tranſibant olim; hodiè verò, ceſſantibus ſacrificiis, ſolâ Circumciſione ac Baptiſmo, adoptantur. Undè verò ea apud Judæos *Lotio* ortum traxerit, incertum eſt. Quidam ad Jacobum, familiam ſuam luſtrantem, Gen. *c. 35. v. 2.* alii veroſimiliùs ad Moſem, in deſerto, ritum illum referunt, Exodi *c. 19. v. 10.* & 11. *Et edixit Jehova Moſchi, ito ad ipſum populum, ut ſanctifices eos hodie & cras, & lavent veſtimenta ſua; ut ſint parati in diem tertium.* Feſtum nempe qui baptiſmi erat. *Et omnes in Moſen baptizatos eſſe nube & mari*, Paulo memoratus, 1. Cor. *c. 10. v. 2.* Hoc certum eſt, ſive iſtâ occaſione cœperit, ſive poſtquam Samaritæ circumciſionem accepêrunt; ſive denique poſt templi excidium, aut ſerius: Baptiſmum illum, ad ſacrarum lotionum, aut apud Vett. aut in templo deinceps (ubi labri ænei, à Moyſe extructi, loco, mare æneum, è quo aqua è duodecim ſiphonibus ſ. mammis promanabat, ut inde Sacerdotes, ad ingreſſum Tabernaculi lavare poſſent, Salomo ſtruxit) uſitatarum, exemplum, primum fuiſſe uſurpatum. Peragebatur hæc luſtratio ſtatim à circumciſione, mox ubi dolores ejus interquieverant. Præmittebatur autem examen ſolenne; dumque novus fidei candidatus abluebatur, religionis prælegebantur articuli; interimque ipſe mergebatur, adſtante Sapientum Triumviratu. Eodem ritu & liberi ejus luſtrabantur, atque univerſa fam. etiam qui ſequioris ſexûs erant: quòd ſi parentes præmortui forent, locum eorum tres iſti è Sapientum Collegio, qui baptiſmis præerant, implebant; atque iis quaſi teſtibus illi initiabantur. Hi itaque ſic expiati cùm eſſent, in Judaicæ gentis nomen ac decus veniebant; atque, exutâ peregrinitate & priſtinâ conſanguinitate obliteratâ, novorum quaſi natalium jus accipiebant ac deinceps pro Judæis ac Dei domeſticis habebantur. Undè poſteros eorum rurſum tingi & novo baptiſmo inaugurari fas non erat, quippe qui pro veris Iſraëlitis cenſebantur. Atque hunc Judæorum baptiſmum, qui humanus ac Eccleſiaſticus duntaxat ritus erat, CHRISTUS, ex eorum ſententia, qui jam tum illum obtinuiſſe cenſent, conſecravit, & rejectâ circumciſione, novæ Eccl. Sacramentum eſſe juſſit, ita ut, ſicut olim per circumciſionem & baptiſmum, ita nunc per hunc ſolum Deo liberi naſcantur. Primus verò hunc uſurpavit Joh. ab eo ritu *Baptiſta* dictus, non ſine autoritate Dei ac juſſu, Lucæ *c. 3. v. 2.* Joh. *c. 1. v. 33.* & Matth. *c. 21. v. 25.* Sed de hac Chriſtianorum *Lotione*, Theologos conſule; plura hanc in rem vide apud Franc. Burmann. *Synopſ. Theolog. tom. I. l. 4. c. 22.* & *tom. II. l. 7. c. 6. §. 3.* & *ſeqq.* Vide quoque infrà, *Luſtratio.*

LOTIO Manuum, apud Hebræos, anxiè ac ſuperſtitioſè jam indè ab antiquis temporibus, uti diximus, obſervata eſt. Hinc Phariſæi & quidam ex Scribis, quum vidiſſent quoſdam ex diſcipulis Jeſu, Marci *c. 7. v. 2.* *pollutis manibus, i. e. illotis edere panem, conqueſti ſunt.* Quo pacto autem ab his ritus is peragi conſueverit, ſequitur *v. 3.* (Οἱ γὰρ Φαρισαῖοι καὶ πάντες οἱ Ἰουδαῖοι, ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας, οὐκ ἐσθίουσι, κρατοῦντες τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων, *Nam Phariſæi, imò omnes Judæi, niſi pugno laverint manus, non edunt, tenentes traditionem Seniorum.* Ubi πυγμῇ Theophylactus interpretatur, *ad cubitum uſque*: quaſi *cubitaliter* dicas. Sed πυγμὴ neque πῆχυν declarat, i. e. cubitum (niſi pro cubiti menſura, eaque decurtata, accipias: quamvis aliter ſcribat Eraſmus) neque ἀγκῶνα i. e. ipſam lacerti juncturam, ubi os exterius eminet, quod nonnulli volunt ab Hyppocrate κύβιτον vocari. Neque hujus ritûs ac conſuetudinis ulla apud alios ſcriptores fit mentio. Proin ſimplicem Græci vocabuli ſignificationem ſequutus eſt Beza, reddens, *pugno*; ex quo intelligamus ſummo ſtudio affectaras fuiſſe ablutiones iſtas à Judæis, ut facere ſolent, qui manui manum affricant, & pugnum alterius palmæ inferunt. Quòd quàm bene conveniat, conſtat ex iis, quæ Munſterus his de rebus annotavit in *Deut. c. 8.* ex Centum Benedict. libro *Tradunt*, inquit, *manus primùm abluendas & tergendas: alioqui panis qui comeditur, immundus judicatur.* Et mox, *Fundenda eſt aqua tribus vicibus ſuper manus: in prima fuſione ſunt digiti ſurſum lavandi, in poſterioribus lavandi. Manus ſimul ſunt lavandæ, non una poſt alteram. Denique opus eſt, ut in ablutione manuum ſiniſtra tanquam famula ſubſerviat dextræ &c.* De manuum *Lotione* à Pilato uſurpata, in Hiſt. Euang. cujus mentio Matthæi *c. 27. v. 24.* paulò difficilior quæſtio eſt, an ex conſuetudine aliqua Gentium, an Judæorum illa orta ſit? Origenes in *locum* præciſè negat, tale quid apud Rom. fuiſſe factitatum. Proferunt tamen Viri doctiſſimi è Græcis Latiniſque ſcriptoribus, *lotiones*, ut ipſi exiſtimant non diſſimiles. Sed aliud eſt lavare poſt admiſſum crimen, ad expiationem peccati: quo fine inſtitutos apud Vett. fuiſſe καθαρμοὺς & περιῤῥαντισμοὺς, *purgationes & aquæ luſtralis aſperſiones*, nemo ignorat. Aliud ante crimen, ad teſtificationem innocentiæ, quod hîc fecit Pilatus. Itaque Baron. contendit, Pilatum ex cerimoniis Judæorum mutuatum eſſe exemplum; & affert locum Moſis è Deut. *c. 21.* qui tamen à facto Pilati toto genere eſt diverſus. Alia ex Hiſtoria & ſcriptis Judæorum proferri poſſent, quæ magis ad rem facerent. Narrat Ariſteas, vetuſtiſſimus ſcriptor, LXX. Seniores, qui vertendis libris ſacris Alexandriæ operam poſuêrunt, ſolitos; priuſquam ad lectionem ſeſe accingerent *manus lavare*: cujus rei cauſam cùm ab iis nonnulli requiſiviſſent, διεσάφουν, ait Ariſteas, ὅτι μαρτύριόν ἐςι τοῦ μηδὲν εἰργάσθαι κακόν, *declarabant ſignum eſſe, nihil à ſe mali fuiſſe admiſſum.* Neque alienum eſt, quod in libris magiſtrorum legimus, ſolita Defunctorum cadavera à pollinctoribus calidâ lavari vel ad acquirendam, vel ad teſtandam innocentiam, quando actæ vitæ ratio erit reddenda; ut ſimilia omittam. At valde mirum, videatur, Pilatum, hominem Rom. inſtituto Judaico eo potiſſimùm tempore eſſe uſum, quo videbat, ſe à ſceleratiſſimis Pontificibus, Sacerdotibus & furente populo Judaico, ad ſcelus patrandum adigi, quod ipſe horrebat. Vera igitur ratio facti aliundè arceſſenda, quam commodè fortè ſuggerit Nicolaus Cabaſilas *in Expoſ. Liturgiæ*, docens, Veteribus in more fuiſſe poſitum, ut ſenſa animi non verbis ſolùm, ſed etiam factis declararent; qua de re & Plutarch. alicubi diſſerentem habemus, & Caſaub. *Comm. Polybian.* multis exemplis hunc morem ex Hiſtoria Græca & Latina illuſtravit Illuſtre exemplum, Actor. *c. 21. v. 10.* in Agabo, pedes ac manus ſibi vinciente. Quemadmodum autem communis hic mos fuit olim gentibus; ſic facta, quæ adjiciebantur ad verba, erant communia. Quare Pilatus morem *lavandi*, ad declarandam ſuam innocentiam, non magis ſumpſit à Judæis, quàm formulam, qua uſus eſt, cùm proteſtaretur de innocentia ſua, Matth. *c. 27. v. 24.* *Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus*; ſumpſit ex Hiſtoria Suſannæ ubi non diſſimilem uſurpat Daniel ille: *Mundus ego ſum à ſanguine hujus*, &c. Iſaac. Caſaub. *Exercit. XVI.* ad *Ann. Eccl. Baron. n. 89.* Chriſtiani poſtmodum, antequam ad preces accederent, ma-

nus lavare conſuevêre; quem in uſum in templorum atriis ſuos Λουτῆρας, *labra*, habuêrunt, quos *puteos* alii, alii *ciſternas* dixêre, vide de hoc ritu Cl. Suicer. *Obſerv. c. 6. p.* 153. & *Theſ. Eccl.* in vocibus Εὐχὴ & Λουτήρ. De *Lotione pedum*, tum uti communis ritus fuit circa peregrè advenientes, tum uti ſacer, à Chriſto peractus, Joh. *c.* 14. Vide ſuprà in voce *Hoſpites*; item A. Rivet. *Caſtig. Notar. in Ep. ad Baiſac.* ubi & de *Lotione pedum* quotannis feriâ quintâ *majoris*, ut vocant, *Hebdomadæ*, tredecim pauperibus, à Pontifice Rom. adminiſtrari ſolitâ aliquid: prolixius verò in *Sacr. Cærimon. l. 2. ſ.* 2. porrò Cl. Suicer. iterum in voce Νιπτήρ, ubi de Græcorum more, Chriſtum quotannis feriâ V. ante Paſcha imitantium: ut & plura hanc in rem hic paſſim, in primis ubi de *Balneis*, *Baptiſmo*, & *Lavandi ritu*; it. in voce *Mandator*. Addam ſaltem, ſicut ituros cubitum, ita & *loturos*, annulos ponere conſueviſſe: quod non factum in Charino notat Mart. *l.* 11. *Epigr.* 60. cujus Epigraphe de Charino.

Senos Charinus omnibus digitis gerit,
Nec Nocte ponit annulos,
Nec cùm lavatur: cauſa quæ ſit, quæritis?
Dactyliothecam non habet.

Terent. *Eunucho Act. 3. Sc. 5. v.* 45. *Heaut. Act. 4. Sc. 1. v.* 42. *Ea lavatum dum it, ſervandum mihi dedit annulum.* Nec omittendum lepidum Alphonſi Siciliæ Regis hac in re factum, de quo Fulgoſus ac Egnatius *l. 4. c.* 8. ita: *Alphonſus Senior Siciliæ Rex, annulos ingentis pretii in digitis geſtare conſueverat, & ne lavandis manibus gemmis officeret, loturus annulis digitos exuebat, ſervandosque Miniſtris, qui opportuniùs ſe offerrent, ſolebat dare. Cuidam igitur ſemel cùm annulos tradidiſſet, qui oblitum Regem arbitrabatur & propterea in ſuum uſum verterat, Alphonſus rem diſſimulavit atque pro eis alios annulos induit, conſuetumque morem ſervavit. Itaque poſt aliquot dies loturò Alphonſo cùm idem adſtaret, qui primos habuerat & non reſtituerat, manum porrexit tanquam à Rege annulos, ut antea egerat, accepturus; Alphonſus autem retractâ ad ſe manu, in aurem ſubmiſſâ voce ei dixit: Hos ſervandos tibi dabo, ſi priùs, quos jam dedi, reſtitueris.* Quam vocem *liberali certè Rege humanoque & animo ingenti prædito dignam ac æternis literarum celebrandam encomiis*, uterque Scriptor prædicat, Vide Joh. Kirchmann. *de Ann. c.* 22.

LOTIS, nympha formoſiſſima, Neptuni filia, quæ cùm Priapi vim effugere non poſſet, invocatâ Deorum ope, in *lotum* arborem eſt commutata. Ovid. *Faſt. l. 1. v.* 42. *Met. l. 9. v.* 447.

LOTIUM, tingendis olim conchyliis admiſceri ſolitum ex Plin. diſcimus. Eſt autem conchylium coloris genus multò pallidius dilutiusque purpurâ; unde purpuram à conchylio, h.e. purpuream veſtem à conchyliata, Plin. idem diſcernit *l. 9. c.* 35. *Conchylia & purpuras omnis hora atterit, quibus eadem mater luxuria paria pæne & margaritis pretia fecit* Et *l. 22. c.* 2. Tranſalpina Gallia herbis *Tyrium atque conchylium tingit, omnesque alios colores.* Et *l. 21. c.* 8. tria genera præcipua ac principalia ſtatuit purpurei coloris, *Tyrium, amethyſtinum & conchylium*; quorum omnium ſaturatiſſimum erat, Tyrium: in ſecundo gradu ac genere amethyſtinum non adeò pleno colore refulgens, ut purpura, nec tantæ nigritiæ, nec æquè auſterum, ſed blandius aſpectu & magis violaceum: tertium genus erat Conchylii, cujus variæ ſpecies fuêrunt, ſed omnes dilutiores pallidioresque cum amethyſtino; tum multò magis Tyrio ac purpureo. Alibi Plin. nempe *l. 9. c.* 37 de Conchyliis loquens, colorem illis tribuit, *auſterum in glauco & iraſcenti ſimilem mari*: & poſtquam de purpura dixit, huic faſces ſecuresque Romanas viam facere, eandemque pro majeſtate pueritiæ eſſe, diſtinguere ab Equite Curiam; Diis advocari placandis, omnemque veſtem illuminare & in triumphali miſceri auro, addit: *Quapropter & excuſata purpuræ ſit inſania. Sed undè*, quærit, *conchyliis pretia, queis grave virus in fuco &c.* Ubi de conchyliis miratur, quod pretioſa & illa eſſent, cùm tam malè olerent, nec gratum haberent colorem, quod unde eſſet, mox exponit. Poſtquam enim docuit, conchylia à purpuris ſolo temperamento differre, purpuramque & amethyſtinum pelagio & buccino, at conchylium ſolo pelagio, h. e. ſolo purpuræ conchylio, ſine buccini admixtione, tingi: hanc præterea inter purpuram, & conchylium (i. e. veſtem purpuream & conchyliatam) differentiam ponit, quòd *lotium* tingendis conchyliis admiſceretur, purpuræ non item; hinc grave illud virus & malus odor. Idem de conchylii temperamento *l. eod. c.* 39. *In conchyliata*, inquit, *veſte, cætera eadem ſine buccino, præterque* (i. e. prætereaque) *jus* (i. e. τὸ βάμμα, ſuccus purpuræ, medicamen quod in aëno coquitur tingendis lanis) *temperatur aquâ & pro indiviſo humani potûs excremento*: (h. e. lotio & aquâ ſimul junctis, nec certâ menſurâ diviſis:) *dimidia & medicamina adduntur. Sic gignitur laudatus ille pallor, ſaturitate fraudatâ, tantoque dilutior, quantò magis vellera eſuriunt.* Prout itaque dilutius aut ſaturatius conchylium facere vellent; ita plus minuſve Lotii aut aquæ addebant. At recentiores in omni purpura tingenda, lotium adhibuêre, lanamque, priuſquam in aënum inderetur, non ſolùm aquâ, ſed etiam lotio elutriabant: Phyſica Democriti, Βάλε τὴν ἐρέαν ὡς τὸ πρῶτον, εἶτα λαβὼν ἀπόπλυνον εἰς οὖρον καὶ ξήρανον ἐν σκιᾷ, ἔπειτα λαβὼν λακχᾶν καὶ λαπάθου λίτρας δ' ἕψησον μὴ οὖρον ὡς λυθῆναι τὸ λάπαθον καὶ ὑλίσας τὸ ὕδωρ βάλε λακχᾶν καὶ ἕψε ἕως παχυνθῇ καὶ διυλίσας πάλιν τὴν λακχᾶν βάλε τὴν ἐρέαν εἶτα πλῦνον οὔρῳ; quæ infimæ ſunt Græciæ, ſub nomine Democriti vulgata, in libris nondum editis, qui Græcis περὶ Χυμίας ſcripti ſunt. Sed hæc meliùs diſcantur, apud tingentium officinas, qui etiam nunc, in cocco tingendo, lotio utuntur: Nam conchylii βαφὴ aut purpuræ nulla hodiè in uſu, præter eam, quæ herbis tingitur, &c. Vide Salmaſ. *Notis ad Tertullian. de Pallio, c.* 3. ut & infrà in voce *Urina*, ita enim honeſtè dicitur.

LOTOA, ſ. LETOJA, Plin. *l. 4. c.* 12. inſ. parva maris Ionii, Cephalleniæ proxima, *Guardana* Sophiano. Nigro *Trapano* nominatur.

LOTOPHAGI, pop. in Africa apud Syrtes, à *Loti* arboris fructus eſu ſic dicti; cujus cibus eſt tam dulcis, ut advenis incutiat patriæ oblivionem. Itaque cùm Ulyſſis ſocii delati fuiſſent in Africam, & lotum guſtâſſent, vix inde abduci potuêrunt. Hom. Od. 9.

Οὐδ' ἄρα Λωτοφάγοι μήδοντ' ἑτάροισιν ὄλεθρον
Ἡμετέροις, ἀλλά σφι δόσαν λωτοῖο πάσασθαι.
Τῶν δ' ὅστις λωτοῖο φάγοι μελιηδέα καρπὸν,
Οὐκέτ' ἀπαγγεῖλαι πάλιν ἤθελεν, οὐδὲ νέεσθαι.

Unde Ovid. *de Ulyſſe, de ponto Eleg. x. v.* 18.

Nec deguſtanti Lotos *amara fuit.*

Sil. Ital. *Punic. Bell. l. 3. v.* 311.

Et dulci paſcit Lotos *nimis hoſpita bacca.*

Ovid. *Triſt. l. 1. Eleg. 4. v.* 31.

Sic nova Dulichio Lotos *guſtata palato,*
Illo quo nocuit grata ſapore fuit.

Verùm eſca eſt, an potabilis lotos? Utrumque Scylax Caryandenus, Λωτοφάγοι ἔθνος μέχρι, τοῦ στόματος τῆς ἑτέρας Συρτίδος. Οὗτοι λωτῷ χρῶνται σιτῷ. Vide Dauſquejum *in loc. Sil. adductum*, Plin. *l. 5. c.* 5. *Nic. Lloyd.*

LOTOPHAGITES, inſ. parva maris Africi, non longè à Syrtibus. Ptol. *le Gerbi*, teſte Fazello, *l'Isle des Gerbes* Gallis, in regno Tripolitano, in mari Mediterr. oræ litorali adjacens, & aliàs ponte continenti juncta. Circuitus eſt 18. mill. paſſ. fuêruntque antea in ea duæ urbes, nunc tantùm caſtrum ſupereſt, cum pagis aliquot. Occupata aliàs ab Hiſpanis, ſed hi grandi clade affecti illam relinquere ſunt coacti. 60. mill. à Tacapa in Cæc. 200. ferè à Tripoli in Occ. Priſci Autores quoque *Lotophagorum*, incolārum hujus inſ. in conſpectu Neapolis Tripolitanæ reg. urbis, meminêre. Hom. *Odyſſ. l.* 9. Strabo *l. 3. p.* 157. *l. 17. p.* 829. & 834. Ovid. *l. 2. de Rem. Am. v.* 395.

Illo Lotophagos, *illo Sirenas in antro.*

Plin. Polyb. Marmol. & Priſcian.

—— *Hanc ſupra juſtiſſima fertur*
Hoſpitiis gaudens gens degere Lothophagorum.

Vide ſuprà.

LOTOPHAGORUM ora, in intimo Syrtis majoris ſinu. Plin. *l. 5. c.* 7.

LOTOS, apud Mart. *l.* 8. *Epigr.* 51. cujus Epigraphe de Phialæ Rufi.

Palladius tenero Lotos *ab ore ſonat:*

tibiæ genus eſt, è *loto* arbore, quæ naſcitur in Lybia, juxta Palladis lacum, ad tibiarum πλαγιαύλων cantus expetita. Cujuſmodi *tibia* φώτιγγες appellavêre Alexandrini, qui eas invenêre. Meminit illarum, cum alibi Euripid. tum *in Bacchis*,

Ἐν Φρυγίαις βοαῖς ἐνοπαῖσί τε
Λωτὸς ὅταν εὐκέλαδος
Ἱερὸς ἱερὰ
Παίγματα βρέμῃ.

Vide Brodæum *Miſcell. l. 2. c.* 25. Ipſa verò *lotus* arbor inſignis eſt, Plin. *l. 13. c.* 17. & 18. *præcipua circa Syrtes atque Naſamonas --- tam dulci cibo, ut nomen etiam genti terræque dederit, nimis hoſpitali advenarum oblivione patriæ -- Quin & exercitus paſtos eo accepimus, ultro citroque commeantes per Africam. Ligno color niger. Ad tibiarum cantus expetitur. E radice cultellis capulos, brevesque alios uſus excogitant.* Ad quorum illuſtrationem vide Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, inprimis *p.* 1038. & *ſeqq.* ubi *de Loto Africana communi* ſ. *Nabeca*, quæ & *Cyrenaica*, cujus materia ad fucum adhibita, fructus verò curatus ac conditus doliis, contuſus pedibus & in maſſas redactus; uti diximus ſuprà de *Connaro*: de *Loto Italica*, de *Loto Lothophagica* ſ. *Syrtica*; *de Loto Nigra*, cujus materies ebenum imitatur, loco ejus hinc venum exponi ſolita: de *Loto* item, ſ. *Faba Græca*, propter ramorum petulantiam domibus expetitâ, aliisque hoc nomine venientibus (λωτοὶ enim ab antiquis multæ arbores, frutices & herbæ dictæ, quæ dulces ad edendum, licèt toto genere, ut ſolo cœloque, diſtantes) accuratè agit. Addam ſaltem verbum de more Veſtalium Virginum apud Rom. ad *Loton* arborem, ei rei deſtinatam, manipulum crinium, ſolenni cerimoniâ, conſecrandi, indigitato ſuprà in voce *Capilli*, infrà lemmate, *Virginale Fanum*: & pauca de *Loto*, flore verno coronario, adeò celebri, ut inter flores, quos Hom. facit ſubnaſcentes voluptati Deorum *Il.* ξ is primus recenſeatur, principemque locum obtineat inter eas herbas, quas Apollinis & Muſarum prata proginunt, ut ait Conſtantin. Cæſar *l. 12. c.* 6. Emicat is ex colocaſiæ ſ. fabæ Ægyptiæ ciboriis, & roſei coloris eſt, hinc λωτὸς ῥοδίζων dictus. Undè τὴν πρώτην ἀμφιλύκην, *colorem crepuſculi*, quo quidem nihil in Orbe pulchrius, repræſentaturi Ægyptii, *puerum ſedentem ſuper loto* pingere ſoliti ſunt, teſte Plutarch. Πε. τȣ̃ μὴ χρῆ ἐμμ. Atque ex hoc flore fiebant coronæ *Antinoeæ*, de quibus ſuprà aliquid. Præter hunc *lotos* alius eſt cœrulei coloris (alii albi dicunt) è quo corona *lotina* propriè dicta fiebat, Oſiridi imponi ſolita, uti legas apud eund. *de Iſ. & Oſiride.* Vide de utroque C. Paſchal. *Coron. l. 3. c.* 13. ubi inter alia, croco & hyacintho *loton* ſociari conſueviſſe, addit, & Salmaſ. iterum *d. l. p.* 975. & *ſeqq.* ubi præter ſuprà indigitata, de pane paſtoribus Ægyptiis ex ſemine *loti* fieri ſolito; ſicut de vino, è loto expreſſo, apud Plin. *l. 13. c.* 17. *cit.* quædam videre eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LOTUS, viri nomen, qui fil. habuit Ammanum, à quo Ammanitæ Arabes dicti. *Steph.*

LOVÆUS Johannes, vide *Johannes.*

LOVANIENSIS Johannes, vide *Johannes.*

De LOVANIO Fam. Illuſtris nomen, de qua aliquid ſuprà in voce *Godefridus.*

LOVANIUM, urbs Belgii ampla & munita, Academia Brabantiæ clariſſima, Grudiorum metropolis, ad fluv. Tilam, Belg. *Dile*, Gall. *Ti*, quem Demera receptum in Scaldim defert. Caput olim Comitatûs cogn. Hîc Martinus Dorpius Euangelium prædicavit A. C. 1525. Baudr. hîc aliàs *Menapii.* 7. leuc. ab Antverpia in Eur. 8 à Namurco in Bor. Sub Hiſp. *Læven*, & *Læwen* Belg. *Louvain* Gall. *Lovagna*, *Lovanio*, & *Lovania* Italis. Julius Cæſ. quibuſdam urbis hujus conditor creditur, alii id honoris Lupo cuidam, ante Cæſarem, deferunt. Academiam fundavit A. C. 1426. Joh. IV. Brabantiæ Dux privilgiis ornârunt Martinus V. & Eugenius IV. Collegia ibi viginti, quorum præcipua, Collegium trilingue, Lilium, Caſtrum, Porcus, Falca, &c. Rectoris poteſtas ſemeſtris eſt. Vide Lipſii *Lovanium*, Guicciardin. *in Deſcr. accuratiſſ. inf. Germ.* Bert. *Rer. Germ. l.* 3. *&c.*

LOUBENIUS Hugo, vide *Hugo.*

LOVE, nomen illuſtris olim in Gallia Fam. quæ ex præcipuis Lavalleæ ſtirpis ſurculis fuit. Præter enim ramum principalem, de quo diximus ſuprà, ſurculi juxtà enati ſunt Dominorum *de Atichy*, *Chalouyau*, *Raix*, *la Suſe*, *Pacy ſur Marne*, atque *Loue*: qui ultimus denuo plures emiſit palmites Dominorum *de S. Aubin*, *Boisdauphin* (quibus nunc Marchionum dignitas ac titulus *de Sablé* acceſſit) *la Faigne*, *Tartigny*, *Brée*; quos omnes primogeniti Domini *de Loue*, qui etiam Vicecomites *de Broce*, Comites *de Joigny* ac *Meille* & March. *de Neelle* facti ſunt, dum ſuperfuêre, anteceſsêrunt Illorum ſeriem exhibuimus jam ſuprà, in voce *Joigny.*

LOVE Chriſtophorus, Theologus Anglus, autor plurium ſcriptorum, ſub Cromvello capite plexus.

LOVENBURGUM, opp. Pomeraniæ. Vide *Lawenburgum.*

LOVENSTENIUM, vulgò LOWENSTEIN, arx triangularis Hollandiæ, in Bommelia inſ. ad confluentes Vahalis in Moſam, è regione Vorchomii, 3. leuc. ab Ultrajecto in Auſtr. 3. à Dordraco in Ort.

LOVENTINUM, opp. Albionis in Wallia Angliæ reg. occidua. *Lucntinum* Ptol. *Powes land* Villanovano & Moletio. Opp. fuit Silurum, in Comit. Brechinienſi, terræ motu abſorptum, ubi nunc lacus *Lipſavatan*: 2. mill. à Brechnochio ad Ort. juxta Levenum amnem, Joh. Speed. *Camd.*

LOVI, nomen enſis Regii Danici, quo Biarco uſus, apud Saxonem.

LOVIA, Pannoniæ urbs. *Ant.*

LOVIGENNA, vulgò LOUVY, vicus hodie in confinio utriuſque Burgundiæ, trans Ararim, non procul à Dola, Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LOVITIUM, urbs ſatis culta Polon. maj. ad Bſuram fluv. Sedes Archiep. Gneſnenſis, in arce eleganti & munita, in mediis paludibus, à Jaroslao Archiep. excitata. In Palatin. Ravenſi, media inter Vladislaviam ad Bor. & Ravam ad Mer. Vulgò *Lewitz.*

LOVOLAUTRUM Caſtrum, memoratum Greg. Tur. *Hiſt. Fr. l.* 3. à Theodorico Rege Chlodovæi fil. unà cum Tigerno captum, & igne ferroque vaſtatum. Nunc fortè *Volore* prope Tigernum. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LOUS, Macedoniæ fluv. prope Apolloniam, in Pelaſgonia prov. *Viergo* Nigro. *Aoum* Strabo *l.* 7. *p.* 316. & Liv. *l.* 32. *c.* 5. & 10. vocant. Nunc *Polina* Brietio, Phil. Regis clade & Romanorum victoriâ nobilis.

De LOUVIERES Carolus, vide *Carolus.*

LOXA, Scotiæ fluv. in ora, ad Ort. Moraviæ reg. inter Ripam altam & Tueſim, *Loſſe* Camd. & *Buchanano.*

LOXIAS, Apollo dictus, quòd obliqua ederet reſponſa, aut ab eo quòd Zodiacum Sol obliquè percurrat. Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 17. Senec. *in Oedipo*, *Act.* 2. *v.* 7. *& ſeqq.*

Reſponſa dubia ſorte perplexâ latent,
Ambage nexa Delphico mos eſt Deo
Arcana tegere. ———

LOXODROMIA, ſcientia inveſtigandi, Geometricis rationibus, in mari, locum appulsûs navium; vox Græcæ originis eſt, ex λοξὸς, *obliquus*, & δρόμος, *curſus*, vide de illa Guilletum, ut & Furnerium *Tabb. Hydrograph.* aliquid etiam infrà in voce *Terra.*

LOYERUS Petrus, vide *Petrus.*

LV. in notis antiquis, *quiquaginta quinque*: L. V. *lex vetus*: L. VAL. *Lucius Valerius* &c. LUD. AP. *Ludi Apollinares*: LUD. SEC. *ludi ſeculares*: LX. *ſexaginta* &c. denotat. Fr. Gouldmann. *Dict. Lat. Angl.*

LUA, Dea quædam apud vett. à *luendo*, expiandoque nomen ſortita, quæ præerat luſtrationibus, & luſtris. Vide Turneb. *Adverſ. l.* 16. *c.* 20. *& l.* 23. *c.* 23. *& l.* 19. *c.* 11. Ejus meminit A. Gell. *l.* 13. *c.* 22. cùm ait in libris Sacerdotum Pop. Rom. ſcriptum eſſe, *Luam Saturni*, *Salaciam Neptuni* &c. Sic libri vetuſtiſſimi; In MS. quodam eſt *Lacam*, unde vett. Edd. omnes habent, *Laciam*, & ſic ſcribi debere ſuſpicatur Turneb. à Latio, quòd à latebra & fuga Saturni nomen habuerit; ut eo nomine intelligatur Latii Dea, quæ eadem cum Ope; quamvis alii ſint, qui velint *Laciam* Saturni uxorem, fuiſſe ab illiciendo nomen conſequutam. Rectiùs tamen idem Vir eruditus *Luam* hîc legi vult & Saturni vel uxorem vel filiam intelligi. Sanè *Luam matrem*, Deam quæ *luebat*, h. e. *purgabat*, à Rom. cultam fuiſſe, ex Veterum monumentis conſtat: Undè & ei, ad luſtrandam expiandamque hominum cædem ac ſtragem, hoſtium arma ſpoliaque incendi ſolita fuiſſe, legimus apud Liv. *l.* 8. *c.* 1. cùm ait: *Armorum magna vis cùm inter caſa corpora hoſtium, tùm in caſtris inventa eſt. Ea Luæ matri dare ſe Conſul dixit*, Idem *l.* 45. *c.* 33. de Paulo Coſ. poſt Macedoniam ſubactam: *Edito ludicro omnis generis clypeisque æreis in naves impoſitis; cætera omnis generis arma cumulata in ingentem acervum, precatus Martem Minervamque* Luamque matrem *& cæteros Deos, quibus ſpolia hoſtium dicare jus fasque eſt, ipſe Imp. face ſubditâ ſuccendit: deindè circumſtantes Tribuni militum pro ſe quiſque ignes conjecêrunt.* Forſan *Mater* toties dicta eſt, quia Saturni uxor, undè & *Deorum mater*, quæ aliàs *Cybele*, & *Magna Deûm mater* appellata. Vide *Notas in loc.* A. Gell. *præf.*

LUANGI, Hiſp. Tarrac. gens. *Ptol.*

LUBANIUS, lacus Litlandiæ, in conf. Poloniæ, prope opp. Luban; 20. mill. à Duneburgo in Bor. *Lubanskerzee* vulgò.

LUBAR, Epiphan. *l.* 1. *Hæreſ.* eſt mons ille, in quo Arca Noë conſtitit. Verba ejus ſunt: Μετὰ τὸν κατακλυσμὸν ἐπιστάσης τῆς λάρνακος Νῶε ἐν τοῖς ὄρεσι τοῖς Ἀραράτ, ἀναμέσον Ἀρμενίων καὶ Καρδυέων ἐν τῷ Λουβὰρ ὄρει καλουμένῳ. Ἐκεῖσε πρῶτον κατοίκησις γίνεται μετὰ τὸν κατακλυσμὸν τῶν ἀνθρώπων.

LUBECA, & LUBECUM, urbs ſplendida amplaque Germ. in Saxoniæ & Holſatiæ conf. in ora maris Baltici, libera & emporium celeberrimum: Epiſcopal. ſub Archiep. Remenſi, ſede ex Aldenburgo Holſatiæ eò translatâ. A. C. 970. Ferrar. vulgò *Lubek.* Sic dicta à corona, linguâ Vandalicâ; vel à *Luba*, piſcatore quodam, qui primus ibi tenues caſas, ubi nunc civitas; ædificare cœpit. Baudr. eſt in Holſatia, in Wagria tractu, in ipſo limite Lauenburgenſis dit. & Duc. Megapolitani, ad Travam fluv. qui mediam perfluens naves Travemundam, ad mare defert, vix 2. mill. Germ. ab ora maris Balt. cum portu capaciſſimo. Exiguum olim opp. ab Adolpho Holſatiæ Comite extructum, ſub Conr. III. Imp. Illuc translata fuit ſedes Ep. Altenburgenſis A. C. 1162. poſtquam ab Adolpho ad Henr. Leonem, Saxoniæ & Bavariæ Ducem, vi extorta deveniſſet. A Leone in Imperii jus ac ditionem conceſſit; inde ad Henr. Leonem rediit, ab hoc ad Adolph. III. inde ad Canutum Daniæ Regem qui eam occupavit circa A. C. 1200. Tandem A. C. 1209. victis Danis libera Imperii civ. facta, ſub Frid. II. Imp. arcem Comitum Wagriæ, ad Dravam, unà cum libero uſu fluminis, & immunitate vectigalium redemit. Euangelii luce, miniſterio Bugenhagii, illuſtrata eſt, circa A. C. 1530. Ejus cives cum Chriſtoph. Oldenburgico Chriſtiano III. Daniæ Regi, poſt patrem Frid. in thronum evecto, fruſtra reſtitêre, A. C. 1535. Reformatis ex Anglia ſub Maria Regina ejectis, cùm hîc Petrus Brictius, ſicut Hamburgi Henr. Weſtphalus, acerrimè ſe opponerent, Mikronius & Hermes Bakerelius inſignes eruditione ora iis obturavêrunt, circa A. C. 1554. Pax inter Chriſtianum IV. Daniæ Regem & Ferd. II. ibid. concluſa eſt, A. C. 1620. quâ Rex Holſatiam ſibi ademptam recepit. Inſignia civitatis ſunt, aquila in campo purpureo ſive rubro & niveo, haſtis militaribus coronæ aureæ initentibus. Conſules in Senatu duodecim ſunt, & quidem Patricii vel Equeſtris ordinis viri, qui perpetuò Remp. gubernant, & cuſtodes ſunt libertatis atque ſalutis civium. Vide Limn. Enucl. *l.* 4. *c.* 34. Diſtat ab Hamburgo altero Saxoniæ emporio 10. leuc. in Ort. & Cæc. De urbe hac ſic Scalig.

Si referam, mihi quis credit: ſub limina mundi
Ultima legiferi jura vigere Dei.
Ingenium, candorem animi, cultumque, fidemque,
Fortiaque invictâ pectora pura manu.
Dum mirata ſtrepit, terras Aſtræa relinquens,
Atque putat cœli regna, reſedit ibi.

Poëta verò Germ. *Itin. l.* 7.

Travena leni deſcendimus amne Lubecam,
Urbis poſt paucas munimina cernimus horas,
Ingreſſi verò portas miramur, & ædes
Arte laboratas omnes, cultumque domorum
Eximium, merces, ampliſſima ſtrata viarum,
Demque longè alias omnes, quas vidimus urbes
Hæc ſuperat.

Caput eſt Hanzeaticarum civitatum.

LUBECENSIS ſinus, *Golfo de Lubek*, ſinus eſt maris Baltici, in Mer, extenſus, inter Holſatiam & Megapolitanum Duc. verſùs Lubecam & oſtia Travæ fluv.

LUBENTIA, ſ. LUBENTINA, Venus dicta eſt Varr. quam à libidine nomen habere, docet *Aug.*

LUBIANA, vide *Labacum.*

LUBLINUM, vuglò LUBLINO, urbs Poloniæ ſup. caput Palatin. cogn. ad amnem Byſtriczam, Briet. 5. leuc. Pol. à conf. Ruſſiæ Nigræ. 24. à Varſavia in Mer. 12. à Chelma in Occ. 36. à Cracovia in Cæc. uti 14. à Sandomiria, Vilnam verſus 70. Probe culta & elegans, cum arce in colle. Capta à Tartaris, & crudeliſſimè habita eſt, A. C. 1240. M. Cromer. *l.* 9. Synodo hîc A. C. 1612. celebrata, rejectum poſtulatum Socinianorum, in communionem Euangelicorum recipi, petentium. Poſteà horum templa, licentiâ malè in ſcholis præcipuè Jeſuitarum educatæ juventutis, ſolo æquata ſunt, circa A. C. 1630. Joh. Grzybovius Superintendens, tractûs Senior, vix non oppreſſus. Lætus *Compend. Hiſt. Univ.*

LUBLOA, incolis LUBLAW, Polonis LUBOULIA, arx Com. Cepuſienſis, in Hungaria probè munita, quam Hungari Polonis oppignerarunt A. C. 1412. Nunc in Palat. Cracovienſi.

LUBOVERA, ſecunda Abbas, monaſterii S. Crucis Pictavii, à Rhadegonde Regina fundati, præfuit, A. C. 589. hinc abrepta à ſatellitibus Chrodieldæ, filiæ Chariberti Regis & Baſina, filia Chilperici, quæ monaſterio egreſſæ cum 40. monialibus, multum ſcandali dedêre. Sed turbæ hæ Regis autoritate compoſitæ. Greg. Tur. *Hiſt. l.* 9. *&* 10.

LU-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LUBRA, Front. opp. erat Hetruriæ, ab urbe Roma 12. mill. paſſ. in via Flaminia occurrens.

LUCA, civ. Thuſciæ, à *Lucumone* Hetruſcorum Rege dicta. Ferrar. vulgò *Lucca*, colonia & urbs Hetruriæ, libera & Epiſcopal. apud Auſerim ſ. Sarculum fluv. Piſis proxima, 10. mill. paſſ. diſtans, à Florentia 40 à Senis ſupra 50. in Occaſ. Lunam verſus 30. à Thuſcis A. C. 1469. quo Tarentum & Syracuſæ, ædificata. Baudr. urbs eſt antiquiſſima & permunita, cum undecim propugnaculis, ab A. C. 1626. & probè culta, circuitus 3. mill. paſſ. ad alveum Anſeris fluv. Hodiè Reſpublica libera, optimis legibus temperata, cum aliquot locis. À Gallis *Lucques* dicitur. 13. milliaribus diſtat à mari Tyrrheno in Ort. & 60. circiter à Senis. Tractus adjacens dicitur Lucenſis tractus, *il Lucheſe* incolis; extenditurque inter mare Tyrrhenum, montem Appenninum ex parte, ditionem Magni Ducis, & Carferonianam tractum Ducis Mutinenſis; ejuſque major longitudo vix eſt 30. mill. latitudo autem 25. circiter: ac à Gallis *l'Eſtat de la Republique de Lucques*, dicitur. Ejus crebra mentio apud Strabo Plin. Ptol. Liv. *l.* 21. *c.* 59. Agathiam, &c. À Narſete, Juſtiniani Imp. Duce obſeſſa eſt Sec. 6. Dein Bonifacius, Comitiſſæ Mathildis genitor, Huguccio, Caſtruccius Caſtracanus aliique rerum hîc potiti ſunt, donec à Lud. Bavari Imp. miniſtris Gerardo Spinolæ Genuenſi venundata eſt. Poſt hunc Maſtinus Scalig. Veronæ dominus, eam nactus, vendidit Florentinis, quibus 9. menſes ſubfuit, Piſanis jus quoque in illam ſibi vindicantibus. Sed relictus ei à Car. IV. præfectus Card. quidam Gallus, civibus libertatem reddidit; quam iis iterum, ſed ad breve tempus, ex eorum numero unus, Paulus Giuniſius, eripuit: poſtquam A. C. 1390. à Galeatio Duce Mediolanenſi quoque capta fuiſſet. Poſt memoratum Giuniſium, circa A. C. 1430. libertate denuo potita, ſolicitè eam in hæc uſque tempora conſervavit, ſub protectione nihilominus Imperii. In inſignibus Libertatis gerit tropæum. Serici mercimonio opulenta, vulgò *l'Induſtrioſa* dici amat, celebriſque inſuper eſt Baſilicâ S. Martini, B. Virginis *delli miracoli*, S. Fridanii, in qua Richardi Anglorum Regis monumentum, natalibus Lucii III. Pontif. Xantis Pagnini, Deodati, inſignis Genevenſium Theologi, aliorumque, Armamentario, &c. Solum vini, non æquè frugum ferax eſt. Caput civium Gonfalonerius eſt, cui ex Proceribus quidam adſunt, quorum bimeſtris ſolùm autoritas eſt. Portum urbs habet *Viceregio*: Ep. ejus immediatè Pontifici ſubeſt, habetque jus pallii: Canonici quoque Eccl. Cathedralis galeros Cardinalitios ferendi poteſtatem habere dicuntur. Vide præter ſuprà laudatos, Leandr. Albert. *Deſcr. Ital.* Machiavell. *in vita Caſtruccii*, &c. Pop. *Lucenſes*. Strabo *l.* 5. *p.* 217. *ex emendatione Cluveriana*, Πρὸς δὲ ὄρεσι τοῖς ὑπερκειμένοις τῆς Λούνης ἐςὶ πόλις Λοῦκα. Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Primum Hetruriæ opp. Luna, portu nobile, colonia Luca, à mari recedens, propiorque Piſæ.* Apud Agathiam *l.* 1. oppidani leguntur bis Λουκανοὶ, quod corruptum pro Λουκαῖοι putat Cluv. De ea poëta quidam Italus:

> *Unum* Luca *tulit*, Luca *urbes inter Hetruſcas*
> *Nobilis.* ——

Liv. *l.* 41. *c.* 13. & Suet. *Jul. Cæſ. c.* 24.

LUCAIÆ, vulgò *les isles Lucajes*, inſ. Americæ Sept. in mar. Bor. inter Floridam ad Occaſ. & Hiſpaniolam inſ. extenſæ ad Sept. Cubæ inſ. Ex his viginti ſunt præcipuæ, quarum clariores ſunt Lucaioneca, *Lucayoneque*, cunctis major, Abacoa, *Abacoa*, Amaguaia, *Amaguaio*, Amana, *Amana*, Bahama. *Bahama*, Bimina, *Bimini*, Caica, *Caicos*, Ciguata, *Ciguateo*, Guanahania ſ. inſ. S. Salvatoris, *Guanahani*, Guanima, *Guanima*, Manega, *Manega*, Mayaguana, *Mayaguana*, Samana, *Samana*, Triangulum, *Triangulo*, Ynagua, *Ynagua*, Yuma, *Yuma*, Yumeta, *Yumeto*; È quibus præcipuæ verſùs Bor. ab Anglis inhabitantur, teſte *Briſtochio*.

LUCAIONECA, vulgò LUCAYONEQUE, inſ. Americæ Sept. & Lucaiarum præcipua, ab Ortu in Occaſ. extenſa, recèns eſt ab Anglis exculta, inter Ciguatam ad Ort. & Bahamam ad Occ.

LUCANI, pop. Italiæ à Samnitibus oriundi, alii habent à Brutiis, Duce Luco, hoc profecti, ſecundùm mare extenſi, Silaro fluv. à Picentinis, Lao à Brutiis dirempti. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Dionyſ. *v.* 362.

> Ἔνθα δὲ Λουκανοὶ ϗ Βρέντιοι ἄνδρες ἔασι,
> Τοσσάτιον ναίοντες ὅσον Λουκὴν ἐπὶ πέτρην.

De his vide Juſtin. *l.* 23. *c.* 1. Erant autem Appulis vicini, quemadmodum ex Horat. colligimus *Serm. Sat.* 1. *l.* 2. *v.* 34. Sic enim ille de ſeipſo,

> —— Lucanus *an Appulus, anceps,*
> *Nam Venuſinus arat finem ſub utrumque colonus.*

Vide Cluv. *Ital. Antiq.* Eorum regio Lucania. Inde *Lucanus* adject. Horat.

> *Quod me* Lucanæ, *juvenem commendat amicæ.*

Et *Lucana paſcua* Horat. *Epod.* Ode 1. *v.* 28. apud eund. pro fertilibus. *Lucana Nivis. Serm. l.* 2. *Sat.* 3. *v.* 234. *Lucanus aper*, Idem *ibid. l.* 2. *Sat.* 8. *v.* 6. *mare Lucanum Stat. l.* 3. *Sylv.* 2. *v.* 85. *Lucanus ager* Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Lucanum Litus*, Idem ibid. Strabo *l.* 6. *p* 253. Hinc *Lucas boves* poëtæ elephantos vocant, Item *Juga Lucana*. Sil. Ital. *Punic. Bell. l.* 9. *v.* 573.

> —— *Moderantem cuſpide* Lucas
> *Maurum in bella* boves.

Sen. *in Hippol. Act.* 1. *Choro. v.* 351.

> *Amat inſani bellua ponti,*
> Lucæque boves.

Lucr. *de Rer. Nat. l.* 5. *v.* 1301.

> *Inde* Boves Lucas *turrito corpore tetros.*

Nævius vet. poëta,

> *Atque prius pariat Locuſta* Lucam bovem.

Rationem hujus appellationis reddit Plin. *l.* 8. *c.* 6. *Elephantes Italia primùm vidit, Pyrrhi Regis bello, &* boves Lucas *appellavit in Lucanis viſos. Nic. Lloyd.*

LUCANIA, Strabo *l.* 6. *p.* 252. & 255. Liv. *l.* 8. *c.* 24. 25. 27 *l.* 22. *c.* 42. 61. & *l.* 27. *c.* 44. Flor. *l.* 2. *c.* 6. Plin. Ptol. tertia Italiæ regio, juxtà diviſionem ab Aug. primùm inſtitutam, pars erat magnæ Græciæ, ubi nunc *Baſilicata*, cum parte maxima *Princip. citer.* verſùs Auſtr. & parte Calabriæ cit. Brietio. Terminabatur à Sept. Silari fluv. à Picentinis, & Brandano fluv. ab Apulis: à Mer. Lao fluv. à Brutiis ſeparabatur; Ab Ort. ſinum habebat Tarentinum, ab Occ. mare Tyrrh. Juxtà Marſham. ab amne Silaro porrecta ad Leucopetram prom. atque inde in Sinum Tarentinum reflexa, ad fluv. Bradam à ſecunda regione disjungitur, ex Anton. *Itin.* Tota olim à Gracis occupata. Ubi proin prima occurrit ΠΟΣΕΙΔΩΝΕΑΤΑΝ, proxima eſt ΥΕΛΗΤΩΝ, porro ΒΡΕΤΤΙΩΝ, in finibus ΠΑΝΔΩΣΙΕΩΝ, ſequitur ΤΕΡΙΝΑΙΩΝ, ΑΧΕΡΩΝΤΑΝ, ΙΠΠΟΝΙΕΩΝ, ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ, ΡΗΓΙΝΩΝ, in nummis, Urbes, omnes ad Occaſ. ſitæ. Ad Ort. ΛΟΚΡΩΝ ΖΕΦΥΡΙΕΩΝ, ΚΑΥΛΩΝΙΑΤΑΝ, ΣΚΥΛΛΑΤΙΩΝ, ΚΡΩΤΩΝΙΑΤΑΝ, ΣΥΒΑριτᾶν, & ΘΟΥΡΙΩΝ, quæ etiam Κωπίαι, *Siris*, ΜΕΤΑΠοντίων, ΣΑΛΑΝΤΙΝΩΝ, quorum urbs primaria *Tarentum*, ΥΔΡΩΝΤΙΝΩΝ, ΒΡΕΝΔΗΣΙΝΩΝ, & ΑΡΠΑΝΩΝ, de quibus omnibus vide Joh. Marſham. *Canone Chron. Sec. XVII.* ubi *de Magna Græcia*, & hîc paſſim. Cæterùm regio hæc memorabilis eſt diviſione Apennini & ſoli fertilitate: Unica enim vitis dolium ſæpe implere traditur, tam prodigioſæ magnitudinis ibi uvæ. De hac Horat. *Serm. l.* 2. *Sat.* 1. *v.* 38.

> *Sive quòd Appula gens, ſeu quòd* Lucania *bellum*
> *Incuteret.* ——

Vide quoque ſuprà *Lucani*. P. Mela *l.* 2. *c.* 4.

LUCANICUS, cogn. quod à *Lucanis* victis ſe non aſpernaturum ajebat Antoninus Caracalla, apud Ælian. Spartian. *Et quum Germanos ſubegiſſet, Germanicum ſe appellavit: vel joco vel ſeriò, ut erat ſtultus ac demens, aſſerens; ſi Lucanos viciſſet*, Lucanicum *ſe appellandum*. Indigitare nempè voluit, nullum adeò βλάσφημον aut ridiculum populi nomen poſſe inveniri, ut cognomen ab eo ductum velit refugere, ſi eum populum viciſſet. Quid autem inſit ridiculi in hoc cognomine, obſcurum non eſt: nam inter edulia genus quoddam fuit inteſtini farti, quod *lucanicam* vocabant: à qua Romanos, homines ventri ac abdomininatos *Lucanicos* vocitare conſueviſſe, autor eſt Amm. Marcell. *l.* 28. *c.* 4. quaſi Græcè dicas Ἀλλαντοφάγους, vel Ἀλλαντοπώλας: cujus nominis vilitatem & dedecus norunt, qui Attici Comici *Equites* legêrunt. Quantò ſapientior Aurelianus, qui, victâ Carporum gente, *Carpici* cogn. à Senatu ſibi delatum rejecit, ob vicinatum vocabuli *carpiſculus*, quo calceorum genus quoddam illa ætas nominabat, Caſaub. *ad l.* Cæterùm de farciminis hoc genere, in *Lucania* primum facto, undè nomen, vide Joh. Meurſ. *ad Arnob. l.* 3. *c.* 12. ut & eadem re Phaliſcorum, qui *ventres porcinos* dictos paravêrunt, Lud. Nonnum *Diæteticôn l.* 2. *c.* 14. Rader. *ad Mart. l.* 4. *Epigr.* 46. cujus Epigraphe de Sabello.

> *Et* Lucanica *ventre cum Faliſco*:

C. Barth. *Animadverſ. ad Stat. l.* 4. *Sylv.* 9. *v.* 35.

> *Non* Lucanica, *non graves Phaliſci?*

quorum uterque de muneribus ibi Saturnalitiis agit; Alios: nec non hîc ubi de *Iſiciis*, quæ tamen aliud farti genus propriè notant, item in voce *Pavo* nec non *Phyſcon*. Addam ſaltem, uti hodiè ad braſſicam apponitur, ſic olim oras patinæ habentis pultem ex tritico circumdediſſe hoc fartum; ex eodem Mart. *l.* 13. in Xeniis *Epigr.* 34. cujus Epigraphe. *Lucanicæ*.

> *Filia Picenæ venio* Lucanica *porcæ,*
> *Pultibus hinc niveis grata corona datur.*

LUCANIUS, pronomine *Quintus*, primipili centurio, in exercitu C. Julii Cæſ. per Galliam, qui cùm in itinere cum ſociis oppreſſus ab Ambiorige fortiſſimè dimicaret & circumvento filio ſubveniret, Interfectus eſt. Cæſ. *de Bell. Gall. l.* 5. *c.* 10.

LUCANUS Marcus Annæus, Cordubenſis patriâ, poëta egregius, nat. A. C. 39. Fil. Annæi Melæ, frat. Senecæ, Gallionis, Achaiæ Proconſulis & Acilii Lucani, Oratoris præclari. Præceptores habuit Palæmonem Grammat. Virginium & Cornutum, Philologos & Philoſophos inſignes. An. Æt. 14. Græcè Latineque cum applauſu declamavit. Hinc quum Romæ, ubi cum Perſio educatus eſt, Neroni innotuiſſet, Augur & Quæſtor, ante tempus, creatus, Pollam Argentariam, ſtirpe, ingenio, formâ, eruditione nobilem ſibi junxit. In theatro, ob poëma de Orpheo, prohibente licèt Nerone, qui illum de Niobe dicere juſſerat, ex tempore factum, coronam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

meritus, hujus invidiam in ſe concitavit. Dein in Piſoniana conjuratione deprehenſus, brachium ad ſecandas venas medico præbuit. Scripſit de deſcenſu Orphei ad Inferos, de incendio Romæ, de elogiis Pollæ uxoris, de Saturnalibus, libb. 10. Sylv. Epiſtolas, Orationem contra Octav. Sagittam, quem, ob Pontiam interfectam, ad necem compulit, &c. Sed nihil horum reſiduum eſt, præter poëma ejus de bello civili. Obiit An. 65. Imp. Neronis 10. Sepultus in hortis ſuis, cum hac Inſcr. in Æde D. Pauli. *Marco Annæo Lucano, Cordubenſi Poëtæ, beneficio Neronis Fama ſervata.* Mart. *l.* 7. *Epigr.* 20. cujus Epigraphe de natali Lucani.

Hæc eſt illa dies, quæ magni conſcia partûs
Lucanum *populis, & tibi, Polla, dedit.*
Heu Nero crudelis, nullaque inviſior umbra:
Debuit hoc ſaltem non licuiſſe tibi.

Alibi reſpondet, dicentibus, Lucan. Poëtam non eſſe:

Sunt quidam, qui me dicunt non eſſe Poëtam,
Sed qui me vendit Bibliopola, putat.

Idem *l.* 14. Aphor. *Epigr.* 194. cujus Epigraphe Lucanus. Hujus vitam habemus à Suet. exaratam. Edit. in Octav. *p.* 849. Vide Crinitum & Lil. Gyrald. Etiam fusè de eo agit Voſſ. *l.* 1. *de Hiſt. Lat. c.* 26. Tac. *Ann. l.* 15. *c.* 49. 56. & 70. & *l.* 16. *c.* 17. *Nic. Lloyd.*

LUCANUS, prænomine Claudius, vir Conſularis, Commodi juſſu Occiſus, apud Lamprid. *in Commodo.*

LUCANUS, caput Hæreticorum, qui Sec. 2. Cerdonis & Marcionis deliria incrustabant, vide Tertull. *l. de præſcr. c.* 51. *De Reſurr. carnis, c.* 2. Neque animam, neque carnem, ſed tertium quid reſurrecturum docuit, nuptias rejecit, &c. Epiphan. Philaſtr. Joh. Damaſcenus, Baron. A. C. 146. *n.* 20.

LUCANUS & LUCANIACUS FUNDUS, ſuburbium Burdigalæ, 2. ab ea leuc. apud Liburniam opp. & Condatum, ac Duranii fluv. oſtium in Garumnam, nunc *S. Æmilianus Scalig.*

LUCANUS Lacus Inſubriæ, ad 15. mill. à Cæcia in Afr. extenſus, in Verbanum lacum ſe exonerat, mediante amne Treſâ. Helvetiis *Luwertz-Zeé*, Incolis *Lago di Lugano.* Ei adjacet opp. *Luganum*, 11. mill. a Belitione in Auſtr. 12. à Locarno in Ort. 20. circiter à Como in Circ. Arcem habuit aliàs munitam, nunc deſtructam. Caput Præfecturæ *Luganenſis*, unius ex IV. Ital. ab A. C. 1512. ſub Helvetiis. Vide *Luganum.*

LUCAR, æs dictum eſt, ex locis ſive ſedibus Theatralibus Romæ olim colligi ſolitum, prius *Locar*, quod vide.

LUCARIA, vide LUCERIA. Item feſta apud Rom. quæ celebrabantur in luco, qui permagnus inter viam Salariam & Tiberim fuit, in quo Romani à Gallis fugati ſeſe occultavêrunt. Feſt. Plutarch. Tac. *Ann. l.* 1. *c.* 77. Varro à luce vult dicta.

Viri Illuſtres.

LUCAS, Medicus Antiochenus, unus è 4. Euangeliſtis. Antiochiâ oriundus, diſcip. S. Pauli, Euangelium circa A. C. 56. ſcripſiſſe videtur. Idem Acta Apoſtolorum Hiſtoriam An. 29. vel 30. ab A. C. 33. uſque ad A. C. 63. quo Paulus primâ vice Romæ captivus fuit, complexa divinitus actus conſignavit. An martyrio coronatus ſit, ignoratur; attigiſſe Annum Æt. 84. Hier. *in Cat.* haber. Vide Auguſtin. Ambroſ. Euſeb. *l.* 3. *c.* 4. In hujus *Euangelium* prodiêrunt: Agricolæ *Annot.* Octav. Noribergæ A. C. 1525. de Alliaco, Ambroſii *Comm.* Bonaventuræ *Expoſ.* Octav. Venet. A. C. 1574. Brentii *Comm.* Bucerus. Chryſoſtomi *in varia loca.* de Dieu *Animadverſ.* Finchii *Clavis S. Script.* Gerſonis *in c.* 1. Gomari *Explic. locorum Select.* Gualterus. Hofmeiſteri *Comm.* Janſonius *in c.* 1. & 2. Islebius. Juſtiniani *Sermones in c.* 12. 13. & 14. Coloniæ A. C. 1616. Lamberti *Comm.* Mayronis *in c.* 1. *v.* 44. *& ſeqq.* Baſileæ A. C. 1498. Oranus. Origenis *Homiliæ.* Pelargi *Meditat.* Pricæi *Annot.* Octav. Pariſ. A. C. 1646. Seyſelli *Ethologiæ in c.* 3. *prim.* Quart. Mediolani A. C. 1521. Soarez. Socolavius. Sylveſtranus. Steir. Stella. Stephani *Novæ Gloſſæ.* Fol. A. C. 1553. Timotheus *in c.* 2. *v.* 29. Gr. Lat. Titi Boſtrenſis *Comm.* Tolerus. Victor Antioch. Wicelii *in Cantica Mariæ, Zachar. & Simeonis.* Winckelmanni *Comm.* ut & Zuccoli, Quart. Venet. A. C. 1619. Plures dabit *Elenchus* Gul. Crowæi. De *Actis Apoſtolicis*, ab eodem Euangeliſta conſcriptis, vide *ſuo loco.*

LUCAS, cogn. *Chryſoberges*, Patr. CP. poſt Charitonem, A. C. 1149. Obiit A. C. 1166. Balſamo, *in Comm. Nom. Phot.* Item Abbas Montis Cornelii, prope Leodium, A. C. 1140. Scripſit Comm. in Canticum Canticorum, ſ. potius Epitomen Apondi: quæ Friburgi edita A. C. 1538. Henr. Gandav. & Trithem. *in Catal.* Geſner. *in Bibl.* Valerius Andr. *Bibl. Belg.* Item, dictus *Tudenſis*, contra Valdenſes ſcripſit, Sec. 13. Vaſæus *in Chron. Hiſp. c.* 4. Voſs. *de Hiſt. Lat. l.* 2.

LUCAS Boſdenus, Carmelita, ſcripſit varia, in Philoſophia & Theologia Scholiaſtica. Baleus, *Geſner.*

LUCAS Fruterus, Brugenſis, laudatus Miræo, & Val. Andreæ, *Bibl. Belg.* Ejus ſcripta, *Veriſimilium libri duo; Verſus Miſcellanei, Julii Severiani Symptomata Rhetorices ex Fruteri recenſione.* Moriturus Giphanio commendavit edendum *Comm. in A. Gell.* eruditè ſcriptum, it. *Notas quaſdam in Lucretium*, qui tamen non optimâ fide cum amico egit. Obiit Pariſiis, frigidæ hauſtu, poſtquam pilæ luſu incaluiſſet, A. C. 1566. Æt. vix 20. Ant. Teiſſier *in Elogiis.*

LUCAS Gauricus, Medicus Neapolitanus, Mathematicus excellens, ſcriptis inclytus. Simler. *in Bibl.* Voſſ. *de Math.* Joh. Antonid. Vander Linden, *de Scr. Med.* ubi & alterius meminit.

LUCAS Gernlerus, SS. Theol. Doctor & Profeſſor, Eccl. Baſilienſis Antiſtes, eruditione, pietate, facundiâ, dexteritate, zelo, gratiâ, inclytus; Obiit Baſileæ, A. C. 1675. Æt. 49. Cujus *Comm. in Daniel.* accuratiſſimus, aliaque propediem lucem D. d. videbunt. Pater Joh. Henr. & Theodori, illius in min. Baſilea, iſtius in Genevenſi Eccl. Germanica verbi Adminiſtrorum fideliſſimorum. Succeſſit in utraque ſtatione Petr. Werenfelſius, Theologus conſummatus. Vide quoque *Gernlerus.*

LUCAS Grimaldus, Nobilis Genuenſis, autor plurium poëmatum, *αὐθέχεις*, Noſtradamus, *de Poët. Provinc.*

LUCAS Holſtenius, Præfectus Bibliothecæ Vaticanæ, ſcriptis celebris. Obiit haud pridem.

LUCAS Julianus, vide *Julianus.*

LUCAS Loſſius, Germ. in omni literarum genere plurima ſcripſit. Geſner. *in Bibl.* & Quenſtedt, *de Patr. doct.*

LUCAS Opilio, Anglus, laudatus Balæo, *in Catal. Script. Britann. Maj.*

LUCAS Oſiander, ſcriptis, inprimis Epitome Centuriatorum editâ, clarus. *Lucas de Penna*, JC. *Siml.*

LUCAS Pœtus, Mathematicus, ſcripſit *de Menſuris & Ponderibus Græcis & Romanis; Varias lectiones*, &c.

LUCAS Pragenſis, Unionis Bohemicæ Senior. Volumen Canticorum è S. Bibliis, in uſum Eccl. linguâ patriâ, accurato labore compoſuit, ſcriptis clarus, elegantiæque templorum amator. Ejus dictum fuit: *Eccleſiæ Fratrum non ab hoſtilibus perſecutionibus, ſed à neglecta diſciplina periculum eſſe metuendum.* Obiit A. C. 1535. Æt. 70. cùm præfuiſſet An. 28. Ipſi ſucceſſit Fr. Benedictus, cui adjunctus eſt Joh. Auguſta, inter Seniores clari. Vide Læt. *Comp. Hiſt. Univ. Lucas Schroteiſen*, Siml. *in Bibl. Geſn.*

LUCAS Stenglius, Medicus: de cujus ſcriptis, vide Joh. Antonid. Vander Linden, *de Script. Med. Geſner.*

LUCAS de Tongern, priſcus Hiſtor. Belgii. Val. Andr. *Hiſt. Belg.*

LUCAS Valerius, Geometra excell. ſcriptis inclytus. Voſſ. *de Math.*

LUCAS Wadingus, Franciſcanus Hibernus, Autor Ann. ſui ordinis, ſcriptorum, &c.

LUCCÆ, caſtrum eſt nobile, in finibus Turonum Transligeritanis, ad Andriam vel Angerim: Vulgò *Loches*: ubi Euſtochius, quintus Ep. Turonicus templum, & Urſus Abbas, ſub Alarico Monaſterium condidiſſe fertur: A' Carolomannno ac Pippino Fratribus, Ducibus & Princip. Francorum, junctis copiis, oppugnatum, captum ac funditus everſum eſt, A. C. 742. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

L. LUCCEJUS, fil. Quinti, Hiſtoricus celebris, à Cic. rogatus, ut res illo Conſule geſtas literis conſignaret. Pompejum, bello civili, ſequutus, ei cum Theophane ſuaſit, Italiâ excederet. Veniam nactus à Cæſare. Vide Cic. *Ep. l.* 5. *c.* 12. & *l.* 4. *ad Attic. Ep.* 6.

LUCEJUM, locus Galliæ in Cenomanis, vulgò *Luche*, non procul à Majato & à fluv. Liderico, vel *Luce* prope Uſtiliacum. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LUCEJUS Albinus, à Nerone Mauritaniæ Cæſarienſi præpoſitus, additâ per Galbam Tingitanæ provinciæ adminiſtratione. Cæſo Galbâ in Othonem pronus. Spargebatur, ſpreto procuratoris vocabulo, Albinum inſigne Regis & Jubæ nomen uſurpare. Ideò per præmiſſos centuriones, qui Maurorum animos Vitellio conciliarent, dum è Tingitana provincia Cæſarienſem Mauritaniam petit, appulſus litori trucidatur. Uxor ejus cùm ſe percuſſoribus obtuliſſet, ſimul interfecta eſt. Tac. *Hiſt. l.* 2. *c.* 58. & 59.

LUCEJUS Torquatus, Commodi juſſu interfectus, apud *Lamprid.*

LUCELA Vallis, Juraſſi montanis incluſa eſt, ad lævam Birſæ amnis, cujus ſupremum locum Cœnobium cognomine occupat: Cœpit id non multò pòſt, quàm Ciſtercienſis propoſiti religio apud Burgundos introducta eſſet, A. C. 1030. Fundatores fuêre Hugo de Calmillis, Amedeus de Novo Caſtro & Richardus de Monte Falconis, viri illuſtres atque nobiles. Primus ſodalium præſul Chriſtianus quidam fuit. Agnoſcunt Lucelenſem Abbatem ſuperiorem ſuum feminæ ejuſdem ordinis, quæ tum Michelveldiæ, dimidio infra Baſileam miliari, ubi nunc Pandochium eſt, conſidentes: poſtea Blotshemium, in vicinum Suntgojæ pagum, conceſsêre, templo ibi cum monaſterio, condito. Germ. *Lützel.* Vide Chriſt. Urſtiſium *Hiſt. Baſil. Epit.*

LUCELSTENIUM, vulgò LUTZELSTEIN, caſtrum Palatinatûs, ſub proprio Principe. Habebat Comites olim, qui Frid. I. Electori refractarii, ab eo ejecti ſunt & in exilio *ἄπαιδες* Deceſsêre, A. C. 1452. unde Comitatus ad Palatinos venit. Autor dein *Lucelſteniæ* Lineæ Rupertus fuit, fil. Alex. Ducis Bipontini, frater Lud. majoris natu, qui patri in Bipontino Ducatu ſucceſſit. Obiit Rupertus A. C. 1544. pater Georgii Joh. cogn. Ingenioſi, qui Lucelſtenium auxit, & Pfaltzburgum condidit, quod tamen dein cum aliis, ob debita, cùm vano molimine per montes tranſitum tentâſſet, contracta, in Lotharingi manus devenit. Deceſſit A. C. 1592. Eo nati Georg. Joh. jun. Lucelſtenium nactus eſt, at Georg. Guſtavus Lauterecæ habitavit, qui ſuſcepit Joh. Frid. Car. Lud. & Leopold. Lud. quorum hic fratribus Extinctis A. C. 1631. & 1633. pace Monaſter. in Comit. *Veldentz* reſtitutus, patruo A. C. 1654. Defuncto *in Lucelſteinenſi* ditione quoque ſucceſſit. Vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.* Meliùs Comitatus Auſtraſiæ eſt, ſub Principe Veldentiæ fam. Palatinæ, olim ſub propriis Comitibus, à quibus plenè pervenit ad Palatinos; ad Rupertum verò nunquam pertinuit, qui proin non *Lucelſteniæ*, ſed Veldentiæ lineæ autor fuit, quo etiam nomine in Actis illa publicis venire ſolet. Fil. ejus, ex Urſula Rhingravia, ducta A. C. 1537. & Mortuâ A. C. 1601. Georg. Joh. cogn. *Ingenioſus*, nat. A. C. 1543. ſeſſionis ac ſuffragii in Imperio jus acquiſivit, &, cum nomine *Principis Palatini Veldentiæ*, in Collegium Principum introduci

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

duci meruit. Idem Comitatum *Lucelſtenium* penè integrum, cum dimidia parte communionis Guttenbergicæ & aliis quibuſdam bonis in *Alſentz*, poſt exceſſum Othonis Henr. cogn. *Magnanimi*, ultimi Electoris ex priore fam. Defuncti A. C. 1553. ut portionem quadrantis totius hæreditatis ſibi debiti, ſine præjudicio juris in reliqua competentis accepit: *Lucelſtenum* auxit, Pfaltzburgum condidit, quod tamen deindè in Lotharingi pervenit manus. Obiit A. C. 1592. Pater ex Anna, Maria Suecica, Guſtavo Rege genita (ductâ A. C. 1563.) præter filias duas, Urſulam Lud. Ducis Wirtenbergici, & Annam Margaretham Richardi Agnati, uxores Georgii Guſtavi, Joh. Aug. Lud. Phil. & Georgii Joh. è quibus maximus natu, genitus A. C. 1564. in diviſione, avitas tiones & Statûs Imperii prærogativam adeptus eſt, ac Veldentiam lineam continuavit, Defunctus A. C. 1634. Alter natus A. C. 1575. Com. *Lucelſtenium* accepit, ſed cùm ex Anna Eliſabetha agnata nullis liberis ſuſceptis Obiiſſet, A. C. 1611. in hoc appannagio, minimum natu fratrem (tertius enim in haſtiludio Heidelbergæ perierat jam A. C. 1601.) ſucceſſorem accepit. Qui nat. A. C. 1586. ex Suſanna Palatina, fil. præter alios genuit Georg. Othonem, præmortuum Tubingæ A. C. 1635. ipſe Defunctus A. C. 1654. Poſt cujus Obitum, Comit. *Lucelſtenius*, poſtquam ab A. C. 1592. uſque ad An. modò dictum 1654. ſub proprio fuiſſet Principe, ad Leopold. Lud. Principem Palatinum Veldentiæ Georg. Guſtavi præfati fil. rediit, qui omnes ab Avo relictas ditiones denuo conjunxit. Vide Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Hiſt. in Fam. Palat. ed.* A. C. 1677. & hîc, in *Leopoldus* Ludovicus, item in voce *Veldentia.*

LUCEMBUSGENSIS Bernardus, vide *Bernardus.*

LUCEMBURGENSIS, Petrus, vide *Petrus.*

LUCEMBURGUM, caſtrum & opp. nobile Belgii, Ducatûs cognominis caput, qui, una ex XVII. Belgii provinciis, Hiſpaniarum *Regi* ſubeſt, de quo vide *Lucillii burgus* & *Luxemburgum.* Olim ſub propriis Ducibus, quorum familiæ communem originem, cum altera Hannoniæ Comitum & Brabantiæ Ducum, atque ex his Landgraviorum Haſſiæ ſtirpe, attribuere ſolent Genealogi, deducentes eam à Giſelberto Comite Manſuariæ, Ermengardæ Lothario Imp. genitæ marito. Cùm enim prior ejus fil. Raginerus, Dux Hasbaniæ, jam enumeratas ſtirpes proſeverit: alter fil. Ricuinus Arduennæ Comes Othonem, Ducem Lotharingiæ ſup. reliquorum Ducum ſatorem, atque Ricuinum, genuit. Hic nepotem habuit Sigfridum, *Lucenburgi* ſ. *Lucemburgi*, quod permutatione à S. Maximini Abbate natus erat, Comitem, cui liberos dant, præter Cunigundam Aug. & alios plures, præcipuè Henr. Ducem Bavariæ & Comitem Palatinum Rheni, quæ utraque dignitas aliquandiu penès poſteros fuit atque Frid. *Lucenburgium.* Inter hujus etiam plures numero filios fuêrunt Giſelbertus *Lucenburgiorum* (quorum ad Namurcenſes devenit hæreditas) ac aliquorum Salmenſium autor & Theodoricus, Limburgi Dominus, à quo deinceps ordine generationis Comites & Duces Limburgenſes deſcendêrunt. Demum Valeramus II. Dux Limburgicus, per duos filios, Valeramum quidem III. Limburgenſes propagavit; ſed per Henr. Blondellum *Lucenburgium*, matris Namurcenſis jure, Comitem, iſtam *Lucenburgiam* novam ſtirpem orſus eſt. Huic cùm iterum duo eſſent filii, alter Henr. II. pater Henr. VII. Imp. plures Auguſtos, Reges Bohemiæ, & Hungariæ, Marchiones Moraviæ & Luſatiæ, Duces *Lucenburgenſes*, in poſteritate ſua numerat; alter Valeramus, Dominus *de Liney* fuit, plurium linearum conditor: quarum præcipua diviſio tum facta eſt, cùm Petrus *Lucenburgius* Com. *de Converſan*, *de Brienne*, & *de S. Paul*, tres præcipuè filios habuiſſet, Lud. Theobald. & Jacobum. Ex his enim ille Comes *de S. Paul* & Conneſtabilis Franciæ, denuo numeroſæ fam. pater, ex filio Petro avus fuit Mariæ, quæ Comitatus *de Soiſſons*, *S. Paul*, *Marie* aliaque Borbonio marito attulit; ex alio Antonio Com. *de Roucy* & *de* Brienne, poſteritas maſcula in plures gradus duravit. & demum in Henr. Duce *de Lucenburg*, & *de Piney*, Principe *de Tingry*, finita eſt A. C. 1616. de cujus filiabus vide paulò *infrà.* Iſte Dominus *de Fiennes*, præter reliquos Fiennenſes (quorum hæredes fuêre Egmondani) Vicecomites *de Martigue* dedit, in quibus ultimus Sebaſtianus, Dux Pentheuriæ, Deceſſit A. C. 1569. relictâ filiâ Annâ, quæ in Lotharingicam domum elocata eſt. Hic (Jacobus) Dominorum *de Richebourg*, Vicecomitum *de Launoy* & Comitum *de Cantheſar* autor fuit. Ad filias Henr. Ducis *Lucenburgici*, A. C. 1616. Extincti ut redeam, illarum progenitores ſic habent: Antonius *de Lucenburg* Com. *de Roucy*, *Brienne* & *Ligny*, ex Franciſca Croïa (filia Car. Princ. Cimacenſis) genuit Car. *de Lucenb.* Com. *de Brienne*, qui Extinctus A. C. 1530. ex Carola d'*Eſtouteville*, pater fuit Antonii II. *de Lucenb.* Com. *de Brienne*, Defuncti A. C. 1557. Hoc & Margarethâ de Sabaudia (filiâ Renati de Sabaudia Com. *de Villars*) genitus eſt Franciſcus Dux *Lucenburgicus* & Pinæus, qui Obiit A. C. 1613. relicto, ex Diana Lotharingica (filia Claudii Lotharingi Duc. Aumalæ) filio Henr. Duce *de Lucenburg* & *Piney*, ultimo maſculorum domûs ſuæ. Ille enim Mortuus A. C. 1616. ex Magdalena Montmorencia (filia Gulielmi *de Montmorency* Com. *de Thore*) non niſi duas filias reliquit, Carolam Margaretham, uxorem Leonis Albretani primò, exin Henr. *de Clermont* Com. *de Tonnerre*, ac Lætitiam Henr. *de Levis* Dn. *de Ventadour* nuptam, Domûs *Lucenburgicæ* hæredes. Martigii rami probatio hæc eſt: Guido *de Luxembourg* ſ. *Lucenburg*, Com. *de Ligny* Dn *Beauv.* Defunctus A. C. 1371. ex Mathilde (filia Joh. Caſtellionæi Com. *de S. Paul* hæred.) genuit Joh. *de Luxenb.* Com. *de Ligny*, maritum Margarethæ Dn. d'*Enghien* Com. de Brienne & *Converſan*, atque ex ea patrem Joh. *de Luxenb.* Com. *de Ligny*, *Converſan*, & *S. Paul*: quo (Obiit autem is A. C. 1433.) & Margarethâ *de Baux* ſ. *de Balızo* (filiâ Franciſci de Baux Duc. Andriæ) natus Theobaldus *de Luxenb.* Dn. *de Fiennes*, & *Armentieres*, ex Philippina *de Melun*, Dn. *de Sotteghem* (filia Joh. *de Melun* Viceconı *de Grand*, Bar. d'*Antho*) ſuſcepit Franciſcum I. *de Luxenb.* Vicecom, *de Martigues*, patrem ex Luiſa Sabauda Marchion. *de Baugés* (filia Jani de Sabaudia Com. Genevæ) Extincta A. C. 1530. Franciſci II. Vicecom. Martigii, & Gabrielis Equit. Melitenſis, quorum is uxore ductâ Carolâ Britannicâ Com. *de Penthieure*, Car. genuit & Sebaſtianum Duc. Pentheuriæ, cujus, lineæ ſuæ ultimi, filia Maria aliàs Anna domui Lotharingicæ bona intulit. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Parte* 2. *p.* 92. & *Parte* 3. *p.* 24. Nec omittendum, de præfata Margaretha Carola Duc. *de Luxembourg* & *Piney*, ſecundis nuptiis junctam Car. Henr. Com. *de Clermont.* & *de Tallard*, atque indè Duci Lucenburg. Pineji & Tingrii, matrem fuiſſe Magdalenæ Bonæ Thereſæ, cujus maritus Franciſcus Henr. Montmorantius Com. *de Bouteville*, & ab ipſa Dux *Pineii* & *Lucenburgi*, exercitûs Gallici in Belgio multis Annis Summus Dux fuit, *Mareſcalli Franciæ* dignitate haud pridem à Rege honoratus. Idem *Parte* 3. *p.* 81. Vide quoque ſuprà, ubi de *Claromontanis.*

LUCENBURGICUS, Philippus, vide *ibi.*

LUCENSIS, pop. Hiſp. Tarrac. quorum urbs Lucus, Ptol. Vide ibi.

LUCENTES Murones, apud Lamprid. in *Commodo*, vide infrà *Murones.*

LUCENTIA, citerioris Hiſp. urbs Romanorum colonia. P. Mela *l.* 2. *c.* 6. Vide Voſſ. *ad* eund. *p.* 192.

LUCENTUM, Hiſp. Tarrac. opp. Plin. *l.* 3. *c.* 3. à ſup. diverſum, quod Ptol. ſtatuit ſupra Carthaginem, Occaſ. versùs. *Luchena* Beuthero. Nunc vicus regni Valentini, inter Setabim ad Occ. & Dianium ad Ort. 9. leuc. à Valentia in Auſtr. totidem ab Alona in Bor. Pop. *Lucentes.* Plin. *l.* 3. *c.* 12.

LUCEOLUM, & *i*, Procop. opp. Umbriæ, ad Cantianum fluv. & montem Apenninum, inter Nuceriam 25. & Callium 10. mill. paſſ. exciſum à Narſete. Locus nunc *Ponte Rezzoli*, Blondo, aliis *Ricivoli.* Ejus mentio fit Itin. *l.* 3.

LUCEORIA, Polonis LUCKO, Germanis LUSUC, urbs ampla Volhiniæ ſup. caput Palat. Luceorienſis, Epiſcopal. ſub Archiep. Gneſnenſi, ad fluv. *Ster.* cum arce munita, vix 7. leuc. à conf. Ruſſiæ Nigræ in Ort. juxta ſtagnum, 25. leuc. Pol. à Leopoli in Cæc.

LUCERES, tertia pars pop. Rom. temporibus Romuli Regis Prop. *l.* 4. *Eleg.* 1. *v.* 31.

Hinc Tàties Rhamneſque viri Lucereſque *coloni.*

Ubi Taties pro Tatienſes, Rhamnes, pro Rhamnenſes, Turneb. *Adverſ. l.* 1. *c.* 21. Varro *l.* 4. *de Ling. Lat. Ager Romanus primùm diviſus in partes tres, Taties à Tatio, Rhamnes à Romulo, Luceres à Lucumone.* Sed omnia hæc vocabula Thuſca ſunt. Ovid. *Faſt. l.* 3. *v.* 131.

Quinetiam partes totidem Tatienſibus ille,
Quoſque vocant Rhamnes Luceribuſque *dedit.*

Vide Paſſeratium ad Prop. loc. adductum. *Nic. Lloyd.*

LUCERIA, ſic enim vocandam cenſet Oſwaldus Molitor, ipſe Lucerinus, aliàs *Lucerna*, Germ. *Lucern.* Gallis *Lucerne*, urbs inſignis Helvetiæ, mediâ ſcinditur Urſâ fluv. qui ibi effluit è lacu amplo. per quem ad tres Pagos indè navigatur, vulgò *Lucernersée*, ad pedem altiſſimi montis, quem Fractum & Pilatum montem vulgò dicunt. Situ ſedet commodo; hac enim iter eſt in Italiam, per Alpes Lepontias, & viciſſim Italicæ merces per lacum & Urſam fluv. in Rhenum, ac porro in Oceanum deſcendunt. Nomen inde nacta videtur, quòd illic olim, in navigantium uſum, noctu lucerna in turri ad ſuperiorem pontem arderet. Origo urbis in abdito: utrinque ad flumen exſtitiſſe caſtella ſingula traditur, quæ ab Alamannis creduntur extructa, è quibus poſtea urbs ſenſim creverit, ſub Alamanniæ Sueviæque tum Ducibus. Et certè jam Car. Mag. Lucernates, adverſùs Saracenos, militâſſe, & ab eo cùm privilegia quædam, tum cornuum *die harſchörner*, quibus hodieque in bello utuntur, uſum conſecutos eſſe, referunt Annales domeſtici. Quidquid horum ſit, maxima olim poteſtas, ut in aliis Germaniæ urbibus, penès collegium Canonicorum, à Wichardo presbytero, circa A. C. 700. fundatum fuit: Hoc in poteſtatem Abbatis Murbacenſis pervenit, dono Pipini Regis Oppido quoque idem Abbas imperavit, uſque ad Albertum I. Imp. qui novum in Helvetiis principatum conditurus, Lucernam quoque ab Abbate emit, ſalvis tamen ejus privilegiis, quibus jam ſub Abbatibus fruebatur. Interim promiſſorum immemor, multis oneribus cives preſſit: qui, novis ſubinde injuriis irritati, cùm ſæpe Auſtrios ſuppliciter rogâſſent, ut pacem cum Pagis, cum quibus bellum magno ſuo incommodo gerere cogebantur, facerent, fruſtra re tentatâ, ipſi tandem illam iniêrunt, integris tamen Auſtriæ domûs juribus. Offendit hoc Auſtrios, qui proin de urbe per inſidias opprimenda conſilium cepêrunt; quod cùm ante tempus innotuiſſet, acceleratum fœdus Helveticum eſt, A. C. 1332. Quo vixdum icto, aperto primùm Marte Lucernates aggreditur Auſtrius; qui cùm nil prodeſſet, iterum ad inſidias versùs, civium compluribus in partes ſuas pertractis, nocturno inſultu urbem intercipere conſtituit, quod cùm iterum ſucceſſu caruiſſet, illos apud Imp. Lud. Bavar. reos peregit, qui Tigurinis, Bernatibus & Baſilienſibus id negotii dedit, ut pacem componerent. Sic factæ induciæ ſunt A. C. 1334. quæ iterum tamen in bellum mutatæ, poſtquam Tigurum A. C. 1351. ſeſe Confœderatis junxit. Tum ab Auſtriis multùm infeſtati, Habeſpurgum arcem ad lacum ſitam, trium Pagorum auxilio adjuti, expugnatam funditus evertêrunt. Poſtea, novis contumeliis incenſi, ope eorundem Rottenburgum arcem A. C. 1385. pluresque alias ſolo æquârunt, cum reliquis ad Sempacum victores. Proſcripto poſtmodum Frid. Auſtrio, in occupandis ejus ditionibus, A. C. 1415. ſtrenuam navârunt operam, ſed cùm liberas Provincias, quia ſoli in poteſtatem redegerant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſibi ſolis ſervare vellent, oppoſuêre ſe pagi reliqui, oſtendentes, ita initio belli conventum, ut quæcunque loca in Verbigenis bello hoc caperentur, communi regerentur imperio. Fœdere dein privato, cum Cantonum quibuſdam, percuſſo, cùm Urii, Suitii & Underwaldii negarent, licere Lucernatibus abſque ſuo conſenſu ullum fœdus facere, lis orta, quam Nicolai Eremitæ prudentia ſopivit A. C. 1480. Urbi ſub initia Reformationis Euangelii quoque lux affulgere cœpit, Sebaſtiano Hoffmanno, Franciſco Theol. Doctor qui lectoris munere fungebatur, A. C. 1522. contrà invocationem SS. aliaque Latinæ Eccl. dogmata magno cum zelo concionante; quem M. Conradus Schmidius ibidem ſtrenuè juvit: Sed non ſolùm uterque mox urbe pulſus eſt, verùm ut & alibi in Helvetia doctrinæ huic remora injiceretur, de 26. Jan. A. C. 1524. in urbe à 12. Cantonibus, ſolis tum Tigurinis refragantibus, concluſum, edictoque promulgato ſeverè mandatum omnibus eſt, tenaciter ut recepta dogmata retinerent, ſub gravi pœna tranſgreſſoribus infligenda. Cùm ne ſic quidem ſiſti poſſet Euangelii ingruentis curſus, & Helvetia, propter diſcrepantes religiones, in partes abiret, arctiori amicitiâ Lucernates conjuncti cum Uriis, Suitiis, Underwaldiis & Tugiis, Latinorum rituum retinentibus, cum iis ab eo tempore peculiares conventus, qui plerunque Lucernæ inſtitui ſolent, frequentare cœpêrunt. Cæterùm viros edit Lucerna, animi magnitudine præſtantes, & ingeniis non pœnitendis. Patria inter alios Oſvvaldi Myconii, ſecundi Baſilienſi Eccl. Antiſtitis. Vide Stumpf. *de Argovia l. 7. c. 6. & 7.* Simler. *de Rep. Helv.* Stattler. &c. Glarean. de illa ſic canit, *in Panegyr. Helv.*

—— Luceria *eſt, ſummâ dicenda Camœnâ,*
Prima ſalus noſtri imperii, miſerata labores
Suitiæ & Urorum, trepidantiſque agmina ſylvæ.
Non Leopoldi iras timuit, non Suevica bella,
Pannoniæque minas, vicos imitata ſuperbos,
Auxit opes, nomenque ſuum, Famamque perennem.
Primaque cum primis ſua fœdera junxit amicis.
Quòdque à luce datum venerabile nomen haberet,
Non oblita dedit vires, creſcenſque levavit
Imperium, luxitque ſuis & fœdere vinxit.
Ergo quæ tribus eſt Vicis, unda, hæc eadem illi eſt,
Et nomen commune tenent, quod ſylva repingit.

Nominantur enim quatuor hi pagi vulgò, *die vier Waldſtett*, i. e. Civitates Sylvanæ:

LUCERIA, Dauniorum colonia, in Apulia. Strabo *l. 6. p.* 284. Nunc *Lucera*, Epiſcopal. ſub Archiep. Beneventano, in Capitanata prov. in planitie. 10. mill. in Auſtr. à Fano S. Sevèri, 7. à Troja in Bor. 37. à Siponto in Occ. 30. à Benevento in Cæc. Horat. *Carm. l.* 3. Ode 15. ſub calcem.

Te lanæ probe nobilem
Tonſæ Luceriam, *non citharæ decent.*

Lucan. *Civ. Bell. l. 2. v.* 273.

Tu quoque nudatam commiſſæ deſeris arcem
Scipio Luceriæ. ——

Ubi *Nuceriæ* legit Micyllus, quæ in Umbria, ubi jam erat Cæſar, & in Piceno. Ptol. Luceriæ meminit, in Gallia Ciſalp. Nunc *Luzare ſur le Po.* Capta eſt à Lud. II. Imp. A. C. 866. Nic. Lloyd. Plin. *l. 3. c.* xi.

LUCERIA, ſ. NUCERIA, Ptol. opp. Gall. Ciſpad. nunc eſt caſtr. *Luzara*, ad Padum, in Duc. Mantuano; haud pridem conceſſum Duci Guardiſtalli, pro bono pacis.

LUCERIA Ludovicus, vide *Ludovicus.*

LUCERIUS, dictus eſt Jupiter, à *luce*, quam hominibus præſtare putabatur, ut Juno *Luceria.*

LUCERNA, Helvetiæ civ. culta, *Luceria* Ferrar. 6. leuc. à Berna in Ort. 4. in Eur. à Veteri Vico opp. præcipuo pagi Urienſis, ad lacum, qui ab Ortu in Occ. extenſus eſt, per 24. mill. paſſ. inter pagos Lucerinum, Urienſem & Suitium. Cluv. *Deſcr. Germ.* Hiſt. Helvet. Vide *Luceria.*

LUCERNA, al. LYCHNUS, LATERNA, LAMPAS, CANDELA, STILBA &c. Gr. Φῶς, λύχνος, λαμπτὴρ, λαμπὰς, λυχνοῦχος &c. quæ tamen accuratiùs penſiculata, non leve diſcrimen admittunt. Et quidem *Laterna* propriè vas eſt, intra quod lux veluti latet, clauſa ſ. laminâ corneâ, ſ. tenui pelle, ſ. telâ lineâ, ſ. chartâ: *Lucerna* verò vas appellatur, in quo ſine tegmine velamentove lux immediatè viſitur effulgere, deque ſe lumen effundere potinus in circumfluum aërem. Utriuſque genus Λαμπτὴρ eſt, quam vocem modò de *Laterna*, modò de *Lucerna*, uſurpatam reperies. *Lampades* porrò & piceæ *Tedæ* Luciferorum ſunt, ſ. Lampadophororum, de quibus ſuprà. *Obeliſcolychnium*, militare inſtrumentum eſt, memoratum Theopompo Comico *in Pace*. Quæ ex cera, aut ſevo, proprie *Candelæ* vocantur: *Stilba*, ſpecies Lucernæ eſt, quæ ſuprà candelabrum poni ſolet, ut ex Phœniſſis Ariſtophanis Jul. Pollux *l.* 10. declarat: qualibus *ex orichalco Studioſos literarum uti ſolere*, ait Gyraldus *Syntagm.* 9. Ita Licetus. Caſaub. de ea re ſic, *ad Suet. Jul. Cæſ. c.* 37. *Olim candelis ſebaceis ſoli pauperes utebantur: reliqui facibus vel* lucernis: *has Græci λύχνους vocant: λυχνοῦχος autem eſt inſtrumentum, cui lucerna aptatur —— pro quo milites Græci ferebant obeliſcolychnium* &c. Vide quoque infrà *Lychnus.* Et quidem uſum *Lucernæ* primi omnium inveniſſe Ægyptii leguntur, Polyd. Virg. *l. 2. c. 19. de Invent. rer.* ex Clem. Alexandrino *l. 1. Strom.* & Euſeb. Pamphilo *de Præp. Euang. l. 10. c.* 2. Quod indigitaturus Cæſar Hadrianus in nummo ſuo aſpidem (Ægypti ſymbolum, Pharus enim Alexandriæ earum admodum ferax eſt) poſuit cum *Lucerna* in capite. Hinc apud unos Ægyptios *feſtum Lucernarum* inſtitutum eſt, totâ regione celeberrimum, de quo vide Herod. *in Euter. c.* 62. ubi tamen veram feſti rationem muſſat, quæ fuit, quòd nocte illâ, Exod. *c. 12. v. 29. & ſeqq. quâ Deus omne primogenitum in Ægypto percuſſit*, cuncti Ægyptii *Lucernas* accendêrunt, ſurgentes ad lugendum mortuos ſuos primogenitos & ad urgendos Hebræos, ut exirent: in cujus rei gratiam, ne pejorem plagam aliquando paterentur, feſtum id *Accenſionis Lucernarum* Græcè τῆς Λυχνοκαΐης, in tota Ægypto celebrandum ſtatuêrunt. Et antiquitus quidem, ipſi Principes *Lucernarum* elegantiam non dedignati, & Reges quoque in earum fabrica occupati gaviſi ſunt. Plutarch. enim relatu *in Demetrio*, Macedonum Rex Æropus, *ubi vocabat, ſubtiles menſulas &* Lucernulas, *fabricando tempus traducebat.* Suntque hæ, quæ manibus Regum fabricabantur, & artificio pulchræ, & perantiquæ, ut putà ſebaceis ac cereis candelis, quarum autor ignoratur, Polyd. Virg. *de Inv. Rer. l. 3. c. ult.* vetuſtiores, ac oleariæ; poſt has enim demum ex ſevo & cera candelæ, quarum uſus tamen perantiquus eſt, confici cœpêre. Materia argilla, vitrum, metalla omnis generis: Figura non minùs varia. Namque illarum aliquæ viſuntur ſphæricæ, oblongæ aliquæ, quædam triangulares, nonnullæ quadrangulum referunt, & ad arbitriùm Autoris aliæ alias formas repræſentant. Præterea earum multæ unicum ellychnium habuêrunt, aliæ duo, nonnullæ plura. Variæ quoque ab Artifice imagines iis inſculptæ deprehendunt: ut & nomina inſcripta cum eorum, in quorum honorem ac uſum factæ erant, tum Artificum, qui hoc modo famæ ſuæ litare non omiſêrunt. Perpetuæ inprimis *Lucernæ* quarum veritatem fusè probat Licetus, & de quibus aliquid infrà, celebres fuêrunt. Has fortuito experimento, fortè circa Æneæ ævùm, inventas credunt Eruditi, an ab iiſdem Ægyptiis, apud quos cum philoſophia & omnis diſciplina floruerit olim prababile ſatis eſt, parandæ illos *Lucernæ* perennis artem habuiſſe, communicâſſeque cum Principibus aliarum gentium, Conſtitit autem illa in cognitione materiæ, inflammabilis ab igne; quæ duplici ſubſtantiæ innitebatur, ellychnio ſc. ac liquori, quorum alterum abſque altero eſſe poterat, & proin duûm generum *Lucernæ* hæ fuêre. Namque caphura, naphtha, olea lateritia & hujuſmodi alia pleraque in oleorum ac bituminum cenſu, ſola ignem abſque ellychnii ullius ope rapiunt, raptumque pertinaciter retinent: Contra ex amianto, asbeſto charyſtiove lapide; ex villis Salamandræ; ex alumine Scariolæ, ex Magneſia aliiſque multis, parari olim potuit ellychnium diutiſſime flammæ in *Lucerna* ſuſtinendæ aptum, vide ſuprà in voce *Linum.* Illas verò non uno in loco poſuêre antiqui: Namque ardebant in templis, intra muros ante numinis imaginem occultæ, ſub terra & ad aram & intra ſepulcrum: Inprimis in his, juxta cinerum ollas ac Defunctorum oſſa, quod in Animæ immortalitatis ſignum, quam ignea repræſentari ſpecie notum, factum eſſe videtur. Undè Foxius, *Ægyptii*, inquit, *vitam* Lucernâ *ſignificantes, occaſionem veteribus dedêre, ponendi* Lucernas *perpetuas in ſepulcris, ibi, cum cadaveribus, Animas immortales morari ſemper innuentes.* Addi poteſt, factum id in ſignum nobilitatis familiæ, in talium enim ſolùm tumulis *Lucernæ* ardentes vel etiam extinctæ comperiuntur. Sed de his plura vide apud Fortunium Licet. *Opere inſigni de reconditis antiquorum* Lucernis: uti de more in publica lætitia januis vel feneſtris *lucernas* appendendi, infrà ubi de *Luminum feſto* & *Natali die.* Ut de communium *Lucernarum* uſu pauca addam, eæ domi foriſque adhibebantur, ut videbimus infrà, ubi de *Lychnuchis* Vett. Et per noctes ſtudiis eruditorum inſerviebant, undè horum Præſes Minerva *Lucernarum modulatrix* Arnob. dicta *l.* 4. *Numquid aliquando à nobis conſcriptum eſt, Minervam luminis Miniſtram &* Lucernarum *Modulatricem*: alludenti ad Homeri figmentum, qui prælucentem inducit Ulyſſi Minervam. Et Petron. Edit. Gonſ. de Salas *p.* 16. Edit. Boſch. *c.* 30. ubi cujuſque Dæmonis Gentilibus culti officium, ut derideat, proponit *in Epigr.* cujus fragmenta Gnomologus aliquis conſervavit, *lucernas* Palladis proprias facit,

—— *Natat obrutus omni*
Neptunus demerſus aqua; Pallaſque lucernas
Vindicat. ——

Sed & *Lucerna Conjugalis*, quam pronuba, acceptâ unâ ex facibus illis quinque, Sponſæ præferri ſolitis, in thalamo accendebat, facibus ilico extinctis, totam ardebat noctem, Jul. Cæſ. Scalig. *poet. l. 3. c.* 101. Imò ſoliti Vett. communiter pernoctibus lucernis uti, ut diſcimus ex Mart. *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 39. cujus epigraphe *Lucerna Cubicularia*,

Dulcis conſcia lectuli lucerna,
Quidquid vis facias licet, tacebo.

Undè teſtimonium à *lucerna*, contra Megapenthem, exigi videmus apud Lucian. Καταπλ. Nec omittendum, *lucernas* à Græcis accepiſſe frugales Rom. longè poſt candelarum uſum, uti indigitat idem *Epigr.* 43. cujus Epigraphe *Candelabrum Corinthium*,

Nomina candelæ nobis antiqua dedêrunt:
Non nôrat parcos uncta Lucerna *patres* &c.

De uſu *Lucernarum* in Sacris Vet. Teſt. alibi, aliquid infra in voce *Lychnuchus.* In *Eccl. Rom.* Lucernæ, inter miniſteria ſacra, occurunt in variis *Chartis*, apud C. du Freſne, *in Gloſſ.* Hinc Lucernales *Pſalmi*, in eadem Communione Rom. Veſperæ dicuntur, Macro: item *Hora Lucernaria*, Flodoardo *in Hiſt. Rom. l.* 4. *c.* 43. & *Lucernariæ* ſimpliciter, in *Regulis* Monaſticis; *Lucernarium* quoque, Balſamoni *in can.* 91. *Synodi VI.* λυχνικὸν Palladio *in Hiſt. Lauſiaca c.* 38. λυχναψία, *Lucernarum accenſio*, in *Gloſſ. Gr. Lat.* &c. Ita autem Officium hoc veſpertinarum precum appellatur, quòd veſpere occaſo Sole, cùm *Lucernæ* accenduntur, peragi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

peragi ſoleat. Hinc & Prud. cùm hymnos pro ſingulis horis canonicis compoſuiſſet, quintum Veſperarum *ad accenſionem Lucernæ* nominavit. In ritu Ambroſiano non ipſæ veſperæ, ſed reſponſorium, quod canitur ad veſperas, *Lucernarium* appellari, adnotat Dom. Macer in hac voce, vide quoque illum in voce *Lucernarium*. In Eccl. Græca ſeptem ponit εὐχὰς ȣ̃ λυχνικῆς, *preces lucernarii*, Euchologium *p.* 10. & *ſeqq.* apud Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* in voce Λυχνικὸν, qui & duplicis Ἑσπερινȣ̃, *veſpertini hymni*; *parvi* viz. qui ante occaſum Solis, & *magni*, qui paulò poſt occaſum, in eadem Eccl. & quidem extra templum apud Armenos, peragi conſueverit, meminit in voce Ἑσπερινός. Apud Gentiles *Lucernæ trigonæ*, Diis Manibus; *tetragonæ*, 4. Elementorum Geniis: *heptamyxæ*, 7. Planetis; *duodecim lychnis inſtructæ*, XII. Zodiaci ſignorum Geniis; 365. lychnis ardentes, Soli &c. fuêre olim ab horum cultoribus ſuperſtitioſis accenſæ. Sic de Tarentinis Athen. refert, eorum Curiam tot lychnis ardentibus, quot in Anno dies ſunt, inſtrui fuiſſe ſolitam, *l.* 15. Vide Athan. Kircher. *in Oedipo*. In ejuſdem muſeo aſſervatur *Lucerna Magica*, inſtrumentum ſc. quo, ope unius aut plurium lentium cryſtallinarum ſuperficies, quibuſcunque tandem diaphanis tamen coloribus, figuris aut imaginibus imbuuntur; quæ tubo Opticæ lentis prius probè inſtructo, lumine *Lucernæ* accenſæ, intra obſcuri cubiculi candidum parietem aut expanſum linteum, ita ad vivum unà cum coloribus projiciuntur, ut omnes ſpectatores in admirationem rapiantur. Cujus inventi gloriam Athan. Kircher. deberi docet Georg. de Sepib. *in Collegii Rom. S. J. Muſeo p.* 40. Vide quoque Kircheri ipſius *Artem Magnam Lucis & Umbræ*, *edit. ult. p.* 768. Item *Lucerna Mirifica*, inſtrumentum ſc. quo lucis radius adeò intenditur, ut non in tenebris ſolùm, verùm etiam in meridiana luce, eouſque lumen evibret, radios ſuos ſpargendo, ut præ ſplendoris extuberantia, vix liceat inoffenſo oculo ejus fulgorem intueri. Quod artificium provenit ex ſegmento cryſtallini globi, cui retro poſitum lumen; & lucernarum more ex omni alia parte opacatum, tantum luminis fundit, ut Solem orientem credere poſſis atque adeo ad 200. pedes in tenebris minuto quamvis charactere ſcripta, legere, vide Georg. de Sepib. *in Colleg. Rom. S. J. Muſeo p. cit.* &c. Sed & *Lucerna* piſcis nomen, inter volatiles piſces, à Plin. *l.* 9. *c.* 27. relati; Rondeletio eundem cum hirundine & Salviano, cum milvo, facientibus. Nempe oculos habet rubeſcentes; linguam item, palatum, aliaque interioris oris ita rubra, ut ſandaracham quoque vel cinnabarim vincant: quibus ſic partibus *lucet*, quaſi ore teneat prunas. Sed & oculi eò conferunt, quos itidem rubeſcentes habet. Quoſdam ſanè piſces oculis noctu lucem jaculari, teſtis idem *l.* 11. *c.* 37. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Idol. l.* 4. *c.* 48. ubi de avibus noctu *lucentibus*, ſuprà, aliquid in voce *Bohemica*.

Lucernarum perennium, hactenus notarum, ſeries, ex Liceto.

Antiochiæ, quæ poſtmodum *Edeſſa* dicta eſt, imperante Juſtiniano, *Lucernam* repertam eſſe, quæ ſtatim à Chriſto paſſo ſupra portam quandam abdita, 500. Annorum decurſu inextincta arſerit, & è qua oleum in ignem proximum injectum Coſrois Perſarum Regis copias ad unum omnes conſumpſerit, memorat ex Cedreno, Franc. Citeſius Pictavienſis *in l. cui tit. Abſtinens Confolentanea*, apud Licet. *l.* 1. *c.* 7.

Ateſte, circa A. C. 1500. reperta eſt urna fictilis, & in ea altera urnula, in qua erat *Lucerna* adhuc ardens, inter duas ampullas, quarum una erat aurea, altera argentea, puriſſimo quodam liquore plenas. Vide infrà in *Maximi Olybii Lucerna*, Idem *l.* 1. *c.* 9.

Bononiæ, non ita multis ab hinc Annis *Lucernas*, in antiquiſſimis ſepulcris, ardentes repertas fuiſſe, idem teſtatur *ejuſd. l. c.* 18. ubi earum pulcherrimas aliquot imagines ex muſeo Ulyſſis Aldrovandi ſe habere narrat.

Callimachus *Lucernam*, in honorem Minervæ fabricâſſe, in quam oleum infuſum non conſumptum fuerit, niſi exacto demum Anno, eò quòd illi funiculus ex lino Carpaſi loco ellychnii eſſet, legitur apud Pauſ. *in Attic*. Vide Licet. *c.* 4.

Caroli Mag. ætate Romæ, in ſepulcro cujuſdam hominis Ethnici, candela ardens inventa eſt, quæ nec aquâ nec vento potuit extingui: donec lychno perterebrato liquor egreſſus illam deſtituit, Alph. Toſtatus ex Helinando Chronographo, & Joh. Ægidio Zamattenſi, apud eund. *l.* 6. *c.* 46.

Caſſiodorus, paraviſſe ſe nocturnis vigiliis mechanicas *Lucernas*, conſervatrices illuminantium flammarum, ipſas ſibi nutrientes incendium; quæ humano miniſterio ceſſante, prolixè cuſtodierint uberrimi luminis abundantiſſimam claritatem: ubi olei pinguedo non defecerit, quamvis flamminis ardentibus jugiter torreretur, refert *l. de Inſtitutione div. Scriptur. c.* 30. apud eund. *l.* 6. *c.* 49.

Delphica *Lucerna* Plutarch, *in Numa* memorata, ignem ſimiliter ſervavit perennem: qui ſi fortè extinctus fuerit, ut templo à Medis incenſo belloque Mithridatico atque Romanorum civili factum, non aliunde quàm ex pura Solis flamma de novo elici ſolitus eſt. Iſtiuſmodi *Lucerna* & Athenis fuit, Ariſtonis tyrannide extinctâ: utrobique viduæ extra ætatem nuptiarum poſitæ ignem cuſtodientes, non novum adjiciebant fomitem, ſed ab externis ſolùm injuriis tuebantur, vide eund. *l.* 1. *c.* 29.

Demoſtheni quoque ſunt, qui *Lucernam* inextinguibilem eant adſcriptum, eo quòd ipſe apud Plutarch. tam nobilem ejus faciat mentionem. Verùm an illa apud Demoſthenem jugi flamma arſerit, incertum eſt. Idem *l.* 1. *c.* 22.

Edeſſæ *Lucerna* celebris, ſub Juſtiniano reperta eſt, vide ſupra in voce *Antiochiæ*.

Ferenti, (3. mill. paſs. à Viterbio) ubi Suet. Othonis Imp. progenitores natos eſſe refert, repertæ ſunt aliquot *Lucernæ*, tempore Alex. VI. Pontif. partim in capſulis ſepultæ, partim in parietibus muro incluſæ, quæ in aëre aperto per aliquot horas ardentes perdurârunt, adeoque per multa centena & Annorum millia jugiter lumen fundentes latuêrunt, Hier. Ruſcellius *l. de Illuſtr. Viror. Inſignibus ſtemmatibuſque*, apud eund. *l.* 1. *c.* 8.

Hectoris umbra, apud Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 297. in ſomnis Æneam alloquens,

Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

quam flammam laturus Æneas tot Annis, per tot maria terraſque, ſuggerit talem fuiſſe, quæ nullo extrinſecus fomite aſtundendo indiguerit. Idem *l.* 1. *c.* 12.

Jovis Ammonis Virg. memoras *Æn. l.* 4. *v.* 200.

Centum aras poſuit: vigilemque ſacraverat ignem,
Excubias Divum æternas;

Sed inprimis mirabilis *Lucernæ* meminit in ejus Fano, Plutarch. *de Def. Orac.* ex relatione Cleombroti Lacedæm. qui *de Lucerna hac perpetuò ardente*, narrabat, *ex Sacerdotum ſermone percepiſſe: Quovis poſteriore Anno minus olei abſumi, quàm præcedente*. Idem *l.* 1. *c.* 5.

Luciæ Cæſæ *Lucerna* fictilis, in Gazophylacio Ulyſſis Aldrovandi aſſervata, eidem catalogo inſeritur, ab eod. *l.* 1. *c.* 3.

Merlinus, Magorum ſapientiſſimus, nobile ſibi monumentum, & in eo lampadem ad multas Annorum centurias abſque fomite novo jugiter ardentem condidiſſe, canitur, à Lud. Areoſto, de quo vide eund. *l. præf. c.* 27.

de Minervæ *Lucerna* Athenis Annum integrum ardente, vide paulò antè, ubi de *Callimacho*. In Minervæ Britannicæ æde perpetuos viguiſſe ignes, docet Jul. Solin. *c.* 24. quos *Lucernas* Lampadeſve fuiſſe, ellychniis conſtantes, quorum materia concreverit in duriorem tophi ſubſtantiam, ſaxeos globulos & duritie & figurâ æmulantem, judicat Idem *l.* 1. *c.* 7.

In Munychia, parte Athenienſium urbis, ad Piræeum ſita, in ſaxo vetuſto Minervæ Poliadis templum ſurgere, in quo lucis inextinctæ lychnus fuerit, & Virginum domum à Juſtino conditam, ubi Palladium ex ebore, Phidiæ opus, refert Strabo *l.* 9. *p.* 396. Vide Licet. *l.* 1. *c.* 31.

Mycerinum, Ægypti Regem, quem Hier. Vecchiettus *l. de Temp. ævo*, Salomonis ſocerum fuiſſe contendit, filiæ Obitum perpetuâ *Lucernâ*, bovi ligneo cadaver in ſe continenti adſtante, illuſtraviſſe refert Herod. *l.* 2. *c.* 130. & *ſeqq.* apud Licet. *l.* 1. *c.* 13.

In Neſide inſ. in Neapolitano cratere ſita, circa A. C. 1550. ſepulcro marmoreo civis cujuſdam Rom. recluſo, phialam intus repertam eſſe, in qua *Lucerna* adhuc ardebat, ſed vaſe vitreo rupto extincta, refert, Joh. Baptiſta Porta *l.* 12. *c. ult.* apud Licet. *l.* 1. *c.* 10.

Olybii ſ. Maximi Olybii *Lucerna*, juxta Ateſte reperta, vide ſupra *Ateſte*, inprimis fuit celebris; Collocata fuit illa inter duas ampullas, quarum major hos verſus inſcriptos habebat;

Plutoni ſacrum munus ne attingite fures,
Ignotum eſt vobis hoc quod in orbe latet.
Namque elementa gravi clauſit digeſta labore
Vaſe ſub hoc modico Maximus Olybius.
Adſit fœcundo cuſtos ſibi copia cornu,
Ne tanti pretium depereat laticis.

In minori hæc erant: *Abite hinc peſſimi fures, Vos quid vultis cum veſtris oculis emiſſitiis? Abite hinc veſtro cum Mercurio petaſato caduceatoque. Donum hoc maximum Maximus Olybius Plutoni ſacrum fecit.* Idem *l.* 1. *c.* 12.

Pallantis, omnium celeberrima, circa A. C. 1401. non longè ab urbe Roma in ſepulcro, ſupra caput Defuncti, cujus corpus procerum adeò, ut muros Urbis excederet, reperta nec flatu, nec aquâ extingui potuit: ſed in fundo perforata, effluxo liquore admirabili, evanuit. Martinus *Chron. l.* 12. *c.* 67. Phil. Bergomenſis *in Supplem. Chron. l.* 33. Volaterran. *l.* 33. *c. de cœl. & terr. progen.* &c. apud Licet. *l.* 1. *c.* 11.

Pioniæ, quæ modica Myſiæ urbs fuit, juxta Caicum fluv. quoties Pioni, uni ex Herculis poſteris, qui opp. condidit, incolæ ſacrificarent, è ſepulcro illius fumum exhalâſſe teſtatur Pauſ. *in Bœotic*. Quod indicium fuiſſe *Lucernæ* ſubterraneæ, judicat Licet. *l.* 1 *c.* 19.

Piſis, aliquot Annis ab incendio templi, inter majoris aræ ruinas, inventam eſſe bitumine plenam & calentem adhuc *Lucernam*, refert Jac. Mancinus Politianus apud Licet. *l.* 1. *c.* 15.

in Prytaneo, Athenis ignem ſempiternum aſſervatum fuiſſe, à viduis, docet Plutarch. *in Numa*: ubi non obſcurè, innuit, eum in *Lucerna* exarſiſſe, quam ab externis injuriis, citra novi fomitis adjectionem, mulieres illæ cuſtodierint. Idem *l.* 1. *c.* 28.

in Pyrethiorum, quæ ſepta ingentia erant, meditullio, ſtetiſſe aram, ubi inextinctus ſervaretur ignis, teſtis eſt Cœl. Rhodig. *lect. Antiq. l.* 7 *c.* 29 cui aſſentitur Strabo, ubi de Cappadocia agit, *l.* 15. *p.* 733. cum à Magis cuſtodiri docens. Hunc in materia diutiſſimè ardente conceptum fuiſſe, conjicit Licet. *l.* 1. *c.* 20.

Romæ, *Lucernam* è ruderibus quibuſdam erutam, quam qui effoderant, accenſam invenerint, intus habentem nonnihil bituminis cujuſdam, ſe conſpexiſſe, refert Jac. Mancinus Politianus, apud Licet. *l.* 1. *c.* 15.

Salerni, in æde Epiſcopali viſæ à Jac. Sirmondo *Lucernæ* ardentis, meminit Janus Grut. *in Volum Inſcr. antiqq. p.* 1148. *n.* 17. *l. ſæpius laud. c.* 21.

Trithemii ignes æterni, vide infrà *Trithemius*.

in Tulliolæ, Cic. filiæ, monumento, Paulo III. Pontif. aperto, *Lucerna* ultrà mille quingentos Annos ardens, ab ingrediente novo aëre extincta eſt. Guido Pancirolus *Rer. Mem. Deperdit. l.* Aliique apud eund. *l.* 1. *c.* 2.

In Veneris fano alicubi candelabrum, & in eo *Lucernam* ſub dio ſic ardentem, ut eam nulla tempeſtas, nullus imber extingueret, fuiſſe, memorat Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 21. *c.* 6. conjicitque Asbeſti lapidis virtute id factum eſſe, apud Licet. *l.* 1. *c.* 6.

Veſtalium Virginum æternum ignem, non in rogo ligneo, ſed in *Lucernis* lampadibuſque perennibus exarſiſſe, contendit Idem *l.* 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

l. 1. *c.* 30. Plutarch. *in vita Numæ*, ubi eum cum igne ſacro & Delphis & Athenis in *Lucerna* templi ardente confert, & Ovid. qui ignem Veſtalium Virginum *puram* vocat *flammam*. Vide infrà in voce *Veſta* ubi plura hanc in rem.

Vives Joh. Lud. non ſolùm Pariſiis permulta ellychnia ex lino vivo, quod ignibus non abſumitur: ſed & *Lucernam* vidiſse è ſepulcro quodam erutam, quæ per 1500. ardens Annos, ut contrectari cœpta eſt, in minutiſſimum abieret pulverem, teſtatur *in Comm. ad Aug. de Civ. Dei l.* 21. *c.* 6. de qua vide Licetum *l.* 1. *c.* 14.

Urſi iconem exhibens *Lucerna*, vide infrà *Urſa*.

Vulcano Rom. domum conſecrâſse, ædem conſtituiſse, dicaviſseque, & ſub ea in loco ſubterraneo lampades *Lucernaſque* multas collocâſse oleo *vivo* nuncupato repletas: quod aliàs *asbeſtinum* & *incombuſtibile* dictum, perennem flammam, in ejus ſ. ſignum ſ. honorem, accenſam cuſtodierit, teſtatur Plutarch. *Quæſt. Rom.* cujus rei & Stat. alicubi meminit, &c. Licet. *l.* 1. *c.* 26. & plura de his, *toto ejus opere*, ut & ſuprà in voce *Acameti*.

LUCERNARIUM, vide ſuprà.

LUCERNENSIS Lacus, LUCERNERSEE Helvetiis, *Lac de Lucerne* Gallis, ab urbe Lucerna ſuper hoc lacu ad fluv. Urſæ effluxum ſedente, dictus: plus Lucernatibus commodi. quàm illi ex agro ſuo hauriunt, affert. Huic jungitur alius *Sylvanius* nominatus, qui in priorem influit, & propriè *der vier Waldſtettenſée* vocatur, quia medius inter Uriam, Suitium, Underwaldiam & Tugium ſtagnat. Ab hoc non longè Occ. verſùs in pago Sylvanio viſuntur parvuli laculi, quorum Orientalior *Huvylſée*. Occidentalior *Lungerſée*: ex duobus rivis effunduntur, qui ſimul juncti influunt *in Sachslerſée* laculum, è quo rivus *Aa* fluit, ſe infra Stantium in Lucernenſem lacum præcipitans, *Plantin*.

LUCERNENSIS, vel LUCERINUS Pagus, unus ex XIII. Helv. terminatur à Sept. Occ. & Mer. pago Bernenſi, ab Ortu pagis Tugienſi, Suitio & Sylvanienſi, Gallis *Canton de Lucerne*. Caput ejus *Luceria* ſ. *Lucerna*, ſedes legati Pontificii. Nomen à Pharo ſ. lucerna, quæ, in excelſa turri, navigantes dirigit, nomen adepta, commercio florens, vide *Lucerna*. Habent autem Lucernates, ſub quorum clientela etiam Surſejum opp. eſt, duos tantùm Præfectos, qui extra urbem in ſuis habitant Præfecturis, Wikenſem & Sempachianum, quorum hic tamen nullum in opp. jus habet, lacuique tantùm & piſcationi præeſt. Reliquas eorum Præfecturas Senatores urbani adminiſtrant, quarum nomina:

Præfecturæ Pagi Lucernenſis.

Berona, cum vicino agro, quem vocat Michaëlis Præfecturam, *Michel ampt*.
Entlibuchia, *Endlibuch*.
Epicona.
Habeſpurgum.
Horba.
Krintza.
Meriſvenda, qui vicus ipſe ſibi Præfectum è Senatu deligit.
Rotenburgum.
Weggiſium.
Williſovium *Williſau*.

LUCETIUS Jupiter dictus eſt, linguâ Oſcâ, à *luce*, quam hominibus præſtat: Latinè *Dieſpiter*, Feſtus, A. Gell. *l.* 5. *c.* 12.

LUCHINUS, Vicec. Mediolani, vicarius à Benedicto factus, A. C. 1340.

LUCI, an per ἀντίφρασιν, quòd minimè *luceant*, cædere enim illos nefas: an potiùs, quia perpetuis ſacrificiorum ignibus *colluceant?* dicti, antiquiſſimis temporibus philoſophandi loca erant, unde Abrahamum, juxta Beerſabæ fontes *plantâſſe ſibi* Lucos & *amœna vireta*, legimus in Gen. & magna ingenia ac ſublimibus meditationibus intenta nemorum umbris fuiſſe delectata, teſtatur Horat. *Carm. l.* 1. *Ode* 1. *v.* 30. & *ſeqq.*

— Me gelidum nemus
Nympharumque leves cum Satyris chori
Secernunt populo.

Idem *l.* 2. *Ep.* 1. *v.* 77.

Scriptorum chorus omnis amat nemus & fugit urbes.

Undè voces *Lyceum* & *Lucum* ejuſdem originis eſſe, ſtatuit G. Hornius, &c. Poſtea Idololatriæ ſedes eſſe cœpêrunt. Ita enim de ſylvis iſtiuſmodi incæduis Plin. *Hæc fuère Numinum templa*: Lucos, & *in iis ſilentia ipſa adoramus*. Quorum origo hæc fertur: Cùm excelſa inprimis loca, montes ac clivi, Idololatris aptiſſima viderentur ad ſacra ſua peragenda, illa arboribus, ornatûs gratiâ, conſerere cœpêrunt, undè *Lucorum* ac Sylvarum conſecratio orta, à quibus epitheta Dii traxêre. Hinc Dianæ *Albuneæ*, *Arduennæ*, *Nemorenſis*, crebra apud Autores mentio, à *Lucis* diverſis, ubi illi ſacra ſunt facta. Imò *Luci* nomine Idolum ipſum venire, legimus 2. Reg. *c.* 23. *v.* 6. ubi de Joſia Rege: *Exportavit etiam* Lucum *è domo Jehovæ, quem comburens, comminuit in pulverem.* Quod ideo factum videtur Godwyno *de Ritib. Hebr. l.* 2. *c.* 4. quòd in Idolo *Luci* figura ſculpta fuerat: quemadmodum argentea ſimulacra templi Dianæ Epheſinæ, *Templa Dianæ* appellantur, Actor. *c.* 19. *v.* 24. Nec ſolùm extra urbes, ſed & in iis *Lucos* extitiſſe, docet Turneb. *ad l.* 2. *de Legg.* Primitus autem illi Soli conſecrati ſunt, qui eo ipſo Λύκος dictus eſt, quod Græci à Λύκη, i. e. *Lux*, derivant, G. Hornius *Hiſt. Philoſ. l.* 7. *c.* 3. Tranſiit Idololatricus hic mos à Gentilibus ad Iſraëlitas, inter quos Idolorum cultus ſerpere cœpit, tempore Othonielis ac Ehudis Judicum, Jud. *c.* 3. *v.* 7. *Obliti Jehovæ Dei ſui coluèrunt Bahalimos &* (Idola) *lucorum*: ſequentibuſque temporibus tantopere invaluit, ut peculiare ipſis eſſet Collegium Sacerdotum, qui *Prophetæ luci*, 1. Reg. *c.* 18. *v.* 19. & peculiaria Idola, quæ *Sculptilia locorum* dicta ſunt 2. Reg. *c.* 21. *v.* 7. & 2. Par. *c.* 15. *v.* 16. Quos annon ex Chriſtianis illi imitari videntur, qui templa locaque ſacra ſanctorum ſanctarumque nominibus inſignire amant? vide Thom. Godvvyn. *de Ritib. Hebr. l. c. ſuprà citatis*. Græcis *Lucus* Ἄλσος dictus eſt: ita enim Ant. Thyſ. JC. *in A. Gell. l.* 1. *c.* 2. *Lucus*, inquit, *propriè ſylva erat, quòd luminibus religionis causâ luceret, Iſid. l.* 14. *ſicut Græcorum* Ἄλσος, *quòd aquis irriguum erat: uti Homeri interpres teſtatur*, vide quoque infrà in voce *Lucus*.

LUCIA, Sicula, ſ. ut alii volunt, Romana vidua, à proprio fil. Chriſtianiſmi accuſata, martyrio coronata eſt ſub Diocletiano. Fuit & alia Syracuſana, ſed virgo, quæ cùm bona à parentibus relicta pauperibus diſtribueret, à proprio ſponſo accuſata martyrii coronam accepit. Vide *Bapt. Mantuan.*

LUCIANEA, vocatur S. Scripturæ translatio, à *Luciano*, quem pro Martyre Ariani habebant, compoſita, qua omnes Orientales uſos eſſe, ita ut Græcis tanquam vulgatior haberetur, præcipuè in regionibus à Byzantio Antiochiam uſque, docet Hier. *Ep.* 107. *ad Chromatium*. Ejuſdem diſcipuli ſe mutuò vocabant Συλλουκιανιστὰς *Collucianiſtas*, uti de Ario, Euſeb. compellante legimus apud Philoſtorgium *Hiſt. Eccl. l.* 2. *tm.* 3. & ab eodem autore *tm.* 16. in tres ordines dividuntur, eorum, qui illibatam ſervârint pietatem; eorum, qui ad Synodum quidem Nicænam abrepti, reverſi verò ſint ad frugem; & eorum, qui novarum opinonum fuerint autores. Et quidem ex iis Marinum & Theognin docuiſſe, *Deum, antequam filium generârit, Patrem fuiſſe*, addit ibid. Vide Cl. Sulcer. *Theſ. Eccl.* in voce Ἀ[illegible], item Λουκιανισταὶ, & ſuprà ubi de *Chriſtomachis*, nec non ubi de *Luciano Presb.*

Viri Celebres.

LUCIANUS, presbyter Antiochenus, martyr Nicomediæ ſub Maximiniano Galerio, A. C. 312. cadavere ejus in mare præcipitato. Hebraicè doctiſſimus novam Verſionem adornavit, qua in ædibus Judæi cujuſdam reperta, uſos fideles, Hier. *de Script. & Ep.* 107. *ad Chron*, refert, aliaque ſcripſit. Dum contra Sabellianos pugnat, Arianis anſam aliquam aperuiſſe viſus eſt, defenſus ab Athanaſio, *in Synop.* Quidam tamen diſcipulorum ejus Ariani facti, nomen illius retinuêrunt. Vide Euſeb. *l.* 8. & 9. Theodoret. Sozom. Niceph. *Suid.* &c.

LUCIANUS, presbyter Hieroſolymit. A. C. 415. Idac. *in Chr.* Gennad. *c.* 46. & 47. Marcellin. *in Chron.* Gerh. Joh. Voſſ. &c. Autor Ep. Græcæ, quam Avitus Hiſp. latinè vertit.

LUCIANUS, Samoſatenſis, genere humili. Cùm ad artificium quoddam mechanicum adhibendus, nil proficeret. ſtudia amplexus eſt, ſomnio monitus: & quidem forenſes rixas ſibi ingratas deprehendens, ad philoſophiam ſe applicuit, Declamator inſignis, Antiochiâ in Joniam, Græciam, Galliam & Italiam profectus, in ſolum natale, per Meſopotamiam rediit: Sub Marco Aurelio magni nominis, & Ægyptiis reditibus præpoſitus. Scriptor præſtantiſſimus, & facetiſſimus, primùm Chriſtianus, demum fidei deſertor, ſed tandem ſuæ improbitatis luit pœnas graviſſimas, nam à canibus devoratus miſerè interiit. Hier. *in Catal.* Phot. *Cod.* 128. Suid. vide Gerh. Joh. Voſſ. *Rhet. c.* 12. & *de Hiſt. Gr. p.* 232. ut & *de ſectis p.* 57. Alius ab hoc eſt *Lucianus* ille, cujus meminit Diog. Laërt. *l.* 6.

LUCIANUS Proclus, Senator ætatis provectæ, plerunque ruri vivens. Vide Dion. *in Domit.*

LUCIDIA, avis genus. Vide *Bohemica Avis*,

LUCIDUS Johannes, vide *Johannes*.

LUCIFER, Ep. Calaritanus in Sardinia, A. C. 355. à Conſtantio Imp. cui perſuaſerat, ut Conc. Mediolani celebraret, ad decidendas controverſias tum vigentes, in exilium pulſus, ſub Juliano revocatus eſt, A. C. 361. Antiochiæ, ſchiſma ſublaturus, Eccl. in Euzojum Arianum, Meletium & Euſtathianos diviſâ, Paulinum Ep. ſurrogavit, de quo cùm Orthodoxi convenire non poſſent, diſſidium acriùs exarſit. Quod cùm vehementer diſplicuiſſet Euſeb. Vercell. à Conc. Alexandrino ad id ipſum miſſo, ut pax redderetur Eccl. Lucifer indignatus, quidquam à ſe factum irritum reddi, ſeparatione factâ, in Sardiniam conceſſit: Nomen & originem ſchiſmati accommodans, quod multum damni Orbi Chriſtiano dedit: Athanaſio, & Hier. *in Cat. c.* 95. *dial. de Lucif. Chr.* laudatus, & licèt à Theodoreto *in Hiſt.* erroris novi autor dicatur, ab Epiphanio tamen & Philaſtrio, hæreticis non acceuſitus: In ſcriptis ſuis acerrimus, contra Conſtantium inprimis, emiſſis. Opera ejus edita A. C. 1568. Pariſiis. Intrepidus porrò, zelo fervens, ſed flecti neſcius. Vide Athanaſ. Auguſtin. *de hær. & Agone c.* 30. Sulp. Sev. *Sacr. Hiſt. l.* 2. *c.* 55. & 60. Rufin. Socr. Sozomen. Theodoret. &c. Quibus addi poteſt, apud Bartholomæum Gobetum, Calari impreſſa, A. C. 1639. *Defenſio ſanctitatis* B. *Luciferi & Primatûs Archiep. Calaritani.*

LUCIFER, una errantium ſtellarum, quam & *Venerem* appellamus, quæ manè Solem præcedens, unaque cum Aurora ſeſe oſtendens) unde & Auroræ fil. fingitur) *Lucifer* dicitur; veſperi autem Solem ſubſequens, *Heſperus* nominatur. Virg. *Ecl.* 8. *v.* 17. *Æn. l.* 2. *v.* 801. & *l.* 8. *v.* 589. & *ſeqq.*

Qualis ubi Oceani perfuſus Lucifer *undâ*,
(Quem Venus ante alios aſtrorum diligit ignes,
Extulit os ſacrum cœlo, tenebraſque reſolvit.

Val. Flacc. *Argon. l.* 6. *v.* 532.

—— Qualis roſeis it Lucifer *alis*,
Quem Venus illuſtri gaudet producere cœlo.

Nic. Lloyd. Hinc Dux & Imp. aſtrorum poëtis. Undè Ovid. *Met. l.* 2. *v.* 115.

——— Diffugiunt ſtellæ, quarum agmina cogit
Lucifer, *& cœli ſtatione noviſſimus exit.*

Quæ notiſſima. Illud non protritum, huic aſtro incubuiſse ab iiſdem, curam Solaris currûs equorumque, Horis ab aliis datam, Nonnus *initio l.* 12. *Dion.*

—— πυριγλώχιν δ' ἐλατὴρ
Φωσφόρος αἰγλήεις τετράζυγος ἐγγύθι δίφρου
Θῆκε τὰ θερμὰ λέπαδνα, καὶ ἀστερόεσσαν ἱμάσθλην,
Γείτονος Ὠκεανοῖο παρὰ προχοῇσι κονίσας
Μυδαλέων ἱδρῶτι πυριτρεφέων δέμας ἵππων.

Idem

Idem autem cum Heſpero ſ. Veſpero id aſtrum eſſe, primus traditur obſervâſſe Pythagoras. De qua re pulchrè Lutatius *ad Stat. Theb. l. 6. v. 239.*

> Lucifer, *& totidem Lunæ prævenerat ignes.*

Lucifer & manè oritur & veſpere, ſed equo mutato: quam rem ſciunt ſidera, quòd unum aſtrum ſit -poëtæ autem quadrigas dant Soli, bigas Lunæ, equos ſingulos ſideribus. Et quidem *de equo Luciferi* vide. Hier. Alexandrum *Comm. ad Tab. Solis p.* 88. & 89. nec non Janum Douſam fil. *ad Tibull. c.* 3. Moneo hîc ſaltem, equum illum *Cyllarum* nonnullis, aliis *Æthonem* dici. Ita enim vet. Schol. *ad Stat. d. l. v.* 241.

> *Sidera & alterno deprenditur unus in ortu.*

Veneris ſtella peculiaris eſt Lucifer, *qui dum manè oritur, ſic appellatur & eſt Phoſphorus & Heſperus, denominatus ſic à Rege Heſperiæ, i. e. Hiſpaniæ, qui erat Magus & Aſtrologus ---- Idem dicitur Adonis fuiſſe in cujus memoriam adſcribitur Veneri. Eundem & Caſtorem dicebant, & equum illi adſcribebant Cyllarum, quem alii Æthonem appellavêrunt.* Ubi quod de *Caſtore* habet, confirmatur ex Fulgentio, quem *Caſtoras fratres* (h. e. Caſtorem & Pollucem, qui fraternæ caritatis hoc munus à fabulatoribus habent, ne ambo ſimul vel apud Superos, vel apud Inferos ſint) pro *Lucifero* & *Noctifero* dicere, docet *ad Claud.* de IV. *Conſ. Honorii. Carm.* 8. *v.* 561.

> *Qui fugiat hinnitu ſtellas, roſeoque domatur.*
> Lucifero. ------ ------ ------

Caſp. Barth. Uti verò Caſtor hic contra vulgatas fabulas *Lucifer*, ſic Mercurius apud Nonnum *l.* 6. quem hoc nomine inceſſit Petrus Cunæus, Anteceſſor Clariſſimus Athenæi Lugduno Batavi ingens Decus & Ornamentum. Vir profundæ & conſummatæ eruditionis inſignis poëta, Literatorum Mecænas. *non ſatis poeticè, cur enim tanto fabulatori non & tale quid liceat?* uti ait Barth. idem *Animadverſ. ad Stat. l.* 4. *Sylv.* 6. *v.* 15.

> *Donec ab Elyſiis proſpexit ſedibus alter.*
> *Caſtor.* &c.

Plura hanc in rem, inprimis de aſtri hujus cultu. Vide hic paſſim, ubi de *Diis*, *Heſpero*, alibi.

LUCIFERI Fanum, quod *lucem dubiam* Λουκεμδουβίαν appellant, inquit Strabo *l.* 3. *p.* 140. Hiſp. Bæticæ opp. *S. Lucar de Barameda Floriano.*

LUCIFERIANI, qui in ſchiſmate, cujus Lucifer autor, perſtitêrunt; Animam eſſe ex traduce docuiſſe videntur, Aug. *de hær. c.* 81. Numeroſi Treviris, Romæ, in Hiſpania, Ægypto & Africa; per Marcellin. & Fauſtin. literas ſupplices obtulêrunt Theodoſio, Valentiniano & Arcadio, inter A. C. 384. & 388. à Sozomeno *l.* 5. *c.* 12. & Socrate *l.* 3. *c.* 7. damnati, à S. Ambroſio, *de Obitu Sat.* & Rufino, *l.* 1. *c.* 30. refutati. Deſiit ſchiſma Flaviani, qui Meletio ſucceſſit, prudentiâ, ſub Theodoſio Mag. Vide Hier. *adv. Luciſ.* Auguſtin. *de hær. c.* 81. *&c.*

LUCIFUGÆ, vulgari convitio Chriſtiani olim ob Ethnicis dicti, quòd ſuâ ſe virtute involventes & toti rebus divinis dediti publico abſtinerent & Reip. ut videbatur inutiles eſſent. Cæcilius apud Minuc. Fel. de Chriſtianis, *latebroſa &* lucifuga *natio, in publicum muta, in angulis garrula.* Vide quoque Lucian. Philoponum, Tertullian. *Apologet c.* 41. Theophilum 2. *ad Autol.* Alios At *Lucifugæ Scripturarum* memorati Tertulliano *l. de Reſurr. Carnis*, *Age jam quod ad Theſſalonicenſes & ipſius Solis radio ſcriptum ita claret, qualiter accipient* Lucifugæ *iſti* Scripturarum: ſunt, qui, Scripturam Sacram obſcuritatis accuſantes, ad Traditiones non ſcriptas confugiebant, contra quos vide inſignem locum Hier. *Tom. VIII. in Pſ.* 86.

LUCILIUS, centurio, cui militaribus facetiis vocabulum *cedò alteram* indiderant, quia fractâ vite in tergo militis *alteram* clarâ voce, ac rurſus *aliam* poſcebat; à ſeditioſis legionibus in Pannonia, ſub initia Principatûs Tiberii, ob ſeveritatem diſciplinæ Occiſus, Tac. *Ann. l.* 1. *c.* 23.

LUCILIUS, Eques Rom, vetus, & venuſtus poëta, patriâ Auruncanus, unde *magnus Auruncæ alumnus* dicitur Juv. *Sat.* 1. *l.* 1. *v.* 165. qui primus Latinorum Satyras ſcribere aggreſſus eſt, ſ. ut Quintil. *l.* 10. *c.* 1. Plin. *in præf. Hiſt. Nat. ad Divum Veſp.* ajunt, *primus condidit ſtyli naſum.* Pacuvio, & Accio florentibus viguiſſe, docet Vellejus *l. altero*, & Quintil. *l.* 17. *c.* 21. Natus eſt Olymp. 153. ut apud Hier. *in Chronico* eſt, ex Suet. *de Ill. Gramm. c.* 20. Ac ibidem legas Olymp. 169. A.U.C. 651. Neapoli Mortuum A. Æt. 46. ac publico funere elatum. Magnus fuit Magni Pompeii avunculus, uti teſtatur Porphyrio. Libb. 30. ſcripſit, de quibus fragmenta quædam Franc. Douza, Jani fil. cum notis egregiis edidit. Comœdia quoque & hymni aliquot ipſi tribuuntur. Vide Horat. *Serm. l.* 1. *Sat.* 10. *v.* 17. 62. & 75. ubi *Græcis intacti carminis autor* dicitur, & quæ iſtic interpretes annotârunt. Adde Hier. *in Chr.* Voſſ. & Lil. *de poëtis. L. Lucilius* homo doctus & perurbanus, dicere ſolebat, ea quæ ſcriberet neque ab indoctis legi velle, neque à doctiſſimis, quòd alteri nihil intelligerent, alteri plus fortaſſe, quàm ipſe de ſe, Cic. *l.* 2. *de Oratore Lucilius* Baſſus, Judææ legatus, A. C. 74. Item miles quidam fortiſſimus Rom. qui cùm videret inclinatam aciem Bruti apud Philippos, obtulit ſe periculo, ac in medias hoſtium manus irrupit, ut ipſe Bruto tempus ad fugam faceret. Vide infrà.

LUCILIUS, Italus, ob Atheiſmum, quem docuit, Tholoſæ ad mortem condemnatus, cùm juberetur Deum, Regem & Juſtitiam veniam poſcere: Reſpondit, Deum non eſſe, Regem ſe nunquam offendiſſe, Juſtitiam Diabolo ſe tradere. Addiditque duodecim ſocios Neapoli exiiſſe, in univerſum orbem, doctrinam hanc deteſtandam diſſeminaturos. exuſtus, poſtquam lingua ipſi execta, A. C. 1619. Vide de eo Grammondum *Hiſt. Gall. l.* 3. & infrà aliquid, in voce *Palea.*

LUCILIUS Baſſus, poſt præfecturam alæ, Ravennati ſimul & Miſenenſi claſſibus à Vitellio præpoſitus, quòd non ſtatim præfecturam Prætorii adeptus foret, iniquam iracundiam flagitioſâ defectione ad Veſpaſianum ultus eſt. Tac. *Hiſt. l.* 2. *c.* 100. *l.* 3. *c.* 12. 36. 40. & *l.* 4. *c.* 3.

LUCILIUS Capito, Procurator Aſiæ, accuſante provinciâ, cauſam dixit, magna cum aſſeveratione Tiberii, non ſe jus, niſi in ſervitia & pecunias familiares; quòd ſi vim Prætoris uſurpâſſet manibuſque militum uſus foret, ſpreta in eo mandata ſua, audirent ſocios. Ita reus cognito negotio damnatur. Tac. *Ann. l.* 4. *c.* 15.

LUCILIUS Longus, omnium Tiberio triſtium lætorumque ſocius unuſque è Senatoribus Rhodii ſeceſſûs comes. Cui defuncto C. Aſinio, C. Autiſtio Coſſ. nono Tiberiani Imperii Anno, quanquam novo homini cenſorium funus, effigiemque apud forum Aug. publicâ pecuniâ Patres decrevêre. *Idem ibid.*

LUCILLA, virgo, filia Nemeſii Trib. ſub Valeriano paſſa eſt. Volat. Item, Mater Marci Aurelii Imp. cujus meminit Jul. Capitolin. in *Vita* hujus. Item ſoror Commodi, ab hoc honore, libertate & vita orbata. Dio, *Lamprid.*

LUCILLA, femina Hiſpana, opulenta, à Schiſmaticis Carthagin. ſeducta, ut ejus opibus nixi Cæciliano majori cum ſucceſſu reſiſterent. A. C. 306. Vide *Cæcilianus.* Item, filia Marci Aurelii, Lucio Ælio Vero, in conſortium Imperii aſcito, uxor data.

LUCILLIACUM, vulgò *Leſillay* aut *Lezillé*, vicus Galliæ Carum inter & Andriam fluv. memoratus Greg. Turon. *l.* 10. *c.* 31. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LUCILLIBURGUS Caſtrum, quaſi Lucillii Burgus: Gall. hodie *Luxembourg.* Germ. *Lutzenburg.* opp. nunc eſt, caput Ducatûs illuſtris cognominis, ſeptem Comitivas & vicos 1169. complexi ad fluv. Aliſontiam. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* & infrà in voce *Luxemburgum.*

LUCILLUS, Coſ. cum Valeriano Aug. A. U. C. 1019.

LUCILLUS Philalethæus, Medicus inſignis, ſcripſit, Methodum recitandi curas, &c. Siml. *in Bibl. Joh. Ant. vander Linden, de Scr Med.*

LUCILLUS Tarrhæus, Hiſtoriam urbis Theſſalonicenſis condidit, teſte Steph. *in* Θεσσαλονίκη. Contexuit quoque Scholia Argonautica Apollonii, ut ex præfatione Anonymi Græci conſtat. Edidit & adagia. Sanè Zenobius indicat ſe proverbia ſua ex Tarrhæo ac Didymo collegiſſe. Voſſ. Tzetzes, *Chil.* 8. *Hiſt.* 159. *&c. Nic. Lloyd.*

LUCINA, Dea partuum præſes, quæ & *Juno* dicitur, & *Diana.* Dicta, quòd *lucem* naſcentibus tradere crederetur, unde & *Lucetia.* dicta eſt. Vel à *luco*, in quo ei ædes, ubi lotos erat miræ vetuſtatis, Thom. Demſter. ad Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 6. Eidem Kal. Martiis templum in eſquiliis datum eſt, Idem *l.* 4. *c.* 7. Fuit quoque *Ops* vel *Opis* dicta. Prop. *l.* 4. *Eleg.* 1. *v.* 95.

> ----- *quum Cynaræ traheret* Lucina *dolores.*

Ovid. *Faſt. l.* 2. *v.* 449. & 451.

> *Gratia* Lucinæ *dedit hæc tibi nomina lucus.*
> *Aut quia principium tu Dea lucis habes.*

Vide eund. *Faſt. l.* 6. *v.* 39. *& Met. l.* 9. *v.* 788. Catull. *Carm.* 34. *v.* 13.

> *Tu* Lucina *dolentibus*
> *Juno dicta puerperis.*

Nic. Lloyd. Hanc familiaris viguit advocandi mos, parturientium Deam, quæ *Ilithya* Græcis & *Zygia*, Latinis quoque *Opigena* dicta eſt. Huic vota ipſæ nuncupabant puerperæ, quem morem eleganter exprimit Prop. *l.* 4. *Eleg.* 1. *v.* 95. & *ſeqq.*

> *Idem ego quum Cinaræ traheret* Lucina *dolores,*
> *Et facerent uteri pondera lenta moram.*
> *Junoni votum facile impenetrabile, dixi,*
> *Illa parit. libris eſt data palma meis.*

& eſt ejus memoria in inſcriptionibus quoque ſervata. Sic apud Gruter. *p.* 41. *Dianæ. Lucinæ. invictæ. Cn. Pompejus. Cn. Lib. Barbus. Procurat. Tibicin. Rom. voto. ſuſcepto. L. M.* Eidem haſtas conſecrabant publico vaccas nomine immolaturæ; Unde ſæpiſſimè in nummis ſtatua ejus haſtæ ſubnixa cernitur, ipſaque *Juno Quiris* paſſim appellatur: & ne quid deeſſet, nummis cuſis monumenta ei erigebant. Cultus ad Rom. tranſiit à Græcis, quibus Diana *Lucina* & *Lucifera* erat, teſte Cic. *de Nat. Deor. l.* 2. θεὰ Δίκτυννα & Λοχεία Orpheo *in Hymno*, & in inſcr. Gruteriana *p.* 1011. *Dianai Loch. S. P. C. D. S. Gineceia. P. F. Rufa. Pomponia.* quæ eadem cum Luna, Levana לבנה ex Hebræorum origine, cuncta ad partum, tanquam noctis Præſes & femineum ſidus conferens. Vide Thom. Bartholin. *l. de Puerp. Vett.* Coronamentum hujus Dæmonis quod attinet, dictamno, herbâ odoratâ, πρὸς τὰς ὠκυς τῶν γυναικῶν, *ad partûs facilitatem*, prodeſſe creditâ, Antiquitas eam coronavit, uti diſcimus ex Euphorione, cùm de Lucina canit,

> Στεψαμένη θαλεροῖσι συνήνθεο δικτάμνοισι.

Vide C. Paſchal. *Coron. l.* 4. *c.* 2. Simulacrum ejus ex marmore aſſervari in Muſeo Kircher. refert *id Deſcript.* ejus Georg. *de Sepib. p.* 8.

LUCINA, nobilis Romana, à Piniano marito converſa: A Tyranno Maxentio, in proſcriptorum numerum relata eſt, &c.

LUCIO, vulgò *Luçon*, vet. Galliæ cœnobium, in Pictavis: ubi & Malliacum Inſ. Utriuſque meminit notitia Epiſcopatuum Galliæ, ſcripta paulò pòſt A. C. 1322. quæ in prov. Aquitania ſecunda ſive Burdigalenſi quarta novos Epiſcopatus ponit, Sarlatenſem, Maleacenſem, *Lucionenſem* & in Vaſconia Condomienſem. Hadr. Valeſ. in voce *Malliacum*, vide quoque *Luciona.*

LUCIONA, Gall. *Luçon*, urbec. Pictavii, prope paludes. Epiſcopal. ſub Archiep. Burdigalenſi, ei à Joh. XXIII. attributa, 2. leuc. ab ora Oceani Aquit. ſed ſine muris; 6. à Maleaca, uti 24. à Pictavis in Occ. à Rupella 6. in Bor. Duchen. *Antiqq. Urb.* Item urbs & inſ. Vide *Philippinæ.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Prophetæ, Reges, Pontifices.

LUCIVS, viri proprium, qui luce oriente natus eſt.

LUCIVS nomen prophetæ. Et Pauli cognatus. Rom. *c.* 16. *v.* 21. Act. *c.* 13. *v.* 1.

LUCIVS, fil. Coyli, Rex Mag. Britanniæ, impetratis ab Eleutherio Ep. Rom. Fulgatio & Damiano, Euangelii præconibus, cum ſubditis ſuis, baptizatus eſt. A. C. 183. Tum loco trium Archiflaminum, tres Archiepp. & loco 28. Flaminum, totidem Epp. conſtituti ſunt, & templum D. Petri, quod hodie Weſt-Monaſterium, ſepulcris Regum celebre, idem condidiſſe dicitur. Bedà *l.* 1. *c.* 4. Ado *in Chr.* Polyd. Virg. *Hiſt. l.* 2. &c.

LUCIVS I. Romanus Ep. A. C. 253. poſt Cornelium, paulò pòſt in exilium pulſus. Reſtituto dein Cyprian. *c.* 59. gratulatus eſt; Obiit martyr, ſub Gallo & Voluſiano Impp. Euſeb. *in Chron. & Hiſt.*

LUCIVS II. Rom. Pontifex. A. C. 1144. Bononienſis, prius Gerardus dictus, ſucceſſit Cœleſtino II. Senatores in Capitolio obſidens, quòd moti Arnoldi Clerici autoritate, Pontifices in ordinem redigere conarentur, lapide percuſſus, Obiit A. C. 1145. Otho Friſing. *l.* 7. *c.* 31. Succeſſit ei Eugenius.

LUCIVS III. Rom. Pontifex. A. C. 1181. Lucenſis, prius *Humbertus*, ſucceſſit Alex. III. à Rom. pulſus, Veronam conceſſit. Reſtitutus eodem rediit, ubi cum Frid. Imp. ob jura quædam, contendit, Obiit A. C. 1185. Ejus Epitaphium:

Luca dedit tibi lucem Luci, *Pontificatum*
Oſtia, Papatum Roma, Verona mori:
Imo Verona dedit tibi lucis gaudia. Roma
Exilium, curas Oſtia, Luca mori

Duchen. *Hiſt. Pap.* Ciaccon. Onuphr. & Genebr. *in Chr.*

Viri Illuſtres.

LUCIVS, Coſ. cum Herodiano, aliàs Heraclio, A. U. C. 1166.

LUCIVS, Hadrianopolit. Ep. ab Arianis, ſub Conſtantio, in exilium pulſus & catenarum pondere enectus, A. C. 347. Aug. *Ep. ad Solit.*

LUCIVS, piſcis fluviatilis nomen, de quo Auſ. *in Moſella*, *v.* 122. & *ſeqq.*

Lucius *obſcuras ulgâ cœnoque lacunas*
Obſidet. Hic nullos, menſarum lectus ad uſus
Fervet fumoſis olido nidore popinis.

Hodieque nullo apud Italos loco, teſte Paulo Jóv. *de Piſcibus Rom. c.* 37. at Belgis Germaniſque in pretio, apud quos melioris ſaporis eſt, quod & aliis piſcibus contingit, ut pro locis varient. Abundè nutrit, ſed difficiliùs concoquitur, ut qui carne non ſit tenerâ ac friabili. Cæterùm multi ævi. Narrat enim Conradus Celtes, primus Germ. poëta Laur. Maximiliano Cæſari, in ſtagno circa *Hailprun*, captum eſſe *lucium* piſcem, cum annulo ex ære Cyprio in branchiis ſub cute, parte ſui ſplendente, A. C. 1497. inſcriptum autem à fuiſſe annulo: Εἰμὶ ἐκεῖνος ἰχθὺς ὁ τῇ λίμνῃ ταύτῃ πρῶτος ἐπιτεθεὶς διὰ τῶν τοῦ κοσμικοῦ Φεδερίκου β. ταῖς χερσὶν, ἐν τῇ Ε. ἡμέρᾳ τοῦ Ὀκτωβρίου, ͵ασλʹ. *Sum piſcis ille primus omnium huic ſtagno impoſitus manibus Imp. Frid. II. die V. Octobris*, cIↃ. cc. xxx. apud Voſſ. *de Orig. & Progr. Idol. l.* 4. *c.* 3. Vide quoque *c.* 8. ubi *de guloſitate*, *c.* 16. ubi *de ejus cum tinca amicitia*, alibique. Oxyrynchum fuiſſe, Ægyptiis olim cultum, exiſtimat Bellonius *Obſervat. l.* 2. *c.* 32. ubi Nilum eo abundare adnotat.

LUCIVS Ælianus, Coſ. collega Paſtoris, A. U. C. 915.

LUCIVS Ælius Commodus Verus, & M. Ælius Antoninus philoſophus Divi F. AA. 18. Rom. Imperatores, regnârunt Ann. 19. Tum primùm Rom. Reſp. duobus æquo jure imperium adminiſtrantibus paruit A. U. C. 913. Vide infrà.

LUCIVS Ælius Lamia, Coſ. collega M. Servilii A. U. C. 755.

LUCIVS Ælius Mamercus, Mag. equitum, A. U. C. 414.

LUCIVS Ælius Mamercus, Coſ. cum Qu. Publ. Philone, Latinos per ditionem ſubegit, A. U. C. 417.

LUCIVS Æmil. Barbula, Coſ. cum Q. Martio Phil. A. U. C. 472.

LUCIVS Æmil. Mamer. Coſ. cum Cæſone Vibulano, A. U. C. 270.

LUCIVS Æmil. Mamer. Coſ. cum C. Plancio Deciano, A. U. C. 429.

LUCIVS Æmilius Mamercus Coſ. cum C. Servilio Priſco, A. U. C. 286. 2. Coſ. cum Vopiſco Julio Tullio.

LUCIVS Æmilius Mamertinus, Trib. Mil. A. U. C. 377. 2. Coſ. cum C. Genutio, A. U. C. 393.

LUCIVS Æmilius Paulus, Coſ. cum Attilio Regulo, agrum Boiorum vaſtavit, triumphum duxit, A. U. C. 129.

LUCIVS Æmil. Paulus, Coſ. cum M. Livio, Dimalem Illyrii civitatem vi cepit, Polyb. *l.* 3. A. U. C. 535. 2. Coſ. cum C. Terentio Varrone, Occubuit, ad Cannas, cæſis Romanis, A. U. C. 538.

LUCIVS Æmil. Paulus, Coſ. cum Cn. Bœbio Pamphilo, recepêrunt in fidem Ligures. 2. Coſ. cum C. Licinio Craſſo, Perſeum vicit, ac cecidit, Macedoniamque ſubegit. Liv. *l.* 2. *c.* 42. & 54.

LUCIVS Æmil. Paulus, Coſ. cum Cl. Marcello, A. U. C. 704.

LUCIVS Afranius, Coſ. cum Q. Cæcilio Metello Celere, A. U. C. 695.

LUCIVS Anitius Gall. Coſ. cum. M. Corn. Cethego, A. U. C. 594.

LUCIVS Annæus, Ep. Mogunt. ab Arianis, A. C. 353. in Phrygiam relegatus & ſtrangulatus eſt.

LUCIVS Annius Antoninus Verus, aliàs etiam dictus *Lucius Ælius Commodus Verus*, cum fratre & ſocero M. Antonino philoſopho, ejuſdem fratris benignitate imperavit, tumque primum Romana Reſp. duobus æquo jure imperium adminiſtrantibus paruit, A. U. C. 913. Hic contra Parthos à fratre miſſus, qui tum primùm poſt victoriam Trajani rebellaverant, Antiochiæ & circa Armeniam agens, multa per Duces & ingentia patravit. Seleuciam Aſſyriæ urbem nobiliſſimam cum 500000. hominum cepit. Parthicum triumphum revexit, cum fratre eodemque ſocero triumphavit. Deinde cum fratre ad Marcomannicum bellum profectus, in itinere periit apoplexiâ, ſedens cum fratre in vehiculo. Ingenii fuit parùm civilis, reverentiâ tamen, nihil unquam atrox auſus, erat enim ſolus frater Imp. à Senatu dictus Obiit An. Imperii fratris, & ſui, 11. tunc M. Antoninus ſolus tenuit Imperium. Ii autem fratres dicuntur, non quòd ſint iiſdem parentibus prognati, ſed, quatenus licet ex autoribus hiſtoricis colligere, quòd M. Antoninus ſorori hujus primùm nupſerit: tum etiam quòd ambos adoptârat Antoninus Pius, vel potius, quòd ex eadem matre nati ſint. *Jul. Capitol.*

LUCIVS Annius Fabianus, Coſ. cum Mattio Nonio Mutiano, A. U. C. 953.

LUCIVS Antiſtius, Trib. Mil. A. U. C. 377.

LUCIVS Antiſtius Vetus, Coſ. cum Cl. Nerone Cæſare, A. U. C. 807.

LUCIVS Antoninus, ſive *Aurelius Commodus* Rom. Imp. 18. regnavit Annos 13. ſucceſſit patri M. Antonino Philoſopho, cœpitque poſt patrem imperare A. M. 4142. & A. C. 180. à prima ſtatim pueritia turpis, improbus, crudelis, libidinoſus, ore pollutus, conſtupratuſque, 300. concubinas & 300. pueros in deliciis habuit, Æl. Spartianus: Coloſſi capite ſublato ſuæ imaginis caput juſſit imponi. Hercules, ac Deus voluit vocari. In ſcena ſæpe aurigæ habitu prodiit. Ludis gladiatoriis, & Dalmaticatus prædedit in amphitheatro, gladiator dimicavit. Athletarum etiam more publicè ſe exercuit, quæ omnia actis inferenda publicis curavit. Cùm à patre decrepito moneretur, ut ne attritos jam barbaros fineret vires recipere; reſpondit: *Ab incolumi; quamvis paulatim, negotia perfici poſſe, à mortuo nihil.* In ſumma, nihil paternum cùm referat, jure à multis *nothus* dicitur: Is tandem, autoribus Læto & concubina Martia, ſtrangulatur, A. Æt. 32. Imperii 13. tantâ omnium execratione, ut hoſtis humani generis etiam Mortuus judicaretur. Eutrop. *l.* 8. Egnat. Vict. Jul. Capit. Oroſ. *l.* 7. *c.* 16.

LUCIVS Antonius, frater M. Antonii, Coſ. cum P. Servilio Iſaurio, ſeditionem movit adverſùs Cæſarem, apud Peruſiam victus eſt. Appian. Alex. *Civ. Bell. l.* 5. *p.* 689. Flor. *l.* 4. *c.* 5.

LUCIVS Antonius, fil. Marci Antonii, ex Fulvia, qui ex Marcella, vidua Agrippæ, fil. Agrippam ſuſcepit, Maſſiliæ Mortuum. Dio. Plutarch. Tac. *Ann. l.* 4. *c.* 44. & Suet. *in Aug. c.* 26.

LUCIVS Apruſtius, Coſ. cum M. Valerio Levino, A. U. C. 528.

LUCIVS Aquilius Corvus, Trib, Mil. A. U. C. 368.

LUCIVS Arianus, in ſedem Alexandrinam, tempore Athanaſii, intruſus eſt, A. U. C. 362. poſt mortem Georgii, ſimiliter Ariani. Sed 10. pòſt An. Athanaſio Mortuo, Petrus legitimè electus, ſucceſſit, Lucio, cui Valens Imp. favebat, obnitente, imo in fideles immaniter ſæviente: Donec A. U. C. 377 hic deturbatus, periit, Socrates *l.* 3. & 4. Sozom. *l.* 5. & 6. Theodoret. *l.* 4. *c.* 18. 19. & 20. Greg. Naz. *Orat. in laud. Her.*

LUCIVS Aruntius, Coſ. cum M. Æmilio Lepido, A. U. C. 758.

LUCIVS Aruntius, Coſ. cum C. Cl. Marcello, A. U. C. 731.

LUCIVS Aſinius Coſ. cum P. Mario, A. U. C. 814.

LUCIVS Atratinus, Coſ. cum L. Scribonio Libone, A. U. C. 720.

LUCIVS Attilius Longus, Trib. Mil. A. U. C. 311.

LUCIVS Aurelius Cotta, Coſ. cum Servio Sulpitio Gallo, A. U. C. 610.

LUCIVS Aurelius Cotta, Coſ. cum L. Cæcilio Metello, A. U. C. 635.

LUCIVS Aurelius Cotta, Coſ. cum Lucio Octavio, A. U. C. 679. 2. Coſ. collega L. Manlii Torquati, A. U. C. 689.

LUCIVS Aurelius Oreſtes, Coſ. cum Sex. Julio Cæſare, A. U. C. 597.

LUCIVS Aurelius Oreſtes. Coſ. cum M. Æmilio Lepido, A. U. C. 628.

LUCIVS Aurel. Oreſtes, Coſ. cum C. Mario Nepote, A. U. C. 651.

LUCIVS Aurelius Verus Commodus, frater Antonini Philoſophi, poſt exceſſum Pii, ab hoc ſic appellatus, & in conſortium Imperii receptus eſt: *tunc primùm Rom. Imperium duos Aug. habere cœpit*, Capitolin. *in Marco.* Primò namque *Lucius Commodus* dictus, dein *Veri* nomen, quum adoptaretur à Marco & particeps Imperii fieret, demum accepit. Vide Salmaſ. *Not. ad Capitolin. in Marco*, ut & *in Vero*, ubi inter alia iſta legas: *L. Cejonius Ælius Commodus Verus Antoninus, qui ex Hadriani voluntate Ælius appellatus eſt, ex Antonini conjunctione Verus & Antoninus.* Vide & *Lucius Cejonius.*

LUCIVS Cæcilius Metellus, Coſ. cum C. Servilio Tucca, A. U. C. 469. 1. Coſ. cum M. Fabio Buteone, A. U. C. 506.

LUCIVS Cæcil. Metellus, Coſ. cum L. Aurelio Cotta, A. U. C. 635.

LUCIVS Cæcil. Metellus Creticus, Coſ. cum Q. Martio Vatia, A. U. C. 686.

LUCIVS Cæcil. Metellus Diadema, Coſ. cum Q. Mutio Scævola, A. U. C. 637.

LUCIVS Cæſianus, Coſ. cum Cajo Cæſare Caligula, A. U. C. 790.

LUCIVS Calph. Beſtia, Coſ. cum P. Scipione Naſica, A. U. C. 743. quo bellum Jugurthinum factum eſt. In quo Beſtia pecuniâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

pecuniâ muneribuſque corruptus, pacem cum Jugurtha fecit. Oroſ. *l.* 5. *c.* 5.

LUCIVS Calph. Piſo, Coſ. cum C. Mutio Scævola, A. U. C. 627.

LUCIVS Calph. Piſo, Coſ. cum M. Druſo Livio, A. U. C. 739.

LUCIVS Calph. Piſo, Coſ. cum Coſſo Corn. Lentulo, A. U. C. 753.

LUCIVS Calph. Piſo, Coſ. cum M. Licinio Craſſo, A. U. C. 570.

LUCIVS Calph. Piſo, Coſ. cum Cl. Nerone Cæſare, A. U. C. 809.

LUCIVS Caſſius Longinus, Coſ. cum L. Corn. Cinna, A. U. C. 627.

LUCIVS Caſſius Longinus, Coſ. cum C. Mario Nepote, A. U. C. 647.

LUCIVS Cejonius Commodus, qui & *Ælius Verus*, ab Hadriano ævo jam ingraveſcente morbiſque triſtioribus preſſo, adoptatus eſt, A. M. 4098. A. C. 136. A. U. C. 888. Hic tantùm Cæſar eſt appellatus, & ab Hadriano in Æliorum familiam aſcitus, h. e. in Hadriani tranſcriptus: Prætor factus eſt, & Pannoniis Dux ac rector impoſitus, mox etiam Cóſ. creatus. Hic ſolus omnia quæ cuperet, vel per literas, impetrabat ab Hadriano, cui (ut ajunt) acceptior formâ quàm moribus fuit: attamen Reip. non omnino inutilis fuit, etſi delicatè vixerit. Nam lectum mollem ac voluptarium extruxit, minuto reticulo undique incluſum, eminentibus quatuor anaclinteriis, eumque foliis roſæ, quibus demptum eſſet album, replebat, jacenſque cum concubinis, velamine de liliis facto ſe tegebat, unctus odoribus Perſicis: præterea accubationes, ac menſas de roſis ac liliis, & quidem purgatis fecit, quæ etſi non decora, non tamen ad publicam perniciem ſunt. Libros amorum Ovidii in lecto ſemper habuit, Martialem, Virgilium ſuum dixit. Curſoribus ſuis exemplo Cupidinum, alas ſæpe appoſuit, ventorumque nominibus vocitavit, indefeſsè faciens eos curſitare. Uxori conquerenti de extraneis voluptatibus, dixit, *patere me per alias, exercere cupiditates meas, uxor enim dignitatis nomen eſt, non voluptatis.* Hic tandem valetudinarius Obiit, ſuperſtite etiam Hadriano, ſepultuſque eſt imperatorio funere, Jul. Cap. in *Cejonio.* Vide & *Lucius Aur. Verus*, & *Lucius Verus.*

LUCIVS Cornelius Cinna, Coſ. cum L. Caſſio Longino, A. U. C. 627. 2. Coſ. cum C. Mario Nepote A. U. C. 668. 3. Coſ. cum Cn. Papyrio Carbone, A. U. C. 669. 4. Coſ. cum eodem, A. U. C. 670.

LUCIVS Corn. Lentulus, Coſ. cum Q. Pub. Philone, A. U. C. 428.

LUCIVS Corn, Lent. Coſ. cum M. Curio Dentato, A. U. C. 778.

LUCIVS Corn. Lent. Coſ. collega Julii Appuli, A. U. C. 555.

LUCIVS Corn. Lent. Coſ. cum C. Martio, A. U. C. 598.

LUCIVS Corn. Lent. Coſ. cum L. Muminio Achaico, A. U. C. 608.

LUCIVS Corn. Lent. Claudianus, Coſ. cum Q. Fulvio Flacco, A. U. C. 316.

LUCIVS Corn. Maluginenſis, Coſ. cum Q. Fabio Vibulano, A. U. C. 295. Liv. *l.* 3. *c.* 40.

LUCIVS Corn. Merula, Coſ. cum Q. Mutio Thermo, A. U. C. 561.

LUCIVS Corn. Scipio Interrex, A. U. C. 404.

LUCIVS Corn. Scipio, Coſ. cum Cn. Domitio Calvino, A. U. C. 423.

LUCIVS Corn. Scipio, Coſ. cum C. Fulvio Centumalo, A. U. C. 423.

LUCIVS Corn. Scipio, Coſ. cum C. Aquilio Floro, A. U. C. 493.

LUCIVS Corn. Scipio Aſiaticus, Coſ. cum C. Lælio Africano, A. U. C. 564.

LUCIVS Corn. Sylla, Coſ. cum Pompejo Ruffo, A. U. C. 666. hunc Inter & Marium contentio orta eſt, propter Mithridaticum bellum. Dictator cùm eſſet, multos proſcripſit, tyrannidem exercuit, Romanorum primus fuit, qui cives ſuos morte multavit, A. U. C. 674. depoſito magiſtratu vitam vixit privatam. Plutarch. In campo Martio ſepultus eſt.

LUCIVS Corn. Sylla, Coſ. cum Serv. Sulpitio Galba, A. U. C. 785.

LUCIVS Corn. Syllanus, Coſ. cum P. Valerio Aſiatico, A. U. C. 798.

LUCIVS Cornificius, Coſ. cum Sext. Pompeio, A. U. C. 719.

LUCIVS Domitius Ænobarbus, Coſ. cum C. Cæcilio Caldo, A. U. C. 660.

LUCIVS Domitius Ænobarbus, Coſ. cum Ap. Cl. Pulchro, A. U. C. 791.

LUCIVS Domitius Ænobarbus, Coſ. cum Pub. Scipione, A. U. C. 738.

LUCIVS Ebutius Helva, Coſ. cum P. Servilio Priſco, A. U. C. 291. quo tempore graſſata eſt peſtis, & mortem Obiêre Conſules. Liv. *l.* 3. *c.* 6.

LUCIVS Egnatius Victor Lollianus, Orator Athenienſis, cujus memoriam ſervat hæc *Inſcr.* quæ hodieque in porticu Ædis Minervæ (quæ Athenis in Acropoli ſita in Meſquitam Turcicam jam verſa eſt) conſpicitur, in marmorea columna:

ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ
Η ΕΞ ΑΡΕΙΟΠΑΓΟΥ ΒΟΥΛΗ
Λ. ΕΓΝΑΤ. ΟΥΙΚΤΟΡΑ ΛΟΛΛΙΑ
ΝΟΝ ΑΝΤΙ ΤΗΣ ΠΡΟΣ ΕΑΥ
ΤΟΥΣ ΕΥΝΟΙΑΣ ΤΗΣΔΕ ΚΗ
ΔΕΜΟΝΙΑΣ ΤΩΝ ΑΘΗΝΩΝ
ΤΟΝ ΡΗΤΟΡΑ.

apud Jac. Spon. *Itin. Parte* 3. *p.* 17.

LUCIVS Fonteius Capito, Coſ. cum C. Vipſanio Aproniano, A. U. C. 811.

LUCIVS Fulvius Curvus, Coſ. cum Q. Fabio Rutiliano; A. U. C. 432. Is magiſter equitum cùm eſſet, Samnites fudit, fugavitque, A. U. C. 438.

LUCIVS Furius Camillus, Trib. Mil. A. U. C. 358.

LUCIVS Furius Camillus, Coſ. cum Ap. Claudio Craſſo, A. U. C. 406. Iterum Coſ. collega D. Junii Bruti Scævæ, A. U. C. 430.

LUCIVS Furius Medullinus, Coſ. cum C. Manilio Vulſone, A. U. C. 280. Alius Coſ. cum C. Corn. Coſſo, A. U. C. 347.

LUCIVS Furius Medullinus, Trib. Mil. A. U. C. 331.

LUCIVS Furius Purpureo, Coſ. cum M. Claudio Marcello, A. U. C. 558.

LUCIVS Furius Tricipitinus, Trib. Mil. A. U. C. 375.

LUCIVS Geganius Macerinus, Trib. Mil. A. U. C. 378.

LUCIVS Gellius Publicola, Coſ. cum M. Cocceio, A. U. C. 718.

LUCIVS Genutius Aventinenſis, Coſ. cum Lucio Æmilio Mamerco, A. U. C. 383. 2. Coſ. cum Q. Servilio Ahala, A. U. C. 394.

LUCIVS Genutius Aventinenſis, Coſ. cum Ser. Corn. Ruffo, A. U. C. 451.

LUCIVS Genutius Clepſina, Coſ. cum C. Quintio Claudio, A. U. C. 492.

LUCIVS Horatius Barbarus, Trib. Mil. A. U. C. 331.

LUCIVS Hoſtilius Pulvillus, Trib. Mil. A. U. C. 470.

LUCIVS Hoſtilius Mancinus, Coſ. cum Q. Fabio Max. Æmiliano, A. U. C. 690.

LUCIVS Julius, Trib. Mil. A. U. C. 317.

LUCIVS Julius, Magiſter equitum, A. U. C. 325.

LUCIVS Julius Libo, Coſ. cum M. Atilio Regulo Serrano, A. U. C. 486.

LUCIVS Julius Tullus, Coſ. cum L. Papyrio Craſſo, A. U. C. 327.

LUCIVS Julius Tullus, Trib. Mil. A. U. C. 359.

LUCIVS Julius Tullus, Coſ. cum M. Æmilio Lepido, A. U. C. 688

LUCIVS Junius Brutus, vide *Brutus.*

LUCIVS Jun. Pullus, Coſ. cum Ap. Claudio Pulchro, A. U. C. 504.

LUCIVS Lentulus Cruſcellus, Coſ. cum C. Claudio Marcello, A. U. C. 705.

LUCIVS Licinius Craſſus, Coſ. cum Q. Mutio Scævola, A. U. C. 659.

LUCIVS Licinius Lucullus, Coſ. cum A. Poſthumio Albino, A. U. C. 603.

LUCIVS Lucretius Flavus, Coſ. cum Serv. Sulpitio Camerino, A. U. C. 363.

LUCIVS Lucretius Tricipitinus, Coſ. cum T. Veturio Gemino, A. U. C. 292.

LUCIVS Lud. Baſil. Profeſſor Organi in Acad. Baſil. celeberrimus: docendi methodo incomparabilis. Unde ab Ern. Frid. March. Bad. ac Durlac. Joh. Erneſto Saxoniæ Duc. & Lud. Principe Anhaltino, ad ordinandas in ditionibus ſuis ſcholas evocatus eſt, circa A. C. 1618. Ejus præter alia, *Organum Ariſtotelis, comm. analytico & paraphraſtico, tabulis quinetiam ſynopticis perpetuis illuſtratum, ac diſcentium uſibus accommodatum,* & *Hiſt. Jeſuitica,* Latinè Germaniceque edita, Famam meruêre. Floruit ante Annos circiter 30. Obiit quippe A. C. 1642. Æt. 66. P. Freher. *Theatro Viror. Erud. Claror.*

LUCIVS Manlius, Procoſ. ab Herculeio Sertorii legato victus eſt, A. C. 676.

LUCIVS. Manlius Accidinus, Coſ. cum Fulvio Flacco, A. U. C. 575.

LUCIVS Manlius Capitolinus, Trib Mil. A. U. C. 334.

LUCIVS Manlius Imperioſus, Dictator, A. U. C. 393.

LUCIVS Manlius Regulus, Coſ. cum Q. Cæditio Longo, A. U. C. 497.

LUCIVS Manlius Torquatus, Coſ. cum L. Aurelio Cotta, A. U. C. 689.

LUCIVS Manlius Volſo, Coſ. cum C. Attilio Regulo Serrano, A. U. C. 503.

LUCIVS Martius Cenſorinus, Coſ. cum M. Manlio, A. U. C. 605.

LUCIVS Martius Philippus, Coſ. cum Sext. Julio Cæſare, A. U. C. 663.

LUCIVS Martius Philippus, Coſ. cum Cn. Lentulo Marcellino, A. U. C. 698.

LUCIVS Memmius Regulus, Coſ. cum Virginio Ruffo, A. U. C. 815.

LUCIVS Menenius Lanatus, Coſ. cum Seſtio Vaticano, A. U. C. 302.

LUCIVS Menenius Lanatus, Coſ. cum Proculo Geganio Macerino, A. U. C. 315.

LUCIVS Metellus Calvus, Coſ. cum Q. Fab. Max. Serviliano, A. U. C. 612.

LUCIVS Minutius Decemvir, A. U. C. 304.

LUCIVS Minutius Carbetus, Coſ. cum C. Nautio Rutilio, A. U. C. 296.

LUCIVS Minutius Ruffus, Coſ. cum Flavio Domitiano, A. U. C. 840.

LUCIVS Munatius Plancus, Coſ. cum M. Æmilio Lepido, A. U. C. 712. Vide *Munatius.*

LUCIVS Murena, Coſ. cum D. Junio Syllano, A. U. C. 692.

LUCIVS Norbanus Balbus, Coſ. cum M. Syllano, A. U. C. 771.

LUCIVS Novius Aſprenas, Coſ. cum M. Aquilio Juliano, A. U. C. 791.

LUCIVS Octacilius Craſſus, Coſ. cum Val. Flacco, A. U. C. 492.

LUCIVS Octavius, Coſ. cum Aurelio Cotta, A. U. C. 679.

LUCIVS Opimius, Coſ. cum Q. Fab. Maximo, A. U. C. 633.

LUCIVS Oſtius, tempore bellorum civilium, patrem ſuum proſcriptum, quem Triumviri ad ſupplicium perquirebant, latentem prodidit, ut ejus bona acciperet. *Plutarch.*

LUCIVS Papyrius Craſſus, Coſ. cum M. Corn. Maluginenſi, A. U. C. 319.

LUCIVS Papyr. Craſſus, Coſ. cum Cæſone Duillio Helva, A. U. C. 420. 2. Coſ. cum L. Plancio Venoce, A. U. C. 425.

LUCIVS Pap. Craſſus, Trib. Mil. A. U. C. 387.

LUCIVS Pap. Curſor, Coſ. cum Sp. Carvilio Max. A. U. C. 460. 2. Coſ. cum Sp. Carvilio Max. A. U. C. 481. Aur. Victor. *p.* 56.

LUCIVS Pap. Mugillanus Curſor, Coſ. cum C. Pat. Balbo, A. U. C. 429. Idem Dictator, A. U. C. 430. 2. Coſ. cum Publio Philone, A. U. C. 434. 3. Coſ. cum Q. Ælio Ceritano, A. U. C. 435. 4. Coſ. cum Pub. Philone, A. U. C. 440.

LUCIVS Pap. Mugillanus, Coſ. cum C. Junio Bruto Bubulco, A. U. C. 492.

LUCIVS Pap. Mugillanus, Coſ. cum C. Servilio Hala, A. U. C. 339. Trib. Mil. A. U. C. 334. Interrex, A. U. C. 335.

LUCIVS Paſſienus Ruffus, Coſ. cum C. Calviſio Sabino, A. U. C. 750.

LUCIVS Patrenſis, Metamorphoſes Græcè edidit, quas Lucianus, in Aſino aureo, ſicut hunc Apulejus imitatus eſt: niſi fortè hic immediatè Lucium παρεφράσατο. Phot. *cod.* 129. Salmaſ. *in Proleg. ad Solin.* Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 4.

LUCIVS Petrus, vide, *Petrus.*

LUCIVS Pinarius Ruffus, Coſ. cum P. Furio Medullino, A. U. C. 282.

LUCIVS Piſo Cæſonianus, Coſ. cum M. Livio Druſo, A. U. C. 642.

LUCIVS Piſo Cæſonianus, Coſ. cum A. Gabinio, A. U. C. 696.

LUCIVS Plautius Venox, Coſ. cum L. Papyrio Craſſo, A. U. C. 425.

LUCIVS Plautius Venox, Coſ. cum M. F. Flacco Senatore, A. U. C. 436.

LUCIVS Plotius, inter alios, puero Cicerone, fuit inſignis dicendi præceptor, L. Craſſi temporibus.

LUCIVS Pomp. Flaccus, Cos. cum C. Cæcilio Ruffo, A. U. C. 769.

LUCIVS Pompilius Volſus, Trib. Mil. A. U. C. 356.

LUCIVS Pomp. Dux Romanorum, in Germ. ſub Claudio, Cattos vicit, meruitque triumphum. Poëta inſignis. Tac. *Ann. l.* 2. *c.* 41. & *l.* 12. *c.* 27. & 28.

LUCIVS Pomponius Ælianus, cum Salonio Amando, caput ſeditioſorum, qui *Bagaudæ* dicti, quaſi nudipedes, Galliam aliquandiu infeſtârunt à Maximiniano oppreſſi.

LUCIVS Porcius Cato, Coſ. cum C. Pompejo Strabone, A. U. C. 665.

LUCIVS Porcius Cenſorinus, Coſ. cum C. Calviſio Sabino, A. U. C. 715.

LUCIVS Porcius Licinius, Coſ. cum P. Clodio Pulchro, A. U. C. 570

LUCIVS Poſthumius Albinus, Trib. Mil. A. U. C. 359.

LUCIVS Poſthumius Albinus, Coſ. cum M. Popilio Lænate, A. U. C. 581.

LUCIVS Poſthumius Albinus, Coſ. cum Q. Opimio, A. U. C. 606.

LUCIVS Poſthumius Megillus, Coſ. cum T. Minutio Augurino, A. U. C. 449.

LUCIVS Poſthumius Megillus, Coſ. cum Q. Manlio Vitulo, A. U. C. 491.

LUCIVS Poſth. Regillus, Trib. Mil. A. U. C. 375.

LUCIVS Priſcus, cùm Macedonas Præſidatu regeret, Imp. appellatus eſt, ſub Decio, Aur. Victor.

LUCIVS Quintius, Judææ procurator à Cæſare conſtitutus, Judæos Meſopotamiâ expulit, multa millia interfecit, A. U. C. 867.

LUCIVS Quintius, in Valerii Conſulis locum ſuffectus, A. U. C. 294.

LUCIVS Quintius Capitolinus Barbatus, Coſ. cum Agrippa Menenio Lanoto, A. U. C. 316.

LUCIVS Quintius Cincinnatus, in opere arans inventus, ſudore deterſo ab aratro arcerſitus ad faſces, togam prætextam accepit, Dictatorque eſt creatus, A. M. 3506. A. C. N. 456. A. U. C. 370. Hic mox ſumpto honore, inſtructoque exercitu, cæſis hoſtibus victor exercitum Romanum liberavit. Minutius Coſ. ab Equis & Volſcis ſuperatus, fugerat, ac fame, ferroque cingebatur, actumque infeliciter foret, ni Quintius ipſi, qui jugum boum Equis impoſuit, victoriamque quaſi ſtivam tenens, ſubjugatos hoſtes præ ſe egit, ei ſuccurriſſet, hinc triumphavit. Caſtris hoſtium receptis, plenis rerum omnium (nudos hoſtes emiſerat) prædam omnem ſuo tantùm militi dedit, Conſularem exercitum, ipſumque Conſulem increpans, *Carebis*, inquit, *prædæ parte miles ex eo hoſte, cui propè prædæ fuiſti.* Liv. *l.* 3. *c.* 19. Eutrop. *l.* 1. Et Romæ quidem hic L. Quintius Cincinnatus ob egregiam hanc partam victoriam meritò triumphum egit. Tandem Dictaturâ (qui erat ſummus honos) ſe abdicavit, rurſuſque rûs ad agriculturam divertit. Aur. Victor. *p.* 45. De hoc ita Perſ. *Sat.* 1. *v.* 72. & *ſeqq.*

Unde Remus, ſulcoque terens dentalia Quinti,
Quum trepida ante boves Dictatorem induit uxor,
Et tua aratra domum Lictor tulit.

LUCIVS Quint. Criſpinus, Coſ. cum Druſo Nerone, A. U. C. 446.

LUCIVS Quint. Flaminius, Coſ. cum Cn. Domitio Ænobarbo, A. U. C. 562.

LUCIVS Quint. Flaminius, Coſ. cum M. Licinio Balbo, A. U. C. 604.

LUCIVS Quint, Gulo, Coſ. cum Q. Fab. Max. Pictore, A. U. C. 484.

LUCIVS Racilius Volſo, Trib. Mil. A. U. C. 357.

LUCIVS Ragonius, Coſ. cum Severo, A. U. C. 986.

LUCIVS Scipio Aſiaticus, Coſ. cum C. Norb. Balbo, A. U. C. 671. Aur. Victor. *p.* 76.

LUCIVS Scribonius Libo, Coſ. cum L. Atratino, A. U. C. 710.

LUCIVS Scrib. Libo, Coſ. cum Siſenna Statilio Tauro, A. U. C. 768.

LUCIVS Sempronius Atratinus, Coſ. cum L. Papyrio Mugillano, A. U. C. 311. Trib. Mil. A. U. C. 336.

LUCIVS Septimius Severus, 21. Rom. Imp. A. U. C 946. Apud Cyzicum Æmilianum Nigri Ducem fudit fugavitque: Rurſus in Bithynia Nigri milites à Severianis victi ſunt. Ad Iſſicum ſinum in Cilicia Niger iterum fugatus eſt, & in ſuburbano quodam capite truncatus. Clodium Albinum apud Lugdunum vicit fugavitque & civitatem incendit. Albini caput Romam miſit. Superato Albino, Senatores & Optimates quàmplurimos Occidit, Arabiam Felicem vaſtavit: Armeniorum Rex fœdus cùm eo icit, Augarus Oſrhœnorum Rex ei ſe dedidit, filios obſides tradidit. Artabanum Parthorum Regem fugavit, Cteſiphontem cepit, & Adiabenos ſuperavit. Britannis bellum movit, ut receptas provincias redderet ſecuriores, vallum per 133. mill. paſſ. à mari ad mare duxit. Herod. *l.* 3. Vide *Severus.*

LUCIVS Sergius Fidenas, Trib. Mil. A. U. C. 359.

LUCIVS Sextus Lateranus, Trib. Plebis, A. U. C. 382. Coſ. creatus ex plebe, collega L. Æmilii Mamerci, A. U. C. 390.

LUCIVS Sylla, Coſ. cum C. Cæſare Octaviano Aug. A. U. C. 849.

LUCIVS Tarquinius Collatinus Romæ Coſ. Collega L. Junii Bruti, A. U. C. 245. Conſulatum abdicavit propter Tarquinii nominis invidiam, & in voluntarium exilium abiit, cui ſuffectus eſt *P. Valerius.*

LUCIVS Tarquinius Priſcus, 5. Rom. Rex. Flor. *l.* 1. *c.* 5. Aur. Victor. *p.* 35.

LUCIVS Teleſſinus, Coſ. cum C. Suetonio Paulino, A. U. C. 819.

LUCIVS Titinnius Longus, Trib. Mil. A. U. C. 337. 2. Trib. Mil. A. U. C. 360.

LUCIVS Turpilius Dexter, Coſ. cum Priſco, A. U. C. 948.

LUCIVS Valerius, Coſ. cum Antiſtio Vetere, A. U. C. 848.

LUCIVS Valerius Flaccus, Coſ. cum Octacilio Craſſo, A. U. C. 491.

LUCIVS Valerius Flaccus, Coſ. cum M. Porcio Catone, A. U. C. 559.

LUCIVS Valerius Flaccus, Coſ. cum M. Claudio Marcello, A. U. C. 602.

LUCIVS Valerius Flaccus, Coſ. cum P. Licinio Craſſo, A. U. C. 626.

LUCIVS Valerius Levinus, Coſ. cum M. Claudio Marcello, A. U. C. 544.

LUCIVS Valerius Meſſala, Coſ. Collega C. Cinnæ Magni, A. U. C. 757.

LUCIVS Valerius Politus, Coſ. cum M. Fab. Vibulano, A. U. C. 272. 2. Coſ. cum M. Æmilio Mamerco, A. U. C. 284.

LUCIVS Valerius Politus, Coſ. cum M. Horatio Barbato, A. U. C. 306. Liv. *l.* 3. *c.* 55.

LUCIVS Val. Politus, Trib. Mil. A. U. C. 342.

LUCIVS Val. Publicola, Trib. Mil. A. U. C. 364.

LUCIVS Verus, dictus Lucius Cejonius Ælius Commodus Verus Antoninus, fil. Lucii Veri, ab Hadriano adoptati. A Marco Aurelio conſors imperii & gener factus, per Duces, Parthos in Oriente, vicit, ipſe interea Laodiceæ vel Antiochiæ, luſui luxuique deditus. Redux Romam cum Socero triumphavit, qui generi mores cùm corrigere non poſſet, illum Româ procul tenuit. Interim vexari Chriſtianos ambo paſſi, contra Marcomannos bellum ſuſcepêrunt, ubi in tranſitu Alpium Lucius Verus apoplexiâ ictus Obiit, A. C. 169. Caligulæ, Neroni & Vitellio facilè comparandus, Jul. Capitolin. *in ejus vita.* Eutrop. Euſeb. Vide *Lucius Aur. Verus*, & *Lucius Cejonius Commodus.* Aur. Victor. *p.* 132.

LUCIVS Veturius Craſſus, Trib. Mil. A. U. C. 389.

LUCIVS Veturius Philo, Coſ. cum C. Luctatio Scævola, A. U. C. 534.

LUCIVS Vetus, Coſ. cum Æmilio Æliano, A. U. C. 868.

LUCIVS Vipſanius Publicola, Coſ. cum A. Vitellio, A. U. C. 800.

LUCIVS Virginius, miles Rom. filiam interemit, ut liberaret eam ab Appii Claudii Decemviri libidine. Liv. *l.* 3. *c.* 44. Aur. Victor. *p.* 48.

LUCIVS Virginius Tricoſtus, Coſ. cum Julio Tullio, A. U. C. 320.

LUCIVS Virginius Tricoſtus, Trib. Mil. A. U. C. 367.

LUCIVS Vitellius, Coſ. cum Paulo Fabio Priſco, A. U. C. 788. 2. Coſ. cum Tiberio Claudio Cæſare, A. U. C. 799.

LUCIVS Vitellius Varro, Coſ. cum Sexto Cornelio Cethego, A. U. C. 776.

LUCIVS Volumnius, Coſ. cum Ap. Claudio Craſſo, A. U. C. 449. 2. Coſ. cum eodem, A. U. C. 458.

LUCIVS Voluſius, tempore Neronis Mortuus, A. C. 56. Q. Voluſio & Scipione Coſſ. Æt. 93. Sub tot Tyrannis, opibus integer

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

integer & miraculo incolumis. Tac. *Ann. l.* 13. *c.* 30. & *l.* 14. *c.* 56. Item, JC. cogn. Metianus, unus ex Præceptoribus Marci Aurelii Antonini Philoſophi. *Jul. Capitolin.*

LUCIUS Voluſius Saturnius, Coſ. cum C. Cæſare Caligula, A. U. C. 793. Ovans urbem natali ſuo ingreſſus inter 4. menſ. à Chærea interfectus. Suet. *Jul. Cæſ. c.* 12. Joſeph. *Antiqq. l.* 19. *c.* 1.

LUCOFAUM, locus Galliæ, ubi Theodoricus Francorum Rex & Ebroinus Præf. Palatii, cum Martino ac Pipino, Auſtraſiæ Ducibus, prælium commisêre, A. C. 680. quo victi demum Auſtraſii terga dedêre: nunc ignoratur. Ab urbe Lugduno Clavato non multum fortè abfuit, cùm Martinus fugâ elapſus eò ſe contulerit. Hadr. Valeſ. *Not Gall.*

LUCOMORIA, Gall. *Lucomorie*, ſ. etiam *Locomorie*, prov. Moſcoviæ, in Tartaria deſ. trans Obyum fluv. Ibi nullæ urbes. Protenditur, verſùs mare Sept. & incolæ paſſim in ſylvis & campis degunt. Sed versùs Mer. ſunt in ea montes cogn.

LUCONDUS Johannes, vide *Johannes*.

LUCOPIBIA, urbs Albionis. Ptol. *Carleyl* hodie Neubrigenſi. Sed hæc potius Luguvallum, in Anglia. Ferrar. eſt *Candida caſa* & *Ninianopolis*, *Whithern*, urbs Scotiæ: Epiſcopal. ſub Archiep. Glaſquenſi, inde ſuprà 30. mill. in Occ. Baudr. ubi alàs Novantæ pop. nunc in Gallovidia, in ora maris Hibern. 70. mill. paſſ. à Glaſcovia in Auſtr. 40. ab ora prox. Hiberniæ in Ort.

LUCOTETIA, Pariſiorum urbs in Gallia. Ptol. *Leutetiam* vocat Julianus in Miſopogone, *Lutetiam* Cæſ. Hodiè *Paris*. Vide *Lutetia*.

LUCRETIA, Romanæ pudicitiæ lumen præcipuum, filia Lucretii Tricipitini præfecti urbis, uxor Tarquinii Collatini, quam Sextus. Tarquinius cùm precibus exorare non poſſet, vi oppreſſit. Stricto enim gladio in cubiculum irruens, mortem minabatur, ni voluntati ſuæ obſequeretur, addebatque, ſe cum mortua jugulatum ſervum poſiturum, ut in ſordido adulterio necata diceretur. Quibus minis illa perterrita, ut infamiæ ſuſpicionem effugeret, expugnari ſeſe paſſa eſt. Poſtridie verò convocatis patre, marito, cæteriſque amicis, obortis repentè lacrymis, tyranni flagitium detexit, & educto cultro, quem ſub veſte occultum habebat, ſeſe ſtatim confodit. Quâ re moti amici, populo ad arma concitato, Reges expulêrunt. Liv. *l.* 1. *c.* 57. 58. & 59. Dion. Halic. *l.* 3. *p.* 262. 263. & *l.* 4. *p.* 273. Ovid. *Faſt. l.* 2. *v.* 541. & 795. Flor. *l.* 1. *c.* 7. & 24. Val. Max. *l.* 6. *c.* 1. *Ext.* 1. Hujus exemplo Tertullian. & Hier. non uno in loco, ad caſtitatem excitant Chriſtianas feminas, ſed furorem improbat Auguſtin. aliique. Fortè Baſilienſis matrona, cujus nomen Fatorum invidia nobis abſtulit, aliquid *Lucretia* majus poſteritati exhibet; de qua ſequens Epigramma jam vetus adſcribere placuit:

Paſſa torum, non paſſa virum, Lucretia *noſtri*
Ævi ego, poſtgenitis nobilis hiſtoria.
Quæ Virgo & Matrona ſimul tria luſtra peregi,
Nupta innupta ſimul ſemiviri atque viri.
Conjugium tacui: cujus languentia membra
Non Venus aſpexit, non ruber ille Deus.
Sed tacui, atque tuli, non hanc vicina querelam
Audiit, aut fratres, aut pater, aut genetrix.
Heu malè pro meritis tribuuntur præmia tantis,
Alceſtim exoriens Sol ſcit & Occiduus,
Solam me Baſilea: Sed eſt, me Judice, majus,
Semper ab igne uri, quàm ſemel igne mori.

LUCRETIA Morella, Pariſienſis, filia Joh. nobilis Delphinatis, Græcè, Latinè, Italicè & Hiſpanicè, cum Camilla & Diana ſororibus, doctiſſima.

LUCRETIA Tornabonia, uxor Petri Medicei, mater Laurentii illius adeò inclyti; pia & erudita, Florentina. Partem Bibliorum Italico carmine expreſſit, &c. Morer. *Dict. Hiſt.*

LUCRETILIS, mons in Sabinis, valli, per quam Tartarus fluv. decurrit, imminens: de quo Horat. *l.* 1. *Carm. Ode.* 17. *Initio.*

Velox amœnum ſæpe Lucretilem
Mutat Lycæo Faunus:

LUCRETIORUM Fam. Romæ celebris, Tricipitinos, Cinnas, Veſpillones & Ofellas complexa eſt. Cic. non ſine elogio meminit Q. *Lucretii* Veſpillonis, JC. & Q. *Lucretii* Ofellæ, qui magis ad declamationes, quàm ad judicia, aptus. Item Cic. Vellejus & Cæſar, de quodam loquuntur; qui vel frater, vel patruus poëtæ fuit.

LUCRETIUS, prænomine *Quintus*, Senator, cùm Sulmonem 7. cohortium præſidio teneret, inclinantibus ad Cæſarem oppidanis, ſe de muro dejecit. Cæſ. *l.* 1. *de Bell. Civ. c.* 18. cognomen additur *l.* 3. *c.* 7. *Veſpillo*, haud dubiè fil. Q. *Lucretii* Veſpillonis Juris periti, de quo Cic. *in Bruto*. Hanc opinionem confirmat nummus argenteus, in quo *Q. Lucretius. Q. F. Veſpillo.* Cæterùm ultimum vocabulum variè in *VV.* CC. ſcribitur. In Florentinis Pand. *Biſpellio*: in Lexico antiquo Latino Græco *Viſpullio*, in aliis libris *Viſpillo*. Cauſa verò cognominis, quòd ejus manu Tib. Gracchi corpus in Tiberim miſſum. *Mſcr.*

Sp. LUCRETIUS, Tricipitinus, ſocer Tarquinii Collatini. Cæſo Bruto in Conſulatu ſucceſſit, cooptatus à P. Valerio, qui & illi, ut natu majori, prius faſces dedit. Verùm ætate confectus, quum ad obeunda munera Conſularia vires non ſuppeterent, intra paucos dies Mortuus eſt, cui mox M. Horatius Pulvillus ſucceſſit. Liv. *l.* 1. *c.* 58. Dion. Halic. *l.* 5. *p.* 292. *Plutarch.*

T. LUCRETIUS Carus, poëta ſynchronus Tullii & Terentii Varronis, etſi paulò antiquior. Scripſit libros 6. De rerum natura, in quibus Epicurum, & Empedoclem ſequitur. Id opus plerique à M. Cic. emendatum volunt, quum autor id ipſum imperfectum & inemendatum reliquiſſet: Et quanquam Cic. fratris ſententiam confirmans, non multa habere ingenii lumina fatetur, multæ tamen artis eſſe dicit. Quintilian. etiam in ſua materia elegantem, ſed difficilem eſſe teſtatur. Tac. *De Oratoribus c.* 23. Ovid *Amor. l.* 1. *Eleg.* 15. *v.* 23.

Carmina ſublimis tunc ſunt peritura Lucreti,
Exitio terras cùm dabit una dies.

Periit, quomodo tradit Euſeb. ſuâ ipſius manu, quum amatorio poculo in furorem actus eſſet. Olymp. 181. A. U. C. 700. Æt. 42. Id datum ab uxore Lucilia volunt, deque ea intelligendum illud Senecæ: *Livia virum ſuum Occidit, quem nimis oderat, Lucilia ſuum, quem nimis amaverat.* Autor vitæ Virgilii, Pompeio & Craſſo 2. Coſ. deceſſiſſe tradit, quum eodem die Virgilius virilem togam induiſſet, vide Crinit. Lilium Girald. Voſſ. *de Poet. Lat.* Scalig. & Gaſſend. *in vita Epicuri, l.* 2. *c.* 6. Nic. Lloyd. Empedoclem autem imprimis ſectatus eſt, qui Græcis verſibus de rerum natura ſcripſit, quem proin hiſce verſibus laudat:

Carmina quinetiam divini pectoris ejus
Vociferantur & exponunt præclara reperta,
Ut vix humanâ videatur ſtirpe creatus.

De quo cùm Ariſtot. dicat, ὅτι καὶ Ὁμηρικὸς καὶ δεινὸς περὶ τὴν φράσιν γέγονε, μεταφορικός τε ὢν καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς περὶ ποιητικὴν ἐπιτεύγμασι χρώμενος, eundem ſublimibus & ingenioſis carminibus *Lucretius* expreſſit, & præter Homer. Græcoſque alios, Ennium quoque imitatus eſt, utrumque autem poſtea Virg. Vide Anton. Thyſ. *Notis in A. Gell. l.* 1. *c.* 21. Cæterum non fuiſſe à philtro hunc *Lucretio* furorem. Sed eum intelligendum, quem *arduum furorem* vocat *Stat. l.* 2. *Sylv.* 7. *v.* 75.

Cedet Muſa rudis ferocis Enni,
Et docti furor arduus Lucreti &c.

quemque indigitat ipſe cùm *thyrſo ſe magnæ ſpei perculſum* res arduas & difficillimas, ſuavi lepore ſermonis conditas, proponere canit *l.* 1. h. e. afflatum divinum, quo poëtæ agi conſuevêre; multis docet Caſp. Barth. *Animadv. ad Stat. d. l.* ubi multa *de Lucretio* præclara.

LUCRETIUS Cinna, vide *Spurius*.

LUCRETIUS Flavus, vide *Lucius*.

LUCRETIUS Pagus, memoratus in marmore vet. in loco *Gargario*, Gall. *Garguiez*, in Prov. reperto, cujus *Inſcr.* ſub Antonino Pio Imp. facta, ſic incipit:

PAGANI PAGI LUCRETI QUI SUNT
FINIBUS ARELATENSIUM LOCO GARGARIO &c.

integram habes ſuprà, in voce *ad Balnea*: Jac. Spon. eſt tota illa planities, quæ ab opp. Aubanea, uſque ad pedem montis S. Balmæ (ubi vicus *de Gemenos*, in cujus templum. B. Virgini conſecratum, lapis is tranſlatus eſt) ſeſe extendit. Vide eum *Itin. Parte* 3. *p.* 32. & *ſeqq.* & ſuprà, ubi de *Aubanea*, ſ. *ad Balnea*, item de *Gargario loco*.

LUCRETIUS Titus, vide *Titus*.

LUCRETIUS Tricipitinus, vide *Lucius*, it. *Publius*.

LUCRINUM, Dauniorum opp. in Apulia. Strabo *l.* 5. *p.* 244. & 245.

LUCRINUS, lacus parvus Campaniæ in ſinu Bajano, contra Puteolos, tam propinquus Averno lacui, ut mari tempeſtatibus concitato, quandoque ſoleat conjungi. Ferr. Erat prope intimum receſſum ſinûs Puteolani; aliter *Bajanus* dictus. Sed à quo terræ motu A. C. 1538. mons hic novus extitit, qui *mons Cinereus* dicitur: nihil lacûs Lucrini ſupereſt. niſi palus lutoſa cum arundineto. Baudr. αὐθέντης, Dictus à *lucro*, ut quidam volunt, propter multitudinem piſcium delicatiſſimorum, qui ibi capiebantur. Inde ob iſtam rationem à veteribus paſſim laudatur. Horat. *Ep. Ode.* 2. *v.* 49.

Non me Lucrina *juverint* conchylia.

Idem *Serm. l.* 2. *Sat.* 4. *v.* 32.

Murice Bajano melior Lucrina *Peloris.*

Præſertim ob oſtrea. Mart. *l.* 1. *Epigr.* 63. & *l.* 3. *Epigr.* 20. & 60. cujus Epigraphe in Ponticum.

Oſtrea tu ſumis ſtagno *ſatiata* Lucrino.

Idem, *l.* 6. *Epigr.* 68. cujus Epigraphe de Morte. Eutychi pueri & *l.* 13. in Xenys *Epigr.* 82. & 90. Idem *l.* 6. *Epigr.* 11. cujus Epigraphe ad Marcum.

Tu Lucrina *voras.* ------ ------

Juv. *Sat.* 4. *l.* 1. *v.* 141.

------ ------ *Circæis nata forent, an.*
Lucrinum *ad ſaxum.* ------

De oſtreis loquitur. Nic. Lloyd. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

LUCRUM, Mercurii nomine Vett. in veneratione fuit, quem propterea Κερδῷον θεὸν vocat Lycophr. *Caſſandrâ.*

------ ᾧ ποτ' ἐν μυχοῖς
Δελφινίου παρ' ἄντρον κερδῴου θεοῦ.
------ *cui in obſcuris cavis*
Delphorum operta ad antra Lucrini Dei &c.

uti vertit Joſ. Scalig. Eidem ſtatuæ cum crumena erigebantur. Codin. τὸ κέρδος αὐτὸν λέγουσι καὶ ἐμπόρον τὸν Ἑρμῆν ὅθεν τὸ ἄ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

γαλμα αὐτȣ̃ ἱςῶσι βαςάζον μάρσιπον. Et Suid. Κερδῷ@ Θεὸς ὁ Ἑρμῆς ὡς κέρδȣς ποιητικὸς---διὸ καὶ μάρσιπον αὐτῷ ποιȣ̃σι βαςάζειν. *Lucrinus Deus, Mercurius, utpote lucri conciliator---Quam ob cauſam crumenam geſtantem illum fingunt.* Convenientique epitheto *Divitem* illum dixit Auſ. *Ep.* 21. *ad Paullin. v.* 6.

> *Jam nunc per auras Perſei talaribus,*
> *Petaſoque ditis Arcados vectus, vola* &c.

Vide Joh. Meurſ. *Comm. ad Lycophr. l. cit.* Ger. Elmenhorſt *Obſerv. Arnob. l.* 5. ubi de *Lucrinis Diis.* & infrà, ubi de *Mercurio*

LUCTA, an à *luendo*, i.e. ſolvendo, quòd uterque luctântium ab altero ſe ſolvere niteretur; an à *luxando*, quòd alter alterius membra *luxare* conaretur, dicta eſt. Hi enim omni modo corpore conſerto brachiiſque implicitis nitebantur ſe invicem humi proſternere, ut mox videbimus. Hoc ἀρχαιότατον τῶν ἀθλημάτων, ut ait Ariſtot. *antiquiſsimum & vaferrimum* ex omnibus certaminibus: utpote in quo luctator ſeſe ad omnes motus, qui in bello neceſſarii erant, exercebat. Neque enim incautè ſe præbebat colluctatori ſuo ſed cautè & ſcienter declinabat declinanda, donec victoriæ locum reperiret. Itaque in hoc certamine, id præcipuè agebatur, ut, priuſquam Athletæ implicarentur, de loco & ſtatione contenderent. Mox ita pugnabant, ut aliquantum reſpirarent: quo pacto πάλιν ἐπανεδύοντο τοῖς αὐτοῖς ἀγωνίσμασι, *rurſus inibant eadem certamina*, Philo περ. μεθ. Luctabantur autem olim nudi, pudendis περιζώματι aliquo velatis, donec Orſippo quodam, dum inter luctandum velo ſoluto is impeditus victoriam è manibus amitteret, ſuperato, ut habet Euſt. *Comm. in Hom.* nudi in poſterum penitùs committi cœpêrunt. Inungebanturque oleo, ſ. unguento. quod *ceroma* appellabatur, & ex oleo, pulvere ac cera mixtum erat; tum pulverem inſpergebant, qui ex variis regionibus adferri ſolebat, inprimis verò Ægypto ac Puteolis. Et quidem de Ægypto Suet. *in Ner. Claud. c.* 45. *Nam & fortè accidit, ut in publica fame Alexandrina navis nuntiaretur pulverem* Luctatoribus *aulicis attuliſſe.* Vide & Plin. *l.* 35. *c.* 13. Hinc locus *Coniſterion* appellatus legitur, apud Vitruv. *l.* 5. *c.* 11. quod ibi pulvere & oleo luctaturi aſpergerentur, ut prehenſiones firmiores, neque lubricæ eſſent. Mart. Græco vocabulo hanc inſperſionem ἀφὴν apppellavit, *l.* 7. *Ep.* 66. cujus Epigraphe in Philaenim.

> *Et flaveſcit* aphe, *graveſque draucos*
> *Alterno facili rotat lacerto.*

i. e. in palæſtra flaveſcit aſpergine arenæ. *Tactum arenæ* vocavit Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 36.

> *Inque vicem fulvæ* tactu *flaveſcit* arenæ, &c.

Vide Ant. Thyſ. JC. *Notis in A. Gell. l.* 3. *c.* 15. Inſpergebant verò ſe pulvere mutuò Luctatores. Stat. *Theb. l.* 6. *v.* 846. & *ſeqq.*

> *Tum madidos artus alterno pulvere ſiccant,*
> *Collaque demerſêre humeris, & brachia latè*
> *Vara tenent* ------ ------ ------

Vide quoque luctam Herculis & Acheloi, apud Ovid. ubi ſuprà. Porrò in vera Lucta, vitalia contorquere & ilia firmo nexu implicare erat permiſſum, quod Græcis τὰ μέσα λαϐεῖν dictum. Dico, *in vera Lucta*: Namque in *militari* luctandi ratione, quæ ludicri tantùm & exercitationis causâ inſtituebatur, non tam ſeveris legibus agebatur. Nam nec nudi *luctabantur*; ut luctantium in Græcia mos erat; & pro vitalibus baltheum ſibi invicem contorquere ſolebant. Undè Claud. qui poſtea Imp. in iſtiuſmodi exercitationis genere, cùm robur ſuum experiretur, *iratus militi, qui non baltheum, ſed vitalia ſibi contorſerat, omnes dentes uno pugno excuſsiſſe legitur*, apud Treb. Pollion. in *Vita* ejus. Omnis autem *Luctæ* ratio in ſubvertendo adverſario conſiſtebat, quod καταϐάλλειν Græcis: unde reſponſum Lacouis, de antagoniſta, à quo Olympiæ victus fuerat, ȣ̓μένȣν κρείττων, ἀλλὰ καταϐαλητικώτερ@. Inter ſtantes igitur ac rectos hoc certamen agebatur; nec enim niſi ſtantem dejicere ac ſolo illidere licebat, quod ῥῆξαι propriè vocabant. At humi nexus implicabant & explicabant Pancratiaſtæ. Sed nec ſemel dejeciſſe in ὀρθοπάλη ſ. *Lucta* ſufficiebat, non niſi enim *ter* dejectus ab adverſario, victus habebatur. Seneca *de Benef. l.* 5. *c.* 3. *Curſor metam prior contingit: velocitate alium, non animo, anteceſsit. Luctator ter abjectus perdidit palmam, non tradidit.* Hinc in *Epigr.* vet. Milo, qui cùm in certamen luctæ deſcendiſſet, nec antagoniſtam reperiſſet & vocaretur ad palmam, forte lapſus eſt: multis non coronandum eſſe clamantibus, quod cecidiſſet.

> Ἀνςὰς δ᾽ ἐν μέσσοισιν ἀνέκραγεν ȣ̓χὶ τρί᾽ ἐςὶν,
> Ἓν κεῖμαι, λοιπὸν τ᾽ ἄλλα μέ τις βαλέτω.
> *Surgens in medio exclamavit, non tres ſunt,*
> *Semel jaceo, cæterum ulterius me aliquis dejiciat.*

Quaſi diceret, *ſemel cecidi, non ter*, ȣ̓χὶ τρί᾽ ἐςὶν, ſubint. πτώματα lapſus &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 289. & *ſeqq.* Vide quoque ſuprà in voce *Conquiniſcens*, & infrà *Nexus, orthopale, Palæſtra Stare*, ubi aliquid etiam de terminis luctæ ut & in voce *Strangulatio*, ac *Subplantare.* Donabatur tandem Athleta victor, & quidem, uti in Pugilatu, cui multum cum *Lucta* affinitatis erat, præmiis majoribus, uti docet Hercules apud Euripid. *Alceſt. Act.* 5. ubi leviorum certaminum præmia equos facit,

> ------ τοῖσι δ᾽ αὖ τὰ μείζονα
> Νικῶσι πυγμὴν καὶ πάλιν βȣφόρϐια
> Γυνὴ δ᾽ ἐπ᾽ αὐτοῖς εἵπετ᾽ ------
> ------ *At qui graviorum certaminum*
> *Victores erant, pugilatu nempe &* luctâ, *boves:*
> *Mulier autem unà ſequebatur* ------

Ipſe Hercules, ob victoriam in *Lucta* contra Antæum partam, Mercurio in hoc miſſo coronatus eſt: cùm Diſci & Jaculi certaminibus, non tam coronæ propoſitæ eſſent, quam alia quædam præmia. νικητήρια, ἐπιχείρια, γέρα, ἔπαθλα &c. dicta. C. Paſchal. *Coron. l.* 6. *c.* 24. Sed quod Græci Romanique nudas feminas nudoſque adoleſcentes in ſuis Gymnaſiis, *luctaturos* producerent, meritò reprehendit Q. Ennius, ut retulit Cic. *Tuſc. Quæſt. l.* 4. *Namque flagitii principium eſt, nudare inter cives corpora.* Vide Thom. Dempſter. *Paralip. in Joh. Roſin. Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 20. Ex *Lucta* & *Pugilatu*, Pancratium conſtabat, de quo ſuo loco dicemus &c. Vide plura hanc in rem, præter Autores jam citatos, apud Fabrum *Agon.* Hier. Mercutial. *de Arte Gymn. c.* 8. Alios, nec non hîc paſſim, inprimis ubi de *Gymnaſiis Vett.* uti & *Ludis Sacris.*

LUCTÆ Præfectus, Græcè Ἐπιςάλης παλαίσματ@, vide infrà *Xyſtarcha.*

LUCTATII Ludi, *quos Salinator Senenſi prælio voverat, editos C. Cornelio, Q. Minutio* COSS. memorantur Cic. in *Bruto*; Vide C. Paſchal. ubi ſuprà *l.* 6. *c.* 30.

LUCTATIUS, vel LUCTACUS, 22. Rex Scotiæ, fil. Gorbredi Regis ob tyrannidem à ſubditis Anno 3. regni Occiſus. Buchan. *Hiſt. Scot.* Duchen. *Hiſt. Angl.*

LUCTATIUS Catulus, Quintus cogn. vel Cajus, Rom. civis, qui primo Punico bello A. U. C. 512. trecentis navibus adverſum Pœnos profectus, ſexcentas eorem naves, commeatibus, & aliis oneribus impeditas, apud Ægates Siciliam inter, & Africam depreſſit, finemque bello impoſuit: pacem petentibus hac conditione conceſſit, ut Siciliâ, Sardiniâ, & cæteris inſulis inter Italiam Africamque decederent. Aur. Victor, *de Viris Ill. c.* 41. Liv. *Epit. l.* 19. & *l.* 28. *c.* 38. Vide & *Quintus.* Sil. Ital. *Pun. Bell. l.* 13. *v.* 731.

Q. LUCTATIUS Catulus, Collega Marii, quintum Conſulis; A. U. C. 653. qui ambo Cimbros vicêrunt. Liv. Plutarch. Flor. *l.* 2. *c.* 2. Eutr. Oroſ. &c. Bellis civilibus Syllæ tempore implicitus, calcis nidore, ubi delituit, ſuffocatus eſt. Scripſit orationes & librum de rebus Conſulatûs ſui Inſigni elogio decoratus, à Cic. *de Orat. III.* Varr. *l.* 9. *de Ling. Lat.* Solin. *c.* 2. &c. Vide de hoc & autore *Communium Hiſtoriarum* Voſſ. *de Hiſt. Lat. c.* 12.

LUCTATIUS Catulus Cæreonius, vide *Cajus.*

LUCTATIUS Scævola, vide *Cajus.*

LUCTERIUS Cadurcus, homo ſummæ audaciæ, à Vercingetorige Imp. in Ruthenos miſſus, Cæſ. *de Bell. Gall. l.* 7. *c.* 2. Eam civitatem Arvernis conciliavit *l.* 9 *c.* 5. Liv. *Lutarium* vocat, infrà *l.* 8. hujus fit crebra mentio; ſed ſemper *Luterius* ſcribitur.

LUCTUS, pro Numine. Stat. *Theb. l.* 2. *v.* 287.

> ------ *Sed* Luctûs *& Iræ,*
> *Et Dolor & totâ preſsit Diſcordia dextrâ.*

Sic autem hoc Idolum, luctui hominum præſidens. fingebant, ut ſtaret: & quidem ſciſſo amictu. Idem *l.* 3. *v.* 125.

> ------ *ſtat ſanguineo diſciſſus amictu*
> Luctus *atro.*

Et Claud. *l.* 1. *in Ruf. Carm.* 3. *v.* 32.

> ------ *Livorque ſecundis*
> *Anxius, & ſciſſo mœrens velamine* Luctus.

Imò & ipſe laceratus, ut ex iiſdem Stat. verbis diſcas, Idem ut ſuprà *v.* 126.

> ------ *cæſoque invitat pectore matres.*

De ſciſſis enim veſtibus omnium ferè gentium in *Luctu* ſtulto more res notiſſima, vide *ad h. l. Claud. Animadverſ.* Barthii: ſed &, laceràſſe ſe dementiſſimos homines, velut ſanguine ſuo dolori mederi vellent, non ignotum, Sedes illi tributa in Orci faucibus. Virg. ad *Æn. l.* 6. *v.* 273.

> *Veſtibulum ante ipſum, primiſque in faucibus Orci*
> Luctus, *& ultrices poſuêre cubilia Curæ.*

Nempe à cœlo exulare luctum, etiam Gentiles agnovêre, quod longè certius nobis firmat S. Scriptura Apoc. *c.* 21. *v.* 4. Καὶ ὁ θάνατ@ ȣ̓κ ἔςαι ἔτι ȣ̓́τε πένθ@, ȣ̓́τε κραυγὴ, *Et mors non amplius* (in Nova Hieroſolyma) *nec Luctus, nec clamor* &c. Vide plura hanc in rem apud Barthium *ad Stat. d. l.* item *Comm. Superſtitionum*, nec non hîc ſuprà in voce, *Hyacinthus Flos.* & infrà, ubi de *Vett. Lugendi ritu.*

LUCUBRATIO, apud Plin. *Prologo Operis*, ubi, poſtquam Inſcriptionum apud Græcos miram feliciatem oſtendit, pergit, *Noſtri craſsiores, Antiquitatum, Exemplorum, Artiumque Facetiſsimi* Lucubrationum *à lucubro, qui ut facula cerata, & vocatur Panos vel Phanos. Aſſerit Varro* &c. Græcè παννυχισμὸς & παννυχὶς titulus libri, qualem Atta conſcripſit. Nonio in *Lucubratione* citatus. Dicere nempe vult Plin. Qui ex noſtris craſſiore Minervâ egêrunt, libros ſuos inſcripſêre, *Antiquitatum, Exemplorum, Artium*: qui tituli alienum aut affectatum nihil præferunt, ſed ſimpliciter id quod res eſt indicant. At facetiſſimi ex his videri volentes, non lepidiores titulos captârunt, quam ut *Lucubrationes* nuncuparent ſcriptiones ſuas. Et ſanè Rom. etiam puro Seculo hominum eruditorum vigilias ac labores ſemper vocârunt iſto nomine, & *elucubrata opera* dixêrunt Studioſorum, quæ nocturnis meditationibus forent elaborata. Exponit deindè vocem, quia obſcurior eſſet, à *lucubro* illam arceſſens. Dictum autem vett. Rom. *lucubrum* vel *lucuber*, quod φανὸς ſ. πανὸς Græcis antiquis, lampadem eo nomine, vel facem, vocantibus. Sequuta ætas laternam

nam ſ. λυχνοῦχον ſic appellavit. Iſid. *Lucuhrum vocatum, quòd luceat in umbra. Eſt enim modicus ignis: qui ſolet ex tenui ſtuppa ceraque formari.* Unde & *ceratam faculam* vocat Plin. quam Græcum Epigr. κηροχίτωνα λύχνον dicit. Ubi tamen ſunt qui legant, *qui ut baculus erat*, ut illam faculam inſtar baculi habuiſſe dixerit; certè Cic. alicubi, *Hæc*, inquit, *ſcripſi ad lychnuchum ligneolum.* Sed illud verius. Quia itaque ad *lucubrum* vigilabant Studioſi, ex eo *lucubrationes* dictæ ſunt nocturnæ eorum meditationes, ſcriptioneſque & exercitationes. Gloſſæ, *lucubro*, νυκτογραφῶ, ἀγρυπνῶ, παννυχίζω, & proin vox hæc Antiquis, in inſcriptionibus, placuit, Salmaſ. *ad Solin.* Locus verò, ubi *lucubrare* & meditari ſolebant Vett. *Lecticula* fuit, *lucubratoria* hinc nominata, de qua diximus ſuprà.

LUCULARIS Flaminis, Epigrammata quædam, apud Onuphr. Panvinium meminêrunt.

LUCULENSIS Moneta, apud Albertum Aquenſem *l.* 3. *c.* 52. eiſdem *Lucenſis* dicitur *l.* 4. *c.* 34. & *l.* 8. *c.* 21. à *Luca*, urbe Italiæ notiſſima. C. du Freſne in *Gloſſ.*

LUCULLANUM, olim *Megaris*, arx in mari apud Neapolim urb. Campaniæ, in inſ. parva, quæ *Caſtel dell' Ovo* nominatur, ante portum Neapol. cui ponte jungitur.

LUCULLEA, Feſtum à Græcis inſtitutum, in honorem *Luculli*; quo de feſto Plutarch. *in hujus vita* & Appian. Alex. *in bello Mithrid.* Græci enim Aſiam habitantes peninſ. illis Romanorum feſtos dedicârunt dies, qui juſtè ſanctèque provinciam adminiſtrâſſent. Ut, præter Lucullum, Mutio Scævolæ, feſtum *Mutiæ* dictum, de quo Cic. *in Verrem. l.* 2. Ejuſdem *Luculli* ſuburbanum *Fraſcati* hodiè dicitur, atque in urbeculam excrevit, Hortis Palatiiſque exquiſitiſſimi operis celeberrimam, inter quæ Borgheſianum ambulacris lautiſeris, buſtis ſtatuiſque anticuis: Aldobrandinum verò ſalientibus ingenioſiſſimè fabricatis, inſignia eminent. Jac. Spon. *Itin. Parte I. p.* 56. ubi *Tuſculi* rudera 2. mill. indè abeſſe addit. Vide quoque in voce *Fraſcata.*

LUCULLI Horti, prope Neapolim ſiti, quos Valerius Aſiaticus bis Coſ. à Lucullo emptos inſigni magnificentiâ excolebat: ſed cùm illis Meſſalina inhiaret, per Suilium & Soſibium, ſub crimine adulterii, cum Poppæa, everſus eſt. Vide Tac. *Ann. l.* 11. *c.* 1. 32. & 37. Manſêrunt in rebus Principis ad ætatem Trajani uſque: Ex quo etiam nunc tantâ acceſſione factâ ad luxum, horti Lucullianı inter ſumptuoſiſſimas res Principis cenſentur. Nunc *Cento Camerelle*, locus Campaniæ Bajas inter & Miſenum, ubi multa antiquitatis veſtigia *Loffredus.*

LUCULLI Villa. Villam in Miſenenſi Marius amœnam & mollius exſtructam poſſidebat, quàm decebat virum militarem & tot bellorum victorem. Eam ajunt LXXV. cIↄ. denariûm emiſſe Corneliam, nec multò poſt L. Lucullum quingentis millibus denariûm & ducentis. In ea periit Tiberius oppreſſus à Macrone, injectu multæ veſtis, ætatis Anno octavo & ſeptuageſimo Gn. Acerronio, C. Pontio Coſſ. vide Tac. *Ann. l.* 6. *c.* 50. *Bagni d' Agnano*, Blondo. Fuit in Campania juxta prom. Miſeni, contra Puteolanam urb. vix 3. mill. paſſ. *Baudr.*

LUCULLUS Lucius Licinius, fil. vel nepos Luculli, qui Coſ. cum Poſthumo Albino, dein cum Claudio Marcello, paulò ante primum bellum Punicum fuerat. Vir clariſſimus Rom. plurimas præclaras res geſſit: nobilis, diſertus, dives, munus Quæſtorum ampliſſimum dedit. Sullæ, cui favebat, victoriam contra Ptolomæum, Ægypti Regem conciliavit, cumque per Murænam, Mithridaticæ claſſis compotem in Aſia reddidit. Prætor Africam juſtiſſimè rexit. Adverſus Mithridatem miſſus, collegam ſuum Cottam Chalcedone obſeſſum liberavit, Cyzicon obſidione ſolvit, Amiſam, Euparoriam, Themiſcyram, &c. cepit. Mithridatis copias ferro & fame afflixit, eumque regno ſuo Ponto exuit, & rurſum cum Trigrane Rege Armeniæ ſubveniente, magnâ felicitate ſuperavit, ac Tigranocerten, regni metropolim, cum Niſibe, occupavit, longè latèque formidabilis: nec obſcuravit gloriam Triarius, legatus ejus, à Mithridate victus, poſt quod ipſe deſertus a ſuis, ſe recipere coactus eſt, A. U. C. 687. Hic (ut refert Athen.) cùm Romam poſt expeditionem Ponticam rediiſſet, ad vitam ſumptuoſam, & elegantem ſe convertit, tantas enim opes paraverat, ut ædibus & prætoriis extruendis, hortis, & cænationibus amœniſſimis, incredibilique ſumptu paratis, & bibliothecâ inſigni utriuſque linguæ libris referta, atque omnibus obviâ ac patenti, opes bello quæſitas conterere non potuerit, cùm interim quotidiano epularum apparatu, in proverbium penè venerit. Nimius in habitu, maximè ſignorum, & tabularum amore flagravit. Pòſt cùm alienatâ mente deſipere cœpit, tutela ejus M. Lucullo fratri permiſſa eſt. Addidicerat autem Vir adeò inſignis Eloquentiam & Philoſophiam, ſub Antiocho Aſcalonita; Siſenna & Hortenſio. Ejus vitam ſcripſit Plutarch. Vide quoque Aur. Victor. *de Viris Ill. c.* 47. Oroſ. *l.* 5. *c.* 19. Appian. Alex. *in bello Mithr.* Flor. *l.* 3. *c.* 5. &c. nec non ſuprà in voce *Licinius.*

LUCUMO, ſ. C. *Lucmo* Prop. ſic enim ille, *l.* 4. *Eleg.* 1. *v.* 29.

Prima Galeritus poſuit tentoria Lucmon.

Vocabulum Tuſcum, quo Rex ſignificabatur, ut Servius autor eſt in *Æn. l.* 2. Et ita videtur uſus Sidon. *l.* 5. *Ep.* 7. *Temperat Lucumonem noſtrum Tanaquil ſua.* Loquitur enim de Chilperico Rege. Aliter Feſtus: *Lucumones*, inquit, *homines inſani dicti, quòd loca ad quæ veniſſent infeſta redderent.* Vide Scalig. ibidem & *in illud Auſ. Ep.* 4. *v.* 67.

Scillite decies non ſi purgeris aceto,
Anticipeſque tuo Samii Lucumonis *acumen.*

Voſſ. *Lucumones* & Λυκάονας eoſdem eſſe, planeque Latinum ſive Tuſcum illud ex Græco hoc factum putat. Λυκάων enim Arcadiæ Rex fuit, ac Arcadia ab eo aliquando *Lycaonia* nomen habuit. Is autem in lupum à Jove commutatus dicitur, ut præter poëtas tradit Pauſ. Conſtat etiam Λυκάονας dici, qui vulgò Λυκανθρώπους. Eſt verò *Lycanthropia* melancholiæ genus, quo qui laborant, noctu luporum inſtar exeunt, & uſque dum ceſcàt, circa mortuorum corpora verſantur; ut ex Ægineta, & Ætio conſtat. Quæ qui conſiderârit, non mirabitur, uti Λυκάων apud Græcos, ita Lucumo apud Tuſcos (qui ex Arcadia in Italiam venêre) utramque habuiſſe notionem, puta ut cum pro Rege, ſ. præfecto, tum pro melancholico vel inſano ſumeretur. Strabo *l.* 5. *p.* 219.

LUCUMO Samius, apud Auſ. *Ep.* 4. *v.* 67.

Scillite decies non ſi purgeris aceto,
Anticipeſque tuo Samii Lucumonis *acumen:*

Pythagoras eſt, quem τ̃ Σάμιον abſolutè vocant Scriptores & Σάμιον σοφὸν, Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aurel.*

LUCUMO, mons inter Lepontiàs Alpes, Germ. *Luchmanier,* à *Lucumone* Tuſco dictus videtur. Vocatur aliàs Mons S. Barnabæ, dividitque Rhætos à Lepontiis. In hujus cacumine rupes eſt *Cadelin*, in qua naſcitur amnis Erode, qui progrediens montem verſùs, exinde Rhenus medius dicitur. Joh. Bapt. *Helv. Antiqq. & Nov.*

LUCUNS & LUCUNTER, vox vet. pro dulcio vel placenta ex Græco γλυκαντὴρ, ut *læna*, ex χλαῖνα. Feſtus, *Lucunter, genus operis piſtorii*: Vide Salmaſ. *ad Lamprid in Heliogab.* & ſuprà, ubi de *Dulciis*. Hinc *lucunculi*, apud Stat. *l.* 1. *Sylv.* 6. *v.* 17. ubi de donis Saturnalitiis,

Molles Caroli, lagunculique:

ad quem locum vide Hadr. Turneb. *l.* 18. *c.* 20. Petrum Colvium *ad Appulei l.* 10. Caſp. Barth. *Animadverſ. Statians.* &c.

LUCUS, octavus Rex vett. Gallorum, poſt Bardum II. Populis ſuis, circum Pariſios habitantibus, *Lucothetiorum* nomen dediſſe fertur. Ptol. *l.* 2. *c.* 8. Strabo, *l.* 4. Cæſ. *l.* 6. & 7. Julian. in *Miſopog.* Dupleix, *l.* 2. *Mem. Gall.*

LUCUS, caſtellum Salyorum, in diœc. Arelatenſi. Item in Provincia, prope Brinoniam, prunis ſuis celebris, *Brignole.* Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LUCUS, impropriè de fruticetis & arbuſtis, ut apud Solin. *c.* 35. ubi *balſami lucos* memorat, *quod idem eſt ac ſi quis vineta* lucos *appellaret*, Salmaſ. *ad l.* Propriè nempe Luci ingentium tantum arborum, & communiter Dianæ venatrici conſecrati erant. Vet. Interpres *ad Stat. Theb. l.* 4. Omnis lucus *Dianæ eſt conſecratus.* Unde Horat. *de Arte Poët. v.* 16.

----- ----- *Quùm* lucus *& ara Dianæ.*

Serv. quoque *ad illud Æn. l.* 6. *v.* 117.

----- ----- ----- *Nec te.*
Nequicquam Lucis *Hecate præfecit Avernis.*

Notat. *Hecate trium poteſtatum nomen eſt. Ipſa enim Luna, Diana, Proſerpina: ſed ſolam Proſerpinam dicere non potuit, propter* lucos, *qui Dianæ ſunt.* Catull. etiam in *Carmine* 34. *Secul. v.* 9. & *Seqq.*

Montium domina ut fores,
Sylvarúmque virentium,
Saltuúmque reconditorum &c.

Sed & in ſpecie ferè alicui Numini ſacri ac incædui. Hinc notant Grammatici, ubicunque Virg lucum ponit, ſequi eiam conſecrationem. Ut *Æn. l.* 9. *v.* 3.

------ Luco *tum fortè parentis*,

Alibique. Et *Lucos* hinc dictos quidam teſte Serv. aſſerunt, quòd ibi lumina accenderentur religionis causâ. Aliàs, utpote incædui, tenebroſi erant, umbriſque ſuis prorſus Solem excludebant, dignæ proin ſedes egregiorum illorum Divorum ſc. Spirituum, in horridis locis habitare amantium, ut vel ex Euangelica Hiſtoria patet. Fuit autem hæc ſuperſtitio antiquiſſima, quippe ante Templa condita in præcipuo uſu. Et quidem, *ritus is erat Idololatrarum. Arbores ſcilicet juxta altaria ſua plantare, ut ibi conveniret populus*, Moſes Mikotzi *Præc. Negat.* 44. Unde interdictum divinum Deut. *c.* 16. *v.* 21. *Ne conſerito tibi* lucum, *ullis arboribus ſecundum Altare Jehovæ Dei tui, quod feceris tibi*, de quo vide Joh. Selden. *de Jure Nat. & Gent. juxta Diſcip. Hebræor. l.* 2. *c.* 6. Atque ut venerabiliores eſſent, coronabantur arborum ramis & floribus. Ovid. *Met. l.* 8. *v.* 689.

------ *Equidem pendentia vidi*
Serta ſuper ramos ------

Iiſdem appendebantur donaria, tantâ copiâ, ut vel ſola illa Solaribus radiis facilè obſtarent. Stat. *Theb. l.* 9. *v.* 588. & *ſeqq.*

------ *hîc arcus & feſſa reponere tela.*
Armaque curva Suum, & vacuorum terga Leonum
Figere, & ingentes æquantia cornua ſilvas.
Vix ramis locus ------ ------ ------

Sic ibi ſacra ſua peragebant, eoque commeabant feſtis diebus & perpotabant, ac choreis defungebantur. Quam rem venuſtiſſimè indicat Tibull. *l.* 1. *Eleg.* XI. quæ ſic habet, *v.* 51.

Ruſticus è lucoque *vehit, malè ſobrius ipſo,*
Uxorem plauſtro progeniemque domum &c.

Vide in eam plura, apud Caſp. Barthium *Animadverſ. Statianis paſſim*, imprimis verò *Comm. magno Superſtition.* Hinc itaque cædere aut eruere *Lucos* minimè licebat, hocque facinore, imo plus quàm ſacrilegio, Deorum iras atque offenſas inexpiabiles contrahi exſtimabant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

mabant, Imò Cæſaris milites quum Maſſilienſem, lucum antiquæ religionis horrore ſanctiſſimum, ad bellica tormenta & cætera obſidionis inſtrumenta, cædere juberentur, moti apud Lucan. *Civ. Bell. l.* 3. *v.* 429. & *ſeqq.*

--- -- ------ ------ motique verendâ
Majeſtate loci, ſi robora ſacra ferirent,
In ſua credebant redituras membra ſecures.

Donec,

Implicitas magno Cæſar terrore cohortes
Ut vidit, primus raptam librare bipennem
Auſus, & aeriam ferro proſcindere quercum &c.

Aliquando tamen has ſylvas conlucare, h. e. ramos ſuperfluos recidere, verùm non niſi prævio ſacro permittebatur, quod *coercere* & *coinquere* Vett. dicebant, Vide ſuprà in hac voce. Imò & ſuccidebantur penitùs arbores in iis fulguritæ, ut retrò vidimus. Et hæc quidem de Gentilium circa *Lucos* ſuperſtitione. Iſraëlitis verò, eorum uſu penitus interdictum, ut in genere vidimus. In ſpecie, ut Magriſtri habent, cum *lucus*, tum arbor, ſive eo nomine, ut coleretur ipſa, ſive ut idolum obumbraret, idolumque ornaret, plantata iis illicita erat: ut adeo nec umbræ proceritatis ejus ſ. trunci juxtà extenſæ beneficio uti frui liceret: Nec per lucum tranſire eſſet fas, niſi alia non pateret via: Nec volucrum in eo nidificantium, cum ova, tum pulli teneriores, in eſum adhiberi poſſent. Porrò, nec lignari ex ejuſmodi ſylva, nec panibus in furno inde calefacto coctis, aut cibis ſic elixatis aſſatiſque, nec cinere luci combuſti uti licuiſſe, addunt. Solum autem luci ejuſque umbræ eatenus interdictum non volunt, quin herbas, legumina, olera, quæcunque in umbra felicius creſcerent, ibi ſerere fas eſſet, eorumque poſſeſſio & uſus licitus &c. Qua de re vide Selden. præfat. *d. l. c. ſeq.* Longè ſimplicior piorum in Sacris Regum zelus fuit, qui hujuſmodi *Lucos* ultore ferro funditùs exſcidêrunt, uti in libris eorum paſſim legere eſt. Vide quoque ſuprà, in voce *Luci.*

LUCUS Auguſti, geminus; unus in Hiſp. Tarrac. in Gallæcia, urbs Epiſcopal. ſub Archiep. Compoſtellano, ubi aliquot Concilia, vulgò *Lugo.* Unde aliàs Callaici Lucenſes; ad Minium fluv. verſùs montes, 18. leuc. à Compoſtella in Ort. 8. à Mindone in Auſtr. uti à conf. Aſturiæ, in Occ. Ampla & ſatis culta. Ab Alphonſo Rege victis Mauris A. C. 753. unà cum Tyde, Aſturica, Portucalenſi, Bracara, Pace Julia, Miranda, Segobia, Abſula, Segobrica, Septimancis & Dominis, recepta. Alter in Gall. Narbon. in Delphinatu; vulgò *le Luc.* *Lucus Vocontiorum* Tac. civ. fœderata Plin. *l.* 3. *c.* 4. Huic Fabius Valens faces admovit, donec pecuniâ mitigaretur, Tac. Æthicus inter Montem Seleucum, & Deam ponit, illinc 26. hinc 12. mill. paſſ. vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LUCUS Baduhennæ, vide *Baduhennæ.*

LUCUS Feroniæ, col. & opp. Hetruriæ Capenatibus proximum. Alter apud Ptol. opp. Hetruriæ apud oram litoralem, Lucam inter, & Lunam. *Pietra ſantta* Leandro. Aliis *Bientina* vicus eſt Florentiam inter & Lucam, apud lacum.

LUCUS Sacer: Mazellæ *Selva de Hami*, locus Campaniæ, Tripergolæ proximus, 3. mill. paſſ. à Cumis.

LUCUS Vocontiorum: vide *Lucus Auguſti.*

LUD, fil. Sem. Gen. *c.* 10. *v.* 22. Nat. A. M. 1660. An. Lydorum Aſiaticorum autor? Joſeph. *Antiqq. l.* 2. *Hier.* &c.

LUD, Rex Britonum, poſt Delium patrem. Liberalis, fortis, magnanimus. Obiit. An. 9. regni, duobus filiis relictis, ſub tutela Caſſivelauni, qui Procerum conſenſu clavum arripuit. Beda, Duchen. Polyd. Virg. *Hiſt. Angl.*

LUD, opp. Palæſtinæ, nunc pag. *Segura.*

LUDECANUS, Rex Merciorum decimus octavus, poſt Bernulphum, A. C. 845. Subditis, quibus blandè imperabat, gratus, ab Anglis Or. poſt Annum 2. regni Occiſus eſt. Duchen. *Hiſt. Angl.*

LUDDINCTONUS Gulielmus, vide *Gulielmus.*

LUDERE, apud Munic. Fel. ubi de præſtigiis Magorum, *Magi quoque non tantùm ſciunt dæmonas, ſed etiam quidquid miraculi* ludunt, *per dæmones faciant*: proprium hac in re vocabulum. Sic Tertullian. *Apologet c.* 23. *Multa miracula circulatoriis præſtigiis ludunt.* Plin. *l.* 35. *c.* 15. *Luſit & Anaxilaus eo.* Et Græci eoſdem παίζειν dicunt, uti diſcimus ex Philoſtrato de *Vita Apollonii l.* 7. *c.* 16. Unde, quos *Magicarum artium ludos*, Arnob. *l.* 1. *ludicram potentiam Magorum*, Cyprian. *de Idol. vanit.* Irenæus apud Epiphan. *Hær.* 34. παίγνια, h. e. *Magicas vanitates*, ut Plin. *l.* 30. *c.* 1. *Magicas fallacias & præſtigias*, Tertullian. *de Anima c.* 57. *Magorum & Hierophantarum phantaſmata*, ut Aldhelmus, vocant. Vide quoque infrà *vani.*

LUDERE Armis, *Ludere ad Judices, ad Latrunculos* &c. Vide ſuprà.

LUDGERUS, Friſo, Benedictinus, primus Ep. Monaſterienſis, à Car. Mag. conſtitutus, A. C. 794. Varia ſcripſit, Obiit A. C. 899. Bellarm. *de Scr. Eccl.* Val. Andr. *in Bibl. Belg.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 30. *Suffridus Petri* &c.

LUDI de Rege & Regina, prohibiti Synodo Wigornienſi A. C. 1240. *c.* 38. videntur C. du Freſne is eſſe ludus, qui hodiè *Chartarum* dicitur, ſiquidem eâ ætate notus fuerit, *in Gloſſ.* Vide infrà *Ludus.*

LUDICRÆ Coronæ, dictæ occurrunt paſſim coronæ, Hieronicarum vett. non vilipendii causâ, quaſi inanis ſolùm gloriolæ illecebræ eſſent, cùm inter documenta veræ virtutis meritò haberent locum: ſed quia *Ludicro*, ſ. in *Ludis Sacris* quæſitæ. Plin. *l.* 21. *c.* 3. *Semper tamen autoritas vel ludicro quæſitarum fuit. Namque ad certamina* (Romani) *in Circum per ludos & ipſi deſcendebant, & ſervos ſuos quique mittebant. Inde illa* XII. *Tabularum lex, Qui coronam parit, ipſe pecuniave ejus virtutis ergò arguitur.* Vide C. Paſchal. *Coron. l.* 6. *toto*, inprimis *c. ult.* ubi *de utilitate, quæ ex his Ludis, & dignitate Coronarum, quæ ibi Victoribus datæ*: nec non infrà, ubi de Vett. *Ludis.*

LUDIES, Strabo *l.* 7. *p.* 330. Vide *Lydius.*

LUDII, olim non alii dicebantur, quàm verò ſaltatores & hiſtriones, qui & *Ludiones*, in *Gloſſis* Σκηνικοὶ, Σκηνικοί; non à *ludendo*, ut placet viris doctis, ſed à *Lydis*, qui inter nationes ſaltationi bacchationique deditas: undè *Ludius* & *Ludio*, pro *Lydius* & *Lydio.* Sed & *Lydius* etiam dicebant; undè *Lydii barbari* & *volſi Lydii*, apud Plaut. *Curcul. Act.* 1. *Sc.* 2. *v.* 63. *Bacchid. Act.* 1. *Sc.* 2. *v.* 13. & *Pſeud. Act.* 5. *Sc.* 1. *v.* 31. Ovid. *de arte Am. l.* 1. *v.* 112.

Lydius *æquatam ter pede pulſat humum*, &c.

At ſequentibus temporibus, *Ludii* propriè appellati ſunt Gladiatores, à *ludo* gladiatorio, h. e. μονομάχοι & θηριομάχοι; qui etiam *Ludi* ſunt vocati. Juv. *Sat.* 6. *l.* 2. *v.* 82.

Nupta Senatori comitata eſt Hippia ludum
Ad Pharon & Nilum ------

Unde *ludiam* vocat eandem Hippiam; quaſi *ludi* vel *ludii* uxorem. Apud eund. poëtam, *Sat.* XI. *l.* 4. *v.* 20.

---- *ſic veniunt ad Miſcellania* ludi,

i. e. *ultimam cœnam, gladiatores.* Optimæ Gloſſæ, *Laniſta*, λυδοτρόφος, ἐπιστάτης μονομάχων. Sic Tertullian. *de Spectac. Indè Romani*, inquit, *accerſitos artifices mutuantur tempus, enunciationem, ut ludi à Lydis vocarentur. Sed etſi Varro ludos à ludo, i. e. à luſu interpretatur, ſicut & Lupercos ludos appellabant, quòd ludendo diſcurrant: tamen eum luſum juvenum & diebus feſtis & templis & religionibus deputat.* Ubi Tertulliano *Ludi* dicuntur, qui *Ludii* potiùs appellari debent, & *Ludii Luperci*, quòd ludendo diſcurrant. Nempè *Ludos*, pro *Ludiis* dicebant Vett. ut *regna*, pro *regibus*, Florus; *Præturam*, pro *Prætore*, Liv. &c. Hinc *Ludiaria venatio*, apud Trebellium Pollion. *in Gallienis Ludiaria veſtis*, apud Iſid. *in Gloſſ.* &c. Salmaſ. *ad Pollion. alibique* vide quoque infrà *Ludus.* Sed & *Ludios* ac *Ludiones* dictos deprehendimus pueros puberes, elegantibus tunicis indutos, glabros, galeâ inſuper, enſe & parmâ armatos, qui Circenſibus & Theatralibus pompis ordine incedere ſunt ſoliti, veluti pompæ Duces, Fr. Gouldmann. *Dict.* &c.

LUDIM, fil. Meſraim ibidem. Vide Boch. *Georg. Sac. l.* 1. *c.* 12. Et *l.* 4. *c.* 16.

LUDO jurantium pœna, vide ſuprà in voce, *Accabyſſare.*

Viri Iluſtres.

LUDOLPHUS I. Comes Oldenburgicus, lineæ Wildeshuſanæ, Sec. 13. floruit.

LUDOLPHUS II. nepos prioris, frater Willebrordi, lineam terminavit, Phil. Jac. Spener *Syll. Geneal.*

LUDOLPHUS, Carthuſ. ſcriptor inter ſui Sec primos, Saxoniâ oriundus. Prior Argentinæ, A. C. 1330. Obiit Moguntiæ, Autor vitæ JESU CHRISTI, ex 4. Euangeliis collectæ, Comm. in Pſalmos: Remediorum contra Tentationes. Boſtius, *in c.* 11. *de Viris Ill. Carth.* Hartmann. Schedel de Nuremberg, *in Chron.* Sixtus Sen. *l.* 4. *Bibl. S.* Petrejus *Bibl. Carthuſ. p.* 233. Trithem. *Voſſ. &c.*

LUDOLPHUS, Bellarmino Lupoldus de Bebenberg: Poſſevino & Simlero, de Eiſingren; JC. celebris. Cancellarius Balduini Lucemburgenſis, Archiep Trevirenſis, fratris Henr. VII. cui *de Juribus regni atque Imperii*, opus dedicavit. Aliud *de zelo veterum Regum Galliæ & Germaniæ Principum*, Simon Schardius, apud Joh. Oporinum, imprimi curavit Baſileæ. Floruit Sec. 14. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 57. Simler. *in append. Biblioth. Geſn.*

LUDOLPHUS, Parochus de *Suchen*, iter in terram ſanctam ſuſcepit, Sec. 14. quod poſt quinque Annos reverſus conſignatum literis edidit, libro Balduino Com. Steinfurtenſi, Ep. Paderbornenſi dedicato. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *p.* 798. Poſſevin. *in Appar. Sacro.* Geſner. *in Biblioth.*

LUDOLPHUS Jobus, Vir illuſtris eruditione multijugâ & Linguarum, Orientalium præſertim, peritiâ. Scripſit *Hiſt. Abyßin* &c. Præſes Societatis *Teutonico. Leopoldinæ Hiſt. Univ. Germ.*

LUDOVEGIÆ, mel. *Leones*, vulgò *Lions*, cogn. *en Foreſt*, opp. Normanniæ, in Veymo Normannico, prope ſylvam *de Bray*; 6. leucis à Rothomago in Ort. Bellovacum verſùs 10. ad amnem *l'Orleau*, vide ſuprà in voce *Leones.*

LUDOVICA, ſ. LOYSA, Gall. *Louiſe*, Lotharinga, filia Nic. Ducis, ex Margaretha Egmontia, nupſit Henr. III. Gall. Regi A. C. 1575. è Polonia reduci. Ingenio, formâ, virtute inclyta. Obiit A. C. 1601. Æt. 47. Matth. *Hiſt. Henr. IV.* Avila *Hiſt. de Bell. Civ. Galliæ*, A. Malletus, *in ejus vita.* Morer. *Dict. Hiſt.*

LUDOVICA Sabauda, filia Phil. Ducis, ex Margaretha Borbonia. Ex Car. Com. Engoliſmenſi, cui nupſit A. C. 1488. Mater Franciſci I. & Margarethæ Valeſæ. Franciſco, in Italia, rerum ſatagente, Regens regni: Car. Borbonio, Conneſtabili Galliæ, qui ejus nuptias ſpreverat, lite intentatâ, obtentaque, anſam præbuit, deſerendi Regem, unde Lerna malorum. Filio ad Ticinum capto, paulò pòſt Obiit. A. C. 1531. Æt. 52. Ejus Epitaphium:

Iſto quieſcens Allobrox ſub marmore
Loiſa, *patriæ præcipuum decus ſuæ,*
Et Galliarum ſplendor, ac mundi decus;
Neſcitur illi patria pluſne debeat
Tellus, an orbis vaſtus, an ipſa Gallia?

LUDO-

LUDOVICA Margaretha Lotharinga, filia Henr. Guiſiæ Ducis ex Catharina Cliviaca. Nupſit A. C. 1605. Franciſco Borbonio, Contii Principi: Muſas patrocinio dignata ſuo, inter alia, Aulæ res, ſub fabulæ involucro, deſcripſit, A. C. 1620. Obiit A. C. 1631. Hilario Coſtus *Elog. Fem. Illuſtr.*

LUDOVICA Borbonia, filia Car. Com. Sueſſionum, ex Anna Montaſia, ux. Henr. II. Com. Longavillani, Obiit A. C. 1637. Item fil. Gilberti Montpenſerii Com. uxor Lud. Rupiſurionii Princ. Obiit A. C. 1561.

LUDOVICA, *Elovi ſa* vel *Heloiſa*, puella erudita, neptis Fulberti, Canonici Pariſ. Sec. 12. ex præceptore, Petro Abaillardo, mater Aſtralabri: illo Conc. Senonenſi A. C. 1140. condemnato, & in Monaſterium Cluniac. ſe abſcondente, ſimiliter monaſticam vitam amplexa, Obiit A. C. 1163. Vide Morer. *Dict. Hiſt.* & infrà in voce *Petrus Abaillardus.*

LUDOVICA Labbæa, Lugdunenſis, Dialogum de Amore & Stultitia ſcripſit: Cætera parum ſecundæ famæ, Morer. *Dict. Hiſt.*

LUDOVICA Marilliaca, Monialis Poſſiacenſis, Pſalmorum Pœnitentialium paraphraſin edidit. Obiit A. C. 1629.

Imperatores.

LUDOVICUS I. Imp. Occidentis, cogn. *Pius*, fil. Car. Mag. ex Hildegarde. Natus A. C. 778. in agro Aginnenſi, mox Aquitaniæ Rex ſalutatus eſt, Romæque coronatus, A. C. 781. Dein à Patre, in Comitiis generalibus, Aquiſgrani, A. C. 813. ſucceſſor declaratus, poſt ejus mortem, A. C. 816. Remis coronam accepit. E periculo mortis, cadente ſubliciâ porticu, ereptus, Lotharium fil. Imp. ac Regem Franciæ, Pipinum Aquitaniæ, Lud. verò Bavariæ Regem declaravit. Bernhardum, ex Pipino nepotem, ob diviſionem iſtam, rebellem, victum luminibus orbavit. Dein Sclavos, Sorabos, Britones repreſſit, Heraldum Danum regno pulſum reſtituit, &c. amiſſaque Hermengarde uxore, Juditham, filiam Welphi Bavari, duxit, ex ea Car. Calvi pater. Interim filii ex priore conjuge geniti, contra patrem, conſpirârunt, A. C. 830. & Pipinus quidem novercam, apud quam Bernardus Comes Barcinonenſis nimium poterat, monaſterio incluſit, Lothario alia moliente: donec Imp. in Comitiis Neomagi habitis, nixus filii Lud. copiis, turbas has compoſuit, veniamque Lothario dedit. Sed recruduit majore vi malum, A. C. 833. & conſpiratione redintegratâ, Lotharius novercam Tortonam relegavit, patrem in cœnobium Medardi compulit & cedere imperio, pœnitentiam publicè agere, fateri ſe reum coëgit. Quâ impietate moti ſubditi, imo & fratres, Lud. & Pipinus, patrem Imperio, uxori, filio Car. reſtituêrunt. Pipinum amiſit. A. C. 838. Lothario denuo ignovit: quod ægrè ferens Lud. iterum inſurgit, ſed vincitur, & veniam impetrat. Reſumptis armis rurſus pellitur. Tandem Imp. à Synodo Aquiſgranenſi *Chriſtianiſſimus* dictus Ingelhemii, prope Moguntiam, quò æger deferri voluit, Obiit A. C. 840. Æt. 62. Imp. 27. Naturâ mitis & clemens, ſed æquo facilior & credulus. Porro laboris patiens, ſobrius, pervigil, magnificus, literatus, Juris & legum Imperii ſciens ac tenax. Steph. & Paſchalem, quòd ſine ſuo conſenſu Pontifices electi eſſent, ad ſe profectos venia dignatus eſt, monuit tamen, *ne in poſterum Majeſtatem læderent*, Platina. Saxoni etiam cuidam viro docto injunxit, S. Scripturam Germanicè carmine transferret, quò & idiotæ illam diſcere poſſent. Ruebat tamen paulatim Eccl. ſtatus, & Car. Mag. jam tum pro ſancto eſſe cœpit, &c. Sigon. *l.* 4. *ad* A. C. 817. P. Æmil. *l.* 3. Blond. *l.* 2. *Dec.* 2. Aimon. *l.* 5. Rhegino, Ado, &c. Ejus Librum de Reformatione abuſuum Cleri, memorat Juſtellus *Præf. ad Cod. Canon. Eccl. Univ.* Neſcio, an inter collectiones Gallicanas Canon. recenſendus ſit liber Lud. Pii, in Conc. Aquiſgranenſi Anno DCCCXVI. celebrato, confirmatus, cujus exemplar habemus Coloniæ editum Anno MDXLIX. cum hac inſcriptione: Reformationis abuſuum Cleri formula, per Lud. cogn. Pium, Romanorum Imperii Imp. optimum, Caroli Mag. fil. Ipſeque Lud. Imp. teſtatur in Ep. ad Arnulphum Saltzburgenſem Ep. quæ etiam inter Conſtitutiones Imperiales à V. C. Melchiore Goldaſto nuper editas extat: apud Gerh. von Maſtricht *Hiſt. Juris Eccl. n.* 208. qui etiam de ejuſdem Imp. *Capitulis*, ab Auſegio Abbate collectis, fusè *n.* 193.

LUDOVICUS II. fil. Lotharii I. ex Ermengarde, frater Lotharii, Lotharingiæ Regis & Car. Regis Provinciæ: Romæ Longobardiæ Reges à Sergio, A. C. 844. Imp. à Leone IV. coronatus, patruo Lud. Germanico, nepotes ditionibus exuere volenti, nequicquam præſtò fuit; cum Sclavis pugnavit, Principemque eorum Raſtim captum, ob rupta fœdera exoculavit; Saracenis in Apulia fortiter reſtitit, Capuam, Lucerium, Beneventum iis eripuit, Barium expugnare non potuit. Comburendus ab Adelgiſo, A. C. 873. juramento ſe obſtrinxit, illico urbe ceſſurum: à quo Papæ autoritate abſolutus, bellum ipſi per Engelbergam uxorem intulit. Fratri Lothario, qui poſt fatalem Euchariſtiam, ab Hadriano II. datam, unà cum Proceribus celeri morte Obierat, titulo; non re ſucceſſit. Magnatum ambitione, quorundam etiam proditione turbatus, Obiit A. C. 875. Mediolani ſepultus. Ex Engelberga, filia Ducis Spoletani, Lud. Car. qui paulò pòſt Obièrunt, & Ermengardes, quæ Boſoni Provinciæ Regi nupſit, Pater. Rhegino *l.* 2. Ann. Fuld. Sigon. *l.* 5. Ado *in Chron.* Aimon. *contin. Leo Oſtienſis*, &c.

LUDOVICUS III. Balbus, à Joh. IX. ad Imperium vocatus & coronatus, cum Lud. Rege Germaniæ, ad Marſuam fœdus fecit, duos filios ex Anſgarda, inſcio patre ductâ, miſerè amiſit: illa tandem repudiatâ Adelheidam ſibi conjunxit, hacque gravidâ, Obiit A. C. 879. Iidem. Vide *Lud. II. Gall. Rex.*

LUDOVICUS IV. fil. Arnulphi, patri ſucceſſit A. C. 899. Æt. 7. coronatus, A. C. 900. Forchemii. Commiſſus curæ Othonis Saxoniæ Ducis qui ſororem ejus duxerat. per Lutpoldum Ducem Bavariæ Or. exercitus rexit. Zuentiboldo fratre notho Mortuo, ditiones ſuas auxit, privilegia Italis confirmavit, Albertum Comitem Bamberg. qui Ep. Virceburgenſi bellum intulerat, ac Conradum Franconiæ Duc. interemerat, proſcripſit, & Hattonis Ep. fraudulento ſalvi reditûs promiſſo, captum, ſecuri percuſſit. Cum Hungaris Germaniam vaſtantibus bellum infeliciter geſſit. Obiit Ratisbonæ A. C. 911. Æt. 19. ut Epitaph. ejus indicat, *quatuor vix luſtra videbam.* Ultimus ex Car. Mag. ſtirpe, Germ. R. Ejus tempore corruptiſſimus Eccl. ſtatus fuit, Steph. Chriſtophoro, Sergio, Marozia Papali ſedi turpiter inſultantibus. Luitpr. *l.* 1. *&* 2. *c.* 13. Rhegino *in Chron.* Faſciculus temp. Sigon. *l.* 6. Abbas Urſperg. *in Chron. &c.*

LUDOVICUS V. Bavarus, Henr. VII. Succeſſor, Francofurti electus A. C. 1314. Fil. Lud. Sen. ex Mathilde Auſtriaca, coronatus Aquiſgrani, A. C. 1315. Frid. Auſtriacum contra ſe electum, & Bonnæ coronatum, poſt An. 8. bellum, quo quinquies juſtis præliis dimicatum eſt; (primò apud Francofordiam, dein ad Spiram, ubi à Leopoldo Auſtrio, qui fratri ſuppetias venerat, pulſus eſt Lud. Tertiò apud Eſlingam, ubi dubio Marte neutri victoria ceſſit: Quartò ad Briſcam, Alſatiæ fluv. ubi iterum fugit Bavarus) tandem ad opp. Muldorfium, inter hoc & Zeringium caſtrum, inſigni operâ Frid. Sueppermanni; vicit cepitque, poſt triennium demiſit, hac lege, ut non quidem titulo, Imperio tamen cederet. Helvetiorum, ſibi fidiſſimorum, fœdus confirmavit. A Joh. XXIII. infeſtatus, & excommunicatus, queſtus eſt, *per hunc Antichriſtum Chriſtianis pacem à Deo datam non ſervari.* Aventin. *l.* 7. Crantz. *l.* 9. *c.* 14. & 15. Illo invito Italiam intravit, à Papa appellavit ad Conc. Mediolani & Romæ coronatus, contra hunc Synodo celebratâ, illum depoſuit, ſurrogato Nic. V. qui Joh. hæreticum declaravit. Ab hujus ſucceſſoribus Benedicto XII. A. C. 1336. & Clem. VI. A. C. 1344. cùm abſolutionem aliter impetrare non poſſet, quàm ut ſe vaſallum Papæ fateretur, in Comitiis Procerum rem ventilari voluit. Decretum: *Electum legitimè Imp. non egere Papæ confirmatione, neque huic in illum jus ullum competere.* Morn. *in Myſter. Iniq.* Aventin. *l.* 7. *Ann. Boj.* Hinc Car. Bogemiæ Rex à Papa ipſi oppoſitus, cùm nec hoc ſuccederet, venenum magnanimo Imp. propinatum eſt, quod cùm in venatione motu excutere ſatageret, equi lapſu interiit, A. C. 1446. Æt. 63. Imp. 33. Villan. *l.* 9. 10. *& ſeqq.* Blond. *l.* 2. &c.

Germaniæ Reges.

LUDOVICUS I. *Pius*, vel *Senior*, Germ. Rex tertius fil. Lud. Pii ex Ermengarde, regnare cœpit, A. C. 817. Primò patris amplexus partes, paulò pòſt fratribus ſejunxit, injuriamque parenti à Lothario illatam approbavit. Francofurtum profectus A. C. 840. Saxones, Thuringos Francos Or. in ſuas partes pertraxit, quod pater ægerrimè ferens, antequam malo mederi poſſet, Obiit. Dein Obotritos rebelles coërcuit, & limitibus undique propagatis, vicinis formidabilis eſſe cœpit. Impiger, magnanimus, fortis, munificus, Juſtitiæ religioniſque zelotes, & literatus. Poſt Lud. II. Imp. mortem ad Imperium aſpiravit, ſed Car. Calvus à Pontifice coronatus eſt. Proin irruptione in Neuſtriam factâ, ultionem ſumpturus, Obiit Francofurti, A. C. 876. Æt. 70. Regni 59. Ex Emma filia Comitis Erkengarii Hiſp. pater Carlomanni, Bavariæ Regis Lud. Germ. Car. Craſſi Imp. &c. Ann. Bertini, Fuld. Aimon. *continuator*, &c.

LUDOVICUS II. Jun. patri ſucceſſit, quem cùm Car. Calvus regno exutum iret, miſit legatos, qui ipſi pactum cum patre initum objicerent, polliciti jus Regis ſe triginta teſtibus indubitatis, & quidem 10. per aquam frigidam, 10. per ferventem, & 10. per ardens ferrum, probaturos. Quod cùm admittere ſe ſimularet Calvus, induciis factis, juravit ſe ipſum non invaſurum. Interim, dum nihil non moliretur, ut Lud. Andernaci, ubi degebat, oppreſſum excæcaret, hic ab Ep. Colonienſi perfidiæ hujus certior factus, paratis omni diligentiâ copiis Calvum ſuperavit. Sic Lud. Sen. filii tres pacificè poſſeſſiones ſuas in poſterum tenuêrunt. Poſt Lud. Balbum ad Galliæ regnum vocatus, dum Metis inaudiit, fratrem Carlomannum ægreſcere, properavit in Bavariam, ne Arnulphus hujus fil. nothus regnum occuparet. Hinc in Galliam profectus 8000. Normannos ſtravit. Dein viribus junctis cum Lud. & Carlomanno, Hugonem nothum Valdradæ vicit. Obiit Francofurti A. C. 882. majora contra Normannos meditatus. Ex Lutgarde Saxonica pater Lud. qui juvenis admodum Obiit. Rhegino *in Chron. Aimon.* &c.

Galliæ Reges.

LUDOVICUS I. vide LUDOVICUS, I. Imp.

LUDOVICUS II. Balbus, patri Car. Calvo ſucceſſit, coronatus Remis, A. C. 877. ab Hincmaro Archiep. Trecis à Joh. IX. qui quòd hunc ad Imperium, non verò Craſſum vocaret, Româ pulſus erat. Cum conſobrino Germaniæ Rege de Lotharingia convenit, Bernardum Gotthiæ Marchionem domiturus, Compendii; non ſine ſuſpicione veneni Obiit A. C. 879. Æt. 35. Ex Anſgarda pater duorum filiorum, Lud. III. & Carolomanni, quorum alter ab apro Occiſus, alter poſti illiſus cervicem fregit, cùm amores venaretur: illâ, juſſu Patris repudiatâ, ex Adelaide filia. Car. Simplicem

plicem poſthumum ſuſcepit. Aimon. *l. 5. c. 36.* Rhegino *l. 5. Ann. Fuld.* &c.

LUDOVICUS III. ſucceſſit Patri Lud. Balbo, unà cum fratre Carlomanno, coronatus: quorum juventute ſpretâ Lud. Germaniæ Rex turbas daturus, Lotharingiæ parte conceſſâ, quievit. Regnum dein à fratribus diviſum, A. C. 880. & Lud. Francia Neuſtriaque, Carlomanno verò Burgundia & Aquitania obtigit. Hi dum Boſonem, qui ſe Provinciæ Burg. Rex proclamari curaverat, Viennæ obſeſſum tenuêrunt, Normanni Picardiam ingreſſi, prope Ambianum, magnâ clade à Lud. cæſi ſunt, Carlomanno interea obſidionem urgente. Paulò pòſt Turonibus æger Obiit, contra eoſdem hoſtes majora meditatus, in Fano S. Dionyſii, A. C. 881. P. Æmilius, illum puellam equo inſectantem, dum incautus in januam irrumpit, poſti caput alliſiſſe refert.

LUDOVICUS IV. Ultramarinus, fil. Car. Simplicis, ex Ogina, filia Eduardi Sen. Angliæ Regis apud Adelſtanum avunculum educatus, ex Anglia, ſuaſu Hugonis Mag. ad regnum vocatus eſt: coronatus Lauduni, A. C. 936. Lotharingiam, à Patre Henr. Germaniæ Rege conceſſam repetiturus, ab hujus filio Othone repulſus eſt, ſorore ejus Gerbergâ poſtmodum ductâ. Varios dein hoſtes vicit. Herbertum Comitem, qui Patrem captivum tenuerat, *fabulâ de vaſallo ruſtico Anglo, in convivio propoſitâ*, ſuffragiis ab ignavis obtentis, ſtrangulari curavit. Malmesbur. *in Hiſt.* Junctus Hugoni Mag. quo nemo ipſi plus negotii fecit, dum Richardum poſt Gulielmi Patris mortem, ſub tutelæ prætextu, Normanniâ excutere voluit, à Danis Rothomagi captus, pacem fecit. Dein contra Hugonem bello geſto, ab Othone Mag. adjutus eſt. Obiit Elephantiaſi, A. C. 954. Æt. 38. Regni 18. Ex Gerberga Pater Lotharii ſucceſſoris, Car. &c. P. Æmil. *l. 3.* Mezeraj. *Hiſt. Gall.*

LUDOVICUS V. dictus *Juvenis qui nihil fecit*, ultimus ex Carolovingis fil. Lotharii ex Emma, à patre in conſortium regni aſſumptus, A. C. 979. Duxit Conſtantiam Blancam, filiam Gulielmi, Com. Arelat. & Prov. A Patre morituro Hugoni Capeto commendatus eſt, cui cùm Emma non fideret, illum ad aviam Adelheidam viduam Othonis I. dictam *Regum Matrem* deducere fategit. Interim ille Obiit A. C. 987. Succeſſit Hugo Capetus. Alberic. & Oderan. *in Chron.* Aimon. *Cont. Nangius*, &c.

LUDOVICUS VI. Craſſus, Phil. I. fil. patri ſucceſſit, A. C. 1081. Formâ egregius, fortis, dexter, amans juſtitiæ, Eccl. protector. Rebus jam contra Henr. Angl. Regem & Normanniæ Ducem fortiter geſtis, bellum Rex pro libertate Ordinis Eccleſiaſtici cum ſuis ſuſcepit. Anglum ad monomachiam provocatum, cùm ſe non ſiſteret, acie vicit. Henr. V. Imp. Galliæ aditu arcuit, Calixti II. defenſor. Car. Bonum, Flandriæ Com. inter ſacra, Brugis Occiſum, ultus, Gulielmo Clitono Comitatum conceſſit. Dein cum Præſulibus quibuſdam Galliæ colliſus, à Steph. Pariſ. & Henr. Senon. excommunicatus eſt, lite per Honorium compoſitâ: cujus Succeſſori Innoc. II. cùm Anacletus opponeretur, Innoc. Rex adhæſit. Obiit A. C. 1137. Regni 40. Æt. 57. Ex Adelheida, filia Humberti II. Com. Maurienna & Sabaudiæ, pater Lud. VI. Phil. enim primogenitus, Rex jam ſacratus, Obiit A. C. 1129. Roberti, qui caput fam. Druidenſis; Petri, à quo Cortenæi orti, &c. P. Æmil. *l. 5.* Pap. Maſſon. *in Hiſt.* Sugerus, *in ejus vita, &c.*

LUDOVICUS VII. dictus Junior, vel Pius, fil. Lud. Craſſi ſ. Groſſi, Remis præſente patre unctus eſt in Regem, A. C. 1131. Nic. Lloyd. cum Theobaldo, Campaniæ Com. diſſedit. Expeditioni ſacræ, ſuaſu Bernhardi, interfuit, cum Conrado Imp. ſed Græcorum perfidiâ, copiæ ejus, poſtquam Hieroſolymis, à Balduino III. honorificè exceptus eſſet, miſerè periêrunt. Reverſus uxorem Leonoram, filiam Gulielmi Aquitaniæ Ducis adulterii ſuſpectam dimiſit, imprudenter illi Aquitaniâ & Pictonibus redditis. Hac enim dote mox Henr. II. Angl. Rex cui poſtmodum nupſit, auctus, Comitatum quoque Tholoſanum occupare conſtituit. Sedata tum lis interventu Alex. III. & nuptiis Margarethæ, filiæ Lud. cum Henr. fil. Angliæ Rege poſtmodum in funeſtam longamque bellorum ſeriem, inter utramque gentem erupit. Ex Anglia, quò Thomæ Cantuar. ſepulcrum viſitatum venerat, domum reverſus, Phil. fil. Remis coronari voluit, A. C. 1179. Obiit A. C. 1180. Æt. 63. Regni 43. Sec. Morer. *Dict. Hiſt.* Pius, magnanimus & benignus, ſed repudiatâ uxore imprudens. Pater ex Adelheida, filia. Theobaldi Mag. Campaniæ Com. Phil. Aug. ſucceſſoris, &c. *Geſta Lud. Jun.* P. Æmil. *l. 5. &c.*

LUDOVICUS VIII. dictus *Leo*, ſucceſſit Patri Phil. Aug. A. C. 1223. poſtquam à Joh. Angliæ Rege contra quem electus erat, victus & Angliâ excluſus eſſet, Matth. Par. *in Joh. & Henr.* In Gallia, jam Rex, Anglis, quicquid cis Garumnam poſſidebant, eripuit. In Albigenſes, & inprimis Avenionem ſeverum ſe geſſit. Peſte infeſtatus 22000. militum amiſit, ipſe cum Comite Namurcenſi & Archiep. Remenſi, cladis acceſſio: *Unde perſpicuè conſtare videtur*, ait Ant. Florentin. *bellum injuſtè fuiſſe ſuſceptum.* Ante mortem Pſeudobalduinum ad reſtim damnavit. Obiit A. C. 1226. Æt. 39. Ex Blanca Caſtellana, pater 9. filiorum, è quibus Lud. ſucceſſor, & Car. ſtirps primæ fam. Andegavenſis. Rigord. *in vita Phil. Aug.* G. Brito, *in Philipp.* Pap. Maſſon. *l. 3. Hiſt.* P. Æmil. *l. 7.* Vinc. Bellovacenſis *in Spec. Hiſt.* Serres *Invent. Hiſt. Gall.*

LUDOVICUS IX. fil. prioris, An. Æt. 12. Mortuo Patre, Remis coronatus eſt, A. C. 1226. Matre interea prudentiſſimè regnum, dum adoleſceret fil. adminiſtrante, & eludente Procerum, regimini inhiantium, conatus, per Com. Campaniæ ſibi peculiari ratione conciliatum. Jam rerum potitus, hunc contra æmulos fortiter tuitus, Petrum inprimis Mauclerum, Com. Druid. & Hugonem Luſignanum, fruſtra Henr. Angliæ Regis cujus matrem Iſabellam Engoliſmenſem duxerat, viribus nixum, in ordinem redegit: Anglo ad Tallæburgum in Xantonibus victo, A. C. 1242. Raimundum Com. Toloſanum, Maſſilienbus junctum, oppreſſit, in Albigenſes acer. Rebus ſic regni compoſitis expeditionem in Orientem ſuſcepit, A. C. 1248. curâ regni Blancæ matri commiſſâ, Damiatam expugnavit, tribus præliis Infideles vicit, totâ ferè Ægypto ſubjugatâ. Mox amiſſo Roberto Com. Arteſiæ fratre, à Melec. Sala, fil. Suldani Meledini commeatu intercluſo, victus & captus eſt, ad Maſſuram prope Nilum ſitam, A. C. 1250. cum Car. & Alphonſo fratribus. Sed tanta fuit captivi Regis admiratio, ut Barbari, cæſo Melec-Salâ, de illo in Principem eligendo, deliberâſſe dicantur. Quidquid hujus ſit, libertatem ſuam, redditâ Damiatâ, ſuorum ingenti vi auri redemit: ſummâ fideliſſimè ſolutâ. Poſtea, cum reliquiis exercitûs, Genuenſium transvectus claſſe, Tyrum & Cæſaream cepit, &c. Morte matris auditâ, in Regnum reverſus, poſt 5. Annos, illi exornando & Juſtitiæ exactè adminiſtrandæ incubuit, pace cum Anglo, qui ſolus res in Gallia turbare poterat, initâ: Pragmaticæ ſanctionis, de diſpenſatione beneficiorum, autor: Biblia Gallicè verti curavit. Poſt hæc expeditione denuo in Africam ſuſceptâ, Carthaginem cepit, Tunetanum Regem, cæſis 10000. vicit ac Tuneti obſedit: ſed ſævâ peſte vexatus exercitu magna ex parte amiſſo, ipſe tandem cum Elizabetha Regina, ac fil. Joh. Triſtane Obiit, A. C. 1270. Æt. 56. Regni 44. Frater Car. duriſſimus conditionibus obſidione ſolutâ, horrendis in reditu procellis agitatus, ægrè in patriam eluctatus eſt. Lud. ex Margaretha, filia Raimundi Berengarii Com. Prov. numeroſam ſuſcepit prolem. Succeſſit Phil. Audax fil. Alius ex filiis Robertus, Borboniæ fam. caput extitit. A Bonifacio VIII. inter Sanctos numeratus eſt. A. C. 1297. Vide Platinam, P. Æmil. *l. 7.* Gul. Nangium, Blond. Petr. Matth. Gaguin. Maſſon. *Serres*, &c.

LUDOVICUS X. cogn. *Hutinus*, i. e. tetricus, rixoſus, &c. Phil. Pulchro Patri ſucceſſit, A. C. 1314. cùm jam per Matrem Johannam Navarræ Rex coronatus eſſet, A. C. 1307. Engerranum innocentem, in gratiam Car. Valeſii, qui tamen id impune non tulit, ſuſpendi juſſit: Cum Roberto Flandriæ Comite pacem parum honeſtam iniit. Obiit ſubitò A. C. 1316. Æt. 25. Pater Johannæ, quæ Navarræ regnum Phil. Ebroicenſi marito attulit, ex Margaretha, ob mores pulſa: & Joh. poſthumi, brevis ævi, ex Clementia Angedav. filia Car. Martelli Hung. Regis Succeſſit frater Phil. Longus.

LUDOVICUS XI. fil. Car. VII. ambitione regnandi ardens, cum Galliæ hoſtibus, contra patrem, conjuravit: Delphinatu, quò ſe receperat, excedere coactus, in Brabantiam ad Burgundiæ Ducem ſe contulit. Auditâ patris morte A. C. 1461. hoc cum filio comitante, Remos pervenit, ab Archiep. Joh. Juv. de Urſinis coronatus. In regno ſævus, patris miniſtros removit, & quidquid ab illo conſtitutum, irritum reddidit. Hinc bellum, cui ſpecioſus *à publico Bono* prætextus, ortum, autoribus fratre Regis, Duce Bituricenſi, Ducibus Britanniæ & Borbonio, ut & Comite Caroleſio, Burgundiæ Ducis fil. Concurſum ad Montleherium, neutrâ parte vincente, A. C. 1465. Ne graviora ſequerentur, Lud. dextrè Ligam diſſolvit, pace ad Confluentiam initâ, quâ Normannia fratri, Burgundo quædam in Picardia loca, Com. Stampenſis Britanniæ Dux & Conneſtabilis dignitas Comiti S. Pauli, quem poſteà capite plecti juſſit, conceſſa. Dein frater Normannia orbatus, denuo ſe Britoni & Burgundo junxit: quorum alteri Rex bellum indixit, contra alterum leodienſibus ſuſcitatis. Pace tamen ad Peronnam Burgundus ſuperior, Regem aliàs adeò callidum ad Campaniam Briamque fratri concedendas, & Leodienſes ad obſequium redigendos junctis viribus, adegit. Sic Leodium captum, direptum, exuſtum. Paulò pòſt & fratre & Burgundo eluſis, ordinem S. Michaëlis Amboſiæ inſtituit, A. C. 1469. quem Brito recuſavit, Burgundo Anglicum capiente. Ergo Fratrem primò, dein Burgund. Ducem per hoſtes ipſi ſuſcitatos perdidit, omniaque quæ eminere videbantur in regno, ſic depreſſit, ut de illo dictum: *Qu'il avoit mis les Roys hors de Page.* Mortuo Car. Burgundiam Coronæ denuo uniit, Provinciam ab ultimis Comitibus ſibi donatam eidem adjunxit, fœdus cum Helvetiis, quorum fortitudo in prælio prope Baſileam ipſi probè perſpecta erat, ſanxit, Angloque intra Inſ. ſuam detento, profundam pacem regno conciliavit: Auctis nihilominus tributis, populo gravis, & ſævus in novarum rerum ſuſpectos. Tandem appropinquante ſenio, & morbis ingraveſcentibus, intolerabilis omnibus evaſit, tanto horrore mortis correptus, ut ne vocem quidem audire poſſet, legatiſque quaquaverſum miſſis, & punitis ſontibus, ſe vivere teſtaretur: In hoc ſtatu à Jacobo Cocterio Medico, qui immenſam pecuniæ vim ex illo intra breve tempus, extorſerat, indignè habitus. Obiit A. C. 1483. Æt. 60. Regni 22. Sepulcrum bellis civilibus A. C. 1562. direptum. Ex Charlotta Sabauda, pater Car. VIII. Princeps aſtutus, vindictæ cupidus, nemini fidens, ſe ſolo nixus, de viliſſima plebe homines evehere ſolitus: Cætera dexter, acutus, literatus. Comineus, *in Lud. XI.* Gaguinus. Legatum Bajazethis quòd ultra Maſſiliam penetrare noluerit in regnum, eò quòd nihil poſſit eſſe Chriſtianis commune cum hoſtibus JESU CHRISTI, Hiſtoricis laudatus. Pondus menſuramque porro unicam Galliæ dare, ut & ſtatuta omnibus provinciis communia condere in animo habuiſſe, fertur. Pet. Matth. *in Lud. XI. Serres*, &c.

LUDO-

LUDOVICUS XII. cogn. Juſtus & Pater populi, fil. Car. Ducis Aurelian. & Mediolan. ex Maria Cliviaca, ſucceſſit Car. VIII. A. C. 1498. Felicitati ſubditorum intentus, tributa mitigavit, juſtitiam ſumma cum laude adminiſtravit, *hoſtibus Ducis Aurelianenſis Rex* veniam dedit. Lud. Sfortiam Mediolano pepulit, mox reſtitutum, denuò vicit, & cum fratre Aſcanio decepit, per Lud. Tremollium. Dein Ferd. Caſtellano junctus, Frid. Arragonium Neapolit. Regem ditionibus exuit, conceſſâ in diviſione Apuliâ & Calabriâ, Hiſpanis; ab his paulò pòſt per Conſalvum Cordubenſem regno exturbatur. Genuam rebellem ad obſequium adegit, Savonæ fœdere cum Maximiliano I. & Julio II. inito, Venetos afflixit, A. C. 1509. mox Papam contra ſe arma ſumentem diriſque fulminantem, ad Ravennam, ipſo Paſchatis die X. M. cæſis repreſſit. Sed Gaſtone Duce ibi Occiſo, & Joh. Albretano amico, regno Navarræ ab Hiſpanis, Papæ donum aſſerturis, exuto, infelix. Poſt An. 12. fil. Lud. Sfortiæ, Helvetiorum ope, reſtituto, victus ab his ad Novaram, Divionem contra eoſdem obſidentes tueri neceſſe habuit. Nec hîc hoſtium ſatis, Julius porro Genuenſes, Hiſpanos, Angloſque in Lud. armavit, qui hunc prælio calcarium vicêrunt, Tervanâ & Tornaco captis. Sed ex diſcrimine tanto dextrè eluctatus Rex, Helvetios ſibi reconciliavit, cum Hiſpanis pacem iniit, Mariam ſororem Henr. VIII. Angliæ Regis duxit: Moribundo Julio II. cuſo Neapoli aureo nummo, cum hoc elogio, *Perdam Babylonis nomen*, poſtquam Mediolani Conc. de emendando ſtatu Eccl. celebrâſſet, animum teſtatus. Obiit A. C. 1515. Æt. 53. Regni 17. Lutetiæ. Pius, religioſus, caſtus, magnificus, literatorum Mæcenas, clemens: contra Valdenſes à quibuſdam incitatus, *illos ſe religioſores eſſe* profeſſus eſt: Hoc uno infelix, quòd *tam arctam cum Alex. VI. affinitatem contraxiſſet, & impuri Patris, omniumque ſcelerum genere cooperti filii crudelitates, libidines, perfidiam, fortunas denique fovìſſet & amplificâſſet.* Thuan. *l.* 1. Ex Anna Britannica, quam, Johannâ Lud. XI. filiâ repudiatâ, duxerat, duorum filiorum, ſed non vitalium, Claudiæ inſuper, quæ Franciſco I. ſucceſſori nupſit, & Renatæ, quam Hercules II. Eſtenſis ſibi junxit Pater. *Hiſt. Gall.*

LUDOVICUS XIII. cogn. *Juſtus*, patris Henr. IV. ſucceſſor, A. C. 1610. ſub tutela matris Mariæ de Medicis. Ductâ Annâ Hiſpanicâ, A. C. 1615. Mareſcallum Ancræum, qui diu Reginæ gratiâ potens regno illuſerat, puniit, matrem à regni adminiſtratione Blæſas removit, Condæum turbantem in carcerem conjecit, in Luinæum opibus Ancræi congeſtis. Paulò pòſt matris, cui ſe varii Principes juncturi erant, copias ad pontem Cæſaris fudit, gratiam petere rebelles coëgit. Benearniam dein, ad reſtitutionem bonorum Eccl. vi adactam, liberrimi antea juris, Coronæ adjecit, variiſque urbibus Reformatis ereptis, in Montalbani obſidione hæſit. Poſt Luinæi mortem, A. C. 1620. Richelii Card. conſiliis uti cœpit, cum Reformatis, Roanio & Subiſio horum Ducibus ſæpius conflixit. Rupellam Anglorum ope fruſtratam, An 28. ad deditionem coëgit: Pacem dein urbi & Reformatis dedit. Turbis domi compoſitis, bellum Mantuanum pro Nivernio ſuſcepit, Sabaudiam ſubegit, Hiſpanos ad Caſalim repreſſit: Poſt hæc in fœdus cum Suecis contra Cæſarem veniens, Lotharingum ducatu exuit, Gaſtonem fratrem, Matris Epiſcoporumque quorundam opibus ſubnixum, prope Toloſam, An. 32. ſuperavit, Henr. Momorantio partium Duce, capite plexo. Per Caſtillionæum & Brezæum, Mareſcallos, Principem Thomam, in Flandria cæcidit, A. C. 1635. Corbiam recepit, Galaſſium in Burgundia fudit, Dolam fruſtra obſedit, A. C. 1636. Per Harcurtium Hiſpanos Inſulis S. Honorati & Margarethæ depulit, per Mareſcallum Schombergium Serbellonem coëgit Leucatæ obſidionem ſolvere, acie victum. A. C. 1637. Porro Caſalem tuitus, Taurinum per Harcurtium recepit, per Condæum in Com. Ruſcinonenſi felix, per alios Atrebates cepit, ad Theoniſvillam acceptâ clade receptâ Salsâ. Vercellis amiſſis, irritâ S. Omeri obſidione, paulo infelicior: Nihilominus paulò pòſt Catalauniâ & Comitatu Ruſcinonenſi potitus: Obiit, victo prius Sueſſionum Comite rebelli, A. C. 1643. hauddiu poſt Richelii Card. Obitum An. Æt. 41. Regni 32. Ex Anna Auſtriaca, pater Lud. XIV. & Phil. Ducis Aurelian.

LUDOVICUS XIV. cogn. *A Deo datus*, nat. A. C. 1638. ſucceſſit patri, A. C. 1643. ſub tutela matris Annæ, quæ Mazarini Card. conſiliis uſa. Bello Germanico feliciter defunctus, pace generali initâ A. C. 1640. Alſatiam & Suntgojam regno adjecit Inteſtinis diſſidiis agitatus, Barcinonem, Caſalim, Dunkerckam, &c. amiſit. Coronatus A. C. 1654. in Flandria, Italia & Catalaunia feliciter rem geſſit, pace initâ A. C. 1659. & ductâ Mariâ Tereſiâ, Phil. IV. Hiſp. Regis filiâ, certis tamen legibus, de quarum ſenſu hodieque litigatur, A. C. 1660. Ex illa pater Delphini, A. C. 1661. Poſt hæc regno exornando intentus, bonas leges ſanxit, ærarii præfectis frænum impoſuit. Duelliſtas, pernicioſum genus, extirpavit. Mercaturæ amplificandæ, duas Societates Orientalem & Occidentalem inſtituit, A. C. 1664. Injuriam, à ſatellitibus Alex. VII, Crequio legato ſuo Romæ illatam, memorabili exemplo ultus: Leopoldo Imp. contra Turcas auxilia ſummiſit, Cretæ quoque ſuccurrit, quæ tamen paulò pòſt Turcæ præda facta eſt: Literarum in regno ſuo ſplendorem auxit, &c. In ditiones Belgii Hiſpanici poſt hæc irrumpens, plurimas urbes cepit, & Comit. Burgundicum ſubitò occupavit, qui pace Aquiſgrani initâ, A. C. 1668. redditus eſt. A. C. 1672. junctus Gallicus hic Hercules Neptuno Anglico, in ſocietatem armorum pertractis Electore Colonienſi & Ep. Monaſterienſi, ſolicitatis inſuper Sueciæ, Daniæ & Luſitaniæ Regibus, ex Italia porrò, Sabaudia, aliunde auxiliis convocatis, contra fœderatum Belgium, tum proditoribus undique turgens, movit: ubi intra quadraginta dies, inuſitatæ felicitatis memorabili exemplo, totidem, imò plures urbes arceſque in poteſtatem redegit, votoque brevi potiturus videbatur; unde jam illud in Gallia increbuit:

Una dies Lotharos, Burgundos hebdomas una,
Una domat Batavos Luna, quid Annus erit?

Sed omiſſo, per moram Ultrajectinam, Amſtelodamo, capite rerum, Groningâ fortiſſimè defensâ, victis mari ſemel iterum, tertiò partibus, alia Annis ſequentibus facies rerum eſſe cœpit: Deſertæ paulò pòſt urbes omnes, Trajecto excepto, & Cæſare, Suecis, Danis, Hiſpaniſque ad partes accedentibus; eventus belli aliquandiu dubius hæſit; attentius ſatagente; donec pax coaluit Neomagi. Gallos inter & Belgas die 12. Aug. Hiſpanos, ſub finem A. C. 1678. Cæſarem, Brunſvicenſium it. & Luneburgenſium Duces, An. Seq. ejus conditiones Daniæ Rege & Electore Brandeburgico, omnium poſtremis accipientibus, anno eod. Iterum verò Belgio Hiſpanico Rex gravis eſſe viſus, & in Imperio, *Dependentium* nomine, non pauca occupat. Ad eundem Argentoratum deditione tranſit die 16. Sept. moxque conventu Francofurti inſtituto, inter ejus Cæſariſque legatos de pace agitur, menſe Nov. A. C. 1681. Luxemburgum expugnat, & Genuam igne terret vaſtatque, A. C. 1684. in regno ſuo, Namnetenſe Edictum abolet d. 18. Octobr. & Proteſtantes eſſe vetat, A. C. 1685. Poſt inducias dein, cum Cæſare Anno Præt. in vicennium initas, ſubitò Philippoburgum per Delphinum ingenti cum exercitu circumſidet occupatque, novo huic bello occaſione hinc datâ, A. C. 1688. quo ipſo Vilhelmus Araus. Princeps admirabili illo in Angliam trajectu, Mag. Britanniæ regnum ſibi aſſerit; à quo, durante hactenus acerrimo bello varia Rex in Germania, Flandria, Pedemontio, Catalaunia occupavit, multa fortiter, ac plerunque feliciter terrâ marique geſſit: pacem nihilominus Fœderatis offert, quam utinam brevi redonet pacis Autor!

LUDOVICUS Delphinus, Lud. Mag. præfato genitus A. C. 1661. Bavariæ Electoris ſorore ductâ, d. 21. Febr. A. C. 1680. ex illa ſuſcepit Lud. Burgundiæ A. C. 1682. quem ſequuti Andegavenſium A. C. 1685. & Bituricenſium, A. C. 1686. Duces Ab aliquot Annis, præmortuâ uxore, viduus, exercituum Patris Dux ſupremus, egregiè res gerit.

Alii Reges Principeſque.

LUDOVICUS Cæcus; fil. Boſonis, ex Hermengarde, Regis Provinciæ, Arelati & Burgundiæ, A. C. 879. huic ſucceſſit, ſub tutela matris, A. C. 890. Ab Alberto Tuſciæ Marchione, aliiſque, Berengarii, qui Imp. ſe fecerat, hoſtibus, vocatus à Steph. VII. Imperatoriam coronam ſuſcepit, A. C. 901. Sed paulò pòſt Veronæ, ubi omnium rerum negligens vixit, à Berengario captus oculiſque orbatus eſt, A. C. 904. Rhegino *in Chron.* Hinc in Provinciam reverſus, ibi paulò pòſt Obiit. Bovis, *Cor. Arelat.* Bouch. *Hiſt. Prov.* Chorier *t.* 2. *Hiſt. Delph.*

LUDOVICUS I. Andegav. Rex Hungariæ & Pol. cogn. *Magnus*, fil. Car. II. (cui Car. Martellus Hung. Rex pater erat) ex Elizabetha, filia Ladiſlai Loctici, patri ſucceſſit, A. C. 1342. Judæos Hungariâ expulit, bello contra Tranſylvanos, Tartaros, Croatas, & Valachiæ Vaivodam felix. Caſimiro avunculo contra Joh. Bohemiæ Regem auxilia ſummiſit. Fratre Andreâ, ab uxore Johanna Neapolitana, ſtrangulato, in Italiam tranſiit, Caroloque Dyrrhachino Occiſo, Neapoli potitus eſt, Johannâ in Provinciam profugâ: quæ lis compoſita, A. C. 1350. De Dalmatia cum Venetis contendit, Caſimiro Mortuo, Poloniæ Rex factus. A. C. 1370. Lithuanos, Proceresque rebelles ad obſequium coëgit. Comanos ad Chriſtianiſmum convertit, à Car. IV. Imp. Vicarius Imperii, ab Innoc. VI. magnus Eccl. Vexillifer creatus. Obiit Tirnaviæ, A. C. 1382. Æt. 56. Regni 40. Ex Elizabetha, filia Steph. Bohemiæ Regis pater Mariæ, quæ Sigiſmundo Lucemburg. Hungariæ & Boh. Regi nupſit, & Hedviges, uxoris Jagelonis, Pol. Regis Michov. *l.* 4. Cromer. *Hiſt. Pol. l.* 4. Bonfin. Turoſius *Hiſt. Hung.* Villan. *Collenutius*, &c.

LUDOVICUS II. Junior, Hungariæ & Bohemiæ Rex fil. Ladiſlai VI. ex Anna Aurelianenſi, filia Joh. Com. Engoliſmenſis, patri ſucceſſit A. C. 1516. Æt. 12. A Solimanno, capto Belgrado, victus ad opp. Mohatzium, dum fugâ ſalutem quæſivit, paludibus merſus eſt. Natus ſine epidermide, an. Æt. 8. jam barbatus, interiit An. 20. poſtquam ignotum hominem, qui inſtanter petierat cum eo de rebus graviſſimis loqui, audire recuſâſſet. A. C. 1526. Affinis Car. V. Imp. ſorore ejus Mariâ ducti. Succeſſit hujus frater Ferd. cui Anna Lud. ſoror nupſerat. Iſthuanff. *l.* 8. *Rer. Hung.* Paul. Jov. *in Elog.*

LUDOVICUS I. Dux Andegav. Rex Hieroſolymæ, Neapol. & Siciliæ, Comes Prov. Secundogenitus Joh. Gall. Regis ex Bonna Lucemburgica, frater Car. V. hoc Mortuo, Galliæ Regens. A Johanna Sicula adoptatus, A. C. 1380. biennio pòſt coronatus eſt Avenione, à Clem. VII. Hinc in Italiam properavit, comitatus Amadeo VI. contra Car. Dyrrachinum, qui Johannam è medio ſuſtulerat, ſed omnibus Galliæ, quos ſecum habuerat, theſauris exhauſtis, dum novas hinc opes expectat, Venetiis tempus inutiliter terens, Obiit A. C. 1384. Ex Maria Bleſenſi, pater Lud. II. & Car. Principis Tarentini, qui ſine prole Defunctus eſt. Collenut. *Hiſt. Neap. &c.*

LUDOVICUS II. ſucceſſit priori, ſub tutela matris Mariæ, quæ confeſtim fil. in Provinciam deduci curavit, ubi Avenione Rex Neapolis coronatus eſt, dein urbes Provinciæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Ladiſ ai ſ. Lancelloti, filii Car. Dyrr. partes ſecutas feliciter reduxit, adeò prudens & mitis, ut filio populi hi lubentes ſe ſubmitterent. A.C. 1383. Rex poſt hæc Neapoli cum plauſu exceptus, cùm inde in Galliam reverteretur, Ladiſlaum infeſtum habuit. Secundò revocatus, ſecundò deſertus eſt. Proin poſt Ladiſlai mortem, inconſtantiam populi deteſtatus, Neapolim tertiò redire renuit. Cum Duce Sabaudiæ de quibuſdam locis, contendit. Sincerus, pius, liberalis, populi amans, ad ignoſcendum promptus. Obiit Andegavi, A.C. 1417. pauperum 15000. viritim 10. denariis legatis. Ex Jolanta, filia Joh. I. Regis Arragoniæ, regni hærede, pater Lud. III. &c. Collenutius, Summoneta, *Hiſt. Neap.* Saxyus, *Coron. Reg. Arelat. &c.*

LUDOVICUS III. à Martino V. & Sfortia, Johannam II. deturbatum euntibus, in Italiam vocatus, ſatis proſpero ſucceſſu uſus eſt. Sed Alphonſus Arragoniæ Rex qui Siciliam tenebat, à Johanna adoptatus, hujus patrocinium ſuſcepit, Sfortiaque Conneſtabilis ejus factus & Capuano Principatu demulſus, ad illam ſe iterum applicuit, unde Lud. in Galliam regredi coactus eſt. Paulò pòſt indignata Alphonſo Johanna, Baronum conſilio. Lud. adoptatum, à ſubditis agnoſci voluit, Calabriæ Ducatu ipſi donato. Tum Alphonſus, ex Arragonia redux, Maſſiliam cepit, A.C. 1423. Lud. verò & Johanna, Catalaunos regno pepulêrunt. Obiit Coſentiæ, A.C. 1434. Succeſſit Renatus frater. Juſtinian. *Ann. Genu.* Barthol. Facius *l.* 3. *de reb. geſt. Alphonſi. Collenutius*, &c.

LUDOVICUS, Trinacriæ Regis fil. Petri, ex Principibus Arragoniis, à Petro III. qui Conſtantiâ Manfredi filiâ ductâ, jus in Siciliæ regnum nactus eſt, oriundi. Patri ſucceſſit A.C. 1342. ſub tutela patrui Joh. Obiit A.C. 1355. Frid. Simplex, Frater, ſucceſſit. Fazellus, Surita, *Villan.* &c.

LUDOVICUS, fil. Phil. Audacis Regis ex Maria Brabantina, caput fam. Comitum Ebroicenſium, & Regum Navarræ. Obiit A.C. 1319. Ex Margaretha Arteſia pater Phil: Boni, qui per Johannam, Lud. Hutini filiam. Rex Navarræ factus eſt, &c.

LUDOVICUS, Dux Aurel. ſecundogenitus Car. V. Gall. Regis ſub regno fratris Car. VI. adminiſtrationi rerum admotus, nobilitatis favore potens, unus omnia poterat. Quod cùm ægrè ferret Joh. Burg. Dux qui regimini ſimiliter imminebat; hinc cruentum Aurelianenſis & Burgund. fam. diſſidium. Occiſus, Joh. juſſu, à nobili quodam Normanno, A.C. 1407. Ex Valentina filia Joh. Galeacii Com. Mediol. pater Car. Ducis Aurel. per hunc Avus Lud. XII. Joh. item, Comitis Engoliſmenſis, qui Franciſcum I. ſuſcepit, & filii nothi Joh. Comitis Dunenſis & Longavillani, qui ſub Car. VII. glorioſiſſimas res geſſit, &c. Juv. de Urſinis, *Hiſt. Car. VII.* Enguerandus, Monſtrel. *Chron.*

Principes è fam. Palatina.

LUDOVICUS I. fil. Othonis V. Wittelſpachii Comitis, à Frid. II. Imp. Palatinatum conſecutus eſt, cùm ejus filio Othoni uxor Agnes Palatinatûs hæres, Henr. Saxonis filia, daretur. Hic itaque Otho cogn. *Illuſtris*, Bavariam denuo cum Palatinatu gubernavit. Pater *Lud.* cogn. *Severi*, cui ſuperior Bavaria, cum Palatinatu obtigit, vide infrà; & Henr. qui Bavariam inf. nactus eſt, hujus progenie A.C. 1340. in pronepote Joh. terminatâ.

LUDOVICUS II. cujus modò mentio, fil. Othonis Illuſtris, communis Palatinorum Bavarorumque Principum, quotquot hodie ſuperſunt, Pater, conceſsâ à reliquis Electoribus poteſtate Rudolphum Habſpurgenſem Imp. elegit; cum fratre A.C. 1282. in Comitiis Auguſtanis, Auſtriam, Stiriam, aliaque, tanquam majoribus ſuis ablata, repetiit; ſed ob uxorem innoxiam præcipitato ſupplicio peremptam malèaudiit. Cujus rei monum. in cœnobio *Fürſtenfeld* hoc diſticho ſervatur:

Conjugis innocuæ fuſi monumenta cruoris,
Pro culpa pretium clauſtra ſacrata vides.

Eo geniti, Rudolphus, Palatinatum cum Electoratu, & *Lud.* poſteà Imp. Bavariam nacti ſunt.

LUDOVICUS III. Ruperto Imp. Patri in Electoratu ſucceſſit, cogn. *Barbatus*, vel *Pius*, vel *Cacus*. Patre in Italia degente, ejus vicarius fuit; in Palæſtinam copias, tum in Pruſſiam, pro Teutonicis duxit; non minus bellum quoque habuit adverſus Moguntinum & Badenſem. Præſes Conc. Conſtant. ſententiam in Joh. Huſſum & Hier. Pragenſem latam, juſſu Cæſaris, lictoribus exequendam commiſit: cujus causâ ejus familiam in ſe extinctam eſſe, credidit Otho Henr. Elector, qui orbus & ultimus Deceſſit, A.C. 1559. Electoratu in Simmerenſem lineam delato. Idem Pontificem Joh. XXIII. in Conc. depoſitum cepit, cuſtodiaque arctâ Heidelbergæ primùm, dein Manhemii detinuit. E Conc. rediens ſenex Latinæ linguæ ſtudere cœpit. Ei ſucceſſit fil.

LUDOVICUS IV. cogn. *Manſuetus*, ſub tutela Othonis patrui, contra Lud. Delphinum, aliquot Alſatiæ civitates occupantem, bellum geſſit, A.C. 1444. Obiit A.C. 1449. Pater Phil. Elect. Ei ſucceſſit Frid. cogn. *Victorioſus*, ſ. *der tolle Fritz*.

LUDOVICUS V. fil. Phil. Elect. cogn. *Politicus*, Patri ſucceſſit: In Comitiis Wormatienſibus, ſe miniſtrorum Pontificiorum ſententiæ de non ſervando ſalvo conductu in cauſa Lutheri oppoſuit: Franciſcum Sickingenſem coërcuit: Ruſticorum ſeditionem repreſſit: Primam religionis pacem Euangelicis obtinuit Norimbergæ, à Cæſare A.C. 1532. Religioniſque Euang. libertatem permiſit 8. civitatibus Palatinatûs ſup. cùm Obiret ſine prole A.C. 1544. *pax Germaniæ ſepulta*, dicebaur. Ei ſucceſſit Frid. II. Sapiens frater.

LUDOVICUS VI. fil. Frid. III. patris in Electoratu ſucceſſor, S. Scripturam aſſiduè legit, Scholarum atque Eccleſiarum Mæcenas: Confeſſionem Auguſtanam reſtituit, Reformatis Theologis dimiſſis, qui apud fratrem ejus Joh. Caſimirum Neoſtadii perfugium habuêrunt; Gebhardi Truchſeſſii cauſam apud Cæſarem egit, Thuan. *l.* 78. Obiit A.C. 1583. Idem *l.* 79. Pater Frid. IV. Elect. & Annæ Mariæ, Car. Sueciæ Regi nuptæ.

Carolus LUDOVICUS, hodiernus Elector, vide *Car. Lud.* Adde hîc: Obiiſſe illum A.C. 1680. ſucceſſore fil. unico Car. lineæ hujus Electoralis ultimo: qui, pietatis rarum inter Principes exemplar, inenarrabili ſubditorum luctu, poſtquam Religioni ſolicitè caviſſet, Extinctus, d. 16. Maii. A.C. 1685. ſucceſſorem accepit agnatum proximum, Phil. Gulielmum Ducem Neoburgico-Palatinum, quem (Viennæ in Aula Aug. generi, Defunctum A.C. 1690.) excepit fil. Joh. Vilhelmus hodiernus Elector.

LUDOVICUS Phil. Dux Simmerenſis, fil. Frid. IV. Electoris adhuc minor fratris Frid. V. Elect. & Bohemiæ R. fortunæ implicitus, & ab Hiſpanis omni ditione exutus eſt. Tum ratio ejus, in Electoratu ad alium transferendo, neglecta, quòd ei in bello adhærens legioni præfuiſſet. Inde, poſt exilium decennale, in comitatu Regis Sueciæ victoris aliquandiu vixit. Demum A.C. 1648. pace Monaſterienſi in ſua reſtitutus, deceſſit Berolini A.C. 1655. Succeſſore fil. Lud. Henr. Mauritio Franciſco, qui improlis deceſſit, A.C. 1673.

LUDOVICUS, cogn. *Niger*, ex Steph. nepos Ruperti Imp. Bipontinæ lineæ autor, cum Frid. Victorioſo Elect. damnoſa ſibi geſſit bella. Pater Alex. à cujus filiis *Lud.* Bipontina & Ruperto Lucelſtenia, fam. propagatæ ſunt.

LUDOVICUS, Dux Bipontinus, fil. Alex. Car. V. contrà Franciſcum Galliæ Regem militavit: dein inter primos per Schwebelium regionem reformavit, Extinctus A.C. 1532. relictâ uxore Elizabethâ Haſſiacâ, non minoris zeli: è quibus Wolphgangus natus, vide ibi.

Philippus LUDOVICUS, fil. maximus natu Wolphgangi modò memorati, Neoburgicum Principatum nactus, optimi Patrisfamiliâs nomen promeruit, Religionis ſtudioſiſſimus, Formulæ Concordiæ ſubſcripſit A.C. 1580. Ipſius dein & Maximiliani Bavari auſpiciis, colloquium Ratisbonenſe habitum eſt A.C. 1601. Cum Joh. Bipontino nepote, ob adminiſtrationem tutelæ Electoralis, litem habuit A.C. 1610. Conſternatus nuntio de filii Wolphgangi Vilhelmi apoſtaſia, Deceſſit A.C. 1614.

Fridericus LUDOVICUS, fil. Frid. Caſimiri Landſpergenſis lineæ ſatoris, A.C. 1661. Bipontino patrueli Frid. ſucceſſit, Neoburgico Juliacenſem ſuam prætenſionem vendidit, jam ditionibus à Galliæ Rege occupatis ſatis arctè habet.

LUDOVICUS, fil. minor *Lud.* Severi, Ducatum Bavariæ nactus, poſtmodum Imp. evaſit, autor hodiernorum Bavariæ Principum, vide in vocibus *Bavaria* & *Lud. V. Imp.*

LUDOVICUS Barbatus, prioris ex fil. Steph. Ingolſtadienſis lineæ autore, nepos, frater Iſabellæ Francorum Reginæ, in Gallia Mortaniæ tenuit Comitatum, ſed, quòd adminiſtrationem regni ad ſe raperet, pulſus. A fil. *Lud.* Gibboſo captus, Obiit in carcere A.C. 1447. præmortuo filio A.C. 1445.

LUDOVICUS, fil. Frid. qui ſecundogenitus Lud. Imp. Landshutenſem tractum nactus erat, multa geſſit bella, cum Alberto March. Brandeburgico. Proſcriptus à Frid. III. Imp. hoſtes confertim in ſe undique irruentes, fortiter repulit, prælio ad Giengam victor. Obiit A.C. 1479. diſſidiorum ſuo tempore in Imperio arbiter. In ejus filio Georgio Divite, Ingolſtadienſis Academiæ conditore, finita linea eſt, A.C. 1503.

LUDOVICUS, Alberti Bavariæ Ducis ex linea Monachenſi, quæ Landshutenſi extinctæ ſucceſſit, fil. cum fratre Gulielmo majore natu, acerrimus Lutheri hoſtis fuit, primuſque fœderis ſancti A.C. 1538. Norimbergæ icti, Dux. Obiit A.C. 1545. ex pacto cælebs.

LUDOVICUS, fil. Frid. Victorioſi El. Palat. ex Clara de Tettingen Comitatum Löwenſtenium, quem Pater à *Lud.* ultimo Comite A.C. 1441. aureis Rhenanis 14000. emerat, nactus, bello Bavarico, Ruperti Palatini ſecutus eſt partes. Hinc ab Ulrico Wirtembergico Comitatu exutus, eum ægrè, nec niſi mutilum, recepit: Car. V. electo, nomine Septemviralis Collegii, eventum nuntiavit. Obiit A.C. 1524. Pater *Lud.* & Frid. quorum ille huic ſponte ceſſit, &c. Vide in voce *Leonſtenia.*

Duces Borbonii.

LUDOVICUS I. Dux Borbonius, cogn. *Magnus*, fil. Roberti, nepos Lud. IX. Obiit A.C. 1342. Ex Maria, filia Joh. II. Hannoniæ Com. pater Petri I. Jacobi, à quo Comites Marchiæ, Duceſque Vindocini, &c.

LUDOVICUS II. dictus *Bonus*, fil. Petri I. ex Iſabella Valeſia. Obiit A.C. 1410. ex Anna Delphina, pater Joh. I. San Marth. *Geneal. Gall.*

LUDOVICUS Borbonius, Montpenſerii Comes, tertius fil. Joh. I. Borboniæ Ducis Obiit A.C. 1486. Ex Bertranda Tunia. pater Gilberti: avus per hunc *Lud. II.* qui Neapoli Fato functus eſt: A.C. 1501. Petr. Matthæus, Noël Couſin. Fugaſſius, &c. *Hiſt Domûs Borbonia.*

LUDOVICUS Borbonius, fil. junior Joh. Comitis Marchiæ, ex Catharina Vindocina, Regii thalami Magiſter Obiit A.C. 1447 Ex Johanna Lavallia, pater Joh. per hunc avus Franciſci, pro-

avus-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

avus Car. Borbonii, primi Ducis Vindocini, qui ex Franciſca Alençonia, Antonium, patrem Henr. IV. & Lud. I. Com. Condæum genuit.

Principes Condæi.

LUDOVICUS I. Com. Condæus, fil. Car. Borbonii, I. Ducis Vindocini, natus A. C. 1530. prudentiâ, pietate, fortitudine inter primos ſui Seculi, Reformatorum hyperaſpiſtes, poſtquam ipſi *pro Patria & Religione dulce periculum*, ut ſymbolum ejus ferebat, non unum fuiſſet, rebus plurimis præclarè geſtis, in prælio Jarnacenſi captus, à Monteſquio, Duce prætorianæ cohortis Henr. Andini, contra fidem datam, Occiſus eſt. Ex Eleonora Roja, pater Henr. I. Principis Condæi, avus Henr. II. proavus *Lud. II.* abavus Henr. Lud. Ducis Enghiani, &c.

Alii è Regio ſanguine Principes.

LUDOVICUS I. Borbonius, fil. junior Joh. Comitis Vindocini, Princeps Rupi Surionius, Obiit A. C. 1520. Pater *Lud. II.* Boni, qui Obiit A. C. 1582. pater ex Jacoba Franciſci, &c. Item Charlottæ, quæ cùm invita in monaſterium detruſa eſſet, nupſit poſtea Gulielmo Arauſionenſi, Belgicæ libertatis fundatori. Franciſcus verò ſuſcepit Henr. ultimum Ducem Montpenſerium, qui ex Henrietta Catharina Joyeſia, Mariam Borboniam genuit, quæ nupta Gaſtoni Duci Aurelian. mater fuit Annæ Mariæ Ludovicæ Aurelianenſis.

LUDOVICUS I. Marchio Röthelïæ, Dux dein Longavillæ, fil. Franciſci Comitis Dunenſis. Obiit A. C. 1516. ex Johanna filia Phil. Marchionis Hochbergenſis, Com. Neocaſtri in Helvetia, Domini Röthelïæ, pater Claudii, in obſidione Ticini Interfecti A. C. 1525. & *Lud. II.* qui Obiit A. C. 1537. ex Maria Lotharinga pater Franciſci, Demortui A. C. 1551. & *Lud.* poſthumi, qui juvenis Obiit. Maria poſtmodum Jacobo V. Scotiæ Regi nupſit, Mortua A. C. 1560.

LUDOVICUS Dyrrachinus, Comes Gravinæ, ſecundogenitus Joh. Andegav. filii octavi Car. II. Sicil. Regis ſucceſſit fratri Car. Dyrrachii Duci, Regni Neapolit. præfecto, Occiſo, juſſu Lud. Hungar. Regis ob Andreæ fratris mortem, cujus is conſcius credebatur. Obiit veneno oblato, juſſu Johannæ I. A. C. 1362. Ex Margaretha, fil. Roberti S. Severini Com. Cariliani, pater Car. qui Pax vel parvus Rex Neap. dictus, &c. Villan. *Fazellus*, &c.

LUDOVICUS Tarentinus, fil. Phil. quarti filii Car. II. Claudi, maritus Johannæ Reginæ, quam in Provinciam, tum cùm Lud. Hung. Rex necem fratris ulturus Neapolim veniſſet, ſecutus eſt. Obiit A. C. 1362. Pacificus. Collenutius *Hiſt. Neap.* Noſtradam. & Bouch *Hiſt. Prov.*

Principes Sabaudiæ.

LUDOVICUS Sabaudus, Princeps Achajæ, Peloponneſi, &c. fil. Jacobi, Amadeo Comiti Pedemontano ſucceſſit, A. C. 1402. ſub tutela Amadei VI. Autor Academiæ Taurinenſis, magni apud omnes Principes ſui Seculi æſtimatus. Obiit Pinaroli, A. C. 1418. Succeſſit Amadeus VIII. Guicheno *Hiſt. Sab.*

LUDOVICUS Dux Sabaudiæ, ſecundogenitus Amadei VIII. ei ſucceſſit, fortis & prudens. Baſileæ præſtò fuit patri, cùm Papa electus eſſet; poſt mortem Phil. Mariæ Ducis Mediol. ob viciniam turbis implicitus, quæ compoſitæ. Socer Lud. XI. Obiit Lugduni A. C 1465. Benignus & Juſtitiæ acer aſſertor. Ex Anna Cypria 9. filiorum, & 7. filiarum, Amadei inprimis IX. Lud. Cypri Regis &c. pater. *Idem.*

LUDOVICUS, ſecundogenitus prioris, per Charlottam filiam Joh. II. Cyprii, uxorem, Cyprii R. regno à Jacobo hujus fil. notho, occupato, Obiit improlis A. C. 1482. Steph. Luſignanus *Hiſt. Cypri.* Guicheno *Hiſt. Sab.* Vide *Charlotta.*

Alii Principes.

LUDOVICUS, Archiep. Moguntinus & Magdeburgenſis, atque Ep. Halberſtadienſis ac Bambergenſis, fil. Frid. Severi Saxoniæ Ducis cùm choreas duceret, conclavi corruente periit, Sec. 15.

LUDOVICUS, fil. major natu Eberhardi, Ducis Wirtembergici, ſuperiorem Principatûs partem nactus, Uraci ſedem legit: à Comitibus Helfenſteniis, Balingam, Durlingam & Blaubeüram emit, A. C. 1447. Primus monetam cudi fecit Obiit A. C. 1450. Pater Eberhardi Barbati, qui Tubingenſem Academiam fundavit, A. C. 1477.

LUDOVICUS, cogn. Pius, fil. Chriſtophori Ducis Wirtembergici, formulam Concordiæ inter præcipuos promovit, Collegium illuſtre Tubingæ extruxit, A. C. 1389. Obiit improlis A. C. 1593. Idem nomen uni ex filiis Eberhardi Ducis haud pridem Demortui: ut & ſeptem Principibus fuit, ex fam. Zeringio-Teccia, quæ A. C. 1439. deſiit.

LUDOVICUS Sfortia, Dux Mediol. fil. Franciſci Sfortiæ, frater junior Galeacii Mariæ, patris Joh. Galeacii. Huic erepturus Principatum, ut erat ſanguinis avidus & callidus, ſororem Maximiliano dedit, dein Car. VIII. in Italiam vocavit. Rege Placentiæ degente, rumor de Joh. Galeacio veneno perempto increbuit, proin hujus filio repulſo, Lud. Ducatum invaſit. Junctus dein Regis hoſtibus, à Lud. XII. per Lud. Tremollium, captus & in Galliam abductus, ibi Obiit. A. C. 1510. Comineus *l.* 7. Guicciard. *l.* 1. 2. & 4.

LUDOVICUS, Thuringiæ Landgravius, S. Eliſabethæ maritus, ex *Lud.* Barbato, Car. Lotharingiæ Ducis à regno Galliæ per Hugonem Capetum excluſi filio, à Conrado Imp. Thuringiâ donato, ortus: Avum habuit *Lud.* Ferreum, fil. *Lud.* Lotharii Imp. generi, à quo hic Landgravius conſtitutus eſt, nepotem *Lud.* Saltatoris, quem Lud. Barbatus modò dictus genuit. Pater fuit ex Eliſabetha Sophia, quæ Henr. II. Duci Brabantino nupta, genuit Henr. cogn. Puerum, hodiernæ fam. Haſſiacæ autorem.

LUDOVICUS, cogn. *Mitis*, fil. Hermanni, Haſſiæ Landgravii, non exiguæ in Imperio autoritatis, Cæſaream dignitatem; poſt Albertum II. delatam; recuſavit: titulum Com. Zigenheinæ & Niddæ, ultimo Comitum Joh. A. C. 1453. extincto, aſſumpſit: Pater fuit *Lud.* Pii, qui Caſſellas, & Henr. qui Marpurgum tenuit.

LUDOVICUS, fil. tertius Phil. Magnanimi, Haſſiæ Landgravii, Marpurgi habitavit, & ſine prole Extinctus A. C. 1604. Religioni præprimis teſtamento cavit.

LUDOVICUS I. Georgio I. minimo natu Phil. præfati filio Darmſtattinæ lineæ conditore, natus; fide in Cæſarem *Fidelis* nomen meruit, cum fratribus Primogenituræ pactum in lineam hanc introduxit, cum patrueli Mauritio multum negotii habuit, Gieſſenſem Acad. inſtituit, Unionis fœdus diſſolvit, Palatini reſtitutionem A. C. 1623. in Comitiis Ratisbonenſibus urſit, Obiit A. C. 1626. Pater Georgii II. Joh. Henr. & Frid. è quibus primo natus eſt *Lud. II.* cui cum El. Palatino A. C. 1662. ob jus Eccleſiaſticum, quod Umſtadii uterque ſibi vindicabat lis fuit, genuit hic Georg. & *Lud.*

LUDOVICUS, fil. Boleſlai Lignicii Ducis ubi recens aurifodina dives, quæ in ſingulas ſeptimanas 150. auri pondo ſubminiſtrabat, inventa fuerat, ſpe ſucceſſionis fratri Wenceſlao, qui cælibatum ſpoponderat, Principatum permiſit: poſtea ab illo deluſus, nihilominus tutor fratris filiis fideliter præfuit. Obiit A. C. 1396. pater Henr. qui *Stigmatias* dictus eſt.

LUDOVICUS, fil. ſecundogenitus Joh. Chriſtiani, ex Lignicia fam. in diviſione Lignicium ſortitus eſt, & A. C. 1663. morte ſuâ Annam Sophiam Megapolitanam viduam reliquit.

LUDOVICUS, ſecundogenitus Car. Ducis inf. Lotharingiæ, ex Agnete Veromandua, cogn. *Barbatus* A Conrado Salito Imp. Comes Thuringiæ creatus, Obiit A. C. 1055. Ei ſucceſſêrunt 5. hujus nominis. Ultimus *Lud. VI.* Sanctus Obiit in Italia, A. C. 1227. Maritus Elizabethæ, filiæ Andreæ II. Hung. Regis Sanctis annumeratæ à Greg. P. A. C. 1335. Vide ſuprà.

LUDOVICUS Pictavienſis, teſtamento legavit Car. Delphino, A. C. 1444. region. Dienſem & Valentinam.

LUDOVICUS, Andegavenſis Dux cum exercitu 30000. militum Italiam intravit, ut Johannam Hungarorum Reginam ab ipſis Hungaris liberaret, A. C. 1382.

LUDOVICUS, Innoc. Pontificis nepos, à quo Piceni agri Marchio, & Firmianus Princeps conſtitutus eſt, A. C. 1406.

LUDOVICUS, Aquileienſis Patr. Card. primus equos & canes alere cœpit, A. C. 1444.

LUDOVICUS, nomen trium Marchionum Mantuan. aliorumque Principum. De quibus alias.

LUDOVICUS Vilhelmus Marchio Badenſis, Ferdinando Maximiliano & Luiſâ Chriſtinâ Sabaudicâ genitus A. C. 1655. Exercitûs Cæſarei in Hungaria Dux fortiſſimus, multa præclarè feliciterque geſſit, prælio inprimis *ad Salankamen*, quo Mag. Vezirium vicit, caſtris exuit, & immani ſtrage profligavit, A. C. 1691. inclytus. A quo tempore ex Hungaria in Germaniam ab Aug. miſſus, hactenus Gallorum ad Rhenum conatibus fortiter obnixus eſt: ex Legatione Anglicana, ad Mag. Britanniæ Regem Gulielmum III. nuper unà feliciter reverſus Uxorem ei dedit Imp. filiam Julii Franciſci ultimi ex Lauenburgica Fam. Ducis haud pridem Defuncti.

Comites Principeſque ex Fam. Naſſovia.

LUDOVICUS, fil. ordine quartus Gulielmi Naſſoviæ Comitis, Defuncti A. C. 1559. ex poſteriore ejus uxore, Juliana Bothonis Com. Hanoviæ vidua, frater Gulielmi Auriaci, à quo hodierni Principes Arauſionenſes, & Joh. cogn. *Senioris*, à quo reliqui Comites Principeſque Naſſovii; priori, in aſſerenda Belgarum libertate, ſtrenuus adjutor fuit. Inter Fœderis, contra Inquiſitionem, à præcipuis Belgarum initi, inter quos erant etiam Romanæ Religionis nonnulli, primarios Duces, à Rom. ſacris palam diſſentiebat, ſociatis ſibi præ aliis Herenbergenſi & Culenburgico Comitibus, nec non Henr. Brederodio, antiquo Hollandiæ Principum genere edito. Qui, quadringentis fœderatorum comitantibus, die Non. April. A. C. 1566. inermes in Curiam Bruxellenſem venêre, preces hac ad Margaretham, quæ tum Phil. II. nomine Belgio præſidebat, ferentes: *Ut edicta ſuper Religione à Rege, de Ordinum Belgicorum ſententia mutarentur, interitu quieſcerent.* Quorum cùm alterum Præfecta ſe commendaturam Regi promitteret, alterum ſuæ poteſtatis negaret, non aliud impetratum, quàm ut Judices & Quæſitores juberentur cognitionem prudentiâ temperare. Poſtea Albani crudelitate exaſperatis Belgarum animis, & hinc gliſcente bello, pars exulum *Lud.* ductum ſequuti, in Friſiam irruêrunt: qui, interempto Arembergio, quem prudentiùs cunctantem militum ardor & convitia in prælium impulerant, disjectiſque ejus copiis, victores, cùm deſcituras civitates fruſtra expectarent & jam deficiens ſtipendium diſciplinam ſolviſſet, Albani ſuperventu conciſi, amiſſo etiam in priore pugna Adolpho, Arauſionenſis ac Lud.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

fratre, alterno hoſtium & ſuo ſanguine bellum imbuêrunt, A. C. 1568. Aſtu dein militari *Lud.* Montem, Hannoniæ urbem, cepit, quam Albanus recuperavit A. C. 1572. Poſt varias tandem res præclarè geſtas, cùm copias fratri adduceret, ut hoſtem detraheret Hollandiâ, prope Noviomagum, immodeſtiâ militis, qui, cùm ſtrictis pugionibus hoſtis inſtaret, æra Ducem flagitabat, cæſus Occubuit A. C. 1574. *Is ſinu fuit*, verba ſunt Hug. Grotii *Ann. l. 2. Duci ingenio manuque inter laudatiſſimos, fratri ipſius Henr. Chriſtophoro præterea Palatini Principis fil.* &c.

LUDOVICUS, fil. Joh. Saræ-pontani Com. rami Weilburgenſis, ex Eliſabetha Lud. Pacifici, Haſſiæ Landgravii filia, Patri ſucceſſit, Extinctus A. C. 1523. Eum excepit fil. Phil. ex Margaretha, Adolphi Com. Naſſoviæ Weisbadenſis filia.

LUDOVICUS, modo memorati Phil. ex Alberto fil. Annæ Auriacæ marito, nepos, paternas ditiones rexit, ad A. uſque C. 1627. Pater ex Anna Maria Haſſo-Caſſellana, Gulielmi *Lud.* cui uxor obtigit Badenſis; Annæ Sabinæ, inter incunabula Defunctæ; Alberti, qui vix biennium attigit; Sophiæ Amaliæ, itidem vix trimulæ; Georgii Adolphi, intra Annum Mortui; Phil. Luiſæ Julianæ, Mauritii intra biennium Defuncti; Erneſti Car. quarto Æt. Anno Extincti; Mariæ Eliſabethæ, Friderico Dagsbergenſi nuptæ; Joh. Dorotheæ, Erneſti Caſimiri & Othonis. E quibus maximus natu, ex Anna Amalia Badenſi, ſuſcepit Annam Sibyllam A. C. 1617. Mauritium A. C. 1618. quo iterum Deceſſit; Carolam A. C. 1620. Crafftum A. C. 1621. Amaliam A. C. 1623. & Joh. *Lud.* A. C. 1625. Cyr. Lentul. *Geneal. Princ. Naſſ. MS.*

LUDOVICUS Guntherus, fil. minimus natu Joh. cogn. *Senioris*, ex priori ejus conjuge Eliſabetha, Landgravii Liechtenbergici filia, nat. A. C. 1575. Anno Æt. 26. Gadibus expugnandis, non inter poſtremos adfuit; Equeſtrem Britanniæ ordinem, Eſſexio Comite virtutis ergò conferente, conſequutus. Inde multis capiendarum muniendarumque urbium molitionibus, Mauritio & fratribus comes ac adjutor; quaſdam etiam ſuoductu occupavit. Ad Neoportum Flandriæ, primus hoſtilem exercitum in fugam convertit, virtutiſque tam opportunæ præmium, Admiralem Arragonium captum, atque ab eo, Patrum Belgicorum voluntate, ingentem pecuniæ ſummam, lytri loco accepit: paulò pòſt in ætatis rerumque geſtarum flore, dum Sluſam obſidebat, Extinctus, Æt. Anno 30. Uxor ejus Anna Margaretha Com. Manderſcheidia, poſtquam quadriennio feliciter ejus conjugio, ſed ſine prole, uſa eſſet, Obitum mariti mox ſequuta eſt: an quòd luctum non ferret, an quòd eadem morbi contage eſſet correpta? Idem Autor.

LUDOVICUS Henricus vide ſuprà *Henricus.*

Georgius LUDOVICUS, fil. Joh. Senioris, ex tertia ejus conjuge Johanna, Lud. Sayno-Wirgenſtenii Com. filia, paulò poſt partum Obiit. Item fil. maximus natu Lud. Henr. (qui Georg. Joh. Sen. præfato geniti fil. erat) ex Catharina, Lud. Com. Sayno-Witgenſtenii filia; Gallos comite J. H. Heidfeldio adiit: inde reverſus, avertendis à patrio agro hoſtibus & lenitate obſequii abducendis, non parum emolumenti genitori attulit: conciliandis humanitate animis, quàm ſeveritate aſperandis, pronior, ſalvâ tamen Imperii in vultu & ſermone autoritate. Uxorem duxit Annam Auguſtam, Aug. Ducis Brunſvico Luneburgici filiam, è qua, præter reliquam ſobolem, Henr. ſuſcepit (cum Anno Æt. 9. Scholæ Herbornenſis gubernacula ſuſciperet) à Cyr. Lentulo Panegyrico carmine celebratum. Natus autem is eſt A. C. 1641. atque Dorotheam Eliſabetham Lignicio Briegenſem uxorem habet. Reliqui Georgii Lud. atque Annæ Auguſtæ liberi ſunt, Eliſabetha Catharina (nat. A. C. 1639. Den. A. C. 1641.) Sophia Eleonora (nat. A. C. 1643. & Ludovica (nat. A. C. 1652. Vide Phil. Jac. Spener. *Parte I.*

Gulielmus LUDOVICUS, Friſiæ, Groningæ, Tencterorum & Tubantum præfectus. Fil. fuit maximus natu Joh. Senioris ſæpius memorati, ex prima ejus conjuge, Eliſabetha Liechtenbergica; genitus A. C. 1560. Æt. dein 16. commilitone ſtudiorum Mauritio Auriaco & tribus fratribus, Joh. Georg. & Phil. Heidelbergæ aliquandiu literis operam dedit. Hinc genitorem in Belgium ſequutus, Britanniaque per trajectum viſâ, Antverpiæ in oculis Gulielmi Auriaci patrui degit. Militiæ rudimenta Brabanticâ expeditione depoſuit: Parenti, in obſidione Daventriæ & Camporum, adfuit: 20. Æt. Anno legioni præfectus Groningam obſidione preſſit; Anno inſequenti, prælio Friſiaco præclarè rem geſſit &c. Franekeræ poſtea Lyceum, Friſiæ Præfectus, primus aperuit, A. C. 1584. aliiſque factis æternæ memoriæ commendatis, quorum colophon Groninga fuit capta, nomen immortale promeruit. A. C. 1606. quo hæreditatem cum fratribus crevit, etſi ad res ſuas adminiſtrandas è Belgio evocaretur, curam tamen belli, imò pacis & induciarum, minimè abjecit: quibus durantibus, munitionem Scaldi fluv. adſitam (*Lillo* vocant) ampliori ſpatio, Mauritio præeunte, comprehendit: exin A. C. 1613. ad paternarum ditionum inſpectionem profectione in Germaniam ſuſceptâ, Spinolæ in Clivia bellum renoranti, ſociorum nomine, ſe oppoſuit: Duce Mauritio, Emericam & Reeſam, nota ad Rhenum oppida, cepit, & contra Hiſpanorum ingruentem violentiam præſidio munivit. Obiit A. C. 1620. Æt. 60. Leovardiæ Friſiorum: nullâ, ex Anna patrueli, Gulielmi Auriaci filia prole ſuſceptâ.

Gulielmus LUDOVICUS, fil. *Lud.* Com. Naſſovii, lineæ Saræ-pontanæ, vide *ſuprà.*

Johannes LUDOVICUS, fil. ſecundo-genitus Joh. Senioris ex tertia ejus conjuge Johanna Witgenſtenia, natus A. C. 1590. Genevæ, Sedani, Lutetiæ, aliiſque in locis aliquandiu egit; diviſione dein paternæ hæreditatis inter fratres factâ, Hadamariam cum aliis nactus eſt, vide ſuprà in voce *Hadamaria.* Poſt Germaniam dein, Galliam, Angliam, Belgium, Hungariam aliaſque regiones perluſtratas, Caſſellis Haſſorum aliquandiu in aula Landgravii Mauritii ſubſtitit, A. C. 1609. caſtra ad Juliacum poſita, ut Mauritio ibi Auriaco ſeſe inſinuaret, viſit, A. C. 1610. Romanorum Regis electioni Francofurti interfuit A. C. 1612. poſtea Frid. V. Palatinum, Eliſabetham Jacobi Mag. Brit. Regis filiam ducturum, Londinum uſque comitatus eſt. Indè ſub Mauritii Principis vexillis, in Clivia & Juliacenſi agrò, rem geſſit: Urſulam Simonis Lippiæ Com. filiam, uxorem duxit, A. C. 1617. atque ex ea complures liberos ſuſtulit. Secundâ hæreditatis diviſione, Hadamariæ & Ellariæ dominio, Megerskirchiæ territorium adjunxit: communi Comitum Naſſoviæ nomine legationem liberam Viennam Auſtriæ ſuſcepit, A. C. 1629. ibi aureæ clavis & Cubicularii munus à Ferdinando II. nactus: eodem Anno ibidem Latinæ Eccl. acceſſit, & domum redux etiam ſuis, ut idem facerent, ſuaſit. Jeſuitis & Franciſcanis collegium conventumque Hadamariæ ſtruxit, nuper receptæ à ſe Religionis fervidiſſimus cultor. Poſtea, in Conventum Circuli Electorum, Cæſaris negotia obivit, A. C. 1631. quo abſoluto, Wormatiam ad conventum circuli ſup. Rheni ablegatus, Suecica arma impedivit. Denuò itinere Viennam ſuſcepto, A. C. 1636. à Cæſare in Conſilium Aulicum aſſumptus, atque indè ad diſſidia Leodienſium componenda miſſus eſt: quibus expeditis, ab Imp. cum pleno agendi jure, ad pacis negotium eſt ablegatus; quod Coloniæ Agrippinæ cœptum A. C. 1638. inde Monaſterium & Oſnabrugum tranſlatum A. C. 1643. undecimo demum A. C. 1649. nempe finem invenit optatum. Interea dum Monaſterii ageret, Cæſari à ſecretis conſiliis eſſe juſſus eſt, & à Phil. III. Hiſp. Rege aurei velleris inſignibus ornatus. Tandem, culmen honorum adeptus, & à Ferd. III. Imp. in Principum Imperii Collegium aſcitus atque biennio pòſt, A. viz C. 1652. ad Comitia Imperialia Ratisbonæ, vocatus eſt. Deceſſit Anno ſeq. Pater, ex uxore præfata, Johannettæ Eliſabethæ (nat. A. C. 1619. Frid. Princ. Anhaltino nuptæ.) Luiſæ Urſulæ. (nat. A. C. 1620. Den. A. C. 1635.) Sophiæ Magdalenæ (nat. A. C. 1622. uxoris *Lud.* Henr. Princ. Naſſoviæ, Den. A. C. 1658.) Joh. *Lud.* (nat. A. C. 1623. Den. A. C. 1674.) Simonis *Lud.* (nat. A. C. 1624. Den. A. C. 1628.) Mauritii Henr. (nat. A. C. 1626. cui nupſit Erneſtina Naſſovia) Hermanni Othonis (nat. A. C. 1627. Canonici Colonienſis & Argentinenſis, Den. A. C. 1661.) Phil. *Lud.* (nat. A. C. 1628. Den. A. C. 1629.) Annæ Catharinæ (nat. & Den. A. C. 1630.) Joh. Erneſti (nat. A. C. 1631. Canonici itidem Colon. & Argentinenſis, Den. A. C. 1651.) Anſelmi Ferdinandi (nat. A. C. 1637. & paulò pòſt Mortui) Franciſci Bernardi (Canon. Colon. &c. nat. A. C. 1637.) & Mariæ Eliſabethæ (nat. ac Den. A. C. 1638.) qui omnes, *Principes ac Comites Naſſoviæ* &c. *lineæ Dillenburgicæ, rami Hadamarenſis.*

Johannes LUDOVICUS, Com. Naſſoviæ, lineæ Weisbadenſis & Idſteniæ, fil. Balthaſaris, Defuncti A. C. 1568. ex Margaretha, Reinhardi Com. Iſenburgici filia, militari ſtudio valere juſſo, literis & morum elegantiæ in Gallia vacavit. Deceſſit, poſtquam 28. Annos ditioni paternæ præfuiſſet, A. C. 1596. Pater, ex Maria Johannis Senioris Com. Naſſoviæ Dillenburgici filia, Margarethæ, Adolpho Benthemio Com. nuptæ: Annæ Catharinæ, Simonis Lippiæ Com. uxoris: Mariæ Magdalenæ, Wolffgango Henr. Iſenburgo-Budingenſi Com. elocatæ: Julianæ, primâ ætate Mortuæ: Joh. Phil. & Joh. *Lud.* quorum is cum intra quartum, hic intra pubertatis Annos A. C. 1605. Deceſſiſſet, avitarum ditionum juriſdictio *Lud.* Com. Naſſoviæ Weilburgenſi & Saræ-pontano ceſſit.

Mauritius LUDOVICUS, fil. minimus natu Georgii (Joh. Seniore geniti) ex priore ejus uxore Anna Amalia Saræ-pontana, intra Annuum ſpatium Obiit.

Philippus LUDOVICUS, ex filiis Joh. Lud. præfati, rami Hadamarenſis, nat. A. C. 1628. Obiit Anno ſeq. &c. vide Cyr. Lentul. *Geneal. Princip. ac. Comm. Naſſov.*

Viri Celebres.

LUDOVICUS, Ep. Tholoſanus, ſecundogenitús Car. II. Hieroſolymæ & Siciliæ Regis: cum fratribus, Patris, apud Jacobum Arragoniæ Regem captivi, obſes. Obiit A. C. 1297. Æt. 23. A Joh. XXIII. Sanctis accenſitus, A. C. 1317. Pet. Rudolphus, *l. 1. Hiſt. Seraph.* Catel. *l. 5. Hiſt. Tol.* Sumont. *Hiſt. Neapol.* Morer. *Dict. Hiſt.*

LUDOVICUS Albretanus, Card. fil. Car. II. Albretani, ex Anna Armeniaca. Obiit A. C. 1465. *Idem.*

LUDOVICUS Alemannus, Card. Archiep. Arelatenſis, Sabaudus. A Martino V. variis negotiis adhibitus. Præſes Conc. Baſilienſis, cum Eugenio IV. Conc. aliorſum transferre ſatagente, colliſus, illud Baſileæ, ubi Eugenio depoſito Felix V. ſurrogatus eſt, continuavit. Obiit A. C. 1450. Pius II. *Coſmogr. c. 42. & in Comm.* Morer. *Dict. Hiſt.*

LUDOVICUS Alemannus, puriorem religionem Lugduni docuit, A. C. 1566.

LUDOVICUS Aligerius, Veronenſis JC. A. C. 1530. Jul. Puteanus, *Elog. doct. Coll. Veron.*

LUDOVICUS Amboſianus, Dominus Buſſiaci, March. Renelii, Andium præfectus, fortitudine & ſcientiâ illuſtris, orator & poëta. Occiſus A. C. 1579. Æt 29.

LUDOVICUS Arrivabevus, Mantuanus, Medicus: Cujus ſcripta recitat Joh. Anton. vander Linden, *de ſcript. Med.*

LUDOVICUS Avila, frater Henr. Catharini, illuſtris hiſtorici, Cyprius, familiâ celebri oriundus, Car. IX. Gall. Regi & Catharinæ Mediceæ gratus, Venetorum in propugnaculo Zara præfectus. Avila *l. 9. Bell. Civ. Gall. &c.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LUDOVICUS Barbus, Senator Venetus, Ordinem S. Benedicti in Italia reformavit. A. C. 1408. *Idem.*

LUDOVICUS Barrius, Card. fil. Roberti, ex Maria, filia Joh. Gall. Regis Piſano Conc. nomine Car. VI. interfuit: diſſidiis Aurelian. inter & Burgundicam fam. finiendis intentus. Obiit Verduni A. C. 1430. Morer. *Dict. Hiſt.*

LUDOVICUS Beerus, Baſilienſis, Doctor Paraſinus, nomen ſuum poſteritati, ſcriptis pluribus editis, venerabile reddidit. Simler. *Bibl. Geſn.*

LUDOVICUS Beliſarius, Mutinenſis Medicus, varia ſcripſit. Joh. Anton. vander Linden *de Scr. Med.* Simler. *in Epit. Bibl. Geſn.*

LUDOVICUS Bivordanus, quædam metricè ſcripſit. Val. Andreas, *Bibl. Belg.*

LUDOVICUS Blaſerus Eques, itinera ſua deſcripſit.

LUDOVICUS Blavielus, Gandav. verſu quædam edidit. *Idem.*

LUDOVICUS Bloſius, cum Car. V. Imp. educatus, Benedictini habitum An. Æt. 14. ſumpſit. Diſcip. Nic. Clenardi, Lovanii Archiepiſcopatum Cameracenſem ab Imp. oblatum, recuſavit. Opera ejus 10. ſectionibus comprehenſa, Antverpiæ edita, A. C. 1633. Obiit A. C. 1566. Æt. 59. Duchen. *in Hiſt. fam. Caſtellionea.* Fr. Suvertius *in Athen. Belg. &c.*

LUDOVICUS Bologninus, JC. & *Bonaciolus*, Med. Ferrarienſis. *Epit. Bibl. Geſner.*

LUDOVICUS Borbonius, Archiep. Senonenſis, Card. Vindocinus, fil. Franciſci ex Maria Lucemburgica. Patriæ gloriæ commodiſque intentus. Obiit A. C. 1556. Morer. *Dict. Hiſt.* Alius, quintus fil. Car. I. Ducis Borbonii, ex Agnete Burgundica. Ep. Leodienſis, Occiſus A. C. 1482. à Gulielmo Marchio, qui *Aper Arduenna* dictus eſt. Naucler. *in Chron.* Heuterus *in Maximil. I. &c.*

LUDOVICUS Breſinus, Annales Arteſios Flandricoſque condidit.

LUDOVICUS Brunius, Italus eruditus, floruit A. C. 1494.

LUDOVICUS Buccaferrejus, Bononienſis, in Ariſtotelem commentatus eſt.

LUDOVICUS Cairlionius, Anglus, Mathematicis ſcriptis inclytus.

LUDOVICUS Carbo, Peruſinus Dominicanus, ſcripſit Catalogum Interpretum D. Thomæ, &c.

LUDOVICUS Carrio, Brugenſis, Criticus excellens, Lipſii æmulus, Fragmenta Saluſtii & Cenſorini, tractatum Caſſiodori &c. edidit.

LUDOVICUS Caſtanæus, Henr. III. Romæ legatus, ex Claudia Puteana, pater Henr. Lud. Ep. Pictavienſis, qui diſtinctiones Philoſophico Theologicas, Comm. in Matthæum, Acta, Geneſin, &c. edidit: Diſtinctiones item Ethico politicas, &c. Obiit A. C. 1635. Æt. 58.

LUDOVICUS Caſtelvetrus, Mutinenſis, poëticam Ariſtotelis egregiis notis illuſtravit. Egens, patriâ relictâ, in Maximiliani II. Imp. Aulam ſe contulit, purioris ibi religionis aurâ hauſtâ. Unde variæ ipſi, poſt An. 10. reverſo moleſtiæ. Obiit A. C. 1571. Æt. 66. Laur. Craſſus *Elog. Hom. Lit. t.* 1. & Ant. Teiſſier *Elog. P. I.*

LUDOVICUS de Caſtro, ſcripſit de avulſione Belgii fœderati, refutationem Synodi Dordracenæ, &c. Leodienſis, Obiit A. C. 1632. Willot. *Ath. Attica Script. Franciſc.*

LUDOVICUS Charon, Pariſinus, Advocatus celebris, inſigniter eruditus. Scripſit Panegyricum Car. IX. Item *de reſtituenda & in artem redigenda Juriſprudentia. De Juriſdictione & Imperio. Veriſimilium libb.* 3. *Annotationes in leges antiquas, &c.* Fichard. & Forſter. *in vit. Jurecoſſ.*

LUDOVICUS Colladus, Valentinus, *Coradus*, Mantuanus, & *Cornarus* Venetus, Medici ſcriptis celebres. Joh. Anton. vander Linden *de Scr. Med.*

LUDOVICUS de Dieu, Batavus, patriâ Fliſſinganus: Scripſit in omnes Vet. Teſt. libros *Animadverſiones*: Dilhero, *Phœnix ille ſacræ Philologiæ.* Eidem *vir in lingua Syriaca incomparabilis.* L'Empereur *Theologia vera, artium & linguarum cognitione, ſideris inſtar ex alto coruſcantis*, eminet. Floruit circa A. C. 1640.

LUDOVICUS Donatus, Venetus, in Magiſtrum ſententiarum commentatus eſt, A. C. 1484. Simler. *Bibl. Geſn.*

LUDOVICUS Donius d'Attichi, Ep. Rejenſis, *flores Hiſt. Cardinalium, &c.* edidit.

LUDOVICUS de Du, vel de Dieu, Zelandus, ſcriptis celeberrimus. Val. Andr. *Bibl. Belg.* Vide ſuprà.

LUDOVICUS Duretus, Medicus celebris, in Coacas prænotiones, Hippocratis commentatus, &c. Sebuſianus. Obiit A. C. 1586. San-Marth. *Elog. l.* 3. Joh. Anton. vander Linden *de Scr. Med.*

LUDOVICUS Emericus, Rupifortii Dominus, Regi Arragonum primò, dein Phil. Longo, à ſecretis, poëmata ſcripſit Provinciali dialecto. A. C. 1320. Noſtradam. *de Poët. Prov.*

LUDOVICUS Eſtenſis, Card. fil. Henr. II. Ferrariæ Ducis ex Renata Francica, Theſaurus pauperum, Sec. ſui decus. Obiit Romæ, A. C. 1586. Thuan. *l.* 84. *Hiſt. & Carm. Conſol. ad Annam Eſt.* Paul. Manutius, *l.* 3. *Ep.* 24. Pap. Maſſon. *in Elogiis.*

LUDOVICUS Ferrantus, Brugenſis Medicus, ſcripſit *Hippocratis Coaca Præſagia.*

LUDOVICUS Fidelis, Canonicus Tornacenſis. Scripſit Sec. ult. *de Mundi ſtructura, de Humana reſtauratione, de militia ſpirituali, &c.* Val. Andr. *Bibl. Belg.*

LUDOVICUS Fohantus, Mediolanenſis, Muſicus celebris, de ſua arte ſcripſit.

LUDOVICUS Gardinus, Medicus Duacenſis, cujus ſcripta magni æſtimantur. *Joh. Anton. vander Linden*, &c.

LUDOVICUS Gomezius, & Gozadinus, Jurecoſſ. Ille Hiſpanus, hic Bononienſis.

LUDOVICUS Granatenſis, Dominicanus, apud Luſitaniæ Hiſpaniæque Reges in pretio. Opera ejus multum illi Famæ pepererunt. Obiit A. C. 1588.

LUDOVICUS Guicciardinus, Florentinus, fil. Hier. nepos Franciſci Hiſtorici, accuratiſſimam Belgii deſcriptionem Italicè edidit, à Belleforeſto Gallicè, & Vitellio Latinè verſam. Obiit Antverpiæ, A. C. 1589. Æt. 66. Poggiani *de Scriptoribus Florentinis*, Ant. Teiſſier *in Elogiis, Alii.*

LUDOVICUS Helmboldus, Mulhuſinus, verſu varia ſcripſit. Simler. *Bibl. Geſner.*

LUDOVICUS Hilleſemius, Andernaco Germanus, *de Conſolatione Juſtorum, Monumenta ſacrarum antiquitat.* &c. ſcripſit, Sec. Præt.

LUDOVICUS Jacobus, Cabillonenſis, ſcriptis inclytus. Morer. *Dict. Hiſt.*

LUDOVICUS Jacob à S. Car. Cabillonenſis Burgundus, Ordinis Carmelitarum alumnus, ſcripſit *Bibliothecam Pontificiam*; de qua ſic Gerh. von Maſtricht JC. ſuprà laudatus, *Autor futilis eſt, qui in omnibus ferè paginis errores cumulat, maximè ubi de Scriptoribus Proteſtantibus loquitur, in Hiſt. Eccl. n.* 191.

LUDOVICUS Joſephus Huveterus, Flander, Itinerarium & vitas SS. edidit.

LUDOVICUS Jungermannus, Medicus. Vide *Joh. Anton. vander Linden.*

LUDOVICUS Kaerliomus, Anglus, Theologus, Philoſophus & Mathematicus, in omni literarum genere ſcripta edidit.

LUDOVICUS Keplerus, Medicus, ſcripſit *de Febri Epidemia, Methodum conciliandarum in Medicina Sectarum, &c.*

LUDOVICUS Lana, JC. Sebuſianus, varia edidit.

LUDOVICUS Laſcarius, Provinciali dialecto ſcripſit complura, A. C. 1376. *Noſtradam.*

LUDOVICUS Lavaterus, Theol. Tigurinus, inſignis. Obiit A. C. 1585. Ejus extant in pleroſque S. Scripturæ libros *Homilia* & *Comm.* Vide *Lavaterus.*

LUDOVICUS Lautius, Gandav. autor notarum in Oroſium, &c.

LUDOVICUS Lazarellus, poëta. Autor Dialogi, in Ferdinandum Regem Simler. *in Bibl.*

LUDOVICUS Lemoſius, Lobera, Locabellus, & Luceria, Medici, editis libris celebres.

LUDOVICUS Lipomannus, Ep. Veronenſis, Sec. Præt. Vitas *SS.* ſcripſit, ut & alia nonnulla, quorum ſeriem exhibet in *Elogiis* Ant. Teiſſier. Interfuit Conc. Tridentino, prudentiâ & dexteritate rerum agendarum non minùs, quàm eruditione, inclytus. Ejus *Catena in Geneſin, Exodum* & *Pſalmos*, magni habetur, Sixto Sen. *Biblioth.* & Poſſevino *in Appar.* Obiit A. C. 1558.

LUDOVICUS Lotharingus, Card. fil. Claudii I. Guiſiæ Ducis ex Antonia Borbonia, Ep. Metenſis. Obiit A. C. 1578. Æt. 56. Moret. *Dict. Hiſt.* Alius, prioris ex Franciſco Ducis in obſidione Aureliani, à Poltroto occiſi, nepos. Ambitioſus, præcipuum Ligæ fulcrum, &c. juſſu Henr. III. Bleſis, Occiſus, quòd inter alia ſæpe diceret, non ſe moriturum, *priuſquam Henr. raſiſſet*, Thuan. *Hiſt. l.* 39. &c.

LUDOVICUS Madrucius, Card. Ep. Tridentinus, inter ſuos celebris, Obiit A. C. 1600. *Thuan.*

LUDOVICUS Maſurius, Tornacenſis, poëta Sec. Præt. celebris.

LUDOVICUS Medardus, Valerio Andreæ laudatus. Canonicus Lovanienſis.

LUDOVICUS Meigretus, Lugdunenſis, ſcriptis inclytus, Sec. Ult.

LUDOVICUS Mercator, Ep. Atrebatenſi à ſecretis. Alius Veronenſis, autor Hiſt. *M. S.* Voſſ. *de Hiſt. Lat.*

LUDOVICUS Mercatus, Medicus Hiſpanus. Joh. Anton. vander Linden, *de ſcript. Med. p.* 450.

LUDOVICUS Mezzarota, Card. Patavinus: ingenio planè militari, apud Eugenium IV. potens. Dux claſſis ſub Caliſto III. Turcas prope Rhodum vicit, Lemnum aliaſque Archipelagi inſulas cepit, &c. Obiit Romæ A. C. 1465. Æt. 64. Thomaſin. *Elog.*

LUDOVICUS Molina, Jeſuita Hiſpanus, ſcripſit varia, inprimis *de gratia Dei cum Libero arbitrio, in nobis, ad ſalutem cooperante:* ubi cùm plus homini, quàm Deo tribueret, ſummos viros adverſarios habuit, Dominicanos inprimis, qui B. Auguſtini ſententiam, contra Pelagianos, tuebantur. Thuan. *l.* 131. Obiit A. C. 1600.

LUDOVICUS de Montjoſieu, Gallus nobilis, Mathematicus eruditus. Scripſit de Septimanis Danielis, &c. Item de re nummaria & ponderibus.

LUDOVICUS Morus, Dux Mediolanenſis, à Lud. XII. Galliæ Rege ducatu ejectus, A. C. 1499. paulòque pòſt captus vitam in carcere finiit: Mox Mediolanum Maximilianus fil. ejus recuperavit, ſed & ipſe non mitius Fatum habuit, à Gallis itidem victus & in carcere Mortuus. Poſt quem Franciſcus Sfortia præfuit, uſque ad A. C. 1535. quo is Defunctus, Hiſpanis ſucceſſionem reliquit, Gallis in perpetuum excluſis. Vide Georg. Horn. *cum Notis Felleri ad Orb. Imp. p.* 248.

LUDOVICUS Nogarola & Nonius, Medici: Quorum hic inſignis quoque Hiſtoricus & Poëta, ſcriptis ingenioſis clarus. Val. Andreas, *Joh. Anton. vander Linden.*

LUDOVICUS Novarini, Veronenſis, Theatinus, ſcripſit *Arcana myſtica Theologia: Sanctitas honorata: Adagia SS. Patrum: Amoris delitia, &c.* Hier. Caracciolus & Joh. Bapt. de Tufo, *Hiſt. Theat.*

LUDOVICUS Paniza, Medicus Mantuanus, A. C. 1540.

LUDOVICUS Pantonus & Pazinus, Patavini, Medici *Joh. Anton. vander Linden.*

LUDOVICUS Papo, frater JC. Joh. ſcripſit quædam.

LUDOVICUS Pontanus, excellens JC. eruditione inclytus, quidquid ſemel vidit legitque, memoriâ nunquam fallente tenuiſſe dicitur. Scripſit Comm. Juris, Conſilia, Singularia, & Repetitiones.

LUDOVICUS de Ponte, Jeſuita ſcriptis celebris.

LU-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LUDOVICUS Puteanus: Delphinas, fil. Gulielmi, Medici celebris, ex Græco plurima Gallicè vertit.

LUDOVICUS Raduſius, JC. Leodienſis. Val. Andr. *Bibl. Belg.*

LUDOVICUS Regius, Normannus, Criticus inſignis. Epiſtolis & vitâ Budæi editis primùm innotuit, dein poſt varia itinera reverſus in Galliam, Lutetiæ, ubi Regius Profeſſor factus eſt, plurima edidit, atque è Græco Gallicè vertit. à Joachimo Bellajo verſibus laceratus. Obiit A. C. 1579. Sanmarth. *Elog. Doct. Gall. l.* 3.

LUDOVICUS Riccius, Neapolitanus, Ep. Surrentinus, in Jus Canonicum varia ſcripſit. *Laur. Craſſus.*

LUDOVICUS Rodolphus, JC. Veronenſis, Jul. Puteano celebratus.

LUDOVICUS Ruſſardus, Avarici Juris Profeſſor, plurima edidit. Simler. *in Bibl. Geſn.*

LUDOVICUS Sangelaſius de Lanſaco, Orator Galliæ Regis in Conc. Tridentino.

LUDOVICUS Saracinus, Lugdun. & *Savotus*, Medici ſcriptis celebres.

LUDOVICUS Sardus, Ferrarienſis. JC.

LUDOVICUS Schmidius, Medicus, ſcripſit *de Scorbuto, de graviſſimo vulnere capitis, &c.*

LUDOVICUS Septalius, Mediolanenſis, Medicus inſignis, Ticini Profeſſor, a Bavariæ Duce Ingolſtadium, à Mag. Florentiæ Duce Piſas, Bononiam porrò Pataviumque vocatus, privatus vivere maluit. A Rege Hiſp. primarius Medicus Mediolan. dictus, A. C. 1628. Obiit A. C. 1633. Scripſit *Comm. in Ariſt. Problem. Comm. in Hippocr. de Aëre, Aquis, & Locis. Cautiones ad vulnera curanda, de nævis, &c.* J. Bapt. Silvaticius, *de Colleg. Med.* Salvator Vitalis, *Theat. Mediol. Joh. Anton. vander Linden. de Script. Medic.*

LUDOVICUS Simoneta, Mediolan. Card. Præſes Conc. Tridentini.

LUDOVICUS Tremollius, Vicecomes Thouartii, Dux exercituum in Gallia & Italia, Præfectus Burgundiæ, ſub Car. VIII. Lud. XII. & Franciſco I. Pater ex Gabriela Borbonia, ſorore Car. Conneſtabilis Car. Talmontii Principis, in prælio ad Marinianum, Occiſi, A. C. 1515. Sub Car. VIII. Britones devicit, A. Æt. 25. dein in occupândo regno Neapol. & prælio ad Fornouam fortem operam navavit. Sub Lud. XII. Ducatum Mediolan. occupavit, Sfortiâ capto: Imp. Papæque conatibus obſtitit, Venetos cæcidit, redux Divionem obſeſſam ab Helvetiis liberavit, his Regi reconciliatis. Sub Franciſco I. interfuit prælio ad Marinianum, Anglos Picardiâ expulit, &c. Occiſus in obſidione Ticini, An. Ær. 80. cùm Franciſcus Rex captus eſt. Dictus *Eques ſine probro.* Illum Guicciard. primarium totius orbis belli Ducem, P. Jovius Seculi ſui decus vocat. Ex Lud. Borgia, ſecunda uxore, nullâ prole ſuſceptâ. Joh. Bouchet. *Hiſt. Trem. & Aquit.* &c. Vide quæ de illo Barclajus habet, *in Icone animorum.* Fil. fuit Lud. Tremollii.

LUDOVICUS Turrius, Carthuſ. Leodienſis, metricè Generales Ordinis ſui deſcripſit. Petrejus *B. C.* Val. Andr. *B. B*

LUDOVICUS Valetta, Card. Archiep. Toloſanus, fil. Lud. Eſpernonii. Animo bellorum cupiente; præfuit exercitibus in Germania, Belgio, Italia. Obiit prope Taurinum, A. C. 1639. Morer. *Dict. Hiſt.*

LUDOVICUS Varambonius, Card. Sebuſianus, interfuit Conc. Conſtantienſi & Senenſi: ubi factus Ep. Lauſannenſis, Amadeum VII. Ducem Sabaudiæ infeſtum habuit, qui à Conc. ad Papam appellavit, indigniſſimè hoc ferente Conc. Baſilienſi: Poſtmodum hic Papa electus illum in pretio habuit. Obiit Romæ, A. C. 1455. Æn. Sylvius, *Idem*

LUDOVICUS Vartomannus, Bononienſis, itinerarium Æthiopiæ, Ægypti, Arabiæ, Syriæ, &c. edidit. Archangelus Madriganius Latinè vertit. Voſſ. *de Hiſt. Lat.*

LUDOVICUS Vaſſæus, Catalaunus Medicus, ſcriptis celebris, Simler. *in Bibl. Joh. Anton. vander Linden, de Scr. Med.*

LUDOVICUS Vignatius, Auditor Rotæ, vir celebris. Jan. Nicius Erythræus, *in Pinacoth.*

LUDOVICUS Vives (Joh.) Valentiâ Hiſpanus, præcipuum Sec. ſui decus. Londini, Lovaniique elegantiores literas docuit. Autor inter Comm. in Auguſt. *de Civ. Dei* &c. Opera ejus 2. volum. in Fol, Baſileæ impreſſa, A. C. 1555. Purioris religionis cognitione hauſtâ, Obiit A. C. 1536. Paul. Jov. *in Elog. Doct. c.* 145. Alphonſus Garcias *de Doct. Hiſp.* Val. Andreas, *in append. B. B.*

LUDOVICUS Zuichius, JC. Veronenſis Jul. Puteanus, *in Elog. Doct. Veron. Coll. &c.*

LUDOVICUS, nomen monetæ aureæ Franciċæ, 11. libr. in cujus antica parte Rex laureatus conſpicitur, adſcripto nomine LUDOVICUS XIII. vel XIV. (ſub his enim cuſi ſunt) in altera crux, inter quaterna lilia totidemque coronulas, cum lemmate ſolito, CHRISTUS REGNAT. VINCIT. IMPERAT. Idem nomen argenteæ monetæ 3. libr. eorundem Regum, in cujus una parte Rex, in altera Franciæ & Navarræ inſignia viſuntur. Vide Richeliet. *Dict. Gall.*

LUDOVISIUS Obeliſcus, vide infrà *Obeliſcus.*

LUDRON, opp. Comitatûs Tirolenſis.

LUDUS, à LYDIS, qui ex Aſia tranſvenæ, Duce Tyrrheno, cùm fratri ſuo regni contentione cederet, in Hetruria conſederint, ibique inter cæteros ritus ſuperſtitionum ſuarum ſpectacula quoque religionis nomine inſtituerint, quibuſdam dictus videtur. Varro *Ludos* à *ludo* vel *luſu* appellatos ſcribit: quæ tamen ſic alii diſtingunt, ut *Ludus* dicatur, qui cum periculum, tum ſpem ſibi propoſitam habet: *Luſus*, qui nil niſi ſolam voluptatem. Cum Schola *Ludus* vocatur, videtur vox potius à *luendo*, vel *laude*, quæ præcipue in ea quæritur, originem duxiſſe: Vel ſic dicitur, quia in ea per *ludum* ad ſeria ſit præparatio, ſicuti *Ludi* olim ſolebant eſſe ante ſolennia. Propriè animi remiſſionem, per breve carmen, vox *Ludi* denotabat primitus, qua qui utebantur, dicebantur *ludere.* Undè Virg. *Eclogâ* 1. *v.* 10.

> Ludere *quæ vellem, calamo* ———

Et Phædr. *l.* 4. *Fab.* 1. *v.* 2.

> *Dum nihil habemus majus*, calamo ludimus.

Vide Plin. *l.* 7. *Ep.* 9. Dein factum quodcunque jocoſum denotare cœpit, in facto enim propriè *Ludus* eſt, quemadmodum jocus in verbo: quamvis *interdum jocus in facto, & ludus in verbo*, Valla. Tandem ad locum ipſum exercitationis deſignandum vox adhibita eſt, unde *Ludum gladiatorium, Ludum matutinum* &c. apud Vett. legimus. Sed & pœnæ quoque mediocris genus *Ludus* ſtatuitur, à Paulo *l.* 5. *Sent. tit.* 17. Unde *ad Ludum damnari*, vel *in Ludum*, Plin. *l.* 10. *Ep.* 40. *Quidam vel in opus damnati, vel* in Ludum *& ſimilia his genera pœnarum.* Tertullian. *Lib. de Spectac. Etiam qui damnantur in Ludum, quale eſt, ut leviore delicti in homicidas emendatione proficiant.* Clem. Alex. *de Conſtitut. Apoſtol. c.* 1. Εἴ τις Χριστιανὸς κατεκρίθη ὑπὸ ἀσεβῶν, εἰς λῦδον, ἢ θηρία, ἢ μέταλλον, *Si quis Chriſtianus damnatus ſit ad Ludum, vel beſtias, vel in metallum.* Frequenter enim *Ludo* adjudicati Chriſtiani, donec id vetitum Impp. Valentiniano & Valente *leg.* 8. *de pœn. in Cod. Theodoſ.* Servos *in ludum venatorium* dari fuiſſe ſolitos, patet *ex leg.* 8. §. *ult. ff. de pœnis.* vide infrà *Venatorius ludus.* In plurativo numero, *Ludi* ſunt ſpectacula publica & celebritates, quæ vel placandæ Deûm iræ, vel pro ſalute populi, vel gratiæ populi demerendæ causâ, olim edebantur: quales apud Rom. primus inſtituit Romulus Rex, Conſualibus celebratis; quem reliqui Reges, Conſules & Prætores, ut & tandem Impp. certatim ſequuti ſunt; qui *Ludos facere* vel *edere* dicebantur. Phædr. *l.* 5. *Fab.* 5. *v.* 4.

> *Facturus* Ludos *quidam dives nobilis*, &c.

Exhibiti autem primùm *Ludi* ſunt, in Inſ. Tiberina, nullo ad id certo conſtituto loco; ſed ab altera parte Tiberis pro meta erat, ab altera enſes ponebantur, teſte Serv. Virg. Interprete. Primus omnium Tarquinius Priſcus Circum Maximum extruxit, Liv. *l.* 1. *c.* 35. cumque prius ſtantes ſpectare ſolebant furcis tabulata ſuſtinentibus, circumquaque operta tecto fecit ſedilia, loco in 30. Curias diſtributo, ut Curialium quiſque ſuo loco ſpectaturus ſederet, vide Dion. Halic. *l.* 3. In Circo itaque *Ludi* Circenſes, ſed in Theatro, Scenici exhibiti ſunt: quemadmodum Gladiatorii in Amphitheatro. In quibus qui certaturi erant, dicebantur *committi.* Stat. *Theb. l.* 6. *v.* 372.

> ——— *Quoniam iſte duos fidiſſima Phœbo*
> *Numina* commiſit *Deus* in certamina *Reges:*

Fiebatque hæc commiſſio, nominibus certantium in urnam injectis atque indè à Prætore eductis &c. Vide quoque infrà *Ovile.* Porrò, præſidebat his Ludis, ſequiore ævo, vel Princeps ipſe, vel aliquis vice ejus. Et quidem, cùm in Circo ſedes ſeparatas, neque Senatus ante Claudium, neque Equites ante Neronem haberent, propterea ne Principi quidem certa ſedes fuiſſe videtur, utique Aug. tempore, naſcente adhuc Imperio. Igitur, ut Majeſtatis ſuæ rationem haberet, *è pulvinari ſpectavit*, i. e. ex eo Circi loco, ubi ſimulacra Deorum magnâ pompâ inferri & circum metas geſtari ſolita, collocabantur: quæ pars Circi videtur ad Euripum fuiſſe, qui medium ſtadium cingebat, ſicut in Theatro honeſtiſſimus locus ad Podium erat. Aug. *in Ep. ad Liviam* ſuper Claudio, *primam frontem ſpectaculorum* vocat; qui inde ſpectavit *ſedens*, non, ut Nero poſtea, accubans, ſ. Deus aliquis vivus inter ſimulacra mortua. *Cum uxore & liberis*, non inter imagines ipſas Deorum. Interdum verò, invidiæ declinandæ causâ, *è cœnaculis amicorum liberorumque* Ludos eos ſpectavit, Suet. *in Aug. c.* 45. ad quem l. Vide Iſ. Caſaub. *Animadverſ.* Ut autem Ludorum magnificentiam ad poſterorum quoque notitiam Principes porrigerent, pingi eos curârunt, in locis illuſtrioribus Urbis, quo de more vide Caſaub. *ad Peſcenn. Spartiani*, & Salmaſ. *ad Carin. Vopiſci.* Idem Caſaub. triplicem olim *Ludorum* & Agonum exhibendorum cauſam aſſerens, primam *Deorum religionem*, alteram *Mortuorum* ὁσίαν, tertiam *Edentium honorem*, facit. Et quidem, qui ex duabus prioribus cauſis exhibebantur, ſacros ferè & inviolabiles, eorumque originem longè antiquiorem, ſerò enim tranſiiſſe *Ludos*, ab honoribus Deorum & Mortuorum, ad honores viventium, Quæſturas viz. Magiſtratus, Flaminia, ac Sacerdotia; poſtea verò rem ita in frequenti uſu fuiſſe, ut temporibus Aug. nemo aliquem locum honeſtiorem in Rep. ſortiretur, quin magnam patrimonii partem in editione ſpectaculorum aut impenderet, aut impendiſſet, docet *ad Suet. ubi ſuprà c.* 45. Vide quoque hîc paſſim, inprimis ubi de formula, *Conſulatum edere*, & plura hanc in rem apud Onuphr. Panvin. *l. de Ludis Rom.* item *de Ludis Secularibus*, Jul. Cæſ. Scalig. *poët. l.* 1. *c.* 28 & 31. Hier. Mercurialem *de arte Gymnaſt.* Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. cum *Paralip.* Thom. Dempſter. Fabrum *Agoniſtic.* Alios; nec non hic infrà. Græcorum verò *Ludi*, alii *Sacri* erant, ἱεροὶ ἀγῶνες, qui & στεφανῖται & φυλλινῖται & φυλλοφόροι, h. e. *coronarii* & *foliacei* dicebantur, quòd in iis non argentum; aut quidpiam tale, ſed corona & quidem foliacea ſolùm, victori præmii loco proponeretur, celebres nempe illi IV. *Olympia, Pythia, Nemea, Iſthmia:* alii *Non ſacri*, ἀργυρῖται, & δωρῖται ἀγῶνες appellata, in quibus mercedis cauſâ decertabatur. De quo diſcrimine extat inſignis locus apud Plutarch. quo docemur præmia Sacrorum certaminum, *præter coronam*, fuiſſe *inſcriptionem, tabulam, decretum, ramum oleæ*, h. e. iis Athletis, qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

qui in hiſce certaminibus victores eſſent, propoſita fuiſſe præmia honoris, gloriæ, laudis & famæ perennis; At aliis certaminibus, quæ tanti non eſſent, *dona ex argento, ære, ebore, talibuſque*, quæ veriùs eſſent compendii, quam illius celebritatis, quæ generoſiſſimi cujuſque pectus acuat, vide eum Πολιτ. παραγγ. Et quidem horum illi in celebritate totius Græciæ peragebantur: iſtos exercendæ juventuti unaquæque civitas inſtituit. In illis omnes Athletæ ingenui fuêrunt, ad iſtos etiam ſervi videntur admiſſi &c. qua de re vide plura apud Scalig. ubi ſuprà *l.* 1. *c.* 28. & 31. Fabrum it. C. Paſchal. *Coron toto l.* 6. ubi totam Sacrorum ſ. Gymnicorum cæterorumque Ludorum Hiſtoriam accurate exhibet, ut & infrà ubi de *Olympionicis*. Vide etiam aliquid ſuprà ubi *de Certaminibus*, item in voce *Hieronica*. Sed & quoties læti adveniebant nuncii, *Ludos* & Convivia publicè Romæ Atheniſque habita, legimus: *Ludicros* viz. in quibus voluptati litabatur. Vide Caſp. Barth. *ad hocce Statii Theb. l.* 8. *v.* 218. & *ſeqq.*

At non Sidoniam diverſa in parte per urbem
Nox eadem vario producunt ſidera Ludo
Ante domos, intraque: ipſæque ad mœnia marcent
Excubiæ ———

Ludos Romanorum hic ſtrictim damus: *Græcorum* pleroſque *Inſcriptio* exhibet illuſtri Athletæ Megarenſi facta, cujus ſuprà meminimus, ubi *de Hieronicis*.

Ludorum Sacrorum apud Rom. genera.

Apollinares, ſoli ſtati fuêre ludi, & celebrabantur in honorem Apollinis, victoriæ ergo; his præerat Prætor, populus ſpectabat coronatus, matronæ ſupplicabant, vulgò apertis januis epulabantur, eratque dies omni cerimoniarum genere ſacer: prid. Nonas Quintiles. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 11. & *l.* 5. *c.* 17.

Auguſtales, in honorem Aug. Diis annumerati, habebantur. Præerant illis Tribuni Pl. veſte triumphali, &c. Idem *l.* 4. *c.* 14. & 20.

Baccho ſacra erant Liberalia, & *Ludi* Scenici, vide infrà.

Capitolini, Jovi Capitolino ſacri, ob ſervatum à Gallis Senonibus Capitolium, fiebant à vicanis prætextatis: His Sardos venales proclamari & ſenem quendam ludibrii gratiâ, cum bulla de collo ſuſpenſa, produci fuiſſe ſolitum, notat Plutarch. *Quæſt. Rom.* 53. Idem *l.* 5. *c.* 18.

Cereales, à matronis agebantur, repræſentantibus luctum Cereris, ob raptam Proſerpinam, & ejus peregrinationem cum face quæritantis filiam. Pompa producebatur cum Deorum ſignis & ovo. Utebantur autem matronæ veſte alba, quemadmodum & viri toga candida induti ſpectabant: nec fas iis erat epulari, ante noctem. Idem *l.* 5. *c.* 14.

Circenſes, in honorem Neptuni: ſicut pompa Circenſis, in Solis honorem, inſtituti ſunt. Hi ferè per ſervos tantùm agebantur, omnibus exercitationum generibus. Pugnabant enim pugnis, cæſtibus, gladiis, fuſtibus, haſtis, pilis &c. Gladiatores dimicabant variis modis: Edebantur cum beſtiis certamina: Curſu, ſaltu, jaculatione, decurſione equeſtri &c. pugnabatur. Idem *l.* 5. *c.* 4. & 5.

Compitalitii, à Serv. Tullio: in honorem Deorum Larium inſtituti, celebrabantur in compitis, ab agreſtibus, d. 9. poſt Kal. Januarias. Idem *l.* 5. *c.* 20.

Conſuales, honori Neptuni deſtinati, à Romulo: His ferventibus Sabinarum mulieres raptæ ſunt. Dicuntur quoque *Magni*, *Romani*, item *Circenſes*.

Florales, quatuor ultimis Aprilis diebus, celebrari ſolebant, in honorem Floræ; poſtea in Majum tranſlati. Idem *l.* 5. *c.* 15.

Liberalia, in honorem Liberi Patris, à ruſticis, agebantur, ob vini inventionem.

Magni, vel ab impenſis, vel à magno Rom. Deo Conſo, appellati, iidem fuêre cum Conſualibus. Vide quoque infrà *Votivi*.

Martiales, ſacri erant Marti, & peragebantur 4. Idus Maji, in Circo, cum equorum decurſu & venatione. Idem *l.* 3. *c.* 16.

Megalenſes ſ. Megaleſia, vide infra. Idem Ibid. *c.* 13.

Neptunales, celebrabantur in honorem Dei, à quo iis nomen menſe Julio, 10. Kal. Sextileis.

Palatini, in monte Palatino, an in honorem Julii Cæſaris, an Aug. à Livia, inſtituti fiebant. Idem *l.* 5. *c.* 20.

Piſcatorii, 7. Id. Junii fervebant, trans Tiberim, & agebantur à Prætore Urbano, pro piſcatoribus Tiberinis, quorum quæſtus non in macellum pervenit, ſed ferè in aream Vulcani. Idem *l.* 4. *c.* 10.

Plebeji, poſt exactos Reges, pro libertate plebis, aut poſt ſeceſſionem in montem Aventinum, pro reconciliatione ejus, inſtituti, edebantur ab Ædilibus plebis, in Circo à die 17. Kal. Nov. per triduum. Idem *l.* 5. *c.* 20.

Romani ludi, ſub Regibus inſtituti, iidem cum *Magnis*, à Romulo in Conſi honorem inſtitutis, primùm Circenſes: dein Scenici fuêrunt. Edebant eos olim Reges, poſtea Conſules. Idem Ibid. *c.* 19.

Saturnales, Saturno ſacri, multis ſeculis Urbis cunabula præceſſêre: Celebrabantur die 14. Kal. Januarii, per ludos & jocos, ſervis quoque pro tempore loquendi faciendique licentia datâ.

Scenici, ſic dicti quòd in umbra fierent, à Græcis orti, A. U. C. 389. Romanis primùm in uſu eſſe cœpêrunt, occaſione peſtilentiæ ingentis. Agebantur per Satyras, Comœdias, Mimos, Tragœdias &c. Idem Ibid. *l.* 5. *c.* 2. & 6.

Seculares, celeberrimi fuêre, ſingulis centenis Annis, an ſemel hominis ætate, habiti, in honorem Apollinis ac Dianæ, per triduum. Iidem & *Tarentini* dicti ſunt: non ab urbe Tarento, ſed à loco Tiberi urbique Romæ propinquo, in quo ara cum titulo Ditis & Proſerpinæ reperta, terra ſolebat obrui, donec adveniente *Ludorum* tempore illo refoderetur & in ea Diti ac Proſerpinæ ſacra fierent. Undè Auſ.

Trina Tarentino celebrata trinoctia ludo.

Idem *l.* 5. *c.* 21.

Tarpeii dicti ſunt, quos Romulus Jovi Feretrio, in monte Tarpejo, inſtituit.

Taurii, Diis Inferis ſacri, regnante Tarquinio Superbo, cùm magna in mulieres gravidas incidiſſet, peſtilentia, inſtituti, fiebant in Circo Flaminio, extra portam Carmentalem. Dicti ſunt à *Tauro*, cujus carne plebi divenditâ, peſtis originem habuit: Aliter *Boaria* & *Bupetia*. Idem *l.* 5. *c.* 22.

Votivi, qui à Magiſtratibus ad bellum ituris vovebantur, & poſt res feliciter geſtas & obtentam victoriam, ſolebant exhiberi. Tales erant illi, quos *Magnos* cognominârunt, quòd in honorem Jovis, quem principem Deorum putabant, fierent. Votum fiebat hoc modo: *Si duellum, quod cum Antiocho Rege ſumi populus juſſit, id ex ſententia Senatus Populique Rom. confectum erit, tum tibi Jupiter Populus Rom. ludos magnos dies decem continuos faciet donaque ad omnia pulvinaria dabuntur de pecunia, quantam Senatus decreverit*, &c. Liv. *l.* 34. *c.* 43. Pertinent huc *Ludi Decennales* à Cn. Octavio Aug. inſtituti, prætextu quodam ad Imp. titulum Monarchiæque poteſtatem ſine invidia retinendam. Vide quoque infrà. *Quinquennales*, ab eodem, poſt victoriam Actiacam, celebrari juſſi. *Vicennales*, qui 20. quoque Imperii Anno exhibebantur, Euſeb. *de Vita Conſt. l.* 3. *Victoriæ*, quorum Sulla autor, bello civili, Octobri per dies 5. celebrari ſoliti; &c. Idem Ibid. *c.* 22.

Ludi apud Rom. Honorarii.

Caſtrenſes, dicti ſunt, quibus in caſtris milites exercebantur; Horum meminit Suet. *in Tib. Ner. c.* 72.

Funebres, vetuſtiſſimi fuêre, quippe Æneas ad Pallantis, Achilles ad Patrocli rogum mactâſſe inferias, cum *Ludis*, leguntur, unde etiam Gladiatorum mos ſine dubio ortus eſt. Idem *l.* 5. *c.* 24.

Gladiatorii ludi, aliàs *Munera* dicti, à Græcis ad Rom. funerum occaſione tranſlati, poſtea ad populi oblectationem aliis quoque temporibus, imò & in conviviis, exhiberi cœpêrunt. *Idem Ibid.*

Juvenales, à Nerone primùm inſtituti, cùm barbam deponeret, privati priùs erant, mox paſſim in eos data ſunt à pluribus nomina. Agebantur autem per domos ac hortos. Fuêre & Juventutis *Ludi*, quos Salinator, Senenſi prælio, vovit. Idem *l.* 5. *c.* 22.

Miſcelli, videntur fuiſſe ex variis multiformibuſque ludicris commixti. *Idem Ibid.*

Natalitii, in natalibus magnorum Virorum edebantur: Jul. Cæſaris 4. Idus Julias: Nervæ 4. Kal. Dec. Titi 9. Kal. Jan. Hadriani 4. Kal. Nov. Antonini Kalendis Aprilibus, &c. *Idem Ibid.*

Scenici Hiſtrionibus ex Hetruria accitis, A. circiter U. C. 400. agi cœpêrunt, non ſolùm in Deorum honorem, vide ſuprà, ſed ad popularem inſuper auram captandam. Idem *l.* 5. *c.* 2. & 6.

Triumphales, poſt inſignes victorias, celebrari ſolebant. Idem *Ibid. c.* 22.

Trojani ſ. Troici, celebrabantur, in Circo, à pueris majoribus minoribuſque, turmatim congredientibus &c. *Idem Ibid.*

Ludi Romanorum privati ac ludicri.

tribus.

Alea, pro quolibet ludo, in quo Fortuna & caſus dominantur, accipitur, atque etiam pro Talis & Teſſeris, à quibuſdam ſumitur. Romanis legibus interdicta, exceptis Saturnalibus.

Capita vel navim, dicebatur ludus, qui fiebat, nummo in cujus altera parte Janus biceps, in altera navis cuſa erat, in ſublime jacto, ut attenderetur, utrâ parte in terram relaberetur. Ei apud Anglos reſpondet *Croſs and pile*.

Duodecim ſcriptorum Petronio memoratus, admodum ſimilis eſt illis, qui hodie *Trictrac*, aut *Verkeeren*, aut *Lurtſchen*, aut ſimplicius genus *aus und ein*, Gallis Germaniſque utriſque appellantur. Joh. Frid. Gronov. *de Pec. vet. l.* 3. *c.* 15.

Fritillum, vide paulò infrà in voce *Tali*. Item in *Teſſera*.

Halteres, athletarum libramenta fuêre, oblongioris circuli figurâ, in quos indignabundus invehitur Mart. *l.* 14. Apoph. *Epigr.* 49. cujus Epigraphe alteres.

Harpaſtum, pilæ genus, fortè Angl. *à Foot-ball*, in terram rotabatur incredibili volubilitate: quo ludi genere ſe exercentes ſubligaria induebant.

Latrunculi, à Palamede inventi, etiam Viris in rep. eminentibus, in uſu fuêre: hodiè *Scacchia* vel *Scacchorum ludus*, appellantur. Petron *Edit. Gonſali de Salaſ. p.* 18. *Edit. Boch. c.* 33.

Nuces, pueris uſitatum ludi genus, de quo Ovid. *Nux. Eleg. v.* 75.

Quatuor in nucibus, non amplius, alea tota eſt.
Cum ſibi ſuppoſitis additur una

Par impar, Angl. *Even or Odd*, ludus erat, cùm unus nucum manibus comprehenſarum numerum ex altero ſciſcitaretur. Gr. ζυγὰ ἢ ἄζυγα. Horat. Serm. *l.* 2. *Sat.* 3. *v.* 248. *Ludere par impar.*

Petaurus, circulus erat, quem intactum certantes tranſvolabant. Satyricus Lucil. *Sicuti mechanici cum alto exiliêre petauro.*

Pila, exercendo corpori maximè idonea ſemper viſa eſt. Ea autem duplex, *Paganica* una, de qua Mart. *l.* 7. *Epigr.* 31. cujus Epigraphe ad Atticum *v.* 7. Trigonalis altera, cujus idem meminit *Epigr. ſeq.* Præter quas, Harpaſtum; Follis, Pila peculiariter ſic dicta, memorantur Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 2. *c.* 13. *ſ.* 3.

Scripta XII vide infrà, in hac voce, uti & in voce *Reginula*.

Tabula. *Ib.*

Tali & Teſſeræ, *ludi* erant non minùs in conviviis, quam latrunculi, recepti: inter quos id diſcriminis eſt, quòd tali ſex angulos haberent, teſſeræ tantùm quatuor. Græci ob id has κύβους, Latini *quaterniones*, illas *ſeniones* appellant. Jaciebant autem talos in fritillum, i. e. pyrgum, turriculam, occam vel pyxidem corneam, è cujus anguſto collo effuſi in tabulam ſtrepitum excitabant. Sidon. *Carm.* 23.

Hic promens teretes pilas trochoſque
Hic talos crepitantibus fritillis.

Trochus, puerili ludicrum & exercitamentum fuit, à Gr. verbo τρέχω; i. e. *curro*; dictus.

Aliter *Turbo*, item *Buxum*. Perſius *Sat.* 3. *v.* 51. *Buxum torquere flagello.* Et Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 382.

Impubeſque manus mirata volubile buxum.

Sed *Trochum* vocat cum Sidon. ante laudatus, tum Horat. *in Arte Poët. v.* 380.

Indoctuſque pilæ diſcive trochive quieſcit.

Ut de diſco, ſaltu, curſu, jaculo, luctâ aliiſque in præſens nihil addam. Vide præter laudatos Autores Lazium *Comm. de Rep. Rom. l.* 10. & quemque horum Ludorum *ſuo loco.*

LUDI Decennales, ſ. *Decennalia*, autorem habuêre Cn. Octavium Aug. prætextu quodam ad Imp. titulum Monarchiæque poteſtatem retinendam ſine invidia. Solebat enim decimo Anno, conſtituto hunc in finem ingenti ſpectâculo, ludorumque apparatu, Imperium populo reſignare, quod tamen ilico quaſi rogaretur, recepit. Quem morem cæteros quoque Imperatores ſequutos eſſe, refert Dio *l.* 53. Idem de Conſtantino Mag. Euſeb. *in Hiſt. Eccl.* & de Gallieno Imp. Trebellius Pollio narrant. De Gallieno verba Pollionis ita habent: *Interfectis ſanè militibus apud Byzantium, Gallienus quaſi magnum quid geſſiſſet, Romam curſu rapido convolavit: convocatiſque Patribus, Decennia celebravit, novo ludorum, genere novâ pomparum ſpecie, voluptatum genere exquiſito. Jam primùm inter togatos Patres & Equeſtrem ordinem, albatos milites & omni populo præeunte, ſervis etiam propè omnium & mulieribus cum cereis facibus & lampadibus præcedentibus, Capitolium petiit. Proceſſêrunt etiam altrinſecus centeni albi boves, cornibus auro jugatis, & dorſalibus ſericis diſcoloribus præfulgentes. Agnæ candentes ab utraque parte* 200. *præceſſêrunt & decem elephanti, qui tunc erant Romæ, mille ducenti gladiatores pompaliter ornati. Cum auratis veſtibus matronarum, manſuetæ feræ diverſi generis ducentæ ornatu quàm maximo affectæ. Carpenta cum mimis & omni hiſtrionum genere: pugiles ſacculis, non veritate pugilantes. Cyclopea etiam luſêrunt omnes apenarii, ita ut miranda quædam & ſtupenda monſtraret. Omnes viæ ludis ſtrepituque & plauſibus perſonabant. Ipſe medius cum picta toga & tunica palmata inter Patres, ut diximus, omnibus Sacerdotibus prætextatis, Capitolium petiit. Haſtæ auratæ altrinſecus quingenæ, vexilia centena, & præterea, quæ Collegiorum erant, Dracones & ſigna templorum, omniumque legionum ibant. Ibant præterea gentes ſimulatæ, ut Gothi, Sarmatæ, Franci, Perſæ: ita ut non minùs, quàm Ducum ſinguli globi ducerentur.* Severum iiſdem denos ſingulis aureos dediſſe, habes apud Caſaub. *Not. ad Hiſt. Aug.* Poſtea verò obtinuit, ut vota publica pro Decennalibus feliciter auſpicandis & ineundis ederentur, cujuſque decennii initio, quod ex nummis potiſſimùm Antonini Pii colligitur, quorum alii PRIMI DECENNALES, alii SECUNDI DECENNALES, præferunt; alii, VOTA SOL. DECEN. II. vel etiam, VOTA SUSCEP. DECENN. III. &c. Dico, *cujuſque decennii initio.* Namque in nummis Helvii Pertinacis, qui vix 4. menſes imperavit, VOT. DECENNAL. & in Pupieni Maximi, cujus Imperium haud biennii fuit, VOTIS DECENNALIBUS, ſcriptum legitur &c. Ad eundem modum, *Vota Vicennaliorum Tricennaliorumque* ſuſcepta, ut infra videbimus, ubi de *Votis* & *Votivis Nummis* de his ludis vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 22.

LUDI Megalenſes, in honorem Matris Deûm olim inſtituti, celebrabantur prid. Non Aprileis: quo feſto Patricii *mutitare*, i.e. mutua celebrare convivia, ſoliti ſunt, ſicut plebs Cerealibus, teſte A. Gell. *l.* 18. *c.* 2. Cic. *in Catone maj. Primùm ſemper habui ſodales. Sodalitates autem me Quæſtore conſtitutæ ſunt ſacris Ideæ Magnæ Matris acceptis: Epulabar igitur cum ſodalibus omnino modicè.* Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 351. *& ſeqq.* conviviorum horum cauſam innuens, ait:

Cur vicibus factis ineant convivia, quæro,
Tum magis indictas concelebrentque dapes?
Quòd bene mutârit ſedem Berecynthia, dixit,
Captant mutatis ſedibus omen idem.

Celebrabantur autem ſeptem continuis diebus, quibus præferri ſolitum ſolenni pompâ ante Deam, quidquid erat divitiarum, quidquid artificio admirandum, ludendique licentiam omnibus uſque adeò permiſſam fuiſſe, ut etiam perſonas, quaſcunque vellent, induerent, refert Herodian. *l.* 1. Etiam Comœdias Autoribus Ædilibus hoc tempore actas fuiſſe, ex Terentio patet. Præcipua cerimonia imago erat Deæ, ad tibiarum cantum & ſtrepitum tympanorum per Urbem circumlata, quam lapidis figurâ fuiſſe, aſſerit Liv. Prudent. ſic deſcribit, περὶ στεφ. *Hym.* 14. *v.* 156. *& ſeqq.*

Lapis nigellus evehendus eſſedo,
Muliebris oris clauſus argento ſedet:
Quem dum ad lavacrum præeundo ducitis,
Pedes remotis atterentes calceis,
Almonis uſque pervenitis rivulum.

Arnob. eum non magnum, furvi coloris atque atri, anguliſque prominentibus inæqualem, fuiſſe docet. Ad hos ludos ſervis accedere nefas, Prætores verò ac Magiſtratus purpurati in toga & prætexta, atque ornatu maximo eos celebrârunt, unde *purpura Megalenſis* in Prov. venit. Ante Deæ ſimulacrum ludere matronas ſpectatæ pudicitiæ pſallereque fuiſſe ſolitas, adnotavit Alex. ab Alex. *Gen. Dier. l.* 6. *c.* 19. nec diebus illis quiſquam ſtipem cogendi veniam habebat, exceptis Ideæ Matris famulis: Fuêre vero hi ludi in Palatio celebrati. Aliter *Megaleſia* dicebantur, à templo, quod Peſſinunte, ubi illa Dea colebatur, μεγαλήσιον, teſte Varrone *de Ling. Lat. l.* 5. item μητρῷον, appellatum eſt. Cum ludis Diis magnis dedicatis malè quidam confundunt: hi enim, aliàs *Circenſes* quoque ac *Romani*, à Tarquinio Priſco inſtituti, pridie Nonas Sept. habebantur; *Megalenſes* verò Jun. Bruto Autore inſtituti, teſte Liv. *l.* 36. *c.* 36. pridie Nonas April. fervebant: hi Circenſes primùm, dein Scenici fuêre. Alia quoque à *Megalenſibus* fuêre Hilaria, dies etiam Matri Deûm ſacri, qui 8 Kal. Aprilibus, teſte Macrob. celebrabantur: quorum mentio apud poſterioris ſolùm ævi Scriptores, Vopiſc. *in Aurel.* Trebell. *in Claud.* Maximum Scholiaſten Dionyſii Areopagitæ, Damaſcium apud Photium *in vita Iſid.* Alios. Octavo Idûs April. ipſis *Megalenſibus* Caracallam interemptum fuiſſe, refert Spartian. *in ejus vita.* Vide Ant. Thyſ. *Notis in* A. Gell. *l.* 2. *c.* 24. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 13. & Thom. Godwyn. *Antholog. Rom. l.* 2. *c.* 5. qui omnes in Liv. *l.* 29. *c.* 14. cum ait: *In ædem Victoriæ, quæ eſt in Palatio, pertulêre Deam prid. Idus Aprilis*: legi volunt *pridie Nonas.* Vide quoque in voce *Megaleſia.*

LUDUS, vide ſuprà *Laſcivia*, *Ludere Ludi.*

LUDWALLUS, Valliæ Princeps, ſubjugatus ad Edgaro Anglorum Rege tributi loco certum luporum, quibus regnum tunc mirè infeſtatum erat, numerum quotannis pependit. Hinc brevi totâ Britanniâ lupi ſublati.

LUENTINUM, mel. *Loventium*, opp. Albionis in Vallia, teſte Villanavano. Camd. videtur vel locus exciſus in Comitatu Brechiniæ ad *Leveney* fluv. vel *Newcaſtle*, priùs *Elmelin*, vicus Carmardeniæ Com. apud Tivium fluv. Baudr. fuit opp. Silurum, terræ motu abſorptum; ubi nunc vicus *Llin Savatan*, in Com. Brechinienſi, in Vallia: cujus media pars. Camd. *Poweſland* dicitur. Vide *Loventium.*

LUG. in nummis Conſtantii, Juliani, & Julii Nepotis, *Lugduni* nota eſt. C. du Freſne *de inf. ævi Numiſmatibus.*

LUGANENSIS Præfectura, Helvetiis *Landvogtey Lauuis*, Gallis *Baillage de Lugano*, una ex IV. Ital. inter Mendriſianám Præf. ad Ort. & Locarnenſem ad Occ. in limite Duc. Mediol. ſub Helvetiis. Ibi Luganum opp. præc. Vide *Luganum* & *Lucanus lacus.*

LUGANUM, Ital. *Lugano*, Germ. *Lauuis*, opp. Italiæ eſt, ad lacum, quem quidam ab opp. *Luganenſem*, alii Gauni lacum vocant, qui ad lævam Larium, Verbanum à dextris habet, in quem ſeſe exonerat. Olim ſub Ducibus Mediolanenſibus, dein à Gallis occupatum, quorum tempore, A. C. 1511. ob nuntium Suitenſium hìc à Gallis undis merſum, inſigniaque horum contumelioſè habita, ager ab Helvetiis vaſtatus eſt: Poſtea A. C. 1513. dono Maximiliani Sfortiæ Ducis Mediol. in Helvetiorum manus pervenit. Caput præfecturæ *Luganenſis*, quæ inter 4. Italicas principem tenet locum: Ejus præfectus Capitaneus dicitur, & omnium Præfecturarum, belli tempore, imperium habet. *Luganenſium* appendix olim Mendriſium fuit. Stumpf. *l.* 9. *de Lepontiis c.* 9. & *de Rep. Helvet.* &c.

LUGANUS Lacus, vide *Lucanus lacus.*

LUGD. in nummis Gratiani & Valentiniani Jun. Vide ſuprà *Lug.*

LUGDUNENSIS Gallia, ab urbe Lugduno, velut à Metropoli ſua nomen accepit: quæ ante eam conditam, ab indigenis *Celtica*, à Romanis *Gallia* appellabatur. Licèt enim totius primùm Galliæ incolæ *Celtæ* dicerentur, tamen, ut inter Africæ provincias fuit *Africa* propriè dicta, ſ. regio Proconſularis, in qua Carthago: in Europa extrema inter 6. Thraciæ provincias fuit *Europa*, in qua Conſtantinopolis: in Aſia fuit Aſia minor, abſolutè Vellejo aliiſque *Aſia* vocata, in qua Pergamum eminet: Sic inter Celticæ provincias fuit regio, ab incolis, ut dictum, *Celtica*, à Rom. *Gallia* proprio nomine vocata, quæ poſtmodum *Lugdunenſis* accepit nomen. Ejus Legati Acilii Aciolæ meminit Tac. *Ann. l.* 3. *c.* 41. ubi ait, eum excitâ cohorte Lugduni præſidium agitante, rebelles Andicavos, ſub Tiberio, coërcuiſſe. Idem *Hiſt. l.* 2. *c.* 65. Jun. Blæſum, *Lugd. Galliæ rectorem* memorat, ſub Vitellio. Sic Suet. *in Ner. Claud. c.* 40. & 41. tradit, Julium Vindicem tum Gallos, i. e. *Galliam Lugd. pro Prætore obtinuiſſe.* Spartian. quoque Septimium Severum ante Imperium *Lugdunenſem prov.* Legatum accepiſſe, & Peſcennium Severo eo tempore, quo hanc provinciam regebat, amiciſſimum fuiſſe ſcribit. Hæc primùm à Garumna ad Sequanam, ad ſuperiores etiam Rheni partes pertinebat; ſed poſtea, cùm Sequani & Helvetii Belgicæ: & 14. gentes Garumnam inter & Ligerim Aquitaniæ ab Aug. ſunt attributæ, Ligere & Sequanâ claudi cœpit. Quæ res ut paulò altiùs repetatur, notandum, teſte Cæſare, *l.* 1. *c.* 1. Galliam omnem diviſam eſſe in tres partes, Belgicam, Celticam ſ. Galliam propriè dictam, & Aquitaniam: quæ in nummo Galbæ Aug. *tres Galliæ* & alteræ alteris proximæ, ac penè conjunctis vultibus femineis exprimuntur, habebantque ſub ſe 64. præcipuas gentes, & uno nomine *Comata Gallia* dicebantur. Omiſit Cæſar Galliam Narbonenſem ſ. Braccatam, quæ pridem Romanorum erat. Auguſtus dein, Galliam in 4. partes, Belgicam, Celticam ſ. *Lugdunenſem*, Aquitaniam & Narbonenſem diviſit, aut veriùs ſuas Galliæ partes 4. quas invenerat, reliquit; ſed Aquitanis per Agrippam atque Meſſallam perdomitis, aut pacatis, cùm intelligeret, Aquitaniam multò minorem eſſe, quàm ut pro quarta Galliæ haberi poſſet, eam ultra Garumnam uſque ad Ligerim protulit, Celticâ imminutâ, idemque Belgicæ fines auxit, ut dictum. Obtinuit hoc etiam ſub ſequentibus Principibus, Juliano quoque, Severo & Gabieno. Viennenſis provincia, ſub Hadriano Aug. videtur prioribus acceſſiſſe: Quibus Alpes Grajæ & Peninæ, ut & Alpes Maritimæ additæ ſunt, fortè ſub Conſtantino Mag. à quo pro quinque Galliæ provinciis circiter quatuordecim conſtitutæ eruditis videntur: Certè è Rufo Feſto, qui circa A. C. 370. ſub Valentiniano & Valente Impp. ſcripſit, colligitur, Narbonenſem Galliam pro una quatuor provincias: Narbonenſem, Viennenſem, Alpes Grajas & Alpes Maritimas: Aquitaniam pro una tres, Aquitaniam 1. 2. & Novempopulanam: Belgicam pro tribus quinque, Belgicam 1. 2. Maximam Sequanorum, Germaniam 1. & 2. *Lugdunenſem* tandem noſtram pro una duas, primam, in qua Lugdunum ac civ. Senonum, & ſecundam, ubi Rothomagus & Turoni, tum habuiſſe. Haud multò pòſt tres provinciæ Galliis iterum acceſſêre, & de 14. ſeptendecim factæ, atque pro una Narbonenſi, duæ; pro duabus *Lugdunenſibus* quatuor conſtitutæ ſunt à Valentinia-

no

no Aug. aut à fil. ejus majore Gratiano. Qui numerus diutiſſimè conſtitit: Donec Arelatenſis prov. quæ Viennenſis ſecunda dici poteſt, acceſſit. Poſtea ex ejus parte, nova facta eſt prov. Avennica, Avenione in Metropolim evectâ, circa A. C. 1322. quæ, quòd primùm portio prov. Viennenſis, exin Arelatenſis fuit, antequam novam ipſa componeret, Viennenſis tertia vel Arelatenſis ſec. vocari poteſt. Sequenti tempore Toloſâ à Joh. XXII. qui A. C. 1316. ſedere occœpit, metrop. dignitate aucta, prov. Toloſana initium ſumpſit, quam Narbonenſem tertiam non ineptè appellaveris. A. C. 1559. tres novæ provinciæ in Gallia factæ ſunt, Camaracenſis, quæ Belgica tertia dici poteſt, Trajectenſis & Machlinienſis. Lutecia tandem, quæ prov. *Lugdunenſis* 4. vel Senoniæ prius civitas erat, & ipſa in Metropolis decus erecta eſt. Unde nunc in Galliis provincias viginti quatuor, à ſua quamque Metropoli cognominatam, numerant: In quibus ſunt 15. metropoles cum ſuis provinciis & diœceſes 120. intra regnum Francorum, 9. Metrop. & 32. Diœc. extra. Plura de his vide apud Hadr. Valeſ. *Not. Gall. & in voce Lugdunenſis Gallia: ubi inter alia, de Gallia præ Hiſpania prærogativa ſub finem diſſerit.* Plin. *l.* 4. *c.* 18.

LUGDUNENSIS Prov. *le Lyonnois*, Galliæ tractus, ſatis parvus, Delphinatum inter & Breſſiam ad Ort. & Forenſem prov. ad Occ. Separatur à Delphinatu Rhodano: per 12. leuc. extenſa à Bor. in Mer. Caput Lugdunum eſt.

LUGDUNENSIS Sin. pars maris Mediterr. nautis formidabilis, inter Prov. ad Ort. & Cataloniam ad Occ. uſque ad Baleares, & ultra, extenſa; *Golfo Leone* Hiſp. *Golfo de Lyon* Gallis.

LUGDUNUM, Gallis *Lyon*, Hiſpan. *Leon di Francia*, Italis *Lione*, Anglis *Lyons*, emporium totius Gall. Celt. longè celeberrimum, à quo ea pars Galliæ *Lugdunenſis* dicta eſt; à L. Munatio Planco, dum Galliæ Comatæ præeſſet, conditum, in colle ſupra confluentem Rhodani & Araris imminente: Ubi etiam hodie non obſcura antiquæ urbis extant veſtigia. Habuit hæc urbs templum inſigne, communi Galliæ totius impensâ extructum, & Cæſari Aug. conſecratum eâ parte ante urbem, ubi amnes confluunt: ibique ara dignitatis eximiæ erat gentium ſexaginta titulo inſignis, dicatis ibi totidem gentium ſimulacris. Ad hanc aram à Caligula Cæſ. teſte Suet. *eo c.* 20. *inſtitutum fuit certamen Latinæ, Græcæque facundiæ*, idque eâ lege, ut victoribus victi præmia conferrent, eorumque laudes componere cogerentur. Qui verò maximè diſplicuiſſent, ſcripta ſua ſpongiâ linguâve delere cogebantur, niſi ferulis verberari, aut flumine proximo mergi maluiſſent. Juv. *Sat.* 1. *l.* 1. *v.* 42.

——— ——— ——— *Et ſic*
Palleat, ut nudis preſſit qui calcibus anguem;
Aut Lugdunenſem *Rhetor dicturus* ad aram.

Hæc autem urbs tam inſignibus, totque egregiis ornamentis nobilitata, teſte Senecâ *in Ep.* ſub imperio Neronis, centeſimo Anno à quo fuerat condita, unâ nocte conflagravit. Hodiè urbs eſt permunita & Archiepiſcopal. ad confluentes Araris in Rhodanum. 100. leuc. à Lutetia in Auſtr. uti 22. à Cabillone, 5. à Vienna in Bor. uti 36. ab Avenione, & 60. ab Auguſta Taurinorum in Occ. In prov. Lugdunenſi eſt, in ipſo limite Delphinatûs, à quo Rhodano ſeparatur. Baudr. In vett. inſcriptionibus *Colonia Claudia Copia:* Herod. *ingens & beata civitas:* Ptol. *illuſtris metropolis:* Sidonio Apollinari *Rhodanuſia*, quòd nulla ei ad Rhodanum par, vocitata eſt. Romani inprimis hanc urbem, utpote maximè opportunam, excoluêrunt, ibi Granario & Emporio celeberrimo inſtituto. Poſtquam Plancus huc coloniam deduxit, Aug. integrum in ea triennium commoratus, ibi templum condidit, & *Sodales Auguſtales* inſtituit. Cajus dein Caligula varios hîc ludos, vide ſupra, celebrari juſſit, & poſt retrò memoratum incendium, munificentiâ Neronis, reparata eſt. Præter Claudium Imp. Germanici quoque, Caracallæ & Getæ patria, ſedeſque Nobilium, & in quavis ſcientia celeberrimorum Virorum receptaculum ſemper fuit. Interim à Severo Imp. quòd Albino adhæſerat, duriter habita & magna ex parte exuſta eſt, Chriſtianis inprimis crudeliſſimè tractatis. Ibidem Magnentius tyrannus, audito Conſtantium adventare, propriis, Gratianus verò Andragathi manibus cecidit. Majoranus poſteà, Sidonii Apollinaris precibus motus, urbi priſtinum decus reddidit. Nihilominus iterum Alemannorum, Gothorum, & Saracenorum tandem Sec. 8. incurſionibus Fortunæ vices ſenſit: & Præt. Sec. bello civili flagrante, varia experta eſt. Rerum hîc Romani primùm Domini fuêre, uſque ad Honorium, ſub quo Stilicho illam, ob opem contra Gothos fortiter præſtitam, conceſſit Burgundionibus, qui regni eam ſui conſtituêre caput. Poſtea ad Francos pervenit, circa A. C. 532. quo Clodomirus, Sigiſmundum Regem necavit, hujuſque fratrem Gundemarum Childebertus & Chlotarius regno pepulêre. A. C. dein 955. à Francis data eſt Conrado I. Regi Burgundiæ Transjuranæ, cui Mathildis Lud. IV. Regis filia nupſerat: Sed poſt mortem Rodulphi III. Regis cùm Burgundiæ regnum miſerè diſcerperetur, Archiepp. Lugdunenſes & Comites Foreſtii, diu inter ſe de jure in urbem colluctati ſunt: manſêruntque ſuperiores Comites uſque ad A. C. 1173. quo Guido II. & Guido III. pater & fil. Guichardo Archiep. ceſſêrunt. Poſt hæc, variis turbis agitata civitas fuit, cives inter & miniſtros Præſulis ortis ſæpe diſſidiis, uſque ad tempora Phil. Pulchri Regis qui à Petro Sabaudo Archiep. jus ſeculare nactus eſt; quo tempore Conſulatus initium ſumpſit: Poſtquam civibus favens contra Præſulem Phil. III. Rex poteſtatem illis publicè conveniendi indulſiſſet. Sic à Phil. IV. veniâ 12. Senatores, quibus Coſ. præſideret, quotannis eligendi impetratâ, uſi ſunt Lugdunenſes hoc regimine, uſque ad A. C. 1595. quo Henr. IV. Præfectum Mercatorum *Prevot de Marchands*, & quatuor Scabinos *Eſchevins* inſtituit, Conſulatu, cui Car. VIII. A. C. 1495. jus Nobilitatis conceſſerat, antiquato. Eccl. Lugdunenſem S. Photinus & S. Irenæus fundâſſe dicuntur, Galliæque Primas Archiep. eſt, à tempore Greg. VII. circa A. C. 1079. Ei ſuffragantur Epp. Auguſtodunenſis, Lingonenſis, Cabillonenſis, & Matiſconenſis: Templum prim. S. Joh. Baptiſtæ ſacrum eſt. Clem. hîc V. A. C. 1305. coronatus eſt, in præſentia Franciæ, Angliæ & Arragoniæ Regum. Concilia quoque varia habita, inprimis A. C. 1245. ſub Innoc. IV. contra Frid. II. Imp. quem cùm quidam eò accerſendum eſſe ſentirent, deprecatus eſt Pontifex, nondum ſibi ſat animi eſſe ad martyrium ſubeundum cauſatus, & A. C. 1274. à Greg. X. ad Latinam Eccl. cum Græca uniendam. Præcedente Sec. Euangelicam doctrinam non pauci incolarum amplexi ſunt, quorum hodie non exiguus numerus, in loco *S. Romain*, bihorio ab urbe diſtante, ſacra ſua obeundi veniam habent. *Lugdunum* olim dicta fuit *Lugduna* Steph. Eam peculiari libello deſcripſit Symphorianus Campegius & Gallicâ linguâ Lugdunenſem Hiſtoriam prolixè perſecutus eſt G. Paradin. *Lug* verò, unde *Lugduno* nomen, corvum exponit Clitophon Rhodius Hiſtoricus, qui τῶν *κτίσεων*, ſive Originum libros ſcripſit. Ex quorum 13. hæc citantur apud Plutarch. *l. de fluviis in Arari. Cùm Momorus, & Atepomarus à Seſeroneo regno dejecti, in eo colle ex Oraculi præcepto urbem ædificare vellent, jactis jam fundamentis, corvi ſubitè apparentes, expanſis alis arbores quæ circa erant replevêre; Momorus autem augurii callentiſſimus, civitatem Lugdunum vocavit.* Λοῦγον γὰρ τῇ σφῶν διαλέκτῳ τὸν κόρακα καλοῦσι, δοῦνον δὲ τὸν ἐξέχοντα: *Lugum enim linguâ ſuâ corvum vocant, Dunum verò locum eminentem.* Vide præter vett. Scriptores Sidon. Apollin. *l.* 1. *Ep.* 5. Gregor. Turonenſem *l.* 1. *& ſeqq.* Symphor. Campegium *de Hier. Eccl. Lugd.* Gul. Paradin. *Memoir. de l'Hiſtoire de Lyon.* Claud. de Rubis, Joh. de S. Aubin. & Meneſtrier. *Hiſt. de Lyon.* M. de Marca *de Prim. Lugd.* Jac. Severtium *Chron. Hiſt. Præſul. Lugd.* la Mure, *Hiſt. Eccl. du Dioceſe de Lion*, aliosque laudatos Morer. *Dict. Hiſt. ubi prolixè de celeberrima hac urbe agit*, ut & infrà in voce *Lugdunum Seguſianorum.* Ejuſdem crebra in vett. nummis mentio, ut apparet ex notis, APLC. CLC. LUG. LUGD. LUGPS. MNLB. PL. PLC. PLG. PLM. PLN. RSLC. in iis occurrentibus. Nempe *Lugdunum*, inter Gallicæ Monetarias officinas prima fuit, *Not. Imp.* legiturque in nummo æreo Juliani, ſub bove in eo efficto, LUGD. OFF. S. h. e. *Lugdunenſis officina ſignavit.* Vide hîc paſſim. Quæ Præt. Sec. turbis inteſtinis Galliæ hîc geſta, exhibet Thuan. *in Hiſt.* Jul. Cæſ. Scalig. de illa:

Flumineis Rhodanus quâ ſe fugat incitus amnis,
Quaque pigro dubitat flumine mitis Arar,
Lugdunum *jacet, antiquo novus orbis in orbe,*
Lugdunumque *vetus orbis in orbe novo;*
Quod nolis, alibi quæras; hîc quære, quod optas;
Aut hîc, aut nuſquam vincere vota potes.

Strabo *l.* 4. *p.* 177. 186. & 208.

LUGDUNUM Aquitaniæ, Idem *l.* 4. *p.* 191. 192. & 193. Vide *Elorona.*

LUGDUNUM Batavorum, urbs ampla & culta Belgii in Hollandia. Λουγόδουνον Βαταουῶν Ptol. Æthico *in Itin.* dicitur *caput Germaniarum*, i. e. initium provincc. ambarum, Germ. inf. ſ. ſecundæ, & ſup. ſ. primæ, vulgò *Leyden.* Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. p.* 346. & Cluv. *de Rheni alveis*, *c.* 20. Ad antiquum Rheni alveum, cum Acad. percelebri. Nota eſt obſidione & clade Hiſp. A. C. 1574. Sita in medio penè cæterarum urb. quippe Delphis 3. Amſtelodamo, Dordraco, Ultrajecto 7. leuc. diſtat: Totius Hollandiæ, poſt Amſtelodamum, populoſiſſima, & caput agri Rhenolandici.

LUGDUNUM Clavatum vel Cloatum, nunc *Laudunum*, vulgò *Laon*, in finibus Remorum, caſtrum fuit in monte poſitum, ita ut procul intuentibus celſiſſimo cacumini, tanquam clavis affixum, videatur, unde ei nomen. Illud Remigius Genobaudo, Ep. ei præpoſito, de caſtro Remenſi Eccl. ſubjecto, civitatem fecit: quæ regnantibus Chlodovæi Jun. filiis, etiam Ducem ſuum proprium habuit, cùm antè Campaniæ Gallicæ Duci pareret. Macrobium prætorem conditorem habuiſſe, teſtatur Frodoard. *Hiſt. Rem. l.* 3. *c.* 21. Ultimo loco inter Remenſis Archiepiſcopal. comprovinciales commemoratur in Not. quibuſdam, poſt A. C. 1220. factis. Ejus Ep. à villa Aniſiaco, dici conſuevit *Ep. Dux Laudunenſis, Par Franciæ, & Comes Aniſiaci.* Medulphus à Genobaudo Ep. Laudunenſi miſſus Conc. Aurelianenſi 5. ſubſcripſit A. C. 549. Chagnoaldus Ep. laudatur Flodoardo *Hiſt. Rem. l.* 2. *c.* 5. Nobiles civitatis ferè omnes à plebe interfecti ſunt, tempore Lud. Craſſi, quòd Ep. ſuo Galdrico fideles eſſent: Rogerus verò Ep. Laudunenſes à communitate Regis Lud. conſenſu jurata, abſtracturus, armis per Quadrageſimam aggreſſus eſt, A. C. 1178. Nec Epiſcopatûs ſedes ſolùm, ſed & olim regia fuit Car. Rodulphi, Lud. Tranſmarini ac Lotharii Ludovicique Regum, ita ut ad Reges Francorum, qui hiſce ſucceſſêrunt, tanquam res fiſcalis & dominica, propriè pertinere videretur. Caput agri cogn. qui, vulgò *Laonois*, Remenſem inter & Moſellanum in diviſione regni Lud. Pii poſitus, pars veterum fuit Remorum: unde & urbs ipſa, caſtrum olim Remorum, creditur à Dudone, eſſe opp. Remorum Bibrax. apud Cæſ. *de Bell. Gall. l.* 2. *c.* 2. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LUGDUNUM Convenarum, urbs Aquitaniæ, Epiſcopal. ſub Archiep. Auſcenſi, nunc *S. Bertrand de Comminges*, in tractu Con-

Convenenſi, in colle, ad Garumnam, in conf. Arragoniæ, vix 4. leuc. à Pyrenæis in Bor. 11. ab Auſciis in Auſtr. 5. à Conſoranis in Occ. 15. à Toloſa in Afric.

LUGDUNUM Salinarum, opp. aliàs munit. in Com. Burgund. in limite Duc. Burg. 7. leuc. à Dola in mer. *Lyon le Sauniers* vulgò.

LUGDUNUM Seguſianorum, urbs Galliæ Celticæ prim. Colonia Rom. à L. Munacio Planco deducta, Viennenſibus, qui ab Allobrogibus pulſi erant, eò tranſlatis, *Col. Lugd.* in vet. marmore *Col. Rom. Lugd.* in nummo Caji Cæſ. qui *tertium Conſulatum ibi ſolus iniit, ludoſque miſcellos & certamen Græcæ Latinæque facundiæ, ad aram Auguſto ad confluentem Araris & Rhodani dedicatam ac à Galliæ populis 60. inſcriptam, edidit*, nuncupatur Plin. *in Seguſianorum liberorum agro Coloniam Lugdunenſem* ponit. *Ann. l.* 3. *c.* 41. & Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 56. 64. & 65. Splendore potentiaque in tantum brevi effloruit, ut & Senatores Curiæ daret. Unde Claudius Aug. ibi natus, in oratione, de Gallis civitate donandis, inquit, *ex Lugduno habere nos noſtri ordinis viros non pœnitet.* In jugo montis Rhodano & Arari imminentis ex parte poſita hinc fortè nomen accepit: Vulgò *Lyon*, leonem pro inſigni habet. Hoc emporio uſos, ibique ex auro argentoque nummos percuſſiſſe Rom. Magiſtratus autor eſt Strabo: Poſtea Imperatorio privilegio Archiepiſcoporum Lugd. vultu & nomine notati, ac demum Regum ore ſignati ibidem ſunt, hodieque ſignantur. *Procuratoris Cynegii Lugdunenſis*, vel potius *Gynecai*, meminit Notit. Imp. Anno ab origine ſua plus minus centeſimo, funeſtum ſenſit incendium, de quo Senec. *Ep.* 91. quam cladem Nero quadragies ſeſtertio ſolatus eſt, Tac. *Ann. l.* 16. *c.* 13. Unde urbs Galbæ infeſta, à Nerone ſtetit, veteremque inter Lugdunenſes & Viennenſes diſcordiam. Idem *Hiſt. l.* 1. *c.* 65. propter Neronem & Galbam, bellum accendit. Sub Guntchramno, iterum maxima pars civitatis graviſſimo igne deflagravit, poſt mortem Nicetii; quem incolæ *S. Niſier* dicunt. Fuit ibi Amphitheatrum olim, & annuus, ſub Antonino, conventus ad aram Aug. ex omnibus Gentibus, Civitatibuſve Galliæ ſacrorum ludorumque causâ: Fuêre quoque ibidem Seviri Auguſtales, Negotiatores vinarii, &c. ut ex inſcriptionibus patet. Bibliopolarum hîc mentionem facit Plin. *l.* 9. *Epiſt.* Profeſſores Græci Latinique Grammaticæ & Rhetoricæ ſcholas publicas in urbe habuêre, & è fiſco ſalaria annua, Romanis imperantibus, imo & ſtrenas Kal. Jan. ab Impp. ut & in aliis Galliæ civitatibus, inprimis Archiepiſcopalibus, docet id *Lex Impp. Valentis, Gratiani & Valentiniani A. A. A. ad Antonium Præf. prat. Galliarum, in Codicis Theodoſ. l.* 13. *Tit.* 13. Ibidem & ſcena fuit; quare Theocritum Cæſarianum, qui Antoninum Severi fil. ſaltare docuit, cùm Romanis in ſcena non placuiſſet, huc commigraſſe dicitur, à Dion. *l.* 77. Palatium quoque, in quo Magnentius propriâ ſe manu interfecit, Hier. *in Chron.* & Forum vetus à Trajano Imp. extructum, à templo Veneris juſſu Aug. ibi condito, *Forum Veneris* dictum: nunc *Forviere*, cujus veſtigia ſupereſſe Paradinus prodit. Inter claras urbes ab Auſonio omittitur, quòd Imp. Gratiani diſcipuli ejus cæde infamis eſſet. Sub Honorio, milites Rom. Gothorum in Italiam adventu turbati, ſedem huc Imperii transferri voluêrunt: quos Stilicho apud Claud. *de bello Getico* ſic alloquitur: *Carm.* 26. *v.* 266. *& ſeqq.*

——— Quid Gallica rura
Reſpicitis, Latioque libet poſt terga relicto,
Longinquum profugis Ararim præcingere caſtris?
Scilicet Arctois conceſſâ gentibus Urbe
Conſidet Regnum Rhodano, capitique ſuperſtes
Truncus erit.

Nomen dedit urbs tam inſignis Galliæ *Lugdunenſi* ſ. Celticæ, quæ pars poſtea in duas diviſa eſt provincias, ac demum in quatuor, vid. Lugdunenſem primam, cujus Metrop. Lugdunum: Secundam ad Oceanum, cujus Metrop. Rothomagus: Tertiam, cujus Cæſarodunum Turonum, & Quartam vel Senoniam, cujus caput eſt Agedincum Senonum. Imò & Quintam *Lugdunenſem* vocare nunc licet prov. Pariſiacam, patrum ætate factam Senoniæque detractam. Quam ob cauſam Archiep. *Lugdunenſis* nonnunquam *Patriarcha* appellatus eſt, & totius Galliæ Celticæ *Primas*: Cujus diœceſis per pagos *Lugdunenſem*, Bellojocenſem, Forenſem & partem Brexiæ agrique Burbonenſis diffunditur. Urbs Pilati patria fuit, teſte Iſid. Hiſpalenſi, hodieque incolæ extra urbis muros domum oſtendunt, quam Pilati fuiſſe aſſerunt. Huc quoque Herodes Antipas, à Cajo Caligula relegatus eſt. Eſt quoque, ut & hoc addam, Lugduni domus Rodana, in literis, A. C. 1312. aliiſque memorata, vulgò *la Maiſon de Roanne*, aut *l'Hoſtel de Roanne* dicta, propterea quòd ad dominos Rodumnæ, Comitibus Forenſibus ortos, primùm pertinuit: quæ poſtea Dalfinorum Viennenſium, ac demum Regum Francorum fuit: Item Caſtrum Petræ ſciſſæ, vulgò *le Chaſteau de Pierre Cize*, captivitati reorum deſtinatum. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* & ſuprà in voce *Lugdunum.*

LUGDUS Celtarum Dux, poſt Narbonem patrem, Beroſus *l.* 5. à quo & provincia & homines cognomenta ſumpſêrunt.

LUGENDI Ritus, apud vett. Rom. variis legibus definitus fuit. Et quidem veſtitum quod attinet, in luctu atrati fuêre, h. e. nigrâ, ſive pullâ togâ induti. Togæ hujus meminit Cic. *in Piſoniana*: Juv. *Sat.* 3. *l.* 1. *v.* 213. *pullatos Proceres*: Tac. in funere Germanici, *Ann. l.* 2. *c.* 72. & 73. *atratam plebem* inducit Propert. *l.* 4. *Eleg.* 7. *v.* 27.

Denique quis noſtro curvum te funere vidit,
Atram *quis lacrymis incaluiſſe togam?*

De matronis ambigitur, cùm alii ſcriptores eas, depoſitâ purpurâ & auro, in veſte lugubri fuiſſe dicant: Dion. Halic. & eum ſequutus Suid. veſtem nigram adſcribat: Herodian. autem, Stat. ac Plutarch. albam veſtem ab iis in luctu uſurpatam tradant. Quos Lipſius ita conciliat, ut dicat nigras veſtes luctûs proprias fuiſſe, ſtante Rep. albas, ſub Imperatoribus: quanquam fuſcæ veſtis in luctu matronali meminerit Apulejus. De Cœrulea vide aliquid ſuprà ubi de colore hoc: uti de ſordida veſte infrà ſuo loco. Sub iiſdem, cùm toga in uſu eſſe deſiiſſet, Senatores in funere Cæſarum pænula uſos fuiſſe, ſcribit Lamprid. *in Commodo.* Iidem quoque latos clavos ſive tunicas laticlavias *in luctu* depoſuêrunt, quemadmodam Equites anguſticlavias, ita ut ſine clavo Equites, Senatores in clavo equeſtri apparerent, vide Octav. Ferrar. *de Re Veſt. paſſim.* Etiam annulos ponebant, quod inprimis in publico fiebat luctu. Hinc ad nuntium Caudinæ pacis *annulos aureos poſitos*, narrat Liv. *l.* 9. *c.* 1. De funere Aug. Suet. *in eo c.* 100. *Alii exequiarum die ponendos aureos ferreoſque ſumendos cenſuêrunt.* Similiterque ad *lugentium* morem reos quoque & ſupplices annulos depoſuiſſe, legimus apud Liv. eund. *l.* 43. *c.* 6. & Val. Max. *l.* 8. *c.* 1. Quum autem magna hominum celebritas funeribus producendis intereſſet, eam legi minuêrunt: *In funeribus celebritas virorum ac mulierum producendis ne intereſto*: quam laudat è Demetrio Cic. *l. de LL.* Cumque Solon noluerit tribus plus veſtibus mortuum componi ac condi ex lege: *Μὴ συντιθέναι πλέον ἱματίων τριῶν*, eam Decemviri Rom. in ſuas tabulas retulêrunt: Idem, ne funera lamentabilia eſſent, lege ſuſtulit leſſum & lacerationem, quam ſimiliter imitatus Legiſlator ſic expreſſit, in XII. Tabb. *Mulieres genas ne radunto, neve leſſum funeris ergo habento.* Unde Cic. *l. laudato*, *Poſteaquam*, inquit, *ſumptuoſa fieri funera & lamentabilia cœpiſſent, Solonis lege ſublatæ ſunt, quam legem iiſdem prope verbis noſtri Decemviri in undecimam tabulam conjecêrunt. Nam de tribus riciniis & pleraque illa Solonis ſunt* &c. Vide quoque infrà *Recinus.* Porrò ex Plutarch. & Ovid. *in Faſt.* colligitur, menſes 10. tot enim Romuli Annus habebat, viros ab uxoribus viduis *lugeri* conſueviſſe: ita quidem, ut ante legitimum tempus luctûs, nubere nemini poſſent, niſi id peculiariter à magiſtratu aut Principe impetrâſſent: aliàs infames à prætore pronuntiabantur. Minuebatur tamen nonnunquam luctus vel publicè, ædis dedicatione, luſtro à Cenſoribus conditi, ſ. voto publicè concepto: vel privatim, cùm liberi naſcerentur, cùm hoſpes in familiam veniret, cùm pater & liberi aut vir, aut frater ab hoſte captus domum rediret, cum puella deſponſaretur, cum propiore quis cognatione, quàm is qui lugeretur, natus eſſet, cùm caſto Cereris conſtitiſſent, Feſtus. Vide Jac. Rævard. *Varior. l.* 1. *c.* 20. Jac. Cujac. *Obſerv. l.* 6. *c.* 32. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 39. *cum Paralip.* Thomæ Dempſter. &c. Apud Græcos, quoties *lugendi* habebant argumentum, 1. Abſtinebant à vino, ad *ἀλφίτων κυκεῶνα* ſe convertentes ſ. cereviſiam. 2. Hebræorum in morem veſtes crineſque laniabant, aliquando etiam pepla capitiſque tegmina in ignem conjiciebant. Ut apud Eurip. *in Rheſo*,

Καὶ συμπυρῶσαι μυρίων πέπλων χλιδὴν,
Et unà flammis dare innumerorum peplorum luxum.

3. Vultum in pulverem deprimebant, vel pulvere faciem inſpergebant: quod Rom. ab ipſis hauſêre. Unde Ovid. *Met. l.* 8. *v.* 530.

Pulvere canitiem genitor, vultuſque ſeniles
Fœdat humi fuſos.

Quem in finem, cinere quandoque utebantur, uti de Achille, Patroclum: & matronis Argivis filios in obſidione Thebana *Defunctos*, *lugentibus*, legimus, Eurip. *Supplic. v.* 826.

——— *ἀμφὶ δὲ σποδὸν*
Κάρα κεχύμεθα.
——— *circumquaque autem favilla*
Caput circumfuſa.

4. Inſuper pectora femoraque plangentes, Hebræorum more, cutem quandoque incidebant, genas inprimis lacerantes, Eurip. *in Helena*: quem ritum iterum Rom. ſecutos eſſe, innuit Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 673.

Unguibus ora ſoror fœdans & pectora pugnis.

5. Suſpirabant imo è pectore, & ejulantes ſæpius repetebant interjectionem ἒ, ἒ, ἒ, ἒ, unde *ἔλεγος* originem traxiſſe videtur, teſte Scholiaſte Ariſtoph. *in Avib.* In funeribus inprimis tam immoderatus erat illorum luctus, ut Solon, *Mulieres genas ne radunto, neve leſſum funeris ergò habento*, lege latâ caverit, vide ſuprà. Primò enim, quum ad funeſtam pervenêre domum, quiſque eorum cincinnum capillorum detondebat, *ἐπὶ πρόθυρα*, ut Eurip. ait *in Alc. v.* 100. ad veſtibulum. Dein, cum exequias comitabantur, opertâ incedebant facie. Quare Oreſtes Electram, ut luctum deponeret, hortatus ita eam alloquitur:

——— *ἀνακάλυπτ' ὦ κασίγνητον κάρα*
Ἔκ δακρύων τ' ἄπελθ' ———
——— *Aperi ô! ſororium caput,*
Eque lacrymis exi.

Porro neque pedibus, neque linguâ inter incedendum ullum faciebant ſtrepitum, profundo ſilentio mortuum proſequentes. Cujus moris etiam de Achabo mentio fit, 1. Reg. *c.* 21. *v.* 27. & de Eſaja *c.* 38. *v.* 15. Ad tumulum cùm acceſſêre, omnes *πλοκάμους* vel *βοστρύχους*, i. e. *cincinnos* detondentes, in tumulo eos reponebant aut igni dabant: quod *πένθιμον κέρας*, vel *τομαῖον βόστρυχον*

βόςρυχον vel *κεράτομον χλιδὴν* vel *ἀπαρχὰς τ̃ κόμης* vocare ſolebant Etiam comis ſuis Defunctos obvolvebant. Stat. *Theb. l.5.v.*233.

—— *Sic illa jacenti*
Incidit, undantemque ſinu collapſa cruorem
Excipit, & laceros *premit in nova vulnera* crines.

Idem ibid. *v.* 606.

Ut laceros artus gremio miſeranda recepit
Intexitque comis ——

Tandem, toto luctûs tempore, quod Lycurgus undecim dierum ſpatio definiit, mulieres virique ornamentis, auro purpura gemmiſque, coronis item abſtinebant. Terent. *Heautont. Actu* 2. *Sc.* 2. *v.* 45. *& ſeqq.*

Mediocriter veſtitam veſte lugubri,
Ejus anuis causâ, opinor, quæ erat mortua;
Sine auro, tum ornatam, ita uti quæ ornantur ſibi.

Neque ignem excitabant aut candelam accendebant. Vet. Gloſſa, *λύχνυς ἅπτειν ἐν πένθει ὐ θέμις*, *Lucernam accendere in luctu non licet.* Quo alludens Juv. *Sat.* 3. *l.* 1. *v.* 213.

Pullati proceres &c.
—— *Tunc odimus ignem.*

Si verò publica lugeretur calamitas, non Palæſtræ ſolùm, ac Gymnaſia, cum balneis ac officinis Artificum, ſed ipſa quoque templa claudebantur, &c. Vide Franc. Roſſæum *Archæol. Attic. l.* 5. *c.* 26. De Hebræis vide ſuprà, ubi *de Exequiis.* Addo hîc ſaltem, quòd Sacerdotibus in hac gente *lugere* non permiſſum, niſi in proximorum Obitu; at Pontifici, cum unicus foret, ſemperque deberet in atrio verſari, omnia luctûs ſigna, quocunque in funere, prohibita, imò ne ad mortui quidem cadaver unquam accedere, conceſſum eſt, quòd *corona Dei* & *ſacra unctio* ſuprà ipſum eſſet, Lev. *c.* 21. *v.* 1. 3. *& ſeqq.* Qua de re vide Franc. Burmann. *Comm. ad l.* & *Synopſi Theol. Chriſt. Parte prior. l.* 4. *c.* 8. §. 32. Apud alias quoque Gentes multa horum in uſu fuêre, veſtis ſqualida, barba demiſſa, crines & capilli ſ. detonſi vel paſſi, querelæ inſuper & maledicta in Deos audita, lapidatæ eorum ſtatuæ aræque &c. In India variæ Gentes, etiam dilectiſſimas Demortuis uxores publicâ lege ſuperaddunt, eaſque vivas cum Defunctis maritis cremant, *luctum* verum non eſſe ratæ, qui eodem rogo ardere recuſaret. Apud vett. Germanos *Lugendi* ritum deſcribit Tac. *de morib. Germ. c.* 27. *Corpora*, inquiens, *clarorum virorum certis lignis cremantur, ſtruem rogi nec veſtibus nec odoribus cumulant. Sua cuique arma, quorundam igni & equus adjicitur. Lamenta ac lacrymas citò, dolorem & triſtiam tardè ponunt. Feminis lugere funeſtum eſt, viris meminiſſe.* In quæ verba vide Matth. Bernecceri *Quæſtiones* 142. 143. 144. & 145. Plura verò hanc in rem, apud Kirchmann. *de Funerib.* Beſoldum *Claſſe* 2. *Diſput.* 4. *θ.* 44. Caſpar. Barthium *Animadverſ. ad Stat. paſſim*, inprimis *Theb. l.* 3. *v.* 125. *& ſeqq.* nec non *Comm. Superſtition.* ut & hic non uno loco: in ſpecie verò, de *caput foribus templorum illidendi*, in luctu, ritu, ſuprà, in voce *Fores*; *lucem fugiendi*, infrà ubi de *luce*, *Nigro colore* in voce *Nigri.*

LUGENSIS Comit. regiuncula Ultoniæ, verſûs mare Hibern. *Louth Countie* vulgò, cum oppid. cogn. Lugo, vulgò *Louth*: Aliis eſt *Luthenſis Com.* inter Dunenſem Com. ad Sept. & Mediam Or. in Mer. reliquæ urb. ſunt Drogheda, Carlinfordia, *Carlingford*, Ardracum *Ardrak*, & Dunkeranum *Dunkeran*

LUGENTES, quinam olim dicti fuerint, in Eccl. Chriſtiana, vide ſuprà in voce *Hyemantes.*

LUGEUM, ſive LUGEA, palus Japodum in Liburnorum conf. apud Arſiæ Ort. vulgò *Zirichnitz* ab oppid. ei vicino ſic denominata: Singulis Annis frumentum, venationem, & piſcationem exhibet. Clauditur circumquaque montibus, pleriſque in locis 18. cubitos alta eſt, & ubi minimùm profunda, exiſtit, juſtam humani corporis æquat menſuram. Ex montibus circumpoſitis rivi quidam ignobiles procurrunt, ſuo quiſque alveolo, ab Orientali quidem plaga 3. ab Auſtrali verò quatuor. Singuli quò longius fluunt, hoc minus ſcatent aquis, terrâ nimirum ipſos combibente, donec poſtremò abſorbeantur ſcrobibus ſaxeis, ita natis, ut humano opere exciſæ videantur. Hîc aquis ita redundantibus, ut recipi amplius non poſſint, fit ut regurgitent ſcrobes, neque ſolùm nihil aquæ admittant, ſed etiam quicquid receperint, effundant tantâ celeritate, ut reflexûs imperum equiti quantumvis expedito, & celeriter fugienti ægrè effugere liceat, Itaque quacunque patet locus, diffunduntur aquæ, & lacum efficiunt. Hæ aquæ poſteà non minus ferè celeriter recedunt, quàm acceſſêrunt, ac non per ſcrobes illas tantùm, ſed universâ penè terrâ eas non alitèr recipiente, quàm ſi per cribrum diffunderentur. Quod cùm fieri ſentiunt accolæ, continuo grandioribus ejus meatibus, quoad fieri poteſt, obſtructis, agminatim advolant ad piſcationem, quæ ipſis non modò jucunda, verùm etiam perfructuoſa eſt. Porro ſiccato lacu fit meſſis, quâ parte ſolum prius conſitum erat; & idem rurſus conſeritur, antequam inundet. Graminis ita eſt ferax, ut poſt vigeſſimum diem ſecari ſoleat. Lazius, Geo. Wernherus, *de admirandis Hungariæ aquis.*

LUGI, vel LOGI, pop. Bor. Scotiæ; quorum regio nunc *Cathaneſia.* Baudr. ubi nunc Sutherlandia prov. juxta Oceanum Germ. inter Cathneſiam & Naverniam ad Sept. ac Roſſiam Or. ad Mer.

LUGIDUNUM Germ. urbs, una ex Sileſiæ præcipuis; Ptol. *Glogau* hodiè. Vide *Glogovia.*

LUGIO, vel LEGIO, ut legit Simlerus apud Antoninum, quî *Batha* ex ea facit, Pannoniæ inf. opp.

LUGIONUM, Pannoniæ inf. urbs. *Ptol.*

LUGNITIA Vallis, in Rhætia, unde *Glenner* fluv. deſcendens, ab altero Rheni fonte, à dextris, ſuſcipitur.

LUGODINUM, Ptol. Batavorum urbs, vulgò *Leyden.* Vide *Lugdunum Batavorum.*

LUG-PS, In nummis Valentiniani & Eugenii, *Lugduni pecunia ſignata*, vel *percuſſa ſignata*, notat. Vide ſuprà *Lugdunum.*

LUGUDONE vel LIGUIDONE, vide LIGUIDONENSIUM *portus.*

LUGUVALLUM, urbs fuit Brigantum, nunc Cumbriæ, in Anglia, ad Itnam fluv. Carleolum recentioribus, Vulgò *Charliſle*; Epiſcopal. ſub Archiep. Eboracenſi, ſatis munita eſt, cum caſtro. 5. mill. Scot. à limite Scotiæ, uti ab ora maris Hibern. 70. mill. Angl. ab Eboraco.

LUIDA, Rhicharedi fil. nothus, Gothorum Rex, inſidiis Viterici: ſ. Dieterici de medio ſublatus eſt, A.C. 601.

LUIDUNARDUS, Vercellenſis Ep. A. C. 890.

LUINI, vide LINI.

LUISINUS Franciſcus, Utino-Forojul. Duci Parmenſi à ſecrecretis, Mureto magni habitus, eruditione ac probitate morum inclytus, poëta eximius: Obiit A. C. 1563. Æt. 45. Ejus præſtant, *Comm. in Horatium de Arte poëtica*, *Parergon libri X. in quibus tam in Græcis, quàm in Latinis Scriptoribus multa loca obſcura declarantur; de Compeſcendis animi affectibus.* Mich. Brut. & Othonis Palear. *Ep.* I. Greg. Giraldus *de poëtis ſui temp. l.* 2. Thuan. *Hiſt.* Ant. Teiſſier *in Elog. p.* 1.

LUISIUM, ſ. *Fanum S. Joh. Luiſii*, vulgò *S. Jean de Luz*, opp. Aquitaniæ, in Vaſcitania tractu, cum portu, in ora Oceani. 2. leuc. à conf. Hiſpaniæ & à fonte Rapido. Vide *Fanum S. Joh. Luiſii*, & *Luſius vicus.*

LUITBALDUS, Bavariæ Dux. A. C. 907.

LUITH, mons Lyrano, & Hebræorum Comm. *in Iſ. c.* 15. *v.* 7. Euſebio autem vicus inter Areopolim, & Joaram: aliis inter Petram, & Segor. In tribu Ruben.

LUITHBERTUS, fil. Cuniberti, Longobardorum in Italia Rex, XIV. A.C. 701. Patri ſucceſſit infans, 8. pòſt menſe throno deturbatus. Paul. Diaconus, *Hiſt. Longob. l.* 6. *c.* 17. ſucceſſore Ragunberto vel Regemberto, quem vide.

LUITHFRIDUS, fil. erat ſecundogenitus Adalberti Alſatiæ Ducis, nepos ex eo Ethici cogn. Adelrici, qui Alſatiæ Ducatum à Theodorico Gall. Rege nactus, Ehenhemii habitavit, & uxorem habuit Berſwindim, ſororem Blidechildis, quæ Chilperico II. Regi nupſerat. Ejus poſteritas in Humfrido Com. in *Neckergaw* & *Luithfrido* Com. in *Suntgaw* extincta eſt: hærede hujus lineæ Guntramo, Habſpurgenſi. Vide Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal.*

LUITHPOLDUS, ſ. LEOPOLDUS, Dux Bavariæ, fil. Arnulphi, à Normannis A. C. 891. cæſi, ab Hungaris & ipſe occiſus eſt, A. C. 908. Pater Arnulphi, qui Conrado I. vitrico & Henr. Aucupi Impp. aliquoties rebellis, cum illis gravia geſſit bella: Unde liberi Ducatu excluſi ſunt. Fuêrunt autem illi duo filii, duarum ſtirpium conditores, Eberhardus nempe Auſtriæ vett. Marchionum & Arnulphus, Schirenſium Comitum, Palatino-Bavaricæ fam. autorum, è quibus Otho V. Frid. Barbaroſſæ vexillifer, proſcripto Henr. Leone, A. C. 1180. Bavariæ Ducatum nactus eſt, poſtliminiò in familiam reducem.

LUITHPOLDUS, fil. Eberhardi prædicti, primus Marchio Auſtriæ, Imp. gener fuit. Pater Henr. I. qui fruſtra ab Henr. II. Imp. Bavariam ſibi anniſus eſt vindicare. Ex poſteris *Luithpoldus III.* primus Dux Auſtriæ dictus, Bavariam adverſus Welfum III. ſibi adſeruit: *Luithpoldus IV.* cogn. *Victorioſus*, in Palæſtina geſtis celebris, Stiriam ab Ottocaro genero & alia, ut Comitatus *Lintz* & *Wels*, &c. ex lytro Richardi Angl. Regis à ſe capti empta Auſtriæ ſuæ adjecit, Viennamque novo muro cinxit: *Luithpoldus V. Honorabilis* dictus, pater fuit Frid. Bellicoſi & Henr. de Metlinga, cujus filia Gertrudis nupta Hermanno March. Badenſi, in eam fam. jus Auſtriæ intulit: ſed fil. Frid. Neapoli decollatus eſt. Inde inter Ottocarum Boh. Regem Defuncti Frid. ex ſorore Margaretha affinem & March. Miſniæ alterius ſororis Conſtantiæ filios, lis fuit: donec Rodolphus I. Imp. Ottocaro cæſo, Ducatum Imperio primùm, dein familiæ ſuæ addixit. Vide quoque *Leopoldus.*

LUITHPRANDUS, Longobardorum in Italia Rex XVII. ſucceſſit patri Aſprando, vel Ariſprando, A.C. 713. Pius & liberalis. Cum Car. Martello amicitiam coluit. Thraſimundum Spolet. Ducem cum Godeſcalco, qui Duc. Beneventanum invaſerat, bello aggreſſus, illis à Greg. III. defenſis, Romam obſeſſurus erat: cùm Car. à Papa imploratus, turbas compoſuit; Thraſimundo victo, Papæ erepta reddidit, Ravennam A. C. 743. obſedit, litem cum Exarcho, componente Zachariâ. Obiit A. C. 744. Regni 31. Paul. Diacon. *Hiſt. Longob. l.* 6. *c.* 38. Anaſtaſ. *in vit. Pontif.* Succeſſit Hildebrandus nepos, quem vide.

LUITHPRANDUS, puer, ſub Aſprandi Ducis ſtrenui tutela à patre Cuniperto Longobardorum Rege: regni hæres relictus, A. C. 687. Blond. *l.* 10. *Decad.* 1.

LUITHPRANDUS, vel LITOPRANDUS, Ep. Cremonenſis, A Berengario II. Italiæ Rege cui à ſecretis erat, miſſus A. C. 946. CPolim, ad Conſtantinum Porphyrogennetam, dein redux ab eodem Epiſcopatu pulſus. *Antapodoſin* contra illum ſcripſit: Ab Othone Imp. ad Nicephorum Phocam CPolim ſecundò ablegatus eſt, A. C. 968. Opera ejus in Fol. Antverpiæ impreſſa, A. C. 1640. cum notis Higueræ & Ramireſii Pratenſis. Compoſuit *libb.* 6. de rebus per Europam geſtis: cum Legatione ad Niceph. Phocam. Sigebert. *c.* 127. *deſcript. Eccl.* Trithem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

in Catal. in Chron. A. C. 892. Lud. Clavitellus, *in Ann. Cremon.* Voſſ. *Pennot.* &c.

LULLIUS Raimundus, vide *Raimundus.*

LULMIUS Paulus, vide *Paulus.*

LUMA, opp. Arabiæ deſ. Ptol. Item, urbs circa Mæandrum fluv. Nicetæ.

LUMBERIUM, vulgò LOMBES, mel. LOMBRES, caſtrum Galliæ, Epiſcopatu clarum, ſub Archiep. Tholoſano: ad Savam flum. Item locus Navarræ, *Lumbier.*

LUMBRICATUM, Inſ. Dalmatiæ, Porphyrog. *Verdaga* Ital. *Laucat* Slavis, in mari Hadr. *Joh. Lucius.*

LUMBRICUS, an à, *lubricitate*, an à *lumbis*, vermis inteſtinorum: cui origo ab excrementis nondum excretis, Gr. ἕλμινα. Dividit autem ἕλμινθας Ariſtot. *Hiſt. Anim. l.* 5. *c.* 19. in πλατείας. *latas*, ϛρογγύλας, *rotundas* & τρίτον γένος ἀσκαρίδας, *tertium genus, aſcarides.* Sed omittit quartum genus in ſtomacho & inteſtino magno naſcentium, ac ſerpenti ſimilium, obſervante *ibi* Jul. Cæſ. Scalig. Nec modò ex cibi retrimentis, ſed etiam potus reliquiis, naſcuntur: Imò & ex urina, aceto, ac nive, uti docet Voſſ. *de Orig. & Progr. Idol. l.* 4. *c.* 67. quem vide etiam *ibid.* & *c.* 71. ubi de cibo & oculis eorum; *c.* 82. 86. 87. & 88. ubi de remediis inde aurium, oculorum, membrorumque dolori, vulneribus item, varia.

LUMBUS, à *lubedine*, Iſid. virium ſedes in animali. Nahum. *c.* 2. *v.* 1. *confirma lumbos.* Et Pſ. 69. *v.* 24. *fac ut Lumbi eorum jugiter nutent.* Hinc Roboam Judæis, *Minimus*, inquit, *digitus meus craſſior eſt lumbus patris mei*: & *elumbis* vulgò pro debili. Hos ſuccingere ad iter parati ſolent. Unde inter quatuor animalia, quorum magnificus inceſſus eſt, Prov. *c.* 30. *v.* 31. זרזיר מתנים i. e. *ſuccinctus lumbos*, recenſetur: quo nomine Bochart. equum intelligit, animal ſuperbi inceſſûs & lumbos ſuccingi ſolitum. Idem faciebant Pugiles decertaturi. Homer. *Il.* ψ. de Epeo & Euryalo.

——— *ζωσαμένω βήτην εἰς μέσσον ἀγῶνα.*

Unde Hebræis verbum חלץ, à nomine חלצים *lumbos* denotante, eſt *ad militiam ſe accingere*, quia & milites ſuper lumbos ſeſe accingebant. Iiſdem כסלים dicuntur, Lev. *c.* 3. *v.* 4. ubi de ſacrificio Euchariſtico offerre jubetur Sacerdos igne offerendum *adipem* &c. *Præterea ambos renes ejus & adipem, qui erit ſuper illos &, qui ad Ilia* הכסלים. Ubi voce hac *lumbos* denotari, docet Bochart. quia illis non ſolùm vicini ſunt renes, ſed & prorſus incumbunt, iiſdem adeps, quo renes ambiuntur, immergitur: videturque ex כסל ἰξὺς factum, quâ voce *lumbum* Græcis ſignificari notum. Etymologus, ἡ ὀσφύς· Et vet. Autor *Iſagog. ad Medicin.* ὀσφὺν καὶ ἰξὺν nominari ait *eam partem, quâ cingimur & qua ſpinam excipit*, h. e. lumbos. Quæ ambæ voces poſtmodum eò extenſæ, ut partes quoque vicinas, putà ilia, & oſſa ilii, adeoque os femoris huic ſuppoſitum, atque inde femur ipſum, denotarent. Qua de re vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 45. de ritu verò ſacro, *ſuccinctis lumbis, calceatis pedibus & cum baculo in manu* (qui viatorum, eorum qui operoſum aliquid moliuntur, habitus eſt) comedendi Agnum Paſchalem *eod. l. c.* 50. uti de lugentium ritu, *cilicium lumbis imponendi*, in eadem gente, ſuprà ubi de *Lugentium Ritibus.*

LUMINA, publici gaudii indicium. Suet. de *Cæſ. c.* 37. *Gallici triumphi die* ——— *aſcendit Capitolium ad* lumina, *quadraginta elephantis dextrâ atque ſiniſtrâ lychnuchos geſtantibus.* Quod triumphantibus inprimis conceſſum, uti de Duillio, Cornificio, aliis, legimus. Sed &, ſive privatim, ſive publicè læti aliquid obtigiſſet, luminibus accenſis appenſiſque gaudium teſtari, antiquiſſimi moris fuit; eſtque ejus λυχνοκαΐας apud Græcos Latinoſque Scriptores creberrima mentio. Unius Æſchyli verſiculos referemus, *in Agamemnone*, ubi lætitiam publicam ob nuntium Ilii capti deſcribit.

Ἄλλη δ' ἄλλοθεν οὐρανομήκης
Λαμπὰς ἀνίσχει.
Φαρμασσομένη χρίσματος ἁγνοῦ
Μαλακαῖς ἀδόλοισι παρηγορίαις
Πελάνῳ μυχόθεν βασιλείῳ.

Porro in omnibus locis, quibus aliquid religionis tribuebant, *Lumina* conſtituebant Vett. unde, ut ait Serv. lucos quidam putârunt dictos, quòd ſint ibi *lumina* religionis causâ: quod etymon etſi aliis criticis non arrideat, morem tamen arguit antiquum. Quin & in tumulis *lumina* accendebantur. Suet. *Aug. c.* 98. *Maſgaba* ——— *tumulum ex triclinio animadvertit, magnâ turbâ multiſque luminibus frequentari.* Quæ conſuetudo poſteà ad honorem martyrum à Chriſtianis tranſlata eſt, ut indicat ſæpe Hier. vide ſuprà, in voce *Cereus.* Contra Tib. Nero Suet. *in eo c.* 19. *conſtantiùs quod cœperat aggrediebatur, ſi lucubranti---decideret* lumen *& extingueretur: confidens ut ajebat, oſtento ſibi ac Majoribus ſuis in omni ducatu expertiſſimo* &c. Vide plura hanc in rem paſſim ubi de *Facibus, Lucernis, Luminum Feſto* alibique uti *de more Vett. luminibus accenſis in puerperio, futuram natorum ſortem explorandi*, aliquid ſuprà in voce *Infans* & de phraſi Tertullianæa *Conliare lumina*, ubi *de Inoculandi veſtes artificio.* Vide & *Pictor*, it. *Pictura.*

LUMINARII. Gall. *Luminiers*, in *Conſuetud.* Arvern. *c.* 2. *artic.* 7. & *c.* 22. *art.* 16. Matricularii dicuntur, Procuratores Fabricarum, Syndici: quod penes eos *luminarium concinnandorum* cura eſſet, apud C. du Freſne in *Gloſſ.*

LUMINOSI Circuli, circa SS. capita, vide ſuprà *circuli Sanctorum*, & infrà *Nimbus.*

LUMINUM Feſtum, Hebr. הדלקת נרות Gr. *Λυχνοκαΐα*, *Luminum accenſio*, feſtum erat apud Hebræos, Encæniis Maccabaicis conjunctum. Quaſi πυρσῶν, *Facularum* feſtum, quod erat Argivis anniverſarium, teſte Pauſ. *Corinth.* ſ. Λαμπάδος, cujus nominis triplex erat Athenienſibus feſtum ſ. certamen; in Panathenæis, Hephæſtiis & Promethiis, apud Harp. in Λαμπάς. Uti etiam in Chriſtianiſmo, quum feſto, quod Ὑπαντὴ & Ὑπαπαντὴ, in Eccl. utraque antiquitus, pro Simeonis & D. N. J. C. in Templo occurſu poſtridie Kal. Febr. ex inſtitutione Pelagii I. ac Juſtiniani I. celebrato, uti legimus apud Sigebertum A. C. 542. conjunctus tandem fuerit καθαρισμὸς, qui tunc temporis evenit Lucæ *c.* 2. *v.* 22. B. Mariæ Virginis ſ. *Purificatio*, Syris dicta *Introitus Domini N. in templum*; huic adjeciſſe dicitur Sergius Papa, circa A. C. 690. ſ. ſub Juſtiniano II. cereorum quotannis numeroſiſſimorum uſum ſolennem, velut ex ritu *Luminum* in Lupercalibus & Februis, eodem in menſe, pro luſtrationibus aut purificationibus adhibitorum, paganico, Chriſtianiſmi feſtivitati aptatum, unde nomen ei à cereis illis ſ. candelis, *Chandeleur*, item *la Chandeleuſe*, & ſimilia in linguis provincialibus, ut in Germanica & Belgica *Lichtmeſſe*, in Angl. *Candlemaſſe.* Quo nomine quòd quidam accipiunt velut jam celebratum tempore Greg. Naz. ex eo quòd ille *in Orat.* 39. & 40. εἰς τὰ ἅγια φῶτα τῶν Ἐπιφανίων, *in Sancta Lumina Epiphaniorum*, habet τὴν ἁγίαν τῶν φώτων ἡμέραν, *Sanctum Luminum diem*, non leviter hallucinantur. Sic enim aliis dictus eſt Epiphaniorum dies, quâ baptiſmatis ejus, quo illuminavit homines, feſtum in illo celebratur. Nihil verò illic quicquam de candelarum aut facum lumine. Maccabaica autem *Luminum* accenſio, ſive ut pars Encæniorum, ſ. appendix ſingularis, ſive ut feſtum per ſe cum Encæniis, habenda eſt. Joſeph. Φῶτα, *Lumina*, vocat, & ubi ſummam Hebræorum in Encæniis ipſis lætitiam ac felicitatem, anniverſariamque, apud poſteros, ejuſdem obſervationem enarrat, *l.* 12. *c.* 11. Τὴν ἑορτὴν, inquit, ἄγομεν καλοῦντες αὐτὴν Φῶτα, ἐκ τοῦ παρ' ἐλπίδας οἶμαι ταύτην ἡμῖν φανῆναι τὴν ἐξουσίαν τὴν προσηγορίαν θέμενοι τῇ ἑορτῇ, *Feſtum celebramus, vocantes illud* Lumina; *opinor ideò, quòd ex inſperato nobis illuxerit illa felicitas* ſ. *poteſtas.* Ubi Genebrardus, pro Φῶτα habet *la feſte des lumieres.* Chriſtiani ſubinde Joſepho hîc ſuppares, ut idem Genebrardus *in Kal. Hebr. Comm. ejus Pſalmos præfixis*, qui inſtitutum vult, *ob Lumen Religionis à Macedonibus extincta recuperatum.* Ad Græca verò illa animadvertens Joſeph. Scalig. *de Emend. Temp. l.* 5. *Atqui non ſcimus*, ait, *per illos dies octo, tantùm Lucernarum ab illis accendi, ut nuſquam aliàs plus. Itaque inde appellatio*, τῶν φώτων καὶ τῆς λυχνοκαΐας Et quidem verum, in *Luminum* adeò ſolenni, per Feſti illius octiduum, in Synagogis ſinguliſque domibus, accenſione, ſatis conſpici videri nominis illius rationem. Sed origo omnino heic alia, cum accenſionis ejuſmodi alia cauſa, quæ, ut miraculum, eveniebat, in ipſa templi ſacrorumque inſtauratione Maccabaica, à Talmudicis expreſſiùs aſſignatur. Nimirum ſcimus, ex Verbo Dei, Exodi *c.* 25. *v.* 31. & Num. *c.* 8. *v.* 2. in Tabernaculo Teſtimonii lucernas ſeptem candelabri ſacri ramis & haſtili impoſitas, quæ perpetuò ardentes, oleo puro è publico ſupplendo, alerentur, Lev. *c.* 24. *v.* 2. In templo autem poſtmodum primo, decem fuiſſe, 1. Reg. *c.* 7. *v.* 49. quibus olei puri copia non impar. Similia in templo ſecundo; quod cum profanaret Antiochus, adeò etiam ajunt magiſtri eum, uti ſacram ſupellectilem reliquam, ita & oleum, quantum nactus eſt, ſacrum aut abſtuliſſe, deſtruxiſſe aut polluiſſe, ut quum repurgaretur jam templum ſuppellectiliſque illius pars quælibet diligentiùs excuteretur, unicum tantùm olei ſacri vaſculum ſ. lenticula, ſigillo munita Pontificis Max. intacta reperta fuerit: illam autem adeò fuiſſe exiguam, ut nec diei unici lucernis ſola ſufficeret. Atqui nihilominus, ne oleum deeſſet purum, adeò per octo illos Encæniorum dies jugiter ita, ex miraculo, oleum illud creviſſe atque continenter repletum eſſe, ut ſatis inſerviret lucernis in templo dierum illorum cunctis; circa quorum finem (nam ob loci, unde ſive olivas ſive oleum ejuſmodi afferri oportuit, diſtantiam, itineris ſc. eundo & redeundo quatriduani, citiùs oleum ſibi comparare nequibant) nec antè, oleum huic rei purum eſſe ab iis confectum, atque in miraculi illius memoriam, in feſto Encæniorum, tot *Lumina* perpetuò dein fuiſſe in templo, dum ſtabat & poſtea in Synagogis domibuſque accendi ſolita. Hinc Gemara Babylonia *ad tit. Sabbath. c.* 2. *p.* 21. 2. ubi Feſti hujus, ut die 25. *Caſleu* celebrati mentio fit: *Cùm introibant Græci in Templum, polluebant quidqnid erat ibi olei* (ipſis repertum) *& invaleſcens dein Regnum domûs Haſmoniacæ eos devicit, quæ dum ſcrutabatur, non inveniebat pluſquàm lenticulam unicam, quæ maneret ſub ſigillo Pontificis Maximi intactâ. In ea autem cùm neutiquam haberetur plus olei, quàm quod accenſioni diei unici ſufficeret, miraculum in eo factum eſt, & inde accendebant per octiduum.* Et juxta Maimonides Halach. *Megilla Wechanocha c.* 3. §. 2. *Quando invaluêre Iſraëlita adversùs hoſtes ſuos & diſperdidêre eos die* 25. *menſis Caſleu, introibant in templum, ubi non reperiebant plus olei, quàm lenticulam unam: nec in ea erat plus quàm accenſioni tantùm unius diei ſufficeret. At nihilominus accendebant ex eo per totos octo dies, uſque dum ſcilicet contuſis olivis ex eis oleum fieret purum.* Dein ſubjungit, *Et jam dictam ob cauſam conſtituêre Sapientes Seculi illius, ut dies illi octo* (anniverſarii) *quorum initium dies* 25. *Caſleu, dies eſſent lætitiæ & laudationis. Et accendere mos eſt in eis* Lumina *tempore veſpertino, ad oſtium domorum, nocte qualibet noctium illarum octo, ut miraculum inde agnoſcatur palamque reddatur. Dies hi nuncupantur Encænia* ſ. *Dedicatio. Atque interdicitur in eis luctus & jejunium; ſicuti in feſto Purim* ſ. *Sortium. Accenſio etiam hujuſmodi præceptum, ex Scribarum* (eorum, qui rebus præeſſent; qualis locutio paſſim denotat autoritatem apud eos humanam, nec jus omninò aliquod divinum) *pendet, uti etiam Megillah* (ſ. libri Heſter in feſto Purim) *& quamplurima alia.* Benedictionibus, precibus lauda-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

laudationibuſque feſti dein oſtenſis, addit *Ib. c. 4.* accenſionem fieri debere ſolennem, ut ad oſtium domûs cujuſque, ita, ubi bina fuerint oſtia adverſas ſpectantia plagas Mundi, in utriſque accendendum ſemper fuiſſe. Etiam, ubi plures in ædibus habitarent, ſecundùm eorum (tam feminarum, quàm virorum) numerum, *Lumina* accendenda; & incolæ etiam unico, ſuum. Quinetiam nocte primâ, pro quolibet unicum Lumen; ſecundâ, pro quolibet duo; adeoque deinceps, ut tandem octo pro unoquoque ex familiis ſ. domibus ſingulis, nocte octavâ ſ. ultimâ lucerent; licet hac de re mos varius ſubinde eſſet. Atque Gemaræ laudatæ & Maimonidis ſequaces ſunt, in diſciplina jam de Encæniorum feſto oſtenſa *Megillath Thainith prac. affirm. ex ſancitis Scribarum 5. p. 250 col. 3.* R. R. Moſes Kotzenſis, Jacob ben Aſer, Joſeph Karo, R. Alphes, ad eum R. Niſſim, David Ganz, præter Lud. Mutinenſem *de gli Riti Hebraici parte 3. c. 9.* Manaſſeh Ben Iſraël. *Em Theſouro des precettos c.* 111. alios Rabbinorum Scriptores autem aliqui Chriſtiani, de ratione nominis, *Et accendêrunt Luminaria multa, & dixêrunt Feſtum Luminum, vel propter multitudinem Luminarium, vel quia tunc illuminaverat eos Deus ſedentes in tenebris.* Sic Hiſtoria Eccleſiaſtica, quam & ſequuti Commentarii Thomæ Aquinatis dicti & Hugo Karrenſis, adjicientes etiam illud de igne ad ſacrificia cœlitus tunc denuo dato (vide ſis Joſephum Ben Gorion *l. 4. c. 20.*) quaſi & inde nomen *Feſti Luminum* ortum habuerit. Et demum, cùm nec apud Joſephum, nec in Maccabaicis mentio aliqua deprehendatur lenticulæ illius olei, ſed tantùm accenſionis ſolennis adhibitæ, 1. Maccab. *c. 4. v. 50.* ſunt etiam apud Hebræos, qui miraculo illi locum heic tribui nolint, ut R. Azarias Edomæus *Meor Enajim Parte 3. c. 51. p. 163. 1.* Vide Joh. Selden. *de Synedriis Vett. Hebr. l. 3. c. 13. §. 9.* & ſuprà *Lucerna*, ac *Lumina*: ut & infrà aliquid ubi de *Natali Die*.

LUMONE, vicus Com. Tendæ, intra Alpes marit. ſub Sabaudiæ Duce ubi tranſitus *Col de Limon*, à Pedemontio in Com. Nicæenſem.

LUNA, Romanis quoque Anna & Jana, an à *luendo* dicta, an à *lucendo*? à Diod. Sic. *Antiqq. l. 4. c. 5.* fingitur, cum Sole, ex Thea ſive Matre Magna & Hyperione nata: aliis illam eandem cum Diana, Apollinis ſorore facientibus. Et, ut & Soli, primus ædes Romæ conſecravit, T. Tatius Sabinorum Rex & *Noctiluca* nomine culta eſt, in colle Palatino. Neque minùs apud Græcos ſolenni religione fana ei erecta ſunt, ejuſque victima taurus erat. Hanc, quoties eclipſin patiebatur, toties veneficiis deduci credentes, cymbala pulſabant, ne magas incantatrices audiret, quod quoque apud hodiernos Perſas obtinere, docet P. de la Valle *Itin.* Tibull. *l. 1. Eleg. 9. v. 21.*

Cantus & è curru tentat deducere Lunam,
Et faceret, ſi non æra repulſa ſonent.

Bellorum ea Præſes olim habita, unde victores arma captivis detracta illi cremabant, T. Liv. *Dec. 5. l. 5.* Neque proin unquam ſine caſtrorum tumultu deliquium ſubiit, cujus celebre exemplum, vide apud Tac. *Ann. l. 1. c. 28.* Imò inter prodigia numeratum, quòd bello civili Pompeji & Cæſaris. Petron *Edit. Gonſali de Salas p. 64. Edit. Boſch. c. 82. v. 9.*

——— *Plenos extinxit* Cynthia *vultus.*

Apud Hebræos Idololatras, pro ſummo Deorum habita eſt, & Soli, qui feminino genere ab illis effertur, prælata: quod idem apud Germanos, populoſque omnes Septentrionales in uſu fuiſſe, vide in voce *Mona*. Hodiè dimidiata, apud Turcas præcipuo in honore, eorum proin inſigne eſt: an ex occaſione ſomnii, quòd primi Imperii Turcici conditoris genetrix, Lunæ ſplendorem è ſinu ſuo prodire in univerſum orbem vidit, Lipſ. *Mon. & Ex. Polit.* Eadem effigie Senatorum apud Rom. calcei olim diſtinguebantur, Stat. *l. 5. ſylv. 2. v. 27.*

——— *Genitum ſi Curia ſenſit,*
Primaque patriciâ clauſit veſtigia Lunâ.

An ut hoc pacto Imperii vices, an ut vetuſtatem generis ſui denotarent; an potiùs *Lunula* hæc centenarii nota fuit, ut hoc pacto appareret, à centum Senatoribus primis, quos Romulus inſtituit, oriundos illos eſſe. Vide Thom. Dempſter. ad Joh. Roſ. *Antiqq. Rom. l. 5. c. 36.* Similem Perſarum tiaram figuram habuiſſe, patet ex Sidon. Apoll. *Carm. 2. v. 51.*

Interea ac Suſa tremunt, ac ſupplice vultu
Flectit Achamenius lunatam *Perſa* tiaram,

De cultu ejus ut addam: Ei tauro (ut dictum) faciebant, ſicut Junoni agnâ. Cæterùm, uti ſub Solis numine omnes naturales, Deos mares, ita ſub *Luna* omnes Deos feminas coluit antiqua ſuperſtitio. Docet id Apulejus *Mileſ. l. 11.* cùm ait: *eam multiformi ſpecie, ritu vario, nomine multijugo à toto orbe veneratam. Omnes enim Deos inde deducit, Cererem, Deûm matrem, Minervam, Venerem, Dianam, Proſerpinam Junonem, Bellonam, Hecatem, Rhamnuſiam, Iſidem.* Apud Sidonios culta eſt ſub nomine *Aſtaroth*, 1. Reg. *c. 11. v. 5.* & 2. Reg. *c. 23. v. 13.* Unde Lucian. *de Dea Syria*, Ἀστάρτην δ᾽ ἐγὼ δοκέω σεληναίην ἔμμεναι, *Aſtartem Lunam eſſe opinor.* Nec obſtat quod Auguſtin. *ſuper Jud. quaſt.* 16. Aſtartem Junonem vocat. Juno enim cum *Luna* non rarò confunditur. Hinc utraque *Urania* nomine venit: & quemadmodum *Luna*, reſpectu luminis ſui *Urania*, ita reſpectu minorum ſiderum Ἀστροάρχα dicitur, h. e. *Regina Planetarum*, ſ. ut Horat. ait, *Siderum Regina*; quemadmodum de Junone Virg. *Æn. l. 1. v. 50.*

——— *Divûm incedo Regina.*

Proin non immeritò creditur fuiſſe, *Regina cœli*, cujus mentio Jer. *c. 7. v. 18.* & *c. 44. v. 17.* Porrò, annon *Luna* erat; quam; dedicatis ei ſingulorum menſium Kalendis, venerabantur priſci: At Junoni illas dedicârunt, quæ proin *Kalendaris* dicta eſt, &c. Nec omittendum, quod Macrob. narrat de *Luna* cultoribus, *Sat. l. 3. c. 8.* viros illi femineo, feminas verò virili habitu ſacra feciſſe, nempe ambigui ſexûs *Luna* erat, unde modò *Lunus*, modò *Luna* priſcis appellata. Non abſimilem idololatriam in cultu Veneris prodidit Jul. Firmicus *de errore prof. Relig. c. 4.* Quo reſpexiſſe Deum Deut. *c. 22. v. 5.* cùm prohibuit, *Ne eſto inſtrumentum virile ſuper feminam; neque induito vir veſtem feminæ:* putat Mamonides *in More Nebochim parte 3. c. 38.* Vide Thom. Godwyn. *de Ritib. Hebr. l. 4. c. 6.* & ſuprà in *Ciun*. De opinione verò vulgi, quâ in Eclipſi *Luna* avelli aſtris, & tinnitibus æris juvari, item quâ vapulare à Magis, credita. Vide Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Stat. Theb. l. 6. v. 685. & ſeqq.* it. acclamatione *Vince Luna*; aliquid etiam hic; ubi de *tinnitu* ut & plura hanc in rem, infrà in vocibus *Neomenia, Novilunium, Plenilunium*; it. ſuprà *Cavum ſidus*. Per tralationem poëtis curvatura omnis *Luna* dicitur, ut *Patritia Luna*, in calceis Patriciorum, Stat *l. 5. Sylv. 2. v. 28. l. 2. Sylv. v. 13. Lunata Liburnæ*, apud Lucan. *Civ. Bell. l. 3. v. 534. Lunata æquora*, in *Surrentino* Pollii: *Lunatum agmen* Amazonum, ac incurvis peltis; eidem Stat. *Theb. l. 5. v. 145. Lunata eburneo dente monilia, l. 9. v. 689. Lunata ora aprorum l. 3.* &c. Pulchrè Propert. in pugna Actiaca, *l. 4. Eleg. 6. v. 25.*

Tandem acies geminas Nereus lunârat *in arcus;*
Armorum & radiis picta tremebat aqua.

Vide iterum Barth. *d. l. v. 267.* & paſſim alibi, nec non infrà *Mithra, Nebo, Selenites, Talchum.*

LUNA, nomen illuſtris in Hiſpania Fam. quæ Pimentelliæ ſtirpis ramus eſt. In qua Vaſco inprimis Martinus Pimentellius, in præcipuo honoris gradu, apud Alphonſum III. Portugalliæ Regem, viguit, ſed eo inimicorum odio dejectus eſt. Ejus pronepos Rodericus cogn. *Bonus* genuit Joh. Alphonſum, cui Henr. III. Caſtellæ Rex Beneventum ſ. *Benavente*, cum tit. Comitis conceſſit: hoc Rhodericus Alphonſus natus eſt, pater Joh. Alphonſi, in quo Com. *de Majorga* titulus cœpit, atque Alphonſi, Alphonſus, ex minori fil. Petro Dn. *de Villafaſila*, avus extitit Bernardini I. March. de Tabara & reliquorum ſatoris. Major verò ejus fil. Rodericus Alphonſus Lud. March. *de Villa franca* (cujus filia, Maria, nomen Pimentellium & Villam Francam Toletanis intulit) atque Alphonſum Com. Beneventanum: hic, Antonium Alphonſum, reliquorum Comitum ſatorem atque Petrum Phil. II. gratiâ Marchionem *de Viana*, in Gallæcia, creatùm ac novæ lineæ caput, genuit. E quibus Antonius Alphonſus Pimentellius, primus *Comes de Luna* & *de Benavente* dictus eſt, utpote patri genitus ex Catharina *Quinnones* Com. *de Luna*, cujus Majores ſic habent. Bernardinus *de Quinnones* Com. *de Luna*, ex Iſabella (filia Alvari Perezii Oſorii March. *de Aſtorga*) pater fuit Franciſci, mariti Mariæ Mendozæ, & ex ea patris Claudii: quo & Catharinâ Pimentelliâ (filiâ Alphonſi, nepte Roderici Alphonſi) genitus Lud. Mariam ſibi junxit Corteſiam (filiam Ferd. Corteſii March. *del Valle*) atque ex ea ſuſcepit præfatam Catharinam, quæ nupta Joh. Alphonſo Pimentellio Antonium Alphonſum, de quo itidem dictum, genuit. Huic verò Maria Pontia *de Leon* (filia Roderici Pontii *de Leon* Dn. *d' Arcos*) peperit, Joh. Alphonſum Pimentellium Com. *de Mayorga*, Rodericum Alphonſum Pimentellium; Claudium *de Quinnones* & Lud. Pimentellium, qui omnes circa A. C. 1618. floruêre. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Parte 2. p. 83.* De Alvaro verò *de Luna*, qui Joh. II. Caſtellæ Regis gratiâ per 30. Annos floruit, tandem verò è felicitatis hoc apice deturbatur, capite tandem plexus eſt, diximus ſuo loco.

LUNA, ſive LUNNA, Gall. Lugd. urbs. Anton. *Cluny* Simler. Vide *Cluniacum*.

LUNA, Hetruriæ opp. maritimum, Plin. *l. 3. c. 5.* fœcundiſſimis candidi marmoris fodinis, quod ab eo *Lunenſe* dicebatur, olim nobilitatum: ad oſtia Macræ fluv. nunc exciſum, cui Sarzana ad 3. mill. paſſ. in Epiſc. dignitate ſucceſſit: inter Lucam 30. & Genuam 65. mill. paſſ. Fuit una ex 12. priſcis Tuſcorum coloniis. Lucan. *Civ. Bell l. 1. v. 586.*

——— *Quorum qui maximus ævo*
Aruns incoluit deſertæ mœnia Lunæ.

Idem *l. 2. v. 427.* In hoc opp. caſei genus conficiebatur magnitudinis potius, quàm bonitatis nomine nobilitatum: quippe quod ad ſingula millia pondo non rarò premeretur: Unde inter ſervorum obſonia numeratur à Mart. *l. 13.* in Xenys *Epigr.* 30. cujus Epigraphe Caſeus Lunenſis.

Caſeus Hetruſcæ ſignatus imagine Lunæ,
Præſtabit pueris prandia mille tuis.

de LUNA Petrus, vide *Petrus*.

LUNÆ Mons, geminus, unus Luſitaniæ prom. *Punta di Luna* Villanovano, apud oſtia Tagi fluv. quod *Prom. magnum* Plin. vocatur. Baudr. *Cabo de la Rocca* nunc, ſ. *de Rocca Sintra* dicitur; 6. leuc. ab Ulyſſipone in Occ. vix 1. ab arce *Caſcaes*. Alter in Æthiopia ultra Æquatorem, ex quo, teſte Ptol. Nilus oritur.

LUNÆ, portus Straboni eſt, *l. 5. p. 222.* qui *Erycis* Ptol. ut Leander vult. *Selene* Steph. vulgò *Golfo della Spezzia*, ab opp. amplo in intimo receſſu: Ferrar. portus eſt Liguriæ, inter Portum Veneris, & Portum Erycis, ambitu 20. mill. patens. Perſ. *Sat. 6. v. 7. ex Ennio:*

Lunai

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Lunæ portum eſt opera cognoſcere cives.

Sil. Ital. *Punic. Bell.* *l.* 8. *v.* 481. *& ſeqq.*

Tunc quos à niveis exegit Luna *metallis,*
Inſignis portu, quo non ſpacioſior alter
Innumeras cepiſſe rates & claudere portum.

Ptol. Λύνη & Σελήνης ἄκρον facit diverſa.

LUNÆBURGENSIS Duc. prov. Saxoniæ inf. inter Holſatiam ad Sept. ditionem Brandeburg. ad Ort. Brunſvicenſem Duc. ad Mer. & Weſtphaliam ad Occ. cum Duc. Bremenſi. Subeſt partim Ducibus Brunſvic. nempe versùs Auſtr. partim Ducibus Luneburg. versùs Bor. Caput eſt *Luneburgum*, vide ibi. Aliæ urbes ſunt Cella, Ultza, Daneberga, & Harburgum ad Albim. Vide *Livi*, & infrà in voce *Luneburgum*.

LUNÆBURGUM, vel LUNEBURGUM, urbs Saxoniæ inf. clariſſima, Hanzeatica, ampla & munitiſſ. ad Albim fluv. Ducatûs titulo inſignis, ædificiorum ſuperbiâ, ſalinis & opum copiâ illuſtris. A Jul. Cæſ. conditam ferunt, ac à *Luna* ſic dictam. Lunæ enim ſimulacrum uſque ad Car. Mag. tempora illic remanſerat, quod ille zelo pietatis commotus ſuſtulit. Baudr. eſt ad amnem *Ilmenow*, Imperialis & ferè ſui juris. Crevit ex ruinis Bardevici, urbis vicinæ. Vix 2. mill. Germ. ab Albi in Auſtr. 2. à Lavenburgo in Afr. 10. à Lubeca in Mer. 7. ab Hamburgo in Ort. 18. à Brunopoli in Arctos. Condita ſecundùm quoſdam A. C. 1190. ab Henr. Leone. Ejus autem arx vetuſtior eſt urbe 124. Annis. Reddita eſt, cum Brunſvico, Henr. Leoni Duci Bavariæ & Sax. qui à Frid. Barbaroſſa Imp. quòd eum in Palæſtina deſeruiſſet, proſcriptus fuerat, circa A. C. 1190. juxta Phil. Jac. Spener. Hujus fil. tertius Vilhelmus pater Othonis fuit, quià Frid. II. Imp. Dux Brunſvici & *Luneburgi* creatus eſt, A. C. 1235. Hujus fil. Joh. *Luneburgica*, Albertus verò Brunſvicenſis linearum ſatores extitêre: ſed illa in nepote Joh. Vilhelmo defecit: unde bellum Albertum Duc. Saxoniæ, hæredem ſcriptum inter, & agnatum Magnum jun. cujus filii Luneburgum tenuêre: è quibus Bernardus *Luneburgicum* ramum denuo orſus, Othonem genuit & Frid. Religioſum, cujus fil. Henr. in bello Hildeshemio, A. C. 1519. adverſùs Brunſvicenſes, adſtitit, Ep. Hoc natus Otho Harburgios ſevit, quorum ultimus lineam terminavit, A. C. 1642. Erneſtus verò per fil. Henr. Dannenbergicam, nunc Wolfenbuttelanam, per Vilhelmum verò Cellenſem propagavit. Hic Hojenſem Comitatum, A. C. 1582. cum agnatis, Diepholtenſem verò ſolus adiit A. C. 1585. Mortuus A. C. 1592. Hujus filios ſeptem, cum patruo Henr. Julius ſucceſſione Grubenhagenſi excluſit: unde utriuſque lineæ Brunſvicenſis & Luneburgicæ controverſia. Ex illis Georgius, cui ſors cecidit, ut uxorem duceret, Defunctus, A. C. 1641. ex Anna Eleonora Haſſiaca, præter filiam Sophiam Amaliam Reg. Daniæ reliquit filios quatuor: Chriſtianum Lud. cui Cellenſis Principatus obtigit à patruo & Ducatus Circul. inf. Saxoniæ; Georg. Vilhelmum, cui Hanoverana ſ. Calenbergia portio à patre relicta eſt: Joh. Frid. qui Pontificiam religionem aſſumpſit, & coadjutor Oſnabrugæ factus eſt, ac minimum natu Erneſtum Aug. qui jure fam. ex pace Monaſterienſi collato, Ep. Oſnabrugenſis eſt factus, & ex Sophia Palatina egregiam ſobolem ſuſcepit: re contra Gallos Suecoſque hoc tempore egregiè geſtâ inclytus. Plura vide apud Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.* Urbis mentio fit Itin. *l.* 4.

——— *Nec tua, Wiſmare tecta,*
Lubecique arces, nec celſa mœnia Lunæ,
Hammoniſque domos, non propugnacula Bremæ.

LUNARIUM Prom. Ptol. prom. Hiſp. citer. eſt *Capo di Palafugel* quibuſdam prope Palamum; aliis *Cabo de Toſa*, in eadem ora Cataloniæ, 15. mill. à præcedenti in Afric. versùs Barcinonem.

LUNATI Calcei, vide infrà in voce *Lunula*.

LUNDIS, vulgò LUNDEN, urbs Scaniæ, olim Archiepiſcopal ſub qua 6. urbes Epiſcopal. nunc ſub Suecis. 5. leuc. Dan. ab Hafnia in Ort. uti 1. à Sundico freto, 2. à Malmogia in Cæc. 3. à Coronia in Eur. diſtat. Caput olim Scaniæ fuit, nunc deficit indies. Urbi proximus collis eſt, in quo Reges olim electione ſolenni regno præfici ſolebant. J. Meurſ. Academia à paucis Annis ornata eſt. Cæterum, Hujus Epiſcopum Georg. Schotburgium Vicecancellarium ſuum, ob literas ad Pontificem de minus honeſto cum Sigbritta commercio, ac excommunicatione proin intentanda ſcriptas, cùm perſequeretur Chriſtiernus II. Daniæ Rex capitulum *Lundenſe*, ad tradendam Inſ. Bornholmiam & alia ad patrimonium Cathedrale ſpectantia adegit: quæ non minima odii cauſa fuit, quod præfatus Rex, ingenti ſuo damno, incurrit. Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. in Fam. Oldenburgo-Danica.*

LUNELIUM, opp. Occitaniæ in rupe, aliàs munitum, vulgò *Lunelle*. Patria Salomonis Jarchi, Rabbinorum doctiſſimi: qui hinc Jarchi quaſi *de Lunella*, dictus videtur Hebræis. Unde locus hic Judæis non in exigua veneratione eſt, ob virum illum, Commentariis tam in S. Biblia, quàm in librum Talmud editis adeò clarum. Diſtat vix 3. leuc. ab ora maris Medit. 1. à ſtagno Magalonenſi in Bor.

LUNELLA, vide *Armilla*.

LUNGIPRESSUM, oppid. Romandiolæ, in Ravennam & Faventiam 10. mill. paſſ, Vulgò *Ruſſio*. Hier. Rubeo.

LUNGYEN, h. e. *Draconis oculus*, dicitur in imperio Sinenſi fructus rotundus, corticefructui *Lichi*, de quo ſuprà, non abſimilis, niſi quòd paulò minor ac rotundior eſt, ut ceraſa fere Europæ majora, & pelle aliquantulum duriore, quàm Lichi, magiſque ſquamosâ legitur. Exſiccant & hunc Sinenſes, per totum Imperium ad delitias etiam ſiccum diſtrahunt, qui tamen nullo modo cum recentibus comparari poteſt, cùm ſuaviſſimus ille ſuccus totus ferè exhalaverit. Exprimitur indidem ſuccus, & liquor, quem *vinum* Sinenſes vocant, ſuave ſatis, ac rarius. Autor. Anon. *Sina & Eur. c.* 36.

LUNNA, tab. Peut. fortè *Belle ville* hodie, in pago Galliæ Bellojocenſi, non procul Arari, Lugdunum inter & Matiſconem, ſed huic propior. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Cluniacum*.

LUNULÆ, in calceis Senatorum, apud Rom. Unde Juv. *Sat.* 7. *l.* 3. *v.* 191.

——— ——— *Nobilis & generoſus*
Appoſitam nigræ Lunam *ſubtexit alutæ.*

Hinc *Lunata pellis*, Mart. *l.* 1. *Epigr.* 50. *v.* 3. cujus Epigraphe ad Lucanum de Hiſp. locis, *Lunata lingula* eidem, *l.* 2. *Epigr.* 29. cujus Epigraphe ad Rufum. *v.* 7. &c. Sed non niſi in eorum, qui Patricii erant, unde *Patriciam Lunam* vocat Stat. *l.* 5. *Sylv.* 2. *v.* 28. reliquorum enim calceos non *Lunatos*; licèt diverſos à plebejis fuiſſe, conſtat ex Cic. 13. *Philippica*, donec ſub Imperatoribus in caligas ſunt mutati. Quare verò Patres illi, qui generis nobilitate aliis præſtabant, hoc inſigni in calceis uterentur, Plutarch. *in Romaicis* multas adfert rationes. Vel quòd ſignum id eſſet habitationis ſupra Lunam, quodque poſt mortem rurſus animæ Lunam ſub pedibus eſſent habituræ: Vel quòd Arcades, ad quos nobiles ii genus ſuum referebant, calceis ita inſignitis uſi fuiſſent, quòd ante Lunam natos ſe crederent: vel ut, ſecundis rebus elati ac ſuperbientes, mutabilitatis rerum humanarum admonerentur: vel inde obedientiæ ſumerent exemplum, neque præſtantioribus parere recuſarent, quemadmodum Luna Solis radiis perpetuò intenta, ſecundas ab illo partes in orbe illuſtrando agit &c. Iſid. addit *l.* 19. *Orig. c.* 14. non ſideris corniculantis effigiem *Lunulam* illam ſed numeri centenarii notam expreſſiſſe: ut nimirum inde poſteri nôſſent, in ipſis naſcentis Reip. Rom. primordiis, Senatores tantùm centum numero fuiſſe. Quod Eruditis ac Zonaræ inprimis arriſit, qui Patricios ait in urbe calceos geſtâſſe, corrigiarum inflexione & formâ literæ C. adornatos, ut ſic à primis centum Senatoribus originem ſe ducere demonſtrarent. Quid autem propriè in calceis eſſet illa *Lunula*, & cuinam illorum parti adſuta, multum ambigitur. Communis doctorum Virorum opinio eſt, inſigne hoc Patricii calcei fuiſſe fibulam eburneam Lunæ corniculantis ſpecie, in malleolo pedis. Sed aſſenſum non impetrant ab Alberto Rubenio, qui in antiquis ſtatuis fibulas calceorum, non apponi malleolis pedum, ſed in ſuperiore parte pedis, obſervavit. Nonnulli per *Lunulam* patriciam uncinum intelligunt, in prima calcei fronte infixum, verùm hi uncinatos ſive repandos cum lunatis calceis confundunt; Philoſtratuſque *Lunulas*, non in anteriore calcei parte, ſed circa talos pedis fuiſſe appoſitos, docet. Vocat autem is *Lunulam* iſtiuſmodi ἐπισφύριον ἐλεφάντινον μηνοειδῆ, quod quidam reddunt, *Fibulam eburneam corniculantis Lunæ imagine:* Sed Grammatici vett. vocem Græcam aliter planè explicant. Didymus, Ἐπισφυρίοις, τοῖς τῶν σφυρῶν καλύμμασι, *malleolorum tegumentis*. Heſych. Ἐπισφύρια τὰ καλύπτοντα τὰ σφυρὰ ἐπισφύρια, *quæ tegunt malleolos* &c. Unde cum Heroum apud Homer. ἐπισφύρια fuiſſe ornamenta quædam ex argento vel auro, circa talos aut malleolos pedum: tum Patricios Romanorum calceos eodem in loco ornamentum eburneum, ad formam mediæ Lunæ, habuiſſe, colligit Alb. Ruben. præfat. *de Re veſt. l.* 2. *c.* 1. His tamen non obſtantibus, Balduinus, Tiraquellum *ſuis Annot. in Alex. Neap. l.* 5. *c.* 18. ſequutus, *Lunulas* illas fibulas fuiſſe, ornandis ſimul ac conſtringendis calceis idoneas, contendit. Unde ſignanter Stat. *l.* 5. *Sylv.* 2. *v.* 28.

Primaque Patritiâ clauſit veſtigia Lunâ.

Et Vopiſc. *in Carino*, cùm eum *fibulis gemmeis* uſum fuiſſe notat, indigitare videtur fibulas ad modum creſcentis Lunæ corniculantes, eaſque plures ac gemmeas, ad pompam ac oſtentationem, ſic fortè diſpoſitas, ut aptè digeſtus illarum ordo, ab extremo calceorum acumine, vel ſaltem ab ea parte, quâ pes tibiæ conjungitur, ad eam ſuperiorem, quæ crus medium attingebat, rectâ per medium aſcendens protenderetur. Putat ergo Balduin. in ea parte calcei, quæ pedem operit, quaque pes anterius tibiæ committitur, *Lunulas* illas locum habuiſſe: Ubi nimirum talorum integumenta, cum iis, quæ reliquum pedem operiunt, juncta concurrunt, indeque, ſecundùm anteriorem tibiæ partem diviſa, in altum aſſurgunt, invicem vel corrigiis, vel etiam fibulis conſtringenda. Favet ſententiæ icon calcei *Lunati*, quam è Caſalio idem exhibet: In illa namque *Lunula* viſitur appoſita illi loco, ubi extremitates calceorum inter ſe coëunt. Ibi enim id uſûs præſtitiſſe videtur, ut transmiſſa per anſularum utrinque foramina calceum contineret, vide B. Balduin. *de Calceo c.* 9. cui adde Andr. Tiraquellum præfat. *de Nobil. c.* 37. Thom. Dempſter. ad Joh. Roſin, *Antiqq. Rom. l.* 5. Lud. Creſſolium *Vacationum Autumnal. l.* 1. *c.* 5. Juſt. Lipſ. *ad Senec. de Tranquill. Animi c.* 11. Auſon. Popmam *Notis ad Hiſtoricorum vett. Fragmenta*, Dionyſ. Gothofred. *ad Pand. Juris Civ. p.* 1933. Salmaſ. *ad Aurelian. Vopiſc.* Alios. In luxu Iſraëlitidum *Lunularum* quoque meminit Eſai. *c.* 3. *v.* 19. quæ μηνίσκοι LXX. Iſid. *ornamenta* fuêre *mulierum*, *in ſimilitudinem* lunæ, *bullulæ aureæ dependentes*, *l.* 19. *c.* 31. Aldhelmo *crepundia collo gemmiferis lunulis pendentia:* Hier. *lunaris formæ numiſmata, in fronte feminarum pendula*; cujuſmodi ornatu hodieque gaudere in Oriente mulieres, legas apud Macrum *Itin. ad montem Libanum.* Sed & formâ *lunatâ* fuiſſe Vett. fibulas, innuit Plaut. *Epid. Actu* 5. *Sc.* 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Sc. 1. *v.* 29. ubi *Lunellam*, ſ. ut alii legunt, *Lunulam*, natalitio die cum armica & annulo, datam memorat, vide Thom. Bartholin. *de Armillis Vet. &c.*

LUNUS, Carrenorum Numen. Æl. Spartian. de Caracalla Imp. *Quum iterum vellet Parthis bellum inferre, atque hybernaret Edeſſæ, atque inde Carras* Luni Dei *gratia veniſſet --- interemptus eſt.* Et poſt, *Quoniam Dei Luni fecimus mentionem, ſciendum doctiſſimis quibuſque id memoriæ proditum, atque ita nunc quoque à* Carrenis *præcipuè haberi, ut qui Lunam feminino nomine ac ſexu putaverit nuncupandam; is addictus mulieribus ſemper inſerviat: at verò qui marem Deum eſſe crediderit, is dominetur uxori --- Unde quamvis Græci & Ægyptii eo genere, quo feminam hominem, Lunam Deam dicant, myſticè tamen Deum dicunt.* Nempe Carreni Lunam matrem eſſe cenſebant, adeoque maſculino ſolùm genere enuntiabant quemadmodum in variis linguis Orientis, Judaica inprimis ac Arabica, nomina non feminei ſolum, ſed & virilis generis, id ſidus habet. Unde factum, ut alii pro Deo, alii pro Dea, alii pro utriuſque ſexûs Numine habuerint. Græci nomen non habent, quo *Lunum* appellent: nam quod *Μῆνος* nomine apud Strab. quidam hunc Deum velint intellectum, falluntur, ut videbimus infrà, in voce *Menis*. Interim uti feminam *ἄνθρωπον*, ſic Lunam *θεὸν*, feminino quidem utrumque genere, ſed enuntiatione maſculinâ, appellant: quod dicere voluit Spartian. Vide Salmaſ, *ad l.* & ſuprà ubi de *Diis Genitalium*, nec non in voce *Dagon*, item *Luna*.

LUPA, inter Numina Romanorum, memoratur Arnob. *adv. Gentes l.* 4. *Quòd abjectis infantibus* (Romulo & Remo) *peperit* Lupa *non mitis*, *Luperca* inquit, *Dea eſt autore appellata Varrone*. Et Lactantio, *Inſtit. Chriſt. l.* 1. *c.* 20. *Romuli nutrix Lupa honoribus eſt affecta divinis*. Vide quoque Ovid. *Faſt. l.* 2. *v.* 413. & 415. Plutarch. *in Romulo*, Liv. *l.* 1. *c.* 4. Propert. *Eleg.* 4. *l.* 4. *v.* 55. Juv. *Sat.* 3. *l.* 1. *v.* 66. Librum *inſcriptionum p.* 105. it. ubi de *Amulio, Ilia, Numitore Romulo*, aliquid etiam infrà in voce *Lupus*.

LUPA, quæ & *Acca Laurentia*, ſive *Larentia*, Fauſtuli uxor, paſtoris armenti Regii, quæ geminos infantes Veſtalis filiæ Numitoris ad ripam Tiberis expoſitos aluit.

LUPA, vulgò *Loin*, fluv. notiſſimus in Gallia Celtica, oritur in jugis Autiſſiodorenſibus & caſtrum S. Ferreoli *S. Fergeol*, Caſtellionem, & Montem Argiæ, Nemus, ac Murittum præterlapſus, apud Sacrum portum *Barbeau*, in Sequanam labitur, inter Monaſteriolum & Melodunum Senonum. Item nomen loci fluvio huic appoſiti & Caſtellioni proximi, unde domini Caſtellionis ſuper Lupam. Eſt & *Lupa*, fluv. in Sequanis, *la Louve*: inter Salinas & Ararim medius fluens. Item amniculus Celticæ *la Loupe*, qui in Auturam devolvitur. Eſt quoque flumen, *Lupum*, à Provincialibus *le Loup* nuncupatum, quòd non longè à Varo in mare Gallicum delabitur. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LUPANAR, vide *Cerei*, it. *Littus*: nec non ubi de *Proſtibulis*.

LUPANTO, apud Peguanos, ſerpentis, à quo mulierum prima ſeducta, nomen, Pinto *Itin. p.* 313. ubi à Sacerdote quodam Peguano totam de hominis lapſu Hiſtoriam, mutatis ferè tantùm nominibus, ſibi ita relatam, ut ex ipſa Hiſtoria ſacra recitatam crederes, narrat Autor, laudatus Tob. Pfanner. *Syſtem. Theol. Gentil. pur. c.* 7. § *ult.*

LUPARA, burgus inſ. Franciæ, in agro Pariſienſi, 6. leuc. à Lutetia Bor. versùs, in via quæ Sylvanectum tendit. *Louvres en Pariſis* vulgò.

LUPARA, palatium Galliæ Regum, à Car. V. extructum Lutetiæ: & à Lud. XIV. magnificentiſſimè de novo excitatum. *Le Louvre* vulgò vide *Lutetia*.

LUPARELLA, munitum opp. Aprutii.

LUPARIÆ, opp. Normanniæ, ad Eburam fluv. 4. leuc. infra Ebroicum in Bor. Rothomagum versùs, unde totidem leuc. diſtat, uti à Ponte Arcus. *Louviers* vulgò.

LUPARII, Gall. *Louvetiers*, in Gallia inprimis appellati, qui *lupos* ex inſtituto, vel ex officio inſectabantur ac venabantur. Cùm enim, Septentrionalium gentium crebris incurſibus, magna vaſtitas regno illata eſſet, tantopere hæ feræ multiplicatæ ſunt, ut publicis Regum Edictis in eos populum armari ſemel atque iterum eſſet neceſſe. Nam præter quod habetur in *L.* Burgund. *tit.* 46. *ita Capitulare de Villis, c.* 69. *De lupis omni tempore nobis annuntient, quantos unuſquiſque comprehenderit & ipſas pelles nobis præſentare faciant: & in menſe Majo illos lupellos perquirant & comprehendant tam cum pulvere & hamis, quàm cum foſſis & canibus* & Capitulare 2. *Anni* 813. *c.* 8. *Ut Vicarii* Luparios *habeant unuſquiſque in ſuo miniſterio duos — & ipſæ pelles luporum ad noſtrum opus dentur*, vide infrà *Lupina Pellis*. Sed & propoſita iis præmia, à quibus caperentur, docet ex *Computo* Ballivorum Franciæ C. du Freſne. Inſtituti dein *Luparii*, in ſingulis foreſtis: ſed maximè in ſingulis provinciis; quibus præeſt Magnus Franciæ Luparius, *le grand Louvetier de France*, quâ dignitate cohoneſtari Magnates ſolent, ut *Lupariorum* in provinciis Viri etiam nobiles: Vide de *Lupariorum* officio & juribus *Conſuetudinem Hannon. c.* 99. De *Lupis* in Anglia, ab Edgaro Rege ita deletis, ut planè nulli ab eo tempore in illo regno appareant, diximus *alibi*. Ethelſtano Regi id videtur adſcribere *Hiſtoria* fundationis Hoſpitalis S. Leonardi, infrà civ. Eboracenſem *Monaſtic. Anglic. Tom. II. p.* 368. Extitiſſe tamen *lupos* in Anglia, etiam longè poſt Edgarum, ex LL. Henr. I. Regis *art.* 90. arguit præfatus C. du Freſne, quem vide hanc in rem, in *Gloſſ.* ut & infrà, in voce *Lupus*, aliquid etiam ubi de *Venatione*.

LUPATA, apud Mart. *l.* 1. *Epigr.* 105. cujus Epigraphe de ſpectaculo *v.* 4.

> *Mordent aureą quòd* lupata *cervi,*
> *Quòd frenis Libyci domantur urſi &c.*

genus freni aſperrimi, à *lupinis dentibus* dicti, *qui inæquales ſunt, unde etiam eorum morſus vehementior*, Serv. Hinc *dura*, Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 729.

> ——— *Non ſpumeus imber*
> *Manat equûm: duris ſlidunt ora* lupatis;
> *Ora catenatis procul exertantia linguas* &c.

Aliàs *lupi*, quoque, Ovid. *Triſt. l.* 4. *Eleg.* 6 *v.* 3.

> *Tempore paret equus, lentis animoſus habenis,*
> *Et placido duros ſuſcipit ore lupos.*

Integrè *lupata fræna*, Horat. *Carm. l.* 1. *Ode* 8. *v.* 6.

> ——— *Gallica nec* lupatis
> *Temperet ora* frenis ———

Fiebant nempe *Lupata* multis nodis ferreis olivarum inſtar, ac ſibi cohærentibus, uti etiamnum fiunt. Pollux τοῦ χαλινοῦ τὰ σιδήρια ... τροχοί. A' cujuſmodi inæqualitate radici cyperi *curcumæ* nomen indidêre recentioris ævi ſcriptores, quæ vox propriè frænum, ſ. *lupatum* denotat, ut ſuprà vidimus. Xenoph. *de Re Equ.* hoc genus fræni dicit habere orbiculos & graves & breves, ſed ἐχίνους ὀξεῖς, *aſperos inſtar aculeatorum herinaceorum*: qui orbiculi & circuli dicuntur Platoni *de* LL. *l.* 3. ψάλια, & tropicè ſumuntur pro moderamine ferocientium animorum &c. Hinc equi, hujuſmodi frænis tracti, λυκοσπάδες, dicuntur Græcis, de quibus vide Plutarch. *l.* 2. *Sympoſiac. Quæſt.* 8. Vide quoque ſuprà, ubi de equorum *Frænis*.

LUPATIA, urbs fuit Apuliæ, ubi nunc civ. Epiſcopal. *Altamura*. L. *Holſten*.

LUPATUM ſ. Capiſtrum ferreum iis, qui ab Inquiſitoribus Eccl. Rom. ad vivicomburium damnati, nonnunquam injici conſuevit, ut non niſi inarticulatum ſermonem edere queant, mediis in cruciatibus. Quod quibus fieri ſoleat, docet Simancas *de Cathol. Inſtit. tit.* 48. §. 6. ubi pronuntiat, *pertinaces hæreticos vivos eſſe comburendos, & in ignem tradendos ore obſtructo, & linguâ ligatâ.* Additque cauſam, *ne puſillos offendere queant*. h. e. ne circumſtantes alloqui ſuamque conſtantiam publico ſermone teſtari poſſint, ut verba explicat Phil. à Limborch, qui in Belgio olim, hodieque in Hiſpania id in uſu eſſe, adjicit, *Hiſt. Inquiſit. l.* 3. *c.* 2. Vide infrà in voce *Mordaza*, ita enim hoc fræni genus Hiſpanis dicitur.

LUPERCA, inter Rom. idola, apud Arnob. *l.* 4. *Quòd abjectis infantibus pepercit lupa non mitis* Luperca *Dea eſt autore appellata Varrone*.

LUPERCAL, locus ſub Palatino, Ferrar. habet Aventino, monte Pani paſtorum Deo conſecratus, in quo ſolennia quædam ſacra quotannis fiebant, menſe Februario, quibus Panos ſacerdotes, qui *Luperci* dicebantur, in Fabios, Quintilianos, Julianoſque tandem diviſi, Dio. *l.* 24. reſtituti ab Aug. Suet. *in ejus vita c.* 31. *Jul. Cæſ. c.* 76. & 78. nudi per urbem curſitabant, mulierum palmas uteroſque caprinâ pelle ferientes, quâ re & fœcunditatem & facilem partum fieri putabant. Inſtituta autem putantur hæc ſacra ab Euandro, d. 15. Kal. Martii, in honorem Panos Lycæi, quem Arcades ſimili honore colebant, Mart. *l.* 4. *Epigr.* 28. & Liv. *l.* 1. *c.* 5. Quare autem nudi diſcurrerint, hanc cauſam adfert Serv. cùm Romulus & Remus ludicro huic intenti eſſent, latrones interim, occaſione arreptâ, pecora illorum abegiſſe, eaque re intellectâ, Romulum cum omni juventute, abjectis veſtibus, ut ad curſum expeditiores eſſent, latrones eſſe inſecutos, iiſque oppreſſis prædam recepiſſe. Quæ res quoniam feliciter ceſſiſſet, manſiſſe deinde morem ſolennem, ut Lupercalia à nudis celebrarentur. Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 342. & *ſeqq.*

> *Hinc lucum ingentem (quem Romulus acer aſylum*
> *Retulit) & gelida monſtrat ſub rupe* Lupercal,
> *Parrhaſio dictum Panos de more Lycæi.*

Ovid. *Faſt. l.* 2. *v.* 421.

> *Illa loco nomen fecit, locus ipſe* Lupercis.
> *Magna dati nutrix præmia lactis habet.*

Idem Ibid. *v.* 423. De Lupercis autem Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 663.

> *Hîc exultantes Salios nudoſque* Lupercos.

Juv. *l.* 1. *Sat.* 2. *v.* 142.

> *Nil prodeſt agili palmas præbere* Luperco.

Durarunt feſta hæc uſque ad Anaſtaſium Imp. cùm ſub Theodorico, A. C. 496. abolita ſunt, Gelaſio Papâ. V. T. 3. Conc. Baron. *Ann.* Plutarch. Varron. &c. Nic. Lloyd. Dion. Halic. *l.* 1. *p.* 25., 67. & in orig. Gentis ex variis Autoribus collecta *p.* 777.

LUPERCIACUM, locus in Æduorum finibus diœceſique Nivernenſi, ſex leuc. ab urbe Niverno, Cellâ Gervaſii & Protaſii SS. Cluniaco ſubjecta inſignis: vicus non obſcurus muriſque cinctus, ex eorum numero, quos Galli burgos vocant, vulgò *Leurcy le bourg*. Item in Campania, vulgò *Louvercy*; Fuit olim & prope Pariſios vicus *Lupercianæ*, qui S. Marcelli ſuburbano acceſſit, & nunc *la rue de Lourcines* dicitur, Mon. ſororum Minorum inſignis, Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LUPERCIANA, Africæ civ. Auguſt. *Cyprian.*

LUPERCIO, caſtellum olim, nunc vicus Galliæ, in Pertico Belliſmum inter & Axejum, *Leurçon* vulgò Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LUPERCUS, Autor Græcus, varia ſcripſit ſub Claudio II. Suid. Voſs. *de Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 16. Alius, cui Martialis plurima ſuorum epigrammatum inſcripſit.

LUPFURDUM, urbs Germ. Ptol. *Leipſick*, Ferrario. Vide *Lipſia*. *Meyſſen* verò Apiano, & Perchaimero dicitur. Lat. *Miſna*, urbs Epiſcopal. ſub Archiep. Magdeburgenſi, ad Albim fluv.

LUPIA, Plin. *l.* 3. *c.* 11. militum inter Hydruntum Brunduſiumque itinere ſtatio, quæ gemino *p.* etiam ſcribebatur, & *Antonini*

pl.num. ut eſt apud Strab. P.Melam, Æthicum, Antonin. ut & Λυπίαι, unde vitiatum illud Ptol. Λυσπίαι. Pauſ. *l. 6.* ſcribit, quòd priſco nomine *Sybaris* dicta fuerit. Vide *Sylburgium.* Erat autem col. opp. & portus Salentinorum in ora Calabriæ Boreali, Aletinorum navale, nunc pag. *La Rocca* dictus, teſte *Galateo.*

LUPIA, fluv. Galliæ, *Loing.* Oritur in agro Puſæenſi, in limite Burg. dein Caſtellionem rigat & Montargium, ubi recipit incile Brivoduri, poſteà juxta Nemurtium labitur; & aliquot aliis rivis auctus, paulò infrà Moretum, in Sequanam ſe exonerat.

LUPIÆ, à Rege Salentino Malennio, Daſummi fil. conditæ, memorantur Jul. Capitolino *in Marco Anton. Philoſ.* ubi Regius codex *Lopias* habet: Λυπίαι dicuntur Strab. *l. 6. p.* 282. in ἀφηγήσει Salentinorum, Caſaub. Vide & *Lupia.*

LUPIAS, ſ. LUPIA P. Melæ, *Luppia* Tac. *Ann. l.* 1. *c.* 60. *l.* 5. *c.* 2. & *l.* 7. *c.* 1. fluv. Germ. cum opp. cogn. per Weſtphaliam, in Rhenum, apud Veſaliam urb. fluens. Strabo *l.* 7. *p.* 291. in Viſurgim influere ait, Tac. *Hiſt. l.* 5. *c.* 22. verò in Oceanum, hodiè *Lyppe,* ſ. *Lippe,* teſte Junio, dicitur.

LUPICINÆ, vulgò *Louciennes,* vicus Galliæ, in agro Pariſino, non procul à Sequana flum. & Carolivenna.

LUPICINUS, Conſ. Collega Jovini, A. U. C. 1220. Quo tempore CPoli grando miræ magnitudinis aliquot homines extinxit, & apud Atrebates vera lana de nubibus pluviæ mixta defluxit.

LUPIFERI, inter vexillarios Eccl. Rom. recenſentur Petro Diacono *Chron. Caſin. l.* 4. *c.* 37.

LUPINA-PELLIS, vulgò *Pel de-leu,* cogn. Nobilis cujuſdam Radulphi, apud Albert. Aquenſ. *l.* 2. *c.* 9. de quo quædam C. du Freſne adnotavit, *ad Alexiad. p.* 240. quòd tunica ex pelle luporum confectâ eſſet indutus. Ex pellibus enim *lupinis* non minùs, ac ex lutrinis, tunicas olim in Gallia fieri conſueviſſe, docet Landulphus de S. Paulo *in Chronico Mediolanenſi c.* 10. quas proin ſervientibus *Luparius* fuiſſe imperatas, oſtendimus ſuprà, ut & patet ex *Satutis* Foreſtarum A. C. 1597. *art.* 37. apud C. du Freſne.

LUPINARII, apud Lamprid. *in Alex. Sev. Corpora omnium conſtituit vinariorum,* lupinariorum, *caligariorum & omnino omnium artium: hisque ex ſeſe defenſores dedit & juſſit quid ad quos Judices pertineret:* videntur fuiſſe *lupinorum* negotiatores. Sed cùm hujus negotiationis nullam Vett. mentionem faciant, nec *Lupinariorum* proin hocce corpus concoquere poſſit Caſaub. quærit ſecum, ac non *Popinariorum* ſit ſcribendum?

LUPINUM, opp. Rhætiæ, à Maja, Mercurii matre, ibi culta *Mayenfeld* dictum Joh. Matal. Metell.

LUPINUM ſ. LUPINUS, apud Horat. *l.* 1. *Ep.* 7. *v.* 23.

> —— *quid diſtent æra* lupinis:

leguminis genus, quod Græci vett. θέρμον, recentiores γυπηνάριον dicunt, juxta epitheton Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 75.

> ———— *triſteſque* lupini;

ab amaritudine, cujus ſiliqua ſolet quina vel ſena ferre grana, dura, lata & rufa, quibus maceratis boves aluntur; pueri vero talibus granis utuntur luſitantes calculorum loco, nec multum hæc ab æreis nummis diſtinguunt. Sed & Comicos olim in ſcena nummis ex *lupino* ſimulatè factis pro veris uſos, hincque Plaut. *Moſtell. Act.* 4. *Sc.* 2. *v.* XI. It. *Pœn. Act.* 3. *Sc.* 2. *v.* 20. lupinos *aurum comicum* appellare, notat Jac. Dalechamp. apud Chabot. *ad h. l.* Sunt tamen, qui *erva* reponant, apud Horat. qua de re alibi *Serm. l.* 2. *Sat.* 6. *v.* 63. Idem verò & Philoſophorum olim, Cynicorum maximè, cibus fuit inprimis conſuetus: quo horum proin pera ſemper referta. Verſus Cratetis apud Ariſtot.

> Οὐκ οἶσθα πήρα δύναμιν ἡλίκην ἔχει
> Θέρμων τε χοῖνιξ ————

Unde detonſæ Stoicorum & Cynicorum juventuti *ſilianas* & *polentam* pro cibo aſſignat Satyric. ἄλφιτα καὶ θέρμους. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 460. & ſuprà ubi de *Cicere,* aliiſque *Leguminibus.* Sed & *lupinum,* ut & ervum inter pondera, duo κεράτια pendebat, κεράτιον autem ſextam partem ſcriptuli faciebat. Idem *p. ſeq.* &c. Plura de *lupino,* apud Plin. *l.* 18. *c.* 15. alibique paſſim.

LUPOLDUS, vide in vocibus *Leopoldus* & *Luitpoldus.*

LUPONDUM, opp. ſ. potiùs arx Germ. in Suevia, non procul à fontibus Danubii, *Lupff,* teſte Lazio. Auſ. *in Moſella, v.* 423.

> *Hoſtibus exactis Nicrum ſuper &* Lupodunum.

LUPORUM Latibula, Angl. *Wulfputes,* crypta celebris in Anglia Occid. de qua vide ſuprà *Cryptæ.*

LUPPAS, cogn. Hypatii, qui tyrannidem arripuerat; in cujus tumulo dicitur à Juſtiniano inſcripta tabula, hiſce verbis, Ἐνθάδε κατάκειται ὁ βασιλεὺς Λύππας, in *Chron.* Alex. *p.* 748.

LUPPIA, urbs Hanzeatica Germ. Caput Com. cogn. ad Luppiam fluv. in Weſtphalia, ſub proprio Com. inter Paderbornam ad Ort. & Suſarum ad Occ. *Lippe* ſ. *Lipſtadt* vulgò. Aliis *Lupias.*

LUPUM, ſ. LUPUS, fluv. Galliæ, à Provincialibus *le Loup* nuncupatus, non longè à Varo in mare Gallicum delabitur. *Fluvium Lupi in pago Vencienſi,* vocant literæ datæ A. C. 1103. aliæ aliter atque Monaſterium S. Verani ac Puteuni locum ita dictum, ad eum amnem ponunt. Quemadmodum Græci Ponti fluv. Λύκον *Lycum,* i. e. *Lupum* vocavêre: Byzantii ſimiliter *Lycum* ſuum, amniculum urbi proximum, habuêre. Hadr. Valeſ. in voce *Lupa:* item in voce *Vinticum,* ubi eum cis Varum in mare decurrere docet.

LUPUS, Dux Sev. Imp. ab Albini militibus victus, de quo vide Caſaub. *ad Sev. Spartiani.*

LUPUS, Forojulianorum Dux, A. U. C. 1420.

LUPUS, Coſ. cum Maximo, A. U. C. 984.

LUPUS, Ep. Senonenſis, qui tantâ erat in pauperes munificentiâ, ut nullum ſibi theſaurum relinqueret, ſed omnes exhauriret in id loculos. *Volat.*

LUPUS, integro nomine *Curtius* Lupus, Quæſtor, cui provincia vetere ex more Calles evenerat; cœptantem decimo Tiberii Imperii Anno conjurationem ſervilem autore T. Curtiſio disjecit. Tac. *Ann. l.* 4 *c.* 27.

LUPUS, integro nomine *Cornelius,* ſub Claudio à Suilio circumventus. Idem *Ann. l.* 13. *c.* 43.

LUPUS, Ep. Trecenſis, maritus Pimaniolæ, ſororis Hilarii Arelatenſis. In Angliam, cum Germano Antiſſiodorenſi profectus Pelagianos refutavit. Obiit A. C. 479. Sidon. *l.* 6. *Ep.* 1. Attilæ, ad urbem appropinquanti obviam procedens, illum ſic alloquutus legitur: *Salvum te adveniſſe gaudeo, quem judico flagellum eſſe Domini & Dei mei, miſſum ad populos caſtigandos:* Quibus permulſus Attila urbi pepercit.

LUPUS, Presbyter Moguntinus. Item præfectus Ægypti, ſub Veſpaſiano. Joſeph. *de Bell. Jud. l.* 7. *c.* 26.

LUPUS Junius, vide *Junius.*

LUPUS de Oliveto, Generalis Ord. S. Hieronymi, floruit A. C. 1420. *Lupi* Siculi, Comici, meminit, Ovid. *de Ponto l.* 4. *Eleg.* 16. *v.* 25.

> *Trinacriuſque ſuæ Perſeidos auctor & actor,*
> *Tantalidæ reducis, Tyndaridoſque* Lupus.

LUPUS Rutilius, vide *Rutilius.*

LUPUS Servatius, diſcip. Rabani Mauri: Imperatrici Judithæ, Car. Calvo, Lothario, Eidulpho Angliæ Regi Benedicto III. gratus. Scripſit Epiſtolas, quæ à Papyrio Maſſonio editæ, A. C. 1588. multum lucis Hiſtoricæ Seculi illius caligini afferunt. Item, librum de 3. quæſtionibus, quas Sirmondus in lucem produxit, &c. Obiit A. C. 853. Sigebertus *Catal. c.* 93. Trithem. *in Chron.* &c.

LUPUS, Græcè λύκος, à verbo λεύσσω, *video;* namque ὀξυωπέστατόν ἐστι ζῶον καὶ μὴν τοι νύκτες, καὶ σελήνης οὐκ οὔσης, ὅδε ὁρᾷ. *acutiſſimi viſus eſt animal: quippe etiam noctu, & lunâ non lucente, videt,* Ælian. *Hiſt. Anim. l.* 10. *c.* 26. cujus cauſa ex Plin. patet, qui oculos *lupo* ſplendere & lucem jaculari aſſerit, *l.* 8. *c.* 22. Unde Apollini ut Deo perſpicaciſſimo, eum ſacrum voluêre Vett. Quin ipſum Apollinem in *lupo* coli ſolitum, in Ægypti Thebaide, Macrob. aſſerit, *Sat. l.* 1. *c.* 17. ubi de Lycopolitanis. Inprimis verò ſub veſperam acutiſſimè vident. Habac. *c.* 1. *v.* 8. *Acutiores ſunt lupis veſperæ,* i. e. lupis veſpertinis. Hinc eo potiſſimum tempore ſe prædatum conferunt, ut ex ſacris profaniſque Scriptoribus paſſim liquet, Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 434.

> *Veſper ubi è paſtu vitulos ad tecta reducit,*
> *Auditiſque* lupos *acuunt balatibus agni.*

Arabibus proin *alaſſaſo,* i. e. *nocturnus erro* lupus appellatus. Quamvis & alia cauſa ſubſit, cur lupo id magis proprium, ut noctu ad prædam divagetur, quam leoni, pardo aut urſo, quia viz. ei, ut minus virium, ita minus audaciæ eſt. Interim, quidquid agendum ſibi proponunt, acriter exequuntur, & ſummâ contentione. Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 264.

> ——— *Et genus acre* luporum.

Quare & hanc ob rationem ὀξεῖς, i. e. *acres* dici potuêrunt Prophetæ. Hebr. זאב *Zeeb,* quaſi *aureus,* vocatur ab aureo colore: quo, è quinque luporum ſpeciebus, quas Oppian. deſcribit *Cynegetic. l.* 3. tertia inſignis eſt, in Cilicia & prope Amanum degens, quam proin χρυσέους, i. e. *aurei,* epitheto ab incolis inſigniri addit. Ex Hebræo deducta ſunt, Chaldæum *deba,* Syrum *deba* vel *diba,* & Arabicum *dib.* Fortè etiam *Davus,* Græcè Δάος, quâ voce Phryges lupum ſignificâſſe, ex Heſychio diſcimus. Inde lux Sibyllæ oraculo, *de Lupis Byzantium invaſuris,* quod refertur à Tzetze *Chil.* 9. *Hiſt.* 288. Lupi enim illi Turcæ ſunt, oriundi à Dais circa Oxum, uti conjicit Bochart. Etſi autem de *Lupo* pauca tradant Sacri Scriptores, tamen illius ingenium nobis graphicè deſcribunt. Primò enim illum proponunt tanquam ſummè rapacem, Gen. *c.* 49. *v.* 27. Ezech. *c.* 22. *v.* 27. Matth. *c.* 7. *v.* 15. & Joh. *c.* 10. *v.* 12. Quod lupo maximè convenit, qui vulgò poëtis *rapax* & *raptor* Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 355. Horat. *Carm. l.* 4. *Ode* 4. *v.* 50. Ovid. *Triſt. l.* 1. *Eleg.* 5. *v.* 10. Aliisq; hocque velut peculiare munus à Jove demandatum ſibi vindicat, apud eund. Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 129.

> *Ille malum virus ſerpentibus addidit atris,*
> *Prædarique* lupos *juſſit* ————

II. Ut vaſtatorem & ſanguinarium, Jer. *c.* 5. *v.* 6. Ezech. ubi ſuprà & Actor. *c.* 20. *v.* 29. Unde Ovid. de Lycaone in lupum mutato, *Met. l.* 1. *v.* 234.

> ———— *ſolitæque cupidine cædis*
> *Utitur in pecudes, & nunc quoque ſanguine gaudet.*

Nempe non ſolùm jugulant lupi, quantum ſufficit, ad famem explendam, ſed totum gregem paſſim interimunt, niſi latratu canum, aut clamore paſtorum, abſterreantur. III. Ut voraciſſimum atque avidiſſimum animal, Sophon. *c.* 3. *v.* 3. Unde *bellua* Arabibus notumque Prov. *lupo avidior.* Ita enim veſpertinam prædam abſumunt, ut ad matutinum tempus nec oſſa quidem relinquant: quòd ſi totam per ventris anguſtias abſumere nequeunt, partem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

partem inviti relinquunt. Quò reſpiciens Mithridates, Romanos, tanquam lupæ uberibus altos, luporum animos habere aſſerebat, *inexplebiles ſanguinis, atque imperii, divitiarumque avidos ac jejunos* apud Juſtin. *l.* 38. *c.* 6. *inexplebiles ſanguinis atque imperii divitiarumque avidos, ac jejunos.* IV. Ut veſpertinum, tempus ſic, quò prædatum ſe confert, apertè deſignantes, inter alia Gen. *c.* 49. *v.* 17. *Benjamin quaſi lupus qui diſcerpit - - & ad veſperam dividit ſpolium.* De tempore aliquid jam diximus. Quod de *diviſione* hic dicitur, non ea ad omnes lupos ſpectat. Quidam enim ſunt μονοπῆραι, alias μονόλυκοι & μονιοὶ, Gall. *lougaroux*, qui ſoli venantur, vide ſuprà in voce *Guaratores*. Alii gemini prædatum exeunt, Ælian. *Hiſt. Anim. l.* 15. *c.* 3. Unde Stat. *Achill. l.* 2. *v.* 30.

> —— *procedunt gemini, ceu fœdere juncto,*
> *Hyberna ſub nocte lupi.*

Sæpe etiam turmatim eunt, ſi majus periculum imminet, Xen. *Hipparchico.* Tumque prædam communi labore partam inter ſe dividunt, & quiſque partem ſibi ſumit, voratque illico ſi poteſt aut in poſterum ſeponit, poſtquam abundè paſtus eſt. V. ut ὀξύτατος viſu, qua de re aliquid ſuprà; curſuque, Habac. *d. l.* Hinc in variis luporum ſpeciebus, unus τοξότης, *jaculator*; alius κίρκος, *circus* vel *accipiter*, uterque à velocitatè curſûs dicitur Oppiano ubi ſuprà. Vide ut ovibus infeſtiſſimum, Matth. *c.* 10. *v.* 16. alibique. Certè odium hoc acre adeò, ut illud nunquam deponant lupi, etiamque ſaturi totos greges jugulent: lupique hinc fidibus agninæ malè obſtrepant, quod Cardanus tanquam rem certam aſſerit, deſumptum ex Oppiani *l. c.* qua de re vide Gerh. Joh. Voſs. *de orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 75. E quibus prædictis, inter Lupos & falſos Doctores, ut & inter Lupos & tyrannos piorumque perſecutores, comparationem inſtituunt frequentiſſimam, vide Matth. *c.* 17. *v.* 15. Actor. *c.* 20. *v.* 29. Ezech. *c.* 22. *v.* 27. &c. At quòd Benjamin lupo aſſimilatur, in ultimis Jacobi, à fortitudine eſt. Animo enim & robore lupi non parum valent; hinc & *Marti* dicati à gentilibus, & propterea *Martii* ac *Martiales* paſſim appellati, Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 566. Horat. *Carm. l.* 1. *Ode* 17. *v.* 9. aliis. Unde & nonnullas gentes lupino ululatu, tanquam incentivo carmine, ad pugnam ſe incitâſſe legimus; Abaros, apud Suid. Cimbros Teutonoſque apud Plin. *l.* 26. *c.* 4. *luporum* quoque nomen fortiſſimis viris quandoque inditum, ut de Hercule habet Lycophron *Caſſandrâ*. Etiam in ſignum militare Romanis antiquitus lupus placuit, tum ob cauſam dictam, tum in honorem Romuli Remique, quos aluiſſe lupam creditum. Et *lupo* armatum caput non pauci vett. Heroum habuêre, uti docet C. Paſchal. *Coron. l.* 10. *c.* 17. & *ſeqq.* De cultu quod antè dictum, confirmat id de Lycopolitanis Clem. Alex. *Recognitionum l.* 10. & Ælian. *Hiſt. Anim. l.* 9. *c.* 18. quorum hic propterea illos vetuiſſe, ne quis in terras ſuas herbam λυκοκτόνον, i. e. *lupicidam*, prope Nilum creſcentem, lupiſque exitioſam, inferret, ſcribit. Sed & Delphis id animal τιμᾶσθαι, *coli* ſolitum, quia indicium ſacri fecerit auri furto ſubrepti, inque Parnaſſo defoſſi, refert idem ex Polemone, *l.* 12. *c.* 40. qua de re vide Gerh. Joh. Voſs. ubi ſuprà *c.* 75. Regiones quod attinet *luporum* feraces, Arabiam illis ſcatere notisſimum eſt, ex Agatharchide *l.* 5. *c.* 45. Strab. *l.* 16. *p.* 774. Diod. Sic. *l.* 3. Aliis: ex quibus frequentem ibi lupum, & minimum centinomium eſſe diſcas. Unde ultra centum eſſe nomina quibus hoc animal indigitent Arabes, docet Bochart. Sed & aliæ iiſdem refertæ fuêre, unde omni niſu in id paſſim incubuiſſe incolas, ut ab hac peſte liberarentur, legimus. Sic apud Athenienſes, quorum terra melior paſcendo pecori, quàm colendis agris eſset, legem tulit Solon, ut ei, qui *Lupum* attuliſset, drachmæ quinque darentur, qui *Lupam*, una: Τῷ κομίσαντι λύκον, πέντε δραχμὰς δίδοσθαι· λυκίδα δὲ μίαν. Quam Plutarch. refert *in Solone*, è Demetrio Phalereo, ubi verba Latinè ſic habent: *Ei qui* Lupum *attulerit, quinque drachmas dedit: unam ei qui lupam. Quorum illud bovis, hoc ovis pretium eſſe ait* Demetrius Phalereus. *Antiquitus autem in more poſitum Athenienſibus fuit, contra lupos pugnare; quoniam regio eorum pecori magis paſcendo, quàm frugibus ferendis, apta.* Ejuſdem meminit Scholiaſtes Ariſtoph. *ad Aves*: Ἐπεὶ τοὺς λύκους ἀπέκτεινον τὸ παλαιὸν ἐν τῇ Ἀττικῇ, καὶ νόμος ἦν λυκοκτονεῖν. Διὸ ὁ μὲν φονεύων λύκου τέκνον, τάλαντον ἐλάμβανεν· ὁ δὲ τέλειον, δύο, *Quoniam lupos occidêrunt olim Athenienſes, lexque hac de re lata erat, ideò qui lupi catulum interemiſſet, talentum accipiebat, bina verò, qui lupum.* Ubi in præmio mendum eſse, conſtat è Plutarch. Vide Sam. Petit. *Comm. in LL. Attic. l.* 5. *tit.* 2. In Anglia eadem ſeveritas circa hoc ferarum genus viguit, ut poſtea aliquamdiu circa vulpes etiam, catos ſylveſtres, muſtelas, lutras, quadrupedes alios; item circa aves aliquot frugibus aut pullis infeſtiores, teſte Gul. Malmesburienſi *de Regib. Angl. l.* 2. *c.* 8. *Eſcaetriæ Anni* 27. *Henr. III.* Leyceſtriæ. Unde *capitis Lupini* nomen uſurpatum eſt pro eo, quem non ſolùm cuique licuerit occidere (quod Seculis ab hinc aliquot prorſus evanuit) ſed ob cujus mortem ſic inflictam laus ſaltem, ut præmium publicum, ſingularis debita eo nomine fuerit interfectori, Henr. Bractonus, vetuſtus apud Anglos JC. *de Corona l.* 3. *c.* 13. §. 3. A. C. 1240. aut circiter *Item foris facit Utlagatus* (qui idem apud Anglos vett. quod apud Venetos *Bannitus*, apud Hebræos, impunè à Zelotis occidendus, ſic dictus, *quaſi extra Legis protectionem poſitus*, etiam antiquitus *forbanni*) *omnia quæ pacis ſunt, quia à tempore quo utlagatus eſt, caput gerit lupinum ita quòd ab omnibus interfici poterit & impunè, maximè ſi ſe defenderit vel fugerit, ita quòd ſit difficilis ejus captio.* Quibus conſonæ ſunt Leges Eduardi Confeſsoris dictæ, *c.* 7. *Si repertus fuerit & retinere poſſit, vivus Regi reddatur, vel caput ejus, ſi ſe defenderit.* Lupinum *enim gerit* caput: *& hæc eſt lex communis, & generalis, de omnibus Utlagatis.* Duravit autem nomen hoc *capitis lupini* etiam in Henr. IV. tempora, in foro pro *Utlagato* ſ. proſcripto, ut elicit ex Rogeri Coci Londinenſis faſis tabula, apud Galfredum Chaucerum, nec dum omnino edita, Joh. Selden. in qua Joh. cuidam de Bundis tres adſcribuntur filii, Joh. Anon. & Gamelinus: atque de maximi & minimi circa patrimonium diſsenſu, hujuſque virtute & illiùs vafritie ſummâ, fabula ſatis ampla nec omnino contemnenda contexitur; deſinens in Gamelini ſummæ, quam paſsus eſt injuriæ ultionem, per mortem ignominioſam, fratri Joh. ut Judici & XII. Viris juratis, velut ex jure zelotarum, illatam: nomen enim *Capitis lupini*, quod ibi habet, quaſi zelotarum jus deſignavit, ut dictum. Cujuſmodi certè jus nonnulli etiam, apud Anglos, viguiſse volunt, in eos, qui *extra pacem & protectionem Regis* ideo politi (juxta formulam forenſem *Præmunire* dictum, Statuto Parlamentario fundatam, *Stat.* 25. Eduardi III.) quòd de re aliqua in foro quocunque ſive Romæ, ſive Avenione ſive intra Angliam agerent, cujus cognitio ad tribunalia ſpectaret regia, h. e. maximè in Eccleſiaſticos, Majeſtatem Regiam, ſic planè, autoritatis Pontificiæ obtentu, lædentes. Sed ſub Eliſabetha Regina Sancito Parlamentario, opinio illa abolita eſt *Stat.* 5. *Elizab. Reginæ c.* 1. Vide Joh. Selden. *de Synedriis l.* 2. *c.* 14. §. 3. & hîc ubi de *Proſcriptis, Utlagatis, Zelotis*, uti de *Luporum* in Galliæ regno ſævitia olim lemmate *Rogationum Dies*. At vett. Rom. *caput lupinum* villarum portis præfigebant, quòd roſtrum ejus veneficiis reſiſtere crederetur, Plin. *l.* 28. *c.* 10. &c. Ut & hæc addam, *lupinam caudam* (cui amatorium quid ineſse ſcribit idem *l.* 8. *c.* 22.) apud Suenones & Gothos, tam in bellis; quam in triumphis; haſtis alligari conſueviſse, diſcimus ex Olao *l.* 8. *c.* 14. De dentibus, exuviiſque alibi. Sed & mactato tauro, & *lupo* & apro & ariete, ſanguinique intincto enſe & haſtâ, Græcos, qui cum Cyro adversùs Perſas aſcenderant, fœdus cum Barbaris percuſſiſse, Suid. tradit. Iidem quoties ad domos urbemque accederent, in prodigiis Romæ habitum, refert Jul. Obſequens &c. Cæterùm *Lupi* hoſtis vulpes, ei verò ſimilis admodum hyæna eſt: an & homines in eos transformari queant, dicemus infrà ubi de *Lycanthropia* &c. Vide hanc in rem plura apud Salmaſ. *ad Solin.* Gerh. Joh. Voſs. *de orig. & progr. Idol.* paſſim, inter alia de venatione eorum *l.* 3. *c.* 73. (de qua etiam infrà aliquid, ubi de *tenſuras, ad occidendos lupos, ponendi conſuetudine*) Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 10. Alios; infrà quoque in voce *Lycaon*; de clamore, in voce *Ululatus*: uti de nomine factioſorum à *Lupis* tracto, ſuprà *Iſengreni*.

LUPUS, piſcis, Græcè λάβραξ, Hebr. שבוט, inter mundos recenſetur, in ſacris, quòd pinnas & ſquamas habeat. Eſt autem is paulò pinguior, puippe cui ἀπὸ τῆς λαβρότητος *ab immenſa voracitate* nomen, hodieque inde λαυράκι Græcis; ventre prominet, capite eſt oblongo, caudâ tenui: qui cùm ſe retibus implicitum ſentit; quanto poteſt impetu, in ea graſsatur, ut diſcerpat ſibique paret exitum, *quod magno conſenſu noſtri piſcatores ſe animadvertiſſe teſtantur*, inquit Cœl. Calcagninus *Ep. ad Joh. Bapt. Angarium.* Cerebrum illius potiſſimum commendant, Talmudici, *Tr. cholin*; tanquam gratiſſimi ſaporis: quomodo λάβρακος κρανίον græci ſcriptores, in his Ariſtoph. *in Lemniis*, Eubulus *in Nutricibus*, & Eriphus *in Melibœa*, ubi inter eas dapes recenſet, ἃς οὐδὲ μάκαρας ὑπερορᾶν οἶμαι θεοὺς, *quas*, inquit, *ne beatos quidem Deos aſpernari puto.* Lactes item in delitiis, quibus ruſticos paviſſe Heliogabalum, inter cætera ejus portenta, memorat Lamprid. Duorum illos generum facit Columella *l.* 9. *c.* 17. alios varios & maculoſos, alios ſine maculis, quorum illos Xenocrates vocat ἐπεστιγμένους, quaſi *maculis interpunctos.* Quò facit Hebræum nomen, non malè exprimens Gallorum, *bar*, & Italorum *varolo* quaſi varium vel variolum, à varietate colorum ducta. Porrò in mari reperitur hic piſcis, & in fluviis, præcipuè circa oſtia, quorum hi meliores. Plin. *l.* 9. *c.* 16. & 17. E lupis *in amne capti præferuntur.* Idem Ibid. *c.* 44. Optimi habebantur apud Rom. in Tiberi, duos inter pontes capti. Horat. *Serm. l.* 2. *Sat.* 2. *v.* 31. & *ſeqq.*

> *Unde datum ſentis,* lupus *hic Tiberinus, an alto*
> *Captus hiet, ponteſne inter jactatus, an amnis*
> *Oſtia ſub Tuſci?*

Cujuſmodi piſcem cùm ſibi appoſitum eſſe credidiſset Phil. ille, quem unà cum Hortenſio & Lucullo piſcinarios inter reponit Plin. *l.* 9. *c.* 54. ſe verò, ſimul ac guſtavit, deceptum ſenſiſſet, quem guſtaverat, ne piſcis quidem nomine dignatus eſt. *Laneos* reliquis præfert Mart. *l.* 13. *in Xenys. Epigr.* 88. cujus Epigraphe lupus: ubi colore ne albus, an carne mollis, an mandendo araneoſus, indigitetur, diſquirunt Scholiaſtæ. Plin. idem rem expedit *l.* 9. *c.* 17. *Luporum laudatiſſimi, qui appellantur lanati, à candore mollitiaque carnis.* Cæterum cùm acipenner antiquitus in pretio Romanis eſset, poſtea præcipua autoritas lupo & aſellis eſſe cœpit, *Ibid.* &c. Vide plura de hoc piſce, apud Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 4. *c.* 20. alibique, Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 5. *c.* 14. Macrob. *Sat. l.* 2. *c.* 12. *Alios.*

LUPUS, apud Veget. *l.* 2. *c.* 25. & *l.* 4. *c.* 23. harpagonis ſpecies, *quo arietes avertuntur aut ſuſpenduntur, ita ut impetum non habeant feriendi*: ſic dictus, quòd velut *Lupus* dentes ferreos, exerat, arietemque apprehendat, vide quoque Liv. *l.* 28. *c.* 3. & ſuprà *Corvus.* A qua machina fortè diverſa illa, quam *Lupum belli*, Græcè *Nicontam*, quaſi *omnia vincentem*, appellat Matth. Weſtmonaſterienſis A. C. 1304. ubi Gallicum *Louvel* hac voce exprimi exiſtimat C. du Freſne *in Gloſſ.* Liv. *l.* 10. *c.* 27.

LURENSE & LUTRENSE monaſter. ſub tit. S. Martini, vulgò *Lure*, aliàs *Ludres*, in Duc. Burgundiæ, 3. circ. leuc. à Luxovia Auſtr. verſùs, juxta *Lougnon* fluv. 8. à monte Bellicardo in Occ. 13. à Veſuntione in Bor. ad radices Vogeſi. Ejus Abbas eſt loci Dominus, & ſub client. Imp.

LURIA, opp. Lucaniæ.

R. LURIA Salomo, vide *R. Salomo Luria.*

LURINUM, vulgò LURI, opp. Corſicæ mediterr. nunc pag. ingens, opp. S. Florentii, 20. mill. paſs. à Baſtia, apud Opinum 3. Ptol. *Ferrar.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LURIUS LUPUS, Coſ. cum Aurel. Probo Aug. A. U. C. 1022 Lege *Furius.*

LURIUS Orphilus, Coſ. cum fil. Antiochiano, A. U C. 1022. Lege *Furius.*

LURYUM, opp. exiguum Bituricenſis Duc. *Joh. Matal. Metell.*

LUSARCHIÆ, vulgò LUSARCHE, caſtellum Galliæ, in agro Pariſino, in Pariſiorum, Bellovacorum, & Sylvanectum conf. Hujus dimidium Hugonis Claromontenſis gener Matthæus Comes Bellimontis cùm nactus eſſet, totum occupavit, ſed Lud. Craſſus mox illud expugnatum Hugoni reſtituit. Vide Hadr. Valeſ. in voce *Pariſu.*

LUSATIA, prov. Germ. vulgò LAUSNITZ, LUSACE Gallis, aliàs Bohemiæ annexa fuit; ſed ab ultimo bello Bohemico A. C. circiter 1620. ſubeſt dominio Ducis Electoris Saxoniæ: Nomen habet à *Luzy*, quod Slavorum linguâ ſaltus ſ. virgulta denotat. Dividitur in Sup. quam *Hexapolim*, Germ. *die Sechsſtatte* vocant, cujus caput eſt Gorlitium, ſec. Becmannum Budiſſina, & in Inf. cujus primaria eſt Sorava. Extenditur à Sept. in Mer. & terminatur Sileſiâ, ab Occid. Ducatu Saxoniæ, à Bor. Marchiâ Brandeburgicâ, & ab Auſtro Bohemiâ. Sed hiſce ultimis temporibus diviſa fuit *Luſatia*: Sup. enim paret Duci Electori Saxoniæ; Inf. autem Luſatia ſubeſt Duci Saxoniæ Merſoburgenſi, ex conceſſione Electoris Saxoniæ. Urbes ſup. Luſatiæ ſunt Gorlitium, *Gorlitz*, Budiſſina, *Bautzen*, Zittavia, *Zittaw*, & Lauba, *Lauban*: Luſatiæ inf. urbes ſunt Zdiarum ſ. Sorava, *Soraw*, Guba, *Guben*, & Cotbuſium, *Cotbus*, quæ ultima ſubeſt Electori Brandeburgico. Pop. *Luſati* ſ. *Luticii*, cum quibus fœdere inito munivit ſe contra Othonem III. Imp. Boleslaus Bohemiæ Rex A. C 986. Illos dein Henr. IV. Imp. ſibi ſubjecit, circa A. C. 1068. Bohemiæ eoſdem adjunxit Henr. VII. Imp. circa A. C. 1311. Bohemis acceſsêrunt, contra Ferdinandum II. A. C. 1618. à quo Joh. Georgii Electoris Saxoniæ ope ſubjugati ſunt, circa A. C. 1620. Vide ſuprà & plura apud Coſm. Bohemum *in Hiſt.* Urſpergenſem *in Chron.* Æn. Sylvium *Hiſt. Bohem. c.* 3. Lætum *Comp. Hiſt. Univ.* &c. Addo, quod ei à Car. Mag. primùm ſubactæ, Henr. Auceps *Marchionis* titulo præfecit Geronem, Altenburgi & Mersburgi Com. tuendis maximè contra Bohemos, Polonos, & qui tum Polonis parebant, Sileſios, finibus, ipſiſque *Luſatis* in officio continendis, obſequii pariter religioniſque impatientibus. Geroni ſuffectus Chriſtianus, Wettini Comes, iſque honor genti aliquantum duravit. At excidêre poſteri, Henr. nempè, Pater & Fil. *Luſatia ſuperiori*, ab Henr. V. à quo defecêrunt, Uladislao ſive Wratislao Bohemo conceſsâ, A. C. 1075. Inter cujus poſteros Wenceslaus II. eam Electori Brandeburgico dono dedit Sec. 13. ſuffragium ejus in Comitiis Septemviralibus hoc munere ſibi conciliaturus. At cùm, Mortuo Woldemaro Brandeburgico A. C. 1319. de ſucceſſione lites orirentur, *Luſati* Joh. Bohemi. Regis imperium ſponte ſuâ, an juſsu decretove aut adſenſu ſaltem Lud. Bavari Imp. ſubiêre. *Inf. Luſatia* poſtea quoque Wettinenſibus ſ. Miſnicis, ab Alberto Brandeburg. Adolphi Imp. contra iſtos partes ſectante, adempta eſt A. C. 1296. Sed nec iſte male partis diu eſt gaviſus. Bohemi quippe, ab Alberto Imp. Adolphi, dùm is regnaret; æmulo inſtigati, eam invadentes ſibi aſſeruêre ejuſque poſſeſſio his pacto poſtea Henr. VII. Imp. & Bohem. Regis cum Frid. Forti cogn. *cum admorſa gena*; Miſniæ Marchione firmata. Tandem poſtliminio velut, ad Wettinenſium propaginem utraque *Luſatia* hoc Sec. rediit, Cæſaris juſſu, à Joh. Georg. I. Electore Saxon. occupata & ob navatam Ferd. Bohemorum defectione laboranti, operam, impenſaſque in rem iſtius 72. *Tonnas* auri, Domui hujus Feudi jure conceſsâ. Vide Tab. Pfanner. *de præcipuis Germ. Princip. gentib. c.* 2.

LUSCI, miniſterio Deorum plerunque deputati, apud Gentiles. Poëta,

——— *cum ſiſtro* Luſca *Sacerdos.*

Unde vett. de Alcmane *Epigr.* Autor, apud Plutarch. περὶ φυγῆς, loquentem eum inducit, bene de ſe actum, quod Sardibus in patria Lydia non fuerit educatus, in qua *luſcas* ſic fortè *Sacerdos*, aut Gallus veſtibus auratis indutus, tympana percutere potuiſſet, pervulgato ſacrorum more,

> Σάρδιες ἀρχαῖαι πατέρων νόμος, εἰ μὲν ἐν ὑμῖν
> Ἐτρεφόμαν, κεχλὰς ἦν τις ἂν ἢ βακέλας κτλ.

Ubi κεχλάς μονόφθαλμος Heſych. eſt i. e. *luſcus*, at βακέλας, *inteſtis*, uti docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 528. Vide quoque infrà *Siſtrum.* At Sacerdotes ſuos Deus extra omne corporis probrum exiſtere voluit. Lev. c. 21. v. 17. *In quocunque è ſemine tuo --- fuerit corporis vitium, ne accedito ad offerendum cibum Dei ſui.* Utpote qui typum gererent Summi Pontificis noſtri, agni illius ἀμώμου, & omni labe carentis. Quam ob cauſam & Rex David ad menſam tales non admiſit. Admiſit verò portentum illud hominis Heliogabalus qui inter octonos illos, quos riſus movendi gratiâ ad cœnam vocavit, etiam *octo luſcos* invitâſſe legitur apud Lamprid. Idem per atrocem laſciviam *luſcinios* vocavit, *quibus ſingulos tuliſſet oculos*, h. e. quos ipſe *luſcos* feciſſet, *Ibid.* Dicebatur autem *Luſcinius* & *Luſcinia*, ut oſtendit *ad h. l.* Salmaſ. Sic Phædrus *in Jocis*, *l.* 3. Fab. 18. initio.

> *Pavo ad Junonem venit, indignè ferens,*
> *Cantus luſcinii quòd ſibi non tribuerit:*

At hac de voce jam jam plura. Sed nec ad regnum Perſæ, Ita enim Procop. Ἑτερόφθαλμον, ἢ ἄλλῃ τινὶ λώβῃ ἐχόμενον, οὐ θέμις Πέρσαις βασιλέα καθίστασθαι, *Luſcum ut aliquo quopiam vitio notatum, nefas eſt Perſis Regem creare*, *de Bello Perſ. l.* 1. *c.* 11. quod extraordinarium omnino eſſe, meritò cenſet Sam. Pufendorf. *de Jure Nat. & Gent. l.* 7. *c.* 12.

LUSCINIA, an quod *lugens* canit, an quòd canit ante *lucem*, ut Iſid. an potius, quòd in *lucis* canit, ut Voſſ. vult? in cantatricibus avibus præcipua eſt. Sen. *Ep.* 76. *Habet vocem ſed quantò dulciorem, mobilioremque luſciniæ?* Unde & Græcis ἀηδὼν, quia ἀείδει, & *philomela* (quæ in eam converſa fingitur) quia φιλεῖ μέλος. De ea certe Plin. *l.* 10. *c.* 29. *Luſciniis diebus ac noctibus continuis XV. garrulus ſine intermiſſu cantûs.* Hinc digna miratu referens, *Primùm*, inquit, *tanta vox parvo in corpuſculo, tam pertinax ſpiritus. Deinde in una, perfecta Muſicæ ſcientiâ modulatus editur ſonus: & nunc continuo ſpiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo: nunc diſtinguitur conciſo copulatur intorto, promittitur revocato, infuſcatur inopinato*: pluraque inibi in hanc mentem, ſanè eleganter. Poſtea narrat, quantum cantu certent majores natu. Tum ſubdit, *Meditantur aliæ juniores, verſuſque, quos imitentur, accipiunt. Audit diſcipula intentione magnâ & reddit, vicibuſque reticent. Intelligitur emendatæ correctio & in docente quædam reprehenſio.* Sed & vocem humanam imitari diſcunt. Idem *l. cit. c.* 42. *Habebant & Cæſaris juvenes ſturnum; item* Luſcinias, *Græcò atque Latino ſermone dociles: præterea meditantes in diem, & aſſiduè nova loquentes, longiore etiam contextu.* Suntque inprimis miranda, quæ de Sermonibus diu auditis, noctuque ab luſcinia redditis, referentur *Ep.* ad Conr. Geſner. exaratâ *l.* 3. *Hiſt. Avium* inſertâ. Unde facilior fides iis, quæ de pretio addit Plin. loco priori: *Ergo Servorum illis pretia ſunt, & quidem ampliora, quàm quibus olim armigeri parabantur. Scio ſeſtertiis ſex, candidam alioquin, quod eſt prope inuſitatum, vœniſſe, quæ Agrippinæ Claudii principis conjugi dono daretur.* Eoque prodigioſior luxuria Æſopi Hiſtrionis, *qui ex avibus ejuſdem pretioſitatis, ut canoribus & loquacibus quibuſque centum millium patinam confiſcavit*, Tertull. *de Pallio c.* 5. Nullâ aliâ inductus ſuavitate, verba ſunt Plin. *l. præd. c.* 51. *niſi ut in his imitationem hominis manderet, ne quæſtus quidem ſuos reveritus illos opimos & voce meritos.* Quem tamen vicit luxuriæ pancratiaſtes Heliogabalus, *luſciniarum linguis epulas inſtruendo*; apud Lamprid. &c. Vide plura hanc in rem, apud Plin. *d. l.* Ulyſſem Aldrovand. *Ornithol. l.* 18. de *Avibus c.* 2. Neandrum *in Phyſicis*, Wolfg. Franzium *Hiſt. Anim. Sacr. Parte* 2. *c.* 26. Gerh. Joh. Voſs. *de orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 88. alibique. Epitaphium *Luſciniæ*, in marmore antiquo, Romæ hodieque ſuperſtes, apud Card. de Maximis referente Jac. Sponio *Itin. parte* 3. *p.* 25. ſic habet:

DIS AVIBUS

> Luſciniæ *Philumenæ ex aviario Domitiorum, ſelectæ verſicolori pulcerrimæ cantatrici ſuaviſſ. omnibus gratiſ ad digitum pipillanti in poculo myrrhino caput abluenti infeliciter ſummerſæ, heu miſella avicula, hinc inde volitabas tota garrula, tota feſtiva, latitas modò inter pullas leptynis loculamenta implumis frigidula clauſis ocellis, Licinia Filumena deliciæ ſuæ, quam in ſinu paſtillis alebat in proprio cubiculo alumnæ Kariſſ. lacrumans pos. Have avis jocundiſſima quæ mihi volans obvia blando perſonans roſtello Salve toties ceciniſti, cave avis avia averna. Vale & vola per Elyſium. In cavea picta ſaltans quæ dulce canebat, muta tenebroſa nunc jacet in cavea.*

Vide quoque infrà *Philomela.*

LUSCIUS, Comicus, Terentii coævus: de quo Volcatius Sedigitius,

Nono loco eſſe facile facio Luſcium.

Vide Voſſ. *de poet. Lat. c.* 1.

LUSDUM, caſtrum Galliæ, ad Lidericum fluv. in conf. Cenomanorum & Andicavorum; vulgò *le Lude*, Com. titulo inſigne. Habuit ante Ann. 600. ſuum Vicecomitem, ſuum Archipresbyterum, Priorem & Rectorem Eccl. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LUSHBOROW & LUSHBURNE, vilius monetæ genus, quod in partibus tranſmarinis, ad ſimilitudinem Anglicanæ, effictum, ævo Eduardi III. hîc diſtrahebatur, prohibitum *Statuto* 5. Anni ejuſdem Regis, Knyghton apud C. du Freſne in *Gloſſ.*

LUSIA, vicus Oeneidis tribûs, à *Luſia* una ex Hyacinthi filiabus Λουσιεὺς, pertinens ad hunc vicum dicitur. *Steph.*

LUSIGNANUM, vulgò LUSIGNAN; opp. Galliæ, in Pictavenſi prov. cum caſtro, ad Vonam amnem. 5. leuc. diſtat à Pictavio in Afric. Rupellam versùs: Fortitudine Principum, qui Cypri & Hieroſolymæ Reges, & Meluſinæ fabulâ, nobile. Arx, quæ inter fortiſſimas Europæ, à Telinio Reformatorum Duce capta, A. C. 1569. à Principe Monpenſerio recepta & deſtructa eſt A. C. 1574. Cæterum quod fabulam de Meluſina attinet, illam concinnavit Joh. Atrebas, A. C. 1383. poſtmodum Fr. Joh. Luſignanus confirmavit. Nomen Meluſinæ idem cum Meliſsena vel Meliſsende, tum feminis tranſmarinis inprimis in uſu. Fabulæ architecto non alia fortè, quàm Meliſenda fil. Almerici I. Luſignani, Hieroſol. Regis & Cypri, Raimundo Pictavienſi Principi Antiocheno & Comiti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Comiti Tripolit. nupta originem dederit. Arcem Hugo II. cogn. *Dilectus*, extruxit. Duchen. *Antiqq. urb. Gall.* Morer. *Dict. Hiſt.* &c.

LUSIGNANUS Stephanus, vide *Stephanus*.

LUSILLUM, opp. Lucaniæ.

LUSITANI, populi fuêre Hiſpaniæ, in Luſitania, inter Durium fluv. ad Bor. Vettones populos ad Ort. Tagum fluv. ad Mer. & Oceanum Atlanticum ad Occaſ. ubi nunc ſunt provinciæ Portugalliæ Beira, Extremadura Portugallica, & pars Borealis provinciæ inter Tagum & Anam fluvios.

LUSITANIA, tertia Hiſp. pars, quam Plin. *l.* 3. *c.* 1. *l.* 4. *c.* 21. & 22. à Durio amne finit, reliqua citeriori attribuens, in qua ſententia & Ptol. eſt. At Strabo cum Mela convenit: *Hujus regionis*, inquit, *latus Auſtrale Tagus cingit, ab Occaſu vero & Sept. Oceanus, ab Aurora Carpetani, Vettones, Vaccei, & Callaici famæ majoris populi.* Hanc ad ſe tracturus, Joh. Caſtellæ Rex à Joh. Ferdinandi filio notho, Rege Luſitano proſtratis X. millibus, victus eſt, A. C. 1385. Mariana *de rebus Hiſp.* Secta *Illuminatorum*, ſub Urb. VIII. in Hiſpania orta, cùm homines ſpe veniæ revocati parere nollent, vis inprimis in hoc regno illata eſt, unde multarum familiarum fuga ſubſecuta. Regem proprium habuit, qui Mauris expulſis eam recuperavit, uſque ad Henr. poſtremum, qui Card. fuit; quo Defuncto ſine prole, Phil. II. Hiſp. Rex in regno Portugalliæ ſucceſſit: ſicque tota Hiſp. ad Monarchiam, quam ſub Gothis habuerat, reddit, Ferrar. Baudr. *Luſitania*, nunc *Portugal*, (aliud docente Becmanno, qui *Luſitanam* ad Ort. latiorem fuiſſe, Portugalliam verò ad Sept. magis patuiſſe oſtendit, *Hiſt. Orbis Terr.* *c.* 6 §. 1.) aliàs habuerat Reges proprios 17 numero ab A. C. nempe 1100. uſque ad A. C. 1580. quo Mortuo Rege Henr. Phil. II. regnum occupavit, ſicque Hiſp. ad Monarchiam rediit. Sed iterum A. C. 1640. Luſitania proprium Regem ſibi elegit Joh. IV. antea Brabantiæ Ducem, cui ſucceſſit fil. ſicque à reliqua Hiſpania ſejuncta, proprio etiamnum Regi ſubeſt. Populi Luſitaniæ erant aliàs Luſitani, Vettones, & Celtici. Vide *Portugallia.* Dicti autem *Luſitani*, à *Luſo* Bacchi fil. ſ. ut alii volunt, comite. Sil. Ital. *Punic. Bell.* *l.* 3. *v.* 354.

Hos Viriathus agit Luſitanumque *remotis*
Extractum luſtris. ———

(Λυσιτανία Appiano Alex.) *Belitani* Steph. iidem ſunt cum Luſitanis, dem Λυσιτανία pars Bæticæ, & Gentile Λυσιτανοί. Diod. Sic. *l.* 5. Τῶν δὲ Κίμβρων ἀλκιμώτατοι μέν εἰσιν οἱ καλούμενοι Λυσιτανοί. Ubi legendum Ἰβήρων, uti notat Palmerius. Cæterum de nomine hujus reg. ita Vir Magnus *de Phœnicum Col.* *l.* 1. *c.* 35. לוז Luz, inquit, Hebræis & Syris eſt amygdalus, ut & Arabibus *Lauz.* Jam hoc certum eſt, Phœnices à proventu fructuum ſæpe loca nominâſſe. Sic Jericho urbs palmarum, à palmis. Sed & ab amygdalis dicta *Luza*, quæ & Bethel in tribu Benjamin Gen. *c.* 28. *v.* 19. & *c.* 35. *v.* 6. Joſ. *c.* 16. *v.* 2 & *c.* 18. *v.* 13. & altera *Luza*, in Hetthæis, in tribu Ephraim Jud. *c.* 1. *v.* 23. Quidni etiam *Luſitania*, in qua præſtantiſſima amygdala tantâ copiâ proveniunt, ut hac in parte cedat nulli terrarum. Vide ſis ipſum autorem, *p.* 698.

LUSIUS, Marii ex ſorore nepos, qui cùm Trebonio vim & ſtuprum inferre vellet, ab eodem eſt Interfectus. Plutarch. *in Mario.*

LUSIUS *Geta*, älter Prætorianis cohortibus, ſub Claudio, præfectus. Tac. *Ann.* *l.* 11. *c.* 31. & 33. quem Agrippina, tanquam Meſſalinæ memorem & liberis ejus devinctum, curâ prætoriarum cohortium exſolvit. *l.* 12. *c.* 42.

LUSIUS Quietus, inter Trajani Duces ſtrenuiſſimus, memoratur Amm. Marcell. *l.* 29. *c.* 5. Luſius, *Trajano rem regente Romanam, pluribus inclaruit fortibus factis.* Hunc poſtea, *ſublatis gentibus, Mauris, quos regebat, quia ſuſpectus Imperio fuerat, exarmavit* Hadrian. apud Spartian. Fuit autem *Luſia*, inter Romanas gentes, non incelebris. Apud Cæl. Aurelian. eſt *Luſius* quidam Medicus. Lapis Comenſis, LUSIÆ. L. F. QUINTÆ. UX. EJUS. ubi à quadratario QUINTÆ pro QUIETÆ, ſculptum eſſe cenſet Caſaub. Eſt & *Luſius Lupus*, apud Marcum Antoninum *in l.* 12. Vide omnino modò laudat. Caſaub. *Not. ad Spartian.*

LUSIUS Varius, conſularis, Nerone ſecundùm, L. Piſone Coſſ. ordini redditus, avaritiæ criminibus olim perculſus. Tac. *Ann.* *l.* 13. *c.* 32.

LUSIUS Vicus, in agro Lapurdenſi, ſ. Præfectura Bajonenſi Galliæ, maximus olim & opulentiſſimus: Vulgò *Loizune*, i. e. locus lutoſus: à luto æſtibus Oceani invecto, qui alveum fluminis hunc vicum alluentis ſuis acceſſibus quotidie adauget. Vulgò à loci patrono *S. Jean de Luz.* Poſitus eſt autem in Baſconia vel Baſclonia. *Luſia* videtur dici *in literis* Blancæ *Reginæ*, *ad Comitiſſam Trecenſem Palatinam*, de pugna Hiſpanorum, cum Saracenis eorumque victoria: cui prælio Abbas Ciſtertienſis & Michaël de Luſia interfuiſſe dicuntur. Vide *Luiſium.*

LUSONES, Hiſp. populi, ad Iberum fluv. Numantinis vicini. Ad Tagi fontes pertingere ſcribit Strabo *l.* 3.

LUSORIÆ, apud Flav. Vopiſc. *in Bonoſo*, *Hic idem quum quodam tempore in Rheno Romanas luſorias Germani incendiſſent, timore ne pœnas daret, ſumpſit Imperium:* naves ſunt, quæ in Rheno ſemper inſtructæ habebantur & paratæ ad arcendos barbororum tranſitus; quod etiam in aliis locis, in quibus Barbari non limitibus, ſed magnis fluminibus dividebantur, obtinebat: quemadmodum in mari eadem fini liburnas Rom. adhibebant, de quibus duobus claſſium generibus retro jam aliquid dictum eſt. Quia autem ad limites hoſce, non tantùm diſpoſitæ & armatæ ejuſmodi naves haberi ſolebant, ſed etiam in ripa eorundem fluminum crebra erant extructa caſtella, per milites ſervanda, qui limitem tuebantur, hinc ſæpe apud Autores junctim mentio fit caſtrorum, luſoriarumque, vide inter alia *l.* 4. *Cod. de Offic. Jud. mil.* Porrò, qui in illis *Luſoriis* milites erant claſſici, *Lembarii* dicebantur, ſicut, qui in caſtris, *Caſtriani* & *Caſtriciani*, quorum amborum meminit Aurelian. *in Ep. ad Ulpium Crinitum*: & qui in ripa, per cuneos diſpoſiti, invigilabant, *Riparienſes*, *l.* 18. *Cod. Theodoſ. de re mil.* Sed nec unius generis *Luſoriæ*, verùm aliæ *Judiciariæ*, aliæ *Agrarienſes* fuêre, *l. un. Cod. ejuſd. de Luſoriis Danubii*, ubi jubet Imp. quotannis novas de integro conſtitui in Mœſiaco limite 4. Judiciarias, & decem Agrarienſes; in Scythico verò quinque Judiciarias & 12. Agrarienſes: ubi *Agrarienſes* ex ſorte fuêre, quarum quotidie uſus erat ad agrarias, h. e. excubias, faciendas; *Judiciariæ* autem quæ limitaneorum Ducum, qui & *Judices* dicebantur, inſerviêre uſibus, quoties limitem luſtrare vellent & flumen decurrere, aut etiam in hoſtes tranſire. Vocis etymon hinc Salmaſ. arceſſit, quòd nec ad uſum belli, ut triremes & æratæ; nec ad merces vehendas, hæ naves factæ eſſent, ſed ad *luſum* tantùm & ſolas circumvectationis delicias haberentur. Unde *Luſorias & cubiculatas & cætera Regum ludibria in mari laſcivientium*, memorat Seneca, quas triremibus & æratis opponit. Et λυσώριον πλοῖον Epiph. dicitur illa navis, quâ delicatus Hadriani Antinous ſuper Nilum ultro citroque laſciviens vectabatur, quamque una cum ipſo in urbe Antinoi Hadrianus condidit & conſecravit. Sed & *luſorias* poſset aliquis appellare, quibus ludicra naumachiarum certamina, in lacubus aut fluminibus, aut etiam mari edebantur. Poſtea abuſivè ad quaslibet minores naves denotandas, vox extenſa, indeque *Luſoriæ* dictæ, in fluminibus, leviſſima & expeditiſſima navigia, quibus ultro citroque flumina decurrebant milites, ad tuendum limitem conſtituti, ut barbarorum excurſus & exſcenſiones in Romanum ſolum prohiberent &c. Vide Salmaſ. *Not. ad Vopiſc. in Aurel. & Bonoſo*, nec non *de Jure Att.* *p.* 740. & 751. & Jac. Gothofred. *ad d. tit. de Luſoriis Danubii.* Adde *Moſæ Luſorias*, ex Amm. Marcell. *l.* 17. *c.* 2. & *l.* 18. *c.* 2. & *Luſorias per Orientem*, in *Nov.* Theod. *de Ambitu*, ſuprà nominatis, de quibus omnibus idem Gothofred. agit.

LUSPIÆ, vide *Lupiæ.*

LUSSI, urbs Arcadiæ. *Steph.*

LUSSONIA, vulgò LOSSON, præcipua Philippinarum, ſæpius *Manilla*; ab urbe prim. Archiepiſcopal. in medio inſ. Vide *Manilla.*

LUSSONIUM, Pannoniæ inf. urbs. Ptol. *Pax* Simlero ad Danub. 10. leuc. à Buda in Eur. à quinque Eccl. 5. in Ort. & Cæc. Item opp. Valeriæ Ripenſis. Vide *Interciſa.*

LUSTRALE Aurum, de quo *tit. de luſtr. auri collat.* *l.* 11. *Cod.* χρυσάργυρον Græcis, Euagrio & Zonaræ, eleganter deſcribitur, qui quinto quoque Anno ſ. ſingulis *luſtris* illud pendi ſolitum narrant. Onus erat Negotiatorum & Mercatorum (ob quod *Aurum Negotiatorum*, apud Lamprid. *in Alex. Sev.* dictum eſſe, ſuprà monuimus) quorum appellatione etiam tenuiores continebantur, quidquid corrogatâ ſtipe ſibi comparabant; meritoriæ puellæ & fœneratores; non tamen qui vernacula diſtrahebant, vel qui manu ſibi victum acquirebant, veluti figuli & fabri; non veterani, clerici, copiatæ intra certum pecuniarum numerum. Eidem muneri obnoxiæ erant res quædam, ex lege teſtatoris vel fiſci, ut conſtat ex *l. ult. Cod. Theod. de luſtral. conlat.* Habebatque penſitatio iſta propria ſibi ſcrinia, *l.* 3. *Cod. de Epiſc. & Cler.* & *l.* 1. *Cod. de commerc. & mercat.* deſumptâ ex *l.* 5. *Cod. Theod. d. tit.* ſicut & *l.* 1. *Cod. de Epiſc. aud.* quæ tamen ita à Treboniano compoſita eſt, ut ad aurariam penſionem referri nequeat. Suſtulit tandem hanc collationem Anaſtaſ. Imp. Joh. Calvin. Lex. *Jur.* Vide & ſuprà *paſſim.*

LUSTRATIO, Græcè Καθαρισμός, inter Initiorum cerimonias maximè neceſſarias habebatur olim, quam Orpheus ab Ægyptiis acceptam Græcis tradidiſſe legitur, apud Diod. Sic. *l.* 4. regnante Athenis Pandione, Cecropis filio, *in Epochis Marmor.* poſtquam Sacra Eleuſinia non ita pridem introducta eſſent. Erat autem *Luſtratio* duplex, vel *Expiatio cædis*, vel *Præparatio ad Sacra.* Sic poſt cædes καθαρθῆναι, *luſtrati*, leguntur, Apollo, apud Pauſ. *l.* 10. Hercules, apud Diod. Sic. *l.* 4. Theſeus, apud Plutarch. *in Eo*, Bellerophon, apud Apollod. *l.* 2. Alii. Ad alterum *Luſtrationis* gentes requirebantur, *Lavacrum*, *Jejunium* & *Caſtimonia*, de quibus omnibus, vide Marsham. *Can. Chron. Sec. XI.* & hîc paſſim. Sed & *Luſtratio* apud Rom. frequens. Hinc *Ambarvale* ſacrificium, cùm ab iis, qui pro frugibus faciebant, circum arva, hoſtia divinæ rei causâ circumducebatur. De quo Virg. *in Bucol. Ecl.* 5. *v.* 74.

Hæc tibi ſemper erunt, & cùm ſolemnia vota
Reddemus Nymphis, & cùm luſtrabimus *agros.*

Ubi *luſtrare*, pro circuire exponitur. Macrob. *Sat.* *l.* 3. *c.* 5. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom.* *l.* 4. *c.* 17. Fiebat autem id non à ruſticis modò, ſed & à Rom. fines agri Rom. *luſtrantibus*, qui inter quintum & ſextum lapidem erant, ut autor eſt Strabo *l.* 5. *v.* 230. Sed & Patresfamilias, unuſquiſque in agro ſuo, fines fundi Suovetaurilibus *luſtrabat*, qua de re ſic Cato *l. de Re Ruſt.* *c.* 141. *Agrum* luſtrare *ſic oportet: Imperans Suovetaurilia circumagi cum divis volentibus, quodque bene eveniat, mando tibi Mari, ut illa Suovetaurilia, fundum, agrum, terramque meam, quota ex parte, ſive circumagi, ſive circumferenda cenſeas, uti cures* luſtrare, *Janum Jovemque vino præfamino, ſic dicit, Mars Pater te precor, quæſoque uti ſies volens, propitius mihi, domo, familiæque noſtræ, quo jus rei erga agrum, terram fundumque meum Suovetaurilia circumagi juſſi, uti tu morbos viſos, inviſosque, viduertatem, vaſtitudinemque, calamitates, intemperiasque prohibeſſis, defundas, averruncesque, utique tu fruges, frumenta, vineta, virgultaque grandine, beneque evenire ſinas. Paſtores pecuaque ſalva ſervaſſis, duisque bonam ſalutem, valetudinemque mihi, domo familiæque noſtræ. Harumque rerum ergò fundi, terræ agrique mei luſtrandi, luſtrique faciendi ergo, ſicut dixi, macte hiſce Suovetaurilibus lactentibus immolandis eſto. Item cultro facito ſtruem & ferrum uti adſiet: Inde obmoveto. Ubi porcum immolabis, agnum vitulumque ſic o-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

portet. Ejusque rei ergò macte hiſce Suovetaurilibus immolandis eſto, nominare vetat Martem, neque agnum vitulumque. Si minùs in omnes litabit ſic verba concipito: Mars pater ſi quid tibi in illiſce Suovetaurilibus piaculo. Si uno duobusve dubitaveris, ſic verba concipito: Mars Pater, quòd tibi illuc porco neque ſatisfactum eſt, te hoc porco piaculo. Erant & *Amburbia* ſacra, quæ fiebant, cùm urbs & pomerium *luſtrabatur*, ut apud Lucan. Civ. Bell. *l.* 1. *v.* 502. *& ſeqq.*

Mox jubet & totam pavidis à civibus Urbem
Ambiri, & feſto purgantes mœnia luſtra
Longa per extremos pomœria cingere fines,
Pontifices ſacri quibus eſt permiſſa poteſtas.

Inde *Amburbiales* hoſtiæ, quæ circum terminos urbis ducebantur, Feſt. Meminit ſacri hujus Vopiſc. *in Aurel.* Vide Turneb. *Adverſ. l.* 18. *c.* 17. Joſeph. tamen Scalig. *Amburbia* ab *Ambarvalibus* non diſtinguit, *Caſtigat. in Feſtum*, ad vocem *Amtermini.* Imò & *Luſtratio* quinquennalis à Cenſoribus, quinto quoque Anno, perfecto cenſu, peragi ſolita legitur. Autore inſtituti Servio Tullio Rege de quo ſic Dion. Halic. *l.* 4. *p.* 225. *Peracto cenſu Juſſit cives omnes in campo, qui omnium ante urbem eſt maximus cum armis adeſſe, ibi equitibus turmatim diſpoſitis, & peditibus in aciem directis, velitibuſque per ſuos iterum ordines digeſtis* Luſtravit *eos Tauro, ariete & hirco. Eas hoſtias ter circum caſtra duci juſſas mactavit tenenti campum Marti. Hoc modo uſque ad meam ætatem poſt cenſum* Luſtrantur, *Romani ab iis, qui ſanctiſſimum magiſtratum gerunt quod* luſtrum *ſuâ voce nominant.* Paria Liv. habet *l.* 1. *c.* 44. Vide infrà, in voce *Luſtrum.* Præterea *Luſtratio* privatis hominibus frequens fuit, ſed tribus præcipuè temporibus, quæ Ælian. indigitat *Var. Hiſt. l.* 4. *c.* 1. cum ait: *Dardanenſes Illyricos ter ſolummodo per univerſam vitam audio Lavari, conſueviſſe*, ἐξ ὠδίνων καὶ γαμοῦντας καὶ ἀποθανόντας, *Poſt partum, quum nuptias ineunt, & quum mortem obièrunt.* Et infans quidem breviter luſtrabatur: Poſtquam enim maribus nonus, ſemellis octavus, ultimus hebdomadis aliis, luſtricus dies ſucceſſit, infantes nomen adepturi. quemadmodum mortui, luſtrabantur, aquæque luſtralis aſperſione per aniculas expiabantur, de quo ritu vide infrà in voce *Luſtricus dies*: Longiores verò moras puerpera in purificatione traxit. Nulla enim prægnans Ante 40. diem, qui Athenis τεσσαρακοστὸς, in Fanum prodiit; nec ædes puerperarum Romanorum ullus ingreſſus eſt, vel egreſſus ſe purgavit, tanquam ex funeſtorum contactu. Idem Æthiopes & Hebræi, hoc diſcrimine, ut pariens feminam 80. maſculum 40. dies explerent. *Luſtrationis*, poſt conjugale commercium, meminit Suet. *Aug. c.* 27. & 97. & *Ner. Claud c.* 6. De *Luſtratione* funeſtæ domûs, vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 39. Franc. Roſſæum *Archæol. Attic. l.* 5. *c.* 34. &c. Obibantur autem in orbem luſtrandi, ne quâ viz. pars non participaret egregia illa expiamenta. Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 416.

——— *circumque bidentum*
Viſceribus laceris & odori ſulfuris aura,
Graminibuſque novis, & longo murmure purgat.

Idque dabatur operæ, Plin. *l.* 28. *c.* 3. *ut nomina victimas ducentium in publicis luſtris proſpera eſſent*, vide quoque Plutarch. *Quæſt. Rom.* 30. & 31. Aliquando & per medium victimarum diſſectarum tranſibant luſtrandi homines, qua de re aliquid diximus ſuprà, in voce *Canis*: plura verò hanc in rem vide apud Caſp. Barth *Animadverſ. ad Stat. paſſim*, inprimis *Theb. l.* 4. *v.* 415. *& ſeqq. Comm.* item *Superſtit.* ut & hîc non uno loco. De *Luſtrationibus* verò *Hebr.* à quibus is mos ad Gentes defluxit, apud Thom. Godvvyn. *de Ritib. Hebr.* Franc. Burmann. *Synopſi Theol. Chriſt. parte prior. l.* 4. *c.* 22. ubi *de Munditie & Immunditie, Purificationibuſque Legalibus*, itidemque hîc paſſim, præcipuè ubi *de Aſpergendi ritu* & *Lotionibus*, in quibus communis purificationum ratio & quaſi caput conſiſtebat. Hinc *Luſtralis aqua* ſuprà ubi de *Aſpergendi ritu* *Luſtralis fax*, apud Claud. de VI. *Conſ. Honor. Carm.* 28. *v.* 16. & 324. quâ incensâ Gentiles *luſtrabant* quidpiam; vide infrà *Picea*; & *Luſtralia*, cætera, quæ talibus ritibus adhibebantur: ad extremùm etiam vilis aliquis homo, cujus devoto capite expiabantur civitatum nonnullarum piacula, quem Gallicum morem vocat Lutat. *ad Stat. Theb. l.* 10. *v.* 787. Sed & prodigia ac imminentia infortunia humanis hoſtis *luſtrata* & averſa, Claud. quoque indicat, *l.* 1. *in Eutrop. Carm.* 18. *v.* 21.

Conſule luſtrandi *faſces, ipſoque litandum*
Prodigio: —

Luſtrales animas ſic devovendas & devotas, Lucan. vocat *Civ. Bell. l.* 6. *v.* 785.

— *vidi Decios, natumque patremque,*
Luſtrales *bellis* animas ——

Vide quoque ubi de *Vere ſacro. Luſtramina* verò, inſtrumenta ſordeſque luſtrationum dicta. Val. Flacc. *Argon. l.* 3. *v.* 442.

——— *ter triſtia tangens*
Arma ſimul, veſteſque virùm, luſtramina *ponto*
Ponè jacit: &c.

Hæc enim in aquas, imò & in trivia, projici ſolita, docet Meurſ. ad *Lycophr.* In quibus omnibus ſcintillæ quædam veritatis abſconditæ, de nativa noſtra immunditie, de neceſſitate ſatisfactionis purgationiſque aliunde quærendæ, de ſalute per ſanguinem humanæ victimæ recuperandæ, aliiſque, de quibus alibi.

LUSTRICA, aliàs *Aſperſorium* & *Aſpergillum*, vas, quo aqua luſtralis aſpergi ſolebat, dicta eſt. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 32.

LUSTRICUS Brutianus, nobilis Rom. poëta. Plin. Jun. *l.* 6. *Ep.* 22. Mart. *l.* 4. *Epigr.* 23. cujus Epigraphe ad Thaliam.

Palmam Callimachus, Thalia, de ſe
Facundo dedit ipſa Brutiano.

LUSTRICUS Dies, apud Rom. appellatus eſt is, teſte Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 16. *quo infantes luſtrabantur ac nomen accipiebant*, Is maribus nonus, femellis octavus fuit Feſto, cujus rei cauſam repete à Cenſorino, ex Plutarch. *in Quæſt. Rom.* Aliis ultimus hebdomadis hic dies fuit, ſunt etiam qui intra quintum diem ſubſtitêrunt. Feſto præerat Nundina Dea. quod Suovetaurilibus peractum & circuitione: Circumferebantur enim pueri per obſtetrices vel miniſtros circa focum, unde Ἀμφιδρόμια, nec focus quidquam aliud erat, quàm aræ Deorum hoſtiis calentes. Expiabantur deinde aquæ aſperſione per aniculas luſtrali ex ſputo & pulvere, è balneis plerunque ſumpto. Unde Perſ. *Sat.* 2. *v.* 31.

Ecce avia, & metuens divûm matertera, cunis
Exemit puerum: frontemque atque uda labella
Infami digito & luſtralibus *antè ſalivis*
Expiat.

Hinc eodem die vario ferculorum luxu convivium agitatum. Apud alias gentes, *Luſtrico* die, circumciſio pro luſtratione fuit. Divinum id inſtitutum, Judæis proprium, tranſiit poſtea ad alias gentes, Samaritanos, Æthiopes, Ægyptios, Colchos, Phœnices, Troglodytas, Macrones, Edomitas, Ammonitas, Arabes, Mahometanos hodiernos &c. cujus loco, apud Chriſtianos ſacer Baptiſmus eſt. Poſt *luſtrationem* nomen impoſitum. Vide Thom. Bartholin. *de Puerp. Vett.* Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 19. ut & infrà ubi de eodem.

LUSTRUM, Romanis propriè quinque Annos ſolidos ſignificat, ſine reſpectu præcedentis *Luſtri.* Ovid. *Faſt. l.* 3. *v.* 165.

Hic anni modus eſt; in Luſtrum *accedere debet*
Quæ conſumatur partibus, una dies.

Vide quoque infrà *Olympias.* A' *luſtrando*: quòd ſemel intra hoc tempus Exercitus Rom. à Cenſore luſtraretur. Poſtquam enim civium cenſus eſſet peractus, Cenſor ſumptis ſue, ariete & tauro, ter exercitum circuire, haſque tandem victimas Marti offerre ſolitus eſt: id quod dixêre, *condere luſtrum*, Varro *de Ling. Lat. l.* 5. & Suet. *Aug c.* 97. Item *facere luſtrum*, in *Monum.* Ancyrano. Atque hæc phraſis de ſolis cenſoribus uſurpata cum cenſu peracto, frequentem populum luſtrarent, Gronov. in *Liv. l.* 1. *c.* 44. cùm *luſtrum* etiam aliis interdum attribueretur, ut apud Lucan. *Civ. Bell. l.* 1. *v.* 595.

— *Et Feſto purgantes mœnia* luſtro:
Pontifices.

Fiebat autem id, niſi funeſtus eſſet annus: Itaque cenſûs aliquando agebatur, *Luſtrum* non condebatur. Liv. *l.* 2. *c.* 22. *Cenſus actus eo anno*: Luſtrum *propter Capitolium captum, Conſulem Occiſum, condi religioſum erat.* Hinc *Luſtri* condendi cerimoniæ, cum inſtituto politico deſcribendi ſubditorum fortunas, non ſunt confundendæ; cùm duo hæc toties in Hiſt. Rom. tam expreſsè diſtinguantur. Unde obſervavit quidem Cenſorin. poſt *luſtrum* à Veſpaſ. conditum, deſiiſſe priſcum illud inſtitutum; nempe oportebat paulatim exoriente Euangelio, ritus quoque paganicos paulatim contemni, & in deſuetudinem abire: non tamen luſtralis tum cenſûs ceſſavit exactio. Imò conſuetudo agendi cenſus per temporum intervalla, prout res exigeret, non ſolùm in vet. Romæ imperio, ſed & novæ, ſemper eſt ſervata. Teſtis eſt Greg. Nazianzen. *Orat. IX. ad Julian.* Ἐξισωτὴν, qui Julianus, ut & Helſenius, in Cappadociam miſſi fuerant, ut cenſus agerent, & inter cives onera tributorum exæquarent: quod cùm olim cenſorum, poſtea cenſitorum fuit munus. Idem *Carm. ad Hellenium* ait,

Εὖχος ὦ Ἀρμενίης Ἑλλήνιε· ὃς λάχες αἶαν,
Στῆσαι ἡμετέρη μέτρα δίκαια φόρων.
Decus ô Armeniæ Helleni: cui obtigit terræ
Statuere noſtræ modum juſtum tributorum &c.

Vide Iſ. Caſaub. *Exercit.* 1. *N.* 93. Porrò fiebat id in campo Martio, comitiis centuriatis: dicebaturque ſacrum id *Suovetaurilia*, ſ. *Solitaurilia*, quas voces infrà vide. Nec omittendum, quòd priſco more Duces, cùm exercitum *luſtrarent*, eſſent coronati. Unde Caſſio exercitum luſtranti lictor coronam inverſam repoſuiſſe legitur, apud Appian. Alex. *Civ. Bell. l.* 4. *p.* 640. Et Stat. inde *l.* 4. *Sylv.* 2. *v.* 62. *luſtra* ipſa *coronata* vocat:

Sæpe coronatis *iteres quinquennia* luſtris.

Quodque per *luſtra* computârint vett. Rom. vide de *Luſtro Juliano, Romanoque*, Joh. Forbeſ. *Inſtruct. Hiſt. Theolog. l.* 4. *c.* 2. *n.* 3. adde Caſp. Barth. *ad Stat. l.* 3. *Sylv.* 5. *v.* 7. ubi *quatuor luſtris* exponit *annis viginti abſolutis*, & Joſ. Caſtalion. *Obſerv. l.* 1. *c.* 10. Plura verò hanc in rem, apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c* 17. & alibi paſſim, Pancirol. *Rer. deperdit. c. de cibi cap. modo*, Alex. ab Alex. *Genial. Dier. l.* 5. *c.* 27. Pomp. Læt. *de Magiſtr. Rom. c. de Cenſoribus*, Thom. Godvvyn. *Anthologiæ Rom. l.* 3. *c.* 5. *ſ.* 2. Alios. Nec omittendus Vett. mos, qui non ſolùm Natalem diem celebrârunt, ſed & primo *Luſtro* infantium munera Diis obtulêrunt. Mart. *l.* 4. *Epigr.* 45. cujus Epigraphe ad *Phœbum.*

Hic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Hic tibi pro nato plenâ dat lætus acerrâ,
Phœbe, Palatinus munera Parthenius.
Ut qui prima novo ſignat quinquennia luſtro,
Impleat innumera, Burrus Olympiadas.

Sed & *Luſtrum* ganea eſt, de qua notione vocis, vide ſuprà *Ganeo*, infrà *Taberna*.

LUSU, ut aleâ, talis &c. lucrifactâ pecuniâ, inter furta relata à magiſtris, memoratur Maimonidi *halach Gazila Wabida c. 6.* & Moſi Mikotzi *Præcept. affirm. 73. p. 151. col. 1.* Scilicet tametſi certaminibus ejuſmodi non deerat, tam victi, quam victoris, prævius aſſenſus, adeoque mutuus contractus interveniebat, unde, quantum ad jus ſive naturale, ſive eorum in corpore Moſaico civile ſpectat, ex victoria licitè, ut in alienationibus ceſſionibusve Juris naturalis permiſſivi aliis, lucrum acquirebatur: ita nihilominus certaminum ludicrorum mos ille diſplicuit eorum majoribus, ut ex victoria ejuſmodi ludicra nihil poſtmodum acquirere fas eſſet, furtumque ab acquirente committeretur. Quod binas ob rationes ſuperinductum, cum ut doli mali, quo certamina ejuſmodi minimè carere ſolent, anſa præriperetur, tum ut artibus bonis, & quæ ſocietati humanæ conducibiliores eſſent, non ludicris, homines ſeſe exercerent &c. Joh. Selden. *de Jure Nat. ac Gent. juxta Diſcip. Hebræorum l. 6. c. 11.* Aliàs non lucri cupiditate, ſed oblectamenti ſolùm causâ, etiam viri graves ludebant. Unde Aug. *Ep. ad Tiberium*, apud Suet. *Aug. c. 71. Inter cœnam luſimus γεροντικῶς --- Talis enim jactatis, ut quisque canem aut ſenionem miſerat, in ſingulos talos ſingulos denarios in medium conferebat: quos tollebat univerſos, qui Venerem jecerat.* Liberaliores nempe potationes talorum inſititiis luſionibus diffindebant: hincque inter apophoreta quoque tali dati. Idem apud eund. *c. 83. Animi laxandi causâ, modo --- talis aut ocellatis nucibusque ludebat, cum pueris minutis.* Ubi *tali* alii à prioribus, & *ocellati*, globuli ſunt vel lapidei vel eburnei, vel ex alia qua materia, quibus olim puellæ ludebant, Ovid. *Met.* ut nunc quoque ſic. Græci καλολαΐγ*ſ*ας appellabant: de *nucibus* verò res notiſſima. Vide ad hæc loca Caſaub. & de diſcrimine vocum *Ludus* & *Luſus*, deque *Luſuum* ſpeciebus variis ſuprà in voce *Ludus*: Legem verò de *Luſu* habes infrà in voce *Publicia*, it. *Titia*; ut & aliquid ubi de Vett. *Sponſionibus*.

LUTATIUS Catulus, icto cum Pœnis fœdere, M. Attilio T. Manlio Coſſ. Janum clauſit: quod ante ipſum Numæ, & poſt eum Aug. poſt bella civilia confecta, contigit, Paul. Oroſius *l. 4. c. 10.* Flor. *Hiſt. Rom. l. 2. c. 3.* &c.

LUTATIUS Placidus, Statii Scholiaſtes, Grammatices inſignis floruit ævo Theodoſiano; Perſei diſcip. cujus in *Octavio* Minuc. Felix meminit. *Lactantius* vocatur in vet. Codice *MS.* nec ſemel Joh. Boccatius, ſolis *MSS.* antiquiſque libris utens, *Lactantii Placidi* nomine illum appellat. Barthius tamen *Lutatium* dicere mavult, uti videre eſt apud eum, *Animadv. ad Stat. Theb. l. 6. v. 360.*

LUTEA Unctio Athletarum, memorata Tertulliano *de Pallio c. 4.* ſub init. *Unde gentium in provinciis meliùs exercitis, quas natura agro potiùs eluctando commodavit, ſtudia Paleſtræ malè ſeneſcentia & caſſum laborantia &* lutea unctio, *& pulverea volutatio & arida ſaginatio?* non fuit oleum virorum & ceroma puerorum in palæſtra, ut Patiſienſis Magiſter accipit, rectè ſic Iſid. diſtinguere ſcribens *l. 10.* in voce *Delibutus*, ubi tamen Iſid. ceroma, pro loco, in quo Athletæ ceromate ungebantur, vel oleo, tam viri quàm pueri, poſuit: ſed verè *de luto unctio*, πηλοῦ χρῖσις. Poſtquam enim legitimo oleo uncti erant palæſtrici, horum alii *luto* ſeſe totos opplere ſolebant, alii pulvere ſeſe adſpergebant. Quem utrumque modum hic Tertullian. complexus eſt, ubi *luteam unctionem* τὴν πήλωσιν vocat; *pulveream volutationem*, τὴν κόνισιν, Lucian. περὶ Γυμνασίων de palæſtricis: Poſt oleum igitur & ceroma, alii in *luto*, alii in pulvere, volutabantur: diverſo utrique fini & reſpectu. Qui inliniebant ſeſe luto, id eâ ratione faciebant, ut lubricâ cute anſam non darent antagoniſtis, quâ prendi poſſent aut teneri, ut λαβὴν nempe effugerent. Illi è contra qui pulveris tactu ſe inſpargebant, hoc captabant, ne manus laberentur in adprehendendo antagoniſtarum corpore: firmiorem enim λαβὴν præbebat pulveris conſperſio: utrique tamen, ut dictum, oleo prius vel ceromate ungebantur. Græci πηλῷ χρίεσθαι id dicebant, quod *Luteam unctionem*, Tertull. vocat. Vide Lucian. *ibid.* Plutarch. quoque *in Symp.* palæſtram ſcribit tribus conſtare, pulvere, luto & ceromate; Παλαίστρα οὐχ ὡς πρεσβυτάτων ἐστὶ τῶν ἄλλων, ἀλλ' ὡς μόνον τῶν τῆς ἀγωνίας εἰδῶν πηλοῦ καὶ κονίστρας καὶ κηρώματος τυγχάνει δεόμενον. Sic ceroma diverſum ab unctione lutea & pulverea volutatione, adeoque à ceromate aut oleo legitimo, vel pulvis, vel *lutum* excipiebat palæſtritas. Nec Senecæ omittendum illud *Ep. 63. Sed tantum luti totâ viâ fuit, ut poſſem videri nihilominus navigâſſe: totum Athletarum fatum mihi illâ die perpetiendum fuit, à ceromate nos haphe excepit, crypta Neapolitana* &c. Vide Salmaſ. *ad Tertull. l. c.*

LUTER, Græcè Λουτὴρ, apud Anon. *in Deſcr. S. Sophiæ*, & Autorem *Hiſt. Miſcellan.* in *Rhinotmeto An.* 10. baptiſterium eſt. Vide C. du Freſne *in Gloſſ.* & Dom. Macr. *in Hierol.* Aliàs *Luter*, animal amphibium eſt, quod *Lutra* Plin. *l. 8. c. 30.* κυὼν ποτάμιος, *canis aquaticus* ſ. *fluviatilis*, Æliano & Aëtio, Gallis *Loutre*; Ægyptiis olim in veneratione, Herod. *l. 2. c. 72.* è cujus pellibus thorace facto humeros ac pectus hyeme muniiſſe Car. Mag. legitur in *Vita* ejus. Sic *gunna de pellibus lutrarum*, memoratur *Ep. 89.* inter eas, quæ ſub Bonifacii Archiep. Moguntini nomine ſunt editæ. Origo vocis ex Græco, ἐνύδρις enim in hac lingua dicitur. Æolicè & Atticè ἐλύδρις, unde *lytra*, uti legitur apud Solin. & *lutra*. Vide C. du Freſne, in *Gloſſ.* & Salmaſ. *ad Solin. p. 187.* *alibique*, nec non ſuprà ubi de *Fibris*, etiam aliquid in voce *Lupus*, & infrà *Utlagati*, ubi circa *Lutras* idem Juris olim in Anglia viguiſſe, quod circa lupos, vulpes, aliaque frugibus & pullis infeſtiora, videbimus. De *lutris* verò *Pallados*, ſ. elutione ejus, nota ſuperſtes elegia Callimachi. Deos enim, pulchritudinis ſtudioſos & perpetuos comas lavare caris ſibi amnibus, fingebant poëtæ. Uti Horat. modò Xantho, modò Caſtalio fonte, crines Phœbum lavare ait. Ad cujus lotionis æmulationem balnea ſimulacris quoque inſtituta, & pecten adhibitus. Vide Barth. *ad Stat. Theb. l. 2. v. 723.*

LUTERA, vett. monaſt. in Sequanis diœceſique Veſontionenſi, cum tit. Abbatiæ, non procul à Luxovio: Vulgò *Lure*, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

LUTETIA, quæ & *Lutetia Pariſiorum*, urbs Gall. Cell. in Belgicæ conf. ad Sequanam & Matronam fluv. interluentes. Ejus primus omnium meminit Jul. Cæſ. *de Bell. Gall.* *Luteciam* appellans, *l. 6. c. 1.* & *l. 7. c. XI.* Ob luti quantitatem ſic dicta. Alii tamen ab albedine murorum Λευκετίαν, quo nomine eam Julianus Ap. qui ibi hyemavit, *in Miſopogone* appellat, à Græcis vocatam exiſtimant. Strabo *l. 4. p. 194.* Λουκοτοκίαν vocat: Λευκοτεκίαν Ptol. *Luteciam* caſtellum Pariſiorum Amm. Marcell. *l. 20. c. 4.* pro urbe & opp. propterea, quòd parva quidem & exigua in inſ. poſita erat, ſed naturâ & arte egregiè munita, more modoque caſtellorum. Unde genuina ſcriptio vocis per *c* ſatis apparet, primaque etymologia proin corruit: docetque id ipſum tabula Theodoſiana, vulgò Peutingeriana dicta, in qua *Lutecia* diſertè nuncupatur. Nomen hoc autem Celticum eſt ſ. Gallicum, à Celtis vel Gallis urbi Gallicæ impoſitum: quemadmodum *Pariſii* nomen eſt Celticum gentis Celticæ, utrumque ſignificationis incertæ ac nobis incognitæ: unde & facile conjicere eſt, quid de ſecunda quoque originatione ſentiendum. Deſignavêre autem nomine *Luteciæ* vett. unam tantùm inſ. Sequanæ & civitatem Pariſiorum in ea poſitam, ejus appellatione extra Inſ. tranſque fluv. ad ſuburbana loca monaſteriorum S. Genovefæ & B. Germani, ut quidam volunt, minimè translatâ. Parva ætate Julii Cæſ. fuit, cùm parvam hanc Inſ. 40. circiter jugera tantùm continentem, occuparet: utrinque ligneo ponte adita. Unde hodieque, cùm incrementa ejus trans & citra Sequanam variis nominibus appellentur, hæc Inſ. in medio poſita nomen *Civitatis* retinet, *la Cité*: quo nomine vulgus, in pleriſque Franciæ provinciis, ac præſertim in Burgundia, urbem Epiſcopatûs ſedem deſignare conſuevit. Certè ibi quondam, ſicut & nunc, major Eccl. ibi Antiſtitis cathedra, jam inde à Marcello, ſicut hodieque cernitur, certiſſimum argumentum primatûs ac dignitatis loci: ibi Palatium Regum, jam inde ab Hugone, Hugonis Mag. fil. nunc Judicum conſiſtorium clariſſimum, à quo & Inſ. Palatii, *l'Isle du Palais* nuncupatur. Hanc Julius Cæſ. uſque adeò ædificiis auxit, tamque fortiter cinxit mœnibus, ut *Julii civitas* à nonnullis ſit appellata. Interim nondum tum, neque Strabonis adhuc ætate extra ſuam inſ. amnicam quidquam promovit; Poſtea verò ſub Impp. Rom. ac præcipuè ſub Juliano ac Valentiniano majore, qui ibi hyemavêre, trans Sequanam ſuburbanis aucta videtur, qui Palatium, cum magnificentiſſimis Thermis ibi ultra Sequanam, Amphitheatrum, quod Arenas vocant, aliaque opera condidêre. Poſt Francorum verò in Gallias adventum, cùm Chlodoveus *Luteciam* regni ſedem elegiſſet, & omnes, à Chlodoveo Reges, Childebertus, Chilpericus, Chlotarius, Dagobertus, Chlodoveus minor, Chlotarius junior, Childericus ac Theodoricus ejus exemplum ſecuti eſſent, per Annos 180. non contemnendis appendicibus crevit, & exſpatiantia extra Inſ. tecta, egregiæque Baſilicæ, inprimis SS. Apoſtolorum, B. Vicentii, S. Laurentii, Juliani Martyris trans flumen, ac S. Pauli cis Sequanam, alterius inſtar urbi, addita ſunt. Regnante apud Francos Car. progenie, nulla acceſſio facta eſt, cùm Reges illi ex occaſione bellorum hiberna mutarent, & plerunque in villis conſiderent publicis, Rotberti Fortis filiis ac nepote *Luteciam* tenentibus. Acceſſêre Nortmannorum aſſiduæ oppugnationes, à quibus inter alia A. C. 896. toto obſeſſa fuerat: quo tempore vix Inſ. ſe ſuæ mœnibus, ac naturali propugnaculo Sequanâ turribusque ad capita pontium poſitis tuebatur, & ſuburbanas Baſilicas à direptione & incendio Barbarorum defendere aliter, quàm auro non poterat. Soli Hugonis poſteri, cùm *Luteciæ* ſemper, conſtanterque habitaverint, & ornavêre Regiam ſuam & auxêre, atque ex ſimplice triplicem fecêre, ultra citraque Sequanam non ſemel prolatis pomœriis & adjunctis Inſulæ, ex utraque fluminis parte, duabus, ut ita dicam, ampliſſimis urbibus, quibus *urbis Pariſiorum* nomen dari poteſt ac debet, *Luteciæ* non poteſt, nec debet. Interim *Lutecia* nomen gentis, cujus caput erat, accepit, *Pariſiive* dici cœpit: Ita, inter alia, Not. Imp. docet, *in prov. Lugdunenſi Senonia Præfectum claſſis Anderitianorum* Pariſiis *fuiſſe, & Præfectum Sarmatarum Gentilium à Chora*, Pariſios *usque*: unde apparet: *claſſem*, quæ *Anderitianorum* dicebatur, unà cum Præfecto ſuo fuiſſe Luteciæ, ſtante Imp. Rom. & *Sarmatas Gentiles* cognominatos, quæ legio Romana erat, à Chora, loco flumini Choræ in Icaunam effluenti appoſito, uſque ad urbem Luteciam, per caſtella & urbes ripæ Icaunæ ac Sequanæ fuiſſe diſperſos atque in præſidio conſtitutos. Et fortè, quia claſſem apud ſe in portu amnico ſemper ſtantem cernebat, jam tam navem inſtructam pro inſigni habere cœpit. Ita ergo ampliſſimam hanc civitatem Sequana fluv. dividens, tripartitam conſtituit, quarum prior univerſitas, altera civitas, tertia urbs nominatur. Car. Mag. Alcuini præceptoris ſui inſtinctu, Univ. A. C. 796. fundavit; & permultis prærogativis, privilegiis, & immunitatibus ſplendidiſſimè exornavit. In vett. Not. in prov. Lugdunenſi IV. quæ & Senonia à Metropoli dicitur, ſexta ac penultima ponitur: à Roberto Mon. ante Annos 450. honoris causâ tertia, poſt Senonum atque Carnutum civitates collocatur. Gervaſius tandem Tisleberienſis & duæ Not. Epiſcopatuum Galliæ, altera, circa A. C. 1285. altera paulò pòſt A. C. 1322. ſcriptæ, eam à Metropoli ſua proximam faciunt, fortè quia caput Regni Francici ſedesque Regum erat, unde & ante A. C. 1170. Principes Galli pro Regibus Francorum *Reges Pariſiorum* dicti ſunt. Vulgò *Paris*. Baudr. caput eſt regni, totius Europæ ampliſſima; emporium celeberri-

mum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

mum, quotidie creſcens, ut provinciam referat: Primaria Inſ. Franciæ. Ejus palatium Regium Lupara, ſuperbiſſimum, maxima ex parte ab Lud. XIV. excitatum eſt, Diſtat 10. leuc. à Sylvanecto in Mer. 28, à Rothomago in Eur. 34. ab Aureliis in Bor. uti 10. à Meloduno, 50. à Nivernis, 100. à Lugduno etiam in Bor. Vide Merulam, & Jac. du Breüil, ut & in voce *Pariſii*. Peculiarem porro de *vetuſtioribus Luteciæ Baſilicis, & de priſco titulo ac ſitu Eccl. Pariſiacæ*, librum edidit A. C. 1660. Hadr. Valeſ. qui brevi *Notitiæ Galliarum* appendicem ſubjunget, in qua præter clariora urbis loca, priſcorum etiam vicorum ac portarum nomina, è veteribus monumentis petita, & quoties prolatum *Luteciæ* pomœrium fuerit, notare ſtatuit.

LUTEVA, ſive LUTAVA, urbs Gall. Narbon. *Lodeſue* vulgò: urbs Occitaniæ inf. Epiſcopal. ſub Archiep. Narbonenſi, cui à Joh. XXIII. ſubjecta eſt: juxtà amnem *Lergue*, ad radices Cemmeni montis, in limite prov. Ruthenenſis. Antiquitate magis; quàm amplitudine ſpectabilis. Plin. *l.* 3. *c.* 4. *Forum Neronis* eam vocat. Subeſt dominio Ep. qui Comitem Mombrunium, à Caſtello vicino, ſe vocat. Ex antiquiſſimis ejus Præſulibus S. Florus eſt, inter cujus ſucceſſores, quarto loco memoratur Helvadius, cujus mentio, in Ep. Galliæ Epiſcoporum ad Leonem P. A. C. 451. Urbs Gothico & Albigenſi bello dura paſſa, Præt. quoque Sec. inteſtini belli furorem ſenſit: quo S. Fulcrani, unius ex Præſulibus & Patronis urbis, oſſa in cineres redacta ſunt. Diſtat 12. leuc. à Narbona in Bor. uti & 9. ab Agatha ac à Biterris, 15. à Nemauſo in Occ. uti 16. ab Ucetia. Vide Bernard. Guidon. *in Chron.* Plantav. de la Pauſe, *in Chron. Epp. Lodov.* Catellum *Hiſt. de Lang.* Duchen. *Sammarthan.* &c.

LUTEUS Color in flammeis nuptialibus olim uſitatus, teſte Plin. *l.* 21. *c.* 8. In ſoccis item Sen. *Hippol. Act.* 1. *Choro v.* 322.

Luteo *plantas cohibente* ſocco.

Veſte imò totâ. Idem *Oedip. Act.* 2. *Choro v.* 420.

Crine flaventi ſimulata virgo,
Luteam veſtem *retinente zonâ*,

unde omnem Sponſatum apparatum, primâ nuptiarum die, fuiſſe colore luteum, materiâ byſſinum, colligit Farnab. idem cum *flammeo* colore eſt, à quo id nuptiali huic velo nomen. Eſt autem color rufus, albo mixtus & quaſi clarus, à *luto* herba dictus, ex Græco λευκόν: de quo vide pluſcula apud Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, inprimis, *p.* 256. & 1155. ut & ſuprà, in voce *Flammeum.* Ab eodem colore *Hoang*, h. e. *luteus*, dicitur Sinenſibus, fluv. item piſcis, qui adeò tenellus eſt, ut extra aquam ne ad horam quidem maneat incorruptus. Itaque, cum ob ſaporis ſuavitatem ac delitias ubique expetatur, glacie eum in volvere atque ita divendere ſolent; in quem uſum etiam glacies hyberna aſſervabatur, ut ſuprà diximus. Vide Autor. Anon. *Sinæ & Eur. c.* 42. & ſuprà in voce *Hoang*, item *Croceus*; nec non infrà, ubi de *Melino colore.* At de homine, convitium vox ſonat. Cic. 3. *Verr. Deinde in hoc homo* luteus *etiam callidus & veterator eſſe vult.* Idemque eſt, quod *e ſterquilinio effoſſus*, apud Plaut. *Caſina Act.* 1. *v.* 26. Quo modo apud Suet. *in Tib. Ner. c.* 57. πηλὸν αἵματι πεφυραμένον, dixit Tiberium Theodorus Gadareus, præceptor ejus. Vide Caſp. Barth. *ad Stat. Theb. l.* 2. *v.* 665. ut & ſuprà in voce *Latrinarum Antiſtes.*

LUTGARDIS, ux. Car. Mag. literis exculta, Alcuinum propterea magni fecit, comes mariti per omnia, animo ſuprà ſexum excelſo. Obiit A. C. 800. Chron. Tur. Sanmarth. *Hiſt. Gen.* Mezerajus *Hiſt. Gall. t.* 1. *p.* 217.

LUTGARDIS, ſ. LEUTGARDIS, & LUGERDIS, aliis Berta, Roſula vel Boſale, filia Mathildis Francicæ, ex Conr. (vel Arnulphi Flandriæ Com.) ſecundò Roberto Gall. Regi nupſit: ob propinquitatem poſtmodum tamen ſeparata. Obiit A. C. 1002.

LUTHERUS Martinus, cygnus à Joh. Huſſo, A. C. 1415. poſt Seculum promiſſus prædictusque: Natus eſt Islebiæ, A. C. 1483. patre Joh. matre Margarethâ Lindemanniâ. A. C. 1501. Æt. An. 18. ſtudiorum causâ, Erfurtum ſe contulit. A. C. 1505. magiſter artium, ad Juriſprudentiam ſe applicuit, ſed fulmine, quod ei ambulanti comitem abſtulerat, territus, invito & reclamante parente, Monaſterium Auguſtinianorum ingreſſus eſt. Paulò pòſt Romam miſſus, ad diſſidia quædam, inter ſui Ordinis in Germania homines exorta, componenda, inde cum prudentiæ elogio reverſus eſt. Morer. *Dict. Hiſt.* Wittembergam venit, A. C. 1508. à conſtituta ibi Academia 6. Hîc publicè prælegit Ariſtotelis Logicen & Phyſicen. Doctor Theologiæ A. C. 1512. à Doct. Andrea Caroloſtadio, renuntiatus, inſtituit enarrationem Pſalterii, A. C. 1513 Epiſtolæ ad Rom. A. C. 1515. ad Galatas, A. C. 1516. Interim & Deſalogi præceptà publicis ad populum declamationibus & reliquas Catechiſmi partes explanare cœpit. Eodem Anno diſputavit contra Scholaſticos Theologos, *de Libero Arbitrio, meritis operum & traditionibus humanis.* Vide prim. ejus tom. opp. Latin. A. Sec. 17. d. 31. Octobr. in vigilia omnium SS publicè Wittembergæ, de qua prædictum, *illam cunctas alias* Germaniæ *Academias ſuâ luce obſcuraturam*, Abr. Scultetus, *Ann. Eccl. tom.* 1. affixit propoſitiones 95. contra Indulgentias, quas Joh. Tezelius, impudentiſſimus illarum propola, circumferebat; poſtquam pridie Frid. Elector, Suidniciæ ter ſucceſſivè ſomniâſſet: *Monachum comitatum ſanctis ad ſe veniſſe de cœlo & ut quædam oſtio Academico inſcribere liceret, petiiſſe: Scripſiſſe autem literis tam inſignibus, ut ſcriptura etiam Suidniciæ legi poſſet. Finem calami Romam ſe extendiſſe, utramque aurem Leonis X. ibidem jacentis penetrâſſe, inde ad coronam tricipitem Pontificis ſe exporrexiſſe, eamque adeò commoviſſe, ut caſura eſſet.* Ad hæc *audiviſſe, Monachum pennam iſtam accepiſſe ex ala anſeris Bohemici.* Ant. Muſa, *ex relat. Palatini Elect. Confeſſ.* Hoc initium admirandi illius & divini operis, quod *Reformationem* vocamus: de qua, ut antiquiores omittam, Nicolaus Cuſanus, Card. Joh. Lichtenbergius, Joachimus Abbas, Hildegardis, Brigitta, Has, Andreas Proles, Auguſtinianorum provincialis, Joh. Hilten, monachus Iſenacenſis, qui quidem & Annum mutationis aſſignâſſe fertur, diu antè vaticinati ſunt. Poſt hæc, Albertum Archiep. Moguntinum, cui Indulgentiarum negotium à Papa commiſſum erat, per literas oravit, ut Indulgentiarum loco Euangelium doceri juberet: illis jam ante à Joh. Ep. Miſnenſi è diœceſi ſua ejectis. Chytr. *par.* 1. *Sax.* Palydor. Virg. *l.* 8. *c.* 4. Laur. Surius Carthuſ. &c. Cumque Tecelius non ſolùm non ceſſaret, ſed pro indulgentiis Francofurti diſputaret, & Archiep. Magdeburgenſem, Prieratem, Eccium, Hochſtratumque contra illum excitaret, omnibus horum ſcriptis acerrimè reſtitit. Sleidan. *Hiſt. l.* 1. Romam citatus, cùm periculum obtenderet, Cajetano Card. Pontificis legato, Auguſtæ ſe ſtitit, A. C. 1518. illoque palinodiam urgente, errores ſibi demonſtrari petiit, quod cùm non fieret, *metuens, ne Card. ad extremum rem omnem magis imperio, quàm diſceptatione definiret*, Polyd. Virg. Auguſtâ Wittembergam reverſus, à Cajetano appellavit 16. Octobr. ad Papam: ab hoc d. 28. Nov. quòd vitæ ejus inſidiaretur, ad Conc. Edidit tum reſolutiones & declarationes propoſitionum ſuarum de Indulgentiis, quas Leoni X. dedicavit. Publicavit item Sermones de virtute Excommunicationis, de pœnitentia & præparatione ad S. Cœnam, cum appendice de meditatione paſſionis Dominicæ: Conjungentibus jam quoque aliis Doctoribus operas ſuas, inprimis Ulr. Zuinglio in Helvetia. De hoc Anno ſic Eraſm. *Ep. l.* 11. *Ep.* 1. & *l.* 12. *Ep.* 23. & 31. inquit: Ego *Lutherum nec accuſo nec defendo Multa. præclarè monuit, ſed utinam civilius*, &c. Idem Lutherum ad moderationem revocavit, *l.* 6. *Ep.* 4. Perrexit hic edere Sermones, de duplici Juſtitia, de ſalutari meditatione Paſſionis Dominicæ: de Baptiſmo: de præparatione ad mortem; Item enarrationem Ep. ad Galatas. Excommunicatus A. C. 1521. à Leone, publicavit Aſſertionem omnium articulorum doctrinæ ſuæ à Leone damnatorum, iterumque provocavit à Papa ad Conc. Lovanienſibus quoque & Colonienſibus reſpondit, qui libros ipſius flammis dignos pronuntiârunt, Eraſm. *l.* 15. *Ep. ult.* Scripſitque porro, *de Libertate Chriſtiana*, quem librum Leoni X. miſit: De *Captivitate Babylon.* præludium, quo Pontificiorum iras ac odia inprimis in ſe concitavit, &c. Vide Bucholc. *Ind. Chronol. p.* 492. Lipſiæ, coram Georgio Duce Saxon. cum Eccio de primatu Papæ diſputavit victor: exclamante Duce, *ſive ſit jure humano, ſive divino Papa, ipſe eſt Papa.* Abr. Scultetus, *in Ann. Eccl.* Wormatiam ad Comitia, hoc Anno, citatus, amicis iter diſſuadentibus, reſpondit: *Se iturum, etiamſi ſciret, tot ſibi Diabolos eſſe oppoſitos, quot ſunt in omnibus urbis tectis tegulæ.* Comparuit igitur, coram Car. V. Imp. & Imperii Proceribus, ac veritatem intrepidè confeſſus eſt. Contra quoſdam, fidem minimè eſſe ſervandam clamitantes, à Lud. Elect. Palatino deſenſus: Wormatiâ deceſſit feriâ 6. poſt Jubilate, 26. April. Proſcriptus à Cæſare, d. 8. Maji, ab Elect. Saxoniæ, 10. menſibus, in arcè Vartburgenſi, prope Iſenacum, occultiſſimè ſervatus eſt, *ut ne magi de loco conſulti divinare potuerint.* In hac Pathmo plurima ſcripſit. Vide Bucholc. *Ind. Chron. p.* 494. Iterum excommunicatus, d. 28. Martii, iterum reſpondit. Irritatus à Carloſtadio prodiit & palam rurſus docuit, A. C. 1522. Vide Eraſm. *Ep.* 2. *l.* 14. *Ep.* 7. *l.* 1. *Ep.* 2. *l.* 17. *Ep.* 26. &c. Conflixit dein cum fanaticis, Nic. Storck, Thoma Muntzero, &c. Henr. Angliæ Regi aſperiore calamo reſpondit: Hoc tempore Monachi lectis Lutheri aliorumque libris, paſſim Monaſteria vacuefecêrunt: qui Nov. Teſt. hoc Anno Germanicè verſum edidit, Phil. Melanchthonis opera uſus. Decretum Imperii Norimbergæ Principibus congregatis editum, A. C. 1523. d. 6. Martii: quo *Univerſale ac liberum Concilium optimum viſum eſt controverſias dirimendi medium, interea Theologi Euangelium pure & modeſtè prædicare juſſi ſunt*, datis ad Principes literis, pro ſe interpretatus eſt. Abolito Wittembergæ Canone Miſſæ Cœnam Domini celebravit, revocatâ tamen in uſum Confeſſione Auriculari, & privatâ abſolutione, quam Carloſtadius aboleverat. Poſtmodum Pentateuchum Germanicè translatum edidit: Libro de dignitate & officio magiſtratûs Politici, exhilaravit Electorem; De Sacramenti adoratione ſcripſit ad Waldenſes, tumque primùm opinionis Berengarii meminit, de Cœna Domini. Henr. & Joh. Monachos Auguſtinianos, flammis Bruxellis, ob religiònem, datos, cantico celebravit, vide Eraſm. *l.* 21. *Ep.* 7. & *l.* 24. *Ep.* 4. Cucullum depoſuit, A. C. 1524. Eraſmo ſcriptum de Servo arbitrio oppoſuit, A. C. 1526. Vide Eraſm. *Ep. l.* 19. *Ep.* 1. 2. 3. 4. & *antepen.* Carloſtadium, aureo dato nummo, ad ſcribendum contra ſe, in negotio S. Cœnæ, provocavit d. 22. Aug. A. C. 1524. Jenæ. Hoc belli Sacramentarii initium fuit. Vide Lud. Lavateri *Hiſt. Sacram.* Edidit Pſalterium Germanicè. Cum Melanchthone, A. C. 1525. ſcripta quædam edidit, contra articulos à ſeditioſis ruſticis, initio Anni, publicatos. Tum Zuinglius & Oecolampadius, mentem ſuam, de genuino ſenſu verborum S. Cœnæ ſcriptis editis, expoſuêrunt: Lutherus autem Ordinationem miniſtrorum Euangelii in Eccl. reduxit, d. 14. Maji, cùm primus ordinandus eſſet Georg. Rorarius. Miſſam linguâ vernaculâ celebrari curavit, d. 29. Octobr. Contra Carloſtadium, de Cœna Domini & Iconomachia ſcripſit: librumque de abominatione Canonis Miſſæ edidit, contradicentibus ex Anglia, Gallia, Hiſpania, Germania, &c. plurimis: Catharinam à Boren, genere nobilem, quæ monialis antea fuerat, die 27. Junii uxorem duxit. Librum adverſus Zuinglium & Oecolampadium, A. C. 1527. de ſenſu verborum Cœnæ evulgavit, cui uterque reſpondit; ut & A. C. 1528. Conventu dein Spirenſi, A. C. 1529. celebrato, *Proteſtantium* ortum nomen: eodemque Anno

Smal-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Smalcaldiæ, de mutuo fœdere Principum Euangel. conſilia agitata. Colloquio Marpurgenſi, inter Lutherum & Zuinglium, triduano, conſtituta eſt Concordia diſcors, & induciæ in cauſa Euchariſtica pactæ, quæ diu haud durârunt. Edidit poſt hæc utrumque Cathechiſmum Lutherus. A.C. 1530. Confeſſio Auguſtana, ſcripta à Phil. Melanchthone, exhibita eſt Car. V. in Comitiis Auguſtanis, qui illam ſibi Italicè & Gallicè verti voluit; dum Lutherus in arce Coburgenſi fuit: & prima pax Religionis coiit, A. C. 1532. uſque ad liberum Chriſtianum Conc. impetrante illam Alberto Moguntino & Lud. Palatino. Lutherus A. C. 1534. tandem Biblia Germ. in unum corpus redacta, prælo ſubjecit, quæ, cum Hebraicis Seb. Munſteri, prodiêrunt A. C. 1535. Cœpit exin Geneſin enarrare: Inter eum & Bucerum concordiæ formulam Melanchthon edidit, A. C. 1536. Diſputare contra Antinomos A. C. 1537. cœpit Librum de Conciliis & Eccl. in lucem A. C. 1538. miſit. Primam ſuorum Comm. in Geneſin partem A. C. 1544. & menſe Sept. ejuſd. Anni brevem ultimamque ſuam de C. D. confeſſionem condidit, diſertè exponens, quid à dignis & indignis in illa ſumatur: de quo ſcripto Theologi Tigurini ſuam ſententiam paulò pòſt publicârunt. Obiit paulò ante bellum Smalcaldicum, Iſlebiæ A. C. 1546. Vir etiam hoſtium judicio magnanimus, talia certè auſus, quæ totus miratur orbis, & unus fermè Orbi conjurato obnixus. Mortem variæ calamitates ſequutæ ſunt. Vide Sleidan. &c. Sectatores ejus, *Lutherani* dici amantes, indignante illo, jam olim ex 1. Cor. c. 1. v. 12. & 13. in plurimis ab eo recedunt, ut ex ſcriptis illorum videre eſt. De Luthero Melanchthon: *Pomeranus eſt Grammaticus, & verborum vim explanat; ego ſum Logicus, monſtro contextum rerum & argumenta; Juſtus Jonas eſt Orator, copioſè & ornatè diſſerit: ſed Lutherus eſt omnia in omnibus, & miraculum inter homines; quidquid dicit, quidquid ſcribit, id in animos penetrat & mirificè relinquit aculeos in cordibus hominum*, apud Melch. Adami. De eodem Eduardus Leigh, Anglus: *Res & verba Philippus, Res ſine verbis Lutherus, Verba ſine re*, Eraſmus. Ejus picturâ olim viſâ, Melanchthon modò memoratus in hunc verſiculum ex tempore erupiiſſe legitur:

Fulmina erant linguæ ſingula verba tuæ. &c.

LUTHERUS Paulus, prioris fil. Aug. Electoris Saxoniæ & Joachimi II. Elect. Brandeb. Archiater. Obiit Lipſiæ A. C. 1593. Æt. 60. Artis Chymicæ apprimè peritus, ut qui in officinas pharmaceuticas unguentem ex nitro, magiſterium perlarum & coralorum, aurum potabile &c. primus introduxit. Pater ex Anna Warbcia, inter alios, Joh. Erneſti, Capituli Cizenſis Senior quo genitus *Joh. Martinus* Conſiliarius Elect. Saxon. & Canonicus Miſnenſ. unam ex filiabus Doctoris Hiſemanni ſibi matrimonio junxit A. C. 1655. Paul. Freherus *Theatr. Viror. Erudit. Claror.*

LUTI, Germ. pop. Plin. *Sleſier* Pyramio. Hi & *Burii* Ptol. forſan *Lugii Burii* aliorum, fuêre prope fontes Viſtulæ, in Sileſia ſup. ubi nunc Duc. Teſchinenſis & Ratiborienſis, Poloniam inter min. ad Ort. & Moraviam ad Occaſ. *Baudr.*

LUTIA, opp. olim Hiſp. Tarrac. opulentum, Appian. Alex. de Bell. Hiſp. p. 308. 300. à Numantia ſtadiis, in finib. Arevacorum

LUTIS, fluv. Auſtriæ, per agrum Viennenſem fluens; *Leyte*: ſuper quo opp. Lytipons, *Pruck an der Leyte*.

LUTOMAGUS, opp. Morinorum, Cluv. *Monſtrevil*, in Picardia, urbs munita, ad Quentiam fluv. in conf. Arteſiæ, media inter Hedenum ad Ort. & oram Maris Britann. ad Occaſ. 3. leucis utrinque.

LUTORIUS Priſcus, prænomine *Cajus*, Eques Rom. poſt celebre carmen, quo Germanici ſuprema defleverat, pecunia donatus à Cæſare, corruptus à delatore objectante, ægro Druſo compoſuiſſe, quò, ſi extinctus foret, majore præmio vulgaretur. Ob hanc cauſam ſententiâ Haterii Agrippæ Conſulis deſignati, indictum reo ultimum ſupplicium; & nequicquam M. Lepido relegationem decernente, Priſcus in carcerem ductus ac ſtatim exanimatus eſt. Tac. *Ann. l. 3. c.* 49. & 51.

LUTOSA, vulgò LEUSE, vicus eſt Hannoniæ, Monaſterio à S. Amando ibi, ſub Childerico, condito nobilis: 2. mill. paſs. ab Atho urbe. Item locus fiſcalis in ſaltu Dervenſi ac Diœceſi Tricaſſina, in quo Berchærius Abbas, ſimiliter ſub Childerico Rege Baſilicam in honorem S. Martini ac cellam extruxit: Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

LUTOSA, vulgò *Loze*, amniculus Galliæ, qui ortus ad radices clivi, in quo Aleſia condita, unà cum Oſera haud procul oriente, decurrit in Brionam *Brenne*, vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall. in Aleſia Mandubiorum.*

LUTRA, vide *Luter*.

LUTTERA, opp. Germ. in Saxonia inf. ubi Chriſtianus IV. Daniæ Rex qui copiarum, pro circuli hujus defenſione conſcriptarum, imperium ſuſceperat, à Tillio, Cæſariani exercitûs Duce, gravi clade affectus eſt, univerſo fermè peditatu amiſſo, circa A. C. 1626.

LUTTERVORTIUM, caſtrum Liceſtriæ cum pago, medium ferè inter Liceſtriam urb. & Daventriam. Ibi Wiclefus Parochus fuerat. *Lutterworth* vulgò.

LUTUM, vulgò *Louth*, opp. Ultoniæ, ad amnem cogn. aliquot ab ora mill. medium inter Dunkeranum ad Bor. & Ardracum ad Auſtr. 7. mill. paſs. utrinque. Caput Comit. *Lutenſis ſ. Lugenſis*. Vide *ibi*.

LUTUM, prima generis noſtri nobilitas. *Ex terra* enim *lutove*, primum hominem factum, è ſacra Hiſtoria cuivis liquet. Cui convenienter Philoſophi, Ἐκ τε τοῦ ἀνθρώπου ἐκ χοὸς διαπλάσεως ἰσάριθμοι, γήινον μὲν -- παρ᾽ ἕκαστα τὸ σῶμα ἀναγορεύουσιν, ut Clemens 5. *Strom.* loquitur. Arnobiuſque autor eſt, alios ex Sapientibus dicere, Tellurem eſſe hominum matrem, Aquam alios, *c. Gent. l. 2.* quas duas ſententias ſi conjungas, *lutum* habebis. Expreſſiùs Callimach. apud. eund. *Clem.*

Ἦν κεῖνος ἐνιαυτὸς, ᾧ ποτε πτηνὸν
Καὶ τὸ θαλάσσῃ, καὶ τὸ τετράπουν, οὕτως
Ἐφθέγγεθ᾽ ὡς ὁ πηλὸς ὁ Προμήθειος.

Erat tempus, cùm volucrium ſecla,
Et quadrupes, & quidquid occulit pontus,
Vocem efferebat, ut Lutum *Prometheus* &c.

Unde & pedes lecti, in quo cubabat Flamen Dialis, *luto* tenui circumlini conſueviſſe, diximus ſuprà. Quam in rem vide plura egregia, apud Tob. Pfanner. *Syſtem. Theol. Gentil. pur. c. 7, §. 1. & 2.* aliquid etiam infrà in voce *Tethis* it. *Titia*. Ex eodem primæ habitationes factæ, Plin. *l. 7. c. 56.* cujus rei inventor Gellio *Doxius Cæli fil. placet, exemplo ſumpto ab hirundinum nidis*, poſtmodum *Luti* vice, bitumen in muris faciendis adhibitum, teſte Herod. *l. 1. c. 179.* Ἑλκύσαντες δὲ πλίνθους ἱκανὰς, ὤπτησαν αὐτὰς ἐν καμίνοισι· μετὰ δὲ τέλματι χρεώμενοι ἀσφάλτῳ θερμῇ, καὶ διὰ τριήκοντα δόμων πλίνθου ταρσοὺς καλάμων διαστοιβάζοντες, ἔδειμαν πρῶτα μὲν τοῦ ὀρύγματος τὰ χείλεα, δεύτερα δὲ αὐτὸ τὸ τεῖχος τὸν αὐτὸν τρόπον. Ubi τέλμα *lutum* eſt. Pro calce nempe & arena (induſtriâ mortalium ſenſim creſcente) multi utebantur *luto* ſubacto & paleis mixto, in parietum inſtructura: Unde vicem *luti* bitumine fartos Babylonis muros tradit idem. Pallad. *Quibus copia ſuppetit, macerias* luto *& lapide excitant, plerique ſine luto congeſta in ordinem ſaxa componunt.* Petron. Edit. Gonſali de Salas *p. 80.* Edit. Boſch. *c. 95.*

At paries circa paleâ ſatiatus inani
Fortuitoque luto *clauſos munibat agreſtes.*

Cujuſmodi *lutum* Feſtus intelligit, *Aceratum lutum & paleis mixtum:* Propriè autem loquutus eſt Petron. *parietem luto ſatiatum & paleâ* dicendo, qui fartus erat luto. Vitruv. *l. 2. c. 8.* *Utraque autem ex minutiſſimis ſunt inſtruenda, uti materia ex calce & arena crebriter parietes ſatiati diutius contineantur.* Ita nempe & *luto* ſatiabantur. Sed & craticii parietes fiebant, qui inducebantur luto. Idem, *l. 7. c. 3.* *Cùm paries totus luto inquinatus fuerit, tunc in eo opere cannæ clavis muſcariis perpetuò figantur, deinde iterum* luto *inducto, ſi puriores tranſverſariis ordinibus fixæ ſunt, ſecundæ erectis figantur.* Ubi de craticiis parietibus loquitur, quibus *luto* inductis canarum duplex ordo adfigebatur, ut tectorium ſuperinductum firmiùs adhæreſceret. In muris Babyloniis, inter ſingulos ordines laterum texta cannarum ſtipata erant & bitumine adglutinata &c, Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1230. Inde & ad alios uſus adhibitum. Namque *Luto inquinandi ſtatuas Tyrannorum* mos, occurrit apud Æl. Lamprid. *in Heliogab.* *Miſit qui in caſtris ſtatuarum ejus titulos* luto *tegerent, ut fieri ſolet de tyrannis.* Nempe in tyrannorum, eorumque omnium, quorum memoria damnaretur, ſtatuis, uſurpari ſolitum eſt, ut & detraherentur & *luto* obliterentur, aut nigro colore deformarentur, ut de Maxentii imaginibus Euſeb. ſcribit *l. 9. ſub fin.* Cùm erant fuſiles ſtatuæ, iis conflatis, vaſa ad obſcœnos uſus interdum inde conficiebantur, ut Athenienſes olim è ſtatuis Demetrii Phalerei, teſte Diog. Laërtio. Sed mos *luto* inquinandi antiquiſſimus eſt, &, ſi credimus Græcis Grammaticis, eoſdem Athenienſes autores habet: Scribunt enim illi, ſolitos hoſce damnatos alicujus criminis *lutulare*, & ita traducere, quod προπηλακίζειν dixêre, Caſaub. *ad Lamprid.* Similes apud Burgundiones pœna, *Luto vel cœno necandi L.* Burgund. *tit.* 34. §. 1. *Si qua mulier maritum ſuum, cui legitimè nupta eſt, dimiſerit, necetur in luto.* Quò referendum illud Tac. de *Morib. Germ. c.* 12. *Ignavos & imbelles & corpore infames cœno & palude, injectâ inſuper crate mergunt.* Vide ſuprà in *Cænitus*. Neque verò eorum ſolùm, qui ſententiâ Judicis extra fines exportabantur, faciem *luto* illinebant Athenienſes, ſed & in aliis, quos volebant ignominiâ affectos, eundem morem obſervabant, uti docet Autor *Etymologici*, Οἱ ἀρχαῖοι, ὅτε ἤθελον ὑβρίσαι τινὰ καὶ ἐμπαῖξαι, πηλῷ ἔχριον τὸ πρόσωπον αὐτοῦ. Sic odii & contumeliæ causâ apud alios quoque rapa jacta, fimus, lapides, aut lutum, uti diſcimus *ex l. 1. ff. de extraord. crim.* Vide etiam ſuprà in verbo *Jacere*.

LUTZELSTENIUM, Comit. Lotharingiæ, in Imp. Germanico, ſub Principe ex fam. Palatina. Vide *Lucelſtenium*.

LUTZENUM, oppid. Miſniæ. ſub Ep. Martioburgenſi, prope Elſterum fluv. 2. leuc. à Martioburgo in Occ. 2. à Lipſia in Ort. Ibi Guſtavus Adolphus Suec. Rex d. 16. Octobr. A.C. 1632. victor Occubuit. Vulgò *Lutzen*.

LUX, primæ diei Creationis opus, ubi triduo, præſens quidem diem, abſens vero noctem præſtitiſſet, quarto die Soli indita eſt, ad ornatum majorem, & lucem clariorem; tum etiam, ut non ſolùm dies nocteſque alternaret, ad quod diei primæ lux ſuffeciſſet; ſed ut prætereà Annos & menſes aliaque tempora, diſcriminaret. Nam ad hoc quoque lucem illam diſcerpi, & magnitudine ac locis diſtingui, attinebat, eamque rationem adducit ipſe Moſes Gen. *c. 1. v. 14.* Quam *primæ Lucis* immutationem eleganter expreſſit Apollinaris, cùm ait, Τοῦ δὲ πρωτογόνου φωτὸς, ὅσον μὲν καθαρώτατον ἐνέθηκε τῷ ἡλίῳ· τὸ δὲ λοιπὸν σελήνῃ, καὶ τοῖς ἄστροις ἐμέρισε. *E primigenia luce, quidquid puriſſimum foret, indidit Soli; reliquum verò Lunæ & aſtris impertivit.* Unde Baſil. ſidera vocat *Lucis* ὀχήματα, *vehicula, Hexaëm. Homil. 6.* uti δοχεῖα, *conceptacula*, Damaſcen. Maximus verò *in Dion. Schol.* id ſoli principi ſiderum vindicat, Τὸ πρωτόκτιστον φῶς τῇ τετάρτῃ ἡμέρᾳ μετεσχηματίσθη εἰς ἥλιον, *prima die conditam lucem quartâ die in Solem transformavit*: A quo precarium habere lumen, tùm Lunam, tùm reliqua ſidera, non pauci ſentiunt. Atque hanc de *Luce prima* ſententiam, etiam Gentilibus, Empedocli, Philolao, Anaxagoræ, Democrito & Metrodoro ſuboluiſſe, ex Diog. Laërtio & Plutarcho, quanquam obſcurioribus locis, H. Grot. notat, *de Ver. Rel. Chriſtianæ l. 1. ibique Annotat.* Eſt autem *Lux*, inter corporeas, pulcherrimum ſimul ac maximè admirandum opus ejus, qui lucem habitat inacceſſam: unde ſidera, Solem inprimis, colendi, non minima miſeris Gentilibus anſa fuit, ut ſuo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſuo loco videre eſt. Interim illa lugentibus exoſa. Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 435.

— Lucemque *peroſi*
Projecêre animas —

Quali luctu perculſam, ob interitum mariti, magnam ſui temporis Reginam per aliquot menſes adeò lucem fugiſſe, ut nec lucernam, aut cereum, candelamque ullam, niſi per velamen aliquod, non admodum tenue, conſpexerit, refert C. Barth. *Animadverſ. ad Stat. Theb. l.* 10. *v.* 812. Morituros tamen ultimo obtutu *lucem* quærere, hincque faciem illorum cœlo obverti conſuevisſe, notant, qui *de Funeribus* ſcripsêre, vide quoque hîc paſſim

LUX Dubia, nomen fani apud Gaditanos, Phoſphoro ſacri, quod à Rom. conditum hinc patet, quod *φωσφόρου* hoc *ἱερὸν*, *Phoſphori fanum*, aliter vocari *Λουκεμδουβίαν*, retentâ voce Latinâ, ait Strabo *l.* 3. *p.* 140. Vide Gerh. Joh. Voſs. *de orig. & progr. Idol. l.* 2. *c.* 31.

LUX Mundi, cogn. Weſseli Ganſefort Groningani de quo vide infrà.

LUXEMBURGICUS, ſ. *Luxemburgenſis*, vide *Lucemburgenſis.*

LUXEMBURGUM, Gallis *Luxembourg*, urbs ampla Belgii, ad Alizontem amnem, ſatis munita, 4. leuc. à Theodonis villa in Sept. 6. à Treviris in Occ. 4. ab Orolauno in Ort. 2. à conf. Lotharingiæ. An à fluv. quaſi *Elzenburg*? Ptol. *Auguſta Romanduorum* dicitur: capta haud pridem à Gallis, ut diximus, ubi de Lud. XIV. Caput Duc. *Luxemburgenſis*, qui frumentorum metallorumque feraciſſimus, maximè ad Ort. & Auſtr. extenſus eſt versùs Germ. inter dit. Trevirenſem ad Ort. Ducatum Limburg. ad Bor. tractum Leodienſem ad Occ. & Lotharingiam ad Mer. Amiſsus à Franciſco I. A. C. 1529. nunc ſub Hiſp. pars tamen Auſtralis ejus Gallis ſubeſt. Fam. Luxemburgicam, ob Imperatores Regeſque complures inde exortos, toto orbe illuſtriſſimam nemo eſt qui ignoret.

Luxemburgenſis Ducatûs urbes:

Baſtonacum, *Baſtogne*, Hiſp. ſubeſt.
Damvillerium, *Damvillers*, Gallis.
Luxemburgum, *Luxembourg*, Hiſp.
Monſmedius, *Monmedy*, Gallis.
Orolaunum, *Arlon*, Hiſp.
Theodonis villa, *Thionville*, Gallis.
Virtonium, *Virton*, Hiſp.
Yvodium, *Yvoix*, Gallis.

LUXIA, fluv. Hiſp. Bæticæ inter Bætim & Anam fluens. Plin. *l.* 3. *c.* 1.

LUXOVIUM, oppid. Com. Burgundiæ, in ſaltu Voſago, ubi Columbanus, ſub Childeberto Rege Monaſterium extruxit, dictum vulgò *Luxeu* vel *Luxevil.* Ditavit illud annuis cenſibus Chlotarius jun. Opp. ſedet ad amnem Lantanam *Lantaine*, qui in Ararim effunditur, inter loca Falconiacum *Falcougney*, & Confluentes *Conflans.* Cœnobium S. Benedicti normam ſequi, refert Ferrar. Diſtat 13. leuc. à Veſuntione in Bor. 6. à Veſulio in Cæc. aliàs munitum. Ab Alſatia 6. leuc. in Occ.

LUXURIA, à *luxu*, quod propriè luxatio, *ἐξάρθρωσις*, inde intemperantia cupiditatum, cùm ſc. eæ *luxæ* ſ. ſolutæ ſunt, *ἀσωτία*, *ἀκρασία*: circa victum & veſtitum inprimis, propriè profuſa impenſa. Sic in victu, *Luxurioſorum* principes, ex Græcis quidem Callias & Creſippus; ex Romanis Apicius & Hortenſius, memorantur Ælian. *Var. Hiſt. l.* 4. *c.* 16. Et Hortenſium quidem Oratorem, *primum cibi causâ pavum occidiſſe*, narrat Tertullian. *de Pallio c.* 1. quem poſteà ſaginare primus inſtituit M. Aufidius Lurco, circa noviſſimum Piraticum bellum: ob quæ ſic Publius Syrus; apud Petron Arbitr. Edit. Gonſal. de Salas *p.* 21. Edit. Boſch. *c.* 38. qui hiſce negat melius quid dici poſſe,

Luxuriæ rictu Martis marcent mœnia,
Tuo palato clauſus pavo paſcitur,
Plumato amictus aureo Babylonico &c.

Verùm hos omnes immanè quantum ſuperavit Æſopus Tragicus, vel ejus fil. cui Pater ex arte ducenties ſeſtertium reliquerat, uti præter alios Macrob. narrat, *Sat. l.* 2. *c.* 9. De filio ita Val. Max. *l.* 9. *c.* 1. *Sed etiam furioſæ luxuriæ juvenem quem conſtat cantu commendabiles aviculas, immanibus emptas pretiis, in cœna pro ficedulis ponere, acetoque liquatos magnæ ſummæ uniones potionibus adſpergere ſolitum, ampliſſimum patrimonium, tanquam amaram aliquam ſarcinam quàm celerrimè abjicere cupientem.* Quod tamen Parenti liquido tribuit Plin. *l.* 10. *c.* 51. *Maximè*, inquiens, *inſignis eſt in hac memoria Clodii Æſopi, Tragici Hiſtrionis, patina, ſexcenties H-S. taxata: in qua poſuit aves cantu aliquo, aut humano ſermone vocales, nummis ſex ſingulas coemptas; nullâ aliâ inductus ſuavitate, niſi ut in his imitationem hominis manderet, ne quæſtus quidem ſuos reveritus illos opimos & voce meritos: dignus prorſus filio, à quo devoratas diximus margaritas.* Sanè filium fuiſſe, à quo comeſtas narrat margaritas, etiam Horat. teſtatur *Serm. l.* 2. *Sat.* 3. *v.* 239 & *ſeqq.*

Filius Æſopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet ut decies ſolidum exſorberet, aceto
Diluit inſignem baccam.

Similiter Tertullian. *de Pallio c.* 5.. At de Patina adſcribit patri Hiſtrioni hæc de utroque verba: *Æſopus Hiſtrio ex avibus ejuſdem pretioſitatis, ut canoribus & loquacibus quibuſque, centum millium patinam confiſcavit* (h. e. confiſcatam, ſ. repoſitam habuit; ut eam, cùm vellet, avibus cariſſimè emptis plenam repræſentaret convivis.) *Fil. ejus poſt tale pulpamentum potuit ſumptuoſiùs eſurire: margarita namque vel ipſo nomine pretioſa dehauſit. Credo, ne mendiciùs patre cœnâſſet.* Sed de pretio patinæ fuſiùs diſſerit Salmaſ. *ad Tertull.* quem vide. Quòd verò Plin. audivimus dicentem, ſuprà *aves ſingulas ſex nummis coëmptas*; quod pretium Belgis necdum adæquat ſtuferos quatuor, ſive quintam floreni partem: mendum eſt. Quare Hottomannus *de Re Numm. p.* 257. pro *ſex* legit *ſexcentis*; i.e. octodecim florenis Belgicis. Sed neque id juſtum fuerit pretium. Proin Salmaſ. ex optimo & vetuſtiſſimo Rigaltii codice, reponit: IIS, VI. *ſingulas coëmptas.* Nempe pro avibus ſingulis ſoluta ſeſtertia ſex, ſ. ſex millia nummûm. Quam Plinii ſententiam etiam Tertullian. expreſſit, ſcribens: *Aſinius Celer mulli unius obſonium VI. M. H. S. detulit: Æſopus, ex avibus ejuſdem pretioſitatis, ſexcentûm millium patinam confiſcavit.* Ubi clarè inter patinam & avium pretium diſtinguit: quæ Budæus *l.* 2. *de Aſſe*, confudit. Ab Æſopo ad alid *luxûs* exemplum, ducit Suet. *Vitell. c.* 13. *Famoſiſſima*, ajens, *ſuper cæteras fuit cœna ei data adventitia à fratre: in qua duo millia lectiſſimorum piſcium, ſeptem avium, appoſita traduntur. Hanc quoque exſuperavit ipse dedicatione patinæ, quam, ob immenſam magnitudinem, Clypeum Minervæ, Αἰγίδα Πολιέχου, dictitabat. In hac ſcarorum jecinora, phaſianorum & pavonum cerebella, linguas phœnicopterûm, murænarum lactes, à Carpathio uſque fretoque Hiſpaniæ, per Navarchos ac triremes, petitarum, commiſcuit.* Porrò Romanorum luxum inſigniter arguunt verba hæc Favorini apud A. Gell. *l.* 15. *c.* 8. *Qui negant ullam avem, præter ficedulam, totam comeſſe oportere cæterarum avium atque altilium, niſi tantum apponatur, ut à cluniculis inferiori parte ſaturi fiant, convivium putant inopiâ ſordere: ſuperiorem partem avium atque altilium qui edunt, eos palatum non habere.* Idem multùm comparuit ex Aviariis ſive Ornithonibus, in quibus tria inprimis admirationi erant; magnitudo earum, multitudo avium quas continerent & pretium ingens, quod inde quotannis perciperent: Verùm cum hac de re infrà dicturi ſimus, *ſuo loco*, hoc unum hîc addam, quod Axius habet, apud Varron. *de Re Ruſt. l.* 3. *c.* 6. ubi ex pavonibus M. Aufidium Lurconem ſupra ſexagena millia nummûm cepiſse, memorat. Idem *c.* 7. ubi de columbis: *Parentes eorum*, inquit, *Romæ, ſi ſunt formoſi bono colore, integri, boni ſeminis; paria ſingula vulgò veneunt ducenis nummis; nec non eximia ſingulis millibus nummûm: quas nuper cùm Mercator tanti emere vellet à L. Axio, Equite Rom. minoris quadringentis denariis daturum negavit.* Quod de Axio referre etiam non piguit Plin. *l.* 10. *c.* 37. Duceni autem nummi Belgis nunc fuerint ſex floreni: mille nummi, triginta floreni: quadringenti denarii, 120. floreni. Cauſa *caritatis*, adiciales inprimis ac triumphales cœnæ: unde legas *L.* 3. Varronis *c.* 2. *Quotus quiſque enim eſt annus, quo non videas epulum, aut Collegia, non epulari; quæ nunc innumerabiles incendunt annonam*, &c. Plura hanc in rem vide apud Gerh. Joh. Voſs. *de orig. & progr. Idol. l.* 3. *paſſim*, aliquid etiam infrà in voce *Tetrapharmacum.* In veſtitu *luxriem* Romanorum, matronarum inprimis, graphicè deſcribit Plin. *l.* 9. *c.* 25. & *l.* 33. *c.* XI. alibique paſſim. Ut de *luxu* in ſupellectile, in ædificiis, aliiſque ſeſe exerente, nil addam: niſi verſus hos Stat. *l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 157.

— — *heic Seirius alget,*
Bruma tepet, verſumque domus ſibi temperat Annum.

Ubi delitias ubique ſectando, ex hieme & æſtate ver factum indicat, mutataſque Naturæ ipſius vices, temperatis luxuriæ artificio rigoribus & fervoribus: cujuſmodi habitationem pulchrè *totius Anni villam* vocat Seneca *Ep.* 55. Ut autem cordati homines temperantiam hîc quoque ſecuti ſint, vides in ædificiis pulchrè diligenterque conſcriptis à minore Plin. *l.* 1. *Ep.* 17. & *l.* 5. *Ep.* 6. De *luxu* in cubando, vide aliquid infrà, ubi de *Lectis* & *Pulvillis*, ſicut de reliquis luxuriæ ſpeciebus, paſſim ſuis locis. Neque verò in pace ſolùm, ſed & militiæ, ſequiori ævo, *luxuria* dominari cœpit, adeò ut inter ſarcinas Ducum ipſa pavimenta fuerint. Hinc Plin. quoque Neronis *viatoria cubicula unionibus conſtructa* queritur; & indignatur *conopeum* Horat. de caſtris loquens Antonii, *Epod. Ode* 9. *v.* 15.

Interque ſigna turpe militaria
Sol aſpicit conopeum:

nec non *ſpeculum* Juv. de Othonis, *Sat.* 2. *l.* 1. *v.* 102.

Res memoranda novis annalibus, atque recenti
Hiſtoria, ſpeculum civilis ſarcina belli.

Ut de *figulis*, in Domitiani, deque *balinei inſtrumento*, in Tiberii caſtris, apud eund. poëtam & Vellejum, taceam. Unde prætorium in caſtris templo comparandi, ob magnificentiam, occaſio Joſepho. Tranſiit autem luxus uterque ex Oriente, poſt Aſiam inprimis devictam, ad Rom. Treb. Pollio de Herode Tyr. *homo omnium delicatiſſimus, & prorſus Orientalis & Græca luxuria*: inter milites ex parte ſublatus ab Hadriano Imp. quemadmodum legibus *Cibariis*, *Veſtiariis*, aliiſque in urbe utcunque eidem obviam itum eſt. Vide quoque ubi de re *Cenſoria*, alibique paſſim. Addo ſaltem etiam *Luxum* nonnullis inter Imperii arcana cenſeri. Sanè Juliani Imp. qui eunuchos, coquos, tonſores, palatio e xegit, factum à pleriſque improbatum, *ὅτι πανομένη ἡ ἐκ τῆς βασιλικῆς πλούτου τοῖς πολλοῖς ἐγγινομένη καταπλήξη εὐκαταφρόνητον ἐποίει βασιλείαν*, ut Socrates ait, *Hiſt. Eccl. l.* 3. *c.* 1. i. e. ut Caſſiod. *Hiſt. Trip. l.* 6. *c.* 1. vertit, *Quòd remoto Feſti Palatii contemptibile videretur Imperium* Vide Lipſ. *Poliorcet. l.* 4. *c.* 9. Clapmarium, *Arcan. l.* 3. *c.* 12. Freinshem. *ad iſta Curtii l.* 8. *c.* 5. *Majeſtatem enim Imperii ſalutis eſſe tutelam*, alios. Sed

LUXURIUS Epigrammatarius, Carthagine ſcripſit & floruit. ſub Thraſymundo Vandal. Rege, de quo vide aliquid infrà in verbo *Paſcere.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LUZA, civ. Chananææ in tribu Benjamin. Joſ. *c.* 18. *v.* 13. quæ & *Beth-el.* Gen. *c.* 28. *v.* 19. & *c.* 35. *v.* 6. Altera quæ cecidit in ſortem filiorum Joſeph. Joſ. *c.* 16. *v.* 2. Tertia Chitthæorum in Tr. Ephraim. Judic. *c.* 1. *v.* 23. & 26.

LUZELSTENIIUM, caſtrum Germ. in Auſtraſia, caput Comitatûs cogn. Vide ſuprà *Lucelſtenium.*

LYÆUS, unum ex Liberi patris cognominibus παρὰ τὸ λύειν, quod vino mentes & curæ ſolvantur. Horat. *Epod. Ode.* 9. ſub calcem.

Curam metumque Cæſaris rerum juvat
Dulce Lyæo *ſolvere.* ———

Petron. Edit. Gonſali de Salas *p.* 84. Edit. Boſch. *c.* 98. *Aniculæ quamvis ſolutæ mero.* Iterum Edit. Gonſali de Salas *p.* 22. Edit. Boſch. *c.* 39. *Namque quùm ſolutus mero amiſiſſem ebrias manus.*

Oppian. 4. Κυνηγ:

——— Ὑπὸ λυσιπόνῳ Διονύσῳ.

Ovid. *de arte Am. l.* 3. *v.* 745.

Turpe jacens mulier multo madefacta Lyæo.

Forſan & huc referendum Propertianum illud *l* 3. *Eleg.* 5. *v.* 21.

Me juvat & multo mentem vincire Lyæo.
Et caput in verna ſemper habere roſa.

Nic. Lloyd.

LYBIA, opp. Hiſp. Tarrac. inter Calagurim & Segiſamunclum, 20. mill. paſſ. a Virolceva, Calagurim verſus. *Anton.*

LYBUM, Cœleſyriæ urbs inter Damaſcum, & Laodiceam. *Idem.*

LYCABETUS, Atticæ mons, Athenis proximus, Hymettoque finitimus. Vide *Ranas* Ariſtoph. *Act.* 4. *Sc.* 2. Stat. *Theb. l.* 12. *v.* 621.

Vitibus, & pingui melior Lycabetus *oliva.*

Plin. *l.* 4. *c. c.* 7. Strabo, *l.* 9. *p.* 399. ſ. *Lycabettus*, à quo monte Phainus & Meto ſtellarum motus ſpeculari ſolebant. Salmaſ. *ad Solin. p.* 742. Vide quoque infrà *Parapegma.*

LYCÆDIUM, ſ. *Cycladum ſinus*, ad Boſphorum Thrac. in ora Bithyniæ, inter Ciconium & Lembum prom. hodie *Manolius ſinus*, P. Gyllio. Satis parvus, 6. mill. paſſ. à Chryſopoli in Cæc. prope Neocaſtrum Aſiaticum.

LYCÆA, urbs Arcadiæ, Pauſ. *Lycætha* etiam *Steph.*

LYCÆUM, gymnaſium Athenis celebre, Suid. Unde hodieque Academiæ & ſacræ Muſarum ſedes *Lycæa* dicuntur.

LYCÆUS, Apollinis cogn. *Steph.*

LYCÆUS, Arcadiæ mons, Jovi ſacer, teſte Pauſ. *in Arcadicis*, olim etiam Olympus ἱερὰ κορυφὴ, i. e. *ſacer vertex* ab incolis appellatus, quòd Jovem ibi educatum exiſtimarent. In hoc monte Jovis Lycæi ara fuit à Lycaone Pelaſgi fil. primùm conſecrata, quam cùm poſteà mactati pueri ſanguine reſperſiſſet, in lupum dicitur eſſe transformatus. Conſtat tamen montem hunc etiam Pani ſacrum fuiſſe. Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 16.

Ipſe nemus patrium linquens, ſaltuſque Lycæi.
Pan ovium cuſtos. ———

Hinc etiam Pan *Lycæus* paſſim à poëtis dicitur. Idem *Æn. l.* 8. *v.* 343.

——— *Gelidâ monſtat ſub rupe Lupercal,*
Parrhaſio dictum Panos de more Lycœi.

Inde *Lycæa* ſacra in honorem Panos fieri, in hoc monte, ſolita, quæ poſteà ab Euandro in Larium tranſlata, Lupercalia dicta ſunt. Nic. Lloyd. Claud. *in* 2. *Conſ. Stilich. Carm.* 24. *v.* 249. Ovid. *Met. l.* 1. *v.* 217. Strabo *l.* 8. *p.* 348. Plin. *l.* 4. *c.* 6. Stat. *Theb. l.* 9. *v.*

LYCAMBES, Neobules pater, qui cùm filiam ſuam Archilocho poëtæ deſpondiſſet, poſteàque pœnitentiâ ductus non tradidiſſet, tam acerbo carmine ab eo eſt perſtrictus, ut unà cum filia laqueo vitam finierit. Horat. *Epod.* Ode. 6. *v.* XI. & ſeqq.

— *namque in malos aſperrimus*
Parata tollo cornua,
Qualis Lycambæ *ſpretus infido gener,*
Aut acer hoſtis Bupalo.

Hinc *Lycambeus.* Ovid. *in Ibin. v.* 52.

Tincta Lycambeo *ſanguine tela dabit.*

LYCANTHROPIA, Græca vox, morbum notat, à copia atræ bilis proficiſcentem, quo ita homninum depravatur phantaſia, ut lupi ſibi videantur; aliqui etiam lupino more, oves vel homines, invadere ſtudeant, vide Æginetam *l.* 3. *c.* 16. & Aëtium, *l.* 6. *c.* 10. Talem ſe credidit pater Præſtantii, apud B. Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 18. *c.* 8. Item Boruſſus ille, de quo Georg. Sabinus *in Ovid. Met. l.* 7. Præterea alius Joh. Ewichio *l. de Nat. ſag.* memoratus; qui, cum ſibi lupus videretur, ſub fœnum ſe recipiebat & à ruſticis nimis credulis jam cœperat excoriari, avidis cognoſcere, an non quia λυκάνθρωποι dicantur (vide Plin. *l.* 8. *c.* 22.) pellem vertere, pilos interiùs haberet. Imò & hinc error dimanavit ad alios, etiam ſupra vulgus ſentientes. Nam & Lactantius, de animis impiorum ſaltem id ſenſiſſe videtur, ut in quos poteſtatem habeat ſpiritus malignus, unde in Arte magica verti poſſint in lupos. Cujuſmodi converſionem non ſolùm agnoſcunt, Virg. *Ecl.* 9. & poëtarum alii: ſed Plin. quoque *l.* 8. *c.* 22. Sed parùm ad rem facit, pii ne an impii ſint, quorum animæ in beſtias, ex priſca Pythagoræorum diſciplina, tranſeant. Omnino enim, ut ex perfecto animali aliud fiat animal perfectum, longè exſuperat vim creatam: quodque Deus creaturis omnibus negavit, id non abſque impietate illis adſcribitur. Nec obſtat confeſſio propria eorum, qui ſe *lupos* prædicant: Namque & morbo hoc tribuendum, uti dictum: nec pertinaciter inficias ivero, Spiritus malignos, ubi vident ſe nanciſci decipi idoneos (ut ferè ſunt atrâ bile laborantes) forma interdum lupi apparere; vel veros excitare lupos, qui oves dilanient, aut alia dent damna: interea verò in melancholicis illis, ſomno ſopitis, ſic phantaſiam dirigere, ut hi omnia ſibi agere videantur, quæ faciunt lupi, aut dæmones formâ lupi adſumptâ. Etiam hoc dari poteſt, quandoque homines ipſos in dilaniatione ovium eſſe præſentes: quæ vulnera ſint inflicta lupis, ea illis poſtea compareant corporis humani partibus ac locis, quæ lupinis reſpondeant. Ut dicendum videatur, homines à Dæmone lupinâ pelle circumveſtiri, aut ex aëre non abſimile quid circumfundi, perque pellem lupinam, ſic membris adaptatam, aut per aëream ſpeciem facilè cedentem, ita ictus penetrare, ut reapſe iis locis ferro vulnerentur. Vel, ſi hoc durius creditu eſt, ſaltem, dum à Dæmone, vel lupis veris, iſta fiunt inter pecudes; mali ſpiritûs alto ſopitis ſomno vulnera ſimilia infligunt domi, quæ hi foris credunt accepta, quia, quæ foris fierent, in phantaſia à Dæmone repræſentarentur domi. Utcunque iſtorum placuerit, extra controverſiam poni debet, nec animas humanas in corpora migrare lupina, nec humana corpora in lupina converti. Quæ objectantur, de Nabuchodonoſoro, ex Dan. *c.* 4. *v.* 25. 32. & 33. ac *c.* 5. *v.* 21. non tam ſignificant, feram factam quàm ita efferatum ut in figura humana feræ eſſet ſimilis, temperamento immutato, corrupta imaginativa, ſic ut morbo, eoque *Lycanthropiæ* non abſimili, quadrupes ſibi videretur, atque ejus inſtar, humani fugiens conſortii, manibus & pedibus inter feras diu noctuque ſub dio reptaret, gramine etiam veſceretur, pilis & unguibus inhorreſceret, nec loqueretur, ſed potiùs incondito ſtrideret ſono: Quo modo Rupertus Tuicenſis Prophetam interpretatus eſt *de Victor. Verbi Dei l.* 6. *c. ult.* Ac ſententiam hanc etiam admittunt, quæ de eo legas apud Greg. Mag. *in Hiob. l.* 5. *c.* 6. Ubi priùs inquit, *in irrationale animal verſus eſt.* Subjicit autem, *Quem communem cum hominibus habuit, ſenſum hominis amiſit.* Planeque repudianda eſt ſententia, quam Flavio Joſepho, ſed perperam, tribuunt Nicolaus Lyranus & Dionyſ. Carthuſian. Item quæ de ipſo legere eſt, apud Dorotheum Tyrium *in Synopſ. de vitis ac morte Prophetarum & Apoſtol.* ſed ſuppoſititium Scriptorem, judicio etiam Molani, Bellarmini, Poſſevini: fortaſſe Dorotheum Abbatem Rom. ut viſum Baronio *ad Martyrol. Rom.* Legitur quidem idem apud Epiph. *in vita Danielis*: Sed nec opuſculum iſtud, de Prophetarum vita ac interitu, magno illo Salaminis apud Cyprios Epiſcopo ſatis dignum. Multa adeò ex Talmudinis hauſit incerta, imò falſa: nec ejus libelli meminit Theologorum Vett. quiſpiam, vide Gerh. Joh. Voſſ. *de orig.* & *progr. Idol. l.* 3. *c.* 41.

LYCAON, Arcadiæ Rex, Pelaſgi fil. quem Jupiter, quod aram ſuam, in Lycæo monte, mactati pueri ſanguine reſperſiſſet, in lupum mutavit. Pauſ. *in Arcadicis.* Ovid. tamen *Met. l.* 1. *v.* 198. & 221. aliam tradit transformationis hujus cauſam, quæ ſic ſe habet: Jupiter aliquando, cùm multa de humani generis impietate inaudiſſet, neque tamen omnia crederet, ut rem omnem certiùs exploraret, relicto celo in terram deſcendit, aliquotque regionibus peragratis, tandem ſub noctem in Arcadiam pervenit, ad Lycaonis regiam. Ubi cùm ſe Deum eſſe ſignificâſſet, vulguſque ſe ad ſacrificia accingeret, irridens credulitatem eorum Lycaon, eâ ipsâ nocte periculum ſe facturum dixit, Deumne an mortalem hoſpitio ſuſcepiſſet, conatuſque eſt noctu dormientem interimere. Quod cùm fruſtra tentâſſet, aliâ ratione rem aggreſſus eſt. Habebat obſides à Moloſſorum gente ad ſe miſſos, horum unum jugulavit: partimque aſſum, partimque elixum Jovi epulandum appoſuit. Cujus rei immanitate indignatus Jupiter, regiam tyranni immiſſo fulmine excuſſit, ipſumque in ſylvas fugientem in lupum transformavit. Monetur fabulâ, cui fortè à Nabuchodonoſoris Hiſtoria occaſio, quæ pœna impietatem cum ſævitia conjunctam maneat. Eundem tamen templorum inventorem, ſtatuit Jul. Hygin. *Fab.* 225. Vide Blond. Flav. *l. triumphantis Romæ c.* 1. Hinc *Lycaonius.* ut *axis Lycaonius*, i. e. Urſa major, in quam Calliſto Lycaonis filia creditur transformata. Ovid. *Triſt. l.* 3. *Eleg.* 2. *v.* 2.

Quæque Lycaonio *terra ſub axe jacet.*

Idem *Met. l.* 1. *v.* 165.

Fœda Lycaoniæ *referens convivia menſæ*

Claud. *de Bell. Getic. Carm.* 26. *v.* 246. P. Mela *l.* 1. *c.* 2. Stat. *Theb. l.* XI. *v.* 128. It. Nelei fil. & Neſtoris frater, quem Hercules expugnato Pylo occidit. Alius Priami fil. ab Achille Occiſus. Item Gnoſius faber, & artifex enſis, quem Aſcanius dedit Euryalo. Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 304. *Nic. Lloyd.*

LYCAON, Indici lupi genus verſipelle, de quo vide Plin. *l.* 8. *c.* 34. & *Salmaſ. ad Solin.*

LYCAONIA, regio Aſiæ, Cappodociæ pars, in Auſtr. Ciliciam verſùs ab ea Tauro monte diviſa, inter Iſauriam ad Occ. & Armeniam min. ad Ort. cujus metropolis eſt Iconium, à qua hodie reg. *Cogni* nominatur. Pop. *Lycaonii*, apud quos onagrorum copia eſt, ſicut & apud Steph. totam Arcadiam olim *Lycaoniam* dictam ſcribit. Eſt & Phrygiæ minoris urbs. Item inſ. Tiberis, Romæ, vulgò *Iſola di S. Bartholomeo*, ab æde ei ſacra. Liv. *l.* 37. *c.* 56. & *l.* 38. *c.* 38. Plin. *l.* 5. *c.* 27. & 29. Strabo *l.* 12. *p.* 437, 539, 566, 568. & *l.* 14. *p.* 663. Stat. *Theb. l.* 3. *v.* 480. Juſtin. *l.* 37. *c.* 1. Curt. *l.* 4. *c.* 5. Act. *c.* 14. *v.* 6. Dion. Halic. *l.* 2. *p.* 77.

LYCAPSUS, vicus prope Lydiam. Steph.

LYCAS, canis venaticæ nomen, in *Epigr.* Simonidis apud Pollucem,

Σεῦ καὶ φθιμένας λεῦκ' ὀστέα τῷ δ' ἐνὶ τύμβῳ.
Ἴσκω ἔτι τρομέειν, θῆρας, ἄγρωστα Λυκάς.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LYCASTE, filia Priami ex concubina, cujus amore flagrans Polydamas, Antenoris & Theanûs ſororis Hecubæ fil. eam uxorem duxit. Item *Lycaſte*, meretrix nobilis apud Drepanum Siciliæ urbem, ob formæ excellentiam Venus appellata, quæ cùm Buten Amyci Bebryciorum Regis fil. hoſpitio excepiſſet, ejus concubitu uſa, Erycen ei peperit; quo factum eſt, ut apud poſteros creditum fuerit, Buten ex Venere Erycen genuiſſe.

LYCASTOS, urbs Cretæ, quæ jam interiit Strabonis tempore, apud Dictæum mont. à *Lycaſte* nympha, cujus meminit Claud. de laud. Stilich. *l.* 2. Carm. 24. *v.*252. & 276.

> —— *Mecum Dictæa* Lycaſte.

Alii à luporum multitudine ſic dictam volunt. Hom.

> Λύκλον, Μίλητόν τε καὶ ἀργινόεντα Λύκαστον.

Plin. *l.* 4. *c.* 12. Strabo *l.* 10. *p.* 479. P. Mela *l.* 2. *c.* 7.

LYCASTRIS, fluv. Coæ Inſ. in mari Ægæo, à quo Lyca civ. Inſ. dicta fuit. *Vib. Sequeſter.*

LYCASTUM, Cappadociæ urbs. Plin. *l.* 6. *c.* 3. *Docaſtelli* Nigro. Erat autem apud Halym fluv. teſte P. Mela, *l.* 1. *c.* 19. in Paphlagoniæ conf. *Lycaſtia* Apollonio: *Lycaſtrum* quibuſd. Opp. fuit Baudr. prope oram Ponti Euxini, & ſinûs Amiſeni, 15. mill. paſſ. ab Amiſo in Ort. & 40. à Themiſcyri in Occ. ſed vix 10. ab oſtio Iridis fluv. in Occ. 30. ab oſtio Halis in Ort.

LYCASTUS, Minois I. Cretenſium Regis fil. pater fuit Minois II. qui Deucalionem genuit, Idomenſi Homerico carmine celebrati patrem, Joh. Marsham. *Canone Chron. Sec. X.* ubi *de Minoe*.

LYCE, una ex præcipuis Amazonibus, quæ Æëtæ Colchorum Regi, contra Perſen, auxilium tulêrunt, vulnerata in ſiniſtra parte pectoris à Geſandro. Val. Flacc. *Argon. l.* 6. *v.* 374.

> *Heu pudor: inde* Lycen *ſcrit ad confine papillæ.*

LYCEAS, Naucratita, Αἰγυπτιακὰ conſignavit, ut cognoſcimus ex Athen. *l.* 11. *p.* 611. Meminit & *Lyceæ* Plin. in Elencho eorum, quos ſequitur *l.* 36.

LYCES, Macedoniæ urbs fuit, ad Bevum fluv. Liv. *l.* 31. *c.* 33.

LYCES, fluv. Scythiæ Eur. Vide *Lycus.* Herod. *l.* 7. *c.* 30. & 123.

LYCEUM, gymnaſium celeberrimum juxta Athenas, à Piſiſtrato vel Pericle extructum, in quo Ariſtoteles frequentiſſimo auditorio Philoſophiam profitebatur, quemadmodum Plato in Academia. Cic. 1. *Acad. Qui erant cum Ariſtotele, Peripatetici dicti ſunt, quia diſputabant inambulantes in Lyceo.* Idem *alibi*:

> *Inquè Academia umbrifera nitidoque* Lycæo.
> *Fudêrunt claras divini pectoris artes.*

Pauſ. templum Apollinis fuiſſe ait, à Lyco, Pandionis fil. ſubſtructum, *in Attic.* Vide Meurſ. *l.* 2. *c.* 3. *Athen. Att.* Item Lyceum gymnaſium Cic. in fundo Tuſculano, à nomine Scholæ Ariſtotelicæ ita dictum. Cic. *Acad. Queſt. l.* 1. *Nuper cùm eſſem cum Qu. Fratre in Tuſculano diſputatum eſt. Nam cùm ambulandi causâ in* Lyceum *veniſſemus (id enim ſuperiori gymnaſio nomen eſt) perlegi, inquit, ille, tuum paulo ante tertium de Natura Deorum.* Nic. Lloyd. Strabo, *l.* 9. *p.* 396. Liv. *l.* 31. *c.* 24.

LYCHNIDUS, urbs Illyriæ. It. parva regio Armeniæ. Steph. It. *Lychnidus*, vel *Lychnidion* urbs Archiepiſcopal. Macedoniæ, quæ & *Juſtiniana prima*, poſtea *Achridus*: *Ochrida* Sophiano, Turcis *Guiſtandil*, inter Dyrrachium ad Occ. 70 ac Theſſalonicam in Ort. ſuprà 130. mill. paſſ. It. lacus ejuſdem nominis ibidem, quem Liv. *l.* 44. *c.* 2. *Aſcuridem* appellare videtur. Begorritim lacum hoc tractu habet, ſed an idem ſit, viderint peritiores.

LYCHNIS vel **LYCHNITES** gemma, memoratur Luciano in *Syria Dea* Λίθον ἐπὶ τῇ κεφαλῇ φορέει, λυχνὶς καλέεται ---- Ἀπὸ τούτου ἐν νυκτὶ σέλας πολλὸν ἀπολάμπεται ὑπὸ δέ οἱ καὶ ὁ νηὸς ἅπας οἷον ὑπὸ λύχνοισι φαίνεται· ἐν ἡμέρῃ δὲ τὸ μὲν φέγγος ἀσθενέει, ἰδέην δὲ ἔχει κάρτα πυρώδεα, *Gemmam in capite gerit, quæ* lychnis *vocatur. Nomen autem ex effectu ſortita eſt. Ab ea enim noctu multus fulgor coruſcat, unde tota ædes tanquam lucernis collucet* &c. Cui ſimile quid de lapide *dara*, ſcribunt Talmudici *in tr. Megilla c.* 1. *p.* 12. *a Samuel dixit lapidem eſſe pretioſum ---- in maritimis arcibus, qui, ſi in medio cœnaculo conſtituatur, lucem præbet accumbentibus.* Hinc Dion. Periegetes *v.* 329. πυρὸς φλογὶ πάμπαν ὁμοίην, *ignis flammæ omninò ſimilem*, hanc gemmam facit, & Piſidas, de mundi opificio loquens, poſtquam cœlum ſtellis, tanquam margaritis, ornatum eſſe dixit, addit, Solem & Lunam, velut *lychnitas* in cœnaculo, illum diurnum lumen, iſtam nocturnum inferre. Si de ciconia ſcribit Philoſtrat. *in Apollonio l.* 2. *c.* 7. *Lychnitem* in nidum ſuum, tanquam facem, inferre. Unde dubium non eſt, quin de hoc eodem lapide ſit accipiendum, quod ab Æliano narratur *var. Hiſt. l.* 8. *c.* 22. ciconiam, cujus crus fractum Tarentina mulier obligaverat & ſanaverat, accepti beneficii memorem, Anno ſequente in ejus ſinum lapidem conjeciſſe, cujus fulgore noctu ſplendebat domus, ὡς εἰσκομισθείσης δᾳδὸς, *tanquam illatâ face.* Videtur de hoc ipſo lapide cogitâſſe Kimchius, cum ſcripſit *ad Ezech. c.* 28. *v.* 14. *Tyri Regem noctu ambulâſſe, in medio gemmarum & lapidum ardentium --- quos ante eum deferebant, ut loco facium eſſent, & noctu lumen præſtarent.* Nec alio referenda, quæ de corona Imp. in palatio Blachernis, & gemmis in ea fulgentibus, tradit Benjamin *itin. p.* 26. Barbarique Scriptores, qui *orphanum* hanc gemmam vocant, quòd nunquam alibi, quàm in corona Imp. reperiatur, uti ſcribit Pandectarius ex Alberto, qui ex Evace. Cardan *l. de gemm. Orphanus colore purpureo adeò eximio, ut referant parem non inventum: Lucet autem in tenebris. Hodie haberi à Regibus Camanæ emporii Indiæ extra Gangem, quam urbem nunc Çalechutam vocant, dicitur à pluribus. Honores Regios eo ſervari putant. Sunt qui pyropum eſſe velint, Alii album radios igneos emittentem* &c. Alii opali ſpeciem eſſe dicunt. Noctu capi ſ. colligi, in Pſelli *l. de lapidib.* legimus, ubi Lychnitem νυκτάλωπον vocat, quia, cum noctu multùm luceat, ad diei lumen hebeſcit ac proinde non reperitur, uti ex Luciano diſcimus *l. c.* Inſeri autem laquearibus conſuevit, ut inde lumen undiquaque diffundat; quò referas Servatoris, illud, cùm λύχνον dicit, *non poni ſubter modium ſed in candelabrum, & ſplendet omnibus, qui ſunt in domo*, Matth. *c.* 5. *v.* 15. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poſt. l.* 5. *c.* 8. & Salmaſ. *ad Solin. paſſim.*

LYCHNITIS, Armeniæ maj. palus. Steph. *Exſechia* vulgò ex tab. recent. Armeniæ regio quoque eſt.

LYCHNOS, locus Ægypti, circa Peluſium videtur, apud D. Hier. *in vita Hilar.*

LYCHNUCHUS, ex Græco λυχνοῦχος, inſtrumentum eſt, cui lucerna ſ. lychnus aptatur, ſicut candelabrum, cui candela: In uſu domi, Cic. *hanc ſcripſi ad lychnuchum ligneolum.* Vide quoque ſuprà *Lucubratio.* Et cùm foràs prodirent, vide Athen. pro quo obeliſcolychnion tuliſse milites, docet ex Ariſtot. Caſaub. *ad Jul. Suet. c.* 31. & 37. In ſacris inprimis: Moris enim fuit priſci, ut Caſaub. ex Plin. *l.* 34. *c.* 3. obſervat, delubra *lychnuchis penſilibus* ornare. Sic autem is: *Placuêre & lychnuchi pènſiles in delubris, aut arborum modo mala ferentium lucentes: qualis eſt in templo Apollinis Palatini, quod Alex. Mag. Thebarum expugnatione captum in Cyme dicaverat eidem Deo.* Ubi ſimul aliquot *Lychnuchorum vett.* formas nobis ingerit. Quemadmodum Stat. *de Lychnucho*, Amphitheatrum illuminante, ei multas faces aut funalia plurima in orbem, coronæ inſtar diſtributa, adſcribit, *l.* 1. *Sylv.* 6. *v.* 85. & ſeqq.

> *Vixdum cœrula nox ſubibat orbem,*
> *Deſcendit mediâ nitens arenâ*
> *Denſas* flammeus orbis *inter umbras,*
> *Vincens Gnoſiacæ facem coronæ.*

Vide de Spectaculis in noctem continuatis J. Cæſ. Bulenger. *de Theatro l.* 1. *c.* 49. Et de *Lychnuchis* Alcioni, eos ad humanam formam effigiatos, fingit Homer. *Odyſſ.* η. ubi de convivio Regio, qualia in noctem prolata *ad lychnuchos* & lampades, apud reliquos etiam poëtas, ſæpe occurrunt. Dioniſium vero Jun. in Tarentinorum Curia candelabrum poſuiſse, in quo tot arderent lucernæ, quot dies Anni ſunt, referre ex Euphorione Athæn. *l.* 15. *c.* 19. in textu eſt, λυχνοῦχον ἀνέθηκε. Ante omnes verò memorabilis eſt *Lychnuchus aureus*, in Tabernaculo Vet. Teſt. qui ad Auſtralem ejus partem, in Sanctuario, collocatus, ſeptem lampades ſeptenis brachiis ſuſtinebat: quæ à Sacerdotibus ſub veſperam accenſæ oleoque puriſſimo nutritæ, totâ nocte in templo ardebant, Exodi *c.* 25. *v.* 31, 32, 33, 34, 35, 36, & 37. & *c.* 27. *v.* 20. & 21. Deſignabat is partim Chriſtum, à quo ſolo Mundi & Eccl. lux eſt, Joh. *c.* 8. *v.* 12. partim Eccl. quæ inſtar *aurei candelabri* Apoc. *c.* 2. *v.* 1. & quidem una, in VII. periodis per miniſterium ſuum Verbi Dei lucem huic mundo præfert. Auro ſuo, lucis hujus dignitatem, vividumque ac æternum fulgorem pingebat: Oleum exprimebat Spiritus S. dona: Lampades, rami ac calyces varii, donorum Spiritualium ubertatem & varietatem teſtabantur: Sacerdotum denique miniſterium, in illis ſub veſperam accendendis, Chriſti & miniſtrorum ejus ſignificabat curam, qui Eccl. ſuæ perpetuam incubare noctem non ſinit &c. Franc. Burmann. *Synopſi Theol. Chriſt. l.* 4. *c.* 14. §. 9. & 10. Vide quoque Fort. Licet. *de Lucernis Antiqq. l.* 6. *c.* 112. & ſuprà in voce *Candelabrum.* Addo ſaltem, quòd *Lychnuchi* fuêre primitus è teſta. Unde Auſ. *Eidyll.* 6. *in Cupidine cruci affixo, v.* 22.

> —— *Fert fumida teſtâ*
> *Lumina Seſtiaca præceps de rupe puella.*

Dein è ligno, quali Cic. uſum legimus. E' pelle, vide ſuprà, ubi de *Lucernis.* Ex ære porrò qualis *Lychnuchus* aſſervatur, in P. Petavii in Curia Paris. Conſiliarii cimeliis. Ex auro tandem & argento, poſtquam ſc. luxus invaluit &c. Plura hîc paſſim.

ad **LYCHNUM**, dicebatur apud Rom. qui aliàs *ad Funale, ad Laternam, Lampadophorus* & *Tædiger* appellatus eſt. Nempe, qui præcinctus lumbos & *lychnos* ferens, dominum domi præſtolabatur, à cœna revertentem: Vide ſuprà in voce, *Funalia.*

LYCHNUS, apud Mart. *l.* 4. *Epigr.* 90. cujus Epigraphe de ruſticatione. *v.* 8.

> *Dum parvus* lychnus *modicum conſumat olivi;*

ex Græco λύχνος, *lucerna* eſt. Aliàs Luctat. Placid. Grammaticus, *ad Stat. Theb. l.* 1. *v.* 520.

> *Aſt alii tenebras & opacam vincere noctem*
> *Agreſſi, tendunt auratis vincula* lychnis:

ſubtiliùs diſtinguens, privatorum uſibus *Lucernas*; Principum *Lychnos* attribuit. Apud Lucret. *de Rer. Nat. l.* 5. cùm ait, *v.* 295. & ſeqq.

> *Quin etiam nocturna tibi terreſtria quæ ſunt*
> *Lumina, pendentes* Lychni, *claraque coruſcis*
> *Fulguribus pingues multâ caligine tædæ;*

Lychni à tædis: & apud Paulinum Ep. *D. Felicis Natali* 6.

> *Aſt alii pictis accendunt lumina ceris,*
> *Multiforeſque cavis* Lychnos *laquearibus aptant:*

iidem à cereis, clarè diſtinguuntur; utpote in quibus nec cera, nec ſevum, nec pix, ſed oleum ſolum ardet. C. Plin. extat apud Serv. *loc. ad Georg. l.* 1. *v.* 391. & ſeqq.

Nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Nec noctùrna quidem carpentes penſa puellæ
Neſcivêre hyemem, teſta cum ardente viderent
Scintillare oleum.

Horum itaque uſus mortalibus fuit, ante funalia, candelas & faces. Generali nomine *lumen* dicti Iſid. *l.* 17. *c.* 8. Quorum ut alios uſus taceam, hîc ſaltem moneo, ex Dempſtero: *Ignem Imperatoribus in Lucernis ſ.* Lychnis *prælatum eſſe.* Qua de re inſignis locus eſt, apud Corippum Africanum, de Juſtino Principe, in ludos Circenſes prodeunte, *l.* 2. *n.* 8.

——— ——— *Prænuntius antè*
Signa dedit Curſor, poſitâ de more lucernâ.

Signum ergo illud erat, Cæſarem adventare, quoties curſores *lucernas* prætuliſſent, quas in circo ſtatuebant, veluti ſacræ & non violandæ Majeſtatis indicium. *Lychnos* autem Vett. non extinguebant, ſed ſponte ſinebant langueſcere. Petr. Arbiter *Edit. Gonſali de Salas p.* 12. *Edit. Boſch c.* 22. *Lucernæ quoque humore defectæ, tenue & extremum lumen ſpargebant.* Quo ritu accenſi ſint *lychni* feſtis diebus olim, ac coronati, & ante oſtia in propatulo conſtituti, ut & plura hanc in rem, vide apud Thom. Dempſter. *Paralip. ad Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.*1. *ad reg.* 11. &c. Hujuſmodi *Lychnorum* conficiendorum miraculoſa quædam ratio, innui nonnullis videtur verbis Prud. *Hymn.* 5. καθημερινῶν, qui eſt *ad incenſum Lucernæ*, cùm ait. *v.* 20. *& ſeqq.*

Seu caram teretem ſtuppa calens bibit.
Nectar de liquido vertice fervidum
Guttatim lacrymis ſtillat olentibus,
Ambuſtum quoniam vis facit ignea
Imbrem de madido flere cacumine.

Hîc enim Vir doctus jubet notare veterem & diverſam à noſtra *Lychnorum* conficiendorum rationem, quæ tam vivè vereque in nullo alio antiquitatis loco deſcripta reperiatur. Confectionem eam fuiſſe talem, ut ignis ſuperpendentem ceram aut oleum calefaciendo redderet liquidum, quod guttatim perfabrè appoſitum foramen anguſtiæ convenientis deſtillans aleret flammam eam quæ ipſa ſibi pabulum ita quæreret. Sed ubi accenderit ingenioſus Inventor ignem tam ſapientem, ut ex impendente liquefacta cera non plus petat, quam quo alatur; ubi ceram adhibuerit tam diligentem, ut lapſus ſuos diſpenſet, nec largior cadat, quàm ſit utile igni; vas contruxerit ſuperius ex quavis materia, tam ſcito foramine, ut non plus ceræ demittat, quàm inferiori ad lumen paſcendum ſit neceſſarium: ubi, inquam, hæc omnia fecerit, oſtenderitque rerum Naturam pati, quod ipſe apud animum ſuum inſtituit; rogabimus, ut alibi, & tanquam propriè ſuum, calidiſſimum hoc inventum venditet. Nec verebitur iſtius ſoricis inventum: *Tuum hoc erat? vetus credidi.* Per Prudentium quidem: qui nihil aliud canit, quam quod videmus quotidie in cereis aut ſebaceis noſtris. Cùm incenſi ſunt, *de liquido vertice* (nam in ſummo accenduntur, quodque lumini proximum, ejus calore liquitur & liquefactum ducitur *a ſtuppa ardente*) *ſtillare guttatim fervidum nectar*, ſ. defluere ab hoc latere identidem guttulas ceræ calidæ & reſolutæ aut ſevi: tum vid. cùm lequefactum eſt plus, quàm trahendo in altum bibere poteſt ardens ſtuppa: primùm enim in umbonem collecta atque intumeſcens in medio materies liquida aliquandiu conſtat; dein, velut obice perrupto, quâ datâ portâ, ruit & candelabra, digitos, quocumque ſuſtinetur, oblinit. Rectè autem membranæ *olentibus*: Non quia odores adderentur, ut fragranti oleo jucundior uſus foret; nihil enim hîc de oleo, totum de cereis eſt, nihil de odoramentis. Sed quia ipſæ lacrymæ cujuſvis ceræ, ipſi incenſi cerei ſine accenſione aliorum odorum, odorem olent non ingratum. Paulin. *Natali* 3. *Felicis*,

Clara coronantur denſis altaria Lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris.

Nam quæ Prud. *ſtuppa*, Paulino *papyrus*, *Natali* 7.

Ut ſpirante foris aurâ depelleret æſtum,
Quem fumoſa dabat ceratis cella papyris.

Serv. *ad l.* 1. *Æn. v.* 731. Funalia dicta à funibus, quos ante uſum papyri cerâ circumdatos habuêre *Majores*. Alcimus Avitus, de fatuis Virginibus *in Parabol.*

Sed virtute carens languentem lampada fervor
Deſerit, & ſiccam percurrit flamma papyrum.

Paulinus alter, de vita S. Martini *l.* 5.

Aſt alii deferre faces, atque unguine multo
Inficere in longum contextæ fila papyri,
Non ut diſcuſſas lux vinceret illa tenebras.

Aldhelmus de Lampade,

Jamque latex lucens flammas paſcebat edaces.
Papyrus in medio radiabat lumina centro,
Clariùs & multo, quàm fomes pinguis olivi,
Aut certè in vitro ſplendens arvina ſcrotæ.

Ita & membranæ Oxonienſes: nec erat, cur verſum mutilum daret Caniſius, aut Spondaicum timeret: Margo habet: SINEREsIS. Videtur voluiſſe *diæreſis*, ut fuerit *ſcroſai*. Idem *Papyrum* mediâ correptâ repetit inferius: *ceu viridi lenteſcit papyrus amne.* At *ſcroſæ arvina* ſuillus adeps, qui tamen hodie pretioſior & in cibis eſt. Proſa: *Ut latex lucernarum fundibulis infuſus in olei craſſitudinem verteretur, & papyrus in centro poſitus, velut fomes, arvinâ vel ſevo madefactus, ſolito clariùs luceſceret.* Ut bene correxit Meurſ. Quam lampadem priùs, mox *ſebalem facem* dicit Amm. Marcell. *l.* 18. *c.* 6. *Vet. Epigr.*

Lenta paludigenam veſtivit cera papyrum,
Lumini ut accenſo dent alimento ſimul.

Et aliud:

Ut devota piis clareſcant lumina templis,
Niliacam texit cerea ſamna budam,
Congrua vetiferæ ſubmittit pabula flammæ,
Quæ caſtis apibus præbuit ante domos.

Nam *buda* hîc eadem, quæ illic *papyrus*, vel *ſtuppa*. Porrò in Prud. *ambuſtum* intellige, quem dixerat *verticem*. Poſteriores duo verſus idem ferme dicunt, quod priores: nempe, vim igneam ſtuppæ incenſæ facere, ut vertex ambuſtus fleat imbrem ſive guttas illas deſtillantes de cacumine madido & liquefacto per ignem luminis. Quò igitur *arbuſtum*, ut nonnulli legunt? quò *vorticem* cum ſtagno impendentis humoris? quo *nubem*? *Imber* eſt guttarum ſive lacrymarum ceræ liquefactæ, ut oculorum imber dicitur genis defluens: & utrumque imbrem rectè dicitur *fleri*. At quis audivit, *fleri nubem.* Etenim activum ponit, *flere*, ut ὡς σιφ. *Hymno* 14. *v.* 704.

Tenui rubebant ſanguine uda vimina,
Quem plaga flerat roſcidus livoribus.

Propter nempe vim igneam, ambuſtus ille vertex ſive ſummitas cerei flet imbrem guttarum, Joh. Frid. Gronov. *Obſerv. in Eccl. c.* 5. Cæterùm *de Lucernis Vet.* diximus affatim ſuprà. Hinc *Lychnobii* dicti, voce itidem Græcâ, nepotes convivia in multam noctem, aliquando in alterum Solem, producere ſoliti, Seneca *Ep.* 122. de quibus dicemus plura infrà, ubi de conviviis *Tempeſtivis*.

LYCIA, reg. min. Aſiæ inter Pamphyliam, & Cariam: *Mylias* alias, & *Ogygia* Steph. qui incolas *Tremilos* dictos ſcribit. Unde *Trimilis* reg. apud Liberalem. Aliis *Mylias* fuit ejus pars Bor. olim (ſi poëtarum fabulis credimus) chimæræ monſtri ignibus infeſtata. Cujus fabulæ occaſionem præbuit chimæra ejus reg. mons crebrò ignem eructans. Dicta eſt autem Lycia, à *Lyco* Pandionis fil. Urbem habet Pataram, Apollinis oraculo celebratam. Unde *Patareus Apollo*, apud Horat. *Carm. l.* 3. *Ode* 4. *v.* 64. Et *Lyciæ ſortes* Stat. *Theb. l.* 3. *v.* 475. apud Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 346.

Italiam Lyciæ *juſſere capeſcere ſortes.*

i. e. ſortes Apollinis, qui in Lycia apud Pataram reſponſa edebat. Terminatur à Mer. mari Mediterr. ſ. Lycio, à Sept. Phrygiâ, ab Ortu Pamphyliâ ab Occ. Caria. Nunc *Aidinelli*, ſub Turcis à 3. Seculis. Eſtque pars Caramaniæ latè ſumptæ. Vide Strab. *l.* 2. *p.* 129. & *l.* 14 *p.* 664. Plin. *l.* 5. *c.* 27. Iſid. Caſtald. Cluv. &c. Pop. *Lycii*, qui in luctu, ut citiùs ſtolidum deponerent mœrorem, muliebres veſtes induiſſe leguntur. Eoſdem *Termilas* vocatos etiam Herod. *l.* 1. *c.* 173. ſcribit. Erant autem arte ſagittandi celeberrimi. Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 166.

Ille mihi inſignem pharetram, Lyciaſque *ſagittas*
Diſcedens ———

Idem ibid. *l.* 7. *v.* 816.

——— Lyciam *ut gerat ipſa pharetram.*

Stat. *Theb. l.* 6. *v.* 645.

Cætera plebs Lyciis *gaudet contenta pharetris.*

Sil. Ital. *Punic. Bell. l.* 8. *v.* 495.

——— Lycios *damnant haſtilibus arcus.*

Herod. *l.* 7. *c.* 77. Juſt. *l.* 13. *c.* 4. Curt. *l.* 7. *c.* 10. Ovid. *Met. l.* 6. *v.* 383. Tac. *Ann. l.* 2. *c.* 79. & *l.* 13. *c.* 33. 1. Mach. *c.* 15. *v.* 23. Act. *c.* 27. *v.* 5. It. reg. parva Troadis, juxtà Idam montem, ubi Apollo natus traditur, teſte Strab. ex Hom. *Nic. Lloyd.*

LYCIÆ Caſtrum, à Sultano, cum Tripoli & Ptolemaide dein captum, A. C. 1288. & 1291. P. Æmil. *l.* 8.

LYCIARCHÆ, Græcè Λυκιάρχαι, apud Strab. *l.* 14. *p.* 665. Ἐν δὲ τῷ συνεδρίῳ, πρῶτον μὲν Λυκιάρχης αἱρεῖται, εἶτ᾽ ἄλλαι ἀρχαὶ αἱ τοῦ συστήματος· δικαστήριά τε ἀποδείκνυται κοινῇ. *In concilio primum creatur* Lyciarcha i. e. Lyciæ Princeps *tum reliqui ejus corporis Magiſtratus* &c. Ubi *Synedrion* illud ſive Conc. Lyciæ ex omnibus Lyciacis urbibus compoſitum intelligitur, quæ jus ſuffragii in illo conſeſſu communi habebant; ſic quidem, ut maximæ urbes trium ſuffragiorum poteſtatem obtinerent, mediocres duorum, cæteræ unius. Idem obtinuiſſe videtur in urbibus Aſiæ & Syriæ plures ſimul junctæ corpus unum & σύστημα faciebant, cujus conſeſsûs & ſynedrii princeps erat; qui Ἀσιάρχης & Συριάρχης, adeoque in Lycia Λυκιάρχης dicebatur. Cujuſmodi magiſtratus præcipuè creari ſolebant, ad munera ac ludos edendos in honorem Deorum, quorum & Sacerdotium ſimul capeſſebant:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

adeoque non Sacerdotum tantùm erant Principes aut unius civitatis, ſed conſeſsûs & conſilii totius prov. Primates habebantur & magiſtratum quoque gerebant: unde πρωτεύοντας κατὰ τὴν ἐπαρχίαν eos vocat Strabo, h. e. *provinciæ Principes*. Annui autem creabantur &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 805. ut & in voce *Aſiarcha*, it. infrà *Principes provinciæ*.

LYCIAS, Rhætiæ fluv. Ptol. *Lech* hodiè. Vide *Licus*.

LYCIDAS, Centaurus, unus ex iis, qui Pirithoo Hippodamiam ſponſam eripere conati, à Lapithis ſunt interfecti Ovid. *Met. l.* 12. *v.* 310.

> *At non Eurynomus*, Lycidasque *&* *Aræus*, *&* *Imbreus*
> *Effugêre necem.* ———

Eſt & nomen paſtoris apud Virg. *Ecl.* 9. *v.* 2.

LYCIDE, opp. fuit Myſiæ. Plin. *l.* 5. *c.* 30. Ep. *Lycidenſis* meminit *Marcellinus Comes.*

LYCIMNA, arx erat Peloponneſi, à Nauplia olim 12. ſtadiis diſtans. Strabo *l.* 8. *p.* 373.

LYCIMNIA, amica Horatii *Carm. l.* 2. *Ode* 12. *v.* 13. *& ſeqq.*

> *Me dulces dominæ muſa* Lycymniæ,
> *Cantus, me voluit dicere lucidum,*
> *Fulgentes oculos, & benè mutuis*
> *Fidum pectus amoribus:*

Idem ibid. *v.* 22.

LYCINUS, vide *Amphitheus.*

LYCIORUM Sinus, ad Boſphorum Thrac. P. Gyllio, parvus admodum, prope Mirlæjum opp. in ora Thraciæ, unde dein *portus Mirleanorum* dictus eſt, prope Pontum Eux.

LYCIS, Comicus poëta, ab Ariſtophane tanquam frigidus & ineptus exagitatur. Alibi vocat *Lycum*. Ejus ſuo tempore nihil exſtitiſſe adnotat, Scholiorum *in Ranas Ariſtophanis* autor.

LYCISCA, canis nomen apud Virg. *Ecl.* 3. *v.* 18.

> ——— *Multum latrante* Lyciſcâ.

LYCISCUS, Archon Athenis. Olymp. 109. An. 1. Item Meſſenius quidam, ex Æpytidarum gente, cujus filia cùm ſorte ducta, ſecundùm Oraculi Delphici reſponſum, pro patria immolanda eſſet, bello Meſſeniaco I. dum vates illam populo denuntiat fuiſſe ſuppoſititiam, ipſa cum patre Spartam profugit. Euphae apud Meſſenios regnante. Quare Ariſtodemus filiam ſuam obtulit, ut diximus. Anno dein poſt Lyciſci fugam ſexto, qui fuit An. 2. Olymp. 12. prælio commiſſo Rex vulneratus paulò pòſt Obiit, ac Ariſtodemo locum fecit. Pauſ. *Meſſeniacis.*

LYCIUS, Apollo ἀπὸ τοῦ λύκου, i. e. *à lupo* ſic dictus, quòd ſicut lupi pecora rapiunt; ita Sol humorem haurit radiis. Priſci Græcorum primam lucem, quæ præcedit ſolis ortum, λύκην appellârunt, idque temporis hodiè quoque λυκόφως cognominant: Et Lycii Apollinis oraculum, qui in Lycia maximè clarus fuit, ob luporum interfectionem.

LYCOA, urbs Arcadiæ. Steph. Inde *Lycoanitis* Diana, quæ illic templum habebat. Plin. *l.* 5. *c.* 9.

LYCOMEDES, Scyri inſ. Rex, cui Tethis filium ſuum Achillem, dormiente præceptore ſuo Chirone, clam raptum ſervandum tradidit, ut ibi inter ejuſdem regis filias (erat enim facie venuſtâ, & puellâri, ita ut facilè pro puella ſeſe gereret) muliebri habitu indutus latitaret, ne ad bellum Trojanum, à quo illum non reverſurum eſſe ſciebat, proficiſci cogeretur: apud quem cùm deliteſceret, Deidamiam Regis filiam vitiavit, & ex eo Pyrrhum ſuſcepit. Item *Lycomedes* Creontis fil. Hom. *Il.* 9. Vide Palmerium *ad autores Græcos*, *p.* 429. Strabo *l.* 12. *p.* 560. Stat. *Achill. l.* 1. *v.* 207. & 396. Curt. *in Suppl. l.* 2. *c.* 12.

LYCOMEDES, Mantineenſis, Arcadum Dux, qui dilectis quingentis, mille Spartanos & quingentos Argivorum & Bœotorum exules fudit, Duce Polytropo Occiſo. *Diod. Sic. l.* 15.

LYCOMEDES, Tegeates, qui cùm peculiare corpus ex ſe facere Arcadibus perſuaſiſſet, in magnos motus & calamitates eos conjecit. *Idem ibid.*

LYCOMEDIS, lacus Africæ. Plin. *l.* 5. *c.* 4. *Linxano* Pineto. In Marmaricæ fin. ad Auſtr. *Serta* aliis, nomen etiam regioni tribuens.

LYCOMEDIUS, nomen perſonæ Comicæ, J. C. Scalig. *poëtic. l.* 1. *c.* 14. *à cura*, & *aſtu* ductum. *Multa enim attingit, quorum ſatagit negotia: huic barba criſpa, mentum oblongum, alterum ſupercilium protenſum. Haud abſimilem fecêre hujus faciem lenoniam, diduxêre tamen buccas, atque etiam diſtorsêre: contraxêre præterea ſupercilia. ademêre capillum, ita ut aut calvus aut recalvaſter eſſet.*

LYCON, è Troade, Philoſophus, auditor Panthedæ, Dialectici, & Stratonis, cui ſucceſſit, in Academia, per Annos 44. *Glycon* Græcis, ob ſuavitatem dictus, elegantiæ amans & mirè dexter in inſtituenda juventute. In pretio apud Attalum, Eumenem & Antiochum. Obiit podagrâ Æt. 62. poſtquam & in teſtamento ſuo, inſigne ingenii & eruditionis ſpecimen edidiſſet. Diog. Laërt. *in ejus vita.*

LYCON Jaſenſis, Pythagoræ vitam memoriæ tradidit. Athen. *l.* 10. *p.* 547. Alius Socraticus, ſive Peripateticus, eloquens & in dicendo ſuavis, adeò ut *Glycon* à dulcedine dicendi appellaretur. Vide ſuprà. Tertius poëta. Quartus Epigrammatum ſcriptor. *Idem.*

LYCON, Ægypti urbs, quæ & *Lycopolis*. It. Hiſp. opp. in Luſitania. *Lobon* Jac. Delgado. Plin. *l.* 5. *c.* 9.

LYCONE, urbs Thraciæ. Steph. & mons Peloponneſi in Argia regione cupreſſis abundans. *Pauſ.*

LYCOPANTHER, vide *Thœs.*

LYCOPHRON, tertius à Cypſelo Corinthi tyrannus, Periandro patri ſucceſſit, ſed brevi à Corcyræis interfectus. Eum excepit (an Periandrum ipſum) Pſammetichus Gordiæ fil. de quo vide ſuo loco. Ariſtot. certè in ſerie Cypſelidarum omittit *Lycophronem*, & Cypſeli ſaltem, Periandri ac Pſammetichi meminit, *Polit. l.* 5. *c. ult.*

LYCOPHRON, Pherarum in Theſſalia tyrannus. Diod. Sic. *l.* 14. *p.* 440. Fuit eodem nomine frater Thebes Alex. Pheræorum tyranni uxoris, quâ ſociâ affinem Occidit & tyrannidem vacuam occupavit: ſed à Phil. Macedone deſtructus eſt. Diod. Sic. *l.* 16. *p.* 517.

LYCOPHRON, Grammaticus, ſæpius à Scholiorum *in Ariſtoph. Fabulas* autore laudatus. Vide *p.* 481. *G.* 1.

LYCOPHRON, poëta Chalcidenſis, Sophoclis Grammatici, adoptione verò Lyci Rhegini fil. inter ſeptem poëtas, qui *Pleiades* dicebantur à numero ſtellarum, Philadelpho Ptol. acceptus. Erant autem hi Theocritus, Aratus, Nicander, Apollon. Philicus, Homerus Junior, ac Lycophron. Alii aliter numerant. Scripſit Alex. poëma valde obſcurum: quod Joſ. Scalig. verſione non minùs difficili Latinè reddidit: unde Stat. *l.* 5. *Sylv.* 3. *v.* 157.

> ——— *Latebrasque* Lycophronis *atri.*

In eo mentionem facit de vaticiniis Caſſandræ, exorſusque ab Hercule, & rebus Trojanis, proſequitur uſque ad Alex. Macedonem. Tragœdiarum ejus 12. catalogum, vide apud Suid. De hujus morte Ovid. *in Ibin*, *v.* 351.

> *Utque cothurnatum periiſſe* Lycophrona *narrant*,
> *Hæreat in fibris fixa ſagitta tuis.*

Plura apud Tzetzem, *Chil.* 8. *Hiſt.* 204. Voſſ. *de P. G. c.* 8. Meurſium *in notis.* Alius fuit Periandri Corinthiorum Regis fil. cujus matrem Lyſim, cogn. Meliſſam, cùm pater Occidiſſet, is ſponte exul, à Patre nullâ ratione revocari potuit, ut ipſi, præterito Cypſelo altero fil. regnum traderet: Occiſus proin in exilio. De hoc multa Herod. *l.* 3. *c.* 51. 52. & 53. & Diog. Laërt. *in Periandro. Nic. Lloyd.*

LYCOPOLIS, urbs Ægypti & Nomus ad Nilum, inter Antinoen & Crocodilorum urbem, à *lupis* cognominata, eò quod Æthiopes agros Ægyptios incurſantes, lupi factâ acie uſque ad civitatem Elephantinam repulerint. Ibidem civitatem conſtruentes Ægyptii, à beſtiis illis Lycopolin vocârunt. Vide Steph. in λύκων πόλις, & Diod. Sic. *l.* 2. Nunc *Munia*, olim Epiſcopal. Hîc Meletius olim Ep. tempore perſecutionis Idolis ſacrificans, funeſti ſchiſmatis autor fuit. Plin. *l.* 5. *c.* 9. Strabo *l.* 17. *p.* 802. 812. & 813. Socr. *Hiſt. l.* 1. Addo, quòd aliam rationem culti à Lycopolitanis *lupi* idem Diod. Sic. adducit, διὰ τὴν ſc. πρὸς τοὺς κύνας τῆς φύσεως ὁμοιότητα, *quia iis tanta cum canibus naturæ affinitas*; Canes autem Ægyptiis eximiè fuiſſe cultos, ſuprà diximus. Tertiam quoque adjungit, quam vide *ibid.* ut & aliquid ſuprà in voce *Lupus*: de ſepultura verò eorum, in eadem gente infrà, in *Urſa.*

LYCOPUS, Ætolus, à Cyrenenſibus à Ptol. oppugnatis auxilio vocatus Duxque conſtitutus eſt: ſed ille Ducatum in tyrannidem vertit. Polyæn. *l.* 8. *ſub calcem.*

LYCOREA, vicus in Delphis, à *Lycoreo* Rege. Steph. Fuit autem is Apollinis, ex nympha Corycia, Fil. alii verò à Græco λύκος, *lupus*, illam dictam volunt. Delphorum enim urbe diluvio Deucalionæo merſâ incolas, luporum ululatum ſecutos, in apicem montis Parnaſſi aſcendiſſe, ibique conditam urbem *Lycoreæ* nomine ab iis mutuato inſigniiſſe, tradunt. Vide Jac. Spon. *Itin. Parte* 2. *p.* 63. ubi hodieque apicem montis *Liacoura* incolis dici, voce à *Lycoreâ* parum abeunte, addit.

LYCORIAS, nymphæ nomen. Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 339.

LYCORIS, Volumnii Senatoris liberta, vero nomine *Cytheris* dicta, miſerè à Corn. Gallo adamata: quo tamen ſpreto, Antonium in caſtra ſequuta eſt. Virg. *Ecl.* 10. *v.* 2. & 22.

> ——— *Tua cura* Lycoris,
> *Perque nives altum, perque horrida caſtra ſequuta eſt.*

LYCORMAS, Ætoliæ fluv. flavas arenas volvens. Hic poſteà *Evenus*, ab Eveno Rege Ætolorum, qui ſe in illum præcipitavit, appellatus eſt. Ovid. *Met. l.* 2. *v.* 245.

> *Arſurusque iterum Xanthus, flavusque* Lycormas.

Sen. *in Herc. Oetæo Act.* 2. *Choro v.* 8.

> *Nec præcipitem volverit amnem*
> *Flavus rapido fonte* Lycormas.

Phidari Nigro dicitur. Vide Plutarch. *de Flumin. in Lycorma.* Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 838. Strabo *l.* 10. *p.* 451.

LYCOSTHENE, urbs Lydiæ Steph. metropolim facit nummus Tyri apud *Goltz.*

LYCOSTHENES Conradus, Rubeacenſis, Theologus Baſilienſis, Marci Berſii, paſtoris Leonhardini ſymmyſta, antiquiſſimum Pythagorei ſilentii ſymbolum, in inſtaurandis ipſius ædibus, A. C. 1549. terrâ egeſtum, *humani capitis effigiem, labiis circulo confixis, auribusque patulis*, ſublimi domûs parte publicè ſpectandum propoſuit; & ut eo antiquitatis ita & hoc immortalitatis ſtudioſum ſeſe declaravit, quòd alatæ mortis ſimulacrum privatim ſibi ob oculos ſemper habuit collocatum. Edidit *Apophthegmata, &c.* in quibus inſignem ſuam eruditionem & induſtriam toti orbi palam fecit. Obiit Baſileæ A. C. 1561.

LYCOSURA, urbs Arcadis in Lycæo monte. *Steph.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LYCOZIA, urbs Thraciæ. *Steph.*

LYCTUS, Cretæ urbs inſignis, Idomenei patria. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 400.

Et Salentinos obſedit milite campos
Lyctius Idomeneus. ———

Paleocaſtro. Nigro teſte, hodie dicitur, & pagus eſt, à Gnoſſo in Auſtr. 15. mill. paſſ. ab ora Bor. 10. in qua Cherſoneſus erat, Lyctiorum emporium. P. Mela *l.* 2. *c.* 7. & Strabo *l.* 10. *p.* 475.

Ad LYCUM Forum, unum ex X. Athenienſium Dicaſteriis, de quibus retrò.

LYCURGIDES, Lycurgi fil. Ovid. *in Ibin*, *v.* 503.

Quique Lycurgiden *lætavit & arbore natum,*
Idmonaque audacem te quoque rumpat aper.

Reges & Viri illuſtres.

LYCURGUS, Nemeæ Rex, Archemori pater. Stat. *Theb. l.* 5. *v.* 638. 647. 653. 696. & 702. It. *Lycurgus* Gigas ab Oſiride in Thracia peremptus. Beroſus *l.* 5. Diod. Sic. *l.* 1.

LYCURGUS, Thraciæ Rex, fil. Dryantis, qui quòd Thracas immoderatè vino deditos conſpiceret, vites omnes toto regno excidi juſſit. Plutarch. *in l. de poëtarum utilitate.* Hinc datus poëtis locus fabulæ, Lycurgum infeſtiſſimo Bacchum odio proſecutum eſſe, adeò ut nutrices illius in Nyſa latentes perſequeretur, & Baccho ipſi tantum terroris incuſſerit, ut præcipiti fugâ trajecto mari in Naxum ſe receperit: ideoque juſtâ numinum irâ Lycurgum in furorem converſum, & tibias ſibi ſuccidiſſe. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 13.

Terra procul vaſtis colitur Mavortia campis,
Thraces arant, acri *quondam regnata* Lycurgo.

Propert. *l.* 3. *Eleg.* 15. *v.* 23.

Veſanumque nova nequicquam in vite Lycurgum.

Horat. *Carm. l.* 2. *Ode* 19. *v.* 16.

Thracis & exitium Lycurgi.

Nic. Lloyd.

LYCURGUS, nobilis Spartiata, fil. ex Dianaſſa, ſecunda uxore Eunomi Lacedæmoniorum Regis, frater Polydectæ, cui etiam in regnum ſucceſſit, ignarus Eunomum, uxorem gravidam reliquiſſe; quod ubi primùm cognovit, (illa enim Lycurgo ad regnum & conjugium vocato, pollicita erat ſe fœtum abortu ejecturam) poſito Regis nomine, Prodici, h. e. Tutoris nomen aſſumpſit, An. à capta Troja 200. ante 1. Olymp. 138. Regique adulto, Charilao ei nomen erat, regnum fideliter reſtituit. Verùm cùm civitatem peſſimè inſtitutam animadverteret, ad conſtituendam ſalubrioribus legibus Remp. animum adjecit. Conſcriptis itaque iis, quæ longâ peregrinatione didicerat, civitati utilia fore, Delphos ſeſe contulit, ut Dei quoque conſilium in re ſanctiſſima exploraret. Cumque Pythia conſilium ejus à Phœbo maximè probari, Deique potius, quàm hominis inventum eſſe reſpondiſſet, alacrior ad peragendum inſtitutum factus, foro armatis aliquot occupato, leges ſuas profert, quibus cùm jam cives mediocriter aſſuefactos videret, ut quas tulerat leges, æternas quoque redderet, hanc rationem commentus eſt. Simulat arduum adhuc quidpiam ſupereſſe, quod ad civitatis ſalutem pertineret, quod tamen inconſulto oraculo aggrediendum non eſſet, eaque de cauſa ſe Delphos proficiſci velle. Interim tamen Reip. intereſſe, ut leges, quemadmodum latæ erant, in reditum ſuum inviolatæ ſervarentur, idque ita futurum, primùm à Regibus, deinde à cæteris omnibus jusjurandum exegit. Profectus itaque Delphos, cùm Pythiam reſpondentem audiſſet, nihil legibus illis abſolutius eſſe, feliciſſimamque fore civitatem eam, in qua illæ quàm diutiſſimè ſervarentur, conſtituit ſibi amplius in patriam non eſſe redeundum, ne illi aliquando jurejurando ſoluti, leges ſuas excuterent. Miſſo itaque Spartam oraculo, amicosque itineris comites amplexus, illis dimiſſis, Cyrrham conceſſit, ubi mox ſuis ſibi manibus necem conſcivit. Quanquam alii Criſſæ, nonnulli etiam in Creta interiiſſe volunt, ubi etiam ſepulcrum ejus apud Pergameum urbem oſtenditur. Spartani mortuo ſacellum conſecrârunt, & ob ſingularia ejus in patriam merita, divinos ei honores tribuêrunt. Vide latius vitam ejus apud Plutarch. Clem. 1. *Strom.* Euſeb. *in Chron.* Pauſ. &c. Juſtin. *l.* 3. *c.* 2. & 3. *Proficiſcitur autem in Cretam, ibique perpetuum exilium egit, abjicique in mare oſſa ſua moriens juſſit, &c.* In Samo autem vitâ exceſſiſſe Lycurgum autor. eſt Heraclides: *Λυκοῦργος ἐν Σάμῳ ἐτελεύτησε, καὶ τὴν Ὁμήρου ποίησιν παρὰ τῶν ἀπογόνων τοῦ Κρεωφύλου λαβὼν, πρῶτος διεκόμισεν εἰς Πελοπόννησον.* Sed ibi legendum, monente Iſ. Voſſio, *Ἐν Σάμῳ ἐγήρα*, ut eſt in MS. Sami enim aliquandiu egit. Strabo *l.* 8. *p.* 365. 366. *l.* 10. *p.* 481. 482. *l.* 15. *p.* 687. & *l.* 16. *p.* 762. Curt. *in Suppl. l.* 1. *c.* 14. Dion. Halic. *l.* 2. *p.* 113. Nic. Lloyd. Fuit contemporaneus Labotæ Doryſſo, & Ageſilao Agidis; quorum primo adhuc vivente in Cretam navigavit, ut Minois leges diſceret, è quibus non pauca in ſuas tranſtulit, quas demum ſub Ageſilao promulgavit, Pauſ. *l.* 3. & Herod. *l.* 1. *c.* 59. Cæterùm Lacedæmone & in Creta omnis ferè diſciplina, omnisque Lex *πρὸς τοὺς πολέμους συντέτακται*, *ad rem Militarem comparata eſt*, Ariſtot. *Polit. l.* 7. *c.* 2. Et certè, Lacedæmonios inceſſit deinceps ingens armorum ſtudium: jacta ſunt undequaque diſcordiarum ſemina, & bella cum finitimis aſſiduè conflata. Joh. Marſham. *Canone Chron. Sec. XV. de ætate Lycurgi*, ubi ex diſco Olympico, in inſtaurandis Olympiis, Iphiti ſocium fuiſſe *Lycurgum*, & cum Homero congreſſum, ex Timæo ac Apollodoro, docet: Leges verò ejus Annis 100. ante 1. Olymp. vulgarem, adeoque 8. Annis poſt 1. Olymp. Iphiti, latas eſſe, addit.

LYCURGUS, quidam Athenis, quem vel natione vel moribus Ægyptium fuiſſe perhibent. Vide Scholia *in Ariſtoph. Aves. p.* 601. *F.*

LYCURGUS, Rhetor Athenienſis magni nominis, duodecim Annis reditus civitatis ſuæ magnâ innocentiâ adminiſtravit, acerrimus malorum accuſator. Diod. Sic. *l.* 16.

Reges & Viri Clari.

LYCUS, Bœotiæ Rex, qui Antiopam Nyctei Regis filiam uxorem duxit: quam poſtea cùm à Jove in Satyrum converſo compreſſam cognoviſſet, repudiavit, Dircenque uxorem duxit, quæ verita, ne Antiopa cum Lyco in gratiam rediret, arctiſſimis eam in vinculis aſſervavit, quibus Jovis miſeratione diſſolutis, in Cithæronem montem profugit, ubi Amphionem & Zethim peperit, qui poſtea à paſtore, qui ipſos nutriverat, edocti, eum unà cum uxore interfecêrunt. Vide *Amphion*, & *Dirce*.

LYCUS, Rex Libyæ, qui cùm hoſpites ſuos immolare conſueviſſet, à Calirrhoë filia proditus fuit. Nam cùm hæc Diomedem, qui, direptâ Trojâ, in Libyam tempeſtate delatus fuerat, amore deperiiſſet, eum è vinculis emiſit; At ille ſpreto ſalutis autore, enavigavit. Ea autem ultro vitam laqueo finivit. Plutarch. *Par.*

LYCUS, exul Thebanus, qui id temporis, quo Hercules ad inferos deſcenderat, rei benè gerendæ occaſionem ſibi oblatam ratus, Creonte Occiſo, regnum Thebanorum occupavit, cumque jam Megaræ Herculis uxori vim inferre pararet, opportuno illius reditu oppreſſus eſt, ut latius videre eſt apud Senec. *in Herc. Fur. Act.* 5. *v.* 24.

LYCUS, fil. Pandionis, cui in diſtributione regionis Diacriæ, pater Principatum attribuit. Ariſtoph. *Crabron.*

LYCUS, Lyſimachi Prætor, qui proditione Andronis Archipiratæ Epheſum Regi ſuo adjecit. Polyæn. *l.* 5.

LYCUS, Daſcyli fil. qui in Mariandynia regnavit, & Argonautas libentiſſimè ſuſcepit hoſpitio, cum quòd à Græcis patrem ſuum Pelopem honoratum ſciebat, tum quòd Pollux Amycum, Priolæ fratris Occiſorem, Interfecerat. Vide Val. Flacc. *Argon. l.* 4. *v.* 173.

LYCUS, Hiſtoricus Gr. Libyæ & Siciliæ Hiſtoriam condidit. Sub Ptol. Lago, *σύγχρονος* ſic Demetrii Phalerei, cujus invidiâ Extinctus eſt. Vide Suid. Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 1. *c.* 12. Alius poëta Comicus, Olymp. 86. non magni nominis.

LYCUS, Medicus nobilis Neapolitanus, de quo Plin. *l.* 20. *c.* 20.

LYCUS, nobilis Trojanus, unus ex comitibus Æneæ. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 225.

Nunc Amyci caſum gemit, & crudelia ſecum.
Fata Lyci ———

LYCUS, Priami fil. Item unus ex Centauris. Eſt & fluv. Aſſyriorum, qui Tigri immiſcetur.

LYCUS, Quinquertio, qui motus molles edere ſolebat. Ariſtoph. *Schol. in Crabr.*

LYCUS, puer quidam ab Alcæo dilectus. Horat. *Carm. l.* 1. *Ode* 32. *v.* x. *& ſeqq.*

Liberum & Muſas, Veneremque & illi
Semper hærentem puerum canebat,
Et Lycum *nigris oculis, nigroque*
Crine decorum.

LYCUS, Sycophanta Athenienſis, qui populo à Theſeo ſuis legibus vivere juſſo ac Democratiâ conceſſâ perſuaſit, ut eum urbe oſtraciſmo expellerent. Meminit ejus Scholiaſtes in Ariſtoph. *Plutum Act.* 3. *Sc.* 1.

LYCUS, fluv. Aſiæ, non procul à Laodicea, qui cuniculis ſubterraneis abſorbetur, ac rurſus emergit. Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 273.

Sic ubi terreno Lycus *eſt epotus hiatu,*
Exiſtit procul hinc, alioque renaſcitur orbe.

Item alius Paphlagoniæ, juxtà Heracleam Mariandynorum, in Pontum Euxinum illabens. Ovid. *l.* 4. *de Ponto Eleg.* 10. *v.* 47.

Huc Lycus, *huc Sagaris, &c.*

Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 367.

LYCUS, fluv. Germ. Rhætos à Vindelicis diſterminans. Ptol. Hîc Tillius à Guſtavo Adolpho, jam ad Lipſiam memorabili prælio victus, ſecundâ clade affectus cæſusque eſt, A. C. 1631. Alius Macedoniæ. Alius Aſiæ min. Celænas Phrygiæ urbem interfluit: *Licho.* Alius Ciliciæ. Plin. *l.* 5. *c.* 20. 27. & 29. & *l.* 6. *c.* 26. Strabo *l.* 11. *p.* 529. *l.* 12. *p.* 578. & *l.* 16. *p.* 737. Alius Siciliæ, *Platano* Fazello. *Halycus* aliis, prope Heracleæ ruinas. In mare Libycum ſe exonerat, 18. mill. ab Agrigento in Occ. In valle Mazaræ. Alius circa Byzantium Cedreno, quem tradit ab Apollonio Tyaneo coactum, ne Byzantio inundationibus noceret. Alius Armeniæ maj. non longè ab Araxe oriens; in Phaſim delabitur. Alius Scythiæ Eur. in paludem Mæot. influens, inter Cnemam & Hygrim urb. qui *Lyces* Flacco. Sagari vicinus.

LYCUS, in Euphratem influens deſcribitur Plin. *l.* 2. *c.* 103. *l.* 5. *c.* 24. & *l.* 31. *c.* 2. Liv. *l.* 38. *c.* 15. Hunc Leucum *Λευκὸν* Ptol. putat Abrah. Ortel. Sed *Lycus* etiam Curtio *l.* 3. *c.* 1. *l.* 4. *c.* 9. & 16. & Arriano *l.* 3. in Aſſyria hic eſt.

LYDA, opp. Lyciæ, Ptol. *Chyda* quibuſd. Curt. *in Suppl. l.* 1. *c.* 2. & 3.

LYD-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LYDDA, Palæſtinæ urbs, Ptol. alio nomine *Dioſpolis*, hodie *Roma* Caſtaldo, & *S. Georgio*: verſùs oram Judææ Occ. Joppæ proxima, inde 10. mill. paſſ. Hieroſolymam verſùs 30. inter Nicopolim & Antipatrida, Epiſcopal. ſub Archiep. Cæſarienſi. Plin. *l.* 5. *c.* 14. 1. Mach. *c.* XI. *v.* 34. Act. *c.* 9. *v.* 35. & 38.

LYDE, Antimachi poëtæ ux. quam egregiè animo charam habuit, quæ cùm Mortua eſſet, ille elegiam, quâ mœrorem ſolaretur, ſibi fecit, nomine *Lyden*, ubi enumeratis heroicis calamitatibus, & infortuniis malis alienis ægritudinem ſibi minuit. Hujus meminit Plutarch. *in l. de Conſolatione*, Ovid. *Triſt. l.* 1. *Eleg.* 5. initio.

Nec tantum Clario Lyde *dilecta poëtæ.*

Nic. Lloyd. *Lyden* in prixide à feminis olim geſtatam, innuit Thom. Bartholin. *de Puerp. Vett. Mutini faſcino*, inquiens, *inſident feminæ, ut concipiant. Lupercis quoque ſe offerunt & ferulâ cæduntur, caprinâ pelle corioque tectâ. Geſtant præterea pyxide Lyden immenſo prolis deſiderio, quo Reip. augendæ causâ, connubii retinendi & ob jus trium liberorum ardent.* Quem morem eleganter confirmat Juv. *Sat.* 1. *l.* 1. *v.* 139. *& ſeqq.*

——— *Quod nil animis in corpora juris*
Natura indulget. Steriles moriuntur & illis
Turgida non prodeſt condita pyxide Lyde.

LYDENEUS, Januarius menſis, apud Gazeos, dictus. Vide Marcellum *Vita* S. Porphyrii, ubi de voce *Epiphania.*

LYDIA, purpuræ venditrix, quæ omnium prima in urbe Philippis Euangelium amplexa eſt, & Paulum ac Silam hoſpitio accepit. Act. *c.* 16. *v.* 14.

LYDIA, amica Horatii, cujus in Odis ſæpe meminit.

LYDIA, regio Aſiæ min. Crœſo Rege, & Pactolo aurifero flumine notiſſima, quæ flexuoſis Mæandri amnis recurſionibus perfuſa, ſuper Ioniam procedit, Phrygiæ ab exortu Solis vicina, ad Sept. Mœſiæ, Meridianâ parte Cariam amplectens. Baudr. erat, inter Phrygiam magn. ad Ort. & Bor. Lyciam ad Mer. & Joniam ad Occ. quæ ſub ipſa aliquando comprehenſa fuit, nunc *Caraſia.* Joh. Marsham. Troadis regio, poſt everſam urbem, à vicinis Phrygibus occupata, etiam *Phrygia* dicta eſt. Τὰ δὲ Φρύγια καὶ τὰ Λύδια δυσδιάκριτα, παραπίπτοντα εἰς ἄλληλα, *Phrygiæ & Lydiæ partes, inter ſe concurrentes, diſcerni nequeunt*, ex Strab. *l.* 10. & 13. Unde poëtæ maximè Tragici, & Troas & Myſos & Lydos, appellant Phrygas, Idem, *l.* 14. Vide eum *Canone Chron. ad Sec. XII.* Ejus fluvii Caycus, hodie *Chimachi* & *Girmaſti*, Hermus, nunc *Sambat*, Pactolus, ut dictum, hodie *Chias* aut *Chiari*. Montes Sipylus, Timolus, Mimas, &c. Urbes Sardes, Regia, Philadelphia, Thyatira, &c. Regnum Lydiæ quod inter vetuſtiſſima, primò ſub *Atyadis*, quorum primus *Lydus* Atyis fil. exin ſub *Heraclidis*, quorum Dynaſtiam condidiſſe Argontem, Herculis fil. ferunt, ſicque ab Heraclidis adminiſtratum, uſque ad Candaulem, 22. Regem, quo Occiſo à Gyge, A. M. 1340. & U. C. 40. Periodi Jul. 4000. ſucceſſit *Mermnadarum* fam. è qua primus *Gyges*, Ardi, Saliatte, Halyatte, Crœſo ſe mutuò ſequentibus, donec hic à Cyro victus captus eſt, An. Regni 14. & U. C. 210. Ita ſub Perſis, Græcis, Rom. fuit, hodie Turcarum imperio ſubeſt. *Lydia* dicta à *Lyde* Atyos fil. an potiùs à Lud, fil. Sem, Jeſ. *c.* 66. *v.* 19. Jer. *c.* 46. *v.* 10. Ezech. *c.* 27. *v.* 10. & *c.* 30. *v.* 5. cùm antea *Mœonia* vocaretur. Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 210.

Præterea Regem non ſic Ægyptus & ingens
Lydia, *&c.* ———

Hujus reg. incolæ *Lydi* dicuntur, qui Herod. *l.* 1. *c.* 7. primi aurum, argentumque ſignârunt. Horum improbitas maximè abiit in proverbium, *Lydi mali*, apud Athen. Hi capita mitrâ Prop. *l.* 3. *Eleg.* 17. *v.* 30. & flammeis muliebribus ornare ſolebant, unde in effeminatos ortum eſt Proverbium, *Lydio more* apud Suid. *Lydius lapis* (qui & *Heracleus* ab Heraclea urbe Lydiæ) in proverbio eſt apud Theophraſt. *l. de Nat. lap.* de homine acri ingenio prædito, nam hic lapis aurum, & argentum arguit, quale ſit. Lydorum currus in certaminibus erant adeò veloces, ut proverbio ſit, *Currus Lydius.* Et apud Plutarch. *Juxta Lydium currum curris*, dicitur de eò, qui longè cæteris in aliqua re inferior eſt. Lydos quoque equitatu cæteris præfert Herod. *l.* 1. *c.* 79. quos non aliter, quam ex equo, pugnare ſcribit, Tac. *Ann. l.* 4. *c.* 55. Hi cibis opiparis, & cupediis operam dabant, ut *Caryca Lydorum* in adagium abierit, apud Athen. *l.* 12. *c.* 2. Caryca enim genus cibi erat apud illos, ex variis lautitiis, ſanguineque confectum. De quibus etiam in voluptuoſos, *Lydus cauponatur* apud Herod. legitur. Tantæ quoque libidinis notabantur, ut *Lydus* in Meridie, de homine inſatiatæ libidinis proverbialiter diceretur. *Lud* in ſacris Scripturis vocari, ſcribit in ſuo apparatu Biblico Ar. Montan. Vide Joſeph. *Antiqq. l.* 1. *c.* 6. Herod. *l.* 1. *c.* 93. Plin. *l.* 5. *c.* 29. Strab. *l.* 15. *p.* 628. Leunclav. *in pand. Turc.* Cluv. & Magin. *Geograph.* uti de tribus, trium Dynaſtiarum ſuprà indigitatarum conditoribus in vocibus *Atys* vel *Lydis*, *Argon*, *Gyges*. Tac. *Ann. l.* 3. *c.* 61. Ovid. *Met. l.* 6. *v.* 146. In Italiam coloniam deduxêre, unde Thuſci, Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 781. ubi *Lydium Tibrim* vocat Lucan. *Civ. Bell. l.* 9. *v.* 190. Tibull. *l.* 4. *Eleg.* 1. *v.* 199. Strabo *l.* 5. *c. p.* 219. Herod. *l.* 7. *c.* 74. Dion. Halic. *l.* 1. *p.* 21. & 22. Juſtin. *l.* 13. *c.* 4. Nic. Lloyd. Addo, quòd apud eoſdem inaurium uſus fuit. Unde apud Xenoph. Ἀναβάσ. 5. narrat quidam, ſe vidiſſe aures Apollonidis, quæ ambæ eſſent, inſtar Lydorum perforatæ. Vide ſuprà. Hinc *Lydiaca*, nomen libri gentis hujus Hiſtoriam complexi, autore Xantho Lydo, an Dionyſio Scythobrachione? de quo vide Caſaub. *Animadverſ. in Suet. de Gramm. & Rhetor. p.* 733.

LYDIUS, fluv. Macedoniæ. Ptol. *Caſtoro* hodie, *Ludias* etiam Baudr. Oritur in *Æmathia*; dein per Botiæam fluens, ibi in Sinum Thermaicum ſe exonerat, inter Axium ad Bor. & Aliacmonem ad Auſtr.

LYDIUS Lapis, cognominatur *Magnes*, qui ferrum trahit, à Magnete quodam inventore; & qui dictus eſt *Heraclius* lapis, quo aurum probatur, in Tmolo *Lydiæ* amne primum repertus. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1103.

LYDUS, Herculis fil. ex Jole.

LYDUS, fil. Atyos Mœoniæ Regis ex Callithea Choræi fil. fuit, frater Tyrrheni. Cùm verò Atys domi ſibi multitudinem abundare videret, filiis ſuis hanc propoſuit conditionem; ut inter ſe ſorte ducta, alter oneroſam multitudinem educeret, novaſque ſibi ſedes quæreret, alter paterni regni ſucceſſor remaneret. Quare cùm ſors ita cecidiſſet, ut Tyrrhenus relictâ patriâ, novarum coloniarum autor fieret, in eam Italiæ partem ſeſe contulit, quæ mare inferum ſpectans, ab eo Tyrrhenia appellatur. Lydus verò domi relictus, paternique regni hæres factus, Mœoniam de nomine ſuo Lydiam appellavit. An verò à *Lud.* Semi fil. magis illa appellata eſt? Vide Bochart. *in Phaleg.* Cæterum quis *Lydo* ſucceſſerit, incertum: Cùm enim Euſebius ab Ardyſo, Alyadarum demum XIX. Rege, res Lydorum ordiatur, ut vidimus ſupra omiſsis prioribus ex prima hac Dynaſtia Regibus XVIII. factum, ut nomina eorum perierint, niſi quòd *Hermon* & *Cambles*, apud Autores occurrant, ſed ordine ignorato. Vide Joh. Marsham. *Can. Chron. ad Sec XVII.*

LYGAMATÆ, Libyæ interioris pop. Ptol. *Lynxamatæ* Interpp. *Linxama* urbs ibid. *Ptol*

LYGDAMIS, Naxiorum tyrannus, vide Polyæn. *l.* 1. *in Polycrate ſ.* 2. Nam plebs eum nacta Ducem Oligarchiam evertit: verùm Dux iſte paulò pòſt Tyrannidem arripuit. Herod. *l.* 1. Ariſtot. *l.* 5. *Polit.* 6. *Oeconomic. Principio.* Plutarch. *de malignitate Herod.* Item Dux Cimmeriorum, cujus auſpiciis cùm illi à Scythis ſedibus ſuis pulſi in Aſiam veniſſent, & Cherſoneſum condidiſſent, ubi nunc Sinope ſita) inde uſque in Lydiam & Joniam progreſſi, Sardeis cepêrunt, ſub Ardye Lydorum Rege, arce exceptâ. Ipſe verò periit in Cilicia unà cum exercitu, ut cecinit Callimachus, *Hymno* in *Dian.* poſtquam Dianæ Epheſinæ templum incendiſſet, Herod. *l.* 7. *c.* 99. Vide quoque Heſych. in Λύγδαμι ſuprà item in voce *Ardys*, ac *Cimmerei.* Athen. *l.* 8. *c.* 8.

LYGDAMUM, opp. nomen in Myſia, Plin. *l.* 5. *c.* 31.

LYGDAMUS, viri nomen apud Prop. *l.* 3, *Eleg.* 6. *v.* 2. 11. 19. 29. 31. 36. & 41. & *l.* 4. *Eleg.* 7. *v.* 35. ſed ita, ut neſcias Propertiine ſervus, an Cynthiæ fuerit. Eo ſe nomine Tibull. appellat: cùm ait, *l.* 3. *Eleg.* 2. *v.* 29.

Lygdamus *hìc ſitus eſt.*

Eſt apud Herod. *l.* 1. *c.* 60. & 64. *Lygdamus* quidam Naxius, Piſiſtrato adjutor in recuperanda Tyrannide. Vide *Lygdamus.* Strabo *l.* 1. *p.* 61.

LYGDUS, Spado, ætate & formâ inſignis per quem Druſo Tiberii fil. lentum venenum à Sejano datum, Tac. *Ann. l.* 4. *c.* 8. & *l.* 10. *c.* 2.

LYGII, magna Germ. gens à Maroboduo domita. Sunt *Schleſier* Willichio. Andreas Vellejus *Langlandt* inſ. Baltici maris interpretatur.

LYGIUS, Thraciæ fluv. Λύγινον ποταμὸν vocat Arrian. *l.* 1. Ἀπέχει δὲ οὗτος ἀπὸ τοῦ Ἴστρου ὡς ἐπὶ τὸν Αἷμον ἰόντι, σταθμοὺς τρεῖς. *Idem.*

LYGUS, femina quædam, quæ cùm metu militum filiam occultaviſſet, & illi per cruciatus interrogarent, ubinam occuluiſſet, [illegible]rum oſtendens, ibidem dixit latere: nec ullis tormentis cogi potuit, ut conſtantiam vocis egregiæ mutaret. *Tac.*

LYLE urbs Arcadiæ, Gentile *Lylæus*. Item *Lylæus* Bithyniæ fluv. Plin. *l.* 5. *c.* 32.

LYMAX, Arcadiæ fluv. *Pauſ.* Nomen habuit ἀπὸ τῶν λυμάτων, i. e. à *purgamentis*, quæ in eum Rhea cùm luſtraretur, conjecerat, Pauſ. *Achaicis.* Vide Franc. Roſſ. *Arch. Attic. l.* 5. *c.* 6. ubi *de Puerperarum luſtrationibus.*

LYMICUS ſinus, vulgò *Lymford*, ſinus Daniæ, per Jutiam Sept. extenſus, ab Ortu in Occaſ. ita ut tenui Iſthmo unius leucæ ſeparetur, à mari Germ. Jutiam Sept. bifariam ſecat, Lemvicum, aliaque oppida rigans, versùs Virburgum etiam labitur, & infrà Alburgum urb. in Sinum Codanum ſe exonerat.

LYMINIS, Cappadociæ opp. Marcell. Exilio morte Baſiliſci Imp. eò à Zenone Imp. deportat. *Ptol.*

LYMIRA, Lyciæ fluv. & eod. nomine civ. P. Mela *l.* 1. *c.* 15. Plin. *l.* 5. *c.* 27.

LYMPHATICI, vide *Phantaſia.*

LYMPHORTA, opp. circa Gedroſiam. Plin. *l.* 6. *c.* 23.

LYNCÆE, Macedoniæ urbs. *Heſych.*

LYNCESTES, Amyntæ fil. ſextum locum inter Chiliarchas præmium fortitudinis ab Alex. Mag. cùm in Satrapene ſubſiſteret, tulit Curt. *l.* 5. *c.* 2.

LYNCESTES Alex. Macedonum Princeps, gener Antipatri, conjuravit contra Alex. Mag. & poſt triennalem cuſtodiam cauſam dicere juſsus, trepidatione crimen confeſsus, lanceiſque confoſsus eſt. Curt. *l.* 7. *c.* 1. *l.* 8. *c.* 8. & *l.* 10. *c.* 1.

LYNCESTIUS, Macedoniæ fluv. cujus aqua pota non minus ebrietatem inducit, quàm ſi quis vino ſe ingurgitâſset. Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 329. & *ſeqq.*

Hinc fluit effectu diſpar Lynceſtius *amnis,*
Quem quicunque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quàm ſi mera vina bibiſſet.

In Erigonem delabitur. Eſt & regio Macedoniæ *Lynceſtis.* Pop. *Lynceſtæ*, Liv. *l.* 45. *c.* 30. Plin. *l.* 2. *c.* 103. & *l.* 4. *c.* X. Strabo, *l.* 7. *p.* 326. De aqua præf. Voſſ. *illam aquam Lynci ſ. Lynceſtis*, Epiroticæ urbis *de Orig. & Progr. Idol. l.* 2. *c.* 72. ac nonnulli fontibus vinoſis accenſent, de quibus Vitruv. æqualis Scriptor ita *l.* 8. *c.* 3. *Sunt etiam fontes uti vino mixti; quemadmodum eſt unus Paphla-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Paphlagoniæ, ex quo etiam ſine vino potantes fiunt temulenti. Cui addere potes ex Sotione, vetuſtiſſimo Eclogarum ſcriptore, fontem Arabiæ Iſodum, in quem ſi quis heminam vini infunderet, totus fons evadebat κρᾶμα, h. e. vinum dilutum, quale vulgò bibi ſolet. Item fontem Διὸς τεκνώσια dictum, in Inſ. Andro, apud Plin. *l.* 31. *c.* 2. è quo ſtatis diebus ſeptenis æmulus vino liquor manavit. Sed malè in hunc album aqua *Lynceſtis* Caſaub. refertur. Licet enim illi Tertullian. vinoſam venam tribuat, ac Plin. ebrios effeciſſe ſcribat; Græci tamen eam inter ὀξίζοντας & Latini inter acidulas referunt; quo ſapore aquas à vinoſis iidem diſtinguunt. Ita enim Theopompus, apud Antigon. Caruſtium *c.* 80. Ἔστι ὕδωρ ὀξὺ τοῖς δὲ ἐκ τούτου πίνουσιν ὥσπερ ἐστι τῶν οἴνων, ἀλλοιοῦσθαι· καὶ τοῦθ᾽ ὑπὸ πλειόνων μαρτυρεῖσθαι, addens: *Aqua eſt acida: quique eam biberint mente inmutari, quaſi vinum bibiſſent, ejuſque rei complures eſſe teſtes.* Et certè jam olim multis locis venas ejuſmodi fuiſſe obſervatas, oſtendunt iſta Vitruv. *Item ſunt nonnullæ acidæ venæ fontium, ut in* Lynceſto; *& in Italia, Virena, Campana Teano, aliiſque locis pluribus.* Unde etiam de *Lynco* ipſo hoc Plin. *Lynceſtis aqua, quæ vocatur acidula* &c. Vide Iſaac. Caſaub. *Exercitat. XIII. ad Ann. Eccl. Baron. N.* 33.

LYNCEUS, ſecundus Argivorum Rex, regni Ann. 41.

LYNCEUS, Apharei fil. unus ex Argonautis, tanta oculorum acie præditus, ut ea per denſos etiam quercetorum truncos, ac ſtipites atque adeò uſque ad inferos vim ſuam exprometet. Orpheus *in Argon.*

> Λυγκεύς θ᾽ ὃς τήλιστα δι᾽ αἰθέρος ἠδὲ θαλάσσης
> Βένθεα καὶ Πλουτῆος ὑποχθονίοιο βέρεθρα,
> Μοῦνος ἀπ᾽ ἀνθρώπων δεινοῖσιν ὀπώπεεν ὄσσοις.

Quæ Cribellus Mediolanenſis, ejus interpres ita vertit,

> *Quique procul longè trans æthera, trans mare* Lynceus
> *Et ſubter Plutum, terræque barathra profundæ,*
> *Solus in humanis viſu penetravit acuto.*

Apollon. *Argon.*

> —— Λυγκεὺς δὲ καὶ ὀξυτάτοις ἐκέκαστο
> Ὄμμασιν, εἰ ἐτεόν γε πέλει κλέος, ἀνέρα κεῖνον
> Ῥηιδίως καὶ νέρθε κατὰ χθονὸς αὐγάζεσθαι.

Staſinus *in rebus Cypriis*,

> —— —— Αἶψα δὲ Λυγκεὺς
> Τηΰγετον προσέβαινε ποσὶ ταχέεσσι πεποιθώς,
> Ἀκρότατον δ᾽ ἀναβὰς διεδέρκετο νῆσον ἅπασαν
> Τανταλίδου Πέλοπος. Τάχα δ᾽ εἴσιδεν ὄβριμος ἥρως
> Δεινοῖς ὀφθαλμοῖσιν ἔσω δρυὸς ἄμφω κοίλης
> Κάστορά θ᾽ ἱππόδαμον καὶ ἀεθλοφόρον Πολυδεύκεα.

V. Flacc. *Argon. l.* 1. *v.* 463. & *ſeqq.*

> *At frater magnos* Lynceus *ſervatur in uſus,*
> *Quem tulit Arene, potuit qui rumpere terras*
> *Et Styga tranſmiſſo tacitum deprendere viſu.*

Fabulæ originem præbuit, quòd multa obſervaret ſecreta naturæ: inque his metalla primus, vel ſaltem illa, quæ beare inprimis creduntur, nempe aurum, argentumque effodere terris docuiſſet, vel quoniam multa, ſ. idem, ſ. alius, ad ſcientiam pertinentia ſideralem comperiiſſet, quale eſt illud quòd noviſſimam, primamque Lunam (ἕνην καὶ νέαν Græci dicunt, teſte Heſychio) eodem die in ſigno arietis conſpexiſſet, quemadmodum Plin. refert, *l.* 2. *c.* 17. Indeque jam memoratus V. Flacc. *Argon. Ibid. v.* 468.

> ———— *Solus tranſibit nubila* Lynceus.

Ac ob hoc oculorum acumen quiſquis ille Lynceus celebratur Pindaro *in Nem.* Ariſtoph. *in Plut.* Theocr. *in Dioſcuris.* Similiter Lynceis fuiſſe oculis dixeris Strabonem illum minimè ſtrabum, qui, ut ex Varrone prodit Solin. *l.* 6. è Lilybæo prom. ſi fas credere, naves numerabat è Carthaginis portu ſolventes. Id ſpatium 135. mill. paſſ. continet, ut ibidem ait Solinus, imo mille ac 500. ſtadia, ſive mill. paſſ. 200. ut ex maritimo Antonini Itin. colligitur. *Nic. Lloyd.*

LYNCEUS, Idæ frater, qui pro duabus Leucippi filiabus, quas ipſis deſponſatas Caſtor & Pollux rapuerant, arma ſumpsêrunt, initaque pugnâ Caſtor Lyncei, Lynceus Pollucis manu Occubuit. Idas verò cùm ipſum etiam Pollucem adoriri conaretur, immiſſo à Jove fulmine interiit. Ovid. *Faſt. l.* 5. *v.* 709. & *ſeqq.*

> *Pectora trajectus* Lynceo *Caſtor ab enſe,*
> *Non expectato vulnere preſſit humum.*
> *Ultor adeſt Pollux, &* Lynceâ *perforat* haſtâ,
> *Qua cervix humeros continuata tegit.*

Apollonius tamen *in Argon.* Idam à Caſtore interfectum tradit, idque Lynceum per abietem vidiſſe, & Caſtorem Occidiſſe. Hic eſt idem cum ſuperiore. Horat. Serm. *l.* 1. *Sat.* 2. *v.* 90. & *Sat.* 3. *v.* 25. Idem *l.* 1 *Ep.* 1. *v.* 28.

> *Non poſſis oculo quantum contingere* Lynceus,
> *Non tamen idcirco contemnas lippus inungi.*

Plin. *l.* 7. *c.* 21. Senecam Medea. *v.* 232. Ovid. *Faſt. l.* 5. *v.* 709.

LYNCEUS, quem Ovid. *Linum* vocat, fil. Ægypti, ſolus ex 50. fratribus miſericordiâ Hypermneſtræ conjugis evaſit à morte, in Lyrceam opp. ac inde face ſignum uxori dedit, quæ viciſſim à Lariſsa facem extulit: unde Argivis πυρσῶν ἑορτή, *Facularum feſtum annuum*; poſteà expulſo, vel etiam Occiſo Danao, regnavit apud Argos: in ſerie Argivorum Regum X. à quo Λυγκεῖδαι (ſicut priùs Φορωνίδαι, Ἀργεῖδαι, Δαναΐδαι, à celebrioribus inter eos Regibus) regnâſe in poſterum Argis dicebantur. Præfuit Ann. 41. ſucceſſore ex Hypermneſtra fil. Abante: quo tempore Pandion I. Athenis rerum potitus eſt. Vide Apollod. *l.* 2. & Joh. Marsham. *Canon. Chron. ad Sec. XI.*

LYNCURIUS, vide *Lynx.*

LYNCUS ſive LYNCÆUS, aut LYNX, Scythiæ, alii habent, Siciliæ Rex immaniſſimus, qui Triptolemum à Cerere miſſum, ut hominibus frugum uſum commonſtraret, hoſpitio excepit: cùmque nomen, patriam, viæque cauſam ab eo didiciſſet, ut tam præclari inventi gloriam in ſe transferret, hoſpitem obtruncare conſtituit. Cùmque jam noctu dormientem aggredi vellet, Ceres indignata in Lyncem feram eum convertit. Ovid. *Met. l.* 5. *v.* 650.

> *Rex ibi* Lyncus *erat, Regis ſubit ille penates.*

LYNCUS, urbs Epiri, à *Lynceo* nominata. Steph. Mons Epiri, in conf. Theſſaliæ, Pindi pars. Plin. *l.*4. *c.* 8.

LYNDUS, vide *Lindus.*

LYNIUS, ſ. *Leinius*, fluv. Saxoniæ inf. *Leyne* vulgò. Oritur juxta Heyligenſtadum, in Eisfalia tractu; dein per Duc. Brunſvic. fluens, Gottingam & Eimbecam rigat, ut & Alfeldam; hinc ad Sarſtedam Innerſtium amnem recipit, & juxta Hannoveram & Neoſtadium fluens, paulò infrà in Alleram fluv. cadit.

LYNX, Pani olim, cui pellem *lyncis* Homerus tribuit *Hymo* in eum, nec non Baccho, ſacra. Ovid. paſſim, inprimis *Met. l.* 15. *v.* 413.

> *Victa racemifero* Lyncas *dedit India Baccho.*

Unde obiter colligere eſt *lynces* Indicum eſſe animal. Sed & in Æthiopia eſſe, apud Plin. habes *l.* 8. *c.* 21. Pantheræ ſimile animal eſſe, probat Bochart. ex Æliano & Arabicis ſcriptoribus. Quam utramque feram in Oriente ad venationem inſtitui, his verbis docet Paulus Venetus *l.* 2. *c.* 17. *Magnus Cham habet cicuratos, leopardos, qui mirum in modum venationi inſerviunt, multaſque capiunt beſtias. Habet &* lynces *non minùs ad venandum induſtrios.* De quo genere venationis multa Arabes, & qui eorum ſcrinia compilârunt. Habet autem Eques Tartarus, ad venationem ſe conferens, pardum aut *lyncem* à tergo, qui, ſi aberraverit, redit ita iratus, ut nonnunquam interficiat inſtitutorem ſuum: quod idem de pardo refert Albertus Mag. de panthera Leoni X. ab Emanuele Luſitaniæ Rege dono miſſa, Oſorius *l.* 9. &c. Cujus venationis autorem hunc tradit Damir, *Primus ea fera in venatione uſus eſt Chalib. Wailis fil. Et primus illam in equo tulit Jazid. fil. Muaviæ. Et è poëtis Abu Muſallim Choraſanius eâ maximè luſit*, i. e. hoc venandi genere maximè delectatus eſt, aut in hoc argumento inprimis ſe exercuit. Nec obſtat, quòd à poëtis timiditatis & imbelliæ notâ Lyncibus paſſim inuritur, Horat. *Carm. l.* 2. *Ode* 13. *v.* 40. & *l.* 4. *Ode* 6. *v.* 34. Stat. *Achill. l.* 2. *v.* 407. Aliis: quod inde ortum, quia in Amphitheatris illæ fugere videbant, quoties cum leonibus & pantheris & urſis & majoribus feris committebatur; nam id ipſum pantheris objicitur, Ariſtot. *de partib. anim. l.* 3. *c.* 4. & Plin. *l.* 10. *c.* 15. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 8. Vide quoque Salmaſ. *ad Solin. p.* 88. & 389. Cæterum perſpicaciſſimi viſus ſunt, ob hoc Pani adſcriptæ, uti placet C. Paſchal. *Coron. l.* 9. *c.* 13. ubi *de notis nigris Pilei Ducalis.* Iiſdem pellis varia. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 327.

> —— *Et maculoſæ tegmine* lyncis.

Quam varietatem quòd ebriorum ſtultitia ferociaque exprimit, animal hoc Baccho quoque tributum eſt. Sed quòd liberos *lynces* Bacchi currum comitatos, eum autem traxiſſe tigres Stat. innuit *Theb. l.* 7. *v.* 658.

> —— *effrenæ dextrâ, levaque ſequuntur*
> Lynces, *& uda mero lambunt retinacula tigres.*

quodque in marina Bacchi pompa eos itidem liberos vagari facit Claud. in 2. *Conſ. Stilichonis Carm.* 24. *v.* 368.

> *Perque mero madidos currunt ſaliuntque rudentes*
> Lynces: *& inſolitæ mirantur carbaſa tigres.*

videntur, ut formoſa, & cùm manſueverint, admodum feſtiva animalia, luſui Baccho aſſignata. Nemeſianus *Ecloga* 3.

> *Qui etiam Deus ille, Deus, Jove proſatus illo,*
> *Et plantis uvas premit, & de vitibus haſtas*
> *Ingerit, &* lynci *præbet cratera bibenti.*

Nec omittendum, quod de *lyncurio* gemma Plin. ſic habet *l.* 8. *c.* 38. *Lyncum humor ---- glaciatur areſcitque in gemmas carbunculis ſimiles & igneo colore fulgentes*, lyncurium *vocatas --- Novêre hoc ſciuntque lynces, & invidentes urinam terrâ operiunt.* Secutus Ariſtot. Theophraſt. Dioclem, Demoſtratum, Ovid. Alios. Sed idem ipſe falſum id totum ſe arbitrari, ait *l.* 37. *c.* 3. nec deſunt qui pro *lyncurio* λίγυρον vel λιγύριον ſcribant, ac ſi ſit lapis ex *Lyguria* allatus. Quin apud eund. Plin. contendit Sudines, arborem eſſe, quæ *lyncurium* gignat in Liguria, qua de re vide Bochart. ubi ſuprà. Ut & hoc addam, *Lynx* Mexicana, animal eſt vulpi non abſimile, ſolâ corporis mole minus, at ingenii agilitate, aſtutiâ ac procacitate, longè præcellens. Tam celeri ſaltu enim ex hominum conſpectu rapi dicitur, ut tantùm non viſum effugiat. Coloris atro-cinerei exuvium illius aſſervatur, in *Muſeo* Kircheriano Romæ. Vide Georg. de Sepib. *in Colleg. Rom. S. J. Muſeo p.* 31.

LYNX, urbs Libyæ, juxta Gadira poſt Atlantem & Inſ. Atlantis, vide *Steph.*

LYPERUS, mons Bithyniæ, juxta Zipœrium urb. *Memnon.*

LYRA, opp. probè munitum Brabantiæ, quibuſdam *Niveſdum*, ad Netham majorem fluv. *Liere* Belg. vulgò, Gallis *Lire*, 2. leuc. à Machlinia in Bor. ferè 3. ab Antverpia in Ort. 5. à Lovanio: versùs conf. dit. Hollandicæ, Sub Hiſp.

LYRA, loci ad Pontum alicubi, Thyniam inter & Parthenium amnem, nomen, ſic dicti, quòd, cùm Argonautæ juxta Stheneli ſepulchrum aram Apollini conſtruxiſſent, ſuper eam poſt carmina dicta Orpheus lyram poſuerit. Quod idem & Promathidas narrat, ſuper columnam tamen quandam dicens lyram poſitam & ex eo regionem illam Lyram fuiſſe nuncupatam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

LYRA, inſtrumentum Muſicum, cujus inventio Mercurio tribuitur, qui quum pedem in aridam teſtudinem, ſic Varroni dictam, quòd teſtâ tegatur, impegiſſet, animadvertit ſonum reddi ex nervis illius ſiccitate intenſis: quod tamen paulò aliter narratur contigiſſe, *in Hymno Mercurii*, qui Homero adſcribitur. Proin cœpit poſtea lineas chordas intendere *Lyræ*, cui Apollini datæ, unde *fraterna Lyra* dicitur Horat. *Carm. l.* 1. *Ode* 21. *v.* 12.

Fraternaque *humerum* Lyra.

pro lineis chordis nerveæ ſeptem annexæ ſunt: ex quo Pindaro ἑπτάτονος, & ab ejus Scholiaſte ἑπτάχορδος eſt appellata. Octavam dein chordam Ariſtot. ſcribit additam: neque propterea tamen eam, quæ *media* vocabatur antè, nomen amiſiſſe. Alii ab Apolline novichordam *Lyram* ſcribunt editam, à Muſarum numero, ut ait Interpres Arati: Tametſi cum decachordo etiam pingebatur, quippe qui cum Muſis ipſe eſſet decimus. Decimam autem ac undecimam adjeciſſe Timotheus Muſicus legitur. Dicta videtur, quaſi Λύτρα, quòd ea Apollini data fuerit, ὡς τὸ λύτρον, *ut pretium*, quo iram illius, ob ſurreptos boves, lenivit. Tangebatur autem, non plectri percuſſione, ſed ſetarum intentarum attritu, vide Jul. Cæſ. Scalig. *poët. l.* 1. *c.* 48. Quomodo à cithara, Apollinis invento, differat, Idem docet *in Notis ad Sphæram Barbar. Manilii.* Aliàs de *Lyra*, cithara, chely, poëtæ unam rem faciunt, cùm volunt: Imò & alii. Unde Athen. de Clinia Pythagoræo, Ἐκιθάριζε, inquit, τῇ λύρᾳ, *l.* 14. Sed *Citharam* aliam rem fuiſſe liquet, ex *Lyræ* etiam figura, cujus picturam referunt imagines vett. Germanici *Arato* inditæ. Vide de hoc celebri organo plura apud Gerh. Joh. Voſs. *l. de Muſica.* Circumferebatur illa in conviviis Vett. Græcorum poſt cœnam; cujus *cùm imperitum ſe Themiſtocles diceret*, verba ſunt Tullii, *habitus eſt indoctior*: more poſtmodum ad Chriſtianos quoque delato, ut Clem. 6. *Strom.* teſtatur. Quemadmodum & Romanorum epulis fides ac tibias adhibere moris fuiſſe novimus; Imò & *lyram.* Unde *Lyriſtriæ* illæ, apud Juv. *Sat.* 11. *l.* 4. *v.* 160.

A quibus ipſe venit, quorum ſub vertice luſit.

ubi Gaditanas puellas, in Romanorum conviviis celebres, quas *tinnulas Gades* Stat. appellat *l.* 1. *Sylv.* 6. *v.* 71.

Illic Cymbala, tinnulaque Gades.

intelligit. Sed hac de re infrà latiùs dicemus, ubi de *Myrti rami*, & *Scoliis.* Cæterùm *Lyrá* canebant poëtæ, quum humiliore ſtylo res pertractabant; at tuba ad ſublimiora utebantur. Unde Stat. *Theb. l.* 1. *v.* 32.

Tempus erit, cùm Pierio tuâ fortior œſtro
Facta canam: Nunc tendo chelyn, ſatis arma referre.

Idem *l.* 4. *Sylv.* 8. *v.* 38. Vide C. Barth. *Animadverſ. ad eund. Theb. l.* 4. *v.* 37.

—— *quantas populis ſolaverit urbes*
Sublata molire Lyra.

&c. Hinc *Lyrica* poëſis, cui proxima Heroicæ Majeſtati nobilitas: Ode, & μέλος & μολπὴ dicta. Neque enim ea ſine cantu atque *Lyra* pronuntiabant, unde & *Lyricorum* appellatio orta, quorum genera multa: *Melos* ſive *Ode*, quibus curas amatorias decantabant, quod primus excogitâſſe Alcman traditur, aliis Ametor Eleutherneus. Alia genera in laudibus Heroum, locorum laudationibus, rerum geſtarum narrationibus: hilaritates, convivia. Iiſdem numeris etiam Pæanes ſolis Diis dicti: & Hymni eodem argumento ſed ſtylo demiſſiore: item ea, quæ σκολιὰ μέλη appellata ſunt. Præterea Dithyrambica, & quæ ab autore *Sotadica*, & Ithyphallica, & Choriambica, in Cybelem, Bacchum, Silenum, Pæana, Faunum, Priapum: & Epipompeutica, quæ in pompis accinebantur, cujuſmodi ſeculare carmen Horatianum & Epinicia, haud abſimilia Pæanibus, de quibus omnibus, vide Autorem præfat. *l. de poët. l.* 1. *c.* 44. & infrà in voce *Melos*, it. *Numeri lege ſoluti, Rhythmus.* Erant autem *Lyricis* quoque ſuæ ſaltationes atque harmoniæ, numero tres: Pyrrhichica, Gymnopædica & Hyporchematica: Canebanturque & ad *Lyram* & ad Citharam, & ad Barbiton, unde Pindaro dicti Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι, Idem *c.* 48. Præmium, quo donabantur, qui Scolio viciſſent, poculum erat, quod ob eam cauſam ᾠδὸς dictum eſt; in cæteris certaminibus, juvenca, quam & immolabant; quemadmodum hircum Tragici, & taurum Epici; Bucolici verò vel vini vel lactis libatione contenti erant, idque Apollini, Muſis, Baccho, Jano & Gratiis. Nam cætera præmia à victo auferebant, non ea ab Judice dabantur. Idem iterum *c.* 44. Omnium autem *Lyricorum* opera, uno volumine Græcè Λυρικῶν τεῦχος dicto, comprehenſa, habuiſſe olim Eruditos, ex *Epigr.* Græco antiquo conſtat. Sic Κύκλος Ἐπικὸς, ſyntagma fuit Mythologicum, ex variis poëmatis & poëtis Heroicis collectum, qui Hiſtorico more ac ſimpliciſſimè μυθοποιίαν expoſuerant; quod ſyntagma in unum itidem τεῦχος ab aliquo antiquo Grammatico coactum veriſimile eſt, ut alia pleraque vett. poëtarum opera, quæ ob ſimilitudinem argumenti pari ratione in unum congeſta ſunt. Sic Bucolica omnia carmina, in unum corpuſculum collecta jam olim fuiſſe, ex Theocrito, Bione & Moſcho, teſtatur hoc vet. *Epigr.*

Βουκολικαὶ Μοῦσαι σποράδες ποκά, νῦν δ' ἅμα πᾶσαι
Ἐντὶ μιᾶς μάνδρας, ἐντὶ μιᾶς ἀγέλας.

Bucolicæ Muſæ ſparſa olim, nunc omnes
In una caula & uno grege.

Quinetiam Homeri diſperſa olim & per partes diſſipata carmina in eum ordinem, quo leguntur hodie, & ſeriem, collecta eſſe alibi diximus &c. Alii erant Λυρῳδοὶ, qui viz. Lyrica carmina à Lyricis poëtis compoſita decantabant; quemadmodum Ῥαψῳδοὶ dicebantur, qui Heroica carmina, quorum ipſi non Autores ſed Actores tantùm erant, in Theatro recitabant; item Tragœdi & Comœdi, qui fabulas à poëtis acceptas ſimiliter agebant. Citharœdi, qui dithyrambica &c. Et quidem *Lyrœdi* ac Citharœdi nomos & cantica, quæ poëta Lyricus aut Dithyrambicus ipſis compoſuerat, ſicut erant ab Autore facta, ad lyram vel citharam canebant. Tragœdi quoque Comœdique nihil de ſuo addebant: hæc enim carmina omnia, cujuſcunque tituli aut argumenti eſſent, perfecta habebantur initio & fine. At qui Epica carmina rhapſodiabant, quia per partes ea ſumebant cantillanda, quibus nec finis eſſet & initium ſæpe aliunde penderet, ut perfecti operis imaginem haberent, iis plerunque de ſuo finem aut principium adſuebant, qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 851. & *ſeqq.* & plura apud Scalig. ubi ſuprà paſſim, nec non Chabotium *Notis in Horat. Carm. l.* 1. *Ode* 1. *v.* 35. *ubi etiam de novem Lyricis poëtis apud Græcos celebribus varia.* Fuêre & *Lyriſcæ*, quæ cum Choraulis, Tibicinibus organariis, aliiſque Artificibus, ſive ſcenicarum, ſive domeſticarum oblectationum, in pulpitis ſedêre; atque inde audiri conſuevêre, Vitruv. *Archit. l.* 5. *c.* 8. apud Thom. Dempſter. *Paralip. in Joh. Roſin. Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 29. Vide quoque Laur. Pignor. *Comm. de Serv.* Item *Lyriſtriæ*, ut vidimus ex Juv. De *Lyra*, in annulo Polycratis, vide Clem. Alex. *Pædag. l.* 3. de *Lyra Davidis*, ſuprà in voce *Cinnor*; de *Lyra Paridis*, adhuc tempore Alex. Mag. ſuperſtite; Joh. Meurſ. *ad Lycophr.* de *Lyra piſce*, Ger. Joh. Voſs. *l.* 4. *c.* 25. *de Orig. & Prog. Idol.* Athen. *l.* 14. *p.* 628. & *ſeqq.* uti de *Lyra* aſtra, inter Peruanorum Numina, infrà in voce *Peruvia.*

LYRA, ſignum cœleſte, ſtellarum novem inter genu, & manum ſiniſtram Engonaſis ſitum. Oritur cum Sagittario, occidit autem exoriente Virgine. Ovid. *Faſt. l.* 7. *v.* 75.

Illâ nocte aliquis tollens ad ſidera vultus,
Dicet, ubi eſt hodie, quæ Lyra *fulſit heri?*

Qui poëticam Aſtrologiam conſcripsêrunt, volunt Lyram hanc eſſe à Mercurio primùm inventam in Cyllene Arcadiæ monte, & ab eo Apollini donatam: Ab Apolline autem inventâ citharâ Orpheo conceſſam, eoque interempto, à Muſis in cœlum translatam.

LYRANUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

LYRNA, civ. Aſiæ min. ſuprà Cybiram. Vide *Lyrope.*

LYRCÆ, Scythiæ pop. qui venatione victitant hoc modò: Conſcenſis arboribus, quas habent frequentes, inſidiantur feris. Singulis adeſt canis, & equus in ventrem cubare edoctus, humiliùs ſubſidendi gratiâ: ubi quis feram ab arbore vidit, ſagittâ percutit; percuſſam, ſi fugiat, conſcenſo equo perſequitur, comitante cane.

LYRCÆUS, mons Arcadiæ, *Lycaus* Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 16. ubi Lyrcæa urbs erat, teſte Pauſ. quem alii cum Callimacho in Argia locant, ex quo Inachus fluv. profluit. Strabo *l.* 7. *p.* 271. Eſt & fontis nomen. Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 711.

Aret Lerna nocens, aret Lyrcæus, *& ingens*
Inachus. ——

Ovid. *Met. l.* 1. *v.* 597.

—— *Jam paſcua* Lernæ
Conſitaque arboribus Lyrcæa *reliquerat arva.*

Hinc *Lyrcejus.* V. Flacc. *Argon. l.* 4. *v.* 355.

—— *Dominum* Lyrceïa *tellus,*
Antraque deprenſæ tremuêrunt conſcia culpæ.

Nic. Lloyd.

LYRCIA, Peloponneſi urbs, quæ antea *Lyncea* dicebatur. Pauſ. Vide ſuprà *Lynceus* Argivorum Rex.

LYRICANTUS, vicus inſ. Franciæ, in Vaſtinienſi tractu & Diœceſi Senonenſi. 15. leuc. à Lutetia in Auſtr. 2. à Nemuſio. *S. Mathurin de l'Archant* vulgò.

LYRIS, vide *Liris.* Plin. *l.* 3. *c.* 5.

LYRNATIA Cherſoneſus, & parva regio Lyciæ. *Steph.*

LYRNESSUS, opp. Troadis, ab Adramyttio 80. ſtad. à Thebis 20. patria Briſeidis, quam Achilles everſâ urbe, ſecum abduxit, Occiſo Mynete ejus marito, civitatis illius Principe. Hinc *Lyrneſſius.* Ovid. *in Heroid. Ep.* 3. *Briſeis Achilli v.* 45.

Diruta Marte tuo Lyrneſia *mœnia vidi.*

Et *Lyrneſſis* pro Briſeide. Ovid. *Triſt. l.* 4. *Eleg.* 1. *v.* 15.

Fertur & abductâ Lyrneſſide *triſtis Achilles.*

Alia quoque eſt Cilicum Strabo *l.* 13. *p.* 584. & *l.* 14. *p.* 667. Curt. *l.* 3. *c.* 4. & Euſt. quæ & *Homala*, vel potiùs *Mallos* vocatur. Inſ. item Sigæo prom. objecta. Plin. *l.* 5. *c.* 27. 30. & 31. Virg. *Æn. l.* x. *v.* 128.

LYROPE, Ciliciæ aſperæ in Pamphylia opp. *Ptol.*

LYSA, Arabiæ Petr. urbs. *Idem.*

LYSANDER, Dux Lacedæmonius invictiſſimus, cujus Darii Nothi opibus ſubnixi ductu, Athenienſes cum Duce Conone navali pugnâ cladem accepêrunt; Ex quo Athenæ ſemidirutæ impoſitumque jugum 30. tyrannorum fuit. Dein Samo captâ, domum reverſus, Heraclidis regnum ereptum ivit, fruſtra Oraculis Delphico, Dodonæo & Ammonio, corruptis. Victus denique eſt Lyſander à Conone ipſo Thebanis, Argivis & Corinthiis Athenienſes juvantibus, A. U. C. 358. 96. Olymp. terreſtri pugnâ, & interfectus, ubi Pauſanias ejus collega in exercitu ſuſpectus, in exilium profectus eſt. Lyſander & rebus geſtis, & animi magnitudine Syllæ comparatur à Plutarch. *in Parallel.* Cætera crudelis, luxurioſus, fidei parum tenax. Unde vulpinam Leoninæ jungendam; mendacio in occaſione utendum, fide datâ velut aſtragalis pueri ſolent, ludendum, interrogatus reſpondit. Diod. Sic. *l.* 13. Plutarch. & Corn. Nep. *in vita ejus.* Athen. *l.* 14. *p.* 637. Curt. *l.* 5. *c.* 5. 6. 7. &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

7. & 8. Cæterùm, ejus honori Samios feſtum agitâſſe, habet Plutarch. in *Vita* ejus, & Athenagoras *in Leg.*

LYSANEAS, de Jamborum ſcriptoribus teſtis adhibetur ab Athen. *l.7.p.*304.

LYSANIAS, Procurator Abylenes, ſ. Tetrarcha, memoratur Lucæ *c.* 3. *v.* 1. ubi Euangeliſta rerum deſcriptionem aggreſſurus, quas Dominus noſter toto miniſterii ſui tempore geſſit; temporis circumſtantiam, quæ erat omnium maximi momenti, accuratè ſic deſignavit, ut parem diligentiam non temere alibi ſit deprehendere. Hinc poteſtatis primùm civilis, atque ejus multiplicis; deinde Sacerdotalis; poſtremò ætatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti notis, tempus hoc voluit inſignire. Primò itaque Imp. nomen, annumque Imperii illius ponit, *Anno* 15. *Imperii Tib. Cæſ.* Addit ſtatim nomen Procuratoris Cæſaris, ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πιλάτου τῆς Ἰουδαίας, *procurante Pontio Pilato Judæam*: fuit autem is Annus tertius currens procurationis Pilati. Parum hoc Lucæ viſum, niſi etiam poteſtatum aliarum nomina adjiceret, quæ tum in Judæa & finitimis regionibus eminebant. Notum enim, ampliſſimum Herodis regnum mutatâ formâ diviſum fuiſſe, ab Aug. in Ethnarchias tres, quarum maximam & cæteris duabus parem Archelaus, eoque pulſo Procurator obtinebat: reliquas duas, Archelai fratres, Herodes Antipas & Phil. Quæ cauſa, quòd Imp. ſtatim ſubjecerit Lucas Procuratorem Judææ, huic Tetrarchus. Meminit deinceps Tetrarchæ *Luſaniæ*, καὶ Λυσανίου τῆς Ἀβιληνῆς τετραρχοῦντος, *Et Lyſaniâ Abilenæ Tetrarchâ*. Erat nempe illis temporibus Tetrarchia, quæ dicebatur *Abilena Luſaniæ*: quam pro voluntate Imp. vel proprius obtinebat Princeps, vel major aliquis, acceſſionis loco, accipiebat. Quoniam igitur ineunte illo acceptabili ac verè magno Anno Miniſterii Domini Noſtri, quidam *Lyſanias* eum Principatum tenebat; ne hunc quidem Lucas putavit ſibi eſſe prætermittendum: quum præſertim Judæi non pauci, in Tetrarchæ hujus ditione habitarent, in finibus Decapoleos, quò veniſſe Chriſtum atque Euangelium ibi prædicâſſe & Decapolitanos plures ad ipſum ventitâſſe eique μαθητεύσαι, teſtantur Euangeliſtæ. Matth. *c.* 4. *v.* 25. Marc. *c.* 5. *v.* 20. & *c.* 7. *v.* 31. Fuêre autem diverſis temporibus *Lyſaniæ* duo, ejuſdem Principatûs Tetrarchæ; quorum prior ex Hiſtoria illorum temporum notus eſt ſatis: poſterior verò alibi ſatis expreſsè nominatus, non reperitur; ſed tantùm obiter. Ante natalem Domini quadraginta circiter Annis, vivebat in Syria Ptolemæus Mennæi F. Tetrarcha ſive Regulus Iturææ, regionis parvæ in conf. Syriæ & Arabiæ. Strabo *l.* 16. *p.* 763. autor eſt, paruiſſe huic Regulo (cujus & Joſeph. meminit) montana Ituræææ, Marſyam, Heliopolim & Chalcidem urbem Syriæ, à qua nomen habuit Chalcidene, Plin. deſcripta *l.* 5. *c.* 23. Hunc *Lyſanias* fil. excepit, qui Joſepho dicitur Patri ſucceſſiſſe, in ipſius Dynaſtia *l.* 14. *c.* 23. Cujuſmodi Dynaſtæ dominationes has precario obtinebant, quamdiu gratum erat rerum potentibus Romæ. Itaque Dio *l.* 46. beneficio Antonii *Lyſaniam* hunc factum Ituræææ Regem ſcribit; & mox ab eodem, ut Cleopatræ gratificaretur, Occiſum: quod Joſeph. *Antiqq.* quoque docet *l.* 14. *c.* 5. Hic *Lyſanias* ſedem dominationis ſuæ collocavit Abilæ; quæ urbs Syriæ fuit, una ex ſex Tetrarchiis Plin. quæ urbibus Decapoleos erant immixtæ. Quum autem plures in Syria Abamlæ fuiſſent, huic cogn. *Lyſaniæ* datum eſt, ut ab aliis ſepararetur. Ptol. in deſcr. Cœleſyriæ, primam urbem recenſet Heliopolim, quam diximus hujus Patri paruiſſe & ſecundam Abilam, *Lyſaniæ* cognominatam, Ἄβιλα ἐπικληθεῖσα Λυσανίου. Et ita apud Joſeph. *Antiqq.* ille Principatus vocatur ſæpe, *Lyſaniæ Tetrarchia*, ut *l.* 18. & 20. Ab utro verò *Lyſania* id urbi cognomen hæſerit, non adeò certum eſt. Veroſimilius tamen Joſ. Scalig. à priore ſic eſſe dictam: Namque & Joſeph. *Antiqq.* *l.* 15. in reb. Herodis & proximis temporibus à cæde *Lyſaniæ* prioris, meminit hujus cognominis, *p.* 474. ὁ οἶκος τοῦ Λυσανίου, ubi οἶκος idem, quod Lucæ τετραρχία. Vide infrà *Oecus.* Incidit cædes iſta, in A. U. C. 719. ante N. C. 33. à quo tempore Dynaſtiæ hujus varia fuit adminiſtratio. Cleopatra prima eam poſſedit, extincto legitimo Domino: poſtquam illa periit, videtur Aug. fiſco ſuo eam addixiſſe & certi pretii impoſitâ penſione, colendam tradidiſse Zenodoro cuidam, de quo Joſeph. antiqq. Ζηνόδωρός τις ἐμεμίσθωτο τὸν οἶκον Λυσανίου. Similes certè Cleopatræ locationes habes, apud Joſeph. antiqq. *l.* 15. *c.* 5. ubi Herodes Rex & alius Dynaſta Arabs, urbes Cleopatræ donatas ab illo redimunt, pacti annuam certæ pecuniæ penſionem. Quamdiu Zenodorus Tetrarchiam hanc in poteſtate habuit, *Zenodori Tetrarchia* vocata eſt: quam Herodi ab Aug. fuiſse donatam, Joſeph. *Antiqq.* *l.* 15. & Dio *l.* 54. memorant, A. U. C. 734. ante N. C. 8. Mortuo Herode, Aug. partem illius, Phil. ejus filio attribuit; de reliqua parte quid ſtatuerit, neque dicit Joſeph. *Antiqq.* neque ullus alius Hiſtoricus. Sed docet nos Lucas *Lyſaniam* quendam parte præcipuâ illius, atque adeò ipsâ Abilenâ, fuiſſe donatum, vel à Tiberio, vel, quod potius putat Caſaub. Aug. Fuiſſe hunc prioris fil. ex communione ejuſdem nominis, quidam hariolantur: Sed non ſit veriſimile, fil. Patri ſuo poſt temporis adeò longi intervallum ſucceſſiſſe. Nam à cæde *Lyſaniæ*, ad 15. Annum Imperii Tiberii, Anni intercedunt circiter ſexaginta. Proin veriùs videtur, caſu quodam contigiſſe, ut eadem Præfectura duobus concederetur, modico temporis ſpatio, qui appellarentur ambo *Lyſaniæ*, cujus συγχυσίας nonnulla exempla apud Vett. occurrunt. Hic igitur poſterior Lyſanias, is eſt, quem Lucas appellat *Tetrarcham Abilenæ* & Anno 15. Tiberii vixiſſe atque illi parti Cœleſyriæ eſſe dominatum, oſtendit: qui quo fato Obierit, non conſtat; illud certum, paulò pòſt, h. e. 10. ferè pòſt Annis, rediiſſe ejus Tetrarchiam in poteſtatem filiorum Herodis. Scribit enim Joſeph. *Antiqq.* *l.* 18. Cajum Imp. dediſſe Agrippæ, inter alia plura, etiam τὴν Λυσανίου τετραρχίαν, h. e. *Abilenem Tetrarchiam*, quam olim Lyſanias Ptol. fil. obtinuerat, paulò antè Lyſanias Lucæ. Non tamen tranſmiſit ad filium Agrippa poſſeſſionem ejus, ſed Agrippa junior illam à Claud. impetravit, Anno hujus Imp. 12. Vide Iſaac. Caſaub. *Exercit.* 13. §. 3.

LYSANIAS, orator Græcus. Alter fuit Arcas, qui Lycaonem regno expulit. Item procurator conſtitutus à Romanis ſuper Abilenem regionem. Luc. *c.* 3. *v.* 1. Nepos Ptol. Mennæi, fil. Lyſaniæ, à Cleopatra bonis ejus inhiante, Occiſi. Joſeph *Antiqq.* *l.* 14. *c.* 23. *l.* 19. *c.* 4. Euſeb. *Chron.* A. C. 7. Plin. *l.* 5. *c.* 18. Item Ptol. Manei, qui ad Libanum habitavit, fil. *Idem.*

LYSERUS vel LEISERUS Polycarpus, Winandâ Witembergicus, ab Aug. Saxoniæ Elect. Witembergæ Eccl. Paſtor, & reliquarum Superintendens, Profeſſor item Theologiæ, conſtitutus A. C. 1577. variis conventibus theologicis, ob librum *Concordiæ* paſſim habitis interfuit. Brunſvicum dein vocatus, primùm Coadjutoris; inde Superintendentis munere ibi functus eſt, A. C. 1585. Sed reverſus Witembergam, ſexennio pòſt Dreſdæ Concionator Aulicus creatus, A. C. 1594. ibi Obiit A. C. 1610. Æt. 58. cum Sam. Hubero, qui Witembergæ *de univerſali omnium electione ac reproborum quoque redemptione* ſparſerat, nec non Jeſuita Gretzero, perpetuò conflictatus. Scripſit complura, ut videre eſt, apud Paul. Freher. *Theatro Viror. Erudit. Clar.* Pater fuit fil. cognominis, Superintendentis Saxonici, & plurium itidem ſcriptorum Autoris; Extincti A. C. 1633. Æt. 47. Nec non *Vilhelmi*, Superintendentis Torgenſis & in Acad. Witembergenſi Theolog. Prof. Defuncti A. C. 1649. Æt. 57. cujus ſcripta ut & fratris modò dicti, exhibet *Idem ibid.*

LYSIADES, Athenienſis, Phædri philoſophi fil. homo feſtivus. Cic. *Philip.* 5. Item, Archon Athenis, Olymp. 95. An. 4.

LYSIAS, Prætor Seleuci, apud Polyæn. *l.* 4.

LYSIAS, Syracuſanus genere, Cephali fil. unus è decem Oratoribus, natus Athenis, quo pater ſe tranſtulerat. Puer Thurion coloniam migravit, rediit Ann. natus 47. interque principes oratores habitus. De quo Cic. *in Bruto*, *Tum fuit Lyſias*, inquit, *ipſe quidem in cauſis forenſibus non verſatus*, *ſed egregiè ſubtilis ſcriptor atque elegans*, *quem jam prope audeas oratorem perfectum dicere*, &c. Plurimæ ipſi Orationes tribuuntur: Apologia item Socratis, præcepta dicendi, & Epiſtolæ. Ferventibus Olympicis ludis, Olymp. 98. Orationem contra Dionyſium tyrannum, toties vett. laudatam, conſcripſit. Obiit An. Æt. 81. Olymp. 100. Plutarch. *de decem Orat.* *c.* 3. Dionyſ. *de* 10. *Auct.* Suid. Simler. *in Epit. Bibl. Geſn.* Item Princeps quidam exercitûs Antiochi Epiphanis, qui eum filii ſui educationi præfecit. Victos à Maccabæo, cum illo, Antiocho Eupatore, Mortuo Patri ſurrogato, fœdus poſtmodum iniit. Occiſus cum Rege à Demetrio Sotere, cui Antiochus Epiphan. regnum eripuerat. 1. Macch. *c.* 3. *v.* 32. Joſeph. *Antiqq.* *l.* 12. Appian. Alex. *in Syr.* & alius Tribunus cohortis Rom. qui Paulum Ap. turri Antoniæ incluſit, dein Felici Gubernatori provinciæ tranſmiſit. Vide Act. *c.* 24. *v.* 22. Joſeph. *Antiqq.* *l.* 20. & *de B.* *l.* 2. Nic. Lloyd. Tac. *de Oratoribus* *c.* 12.

LYSIAS, Arcadiæ urbs. Ptol. *Crepa* Nigro. Eſt etiam Phrygiæ oppi. Epiſcopal. ſub Archiep. Synnadenſi. Strab. *l.* 12. *p.* 576. Syriæ quoque circa Apamiam. Ptol. Cariæ urbs Plin. *l.* 5. *c.* 29. Vide *Ferrar.*

LYSICLES, cum Charete ab Athenienſibus Dux miſſus in Bœotiam, adverſùs adventantem Phil. Olympiad. 110. Ann. 3. Victus ad Chæroneam, accuſante Lycurgo capitis damnatus. An ille eſt, quem quæſtum ovibus vendendis exercuiſſe notat autor Scholiorum *in Ariſtoph. Eq.*

LYSIDICE, Pelopis & Hippodamiæ filia, quæ Electryoni nupſit, & ex eo Alcumenam Herculis matrem peperit. Plutarch. Alii verò, inter quos eſt Homeri Commentator, matrem Alcmenes non Lyſidicen Pelopis, ſed Anaxo Ancæi cujuſdam filiam faciunt.

LYSIMACHE, Sacerdos Minervæ Annis ſexaginta quatuor, inter celeberrima ex ære opera Demetrii, memoratur Plin. *l.* 34. *c.* 8. Idem *Lyſimachum*, inter gemmas habet *l.* 37. *c.* 10. *Lyſimachus Rhodio marmori ſimilis eſt aureis venis: politur ex marmore, amplitudine in anguſtias coeunte, ut inutilia exterantur.*

LYSIMACHIA, urbs Cherſoneſi Thraciæ ad Iſthmum, in ora Helleſponti contra Caridiam, urbem exciſam; cui Lyſimachia, teſte Pauſ. ſuffecta eſt. Epiſcopal. ſub Archiep. Heracleenſi, à longis muris ſ. Macrontico 5. mill. paſſ. in Auſtr. Callipolim verſùs, Ferrar. *Hexamili* Sophiano. Item urbs Ætoliæ. Strabo *l.* 7. *p.* 331. & *l.* 10. *p.* 460. À *Lyſimacho* conditore nomen habens, teſte Pauſ. Baudr. urbs fuit Æolidis, jam Plin. *l.* 4. *c.* XI. & *l.* 5. *c.* 30. P. Mela *l.* 2. *c.* 2. Liv. *l.* 38. *c.* 16. tempore deleta.

LYSIMACHIDES, Archon Athenis, Olymp. 110. An. 2.

LYSIMACHUS, Agathoclis fil è ſucceſſoribus Alex. Mag. Pergamo præfuit, ubi theſauri Regis fuêrunt. Hic illuſtri quidem Macedoniæ loco natus, virtute illuſtrior fuit; amore literarum ac Philoſophiæ ardens adeò, ut Calliſthenem tunc ab Alex. afflictum atque in vinculis habitum, de virtute diſſerentem ſæpius audiverit, poculumque ei, ac remedium miſeriæ optanti propinaverit. Quod ægrè ferens Alex. Lyſimachum leoni objeciſſe dicitur: Sed ille, viribus fretus, rem poſteris prodendam fecit. Manum amiculo convolutam in os leonis inferens, abreptâ linguâ feram exanimavit; quo facto vehementius poſtea Alex. dilectus fuit. Plin. *l.* 8. *c.* 16. Trogus *l.* 15. Non aſſentitur tamen Curt. *l.* 8. *c.* 1. Poſt Obitum Alex. parte Thraciæ occupatâ, ibi regni ſedem fixit, urbe Lyſimachiâ conditâ. A. U. C. 445. Caſſandrum & Seleucum contra Antigonum Demetriumque ſequutus, interfuit celebri ad Ipſum prælio. Antipatrum generum, regno ſuo pulſum, Occidit, filiâ in vincula conjectâ. À Dromichete Getarum Regulo in pugna captum, fil. Agathocles liberavit: Macedoniæ dein regno, poſt pulſum à ſubditis Demetrium, potitus eſt, An. 4. Olymp. 222. A. U. C. 465. Pyrrho, qui aliquam Macedoniæ partem tenebat, exturbato. Sævus poſtmodum in propinquos, Agathoclem inprimis fil. quem ab ejus noverca impulſus veneno ſuſtulit, gloriam rerum ge-

ſtarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

ſtatum non parum obſcuravit. Strabo *l.* 13. *p.* 623. Hinc à ſubditis deſertus, in Aſiam tranſiit, in prælio contra Seleucum victus Occiſusque, An. Æt. 74. & U. C. 472. Olymp. 224. agnito in turba à cane, qui illum perpetuo ſequebatur, cadavere. Diod. Sic. *l.* 19. & 20. Juſtin. *l.* 13. *c.* 4. *l.* 15. *c.* 1. 2. & 3. *l.* 16. *c.* 2. 3. *l.* 17. *c.* 1. & 2. Plutarch. Pauſ. Herod. *l.* 8. *c.* 95. Dexippus, Euſeb. &c. Athen. *l.* 14. *p.* 614. & 615. Liv. *l.* 40. *c.* 8.

LYSIMACHUS, natione Acarnan. Alex. Mag. pædagogus, ſecundas poſt Leoniden obtinuit, nullo urbanitatis genere præditus, niſi quòd ſe Phœnicem, Alex. Achillem, Phil. verò Peleum nuncupavit. Plutarch. *in Alex.* Curt. *in Suppl. l.* 1. *c.* 2.

LYSIMACHUS, Alexandrinus Hiſtoricus, Hiſtoriæ Ægyptiæ, laudatæ Joſeph *l.* 1. *c. App.* & tractatus de Agric. Plin. ſæpe citati autor, de quo vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 3. *p.* 384.

LYSIMACHUS, Medicus, Hippocratis ſectator, Schol. Nicandri *in Alexipharm.* Item, fil. Ariſtidis, ab Athenienſibus, ob merita patris, donis excultus. Plutarch. *in Ariſt.* Item Summus Sacerdos Judæorum, ſub Antiocho Epiphane, ingenti vi auri depensâ quam frater Menelaus ſolvere non poterat, factus. Ob violentiam, injuſtitiam, rapinas & ſacrilegia, à Judæis pulſus. 2. Machab. *c.* 4. *v.* 29. Torniel. A. M. 3882. & 3883. Plin. *l.* 25. *c.* 7.

LYSIMELIA, Siciliæ palus in agro Syracuſano. *Pantanella*, teſte Fazello cum Aretio. Λίμνη Λυσιμήλεια Thucyd. *l.* 7. *p.* 513. Meminit hujus ſtagni quoque Theocritus Syracuſan. *Idyll.* 16. *his verſibus*,

> Κόρη δ' ἄστω μαλεὶ πολυκλήρων Ἐφυραίων
> Εἴληχας, μέγα ἄσυ παρ' ὕδασι Λυσιμελείας.

LYSINOE, Aſiæ civ. circa Pamphyliam, Polyb. *in fragm.* & Liv. *l.* 38. *c.* 15. fortè *Lyſinia. Ptol.*

LYSIPPE, una filiarum Proeti, ſoror Iphianaſſæ, & Iphinoës, quæ quòd ſe Junoni præferre non eſſent veritæ, tanto furore correptæ ſunt, ut per agros diſcurrentes, ſe vaccas eſſe crederent.

LYSIPPUS, clariſſimus ſtatuarius, patriâ Sicyonius, qui ad ſexcenta & decem opera feciſſe traditur, quorum ſingula arti claritatem dare potuiſſent. Hic, teſte Quinctiliano, ad veritatem optimè acceſſit, quamobrem etiam Alex. ille Mag. ab uno Lyſippo ſe fingi voluit, & pingi ab Apelle. Vide quoque Plutarch. Plin. Arrian. Strab. *l.* 6. *p.* 278. &c. Horat. *ad Aug. Cæſ. l.* 2. *Ep.* 1. *v.* 239. *& ſeqq.*

> *Edicto vetuit, ne quis ſe præter Apellem*
> *Pingeret, aut alius* Lyſippo *duceret æra,*
> *Fortis Alexandri vultum ſimulantia.* ——

Prop. *l.* 3. *Eleg.* 9. *v.* 9.

> *Gloria* Lyſippo *eſt animoſa effingere ſigna.*

Stat. de Domitiani equo maximo, *l.* 1. *Sylv.* 1. *v.* 85.

> —— *Quem tradere es auſus*
> *Pellæo* Lyſippe *Duci.* ——

Item poëta comicus, cujus fabulas enumerat Athen. Plin. *l.* 7. *c.* 37. *l.* 34. *c.* 7. & 8.

LYSIS, poëta κιναιδολόγος: quod mimilogiæ genus cùm Sotades primus auſpicatus eſset, eum ſequutus eſt Alex. Ætolus: qui ambo pedeſtri ſermone fuêre uſi. Poſt eos *Lyſis* & Simus etiam carmine: unde Λυσιῳδοὶ & Σιμῳδοὶ dicti, de quibus Athen. *l.* 14. *p.* 620. J. C. Scalig. *poet. l.* 1. *c.* 52. Erat autem Lyſiodo idem argumentum cum Magodo, *modus diverſus. Iſte muliebribus perſonis virilia negotia, ille muliebria virilibus agebat, ille ad tympanum, hic ad cymbalum. Introducta hæc quoque inter fabulas à quibuſdam, ſicut & Mimi & Satyri. Hilarodus à Tragœdo, Magodus à Comico*, ubi de *Hilarodis*. Salmaſ. verò *Lyſiodi* iiſdem, cum *Magodis*, de quibus, ut & eorum argumentis, qualia erant, aliquando *mulier, mœchi & lenones*, aliquando *vir temulentus ad amicam comeſſatum vadens &c.* quas κωμικὰς ὑποθέσεις ſuo modo moreque tractabant, omnia turpiùs & laſciviùs, quàm in comœdia repræſentantes, vide eum *ad Solin. p.* 108. ut & hîc paſſim, inprimis infrà, ubi de Vett. *Mimilogia.*

LYSIS, Philoſophus quidam Pythagoricus, præceptor Epaminondæ, floruit cum Philiſtione, Olymp. 98. An verſuum aureorum autor, quæ vulgò Pythagoræ tribuuntur? An diſcip. Philolaus? Unam Epiſtolarum ejus ad Hipparchum edidit A. Manutius Venetiis. Vide Voſs. *de Hiſt. Gr.* Simler. *in Bibl. Geſn. p.* 559. Nic. Lloyd. Dixit Deum numerum eſse ineffabilem, aut maximi intimique numeri ſummitatem, Origenes. Item Aſiæ fluv. circa Pamphyliam. Plin. Cæterùm Lyſidis Phythagorici omnium ſunt verſus illi qui vulgò *Aurea Pythagoræ carmina* appellantur, in quos pulcherrimus ſupereſt Hieroilis Comm. qui hactenus neglectui habitus eſt, Gerh. Joh. Voſs. *de Philoſophorum Sectis c.* 6.

LYSISTRATE, Ariſtophanis comœdia ſic dicta.

LYSISTRATES, Prætor Athenis, peculator & malitioſus, qui & avaritiæ & δωροδοκίας nomine traducitur. Quidam poëtam tragicum faciunt ignobilem. Vide Scholia *in Ariſtoph. Aves.*

LYSISTRATUS, Archon Athenis, Olymp. 102. An. 4.

LYSISTRATUS, paraſitus ſive adulator Athenienſis, cujus meminit Ariſtoph. *Equit. Act.* 4. *Sc.* 1. Meminit item, *Acharn. Act.* 3. *Sc.* 4. ubi eum vocat opprobrium cholargicorum. Addunt Scholia fuiſſe infamem molitie, nec non pauperem & tamen aleæ deditum *p.* 412. *c.* 2. In *Veſpis* traducitur tanquam ſcurra; dictus eſt alibi Χιμαλώπηξ. Egregiè illuſit *in Veſpis* Philocleoni, cùm enim à Colacreta drachmam pro utriuſque mercedula accepiſſet, & in piſcium macello mutatâ drachmâ dimidiam partem, tres nempe obolos, Philocleoni tribueret, pro obolis ſquamas mugilum tres dedit. Alium *Lyſiſtratum* fuiſſe, Macarei fil. adnotant Scholia *in Ariſtoph. Crabron.* Nic. Lloyd. Herod. *l.* 8. *c.* 96.

LYSISTRATUS, Sicyonius, Lyſippi ſtatuarii frater, primus ſtatuas è gypſo finxit, crevitque res in tantum, ut nulla ſigna ſtatuæve ſine argilla fierent. Plin. *l.* 34. *c.* 8. & *l.* 35. *c.* 12. Curt. *in Suppl. l.* 1. *c.* 2. & *l.* 2. *c.* 3.

LYSIUS, Liberi patris cogn. apud Bœotios, ἀπὸ τοῦ λύειν, h. e. *à ſolvendo* impoſitum. Ferunt enim, Bœotios aliquando à Thracibus deprehenſos, partim captos, partim in fugam verſos fuiſſe, ex quibus cùm nonnulli ad Trophonii ſpecum confugiſſent, viſum eſt iis, noctu aſtantem loci ejus Deum, Liberi Patris ſibi auxilium promittere. Quo ſomnio alacriores redditi Thracas ex inſidiis adorti ſunt, quos cùm vino, ſomnoque obrutos inveniſſent, nullo negotio ſuperârunt, receptisque ſuis, cùm in patriam rediiſſent, Dionyſio cogn. Lyſio templum conſecrârunt. Autor Heraclides Ponticus. Julius autem Pollux, Deos omnes, qui averruncandi mali gratiâ colebantur, *Lyſios* vocari ait, quos ἀλεξικάκους, & ἀποτροπαίους Græci nominant.

LYSIUS, Arcadiæ fluv. aliis *Lyſus*, juxta quem eſt Æſculapii tumulus.

LYSO, quidam Cic. hoſpes, ut ſcribit Epiſtolarum *l.* 16.

LYSSA, urbs Venetæ ditionis, morte Georgii Caſtrioti, ſ. Scanderbegi, clara: Deceſſit autem ibi A. C. 1466. relicto filiolo Joh. Captâ dein urbe à Turcis, qui ad nomen Scanderbegi ſpirantis fugiebant, poſtmodum ad cineres oſſaque ejus tantâ frequentiâ confluebant, ut felix & probus is fore exiſtimaretur, qui ea videre & tangere; felicior, qui minimam eorum particulam obtinere poſſet; quas ut reliquias ſacratiſſimas collo appendebant. Mar. Baril. *l.* 9. *c.* 10. 11. & 13.

LYSTRA, civ. Lycaoniæ. Act. *c.* 14. *v.* 6. & *c.* 27. *v.* 5. Plin. *l.* 5. *c.* 32. prorſus everta.

LYTÆ, parva reg. Theſſaliæ, ſic dicta, quòd Neptunus, diſſipatis diluvii aquis, Tempe liberavit. *Steph.*

LYTÆ dicebantur, qui, triennio in LL. ſtudio exacto, quartum etiam Annum adjungebant. Imp. *ad Anteceſſores* §. 5. *Sed quia ſolitum eſt Anni quarti ſtudioſos Græco & conſueto quodam vocabulo* Λύτας *appellari: habeant quidem, ſi maluerint, hoc cognomen &c.* Ita autem vocabantur, tanquam Λύται, i. e. *ſolubiles*, quaſi jamjam à certa illa & præſcripta ſtudiorum ratione ſolvendi, & legendi libertate ac licentiâ donandi quaſique miſſionem à magiſtrorum ſuorum caſtris, i. e. ſcholis, impetraturi. Nam cùm ad finem libri Pandectarum 36. perventum eſſet, qui poſtremus Anni quarti liber erat, ſtatuit idem Imp. ut reliquos 14. ſtudioſi per ſe domi legerent, neque ex Præceptoribus interpretantibus eos audirent, vide eum ubi ſuprà. Turneb. verò Λύτας exponere mavult, quaſi *Solutores* & quæſtionum Juris Interpretes. Ita *Additio ad Gloſſam ad Procem. ff. Lytas*, inquit, *habet germana lectio, quæ vox Solutores ſignificat, nempe eos, qui civili ſapientiâ tantùm promoverunt, ut legum ænigmata poſſint ſubtiliter & accuratè diſſolvere. Quos autem ſequenti reſponſo* Προλύτας *appellant, poſſis interpretari eos, qui* τῶν Λυτῶν *Anteceſſores ſunt.* Vide quoque Alciatum *Parerg.* 8. *c.* 10. Joh. Selden. *de Synedriis vett. Hebræorum l.* 2. *c.* 7. §. 7. Alios: nec non ſuprà, *Bachelarii*, & infrà *Papinianiſtæ.* Sic *Lyta* fuerit, finitore Juv. *Sat.* 8. *l.* 3. *v.* 50.

> *Qui Juris nodos, legumque ænigmata ſolvat.*

LYTARMIS, prom. ad Scythicum Oceanum. Plin. Aliàs Sarmatiæ, nunc Moſcoviæ, in ipſo conf. Aſiæ, ad oſtia Carambyces fluv. *Oby*, & in Sarmatiam Occ. excurrens. 900. mill. paſſ. in Ort. à prom. Bor. *Cap de Noort*, prope arcem *Wardhuß*, & 500. mill. paſſ. etiam ad Ort. à faucibus maris Albi; Nunc *Cap d'Oby* dicitur, in Samojeda prov. Moſcoviæ Bor. Cluv. Sanſo, *Baudr.*

LYTHIRAMBUS, Bacchi cogn. inde ei datum, quòd ex femore Jovis (cui interemptâ matre inſertus fuerat) in lucem prodituro identidem Jupiter inclamaret Λῦθι ῥάμμα, h. e. *ſolve futuram.*

LYTIERSA, Græcè Λυτιέρσης, meſſorum carmen, apud Theocritum, dictum à *Lytierſa*, fil. notho Midæ Regis. Qui cùm Celænas habitâſſet, agrorumque cultui præter modum eſſet deditus, viatores ad convivia invitatos cogere ſolitus, ut ſecum eſſent in opere meſſorio, pigriores etiam verberibus afficere; imò &, ut nonnulli addunt, defatigatione ſopitos obtruncare, eorumque capitibus abjectis, tum inter manipulos conditis cadaveribus, canere, legitur. Alii in meſſe, nimio ſtudio captum atque delaſſatum labore interiiſſe: Quidam ab Hercule interfectum dicunt; quod temporum ſupputatione redarguitur. Quocunque fato uſus ſit, illud conſtat, colonos ad patris ſolatium lugubrem cantum condidiſſe, quem poſteri anniverſario cultu ad aras meſſorias, apud Phryges celebrarent. Quemadmodum Maryandeni ſimile quid fecêre in memoriam pueri Borci vel Borimi, Upii Regis filii, qui à meſſoribus aquatum miſſus nuſquam comparuit. Vetuſtiſſimam nempe conſuetudinem tenuiſſe, quâ priſcorum Regum liberi armentorum cuſtodiis apponerentur, palàm eſt ex fabula de Paride & Ganymede; magis, ex Sacra Hiſt. de Patriarchis. Vide Jul. Cæſ. Scalig. *poet. l.* 1. *c.* 4.

LYUS, fluv. Aſiæ min. in Pontum defluens.

LYXEA, urbs Acarnaniæ, *Steph.*

FINIS TOMI SECUNDI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

FINIS TOMI SECVNDI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2